








LEOVARDIAE
Excudit FRANCISCUS HALMA, MDCCXIII.



L.



Romani ſæpe uſurpabant vicem literæ caninæ, cujus pronuntiatio eſt duriuſcula. Ita *flaxinea* pro *fraxinea* ſcripſit Calpurn. Ecl. I. 39. Quod & ipſum fortaſſis ex antiquo codice hauſit. Hujus rei cum in libris pluſcula ſit reperire teſtimonia, tum non dubito plura in communi loquendi uſu ſtante imperio fuiſſe. Id quod nos docent ſoli Hiſpani, quorum hodiernus idiotiſmus maxime Latinitatis ſervans eſt; pleraque autem mollius, & delicatius pronuntiat, quam Latinæ regulæ jubent: *R* quoque literam perſæpe in *L* mutat, præcipue in infinitivis, quos præpoſitio, aut articulus ſequitur. *Barth. Adv.* XXXIV. 8. *Braun. de Veſtit. ſacerd. Hebr.* II. 5. §. 11. Exempla a Græcis, & Hebræis petita collegerunt. *Bochart Phaleg.* III. 12. *Chan.* I. 33. 42. *&* 45. *Reineſ. Inſcr. Claſſ.* II. *n.* 24.

L & *T* interdum permutabantur. Argumento eſt, quod Achillis mater antiquis Thelis pro Thetis dicebatur. Varr. de Re Ruſt. III. 9. *Antiqui Thetin Thelim dicebant.* Voſſ. de Art. Grammat. II. 17. Guther. de jur. man. II. 28.

L litera normæ formam repræſentat. Vetus agrimenſor: *L ſi in termino inveneris, normæ facturam deſignat, & limitem gammatum.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 471. a. C. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 798. C.

L ſignificat Lucium. Diomed. II. p. 419. Edit. Putſch. L. *nota prænominis, cum ſola poſita Lucium ſignificat.* Ad prænomen tandem denotandum inter duo puncta locandum vult Auſon. Epigr. XXXIV. I.

Lucius una quidem, geminis ſed diſſita punctis
Litera: prænomen ſic L. nota ſola facit.

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 797. C.

L L eſt nota dupondii, qui eſt duarum librarum. Ex Probo vero Ernſtii dupondius eſt nummus libralis, & notatur per *L L.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 829. F.

L L interpretor *libens libens*, vel *libentiſſime.* Scalig. apud Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 829. E. Perperam. Formula eſt *Lætus libens.* Exhibet illam vetus inſcriptio:

SULEVIS. ET. CAMPESTRIBUS. SACRUM. L. AURELIUS. QUINTUS. 7. LEG. VIIX. GEMINÆ. VOTUM. SOLVIT. LÆTUS. LIBENS. DEDICAVIT. VIIII. K. SEPTEMB. BRADUA. ET. VARO. COS.

Quem magis miror ita eſſe interpretatum etiam poſt viſam epigraphen apud Gruter. p. 1074. n. 4. ubi τὸ LÆT. LIB. paullo minus quam in hac noſtra extenſum ad veram notarum illarum *L L* intelligentiam manu ducere videbatur. *Fabrett. de Aquæd. Diſſert.* II. *Theſ. Gravii Tom.* IV. *p.* 1734. *F.*

L L denotant quoque Lucii libertum, vel Lucii libertam. Ita interpretor inſcriptiones. Veronæ:

L. SCÆNINIUS. L. L. QUADRATUS.
SIBI. ET. AUCTÆ. SORORI. SUÆ.

Extra Romam, ad D. Laurentii:

SERVILIA. L. L.
BONÆ. DEÆ
VOTUM. SOLVIT
FECIT. ET. SIBI.

Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. II. *c.* I. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Grav. Tom.* XI. *p.* 830. *D.*

LLS, ŁŁS eſt ſeſtertius. Probus Ernſtii. Hujus hæc ſunt *Seſtertius nummus eſt duarum ſemis librarum, & notatur per LLS, vel* ŁŁS. *Legendum tamen credo ſeſtertium, quod erat nummus duarum librarum ſemis; non autem ſeſtertius, qui denariorum duorum ſemis nummus habebatur.* Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 831. E.

LAB.

LABARUM fuit genus vexilli militaris. Λάβωρον per ω a Romanis vocari ſcribit Sozomen. I. 4. *Ut vexillum illud, quod Romani labarum, λάβωρον, vocant, auro, & gemmis ornatum in crucis figuram transformarent.* Et in vetuſto lexico *laborum* dicitur. Huic obſtat mediæ ſyllabæ quantitas, quam corripiunt, non tantum Rabanus Maurus carmine, quod pro cruce compoſuit:

Hinc ſignant Cherubin, hæc labara ſancta triumphum
Brachia tenſa notant.

Sed etiam, cum de Conſtantino loquitur, Prudent. contr. Symm. I. 487. V. illum ſupr. in *Crux.* Voſſ. Lexic. Etymol. Fuller. Miſc. II. I. Meurſ. Lex. Græc-barb. in Λάβωρον. Turneb. Adv. XV. 16. Du Freſne Gloſſar. Orleans in Tacit. Annal. p. 93. a. Cujac. l. unic. C. de præpoſ. labar. XII. Ferrar. Elect. I. 2. Fuit purpureum, ſive coccinum, vel puniceum, in ſpeciem paludamenti Imperatorii conformatum: quod ex conto transverſum, in morem antennæ, lignum habente penderet. Conſtabat duabus ex rebus, principali, ſcilicet veſte illa: & minus principali, videlicet ligno. Veſtem antiquitus χιτῶνα, *tunicam*, ſimpliciter fuiſſe oſtendit Plutarch. in Fabio, eamque promiſcue ita vocat, non diſtincte & explicate indicans, hoſtiſne, an civis illa tunica fuerit. Liceat igitur probabiliter conjicere, ipſo plane initio, exuvias, ſive ſpolia hoſti cæſo detracta, fuiſſe indumentum illud. Hinc indumentum ita detractum *labarum*, quaſi λάφυρον dictum opinor: mutata φ in β, quod uſitatiſſimum: & υ in α, quod nihilo fere minus uſitatum cernitur, ut in calix a κύλιξ, canis a κυνός. Minime vero mirandum, Græcum hoc nomen apud Romanos inveteraſſe, quum ritus ipſe, atque adeo alii complures ritus, moresque, tam belli, quam pacis, a Græcis finitimis orti, ad Romanos facile permanarint. Id quod declarat pars altera *labari*, nempe lignum. Iſtud enim nomine ſuo Romani ferculum appellant: exotico autem, & extraneo, valde tamen familiari, & pervulgato, tropæum. Quoniam autem in tropæo, ſive ferculo ſpolia ſuſpendi moris erat, fabricari in modum crucis oportuit, aſſerculis transverſis hinc inde exſtantibus. *Fuller. ibid.* IV. 12. *Voſſ. l. l.* Apud Tertullian. Apolog. c. 16. non *labarorum*, ſed *cantabrorum* legen-

gendum. V. ſupr. in *Cantabrum.* Ad ejus antiquitatem quod attinet, facilius erit in vetuſtis Imperatorum victoriarum monumentis ſculpta oculis ſpectare *labaro* ſigna ſimilia, quam ejus nomen apud veteres ethnicos legere. Differebat a vexillis & cantabris, quod illorum vela transverſæ haſtæ ſic alligata erant, ut rugas aliquas ſui contractione admitterent: at in *labaris* ſic erant expanſa, ut integras in ſe depictas exhiberent imagines, ut videre licet in plurimis toreumatibus, nummiſque antiquis, & maxime in duobus illis, in quorum uno ad Ælium Cæſarem pertinente repræſentatur Pannonia dextra vexillum gerens, ſiniſtra ſtolam ſublevans: in altero adverſam Conſtantini nummi partem referente ſtant duo milites haſtati clypeis innixi *labaro* intermedio. Præterea in exercitu plura erant vexilla, *labarum* autem non niſi unum. *Baron. Annal. Eccleſ. Tom.* I. *an.* 312. *c.* 5. *Chauſſe de Sign. milit. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1530. *B.* Signum hoc Romani imperii omnium præſtantiſſimum, a Conſtantino Imperatore mutatum eſt in effigiem crucis, auro, & lapidibus pretioſis colluſtratam. Id inprimis hanc ob cauſam; ut aſſiduo ejus aſpectu, & cultu, ſubjectos ſuos pedetentim a patriis ritibus deſueſaceret: eumque ſolum Deum exiſtimarent, quem coleret Imperator; atque illo duce, & adjutore in bello contra hoſtes uterentur. Nam iſtud veluti propugnaculum ante copias ſuas geſtandum curavit, lectiſſimos ſatellites ad illud negotium obeundum conſtituit, quibus numero minimum quinquaginta nihil aliud impoſitum erat negotii, quam ut vexillum hoc vallarent, undique præſidiis munirent, ſingulique ordine illud ipſum humeris geſtarent. Et ſicubi partem aliquam ſui exercitus languentem cernerent, ibi tanquam ſubſidium præſtantiſſimum ad victoriam obtinendam ſtatim inferrent. Ad hoc faciendum Conſtantinum movit: quod, cum bello civili contra Maxentium ſuſcepto animo anxius eſſet, & propter magicas artes, quibus adverſarium valere intellexerat, valde metueret: iter faciens vidit ipſe, & omnes ipſius milites, circa meridiem, ad orientem partem cœli, ſignum crucis igneo fulgore rutilare: & illa re perterritus vidit aſtare angelos dicentes: ἐν τύτῳ νίκα Conſtantine. V. ſupr. in *Crux.* Sed cum hæc animo verſaret, neque intelligeret, ſomno oppreſſus eſt, & dormienti Chriſtus viſus cum eo ipſo ſigno, quod in cœlo apparuerat, juſſit ut aliud ſignum ad ejus exemplar conſtrueret, eoque velut præſidio in præliis uteretur. Euſeb. de Vit. Conſtant. II. 7.... Niceph. VII. 36.... Sozom. I. 4. Paull. Diacon. XI. *Stewech. in Veget.* III. 17. *Lyd. de Re milit.* III. 7. *Alciat. Gothofred. & Angleberm. l. unic. C. de præpoſ. labar.* XII. *Turneb. Adv.* XV. 16. *Gretzer. de Cruce* I. 4. *Triſtan. Comment.* III. *p.* 484. *Lipſ. de Cruce* III. 15 *Panvin. de Imp. Rom. c.* 16. *in Faſt.* II. *p.* 277. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 26. §. 8. *Gyrald. Dial.* 25. *Aring. Rom. Subterr.* VI. 23. *n.* 7. *Jun. de Pict.* II. 8. *Auguſtin. Antiq. Dial.* I. *p.* 8. *Rhodig. Ant. Lect.* VI. 11. *Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 564. *& ad illum Salmuth p.* 594. *Gyll. Conſtantinop. Topogr.* III 4.... *Schill Nomencl. Philol. p.* 636. *Ferrar. l. l.*

LABELLUM erat lapis excavatus in formam labri, aut crateris ad fontem, quem arcam, vel arculam vocamus: quamquam *labellum* a balneo, vel vinatico *labro* tractum ſit. *Guther. de Jur. man.* II. 24. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 38. *n.* 6.

LABEONES dicti ſunt a *labiorum* vitio. Plin. XI. 37. *Labra, a quibus Labeones dicti.* Soſip. Chariſ. Inſt. Gramm. I. p. 79. Edit. Putſch. *Verrius Flaccus ſic diſtinxit, modica eſſe labra, labia autem immodica, & inde labeones dici.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Vaillant. Numiſm. I. p. 74.

LABIENA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

LABIORUM exporrectio erat olim cogitabundi geſtus. Perſ. Sat. III. 82.

Atque exporrecto trutinantur verba labello.

Laurent. de Oſcul. c. 3.

LABRUM quomodo differat a *labio.* V. ſupr. in *Labeones. Labrum* ſuperius ſi ſalierit, diſcrimen & victoriam ſignificat, ſervo bonum, virgini lucrum: ſin autem inferius, utilitatem, ſecundum vero Ægyptios operis damnum. *Niph. de Augur* I. 9.

Labrum appellatur genus vaſis, quo utebantur veteres in privatis balneis. Illa, ſive ænea fuerint materia, ſive lapidea, ſive lignea, portatilia aliqua fuiſſe conſtat. Cicer. Fam. XIV. 20. *Labrum ſi non eſt in balneo, fac ut ſit.* Bacc. de Therm. vet. c. 19. Videtur fuiſſe exſtructum in cameris ſigniño opere, atque albario. Sic enim legitur apud Vitruv. V. 10. *Labrum ſub lumine faciendum videtur, ne ſtantes circum ſuis umbris obſcurent lucem. Scholas autem labrorum ita fieri oportet ſpatioſas, ut cum priores occupaverint loca, circumſpectantes reliqui recte ſtare poſſint. Alvei autem latitudo inter parietem, & pluteum ne minus ſit pedes denos, ut gradus inferior inde auferat, & pulvinus duos pedes.* Bacc. ibid. c. 11.

Labrum foſſæ vocatur ejus latitudo. *Summam latitudinem* quam vocat Hygin. de Caſtramet. *Faſtigata dicitur, quæ a ſumma latitudine lateribus devexis in anguſtiam ad ſolum conjuncta pervenit. Summa labra* vocat Cæſ. de Bell. Gall. VII. 72. *Foſſam pedum viginti directis lateribus duxit, ut ejus ſolum tantumdem pateret, quantum ſumma labra diſtabant. Labra ſumma fluminis* pro ripis dixit Siſenn. Hiſt. IV. apud Non. VI. 8. *Innoxios trementibus artubus repente extrahit, ſiſtitque in labro ſummo fluminis, cælo albente.* Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1115. B.

LABYRINTHUS *eſt perplexum parietibus ædificium.* Iſidor. XV. 2. Ovid. Met. VIII. 158. *multiplex domus, cæca tecta,* & quæ n. 160.

—— lumina flexum
Ducit in errorem variarum ambage viarum.

Error inextricabilis Virg. Æneid. VI. 27. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 191. *Cerda in Virgilium.*

Labyrinthus Ægyptius dicitur, quem in lacu Mœridis fecerunt Reges Ægyptii. Ejus viæ erant longæ, tortuoſæ, & ſubterraneæ, quæ ad aulas, ſive domus, in medio ejus quæ erant, perfoſſis cuniculis ducebant: cæterum adeo intricatæ, ut qui has ingreſſus eſſet, inexplicabili errore duceretur, & exitum invenire nequiret. Portam habebat ex Pario marmore candidiſſimo. Feſſus jam eundo cum quis ad viarum finem perveniſſet, deferebatur ad porticum columnis de porphyrite lapide conſpicuam, quæ nonagenis gradibus aſcendebatur. Inde perveniebatur in aulam, ſive cœnaculum marmoreum, pulcerrimis ſimulacris, & ſtatuis ornatum. Sed & viæ, ſeu meatus illi erant marmorei, aut lapide polito fornicibus tecti. Quædam etiam fores adapertæ ejuſmodi edebant ſonum, ac ſi tonitruum intus terribile exſiſteret. Contigua *labyrintho* huic pyramis erat ampla, latitudine quaquaverſum quatuor jugera ſoli obtinens; altitudine octo: in qua Rex ille, qui *labyrinthum* fecerat, erat ſepultus. Plin. XXXVI. 13. Mel. I. 9. Strab. XVII. p. 557. Herod. Euterp. p. 166. B. *Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 182. *Bellon. de Oper. Ant. præſt.* I. 9. *Boiſſard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 16. *Nicol. de Sepulcr. Hebræor.* II. 11. 4. 5. *&* 6. Kircher. *Oedip. Ægypt. Claſſ.* VIII. §. 3. *Marsham Canon. Chronic. p.* 415. 426. *Schill Nomencl. Philol. p.* 639.

Labyrinthus Creticus fuit ſecundus ab Ægyptio. Hinc, inquit Plin. XXXVI. 13. *ſumpſiſſe Dædalum exemplar ejus labyrinthi, quem fecit in Creta, non eſt dubium, ſed centeſimam tantum portionem ejus imitatum, quæ itinerum ambages, occurſusque, ac recurſus inexplicabiles continet: non, ut in pavimentis puerûmve ludicris campeſtribus videmus, brevi lacinia millia paſſuum plura ambulationis continentem, ſed crebris foribus inditis ad fallendos occurſus, redeundumque in errores eoſdem. Ejus nulla extant veſtigia.* Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 183. Lauremb. Græc. Ant. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. IV. p. 64. D. Boiſſard. Antiq. Roman. Tom. II. p. 16. Marsham. Canon. Chronic. p. 291. Ejus quid adhuc videri poſſit, qui inſulam luſtravit, narrat *Bellon. de Oper. ant. præſt.* I. 9. Illum deſcribunt Ovid. Met. VIII. 158. . . . Diodor. IV. p. 193. D. Virg. Æneid. V. 588. & ad illum paucis Servius: *Labyrinthus locus apud*

apud Cretam, factus a Dædalo, perplexus parietibus, ubi Minotaurus inclusus est, ex Pasiphae, & tauro genitus. Schill Nom. [illegible] Philol. p. 629.

Labyrinthus Italicus quartus fuit ab Ægyptio. Hunc, ut scribit Plin. XXXVI. 13. *fecit sibi Porsena Rex Etruriæ, sepulcri causa, simul ut externorum Regum vanitas quoque ab Italis superaretur. Sed cum excedat omnia fabulositas, utemur ipsius M. Varronis in expositione ejus verbis: Sepultus est*, inquit, *sub urbe Clusio: in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: singula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm: [illegible] labyrinthum [illegible] lem: quo si quis improperet sine glomere lini, exitum invenire nequeat.* [illegible] de Rebus [illegible], & invent. p. 137. Guther. de Jur. man. II. 21. Cluver. Ital. Ant. II. 3. §. 65. Boissard. Ant. Roman. Tom. II. p. 16. Nostris temporibus itaque [illegible] Johannes Fridericus Hervat, dum in Admir. Ethn. Theol. myst. propal. edit. Monachii a. 1626 *labyrinthum* [illegible], eoque censet fuisse [illegible], & [illegible] rima, & affirmat c. 14. p. 102. Porsenæ *Labyrinthum* non fuisse ad oppidum Clusium; sed [illegible] Populonii, aliis Genuensium. Vestigia enim & ruinæ Clusini supereffe affirmant quidam. Et Genua est Liguriæ [illegible], & quam longissime distat a Clusio oppido penitus mediterraneo, & Umbriæ contermino. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. circens.* II. 9.

Labyrinthus Lemnius *similis Ægyptio & Cretico, columnis tantum centum quadraginta memorabilior fuit: quarum in officina turbines ita librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur. Architecti illum fecere Zmilus, & Rholus, & Theodorus [illegible]. Extant adhuc reliquiæ ejus.* Plin. XXXVI. 13. Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. circens. II. 9. Boissard. Antiq. Roman. Tom. II. p. 16. Cujus sepulcrum fuerit, plane ignoratur. Fuisse tamen sepulcrum liquido constat. *Reliquias ejus* adhuc suo tempore extitisse modo dixit Plinius. *Belon. de Oper. antiq. præst.* I. 9. Hervat Admir. Ethn. Theolog. myst. propal. edit. Monachii a. 1626. [illegible] subterraneum, & [illegible] fuisse [illegible]. Hoc forte verum est. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. circens.* II. 9.

LAC.

LAC. Hujus usus olim in sacrificiis fuit frequentissimus. Plin. Præfat. I. *Verum & diis lacte rustici, multæque gentes supplicant.* XIV. 12. *Romulum lacte, non vino, libasse indicio sunt sacra ab eo constituta. Victimæ [illegible] mulieres Ruminæ [illegible], vinum non adhibent: ruma enim Latinis mammam significat, & ruminalem [illegible] appellant, ad [illegible] Romulo [illegible]. Ergo Rumina, id est, [illegible] nutricibus, & alendis pueris præfecta, merum non admittit, quod est [illegible].* Plutarch. Quæst. Roman. 55. *Stuc. de Sacrif. p. 72. Lomej. de Lustrat. c. 25. Kipping. Antiq. Roman.* I. II. §. 7. Cereri post messem agricolæ offerebant. *Tomas. de Donar. c. 26.* Mercurio quoque *lacte*, non vino supplicabant Romæ in vico, qui [illegible] dictus. Festus. In Nonis & Fortunæ sacris *lac* [illegible] fuisse adhibitum. Fortunæ quidem virili, mense Aprili simul cum thure, melle, & papavere. *Lacte* similiter Sylvanum placabant, teste Horat. Epist. II. I. 143. V. illum supr. in *Fescennini*. Plutoni, id est, Diti patri vino, melle, lacte, & sterilibus pecudibus sacra fieri [illegible]. De more utendi lactata potione in [illegible] testatur Festus. Pales quoque pastorum dea & pabuli *lacte* fuit culta. Tibull. I. I. 16. & Ovid. Fast. IV. 746. V. illos infr. in *Pales*. Stuck. & Lomej. l. l. Etiam in [illegible]. V. supr. in *Inferiæ*.

LACCARIUS est, qui puteos fodit. Ita nonnulli legunt apud Pompon. l. si ex toto 8. §. 2. de leg. I. & Martian. l. legatis 65. §. I. de leg. 3. *Pancirol. de Corpor. artif.* §. 6.

LACCUS fuit genus fossarum subterranearum, quas latas, vel rotundas, vel quadrangulas excavabant, & iis [illegible] vinum, & oleum excipiebant. De A[illegible] & aliis Græcis [illegible] Λάκκοι. De illis etiam Ulpian. l. si servus 27. §. 35. ff. ad leg. Aquil. *Si [illegible]* [illegible] Pancirol. p. 119 [illegible] [illegible] navi [illegible] [illegible] inducere, & incrustare intus, [illegible] solebant. *S[illegible] de Reb. [illegible] & invent. p. 13[illegible].* Cujac. *Observ.* XIX. 9.

LACERNA non fuit vestimentum muliebre. Et errant, qui [illegible] verbis Juven. Sat. I. 62.

> *[illegible] lacernatæ [illegible] jactaret amicæ.*

Loquitur [illegible] Satyricus de Sporo, quem [illegible] Nero, [illegible] poeta [illegible], [illegible] *lacerna* [illegible] tantum esset; quod idem est, ac si quis nunc amicam braccatam vocaret. Recte vetus interpres: *Lacernatæ. Satyrice*, inquit, *habitu virili feminam describit.* [illegible] mulieris esset. Fortasse quis putet id posse [illegible] Horat. Sat. II. 7. 4[illegible].

> —— *sub clara nuda lucerna*
> *Quæcumque [illegible].*

Ut quidam [illegible] & inepte [illegible] *pro lucerna [illegible]*. Sed [illegible] contra veteres libros [illegible] & [illegible], qui [illegible] *lacerna*. [illegible] V. [illegible] in *Lacerna*. Ferrar. de Re vest. [illegible]. [illegible] *fere*, ita [illegible] veteres [illegible], [illegible] Braccara [illegible] viri, non feminæ, [illegible] apud Mart. VI. 59. 5.

> *Quid fecere mali nostræ tibi, sæve, lacernæ?*

Ferrar. ibid. II. I. 12. Sed virile. Docet hoc Ulpianus, cum inter ea recenset, quæ solis viris [illegible]. *Ferrar. ibid. c.* 29. [illegible] militare [illegible], idemque quod [illegible]. Prop. I. I. 10. 7.

> *[illegible] tellus [illegible] lacerna*
> *Potabis [illegible] aquam.*

IV. 3. 13.

> *Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.*

De Lucretia inter ancillas lucubrante, marito in castris Ardeam obsidente, Ovid. Fast. II. 745.

> *[illegible] domino, nunc nunc properate puellæ,*
> *Quam [illegible] lacerna [illegible].*

Paterc. II. 70. 2. *[illegible]* &c. 3. *[illegible] lacernatus esset, præter nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi. . . . cum lacerna perforata esset lancea.* Ferrar. ibid. c. I. Sigon. de Judic. III. 18. Bayf. de Re vest. c. 16. Ruben. Elect. II. 12. [illegible] p. 418. Valtur. de Re milit. III. 13. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 10. Casal. de Urb. [illegible] Imper. Roman. splend. part. 2. c. 8. Quando ejus usus [illegible], haud [illegible], quum præter [illegible] auctores nullus veterum ejus mentionem fecerit [illegible], ut vox sub ipsum Reip. [illegible] interitum nata videatur. *Ferrar. ibid. c.* 2. Paullatim deinde per bella [illegible] civilia, quum togæ [illegible], in earum locum *lacernæ* successerunt. Schol. Pers. I. 54. *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites utebantur. Olim*, quia postea etiam urbani passim *lacernati* esse cœpere. Quod indicat etiam Suetonius mox laudandus. Ciceronis tamen ætate earum usus in Urbe fuit ignotus, & probrosus. Unde Antonio objectat, quod in Urbem venisset cum caligis & *lacerna* Phil. II. 30. *Quod quærebas, quomodo redissem, primum luce, non tenebris: deinde cum calceis & toga, nullis nec caligis, nec lacerna.* Et mox: *Ex omnium omnibus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi, quam quod qui consulatum peteres, is per municipia, & colonias Galliæ cum caligis, & lacerna cucurrisli.* In illis enim more Romano homines togati versabantur. *Ferrar. ibid. c.*

1. & I. 1. 35. *Sigon. & Rubén. l. l.* Conficiebatur ex lana. Mart. II. 46. 3.

Sic tua suppositis perlucent prela lacernis,
Sic micat in nitidis area candidulis ibus:
Atque unam vestire tribum tua vellera possunt.

& quidem crassiore. Juven. Sat. IX. 28.

— pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ, duri crassique coloris
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus.

Mart. VI. 11. 7.

— me pinguis Gallia vestit.

Vetus interpres Juven. l. l. *Pingues, ut ostendat grossas, ac per hoc pluviales, quæ manant a pluvia, non quæ tenent.* Ferrar. ibid. c. 4. & gausapinæ fuerunt. Mart. XIV. 29. titulus est *gausapa*. Carmen ipsum:

In Pompejano tectus spectabo theatro,
Nam ventus populo vela negare solet.

Mart. VI. 59. 1.

Et dolet, & queritur sibi non contingere frigus
Propter sexcentas Baccara gausapinas.

Ferrar. ibid. c. 8. & 12. Formam antiqua monumenta repræsentant: ut pallium fuerit Græcanico brevius, ac strictius, chlamyde laxius, ac fusius. Alias nullum inter Græcorum pallium, *lacernam*, & chlamydem discrimen fuisset. Nam licet initio nihil aliud fuerit quam vestis militaris, hoc est, ipsa chlamys, quod luce tamen est, postquam in usum urbanum concessit, & decoris causa, quod togæ loco sumeretur, & quia ad propulsandum frigus, latiorem, longioremque chlamyde fieri cœptum, ut chlamys vix ad genua pertineret, & fere posteriorem corporis partem velaret, *lacerna* totum corpus tegeret, & infra genua caderet. Alioqui Mamurianum, quod *lacerna* lumbis penderet, id est, non ultra lumbos caderet, non notasset Mart. I. 93. 7.

Cerea si pendet lumbis & trita lacerna.

Apparet quoque ex eo, quod cum Romæ multi palliati Græco ritu essent, multi etiam in provinciis *lacernati*, cum omnes tunicati essent, hoc unum discrimen debuit esse inter Romanum, & peregrinum vestitum. Præterea Artemid. II. 3. cum ait, si quis in somnis videat chlamydem, portendere angustias, & litigantibus damnationem, quod corpus circum amplectitur, & stringit. *Ferrar. ibid. c. 15. & 3.* Quomodo differat a læna V. supr. in *Chlæna*: & a pænula V. infr. in *Pænula*. Coloris fuit nigri. Quod demonstrant Suet. Aug. c. 40. n. 10. & Mart. IV. 2. 1. V. illos infr. in *Toga*. Manut. Quæst. Epist. III. 1. Solæ tenuiorum, ac pauperum pullæ fuerunt: has solas vetuit Augustus, cum alterius coloris in promiscuo usu essent. Fuerunt & albæ, & Bæticæ, & coccineæ, & Tyriæ. Martialis jocum in Horatium IV. 2. 1. referemus infr. in *Toga*. Idem XIV. 129. 2.

Indueras albas, exue callaicas.

Juven. Sat. I. 27.

Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas.

Mart. V. 8. 4.

Dum sedet modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis rubens lacernis.

Imo variis coloribus infectæ. Mart. I. 97. 4.

Amator ille tristium lacernarum,
Et Bæticatus, atque leucophæatus,
Qui coccinatos non putat viros esse
Amethystinasque mulierum vocat vestes.

Ubi tamen, licet in usu essent, reprehensi qui eas gestarent. Nec mirum apud Senec. Epist. 114. *Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut intervellunt. . . qui lacernas coloris improbi sumunt*, id est, purpurei, quoniam insolens ille color adhuc Senecæ temporibus, & audax. *Ferrar. ibid. c. 23. & 24. Lips. Elect. I. 13. Faber Semest.* I. 16. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 31. & Jun. Donat. Laz. Cuj. l. l. l.* Hinc ingens illarum pretium. Mart. IV. 61. 4.

Dum sabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillæ.

VIII. 10. 1.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi.

Utrobique ducentis & quinquaginta florenis stetere. *Ferrar. ibid. c. 23.* sive quingentis Carolinis. *Meurs. de Lux. c. 4.* Reliquis vestimentis superinjiciebatur. Juvenalis Sat. IX. 28. jam laudatus. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c. 4. Ferrar. ibid. c. 4. Demster. l. l.* Arcendo frigori, & defendendo imbri serviebatur. Plin. XVIII. 25. *Hoc ipso vergiliarum occasu fieri putant. Aliqui ad III. Idus Novembris servant, quoniam id sidus etiam vestis institoris est, & est in cœlo notatu facillimum. Ergo ex occasu ejus de hyeme augurantur, quibus est cura insidiandi negotiatoris avaritiæ. Nubilo occasu pluviosam hyemem denuntiant, statimque augent lacernarum pretia. sereno asperam, & reliquarum pretium accendunt.* Virgiliarum sidus, dicit Plinius, observatur ab institoribus vestis, qui a negotiatoribus, mercatoribus locupletioribus, mercium partem emebant, quas minutim & carius distraherent. Hi ex illarum occasu, qualis futura esset hyems, conjecturam facientes, negotiatoris avaritiæ insidiabantur, nam si nubilus occasus fuisset, quod pluviosa hyems immineret, plus *lacernarum*, quam reliquæ vestis emebant, earumque pretium augebant: sin vero serenus fuisset occasus, augurantes futuram frigore infestam, alias vestes, ut chlænas, endromides, gausapinas emebant, earumque pretium intendebant. Hoc autem erat insidiari negotiatoris avaritiæ: lucrum nempe, quod ipse facere debuerat, avertere, & ex siderum conjectura ejus avaritiam ferire, eas vestes tantum emendo, quæ carius distracturi erant. Porro aliquem *lacernarum* usum etiam domi fuisse arcendo frigori, indicare videtur Prop. IV. 9. 57. V. illum infr. in *Sulphur*. Ferrar. ibid. c. 4. & 5. Lips. l. l. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 16. Spectaculis operam sedentariam præstantes illis utebantur, a Lacedæmoniis monstrato more. Tertull. Apolog. c. 6. *Ne vel hyeme voluptas impediretur, primi Lacedæmonii pænulam ludis excogitarunt.* Mart. XIV. 137.

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Suetonius mox laudandus. Et quidem candidis, si Martiali credimus, qui ludit in Horatium, qui nigra *lacerna* spectaculis aderat. *Bayf. Laz. Cas. l. & Argol. l. l. Salmas. in Lamprid. Commod. c. 16.* Honoris specie deponebatur. Suet. Claud. c. 6. n. 1. *Cum interim quamquam hoc modo agenti nunquam aut officium hominum, aut veneratio publica defuit. Equester ordo bis patronum cum perferenda pro se legationis elegit. . . . Quin & spectaculis advenienti assurgere, & lacernas deponere solebant.* Ut nobis usitatum est, pileum sibi detrahere advenienti majori. *Argol. l. l. Ferrar. ibid. c. 29.* Inter dona natalitia mitti solebat. Mart. XIII. 87.

Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Ferrar. ibid. c. 23.

LACERTUS est os inter acutum, gibbamque brachii partem, & manus vertebram, ut brachium est os inter humerum, & *lacertum*. Sic ea distinguit Ovid. Met. I. 500.

— laudat digitosque, manusque,
Brachiaque, & nudos media plus parte lacertos.

Voss. Lex. Etymol. Barthol. Anat. IV. 1. Minus recte. *Lacertum* enim pro brachii parte superiore, humerisque propinqua usurpant Tacit. Germ. c. 17. n. 5. Narraturus enim Germanorum feminas *partem vestitus superioris in manicas non extendere*, a brachiis ad *lacertos*, inde ad pectus ascendit, dum scribit: *nuda brachia, ac lacertos: sed & proxima pars pectoris patet.* Ipse Ovidius laudatus. Procedit

dit enim ab inferioribus usque ad superiora membra, quibus illa pars corporis absolvitur, a digitis nimirum ad manus, a manibus ad brachia, a brachiis ad *lacertos*, dum Apollinis amorem, quo Daphnen prosequebatur, narrat, cumque omnia laudasse virginis, quæ conspectui patebant, membra canit. Alias *lacertum*, si inter cubitum, & manus vertebram esset, ultra cubitum tectum, deus non vidisset; sequitur enim:

Si qua latent, meliora putat.

Unde, quo nihil evidentius, de sociis Ulyssis formam humanam recipientibus, Met. XIV. 304.

Erigimur, setæque cadunt, bifidosque relinquit
Rima pedes: redeunt humeri, subjecta lacertis
Brachia sunt.

Caper. Observ. IV. 17. *Lacertos* verberare peculiaris est magni planctus, & lugendi species. Claud. de Rapt. Pros. II. 247.

— planctuque lacertos
Verberat.

Virg. Æneid. VII. 503.

Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat.

Ovid. Met. IV. 137.

Sed postquam remorata suos cognovit amores,
Percutit indignos claro plangore lacertos.

Arnob. V. p. 168. *Cur more lugentium cædant cum pectoribus lacertos?* Kirchm. de Fun. Rom. II. 11. Barth. in Claudianum. Cerda in Virgilium.

Lacertus est piscis, ex quo teste Celso, & aliis salsamenta conficiebantur. Ulpian. l. 3. §. 3. ff. de pen. leg. *Lacertos quoque cum muria sua contineri nec Labeo negavit.* Ubi muria liquamen quoddam salsum erat, quod ex piscibus sale maceratis effluebat, palato non ingratum. Ejus mentio est apud Athen. VII. p. 23. & condimentum non injucundum legitur apud eundem ibid. c. 35. Et Mart. VII. 77. I.

Cum Sexitani fertur tibi cauda lacerti.

Et Juven. Sat. XIV. 131.

— Conchen æstivam cum parte lacerti.

Ubi, monente Martiale, accipe partem pro cauda: sola enim in pretio fuisse videtur. *Mag. Misc.* II. 9. *Nonn. de Re cibar.* III. 43. *Voss. Lex. Etymol.*

Lacertus etiam est panis dulciarius in *lacertorum* piscium vel magis terrestrium effigiem formatus. Apul. Met. X. p. 329. *Hic panes, crustula, lucunculos, hamos, lacertulos...* Mag. Misc. II. 9. Hummelb. in Apicium mox laudandum. Condiendi rationem docet *Apic. de Art. coquin.* X. 9.

LACINIA est ipsa pinna chlamydis, sive togæ. Græci πτερύγιον appellant, & aliquando κράσπεδον, quamvis & aliquando κράσπεδα pro fimbriis sumantur, quia nempe extremitati *laciniæ* sæpe fimbriæ attexebantur. Patet hoc ex locis auctorum. Plaut. Merc. I. 2. 16.

At tu adepol sume laciniam, atque absterge sudorem tibi.

Asin. III. 2. 41.

Lacrymantem lacinia tenet.

Suet. Claud. c. 15. n. 11. *Ut descendentem e tribunali, lacinia togæ retenta retinerent.* Cal. c. 35. n. 8. *Ut calcata lacinia togæ praceps per gradus iret.* Ner. c. 19. n. 2. *Consurgenti ei lacinia obhæsit.* Pollux V. 4. *Quæ alii fimbrias, alii alas vocarunt.* Plutarchus in Gracchis de Scipione Nasica: *Laciniam togæ imponens capiti.* Val. Max. XI. 7. de Pisone, qui Titum equitum præfectum, quod loco fugitivis cesserat, hoc ignominiæ genere affecit. *Jussit eum togæ laciniis abscissis a mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse.* Ruben. de Re vest. II. 9. Pinnæ, & alæ sunt anguli vestium, & ideo *laciniæ* plus, non toti *laciniæ.* Etsi hujusmodi pinnæ, & anguli in chlamyde, vestimento aperto, fuerint, in toga clausa esse non potuerunt; ubicunque *lacinia*, extrema vestimenti ora, & κρά-σπεδα fimbriæ, quæ imæ oræ assuebantur, aut ejus pars erant. Recte igitur Beroald. Apud. Met. I. p. 65. ait, *laciniam* esse partem vestimenti flexuosam, sinuosamque, nam cum vestes in extrema parte, præcipue togæ, & pallia, fusiores essent, & laxiores, plicas, & rugas, veluti sinus, imæ oræ flexu efficiebant. Nec male Elmenhorst. Ind. Apul. & alii, *laciniam* vestis cum ora confundunt: eadem enim res erat: & optime Cujac. Obs. XII. 24. *laciniam* ait esse oram, sive extimum vestis. Loca allata aperte evincunt, *laciniam* nihil aliud fuisse, quam imam vestimenti oram. Apud Plaut. Merc. est pallii, aut tunicæ pars extrema, quæ facilius apprehendi potest; quanquam ibi pro orario, sive sudario accipi potest. Asin: est ima vestis ora, quæ in descendentibus, aut fugientibus retinenti facile. Suet. in ... est pars extrema vestis, quæ ... pedibus implicita ad casum impellit. Pollux πτερύγιον & κράσπεδον pro eodem quidem statuit, sed utrumque extrema pars vestis fuerunt. Scipio apud Plutarchum *laciniam togæ imposuit capiti*, id est, imam togæ oram revocavit, & capiti velut galeam pugnaturus imposuit, sive ut expeditior fieret. Piso apud Valerium Titum abscissa extrema togæ parte, sive toga decurtata, & mutila, ludibrio omnium exposuit. Quod genus ignominiæ etiam apud Hebræos usitatum ex sacris literis notum est. *Ferrar. Anal. de Re vest.* c. 41. *Voss. Lex. Etymol.*

LACONICUM erat prima balneorum cella, in qua sicco calore sudorem provocabant, quam *sudationem assam* vocat Cels. III. 27. 3. ad discrimen ejus, quæ calida aqua fieret in altera balneorum cella, in qua calida, sive tepida aqua lavabantur. In illa calor siccus inclusus sudorem provocabat, haud aliter, ac super Bajas myrtetis, ubi tempore Celsi e terra profusus calidus vapor ædificio inclusus maximos sudores creat: cujus meminit Horat. Epist. I. 15. 5.

— sane myrteta relinqui,
Dictaque cessantes nervis elidere morbos
Sulphura.

Laconicis, ut Dio LIII. p. 515. B. imprimis sudatoriis hujusmodi cruditatem excoquebant. Ut ait Colum. Procem. I. *Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exucto sudore sitim quærimus.* De illo etiam Mart. VI. 42. 16.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine, Marciaque mergi.

Mercur. de Art. Gymn. I. 10. Baccius de Therm. Vet. c. 10. Politian. Misc. c. 38. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Voss. Lex. Etymol. Philand. in Vitruv. V. 10. Bald. Lex. Vitruv. Grapald. de Part. dom. I. 10. §. 5. Multi signavere sub nomine hypocausti. Papin. Sylv. I, 5. 58.

— ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem.

Plin. Epist. II. 17. 23. V. illum supr. in *Hypocaustum.* Grapald. l. l. Sed illi errant. Differunt enim *Laconicum* & hypocaustum tum usu, tum forma ipsa. *Bald. l. l.* Erat veluti turricula camerata in hemisphærium, & a rotunditate sphæristerium vocatur Suet. Vesp. c. 20. n. 3. & Plin. Epist. II. 17. 12. *Baccius & Philand. l. l.* Quibus ego plane assentiri nequeo, quoniam mihi irrationabile videtur, ut in loco calido sudationibus ædificato ludum pilæ, atque alias exercitationes, quæ in sphæristerio fieri consueverunt, fuisse namque, ut est in proverbio, camino oleum addere, si exercitationes per se corpora valde calefacientes in calidissimis locis egissent. Qui etiam tepidarium, & *Laconicum* idem faciunt ex Vitruv. V. 10. verba ipsius Vitruvii lectitantes facile cognoscent, utraque ab ipso separari, dum præcipit *Laconicum, sudationesque tepidario conjungi:* præterquam quod manifeste Celsus *Laconicum* vocat, ubi calor siccus eliciebat sudorem: quam conditionem tepidario minime convenire quivis intelligere valet. Id quod etiam verbis jam laudatis clarissime significavit Martialis. *Mercur. l. l.*

Laconicum est genus vestis, apud Plaut. Epid. II. 2. 50.

> *Cani quoque etiam ademptum est nomen.* EP. *Qui?*
> PE. *Vocant Laconicum.*

Cum enim aliquando [illegible] *Lacones*, & *Laconici* dicerentur, ea vox ad vestes, quæ [illegible] tant, transiit. *Ferrar. de Re Vest.* I. [illegible] 13 [illegible] *P*[illegible] [illegible].

LACRYMAS [illegible] rogum solebant veteres. Auson. de [illegible] Parentalibus, quæ hac ratione instituit: *H*[illegible] *ma*[illegible] *reli*[illegible]*orem, qua caro*[illegible] *me* [illegible] . . .

> *Nomina* [illegible] *con*[illegible] *fun*[illegible],
> [illegible] *prius* [illegible], *nunc memorabo modis.*

Ovid. Pont. I. 9. 17.

> *Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,*
> [illegible]

Homer. Odyss. IV. 197.

> *Nam* [illegible] *mortis,*
> *Et* [illegible] *lacrymas* [illegible] *genis.*

Kirchm. de Fun. Rom. II. 11. [illegible] in Stat. Theb. [illegible] 152. Herald. Anim. in Arnob. V. p. 203. [illegible] in Tibull. I. [illegible] III. 2. 12. Illarum officium [illegible] Neque [illegible] S quidem [illegible] carissimi [illegible] ἐδάκρυσεν [illegible] θάνατον [illegible] Tele. [illegible] I. 4[illegible]. [illegible] *fuit* [illegible] Plutarch. [illegible] p. 159 [illegible] *etiam ea, quæ* [illegible]:

> [illegible] *amicis*
> [illegible]

[illegible] *non amicis mo*[illegible] *omnibus lacrymas, desiderium, mœrorem sui causa incussit.* [illegible] *vel communem parentem, vel fratrem deflevere.* Herald. Adv. I. 9. [illegible] plurimum in [illegible] & [illegible] Hæc [illegible] phialam vitream, [illegible] oblongior [illegible] & [illegible] ad *lacrymas* excipiendas. [illegible] intelligi [illegible], quid [illegible] in antiquis lapidibus *lacrymas* ponere. Romæ.

ULPIAI. SCITAI. PILUMENAI
CONJUGI. B. M. P
ÆLIUS. MACER. ANTESIG
NANOR. TRIB
LACRYMAS. POSUIT

Gruter. de [illegible] I. 27. *N*[illegible] *de* [illegible] c. 33. §. 8. [illegible] c. 26. Illas [illegible] in [illegible] Hoc [illegible] c. 71. [illegible] *fidissima ancilla, simulque & lacrymas commodabat lugenti.* Ita Terent. [illegible] I. 1. 82. [illegible] Donat [illegible] Ritter[illegible] in Phæd. I. 1[illegible]. 3. Kirchm. de Fun. Rom. IV. 4. Erhard. in Petron. p. [illegible].

LACTARII dicuntur, qui *lactaria* faciunt. Lamprid. Heliog. c. 27. *D*[illegible] *lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores, vel pom*[illegible] *modo de lactariis exhiberen*[illegible]. Inde & [illegible] c. 32. *H*[illegible] *consuetudinem, ut tantum ederet alia die de pullis, alia de pisce illo, & item illo, alia de porcis, alia de struthionibus, alia de oleribus, alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere* [illegible]. Salmas. in Lampridium. Buleng. de Conviv. I. 9: II. 50. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 346. Wouwer. in M[illegible] p. 116.

LACTORA Antonino in Itinerario, *Lactoratum* in antiquis lapidibus, & *Lactoratium*, Aquitaniæ Gallicæ urbs etiam nunc est *Lectore* communiter appellata. *Ursat.* [illegible] *Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 610. *D.* 798. *F.*

LACTUCA Laconibus propria. Translata in alias regiones nomen retinebat, & Laconica dicebatur. Theophr. Hist. Plant. VII. 4. & Plin. XIX. 8. *Lactucæ tria Græci fecere genera: unum latincaulis, alterum rotunditatis, tertium* [illegible], *quod Laconicum vocant.* Meurs. Misc. Lacon. I. 13. Adhibebatur in mensa, & primitus sub cœnæ finem. Auctor Moret. n. 76.

> *Grataque nobilium requies lactuca ciborum.*

Vocatur *requies ciborum*, quod eo tempore adhuc *lactucis* claudebant cœnas suas. Postea vero sub ejus initium. Unde Mart. III. 14. 1.

> *Claudere quæ quondam lactuca solebat avorum,*
> *Dic mihi, cur nostras inchoet illa dapes.*

In cœnæ principio solebat apponi ad appetentiam excitandam. Siquidem cum ex prolixiori prandio exigua fere cibi soleat ad cibum aviditas, mos inolevit, ut in ipso statim accubitu [illegible] stomacho *lactucis* oleo, acetoque conditis appetentia excitetur. Quin & illum usum præbet, ut ante omnem cibum in venas delata sanguinis fervorem reprimat, atque hepatis, cordisque calidam intemperiem mitiget, adeo ut immodicus ejus usus Venerem coerceat, ac concumbendi desiderium exstinguat. A cœna vero ad ebrietatem reprimendam, aut soporem conciliandum, quibus peragendis illa nihil præstantius. Cum enim frigidæ [illegible] naturæ, a cœna assumpta efficacius somnum conciliat, vinique fervorem reprimit, atque ebrietati resistit, inducta cerebro humiditate. *Lemn. de Mirac. occult. nat.* II. 42. *Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p.* 502. *ad illum Salmuth p.* 535. *Bruyer. de Re cibar.* VIII. 4. *Carol. Antiq. Roman.* IV. 6. *Laurent. de Prand. & cœn. vet. c.* 6. & 12. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 1. *Rhodig. Ant. Lect.* III. 1. *Buleng. de Conviv.* II. 5. *Ursin. Append. ad Ciaccon. Triclin. p.* 311. *Lips. Ant. Lect.* III. *p.* 143. *Scalig. in Moretum. Kippin. Antiq. Roman.* IV. 3. 1.

LACTUCINUS fuit cognomen Valeriorum. Plin. XIX. 4. *Sit aliquis & his honos, neve auctoritatem rebus utilitas adimat, cum præsertim etiam cognomina procerum inde nata* [illegible]*: Lactucinosque in Valeria familia non puduisse appellari.* Quare qui consul anno ab U. C. 247. M. Valerius Maximus dicitur in tabulis Capitolinis, is Μάρκος Οὐαλέριος Λακτύκας appellatur Diodor. XI. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5.

LACTURCIA fuit *dea, quam lactescentibus frumentis* [illegible] veteres. August. de Civ. Dei IV. 8. Sunt qui *Lact*[illegible] apud Augustinum legant. Alii *Lactucinam* legunt. Serv. Georg. I. 315. *Lactantem deum esse* ait, *qui se infundit segetibus, & eas facit lactescere.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. D. Rhodig. Ant. Lect. XXV. 30. Vives in Augustinum. Tomas. de Donar. c. 26. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. H.

LACUNAR, sive *laquear* a camera distinguit Vitruv. VII. 2. V. illum supr. in *Camera.* Posterius ævum cameras etiam novit *laqueatas*, & tabulis [illegible]. Cameras quidem ex contignationibus fecerunt veteres, sed pro signino opere, & albario eas tabulis subtexerunt. Isidor. XIX. 12. *Laquearia sunt, quæ cameram subtegunt & ornant, quæ & lacunaria dicuntur, quod lacus quosdam quadratos, vel rotundos ex ligno, vel gypso, vel coloribus habeant pictos.* Quod addit de gypso, plane confundit cameras veterum cum cameris recentiorum, & *laquearia* a cameris non discernit. Nam in veris *laquearibus* nullum gypsum. At in cameris veterum, quæ albato opere poliebantur, coronæ ex gypso fiebant ad ornamentum, quas hic Isidorus temere confundit cum lacubus ligneis *laqueariorum.* At in cameris, quæ tabulis erant *laqueatæ, lacunar* & camera pro eodem usurpata. Paullin. Natal. IX. de basilica:

> —— *insculptum camera crispante lacunar*
> *In ligno mentitur ebur.*

Salmas. Exerc. Plin. p. 855. D. Turneb. Adv. XXIX. 13. V. etiam supr. in *Camera.* De illo Cicer. Tusc. Quæst. V. 21.

v. 21. *In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari seta equina suspensum demitti jussit.* Ad magnificas ædes pertinere, non ad mediocres, & pauperes innuit Horat. Od. II. 18. I.

> *Non ebur, neque aureum*
> *Mea renidet in domo lacunar.*

Est igitur *lacunar* cœnationis, cubiculi, templive cœlum, contignatiove, variis cœlaturis, & picturis quam magnifice ornata. *Bald. Lex. Vitruv.* Etiam inaurabatur & ejus rei origo a Capitolio. Plin. XXXIII. 3. *Laquearia, quæ nunc & in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, censura L. Mummii. Inde transiere in cameras, in parietes quoque, qui jam & ipsi, tanquam vasa, inaurantur.* Manil. v. 504.

> *Sculpentem faciet sanctis laquearia templis,*
> *Condentemque novum cælum, per templa Tonantis.*
> *Hæc fuerit quondam divis concessa figura,*
> *Nunc jam luxuriæ pars est, triclinia templis*
> *Concertant, tectique auro nunc vescimur auro.*

Senec. Epist. 115. *Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud, quam mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus, aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est.* Epist. 90. *Lacunaria auro gravia pendent.* Hieron. Epist. ad Gaudentium: *Vivimus, quasi altero die morituri, & ædificamus, quasi semper in hoc seculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum.* Donat. de Urb. Rom. I. 27. Meurs. de Lux. Rom. c. 12. Kobierzyck. de Lux. Rom. II. 7. Grapald. de Part. dom. II. 3. 3. Lips. Admir. III. 5. & 14. Rycq. de Capit. c. 16. Nardin. Rom. Vet. v. 15. Ne vero leves auri inductiones, aut tenues bracteas in trabibus *laquearium* fuisse existimes, satis commonefacit Statius, cum inquit

> *Et nondum crasso laquearia fulva metallo.*

Admonet quidam etiam Panegyristes, qui ad Gaudentium *solido auro tecti laquearia* commemorat. Quod si cui dubium manet, qua ex arbore tam superba *laquearia* extructa, quod genus ligni meruit tam magnificas bracteas, facile resolvet Senec. Epist. 90. *Nec in hunc usum pinus, aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent.* Kobierzyck. l. l. Faciebant illa versatilia, & alia atque alia subinde facie convivas delectabant. Senec. Epist. 90. *Versatilia cœnationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula, mutentur.* En privata ingenia, & luxuriam: quid existimas Principes tentasse, & fecisse? De Nerone Suet. Ner. c. 31. n. 7. *In ceteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores; & fistulatis, ut unguenta desuper funderentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo, diebus ac noctibus, vice mundi circumageretur.* Lips. de Magnit. Romn. III. 14. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 308. Alexand. Gen. dier. v. 5. & in illum Tiraquellus. Casaub. in Athen. IV. 2. Stuck. Antiq. Conviv. II. 14. Kobierzyck. l. l. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 219. Beroald. & Pitisc. in Suetonium. Includebant aliquando sylvas, & veras aves intermiscebant. Rutil. Itiner. I. 111.

> *Quid loquar inclusas inter laquearia sylvas?*
> *Vernula quæ vario carmine ludit avis.*

Qui vulgata poetarum phrasi sylvas non proprie, sed συνεκδοχικῶς inter tecta & domos includit. Suet. Ner. c. 31. n. 6. *Rura insuper arvis, atque vinetis, & pascuis, sylvisque, varia cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum.* Luci enim, & arbusta in magnis istis ædibus erant, imo & super ædes. V. supr. in *Arbores*. Lips. de Magnit. Roman. III. 14. Sitzmann. in Rutilium.

LACUS est omne aquæ perpetuæ receptaculum. Varr. de Ling. Lat. IV. 5. *Lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest.* Ulpian. l. unic. §. 3. ff. ut in flumine publico. . . . *Lacus est, quod perpetuam habet aquam.* Nec de solis magnis id accipiebant receptaculis, verum & de quovis fonte, in quo labrum aliquod foret, quod aquam reciperet, contineretque. Sic *lacum*, ubi jumenta adaquabantur, vocat Suet. Galb. c. 7. n. 5. *Decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto.* Plin. XXXVI. 15. *Agrippa in ædilitate sua adjecta Virgine aqua, ceteris corrivatis, atque emendatis, lacus DCC. fecit, præterea salientes CV. castella CXXX.* Nardin. Rom. Vet. III. 5: IV. 5: VI. 4. Barth. Adv. II. 22. Voss. Lex. Etymol. Priscis Reipublicæ temporibus, cum nondum invaluisset luxus, ex solis *lacubus* aqua petebatur in privatos civium usus, & quidem illa sola, quæ ex *lacu* exundabat, & cadebat in humum. Frontin. de Aquæd. [illegible] *Aqua autem [illegible] in publicos usus erogabatur, legeque cautum fuit: ne quis privatus aliam ducat aquam, quam quæ ex lacu humum accidit.* In legis hujus verbis propter concursum duarum syllabarum iisdem literis excidisse puto *quam*, legendumque: *ne quis privatus aliam ducat aquam, quam quæ ex lacu humum accidit.* Sic enim pro vulgato *accedit* scribendum est, hoc est, quæ ex *lacu* exundante in humum cadit, cum supra ripa in *lacus* extitisset. Hæc enim sunt verba illius legis, *id est, quæ ex lacu abundavit, eam nos caducam vocamus.* Quia scilicet ex *lacu* in humum accidebat. Unde vides recte illam esse dictam caducam. Posterioribus temporibus in Urbe multa castella erant, quæ nominabantur *dividicula*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. IV. * * 4. V. etiam supr. in *Castellum*. Aqua enim ex castello derivabatur in *lacus*, & balnea; & ad hortos irrigandos; in *lacu* lintea, & sordes abluebantur, potabant equi, & alia ad emundandum necessaria fiebant. *Panvin. [illegible] Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 323. F. Super *lacus* aliquando convivia agitaverunt veteres. Suet. Claud. c. 32. n. 2. *Convivatus est & super emissarium Fucini lacus.* Tacit. Ann. XII. 57. 2. *Quin & convivium effluvio [illegible] magna formidine cunctos affecit.* Plutarch. Sympos. IV. 4. V. illum supr. in *Actæ*. Sic & in ipso Rheno, & Tiburi in Limago mensis, epulisque positis epulas fuisse agitatas narrat *Stuck. Ant. Conv.* II. 14.

Lacus Avernus Lucrino per angustas fauces jungebatur, vulgo hodieque *Il Lago d'Averno*, & nonnunquam *Il Lago de Trepergole*. Strab. v. p. 168. *Avernus est sinus mari pone [illegible] profundo, faucibus commode ad recipiendas naves instructus.* Et ejus formam Arist. de Mirab. [illegible] p. 1097. *Circa Cumam Italiæ lacum esse ferunt, quem Aornon vocant, forma circulari, & profunditate immensa, tumulis undequaque septum, trium minimum stadiorum altitudine.* Cluver. Ital. Ant. IV. 2. 25. Mer l. Cosmogr. II. 4. 12. Leand. Ital. p. 264. In secessu quodam est, collibus verius quam montibus septus, figuræ orbicularis, justæ magnitudinis. In illo [illegible] negant fundum reperiri posse. *Schott. Itiner. de Agro Neapolit. c.* 3. Qui & multa de tenebroso ingressu in specum ad radicem montis situm.

Lacus Curtius in medio fuit foro Romano, sive is a Metio Curtio Sabino dictus, qui, cum sub Romulo ibi aquæ stagnarent, illo reculsus e palatii porta, abdiderit se, atque in stagnum tradito nomine immerserat: sive, quod locum fulguritum sepserit Curtius consul: sive, quod credibilius, a Marco Curtio, equite Romano, qui, ut tolleret pestilentiam Urbi ingruentem, se cum equo in gurgitem ejus dedit præcipitem. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Lacus* nomine tenus remansit, nam terræ solum clausum erat cancellis. Ovid. Fast. VI. 403.

> *Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,*
> *Nunc solida est tellus: sed fuit ante lacus.*

Dionys. II. p. 108. *Lacus iste jam terra congesta repletus est, Romani fori fere medium locum occupans.* Hic vorago postea exsiccata æneum Domitiani equum sustinuit; ad quam cloaca maxima, quæ adhuc quodammodo navigabilis, decurrebat. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 2. *Donat. de Urb. Rom.* I. 3: II. 18. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 13. *Ursin. de Famil. Rom. in Nævia. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. *n.* 4. *Nardin. Rom. Vet.* I. 3. In hunc stipem jaciebant Romani.

mini. Suet. Aug. c. 57. n. 4. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant.* Quod veteris superstitionis fuit ritus. Sic enim solebant loca hominum opinione sacra, ut *lacus*, puteos venerari. Pausan. Attic. p. 33. *Qui morbo oraculi monitu levati fuerint, argentum, & aurum signatum in fontem abjiciunt.* Sozom. II. 3. *Circa tempus vero festi nemo illic*, ex puteo ad quercum Mamre effosso, *aquam haurit. Siquidem gentili quodam ritu alii lucernas accensas in eum imponere, alii vinum effundere, alii placentulas, alii nummos injicere solent.* Casaub. in Suetonium. Tomas. de Donar. c. 19.

Lacus Fucinus *est in Marsis.* Dio LX. p. 672. B. Virg. Æneid. VII. 758.

—— & Marsis quæsitæ in montibus herbæ,
Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.

Magnitudine maris similis. Strab. V. p. 166. *non longe a Liri flumine.* Tacit. Annal. XII. 56. 1. Nunc etiam vulgo interdum *Lago Fucino*, vel, ut alii, *Lago di Marso*, sed plurimum ab oppido juxta sito *Lago di Celano* cognominatur. Ferunt eum aliquando usque ad montana impleri, rursumque subsidere, ita ut palude obducta loca rursum detegantur, & agriculturæ sint commoda, quod occulto naturæ miraculo fiebat. Marsi ergo, ne *lacus* Fucini inundationibus frequentibus essent obnoxii, Augusto ostentabant inter alia, si emitteretur *lacus*, plurimos inde agros culturæ aptos, aut prata optima, loco aquarum stagnantium, & exundantium, futura. At ille nimias, & insanas in hanc rem impensas futuras reputans Marsis simpliciter & omnino negavit. *Cluver. Ital. Ant.* II. 15. §. 3. *Merul. Cosmog.* II. 4. 22. *Leand. Ital. p.* 228. *Bergier. de Viis milit.* IV. *Sect.* 46. §. 3. 4. *Pitisc. in Suet. Jul. c.* 44. *n.* 5. Illum emisit Claudius. V. illum supr. in *Emissarium.*

Lacus Ganymedis fuit in Urbis regione septima, sive Via lata. Simulacrum Ganymedis Leocrus fecit apud Plin. XXXIV. 8 scilicet *aquilam sentientem quid rapiat in Ganymede, & quid ferat, parcentem unguibus etiam per vestem.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 347. F.

Lacus Juturnæ fuit in foro ante templum Vestæ. Ovid. Fast. I. 708.

--- fratres de gente deorum
Circa Juturnæ constituere lacum.

P. Victor; V. illum infr. in *Templum.* Nardin. Rom. Vet. V. 4. Fuit fons, qui e radicibus scaturiens Palatini parvum illic, sed profundum *lacum* faciebat, ut describitur a Dionys. VI. Hodie nullum vestigium superest, quod rivas illae aquæ, exaggerato, exaltatoque solo, meatum aliquem sibi sub terra fecerit. Sunt qui eum existiment fontem illum, qui ad Georgii ædem in Velabro cernitur, & sub terra in Tiberim fluit. Alii vero illum Georgii aquam cloacæ maximæ opinantur; nec negari hoc potest: verumtamen, quod ibi copiosa aqua scaturiat, fortassis & Juturnæ ei fons admixtus fuerit. *Nardin. ibid. c.* 5.

Lacus Lucrinus continuo sequebatur Bajas. Describit illum Strab. V. p. 169. *Lucrinus sinus in latum producitur usque ad Bajas, interclusus ab externo mari aggere longo stadia octo tanta latitudine, quantam lati currus orbita occupat.* p. 168. *Bajis contiguus est Lucrinus sinus, & intra hunc Avernus.* Fere omnis interiit. Quippe cum fere biennio totus hic tractus crebris terræ motibus fuisset concussus: tandem anno a nato Christo 1538. a. d. III. Kal. Octob. ex repentino, altissimoque hiatu ignem evomente tanta cinerum pumicibus permixtorum vis eructata est, ut inde mons altissimus, lateque proxima occupans littora, qui nunc *mons novus*, & *mons cinereus* dicitur, extiterit, & nunc tenuis tantum, ac cœnosa extet palus cum exiguo arundineto. *Cluver. Ital. Ant* IV. 2. 17. *Leand. Ital. p.* 263. Superstitio invaluerat apud Romanos, ut cum Italiæ *lacus* locarent, Lucrinum primum appellarent. Festus: *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur fruendus, omnis boni gratia.* Brod. Misc. VII. 5. Brisson. de Form. VI. p. 522.

Lacus Pastoris fuit in Urbis tertia regione, quæ Isis & Serapis. Victor & Rufus. Non inepte dici possit fons fuisse, ut plurimi alii, cum labro receptrice, ac retentrice aquarum perpetuo. Pastoris nomen ipsi a sculptura, picturave, pastorem exhibente, adhæsit. Sic & hodieque fontibus plurima id genus simulacra seria, ac jocosa ornamenti gratia addi solent ea, qua exsiliunt, parte; nisi forte id nominis ab aliqua familia accepit Romana, cui hoc cognomen fuerit. Fit hujus quoque mentio in actis Eusebii & sociorum: *Qui vero ducti ad petram sceleratam juxta amphitheatrum ad lacum pastoris, ibidem decollati sunt.* Qui fuerit inter amphitheatrum, & radices montis Petri in vincula; cum ab altera parte inter amphitheatrum & arcum Constantini alius fons fuerit, cui metæ sudanti nomen. Quin & suspicari aliquis posset, duo illa ingentia labra marmorea, quæ in area Farnesiorum pulcerrimos duos fontes exornant, hujus aliquando *lacus* fuisse. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9. Fuit factus a pastore, puto Junio pastore, qui anno salutis 196. cum L. Æliano sub M. Antonino consul fuit. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 334. *A.*

Lacus Philippi Imperatoris fuit trans Tiberim. Aurel. Vict. de Cæsar. c. 28. n. 1. *Philippus, exstructo trans Tiberim lacu, quod eam partem aquæ penuria fatigabat....* Nardin. Rom. Vet. VII. 11.

Lacus Promethei fuit in Urbis regione quinta, sive in Exquiliis. Victor & Rufus. Statua Promethei ibi fuit posita. *Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 323. *F.* 341. *D.* Non tam certum, forte verum est, eandem veterum fuisse Naumachiam. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2.

Lacus Regillus est in agro Tusculano, nunc S. Praxedis dicitur. *Panvin. de Lud. Circens.* II. 2.

Lacus Sabatinus in via est Claudia, vigesimo octavo ab Urbe Roma milliario. Non procul ab illo Marcianus presbyter una cum Macario exorcista, & Stratoclino lectore sub Maximiano Imperatore martyrium perpessus est, ut ex Marciani actis in bibliotheca Vaticana constat. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 40. §. 9.

Lacus sanctus appellatus fuerit a Rufo in regione Urbis prima, quæ Porta Capena, stagnum aliquod accipiendis animalibus, vel etiam hominibus. Hoc nomen hodie in Aqua sancta mutatum sit: nisi potius *lacus* ille salutaris fuit, Victori simul, & Rufo memoratus. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3.

Lacus Servilius *appellabatur ab eo, qui eum faciendum curaverat, in principio vici jugarii, continens basilicæ Juliæ, in quo loco fuit effigies hydræ, posita a M. Agrippa.* Festus. *Victor. Var. Lect.* XXII. 22.

Lacus Vespasiani in Rufo legitur in regione Urbis prima. Forte fons aliquis hic fuit a Vespasiano hac in regione ædificatus. Vespasianus multa Urbis loca instauravit, atque exornavit, & nominatim in hac regione ædes illas duas Honoris & Virtutis, teste Plin. XXXV. 10. In actis martyrum sæpe invenias eosdem a tyrannis pro tribunali interrogatos in via Appia in palatio Vespasiani. Quare præter fontem, aut balneum, aliud illic quoque fuisse ædificium additum verisimile est, quod vulgus postea seculis posterioribus ad barbariem vergentibus palatium appellaverit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* III. 2.

Lacus in veste figura erant quadrata, & idem quod πλίνθιον. Inde vestes *lacuatæ τοῖς πλινθίοις διειλημμέναι.* Isidor. XIX. 22. *Laculata*, L. *lacuata vestis, quæ lacus quadratos quosdam cum pictura habet intextos, aut additos acu.* Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20.

Lacus est etiam vas amplum, in quod uvæ pressæ mustum emittebant, ad similitudinem receptaculorum aquæ. Tibull. I. 1. 8.

Præbeat ex pleno pinguia musta lacu.

Apertius Varr. de Re Rust. I. 54. *Quæ calcatæ uvæ erunt, earum scopi cum folliculis subjiciendi sub prelum, ut si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum.* Colum. XII. 29.

XII. 29. *Mustum ut semper dulce tanquam recens permaneat, sic facito. Ante quam prelo vinacea subjiciantur, de lacu quam recentissimum addito mustum in amphoram novam.* Voss. Lex. Etymol. Nardin. Rom. Vet. III. 4. Burman. Dissert. de Vectig. c. 2.

LAL.

LÆLIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

LÆNA vestimentum. V. illud supr. in *Chlæna*.

LÆNAS fuit dictus Popillius, quod cum flamen sacrificium faceret, cum *læna* in publicum exierit, & seditionem sedarit. Cicer. de Clar. Orat. c. 14. *Popillius cum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebei contra patres concitatione, & seditione nuntiata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque cum auctoritate, tum oratione sedavit.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5.

LÆTORIA gens. V. illam supr. in *Gens Plætoria*.

LÆVA ideo prospera existimabant veteres, quoniam *læva* parte mundi ortum, ut Varro auctor est, Romani statuere, cœlum templum appellantes, cujus quatuor faciebant partes, quarum sinistram ab oriente, dexteram ab occidente deducebant, anticam ad meridiem, posticam ad septemtriones dirigentes. *Valerian. de Fulmin. signif. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 604. *A. Bellus de Part. templ. augur. c.* 10. Priscis tamen illis melioris ævi scriptoribus non raro dicuntur tristia. Horat. Epist. I. 7. 52.

— puer hic non læve jussa Philippi
Accipiebat.

de Art. poet. n. 301.

— o ego lævus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam.

Ovid. in Ibin n. 125.

Evenient, dedit ipse mihi modo signa futuri
Phœbus, & a læva mœsta volavit avis.

Buleng. de Augur. c. 2.

LÆVINUS cognomen per diminutionem a suo primitivo deflexum est. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5.

LAG.

LAGANUM *fuit genus placentæ ex simila & oleo.* Hesychius. Sed loco olei nos butyro utimur. De eodem sic Isidor. XX. 2. *Laganum est latus, & tenuis panis, qui primum in aqua, postea in oleo frigitur.* Usus ea voce, si lectio sana est, & non *lachani*, ut meliores habent codices, est legendum, Horat. Sat. I. 6. 115.

Ad porri, & ciceris refero, laganique catinum.

Ad Horatium vetus Scholiastes: *Lagana sunt placentulæ quædam vulgares, quasi membranulæ compositæ, quæ cum pipere, & liquamine conditæ depromi solebant ad cœnam moderatam & parabilem* Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Conviv. IV. 18. Almelov. Lexic. Cœlian. Grapald. de Partib. dom. II. 3. §. 25.

LAGENA est vas vinarium, quam œnophorum, est vero Græcum utrumque, vocat Mart. VI. 89.

Quum peteret seram media jam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus.
Spoletina data est, sed quam siccaverat ipse
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testæ sua vina remensus,
Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Rufe, merum biberat.

Laguncula per diminutionem usus est Plin. Epist. I. 6. 3. *Quum venabere, licebit, auctore me, ut panarium, & lagunculam, sic etiam pugillares feras.* Illo a cupa vinum, ut volunt nonnulli, in mensa apponebatur: ideoque iidem putant posse fiascum vulgariter dici. Alius est genus poculi angusti, ex quo non libere liquor effluere solet. Conficitur ex varia materia. Fiebat etiam ex radicum filis tam fici, tum etiam sylvestrium. Plin. XVI. 31. *E quibus montani prætenuia fila decerpentes, pertusaces lagenas, & alia vasa nectunt.* Bayf. de Vasc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 701. B. Long. de annul. p. 127. Stuck. Ant. Conviv. III. 12. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 369. Popm. de Instrum. fund. c. 17. Has veteres obsignabant. Cicer. Fam. XVI. 26. *Sicut olim matrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ.* Turneb. Adv. XXX. 7. Pignor. de Serv. p. 329. Long. l. l.

LAGEOS est uva, quæ a colore leporaria dicitur, nam λαγὼς lepus est. Memorata Virg. Georg. II. 93.

Et passo Psithia utilior, tenuisque lageos.

Et ex illo Plin XIV. 3. *Dixit Virgilius Thasias, & Mareotidas, & lageas: compluresque externas, quæ non reperiuntur in Italia.* Serv. ad Virgilium: *Lageos est, quæ Latine leporaria dicitur. Tenuis autem, penetrabilis, quæ cito descendat ad venas.* Voss. Lexic. Etymol. Buleng. de Conviv. III. 5. Cerda in Virgilium.

LAL

LALISIO est pullus onagri, qui hoc nomine gaudet, quamdiu lacte tantum matris pascitur. Plin. VIII. 44. *Onagri in Phrygia, & Lycaonia præcipui. Pullis eorum, ceu præstantibus sapore, Africa gloriatur, quos lalisiones appellant.* Apud Mart. XIII. 97. lemma est *Lalisio*. Distichon vero tale:

Dum tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur, hoc infans, sed breve tempus habet.

Illorum cibum primus Mæcenas instituit. Plin. VIII. 43. *Pullos earum epulari primum Mæcenas instituit, multum eo temporis prælatos onagris. post eum interiit auctoritas saporis: lausiorum oriente usu celerrime id genus dejectum.* Meibom. Mæcen. c. 26. §. 13. & 14. Bochart. Hieroz. I. 2. 13. Buleng. de Conviv. II. 21. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 239. b. C. Bartholin. de Unicorn. p. 146. Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 3.

LALLARE nutrix proprie dicitur, quæ næniam canens puerum demulcet, ut somnum ei concilier. Unde *lallare recusant*, hoc est, dormire nolunt, cum eos sive mater, sive nutrix in cunis collocatos provocat ad somnum cantillando apud Pers. Sat. III. 18.

— & iratus mammæ lallare recusas.

Ubi Cornutus: *Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere sæpe, lalla, lalla, lalla. Aut dormi, aut lacte.* Hieron. ad Heliodorum: *Forsitan & laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens mammæ lallare congeminet.* Voss. Lex. Etymol. Casaub. ad Theophr. Charact. c. 7. & in Persium. Pignor. de Serv. p. 383. Turneb. Adv. XVIII. 34: XIX. 21. Scalig Lect. Auson. II. 11. Claude de nutric. c. 4. Similiter *lallum* dixerunt ipsam nutricum vocem infantes ad lac sugendum prolectantium. Auson. Epist. XVI. 91.

Nutricis inter lemmata,
Lallique somniferos modos.

Voss. & Turneb. l. l. Barthol. de Puerp. p. 116.

Lallare dicebantur etiam pueri, cum *lalla* imitari vellent, sed perfecte non possent. Stat. Theb. V. 613.

— ubi verba ligatis
Imperfecta sonis? risusque & murmura soli
Intellecta mihi?

Ubi Scholiastes Barthio laudatus: *Lallos dicit puerili voces, quas didicerat præeunte nutrice, non autem perfecte poterat pronuntiare.* Et hinc cunæ Græcis βεβαλιστήριον, seu βεβάλιον denominatæ, quod illis βαβάζει, *lallant.* Hesych. Βαβάζειν, *verba non formata loqui.* Claud. de nutric. c. 4.

LAM.

LAMIA est cognomen Æliæ gentis, a *Lamo*, Neptuni filio, Læstrigonum Rege, Formiarum conditore. Horat. Od. III. 17. 1.

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos:
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim.

Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Torrent. ad Horatium. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 448. E. Strein. & Augustin. de Gent. Roman. in Æliis. Pro nobilibus *Lamias* ob generis vetustatem usurpaverunt. De Domitiano principe nobilitati infestissimo Juven. Sat. IV. 154.

— hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Qui notaturus feminam in primis nobilem Sat. VI. 385.

Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti.

Torrent. l. l.

LAMIÆ erant spectra in formosarum mulierum figuram conformata, quæ adolescentes formosos voluptatibus deliniebant, dum eos devorarent. Etiam sagæ hoc nomine cœperunt vocari, quod & hæ in aliena specie apparere, imaginariis ædificiis, supellectile, choris, musicaque secum aliis facere, sæpe eosdem maximo mactare damno, veterum *Lamiarum* instar crederentur. Erast. lib. de *Lamiis* censet sic vocatas, quia cum spectris, qualia *Lamiæ* veterum erant, conversentur. *Vid. Lex. Etymol. Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 2. Ex Duri & Dione Libycæ historiæ scriptoribus, Suida & Phavorino plura collegit *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p.* 447. *D.*

LAMINA erat metalli cujusvis frustum, bractea crassius, quod igne calefactum noxiorum corporibus imponebatur, ut eo torquerentur. Applicabatur ad pedes, aliudve membrum, & hominem gravissimo dolore afficiebat. Valer. Max. VI. 8. 1. Servus Antonii oratoris *plurimis laceratus verberibus, equuleo impositus, candentibus laminis ustus, omnem vim accusatoris, custodita rei salute, subvertit.* Cicer. Verr. V. 63. *Quid, cum ardentes laminæ, cæterique cruciatus admovebantur:* Prudent. Περὶ Στεφ. X. 486.

Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Ut febris felle atro venas exedit.

Gallon. de Martyr. cruciat. c. 3. Laurent. de Rebuspubl.... c. 7. Brod. Misc. II. 10. Pollet. For. Rom. IV. 14. Barth. Adv. XII. 12. Turneb. Adv. IV. 3. Rhodig. Ant. Lect. X. 6. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 12.

Lamina plumbea erat tabula e plumbo in latum ducta, qua renum loca contegebant athletæ, ut obscœnos humores inhiberent, & Veneris impetus. Hinc voci obstrepere cui non notum? *Plumbi* vero, ut Plin. XXXIV. 18. *in medicina usus est; adalligatis lumborum, & renum parti laminis frigidiore natura inhibere impetus Veneris. Visaque in quiete veneria sponte naturæ erumpentia usque in morbi genus his laminis Calvus Orator cohibuisse traditur, viresque corporis studiorum labori custodisse.* Ideo Cassian. de Spir. fornic. c. 7. *In tantum se mundos a coitus pollutione custodiunt, ut cum se præparant ad agonum certamina, ne quid forsitan per somnium nocturna illusione fallacia vires minuant, multo tempore conquisitis laminis plumbeis renum contegunt loca, quo scilicet metalli rigore genitalibus membris applicato obscœnos humores valeant inhibere.* Illam pectori applicuit Nero. Plin. l. l. *Nero princeps lamina pectori imposita, sub ea cantica exclamans, alendis vocibus demonstravit rationem.* Hanc *chartam plumbeam* vocat Suet. Ner. c. 20. n. 2. *Plumbeam chartam supino pectore sustinere.* Nihil enim similius quam plumbi lamina, & chartæ expansa pagina. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 1. *Reines. Var. Lect.* II. 8.

LAMPADARII vocabantur, qui *lampadum* palatii curam habebant, ut accenderentur, & niterent, itidemque qui ad usus scrinii deputati erant; ut scribit Leo l. ult. C. de divers. offic. Erant enim scrinia memoriæ, libellorum, epistolarum, & admissionum, quorum scriptoribus in multam noctem vigilantibus, & scribentibus cum *lampadibus* opus esset, his accendendis, & curandis *lampadarii* præficiebantur, qui in scrinio libellorum, & ipsi a Principe erant probandi d. l. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 66. *Buleng. de Imperat. Rom.* II. 26. *Faber Semestr.* II. 10.

LAMPADES & faces victoribus præferebantur in ludis. Chrysost. Homil. 70. ad Popul. Antioch. contra adversus mortuorum luctum ait: *Quid enim ardentes quæso lampades sibi volunt? nonne tanquam athletas eos comitamur?* Ita Neroni e Græcia Neapolim, Romamque ipsam hieronicæ habitu ac more intranti plebs & senatus lucernis prætulerunt. Xiphil. LXIII. p. 724. A. *Nero venit in Capitolium tota Urbe coronata, lychnisque plena.* Faber Agon. II. 10. Imperatori præferebantur. V. supr. in *Ignis*. In usum nocturni luminis prætendebant simulacra aurea, argenteave in juvenilem speciem efformata. Lucret. II. 24.

Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.

Qui non tam imitatus est, quam prope verbatim expressit Homer. Odyss. H. 100.

Aurei vero juvenes fabrefacti ad aras
Stabant, ardentes faces manibus gestantes,
Illucentes nocte per domum convivantibus.

Casaub. in Athen. IV. 2. Junius de Pictur. II. 8. Figrel. de Stat. Roman. c. 6. Meric. Casaub. apud Gataker. in M. Anton. de Rebus suis I. §. 17. Ardentes noxiis interdum admovebantur. Fiebant hoc modo. Desumebantur vasa quædam lata unius palmi longitudinis, vel aliquantulum majoris, quæ deinde a summo ad arctiorem formam paullulum præposteræ perversæque pyramidis instar contrahebantur, atque adstringebantur. Fiebant autem vasa, vel terrea, sicuti indicant illa, quæ ex ruinis hujusce urbis nonnunquam eruuntur; vel ferrea, ut innuit Columell. XII. 18. *Nam ea, quæ lamnea fuerint, ferreis lampadibus ardentibus calfacito.* Postea vero vasa hæc hastulis quibusdam quadratis, & simul colligatis septa, quæ ad vasorum similitudinem & ipsæ a summo paullatim adstringebantur, igne flammam emittente replere solebant. Porro hisce hastulis, si demum, ad quæ *lampades* usui erant, animum referamus, intelligemus quinque, aut sex palmis plus minusve extitisse oblongas. *Gallon. de Martyr. cruciat. c.* 3. *Laurent. de Rebuspubl.* . . *c.* 7.

LAN.

LANA qua ratione esset paranda, quo modo diducenda, & figuranda digitis, civibus suis demonstravit Arcas. Ob quas artes, & ingentia beneficia non ingrata vetustas divinos illi honores decrevit, inque astrorum numerum, & cœli sodalitatem collocavit. *Gerbel. Græc. Ant. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IV. *p.* 163 *A.* Plin. VIII. 48. *Lana laudatissima Apula, & quæ in Italia Græci pecoris appellatur, alibi Italica. Tertium locum Milesia obtinet. Colorum plura genera: quippe cum desint etiam nomina eis, quas nativas appellant aliquot modis. Hispania nigri velleris præcipuas habet. Pollentia juxta Alpes cani: Asia rutili, quas Erythræas vocant: item Bætica: Canusium fulvi: Tarentum & suæ pulliginis. Istriæ, Liburniæque pilo propior, quam lanæ, pexis aliena vestibus, & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania.* Nativi memorantur præcipui quatuor, etiamsi Plinius dicat, vel *nativis nomina deesse aliquot modis.* Albus in Apulia nobilis. Mart. XIV. 155.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Niger in Hispania, & Pollentia, rutilus, qui & ἐρυθρὸς dici potest, & a Martiale rufus, fulvus & suæ pulliginis Taren-

Tarentinus. V. illos supr. in *Color.* Bays. de Re vest. c. 2. Ferr. r. de Re vest. 1. 1. 17. *Lanam* faciebant etiam honestissimæ matronæ. Ut de opulenta aliqua Phædr. iv. 4. 5.

At alteram lanificam, frugi, & rusticam.

Et in historia Romana satis exemplorum. *Barth. Adv.* iv. 12. *Feith Antiq. Homer.* iv. 3. *Demster. Paral. ad Rom. Ant.* 1. 13. Et quia *lanam* facere proprium feminarum est, in pelle *lanata* nova nupta considere solebat. V. infr. in *Pellis.* Et ob eandem causam ad fores sponsi etiam *lana* suspendebatur. Boxhorn. Quæst. Rom. 26. Feith Antiq. Homer. iv. 3. Pitisc. in Suet. Aug. c. 64. n. 4. §. 10. Hinc in Epitaphio veteri matronæ cujusdam Romanæ legitur:

Hoc est sepulcrum haud pulcrum pulcrai feminæ....
Domum servavit, lanam fecit.

Hinc mulierum manus lanificæ apud Auson. Parental. 11. 3.

Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis
Fama pudicitiæ, lanificæque manus.

xvi. 3.

Cujus si probitas, si forma, & fama, fidesque,
Morigeræ uxoris, lanificæque manus.

Minos in Alciat. Emblem. 195. Illaque feciales ornabantur. V. supr. in *Feciales. Lana* & licio furtum inquirebatur. V. supr. in *Furtum.*

LANARIUS est quivis *lanarum* artifex, aut negotiator. Inscriptio Romæ:

TI. CLAUDIO TI. L. PALLANTI
LANARIO. VIX ANN. LXVIII
TI. CLAUDIUS. L. OLYMPUS
AURIFEX. T. E.

Salmas. in Capitol. Maxim. & Balbin. c. 5. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. vi. *p.* 222. Speciatim *lanarius pectinarius* dicitur, qui *lanas pectit.* Vetus inscriptio: LANARII. PECTINARII. SODALES. Græci κτενιςὰς simpliciter eos appellant. Interpres Apollonii: Λανάριος, ὁ κτενιςής. Dicitur & *lanarius coactiliarius*, qui coactilia operatur, aut vendit. Vetus lapis: M. L. LARISCUS. LANARIUS. COACTILIARIUS. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 281. *a. C & in Capitol. l. l.*

LANCEA est vox Hispanica. Varr. apud Gell. xv. 30. *Lanceam quoque esse verbum non Latinum, sed Hispanicum.* Vel Gallica. Diodor. v. p. 213. B. *Jaciunt hastas, quas ipsi lanceas appellant.* Sed possunt esse Hispanica stirpe, in Galliam post traductæ, ut & in Latium ipsum. Vox quidem *lanceare*, quod est, jacere, mittere, ipsis Hispanis, Gallisque & hodie est in usu. Usurpavit Tertull. adv. Marcion. iii. 8. *Aliud est, si penes Ponticos infantes in prælium erumpunt, qui ante norint lanceare, quam lancinare.* id est, prius *lanceam* jacere, quam mammam trahere. *Lanceam* plerumque pili, telique ritu ejaculabantur veteres. Lucan. vi 1. 472.

Cujus torta manu commisit lancea bellum.

Istas jactas a Romano equite scribit Dionys. viii. p. 534. *Ac mox alii lanceas ejaculati sunt.* Lips. Poliorc. iv. 4. Buleng. de Venat. circ. c. 27. Brod. Misc. iii. 16. Lyd. de Re milit. ii. 4. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 54. Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 15. Voss. Lex Etymol. Hugo de Milit. Equest. ii. 4. Thys. de Oppugn. urb. iv. p. 185. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. x. 10. Vlit. in Grat. Cyneg. n. 118. Pitisc. in Curt. vi. 1. 15. Cæsaris ætate inter justa peditum tela necdum fuisse ostendit Sallustius, ubi de Catilinæ legionibus, Bell. Catil. p. 50. *Ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos, aut lanceas, alii præacutas sudes portabant.* Sub Imperatoribus, nisi fallor, ped tum Romanorum factæ sunt. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1276. *A.* Christianos etiam cruci affixos transverberatos legimus. V. supr. in *Crucıarius.*

Lancea est urbs Hispaniæ Lusitaniæ, quæ nunc *Viso* vocatur. Ex illa *Lancienses* apud Plin. iv. 22. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 782. *A.*

LANCEARII *lancea* utebantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 54. *Lancearıorum* quidem equestris militia duobus ab hoc proximis seculis magni æstimabatur, postea omissa, ac neglecta est. Et sane, ut *Lancearıorum* opera ad multas insignes victorias viam apertam, aciesque hostiles dissipatas esse historiæ nos docent: ita vera, & unica causa desuetæ hujus militiæ est difficultas. Nisi enim exercitati valde fuerint hi milites, non efficient, quod dixi. Exercitatio autem artem desiderat; neque ex tempore proficit. Ipse quoque apparatus equitum, armorumque accuratior requiritur. Quare nobiles fere cum suis domesticis hanc militiam expleoant. *Bœcler. Diss. de Legion. Rom. c.* 10.

LANIPENDIA inter lanificas pensa partiebatur, quando hoc munus sordere dominabus visum est. Illam nominavit Pompon. l. 31. ff. de donat. int. vir. & uxor. *Quod in ea re uxor tanquam lanipendia fuerit.* Plaut. Men. v. 2. 44.

—— servi en' tibi
Postulas viros? dare una opera pensum postules;
Inter ancillas sedere jubeas; lanam carere.

Pignor. de Serv. p. 419. Cujac. Observ. ix 30.

LANII differebant a macellariis. Hi enim veluti publici coqui in foro carnes vendebant; illi crudas tantum venales habere soliti. Phæd. iii. 4. 1.

Pendere ad lanium quidam vidit simium
Inter reliquas merces atque obsonia.

Tomas. de Tesser. hospital. c. 29. Salmas. in Capitol. Gordian. c. 3. In pergulis prostabant, aut in foro. Plaut. Capt. iv. 2. 38.

Tum lanii, qui concinnant liberis orbas oves,
Qui locant cædundos agnos, & duplam agninam dant.

Buleng. de Conviv. iv. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 6. V. & infr. in *Taberna nova.*

LANISTA Thuscum vocabulum est, & illis carnificem signat. Isidor. x. Res gladiatoria petita a Thuscis. *Lanistarum* multa ubique mentio. Lapis Romæ:

P. POETILIUS. P. L
SYRUS
LANISTA. AD. AR. FORIN

Glossæ Cyrill. *Lanista*, λυδοτρόφος, μονομαχοτρόφος, ἐπισάτης μονομάχων. *Lips. Saturn.* 1 15. *Voss. Lex. Etymol. Thulemar. in Freber. Cecropistrom.* §. 29. *&* 30. *Thys. de Gladiat. p.* 220. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* v. 24. Ipse rude, pileoque donatus, e ludo gladiatorio emissus; tyrones in ludo erudiebat, gladiatorum sive servorum, sive libertinorum familias ludis, & muneribus exhibendis destinatas alebat, penesque se habebat: *summaque cura exercebat, atque ornabat.* Senec. de Benef. vi. 12. *Fab. Semestr.* ii. 10. *Agonist.* i. 22. *Volaterr. Comment. Urban.* xxix. *p.* 1094 *D.* Avium *lanistæ* sunt etiam apud Colum. viii. 2. qui aves condocefaciunt ad pugnam. Pro ipsis gladiatoribus patum proprie, imo imperite usurpat Prudent. contr. Symm. ii. 1093.

—— sedet illa verendis
Vittarum insignis faleris, fruiturque lanistis.

Nam de Vestali scribit, quæ spectabat gladiatores. Emebant autem *lanistæ* suos gladiatores, aut expositios pueros huic rei tollebant. Quintil. Decl. 328. *Quantum ad te pertinet, non habet Respublica virum fortem: aut illum feræ laceraverunt, aut aliquis, quod multo indignius est, sustulit leno, aut lanista.* Mart. vi. 82. 2.

Inspexit velut emptor, aut lanista.

Lips. l. l. Patremfamilias pro *lanista* usurpavit Suet. Domit. c. 4. n 3. V. illum infr. in *Parmularius.*

LANX dicitur vas latum & profundum, minus excavatum quam patina. Vas scilicet escarium, in quo caro, tam tosta, quam elixa conditur, mensæque infertur. Ci-

cer. Asin. [illegible] I. *Lancibus* [illegible] *omnis canistris, non oblongis* [illegible]*re.* Plaut. [illegible] IV. 4. 23.

Interea dum ibi certant, imo [illegible] exercitandum est mihi:
Lances detergam omnes, omnesque trullas hauriam.

Curc. II. 3. 45.

I [illegible] *fortisse dic.* PH. *Imo in lancibus.*

Juven. Sat. V. 8[illegible].

Aspice, quam magno distendat pectore lancem
[illegible] *domino, spatula, & quibus undique septa*
Asparagis.

Dolet. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 714. E. Voss. Lex. Etymol. Baccius de Conviv. II. 9. [illegible] Mart. XI. 32. 18.

Sic implet gabatas, paropsidasque,
Et leves scutulas, cavasque lances.

Non solum quadrata, sed & rotunda alia. Horat. Sat. II. 4. [illegible].

[illegible] *rotundas*
[illegible] *lances* [illegible] *mertem.*

Paull. l. si in rem ff. de rei vindic. *Quamvis & in vasis occurrat difficultas, utrum lancem duntaxat dari oporteat, an etiam quadratam, vel rotundam.* Bayf. de vascul. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 682. L. Dicuntur chrysendeta, aureis crustis illigata & exornata. Mart. II. 43. 11.

Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli.

VI. 94. 1.

Ponuntur semper chrysendeta Calpetiano.

Bayf. & Bacc. l. l. Ego g[illegible] puto, quorum gemmæ consertæ, & contextæ [illegible]. Id satis indicat Plutarch. Lucull. p. 493. A. Ἑδαρῖτα χρυσένδετον σμάραγδοι τῶν πολυτελῶν. Hoc vasorum genus [illegible] Plin. XXXIII. Proœm. [illegible], *turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices: ac temulentiæ causa tenere Indiam juvat: & aurum jam accessio est.* Turneb. Adv. XIV. 3. [illegible] Immensæ fieri cœperunt. Plin. XXXIII. 11. [illegible] *nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ citerioris, quingenariam lancem habuit, cui fabricandæ prius officina exædificata fuerat: & comites ejus* [illegible] *librarum.* Meurs. de Lux. Rom. c. 7. Bacc. l. l.

Lanx ob similitudinem transfertur ad ea, quibus res ponderantur. Unde vocatur *bilances*, quæ duas *lances* habent. Et ex eo Gallis & Belgis *balance*. Cic. Acad. IV. 12. [illegible] *libra,* [illegible], *deprimi.* de Fin. V. 30. *Virtutis amplitudinem quasi in altera* [illegible] *Terram,* [illegible], *ea lanx,* [illegible] *deprimet.* Voss. Lex. Etymol. Dolet. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 715. A.

LAO.

LAODICÆA Pisidiæ metropolis, clara urbs habebatur, quæ, Nerone imperante, terræ motu periit. Tacit. Annal. XIV. 27. 1. *Eodem anno ex illustribus Asiæ urbibus, Laodicæa tremore terræ prolapsa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit.* A locupletibus enim civibus est restituta. *Pancirol. Notit.* [illegible] *imp. orient. c. 126.*

LAP.

LAPIDARIUS is fortasse, qui simpliciter *lapides* parabat ad ædium [illegible]cationem: an & qui gemmas, ut nos hodie vocamus *Lapidaires.* Vasione:

D. SALLUSTIO. AC
CEPTO. OPIFICES
LAPIDARI
OB. SEPULTURAM. EJUS

Spon. [illegible] *Ant. Sect.* VI. *p.* 222.

LAPIDATIO erat signum summi illius odii, quo malos principes [illegible] habebant. Nam busta [illegible]rum, qui in publica [illegible] erant, *lapidibus* solebant petere. Auson. Edyll. XV. 31.

--- *crimen ob istud*
Timon Cecropiis olim lapidatus Athenis.

Id est, publice diris [illegible]tur, & ejus sepulcrum *lapidibus* obruitur. Prop. IV. 5. 75.

[illegible] *bustum* [illegible]
[illegible] *mala.*

Illa in Balistam latronem jecit Virg. Epigr.

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus.

Cujus sepulcrum cum exsecratione *lapidibus* obrutum est. Spartian. Pescen. Nigr. c. 3. *Hunc ob detestationem* [illegible] *Roma* [illegible] *dictitavat, qui & Severum oderant, ut inter lapidationes* [illegible]. [illegible] *cum Imperator appellatus esset, jussu Severi, & senatus occisus.* [illegible], quos populus [illegible]batur, vel cum perditi cives [illegible] in civitatem inducebant, ut P. Clodii impulsu in difficultate annonæ, summaque rei frumentariæ inopia. [illegible] Cicer. pro Dom. c. 14. *Quem ceteræ pestes in lapidatione ista nominabant.* [illegible] de Jur. Man. II. 15. [illegible] de Honest. Discipl. XXV. 6. Scalig. in Propertium. Nicol. de Sepulcr. III. 5. 9.

Lapidatio erat finis malorum poetarum. [illegible] enim poetæ [illegible] *lapidatione* poetarum malorum pœnam insaniorum, quæ erat *lapidatio.* Plaut. Pœn. III. 1. 25.

Neque nos populus pro cerritis insectabit lapidibus.

Lapidationis illorum meminit Petron. c. 50. *Ex his, qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum* [illegible]*runt; at ille, qui plausum ingenii sui* [illegible], *operuit caput, extraque templum profugit.* . . . *Itaque non miror, si te populus prosequitur.* [illegible], *ut quotiescunque cœperis a te exire, sanguinem tibi a capite mittam. Movit ille vultum, & mi, inquit, adolescens, non* [illegible] *excipere* [illegible]. [illegible] de Præcon. c. 2.

Lapidationis nocentium sacra historia passim meminit, lege Mosaica in adulteros, & blasphemos. *Lapidatio* [illegible] in proditores, cognatosque [illegible] apud Macedones. Apud Lusitanos [illegible], *lapidibus* obruti, & parricidæ. In Perside [illegible] *lapide* caput impingerent, [illegible] illud effringerent. Alex. III. 5. *Lapidibus* [illegible] militum [illegible] Polyæn. VI. 55. [illegible] & non [illegible] *lapidibus* [illegible] apparet in quadraginta martyres [illegible]. *Lapidibus* ingentibus aliquando [illegible] corpora, aut distrahebant ad pedes suspendentes. *Lapidibus* aliquando obruebant. *Laurent. de Rebuspub.* . . . *c. 7. Lips. de Milit. Rom.* V. *Dial.* 18.

LAPIS communi nomine est [illegible] materia [illegible] publicarum, sive sit grandis, sive sit minor, sive mediæ inter hos magnitudinis. Horum alii [illegible] reperiuntur, [illegible] *lapidem* [illegible] in *lapi*[illegible] viva. *Bergier. de* [illegible] II. *Sect.* 4. §. 1. [illegible] in [illegible], ex quo in [illegible] equi se conjiciebant ante usum stapiarum. V. supr. in *Equus.* A funditoribus fundis in bello mittebantur. Diodor. V. p. 297. C. *Arma eis,* Balearibus, *fundæ tres: una caput cingunt, altera ventrem, tertia in manibus gestatur. In prælio lapides multo majores quam reliqui* [illegible] *lapis missus videatur. In* [illegible] *eos, qui desuper ex propugnaculis tuentur mœnia, vulnerant. In pugna vero scuta, galeas, omineque armorum genus confringunt. Ita autem* [illegible] *lapides* [illegible]

ictum

istum appetitus locus. Mittebantur vel minæ pondere. S[illegible] : *Baleariam [illegible] funditores lapides minæ pondere [illegible].* Intelligit minam Atticam, quæ est drachmarum centum. Huc quadrat, quod habet Cæsar. Bell. Gal. vii. 81. *fundas [illegible].* Ut funda mittendos in numerato milites haberent, peræ impositos circumgestabant. Strabo enim Pyræchmam Ætolum in singulare certamen descendentem venisse cum funda, & pera *lapidum* scribit [illegible] p. 246. Saccelos pelliceos commemorat Xenoph. Ἀνάβασ. v. p. 347. B. *Jussit levis armaturæ milites lapidum plenos habere pelles, sive sacculos pelliceos.* David etiam cum gigante pugnaturus 1. Sa[illegible] c. 17. n. 40. *elegit sibi quinque leves lapides ex valle, & illos imposuit instrumento pastorali, quod habebat, id est, peræ. Fundam autem ejus erat in manu ejus.* Lips. Poliorc. iv. dial. 2. Lyd. de Re milit. iii. [illegible] Phœnicis inventionem *lapidem* fundi [illegible] adscribere audeo. Unde ad Phœnices, Hebræorum propaginem, hoc honoris [illegible] Plin. vi. 56. [illegible] de [illegible] genus devenerit. Lyd. l. l. *Lapides* quosdam religiosissime pagani colebant, & ut ad illorum cultum prætereuntes invitarent, ungebant: qui fortasse *lapides acti* a Lampridio [illegible]. in *Lapides dicti.* Tales erant & agrorum termini. Arnob. 1. p. 22. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ornatum tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar.* Turreb. Adv. xv. 21. Min. Fel. p. 15. *Ut [illegible] [illegible] lapides [illegible] impingere [illegible], [illegible] unctos, [illegible].* Apul. Apol. p. 297. *[illegible] quem [illegible] lapidem unctum.* Flor. l. p. 758. *Lapis unguine [illegible].* Elmenhorst. in Arnobium, Ouzel. in Minucium. Pith. S[illegible]. ii. 14. Laurent. Var. [illegible] c. 23. Kipping. Antiq. Roman. 1. 9. §. 6. Loens. Misc. ii. 18. Broukh. in Tibull. 1. 1. 16. Minos in Alciat. Emblem. 8. Hoc fecerunt exemplo Jacobi, qui *lapidem* unxit in loco, qui dicitur Bethel. Gen. c. 28. n. 18. *Et mane surgens Jacob eodem matutino, accepit illos lapides, quos disposuerat pro cervicali sibi, & disposuit eos in statuam, & [illegible] oleum in summitatem ejus.* Scalig. in E[illegible] p. 198. b. De his lapidibus etiam *Dougtej Anal. Vet. Test. Excur.* ix. *Casaub. in Theoph. Charact.* p. 347. *Grang. ad Prud. contr. Symm.* 1. 204. *Vo[illegible] ad Maimon. de Idolol. p. 44. Bourdelot. in Heliodor. Æthiop. p. 96.* quos a[illegible] [illegible] l. l. collegit, & de [illegible] non pauca addidit *Almelov. Antiq. Sacr. Profan. p. 69.* . . . V. infr. in *Simulacra.* Horum acervi, Græcis Ἑρμαῖοι λόφοι dicti, in biviis, triviis, quadriviis in honorem Mercurii, ad Hermulas, quas vocabant, hoc est, statuas Mercurii quadratas, ad itinera demonstranda; quos viatorum quisque præteriens crebro jactu *lapidum* augebat, ut ita facilius viam indicarent. Hac de causa est, quod Mercurium *lapidum congeriem* dixerint. Isidor. in Gloss. *Mercurius, lapidum congeries in cacumine collium.* De his Corn. Sever. Ætn. n. 104.

> —— *qualis acervus*
> *Exsilit imparibus saxis ex tempore jactis.*

Eustath. Homer. Odyss. 11. *Alii dicunt, quod Mercurialis tumulus sit acervus lapidum in via collocatus, aut ara, aut tumulus Mercurii subjectus statuæ. Alii Mercuriales communiter accipiunt tumulos, pro signis viarum, juxta aliquantam earum intercapedinem, milliari fortean, aut stadio respondentem. Ferunt enim primitus Mercurium, tanquam [illegible], & internuntium, purgandis itineribus, lapides, si quos inveniret, extra viam posuisse: unde existimant, si qui id imitarentur, & internuntio deorum Mercurio, vias expurgent, eos in honorem [illegible] ejusmodi strues Hermæa, vel colles Hermæos appellare.* Didymus ad eundem: *Inde etiamnum in usu est, homines in Mercurii honorem, eo quod viarum sit præses, & ad morem deorum eum absolventium, lapidum acervos viis publicis congerere: hos autem prætereuntes crebro jactu augere, & acervos Mercuriales appellare.* Absolverunt Mercurium dii, cum accusaretur a Junone, ob patratam Argi cædem, in gratiam Jovis; sed calculos omnes, pro singulari cœlestis fori ritu, ad ejus pedes jactu coacervarunt, quo scilicet facto exsecrandam sibi etiam cædem illam in Ju[illegible] [illegible] manifesto [illegible]. Rationes [illegible] [illegible] Phurnut. de Nat. deor. c. 16. *Ouzel. in [illegible] l. l. [illegible] ad Vergil. de [illegible] iv. Sect. 43.* [illegible] *[illegible] de Dis Syr. ii. 15. [illegible] de Idolol. ii. 32. B[illegible] [illegible] iv. 5. [illegible] de [illegible] c. 19--27. G[illegible] [illegible] ix. p. 298. §. I. [illegible] l. l.* Per *[illegible] lapidum* [illegible]. V. [illegible] *[illegible] Lapis.* [illegible] quoque [illegible] in [illegible] machina [illegible] [illegible] Bell. Jugurth. p. [illegible] *[illegible] processerant, lapidibus, aut igni corrumpebantur.* Lucan. iii. 493.

> *Sed super & flammis, & magnæ fragmine molis,*
> *[illegible]*
> *[illegible]*
> *[illegible] mnes.*

Lips. Poliorc. v. 5. Thys. de Oppugn. urb. v. p. 191.

Lapis [illegible] [illegible] [illegible] templum [illegible]: [illegible] inscriptione est designatus. Fragmentum Romæ:

> LAPIS. AUSP. S. Q. CÆCILIO. ME-
> TELLO. PONT. MAX. SOLLEMNI.
> CUM. PRECATIONE. PALLIO. ROM.
> CONJECTUS. IN. FUNDAMENTA.
> PORTICUS. MINER. AVENTINENS.
> AB. LATER. COLL. . . . . . .
> VIC. ARMILUSTR. D. . . . . . .
> IN. NUNC. D. AUGUR. AUSPI. . . .
> TEMPL. CONSECRA. : . . . . .
> M. CASCELL. ÆD. SUR. . . . .

Guther. de Jur. Pont. iii. 5.

Lapis divus dicitur Lampr. Heliog. c. 7. *Lapides qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto, in quo id Orestes posuerat, afferre voluit.* Quid [illegible] *[illegible] lapides,* non [illegible] vulgatum. Ego autem significari [illegible] lapidea, quæ [illegible], & vulgo vocantur, quæ magna religionis causa colebantur. *Turneb. Advers.* xxx. 16. Hoc longe aliud est. *Lapides divos* appellat sanctissimum illud [illegible], ab Oreste & Iphigenia e Tauri[illegible] ablatum, quod [illegible] conditum esse tot Asiæ, Europæque civitates [illegible] contendebant. *Casaub. ad Lamprid. [illegible]. Guther. de Jur. Pont.* iii. 5. *Laurent. var. [illegible] c.* 23. Haud scio quam [illegible] *divi lapides,* nec [illegible] de illis [illegible]. Liber [illegible] habet *[illegible],* ac [illegible]. Puto [illegible]: *[illegible]. [illegible] lapidum* [illegible] apud veteres [illegible], & [illegible] scriptores Græcos, qui ἐμψύχους λίθους [illegible], qui se movebant [illegible], ut [illegible] in vita Diodori a Damascio scripta. Hi sunt, qui βαιτύλοι dicebantur. Philo Byblius: βαιτύλια λίθους ἐμψύχους. De hoc genere [illegible] *[illegible],* qui in adyto templi Dianæ Laodiceniæ. Nam alii aliis diis videntur fuisse consecrati, ut Jovi, Saturno, Soli, ut [illegible]. [illegible] sibi dedicaverat. *Lapidem* quoque, quem Saturno devorandum tradidit Rhea pro Jove, [illegible] Græci [illegible] nuncupant. Latinis Abadir. Grammaticus: *Abadir [illegible] est [illegible] & hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Græci βαίτυλον vocant.* Salmas. in Lampridium. [illegible] Gell. 1. 21.

Lapis [illegible] dicebatur inscriptus quadratis uncialibus, qui [illegible] habebat. Quod [illegible] *lapidibus* accipiendum est, qui prominentiores agrorum limites terminabant. Inde *[illegible] lapis* dictus [illegible] apud Festum. *quem [illegible] rem divinam faciebant.* Guther de Ju. pontif. iii. 5. Lips. in Tacit. Annal. xiii. Excurs. A.

Lapis manalis dicebatur, qui nimia, continuaque cœli siccitate sollenni religionis pompa per Urbem deferri solebat, ut ita ab Jove pluvia impetraretur. Nec [illegible] unquam, uti observatum gentiles jactitant, bonus [illegible] usque eventus. Festus: *Manalem lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam juxta ædem Martis,*

tis, quam cum propter [illegible] in Urbem [illegible] erent, [illegible] pluvia [illegible] cum, quod aquam [illegible] ret, manalem [illegible] dixere. Non. xv. 3. [illegible] *lapis appellatur in pontificalibus sacris, qui tunc movetur, cum pluviæ exoptantur.* [illegible] apud Fulgent. Expos. serm. ant. S. 4. *Fibræ jocinoris sandaracei coloris dum fuerint, manales tunc verrere opus est petras.* hoc est, addit Fulgentius, *quas antiqui solebant in modum [illegible] per limites trahere pro pluviæ immutandæ [illegible].* Nardin. Rom. vet. III. 2. Turneb. Adv. XIX. 24. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Lomej. de Lustr. c. 2. Rosin. Ant. Urb. [illegible] c. 3. n. 2. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 33. Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 17. Laurent. de Prod. c. 21.

Lapis milliare a scriptoribus passim appellatur, quia milliaria *lapideis* columnis in viis signabantur. Ut intermilliaria [illegible] viatores possent. Et inscriptu *lapidi* numerus erat, qui quotum milliarium esset, denotaret. V. supr. in *Columna milliaris.* Hoc a C. Graccho inventum puto. Plutarch. Gracch. p. 838. A. *Ad hæc viam omnem per milliaria [illegible] (est autem paullo minus octo stadia milliare) columnas lapideas spatii signandi gratia locavit.* Qui tamen discrimen Romani, Græcique pedis non animadvertit. Plin. xv. 18. *Non castra Punica ad tertium lapidem vallata.* XXXVI. 15. *A lapide quadragesimo ad eam excelsitatem influere [illegible] atque Caruleus fontes.* Mart. x. 79. 1.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum.
Ad quartum breve rus emit Otacilius.

Illorum nonnulla vestigia adhuc in via Appia, Roma Neapolim proficiscentibus occurrunt: sunt enim columnæ *lapideæ.* Illarum & una est in porta civitatis [illegible], si recte memini, a sinistra, in quibus milliariorum numeris, quo columnæ ipsæ ab Urbe distant, signatus inspicitur. *Pætus de Rom. & Græc. mens. I. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI p. 1615. A. [illegible] Comm. Reip. Rom. III. 18. Brod. Misc. x. 20. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p. 235. F. [illegible] Ant. Select.* IV. 8. *Dalechamp. in Plin.* XV. 30. *Putean. de Bissext. c. 19. Panciroll. Var. Lect. I. 43. [illegible] Barth. ad Rutilium. Voss. Lex. Etymol. in Milium. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 23. Pitisc. in Suet. Aug. c. 94. n. 12.*

Lapis niger fuit in comitio, a Romulo ad sepulturam sibi destinatus. Festus: *Niger lapis in comitio locum funestum significat, ut alii, Romuli morti destinatum: sed non usu obvenit ut ibi sepeliretur, sed Faustulum nutritium ejus ibi sepultum fuisse, & Quintilium avum Ti. . . . qui Romuli partes sequebatur.* Hinc λίθινον λέοντα vocat Dionys. I. p. 74. *In hoc [illegible] quidam ajunt, Faustulum nutritorem juvenum, dum frustra conatur litem dirimere, inermem se conjecisse in medios, [illegible], eoque [illegible] sepultum: nec desunt qui lapideam leonis effigiem, quæ pro rostris in loco Romani [illegible] visitur, super Faustuli corpore positam esse [illegible], [illegible] & sepulto, ubi occubuerat.* Varro tamen ibidem Romulum sepultum affirmat. Acro ad Horat. Epod. XVI. 13.

Quæque carent ventis, & solibus ossa Quirini.

Varro pro rostris sepulcrum Romuli dixit: ubi etiam in hujus rei memoriam duos leones erectos fuisse constat: unde factum est, ut pro rostris mortui laudarentur. Porphyr. ad eandem. *Hoc dicitur, quasi Romulus sepultus sit, non ad cœlum raptus, aut discerptus: nam Varro post rostra fuisse sepulcrum Romuli.* Scalig. in Festum. Nardin. Rom. Vet. v. 2.

Lapis pertusus a P. Victore in septima Urbis regione ponitur. Pertusum illum *lapidem* ita perpolito, ut credam eum esse, qui in loco attacto, cum fulgur conderetur, positus fuit. Nefas enim erat, locum illum totum integi; sed semper foramine aperto cœlum patebat. *Guther. de Jur. pont.* III. 5.

Lapis publicus secundum viarum latera subrectus equi inscendendi olim erat adminiculum. V. supr. in *Equus.*

Lapis suggestus tanquam, & locus eminens dicebatur, unde præco prædicabat, atque vendebat. Plaut. Bacch. IV. 7. 17.

O stulte stulte, nescis nunc venire te:
In eo ipso astas lapide, ubi præco prædicat.

Colum. III. 3. *Vel de lapide noxium posse comparari putat.* Cicer. in Pis. c. 15. *Præterquam duos de lapide emptos tribunos plebis.* Ut servos venales scilicet contumeliose. Hæc quoque Græcis consuetudo inolevit. Pollux III. 25. *Locus autem forum, lapis, venditorium.* Turneb. Adv. x. 3. Brod. Misc. VI. 5. Pius Annot. prior. c. 10.

Lapis terminus erat frequentius. Tib. I. 3. 43.

--- non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis.

Virg. Æneid. XII. 887.

--- saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Hos *terminales lapides* vocat Ammian. XVIII. 2. *Ubi terminales lapides Alamannorum, & Burgundiorum confinia distinguebant.* Horum inter vicinos ponendorum ritum describit Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 5. *Cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram rectos collocabant, proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, & unguento, velaminibusque, & coronis eos coronabant. In fossis autem, in quibus posituri eos erant, sacrificio facto, hostiaque immaculata cæsa, facibus ardentibus injectis fossa cooperati sanguinem instillabant, eoque thura & fruges jactabant: favos quoque, & vinum, aliaque, quibus consuetudo est terminis sacrum fieri, in fossa adjiciebant. Consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant, adjectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius starent.* Brisson. de Form. v. p. 430. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 16. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 23. Rosin. Antiq. Roman. II. 20. & ad illum Demsterus. Bourdelot. in Heliod. Æthiop. IV. p. 211. Paschal. de Coron. IV. 4. Rycq. de Capitol. c. 14.

LAQ.

LAQUEAR. V. illud supr. in *Lacunar.*

LAQUEARII sunt, qui *laquearia* fabricant. Eorum mentio fit C. l. 1. de excusat. artif. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 6.

LAQUEATORES erant gladiatores, *quorum pugna erat,* inquit Isidor. XVIII. 56. *fugientes in ludo homines injecto laqueo impeditos, consecutosque prosternere, amictos umbone pe lioeo.* Lips. Saturn. II. 13. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p. 2. c. 4. Thys. de Gladiat. p. 227. Laurent. Polym. IV. 9.

LAQUEUS erat supplicii genus vilissimum & ignominiosissimum; & id genus mortis passim apud scriptores infime vocatur. Pœna *laquei* Homero quidem expressa, qui facit impudicas ancillas ab Ulysse sic puniri: atque idem *impuram mortem* ostendit, uti & Plinius, qui *præposteram* dixit II. 63. quia *spiritus intercluditur, cui exitus quærebatur.* Sed a Græcis usurpatam vix reperias: nec a Romanis quidem in publico: etsi ii in carcere damnatis gulam *laqueo* frangebant. *Lips. de Cruce* III. 7. *Fab. Semestr.* II. 7. *Laurent. de Rebuspub. . . . c. 7. Kipping. Antiq. Roman.* II. 7. §. 3.

LAR.

LAR prænomen fuit Regum, Porsenæ. Dionys. v. p. 293. *P. Valerio Poplicola tertium, M. Horatio iterum coss. Lar Porsena Clusinorum Rex in Etruria.* Liv. II. 9. *Jam Tarquinii ad Lartem Porsenam Clusinum Regem perfugerant.* Tolumnii. Liv. IV. 17. *In horum magistratu Fidenæ colonia Romana ad Lartem Tolumnium Vejentium Regem defecere.* c. 58. *Daturos quod Lar Tolumnius dedisset.* & Consulis Herminii. Valer. de Nomin. *Lartis prænomen a Laribus sumptum est. Creditumque ante Tuscum prænomen id esse, fuitque consularis Herminii, qui anno Urbis 306. cum T. Virginio consul fuit, prænomen.* Dionys. XI. p. 729. *Anno sequente*

quente consules fuerint Lar Herminius, & T. Virginius. Hectenus *Lar Lartis.* Charis. Instit. Gramm. I. p. 110. b [illegible] Putsch. *Lar, [illegible] familiaris erit, facit genitivo Laris: si Tolumnii*, vel Porsenæ, Lartis.* Priscian v. p. 645. a. *Lar, quando significat* κατοικίδιον θεὸν, *Laris facit genitivum. [illegible] autem Imperatorem [illegible], Lartis, quem mactavit [illegible].* *Et testis est Ovidius in Epigrammatis sic dicens:*

Larte ferox [illegible] Cossus [illegible].

& *Livius* jam laudatus. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Ant. Rom.* II. *p.* 2028. *A. Sigon. de Nomin. Roman. c.* 3. & *[illegible]* I. II. 9. *Kipping. Ant. q. Roman* I. 4. § 3.

LARA, sive Larunda fuit nympha [illegible], cui ab Jove lingua fuit abscissa, quod [illegible] Juturnæ cum Jove concubitum Junoni indicasset. Hanc Mercurio jussit ad [illegible] deferret; inter eundum, [illegible] puella [illegible] Mercurius, [illegible]rem cum ea habuit; Et hinc nati sunt gemini Lares. [illegible] tum Muta dicta. Ovid. Fast. II. 5[illegible]--616. *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p.* 440. *D. Lipen. de Stren. c.* 1. *§.* 9.

LARALIA dicebantur [illegible] compitalia, quia hæc *Laribus* fierent. Festus: *Popularia sacra [illegible], ut ait Labeo, quæ omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa sunt. Fornacalia, Parilia, Laralia, Porca præcidanea.* Guther. de Jur. Pont. III. 15. Et ego illud LAR, quod in feriis mensis Decembris in Romanorum Fastis [illegible] Manutius *Larentalia* interpretatur, *Laralia* esse suspicor. Hujus occasionem mihi præbuit Dionys. IV. p. 219. *Deinde* Servius Tullius *per omnia compita Laribus [illegible] sacella extrui, & lege statuit, ut quotannis illis sacrificia fierent, singulis familiis liba conferentibus* [illegible]: *Quem autem festum Romani ad mea usque tempora constanter celebrabant, paucis post Saturnalia diebus, cum primis venerandum & magnificum, a compitis compitalia eum vocantes.* Siccam. in [illegible] Kalend. c. 18. Principium inde profluxit, quod parentes vel liberos, vel affines, aut amicos domi defoderent, & sepelirent, quare credula plebs animas defunctorum cultu quodam domestico primum, ac deinde publico, tanquam auxiliatores deos devenerabantur. V. supr. in *Domus.* Dempster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. IV 17.

LARARIUM erat locus in interiore parte domus Principis, ut & privatorum, *Laribus* dicatus, in quo heroum imagines habebant, & colebant. Imperatoris erat duplex. In priore erant dii, & homines emendatissimæ vitæ. Lamprid. Alex. Sev. c. 29. *Matutinis horis in larario suo (in quo [illegible] principes, sed optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, Orpheum, & [illegible] deos, [illegible] habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat.* In altero erant homines clari. Lamprid. ibid. c. 31. *Virgilii imaginem cum Ciceronis [illegible] in secundo larario habuit, ubi & Achillis, & magnorum virorum. Alexandrum vero magnum inter divos, & optimos in larario majore consecravit.* Nardin. Rom. Vet. VI. 13. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 12. §. 2. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 441. F. Donat. de Urb. Rom. III. 2. Voss. Lex. Etymol. in Lar. Boxhorn. Quæst. Rom. 6. Figrell. de Stat. Rom. c. 10. Pollet. & Broid. For. Rom. V. 5. Saubert. de Sacrif. c. 14. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 29. vet. jur. pont. III. 10. Aring. Rom. Subterr. VI. 22. 8. Grapald. de Part. dom. II. 8. §. 1. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c. 1.

LARENTALIA fuerunt dies festus dicatus *Larentiæ* Faustuli uxori. Festus: *Larentalia conjugis Faustuli nutricis Remi & Romuli Larentiæ festa.* Celebrabantur x. Kal. Januar. Macrob. Sat. I. 10. *Decimo Kalendas feriæ sunt Jovis, quæ appellantur Larentinalia.* Lipen. de Stren. c. 1. §. 7. Ovid. Fast. III. 55.

Non ego te, tantæ nutrix Larentia gentis,
Nec taceam vestras, Faustule pauper, opes.
Vester honos veniet, cum Larentalia dicam:
Acceptus [illegible] illa December habet.

Laurentalia dicuntur Varron. de Ling. Lat. V. 3. *Accalia feriæ publicæ. Laurentinæ is dies, quem quidam in scribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus, cui sacerdotes nostri publice parentant sexto die, qui Acca dicitur, & dicunt hunc diem Tarentum Accas Tarentinas.* Reliqua V. infr. in *Porta Romanula.* Ursin. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 799. E. Hospin. de Orig. Fest. p. 2[illegible]2. Gyrald. Synt. deor. I. p. 42. L. XVII. p. 404. F. Guther. de jur. man. II 6.

LARES habiti fuere filii Mercurii & Laræ, sive Larundæ. V. supr. in *Lara.* Fuerunt dei domestici; unde & *Lares* pro ædibus ipsis. Horat Sat. I. 2. 56.

Qui patrium mimæ donat fundumque laremque.

Mart. I. 77. 1.

O [illegible] curarum pretium non vile mearum,
[illegible]

Quia privatorum domibus præesse credebantur. V. infr. in *Lares [illegible]*. Morestell. de Fer. Rom. [illegible] XI. Ursin. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. [illegible] XI. p. 796. B. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 440. C. [illegible] singulis [illegible] privato cultu. Sic lapis, qui [illegible]: LARIBUS. PRO. SALUTE. ET. INCOLUMITATI. DOMUS. Q. SERTORII. *Lares* Augusti, & [illegible] dicuntur. [illegible] credebantur, qui eandem familiæ jam defuncti ejus splendorem, honoremque promoverent. *Boxhorn. Quæst. Rom. c.* 6. [illegible] illis fuerit. Ar[illegible] IV. p. 133. *[illegible], Larem genium focorum?* Vetus Schol. Horat. Epod. II. *Juxta focum dii penates positi fuere, laresque inscripti: idcirco [illegible] habentur.* Ideoque *Lares* nigros vocavit Prudent. contr. Symm. I. 204.

--- *nigros [illegible] Lares [illegible] nigros.*

Et in veteri denario gentis Cæsiæ *Lares* [illegible] superponitur. Et Servius Tullius *Lare* [illegible] filius creditus, quod ejus mater conceperit in foco. *Pignor. de Serv.* p. 452. *Elmenhorst. in Arnobium. Ferret. Mus. Lapid.* I. *Memor.* 36. *Turneb. Adv.* XXVIII. 46. *Morestell. l. l.* Illis supplicabant thure, & vino, & coronas imponebant. Plaut. Aulul. II. 8. 15.

Nunc thusculum emi, & hasce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.

Ipse *Lar* apud Plaut. ibid. Prol. n. 23.

--- *quæ mihi quotidie*
Aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat:
Dat mihi coronas.

Cum vero Plautus addit, *Aut aliqui,* eo respicit, quod & supplicarent pauxillum cibi decerpendo de mensa in focum. Unde *Lares* sic compellat Tibull. I. I. 31.

Adsitis divi, nec vos e paupere mensa
Dona, nec e puris spernite fictilibus.

Et Pers. Sat. III. 26.

--- *cultrixque foci secura patella.*

Ubi vetus interpres: *Cultrix foci, quia delibandæ dapes in ea [illegible].* Nempe, ut [illegible] libabantur. Nam [illegible]; et indicat Plutarchus de Fortuna Roman. [illegible]. *Voss. de Idol.* I. II. *Stuck de Sacr. f. p.* 80. *B. [illegible] in Tibull.* I. I. 24. *Kipping. Antiq. Roman* I. 4. §. 3. *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p.* 441. *C. Laurent var. sacr. gentil. c.* 24. *Faes ad Gyrald. de Var. sepel. rit. c.* 1. Coronæ Larium in Latio [illegible], & aristis, in Græcia e platano fiebant. Tib. I. II. II.

--- *cum paupere cultu*
Stabat in exigua ligneus æde deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverit uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.

T[illegible]bman. in Plaut. Trin. I. 2. I. Faes & Kipping. l. l. Iis commendabatur pueritia. Claud. de Rapt. Proserp. III.

[illegible] natam Laribus commisit alendam.

Diis ipsis, qui infantem & alere, & toto tempore servare dicebantur, explico Tibull. I. II. 15.

Sed

Sed patrii servate Lares, aluistis & iidem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.

Barthol. de Puerp. p. 47. Illis completo anno decimo quarto bullas suas suspendebant ephebi. V. supr. in *Bula*. Et catenas mancipia sui juris facta. V. infr. in *Manumissus*. Et immolabatur porcus. V. infr. in *Porcus*. Et olerum ollæ in foco consecrabantur. V. infr. in *Olla*. Peracto ædificio *Larem* familiarem dominus salutabat primum, eique sacrum faciebat, quod lemures extra januam ejiceret. Ex quo more apud nos novæ domus incolæ cœnam amicis parant: unde natum proverbium, *chasser les esprits*. Unde facete cum Attico jocatur Cicer. ad Attic. II. 3. cujus in nova ædium constructione ἐμπλώσεως εἰδώλων meminerit. Merito in tristitia temporum in effugandis lemuribus umbrarum lapsus pertimescit Cicero, quas εἴδωλα vocat, quæ proprie σκιαί. Sed unum pro alio usurpavit, ne aperte nimis loqueretur, & fenestram eam patefaceret, quam angustiorem optabat. *Guther. de Jur. man.* II. 16.

Lares familiares dicebantur, qui domibus præerant. Cicer. pro Quint. c. 27. *Domino a familia sua manus illatas esse ante suos Lares familiares.* Suet. Cal. c. 5. n. 2. *Lares a quibusdam familiares in publicum abjecti.* Plaut. Aul. prol. n. 2.

Ego Lar sum familiaris. . . .

Κατοικίδιοι θεοὶ. Glossis & Pitiscum. v. p. 645. qui laudatur supr. in *Lar*. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 141. A. Herald. Adv. I. 7. & in Arnob. p. 153. Tiraquel. in Alex. Gen. VI. 4. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3.

Lares grundiles dicti sunt, *quos Romulus dicitur constituisse in honorem scrophæ, quæ triginta pepererat porcos. Hoc ita affirmat hoc modo Cassius Hemina Hist. II. Pastorum vulgus sine contentione consentiendo, præfecerunt æqualiter imperio Remum & Romulum, ita ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit, sus parit porcos triginta, cujus rei fanum fecerunt Laribus grundilibus. Grunnit porcus dicimus; veteres grundire dicebant, ut sit instans, grundio. Cæcilius: Cruento ita ore grundibat miser. Claud. Annal.* XV. *Grundibat graviter pecus suillum.* Diomed. I. p. 379. Edit. Putsch. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 796. *Jun. Anim.* IV. 7. *Brisson. de Form.* I. *p.* 50. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 14.

Lares hostilii dicti, quod ab urbe, quam protegebant, hostes summoverent. Festus: *Hostilius Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.* De his Prop. III. 2. 11.

Hannibalemque Lares Romana sede fugantes.

Turneb. Adv. XXIX. 13. Chiflet. Childer. Anast. c. 10. Voss. de Idolol. I. 11. Alex. Gen. III. 12. Stuck. de Sacrif. p. 47. Brisson. de Form. I. p. 50. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 141. A. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3.

Lares parvi dicti, quia minime sumptuosi, aut arte, aut materia. Tales in villa esse conveniebat. Juven. Sat. IX. 137.

O parvi, nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exorare corona.

Horat. Od. III. 23. 15.

Parvos coronantem marino
Rore deos, fragilique myrto

Chiflet. Childer. Anast. c. 10. Torrent. in Horatium.

Lares permarini, sive marini fuerunt dii marini. Liv. XL. 52. *Idem dedicavit ædem Larium permarinûm.* Turneb. Adv. XX. 35: XXVIII. 13. Brisson. de Form. I. p. 50. Saubert. de Sacrif. c. 3. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

Lares præstites sua cura omnia tuta *præstabant*. Ovid. Fast. V. 133.

Causa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quod præstant oculis omnia tuta suis.

Kalendis Majis illis sacrificabant. Ovid. ibid. n. 129.

Præstitibus Majæ Laribus videre Kalendæ
Aram constitui, parvaque signa deûm.

Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 11. Torrent. in Horat. Sat. II. 3. p. 164. Stuck. de Sacrif. p. 47. Herald. in Arnob. p. 153. Brisson. de Form. I. p. 50. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3. Alex. Gen. dier. VI. 4. & in illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 441. B. Canina pelle cingebantur cum cane comite. Rationes dat Plutarch. Quæst. Rom. 50. *Laribus, quos proprie vocant præstites, canes assistunt, & ipsi canum pellibus amiciuntur, quoniam qui præsides sunt, eos alienis formidolosos esse oportet, uti canes videmus, domesticis vero mites, ac mansuetos; vel quod Lares quidam furiales sunt, & exactores vitæ nostræ, atque operationum speculatores, quibus assidet canis, quem novimus ad investigandum sagacem esse.* Ovid. ibid. n. 137.

At canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat: quæ standi cum Lare causa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,
Compita grata deo, compita grata Lari.
Exagitant & Lar, & turba Diania fures:
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.

Laurent. Var. sacr. gentil. c. 24. Spanhem. de Vest. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 677. D. Boxhorn. Quæst. Rom. 6. Hospin. de Orig. Fest. p. 164. Tiraquell. l. l. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 440. C.

Lares publici videntur dici Reges, Principesque defuncti, qui inter deos translati Rempublicam ope, consiliisque apud cœlites juvabant. Nec aliter in veteri lapide LARES CIVITATIS PUTEOLORUM appellantur, qui dum viverent bene de ea meriti, post mortem adhuc favere credebantur. Et sic Romulus jam cœlo sublatus ad Proculum Julium, ut quidem refert Liv. I. 16. locutus est: *Abi, nuntia Romanis, cœlestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit. Proinde rem militarem colant.* Et hi haud dubie iidem, qui *comitiopotentes* apud Tertull. de Spectac. c. 5. *Et nunc ara Conso illi in circo defossa est ad primas metas sub terra cum inscriptione hujusmodi: CONSUS. CONSILIO. MARS. DUELLO. LARES. COMITIOPOTENTES.* Boxhorn. Quæst. Rom. c. 6. Saubert. de Sacrif. c. 5. Turneb. Adv. XXVIII. 47. Illis in compitis sacrum fiebat porca, velut hostia lustrali. Prop. IV. 1. 23.

Parva saginati lustrabant compita porci.

Horat. Od. III. 23. 3.

Si thure placaris, & horna
Fruge Lares, avidaque porca.

Sat. II. 3. 164.

--- *immolet æquis*
Hic porcum Laribus.

Voss. de Idolol. I. 11. Jun. Anim. IV. 7. Turneb. Adv. XXIX. 32. Torrent. in Horat. Odas. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3.

Lares querquetulani dicuntur, quod ibi querquetulanum fuisset. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. Prope est, ut nymphas querquetulanas Festus videatur vocare: *Querquetulanæ dicebantur nymphæ, querceto virescenti præsidentes.* Turneb. Adv. XX. 35. Tomas. de Donar. c. 8.

Lares rurales, qui in compitis rusticis honorabantur. Romæ sub porticu domus Conservatorum in Capitolio legitur,

VICO LARUM RURALIUM.

Horum nempe curæ cives Romani sua ædificia suburbana, atque extra pomœria commendabant. *Tomas. de Donar. c.* 8. Cicer. de Legib. II. 8. *Lucos in agris habento, & Larum sedes.* Tibull. I. 1, 25.

Vos quoque felices quondam, nunc pauperis agri
Custodes fertis munera vestra Lares.

Horatius supr. in *Lares publici*. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 3.

Lares viales sunt dii, qui viis præsunt, θεοὶ ἐνόδιοι, quos invocare solebant, qui peregre proficiscebantur, & ad viam se accingebant. Plaut. Merc. V. 2. 24.

--- *invoco*
Vos Lares viales, ut me bene juvetis.

Arnob. III. p. 124. *Vulgus arbitrabatur eos vicorum, atque itinerum*

nerum deos esse, ex eo quod Græci vicos cognominabant lauros. Turneb. Adv. VII. 15 Bergier. de viis milit. IV. 43. §. 1. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 796. C. Chiflet. Anast. Childer. c. 4. & 10. Stuck. de Sacrif. p. 47. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Herald Adv. I. 7. & in Arnobium. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3.

LARGI insignes tres fuerunt. I. T. *Largus* dictator, qui templum Saturni in foro dedicavit, ut tradit Macrob. Sat. I. 8. II. Valerius *Largus*, qui apud Augustum Ælium Cornelium Gallum poetam, & Virgilii amicum conspicuum, & Ægypto præfectum accusavit, quod in eum contumeliosus esset. Quare is magistratu, & bonis exutus, ac exulare jussus, se ipsum interfecit, cui in præfectura *Largus* successit. Dio LIII. p. 512. Hic *Largiani* SCti auctor fuisse creditur §. ult. Instit. de success. libert. III. Licinius *Largus* Hispaniæ citerioris præses, *cui tuber mordenti denarium dentes inflexit* scribit Plin. XIX. 2. Orator fuit, & primus auditores corrogavit, qui se dicentem plausu exciperent. Plin. Epist. II. 14. Obscuriores I. Latinius *Largus*, qui sæpe Julium Paullum ICtum l. 56. de ædil. edict. l. 83. §. ult. de legat. 2. l. pen. §. ult. de except. rei jud. II. *Largus* Euripianus, qui Scævolam l. 21 §. 4. de ann. legat. consulit. *Panciroll. Descr. Urb. Rom Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 350.

LARTIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

LARVÆ accipiuntur pro inani terriculamento. Plaut. Amph. IV. 3. 4.

Larva umbratilis, tu me minis territas.

Mariscott. de Person. c. 1. Laurent. var. sacr. gentil. c. 14. Larium enim peculiare fuit infantem immittere. V. infr. in *Porcus.* Mariscott. ibid. c. 9. Laurent. l. l. Apul. de Deo Socrat. p. 688. *Est & secundo significatu species dæmonum, animus humanus emeritis stipendiis vitæ corpore suo aberrans. Hunc vetere lingua Latina reperio Lemurem dictitatum. Ex his ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus, placato, & quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris. Qui vero ob adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exsilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis: id genus plerique Larvas perhibent. Cum vero incertum est, quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit, an Larva; nomine Manem deum nuncupant: scilicet & honoris gratia dei vocabulum additum est.* Gyrald. Synt. deor. VI. p. 214. G. Salmas. Exerc. Plin. p. 293. a. F. Diversæ sunt a Lemuribus. Nam Lemures proprie domi vagabantur. Colligo hoc ex Ovidio, cum de Lemuribus festis ita loquitur Fast. V. 442.

Et rogat ut tectis exeat umbra suis.

At *Larvæ* in bustis, aut sepulcris. Apul. Apol. p. 507. *At tibi pro isto mendacio duit deus iste superum & inferum commeator utrorumque deorum malam gratiam, semperque obvias species mortuorum, quicquid umbrarum est usquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Larvarum oculis tuis oggerat: omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta.* Guther. de Jur. man. II. 16. Auspices illis diligenter observarunt. Ammian. XXXI. 1. *Super his larvale simulacrum Armeniæ Regis, & miserabiles umbræ paulo ante in negotio Theodorici cæsorum per quietem stridendo carmina quædam nimium horrenda, multos diris terroribus agitabant.* Cicer. de Divin. I. 37. *Objiciuntur etiam sæpe formæ, quæ reapse nullæ sunt: speciem autem offerunt. Quod contigisse Brenno dicitur, ejusque Gallicis copiis, cum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset: tum enim ferunt, ex oraculo ecfatam esse Pythiam,*

Ego providebo rem istam, & albæ virgines.

Ex quo factum, ut & viderentur virgines ferre arma contra, & nive Gallorum obrueretur exercitus. Dio LV. p. 548. C. Cum Drusus Albim fluvium in Cheruscis trajicere vellet, *quædam mulier humana specie major occurrit ei, & dixit: Druse insatiabilis, quo tandem properas? non tibi fatis concessum est hæc omnia videre: quin recede: jam enim tibi, & operum tuorum, & vitæ finis adest.* Buleng. de Prodig. c. 20.

Larvæ erant fictæ facies, quibus olim tragici utebantur. Horat. Sat. I. 5. 64.

Nil illi larva, aut tragicis opus esse cothurnis.

Mariscott. de Pers. c. 9.

Larva etiam est sceletus. Glossæ vet. Σκελετον, *larva, sceletus.* Apul. Apol. p. 507. *Hiccine est sceletus? hæccine est larva?* Hæc fibulis aptantur, & coagmentantur, ut articuli ejus, vertebulæque, quibus commissa erat, & in omnem partem flecterentur, & figuras omne genus exprimerent. Tales in convivii medium projiciebantur, & ex illis eas figuras rex convivii exprimebat, ut mortalitatis, & brevitatis vitæ commonefaceret: & propterea bibendum esse, ut nihil de fructu hujus vitæ pereat, diceret. Id omnino plane, ac diserte cognosces ex Petronio, cujus hæc sunt c. 34. *Potantibus ... ergo, & accuratissime lautitias mirantibus, larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli ejus, vertebræque laxatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cum super mensam semel, iterumque abjecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adjecit:*

Heu heu, nos miseros! quam totus homuncio nil est.
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus, dum licet esse, bene.

Et *larvæ* sunt tales apud Auson. Præf. Eidyll. XIII. *Simile ut dicas ludicro, quod Græci ὀστομάχιον vocavere. Ossicula ea sunt. Ad numerum quatuordecim figuras geometricas habent. Sunt enim æquilatera, vel triquetra, extentis lineares, aut rectis angulis, vel obliquis, isoscele, vel isopleura, orthogonia quoque, vel scalena. Horum verticulatim coagmentis simulantur species mille formarum.* Senec. Epist. 14. *Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat, & tenebras, & larvarum habitum nudis ossibus cohærentium.* Mos hic manavit ab Ægyptiis, de quibus sic habet Herod. II. p. 133. C. *Apud locupletes eorum cum multi convenerunt, & a cœna discessum est, circumfert aliquis in loculo mortuum e ligno factum, sed pictura, & opere verum maxime imitantem, longitudine cubitali omnino, aut bicubitali, ostendensque singulis convivarum ait: in hunc intuere, pota, talis post mortem futurus.* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 12. Scalig. Lect. Auson. II. 26. Mariscott. de Person. c. 4. Erhard. & Gonsal. in Petronium. Barth. Adv. LVI. 7. Lips. Saturn. I. 19. Salmuth de Reb. deperd. & inv. p. 555. Putean. Reliq. conv. prisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 255. F. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19.

LAS.

LASANUM est vas, quo retrimenta cibi excipiuntur. Horat. Sat. I. 6. 109.

--- *lasanum portantes, œnophorumque.*

Græcis est λάσανον, quod familiaricam sellam interpretatur Hesychius. Inde λασανοφόρος, qui sordidum vas, aut sellæ ejusmodi gestandæ ministerium obit. *Turneb. Adv.* XIII. 3 *Voss. Lex. Etym. l. Torrent. ad Horatium. Wouwer. in Petron. p.* 405. *Edit. Francof. a.* 1621. *Grapald. de Part. dom.* II. 6. §. 23. Interdum etiam podium ollæ significat, quem chytropoda etiam dicebant. Quo sensu si quis accipiat, etiam sordes hominis agnoscat. Et primo ita acceperam: deinde discessionem in alteram, & receptiorem significationem feci, ut alvo subserviat. *Turneb. l. l.*

LAT.

LATERCULI sunt panificia quadrata operis dulciarii. Plaut. Pœn. I. 2. 112.

--- *nihil nisi laterculos,*
Sesamum, papaveremque, triticum, & frictas nuces.

Illis admiscebatur sapa. Cato de Re Rust. c. 110. *De*

ervo farinam facito lib. 4. & vini cyathos 4. conspargito sapa, pateri facito laterculos. Sed hoc, ut opinor, faciebant pistores, & restituti patet similibus: nam ab elegantioribus patinis hominibus nollo condiebantur. Apul. Met. x. p. 323. *Ille panes, laterculos. . . & complura scuamenta mellita.* Muret. Var. Lect. xvii. 15. Turneb. Adv. xxx. 6. Voss. Lex. Etymol. Taubm. in Plautum.

Laterculus est instructio bellica jacens, & in latum. V. infr. in *Turris.*

LATERCULUM est dictus codex, in quo olim magistratuum, & omnium in imperio Romano militantium, præfectorumque catalogum unus ex libertis Cæsaris procurator ab ephemeride, & mandatis nuncupatus scribere, & apud se custodire, & inde quæ mandata tradere consueverat. Postea notariis tributum, ut ab eo cæteris id negotium est commissum, qui cunctos a Romano principe ad dignitatem provectos inscribebant majori laterculo, qui ipsos dignitates tam civiles, quam militares administrantes, eorumque insignia, & stipendia cum magistratus codicillis, & ipsorum mandatis continebat §. ult. novel. 24. §. ult. novell. 25. Scholarum etiam ordines, & in numeris militantes cum eorum symbolis comprehendebat. Icti commentarium Principis nominant. Modestin. l. alesse in fin. ff. ex quib. caus. maj. *Ab e Republicæ causa, absentes utique in ærarium, pro alis, & cæteris legerunt, qui ad ærarium, aut in commentarium Principis relati sunt.* Erat autem ærarium in æde Saturni, ubi pleraque, & Senatus reponebantur. Hoc autem postea *laterculum* est dictum, nomen ei inde impositum. Mathematici enim quandam figuram, & ad aliquam altitudinem in altum *laterem* surgentem, πλινθίον, id est, *laterculum* vocant, cui hic codex simulis *laterculum* est appellatus. Sic & lapidem quadratum architecti & agrimensores *plinthum* nuncupant, a quo *laterculum* hoc derivari Cedrenus autumat. *Qui*, inquit, *laterculum est, seu πλινθίον dictus, laterculum a Romanis dicitur. Est autem hic later publicus, in quo senatorum, & legionum nomina, scribebantur.* Hujus codicis *laterculi* nomen jam Antoninis Imperatoribus inditum fuit. Tertullianus enim, qui eo tempore vixit, loquens de animabus naturalibus, quas Valentinianus beatas esse volebat, ait adv. Valentin. c. 29. *Ex earum ergo laterculo, & in Reges, & in sacerdotes allegare consueverat.* Vixit Antoninorum tempore. Complectitur cum minore *laterculo* omnes fere Notitiæ dignitates administrantes, exceptis Palatinis largitionum, & privatarum, officiisque magistratuum, quæ ex tribus scriniis, Memoriæ, Epistolarum, & Libellorum prodibant. Hunc codicem primicerius notariorum tenebat cum suis scribis, qui tribuni notarii, quod tribunis dignitate æquarentur, laterculenses a *laterculo*, & notarii a notis, quibus plurimum scribebant, sunt vocati. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 93. Buleng. de Vectig. c. 95. de Imp. Rom. ii. 12. Vrsat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 722. B. Junius in Tertullianum.*

LATERES auri a lateris similitudine vocabantur massæ auri, atque argenti conflati. Varr. de vit. pop. Rom. iii. apud Non. xii. 9. *Nam lateres aurei, atque argentei primum conflati, atque in ærarium conditi.* Sesquiulysse apud eundem ii. 481. *Video lateres barbari, innumerabiles lateres aureos habuisse.* Etiam hos, & non solum monetas in ærario suo habuerunt Romani. Docuit nos hoc Varro laudatus. Plin. xxxiii. 3. etiam narrat, *Cæsarem primo introitu Urbis civili bello suo ex ærario protulisse laterum aureorum xv. M. argenteorum xxxv.* Paullo ante dixerat: *Auri in ærario P. R. fuere Sex. Julio, L. Aurelio coss. septem annis ante bellum Punicum iii. pondo cccxvii. argenti nonaginta duo millia, & in numerato cccLxxv.* Tempore quoque Imperatorum thesaurus fisci non solum auro, atque argento numerato, verum etiam infecto, sive massis constabat. Pr. lo ex tit. de suscept. & l. 7. tit. de Palat. sacr. largit. & rei priv. *Savot. de numm. ant. i. 2. Buleng. de Imp. Rom. iii. 27.*

LATIAR vocabatur sacrificium Latinarum. Macrob. Sat. i. 16. *Cum Latiar, hoc est, Latinarum sollemne concipitur, nefas est prælium sumere.* Cicer. Frat. ii. 4. *Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi, cæteroqui confectum erat. Latiar erat exiturus.* Rhodig. Ant. Lect. xxviii. 24. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 493. A. Jun. Fast. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. viii. p. 136 E. Panvin. Fast. i. p. 114. V. etiam supr. in *Feriæ Latinæ.*

LATICLAVIA dignitas non erat ipse ordo senatorius, sed gradus ad eum. Cassiod. Var. vi. 14. *Jam senatui prædestinatus est, cui nos contulimus laticlaviam dignitatem.* Ruben. de Re vest. i. 14.

LATICLAVII proprie dicebantur senatorum, vel equitum filii, qui tunicam senatoriæ dignitatis *latum clavum* portabant. Suet. Ner. c. 26. n. 4. *Ac sæpe in ejusmodi rixis oculorum, ac vitæ periculum adiit: a quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus.* Hunc Julium Montanum senatorii ordinis, sed qui nondum honores capessisset, vocat Tacit. Annal xiii. 25. 3. *Ruben. de Re vest. i. 14. Turneb. Adv. i. 2. Chiment. de Hon. bisell. c. 34. Ferrar. de Re vest. i. 3. 14.* Erit ita lem a motu servatis tamen iis integris senatoriis. Suet. Aug. c. 35. n. 3. *Quosdam ad excusandum se verecundiam compulit, servavitque etiam excusantibus insigne vestis, & spectandi in orchestra, epulandique publice jus.* Dio liv. p. 530 D. *Ludos Augustus inter senatores, eodemque habitu convivia, & spectacula frequentanti eis quam licet.* Ruben. l. l.

LATINI, atque Italici a Romanis, quod ab iis in societatem recepti essent, varie socii sunt nominati. Nam & socii, & Latini socii, & socii nominis Latini, & socii, nomenque Latinum, & socii ab nomine Latino, & socii, ac Latium dicti sunt. *Latini* quoque de Italicis, & Italici de *Latinis* dicti sunt. Sallust. Bell. Jug. p. 119. *Turpilius condemnatus, verberatusque capite pœnas solvit. Nam is civis ex Latio erat.* Val. Max. iii. 2. 20. *Vibius Accuus Pelignæ cohortis præfectus vexillum trans Punicum vallum projecit. . . Quod ut Valerius Flaccus tribunus tertiæ legionis aspexit, conversus ad suos: spectatores, inquit, alienæ virtutis huc venimus: sed absit hoc dedecus a sanguine nostro, ut Romani gloria cedere velimus. Latinos* enim dixit pro Italicis, quandoquidem Peligni *Latini* non erant. Dicebantur vero *Latii* incolæ, populi Romani fœderati, jure *Latii* donati. *Latium* enim eos secrevit ab Italicis, qui non erant in *Latio*; fœdus ab iis civibus Romanis, qui agrum Romanum possidebant, aut colebant in *Latio*; jus *Latii* ab iis *Latinis*, qui cum agrum *Latinum* tenerent, & tamen *Latii* jure non fruebantur. *Sigon. de Ant. Jur. Ital. i. 2. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. i. p. 20. D.* Primis temporibus illorum appellatio fuit angustissima. Non enim solum Hernici, cæterique, qui in novo erant *Latio*, *Latini* nominis expertes fuerunt, sed ne omnes quidem, qui *Latium* vetus incoluerunt, *Latini* sunt vocati, quandoquidem neque Volsci, neque Æqui *Latinorum* in numero habiti. Non enim communibus *Latinorum* consiliis se committebant: & eo fiebat, ut seorsum a *Latinis*, quasi ex eorum corpore non essent, vulgo nominarentur. Siquidem Sex. Tarquinius, Superbi filius ait apud Liv. i. 53. se nisi ab Gabinis reciperetur, *per universum omne Latium, Volscosque inde, & Æquos, & Hernicos petiturum.* Et apud eundem ii. 53. *Latini, Hernicis assumptis, Volscos, & Æquos, in agro Latino castra ponentes per se ipsi sine Romano aut duce, aut auxilio castris exuerunt.* Ita viii. 11. Numisius Circejensis prætor *Latinorum se ex Latinis & Volscis juventute propere excita, rediturum infesto exercitu Capuam esse* professus est. *Sigon. ibid. c. 3.* Anno Urbis 414. T. Manlio Torquato, & P. Decio Mure coss. hac ratione sunt domiti. Post L. Tarquinii Superbi regnum, a quo ingentibus prœliis afflicti pacis conditiones, & fœdera Romana petere coacti fuerant, in fide Romana usque ad annum Urbis 263. permanserunt. Præsertim quum a Tarquinio Superbo arctioribus amicitiæ vinculis, sanctioribusque fœderibus populo Romano conjuncti fuissent. Quo anno, Octavio Mamilio Tusculano Tarquinii Superbi regno Romano exacti genero duce, arma Romanis intulerunt. Quibus ab A. Postumio dictatore ad lacum Regillum victis fœdus, & societas antiqua a Romanis reddita est. Et in amicitia,

fideque

fideque populi Romani annos amplius 150. permanſerunt. Verum quum Campanis, Sidicinis, & Auruncis adjunctis bellum Samnitibus fœderatis populi Romani moverent, atque a ſenatu Romam evocati, arma ponere juberentur, feroci reſponſo, quo alterum conſulem e *Latio* fieri petierunt, bellum Romanum in ſe convertere. Et illos prœlio ad Veſerim fluvium commiſſo victos T. Manlius conſul in deditionem accepit, atque de illis triumphavit. Nam ejus collega P. Decius eo prœlio ſe pro legionibus Romanis devovit. Poſt hoc bellum *Latium* omne biennii intervallo a. Q. Publilio Philone dictatore, L. Furio Camillo, & C. Mænio coll. domitum, deinceps perpetua, atque egregia in Romanos fide ſemper fuit. *Panvin. Imp. Rom. c. 3. Sigon. l. l.*

Latini coloniarii ſub Romanis Cæſaribus fuerunt dicti ad differentiam *Latinorum* Junianorum, ſive libertorum, ſic dictorum poſt legem de iis a Junio Norbano ſub Auguſto latam. Fragmentum juris, quod edidit Pithœus. *Sed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur, & fiunt Latini Juniani: quoniam lex Junia, quæ libertatem eis dedit, exæquavit eos Latinis colonariis, qui tunc erant cives Romani, & nomen ſuum in coloniam dederant.* Non e libertis demum conſtabant, quod tamen colligit Salmaſ. de Mod. uſur. c. 19. ex eo, quod in *Latinis* a Pithœo editis vox liberti, quia in Græcis eſt πολῖται Ῥωμαῖοι ἀπελεύθεροι, deſit omnino reſtituenda, quæ a Romanis olim, ſeu e Romanis civibus deducebantur, dictæ ab iis *Latinæ* coloniæ: neque ita appellatæ ad exemplum *Latinorum* libertorum Junianorum, ſed inde, quod cum priſco *Latii*, non vero Quiritium, ſicut Romanæ coloniæ, jure mittebantur in colonias cives Romani: ſed ad diſcrimen *Latinorum* libertorum, qui a civibus Romanis inter amicos manumiſſi, ſed quibus non competebat jus Quiritium, dicebantur. *Spanhem. ad Conſtit. Imp. Anton. Exerc. i. §. 9.*

Latini Juniani ab Ulpiano tit. iii. appellantur liberti, qui *Latii* jus lege Junia Norbana ſub Auguſto adepti erant: & illos civitatem Romanam, & jus Quiritium multis modis adipiſci poſſe ſcimus. In his erant, beneficio Principis, liberis, iteratione, militia, nave, ædificio, piſtrino, & ſi mulier ter enixa fuerit. Hi dum viverent, quanquam ſe quaſi pro civibus gererent, tamen jus teſtamenti faciendi non habebant, & dominus eorum morientium hæreditatem capiebat, niſi prius jus civitatis vel Quiritium adepti eſſent. *Panvin. Imp. Rom. c. 9.*

LATIUM fuit duplex: antiquum, & novum. Antiquum a Tiberi Circejos, novum a Circejis Ptolemæus, Strabo, & Plinius producunt ad amnem Lirim. Quorum ſi intimum excutere ſenſum potui, profecto *Latium* vetus his eſt finibus circumſcriptum, ab occaſu fere Tiberi & Etruſcis; a ſeptentrione Aniene, & Sabinis; ab oriente Ufente fluvio cum Volſcis; a meridie Tyrrheno pelago: nam utrinque ad occidentem objectus eſt Tiberis; ad ſeptentrionem Anio cum Sabinis & Marſis; ad ortum Samnites & Campani; ad meridiem mare. Quod ſi quis, qui utrumque inſederint *Latium* populi, fortaſſe roget, nihil eſt quod tam facile expedire poſſe videamur: cui enim obſcurum eſt, vetus *Latium* Albanos, Rutulos, Volſcos, & Æquos; novum Oſcos, Auſones, & Hernicos a ſolitudine vindicaſſe? *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* i. 3. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* i. *p.* 20. *D. Cluver. Ital. Ant.* i. 6. 7. *Albert. Ital. p.* 164. *Kircher. Lat. Ant. & nov.* i. 7. *Goltz. Ital. p.* 199. *Pigh. Annal. Rom.* i. *p* 43. *Blond. Inſtaur. Rom.* ii. §. 48.

LATOMIA *Siculorum lingua dicitur lapidicina, id eſt, locus caſis lapidibus exſectus.* Aſcon. in Cicer. p. 72. *Pollet For. Rom.* v. 14. *Rhodig. Ant. Lect.* xvii. 9. *Bud. in Pandect. p.* 104. *A.* Olim ſervi, lapidibus ſcilicet cædendis, in illam damnabantur. Plaut. Capt. iii. 5. 65.

> *Ibis porro in latomias lapidarias,*
> *Ibi quum alii octonos lapides effodiunt,*
> *Niſi cotidianus ſeſquiopus confeceris,*
> *Seſcentoplago nomen indetur tibi.*

Hinc ſolet ad *latomias* damnari, & ad metalla. *Laurent. Var. ſacr. gent. c.* 15. *de Rebuſpub. c.* 7. *Turneb. Adv.* xiv. 7.

Latomiæ eſt carcer *Syracuſis*. Aſcon. in Cicer. p. 72. Has fecit Dionyſius crudeliſſimus tyrannus. Cicer. Verr. v. 55. *Carcer ille, qui eſt a crudeliſſimo tyranno Dionyſio factus Syracuſis, quæ latomiæ vocantur, in iſtius imperio domicilium civium Romanorum fuit. Ut quisque iſtius animum, aut oculos offenderat, in latomias ſtatim conjiciebatur.* Qui & illas deſcribit ibid. n. 27. *Latomias Syracuſanas omnes audiviſtis, plerique noſtis: opus eſt ingens, magnificum, regum, ac tyrannorum: totum eſt ex ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exciſo: nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum undique, nihil tam tutum ad cuſtodias, nec fieri, nec cogitari poteſt. In has latomias, ſi qui publice cuſtodiendi ſunt, etiam ex ceteris oppidis Siciliæ deduci imperantur.* Rhodig. Ant. Lect. xvii. 9. Fab. Semeſt. ii. 7. Laurent. Var. ſacr. gent. c. 15. de Rebuſpubl. c. 7. Pollet. For. Rom. v. 14. Bud. in Pandect. p. 104. A.

Latomiæ erat quoque carcer Romæ prope Tullianum. Varr. de Ling. Lat. iv. 32. *In carcere pars, quæ ſub terra, Tullianum, ideo quod additum a Tullio Rege, quod Syracuſis, ubi ſimiliter de cauſa cuſtodiuntur, vocantur latomiæ: & de latomia tranſlatum, quod hic quoque lapidicinæ fuerint.* Hoc nomine appellat Liv. xxxii. 26. *Duumviri carceris latomiarum intentiorem cuſtodiam habere juſſi.* & xxxvii. 3. *Principes Ætolorum Romam deducti, & in latomias conjecti ſunt.* Donat. de Urb. Rom. ii. 19. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 2. Rhodig. Ant. Lect. xvii. 9. Fab. Semeſt. ii. 7. Laz. Comm. Reip. Rom. iii. 3. Bud. in Pandect. p. 104. B. Blond. Inſtaur. Rom. iii. §. 71. Dictæ ſunt, quod quemadmodum effoſſi jam tum olim tophi rubri coloris lapides Romanis fabricis perpetuo ſuppeditant, ſic etiam Capitolium ſuppeditavit. Nec modo antiquitas, ſed hac noſtra ætate nos vidimus, eo ipſo latere Capitolii, cui Tullianus carcer fuit affixus, inſtitutis ſub monte *lapidum* fodinis fuiſſe rubros tophos abunde, diuque cauſa ædificationis egeſtos. Quare credendum omnino eſt, ſimiles lapicidinas Anco Martio, Tullioque Regibus occaſionem exſtruendi carceris in cavis Capitolinis præbuiſſe. *Donat. l. l.*

LATRINA eſt balneum privatum. Non. iii. 131. *Latrina g. f. & eſt lavatrina, quod nunc balneum vocatur.* Lucill. xi.

> *Qui in latrina, lacuque.*

Varr. de Ling. Lat. vii. 42. *Eadem ratione domi ſuæ quisque, ubi lavatur, balneum dixerit: & quod non erant duo, balnea dicere non conſueverunt, cum hoc antiqui non balneum, ſed lavatrinam appellare conſueverint.* Meurſ. in Lycoph. p. 292. Edit. Bat. Inde *latrinam lavare* eſt in *latrinam*, ſive balneum privatum aquam ferre. Plaut. Curc. iv. 4. 24.

> *Non pluris facio quam ancillam meam, quæ latrinam lavat.*

Atque hoc erat, ut ex Plauto apparet, miniſterium viliſſimum. *Turneb. Adv.* xxi. 20. Gloſſæ Philox: *Latrina*, λουτρών. Onomaſt. *Lavatrina*, ἀπόλουτρα. *Voſ. Lex. Etymol.*

Latrina eſt locus, in quem, ut loquitur Plaut. Curc. ii. 3. 83. *ſaturi eunt.* Apul. Met. ix. p. 282. *Omnia prorſus, ut in quandam cœnoſam latrinam, in ejus animum flagitia confluxerant.* Et locum excrementorum apud Plautum ſupra laudatum explicat Lambinus. *Voſſ. Lex. Gripald. de Part. dom* ii. 6. §. 24. *Blond. Triumph. Rom.* ix. *p.* 190. *H.*

LATRO erat miles mercede conductus. Serv. Æneid. xii. 7. *Latrones vocantur conducti milites: moris autem erat, ut hos Imperator & circa ſe haberet, & eos primum mitteret ad omne diſcrimen.* Feſtus: *Latrones eos antiqui vocabant, qui conducti militabant, At nunc viarum obſeſſores dicuntur.* Uſus ita, ut & Servius monet, Plaut. Mil. i. 1. 75.

> *Nam Rex Seleucus me opere oravit maxumo,*
> *Ut ſibi latrones cogerem, & conſcriberem.*

Hinc *latrocinari, militare mercede.* Plautus Cornic.

> *Latrocinatus annos decem mercedem.*

In Tiberio: *Qui apud Regem in latrocinio fuisti, stipendium acceptitasti.* Non. II. 508. *Voss. Lex. Etymol. Souter. de Aleat.* I. 6. *Victor. Var. Lect.* XVI. 17. *Senftleb. de Alea c.* 12. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom.* V. I.

Latro, sive *Latrunculus* in tabula lusoria dicebatur calculus. Ovid. de Art. Am. III. 357. & Mart. XIV. 20. V. utramque supr. in *Calculi*. Ut *latrones*, ii calculi alios adoriuntur. Ideo & milites dicebantur. Auctor Paneg. ad Pison. n. 194. V. & illam supr. in *Calculi*. Martialis modo laudatus. Souter. de Aleat. I. 6. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. V. I. Laurent. Polym. IV. Synops. 8. Salmas. in Vopisc. Procul. c. 12. Turrig. ad Inscr. Urs. Tog. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 397. D. Buleng. de Lud. vet. c. 55. Materiam, formam, colorem V. supr. in *Calculi*. Utrum ludus *latrunculorum* idem sit qui ludus scachiæ V. infr. in *Scachus*, & zatricion V. infr. in *Zatricion*.

LATUS in auguriis dextrum si palpitaverit, diuturnam paupertatem, servo vero facultatem, & gaudium præsagit, aliis utilitatem: si sinistrum, laboranti bonum statum in tota vita portendit. *Niphus de Augur.* I. 9. Adversarii maxime petebant gladiatores. Ammian. XVI. 12. *Se in modum myrmillonis operiens, hostium latera, quæ nudabat ira flagrantior, acutis gladiis perforabat.* Quintil. Declam. de gladiatoribus, qui vinci volebant: *concurrebant lateribus nudis.* Tibull. I. 4. 46.

Sæpe dabis nudum, vincat ut ille, latus.

Et cum plura paria pugnarent, vulnerabant non raro quempiam per alterius *latus*. Cicer. in Vatin. c. 5. *Omnia mea tela sic in te conjicientur, ut nemo per tuum latus, quod soles dicere, saucietur.* Liv. XL. 9. *Ut a me capitum saltem in me finem habeat, nec per meum latus tu petaris.* Ideo in vitando præcipua cura, ut *latus* tegerent. Terent. Heaut. IV. 2. 5.

Triumpho: si licet me latere tecto abscedere.

Senec. Nat. Quæst. Præf. IV. *A turba, quantum potes, te separa, nec adulatoribus latus præbeas.* Lips. Saturn. II. 20. Muret. in Terentium. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Thys. de Gladiat. p. 233. Laurent. Polym. IV. Synops. 9. Et in militia hostes. Virg. Æneid. X. 313.

—— *huic gladio perque ærea scuta,*
Per tunicam squallentem auro, latus haurit apertum.

Ubi Servius: *Haurit modo ferit significat, non nudum latus, sed quod aperuerat, & putatur ὕστερον πρότερον. Quidam Italicam elocutionem putant: cum enim a latere quis aliquem adortus gladio occidit, hausit illum, dicunt.* *Latus* apertum equidem non est, quod scuto tegitur; sed Virgilius, ut solent poetæ in heroibus suis hæc in miraculum composuisse videtur, ut ostenderet, Æneam *latus* tectum transfigendo *aperuisse*. *Pugnare in latera, in frontem, in tergum* obvia passim apud Latinos, multoque significantiora sunt, quam *contra aliquem pugnare*, cum denotent hanc partem præcipue peti, in hanc pugnari. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1131. *B.* Intectum, sive nudum dicebatur ejus, quem nemo comitaretur. Ambros. Serm. de obitu fratris Satyri: *Quod si aliquando sine altero prodeundum fuit, intectum latus putares.* Hinc, qui potentiores affectabantur, sive armati, sive inermes, dicuntur illorum *latus* tegere, claudere, cingere. Horat. Sat. II. 5. 18.

Ut ne tegam spurco Damæ latus?

Juven. Sat. III. 131.

Divitis hic servi claudit latus ingenuorum.

Ovid. Pont. IV. 9. 17.

Dumque latus sancti cingit tibi turba senatus.

Long. de Annul. c. 9.

LAV.

LAVACRA Principes populo gratuita præbebant, alia conducebantur, & sua quisque domi fere habebat, præsertim nobiles cives ad privatos usus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. Pro sexibus distincta fuerunt, & mixtioas interdicta. V. supr. in *Balneum*. Comitibus, ac magistris militum a curiis civitatum gratuito præbebantur: quod cum etiam rei militaris comites, & tribuni poscerent, id illis ab Arcadio, & Honorio est negatum, ne tot sumptibus civitates onerarentur. l. 1. C. ne rei milit. comit. vel trib. lavac. præst. *Panciroll. de Magistr. munic. c.* 14.

Lavacrum Agrippinæ ex communi omnium antiquariorum sententia in valle Quirinali retro S. Laurentii in Panisperna fuisse creditur, in declivitate illi, quæ S. Vitalis ædem respicit: ubi duas Bacchi imagines repertas ferunt, quibus ad pedes inscriptum erat: IN. LAVACRO. AGRIPPINÆ. *Lavacrum Agrippæ* Adrianum Imperatorem inter cætera instituisse memoriæ prodidit Spartianus c. 19. verum eruditi animadverterunt illic legendum esse *Agrippinæ*. Non enim verosimile est Spartianum celebribus illis Agrippæ thermis exile *lavacri* nomen tribuisse, quod Agrippinæ adeo erat convenientius. Existimatur fuisse privatum matris Neronis. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11. *Nardin. Rom. vet.* IV. 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 21. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 7. *Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. tab.* V. *Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 21.

Lavacrum Apollinis in circo Flaminio ponit S. Rufus. *Buleng. de Circo c.* 5. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 303. *D.*

Lavacrum Decius Imperator Romæ exstruxit. Eutrop. IX. 4. *Romæ lavacrum ædificavit.* V. illud infr. in *Thermæ*.

Lavacrum Elagabali. V. illud infr. in *Thermæ Varianæ*.

LAVATIO vocabatur vas lotioni destinatum. Ejus meminit Ulpian. l. 25. ff. de auro, argent. ubi de mundo muliebri: *Vasa unguentaria, & si qua similia dici possunt, velut lavatio.* Phædr. IV. 4. 21.

Sponsi machæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam.

Si mei arbitrii res foret, *lavationem argenteam* ego dicerem innuere supellectilem omnem balnearum, ut strigiles, guttos, & id genus. Quanquam possit hoc intelligi etiam per vas illud velut principale. *Scheffer. in Phædrum. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* I. 14.

Lavationes varias veteribus usitatas V. supr. in *Abluebant*.

Lavatio Cybeles matris deûm sollenniter celebrabatur VI. Kalend. April. in fluvio Almone, qui non procul Urbe Tiberi miscetur. Vib. Sequest. de nom. fluv. *Almo Romæ, ubi mater deûm* VI. *Kalend. April. lavatur.* Arnob. VII. p. 237. *Lavatio matris deûm est hodie.* Kalendarium vetus, mense Martio, post Quinquatria, LAVATIO. Ammian. XXIII. 3. *Ad diem* VI. *Kalend. quo Romæ matri deorum pompæ celebrantur annales, & carpentum, quo vehitur simulacrum Almonis undis ablui perhibetur.* Illo enim luctus suos ponebant Galli, & planctus, atque adeo corporum sectiones, quibus ordiebantur illud festum a. d. IX. Kalend. April. qui ideo dies sanguinis dicebatur. V. illum infr. in *Sanguis*. Stat. Sylv. V. 1. 222.

Est locus ante Urbem, qua primum nascitur ingens
Appia, quaque Italo gemitus Almone Cybelle
Ponit, & Idæos jam non reminiscitur amnes.

Val. Flacc. VIII. 239.

Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele, festæque per oppida tedæ:
Quis modo jam sævos adytis fluxisse cruores
Cogitet? aut ipsi qui jam meminere ministri?

Lips. Epist. Miscell. 75. Lomej. de Lustrat. c. 26. Turneb. Adv. IX. 26. Ursin. ad Kalend. Rustic. Farnes. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 23. B. Elmenhorst. in Arnobium. Van Dale Dissert. I. 2. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 142. A. Vales. in Ammianum.

LAUDATA nimium fascino obnoxia esse putabant veteres. Virg. Ecl. VII. 27.

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Ubi

Ubi Servius Danielis: *Quicquid ultra meritum laudatur, dicitur fascinari.* Plin. VII. 2. *In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isygonus, & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes.* Tertull. de Veland. Virgin. c. 15. *Nam est aliquid etiam apud ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris eventum.* Adal. de Invid. & Fascin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 897. A. 898. B. Cerda in Virgilium.

LAUDATIO vocabatur oratio funebris. Senec. Epist. 2. *Aliud est laus, aliud laudatio. Hæc & vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem, sed laudationem, cujus officium oratione constat.* Suet. Jul. c. 84. n. 4. *Laudationis loco consul Antonius per præconem pronuntiavit. . . . Laudationes* has ad Valerium Poplicolam refert Plutarch. Poplic. p. 101. F. *Gratus etiam ad populum honos collegæ habitus fuit, quo exsequias, & funus decoravit Valerius, in cujus laudem orationem funebrem habuit, quæ usque adeo placuit populo Romano, ut hujus exemplo præclari, & insignes viri vita functi a præstantissimis laudentur.* Qui an primus illas instituerit, dubitat Dionys. V. p. 291. *Utrum autem Valerius primus hunc morem apud Romanos instituerit, an institutum a Regibus secutus fuerit, certo affirmare non possum. Quod tamen hoc sit Romanorum vetus inventum, in funere illustrium virorum virtutes eorum laudari, neque Græci hoc primum instituerint, ex communi historia didici.* Kirchman. de Fun. Rom. II. 18. Meurs. de Fun. c. 34. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 6. & ad illum Joh. Fac. Morestell. Pomp. Feral. III. 4. Guther. de Jur. man. I. 25. Blond. Triumph. Rom. II. p. 40. G. Pitisc. in Suetonium. Haberi solebant pro Rostris. Acro in Horat. Epod. *Varro pro Rostris sepulcrum Romuli dixit: ubi etiam in hujus rei memoriam duos leones fuisse erectos constat: unde factum est, ut pro Rostris mortui laudarentur.* Cicer. de Orat. II. 84. *Nostræ laudationes, quibus in foro utimur, scribuntur ad funebrem orationem.* Suet. Aug. c. 101. n. 7. *Laudatus est pro Rostris sub veteribus a Druso Tiberii filio.* Kirchman. l. l. Morestell. ibid. c. 2 & 3. Casal. de Proph. Roman. rit. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. Pitisc. in Suetonium. A propinqua cognatione conjunctis. Polyb. VI. 51. *Circumfusa populi corona filius ascendit in Rostra, si quem puberem reliquerit, qui forte adsit: sin minus, propinquus aliquis, & de mortui virtutibus dicit, rebusque, quas is prospere gesserit.* Ita patrem Appium laudavit filius apud Dionys. IX. p. 611. *Allato in forum cadavere filius ejus adiit tribunos, & consules, petiitque, ut hi populum ad concionem legitimam convocarent, sibique in ea more majorum, & ex populi Romani consuetudine patrem oratione funebri, quæ in viros bonos haberi solet, ornare permitterent.* Patrem Tiberium Tiberius filius apud Suet. c. 6. n. 5. *Novem natus annos defunctum patrem pro Rostris laudavit.* Filium Fabius Maximus apud Plutarch. Fab. p. 188. C. *Fabius quum hunc filium amisisset, orationem quam habent in clarorum funere propinqui, ipse in foro dixit.* Kirchman. l. l. Guther. ibid. c. 24. Morestell. ibid. III. 5. Pitisc. in Suetonium. Vel, si propinqui hoc officium præstare non valerent, plerumque a viris doctissimis. Appian. Bell. civ. I p. 417. *Pro Rostris in suggestu posito cadavere, funebrem orationem habuit vir ejus ætatis eloquentissimus, quod Faustus filius nondum esset maturus.* Plin. Epist. II. 1. *Hujus viri exequiæ magnum ornamentum principi, magnum seculo, magnum etiam foro, & Rostris attulerunt. Laudatus est a consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitati ejus cumulus accessit, laudator eloquentissimus.* Kirchman. l. l. *Laudabantur* etiam post mortem mulieres, V. supr. in *Feminæ.*

LAUDICOENI appellabantur, & σοφοκλεῖς, qui pacta cœna *sophos*, acclamationis formulam, orantibus, aut recitantibus acclamabant. Plin. Epist. II. 14. 4. *Sequuntur auditores, actoribus similes, conducti, & redempti mancipes: convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulæ, quam in triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari mercede transitur. Inde jam non inurbane σοφοκλεῖς vocantur: iisdem Latinum nomen impositum est laudicœni.* Ferrar. de Acclam. III. 12. Bud. in Pandect. p. 42. K. Pollet. For. Rom. I. 7.

LAVERNA erat dea furum. Horat. Epist. I. 16. 60.

— *pulchra Laverna*
Da mihi fallere.

Ubi Acron: *Laverna via Salaria lucum habet: est autem* [illegible] *ejus* [illegible] Plaut. Aul. II. 5. 31.

Ita me bene amet Laverna! te jam, nisi reddi
Mihi vasa jubes, pipulo hic differam ante ædes.

Arnob. I. I. p. 115. *Non commemoramus hoc loco Lavernam deam furum.* Nardin. Rom. Vet. IV. 4. Gyrald. Synt. deor. I. p. 52. F. Donat. de Urb. Rom. I. 19. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 2. Brisson. de Form. I. p. 57. Stuck. de Sacrif. p. 42. Barth. Adv. [illegible] 5. Elmenhorst. in Arnobium. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 10. §. 8. Lipen. de Stren. c. 1. §. 6. Huic fures vota faciebant, ut instituta sua furandi, ac mentiendi fortunaret. [illegible] V. illum supr. in *Fur.* [illegible] Ejus lucus erat Romæ obscurus, & abditus, ubi fures prædam dividebant. *Tomas. de Tess.* c. 42. [illegible]

LAVERNIONES *fures antiqui dicebant, quod sub tutela deæ Lavernæ essent,* [illegible] Festus. *Borrich. Ant. Urb. fac.* c. 14. §. 3. *Stuck. de Sacrif.* p. 42. 157.

LAVICUM, sive *Labicum*, Albanorum colonia, in via Prænestina situm fuit, quindecim millibus passuum ultra Gabios, eo in loco, ubi hodie oppidum *Zagarolo*, jurisdictioni Principis Ludovisii subditum, in edito colle. Hoc nonnulli velitari [illegible] & [illegible] ibidem passim [illegible] Strab. V. p. 163. *Inde autem Lavicana via, incipiens a porta Exquilina,* [illegible] *Prænestina: relinquens autem* [illegible] *campum Exquilinum, procedit ad 120 & amplius stadia, quæ sunt millia passuum 15, & appropinquans veteri Lavico, quod oppidum in sublimi situm, nunc dirutum est.* Unde patet errare Leandrum, qui Ital. p. 218. & 221. interpretatur id oppidum, quod 20 millia passuum a Roma in celso colle & aptum situm, & vulgo vocatur Valmontone. Ejus meminit Sil. Ital. XII. 534.

Jamque adeo est campos ingressus, & arva Lavici.

Lavicani cum bellis continuis Romanos mire exagitassent, anno ab U. C. 337. illorum oppidum a Romano dictatore militum ingenti corona circumdatum, scalisque captum est, & coloni eo sunt missi. Liv. IV. 47. *Postero die ad Lavicos ductus exercitus: oppidumque corona circumdatum, scalis captum, ac direptum est. Senatus censuit frequens, coloniam Lavicos deducendam: Coloni ab Urbe mille, & quingenti missi bina jugera acceperunt.* Cluver. Ital. Ant. III. 4. §. 23. Kircher. Lat. Ant. & nov. IV. 2. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 2.

LAVINIUM est urbs Latii, tribus a mari passuum millibus dissita, ab Ænea condita, postquam ab Aboriginum Rege Latino benigne exceptus, filiam ejus *Laviniam* uxorem sibi adoptasset, a qua & nomen conditum: quamvis alii a *Lavinio* fratre Latini, alii ab uxore Æneæ denominatam velint. Vetus conditum fuisse putatur in eo colle, in quo hodie situm S. Petronillæ [illegible], ad fontem fluminis Numici, qui sub illo colle ex [illegible] quondam profluit. *Kircher. Lat. Ant. & Nov.* I. 7. §. 3. *Cluver. Ital. ant.* III. 2. §. 5. *Panvin. Descr. Rom. Urb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 209. *F. Ferret. Mus. Lapid.* V. *memor.* 14. *Leand. Ital. p.* 197. 200.

LAURENTALIA. V. illa supr. in *Larentalia.*

LAUREOLUS in pœnam ad stipitem alligatus & laceratus est, de quo Mart. I. 7. 3.

Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Laureolus mimus fuit latronis alligati ad crucem, in quo noxias vinctus ab urso lacerabatur, non per lusum & jocum, sed in pœnam criminis. Catullo, sed diverso ab illo, qui Ciceronis ætate vixit, & scripsit, hunc tribuit

Tertull. adv. Valentin. c. 14. *Quia nullum Catulli Laureolum fuerit exercitata.* Suet. Cal. c. 57. n. 11. *Et cum in Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomuit. . . ,* Joseph. Ant. Jud. XIX. 1. *Mimus inductus est, in quo in crucem suffigitur latronum dux Laureolus.* Buleng. de venat. c. ... c. 36. Rader. in Martialem. Homines vero in cruce fixos bestiis objiciebant. Hoc factum sæpe in publicis spectaculis. Epistola Lugdunensium apud Euseb. V. 1. de Blandina martyre: *Blandina in ligno suspensa prostituta est esca, & laniena incurrentium ferarum. Quæ, & quod in specie crucis videbatur, & ob continuam orationem multam alacritatem inspirabat certantibus.* Quod & factum non Christianis. Vult enim Martialis laudatus, quempiam sustinuisse velut in fabula personam *Laureoli*: & cum is pro argumento cruci figendus esset, sed in speciem, & moris causa: rem ex fabula Titus fecit, & noxium quempiam ita fixit, & fixum bestiis etiam objecit. *Lips. de Cruc.* III. 11.

LAURETUM, sive *Loretum* in vetere Republica Romæ fuisse constat, quod *in Aventino multo post Romam conditam vivere cœpisse* auctor est Macrob. Sat. III. 12. De quo Item de Aventino loquens tradit Dionys. III. p. 182. *Erat is collis mediocriter altus, octodecim fere stadiorum ambitu, sylva tunc obsitus varii generis, præcipue copiosa, & pulcra lauro, unde Laurentum pars ejus a Romanis dicitur. Nunc autem est totus refertus ædificiis.* Hæc ultima verba, *nunc autem est totus refertus ædificiis*, palam faciunt, non de hoc prisco, sed de novo Cæsarum *laureto* loqui Cassiod. II. ubi agit de Gallica nobilitate, quæ tandem curiæ restituta est. Nempe ex eo *laureto*, ut ex ejus verbis conjicio, triumphales *laureæ* decerpebantur. *Tandem*, inquit, *præsfos digna lectaverunt. Romana recepere cum gloria, & avorum, quas laureas ab ornatu curiæ sylva texerunt.* Duas fuisse sylvas, hoc est, duo *laureta* disertim tradit Plin. XV. 30. *Et durant*, inquit, *sylvæ nominibus suis discretæ, fors sit, eo munere triumphalium.* Et paullo post: *Durat & in Urbe impositum loco* nomen, *quando loretum in Aventino vocatur, ubi sylva lauri fuit.* Ibidem, scilicet, ubi Dionysius domibus sua ætate locum refertum tradit. Ut recentior sylva vocabatur *lauretum* Cæsarum, ita illud priscum dicebatur esse *lauretum* Numæ. Sulpicia in sat. cant. Domit.

Nam laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem.

Paschal. de Coron. VIII. 2. De *laureto* etiam *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 5. *Donat. de Urb Rom.* III. 13. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 2. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

LAURIACUM fuit Norici urbs satis ampla. Hodie exiguus vicus est sub mœnibus oppidi Ens ad confluentem amnis ejusdem nominis. Vulgo dicitur *Lorch*, contractum haud dubie ex *Laurach*, & *Lorich*. Antoninus ad *Lauriacum* locat hyberna legionis III. & antiqua inscriptio coloniam Aurelianam. Unde claritudo, atque celebritas ejus apparet. Sed ex ejus ruinis tandem crevit propinquum oppidum Ens. *Cluver. Vindel. p.* 23. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 809. *F. Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 30.

LAUROLAVINIUM fuit urbs Latii Laurento proxima. Colonia fuit Romanorum. Frontin. de Colon. p. 105. *Laurum-Lavinia lege, & consecratione veteri manet. Ager ejus ab Imperatoribus Vespasiano, Trajano, & Adriano in lacinis est assignatus. Iter populo non debetur.* Quando deducta sit, non liquet. Inde Merul. Cosmogr. II. 4. 19. inter deductas incerto tempore recenset. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 628. *A.* 800. *C.*

LAURUS arbor ex omnibus manu satis, & domesticis fulmine non feritur. Hoc a veteribus memoratum tradit Isidor. XVII. 7. *Sola hæc arbor vulgo fulminari minime creditur.* Tradit & Plin. II. 55. *Ex iis, quæ terra gignuntur, fulmen lauri fruticem non icit.* XV. 30. *Manu satarum, receptarumque in domos fulmine sola non tangitur.* Hæc persuasio usque eo quorundam mentibus adhæsit, ut vel auctore Plinio proxime laudato, *Tiberius princeps, tonante cœlo, coronari fuerit solitus.* Idem de illo Suet. c. 69. n. 2. *Tonitrua præter modum expavescebat: & turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.* Paschal. de Coron. VIII. 12. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 19. Pier. Hierogl. L. 15. Laurent. de Profess. & orat. c. 2. Causam adferunt Pythagoræi, quod arbor sit Phœbæa, & Apollini sacra: quæ tota a poeticis fabulis pendet, quasi ejus dei templa fulmine tacta, & combusta conflagrasse apud historicos non legamus. Nonnulli plantæ rotunditati id acceptum ferendum nugantur, qua ictus labatur: qui mihi videntur *laurum* nunquam aspexisse, in acumen potius, ac fastigium, tum ipso trunco, tum etiam ramis sensim tendentem. Sunt omnino pini omnes, rotundæ magis, quibus nec ignis cœlestis parcit: sed ne columnis quidem marmoreis, diu, multumque levigatis, ac perpolitis. Nec sane mirum, cum omnia a cœlo decidentia obliquos habeant ictus, non rectos. Quare bene, ac sapienter agerent πάνσοφοι quidam, si tandem cassis, & futilibus argumentis hominum mendacia confirmare desinerent. Paucos enim abhinc annos Romæ de cœlo *laurus* est tacta. *Brod. Misc.* III. 2. *Vos. de Idolol.* II. 12. *Lomej. de Lustrat. c.* 19. *Grata fuit Apollini.* Plin. XV. 30. Id verum esse discimus ex Ovidio, ubi de Daphne & Phœbo loquitur, Met. I. 556.

Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum.
Cui deus. at quoniam conjux mea non potes esse,
Arbor eris certe, dixit, mea, semper habebunt
Te coma, te citharæ, te nostræ, laure, pharetræ.
Tu ducibus lætis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.

Et Phœbo, sive Apollini, qui quantus quantus, ignis est, sicut plantam ignitam tribuit Virg. Ecl. VII. 61.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Jaccho,
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Imitatus Theocrit. Epigram. I. 3.

At nigris foliis tibi, o Pythie Apollo
Dicata sunt: Delphica enim petra his te ornavit.

Hinc est, quod Apollinem, velut proprio epitheto, poetæ δαφναῖον vocant. Tertull. de Coron. mil. c. 7. *Habes tragœdiam Cerberi, habes Pindarum, atque Callimachum, qui & Apollinem memorat, interfecto Delphico dracone, lauream induisse qua,* potius *quasi supplicem.* c. 12. *Laurea ista Apollini, vel Libero sacrata est, illi, ut deo telorum, huic ut deo triumphorum.* Paschal. ibid. c. 11. Pier. Hierogl. I. 13. Clasen. Theol. gentil. I. 4. Cerda in Virgilium. *Lauro fatidici* coronabantur. Lump. in Chrysanth. p. 157. *Familiaritas cum deo tam inelaborata, & facilis erat, ut ad vaticinia vera efferenda satis esset, si laurea capiti imposita ad solem oculos convertisset.* Isaacius in Lycophr. n. 6.

Laurivoro vaticinata est ore.

Ex quo vates fabulantur propter delectationem Apollinis lauros comedere. Sed hæc quidem nugæ sunt, & fabulæ. At illud verum: quod vaticinantes laureis ramis coronari solebant, quoniam semper sit viridis planta, & mala avertat, atque hæc oracula petentibus persuadentes aliquid ex ipsis lucrabantur: unde illinc aucti, fabulati sunt lauros comedere, vel quod lauro coronarentur, vel vaticinia dicerent iis, qui alimenta ipsis præberent. Hinc Tibull. II. 5. 63.

Vera cano: sic usque sacras innoxia lauros
Vescar.

id est, calleam vaticinandi scientia. Ideo veteres *laurum* μαντικὸν φυτὸν appellaverunt, & futurorum præscia est credita. Claud. de Rapt. Pros. II. 109.

—— venturi præscia laurus.

Fulgent. Mythol. I. 13. *Illi, qui de interpretatione somniorum scripserunt, promittunt in libris suis, laurum, si dormientibus ad caput posueris, vera somnia esse visuros.* Quin etiam ex *lauri* crepitu, dum crematur, veteres futura prædicebant. Si enim magno strepitu in igne crepuisset, felicitatem significabat: si siluisset, unde & tacita est dicta, infelicitatem. Tibull. II. 81.

Ut

Ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix, & sacer annus eat:
At laurus bona signa dedit, gaudete coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres.

Prop. II. 21. 36.

Et tacet exstincto laurus adusta foco.

Paschal. ibid. c. 13. Gyrald. Dialog. 16. Realin. Annot. c. 1. Rhodig. Ant. Lect. v. 7. Spanhem. in Callim. Del. n. 94. Canter. & Potter. in Lycoph. n. 6. Broukh. in Propertium. Landus in vet. numism. Rom. Miscell. Ital. Misc. Tom. II. p. 445. Casaub. in Theophr. Charact. p. 340. Cuper. Apoth. Homer. p. 250. Lomej. de Lustrat. c. 19. Buleng. de Sort. c. 3. Pier. ibid. c. 14. Meurs. P. in Lycophr. n. 6. F. Arbor. sacr. I. 4. Ursin. Arbor. Biblic. c. 42. n. 3. Clasen. l. l. Cur autem pro infausto omine haberent *laurum* tacitam in igne, in causa erat, quod id fieret præter naturam ipsius arboris. Lucret. VI. 153.

Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica laurus
Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Plin. XV. 30. *Laurus quidem manifesto abdicat ignes crepitu, & quadam detestatione.* Inde adagium: *Magis vociferatur, quam laurus viridis incensa*, de homine clamoso: quod ex Diogeniano refert Erasm. Adag. p. 117. *Broukh. l. l.* Illa in expiationibus & devotionibus spargebantur. V. supr. in *Expiatio.* In nuptæ novæ deductione fores, & postes ædium mariti ornabantur. V. infr. in *Nupta.* Poetarum capita cingebantur. Hesiod. Deorum gener. n. 30.

Et mihi sceptrum dederunt, lauri perviridis ramum
Decerpere mirandum.

Nec mirum, *lauru* redimiri capita poetarum, cum Apollo summus omnium vatum e *lauro* edat oracula. Inde Horat. Od. III. 4. 19.

—— ut premerer sacra
Lauroque, collataque myrto.

Hanc coronam sibi deberi audacter profitetur ibid. 30. 14.

—— sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Et hanc ob causam *sub lauru mea*, veluti sub arbore mihi propria, & familiari dixit, quod idem est ac si dixisset, apud me ibid. II. 7. 18.

Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea.

Paschal. ibid. v. 12. Pier. ibid. c. 16. Gyrald. de Poet. dial. I. p. 21. *Laurus* ut victoriam, ita & triumphum, quem victoria spectabat, designabat. Nam sine victoria nullus erat triumphus. Horat. Od. II. 1. 15.

Cui laurus æternos honores
Delmatico peperit triumpho.

Et ideo triumphalis vocabatur. Tibull. II. 5. 5.

Ipse triumphali devinctus tempora lauro.

Paschal. ibid. VIII. 10. Mos triumphantes *lauro* coronandi a Romulo est profectus. Dionys. II. p. 102. *Ipse*, Romulus, *pompam extremus claudebat, indutus purpura, & coronatus lauro.* Plutarch. Rom. p. 27. B. *Veste ipse incincta, & capite fluente coma, laurea coronatus incessit.* Buleng. de Triumph. c. 16. Sub Principibus etiam *lauro* coronabantur triumphantes. V. supr. in *Corona triumphalis.* Ex qua illorum coronæ nectebantur est illa *laurus*, quæ sterilis est. Plin. XV. 30. *Sterilem earum, quod maxime miror, triumphalem, eaque dicunt triumphantes uti: nisi id a D. Augusto cœperit ex ea lauru, quæ ei missa a cœlo minima est altitudine, folio crispo, ac brevi, inventu rara.* Vocat illam Plinius sterilem, ut eam discernat ab illa, quæ adnumeratur arboribus fructuosis. Mirabile dicit sterilem præferri baccatis, quanquam & hæc habuit quoque suas baccas, sed, ut credibile est, minores aliis. Id tamen minus mirum accidit illi, qui intellexit dignitatem hujus generis *lauri*, cui, quod deest in fructu, cumulatius concessum est e favore cœlesti. Et vero admirabile decus ei addidit, ut verisimile est, Augustus, cui missa traditur e cœlo. Hanc rem, ne ridicula, fideve major videri possit, memorat accurate ibidem. *Cum Liviæ Drusillæ postea ejus Cæsari, aquila gallinam conspicui candoris ex alto abjecit in gremium ... intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem, & sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri, ac rite custodiri. Quod factum est in villa Cæsarum, fluvio Tiberi imposita juxta nonum lapidem Flaminiæ viæ, quæ ob id vocatur ad gallinas: mireque silva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit: ac deinde Imperatores Cæsares cuncti. Traditusque mos est ramos, quos tenuerant, serendi. & durant sylvæ nominibus suis discretæ, fortassis ideo mutatis triumphalibus*, id est, non desumptis, e vetere *laureto*, quod in Aventino esse diximus supr. in *Lauretum.* Hanc rem tradit etiam Suet. Galb. c. 1. n. 2. Dio XLVIII. p. 389. & Zonar. II. p. 150. *Pasch. ibid. c. 9. Buleng. l. l. Laz. ibid. c. 17. Nicol. de Triumph. c. 19. §. 4. & 5.* Quo in *triumphis* adhibita fuerit, docent Plin. l. l. *Suffimentum est cædis hostium, & purgatio. Adeoque in profanis usibus pollui laurum, & oleam fas non est, ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria, aræve debeant.* Et Festus: *Laureati milites sequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati a cæde humana intrarent Urbem. Itaque eandem laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat: vel quod medicamento siccissima sit: vel quod omni tempore viret, ut similiter Respublica floreat.* Cuther. de Jur. man. II. 7. Pier. ibid. c. 18. Lomej. l. l. Dabatur Jovi Capitolino. Plin. l. l. *Fasces Imperatorum decorat. Ex his*, potius *exin in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties victoria novam lætitiam attulit.* Ovid. Trist. IV. 2. 53.

Inde petes arcem, & delubra faventia voti,
Et dabitur merito laurea vota Jovi.

Stat. Sylv. IV. 1. 40.

Restat Bactra novis, restat Babylona tributis
Frenari: nondum gremio Jovis Indica laurus.

Obseq. de Prodig. c. 123. *C. Antonius consul, cum in agro Pistoriensi Catilinam devicisset, laureatos fasces in provinciam tulit. Ibi a Dardanis oppressus, amisso exercitu, profugit. Apparuit eum hostibus portendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere.* Paschal. ibid. VIII. 2. Lips. Tacit. Annal. II. Jo. Ant. D. Livin. & Cellar. in Plin. Paneg c. 8. n. 3. Bernart. in Statium. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 4: IX. 20. Buleng. l. l. Ursin. ibid. §. 4. Scheffer. in Latin. Pacat. Paneg. c. 9. & Obseq. l. l. Imperatorum januæ redimiebantur. Plin. XV. 30. *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum.* Qui mos invaluit Augusti tempore. Ovid. Fast. IV. 953.

State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus: æternos tres habet una deos.

Met. I. p. 562.

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis; mediamque tuebere quercum.

Cui hic honos a senatu est decretus. Dio LIII. p. 507. A. *Tunc decretum fuit, laurum poni ante ejus ædes regias, & coronam querceam superponi, tanquam inimicorum victori, & servatori civium.* Nardin. Rom. Vet. VI. 13. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 3. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. IV. Præfat. * * * 3. Donat. de Urb. Rom. III. 2. Paschal. de Coron. VII. 9. Folia inter bellaria adhibebantur. Athen. IV. p. 140. D. *Lauri folia pro bellariis apud veteres habita fuisse sic docet Callias, sive Diocles in Cyclopibus: Lauri folia tu arrodes.* Quod pluribus rationibus factum puto: sed potissimum hisce duabus; tum, ut vi foliorum exsiccatoria fumi ad caput elati absumerentur: tum, ut etiam odor vini, ac ciborum, qui solet sæpenumero a saturis hominibus gravis emitti, absconderetur: id quod facete admodum nobis indicat Mart. V. 4. 1.

Fœtere

Extere multo Myrtale solet vino:
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri.
Merumque cauta fronde, non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paule, videris contra,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Mercur. Var. Lect. IV. 6. Stuck. Antiq. Conviv. III. 2. Laurent. de Prand. vet. c. 9. Rader. in Martialem. *Lauro* vinctos lictores & literas V. 1 fr. *ejus locis.* flamines vinciebantur. Prudent. Apoth. n. 483.

Flamen & ipse suas miratur vertice lauros
Cedere, & incertum frustratur victima ferrum.

Et hos, quos vocat deûm ministros, facit *Laurigeros* idem poeta contr. Symm. I. 217.

Laurigerosque deûm templis astare ministros.

Paschal. ibid. IV. 13.

Laurus Vipsaniæ, de quibus Mart. I. 109. 3.

At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.

nonnulli porticui adjungunt Panthei, alii vero porticui Argonautarum: cujus utriusque auctor Agrippa fuit. At mihi vix credibile videtur nemora porticibus templorum addita fuisse, sicut illis factum, quæ libero loci spatio fruebantur: multoque verisimilius *laurus* illas hortis Agrippæ tribuerim: qui licet remotiores, e cœnaculis tamen ædium, conspici potuere; non secus ac Pantheon, & ædificia humiliora proxima etiamnunc illius loci prospectui patent. *Nardin. Rom. Vet.* VI 4.

Inter duas lauros vocabatur locus in campó Martio. Nam Valentinianum quidém in campo Martio fuisse cæsum Cassiodorus & Marcellinus testantur. Chronicon autem Alexandrinum, sive Paschale *inter duas lauros* occisum ait: *Hoc anno Valentinianus Romæ inter duas lauros interemptus est.* Quin & in via Latina, & Lavicana eodem nomine facit nt loca quædam sic nuncupata. Martyrol. Roman. Baron. ad XI. August. *Romæ inter duas lauros natalis S. Tiburtii Martyris, qui sub judice Fabiano in persecutione Diocletiani. . . . duci in tertium ab Urbe milliarium, atque ibidem gladio animadverti jubetur.* Beda: *Tertio Idus Augusti Romæ inter duas lauros natalis S. Tiburtii martyris.* Græv. Thes. Antiq. Rom. Tom. IV. præfat. * * * 3.

LAUSUS. V. illum infr. in *Lessus.*

LAUTIA dicebantur munera, quæ legatis dabantur. Festus in Dacrymas: *Item dautia, quæ lautia dicimus, & dantur legatis hospitii gratia.* Plutarch. Quæst. Rom. 42. V. illum infr. in *Legati gentium.* Liv. XXVIII. 39. *Locus inde, lautiaque legatis præceps jussa.* Ursin. de Legat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1377. F. Salmas. Exerc. Plin. p. 612. b. F. Zamosc. de Senat. Rom. II. 18. Scalig. in Festum. Gyrald. Synt. deor. II. p. 97. F. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom. III. 10. Fortunat. de Tesser. hospit. c. 14. Beroald. Annot. c. 52. Bud. in Pandect. p 82. F. 84. B. Comment. Ling. Græc. p. 137. Stuck. Antiq. Conviv. I. 27. Brisson. de Form. II. p. 252. Voss. Lex. Etymol.

LEB.

LEBES est *olla ærea.* Serv. ad Æneid. III. 466.

Ingens argentum, Dodonæosque lebetas.

qui in proverbium migraverunt. Fuerunt in Jovis Dodonæi templo, ubi sacerdotibus responsa dabantur. Dicuntur a quibusdam sonori fuisse ex ære tintinnabuli, a similitudine *lebetum* sic vocitata. His calculum nostrum libenter adderemus, si veteum non ambiguis auctoritatibus niterentur. Verum si non fuerint campanæ, eos tamen campanis non omnino absimiles extitisse credendum est; ut maxime sonori in proverbium asciti sint. *Mag. de Tintinn. c. 1.*

LEC.

LECTICA distincta est a sella. Ictus l. 49. de legat. *Legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui solam matremfamilias portabant: item jumenta, vel lectica, vel sella, vel burdones.* Senec. de Brev. vit. c. 12. *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se, & lectica huc illuc ferunt.* Mart. X. 10. 7.

Lecticam, sellamque sequar. . . .

Suet. Domit. c. 2. n. 2. *Habitabat cum patre una, sellamque ejus, ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur.* Quod in eo I. quod in sella sederetur, sicut ipsum verbum docet, contra cubaretur in *lectica.* II. quod sella esset altior, *lectica* longior; sic enim necesse erat, postulabatque in altera quidem habitus sedentis, in altera vero habitus cubantis, jacentisve. Huc respexit Juven. Sat. III. 135. cum sic canit:

Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Lips. Elect. I. 19. Epist. Cent. I. miscell. II. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 5. Scheffer. de Re vehicul. II. 4. Pollet. For. Rom. I. 6. Sella vero, postquam recepta in usum, dignior habita *lectica.* Docet hoc Suetonius jam prolatus. *Lips. Elect.* I. 19. Geminum hoc vehiculum in duplici apud Romanos fuit usu, ad ferendos I. mortuos II. vivos. Ad mortuos, antiquus Romæ mos, & jam inde a Regibus mortui in *lecticis* efferebantur. Dionys. IV. p. 270. cadaver Lucretiæ effertur in *lectica* nigris vestibus operta. Et inter leges XII. tabularum, *ne plures lecti sternerentur uni.* Mansit is mos, quamdiu res mansit Romana. Nep. 25. 22. 4. *Elatus est in lecticula, sine ulla pompa funeris.* Tacit. Hist. III. 67. 4. *Simul ferebantur lecticula parvulis liberis, velut in funebrem pompam.* Lips. & Scheffer. l. l. Kirchm. de Fun. Rom. II. 9. Morestell. Pomp. Feral. V. 7. Clasen. Theol. gentil. I. 10. 24. Interdum apertis. Nam qui sua morte obierant, vel facie erant non plane deformi, illorum cadavera honestissimis vestibus induta, & *lectis* quam splendide ornatis imposita, palam ferebantur, ita ut unusquisque defuncti faciem, & ex vestibus, ornatuque sexum facile posset cognoscere: interdum tectis. Docet hoc Dio LXXII. p. 819. C. ubi scribit Sext. Condianum, ut se condemnatum iri intellexit, equum conscendisse, ex eoque paullo post lapsum consulto mortem simulasse, & tum arietem pro ejus corpore elátum, & combustum esse. *Kirchm. & Morestell. l. l.* Sed nihil Dio de *lectica* tecta, seu operta. Λάρναξ enim non significat *lecticam*, sed capulum, vel arcam. Et potuit in aperta *lectica* efferri aries, sed velatus. Nec videntur unquam aliter fecisse. *Lectica* semper erat aperta, cadaver vero defuncti modo conspicuum, modo tectum, velatumque. *Scheffer l. l.* Ad vivos quando adhiberi cœperit, ignoro. Lipsius ævo, id est, sub bellum Punicum II. nec in mulierum quidem usu fuerant, nedum virorum. Argumento, quod in comœdiis ejus nusquam mentio. Clariori, quod in Aulularia, ubi ex professo ineptias describit muliebris sexus; mulos, muliones, vehicula, plaustra nominat, nihil mutit de *lecticis.* Lips. l. l. In usu fuerunt Persis, Indis, Macedonibus, Syris, & inde forsitan in Cappadociam, Bithyniamque; inde Romam pervenerunt. Quando hoc sit factum in incerto est. Lipsius temporibus Gracchanis putat, quia legitur apud Gell. X. 3. *His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur.* & pro *ex Asia* existimat scribendum *in Asiam.* Non video, quo pacto flagitet hoc textus, quod existimat Lipsius: Annon enim missus esse Romam potuit *ex Asia* a præside provinciæ, vel prætore? Cum præsertim nominetur adolescens, qui necdum magistratum ceperat. Tales enim mitti a Romanis in provincias minime solebant. Et est verisimile habuisse *lecticam* illam secum *ex Asia*, ubi usus tum earum fuit frequentissimus, atque ita spectaculum ridiculum *bubulco* imperito, *qui illi obviam de plebe Venusina advenit.* Scheffer. l. l. *Lecticæ* usus primus in agris, non in Urbe fuit. Utebantur enim ad iter tantum, non ad desidiam urbanam. Itaque in peregrinationibus frequens mentio *lecticæ*, nulla in Urbe ante ætatem Ciceronis. Illa ipsa Catulliana mulier *lectica* ferri petit

ad

ad Serapis: at Serapeum tunc extra Urbem. Tamen vicerunt deliciæ, & sub tempora Julii Cæsaris recepta est in Urbem: scilicet corruptis moribus, & per bella civilia impunita luxu. V. Ciceronem infr. laudatum. Forma ejus duplex: alia aperta, alia tecta. Apertæ forma simplex, asseres aliquot compacti, qui capere pulvinum oblongum possent, in quo homo singulus porrectus jaceret. Ad summum, non aliud quam modicus quasi *lectus*. Asserum meminit Juven. Sat. III. 245.

— ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter.

Qui asserem pro ipsa *lectica* dixit Sat. VII. 132.

Perque forum juvenes longo premit assere Medos.

Et Mart. IX. 23. 9.

Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Qui erant exemptiles, & facile in *lecticam* reponi potuerunt, aut tolli. Suet. Cal. c. 58. n. 8. *Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus in auxilium accurrerunt.* Hoc magis suspicor, quia vinculorum, quibus colligata erat, fit mentio. Mart. II. 57. 5.

Quem grex togatus sequitur, & capillatus,
Recensque sella linteisque lorisque.

Gracchus apud Gell. X. 3. *Ubi audivit, lecticam deponi jussit: struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit.* Pulvinum adstruo ex Cicer. Verr. V. 11. & Senec. ad Marc. c. 16. V. illos infr. in *Pulvinus*. Pedes etiam quidam breviores ad infimam *lecticam*. Catull. n. 22.

Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.

Lips. l. l. Asseres non constituebant *lecticam*, sed erant adjuncti, ut per eos posset gestari. Docet hoc clarissime Suetonius laudatus. Si enim reponi potuerunt, aut tolli, non profecto ipsa ex eis constructa esse debuit *lectica*. *Lectica* ergo lectus ipse, constans tabulis, quæ compactæ speciem habebant lecti funebris, cui similem *lecticam* ipse facit Lipsius, & comprobat versu Mart. II. 81. 1. V. illum supr. in *Hexaphorum*. Neque fuit causa potior, cur bubulcus apud Gell. l. l. interrogaret, *num ferrent mortuum*, *lectica* primum visa. Scilicet *lecticam* vidit esse illi similem, quo mortui efferebantur. Asseres vero ligna quibus portabantur, unde Juvenalis *duros*, & *longos*; item *premi* eis dixit Medos, quando nempe humeris impositos. Ideo existimo fuisse rectos, simplicesque per *lecticæ* latus utrumque collocatos in annulis fortasse, sic, ut possent eximi, multum ante *lecticam* prominentes antrorsum, & retrorsum. Nisi forte in *lecticis* gravioribus præter illos asseres interdum adhibuerint & furculas, quo facilius portarent. *Scheffer. l. l. Torrent. in Suetonium. Gonsal. in Petron. p.* 102. Vinculis, sive funibus, quod asserit Lipsius, ad *lecticam* religari solitos vix credo, propter cæterum *lecticarum* istiusmodi ornatum, quo cum funes parum utique conveniunt. Deinde in Gracchi verbis ne quidem vinculis deligati dicuntur fuisse, sed *lectica* ipsa. Significant itaque funes *lecticæ* suppositos, in quibus reponi pulvinus solebat. Hoc conveniebat mollitiei, nec ignotum vulgo in lectis dormitoriis. Ideo Cato de Re Rust. c. 10. requirit in villa *lectos loris quatuor subtentos*. Et pulvinum *pensilem* vocat Juven. Sat. I. 158. laudatus infr. in *Pulvinus*. Pensile profecto κρεμαστὸν, quod non convenit, nisi in id quod in libero pendet aere. Sic plumæ pensiles erant liberæ, sine tabula subjecta solis funibus sustentatæ, non quidem nudæ, sed infercta sacco. V. Ciceronem supra allatum. Pedes, quibus insistebat, si deponeretur, habebat numero quatuor. Vulgariter fiebant ex ligno. Catullus modo laudatus. Ditiores inducebant argento. Athenioni philosopho *lecticam cum pedibus argenteis* tribuit Athen. V. 10. Habuerunt etiam ex auro. Apud Athenæum occurrunt *lecticæ pedes aureos habentes*. Scheffer. l. l. Eadem omnia in *lectica* tecta, nisi quod hæc majorum deliciarum fuit, contraque aspectum hominum, sive injuriam aeris clausa undique & munita. Ideo *cubiculum tectum* dixit Plinius in Epistolis, & *cubicula viatoria* ejus avunculus XXXVII. 2. Munita autem pelle, & velo, opere arcuato. Mart. XI. 99. 11.

Lectica nec te tuta pelle veloque.

Scriptor incertus apud Suidam: *Fecerunt contextum similem lecticæ muliebri, coriisque bovinis inelaboratis induxerunt.* Fenestræ quædam in ea fuerunt ad prospectum. Juven. Sat. III. 242.

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

Et hæ velo, sive linteo tegebantur, quod dimovere licebat, seu adducere, pro voluntate vehentis. Aufid. Bass. apud Senec. Suas. 7. *Cicero paulum remoto velo, postquam armatos vidit.* &c. Nam in *lectica*, & quidem tecta, Cicero interfectus. Ejusmodi vela ad fenestras oppansa *plagulas* vocat Suet. Tit. c. 10. V. illas infr. in *Plagula*. Lips. l. l. Apud Juvenalem de uno tantum sermo est fenestra. Nec puto plures habuisse. Hæ fenestræ vulgo sine vitris fuisse videntur, at in lecticis mulieribus occlusæ vitris, lapideve speculari. Unde Juven. Sat. IV. 20.

— magna se miit amicæ,
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Ubi Schol. *Lecticam mulieris, aut sellam clausam dicit.* Nec velo tectis fuisse fenestras dicit Aufidius Bassus. Vela quidem in ejus verbis certo, fenestras nullas video. Dicit quidem Lipsius: Ciceronem in *lectica*, & quidem tecta interfectum. Sed de tecta nominatim l a tenus non observavi quenquam legere. Supremo tectam lighimur, specularibus, aut fenestris clausam difficiliter possimus intelligere. Non enim fuisset satis, removeri velum, sed & aperiri fenestram. De fenestra vero nemo loquitur. *Scheffer. l. l.* Fuit in usu jam inde a temporibus Julianis. Ipse Cæsar tecta per Urbem est latus. Cicer. Phil. II. 41. *Quis unquam apparitor, tam humilis, tam abjectus? nihil ipse poterat, omnia rogabat: caput in aversam lecticam inserens, beneficia, quæ venderet, a collega petebat.* De Antonio, & Cæsare sermo est: illum ait *caput inseruisse in aversam* Cæsaris *lecticam*; quomodo autem id convenit, nisi in tectam? Suet. Cæs. c. 71. n. 2. *Masintham nobilem juvenem ex pretura proficiscens lectica sua avexit.* Hæc occultatio, nisi de tecta, vix intelligi potest. *Lips. l. l.* Jacebat, qui ferebatur, in pulvino resupinus. Ovid. de Art. I. 487.

Interea, sive illa toro resupina feretur,
Lecticam dominæ dissimulanter adi.

Cicer. Verr. IV. 23. *Artagathum, & argentum in lectica cubans ad mare ipse a oppidum ex pectabat.* Et quoniam cubabant, inde apud Senecam *cubile* pro *lectica*. Verba ejus de Benef. III. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus?* Fuerunt adeo vulgatæ in feminas, in viros, in omnes ordines, ut Cæsar legem scribere cogeretur, & promiscuum illarum usum tollere. Suet. c. 43. n. 5. *Lecticarum usum, nisi certis personis, & ætatibus, perque certos dies, ademit.* Quæ sic in Chronicis exponit Eusebius: *Prohibitæ lecticis uti, quæ nec viros, nec liberos haberent, & minores essent annis quadraginta.* Legem eam respexisse feminas potissimum his verbis intelligimus, fortassis, quod in viris nec dum ita usus *lecticarum* esset frequens, neque usurparent se e, nisi languidi, & ægrotantes, Cæsare, paucisque potentioribus exceptis. Videntur huc spectare verba Dionys. LVII. p. 612. C. *Tiberius adeo male affecto corpore tum erat, ut in lectica operta in curiam illatus fuerit, concessus enim erat viris etiam harum usus, ut qui per valetudinem aliter non possent, eo modo in senatum adveherentur.* *Personæ* illæ *certæ* fuerunt, quæ haberent maritos, justoque matrimonio sublatos liberos. Unde constat, ante usurpasse etiam innuptas, nec has modo, sed & meretriculas. Deinde ne illis quidem omnibus concessum *lecticarum* usum, sed si excessissent annum quadragesimum ætatis. *Dies illi certi*, per quos concessus mansit usus ille, qui fuerint, Eusebius non declarat. Ego suspicor, sacrorum, & ludorum publicorum dies fuisse: Ac huc traho illud Prop. IV. 9. 49.

Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
Nec lectica tuæ sudet operta moræ.

Docet sane, his *lecticis* adire theatra consuevisse. Idem firmat Juven. Sat. VI. 352.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

Equidem hic sermo est de sella, sed illius fuit eadem cum *lectica* ratio, & *lecticæ* loco cœpit usurpari. *Scheffer.* & *Lips. l. l.*

Lectica funebris erat gestatorium instrumentum, super quod collocabantur defunctorum, præcipue honoratiorum, cadavera. Non multum diversæ fuit ab istis, quas deinde usurpare cœperunt in Urbe. *Scheffer. de Re Vehicul.* II. 5. V. illam supr. in *Lectica*.

Lectica lucubratoria dicebatur, quam domi habebant, & in qua recumbentes lectioni, meditationi, scriptioni operam dabant. Suet. Aug. c. 78. n. 2. *A cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat. Ibi, donec residua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat.* Hæ non fuerunt portatiles, sed certo in loco sive in museis stabant. Non differebant à *lectis* aliis, unde *lecti* quoque vocabantur. Plin. Epist. V. 5. 5. *C. Fannius, visus est sibi per nocturnam quietem jacere in lectulo suo, compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium, ita ut solebat, mox imaginatus est venisse Neronem, in toro resedisse, prompsisse primum librum, quem de sceleribus ejus ediderat.* Ovid. Trist. I. 10. 37.

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis:
Nec consueto meum lectule corpus habes.

In *lectulis* hujusmodi veteres scriptioni operam dantes se recipiebant, quia, ut Galen. de us. part. III. non uno loco, prodidit, scriptitarunt, non super mensis, aut pluteis, ut nos hodie: sed super femore collocata charta: atque, ut ejus verbis dicam, ἐκτείναντες κατὰ τοῦ μηροῦ τὸ βιβλίον. *Casaub. & Donat. in Suetonium. Scheffer. de Re Vehicul.* II. 5. *Kirchmann. de Lux. Roman.* II. 5. *Laurent. de P[illegible]* 21. *Buchner. in Plin. Epist.* V. 5. 5. *Lambec. Biblioth. Cæsar.* II. 7. *Gronov. Antiq. Græcar.* II. p. 28

Lectica militaris vocabatur, qua in bello utebantur. Curt. VII. 6. 8. *Castris inde motis lectica militari ferebatur.* Hæc longe antequam in Urbe, cœperunt innotescere. Pertinebant ad duces fere ægros ex vulneribus, vel caussis aliis. Liv. XXIV. 42. *Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus conflixit tragula confixus.* Et jam ante bello Punico I. etiam in prælio navali usus est consul Lutatius. Val. Max. II. 8. 2. *Consulem ea pugna in lectica claudum jacuisse, se autem omnibus imperatoriis partibus functum.* Erant plane rudes & tumultuariæ, lecto in colligatis quoque modo asseres concreto. Quali genere jam olim ut. etiam in Urbe, si qui ægroti necessario in publicum venire deberent. Aur. Vict. de Vir. illustr. c. 34. n. 10. Appius Claudius *quum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cineam pretio quæreretur, senex, & cæcus lectica in senatum latus, turpissimas conditiones magnifica oratione discussit.* Subitaria hæc fuit, & in hunc usum die a parata. Plutarch. Pyrrh. p. 394. E. Φορεῖον vocat. Et hoc est qualecunque instrumentum, quo quis potest gestari. Onomast. Argentorat. *gestatorium*, φορεῖον. Ejusmodi meminit Liv. II. 36. *Cum ... [illegible] in forum ad consules lectica defertur.* Lecticam tempore vilem, & sabitariam vocat Cicer. Div. I. 26. *Quo non de sententia lecticulæ in curiam esset delatus.* Talem Augustus videtur habuisse in acie Philippensi. Frontin. II. 7. *Cum bello civili Brutiano implicitus gravi morbo abstinere prælio statuisset, in aciem tamen lectica perlatus est.* Val. Max. I. 7. *Quod cum Cæsar audisset, lectica se deferri in aciem jussit.* Et ea videtur tumultuaria fuisse, quæ vero mansit in castris, & ab hostibus confossa, discerptaque est. Suet. c. 91. n. 2. *Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernaculo propter valetudinem, egressus tamen, amici somnio monitus: cessitque res prospere, quando captis castris, lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa, atque lacerata est.* Scheffer. l. l.

LECTICARII erant servi, qui dominum, quoties pedibus ambulare non libuisset, *lectica* gestabant. Senec. Epist. 110. *Hoc itaque ipsi mihi dico, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus.* Epist. 80. *Idem licet de istis omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit.* de Benef. III. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? quo te penulati isti, in militum quidem, & non vulgarem cultum subornati?* Pignor. de Serv. p. 261. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. XI. p. 805. A. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 376. B. Popm. de oper. serv. p. 45. Victor. Var. Lect. XXXVII. 1. *Lecticarios* longos, erectos, & proceros eligebant. Tertull. ad Uxor. II. *Unde ergo sibi a diabolo maritum petunt, bonum exhibentem sellas, & mulabus, & cinerarios peregrinæ proceritatis?* Voluerunt illos esse longos, quo magis super alios in *lectica* sublati extarent, hoc enim decorum, & spectabile putabant. Et petebant I. Germanos, quia illi nati tales. Tertull. ibid. I. 4. *Non Gallicos mulos, nec Germanicos bajulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt.* Clem. Alex. Pædag. III. 4. *Qui lecticis mulierum in altum tolluntur, & cum impetu bajulent Germanorum manus.* II. Liburnos. Juven. Sat. III. 249.

— turba cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora Liburno:
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.

III. Medos. V. supr. in *Lectica*. IV. Syros. V. supr. in *Lectica* & *Hexaphorum*. V. Mœsos. Juven. Sat. IX. 142.

— & duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoso insistere circo.

Eosque formosos, qui plerumque a feminis adamabantur. Seneca jam laudatus. Et quidem decenter vestitos. Rursus Seneca supra productus. Illorum numerus in qualibet lectica minimus fuit binarius. Tenuiorum enim *lecticæ* parvæ erant, ut commode a duobus servis possent perferri. Petron. c. 56. *Procurator insulæ Bargates a cœna excitatus, a duobus lecticariis in mediam rixam perfertur: nam erat etiam pedibus æger.* Talem sibi optat ignavissimus ille tenebrio, quem describit Juven. Sat. IX. 142. supra laudatus. *Gonsal. in Petronium.* Qui, quia *lecticariorum* fit mentio, etiam de *lectica* cogitavit. Verum non continuo necesse est. Sunt *lecticarii* Petronio etiam ministri tricliniorum, qui supellectilem curant: ut c. 34. *Insecutus est lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis cœpit everrere.* Sunt aliis alii, qui sellas gestant. Et possumus accipere de iis, qui sorsim ipsum gestarunt humeris. Fuit namque & hoc usitatum, & allusit auctor declam. in Cicer. c. 4. *Quem Jupiter optimus maximus in consilio deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit.* Et qui sic alios gestabant, succollare, qui que gestabantur, succollari dicebantur. V. infra laudatos Plinium & Suetonium. Hoc modo & procurator ille succollatus esse potuit a duobus *lecticariis*, non ad *lecticas* ferendas, sed lectos in triclinio curandos constitutis, cum præsertim excitatus a cœna dicatur. Neque enim fieri omnino potuit, ut *lectica* etiam minima, & in ea cubans adultæ ætatis homo a duobus tantum recte gestaretur. *Scheffer. l. l.* Juvenalis non de *lectica*, sed de sella est intelligendus. Scimus *lecticam* delicatiorum præsertim, qualis iste, de quo poeta, sex ut minimum cervicum fultura fuisse gestatam. Præterea, quid tam magis ineptum, atque importunum, quam *lecticam* inferre, aut ægre capiendam, aptandamque in iis spatiis, aut multorum impedimento futuram, ne spectent? At, inquis, loquimur de eo, quod erat in votis huic tenebrioni Epicureo. Ergo, iterum respondeo, non is erat mos Romanæ gentis introeundi sellis. Sique ulterius locum poetæ expendere nos delectat, non *lecticæ*, non sellæ illic mentio; sed id optabat divus ille, ac socors, ut duo servi e Mœsis validam cervicem sibi locando securum in circum succollarent, ubi posset consistere. Nempe ut eorundem servorum collo, atque humeris portaretur, hoc exprimit: qui quidem firmissimi tumultuantem populi

tur-

turbam, tum in viis, tum in circo ipso summoverent, securumque tandem, atque incolumem ab incurrentium, ac prementium undique periculis in spectaculo sisterent. Haud aliter ille apud Senec. Epist. XII. ubi ventrem dapibus infersisset ad mensam, satur tandem, ac lassas manibus servorum se adsportari jubebat, ac si morte occubuisset, carmenque illud ferale ad symphoniam cani, *βεβίωκε*, *βεβίωκε*. *Comment. de Honor. bisell. c.* 22. *Lips. Elect. l. l.* vel quaternarius. Ita colligas ex *lectica*, qua Philologia subvecta est in cœlum apud Martian. II. In ea namque tantum quatuor; Labor, Amor, Epimelia, & Agrypnia. Vel frequentissime senarius. Mart. VI. 77. 4.

Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?

Istiusmodi *lectica hexaphoros* appellabatur. Mart. II. 81. 1. V. illum supr. in *Hexaphorum*. vel maximus octonarius. Mart. IX. 3. 11. supr. adductus. Et hujusmodi *octophoros* vocabatur. Cicer. Verr. V. 11. *Ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica octophoro ferebatur.* Suetonius & Apulejus. V. illos infr. in *Octophorum*. Hi portabant *lecticam* per asseres in *lectica* dictos. De illis modo laudatus Martialis. *Lip. Elect.* I. 19. *Scheff. de Re vehic.* II. 5. *Kobierzyck. de Lux. Rom.* II. 5. Illis lora a collo pendentia ponderi nempe minori cum labore sublevando super interdum addebant. Huc procul dubio trahendus Mart. II. 57. 5. in *Lectica* laudatus. *Gonsal. in Petron. p.* 103. Qui, dum hoc putat, falsus est. Locus Martialis nihil tale dicit. Sermo est non de *lectica*, sed de sella, de qua itidem haud constat, gestatoriane sit intelligenda, num vero sedentaria. Deinde illa lora non dicuntur facere ad gestationem, sed spectare ad sellam; propter ipsa linteaque sella nominatur recens. Denique hæc lora Lipsius de vinculis accepit, quibus inserantur asseres, non pendentia a collo gerulorum, sed colligata in *lectica*. Quare lora nihil huc faciunt. Ostendunt potius, ut arbitror, structuram sellæ plicatilis, quæ linteo, in quo sedebant, subtenta lora habuit, quibus sustinebatur, sicut hodieque in iis videmus. *Scheffer. l. l.* Imponebant vero illos humeris & cervicibus. Plin. Paneg. c. 22. n. 1. *Priores invehi, & importari solebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum.* c. 24. n. 5. *Illos humeri, cervicesque servorum super ora nostra vehebant.* Dicit *super ora nostra*, quia *lectica* eminebat supra homines ambulantes vulgo, & præsertim is, qui in ea ferebatur. *Supra capita, & suspensum lectica*, quod in alto super humeros bajulantium esset collocatus, dixit Seneca supra laudatus. Juven. Sat. VI. 351.

Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

Unde dicebantur *succollare*, quod est *in collo collocare*, ut loquitur Catull. X. 23. qui alios sic gestabant. Plin. XXXV. 10. *Qui succollantium specie libantes mulieres trepidis ferunt.* Suet. Claud. c. 10. n. 5. *Ab his lecticæ impositus, & vicissim succollantibus in castra delatus est.* Et *succollari*, qui sic gestabantur. Suet. Oth. c. 6. n. 6. *Laxato calceo restitit, donec omissa mora succollatus.* Scheffer. l. l. Pitisc. in Suetonii Claudium. Habebant illos cum cæteris servitiis sumptu suo paratos. Aliquando munere amicorum, præsertim mulieres. Mart. IX. 3. 11. jam productus. Minus opulenti conducebant. Habebantque hoc fine *corpora*, item *castra lecticariorum*, sicut docent veteres inscriptiones. Ubi *castra* intelligimus certa loca per Urbem, ubi stabant parati ad ministerium, si quis vellet conducere. Memorat illa Victor in regione XIV. trans Tiberim. Videntur autem hæc corpora constituisse non tam ex servis, quam conditionis imæ plebejis, præcipue libertis. Inscriptio vetus:

TI. CLAUDIO
AUG. LIB
TIGRANO
EX CORPORE
LECTICARIORUM CÆSARIS.

Mart. III. 46. 1.

Exigis a nobis operam sine fine togatam,
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. Multo plus esse probabo,
Vix ego lecticam subsequor, ille feret.

Scheffer. & Lips. l. l.

Lecticarii etiam dicebantur, qui sellæ subjungebantur. Senec. de Tranq. II. 14. *Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam?* Suet. Oth. c. 6. n. 6. *Tunc propere abditus muliebri sella in castra contendit: ac deficientibus lecticariis, cum descendisset.* Lips. Elect. I. 19. Cl. Mentell. de Honor. bisell. c. 9. & 24. Scheffer. de Re vehic. I. 10.

Lecticarii posteriori ævo dicti sunt, qui mortuos *lecticis* impositos efferebant; unde & nomen habuerunt. A Constantino fuerunt Constantinopoli instituti, ut gratuitam hanc defunctis operam præstarent. Novel. 43. & 59. Græci κλινοφόρυς videntur nominasse. Ita habet Lexicon vetus Argentoratense. *Lecticarius*, κλινοφόρος. *Kirchm. de Fun. Rom.* II. 8. *Scheffer. de Re vehic.* I. 10. *Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 28. *occid. c.* 5. *Moresell. Pomp. Feral.* II. 8. §. 4. *Quenstedt de Sepult. c.* 6. Vocabantur etiam decani. V. supr. in *Decanus*. Qui & eorum exemplo Romæ sunt introducti, & illos Constantinopolitanis pauciores non fuisse credendum est, qui primo 950, deinde 1100 fuerunt. Qui, cum magnus illorum esset numerus, ut facile, & in promptu possent inveniri, unis in castris degebant, quæ *castra lecticariorum* vocata in XIV Urbis regione a Victore, & aliis erant locata. *Panciroll. ibid. Imp. Occid. c.* 5. *Kirchmann. l. l.*

LECTICARIOLA vocabatur, quæ se prostituebat servis *lecticam* succollantibus. Mart. XII. 58. 1.

Ancillariolum tua te vocat uxor, & ipsa
Lecticariola est: estis Alauda pares.

Turneb. Adv. XXX. 26. Witell. in Merul. c. 8. Lips. Elect. I. 19. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 5.

LECTISTERNIATOR dicebatur servus, qui *sternendis lectis* præerat. Plaut. Pseud. I. 2. 29.

Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito, atque exstruito.

Pignor. de Serv. p. 117. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 202. Stuck. Ant. Conviv. II. 21. Grapald. de Part. dom. II. 6. 2. Voss. Lex. Etymol. Guther. de Jur. vet. pontif. III. 9. Laurent. de Conviv. c. 1. Hic per mediastinos curabat, ut opinor, scopis mundari triclinium prius, quam *lecti sternerentur*. Plaut. ibid. n. 30.

Hæc, cum ego a foro revertor, facite ut offendam parata,
Versa, præsperga, strata, lautaque, coctaque omnia uti sient;
Nam mihi hodie natalis dies est.

Juven. Sat. XIV. 59.

Hospite venturo cessabit nemo tuorum:
Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela:
Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter.

Idemque aulæis, & velis insterni, quæ pulverem exciperent, ne dapes inquinaret. Horat. Sat. II. 8. 54. V. illum supr. in *Auleum*. Ursin. & Laurent. l. l.

LECTISTERNIUM erat sacrum convivium ex victimis immolatis in templis deorum. Hæc ad templa, & pulvinaria deorum strata, vel ob lætitiam, vel ad avertendam deorum iram, in quibus plerumque senatores, ac patricii, cum conjugibus, & liberis ad delubra & aras procedebant, nonnunquam omnes tribus, & ordines etiam, pontifice maximo præeunte: in his enim & pueri ingenui, & libertini, ac item virgines, omnes coronati, lauream præferentes, cum pompa thensas, & fercula deûm deferentes, tum & sacro carmine supplicare, & deum pacem exposcere solebant. Juxta deorum aras statuebantur, cum aliis ornamentis: quin & frondes virentes, & odoriferæ, ac flores omnis generis, & verbenæ ante deum ædes, & in ipsis templis sternebantur. Quoties indicerentur, a jurgiis & litibus abstinebant, & vinctis vincula demebant.

 Tribus

Tribus diis, nempe Jovi, Junoni & Minervæ primum ob deos placandos sunt apparata. Jovis simulacrum statuebatur in lecto accubans, Junonis, & Minervæ imagines in lectis considebant. Val. Max. II. I. 2. *Jovis epulo ipse in lectulum, Juno, & Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Deinde multa nocte appositis epulis septem epulones introducebantur, qui cibos sacratos comedebant. Liv. V. 13. *Tristem hyemem gravis, pestilensque omnibus animalibus æstas excepit: cujus insanabili pernicie quando nec causa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex SCto aditi sunt. Duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in Urbe Romana facto, per dies octo Apolinem, Latonamque, ac Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, tribus quam amplissime tum apparari poterat, stratis lectis placavere. Privatim quoque id sacrum celebratum est: tota Urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos, ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt: & cum inimicis quoque benigne, ac comiter sermones habitos, jurgiis, ac litibus temperatum. Vinctis quoque dempta in eos dies vincula: religioni deinde fuisse, quibus eam opem dii tulissent, vinciri.* Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 21. Conviv. vet. c. 4. Var. sacr. gentil. c. 5. Polym. IV. Synopf. 6. Gyrald. Synt. deor. XVII p. 504. C. Turneb. Adv. XXX. 32. Guther. de Vet. jur. Pontif. III. 9. Chimentell. de Honor. bisell. c. 31. Tomas. de Donar. vet. c. 4. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 695. B. Falconer. Differt. de Pyram. C. Cest. Epul. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1468. E. Voss. Lex. Etymol. Taffin. de ann. secul. & lud. secul. c. 11. Apud Græcos etiam usitata fuisse dicetur infr. in *Pulvinar*.

Lectisternium dicebatur etiam *lectus* ipse *in strato*, cujus icones in nummis. *Chimentell. de Honor. bisell. c.* 31.

LECTORES servos habebant veteres, qui, cœnantibus herum, vel poeticum, vel historicum prælegebant. Plin. Epist. I. 15. 2. *Audisses comœdum, vel lectorem, vel lyristen, vel, quæ mea liberalitas, omnes.* Nep. Att. c. 14. 1. *Neque unquam sine lectione aliqua apud eum cœnatum est, ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur.* Quin dominus ipse nonnunquam legebat. Mart. V. 80. 22.

> *Parva est cœnula, quis potest negare?*
> *Sed finges nihil, audiesve fictum,*
> *Et vultu placido tuo recumbes,*
> *Nec crassum dominus leget volumen.*

Servi hi vocitabantur *anagnostæ*. V. illos supr. in *Anagnostæ*. Putean. Reliq. Conviv prisc. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 258. C. Caroli Antiq. Roman. IV. 7. Cellar. in Plinium. Loccen. in Nepotem. Buchner. in Plin. Epist. VIII. 1. Schill Nom. Phil. p. 656.

LECTUS adversus dicebatur, quem uxor primum in maritum domum conveniens, sibi in atrio domus sternebat januæ exadversum, ut conjugii monumentum, & quasi pignus. Laber. Compital. apud Gell. XVI. 9.

> *Nunc lentus es tu, nunc tu susque deque fers,*
> *Materfamilias tua in lecto adverso sedet.*

Prop. IV. 12. 81. V. illum infr. in *Nuptiæ*. Ascon. in Cicer. p. 195. *Domus omnis vi janua expugnata, & imagines deorum dejecerunt, & lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt.* Scalig. in Festum in Putus. Catull. LXVII. 6. & in Propertium. Gentil. Parerg. II. 11. Voss. Lex. Etymol. in Janitrices. Wouwer. in Petron. p. 403. Sagittar. de Jan. vet. c. 20. §. 5. & 6. Oisel. in Gellium. Lips. Elect. I. 17. Passerat. in Propertium. Schill Nomencl. Philol. p. 655. Ego censeo eundem prorsus fuisse cum geniali. Nam novæ nuptæ sternebatur cum magnifico apparatu, quem describit Lucan. II. 356.

> —— *gradibusque acclivis eburnis*
> *Stat torus, & picto vestes discriminat auro.*

Is in nuptiis ipsis dicebatur genialis. Quare sic dictus V. infr. in *Lectus genialis.* At post nuptias idem mutato nomine plerumque adversus; vel etiam genialis. Causa alterius nominis a positura, quod hunc in atrio collocari januæ exadversum, & religiose servari mos fuit, scilicet conjugii monumentum, & quasi pignui. Cuique matronæ suus hic lectus, & in novo conjugio novus. Cicer. pro Cluent. c. 5. *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari, ac sterni, expulsa atque exturbata filia jubet.* Unde Propertius quem *adversum* dixit, idem est ac si *genialem* dixisset. Ducta enim uxore alia, novus genialis *lectus*, & is post nuptias adversus. Quod servarint hunc *lectum*, discimus ex Lamprid. Alex. c. 13. qui inter omina imperii ponit, *quod tabula Trajani Imperatoris, quæ geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum decidit.* Ecce diu post conjugium ista: & tamen mentio *lecti* genialis. Nec alium intelligere est, quam hunc adversum, qui in atrio. Potius vero legendum, *lecto matris. Lectulos* enim istos matronis attribui, non maritis, perpetua observatio est: & id clarum ex locis quos adduxi. De eodem Horat. Epist. I. 1. 87.

> —— *lectus genialis in aula est?*
> *Nil ait esse prius, melius nil cœlibe vita.*

Qui lucem capit ab hoc ritu. Conjugii verissimum, & proprium signum *lectus* adversus: ideo poeta signum pro re usurpans, age, inquit, maritus est quispiam? *lectum* genialem in atrio aspicit? malit cœlebs esse, & tædium fatetur ejus vitæ. Quam aptum autem ad hunc morem, quod addit, *in aula*. Nam aula profecto hic est atrium. Servabatur, non tam ad usum, quam ad religionem: aut, si ad usum, non promiscuum conjugum, sed matronarum tantum, quæ in eo solitæ sedere, & operas suas edere. Prop. ibid. n. 82.

> *Sederit & nostro cauta noverca toro.*

& Laber. l. l. Lips. Elect. l. l. Torrent. in Horatium, Passerat. in Propertium. Cerd. in Virg. Æneid. IV. 496. Schill Nom. Phil. p. 655. Canter. infr. in *Nuptiæ*.

Lectus, ægroti quo ad medicos portarentur, veteribus fuit in usu. Clemens in vita Petri: τῷ δὲ Πέτρου εἰσιόντος εἰς τὴν Σίδωνα manibus acto. Nam & talia vehicula usitata fuisse docet nos πολλὰς ἐπὶ κλινῶν φέροντες εἰς ὄψιν ἐτίθεσαν. *Ferotrum* vocatur Cœlio Aureliano supr. in *Fertorium*. Barth. Adv. XLI. 25.

Lectus Archiacus est humilis, parvus, inelegans, non sumptuosus, ab Archia quodam non optimo artifice sic dictus. Horat. Epist. I. 5. 1.

> *Si potes Archiacis conviva recumbere lectis.*

Ita *lectos* rudes, impolitos, inelegantes, antiquos *Soterici* de artificis nomine vocat Senec. apud Gell. XII. 2. *Qui hujuscemodi versus amant, liqueat tibi eosdem admirari & Soterici lectos.* Turneb. Adv. I. 18. Hos ab illo dictos Acron ad istum modum docet: *Archaici lecti humiles ab Archaico fabro, qui non magnæ staturæ dicitur.* Sed ille nugatur, quisquis est. Nam Acronem non esse vel cœco apparet. Porphyrion vero sic. *Archias breves fecit lectos, unde Archiacus.* Ne id quidem sanum, aut dignum, quod ex tanti auctoris officina profectum existimetur. *Nann. Misc.* IV. 18. *Zurck ad Horatium.* Ita tamen plures codices legunt, sed tres optimi nostri habent *archaicis*. Et hæc lectio magis placet, ut Græco vocabulo Poeta usus sit. Græci autem ἀρχαικὸν vocant, quicquid veterum simplicitatem, ab omni fuco, & assentatione alienam præ se fert, sive de moribus, sive de sermone, sive etiam de operibus agatur. Plutarch. Poplicola. *Simplex & antiqui operis statua.* Ἁπλοῦς ἀνδριὰς καὶ ἀρχαϊκὸς τῇ ἐργασίᾳ. Dionys. II. p. 93. *Ego spectavi in sacris ædibus cœnas diis propositas in mensis ligneis archaïcis.* Torrent. Lambin. Cruq. ad Horatium. Luisin. Parerg. III. 1. Nann. l. l.

Lectus cubicularis dicebatur, quem habebant nocturnæ quietis causa in cubiculis. Cicer. de Divin. II. 65. *Defert ad conjectorem quidam, somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis.* Lamprid. Heliog. c. 20. *Solido argento habuit lectos, & tricliniares, & cubiculares.* Turneb. Adv. XXIV. 4. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 512. Torrent. in Horat. Epist. I. 5. 1. Stuck. Ant. Conviv. II. 34. Baccius de Conviv. I. 8. Laurent. de Prand. c. 21.

c. 21. Schill Nom. Philol. p. 654. Alii erant humiles, de quibus Suet. Aug. c. 73. n. 2. *Ne toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili, & modice inſtrato* In eos ſcanſione ſimplici, & ſcamno aſcendebant; alii altiores erant, in quos ſubſelliis conſcendere oportebat, in alios gradibus aſcendebatur. In *lectis* erant tori pluma farti, aut paleis. Senecæ *culcita humi jacebat, ipſe in culcita.* Epiſt. 87. Non erant pannis oppanſis clauſi. Ideo Auguſtus apud Suet. c. 82. n. 2. cum meridianum ſomnum caperet *æſtate, apertis cubiculi foribus, ventilante aliquo cubabat.* Buleng. de Conviv. I. 29.

Lectus ferreus, diverſus a craticula, erat enim veri ſtrati inſtar longus, paulliſper elevatus, ut ignis poſſet ſupponi, cum ferri fruſtis in obliquum ductis, tabularum loco, paullum inter ſe diſtantibus. *Laurent. de Rebu*ſ*p. c. 7.*

Lectus funebris erat, quo mortui efferebantur. Tibull. I. I. 75.

Flebis & arſuro poſitum me Delia lecto.

Perſ. Sat. III. 103. V. illum ſupr. in *Cadaver.* Græci dixerunt κλίνην, & more Latino λέχος. *Herald. Adv. I. 9.* Potentioribus ſternebatur fulcro eburno fultus. Prop. II. 10. 21.

Nec mihi tum fulcro ſternatur lectus eburno.

Buleng. de Conviv. I. 30. Herald. Adv. I. 9. Corollis, ac floribus ornabatur, ſive ut hac florum ſparſione in memoriam ſibi revocarent ævi hujus brevitatem, *& quæ pulcherrime floreant, celerrime marceſſere,* ut ait Plin. XXI. I. ſive ut defunctis animabus honorem haberent. Hoc factum tradit in funere Scipionis Plin. XXI. 3. *Aſſes ergo contulit populus, ac funus locavit, quaque præferebatur, flores e proſpectu omni ſparſit.* Et in funere filiæ Virginii Dionyſ. XI. p. 719. *Quare ædibus exſiliebant & mulieres, & virgines, caſum illum lugentes, atque aliæ flores, & coronas in lectum jaciebant, aliæ faſcias aut zonas, aliæ vittas virginalis comæ, nonnullæ etiam detonſos crinium tortorum cincinnos: & multi viri ex proximis officinis capientes alia pretio perſoluto, alia gratis funus, quod efferebatur, donis convenientibus ſimul ornabant.* Kirchman. de Fun. Rom. I. II. Plures uni mortuo præferebantur, etſi id prohibitum eſſet lege XII. tab. quæ extat apud Cicer. de Leg. II. 24. *Pluſ.i. ſoner.a. unei nei. facito. nerve. pluſeis. lectos. endoferto.* Sic, ut auctor eſt Serv. Æneid. VI. 861. *in funere Marcelli* Auguſtus *ſexcentos lectos* præferre juſſit: *& Sylla ſex millia habuit. Hoc apud majores glorioſum fuerat.* Et apud Tacit. Annal. XVI. II. 3. *Largitur in ſervos quantum aderat pecuniæ, & ſi qua aſportari poſſent, ſibi quemque deducere, tres modo lectulos ad ſuprema retineri jubet?* Paternæ, maternæque gentis imagines in iis collocabantur. *Kirchman. ibid. II. 7. Meurſ. de Fun. c. 20. Cujac. Obſerv. III. 23. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. I. c. II. Hotman. Antiq. Roman. p. 395. F.* Ille *funeris* proprie Libitina dicebatur. V. infr. in *Libitina.* Simul cum corpore comburebatur. Tibull. l. l. Illi ignis ſupponebatur, ὡς ἐπιές. Virg. Æneid. VI. 223. V. illam infr. in *Thus.* Prop. II. 10. 31.

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula teſta meos.

Herald. l. l. Et ideo farciebatur papyro, ſcirpo, & alia omni materia combuſtili, dum pyræ inferebatur, & cum corpore cremabatur. *Salmaſ. Exerc. Plin. p. 848. F.* De papyro eſt illud Paullini:

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Ad *lectos* papyro fultos pertinet hoc Mart. VIII. 44. 14.

Fartus papyro dum tibi torus creſcit.

Scirpum ad funera eſſe utilem docet Plin. XVI. 37. *Scirpi fragiles, paluſtreſque. . . . funeribus ſerviunt.* Voſſ. Lex. Etymol. in Scirpus.

Lectus genialis, *qui nuptiis ſternebatur in honorem genii.* Feſtus. Serv. Æneid. VI. 603. *Geniales proprie ſunt, qui ſternuntur puellis nubentibus: dicti a generandis liberis.* Lipſ. Elect. I. 17. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 9. Dacer. in Feſtum. Briſſon. de Rit. nupt. p. 104. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 16. Toga ſternebatur. Arnob. II. p. 91. *Cum in matrimonia convenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum genios advocatis?* Turneb. Adv. XIII. 14. Ferrar. de Re Veſt. I. I. 25. Caſal. de Rit. nupt. c. I. Laurent. de Sponſal. c. I. Elmenhorſt. in Arnobium. Et quidem purpurea. Catull. LXII. 46.

Tota domus gaudet regali ſplendida gaza.
Pulvinar vero divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchylis purpura fuco.

Juvenalis mox laudandus. *Grang. in Juvenalem.* Eundem pro puerperis ſtratum fuiſſe ſuadet Prudent. contr. Symm. I. 254.

Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri ſobolem paritura gerebat
Pronuba; jam gravidæ fulcrum geniale paratur.

Sternebatur autem vel palam in hortis, ut ille in Lucullianis apud Juven. Sat. X. 334.

—— Tyriuſque palam genialis in hortis
Sternitur.

Vel etiam in atrio domus, ante ipſam januam, qui idcirco adverſus dictus. De quo accipiendus Propertius in *Lectus adverſus* laudatus. *Bartholin. de Puerp. vet. p. 55.* Qui Propertii carmen Catullo perperam tranſcripſit.

Lectus lucubratorius brevis erat. In illo legebant, & commentabantur. Perſ. Sat. I. 52.

—— non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Buleng. de Conviv. I. 29. Caſaub. in Perſium. Schill Nom. Philol. p. 654. V. & ſupr. in *Lectica lucubratoria.* Ejus pulvino ſolebant ſubjicere auctores, quibus maxime delectarentur: quod Platonem feciſſe in Sophrone mimographo ſcribunt veteres. Ptolemæus Hephæſtionis filius V. p. 326. Edit. Pariſ. *Demetrio Scepſio mortuo Tellidis liber ad ejus caput inventus eſt.* Spartian. in Æl. Ver. c. 5. *Ovidii libros amorum in lecto ſemper habuit.* Caſaub. in Spartianum. Ego hoc non tam ad lucubratorios iſtos, quam dormitorios, vel tricliniares etiam, quibus ad menſam diſcumbebant, referendum exiſtimo. Nam & inter cœnandum legebant: & noctu cubantes inſomnium hac ratione ſolabantur. Quo autem quiſque maxime delectatur, hoc legit quoque præcipue, & ſecum ſemper habet. Ita & Alexander Magnus Homeri Iliada plurimi æſtimabat, ut ſemper ſub pulvino cum pugione habuerit. Plutarch. Alex. p. 668. C. *Buchner. in Plin. Epiſt. V. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 655.*

Lectus penſilis in balneis erat in uſu. Plin. XXVI. 3. *Et quoniam cauſas morborum ſcrutari prior Herophilus inſtituerat, vini rationem illuſtraverat Cleophantus apud priſcos, ipſe cognominari ſe frigida danda præferens, ut auctor eſt M. Varro; alia quoque blandimenta excogitabat, jam ſuſpendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut ſomnos alliceret.* Baccius de Therm. vet. c. II. Tomaſ. de Donar. c. 9. Etiam in curribus & pilentis. Juven. Sat. I. 58. laudatus infr. in *Pulvinus.* Laurent. de Prand. c. 21.

Lectus tricliniaris dicitur Lampridio ſupr. in *Lectus cubicularis*, & quidem ob id, quod in triclinio ſternebatur. *Urſin. de Triclin. p. 220. Turneb. Adv. XXIV. 4. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 512. Stuck. Ant. Conv. II. 34. Bacc. de Conviv. I. 8. Laurent. de Prand. c. 21.* temporibus primis ſiebant hi e ſtramento, &, ut ait Varro, ex herba torta, unde & tori appellati, qui a Græcis στιβάδες, & στιβάδια dicti ſunt. V. infr. in *Torus.* Poſtea ex lapide V. infr. in *Stibadium.* Urſin. ibid. p. 226. Stuck. l. l. & ligno quovis. Senec. Epiſt. 95. *Proderit narrare, & exponere Tuberonis ligneos lectulos, cum in publicum ſternerentur, hædinaſque pro ſtragulis pelles.* Sed prodeuntibus e pretioſo, aut teſtudinum ſectis laminis, ebore, argento, atque etiam auro veſtiti, aut etiam ſolidi. Plin. XVI. 43. *Quæ in laminas ſecantur, quorumque operimento veſtiatur alia materies, præcipua ſunt citrum, terebinthus, aceris genera, buxum....*

Excogitatæ sunt & ligni bracteæ, nec satis; cœpere tingi animalium cornua, & dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri. Placuit deinde materiem & in mari quæri. Testudo in hæc secta. Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vincit juvat, sic citrum pretiosius fieri, sic acer despici. Modo luxuria fuerat contenta ligno, jam lignum etiam e testudine factum. IX. 11. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque, & repositoria his vestire Carbilius Pollio instituit.* Macrob. III. 13. refert ex indice cœnæ Metelli pontificis maximi, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, triclinia lectis eburneis strata fuisse. Plin. XXXIII. 11. *Lectos vero mulierum,* inquit, *jam pridem totos operire argento, & triclinia quædam, ... adiicere [illegible]. Carbilius Pollio eques Romanus non ut operiret, aut Deliaca [illegible] faceret, sed Punicana. [illegible] Deliacos imitari.* [illegible] habuisse retulit Lampridius [illegible]. Sed multo ante eos [illegible] in usu fuisse [illegible] Plin. XXXVII. 2. cum scribit *Cn. Pompeium in tertio triumpho, quem de piratis, Asia & Ponto egit, lectos tricliniares tres ex auro transtulisse.* Hinc Virg. Æneid. VI. 603.

—— lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris.

Pedes, quibus fulciebatur, & fulcri ex ligno, ære, aut etiam argento erant. Ter. Ad. IV. 2. 46.

SY. *Lectulos in sole iligneis pedibus faciundos dedit.*
DR. *Ubi potitis vos.*

Plin. XXXIV. 10. *Antiquissima æris gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe, & ideo cura officinis tricliniorum pedibus, fulcrisque ibi prima nobilitas æris.* c. 3. *Triclinia ærata, abacosque, & monopodia Cn. Manlium Asia devicta primum invexisse triumpho suo, quem duxit anno Urbis 567. L. Piso auctor est. Antias quidem L. Crassum [illegible] L. Crassi oratoris multa etiam triclinia ærata [illegible].* [illegible] Varr. de Ling. Lat. VII. *Quod si esset [illegible], omnes lectos haberemus ad unam formam, & aut cum fulcro, aut sine eo.* Pedes vero partim rotundos, & tornatos, partim alia atque alia forma effictos in marmoribus Romæ videmus. *Ciaccon. de Triclin. p. 7. . . . Bacc. de Conviv. ant.* I. 8. & 9. *Buleng. de Conviv.* I. 30. *Ursin. ibid. p. 226. . . . Stuck. l. l.* In simulacris varia forma [illegible]. Etymol. magn. *Hermis lecti pes. Quoniam in ipsis sculpebant signa Mercurii, tanquam præsidis somni, & somniorum.* Idem Hesych. in Ἑρμῖνα. *Fr. rel. de Stat. Rom.* c. 6. Inter illos, & triclinii parietes relinquebatur tantum spatii, quantum satis esset servientibus ad ministrandum, qui dicebantur ad pedes stare. Mart. III. 82. 18.

At tale retro flexus ad pedum turbam.

VII. 19. 18.

Nec esculenta sufficit gulæ præda,
Misto lagenam replet ad pedes vino.

Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. Longitudinem fuisse pedum sex, & paullo plus: latitudinem trium pedum scribit Aristot. Mechan. sect. 25. Fuerunt vero humiles, paullo inferiores mensa, quam cingerent, ut assurgerent, & in cubitum convivæ niterentur, cum cibum appeterent. *Buleng. ibid. c. 29. Ursin. ibid. p.* 220.

LEG.

LEGATA omnia directis verbis, legitimis, civilibus, & imperativis relinquebantur. *Legabantur* quatuor modis. I. per vindicationem his verbis: *do, lego.* Item his: *capito, sumito,* sive *habeto.* II. per damnationem his: *hæres meus damnas esto dare.* Et ejusmodi formula testator dicebatur *damnare hæredem.* Sed & per illam *legabatur* ita: *Hæres meus dato, facito, hæredem meum dare jubeo.* III. sinendi modo his verbis: *Hæres meus sinito, vel damnas esto sinere Lucium Titium sumere illam rem, sibi habere.* IV. per præceptionem his verbis: *Lucius Titius illam rem præcipito, e medio sumito, sibi habeto, vel præcipiat, e medio sumat, habeat:* vel, *e medio,* seu *e media hæreditate sumito.* Quæ legati species in Magnonis notis hoc notarum compendio stringitur, P. S. T. Q. H. id est, *præcipito, sumito, tibique habeto.* Brisson. de Form. VII. p. 625. Interdum pure dabantur, interdum his dies adponebatur. Puris interdum adjiciebatur, ut præsenti die darentur, veluti: *Titio centum aureos præsens dato.* Quæ adjectio etsi supervacua esset, quantum ad vim, & effectum *legati* pertinebat, tamen eam, quæ ex vulgari clausula fiebat, prorogationem impediebat. In diem *legabatur*, veluti: *annua, bima, trima die.* Quod interdum relinquebatur cum adjectione hac: *æquis pensionibus, vel pensionibus inæquis, vel boni viri arbitratu, vel pensionibus, quas putaverit legatarius.* Dies eorum, quæ pure ab initio data erant, quandoque proferebantur, & per hanc scripturam: *quas pecunias legavi, quibus dies appositus non est, annua, bima, trima die hæres meus dare damnas esto:* vel, *quas pecunias legavi, quibus dies appositus non est, eas hæres meus annua, bima, trima die dato.* Atque hic erat vulgaris sermo, quo præsentia *legata* proferebantur. Interdum intra certum tempus peti non poterant, ex formula: *testator legata intra quinquennium vetuit peti, præstarique.* Quandoque cum præfinitione annorum dabantur, veluti: *Titio dena usque ad annos decem. Attiæ donec nubat, quinquaginta damnas hæres meus esto dare,* & *quoad vidua erit, dum uxor mea cum filio erit, quoad in potestate patris sit, usque dum filia mea annos impleat octodecim.* Brisson. ibid. p. 658. Singula, cum lege XII. tab. latissima potestas data esset vel totum patrimonium *legatis* erogare; & recusarent hæredes pro nullo, vel minimo lucro hæreditatem adire, lege Furia, V. illam infr. in *Lex Furia,* certam quantitatem excedere prohibebatur: Voconia vero, V. illam inf. in *Lex Voconia,* plus uni legatario relinquere, quam quantum apud hæredes maneret, non licebat. *August. de Legib. in Voconia* §. 3.

LEGATIO libera dicebatur, qua florente adhuc Roma a senatu donabantur, qui etiam suarum, non publicarum rerum causa abirent, quo majore cum dignitate abessent. Cicer. Fam. X. 1. *Cum in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi, reliquisque nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæratur.* Suet. Tib. c. 31. n. 2. *Prætor designatus liberam legationem impetravit.* De *legationis* hujus tempore Cicer. Attic. XV. 11. *Habent opinor liberæ legationes definitum tempus lege Julia, nec facile addi potest ad id, quod ad deos, genus legationis, ut cum velis, introire, exire, liceat: quod nunc mihi additum est. Bella autem est hujus juris quinquennii licentia. Quanquam quid de quinquennio cogitem, contrahi mihi negotium videtur.* Paschal. de Legat. c. 13. Pollet. For. Rom. III. 10. Sagittar. Ot. Jenens. Dissert. XVII. Bud. in Pandect. p. 272. Tiraquell. in Alex. VI. 3. Laz. Comment. Reip. Rom. II. 6. Manut. in Cicer. Fam. XI. 1. Zamosc. de Senat. Rom. I. 16. August. de Leg. in Julia de Legationibus. Cujac. Observ. IX. 29. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 197. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 92. F. Pitisc. in Suet. Tib. c. 12. n. 1. Schill Nom. Phil. p. 657.

Legatio muta dici posset, quæ plura signis, quam verbis demonstrabat, per quædam nimirum obscuritatum, & ænigmatum involucra, & obibatur nuntiorum, sive legatorum ministerio, quo mittebantur literæ, tesseræ, dicta quandoque arcana, & occulta, quandoque publica, & sollennia, sæpe ita tecta, & obscura, ut illi uni, quos inter commeant, quid iis signetur, sciant, non etiam illi, quorum aut ori, aut manibus creduntur. De hoc genere fuerunt illa, quæ nuntius Periandri exposuit Thrasybulo, & Tarquinii Sexto filio. Ille altiores spicas apud Herodot. V. p. 368. D. Aristot. Polit. III. 13. hic summa papavera baculo decussa apud Liv. I. 54. renuntiaret. *Paschal. de Legat. c.* 5.

Legatio votiva dicitur, quæ commemoratur a Cicer. Attic. XV. 8. *Quod autem aditus ad eum difficilior esse dicitur,*

tur, scripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas literas redderet, legatione mihi opus esse, honestior est votiva: sed licet uti utraque. 11. *Sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legavit a. d. 4. Non. April. id mihi heri vesperi nuntiatum est. Votiva ne tibi quidem placebat. Etenim erat absurdum, quæ, si stetisset Respublica, vovissem, ea me, eversa illa, vota dissolvere.* Laz. Comment. Reip. Rom. II. 6.

LEGATIVUM vocabatur *legatorum* viaticum. Arcad. Charif. l. 18. §. 12. ff. de muner. & honor. *Legati quoque qui ad sacrarum principis mittuntur, quia viaticum, quod legativum dicitur, inde dum solent accipere, personale munus recunt.* Pancirol. de Magistr. mun. c. 26. Salmuth in Pancirol. de reb. deperd. & inv. p. 664. Græci vocarunt πορεῖον ὥσπερ ἐφόδιον. Dubitatum est, an is, cui non datum est, nihilominus in *legationem* proficisci debuerit. Qua de re audiendus est hæc, sive vera, sive ficta ferbens Cicer. de Invent. II. 29. & e Cicerone Mart. Capell. de Nupt. Philol. v. *Rhodii quosdam legarunt Athenas. Legatis quæstores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur. Intentio est, proficisci oportuit. Depulsio est, non oportuit. Quæstio est oportueritne. Ratio est: sumptus enim qui de publico dari solet, is a quæstore non est datus. Infirmatio est, vos tamen id, quod publice vobis datum erat negotii conficere oportebat. Judicatio est, cum iis qui legati erant, sumptus, qui debebatur, de publico non daretur, oportueritne eos, qui legati erant, conficere nihilominus legationem.* Paschal. Legat. c. 73.

Legatum caducum. } V. illa supr. in *Cedere diem.*
Legatum vindicationis.

LEGATUS est is, qui lectu, missuque publico publicum negotium peregre agit, non militari manu, sed eloquio, & viribus ingenii. Cum enim *legare* sonet mittere, *legatus* utrumque significat, & lectus, & missus. *Paschal. Legat. c.* 1. Semper *legati*, qui cum mandatis ad exteras nationes, & cum Imperatoribus in exercitum, aut cum magistratibus in provincias irent, ex auctoritate senatus delegebantur. Cicero ideo Vatinium, qui sibi lege sua detulerat legationem, hoc modo interrogat c. 15. *Volo audire de te, quo tandem S.Cto legatus sis? de ge tu intelligo, quid respondeas: tua lege dicis. Es ne igitur patriæ certissimus parricida? speraras ne id, ut patres conscripti ex Republica funditus tollerentur? ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur? adeone tibi sordidum consilium publicum visum est, adeo afflictus senatus, adeo misera & prostrata Respublica, ut non nuntios pacis, & belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis senatus more majorum deligere posset?* Et sic in Pisonem invehitur in Sext. c. 14. *Pro te ipso Piso nemo ne vestem mutavit? ne istis quidem, quos legatos non modo nullo S.Cto, sed etiam repugnante senatu, tute tibi legisti.* Etiam a magistratibus. Liv. XLIII. 1. *Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius prætor tres ex senatu nominet legatos. Sed vetera exempla, ne ambitioni, aut inimicitiis locus foret, legationibus sortem posuisse* dicit Eprius Marcellus apud Tacit. Hist. IV. 8. 1. *Zamosc. de Senat. Roman.* II. 17. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 2. Eprium tamen ut manifestum veritatis pluribus refellit, & legatos esse forte ductos se nondum invenisse testatur *Paschal. l. l.* Illis, qui in *legationibus* operam suam Reipublicæ navabant, antiquis temporibus dabantur annuli aurei. Plinius. V. illum supr. in *Annulus.* Illa quoque ætate quosdam *legatos*, qui Athenas propter leges ierant, decemviros creatos a Livio didicimus, ut pro *legatione* tam longinqua præmio esset honos. Qui autem ferro in *legatione* esset interfectus, mors ejus, statua ex S.Cto posita, honorabatur. Jus vero illud tractatur a Cicerone integra Phil. IX. *Zamosc. ibid.* I. 17. Erant jure gentium sacrosancti, & inviolabiles. Cicer. Verr. I. 33. *Legati nomen ejusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur.* Hinc justa & acerba querela Hannonis apud Liv. XXI. 10. *Legati a sociis, & pro sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit.* Unde & hominum jus appellat Tacit. Annal. I. 42. 3. *Hostium jus*, inquit, *& sacra legationis, & fas gentium rupistis.* Nam, ut dicit Cæs. de Bell. Gall. I. 9. *Legatorum nomen ad omnes nationes sanctum, inviolatumque semper fuit.* Schoock. Achaj. vet. c. 22. Feith Antiq. Homer. IV. 17. Grot. de jur. bell. & pac. II. 18. 4. Illorum violatores semper infames, & invisos fuisse, maximisque pœnis affectos docet *Paschal. ibid. c.* 26. Coronabantur verbena. Hegesipp. I. 36. Talis nimirum legatio inter ipsos hostes erat veluti quædam pacis sequestra. Quanquam & *legatos*, olea velatos, sicuti pacem petentes, legimus. Virg. Æneid. VII. 153.

> *Centum oratores augusta ad mœnia Regis*
> *Ire jubet ramis velatos Palladis.*

Stat. Theb. II. 389.

> — *ramus manifestat olivæ*
> *Legatum.*

Certe hostem credebatur exuisse is, qui, quod se conciliatorem pacis profitetur, tam venerabili cultu insignis incedebat. *Paschal. de Coron.* IV. 19. *Cerda ad Virgilium.*

Legati civitatum ab ordine decurionum plerumque ad Principem etiam inviti mittebantur hi, qui trium superstitum filiorum numero excusati non fuissent l. 1. C. de legat. lib. x. vel qui biennio post aliam susceptam *legationem* non vacavissent l. 3. C. eod. Ob leves causas olim ad Principem mittebantur. Nam Byzantii quotannis ad salutandum Trajanum cum viatico, seu *legativo* duodecim millium nummûm destinabant, quod Princeps prohibuit. Plin. Epist. X. 52. 1. *Requirenti mihi Byzantiorum Reipublicæ impendia indicatum est legatum ad te salutandum annuis annis cum psephismate mitti, eique dari nummum duodena millia.* Hæ *legationes*, ut superfluæ, sunt abolitæ, & statutum, ut non nisi ex necessaria causa mitterentur ad Principem, & causam comprobarent præsides, qui suis literis *legatum* comitabantur, ut Honorii, & Theodosii rescripto cavetur l. ult. C. eod. quod etsi de Alexandrinis loquitur, juris tamen interpretes ad alias civitates extendunt. Civitas vero debebat *legatum* eligere, & decretum de eo mittendo scribere, cui decuriones subscriberent. Et hoc Græce psephisma vocatur Cicer. pro Flacc. c. 6. & 8. & Plin. l. l. *Legationes* quomodo ordinarentur, Honorius ad Monaxium P. P. scribens his verbis explicat l. quoties 15. C. Theod. *Quoties legatio destinatur, universos curiales præcipimus, qui intra Urbem consistunt, si non ægritudine, vel alia excusabili necessitate impediuntur, in locum curiæ convenire, & decreta sua propria subscriptione firmata viro spectabili præfecto Augustali insinuare, ut ejus relatione tuis virtutibus intimata, & sub examine tuo peracto, venire necne legati debeant, ordinetur, nulli penitus legatione libera committenda.* In eligendis hic ordo servabatur, ut prius his, qui ætate, dignitate, & loco præcedebant, hoc munus demandaretur, nisi forte rei magnitudo majores eligi desideraret: tunc enim ab hoc ordine recedebatur l. 3. §. præses. ff. de mun. & honor. l. 4. §. pen. ff. eod. Quo tempore quis fungitur *legatione*, neque alienis, neque propriis negotiis interponere se debet. l. Paullus. in fi. ff. eo. Numerus quoque *legatorum* est præfinitus, ne plures quam tres mittantur l. 4. in fi. ff. eo. Proprium vero, & personale munus est *legationis*, quod per alium quam filium perfici non potuit. d. l. 4. §. legati. Privilegium habent, ne conveniantur in causis civilibus tempore, quo legatione funguntur, ne a ministerio, & officio sibi injuncto avocentur l. si quis in legatione l. non alias §. 1. & 2. cum l. seq. ff. de judic. l. non disting. §. item. si quis ff. de arbitr. l. cum qui §. de constit. pecun. l. 3. & 5. ff. eod. Creabantur & ad census accipiendos, quod & ipsum munus personale erat, Hermogenian. l. 1. de legat. *Ad census accipiendos legati creari videbantur, quum ad debita Reipublicæ reliqua accipienda mittebantur.* Si in *legatione* deliquerint, vel ipsi, vel eorum servi Romæ puniuntur d. l. non alias. Debitores Reipublicæ, aut infames *legati* fieri non possunt l. 4. in princ. & §. 1. ff. eod. Vehebantur veredis cursus publici, siquidem Valerianus eos, qui ex causis minus necessariis venerint, cum injuria animalibus pro-

propriis ad provinciam reverti jussit l. 6. C. Theod. de legat. Gratianus, cum universa diœcesis unum, vel duos *legatos* ad Principem mittendos elegerit, unius rhedæ cursus publici illis evectionem concedit. Cum universa diœcesis de *legato* ad comitatum Imperatoris mittendo conveniebat, nullum requirebatur decretum, nec alicujus judicis negotiorum examinatio, sed quod majori parti primarum civitatum placuisset, obtinebat l. 9. C. de legat. Cum ad Principis comitatum pervenissent, prius in præfecti prætorio auditorio eorum petitiones, nulla tamen facta determinatione examinabantur; deinde in Principis consistorio ab epistolaribus recitabantur, qui ex sententia Principis responsum scribebant l. quotiescunque 10. C. Theod. eod. *Panciroll. ad Magistr. municip. c. 26.*

Legati gentium exterarum, undecunque Romam missi, ad ædem Saturni accedebant, ibique nomina sua dabant ærarii præfectis. Plutarch. Quæst. Rom. 42. *An hoc fit eo, quod Saturnus cum fuerit peregrinus, hospitibus gaudeat? Aut historia potius quæstionem solvit? Antiquitus enim, ut apparet, quæstores legatis munera mittebant, quæ lautia dicebantur, ægrotantium curam suscipiebant, mortuisque funus e publico faciebant. Nunc autem ob multitudinem legatorum qui veniunt, sumptu omisso id tamen servatur, ut legati accedant præfectos ærarii, qui eorum tabulis in nomina referunt.* Zamosc. de Senat. Rom. II. 18. Gentil. de Legat. I. 16. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 4. Blond. Triumph. Rom. v. p. 110. H. Illis responsa ex publici consilii sententia semper dabantur. Ideoque hoc modo illos excipiebant, & audiebant. Si quando Reges, aut *legati* venire nuntiarentur, primo, quid vellent, ab exploratoribus cognoscebatur, postea ad eos egrediebantur magistratus minores. Istud munus quæstoribus defert Liv. XLV. 13. *Ingresso nave ... Masinissæ filio præsto fuit L. Manlius quæstor.* *Legati* autem sociorum, & amicorum Regum, aut populorum non excludebantur Urbe. Unde narrat Liv. XXX. 43. pace decreta a senatu, permissum Carthaginensibus *Urbem introire, & colloqui cum civibus suis, qui capti in publica custodia essent.* Et Varro, Græcostasin prope curiam Hostiliam fuisse locum substructum, ubi nationum legati, ad senatum missi subsisterent, prodidit. V. supr. in *Græcostasis.* Quæ illis hospitii gratia dabantur, lautia dicebantur. V. illa supr. in *Lautia.* Zamosc. l. l. *Lege Gabinia sancitum fuit, ut ex Kal. Febr. usque ad Kal. Mart. legatis* exterarum nationum *senatus quotidie daretur.* Cicer. Fratr. II. 12. Qui & Fam. I. 4. negat *senatum haberi alia de re posse mense Februario toto nisi perfectis, aut rejectis legationibus.* Lo sit, ut ad Fratr. II. 11. scripserit: *De Commageno Rege, quod rem totam discusseram, mirifice mihi, & per se, & per Pomponium blanditur Appius. Videt enim, hoc dicendi genere si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum.* Augustin. de Legib. in Gabinia. Zamosc. l. l. Paschal. Legat. c. 40. Cognitionem patrum proscriptorum poscebant a maximo, qui in Urbe esset, magistratu, hicque cum patribus visum esset, eos in senatum introducebant. Unde in explicatione rerum a Romanis bello Hannibalis gestarum legimus apud Liv. XXX. 40. *legatis Carthaginiensium, & Philippi Regis petentibus, ut senatus sibi daretur, responsum a ... jussi amplissimi ordinis, consules novos eis senatum daturos esse.* Introducti mandata exponebant per interpretem, etiam qui rationis, sermonem qui callerent Græci, quem nemo non modo senatorum, sed ne elegantium quorumvis hominum Romæ ignorabat. Val. Max. II. 2. 3. *Quis ... consuetudini, qua nunc Græcis actionibus aures curiæ exsurdantur, januam patefecit? ut opinor, Molo Rhetor, qui studia M. Ciceronis acuit. Eum namque ante omnes exterarum gentium in senatu sine interprete auditum constat.* Magna vero ... senatorum *legatos* bene interrogare, & efficere ut aliquid, quod nollent fortasse, responderent, percunctandi arte, & calliditate irretiti. Hoc ejus, qui senatum habebat jussu, concessuque, postquam illi dixissent, fieri solitum ex Liv. XXX. 22. manifestum est. *Cum more,* ait ille, *tradito a patribus, potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatos prætor fecisset, senioresque, qui fœderibus interfuerant, alia alii interrogarent, nec meminisse se per ætatem dicerent legati, conclamatum ex omni parte curiæ est, Punica fraude electos, qui veterem pacem repeterent, cujus ipsi non meminissent.* Zamosc. l. l. Paschal. ibid. c. 82. Responsa non subito, & temere, verum jussis excedere ex templo *legatis*, re diu, multumque agitata, & deliberata, dabant. Sic enim apud Livium sequitur: *Emotis deinde curia legatis, sententiæ interrogari cœptæ.* Et XXXVII. ita scriptum est: *Ceterum & præsentes interrogationibus undique senatorum concessionem magis novæ, quam responsa expromentium fatigati sunt, & excedere curia jussi magnum certamen præbuere.* Quod senatui placuisset, ejus nomine magistratus respondebat. Liv. VIII. 2. *Cum de postulatis Samnitum Ti. Æmilius prætor senatum consuluisset, reddendumque his fœdus patres censuissent, prætor Samnitibus respondit.* Zamosc. l. l.

Legati hostium in Urbem non admittebantur, tanquam ad speculandum verius missi, quam ad præstandam bonam fidem: sed iis & hospitium, & senatus extra Urbem dabatur. Liv. XXX. 21. *Carthaginiensium legatis vetitis ingredi Urbem hospitium in villa publica, senatus ad ædem Bellonæ datus est.* XLII. 36. *Per idem tempus legati ab Rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, cum jam bellum Regi eorum, & Macedonibus, & senatus decrevisset, & populus jussisset.* Hinc est, quod Rhodiorum *legati* queruntur apud eundem XLV. 22. *se prope hostium more, extra Urbem manere jussos.* Imo illis respondebatur ferociter, & ipsa Italia intra paucos dies excedere jubebantur. Sallust. Bell. Jugurth. p. 84. cum ad senatum Bestia retulisset, *placeretne legatos Jugurthæ in Urbem intromitti, decrevisse senatum* ait, *ni regnum, ipsumque deditum venissent; ut in diebus proximis decem Italia decederent.* Liv. XLII. 36. *Postquam ... Persei legati, negantes sibi ultra quicquam mandatum esse, jussi renuntiare Regi, consulem P. Licinium brevi cum exercitu futurum in Macedonia esse. Ad eum, si satisfacere in animo esset, mitteret legatos. Romam quod præterea mitteret, non esse: neminem eorum per Italiam ire liciturum. Ita dimissis P. Licinio consuli mandatum intra undecimum diem juberet eos Italia excedere, & Sp. Carvilium mitteret, qui donec navem conscendissent, custodiret.* Zamosc. de Senat. Roman. II. 18. Paschal. Legat. c. 22. Brisson. de Form. II. p. 252.

Legati Imperatorum aliis erant præstantiores. Præsidum quippe nomen sibi vindicabant, & quia Cæsarum provincias cum imperio obtinebant; ac propterea qui Cæsaribus subditas regebant provincias, *legati* Cæsarum dicebantur. Macer l. 1. ff. de Offic. præs. *Præsidis nomen generale est: eoque & proconsules, & legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licet senatores sint, præsides appellantur, proconsulis appellatio specialis est.* Urlat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 805. D. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Erant nonnunquam in equestri ordine constituti. Nep. Attic. c. 5. n. 4. *Qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset.* Zamosc. de Senat. Roman. I. 15. Non tam ad imperandum, quam ad consulendum instituti, ac missi. Magna erat *legatorum* dignitas: habebant enim potestatem Imperatoris, venerationem vero sacerdotis. Dionys. XI. p. 706. largiter explicat de L. Siccio, quem decemviri ex Urbe hoc prætextu, & titulo miserunt in castra, fraude illic, ut putabant, tollendum. Dederunt autem ei, ut inquit, *potestatem legati.* Tum subjungit. *Est omnium res honoratissima, & sacerrima apud Romanos, legatus, vim quidem, ac potestatem Imperatoris habens, sanctitudinem vero, & venerationem sacerdotis.* Jam olim in re Romana fuerunt, & quidem supra tribunos. Liv. II. 59. *Concurrunt ad eum,* Appium consulem, *legati tribunique.* IV. 17. *Legatos Quintium Capitolinum, & M. Fabium Fibulanum sequi se dictator* Mamercus Æmilius *jussit.* Electi a dictatore hoc loco: alias a consulibus. Sallust. Bell. Jugurth. p. 84. *Calpurnius consul, parato exercitu, legat sibi homines nobiles.* Cicer. ad Attic. XV. 11. *Dolabella me sibi legavit.* Imo proprium hoc consulum esse dixeris, & eos prætoribus quoque *legatos* nominasse. Verba Polyb. Legat. CXLI. eo ducunt: ubi narrat *tantum ejus*

fuisse tenuiorem, ob forcicum genus, & discrimina, ut nec tribuni satis multi prodirent ad magistratum capiendum, neque nominati a consulibus legati valerent, quos oportebat cum prætore ire. Quod tamen ita verum censeo, ut consilium, consensusque intervenerit patrum. Liv. XLIV. 18. *Senatus Cn. Servilio consuli negotium dedit, ut is in Macedoniam, quos L. Æmilio placeretur, legaret.* Et Cicer. in Vatin. c. 15. hoc maxime ei objicit, quod morem hunc violarit. V. illum supr. in *Legatus.* Munus eorum consulere, administrare, præesse, & uno verbo, vicariam operam Imperatori dare. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Legati qui publice lecti* (nota *publice*: ergo a patribus) *quorum opera, consilioque uterentur peregre magistratus, quive nuntii senatus, ac populi essent.* Eosdem Cicer. l. l. appellavit *nuntios pacis, ac belli, curatores, interpretes, bellici consilii auctores, ministros muneris provincialis.* Larga ergo potestas, sed tamen Imperatori devincta, eique obnoxia. Cæs. Bell. civil. III. 51. *Aliæ sunt legati partes atque Imperatoris: Alter omnia agere ad præscriptum; alter libere ad summam rerum consulere debet.* Atque ea de re *sibi mutuatam operam obtinere legatum* scribit ibid. II. 17. scilicet quod revocetur, cum vult is qui dedit; propriam & a se non habet. Cum tamen habet, imperat, & imperii etiam insignia sumit. De Pleminio Scipionis legato Liv. XXIX. 9. *Sine respectu, non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt.* Quod tamen obtinuisse modo censeo, cum absens consul, aut proconsul, atque ipse sustineret ejus vicem. Numerus eorum non certus. Plures, paucioresque fuerunt, ut senatui visum, & ut bellum, aut res poscebat. Plerumque tamen pro numero legionum attributi, singulis singuli. Sub Principibus quidem duo genera *legatorum* facta: consulares, & prætorii, quorum illi toti exercitui præessent, isti legionibus singulis: idque Augusti invento. Quasi enim unus ille jam Imperator esset, rem administrabat per *legatos*: nec aliter dicebantur: eoque nec triumphi jus habebant, cum omnia gererent auspiciis alienis. In Tacito, atque aliis scriptoribus hoc perpetuum: in quibus crebro legas *legatos consulares*: itemque *legatos prætorios*, sive *legionum.* A Dione tota res explicata oratione Mæcenatis LII. Vocatque hos posteriores *subprætores*, aut *subpræfectos*: qui ipsi postea *duces* Latinis dicti. Scriptor aliquis apud Suidam: *Liberavit urbem intus quæsitus Fortunio legatus copiarum Mysiæ, quos duces appellant.* Lips. de Milit. Roman. II. 11. Thys. Rom. Illustr. II. p. 64. Hotoman. Antiq. Roman. II. 15. Erant juxta Imperatorem: nisi tamen curarent, & præpositi essent certæ alicui legioni, aut cornu; quod sæpe; tunc enim in medio ejus, loco Imperatoris agebant. *Thys. ibid.* IV. *p.* 94. Illorum pedatura ad alterum latus prætorii, & ubi forum: ita ut parte una quæstor sit, parte altera ipsi. Omnino ratio vult, haud longe prætorem eos tetendisse, quia & dignitate proximi, & ad eum sermonis consiliique causa sæpe advocati. Hi ergo iterum dimidiati ad quæstorem. Ergo habent in longum singuli pedes 50 in latum 100. Est area 5000. Appello autem longum hoc loco spatium a prætoria ad decumanam, latum a principali ad principalem. Quid, si plures jam *legati*, & tot quot legiones, ut inferiore ævo factum? Credo, cum tunc quæstor non ita vulgo comitaretur, eos utrumque ad latus prætorii fuisse, & sic medium habuisse suum ducem. *Lips. de Milit. Roman.* V. 3. *Thys. ibid.* V. *p.* 111. Discrimen inter hos & proconsules V. infr. in *Proconsules.*

Legati a latere nunc summi pontificis vocantur exemplo comitum a Principis comitatu. V. illos supr. in *Comes.*

Legati legionum, quoties ab hoste esset metus, circuire ipsi vigilias, curare in ea castrorum parte qua maxime laboraretur, providere, ne quid a quoquam peccaretur, &, si peccatum esset, in reos animadvertere solebant: præterea, si quid inter diversarum legionum milites controversiæ obortum, aderant suis apud Imperatorem, eorumque causam ut patroni agebant. Exemplum hujusce rei habes apud Liv. XXVI. 48. post expugnationem Carthaginis novæ, ubi *duobus, Q. Trebellio centurione legionis quartæ, & Sex. Digitio socio navali professis, se primos murum ascendisse,* & de corona murali apud Imperatorem *contendentibus, sociis C. Lælius præfectus classis; legionariis M. Sempronius Tuditanus* traditur *adfuisse.* Cum itaque legionarii *legatum* suum habeant in castris, vexillarii nec *legatum*, nec ullum alium pari auctoritate patronum, custodiam iis munimentorum cum legionariis demandare iniquum censet Hyginus, & inconsultum, ne hi cum *legato* suo, etiamsi quid ipsi peccaverint in tuendo vallo, conferant tamen culpam omnem in vexillarios, justo patrocinio destitutos, & injuriæ opportunos. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1056. *F.*

Legati provinciarum differebant a quæstoribus provincialibus, dum auctoritatem suam acceptam ferebant præsidibus, quamvis hisce in pluribus rebus adessent, ceu socii, assessores, & consiliarii. Et quæstores præsidibus filiorum loco erant, interque eos mutua erat relatio, ut quemadmodum sine filio nemo est pater, sic nullus consul, aut prætor provincialis esset sine suo quæstore, cui cum suo consule, aut prætore mutua intercedebat necessitudo pœne filialis. *Berger. de viis milit.* I. *Sect.* VII. §. 9. Horum nomen duobus acceperunt modis; primum, qui senatus voluntatem ad alios detulerunt; deinde, qui præsidibus operam quacunque ratione navarunt. Quos ambos videtur mihi intellexisse Varro de Ling. Lat. IV. 16. & Cicer. in Vatin. c. 15. laudati supr. in *Legati Imperatorum.* Significat enim unum genus *legatorum*, qui decem, aut quinque a senatu, & ex senatu ad ordinandam provinciam, parta ab Imperatore victoria, mittebantur; item alterum, qui præsidibus in omni provinciali, ac bellico munere adjutores dabantur, ut ad arbitrium illorum se accommodarent: de quibus Appian. Civ. Bell. I. *Legatos Romani appellant, quos provinciarum rectoribus addunt, ut iis subsidio sint.* Cæs. Civ. Bell. III. 51. V. illum supr. in *Legati Imperatorum.* Vel a senatu dabantur, vel permissu senatus a præsidibus asciscebantur. V. supr. in *Legatus.* Numerus eorum, qui minimus, trium, ut opinor, fuit. Livium V. supr. in *Legatus.* Quin etiam Q. Cicero prætor tres tantum in Asiam secum *legatos* duxit. Habitam tamen esse rationem prætorii gradus, & consularis, & provinciæ, & belli, & ipsius denique hominis, arbitror a senatu: siquidem Bruto, & Cassio *legatorum* numerum auctum scribit Cicero, & ipse in Cilicia proconsul secum legatos quatuor habuit, & Cn. Pompejo lege Gabinia quindecim datos satis constat. Etiam illud observatum est, ut *legatos* libenter sibi quisque legaret, qui rei militaris periti essent, atque ipsi provinciis alias cum imperio præfuissent: itaque consulares consulibus, prætorios *legatos* se potentibus aliquando adjunxerunt, & frater fratrem, filius patrem sibi legavit: intelligebant enim, totum juris dicendi, reique gerendæ munus in consilio, fide, opera, usuque *legati*, *legatorumve* consistere. Quoniam autem præsides *legatis* potestatis, atque imperii sui partem communicabant, hinc factum est, ut & ipsi *legati* lictoribus, ac fascibus uterentur. Quod de Pleminio P. Scipionis Imperatoris *legato* scribens ostendit Liv. XXIX. 9. *Sine respectu non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt.* Sigon. de Ant. jur. prov. II. 2. Flocc. de Potest. Roman. II. 12. De provincia decedentes rationes reddere cogebantur. De P. Scipione Africano L. Scipionis fratris sui in Asia *legato* Gell. IV. 18. *Tribuni plebis in senatu instabant, ut pecuniæ Antiochenæ, prædæque, quæ in eo bello capta erat, rationem redderet. Fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo Imperatori in ea provincia legatus. Ibi Scipio exsurgit; & prolato e sinu togæ libro, rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ, omnisque prædæ. Illi tum ut palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. Sed enim id jam non faciam, inquit, nec me ipse afficiam contumelia: eumque librum statim coram discidit suis manibus, & concerpsit; ægre passus, quod cui salus imperii, ac Reipublicæ accepta ferri deberet, rationem pecuniæ prædatitiæ posceretur.* Sigon. ibid. c. 11.

Legati vexillariorum occurrunt apud Hyginum in Gromatico. *Salmas. in Capitol. Pertin. c.* 9. quasi præter *legatos* con-

consulares, qui toti exercitui præerant, & prætores, qui uni legioni, aliud fuerit genus *legatorum*, *legati* vexillariorum. Non dicit Hyginus vexillariorum *legatum*, sed *legatum* [illegible], id est, legionis curam, ut qui apud legionem, a qua divulsi, ipsi absunt, vel pariter non fuisse. Veget. [illegible] Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1056. C.

LEGIO est militum agmen, sive certa peditum, & equitatus manus, in quam exercitus populi Romani dividi solebant. Primus instituit Romulus. Tam propria Romanorum fuit, quam aut Macedonum phalanx, aut catervæ Gallorum. Numerus in illa militum non idem omnibus temporibus fuit. Romulus enim initio trium millium sumpsit, peditum mille ex singulis tribubus, & centum equitibus delectis, tribus enim singulæ Tatiensium, Ramnentium, & Lucerum millia singula mittebant. Varr. de Ling. Lat. IV. 14. *Tribuni militum dicti, quod terni ex tribus tribubus Ramnium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur.* Plutarch. Romul. p. 24. D. *Singuli ordines peditum habebant terna millia, tricenos equites.* Auctam deinde geminatamque legionem victis Antemnatibus, & Cæninensibus, ac sex millium factam videtur significare Dionys. II. p. 103. *Rursus Cæninenses, atque Antemnates, quos nuper vicerat, una cum familiis Romam una cum familiis transtulit, nec agris multatos, nec pecuniis: eosque [illegible] tribus [illegible] in universum sex millia.* Et, receptis in Urbem Sabinis, diserte id narrat Plutarch. ibid. p. 30. A. *Geminata Urbe, centum ex Sabinis patres adsciti, legiones constitutæ ex peditibus sex millibus equitibus sexcentis.* Quod mihi tamen probabile non fit: neque enim scriptores non auctum in una legione militum numerum, sed accedente multitudine binas ex una legiones ternum singulas millium esse conscriptas, significare voluisse crediderim. Quod si omnino auctam a Romulo legionem fuisse velimus, eam ad quatuor millia redactam esse verisimilius puto, quæ ex eo quadrata dicta est. Festus in Sex. *Sex millium, & ducentorum hominum primus C. Marius conscripsit legionem, cum antea quatuor millium fuisset, unde etiam appellabatur quadrata.* Ita ut Marius, licet in veteribus legionibus ante illum auctis sæpissime legiones, extra ordinem, & necessitate aliqua suadente numerum, primus ordinarium fecisset legionem sex numerum millium, ac ducentorum peditum fecerit. Et id quidem in suo Scto. Sallust. Jugurt. Bell. p. 135. *Marius cum aliquanto majore numero, quam decretum erat, profectus.* Ex eo igitur tempore legiones sex millium peditum ordinarie esse cœperunt: neque tamen iste numerus post Marium semper frequentatus est, nam bellis civilibus adhuc quinque millibus scribebantur. *Valtrin. de milit. Roman.* III. 1. *Panvin. Imp. Roman.* c. 16. *Sigon. Ant. jur. civ. Roman.* I. 15. *Pinus [illegible]* c. 36. *Salmas. de Re milit. Roman.* c. 6. *Ram. de Milit Jul. Cæsar. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 154. *B. La Chausse de Sign. milit. Thes. Græv. ibid. p.* 1528. *B. Kobierzyck. de Luxu Roman.* II. 2. *Thes. Rom. Luxur.* II. *p.* 56. *Lyps. de Re milit.* II. 1. *Ferret. Mus. Lapid.* v. *memor.* 7. *Laz. Comm. Reip. Rom.* v. 2. *Patric. Rei milit. Rom. part.* II. *sect.* 3. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 8. Male *legio* quadrata dicitur. Agmen dicitur quadratum, nunquam *legio*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. I. Præf. * * * * 2. vers. In *legione*, nisi ingenui, & ex ingenuis nisi juniores, & ex junioribus, nisi in quinque classibus censerentur, & ludicræ artis expertes essent, olim non centuriabantur. Ex quo sequitur servos, libertinos, pueros, seniores, capite censos, & histriones, si quando ad arma vocati sunt, non nisi cogente necessitate, in dubiis rebus Reipublicæ esse vocatos. Liv. XXII. 57. *Et aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas, dedit: octo millia juvenum validiorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos, vellentne militare, empta publice armaverunt.* XXV. 5. *Q. Fulvius, Appius Claudius consules, cum ægre delectum conficerent, quia inopia juniorum non facile in utrumque, ut & novæ urbanæ legiones, & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat, senatus ab incepto eos absistere vetuit, & triumviros binos creari jussit: alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis, forisque, & conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent: & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum ætate militari essent, milites facerent. Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent: ut qui minores septem & decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem & decem annorum, aut majores, milites facti essent: ex hoc SCto triumviri bini conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt.* Sigon. Panvin. Valtrin. l. l. Discriminis gratia nomine primæ, secundæ, & deinceps appellabantur: ut quæ primo loco scripta esset, prima diceretur, & secunda, quæ secundo, atque ita deinceps. Usus iste *legiones* ab ordine ita nominandi obtinuit usque ad tempora Alexandri Severi, sub quo vixit Dion, cujus hæc sunt verba XXXVIII. p. 90. B. *Sic enim secundum ordinem delectuum Romanæ legiones nominantur, hoc eque eadem ratione cognomenta sua sortiuntur.* Apud Cæsarem iisdem numerorum nominibus distinguuntur, & appellantur sexta, octava, decima, duodecima; uti & apud alios auctores. Dion. l. l. memoriæ prodit, sub Vespasiano triginta septem scriptas fuisse, nominibus numerorum appellatas, quæ apud ipsum legi possunt. *Patric. de Re milit. Roman. part.* I. *sect.* 7. *Guther. de jur. man.* III. 26. *Valtrin. Panvin. l. l. Thys. ibid. p.* 57. Vel a locis, ubi stationes habebant. Hinc *legiones* Germanicæ, Pannonicæ, Britannicæ passim inveniuntur. Vel a ducibus, ut Augusta, Claudia, . . . Dion LV. p. 564. A. vel denique ab aliis eventibus: ut Martia, Rapax, Victrix, Ferrea, Fulminatrix. . . . apud Dion. l. l. atque aliæ apud alios leguntur. *Panvin. Thys. & Valtrin. l. l.* Singulis sex tribuni militum præerant populi suffragiis creati. Quod quando acciderit, [illegible]. Quum enim ab initio exercitus populi Romani non nisi tria millia peditum haberet, tres tantum tribuni militum sufficiebant, post aucto Romani imperii opibus, tribuni sex primum, & postea plures quam sex, & diversi generis esse cœperunt. Nam, ut tradit Ascon. in Cicer. p. 56. *Tribunorum militum duo erant genera primum eorum, qui Rufuli dicebantur, hi in exercitu creari solebant, & comitiatorum, qui Romæ comitiis designabantur.* Liv. VII. 5. *Et quum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, nam & antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, Imperatores ipsi faciebant, T. Manlius, qui postea Torquatus appellatus est secundum locum in sex locis tenuit.* Ex quibus verbis apparet, Q. Servilio II. & L. Genucio II. coss. anno Urbis 392. tribunos militum, qui ad sex aucti fuerunt, populi suffragiis creari ad *legiones* cœptos. Deinde plura tribunorum militum genera fuisse, & eos non omnes populi suffragio creatos, & hi, qui creabantur, eo primum anno fieri cœptos. Post illorum numerus est auctus, & sedecim facti. C. Junio Bubulco III. Q. Æmilio Barbula II. coss. Liv. IX. 30. *Duo imperia eo anno dari cœpta per populum; utraque pertinentia ad rem militarem: unum, ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum, & consulum ferme fuerant beneficia.* Tribuni autem militum populi suffragiis creati singuli mille viris præerant, quum tum exercitus Romanus ex quatuor tantum *legionibus*, *legio* vero nonnisi quatuor millium peditum esset. Post quum ad quinque millia, & amplius militum augeri cœpissent, viginti quatuor tribuni a populo creari cœpti, sexque per singulas distributi. Hic tribunorum militum numerus usque ad C. Marii tempus permansit. *Panvin. l. l.* Erat divisa in decem cohortes, ex quibus unaquæque, Cæsaris etiam ætate, tres manipulos, vel certe sex centurias, duas hastatorum, duas principum, totidem pilanorum habebat. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1036. *F. Panciroll. ibid. c.* 20. *Salmas. ibid. c.* 2. A C. Mario primum, ut opinor, neque enim ante Marii tempora ullum cohortium in *legione*, neque apud Polybium, neque apud alios mentio est. *Panvin. l. l.* Nihil tamen. Post Marium acies non mani-

pulatim, ut ante, sed per cohortes instruebatur. Cohortes vero d.a fuerant ante Marium. *Grav. Thes. Antiq. Rom. Tom. I. Præfat.* * * * * 2. *vers.* Quo modo sit ordinandi. V. infr. in *Ordinatio.*

LEGITIMA hæreditas. V. illam supr. in *Hæreditas.*

Legitima stipendia. V. illa infr. in *Stipendium.*

Legitima tutela. V. illam infr. in *Tutela.*

LEGITIMATIO vulgo ex Novell. 74. definitur *natalium restitutio.* Quod quidem ex parte verum, non ex toto. Natalium enim restitutio jus omne, quod quis integris natalibus adipisci potest, attribuit l. 2. de nat. restit. *Legitimatio* vero tantum abest, ut jus agnationis integrum etiam præbeat, ut soli patri *legitimum* faciat: ab aliis vero omnibus totum generum agnationis prorsus cum alienam relinquat. Novell. 89. §. 4. Quin nec integrum quidem agnationis jus ei in parentis persona tribuit: hoc est, ut suitatem obtineat: quemadmodum olim factum fuisse argumento est l. ult. ff. de adopt. Nam *legitimationis* jus omne hoc est: primum, ut justis liberis exstantibus *legitimatus* nothus, nisi per conjugium, & decurionatum non possit: deinde, ut *legitimatus* soli patri ab intestato hæres sit, cæteris non sit: institui tamen ab omnibus hæres possit; sed a patre non majore ex parte, quam quæ minima alicui attributa est. Sic ergo commode definietur: *Legitimatio* est, cum ex concubina susceptus, ita patri suo hæres ab intestato designatur, ut etiam institui ab eo hæres possit: dum tamen ne majorem, quam quivis ex justis liberis, hæreditatis partem capiat. His verbis omne *legitimationis* jus, quod quidem ad successiones pertinet, continetur. Probatur hæc definitio ex Novell. 74. & 117. §. 2. ubi γνησίες ποιεῖσθαι eos Justinianus dicit, quos recepta in scholis consuetudine *legitimari* dicimus. Tribus autem modis *legitimatio* contingit: per decurionatum, concubinæ matrimonium, & Principis rescriptum. I. a Theodosio posteriore est instituta. Testatur Justin. Novell. 89. ejusque constitutio exstat l. 3. C. de nat. lib. sed ea tota nati a Justiniano emendata formam hanc habet: ut liberi, sive ex concubina, sive ex ancilla suscepti, atque hi quidem manumissi, per cooptationem in curiam, & suitatis, & gentilitatis, & agnationis jus adipiscantur: aut, si feminæ sint, per decurionis matrimonium. II. a Constantino primum instituta, postmodum a Justiniano ita confirmata est, ut matrimonium cum concubina contractum, sive ea ingenua, sive libertina, sive serva, & postea manumissa fuerit, liberos, & ante, & post matrimonium conceptos, *legitimos* faciat. l. divi. 5. l. cum quis. 10. & l. seq. C. de natur. lib. & Novell. 89. III. per Principis rescriptum n. ut si pater, aut ipsi nothi, ex patris testamento Imperatori preces obtulerunt, jus *legitimorum* adsequantur; si modo *legitimi* non exstent. Nam si *legitimi* exstent, nothi non poterunt, nisi per decurionatum, & consequens parentum patrimonium ead. novell. §. κεφάλαιο. 9. & §. 11. *Hotom. de Spur. & legitim. c.* 6.

LEGITIMUS senatus. V. illum in *Senatus.*

Legitimus tutor. V. illum infr. in *Tutor.*

ΛΕΓΝΑ appellabant extremitates illas togæ, aut palli, quæ ab ora sursum ibant. Poll. VII. 14. *Oræ extremæ tunicæ pro utrimque,* id est, in superiore, & inferiore parte. λέγνα *vero in amictu utrimque existentes partes, sed non ubi ora est.* Ubi clare in pallio quadrato utrimque oras fuisse supra & infra. λέγνα vero a dextro & sinistro latere videmus. Hæc λέγνα etiam prætexta fuisse indicat Hesychius. Λέγνα, inquit, τὸ παρυφαινόμενον τῇ παραστροφῇ. Prætextam itaque non solum in ima ora, sed circumcirca fuisse prætextatam credo; ut videmus in statua ærea prætextata, quæ est apud Florentiæ Ducem, ubi non solum αἱ ὦαι, sed etiam τὰ λέγνα purpura prætexta sunt. Et hinc patet, umbonem togæ in prætextis purpureum fuisse, quod dicit Pers. Sat. V. 32.

— *totaque impune Suburra*
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Et quia pars illa prætextæ, quam capiti injiciebant pontifices sacrificaturi, aut vota suscepturi, purpurea erat, hinc Virg. Æneid. III. 405.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Ruben. de Re vest. II. 13. Λέγνα tales fuisse extremitates togæ, vel palli, neque ex Polluce, neque ex Hesychio colligitur. In togis autem prætextis umbo fuit purpureus, non quia λέγνα illa, sive partes laterales purpureæ in ora sursum adscenderent, quæ nullæ erant; sed quia, cum ima togæ ora, quæ erat purpura prætexta, lævo brachio subduceretur ad pectus, ubi ex collectione rugarum, sinus, & umbo, inde fiebat, ut ipse sinus, & umbo, non totus, sed ex parte purpureus esset, scilicet sinus inferior; nam in summa togæ ora nulla purpura; & ideo in toga pura, sive communi *candidus umbo* dicitur. Virgilius non de prætexta, sed veste tota purpurea locutus est; nisi quis credat, etiam Trojanos togatos, & prætextatos fuisse; licet hoc poetica prolepsi excusari possit. Vestis, inquam, illa tota purpurea. Serv. ad illud *purpureo in veste sacerdos*: *Imposuit, & purpura cum ut velit, quia sistus deorum ut comprehenderet sacra celebrarum. Est autem linea, & purpurea: purpura enim in mari usum ad piaculum præbet.* Inde factum est, ut postea Romani sacrificaturi prætextum sumerent ob eandem purpuram, & caput eodem velarent. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 45.

LEGULEJUS diminutionis formam habet, ut equuleus, hinnuleus. Eos ad XII. tabularum leges refert Quintilianus supr. in *Formularii* laudatus. *Turneb. Adv.* IV. 5.

LEGULUS vocabatur, qui oleam caducam, & verberando decussam nuda manu *legit.* Cato de Re rust. c. 145. *Legulos, quot opus erunt, præbeto, & strictores.* Turneb. Adv. X. 18. Pepin. de Lastram. fund. c. 3. Pignor. de Serv. p. 549. & 553.

LEGUMEN *dicitur, quod manu legitur, nec sectionem requirit.* Serv. Georg. I. 74. Varr. de Re rust. I. 23. *Hos enim quoque legumina, ut faba quæ vellunt e terra, non subsecamus.* Vossii Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom. II. II. I. Moris fuit, ut servo primum domini ædes ingresso *legumina* super ejus caput spargerentur. *Genera leguminum coctorum ad convivium ... contumeliosum raro vocavit* Antoninus Commodus teste Lampr. c. 11. Severum Imperatorem Romanum *cibi parcissimum, pruinque leguminis avidum* fuisse testatur Spartian. c. 19. Galbum *ordinariæ dispensatori breviarium rationum offerenti paropsidem leguminis pro sedulitate, ac diligentia porrexisse* testis est Suet. c. 13. n. 6. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 8.

LEM.

LEMBARII erant milites classici. Classium duo erant genera: unum maris, alterum fluminum. In mari liburnis, in fluminibus *lembis*, vel lusoriis utebantur. Nam in fluminibus limitaneis habebant Romani lusorias, vel *lembos*, & in his milites classicos, ad tuendum militem. Hos *lembarios* vocat Aurelianus apud Vopisc. c. 38. *Hi compressi sunt septem millibus Hiberorum.* Ita excudi voluit primus Accursius. Vetus liber habuit *jembariorum.* Ex eo ego minima mutatione facio *lembariorum.* De lusoriis Danubianis Veget. IV. 46. *De lusoriis, quæis in Danubio quotidianis utuntur excubiis, reticendum puto.* Lusorias & *lembos* idem esse nemo potest dubitare. *Lembos amnicos* vocat Marcell. XXX. 3. quibus in fluminibus Rheno, & Danubio, & aliis utebantur. *Salmas. in Vopiscum.*

LEMBUS *navicula brevis piscatoria.* Non. XIII. 5. *Lembum invenerunt Cyrenenses.* Plin. VII. 15. *Brevem admodum naviculam* Servius, *& solum in fluminibus usurpatam fuisse* Sabinus notant ad Virg. Georg. I. 201. Iis uti consueverant, qui in mari prædis agebant. Liv. XXXVII. 27. *Apparuit inde, piraticas celoces, & lembos esse.* qui celeres, & leviores nominat. De celeritate testatur etiam Plaut. Bacch. II. 3. 52.

Is nostræ navi lembus insidias dabat:
Quoi e portu eximus, homines remigio sequi
Neque aves, neque venti citius.

Remis, non funibus trahebantur. Liv XLIV. 28. *Sed cum jam appropinquantibus forma lemborum haud dubia esset, &*

concitatio remorum, directæque in se proræ, hostes appropinquare aperuit erit. Virg. Georg. I. 201.

> *Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum*
> *Remigiis subigit.*

Unde *remipedes* dicuntur Auson. Idyll. x. 201.

> *Remipedes [illegible] certant medio cum flumine lembi.*

Scheffer. de Variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 776. A. Munt. Nav. ii. 2. Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 604. B. Dolet. de Re nav. ibid. p. 676. C. Gyrald. de Navig. c. 18. Meibom in Pagn. nav. ad Chium [illegible]. Rader. in Curt. iv. 17. Demster. in Rosin. Ant. [illegible] Paralip. vii. 32.

LEMNISCUS est *verbum Syracusanorum, & illis angustum [illegible]* dicit Festus. *[illegible] purpureas dependentes ex coronis* [illegible] : quia *solebant veteres coronas laneis fasciis ex purpura alligatas donare*: quo scilicet & coronæ [illegible], ac tota res [illegible] gratior esset. Sed [illegible] nihil nisi [illegible], exigua vincula, quibus sive aureis, sive altera nota insignibus, coronarum ramuli colligabantur. [illegible] Rer. Veterin. iii. 18. *[illegible], quos sanos habent, glante ferreo, vel, si defuerit, sparteo, calceabis, [illegible] colligabis.* [illegible] Gothica est, unde nos *guanto* deduximus, id est, chirothecam. Nec modo coronæ ad majus ornamentum, sed palmæ quoque *lemniscis* decorabantur, non ad ligandum pedem, sed ad ornamentum. *Palmam lemniscatam* dicit Cicer. pro Rosc. c. 35. *Multas esse infames palmas: hanc primam tamen esse lemniscatam.* Auson. Epist. [illegible]. 5.

> *Et quæ jam dudum tibi palma poetica pollet,*
> *Lemnisco ornata est: quo mea palma caret.*

Fiebant [illegible] phily[illegible], [illegible] tuniculis, quæ inter [illegible], & ligamentis [illegible] reperiuntur. Victoribus [illegible]. Liv. xxx[illegible]. 19. *[illegible] cursu pro[illegible] Romanorum [illegible], coronas, lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit.* Suet. Ner. c. 25. n. 5. *Incedenti . . . . . ingestæ aves, ac lemnisci, & bellaria.* Argol. in Parvin. de Lud. Circ. i. 16. Turneb. Adv. xviii. 3. Polit. Misc. c. 72. Paschal. de Coron. ii. 12. Buleng. de Triumph. c. 17. Vinet. & Scalig. in Ausonium. Voss. Lex. Etymol. Salmuth in Pancroll. de Reb. deperd. & nov. p. 647. Jun. de Pictur. ii. 8. Pitisc. in S[illegible].

LEMNUNCULUS, vel *lenunculus* appellabatur parvus lembus. Non xiii. 8. *Lenunculus, navigium piscatorium.* [illegible] Hist. ii. *Primo ma[illegible] forte per noctem in lem[illegible].* Cæs. Bell. civ. ii. 4[illegible]. *[illegible] lenunculi ad [illegible], naperimumque conveniebant.* Tacit. Annal. xiv. 5. 6. *[illegible] occur[illegible] lenunculorum Lucrinum in lacum vectam villæ suæ inferunt.* Gyrald. de Navig. c. 18. S[illegible] de Milit. nav. ii. 2. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. vii. 32.

LEMONIA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

LEMURES inter inferorum umbras, & manes recenset [illegible] in Horat. Epist. ii. 2. 209. *Lemures*, inquit, *[illegible] umbras, dictos quasi [illegible] frater Romulus [illegible], Lemo[illegible].* Unde de Romulo loquens Ovid. Fast. v. 479.

> *[illegible], Remum [illegible] dixit*
> *[illegible]*
> *[illegible] tempore longo*
> *[illegible]*
> *[illegible] Lemures [illegible] silentum.*

August. de Civ. Dei ix. dicit quidem *animas hominum [illegible] Lares, Lemures, sive Lares, & Manes. Lares, si meriti boni sunt: Lemures, sive [illegible].* De illis etiam Apul. de Deo Socrat. p. 6[illegible]. V. [illegible]. Gyrald. Synt. deor. vi. p. 215. A. [illegible] Lex. [illegible] p. 293. a. E. Voss. de Idolol. i. 11. Ferret. Mus. Lapid. ii. Memor. 10. Tomas. de Donar. c. 8. Illos fabis noctu jactatis domo extra januam ejiciebant. Non. ii. 513. *Lemures, larvæ nocturnæ, & terrificationes imaginum, & bestiarum.* Varr. de vit. pop. Rom. i. *Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu, ac dicunt se lemures domo extra januam ejicere.* Ovid. Fast. v. 435.

> *Cumque manus pure fontana perluit unda,*
> *Vertitur, & nigras accipit ore fabas.*
> *Aversusque jacit; sed dum jacit: hæc ego mitto,*
> *His, inquit, redimo meque, meosque fabis.*

Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 823. E. Guther. supr. in Lares. Lomej. de Lustrat. [illegible]. 24.

LEMURIA, quæ a nonnullis *Lemuralia* dicuntur, Romani diis inferis instituerunt, ad placandos inprimis Remi manes. V. supr. in *Lemures.* Agebantur mense Majo, & ex eo duxit originem communissimum illud dicterium, ad nos etiam perductum, *malum esse nubere mense Majo.* Ovid. Fast. v. 485. V. illum infr. in *Majus.* Triduum celebrabantur, sed interpolatis diebus. Ovid. n. 491.

> *Sed tamen hæc tria sunt sub eodem tempore festa,*
> *Inter se nullo continuata die.*

Primus celebrabatur septimo Idus Maji, hoc est, ejusdem mensis nono. Secundus quinto Idus, hoc est, undecimo. Tertius tertio Idus, hoc est, tertiodecimo ejusdem mensis, eratque omnes nefasti. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 624. *A. Gyrald. Synt. deor.* vi. *p.* 215. *A.* xvii. *p.* 535. *F. de Ann. & mens. Oper. Tom.* ii. *p.* 773. *B. Voss. Lex. Etymol. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c.* 11. *Ferret. Mus. Lapid.* ii. *Memor.* 10. *Stuck. Ant. Conviv.* i. 26. *Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p.* 166. *Laz. Comm. Reip. Rom.* xi. 5. *Perion. de Græc. & Rom. magistr.* iii. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* vi. *p.* 2812. *F. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 1. *Vives in August. de Civit. Dei* ix. 11. *Kipping. Antiq. Roman.* i. 10. §. 10. *Rosin. Antiq. Roman.* iv. 9. *& Demster. Paralip.* i. 10.

LEN.

LENÆUM erat locus amplo ambitu cum Dionysii *Lenæi* delubro, ubi certabant musici, antequam theatrum exstructum esset. *Buleng. de Theat.* i. 25.

Lenæum erat plaustrum, quo Dionysiis utebantur, quibus poetæ ridiculi causa poemata sedentes e plaustris canebant. Scholiast. Aristoph. Equit. p. 321. Sidon. Paneg. vii. 232.

> *Pictum fæcibus Æschylon secutus,*
> *Aut plaustris solitum sonare Thespin,*
> *Qui post pulpita trita sub cothurno*
> *Ducebant olidæ marem capellæ.*

Buleng. de Theat. i. 2.

LENOCINIUM *facit, qui quæstuaria mancipia habuerit, sed & qui in liberis hunc quæstum exercet, in eadem causa est. Sive autem principaliter hoc negotium gerat, sive alterius negotiationis accessione utatur: utputa si caupo fuit, vel stabularius: & mancipia talia habuit ministrantia, & occasione ministerii quæstum facientia: sive balneator fuerit, velut in quibusdam provinciis fit, in balneis ad custodienda vestimenta conducta habent mancipia hoc genus observantia in officina, lenocinii pœna tenebitur.* Ulpian. l. athletas ff. de his qui infam. not. *Brisson. de Jur. connub. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* viii. *p.* 1065. *D.*

LENONES erant frequentes ad tabernas argentarias. Plaut. Truc. i. 1. 47.

> *Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias*
> *Scorti lenones quasi sedent quotidie.*

Nardin. Rom. Vet. v. 8. Qua hora ad meretrices eundum esset, tintinnabulo significabant. Paull. Diac. xiii. 2. V. illum infr. in *Meretrices.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. i. 8. Edicto prætoris infamia notabantur: Proinde nec accusandi publico judicio jus habebant: & ut viles,

turpes,

turpes, famosæque personæ, in adulterio deprehensi a maritis impune occidi poterant l. marito 24. ff. de adulter. Et merito certe, ignominia hujusmodi personas notandas veteres censuerunt, quas cum Terent. Adelph. II. 1. 34. *perdem, perniciemque communem adolescentium*, & cum Justin. Novell. 14. *perversas, & communes pestes civitatis* vocare jure possumus. Quapropter silentio prætermitti non debet Q. Metelli judicium, qui in prætura urbana Vettibio *lenoni* bonorum possessionem secundum tabulas denegaverit, separandum forum, ac lupanaris conditionem existimans, jurisque, ac legum auxilio indignas censens eos, qui tantam civitati labem inferrent. Laudanda quoque Honorii, & Theodosii constitutio, qua *lenones* patres, dominosve, quos necessitatem filiabus, ancillisve peccandi imposuisse constiterit, non solum potestatem, quam in eos habebant, amittere, sed & proscriptionis, exilii que pœna plecti sanciunt. Denique, nec satis unquam pro merito Justinianus laudabitur, qui genus hoc hominum urbe regia pelli, eosque, qui illecebris pellectas puellas ad quæstum alere comperti essent, acerbissimis pœnis subjici voluit l. 6. & 7. C. de spect. & lenon. *Brisson. de jur. connub. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1065. *D. de Adult. p.* 178. Erant vectigales. Tertull. de Fuga c. 13. V. illum supr. in *Beneficiarius*. Suet. Cal. c. 40. n. 6. *Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium fecissent.* Æschines contra Timarchum ostendit Athenis *vectigal e quæstu meretricio* fuisse. Alexander Severus *lenonum vectigal, & meretricum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri deputavit.* Lamprid. c. 24. *Buleng. de Vectig. c.* 49.

Lenones etiam nominabantur legati & feciales. Justin. II. 3. 8. *Primus Scythis bellum indixit Vexores Rex Ægypti, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent.* n. 9. vocantur *legati*. P. Dan. MS. Glossarius: *Leno, id est, mediator*, qui apud Italos dicitur ambassator. Unde Trog. Pomp II. *Præmissis lenonibus.* Salmas. in Vopisc. Carin. c. 6. Bongars. in Justinum.

LENS est carior faba. Mart. XIII. 9.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem,
Vilior est alica, carior illa faba.

Pherecrates: *Ne mihi lentem per Jovem, non mihi placet, si quis comederit, os ei putidum.* Pelusiaca laudatur. Virg. Georg. I. 228.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Buleng. de Conviv. II. 56. Ægyptiis ejus usus fuit frequentissimus, adeo ut pueros a teneris annis illa statim nutriant. Athen. IV. p. 158. D. Apud Romanos fuit annumerata inter funebres cibos. Auctor est Appian. de Bell. Parth. p. 139. ubi refert Crassi exercitum perniciem sibi imminentem indicasse, quod *lentes* in annonæ defectu fuerint exhibitæ. *Nonn. de Re cibar.* I. 10. *Kirchman. de Fun. Roman.* IV. 7. *Rhodig. Ant. Lect.* VI. 2.

LENTICULA erat genus vasis unguentarii. Apul. Flor. p. 777. *Ampullam oleariam, quam gestabat, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate.* Et *lenticulam* interpretatur Hieronymus *vasculum olei, quod Samuel tulit, & effudit super caput* Saulis 1 Sam c. 10. n. 1. *Voss. Lex. Etymol. Pignor. de Serv. p.* 83. *Bartholin. de Unicorn. c.* 34.

LENTIONES sunt Latinis dicti saltatores. Glossæ: Lentio, ὁ ἐν τοῖς πένθεσιν ὀρχούμενος. Σατυριστὰς vocat Dionys. VIII. p. 477. *Quin & in illustrium virorum funebribus pompis inter cæteros feretrum præcedentes vidi choros satyricos, qui sicinnin cantarent, maxime in divitum exsequiis.* Sic σατυριστὰς Dionysio, qui *lentiones* in illis glossis. Vetus epigramma de pantomimo:

Masculа femineo derivans pectora flexu,
Atque aptans lentum corpus ad utrumque latus,
Ingressus scenam populum saltator adorat,
Solerti spondens prodere verba manu.

Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19.

LENTULUS fuit cognomen Corneliorum. Is eorum primus cognominatus est, qui *lentium* sationi egregie vacavit. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 605. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 266. Illis varia cognomina addebantur, Caudinus, Lupus, Sura, Spinther, Marcellinus, & [illegible]. Sedecim [illegible] fuisse pontificatum maximum, & [illegible], censuras quatuor, triumphos duos, ovationes duas, principatum senatus bis, consulatu sexdecim. I. *L. Lentulus* cos. fuit cum Q. Publilio Philone II. an. 426. dictator post annos septem rei gerundæ causa. II. *Ser. Lentulus* CN. F. CN. N. ut Verrio placet, cos. fuit an. 450. cum L. Genucio Aventinensi. III. *L. Lentulus* Ti. F. Ser. N. cos. an. 478. cum Manio Curio Dentato III. triumphum egit de Samnitibus, & Lucanis Kal. Mart. IV. *L. Lentulus* Caudinus superioris filius cos. cum Q. Fulvio Flacco an. 516. censor anno proximo cum Q. Lutatio Cercone, pontifex maximus an. 532. V. Hujus frater *P. Lentulus* Caudinus L. F. Ti. N. consul fuit cum C. Licinio Varo. Sacerdos [illegible], ludi [illegible] tertium facti sunt. De [illegible] triumphavit. VI. Cn. *Lentulus* L. F. L. N. cos. fuit cum P. Ælio Pæto an. 552. procos: ovans reversus est ex Hispania citeriore post quinquennium. VII. Hujus frater *L. Lentulus* procos: ovans ex Hispania an. 553. & anno proximo consul fuit cum P. Villio Tappulo. VIII. P. *Lentulus* L. F. L. N. superioris filius cos. suffectus cum Cn. Domitio Ahenobarbo an. 6[illegible]. censor an. 615. cum Appio Claudio Pulchro. [illegible] lustro 59. & 60 lectus est. IX. L. *Lentulus* Lupus Cn. F. L. N. cos. cum C. Marcio Figulo an. 597. censor cum L. Marcio Censorino post novem annos. X. Hujus frater Cn. *Lentulus* cos. cum L. Mummio an 607. XI. Alter Cn. *Lentulus*, cujus parentes ignoramus, cos. an. 656. cum P. Licinio Crasso. XII. Cn. *Lentulus* Cn. F. Clodianus cos. cum L. Gellio Poplicola an. 681. Iidem censores [illegible]. Hic ex cognomine videtur a Clodiorum in Corneliam familiam adoptione transisse, cujus rei mentio [illegible] est, nisi forte primus Marcellinorum fuit. XIII. P. *Lentulus* Sura P. F. P. N. cos. anno proximo post superioris consulatum cum Cn. Aufidio Oreste. Hujus pater naturalis Manius Aquilius vir consularis, & triumphalis fuit, a P. Lentulo Publii principis senatus filio adoptatus P. Cornelii *Lentuli* nomen accepit. Sura dictus est, quod quæsturæ pecuniam intervertisset, cum rogaretur a L. Sylla, cujus quæstor erat, *quam esset rationem redditurus, præbebo*, inquit, *suram:* illic enim pueri, & tyrones peccantes percuti solebant. Id significat, quod ait:

Ferimur, inque vicem præbemus crura sagittis.

Post consulatum senatu motus [illegible] iterum magistratus eosdem obtinuit. Prætor iterum fuit [illegible], & in conjuratione Catilinæ, illa detecta coactus abdicare se prætura interfectus est. XIV. P. Cornelius P. F. *Lentulus* Spinther cos. cum Q. Cæcilio Metello Nepote, sexto anno post Ciceronis consulatum. Cognomen ab Spinthere histrione, cui erat simillimus, accepit, ut Val. Max. IX. 14. §. 4. & Plin. VII. 12. retulerunt. Procos: ex Cilicia triumphum egit an. 702. XV. Cn. *Lentulus* Marcellinus P. F. cos. cum L. Marcio Philippo anno proximo post superioris consulatum. Cicero in Bruto auctor est M. Marcellum veterem duorum filiorum patrem fuisse, quorum alter Marcellus Æserninus, alter P. Lentulus Marcellinus appellatus sit. XVI. L. *Lentulus* Crus P. F. flamen Martialis, qui ultimo anno libertatis Reip. Romanæ cos. fuit cum C. Marcello M. F. cui fuit Urbis annus 704. *Augustin. & Strein. de Famil. Rom. in Cornelia. Glandorp. l. l.*

LENUNCULARIUS dicebatur nauta a *lenunculis*. Inscriptio Rom.

MEMORIÆ. PERPETUÆ
Q. CÆCILIO. Q. L. NICANORI
LENUNCULARIO. R. TIB.
Q. CÆCILIUS. ANOPTES. TABUL
R. TIB. S. T. T. L.

Spon Misc. Erud. ant. Sect. VI. *p.* 224.

LENUNCULUS est parvus lembus. V. illum supr. in *Lemunculus.*

LEO.

LEO soli est dicatum animal, & solare animal vocitatur. Plutarch. Symp. IV. 5. *Leonem soli dedicant, quod de curviunguibus quadrupedibus sola leæna videntem edat fœtum, quod momento temporis dormiat, oculique dormientis sufful-geant: & quod Leontini fontes, & hiatus suos nova aqua re-[illegible] Nilo exundante, quando sol per leonem transit.* Sol etiam leonis vultu fingebatur, [illegible] Lutatius, vel quod [illegible] deus ceteros [illegible], & potentiæ excellat, ut inter reliquas feras *leo*; vel quod sit rapidum animal. Et de hoc, vel [illegible] Min. Fel. Octav. p. 261. *De capro etiam, & homine mixtos deos, & leonum, & canum vultus deos dedicatis.* Arnob. VI. p. 196. *Inter deos videmus [illegible] leonis torvissimam faciem, mero obli[illegible] [illegible].* Pignor. Mens. Isiac. explic. p. 64. [illegible] Harpocr. p. 9. Ouzel. in Minucium. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 8. Aleand. Tab. Helia. explic. p. 715. E. Barg. de Obelisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1917. D. [illegible] matri sacrum. *La Chausse de Insign. Pont. Max. tab.* 24. *Lucern. an. ant. tab.* 5. Illos *capere ardui quondam operis erat, foveisque maxime.* [illegible] *injectu operto capite, ita ut devinciatur non repugnans: videli-cet* [illegible] VIII. 16. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 8. *Buleng. de Venat. circi c.* 16. Mansuetissimi fiunt, maxime teneri. Ælian. de Anim. V. 39. [illegible] *patienter* [illegible] *ornatricibus.* [illegible] Illum *primus* [illegible] *Panvin.* [illegible] l. l. Buleng. ibid. c. 21. Argol l. l. Qui illos mansuefaciebant, mansuetarii vocabantur. V. [illegible] in *Mansuetarii.* Plurium simul pugnam primum Romæ [illegible] dedit Q. Mucius P. F. Scævola in curuli ædilitate C. Mario C. F. IV. & Q. Lutatio Q. F. Catulo coss. an. 652. Solin. c. 29. Pan. l. l. *Spectaculum ex leonibus Romæ primus edidit Q. Scævola P. F. in curuli ædilitate. Centum vero leonum jubatorum pugnam princeps L. Cornelius P. F. Sulla Felix, qui postea dictator fuit, in prætura exhibuit* an. Urbis 66[illegible]. C. Cœlio Caldo, L. Domitio Cn. F. Ahenobarbo coss. Senec. de Brev. vit. c. 13. *L. Sulla primus in circo leones solutos dedit, quum alioquin alligati darentur* [illegible] *Rege Boccho jaculatoribus.* Panvin. de Lud. Circ. I. II. [illegible] Triumph. Rom. II. p. [illegible] B. Ad vehicula veteribus adhibebantur. Primus, qui hos Romæ junxit, M. Antonius memoratur. Plin. VIII. 16. *Jugo subdidit eos, primusque Romæ ad currum junxit M. Antonius, & quidem civili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis.* Præter illum de uno legimus Heliogabalo apud Lamprid. c. 28. *Junxit sibi & leones.* Scheffer. de Re vehic. I. 9. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. X. 29. [illegible] Capitol. Max. & Balb. c. 11. *Si imperatorium sacrificium fit, centum leones feriuntur.* [illegible] de Sacrif. c. 2[illegible]. A leonis [illegible] Christiani. Tertull. de Spect. c. 26. [illegible] *nomen Dei blasphematur, illic quotidiani in nos leones expostulantur.* Tertull. de Acclam. VII. 18. Quod Nilus inundaret Ægyptum, *leone* cœlestis [illegible] celebratur, & ideo Ægyptiis *leo* erat [illegible] symbolum: ac si tubos [illegible] & aquæductuum [illegible], ut aquæ e capite *leonis* patulo [illegible] evomerentur. Eumque morem ab architectis Ægyptiis accepere Græci, ac Romani: ab his nos, & gentes aliæ. Uti & ab iisdem fuit Ægyptiis ad nos derivatum, quod claustris ædium, templorum inprimis, *leonis* capita, rictusque apponamus. Plutarch. de Isid. & Osir. p. 366. A. *Leonem venerantur, ac rictibus leoninis templorum fores exornant, quia Nilus abundat,*

Titanis primum curru tangente leonem.

Voss. de Idolol. II. 75. Cuper. Harpocr. p. 48. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 8. Saubert. de Sacrif. c. 14. Quibus rebus, sed variis afficiantur. V. infr. in *Rotæ.*

Leo lapideus *leo fori Romani celebri, & claro, pro rostris jacuit, Faustuli corpori impositus, inventi & sepulti ubi occubuerat.* Dionys. I. p. 74. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 12.

LEONINA civitas dicta est de nomine Leonis IV. pontificis Romani illa Urbis pars, ubi in colle Vaticano sita est basilica Apostoli Petri. Hanc ille muro veteri, qui circa Adriani molem, & S. Spiritus xenodochium tantum protendebatur, producto, Urbis mœnibus inclusit, & Corsis a Saracenis patriis sedibus pulsis habitandam tradidit. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 229. *D. Donat. de Urb. Rom.* I. 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 23: V. 9. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 40. V. & supr. in *Burgus.*

ΛΕΩΦΟΡΟΣ appellatur via militaris, qua iter facturus est exercitus. Joseph. Ἁλωσ. III. *Post hos stratores viarum ibant, qui aggeris [illegible], τῆς λεωφόρου τὰ δύσβατα, corrigerent, ac aspera complanarent, sylvasque obstantes præciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus.* Philo de mun. [illegible], viæ [illegible] præeunte populo Judaico: *Fit via lata, & militaris:* Ὁδὸς λεωφόρος. De hoc autem more vias muniendi exercitui iter facienti intelligenda sunt, quæ ex Esaj. c. 40 n. 3 laudant, & de Johanne Baptista interpretantur Matth. c. 3. n. 3. Luc. c. 3. n. 4. Joh. c. 1. n. 23. *Vox clamantis in deserto: parate viam Jehovæ, complanate semitas ejus.* Canit enim propheta, populum jam jam ex captivitate in Judæam reversurum; eique jubet muniri viam. Et hoc est, quod Josephus dixit. Tacit. Annal. I. 50. 4. *Cæcina cum expeditis cohortibus præire, & obstantia sylvarum amoliri jubetur.* Cæs. de Bell. Gal. III. 29. *Cæsar sylvas cædere instituit, &, ne quis inermibus, imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam, quæ erat cæsa, conversam ad hostem collocabat.* Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1264. D.

LEP.

LEPIDUS est cognomen Romanorum. Ex illorum stirpe decem ad M. *Lepidum* triumvirum, post eum ad obitum Augusti septem insignes magistratus, honores, ac sacerdotia obtinuerunt. Duo pontifices maximi fuerunt, unus semel, alter sex lustris princeps senatus, unus triumvir bis Reipublicæ constituendæ, unus magister equitum bis, censores tres, duo triumphales, ex quibus alter bis, unus triumphalia ornamenta accepit. Consules XV. obtinuere consulatus XVIII. ex quibus quatuor tantum suffectorum fuerunt. I. M. *Lepidus* cos. cum C. Claudio Canina an. 468. II. Marcus M. F. M. N. consul cum M. Publicio Malleolo an. 521. & cum M. Valerio Lævino post duodecim annos. III. Marcus, superioris filius, qui indolis suæ specimen prætextatus dedit, & annos natus quindecim hostem occidit, civem servavit, & ideo ei statua est in Capitolio: & de ea re denarius exstat cum his literis: M. LEPIDUS. AN. XV. PR. H. O. C. S. Alter insignem honorem habitum eidem significat: ut cum Ptolemæus Rex tutorem filio populum Romanum reliquisset, *Lepidus* hic, qui pontifex maximus, & bis consul fuit, ad Regis pueri tutelam gerendam Alexandriam missus sit. Fuit cos. cum C. Flaminio C. F. an. 566. pontifex maximus octavo postea anno, censor eodem anno cum M. Fulvio Nobiliore, & princeps senatus lectus est: iterum cos. cum P. Mucio Scævula, de Liguribus

ribus triumphavit an. 578. Hic sex lustris princeps senatus lectus est. IV. M. *Lepidus* M. F. M. N. cos. an. 595. cum C. Popillio Lænate II. V. M. *Lepidus*, Porcina dictus, principis Lepidi filius, consul an. 616. VI. Mamerci prænomine, superioris frater, undecimo postea anno cos. cum L. Aurelio Oreste. VII. M. Aimilius. Q. F. M. N. *Lepidus* a Vennio appellatur, cos. cum Q. Lutatio Catulo an. 675. Hunc esse arbitror Triumviri patrem, quem pro eo tum principis senatus fuisse Cicero auctor est. Erit igitur hic Porcinæ nepos. VIII. Mamercus Aimilius Mam. F. M. N. *Lepidus* Livianus: D. Livii Drusi filius fuisse dicitur, adoptatus a Mamerco principis *Lepidi* filio, cos. ad anno post superiorem cum Cn. Octavio, censor post consulatum an. 16. cum P. Servilio Isaurico, lustrum fecerunt 69. & proximo lustro princeps senatus lectus an. 698. IX. M. *Lepidus*, qui cum L. Volcatio Tullo cos. fuit an. 687. Hujus parentes ignorantur. X. M. *Lepidus* triumvir, qui a M. Verrio M. F. Q. N. dicitur, hoc est, septimo loco constituti filius. Prætor Cæsarem dictatorem dixit novo more, cæteros enim consules dixerunt. Proprætore ex Hispania triumphum egit an. 706. Sequenti consul fuit cum C. Cæsare III. & in tertia, & quarta dictatura magister equitum. Occiso Cæsare Idibus Martiis pontifex maximus factus est an. 709. Sequenti triumvir Reipublicæ constituendæ cum M. Antonio, & C. Cæsare Octaviano, qui postea Augustus est appellatus. Eodem anno pridie Kal. Januar. procos. ex Hispania iterum triumphavit. Kalendis ipsis cos. iterum fuit cum C. Munatio Planco. Iterum triumvir in alterum quinquennium cum eisdem collegis creatus anno secundo a Cæsare collega abdicare coactus est: erat is annus 717. vixit autem usque ad annum 740. pontifex maximus. *August. de Famil. Roman. in Æmilia. Glandorp. Onom. Rom. p. 25. Nonn. in Goltz. Jul. Cæsar. Nomism. p. 56.*

LEPISTA *genus vasis aquarii.* Festus. Gloss. Philox. *Lepista*, εἶδος χύτρας. Varro de vit. pop. Rom. I. apud Non. XV. 35. *Lepistæ etiam nunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque aut fictiles sunt, aut aneæ.* Vox est Dolopum. Dicit hoc Eustath. Iliad. Φ. p. 1338. ac dictam λεπάςην, *quod tenue, & patulum sit ad modum conchæ*, κατὰ λεπάδας. *Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Festum, & Conject. in Varr. n. p. 53. Dacer. in Festum. Buleng. de Conviv. IV. 16. Muson. Phil. de Lux. Græcor. II. 1.*

LEPORARIUM appellatum est locus, quo *lepores* septis inclusos asservaret antiquitas, ut, cum opus esset, in promptu essent. Deinde, cum paullatim gulæ deliciæ excrevissent, translata fuerunt ad alia animantia, conservato tamen priori nomine. Varr. de Re rust. III. 3. *Leporaria te accipere volo non ea, quæ tritavi nostri dicebant, ubi soli lepores sint, sed omnia septa afficta villæ quæ sunt, & habent inclusa animalia, quæ pascantur.* c. 12. *Hoc quoque nuper institutum, ut saginarent pleraque, cum exceptos e leporario concludant in caveis, & loco clauso faciant pingues.* Pinell. Additam. ad Panvin. de Lud. Circens. II. 8. Pignor. de Serv. p. 561. Grapald. de Part. dom. I. 70. I.

LEPTA apud Marc. c. 12. n. 42. & Luc. c. 12. n. 59. vir quidam doctus putat denotare minutos, æreolos, minimique pretii nummulos, hoc est chalcos, quales octo in obolo numerantur. Sed ejus opinio nimis infirmis nititur argumentis. Statuit vir doctus, *lepti*, sive chalci pondus octavam duntaxat oboli partem constituisse; unde *leptum* vocat æreolum, minimique pretii nummulum: & verbo numerare utitur ad pondus, non autem valorem nummuli istius exprimendum. Sed concedi nequit, *leptum* tam exigui ponderis nummulum fuisse, quoniam, si sex oboli in denario numerantur, & septem denarii in uncia, quadragesimam octavam duntaxat denarii partem, sive sesquigranum continuisset, qualis generis nummos, præsertim æreos, qui tam exiguo sunt pondere, nemo adhuc inter monetas veterum reperit. Alter vir doctus illa accipit pro drachmis argenteis, vel saltem æreis. Hujus opinio vero propior est. Omnes enim fatentur, nummos, qui in gazophylacio templi condebantur, destinatos fuisse usibus, & conservationi templi, impensisque illis, quas cultus divinus requirebat; & in gazophylacium illud nummos a populo, secundum mandatum Dei fuisse collatos. Deus enim, ut legitur Exod. c. 25. n. 3. præceperat, ut tam viri, quam feminæ, pro lubitu ad structuram tabernaculi quicquam de suo largirentur; & deinde, ut omnes, qui vigesimum ætatis annum attigissent, didrachmum penderent ad usus tabernaculi, ut docetur Exod. c. 30. n. 14. Longo post tempore, cum Athalia, ejusque filii templum vastassent, & expilassent, pontifex Jojadas, secundum institutum divinum, & mandatum Regis Joæ, juxta altare collocari jussit gazophylacium, ad dextrum latus eorum, qui templum intrabant, sitam, ut hac ratione populus ad liberalitatem invitatus muneribus sponte collatis restaurationem templi adjuvaret 2. Reg. c. 12. n. 10. Et hoc ab eo tempore in templo ad illum finem semper mansit. Valde igitur credibile est, pauperem hanc viduam, pietate in Deum, & amore cultus divini flagrantem, cum in munus offerre vellet, didrachmum saltem, sive duos denarios argenteos, quos ex præcepto divino viri, non feminæ, pendere tenebantur, sponte, & lubenti animo in gazophylacium intulisse, quamvis id tenues facultates vix paterentur. Quare Servator ad Apostolos dixit, viduam hanc plus dedisse, quam quisquam aliorum, etiam longe ditiorum, quoniam quicquid illi dabant, quamvis id fere amplius esset, parum tamen erat, pro ratione opum, quas habebant, cum contra vidua hæc, dando isto munere, omnes suas facultates exhausisset. Hinc Ambros. de viduis, de ea loquens: *Nemo plus tribuit, quam quæ nihil sibi reliquit.* Quod si igitur vidua hæc octavam tantum oboli partem dedisset, muneris istius valor, pro pretio, quod illo tempore æs circiter habuit, recte quidem secundam denarii nostratis partem æquasset, quo pretio vix quartam aciculæ partem aliquis emat. *Savot. de Numm. Ant.* III. 18.

LEPTIS urbs Africæ a Plin. V. 4. inter oppida libera reposita, colonia Romanorum fuit: eaque juris Italici, ut habetur l. 8. §. 11. ff. de censib. *In Africa Leptis magna a divis Severo, & Antonino juris Italici facta est.* Augustin. Hispan. Ant. dial. 6. Ultet. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 634. F. Vaillant Numism. II. p. 1.

LEPUS inter cibos exquisitissimos, qui ex quadrupedibus sumuntur, primas tenet. Mart. XIII. 92. V. illum infr. in *Turdus.* Aristoph. Vesp. p. 482. B. dixit Ζῆν ἐν πᾶσι λαγῴοις, *vivere in omnibus leporibus*, ἀντὶ τοῦ ἐν τρυφῇ, ut notat Scholiastes, quod ita receptum, ut in adagii formulam abierit, qua vitæ deliciis indigitaretur. Catius etiam apud Horat. Sat. II. 4. 44. eum, qui palato sapiat, *leporis armos sectari* jubet. Denique apud Petron. c. 36. in deliciarum apparatu Trimalchionis *ad alterum ferculum cum altilibus & sumine lepus in medio pennis subornatus ut Pegasus videretur*, apponitur. Verisimile est illum e feris primum leporibus paratum fuisse, primumque septis includi cœptum, quæ inde *leporaria* dicta leguntur. *Castellan. de Conviv.* III. 5. *Voss. de Idolol.* III. 66. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVI. 29. *Buleng. de Conviv.* II. 5. & 21. Hasce delicias plurimum commendavit pervulgata opinio, quod qui *leporem* ederet, septem diebus formosus esse crederetur. Mart. V. 30. I.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum lux mea narras:
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Plin. XXVIII. 19. *Lepore sumpto in cibis vulgus arbitratur fieri gratiam corpori in septem dies, frivolo quidem joco, cui tamen aliqua debeat subesse causa in tanta persuasione.* Causam nonnulli afferre conati sunt, quod id pulpamentum vi polleat extergendi bilem atram, atque ita animos exhilarandi. Ego hoc ex vi vocabuli, & vicinia nominum *leporis* & *leporis* tractum puto. In vocibus enim antiquitas religionem, & auspiciorum observationem magna parte constare dixit: cujus rei gratia in publicis vectigalibus lacus Lucrinus omnium primus locabatur fruendus, boni ominis gratia,

gratis, ut id Reipublicæ, redemptoribusque lucrosam, quæstuosamque faceret. Hinc etiam in delectu, censuque faciendo primi, Valerius, Salvius, Statorius nominabantur, ut id populo Romano felix, ac salutare evaderet. Non secus igitur eos lepidos fieri, leporemque mutuari crediderunt, qui lepore uterentur. Huic sententiæ nonnihil suffragii afferre videtur epigramma antiquum, quod in Severum Alexandrum Imperatorem, quotidie lepusculos esitantem factum est, apud Lamprid. c. 38.

Pulcrum quod vides esse nostrum Regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit & lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem.

Calcagn. Epist. Quæst. 1. 31. Rhodig. xxvi. 30. Bruyer. de Re cibar. xiii. 24. Voss. & Castellan. l. l. In auguriis receptus est: in exercitu enim Xerxis, Persarum Regis, quem adversus Græcos innumerorum, ac prope incredibilem paraverat, equa leporem peperit, quod turpissimam Regis fugam, quæ subsecuta est, signi fieri voluit: est enim timidum animal, in exercitibus semper fugam præsagiens. *Niph. de Augur.* 1. 10. Juvenis nudus, & alatus, *leporem* dextra tenens, læva fructus, venationis opportunitatem, & fructuum abundantiam autumnali tempore videtur designare. Negotium tamen facessit auctoritas scriptorum, qui *leporum* venationi hyemale tempus opportunum tradunt. Virg. Georg 1. 308.

Auritosque sequi lepores, tum figere damas,
Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.

Horat. Sat. 1. 2. 206.

—— leporem venator ut alta
In nive sectatur.

Unde *niveum* dicitur a Calpurn. vii 57.

Ordine quid referam, vidi genus omne ferarum,
Hic niveos lepores. . . .

Attamen cum in gemmulis, & nummis, & toreumatibus antiquis hyemalis tempestas vestita semper conspiciatur, aut animalem hunc in ea imagine repræsentari ego magis adducor, quod eadem *leporem* tenens in nummis exhibeatur; & nix ad *leporum* venationem ea soli fortasse ratione videtur requiri, quod signis pedum niveis impressis animalium gressus venatori facilius indicantur. *La Chausse de Decr. [illegible] tab.* 41. Ejus occursus ominosus, infaustus, & inauspicatus est creditus. Hoc non nostri tantum temporis vulgus credit, sed veteribus etiam persuasum fuit. Senarius Astrampf. Oneirocritico:

Inauspicatum dat iter oblatus lepus.

Archidamus autem Zeuxidami filius Spartiata, Corinthiorum urbem aggressus, cum *leporem* ex loco muris vicino excitatum animadvertisset, omine in hostes converso, futurum ait ad milites, ut hostes facile caperentur: ejus quippe casu usus ad incendendos eorum animos, & taxandam hostium ignaviam, quod urbs ea minime bellicosa videretur, quam tuti adeo *lepores* inhabitarent. Pari prorsus modum eventu Arnulpho Rege, qui Berengario auxilium tulerat, Romam oppugnante, excitus e latebris clamore, tumultuque militum, *lepus* Urbem versus cursum arripit: hunc milites toto temere agmine concito insequi cum cœpissent, cursuque & clamoribus acrius deterrerent, Romani, qui in propugnaculis stabant, Urbem eo impetu peti verati, cui se longe impares propter defendentium inopiam arbitrabantur, pari consensu desertis mœnibus ad terram se summisere. Barbari occasione freti, sellis equorum, & veterinorum ad mœnia in cumulum aggestis, per eas nullo reluctante in mœnia evasere, & Leoninam urbem, primaria nunc Romanæ est regio, V. illam supr. nullo negotio ceperunt, vincendi occasionem suppeditante *leporino* occursu. *Pier. Hierogl.* xiii. 5. *Lyd. de Re milit.* 1. 3. *Rhodig. ibid. c.* 29. Lepori uvis infesto vinitor cerebrum elisit, quem Baccho victimam, & munus obtulit. *Tomaf. de Donar. c.* 27.

LES.

LESSUS erat ejulatio funebris, sive lugubris. Onomasticon interpretatur θρῆνον. Eum xii. tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt. Verba legis adfert Cicer. de Leg. ii. 23. *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Et addit: *Hoc veteres interpretes Sex. Ælius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt: sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris, L. Ælius lessum quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat: quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat.* Plaut. Truc. iv. 2. 18.

Thetis quoque ipsa lamentando lessum fecit filio.

Et nihil aliud est quam Græcorum λῖνος. Nam *lesus* Tarentini dicebant. N. autem in S mutatur, ut ἀρχιτέκτων, *architectus*, Γόργων, *Gurges.* Postea *lessus* dici cœptum est, cum antiquitus consonantes literas non geminarent. *Meurs. de Fun. c.* 18. *Solon. c.* 17. *Kirchman. de Fun.* ii. 6. *Guther. de Jur. man.* 1. 13. *Ravard. ad Leg.* xii. *tab. c.* 15. *Voss. Lex. Etymol. Lips. Epist. Quæst.* iv. 12. *Rittersh. in Leg.* xii. *tab. Class.* 1. *c.* 6. *Turneb. in Cicer. de Leg.* ii. *p.* 161. *Hotman. Antiq. Roman.* iii. 1. *p.* 389. *C. Blond. Triumph. Rom.* ii. *p.* 38. *H. Crag. de Republ. Laced.* iii. 1. *leg. [illegible] instit.* 9. *Taubman. in Plautum.* Calder. *Obs.* iii. 7. & 8. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 729. *Balduin. in Leg.* xii. *tab. c.* 31. *Schill Nomencl. Philol. p.* 662. *Casal. de Proph. Roman. rit. c.* 26. *de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 26. *Kipping. Antiq. Roman.* iv. 6. 5.

LEV.

LEVANA dicebatur dea, quæ natos infantes de terra levabat. Augustin. de Civ. Dei iv. 11. *Ipse levet natos infantes de terra, & vocetur dea Levana.* Barthol. de Puerp. c. 73. Voss. de Idolol. ii. 26. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 48. D. Pius Annot. prior. c. 3. Turneb. Adv. iv 15. Tomaf. de Donar. c. 10. Stuck. Ant. Conviv. 1. 16. Aring. Rom. Subterr 1. 8. §. 13. Kipping. Antiq. Roman. 1. 1. §. 10. Blond Triumph. Rom 1. p. 12. I. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. ii. 19. Morem infantes recens natos de terra levandi V. supr. in *Infantes.*

LEUCÆ vox a Latinis efficta est ex prisca aliqua voce Gallica. Consentiunt enim omnes uno ore, *leucæ* vocem esse Gallicam. Vicinæ gentes eandem ad suas vias dimetiendas adoptarunt, quamvis non retinuerint veram ejus longitudinem. Imo, quod magis mirum, in ipsis Galliarum provinciis variat *leucarum* mensura, & longitudo, cum pro lubitu ab his producatur, ab illis contrahatur. *Bergier. de Viis milit.* iii. *Sect.* 12. §. 2. *Salmaf. Exercit. Plin. p.* 841. *b. C.* Bergierius etiam de variis illarum speciebus disserit *ibid.* §. 3. . . . 13.

LEUCI *e genere ardeolarum optimi sunt auguriis, cum ad austrum volant, septemtrionemve. Solvi enim pericula, & metus narrant. Altero oculo carere tradunt.* Plin. xi. 37. *Buleng. de Aug. & ausp. c.* 6.

LEUCONICUM, in quo populus in circo sedebat, fiebat e concisis arundinibus. Mart. xi. 22.

Culcita Leuconico quam viduata suo.

Vocabatur quoque gnaphalium. V. hoc supr. in *Gnaphalium.* & tomentum circense. V. infr. in *Tomentum.* Buleng. de Circo c. 32.

LEUCOSYRI vocati sunt Cappadoces. Rationem V. supr. in *Cappadoces.*

LEVITONARIUM *est colobium sine manicis, quali monachi Ægyptii utuntur.* Isidor. xix. 21. Non plane tamen manicis caruisse docet Cassianus. V. illum supr. in *Colobium.* Ferrar. de Re vest. 1. 3. 8. Anal. de Re vest. c. 25.

LEX.

LEX non solum populi, plebisve jussa, & scita, seu cujus-

cujuſcunque poteſtatis decreta, verum doctrinarum etiam præcepta, & quamcunque conventionem, atque conditionem ſignificat. Sed in his omnibus tranſlatitio genere utimur. *Legis* enim nomen proprie ad jus, & juſtitiam refertur. Papinianus Demoſthenis definitionem ſecutus ſcribit *legem eſſe commune præceptum, virorum prudentium conſultum, delictorum, quæ ſponte, vel ignorantia contrahuntur, coercitionem, ſponſionem denique Reipublicæ communem.* A Cicerone multis modis definitio tentata eſt, ſed breviſſima deſcriptio de Nat. deor. II. 31. *Lex eſt recti præceptio, pravique depulſio.* Ego illorum magis ſententiam probo, qui leges Romanorum alia ratione definiendas eſſe putaverunt. Juſtin. Inſtit. l. 2. §. 7. *Lex eſt, quod populus Romanus ſenatorio magiſtratu interrogante, veluti conſule, conſtituebat.* Severin. in Top. Cicer. III. *Lex eſt, quam populus centuriatis comitiis ſciverit.* Quomodo differat a plebiſcito, privilegio & rogatione V. infr. ſuis locis. *Auguſt. de Legib.* c. 1. *Manut. de Leg.* c. 31. *Palæot. de Noth. & ſpur.* c. 1. §. 10. Non ferebatur, niſi a magiſtratibus; majoribus quatuor, prætore, & conſule, qui ordinarii magiſtratus erant: item dictatore, & interrege, qui majores quidem, ordinarii tamen non erant, neque populi comitiis creabantur: & uno minore, tribuno plebis. *Manut. ibid.* c. 32. Hi enim omnes, quia cum populo agere poterant, etiam poterant ferre ad populum, ac rogare *legem*. Agere cum populo quid ſit. V. ſupr. in *Agere*. Et *legem* eſſe, quod populus Romanus, magiſtratu interrogante, conſtituebat, modo Juſtinianus dixit. Extraordinario etiam jure *leges* ferre potuerunt tribuni militum, qui pro conſulibus creati ſunt, ac decemviri *legum* ferendarum cauſa, triumviri quoque Reipublicæ conſtituendæ cauſa creati. Addo Regem, & tribunum celerum, item Imperatorem, poſt legem regiam, qua populus ei, & in eum omnem poteſtatem tranſtulit. Ulpian. l. 1. §. 1. ff. de Conſtit. princ. *Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpote cum lege regia, quæ de imperio ejus lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem conferat.* De *legibus* Juliis, quæ ab Auguſto latæ ſunt, ut de *legibus* Regum nulla dubitatio eſt. *Auguſt. ibid.* c. 7. Locum ferendæ *legis* interdum prata Flaminia, qui poſtea circus Flaminius dictus eſt; interdum lucum Petilinum, quandoque Capitolium, ſed plerumque forum, aut campum Martium fuiſſe legimus. De pratis Flaminiis, luco Petilino, Capitolio Livius teſtis eſt. De foro Cicer. pro Rab. Poſt. c. 7. *Si lex ferretur, convolaretis ad Roſtra.* Erant enim Roſtra in foro. De campo inde conſtat, quod cum centuriatis comitiis ſæpe latæ ſint, centuriata porro comitia in campo eſſe habita, omnes hiſtoriæ narrant: manifeſto ſequitur, ut *leges* centuriatis comitiis latæ, in campo latæ ſint. In loco ſacro, potius quam profano latas crediderim I. quod in Roſtris, qui locus erat auguratus, templumque dicebatur, ſæpe a magiſtratu ferretur. Cicer. pro Sext. c. 35. *Princeps rogationis Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupavit* n. ut *legem* ferret. Docet hoc pro Mil. c. 14. *Potuitne Fabricio, viro optimo, cum de reditu meo legem ferret, pulſo?* Roſtra vero illud templum. Cicer. in Vatin. c. 10. *Cum L. Vettium indicem in Roſtris, in illo, inquam, augurato templo, ac loco collocaris.* Liv. VIII. 15. V. illum infr. in *Roſtra*. II. quod *leges* a P. Clodio latas in templo Caſtoris invenio. Cicer. in Piſon. c. 9. *Eodem in templo arbitria non mei ſolum, ſed patriæ funeris abſtuliſti.* Quæ ſic interpretor: quo in templo *legem* de mea pernicie tulerat Clodius, eodem in templo de Macedonia tibi tradenda ſtatim *legem* tulit: quam tu provinciam ad arbitrium tuum pro meo funere, quod idem patriæ funus fuit, ipſe pactus eras: itaque provinciam *lege* traditam, quaſi præmium a Clodio debitum abſtuliſti. Et quidem has, cum in foro ferrentur, hoc eſt, tributis comitiis. In campo, in quo centuriatis ferebantur, nulla erant templa, locus, in quo ferebantur, ante auguratus fuit. Liv. III. 20. *Tribuni, ut impediendæ rei nulla ſpes erat, de proferendo exercitu agere, eo magis quod & augures juſſos adeſſe ad lacum Regillum, fama exierat, locumque inaugurari, ubi auſpicato cum populo agi poſſet.* Manut. ibid. c. 39. Non licebat omnibus diebus *legem* ferri, neque, quibus liceret, per omnes horas. Licebat faſtis tantum diebus, nefaſtis non licebat: nec vero faſtis omnibus, ſed comitialibus tantum. V. illos ſupr. in *Dies*. Illis autem ita licebat, ſi nemo de cœlo ſervaret: quæ duabus *legibus*, Ælia, & Fuſia, ſancita erant. Id annis prope centum ante Ciceronis ætatem, ut ſcribit in Piſonem, inſtitutum ad extrema fere manſit Reipublicæ tempora. Piſone autem & Gabinio coſſ. P. Clodius tribunus plebis, ut armaret immoderata licentia tribunitiam poteſtatem, dierum diſcrimen, & impedimenta auſpiciorum ſuſtulit. Neque enim tantum, ut omnibus plane faſtis ferri *lex* poſſet, verum etiam, ne quis per eos dies, quibus cum populo liceret agi, de cœlo ſervaret, rogationem tulit. Idque poſtea ſervatum eſſe, ſignificare videtur Cicer. de Prov. c. 19. *Aut ſtatuendum vobis eſt, legem Æliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere, cum lex feratur, de cœlo ſervari, obnuntiari, intercedi licere.* Opinor etiam, qui dies religioſi vocabantur, quorum in numero atri erant, iis non potuiſſe legem ferri. V. ſupr. in *Dies*. Horæ, quibus agi cum populo poſſet, omnes erant intra ſolis ortum, & occaſum. V. ſupr. in *Hora*. Manut. ibid. c. 40. Ferebatur comitiis, aut tributis, aut centuriatis, aut etiam, ut in imperio mandando, & in adoptionibus, curiatis. Si tributis, aut cum, aut ſine Scto: ſi centuriatis e Scto. Semper plus omnino dignitatis, atque auctoritatis in centuriatis, ſed poteſtatis non minus erat in tributis. Æque enim populus univerſus tenebatur iis *legibus*, quæ tributis comitiis ferebantur, atque iis, quæ centuriatis: idque ſancitum eſſe *lege* a Q. Hortenſio dictatore lata, cum ante jure eo, quod ſtatuiſſet plebs, patricii non tenerentur. Gell. XV. 27. *Tribuni neque advocant patricios, neque ad eos referre de re ulla poſſunt: ita ne leges quidem proprie, ſed plebiſcita appellantur, quæ tribunis plebis ferentibus accepta ſunt: quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec Q. Hortenſius dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur.* Manut. ibid. c. 33. V. etiam ſupr. in *Comitia*. A corruptis moribus manarunt. Nam ubi continenter, & ſobrie vivitur, ubi colitur pietas, ubi juſtitiæ locus eſt; quorſum ibi *lex* feratur? Vetuſtiſſimi mortalium prorſus omnem vim, atque luxum ignorantes, tranquillam vitam, ipſa natura duce vivebant. Poſt erupit injuria, & quod quiſque potuit, id quiſque velle, neglecta ratione cœpit. Tunc neceſſario *leges* latæ, & injecta licentiæ quaſi frena, quæ, ſi quis recte agere ſua ſponte nollet, cum pœnæ metu in officio continerent. Itaque conſervandæ, augendæque civitatis cauſa, & ut eſſet bene vivendi norma, *legem* inventam, manifeſte cognoſcitur. Et *lex* nominanda non eſt, cujus turpis, ac vitioſa origo ſit. Nam *legis* cauſa juſtitia, & *lex* ipſa ſancta, ac juſta debet eſſe: inde enim publicum commodum exoritur, & quo munitur imperium adverſus vim hoſtilem, & quo privati cives ſua quiſque bona, ſuum quiſque jus, adverſus privatorum injurias tuentur. *Manut. ibid.* c. 41. *Auguſt. ibid.* c. 4. Magiſtratus *legem* laturus ſcribebat eam domi, & cum peritis conſultabat, ne quid contra populi rem, aut voluntatem ſanciret: ne forte pugnantia capita ſimul ferret: neve quid, quod vetus aliqua, ſi ferretur, inane, infirmumque juberet eſſe: ne curationem, poteſtatem, commodumve aliquod ipſe ſibi ſua *lege*, aut collegis, aut cognatis, affinibus mandaret: ne pluribus de rebus, quæ non ejuſdem generis, una rogatione ferretur. Addebatur illa exceptio, ut ſi quid jus non eſſet rogari, ne eſſet rogatum: ſi quid contra alias *leges* ejus *legis* ergo latum eſſet, ut ei, qui eam *legem* rogaſſet, impune eſſet. Scripta *lege* legiſlator, antequam eam promulgaret, referebat ad ſenatum, ut, quo plus ponderis, majoremque vim haberet, de ſenatus eam ſententia ferret. *Manut. ibid.* c. 34. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 11. Deinde promulgabatur, id eſt, in publico ponebatur. Eſt enim *promulgare*, ut ait Feſtus, *quaſi provulgare*. Id autem eo fiebat, ut inſpiceret qui vellet, inſpectam conſideraret: non ſolum, ut intercedi poſſet antequam ferretur; verum etiam, ut aliquanto

ante statum cuivis liceret, utrum, cum ferretur, antiquanda esset, an accipienda esset. Quæ contra legem dici possint, tradit Quintil. II. 4. *Aut enim de jure dubitari potest ejus, qui rogat, ut de P. Clodio, qui non rite creatus tribunus arguebatur; aut de ipsius rogationis, quod est varium: sive non trino forte nundino promulgata, sive non idoneo die, sive contra intercessiones, vel auspicia, aliudve quid, quod legitime obstet, dicitur lata esse, vel ferri, sive alicui manentium legum repugnare.* Spatium promulgationis erat trinundinum, ut de proposita lege posset ab iis, qui in Urbem e rusticis tribubus, ac municipiis veniebant. Macrob. I. 16. *Rutilius scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso rure, ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent: & ut scita, atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita a singulis, atque universis facile noscebantur: unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur.* Augustin. ibid. c. 10. Manut. l. l. Argel. in Panvin. de Lud. Circ. I. 18. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 448. Manut. de Legib. c. 34. Hotman. l. l. Post tertias nundinas magistratus in locum, ubi *legem* laturus erat, populum convocabat: ibi, cum *legem* præco, subjiciente scriba, recitasset, tum primus quidem is, qui *legem* promulgarat, populo suadebat, ut rogationem acciperet: sed post eum alii, non privati modo, quibus ab aliquo magistratu concio dabatur; verum quandoque etiam magistratus, pro suo quisque sensu, vel suadebant, vel dissuadebant. Quintil. l. l. *Romanis pro concione leges suadere, aut dissuadere moris erat.* Liv. XXXIV. 1. *M. & P. Junii Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur, nec eam se abrogari passuros ajebant. Ad suadendum, dissuadendumque multi nobiles prodibant.* c. 5. *Si privati tantummodo ad suadendum, dissuadendumque id, quod a nobis rogatur, processissent.* Cato apud Cicer. de Senect. c. 5. V. illum infr. in *Lex Voconia*. Et *Fabius Maximus admodum se senex suasor legis Cinciæ de donis, & muneribus fuit* apud eund. ibid. c. 4. *Legem* Maniliam de bello Mithridatico Cn. Pompejo extra ordinem mandando, dissuasit Hortensius apud Cicer. pro leg. Manil. c. 17. Papiriam de tribunis plebis reficiendis Lælius & Africanus apud Cicer. de Amic. c. 25. *Brisson. de Form.* II. *p.* 131. *Manut. ibid. c.* 35. *August. ibid. c.* 11. *Hotman. l. l.* Causæ, quo minus promulgata perferri posset, denarrantur supr. in *Intercessio*. Illarum initium adferebat tribus, quæ primum ad suffragium ferendum vocata erat, cui principii nomen imponebatur: simulque ejus nomen adscribebatur, qui pro tribu primus scivisset. Utrumque patet ex lege agraria. Frontin. de Aquæd. II. in qua est: *Tribus Sergia principium fuit: pro tribu Sextus Lucii filius Varro primus scivit.* Et in lege Thoria eadem verba primum gradum obtinent. Prima siquidem ejus clausula ita habet: *Tribus principium fuit: pro tribu Q. Fabius Q. F. scivit.* Utriusque testem habemus Liv. IX. 38. *Atque ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Faucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ Urbis, & Caudinæ pacis: quod utroque anno ejusdem curiæ fuerat principium.* c. 46. *Quum appareret tribubus, fieretque se pro tribu ædilem videret.* Brisson. ibid. p. 138. Gronov. Observ. IV. 1. Keuchen. in Frontinum. Clausula vero vulgaris hæc fuisse videtur: *Si quid de ea re ad populum, plebemve lati opus est, coss. prætores, tribuni plebis, qui nunc sunt, quod eis videbitur, ad populum, plebemve ferunto.* Quæ verba Valerius Probus notis hisce perscribi solita tradit: S. Q. D. E. R. A. P. P. V. L. O. E. COSS. PRÆTT. TR. PL. Q. N. S. Q. E. V. A. P. P. V. F. *Brisson. l. l.* Perlata in æs incidebatur. [illegible] p. 568. B. *Talos ter quotannis omnes pagos lustrabat, leges eorum observaturus; tabulis æreis leges inscriptas circumferens, unde æreus nominatus est.* Cicer. Phil. I. 10. *Quod [illegible], id lex erit, & in æs incidi jubebunt.* Ovid. Met. I. 88.

—— nec verba minantia fixo
Ære legebantur.

Et hinc *legum* æra dicuntur Cicer. Catil. III. 8. *In Capitolio legum æra liquefacta.* Urbane Plaut. Trin. IV. 3. 30.

Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam:
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Augustin. ibid. c. 16. Turneb. Adv. XXX. 35. Brisson. ibid. III. p. 324. Manut. de Leg. c. 38. Voss. Gramm. I. 35. Donat. de Urb. Rom. II. 9. Bud. Misc. IV. 12. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 73. Rycq. de Capit. c. 30. Salmas. Exerc. Plin. p. 521. b. B. Pitisc. in Suet. Cæs. c. 28. n. 2. §. 19. Lampe de Cymbal. III. 11. Et in ærarium deferebatur. V. supr. in *Ærarium*. Vetus interdum nova vel corrigebatur, vel, ut tempora, moresque ferebant, aliis cautionibus adjectis augebatur, ut moribus ad deteriora inclinantibus magis pœna gravior irrogaretur. Cicer. de Offic. II. 21. *Nondum centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset: at vero postea tot leges, & proximæ quæque duriores.* Manut. ibid. c. 5. Castal. de Columna triumph. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1948. E. Inde dicebatur illi abrogari, cum, postquam perlata erat, retractabatur: Modest. l. derogatur ff. de rer. signif. *Abrogatur legi, cum prorsus tollitur.* Vigebat illa, usque dum alia lege abrogaretur. Abrogare *legem* proprie populus dicebatur. Senatus non abrogabat *legem*, sed, ut abrogaretur, statuebat. *Manut. ibid. c.* 42. *August. ibid. c.* 17. *Brisson. de Form.* II. *p.* 135. *Ræevard. ad Leg.* XII. *tab. c.* 1. *Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 3. Populus in hoc genere non semper sensit e Republica; nam quemadmodum sæpe malas *leges* bonus populus; sic interdum bonas malus abrogavit: a senatu vero nunquam *lex* ulla, nisi Reipublicæ causa sublata est. *Erant quatuor omnino genera, quibus per senatum more majorum statueretur aliquid de legibus.* I. *Ejusmodi placere legem abrogari: ut Q. Cæcilio, M. Junio coss. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur.* II. *quæ lex lata esse diceretur, ea non videri populum teneri, ut L. Marcio, Sex. Julio coss. de legibus Liviis, quæ ut uno senatusconsulto tollerentur, Philippus consul, Livii inimicus obtinuit a senatu: ideo autem hujusmodi legibus non videri populum teneri senatus decrevit, quia contra auspicia latas esse augures monuissent.* III. *est de legum abrogationibus, quo de genere persæpe senatusconsulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quæ derogaretur.* Cicer. pro C. Cornelio. IV. quod in Cicerone, quia ejus oratio est mutila, non invenitur, fuerit, cum aliquem hostem senatus judicarat, simul, ut ejus quoque *leges*, quæ quidem adversus Rempublicam essent, tollerentur, eodem senatusconsulto, aut alio proxime facto, judicabat. Interdum neque a senatu, neque a populo, tacito autem omnium consensu per desuetudinem abrogabatur. Abrogari licuit omnes *leges* præter sacratas: quæ violatæ sæpe, abrogatæ nunquam sunt. Abroganti non eadem, quæ violanti *legem*, pœna sancitur. Tametsi nulla *lex* lata est, quæ ipsa se contra abrogationem quasi sanctionis sepimento non muniverit gravi pœna, multave ei, qui abrogasset, irrogata. At multi multas abrogarunt, neque tamen ullam pœnam propterea subierunt. *Manut. l. l.* Derogari, cum non omnino tota, sed ejus pars *lege* posterius lata tollitur. Modest. l. l. *Derogatur legi, cum pars detrahitur.* Festus: *Derogare proprie est, cum quid ex lege vetere, quo minus fiat, sancitur lege nova. Indignum esse de lege aliquid derogari* scribit Cicer. de Invent. II. 45. Obrogari, cum superioris nulla mentione facta, aliquid ei contrarium posteriore *lege* rogatur, & ita *legis* vis frangitur. Festus: *Obrogare est legis prioris infirmandæ causa aliam legem ferre.* Liv. IX. 34. *Ideo Æmiliæ legi potius paruerunt, quam illi antiquæ, quia hanc postremam populus jusserat: & quia, ubi duæ contrariæ leges, semper antiquæ obrogat nova.* Manut. August. Ræevard. Rosin. l. l. *Lege* interrogare dicebatur is, qui postulabat, ut adversarii nomen inter reos reciperetur, & tunc delatio nominis scribebatur, & tempus inquirendi dabatur. Ascon. in Cicer. p. 44. *Reum fieri est apud prætorem legibus interrogari: cum in jus ventum esset, dicebat accusator apud prætorem reo: ajo, te Siculos spoliasse: si tacuisset, lis ei æstimabatur, ut victo; si negasset,* pet-

petebatur a magistratu dies inquirendorum ejus criminum, & instituebatur accusatio. Cicer. pro dom. c. 29. *Quis me unquam ulla lege interrogavit? quis postulavit?* Sallust. Bell. Catil. p. 15. *P. Autronius, & P. Sulla legibus ambitus interrogati.* p. 25. *Ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo.* Sigon. de Judic. II. 10. *Lege* vero agere est jus experiri, in judicio contendere. *Manut. ibid. c.* 34. Aliquid eorum, quæ *lege* continerentur, apud prætorem, vel apud eum, qui talem jurisdictionem haberet, in jure obire, nempe vindicare, atque in jure cedere, filium suum emancipare, alienum adoptare, servum manumittere, tutorem, bonorum possessionem, interdictum, & actionem postulare. Val. Max. VII. 8. 5. *Egregia Pisonis præfecti Urbis constitutio: cum enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adolescentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset, bonorum adolescentis possessionem dedit, hæredesque lege agere passus non est.* id est, actionem proponere ex capite duodecim tabularum, quo scriptus hæres mitti debet in possessionem hæreditatis. *Sigon. de Judic.* I. 7. *& 9. Pollet. For. Rom.* III. 2. Cujus intentio contemptibilis adversario videbatur, dici solitum *lege agito.* Terent. Phorm. V. 7. 90.

—— PH. *Una injuria est*
Tecum. CH. *Lege agito ergo.*

Ubi hæc Donatus. Quæ dicta probat auctoritate Plauti, cujus versum laudit ex Aulularia, cum habeatur Most. III. 3. 10.

Lege agito mecum: molestus ne sis, & cœnam coque.

Brisson. ibid. V. p. 387. Rævard. de div. reg. jur. CXXIII. *Legibus* solvere est, quod nunc dispensare vocamus. Liv. X. 13. *Fabius legem recitari jussit. Vix præ strepitu audita lex est: tribunique plebis nihil id impedimenti futurum ajebant, se ad populum laturos, uti legibus solveretur.* Suet. Jul. c. 18. n. 5. *Ambienti, ut legibus solveretur, multi contradicebant.* Bud. in Pandect. p. 50. A.

Lex Acilia de coloniis deducendis lata est a C. Acilio tribuno plebis an. 556. C. Cornelio Cethego, Q. Minutio Rufo Coss. Liv. XXXIII. 29. *C. Acilius tribunus plebis tulit, ut quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur: duæ ad ostia fluminum Vulturni Liternique: una Puteolos: una ad castrum Salerni. His Buxentum adjectum. Tricenæ familiæ in singulas colonias jubebantur mitti.* Hotman. Antiq. Roman. c. 1. p. 193. B. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 9.

Lex Acilia de repetundis lata est a Manio Acilio Glabrione an. 638. eodem Manio, & Cajo Porcio Catone coss. Ascon. in Cicer. p. 62. *M. Acilius Glabrio legem tulit de pecuniis repetundis severissimam, ut qua ne comperendinari quidem liceret reum.* De illa Cicer. Prooem. Verr. c. 17. ad Glabrionem prætorem. *Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis, optimis judiciis, severissimisque judicibus usus est.* Augustin. de Leg. in Acilia. Sigon. de Judic. II. 27. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 193. C. Pigh. Annal. Rom. III. p. 169. Rosin. Ant. Rom. VIII. 30.

Lex Æbutia de centumviris lata est ab Æbutio. Illa judicia centumviralia fuisse constituta credidem. Gell. XVI. 10. scribit irrisum fuisse Ictum, qui duodecim tabularum antiquitatem contemnebat, *nisi quod in legis actionibus centumviralium causarum lege Æbutia lata compositum* esset. *August. de Leg. in Æbutia. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 98. Augustinus, etsi hoc ipsa verba non exprimant, putat tamen utrumque, & de centumvirali judicio instituendo, & de *legis* actionibus duodecim tabularum, nisi earum causarum, quæ apud centumviros essent agendæ, abrogandis fuisse cautum. Contra Manut. de Legibus c. 16. Gellium de solis XII. tab. corrigendis interpretatur, cui suffragiorum calculum addit Hotman. Antiq. Roman. I. p. 194. A. qui Æbutium tribunum plebis de tollendis *legum* actionibus XII. tab. *legem* rogasse scribit. Ego lubentius assentirer Augustino, si tempus addidisset *legis* latæ, & auctorem qui tulerit. Etenim eo tempore, quo consentaneum est centumviros esse institutos, Liviana historia temporum injuria periit, Halicarnasseus eo non pervenit, cæteri ne verbo meminerunt. Illud vero constat, Æbutiorum familiam eo tempore, & postea diu præturam, tribunatum, quæsturam, pontificatum, legationes, aliosque magistratus gessisse. Itaque Æbutius is, qui *legem* de centumviris rogavit, meo judicio potuit eam de eo rogavit an. 513. Q. Lutatio Cercone, A. Manlio coss. aut certe non ita multo post. *Sicama. de Centumv. judic.* I. 8. V. & I. pr. in *Centumviri.*

Lex Æbutia de curatione, & potestate mandanda lata est ab Æbutio tribuno plebis. De illa Cicer. Agrar. II. 8. *Leges veteres sunt neque ex consulares, si quid ipse esse hoc arbitramini, sed tribunitiæ vobis, majoribusque vestris vehementer gratæ, atque jucundæ. Licinia est lex, atque altera Æbutia, quæ non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne iis potestas, curatiove mandetur.* Et de hac nihil amplius. *August. de Leg. in Æbutia. Manut. de Legib. c.* 16. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 7.

Lex Ælia de coloniis deducendis lata est a Q. Ælio Tuberone tribuno plebis an. 559. P. Cornelio Scipione Africano II. Ti. Sempronio Longo coss. Liv. XXXIV. 53. *Exitu hujus anni Q. Ælius Tubero tribunus plebis ex Senatusconsulto tulit ad plebem, plebesque scivit, ut Latinæ duæ coloniæ, una in Bruttios, altera in Thurinum agrum, deducerentur.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 194. A. Pigh. Annal. Rom. II. p. 269. Rosin. Ant. Rom. VIII. 9.

Lex Ælia de Statilio. C. Ælius tribunus plebis tulit *legem*, qua damnatus est Stennius Statilius Lucanus, quod Thurinos infestasset. Plin. XXXIV. 6. *Publice ab exteris posita est Romæ statua C. Ælio tribuno plebis, lege perlata in Stennium Statilium Lucanum, qui Thurinos bis infestaverat: ob id Thurini Ælium statua, & corona aurea donaverunt.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 195. E.

Lex Ælia & Fusia de jure comitiorum lata est non a consulibus. Cicer. in Pison. c. 5. *Centum prope annos legem Æliam & Fusiam tenueramus, quas leges ausus est nonnemo improbus, potuit quidem nemo unquam convellere.* Intra centum enim annos ante Pisonis & Gabinii consulatum non modo consules eodem anno non fuerunt Ælius & Fusius, sed nemo omnino ex Ælia gente consulatum gessit. Quare cum eodem anno lata videatur, nimirum a duobus tribunis plebis latam esse jure putabitur. *Manut. de Leg. c.* 8. Æliam tamen a Q. Ælio Pæto consule cum M. Junio Penno an. 586. Antiq. Roman. I. p. 194. B. Fusiam a P. Furio, sive Fusio Philone consule cum Sexto Atilio Serrano an. 617. Antiq. Roman. I. p. 209. A. rogatam esse vult Hotomannus. Et certe hos consules in fastis Sigonii, Onuphrii Panvinii, & Goltzii invenio. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 3. Ulricus Zasius libro, in quem antiquas leges conjecit, post interfectos Gracchos, & ante bellum Punicum III. latam esse tradit. Sed pugnantia loquitur. Nam si post interfectos Gracchos, quo modo ante bellum Punicum III? cum Ti. Gracchum Scævola & Pisone coss. annis post eversam Carthaginem, & Scipionis triumphum tredecim occisum esse, non solum historiæ, verum & fasti declarent. Accedit testimonium Cicer. in Vatin. c. 9. *Leges Ælia & Fusia in Gracchorum ferocitate vixerunt.* Nec una, sed duæ fuere, contra quam Zasius videtur existimasse. Nam etsi sæpe Cicero ita loquitur, ut dicat *legem* Æliam & Fusiam: aliquando tamen eas separat, ut duas agnoscere videatur. pro. Sext. c. 14. *Iisdem coss. sedentibus, atque inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret, ut lex Ælia, lex Fusia ne valeret.* post red. in Sen. c. 5. *Ut lex Ælia, & Fusia ne valerent.* pro Sextio, in Vatinium, & Pisonem modo laudatus, de provinciis consularibus laudatus supr. in *Lex.* clarissime autem de Arusp. resp. c. 27. *Sustulit duas leges, Æliam, & Fusiam, maxime Reipublicæ salutares.* Prior tulit, ut quoties cum populo ageretur, augures de cœlo servarent, magistratus & obnuntiandi, & *legis* lationi intercedendi potestatem haberent. V. Cicer. pro Sextio jam adductum. *Manut. & Rosin. l. l. August. de Leg. in Ælia. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 423.

Lex Ælia de obnuntiatione ab aliquo tribuno plebis lata est post ... ab U. C. 6.0. Ascon. in Cicer. p. 160. *Obnuntiatio qua perniciosis legibus resistebatur, quam Ælia lex confirmaverat, P. Clodii lege, ut ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de coelo servaret, sublata fuit.* Aug. ... de Leg. in Ælia.

Lex Ælia Sanctia nominatur a Cicer. Topic. c. 2. Hæc ... *locupletem esse jubebat.* Permanuit igitur ... judicia. Atque de hac lege nihil amplius neque de latoribus, neque de sententia, compertum habemus. Quin eum Ciceronis locum esse mendosum, neque in libris scriptis ullam omnino in eo loco *legis* Æliæ Sanctiæ mentionem fieri non ... tradiderunt. *Manut. de Leg. c.* 15. *Hotman. Antiq. Roman.* III. *p.* 194. *D.*

Lex Ælia Sentia de manumissionibus lata est a Sex. Ælio Catulo, C. Sentio Saturnino coss. an. 756. Ejus capita sex animadverti. I. de dedititiis libertis: ut qui servus publice vinctus, aut notis inustus, aut publice verberatus fuisset, si manumitteretur, dedititium libertatem consequeretur; neque unquam ad civitatem Romanam perveniret. Justin. Instit. I. 5. 4. *Nam qui manumittebantur, modo majorem & justam libertatem consequebantur, & fiebant cives Romani: modo minorem, & Latini ex lege Julia Norbana fiebant: modo inferiorem, & fiebant ex lege Ælia Sentia dedititii.* V. Suetonium in Octav. & Ulpianum supr. in *Dedititii liberti.* II. ut manumissiones in fraudem factæ non valerent, uno excepto herede. Namque is, qui solvendo non est, potest ex hac lege servum ... cum libertate, qui ei necessarius hæres fiat, ut Justin. l. l. & Paull. ad Æliam Sentiam l. scripserat. Idem ad edictum XVII. ait, ita demum hanc legem conservare libertatem, si nemo alius ex eo testamento heres esse potest. Itaque si servo liber ... aut is, cui libertas ex fideicommisso debetur, substitutus sit, a secundo gradu incipiendum erit. Celsus quoque Dig. XXIX. scribit hac *lege* caveri, ut si duo, plures ve ex eadem causa hæredes scripti sint, ut quisque primus scriptus sit, hæres fit. Idem Ulpianus in fragm. ... confirmat, eumque servum 30. annis minorem, & qui in ea causa sit, ut dedititius fieri deberet, civem Romanum, & hæredem fieri. III. domino viginti annis minori non aliter manumittere permittitur, quam vindicta, si apud consilium justa causa manumissionis approbata, ut ait Justinianus, a quo permultæ manumissionis justæ causæ enumerantur. Gell. XV. 27. *Qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non comitia, sed ... ducere debet.* Consilium significat eos, qui, ut de causis manumittendi cognoscerent, cum prætore, aut præside convenerant. V. supr. in *Consilium.* Eadem *lege* cautum esse ait Ulpianus, ut minor 30. annorum servus vindicta manumissus civis Romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit: testamento vero manumissum perinde haberi, atque si domini voluntate in libertate esset; ideoque Latinum esse. IV. Prohibetur patronis adigere jurejurando, ne nubat liberta, vel liberos tollat libertus. Nam & ipse, & liberi ejus jus patronatus perdunt, ut ait Paull. ad eandem *legem* II. V. Prohibentur patroni libertos obligare, ut mercedem operarum præstent onerandæ libertatis causa. Non tamen prohibentur a libertis mercedes capere, sed eos ita obligare, quod refert Clemens ad *legem* Juliam & Papiam VIII. VI. est de ... libertis in civitatem redigendis. Paull ad edictum LXXIII. *In lege Ælia Sentia filius heres potest libertum patrionum ..., ut ... accusare, non etiam si heres ...* August. d. Leg. in Ælia Sentia. Norr. Cenotaph. Pisan. Diss. III. p. 422. Manut. de Leg. c 14. Rosin. Ant. Rom. VIII. 15. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 195. A. Loon. de Manum. I. 4. 9--18. Quia vero Ælii, ac Sentii distinctæ fuerunt Romanorum familiæ, unus ideoque vir Ælius Sentius hujus *legis* auctor haberi non potest: ut ... luculentat scribunt Alciatus ad l. 70. d. V. S. ... *Ælius Sentius legem tulit, quæ ab ejus nomine Ælia Sentia est appellata.* Et interpres Justin. Instit. I. tit. 5. de libertinis: *Hanc legem statuit consul Romanorum, qui Ælius Sentius dicebatur.* Noris. l. l.

Lex Æmilia de censoribus lata est a Mamerco Æmilio dictatore anno 319. Censura initio quinquennalis fuerat, sed Æmilius *legem* tulit, ne plus quam annua, ac semestris esset. Liv. IV. 24. V. illum supr. in *Censores.* *Alios magistratus annuos esse, quinquennalem censuram gravem esse, iisdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere: se legem laturum, ne plus quam annua, ac semestris censura esset.* August. de Leg. in Æmilia. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 195. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 164. Panvin. Fastor. I. p. 88. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Æmilia sumptuaria etiam cibaria dicta est. Macrob. Sat. II. 13. *Sulla mortuo Lepidus consul legem tulit & ipse cibariam. Cato enim sumptuarias leges cibarias appellat.* Lata est a M. Æmilio Lepido, qui consul fuit cum Q. Lutatio Catulo an. 675. In illa, ut scribit Gell. II. 24. *non sumptus cænarum, sed ciborum genus, & modus præfinitus est.* August. de Leg. in Æmilia. Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 248. A. 253. C. Perizon. in Ælian. III. 34. Bruyer. de Re cibar. III. 4. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 195. E. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 13. Thys. in Gellium. Sed vereor, ne non ad M. Æmilium Scaurum referenda sit. Aurel. Vict. de Viris illustr. c. 72. n. 5. *Consul* an. 638. *legem de sumptibus, & libertinorum suffragiis tulit.* Plin. VIII. 57. *Glires censoriæ leges, princepsque M. Scaurus in consulatu non alio modo cænis ademere, quam conchylia, aut ex alio orbe convectas aves.* August. l. l. Pigh. Annal. Rom. III. p. 98.

Lex Æternia. V. illam infr. in *Lex Menenia Sestia.*

Lex Agraria. V. illas infr. in *Cassia, Licinia, Flaminia, Sempronia, Apuleja, Servilia, Julia.*

Lex ambitus. V. illas infr. in *Bæbia, Calpurnia, Julia, Petilliæ, Pompeja, Tullia.*

Lex Ampia Labiena de Cn. Pompejo lata est a T. Ampio, T. Labieno tribuno plebis, Metello & Afranio consulibus an. 693. ut *Cn. Pompejus ludis circensibus corona laurea, & omni cultu triumphantium uteretur: scenicis autem prætexta, coronaque laurea.* Paterc. II. 40. 4. *Hotman. Antiq. Roman.* I. *p.* 196. *A.*

Lex Annalis, vel annaria. V. illam infr. in *Villia annalis.*

Lex Annoniana, vel frumentaria. V. illas infr. in *Appuleja, Julia, Clodia, Sempronia.*

Lex Antia sumptuaria post Æmiliam, & ante Juliam ab Antio Restione est lata. Gell. II. 24. *Lex deinde Antia præter sumptum æris id etiam sanxit, ut, qui magistratus esset, magistratumve capturus esset, ne quo ad cænam, nisi ad certas personas itaret.* Et Macrob. Sat. II. 13. *Dein paucis interjectis annis lex pervenit ad populum, ferente Antio Restione, quam, quamvis esset optima, obstinatio tamen luxuriæ, & vitiorum firma concordia nullo abrogante irritam fecit. Illud tamen memorabile de Restione latore ipsius legis fertur, eum, quoad vixit, foris postea non cœnasse, ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse bono publico pertulisset.* August. de Leg. in Antia. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. B. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Rosin. Ant. Rom. VIII. 13.

Lex Antonia de dictatura. Antonius triumvir R. P. C. *tulit legem, ne quis ullam ob causam de dictatore creando referret, neve quis dictaturam oblatam acciperet: qui secus faxit, eum ut necare jus fasque esset.* Appian. de Bell. civil. III. p. 542. *Hotman. Antiq. Roman.* I. *p.* 196. *C.*

Legem judiciariam Antonius consul post obitum Cæsaris conatus est ferre, qua in tertiam decuriam, quæ tribunorum ærariorum erat, centuriones, atque alaudas conjicere decreverat. Cicer. Phil. V. 5. *Antesignanos, & manipulares, & alaudas judices se constituisse dicebat.* Antonius tamen prius hostis judicatus est, quam *lex* perlata fuerit. *Prezot. de Magistrat. Roman. c.* 7. *Hotman. Antiq. Roman.* I. *p.* 196. *C.*

Lex Antonia de jure cooptandorum sacerdotum lata est a M. Antonio post obitum Cæsaris, eo consilio, ut facilius, ac certius M. Æmilius Lepidus, cujus filio filiam suam collocaverat, pontifex maximus in Cæsaris locum subrogaretur. Dio XLIV. p. 269. A. Non est servata. Nitor

tor testimonio Dionis XLVI. qui leges Antonii a Pansa consule abrogatas esse narrat, quod etiam fecit Lentulus ipse, qui scripsit his verbis ad Ciceronem Fam. XII 14. *Primus ego leges Antonianas fregi*, ut ejus potius exemplum Pansa, quem ipse Pansæ sequutus esse videatur. Est etiam ex ipso Cicerone minime dubium de abrogatis Antonii legibus argumentum. *Acta*, inquit Philip. XIII. 5. *Antonii rescidistis: leges per vim, & contra auspicia latas decrevistis.* Manut. de Legib. c. 2. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. E.

Lex Antonii de nomine mensis Julii lata est a M. Antonio Marci filio consule, ut qui mensis antea Quintilis vocabatur, *a C. Julii Cæsaris nomine Julius appellaretur, quod hoc mense ad quartum Idus Quintilis Julius procreatus esset.* Macrob. Saturn. I. 12. Dio XLIV. p. 242. E. *Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. D.*

Lex Appuleja agraria lata est a L. Appulejo Saturnino tribuno plebis an. 653. C. Mario VI. L. Valerio Flacco coss. Aurel. Vict. de Vir. illustr. c. 73. n. 1. *L. Appulejus Saturninus tribunus plebis seditiosus, ut gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, ut veteranis centena agri jugera in Africa dividerentur.* n. 5. *Tribunus plebis refectus Siciliam, Achajam, Macedoniam novis colonis destinavit: & aurum, dolo, an scelere Cæpionis partum ad emptionem agrorum convertit. Aqua, & igni interdixit ei, qui in leges suas non jurasset.* Galliæ etiam partem, unde Cimbros Marius ejecerat, dividi jussam esse refert Appian. de Bell. civ. I. p. 367. *Ceterum Appulejus legem promulgavit de dividendis agris Galliæ provinciæ, e quibus Marius nuper Cimbros summoverat, ut jam Romani juris essent, non Gallici.* August. de Leg. in Appuleja. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. F. Pigh. Annal. Rom. III. p. 175. Rosin. Ant. Rom. VIII. 10.

Lex Appuleja de coloniis lata est a L. Appulejo Saturnino: ut in singulas colonias ternos cives Romanos C. Marius facere posset. Cicer. pro Balb. c. 21. *Sed cum lege Appuleja coloniæ non essent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere posset, negabat hoc beneficium, re ipsa sublata, valere debere.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 175.

Lex Appuleja frumentaria lata est ab eodem Appulejo. Cicer. ad Herenn. I. 12. *Cum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus & trientibus laturus esset, Cæpio, qui per id temporis quæstor urbanus erat, docuit senatum, ærarium pati non posse largitionem tantam. Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus Rempublicam videri eum facere. Saturninus ferre cœpit. Collegæ intercedere. Ille nihilominus sitellam detulit. Cæpio, ut illum contra SCtum intercedentibus collegis adversus Rempublicam vidit ferre, cum viris bonis impetum fecit, pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo secius feratur lex. Legem* hanc ego ita accipio, ut semisse, & triente, tritici, hordeique modius daretur. *August. de Leg. in Appuleja.*

Lex Appuleja de majestate lata est ab Appulejo an. 652. C. Mario V. M. Aquilejo coss. Hac C. Norbanus accusatus est majestatis, qui minuens majestatem plectebatur. Accusavit P. Sulpicius, defendit M. Antonius optimus orator, odioque magis Q. Servilii Cæpionis, in quem seditio fuerat concitata, quique *legem* judiciariam tulerat, absolutus est, quam causa, qua maxime premebatur. V. Cicer. de Orat. II. 48. & 49. *August. de Leg. in Appuleja. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. G. Pigh. Annal. Rom.* III. *p. 163. 175. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 23.

Lex Aquillia de damno injuriæ lata est ab Aquillio tribuno plebis, ut scribit Ulpian. ad Edict. XVIII. V. illum supr. in *Injuria.* Quis autem hic Aquillius, quove tempore fuerit, ignoratur. Sunt, qui arbitrentur C. Aquillium Gallum fuisse, cujus sunt illa de dolo malo, de posthumorum institutione, de stipulatione. Sed mihi Ictorum formulæ illæ esse videntur, hoc autem plebiscitum, de cujus rogatione nullum certum auctorem habeo quem sequar: Hujus *legis* verba Cajus ad edictum provinciale refert. Capite primo ita cavetur: *Qui servum, servamve, alienum, alienamve, quadrupedem, vel pecudem injuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas esto.* Deinde cavetur, ut adversus infitiantem in duplum actio sit. Secundi capitis, quod in desuetudinem abiit, verba, ejusve sententia non extat. Tertio capite ait lex: *Ceterarum rerum præter hominem, & pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quod usserit, fregerit, ruperit injuria, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum æs domino dare damnas esto.* August. de Leg. in Aquillia. Manut. de Leg. c. 30. Hotman. Ant. Rom. I. p. 197. A. Pigh. Annal. Rom. II. p. 3[illegible]. Ad legem Aquilliam librum singularem scripsit *Gerardus Noodt Ictus & Antecessor Lugduno-Batavus.*

Lex Ateria Tarpeja de multa est lata a Sp. Tarpejo, A. Aterio consulibus. Dionys. I. x. p. 674. *Ad præsentium autem consulibus centuriatis comitiis lex lata est: liceret omnibus magistratibus suæ potestatis læsæ reos multare; nam antea solis consulibus id licuerat. Multæ tamen modus non magistratuum arbitrio relictus est, sed ab ipsis præfinitus: ne scilicet multa, quantumvis grandis, duos boves, & triginta oves excederet: quæ lex diu servata est apud Romanos.* Festus in Peculium: *Postquam ære signato uti cœpit populus Romanus, Tarpeja lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus æstimaretur.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 197. D. IV. I. 13.

Lex Atia Labiena de sacerdotibus lata est a T. Atio Labieno tribuno plebis L. Julio, C. Marcio consulibus ut populus sacerdotia, quemadmodum olim lege Domitia mandaret. V. Dion. XXXVII. p. 46. D. *Hotman. Antiq. Roman. I. p. 197. E. Pigh. Annal. Rom.* III. *p. 324.*

Lex Atilia de deditionibus lata est a L. Atilio tribuno plebis an. 543. M. Claudio Marcello IV. M. Valerio Lævino coss. Liv. XXVI. 33. *L. Atilius tribunus plebis ex auctoritate senatus plebem in hæc verba rogavit. Omnes Campani, Atellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium, ditionemque populi Romani Fulvio proconsule, quique una secum dediderunt, agrum, urbemque, divina, humanaque, utensiliaque, sive quid aliud dediderunt, de iis rebus quid fieri velitis, vos rogo, Quirites. Plebes sic jussit: quod senatus juratus maxima pars censeat, qui assidetis, id volumus, jubemusque.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 167. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 31.

Lex Atilia de tutoribus lata est ab Atilio. Ulpian. in Fragm. *Lex Atilia jubet mulieribus, pupillisve non habentibus tutores, dari a prætore, & majore parte tribunorum plebis.* Hanc latam ante Philippum & Albinum coss. an. 567. inde conjicio, quod in ejus anni història referenda de Hispala Fecenia ita scribit Liv. XXXIX. 9. *Quum eo processisset consuetudine capta, ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore ab tribunis & prætore petito, cum testamentum faceret, unum Æbutium instituerit heredem.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 13. Guther. de Jure pontif. II. 7. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 197. G. Pigh. Annal. Rom. I. p. 397. August. de Leg. in Atilia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 17.

Lex Atilia Marcia de tribunis militum lata est a L. Atilio, & C. Marcio tribunis plebis. Liv. IX. 30. *Duo imperia eo anno dari cœpta per populum; utraque pertinentia ad rem militarem: unum, ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum, & consulum ferme fuerant beneficia. Tulere eam rogationem tribuni plebis L. Atilius, C. Marcius.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 197. G. August. de Leg. in Atilia Marcia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 18.

Lex Atinia de tribunis plebis lata est an. 623. C. Clodio Pulcro, M. Perperna coss. Hac senatores sunt tribuni plebis facti & senatum potuerunt habere. Gell. XIV. 8. *Nam & tribunis plebis senatus habendi jus erat, quanquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum.* August. de Leg. in Atinia. Oizel. in Gellium. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

Lex Atinia de usucapione. Hac cautum fuit, ut, quod surreptum esset, ejus rei æterna auctoritas esset, nisi si in ejus, cui surreptum esset, potestatem revertisset. Paull. ad edict. LIV. *Quod autem dixit lex Atinia, ut res furtiva*

non usucapiatur, nisi in potestatem ejus, cui surrepta est, revertatur; sic acceptum est, ut in domini potestatem debeat reverti. Idem loco singulari ad legem Furiam Caniniam: *In lege Atinia porrigitur: domini rem furtivam venisse videri, si ejus vindicandæ potestatem habuerit, Sabinus & Cassius ajunt.* Ejus meminit Gell. XVII. 7. *August. de Leg. in Atinia. Oizel. in Gellium. Manut. de Leg. c. 16. & 30. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. A. Pigh. Annal. Rom. II. p. 255. Rosin. Ant. Rom. VIII. 19.*

Lex Aufidia de ambitu lata est ab Aufidio Lurcone tribuno plebis M. Valerio Messala, M. Papio Pisone coss. In eadem fuit, quæ in cæteris de ambitu latis legibus: novi hoc, ut qui nummos in tribu pronuntiasset, si non dedisset, impune esset; sin dedisset, ut is, quoad viveret, singulis tribubus HS. CIↃ CIↃ CIↃ deberet. *Manut. de Leg. c. 28. Pigh. Annal. Rom. III. p. 340. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 30.

Lex Aurelia de judiciis lata est a L. Aurelio Cotta prætore an. 683. M. Licinio Crasso, Cn. Pompejo Magno coss. Flor. Epit. 97. *Judicia quoque per L. Aurelium Cottam prætorem ad equites Romanos translata sunt.* Ascon. in Cicer. p. 19. *Senatorius ordo per decem annos judicavit turpiter: nunc Aurelius Cotta legem fert, ut senatores, & equites Romani, & tribuni ærarii simul judicarent.* & 167. *Legem judiciariam ante aliquot annos, quibus temporibus accusavit Verrem Cicero, tulit L. Cotta prætor, qua communicata sunt judicia, & equitibus Romanis, & tribunis ærariis.* August. de Leg. in Aurelia. Bud. in Pandect. p. 82. K. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. C. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Manut. de Leg. c. 18. de Sen. Rom. c. 10. Rosin. Ant. Rom. VIII. 21.

Lex Aurelia de tribunis plebis lata est a C. Aurelio Cotta an. 678. qui eo anno cos. fuit cum L. Octavio. Ascon. in Cicer. p. 130. *Legem in consulatu tulit, repugnante nobilitate, magno populi studio, ut iis, qui tribuni plebis fuissent, alios quoque magistratus capere liceret: quod lex a dictatore Sulla paucis ante annis lata prohibebat.* August. de Leg. in Aurelia. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. D. Pigh. Annal. Rom. I. p. 94. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

Lex Bæbia agraria de agris in Africa dividundis lata est a M. Bæbio tribuno plebis an. 631. Citatur in Fragm. legis ant. plebiscitum hoc: *Vtei. quei. agri. loci. in. Africa. dati. sunt. a. populo. Romano. jure. belli. suos. publicos. fecerat. &. quei. Romæ. venum. publice. dati. fuerant. eos. quæstor. qui. ærarium. provinciam. obtinebit. in tabulis. publicis. descriptos. teneat. queive. agri. loci. populi. Rom. in. Africa. publici. per. censores. prædibus. acceptis. locati. essent. suæ. conditionis. manerent. coloniæ. et. possessores. pecuniam. scripturam. vectigalve. populo. aut. publicanis. darent.* Tale quid plebiscito Bæbiano cautum fuisse, magis in Reipublicæ, atque ærarii, quam plebis, aut agrariorum utilitatem, ex dicto fragmento conjectare poterimus. *Pigh. Annal. Rom. III. p. 64.*

Lex Bæbia de prætoribus lata est a Bæbio an. 574. Hæc voluit, ut alternis annis quaterni prætores crearentur. Liv. XL. 44. *Prætores quatuor post multos annos lege Bæbia creati, quæ alternis quaternos jubebat creari.* Hanc nominat Festus in voce rogat. *Cato in dissuasione, ne lex Bæbia derogaretur. . . .* August. de Leg. in Bæbia. Manut. de Leg. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. D. Pigh. Annal. Rom. I. p. 266. II. p. 339. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Bæbia Cornelia de ambitu a M. Bæbio & P. Cornelio coss. lata est an. 571. Liv. XL. 18. *Comitia consulibus creandis fuere. Creati P. Cornelius Lentulus, M. Bæbius Pamphilus.* c. 19. *Leges de ambitu coss. ex auctoritate senatus ad populum tulerunt.* Cujus sententiæ fuerit, Livius non addit. *August. de Leg. in Bæbia. Manut. de Leg. c. 28. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 202. D. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 29.

Lex Cæcilia de censoribus lata est a Q. Cæcilio Metello Pio Scipione cos. cum Cn. Pompejo Magno an. 701. Tulit, ut censoria potestas, quam P. Clodius imminuerat, restitueretur. Dio XL. p. 147. *C. Scipio ea, quæ de censoribus a Clodio statuta, abrogavit; iisque pristinam potestatem reddidit.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. F. Pigh. Annal. Rom. III. p. 411. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Cæcilia de fullonibus lata est a Cæcilio Metello tribuno plebis an. 533. L. Veturio Philone, C. Lutatio Catulo coss. Hac ratio poliendarum vestium fullonibus præscribebatur. Plin. XXXV. 17. *Neque pigebit hanc quoque partem attingere, cum lex Metella extet fullonibus dicta, quam C. Flaminius, L. Æmilius censores dedere ad populum ferendam.* Augustin. de Leg. in Cæcilia. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 13. & 31.

Lex Cæcilia de jure Italiæ lata est a Q. Cæcilio Metello Nepote prætore, L. Afranio, Q. Metello Celere consulibus an. 693. Ut Italia a vectigalibus immunis esset. Dio XXXVII. p. 53. B. *His eo modo actis, quum vectigalia & Urbi, & reliquæ Italiæ magnopere molesta essent, lex de iis abolendis lata omnibus perquam accepta fuit. At prætori qui eam tulerat, is erat Metellus Nepos, infesti senatores, voluerunt & nomen ejus legi detrahere, & aliud inscribere.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. G. Pigh. Annal. Rom. III. p. 347.

Lex Cæcilia de repetundis lata est post Calpurniam. Hac lege L. Cornelius Lentulus Lupus, qui cos. cum C. Marcio Figulo fuerat an. 597. damnatus est. Val. Max. VI. 9. §. 10. *L. Lentulus consularis lege Cæcilia repetundarum crimine oppressus, censor cum L. Censorino creatus est.* August. de Leg. in Cæcilia. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 30.

Lex Cæcilia Didia de legibus ferendis lata est a Q. Cæcilio Metello, & T. Didio coss. an. 655. Eam de *legibus* ferendis fuisse credidi, qua caveretur, uti trinis nundinis proposita *lex* esset, antequam ferretur: utque diversa capita separarentur, atque alia id genus. Cicer. pro dom. c. 20. *Quæ est, quasi alia vis, quæ sententia Cæciliæ legis, & Didiæ, nisi hæc, ne populo necesse sit in conjunctis rebus compluribus, aut, id, quod nolit, accipere: aut id, quod velit, repudiare.* c. 16. *Si, quod in cæteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum, nihil reprehendo. Sin eadem observanda sunt: decrevit senatus, M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam, & Didiam latæ essent, populum non teneri.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. D. Pigh. Annal. Rom. III. p. 184. August. de Leg. in Cæcilia Didia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 7. Ex quibus conjicio ab his coss. non unam *legem*, sed duas diversa sententia esse latas: & alterius fuisse sententiam, ne diversis de rebus *lex* ferretur: alterius, trinundinum in ferenda *lege* esse servandum. *Manut. de Leg. c 16.*

Lex Cælia de suffragiis est lata a Cælio tribuno plebis Q. Cæcilio, T. Flaminio consulibus an. 630. Ut etiam in perduellionis judicio quod Cassia lege tabellaria exceptum erat, populus voce, non tabella, sententiam ferret. Cicer. de Leg. III. 16. *Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. G. Pigh. Annal. Rom. III. p. 135.*

Lex Calpurnia de ambitu lata est a Calpurnio Pisone cos. cum M. Glabrione an. 686. Cicer. pro Mur. c. 23. *Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non deerat: erat enim severissime scripta Calpurnia.* Hæc præter alias pœnas pecuniariam adjecta est. Ascon. in Cicer. p. 132. *Lex hæc Calpurnia de ambitu erat. Tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piso cos. in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque pœna erat adjecta.* Manut. de Leg. c. 28. August. de Leg. in Calpurnia. Zamosc. de Senat. Rom. I. 19. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 199. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 314. Rosin. Ant. Rom. VIII. 29.

Lex Calpurnia militaris. Hac latum est, ut milites virtutis ergo civitate donarentur. Sisenn. Hist. IV. apud Non. II. 300. *Milites, ut lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donari.* Quod de auxiliis intelligendum est. *August. de Leg. in Calpurnia. Manut. de Leg. c. 28. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 199. C. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex Calpurnia de repetundis lata est a L. Calpurnio Pisone Frugi tribuno plebis L. Marcio Censorino, M. Manilio coss. initio Punici belli III. Cicer. Verr. III. 84. *L. Piso ille Frugi, qui legem de pecuniis repetundis primus tulit.*

lit. August. de Leg. in Calpurnia. Manut. de Leg. c. 22. Sigon. de Judic. II. 27. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 199. A. Pigh. Annal. Rom. I. p. 268. Rosin. Ant. Rom. VIII. 30. Pitisc. in Suet. Jul. c. 4. n. 1.

Lex Camilli de ædilibus lata est a M. Furio Camillo e Scto, ut ædiles duo ex patribus crearentur, qui curuli sella, ut consul, censor, & dictator sederent. *Manut. de Leg.* c. 5. Quod hac occasione factum memorat Liv. VI. 42. Cum rem dignam centeret senatus, ut propter ordines in concordiam reductos, Latinis feriis dies unus ad triduum adjiceretur. *Recusantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum a patriciis est juvenibus, se id honoris deûm immortalium causa libenter facturos, ut ædiles fierent. Quibus cum ab universis gratiæ actæ essent factum Sctum, ut duo viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret.* Pigh. Annal. Rom. I. p. 269. & p. 447.

Lex de prætoribus ab eodem, ut existimo, est lata, ut prætor unus, qui jus in Urbe diceret, quod ante consulum munus fuerat, patricius crearetur: quæ *lex* neque a quo magistratu, neque quibus comitiis lata sit, Livius explicat. Ergo tamen, cum patricii prætorem postulassent, iisque, ut de gente patricia crearetur, a tribunis plebis concessum esset: non dubito, quin *legem*, qua patriciis honor accederet, patricius magistratus tulerit. Quod si lata est, latam a dictatore Camillo, qui controversias inter patres, plebemque sedavit, facile crediderim. *Manut. de Leg.* c. 5.

Lex Canuleja de connubio lata est a C. Canulejo tribuno plebis an. 309. M. Genucio, & C. Curtio coss. Liv. IV. 1. *Anni principio de connubio patrum & plebis C. Canulejus tribunus plebis rogationem promulgavit; qua contaminari sanguinem suum patres, confundique jura gentium rebantur: & mentio primo sensim illata a tribunis, ut alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit deinde, ut rogationem novam tribuni promulgarent, ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de patribus vellet, consules faciendi.* Cum de utraque rogatione magnis contentionibus ageretur, atque impediretur a tribunis delectus; *lex* de connubio accepta est; & tribunos militum consulari potestate ex utroque corpore patres creari passi sunt. *August. de Leg. in Canuleja. Manut. de Leg.* c. 16. *Hotman. Antiq. Roman.* I. *p.* 199. C.

Lex Cassia agraria lata est an. 268. a Sp. Cassio III. cos. cum Virginio. Liv. II. 41. *Tum primum lex agraria promulgata est: nunquam deinde usque ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata. Cum Hernicis fœdus ictum, agri partes duæ ademptæ: inde dimidium Latinis, dimidium plebi divisurus consul Cassius erat. Adjiciebat huic muneri agri aliquantum, quem publicum possideri a privatis criminabatur. Alter consul* Proculus Virginius *largitioni resistebat, auctoribus patribus, nec omni plebe adversante,* quod cum Latinis, & Hernicis agrorum communicatio regni suspicionem præberet. *August. de Leg. in Cassia. Hotman. Antiq. Roman.* I. *p.* 199. *D. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 101. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 2. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 10.

Lex Cassia de damnatis. De hac Cicer. pro Corn. apud Ascon. p. 139. *Ponam principium gubernandæ libertatis, Cassiam; qua lege suffragiorum [illegible] potestas [illegible] convaluit: alteram Cassiam, quæ populi judicia firmavit.* Ubi hæc Asconius: *Quæ sit ista lex Cassia, qua suffragiorum potestas convaluit, manifestum est: nam ipse quoque paulo ante dixit, legem Cassium tulisse, ut populus per tabellam suffragium ferret: Altera Cassia lex, quæ populi judicia firmavit, quæ sit, potest quæri. Est autem hæc. L. Cassius L. Filius Longinus tribunus plebis C. Mario, L. Flacco coss. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu nec esset. Tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q. Cæpione, qui ante biennium consul fuerat, & cui populus, quia male adversus Cimbros rem gesserat, imperium abrogavit.* August. de Leg. in Cassia. *[illegible] de Senat. Rom.* I. 19. Manut. de Leg. c. 8. Hotman. Antiq. Roman. p. 199. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 4.

Lex Cassia de patriciis lata est a C. Cassio prætore, dictatore Julio Cæsare. Hac cautum est, ut in numerum patriciorum, qui senatui deessent, alii sublegerentur. Tacit. Ann. XI. 25. 2. *Isdem diebus in numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant. . . . . [illegible] lege Cassia, [illegible]* August. de Leg. in Cassia. Gruter. de Offic. Dom. Aug. I. 11. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 199 G. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 7. Rosin. Ant. Rom. VIII. 4.

Lex Cassia tabellaria de judiciis lata est post biennium Gabiniam de magistratibus mandandis. Cicer. de Leg. III. 16. *Secunda lex est Cassia de populi judiciis. [illegible] Cassio, sed, pace ejus dixerim, dissidente a bonis, atque omnes rumusculos popularis rationis aucupante.* Brut. c. 25. *Tum L. Cassius multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen: homo non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia, & severitate popularis: cujus quidem legi tabellariæ M. Antius Briso tribunus plebis diu restitit, M. Lepido coss. adjuvante.* c. 27. *Judicia populi, quibus aderat [illegible] quam legem L. Cassius Longino, & [illegible].* M. Æmilius Lepidus Porcina, & C. Hostilius Mancinus coss. fuere an. 616. Nusquam tamen relatum inveni, in quo mensis Cassius tum fuerit. Ascon. in Cicer. p. 56. *[illegible] cui bono.* August. de Leg. c. 1. & in Cassia. [illegible] Rom. v. 8. Manut. de Leg. c. 9. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 215. & 216. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 199. L. Pigh. Annal. Rom. II. p. 476. [illegible] Triumph. Rom. III. p. 79. C. Pitisc. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex centuriata dicta est, quæ comitiis centuriatis constituta. Utque majoris auctoritatis, quasi[illegible], justisque comitiis perlata. *Prevot. de Magistr. Roman.* c. 1.

Lex Cincia *muneralis vocata est, qua Cincius cavit, ne cui liceret munus accipere.* Plaut. [illegible] n. 13.

Neque muneralem legem, neque lenonam
Rogatæ fuerint nec ne, flocci [illegible].

Festus. Lata est a M. Cincio Alimento tribuno plebis, qui cum prætore, & decem legatis in Siciliam [illegible], ut de P. Scipionis exercitu inquireret, M. Cornelio Cethego. P. Sempronio Tuditano coss. an. ab U. C. 549. ut refert Liv. XXIX. 20. His coss. Q. Fabius Maximus, illam suasit. V. supr. in *Lex.* Ejus meminerunt Liv. XXXIV. 4. *Quid legem Cinciam de donis & muneribus excitavit, nisi quod vectigalis jam, & stipendiaria plebs esse senatui cœperat?* Cicer. de Orat. II. 71. *M. Cincius, quo die legem de donis, & muneribus tulit, cum C. Cento produisset, & satis contumeliose: quid fers Cinciole? quæsisset: ut emas, inquit, Cai, si uti velis.* August. de Leg. in Cincia. Pigh. Annal. Rom. II. p. 218. Manut. de Leg. c. 17. Lipen. de Stren. c. 2. tert. art. §. 26. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 802. C. Bud. in Pandect. p. 233. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 22. Scalig. in Festum. Taubm. in Plautum. Turneb. in joc. Cicer. p. 77. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 200. A. Pitisc. in Suet. Ner. c. 17. n. 3. De *lege* Cincia integrum tractatum scripsit *Andreas Brummerus.* Vetustate evanescentem Augustus retulit, & firmavit novo consulto senatu. Dio LIV. p. 533. C. *Oratores jussit causas nullo accepto præmio agere: qui secus fecisset, eum quadruplum acceptæ mercedis pendere.* Nemo miretur, cum plebiscitum fuerit, vocari senatusconsultum a Tacit. Annal. XIII. 42. 2. *Ejus opprimendi gratia repetitum crebatur senatusconsultum, pœnaque Cinciæ legis adversus eos, qui pretio causas oravissent.* Et Plin. Epist. V. 21. 3. *Causa dilationis, Nepos prætor, qui legibus quærit. Proposuerat breve edictum, admonebat accusatores, admonebat reos, exsequuturum se, quæ senatusconsulto continerentur. Suberat edicto senatusconsultum: hoc omnes, qui quid negotii haberent, jurare, priusquam agerent, jubebantur, nihil se ob advocationem quicquam dedisse, promisisse, cavisse. His enim verbis, ac mille præterea, & venire advocationes, & emi vetabantur.* Sed id senatusconsultum credo fuisse a Trajano. *Lips. in Tacit. Annal.* XI. n. 22.

Lex

Lex Cinnæ de Italicis lata eſt a L. Cinna coſ. quo ſibi contra Sullam tam abſentem opes pararet. Cum enim Italici in octo tribus novas conjecti nihil ſe ad comitia roboris afferre, ac ne vocum, dummodo veteres 35. conſenſiſſent, intelligerent, ſe deceptos rati, ad P. Sulpicium novarum rerum cupidum confugerunt. Ille vero ad aucupandam eorum gratiam *legem* promulgavit, ut novi cives in veteres transferrentur. Liv. Epit. 77. Verum hæc *lex* aut non eſt lata, aut certe eodem anno a L. Sulla coſ. cum in Urbem ex Campania cum exercitu revertiſſet, ac Sulpicium ipſum, Mariumque inimicos ſuos Urbe exturbaſſet, una cum cæteris ejus legibus eſt ſublata. Quocirca L. Cinna, qui inſequenti anno conſulatum geſſit, eam retulit. Paterc. II. 20. 2. *Cum ita civitas Italiæ data eſſet, ut in octo tribus contribuerentur novi cives, ne potentia eorum, & multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque poſſent recepti in beneficium, quam auctores beneficii. Cinna in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum pollicitus eſt.* Sigon. de Ant. Jure Ital. III. I.

Lex Claudia de civibus lata eſt an. 576. á C. Claudio coſ. qui ex SCto edixit, ut ſocii, ac nominis Latini ipſi majoreſve eorum qui M. Claudio & T. Quintio cenſoribus, poſtque ea apud ſocios nominis Latini cenſi eſſent, omnes in ſuam quisque civitatem ante Kal. Novemb. redirent. Quæſtio, qui ita non rediiſſet, L. Mummio prætori decreta eſt. Ad *legem*, & edictum conſulis adjectum eſt, ut dictator, conſul, interrex, cenſor, prætor, qui tunc eſſet apud forum, darent operam, ut qui manumitterentur, jusjurandum daret, qui cum manumitteret, civitatis mutandæ cauſa manu non mittere: qui non juraret, eum manumittendum non cenſuerunt. Hæc in poſterum cauſa, jurisdictioque C. Claudio coſ. decreta eſt. Itaque cum quadriennio poſt cenſores Q. Fulvius, A. Poſtumius cenſum agerent, minorem aliquanto, quam ſuperiore luſtro, numerum invenerunt, quia L. Poſtumius coſ. pro concione edixerat, qui ſociorum nominis Latini ex edicto C. Claudii coſ. redire in ſuas civitates debuiſſent, ne quis eorum Romæ, ſed omnes in ſuis civitatibus cenſerentur. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. I. *Auguſt. de Leg. in Claudia. Hotman. Antiq. Rom.* I. I. *p.* 101. *F. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 345. *Roſin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex Claudia de fœnore lata eſt a Claudio Cæſare. V. illam infr. in *Senatusconſultum Macedonianum.*

Lex Claudia de navibus lata eſt a Q. Claudio tribuno plebis an. 535. P. Cornelio Scipione, T. Sempronio coſſ. Ejus ſententiam exhibet Liv. XXI. 63. *Q. Claudius tribunus plebis adverſus ſenatum, uno patrum adjuvante C. Flaminio, tulerat: ne quis ſenator, quive ſenatoris pater fuiſſet, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum eſſet, haberet. Id ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos: quæſtus omnis patribus indecorus viſus eſt.* De illa Cicer. V. 18. *Noli metuere Hortenſi, ne quæram, qui licuerit ædificare navem ſenatori: antiquæ ſunt iſtæ leges, & mortuæ, quemadmodum tu ſoles dicere.* Auguſt. de Leg. in Claudia. Zamoſc. de Senat. Rom. I. 16. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 200. C. Pigh. Annal. Rom. II. p. 150. Torrent. in Suet. Claud. c. 19. Roſin. Ant. Rom. VIII. 4. Pitiſc. in Suet. Dom. c. 9. n. 7.

Lex Claudia de tutelis feminarum. Sed de hac nihil aliud accepimus, quam quod Leonis conſtitutione continetur C. l. 3. de legit. tut. *Conſtitutione divæ memoriæ Conſtantini lege Claudia ſublata pro antiqui juris auctoritate, ſalvo manente agnationis jure, tam conſanguineus, id eſt, frater, quam patruus, cæterique legitimi ad pupillarem feminarum tutelam vocantur.* Hanc eſſe Conſtantini conſtitutionem, quæ Theodoſian III. reperitur aliqua ex parte deminuta: *In feminis tutelam legitimam conſanguineus patruus non recuſet.* Vereor autem, ne non *lex* Claudia ad tutelas feminarum pertineret, de quibus Cicero pro Muræna c. 12. *Etenim veteri jure omnes mulieres propter infirmitatem conſilii in tutorum poteſtate erant.* Hanc perpetuam tutelam Severinus appellat Topic. II. qua liberari mulieres dicit, cum in manum viri convenissent. *Auguſt. de Leg. in Claudia. & ad Leg.* XII. *tab.* §. 18. *Hotman. Antiq. Rom.* I. I. *p.* 202. *B. Briſſon. de Rit. nupt. Theſ. Antiq. Roman. Grev. Tom.* VIII. *p.* 1020. *F. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 13. *Roſin. Ant. Rom.* VIII. 17. V. infr. in *Tutela.*

Lex Clodia annoniana, ſive frumentaria lata eſt a P. Clodio tribuno plebis an. 695. L. Calpurnio Piſone, A. Gabinio coſſ. Aſcon. in Cicer. p. 160. *Annoniana fuit ſumme popularis, ut frumentum populo, quod antea ſemis æris, ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur.* Cicer. pro Sext. c. 25. *Remiſſis ſemiſſibus, ac trientibus quinta prope pars vectigalium tolleretur.* Auguſt. de Leg. in Clodia. Lipſ. Elect. I. 8. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 200. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 363. Roſin. Ant. Rom. VIII. 12.

Lex Clodia de auſpiciis lata eſt a P. Clodio tribuno plebis, *ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſervaret: propter quam rogationem ait legem Fuſiam & Æliam, propugnacula, & muros tranquillitatis, atque otii everſam eſſe: obnuntiatio enim, qua pernicioſis legibus reſiſtebatur, quam Ælia lex confirmaverat, erat ſublata.* Aſcon. in Cicer. p. 160. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 200. *E.*

Lex Clodia de cenſoria nota lata eſt ab eodem Clodio, & eisdem coſſ. Aſcon. in Cicer. p. 160. *Quarta Clodii lex fuit: ne quem cenſores in ſenatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, & utriusque cenſoris ſententia damnatus eſſet.* Cicer. pro Sext. c. 25. *Conſulibus illis tacentibus lata lex eſt, ut cenſoria notatio, & graviſſimum judicium ſanctiſſimi magiſtratus de Republica tolleretur.* in Piſon. c. 5. *Quadringentos annos judicium, rationemque cenſoriam tenueramus: eam poteſtatem minuere, quo minus de moribus noſtris quinto quoque anno judicaretur, nemo tam effuſe petulans conatus eſt.* Auguſt. de Leg. in Clodia. Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 201. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 167. III. p. 363. Roſin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Clodia de collegiis lata eſt ab eodem Clodio, & eisdem coſſ. ut collegia, id eſt, conventus artificum, magna ex parte partim legibus, partim SCtis ſublati reſtituerentur, multique alii inſtituerentur. Cicer. in Piſon. c. 4. *A. P. Clodio, fatali portento, prodigioque Reipublicæ, lex Ælia & Fuſia everſa eſt, propugnacula, murique tranquillitatis, & otii: collegia non ea ſolum, quæ ſenatus ſuſtulerat, reſtituta, ſed innumerabilia quædam nova ex omni fæce Urbis, ac ſervitio concitata.* Auguſt. de Leg. in Clodia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 201. C. Pigh. Annal. Rom. III. p. 363. Roſin. Ant. Rom. VIII. 31.

Lex Clodia de injuriis publicis lata eſt a Clodio. De ea nihil me legiſſe memini præter hæc Ciceronis pro Dom. c. 30. *At tu etiam legem de injuriis publicis tuliſti, Anagnino neſcio cui Menullæ per gratiam, qui tibi ob eam legem ſtatuam in meis ædibus poſuit, ut locus ipſe in tua tanta injuria legem, & inſcriptionem ſtatuæ refelleret.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 200. F.

Lex Clodia de obnuntiatione lata eſt ab eodem Clodio, & eisdem coſſ. Hac cavebatur, *ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſervaret. Obnuntiatio vero, qua pernicioſis legibus reſiſtebatur, quam Ælia lex confirmaverat, erat ſublata.* Aſcon. in Cicer. p. 160. V. Cicer. in *Clodia de collegiis.* Auguſt. de Leg. in Clodia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 200. F. Roſin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Clodia de ſcribis lata eſt a Clodio. Hujus, & nemo præter illum, meminit Suet. Dom. c. 9. n. 7. *Scribas quæſtorios negotiantes ex conſuetudine, ſed contra Clodiam legem, venia in præteritum donavit.* Claudia *lege* de navibus potuit aliquid etiam de ſcribis, maxime quæſtoriis, cautum fuiſſe, ne ipſis quoque majorem navem negotiandi cauſa habere liceret. Quod crediderim non tam ob ordinis honeſtatem, quam quod publicis rationibus non conveniret, ſi quæſtorum ærarii ſcribæ negotiarentur. *Torrent. & Pitiſc. in Suetonium. Auguſt. de Leg. in Clodia. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 200. *D.*

Lex Clodia de vi lata eſt a P. Clodio tribuno plebis: ut de iis, qui civem Romanum ſine judicio populi, indictaque cauſa necaſſent, quæſtio haberetur. *Cujus verbis etſi non nominabatur Cicero, tamen ſolus petebatur.* Paterc. II. 45. I. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 201. *G.*

Lex Clodia de victoriatis. Hujus meminit Plin. xxxiii. 3. *Qui nunc vi[illegible] appellatur, lege Clodia percu[illegible]s est.* Hotman. Antiq. Roman. l. I. p. 102. B. August. de Leg. in Clodia. Manut. de Leg. c. 17. Rosin. Ant. Rom. viii. 20.

Lex Cœlia tabellaria perduellionis lata est a Cœlio tribuno plebis an. 635. Q. Cœlio Metello B[illegible], T. Quintio Flaminio coss. ut etiam in perduellionis judicio, quod Cassia *lege* tabellaria exceptum erat, populus non voce, sed tabella sententiam ferret. Cicer. de Leg. iii. 16. *Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque judicio Cœlius tabellam.* August. de Leg. in Cœlia. Manut. de Leg. c. 9. Pollet. For. Rom. v. 8. Rosin. Ant. Rom. viii. 3.

Lex Cornelia de agris proscriptorum lata est a L. Cornelio Sylla dictatore, & consule cum Q. Cæcilio Metello an. 673. ut proscriptorum agri publici essent: quod maxime de iis agris intelligendum est, qui in [illegible] Volaterras, ac Fæsulas erant, quos militibus suis Sulla divisit. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* ii. 2. *Manut. de Leg.* c. 13. *Pigh. Annal. Rom.* iii. *p.* 265. *Rosin. Ant. Rom.* viii. 10.

Lex Cornelia de captivis. De hac scripsit Julian. l. lege Corn. ff. qui test. fac. poss. *Lege Cornelia testamenta eorum, qui in hostium potestate decesserint, perinde confirmantur, ac si qui ea fecissent, in hostium potestatem non pervenissent, & hereditas ex his ad unumquemque pertinet.* Quæ ita intelligenda sunt, non ut testamentum, quod is apud hostes fecit, valeat, nam id nullo quidem domum redeunte valet, sed quod antea, dum in civitate esset, fecit, si illic decesserit, valeat ex *lege* Cornelia; sin autem redierit, jure postliminii. *Hotman. Antiq. Roman.* l. I. *p.* 204. *G. August. de Leg. in Cornelia. Rosin. Ant. Rom.* viii. 18.

Lex Cornelia de edictis perpetuis est lata a C. Cornelio tribuno plebis an. 686. C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione coss. ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent: quæ res gratiam ambitiosis prætoribus, qui varie jus dicere assueverant, sustulit. *August. de Leg. in Cornelia. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 265. *Manut. de Senat. Rom.* c. 10. *Rosin. Ant. Rom.* viii. 5. V. [illegible] in *E[illegible]*.

Lex Cornelia de falso, sive testamentaria nummaria est lata a L. Cornelio Sulla an. 673. Pompon. de Orig. jur. §. 31. *Deinde Cornelius Sulla quæstiones publicas constituit: veluti de [illegible], de parricidio, de sicariis: prætores quibus a[illegible].* De falsis *legem* Macer l. I. ff. de publ. jud. Corneliam de testamentis, Justinianus testamentariam, Cicer. Verr. I. 42. testamentariam nummariam appellant. De illa Imperator: *Item lex Cornelia de falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, vel subjecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit sciens dolo malo. Ejusque legis pœna in servos ultimum supplicium est, quod [illegible], in liberos vero deportatio.* Ascon. in Cic. p. 99. interpretatur testamentariam nummariam eam esse, quæ [illegible] esset *de moneta, ne quis* [illegible] *faceret.* Sed & Ulpian. l. lege ff. de lege Cornelia de falso. *Lege Cornelia*, inquit, *cavetur, ut qui [illegible], qui argenteos nummos adulterinos faxerit, falsi crimine teneri.* *Eadem lege exprimitur, ne quis nummos stagneos, plumbeos emere, vendere dolo malo vellet.* August. de Leg. in Cornelia. Hotman. Antiq. Roman. l. I. p. 204. L. & v. I. I. Brisson. Antiq. I. 8. Pigh. Annal. Rom. iii. p. 262. Zamosc. de Senat. Rom. I. 16. Guther. de Offic. Dom. Aug. iii. 19. Rosin. Ant. Rom. viii. 26.

Lex Cornelia de infamia est lata a L. Cornelio Sulla De illa Cicer. Fam. iii. 11. *Est majestas, ut Sulla voluit, ne in quemvis impune declamare liceret.* Manut. de Leg. c. 29.

Lex Cornelia de injuriis est lata a L. Cornelio Sulla an. 673. De illa Ulpian. l. 5. ff. de injuriis: *Lex Cornelia de injuriis competit ei, qui injuriarum agere volet ob eam rem, quod se pulsatum, verberatumve, domumque suam vi introitam esse dicat. Qua lege cavetur, ut non [illegible], qui agit, gener, socer, vitricus, privignus, sobrinusve est, propiusve eorum quem [illegible], aut [illegible] eorum ejus, parentisve [illegible].* Paull. Sent. v. [illegible]: *[illegible] ex lege Cornelia [illegible], quæ [illegible] pulsatur, vel [illegible] ab his qui [illegible] appellantur, in quos extra ordinem animadvertitur.* Manut. de Leg. c. 30. Hotman. Antiq. Roman. l. I. p. 204. C. iii. 3. p. 468. B. Pigh. Annal. Rom. iii. p. 263. August. de Leg. in Cornelia. Rosin. Ant. Rom. viii. 27.

Lex Cornelia de [illegible] est lata a L. Cornelio Sulla, qui [illegible] sustulit, [illegible] *reddantur [illegible].* [illegible] c. 13. August. de Leg. in Cornelia. [illegible] p. [illegible]. Pigh. Annal. Rom. iii. p. 263. Rosin. Ant. Rom. viii. 21.

Lex Cornelia de judiciis [illegible] est lata a L. Cornelio Sulla. V. [illegible].

Lex Cornelia de [illegible] lata est a C. Cornelio tribuno plebis C. Pisone, M. [illegible] coss. ut prætores ex edictis suis perpetuis [illegible], quæ [illegible] dicere assueverant, sustulit. Dio xxxvi. p. 19. C. *H[illegible] Antiq. Roman.* l. I. *p.* 205. *C.*

Lex Cornelia de [illegible] est lata a L. Cornelio Sylla dictatore an. 673. ne illis decessuris in [illegible], quam lege a se [illegible]. Cicer. [illegible] iii. 10. *[illegible] me adire quædam [illegible], quæ [illegible] prius leg[illegible] de [illegible] Cornelia [illegible].* Pigh. Ann. Rom. iii. p. 2[illegible].

Lex Cornelia de limitibus [illegible] est lata a L. Cornelio Sulla. Hygin. de limit. constit. p. 152. [illegible] Amstel. *[illegible], latitudinem habent ped.* xii. *Per hos iter populo, sicut per viam publicam debetur: ita enim cautum est lege Sempronia, & Cornelia, & Julia.* Hotman. Antiq. Roman. l. I. p. 205. L. Rosin. Ant. Rom. viii. 11.

Lex Cornelia de [illegible]: ne quis in pecuniam luderet, [illegible], nisi qui virtutis causa [illegible] disco, pilove jaciendo, currendo, saliendo, luctando, pugnando. Marcian. l. 3. ff. [illegible]: *[illegible] ex lege Titia, & Publicia, & Cornelia etiam sponsionem facere licet: sed ex aliis, ubi pro virtute certamen non fit, non licet.* [illegible] temporibus lata sit, vix sciri potest, *August. de Leg. in Cornelia [illegible]. Hotman. [illegible] p.* 205. *[illegible] Ant. Rom.* viii. 31. *Manut. de Leg.* c. 30

Lex Cornelia de magistratibus lata est a L. Cornelio Sulla [illegible], & [illegible] Q. Cæcilio Metello an. 673. [illegible] p. 412. *Adhæc Sylla leges alias antiquabat, alias ferebat, edixitque, ne quis [illegible] ante quam [illegible] potest [illegible].* Aug. de Leg. in Cornelia. Robortell. de Magistrat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. [illegible] B. Pigh. Antiq. Roman. iii. p. 261. Rosin. Ant. Rom. viii. 5. Item ab eodem de magistratibus lata est, ut qui cum imperio in provinciam profectus esset, [illegible] in portum retineret, [illegible] in Urbem reversus esset: quum antea certo, [illegible] præfinito tempore imperium illud terminaretur: & si successor non mitteretur, nova rogatione ad imperium prorogandum opus esset. Item ut triginta tantum dies, postquam successor [illegible] esset, magistratui ad decedendum concederentur. V. Cicer. Famil. I. 9. iii. 6. *Hotman. Antiq. Roman.* l. I. *p.* 203. *B. Panvin. Fast.* I. *p.* 120.

Lex Cornelia majestatis. Hujus *legis* auctor est incertus. Tantum enim reperio, C. Cornelium hac *lege* fuisse accusatum L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coss. quod intercedenti collegæ tribunus plebis non obtemperaverit: defensus tamen a Cicerone est, & absolutus magno numero sententiarum, ut Ascon. in Cicer. p. 124. refert. Ita etiam scriptum est a Cicer. in Pison. c. 21. *Ausus est, mitto exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi, aut senatus accedere: quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Julia de pecuniis repetundis planissime vetant.* Pigh. Annal Rom. III. p. 262. August. de Leg. in Cornelia.

Lex Cornelia de municipiis lata est a L. Cornelio Sulla. Hac jus, & beneficium civitatis Romanæ multis, qui Cinnam, Carbonem, Marium, Scipionem, & Norbanum, cæterosque adversæ factionis duces, aut consilio, aut pecunia, aut copiis juverant, ademit. Tulit enim, ut municipiis omnibus jus civitatis, agrique adimerentur. Quod tamen de agris, non autem de civitate ratum fuisse docet Cicer. pro Dom. c. 30. *Populus Romanus L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis civitatem ademit: ademit iisdem agros; de agris ratum est: (fuit enim populi potestas) de civitate ne tamdiu quidem valuit, quam illa Sullani temporis arma valuerunt.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 203. B. Rosin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Cornelia de novis tabulis lata est a P. Cornelio Dolabella genero Ciceronis an. 706. Plutarch. in Anton. p. 919. D. *Dolabella id temporis tribunus plebis, juvenis, & rerum novarum cupidus, de novis tabulis promulgabat.* V. etiam Dion. XLII. p. 1,8. D. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 450.

Lex Cornelia de patricidis. V. illam infr. in *Lex Pompeja.*

Lex Cornelia de patriciis lata est a Sex. Cornelio tribuno militum an. 370. *Ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret.* Liv. VI. 20. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 202. *C.*

Lex Cornelia de plagiariis. Sed hujus nulla apud ICtos est mentio. Meminit ejus Apul. Met. VIII. p. 257. *Quanquam enim prudens tamen Corneliæ legis incurram, si civem Romanum pro servo tibi vendidero.* August. de Leg. in Cornelia. Beroald. & Florid. in Apulejum.

Lex Cornelia de proscriptione lata est a L. Cornelio Sulla Dictatore an. 672. cui Marianis victis Urbem ingresso, cum cædes cædendi nullus finis fieret, C. Metellus fertur dixisse: cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus. Tum Sulla tabulam proscriptionis primus excogitavit. Tulit autem de proscriptione *legem*, ut, qui proscriptum recepisset, capitale esset; neque fratre, neque filio, neque parente excepto: qui proscriptum occidisset, sive servum dominus, sive patrem filius interemisset, ei duo talenta mercedis nomine darentur. Proscriptorum liberos honore privavit, & bona proscriptorum publicavit, positaque hasta vendidit. Plutarch. in Sull. p. 472. A. Appian. Bell. civ. I. p. 409. *August. de Leg. in Cornelia. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 203. *A. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 260. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 5. Valeriane, an Cornelia sit appellanda, dubitat Cicer. pro S. Rosc. c. 43. *Verum ego hoc quæro, qui potuerunt ista ipsa lege, quæ de proscriptione est, sive Valeria, sive Cornelia est, non enim novi, nec scio, verum ista ipsa lege bona Sext. Roscii venire qui potuerunt?* Dubitationis causa esse videtur, quod, ut scribit idem Agrar. III. 2. *L. Valerius Flaccus Interrex de Sulla dictatore tulit, ut omnia, quæcunque ille fecisset, essent rata*, utque quem vellet civium indicta causa occidere posset; cum vero hæ omnes injustissimæ essent, ac per vim latæ, contemnere eas Cicero, atque earum minus peritus videri vult. *Pigh. & August. l. l. Hotman. ibid. p.* 238. *E.*

Lex Cornelia de provinciarum rectoribus lata est a L. Cornelio Sulla dictatore an. 763. ut qui cum imperio in provinciam profectus esset, tamdiu illud imperium retineret, quoad in Urbem reversus esset. Cum antea certo, ac præfinito tempore imperium illud terminaretur: & si successor non mitteretur, nova rogatione ad imperium prorogandum opus esset. Cicer. Fam. I. 9. *Se, quoniam ex lege provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in Urbem introisset.* Fuit & hoc in ea rogationis hujus caput, ut triginta tantum dies, postquam successor missus esset, magistratui ad decedendum concederetur. Cicer. Fam. III. 6. *Eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent.* Pigh. Annal. Rom. III. p. 264. Manut. de Leg. c. 10. Rosin. Ant. Rom. VIII. 8.

Lex Cornelia de repetundis est lata a L. Cornelio Sulla dictatore, quæ comperendinationem, *lege* Acilia sublatam restituit. Fuit autem, ut posterior quæque *lex*, durior quam Acilia: etsi concedebat comperendinationem, quam Acilia tollebat. Sunt autem *lege* Cornelia judicia de repetundis omnia usque ad C. Cæsaris, qui postea dictator fuit, primum consulatum administrata. *Manut. de Leg. c.* 22. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 263. *Sigon. de Judic.* II. 27. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 202. *E. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 30.

Lex Cornelia de sacerdotiis est lata a L. Cornelio Sulla dictatore an. 673. Ut jus cooptandorum sacerdotum a populo ad collegia transferretur, *lege* Domitia antiquata, quæ per invidiam latoris perlata fuerat. Ascon. in Cicer. p. 19. *His enim decem annis, victore Sulla, spoliatus est populus Romanus potestate tribunitia, judicandi jure, quod habuit, arbitrio creandorum sacerdotum.* Dio XXXVII. p. 46. D. *Ea tempestate, quum Labienus de pontificibus creandis rogationem tulisset, plebs contra Sullæ legem Domitii legem renovavit, atque reduxit.* Utique pontificum, augurum, decemvirorumque collegia augerentur, & in singulis sacerdotes quindecim essent. Liv. Epit. 89. *Sulla dictator factus pontificum, augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim.* Utique de carminibus Sibyllinis, quæ ante biennium exusto Capitolio perierant, quindecimviri inquirerent, eaque Samo, Ilio, Erythris, atque per Africam, Siciliam, & Italicas colonias conquisita, & exscripta in libros redigerent, quantumque humana ope possent, vera a falsis discernerent. V. Tacit. Annal. VI. 12. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 260.

Lex Cornelia de sicariis, & veneficis est lata a L. Cornelio Sulla dictatore an. 673. *Lege Cornelia de sicariis, & veneficis*, inquit Marcian. l. 1. ff. ad leg. Corn. de sicar. *tenetur, qui hominem occiderit, cujusve dolo malo incendium factum erit, qui hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit, quive cum magistratus esset, publicove judicio præesset, operam dedisset, quo quis falsum indicium profiteretur, ut quis innocens conveniretur, condemnaretur. Præterea tenetur, qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit: quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur: quive magistratus, judexve quæstionis ob capitalem causam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret.* De veneno idem ibid. l. 3. scribit capite quinto ejusdem legis caveri, *qui venenum malum necandi hominis causa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit*, plecti. Cicer. pro Cluent. c. 54. *Jubet lex ea, qua lege hæc quæstio constituta est, judicem quæstionis, cum iis judicibus, qui ei obvenerint, quærere de veneno. In quem quærere? infinitum est: quicunque fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit. Quid eadem lex statim adjungit? recita: deque ejus capite quærito. Qui tribunus militum legionibus quatuor primis, quive quæstor, tribunus plebis. Deinceps omnes magistratus nominavit. Quive in senatu sententiam dixit, dixerit: qui eorum coiit, coierit, convenit, convenerit, quo quis judicio publico condemnaretur.* August. de Leg. in Cornelia. Manut. de Leg. c. 25. & 27. Brisson. de Form. II. p. 160. & 161. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 204. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 263. Rosin. Ant. Rom. VIII. 25.

Lex Cornelia de soluto legibus est lata a C. Cornelio tribuno plebis an. 686. C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione coss. Hic postea accusatus majestatis, quod intercedente collega *legis* codicem acceperat ab scriba, & legerat, defensus est a M. Tullio orationibus, quæ hodie non exstant. Asconii interpretatio exstat p. 122. *Antiquo jure cautum erat, ne quis nisi per populum legibus solveretur:*

&

& in omnibus SCtis, quibus aliquem legibus solvi placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paullatim ferri erat desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in SCtis de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa SCta per pauculos admodum fiebant. Itaque C. Cornelius primo tulerat, *ut ne quis nisi per populum legibus solveretur*; id cum obtinere non potuisset, contentus fuit ea *lege*, *ut ne quis in senatu legibus solveretur, nisi ducenti adfuissent; neve quis, cum solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur.* August. de Leg. in Cornelia. Manut. de Leg. c. 8. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 205. B. Rosin. Ant. Rom. VIII. 7.

Lex Cornelia sumptuaria est lata a L. Cornelio Sulla. De hac ita Gell. II. 24. *Postea L. Sulla dictator, quum legibus situ atque senio obliteratis plerique in patrimoniis amplis helluarentur, & familiam, pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluissent, legem ad populum tulit, qua cautum est, ut kalendis, idibus, nonisque diebus ludorum, & feriis quibusdam sollemnibus sestertios tricenos* (qui sunt septem drachmæ & dim.) *in cœnam insumere jus potestasque esset; ceteris autem aliis diebus omnibus non amplius ternos.* Sed Macrob. Sat. II. 13. *Legem sumptuariam tulit Cornelius Sulla dictator, in qua non conviviorum magnificentia prohibita est, nec gulæ modus factus; verum minora pretia rebus imposita.* August. de Leg. in Cornelia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 203. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 263. Lips. de Magnit. Roman. IV. 9. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Thys. in Gellium, & de Magnit. Roman. IV. p. 334. Rosin. Ant. Rom. VIII. 13. Manut. de Leg. c. 18.

Lex Cornelia de testamentis. V. illam supr. in *Lex de Captivis.*

Lex Cornelia de tribunis est lata a L. Cornelio Sulla dictatore, ne tribunis plebis ferendarum *legum*, concionandive jus esset, neve ad eos provocatio esset, neve iis, qui tribuni plebis fuissent, alios postea magistratus capere liceret. Liv. Epit. 89. *Tribunorum plebis potestatem minuit, & omne jus legum ferendarum ademit.* Ascon. in Cicer. p. 140. *Hic Cotta, ut puto, legem tulit, ut tribunis plebis liceret postea alios magistratus capere: quod lege Sullæ iis erat ademptum.* August. de Leg. in Cornelia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 203. D. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

Lex Curia de auctoritate patrum lata est a Manio Curio Dentato tribuno plebis M. Fulvio Pæto, Manlio Torquato consulibus an. 454. De illa Cicer. de Clar. orat. c. 14. *M. Curium, quod is tribunus plebis, Interrege Appio Cæco, diserto homine, comitia contra leges habente, cum de plebe consules non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit: quod fuerit permagnum, nondum lege Mænia lata.* Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. 33. n. 10. *Tribunus plebis patres auctores fieri coegit comitiis, quibus plebejus magistratus creabatur.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 205. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 386. Schott. in Victorem.

Lex curiata dicebatur, quæ comitiis curiatis perferebatur. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 5. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 205. F. Prevot. de Magistr. Rom. c. I.* Omnes, quæ ad tempus Servii Tullii sexti Romanorum Regis latæ sunt, fuerunt curiatæ, quod necdum centuriæ, nec tribus erant, quæ suffragium dicere possent. *Gruch. de Comit. Roman.* III. 2. Fuerunt quinque. I. de imperio, hoc est, rei militaris administrandæ facultate, magistratibus dando. Cicer. Agrar. II. 10. *Primum lege curiata decemviros ornat. Jam hoc inauditum, & plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, qui nullis comitiis ante sit datus. Atque hinc perspicuum est, quod a majoribus accepistis, quid ab hoc tribuno plebis vobis relinquatur. Majors de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam centuriata lex consulibus ferebat, & ceteris patriciis magistratibus, tribunis plebis tum curiata iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret.* Hi autem erant dictatores. De Papirio dictatore Liv. IX. 38. *Atque ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit. . . . Dictator postero die auspiciis repetitis pertulit legem, & profectus cum legionibus ad Longulam pervenit.* Consules, proconsules, prætores, & proprætores. In illis cum imperio mittendis curiata *lege* opus fuisse potest perspici ex Camilli concione apud Liv. V. 54. *Quid alia, quæ auspicio agimus omnia fere intra pomerium, cui oblivioni, aut negligentiæ damus? Comitia curiata, quæ rem militarem continent. . . .* Cicer. Agrar. II. 12. *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Hi loci ostendunt, rem militarem nemini attingere licuisse, nisi *lege* curiata id ei nominatim datum esset. Atqui nemo cum imperio rem militarem gerere poterat, nisi consulari aut prætorio. Quicunque ergo in provinciam cum belli gerendi potestate mittebantur, *legem* curiatam ante habere debebant. At enim neminem prætorio, aut consulari imperio, qui belli gerendi potestatem non haberet. Unde de Appio consule in Ciliciam provinciam profecturo ita legimus apud Cicer. Fam. I. 9. *Appius in sermonibus antea dictitabat: postea dixit etiam in senatu palam, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, se paraturum cum collega, tibique successurum. Legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse. . . . Sunt qui putant posse te non decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur.* Q. Frat. III. 2. *Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum.* Ex his apparet, magistratibus in provincias profecturis *lege* curiata opus fuisse, sine qua non poterat legitimum esse cujusquam imperium, adeo ut non satis esset *lex* curiata omnium magistratuum communis, ut ex Cicerone paullo ante docui: quæ lata erat priusquam magistratum in Urbe inire possent; sed rursus ferenda erat alia curiata ad continuandum eis in provincia imperium. Etiam ad quæstores, qui in provinciam mittebantur, *legem* curiatam pertinuisse, verba Ciceronis indicant, cum ita scribit Phil. II. 20. *Quæstor es factus: deinde continuo sine SCto, sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi.* II. qua Camillus ab exsilio est revocatus. Liv. V. 46. *Accepto inde senatus decreto, ut & comitiis curiatis revocatus de exsilio, jussu populi Camillus dictator extemplo diceretur. . . . Lex curiata lata est, dictatorque absens dictus.* III. quæ ferri solebat testamentis confirmandis, quo tempore calatis comitiis in concione fiebant. Gell. XV. 27. V. illum infr. in *Testamentum.* IV. qua adoptiones fiebant. Gell. V. 19. *Quum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei sumuntur, aut per prætorem fit, aut per populum: quod per prætorem fit; adoptatio dicitur: quod per populum; arrogatio. Adoptantur autem, quum a parente, in cujus potestate sunt, tertia mancipatione in jure ceduntur; atque ab eo qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur. Arrogantur ii, qui quum sui juris sunt, in alienam sese potestatem tradunt: ejusque rei ipsi auctores fiunt. Sed arrogationes non temere, nec inexplorate committuntur. Nam comitia arbitris etiam pontificibus præbentur, quæ curiata appellantur.* Cicer. pro dom. c. 15. *Quo die de te lex curiata lata esse dicatur, audes negare de cœlo esse servatum?* Unde Imperator Galba ad Pisonem, quem volebat adoptare apud Tacit. Hist. I. 15. I. *Si te privatus lege curiata apud pontifices, ut moris est, adoptarem.* V. qua sacrorum detestationes fiebant. Gell. V. 27. V. illum supr. in *Detestatio sacrorum.* Gruchius de Comit. Roman. III. 2. Panvin. de Civit. Roman. c. 8. Fast. I. p. 179. de Imper. Roman. c. 14. Manut. de Legib. c. 11. Sigon. de Jur. provinc. II. I. De imperio an utilis tantum, an vero necessaria fuerit, tanquam pro aris & focis, inter se disputant *Sigon. de usu legis curiatæ de imperio Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 742--754. & Gruch. ad poster. Sigon. de Lege curiata disputat: refutat.* c. 23--31. Ab eruditorum vero senatu secundum Gruchium fuit datum, si credimus Scævolæ Samarthanio, id tradenti in Gallorum doctrina illustrium elogiis. *Græv. Præfat. in Antiquitatum Tom. I. * *.*

Lex Decia de duumviris navalibus est lata a M. Decio tribuno plebis an. 442. C. Junio Bubulco Bruto III. Q. Æmilio Barbula II. coss. De illa Liv. IX. 30. *Duo imperia eo anno dari cœpta per populum. . . . alterum ut duumviros navales classis ornandæ, reficiendæque causa populus juberet.* August. de Leg. in Decia. Hotman. Antiq. Roman.

I. I.

1. 1. p. 206. A. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 366. Rosin. Ant. Rom. [illegible] 14.

Lex Didia sumptuaria est lata an. 610. Appio Claudio Pulchro, Q. Metello Macedonico coss. Macrob. Sat. II. 13. *Fanniam legem post annos decem & octo lex Didia consecuta est. Ejus ferendæ causa duplex fuit. Prima, & potissima, ut universa Italia, non sola Urbs lege sumptuaria teneretur, Italici existimantes, Fanniam legem non in se, sed in solos urbanos cives esse conscriptam. Deinde, ut non soli, qui prandia, cænasve majore sumptu fecissent, sed etiam qui ad eas vocati essent, atque omnino interfuissent, pœnis legis tenerentur.* August. de Leg. in Didia. Rosin. Antiq. Rom. III. 13. Manut. de Leg. c. 5. & [illegible]. Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 253. B. Buleng. de conviv. 1. 17. Ursin. de Fam. Rom. in Didia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 206. B. Pigh. Annal. Rom. 1. II. p. 472. Blond. triumph. VIII. p. 176.

Lex Didia de trinundino. V. illam supr. in *Lex Cæcilia Didia.*

Lex Domitia de sacerdotiis est lata a Cn. Domitio Ahenobarbo, tribuno plebis an. 650. C. Mario III. L. Aurelio coss. Ne sacerdotum collegia, quos vellent, cooptarent, sed ut populi id beneficium esset. Cicer. Agrar. II. 7. & Suet. Ner. c. 2. n. 1. V. illam inf. in *Pontifex.* & in *Sacerdos.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 206. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 153. August. de Leg. in Domitia. Manut. de Leg. c. 2. Rosin. Ant. Rom. VIII. 1. Guther. de vet. jur. pont. 1. 9 Pitisc. in Suetonium. Existimo hac *lege* permissum, ut absentes etiam petere possent sacerdotium: nam eam, ut opinor, significat Cicer. ad Brut. c. 5. laudatus infr. in *Sacerdos.* Manut. l. l.

Lex Duilia de tribunis plebis & provocatione lata est anno, quo cædes Virginiæ decemvirorum, qui legibus scribendis erant creati, imperio finem attulit: plebis enim secessione in Aventinum, Sacrumque montem tribuni plebis creati sunt: *in illis M. Duilius, qui antea consulatum tribunatum ante decemviros creatos gesserat, & L. Icilius. Hic extemplo plebem rogavit, & plebs scivit, ne cui fraudi esset secessio. Et Duilius consulibus creandis cum provocatione rogationem pertulit. Creati sunt L. Valerius, & M. Horatius. quorum consulatus popularis fuit. Legem in tulere, ut quod tributim plebes jussisset, populum teneret. Et aliam de provocatione, ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet: qui creasset, eum jus fasque esset occidi. Denique de tribunis, ut qui eis nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset. M. Duilius deinde tribunus plebis plebem rogavit, plebesque scivit; qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo, ac capite puniretur.* Liv. III. 54. 55. 56. *August. de Leg. in Duilia. Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. p. 206. D. *Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 156. *Manut. de Leg.* c. 5. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 6.

Lex Duilia Mænia de comitiis illegitimis est lata a M. Duilio, L. Mænio tribunis plebis an. 396. C. Marcio, Cn. Manlio coss. ne quis populum sevocaret. Liv. VII. 16. *Tribuni plebis non tam lege, quam exemplo moti, ne quis populum postea sevocaret, capite sanxerunt.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 206. D. Rosin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Duilia Mænia fœnebris unciaria est lata ab iisdem tribunis & iisdem coss. Liv. VII. 16. *Haud æque patribus læta insequenti anno C. Marcio, Cn. Manlio coss. de unciario fœnore a M. Duilio, L. Mænio tribunis plebis rogatio est perlata: & plebs aliquanto eam cupidius scivit, accepitque.* August. de Leg. in Duilia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 11. Manut. de Leg. c. 16. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 206. F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex duodecim tabularum. V. illam infr. in *Tabula.*

Lex Fabia de plagiariis. *Hac lege cavetur*, ut ait Callistr. l. [illegible] ff. de lege Fab. de plag. *ut liber homo, qui hominem ingenuum, vel libertinum invitum celaverit, vinctum habuerit, emerit, sciens dolo malo; quive in earum qua re socius erit; quique servo alieno, servæve persuaserit, ut a domino, dominave fugiat; vel eum, eamve invito, vel insciente domino, dominave celaverit, vinctum habuerit, emerit, sciens dolo malo; quive in ea re socius erit; eis pœna teneatur.* Criminis *pœna pecuniaria statuta lege Fabia in usu esse desiit: nam in hoc crimine detecti, pro admissi modo coercentur, & plerumque in metallum damnantur.* Hermogen. ibid. 1. 7. Imo, *si liberum hominem emptor sciens emerit, capitale crimen adversus eum ex lege Fabia de plagio nascitur.* Ulpian. ibid. 1. 1. *August. de Leg. in Fabia. Manut. de Leg.* c. 29. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 34. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1 *p.* 206. *F. Faber Semest.* II. 11.

Lex Fabia de sectatorum numero lata, a populo repudiata est. Itaque dixit Cicer. pro Mur. c. 34. *Tenuiores legi Fabiæ, quæ est de numero sectatorum, restiterunt.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 206. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 29.

Lex Falcidia testamentaria est lata a P. Falcidio tribuno plebis an. 713. Cn. Domitio Calvino II. C. Asinio Pollione coss. Ejus capita refert Paull. l. 1. ff. ad leg. Falcid. I. *Lex Falcidia*, inquit, *lata est, quæ primo capite liberam legandi facultatem dedit usque ad dodrantem, his verbis: qui cives Romani sunt, qui eorum post hanc legem rogatam testamentum facere volet: ut eam pecuniam, easque res, quibuscunque dare, legare volet, jus potestasque esto.* II. modum legatorum constituit his verbis: *quicunque civis Romanus post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus potestasque esto, dum ita detur legatum, ne minus quam partem quartam hereditatis eo testamento heredes capiant, eis quibus quid ita datum, legatumve erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto: isque heres, qui eam pecuniam dare jussus damnatus erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus est.* August. de Leg. in Falcidia. Manut. de Leg. c. 14. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 12. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 721. E. Guther. de Jur. man. III. 20. Brod. Misc. X. 2. Brisson. de Form. II p. 160. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 207. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 485. Rosin. Ant. Rom. VIII. 18.

Lex Fannia sumptuaria lata est a C. Fannio coss. *post annum vigesimum secundum legis Orchiæ, anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem* 588. *Fanniæ legis severitas in eo superabat Orchiam legem, quod in superiore numerus tantummodo cœnantium cohibebatur; licebatque secundum eam unicuique sua bona inter paucos consumere. Fannia autem sumptibus modum fecit assibus centum: unde a Lucilio poeta festivitatis suæ more centussis vocatur.* Macrob. Sat. II. 13. Gell. II. 24. *Lex Fannia ludis Romanis, item ludis plebejis, & Saturnalibus, & aliis quibusdam diebus, in singulos dies centenos æris* (qui decem drachmas nobis reddunt) *insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos; ceteris autem omnibus diebus denos.* August. de Leg. in Fannia. Manut. de Leg. c. 3. & 18. Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 253. B. Pith. Subcis. II. 2. Bacc. de Conviv. II. 10. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 530. Bruyer. de Re cibar. III. 4. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 207. G. IV. 1. 13. Pigh. Annal. Rom. II. p. 409. Crinit. de Honest. Discipl. XIV. 6. Lips. de Magnit. Roman. IV. 9. Thys. de Magnit. Roman. IV. p. 334. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Lipen. de Stren. c. 2. tert. æt. §. 26. Rosin. Ant. Rom. VIII. 13.

Lex Flaminia agraria est lata a C. Flaminio tribuno plebis an. 521. M. Æmilio Lepido, M. Poblicio Malleolo coss. ut ager Picenus, unde Senones Galli fuerant expulsi, militibus divideretur. Polyb. II. 21. *Quinto ab hoc tumultu anno, M. Lepido cos. Romani Galliæ Cisalpinæ agrum Picenum dictum, quem devictis Senonibus ademerant, diviserunt. postquam C. Flaminius, popularem auram captans, legem hanc suasisset, ac tulisset. Quam profecto legem, ut si quid aliud, populi Romani mores in deterius mutasse existimandum est. eandemque huic bello causam præbuisse, quod postea cum iis gentibus Romani gesserunt: multi enim Gallorum populi, præsertim Boji, in societatem ejus belli nomina dederunt, quod Romani essent contermini: quippe non jam de imperio, aut dominatione secum illos certare; sed ut ipsos sedibus suis funditus verterent, atque perderent.* August. de Leg. in Flaminia.

Manut.

Manut. de Leg. c. 12. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 208. B. Pigh. Annal. Rom. 11. p. 101. Rosin. Ant. Rom. VIII. 10.

Lex Flavia agraria est lata a L. Flavio tribuno plebis, ut vel agri, quos a senatu locupletes emissent, reddita possessoribus pecunia, plebi dividerentur: vel, si nemi-nem veteri possessione moveri senatus vellet, alii agri ea pecunia, quæ ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur, emerentur: & plebi, quæ agros non haberet, partirentur. Cicer. Attic. 1. 19. *Agraria lex a Flavio tribuno plebis vehementer agitabatur, auctore Pompejo: quæ nihil populare habebat præter auctorem*, & quæ sequuntur. Manut. de Leg. c. 13. Sigon. de Ant. jur. Ital. 11. 2. Pigh. Annal. Rom. III. p. 348. Rosin. Ant. Rom. VIII. 10.

Lex Frumentaria. V. in *Appuleja*, *Clodia*, *Octavia*, & *Sempronia*.

Lex Fusia est incerta. Ejus meminit Cicer. Verr. 1. 42. *Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fusias, ipsam, ut dixi, Voconiam, omnes præterea de jure civili: hoc reperies in omnibus* [illegible] *quo post eam legem populus teneatur*. Ascon. in Cicer. p. 99. *Istæ omnes de jure civili sunt: nihil continent* [illegible] *publicique judicii*. Tribunitiam fuisse arbitror. Illa enim Ciceronis longius ab eo tempore absunt. *August. de Leg. in Fusia*.

Lex Fulvia de civitate Italis danda est lata a M. Fulvio Flacco cos. an. 628. Appian. Bell. civ. 1. p. 371. *Fulvius Flaccus in consulatu suo primus omnium aperte injecit populi Romani sociis civitatis cupidinem, sperantibus se fore non amplius subditos, sed imperii participes: in qua sententia quum firmiter perstaret, a senatu ad quoddam bellum ablegatus est*. Val. Max. IX. 5. 1. *M. Fulvius Flaccus cos. M. Plautii Hypsæi collega, cum perniciosissimas Reipublicæ leges introduceret, de civitate danda, & de provocatione ad populum, eorum qui civitatem mutare voluissent; ægre compulsus est ut in curiam veniret. Deinde partim monenti, partim oranti senatui, ut incepto desisteret, responsum non dedit. Tyrannici consulis spiritus habebatur, si adversus unum senatorem hoc modo se gessisset, quo Flaccus in totius ordinis amplissimi contemnenda majestate versatus est*. Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 1. Pigh. Annal. Rom. III. p. 38. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Furia de ædilibus est lata a M. Furio Camillo dictatore an. 385. *ut duo ædiles ex patribus crearentur*. Liv. VI. 42. *Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 208. C.*

Lex Furia de testamentis est lata a C. Furio tribuno plebis. Cicer. pro Balb. c. 8. *Tulit apud majores nostros legem C. Furius de testamentis*. Illa, ut Theophilus ait, cavebatur, uni legatario non amplius mille aureis nummis legari posse. Qui plus accepisset, id quod plus esset, quadruplicatum restitueret. *August. de Leg. in Furia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 208. E. Manut. de Leg. c. 14. & 16. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 18. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* 1. 12.

Lex Fusia de comitiis lata est a Q. Fusio Caleno prætore, C. Cæsare, M. Bibulo consulibus an. 694. [illegible] *omnia simul* [illegible] *tribus* [illegible] *ut singula genera de suffragiorum eventu sic inter se contenderent, ut, quod recte statutum esset, id suo suffragio facere* [illegible] *in alios rejicerent* [illegible] Fusius; [illegible] Dio XXXVIII. p. 63. A. Hoc modo singularum generum suffragia seorsim renuntiabantur. *Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 209. B.*

Lex Fusia de obnuntiatione. V. illam supr. in *Ælia & Fusia*.

Lex Fusia, sive Furia Caninia de testamentaria manumissione est lata a P. Furio Camillo, C. Caninio Gallo coss. an. 703. Illa, ut Paul. Sent. IV. in calce scribit, cavebatur, ut certus servorum numerus testamento manumitteretur: a duobus usque ad decem pars dimidia, a decem usque ad triginta pars tertia, a triginta ad centum pars quarta, a centum ad quingentos pars quinta: plures quam centum manumitti non posse. Vopisc. Tacit. c. 11. [illegible] *omnes manumisit urbanos utriusque sexus, intra centum tamen, ne Caniniam transgredi videretur*. Addit Cajus Instit. 1. nullam esse eorum manumissionem, qui supra eum numerum testamento manumittuntur: [illegible] nominatim eos libertatem [illegible] oportere, & ordinem testamenti sequendum. *August. de Leg. in Fusia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* 1. 12. *Manut. de Leg. c. 44. Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 208. *F. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 15. *Ravard. Conject.* II. 1.

Lex Gabinia de legatis est lata ab A. Gabinio, non quidem tribuno plebis, sed altero ex eisdem [illegible], ut legatis gentium ex Kal. Febr. ad Kal. Mart. quotidie senatus daretur. V. [illegible] Caput alterum fuit, ut [illegible] Cicer. Attic. V. 21. *Reperio duo SCta iisdem coss. de eadem syngraphis* [illegible] *non poterat, quod lege Gabinia vetabatur*. August. de Leg. in Gabinia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 209. E. F.

Lex Gabinia de [illegible] lata ab homine ignoto, & sordido Gabinio tribuno plebis an. 614. Cn. Calpurnio Pisone, M. Popilio Lænate coss. Illa [illegible] sed tabella [illegible] Legibus tabellariis magnam potestatem nobilitas fecit, propterea quod qui palam repugnare non audebant [illegible] V. [illegible] in *Lex Cassia*. August. de Leg. c. 13. & in Gabinia. [illegible] Rom. V. 8. Manut. de Leg. c. 9. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 215. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 209. C. Pigh. Annal. Rom. II. p. 489. Blond. Triumph. Rom. III. p. 79. C. Rosin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Gabinia de [illegible] *supplicio multaretur*. Porc. Latro in Catilinam. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. p. 209. *C.*

Lex Gabinia de piratis est lata ab A. Gabinio tribuno plebis, Metello, Marcio coss. [illegible] an. 685. Ut bellum adversus piratas Cn. Pompejo in triennium ita mandaretur, ut toto mari [illegible] & in maritimis provinciis [illegible] potestatem haberet imperandi [illegible] præsidibus, civitatibus, ut se rebus omnibus ad ejus belli administrationem necessariis juvarent. Plutarch. in Pomp. p. 631. E. Paterc. II. 31. 2. Ascon. in Cicer. p. 134. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 209. *D.*

Lex Gellia Cornelia de civibus est lata a L. Gellio Poplicola, Cn. Cornelio Lentulo coss. an. 681. [illegible] Romanos esse [illegible] quos Cn. Pompejus de consilii sententia singulatim civitate donavisset. Cicer. pro Balb. c. 14. *Ac* [illegible] *lex* [illegible] *Gellia* [illegible] *Pompejo civitatem donandi dederat, sustulisset.* . . . *Quid fuit in rogatione ea, quæ de Pompejo a Gellio, & a Lentulo coss. lata est.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 209. F. Brisson. de Form. II. p. 138. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Genucia de consulibus lata est a L. Genucio tribuno plebis an. 411. C. Marcio Rutilo IV. Q. Servilio Ahala coss. ut liceret ambos consules ex plebe creari. Liv. VII. 42. *Invenio apud quosdam* [illegible] *ambos consules plebejos creari*. Sed [illegible] Genucius tulerit, Livius non dicit; [illegible] in eodem anno [illegible] *August. de Leg. in Genucia. Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 306. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 5.

Lex Genucia fœnebris lata est a L. Genucio eodem anno iisdem coss. ne fœnerare liceret. Liv. VII. 42. *Præter hæc invenio apud quosdam, L. Genucium, tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerare liceret*. August. de Leg. in Genucia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 210. A. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20. Manut. de Leg. c. 16. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 306.

Lex Genucia de magistratibus lata est a L. Genucio eodem anno iisdem coss. *ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret*. Liv. VII. 42. *Hotoman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 210. *A. Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 306. *August. de Leg. in Genucia. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 5.

Lex Genucia Æmilia de clavo pangendo lata est Sexto a Cn.

Cn. Genucio, L. Æmilio consulibus an. 390. ut *qui prætor maximus sit, Idibus Septembribus clavum pangat.* Liv. VII. 3. ubi addit, *legem antiqua fuisse priscis literis, verbisque scriptam, clavumque, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse, eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus a Minerva inventus sit.* Hotman. Antiq. Roman l. 1. p. 209. G.

Lex Glaucia est lata a C. Servilio Glaucia, qui post damnatum Cæpionem, ejusque exitium calamitosissimum equitibus judicia restituit. Cicer. de Clar. Orat. c. 62. *Is, Glaucia, ex summis, & fortunæ, & vitæ sordibus in prætura, consul factus esset, si rationem ejus haberi licere judicatum esset: nam & plebem tenebat, & equestrem ordinem beneficio legis devinxerat.* Hæc lex illud quoque præcedentibus addidit, ut *reus comperendinaretur.* Cicer. Verr. I. 9. V. illum supr. in *Comperendinatio.* Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7.

Lex Glicia de inofficioso testamento lata est a M. Claudio Glicia dictatore. Ad eam Cajus singularem librum scripsit, ejusque una sententia adhuc superest l. 4. ff. de inoffic. testam. Gessit dictaturam an. 555. C. Claudio Pulcro, L. Junio coss. Verba legis V. infr. in *Querela. Cujac. Observ.* II. 21: XIV. 14. *Sueton. de Centumvir. iudic.* II. 6. Mendose meo judicio, quum Glicia non nomen, sed cognomen sit, ut ex Fastis intelligitur. Videndum igitur, an Titia rectius legeretur, quæ de pupillorum rationibus lata est, quo Caji sententia pertinet. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 210. *B.*

Lex Hirtia de Pompejanis lata est ab A. Hirtio co, qui postea in pugna ad Mutinam cecidit, ut opinor, Pompejo superato, & C. Cæsare dictatore perpetuo constituto an. 704 ut Pompejani ad dignitates non admitterentur. Hujus fit mentio apud Cicer. Phil. XIII. 16. *An negatis neminem Pompejanum, qui vivat, teneri lege Hirtia dignitates? Quisquam jam legis Hirtiæ mentionem facit? cujus non minus arbitror latorem ipsum, quam eos, de quibus lata est, pœnitere? Omnino, mea quidem sententia, legem illam appellare ne fas quidem est: &, ut sit lex, non delemus illam Hirtii legem putare.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 210. C. Pigh. Annal. Rom. III. p. 437. & 447. August. de Leg. in Hirtia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Horatia de Caja Tarratia, virgine Vestali, tulit, ut certi honores ei tribuerentur, *in his, ut testabilis esset, ut si quadraginta annos nata sacerdotio abire, ac nubere voluisset, jus ei potestasque exaugurandæ, atque nubendi esset, munificentiæ, & beneficii gratia, quod campum Tiburtinum, sive Martium populo Romano condonasset.* Gell. VI. 7. Plutarch. Poplic. p. 101. B. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 210. *B.*

Lex Hortia de provocatione. V. illam supr. in *Lex Duilia.*

Lex Hortensia de nundinis fuit, ut nundinæ, quæ olim feriæ fuerant, *fastæ essent: ut rustici, qui nundinandi causa in Urbem veniebant, lites componerent.* Macrob. Sat. I. 16. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 210. *E. Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 409. *August. de Leg. in Hortensia. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 1.

Lex Hortensia de plebiscitis lata est a Q. Hortensio dictatore creato an. 467. *cum plebs propter æs alienum, post graves, & longas seditiones, ad ultimum secessisset in Janiculum.* Liv. Epit. XI. De illa Pompon. l. 2. §. 8. ff. de orig. jur. *Deinde cum esset in civitate lex* XII. *tab. & jus civile, essent & legis actiones: evenit, ut plebs in discordiam cum patribus perveniret, & secederet, sibique jura constitueret, quæ jura plebiscita vocantur: mox cum revocata est plebs, quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit & ea observari lege Hortensia; & ita factum est, ut inter plebiscita, & legem species constituendi interesset, potestas autem eadem esset.* Justinian. Instit. tit. 2. §. 7. de jur. nat. *Sed & plebiscita lege Hortensia lata non minus valere, quam leges cœperunt.* Gell. XV. 27. V. illum supr. in *Lex.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 210. C. F. Lycklama de Magistrat. c. 4. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 386. & 409. August. de Leg. in Hortensia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 7.

Lex Hostilia de furtis, an regia, aut consularis, aut tribunicia, incertum. De illa Justinian. Instit. IV. 10. *Præterea lege Hostilia permissum est furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut Reipublicæ causa abessent, quive in eorum cujus tutela essent.* August. de Leg. in Hostilia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 19. A. Hostilium consulem cum A. Atilio an. 583. illam tulisse dicit *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 210. *G.*

Lex Icilia de Aventino monte lata est a L. Icilio tribuno plebis an. 297. M. Valerio Maximo, Sp. Verginio Tricosto coss. Hac *lege* Aventinus mons publicatus est, ut populus eo, ubi vellet, domos ædificaret. Sententia *legis* hujusmodi erat, ut scribit Dionys. X. p. 659. *Quæcunque privati homines juste possident, eorum rerum domini sint. Quæ vero vi, aut clam ædificare aliquis cœpit, solutis ædificii sumptibus populo tradantur. Cætera, quæ publica sunt, ea populus sine ullo sumptu inter se dividat.* Hanc decemviris non licebat tollere: ita enim *legum* ferendarum potestas eis permissa est, *modo ne Icilia lex de Aventino, aliæque sacratæ leges abrogarentur.* Liv. III. 32. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 211. *A. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 132. *August. de Leg. in Icilia. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 31.

Lex Icilia de tribunis lata est a Sp. Icilio tribuno plebis an. 261. T. Geganio Macerino, P. Minutio Augurino Coss. ne quis tribuno ad populum concionanti contradiceret, neve eum interpellaret. Dionys. VII. p. 431. *Icilius tribunus hæc locutus, cum plebs cum magno clamore juberet ferre legem, scriptam jam habens, recitavit. Erat autem hæc: concionanti ad populum tribuno nemo contradicito, nec dicentem interpellato. Si quis contra fecerit, vades dato tribunis soluturum se multam, quam imposuerint: qui vades non dederit, morte mulctator, & bona ejus sacra sunto. Si quid controversiæ multarum hujusmodi causa inciderit, judicium penes populum esto.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 211. C. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 96. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6. *Legem* Siciniam appellant *Panvin. Imp. Rom. c.* 69. & *August. de Legib. in Sicinia.*

Lex Julia de adulteriis lata est a C. Octavio Augusto in familiam Juliam adoptato. Hujus verba sunt apud Ulpian. l. hæc verba ff. de adult. *ne quis posthac stuprum adulterium facito sciens dolo malo.* Quæ verba & ad eum qui suasit, & ad eum, qui stuprum, vel adulterium intulit, pertinere Ulpianus existimat. *August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c.* 29. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 215. *G.* Ejus capita, quæ plurima, per saturam denarrant & explicant *Brisson. integro libello de adulteriis,* & ex illo *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 24. V. & infr. in *Stuprum.*

Lex Julia de ætate judicum lata est ab Augusto. V. illam supr. in *Ætas judicum.*

Lex Julia agraria lata est a C. Julio Cæsare consule cum Bibulo an. 694. Suet. Aug. c. 4. n. 3. Cujus pater C. Octavius *inter* XX. *viros agrum Campanum plebi Julia lege divisit.* in primo consulatu. Liv. Epit. 103. *Leges agrariæ a Cæsare coss. latæ sunt cum magna contentione, invito senatu, & altero cos. M. Bibulo.* Hunc *obnuntiantem armis foro expulit.* Suet. Jul. c. 20. n. 3. qui n. 6. narrat illum *campum Stellatem majoribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia Reipublicæ vectigalem relictum divisisse extra sortem ad viginti millibus civium, quibus terni, pluresve liberi essent.* August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 13. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 211. G. Hanc tulit, ut inquit Dio XXXVIII. p. 58. *ita conscriptam, ut ne minimum quidem quicquam in ea reprehendendum extaret. Et ejus causa a nemine culpari poterat. Civium enim multitudo, quæ in immensum excreverat, ac sæpius jam seditionibus materiam præbuerat, ad opus faciendum, & agriculturam convertebatur: solitudines autem, quæ tum erant per Italiam plurimæ, frequentabantur.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. Pitisc. in Suetonii Julium. Eadem, ut Callistr. l. ult. de term. mot. latum est, ut qui terminos statutos extra suum agrum, finesve dolo malo movissent, pecunia mulctarentur. *Manut. ibid. c.* 30. *August. l. l. Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 212. *A.*

Lex Julia de ambitu lata est ab Augusto. Suet. c. 34. n. 1.

n. 1. *Leges retractavit, & quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus.* De illa Paull. Sent. v. 30. ita scribit: *Petiturus magistratum, vel provinciæ sacerdotium, si turbam suffragiorum causa conduxerit, servos advocaverit, aliamve quam multitudinem conduxerit, convictus, ut vis publicæ reus in insulam deportatur.* Et Modestin. l. unic. leg. Jul. amb. *In Urbe hodie cessat lex: quia ad curam Principis magistratuum creatio pertinet: non ad populi favorem. Quod si in municipio contra hanc legem magistratum, aut sacerdotium quis petierit: per Sctum centum aureis cum infamia punitur.* August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 28. Hotman. Antiq. Roman. l. 1. p. 214. B. *Ambitum coercito multiplici pœna, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum a se dividebat*, prodidit Suet. c. 40. n. 6. *Sigon. de Judic. II. 30. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 29.

Lex Julia annalis. V. illam inf. in *Lex Villia annalis.*

Lex Julia de annona. Hac lege tenebatur, *qui contra annonam fecerit, societatemve coierit, quo annona carior fiat. Et continebatur, ne quis navem, nautamve retineat, aut dolo malo faciat, quo magis detineatur.* Ulpian. l. 2. ff. de leg. Jul. de annon. *August. de Leg. in Julia.*

Lex Julia de bonis cedendis extat in rescripto Impp. Diocletiani, & Maximiani Constitut. vii. tit. 71. l. 4. quo bonis cedere possunt his verbis: *Legis Juliæ de bonis cedendis beneficium, constitutionibus divorum nostrorum parentum ad provincias porrectum esse, ut cessio bonorum admittatur, notum est.* August. de Leg. in Julia. Salmas. de mod. usur. c. 19. Hotman. Antiq. Roman. l. 1. p. 216. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 19. & 20.

Lex Julia de civitate Italis danda est lata a L. Julio Cæsare cos. P. Rutilii collega an. 663. Ea sanxit, ut iis, qui, bello Italico exorto, in fide manserant, manserant autem omnes Latini; & iis, qui in amicitiam postea rediissent, civitas daretur. Ita primum Latini, deinde etiam Italici omnes, cum ad amicitiam populi Romani rediissent, civitate donati. Julia autem dicta *lex* est, quia solus eam Cæsar, cum ejus collega Rutilius in prælio esset occisus, ex Scto tulit. Hujus beneficio coloniarum omnium, & municipiorum, quæ in Italia fuerunt, æquata jura sunt, non ut *legibus* Romanis æque uterentur; nam coloniarum duntaxat Romanarum hoc fuit: municipia suis legibus, atque institutis vivebant; sed ut æque jus illud civium Romanorum, ferendi scilicet suffragii, & adipiscendorum magistratuum obtinerent: quod antea municipiis, & coloniis Romanis licuerat. *Manut. de Leg. c. 17. de civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. 1. p. 21. F. Sigon. de ant. jur. Ital. l.* III. 1. *August. de Leg. in Julia. Span. Orb. Rom. ad Constitut. Antonini Imperat. Exercit. 1. §. 12. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 1. Hotman. Antiq. Roman. l. 1. p. 211. D. Pigh. Annal. Rom.* III. *p. 226. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex Julia de damnatis de vi lata est a C. Julio Cæsare post victum Pompejum, ut damnatis de vi aqua & igni interdiceretur. Sic enim Cicer. Phil. 1. 9. *Quid quod obrogatur legibus Cæsaris, quæ jubent, ei, qui de vi, itemque ei, qui majestatis damnatus sit, aqua, & igni interdici?* Quod autem in ICtorum libris ita scriptum est, deportationem de vi publica damnatis, de privata vero publicationem bonorum in tertiam partem Julia *lege* irrogatam, possit aliquis suspicari, cum videat mentionem fieri deportationis, non esse *legem* Juliam, de qua Cicero mentionem facit, sed duas fuisse Julias: unam a C. Cæsare latam, alteram ab Augusto. Ego autem existimo, unam omnino fuisse. Nam si duæ, aliquid crederem ICtorum in libris, distinctionis causa, additum: sicuti ad *legem* Juliam de adulteriis addit Ulpianus: *Hæc lex ab Augusto lata est:* ne qua scilicet ex Juliæ nomine dubitatio posset existere. Puto igitur unam fuisse, & latam a Cæsare. Nam quod deportatio nominatur, quæ ante Augustum nulla fuit, sciendum est, sublata aquæ, & ignis interdictione, eam successisse, cum tamen veteres eædem leges valerent: itaque & in lege Cornelia de sicariis, & veneficiis, quam tulit L. Sulla Reipublicæ temporibus, deportationem Martianus nominat. *Legis* sententia est: si quis mulierem virginem non esset; virginem aut virgo, aut vidua rapta esset: raptor, & qui opem tulisset, capite plectebatur. *Manut. de Leg. c. 23. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 26. *Hotman. Antiq. Roman. l. 1. p. 212. A.*

Lex Julia de fundo dotali ad Augustumne Cæsarem, an ad Cajum referenda sit, nescimus. De hac Cajus l. lex Julia de fund. dot. *Lex Julia, quæ de dotali prædio prospexit, ne id marito liceat obligare, aut alienare, plenius interpretanda est, ut etiam de sponso idem juris sit, quod de marito.* Constitutio quoque Justin. l. & cum lex C. de rei ux. alien. exstat, in qua ita scriptum est: *Lex Julia fundi dotalis Italici alienationem prohibebat fieri a marito, non consentiente muliere, hypothecam autem nec si mulier consentiebat.* Quod correximus [illegible] ad provincias porrectum est; itemque additur, ut ne ne consentiente quidem uxore id fieri possit. *August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 16.*

Lex Julia judiciaria lata est a C. Julio Cæsare consule III. cum M. Æmilio Lepido. De ea Modestin. l. ult. in fin. de l. Jul. [illegible] *[illegible] per legem Juliam judiciariam [illegible] communi; id est, amicos tamen [illegible].* [illegible] videtur a Paullo l. 4. ff. de test. *Lege Julia judiciorum publicorum cavetur, ne invito denuntietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eosve qui priore gradu sunt: item ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentium, viri, uxoris, item patroni, patronæ: & ut ne patroni, patronæ adversus libertos, neque liberti adversus patronum cogantur testimonium dicere.* Ulpian. l. 1. & 2. de judic. [illegible] his verbis [illegible] *quod inter privatos convenit* [illegible] licet ille ignoret, qui tribunali præest. Ad eandem pertinent verba Callistr. l. cum lege ff. de recept. *Cum lege Julia cautum sit, ne minor 20. annis judicare cogatur, nemini licere minorem 20. annis compromissarium judicem eligere.* August. de Leg. in Julia. Rerum potitus *judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis, ac senatorii; tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit*, ut scribit Suet. c. 41. n. 5. *August. l. d. Zamosc. de Sen. Rom.* I. 15. *Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. l. 1. p. 212. B. p. 215. C. Pigh. Annal. Rom.* III. *p. 452. Manut. de Leg. c. 15. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 21.

Lex Julia de legationibus liberis legationibus quarum quinquennium videtur præscriptum. V. Cic. [illegible] in *Lege Tullia*. De leg. III. 8. Cicero tamen, cum *legem* hanc scripsisset: *rei suæ ergo ne quis legatus esto*, hæc addit: *sed quæro, quid reprehendas? [illegible] tempus, cum [illegible] senator, legatus sine mandatis, sine aliquo Reipublicæ munere? quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videbatur, tamen adprobante senatu frequentissimo, nisi mihi levissimus tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem: minui tamen tempus, &, quod erat infinitum, annuum feci.* Credendum ergo est, postea quinquennium permissum. *August. de Leg. in Julia. Zamosc. de Sen. Rom.* I. 16.

Lex Julia de limitibus lata est a C. Julio Cæsare dictatore. Repetitio fuit Semproniæ legis. V. illam supr. in *Lex Cornelia de limitibus.*

Lex Julia majestatis cui referenda sit, plane ignoro. Suspicor tamen, C. Cæsaris fuisse. Hæc præcipit, ut Martian. l. 3. ad Jul. maj. scribit, eum, qui majestatem publicam læserit, teneri. Cujus rei permulta exempla ab eodem & a Scævola traduntur. Sed & Ulp. in Disput. VIII. scribit. *Qui de provincia, cum ei successum esset, non discessit, aut qui exercitum deseruit, vel privatus ad hostes profugit, quique sciens falsum conscripsit, vel recitavit in tabulis publicis. Nam & hoc capite primo lege majestatis enumeratur.* De illa Justin. Instit. de publ. jud. §. 3. *Publica judicia hæc sunt: lex Julia majestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem, vel Rempublicam aliquid moliti sunt, suum*

vigorem

majorem extendit. Cujus pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur. August. de Leg. in Julia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 213. D. Pigh. Annal. Rom. III. p. 352.

Lex Julia de maritandis ordinibus vocatur non tantum Suet. Aug. c. 34. n. I. sed etiam Ulpian. l. I. unde vir & uxor. & Instit. tit. II. nec non a Paul. l. de Jur. patron. VI. *Lex marita* vocatur Horatio mox laudando. Lata est ab Augusto an. ab U. C. 736. Dio. V. illum supr. in *Cœlibes.* Papia Poppæa eadem est, si materiam spectes, sed tempore diversa. Convincitur hoc I. ex Tacit. Annal. III. 25. I. *Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam senior Augustus post Julias rogationes incitandis cælibum pœnis sanxerat.* II. ex Horatio. Is enim carm. secul. quod an. 736. cecinit, sic precatur n. 16.

> *Diva producas subolem, patrumque*
> *Prosperes decreta super jugandis*
> *Feminis, prolisque novæ feraci*
> *Lege marita.*

Atqui Horatius diu ante Papium, & Poppæum coss. mortem obiit. Hanc Augustus non ex integro sanxit, sed renovavit. Nam Q. Metellus Numidicus censor an. 651. de ducendis uxoribus, sive de prole augenda orationem ad populum habuit. Liv. Epit. 59. *Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum causa.* Exstat oratio ejus, *quam Augustus Cæsar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut in hæc tempora scriptam in senatu recitavit.* Orationis ipsius fragmentum legere est apud Gell. I. 6. & meminit Suet. c. 89. n. 6. Imo & illa antiquioris mentio fit apud Dionys. IX. p. 580. *Prisca illorum lex cogebat illos, qui per ætatem possent, uxores ducere.* Hanc, ut pergit Suet. n. 2. *cum aliquanto quam ceteras severius emendasset, præ tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta demum, lenitave parte pœnarum, & vacatione triennii data, auctisque præmiis. n. 4. Cumque etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coarctavit, divortiis modum imposuit.* Torrent. in Suetonium. August. de Leg. in Julia. Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. C. Brisson. de jur. connub. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1054 D. Rævard. de Div. reg. jur. cevIII. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 214. C. Ejus capita curatius dederunt *Brisson. & Lips. l. l. Torrent. Comment. ad legem Juliam & Papiam de matrimoniis ordinandis. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 16.

Lex Julia de modo pecuniæ possidendæ, ab aliis antea etiam lata, est lata a C. Julio Cæsare dictatore an. 704. ne quis in auro, argentove signato plusquam HS. LX. haberet. Qua ratione ditiorum hominum arcas exhaurire conatus est, ne quis se absente res novas moliri in Italia posset. V. Dion. XLI. p. 170. D. . . . Post Cæsarem occisum, Tiberii etiam temporibus, in usu fuit. Tacit. Annal. VI. 16. I. *Interea magna vis accusatorum in eos irrupit, qui pecunias fœnore auctitabant adversum legem dictatoris Cæsaris, qua de modo credendi, possidendique intra Italiam cavetur.* Pigh. Annal. Rom. III. p. 433.

Lex Julia de parricidis lata est a Cajo Julio Cæsare. Suet. c. 42. n. 5. *Pœnas facinorum auxit: & cum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsulabant, parricidas, ut scribit Cicero,* ubi ignorant eruditi; multa enim, quæ Ciceronis faciunt, desiderantur, *bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctavit.* Manut. de Leg. c. 26.

Lex Julia de patronorum numero nescio an eadem sit quæ judiciaria. Tantum reperio apud Ascon. in Cicer. p. 171. *defendisse Scaurum sex patronos, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur: at post bella civilia, ante legem Juliam, ad duodenos patronos esse perventum.* Id tamen Augusti temporibus evenisse arbitror. *August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c.* 15.

Lex Julia de peculatu lata est a Cajo Julio Cæsare, qua peculatum, sacrilegium, & residuas pecunias est complexus. Ejus capita, quæ in Digestis exstant, collegerunt *Manut. de Leg. c. 24. Augustin. de Leg. Jul. pecul. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 216. C.

Lex Julia de pecuniis creditis lata est a C. Julio Cæsare dictatore an. 704. Suet. c. 42. n. 3. *De pecuniis mutuis, disjecta novarum tabularum expectatione, quæ crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducta summa æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum, aut perscriptum fuisset.* Ipse de Bell. civ. III. I. 2. *Quum fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur, constituit, ut arbitri darentur: per eos fierent æstimationes possessionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus traderentur.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. II. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 213. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 433.

Lex Julia consularis de provinciis lata est a Cajo Julio Cæsare cos. an. 691. Ejus capita varia, quæ reperiuntur, collegerunt *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 211. *E. & Rosin. Ant. Rom.* VIII. 8.

Lex Julia dictatoria de provinciis lata est a Cajo Julio Cæsare in dictatura. Hac (credo ne quis exemplo suo continuatione imperii, & diuturna provinciarum possessione Rempublicam occuparet) cavit, ut nemo prætoriam provinciam plus anno, consularem plus biennio posset obtinere. Cicer. Phil. I. 8. Sed huic ipse non paruit, qui provincias sine sorte pro arbitrio, judicioque suo mandavit, ut Ser. Sulpicio Achajam, M. Bruto Galliam citeriorem, Decimo ulteriorem. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. I. *Zamosc. de Sen. Rom.* II. 19. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 213. *A. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 352. *Rosin. Ant. Rom.* VIII 8.

Lex Julia de pudicitia lata est a C. Octavio Augusto. Hanc arbitror cum illa altera de adulteriis coercendis esse confusam a Justinian. Instit. IV. 5. *Lex Julia de adulteriis coercendis, quæ non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit: sed & eos, qui cum masculis infandam libidinem exercere audent.* Item ita Augusti leges describit Suetonius laudatus supr. in *Lex Julia de ambitu.* Itaque eum, qui adulterii damnatam uxorem duxerit, ea lege puniri, id Imperator Alexander ad hanc legem refert l. castitati C. de adulteriis. *Castitati temporum meorum convenit, lege Julia de pudicitia damnatam in pœnis legitimis perseverare. Qui autem adulterii damnatam, si quocunque modo pœnam capitalem evaserit, sciens duxit uxorem, vel reduxit; eadem lege ex causa lenocinii punietur.* Ad has leges respexit Horat. Od. IV. 5. 20.

> *Nullis polluitur casta domus stupris,*
> *Mos, & lex maculosum edomuit nefas:*
> *Laudantur simili prole puerperæ,*
> *Culpam pœna premit comes.*

August. de Leg. in Julia.

Lex Julia de repetundis pecuniis lata est a Cajo Julio Cæsare. Testis est Cicer. pro Sext. c. 64. De hac scribit Marcian. l. I. ff. de leg. Jul. rep. *Lex Julia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico cepit, vel cum ex cohorte cujus eorum est. Excipit lex a quibus liceat accipere: a sobrinis, propiorеve gradu cognatis suis, uxore.* Macer ibid. I. 7. *Lex Julia de repetundis præcipit, ne quis ob judicem, arbitrumve dandum, mutandum, jubendumve ut judicet: neve ob non dandum, non mutandum, non jubendum ut judicet: neve ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vincirive jubendum, exve vinculis dimittendum: neve quis ob hominem condemnandum, absolvendumve: neve ob litem æstimandam, judiciumve capitis pecuniæve faciendum, vel non faciendum aliquid acceperit. Illud quoque cavetur, ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publice dandum, præbendum, apprehendendum, sarta tecta tuenda, antequam perfecta, probata, præstita lege erunt.* Cicer. in Pison. c. 21. V. illum supr. in *Lex Cornelia majestatis.* August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 22. Sigon. de Judic. II. 27.

Hot-

Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 212. C. Pigh. Annal. Rom. III. p. 312. Rosin. Ant. Rom. VIII. 30.

Lex Julia de residuis. Martian. l. 4. §. 3. ad leg. Jul. pecul. *Lege Julia de residuis tenetur is, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam accepit, aliave qua causa, pecunia publica resedit. Sed & qui publicam pecuniam in usu aliquo acceptam retinuerit, nec erogaverit, hac lege tenetur.* Paull. ibid. l. 9. §. 6. Pecuniam *eam quoque lex Julia residuorum post annum residuam esse jubet*, quam scilicet is, qui in provinciam ibat, debebat, eamque professus erat apud ærarium. August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 24. Salmas. de Mod. Usur. c. 3. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 216. D. Rosin. Ant. Rom. VIII. 28.

Lex Julia de sacerdotiis lata est a C. Julio Cæsare. De hac Cicer. ad Brut. Epist. 5. V. illum infr. in *Sacerdos.* August. de Leg. in Julia. Noris. Cenot. Pisan. Diss. II. p. 125. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 212. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 352.

Lex Julia sumptuaria lata est a C. Octavio Augusto. Suet. supr. in *Lex Julia de ambitu.* Gell. II. 24. *Postremo lex Julia ad populum pervenit Cæsare Augusto imperante: qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur; Kalendis, Idibus, Nonis, & aliis quibusdam festis trecenti; nuptiis autem & repotiis HS. mille. Edictum etiam Capito Atejus edictum, Divine Augusti, an Tiberii Cæsaris, non satis commemini: quo edicto per varias solemnitates a trecentis HS. adusque duo millia sumptus cœnarum propagatus est, ut his saltem finibus luxuriæ effervescentis æstus coerceretur.* August. de Leg. in Julia. Bruyer. de Re cibar. III. 4. Lips. Tacit. Annal. III. n. 115. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 216. B. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Sunt quinque Philippæi profestis; festis septem cum dimidio; nuptiis vigintiquinque. Lips. de Magnit. Roman. IV. 9. Thys. de Magnit. Roman. IV. p. 334.

Lex Julia theatralis, ut vocatur Plinio mox laudando, lata est a C. Octavio Augusto: ut equitibus Romanis, quibus ipsis, parentibusve equester census unquam fuisset, in quatuordecim ordinibus lege Roscia theatrali constitutis considere liceret. Suet. c. 40. n. 2. *Cum autem plerique equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos e quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis; pronuntiavit, non teneri ea, quibus ipsis, parentibusve equester census unquam fuisset.* Plin. XXXIII. 2. *Hac de causa constitutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno sestertia 400. census fuisset, & lege Julia theatrali in 14. ordinibus sederet.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 19. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 216. A. August. de Leg. in Julia. Rosin. Ant. Rom. VIII. I.

Lex Julia de tutoribus. Justin. Instit. de Atil. tut: *Si cui nullus omnino tutor fuerat ex testamento, aut ex legibus: ei dabatur in Urbe quidem a prætore urbano, & majore parte tribunorum plebis tutor ex lege Atilia: in provinciis vero a præsidibus provinciarum ex lege Julia & Titia.* Aliis quoque casibus tutor ex his *legibus* petebatur, ut si sub conditione, aut ex die certo datus erat testamento tutor: item quamdiu ex testamento nemo hæres existebat, atque etiam si tutor ab hostibus captus esset. *August. de Leg. in Julia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 216. D. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 17.

Lex Julia de vi privata. Paull. l. legis Juliæ ad l. Jul. de vi priv. *Legis Juliæ de vi privata crimen committitur, cum cœtum aliquis, & concursum fecisse dicitur, quominus quis in jus produceretur, & si quis quæstionem de alterius servo habuerit.* Ulpian. ibid. l. si quis: *Si quis aliquem dejecerit ex agro suo hominibus congregatis sine armis, vis privatæ postulari possit.* Scævol. ibid. l. hac lege: *Hac lege tenetur, qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberaretur, pulsaretur, neque homo occisus erit.* August. de Leg. in Julia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 213. C. Rosin. Ant. Rom. VIII. 27.

Lex Julia de vi publica. Marcian. l. 1. ad l. Jul. de vi pub. *Lege Julia de vi publica tenetur, qui arma, tela domi suæ, agrove in villa prater usum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerit. Excipiuntur autem*, ut Scævol. ibid. addit, *arma, quæ quis promercii causa habuerit, hereditateve ei obvenerint.* Addit Marcian. ibid. l. In eadem: *In eadem causa sunt, qui turbæ, seditionisve faciendæ consilium inierint, servosque, aut liberos homines in armis habuerint.* Ulpian. ibid. l. qui dolo: *excepti esse* [illegible] *qui propter venationem habeant homines, qui cum bestiis pugnent, ministrosque ad eam habere conceditur. Eadem lege tenetur*, ut scribit Marcian. ibid. *qui pubes cum telo in publico fuerit: qui pessimo exemplo convocatu seditione villas expugnaverit, & cum telis, & armis bona rapuerit: qui ex incendio rapuerit aliquid præter materiam: qui puerum, vel feminam per vim stupraverit: qui in incendio cum gladio, aut telo rapiendi causa fuerit,* [illegible] *possessorem domo, agrove suo, aut navi sua dejecerit, expugnaverit concursu: qui cœtu, concursu, turba, seditione incendium fecerit: quique hominem dolo malo incluserit, obsederitque: quive fecerit, quo minus sepeliatur, quo magis funus diripiatur:* [illegible] *erit.* Addit Ulpian. ibid. l. lege Jul.: *Lege Julia de vi publica tenetur, qui cum imperium, potestatemve haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, jusseritve quid fieri, aut quid in collum injecerit, ut torqueatur. Item quod ad legatos, oratores, comitesque attinebit, si quis quem eorum pulsasse, & sive injuriam fecisse arguetur.* August. de Leg. in Julia. Pitisc. de Magist. [illegible] c. I. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 213. C. [illegible] C. Rosin. Ant. Rom. VIII. 27.

Lex Julia Miscella dicta est a Julio Miscello latore legis. Justin. Novell. XXII. de nupt. §. quæ vero. Vel a mixtis multarum rerum capitibus, ut satyra: quod mihi non displicet; nam & id cognomen Juliæ gentis [illegible] legi: & ut esset, potuit ab hac *lege* emanare, ut Atiliis cognomen. *Miscellos ludos* Suet. Cal. c. 20. n. 1. factos refert, eadem fortasse ratione appellatos. Hac *lege* cautum fuit, ut si vir uxori testamento legatum reliquisset ea conditione, ne ad secundas nuptias veniret, intra annum legatum capere posset: & nubere, si modo juraret, se liberorum procreandorum causa id agere. Post annum vero Qu. Mucii Scævolæ cautione præstita se nupturam non esse, legatum capiebat. *August. de Leg. in Julia Miscella. Brisson. Ant. Select.* III. 3. *Hotman. de Vet. rit. nupt. c. 22. Hotman. Franc. Antiq. Roman.* I. I. *p. 216. G. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 18.

Lex Julia de vigesima hereditatum lata est ab Augusto, qui *legem* Papiam tulit, cujus & hoc erat caput, ut si quis extraneus hæres institutus fuisset, is pro, quam hereditatem adiret, vigesimam partem fisco rependere teneretur, qua *lege* filii, & proximiores hæredes non tenebantur. *Alciat. Dispunct.* III. 6. *Loens. Miscell.* IX. 8. *Zaz. in Catal. leg. antiq.* Sed hi non in lecti erroris communicantur. Nam Augustus hanc *legem* tulit an. ab U. C. 759. M. Æmilio, & L. Aruntio coss. teste Dion. LV. p. 565. C. Et alii Papiam Poppæam hac nostra posteriorem statuunt, latam nempe an. ab U. C. 761. M. Papio Mutio, & Q. Poppæo consulibus. Balduinus in Justiniano, & ad leg. Jul. de viges. hered. eam triennio posteriorem falso tradit. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 11.

Lex Junia de legibus militaribus abrogandis lata est a M. Junio Silano cos. an. 644. Ascon. in Cicer. p. 131. *Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Junius Silanus coss. fuerunt bello Cimbrico, Junius plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc sic gerebantur, populo latæ erant, quibus militiæ stipendia minuebantur, abrogavit.* August. de Leg. in Junia.

Lex Junia de pecuniis repetundis lata est a M. Junio Penno tribuno plebis an. 627. Marco Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreste coss. qua *lege* præter litis æstimationem exsilium etiam damnato est irrogatum. Ita C. Cato, qui cos. fuit an. 639. ea, ut puto, *lege* Macedonibus accusantibus utraque pœna mulctatus est. Pater. II. 8. I. *Mandetur memoriæ severitas judiciorum: quippe Cato consularis repetundarum ex Macedonia damnatus est, cum lis ei IV. millia æstimaretur.* Eundem exsulasse Tarracone scribit Cicer.

pro Balb. c. 11. Hanc ego Juniam puto, quod in *lege* Servilia reperta earum mentio fiat Calpurniæ, & Juniæ *legis*, utrarumque inter se consecratæ sint. Verba Serviliæ sunt hæc: *Aut quod lege Calpurnia, aut lege Junia sacramento actum siet, aut quod hac lege nomen delatum fiet.* Calpurnia certe damnatu Cato non potuit, quod exsilium nullum damnato irrogavit. *Sigon. de Judic.* II. 27. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 20.

Lex Junia de peregrinis Urbe ejiciendis, & usu ejus prohibendis lata est a M. Junio Penno tribuno plebis an. 627. Hinc commemorat Festus; quippe a quo testis citatur C. Gracchus in ea, quam scripsit de *lege* Penni de peregrinis: vituperat Cicer. de Offic. III. 11. *Male, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros: usu enim urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 1. Pigh. Annal. Rom. III. p. 35. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Junia Licinia lata est a D. Junio Silano, & L. Licinio Muræna coss. an. 691. quam Cicero in Sextiana inter consulares refert. Quid autem in illa scriptum esset, ignoro. August. de Leg. in *Junia Licinia.* Forte sententia fuit hæc, ut iis, qui trinundinum in ferenda *lege* non servassent, graviores, quam lex Cornelia Didia sanxisset, pœnæ irrogarentur. Id puto declarant verba Cicer. Phil. V. 3. *Ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio, trinundinum? ubi pœna recenti lege Junia & Licinia?* Manut. de Leg. c. 16. Hotman. Antiq. Rom. I. 1. p. 217. C. Rosin. Ant. Rom. VIII. 7.

Lex Junia Norbana de servis manumittendis lata est Tiberii Cæsaris tempore, a M. Junio Silano, L. Norbano coss. an. 771. qua servi Latinam libertatem consequebantur. *August. de Leg. in Junia Norbana. Hotman. Antiq. Roman.* I. 1. *p.* 217. *C. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 549. V. supr. in *Junia Norbana*, & *Junia*.

Lex Junia Petronia de judiciis lata est a C. Junio Cesonio, Petronio Turpiliano coss. 813. Hermogen. l. lege Jun. ff. de manumiss. *Lege Junia Petronia si dissonantes pares judicum sententiæ existant, pro libertate pronuntiari jussum.* August. de Leg. in Junia Petronia. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 217. F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 22. Item Modest. l. circumcidere in fin. ad l. Corn. de sicar. *Post legem Petroniam & Sc.ta ad eam legem pertinentia, dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere, oblato judici servo, si justa sit domini querela, sic pœnæ traditur.* De hac *lege* nihil amplius accepi. Alia est, cujus mentionem facit Cicer. de Offic. III. 11. *Male etiam qui peregrinos urbibus prohibent, eosque exterminant, ut Petronius apud patres nostros, Papius nuper. . . . usu vero urbis peregrinos prohibere sane inhumanum est.* August. de Leg. in Junia.

Lex Junia sacrata de tribunis plebis lata est a L. Junio Bruto tribuno plebis an. 260. Sp. Cassio Vitell. II. Postumio Cominio Auruncо II. coss. ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversus coss. esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret. Dionys. VI. p. 410. V. illum infr. in *Tribuni plebis.* Rosin. Ant. Rom. VIII. 6. V. & infr. in *Lex sacrata.*

Lex Junia Vellea de testamentis appellatur, non Julia, ut in Florentino libro vidimus apud Cajum Instit. II. & Ulpianum ad Sabin. XXXVI. Cavetur capite I. ut liceat instituti nondum natos, qui cum nascentur sui erunt. Qua de causa de lege Vellea ita tractare cœpit Scævol. l. Gallus §. ille casus ff. de lib. & post. *Voluit vivis nobis natos similiter non rumpere testamentum, & videtur primum caput eos spectare, qui cum nascerentur, sui hæredes futuri essent.* Verba legis referuntur hæc: *Qui testamentum faciet, is suus hæres futurus erit* & cætera. Quibus existimo detracta fuisse vel hæc, aut his similia: *instituendi potestatem habeto.* II. non permittit post tui, hoc est, non id agit *lex*, ut permittat; sed illud cavet, ut vetet rumpi, neve ob eam rem, minus ratum esset, quod succedat. De quo autem loquatur, ex ipsis *legis* verbis apparet. *Videndum autem hac posteriore parte*, inquit Scævola §. videndum, *si quis ex suis hæredibus hæres esse desierit, liberi ejus, & cætera, in locum suorum sui hæredes succedunt: possit interpretatione induci. . . .* Hoc autem posteriore capite id agi, ut non rumpatur agnatione alterius sui hæredis testamentum, hæc quoque Scævolæ verba significant. §. & videtur: *Nam etsi ita verba sunt; qui testamentum faciet, is omnis virilis sexus, qui ei suus hæres futurus erit. . . . etiam si parente vivo nascantur; sequenti parte succedentes in locum liberorum non vult lex rumpere testamentum.* Sequentem enim partem alterum caput hoc, de quo agimus, interpretor, de quo mox: *Et ita interpretandum est, ut si & filium, & nepotem, & pronepotem habeas; mortuis utrisque pronepos institutus succedens non rumpat.* August. de Leg. in Junia Vellea. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 217. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 18.

Lex Labiena de sacerdotiis mandandis lata est a T. Atio Labieno tribuno plebis aliquot annis post Sullæ legem. Hac Sullæ legem abrogavit, & Domitiam restituit. Fecit autem hoc auctore C. Cæsare, qui, si populus in mandando sacerdotio suffragium ferret, se, qui popularis admodum erat, pontificem maximum in demortui Metelli Pii locum creatum iri non sine causa putabat. Et hoc re comprobatum est; nam P. Servilio Isaurico & Q. Catulo Lutatio consularibus viris, & provectæ jam ætate dejectis, ipse, nondum prætorius, in amplissimi sacerdotii gradum ascendit. *Manut. de Leg. c.* 2. *Guther. de Vet. jur. pont.* I. 9. *Hotman. Antiq. Roman.* I. 1. *p* 217. *G.*

Lex Lætoria de plebejis magistratibus lata est a Lætorio tribuno plebis an. 292. Appio Claudio Sabino Regillensi, T. Quintio Barbato coss. Liv. II. 56. 57. 58. scribit P. Voleronem tribunum plebis L. Pinario, P. Furio coss. *rogationem tulisse ad populum; ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent.* Cui *legi* cum acriter ab nobilitate resisteretur, Lætorius ei collega creatus est: a patribus autem Appius Claudius Appii filius consul creatus est, & T. Quintius. Cum itaque inter Appium, & Lætorium contentio in maximum periculum civitatem adduxisset, *lex* accepta est: & tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt quinque, cum antea duo tantum fuissent. *August. de Leg. in Lætoria. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 7.

Lex Lætoria de tutelis *curatores vel propter lasciviam, vel propter dementiam dabat.* Primus enim M. Anton. Philosophus constituit, *ut omnes adulti curatores acciperent non redditis causis*, ut scribit Capitol. c. 10. Et Suetonius Prat. IV. relatus a Priscian. VIII. p. 793: XVIII. p. 1164. Edit. Putsch. *Lætoria*, inquit, *vetat minorem annis* XXV. *stipulari.* Justin. Instit. de curat. §. 3. tamen scribit, *invitos adolescentes curatores non accipere, præterquam in litem.* Prodigis vero, ac furiosis ex *lege* XII. tab. curatores dabantur. De hac Cicer. de Offic. III. 15. *Iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela* XII. *tab. & circumscriptio adolescentium lege Lætoria.* Nat. Deor III. 30. *Inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria.* August. de Leg. in Lætoria. Turneb. Adv. XXV. 18. Manut. de Leg. c. 15. & 30. Cujac. Observ. XIX. 33. Hotman Antiq. Roman. I. 1. p. 218. A. Ursin. ad Leg. Lætoriam. Rosin. Ant. Rom. VIII. 17.

Lex Licinia de fœnore lata est a L. Licinio Lucullo Asiæ proconsule, ante Ciceronis consulatum, ad levandam ære alieno provinciam. Illa sanxit I. ne supra centesimam jure fœnoris solveretur. II. ne majores essent usuræ, quam quibus veteri jure pecuniæ antea credebantur. III. quo debitoribus consultum est maxime, ne creditoribus a debitore fœnoris nomine plus omnino liceret accipere, quam quarta fructuum creditoris quarta pars esset. *Manut. de Leg. c.* 16. *Hotman. Antiq. Roman.* I. 1. *p.* 218. *B. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 20.

Lex Licinia de ludis Apollinaribus lata est a P. Licinio Varo prætore urbano Claudio, Quintio consulibus an. 545. Cum enim hi in unum annum voverentur, & incerto die fierent, senatus Licinium ferre ad populum jussit, ut in perpetuum in statum diem voverentur. Liv. XXVII. 23. V. illum infr. in *Ludi.* Manut. de Leg. c. 3. Rosin. Ant. Rom. VIII. 1.

Lex Licinia de sacerdotum electione lata est a C. Licinio

nio Crasso tribuno plebis an. 608. Q. Fabio Maximo, L. Mancino coss. ut sacerdotum cooptatio ab ipsorum collegio ad populum transferretur. Verum eam non pertulit. Cicer. de Amic. c. 25. *Meministis, Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino coss. quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur? cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit, in forum versus, agere cum populo: tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat: atque id actum est prætore me, quinquennio ante quam cos. sum factus. Itaque re magis, quam auctoritate, causa illa defensa est.* Pigh. Annal. Rom. II. p. 463. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 219. C. Rosin. Ant. Rom. I. 2.

Lex Licinia de sodalitiis lata ad ambitum pertinet: *sanxit enim, ne quis coiret magistratus adipiscendi gratia:* quod a Laterensi objectum Cn. Plancio ostendit Cicer. Orat. pro ipso c. 15. *Veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniæ, quæ est de sodalitiis, omnes ambitus leges complexus es: neque enim quicquam aliud in hac lege, nisi edititios judices es secutus: quod genus judiciorum si est æquum nulla in re, nisi hac tribuaria: non intelligo, quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque tandem editionem transtulerit in cæteras causas.* August. de Leg. in Licinia. Manut. de Leg. c. 30. Rosin. Ant. Rom. VIII. 31.

Lex Licinia sumptuaria lata est a P. Licinio Crasso Divite coss. cum Cn. Lentulo an. 656. *Hujus ferendæ, probandæque tantum studium ab optimatibus impensum est,* inquiunt Macrob. Sat. II. 13. & Gell. II. 24. *ut consulto senatus juberetur, ut ea tantummodo promulgata, priusquam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus observaretur, quasi jam populi sententia comprobata. Lex hæc paucis mutatis in plerisque cum Fannia congruit. Legis summa, ut kalendis, nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edundi causa consumere liceret: cæteris vero diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quam carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo libra: & quod ex terra, vite, arboreve sit natum.* August. de Leg. in Licinia. Bruyer. de Re cibar. III. 4. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 218. E. IV. I. 13. Lips. de Magnit. Roman. IV. 9. Thys. de Magnit. Roman. IV. p. 334. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Stuck. Ant. Conv. I. 3. Putean. Reliq. conviv. prisci Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 253. B. Buleng. de Conviv. I. 17. Guther. de Vet. jur. pont. I. 26. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 499. An. 643. M. Minucia Rufo, Sp. Postumio Albino consulibus ab illo tribuno plebis latam puto. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 122.

Lex Licinia Æbutia de curatione, & potestate mandanda. Sunt tamen, qui duas *leges* constituant: alteram Liciniam, aliam Æbutiam, quæ ejusdem generis fuerint. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 219. *C. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 7. V. supr. in *Lex Æbutia.*

Lex Licinia Cassia de tribunis militum lata est a P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino coss. an. 422. *ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed coss. prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumque esset.* Liv. XLII. 31. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 219. *A. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 14.

Lex Licinia Mucia de civibus regundis lata est a L. Licinio Crasso oratore, & Q. Mucio Scævola pontifice maximo an. 658. Ascon. in Cicer. p. 131. *L. Licinius Crassus orator, & Q. Mucius Scævola pontifex maximus, idemque orator, & Ictus legem de regendis in sua civitate sociis in suo consulatu tulerunt. Cum enim summa cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret, necessaria lex visa est, ut in suæ quisque civitatis jus redigeretur. Verum ea lege ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum, ut ea vel maxima causa belli Italici, quod post triennium exortum est, fuerit.* De hac Cicer. de Offic. III. II. *Esse pro cive, qui non sit civis, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi coss. Crassus & Scævola.* At apud Ascon. p. 130. *Legem Liciniam, & Muciam de civibus regundis quam duo coss. omnium, quos vidimus, sapientissimi, tulissent, video constare inter omnes, non modo inutilem, sed etiam perniciosam Reipublicæ fuisse.* August. de Leg. in Licinia Mucia. de Famil. Rom. in Mucia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 219. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 196. Manut. de Leg. c. 17. Sigon. de Ant. jur. Ital. III. I. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Licinia Sextia de ære alieno lata est a C. Licinio Stolone, L. Sextio tribunis plebis an. 377. Liv. VI. 35. *Creati tribuni C. Licinius, & L. Sextius promulgavere leges omnes adversus opes patriciorum, & pro commodis plebis: unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolveretur.* August. de Leg. in Licinia Sextia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. II. Pigh. Annal. Rom. I. p. 243. Panvin. Fast. I. p. 104.

Lex Licinia Sextia de agrorum modo lata est a jam dictis Licinio, & Sextio. Liv. VI. 35. *Creati tribuni C. Licinius, & L. Sextius promulgavere leges. . . . alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri possideret.* Varr. de Re rust. I. 2. *C. Licinium Stolonem video venire, cujus majores de modo agri legem tulerunt. Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus quingenta jugera habere civem Romanum. . . .* Armentorum quoque numerum hac *lege* descriptum fuisse scribit Appian. Bell. civil. I. p. 354. *Vix tandem tribunis plebis rogantibus lex lata est, ne quis haberet plus quingentis jugeribus, neque quis pasceret plus centum capitibus majoris, plusve quingentis minoris pecoris.* Accidit autem percommode, ut C. Licinius sua *lege* intra decennium C. Marcio, Cn. Manlio coss. damnaretur. Liv. VII. 16. *Eodem anno C. Licinius Stolo a M. Popilio Lanate sua lege decem millibus æris est damnatus, quod mille jugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset.* Colum. I. 3. *Sua lege C. Licinius damnatus est, quod agri modum, quem in magistratu rogatione tribunitia promulgaverat, immodica possidendi libidine transcendisset.* August. de Leg. in Licinia. Bergier. de viis milit. I. Sect. 14. §. 7. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 16. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 218. C. Pigh. Annal. Rom. III. p. 343. Panvin. Fast. I. p. 104. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 91. A. Rosin. Ant. Rom. VIII. 10.

Lex Licinia Sextia de sacerdotiis est lata a C. Licinio, L. Sextio tribunis, P. Manlio dictatore an. 385. ut pro duumviris sacris faciundis decemviri ita crearentur, ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret. Liv. VI. 42. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 235. *C. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 256. *&* 260.

Lex Licinia Sextia de tribunis militum lata est ab iisdem Licinio & Sextio. Liv. VI. 35. *Promulgavere legem tertiam, ne tribunorum militum comitia fierent, consulumque utique alter ex plebe crearetur.* Post annum deinde *leges* hæ omnes acceptæ sunt, & *L. Sextius de plebe primus coss. factus.* Liv. c. 42. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 243. *Panvin. Fast.* I. *p.* 104. *August. de Leg. in Licinia. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 5.

Lex Livia de coloniis lata est a M. Livio Druso tribuno plebis an. 631. Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Fannio Strabone Nepote coss. ut duodecim coloniæ deducerentur, & singulis tria civium millia assignarentur. Plutarch. Gracch. p. 838. E. *Livio de duodecim coloniis deducendis legem ferenti, & de ternis millibus in singulas inopum scribendis erant auxilio.* Appian. Bell. civil. I. p. 364. *Plebi delinienda duodecim coloniæ concessæ sunt.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 219. D. Pigh. Annal. Rom. III. p. 62. & 218. August. de Leg. in Livia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 9.

Lex Livia de decemviris, qui agros in Africa dividerent, est lata post Carthaginem captam. Ejus in tabula ænea mentionem invenimus. *Manut. de Leg. c.* 13. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 62. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 10.

Lex Livia frumentaria lata est a M. Livio Druso tribuno plebis an. 662. L. Martio Philippo, Sexto Julio Cæsare coss. Liv. Epit. 71. *M. Livius Drusus, ut majoribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios, & Italicos populos spe civitatis Romanæ solicitavit: iisque adjuvantibus per vim legibus agrariis, frumentariisque latis, judiciariam quoque*

portulit; ut æqua parte judicia penes ſenatum, & equeſtrem ordinem eſſent. Semproniam legem revocavit, & tulit, ut illa de frumento plebi ex publico viritim dando valeret. *Contaren. Frument. Roman. largit. c. 2. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 220. *A. Roſin. Ant. Rom.* VIII. 12.

Lex Livia judiciaria lata eſt ab eodem Livio Druſo, qui cum ſenatus moleſte ferret judicia equitibus lege Sempronia data, ea ad ſenatum transferre conatus, tulit *legem*, ut ſenatores æquarentur equitibus in judiciis. Appian. Bell. civil I. p. 371. *Senatum quoque ac equites tum maxime propter judicia diſſidentes invicem conabatur conciliare.* Livius laudatus in *Lex Livia frumentaria.* Auguſt. de Leg. in Livia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 18. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 219. F. Pigh. Annal. Rom. III. p. 218. Roſin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Livia de re nummaria lata eſt ab eodem Livio Druſo, ut octava æris pars argento miſceretur. Plin. XXXIII. 3. *Livius Druſus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miſcuit.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 219. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 218. Manut. de Leg. c. 17. Roſin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex Livia de ſociis, & Italis civitate danda lata eſt ab eodem Livio Druſo. Flor. III. 17. *His motibus ut reſiſteret Druſus plebem ad ſe Gracchanis legibus, eisdem ſocios ad plebem ſpe civitatis erexit.* Livius laudatus in *Lex Livia frumentaria.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 220. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 218. Roſin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Mænia quæ de magiſtratibus ſuit, & cujus meminit Cicer. in Brut. c. 14. V. illum ſupr. in *Lex Curia.* Quo anno lata ſit, quidque plane ſanxerit, adhuc quæro. *Manut. de Leg. c.* 5. De ea Varro lege Mænia apud Non. II. 289. *Si quis patriam majorem parentem extinguit, in eo eſt culpa, quod facit pro ſua parte is, qui ſe eunuchat, aut aliqui liberos producit.* §. 290. *Nemo eſt tam negligens, quin ſumma diligentia eligat aſinum, qui ſuam ſaliat equulam.* Quæ verba ex ſatyra ita inſcripta ſumpta eſſe videntur. Quamquam Nonius ita mendoſus circumfertur, ut non facile audeam ejus libri teſtimonio uti. *Auguſt. de Leg. in Mænia. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 222. *C.*

Lex Mævia. V. illam infr. in *Sigillum.*

Lex Majeſtatis. V. illam in Appuleja, Cœlia, Cornelia, Julia, Varia. Incertæ *legis* mentio fit apud Tacit. Annal. IV. 34. I. *Cornelio Coſſo, Aſinio Agrippa coſſ. Cremutius Cordus poſtulatur, quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Caſſium Romanorum ultimum dixiſſet:* id crimen Cordus ita diluit, ut diceret nihil ſe adverſus *principem, aut principis parentem, quos lex majeſtatis amplecteretur,* dixiſſe. *Auguſt. de Leg. in Lex Majeſtatis.*

Lex Mamillia lata eſt a C. Mamillio Limetano, vel Limitano tribuno plebis, Sp. Poſthumio Albino, Q. Minutio Rufino coſſ. an. 643. Illam prodidit Salluſt. de Bell. Jugurth. p. 97. *Interea Romæ C. Mamillius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, uti quæreretur in eos, quorum conſilio Jugurtha ſenatus decreta neglexiſſet; quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepiſſent; qui elephantos, quique perfugas tradidiſſent; item qui de pace, aut bello cum hoſtibus pactiones feciſſent.* Manut. de Leg. c. 17. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 220. E. Pigh. Annal. Rom. III. 122. Roſin. Ant. Rom. VIII. 23.

Lex Mamilia de limitibus eſt lata a C. Mamilio tribuno plebis an. 588. Extat ejus nomen in antiquis, eleganterque cuſis argenteis denariis, quorum inſignia nobis videntur indicare, fuiſſe hunc, qui legem de limitibus ex XII. tabularum lege juſta latitudine finiendis tulit. Unde vulgo Limetanus vocari cœpit. Quod cognomen ad ejus quoque filios, & poſteros profluxit. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 392.

Lex Manilia de libertinorum ſuffragiis lata eſt a C. Manilio tribuno plebis an. 687. M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo coſſ. ut libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet. Cicer. pro Corn. apud Aſcon. p. 128. *Legem, inquit, de libertinorum ſuffragiis Cornelius cum Manilio dedit.* Ubi Aſconius: *Manilius poſt pauculos ſtatim dies, quam inierat tribunatum, legem eandem compitalibus pertulit.* Auguſtin. de Leg. in Manilia. Pigh. Annal. Rom. III. p. 315. Roſin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Manilia de Pompejo lata eſt ab eodem Manilio iiſdem coſſ. Liv. Epit. 100. *C. Manilius tribunus plebis, magna indignatione nobilitatis, legem tulit, ut Pompejo Mithridaticum bellum mandaretur.* Plutarch. Pomp. p. 634. C. *Unus tribunorum plebis Manilius legem rogavit, qua legiones, & provincias, quas Lucullus habebat, dabat Pompejo. Addebat Bithyniam, quam Glabrio obtinebat: ut ille bellum cum Mithridate, & Tigrane Regibus gereret, retineretque claſſem, & maritimum imperium, ut ab initio acceperat.* Auguſt. de Leg. in Manilia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 220. F. Roſin. Ant. Rom. VIII. 14.

Lex Manlia de epulonibus lata eſt a P. Manlio tribuno plebis L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello coſſ. an. 558. Cicero & Livius. V. illos ſupr. in *Epulones.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 231. B. Roſin. Ant. Rom. VIII. I.

Lex Manlia de viceſima lata eſt a Cn. Manlio conſule cum C. Marcio an. 396. ut ii, qui manumitterentur, fortunarum ſuarum viceſimam ærario darent. Liv. VII. 16. *Ab altero conſule nihil memorabile geſtum: niſi quod legem, novo exemplo, ad Sutrium in caſtris tributim de viceſima eorum, qui manumitterentur, tulit.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 221. A. Pigh. Annal. Rom. I. p. 283.

Lex Marcia de magiſtratibus eſt lata a Marcio Cenſorino: ne cui bis centuriam gerere liceret. Plutarch. in Coriol. p. 213. F. *Ex hac familia,* Marciorum, *fuit Cenſorinus, quem populus Romanus creavit iterum cenſorem. Poſtea illo ſuaſore ſanxerunt lege, ne quis eum magiſtratum bis caperet.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 221. C. Pigh. Annal. Rom. I. p. 462.

Lex Marcia de Statellis eſt lata a M. Marcio Sermone, & Q. Marcio Scylla tribunis plebis an. 621. *Ut qui ex Statellis, Liguriæ populis, deditis in libertatem reſtitutus ante Kalend. Sextil. primas non eſſet, cujus dolo malo is in ſervitutem veniſſet, ut juratus ſenatus decerneret, qui eam rem quæreret, animadverteretque.* Liv. XLII. 21. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 221. *D. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 364.

Lex Maria de nummis lata eſt a M. Mario Gratidiano prætore, L. Sulla dictatore an. 667. ut nummi certa tum excogitata ratione probarentur. Jactabatur enim illis temporibus nummus, ſic, ut nemo ſcire poſſet, quid haberet. Cicer. de Offic. III. 20. *Ne noſter quidem Marius Gratidianus officio viri boni functus eſt tunc, cum prætor eſſet, collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuiſſent, ut res nummaria de communi ſententia conſtitueretur: conſcripſerunt communiter edictum, cum pœna & judicio. Conſtitueruntque ut omnes ſimul in Roſtra poſt meridiem deſcenderent. At Marius a ſubſelliis in Roſtra recta, idque quod communiter compoſitum fuerat, ſolus edixit. Et ea res ei magno honori fuit: omnibus vicis ſtatuæ, ad eas thus & cerei, quid multa? nemo unquam multitudini fuit carior.* Plin. XXXIII. 9. *Igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas ſtatuas dicaverit.* Pigh. Annal. Rom. Tom. III. p. 238. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 221. E. Roſin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex Maria de ſuffragiis lata eſt a C. Mario tribuno plebis, qui poſtea ſepties coſ. fuit, L. Cæcilio Metello Calvo, L. Aurelio Cotta coſſ. an. 634. Plutarch. in Mario p. 407. D. *In tribunatu cum legem ferret de ſuffragiis, qua privare primores videbatur potentia, quam in judiciis obtinebant, repugnavit ei Cotta coſ. fuitque auctor ſenatui ut legem oppugnaret, & Marium ad reddendam facti ſui rationem vocaret. . . , Marius inclytus in concionem egreſſus legem pertulit.* De ea Cicer. de Leg. III. 17. *Pontes etiam lex Maria fecit anguſtos, quæ ſi oppoſita ſunt ambitioſis, ut ſunt fere, non reprehendo.* Anguſtos autem pontes Marius fecit, ut libere cives ſuffragium ferrent, neque candidati mitterent, qui tabellam inſpicerent, & eodem ponte conſiſtentes aliquid per vim, aut fraudem conarentur. *Auguſt. de Leg. in Maria. Manut. de Legib. c.* 9. *Gruch. de Comit.* II. 5. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 221. *E. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 83. *Roſin. Ant. Rom.* VIII. 3.

Lex Maria Porcia de triumphis lata eſt a L. Mario & M. Porcio Catone tribunis plebis an. 691. D. Junio Silano, L. Junio Muræna coſſ. V. illam infr. in *Lex triumphalis.*

Lex Memmia de calumniatoribus. V. illam infr. in *Lex Remmia.*

Lex Memmia de reis poſtulandis eorum, qui Reipublicæ cauſa abeſſent, recipi nomina vetabat. Itaque C. Cæſar, cum in provinciam, peracto conſulatu, abiiſſet, *& ab L. Antiſtio tribuno plebis poſtulatus eſſet, appellato collegio, obtinuit, cum Reipublicæ cauſa abeſſet, reus ne fieret.* Suet. Jul. c. 23. n. 2. At M. Antonius, cum *quæſtor proficiſcens in Aſiam, Brundiſium jam perveniſſet, literis certior factus, inceſti ſe poſtulatum apud L. Caſſium prætorem, legis Memmiæ beneficio uti noluit*, ne ſibi male conſcius videri poſſet; *ſtatimque in Urbem recurrit, & pleno fiduciæ bonæ conſilio, cum abſolutionem celerem, tum profectionem honeſtiorem conſecutus eſt.* Valer. Max. III. 7. 9. *Manut. de Leg. c.* 15. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 222. *A. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 484. *Sigon. de Judic.* II. 9. *Roſin. Ant. Rom.* VIII. 22.

Lex Menenia Seſtia de mulctis lata eſt a T. Menenio Lanato, & P. Seſtio Capitolino coſſ. an. 302. ut oves decuſſi, boves centuſſi æſtimarentur. Feſtus in Peculatus: *Pœna graviſſima erat duarum ovium, & triginta boum. Eam legem ſanxerunt T. Menenius Lanatus, & Seſtius Capitolinus coſſ. poſtquam ære ſignato uti cœpit populus Romanus Tarpeja lege cautum eſt, ut bos centuſſibus, ovis decuſſibus æſtimaretur.* Non eſt verum Menenio & Seſtio coſſ. aut etiam ante legem Tarpejam æs non fuiſſe ſignatum. V. ſupr. in *Æs ſignatum.* Falſum etiam eſt Menenium & Seſtium ante Tarpejam *legem* coſſ. fuiſſe. Nam Tarpejus Montanus Capitolinus, & A. Aterius Fontilanus coſſ. fuere an. 300. Hi legem tulerunt ut duas oves, triginta boves mulcta non excederet, quæ lex & Tarpeja, & Ateria dicta eſt. Dionyſ. X. p. 674. At T. Menenius & P. Seſtius conſulatum geſſere an. 302. Horum lege oves ſingulæ decuſſi, boves centuſſi æſtimati. Invertendi ergo Feſti verba; & hæc: *eam legem ſanxerunt T. Menenius Lanatus, & Seſtius Capitolinus coſſ.* poſt *ovis decuſſibus æſtimaretur*, ponenda. *Auguſt. in Feſtum. de Leg. in Tarpeja Æternia. Manut. de Leg. c.* 17. *Oizel. in Gell.* XI. I. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 222. *B. Roſin. Ant. Rom.* VIII. 22.

Lex Menſia de liberorum conditione, a quo, & quando ſit lata, incognitum. Invenio illam apud Ulpian. Inſtit. V. *Connubio interveniente liberi ſemper patrem ſequuntur: non interveniente connubio matris conditioni accedunt, excepto eo qui ex peregrino, & cive Romana peregrinus naſcitur: quoniam lex Menſia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem ſequi jubet.* Auguſt. de Leg. in Menſia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 222. D. Briſſon. de Jur. connub. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1053. C. Roſin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Metella de fullonibus ſi lata eſt ab aliquo Metella, Cæcilia quoque dicetur. De illa hæc Plin. XXXV. 17. *Lex Metella exſtat fullonibus dicta, quam C. Flaminius, L. Æmilius cenſores dedere ad populum ferendam.* Auguſt. de Leg. in Metella. Adeoque lata an. 533. *Metella* apud Plinium mendoſe legitur; leges enim a nomine, non a cognomine vocabantur. Et hunc Μετίλιον vocat Polybius. *Manut. de Leg. c.* 18. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 137. *Harduin. in Plinium.*

Lex Metilia de dictatore lata eſt a M. Metilio tribuno plebis an. 536. Cn. Servilio Geminio, C. Flaminio II. coſſ. in gratiam M. Minutii Rufi, qui magiſter equitum contra edictum dictatoris ſui Q. Fabii Maximi pugnaverat, ut magiſtri equitum, & dictatoris jus æquaretur. Liv. XXII. 25. & 26. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 156. *Roſin. Ant. Rom.* VIII. 5.

Lex Minucia eſt lata an. 632 de non reſtauranda colonia Carthagine a M. Minucio Rufo tribuno plebis. Ejus meminit Feſtus in Oſi ſunt: *Oſi ſunt ab odio declinaſſe antiquos teſtis eſt C. Gracchus in ea, quæ eſt de lege Minucia.* Pigh. Annal. Rom. III. p. 70. Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 222. D.

Lex Minucia de triumviris menſariis lata eſt a Minucio tribuno plebis, Æmilio, Terentio conſulibus an. 537. V. illam infr. in *Triumviri menſarii.*

Lex Numæ de judiciis. Hanc memorat Feſtus in Reus: *Numa in ſecunda tabula, ſecunda lege, in qua ſcriptum eſt: ſi quid horum fuat unum judici, arbitrove, reove, eo die diffiſus eſto.* Manut. de Leg. c. 2. Roſin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Numæ de mola ſalſa. Hanc nominat Plin. XVIII. 2. *Numa inſtituit deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare.* Manut. de Leg. c. 2.

Lex Numæ de parricidis exſtat apud Feſtum in Parrici quæſtores: *Itaque in legibus Numæ Pompilii Regis his compoſita verbis: ſi quis hominem liberum dolo ſciens morti duit, parricida eſto.* Hac *lege* Tullus Hoſtilius Rex Horatium illum, qui ſororem occiderat, voluit judicari. *Manut. de Leg. c.* 21. *&* 26. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 35. *Roſin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex Numæ de pellice. Feſtus in Pellices, & Gell. IV. 3. *Cui generi mulierum etiam pœna conſtituta eſt a Numa Pompilio hac lege: Pellex aram Junonis ne tangito. ſi tanget, Junoni crinibus demiſſis agnam feminam cædito.* Manut. de Leg. c. 16. Auguſt. de Leg. in Regia. Rævard. de auctor. prud. c. I. Voſſ. de Idolol. II 27. Pigh. Annal. Rom. I. p. 34. Roſin. Antiq. Roman. VIII. 5.

Lex Numæ de pollucto fuit, quæ videlicet liceret polluceri, quæ non liceret. De piſcibus, qui ſquamoſi eſſent, omnes præter ſcarum, idque propter raritatem. Rariſſimus enim in Laurenti littore, atque adeo in ora Tyrrhenica erat piſcis ipſe, quique eum capiebant, in mare dimittebant. Non igitur per religionis cauſam hoc ſancitum eſt, ſed ut parſimonia convivia, epulæque publicæ facilius ad pulvinaria compararentur. Plin. XXXII. 2. *Numa conſtituit, ut piſces, qui ſquamoſi non eſſent, ne pollucerent, parſimonia commentus, uti convivia publica, & privata, cœnæque ad pulvinaria facilius compararentur: ne qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eaque præmercarentur.* Puto *legem* his verbis conceptam fuiſſe: *Piſces, qui ſquamoſi non ſunt, nei polluceto: ſquamoſos omnes præter ſcarum polluceto.* Scalig. in Feſtum in pollucere merces. Manut. de Leg. c. 2. Roſin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Numæ de prædiorum terminis deſcribitur a Dionyſ. II. p. 133. V. illum infr. in *Terminalia.* Feſtus in Termino: *Numa Pompilius ſtatuit eum, qui terminum exaraſſet, & ipſum, & boves ſacros eſſe.* Pigh. Annal. Rom. I. p. 34: II. p. 393. Manut. de Leg. c. 2. Roſin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Numæ de ſepulcris refertur a Feſto in Occiſum. V. illum ſupr. in *Genua.* Plin. II. 54. V. illum ſupr. in *Fulguritos.* Scalig. in Feſtum. Manut. de Leg. c. 16. Pigh. Annal. I. p. 34. Roſin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Numæ de ſpoliis opimis leguntur apud Feſtum in Opimi. V. illum infr. in *Spolia.* Pigh. Annal. Rom. I. p. 33. Roſin. Ant. Rom. VIII. 5. Hæc depravata, corrupta, & mutila eſſe clamant Scaliger, & Urſinus. Emendet quomodo prior, V. *ad Feſtum*, quomodo poſterior, V. in notis *ad leges Numæ Pompilii.*

Lex Numæ de vino exſtat apud Plin. XIV. 12. *Numæ Regis Poſthumia lex eſt: vino rogum ne reſpergito. Quod ſanxiſſe illum propter inopiam rei nemo dubitet. Ea de lege, ex imputata vite libari vina diis nefas ſtatuit, ratione excogitata, ut putare cogerentur, alias aratores, & pigri circa pericula arbuſti.* Auguſtin. de Leg. in Poſthumia. Manut. de Leg. c. 2. Pigh. Annal. Rom. I. p. 34. Bernart. in Stat. Sylv. II. 6. 90. Roſin. Ant. Rom. VIII. 5. Sed cur id Numa vetat, cum ex veteribus auctoribus ſatis conſtet, vino rogum reſpergi? Apparet hanc *legem* Numæ συμποτικὴν potius quam πολιτικὴν & ſeriam fuiſſe. Quo ſenſu etiam intellexiſſe videtur Catull. c. 27. n. I.

Miniſter vetuli puer Falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Poſthumiæ jubet magiſtræ.

Alluſum igitur ad voluptuariorum dicteria, qui vivos ſe malle madere vino ſolebant dicere, quam ſervare illud ad

exſequias. *Lipſ. Ant. Lect.* III. *p.* 148. *Scalig. Conject. in Varron. p* 53. *Kirchman. de Fun. Rom.* III. 6. *Dalechamp. in Plinium.* Hæc eſt dicta Poſtumia, id eſt, poſtrema, ſupremoque vitæ tempore lata. Vel Poſtumia, ab eorum ſimilitudine, qui patre mortuo naſcuntur. Nam multis annis poſt ejus interitum Numæ libri reperti ſunt pontificii juris, ac in lucem editi, quibus id juſſiſſe veriſimile eſt. *Dalechamp. l. l.* Potius, quia Poſtumius eam aliquis in magiſtratu juſſu Numæ tulerit. *Manut. l. l.*

Lex Octavia frumentaria eſt lata a M. Octavio tribuno plebis an. 633. qua Semproniam C. Gracchi abrogavit. Cicer. in Brut. c. 62. *M. Octavius Cn. filius tantum auctoritate, atque eo valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis ſuffragiis abrogaverit.* Et hanc *legem* ita laudat, & probat Offic. II. 21. *C. Gracchi frumentaria magna largitio, exhauriebat igitur ærarium: modica M. Octavii, & reipublicæ tolerabilis, & plebi neceſſaria; ergo & civibus, & Reipublicæ ſalutaris.* Ex his quidem Tullii verbis colligere eſt, non totam Gracchi frumentariam *legem* abrogaſſe M. Octavium, ſed nova *lege* ſua quodammodo moderaſſe, Rempublicam, & ærarium intolerabili damno ſublevaſſe. Videtur tamen ſtatuiſſe, vel majus pretium in ſingulos modios ſecundum annonæ caritatem; vel uti triente, atque ſemiſſe minus quam emptus eſſet, civibus modius venderetur. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 76.

Lex Ogulnia de ſacerdotibus lata eſt a Q. & Cn. Ogulniis tribunis plebis an. 453. M. Valerio Corvo V. Q. Apulejo Panſa coſſ. Liv. x. 6. V. illum ſupr. in *Augures.* Auguſt. de Leg. in Ogulnia. Guther. de Vet. jure pont. I. 9. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 222. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 384. Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſ. II. p. 165. Roſin. Ant. Rom. VIII. I.

Lex Oppia de mundo muliebri lata eſt a C. Oppio tribuno plebis an. 540. Q. Fabio Maximo, T. Sempronio Graccho coſſ. Liv. XXXIV. I. *Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis Q. Fabio, T. Sempronio coſſ. in medio ardore Punici belli: Ne qua mulier plus ſemuncia auri haberet, neu veſtimento verſicolori uteretur, nec juncto vehiculo in Urbe, oppidove, aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſa, veheretur.* Tacit. Annal. III. 33. 7. *Pervicacibus magis, & impotentibus mulierum juſſis, quæ Oppiis quondam, aliisque legibus conſtrictæ.* . . . Auguſt. de Leg. in Oppia. Manut. de Leg. c. 18. Turneb. Adv. XXVII. 26. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 222. F. Pigh. Annal. Rom. II. p. 166. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 199. A. Urſin. de Fam. Rom. in Oppia. Roſin. Ant. Rom. VIII. 13.

Lex optima dicebatur tum ea, qua quam pleniſſimum dictatoris jus eſſet, ſignificabatur. Feſtus: *Optima lex illa dicebatur, qua in magiſtro populi faciendo quam pleniſſimum poſſet, jus eſſe ſignificabatur, ut fuit M. Valerii Manii filii Voluſii nepotis, qui primus magiſter populi vocatus eſt. Poſtquam vero provocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt adici, ut qui optima lege, utpote imminuto jure priorum magiſtratuum.* Senſus autem eſt in magiſtro populi, per quem dictatorem intelligit, dicendo hæc ſollennia verba conſulem uſurpaſſe: *ut qui optima lege fuerint, ita M. Valerium dictatorem dico.* tum ea, qua virgines Veſtales capiebantur. In virgine enim Veſtali capienda pontifices utebantur ſollenni formula, quam referimus infr. in *Veſtales.* Rævard. Conject. III. 20. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 222. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 82.

Lex Orchia ſumptuaria prima omnium ad populum pervenit. Eſt lata Q. Fabio, M. Claudio conſulibus an. 570. Hanc *tulit C. Orchius tribunus plebis de ſenatus ſententia, tertio anno quam Cato cenſor fuerat. Summa ejus præſcribebat numerum convivarum: & hæc eſt, de qua Cato in orationibus ſuis vociferabatur, quod plures quam præſcripto ejus cavebatur, ad cœnam vocarentur.* Auguſt. de Leg. in Orchia. Manut. de Legib. c. 3. & 18. Bruyer. de Re cibar. III. 4. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 223. B. Pigh. Annal. Rom. II. p. 330. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Buleng. de Conviv. I. 17. & 22. Putean. Reliq. conviv. priſc. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 253. A. Roſin. Ant. Rom. VIII. 13.

Lex Ovinia de cenſoribus quando ſit lata incertum: neque enim ejus in veterum libris, quos legerim, fit mentio. Nominat eam Feſtus in Præteriti ſenatores: *Donec Ovinia tribunitia intervenit, qua ſanctum eſt, ut cenſores ex omni ordine optimum quemque curiatim ſenatu legerent.* Auguſt. de Leg. in Ovinia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 223. B. Pigh. Annal. Rom. I. p. 292. Zamoſc. de Senat. Rom. I. 3. Roſin. Ant. Rom. VIII. 4. & 5.

Lex pagana *in pleriſque Italiæ prædiis cavebat, ne mulieres per itinera ambulantes torquerent fuſos, aut omnino detectos ferrent, quoniam adverſaretur id omnium ſpei, præcipueque frugum.* Plin. XXVIII. 2. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 223. *D. Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 173. *E. Roſin. Ant. Rom.* VIII. 31.

Lex Papia de civitate lata eſt poſt legem Claudiam non multis annis. Quo tamen potiſſimum anno, cum eorum temporum una cum veterum annalium monumentis memoria evanuerit, nobis parum compertum eſt. Hoc amplius videtur habuiſſe quam Claudia, quod Claudia non niſi ſociis nominis Latini eſſet lata, Papia etiam peregrinis, cum eodem illi fortaſſe civitatis Romanæ adipiſcendæ ſtudio, atque hi, efferrentur. Siquidem Mamertini, quod oppidum in Sicilia eſt, hujus *legis* beneficio M. Craſſum, qui ſe Romæ pro cive gerebat, Meſſanam revocare ſunt conati. Cujus rei, cum Balbum defenderet, exemplum adhibuit Cicer. pro Balb. c. 23. *Cum judices præ ſe ferrent, palamque loquerentur, quid eſſent lege Papia de M. Caſſio Mamertinis repetentibus judicaturi, Mamertini publice ſuſcepta cauſa deſiterunt.* Hac *lege* damnatus eſt pater M. Perpernæ ejus, qui an. 623. conſul fuit. Val. Max. III. 4. 5. *M. Perperna conſul antequam civis. Cujus vita triumphavit, mors Papia lege damnata eſt. Namque patrem illius nihil ad ſe pertinentia civis Romani jura complexum, Sabelli judicio petitum, redire in priſtinas ſedes coegerunt.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. I. de jur. Rom. civ. I. 18. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 224. A.

Lex Papia Poppæa de connubiis cavebat, ut omnibus ingenuis, præter ſenatores, eorumque liberos, uxores libertinas habere liceret. V. ſupr. in *Ingenui.*

Lex Papia de peregrinis lata eſt a C. Papio tribuno plebis an. 688. L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coſſ. Hac omnes peregrini, qui Romæ obverſabantur, Italicis exceptis, Urbe pulſi ſunt, quia non idoneos judicabat, qui cum Romanis habitarent. Dio XXXVII. p. 33. E. Eſt autem hic Papius ille, de quo Cicer. de Offic. III. II. *Male, qui peregrinos urbibus prohibent, eoſque exterminant, ut Pennus apud patres noſtros, Papius nuper.* Et de ejus lege pro Arch. c. 5. *Quid quod non modo poſt civitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam multi in earum civitatum tabulas irrepſerunt?* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. I. Auguſt. de Leg. in Junia Petronia, & Papia Poppæa. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 224. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 317. Roſin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Papia Poppæa de præmiis liberos habentium lata eſt a M. Papia Mutilo, & Q. Poppæo Secundo coſſ. an. 761. Dio LVI. p. 578. L. V. illum ſupr. in *Conſul ſuffectus.* Iſidor. V. 15. *Sub Octavio Cæſare ſuffecti coſſ. Papius, & Poppæus legem tulerunt, quæ a nominibus illorum Papia & Poppæa vocatur.* Ejus capita verboſius denarrant *Lipſ. in Tacit. Annal.* III. *Excurſ. C. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 124. *B. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 538. *Jun. in Tertull. Apolog. c.* 4. *Auguſt. de Leg. in Papia Poppæa. Torrent. Comment. ad leg. Juliam & Papiam de matrim. ordin. Roſin. Ant. Rom.* VIII. 16. Eadem eſt, ſi materiam ſpectes, quæ Julia de maritandis ordinibus, ſed tempore diverſa. V. ſupr. in *Lex Julia.* Valuerunt ad Severi Imperatoris ævum, qui non abrogavit quidem, ſed imminuit: maxime ea parte, quæ fuit de gignendis liberis. Tertull. Apolog. c. 4. *Nonne & vaniſſimas Papias leges, quæ ante liberos ſuſcipi cogunt, quam Juliæ matrimonium contrahi, poſt tantæ auctoritatis ſenectutem, heri Severus conſtantiſſimus Principum excluſit.* Lipſ. & Jun. l. l. Illarum pœnas ſuſtulit Conſtantinus. V. ſupr. in *Cœlibatus.*

Lex

Lex Papia Poppæa de ritu capiundæ virginis Vestalis describitur a Gell. I. 12. V. illam infr. in *Vestales*. Manut. de Leg. c. 2. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 224. A. Pigh. Annal. Rom. II. p. 51. Rosin. Ant. Rom. VIII. I.

Lex Papiria de assibus lata est a C. Papirio Carbone tribuno plebis L. Cornelio Scipione, C. Lælio Nepote coss. an. 563. ut asses, qui unciales erant, semunciales fierent. Plin. XXXIII. 3. *Mox lege Papiria asses semunciales facti.* August. de Leg. in Papiria. Manut. de Leg. c. 17. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 223. G. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex Papiria de civitate lata est a L. Papirio prætore an. 421. Cornelio Cosso Arvina II. Cn. Domitio Calvino coss. Liv. VIII. 17. *Romani facti Acerrani lege ab L. Papirio pratore lata, qua civitas sine suffragio data.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 223. E. Pigh. Annal. Rom. I. p. 332. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Papiria de consecratione lata est a Q. Papirio tribuno plebis. Quo vero tempore lata sit, ignoro. Illam tamen *veterem* appellat Cicero mox laudandus. Vetabat injussu plebis ædes, terram, aram consecrare. Hanc de ædibus sacris, de agris ab hostibus captis, non de privatis ædibus atque agris ut intelligatur, interpretatur Cicer. pro Dom. c. 49. *Video esse legem veterem tribunitiam, quæ vetet, injussu plebis ædes, terram, aram consecrare. Neque tum hoc ille Q. Papirius, qui hanc legem rogavit, sensit, neque suspicatus est, fore periculum, ne domicilia, aut possessiones indemnatorum civium consecrarentur: neque enim id fieri fas erat, neque quisquam fecerat, neque erat causa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quam admonere. Sed quia consecrabantur ædes, non privatorum domicilia, sed quæ sacra nominantur: consecrabantur agri, non ita ut nostra prædia, si quis vellet, sed ut Imperator agros de hostibus captos consecraret: statuebantur aræ, quæ religionem afferrent, ipso si loco essent consecratæ: hæc nisi plebs jussisset, fieri vetuit.* August. de Leg. in Papiria. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 223. G. Pigh. Annal. Rom. I. p. 378. Rosin. Ant. Rom. VIII. I. Manut. de Leg. c. 2. Guther. de vet. jur. Pont. II. 6. Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 221.

Lex Papiria de multarum æstimatione lata est a L. Papirio Crasso, & L. Julio Coss. Liv. IV. 30. *Consules fiunt L. Papirius Crassus, L. Julius. Legem de multarum æstimatione pergratam populo, quum ab tribunis parari consules unius ex collegio proditione excepissent, ipsi præoccupaverunt ferre.* August. de Leg. in Papiria. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 223. E. V. & infr. in *Lex Tarpeja Æternia.*

Lex Papiria de sacramento lata est a L. Papirio tribuno plebis, ne quis alteri temere negotium facesseret. Festus. V. illum infr. in *Sacramentum.* Manut. de Leg. c. 18. August. de Leg. in Papiria. Ursin. Not. ad leg. & Scta ad Papiriam. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 223. F.

Lex Papiria tabellaria de legibus lata est a C. Papirio Carbone tribuno plebis an. 621. P. Popillio Lænate, P. Rupilio Coss. ut in jubendis legibus, aut vetandis, populus tabella suffragium ferret. Cicer. de Leg. III. 16. *Sunt quatuor leges tabellariæ, quarum tertia est Carbonis de jubendis legibus, ac vetandis, seditiosi, atque improbi civis: cui ne reditus quidem ad bonos, salutem a bonis potuit afferre.* August. de Leg. c. 13. & in Papiria. Manut. de Leg. c. 9. Poller. For. Rom. V. 8. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 223. L. Pigh. Annal. Rom. III. p. 15. Rosin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Papiria de tribunis plebis lata est a C. Papirio Carbone tribuno plebis an. 623. M. Perperna, C. Claudio Pulcro coss. ut eundem tribunum plebis, quoties quidem vellet, creari liceret. Liv. Epit. 59. *Quum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset, ut eundem tribunum plebis, quoties vellet, creare liceret; rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit, in qua dixit, T. Gracchum jure cæsum videri. Gracchus contra suasit rogationem: sed Scipio tenuit.* August. de Leg. in Papiria. Pigh. Annal. Rom. III. p. 15. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

Lex Pedia de Cæsaris interfectoribus lata est a Q. Pedio cos. & Cæsaris Octaviani collega. Paterc. II. 69. 5. *Et lege Pedia, quam cos. Pedius collega Cæsaris tulerat, omnibus qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat.* Et eisdem coss. lege curiata a populo in adoptione confirmatum Octavium ait Appian. Bell. civil. III. p. 586. *Post sacra peracta rursum seipsum in patris familiam ac nomen inseruit curiatis comitiis, hoc est, per plebiscitum.* August. de Leg. in Pedia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 224. G. Rosin. Ant. Rom. VIII. 27. Pitisc. in Suet. Neron. c. 3. n. 2.

Lex Peducæa de incestu lata est a Sext. Peducæo tribuno plebis an. 630. Q. Cæcilio Metello, Cn. Papirio Carbone coss. Ejus meminit Cicer. de Nat. deor. III. 30. *Repete posteriora, de incestu rogatione Peducæa.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 225. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 110.

Lex Pennia de peregrinis. V. illam infr. in *Lex Petronia.*

Lex Pesolonia de quadrupedis pauperie. De illa apud Paull. Sent. I. scriptum est. *Si quadrupes pauperiem fecerit, damnumve dederit, quidve depasta sit, in dominum actio datur, ut aut damni æstimationem subeat, aut quadrupedem dedat; quod etiam lege Pesolonia de cane cavetur.* Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 225. B.

Lex Petillia de ambitu lata est a C. Petillio tribuno plebis C. Fabio, C. Plautio coss. Liv. VII. 15. *De ambitu ab C. Petillio tribuno plebis, auctoribus patribus, tum primum ad populum latum est: eaque rogatione novorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas, & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant.* August. de Leg. in Petillia. Ursin. de Fam. Rom. in Gens Petillia. Manut. de Leg. c. 28. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Pigh. Annal. Rom. I. p. 282.

Lex Petillia de nexis lata est a C. Petillio cos. cum L. Papirio Mugillano Liv. VIII. 28. V. illum infr. in *Nexus.* August. de Leg. in Petillia. Manut. de Leg. c. 16.

Lex Petillia de peculatu lata est a Q. Petillio tribuno plebis an. 566. M. Æmilio Lepido, C. Flaminio Nepote coss. Liv. XXXVIII. 54. *M. Porcio Catone auctore existimantur Petillii ex viro Africano rem ingressi, & mortuo rogationem promulgasse. Fuit autem rogatio talis: velitis, jubeatis, quæratur; quæ pecunia capta, ablata, coacta ab Rege Antiocho est, quique sub ejus imperio fuerunt: quod ejus in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpitius prætor urbanus ad senatum referat?* Ursin. de Fam. Rom. in Gens Petillia. Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 225. C. Pigh. Annal. Rom. II. p. 299.

Lex Petreja de seditiosis decimandis est lata a M. Petrejo tribuno plebis an. 668. nisi fallor. Ejus meminit Appian. Bell. civ. II. p. 457. *Tractabo vos lege Petreja, & nonam legionem decimabo, quando quidem inde ortum est seditionis initium.* Pigh. Annal. Rom. III. p. 243.

Lex Petronia de peregrinis tulit, ut peregrini Urbe Roma expellerentur. Cicero. V. illum supr. in *Lex Papia de peregrinis.* Hanc, opinor, in Respublicas significat Festus, ubi nunc *P. Ennii* de peregrinis corrupte, meo judicio, legitur. *Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 225. D.* Sed apud Festum legendum *de lege Penni de peregrinis.* Fuit is M. Junius Pennus, de quo Cicer. de Clar. Orat. c. 28. *Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum.* Et ille tribunus plebis an. 627. tulit *legem*, qua peregrinos urbibus uti prohibuit. Et ita Cicero l. l. *Dacer. ad Festum.*

Lex Petronia de servis est lata a Petronio Turpilliano consule cum Cæsonio Pæto an. 813. ne dominis potestas esset ad bestias depugnandas suo arbitratu servos suos tradere. Modestin. l. 11. ff. ad leg. Cornel. de sicar. *Post legem Petroniam, & Scta ad eam legem pertinentia, dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 225. C.

Lex Pinaria annalis lata est a M. Pinario Rusca tribuno plebis an. 622. Hoc demonstrat Cicer. de Orat. II. 65. Sed qualis hæc fuerit, quidve jusserit, ex ejus verbis colligere non est, quæ hæc fere sunt: *Ut olim Rusca, cum legem ferret annalem. Dissuasor M. Servilius: dic mihi, inquit, M. Pinari, num si contra te dixero, mihi male dicturus es: ut cæteris fecisti? ut sementem feceris, ita metes, inquit.* Aliud

de

de lege Pinaria nihil hactenus apud auctores me legisse memini. At non sine magna contentione latam, verba Ciceronis ostendunt. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 16.

Lex Pinaria Furia est lata a L. Pinario & Furio consulibus. Macrob. Sat. I. 13. *Sed hoc arguit Varro, scribendo, antiquissimam legem fuisse incisam in columna ærea, a L. Pinario & Furio consulibus, cui mensis intercalaris adscribitur.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 225. E.

Lex Plautia, sive Plotia, nam ita variabant veteres, ut in Claudia, & Clodia, aurata, & orata, aula, & olla, plaustro, & plostro, de judiciis lata est a M. Plautio Silvano tribuno plebis. Cicer. pro Corn. apud Ascon. p. 140. *Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia judicarent, hominem diis, ac nobilitati perinvisum, Cn. Pompejum causam lege Varia de majestate dixisse.* Ubi Asconius: *M. Plautius Silanus tribunus plebis Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone coss. secundo anno belli Italici, cum equester ordo in judiciis dominaretur, legem tulit adjuvantibus nobilibus, quæ lex vim eam habuit, quam Cicero significat: nam ex ea lege tribus singulæ ex eo numero quinos denos suffragio creabant, qui eo anno judicarent: Ex eo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe.* Tribus autem 35. fuerunt, unde judicum numerus 525. fuit. *August. de Leg. in Plautia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 18. *Zamosc. de Sen. Rom.* I. 15. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 228. *Manut. de Leg. c.* 15. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 7. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 225. *F. Oiszel. in Gell.* XIII. 3. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 21.

Lex Plautia de vi lata est a P. Plautio tribuno plebis an. 675. Q. Lutatio Catulo, M. Æmilio Lepido coss. Cum enim mortuo eo anno Sulla Lepidus Marianarum partium assertor cum Catulo Sullano de actis Sullæ contendere cœpisset, ingens concitata est seditio: victorque pulso Urbe, & in Sardinia interfecto Lepido, Catulus hanc *legem* tulit una cum P. Plautio, unde etiam nomen accepit, ut dicit Cicer. pro Cœl. c. 29. *De vi quæritis, quam legem Q. Catulus armata dissensione civium Reipublicæ pene extremis temporibus tulit.* De illa Julian. l. non solum §. si dominus ff. de usucap. *Si dominus fundi homines armatos venientes extimuerit, atque ita profugerit, quamvis nemo eorum fundum ingressus fuerit, vi dejectus videtur. Sed nihilominus is prædium etiam antequam in potestatem domini redeat, a bonæ fidei possessore usucapitur. Quia lex Plautia, & Julia ea demum vetat longa possessione capi, quæ vi possessa fuerint; non etiam ex quibus vi quis dejectus fuerit.* August. de Leg. in Plautia. Manut. de Leg. c. 23. Sigon. de Judic. II. 33. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 226. A. Rosin. Ant. Rom. VIII. 27.

Lex Plautia Papiria de civitate, quod ego sciam, a nemine nominatur; mihi tamen ea, quam nominat Cicer. pro Arch. c. 4. dum ait: *Data civitas Silvani lege, & Carbonis*, Plautia Papiria videtur fuisse, lata a duobus ejusdem anni tribunis plebis M. Plautio Silvano, & C. Papirio Carbone, C. Carbonis eloquentissimi viri filio, sexennio postquam Crassus, & Scævola suam *legem* tulerant. Silvanum Cn. Pompejo Strabone, & L. Porcio Catone coss. tribunatum gessisse docet Asconius. Carbonem eodem anno tribunum plebis fuisse ex eo suspicari licet, quod eum post M. Livii mortem, qui Philippo, & Cæsare coss. est interfectus, tribunatum administrasse significat Cicer. Orat. c. 63. his verbis: *Me stante C. Carbo C. F. tribunus plebis in concione: o M. Druse, patrem appello: tu dicere solebas sacram esse Rempublicam, quicunque eam violassent, ab omnibus ei pœnas esse persolutas: patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.* Præterea cum a duobus ejusdem anni coss. non esse latam satis liqueat, quia Silvanus & Carbo collegæ in consulatu nunquam fuerunt: necesse est a duobus tribunis latam existimare: quod si a tribunis plebis, sequitur, ut ab iis duobus potius, quos nominavi, quam ab aliis: ut tamen de secundo Carbonis tribunatu intelligamus. Ejus legis hæc sententia fuit, ut adscriptis in fœderatas civitates civitas daretur, ita, ut si tum, cum *lex* ferebatur, in Italia domicilium haberent, & si sexaginta diebus apud prætorem essent professi. *Manut. de Leg. c.* 17. *Spanhem. ad Constit. Antonin. Imperat. Exercit.* I. §. 13. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 226. *B.*

Lex Plætoria de lictoribus prætoris urbani lata est a M. Plætorio tribuno plebis. Censor: de Die nat. c. 24. *Sed postea M. Plætorius tribunus plebis scitum tulit, in quo scriptum est: prætor urbanus, qui nunc est, quique posthac fuat, duos lictores apud se habeto: isque usque ad supremum jus inter cives dicito.* Varro tamen V. 2. *Suprema summum diei, id a supremo: hoc tempus* XII. *tab. dicunt occasum esse solis. Sed postea lex Plætoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo prætor in comitio supremum pronunciavit populo.* Manut. de Leg. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 226. C.

Lex Publicia sumptuaria est lata a C. Publicio Bibulo ædile an. 774. Ille cum collegis de sumptuariis legibus in usum revocandis patres consuluit: graviter invectus adversus profusos sumptus, & luxum civitatis. Tacit. Annal. III. 52. 3. *Nam, incipiente C. Bibulo, cæteri quoque ædiles disseruerant, sperni sumptuariam legem, vetitaque utensilium pretia augeri in dies: nec mediocribus remediis sisti posse.* Pigh. Annal. Rom. III. p. 553.

Lex Pœtelia de ambitu est lata a C. Pœtelio tribuno plebis C. Fabio, C. Plautio consulibus an. 395. Ut ne ambiendi magistratus causa nundinas, & conciliabula obire liceret. Liv. VII. 15. *De ambitu ab C. Pœtilio, tribuno plebis, auctoribus patribus, tum primum ad populum latum est: eaque rogatione novorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas, & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 226. E.

Lex Pœtilia Papiria de nexu est lata a C. Pœtilio, L. Papirio consulibus an. 427. De illa Liv. VIII. 28. *Jussique consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut nervo teneretur. Pecuniæ creditæ, bona debitoris, non corpus obnoxium esset.* Ubi tamen videndum, ne *pro meruisset, nocuisset* sit legendum. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 226. *F. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 340.

Lex Pompeja de ambitu lata est a Cn. Pompejo Magno an. 701. Ascon. in Cicer. p. 186. *Pompejus ab Interrege Ser. Sulpitio* V. *Kal. Mart. mense intercalario consul creatus est, statimque consulatum iniit. Deinde post diem tertium de legibus novis ferendis retulit: duas ex SCto promulgavit. Alteram de vi, alteram de ambitu.* De ambitu tulit *pœna graviore, & forma judiciorum breviore. Utraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem, & ab accusatore, & a reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur.* De illa Cicer. in Brut. c. 94. *Lege Pompeja ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem, novi veniebamus quotidie.* De Fin. IV 1. *Aio tandem, cum ego te in hac nova lege videam eodem die accusatori respondere, & tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas? Novam legem* appellat, quæ eam judiciorum formam constituerat. *August. de Leg. in Pompeja. Manut. de Leg. c.* 15. *&* 29. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 5. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 410. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 29.

Lex Pompeja de civitate lata est a Cn. Pompejo Strabone consule cum M. Crasso iterum an. 698. ni mea me conjectura decipit. Huic enim placuit, cum L. Julius Cæsar *lege* sua Italicis omnibus in fidem redeuntibus subvenisset, se quoque a Gallis, qui in tanto tumultu quieti fuerant, gratiam inire. Itaque, quod verisimile videtur, *legem*, collega Catone jam exstincto, tulit, qua Liguribus, & Cispadanis, & Venetis civitatem, Transpadanis Latinitatem communicavit. Hujus vestigia extant apud Plin. III. 20. *Non sunt adjectæ*, inquit ille, *Cottianæ civitates duodecim, quæ non fuerunt hostiles: item attributæ municipiis lege Pompeja.* Testis quoque est Alba Ligurum oppidum, quæ ab hoc Pompejo Pompeja est appellata. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. 2. *Manut. de Leg. c.* 11.

Lex Pompeja de comitiis lata est a Cn. Pompejo Magno an. 701. ne cujus absentis in magistratuum comitiis ratio haberetur, uno Cæsare excepto. Dio XL. p. 146. E. Appian. de Bell. civ. II. p. 442. *Pompejus legem de comitiis,*

rus, quæ magistratum aliquem ambientes ad ipsa omnino comitia præsto esse, neque ullius absentis rationem haberi jubebat. Cæsari autem, cujus amici legem indignissime ferebant, absenti quoque consulatus petendi potestatem eodem decreto concedere Pompejum non puduit. Suet. Jul. c. 28. n. 2. *Acciderat, ut Pompejus legem de jure magistratuum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Cæsarem quidem exciperet per oblivionem: ac mox lege jam in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem.* August. de Leg. in Pompeja. Manut. de Leg. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. 11. 1. p. 228. B. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5. Pitisc. in Suetonium.

Lex Pompeja de judicibus lata est a Cn. Pompejo Magno, *ut ex amplissimo censu aliter atque ante lecti judices, æque tamen ex illis tribus ordinibus judicarent.* Ascon. in Cicer. p. 187. De qua meminit Cicer. in Pison. *Idem*, Pompejus Magnus, *in tertio consulatu legem judiciariam acrem, & vehementem tulit: in qua nihil de ordinibus eorum, qui tum judicabant, mutavit. Sed ipsam judiciorum formam circumcidit.* Jubebat enim lex, teste Ascon. in Cicer. p. 191. *ut priusquam causa ageretur, testes per triduum audirentur, quarta die adesse omnes in diem posterum juberentur, ac coram accusatore ac reo pilæ, in quibus nomina judicum inscripta essent, æquarentur: dein rursus postera die sortitio judicum fieret unius & octoginta: qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent: tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, resque eodem die illo judicaretur: prius autem quam sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta & unus.* Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 227. A. F.

Lex Pompeja de parricidis lata est a Cn. Pompejo Magno cos. an. 698. cum M. Crasso II. Parricidii pœnam V. infr. in *Parricidium.* Hæc eadem pœna Pompeji hac lege huic delicto est imposita. *August. de Leg. in Pompeja. Manut. de Leg. c. 27. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 25. *Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 227. B. Pigh. Annal. Rom.* III. p. 356.

Lex Pompeja de vi lata est a Cn. Pompejo Magno III. cos. an. 701. Hæc, ut scribit Ascon. in Cicer. p. 187. *nominatim cædem in Appia via factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit.* Fuerunt autem hæc illis diebus patrata, Clodio in Appia occiso, cujus corpus in curia combustum fuit, quo incendio & ipsa curia flagravit. *August. de Leg. in Pompeja. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 410. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 27.

Lex Popilia vel Pompilia, de qua Gell. 1. 12. his verbis: *Nam si quis honesto loco natus adeat pontificem maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus duntaxat salvis religionum observationibus ratio haberi possit, gratia Popiliæ legis per senatum fit*, incertum est, an eadem sit, quæ Papia Poppæa, qua virgines Vestales sortito eligebantur: an, quod magis arbitror, Numæ Pompilii Regis, qui *virgines Vestæ legit, Albæ oriundum sacerdotium, & genti conditoris haud alienum*, ut scribit Liv. 1. 20. *August. de Leg. in Popilia. Rev. ard. Conject.* III 20. *Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 228. A. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 51.

Lex Porcia de civibus, sive de provocatione lata est non a M. Porcio Catone, sed a Porcio Læca tribuno plebis an. 454. Docet hoc nummus argenteus; cujus in altera parte scriptum est: PROVOCO, ab altera P. PORCIUS LÆCA. Liv. x. 9. *Porcia lex sola pro tergo civium lata videtur: quod gravi pœna, si quis verberasset, necassetve civem Romanum, sanxit.* Cicer. pro Rabir. perduell. reo c. 3. *An de civibus Romanis contra legem Porciam verberatis, aut necatis plura dicenda sunt?* c. 4. *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit, hic misericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit, Labienus homo popularis carnifici tradidit.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 6. August. de Leg. in Porcia. Gutber. de vet. jur. pont. II. 10. Turneb. in Cicer. Orat. pro Rabir. p. 18. Prevot. de Magistr. Roman. c. 1. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 228. E. II. 16: v. p. 754. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 383. II. p. 255. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 88. F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2. Non ut in Urbe cives Romanos a magistratuum virgis, & securibus, sic etiam in castris vindicavit. Aliam etiam disciplinam militarem esse voluerunt, aliam urbanam; itemque aliam ad parendum terrorem exercitui, aliam populo esse propositum: siquidem ab Imperatoris imperio nulla erat provocatio. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* 1. 15.

Lex Postumia de vino lata est a Numa Pompilio. V. illam supr. in *Lex Numæ de vino.*

Lex Publilia de lusu. V. illam supr. in *Cornelia de lusu.*

Lex Publilia de legibus, & censoribus lata est a Q. Publilio Philone consule an. 414. quem dictatorem dixit ejus collega T. Æmilius Mamercinus, Liv. VIII. 12. *Dictatura popularis fuit, quod tres leges secundissimas plebi, adversas nobilitati tulit: unam, ut plebiscita omnes Quirites tenerent: alteram, ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent: tertiam, ut alter utique ex plebe, quum eo ventum sit, ut utrumque plebejum cos. fieri liceret, censor crearetur.* August. de Leg. in Publilia. Manut. de Leg. c. 5. & 29. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 229. A. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 164. & 409. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Publilia de plebejis magistratibus lata est a Volerone Publilio Philone tribuno plebis, Claudio & Quintio consulibus an. 281. ut plebeji magistratus, qui antea curiatis comitiis fiebant, deinceps remotis patribus tributis comitiis crearentur. Liv. II. 56. Dionys. IX. p. 600. Apud quem tamen p. 596. Πόπλιος Βολέρων legitur pro Ποπλίλιος. Nam Volero prænomen, Publilius nomen fuit. Ut non Voleronia, sed Publilia *lex* dicenda sit. In quo plerique decepti sunt. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 228. *F. Pigh. Annal. Rom.* 1 *p.* 115.

Lex Pupia diebus comitialibus senatum haberi prohibebat. De ea Cicer. Fam. 1. 4. *Senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam, id quod scis, non potest.* Fratr. II. 12. *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum.* August. de Leg. in Pupia. Manut. de Senat. Rom. c. 5. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 229. B. Pigh. Annal. Rom. II. p. 122. Zamosc. de Senat. Rom. II. 7. Rosin. Ant. Rom. VIII. 4.

Lex quina vicenaria. V. illam supr. in *Lex Lætoria.*

Lex Regia de imperio lata, Principi omne imperium, & potestatem conferebat. Ulpian. l. 1. ff. de Constit. Princip. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem; utpote cum lege Regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei, & in eum omne suum imperium, & potestatem conferat.* Pars legis in tabula ærea in basilica Lateranensi sic inscripta legitur, quæ in Vespasiani gratiam a S. P. Q. R. lata, vel potius renovata est. Ejus verba sunt hæc: *Fœdusve cum quibus volet facere liceat ita ut licuit divo Augusto Ti. Julio Cæsari Augusto Tiberioque Claudio Cæsari Aug. Germanico. Utique ei senatum habere, relationem facere, remittere senatusconsulta, per relationem discessionemque facere liceat, ita ut licuit divo Aug. Ti. Julio Cæsari Aug. Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico. Utique cum ex voluntate, auctoritateve, jussu, mandatuve ejus præsentive eo senatus habebitur, omnium rerum jus perinde habeatur, servetur, ac si e lege senatus edictus esset, habereturque. Utique quos magistratum, potestatem, imperium, curationemve cujus rei petentes senatui, populoque Romano commendaverit, quibusve suffragationem suam dederit, promiserit, eorum comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur. Utique ei fines pomœrii proferre, promovere, cum ex Republica censebit esse liceat, ita uti licuit Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico. Utique quæcumque ex usu Reipublicæ majestate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumve rerum esse censebit, ei agere, facere jus, potestasque sit, ita uti divo Aug. Tiberioque Julio Cæsari Aug. Tiberioque Claudio Cæsari Aug. Germanico fuit. Utique quibus legibus, plebeive scitis scriptum fuit, ne divus Aug. Tiberiusve Julius Cæsar Aug. Tiberiusve Claudius Cæsar Aug. Germanicus tenerentur, iis legibus, plebisque scitis Imperator Cæsar Vespasianus solutus sit, quæque ex quaque lege, rogatione divum Aug. Tiberiumve Julium Cæsarem Aug. Tiberiumve Claudium Cæsarem*

sarem Aug, Germanicum facere oportuit, ea omnia Imperatori Cæsari [illegible] Aug. facere [illegible]. Utique quæ ante hanc legem [illegible], [illegible], de [illegible] ab Imperatore Cæsare [illegible] Aug. jussu, mandatuve ejus a quoque sunt, [illegible] plebisve jussu acta essent. Sanctio: Si quis hujusce legis ergo adversus leges, rogationes, [illegible], senatusve consulta fecit, fecerit: sive quod eum ex lege, rogationeve, plebisve scito, s. ve. c. facere oportebit, non fecerit: hujus legis ergo, id ei ne fraudi esto, neve [illegible] eam rem populo dare debeto, neve cui de ea re actio, neve [illegible], neve [illegible] apud [illegible] in-ito. Aug. l. de Leg. c. 18 & in Regia. Guther. de Offic. dom. Aug. i. 31. Ursin. ad legem Regiam. Manut. de Leg. c. 2. Hotman. Antiq. Roman. l. 1. p. 229. C. Pigh. Annal. Rom. I. p. 17. Rosin. Ant. Rom. VII. 22.

Lex Regia de mortuo inferendo. V. illam infr. in *Mulier.* Hanc superioris partem fuisse, ridiculum est dicere [illegible] cujus auctorem nominare difficile est, cum satis constet Regis verbum cognomen fuisse, non nomen: leges autem [illegible] appellationem sumpsisse. Existimarem igitur Romuli, aut Numæ Pompilii legis aliculus, de qua Marcellus antea disputarat, partem hanc fuisse: cum præsertim ad sacra hæc lex pertineat, de quibus quæ leges a Numa constitutæ fuerant, semper observatæ sunt. Clem. Alex. Strom. II. p. 400. D. *Romani, si qua mulier [illegible] damnata fuerit [illegible], non prius permittunt, ut [illegible], quam [illegible], quam pepererit.* Idem apud Græcos. Ælian. Var. Hist. v. 18. *Senatores Areopagi, quum [illegible] prehendissent, [illegible] traducere vellent, non prius [illegible] emerunt, quam partum edidisset. Nam [illegible], prægnans erat. Innoxium itaque infantem [illegible] a damnatione, eam, quæ culpam admiserat, solam morte multarunt.* Hotman. Antiq. Roman. l. 1. p. 230. F.

Lex de religione sacerdotes militiæ vacationem, præterquam Gallico bello, habere jussit: non quod in bello periculosius intercederet; sed hoc tribuit, ut, si minus ire ad militiam vellent, cogi ne possent. Nam sponte multos augures, multos pontifices in bellum exisse historiæ narrant. Qui tamen extra Italiam primus pontifex maximus P. Licinius Crassus Mucianus contra Aristonicum, qui Asiam occupaverat, profectus est, is in prælio interfectus neglectæ religionis pœnas dedit. Hanc significat Plutarch. in Fab. Max. p. 189. A. *[illegible] sacrorum cura, quod esset pontifex maximus, in Italia retinuit.* Manut. de Leg. c. 2.

Lex Remmia de calumniatoribus dicenda est, non Memmia, ut contendit Pigh. Annal. Rom. II. p. 485. Et ita legendum apud Cicer. pro Sext. Rosc. c. 19. *Ita tamen quæstus te cupidum esse oportebat, ut horum existimationem & legem Remmiam putares aliquid valere oportere.* De illa Marcian. ad Sctum Turpilianum, & Papin. l. quæsitum §. de testibus supr. in *Calumnia.* Hac lege calumniatori in fronte imprimebatur litera, qua indicabatur calumniatum esse eum. V. Cic. supr. in *Calumnia.* August. de Leg. in Remmia. Manut. de Leg. c. 30. Stephan. de Jurisdict. vet. Græc. c. 12. Rosin. Ant. Rom. VIII. 22.

Lex Rhodia de jactu mercium est cognominata ab insula Rhodo. Isidor. IV. 17. *Rhodiæ leges navalium commerciorum sunt ab insula Rhodo cognominatæ; in qua mercatorum [illegible].* Mari præesse jussit Imperator Antoninus. Volus. Mæcian. §. deprecatio ff. de Leg. Rhod. *Respondit Antoninus Eudæmoni: Ego quidem mundi dominus; lex autem maris: lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis præscripta est, [illegible]: quatenus nulla nostrarum legum adversatur. Hoc idem quoque divus Augustus judicavit.* August. de Leg. in Rhodia. Hotman. Antiq. Roman. l. 1. p. 231. A.

Lex Romilia de adulterio lata est a Romulo. Illa adulterium [illegible] fuit: [illegible] capitale, et pœna mors esset. [illegible] Romulus his verbis: *Adulteriis convictam vir, & cognati, uti volent, necanto.* Manut. de Leg. c. 29.

Lex Romilia de auspiciis est lata a Romulo. Hac sanxit, & semper servavit, ne quid publice, nisi inaugurato fieret: vidit enim reliqua *leges*, quas ferre de rebus humanis cogitabat, haud paullo plus in novo, varieque multis ex locis confluente populo habituras esse ponderis, si cum quadam erga deos pietate conjungerentur: quandoquidem id esse quasi frenum videretur ad impetus animorum reprimendos, hominesque in officio, rectaque ratione continendos. Atque hac quidem de lege ita, ut ab ea fluxisse Romani imperii magnitudinem significet, ita loquitur Cicer. de Nat. deor. III. 2. *Romulum mihi persuadeo, auspiciis constitutis jecisse fundamenta nostræ civitatis.* Manut. de Leg. c. 2. Pigh. Annal. Roman. I. p. 17.

Lex Romilia de conjugiis lata est a Romulo, ut uxor viro pecuniarum, & sacrorum omnium esset socia, eique, si sine liberis, & intestato diem obiisset, hæres esset: sin filios reliquisset, æqualem cum iis partem possideret. Quæ si adversus virum delinqueret, vir ipse cum propinquis eam judicaret: & si, aut impudica fuisset, aut venefica in liberos suos, aut etiam vinum bibisset, morte mulctaret; vel, si mallet, divortium faceret. Dionys. II. p. 95. *Manut. de Leg. c. 16 Pigh. Annal. Rom. I. p. 17.*

Lex Romilia de diis peregrinis lata est a Romulo, qui illa cavit, ne deos peregrinos, præter Faunum, colerent; neve sacrificia externa colerent. Ubi enim diversa est religio, tollitur societas, & consuetudo: & ex eo facile odia, & ex odiis seditiones existunt: & ex hoc malo civitates sæpe intereunt. *Manut. de Leg. c. 2. Pigh. Annal. Roman. I. p. 17.*

Lex Romilia de fabulosis figmentis lata est a Romulo. Hac indixit pœnam iis, qui fabulosa figmenta de diis credidissent. Opinio enim fabularum, quibus antiquitas deos admiscere solita est, familiaritatem quandam inter homines, & deos videtur inducere: & hinc primum manat contemptus, & in moribus licentia, deinde ad omne facinus audacia. Ideo hoc vinculum incolumitatis publicæ firmissimum futurum putavit Rex sapientissimus. *Manut. de Leg. c. 2.*

Lex Romilia de magistratibus lata est a Romulo, ut de senatu, id est, de patriciis familiis omnes magistratus crearentur. Hanc vix putaverim comitiis curiatis, ut reliquas, ab illo esse latam. Quippe quæ adversus plebis voluntatem res esset, eam rem cur ipsius plebis judicio, potestatique committeret? Sanxit igitur hoc regio jure, publicisque tabulis consignavit, & observari lege voluit. Hoc perspicue demonstrat Dionys. II. p. 83. cum ait: *Romulum de muneribus patriciorum, & plebejorum lege sanxisse: ut patricii sacra curarent, magistratus gererent, jus dicerent.* Manut. de Leg. c. 4.

Lex Romilia de parricidio lata est a Romulo. Illa parricidam appellari voluit, quicunque hominem liberum occidisset. *Manut. de Leg. c. 26. Pigh. Annal. Rom. I. p. 19.*

Lex Romilia de portis, & mœnibus Urbis lata est a Romulo. Illa statuit, ne quis, nisi per portas ingrederetur, egredereturve: mœnia sacrosancta essent. Hanc significasse videtur Cicer. de Nat. deor. III. 40. *Est mihi tecum pro aris, & focis certamen, & pro Urbis muris, quos vos, pontifices, sanctos esse dicitis.* Manut. de Leg. c. 2. Pigh. Annal. Rom. I. p. 17.

Lex Romilia de vigiliis nocturnis in templo non habendis lata est a Romulo, optimo sane consilio. I. ne quid per noctem minus caste, minusve pudice sacrorum specie committeretur: quod fieri plerumque contingit. II. deinde, ne qua fieri coitio, ne quid iniri adversus ipsum, publicamve rem occulti consilii, ne quid insidiarum tendi posset. Ad hanc spectavit Cicer. de Leg. II. 9. ubi illa scripsit: *Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, præter illa, quæ pro populo rite fiant.* Manut. de Leg. c. 2.

Lex Roscia theatralis lata est a L. Roscio Othone, non consule, ut Ascon. in Cicer. p. 140. scribit; sed tribuno plebis, ut Liv. Epit. 99. *L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur.* an. 686. Manio Acilio Glabrione, Cajo Calpurnio Pisone coss. Cicer. pro Mur. c. 19. *L. Otho,*

Otho, vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque jucunditatis est restitutus. De illa Juven. Sat. xiv. 322.

> *Acribus exemplis videor te cludere: misce*
> *Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam*
> *Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.*

Et Cicer. Phil. ii. 18. laudatus supr. in *Decoctores.* August. de Leg. in Roscia. Fab. Semestr. ii. 6. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 697. E. Guther. de Jur. man. iii. 20. Pigh. Annal. Rom. iii. p. 315. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. ii. 19. Rosin. Ant. Rom. v. 4: viii. 1. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. v. 10. Hotman. Antiq. Roman. i. 1. p. 231. B. Masson. Horat. vii. p. 112. Ne hæc interiret, effecit Domitianus, qui eam veluti fugitivam retraxit, & novo edicto sanxit, quod miror tacuisse historicos. Mart. v. 8.

> *Edictum domini, deique nostri,*
> *Quo subsellia certiora fiunt,*
> *Et puros eques ordines recepit.*

Demster. l. l.

Lex Rubrica de agris in Africa dividendis post Carthaginem captam est lata. Ejus in tabula ærea mentionem invenimus. *Manut. de Leg. c.* 13. *Rosin. Ant. Rom.* viii. 10. *Pigh. Annal. Rom.* iii. *p.* 64.

Lex Rupilia de judicibus sortito dandis a P. Rupilio prætore in Sicilia lata est de decem legatorum sententia. Hac *lege* inter Siculos, qui non essent ejusdem civitatis, prætor judices sortito dabat. Cicer. in Verr. ii. 13. *Siculi hoc jure sunt, ut quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo prætor judices ex P. Rupilii decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam legem illi Rupiliam vocant, sortiatur. Quod privatus a populo petit, aut populus a privato: senatus ex aliqua civitate, qui judicet, datur, cum alternæ civitates rejectæ sunt. Quod civis Romanus a Siculo petit, Siculus judex datur: quod Siculus a cive Romano, civis Romanus datur. Cæterarum rerum selecti judices ex civium Romanorum conventu proponi solent.* Maurit. de Sortit. c. 28. §. 1. Sigon. de Ant. jur. prov. ii. 5. August. de Leg. in Rupilia. Hotman. Antiq. Roman. i. 1. p. 231. C. qui illum consulem an. 621. legem hanc tulisse scribit.

Lex Rutilia de tribunis militum lata est a C. Rutilio Rufo, si fastos Capitolinos sequimur, an. 391. Festus. V. illum infr. in *Tribuni.* Manut. de Leg. c. 5. August. de Leg. in Rutilia. Hotman. Antiq. Roman. i. 1. p. 231. D. Rosin. Antiq. Roman. viii. 14.

Lex Sacrata in Sacro monte est lata pro plebe adversus patricios, ut magistratus sui essent plebi, iique sacrosancti, quibus auxilii latio adversus coss. esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret: qua *lege* tribuni plebis quinque primi creati sunt. Utrum vero una tantum *lex*, an plures in Sacro monte latæ sint, non satis constat. Liv. ii. 33. & Dionys. vi. p. 410. ubi rem ipsam narrant, unam nominant. Sed Livius alibi & Cicero infr. in *Plebs urbana* non semel *sacratas leges* dicunt. Quod si unam omnino *legem* velimus fuisse, & recte tamen dictum utroque numero defendere, rationem afferemus hanc: unam dici, quod ab eodem magistratu, eodemque tempore lata sit: plures, quia pluribus partibus constet: quo modo xii. tab. & *legem*, & *leges* appellari videmus. *Manut. de Leg. c.* 5. *Guther. de Offic. dom. Aug.* i. 29. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 68. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* i. 6. *Struv. Ant. Rom. c.* 4. *p.* 222. *Hotman. Antiq. Roman.* i. 1. *p.* 231. *F. Rosin. Antiq. Roman.* viii. 14. *August. de Leg. in sacratæ leges.* V. etiam supr. in *Lex Junia de tribunis plebis.*

Lex sacrata militaris lata est a M. Valerio Corvino dictatore an. 411. C. Marcio, Q. Servilio coss. Liv. vii. 41. *Lex quoque sacrata militaris lata est, ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur: additumque legi, ne quis, ubi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. Id postulatum P. Salonium postulatum est ab conjuratis: qui alternis prope annis, & tribunus militum, & primus centurio erat.* August. de Leg. in sacratæ leges. Manut. de Leg. c. 12. Hotman. Antiq. Roman. i. 1. p. 231. E. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 15. Rosin. Ant. Rom. viii. 14.

Lex satura est, quæ de pluribus rebus simul loquitur. Diomed. iii. p. 483. *Alii autem putant a lege satura, quæ uno rogatu multa simul comprehendat.* Lucil. i.

> *Per saturam autem factum, qui legibus solvat.*

& Sallust. Jugurth. p. 85. *Deinde quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur.* Festus: *Satura lex est multis aliis legibus conferta. Itaque in sanctione legum adscribitur: neve per saturam abrogato, aut derogato.* Glossar. *Satura, νόμος πολλὰ περιέχων. August. de Leg. c.* 6. *& in Satura. Scalig. in Festum. Manut. de Leg. c.* 42. *Hotman. Antiq. Roman.* i. 1. *p.* 232. D: ii. 11. *Pigh. Annal.* iii. *p.* 4. *Voss. Lex. Etymol. & Instit. Poet.* iii. 10. 1. *Gentil. Parerg.* ii. 28. *Casaub. de Rom. Satyr.* ii. 4. *Pius Annot. prior. c.* 2. *Rosin. Antiq. Roman.* v. 6. *Cujac. in Satyram.* Hanc, quo minor cumulus esset *legum*, quibus *legum*, quæ in Pandectis non exstant, capita studiose collegerunt, in hoc album retulerunt, Festi credo, & Diomedis auctoritatem cum Isido. iv. 16. secuti. Qui cum in corruptum, & glossematis contaminatum Sallustii exemplar inciderint, quidnam, sicut solet, fefellerit. In antiquis enim exemplaribus, quos videre contigit, τὸ *quasi* recte abest. Sed *per saturam sententias exquirere* cendalem interpretor, cum nullo habito delectu, vel ordine servato, sententias rogaret, quo temporis compendium quæreret. Romani itaque, quas *leges* perpetuo valere, & æternas esse volebant, in earum sanctionibus, id est, extrema parte, qua iis, qui in eas committerent, multa irrogabatur, & sanciebatur pœna, adjicere solebant: *neve per saturam abrogato, aut derogato.* Hoc est, ne simul quis cum aliis alicujus *legis* capitibus de iis abrogandis ad populum ferret, sed separatim de ea re tantum ageret. Cum enim tribuni, aut factiosi magistratus *legem* aliquam abrogatam vellent, *legum* quædam capita æquissima, & multitudini valde grata proponere, interque ea de alia *lege* abroganda inserere solebant. Qua fraude circumventus populus utiles sæpe *leges* imprudens abrogabat. Hinc apud Festum T. Annius Luscus in orat. contr. Tib. Gracchum *imperium, quod plebs dederat, id sibi per saturam abrogatum* conqueritur. Et Justinianus quoque Latinam libertatem *quasi per saturam inductam* refert Cod. c. 1. de Latin. libert. toll. Et in veteri tabula ænea legitur: *Extra quam sei quid in saturam feretur.* Huic vitio tollendo concepta est lex Cæcilia Didia. *Schott. Observ. Philolog.* i. 2. *Cren. in Casaubonum.*

Lex Scantinia quæ dicitur Cicer. Fam. viii. 12. *Postulandum me lege Scantinia curant.* Tertull. de Monog. c. 12. *Sunt illæ te, et Titiniæ, & nec Scantiniam timent.* & Juvenali mox laudando. Scatinia vero Suet. Dom. c. 8. n. 11. *Quosdam ex utroque ordine lege Scatinia condemnavit.* & Ciceroni infra producendo, dicta est vel a C. Scatinio Aricinio. Cicer. Phil. iii. 6. *Quid autem non municipium contemnit is, qui Aricinum tantopere despicit? Hinc Voconiæ, hinc Scatiniæ leges.* Vel a C. Scatino Capitolino tribuno plebis, cui *M. Claudius Marcellus ædilis curulis diem ad populum dixit, quod filium suum de stupro appellasset.* Val. Max. vi. 1. 7. Licet enim *leges* ab iis, qui tulerunt, appellationem plerumque sumpserint, non tamen impedit, quo minus hæc ab illo, qui primus damnatus ea fuit, Græcorum exemplo vocata fuerit. Ita enim ejusdem cum Scatinia formulæ Laja dicta est a Lajo Oedipi patre, cum is Chrysippo Pelopis filio omnium primus inter homines stuprum intulisset. Lata erat in illos, qui pudicitiam vel alterius sollicitassent, vel suam prostituissent. Unde cum quidam *legem* Juliam, quæ etiam impudicitiam coercebat, dormire, adulteræ dixisset, illa facete respondet apud Juven. Sat. ii. 38.

> *Atque ita subridens: felicia tempora: quæ te*
> *Moribus opponunt. Habeat jam Roma pudorem.*
> *Tertius e cœlo cecidit Cato. Sed tamen unde*
> *Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo*

Quæ tibi? ne pudeat dominum monſtrare tabernæ.
Quod ſi vexantur leges, ac jura, citari
Ante omnes debet Scantinia.

Parthaſ. Epiſt. Quæſt. 23. Manut. de Leg. c. 29. Auguſt. de Leg. in Scantinia. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 13. Vinet. in Auſon. Epigr. 88. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 233. A. Pigh. Annal. Rom. II. p. 117. & 435. Britann. & Gangr. in Juvenalem. Beroald. Torrent. & Pitiſc. in Suetonium. Roſin. Ant. Rom. VIII. 24. Gyrald. de Poet. dial. II. Salmuth in Panciiol. de Reb. deperd. & inv. p. 548. Ejus pœnam V. infr. in *Stuprum.*

Lex Scribonia de Luſitanis lata eſt a L. Scribonio tribuno plebis. De illa Liv. Epit. 49. *Quum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgaſſet, ut Luſitani, qui in fidem populo Romano dediti, a Servio Galba in Gallia veniſſent, in libertatem reſtituerentur, M. Cato acerrime ſuaſit. Q. Fulvius Nobilior, & ſæpe ab eo in ſenatu laceratus reſpondit pro Galba: ipſe quoque Galba quum ſe damnari videret, complexus duos filios prætextatos, & filium Galli Sulpicii, cujus tutor erat, ita miſerabiliter pro ſe locutus eſt, ut rogatio antiquaretur.* Sed tribunum hunc poſtea Libonem appellat. *Extat oratio ejus adverſus Libonem tribunum plebis, rogationemque ejus habitam de Luſitanis.* Item Cicer. in Brut. c. 23. *Cum Luſitanis a Servio Galba prætore contra interpoſitam, ut exiſtimabatur, fidem interfectis, L. Libone tribuno plebis populum incitante, & rogationem in Galbam privilegii ſimilem ferente, ſumma ſenectute M. Cato legem ſuadens in Galbam multa dixit.* Hujus mentio fit apud Paull. l. ſequitur §. ult. de uſucap. *Libertatem ſervitutium uſucapi poſſe verius eſt: quia eam uſucapionem ſuſtulit lex Scribonia, quæ ſervitutem conſtituebat, non etiam eam, quæ libertatem præſtat ſublata ſervitute.* Auguſt. de Leg. in Scribonia.

Lex Scribonia de ſervitutum uſucapionibus an conſularis, an vero tribunitia fuerit, nihil certi habemus. Conjecturæ locus dabitur. Exiſtimo fuiſſe L. Scribonium Libonem, L. Scribonii Libonis illius filium, qui ſub Auguſto conſulatu functus eſt. Hic cum Siſenna Statilio Tauro ſub Tiberio conſul fuit: cujus etiam meminit Dio LVII. p. 612. C. Proinde conſularem hanc legem fuiſſe, & temporibus Tiberii primum latam exiſtimo. *Rævard. ad Leg. Scribon.* §. I. qui integro commentariolo hanc Scribonii *legem* fuſius explicavit.

Lex Sempronia de ære alieno eſt lata a M. Sempronio tribuno plebis, Cornelio, Q. Minutio conſulibus an. 560. Liv. XXXV. 7. *M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate patrum plebem rogavit: plebsque ſcivit, ut cum ſociis, ac nomine Latino, pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis eſſet.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 233. C.

Lex Sempronia agraria lata eſt a Ti. Sempronio Graccho. Liv. Epit. 58. *Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis, quum legem agrariam ferret adverſus voluntatem ſenatus, & equeſtris ordinis, ne quis ex publico agro plus quam quingenta jugera poſſideret, in eum furorem exarſit, ut M. Octavio collegæ, cauſam diverſæ partis defendenti, poteſtatem lege lata abrogaret: ſeque & Gracchum fratrem, & Ap. Claudium ſocerum triumviros ad dividendum agrum crearet. Promulgavit & aliam legem agrariam, qua ſibi latius agrum pateſaceret, ut iidem triumviri judicarent, qua publicus ager, qua privatus eſſet. Deinde quum minus agri eſſet, quam quod dividi poſſet, ſine offenſa etiam plebis legem ſe promulgaturum oſtendit, ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia quæ Regis Attali fuiſſet, divideretur.* Cicer. pro Sext. c. 48. *Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat: grata erat populo; fortunæ conſtitui tenuiorum videbatur. Nitebantur contra optimates, quod ea diſcordiam excitari videbant; & cum locupletes poſſeſſionibus diuturnis moverentur, ſpoliari Rempublicam propugnatoribus arbitrabantur.* Auguſt. de Leg. in Sempronia. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. III. I. Pigh. Annal. Rom. III. p. 7. Bergier. de viis milit. I. Sect. 14. §. 7. Hotman. I. I. p. 233. C.

Lex Sempronia agraria lata eſt a C. Sempronio Graccho. Liv. Epit. 60. *C. Gracchus, Tiberii frater, tribunus plebis pernicioſas aliquot leges tulit: inter quas agrariam, quam & frater ejus tulerat.* Paterc. II. 2. 3. V. illum infr. in *Lex Sempronia de civitate Italis danda.* Auguſt. de Leg. in Sempronia. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. Pigh. Annal. Rom. III. p. 52.

Lex Sempronia de capite civium Romanorum lata eſt a C. Sempronio Graccho tribuno plebis an. 630. ne de capite illorum injuſſu populi judicaretur. Plutarch. in Gracch. p. 836. D. *Duas tulit leges, alteram, ut qui magiſtratu per populum amotus eſſet, facultatem alterius magiſtratus ineundi non haberet: alteram, ut ſi quis in magiſtratu civem Romanum ſine judicio necaſſet, in eum populi judicio animadverteretur. Sed a priore deſtitit, precibus matris pro M. Octavio intercedentis, hanc poſteriorem Popillii cauſa tulit.* Cicer. Catil. IV. 5. *At C. Cæſar intelligit, legem Semproniam eſſe de civibus Romanis conſtitutam: qui autem Reipublicæ ſit hoſtis, eum civem eſſe nullo modo poſſe: denique ipſum latorem legis Semproniæ juſſu populi pœnas Reipublicæ dependiſſe.* Auguſt. de Leg. in Sempronia. Prevot. de Magiſtr. Roman. c. I. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 233. A. II. 16

Lex Sempronia de centuriis evocandis lata eſt a C. Sempronio Graccho an. 630. Q. Cœlio Metello Balearico, T. Quintio Flaminio coſſ. Salluſt. ad Cæſar. de Rep. ordin. p. 221. *Sed de magiſtratibus creandis haud mihi quidem abſurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat: ut ex confuſis quinque claſſibus ſorte centuriæ vocarentur.* Hac regiam *legem* Tulliam abrogare voluit, quæ jubebat ex ordine cenſus introvocare centurias; ut magiſtratuum creatio, legumque juſſio penes optimates, atque prudentiores maneret. Gracchus autem ſenatui, & optimatibus adverſus tum conabatur efficere, uti comitia non minus in tenuiorum, quam locupletum, ac optimatum eſſent poteſtate. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 52. *Roſin. Ant. Rom.* VIII. 3.

Lex Sempronia de civitate Italis danda lata eſt a Ti. Sempronio Graccho an. 620. Paterc. II. 2. 3. *Tiberius Gracchus P. Mucio Scævola, L. Calpurnio coſſ. abhinc annos* 162. *deſcivit a bonis; pollicitusque toti Italiæ civitatem, ſimul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus ſtatum concupiſcentibus, ſumma imis miſcuit; & in præruptum, atque anceps periculum adduxit Rempublicam; Octavioque collegæ pro bono publico ſtanti imperium abrogavit: IIIviros agris dividendis, coloniisque deducendis creavit ſe, ſocerumque ſuum conſularem Appium, & Gracchum fratrem admodum juvenem.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. I.

Lex Sempronia de colonis deducendis eſt lata a C. Sempronio Graccho. Paterc. II. 15. I. *In legibus Gracchi inter pernicioſiſſima numeraverim, quod extra Italiam colonias poſuit.* Liv. Epit. 9. *Legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 234. C. Pigh. Annal. Rom. III. p. 62.

Lex Sempronia de fœnore lata eſt a M. Sempronio tribuno plebis L. Cornelio, Q. Minucio coſſ. an. 560. Liv. XXXV. 7. *Inſtabat cura alia, quod civitas fœnore laborabat: & cum multis fœnebribus legibus conſtricta avaritia eſſet, via fraudis inita erat, ut in ſocios, qui non tenerentur iis legibus, nomina tranſcriberentur; ita libero fœnore obruebant debitores. Cujus coercendi cum ratio quæreretur, diem finiri placuit, Feralia, quæ proxime fuiſſent: ut qui poſt eam diem ſocii civibus Romanis credidiſſent pecunias, profiterentur, & ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus, jus creditori diceretur. deinde poſtquam profeſſionibus detecta eſt magnitudo æris alieni per hanc fraudem contracti, M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate patrum plebem rogavit, plebesque ſcivit, ut cum ſociis, ac nomine Latino pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis eſſet.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. II. Manut. de Leg. c. 16. Pigh. Annal. Rom. II. p. 273.

Lex Sempronia frumentaria lata eſt a C. Sempronio Graccho, M. Fulvio, M. Plautio conſulibus, ſive an. 628. ut ſemiſſe & triente frumentum menſtruum plebi ex publico viritim daretur. Plutarch. in Gracch. p. 837. A. *Leges, quas pro commodo plebis, & ad opprimendum ſenatum rogavit: alia fuit frumentaria, pretium elevans annonæ.* Liv. Epit. 60. *C. Gracchus, Tiberii frater, pernicioſas aliquot leges tulit: inter quas frumentariam, ut ſemiſſe & triente fru-*

men-

mentum daretur. Cicer. in Brut. c. 62. *Qui tantum ultro-neæ, atque adeo vanæ, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit.* Hinc locus Romæ constitutus, in quo frumentum publicum asservabatur una cum legibus frumentariis, horrea Sempronia dicebatur. *Manut. de Leg. c. 17. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 234. E. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 12. Hanc Q. Cæcilio Metello, & T. Quintio Flaminino, coss. sive an. 630. latam vult *Pigh. Annal* III. *p. 52.*

Lex Sempronia de hæreditate Attali, qui populum Romanum hæredem fecerat, est lata a Ti. Sempronio Graccho. Liv. Epit. 58. *Legem se promulgaturum ostendit, ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ Regis Attali fuisset, divideretur. Hæredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, Rex Pergami, Eumenis filius.* Plutarch. in Gracch. p. 830. E. *Tiberius ambitiose ad populum promulgavit legem, ut pecunia advecta regia sortitis agrum civibus ad instrumentum parandum, & subsidium agri colendi præberetur. De oppidis vero, quæ regni Attali fuissent, negavit quicquam ad curam senatus pertinere, sed ... ius ad concilium se populi relaturum.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 233. D.

Lex Sempronia judiciaria lata est a C. Sempronio Graccho an. 630. Q. Cæcilio Metello Balearico, T. Quintio Flaminio coss. quam paucis ante annis frater ejus Tiberius ferre conatus erat, ut judicia, quæ antea penes senatorium ordinem fuerant, ad equites transferrentur. Inter senatores, & equites judicia communicasse scribunt Plutarch. in Gracch. p. 837. A. *Soli judicia in potestate senatores habebant, atque ideo populo, & ordini equestri erant formidabiles. Hic vero trecentos equites Romanos trecentis admiscuit senatoribus, atque judicia hisce sexcentis communicavit.* Liv. Epit. 60. *C. Gracchus tulit legem, qua equestrem ordinem tunc cum senatu consentientem corrumperet: ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur: & quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur, id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet.* A senatoribus ad solos equites translatisse videntur indicare Ascon. in Cicer. p. 19. *C. Gracchus legem tulerat, ut equites Romani judicarent.* Appian. Bell. civ. 1. p. 362. *C. Gracchus, continuato sibi magistratu, ut gratificaretur equitibus, judicia ob infames corruptelas ad eos a senatoriis judicibus transferre conatus est. . . . Ea res pudorem incussit senatui, quo minus obsisteret plebiscito de transferendis judiciis: atque ita ad equites devenerunt. Lege hac perlata ferunt Gracchi vocem exceptam, actum jam de senatus potentia. Eam minime vanam fuisse apparuit procedente tempore. Quum enim penes alium ordinem esset jurisdictio, imperium videbatur jam equitum, senatores vero in subditorum ordinem redigi.* Et Varro de vit. pop. Rom. VI. 36. ejus enim verba ad hunc Gracchum pertinere videntur. *Iniquus equestri ordini tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem.* Sigon. in Livium & de Ant. jur. civ. Rom. II. 18. Zamosc. de Senat. Rom. I. 15. August. de Leg. in Sempronia. Manut. de Leg. c. 15. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Ant. Roman. 1. 1. p. 233. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 59. Rosin. Ant. Rom. VIII. 21.

Lex Sempronia de judiciis lata est a Cajo Sempronio Graccho, ne quis judicio circumveniretur. Hoc postea a L. Sulla in Corneliam de veneficiis est translatum, ut Cicero in Cluentiana scribit. V. illum supr. in *Cornelia.* August. de Leg. in Sempronia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 234. B.

Lex Sempronia de limitibus lata est a T. Sempronio Graccho tribuno plebis an. 620. P. Mucio Scævola, L. Calpurnio coss. V. Hygin. de limit. constit. supr. in *Lex Cornelia de limitibus.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 234. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 11.

Lex Sempronia de magistratibus lata est a C. Sempronio Graccho, ut cui magistratus abrogatus fuisset, ei magistratum iterum capere jus non esset. Plutarch. in Gracc. p. 836. D. V. illum supr. in *Lex Sempronia de capite civium.* Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Sempronia de militibus lata est a C. Sempronio Graccho, ut vestes militibus gratuito, & præter stipendium darentur; & ne minores annis septendecim ad militiam cogerentur. Plutarch. in Gracch. p. 837. A. *Lex militaris fuit, qua sancitum, ut vestes publice præberentur, neque quicquam ejus nomine stipendio militum detraheretur: ac ne quis minor decem & septem annis ad nomen cogeretur respondere.* August. de Leg. in Sempronia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 15. Hotman. Antiq. Rom. 1. 1. p. 234. C. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 14.

Lex Sempronia de provinciis lata est a C. Sempronio Graccho, ut senatus quotannis ante comitia consularia designandis coss. provincias arbitratu suo decerneret, quas deinde ipsi designati inter se sortirentur: quod ante, vel post designatos consules, vel post initum consulatum facere solebant. Cicer. pro Dom. c. 9. *Tu provincias consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab senatu; sed etiam ut necesse esset quotannis constitui per senatum, decreta lege sanxit: eas lege Sempronia per senatum decretas rescidisti? extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed Reipublicæ pestibus?* Quibus verbis apparet, successionem provinciarum quotannis ex hac lege fuisse: quod quoque in orat. pro Balb. c. 27. significat, cum scribit: *Senatus Cæsari Imperatori decem legatos decrevit, lege Sempronia succedendum non censuit.* August. de Leg. in Sempronia. Manut. de Leg. c. 10. Zamosc. de Senat. Rom. II. 19. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 234. D. Pigh. Annal. Rom. III. p. 60. Rosin. Ant. Rom. VIII. 8. Ad eandem fortasse pertinet, quod idem scribit Verr. III. 6. *Inter Siciliam, ceterasque provincias in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis, & plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium, ac pœna belli. aut censoria locatio constituta est, ut Asiæ, lege Sempronia.* August. I. l.

Lex Sempronia de suffragiis lata est a C. Sempronio Graccho, ut omnes Itali in suffragiis civibus Romanis essent pares. Plutarch. in Gracch. p. 837. A. *Lex socialis fuit, qua jus suffragii ferendi cum civibus dabatur Italis.* Quod ita refert Appian. Bell. civ. 1. p. 363. ut Gracchus civium Romanorum coloniis in Italia fecerit; ceteris, quibus suffragia in comitiis ferre non licebat, ita ferre concessit, si tributa persolvissent. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 234. *B. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 61. *August. de Leg. in Sempronia. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 3.

Lex Sempronia de viis muniendis lata est a C. Sempronio Graccho. Plutarch. in Gracch. p. 837. D. *Ad hæc leges tulit de viis muniendis.* E. *Elaboravit potissimum in viis muniendis, tam utilitatis, quam oblectamenti, & ornatus curam gerens. Ducebantur enim directæ ad amussim per agros viæ, atque hinc lapide quadrato sternebantur, hinc glareæ aggeribus advectis referciebantur. Complebat, & pontibus jungebat lacunas torrentibus, vel specubus excavatas, ac lateribus pari inter se fastigio utrimque comparatis æquabilem faciebat, & visendam undique opus faciem. Ad hæc viam omnem per milliaria dimensus columnas lapideas spatii signandi gratia locavit. Alios lapides hinc inde disposuit, quibus sine subjicibus ephippiariis conscenderent equos.* V. supr. in *Equus.* Bergier. de Viis milit. I. Sect. 3. §. 5. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 234. B. Rosin. Ant. Rom. VIII. 31.

Lex Senia de senatoribus lata est a L. Senio consule suffecto an. 724. uti patet ex veteri fragmento apud Gruter. p. 299. ubi anno belli Alexandrini nominatur cos. K. NOV. L. SAENIUS. Tacitus laudatus supr. in *Lex Cassia de patriciis.* Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. p. 423. August. de Leg. in Lex Senia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 7. Lips. in Tacitum. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 11. Malim Sentiam, quamvis neque ullum de ea re certum profero testimonium. At Seniam nemo, quod sciam, dixit, nemo legit alibi. *Vertran. in Tacitum. Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 234. *F.*

Lex Servilia agraria lata est a P. Servilio Rullo tribuno plebis an. 690. M. Tullio Cicerone, C. Antonio coss. ut qui agri, quæ loca, quæ ædificia, aliudve quid, quod

publicum populi Romani factum esset L. Sulla, Q. Pompejo coss. id venderetur. Item, ut omnia venderent, de quibus vendendis Scta facta erant M. Tullio, Cn. Cornelio coss. & ea pecunia agri in Italia emerentur, in quos coloniæ deducerentur. Ut Campanus ager, & Stellas publicus populi Romani divideretur, Capuam coloni deducerentur. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 2. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 234. *F. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 319. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 10. Hanc Cicero consul Kal. Januar. tribus orationibus luculentissimis in senatu, & apud populum dissuasit, per easque singula illius exagitans, & damna, fraudes, & pericula ex eadem proventura demonstrans. Itaque ne perferretur, ejus consilio, atque eloquentia effectum est, ut non immerito glorietur contr. Pison. c. 2. *Ego Kal. Januar. senatum, & bonos omnes legis agrariæ, maximarumque largitionum metu liberavi. Ego agrum Campanum, si dividi non oportuit, conservavi; si oportuit, melioribus auctoribus reservavi.* Pigh. ibid. p. 323.

Lex Servilia de civitate lata est a C. Servilio Glaucia, quo anno incertum. Fortasse prætoria fuit, aut tribunitia. Servilius enim Glaucia cum L. Saturnino tribuno plebis in prætura occisus est. Patet enim ante Liciniam Muciam rogatam esse. Quod declarat Cicer. pro Balb. c. 24. his verbis: *Quod si acerbissima lege Servilia principes viri, ac gravissimi, & sapientissimi cives hanc Latinis, id est, fœderatis viam ad civitatem populi jussu patere passi sunt: neque ea est reprehensa Licinia, & Mucia lege.* Hujus legis hæc summa fuit, ut Latini, senatoribus Romanis damnatis, cives ipsi Romani fierent. *Manut. de Leg. c.* 17. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 235. *A. Rosin. Ant. Rom. c.* 2.

Lex Servilia de judiciis lata est a Q. Servilio Cæpione cos. an. 647. *Per hanc senatorum, & equitum judicia communicata.* Obseq. de Prodig. c. 101. Tacit. Annal. XII. 60. 3. *Claudius omne jus tradidit, de quo toties seditione, ac armis certatum, cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione judiciorum locaretur, aut rursum Serviliæ leges senatui judicia redderent.* Cicer. in Brut. c. 43. *L. Crassus Serviliam legem suasit his coss. quibus nati sumus.* c. 44. *Mihi quidem a pueritia, quasi magistra fuit illa Crassi in legem Cæpionis oratio, in qua auctoritas ornatur senatus, pro quo ordine illa dicuntur, & invidia concitatur in judicum, & accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter fuit dicendum.* Ea de re *liberator patriæ* vocatur in lapide antiquo:

C. SERVILIO. CÆPIONI. CONCEN.
ET TRIUMPHALI. PATRIÆ. LIBER.
DECUR VERONENSI. OB. JUDICIA.
RESTITUTA
M. S.

Rupert. ad Reines. Epist. 28. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 18. *Pigh. Annal. Rom. Tom.* III. *p.* 141. *August. de Leg. in Servilia. Manut. de Leg. c.* 15. *Schott. in Obsequentem. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 235. *B. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 141. *Turneb. in Cicer. joc. p.* 8. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 21.

Lex Servilia de repetundis lata est a C. Servilio Glaucia prætore an. 663. Cicer. pro Scauro apud Ascon. p. 172. scribit, Scaurum *reum factum a Q. Servilio Cæpione lege Servilia, cum judicia penes equestrem ordinem essent.* Ubi ad illum Asconius: *Q. Servilius Cæpio Scaurum ob legationis Asiaticæ invidiam, & adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius Glaucia.* Cicer. in Brut. c. 62. V. illum supr. in *Lex Glaucia.* Lex, qua sibi equestrem ordinem devinxerat, hæc de repetundis fuit, cui postea Cornelia, & Julia successere. Cicer. pro Rabir. Post. c. 4. *Jubet lex Julia persequi ab his, ad quos ea pecunia, quam is ceperat, qui damnatus est, pervenerit. Hoc totidem verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia.* August. de Leg. in Servilia. Sigon. de Judic. II. 27. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 235. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 153. Manut. de Leg. c. 22. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex Sextia de magistratibus lata est a L. Sextio, M. Furio Dictatore V. an. 386. Ut consul unus e plebe crearetur, qua de causa concessum a plebe nobilitati, ut prætor unus, qui in Urbe jus diceret, ex patribus crearetur. Liv. VI. 42. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 255. *D.*

Lex Sicinia de tribunis plebis lata est a Sp. Sicinio tribuno plebis T. Geganio, P. Minutio coss. an. 262. in hanc sententiam, *ut nemo concionanti ad populum tribuno quidquam in contrarium diceret, neque dicentem interpellaret. Quod si fecerit, det, si id petatur, vades tribunis mulctam solvendi, quæ ei irrogabitur. Qui vades non dederit, caput ejus, ac bona sacra sint: mulctæ autem certatio apud populum fiat.* Dionys. VII. p. 431. *August. de Leg. in Sicinia. Panvin. de Civit. Rom. c.* 69.

Lex Silia de ponderibus lata est a duobus Siliis P. & M. tribunis plebis. Festus in publica pondera: *Ex ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus oetier qui solet, coæquatur sedulo. uti quadrantal vini octoginta pondo siet, congius vini decem p. siet. Sex sextarii congius siet vini: duodequinquaginta sextarii quadrantal siet vini: Sextarius æquus æquo cum librario siet. sexdequinque libræ in modio sient. Si quis magistratus adversus hac D. M. pondera, modiosque, vasaque publica, modica, minora, majorave faxit, jussitve re fieri, dolumve adduit, quod ea fiant: eum quis volet magistratus mulctare, dum minore patrisfamilias taxat, liceto: sive quis in sacrum judicare voluerit, liceto.* August. de Leg. in Silia & in Festum. Scalig. in Festum.

Lex Silvani & Carbonis de peregrinis lata est a Silvano, & Carbone tribuno plebis an. 664. Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone coss. Peregrinos omnes nunc appello præter Italos. Illa peregrinis video aditum quendam ad civitatem Romanam esse factum. Latum enim est, auctore Cicer. pro Arch. c. 4. *Ut qui fœderatis civitatibus adscripti essent, si tum cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, ac sexaginta diebus apud prætorem professi essent, cives Romani essent.* Sigon. de Ant. jur. prov. III. 1. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Sulpitia de ære alieno lata est a Servio Sulpitio tribuno plebis an. 665. L. Cornelio Sylla, Q. Pompejo Rufo coss. *ne quis senator supra duo millia drachmarum æris alieni contraheret.* Plutarch. in Syll. p. 456. D. *Consil. de Ponder. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1524. *A. Pigh. Annal. Rom. Tom.* III. *p.* 232. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 11. *August. de Leg. in Sulpitia. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 235. *D. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 4.

Lex Sulpitia de bello Macedonico est lata a P. Sulpitio Galba consule cum C. Aurelio an. 553. *Vellent, juberent Philippo Regi, Macedonibusque, qui sub regno ejus essent, ob injurias, armaque illata sociis populi Romani bellum indici.* Liv. XXXI. 6. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 235. *F.*

Lex Sulpitia de bello Mithridatico est lata a P. Sulpitio tribuno plebis, ut Syllæ, cui Asia provincia obvenerat, ut bellum Mithridaticum administraret, imperium abrogaretur, & C. Mario mandaretur. Paterc. II. 18. 6. Liv. Epit. 77. Plutarch. in Mario p. 425. D. in Sylla 456. E. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 235. *F.*

Lex Sulpitia de civibus novis lata est a Servio Sulpitio tribuno plebis eisdem coss. ad aucupandam Italicorum gratiam. Hac cives ex octo novis tribubus, in quas adscripti erant, in omnes triginta quinque distribuere est conatus. Etenim cum Italici in octo tribus novas conjecti nihil se ad comitia roboris afferre, ac nervorum, dummodo veteres triginta quinque consensissent, intelligerent, se deceptos rati, ad P. Sulpitium novarum rerum cupidum confugerunt. Et hic hanc *legem* promulgavit. Hac de *lege* scriptum est a Liv. Epit. 77. Verum aut non est lata, aut certe eodem anno a L. Sylla cos. cum in Urbem ex Campania cum exercitu revertisset, ac Sulpitium ipsum, Mariumque inimicos suos Urbe exturbasset, una cum cæteris ejus *legibus* est sublata. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. 1. *Pigh. Annal. Rom. Tom.* III. *p.* 232. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 235. *D. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex

Lex Sulpitia de libertinorum suffragiis lata est ab eodem Sulpitio, ut in omnibus tribubus libertini suffragium ferre possent, cum in quatuor tantum urbanis antea ferre consuevissent. Ascon. in Cicer. p. 128. *Manut. de Leg. c. 9. Pigh. Annal. Rom. Tom. III. p. 232. August. de Leg. in Sulpitia.*

Lex Sulpitia Sempronia de templis & aris ex SCto est lata a P. Sulpitio, P. Sempronio consulibus an. 449. *ne quis templum, aramve injussu senatus, aut tribunorum plebis partis majoris dedicaret.* Liv. IX. 46. *Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 235. G.*

Lex sumptuaria. V. illam supr. in *Æmilia, Antia, Cornelia, Didia, Fannia, Julia, Licinia, Orchia.*

Lex Tabellaria. V. illam supr. in *Cassia, Cœlia, Gabinia, Papiria.*

Lex talaria, sive de talorum lusu nominatur a Plaut. Mil. glor. II. 2. 9.

Atque adeo, ut ne legi fraudem faciam talariæ,
Accuratote, ut sine talis domi agitent convivium.

Facete ad legem aliquam de alea veterum alludit, qua talorum lusus conviviis interdicebatur, Publiciam forte, aut Titiam. *Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 236. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 31. *Taubman. in Plautum.*

Lex tapulla, sive tapulia fuit convivalis. Festus: *Tapullam legem convivalem ficto nomine conscripsit jocoso carmine Valerius Valentinus, cujus meminit Lucilius hoc modo:*

Tapullam rident legem contere opimi.

Meurs. Exerc. Crit. II. 2. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 29. Scalig. & Dacer. in Festum.

Lex Tarpeja Æternia, sive Ateria de mulctis lata est an. 300. a Tarpejo Montano Capitolino, & A. Aterio Fontilano coss. V. illam supr. in *Lex Menenia Sestia.*

Lex Terentia Cassia frumentaria lata est a M. Terentio Lucullo, & C. Cassio Varo coss. an. 680. Cicer. Verr. III. 70. *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex Scto, & ex lege Terentia, & Cassia frumentaria.* V. 21. *Denique cum ex Scto, itemque ex lege Terentia, & Cassia frumentaria æquabiliter emi ab omnibus Siciliæ civitatibus oporteret, id quoque munus leve, atque commune Mamertinis remisisti.* Hanc quia ad frumentum ex Sicilia exportandum solum pertinebat, privilegium, non *legem* appellare possumus. *Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 236. B. August. de Leg. in Terentia Cassia.*

Lex Terentilla de legibus de imperio consulari scribendis lata est a C. Terentillo Arsa tribuno plebis an. 291. L. Lucretio Tricipitino, T. Veturio Gemino Cicurino coss. Refert illam Liv. III. 9. *C. Terentillus Arsa tribunus plebis eo anno fuit. Is coss. absentibus ratus locum tribuniciis actionibus datum, per aliquot dies patrum superbiam ad plebem criminatus; maxime in consulare imperium, tanquam nimium, nec tolerabile liberæ civitati, invehebatur: nomine enim tantum minus invidiosum, re ipsa prope atrocius quam regium esse. Quippe duos pro uno dominos acceptos immoderata, infinita potestate: qui soluti, atque effrenati ipsi, omnes metus legum, omniaque supplicia verterent in plebem. Quæ ne æterna illis licentia sit, legem se promulgaturum, ut quinqueviri creentur legibus de imperio consulari scribendis. Quod populus in se jus dederit, eo consulem usurum: non ipsos libidinem, ac licentiam suam pro lege habituros.* Ea, ut addit Livius, perlata non est. Fuit tamen causa creandis postea decemviris legibus scribendis consulari potestate. *Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 236. C. Pigh. Annal. Rom. I. p. 124. Panvin. Fast. I. p. 83. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 5.

Lex Thoria de vectigalibus lata est a Sp. Thorio tribuno plebis, ne quis vectigal ullum agrorum, quos possideret, solveret; eaque cavit de pastione pecoris. Cicer. Brut. c. 36. *Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum vitiosa, & inutili lege vectigali levavit.* de Orat. II. 70. *Cum in senatu ageretur de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. civ. Roman. I. 16. August. de Leg. in Thoria. Manut. de Leg. c. 13. Pigh. Annal. Rom. III. p. 136. Turneb. in loc. Cicer. p. 75. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 236. C. Rosin. Ant. Rom. VIII. 10. *Legis hujus fragmenta duo exhibent Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. & Pighius ibid. p. 137.*

Lex Titia de lusu. V. illam supr. in *Cornelia de lusu.*

Lex Titia de muneribus nominatur ab Ausonio, qui ludit his versibus Epig. LXXXVIII. 1.

Jurisconsulto, cui vivit adultera conjux,
Papia lex placuit, Julia displicuit.
Quæritis, unde hæc sit distantia? semivir ipse
Scantiniam metuens, non metuit Titiam.

Horum carminum interpretatio ex Titiæ *legis* ignoratione difficilis quibusdam visa est. Mihi solis ex Tacit. Annal. XI. 5. 1. hic esse videtur: ut cum *lex* Papia præmia maritis concedat, Julia de adulteriis adulteram dimitti jubeat, Scantinia molles coerceat, Titia vero munera patrocinii causa accipi vetet: hic qui adulteram mollis detinet, metu Scantiniæ, ut Papia utitur, adversus Juliam facit, neque metuit Titiam, cum munera a mæchis accipit non patrocinii causa. De Titia ita Tacitus: *Cuncta legum, & magistratuum munia in se trahens princeps Claudius, materiam prædandi patefecerat, nec quicquam publicæ tam venale fuit, quam advocatorum perfidia, adeo ut Samius eques Romanus quadringentis nummorum millibus Suillio datis, & cognita prævaricatione, ferro in domo ejus incubuerit. Igitur, incipiente C. Silio cos. designato consurgunt patres, legemque Titiam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam, donumve accipiat.* August. de Leg. in Titia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 236. F.

Lex Titia de tutoribus. V. illam supr. in *Lex Julia de tutoribus.*

Lex Titia de vectigalibus lata est a Sext. Titio tribuno plebis M. Antonio oratore, A. Albino Postumio coss. an. 654. ut vectigal agris publicis assignatis impositum quæstor colligeret. Valer. Max. VIII. 1. damn. 3. *Sext. quoque Titium similis casus prostravit: erat innocens, agraria lege lata gratiosus apud populum.* Hotman Antiq. Roman. I. I. p. 236. G. Rosin. Ant. Rom. VIII. 10.

Lex Trebonia de provinciis lata est a C. Trebonio tribuno plebis. Liv. Epit. 105. *M. Cato quum legem impediret, qua provinciæ coss. in quinquennium, Pompejo Hispaniæ, Crasso Syria & Parthicum bellum, Cæsari Gallia & Germania dabantur, a C. Trebonio plebis legis auctore in vincula ductus est.* August. de Leg. in Trebonia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 237. A.

Lex Trebonia de tribunis plebis lata est a L. Trebonio tribuno plebis an. 305. Larte Herminio Aquilino, T. Virginio Tricosto Cœlimontano coss. De illa Liv. III. 65. *L. Trebonius tribunus plebis infestus patribus, quod se ab iis in cooptandis tribunis fraude captum, proditum a collegis, ajebat: rogationem tulit, ut qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem tribunos plebis faceret.* *Lex* concepta fuit in hæc verba apud Liv. c. 64. *Si tribunos plebei decem rogabo, si quos minus hodie decem tribunos plebei feceritis: hi tum uti quos sibi collegas cooptassint, ut illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, ut illi quos hodie tribunos plebei feceritis.* August. de Leg. in Trebonia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 237. A. Pigh. Annal. Rom. I. p. 93. & 157. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

Lex tribunitia vocatur, quæ a tribuno plebis est lata. Cicer. in Rull. II. 8. *Leges sunt tribunitiæ, vobis, majoribusque vestris vehementer gratæ, atque jucundæ, Licinia, atque Æbutia.* vel qua tribunorum plebis potestas est constituta, atque confirmata: ut Sacratæ, ut Valeria, ut Horatia. Liv. V. 55. *August. de Leg. in Leges tribunitiæ. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 237. B.*

Lex triumphalis vocatur, quæ agit de jure triumphorum. Refertur a Valer. Max. II. 8. 1. *Ob levia prælia quidam Imperatores triumphos sibi decerni desiderabant; quibus ut occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium una acie occidisset. Et hæc alterius adjutorio fulta est, quam L. Marius, & M. Cato tribuni plebis tule-*

runt,

runt. Pœnam enim Imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum literis senatui ausi essent referre. Jubetque eos, cum primum Urbem ingressi sint, apud quæstores urbanos jurare, de utroque numero vere eos ad senatum esse scripsisse. August. in Leges triumphales. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 221. F.

Lex Tullia de ambitu appellanda est, ut arbitror, quam in consulatu tulit M. Tullius Cicero. an. 690. Etenim in Sext. c. 64. inquit: *Acta mea Sex. Clodio displicere quis nescit? qui legem eam contemnat, quæ dilucide vetat gladiatores biennio quo quis petierit, aut petiturus sit, dare. . . . . Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat hominis inimici, quam quod se statuit omnino consularem legem nullam putare.* in Vatin. c. 15. *Cum ego legem de ambitu ex Senatusconsulto tulerim, quæ dilucide vetat, biennio, quo quis petat, petiturusve sit, gladiatores dare, nisi ex testamento præstituta die.* August. de Leg. in Tullia. Manut. de Leg. c. 5. & 28. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 237. F. Pigh. Annal. Rom. III. p. 320.

Lex Tullia de legatione libera lata est a M. Tullio Cicerone cos. cum C. Antonio an. 690. ne, sicut antea, infinitum, sed annuum tempus ejus esset. Cicer. de Leg. III. 8. *Sed quæro, quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo Reipublicæ munere? quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videatur, tamen approbante frequentissimo senatu, nisi mihi levissimus tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem: tamen minui tempus, & quod erat infinitum, annuum feci.* Manut. de Leg. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 237. F. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 5

Lex Valeria de Formianis. . . . suffragii jure donandis lata est a C. Valerio Tappo tribuno plebis an. 565. M. Valerio Messala, C. Livio Salinatore coss. Liv. XXXVIII. 36. *De Formianis, Fundanis, que municipibus, & Arpinatibus C. Valerius Tappus tribunus plebis promulgavit: uti iis suffragii latio, nam antea sine suffragio habuerant civitatem, esset. Huic rogationi quatuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, cum intercederent, edocti, populi esse, non senatus jus, suffragium, quibus velit, impertiri; destiterunt incepto. Rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani & Fundani; in Cornelia Arpinates ferrent: atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiscito censi sunt.* Pigh. Annal. Roman. Tom. II. p. 295. Hotman Antiq. Roman. I. I. p. 239. A. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2. & 3.

Lex Valeria de magistratibus lata est a P. Valerio Poplicola cos. exactis Regibus. Dionys. V. p. 292. V. illum supr. in *Consul.* Manut. de Leg. c. 16. August. de Leg. in Valeria.

Lex Valeria de provocatione lata est a P. Valerio Poplicola consule, Bruto collega mortuo, an. 254. ut adversus magistratum provocatio ad populum esset: neve cuius magistratus civem Romanum adversus provocationem verberare, aut necare vellet. Liv. II. 8. *Latæ leges ante omnes de provocatione adversus magistratum ad populum.* Dionys. V. p. 292. *Tulit legem, in qua statutum est, si quis magistratus unum aliquem civem capite plectere, aut flagris cædere, aut pecunia mulctare velit, licere privato provocare ad populi judicium: nec interim magistratui licere in eum animadvertere, donec populus suffragiis suis de eo statuerit.* August. de Leg. in Valeria. Manut. de Leg. c. 16. Guther. de vet. jur. pont. II. 10. Pigh. Annal. Roman. Tom. I. p. 69. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 238. A. V. p. 754. A. Blond. Triumph. Rom. p. 88. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5. Tulit illam comitiis centuriatis. Valer. Max. IV. I. I. *Legem etiam comitiis centuriatis tulit, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem verberare, aut necare vellet.* Manut. l. l.

Lex Valeria Horatia de provocatione lata est a L. Valerio, M. Horatio coss. an. 304. *Hanc legem de provocatione, unicum præsidium libertatis, decemvirali potestate eversam non restituerunt modo, sed etiam in posterum muniverunt.* Liv. III. 55. *Legis* verba retulimus in *Lex Duilia.* Manut. de Leg. c. 8. August. de Leg. in Valeria. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 238. B. V. p. 754. A. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Valeria de provocatione lata est a M. Valerio Corvo V. cos. an. 453. Liv. X. 9. *Eodem anno M. Valerius consul de provocatione legem tulit, diligentius sanctam. Tertio ea tum post Reges exactos lata est, semper a familia eadem. Causam renovandæ sæpius haud aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis, poterant. Hæc lex, cum eum, qui provocasset, virgis cædi, securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quam improbe factum adjecit. Id, qui tum pudor hominum erat, visum, credo, vinculum satis validum legis.* Pigh. Annal. Rom. Tom. I. p. 383. Hotman. Antiq. Roman. p. 238. C. V. p. 794. A. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2. & 3.

Lex Valeria de quadrante lata est a L. Valerio Flacco suffecto coss. an. 667. ut quadrans solveretur creditoribus, hoc est, ut quarta pars debitæ pecuniæ deberetur, & tres partes creditori perirent. Paterc. II. 23. 2. *In hujus locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimæ legis auctor, qua creditoribus quadrantem solvi jusserat, cujus facti merita cum pœna intra biennium consecuta est.* Pigh. Annal. Roman. III. p. 238. Manut. de Legib. c. 16. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. II. August. de Leg. in Valeria. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 238. D. Bœcler. Ind. in Paterc. in quadrans. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex Valeria de quæstoribus lata est a P. Valerio Poplicola cos. ut quæstores duo quotannis ex patriciis juvenibus a populo crearentur, qui pecuniam publicam acciperent, in ærarium Saturni cogerent, & in tabulas rationum referrent. Plutarch. in Poplic. p. 103. C. *Populo concessit, ut duos quæstores crearet. Creati primum Pub. Veturius, & M. Minutius.* Zonar. II. hujus *legis* causam addit, ne consulum, scilicet, pecuniarum subsidio potentia augeretur. Qui quidem *lege* populi libertati consuluit egregie, atque effecit, ne consul bonus in posterum a majoribus rebus pecuniarum cogendarum causa subtraheretur, & malus privaretur nervo lædendi, sublata ex ejus potestate pecunia. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 69. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 6.

Lex Valeria Horatia de tribunis plebis lata est a L. Valerio, M. Horatio coss. *Legis* verba V. supr. in *Lex Duilia.* Pigh. Annal. Rom. Tom. I. p. 155. II. p. 116.

Lex Valeria Horatia de tributis comitiis lata est a L. Valerio, M. Horatio Coss. *Legis* verba V. supr. in *Lex Duilia.* Manut. de Leg. c. 8. Pigh. Annal. Roman. Tom. I. p. 155.

Lex Valeria de tyrannide Sullæ lata est a L. Valerio Flacco Interrege, ut omnia, quæcunque ille fecisset, essent rata. Cicer. cont. Rullum. 3. *Omnium legum iniquissimam, dissimillimamque legis esse arbitror, quam L. Flaccus Interrex de Sulla tulit, ut omnia, quæcunque ille fecisset, essent rata. Nam cum cæteris in civitatibus tyrannis institutis leges omnes exstinguantur, atque tollantur, hic Reipublicæ tyrannum lege constituit.* Cicer. de Leg. I. 15. *Si triginta illi Athenis tyranni leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco eæ justæ haberentur? nihilo magis credo illa, quam Interrex noster tulit, ut dictator quem vellet civium indicta causa impune posset occidere.* August. de Leg. in Valeria. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 238. D.

Lex Valeria de vectigalibus lata est a P. Valerio Poplicola cos. Hac civium vectigalia sunt sublata. Plutarch. in Poplic. p. 103. A. *Mox tertia, quæ succurrit inopibus, atque ea vectigali cives sublevavit, effecitque, ut acrius incumberent opificiis.* Manut. de Leg. c. 16. August. de Leg. in Valeria.

Lex Varia de majestate lata est a Q. Vario tribuno plebis an. 662. L. Marcio Philippo, S. Julio Cæsare coss. Ascon. in Cicer. p. 172. *Italico bello exorto, cum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius tribunus plebis legem tulit, ut quæreretur de iis, quorum opera, consilio ve sociis contra populum Romanum arma sumpsissent.* Valer. Max. VIII. 6. 4. *Q. Varius, propter obscurum jus civitatis hybrida cognominatus, tribunus plebis legem adversus intercessio-*

cessionem collegarum perrogavit : qua jubebat quæri, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent, magna cum clade Reipublicæ : sociale enim prius, deinde civile bellum excitavit. Pigh. Annal. Rom. Tom. III. p. 219. August. de Leg. in Varia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 239. A. Manut. de Leg. c. 21. Rosin. Ant. Rom. VIII. 23.

Lex Vatinia de alternis consiliis lata est a P. Vatinio tribuno plebis C. Cæsare, M. Bibulo coss. Hujus *legis* beneficio, fuit enim de alternis consiliis rejiciendis, C. Antonius Ciceronis collega exclusus esse dicitur. Cicer. in Vatin. c. 11. *Et quoniam crebro usurpas, legem te de alternis consiliis rejiciendis tulisse, ut omnes intelligant, te ne recte quidem facere sine scelere potuisse, quæro, cum lex esset æqua promulgata initio magistratus, multas etiam alias tulisses, exspectarisne, dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum Clodianum? & postquam ille reus est factus, statim tuleris in eum, qui tuam post legem reus factus esset : ut homo consularis exclusus, miser, puncto temporis spoliaretur beneficio, & æquitate legis tuæ?* Quæ appellentur alterna consilia, non facile dixerim. Sed arbitror ad consilia judicum referri, ut alternos consiliarios actori, & reo rejicere liceret. *August. de Leg. in Vatinia. Pigh. Annal. Rom. Tom.* III. *p.* 354. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 239.

Lex Vatinia de coloniis lata est a P. Vatinio tribuno plebis, ut C. Cæsar coloniam Novocomum deduceret. Suet. Jul. c. 28. n. 3. *Retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxisset, civitas adimeretur.* August. de Leg. in Vatinia. Pigh. Annal. Rom. Tom. III. p. 354. Rosin. Ant. Rom. VIII. 9.

Lex Vatinia de provinciis lata est a P. Vatinio tribuno plebis. Hac cautum fuit, ut Cæsar provincias sibi decretas per quinquennium obtineret. Suet. Jul. c. 22. n. 2. *Et initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatinia accepit : mox per senatum quoque Comatam.* Appian. Bell. civ. II. p. 435. *Quibus effectum, ut citerior, ulteriorque Gallia sibi provincia decerneretur in quinquennium.* Hinc Cicer. in Vatin. c. 15. *Eripuerat senatui provinciæ decernendæ potestatem, Imperatoris deligendi judicium, ærarii dispositionem, quæ nunquam sibi populus Romanus appetivit, qui nunquam hæc a summi consilii gubernatione auferre conatus est.* Pigh. Annal. Roman. Tom. III. p. 354. August. de Leg. in Vatinia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 239. Rosin. Ant. Rom. VIII. 8.

Lex Vectibulicia refertur in constitutione quadam Diocletiani l. 3. C. de servis Reipublicæ manumittendis. Ejus sententia ignoratur. Tantum enim dicitur *servum quendam secundum hanc Vectibulici legem, cujus potestas Scto Juventio Celso iterum, & Neratio Marcello coss. facto ad provincias porrecta est, civitatem Romanam consecutum fuisse.* Consules hi sub Adriano fuerunt. Itaque ea lex antiquior fuit, qua fortasse municipiis, quæ in Italia erant, concessum fuit, ut servos publicos manumittere possent. Postea id jus ad provincias porrectum est, item ad collegia ex constitutione D. Marci. l. 1. ff. de manum. quæ serv. impon. *Divus Marcus omnibus collegiis, quibus coeundi jus est, manumittendi potestatem dedit.* August. de Leg. in Vectibulicia. In illa constitutione quæri solet, quæ sententia *legis* fuerit, aut quisnam Vectibulicus ille sit, qui eam tulerit. Contius quidem emendat, Vectii Libyci, & Cujacius malebat Vettii : sed neque illi, quis ille esset, indicarunt; neque ego id usquam memini legisse. Tentabam igitur, Vetti Publici, hoc est, Vettiam Publiciam. Fuit autem C. Publicius Certus cum Vettio Proculo cos. an. ab U. C. 850. Ab his ea *lex*, & lata, & denominata sit; qua videtur cautum fuisse, ut illi, qui illis municipiis serviissent, quæ civitate Romana donata erant, ab iisque manumissi essent, & ipsi civitatis jus haberent. *Rutgers. Var. Lect.* II. 5.

Lex viaria a C. Curione tribuno plebis lata est an. 703. L. Æmilio Paullo, C. Claudio Marcello coss. Hic Cæsaris partibus addictus, ut sibi conciliaret populi favorem, tulit *legem*, quam viariam appellat, Cœlius ad Ciceronem scribens Fam. VIII. 6. *Curio transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit, legemque viariam, non dissimilem agrariæ Rulli, jactavit.* Bergier. de viis milit. I. Sect. 3. §. 2. In Cœlii epistola ego scripserim *vinearium*, ut lex ad divisionem vinearum, quæ in Italia, & Campania præsertim multæ, pertinuerit. Aliis; licet *vinarium*. Sed quæ comparatio erit vini ad agros? & repugnat ipsa res, sicut in viis. *Lips. Elect.* I. 8. Sed quid conjecturis rem certam atque exploratam indigatum imus? Sane Appianus hæc laudet de Bell. civ. II. p. 443. *Curio ferebat ad populum de muniendis, ac reficiendis viis, hanc sibi curationem in quinquennium deposcens.* Hæc de lege viaria, non de vinearia sunt scripta. Illa non multo obscurius a Cic. Attic. VI. 1. *Vedius venit mihi obviam, cum duobus essedis, & rheda equis juncta, & lectica, & familia magna, pro qua, si Curio legem pertulerit, sestertia centena pendat necesse est.* Cortaren. de Frument. Roman. largit. c. 9.

Lex de vigesima hæreditatum, manumissionum. V. illam infr. in *Vigesima*.

Lex Villia annalis lata est a L. Villio Annali tribuno plebis an. 574. L. Manlio Acidino Fulviano, Q. Fulvio Flacco coss. Hac finiebantur anni magistratus capiendi. Liv. XL. 43. *Q. Fulvius Flaccus consul est creatus cum L. Manlio Acidino. Eo anno rogatio primum est lata ab L. Villio (L. Julio perperam libri) tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent, caperéntque : inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur.* Cicer. Phil. V. 17. *Ob eas causas senatui placere, C. Cæsarem C. F. pontificem, proprætorem, senatorem esse, sententiamque loco prætorio dicere : ejusque rationem, quemcunque magistratum appetet, ita haberi, proinde haberi lege liceret, si anno superiore quæstor fuisset. Quid est enim P. C. cur eum non quamprimum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim annalibus cum grandiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur. . . . Itaque majores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales.* Ovid. Fast. V. 65.

—— finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honos.

August. de Leg. in Villia. Cujac. Observ. XXI. 32. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 184. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 239. E. Pigh. Annal. Rom. II. p. 334. Crinit. de Honest. Discipl. VIII. 13. Lips. de Magistrat. Roman. c. 4. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5. Pitisc. in Suet. Calig. I. I. Mirum hoc anno primum latam hanc rogationem scribi. Hoc enim ipse it eversum XXV. 2. ubi de Scipione Africano multis ante hanc *legem* annis scribit : *Huic petenti ædilitatem, cum obsisterent tribuni plebis, negantes rationem ejus habendam, quod nondum ad petendum legitima ætas esset.* Quid clarius, quam etiam tunc latam de ætate? Et XXXII. 7. in consulatu mandando T. Quinctio Flaminino, quem *nondum triginta annos natum* scribit Plutarch. p. 369. E. hujus legis ne mentio quidem. *Sigon. in Liv.* XL. 43. *Lips. l. l.* Id per errorem, confusionemque nominis, aut hominis scripsit Livius, Scipioni Africano tribuens, quod Æmyliano postea evenerit : de quo vide Appian. Libyc. p. 68. Val. Max. VIII. 15. 4. Ut fateamur necessum est, parum caute scriptum esse in loco altero *latam a Villio primum*. Lips. l. l. Plures de tempore magistratuum *leges* fuisse ante hanc latas ex Livio, & aliis facile colligimus : quæ ab antiquis, ut Festus & Lamprid. Commod. c. 2. testantur, communi voce vocabantur *annariæ leges*. L. Villius tamen exactius quid de magistratuum curulium annis constituisse videtur, cum inde cognomen adeptus sit. *Pigh. l. l.* Illas vero omnes *lex* Villi. junctim complexa cæteras velut abolevit. Hic juvant aliquid Cicero & Ovidius modo laudati. *Lips. l. l.* Dicta est etiam *lex comitialis* a Latino Pacato. V. illum supr. in *Ætas ædilitia*.

Lex Viscellia, sive Visellia de libertinis quo tempore sit lata, plane ignoro. Diocletiani constitutio extat l. unic. C. ad l. Viscell. *Lex Viscellia libertinæ conditionis homines persequitur, si ea, quæ ingenuorum sunt, circa honores, & dignitates ausi fuerint attentare, vel decurionatum appetere : nisi jure aureorum annulorum impetrato a principe sustineantur. Tunc enim, quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis obtinent : & sine periculo ingenuorum etiam officia peragunt publica.*

August. de Leg. in Viscellia. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 239. G. Mendose Viscellia legitur, cum Visellio-rum familia nota sit, cujus erat C. Visellius Varro, Ciceronis consobrinus, ut constat ex Bruto c. 76. Tulit hanc L. Visellius Varro cos. cum C. Fontejo an. 776. *Hotman. ibid. p. 240. A. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 15.

Lex Voconia de hæreditatibus mulierum lata est a Q. Voconio Saxa tribuno plebis an. 584. Q. Marcio Philippo II. Cn. Servilio Cæpione coss. Cicer. de Senect. c. 5. *Ille Cæpione & Philippo iterum coss. mortuus est: cum ego,* Cato, *quidem 65. annos natus legem Voconiam voce magna, & bonis lateribus suasissem.* Ne qui census esset, virginem, neve mulierem supra quadrantem suorum bonorum hæredem instituerет, plusve cuiquam legaret, quam ad hæredem, hæredesve perveniret. Ne feminæ ultra consanguineos ab intestato succederent. Cicer. Verr. I. 42. *Voconia lex te scilicet delectabat. Imitatus esses ipsum illum C. Voconium, qui lege sua hereditatem ademit nulli, neque virgini, neque mulieri: sanxit in posterum, qui post eos censores census esset, ne quis hæredem virginem, neque mulierem faceret.* Liv. Epit. 41. *Q. Voconius Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis hæredem mulierem institueret: suasit legem M. Cato: extat oratio ejus.* August. de Leg. in Voconia. Manut. de Leg. c. 14. Gronov. de Pecun. vet. III. 16. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 842. E. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 240. B. Perizon. Dissert. de Lege Voconia. Thys. in Gell. VII. 13. Cellar. in Plin. Paneg. c. 42. n. 1. Rosin. Ant. Rom. VIII 18. Pigh. Annal. Rom. Tom. II. p. 375. De illa etiam August. de Civ. Dei III. 21. V. illum infr. in *Mulier*. Latam his coss. quibus Ennius mortuus est, ex Cicerone docti colligunt. Sed miror, quod in tam plena ejus anni historia nihil de tam celebri lege Livius. Atque in alia opinione videtur fuisse: nam decennio fere prius latam voluisse satis indicat Epitome modo laudata, ubi multum historiæ anni 575. periisse constat. *Pigh. ibid. p. 376.*

LIA.

LIACULUM, & LIARE quid sint V. infr. in *Tectorium*.

LIB.

LIBAMENTA dicebantur, tam prægustationes, quam effusiones, quoniam uno, eodemque vino utraque *libamenta* fiebant, sic dicta a Libero patre, qui primus tam vini, quam *libationum* existimatur inventor, ut voluit Ovid. Fast. III. 732.

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen.

Eggeling: Myster. Ceter. & Bacch. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 64. A. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 487. Sacerdos vinum *prælibabat*, priusquam super caput victimæ effunderet. Hæc dicta *libatio*. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Hæc quare *delibamenta* vocaverint, V. supr. in *Delibamenta*. Inter pocula diis *libabatur*, ἀπάρχεται aliquo genere *libamenti*, ut ferto, vel strue, placenta de farre, melle, & oleo. Hæc aris imponebantur, igneque eorum pars minuta cremabatur. Plin. XXXVII. 10. *In aras addita ea, ombria gemma, traditur libamenta non aduri. Libamina* hujusmodi diis offerebantur inter cæsa & porrecta. Medium erat tempus inter hostiam cæsam, quæ mane, & exta porrecta, quæ vesperi. *Guther. de Vet. jur. pontif.* IV. 2.

ΛΙΒΑΝΩΤΡΙΣ, acerra erat thuraria, thuribulum. Male in glossis acceptuaria. Ut thus in sacrificiis, sic in supellectile primum obtinebat locum. *Guther. de vet. jur. pontif.* IV 24. *Rosin. Ant. Rom.* III. 32.

LIBARE differt a litare, quod est rite sacrificare, & impetrare. V. illud suo loco. *Libare* vero est utcunque sacrificare, imo leviter, & modeste tangere, ut fere in sacrificiis solemus: hinc & ad alia transfertur. Virg. Æneid. I. 260.

Oscula libavit natæ.

Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 526. B. Laurent. de Prand. vet. c. 19. Hujus ritus plenæ sunt historiæ, & poemata antiquorum: & usus vel in consiliis, ac initio parandi belli, vel in votis, in gratiam initæ, vel incundæ amicitiæ. Et hoc jam inde a superstitioso Ægyptiorum seculo institutum Assyrii, Græci, & ultimo Romani imitati sunt: dum jactarent Bacchum universo terrarum orbe peragrato victorem ex Scythis, atque Indis primitias Jovi magno contulisse, ac primum *libasse*. Baccius de Conviv. Antiq. IV. 4. Tomas. de Donar. c. 27. Materia non quævis: non enim quodvis vinum aptum *libationibus*; nam ex Græca, & imputata vite, seu fulmine tacta, aut quæ vulneratis pedibus calcata, aut immunditie polluta, aut juxta quam homo laqueo pependerat, quæque circumcisis vineis profluxerat, vinum diis *libare* ex hujusmodi uvis infaustum erat. Quare vinum spurcum illud dictum, quod sacris adhiberi non poterat. At vino meraco in *libationibus* veteres sunt usi, quare vinum Græcæ uvæ, quia aquam mistam habebat, *libare* vetabant: vino enim optimo, suavissimoque veteres usi. Mercurio *libationem* ex vino misto reperio. Et divinatio per vinum facta, oinomantia dicta, fiebat ex vino ad *libationes* sacrato. Alii quoque liquores adhibiti, ut mulsum, aqua, mel, lac, oleum. *Libationes* aquæ faciunt sociorum Ulyssis, ut ex Homeri Odyssea colligitur. Soli sacrificantes mel *libabant*, vinum non inferentes. Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Uraniæ, Nymphis non vino, sed aqua melle diluta sacrificabant Athenienses. Cereri quoque, & Proserpinæ, & ad aram omnium deorum. *Stuck. Sacr. gentil. p. 200. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 19. de Prand. vet. c. 2. Polym.* IV. *Synops.* 7. Etiam pars cœnæ. Hæc enim Lari, diisque donabatur, & mittebatur in focum Lari sacrum. Hoc erat *libare dapes*. Horat. Sat. II. 6. 66.

Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

Ritus optime intelligitur ex Plutarch. de Fortun. Roman. p. 323. A. *Ocrisiam virginem identidem primitias & libationes a regia mensa accipere, & ad focum perferre consuevisse: quæ cum aliquando e more eas in ignem injiceret. . .* Qui inde dii patellarii dicebantur. *Turneb. Adv.* VI. 7. *Laurent. l. l. & c.* 14. *Stuck. ibid. p.* 198. *Taubman. in Plaut. Curc.* I. 2. 31. Imo fructuum, & frugum primitiæ, quas ἀπαρχὰς vocabant. Nihil enim gustabant, ante quam diis consecrassent. Tibul. I. 1. 19. V. illum supr. in *Annus*. Quod faciebant, vel in aram projicientes, vel in mensam, quæ loco erat aræ, vel in focum, qui sacer habebatur, vel in mare in honorem deorum marinorum. *Turneb. ibid.* XI. 7. *Laurent. de Prand. vet. c. 2. Var. sacr. gentil. c. 19. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 487. Saubert. de Sacrif. c. 25. Taubman. l. l.* Formula erat *Libo tibi*. Xiphil. LXII. p. 714. C. *Hunc tibi, Jupiter, libertatis patrone, sanguinem libo.* Tacit. Annal. XV. 64. 5. *Postremo stagnum calidæ aquæ introiit* Seneca, *respergens proximos servorum, addita voce: libare se liquorem illum Jovi liberatori.* Brisson. de Form. I. p. 33.

LIBATIO in epulis erat nihil aliud, quam vini, aquæ, lactis, vel alterius liquoris ex vase effusio: vel in aram, sive victimas; vel in terram, certis adhibitis ceremoniis, vel precibus, in honorem deorum. Post illas, antequam cubitum irent, maxime *libationibus* veteres operabantur, & Mercurio potissimum, qui somno præest. Illi enim post sacrificium peractum cubitum se recepturi, victimarum prius linguas sacrificabant, illis in ignem conjicientes. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 7. *Var. sacr. gentil. c. 19. de Prand. vet. c. 2. & 3. Feith Ant. Homer.* III. 5. *Buleng. de Conviv.* III. 34. *Lips. Poliorc.* V. 10. V. infr. in *Lingua*.

Libatio in funere fiebat post sepulturam. Fiebat nona die. Et is ultimus erat funeralium. Donat. Ter. Phorm. *In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus, quo parentalia concluduntur.* V. supr. in *Feriæ novemdiales*. In illa erant vinum, lac, & sanguis. V. supr. in *Inferiæ*. Postea murratam potionem adhibuerunt, sed & hanc vetuerunt XII. tabulæ: *Murrata potione usos antiquos indicio est, quod etiam nunc ædiles per supplicationes diis addunt ad pulvinaria,*

nariæ, & quod XII. *tabulis cavetur, ne mortuo indatur.* Addiderunt quoque flores. V. ſupr. in *Flores.* Et lanam. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Cum ad ſepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc etiam lanam.* Et certe tæniæ erant e lana. Cæcil. apud Feſtum:

Sepulcrum plenum tæniarum, ita ut ſolet.

Prop. III. 4. 29.

Et ſtrigis inventæ per buſta jacentia plumæ,
Cinctaque funeſto lanea vitta viro.

Et coronas. Arnob. V. p. 168. V. illum infr. in *Tæniæ.* Hæ tales erant, quæ ſepulcro potius aptæ, quam capiti, quippe longæ. Cicer. de Leg. II. 24. *Ne ſumptuoſa reſperſio, ne longæ coronæ, nec acerræ prætereantur.* Meurſ. de Fun. c. 29. Feith Ant. Homer. I. 12. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 7.

Libatio in ſacris erat, cum partem aliquam dapum, & ciborum decerpebant, eamque in ignem mittebant, atque ita diis conſecrabant. Facta eſt hoc ordine. Victima ad aram per ſacerdotem ſtatuta, precibus fuſis, ſacerdos immolationem auſpicabatur; fruges, aut molam ſalſam in caput ſpargebat, addito thure maſculo; hæc dicta immolatio, quaſi molæ in caput victimæ collocatio. V. ſupr. in *Hoſtia.* Deinde vinum aſpergebat e vaſe; ſed prius ipſe leviter *delibabat*, & aſtantibus deguſtandum præbebat, ut pariter *libarent*, vocabaturque hic ritus *libatio.* Effuſio varia fuit ſuper victimas, prout variæ erant victimæ, antequam mactarentur. V. ſupr. in *Fundere*, & infr. in *Vergere.* Laurent. Polym. IV. Synopſ. 7. Var. ſacr. gentil. c. 19. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 3. c. 1. Saccus Myroth. II. 43.

LIBELLA erat nummus argenteus, ferme aſſem æquans, & decima denarii. Varr. de Ling. Lat. IV. 36. *Nummi denarii decima libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva.* Cicer. Verr. II. 10. *Et quis Volcatio, ſi ſua ſponte veniſſet, unam libellam dediſſet? Libellam* pro aſſe poſuit, ex eo dictam, quod *libra* æris valebat, id eſt, aſſe. Cum autem minimam pecuniam ſignificare volebant, aſſem & *libellam* dicebant. Cicer. pro Quint. Roſc. c. 4. *Hic niſi planum facit, HS.* LIII. *ad libellam ſibi deberi, cauſam perdit*, id eſt, ſi minimo quidem nummo minus debitum fuit, ex formula plus petitionis cauſa cadit. *Bud. de Aſſe p.* 104. *Panciroll. Notit. dign. Imp. Orient. c.* 13. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 12. *Salmaſ. de Mod. Uſur. c. 6. Turneb. Adv.* XXIX. 36. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 2. 10.

Libella eſt etiam inſtrumentum, quo fabri murarii, & cæteri ejuſmodi artifices planas ſuperficies ita ſiſtunt, ut horizonti æquidiſtent: noſtro more archipendulum, ſeu, ut Etruſci, archipenzolum dicitur. Alii paſſim livellum vocant. Vitruv. I. 6. *Collocetur ad libellam marmoreum amuſium.* Bald. Lex Vitruv.

LIBELLI ab accuſatoribus dabantur & offerebantur prætori. Tacit. Annal. III. 44. 2. *Increpabant Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accuſatorum inſumeret operam.* Ulpian. l. denuntiaſſe ff. ad leg. Jul. de Adult. *Quid ergo ſi non quidem denuntiavit, verum libellos accuſatorios dedit, antequam nuberet.* Briſſon. de Form. V. p. 488. de Adult. Theſ. Ant. Rom. Gronov. Tom. VIII. p. 1371. E. Pollet. For. Rom. IV. 7. Cujac. Obſer. I. 20.

Libelli appellatorii, ad quos recurrendum erat, ſi quis ipſo die inter acta voce non appellaſſet, ita erant concipiendi, ut haberent ſcriptum, a quo dati eſſent, id eſt, quis appellaret, & adverſus quem, & a qua ſententia l. 1. §. ult. ff. de Appellationibus. *Briſſon. de Form.* V. *p.* 465.

Libelli continentes inveniſſe ſe, & reddituros ei, qui deſideraret, proponebantur ab illis, qui alienum quid jacens ſuſtulerant: quemadmodum ſcribit Ulpian. l. falſus creditor §. qui alienum ff. de furto. Formulam indicat Plaut. Rud. V. 2. 7. Apud illum Gripus piſcator, qui vidulum reti in mari exceperat:

Cubitum hercle longis literis ſignabo jam uſquequaque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro, atque argento multo,
Ad Gripum ut veniat.

Et a recuperaturis quod amiſſum erat, illique nomen, & domicilium adſcribebantur, nec non εὕρετρα danda denuntiabantur, ut qui invenerant, ſcirent, quo id reportare, & reddere poſſent. Tabellas deperditas deplorans ait Prop. III. 21. 21.

Quas ſi quis mihi rettulerit, donabitur auro,
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, & citus hæc aliqua propone columna:
Et dominum Eſquiliis, ſcribe, habitare tuum.

Briſſon. de Form. VIII. p. 735.

Libelli delatorii dicebantur, quibus crimina deferebantur a delatoribus. Plin. Epiſt. VII. 27. 14. *Nihil notabile ſequutum, niſi forte, quod non fui reus, futurus ſi Domitianus, ſub quo hæc acciderunt, diutius vixiſſet. Nam in ſcrinio ejus datus a Caro de me libellus inventus.* Suet. Jul. c. 81. n. 9. *Libellum inſidiarum indicem ab obvio quodam porrectum libellis cæteris, quos manu ſiniſtra tenebat, quaſi mox lecturus commiſcuit.* Calig. c. 15. n. 11. *Libellum de ſalute ſua oblatum non recepit, contendens, nihil ſibi admiſſum, cur cuiquam inviſus eſſet: negavitque ſe delatoribus aures habere.* Pollet. For. Rom. IV. 7.

Libelli dimiſſorii dicebantur apoſtoli. V. illos ſupr. in *Apoſtoli.*

Libelli famoſi, de quibus Tacit. Annal. I. 72. 4. *Facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis ejus tractavit, commotus Caſſii Severi libidine, qua viros feminaſque illuſtres procacibus ſcriptis diffamaverat.* Dio LVI. p. 587. C. *Et famoſorum libellorum, quos ad traducendos homines a quibuſdam ſcribi acceperat, conquiſitionem fieri juſſit, repertos in Urbe ab ædilibus, extra Urbem a ſingulorum locorum præfectis comburi mandavit, in auctores eorum quoſdam animadvertit.* Auguſtus enim ignominia ſanxit, quod decemviri capite. Cicer. de Repub. IV. apud Auguſt. de Civ. Dei II. 9. *Noſtræ contra* XII. *tabulæ cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis occentaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri præcaretur. Judiciis enim, ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire, niſi ea lege ut reſpondere liceat, & judicio defendere.* Eandem legem intelligit Arnob. IV. p. 151. *Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur, & vita, decemviralibus ſcitis evadere noluiſtis impune: ac ne veſtras aures convicio aliquis petulantiore pulſaret, de atrocibus formulas conſtituiſtis injuriis.* Verba legis ſic edidit Urſinus: *Sei quis occentaſit, caſmenve conduit, quod alteri flagitium faxſit, capital eſtod.* Ulpianus quidem l. 5. §. 9. ff. de injur. *Eos, qui famoſum carmen, libelloſque famoſos ſcribunt, ex lege inteſtabiles eſſe.* Sed hoc non ad decemviralem legem, ſed ad quoddam Sctum ſpectat, cujus meminit Ulpianus l. 18. ff. de teſtib. V. illum ſupr. in *Inteſtabilis.* Gentil. Parerg. II. 30. Ræuard. in Leg. XII. tab. c. 25. Rittersh. in Leg. XII. tab. claſſ. II. c. 13. III. p. 2. c. 36. Urſin. Not. ad Leg. & Scta. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1361. F. Rhodig. Ant. Lect. XV. 25. Elmenhorſt. in Arnobium. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 467. G. Thyſ. Collat. Atticar. & Roman. leg. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. V. p. 1394. A.

Libelli gladiatorum ante pugnam ab editoribus proponebantur. His dies futuri muneris, item nomina, & paria gladiatorum exprimebantur, ſcilicet alliciendæ plebi, & exſpectationi commovendæ. Cicer. Phil. II. 38. V. illum ſupr. in *Edictum.* Hos ludorum indices vendebant, deſcribebantque palam, ut in provincias mitterent, & ad amicos abſentes. Hunc intelligit Cælius, qui illum miſerat Ciceroni, meritus ejus notam Fam. II. 8. ubi dicit: *Quid? tu me hoc tibi mandaſſe exiſtimas, ut gladiatorum compoſitiones, & vadimonia dilata ad me mitteres. Libellum munerarium* vocat Pollio in Claud. c. 5. *Habuit proxime tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludorum.* Lipſ. Saturn. II. 18. Freher. Cecropiſtr. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1153. A. Thyſ. de Gladiat. p. 230.

Libelli, ſupplices nimirum, dicebantur deſideria, poſtulata, preces. Suet. Aug. c. 53. n. 5. *Promiſcuis ſalutationibus*

bus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium deſideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem. Mart. VIII. 31. 3.

Sed jam ſupplicibus dominum laſſare libellis
Deſine.

82. 1.

Dante tibi turba querulos Auguſte libellos.

Briſſon. de Form III. p. 292. Pollet. For. Rom. IV. 7. Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c. 97. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 34. Dicebantur *libelli*, quia in pagellas, & parvi *libri* formam complicabantur. Suet. Jul. 56. n. 9. *Epiſtolæ ejus ad ſenatum extant, quas primus videtur ad paginas, & formam memorialis libelli convertiſſe, cum antea conſules, & duces non niſi tranſverſa charta mitterent ſcriptas.* Per *libellum* autem ſupplicem lites expediebantur, quæ de plano, id eſt, extra tribunal cauſæ cognitionem non deſiderabant, & ubi adverſarius non contendebat. Ulpian. l. nec quicquam §. 1. C. de Offic. proconſ. *Ubi decretum neceſſarium eſt, per libellum id proconſul expedire non poterit, quæcunque enim cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum non poſſunt expediri.* Etiam excuſatio tutoris dati. Modeſtin. l. ſcire etiam oportet §. oportet de excuſ. tutor: *Oportet excuſari tutorem, vel ante tribunal, vel apud acta. poteſt autem & libellos dare.* Similis excuſatio ex numero liberorum in *libello* facta eſt apud Calliſtr. l. ſemper §. 2. de Jur. immun. Et hæc per aſſeſſores plerumque expediebantur. Papin. l. miles §. ſexaginta de adult. *Quoniam de plano quoque libellus dari poteſt: in his perpendendis ſtudium aſſeſſorum verſabatur.* Panciroi. Notit. dignit. imp. orient. c. 16. Illis reſcribebant Principes. V. infr. in *Reſcribere*, ſubſcriptosque annulo ſignabant, ſignatosque reſtitui illis, qui porrexerant, jubebant. Suet. Aug. c. 51. n. 1. *In diplomatibus, libellisque, & epiſtolis ſignandis initio ſphinge uſus eſt.* Ræverd. de Div. reg. jur. I XXI.

Libelli vadimonii erant, quibus deſcribebant adverſarios, quos in jus erant vocaturi, cum a prætore petiiſſent, ut liceret eos vadari. Plaut. Curc. I. 3. 5. & Aul. II. 4. 37. V. illum infr. in *Vadari.* Prætor *libello* ſubſcribebat. Plin. Epiſt. I. 10. 9. *Sedeo pro tribunali, ſubnoto libellos.* Pollet. For. Rom. V. 1.

Libellis veteres ſolebant adire præſentes amicos. Hujus moris repertor fuit C. Cæſar. Plutarch. Cæſ. p. 716. A. *Ferunt & Cæſarem primum rationem reperiſſe amicos per literas conveniendi, cum coram agendi de rebus iis, quæ incidiſſent, nec multitudo occupationum, nec Urbis magnitudo ſemper ſpatium darent.* Eundem tenuit Auguſtus. Suet. c. 84. n. 5. *Sermones quoque cum ſingulis, etiam cum Livia ſua graviores non niſi in ſcriptis, & ex libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tempore.* Imo & Principes. Tacit. Ann. IV. 39. *Sejanus, promiſſum matrimonium flagitante Livia, componit ad Cæſarem codicillos: moris quippe tum erat, quamquam præſentem, ſcripto adire.* Calliſtr. l. Divus ff. de re judic. *Divus Adrianus aditus per libellum a Julio Tarentino. . . . Exemplum libelli dati mihi a Julio Tarentino mitti tibi juſſi.* Lipſ. in Tacit. Annal. IV. n. 103. Briſſon. de Form. III. p. 292. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 34. Imo & præſentem Imperatorem. Suet. Jul. c. 81. n. 9. V. illum ſupr. in *Libelli delatoris.* Ræverd. de div. reg. jur. I XXI. Buleng. de Imperat. Rom. I. 33 Caroli Antiq. Roman. II. 10. Qui etiam per *libellum* reſpondebat. Suet. Ner. c. 15. n. 1. *In juriſdictione poſtulatoribus, niſi ſequenti die, ac per libellos, non temere reſpondit.* Intelligit haud dubie *libellos*, quibus adiri principes moris erat. Et ſic per conſequens expeditio poſtulationis fieri etiam per *libellum* ſubſcriptione ſolebat l. 29. ad l. Corn. de falſis. Si autem res, quæ per *libellum* petebatur, talis eſſet, ut opus haberet decreto, tunc per *libellum* non poterat expediri, ſed in diem cognitionum differebatur. Ulpian. Dig. I. 16. 9. 1. *Ubi decretum neceſſarium eſt, per libellum id expedire proconſul non poterit: omnia enim, quæcunque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum non poſſunt expediri.* Ræverd. Protribun. c. 8. Alciat. Parerg. II. 3. Imbert. Inſtit. Forenſ. I. 2

LIBELLIO eſt venditor minutorum *libellorum.* Stat. Sylv. IV. 9. 21.

De capſa miſeri libellionis.

In vet. gloſſ. exponitur *librarius*, βιβλιοπώλης, βιβλιογράφος. Non. II. 499. *Dicitur, ut tabellio. Varr. Manio. Cum ad me fuerunt, qui libellionem eſſe ſciebant.* Tales non in taberna, aut pila, ſed in capſa totam ſuorum *libellorum* ſupellectilem facile urbem circitantes gerunt. *Turneb. Adv.* XX. 32. *Voſſ. Lex. in Liber. Domit. in Statium.*

LIBERA eadem, quæ alias Proſerpina, Bacchi, qui *Liber*, conjux, Cerere fuit nata. Cicer. de Nat. deor. II. 23. *Liberum, non eum, quem noſtri majores auguſte, ſancteque Liberum cum Cerere & Libera conſecraverunt.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 13. §. 3. Gyrald. Synt. deor. VIII. p. 272. D. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 53. Culta fuit, ut feminis ſemen emitteret. Meurſ. de Puerper. c. 1.

LIBERALIA & Bacchanalia licet uni & eidem dæmoni fuerint conſecrata, qui & Bacchus & Liber fuit vocatus, tamen ſecundum Romanorum conſuetudinem non eodem tempore fuerunt celebrata. *Liberalia* enim ſacra fiebant 16. Kalend. April. Bacchanalia ſingulis menſibus agebantur. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 494. *A. Stuck. Ant. Conviv.* I. 33. *Hoſpinian. de Feſt. p.* 128. *Laz. Comm. Reip. Rom.* X. 9. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 6. *Kipping Antiq. Roman.* I. 10. §. 11. Feſtus: *Liberalia Liberi feſta, quæ apud Græcos dicuntur Dionyſia.* Nævius: *Libera lingua loquemur ludis Liberalibus.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die ſederent ſacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus, cum libis & foculo pro emptore ſacrificantes.* Varrónis verba ſic exaudio: *Liberalium* die anus Libero patre dignæ antiſtitæ, & ſacerdotes, utpote vinoſiores, hedera & ipſa Libero ſacra coronatæ, paſſim per oppidum ſedebant cum foculo, & libis mellitis, quæ ipſæ confecerant. Ovid. Faſt. III. 761.

Melle pater fruitur, liboque infuſa calenti
Jure repertori candida mella damus.
Femina cur preſſet, non eſt rationis opertæ.
Femineos thyrſo concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quæris? vinoſior ætas
Hæc eſt, & gravidæ munera vitis amans.
Cur hedera cincta eſt? hedera eſt gratiſſima Baccho.

Et ad quæ populos vocabant, id eſt, tranſeuntes quoslibet ad liborum emptionem invitabant, & pro emptore ſacrificabant, libi empti parte foculo indita. Si cui viſum ſit anus a Liberi ſacerdotibus diſtinguere, intelligat liba mellita, ſive Liberi bellaria ab anu confici ſolita, & vendi: ſacerdotes autem pro emptore ſacrificare ſolitos libi empti parte foco aſperſi. Sane in libro Baruch mentio fit mulierum furfures Belo ad vias adolentium. *Liberalibus* etiam veteres in publico diſcumbebant. Tertull. Apolog. c. 42. *Non in publico Liberalibus diſcumbo.* Pith. Subceſ. I. 9. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 627. A. Stuck. l. l. Voſſ. de Idolol. I. 12. Roſin. Ant. Rom. IV. 7. Perion. de Rom. & Græc. magiſtrat. III. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2811. C. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 9. Inſtituta fuerunt ad uberiorem vinearum proventum impetrandum. Docet hoc Virgilius, qui, poſtquam illa deſcripſerat Georg. II. 379. . . 388. ſtatim addit n. 389.

Hinc omnis largo pubeſcit vinea fetu.

Congreſſibus flagitioſis, & nocturnis, ut Bacchanalia non peragebantur, ſed ludicris quibusdam & ridiculis. Incidebant Romæ poſt veris initia, quo tempore vina a fecibus eximebantur. In Græcia vero in menſem Ποσειδεῶνα. Theophr. Char. Eth. c. 4. *Non abſit myſteria ſolita celebrari Poſideone quæ ruri aguntur Dionyſia.* Martſcott. de Perſon. & Larv. c. 5.

LIBERALITAS vocabatur congiarium, Imperatoris munus, quod populo dabatur, ad diſtinctionem muneris militaris, quod donativum dictum. V. ſupr. in *Congiarium.*

LIBERI connubio interveniente patrem ſequuntur,

non

non interveniente matris conditioni accedunt. V. ſupr. in *Lex Menſia. Liberos* recens natos quisque civium Romanorum apud præfectos ærarii debebat profiteri intra trigeſimum diem, in provinciis per tabularios publicos. Apul. Apol. p. 541. *Pater ſibi natum filium more cæterorum profeſſus eſt.* Et hanc natalem profeſſionem παιδογραφίαν vocat Modeſtinus. *Barthol. de Puerp. vet. p.* 155. Ex hoc vetere more ductum eſt, quod Scævol. l. Imperatores §. 1. ff. de probat. refert, mulierem gravidam repudiatam filium abſente marito ut ſpurium in actis profeſſam eſſe. Inſtituit hoc Imperator M. Antoninus Philoſophus. Capitol. c. 9. *Inter hæc liberales cauſas ita munivit, ut primus juberet apud præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra triceſimum diem* (V. ſupr. in *Dies luſtricus*) *nomine impoſito. Per provincias tabulariorum publicorum uſum inſtituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii.* Quanquam etiam ante Marci ætatem clarorum virorum ortus in acta publica relato. intelligimus. Suet. Tib. c. 5. n. 2. *Natus eſt Romæ in palatio. . . Sic enim in faſtos, actaque publica relatum eſt.* Cal. c. 8. n. 5. *Ego in actis Antii ipſum invenio editum.* Sed & hujuſmodi profeſſionum ſpeciem quandam Servius Tullius præmonſtraverat, qui in ſingulorum *liberorum* recens natorum capita aliquid Junonis Lucinæ templo inferri, patreque in cenſu habendo non facultates modo, ſed ſuum quoque & uxoris, & *liberorum* nomen, ætatemque profiteri inſtituit. Dionyſ. IV. p. 220. V. illum infr. in *Nummus.* Nec nomen tantum, ſed etiam cognomen. Capitol. in Gordian. c. 4. *Jam illud ſatis conſtat, quod filium Gordianum nomine, Antonini ſigno,* id eſt, cognomine *illuſtravit, quum apud præfectum ærarii more Romano profeſſus ſuum publicis actis ejus nomen infereret.* Quod fiebat, ut de paterno jure conſtaret; nam, cum id fiebat, in acta referebantur etiam parentes. *Laurent. de Natalit. & conviv. c.* 1. *&* 3. *Robortell. de Gradib. honor. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* (43.) *A. Salmaſ. in Capitolinum.* & *Exerc. Plin. p.* 504. *b. C. Briſſon. Antiq. Select.* I. 5. *Kipping. Antiq. Roman.* I. I. 10. *Barthol. de Puerp. p.* 156. Educandorum ſub pædagogis diſciplina eſt antiqua. Integram illam patriſamilias in medium proponit Plaut. Bacch. III. 3. 16. . . . 30. De educatione & diſciplina a Numa inſtituta Plutarch. p. 77. D. Qui de Faliſcis hæc habet in Camill. p. 133. F. *Liberique eorum circa ludos frequentes eſſent, & circa muros ambulationis exercitationisque cauſa producerentur a magiſtro communi. Demandabant Græcorum more Faliſci liberos, ut eisdem a prima ætate rudimentis, contuberniaque aſſueſcerent.* De Tuſculanis ibid. p. 149. C. *Tuſculani errorem callide advertentes, cum eſſet jam in expeditione Camillus adverſus ipſos, aratoribus paſtoribusque agros ut in alta pace compleverant, patebant portæ, pueri in ludis literis operam dabant.* De Urbis incunabulis, quibus Gabios mittebant pueros inſtituendos Romul. p. 20. C. *Romulum & Remum literis, omnique liberali diſciplina Gabiis inſtitutos.* Laurent. de Natalit. c. 4. Et a parentibus neceſſario inſtituenda. Nam præter lecti conſuetudinem, etiam educationis cura, conſervandique facultas requiruntur. Hæc niſi conjungantur, aut præmatura morte *liberos* antevertunt, aut ad obeunda munia ineptos reddunt, inerti pondere patriam replentes. Strab. IV. p. 123. *Galliæ mulieres temperato ſunt corpore, & natura ſua fœcundæ. nec minus prolis probe educandæ ſunt ſtudioſæ.* Caſal. de Ritu nupt. c. 2. Etiam pueri menſæ ſocii adhibebantur, ſed in ſponda, vel in imo ſubſellio, ut exemplo patrum temperantiam diſcerent; & quidem ſedentes, non accumbentes, quia ſpernebant accubitum a pueris, quaſi luxuriæ ritum illi ætati non decorum. Suet. Aug. c. 64. n. 7. *Neque cœnavit una, niſi ut in imo lecto adſiderent.* Tacit. Annal. XIII. 16. *Mos habebatur, principum liberos cum cæteris idem ætatis nobilibus ſedentes veſci in aſpectu propinquorum, propria, & parciore menſa.* Suet. Claud. c. 32. n. 3. *Adhibebat omni cœnæ & liberos ſuos cum pueris, puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum ſedentes veſcerentur.* Lipſ. in Tacitum. Chiment. de Biſell. c. 29. Meurſ. Auctar. Philol. . 36. Urſin. de Triclin. p. 251. Buleng. de Conviv. I. 14. Pitiſc. in Suetonii Auguſtum. Cum parentibus non lavabantur. Capitol. Gordian. c. 6. *Socero ſuo Annio Severo tantum detulit, ut in familiam ejus quaſi filium migraſſe ſe crederet, ut nunquam cum eo lavaret.* Caſaub. in Capitolinum. Duorum fratrum invicem recte matrimonio jungebantur. V. infr. in *Matrimonium.* Qui parentum concubinas duxerint, tum irreligioſo matrimonio ſtuprum committebant. Imperator Alexander C. de Nuptiis l. 4. *Liberi parentum concubinas uxores ducere non poſſunt: quia minus religioſam, & probabilem rem facere videntur. Qui ſi contra hoc fecerint, crimen ſtupri committunt.* Briſſon. de Adult. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 1397. F. Plures quam collega qui aut in poteſtate habebat, aut liberorum ſerat, prior ex conſulibus faſces ſumebat. V. ſupr. in *Faſces.* Propter illos qui excuſentur tutores, & curatores, docet Juſtin. Inſtit. I. 25. *Excuſantur tutores, & curatores variis ex cauſis: plerumque tamen propter liberos, ſive in poteſtate ſint, ſive emancipati. Si enim tres liberos ſuperſtites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in provinciis quinque, a tutela, & cura poteſt excuſari.* Auguſt. de Leg. in Papia Poppæa. Trium. . . . jus. V. ſupr. in *Jus.* Illis ſanitati reſtitutis Caſtori & Polluci tanquam diis magnis votum parentes faciebant. Quod indicat hoc ſaxum:

CASTORI. ET. POLLUCI. DIIS. MAGNIS
SULPITIA. Q. SULPITII. F. VOTUM
OB. FILIUM. SALUTI. RESTITUTUM.

Tomaſ. de Donariis c. 10. Per parentum cineres religioſe ſupplicabant, & jurabant. V. ſupr. in *Cineres.* Parentes elugere compellebantur. Docent hoc ſcriptores innumeræ. *Exhæredatum etiam filium luctum habere memoriæ patris placuit: idemque in matre juris eſt, cujus hæreditas ad filium non pervenerit.* Papinian. l. Exhæredatum ff. de his qui not. inf. *Guther. de Jur. man.* III. 28. Parentum, cum morerentur, oculos claudebant. V. infr. in *Oculi.* Jure civili a parentibus, in quorum poteſtate erant poſiti, absque ulla cauſa exhæredabantur, aut prætereuntur: nec ullum remedium, vel civili, vel prætorio jure relictum erat, quoad bona inhumani patris teſtamento ejus ſollenniter facto, & ſubſiſtente pervenirent. De illa re cum tandem maximæ querelæ ad populum ferrentur, populus Romanus, ad quem ſuprema erat provocatio, per centumviros, qui erant legitimus populi Romani conventus, extra ordinem juſſit ſubvenire, *non enim erat conſentiendum parentibus, qui adverſus liberos ſuos teſtamento* inducunt l. 4. de Inoffic. teſtam. Hujus æquitatem conſiderantes coſſ. prætores, atque ipſi principes, adeo eorum legibus, edictis, & decretis confirmarunt hanc querelam, quod tandem in ordinariam juriſdictionem abierit. V. infr. in *Teſtamentum inofficioſum.* Siccam. de Centumv. jud. II. 5. Qui contra parentum voluntatem matrimonium contraxerunt, exhæredari non poſſunt novo Juſtiniani jure. Patet hoc ex Novell. 115. ubi unam hanc ob cauſam nuptias contra parentis voluntatem contractas recenſet, cum filia oblatam ſibi a patre conditionem repudiavit, & aliam turpem delegit. Jure antiquo poterant. Non enim dubito, quin illa cauſa probata centumviris fuiſſet, quorum de inofficioſis teſtamentis, & exhæredati meritis mentionem fuiſſe nemo ignorat l. 3. §. ſi emanc. ff. de bonor. poſſ. contr. tab. 1. filius ff. de inoffic. teſt. l. ſi filiam 19. C. eod. I. propter vim patriæ poteſtatis, ut non modo ex juris civilis regulis, verum etiam ex principum conſtitutionibus liceret patri, ſi qua juſta cauſa videretur eſſe, filiam a genero abducere, & matrimonium diſſolvere. II. quoniam edicto prætoris infamia notabatur filius, qui non juſſu ejus, cujus in poteſtate eſt, uxorem duxerat l. 1. de his, qui not. inf. III. quia Ulpianus teſtatur, juſtam irarum cauſam videri etiam contra emancipatum filium, atque adeo contra nepotem ex eo ſuſceptum, ſi filius injuſſu patris uxorem duxerit: &, ſi eum in ſuo teſtamento præterierit, ac velit nepos contra tabulas agere, judices ejus merita expenſuros; nimirum, ut ſi juſta irarum cauſa videatur, eum excludant d. l. 3. §. 5. ff. contr. tab. *Hotomann. de rit. nupt. c.* 3. Exſilio, ſupplicioque domeſtico caſtigabantur:

bantur: ut relegati ab Urbe, atque hominibus in agros ad opus rusticum faciendum secedere juberentur. Exemplum præclarum in T. Manlio Torquato suppeditant historiæ. Cicer. de Offic. III. 31. *Criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare jussisset.* Senec. de Benef. III. 17. *Vicit patrem, imperiosum quidem, T. Manlius, qui cum ad tempus relegatus esset a patre ob adolescentiam brutam, ac hebetem. . . .* Et in Sext. Roscio Amerino, quem præ odio pater in prædia rustica relegarat, cum alterum filium omni tempore vellet secum esse: id quod ipsi Sextio accusator Erucius objiciebat, cui oratorium in modum ita respondet Cicer. pro Sext. Rosc. c. 15. *Quid ais, Eruci, tot prædia, tam pulcra, tam fructuosa Sext. Roscius filio suo, relegationis, ac supplicii gratia colenda, ac tuenda tradiderat? An amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam? ut commodis omnibus careret? quid si constat, hunc non modo colendis prædiis præfuisse, sed certis fundis, patre vivo, frui solitum esse? tamenne hæc attenta vita & rusticana relegatio, atque amandatio appellabitur?* Imo in insulas projicerentur. Suet. Aug. c. 65. n. 5. *Agrippam brevi ob ingenium sordidum, ac ferox abdicavit, seposuitque Surrentum.* n. 12. *nihilo tractabiliorem, imo in dies amentiorem in insulam transportavit; sepsitque insuper custodia militum.* Insulam hanc Planasiam, ubi Historiam eandem narrat, vocat Tacit. Annal. I. 3. 6. *Fab Semestr.* II. 5. Imo vendebantur, & necabantur. V. supr. in *Emancipatio*, & *jus patrium.*

LIBERI initio & ingenui omnes nascebantur. Ulpian. l. 4. ff. de just. & jur. *Utpote cum jure naturali omnes liberi nascerentur.* Attamen etsi *libertas naturalis esse facultas* a jurisconsulto dicitur, & *libertatem* Civilis apud Tacit. Hist. IV. 17. 9. in oratione ad milites *natura etiam mutis animalibus esse datam, virtutem proprium hominis esse bonum* pronuntiat, & denique Tryphonian. l. 64. de condict. indeb. *libertatem naturali jure contineri, & dominationem ex gentium jure introductam* asserit: ipsam tamen ut servitutis, ita *libertatis* nomen, & ingenuitatis quoque, ac libertinitatis juri gentium acceptum ferre debemus. Ulpian. l. l. *Et cum uno naturali nomine homines appellaremur, jure gentium tria genera esse cœperunt: liberi, & his contrarium servi, & tertium genus liberti, id est, hi qui desierant esse servi.* Senec. de Ben. III. 28. *Eadem omnibus principia, eademque origo. nemo altero nobilior.* Epist. 31. *Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut servus? Nomina ex ambitione, aut ex injuria nata.* Fab. Semest. II. 3. *Liberi* dicebantur omnes homines, Urbem, agrumque Romanum inhabitantes, qui naturale arbitrium faciendi, quod cuique liberet, erant adepti. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 6.

LIBERTA, quæ patrono nupsit, patroni uxor esse debet, quamdiu volet patronus eam uxorem esse. Ulpian. l. 1. in fin. unde vir & uxor. *Si liberta ab invito patrono divertit, lex Julia de maritandis ordinibus retinet istam in matrimonio, dum eam prohibet alii nubere invito patrono.* l. in eo jure de rit. nupt. *In eo jure, quod dicit invito patrono libertam, quæ ei nupta est, alii nubere non posse, patronum accipimus eum qui hac lege emit, ut manumittat.* l. ult. de Divort. *Quod ait lex, divortii faciendi potestas libertæ, quæ nupta est patrono, ne esto.* Brisson. de Jur. connub. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1074. D. August. de Leg. in Julia de marit. ordin.

LIBERTAS a Romanis dea habita, & culta est, ut qui maxime ei studerent, ab eo videlicet tempore, quo in *libertatem* sese vindicavere. In Titi Claudii numismate æreo fuit *Libertas* stans in lacinia cum pileo in dextra, alteram manum expansam habens cum his notis: LIBERTAS AUGUSTA S. C. In Nervæ Cæsaris Augusti numismate æreo fuit in altera parte effigies ipsius Nervæ, cum his notis: IMP. NERVA. CÆSAR. AUGUSTUS. P. M. TR. PL. COS. II. PP. in aversa parte hæc erant verba LIBERTAS. PUBLICA SC. & erat ibi imago LIBERTATIS stantis in lacinia, in dextra pileum, in lævi hastam tenentis. *Landus in vet. num. Rom. misc. explic. Misc. Ital. Tom. I. p. 392. Gyrald. Synt. deor. I. p. 38. B. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 52.*

Libertas, quam per manumissionem consequebantur servi, *a primis urbis Romæ incunabulis una atque simplex erat, id est, eadem, quam habebat manumissor, nisi quod libertinus esset qui manumitteretur, licet manumissor ingenuus esset.* Justinian. Instit. I. 5. 3. Postea, scilicet temporibus Augusti, duplex esse cœpit, justa & non justa. Justa, quæ vindicta, censu, testamento data. Non justa, quæ inter amicos, in convivio, per epistolam. Senec. de vit. beat. c. 24. *Hominibus prodesse natura jubet, servi liberine sint; ingenui an libertini; justæ libertatis, an inter amicos datæ.* Suet. Aug. c. 40. n. 8. *Servos non contentus multis difficultatibus a libertate, multoque pluribus a libertate justa removisse.* Justa illa qui manumissi plane, pleneque liberi erant: qui altera, *vinculo* adhuc *quodam*, ut ait Tacit. Annal. XIII. 27. 4. *attinebantur servitutis:* imo retrahi poterant in servitutem. Fragmentum quoddam Ic. veteris a Puteano. *Hi, qui domini voluntate in libertate erant, manebant servi: & manumissores audebant in servitute denuo eos per vim ducere. Interveniebat prætor, & non permittebat manumissum servire.* Et addit post: *Sed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur, & fiunt Latini Juniani.* Scite ergo ob hunc iteratæ servitutis metum Messenio servus, qui inter amicos manumissus, subjicit apud Plaut. Men. v. 9. 88.

Sed meliore opus est auspicio, liber perpetuo ut fiem.

Lips. in Tacit. Annal. XIII. n. 89. Loon. de Manum. I. 1. 2. . . . Pith. Subc. II. 9. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 6. Moribus apud veteres receptum erat, uti servus interdum cum domino quasi pacisceretur in certum pretium: quod si exsolvisset, *liber* esset. Id pretium e peculio servi, vel adventitio lucro. Senec. Epist. 80. *Mancipia quoque conditionis extremæ, & in his sordibus nata omni modo exuere conantur servitutem; peculium suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Eo respexit Virg. Ecl. I. 33.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculî.

Ita quoque intelligendus est ille versus ad Priapum 40. 1.

Nota Suburanas inter Telethusa puellas,
Quæ puto de quæstu libera facta suo est.

Vetus sane ille mos, cujus vestigia in Plauto. Ita Strobilus reperto thesauro Aul. v. 1. 8.

Quin ego illi me invenisse hanc prædam dico atque eloquor?
Igitur orabo, ut manu me mittat.

Gripus Rud. IV. 2. 23.

Nunc sic faciam, sic consilium est, ad herum ut veniam docte, atque astute.
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.

Ejus meminit Tacit. Annal. XIV. 42. 1. *Haud multo post præfectum Urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit: seu negata libertate, cui pretium pepigerat. . . .* Servi hoc modo *libertatem* pacti a dominis fidei causa tabellas accipiebant. Senec. Epist. 80. *Itaque in tabellas conjicitur vanum nomen libertatis, quam nec, qui emerunt, habent, nec qui vendiderunt.* Has *instrumenta status* vocat Paull. l. 3. §. 1. ff. quod metus causa. Poterantque ad eam invitis dominis pervenire. Plaut. Cas. II. 5. 5.

Quid tu me vero libertate territas?
Quid si tu nolis, filiusque etiam tuus,
Vobis invitis, atque amborum ingratiis
Una libella liber possum fieri.

Hoc non aliter est intelligendum, quam ut cum hero jam ante pactus fuerit in libram. Si vero nolint eos domini manumittere, possunt cum iis consistere. Hermogen. l. 53. ff. de Judiciis: *Adversus dominos servis consistere permissum est, si qui suis nummis redemptos esse, & non manumissos, contra placiti fidem adseveret.* Si probaverint suis se nummis redemisse, liberi erant, sin minus, in metallum damnantur. Marcian. l. 5. ff. de Manum. *Si quis dicat se suis nummis emptum, potest consistere cum domino suo, cujus in fugam confugit, & queri quod ab eo non manumittatur, Romæ quidem*

dem apud præfectum ærarii, in provinciis vero apud præsides ex sacris constitutionibus divorum fratrum, sub ea tamen denuntiatione, ut is servus, qui hoc intenderit, nec impleverit, in opus metalli detur. Lipf. in Tacitum, Gruter. Suspic. VIII. 7. Taubman. in Plaut. Aululariam. Loon. ibid. III. 5. 8. Adjicio, frugi servos raro servisse ultra quinquennium. Testatur Cicer. Phil. VIII. 11. *Etenim P. C. cum non in spem libertatis sexennio post simus ingressi, diutiusque servitutem perpessi, quam captivi frugi, & diligentes solent, quas vigilias, quas sollicitudines, quos labores, liberandi populi Romani causa recusare debemus?* Gruter. l. l. Hanc semel qui erat adeptus, is eam, nisi ipse auctor factus esset, non poterat amittere. Cicer. pro Dom. c. 29. *Sancitum hoc juris a majoribus proditum sit, ut nemo civis Romanus aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit? Jus a majoribus nostris ita comparatum est, ut civis Romanus libertatem nemo possit invitus amittere. Quinetiam, si decemviri sacramentum in libertatem injustam judicassent, tamen, quotiescunque vellet quis in hoc genere solo rem judicatam referre posse voluerunt. Civitatem vero nemo unquam ullo populi jussu amittet invitus.* c. 30. *Majores nostri ea de civitate, & libertate ea jura sanxerunt, quæ nec vis temporum, nec potentia magistratuum, nec res tum judicata, nec denique universi populi Romani potestas, quæ cæteris in rebus est maxima, labefactare possit.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 6. Ne quidem exsul, aut deportatus. V. supr. in *Exsul.*

Libertas Latina *ad similitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in colonias missa est, videtur esse introducta.* Justinian. C. l. unic. de Lat. libert. toll. Qui dum hanc tollit, enumerare videtur eos modos, quibus Latini liberti fiebant. Principio enim per epistolam jubet *libertate* data quinque testibus adhibitis civitatem competere: quem esse Latinæ *libertatis* modum Cajus & Theophilus scribunt. Item inter amicos totidem testibus præsentibus. Addit, quod ex edicto Claudii olim Latinitas competebat, si ægrotus servus domo ejectus esset: hic enim olim *libertus* Latinus fiebat, hodie civis Romanus. Huc accedit, si ancilla adversus conditionem venditionis prostituta sit. Sed & qui pileati domini funus antecedunt, ut captivi cives Romani, qui in triumpho pileati incedebant, quasi liberati servitute ab eo qui triumphabat: ut Q. Terentius Culleo Scipionem Africanum apud Liv. XXX. 45. Sed quoniam hæredes solebant ostentationis gratia multos servos ita adornare, neque eis postea ut libertis utebantur, jussit Justinianus cives Romanos fieri: item illos, qui cadaver ventilare in lectulo viderentur, de quibus nihil accepi. Sed arbitror ejusmodi esse, atque eos, qui in funere Pontificum, aut optimatum hodie ad cadaver atrati cum insignibus, atque flabellis ministrant. Sed neque hos, neque illos, neque etiam ancillas prostitutas Latinitatem olim fuisse consecutas ab Justiniano aperte dicitur. Quod sequitur, apertum est, si *libertas* ei conditione data esset, sive testamento, sive vindicta, ut manumissus *libertate* Latina uteretur. Hunc enim olim Latinum fuisse non dubito, ex Justiniani lege civem Romanum. Sed & si sub conditione *libertas* datur, & hæres ei præstitisset antea *libertatem*, Latinus erat: si conditio existeret, civis, ut opinor, Romanus. Sed ex illa constitutione civis utroque casu, sed altero hæredis libertus, altero orcinus, hoc est, testatoris. V. infr. in *Liberti.* Si in liberali judicio superatus fuerat servus a domino, deinde servi pretium ab aliquo ei solutum esset, in Latinitate servus constituebatur: sed id quoque Justinianus tollit, & ei civitatem dat, patronatus jure illi ablato. Item Latina fiebat, quæ cum ancilla esset, homini libero fuit in uxorem a domino data, & dos ei, tanquam liberæ, data fuit. Sed & qui apud acta servum suum filium dixerat, aut ipsi servo instrumenta, ex quibus servus ostendebatur, tradiderit, vel ipse corruperit, qui novissimus Latinitatis modus fuisse dicitur. Et his omnibus casibus ex illa Justiniani constitutione cives Romani fiunt, hoc autem postremo necesse est quinque testes adesse, cum dominus instrumenta dat, aut ea corrumpit. Cæteros Latinitatis modos tollit, in quibus ille est, si servus ad convivium adhibeatur. Latini differebant a civibus Romanis, quod cives testamenti factionem haberent; Latini neque testamenta facere, neque ex testamento cuiquam succedere possint. A dedititiis, quod dedititii nullo pacto civitatem Romanam consequi poterant; Latini, si iterum testamento, aut vindicta, aut in ecclesia manumitterentur, cives fiebant. Hoc agnoscitur in Plin. Epist. VII. 16. 3. *Proconsul provinciam Bæticam per Ticinum est petiturus. Spero, immo confido, me facile impetraturum, ut ex itinere deflectat ad te. Si voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumisisti.* August. de Leg. in Junii Norbana, Cellar. in Plinium. V. & supr. in *Latini Juniani, Lex Junia Norbana, Lex Ælia Sentia, & Dedititius.*

LIBERTI dicebantur, qui servitutem servissent, & ex illa manumissi. *Ferret. Mus. Lap.* III. *Memor.* 33. *Salmas. de Manumiss.* c. 19. Quomodo manumissi fuerint, V. infr. in *Manumissio.* Per Urbem lectica non gestabantur. Hoc ut non crederem, inductus sum auctoritate Suetonii, qui Claudium Imperatorem, Harpocræ liberto *lectica per Urbem vehendi, spectaculaque publice edendi jus tribuisse* ferunt c. 28. n. 3. Mercur. Gymn. III. 11. Scheff. de Re vehic. II. 5. Ad imperium usque Diocletiani curia exclusi erant, nec ad decurionatum adspirare poterant. Diocletianus l. 1. C. si serv. aut lib. ad decur. aspir. *Si libertus jus aureorum annulorum adeptus non est, vel natalibus suis non restitutus, præses provinciæ, non tantum curiæ participare non permittat, sed juxta legis severitatem congruenti pœna mulctabit.* Hinc lege Visellia, damno cum infamia afficiebantur. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* I. p. 78. *Spanhem. Exercit. ad Constit. Anton. Imper.* I. §. 9. *Panciroll. de Magistr. munic.* c. 2. Patronorum nomina assumebant, illorumque gentiles dicebantur. Docet hoc Scævola. *Lucius Titius testamento ita cavit: prædiolum meum dari volo libertis, libertabusque meis, & quos hoc testamento manumisi, & Sejæ alumnæ meæ, ita ne de nomine familiæ meæ exeat.* . . . Post testatoris obitum *libertorum familia* vocabatur, ut docet Papin. l. cum pater §. libertis ff. de Legat. II. Hinc Pompeji quendam *libertum* Pompejum Lenæum a Plin. XXV. 5. & Suet. de Clar. Gramm. c. 15. n. 1. Lauream Tullium Ciceronis *libertum* a Plin. XXXI. 1. & Cornelium Alexandrum Cornelii Lentuli *libertum* a Suida appellari videmus. *Acad. Dispunct.* IV. 3. *Brisson. Ant. Select.* II. 14. *Gutber. de vet. jur. pont.* II. 7. *de jur. man.* II. 9. *Chiment. Bisell.* c. 8. V. etiam infr. in *Servi.* In sepulcris tamen familiaribus, sive hæreditariis sepeliri non poterant, nisi hæredes extitissent patrono, quamvis quidam inscripsissent, *monumentum sibi, libertisque suis fecisse.* Quæ ita tradit Ulpian. l. vel quod ff. de religios. *Brisson. de Form.* VII. p. 708. Illorum quidam fuit ordo, ut quidam primi, quidam secundi, & tertii dicerentur: quod alteri apud patronum priorem locum obtinerent, alteri proximum. Ergo primi, & secundi dicebantur, ut aliis omnibus potiores. Ac fortasse inde factum est, ut apud ICtos tam sæpe nomen primi, & secundi legamus. Et apud Mart. I. 2. 7.

Libertum docti Lucensis quære secundum.

& in quadam inscriptione: FECIT. SIBI. ET. PETIÆ. COLLIBERTÆ. PRIMÆ. UXORI. *Turneb. Adv.* XI. 9: XVIII. 3. *Pub. Subcis.* II. 9. Imperatorum ad certamen admittebantur, ita ut non modo hieronicæ coronati, sed etiam synodi xysticorum pontifices efficerentur. Antiqua inscriptio:

L. AURELIO. APOLAUSTO. MEMPHIO. AUGG. LIB. HIERONICÆ. CORONATO. ET. TON. DIAPANTON. APOLLINIS. SACERDOTI. SOLI. VITTATO. ARCHIEREI. SYNHODI. ET. AUGG. L. AURELIUS. PANICULUS. QUI. ET. SABANAS. PATRONO. OPTIMO.

Privatorum, sive patrumfamilias ad sacra certamina, & xystum admittebantur. *Mercur. Agon.* III. 17. In funere patroni ante lectum ejus ibant pileati. Liv. XXXVIII. 55.

Q. Te-

Q. Terentium Culleonem *adeo amicum Corneliæ familiæ fuiſſe, ut eum, ſicut ierat in triumpho, ſic in funere quoque P. Scipionis ante lectum iſſe pileatum memoriæ proditum ſit, & ad portam Capenam mulſum proſequentibus funus dediſſe.* Toque reſpexit omnino Juſtin. l. unic. §. ſed & qui C. de Latin. libert. tollend. *Ræward. Protribun. c. 7. Claſen. Theol. gentil.* I. 10. 25. Ingrati, & beneficii manumiſſionis immemores in ſervitutem retrahebantur, ad exemplum Athenienſium. De illis Valer. Max. II. 6. 6. *Age, quid illud inſtitutum Athenarum, quam memorabile? quod convictus a patrono libertus ingratus jure libertatis exuitur. Superſedeo te, inquit, habere civem, tanti muneris impium æſtimatorem. Nec adduci poſſum, ut credam urbi utilem, quem domi ſceleſtum cerno: abi igitur, & eſto ſervus, quoniam liber eſſe neſciſti.* Hinc Claudius *ingratos, & de quibus patroni quererentur, revocavit in ſervitutem.* Suet. c. 25. n. 4. Et Imperatores Honorius, & Theodoſius Cod. VI. 7. 4. *Libertinæ conditionis homines, vel eorum filii, etiam ſi militantes docebuntur ingrati, ad ſervitutis nexum procul dubio revocentur.* Ræward. Conject. I. 11. Savar. Sidon. Epiſt. IX. 10. Stephan. de Jurisd. vet. c. 14. Spanhem. Exerc. II. ad Conſtit. Anton. Imp. §. 9. Auguſt. de Leg. in Ælia Sentia. Loon de Manum. II. 6. §. 2. . . . Sichterman. de Pœn. milit. c. 9. Pitiſc. in Suetonium. Quinam illi, docet Paull. l. 19 ff. de jur. patron. *Ingratus libertus eſt, qui patrono obſequium non præſtat: vel res ejus, filiorumve tutelam adminiſtrare detrectat.* Marcian. ibid. l. 5. *Divus Claudius libertum, qui probatus fuerit patrono delatores ſummiſiſſe, qui de ſtatu ejus facerent quæſtionem, ſervum patroni eſſe juſſit, non libertum.* Ræward. Conject. I. 11. Pitiſc. l. l. Maximis opibus, & divitiis abundarunt Demetrius, Pallas, Narciſſus, Calliſtus, Licinus, Criſpinus, ut dominis locupletiores fuerint, & illorum opes in vulgare proverbium abierint. V. illas fuſius denarrantem *Kobierzyk. de Lux. Rom.* I. 2.

Liberti centenarii vocabantur, qui ſeſtertium centum millium patrimonium relinquebant. Juſtinian. Inſtit. de ſuccesſ. libert. §. poſtea vero: *Poſtea vero lege Papia adaucta ſunt jura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum eſt enim, ut ex bonis ejus, qui ſeſtertium centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores, quam tres liberos habebat: ſive is teſtamento facto, ſive inteſtatus mortuus erat: virilis pars patrono deberetur.* Juſtiniani vero conſtitutio *libertos* minores centenariis, hoc eſt, qui aureis minus centum, ut ipſe definit, cenſerentur, ex teſtamento jure patronatus liberat; ab inteſtato ſi ſine liberis decederent, eorum legitimam hæreditatem patrono defert. Sed ſi majores ſint, liberis hæreditatem defert; ſi ſine liberis deceſſerint, ab inteſtato eos vocat; ex teſtamento vero ad tertiam partem bonorum. *Auguſt. de Leg. in Papia Poppæa. Periʒon. Diſſert. de Leg. Vocon. p.* 170.

Liberti cedititii. V. illos ſupr. in *Dediticii.*

Liberti orcini vocabantur, qui ex dominorum orco receptorum, ſive, ut Apul. Met. III. p. 80. *in peculio Proſerpinæ & Orci familiæ numeratorum* teſtamento libertatem ſuam acceperant. Juſtinian. Inſtit. II. 24. 3. *At is, qui ex directo teſtamento liber eſſe jubetur, ipſius teſtatoris libertus ſit, qui etiam appellatur.* Auguſt. de Leg. in Junia Norbana. Zamoſc. de Senat. Rom. I. 13. Gyrald. Synt. deor. VI. p. 196. C. Tab. Senecth. II. 19. Cujac. Obſerv. III. 23. Ræward. Protribun. c. 7. Caſal. de Proph. Roman. rit. c. 16. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 21. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 35. n. 1.

LIBERTINI antiquo jure civili a *libertis* differebant, cum *liberti* ſuat ſervi manumiſſi; *libertini* autem *libertorum* filii: quam diſtinctionem Imperatores ſuſtulerunt. *Lambin. in Horat. Sat.* I. 6. 8. Qui ut hæc ita differeret, Suetonii locus mox laudandus, opinor, effecit. Unde discrimen, *libertinorum*, & *libertorum* diſcrimen ab Imperatoribus ſublatum, ignoro: ſomniaſſe hominem puto. Plautus certe, qui longe ante libertatem ab Imperatoribus oppreſſam vixit, nullam talem inter ejuſmodi appellationes differentiam extitiſſe oſtendit, cum *libertinam* eam ipſam nominat, quæ patroni ſui *liberta* erat Mil. Glor. IV. 1. 15.

PYR. *Quid? eane ingenua, an feſtuca facta e ſerva libera eſt?*

PAL. *Vah! egone ut ad te ab libertina eſſe auderem internuntius.*

Livius equidem IX. 46. *libertinorum filios ab Appio Claudio Cenſore in ſenatum lectos* prodit, ſed *libertinorum* filios fuiſſe *libertinos* non adſcribit. Quod eſt apud Suetonium Claud. c. 24. n. 3. his verbis: *Latum clavum, quamvis initio affirmaſſet non lecturum ſenatorem, niſi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit: ſed ſub conditione, ſi prius ab equite Romano adoptatus eſſet. Ac ſic quoque reprehenſionem verens, etiam Appium Cæcum, generis ſui proauctorem, cenſorem libertinorum filios in ſenatum allegiſſe docuit: ignarus temporibus Appii, & deinceps aliquamdiu libertinos dictos, non ipſos qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos.* Sed mendoſe, ut mea fert opinio. Nuſquam enim hoc apud bonos auctores reperio. Quare *liberti* dicuntur, cum ad patronos referuntur. Donat. Terent Andr. I. 1. 10. *Mihi ideo additum eſt, quia libertus ad aliquem dicitur.* Et eidem *libertini* appellantur, cum ingenuis opponuntur, & conditionis *libertinæ* homines ſignificamus. *Libertini* itaque vocati ſunt, qui aliquo pacto ſe ex ſervitute in libertatem vindicaſſent. Hoc tradit Juſtinianus allatus ſupr. in *Libertas.* Quod ſi, ut Suetonio placuit, *libertinos* manumiſſorum filios ingenuos homines eſſe ſtatuerimus, efficietur, ut idem fuerit ingenuus, & *libertinus*: quod tamen qui fieri poteſt, cum ingenuo *libertinus* ita opponatur, ut liber ſervo? Ea de re, ut *libertini* vocati, qui ex ſervitute fuerunt manumiſſi, ita ab iis qui generati fuerunt, quod proprium nomen non haberent, *libertinorum* filii ſunt nuncupati, non *libertini.* Quod ni ita ſit, cur non dixerit Cicer. Phil. III. 6. M. Antonium ex *libertina* liberos ſuſcepiſſe potius, quam *libertini filia*, cum id ad Antonii contumeliam diceret? Quod ſi qui ſunt manumiſſi *libertinorum* nomine appellati non ſunt, quo tandem alio ſunt? non ſervorum, cum eſſent libertate donati; non ingenuorum, cum ex ingenuis non ſint geniti; non libertorum, quia libertus patrono opponitur, non ingenuo; & libertus reſpectum ſignificet ejus, a quo liberatus eſt, non hominis, de quo nunc agimus, conditionem. Idem ergo homo *libertus*, & *libertinus*; *libertus* quidem ejus, a quo eſt liberatus, genere vero & conditione *libertinus*, id eſt, ex iis unus, qui ſervitute, quam aliquando ſervierunt, liberati ſunt. Unde Cicero in Verr. I. 47. *Trebonius fecit heredem libertum ſuum.* Et poſt de eodem ibidem: *Equiti Romano libertinus homo ſit hæres.* Cum enim dixit *libertum*, eum patronum habere; cum *libertinum*, qua generis conditione eſſet, notavit. *Caſtal. Var. Lect. c.* 13. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 6. *Valla Eleg.* IV. 1. *Manut. Quæſ. Epiſt.* I. 7. *Mercer. in Alex. Gen. dies* IV. 11. *Maſſon. Horat. vit. p.* 4. *Loon. de Manum.* IV. 2. Differebant ab ingenuis, quod magiſtratum non gerebant, in ſenatum non legebantur, ordinem nullum obtinebant: quia, præterquam quod aditum in curiam non haberent, nec equites, nec pedites erant: etiam in illo, quod ingenui, ſi rura poſſiderent; in ruſtica tribu cenſerentur (V. tamen infr. in *Tribus*) alioqui in urbana; *libertinis* vero agrorum neque poſſeſſio, neque inopia cenſum mutabit. Inter ipſos vero diverſa ratione ſuffragii. Erant enim qui ſuffragium in urbanis tribubus ferebant; quos eſſe pleroſque conſtat: erant, qui non in urbanis, ſed in ruſticis: erant, qui nec in urbanis, nec in ruſticis. Nam ſi quis *libertinus* prædium, prædiave ruſtica pluris HS. XXX. millium non haberet, cenſu excludebatur: indecorum, credo, putarunt, cujus ad humilitatem generis accederet inopia, eum inter cives Romanos cenſeri. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 13. *F.* 18. *E. de Comit. Rom. c.* 2. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 14. Debebant itaque eſſe in tribu, ut pateret eos liberos eſſe, quapropter Quintil. Decl. 311. probaturus addictum non eſſe ſervum, dicit eum *tribum habere.* Et Cajum Gracchum quendam ſervum eſſe, volens indicare Flor. III. 16. 1. ait *hominem ſine tribu, ſine nomine.* Loon. ibid. I. 6. 5. In quatuor urbanas tribus primus is, qui *libertinos*

etiam

etiam civitate donare instituit, Servius Tullius conjecit. Sed cum hæ parum honoratæ haberi essent cœptæ, ab ingenuis in rusticas frequenter est migratum, & rusticis eo nomine plurimum decoris, & ornamenti adjectum. Itaque *libertini*, cum se eo nomine contemni intelligerent, quod urbanas tribus ab ingenuis segregati tenerent, sæpius, ut in omnes dividerentur, pugnarunt. Primus autem Appius Claudius in censura, quam gessit an. 441. eos ex quatuor urbanis in omnes dispersisse, populari aura provectus existimatur, usque adeo; ut Plutarch. Poplic. p. 100. D. propterea Ap. Claudium primum *libertinorum* ordini suffragium dedisse dicat. Cujus factum cum ingenui, & tota nobilitas iniquissimo animo ferrent, visum est Q. Fabio Rulliano censori novem post annis eos excernere, atque iterum in quatuor urbanas redigere: quam rem adeo gratis animis acceptam esse inquit Liv. l. l. *ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret.* Eos tamen post censorum, qui secuti sunt, vel temeritate, vel negligentia ex iis exiisse, inde conjici potest, quod L. Æmilius Papus, & C. Flaminius censores an. 532. *libertinos, qui in omnes tribus dispersi essent, in quatuor urbanas redegerunt, Esquilinam, Palatinam, Suburanam, Collinam* teste Liv. Epit. xx. Tandem Ti. Gracchus censor an. 585. cum omnes *libertinos* omnibus pellere tribubus vellet, resistente C. Claudio collega, tandem eo descendit, ut in Esquilinam omnes referret. Hæc mihi videntur elici posse ex verbis Liv. XLV. 15. *In quatuor urbanas tribus descripti erant libertini, præter eos, quibus filius quinquenni major ex SCto esset. Eos, ubi proximo lustro censi essent, censeri jusserunt: & eos, qui prædium, prædiave rustica pluris HS triginta millium haberent, censendi jus factum est. Hoc cum ita servatum esset, negabat Claudius suffragii lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini universo adimere posse. Neque enim si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quam mutare jubere tribum, ideo omnibus & triginta tribubus emovere posse: id est, civitatem, libertatemque eripere, non ubi censeatur finire, sed censu excludere. Hæc inter ipsos disceptata, postremo eo descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, conjicerent. Esquilina sors exiit: in ea Ti. Gracchus pronuntiavit, libertinos omnes censeri placere.* Itaque huc intuens, Cicer. de Orat. I. 9. dixit: *Ti. Gracchus censor, Gracchorum pater, non accurata quadam orationis copia, sed nutu, atque verbo libertinos in urbanas tribus transtulit.* Significat autem eos, qui in rusticis essent, in urbanas esse redactos: quam unam ex quatuor Esquilinam fuisse scribit Livius. *Sigon. l. l. Manut. ibid. p.* 19. *Pigh. Annal. Rom. Tom.* I. *p.* 362. II. *p.* 136. 374. *August. de Leg. in Sulpicia. Perion. de Magistr. Græc. & Rom.* II. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2783. *A.* Stante Republica nec equitem Romanum, nec senatorem, aut magistratum curulem quemquam *libertinum*, aut *libertini* filium inveni, uno excepto Cn. Flavio: quem patre *libertino* natum, humili fortuna, populus tamen ædilem curulem creavit, beneficio captus, quia jus civile, repositum in penetralibus pontificum divulgaverat, fastis circa forum in albo propositis, ut, quando lege agi posset, sciretur. V. Livium supr. in *Fasti.* Legit omnino Ap. Claudius censor multos *Libertinorum* filios in senatum: & post aliquot tempus, non lecti cum essent, bis omnino in curiam irrepserunt: sed neque Appii lectionem illam ratam quisquam habuit: neque postea in senatu locum *libertinis* esse principes civitatis passi sunt. Erat enim sive lex, sive mos, vetustate confirmatus; ne cui, qui liberos patrem & avum citare non posset, aditus in senatum pateret. *Manut. ibid. p.* 36. *Zamosc. de Senat. Rom.* I. 6. *Sigon. l. l.* Hæc tamen jura illis tributa sunt I. ut accensi essent, ut scribæ. II. ut, uno verbo ut dicam, omnia, quæ homines de plebe, haberent. Itaque quo tempore lege Plotia, vel Aurelia, tres ordines judicia administrarunt, senatus, equester ordo, plebs, ipsi etiam *libertini*, ut cæteri de plebe, judices fuerunt. Hoc ut suspicarer, in hanc opinionem adductus sum verbis Dionys. IV. p. 226. *Libertinos omnium munium, quorum & cæteros plebejos, fecit participes.* Postea, plane ita esse ut crederem, fecit locus Cicer. pro Clu. c. 42. *Si quem Cn. Lentuli, aut L. Gellii libertus furti condemnavit, is omnibus ornamentis amissis, nunquam ullam honestatis suæ partem recuperabit: quos autem ipse L. Gellius, & Cn. Lentulus furti, & captarum pecuniarum nomine notaverunt, ii non modo in senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum judiciis absoluti sunt.* Et, quia illorum, quæ plebejorum, ut ait Dionysius, conditio fuit, certe non modo judices legi, verum etiam triumviratum nocturnum, ædilitatem plebis, tribunatum capere potuerunt: hi enim ordinis plebeji, non patricii, honores fuerunt, iisque facile crediderim, quod a Macro Licinio traditum scripsit Livius, Flavium, de quo dixi, functum esse, antequam ædilitatem curulem, qui patricius erat magistratus, obtineret. de quo video Livium dubitasse: qui non idem a L. Pisone, quod a Macro, scriptum videret. Ejus verba de Flavio sunt IX. 46. *Invenio in quibusdam annalibus, cum appareret ædilibus, fierique se pro tribu ædilem videret, neque accipi nomen, quod scriptum faceret; tabulam posuisse, & jurasse, se scriptum non facturum, quem aliquanto antea desiisse scriptum facere arguit Macer Licinius, tribunatu ante gesto, triumviratibusque: nocturno altero, altero coloniæ deducendæ.* Annales, quos Licinius non nominat, L. Piso is fuisse ostendit Gell. VI. 9. *Manut. l. l.* Sæpe aureo annulo sunt donati. Zamosc. de Senat. Rom. I. 16. V. supr. in *Annulus.* Eo nimirum consilio, ut eis non equestria modo ornamenta, sed etiam ingenuorum jura tribuerent. Unde scriptum reliquit Ulpian. C. de jur. annul. aur. *qui tali jure affectus esset, eum tanquam ingenuum vivere, tanquam libertum mori, quod nimirum patronus præteritus adversus ejus tabulas possessionem obtineret.* Quare cum dicat Dio XLVIII. p. 375. A. Menam, S. Pompeji libertum, post proditam patroni sui classem annulo aureo ab Augusto esse donatum, & in equitum censum adscriptum, eo munere in ingenuitatem adscitum interpretatur Suet. c. 64. n. 2. cum scribit, Augustum *neminem unquam libertinorum adhibuisse cœnæ excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem.* Sigon. l. l. Kirchman. de Annul. c. 16. Long. de Annul. c. 5. Pignor. de Serv. p. 270. Cujac. Observ. VII. 14. Referebantur etiam in tribus urbanas, sed non simul ac libertatem nacti erant, sicut L. Cornelio tribus concessa non fuit statim ac civitas, ut Cicero scribit pro L. Cornelio. Ideoque *patronus liberto tribum emit* mandat l. patronus ff. de Legat. III. quo jure, ut lex ait, ferret *commoda, & principales liberalitates.* Cujac. ibid. Non ex ordine, sed difficillimis tantum Reipublicæ temporibus conscripti sunt. Neque enim credendum est, si ex ordine meruissent, ita de iis scripturum fuisse Liv. X. 21. *Senatus justitium indici, delectum omnis generis haberi jussit: nec ingenui modo, aut juniores adacti sunt, sed seniorum etiam cohortes factæ, libertinique centuriati.* An idem scriptum reliquisset XXII. 11. *Libertinos etiam, quibus liberi essent, & ætas militaris, in verba jurasse.* Unde scripsit Macrob. Sat. I. 11. *post calamitatem apud Thrasumenum notæ cladis acceptam libertinos quoque in sacramentum vocatos.* Aut literis prodidisset XL. 18. *Rei navalis curam non omissam, duumviros in eam rem consules creare jussos, per quos viginti naves deductæ navalibus sociis civibus Romanis, qui servitutem servissent, complerentur, ingenui tantum iis præessent.* Sigon. l. l. Robortell. de Pœn. milit. Thes. Antiq. Romn. Grævii Tom. X. p. 1485. D. Malvas. Marm. Felsin. Sect. V. c. 11. Ingenuas uxores domum ducere non poterant. V. supr. in *Ingenui*, nec senatorum filias. V. infr. in *Senator.* Nec *libertinis*, nec *libertinorum* filiis dabatur prætexta. Adimo illam eis auctore Ascon. p. 99. *Prætexta fuit honestorum, sed toga viliorum.* Et omnem dubitationem tollit, de Glaucia liberto ubi loquitur, Stat. Sylv. II. I. 136.

Sola verecundo deerat prætexta pudori.

Postea illis concessa fuit, si modo ex justa matrefamilias nati essent. Macrob. Sat. I. 6. *Libertinis nullo jure uti prætextis licebat; ac multo minus peregrinis, quibus nulla cum Romanis esset necessitudo. Sed postea libertinorum quoque filiis*

conceſſa eſt ex cauſa tali, quam M. Lælius augur refert, qui bello Punico II. *duumviros dicit ex S.C.to propter multa prodigia libros Sibyllinos adiiſſe; & inſpectis his nuntiaſſe in Capitolio ſupplicandum, lectiſterniumque ex collata ſtipe faciendum, ita ut libertinæ quoque, quæ longa veſte uterentur, in eam rem pecuniam ſubminiſtrarent. Acta igitur obſecratio eſt pueris ingenuis, itemque libertinis, ſed & virginibus patrimis matrimisque pronuntiantibus carmen: ex quo conceſſum, ut libertinorum quoque filii, qui ex juſta duntaxat matrefamilias nati fuiſſent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore geſtarent.* Manut. Quæſ. Epiſt. III. I. Bernart. & Cruc. in Statium. Bulla enim ſcortea libertinis in collo ſolebat ſuſpendi. V. Aſcon. ſupr. in *Bulla.*

LIBITINA dea funeribus præerat, omnique funebri apparatui, ac inſtrumento. Plutarch. Num. p. 67. D. *Præ cæteris colunt eam, quam appellant Libitinam, deam præſidem eorum, quæ defunctis juſta fiunt; ſive ea Proſerpina eſt, ſive, ut Romanorum eruditiſſimi arbitrantur, Venus ſit; haud male uni numinis virtuti, ea quæ ad ortum, & finem pertinent, adſcribentes.* Elegans, & acutum eſt epigramma Mart. VIII. 43. I.

Effert uxores Fabius, Chriſtilla maritos,
Funereamque toris quaſſat uterque facem.
Victores committe Venus, quos iſte manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 400. D. de Var. ſepel. rit. c. I. & ad illum Joh. Faes. Voſſ. de Idol. II. 27. Kirchman. de Fun. Rom. I. 9. Rhodig. Ant. Lect. XV. 25: XXIX. 18. Ferret. Muſ. Lapid. I. 26. Aring. Rom. Subterr. I. 17. 6. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Mag. Miſc. II. 19. Bellon. de oper. ant. præſt. I. 16. Meurſ. de Fun. c. 16. Moreſtell. Pomp. Funeb. I. 15. 7. Claſen. Theol. gent. I. 10. 16. Nardin. Rom. vet. I. 9. Torrent. in Horat. Sat. II. 6. 19. Hinc *ratio Libitinæ* apud Suet. Ner. c. 39. n. I. eſt acceptarum pecuniarum liber, quem conficiebant qui Veneris *Libitinæ* theſauro præerant. *Ephemeridem* mox vocabit Euſebius. Inſtitutum fuit Servii Tullii, ut nummus a propinquis inferretur in *Libitinæ* ærarium aliquo moriente. Dionyſ. IV. p. 220. V. illum infr. in *Nummus.* Voſſ. l. l. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium. *Venire in rationem Libitinæ* apud Suet. l. l. & *in ephemeridem referri* apud Euſeb. Chron. ad an. 2093. eſt mori, illorum nimirum nominibus ad illos, qui pecuniam pro mortuo pendi ſolitam exigebant, delatis. *Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium. Lomej. de Biblioth. c. 6.*

Libitina dicitur ipſa mors. Horat. Od. III. 30. 6.

Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Vitare enim *Libitinam* eſt mortem effugere, immortalitati ſe vindicare. Epiſt. II. I. 49.

Miraturque nihil, niſi quod Libitina ſacravit.

Bellon. de oper. ant. præſt. I. 16. Kirchman. de Fun. Rom. I. 9. Aring. Rom. Subterr. I. 17. 6. Faes ad Gyrald. de var. ſepel. rit. c. I. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Moreſtell. Pomp. Funeb. I. 15. 7. Pitiſc. in Suet. Ner. c. 39. n. I.

Libitina vocatur lectulus, in quo mortui efferuntur. Sidon. Epiſt. II. 8. *Sed cum Libitinam ipſam flentes omnes, externi quoque prenſitarent, remorarentur, oſcularentur, ſacerdotum, propinquorumque manibus excepta, perpetuis ſedibus dormienti ſimilior illata eſt.* Acron in Horat. Od. III. 30. 6. *Libitina lectus eſt, in quo mortui efferebantur.* Mart. VIII. 43.

— una duos ut Libitina ferat.

Quintil. Declam. VI. *Inanis domi Libitina plangitur.* Rhodig. Ant. Lect. XV. 25. Kirchman. de Fun. Rom. I. 9. Faes ad Gyrald. de var. ſepel. rit. c. I. Aring. Rom. Subterr. I. 17. 6. Savar. in Sidonium. Errat Acron. Nam potius feretrum erat, cui impoſitus lectus. Aſcon. pro Milon. *Faſces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypſæi.* Meurſ. de Funer. c. 20.

Libitina ſolet etiam adhiberi pro impenſis ad curandum funus neceſſariis. In *Libitinæ* enim templo venalia erant, quæcunque ad ſepulturam pertinebant. Plutarch. Quæſt. Rom. 23. *Quid cauſæ eſt, quod in æde Libitinæ, quæ ad ſepulturam pertinent, vendere conſueverunt?* Quo reſpexiſſe videtur Phædr. IV. 19. 25.

Qui circumcidis omnem impenſam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

Et *Libitina* dicitur non ſufficere, quando major morientium vis eſt, quam ut ex *Libitinæ* templo funeribus curandis quæ neceſſaria ſunt, a *Libitinariis* exhiberi poſſunt. Liv. XLI. 21. *Ne liberorum quidem funeribus Libitina ſufficiebat.* Obſeq. de Prodig. c. 65. *Gravi peſtilentia hominum, boumque cadavera, non ſufficiente Libitina cum jacerent.* Kirchman. de Fun. Rom. I. 9. Aring. Rom. Subterr. I. 17. 6. Faes ad Gyrald. de var. ſepel. rit. c. I. Ferret. Muſ. Lapid. I. 26. Moreſtell. Pomp. Funeb. I. 15. 7. Pitiſc. in Suet. Ner. c. 39. n. I.

Libitina etiam vocatur ferale officium, quo *Libitinarii* fungebantur. Val. Max. V. 2. *Marco Cornuto prætore funus Hirtii, & Panſæ locante, qui tunc Libitinam exercebant,* id eſt, qui ea tempeſtate in Republica Romana officio curatorum funerum fungebantur. *Faes ad Gyrald. de var. ſepel. rit. c. I. Kirchman. de Fun. Rom.* I. 9.

Libitina etiam in urbe Roma locus erat, in quo quæ funeris elationi neceſſaria erant, coemebantur. Acron. in Horat. Sat. II. 6. *Eſt Libitina locus in Urbe, quo conſtituuntur, qui efferenda cadavera conducunt, & præbent funeribus neceſſaria.* Meurſ. de Funer. c. 16.

LIBITINARII dicebantur, qui *Libitinæ* præerant. Ulpian. l. quicunque ff. de Inſtit. act. *Si libitinarius, quem Græci νεκροθάπτην vocant, ſervum pollinctorem habuerit, iſque mortuum ſpoliaverit, dandam in eum quaſi inſtitoriam actionem.* Habebant tabulas, in quas mortuorum nomina referebant, ut ſciri poſſet, quantum quoque anno funerum fuiſſet. Hoc cognoſci poteſt ex Suet. Ner. c. 39. n. I. *Peſtilentia unius autumni, qua triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* Euſeb. Chron. ad an. 2093. *Lues ingens Romæ facta, ita ut per multos dies in ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum referrentur.* Hoc genus hominum non ſolum quicquid ad exſequiarum apparatum requirebatur vendere: ſed & operam ſuam funerum curatoribus ſolebat elocare. Hujus ritus inſigne teſtimonium eſt apud Val. Max. V. 2. *Qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum ſuarum uſum, tum miniſterium gratuitum polliciti ſunt, quia ii,* Hirtius & Panſa, *pro Republica dimicantes occiderant, perſeverantique poſtulatione extuderunt, ut exſequiarum apparatus ſeſtertio nummo, ipſis præbentibus, addiceretur: quorum laudem adjecta lege conditio auget magis quam extenuat, quoniam quidem quæſtum contemſerunt, nulli alii rei, quam quæſtui viventes.* Inter viles habiti opinor propter ſordidum, & turpe genus vitæ: quandoquidem nulli alii rei vivebant, quam quæſtui, ut modo Valerius, quem abſque plurimorum morte facere non poterant. Senec. de Benef. VI. 38. *An tu Aruntium, & Aterium, & cæteros, qui captandorum teſtamentorum artem profeſſi ſunt, non putas eadem habere, quæ & deſignatores, & libitinarios, vota? Illi quorum mortes optent neſciunt: hi familiariſſimum quemque, ex quo propter amicitiam ſpei plurimum eſt, mori cupiunt.* Et *Demades Athenis eum qui neceſſaria funeribus venditabat, damnavit, cum probaſſet magnum lucrum optaſſe: quod contingere illi ſine multorum morte non poterat.* Meurſ. de Fun. c. 16. Kirchman. de Fun. Rom. I. 9. Moreſtell. Pomp. Funeb. I. 15. I. . 5. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 18. Gyrald. de var. ſepel. rit. c. I. & Faes ad illum. Aring. Rom. Subterr. I. 17. 6. Claſen. Theolog. gent. I. 10. 17. Bellon. de oper. ant. præſt. I. 16. Bud. in Pandect. p. 137. B. Lipſ. ad Senec. de Benef. VI. 38. Laurent. in Phædr. IV. 20. II. Schill Nomencl. Philol. p. 675.

LIBRA priſcis Romanis & pro nummo æreo, ut Siculis, & pro pondere, quia nummus olim illis ex ære ejusdem cum litra ponderis. Hic erat aſſis *librarius,* qualem etiam fuiſſe primo Siculis, Tarentinis, & aliis oræ

Italicæ Doribus accolis mihi compertum est. Præter nummi & ponderis notionem *libra* etiam Latinis instrumentum ponderandi appellatum est eodem nomine, quod Græcis ζυγός. Unde *libripens*, qui Græcis ζυγοστάτης. Et *libra* Critolai, quæ duas habet lances. Cicer. Tusc. Quæst. v. 17. *Salmas. de mod. usur. c. 6. Dolet. de Re naval. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* xi. *p. 713. E.* *Libra* opus erat, quia pecunia initio Urbis rudi ære constabat, ut pretium solveretur: neque enim signatis nummis utebantur. *August. de Legib. ad* xii. *tab.* §. 27.

Libra mensuralis est vas cubicum intus inane, tantum liquoris capiens, quantum vas unciale duodecies infusum adferre potest. Erat autem Galeni temporibus Romanis in usu vas corneum lineis intersectum, ipsum in duodecim lineas dividentibus: quam a ponderali *libra* differre vel hoc uno argumento probat G. Agricola ex Galeno, quod dodrans *libræ* mensuralis, seu novem mensurales unciæ pendeant septem *libræ* ponderalis uncias, & semissem. Adde quod sextarius oleo plenus, viginti uncias mensurales continens pendet uncias sedecim, quinque drachmas, & scripulum unum. Vini insuper sextarius *libræ* anius, & bellis in mensura pendet *libram*, & assem in pondere, & insuper semunciam, siliquas duas, cum duobus granis, & duabus tertiis grani: non est igitur eadem *libræ* mensuralis, & ponderalis ratio: nam mensura una eademque est omnibus liquoribus, pondus ut assem auctores dividere solent: putari itaque operæ pretium est. Hujus duodecima pars est uncia. Cui altera adjecta sextantem reddit. Sextanti tertia juncta fit quadrans. Quadranti quarta adjecta trientem totius assis reddit. Quinta si accesserit, habet quincuncem. Sexta superaddita semissem constituet. Accessio septimæ ad semissem, septuncem procreat: cui octava superaddita, bessem: bessi nona succedens, dodrantem: dodranti decima apposita, dextantem: dextanti undecima juncta, deuncem: deunci undecima si jungatur, *libram* constituet. Mensuræ *bilibris* meminit Horat. Sat. II. 2. 61.

—— cornu ipse bilibræ
Caulibus instillat veteris non parcus aceti.

Ubi de mensura, non de pondere agitur. *Libra* mensuralis una fuit in usu Græcis & Latinis, quæ uncias Romanas duodecim capit. Nam Græci medicinæ auctores suas mensuras ad *libram* mensuram Romanam reduxerunt. Est ergo in universum *libra* mensuralis duplex juxta variam pedis dimensionem. Nam a pede pendet uncia, & ab uncia *libra*. Una est libra Romana unciarum Romanarum duodecim, a qua etiam pendet exterarum mensurarum dimensio. Alia Parisina unciarum totidem, verum uncias habet majores quam Romana: ideoque est illa capacior. Superat illam in drachmis mensuralibus novem, seu uncia & drachma una. Hæc *libra* est hemina Parisina, seu semisextariolus, quam etiam cotylem dicere possumus Parisinam. Qua in re ne quis hæsitare possit, sciat me id experientia didicisse: quandoquidem ad lineam unciæ pedis Parisini curavi mihi fabricari vas unum cubicum intus inane, omnifariam unciale, seu pollicare, Galli vocant ung pousson, hoc inquam vasculum duodecies repetita infusione agnovi implevisse nostrum semisextariolum. Est igitur semisextariolus ille *libra* mensuralis Parisina, nostra cheopina bilibris, pinta vero quadrilibris. *Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 1450. *C. Savot. de Numm. ant.* III. 38. De *libra* scripserunt plurima Guilielmus Budæus, Georgius Agricola, Lucas Pætus, Leonardus Porcius, Josephus Scaliger, Ludovicus Savotus, Johannes Fridericus Gronovius, aliique. Horum commenta prolixiora, quia contractione breviora vix possunt fieri, hujus scripti ratio non admittit. Et ei de re hoc labore supersedeo.

LIBRARI dicitur aqua, cujus altitudo peræquatur e loco, unde oritur, ad locum quo ducenda est. Frontin. de Aquæduct. 1. *Ductus ejus habet longitudinem, ita exigente libramento, passuum* XIII. *millium.* Inde *libræ* aquariæ peculiariter erant factæ *librandis* aquis, ut αὐτόχρημα, sive chorobates. Inde *libra* interdum altitudinem, & fastigium significat propter *perlibrationem* aquarum. Frontinus: *Aquæ omnes diversa in urbem libra perveniunt*, id est, altitudine. *Keuchen. in Frontin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1636. *F. Philand. in Vitruv.* VIII. 6.

LIBRARIA *libros* dominæ exscribebat. Lapis antiquus:

SEXTIA. XANTA
SCR. LIBRARIA
EM. OL. II.

Juven. VI. 475.

—— perit librarius, ponunt
Cosmetæ tunicas.

Pignor. de Serv. p. 229. Britann. in Juvenalem. Sed an non palmam demus Pithœanæ glossulæ: *Librariæ, lanipendæ*, quæ ancillis nempe distribuerent, appenderentque lanam, ut a *libra* deducatur vocabulum. *Rusc. Flet.* II. 26. *Parrhas. Epist.* 18. *Britann. & Grang. in Juvenalem. Lener. Antiq. p.* 76. Euseb. Hist. Eccl. VI. 17. diserte scribit, Origeni ad manum fuisse *librarias*, una cum puellis, quæ scite, & concinne scriberent. Quo fit, ut minus credam interpreti antiquo Juvenalis, & veteri glossis civilis onomatorum, qui ponderum & *libram* substituunt. *Pignor. l. l.*

LIBRARIUS dicebatur servus, qui domino *libros* exscribebat. Cicer. Fam. XVI. 21. *Peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Græcus: multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis hypomnematis.* Hieron. ad Niciam. V. illum infr. in *Tabellarii*. Extabat in museo Carpensi Romæ antiquus titulus:

JUCUNDUS
DOMITI.F.
BIBULI. LIBRAR.
AD. MANUM.

Librarii munus aliquod indicat Cicer. Attic. XII. 6. *Id erit gratius, si non modo libris tuis, sed etiam in librariis per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli.* Pignor. de Serv. p. 228. Popm. de Oper. Serv. p. 67. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 828. E. Barth. Adv. L. 1. Long. de Annul. c. 8. Britann. in Juven. Sat. VI. 475.

Librarius legionis erat ille, penes quem liber, in quo illius legionis omnes milites descripti erant; vel, ut Vegetius II. 7. qui *in libros referebat rationes ad milites pertinentes.* Inscriptio Tarraconensis:

C. TADIO. C. F. JANUARIO. PISAURENSI.
VIXIT. ANN. XXXIV. C. TADIUS
LUCANUS. LEG. VII. G. F. LIBR.
OPTIME. DE. SE. MERITO.

Interpretor: Legionis septimæ Geminæ Felicis librarius. *Stewech. in Vegetium. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* VII. *p.* 260. *Popm. de Oper. Serv. p.* 70. *Cuper. Monum. Antiq. p.* 231. *Reines. Inscript. Class.* VIII. *n.* 41.

LIBRATOR dicebatur, qui in bello utebatur *librilibus*, bellicis instrumentis, quæ manu mittebat. Tacit. Annal. II. 20. 4. *Sensit dux imparem cominus pugnam, remotisque paullulum legionibus, funditores, libratoresque excutere tela, jubet.* Nam ut eos *excutere tela*, quod in hostes mittebant, dicto non quadrat. *Lips. Poliorc.* IV. 3. Hic olim fuit, credebar. Est potius, qui tormentis, aut hastas, aut lapides excutiebat: quia *librabat* scilicet, & jactus arte expendebat. Sic *vincla, ac libramenta tormentorum* appellat Hist. III. 23. 2. *Lips. in Taciti Annales. Turneb. Adv.* III. 25. XXIV. 3. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 4.

Librator aquæ dicitur, qui aquam ducendam *librat*: quique quo fastigio, aut in planitie, aut devexitate commodissime deduci possit, præscribit. Plin. Epist. X. 50. 3. *Superest, ut tu libratorem, vel architectum, si tibi videbitur, mittas, qui diligenter exploret, sitne lacus altior mari, quem artifices regionis hujus quadraginta cubitis altiorem esse contendunt.* Turneb. Adv. XXIV. 3. Bud. in Pandect. p. 272. B. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 4. Panciroll. de Corpor. artif.

§. 21.

§. 21. Græci poſteriores ζυγοστάτας vocabant, qui aquarum inventos ductus, & modos docili *libratione* oſtenderent; vel qui peritiam haberent aquam *librandi* ad libellam. *Kenchen. in Frontin. de Aquæd. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1636. *F.*

LIBRI quinam dicantur, docet Ulpian. infr. in *Libri in corio.* videntur olim compti fuiſſe ſericeis, aut purpureis laciniis, propendentibus videlicet ad ornatum majorem. Ovid. Triſt. I. I. 12.

Hirſutus ſparſis ut videare comis.

Porphyr. Epigramm.

Cum dederit clemens veniam, natumque, laremque
Reddiderit, comptis ibis & ipſa comis.

Illorum indumentum tingebatur purpura. Ovid. ibid. n. 5.

Nec te purpureo velent vaccinia ſucco.

Mart. I. 118. 15.

De primo dabit, alterove nido
Raſum pumice, purpuraque cultum
Denarus tibi quinque Martialem.

Porphyr. ibid.

Purpureo fulgens habitu, radiantibus uncis.

Unci, ita enim legendum, quia intus eſt vox nihili, apud Porphyrium, libros includebant, ne frontes cito rumperentur. *Cornua* vocantur Ovidio & Tibullo ſupr. in *Cornua librorum.* Barth Adv. XXII. 18. Non eodem modo, quo epiſtolæ ſcribebantur. Pluribus enim paginis conſcripti circa lignum, aut aliquid oſſeum, vel corneum teretis formæ involvebantur. Id appellabant umbilicum. Extremæ partes, ut modo dictum, a ſimilitudine vocabantur cornua. Epiſtolæ autem nec ſemper una, pluribuſve, ſed modo una, modo pluribus conſcribebantur paginis; nec involvebantur, ſed complicabantur. Complicatis, linoque transjectis, qui mercatorum hodie mos eſt, annulus imprimebatur. Objicietur Cicer. Fam. III. 7. *Appiani mihi volumen a te reddiderunt,* quod de una epiſtola dictum eſſe eo conſtat, quia ſequitur, *Eadem epiſtola petebas* Sed *volumen* dixit non de involuta epiſtola, ſed de longiſſima, quæ voluminis inſtar eſſet. Quod ſi epiſtolas conſervari opus eſſet, alia ratio erat: tunc enim non complicabantur, ſed involvebantur; quotque epiſtolarum libri, tot volumina fiebant. Unde illud Fam. XVI. 17. *Video, quid agas: tuas quoque epiſtolas vis referam in volumina.* Attic. XII. 13. *Evolvi volumen epiſtolarum tuarum.* Ad Cornificium autem Fam. XII. 30. cum ſcripſit: *Non te epiſtolis, ſed voluminibus laceſſerem,* non de multis epiſtolis dixit, ſed de longiſſimis, quæ volumen ſingulæ conficere viderentur. *Manut. Quæſ. Epiſt.* II. I. Reponebantur in bibliothecis ſupra arbores plumbeas. V. ſupr. in *Bibliotheca.* In pœnam ab inimicis comburebantur. Interdum per triumviros. Tacit. Agric. c. 2. n. I. *Delegato triumviris miniſterio, ut monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio, ac foro urerentur.* Interdum per prætorem. Val. Max. I. I. 12. *Numæ libros Græcos, quia aliqua ex parte ad ſolvendam religionem pertinere exiſtimabantur, L. Petillius prætor urbanus, ex auctoritate ſenatus, per victimarios igne facto, in conſpectu populi crematit.* Interdum per ædiles. Tacit. Annal. IV. 35. 4. *Cordi Cremutii libros per ædiles cremandos cenſuere patres.* Primus Romanorum hanc ingenii ſui pœnam ſubiit Labienus. Senec. Contr. præf. v. *In hunc primum excogitata eſt nova pœna; effectum eſt enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova, & inſueta, ſupplicia de ſtudiis ſumi.* Lipſ. in Tacitum. Rhodig. Ant. Lect. XI. 13 Pitiſc. in Suet. Tib. c. 61. n. 9.

Libri Acherontici dicebantur, in quibus ſacra Acherontia, & ceremoniæ deſcripta erant. Arnob. II. p. 87. *Neque quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur.* Illos ſcripſiſſe credebatur Tages. Serv. Æneid. VIII. 398. *Atqui ſupra ait, debita. Sed ſciendum ſecundum aruſpicinæ libros, & ſacra Acherontia, quæ Tages compoſuiſſe dicitur, fata decem annis quadam ratione differri.* Hos *libros Etruſcos* indigitarat antea: *Sed hanc imminentium dilationem Etruſci libri primo loco a Jove dicunt poſſe impetrari.* Herald. in Arnobium. Lomej. de Biblioth. c. 6.

Libri aruſpicini dicebantur, qui diſciplinam, quæ ex extis divinare docebat, continebant. *Lomej. de Biblioth. c.* 6. Illorum originem V. ſupr. in *Aruſpicina.*

Libri augurales dicebantur, in quibus tota augurandi ſcientia ex avium cantu, volatu, paſtu, per præcepta, & exempla ſine dubio explicabatur. Horum meminerunt Cicer. de Divin. I. 33. & Serv. Æneid. IV. 45. & Feſtus in voce Paludati. Hos *reconditos* vocat Cicer. pro Dom. c. 15. *Lomej. de Biblioth. c.* 6.

Libri cenſorii dicebantur tabulæ, in quibus annotata erant omnium eorum nomina, qui Auguſti tempore cenſi fuerunt. In illis etiam nomen Servatoris noſtri, & ejus nativitatis tempus legebatur. Tertull. adv. Marc. IV. 7. *De cenſu Auguſti, quem teſtem fideliſſimum Dominicæ nativitatis Romana archiva cuſtodiunt.* Lomej. de Biblioth. c. 6.

Libri in ceris, quos deſcriptos dicit Plin. XIII. 11. quales fuerint, dubium fortaſſe videri poteſt, præſertim cum annotaverit Hermolaus in caſtigationibus codices antiquos habere *ſchedis,* non *ceris,* eamque ſibi lectionem non diſplicere. Verum ego utroque modo recte legi poſſe arbitror, ſenſu ſemper eodem manente. Schedæ enim erant aſſeres, ſive tabellæ ſectiles, non abſimiles ſcandulis, quibus tecta, tegularum vice, in quibusdam locis teguntur. Unde σχίδαι proprie a veteribus appellantur ligna fiſſa in uſum ſacrificiorum, ut tradit Schol. Ariſtoph. in Pace. Schidiis etiam pro ligni fragmentis accipit Vitruv. VII. 10. Schedas has, ad ſcribendum uſui ut eſſent, dolabra, & aſcia parabant, accuratius expoliebant, & inducta cera ſolicitius illiniebant, & obducebant, ſuam præſertim ob duritiem minus idoneas, cum ad literas recipiendas, tum easdem abolendas. Ad eum modum paratæ proprie dicebantur ceræ. Et ea de cauſa ceras legimus pro libellis, ſive epiſtolis. V. ſupr. in *Cera.* Etiam in hac ipſa de papyro tractatione XIII. 12. Plinio ſignificat pagellam, ſive laminam a papyri caule avulſam: ſeu, quod idem eſt, alterum de duobus chartæ ipſius artifici manu confectæ corium: *Turbidus,* inquit, *liquor vim glutini præbet, cum primo ſupina tabulæ ſcheda allinitur, longitudine papyri, quæ potuit eſſe ſegminibus utrinque amputatis. . . . Ratio deprehendit vitium, unius ſchedæ revulſione plures infeſtante paginas.* Guiland. Papyr. III. n. 36. Sine dubio legendum in *ſchedis.* Sed tamen aliud eſt ſcribere in *ceris,* aliud in *ſchedis.* Nam ceræ deletiles erant, ſchedæ non item; quæ nihil aliud quam pagellæ ligneæ. Caſſiod. II. *Erat indecorum, fateor, doctos ſermones committere, tabulis impolitis, & veternoſis ramalium imprimere, quod ſenſu diſertus poterat elegantia reperire.* Scalig. in Guiland. p. 15.

Libri in corio dicuntur Ulpian. l. 52. ff. de leg. III. *Librorum appellatione continentur omnia volumina: ſive in charta, ſive in membrana ſint, ſive in quavis alia materia; ſed ſi & in phylira, aut tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio: idem erit dicendum.* Nemo intelligat per illos de tergore animalium factos, qui iidem ſunt cum membraneis, ſed qui e cortice arborum a tilia differentium fiebant. *Guiland. Papyr. membr.* III. *n.* 50. Perperam. Communi ſenſu expertem eſſe oportet, qui ſine adjectione corticem, aut librum arboris corium vocat. Nam ego intelligo aliud corium, quam tergus ovillum. Pergamenæ enim membranæ κατ' ἐξοχὴν ſunt ovillæ. Alii carbaſinis voluminibus complicati *libri,* ex ovillis multi quoque tergoribus. Corium primigenia origine eſt tergus animalium: ad alia transfertur cum adjectione. *Scalig. in Guiland. p.* 17.

Libri elephantini dicebantur, quia ſcripti *libris* prægrandibus. *Fabric. Deſcript. Urb. c.* 6. Ab operis magnitudine, quaſi elephanti proceritate. Erant enim ingentes, quia triginta quinque *libros,* in quibus nomina triginta quinque tribuum referebantur, majores inſtituerunt. *Scopp. Collect.* I. 18. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI 22. *Brod. Miſc.* IV. 12. *Lomej. de Biblioth. c.* 6. Quidam minus vere e pellibus ipſius elephanti confectos volunt. *Donat. de Urb. Rom.* II. 23. Meminit illorum Vopiſc. Tacit. c. 3. *Habet biblio-*

theca Ulpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc Sclum perscriptum est. Et illos vocat Ulpian. l. 52. ff. de leg. III. *Quod si in codicibus sint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis, an librorum appellatione contineantur, videamus.* Ut ridiculum esse apparet illorum commentum, qui dictos autumant ab operis amplitudine, quasi elephantorum proceritas nominis ansam illis dederit. *Guiland. Papyr. membr.* II. *n* 48. Scalig. in Guiland. p. 16. ex elephantorum omentis esse vult nos *libros* testimonio Isidori VI. 12. qui *historias majore modulo scribi solitas* refert, *non tantum in charta, aut membranis; sed etiam omentis elephantinis.* Et ejus sententia fortasse vera est. Sed quod existimat aliud elephantinum, aliud eboreum; ut aliud ebur, aliud elephantum fuisse, id aliter se habet. Nam Latini & elephantum pro ebore, & elephantinum pro eboreo non raro usurpant. Virg. Æneid. III. 464.

— auro gravia, sectoque elephanto.

Ubi Servius: *pro ebore posuit, Græce dixit.* Sic elephantinum pro eboreo apud Martianum Capellam legere memini. Isidori glossæ: *Ebore, elephantino osse.* *Libri* igitur elephantini sic esse possunt, ut *cervices eboreæ* apud Ulpianum. Et ego apud Vopiscum eboreos accipi debere existimo. Nam quod ille ebur ineptam materiam scribendo esse affirmat, & eadem opera negat veteres in ebore scripsisse, & ei rei comprobandæ adjicit, sibi experienti in ebore politissimo scribere; usu venisse sæpe, ut literæ fugerent in lubrico illius materiæ: id non miror de nostris illis calamis pennacei generis, quibus hodie scribimus. Nam veteres alios de arundine habuere, quos etiam aliter temperabant; atramentum quoque, quo utebantur, a nostro atramento diversum, ebori pingendo aptius fuerit, quam quo hodie utimur. Veteres vero in ebore scripsisse, & eboreis tabulis ostendo ex disticho Mart. XIV. 5. cujus lemma: *eborei pugillares.*

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Nec eo possis confugere, de ceratis pugillaribus accipiendum apud Martialem. Stat contra Martialis ipse, & alios a ceratis eboreos pugillares facit. Quin apertissime candidum, & nudum ebur pingi, perscribique indicat. Et eo allusum esse suspicor a Plaut. Most. I. 3. 102. cum dicit:

Una opera ebur atramento candefacere postules.

Sectiles igitur ex elephanto, hoc est, ebore tabellas *elephantinos libros* vocat Vopiscus. Aliter dicuntur *elephantina omenta* Isidoro, nempe quæ sunt elephaintis: aliter *elephantini libri*, ex elephanto, hoc est, ebore sectili. *Salmas. in Vopiscum. Ouzel. in Gell.* XI. 17. *Hug. de prim. scrib. orig.* c. 10. Et hos eboreos interpretantur *Turneb. Adv.* XXX. 20. *Brod. & Donat. l. l.* *Senatusconsulta, quæ ad principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur*, ut addit Vopiscus. Et primum in ærario Saturni, deinde in bibliotheca Ulpii asservabantur. *Marlian. Topogr. Urb.* IV. 21. *Fabric. l. l.*

Libri fatales dicebantur, quibus hominis ætas ex Etruscorum disciplina describebatur. Censor. de Die nat. c. 14. *Etruscis quoque libris fatalibus ætatem hominis duodecim hebdomadibus describi Varro commemorat: quæ duo ad decies septenos annos posset fatalia deprecando rebus divinis proferri.* Hos consulebant Romani malis oppressi, morbis, vel peste impliciti. Liv. V. 14. *Quos pestis ejus arcendæ causa placandos esse in libris fatalibus inventum sit.* XLII. 2. *Prodigia expiari, pacemque deûm peti precationibus, quæ editæ ex fatalibus libris essent, placuit.* Lomej. de Biblioth. c. 6. Lindenbrog. in Censorinum. Blond. Triumph. Rom. I. p. 26. H. Mod. Epist. 27. Buleng. de Orac. c. 128.

Libri fulgurales dicebantur de fulguribus scripti. Horum meminerunt Cicer. de Divin. I. 33. Ammian. XXIII. 5. Bigois nympha apud Tuscos artem fulguritarum scripsit, cujus *libri* in templo Apollinis servabantur. Serv. Æneid. VI. 72. *Lomej. de Biblioth. c. 6.*

Libri lintei vocabatur tabulæ lintea tela inductæ. In hujusmodi *libris* I. Sibyllini scribebantur. Symmach Epist. IV. 34. *Itane de me ludos facis, ut quæ apud te incuriosius loquor, in styli candidi, aut illice pugillares exscribi mandes ... ne facilis senectus papyri scripta corrumpat. Et Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata est. Monitus Cumanos lintea texta sumpserunt: tu etiam sericis voluminibus Achæmenio more infundi literas meas præcipis.* Claud. de Bell. Get. n. 230.

Quid meditentur aves? quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui? quid carmine poscat
Fatidico, custos Romani carbasus ævi?

II. Leges Constant. Aug. tit. 27. lib. 11. C. de alimentis, quæ inopes parentes de publico petere debeant. Lib. 1. ad Ablavium: *Æreis tabulis, vel cerussatis, aut linteis mappis scripta per omnes civitates Italiæ proponatur lex, quæ parricidarum manus a parricidio arceat.* III. Privatæ epistolæ principum. Vopisc. Aurel. c. 8. *Inveni nuper in Ulpia bibliotheca inter linteos libros epistolam D. Valeriani.* IV. Fasti, & publica acta. Liv. IV. 7. *Licinius Macer auctor est, & in fœdere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inventos.* V. Quæcunque ludicra. Sidon. Epist. IX. 16. 33.

Præter heroos, joca multa mulus
Texui pannis. . . .

Totam difficultatem expedit Plin. XIII. 11. *In palmarum* (forte *malvarum*) *foliis primo scriptitatum, deinde quarumdam arborum libris, postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut cereis.* Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. III. 24. Savar. in Sidonium, Dalechamp. in Plinium. Hugo de Prim. scrib. orig. c. 10. Guiland. Papyr. III. 35. Ortel. Deor. & dear. cap. I. 19. Vocabantur n. pp ε. Auctor. de Limit. p. 266. *Terminus si scriptus fuerit, & punctos habuerit literis Græcis, sequeris cursum ejus asion, hoc est, ab oriente per literas Græcas de mappa.* Inde *lintea mappa* Constantino Augusto jam laudato. *Salmas. in Vopiscum.* Servabantur in æde Monetæ. Liv. IV. 20. *Quodque magistratuum libri, quos linteos in æde repositos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores.* & c. 7. modo citato. *Ferret. Mus. Lapid.* IV. *memor.* 21. *Lomej. de Biblioth. c. 6. Ortel. Deor. & dear. cap.* I. 19.

Libri Numæ Pompilii. V. illos supr. in *Charta.*

Libri patrimoniorum vocabantur ingentes illi, quibus rationes complectebantur, quot n. agrorum jugera haberent, & per quos colenda: quantum pecorum, & ubi pascentium: quantum servorum, quantum ædium, & qui hinc reditus annuus. Senec. de Benef. VII. 10. *O miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus; & vasta spatia terrarum, colenda per vinctos; & immensi greges pecorum, per provincias, & regna pascendi; & familia bellicosis nationibus major; & ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia.* Meurs. de Lux. Rom. c. 1.

Libri pontificales dicebantur, quia pontifex maximus, ex instituto Numæ Pompilii, habebat *sacra omnia exscripta, exsignataque; quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica, privataque sacra ejus scitis erant subjecta, ut esset, quo consultum plebes veniret.* Liv. I. 20. *Lomej. de Biblioth. c. 6.* Vocabantur etiam *Indigitamenta.* V. supr. in *Indigitamenta.*

Libri rituales vocabantur, *in quibus perscriptum, quo ritu condantur urbes, aræ, ædesque sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure portæ, quomodo tribus, curiæ, centuriæ distribuantur, exercitus constituantur, ordinentur, cæteraque ejusmodi ad bellum & pacem pertinentia.* Festus. Censorin. de Die nat. c. 11. *Etruscorum libri rituales videntur indicare.* Cicer. de Divin. I. 33. *Quod Etruscorum declarant rituales libri.* Lomej. de Biblioth. c. 6. Lindenbrog. in Ammian. XXIII. 5. & Censorinum. Choul. Relig. vet. Rom. p. 274.

Libri Sibyllini dicuntur Liv. XXXVI. 37. *Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos ex S.C. decemviri quum adiissent, renuntiarunt.* Hos anus hospita, atque peregrina, quæ postea constanti omnium opinione Sibylla Cumana credita fuit, nomine Amalthea, Tarquinium Superbum

Regem Romanum adiit, novem *libros* ferens, quos Sibyllinis oraculis plenos esse affirmabat, eosque velle se venum dare dixit. Tarquinius pretium percunctatus, mulier trecentos Philippeos poposcit. Rex, quasi anus ætate desiperet, irrisit, & aspernatus est *libros* ob pretii magnitudinem. Tum illa foculo coram eo accenso, tres *libros* ex novem combussit, sive a Regis conspectu discedens, eos igni tradidit, reversaque nunquid reliquos sex eodem pretio emere vellet, Regem interrogavit. Tarquinius multo magis irrisit aniculæ dementiam, eamque delirare respondit, quod idem peteret de paucioribus pretium, quod nec de pluribus accipere potuisset. Tum mulier statim coram Rege, vel discedens, tres alios combussit. Reversa illum denuo placide interrogavit, an tres reliquos eodem illo pretio emere vellet. Rex tum altius constantia commotus, eam mulieris confidentiam non omnino aspernandam esse existimavit: quare auguribus arcessitis rem per ordinem enarravit, atque quid anus quædam esset, poposcerit. Illi ex quibusdam signis intelligentes, rem illam necessariam, a diisque in Urbis salutem missam, Regi rejectione illa librorum magnam jacturam factam esse demonstrantes, quod non omnes emisset, eum reliquos emere hortati sunt, dato pretio, quod poposcerat anus. Mulier ei dans *libros* diligenter servandos esse præmonuit, & discessit. Dionys. IV. p. 259. Gell. I. 19. Solin. c. I. Sunt, qui non Superbo, sed Prisco oblatos scribunt. In illis est Lactant. I. 6. Plin. XIII. 13. tres, non novem fuisse scribit, ac combustis duobus tertium superfuisse. Suidas novem tradit, eosque oraculorum peculiarium vocat, hoc est, ad certum aliquem populum spectantium, sed combustos tantum duos, reliquos omnes superfuisse. *Panvin. de Sibyll. & carm. Sibyll. p.* 309. *Rosin. Ant. Rom.* III. 24. *Taffin. supr. in Duumviri Sibyllini. Guiland. Papyr. membr.* XXV. *n.* 4. *Petit. de Sibyll.* II. 4. *Thys. in Gellium. Schmid. de Sibyll. c.* 8. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 53. *Kipping. Antiq. Rom.* I. 12. §. 15. *Lomej. de Biblioth. c.* 6. Cæterum *libri* hi, quos sive Priscus, sive Superbus Tarquinius emit, ab ipso in Capitolio, Jovisque Opt. Max. templi sacrario, in arca lapidea sub terra postea reconditi, religiosissimeque ibidem servati sunt. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 7. *Donat. de Urb. Rom.* II. 7. *Choul. Rel. vet. Rom. p.* 36 *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 4. *Panvin. l. l.* Horum custodia duumviris primum, V. supr. in *Duumviriri Sibyllini*: deinde decemviris, V. supr. in *Decemviri sacrorum*: postremo quindecimviris sacris faciundis V. infr. in *Quindecimviri sacrorum* commissa fuit. *Panvin. l. l. Van Dale de Oracul. ethnic. orig.* I. 18. *Guiland. Papyr. membr.* XXV. *n.* 8. *Schmid. de Sibyll. D.* I. In illis postquam Tarquinius Priscus fata Romanorum, cum aliis mirandis pluribus contineri vidisset: statuit, accedente præsertim augurum consilio, publicæ eos saluti consecrare. Constituit itaque, & post eum senatus, populusque Romanus perpetuo ratum habuit, ut in rebus arduis *libri* Sibyllini, tanquam fatorum futurorum oraculum quoddam a sacerdotibus ad hoc destinatis ex Scto adirentur. Dionys. ibid. p. 260. *Utuntur eis ex Scto si quando seditionibus turbetur status Reipublicæ, aut in bello insignis aliqua clades accepta sit; aut prodigia, & ostenta, quæ difficili conjectura magnum aliquod portendant: qualia multa contigere.* Schmid. ibid. D. 3. Incolumes manserunt usque ad bellum Marsicum, inclusi arcæ lapideæ. Post exactam vero tertiam supra centesimam & septuagesimam Olympiadem cremato Capitolio, sive per insidias, sive fortuito incendio, cum aliis donariis Jovis, igne absumpti sunt. Nam qui nunc exstant, e multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis urbibus, partim ex Erythris Asiæ ex Scto legatis illuc ad transcribendum missis; partim ex aliis urbibus, & a privatis hominibus descripti: in quibus inveniuntur supposititia quædam, ut narrant Dionys. ibid. p. 260. & Tacit. Annal. VI. 12. 4. *Panvin. ibid. p.* 315. *Van Dale de Fals. proph. c.* 5. *de orac. ethnic. orig. l. l. Borrich. & Lomej. l. l. Guiland. ibid. n.* 5. & 6. Hoc detrimentum parabat Augustus sarcire. De illo Suet. c. 31. n. 1. V. illum supra in *Imperator*. Borrich. l. l. Quos utcunque non a Cumæa vate profectos, & ob hoc ipsum suspectiores cum excusserit tandem principatu Honorii Stilico, ex confessione Rutilii Numatiani, nescio cur Sibyllina oracula adhuc orbi, seu magnam partem sincera, obtrudantur. *Borrich. & Lomej. l. l.* Et hæc an genuina sint, tanquam pro aris & focis, dum prior negat, & posterior affirmat, inter se disputant *Samuel Maresius* & *Erasmus Schmidius*.

LIBRILE est scapus *libræ*, sive κανών, e quo duæ propendent lances. Festus: *Librile, scapus libræ.* Gell. XXI. I. *Aut talionem in eo vel ad amussim æquiperarent, vel in librili perpenderent.* Voss. Lex. Etymol. Salmas. de Mod. usur. c. 6.

LIBRILIA sunt, quibus saxa jaciuntur in hostem. Festus: *Librilia appellantur instrumenta bellica, saxa scilicet ad brachii crassitudinem in modum flagellorum loris revincta.* Cæs. Bell. Gall. VII. 81. *Fundis, librilibus, sudibusque.* Lips. Poliorc. IV. 3. Voss. Lex. Etymol. Ultimis temporibus senescentis imperii in desuetudinem abierunt, sed magister rerum usus in eorum locum fustibalum commentus est. *Scalig. in Festum.*

LIBRIPENS, Græcis ζυγοστάτης. Plin. XXXIII. 3. *Quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, libripendes dicuntur: qua consuetudine in his emptionibus, quæ mancipi sunt, etiam nunc libra interponitur.* Priscian. VI. p. 726. Edit. Putsch. adfert ex Caj. Institut. I. *Adhibitis non minus quinque testibus puberibus, item libripende.* In eodem: *Qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens.* Originem habet ea vox a more antiquo, quo pecuniam pendebant, non numerabant. Sed quia populus Romanus consuetudinis, & formularum fuit retinentissimus, hinc factum, ut etiam postquam mos pecuniæ pendendæ sublatus erat, in mancipatione tamen *libripendis* opera uteretur, ut Plinius indicavit. Eandem consuetudinem in Topica his verbis exponit Boethius ex Caji Institut. *Is, qui mancipio accipiebat, æs tenens ita dicebat: hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo: isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra.* Hinc Horat. Epist. II. 2. 158.

Si proprium est, quod quis libra mercatur, & ære.

Voss. Lex. Etymol. in Libra. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 440. F. p. 454. & de Re numm. c. 7. E. Brisson. Ant. Lect. I. 7. Rævard. in leg. XII. tab. c. 16. August. de Leg. ad Leg. XII. tab. §. 26. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 834. B. Turneb. Adv. XXIX. 14. Pollet. For. Rom. V. I. Salmas. de Mod. usur. c. 6. Bud. de Asse I. p. 105. Cum de probitate auri, atque etiam argenti, & pondere plerumque contenderetur, in singulis civitatibus *libripens* vir hujus artis peritus, & fidelis erat constitutus, qui de monetis ortas controversias dirimebat. Julian. ad Mamertin. l. 1. C. de ponderat. *Quoties de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet, quem sermo Græcus zygostatem per singulas civitates constituimus, qui pro sua fide, atque industria neque fallat, neque fallatur contentionem dirimere.* Modum quoque in appendendo auro constitutum tradit ibid. *Aurum æqua lance, & paribus libramentis suscipiatur, scilicet, ut duobus digitis summitas lini retineatur. Tres reliqui liberi ad susceptorem emineant, nec pondera deprimant, nullo examinis libramento servato; nec æquis, aut paribus suspenso statere momentis.* Panciroll. de Magistrat. municip. c. 15. Testimonium defugientis pœnam V. infr. in *Testis*.

LIBUM est placenta mellita. Horat. Epist. I. 10. 10.

Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso;
Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.

Athen. III. p. 125. F. significat ex lacte, sesamo, & melle componi. *Altera postilhac est placenta, quam Romani libum nominant.* Stuck. de Sacrif. p. 199. Buleng. de Conviv. II. 53. Conficiebatur ad sacra. Ovid. Fast. I. 127.

—— cum Cereale sacerdos
Imponit libum, farraque mixta sale.

IV. 743.

Libaque de milio milii fiscella sequatur,
Rustica præcipue est hoc dea læta cibo.

In

In Terminalibus. Juven. Sat. xvi. 39.

— ſacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum vetulo coluit plus annua libo.

Dionyſ. ii. p. 133. *Numa Pompilius juſſit unumquemque circumſcribere fundos ſuos, ſacroſque finibus lapides adponere, lapideſque ipſos ſacravit. . . ſacrificabantque non animalium aliquid: neque enim pium eſt cruentare lapides; ſed pultes, & liba, & alias quaſdam fructuum primitias.* Saubert. de Sacrif. c. 24. In Bacchi ſacrificio. Virg. Georg. ii. 393.

Ergo rite ſuum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lanceſque & liba feremus.

Quia Bacchus mellis repertor. Ovid. Faſt. iii. 735.

Liba deo fiunt, ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

Lomej. de Luſtrat. c. 18. Offerebatur quoque Laribus. Calpurn. Ecl. ii. 65.

Nos quoque pomiferi Laribus conſuevimus horti
Mittere primitias, & fingere liba Priapo.

Tomaſ. de Donar. c. 11.

Libum teſtuatinum in teſta coquebatur. Varr. de Ling. Lat. iv. 22. *Libum teſtuatinum, quod in teſtu caldo coquebatur: ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ.* Buleng. de Conviv. iv. 18.

LIBURNÆ, & *Liburnicæ* fuerunt naves celeriores. Sil. Ital. xiii. 240.

Quanta eſt vis agili per cœrula ſumma Liburnæ,
Quæ, pariter quoties revocata ad pectora tonſæ
Percuſſere fretum, ventis fugit ocyor, & ſe
Quam longa eſt uno remorum prætereit ictu.

Propter illarum celeritatem, ut circumire claſſem, & expedire neceſſaria melius poſſet, illis vectus eſt Mæcenas apud Horat. Epod. i. 1.

Ibis Liburnis inter alta navium
Amice propugnacula.

Barth. Adv. lvii. 14. Meibom. Mæcen. c. 12. §. 12. Inventæ ſunt a *Liburnis* populis Illyrici, qui navibus velocibus uſi Ionium mare, inſulaſque prædabantur. Appian. Illyr. p. 758. Bell. civ. ii. p. 452. *Fuerunt Liburni alterum Illyriorum genus, qui Ionium mare, &, quæ in eo ſunt, inſulas, prædabantur celeribus, & levibus navigiis: unde etiam nunc leves, & celeres biremes Romanis Liburnicæ vocabantur.* Lucian. in Dialog. qui Ἔρωτες inſcribitur. *Cogitanti mihi in Italiam nave proficiſci, apparata eſt navis quædam levis, & expedita, ex earum biremium genere, quibus maxime uti videntur Liburni, natio, quæ ſinum Ionium accolit.* Bayſ. de Re nav. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 572. B. Dolet. de Re nav. Theſ. Gronov. ibid. p. 678. D. Stewech. ad Veget. iv. 32. Gyrald. de Re nav. c. 18. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 246. Voſſ. Lex. Etymol. Fuerunt biremes. Lucan. iii. 534.

Ordine contentæ gemino creviſſe Liburnæ.

Appian. l. l. ex quo in genere *Liburnas* δίκροτα interpretatur Bayſ. l. l. Sed ſub Auguſto, & poſterioribus temporibus triremes, quadriremes, aliæque id genus naves militares Romanis *Liburnicæ* ſunt dictæ. Suidas: *Triremes naves ſunt militares, quas Liburnas nominant.* Sic Vegetius, qui ſub Valentiniano vixit, non aliarum, niſi *Liburnicarum* mentionem facit, earumque nomine non biremes modo, ſed quaſcunque comprehendit. Verba ſunt iv. 37. *Quod ad magnitudinem attinet, minimæ Liburnæ habent ſingulos ordines, paullo majores binos, idoneæ menſuræ ternos, vel quaternos, interdum quinos ſortiuntur remigum ordines.* Scheffer. de Variet. nav. Theſ. Gronov. ibid. p. 782. D. de Milit. nav. ii. 2. Ignotum fuit nomen illarum uſque ad Auguſtum Cæſarem, a cujus demum temporibus propter inſignem bello Actiaco navatam operam tantam obtinuere claritatem, ut præter illas vix alias bellicis uſibus deſtinatas fuiſſe communium omnium fere ſcriptorum conſtet ſuffragio. Veget. iv. 33. *Auguſto dimicante Actiaco prælio cum Liburnorum auxiliis præcipue victus fuiſſet Antonius, experimento tanti certaminis patuit, eſſe Liburnorum naves cæteris aptiores. Ergo ſimilitudine, & nomine uſurpato ad earundem inſtar claſſem Romani principes texuerunt.* Voſſ. de Trirem. & Liburn. conſtr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xii. p. 726. D. Meibom. de Fabric. trirem. ibid. p. 629. A. Calcagn. de Re naut. c. 11. Scheffer. de Milit. nav. l. l. Panciroll. Notit. dignit. imper. occid. c. 81.

LIBURNUM fuit vehiculum conſtructum ad ſimilitudinem *Liburnæ* navis. Hoc principes Romani ſolebant vehi. Juven. Sat. iii. 239. V. illum ſupr. in *Lecticarii*. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 246.

LIBYA eſt vel ſuperior, ſeu prima, ab Orobo Cyrenaica appellatur. Hanc ait Strab. xvii. p. 576. Alexandriæ, & Mareotidi regionem primam *Libyam* vocari, quæ poſt Ægyptum in parte Africæ prima incipit a civitate Paratonio, & montibus Catabathmi. Inde ſecundum mare ad aras Philenorum extenditur, ubi orientis terminabatur imperium. *Pentapolis* dicta eſt a Plin. v. 5. ob numerum quinque clariorum civitatum, quas continet, ſcilicet Cyrenem, Apolloniam, Barcen, Arſinoem, Berenicem. Vel inferior, quæ longe verſus oceanum meridianum extenditur: a ſeptentrione habet Cyrenaicam, ab occaſu Syrtes majores & Troglodytas, a meridie Æthiopiam. Illius Ptolemæus Cyrenarum Rex populum Romanum hæredem reliquit, cujus urbes ſenatus liberas eſſe voluit, ut Sextus Rufus ſcribit. Auguſtus eam in provinciæ formam redactam Cretæ adminiſtrationi conjunxit, ut Dio & Strabo memorant. Hanc Appion Rex Romanis teſtamanto reliquit. Sextus Rufus: *Cyrenas cum cæteris civitatibus Libyæ Pentapolis Ptolemæi antiquioris liberalitate ſuſcepimus. Libyam ſupremo Appionis Regis arbitrio ſumus aſſecuti.* Panciroll. Notit. Dignit. Imper. Orient. c. 119. Sigon. de Jur. prov. ii. 16.

LIC.

LICET conſulere dicebant conſultores, qui ad ICtos conſulendi gratia adibant. Id non ſine præfatione faciebant. Rogabant enim an per otium, & per occupationes conſulere eos poſſent. *Licet* ne mihi tua opera uti, & a te conſilium expetere? V. ſupr. in *Conſulere*.

Licet dicere dicebant ſenatores de ſalute publica, & univerſa Republica quid decreturi. Liv. iii. 71. *Conſurgit P. Scaptius de plebe, magno natu: &, ſi licet, inquit, conſules de Republica dicere.* Briſſon. de Form. i. p. 167.

Licet rogare teſtes, a judicibus quandoque poſtulabant oratores. Cicer. de Orat. ii. 60. *Puſillus teſtis proceſſit, licet, inquit, rogare, Philippus? Tum quæſtor properans, modo breviter: hic ille, non accuſabis, perpuſillum rogabo.* Briſſon. de Form. v. p. 476. Torrent. in Horat. Sat. ii. 2. 192.

Licet ſignent dicebant veteres, cum tabulas, teſtationeſve conſignare permittebant, vel rogabant. Ovid. Pont. iv. 15. 11.

— teſtere licet, ſignate Quirites.

iii. 2. 23.

Sint hæc contenti venia, ſignentque licebit.

Briſſon. de Form. vi. p. 512.

LICIUM eſt filum, quod ſtamini in tela implicatur. Virg. Georg. i. 285.

Et prenſos domitare boves, & licia telæ
Addere.

Auguſt. ad Leg. xii. tab. §. 29. Braun. de veſt. Sacerd. Hebr. ii. 2. 11. *Liciorum* magnus uſus erat in veneficiis, nempe quia iis putarent mentes implicari, ac conturbari, haud ſecus ac *liciis* implicatur ſtamen. Ea autem erant *diſcolora*, ut loquitur Appul. Apol. p. 454. ſive varii coloris filis intorta, ut id extulit Petron. c. 91. Virg. Ecl. viii. 74.

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circumdo.

Cir. n. 371.

Terque novem ligat triplici diverſa colore
Fila.

Voſſ. Lex. Etymol. Cerda in Virg. Eclog. Taubman. in Cirin Virgilii. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 17. Turneb. Adv. xxi. 6. Pith. & Wouwer. in Petronium.

LICINIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

LICITATIO eſt ipſa pretii majoris oblatio in auctione facienda. De illa dixiſſe ſatis erit, *licitationem* a ſenatu approbari, donec pignus a judice addictum fuerit, etiamſi ipſe pignerator *licitetur*, ut eidem ſenatui viſum fuit. *Rabir. de Haſt. & auct. orig. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. (36.) C. Huic, qui ad publicorum conductionem accedebant, manu ſublata ſe offerebant. Feſtus. V. illum infr. in *Manceps.* Etiam digito ſublato *licitationes* fiebant. V. ſupr. in *Digitus.*

LICTOR. Illorum origo a Romulo, exemplum ab Etruſcis. Liv. I. 8. *Romulus tum cætero habitu ſe auguſtiorem, tum maxime lictoribus duodecim ſumptis fecit. Alii ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant, eum ſecutum numerum putant. Me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, quibus & apparitores, & hoc genus ab Etruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga prætexta ſumpta eſt, numerum quoque ipſum ductum placet: & ita habuiſſe Etruſcos, quod ex duodecim populis communiter creato Rege, ſingulos ſinguli populi lictores dederint.* Pollet. For. Rom. v. 13. Lipſ. Elect. I. 23. Auguſt. de Leg. in Julia. Fuerunt liberi, non ſervi: eligebantur enim plerumque ex ima Quiritium plebe. Liv. II. 55. *Quatuor & viginti lictores apparere conſulibus, & eos ipſos plebis homines.* Taciti, & ſupra paullo, tempore, etiam e libertis. Tacit. Annal. XIII. 27. 2. *Quippe late fuſum id corpus,* libertos intelligit, *hinc pleraſque tribus, decurias, miniſteria magiſtratibus, & ſacerdotibus. Miniſteria magiſtratibus,* id eſt, lictores, viatores, accenſi, ſcribæ, ſtatores, præcones. . . . Sed & togæ jus *lictoribus* fuit: ergo liberi, imo & cives. Cicer. in Piſon. c. 23. *Togulæ ad portam lictoribus præſto fuerunt: quibus illi acceptis ſagula rejecerunt.* Lipſ. l. l. Munera fuerunt tria: I. Submotio. Submovere enim proprium *lictoribus* verbum. Ideo *ſubmotor aditus* pro ipſo *lictore* politus Liv. XLV. 29. V. illum ſupr. in *Coercitio.* Fiebat cum ſtrepitu, cum voce, manu, virga locum facerent ſequenti magiſtratui. Liv. VIII. 33. *Repente ſtrepitus ante curiam lictorum ſubmoventium auditur, & ipſe infenſus aderat* Papirius. Non ſola, inquam, voce. Pacat. Paneg. *Tum longe populus arcebatur: nec otioſa viatoris manus plebem verbere ſubmovebat.* Imo adeo virgam ad hunc pulſandi uſum geſtaſſe videntur. V. infr. in *Virga.* Lipſ. l. l. Briſſon. de Form. II. p. 271. II. Animadverſio. Id proprium in re *lictoria* verbum. Suetonius. V. illum ſupr. in *Animadvertere.* Liv. XXIV. 44. *Ut conſul animadvertere proximum lictorem juſſit, & is ut deſcenderet ex equo inclamavit.* Fiebat verbis, & clamore. Plin. Pan. c. 61. n. 7. *Utriuſque ſolemnis ille lictorum, & prænuntius clamor auribus inſederat.* Comprehendebant hoc verbo quicquid honoris venienti magiſtratui exhiberi ſollenne eſſet: ut equo, aut curru deſcendere, caput aperire, ſemita cedere. Quæ conjunctim tangit Seneca ſupr. in *Animadvertere.* Etiam aſſurgere. Suet. Jul. c. 78. n. 4. *Triumphanti, & ſubſellia tribunitia prætervehenti ſibi unum e collegio Pontium Aquilam non aſſurrexiſſe indignatus eſt.* Gladium ponere. Plutarch. Pomp. p. 637. A. *Ubi equo eſt ad caſtra advectus, præſto ei fuerunt duo Pompeji lictores, ac deſcendere ei ex equo, pedibuſque juſſerunt incedere. Obtemperavit Tigranes, gladiumque diſcinxit, tradiditque eis. Ut denique ad Pompejum pervenit, detraxit capiti cidarim.* Dio LXIII. p. 717. A. *Dum Neronem conveniret, quanquam juſſus eſt, gladium, quem gerebat, deponere; tamen noluit.* III. Præitio. Ibant ante magiſtratum lictores, non gregatim, aut confuſe, non item bini, ternive: ſed ſinguli, & in lineam. Hoc monitum volo, quia non aliter eſt, ut capias, quis primus, quis proximus *lictor.* Ibant, inquam, ſinguli. Hic enim ordo euntium lictorum in nummis Junii Bruti in volumine, quod Fulvius Urſinus publicavit, expreſſus eſt. Valerius etiam & Livius in Fabiana hiſtoria non niſi de hoc ordine intelligi poſſunt. Valerii verba ſunt: II. 2. 4. *Fabius. . . indignatus, quod ex lictoribus undecim nemo ſe equo deſcendere juſſiſſet, plenus ira ſedere perſeveravit. Quod poſtquam filius animadvertit, proximo lictori, ut ſibi appareret, imperavit.* Livii ſunt XXIV. 44. *Quum obviam filius progrederetur, lictoreſque verecundia majeſtatis ejus taciti anteirent, præter undecim faſces equo prævectus ſenex, ut conſul animadvertere proximum lictorem juſſit, & is, ut deſcenderet ex equo, inclamavit.* . . . Illorum inſignia fuerunt faſces, V. illos ſupr. in *Faſces* & virgæ, V. illas infr. in *Virga.* Lipſ. l. l. Kipping. Antiq. Roman. II. 4. §. 7. Roſin. Antiq. Roman. VII. 48. Dictatori quatuor & viginti fuerunt, ſcilicet, quia duplex in eo imperium, ideo & inſignia conſulis utriuſque. Dio LIV. p. 520. B. *Ipſi cum quatuor & viginti faſcibus ad Auguſtum acceſſere, orantes ut ſe dictatorem creari pateretur.* Appian. Bell. Civ. I. p. 412. *Secures ei, Syllæ, ut dictatori præferebantur viginti quatuor.* Plutarch. in Fabio p. 176. A. *Fabius* dictator dictus, *ut illico imperii ſui populo vim, ſpeciemque oſtentaret, quo magis obſequentibus uteretur, & dicto audientibus civibus, proceſſit cum viginti quatuor faſcibus.* Lipſ. & Pollet. l. l. Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 44. Magiſtro equitum ſex. De M. Antonio, qui magiſter equitum Cæſari Dio XLII. p. 197. C. *At Antonius, ſi veſtitum ejus ſpectares, imaginem popularis ſtatus præferebat: prætexta enim utebatur. item ſi lictores: non enim plures quam ſex habebat.* Conſuli duodecim, prætori ſex. V. ſupr. in *Conſul.* Quæſtori nulli. Varr. apud Gell. XIII. 12. *Quæſtores neque lictorem habent, neque viatorem.* P. Sextio tamen quæſtori diſerte in ſeditione militari *lictorem* tribuit Liv. IV. 50. *Itaque cum fremitus aperte eſſet, & quæſtor P. Sextius eadem violentia coerceri putaret ſeditionem poſſe qua mota erat, miſſo ad vociferantem quendam militem lictore.* Sed non ut quæſtori. Præerat enim caſtris abſente conſule. Legatis in provinciis. Spartian. Sever. c. 2. *In qua legatione cum eum quidam municipum ſuorum Leptitanus, præcedentibus faſcibus, ipſe plebejus amplexus eſſet.* Mutaſſe tamen aliquid videtur Alexander Severus, & inſtituiſſe, ut milites anteirent loco *lictorum.* Lamprid. c. 52. *Apparitores nullos eſſe paſſus eſt: tribunis, aut ducibus, niſi milites anteire voluit; juſſitque ut ante tribunum quatuor milites ambularent: ante ducem ſex: ante legatum decem.* Virginibus Veſtalibus in publico ſemper unus. Inſtituerunt triumviri, Antonius, Lepidus, Octavianus. Dio XLVII. p. 338. C. *Virginibus Veſtalibus conceſſerunt, ut ſingulæ ſingulis lictoribus uterentur: eo quod quædam ex iis a cœna ſub veſperam domum revertens, cum quæ eſſet ignoraretur, vim paſſa fuerat.* Lipſ. l. l. Quia vero non ſolum ligaſſe, ſed virgis, ſed ſecuri percuſſiſſe leguntur, quid a carnifice differant, non ſatis video. Sin autem in ordinem, & album carnificum eos redigamus, quomodo ſubſiſtet, quod ex plebe homines fuiſſe, atque ubique in foro, & concione magiſtratibus apparuiſſe diximus, cum Ciceronis loco, qui carnificem ex foro, Urbe, concione ſuſtulit? V. ſupr. in *Carnifex.* Itaque ſuſpicamur in re dubia, *Lictores* tantum in cives Romanos lege egiſſe, perduelleſque virgis, & ſecuri more majorum percuſſiſſe: carnifices vero crucifixiſſe, ſtrangulaſſe, gulam fregiſſe, & alia ſupplicia ſervis, peregrinis, & iis qui cives non erant, irrogaſſe. Cicero enim pro Rabirio per antitheſin comparat carnificem cum *lictore.* V. illum ſupr. in *Lex Porcia.* & Verr. v. 45. *Aderat janitor carceris, carnifex prætoris: mors, terrorque ſociorum, & civium lictor Seſtius.* Pollet. l. l. Concedebantur domino funeris, ut in multitudine coercere poſſet inſolentiores, & ferociores. Cicer. di Leg. II. 24. *Dominus funeris utatur accenſo, & lictoribus.* Turneb. in Ciceronem. Si quid per incuriam prætermitterent, conſul eos advertere jubebat. Indicio eſt, quod de Fabiis, patre & filio narrat Livius. V. illum ſupr. in *Animadvertere.*

Lictor curiatus cognominatur in his titulis: LICTOR CURIATUS QUI SACRIS PUBLICIS POPUL. ROM. QUIRITIUM. ET LICTOR CURIAT. VIAT. LEX curiata, non ut priſcis temporibus, univerſi populi ſuffragiis curiatim in forum convenientis ferebatur, ſed poſtea tantum a triginta *lictoribus* triginta veteres curias repræſentantibus. Cicer. Agrar. II. 12. *Sint igitur decemviri neque veris comitiis, hoc eſt, populi ſuffragiis,*

neque

neque illis ad speciem, atque ad usurpationem vetustatis, per triginta lictores auspiciorum causa adumbratis constitutis. Turneb. Adv. xi. 10. August. de Leg. c. 8. Manut. de Leg. c. 11. Lips. Elect. i. 23.

Lictor Flaminius, *qui Flamini Diali sacrorum causa præsto est.* Festus. Hanc intelligit Ovid. Fast. ii. 23.

Quæque capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum mica farra vocantur idem.

Lips. Elect. i. 23. Dacer. in Festum. Argol. in Panvin. de Lud. circens. ii. 2.

Lictor primus erat, qui anteibat, & quasi ducebat agmen, ab ordine sic dictus, non a dignitate. Hujus proprium munus submovere. Primus enim incurrebat in turbam. Cicer. Fratr. i. 1. 7. V. illum supr. in *Coercitio.* Lips. Elect. i. 23.

Lictor proximus Ciceroni modo primus dicebatur. *Turneb. Adv.* xi. 9. Apage, nec terram, nec cœlum tangit hæc sententia. Proximus inter duodecim erat postremus, claudebat agmen, & proxime aberat a magistratu: unde etiam nomen. Val. Max. ii. 2. 4. *Maxima diligentia majores hunc morem retinuerunt, ne quis se inter consulem, & proximum lictorem, quamvis officii causa una progrederetur, interponeret.* Hujus erat mandata a magistratu, ac literas accipere, & præstare ea, quæ operæ familiarioris. Hic dignissimus, & caput inter *lictores:* & haud dubie is, qui alio nomine *summus lictor.* Glossæ veteres: *Summus lictor,* ἀρχιραβδοῦχος. Mentio proximi apud Sallust. Bell. Jugurth. p. 67: *Hiempsal in oppido Thumida forte ejus domo utebatur, qui proximus lictor Jugurthæ, carus, acceptusque ei semper fuerat.* Lips. Elect. i. 23. Turneb. l. l. Kipping. Ant. Rom. ii. 4. §. 7.

LIG.

LIGNARII fuerunt Romæ extra portam Trigeminam. Liv. xxxv. 41. *Ædiles porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt.* Marlian. Topogr. Urb. i. 8: iv. 1.

LIGNATORES peditum manus erat, & lixarum, qui *ligna*, & stipites in castra pro focis inferebant. Liv. xli. 1. *T. & C. Ælii tribuni militum legionem tertiam, quæ pabulatores & lignatores tueretur, via, quæ Aquileiam fert, duxerant.* Huc pertinet illud Hirt. de Bell. Hisp. c. 27. *Insequenti tempore, cum nostri temere in opere distenti essent, equites in oliveto, dum lignantur, interfecti sunt aliquot.* Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 6.

LIGNUM in usu etiam venit in materia viarum. Videtur ad palos, & sublicas in locis paludosis, & solo labante inservisse, uti juxta fluvios, & ubi pontes faciendi; ut scilicet firmum, & stabile corium præpararetur, in quo majores lapides quadrati innniterentur, & affirmarentur, quibus struebantur anterides, & pilæ magnificorum illorum pontium, qui partem faciunt viarum publicarum, ab Imperatoribus aliisque structi, ut vias continuarent, & conjungerent. *Bergier. de viis milit.* ii. *Sect.* 6. §. 2.

Lignum in barathro, sive Tulliano quoddam fuit, quo pedes reorum constringebantur. Colligitur hoc ex Prudent. Περὶ Στεφ. v. 249.

In hoc barathrum conjicit
Truculentus hostis martyrem,
Lignoque plantas inserit
Divaricatis cruribus.

Fab. Semestr. ii. 7.

Lignum idolorum apud Romanos fuit materia: unde *signi lignei pervetusti, quod fuit bonæ fortunæ,* meminit Cicero. V. illum supr. in *Fortuna bona.* V. infr. in *Simulacrum.*

Lignum sessile in palo arrectario crucis. V. illud infr. in *Staticulum.*

Ligna versatilia apponebantur muro podii in theatris contra ferarum omnem scansionem, & insultum. Quæ quidem *ligna* in caveis agnoscit Ammian. xix. 6. *Ut dentatæ in caveis bestiæ, tetro pædore efferatæ, evadendi spe repagulis versatilibus illiduntur:* in caveis, inquam, sed in ipso etiam podio, aut circa, locare videtur Calpurn. Ecl. vii. 48.

— nec non, ubi finis arenæ,
Proxima marmoreo peragit spectacula muro:
Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis,
Et coit in rutilum, tereti qua lubricus axis
Impositos subita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras.

Versus dubiæ, & intricatæ scriptionis. Legerem: *Et coit in rutulam,* sive *rotulam teretem,* ut velit truncos eos eburatos utrimque in rotulam coisse, atque ita insilientis feræ impetum fregisse, & vertendo excussisse. Nescio etiam, an *in ruplum.* Nam ruplus in glossis στροφεὺς γαλεάγρας, & ἀποφήκτιον, *cardo, & vertebra caveæ.* Vult omnino transversa quædam *ligna* versatilia objecta muro, quo feras fallerent dum coituntur. *Lips. de Amphith. c.* 12.

LIGULA, sive *lingula.* Nam promiscue reperias scriptum in veteribus libris. Sed posterius hoc indoctorum Grammaticorum appellationem facit Mart. xiv. 9.

Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque,
Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.

dicebatur in calceis *linguæ* instar fastigiatum. Mart. ii. 29. 7.

Non extrema sedet lunata lingula planta.

Voss. Lex. Etymol. Bacc. de Conviv. antiq. ii. 9.

Ligula sive *lingula* in tibiis vocabatur, quod γλωττίδα Græci dicunt, in ore nimirum tibiæ, quæ flatu canentis agitabatur. Festus: *Lingula per diminutionem dicta, alias a similitudine linguæ insertæ, id est infra,* nalim legere *intra dentes coercitæ, ut in tibiis.* Illa in tibiis erat summe necessaria, utpote sine qua inutilem tibiam judicat Chrysost. Homil. 43. *Quanquam si a tibia lingulas abstuleris, inutile deinceps jacet instrumentum.* Ideoque Scholiastes Pindari pro miraculo de quodam tibicine refert, eum in agone, cum excidissent tibiales *lingulæ*, solis arundinibus cantum peregisse. Apud Polluc. iv. 9. vilis tibia describitur *lingulæ expers, insonora, tenuis, madida, inepta.* Ad sonos flectendos fecisse judico ex Plin. xvi. 36. *Arundo aperti ribus lingulis ad flectendos sonos.* Bartholin. de Tib. vet. i. 5. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 86. a. A.

Ligula, sive *lingula* est instrumentum cavum, & oblongum: quale est, quo aromatarii educunt unguenta ex vase. Plin. xxi. 14. *Inde ligulis hauriunt florem, id est, candidissima quæque, transfunduntque in vas, quod exiguum frigidæ habeat.* Voss. Lex. Etymol. Rader. ad Mart. xiv. 9. Bacc. de Conviv. Antiq. ii. 9.

Ligula, sive *lingula* dicebatur mensuræ genus, puta quarta pars cyathi. Colum. xii. 21. *Et ita coadjicitur in binas urnas ligula cumulata, seu mensura semunciæ bene plena salis cocti & trita.* Pætus de Rom. & Græc. mensur. iii. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 1644. E. Cenal. de Pond. & mensur. rat. Thes. Græv. ibid. p. 1454. A. Voss. Lex. Etymol. Barth. Adv. vi. 17: xxxvii. 23. Rhodig. Ant. Lect. xiii. 4. Rader. in Mart. xiv. 109. Agric. de Mens. Roman. i. p. 9. Simile instrumentum videtur fuisse cochleare. Unde hæc conjungunt Mart. xiv. 10. V. illum supr. in *Cochlear.* & Apul. medic. c. 1. §. 10. *Succi ejus cochlearium, vel ligulam dabis bibere.* De *ligula* enim præcedenti egerat carmine. *Pætus l. l. Philand. in Vitruv.* vi. 9. *Rhod. ad Scribon. comp.* 144. Etsi idem credatur ac cochleare, tamen est cum ab eo distinguatur. Mart. viii. 33. 23.

Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere possis?
Mittere cum possis vel cochleare mihi?

Voss. Lex. Etymol. Ex hoc enim carmine clarum est cochlear grandiorem fuisse. *Barth. Adv.* vi. 17.

Ligula, sive *lingula* dicebatur *gladiolus oblongus in speciem* linguæ factus, cujus meminit Nævius in tragœdia Hesiona. Versum Nævii appono:

Sine mihi gerere morem videar, haud lingua; verum lingula.

Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Ant. Lect. xiii. 4. Rader. in Mart. xiv. 9.

Ligula, sive *lingula* vocabatur pars acuta vectium. Vitruv. x. 8. *Et vectis lingula sub onus subdita. Item si sub vectis ferrei lingula pro ecta fuerit, neque caput ejus pressione in imum, sed adversum in altitudinem extolletur, lingula fulta in area solo, habebit eam pro onere.* Nos partem illam dicimus linguellam, buccam dentemve pali. Bald. Lex. Vitruv. Voss. Lex. Etymol.

Ligula etiam vocatum videtur gutturis operculum διὰ τὸ γλωσσοειδές. Onomasticon: *Ligula*, ἐπιγλωττίς. *Voss. Lex. Etymol.*

Ligula tandem vocatur pars incurva superior strigilis, oblonga, fornicata, & contracta. Apul. Florid. p. 778. *Juxta hanc etiam angelculam, recta fastigatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur.* Pignor. de Serv. p. 85. Florid. in Apulejana.

LIGURUM, ut ait Dionys. I. p. 9. & natio antiquissima, & regio latissima fuit, quippe quæ ante Gallos Italiam insederit, nec solum Italiæ, sed etiam Galliæ ulterioris partem non modicam obtinuerit, in qua Salyes, Deceates, Oxybii, & Vocontii *Ligures* habitarunt: unde autem in Italiam, aut in Galliam venerint, ille pro incomperto reliquit. Invenio porro, qui cis Alpes *Ligures* coluerunt, in duas partes divisos, Transapenninos, & Cisapenninos. Transapenninis fines a meridie mare Ligusticum, a septentrione Apennini jugum, ab oriente primum Macram amnem, post imperio in Etruriam facto Arnum, ab occasu ejusdem Apennini, & Alpium congressum ad Nicæam habuerunt; eorumque alii montani, alii maritimi appellati. Montani, ut est in veteribus rerum Italicarum commentariis, a Nicæa, unde Apenninus attollitur, usque ad fontes Macræ pertinuerunt, a Macra vero usque ad Arni *Ligures* Apuani. Maritimi a Massilia, ut ait Polyb. II. 16. usque ad Pisas: quod primum oppidum ex *Liguribus* in Tuscos eunti occurrit; quanquam illud etiam Justin. xx. I. II. in *Liguribus* collocavit. Quæ ora oppida habuit Herculis fanum, Lucum Feroniæ, Lunam, & post Macræ fluminis ostium Ericis, ac Veneris portum, Tigulliam, Genuam, Vada Sabatia, Albigaunum, Album Intemelium, Monœci portum, Herculis portum, Nicæam, & finem Italiæ flumen Varum: intus castella plurima, oppida pauca: in iis Luca, quod ante Etruscorum fuisse scribit Liv. XLI. 13. post *Ligurum*, & Apuan. Qui cis Apenninum fuerunt, ii Trebia, & Pado fluminibus, & Apennini, atque Alpium parte conclusi, ut prodit Plin. III. 5. hæc oppida tenuerunt, Libarnam, Derthonem, Triram, Barderatem, Industriam, Polentiam, Carream, quod Potentia cognominatur, Hastam, Aquas Statiellorum. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 23. *Panciroll. Notit. Dign. imper. occid. c.* 59: III. 6. Bello Punico vix finito ad exercendum Romanam virtutem novi hostes surrexere. L. Cornelio, Q. Fulvio an. 517. illis primum arma illata sunt: quod bellum intra Italiam illorum latrocinia excitarunt. Flor. II. 3. 4. *Ligures imis Alpium jugis adhærentes inter Varum, & Macram flumen, implicitosque dumis sylvestribus, major aliquanto labor erat invenire, quam vincere. Tutum locis, & fuga, durum atque velox genus, ex occasione magis latrocinia, quam bella faciebat. Itaque quum diu, multumque eluderent Salyi, Deceates, Oxybii transalpini, citra vero Vagienni, Statielli, Casmonates, Euburiates, Veleates, Ingauni, tandem latebras eorum Fulvius igni sepsit.* Significat victoriam, quam Q. Fulvius Flaccus ex his retulit. Victi hoc primum a consulibus sunt, eorumque XXIV. millia interfecta, V. millia capta, & de iis triumphatum. Eos deinde sæpissime rebellantes plures Romani duces per XXC. annos, ut Strab. IV. p. 140. vel, ut ego observavi, per LXXII. affecerunt, triumphi de iis, & finitimis populis Vocontiis, Conturbeis, & Gatiscis supra XVIII. acti. Quos demum M. Æmilius Scaurus cos. an. 639. in deditionem accepit, latrocinia eorum coercuit, effecitque postremo, ut publice permeantibus via ad stadiorum XII. latitudinem laxaretur. Post hoc temporis *Ligurum*, ut sociorum in bellis Romanis fieri mentionem invenio. *Panvin. Imp. Rom. c.* 4. *Sigon. l. l.*

LIL.

LILIUM fuit secundum genus munitionis, quod ad Alexiam adversus interiorem hostem fecit Cæsar de Bell. Gall. VII. 73. *Ante cippos, obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paullatim angustiore ad summum fastigio. Huc teretes stipites feminis crassitudine ab summo præacuti & præusti demittebantur; ita ut non amplius quatuor digitis ex terra eminerent. Simul confirmandi, & stabiliendi causa singuli ab imo solo pedes terra exculcabantur: reliqua pars scrobis ad occultandas insidias viminibus, ac virgultis integebatur. Hujus generis octoni ordines ducti ternos inter se pedes distabant. Id ex similitudine floris lilium appellabant.* Ramus de Milit. Jul. Cæs. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1601. C. Laurent. Polym. IV. Synops. 2. Libri meliores omnes: *angustiore ad infimum fastigio.* Scrobes nempe ita factæ, ut patula rotunditate paullatim angustarentur, coirentque ad imum. Ni sic fuisset, quomodo *terra exculcata* commode? Sententia est, e tribus illis pedibus altitudinis tertium ab imo deperisse, terra aggesta ad stabiliendum stipitem, & circa eum stipata, & exculcata. Nam Hotomannum bona mens non impulit duas voces inducere, & auferre, *pedes terra.* Quid vero reliqui duo pedes? ii vacui. & addit: *reliqua pars scrobis. . . .* Id, inquam, eo sensu: ut vimina, & virgulta summam foveam oræ texerint, ei superstrata: imo & herbidus cespes super ea, ut opinor, ad magis occultandum stylum: qui etsi *quatuor digitos eminebat*, ut dixit, tamen facile hac tali materie celabatur. Festus id dixit *vallum cæcum.* Quæ vero in toto opere similitudo *lilii*? Eo decurritur, ut nonnulli dicant, calycem ipsum *lilii* designari, cum id clausum sit adhuc, nec se expandit. Is capite leviter protuberante, & quadrato est: & talem fuisse volunt immissum stipitem, eoque aspectum. Sed Cæsar diserte scribit, *stipites teretes* fuisse. Nec forma hæc quadrata, aut *lilii* clausi convenit. Meo sensu adspicit similitudo totam foveam superne expansam, jacentemque in orbem: cui medius deinde stipes inseritur: atque id est velut *lilium* patens, cum stamine suo, aut stylo. *Lips. Poliorc.* II. *Dialog.* 2. *Thys. de Oppugn. urb.* I. *p.* 167.

LIM.

LIMA vocabatur dea, quæ *liminibus* præerat. Arnob. IV. p. 132. *Quis Limentinum, quis Limam custodiam liminum gerere, & janitorum officia sustinere credat?* Sagittar. de Jan. vet. c. 8. §. 18. Herald. & Stewech. in Vegetium.

LIMBOLARII, sive, ut legit Non. XIV. 32. *limbolarii* textores dicebantur, qui *limbos*, & institas conficiebant; sive *limbo* vestes ipsas prætexebant, ac pingebant. Plaut. Aul. III. 5. 45.

> *Textores, limbolarii, arcularii ducuntur.*

Ferrar. de Re vest. I. 3. 21. Turneb. Adv. XXIV. 23.

LIMBUS *est fascia, quæ ambit extremitatem vestium, secundum antiquum ritum: ut Æneid.* V. 250.

> *Victori auratam chlamydem, quam plurima circum*
> *Purpura.*

Serv. Æneid. II. 616: IV. 137. Lactant. in Statium. Virg. Æneid. IV. 137.

> *Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.*

Stat. Theb. VI. 367.

> — *& picto distinguit pectora limbo.*

Britann. in Stat. Achill. I. 330. Voss. Lex. Etymol.

LIMEN duplex est: superius, & inferius. Perott. Corn. col. 834. *Limen non solum inferiorem partem significat, quæ sub pedibus est, & calcari in ingressu domus a nova nupta sine scelere non poterat, quoniam sacra existimabatur, sed etiam superiorem. Nævius: Exime limen superum, quod mihi misero sæpe confregit caput: inferum quoque, ubi ego omnes confregi digitos. Summum limen* vocat Lactant. IV. 26. *Frons summum limen est hominis.* Superius κατ᾽ ἐξοχὴν vocari solet *limen.* Plin. XXXVI. 14. *Difficillime hoc contigit in limine ipso, quod foribus imponebat.* Vitruv. VI. 9. *Sin autem officient trabes,*

bes, ſeu limina. Poſſet etiam vocari *ſuperliminare.* Hanc vocem legas apud Plin. XXIX. 4. *Cujus generis prope videri poſſint, quæ tradunt & de veſpertilione, ſi ter circumlatus domus vivus per feneſtram inverſo capite infigatur, amuletum eſſe: privatimque ovilibus circumlatum toties, & pedibus ſuſpenſum ſurſum in ſuperliminari.* Sagittar. de Jan. c. 8. §. 12. 15. 16. Plerumque e ligno fabricatum. Vetus vocabularium: *Limen terminus domus: vel lignum in foribus domorum, per quod intratur.* Sed potentiorum marmorea. Plin. XXXVI. 6. V. illum infr. in *Marmor.* Horat. Epiſt. I. 18. 72.

Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici.

Ut nihil deeſſet templorum magnificentiæ, eorum *limina* interdum erant ænea. Virg. Æneid. I. 452. de templo Junonis Carthagine.

Ænea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus cardo ſtridebat aënis.

Liv. X. 23. *Cn. & Q. Ogulnius ædiles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis multatis, ex eo quod in publicum redactum eſt, ænea in Capitolio limina fecerunt.* Hinc facio conjecturam, cum a templis ad privatorum domos plurima magnificentiæ ſpecimina promanarint, & ænea *limina* a templis, & baſilicis ad civium ædificia deveniſſe. *Sagittar. ibid.* §. 31. 32. 33. *Meurſ. de Luxu Roman.* c. 12. *Koniczyck. de Lux. Rom.* II. 7. Veſtæ erant ſacri. Serv. Æneid. VI. 273. *Veſtibulum dicunt a Veſta dictum per imminutionem. Nam Veſtæ limen eſt conſecratum.* Ecl. VIII. 29. V. illum infr. in *Veſta.* Spanhem. de Veſt. Theſaur. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 668. A. Sagittar. ibid. §. 19. Illis religionis aliquid Romani tribuebant. Hinc *limen* ſuperum & inferum quadam religione ſalutatur apud Plaut. Merc. V. I. I.

Limen ſuperum, inferumque ſalve, ſimul autem vale.

Et *liminibus* dantur oſcula apud Tibull. I. 5. 44.

Et dare ſacratis oſcula liminibus.

Turneb. Adv. XII. 5. Taubman. in Plautum. Kemp. de Oſcul. Diſſert. VII. §. 23: XXV. §. 27. Douz. Præcid. in Tibull. c. 2. Sagittar. ibid. §. 3. Struv. Ant. Rom c. 2. p. 203. Lipſ. Elect. II. 6. Lomej. Dier. genial. Tom. I. Diſſert. X. p. 343. de Luſtrat. c. 12. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 7. *Limina* templorum in ſupplicationibus, quæ avertendæ deorum iræ cauſa habebantur, aut cum hoſtili aliquo nuntio perculſa civitas ad deos, & vota confugiebat, paſſis crinibus verrere matronæ erant ſolitæ. Lucan. II. 30.

Hæ lacrymis ſparſere deos, hæ pectora duro
Afflixere ſolo: laceraſque in limine ſacro
Attonitæ fudere comas.

Artemid. II. 33. *Abſtergere deorum ſimulacra, aut luſtrare, aut ungere, aut verrere limina templorum, & baſes ſimulacrorum.* Arnob. I. p. 29. *Cum deorum ante ora proſtrati limina ipſa converrerent oſculis.* Herald. in Arnobium. Lipſ. Elect. II. 6. Sagittar. ibid. c. 35. §. 8. ad maritorum ſtabant quaſi obſtinatæ novæ nuptæ. Catull. LXI. 81.

Tardat ingenuus pudor,
Quod tamen magis audiens,
Flet, quod ire neceſſe eſt.

Et non tangebant, in domos illorum abituræ, ſed pedes tollebant. Lucan. II. 359.

Tralata vetuit contingere limina planta.

Serv. Ecl. VIII. 29. modo laudatus. Superſtitioſi moris cauſam adfert Iſidor. IX. 8. *Uxores ideo vetabantur limina calcare, quod illic januæ coeant, & ſeparentur.* Alias Plutarch. Quæſt. Roman. 29. *An quia in prima raptione mulieres non ultro intraverunt domos, ſed illatæ ſunt? aut quia videri volunt non volentes, ſed vi coactæ eo ingredi, ubi ſunt virginitatem amiſſuræ? aut hoc ſignum eſt, exire etiam eas, domumve relinquere non debere, niſi vi ejiciantur, ſicut vi introductæ ſunt.* Ego potiſſimam eſſe reor, quod hoc modo ſollicite voluerint cavere, ne nova nupta in *limine* offenderet. Id pro maxime ſiniſtro omine eſt habitum. V. infr. in *Offenderent.* Etiam hoc modo ſponſam ſponſo ſuperſtitem fore putabant. Plaut. Caſ. IV. I. I.

Senſim ſuperattolle limen pedes nova nupta: ſoſpes
Iter incipe hoc, ut viro tuo ſemper ſis ſuperſtes.

Sagitt. ibid. §. 9--12. Briſſon. de Ritu. nupt. p. 86. Hotman. de vet. rit. nupt. c. 19. Caſal. de Prof. Rom. rit. c. 22. Turneb. Adv. VIII. 11. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 9. Lomej. ibid. p. 344. Brod. Miſc. III. 27. Laurent. de Sponſal. c. 1. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 5. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 160. H.

Limen ſignificat etiam carceres, unde ſtadiodromi curſum auſpicantur. Virg. Æneid. V. 316.

Hæc ubi dicta, locum capiunt; ſignoque repente
Corripiunt ſpatia audito: limenque relinquunt
Effuſi.

Servius ibidem etiam *regulam, aut ſignum creta factum* denotare poſſe autumat. *Sagittar. de Jan. vet.* c. 8. §. 10. *Rhodig. Ant. Lect.* V. 14.

Limen per tropum pro janua, ac deinde pro domo ipſa uſurpari ſolet. Virg. Æneid. II. 441.

Sic Martem indomitum, Danaoſque ad tecta ruentes
Cernimus, obſeſſumque acta teſtudine limen.

VII. 613.

—— reſerat ſtridentia limina conſul.

Apul. Metam. IV. p. 121. *Quod enim ex uſu foret omnium, me ſolum reſiſtentem pro domus limine. . . .* Hinc eleganter Cicer. pro Cæcin. c. 12. *Non modo limine tectoque ædium ſuarum, ſed primo aditu, veſtibuloque prohibere:* quod Horat. Epiſt. I. 19. 36. *premere extra limen.* Virg. Æneid. VII. n. 579. *pellere limine*, & Juven. Sat. III. 124. *ſummovere limine* dixerunt. *Sagittar. de Jan. vet.* c. 8. §. 5.

Limen vocatur quoque principium rei. *Et in ipſo limine* eſt in ipſo principio. Senec. Epiſt. 22. *Quid eſt turpius, quam in ipſo limine ſecuritatis eſſe ſollicitum.* Sagittar. de Jan. vet. c. 8. §. 9.

LIMENARCHA vocabatur præfectus portus, quem Græci λιμένα vocant. Præponebatur cuſtodibus, qui in portubus locabantur, ut illorum curam haberent, & ab hoſtium, aut piratarum incurſionibus naves tuerentur: oleum, vinum, vel liquamina, aut ferrum ad barbaros imperii hoſtes perferri non paterentur l. 1. & 2. C. quæ res export. non deb. ac tumultus prohiberent. Servos fugientes retinebat. Paull. l. 4. ff. de ſerv. fugit: *Limenarchæ, & ſtationarii fugitivos deprehenſos recte in cuſtodia retinent.* Muneribus perſonalibus adſtringebatur, ut Arcad. l. ult. §. hi quoque de mun. & honor. ſcribit. Ab ordine decurionum, & non niſi liber creabatur. Dioclet. l. non idcirco 38. C. de liber. cauſ. *Non idcirco minus, quod te limenarcha creato nemo contradixit Reipublicæ nomine, moveri tibi ſtatus quæſtio poteſt.* Male Accurſ. dict. l. 4. & l. non idcirco 38. *limenarcham* pro eo, qui imperii limitibus præerat, interpretatur. Hi enim comites, aut duces cum imperio a Cæſare creabantur l. 2. §. pro limitaneis C. de Offic. P. P. Africæ; *limenarchæ* vero a decurionibus portus cuſtodes eligebantur. Pancıroll. de Magiſtrat. municip. c. 18. Notit. dignit. imp. occid. c. 8. & 17. Bud. in Pandect. p. 124. I. 262. E. Rhodig. Ant. Lect. XII. 6. Pius Annot. poſt. c. 3. Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Imp. Rom. VII. 21. Laurent. de Rebuſp. c. 3.

LIMENTINUS vocabatur, qui *liminibus* præerat. Arnob. IV. p. 132. V. illum ſupr. in *Lima.* Auguſt. de Civit. Dei VI. 8. & Tertull. de Idolol. c. 15. V. illos ſupr. in *Forculus.* Sagittar. de Jan. vet. c. 8. §. 18. Voſſ. Lex. Etymol. in Limen. Gyrald. Synt. deor. I, p. 55. C. Stuck. Ant. Conviv. II. 30. Selden. Synt. de Diis Syr. Prolegom. c. 2. Tomaſ. de Donar. c. 8. Lipen. de Stren. c. 2. æt. ſec. §. 23. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 160. Holſteen. Comm. ad Nymphæum Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1802. C. Roſin. Ant. Rom. II. 21. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 7. Blond. Triumph. Rom. I. p. 13. B.

LIMETANUS fuit cognomen gentis Mamiliæ. In

illa *Limetani* cognomen aliquis promeruit ob *limites* positos, ut videre est in istius gentis nummis argenteis. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 614. *C.*

LIMITANEI dicuntur milites, qui in *limitibus* regionum agunt stationes. *Voss. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p.* 125. *A.* De his elegans extat locus apud Suidam: *Limitanei, Romani Reges superioribus temporibus per omnes suæ ditionis oras maximam statuerunt militum multitudinem, ad tuendos imperii Romani fines, idque potissimum in orientali regione, ut illic Persarum, & Saracenorum incursiones reprimerent.* Meminit hujusmodi militum Vopisc. Prob. c. 14. *Accepit sedecim millia tyronum, quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos, & sexagenos intersereret.* Laz. Comm. Reip. Rom. I. 2.

LIMITES *in agris nunc termini, nunc viæ transversæ.* Festus: Voss. Lex. Etymol. Rosin. Ant. Rom. VIII. II. Laz. Comm. Reip. Rom. I. 2.

Limes actuarius *est, qui primus actus est, & ab eo quintus quisque, quem si numeres cum primo, erit sextus, quoniam quinque centurias sex limites cludunt.* Hygin. de Limit. constit. p. 151. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 2. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. II.

Limes decumanus *appellatur, qui fit ab solis ortu ad occasum.* Festus. De nominis causa sic Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 14. *Quæstorii dicuntur agri, quos ex hoste captos populus Romanus per quæstores vendidit. Hi autem limitibus institutis, laterculis quinquagenum jugerum effectis, venierunt. Quem modum decem actus in quadratum per limites dimensi efficiunt.* Politian. Misc. c. 86. putavit dictum quasi longissimum, ut cardo ipse jam dimidiatus, decumano scilicet anticipante, consideretur. *Voss. Lex. Etymol. Velser. Rer. August.* IV. *p.* 29. *Bellus de Part. templ. aug. c.* 6. *Ursat. Notit. dignit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 791. *B. Salmas. Exerc. Plinian. p.* 475. *b.* 476. *a.*

Limites comproportionales dicuntur, *qui intercisivos limites servant, quos veterani pro observatione partium statutos custodiunt.* Frontinus. Imo comportionales, quod portiones agrorum inter consortes dividerent. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 477. *a. E.*

Limites intercisivi vocantur, qui jugerationis modum servabant, ac centurias per jugera discernebant inter milites, quibus erant assignata. Aggenus: *Tum de comportionalium terminorum positione, quos vice tabellarum antiqui intercidendis portiunculis inter filios suos defigebant.* Hinc illa, quæ tam crebro occurrunt in libro de coloniis: *Ager in jugeribus, & limitibus intercisivis est assignatus.* Salmas. Exerc. Plin. p. 477. a. E. b. A.

Limites lineares vocabantur medii inter primum actuarium & quintum. Hygin. p. 151. *Sunt alii actuarii limites, alii lineares.* Serv. Georg. I. 126. *Limites alii minores erant in eliquum directi, qui lineares appellabantur, & agros per centurias, sive per jugera divisos coercebant.* In pedes octonos patebant, & *subruncivi* in Italia dicebantur. Fragmentum de coloniis ex commentario Claudii Cæsaris: *Cum duxeris decumanum latum pedes quadraginta, cardinem latum pedes viginti, facito & ceteros limites subruncivos latos pedes octo.* Hygin. p. 152. *Linearii milites mensuræ tantum disterminandæ causa sunt constituti, & si finitimi intervenient, latitudinem secundum legem Mamiliam accipiunt. In Italia itineri publico serviunt sub appellatione subruncivorum. Habent hi latitudinem pedum octonum. Hos conditores coloniarum fructus exportandi causa publicaverunt.* Duo fuit genera linearium, propterea & diversam iis latitudinem assignat. Si mensuræ tantum disterminandæ causa constituti essent, & finitimis inter se servirent, latitudinem acciperent secundum legem Mamiliam. Ea quinque, aut sex pedes latitudinis hujusmodi *limitibus* dabat. Aggen. de Limit. agror. p. 53. *De fine lex Mamilia quinque, aut sex pedes latitudinem præscribit. Quoniam hanc latitudinem, vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri, quod usucapi non potest.* Hi sunt *limites* lineares, *qui agros per jugera discretos coercebant*, ut modo dixit Servius. *Intercisivi* vocabantur, & *comportionales.* Alterum genus linearium decumani, & cardines minores fuere, qui per centurias agros dividebant, & lati fiebant pedes octonos, nomine *subruncivorum* in Italia appellati. *Hos*, ut addit Hyginus, *conditores coloniarum fructus exportandi causa publicaverunt*, id est, publici juris fecerunt, per eos iter populo patere voluerant. Hyginus: *Ceteris rigoribus linearis pedes octonos.* Salmas. Exerc. Plin. p. 477. a. C. D. E. b. A. in Vopisc. Carin. c. 16. Velser. Rer. August. IV. p. 229. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2.

Limites maritimi *appellabantur, qui ad mare spectant.* Hygin. de Limit. constit. p. 151. Cum enim Italia sit intra duo maria, qui a meridie ad septentrionem ducebantur, sic dicti sunt, quia mare a meridie & septentrione habet Italia. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 476. *D. Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 2.

Limites montani *appellabantur, qui ad montes spectant.* Hygin. p. 151. Iidem Gallici, & decumani, quia Gallia ab occidente est Italiæ, & decumani ad occidentem spectant. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 476. *E. Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 2.

Limites primi dicebantur, quia omnium primi agebantur. Iidem & maximi, quia ceteros latitudine præcederent. Hygin. p. 151. *Decumanus primus, maximus appellatur: nam latitudine ceteros præcedit.* Alii primum a maximo diversum statuebant, & primum eum dici volebant, qui primus post decumanum, vel cardinem actus esset, quum secundus sit. Eos errare contendit Hygin. p. 158. cujus verba sic sunt legenda: *Multos limitum constitutiones in errorem deducunt, dum inscriptiones parum intelligunt, aut aliter limites numerant. Volunt esse quidam decumanum, alium primum, alium maximum, & cum exierunt a decumano maximo, pro actuario primum limitem numerant, qui est secundus.* Salmas. Exerc. Plin. p. 476. E.

Limites prorsi dicebantur directi ab occidente in orientem. Festus: *Prorsi limites appellantur in agrorum mensuris, qui directi sunt ad orientem.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. Recte prorsi, quasi porro, & in anteriorem partem ad occidentem directi. Prorsus idem est ac porro, & recte versus. Festus: *Prorsus, porro versus.* Ex Catone de fœneratione legis Juniæ: *cum Romam veniebant, devertebantur prorsus pro hospitibus ad amicos suos.* Quare in Festi loco modo laudato legendum *ad occidentem.* Simili ratione apud Hygin. p. 151. *Reliquos limites fecerunt angustiores, & qui spectabant in orientem* L. *in occidentem, prorsos appellaverunt.* Bellus de Part. templ. augur. c. 6.

Limites transversi dicebantur directi a septentrione in meridiem. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 2. Hygin. p. 151. *Limites, qui ad meridianum spectabant, transversos appellaverunt.* De his fortasse Stat. VI. 422.

Haud aliter raptum transverso limite cœli
Flammati Phaethonta poli videre.

Bellus de Part. templ. augur. c. 6.

LIMITOTROPHI, & aliquando *limitanei*, erant in *limitibus*, & finibus imperii siti l. fin. C. de fund. limitotr. l. 2. §. pro limitaneis C. de offic. P. P. Afr. appellabantur fundi ab alendis militibus. Limitaneis ducibus, & militibus, ut alacrius pugnarent, &, quæ tuebantur loca, libentius amarent, captos ex hostibus agros, unde alerentur, primus Alexander Imperator assignavit. Lamprid. c. 58. *Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus, & militibus donavit, ita ut eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens: attentius eos militaturos, *si etiam sua rura defenderent.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 140.

LIMOCINCTI vocabantur servorum publicorum aliqui, voce valde apta, sed pæne obsoleta. Antiqua ærea tabula, quæ apud Cæsarem Nichesolam patricium, & canonicum Veronensem:

HONORI
M. GAVI. M. F.
POB. SQUILLIANI
EQ. PUBL. IIII. VIR. I. D

IIII.

IIII. VIR. AP. UB
CURATORI. VICETINORUM
APPARITORES. ET
LIMOCINCTI
TRIBUNALIS. EJUS

Tiro Tullius M. Ciceronis libertus apud Gell. xii. 2. *Licio tranſverſo, quod limum appellatur, qui magiſtratibus præminiſtrabant, cincti erant.* Pignor. de Serv. p. 61.

LIMUS eſt leviſſima illa, ſed fœcundiſſima pars terræ, quæ exſiccata facilius in pulverem redigitur. Ex hoc formatum eſt corpus humanum, unde ſæpe in SS. literis homo dicitur pulvis, & in pulverem reverſurus. *Limi* fœcunditas vel exinde ſatis apparet, quod innumera ex eo naſcantur animalia. *Bergier. de viis milit.* ii. *ſect.* ii. §. 4.

Limus dicebatur veſtis poparum, ſive victimariorum in ſacrificiis, quæ ab umbilico ad pedes cadebat. Virg. Æneid. xii. 119.

— *Alii fontem, ignemque ferebant*
Velati limo.

Ubi Servius: *Limus veſtis; qua uſque ad pedes teguntur poparum pudenda.* V. Hygin. de Limit. conſtit. p. 151. *Limum cinctum ideo dixere, quod purpuram tranſverſim habeat.* Ferrar. de Re veſt. i. 1. 9. Turneb. Adv. xi. 1. Stuck. de Sacrif. p. 109. Lomej. de Luſtrat. c. 35. Saubert. de Sacrif. c. 9. Pignor. de Serv. p. 62. Pith. Subſeſ. i. 2. Briſſon. de Form. i. p. 12. Braun. Veſt. Sacerd. Hebr. ii. 3. 14. Merul. de Sacrif. c. 3. n. 4.

LIN.

LINEA, quæ ab agrimenſoribus applicatur ad capitulum perticæ, funiculus eſt, quo perpenditur rigor, & ad perpendiculum cultellatur. Hyginus: de Limit. conſtit. p. 178. *Recentius improbandi, ubi ferramento nonniſi ad interverſuras utantur. Lineam autem per metas extendemus, & per eam ad perpendiculum cultellabimus.* Ubicunque tendi, vel extendi, intendive dicitur, de funiculo, ac reſticula accipi par eſt. Vitruv. v. 3. *Uti linea cum ad imum gradum, & ad ſummum extenta fuerit.* Gloſſæ: *Linea, funis, σειρά.* Extenta igitur *linea*, ſive reſticula per metas ſolum ad perpendiculum cultellabant, & rigores perpendebant. Frontinus: *Quoties ſine linea cultellamus, conſpectum metarum ſæpe excedimus.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 485. b. E.

Linea vocatur bolis, ſive vaſculum illud, quod ſubmittitur in mare, ad explorandum, an loca ſint petroſa, an arenoſa. Iſidor. xix. 4. *Catapirater linea cum maſſa plumbea, qua maris altitudo tentatur.* Sunt qui etiam *lineam* arbitrantur dictam a Plaut. Moſt. v. 1. 22.

Non ego illi extemplo ita meum oſtendam ſenſum: mittam lineam.

Scheffer. de Milit. nav. ii. 5.

Linea alba non longe ab oſtiis carcerum in utrumque circi mœnianum quaſi regula hinc & inde directa, juxta quam equi e carceribus egreſſi curſus certamen inibant. Caſſiod. Varior. iii. 51. *Alba linea non longe ab oſtiis in utrumque podium, quaſi regula directa producitur: ut quadrigis progredientibus, inde certamen oriretur; ne dum ſemper propere conantur elidere, ſpectandi voluptatem viderentur populis abrogare.* Panvin. de Lud. circenſ. i. 6. Rhodig. Ant. Lect. v. 14. Fab. Agoniſt. ii. 7. Cujus uſus in circo Romano iſta *linea* potuerit eſſe non video. Equi cum curribus intra carceres continebantur repagulis, vel cancellatis foribus oppoſitis coerciti priusquam ſignum daretur emittendi. Signo miſſo uno eodemque tempore laxatis repagulis e carceribus effuſi ſeſe proripiebant, exſiliebantque. Percipies ex Ovid. Met. ii. 153. ubi mire rem Circenſem ad orientem ſolem transfert:

Interea volucres Pyroeis, Eous, & Æthon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusque repagula pulſant:
Quæ poſtquam Tethys, fatorum ignara nepotis,
Reppulit; & facta eſt immenſi copia cœli,
Corripuere viam.

Caſſiodorus itaque ſi *albam lineam* pro funiculo curſoribus, aut equis prætendi ſolito intellexit, miſcuit ſtadii, & hippodromi Eliaci cum circo Romano inſtrumenta. In Olympiaco circo prætentum fuiſſe funiculum notat Pauſanias, quia cum carceres ibi ad proræ navis figuram eſſent facti, apertis oſtiis non eodem momento, qui priores exibant equi conſiſtebant, donec aliis etiam carceres aperirentur, & interea primi funiculo coercebantur. *Argol. ad Panvinum. Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 643. *a. A.* Apud Romanos *lineæ albæ* tantum in ſtadio uſus, cujus meminit Lucilius:

Nam ut diſcrimen non facit, neque ſignat linea alba.

Atque erat funiculus cretatus, ut per albedinem longius diſtingueretur. Unde loquendi uſus venit quamvis a *linea cretea*: *in linea ſtare, lineæ inſiſtere, lineis eiſdem dimicare, in lineis eaſdem gradus colligere, lineas tranſcendere, traducere.* Duæ tamen hæ *lineæ*, ut duæ metæ; prima, ubi ſiſtebant. Pindar. Pyth. ix. 208. *Ad lineam eam conſtituit.* ſecunda, ubi curſus finis. Eurip. Antig. *Pervenimus ad extremam lineam malorum*; unde & Horat. Epiſt. i. 16. 79.

— *mors ultima linea rerum eſt.*

Τέρμα hanc, quaſi terminalem *lineam*, vocavit Pindar. Pyth. ix. 202. Prima curſoribus ſubducebatur. Stat. Theb. vi. 593.

Ut ruit, ac æquum ſubmiſit regula limen,
Corripuere leves ſpatium.

Secunda propoſita ad curſus finem erat, quæ creta, aut calce dealbata: unde *ad calcem pervenire.* De prima Virgilius. V. illum, & ad illum Servium ſupr. in *Limen pro carceribus.* De ſecunda Gell. Præfat. *Namque illi omnes, tum maxime Græci, multa, & varia lectitantes, in quas res, alba linea, L. ſine alba linea, ut dicitur, ſine cura diſcriminis ſolam copiam ſectati converrebant.* Argo, l. l. Non fuit funiculus, ut exiſtimant, ſed ſulcus tranſverſus, ſolo impreſſus, cui creta erat inſperſa, qui a ſiniſtro podio ad dextrum extendebatur inter primas metas, & carceres, ad quam non nihil conſiſtebant aurigæ ex carceribus emiſſi, antequam effunderentur in arenam, ut frontibus æquarentur. Iſtam *lineam* ante carceres Chryſoſtomus ſimpliciter dixit λευκήν. *Ab alba linea, ἀπὸ λευκῆς, uſque ad metas ultimas*, ſive a carceribus ad calces. Ille locus, ubi erant metæ in ultimo circo, circa quem flectendus erat curſus, in circo Conſtantinopolitano dicebatur σφενδόνη, quia ibi circus propter hemicycli formam fundæ plane eſt ſimilis. Nam illa circi pars, ubi ſiſtebatur, illi parti fundæ, cui lapis imponitur ad emittendum, aſſimilatur. Dicebatur etiam creta & calx. Prop. iv. 2. 58. ut nunc legitur ex emendatione Scaligeri:

Hæc ſpatiis ultima creta meis.

Loco cretæ nonnunquam calce utebantur ad *lineam* illam albam producendam circo, ut ex Plinio notum eſt. Inde loquendi genus *a carceribus ad calcem*, quod non petitum eſt a calce humani pedis, ut plerique putant, ſed a calce, ſive alba linea circi. Quid enim calci pedis cum carceribus? Oſtendit hoc & locus elegans Varronis apud Non. iii. 60.

Nemini fortuna currum carcere emiſſum intimo
Labi inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſinit.

Vitam humanam cum curru circenſi comparat. Ut enim currus ex carcere intimo, qui eſt proximus portæ magnæ mediæ, emiſſus non labitur inoffenſus ad calcem, ſeu albam *lineam*, aut ultimam metam, ſic nemo vitæ ſuæ ſpatium decurrit ſine offenſa, ut non calamitate aliqua, & dolore vexetur. Et alia in circó erat, quæ jungere illos, qui juxta ſedent, dicitur ab Ovid. Amor. iii. 2. 19.

Quid fruſtra refugis? cogit nos linea jungi,
Hæc in lege loci commoda circus habet.

Art. Amand. i. 141.

Et bene quod cogit, ſi nolit, linea jungi,
Quod tibi tangenda eſt lege puella loci.

Sic legendum. Male in editis *ſi nolis.* Imo poeta dicit. ſi puella nolit a te tangi, cogetur tamen pati, ut a te tangatur propter legem circenſem, quia ſedere aliter non poterit. Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam ait *lineam* Ovidio eſſe longum, & rectum ſubſelliorum ordinem per circi extremum latus, in quo ſpectatores ſedebant, ubi propter anguſtias non facile potuerit ille locus deſeri, quem quis cepiſſet, ſine incommodo & moleſtia. Cui minime aſſentior. Circi æque ac theatra vias habebant, & ſemitas, per quas in circum admittebantur, & dimittebantur ſpectatores. Quanta fuiſſet alioqui in mora, ſi plures quam centies quinquagies mille ſpectatores, quot circus maximus capiebat, paucos habuiſſet exitus. Circus itaque quatuor vias habuit latiores a quatuor mundi cardinibus, ſed plurimas anguſtiores, quæ dicuntur *ſemitæ, viæ, lineæ.* Sic igitur locis Ovidii lux affulgebit. Sedebat puella in ultimo ſubſellii loco ad *lineam*, ſeu ſemitam, ita ut ſi ulterius voluiſſet fugere, cum ſe nollet ab eo, qui proxime ſedebat, tangi, aut ſtandum illi fuiſſet, aut de ordine ſubſelliorum, in quo ſedebat, ceſſiſſet. De quibus ne quis dubitet, pulcre docet Mart. v. 14. 8. de Nannejo, qui ſolitus ſemper erat ſpectare in primo gradu, ſeu ordine ſubſelliorum ante legem Domitiani theatralem: ex quo cum illa lege lata ſemel iterumque juſſus eſſet a deſignatore, in alium aliumque locum ivit ſeſſum cucullo tectus, ne noſceretur. Sed cum & illic excitaretur, in *lineam* coactus fuit ſe recipere, quæ ad equeſtria erant.

Et hinc miſer dejectus in viam tranſit,
Subſellioque ſemifultus extremo,
Et male receptus altero genu, jactat
Equiti ſedere, Lectioque ſe ſtare.

Salſiſſime ſane. Cum Nannejus undique dejectus eſſet, & ex illis, in quibus ſedebat, ſubſelliis equeſtribus juſſus eſſet ſurgere, tranſiit in viam, ſeu *lineam*, ad quam ordines ſubſelliorum equeſtrium aut deſinebant, aut dirimebantur ab ordine illo, qui erat trans viam. Ubi in extremitate ſubſellii ad *lineam* ſic ſedebat, ut altera pars natium ſederet in illo extremo ſubſellio, altera dependeret, ſic ut cum Lectius deſignator veniret viſum, num quis contra legem ſederet in equeſtribus, ne ſubmoveretur Nannejus, ut ante ſæpe erat ſubmotus, dicebat, ſe non ſedere, ſed ſtare in via, ſeu *linea*, apud alios vero jactabat ſe ſedere in equite. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* * *. . . .

Linea vocatur ἅμμα. ſive funiculus, & nervus in arcu, unde *tendere lineam, nectere lineam* eſt arcum tendere. Terentianus:

Nervis mollibus invicem,
Junctis in teretem ſtruem
Ceu Parthus ſolet, aut Scytha,
Arcus cornibus extimis
Levem nectere lineam.

Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. 1. 6.

Linea vocatur horizontis circulus. Manil. I. 652.

Hæc quoque per totum volitabit linea mundum.

De ſolſtitiali Lucan. x. 306.

Linea tam rectum mundi ferit illa leonem.

De æquinoctiali Avienus:

— ingenti ſe tramite linea tendens
Dividit ima noti, diſcernit & alta aquilonis.

Hodierni nautæ abſolute *lineam* hanc circulum appellant. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 465. *a. D.*

Linea in horologiis ſolariis notabat horarum differentias, non quidem diurnas, ſed menſtruas. In horologiis ex aqua faciendis brevitates, & creſcentiæ horarum non ſolum in ſingulis menſibus, ſed etiam diebus obſervari ſolebant. Quod exacta ratione æque fieri oportuit & in ſolariis, ſed ſieri iſſe non potuit. Quippe nimis magnus *linearum* numerus erat deſcribendus, ſi diurnæ etiam forent delineandæ, nec his tenendis ſuffeciſſet hemiſphærium, vel ſcaphium gnomonicum. Ideo menſtruæ tantummodo *lineæ* perducebantur, quæ oſtendebant, quæ varietas horarum eſſet in ſingulos menſes creſcentium, decreſcentiumque. Hoc innuit Vitruv. IX. 9. *Cum hoc ita ſit deſcriptum, & explicatum per hibernas lineas, ſive per æſtivas, ſive per æquinoctiales, aut etiam per menſtruas.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 450. a. F. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 366.

Linea margaritæ eſt margarita, ſeu unio, filo, aut funiculo pertuſa. Ejus mentio eſt apud Scævolam l. 26. ff. ad legem Falcidiam. *Lineam margaritorum triginta quinque legavit: quæ linea apud legatarium fuerat mortis tempore.* Brod. Miſc. x. 20.

Linea ad teſſeras, quando in ludo *linearum* fit mentio, videtur ſpectare. Diverſæ pro diverſitate luſuum in tabula erant *lineæ*, indeque factum eſt, ut auctores minime inter ſe conveniant. Alii enim biſſenas tabulæ adſcribunt *lineas*, alii ab utraque parte quinque; utrique autem recte pro diverſitate, ut diximus, ludi. Pollux IX. 7. *Quoniam vero calculi, tali ſunt: quinque vero unuſquiſque habet ludentium in quinque lineis: recte a Sophocle dictum eſt, teſſeræ quinque lineis notatæ, & talorum jactus.* Inter eas, utrinque quinas una fuit media, quam ſacram vocabant. Pollux l. l. *Inter eas utrinque quinas lineas mediam vocatam fuiſſe lineam ſacram: quique calculos ab illa moviſſet, locum proverbio dediſſe: ſacræ lineæ calculum movere.* Sed hæc proprie de ludo teſſerarum, prout iſtum Græci ludere ſolebant, intelligenda ſunt. Apud Romanos paullo aliter ſe res habebat. Iis enim in tabula adſcriptæ erant, vel ſex utrinque ludentium *lineæ*, id eſt, conjunctim duodecim, vel totidem numeri. Quos illi ſcripta vocabant. V. infr. in *Scripta duodecim.* Et ut apud Græcos media *linea* erat ἱερὰ, vel ſacra, ſic Romanis, cæteriſque Latinis ultima erat quaſi ſacra, dicebaturque *incita linea.* V. ſupr. in *Inciti.* Eraſm. Adag. p. 230. A. Senftleb. de Alea vet. c. 10. §. 9. 10. Calcagn. de Lud. talor. c. 3. Fab. Agon. II. 23.

Linea in venatione. V. illam ſupra in *Formido.*

LINEATORES erant in hippodromo Conſtantinopolitano, qui deſignatores in circo Romano. Hoc ex Paulli Diaconi verbis colligitur. *Dixerunt, quia ſecundum conſuetudinem lineatorem fecerunt: porro lineatores, ſive menſores interrogati, quam ob rem id fecerint? dixerunt, quia cum Imperatores ab omnibus nominati ſunt, hæc a nobis ipſis facimus.* Sub ipſis hippodromi ergo miniſteria. Nos in gymnaſio literario *bidellos* nunc vocamus. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* 1. 6.

LINGONES erant incolæ Galliæ Celticæ, nunc in ducatu Burgundiæ *Langres* dicti. De illis Lucan. I. 396.

Deſeruere cavo tentoria fixa Lemano,
Caſtraque, quæ Vogeſi curvam ſuper ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 622. D.

LINGUÆ exertatio, ſeu ejectio genus fuit ſannæ. Modus illudendi, quemadmodum nunc paſſim ab hominibus projectæ audaciæ, triviiſque aſſuetis, parum decore uſurpatur, ita vetuſtiſſimus eſt. Perſius in hunc modum canens eum expreſſit Sat. I. 60.

Nec linguæ, quantum ſitiat canis Appula, tantum.

ubi Cornutus ait: *Sannæ genus eſſe linguam exerere ad canis ſitientis inſtar.* Irridendi hunc modum ſignificat, & forte ad Perſium reſpexit Hieron. Epiſt. IV. quæ eſt ad Ruſticum Monachum: *Ne credas laudatoribus tuis, imo irriſoribus aures ne libenter accommodes; qui cum te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint; ſi ſubito reſpexeris, poſt te videas, ad illudendum, æſtuantem canis protendi linguam.* Id ipſum ſatis oſtenditur ex militis illius Galli hiſtoria, qui Romanos ad pugnam provocans, ut eos irrideret, *linguam* exeruiſſe dicitur. Gell. IX. 13. Liv. VII. 9. 10. *Tum eximia magnitudine in vacuum pontem Gallus proceſſit, & quantum maxima voce potuit. Quem nunc, inquit, Roma fortiſſimum virum habet, procedat agedum ad pugnam, ut noſter duorum eventus oſtendat, utra gens bello ſit me-*

melior. . . . Armatum T. Manlium, adornatumque adversum flobde linum, & , quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est, linguam etiam ab irrisu exerentem producunt. Ferrar. de Vet. acclam. & plauf. II. 20. *Linguas pavonum, & lusciniarum, quod qui has ederet, ab epilepsia tutus diceretur, comedit* Heliogabalus. Lamprid. c. 20. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 7. Diis eloquentiam curantibus veteres facraverunt. Homer. Odyss. Γ. 332.

Sed agite, dividite linguas.

Ubi Didymus: *Consuetudo erat iis, qui dormitum ibant, sacrificiorum linguas exscindere, & in honorem deorum, sermones curatium comburere.* Athen. I. 14. *Soliti facere libationes super linguis, cum e convivio discederent.* Quæsitum, quare hoc fecerint. Et funt, qui id modo profe ant, Jonum hoc moribus receptum. Alii, quod inter membra reliqua bonitate *lingua* præstet; optima vero diis reddi par sit: alii quod *linguæ* parcant & verbis somnum petentes; quo fane argumento etiam Mercurio libabant postremo. Vel item quia in conviviis prolata silentio deceat involvere; Aut quoniam *linguas* amburendo perperam dictorum labes inustas expurgarent. *Rhodig. Ant. Lect.* XIII. 5. *Erasm. Adag. p.* 281. *b. Lomej. de Lustrat. c.* 23. *Stuck. de Sacrif. p.* 206. 188. *Saubert. de Sacrif. c.* 20. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 7. *de Prand. vet. c.* 2. *&* 3. *Var. sacr. gentil. c.* 19. *Feith. Ant. Hom.* III. 5. *Casaub. in Athenæum. Buleng. de Conviv.* III. 34. *Sort. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 397. *B. Potter. Archæol. Græc.* II. 4: IV. 20. *Lips. Poliorc.* V. 10.

Lingua Græca tantopere in usu fuit, ut Romanæ etiam mulieres, acsi in media natæ, educatæque Græcia, Græco passim idiomate loquerentur. Juven. Sat. VI. 187.

— *omnia Græce,*
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta.

Kobierzyck. de Lux. Rom. I. 5. Et inter viros eloquentia præditos nullus recenseretur, qui Græcam pariter literaturam non optime calleret. Quare ipsimet Romani, ut eandem probe addiscerent, Athenas plerumque contendebant, vel Græcos sibi magistros domi, ut omnem eloquentiam excolerent, adsciscere satagebant. Augusto enim, ut testis est Suet. c. 89. n. 1. Apollodorus Græcus vir magni nominis præceptor adfuit. Et plurium oratorum Cicero Brut. c. 20. meminit, qui Græci præsertim sermonis peritia præstantissimi inter cæteros fuere, ita ut eorum non pauci libros omni eruditione redundantes Græce a se conscriptos ediderint: inter quos jure quidem merito Albinus ille cos. celebratur, qui suam Græco idiomate historiam promulgavit. Claudius quoque teste Suet. c. 42. n. 1. haud minori cura, ac labore Græcorum studia sectatus, ejusdem *linguæ* nitorem, atque præstantiam, ubicunque se illi præbuit occasio, professus est. *Aring. Rom. Subterr.* II. 23. §. 26.

Lingua Latina creditur nuncupata, qua uterentur in Latio, quum rebus potiretur Latinus, & præterea Etrusci Reges: qua fane decemvirorum conscriptæ funt tabulæ. Sed hujus pars ulla vix subsistit innoxia: quod retulit Sex. Pompejus. Romana dicendi ratio intelligitur, quæ in Plauto effloruerit, Nævio, Accio, Pacuvio, Marone, Catone, Sisenna, Antiate Valerio, Cæsare, M. Tullio. Miscella figura intulit se, ubi jam auctiore imperio, datque pessum Romana libertate, gentibus communicata civitas diversissimis est, ex quarum velut voragine loquendi sinceritas concussa inprimis in barbarum fere dilapsa sonum, sapere Gothicum cœpit, & omnino peregrinum, ut rarenter se promat, quem pure Romanum dicas, non civitate donatum. Miratur tamen & Fabius, Osce plurima in auctoribus invaluisse, nec non Sabine, ut de Gallicis taceam, quum & Punica ostentent se nonnunquam. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIII. 31. *Barth. Adv.* LIII. 2. *Noris. Cenot. Pisan. Diss.* IV. 1. In hac, licet Græca a Romanis in pretio haberetur, in media tamen Græcia responsa dabantur. Val. Max. II. 2. 2. *Magistratus prisci quantopere suam, populique Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam, nisi Latine, responsa darent. Quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant, non in Urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia, & Asia: quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subjici debere arbitrabantur.* Imo Romani tanti suam fecerunt *linguam*, ut ejus *usum nonnullis colonis impartiverint*, ut ait Alex. Genial. II. 30. quippe Cumanis, ut constat auctoritate Liv. XL. 42. *petentibus permissum, ut publice Latine loquerentur, & præconibus Latine vendendi jus esset.* Nicquet. Histor. Titul. Cruc. II. §. 4.

LINGUARIUM est *linguarum* theca, & repositorium, in quo *linguam* condimus, ne temere quid dicamus. Senec. de Benef. IV. 36. *Fecit ut doleat, ut posthac consideratius loquaris: quod dicere solemus, linguarium dabo.* Natum hoc est verbum e joculari vulgi sermone, quo & nos plerumque jocantes utimur. *Turneb. Adv.* XII. 9. Est potius, quod pro lingua, quæ temere locuta est, penditur. Id aperte videntur ostendere verba Senecæ: *Verba mea redimam: & damno castigabo promittendi temeritatem.* Sic vitiarium dicebatur, cerarium, salarium, unguentarium, hordearium, uxorium. Sed V. illis sais locis. *Muret. Var. Lect.* XII. 5. *Gronov. de Pecun. vet.* IV. 4. & *in Senecam.*

LINTEARII vocabantur, qui lintea venderent. Gloss. vet. *Linearius, ὀθονιοπώλης.* Sic accipitur pro linteæ vestis negotiatore l. 7. C. de excus. mun. *negotiatores, vestiarios, lintearios.* Stewech. in Veget. I. 7. Salmas. in Vopisc. Saturnin. c. 7. Ferrar. de Re vest. I. 3. 21. Taubm. in Plaut. Aulul. III. 5. 38. Casaub. in Lamprid. Alex. Sev. c. 24.

LINTEONES vocabantur, qui, ut ait Serv. Æneid. VII. Linteamina texebant in vestium usum, & lavabant. Plaut. Aulul. III. 5. 38.

Propolæ, linteones, calceolarii.

Veget. I. 7. *Piscatores, aucupes, dulciarios, linteones.* Popm. de oper. serv. p. 89. Salmas. in Vopisc. Saturnin. c. 7. Stewech. in Veget. I. 7. Ferrar. de Re vest. I. 3. 21. Taubm. in Plaut. Aulul. III. 5. 38.

LINTER *est navis fluminalis. Virg. Georg.* I. 262.

— *cavat arbore lintres.*

Non. XIII. 10. *Lintres* Germani invenerunt, qui Danubii funt accolæ, & ex integris arboribus cavaverunt, ut modo Virgilius. Sunt omnino non ad longas navigationes idoneæ, sed, ut Liv. XXI. 26. *ad vicinalem usum paratæ*, & ut idem subdit, *novasque alias primum Galli inchoantes cavabant ex singulis arboribus.* Et propterea *monoxylos lintres* vocat Plin. VI. 23. Glossæ veteres: *Lintres, μονόξυλα.* Agebatur remis. Cæs. Bell. Gall. VII. 60. *Conquiri etiam lintres: has magno sonitu remorum incitatas in eandem partem mittit.* Cicer. pro Mil. c. 27. *Repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, cementa, aliaque arma convexit.* Gyrald. de Navig. c. 18. Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 607. C. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 677. C. Scheffer. de Milit. Nav. I. 3. Cerda in Virgilium. Schill Nomencl. Philol. p. 681.

Linter vasis etiam genus videtur. Et sic Virgilius modo liuditus posset exponi. *Baccius de vin. ac conviv.* IV. *p.* 170. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Cerda in Virgilium.*

LINTRARII vocabantur, qui, si quid forte nuntiandum prætervehentibus, si quid aliud agendum fuit in mari, id faciebant. Ulpian. l. 1. §. 4. ff. Nautæ, caupones. *De exercitoribus ratium, item lintrariis nihil cavetur.* Scheffer. de Milit. nav. II. 3. Gyrald. de Navig. c. 18.

LINUM adhibebatur in obsignationibus literarum, & tabularum. Erat illud vinculum, quo constringebatur, & obligabatur id, quod erat obsignandum. Plautum V. supr. in *Cera.* Mos vinculis colligandi tabellas apud Græcos

cos quoque obtinuit. Nep. Pauſ. c. 4. n. 1. *Interim Argilius quidam adoleſcentulus, cum epiſtolam ab eo ad Artabazum accepiſſet, eique in ſuſpicionem veniſſet, aliquid in ea de ſe ſcriptum. . . . vincula epiſtolæ laxavit, ſignoque detracto cognovit. . . .* Curt. VII. 2. 25. *Parmenio vinculum epiſtolæ ſolvens, quidnam Rex ageret, requirebat.* In tabulis, quæ publici, & privati contractus ſcripturam continebant, modus obſervabatur, quem deſcribit Paull. Sent. V. tit. 25. *Ampliſſimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici & privati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari, ut ad ſummam marginis ad mediam partem perforatæ triplici lino conſtringantur, atque impoſitum ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Auctor hujus formæ ſenatus fuit Neronianis temporibus. Suet. Ner. c. 17. n. 1. *Adverſus falſarios tunc primum repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina trajecto obſignarentur.* Non poterant autem aperiri, niſi *lino* ſoluto. Lucian. Tim. p. 101. *Poſteaquam ſignum ablatum fuerit, & linum inciſum, & tabulæ apertæ.* Kirchman. de Annul. c. 7. Long. de Annul. c. 9. Salmaſ. de mod. uſur. c. 11. Lipſ. Inſtitut. Epiſtol. c. 4. Briſſon. de Form. VI. p. 512. Pitiſc. in Suetonium. *Lino* etiam in ſacro veſtitu honorem habebant. Illo amiciebantur ſacerdotes Iſiaci. V. illos inſr. in *Sacerdos.*

LIQ.

LIQUARE eſt tenuius facere. Hoc in vinis ob ætatem languidioribus, & craſſioribus, maxime ſi *amphora fumum bibiſſet*, ut Horat. Od. III. 8. 10. omnino erat neceſſarium. Horat. Od. I. 11. 5.

— *ſapias, vina liques.*

Quamquam & ad voluptatem id factitabant, nive, & glacie ſæpe admixta. Utebantur autem ad eam rem colis, ſacculiſque, quos a nive nivarios appellabant. *Torrent. & Lamb. in Horatium. Turneb. Adv.* XI. 28. V. inſr. in *Saccus.*

LIS.

LIS *vocabatur res, quæ erat in controverſia. Ideo in actionibus videmus dici: quam rem, ſive litem dicere oportet.* Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *Voſſ. Lex. Etymol. Briſſon. de Form.* V. p. 368. Et quæ res in controverſia eſſe dicebatur, eadem dicebatur res *litigioſa* l. 1. ff. de Litigioſis. Qui quoque antea partes, nunc *litigatores* appellabantur. Res autem *litigioſa* eſt, cum in judicium deducta eſt l. ſi rem 31. ff. de novat. Pinguius interdum controverſiæ nomen pro *lite* uſurpatur, nunquam autem *lis* pro controverſia. Hinc illud Varronis modo laudati. *Hotman. de Lite ordin. c.* 12. A jurgio diſtinguit Non. V. §. 34. *Jurgium & lis hanc habent diſtantiam: quod jurgium levior res eſt. Siquidem inter benevolos, aut propinquos diſſenſio, vel concertatio jurgium dicitur. Inter inimicos lis appellatur.* Et probat hoc Ciceronis verbis de Republ. IV. *Admiror nec rerum ſolum, ſed verborum etiam elegantiam. Si jurgant, inquit, benevolorum concertatio, non lis, inimicorum, jurgium dicitur.* Et in ſequenti: *Jurgare igitur lex putat inter ſe, non litigare.* Voſſ. l. l. *Lites* feriis ceſſabant: *& in feriis imperandis, ut litibus, & jurgiis ſe abſtinerent,* per præconem edici ſolebat, ut docet Cicer. de Div. I. 45. Unde Cicer. de Leg. II. 8. *Feriis jurgia amovento.* c. 12. *Feriarum, feſtorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium.* Liv. V. 13. V. illum ſupr. in *Lectiſternium.* Ovid. Faſt. I. 73.

Lite vacent aures; inſanaque protinus abſint
Jurgia: differ opus, livida lingua, tuum.

Briſſon. de Form. I. p. 118. Lipen. de Stren. c. 2. ſect. 1. §. 41. Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 99. Caroli Antiq. Roman. I. 6. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 2. *Litem æſtimare, & conteſtari* quid ſit, V. ſupr. in *Æſtimatio*, & *Conteſtatio. Litem ſuam facere* quid ſit, inter ICtos non convenit. Cicer. de Orat. II. 75. *Quid ſi pro altero dicas, litem tuam facias?* id eſt, ſi ita agas, ut non alienam cauſam, ſed tuam agere videaris. Gell. X. 1. *Ad hæc ego reſcripſi nihil amplius, quam verba M. Varronis: quibus verbis utrumque, de quo ad me ſcripſerat, decideretur. Nam & Varro ſatis aperte quid dici oporteret edocuit; & ego adverſus eum litem meam facere abſens nolui;* id eſt, nolui rationibus cum eo contendere, ſed tantum auctoritatem Varronis ſecutum me eſſe contendi, ne contentione implicarer, aut rei periculum ſuſciperem. Noſtro tempore *litem* ſuam facere judices videntur interdum, cum nimirum in alterum litigatorem propenſi, non tantum diſceptatoris partes & arbitri, ſed etiam cauſidici uſurpant, ſtudium ſuum præ cupiditate prodentes: quomodo & advocati cum ſtudio litigatoribus ſuis placendi, in adverſarios ſimul contumelioſiſſimis verbis, ſimul graſſatoriis vultibus invehuntur, id ſe in commentariis habere dictitantes. Perinde quaſi fidem advocationis implere non poſſint, niſi & inimicitias litigatorum ſuorum cauſa ſuſceperint. *Litem* ſuam facere Græci ποιεῖν κρίσιν ἰδίαν dicunt. *In rem ſuam vertere* eſt rem inter duos controverſam ſibi adjudicare: quod eſt cum judex ita cum litigatoribus agit, ut ei jure ſuo cedant. Liv. III. 72. *Orare, ne peſſimum facinus pejore exemplo admitterent judices, in ſuam rem litem vertendo.* Bud. in Pandect. p. 189. H. *Litem* addicere pleriſque eſt viſum eſſe ſecundum præſentem *litem* dare. In lege enim decemvirali, quam allegat Gell. XVII. 2. legitur: *poſt meridiem præſenti ſtlitem addicito.* Sed quæſo quænam hujus legis æquitas, ſi ſecundum præſentem forte petitorem injuſtum judex debuerit judicare? Conſtat certe eos, qui cum fruſtrationis cauſa latitarent, tribus edictis evocati præſentiam ſui facere contemnebant, *litem* idcirco non perdidiſſe: verum, ſi poſt edictum peremptorium, quum dies ejus ſuperveniſſet, citati non reſpondiſſent, actum fuiſſe cauſam: non utique ſecundum præſentem, ſed *interdum abſentem, ſi bonam cauſam haberet, viciſſe* c. 73. de jud. Eum itaque, qui ante meridiem peroravit, poſt meridiem propter abſentiam olim *lite* fuiſſe multatum audebimus exiſtimare? Ego itaque didici *litem* addicere aliud nihil eſſe in hac lege, quam *litigandi* poteſtatem facere. Quam poteſtatem quia judex non ſolet facere, niſi actore cum reo præſente, niſi audita, & cognita cauſa. Hac ratione impulſus hanc decemviralis hujus legis partem ſic auſus ſum reſtituere: *poſt meridiem litem addicito, ſi ambo præſentes.* Ræward. ad Leg. XII. tab. c. 7.

LIT.

LITATUM eſſe dicebant, cum bona exta nuntiata deos placatos, & propitiatos ſignificabant, promittebantque iis propitiis bene, & feliciter eventurum, quod aggrediebantur, ſeu in animo habebant, qui ſacrificaverant. *Litare* enim Macrob. Sat. III. 5. explicat *ſacrificio facto placare numen.* Unde & *litationem propitiationis* dicit in Somn. Scip. I. 8. *Inter ſacrificare, & litare hoc intereſt: ſacrificare eſt veniam petere: litare eſt propitiare, & votum impetrare.* Virg. Æneid. IV. 50.

Tu modo poſce deos veniam, ſacriſque litatis.

id eſt, impetratis. Plaut. Pœn. II. 42.

— *tum me Jupiter*
Faciat, ut ſemper ſacrificem, & nunquam litem.

Antiqui lutare dicebant, quod frequentativa forma ἀπὸ τοῦ luere factum. Varro apud Non. II. 482. *Lutavi pro lui Varro* Ἑκατόμβη ἢ περὶ θυσιῶν. *Habes qui, & cujus rei cauſa fecerim hecatomben: in quo ego, ut puto, quoniam eſt luere, ſolvere, lutavi. Lutare* eſt ſolvere. Homines enim tanquam debitores diis cenſentur natura, vel lege, vel ex voto proprio, quos propterea quaſi omnium bonorum datores, ac creditores ſuos ſacrificiis placant, ac propitiant. Hinc *ceremoniarum debita conficere* Arnobio. Quoniam autem, quod in ſolutum datur a debitore, ut ſolutio ſit, in acceptum ferri debet a creditore, ita nulla *lutatio* eſt, ſive *litatio*, id eſt, ſacrorum ſolutio, niſi dii grata, & acce-

pta habeant, quæ ab hominibus offeruntur. Catull. xxxvi. 16.

Acceptum face, redditumque votum.

Litant igitur homines diis, ut debitores creditoribus ſolvunt. *Litantur* hoſtiæ, & ſacrificia diis, ut debitum ſolvitur creditoribus. *Litari*, id eſt, placari dii dicuntur, ut creditores liberari dicuntur. Nam *creditorem liberare* in jure dicitur, qui ſe liberat a creditore, eumque placat. *Briſſon. de Form.* I. *p.* 28. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 9. *a. D. Turneb. Adv.* xviii. 20. *Mod. in Liv.* viii. 9. *Stuck. de Sacrif. p.* 231. *Sigon. de Ant. jur. prov.* ii. 6. *Galeot Mart. de Promiſc. diſcipl. c.* 39. *Gyrald. Synt. deor.* xvii. *p.* 526. *C. Saubert. de Sacrif. c.* 3. *&* 20. *Camer. Hor. Subſec.* i. 58. *Lomej. de Luſtrat. c.* 14. *Merul. de Sacrif. c.* 5. §. 2. *Caroli Antiq. Roman.* i. 11. *Blond. Triumph. Rom.* i. *p.* 14. *G.*

LITERÆ a quibus inventæ ſint, ſatis eſt controverſum. Tacit. Annal. xi. 14. 1. *Ægyptii literarum ſemet inventores perhibent; inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intuliſſe Græciæ, gloriamque adeptos, tanquam repererint quæ acceperant. Quippe fama eſt, Cadmum claſſe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis, artis ejus auctorem fuiſſe. Quidam Cecropem Atheniensem, vel Linum Thebanum, & temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant, ſexdecim literarum formas; mox alios, ac præcipuum Simonidem ceteras repperiſſe.* Plin. vii. 56. *Literas ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe: ſed alii apud Ægyptios a Mercurio, ut Gellius: alii apud Syros repertas volunt. Utique in Græciam intuliſſe e Phœnice Cadmum ſedecim numero. Quibus Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor hac figura Θ Ξ Φ X. Totidem poſt eum Simonidem Melicum Z H Ψ Ω quarum omnium vis hodie recognoſcitur. Ariſtoteles decem & octo priſcas fuiſſe* Α Β Γ Δ Ε Ζ Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ *& duas ab Epicharmo additas* Θ X *quam a Palamede mavult. Anticlides in Ægypto inveniſſe quendam nomine Menona tradit quindecim annis ante Phoroneum antiquiſſimum Græciæ Regem: idque monumentis approbare conatur. E diverſo Epigenes apud Babylonios ſeptingentorum viginti annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis auctor in primis: qui minimum, Beroſus & Critodemus, quadringentorum & octoginta annorum. Ex quo apparet æternus literarum uſus*, ut idem ait Plinius, vel, ut ego interpretor, vetuſtiſſimus. *In Latium eas attulerunt Pelaſgi:* pler.que Carmentam ajunt, quæ & Nicoſtrata dicta eſt, Euandri matrem: atque ideo ab initio ſedecim tantummodo Latinorum *literæ* fuerunt, uti etiam Græcorum. At vero Tacit. n. 3. ſcribit *in Italia Etruſcos ab Corinthio Demarato, Aborigines ab Arcade Euandro didiciſſe.* Gyrald. de Poet. Dial. i. p. 10. Voſſ. Gramm. i. 9. & 10. Bochart. Chan. i. 20. Lipſ. in Tacit. Annal. xi. n. 47. Petit. Obſerv. ii. 1. Hug. de Lit. & ſcrib. Orig. c. 1. Almelov. Rer. inv. onom. p. 41. Herm. Ἑλλην. §. 1. Galeot. Mart. de Promiſc. diſcipl. c. 6. Marsham Can. Chron. ſect. 9. p. 123. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 273. Latinos a Græcis eas accepiſſe, & veterum Græcorum eaſdem eſſe ac ſuo ævo Latinorum volunt Tacit. l. l. *Forma literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* & Plin. vii. 58. *Veteres Græcas fuiſſe eaſdem pene, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ eſt hodie in Palatio, dono Principum Minervæ dicata in bibliotheca, cum inſcriptione tali,* Ναυσικράτης Τισαμένου Ἀθηναῖος. *Voſſ. ibid. c.* 11. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 627. *a. D. Nardin. Rom. Vet.* vi. 13.

Litera Kalendaris vocatur, quæ Kalendis ipſis notata menſes ducit: A Januarium, H Februarium, D Martium, C Aprilem, A Majum, H Junium, F Julium, E Auguſtum, D Septembrem, B Octobrem, A Novembrem, G Decembrem: ut manus indicat. Quatuor enim digiti tribus ſinguli articulorum internodiis *literas* recipiunt: quemadmodum & menſes collocantur. In indice Januarius, Majus, September: in medio Februarius, Junius, October: in medico Martius, Julius, November: in minimo Aprilis, Auguſtus, December. Si & diſtichon technicon cupis, cape:

Annus Habet Divos Cumulatos Axis Honore,
Faſtos Et Divos Barbarus Arte Gerit.

Putean. de Nund. Rom. c. 23.

Literæ ſunt ſcripta e *literis* contexta, ut epiſtolæ. Illarum auctor poteſt cognoſci ex ſignis, & e ſcribentis manu. Sic L. Junius Brutus primus Romanorum conſul filiorum conjuratorum *literas primum ex utriusque ſigillo, deinde poſt avulſa ſignacula etiam e manu agnovit.* Dionyſ. v. p. 283. Ovid. de Pont. ii. 10. 1.

Ecquid ab impreſſæ cognoſcis imagine ceræ
Hæc tibi Naſonem ſcribere verba, Macer?
Auctorisque ſui ſi non eſt annulus index,
Cognitane eſt noſtra litera facta manu?

Interdum quoque ex ipſo ſtylo, vel ſermone habito. Bernard. Epiſt. 330. *Signum non erat ad manum, ſed qui leget, agnoſcet ſtylum: quia ipſe dictavi.* 339. *Nupera materies locutionis ſit pro ſigillo: quia ad manum non erat.* Kirchman. de Annul. c. 7. Laureatæ, id eſt, lauro revinctæ, victoriarum, & lætitiæ nuntiæ ab Imperatoribus Romanis ad ſenatum mittebantur. Appian. de Bell. Mithrid. p. 223. *Lucullus de rebus ſuis geſtis ad ſenatum miſit laureatas literas, ut mos eſt victoribus.* Liv. v. 28. *Literæ a Poſtumio laureatæ ſequuntur: victoriam populi Roman. eſſe: Æquorum exercitum deletum.* xlv. 1. *C. Licinio conſuli ad quadrigas mittendas aſcendenti, tabellarius, qui ſe ex Macedonia venire diceret, reddidiſſe laureatas literas dicitur.* Moreſtell. de Fer. Rom. Dial. xiv. Caſtal. Obeliſc. Auguſt. inſcript. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. iv. p. 1864. B. Pier. Hierogl. L. 19. Gyrald. Synt. deor. x. p. 322. G. Brod. Miſc. i. 33. Paſchal. de Coron. viii. 11. Barth. Adv. xi. 4. Laz. Comm. Reip. Rom. ii. 4: ix. 20 Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. x. 29. Alex. Gen. dier. i. 27. & ad illum Tiraquellus. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 279. Nicol. de Triump. c. 9. §. 1. Rader. ad Mart. vi. 6. 5. A coſſ. mittebantur per milites. Plutarch. Galb. p. 1056. D. ſcribit Nymphidium præfectum prætorio valde offenſum, quod coſſ. *literas*, & diplomata *ſine ſigno ſuo, & militibus miſiſſent.* Tacit. Annal. iv. 41. 3. *Literarum ſe magna ex parte arbitrum fore, cum per milites commearent.* Et quidem per eos, qui ſpeculatores dicti. Tacit. Hiſt. ii. 73. 1. *Vix memoratu credibile eſt, quantum ſuperbiæ, ſocordiæque Vitellio adoleverit, poſtquam ſpeculatores e Syria, Judæaque, adactum in verba ejus orientem nuntiavere.* Suet. Calig. c. 44. n. 3. *Magnificas Romam literas miſit, monitis ſpeculatoribus, ut vehiculo ad forum uſque & curiam pertenderent.* Lipſ. in Tacitum. Torrent. in Suetonium. Subſcriptio in *literis* ad Imperatorem, *vota pro te facimus Imperator.* Ingredienti Imperatori, *devotus numini, majeſtatique tuæ.* Imperatores ſcribentes ad ſenatum, qua formula uterentur, plane Cicero in epiſtolis ad familiares innuit. Planius vero Dio lxix. p. 794. B. *Quamobrem Adrianus cum ſcriberet ad ſenatum, non eſt uſus illo exordio: Si vos, liberique veſtri valetis, bene eſt; ego quidem, exercitusque valemus.* Laurent. de Acclam. c. 2.

LITERATI dicuntur ſtigmatici, qui *literarum* notis ſunt inuſti. V. ſupr. in *Inſcriptio ſupplicii genus.*

LITHOSTROTA, quaſi lapidibus ſtrata, erant pavimenta ſectis parvulis marmorum cruſtis ex diverſi generis, & coloris marmoribus, non tinctis. *Sectilia* vocat Latine Suet. Jul. c. 46. n. 3. V. illum infr. in *Sectilia.* Plin. xxxvi. 25. *Lithoſtrota cœptavere jam ſub Sylla parvulis certe cruſtis, extat hodieque quod in Fortunæ delubro Præneſte fecit.* Varr. de Re ruſt. iii. 1. *Cum enim villam haberet opere tectorio, & inteſtino, ac pavimentis nobilibus lithoſtrotis ſpectatam.* Capitol. Gordian. c. 32. *Inſtituerat porticum, cujus medium lithoſtrotum brevibus columnis altrinſecus poſitis, & ſigillis per pedes mille.* Apud Johan. c. 19. n. 13. λιθόστρωτον dicitur judicii locus, qui in Rabbinorum ſcriptis appellatur לשכת הוצית q. d. *cubiculum cæſuræ* propter ſectilia, & caſi marmoris fruſta, quibus elaboratum ejus pavimentum. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 854. *b. E. Bergier. de viis milit.* ii. *ſect.* 21. §. 7. *Spon. Miſc. Erud. Ant. ſect.* ii. *art.* 8. *Goeree Antiq. Biblic.* v. 6. *Buleng. de Pictur.* i. 8. *Philand. in Vitruv. p.* 259. *Crinit. de Hon. Diſcipl.* xxii. 1. *Caſaub. in Suetonium. Petav. in Themiſt. p.* 575. 576. *Marlian.*

lian. Topogr. urb. Rom. v. 11. *Guther. de jur. man.* 11. 29. *Grapald. de Part. dom.* 11. 1. §. 3. *Voſſ. Lex. Etymol.*

LITICEN *dicitur, qui lituo cecinerit.* Feſtus. *Stuck. de Sacrif. p.* 108. *Bartholin. de Tib.* 111. 7 *Valtrin. de Re milit. Rom.* 111. 14. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 1. §. 8.

LITIGATORES, concepta actionis intentione, pro natura actionis, aut judicem, aut recuperatores, aut judicium a prætore poſtulabant. Hoc enim jus fuit magiſtratus ejus, cujus fuit juriſdictio, ut hæc dare poſtulantibus poſſet. Indicant leges veteres magiſtratuum. *Conſulis, prætoris, cenſoris, quicunque erit, de ea re juriſdictio, judicii, judicis, recuperatorumque datio eſto.* Item: *Magiſtratus, cujus de ea re juriſdictio erit, ad quem de ea re in jus aditum erit, ita de ea re jus dicito, judicia recuperationis dato, uti eos recuperare poſſint.* Sigon. de judic. 1. 23. *Litigatorum* alter ſi abeſſet, & abſentiæ cauſa eſſet morbus, dies judicii proferebatur. Sic ſcriptum in XII. *Si judex, alterve ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, judicii dies diffiſus eſto.* Qui ſi morbum non excuſaret, prætor peremptorium edictum in eum edebat. V. Ulpianum ſupr. in *Judicium peremptorium.* Ubi uterque advenerat, judex utrumque jurare jubebat. Id jusjurandum calumniæ juramentum appellarunt. V, ſupr. in *Juramentum.* Dicere juſſi vel ipſi, vel eorum patroni, duobus modis dicebant: uno paucis, altero pluribus verbis. Brevem expoſitionem appellabant cauſæ conjectionem. V. ſupr. in *Cauſam conjicere.* Longioris expoſitionis exemplo ſint cauſæ a Cicerone defenſæ P. Quintii, & Q. Roſcii. Cauſa ita agebatur, ut teſtibus, literis, & argumentis ex ipſa re, de qua agebatur, depromptis utrinque certaretur. *Sigon. ibid. c.* 28.

LITTUS eſt proprie ora, ſive margo terræ, quam alluit mare, ſeu illud mediterraneum quoddam, ſeu Oceanus ſit. In re nautica notat partem ſui totius, non paſſim quamlibet, ſed eam, ad quam naves commode poſſunt appelli, ibique ſecuræ a ventorum tempeſtatumque rabie manere. Ita accipit Cæſ. de Bell. civ. 111. 8. ubi Bibulus Pompeji partibus addictus *a Salonis ad Orici portum ſtationes, litoraque omnia longe lateque claſſibus occupavit.* Ita etiam accipe l. 2. C. de littorum & itinerum cuſtodia, ubi Honorius & Theodoſius Impp. ad Anthemium P. P. ſcribunt: *Omnes ſtationes navium, portus, littora. . . . ſollerti cuſtodiantur indagine, ut nullus vel vi, vel clam, vel aperto, vel etiam occulto noſtri poſſit imperii regiones irrepere.* Bergier. de Viis milit. IV. Sect. 48. §. 5. Sabin. Lect. Subciſ. 1. 10. Voſſ. Lex. Etymol.

LITUUS erat genus buccinæ, diſtinctum a cornu. Horat. Od. 11. 1. 17.

Jam jam minaci murmure cornuum
Præſtringis aures, jam litui ſonant.

& a tuba. Senec. Oedip. 111. 733.

Sonuit reflexo claſſicum cornu,
Lituusque adunco ſtridulos cantus
Eliſit ære.

A qua etiam diſtinguit Lucan. 1. 237.

— Stridor lituûm, clangorque tubarum.

De illo Feſtus: *Lituus eſt genus buccinæ incurvæ.* Dat ſonum acutum. Ennius apud Feſtum:

Inde loci lituus ſonitus effudit acutos.

Stat. Theb. VI. 228.

Et litui aures circumpulſantur acutis.

& ſtridulum. Senec. Thyeſt. 111. 575.

Jam tacet ſtridor litui ſtrepentis.

& l. l. Canalis itaque grandis, aut patulus non fuit. Medium quoque inter tubam & cornu: non rectum prorſus, ut illa: nec totum incurvum, ut iſtud. Acro ad Horat. Od. 1. 1. 23.

Multos caſtra juvant: & lituo tubæ
Permiſtus ſonitus.

Litui acutus eſt ſonus, tubæ gravis. Inter lituum, & tubam hoc diſtare inveni: lituus equitum eſt, & incurvus; tuba vero peditum eſt, & directa. Lipſ. de Milit. Rom. IV. 10. Bartholin. de Tib. 111. 7. Valtrin. de Re milit. Rom. 111. 14. Hugo de milit. Equeſt. 11. 4. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 1. §. 8. Thyſ. Rom. Illuſtr. IV. p. 99. Voſſ. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 681.

Lituus eſt etiam *virga brevis, in parte, qua robuſtior eſt, incurva: qua augures utuntur.* Gell. v. 8. Hujus, qui tanquam inſigne auguratus fuit, primus uſus a Romulo fluxiſſe creditur, qui eo regiones direxit, cum Urbem conderet. Plutarch. Rom. p. 31. L. Camill. p. 145. D. *In moliendo, & purgando loco reperiunt ſub magno cumulo cineris Romuli baculum, quo uti ad auſpicia ſolitus erat. Is ab altera extremitate inflexus eſt, lituum vocant. Hujus in cœli regionibus deſcribendis uſus eſt auſpicantibus, ad quod ille augurandi peritiſſimus illum habuerat.* Cicer. de Divin. 1. 17. *Quid lituus ille veſter, quod clariſſimum eſt inſigne auguratus, unde vobis eſt traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cum Urbem condidit: qui quidem Romuli lituus eſt incurvum, & leviter a ſummo inflexum bacillum.* Utitur iſto vocabulo pro tuba Virg. Æneid. VI. 167.

Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.

Bartholin. de Tib. 111. 7. Stuck. de Sacrif. p. 108. La Chauſſe de Inſign. Pontif. Tab. 2. Ferret. Muſ. Lapid. 1. Memor. 4. Rævard. Conject. 1. 1. Faber Agoniſt. 1. 21. Læt. de Sacerdot. c. 5. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1106. D. Kipping. Antiq. Roman. 1. 12. 9. Schill Nomencl. Philol. p. 683. Barth. Adv XXXV. 2. Noriſ. Diſſert. in Cenot. Piſan. 11. 5. Alex. Gen. v. 13. & 19. & ad illum Tiraquellus. Landus in vet. num. Rom. Explicat. Miſc. Ital. Tom. 1. p. 361. Laz. Comm. Reip. Rom. 111. 11. Saubert. de Sacrif. c. 12. & 17. Grapald. de Part. dom. 11. 12. §. 5. Gutberl. de Saliis c. 16. Nonn. in Goltz. Nomiſm. Cæſar. p. 32.

LIV.

LIVIA gens. V. illam ſupr. in *Familia.*

LIX.

LIXÆ ſunt in exercitu Romano, qui militibus legitimis miniſtrant. Non. 1. 309. *Lixarum proprietas hæc eſt, quod officium ſuſtineant militibus aquæ vehendæ. Lixam namque aquam veteres vocaverunt. Unde elixum dicimus aqua coctum.* Quorſum alludens *inutile lixarum vulgus* dixit Sil. Ital. v. 31.

Inſertique globo pedites, & inutile Marti
Lixarum vulgus.

Veterem membranam gloſſarii habeo, in qua ſcriptum eſt: *Lixæ, militum ancillæ. Unde poſtea manipulares ſervuli ita appellati ſunt.* Barth. Adv. XXXIII. 11. Nigron. de Calig. c. 3. §. 5. Acron Grammaticus ad Horat. Sat. 1. 2. perperam ſervos militum appellat, cum certum ſit liberos fuiſſe homines. Docet hoc Feſtus his verbis: *Lixæ, quod exercitum ſequuntur quæſtus gratia, dicti, quod extra ordinem ſint militiæ, eisque liceat quod libuerit. Lixas* a ſervis diverſos fuiſſe, utrumque autem genus hominum in caſtris verſatum fuiſſe oſtendit, qui Metellum edixiſſe ait, Salluſt. Bell. Jug. p. 101. *Ne lixæ exercitum ſequerentur, ne miles gregarius in caſtris, neve in agmine ſervum, aut jumentum haberet.* Valtrin. de Re milit. 111. 8. Pignor. de Serv. p. 245. Lipſ. de Milit. Roman. v. 11. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 134.

LIXULÆ vocabantur placentæ, quæ elixæ caſeo, aromatis & butyro condiebantur. *Grapald. de Part. dom.* 11. 3. §. 26. *Buleng. de Conviv.* IV. 18.

LOC.

LOCARII dicebantur, qui *loca* commoda ſpectaculis occupabant, & deinde ditioribus certo pretio *locabant.* Mart. v. 25. 9.

Hermes

Hermes divitiæ locariorum.

Lipſ. de Amphith. c. 15. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 765. a. B. Buleng. de Circ. c. 33. Voſſ. Lex. Etymol. in Locus. Rader. in Martialem. Clementell. de Honor. biſell. c. 22. Thyſ. de Amphith. p. 206.

LOCARIUM dicitur, *quod datur in ſtabulo, & taberna, ubi conſiſtant.* Varr. de Ling. Lat. IV. 2. *Rhodig. Ant. Lect.* IV. 23. *Voſſ. Lex. Etymol. in Locus. Cujac. Obſerv.* XIV. 1.

LOCATIO eſt contractus bonæ fidei de re aliqua certa mercede vel facienda, vel ad tempus utendi, inter quos jure civili licebat, factus, atque in totidem partibus, quot emptio, erat poſitus. *Sigon. de Judic.* I. 5.

LOCULI συνεκδοχικῶς dicitur pecuniarum ſacculus. Unde in Gloſſis: *Loculi, γλωσσόκομον.* Mart. XIV. 12.

Hos niſi de fulva loculos implere moneta
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

Eo autem *loculos*, quam *locos* dicere maluerant, quia ad pecunias recondendas non amplo *locorum* ſpatio, ſed paullo minore opus eſt. *Voſſ. Lex. Etymol. in Locus. Rader. in Martialem. Salmaſ. de mod. uſur. c.* 10. *Grapald. de Part. dom.* II. 6. 20. *Puiſc. in Suet. Galb. c.* 12. *n.* 7. Illos arcæ concinne opponit Juven. Sat. I. 89.

—— *neque enim loculis comitantibus itur*
Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur arca.

Arca enim, ſive ærata, ſive ferrata, fuit ſtataria, loculi [illegible], & geſtatorii. Et hos videtur tractaſſe unusquisque [illegible] grege magiſtrorum. Paterfamilias apud Scævol. I. [illegible] paul. leg. *teſtamento codicillisve ſervos manumiſit, & peculia legavit: & de Sticho ita cavit, Stichum ſervum meum liberum eſſe volo, eique dari volo decem aureos, & quicquid ex ratione loculorum meorum habet.* Ad hunc morem collineat Johan. c. 12. n. 6. *Dixit autem hoc Judas, non quia de egenis pertinebat ad illum; ſed quia fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat.* Pignor. de Serv. p. 327.

LOCULUS appellabatur capſula, vel receptaculum, quo vel integrum corpus, vel reliquiæ aſſervabantur. Plinius, ubi de Pyrrhi pollice in dextro pede loquitur VII. 2. *Quem cremari cum reliquo corpore non potuiſſe tradunt, conditumque loculo in templo.* c. 16. *Et ipſi vivimus in loculis erutos.* Kirchman. de Fun. Rom. III. 15. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 859. b. E. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. II. 21. Ramirez. in Hypomnemat. ad Martial. p. 265. Voſſ. Lex. Etymol. in Locus. V. & infr. in *Urna.*

LOCUS in convivio digniſſimus non erat ſummus, ſive ejus, qui ad caput lecti decumbebat, licet *altum thorum* apud Virg. Æneid. II. 2. ſummum iste preretur, cumque Pontificalem fuiſſe dicat Servius; ſed medius, quicquid illi Serviani admutilati commentarii præ ſe ferant. Cicer. Famil. IX. 26. *Accubueram hora nona. Dices ubi: apud Volumnium Eutrapelum, & quidem ſupra me Atticus, infra Verrius, familiares tui.* En ſummus Atticus fuit, medius Cicero. Quid autem clarius, quam Ciceronem conſularem ſenem digniſſimo loco accubuiſſe? Virg. Æneid. I. 701.

—— *auleis jam ſe regina ſuperbis*
Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.

ut decebat reginam. Apud Salluſt. Hiſt. III. p. 187. In convivio, quo apud Perpernam Sertorius occiſus eſt, e duobus lectis alterum medium Sertorius occupat ut Imperator, alterum Perperna; ut convivii dominus. *Igitur diſcubuere, Sertorius inferior in medio, ſuper eum L. Fabius Hiſpanienſis, ſenator ex proſcriptis: in ſummo Antonius, & infra ſcriba Sertorii Verſius, & alter ſcriba Mecenas in imo. Medius inter Tarquitium & Ovium Perperna.* Ad hunc morem puto emendandam Plaut. Stich. III. 2. 31.

Haud poſtulo equidem medio in lecto accumbere,
Scis tu med' eſſe imi ſubſellii virum.

pro *med' in lecto.* Non enim paraſitus dicit ſe nolle in lecto accumbere, ſed nolle medium, aut ſummum, ſatis eſſe ſi in imo hæreret. Si itaque tres convivæ in uno lecto, medius digniſſimus, proximus honore ſummus. Si quatuor, medium tenet arbiter, proximum a ſummo. Si duo tantum, digniſſimus ſummus fuit. Et hoc ordo dignitatis antiquis ſervatum fuit. Senec. de Ira III. 37. *Modo honorato loco poſitus iraſci cœpiſti convivatori, vocatori, ipſi qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem. Honeſtiorem te, aut turpiorem poteſt facere pulvinum?* Lipſ. Ant. Lect. III. p. 145. Stuck. Pram. 4. Caſal. de Urb. ac Imper. Rom. ſplend. part. 2. c. 19. Medii lecti *locum* ultimum conſuli tributum, & prætorium conſularem dictum, ac præcipuum habitum fuiſſe, ejusque tres rationes maxime probabiles adfert Plutarch. Quæſt. Conviv. I. 3. I. *quod exactis Regibus conſules cum ad popularem formam omnia redigerent, ſeipſos e medio, & regio loco deorſum ſubduxerunt: ne vel ipſe locus, tanquam qui aliquid ex faſtu, & majeſtate regia adhuc retineret, moleſtus eſſet civibus.* II. *quod cum duo lecti invitatis tribuantur, tertius, ejusque primus, hoc eſt, medius locus domino convivii congruit; ex eo enim tanquam auriga, ac gubernator facile omnia tenere intueri poteſt, & ab aliis non valde abeſt, quin cum eis miſcere ſermonem poſſit, & colloqui. Locus enim infra eum uxoris eſt, aut liberorum: qui ſupra, is, ut par eſt, tribuitur convivarum honoratiſſimo.* III. *opportunitas ad munia obeunda: convenit enim magiſtratum in quovis convivio curare quævis animi [illegible], ut [illegible], & mandet ea, quæ opus ſunt, & [illegible]. Quod ut facere poſſit, commodiſſimum hunc habet locum, ubi [illegible] ad primam, applicata angulus [illegible] ſuo [illegible], quæ ſpatium [illegible], [illegible], & audiendi præbet, [illegible], lictori, [illegible], [illegible] neque moleſtiam cuiquam convivarum exhibeat, neque ipſe obturbetur a quoquam, ſed [illegible] & [illegible] expectam.* Boxhorn. Quæſt. Rom. 47. Stuck. Ant. Conviv. II. 35. Ciaccon. de Triclin. p. 44. Tomaſ. de Teſſer. hoſpit. c. 19. Bulenger. de vir. & convic. Ant. [illegible] p. 197. Hoc, cum conſul convivio intererat, forte fuiſſe perpetuum fuit: cum vero aut pontificales cœnæ dabantur, aut ipſi pontifices adhibebantur conviviis, medii lecti *locus primus* honoratior apud Romanos erat. Feſtus: *Ordo ſacerdotum æſtimatur deorum. . . . maximus quisque; maximus videtur Rex, deinde Dialis, poſt hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto loco Pontifex maximus. Itaque in conviviis ſolus Rex ſupra omnes accubat; ſic Dialis ſupra Martialem; Martialis ſupra proximum; omnes denique ſupra Pontificem.* Gell. X. 15. *Super flaminem dialem in convivio, niſi Rex ſacrificulus, haud quisquam alius accumbit.* Ciaccon. ibid. p. 46. Stuck. l. l.

Locus ſiniſter pleriſque gentibus, etiam Romanis honeſtior eſt habitus, ut quidem pluribus [illegible] Homerum [illegible] Becanus. Adverſus illum diſputat Lipſ. Elect. II. 2. & dextrum ſemper honeſtiorem habitum oſtendit. Illud contrarium eſſe videbatur, quod Ovid. Faſt. V. 67.

Et medius juvenum, non indignantibus ipſis
Ibat: & interior, ſi comes unus erat.

Hunc ſiniſteriorem fuiſſe confirmat Servius, qui explicans Æneid. V. 203.

—— *dum proram ad ſaxa ſuburget*
Interior.

inquit, *id eſt, ſiniſterior.* Hoc non modice Lipſium turbavit, utque ſe commodam inde expediret, negat interiorem de ſiniſtro intelligendum, & delirare Servium putat. Sed Servius id defendit auctoritate Cicer. Verr. I. 20. ubi legitur: *quem omnia intus canere dicebant*, id eſt, ut omnes interpretantur, ſiniſtra manu. Et Salluſtii, qui de Bithynia. *Igitur introrſus prima Aſiæ Bithynia eſt*, id eſt, ſiniſtrorium. Præterea idem ad Æneid. IV. 212. ex antiquo ſcriptore hæc habet: *Videtur illud attingere moris antiqui, quod cum conderetur nova civitas, tauro, & vacca, ita ut vacca eſſet interior, a magiſtratu muri deſignarentur.* Ubi *vacca interior* eſt ſiniſterior. (Et interiorem pro ſiniſtro accipiunt *Buleng. de Circo c.* 29. *Cerda in Virgilium*) Contra interiorem pro dextro accipiendum ex eo colligi

poſſe videtur, quod qui ad ſiniſtram ambulabat, exterior dicebatur. Horat. Sat. II. 5. 16.

— nec tamen illi
Tu comes exterior, ſi juſſerit, ire recuſes.

id eſt, ſiniſterior. Nam *exteriorem ambulare*, & *latus alicujus tegere*, ſive *claudere* idem erat, ut notavit Turneb. Adv. XIV. 24. Nam n. 18. dicit Horatius:

Viſne tegam ſpurco Damæ latus?

Si juſſerit ergo, ne recuſes illi exterior comes eſſe, id eſt, ad ſiniſtram ambulare, ſive latus ejus tegere. Juven. Sat. III. 131.

Divitis hic ſervi claudit latus ingenuorum
Filius.

Atqui latus tegere eſt eſſe ad ſiniſtram. Hoc Lipſius docet ex eo, quod Suet. Claud. c. 24. n. 8. tradit Imperatorem Plautio triumphanti *latus texiſſe*, quod narrans Eutrop. VII. 13. dicit Claudium Plautio *lævum inceſſiſſe*. Ita cum latus tegere, ſive claudere idem eſſet, ac lævum incedere, idemque pariter eſſet exteriorem ambulare, ſequitur, exteriorem ſiniſtrum, interiorem dextrum fuiſſe, quod Lipſius contendit. Sed ante Lipſium multum æſtuavit Turneb. l. l. Quærit ib., quid apud Horatium ſit *exterior*, & ſiniſtrum interpretatur. Id autem a circi conſuetudine ortum ait, ubi ad metam, inquit, flectebant in dextrum curſum, unde & dextratio appellata eſt. Ita dexter qui erat, interiore flectebat gyro, quemadmodum lævus exteriore. Sed & equus ſiniſterior ampliorem luſtrabat orbem, quam dexterior, itidem rota. Ovid. Amor. III. 2. 12.

Nunc ſtringam metas interiore rota.

id eſt, breviore curſu. Mox verſum Ovidii ſupra laudatum invertit, ut oſtendat interiorem *locum* fuiſſe dextrum, & contra omnium editionum fidem legit:

Ibat & exterior, ſi comes unus erat.

Sed hæc veterum auctoritati penitus repugnant. Primum omnium notiſſimum eſt, & antiqua monumenta manifeſte oſtendunt, in circo ab dexteriore in lævum currus agitatos, ita ut non dexter equus, ſed ſiniſter, item ſiniſtra rota ſemper metæ propinquior eſſet: atque ita non ſiniſter equus, ſed dexter amplius ſpatium luſtrabat, quippe a meta remotior: ſic & rota ſiniſtra metæ propior, minus ſpatium luſtrabat, quam dextra. Et cum ſepties meta flecteretur, ſemper flexus in ſiniſtrum erat, ſemperque ſiniſtra currus pars ſpinæ circi, ac metæ vicinior erat, & quod idem eſt, interior. Hinc factum eſt, ut cum ſiniſtra pars in quadrigarum agitatione ſemper interior eſſet, interior pro ſiniſtro acciperetur, cum tamen proprie viciniorem ſignificet. Virgilius in navium certamine, quod ſimulacrum circenſium curulium fuit, cum etiam naves in lævum flecterent metam, Sergeſto nimis metæ appropinquante, ait eum *interiorem* egiſſe navem ad ſcopulos, quod Servius ſiniſteriorem interpretatur, ex uſu magis circenſium, quam quod proprie interior ſit ſiniſter. Quod cum negare non poſſet Turnebus ejuſdem libri c. 4. ait Sergeſto eveniſſe, ut ſiniſter eſſet: cujus oblitus c. 24. ſtatuit dextrum in circo fuiſſe interiorem. Cum tamen c. 4. interiorem recte interpretetur, qui propinquiore ſpatio, ac breviore ad ſcopulum pergebat, ut apud Cicer. in Arato:

Nam curſu interiore brevi convertitur orbis.

Sed hæc ſiniſtra pars erat, non dextra: ex quo non recto talo ſtat Turnebi ſententia, qui interiorem dextrum interpretatur, a circi conſuetudine. Lipſius aliud quid excogitavit, cur in ambulando interior eſſet dexter. Nempe Quiritium conſuetudine, cum duo incederent, non æqualiter inceſſiſſe, ſed ita, ut inferior dignitate honeſtiorem paullatim præcederet, tanquam viam faceret, & ſe innixui præberet, ad eum plane morem, quo matronas gradientes ſervuli ſuffulciunt, atque ſuſpendunt. Atque ita honeſtiorem, qui ad dextram, interiorem dictum, exteriorem, qui ad ſiniſtram: quæ & ipſa haud dextro pede procedunt. Ut igitur rem confragoſam, & implexam expediamus, vox *interior*, ſi prima, & genuina origo reſpiciatur, neque dextrum, neque ſiniſtrum ſignificat, ſed viciniorem, & propinquiorem. Quia autem, ut diximus, in circenſibus curſus in lævam partem erat, & ideo equus, ac rota ſiniſtra vicinior metæ, quodque idem valet, interior, factum inde eſt, ut in reliquis rebus ſiniſtra pars interior diceretur. Cæterum in ambulando interior neque dexter, neque ſiniſter vocabatur, ſed qui parieti vicinior erat, hoc eſt, intra parietem, & comitem, qui deambulabat, iſque inde exterior dicebatur, hoc eſt a pariete remotior. Cum tres ergo incederent, honeſtior in medio: cum autem duo tantum, qui dignitate præſtabat, parieti propior, ut nunc fit, ambulabat, & ferme ad dextram viæ partem, atque ita ejus comes erat illi lævus, & exterior, idemque latus tegere, & claudere dicebatur. Non quod veluti pro ſcuto eſſet, ut ait Turnebus, quodque in acie ad lævum adſiſteret, & dum ſcutum ad dextram vertimus, nudum latus protegeret. Sed quia, qui inter duos ambulat, utrumque latus tectum, & munitum habet: qui autem uno comite graditur, unum latus pariete tectum habet, alterum ab eo clauditur, qui cum eo ambulat. Et quoniam ferme ad dextram viæ partem incedimus, hinc fit, ut exterior dicatur, qui ad ſiniſtram ambulat. Si quis tamen, quod ſæpe uſu evenit, ad lævam partem viæ ambulet, comes ad ejus dextram erit, & nihilominus pariter exterior dicetur, remotior ſcilicet a pariete, cui qui proximus eſt, interior dicitur, intra parietem, & comitem conſtitutus. Ex quo apparet, interiorem nec dextrum, nec ſiniſtrum fuiſſe, ſed pro ſitus ratione eum modo, qui parieti propinquior, ſive ad dextram, ſive ad ſiniſtram parietis partem ambularet. Eadem prorſus ratione, ſi in circo contra morem quadrigæ flexiſſent in dextrum, dexter equus, & rota fuiſſent interiores, id eſt, ſpinæ, & metæ viciniores. Non alia igitur Ovidii ſententia eſt, quam iviſſe medium, cum plures incederent, & cum unus tantum comes, interiorem, id eſt, ædibus viciniorem, quod ferme, ut hodie fit, ad dextram viæ partem. Hinc decedere de via, ac ſemita erat magiſtratui, & honeſtioribus locum cedere, id eſt, propinquiorem ædibus, ſive illi ad dexteram, ſive ad ſiniſtram incederent. Item cum lictor ſubmoveret, jubebat viatores *locum* digniorem magiſtratui concedere. Neque tamen hæc interpretatio quidquam Becanum juvat. Nam, ut diximus, interior neque ſiniſter, neque dexter, ſed medius inter ædes, & comitem adambulantem, exterior qui latus interioris tegebat. Quod interiorem ſignificare illud etiam argumento eſt, quod antiqui ſpondam lecti interiorem vocabant, quæ propior parieti, alteram exteriorem: in illa mulieres, in hac viri cubabant, ut ad Hiſtoriam Auguſtam notavit Salmaſius. V. illum infr. in *Pluteus*. Interior, inquam, ſponda, non ſiniſtra, aut dextra, ſed parieti propior. Nam licet, ut hodie quoque fit, ita lecti ſtatuerentur, ut ſiniſtra ſponda vicinior parieti eſſet, aliquando tamen juxta cubiculorum ſitum, dextra ſponda prope parietem adſtituitur, quæ nihilominus interior. Idem in lectis tricliniaribus factum, quorum ſponda menſam contingens interior dicta, in qua uxores, & amicæ cubabant, quæ idcirco interius accumbere dicebantur. Sed Lipſius interiores cubuiſſe ait, quibus alius, aliave in ſinu erat. Nititur auctoritate Catull. LXI. 171.

Cernis, intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in thoro
Totus immineat tibi?

Sed Catulli ſententia eſt, maritum, dum ſponſam operitur in lecto tricliniari, cubuiſſe interiorem, nempe digniori loco. Salluſt. Hiſt. III. *Itaque diſcubuere Sertorius interior in medio: ſuper eum Tuſcus Fabius Hiſpanienſis: infra ſcriba Sertorii.* Quanquam ibi interior de ſiniſtro loco intelligi poſſit. Cubuiſſe, inquam, ſponſum interiorem, ita tamen, ut de more ſponſam ſinu excepturus eſſet, & ita loco digniore ceſſurus, quæ inde interior cubitura erat.

Non

Non ergo intus cubare dicebatur, cui alius, aliave in ſinu erat, ut cenſet Lipſius: ſed contra, qui, quæve in ſinu alterius cubat, is, eave interior cubare dicebatur. Difficile tamen intellectu eſt, quod ſequitur n. 191.

Jam licet venias, marite,
Uxor in thalamo eſt tibi.

Unde enim veniet, qui jam cubabat? Quod vidit Paſſeratius: cum etiam ſequatur n. 200.

Perge, ne remorare,
Non diu remoratus es,
Jam venis.

Ergo, inquit ille, vel in thoro altero vir ante cubabat, vel in convivali. Sed cur in altero thoro, aut convivali? Nempe in quod ſimul cœnatura ſponſa. Verum nulla cœnæ nuptialis mentio: & ſi ea fuiſſet, longa mora interceſſiſſet. Expendant doctiores. Etiam Salmaſius recte ſtatuit, intus accubuiſſe mulieres, id eſt, in gremio maritorum. Appul. Met. VI. p. 195. *Accumbebat ſummum thorum maritus, Pſychen gremio ſuo complexus.* Sed cur maritus hic cubat intus? Cæterum obſervat Salmaſius etiam in lectis tricliniaribus ſpondam interiorem fuiſſe & pluteum. V. illum infr. in *Pluteus.* Et plutei quidem mentio apud Suet. Calig. c. 26. n. 2. Et ejus figura in antiquis marmoribus apud Urſin. de Triclinio. Sed ferme in ſtibadio, aut cum unus, vel duo diſcumberent. Nam ſi in lectis tricliniaribus pluteus fuiſſet, non video, quomodo convivæ lectos aſcendere potuerint, niſi ut ſupra diſcumbentes ſcanderent, etiam ſi per illud ſpatium, quo epulæ in menſam ferebantur. In ſponda igitur interiore, & in virorum gremio ſponſæ, ac ſponſi turpes cubabant, unde illud in Cæſarem apud Suet. c. 49. n. 3. *Regiæ lecticæ Nicomedis ſpondam interiorem fuiſſe.* Quod tamen non ſemper obſervatum eſſe declarat Mart. III. 91. 9. ubi Galli Cybeles Achillam puerum dolo exciſuri ab eo percunctantur, qua parte cubaret, quod fruſtra feciſſent, ſi omnes tunc mulieres, quique mulierum loco ad interiorem ſpondam jacuiſſent. Mentitus ille quidem eſt, nempe ſe in exteriore ſponda cubare ſolitum, cum tamen ad pluteum:

Exciduntque ſenem, ſpondæ qui parte jacebat,
Namque puer pluteo vindice intus erat.

Hoc ergo ferme in cubicularibus lectis obſervatum. Poeta ſpondam ſimpliciter appellat, quæ exterior, pluteum autem pro interiore, quæ pluteo muniebatur. *Ferrar. Elect.* I. 22. 23. *Bellus de Part. templ. augur. c.* 8.

Locus in theatro. Republica Romæ conſtituta, ne turbæ eſſent, ſuus cuique attributus eſt, orcheſtra ſenatoribus, quatuordecim ordines equitibus, media cavea viris, ſumma feminis, viatoribus quoque tribunitiis ſuus. Tacit. Annal. XVI. 12. 1. *Liberto, & accuſatori præmium operæ locus in theatro inter viatores tribunitios datur.* Hunc unicuique demonſtrabant deſignatores. V. illos ſupr. in *Deſignator.* Lipſ. de Amphith. c. 14 Buleng. de Theat. I. 30. Promiſcue ibi ſpectabant, & quovis loco libere. Indicat Plutarch. in Sylla p. 474. B. *Spectaculum quidem gladiatorum erat. Locis autem ad ſpectaculum nondum tum diſcretis, ſed mixtim ſedentibus viris feminisque: accidit, ut propter Syllam mulier quæpiam ſederet, facie, & genere honeſta.* Lipſ. l. l. Sed ſecreta ſunt in illo ſenatorum *loca* an. 559. P. Africano II. & Ti. Longo coſſ. Cicer. pro Corn. c. 1. *P. Africanus cum coſſ. eſſet, paſſus eſt tum primum a populari conſeſſu ſenatoria ſubſellia ſeparari.* Factum id eſſe Antias apud Aſcon. in Cicer. p. 132. tradidit ludis Romanis, quos fecerunt ædiles curules Attilius Serranus, T. Scribonius Libo: idque eos feciſſe juſſu cenſorum Sex. Ælii Pæti, C. Cornelii Cethegi. Qui *ingentem gratiam apud eum ordinem pepererunt, quod ludis Romanis ædilibus curulibus imperarunt, ut loca ſenatoria ſecernerent a populo.* Liv. XXXIV. 43. Sed populi gravem invidiam ſibi propterea Africanus conciliavit. Val. Max. II. 4. 3. *Per quingentos & quinquaginta octo annos* (ſequitur Verrii Flacci calculos) *ſenatus populo mixtus ſpectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Attilius Serranus, & L. Scribonius ædiles ludos matri deûm facientes, ſuperioris Africani ſententiam ſecuti, diſcretis ſenatus & populi locis ſolverunt. Eaque res avertit vulgi animum, & favorem Scipionis magnopere quaſſavit.* Pigh. Annal Rom. Tom. II. p. 268. Zamoſc. de Sen. Rom. I. 17. Maſſon Ovid. vit. p. 68. Pro quibusdam *locis* aliquid pendendum fuiſſe innuere videtur Suet. Cal. c. 26. n. 6. *Inquietatus fremitu gratuita in circo loca de media nocte occupantium, omnes fuſtibus abegit.* Et quidem priſco etiam ævo. Plaut. Pœn. prol. n. 23. id indicat receptum in ſervis:

Servi ne obſideant, liberis ut ſit locus,
Vel æs pro capite dent: ſi id facere non queunt,
Domum abeant.

Græci hæc ὀπτήρια appellaſſe videntur, quæ explicant in Callim. Dian. n. 74. τὰ ὑπὲρ τοῦ ἰδεῖν δῶρα, *munera quæ ſpectandi cauſa dantur.* Nec in ſervis hoc tantum, ſed receptum etiam in aliis e plebe opinor, qui locariis neſcio quid pro ſedibus pendebant. Martialis. Sed V. illum in *Locarii.* Lipſ. ibid c. 15. Aliquid ſolutum Romæ pro locario non memini me legere. Certe equeſtria, & ſenatoria *gratuita* fuerunt, quæ feminis, & maritis etiam *gratuita.* Æris aliquid, quia gradus erant ſubitarii, forte exactum ab iis qui promiſcue ſpectabant: tum enim & feminæ prope viros aſſidebant, ut jam narravit Plutarchus. Et eo putem pertinere prologum Plautinum. Locarii apud Martialem, homines pauperiores, quod mature veniſſent, & commoda ſpectaculis in popularibus *loca* occupaſſent, a ſe *loca* occupata divitibus accepta pecunia cædebant. Unde *gratuita* libenter apud Suetonium acciperem ipſa popularia, quæ primo occupanti conceſſa, & unde, ſi cederent tarde adventantibus, tenuiores pretium ſoliti reficere. *Buleng. de Circo c.* 35. Vox *gratuitus* apud Plaut. Ciſt. IV. 2. 74. ſumitur pro grato, ſeu mercedem impertiente. An igitur *gratuita loca* dixeris, quæ qui occupabant aliquid a Principe conſequebantur: vel quæ commodiora eſſent colligendis miſſilibus, quæ ſub finem ludorum ſpargebantur? *Babelonius in Suetonium.*

Loca in circo, quibus ſederent, ad Auguſti ævum ſenatus, eques, plebs indiſcreti occupabant. Nam Roſcia lex, & Julia theatralis de ſcena tantum caverant, non de curulibus ludis. Qui quoniam antiquiſſimi; religione quadam, cenſeo, & ſimul non alienandæ plebi ſervatus in iis mos priſcus. Cornelio Cinna demum & Valerio Meſſalla coſſ. an. 758. mutavit Auguſtus. Dio LV. p. 563. D. *Ludi circenſes ſeorſum a ſenatoribus & equitibus ſpectati ſunt: quod adhuc moris eſt.* Sed ita, ut ſaltem juberet ſeorſim ſpectare ſenatum, ſeorſim equitem: non tamen illis *loca* certa adſignaret ſtataque. Itaque in alia atque alia regione circi ſpectabant, ſedilibus videlicet his aut illis a plebe occupatis, donec tollendæ confuſioni Claudius Imperator ſenatui attribuit certam, & manſuram ſedem. Suet. c. 21. n. 6. *Circo maximo marmoreis carceribus, auratisque metis exculto, propria ſenatoribus conſtituit loca promiſcue ſpectare ſolitis.* Ait *promiſcue:* magis vere proprieque, vage. Eam Suetonii mentem eſſe concredo rem eam cum cura explicanti Dion. LX. p. 669. E. *Spectabant quidem jam ante in illo, ſeparatim, & per ſe ſinguli ordines, ſenatorum, equitis, & plebis, ex quo primum id inſtitutum fuit: non tamen certi loci ſingulis ordinibus adſignati fuerunt. At tunc ſecrevit Claudius ſenatoribus eas ſedes, quas nunc quoque obtinent, fecitque ipſis poteſtatem, ſi vellent, alio quocunque loco in vulgari veſte ſpectandi.* Et equiti Nero. Suet. c. 11. n. 3. *Circenſibus loca equiti ſecreta a cæteris tribuit.* Tacit. Annal. XV. 32. 2. *Equitum Romanorum locos ſedilibus plebis antepoſuit apud circum, quia lex Roſcia nihil niſi de quatuordecim ordinibus ſanxit.* Ea *loca* nova exædificata fuiſſe oſtendit Plin. VII. 7. *Cæſar dictator euripis arenam circumdedit, quos Nero princeps ſuſtulit.* Quod in fine verborum Dionis eſt, nolim negligas. Nam etiam poſt loca diviſa promiſcue licuit ſpectare ſenatoribus, ſed in veſte, ut ait, privata. Unde Cornelius Tacitus, etſi ſenator, in equeſtribus ſpectavit apud Plin. Epiſt. IX. 23. *Narrabat* Tacitus, *ſediſſe ſe circenſibus proximis equitem Romanum.* Lipſ. in Tacitum. Caſaub. in Suetonii Claudium, Buchn. in Plinium, Mercer. in Alex.

v. 16. Chimentel. de Hon. bisell. c. 12. Fab. Semestr. II. 6. Argol. in Panvin. de Lud. circ. II. 16.

LOG.

LOGEUM, λογεῖον, erat locus, sive pulpitum in theatro teste Pollux. x. 2. ubi comœdiæ agebantur, alio nomine βωμὸς, & βῆμα, id est, suggestum, gradus. Idem esse quod pulpitum docet Vitruv. v. 8. *Minoreque latitudine pulpitum, quod logeum appellant.* Erat in media scena, & eminebat versus theatrum, instar suggesti, unde ad populum in theatro sedentem commoda fieret allocutio. *Ejus*, ut addit Vitruvius, *altitudo non minus erat pedum decem, non plus duodecim.* Baldus Lex. Vitruv. Buleng. de Theat. I. 24. Scalig. Poet. I. 21. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 8. Gyrald. de Poet. dial. VI. p. 331. b.

LOGISTÆ fuerunt Reipublicæ curatores V. illos supr. in *Curator Reipublicæ*.

LOGOGRAPHI differunt a logistis. Hi enim rationes tributorum scribebant l. prim. & ult. C. de tabular. illi negotia Reipublicæ. Quanquam *Logographos* Suidas pro his accipit, qui judiciorum acta conscribunt. *Panciroll. de Magistrat. munic. c. 21. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 4. Rhodig. Ant. Lect.* VII. 6. *Bud. in Pandect. p. 262. Pignor. de Serv. p.* 316.

LOGOTHETA generalis est vocatus comes largitionum Principis. Gerebat capitium albo, purpuraque & margaritis distinctum, & pallium blatteum, seu purpureum, sine aliis ornamentis: tunicam auro, purpuraque, & albo phrygiatam habentem ante, & a tergo Imperatoris imaginem arridentem. Sceptro judiciali non utebatur. *Panciroll. Notit. dignit. imper. orient. c. 74. & 88. Rhodig. Ant. Lect.* VII. 6. In novæ Romæ imperio jusjurandum a novo Imperatore accipiebat in templo Blachernarum, auctore Niceta in Manuele Comneno III. Ὁ μὲν λογοθέτης. . . . τοῖς ὅρκοις τοῦτον ἐπισατῆσαι κατὰ τὸν ἐν Βλαχέρναις μέγαν νεών. *Hansen. de Jurejur. vet. c. 7.*

LOL.

LOLLIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

LOM.

LOMENTUM appellatur farina fabacea, quo ad eruganda corpora usa est antiquitas. Unde Epigrammatista:

Lomento rugas uteri quod condere tentas.

Stuck. Ant. Conviv. II. 8. Lister. in Apic. de Art. coquin. I. 6. In Onomastico exponitur ἐρεγμένον, id est, *farina fabæ*. Et quia ea ad lavandum utebantur, in glossis transfertur σμῆγμα, & *lomentarius*, σμηγματοπώλης. *Voss. Lex. Etymol. Barth. Adv.* IV. 24. *Baccius de Therm. vet. c. 16.* V. & infr. in *Nitrum*.

Lomentum coloris genus est. Plin. II. 13. *Ex cœruleo fit, quod vocatur lomentum: perficitur id lavando, terendoque. Et hoc est cœruleo candidius.* Voss. Lex. Etymol.

LON.

LONGINUS est cognomen Cassiorum. Ex plebejis fuit I. C. Cassius *Longinus*, C. F. C. N. an. 582. belli Persici anno primo consulatum adeptus est cum P. Licinio Crasso. Censor an. 599. cum M. Valerio Messalla. II. Q. *Longinus*. Q. F. L. N. cos. fuit an. 588. cum A. Manlio Torquato, & in magistratu mortuus est. III. L. *Longinus* Ravilla, qui præcedentis filius esse creditur. Fuit cos. an. 626. cum L. Cornelio Cinna, & biennio post censor cum Cn. Servilio Cæpione. IV. C. *Longinus*, C. *Longini*, de quo primo loco dictum est, ut creditur, filius. Cos. fuit cum C. Sextio Calvino post Ravillæ consulatum anno tertio. V. L. *Longinus* L. F. Q. N. Ravillæ, ut creditur, filius in consulatu a Gallis est occisus. Ejus collega fuit C. Marius in primo consulatu. VI. C. Cassius *Longinus*, qui cum Cn. Domitio Ahenobarbo fuit cos. post undecim annos. Frater potuit esse prioris. VII. L. Cassius *Longinus* senatorii ordinis. Hunc Sallustius enumerat in conjuratis cum L. Catilina, & ab Asconio vocatur competitor Ciceronis, & conjurationis particeps. *August. de Famil. Rom. in Cassia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 202. . . .

LONGURIUS vocatur longior pertica, aut robustius lignum, quod in stabulo equis interponitur, ne consurgant in pugnam, aut se mutuo feriant. Varr. de Re rust. II. 7. *Itaque in stabulis & humore prohibere oportet humum, clausa habere ostia, & fenestras, & inter singulas equas a præsepibus interjicere longurios, qui eas discernant, ne inter se pugnare possint.* Rhodig. Ant. Lect. V. 14.

LONGUS est cognomen Semproniorum. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Vaillant. Numism.* I. p. 28.

LOR.

LORA *dicitur in vindemia, cum expresserunt acinis mustum, & folliculos in dolium concesserunt.* Non. XVII. II. *Lora confectæ potionis genus grandævis aptum.* Varr. de Vit. pop. Rom. I. *Antiquæ*, Stewech. ad Arnob. II. p. 83. emendat, *antiquitus mulieres majores natu bibebant loram.* Non. ibid. §. 13. Describit illam Varr. de Re rust. I. 54. *Quæ calcatæ uvæ erunt, earum scapi cum folliculis subjiciendi sub prælum, ut, si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum. Cum desiit sub prælo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt: & rursus, cum expressum, circumcisitium appellant, ac seorsum, quod expressum est, servant, quod resipit ferrum. Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur. Ea vocatur lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hyeme.* Græci τρυγηφάνιον οἶνον, & δευτερίαν vocant. Plin. XIV. 10. *Non possunt jure dici vina, quæ Græci deuteria appellant, Cato & nos loram maceratis aqua vinaceis: sed tamen inter vina operaria numerantur.* Voss. Lex. Etymol. Meibom. de Cerev. vet. c. 10. §. 40.

LORARII fuerunt in arena, & scena, qui gladiatores cogebant pati, quæ se passuros juraverant. Tertull. de Spectac. c. 21. *Imo qui propter homicidæ pœnam probandam ad spectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis, & virgis compellat invitum.* Vocabantur etiam *mastigophori*. Lips. Saturn. II. 5.

Lorarii dicti etiam, qui dominorum jussu servos imperia detrectantes, vel segniter obeuntes *loris*, & flagellis excipiebant. Gell. x. 3. *Hi sequebantur magistratus, tanquam in scenicis fabulis lorarii; &, quos erant jussi, vinciebant, aut verberabant.* V. supr. in *Brutiani*.

LORICA est tegmen pectoris militaris. Serv. Æneid. XI. 679. *Lorica est proprie tegimen de corio tanquam de loro factum: quo majores uti in bello consueverant.* Fiebat e loro, sive pelle. Virg. l. l.

Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit.

Sil. Ital. VIII. 524.

Pectora pellis obit cæsi venatibus ursi.

Postea ex annulis ferreis, qui inde dictus est ἁλυσιδωτὸς, & *lorica* catenata. Virg. III. 467. vocat *loricam hamis consertam*. Tandem ex solida lamina, & Græcis ideo θώραξ σαδτός. *Voss. de Idolol.* III. 70. *Lex. Etymol. Lips. de Milit. Rom.* III. 6. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. invent. & perd. p.* 610. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VIII. 16. Paulin. Philolo. p. 343. *loricas* veterum describens ostendit duas habuisse partes: *Duæ erant æreæ partes: una quidem pectori, & ius quæ circa ventrem apta; hæc ut dorso tegmen esset. Vocabant gyala, sive cava, & incurva, a forma. Illam antrorsus, hanc retrorsus inducebant: deinde fibulæ utramque jungebant.* Hodiernæ nostræ sunt adsimiles. Quia duæ partes, *duas loricas* ex ea fecit, de Scæva cum scribit, Val. Max. III. 2. 24. *Galea jam ictibus discussa, & scuto crebris foraminibus absumpto, profundo te credidisti; ac duabus loricis onustus, inter undas, quas hostili cruore infeceras, enatasti.* Laudat

enim

enim illum, quod fessus, & duplici etiam *lorica* onustas potuerit enatare. De fibulis quæ in latere utroque *loricas* jungebant, Sil. Ital. VII. 624.

> —— *quæ fibula morsus*
> *Loricæ crebro laxata resolverat ictu.*

θώρακας ἁλυσιδωτὰς, *loricas catenatas* Latini hamatas vocant, quia circuli, & catenæ nexæ hamuli speciem dimidiatæ referebant: an quia & hami catenulas jungebant. Hoc dicere videtur Sidon. Carm. II. 322.

> —— *nec sutilis illi*
> *Circulus impactis loricam texuit hamis.*

θώραξ ἁλυσιδωτὸς 1 Sam. c. 17. n. 5. a veteri Bibliorum interprete *lorica hamata* vertitur. Et non aliud fuit quam circuli, sive annuli ferrei inter se nexi, more quem hodie Galli & Germani servamus, etsi exolescentem. *Loricas* squameas, quæ non annulis solis, sed & squamis constabant, Græci φολιδωτὰς vocant, vel λεπιδωτὰς a squamis piscium vel serpentum. Lucullus, ut in illo Plutarch. p. 510. C. die quo pugnavit in Tigranem, induit θώρακα σιδηροῦν φολιδωτόν. Et Macrinus Imperator, ut in illo Dio LXXVIII. p. 888. E. abstulit prætorianis τοὺς θώρακας λεπιδωτούς. Erant hæ honestiorum plerumque. Hamis, & laminis solidis simul constiterunt. Sil. Ital. V. 140.

> *Loricam induitur: tortos huic nexilis hamos*
> *Ferro squama rudi, permistoque asperat auro.*

Isidor. XVIII. 13. *Squama est lorica, ex laminis æreis, vel ferreis concatenatá in modum squamarum piscis.* Ipsas ergo squamas catenæ jungebant. *Lips. l. l. Lyd. de Re milit.* III. 5. *Valtrin. de Re milit. Rom.* III. 12. *Stewech. in Veget.* II. 25. *Scheffer. de Ant. torq. c.* 4. *Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 80. Linteis etiam, sive lineis *loricis* usi sunt veteres. Ajax apud Homer. Iliad. II. 529. dicitur *lineo thorace indutus.* Unde Plin. XIX. 1. *Honos lino etiam Trojano bello. Cur enim non & præliis interfit, ut naufragiis? Thoracibus lineis, paucos tamen, pugnasse testis est Homerus.* Communiter Græci post Iphicratem ducem. Nep. I. 4. *Genus loricarum mutavit, & pro ferreis, atque æneis linteas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit.* Fiebant opera, atque artificio coactiliariorum, & πιλοποιῶν, qui linum aceto, vel austero vino, cui sal esset adjectum, probe macerabant, deinde ita cogebant, ut soliditatem, ac crassitiem lintei octies decies, aut sæpius in se complicati haberet. Nicet. Choniat. rer. Isaac. Angel. I. Conradus Montisferratensis *tunc quidem sine scuto pugnabat, sed ex lino factum textum quoddam, vino austero affatim salito madidatum, sæpius replicatum loco thoracis induerat. Adeo autem ictibus resistebat, vino, & sale coactum, & perfusum, ut omni telo esset robustius. Erant autem hujus texti plagellæ octodecim, & eo plures.* Hinc *multiplex linum* thoracem appellat Sil. Ital. IV. 291.

> *Tum nodo, cursuque levi simul adjuvat hastam*
> *Dignam mole viri nixus, fugit illa per oras*
> *Multiplicis lini, subtectaque tegmina nervis.*

De Galba Suet. c. 19. n. 3. *Loricam induit linteam, quanquam haud dissimulans parum adversus tot mucrones profuturam.* Lips. & Laz. l. l. Villiomar. adv. Titium II. 19. Cuper. Observ. II. 12. Ferrar. de Re vest. II. 4. 11. Mag. in Nepotem. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Thys. ibid. p. 28. De coactili fiebat etiam *lorica* tunica, sive thoracomachus, quæ erat integra tunica, sive vestimenti genus, quod ad mensuram & tutelam humani corporis conficiebatur. De mollibus lanis timoris sollicitudo solertia magistra composuit, ut hoc inducto primum, *lorica*, aut clibanus, aut his similia, fragilitatem corporis ponderis asperitate non læderent, membra quoque vestientis, inter armorum, hyemisque discrimen tali solatio adjuta, labori sufficerent. Et ne lana pluvias paullatim combiberet, & ingravescente pondere afficeret vestimentum Libycis bene confectis pellibus tegebatur. Has *loricas* illa ætas *zabas* vocabat, & *zabarium* ejus tegmen. *Thys. l. l.*

Lorica erat pars valli interdum viminea, & ex cratibus contexta, & ex pluteis, interdum ex lapide, aut terra, munitiuncula nimirum ad tegendum pectus objecta. Flor. II. 18. 13. *Fossa, atque lorica, quatuorque castris circumdedit.* III. 10. 25. *Octodecim castellis, ingentique lorica circumdatam fame domuit.* Hinc *viminea lorica* dicitur Hirt. de bell. Gall. VIII. 9. *Pontium frontes viminea loricula munirentur.* Ipse Cæs. de Bell. Gall. V. 39. *Turres contabulantur, pinnæ, loricæque ex cratibus attexuntur.* Legitimum vallum sudibus, & tignibus instructum dictum vult Veget. IV. 20. *Obsidentes ultra teli jactum fossam faciunt, eamque non solum vallo & sudibus, sed etiam turriculis instruunt, ut erumpentibus e civitate possent obsistere, quod opus loriculam vocant, & sæpe cum obsidio describitur, invenitur in historiis, lorica urbem esse circumdatam.* Lips. Poliorc. II. 2. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1120. E. Patric. Rei milit. Rom. IX. 43. Valtrin. de Re milit. Rom. V. 6. Stewech. in Vegetium. Laurent. Polym. IV. Synops. 2. Thys. de Oppugn. urb. II. p. 165.

Lorica est structura fastigiata, sive prominentia, & veluti supercilium, suggrundæ sive arcendis stillicidiis inventa. Vitruv. II. 8. *Summis parietibus structura testacea sub tegula subjiciatur altitudine circiter sesquipedali, habeatque projecturas coronarum. Ita vitari poterunt, quæ solent in his fieri vitia. Quum enim in tecto tegulæ fuerint fractæ, aut a ventis dejectæ, qua possit ex imbribus aqua perpluere, non patietur lorica testacea lædi laterem, sed projectura coronarum rejiciet extra perpendiculum stillas, & ea ratione servaverit integras latericiorum parietum structuras.* Curt. IX. 4. 30. *Angusta muri corona erat: non pinnæ, sicut alibi, fastigium ejus distinxerant; sed perpetua lorica obducta transitum sepserat.* Lips. Poliorc. II. 2. Voss. Lex. Etymol. Paschal. de Coron. I. 2. Bud. in Pandect. p. 279. Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv. in Corona. Guther. de Jur. man. II. 29. Rader. & Pitisc. in Curtium.

Lorica etiam in pavimentis ruderatis appellatur corium e marmore tuso cum calce, & arena. Vitruv. VII. 1. *Super fricaturam inducatur marmor, & supra loricæ ex calce, & arena inducantur. Itaque si necessitas coegerit, ut minime vitiosa fiant, sic erit faciundum. Cum coaxatum fuerit, super altera coaxatio transversa sternatur, clavisque fixa duplicem præbeat contignationi loricationem: deinde ruderi novo tertia pars testæ tusæ admisceatur.* Inde *loricare parietes* Varr. de Re rust. I. 57. *Parietes, & solum opere tectorio marmorato loricandi.* Hinc de ichneumone Plin. VIII. 24. *Mergit se limo sæpius, siccatque sole: mox ubi pluribus eodem modo se coriis loricavit, in dimicationem pergit.* Bud. in Pandect. p. 279. Voss. Lex. Etymol. Philand. in Vitruvium.

LORUM vocatur corrigia, sive ligula calcei. Patriciorum corrigias *lora patricia* vocat Seccc. de Tranquill. c. 11. Quot *lora* in calceis suis patricii, quot plebeji habuerint. V. supr. in *Corrigia.*

Lorum dicitur fascia, vel vitta vestibus adsuta. Et quidem passim apud auctores. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 46. Talibus etiam hodie vestes prætexi solent, & a nobis vocantur **kanten**/ Gallice dentelles, cum apud nos plerumque dentata esse soleant. Veteres tunicas talares, & manicatas præcipue, pinxerunt, & arte plumaria ornaverunt circa oras ad talos, & ad manus. Hinc Belgarum **bozduren** plumarie a **boozt**/ quod Belgis oram vestis significat, & ab hoc Galli suum sumpserunt brode, quasi borde, a bord, aut potius Belgarum **boozt**. In lingua sancta פסים vocantur, & quidem in plurali numero, quia plura ejusmodi habuit *lora* & limbos. Tales enim plerumque esse solent vestes ornatiores, cum apud veteres, tum apud nos, ad hunc usque diem. Hinc *monolores* tunicæ, quæ unico *loro*, aut limbo tantum ornatæ erant, aliæ *dilores*, *trilores* & *pentelores*. Braun. de Vestit. Sacerd. Heb. I. 17. 21.

Lorum dicitur fascia Imperatoria, sive vinculum capitis, vel diadema, quod Phrygium alii dixere. Balsamo in donatione Constantini: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, nec non & superhumerale, videlicet lorum, quod imperiale solet circumdare collum.* Qui nuper ad eam notas scripsit, miratur quomodo λῶρον dixerit Balsamo, quod Phrygium in Latino textu appellant, & putat deceptum esse ignoratione vocis Latinæ.

Ipse

Ipſe potius deceptus eſt, qui non vidit *lorum*, & Phrygium idem eſſe, & utrumque ſumi pro vitta capitis, vel mitra, & tiara Imperiali. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 46. Qui quamvis conetur defendere Balſamonem, dum *lorum* cum Phrygio, ſive tiara confundit, tamen errat Balſamo. Etenim licet aliquando mitra pro tænia, ſive faſcia capitali ſumatur, tiara tamen Phrygia, ut & Pontificia, non faſcia, aut *lorum* erat, ſed integer pileus, ut bene ipſe obſervat Exercit. Plin. p. 592. a. D. *Lorum* igitur hoc, quod Imperiale collum ſolet circumdare, faſcia erat auro gemmiſque diſtincta, quæ utrique humero fuit impoſita, deinde in pectore crucis ſignum exprimebat, ut analabus antiquorum monachorum, & ſtola noſtrorum ſacerdotum. Et hoc quidem ornatu Imperatores videmus in nummis Michaelis III. Conſtantini ducis apud Stradam p. 300. & 307. Ita & in nummo illo Theodoſii, quem exhibet Baron: ad an. Chriſti 394. duo Imperatores Theodoſius & Arcadius hoc habitu expreſſi ſunt. Atque etiamnum Imperatores noſtri quando coronantur, hoc modo ornantur. *Ruben. de Re veſt.* I. 13.

Lorum erat quoque vinculum, quo rei vinciebantur. Erant corrigiæ ex corio factæ, quibus non ſolum vincti, ſed & verberati, & diſcerpti crudeliter. *Laurent. de Rebuspubl. & reb. ad eaſdem ſpect. c.* 7.

LOT.

LOTUS eſt arbor prægrandis, dulcem, & gratum fructum ferens ceraſis ſimilem, & adventus patriæ oblivionem inducens. Quare Homer. Odyſſ. I. 94. Ulyſſis ſocios, cum eum deguſtaſſent, vix ab Africa deduci potuiſſe cecinit. In Vulcanali ab Romulo fuit conſtituta. Plin. XVI. 44. *Altera lotos in Vulcanali, quod Romulus conſtituit ex victoria de decumis, æquæva Urbi intelligitur, ut auctor eſt Maſſurius. Radices ejus in forum uſque Cæſaris per ſtationes municipiorum penetrant.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 336. E. Marlian. Topog. Urb. Rom. III. 8. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 6.

Lotus eſt tibia facta ex *loto* arbore. Ovid. Faſt. IV. 189.

— ſed me ſonus æris acuti
Terret, & horrendo lotus adunca ſono.

Ex *loto* tibias eſſe factas teſtatur Feſtus: *Lotus, arboris genus, ex cujus materia frequenter tibiæ fiebant.* Ex *loto ludicras* [illegible] Plin. XVI. 36. Qui etiam de *loto* arbore XIII. 17. *Ligno color niger, ad tibiarum cantum expetitur.* Dictæ illæ tibiæ φώτιγγες & φωτιγξία, ſi credimus Euſtathio Iliad. Σ. p. 1214. qui eas ab Alexandrinis factas memorat e ligno Libyco, cui *loto* nomen. *Barthol. de Tib.* I. 2. 4. & 6. *Brod. Miſc.* II. 25. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 6.

LUC.

LUCA fuit colonia Romanorum. Duo millia civium Romanorum ſunt deducta an. 575. C. Claudio Pulcro, & T. Sempronio Graccho. Triumviri deduxerunt P. Ælius, L. Ægidius, Cn. Sicinius: quinquaginta & ſingula jugera, & ſemiſſes agri in ſingulos data ſunt. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5. Eſt oppidum primum in Etruriæ mediterraneis ab Lunæ portu & amne Macra. Prope Auſarem, ſive, ut nunc vocatur, Serchium fluvium, nomen hodieque retinet. *Cluver. Ant. Ital.* II. 3. 1.

LUCANI a Silari fluvio ad Laum flumen tenuerunt ad mare Pæſtum, ſive Poſidoniam, Palinurum, Veliam, & Buxentum: intus autem Volſcos, Compſam, Potentiam, Blandam, Grumentum, & *Lucaniæ* caput Pœteliam. Hæc Strabo VI. p. 174. . . . & Ptolemæus. Neque longe aliter Plin. III. 5. *A Silaro ager Lucanus incipit. Oppidum Pæſtum, Græcis Poſidonia appellatum, ſinus Pæſtanus, oppidum Helia, quæ nunc Velia, promontorium Palinurum, flumen Melphes, Laus amnis.* Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 11. Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 53. Cluver. Ital. Ant. IV. 14. 1. Leand. Deſcr. Ital. p. 297. Gerbel. Græc. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. IV. p. (18.) C. Pœtelio, & Papirio coſſ. qui fuit annus ab ortu Urbis 427. cum ad eam diem nihil rei cum populo Romano habuiſſent, in fidem venerunt, arma, viroſque ad bellum pollicentes. Fœdere ergo in amicitiam recepti: quod cum eodem anno rupiſſent, factum eſt, ut an. 436. Apulia perdomita in eos ſit perrectum: unde repentino adventu Q. Æmilii coſ. Nerulum vi captum, ut ait Liv. IX. 20. Poſt autem cum an. 454. oratores *Lucanorum* ad coſſ. L. Cornelium, Cn. Fulvium veniſſent; queſtum, quia conditionibus ſe perlicere nequiverint ad ſocietatem armorum, Samnites infeſto exercitu ingreſſos fines ſuos vaſtare, belloque ad bellum cogere; iidemque adderent, ſibi ſatis ſuperque erratum quondam, nunc ita obſtinatos animos eſſe, ut omnia ferre, ac pati tolerabilius ducant, quam ut unquam poſtea nomen Romanorum violent; orarent autem patres, ut & *Lucanos* in fidem acciperent, & vim, atque injuriam ab ſe Samnitium arcerent: decrevit ſenatus, ut cum *Lucano* populo fœdus jungeretur. In hoc manſiſſe videntur uſque ad an. 463. quo cum Samnitibus, & Bruttiis, & Tarentinis tum populi Romani hoſtibus junctis armis pluribus a Romanis prœliis victi ſunt. Triumpharunt de iis coſſ. M. Curius an. 463. C. Fabricius an. 475. Poſtero anno C. Junius Brutus, inſequenti Q. Fabius Gurges, deinceps L. Lentulus, & C. Claudius Canina, & demum an. 481. Sp. Carvilius, & L. Papirius. Quo anno *Lucanis* & ſociis eorum pacem datam eſſe facile adducor ut credam. Fœderis tamen conditiones una cum rebus eorum geſtis obſcuratæ prorſus evanuerunt. *Sigon. l. l.* Romanis ſues pendebant. Caſſiod. Var. XI. 39. *Hinc montuoſa Lucania ſues pendet. Brutii boum pecus indigena ubertate præſtant. Fuit nimirum utrumque mirabile, ut & provinciæ tantæ civitati ſufficerent, & ampla civitas earum beneficiis victualium indigentiam non haberet.* Inde Princeps plebi, & prætorianis militibus carnes ſuillas elargiebatur, certo viro ad hoc munus deſtinato. Zoſim. II. 9. *Maxentius adminiſtris Marcelliano & Marcello tribunis militum, & Luciano ſuillæ carnis præbitore, quam fiſcus populo Romano largiebatur, & aulicis præterea militibus, quos prætorianos vocant, in regium ab his ſolium collocatus eſt.* Ad evitandas difficultates, quæ oriebantur, 6400. ſolidorum nomine ſuum permittente Principe ſolverunt. Novell. Valentin. tit. 37. de ſuariis. *Panciroll. l. l.*

LUCANICA *eſt fartum inteſtinum craſſum.* Varr. de Ling. Lat. IV. 22. Quomodo fiat, docent Apic. de Re coquin. II. 4. *Teritur piper, cuminum, ſatureja, ruta, petroſelinum, condimentum, baccæ lauri, liquamen, & admiſcetur pulpa bene tunſa, ita ut denuo bene cum ipſo ſubtrito fricetur cum liquamine admixto, pipere integro, & abundanti pinguedine, & nucleis: farcies inteſtinum perquam tenuatim productum, & ſic ad fumum ſuſpenditur.* Arnob. II. p. 73. *Ut facerent lucanica, ſuminatam cum his carnem.* Ex his non inepte poſſumus ſuſpicari *lucanicam* eſſe, quam Itali paullum mutato nomine luganiga, Hiſpani longaniza vocant. Hoc farciminis genere pultes coronari ſcribit Mart. XIII. 35.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Nonn. de Re cibar. II. 14. Buleng. de Conviv. II. 23. Turneb. Adv. XXII. 6. Humelb. in Apicium.

LUCAR dicebatur pecunia, quæ erogabatur in ludos, & ſpectacula, θεατρικὸν ἀργύριον exponitur a Chariſ. Inſtit. Gramm. I. p. 25. Edit. Putſch. & in gloſſ. Cyrill. τελούμενον εἰς θέας. Plutarch. Quæſt. Rom. 87. *Cur pecunia, quæ ſpectaculis impenditur, lucar dicitur? An quia multi circa Urbem ſunt luci conſecrati, quorum reditus in ſpectacula inſumebant?* De Johanne Baptiſta Tertull. Adv. Gnoſtic. c. 8. *Ipſe clauſula legis & prophetarum, nec prophetes, ſed angelus dictus, contumelioſa cæde truncatur in puellæ ſalticæ lucar.* Liv. XXIII. 11. *Pythio Apollini Republica veſtra bene geſta, ſervataque lucaris meritis donum mittitote.* Ita L. pro *lucris meritis*. Scalig. in Feſtum, Rhodig. Ant. Lect. VIII. 9. Siccam. in Faſt. Kalend. c. 13. Urſin. ad Leg. & Scta Theſ.

Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1378. E. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 496. F. Salmas. Exerc. Plin. p. 165. D. Voss. Lex. Etymol. Scriver. in Mart. p. 133. Stuck. de Sacrif. p. 89. Saubert. de Sacrif. c. 14. Leopard. Emend. VII. 17. Cerda Adv. sacror. c. 48. n. 6. Boxhorn. in Plutarchum. Curt. de Cult. hort. IV. 3. Schill. Nomencl. Philol. p. 684. Junius in Tertullianum. Lips. in Tacit. Ann. I. 77. 4. Ubi Tacitus: *De modo lucaris, & adversus lasciviam fautorum multa decernuntur.* Quis quæso modus *lucaris?* Vulgaris auctoris videntur fuisse denarii quinque. Senec. Epist. 80. *Ille qui in scena elatus incedit, & hæc resupinus dicit. . . . servus est, quinque modios accipit, & quinque denarios.* Aut certe septem. Lucian. in Icaromenippo p. 208. *Similes maxime tragicis illis histrionibus, quibus si personas auferas, & auratam illam vestem, quod relinquitur, ridiculus homuncio erit, septem drachmis ad certandum agendumque conductus.* Mutata tamen sæpius res, cum vulgus, editoresque multa adderent histrionibus famosis, præter morem. Ideo Tiberius *ludorum, ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum recisis.* Suet. c. 34. n. 1. Et M. Antoninus Imperator *temperavit scenicas donationes, jubens ut quinos aureos scenici acciperent: ita tamen, ut nullus editor decem aureos egrederetur.* Capitolin. c. 11. Magno tamen corruptis moribus incremento, si pro quinque denariis ventum ad aureos quinque. Sed Seneca fortasse, & Lucianus de diurna mercede agunt: Capitolinus de menstrua, aut certe productione tota. Aut merces tam ampla ad principes scenæ pertinet, non ad pueros histrionum. *Lips. ad Tacit. Annal. I. Excurs. N. Buleng. de Theatr. I. 29.* Hæc pecunia erat ab editoribus, vel a fisco. Glossæ: *Lucar, μισθὸς ἀπὸ φίσκε. Junius in Tertullianum, Lips. & Buleng. l. l.*

LUCARIA erant *festa, quæ in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit: pro eo, quod victi a Gallis fugientes e prælio ibi se occultaverunt.* Festus. Scalig. in Festum. Leopard. Emend. VII. 17. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 8. §. 5. Voss. Lex. Etymol Siccam. in Fast. Kalend. c. 13. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 496. F. Stuck. de Sacrif. p. 89. Nardin. Rom. vet. IV. 7. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 24. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 245. A. Aring. Rom. Subterr. II. 92. 2. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Græv. Tom. XI. p. 839. B. Schill Nom. Phil. p. 684. Ea nonnulli illa ipsa fuisse opinantur, quæ Kalend. Februar. celebrari solita memorantur ab Ovid. Fast. II. 67.

Tum quoque vicini lucus celebratur asyli,
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.

Ubi in præstantioribus codicibus non *asyli*, sed *Averni* legitur. Verum epitheton *advena*, quod flumini Ovidius tribuit, situm illius luci illic collocare videtur, unde Tiberis Romam defluit. Tum nec dies ille, quo Romani a Gallis cæsi, fugatique sunt, primus fuit Februarii, verum 18. Julii, quo die, ut & 20. *festa Lucaria* in veteri Kalendario adnotato leguntur. *Naram. Donat. & Ursat. l. l.*

LUCERUM *nominis, & originis causa incerta est,* inquit Liv. I. 13. non quod, ut mea est sententia, *Lucerum* originem ignoraret, sed perinde ac Gallus Cisalpinus, & Hetruscæ, & Italæ gloriæ invidens conscripsit: quod Antoninus Cæsar in suo Itinerario his verbis arguit: *Vulturna, cujus claris gestis invidit Livius, & Cajus Caligula, Tranquillo in Caligulæ vita scribente, paullum abfuit, quin statuas, & scripta Livii ab omnibus bibliothecis amoveret, tanquam verbosum, & in historia mendacem.* Scius ergo erat Livius, sed ut invidus omisit. Scopp. Collect. c. 18. Hoc nomine dicebatur Latini populi pars tertia. Ita illam vocat Varr. de Ling. Lat. IV. 9. *Ager Romanus primum divisus in partes tres, a quo tribus appellatæ, Tatiensium, Ramnensium, Lucerum: nominatæ, ut ait Ennius, Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, ut ait Junius, a Lucumone. Sed hæc omnia vocabula Tusca, ut Volumnius, qui tragœdias Tuscas scripsit, dicebat. Centurias equitum*, quod ex singulis illis tribubus centum equites scripti essent, vocat Liv. l. l. *Eodem tempore & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt; Ramnenses ab Romulo; ab T. Tatio Tatienses appellati. Lucerum,* [illegible] *Tribus* Ascon. in Cicer. p. 72. *Per quinque & triginta tribus dividebatur totus populus Romanus. Tribus principio tres fuerunt: Tatiensis una a Tatio Rege: Ramnensis altera a Romulo: Luceres altera a Lucumone, sive Lucretino, sive a luco, quem lucum asylum vocaverat Romulus.* Hi loca inter Capitolium, & Palatium plana, atque circa forum tenuere. Sub Tullo Hostilio omnes populi, qui sub Regibus Romam venerunt, ad habitandum, præter Sabinos, *Lucerum* tribui, vel regioni inclusi fuerunt, ut Latini, Tusci, & omnes reliqui advenæ. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 280. *C. Rycq. de Capitol. c. 40. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 1.*

LUCERIA est oppidum Apuliæ infra Teanum versus austrum ad flumen Cerbalum. Vulgo ab incolis vocabulo Foggia nominatur. Fuit colonia Romanorum teste Plin. III. 11. Hæc est deducta in consulatu M. Petilii Libonis, & C. Sulpicii Longi an. 439. Liv. IX. 26. *Eodem anno prodito hostibus Romano præsidio Luceria Samnitium facta: nec diu proditoribus impunita res fuit. Haud procul inde exercitus Romanus erat: cujus primo impetu urbs, sita in plano, capitur. Lucerini ac Samnites ad internecionem cæsi: eoque ira processit, ut Romæ quoque quum de colonis mittendis Luceriam consuleretur senatus, multi delendam censerent. Præter odium, quod execrabile in bis captos erat, longinquitas quoque abhorrere a relegandis tam procul ab domo civibus inter tam infestas gentes cogebat. Vicit tamen sententia, ut mitterentur coloni: duo millia & quingenti missi.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 5. Cluver. Ital. Ant. IV. 12. 5. Leand. Descr. Ital. p. 381.

LUCERNA appellatur vas, in quo sine tegmine, vehementove lux immediate videtur effulgere, deque se lumen effundere protinus in aera circum flammam. *Licet. de Lucern. Ant.* VI. 126. Antequam inventus esset usus candelarum ex cera, vel sevo, qui perantiquus est, omnes *lucernis* oleariis utebantur; adeoque in gratibus, & viris principibus *lucernæ* perpulcræ dudum in usu fuerunt, ut vel ipse Cicero scribens ad Q. Frat. III. 7. meminit pulcerrimi lychni sibi propter artificii formositatem perjucundi. *Licet. ibid. c.* III. Illas primi invenerunt Ægyptii. Docent hoc Euseb. de Præpar. Euang. X. 6. *Lucernas accendere primi omnium Ægyptii docuerunt.* Clemens Alexand. Strom. I. p. 306. C. *Ægyptii & lucernas primi accendere docuerunt.* Et constat hoc ex eo, non obscure, quod apud illos unos institutum fuit festum *lucernarum*, de quo Herodot. II. p. 127. B. *Ubi in Sain urbem sacrificatum convenerunt, noctu sub dio universi circum domos frequentes lucernas accendunt, imbutas sale, & oleo plenas, cum multo lychno, quod tota ardet nocte. Cui festo nomen impositum est accensio lucernarum. Ad hunc conventum quicunque Ægyptiorum non ierint, observantes sacrificii noctem, & ipsi universi lucernas accendunt. Atque ita accenduntur lucernæ non in Sai modo, sed etiam per universam Ægyptum. Qua vero gratia nox hæc lumen, & honorem sortita sit, sacra quadam ratio commemoratur.* Qui hanc tacuit, quia noluit ethnicus gentibus suis illatam a Deo plagam in Ægypto commemorare, de qua late Moses Exod. c. 12. n. 29--3[illegible]. Cuncti enim Ægyptiorum nocte illa *lucernas* accenderunt, surgentes ad lugendum mortuos suos primogenitos, & ad urgendos Hebræos, ut exirent celeriter de Ægypto, metuentes sibi mortem a Deo Hebræorum, ex eorum statione, & mora in Ægypto, propterea quotannis ad perpetuam memoriam illius noctis, in qua tantam plagam perpessi fuerunt, & pejorem timentes evaserunt, festum id accensionis *lucernarum* in universa Ægypto celebratur. *Licet. ibid.* II. 58: III. 18: V. 4: VI. 46. & 98. Materia illarum fuit, quæ posset ignem innoxie ferre, & flammæ violentiam eludere; cujusmodi sunt metalla, æs, argentum, aurum, lapides, testæ lateritiæ, nunquam vero lignum. *Lychni ligneoli* meminit Cicero l. l. Sed qui ex ligno *lucerna* fiat, quæ oleo peruncta non ardeat ocyus? Fuit itaque lignum forte *lucernæ* pulcerrimæ theca satis artificiosa: vel etiam ejus nomine papyrus designatur ex arboris medulla; quæ diminutivo nomine lignatur, quod

in ea tanquam in principio reſideat arboris natura tota; *principium* enim *mole parvum eſt, etſi virtute maximum.* Licet. ibid. III. 8. Athenæus tamen diſerte ait XV. p. 707. E. Alexin meminiſſe ξυλολυχνέχυ, ſeu *lychnuchi ligneoli*, ut verbum ſonat. *Spanhem. Diſſert.* III. *de Præſt. & uſu numiſm. p.* 128. Communium, & uſualium magnitudinem ab antiquo tempore non exceſſerunt; plurimæ enim inventarum parva mole viſuntur. *Licet. ibid. c.* 9. Forma conſpicitur varia: & illarum aliæ viſuntur ſphæricæ, oblongæ aliæ, aliquæ triangulares, quadrangulum aliæ referunt, & ad arbitrium conditoris varias figuras repræſentant. Earum multæ unicum ellychnium habuerunt, aliæ duo, aliæ multo plura; ut *lucernam* vetuſtam aliqui ſe vidiſſe fateantur celebrati nominis auctores undecim ellychnia geſtantem. *Licet. ibid. c.* 10. An quædam ellychnio caruerint. V. ſupr. in *Ellychnium*. Ἐμβάφια in illis dicebantur, quæ oleum continebant. Herodot. II. p. 127. B. Hujusmodi ἐμβάφια fiebant & in candelabris ad excipiendas candelæ emunctiones, & decidentes ſordes, quæ βάμμυλα Græci recentiores dixerunt. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 266. *a. F.* Ex ejus fulgore omina captabant. Macedonius in Anthologia:

Jam lucerna cariſſima ter ſternutaſti.

Virg. Georg. I. 390.

Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ
Neſcivere hyemem: teſta cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.

Apul. Met. II. p. 47. *Cum eſſet jam veſpera, lucernam intuens Pamphile, quam largus, inquit, imber adeſt craſtino. Et percontanti marito qui comperiſſet iſtud; reſpondit, ſibi lucernam prædicere. Quod dictum ipſius Milo riſu ſecutus, grandem, inquit, iſtam lucernam Sibyllam paſcimus, quæ cuncta cæli negotia, & ſolem ipſum de ſpecula candelabri contuetur.* Merum inſtillabant in *lucernam*, ut ſibi ominarentur. Prop. IV. 3. 60.

Seu voluit tangi parca lucerna mero.

Buleng. de Prodig. c. 12. Victor. Var. Lect. XXXIII. 21. Turneb. Adv. XXII. 18. Mercur. Var. Lect. III. 17. Cerda in Virgilium. *Lucernæ*, quibus fores & feneſtræ feriis ornabantur, (V. illas ſupr. in *Fores.*) erant penſiles, & ſuſpendebantur catenulis. Ideo eleganter Juvenalis laudatus ſupr. in *Fores* ait *januam operiri lucernis:* & addit *matutinis*, non ſine ſatyrico morſu, quaſi claro luci opus eſſet alia luce. Vidimus ipſi in Italia æreas ejuſmodi *lucernas* complures, quas etiam intellexit Virgilius laudandus infr. in *Lucernæ conviviales.* Lipſ. Elect. I. 3. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 4. Appendebantur etiam arboribus ſacris. V. illas ſupr. in *Arbores.* Accendebantur etiam ob lætitiam domini redeuntis. Arrian. in Epictet. I. 19. *Tribunatum aliquis adeptus eſt. Omnes obvii gratulantur: alius oculos, alius collum oſculatur, ſervi manus. Domum venit, invenit collucentes lucernas.* Has, ut & laurum intelligit Tacit. Annal. III. 9. 3. *Fuit inter irritamenta invidiæ domus*, Piſonis redeuntis, *foro imminens, feſto ornatu.* Lipſ. in Tacitum, Sagittar. de Jan. vet. c. 31. §. 3.

Lucerna ἄσβεςος. V. illam ſupr. in *Asbeſtinum.*

Lucernæ conviviales, ſive tricliniares λαμπτῆρες dicebantur. Euſtath. Odyſſ. Σ. 306. *Sciendum hic illum λαμπτῆρας appellare, quas agreſtes λυχνίας vocant, ſuper quas faces poſitæ in cœna accenduntur, ſive ligna arida, διὰ τὸ ἄκαπνον, quod nullum fumum edunt. Vel etiam ambo permixtim, ut etiam hic ſit apud procos ſplendidos, itaque ſecundum heroicam frugalitatem, ad quod etiam δμωΐδες, hoc eſt, ſervæ, ſive ancillæ inſerviunt, ſecundum antiquum morem. Notum eſt autem Phæacas delicatiores, lautioresque fuiſſe λαμπτῆρας ἐπιδορπίας, quibus, δομητοὶ βωμοὶ, id eſt, aræ, ſive altaria lucernarum arcarum loco erant.* Illarum luxus fuit olim, ut hodie quoque, maximus. Illas deſcribit Lucret. II. 24.

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.

Mart. XIV. 41.

Illuſtrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una lucerna vocor.

Stuck. Ant. Conviv. III. 24. Buleng. de conviv. III. 25. In convivium cum afferrentur, *Græci ſolebant dicere* φῶς ἀγαθόν. Varr. de Ling. Lat. V. 2. Themiſt. apud Stob. Serm. 274. *Et lumine illato in ſympoſium tumultum, & plauſum ediderunt.* Eo referre ſoleo Virg. Æneid. I. 729.

Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi.

In quibus verſibus eſt ὕστερον πρότερον. Lychnis enim accenſis tum demum conſecutus eſt clamor. Ammian. XVI. 8. *Cum inferentes veſpertina lumina pueros exclamaſſe audiſſet ex uſu.* . . . . Hodie etiam in pleriſque Galliæ oppidis, cum lumen infertur, *benedictum ſit lumen*, exclamare mos eſt. *Valeſ. & Lindenbrog. in Ammianum.*

Lucernæ cubiculares dicebantur, quæ in cubiculis tota nocte ardentes ſervabantur. De illis Mart. XIV. 39.

Dulcis conſcia lectuli lucerna,
Quicquid vis facias, licet, tacebo.

X. 38. 6.

O quæ prælia, quas utrinque pugnas
Felix lectulus, & lucerna vidit.

Apul. Met. V. p. 162. *Hem audax, & temeraria lucerna, & amoris vile miniſterium, ipſum ignis totius deum aduris: cum te ſcilicet amator aliquis, ut diutius cupitis etiam nocte potiretur, primus invenerit.* Turpis hic eſt, & libidinoſus *lucernarum* cubicularium abuſus: honeſtus contra, ac nonnunquam neceſſarius eſt propter illos, qui periculoſis morbis decumbunt. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 24. *Grapald. de Part. dom.* II. 6. §. 21.

Lucernæ meretriciæ dici poſſent, quæ ſuſpendebantur ad ædes lenonias, ut eſſent nota novi lupanaris. *Lucernæ* enim in lupanaribus accenſæ proſtitutas hic eſſe mulieres indicabant. Hunc *lucernarum* in proſtibulis accenſarum uſum confirmat Tertull. ad Uxor. II. 6. loquens de Chriſtiana muliere ab idololatris ab libidines provocata: *Moratur Dei ancilla in laribus alienis.... & procedet de janua laureata, & lucernata, ut de novo conſiſterio libidinum publicarum. Lucernarum* in lupanaribus mentio apud Juven. Sat. VI. 131.

Obſcuriſque genis turpis, fumoque lucernæ.

Horat. Sat. II. 7. 48. V. illum ſupr. in *Lacerna.* Hunc morem credo natum inde, quod ſcorta olim ſub veſperam proſtabant, & ad *lucernas.* Non enim ante nonam diei fas eis facere in publico copiam ſui. V. infr. in *Meretrices.* Lipſ. Elect. I. 3. La Chauſſe de mutin. ſimul. tab. 6. Ferrar. de Re veſt. I. 3. 23.

Lucernæ ſacrificiales erant, quæ in ſacrificiis lucebant. Senec. Epiſt. 95. *Accendere aliquam lucernam ſabbato prohibeamus.* de Vit. beat. c. 27. *Cum laurum linteatus ſenex, & medio lucernam die præferens.* Præferebant has ſacrificuli, & vates, credo: ut auguſtiores ſe facerent ornatu illo feſto, & quaſi ſacro. *Lipſ. Elect.* I. 3. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 23. §. 8. *Saubert. de Sacrif. c.* 16.

Lucernæ ſepulcrales in ſepulcris Romanorum ardebant. Docet hoc inſcriptio Salerni in urna in æde Epiſcopali:

HAVE. SEPTIMA. SIT. TIBI
TERRA. LEVIS. QUISQ
HUIC. TUMULO. POSUIT
ARDENTEM. LUCERNAM
ILLIUS. CINERES. AUREA
TERRA. TEGAT.

Imo in omnibus fere monumentis lampades invenire eſt. Quaſdam perpetuo arſiſſe compertum eſt, ſtupendi cujuſdam liquoris beneficio, de cujus conficiendi ratione varie decertatum inter eruditos. Auctorem invenio Maximum Olibium, de quo Bernardin. Scardeon. de priſc. Patav. I. *Quis ſanæ mentis Maximum Olibium connumerandum hic eſſe neget? quem conſtat fuiſſe virum maximæ præſtantiæ, & ſummo ingenio præditum; quandoquidem tam admirabili arte lucernam concinnaverit, ut perpetuo fulgore lucens mille, &*

quin-

quingentos annos plus minus Plutoni dicata ſub terram accenſa permanſerit. Nam annum circiter milleſimum quingenteſimum noſtræ ſalutis juxta Atheſten municipium Patavinum, dum foderetur a ruſticis terra ſolito altius, reperta eſt urna fictilis, & in ea altera urnula, in qua erat lucerna adhuc ardens inter duas ampullas, quarum altera erat aurea, altera argentea, puriſſimo quodam liquore plenas, cujus virtute illa per tot annos arſiſſe creditur, & niſi retecta fuiſſet, perpetuo arſura. Boxhorn. Quæſt. Rom. c. 11. Saubert. de Sacrif. c. 16. Guther. de Jur. man. 11. 22. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. 11. 3. Panvin. de Reb. deperd. & inv. p. 236. & ad illum Salmuth. V. has *lucernas*, ſi placet, magno molimine impugnantem in ſua de *vet. lucern. ſepulcral. diſſert. Octavium Ferrarium*: & tamen aſſerentes *Licet. de Lucern.* 11. 3. 4. 5. & *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 14. *Lucernis* etiam frequentabant defunctorum ſepulcra defunctis parentatuli. Modeſtinus V. illum ſupr. in *Conditorium. Maſgabæ tumulum magna turba, multiſque luminibus frequentari ex triclinio animadvertit* Auguſtus apud Suet. c. 99. n. 3. Mos hic ex Ægypto Romam videtur migraſſe. Herodot 11. p. 157. D. *Cui ſingulis diebus omnifarii odores inferuntur, noctibus perpetuis incenſa lucerna adſtat.* Kirchman. de Fun. Rom. 11. 3: IV. 4. Mag. Miſc. IV. 19. Faes ad Gyrald. de Sepult. c. 1. Noriſ. Cenot. Piſ. 111. 6. Aring. Rom. Subterr. 1. 18. 5. Pitiſc. in Suetonium.

LUCIFERI dicuntur, quos Græci ἱπποκελεύθες vocant, nos Cavalli che danno la moſſa, nempe miſſus nuntiant. Caſſiod. ad Fauſtum præpoſitum: *Equi deſultorii, per quos circenſium miniſtri miſſos nunciant exituros, Luciferi præcurſorias velocitates imitantur.* Latini *luciferos* dixerunt, quod *lucifer* quadrigam ipſe etiam ſolis præeat, unde φωσφόρος albos eorum equos fuiſſe putarim. Sophoc. in Ajace vocat λευκόπωλον ἡμέραν. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* 1. 9.

LUCILIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

LUCINA. V. illam ſupr. in *Juno Lucina.*

LUCIPOR dicitur *Lucii* puer. V. infr. in *Marcipor.*

LUCIUS fuit prænomen. *Panvin. de Nom. Rom Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* 11. *p.* 2028. *C. Sigon. de Nom. Rom.* c. 3. *Ferret. Muſ. Lapid.* 11. *Memor.* 12. 111. *Memor.* 32. *Vaillant. de Numiſm.* 1. *p.* 16. *Beroal. Annot.* c. 45. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 797. C. A Claudiis eſt repudiatum. Suet. Tib. c. 1. n. 5. *Cum prænominibus, cognominibusque variis diſtingueretur, Lucii prænomen conſenſu repudiavit, poſteaquam e duobus gentilicius eo præditis, alter latrocinii, cædis alter convictus eſt.* Contra Domitii Ahenobarbi *ne prænomina quidem ulla, præterquam Cn. & Lucii uſurparunt.* Suet. c. 1. n. 5. *Panvin. & Urſat. l. l.*

LUCIUS *Albinius de plebe Romana homo in eo clivo quum eas,* Veſtales poſt captam a Gallis Urbem fugientes, *conſpexiſſet, plauſtro conjugem ac liberos vehens inter ceteram turbam, quæ inutilis bello Urbe excedebat; irreligioſum ratus ſacerdotes publicos, ſacraque populi Romani pedibus ire, ferrique; ſe, ac ſuos in vehiculo conſpici, deſcendere uxorem, ac pueros juſſit, virgines; ſacraque in plauſtrum impoſuit: & Cære, quo iter ſacerdotibus erat, pervexit.* Liv. v. 40. De hoc intelligo lapidis fragmentum, pavimento ambulationis circa hemiſphærium Pantheonis inſertum:

ADERENT. CAPITOLIU.
STALES. CÆRE. DEDUXIT
QUE. RITUS. SOLLEMNES. NE.
RENTUR. CURAI. SIBI. HAHUIT.
ERATA. SACRA. ET. VIRGINES. XIT.

Fabrett. de Aquæd. Diſſert. 1. *Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1706. *A.*

LUCRETIA gens. V. illam ſupr. in *Familia.*

LUCTA erat conflictus athletarum, quo alius alium proſternere in terram nitebatur. *Panvin. de Lud. Circ.* 1. 1. Græcis πάλη dicitur. Haud uno modo *luctamur*: aliquando amplexu mutuo ab illis & humeris, interdum conſertis brachiis manu apprehenſis. In pugna ſolis pugnis pugili uti licebat: in *lucta* impulſu tantum, & tractu, & preſſione, & ſupplantatione, ut non cæderetur concertator, ſed proſterneretur. *Scalig. Poet.* 1. 22. Non defuerunt inter antiquos, qui omnibus aliis exercitationibus vetuſtiorem extitiſſe autumarint. *Mercur. Gymnaſt.* 11. 8. Ego puto fuiſſe poſtremum omnium inventum. Eſt enim compoſitus, quippe ſitus in duobus, motus. Compoſita vero ſimplicibus poſteriora, curſum autem primum: mox ſaltum. Poſtea initium jactum arbitror, mox lapidem ſcilicet, ac gravem. Qui motus fit quaſi introrſum: contrarius autem huic jactus extrorſum, quem in diſco jaciendo exercebant. Nam ad jaculi, aut pili miſſionem brachium pandimus, mox prorſum impellimus: contra fit in diſco, manu ad pectus adducta, atque extrorſum diſcluſa. Pugillatus ratio eadem, quæ in *lucta*: non enim ſine antagoniſta fieri quit. Videtur autem ſubtilius contemplanti proportio quædam inter hæc quatuor. Nam curſus eſt motus aliquo modo continuus, ſaltus diſcretus. Sic *lucta* motus quaſi continuus: cohæreſcunt enim, pugillatus autem diſcretus: ſunt enim inter actus ipſos intervalla. Uter igitur vetuſtior, *lucta*, an pugillatus? pugnis prius, quam complexu, certaſſe par eſt. Is enim primus congreſſus ſolutus. Mox *lucta* junctis, compoſitiſque, atque etiam inſertis brachiis, ac manibus mutuo. Ex temeraria, aut hoſtili contentione redacta eſt ad exercitationem, atque æmulationem. Sic ergo digerenda ſunt. Certamen, tametſi eſt plurium, tamen aliquod videtur quodammodo unius corporis, ut curſus: aliquod duorum, ut *lucta*. Ratio eſt, propterea quod currere ſolus quis poteſt, pugnare non poteſt. *Scalig. & Mercur. l. l.* Erat duplex, ut patet ex Antyllo apud Oribaz. Collect. VI. 27. altera erecta, in qua certantes ſeſe dejicere ſtudebant, recti que manebant: altera ſuper pavimento. Pro *lucta* ſuper pavimento Antyllus nihil aliud intelligebat niſi pancratium volutatorium, in quo certantes humi proſternebantur; atque ibi invicem complicati, ſeque mutuo convolventes, alter alterum ſibi ſupponere nitebantur. De hac exercitatione veriſimile mihi fit, Ariſtotelem verba feciſſe, ubi nullum erectum, & ſtantem continenter, & tuto incedere poſſe demonſtrat, quia perinde ſe moveret, ut palæſtritæ, qui per pulverem in genua ſubſidentes procurrunt. De hoc item alicui probabile videretur locutum eſſe Mart. XIV. 201.

Non amo qui vincit, ſed qui ſuccumbere novit,
Et didicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

Mercur. l. l. Fab. Agon. 1. 10. *Lyd. Agon. ſacr.* c. 18. Erat etiam Græcis in uſu. Facta eſt inter Ulyſſem & Ajacem, qui manibus ſe invicem corripuerunt, & huc illac percuſſerunt, contendentes, uter prior adverſarium humi proſterneret. Similiter *luctant* Ulyſſes & Irus, qui ab illo dejectus, ac pæne exanimatus fuit apud Homer. Odyſſ. XVIII. *Feith Antiq. Homer.* IV. 6. Olympiadis decimæ octavæ anno quinto eſt inſtituta, & illi vicit Eurybatus Lacedæmonius. Anonymus in eo anno: *Quinquertium & lucta inſtituta ſunt. Lampis quinquertio, Eurybatus lucta, ambo Lacedæmonii, vicerunt.* Pauſan. Eliac. 1. p. 155. *Octava & decima olympiade quinquertii, & luctæ venerunt in memoriam. Et illius quidem Lampis initium dedit. Eurybato victoria fuit luctæ.* Meurſ. de Archont. Athen 1. 7. Strauch. Olympic. agon. §. 13. Honcaldmo Siculi qui dicitur *luctæ* modi, ac rationis inventio tribuitur. Ælian. Var. Hiſt. XI. 1. *Horicadmus luctæ fuit legiſlator, per ſe morem luctandi, qui Siculus vocatur, excogitans.* Fab. ibid. 111. 8. Perizon. ad Ælianum.

LUCTATOR *eſt, qui poteſt crura ſtringere, & tenere.* Ariſtot. Rhetor. 1. 5. *Falconer. ad Inſcript. Athlet. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2321. *E.* Quomodo differat a pugile V. infr. in *Pugil.* Bini nudi, uncti oleo, & pulvere aſperſi ſeſe brachiis complicantes, invicemque concertantes, alter alterum dejicere humi contendebant, ad quod peragendum, embolæ, parembolæ, paratheſes, & ſyſtaſes neceſſario requirebantur, illudque præ ceteris quærebatur, ut pedes primo comprehenderentur, quod ebrius Pſeudolus ſignificavit apud Plaut. v. 1. 6.

Captat pedes primum, luctator doloſus eſt.

Plutarch. Sympoſ. II. 4. *Solos luctatores videmus mutuis complexibus ſeſe devincire, & concertationis majorem partem varie miſcendis, atque conſtringendis invicem corporibus peragi.* Mercur. Gymnaſt. II. 8. Vaillant Numiſm. II. p. 83. Sed antequam certamen inirent, muſculos prius calefaciebant, per frictiones usque, ac lenibus motibus explanabant. Quod ſi aliquando hæc agere intermiſiſſent, iis quædam partes rumpebantur, convellebanturque, ſicuti tradit Galen. de Loc. affect. IV. 8. Qui etiam alibi ſcriptum reliquit, hunc a gymnaſticis in luctis obſervatum eſſe ordinem, ut nunquam vehementes inirent, niſi prius faciles, & ſimplices eſſent edocti, neque has aggredi ſoliti, antequam fricarentur, neque fricari, priusquam ungerentur. Dixi binos, quoniam etſi plures poſſent uno tempore eodem in loco *lucta* contendere, tamen ſemper unus uni duntaxat complicabatur. *Mercur. l. l.* Et inungebant ſe oleo. V. ſupr. in *Ceroma.* Huic admiſcebant pulverem. Stat. Theb. VI. 847.

Poſtquam oleo gavisa cutis, petit æquor uterque
Procurſu medium, atque hauſta veſtitur arena.
Tum madidos artus alterno pulvere ſiccant.

Ovid. Met. IX. 35.

Ille cavis hauſto ſpargit me pulvere palmis,
Inque vicem fulvæ tactu flaveſcit arenæ.

Apul. Mil. IX. p. 250. *In modum pugilum, qui pulviſculo perſperſi dimicant.* Hippocrat. de Diæt. III. memoriæ mandavit hoc fieri ſolitum, *ut ſuo frigore, & ſiccitate cutis æſtum, & humiditatem temperarent.* Lucianus, ut corpora fortiora redderentur. De Hercule namque & Antæo ſermonem faciens ait IV. 616.

Auxilium membris calidas infundit arenas.

Ego cum Lucian. de Gymnaſ. p. 289. exiſtimo potiſſimum uſum pulveris exſtitiſſe, ne oleo manus laberentur ſed facilius exercitatores ſeſe comprehendere valerent, neve ſudore diffluerent, aut venti corpora aperta ingrederentur: atque hac de cauſa pulvis ille dicitur a Mart. VII. 66. 5. Unde ſi qui adverſarios perunctos, & ſine pulvere certantes vincebant, majori gloria digni habebantur: qualis fuit apud Plin. XXXV. 11. Dioxippus ἀκονιτὶ coronam promeritus, & apud Pauſan. Eliac. II. p. 288. Cujus rei mentionem fecit Horat. Epiſt. I. 1. 49.

Qui circum pagos, & circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine pulvere palmæ?

Mercur. de Art. gymnaſt. I. 8. Faber. Agon. II. 5: III. 21. Torrent. in Horatium. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 5. Roa Singul. VI. 18. Lyd. Agon. ſacr. c. 8. Et apud nonnullos non ſolum viro vir concertabat, ſed puellæ quoque juvenibus contendebant, quemadmodum apud Lacones, apud quos magis palæſtra, Eurotas, ſol, pulvis, labor, militia eſt in ſtudio, quam fertilitas barbara. Prop. III. 12. 1.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæſtræ,
Sed mage virginei tot bona gymnaſii.
Quod non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros.

Rhodig. Ant. Lect. XVIII. 1. Mercur. l. l. Illis interdum torques pro præmio dati. Trebell. Claud. c. 13. *Fecerat hoc etiam adoleſcens in militia, quum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortiſſimos quosque monſtraret. Nam iratus ei, quia non balteum, ſed genitalia ſibi contorſerit, omnes dentes uno pugno excuſſit. Quæ res indulgentiam meruit, pudore vindicatæ. Siquidem tunc Decius Imperator, quo præſente fuerat perpetratum, & virtutem, & verecundiam Claudii publice prædicavit, donatusque armillis, & torquibus a militum congreſſibus faceſſere præcepit, ne quid atrocius, quam luctamen exigit, faceret.* Scheffer. de Antiq. torquib. c. 9.

LUCTUS & lamentatio differunt. Eſt enim *luctus ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo: lamentatio ægritudo cum ejulatu.* Cicer. Tuſc. IV. 8. quæ ad bonorum Fortunæ amiſſionem aliquando converſa eſt. Juven. Sat. XIII. 131.

Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi quam funera: nemo dolorem
Fingit in hoc caſu, veſtem diducere ſummam
Contentus, vexare oculos humore coacto
Ploratur lacrymis amiſſa pecunia veris.

Guther. de Jur. man. I. 13. Mulieribus potius, quam ſuo ſexui convenire viri ſemper cordatiſſimi cenſuerunt. Senec. Epiſt. 64. *Annum feminis ad lugendum conſtituere majores, non ut tamdiu lugerent, ſed ne diutius.* Dio LVI. p. 598. C. *Luxerunt eum,* Auguſtum, *viri quidem ex lege paucos dies, mulieres vero ex SCto totum annum.* Et ille, qui Lyciis dedit, mandabat civibus, ut in *luctu* veſtes muliebres gererent, rem illam vere muliebrem eſſe ſignificare volens, ut nos docet Plutarch. Conſol. ad Apollonium. Sed neque omiſerunt tamen viri, & honeſtatis eſſe communis opinio fuit. *Luxerunt* itaque, ſed tempore indefinito, ut ex Seneca didicimus. *Meurſ. de Fun. c.* 45. Mulieribus certum præſinitum eſt, & id quidem annuum, ut ex Seneca intelleximus. Annus ille decem menſibus erat, quibus olim definitus. Ipſe ſe explicat Senec. Conſol. ad Albin. c. 15. *Sexui muliebri pæne conceſſum eſt, imo datum in lacrymas jus, non immenſum tamen, & ideo majores decem menſium ſpatium viros lugendis dederunt.* Et eſt inſtitutio hæc a Numa Pompilio, qui puerum quidem nullum trienio minorem *lugeri* volebat, nec quidem plures menſes quam ille annos haberet, uſque ad decem: neque ullam ætatem ultra *lugere* fas. Plutarch. p. 67. E. *Ipſe etiam luctus ſecundum ætates & tempora ordinavit, ſcilicet, puerum trimulo minorem non lugendum, majorem vero non plures menſes quam annos vixiſſet, uſque ad decem. Longiſſimi autem luctus tempus eſſe decem menſium: quamdiu etiam defunctorum uxores viduæ permanent.* Ovid. Faſt. I. 34.

Quod ſatis eſt, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes a funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Primi Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius A A A duobus menſibus augentes, legitimum tempus annuum eſſe voluerunt. l. ſi qua 2. C. de ſec. nupt. *Si qua ex feminis perdito marito intra anni ſpatium alteri feſtinaverit nubere, parvum enim tempus poſt decem menſes ſervandum adjicimus, tametſi id ipſum exiguum putemus, probrofis inuſta notis, honeſtioris, nobilisque perſonæ decore, & jure privetur: atque omnia quæ de prioris mariti bonis, vel jure ſponſalium, vel judicio defuncti conjugis conſecuta fuerat, amittat.* Cauſa, cur hanc *lugendi* neceſſitatem mulieribus impoſuerint, fuit I. publica honeſtas. Turpe enim & quaſi illegitimæ cujusdam intemperantiæ ſignum judicarunt, feminam ſimul ac a rogo mariti reverſa ſit, de ſecundis ſtatim nuptiis cogitare, &, vix dum exſtincta funebri face, ad nuptialem e veſtigio properare. II. metus religionis, & ſuperſtitio: putabant enim manes offendi, niſi elugerentur. Apul. Met. VIII. p. 242. *Quæ res cum meum pudorem, tum etiam tuæ ſalutis commodum reſpicit, ne forte immaturitate nuptiarum indignatione juſta manes acerbos mariti ad exitium ſalutis tuæ ſuſcitemus.* III. Turbatio ſanguinis, ut illam ad edictum VIII. vocat Ulpianus, hoc eſt, ne ſi forte prægnans a defuncto marito mulier intra legitimum tempus alteri nubat, dubitari poſſit, cujus ſit partus. Harmenop. IV. 6. *Ne ſemen commiſceatur, & propter reverentiam, & honorem, quem debet marito.* Quæ intra legitimum tempus nupſiſſet, ex lege Numæ bovem gravidam immolare tenebatur. Plutarch. l. l. *Quæ ante nupſiſſet, bovem fordam ex ejus lege immolabat.* Poſtea lege trium Auguſtorum alia pœna eſt ſtatuta. V. illam modo prolatam. *Briſſon. de Jur. connub. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1103. *E. Gyrald. de var. ſepel. rit. c.* 13. *& ad illum Joh. Faes. Kirchman. de Funer. Rom.* IV. 10. *Meurſ. de Fun. l. l. Moreſtell. Pomp. Fer.* IX. 5. *Salmuth in Pancir. de Reb. deperd. & inv. p.* 731. *Ferren Muſ. Lapid.* II. *Memor* I. *Ravard. Var.* I. 20. *Cujac. Obſerv.* VI. 32. *Caſal. de Urb.*

ac

ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 17. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. *p.* 422. *B. Minos in Alciat. Emblem.* 16. Hoc tempore quilibet limine, ac domo se continebat. Tacit. Annal. III. 3. 1. de morte Germanici: *Tiberius, atque Augusta publico abstinuere, inferius majestate sua rati, si palam lamentarentur.* Et de Tiberio IV. 8. 4. *Non equidem sibi ignarum posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum adloquia tolerari, vix diem adspici a plerisque lugentium, neque illos imbecillitatis damnandos.* Plin. Epist. IX. 13. *Mitto ad Arriam, rogo ut veniat, quia me recens adhuc luctus limine contineret.* Kirchman. l. l. Lips. in Tacit. Annal. IV. n. 33. Fugiebat omnes lætos congressus, ac festivas sollennitates, ne aliorum gaudia suo *luctu* macularet. Symm. Epist. III. 21. *Neque enim fas sinit læta officia obire lugentes, fortasse etiam hilaritatem vestram mea tristitudo contraheret.* IX. 3. *Ille ut sit placatus enitere, cui me tristis de fratre casus excusat. Nam mihi turpe, atque impetibile est, attonito animo, & fronte mœsta lætos adire conventus.* Abstinebat se a conviviis. Paull. Sent. II. 21. *Qui luget abstinere debet a conviviis.* Pater quidam tribus liberis amissis assidebat sepulcro, cum inde abductus convivio interesse coactus esset, eo nomine injuriarum egit apud Senec. Declam. IV. 1. *Credo*, inquit, *mirari aliquem, quod in forum amissis modo liberis veniam: at ego modo in convivio fui.* Et ibid. in procemio. *Cum mortuo in Syria Cæsare per codicillos questus esset D. Augustus, quod in tam magno, & recenti luctu suo homo carissimus sibi pleno convivio cœnasset, rescripsit Pollio, eo die cœnavi, quo Aterium filium amisi.* Non struebat focum. V. supr. in *Focus.* Barbam, & capillos summittebat. V. supr. in *Barba.* Vestes lacerabat. V. infr. in *Vestis.* Annulos aureos ponebat. V. supr. in *Annulus.* In pellibus erat. Cicer. in Pison. c. 36. *Ecquid recordaris, cum omni totius provinciæ pecore compulso, pellium nomine, omnem quæstum illum domesticum, paternumque renovasti.* Festus: *Pellem habere Hercules fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur: lugentes quoque diebus luctus in pellibus sunt.* Stuck. de Sacrif. p. 183. Rhodig. Antiq. Lect. XXVII. 14. Et mulieres nulla ornamenta gestabant. V. supr. in *Aurum.* Latum clavum deponebant senatores. V. infr. in *Senator.* In publico *luctu* tabernæ claudebantur V. infr. in *Taberna.* & forum: & justitium vel sponte sumebatur, vel a magistratu indicebatur. Tacit. Ann. II. 82. 4. V. illum supr. in *Justitium.* Consules non solita sede, sed humili aliqua, puta prætorum, aut tribunorum sedebant. Dio LVI. p. 590. C. *Consedit vero senatorum multitudo solito quisque loco; consules autem inferius, alter in prætoriis, alter in tribunorum plebis subselliis.* Tacit. Ann. IV. 8. 3. *Consules sede vulgari per speciem mœstitiæ sedentes, honoris, locique admonuit*, hoc est, sedibus prætorum, aut tribunorum. Magistratus plebejo habitu. Lucan. II. 17.

— ferale per urbem
Justitium: latuit plebejo tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.

Et sine insignibus. Tacit. Annal. III. 4. 1. *Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies; plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces: illic miles cum armis, sine insignibus magistratus.* Aring. Rom. Subterr. VI. 49. 3. Meurs. ibid. c. 50. Kirchm. l. l. Morestel. Pomp. Feral. IX. 7. Lips. in Tacit. Annal. IV. n. 31. Minuebatur sæpe populo, universim publicus, & privatim cuique domesticus. Festus: *Minuitur populo luctus ædis dedicatione, cum censores lustrum condiderunt, cum votum publice susceptum solvitur: privatus autem, cum liberi nati sunt; cum honos in familiam venit; cum parens, aut liberi, aut vir, aut frater ab hoste captus domum redit; cum desponsa est; cum propiore quis cognatione, quam is qui lugetur, natus est; cum in casto Cereris est, omnique gratulatione.* Meurs. ibid. c. 51. Kirchman. ibid. c. 12. Ferret. l. l. Etiam propter ludos publicos justitium exuebatur, & *luctus* minuebatur: ut I. ob Megalensia. Tacit. Annal. III. 6. 5. de funere Germanici: *Et quia ludorum Megalensium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent. Tum exuto justitio, reditum ad munia.* II. propter ludos Jovis Opt. Max. Capitolin. c. 21. de Marco Antonino Philosopho, qui cum filius ipsi esset mortuus, *quia ludi Jovis Opt. Max. erant, interpellari eos publico luctu noluit, jussitque ut statuæ tantummodo filio mortuo decernerentur.* III. ob Saturnalia. Hoc colligere est ex Suetonio, qui populi *luctum* in funere Germanici tantum fuisse ait, ut etiam per festos Saturnaliorum dies duraverit. *Et ut fato functum palam factum est*, inquit in Calig. c. 6. n. 3. *non ullis solatiis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: duravitque etiam per festos Decembris mensis dies.* Quod non dixisset historicus, nisi in vulgaribus funeribus propter Saturnalia *luctus* finis fieri esset solitus. *Kirchman. l. l.*

LUCULLUS fuit cognomen Liciniorum. Illorum tres tantum consulares fuisse invenio, duos ex his etiam triumphales. Ante hos L. *Lucullus* fuit ædilis curulis an. 551. Sexto postea anno C. *Lucullus* fuit triumvir epulo, & post duodecim annos M. *Lucullus* prætor inter cives, & peregrinos jus dixit. Est etiam apud Sallustium P. *Luculli* tribuni plebis mentio, qui Jugurthini belli tempore continuare magistratum nitebatur an. 643. Primus L. *Lucullus* cos. fuit an. 602. biennio ante bellum Punicum III. Hujus filius Lucius Lucium & Marcum filios reliquit. Lucius præstanti vir ingenio clarissimus, & fortissimus fuit, literisque tam Græcis, quam Latinis in primis eruditus, philosophiæ quoque, ut Cicero, & Plutarchus conscribunt, operam dedit. Consul fuit an. 679. post undecim annos, M. Cicerone consule, de Regibus Mithridate, & Tigrane triumphum proconsule egit. Hujus & cœnæ, & piscinæ, & villæ, ut regii splendoris, & magnificentiæ celebrantur. L. *Luculli* frater patruelis, ni fallor, fuit M. *Lucullus* M. F. quem adoptatum fuisse constat a M. Terentio Varrone. Ita a quibusdam *M. Licinius Lucullus*, ab aliis *M. Terentius Varro Lucullus* appellatus est. Consul fuit anno proximo post L. *Luculli* fratris consulatum, & biennio post suum consulatum triumphum egit de Thracibus, & Dardanis ex Macedonia. Eum Cicero in Bruto c. 62. videtur juris publici, & privati peritum appellare. *August. de Famil. Roman. in Licinia.*

LUCUMONES *dicti sunt quidam homines ob insaniam, quod loca, ad quæ venissent, infesta facerent.* Festus. Qui volait *Lucumonem* pro insano dici, non obscurum est quid velit, cum causam illam addit. Scaliger notis in Orphei initia scribit, Festum putare proprie ita vocari *genios, qui loca infestant ad quæ veniunt, quod proprie Larium est.* Sed nihil apud Festum de geniis, sed tantum de hominibus legas. Interea verum est, *lucumonem* dici pro insano. Auson. Epist. IV. 70.

Anticipesque tuum Samii Lucumonis acumen.

Sidon. Epist. V. 7. *Temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua.* Voss. Lex. Etymol. Scalig. Lect. Auson. II. 12. Savaro in Sidonium. Errat Festus: cum ad *Lucumonem* perinde ad sapientem, ut Maximus Valerius in primo de Religione, & Livius indicant, ad Etruscam disciplinam accipiendam miserunt Romani. Erant *Lucumones*, qui lingua Etrusca dicebantur Reges. Serv. Æneid. II. 278. *Duodecim Lucumones, qui Reges sunt lingua Tuscorum, habebant.* X. 202. *Singulis singuli Lucumones imperabant, quos in tota Tuscia duodecim fuisse manifestum est: ex quibus unus omnibus imperat.* Et dictandi, imperandique potestatem habebant. His in annuo magistratu duodecim Regibus, quos *Lucumones* vocabant, unus, sive tertius decimus perpetuus Rex, & dictator præerat in fano Voltumnæ; ubi dictaturæ, & suffragiorum jus erat, ad quod teste Liv. IV. 23. *duodecim populis concilia indicabantur.* Præsidentem dictatorem, sive in principatu maximum Scythica lingua Arrhem, Etrusca Lartem vocabant; non solum quia cæteris præerat, sed etiam anniversariis cæteris duodecim revocatis ipse per totam vitam perseverabat. *Scoppa Collect.* I. 18. Ego verum esse puto, quod Scaliger cum alibi, tum notis in Orphei initia scripsit, *Lucumones* esse eosdem ac Λυκάονας, planeque Latinum sive Tuscum illud ex Græco hoc factum puto. Λυκάων enim Arcadiæ Rex fuit,

ac Arcadia ab eo aliquando Lycaoniæ nomen habuit. Is autem in lupum a Jove commutatus dicitur. Conſtat etiam λυκάονας dici, qui vulgo λυκάνθρωποι. Eſt vero λυκανθρωπία melancholiæ genus, quo qui laborant, noctu luporum inſtar exeant, & uſquedum luceſcat, circa mortuorum corpora verſantur. Quæ qui conſideravit nobiſcum, puto non mirabitur, uti Λυκάων apud Græcos, ita *Lucumo* apud Tuſcos, qui ex Arcadia in Italiam venere, utramque habuiſſe notionem, puta ut tum pro Rege, aut præfecto, tum pro melancholico, vel inſano ſumeretur. *Voſſ. l. l.*

LUCUNCULI fuerunt genus edulii, vel panificii potius ſciti. Afran. apud Non. c. 2. n. 483.

Piſtori cur non, cur non ſcriblitario,
Ut mittat fratris filio lucunculos.

Et ita fortaſſe ſcribendum apud Stat. Sylv. I. 6. 17.

Molles Cajoli, lucunculique.

Primitivum eſt *lucuns.* Varro apud Nonium modo laudatum.

Ac nulli ambroſia, non nectar, non allia, ſardæ,
Panis, pemma, lucuns, cibus, qui puriſſimus multo eſt.

Turneb. Adv. XVII. 20. Voſſ. Lex. Etymol. Barth. Adv. LI. 10. Buleng. de Conviv. II. 54. IV. 18. Gevart. in Statium.

LUCUS eſt ſylva deo alicui ſacra. Juven. Sat. I. 7.

Nota magis nulli domus eſt ſua, quam mihi lucus
Martis.

Tomaſ. de Donar. c. 4. Voſſ. Lex. Etymol. Claſen. Theol. Gent. III. 2. §. 3. Feith. Antiq. Homer. I. 5. Erant olim ad ſacella, & hæc ex illorum horrore aliquid ſancti numinis fœnerari credebantur. *Lipſ. de Stren. c. 2. &c. 1.* §. 8. *Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 97* Conlucare *lucum* eſt ejus ramos ea parte, qua de cœlo tacti eſſent, exſcindere. Piaculum, quo hoc fieri Romano more oportuerit, docet Cato de Re ruſt. c. 139. *Porco piaculo facito: ſic verba concipito: ſi deus, ſi dea es, quojum illud ſacrum eſt, uti tibi jus ſiet porco piaculi facere illiuſce ſacri coercendi ergo. Harumce rerum ergo, ſive ego, ſive quis juſſu meo fecerit, uti id recte factum ſiet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberiſque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando eſto.* Guther. de Jur. man. I. 3. Tomaſ. l. l. Saubert. de Sacrif. c. 14.

Lucus Annæ Perennæ fuit inter Anienis confluentem, & pontem Milvium. *Cluver. Ital. Ant.* III. 2. 36. Qui illum illic ponit ex conjectura. Non tamen inde procul fuit. Colligimus hoc ex Julii Martialis villa in Janiculo, ex adverſo pontis Milvii ſita, e qua facile proſpectabatur. Mart. IV. 64. 16. V. illum ſupr. in *Anna Perenna.* Ovid. Faſt. III. 523. V. illum ſupr. in *Idibus.* Vicinus fuiſſe monti ſacro ex eo perſuadetur, quod ſacra ibi facta eſſe appareant in honorem Annæ illius vetulæ, quæ plebi ob injurias fœneratorum iſtuc ſecedenti alimenta miniſtrarat. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 8.* §. 5.

Lucus Caji & Lucii in Eſquiliis videtur fuiſſe ante hortos Pallantianos, ante quos ingens cavitas conſpicitur, perfectæ rotunditatis, verum ab uno latere ad viam publicam hodie exaggerata, quæ primo ſtatim oculorum conjectu lacus quidam antiquus fuiſſe agnoſcitur, manuario opere excavatus, fortean ad naumachiam. Conſiderentur accurate verba Dionis, qui poſt ludos navales in amphitheatro Titi factos ita loquitur LXVI. p. 757. B. *Alii vero extra in luco Caji & Lucii, ubi Auguſtus ad hoc ipſum terram effoderat. Ibi enim primo die ludus gladiatorius, cædeſque ferarum facta eſt, lacu, qua parte ſtatuas ſpectat, aſſeribus inædificato, & foris, ac tabulatis undique incluſo.* Nardin. Rom. Vet. IV. 2.

Lucus Camœnarum, licet verus ejus hoc tempore ignoretur ſitus, haud longe fuit extra portam Capenam, quæ tunc admodum mediæ Urbi fuit vicina. Creſcente deinceps ſub coſſ. civitate, & promotis ad decimum lapidem mœnibus, & portis Urbis, ſimul quoque migravit *lucus* Camœnarum ad decimum quintum lapidem. *Voſſ. de Magnit. Rom. c. 4. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 3.* §. 5. *Aring. Rom. Subterr.* III. 12. *Curt. de Cult. hort.* IV. 16. Ceſſit in jus, & ditionem Judæorum. Juven. Sat. III. 11.

Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam:
Hic, ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ:
Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor, & ejectis mendicat ſylva Camœnis.

Curt. & Borrich. l. l. Aring. ibid. §. 13. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3.

Lucus Dianius *eſt in ſiniſtra parte viæ, qua Aricia adſcenditur.* Strab. V. p. 165. Manius Egerius primus e Romanis ſacerdotibus tractum Nemorenſem Dianæ conſecravit. Conſtat hoc ex Feſto. Sed Cato Orig. II. vocat hunc Bæbium Egerium. Verba ejus ſunt apud Priſcian. IV. *Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Bæbius Tuſculanus dedicavit dictator Latinus.* Voſſ. de Magnit. Rom. c. 4. Cluver. Ital. Ant. III. 4. 14.

Lucus, quem diis manibus ſacraverat Auguſtus, porrigebatur per colles mœnibus adjacentes, a templo Mariæ del popolo, uſque ad templum Trinitatis. *Boiſſard. Topogr. Tom. I. p.* 50.

Lucus Egeriæ in via fuit Appia. Hunc Camœnis Numa ſacravit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 27. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 254. D. Virg. Æneid. VII. 162.

— inſignem, quem mater Aricia miſit
Eductum Egeriæ lucis.

Hunc ſua ætate Judæis elocatum dolet Juvenalis laudatus ſupr. in *Lucus Camœnarum.* Videntur Judæi in illo tunc temporis habuiſſe ſynagogam, & pro illa locarium ſolviſſe. *Nardin. Rom. vet.* III. 3. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 4. §. 3.

Lucus Eſquilinus, niſi idem fuit qui *lucus* Larium, a Varrone negligitur de Ling. Lat. IV. 8. ubi vertices Oppii recenſet, teſtem adducit librum de ſacrariis Argeorum, in quo habebatur. *Oppius mons princeps lucum Eſquilinum, lucum fagutalem ſiniſtra, quæ ſub mœrum eſt. Oppius mons biceps ſimplex. Oppius mons terticepſos lucum Eſquilinum dexterior via in Tabernola eſt. Oppius mons quarticepſos lucum Eſquilinum dexterior via in figlinis eſt.* Hic de tribus Oppii verticibus tres ad *lucum* erant Eſquilinum: & ad tertium ibatur per Tabernolam inter amphitheatrum Flavium, & ædem S. Clementis. Statuto igitur tertium fuiſſe objectum ædi S. Matthæi, primus qui diviſioni inter Oppium & Ciſpium, regiæque Tullii fuit proximus, indubie ille fuerit, qui nunc ædi S. Martini in montibus vicinus eſt: alterum vero conſequitur illum fuiſſe, qui retro S. Matthæi ad S. Euſebii aſſurgit. Quartus autem remotior ille videtur fuiſſe, qui ad hortos Cardinalis Contareni conſpicitur. Ponamus jam *lucum* Eſquilinum pari ſpatio a primo, tertio, & quarto diſtantem ad S. Matthæi. Hac ejus conſtitutione, quæ ſi non vera, ſaltem veriſimilis eſt, ac maxime probabilis, primus vertex ad dexteram verſus S. Matthæi *lucum* Eſquilinum habere potuit. *Nardin. Rom. vet.* IV. 3.

Lucus Fagutalis fuit ad ſiniſtram montis Oppii verſus S. Petri in vincula: cui, tanquam ſummo Jovi conſecrato, locus Urbi, regiæque vicinior conveniebat. V. ſupr. in *Fagutal.* Donat. de Urbe Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. IV. 2.

Lucus Furinarum, in quo C. Gracchus vel ſua, vel Euphori ſervi manu occiſus, caputque ejus plumbo repletum, ſi fides Victori, in regione fuit Tranſtiberina, ſive decima quarta Urbis. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. *n.* 1.

Lucus Ilernus. V. illum ſupr. in *Hylerna.*

Lucus Junonis Lucinæ a pleriſque omnibus eo fuiſſe loco cenſetur, ubi nunc baſilica eſt S. Mariæ majoris, verum nullo argumento, vel auctore. Poteſt tamen, me quidem judice, probari illis Varronis: *Ciſpius mons ſepticepſos*

apud

apud ædem Junonis Lucinæ, ubi æditumus habere solet. Unicum vero Cispii fastigium ad eandem basilicam conspicitur. Sub monte, non in illius summo clivo fuisse indicat Ovid. Fast. II. 435.

> *Monte sub Esquilio multis incæduus annis*
> *Junonis magnæ nomine lucus erat.*

n. 449.

> *Gratia Lucinæ. dedit hæc tibi nomina lucus.*

Verum quomodo *sub monte* fuisse dici potuerit, non capio, siquidem unus de *lucis* illis fuit, qui secundum Varronem monti huic dedere nomen. Quare si non in summo is vertice exstitit, certe nec in subjacente fuisse dici poterit parte, verum potius in declivitate ejus versus S. Laurentii ædem in Panisperna, vel ad templum S. Pudentianæ, quæ declivitas Ovidio poetice *sub monte* dici potuit. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3. *Donat. de Rom. Vet.* III. 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 6.

Lucus Larum pertinet, ut arbitror ad Cœlium, & Palatinum, quamvis Varr. de Ling. Lat. IV. 8. videatur ponere in Esquiliis. Nam cum dixisset de *luco* Fagutali, Mephitis, & Lucinæ subdit: *quorum angusti fines: non mirum. Jam diu enim late avaritia una est. Item lucus Larum, & querquetulanum sacellum.* Nempe *lucus* Larum, & sacellum in colle Cœlio quercubus cinctum easdem, propter avaritiam ad se cuncta trahentem, angustias habent. Varro: *Et unde ascendebant ad imam novam viam lucus est, & sacellum Larum.* Donat. de Urb. Rom. III. 10. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 276. C. Tomas. de Donar. c. 8.

Lucus Livernæ in via fuit Salaria. Acro in Horat. Epist. I. 16. 60. V. illum supra in *Laverna.* Nardin. Rom. Vet. IV. 4: VII. 8. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 9. Erat obscurus, & abditus, ubi fures prædam dividebant. *Tomas. de Donar. c.* 42.

Lucus Mavortianus a Rufo tantum recensitus utrum prope aram Martis in campo fuerit, incertum est: vix tamen crediderim campum Martium eo fuisse coartatum, cum sat loci esset in proxima planitie. Forte templo Martis additus fuit, quod si non in campo, saltem in ejus vicinia fuit: nisi quis ex illis unum nemoribus existimet, quæ alternis porticus ordinibus distinxere. De quibus Cicer. ad Attic. IV. 3. *Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deviis currebat: assequitur inter lucos hominem Milo.* Nardin. Rom. Vet. VI. 10.

Lucus Mephitis fuit prope vicum patricium ad radices Esquiliarum. Festus: *Qui ejusdem rei causa eam partem Esquiliarum, quæ jacet ad vicum patricium versus, in qua regione est ædes Mephitis, tutatus est.* *Lucus* autem ædi adsitus venerationi erat. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10.

Lucus Pœtilinus fuit extra portam Flumentanam. Liv. VI. 20. *Producta die in Pœtilinum lucum extra portam Flumentanam, unde conspectus in Capitolium non esset, concilium populi indictum est.* Marlian. Topog. Urb. Rom. I. 8. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 234. D. Qui ex Livio colligunt in campo Martio fuisse, vel in pratis Flaminiis. Attamen Rufus, Varro, & Victor in regione illum quinta Esquilina collocant. Huic difficultati a Rufo obviam itur, qui in octava circi Flaminii regione alium recenset *lucum* Pœtilinum: *lucus* Pœtilinus, inquit, *major*, ad quem commodius, quam per Flumentanam portam, exiri non potuit. Licet eo contentus esse potuerim, ex ejusdem auctoris additamentis adulterinis efficacius adhuc indicium expiscatus sum. Quod si enim duo fuere *luci* Pœtilini; major autem antiquior, & a tempore usque Manlii, quid quæso Livium, Varronem, Victoremque movit, ut de altero ex his, velut unico, absque ulla *majoris*, qua distingueretur, additione locuti sint? Cur nec Rufus ipse alteri *minoris* titulum addidit? Quod si cui de solo *majore* vulgata loquendi consuetudo distinctionem hanc usurpasse videatur, absque designatione alterius per cognomentum *minoris*, Livium hic ego simpliciter de *minore* loqui responderim, quum illum Manlii casum exponit; adeoque nec per Flumentanam portam ad id concilium exiri potuisse. Adhæc catalogus quæso locorum apud Victorem observetur, quem in fine subjicit: unum enim tantum illic nominatum videbimus *lucum* Pœtilinum. Quare alter ille *major* merum illius hominis somnium est, qui, cum in Livio legisset, ad Pœtilinum *lucum* portam solitum Flumentana, alium sibi ea parte *lucum* talem imaginatus, liberaliter illum nobis sub *majoris* Pœtilini nomine, quo major ei fides haberetur, largitus est. In meo Livii codice scriptum invenio, *extra portam Frumentanam*; quæ ubi fuerit, ignorare me fateor; at *Flumentanam* male vulgo legi dubium mihi nullum est. Nam cum illam nominet, velut singularem ad Pœtilinum *lucum* exitum præbentem, aperte satis remotiorem eam a Capitolio fuisse demonstrat, duxisseque ad locum unde nequaquam conspici Capitolium possit. Contra ea Flumentana sub ipso sita Capitolio, ac præsertim sub ipsa Capitolii parte, quam Manlius tutatus fuerat, non aliorsum, quam in pratorum Flaminiorum ducebat, campique Martii late patentem planitiem; quæ ad pontem usque Milvium Capitolio subjecta semper illud in conspectu habebat, qui paucissimis, aut forte nullis tum temporis ædificiis impediebatur. Nec in omni Urbis ambitu locus ullus erat, ubi collis ille melius conspici posset. Res ipsa luce meridiana clarius liquet ex Livii, quæ præcedunt, verbis: *In campo Martio cum centuriatim populus citaretur, & reus ad Capitolium manus tendens ab hominibus ad deos preces avertisset, apparuit tribunis, nisi oculos quoque hominum liberassent a tanti memoria decoris, nunquam fore in præoccupatis beneficio animis vero crimini locum. . . .* Prius concilium in campo Martio fuit, in conspectu Capitolii: alterum longe inde remotum extra portam, unde conspectus ille non esset, *in luco* Pœtilino: ergo nec in campo Martio, ubi major ille *lucus* fuisse fingitur, neque *extra portam Flumentanam*, quæ in campum Martium ducebat, & ad loca conspectui Capitolii quam maxime opportuna. Verum, inquiet aliquis, *lucus* ipse conspectum Capitolii oculis adimebat, objectis arboribus. Leve hoc. *Lucus* ille tam grandis non fuit, ut universum populum continere potuerit: nec inter arborum impedimenta haberi concilium, exercerive judicium potuit: &, ut id concedatur, cur Livius addidit, *extra portam Flumentanam*, qua jam pridem exitum fuerat? Verba sane historici necessario indicant, sequenti die alia egressum ex Urbe porta, quam priore; adeoque diversa a *Flumentana* ad *lucum* itum Pœtilinum, quo concilium indictum fuerat. Quare pro *Flumentana Numentanam* repono, errorem ex affini literarum *N* & *Fl* ortum conjiciens. Porta vero Numentana a Capitolio remotissima fuit, duxitque in eum locum, cui agger Servii Tullii omnem Capitolii, cæterorumque Urbis collium conspectum adimebat. Rursus objici poterit, quum *lucus* Pœtilinus in Esquiliis fuerit, cur porta Numentana exitum fuerit, quæ in colle Quirinali erat: cur non potius e viciniore? Verum e foro, unde magistratus, & populus Romanus ad concilium ibant, Numentana cæteris omnibus commodior erat, & propinquior. Et hæc *luci* Pœtilini vicinitas ad portam Numentanam mihi persuasit, ut eum non in Esquilino fuisse existimem, sed in Viminali; ita tamen, qua hic Esquilino proximus. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 4. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* VII. 7.

Lucus Querquetulanus forte fuit trans ædem S. Johannis Lateranensis, vicinus portæ Querquetulanæ sine dubio in ea Esquiliarum declivitate, quæ Ecclesiæ S. Crucis in Hierosolymis objecta est. Animum hic adverto, Varronem, quum de *lucis* tantum Esquilini montis loqui velle videatur, inter eos non *lucum*, sed *sacellum* nominare *Querquetulanum.* Quod mihi certissimum indicium videtur, sacellum solum in Esquiliis fuisse; *lucum* vero in vicinia quidem, sed in monte Cœlio. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2.

Lucus, Remoria qui dicebatur, erat in montis Aventini summo, ubi Remus de Urbe condenda fuerat auspicatus. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 277. *F.*

Lucus Rubiginis fuit extra portam Viminalem. In eo canis

canis & ovis immolabantur inclinante Aprili, canis cani cœlesti, Rubigini ovis: illi, ne segetes exureret: huic ne exederet. Testis Ovid. Fast. IV. 905. V. illum infr. in *Robigalia.* Donat. de Urb. Rom. I. 19. Nardin. Rom. Vet. IV. 4: VI. 10.

Lucus Vestæ fuit ad radicem Palatini montis, sed ita, ut ad viam novam protenderetur. Cicer. de Divin. I. 41. *A luco Vestæ, qui a Palatii radice in novam viam, custodiamque sacrorum devexus est.* id est, in occidentali Fori latere, ab ea lateris extremitate disjuncto, quæ sub Palatio erat versus viam novam, custodiamque sacrorum, nempe versus templum Vestæ, quod in introitu viæ novæ fuisse indicatur. *Nardin. Rom. Vet.* V. 5.

LUD.

LUDERE erat verbum arenæ. Et gladiator dicebatur *ludere*, cujus petitionem vitabat. Prudent. contr. Symm. I. 653.

> *Nam, si nostra fides seclo jam tuta quieto*
> *Viribus infestis hostilique arte petita est,*
> *Cur mihi fas non sit lateris sinuamine flexi*
> *Ludere venti, et jactu percunte sagittas?*

Lipf. Saturn. II. 20. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Chamillard. in Prudentium. Cerda in Virg. Æneid. V. 438. Thys. de Gladiat. p. 233.

Ludere, ut loquitur Suet. Ner. c. 35. n. 14. *ducatus, & imperia:* vel *fingere*, ut Treb. Poll. Gallien. c. 4. *per ludicras potestates*, familiare fuit pueris. Spartian. Sever. c. 1. *In prima pueritia nullum alium ludum, nisi ad judices exercuit: cum ipse prolatus fascibus, ac securibus, ordine puerorum circumstante, judicaret.* Senec. de Constant. c. 12. *Quod illi*, pueri, *inter ipsos magistratus gerunt, & prætextam, fascesque, ac tribunal imitantur.* Plutarch. Catone: *Rursus, cum ex cognatis aliquis ad cœnam natalitiam, tum alios pueros, tum Catonem ipsum accivisset, dum cœnam præstolantur, in ædium quapiam parte ludere incipiunt, majores promiscue cum natu minoribus: lusus vero hic erat, jocularia quædam judicia, accusationes, damnatorumque comprehensiones.* Semper hoc feri ingenii, & nati ad magna habitum est indicium: cujus rei triste exemplum narrat ibi Suetonius. *Faber Semest.* I. 6. *Casaub. in Spartianum. Lips. in Senecam. Torrent. in Suetonium.*

Ludere naves dicuntur. V. infr. in *Naves lusoriæ.*

LUDICRA varia Romæ in campo Martio exercebantur. In illo enim fere schola erat militiæ Romanæ, ubi juventus ad palum omni genere armorum, & quidem veris duplo gravioru‍m exercebatur, caput petendo, lateribus insidiando, poplites succidendo, insiliendo, punctim potius quam cæsim feriendo, & interim tamen sese assiduae protegendo, item jaculando. Pars ibi tyronum pilis, lapidibus, sagittis, manu, funda, arcu jaculandis exercebatur. Tum vero saltu fossæ latitudinem, aut valli altitudinem superare, præcipue autem cursu locum occupare, fugientem assequi consuescebat. Erant etiam equi lignei in campo, ut insilire, desilire, dextra, læva, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret, verum etiam equos domaret, & futuris prœliis assuefaceret. *Morestell. Pomp. Feral.* V. 3.

LUDII, sive *ludiones erant pueri puberes, elegantibus tunicis induti, galea insuper, & ense, & parma armati, qui circensibus, & theatralibus pompis ordine incedere soliti, velut pompæ duces, Saliis similes.* Dionys. II. p. 130. *Turneb. Adv.* VI. 26. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Circ. c.* 38. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 7. Ad horum saltationem respiciens Plaut. Curc. I. 2. 60. ait

> *Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens,*
> *Fite causa mea ludii barbari,*
> *Subsilite obsecro.*

Quia vel impuberes erant, vel saltem videri debebant, idcirco qui grandiusculi, & jam vesticipes erant, pilis evulsis leves, ac glabri reddebantur. Hinc Plaut. Aul. II. 9. 5.

> —— *tu istum gallum, si sapis,*
> *Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludius est.*

Græcis dicuntur ὀρχησταὶ, & χορευταί. *Voss. Lex. Etymol. Casal. de Trag. c.* 2. Ex Etruria acciti venerunt Romam. V. Livium supr. in *Histrio.* Ovid Art. Amand. I. 111.

> *Dumque rudem præbente modum tibicine Tusco*
> *Ludius æquatam ter pede pulsat humum.*

Barthol. de Tib. vet. II. 11. Blond. Triumph. Rom. II. p. 47. A. Ciaccon. de Triclin. p. 75. Fab. Agon. I. 29. Antiocho victo conviviis fuerunt adhibiti. Liv. XXXIX. 6. V. illum supr. in *Cocus.* Buleng. de Conviv. III. 30. Barthol. & Ciaccon. l. l. In funeribus indictivis lectum mortui præcesserunt. Dionys. VII. p. 477. *Quinetiam in illustrium virorum funeribus præter alias pompas vidi & satyricos choros, qui lectulum præcedebant, & sicinnem saltationem saltabant: præcipue vero in fortunatorum virorum funeribus.* Kirchman. de Fun. Rom. II. 7. Morestell. Pomp. Fer. II. 18. Etiam in pompa triumphi sunt adhibiti. Appian. Libyc. p. 35. *Lictores in triumpho coccinati viam Imperatori præeunt, & chorus citharœdorum & tityristarum, in speciem Tyrrhenicæ pompæ, cincti balteis, & corona aurea tecti, æquo passu ingrediuntur ordine cum carmine & saltatione. Horum autem aliquis in medio purpuram talarem gerens, & viriolas, & torques aureos, varie ad risum formatur, illudens hostibus.* Bulenger. de circo c. 38.

LUDUS vocabatur celebritas publica in cavea, aut circo, religionis causa facta, & ad populi voluptatem. Illorum origo est a Lydis. Tertull. de Spectac. c. 5. *Ludorum origo sic traditur, Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat in regni contentione. Igitur in Etruria inter ceteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instituunt. Inde Romani accersitos artifices mutuantur, tempus, enunciationem....* Dionys. II. p. 130. *Ludicro, ut videtur, a Lydis invento.* Voss. Lex. Etymol. *Lydi*, ut scribit Herodot. I. c. 94. *ipsi ajunt se ludos invenisse, qui etiamnum apud Græcos cum illis communes sunt: simul autem hæc invenisse, & in Tyrrheniam colonos deduxisse. Id quod hunc in modum accidisse referunt. Tempore Atyis Manis Regis filii, annonæ difficultatem per universam Lydiam valde grassatam esse, & initio quidem Lydos vitam assiduis laboribus tolerasse, postea vero, quum non cessaret malum, remedia quæsivisse, & alium aliud excogitasse. Tum igitur inventum ab iisdem tesserarum & talorum ludum, & pilæ, cæterorumque ludorum omnium genera, præterquam calculorum. Ad famem discutiendam, altera quidem dierum in totum lusibus occupatos fuisse, ne videlicet ciborum quærendorum solicitudine distorquerentur: altera vero lusibus abstinentes, vesci consuevisse.* Buleng. de Lud. vet. c. 1. Souter. de Aleat. I. 18. Senftleb. de Alea vet. c. 3. Calcagn. de Talor. lud. præfat. *A primordio bifariam censebantur, sacri & funebres, id est, diis nationum, & mortuis.* Tertull. ibid. c. 6. Qui in deorum honorem, duorum illi generum præcipue fuerunt, Circenses, aut Scenici. Atque illi quidem varii: ut Megalenses, Seculares, Latiales, & cæteri, quorum plerique Circenses magni, & Romani dicti sunt. Omnes vero aut stati erant, imperativi, repentini, honorarii, aut votivi. Illique rursus aut publici, aut privati. Publici diis solum communes; privati in honorem fiebant magistratuum, aut mortuorum. *Ludorum celebrationes deorum festa erant, qui quidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes sunt constituti.* Lactant. VI. 20. Hos omnes sictos esse voluerunt, & inter religionis officia deputari. Nec enim *ludus* sine sacrificio, & merito exclamat Tertull. ibid. c. 7. *In ludis quanta sacra, quanta sacrificia præcedunt, intercedunt, succedunt?* Guther. de Vet. jur. Pontif. III. 18. *Ludorum* dies eo processerunt, ut annales fere indixerint ferias mutuo concursu. Scenici primum per quatriduum facti Q. Fabio & M. Claudio Coss. post cladem Cannensem. Liv. XXIV. 43. *Ludos Agrippa in ædilitate undesexaginta diebus fecit.* Plin. XXXVI. 15. Trajanus confecto Dacico bello *per centum & viginti tres dies* Romæ ludos edidit, quod factum est Decebalo Rege devicto. Xiphil. LXVIII. p. 777.

p. 777. C. Ut vero dies innumeri, sic sumptus immodici. Liv. xxxix. 5. *Triumphus M. Fulvio est decretus. Is cum gratias patribus conscriptis egisset, adjecit ludos magnos se Jovi optimo maximo eo die, quo Ambraciam cepisset, vovisse. In eam rem sibi centum decem pondo auri a civitatibus collatum. Petere, ut ex ea pecunia, quam in triumpho latam in ærario positurus esset, id aurum secerni juberent. Senatus pontificum collegium consuli jussit, num omne id aurum in ludos consumi necesse esset. Quum pontifices negassent ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos fieret; senatus Fulvio, quantum vellet impenderet, permisit, dum ne summam octoginta millium excederet.* De pecunia tandem Scto sancitum apud Liv. xl. 44. *Ne major causa ludorum consumeretur, quam quanta Fulvio Nobiliori post Ætolicum bellum ludos facienti decreta esset: neve quid ad eos ludos arcesseret, cogeret, acciperet, faceret, adversus id SCtum, quod L. Æmilio, Cn. Bæbio coss. de ludis factum esset. Decreverat id senatus propter effusos sumptus factos in ludis Ti. Sempronii ædilis, qui graves non modo Italiæ, ac sociis Latini nominis, sed etiam provinciis externis fuerant.* Guther. ibid. c. 19. De illis universe Lactant. vi. 11. *Quid dicendum est de iis, qui levitate populari ducti, vel magnis urbibus suspiciendas opes exhibendis muneribus impendunt.* Ambros. Serm. 81. *Magistratus in theatris, mimis, & athletis, gladiatoribus, aliisque hujusmodi generibus hominum totum patrimonium suum largitur, & prodigit, ut unius horæ favorem vulgi acquirat.* Qui merito damnarunt damnosam hanc insaniam, & quæ privatos homines bonis per *ludum* exuit; Principes ipsos attenuat, & delibat. *Lips. de Magn. Rom.* ii. 11. *Thys. de Magnit. Roman.* ii. p. 266. Duo genera magistratuum dedisse *ludos* invenio, ædiles scilicet curules, & prætores. Cicer. Verr. v. 14. *Nunc sum designatus ædilis: scio mihi ludos sanctissimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero Liberæque faciundos: mihi Floram matrem populo plebique Romano ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciendos.* Et Plutarch. Cæs. p. 709. E. Cæsarem in ædilitate sua munificentia sumptuosa circa spectacula, atque convivia factum apud plebem favorabilem ait; idemque significat Suet. c. 10. n. 1. scribens Cæsarem *ædilem exornasse comitium, Capitolium, & basilicas*: nam & hoc erat officii ædilium, ut in ludorum editione forum, & comitium signis, ac tabulis pictis exornarent. Ascon. in Cicer. p. 86. *Ædili, atque prætori Hortensio, & item Metellis, rapta ex provinciis signa ad ornandum forum, & comitium commodaverat Verres. Olim enim, cum in foro ludi populo darentur, signis, ac tabulis pictis partim ab amicis, partim e Græcia commodatis utebantur ad scenæ speciem, quia adhuc theatra non fuerant.* Plin. xxxv. 15. *Lacedæmone quidem excisum lateritiis parietibus opus tectorium propter picturæ excellentiam ligneis formis inclusum Romam deportavere in ædilitate ad comitium exornandum Muræna & Varro.* Etiam in ludis faciendis magnum adhibebant, & apparatum, & sumptum in vestibus, ac tabulis pictis comparandis. Plin. xxxvi. 15. In spectaculis, *quæ M. Scaurus in ædilitate sua fecit, apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfuerant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur ad H. S millies.* Lips. de Magistrat. Roman. c. 13. Mod. de Lud. & spect. ii. 16. Lycklama de Magistrat. c. 5. Buleng. de Theatr. i. 10. Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. ii. 15. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Cum ædiles plebeji negarent se pares esse tot impensis in ludis faciendis, quos edi volebant patres, curules primo fuerunt ad ædilitatem producti. Liv. vi. 42. Hisce ergo *ludis* illi quoque præerant, eos ordinabant, ac præmia victoriæ, in scena reportatæ histrionibus dabant. Plaut. Amphit. Prolog. 73.

Sive adeo ædiles perfidiose quoi duint.

Suis sumptibus dedisse prætores declarant Plutarchus & Dio laudati supr. in *Gladiator.* Lycklama l. l. Lips. de Magistrat. Roman. c. 11. Duobus modis prætor in theatrum *ludorum* causa solebat prodire: aut designatus, & necdum nuncupatus, tanquam candidatus: aut designatus, & nuncupatus, tanquam magistratus. Tanquam candidatus ludos populo sumptibus suis exhibens: tanquam magistratus editionem spectaculorum præbens. Liv. xxv. 12. *In ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo, plebique dabit summum.* Prætorem habitu triumphali ludis circensibus præsedisse auctores sunt Servius, & de spectaculis Tertullianus. Ludis piscatoriis præerat. Fest. V. illum in *Ludi.* Et sane prætorem *ludis* præsedisse adeo verum est, ut virginibus Vestalibus locum *contra prætoris tribunal* Augustus dederit. Suet. Aug. c. 44. n. 7. *Ravard. Conject.* i. 6. Hoc patet etiam ex ritu mappæ mittendæ in signum *ludorum* committendorum. Fiebat enim id ludis a prætore. V. Infr. in *Mappa.* Lycklama l. l. Inclinante jam imperio transiit hic mos edendi *ludos* ad alios cum divinos, tum humanos magistratus. V. illos suis locis. *Mod. de Lud. & spect. vet.* ii. 16. Augustus terdecies consul, illo magistratu *ludos* dare coactus est more, & lege. *Lips. Elect.* ii. 17. Quæro, qua lege, aut more, stante Republica coacti sint coss. *ludos* dare? aut quo jure Augustus Imperator. Hujus sententiæ adstipulatorem novi neminem. Et consulum hoc muneris ob magistratus honorem nullus lego. Nam quos secundo consulatu dedit Pompejus, illi fuerunt ob theatri dedicationem. Consules certe sub Imperatoribus Romæ, ut proconsules in provinciis, vel etiam magistratus municipales suis sumptibus dederunt *ludos*, atque eos post Augusti tempora cum novis legibus essent obstricti. *Guther. l. l.* Fecerunt & Imperatores. Suet. Aug. c. 43. n. 1. *Fecisse ludos ait, Augustus suo nomine quater;* (sed de hoc numero contendunt Lips. Elect. & de Magnit. Rom. l. l. & Guther. l. l.) *pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent ter & vicies.* Ovid. Trist. ii. 509.

Inspice ludorum sumptus Auguste tuorum:
Empta tibi magno talia multa leges.

Et non tantum Romæ, sed in provinciis, & municipiis. Suet. Cal. c. 20. n. 1. *Edidit Cajus & peregre spectacula, in Sicilia Syracusis asticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos.* Guther. ibid. c. 19. Mod. & Argol. l. l. Pitisc. in Suetonium. Vovebat magistratus ad bellum iturus, Sibyllinis versibus, auguriisve inductus, qui devictis hostibus Romæ fiebant. Quomodo hi voverentur, quibusque sollennitatibus, est videre apud Liv. xxxix. 7. Inter eos fuerunt *ludi magni* in honorem Jovis a Q. Fabio Maximo dictatore pro victoria de Carthaginensibus habita *voti, æris trecentis triginta tribus millibus, trecentis triginta tribus, triente....* Liv. xxii. 10. Hique quinquennales erant. Item decennales, & vicennales, qui decimo, vel vicesimo imperii anno fiebant. *Tomas. de Donar.* c. 4. Republica oppressa Imperator solebat præsidere. Augustus apud Suet. c. 45. n. 2. *Spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat petita venia, commendatisque, qui suam vicem præsidendo fungerentur.* Domitianus apud Suet. c. 4. n. 11. *Certamini præsedit crepidatus.* Commodus apud Herod. i. 9. 7. *Quum nobilissimis scenicis operam daret, præsidens Imperatoria sella Commodus.* Buleng. l. l. Pitisc. in Suetonii Augustum. Ludos Romani antiquitus stantes spectabant. De fabula a Pacuvio data Cicer. de Amic. c. 7. *Stantes plaudebant in re ficta.* Tacit. Annal. xiv. 20. 3. *Si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse.* Qui & addit rationem hujus ritus: *si consedisset, theatro dies totos ignavia continuaret.* Imo, ut Val. Max. ii. 4. 2. *Sancitum est, ne quis in Urbe, propiusve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet.* Qui & hanc subjungit rationem: *ut remissioni animorum juncta standi virilitas propria Romanæ gentis nota esset.* Postea sedilia in illis sunt disposita, ut illos commodius intuerentur. Suet. Aug. c. 43. n. 1. *Ludos fecit non in foro modo, nec amphitheatro, sed in circo, & in septis. Athletas exstructis in campo Martio sedilibus ligneis.* Donat. de Urb. Rom. iii. 7. Pitisc. in Suetonium. Et coronati, & ad illos omnis ætas & sexus admittebatur. Quamvis autem theatri, circi, campus, singulares quæque ac proprios *ludos* haberent, & exercitationes cuique

loco accommoditas, tamen eadem sæpe omnibus in locis peracta sine discrimine fuerunt. Nam, ut de circo dicam, in eo cursores, pugiles, luctatores, gladiatores, confectores ferarum versabantur: in eo bigarum, quadrigarumque cursus, & *ludi* tauriles, & ferarum venationes, & equestria, ac pedestria prælia exhibebantur: id quod Plinius, Suetonius, Ovidius, & Horatius testantur. Introducti etiam sunt mimi, saltatores, citharœdi, histriones, funambuli, qui in theatris solebant agere frequentius. Contra in theatro navale prælium edidit Domitianus. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 12. Et in albis vestibus. Martialis laudatus supr. in *Lacerna.* Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 20.

Ludi Actiaci instituti sunt ab Augusto Cæsare post devictum Antonium, & partam victoriam apud Actium promontorium. Suet. Aug. c. 18. n. 3. *Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosque illic quinquennales constituit.* Dio LI. p. 442. *Eadem die Cæsar Apollini, qui apud Actium colitur, ludos musicos, & gymnicos, & certamen equestre sacro quinquennali consecravit, Actios illos ludos dicens.* De his Strabo: *Neque vero hi ludi Nicopoli tantum, sed & Romæ fuerunt celebrati.* Sic enim Dio LIII. p. 496. D. *Ludos propter Actiacam victoriam decretos cum Agrippa exhibuit, & in iis equestre certamen per pueros, & viros patricios peregit: iique deinceps ad nostram usque ætatem ludi quinto quoque anno facti sunt, eorumque cura in quatuor sacerdotum collegiis per ordinem incumbit, pontificibus nimirum, auguribus, septemviris, & quindecimviris. Gymnici quoque ludi, stadio in campo Martio exstructo ligneo, acti sunt, & munus gladiatorium depugnantibus captivis exhibitum.* Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p. 264. Turneb. Adv. XIV. 17: XVIII. 5. Multo tempore ante Augustum fuere celebrati. Strabo: *Actia quoque ipsi deo prius, & a finitimis celebrabantur, & certantibus coronæ proponebantur, hoc autem ætate Cæsar Augustus honorificentius edidit, siquidem trieterici ludi solebant hic celebrari; Augusti vero ætate quinquennales.* Nonn. in Goltz. Græc. p. 24.

Ludi agonales dicebantur, quod hostia in illis mactata diceretur agonia, vel quod montes agones dicerentur. Tiberi inundante circensem plurimi ad portam agoniam, sive agonensem dabantur. *Donat. de Urb. Rom.* I. 19. *Marlian. Topogr.* I. 8.

Ludi Apollinares in honorem Apollinis ex monitu carminum Martii vatis primum ex Sto celebrati sunt an. ab U. C. 542. Liv. XXV. 12. Macrob. Sat. I. 17. *Tum alterum carmen recitatum, n. Martii vatis. Hostem Romani si expellere vultis, vomicamque, quæ gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos: qui quotannis comiter Apollini fiant. Iis ludis faciendis præsit prætor is, qui jus populo plebeique dabit summum. Decemviri Græco ritu hostiis sacra faciant. Hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior: nam is divus exstinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascunt placide. Ad id carmen explanandum diem unum sumpserunt. Postero die SCtum factum est, ut decemviri libros de ludis Apollinaribus, reque divina facienda inspicerent. Eis cum inspecta, relataque ad senatum essent, censuerunt patres Apollini ludos vovendos, faciendosque: & quando ludi facti essent, duodecim millia æris prætori ad rem divinam, & duas hostias majores dandas. Alterum SCtum factum est, ut decemviri sacra Græco ritu facerent, iisque hostiis Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ bove femina aurata. Ludos prætor in circo maximo cum facturus esset, edixit, ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret. Hæc est origo ludorum Apollinarium victoriæ, non valetudinis ergo, ut plerique rentur, votorum. Festosque populus coronatus spectavit: matronæ supplicavere: vulgo apertis januis in propatulis epulati sunt: celeberque dies omni ceremoniarum genere fuit.* Taffin. de Lud. secul. c. 8. Siccam. in Fast. Kalend. c. 13. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 839. C. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 8. Ortel. Deor. & dear. cap. I. 7. Mod. de Lud. & spectac. vet. II. 17. Perion. de Græc. & Rom. magistr. III. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2806. Manut. de Leg. Rom. c. 3. Pigh. Annal. Rom. II. p. 177. Caroli Antiq. Roman. II. 5. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1093. F. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 14. Blond. Triumph. Rom. II. 47. C. Hos jam pridem Græci habuerant, & in Parnasso monte sub nomine Pythiorum celebraverant, quæ a nomine perdomitæ serpentis nominata fuisse testatur Ovid. Met. I. 445.

> *Neve operis famam possit delere vetustas,*
> *Instituit sacros celebri certamine ludos,*
> *Pythia de domitæ serpentis nomine dictos.*

Ortel. & Mod. l. l. Fuerunt primum indictivi, deinde voti & facti sunt in statum diem, qui est ante III. Non. Quintil. Liv. XXVI. 23. *Ludi Apollinares & priore anno fuerant, & eo anno ut fierent, referente Calpurnio prætore, senatus decrevit, ut in perpetuum voverentur.* XXVII. 23. *Ludi Apollinares Q. Fulvio, Ap. Claudio coss. a P. Cornelio Sulla prætore Urbis primum facti erant: inde omnes deinceps prætores urbani fecerant: sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in Urbem, agrosque: quæ tamen magis in longos morbos, quam in perniciales evasit. Ejus pestilentiæ causa, & supplicatum per compita tota Urbe est, & P. Licinius Varus prætor Urbis legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statum diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit, fecitque ante diem* III. *Non. Quintil. Is dies deinde sollennis servatus.* Manut. Perion. Mod. Siccam. Laz. l. l. Nardin. Rom. Vet. VI. 2. Ursat. ibid. p. 553. B. & l. l. In circo celebrabantur. Zosimus *Conscenso Capitolio ad constructum inde theatrum progressos Apollini ludos fecisse* scribit II. 5. sed intelligit theatrum in circo. *Taffin. l. l. Borrich. Ant. Urb. fac. c.* II. *n.* 2. Illis carbasina vela in theatro duxit primus Lentulus Spinther. V. infr. in *Velum.* Illorum curam habebant quindecimviri. V. infr. in *Quindecimviri.*

Ludi Astyci erant scenici, instar eorum, qui in ἄστει Athenis. Omnino ἀστυκοὶ ἀγῶνες sunt Græci instituti, ut ne mireris, quare ἀστυκοὶ ἀγῶνες in urbe Græciæ Syracusis a Caligula instituti. Philostr. Icon. I. p. 723. C. *Erat quidem apud Neapolitanos hoc certamen. Erat enim in Italia condita, Græci genere, atque Athenienses: unde & orationis studio Græcanici sunt.* Ergo ἀστυκοὶ Ἑλληνικοί, & *ludi* astyci ἑλληνίζοντες, qualia omnino τὰ ἐν ἄστει Διονύσια. Suet. Cal. c. 20. n. 1. laudatus supr. in *Ludus.* Scalig. de Emend. temp. V. p. 479. Epist. 37. Ego interpretor urbanos, quod sint etiam *ludi* rustici: vel potius Atheniensium *ludos*, quorum urbs astu dicebatur. In pervetustis quibusdam libris Suetonii legitur Attici. Quod si quis illos malit, e consuetudine Atheniensium explicabit, qui liberalibus, lenæis, chytris, & panathenæis, id est, quinquatribus *ludos* scenicos dabant. Actiacos legunt plerique interpretes. Et illos ab illis probatos vix ausim improbare, malimque legere: cum præsertim etiam in Italia celebrabantur. Auson. Eidyll. X. 208.

> *Tales Cumano despectat in æquore ludos*
> *Liber, sulphurei cum per juga consita Gauri,*
> *Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi:*
> *Cum Venus Actiacis Augusti læta tropæis*
> *Ludere lascivos fera prœlia jussit amores*
> *Qualia Niliacæ classes, Latiæque triremes*
> *Subter Apollineæ gesserunt Leucados arces.*

Turneb. Adv. XIV. 17: XVIII. 5: XXVIII. 20. Torrent. in Suet. Cal. c. 20. n. 1. Sed ego non video, cur Actiacos legendum quis existimet. Quum enim quinquennales Actiaci *ludi* essent. V. Suetonium supr. in *Ludi Actiaci*, non utique reticuisset Suetonius Caligulam Syracusis Actiacos celebrasse, quum statutum tempus celebrandi eos advenisset, nec ipse Romæ esset, sed in Sicilia. Addamus ex eodem loco, Augustum post Actiacam victoriam urbem Nicopolim apud Actium condidisse, ludosque illic constituisse. Quamobrem quum Syracusana urbs non multum distet ab Actio promontorio, non utique Caligula in spectaculorum editione profusissimus ludis consuetis Syracusanum populum, & insulares Siculos oblectare

cle-

vegaffet. Amplius quum ex c. 23. n. 3. habeamus, Caligulam *Augusti ipse luctuose Actiacas victorias, ut funestas populo Romano, & calamitosas vetuisse sollennibus feriis celebrari*, quis affirmare poterit Actiacos *ludos*, qui in Actiacæ victoriæ memoriam celebrabantur, Syracusis editos? Nec minus censendum Atticos, vel Alticos legendum: quum enim apud Græcos potissimum quatuor spectaculorum genera exhiberi solita apud scriptores omnes observemus, Olympica, Isthmia, Pythia, & Nemea, profecto non ita generice Suetonius, alioquin exacte diligens in scribendo, *ludos* Atticos appellasset. *Donat. in Caligulam.* Rationi magis consentaneum, quod hasticos dixerit ab hasta, sicut gladiatores dicti a gladio, quibus paria pugnantium in spectaculis publicis invicem dimicabant. Hastis enim simulacro quodam belli celebrabantur, ut sese Romana pubes exerceret. Exemplum sumo ex Athenæo. Hic lib. 1. de cœnis sophistarum, sic inquit: *Sphæra vero, sive pila ludunt non tantum viri, sed & mulieres, & discis, & hastis quadam corporis symmetria utebantur.* Luisin. Parerg. III. 28. Donat. l. l. Antiqua lectio *ludos* hosticos scriptos habet. Quæ quomodo explicari possit, non video. Hostici nomen Latinitas admittit. Plaut. Capt. II. 1. 49.

Servitium commune, quod hostica evenit manu.

Ego interpretor πολεμίας, quos militares Capitol. duob. Maximin. c. 2. *Guther. de Vet. jur. Pontif.* III. 19. Ego legendum censeo sclasticos. Selastici autem ludi sunt Suetonio, ut & in antiqua inscriptione Malpheni apud Gruterum, qui Plin. Epist. x. 119. 1. dicuntur Iselastici, sicut illa ætate dicebatur Spania, quod etiamnum obtinet pro Hispania. Iselastici *ludi* vero sunt *ludi* facri, ut Olympiaci, Nemei, & qui ad eorum rationem instituti sunt. *Græv. in Suetonium.*

Ludi Augustales sunt dicti de Augusti nomine. Tacit. Annal. I. 15. 3. *Inter quæ tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur.* Quod pro *vocantur* est positum. Non enim ex eo demum tempore fastis sunt additi, & nomen id acceperant: acceperant hoc jam pridem; quartum nempe atque vigesimum ante annum. Eorum originem reperio an. 735. cum ex Græcienti, & Sicula peregrinatione redux Augustus, passus est inter alios honores, *Fortunæ reduci aram sacrari, & diem, qua redierat, in fastis scribi, & Augustalia dici.* Dio LIV. p. 527. D. Ex decreto senatus instituti sunt octennio posterius Ælio Tuberone, Paullo Fabio Coss. Dio ibid. p. 545. A. *Augustalia, quæ & nunc celebrantur, tunc primum ex SCto acta sunt.* Celebrabantur IV. Eid. Octobr. Kalend. vet. Roman. IV. *Eid. Octobr. Augustales.* Lambec. in Kalendarium vetus Romanum. Lips. in Tacitum. Jun. Fast. ad Octobrem.

Ludi Capitolini sunt instituti a Romanis ob Capitolium ab hostibus Gallis Senonibus servatum. Liv. v. 50. V. illum supr. in *Capitolini.* & c. 52. *Capitolinos ludos sollennibus aliis addidimus; collegiumque ad id novum, auctore senatu, condidimus.* Mod. de Lud. & Spectac. II. 17. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. p. 263. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 15. Illis *præconis voce proclamabant Sardianos venales, & senex quidam ludibrii gratia producebatur bullam collo appensam gerens puerilem: quia Vejentes Etruscorum populus per longum tempus Romulo bello restiterunt, hancque is ultimam urbem cepit, multosque captivos sub hasta vendidit una cum ipsorum Rege, futilitatem ejus, & stultitiam deridens; nam Etrusci a Lydis originem trahunt, Lydorum primaria urbs Sardes. Ideo Vejentes Sardianorum nomine proclamant, & in hunc usque diem ludicri gratia morem istum conservant.* Plutarch. Quæst. Roman. 52. *Erasm. Adag.* p. 100. b. *Hospin. l. l.* Et poetæ decertabant. Recitasse vero in bibliotheca Capitolina perquam probabile existimo: non tam quod id innuat Stat. Sylv. III. 5. 31.

— tu cum Capitolia nostræ
Inficiata lyræ, sævum, ingratumque dolebas
Mecum victa Jovem.

v. 5. 231.

Nam quod me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit sperata meis honos, cum dulce parentis
Invida Tarpejis caneret te nostra magistro
Thebais.

Verum quod nulla aptior esset ad hoc certamen bibliotheca, quam Capitolina a Domitiano restituta, iisque iis ludis, quos ipse in honorem Jovis Capitolini instituerat. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13. Hos, & Tarpejos eosdem fuisse voluit Piso. Tertull. de Spectac. c. 5. *Romulus Jovi Feretrio ludos instituit in Tarpejo, quos Tarpejos dictos, & Capitolinos Piso tradidit.* Sed Tarpejos Romulus Jovi Feretrio instituit: **Capitolini a M. Furio Camillo primum facti.** *Guther. de Vet. jur. Pontif.* III. 18.

Ludi castellati erant, cum pueri castella chartis efficerent. Meminit Capitol. in Gallien. c. 16. referens hunc *de pomis castella composuisse.* Qui adhuc mos ea ætate manet. *Mod. de Lud. & Spectac.* II. 28.

Ludi Castoris & Pollucis bello Latino voti sunt ab A. Postumio dictatore. Dionys. VI. p. 343. *Tum Postumius laudata eorum alacritate, votisque factis, si felix pugnam sequatur exitus, sacra se diis facturum magnifice, ludosque instituturum splendidos, quos Romani quotannis agerent, dimisit militem ad suos ordines.* VII. p. 475. *Ludos hos decrevit senatus Romanus, ut & supra dictum est, ex voto A. Postumii dictatoris, quod is bello Latino fecerat, cum signa cum Latinis collaturus esset, qui violato fœdere defecerant, & Tarquinium in regnum reducere volebant: & in horum impensas quotannis assignavit argenti minas quingentas: quod observatum est usque ad bellum Punicum. Per eos dies festos tum alia multa more Græcanico agebantur, circa mercatus, & excipiendos hospites, & communes inducias. Pompa sacrificiorum, & ludorum ratio erat hujusmodi. Priusquam ludorum inirentur certamina, viri penes quos summa erat potestas, pompam diis a Capitolio per forum deducebant in circum maximum; in qua præibant illorum filii pubertati proximi, qui jam per ætatem pompæ interesse possent; equisque invehebantur ii quorum patres in equitum censu erant: cæteri pedites incedebant, qui aliquando in pedestrem militiam accensendi essent; illi per alas, & turmas distincti: hi per classes, & ordines distributi, perinde acsi ludum literarium peterent; ut cernerent hospites, quam insignis forma, & numero pubes brevi in virilem ætatem transitura esset. Hos sequebantur quadrigarii, bigarii, & injugum equorum agitatores: post quos athletæ graviorum, & leviorum certaminum.* . . . Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. p. 194.

Ludi castrenses erant, qui in castris in statione a militibus manentibus castrensi more edebantur. Suet. Tib. c. 72. n. 6. *Ac ne quam suspicionem infirmitatis daret, castrensibus ludis interfuit non solum, sed etiam missum in arenam aprum jaculis desuper petiit.* Torrent. in Suetonium. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 24. Mod. de Lud. & Spect. II. 24. Rosin. Antiq. Roman. V. 25. Illis milites olim cum bestiis pugnando ad humanas se cædes edebant paratiores. Tiberius aliquando transtulit Circejos. Suet. n. 5. *Quo paullum levatus Circejos pertendit.* . . . Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. n. 1. Nardin. Rom. Vet. IV. 2.

Ludi Cereales. V. illos supr. in *Cerealia.*

Ludi circenses. Illos apud Eleorum deorum monitu Eleorum Rex Oenomaus, & Pelops Tantali Phrygum Regis filius instituerunt. Quum Oenomaus Pisæ Rex ab oraculo didicisset, se tunc moriturum, quum ipsius filia nupsisset, multis illam petentibus, proposuit certamen, quo victus interficeretur, victor filiam duceret uxorem. Curule autem ad Neptuni aram in Isthmo Corinthiaco certamen instituit: & quum plures equorum, quos pernicissimos habebat, velocitate superasset, victosque occidisset, Pelops tandem curuli certamine congressus, equorum pernicitate vicit Oenomaum, abduxitque ex pacto uxorem Hippodamiam. Ita Pausan. Eliac. II. p. 200. Idem ostendit Sidon. Carm. II. 491.

Græcia, ni pudor est, reparatis ipsa quadrigis
Suscitet Oenomaum, natæ quem fraude carentem
Cerei destituunt resolutis axibus orbes.

XIV. 12.

Non hic Oenomai cruenta circo
Audit pacta Pelops, nec inſequentem. . . . .

XXIII. 390.

Quantum auriga ſuos ſolebat ille
Raptans Oenomaum tremente Piſa,
Tantum tu rapidos teris jugales.

Alii eorundem originem ad Herculem referunt; qui dum apud Elidem luderet, fratribus ſuis Pœoneo, Epimedi, Julio, & Idæ curſus certamen propoſuit, victorque, ſe tunc primum quum oleaſtri corona redimiri voluiſſet, id ludicrum inſtituit. Stat. Theb. VI. 5.

— *primum Piſæa per arva*
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereumque fera crinem deterſit oliva.

Ubi Lactantius: *Primus Hercules hunc honorem habuit manibus Pelopis, qui erat Herculi per Alcmenam genere conjunctus.* Quod poſtea Romulus, ut multa alia a Græcis mutuatus, in raptu Sabinorum edidit. Caſſiod. Var. III. 51. *Primus hoc apud Elidem Aſiæ civitatem*, hoc male, fuit enim Græciæ civitas in Peloponneſo, *Oenomaus fertur edidiſſe: quod poſtea Romulus in raptu Sabinarum, nec dum fundatis ædificiis, ruraliter oſtentavit Italiæ.* Val. Max. II. 4. 4. *Circenſe ſpectaculum primus Romulus raptis virginibus Sabinis Conſualium nomine celebravit.* Quod etiam videtur innuere Virg. Æneid. VIII. 635.

Nec procul hinc Romam, & raptas ſine more Sabinas
Conſeſſu caveæ magnis circenſibus actis
Addiderat.

Qui dum *circenſes* appellavit, ad ſua reſpexit tempora. Nam ante Priſci Tarquinii regnum, a quo circus his edendis inſtructus fuit. V. ſ. pr. in *circus maximus*, jam inde a Romuli tempore conſuales dicebantur, & magni. V. infr. ſuis locis. *Panvin. de Lud. Circ.* I. 3. *& ad illum Argolus, Buleng. de Circ.* I. 2. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 3. *Mod. de Lud. Vet.* II. 8. *Caroli Antiq. Roman.* II. 5. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1092. *B. Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 48. *G. Roſin. Antiq. Roman.* V. 4. Erant ordinarii, aut imperativi. Rurſus imperativi aut votivi, aut extraordinarii. Tam votivi, quam extraordinarii, ſive publici, ſive privati erant, hoc eſt, vel a magiſtratibus, vel a privatis civibus dabantur. V. ſupr. in *Ludus.* Votivi, & extraordinarii varias ob cauſas fiebant. Ut in publicis bellorum, & peſtilentiarum calamitatibus, deûm pacis expoſcendæ, iræque mitigandæ cauſa. Quoties Reſpublica afflicta eſſet, ſi in eodem ſtatu per certum tempus permaneret. Si proſpere adverſus populi Romani hoſtes pugnari contigiſſet, ſeditionis urbanæ, vel militaris ſedandæ cauſa, pro valetudine Principis, pro reditu Imperatoris, & ſimilibus cauſis. Extraordinarii non voti erant, ſed dabantur in templorum, & omnium publicorum dedicatione, ut theatrorum, baſilicarum, amphitheatrorum, curiarum, & ſimilium, in publicis hilaritatibus, & victoriis Imperatorum, diebus natalitiis vitæ, & imperii Auguſtorum, eorundem adoptionibus, ludiſque quinquennalibus, decennalibus, vicennalibus, & ſimilibus, ob privatorum omnium magiſtratus, demum mortuorum Principum, vel nobilium memoriæ. *Panvin. ibid.* II. 15. *& ad illum Argolus. Buleng. de Circ. c.* 9. *Mod. l. l.* Ritus, qui in illis adhibebantur, exhibet Liv. XLIV. 9. *Juvenes quidam Romani, ludicro circenſi ad uſum belli verſo, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effuſione inducta beſtiis omnium gentium circum complendi, varia ſpectaculorum genera congerere: nec ſemel quadrigis, ſemel deſultore miſſo, vix unius horæ tempus utrumque curriculum complebat. Inter cætera ſexageni ferme juvenes, interdum plures, ab apparitoribus ludi, armati inducebantur. Horum inductio in parte ſimulacrum decurrentis exercitus erat: ex parte elegantioris exercitii quam militaris artis, propiorque gladiatoriorum armorum uſum. Quum alios decurſus edidiſſent motus, quadrato agmine facto, ſcutis ſuper capita denſatis, ſtantibus primis, ſecundis ſummiſſioribus, tertiis magis & quartis, poſtremis etiam genu nixis, faſtigiatam, ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebant.* Celebrabantur I. per plateas, & fora. Suet. Aug. c. 45. n. 1. *Ipſe circenſes ex amicorum fere, libertorumque cœnaculis ſpectabat.* II. Deorum ſimulacra, & imagines ordine portabantur. Tacit. Annal. II. 83. 1. *Honores, ut quiſque amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique. . . . ut ludos circenſes eburnea effigies præiret.* Suet. Tit. c. 2. n. 5. *Quorum omnium mox immemor, ſtatuam ei auream in palatio poſuit: & alteram ex ebore equeſtrem, quæ circenſi pompa hodie quoque præfertur, dedicavit, proſecutuſque eſt.* III. Omnis generis pontifices, ſacerdotes, flamines, ac ſodales, auguresque in pompa circenſi ordine incedebant. Tacit. Annal. III. 64. 3. *Sed tum ſupplicia diis, ludique magni ab ſenatu decernuntur, quos pontifices, & augures, & quindecimviri; cum ſeptemviris ſimul, & ſodalibus Auguſtalibus ederent.* IV. Bigis, & quadrigis decurrebatur in illis. Hoc genus *ludi* repræſentatur in veteribus Romanis numiſmatibus. Suet. Jul. c. 39. n. 5. *Circenſibus ſpatio circi ab utraque parte producto, & in gyrum euripo addito, quadrigas, bigaſque & equos deſultorios agitaverunt nobiliſſimi juvenes.* V. Certi equorum miſſus a carceribus ad metas certando procurrebant. Suet. Claud. c. 21. n. 5. *Circenſes frequenter etiam in Vaticano commiſit, nonnunquam interjecta per quinos miſſus venatione.* Domit. c. 4. n. 8. *In his circenſium die, quo facilius centum miſſus peragerentur, ſingulos a ſeptenis ſpatiis ad quinos corripuit.* VI. In illis erant deſultores, non equi, ſed homines ita appellati, qui præludia ludorum faciebant, & qui miſſus equorum denuntiabant exituros, quod adhuc hodie in haſtiludiis fieri aſſuevit. Meminit Caſſiodorus. V. illum ſupr. in *Deſultor.* VII. Feræ, & præcipue inſolitæ exhibebantur, quæ partim a venatoribus, partim a condemnatis conficiebantur. V. ſupra in *Confectores.* Mod. l. l. Taffin. de Ludis ſecul. c. 15. §. 12. Vario diei tempore edebantur. Suet. Cal. c. 18. n. 6. *Edidit & circenſes plurimos a mane uſque ad veſperam.* Auguſt. Confeſſ. VIII. in meridie celebrari ſolitos oſtendit, ubi ſpectaculum circenſium *pomeridianum* vocat. Et forte alludit Suet. Claud. c. 34. n. 6. *Beſtiariis, meridianiſque adeo delectabatur, ut a prima luce ad ſpectaculum deſcenderet, & meridie dimiſſo ad prandium populo procederet.* Panvin. ibid. II. 14. Mod. l. l. Non ſolum Romæ, ſed in caſtris paſſim, & provinciis edebantur: in quibus non tantum ſacra ferebantur, aurigationes erant, & equorum curſus, verum etiam beſtiæ incognitæ, harumque venationes oſtendebantur. *Mod. l. l. Panvin. ibid.* II. 17. Quæ conſuetudo Romana in Republica, ut conſtituto, florenteque imperio maxima fuit, ita inclinante adhuc imperio perſeveravit ſemper. Scriptores enim hujus imperii ætatis ludicri hujus Romano jam populo Chriſto vindicato ab anno Domini CCCC. mentionem faciunt. Ammian. XIV. 5. *Dum hæc in oriente aguntur, Arelate hyemem agens Conſtantius poſt theatrales ludos, atque circenſes ambitioſo editos apparatu, die ſexto Idus Octobres, qui imperii ejus annum triceſimum terminabat, inſolentiæ pondera gravius librans.* . . . Symm. Epiſt. X. 22. *Ergo cum exſpectari munera Principum ſoleant, nunc accita venerunt. Prætereo illum diem, quo elephantos regios per conferta agmina equorum nobilium pompa præceſſit. Malo fremitum Martiæ vallis exponere, atque illam quadrigarum diſtributionem, in qua ſibi cum fortunatior videretur.* . . . Mod. l. l. Panvin. ibid. II. 18. & ad illum Argolus.

Ludi compitales in compitis exhibebantur. Cato de Re ruſt. c. 5. *Rem divinam, niſi compitalibus in compito, aut in foco, ne faciat.* Feſtus. *Compitalia feſta, quæ in compitis peragebant.* Hos Tarquinius Priſcus inſtituit. Plin. XXXVI. 27. *Tarquinio Priſco regnante tradunt repente in foco ejus apparuiſſe genitale e cinere maſculini ſexus, eamque quæ inſederat ibi, Tanaquilis Reginæ ancillam Ocriſiam captivam conſurrexiſſe gravidam. Ita Servium Tullium natum, qui regno ſucceſſit. Inde & in regia cubanti puero caput arſiſſe viſum, creditusque Laris familiaris filius. Ob id compitalia, & ludos Laribus primum inſtituiſſe.* Et deſcribit Dionyſ. IV. p. 219. *Per omnia compita mandavit, ut viciniæ ſacella lignea dedicarent geniis compitalibus, & quotannis eis ſacra facerent, conferentibus liba ſingulis domibus. Sacrificiis, qui compitalium tempore pro vicinis ſacra facerent, non ingenuos, ſed ſervos adeſſe,*

at

ac ministrare voluit: quasi genus illi gratum esset servorum ministerium. Quod festum nostra quoque ætate Romani agitant primis diebus post Saturnalia, summa cum veneratione, atque magnificentia. Compitalia ipsi a compitis appellant. Sed Macrob. Sat. I. 7. *Qualem nunc permutationem sacrificii memorasti, invenio postea compitalibus celebratam, cum ludi per Urbem in compitis agebantur, restituti a Tarquinio Superbo Laribus ac Maniæ ex responso Apollinis: quo præceptum est, ut pro capitibus supplicaretur. Idque aliquandiu observatum, ut pro familiarium sospitate pueri mactarentur Maniæ deæ matri Larum: quod sacrificii genus Junius Brutus cos. Tarquinio pulso aliter constituit celebrandum: nam capitibus allii, & papaveris supplicari jussit, ut responso Apollinis satisfieret de nomine capitum; remoto scilicet scelere infaustæ sacrificationis: factumque est ut effigies Maniæ suspensæ pro singulorum foribus periculum, si quod immineret familiis, expiarent: ludosque ipsos ex viis compitorum, in quibus agitabantur, compitalia appellaverunt.* Non stati erant, sed conceptivi. Ideoque etsi hyeme tantum celebrarentur, nihilominus certus eis dies non erat definitus, sed modo hoc, modo alio agitabantur. Hinc, ut Antonius Constantius ex Varrone indicat, nonnunquam XI. Kal. Januar. solebant celebrari. Paucis diebus post Saturnalia celebratos modo dixit Dionys. IV. p. 219. In III. Kal. Januar. sua ætate incidisse refert Cicer. in Pison. c. 4. Qui rursus Attic. VII. 7. *Ego, quoniam IV. Non. Januar. compitalitius dies est, nolo eo die in Albanum venire molestus familiæ.* Verba, quibus concipiebantur a prætore, hæc sunt, narrantibus Macrob. l. l. & Gell. X. 24. *Die. noni. populo. Romano. Quiritibus. compitalia. erunt. quando. concepta. fuerint. nefas.* Hospinian. de Orig. Fest. Ethnic. p. 93. Alex. Gen. VI. 19. Siccam. in Fast. Kal. Rom. c. 11. Morestell. de Fer. Rom. Dial. XI. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 494. D. Voss. de Idolol. I. 11. Guther. de Jur. vet. Pontif. III. 18. Popma in Caton. p. 177. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 16. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 4. Volaterr. Comm. Urban. XXXIII. p. 1239. B. XXIX. 12. p. 1088. B. Turneb. Adv. XXI. 15. Pith. Adv. I. 9. Donat. Diluc. p. 328. Broid. in Pollet. For. Rom. I. 8. Lomej. de Lustrat. c. 30. Oizel. in Gellium. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 17: I. 10. §. 13. *Vicorum magistri faciebant prætextati. Sublatis collegiis discussi sunt.* Ascon. in Cicer. p. 159. *Scalig. Poet. I. 28. Turneb. ibid. c. 3.*

Ludi consuales dicti sunt, qui postea circenses. V. illos supr. in *Ludi circenses.*

Ludi decennales. V. illos supr. in *Decennalia.*

Ludi equestres fiebant equis. Quinque tales reperio: prodromum, cum equi ad metam a carceribus emissi contentione insidentium currebant, cursum vehicularium, cursum decursorium circa rogum, ludos sevirales, & ludos Neptunales. Ad primi generis cursum alludit Cicer. de Leg. II. 15. *Jam ludi publici, quoniam sunt cavea, circoque divisi, sicut corporum certationes cursu, pugillationes luctatione, curriculisque equorum. . . .* Huc pertinent Ammian. XIV. 11. *Et ingressus Constantinopolim, tanquam in rebus prosperis, & securis, editis equestribus ludis, capiti Coracis aurigæ coronam imposuit ut victoris.* De seviralibus meminit Capitol. Marc. Anton. c. 6. *His ita gestis, adhuc quæstorem, & consulem secum Pius Marcum designavit, & Cæsaris appellatione donavit: & sevirum turmis equitum Romanorum jam consulem designatum creavit: & edenti cum collegis ludos sevirales adsedit.* Neptunales bis in anno dabantur XI. Kalend. Julii & XV. Kalend. Augusti: de quibus Naso facit mentionem in Fastis. *Ludi* equestres funebres. V. illos supr. in *Decursio.* Mod. de Lud. & Spect. II. 19.

Ludi Florales. V. illos supr. in *Floralia.*

Ludi foliacei dicebantur, *in quibus argentum non in præmium proponebatur, sed coronæ tantum, & potio quædam cyceon dicta.* Forte, quibus victores foliaceis coronis donarentur, aut foliis ab astantibus spargerentur. Clem. Alex. Strom. II. 8. *In certaminibus prima fuerunt præmia & munera, deinde stipes, quæ a victoribus colligerentur, tertia foliorum sparsio, ultima corona, cum rebus ad victum pertinentibus abundaret Græcia exacto bello Medico.* Buleng. de Theatr. II. 1.

Ludi funebres in defunctorum magnatum honorem instituebantur. Eorum auctores Acastum & Thesea facit Plin. VII. 56. *Ludos funebres instituit Acastus in Iolco: post eum Theseus in Isthmo.* Meurs. de Fun. c. 33. Guther. de jur. man. II. 8. Morestell. Pomp. Fer. VIII. 18. Illorum causa fuit, quod animas defunctorum humano sanguine crederent delectari. Tertullianus de Spect. c. 12. & Serv. Æneid. X. 519. V. illos supr. in *Gladiator.* In illis dabantur coronæ ex apio. Artemid. V. 79. *Ex apio corona ægrotantes perimit, & plerumque hydropicos, propter frigidum & humidum, & quia funebri certamini convenit.* Romani non permittebant matronis hos spectare. Apparet ex eo, quod Sempronius uxorem repudiaverit ob id factum. Plutarch. Rom. Quæst. 14. *Tertius vero repudiavit uxorem Publius Sempronius, quod ludos funebres spectasset.* Meurs. l. l. Guther. ibid. II. 9. Protrahebantur sæpe in aliquot dies. Ecce triduum apud Liv. XXIII. 30. *M. Æmilio Lepido filii tres L. M. Q. ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & viginti per triduum in foro dederunt.* Plin. XXXV. 7. *L. Terentius avo suo, a quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit.* Nonnunquam etiam quatriduum. Liv. XXXI. 50. *Ludi funebres eo anno per quatriduum in foro, mortis M. Valerii Lævini causa a P. & M. filiis ejus facti.* Illos spectabat populus atratus. Dio LV. p. 553. E. *Hic etiam gladiatorium munus in honorem Agrippæ, & omnibus aliis, & ipsis quoque Augusti liberis pullatis, excepto tamen Augusto.* Et quidem in toga. Sed Claudius palliolatus spectavit præter morem, propter valetudinem. Suet. c. 2. n. 5. *Ob hanc eandem valetudinem gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præsedit.* Commodus totum aliquando populum penulatum spectare jussit, & id quoque præter receptam consuetudinem. Lamprid. c. 16. *Contra consuetudinem penulatos jussit spectatores, non togatos ad munus convenire, quod funeribus solebat.* Fallitur ergo vir magnus, qui in funebri munere penulam censet fuisse, in alio togam. Imo plane contra, alia munera spectabant in penula. Suet. Claud. c. 6. n. 3. *Quin & spectaculis advenienti assurgere, & lacernas deponere solebant.* Et hæc candida: conveniitque color, ibi niger, hic albus. Aperte testatur Mart. IV. 2. 1: XIV. 139. 2. laudatus supr. in *Lacerna.* Si tamen pluvias, aut nives metuerent, ne albæ lanæ inquinarentur, pullas penulas sumebant. Licet observare ex Horatii facto apud Mart. l. l. & de Tiberio narrat Dio LVII. p. 610. E. *Pluvia in panegyri quadam ingruente, penulam pullam superinduit.* Hisce oblectamentis dolorem suum leniebant. Senec. ad Albin. c. 16. *Ferox, & adversus omne remedium contumax dolor est. Volumus eum interim obruere, & devorare gemitus, per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrymæ profunduntur. Ludis interim, aut gladiatoribus animum occupamus.* Meurs. l. l. Reliqua V. supr. in *Gladiator.*

Ludi gladiatorii ut ad exercitium corporis spectabant, sic periculo, vitæque discrimine non carebant. A Romanis recepti sunt partim ad exercendas corporis vires, armorumque; partim ad vulnerum contemptum, quia bella continua gerebant; partim denique quia divitiis, & omnis generis voluptatibus is populus lasciviebat, animorum exhilarandorum gratia, ut recte Cicer. pro Mur. c. 19. *Ludis oblectamur & ducimur.* Et ideo munera dicebantur. *Mod. de Lud. & Spect.* II. 21. V. supr. in *Gladiator.*

Ludi gymnici. V. illos supr. in *Certamen gymnicum.*

Ludi honorarii dicebantur honoris, seu dicis causa sic dicti, non quod *ludi* vere ederentur. Suet. Aug. c. 32. n. 6. *Triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit.* Torrent. ad Suetonium. Ego interpretor, qui ad honorem edentium pertinerent. Triplex olim *ludorum* exhibendorum causa: deorum religio, mortuorum ὅσια, & edentium honos. *Hoc genus editionis transiisse ab honoribus mortuorum ad honores viventium, quæsturas, & magistratus, & flaminia, & sacerdotia* testatur Tertull. de Spect. c. 12. Postea res ita in frequenti usu fuit, ut temporibus Augusti nemo aliquem locum honestiorem in Republica sortiretur, quin magnam patrimonii partem in editione spectaculorum impenderet, aut impendisset. *Casaub. in Suetonium. Guther. de Vet. jur. Pontif.* III. 19.

III. 19. Possent etiam a majore parte sic dici quasi prætorii. Plurimi magistratus Augusti temporibus erant prætores. Constat sedecim ab eo aliquando fuisse creatos. Ita jus honorarium κατ' ἐξοχὴν appellatur jus prætorium: nam alioquin proprie loquendo etiam jus ædilitium, & aliorum magistratuum, qui honores obtinebant, jura honoraria dici potuerunt. Sic ipsos prætores honoratum magistratum dixerit Ovid. Fast. I. 52.

Verbaque honoratus libera prætor habet.

Casaub. & Torrent. l. l. Gyrald. de Poet. dial. VI. p. 336. A. Edit. Lugdun. Revera fuerunt acti, quicquid dicat Torrentius. Si enim acti non fuissent, Principis interdicto non fuisset opus. Qui erravit ex soli fastorum ignoratione. Nec errorem emendes nisi ex solis fastis. Ex his ego assero dictos esse, qui jam fastis notati sunt *ludi*, sine ullius dei, deæve, hominisve, in cujus honorem fierent, notatione, quales in fastis mense Aprili, Julio, Septembri, Octobri, Novembri multos videmus. *Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. I.*

Ludi instaurativi dicebantur denuo facti. Levissimi de causa toti instaurabantur. Nec uno item, aut altero die, sed de integro iterum, atque iterum fiebant. Et in eo summa erat pontificum auctoritas. Ad illos enim epulones Jovis afferebant, si quid prætermissum esset, vel commissum, quorum de sententia *ludi* renovati, atque instaurati celebrabantur. Cicer. Divin. I. 26. *Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt.* Ea enim cura ludorum publicorum celebrationi adhibenda erat, ut rite omnia, atque ordine fierent, ut ne vel in minimis quidem peccaretur. Cicer. de Arusp. resp. c. 11. *Quare si ludius constitisset, aut puer ille patrimus, & matrimus terram non tenuisset, aut si ædilis verbo, aut si nutu,* (*simpulo* legunt Lambin. in Ciceronem, & Gruter. Suspic. VII. 19.) *aberrasset. Ludi Romani ter, plebeji septies instaurati.* Guther. de vet. jur. Pontif. III. 22.

Ludi Isthmici. V. illos supr. in *Isthmia.*

Ludi juvenales. V. illos supr. in *Juvenalia.*

Ludi Latini. V. illos supr. in *Feriæ Latinæ.*

Ludi lustrales Marti a Romanis fuerant instituti, peculiari nomine Rubigalia, in quibus tubæ, aquilæ, & alia arma lustrabantur VII. Kalend. April. *Mod. de Lud. & Spect.* II. 24

Ludi magni, ut dicuntur Virgilio supr. in *Ludi circenses*, sive maximi, ut Ovid. Amor. III. 2. 65.

Maxima jam vacuo prætor spectacula circo
Quadrijuges æquo carcere misit equos.

etiam Romani appellantur. Livius & Asconius mox laudandi. Magni sunt appellati, ut placet Serv. Æneid. VIII. 636. *quantum ad paupertatem pristinam pertinet. Nam legimus propter equorum inopiam diversis eos tunc usos animalibus.* Postea aucta re Romana equi tantum admissi: ad pristinum ergo memoriæ factum muli ipsi, sicut equi certa die ferebantur. Dionys. I. p. 26. *Romanis instituerunt Consualia; per quod apud Romanos ex more immunes ab opere sunt equi & muli, & coronantur floribus.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 3. Aliter tamen Ascon. in Cicer. p. 57. *Romani ludi sub Regibus instituti sunt, magnique appellati, quod magnis impensis dati sunt. tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. Alii ideo magnos ludos dictos putant, quod Conso, consiliorum secretorum deo, id est, Neptuno laticum Regi, & rerum conditarum, & diis magnis, id est, Laribus urbis Romæ dati sunt: quibus ajunt raptas Sabinas esse: ut propter hoc videatur dicere Virgilius:*

—— *magnis circensibus actis.*

Nam & magni & circenses iidem sunt. Argol. l. l. Donat. de Urb. Rom. III. 14. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 840. B. Gyrald. Synt. deor. V. p. 161. L. V. tamen Voss. infr. in *Ludi Megalenses.* Indicti sunt finitimis populis a Romulo anno IV. imperii ejus, ut placet Dionysio, qui & illos sua ætate etiam fieri solitos scribit. L. Tarquinius annuos fecit eos. Liv. I. 35. *Ludos opulentius, instructiusque quam priores Reges fecit. Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est. Equi, pugilesque ex Etruria maxime acciti, sollennes deinde annui mansere ludi, Romani, magnique varie appellati.* Quod verumne sit dubito. Invenio enim factos fuisse prodigiorum fere causa, & interdum religione injecta. Id quod tradit ipse Liv. XXII. 9. *Q. Fabius Maximus dictator iterum quo die magistratum iniit, vocato senatu, ab diis orsus, quum edocuisset patres, plus negligentia ceremoniarum, auspiciorumque, quam temeritate, atque inscitia, peccatum a C. Flaminio cos. esse, quæque piacula iræ deûm essent, ipsos deos consulendos esse; pervicit, ut, quod non ferme decernitur, nisi cum tetra prodigia nuntiata sunt, decemviri libros Sibyllinos adire juberentur. Qui, inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quod ejus belli causa votum Marti foret, id non rite factum, de integro, atque amplius faciendum esse: & Jovi ludos magnos, & ædes Veneri Erycinæ, ac Menti vovendas esse.* Liv. XXVII. 23. *Ludi & Romani, & plebeji eo anno in singulos dies instaurati.* Ex his etiam paucis verbis mihi videtur facile perspici posse, non fuisse utrosque annuos. Si enim erant annui, cur eo anno instauratos fuisse addidisset? *Perion. de Græcor. & Roman. magistrat.* III. *Tom. Ant. Græc. Gronov.* VI. *p.* 2805. *F.*

Ludi Martiales in circo Kalendis Augusti, quod ea die Martis ædes consecrata fuit, quotannis celebrabantur. Sub Claudio hanc ob causam celebratos dicit Dio LX. p. 667. E. *Quæ enim Kalendis Augusti, quibus natus est* Claudius, *certamina equestria exhibentur, non autem ideo, sed quod eo die Martis ædes consecrata fuit, & propterea annuis certaminibus colitur.* Suet. Claud. c. 4. n. 1. *Collocutus sum cum Tiberio, ut mandasti, mea Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum esset ludis Martialibus.* n. 6. *In præsentia tamen quibus de rebus consulis, curare eum ludis Martialibus triclinium sacerdotum non displicet nobis.* Torrent. in Suetonium. Possent etiam intelligi dies tres festi, de quibus Plutarch. in Numa p. 68. F. *Salii dicti sunt a tripudio, quod saltando obeunt per Urbem, quum sacras peltas mense Martio ferunt trabeati, baltheis latis æneis succincti, galeasque æneas in capite gerentes, ac minutis pugionibus arma pulsantes.* Et Dionysius laudatus in *Salii.* Mod. de Lud. vet. II. 24. Coler. in Alex. Gen. VI. 19. Pitisc. in Suetonium.

Ludi Megalenses fiebant in honorem Magnæ matris. Græcis Μεγαλήσια dicebantur, quia dea illa appellabatur μεγάλη θεὸς, ἡ μήτηρ. Unde Græca vox Romano flexu. Cicer. de Arusp. resp. c. 12. *Quid ego de illis ludis loquar, quos in palatio nostri majores ante templum, in ipso Magnæ matris conspectu, Megalensibus fieri, celebrarique voluerunt? Ita ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris arcessita in hac urbe consederit: qui uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso & appetita religio externa, & Magnæ matris nomine suscepta declaretur* Liv. XXIX. 14. *Pertulere deam pridie Idus Aprilis: isque dies festus fuit: populus frequens dona deæ in palatium tulit, lectisterniumque, & ludi fuere, Megalesia appellata.* At valde fugit ratio, sive Donatum, sive Asperum, vel alium, cujus de comœdia & tragœdia quædam vitæ Terentii a Suetonio perscriptæ subjiciuntur. In iis legere est: *Megalenses magnis diis consecrati.* Quod longe aliter est. Nam magnis diis, quales tres illi, Jupiter, Minerva, & Juno consecrati *ludi* Romani, sive magni: quod clare dicit Cicer. Verr. V. 14. *Mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciundos.* Atque hos instituit Tarquinius Priscus. V. Livium supr. in *Ludi magni.* At Megalenses demum inducti, ubi Magna mater Pessinunte advecta est Romam, quod contigit an. 549. M. Cornelio Cethego, & P. Cornelio Tuditano coss. Hunc antiqui Grammatici errorem secutus est Antonius Goveanus. *Voss. de Idolol.* II. 35. *Lex. Etymol. Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 12. *Beroal. Annot. c.* 7. *Caroli Antiq. Roman.* II. 5. Ciceronem modo laudatum laudat Goveanus, & ex eo colligit, a Megalensibus alia esse Megalesia: quod Cicero Megalesia Megalensibus celebrari solita dicat. Deinde tradit *ludos* Megalenses eosdem esse, qui circenses Romani magni nominantur. Non abutar pluribus argumentis. Tota

enim

enim res uno verbo confici poteſt. Nam ſi Megalenſes committebantur pridie Idus Apriles, ut ex Livio jam laudato conſtat, Romani pridie Kal. Septemb. ut e priore actione in Verrem cognoſcitur: quis eſt uſque eo hebes, qui non videat, ut iidem ſint Megalenſes & Romani, nullo modo fieri poſſe. Vocem Megalenſibus e Ciceronis loco & expungendam puto, & e gloſſemate aliquo in ordinem Ciceronis verborum irrepſiſſe ſuſpicor. Sunt igitur eadem Megaleſia cum Megalenſibus. Cumque initio Megalenſia dicerentur, detrita, ut ſæpe ſit, litera Megaleſia nominata ſunt. Itaque Feſtus, *Megaleſia*, inquit, *ludos Matris magnæ appellabant.* Muret. in vitam Terentii p. m. 152. Thyſ. in Gell. II. 24. Juvenibus datum, ut ætatum, atque ordinum omnium mores geſtu, atque oratione effingerent. Ab umbraculis, in quibus hæc agerentur, ſcenicorum nomen communicatum. Ante deæ ſignum matronis ſpectatæ pudicitiæ pſallere mos fuit. *Scalig. Poet.* I. 29. Illos inſtituit M. Junius Brutus. Liv. XXXVI. 36. *Per idem fere tempus ædes Matris magnæ Idææ dedicata eſt: quam deam is P. Cornelius advectam ex Aſia, P. Cornelio Scipione, cui poſt Africano fuit cognomen, P. Licinio coſſ. in palatium a mari detulerat. Locaverant ædem faciendam ex SCto M. Livius, C. Claudius cenſores, M. Cornelio, Ti. Sempronio coſſ. tredecim annis poſtquam locata erat, dedicavit eam M. Junius Brutus: ludique ob ejus dedicationem facti, quos primos ſcenicos fuiſſe Valerius Antias eſt auctor, Megaleſia appellatos.* Illis mutua inter ſe convivia patricii agitabant. Gell. II. 24. *In quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalenſibus antiquo ritu mutitarent, id eſt, mutua inter ſe convivia agitarent, jurare.* . . . Cujus *mutitare* circumlocutione quadam poetica videtur expreſſiſſe Ovid. Faſt. IV. 353.

Cur vicibus factis ineant convivia quæro,
Tum magis, indictas concelebrentque dapes.
Quod bene mutarit ſedem Berecynthia, dixit;
Captant mutatis ſedibus omen idem.

Qui dicit hoc ideo factum, quod dea ſedem ſuam bene mutarit Romæ in anguſtius domicilium. Et hæ ſunt illæ ſodalitates, de quibus M. Cato apud Cicer. de Senect. c. 45. *Primum ſemper habui, ſodales. Sodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt ſacris Idææ magnæ matris acceptis: epulabar igitur cum ſodalibus omnino modice.* Beroal. & Thyſ. l. l. Livii librarii in exprimendo Megalenſium die ſunt lapſi: qui ſcripſere *pridie Idus Aprilis*, notarum antiqua cæſura decepti, cum forſan legeretur, *pridie Non. Aprilis.* Sic enim is dies in Faſtis publicis eſt annotatus, ſicut teſtantur antiquæ Faſtorum ſacrorum tabulæ, quas ipſe quondam Romæ apud Bernardinum Maphæum Cardinalem extantes exſcripſi. Quibus adſtipulatur Ovid. Faſt. IV. 179. poſt tertium Aprilis menſis diem Berecynthiæ matris magnæ feſta incipere canens.

Ter ſine perpetuo cœlum verſetur in axe,
Ter jungat Titan, terque reſolvat equos.
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ feſta parentis erunt.

Pigh. Annal. Rom. II. p. 216. Maſſon. Ovid. vit. p. 67. Thyſ. l. l. De illis etiam *Wuell. Annotat. in Merul.* c. 22. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 18. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 493. *C.*

Ludi miſcelli, de quibus Suet. in Calig. in *Ludus* laudatus, poſſunt intelligi athletici, tanquam dicti a Miſcello Crotonis conditore, in qua civitate athletæ plurimi floruerunt, quorum celeberrimus extitit ille Milo, de quo Ovid. Met. XV. 229.

—— fletque Milo ſenior, cum ſpectat inanes
Illos, qui fuerant ſolidarum more ferarum
Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.

Mod. de Lud. & Spect. II. 22. Beroald. in Suetonium. Vocantur potius, quia ad nullum certum genus ludorum ſcenicorum, ſive argumentum, ſive ſcenæ inſtrumenta, & apparatum ſpectes, referri poſſunt. Sic columbarum *genus miſcellum* vocat Varr. de Re ruſt. III. 7. quæ neque domeſticæ, neque agreſtes ſunt: *uvas miſcellas* Varr. de Re ruſt. I. 54. quæ *in quemvis agrum conveniunt*, ut illas interpretatur Cato de Re ruſt. c. 6. *as miſcellum* Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 23. tabulas miſcellas æneas, quæ varia, & mixta nomina continebant: puta eorum, qui primum deducti fuerant, & eorum, qui poſtea in locum defunctorum ſucceſſerant. Sic gladiatores, cum in turba mixtim ſic mutuis ictibus conficere juſſi erant, ad miſcellanea venire dicebantur. *Torrent. Beroal. Donat. & Pitiſc. in Suetonium. Mod. l. l. Guther. de vet. jur. Pont.* III. 19. *Auguſt. de Legib. in Julia de fund. dot. Tomaſ. de Donar. c.* 4. Ad illum morem alludens de perditiſſimo nepote, & conturbatore quodam dixit Juven. Sat. XI. 20.

—— Sic veniunt ad miſcellanea ludi.

id eſt, ſic fiunt ex ſenatoribus mimi, ſive ludii. Unde tranſcurria vocat ludos, ad quos ex ſenatu tranſibant: id eſt, quando ex ſenatoribus fiebant ſcurræ, ſive ludii, aut hiſtriones. *Scalig. de Emend. temp.* V. *p.* 479. V. & *Turneb. Adv.* XXII. 23.

Ludi muſici. V. illos ſupr. in *Agon muſicus.*

Ludi natalitii in magnorum virorum natalibus: veluti VIII. Id. Februar. Alexandri Magni natalitii edebantur, IV. Id. Jul. Cæſaris dictatoris, Non. Kalend. Januar. Titi Cæſaris: ſic IV. Kal. Decembr. Nervæ, VI. Kal. Novemb. Hadriani, Kal. April. Antonini, III. Id. April. Veri Cæſaris, XVIII. Kal. Decembr. Septimiani, XIII. Kal. Januar. Gordiani, IV. Kal. Februar. Conſtantini Magni, & Junioris VII. Id. Auguſti celebrabantur. De his accipienda ſunt auctorum loca, Capitol. in Pio c. 5. *Circenſes natali ſuo dicatos non reſpuit.* Spartian. in Adrian. c. 7. *Gladiatorum munus per ſex dies continuos exhibuit, & mille feras natali ſuo edidit. Ludos circenſes, præter natalitios, decretos ſibi reſpuit.* Mod. de Lud. & Spect. II. 22. Tomaſ. de Donar. c. 4.

Ludi Nemei. V. illos infr. in *Nemea.*

Ludi novendiales *dicebantur, qui in honorem mortuorum celebrabantur.* Serv. Æneid. V. 64. & nono die ad ſepulcrum dabantur. Hi pluribus diebus poſt humationem celebrati ſunt. Niſi quis credere malit novendialem pro funebri accipi, cum *ludi* poſt nonum diem fieri ſolerent. Hos populea arbore coronati, & pullati, Servio teſte, ſpectabant. *Guther. de Jur. man.* II. 9. *Meurſ. de Funer.* c. 33.

Ludi Olympici. V. illos infr. in *Olympia.*

Ludi Palatini dicebantur, quos conſtituto imperio, & occiſo Cæſare dictatore, in ejus honorem, & memoriam in parvo rotundo templo, quod fuit in Palatio, Auguſtus inſtituit, qui VI. Kal. Januar. per octo dies agebantur. Horum meminit Joſeph. Ant. Jud. XIX. I. ubi interitum Caligulæ recenſet, tradens ſcilicet, Chæream tribunum ludorum noviſſimo die exhortatum conſcios conjurationis, rem tandem peregiſſe: qui cum omne tempus opportuniſſimum judicaret huic negotio, cogitaverat Caligulam ſtantem primo in culmine Capitolii impellere, ac præcipitem dare, quum ſe a nullo videri putaret. Sed conſciis viſum eſt, ut in celebratione ſpectaculi res perageretur: id quod etiam factum, & ſub meridiem; dum ludis Palatinis frueretur, occupatus a conjuratis, & interfectus eſt. Suet. Cal. c. 56. n. 4. *Cum placuiſſet Palatinis ludis ſpectaculo egreſſum meridie aggredi.* Turneb. Adv. I. 16. Mod. de Lud. & Spectac. II. 22. Jun. Paſtor. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 230. E. Lipſ. in Tacit. Annal. I, §. 244. Pitiſc. in Suetonium.

Ludi piſcatorii *vocantur, qui quotannis menſe Junio trans Tiberim ſolent fieri a prætore urbano pro piſcatoribus Tiberinis, quorum quæſtus non in macellum pervenit, ſed fere in aream Volcani, quod id genus piſciculorum vivorum datur eo, deo pro animis humanis.* Feſtus. *Siccam. in Faſt. Kalend. Roman.* c. 12. *Tomaſ. de Donar.* c. 33. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 19. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. *Nonn. de Re cibar.* III. 3. *Laurent. de Prand. c.* 10. *Polym.* IV. *Synopſ.* 8. *Ravard. Conject.* I. 6. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1094. *B. Tiraquell. in Alex. Gen.* VI. 19.

Ludi

Ludi plebeji *dicti sunt, quos exactis Regibus pro libertate plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Aventino.* Ascon. in Cicer. p. 57. Hos ædiles plebis edebant. Liv. xxviii. 10. *Ludi plebeji semel toti instaurati ab ædilibus plebis M. Pomponio Mathone, & Q. Manlio Thurino:* xxxix. 7. *Plebeji ludi ab ædilibus C. Sempronio Blæso, & M. Furio Lusco diem unum instaurati sunt.* Edebantur in circo a d. xvii. Kal. Decemb. qui erat xv. Novemb. per triduum, ut testantur veteres Fasti, hac observatione, ut quoties ab ædilibus instaurarentur, *ludorum* causa epulum daretur. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 840. *F. Scalig. Poet.* i. 37. *Beroal. Annot. c. 7. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat.* iii. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* vi. *p.* 2806. *D. Camerar. de Comic. vers. Thes. Gronov. Tom.* viii. *p.* 1581. *D. Mod. de Lud. & spectac.* ii. 26. *Volaterr. Comment. Urban.* xxix. *p.* 1094. *B. Rosin. Antiq. Rom.* v. 20. *Schill Nomencl. Philol. p.* 691.

Ludi pontificales dicebantur, quos in muneris honorem edebant pontifices. Suet. Aug. c. 44. n. 8. *Ut pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei matutinum tempus.* Guther. de vet. jur. pontif. iii. 20. Buleng. de Circ. c. 42. Mod. de lud. & spectac. ii. 27. Casaub. in Suetonium. Sed non est certum, eos ab Augusto, ut pontifice maximo celebratos. Et fatetur ipse Gutherius primum Augustum eos exhibuisse. Quare potius ut magistratum, in honorem pontificatus, edidisse eum hos ludos dixerim. Sicuti Sex. Ligarius Sex. F. legitur in veteri inscriptione *ob honorem perpetui pontificatus ludos circenses dedisse.* Nemini enim, qui magistratus non esset, ludos facere, nisi funeris causa, licebat. *Bosius de pontif. max. vet. Rom. c. 5. §. 6. Struv. Antiq. Roman. c.* 12. *p.* 574.

Ludi Pyrrhici. V. illos infr. in *Pyrrhica.*

Ludi Pythici. V. illos infr. in *Pythia.*

Ludi quæstorii dicebantur, quos in muneris honorem edebant quæstores. Tacit. Annal. xi. 22. 2. *Iisdem coss. P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur.* Tertull. de Spectac. c. 12. *Transiit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viventium, quæsturas dico, & magistratus, & flaminia, & sacerdotia.* Suet. Claud. c. 24. n. 5. *Collegio quæstorum pro stratura viarum gladiatorium munus injunxit.* Domit. c. 4. n. 3. *Quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit. . . .* Lips. Sat. i. 9. & in Tacitum. Mod. de Lud. & Spectac. ii. 27.

Ludi quinquennales. V. illos infr. in *Quinquennalia.*

Ludi Romani a Tarquinio Prisco quinto Romanorum Rege sunt instituti. Livius. V. illum supr. in *Ludi magni.* Edebantur in honorem Jovis, Junonis, & Minervæ. Cicero. V. illum supr. in *Ludi Megalenses.* Ab ædilibus curulibus. Liv. xxviii 23. *Ludi, & Romani, & plebeji eo anno in singulos dies instaurati. Ædiles curules fuere L. Cornelius Caudinus & Servius Sulpicius Galba: plebeji C. Servilius & Q. Cæcilius Metellus.* c. 10. *Ludi Romani ter toti instaurati ab ædilibus curulibus Cn. Servilio Cepione, Serv. Cornelio Lentulo.* Primum fuerunt circenses, quod manifestum est ex Livio in *Ludi magni* laudato: deinde fuerunt etiam scenici. Liv. xxxi. 4. *Ludi Romani scenici eo anno magnifice, apparateque facti ab ædilibus curulibus L. Valerio Flacco, & T. Quintio Flaminio.* Primum uno die, postea biduo, & item triduo peragebantur, sed pluries tandem iis sunt tributi. Fasti veteres novem continuos dies, a pridie Non. Septembr. usque ad pridie Idus celebratos eos fuisse docent: post quos, biduo interjecto, alios in circo per quinque dies habitos iidem testantur. *Mod. de Lud. & Spectac.* ii. 26. *Blond. Triumph. Rom.* ii. *p.* 48. *G. Rosin. Antiq. Roman.* v. 19.

Ludi sacerdotales dicebantur, quos in provinciis populo dare cogebantur sacerdotes. Horum exhibitio patrimonii *munus fuit.* l. 8. C. de mun. patrim. Imperator Alexander l. 1. C. de peric. success. parent. *Si de proprio suo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromisit, ideoque etiam sacerdotem te creari impetravit: onus erogationis commune omnium heredum ejus esse præses provinciæ non ignorabit.* Quapropter *numero quinque liberorum, ubi vos in Asia sacerdotium suscipere non cogi* Imperator Severus constituit l. 8. Dig. de vacat. & excus. mun. ne, ut credo, immodicis *ludorum* sumptibus illi vexarentur. *Guther. de vet. jur. pontif.* iii. 20. *Mod. de Lud. & spectac.* ii. 27. *Schill Nomencl. Philol. p.* 994.

Ludi scenici. Primis temporibus scena parietem non habebat, sed e frondibus, qui *ludos* dabant, umbracula quærebant. Postea vero, & numero, & divitiis aucta Romana Republica, tabulata componi cœpta sunt, parietibus clausa, hoc est, theatra, & amphitheatra, in quibus pegmata erant, & tabernaculi scenopegii dicti, unde personæ prodibant. Frons quoque theatri, ubi scena erat, pluribus contignationibus erat constructa: in quibus histriones recitabant, mimi, mirmillones, & cæteri ludii varios *ludos*, ac gesticulationes edebant. Quare scenam definiens Placidus Grammaticus, scribit cameram esse hinc inde compositam, quæ in umbræ locum in theatro erat, in quo ludi actitabantur. *Mod. de Lud. & Spectac.* ii. 29. *Perion. de Græc. & Rom. Magistrat.* iii. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* vi. *p.* 2086. *D. Schill Nomencl. Philol. p.* 689. Illorum originem describit Liv. vii. 2. *Et quum vis morbi, nec humanis consiliis, nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo, nam circi modo spectaculum fuerat, inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur. Ceterum parva quoque, ut ferme principia omnia, & ea ipsa res peregrina fuit.* V. quæ apud Livium sequuntur, laudata supr. in *Histrio.* Pigh. Annal. Rom. ii. p. 71. Rhodig. Antiq. Lect. viii. 7. Mod. & Perion. l. l. Rosin. Ant. Rom. v. 6. Proprie edebantur in theatris, tamen constat interdum & per regiones Urbis, atque vicatim celebratos. Suet. Jul. c. 39. n. 1. *Edidit spectacula varii generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim Urbe tota, & quidem per omnium linguarum histriones, non in foro modo, nec amphitheatro, sed in circo, & septis.* In illis non solum comœdiæ, tragœdiæ, & satyræ edebantur, verum etiam inter se poetæ carmine scripto, & coram recitato, sub judicibus certabant. Plin. vii. 24. 6. *Proximis sacerdotalibus ludis in commissione pantomimorum productis.* Alludit Suet. Cal. c. 20. n. 2. *Edidit & certamen quoque Græcæ, Latinæque facundiæ. Quo certamine ferunt victoribus præmia contulisse, eorundem & laudes componere coactos.* Mod. l. l. Illorum origo est a rusticis. V. infr. in *Rustici.*

Ludi seculares nuncupati sunt, non quia fierent anno vel centesimo, vel etiam centesimo & decimo. Quod utrumque sicut assertores habet, ita re ipsa penitus coarguitur. Sed ob id credi magis potest, quod plerumque semel hominis ætate fierent: ut multa alia, quæ rara sunt, post seculum evenire loquentium consuetudo usurpat. Ovid. Trist. ii. 2. 25.

Jusserat & Phœbo dici; quo tempore ludos
Fecit, quos ætas adspicit una semel.

Politian. Misc. c. 58. Panvin. de Lud. secul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ix. p. 1074. A. Nonn. in August. Cæsar. Nomism. p. 87. Kipping. Antiq. Roman. ii. 6. §. 18. Blond. Triumph. Rom. ii. p. 48. G. Illorum originem pluribus describit. Val. Max. ii. 4. 5. *Non absurdum videtur secularibus initium suum, cujus generis minus certa notitia est, reddere. Cum ingenti pestilentia Urbs, agrique vastarentur, Valesius, vir locuples, rusticæ vitæ, duobus filiis, & filia ad desperationem usque medicorum laborantibus, aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus, Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, oravit. Orta deinde vox est, habiturum eos salvos, si continuo flumine Tiberis devectos Terentum deportasset, ibique ex Ditis patris, & Proserpinæ ara petita calda, recreasset. Eo prædicto magnopere confusus, quod & longa, & periculosa navigatio imperabatur: spe tamen dubia præsentem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus detulit: habitabat enim in villa sua propter vicum Sabinæ regionis Eretum, ac lintre*

Ostiam petens, nocte concubia ad Martium campum appulit. Sedentibusque ægris succurrere cupiens, igne in navigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit, haud procul apparere fumum. Et ab eo jussus egredi Terentum, id ei loco nomen est, cupide arrepto calice, aquam flumine haustam, eo unde fumus erat obortus, jam lætior pertulit, divinitus dati remedii quasi vestigia quædam in propinquo nactum se existimans: inque solo magis fumante, quam ullas ignis habente reliquias, dum tenerius omen apprehendit, contractis levibus, &, quæ fors obtulerat, nutrimentis, pertinaci spiritu flammam emovit, calefactamque aquam pueris bibendam dedit. Qua pota, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repente sunt liberati; patrique indicaverunt, vidisse se in somnis, quos nescio deorum, spongia corpora sua pertergere, & præcipere, ut ad Ditis patris, & Proserpinæ aram, a qua fuerat potio ipsis allata, furvæ hostiæ immolarentur, lectisternia, ludique nocturni fierent. Is quod eo loci nullam aram viderat, desiderari credens, ut a se construeretur; aram empturus in Urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent. Hi domini imperium exsequentes, cum ad viginti pedum altitudinem humo egesta pervenissent; animadverterunt aram Diti patri, Proserpinæque inscriptam. Hoc Postquam Valesius, nuntiante servo, accepit, omisso aræ emendæ proposito, hostias nigras, quæ antiquitus furvæ dicebantur, Terenti immolavit, ludos, & lectisternia, continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit. Cujus exemplum Valerius Poplicola, qui primus consul fuit, studio succurrendi civibus, secutus apud eandem aram publice nuncupatis votis, cæsisque atris bubus, Diti maribus, feminis Proserpinæ, lectisternioque, ac ludis trinoctio factis, aram terra, ut ante fuerat, obruit. Eandem refert Zosim. II. 1. atque diversas nonnullas in Valesii historia referenda addit circumstantias, quas ex auctoribus, qui jam non exstant, discere debuit, si eas pro suo arbitratu, quod haud existimo, non confinxit. *Taffin. de ann. secular. c.* 3. §. 1. *Panvin. ibid. p.* 1067. *D. Hospin. de Fest. Ethnic. p.* 153. *Mod. de Lud. & spectac.* II. 30. *Politian. & Kipping. l. l. Laz. Comm. Reip. Rom.* X. 6. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1093. *G.* Primos hos itaque fuisse vult Valerius Antias apud Censor. de die Nat. c. 17. *Primos ludos seculares exactis Regibus post Romam conditam annis* 245. *Valerius Poplicola instituit.* M. autem Varro de Scenic. origin. 1. ad hunc modum eorum originem fuisse tradit apud Censorinum. *Cum multa portenta fierent, & murus, ac turris, quæ sunt intra portam Collinam & Esquilinam, de cœlo essent tacta, & ideo libros Sibyllinos decemviri adiissent; renuntiarunt, uti Diti patri, & Proserpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent, & hostiæ furvæ immolarentur; utique ludi centesimo quoque anno fierent.* Sed hæc potius de aliqua eorum instauratione, quam de origine, dicta fuisse existimo. *Panvin. ibid. p.* 1071. *B.* Imo hæc potius Valerio Poplicolæ occasio etiam esse potuerunt, ut *ludos* illos institueret, præter causam a Valerio Maximo, & Zosimo relatam. *Taffin. ibid.* §. 2. Multis vero post annis post Reges exactos, Poplicolæque mortem factos fuisse prodidere quindecimvirorum commentarii. Censorin. l. l. *At quindecimvirorum commentarii annis* 298. *M. Valerio, Sp. Verginio coss.* Et horum auctoritas me movet, tum quod penes eorum collegium omnis publicorum, privatorumque sacrorum cura, præcipueque horum *ludorum* restaurandorum ratio fuere, ut auctor Tacit. Annal. XI. 11. 3. tum quod eorum ordinem secutum fuisse animadverti M. Verrium Flaccum Fastorum Capitolinorum auctorem. *Panvin. ibid. p.* 1071. *E.* De illorum ritu hæc ferme tradit Zosim. ibid. c. 5. Instante ludorum tempore per totam Italiam præcones mittebantur convocatum omnes ad eos ludos, quos nemo adhuc spectasset, nec amplius spectaturus esset. Tum paucis, antequam spectacula ederentur, diebus Imperator ipse, sive Consules & decemviri sacris faciundis in Capitolio, & Palatio, ante Apollinis Palatini, & Jovis Capitolini templa, pro suggestu considentes, populo piamina, seu februa distribuebant, hoc est, quæ ad flagitiorum expiationes pertinerent. Hæc erant tædæ, sulphur, & bitumen. L[illegible] vero liberi tantum capiebant. Servi enim his sollennibus sacris omnino exclusi erant. Adhæc coibat populus præterea in Dianæ templum, quod in Aventino colle erat conditum: ubi cuique libero hordeum, triticum, fabasque dari mos erat Parcis offerendas. His distributis ad formam Cereris initiorum sanctissime, casteque pervigilia fiebant. Ubi vero festus dies primus advenisset, quem toto triduo, trinoctioque in campo Martio sacris ipsis intenti, haud longe ab ipsa Tiberis ripa, scilicet prope Terentum celebrabant, sacrificia Jovi, Junoni, Neptuno, Minervæ, Veneri, Apollini, Mercurio, Cereri, Vulcano, Marti, Dianæ, Vestæ, Herculi, Latonæ, fontium deis, adhæc Parcis, Diti patri, & Proserpinæ faciebant. Primæ noctis *ludorum* hora secunda consules ipsi temporibus quidem Reipublicæ, sive post Imperator una cum Quindecimviris sacris faciundis, tribus aris ad amnis ripam exstructis, totidem agnos immolabant, arisque ipsis sanguine perfusis, quæ supererant, victimarum corpora concremabant. Porro constructa juxta Terentum ad amnis ripas in theatri morem scena extemporanea lumina, lychnuchi, & ignes accendebantur, hymnique concinne ad hunc maxime usum compositi cantabantur, spectacula quoque quædam edi sollenniter solita agebantur, terraque evulsa super aram Ditis patris & Proserpinæ, quæ antiquitus a Poplicola, & ante illum a Voluso Valesio reperta fuerat, hostias furvas Diti patri, & Proserpinæ immolabant. Mane ejusdem primi diei in Capitolium adscendentes, posteaquam Jovi Opt. Max. sacra sollennia de more, riteque perfecissent, ad præparatum theatrum, ut *ludos* in Apollinis, Dianæque honorem faciundos celebrarent, conveniebant. Postero die nobiles matronas ea hora, quæ ab oraculo præcipiebatur, in Capitolium convenire, ibique deo supplicare, frequentare lectisternia, ex ritu hymnos canere, Junonis quoque aram adire consuetum erat. Postea Imperator ipse, & quindecimviri sacris faciundis vota ante suscepta solvebant. Jovi etenim, Apollini, Neptuno, Herculi tauros albos: Junoni, Minervæ, Dianæ juvencas concolores. Parcis agnas, caprasque atras; Diti vero patri, Proserpinæque hostias furvas, suem scilicet, & scrofam nigram sacrificabant; cæteris quoque diis sua sacra, ut unicuique mos erat, reddebantur. Tertio die in templo Apollinis Palatini ter novem pueri prætextati, totidemque virgines patrimi omnes, matrimique Græca, Romanaque voce carmina, & pæanas concinebant, quibus imperium, senatum, populumque Romanum diis immortalibus commendabant. Singulis autem *ludis* hymnos novos præsenti tempore congruos editos pueri, puellæque cantabant, qualis est ille, qui ab Horatio editus, *ludis* Cæsaris Augusti cantatus est. Hoc vero *ludorum* secularium triduo *ludi* celebrabantur, omnibus circis & theatris, omnium generum; & sacrificia templis omnibus fiebant, noctu pariter, atque interdiu. Venationes quoque, ubi diversorum generum feræ conficiebantur, populo exhibebantur. Capitol. Gord. III. c. 33. *Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti duo & triginta, quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem, alces decem, tigres decem, leones mansueti sexaginta, leopardi mansueti triginta, belbi, id est, hyænæ decem, gladiatorum fiscalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros unus: archoleontes decem, camelopardali decem, onagri viginti, equi feri quadraginta, & cætera hujusmodi animalia innumera, & diversa: quæ omnia Philippus ludis secularibus, vel dedit, vel occidit.* Panvin. ibid. p. 1086. A. Hospin. ibid. p. 155. Politian. Mod. Laz. l. l. Scalig. Poet. I. 38. Taffin. ibid. c. 7. & 9. Primitiæ hæ frugum, tritici, hordei, fabarum non dabantur, ut a populo Parcis offerrentur, quod modo dixit Panvinius. Nam quamvis in textu Zosimi ita legat: *Coibat populus in ea, quæ supra dixi, loca, tum præterea in Dianæ templum, quod est in Aventino, & cuique triticum, & fabas dari mos erat, quæ Parcis offerrent.* Nihil tamen, quoad hæc de Parcis, est in versione Leunclavii, nec etiam in Græco Zosimo: quod enim de Parcis habet, refertur ad pervigilia. Imo Zosimus aliam causam affert, cur populo illa darentur, ut ipse populus daret iis, qui in spectaculis exhibitis egissent. Ita enim ille: *Hæc qui pera-*

peragunt, pro mercede primitias fructuum, tritici, hordei, fabarum accipiunt: nam illæ, ceu dictum est, populo distribuuntur. Fuit enim receptum apud veteres, ut merces daretur iis, qui in scena aliquid repræsentarant: unde antiquis tragœdis hircum in tragœdiæ præmium datum significat Horat. de Art. poet. n. 220.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Idem habet Theocr. Idyll. I. 4. Et hunc morem prodit Virg. Georg. II. 379.

Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi,
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Thesidæ posuere.

Taffin. l. l. Illis a diis immortalibus petebant plura sibi bona conferri, quæ crederent ad florem, & bonum Reipublicæ plurimum prodesse. Inprimis, ut matres partus suos in lucem feliciter emitterent. Horat. carm. secul. n. 13.

Rite maturos aperire partus,
Lenis Ilithyia tuere matres.

Deinde, ut suboles multa produceretur, ac leges nuptiales essent efficaces. Horat. ibid. n. 17.

Diva, producas subolem, patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.

Denique rogabant ab Apolline, ut probos mores juventuti daret, quietem senectuti, populo universo divitias, filios, honores cujusvis generis, quæ complexus est Horat. ibid. n. 45.

Di probos mores docili juventæ,
Di senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date remque, prolemque,
Et decus omne.

Deinde mala a se depelli poscebant, quæ homines maxime affligunt, & Rempublicam vastant. Proderant hi ludi, ut Zosimus scribit, *ad pestes, lues, ac morbos sanandos.* Horat. Od. I. 21. 13.

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemque a populo, & principe Cæsare in
Persas, atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Præterea petebant, famem, vel grassantem depelli, vel imminentem arceri: ut etiam belli imminentis periculum dissipari, aut suscitatum sopiri, quæ modo indicavit Horatius. Denique si bella permanerent, petebant, ut sui Imperatores, & duces exercitus de hostibus victores evaderent. Horat. carm. secul. n. 49.

Quique vos bobus veneratur albis,
Clarus Anchisæ, Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.

Taffin. ibid. c. 4. §. 4. 5. Noctu, & ad lumen etiam exercebantur. Suet. Cal. c. 18. n. 3. *Quondam & nocturnos ludos prælucentibus accensis facibus.* Tacit. Annal. XIV. 15. 5. *His dies ac noctes plausibus personare.* XIV. 20. 8. *Noctes quoque dedecori adjectas.* Lips. in Tacit. n. 42. Edebantur sub tempus messis. Claudian. de Honor. Consul. VI. 388.

— *jam flavescentia centum*
Messibus æstivæ detondent Gargara falces,
Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos,
Circumflexa rapit centenus secula consul.

Zosimus: *Ipso autem messis tempore perpaucis diebus, antequam ludi peragerentur.* Hæc tamen non ita stricte capienda sunt, ut negandum sit eos aliquot diebus ante messis initium ut minimum celebrari solitos, nempe XI. Kal. Maji. *Taffin. ibid. c.* 8: II. 12. *Panvin. ibid. p.* 1083. *E.* Cæterum de temporum intervallis, quibus referrentur, fides in ambiguo est. V. infr. in *Seculum.* Illos curabant quindecimviri. V. infr. in *Quindecimviri.*

Ludi sigillares. Illis sigilla, id est, parva signa, sive simulacra, quæ ex ære partim, argentoque & auro, item fictili materia in hunc usum conflabantur, sibi invicem mittebant veteres. Spartian. Adrian. c. 17. *Saturnalia & sigillaria frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit, & alia invicem dedit.* Horum dies Saturnalibus adjecti eadem licentia peragebantur. Macrob. Sat. I. 10. *Saturnalia a sexto decimo cœpta in quartum decimum desinunt: quo solo fieri ante consueverant. Sed sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum, & lætitiam religionis extendit.* Mittebantur inprimis pueris. Spartian. Carac. c. 1. *Quæ a parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus, vel magistris sponte donavit. Sed hæc puer.* Ut puero, & magistratibus adhuc gerendis inepto *quadraginta aureos in sigillaria* Claudio misit Augustus apud Suet. c. 5. n. 2. *Turneb. Adv.* II. 2: XXIII. 28. *Patak. in M. Antonin. c.* 7. §. 3. *Mod. de Lud. & spectac.* II. 28. *Stuck. Ant. Conv.* I. 33. *Merul. de Sacrif. c.* 20. §. 5. *Beroal. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.*

Ludi Taurii *appellabantur in honorem deorum inferorum facti. Instituti videntur hac causa. Regnante Superbo Tarquinio cum magna incidisset pestilentia in mulieres gravidas, quæ fuerat facta ex carne divendita populo taurorum, ob hoc diis inferis instituti, & Taurii vocati sunt.* Paullus. Sed Festus. *Taurii ludi instituti diis inferis ex hac causa videntur. Tarquinio regnante cum magna incidisset pestilentia in mulieres gravidas, earum fœtus injecti sunt ex putore carnis taurorum immolatorum. Ob id Taurii ludi & appellati sunt, & fiunt in circo Flaminio, ne intra muros evocentur dii inferi. Sed Taurios ludos Varro ait vocari, quod eis ludis discipulus pendens a doctore in crudo corio tauri solutus sit impelli, atque usque eo cogi docere, quoad consisteret, & virtute talorum constaret firmitas.* Guther. de vet. jur. pont. III. 18. Scalig. in Festum. & Poet. I. 33. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1094. A. Caroli Antiq. Roman. II. 5. Rosin. Ant. Rom. V. 21. Donat. de Vet. Rom. I. 11. Voss. Lex. Etymol. Distinguebantur a secularibus in hoc maxime, quod in circo Flaminio fierent, seculares vero in campo Martio, & in omnibus theatris, & spectaculorum locis. *Taffin. de Lud. secul.* II. 3. §. 3. *Rosin. l. l.*

Ludi Terentini sunt dicti seculares, eo quod in campo Martio celebrarentur, in ea ejus parte, quæ Terentus dicebatur. Val. Max. II. 4. 5. V. illum supr. in *Ludi seculares.* Panvin. in Lud. secul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1073. Et Taffin. de Lud. secul. I. 8. §. 1. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 6. Mod. de Lud. vet. II. 30.

Ludi testacii a monte testaceo appellantur. Desiere fieri hi *ludi* Pii V. aut Gregorii XIII. pontificis temporibus, tumultuosis quidem & ineptis taurorum venationibus ante ordinati. Hoc ludicram una cum monte graphice pictum vidi domo in vinea Roncinorum Romæ inter Collinam portam, & viam Flaminiam. Sed nostro quidem ævo multo elegantius Florentiæ instaurantur, in ea siquidem urbe veteris adhuc circi vestigia supersunt: videri ea constans, & perpetua fama est, atque apparere descendentibus a ponte, cui Rubconte cognomen cessit, boream versus, ubi nunc Peruzzinorum ædes sunt. Perdurat adhuc ovalis formæ aspectus. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 19.

Ludi theatrales & scenici iidemne essent, inter hæc quærebamus. Ac sane differunt: quod tametsi Græcorum imitatione, qui Athenis Dionysia celebrabant, in honorem Liberi patris, sicut & scenici, conditi sunt: alius tamen erat habitus, alia facies. Propterea privati sumptibus fiebant in populi gratiam ab iis, qui illius favore magistratum adepti essent. In his fabulæ nullæ: sed lusus tantum heroum, ac nympharum habitu ad tibiæ modulos. Saltantes Mænadas, & Sillones, Satyrosque ac Tityros effingebant, cum vanno, vino, ovo, & bellariis discurrentes more Lupercalium, ferulis obvium quemque incessentes. *Scalig. Poet.* I. 30. Ortum habuere a Liberalibus apud Athenienses. *Buleng. de Theat.* I. 37. *Manutius de Person. c.* 2.

Ludi triumphales post insignes victorias celebrabantur, alii quidem epinicia peculiari vocabulo dicti: alii vero certo

certo anni tempore in memoriam victoriarum jam olim latarum edebantur: quales Antoniani XIII. Kal. Sept: Trajaniani die sequenti celebrabantur: & Augustales XII. ejusdem mentis per dies quatuor fiebant. *Mod. de Lud. & Spectac.* II. 22. *Rosin. Ant. Rom.* V. 22.

Ludi Trojani. V. illos infr. in *Troja*.

Ludi votivi omnis generis fuerunt plurimi, qui vel publici, vel privati. Publici Scto a magistratu majore vovebantur. Ut cum ob tumultum Gallicum Q. Servilius Ahala dictator creatus, *ex auctoritate patrum, si prospere bellum evenisset, ludos magnos vovit.* Liv. VII. 11. Quandoque in ipso pugnæ discrimine Imperatores vovebant *ludos*, quos postea bello confecto senatus comprobabat. Quales fuerunt Postumii dictatoris. Dionys. VII. p. 475. *Ludos hos decrevit senatus Romanus ex voto A. Postumii dictatoris, quod is bello Latino fecerat.* Votivi pro reditu Imperatoris leguntur in antiquo lapide Romæ:

TI. CLAUDIUS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERUM
IMP. ITERUM
LUDOS. VOTIVOS. PRO REDITU
IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
JOVI. OPT. MAXIMO. FECIT
EX. S. C.

Ad omnes primum publicas, aut bellorum, aut pestilentiæ calamitates, domesticas clades, aut victorias, aut si Respublica in eodem statu permaneret, referebantur: qui postea pro itu, & reditu Principis, pro adventu, ex adulatione illi quidem, non ex antiquo ritu concepti. *Guther. de vet. jur. Pontif.* III. 19. *Brisson. de Form.* II. p. 101. *Caroli Antiq. Roman.* II. 5.

Ludus erat domus, in qua gladiatores se exercebant. Val. Max. II. 3. 2. *P. Rutilius ex ludo C. Aurelii Mauri doctoribus gladiatorum arcessitis, vitandi, atque inferendi ictus subtiliorem rationem ingeneravit.* Gell. XII. 5. *Accepimus ferum quendam in ludo Cæsaris gladiatorem, qui cum vulnera ejus a medicis exsecarentur, ridere solitus fuit.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 330. B. Nardin. Rom. vet. III. 7. Primo gladiatores domi, & in reliqua familia, nec eruditi valde ad pugnam fuerunt. Hoc dictat ratio, quæ vult prima omnia rudia magis, & impolita esse. Et hoc apud Suidam dicit Polybius: *Olim, & initio apud Romanos nudis viribus gladiatorum certamen constabat. nunc autem plures viæ, & modi reperti.* Etsi quidam splendidiores, etiam post institutos *ludos*, habuere domi eos, aut apud amicos. Suet. Cæs. c. 26. n. 8. *Tyrones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat.* Quod tamen perrarum, & vulgo ars pugnandi docta, exercitaque in ipsis ludis. Prudent. contr. Symm. I. 382.

Nam quid vesani sibi vult ars impia ludi?
Quid mortes juvenum? quid sanguine pasta voluptas?

Lusorium appellat Lamprid. Heliogab. c. 25. *Stravit sibi triclinium in summo lusorio. Et dum pranderet, noxios,* ita appellat gladiatores, *& venationes sibi exhibuit.* Μονομάχων καταγώγιον Græce appellat Herod. I 16. 8. & Suidas μονομαχοτροφεῖον, contentus, sine alio additamento, posuisse nudam vocem. In Urbe plures ejusmodi, nominibus suis noti, & discreti: quorum in P. Victore mentio, & passim in marmoribus priscæ urbis. Reperi istos: Gallicum, Dacicum, Magnum, Mamertinum, Matutinum, & Æmilium. V. singulos suis locis. Fuerunt non solum Romæ, sed in coloniis, & municipiis. Capuæ inprimis. Cæs. de Bell. Civ. I. 14. *Capuæ primum sese confirmant, gladiatoresque, quos ibi Cæsar in ludo habebat, in forum productos Lentulus libertate confirmat.* Et Ravennæ. Strab. V. p. 148. *Saluber locus, ut illic gladiatores ali, atque exerceri Principes voluerint.* Ravennæ autem *ludum* exstruxit, aut certe voluit Cæsar. Suet. c. 31. n. 1. *Formam, qua gladiatorium ludum erat ædificaturus, consideravit.* De forma nihil dixerim, nisi multiplices in iis minutasque cellas fuisse, in queis seorsim singuli haberentur. Quintil. Declam. IX. *Morabor inter sacrilegos, incendiarios, &, quæ gladiatoribus una laus est, homicidas inclusos turpiore custodia, & sordido cellarum situ.* Et *An ille animus rediret in cellam, ferret saginam, magistrum, personam denique sceleris?* Lips. Saturn. I. 14. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 35. Hansen. de vet. jurejur. c. 20. Thys. de Gladiat. p. 218. Illis non lanistæ solum præerant; sed etiam digniori nomine procuratores: nec ii de plebe, sed ex civium primis: fuitque velut inter dignitates, & i fulsit id munus. Lapis priscus: CURATOR. MUNERIS. PUBL. GLADIATOR. Tacit. Annal. XI. 33. 6. *Decius quoque Calpurnianus, & Sulpicius Rufus procurator ludi, eadem pœna adfecti.* Inscriptio alia vetus:

T. FLAVIO. T. F. GERMANO. . . . .
PONTIF. MINOR. PROC. XX. HER.
PROC. PATRIMONI. PROC. LUDI.
MAGNI. PROC. LUDI. MATUTINI.

Lips. l. l. Medici etiam sui singuli his *ludis*: nec id novi seculi invento, sed diu ante Imperatores. Lapis:

SILVANO. SANCTO
C. AUSTURNIUS. MEDI
CUS. LUD. GALLICI
PORTIC. ET. EXEDR
ET. SIGN. ÆN
VOTO. SUSCEP
L. M
DEDIC. KAL. MAI
L. MARCIO. ET
SEX. JULIO. COSS

In quo sculpti coss. incidunt annum Urbis 663. Adeo antiqua cura illa in valetudine gladiatorum. Alius lapis: EUTYCHUS. AUG. L. MEDICUS. LUDI. MATUTINI. Exemplum translatum e Græcia, apud quos medici athletis. Arrian. Diss. III. *Oportet te,* compellat athletam, *jam in ordinem redigi, ad præscriptum vesci, abstinere bellariis, frigidam non bibere, nec si quid fortuito incidit, aut offertur. Medico enimvero obtemperare valetudinis præsidi.* At quæres, cui bono medici mox morituris? Dicam. I. Medicos haud tam arte acceperim, ut hodie; sed incluserim etiam chirurgos, usurpatione prisca. Ii autem opus certe gladiatoribus læsis, luxatisve. II. Ratio victus gladiatorii ea, ut salvi sine medico esse non possent. Large enim edebant, bibebant, & dabantur velut in saginam. V. supr. in *Gladiator*. Lips. Panciroll. & Thys. l. l.

Ludus Æmilius in octava regione, quæ Forum Romanum dicitur, a Victore ponitur. Ejus meminit Horat. Art. Poet. n. 32.

Æmilium circa ludum faber imus, & ungues
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos.

Quid is fuerit, Acro ibi explicat: melius autem adhuc Porphyrius: *Æmilii Lepidi ludus gladiatorius fuit, quod nunc Polycleti balneum est: illic demonstrat ærarium fuisse fabrum; imum, id est, in angulo ludi tabernam habentem.* Ex Horatio colligi queat, omnem illum tractum nomen ab hoc *ludo* mutuatum. Nam cum Porphyrius illic postea balneum fuisse dicat, & Victor nihilominus Æmilium hic *ludum* commemoret, consequitur necessario, omnem hunc tractum, sublato ipso *ludo*, nomen tamen *ludi Æmilii* retinuisse: nisi quis Victorem ante Porphyrium vixisse doceat. Ubi fuerit, nec Horatius exprimit, nec interpretes exponunt. Victor tantum in hac eum regione collocat: & hoc uno nos lumine contentos esse oportet. *Nardin. Rom. Vet.* V. 16. *Lips. Saturn.* I. 14. *Jun. de Pict.* III. 3.

Ludus Dacicus apud Rufum, & Victorem legitur in regione Urbis tertia, quæ Isis, & Moneta. Erat, in quo ex Dacia gladiatores exercebantur. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *pag.* 333. *D.*

Ludus Gallicus dicebatur, in quo Galli gladiatores exercebantur. A Ruso, & Victore collocatur in secunda

regione Urbis, quæ Cœlimontium. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 330. *B. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 4. §. 3.

Ludus literarius dicebatur *omnis ſchola, & magiſtri ludi literarii dicuntur, qui primas literas docent.* Afcon. in Cicer. p. 33. *Gyrald. Ænigm.* 20. Hunc frequentabant pueri cujuſvis generis, etiam illuſtrium virorum liberi, qui a pædagogis ſervis ducebantur in *ludum*, ac reducebantur. Ælian. Var. Hiſt. III. 21. *Puer adhuc Themiſtocles quodam tempore e ludo literario redibat: ita tunc obvio Piſiſtrato pædagogus dixit Themiſtocli, de via decederet paullulum tyranno accedente.* Sic apud Thucyd. VII. 29. dicuntur Thraces occupato Micaleſſo, occidiſſe etiam omnes pueros in ſchola *irruentes in ludum puerorum, qui maximus erat iſtic.* Hinc apud Terent. Phorm. I. 2. 36. de lenonis puella, *in quo hæc diſcebat ludo*, & illuc ab amatore *ducebatur & reducebatur.* Nam & puellæ in publicos ducebantur *ludos* a nutricibus ſuis, etiam apud Romanos. Sic enim Virginia, quam ſuæ libidini deſtinaverat decemvir Appius, dicitur a Liv. III. 44. *cum nutrice veniſſe in forum: namque ibi in tabernis literarum ludi erant.* Dionyſ. XI. p. 709. *Eam puellam jam nubilem Appius Claudius in ludo literario legentem conſpicatus, erat autem tunc ludus literarius in foro.* Ejuſmodi *ludos* etiam in caſtris habuerunt, unde memorat Suet. Cal. c. 45. n. 3. iſtic *obſides abductos e ludo literario.* Scilicet inter obſides ſumebant etiam vel maxime pueros, ut ex hiſtoria Porſennæ ſatis conſtat, quos tamen liberaliter educabant, & ideo in caſtris quoque *ludo* dabant literario. Adoleſcentes vero ſuos mittebant ſæpe in alias urbes, ut liberales perciperent diſciplinas. Ita Romani ſuos ablegabant primum in Etruriam, poſtea ad Maſſilienſes, denique in Græciam, potiſſimum Athenas, ſed & Rhodum & Apolloniam. *Perizon. in Ælianum. Donat. de Urb. Rom.* II. 9. *Nardin. Rom. Vet.* V. 2.

Ludus magnus a Ruſo & Victore locatur in tertia Urbis regione. Dictus eſt ad differentiam aliorum, quos magnitudine ſuperabat. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 333. *D.* Ubi ille fuerit, inveſtigatu difficile eſt, cum tota ferme regio tertia incolis, ac ædificiis vacua ſit. Manifeſti vero erroris redarguenda Notitia eſt, in qua matutinus pro magnus legitur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 10.

Ludus matutinus videtur fuiſſe, in quo mane gladiatores exercebantur. A Ruſo, & Victore collocatur in ſecunda regione Urbis. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 333. *C.* Ego non omnem *ludum* ſcholam fuiſſe gladiatoriam exiſtimem: quum & Romanam juventutem, præter illa libera campi Martii ſpatia, ſub magiſtris ſuis in ſcholis pugillatum, & cætera militaria exercitia addidiciſſe veroſimile ſit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7.

LUG.

LUGDUNUM, Gallis Lyon. Lugdunenſis Galliæ metropolis eſt, ad confluentiam Araris & Rhodani. Urbem hanc ædificaſſe, *cum Galliam comatam regeret, Munatium Plancum, Ciceronis diſcipulum* ſcribit Euſeb. Chronic. p. 155. At ipſum non conditorem, ſed coloniæ deductorem docet non tantum Senec. Epiſt. 91. ubi de ejus incendio hiſce verbis: *Huic coloniæ ab origine ſua centeſimus annus eſt, ætas ne homini quidem extrema, a Planco deducta in hanc frequentiam, loci opportunitate, convaluit.* Sed & hoc monumentum:

> L. MUNATIUS. L. F. L. N. L. PRON
> PLANCUS. COS. ACENS. IMP. ITER.
> VII. VIR EPUL. TRIUMP. EX. BAETIS. AEDEM SATURNI FECIT. DE.
> MANIBIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDUXIT LUGDUNUM
> ET RAURICAM

Coloniæ deductionem factam credo, poſtquam ejuſdem Munatii ſententia, Auguſti cognomen C. Octavianus Cæſar ſuſcepit, hoc eſt, juxta Panvinianam ſupputationem an. 725. circiter, atque ideo Auguſta dicta, prout Copia ob ejus omnium rerum abundantiam. Strab. IV. p. 132. *Hæc urbs maxime omnium Gallicarum hominum frequentia pollet. Præfecti enim Romanorum eo utuntur emporio, monetamque ibi tam auream, quam argenteam cudunt, & templum ab omnibus communi ſententia Gallis decretum Cæſari Auguſto ante hanc urbem ad concurſum fluviorum eſt poſitum.* Claudiam crediderim dictam ob aliquod Neronis in ipſam ſingulare beneficium, puta ob ejus fortaſſis reſtitutionem tunc temporis curatam; cum Senecæ ævo, qui temporibus Neronis floruit, & ceſſit fatis, *Lugdunum* igne conſumptum fuiſſe conſtet ex ejuſdem epiſtola modo laudata, cujus initium: *Liberalis noſter nunc triſtis eſt, nuntiato incendio, quo Lugdunenſis colonia exuſta eſt.* Cæterum *Lugdunenſem* coloniam in numerum immunium relatam docet Paull. l. 8. ff. de cenſib. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 596. *D. Scalig. Animadv. in Euſeb. p.* 154. *b.*

LUGUBRIA appellabantur veſtes funebres, quas ornamentis poſitis ſumebant. Ovid. Met. XI. 669.

> *Surge, age, da lacrymas: lugubriaque indue, nec me*
> *Indeploratum ſub inania tartara mitte.*

Triſt. IV. 2. 73.

> *Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam.*

Senec. ad Helv. c. 16. *Noſtis quaſdam, quæ amiſſis filiis impoſita lugubria nunquam exuerunt.* Kirchman. de Fun. II. 17. Moreſtell. Pomp. Feral. II. 22. Cujus coloris fuerint V. infr. in *Veſtis.*

LUN.

LUNA utriuſque eſt ſexus, & aliquando in nummis habitu virili exprimitur. Macrob. Sat. III. 8. *Philochorus in Atthide affirmat Lunæ ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili: quod eadem & mas æſtimatur, & femina.* Nicol. de Ritu Bacchan. c. 14. Spon. Ignot. deor. ar. Epiſt. 2. Boxhorn. Quæſt. Rom. 13. *Lunam* & Solem idololatræ coluerunt propter admirabilem ſplendorem, magnitudinem, celeritatem, vim, atque efficaciam cœleſtium corporum. *Wolf. Annot. in Morell. de veter. philoſ.* §. 14. *Voſſ. de Idolol.* II. 18. *Claſen. Theol. Gentil.* I. 4. §. 5. Sed poſt diluvium. Diodor. I. p. 7. C. *In Ægypto mortales mundum ſupra ſe contemplatos, & non ſine ſtupore demiratos univerſi naturam, duos eſſe deos exiſtimaſſe æternos, & primos, Solem quippe & Lunam, quorum iſtum Oſirim, hanc Iſim appellarunt.* Claſen. l. l. Partubus mulierum favere credebatur. Tertull. de Anim. c. 39. *In partu Lucinæ & Dianæ ejulatur.* Macrob. Sat. VII. 16. *Proprium ejus munus eſt diſtendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accelerando partui ſalutare eſt.* Unde *dux naſcentium, mortalium corporum auctor, & conditrix* vocatur ab eodem Somn. Scip. I. 11. Porphyr. apud Euſeb. de Præpar. Euang. III. 3. *Ac partui quidem tametſi virgo Diana præeſt, quod novilunio vis quædam inſit, quæ pariendi facultatem afferat.* Ideoque facem ardentem manu gerit, qua veteres novilunii virtutem ſignificabant, teſte eodem Euſebio. *La Chauſſe de Deor. ſimul. tab.* XII. *de Man. an. vot. refer. tab.* XI. *Tomaſ. de Donar. c.* 8. Ejus feriæ in Aventino erant pridie Kal. April. Ovid. Faſt. III. 883. V. illum infr. in *Templum.* Perion. de Græcor. & Roman. magiſtrat. III. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2811. F. A primo aſpectu Romulus menſes eſt auſpicatus, quod Kalendarum, Nonarum, & Iduum appellatio ſatis arguit, & confirmat Macrob. Sat. I. 15. *Romulus cum ingenio acri quidem, ſed agreſti ſtatum proprii ordinaret imperii, initium cujuſque menſis ex illo ſumebat die, quo novam Lunam contigiſſet videri.* Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 6. Primum aſpectum obſervare, & Regi ſacrificulo ſignificare ſolebat etiam pontifex minor. Macrobius. V. illum ſupr. in *Kalendæ.* Lipen. de Stren. c. 4. §. 3. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 10.

c. 10. §. 9. Siccam. l. l. Eclipsin passa æneis crepitaculis revocabatur. V. supr. in *Æra auxiliaria.*

Lunula erat calcei patricii ornamentum. Juvenalis, ubi de nobili, & ambitioso Romano agit, Sat. VII. 191.

Felix, & sapiens, & nobilis, & generosus,
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Interpres vetus: *Patricius senator est. Lunula nam adsuta calceis discernuntur.* Glossæ veteres MSC. *Aluta vocatur pellis capræ a luteo colore. Ut autem discernerentur nobiles ab ignobilibus, patricii a novitiis, subsuebatur pellis capræ in calce calceamenti, in modum lunæ, per quod nobilis designabatur.* Alia Scholia MSC. in veteri codice bibliothecæ Leidensis: *Appositam, depictam lunam in calceis.* Stat. Sylv. v. 2. 28.

Primaque patricia clausit vestigia luna.

Lunæ imaginem in calceis pictam fuisse, verosimile non videtur. *Lunam* enim *subtexi* dixit Juvenalis. Subtexi autem, vel depingi longe distant. *Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom.* 75. *Balduin. de Calc. ant. c.* 9. *Voss. de Art. Gramm.* I. 17. Hujus rei diversas rationes ponit Plutarchus: *An, ut Castor ait, signum hoc est habitationis supra lunam quæ fertur, & quod post mortem rursus animæ lunam sub pedibus habebunt? An hoc prisci habuerunt eximium, qui erant Arcades cum Euandro, & ante lunam nati dicebantur? Aut, ut multa alia, hoc quoque institutum erat, ut rebus secundis elati, ac superbientes, mutationis fortunæ in alteram partem admonerentur. Aut obedientiæ sic assuescere discebant, lunæ exemplo præstantiori parere non recusantes? & quemadmodum illa secundas obit partes: ita ipsi quoque contenti esse secundo loco, magistratibusque obtemperare, ab iisque potentiæ, & honorum fructu aliquo impertiri.* Harum tamen nulla placet viris doctis, qui magis probant, quam assignat Isidor. XIX. 34. *Luna in eis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significabat, quod initio patricii senatores centum fuerint.* Ruben. de Re vest. II. 4. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 318. & ad illum Salmuth p. 343. Rosin. Ant. Rom. v. 36. Balduin. & Voss. l. l. Laurent. de Re vest. c. 5. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 36. Ejus nota, licet Græcis centum significet, non fuit *P*, de qua litera hoc Zonaras est interpretatus, cum legisset, litera centenarium numerum designante calceos patricios ornatos fuisse; sed *C lunæ* corniculantis figuram exhibens. *Voss. & Ruben. l. l. Byn. de Calc. Hebr.* I. 9. §. 6. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 39. §. 1. & 2. Erat fibula eburnea instar *lunæ* corniculans. Quod a Numa institutum ferunt, & ab Arcadibus est deductum, apud quos nobilitatis erat gestamen. Et quidem in malleolo pedis. *Alex. Gen.* v. 18. *Pier. Hierogl.* XLIV. 23. *Rhodig. Ant. Lect.* XX. 26. *Grang. in Juvenalem. Falconer. ad Inscript. Athlet. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2329. *F. Rhod. de Acia c.* 5. *Salmuth ad Pancirollum & Balduin. l. l.* Sed hi falluntur. Ut ut enim id largiar, in *lunæ* modum formam fibularum fuisse, an non etiam cæterorum, qui ignobiles erant, calcei fuerunt fibulati? Quomodo igitur ab iis patriciorum calcei distinguebantur? *Boxhorn. l. l.* Et mihi haud omnino probatur. Video enim in antiquis statuis fibulas calceorum non apponi malleolis pedum, sed in superiore parte pedis. V. Isidorum infr. in *Mulleus.* Alii per *lunulam* patriciam uncinum intelligunt, in prima fronte calcei infixum, unde uncinatos, sive repandos calceos cum lunatis confundunt. Ita Salmas. in not. ad dedicat. stat. Regill. & Boxhornius. Hos refellit Philostr. de vit. sophist. II. in Herode Attico, dum ait: *lunulas* has non in parte anteriore calcei, sed circa talos, & malleolos pedis fuisse appositos. *Ob hæc, quasi vera essent, ipsum accusat Braduas Regillæ frater, celeberrimus inter consules, & nobilitatis notam appositam calceis gestans; hæc vero nota est* ἐπισφύριον *ex ebore, lunæ instar. Inde cum in senatum Romanum venisset, nihil probabile de crimine, quod accusabat, enarravit, sed laudes suæ prosapiæ longo sermone produxit; unde Herodes irridens eum: tu, inquit nobilitatem in pedum malleolis habes.* Sed apud illum *lunula* patriciorum est ἐπισφύριον. Et hæc vox occurrit apud Homer. Iliad. Λ. 18. Τ. 370. In qua voce difficultas vertitur. Eobanus enim Hessus Homeri versus ita reddit:

— *tum cruribus aptat*
Ære renidentes ocreas, quas fibula loris
Arctabat niveis.

Et sic etiam omnes Lexicographi recentiores τὸ ἐπισφύριον fibulam ocrearum exponunt. Indeque *lunulam* patriciam fibulam esse existimarunt scriptores modo laudati. Verum obstant omnes veteres Grammatici, qui aliter hanc vocem interpretantur. Didymus: ἐπισφυρίοις, τοῖς τῶν σφυρῶν καλύμμασιν, *malleolorum tegumentis.* Hesychius: Ἐπισφύρια, *quæ tegunt malleolos.* Ita etiam Eustathius, & alii. Unde arbitror, antiquorum heroum ocreas, quæ erant ex candido stanno, ut Homerus, circa talos, aut malleolos pedum ornamenta quædam habuisse ex argento, vel auro, quæ Homerus ἐπισφύρια vocat, quia malleolos pedum tegunt. Atque ita etiam patricios Romanorum calceos eodem in loco ornamentum eburneum ad formam mediæ *lunæ* habuisse, quod a Philostrato ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδὲς vocatur. Unde in veteri inscriptione, quæ dedicationem statuæ Regillæ continet, hi calcei dicuntur πέδιλα ἀστερόεντα περὶ σφυρά. Versus, qui ad hanc rem faciunt, quia unice opinionem nostram confirmant, apponam. Illos sic vertit Salmasius:

At princeps lunata pedum dat vincula nato:
Qualia Mercurius quondam gestasse putatur,
Cum flamma Æneam, belloque eduxit Achivûm
Per noctem: at multa cum luce salutifer illi
Circulus hærebat pedibus, lunæ æmulus orbi.
Quem talo adsuetum mox nexuit Æneadûm gens,
Nobilibus clarum Ausoniis insigne futurum
Cecropidum quamvis, Grajaque ab gente profectum
Hunc, talare decus Tuscorum exornat avorum.

Ruben. l. l.

Lunulæ dicebantur etiam antiquitus quædam ornamenta mulierum. Papias in Glossis: *Lunulæ sunt ornamenta mulierum, in similitudinem lunæ dependentes, bullæ.* Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom. 75. Has Hieronymus quoque mulieribus assignat. *Habent*, ait, *mulieres in similitudinem lunæ bullas dependentes.* Inter ornamenta muliebria recenset quoque Esaj. c. 3. n. 18. & ex eo Tertull. de cult. femin. c. 10. *Nullam de conchylio vestem Esajas increpet, nullas lunulas reprobet.* Errant, qui fibulas exponunt, ut ad Tertullianum Fevardentius. Revera enim bullæ fuerunt in torquibus, ut Hieronymus testatur. Et in Esaja Græci habent μηνίσκους. De his Hesychius: Μηνίσκοι, πέταλα, περιτραχήλια, μανιάκια, περιδέραια. Latinum *lunularum* nomen pridem in feminarum ornamentis usurpavit Plaut. Epid. v. 1. 34.

Lunulam, atque anellum aureolum in digitum?

ubi parum recte Lambinus lapillum, seu gemmam rotundam instar *lunæ* exponit, nisi ad hoc ipsum genus respicit, quanquam & in universum potius ex auro, quam ex gemmis fuisse existimem. *Scheffer. de Torquib. antiq. c.* 5. *Ruben. Diss. de Gemm. August. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1344. *A.*

LUP.

LUPA *Romuli nutrix honoribus est affecta divinis. Et ferrem, si animal ipsum fuisset, cujus figuram gerit. Auctor est Livius, Larentiæ esse simulacrum, & quidem non corporis, sed mentis, ac morum. Fuit enim Faustuli uxor, & propter vulgati corporis vilitatem, lupa inter pastores, id est, meretrix nuncupata est; exemplum scilicet Atheniensium in ea figuranda Romani secuti sunt: apud quos meretrix quædam nomine Leæna, cum tyrannum occidisset, quia nefas erat, simulacrum constitui meretricis in templo, animalis effigiem posuerunt, cujus nomen gerebat. Itaque, ut illi monimentum ex nomine, sic isti ex professione fecerunt.* Lactant. I. 20. *Lipen. de Stren.* I. §. 7. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom.* III. *p.* 214. *A. Vaillant. Numism.* I. *p.* 218: II. 47. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 20. Simulacrum æneum, ex cujus uberibus

pendent Romulus & Remus fuit in Capitolii porticu interiori prope aulam. Cicer. Cat. III. 8. *Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum, & lactentem uberibus inhiantem fuisse meministis.* Obseq. de Prodig. c. 122. *Inter alia relatum, biennio ante in Capitolio lupam Remi & Romuli fulmine ictam.* Adhuc in Capitolio sanctiore, id est ab omni veterum impuritate, ac superstitione purgato æneum inauratum *lupæ* infantium nutricis spectatur, fulminis πληγὴν in crure hiulcam ostendens. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 9. *Donat. de Urb. Rom.* II. 7. *Nardin. Rom. Vet.* V. 4. *Rycq. de Capit. c.* 24. Fuit & alterum, vel ad ficum Ruminalem. Liv. X. 23. *Ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum Urbis sub uberibus lupæ posuerunt.* Vel in templo Romuli ficui Ruminali vicino. V. illud infr. in *Templum.* Hanc Fulvius eandem esse arbitratur, quæ hodie in atrio visitur conservatorum. Nec a vero adeo remota ea ipsius sententia videtur. Verum quod plures istiusmodi *lupæ* æneæ in Urbe fuerint, licet hæc antiqua videatur, non ideo illam potius de Lupercali fuisse quisquam certo affirmare possit, quam unam de reliquis. *Nardin. & Rycq. l. l.*

Lupæ a Romanis dicta sunt scorta, quod initio cultæ Italiæ sylvestribus adhuc hominum moribus, scorta in sylvis palabant, uxoribus nondum statutis: cumque iis agrestes adhæscerent, & libidine expleta spoliarentur, *lupæ* ipsæ dictæ sunt. Cedren. de Romulo & Remo: *Mos erat indigenis tales mulieres appellare lupas, quia semper in montibus cum lupis versarentur.* Barth. Adv. X. 2. Vel a rapacitate, quod rapiunt ad se miseros, imo sæpius probos, & honestos. Isidor. X. lit. L. & XVIII. 42. *Lupæ meretrices sunt a rapacitate vocatæ, quod ad se miseros rapiant, & apprehendant.* Almelov. Antiq. p. 38. Voss. Lex. Etymol. in Lupus. Grapald. de Part. dom. I. 6. §. 8.

LUPANAR dictum, quia *lupa* meretrix. Hieron. in Chron. Euseb. *Verum parvulos, prope ripam Tiberis expositos Faustulus regii pastor armenti ad Accam Laurentiam uxorem suam detulit; quæ propter pulcritudinem, & rapacitatem corporis quæstuosi lupa a vicinis appellabatur. Unde ad nostram usque memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur.* Lactantius. V. illum supr. in *Lupa.* Brisson. de Jur. connub. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1067. A. Antiquissimo, sed depravato more Romanorum *lupanaria* permissa fuerunt, ut innuit Tacit. Annal. II. 85. 2. V. illum supr. in *Ædiles plebi.* Cicer. pro Cœl. c. 20. *Si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum juventuti putet: est ille quidem valde severus. negare non possum: sed abhorret non modo ab hujus seculi licentia, verum etiam a majorum consuetudine, atque concessis. Quando enim hoc factum non est? quando reprehensum? quando non permissum?* Quocirca etiam in honestorum prædiis *lupanaria* exercita fuisse scribit Ulpian. l. ancillarum ff. de hæred. petit. *Pensiones, licet a lupanario perceptæ sint: nam & in multorum honestorum virorum prædiis lupanaria exercentur.* Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 417. Fab. Agonist. III. 27. In ipso fuerunt palatio. Suet. Cal. c. 41. n. 2. *Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in Palatio constituit: distinctisque & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ, ingenuique starent.* In hoc stupranda olim sedebat & Messalina Claudii uxor. Dio LX. p. 686. A. *Messalina adulteriis, & stupris non contenta (jam enim etiam in cella quadam in palatio & ipsa sessitabat, & alias primarias prostituebat) maritos simul multos ritu legitimo habere cupivit.* Et suæ libidini explendæ similem in palatio cellam habuit Avitus. Xiphil. LXXIX. p. 912. E. *Denique in palatio habuit cellam quandam, in qua libidinem explebat, stabatque nudus semper ante fores ejus, ut scorta solent.* Pitisc. in Suetonium. Reliqua *lupanarium* loca V. infr. in *Meretrices.*

LUPARIA est civitas Hispaniæ Ptolemæo, & Aprutii. *Luparius* etiam est, qui venatur lupos. Sed locum insignem regionis secundæ intelligunt Rufus & Victor, dum in illa *Luparias* ponunt. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv Tom.* III. *p.* 329. *A.*

LUPATA sine additamento, & *lupata frena* sunt lupos habentia, velut armata *lupis*, adeoque duriora & asperiora: ut currus falcati, qui falces habent: secures dolabratæ, quæ habent dolabram: falces vericulatæ, quæ habent vericulum. Ad os equi, quantumvis ferocis temperandum, domandumque aptissima sunt. Horat. I. 8. 6.

> —— *Gallica nec lupatis*
> *Temperet ora frenis.*

Turneb. Adv. XI. 28. Hugo de Milit. Equest. I. 3. Virg. Georg. III. 208.

> —— *Duris parere lupatis.*

Servius: *Lupatis, frenis asperioribus. Dicta autem lupata a lupinis dentibus, qui inæquales sunt*, & asperi, inæquali serie aculeorum. Hinc, quæ apud Virgilium *dura*, ea *rigida* Claud. in consul. Prob. n. 82.

> —— *rigidisque docet servire lupatis.*

Lambin. ad Horat. dicta dicit a lupo instrumento ferreo, unco, & tortuoso, instar dentium lupinorum, quod pro *lupato* freno usurpatur. Qui quale instrumentum ferreum intelligat, ex quo dictum sit *lupatum*, nescio. Lego quidem apud Veget. IV. 23. *lupum*, quem exponit *ferrum, in modum forficis dentatum.* At hic nihil ad frenos facit, quod ostendit forfex, cui comparatur. Talis nil commune habet cum frenis, ut ignorem quare scripserit Lambinus, *pro lupato freno usurpari.* Equi, qui istis domantur, ferociores dicuntur, ut existimant aliqui, λυκοσπάδες Græcis. Plutarch. Symp. II. 8. *Equos lycospadas sunt nonnulli, qui a frenis, quæ lupata dicuntur, appellatos putent, ob ferociam, & contumaciam sic domitos.* Sed λύκους ipsa dicta esse *lupata* non existimo. Quare verto, *qui a frenorum lupis ajunt appellari.* Non enim sunt λύκοι χαλινοὶ, sed λύκοι χαλινῶν, cohærentque ἀπὸ τῶν λύκων τῶν χαλινῶν, pro τῶν λύκων τῶν ἐν χαλινοῖς. Quod monendum fuit, quia video τοὺς λύκους, sive *lupos* accepisse aliquos pro χαλινοῖς, seu frenis ipsis. *Scheffer. de Re vehic.* I. 13. *Minos in Alciat. Emblem.* 34.

LUPERCAL ex antiquissimis Romuli monumentis primum occurrit. Specus fuit ficui Ruminali vicina, Pani Lyceo ab Arcade Euandro consecrata. Ita est apud Dionysium & Livium mox laudandos. De *Lupercali* sunt hæc verba Serv. Æneid. VIII. 343. *Sub Palatino monte est quædam spelunca, in qua de capra luebatur, id est, sacrificabatur: unde & Lupercal dictum.* Contra antrum illud, in quod se *lupa* Romulum, & Remum lactans recepit, fuisse dicit Ovid. Fast. II. 421.

> *Illa loco nomen fecit; locus ipse Lupercal.*
> *Magna dati nutrix præmia lactis habet.*

Utrumque verum esse potest: ita ut *Lupercal* ab Euandro institutum sit, & in ea spelunca Romulo & Remo *lupa* ubera admoverit, in cujus rei memoriam Romani effigiem illic *lupæ* geminos lactantis ex ære posuerunt, quam Fulvius illam esse putat, quæ hodieque in Capitolio in atrio Conservatorum conspicitur. V. & supr. in *Lupa.* Eam Cn. & Q. Ogulnius ædilibus curulibus assignat factam ex ære multatitio fœneratorum Livius. Sed V. illum supr. in *Lupa.* Meminit & Plin. XV. 18. *Quoniam sub ea, ficu, inventa est lupa præbens rumen, ita vocabant mammam, miraculo ex ære juxta dicato, tanquam in comitium sponte transisset.* Item Dionysius laudandus infr. in *Templum Romuli.* Sed ficus Ruminalis manifestum argumentum est, infantes prope *Lupercal* a lupa lactatos. V. Servium supr. in *Ficus Ruminalis.* Fuit itaque in regione decima, quæ Palatium, prope ficum Ruminalem, & comitium, quæ octavæ regionis sunt, & vicinum Volcanali, quod in quarta fuit. Ergo in angulo Palatini ad latus S. Mariæ Liberatricis inter duas vias terminales regionis X. IV. & VIII. Quod adversus Volcanale situm fuerit, nominis forsan etiam eandem accepit terminationem. Facies ejus septentrionem respexit. Virg. Æneid. VIII. 343.

> —— *& gelidum monstrat sub rupe Lupercal.*

Nulla autem Palatini pars boreæ magis adversa est, quam angulus ille. Certe non ita ad mediam noctem vergit S.

Theo-

Theodori eccleſia, ubi Marlianus *Lupercal* fuiſſe ſitum exiſtimat: cui & ficus Ruminalis, & comitii longinquitas plurimum obſtant, quæ vicina illi fuiſſe vidimus, & Victor in regione octava aperte indicat: *Ficus Ruminalis*, inquiens, *in comitio, ubi & Lupercal.* Omnino abſurdæ, & prodigioſæ ſunt Blondi, & Læti opiniones: quorum ille *Lupercal* in altera palatii parte ſtatuit, objectum ædi S. Gregorii prope Septizonium Severi. Sed hunc Marlianus prolixe & efficaciſſime refutat. Lætus in Capitolio collocat e regione Palatini; & per conſequens ficus etiam Ruminalis. Fulvius duo exſtitiſſe aſſerit *Lupercalia*, alterum ad ædem S. Theodori, alterum ad arcum Titi, ubi comitium fuiſſe putat. Sed hic refutatione eſt indignus. Certum igitur eſto *Lupercal* ad S. Mariæ liberatricis ædem in ipſo monte ſpeluncam fuiſſe. Hanc deſcribit Dionyſ. I. p. 25. *Arcades conjunctis ſub colle ſedibus, exornatis more patrio domiciliis, templa quoque conſtruunt; primum Lycæo Pani, jubente Themide, Arcadibus enim deorum antiquiſſimus, & honoratiſſimus eſt Pan, idoneo invento loco; quod Romani Lupercal nominant, nos Lycæum dicere poſſemus. Et nunc quidem ædificiis fanum circumquaque ſepientibus difficilis conjectura eſt, qualis olim loci natura fuerit: ſed, ut fertur, erat tum ſpelunca ſub tumulo magna, denſo querceto contecta, & ſub petris profundi fonticuli, ſolumque rupibus contiguum nemoroſum, & frequentibus, ac proceris opacum arboribus.* Hodie nullum illic aquæ veſtigium: unde & ſpecum, & fontem, decidente aliquo montis fragmine, inter ruinas ſepulta aliquando, obrutaque fuiſſe veriſimile eſt. *Nardin. Rom. vet.* VI. 12. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 10. *n.* 2: *c.* 12. *n.* 1. *Faun. Antiq. Urb. Rom.* II. 10. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 22. *E. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 12. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 365. *D. Donat. de Urb. Rom.* II. 18. *Moreſtell. de Fer. Roman. Dial.* VI.

LUPERCALIA *dicta, quod in Lupercali Luperci ſacra faciant.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 12. *Moreſtell. de Fer. Roman. Dial.* VI. Erant feſta & ſacrificia, quæ ad expiandos manes Pani Lycæo juvenes Romani offerebant. *Panvin. l. l.* Inſtituta vel ab Euandro ex Arcadia in Italiam tranſlato. Liv. I. 5. *Jam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuiſſe ludicrum ferunt, & a Pallanteo urbe Arcadica palatium, deinde Palatinum montem appellatum: ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempeſtatibus ea tenuerat loca, ſollenne allatum ex Arcadia inſtituiſſe, ut nudi juvenes Lycæum Pana venerantes, per luſum, atque laſciviam currerent.* Plutarch. Rom. p. 31. A. *Videtur ſollenne pervetuſtum Euandrum ex Arcadia allatum induxiſſe: hoc vulgatior fama tenet.* Juſtin. XLIII. I. 6. *Sub Fauno Aboriginum Rege Euander ab Arcadiæ urbe Pallanteo in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus & agros, & montem, quem ille poſtea Palatium appellavit, benigne aſſignavit. In hujus radicibus templum Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, conſtituit: ipſum dei ſimulacrum nudum caprina pelle amictum eſt, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur.* Et Dionyſius laudatus ſupr. in *Lupercal.* Vel a Romulo & Remo propter factam ſibi a Numitore avo poteſtatem condendæ Urbis in monte Palatino, ubi ſervati fuerant. Val. Max. II. 2. 9. *Lupercalium mos a Romulo & Remo inchoatus eſt, tunc cum lætitia exſultantes, quod his avus Numitor Rex Albanorum eo loco, ubi educati erant, urbem condere permiſerat ſub monte Palatino, hortatu Fauſtuli educatoris ſui, quem Euander Argivus conſecraverat: facto ſacrificio, cæſiſque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, diviſa paſtorali turba, cincti pellibus immolatarum hoſtiarum, jocantes obviam petiverunt: cujus hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur.* Moreſtell. & Panvin. l. l. Hoſpin. de Orig. feſt. Ethnic. p. 102. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 495. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. p. 3. c. 2. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 9. Mod. de Lud. II. 28. Læt. de Sacerdot. c. 2. Volaterr. Rer. Urban. XXIX. p. 1086. E. Blond. Triumph. Rom. I. p. 21. D. Schill Nomencl. Philol. p. 694. Demſter. Paralip. Antiq. Roman. Roſin. III. 2. Celebrabantur XV. Kal. Mart. Varr. ibid. c. 4. *Ego magis arbitror Februarium a die februato, quod tum februatur populus, id eſt, lupercis nudis luſtratur antiquum oppidum Palatinum, gregibus cinctum.* Ovid. Faſt. II. 267.

Tertia poſt Idus nudos Aurora Lupercos
Adſpicit.

Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 843. A. Perion. de Græcor. & Roman. magiſtrat. III. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2809. A. Hoſpin. & Panvin. l. l. In illis juvenes tranſcurrebant, ad imitationem curſus Romuli, Remive, qui ut Butas refert, victo Amulio, lætitia exſultantes, ad eum locum cucurrerunt, ubi infantibus ipſis lupa ubera præbuiſſet. Ita Butas in Eleg. rer. Roman.

Percutere oblatos: velut enſe cucurrit ab Alba
Armatus quondam Romulus atque Remus.

Plutarch. ibid. C. *Moreſtell. l. l. Meurſ. de Puerp. c.* I. *Boxhorn. Quæſt. Rom.* 36. Et quidem nudi. Feſtus ſupr. in *Crepi.* Livius modo laudatus. Valerius Maximus dixit illos *cinctos pellibus immolatarum hoſtiarum*, non quod toto corpore pellibus tecti fuiſſent, ut quidam veterum pellibus veſtiri conſuevere, ſed ſubtilibus tantum, nam ad ilia ſemper fuere nudi. Docet hoc Plutarch. ibid. B. *Poſt hæc diſſectarum caprarum pellibus cincti, nudi, currentes ſcuticis obvios cædunt.* Braun. de Veſt. Hebr. ſacerd. I. I. §. 3. Lomej. de Luſtrat. c. 34. Mod. l. l. Schill ibid. p. 693. Seu ut Panem imitarentur. Ovid. ibid. n. 281.

Cur igitur currant; & cur ſic currere mos eſt,
Nuda ferant poſita corpora veſte, rogas?
Ipſe deus velox diſcurrere gaudet in altis
Montibus; & ſubitas concitat ille feras.
Ipſe deus nudus nudos jubet ire miniſtros:
Nec ſatis ad curſum commoda veſtis erat.

Hoſpin. l. l. Vel ad ejusdem Romuli imitationem. Plutarch. ibid. C. *C. Acilius ante conditam Urbem auctor eſt Romuli & Remi pecus amiſſum fuiſſe, quos Fauno voto facto nudos, ne moleſtus iis ſudor foret, ad requirendum id excurriſſe. Hinc nudos diſcurrere Lupercos.* Sed hujus ſententiam non tenet Servius, enarrans Virg. Æneid. VIII. 663. Ait enim: *Quum in honorem Panos Lupercaliorum ſollennitas celebraretur, pecora Romanorum a latronibus rapta ſunt. Illi projectis veſtibus perſecuti ſunt latrones, quibus oppreſſis, & receptis animalibus, propter rem a nudis proſpere geſtam, permanſit conſuetudo, ut nudi Lupercalia celebrarent.* Enſem cruentum adoleſcentium fronti admovebant. Plutarch. ibid. B. *Jugulant capras, inde nobilibus duobus adoleſcentibus adductis, alii gladio cruento frontem tangunt, alii ſtatim imbuta lacte lana detergunt eam: deterſa ridere adoleſcentes oportet. Scribit Butas, enſem cruentum fronti admotum cædis notam eſſe & periculi. Abſterſionem per lac ipſorum monimentum nutrimentorum.* Moreſtell. Hoſpin. Læt. Roſin. l. l. Præter capram, quam jugulabant, etiam immolabant canem. Plutarchus. V. illum ſupr. in *Canis.* Obvios ſcutica feriebant. Plutarch. l. l. *In ſubligaculo diſcurrunt nudi, obvium quemque ſcuticis cædentes. Mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem, & partum ratæ.* Et Cæſ. p. 736. C. *Lupercalia agebantur, quæ multi tradunt fuiſſe feſtum olim paſtorum. Congruunt aliquatenus cum Arcadicis Lycæis. Nobiles juvenes frequentes, & magiſtratus, nudi per Urbem diſcurrunt hirſutis ſcuticis obvios per ludum, & jocum cædentes. Multæ quoque principes feminæ ex compoſito offerunt ſe illis, ac manus ferientibus, ſicut in ludo literario, offerunt, creduntque id ad facile puerperium prægnantibus, & infœcundis proficere ad conceptum.* Ovid. Faſt. II. 425.

Nupta quid exſpectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ:
Jam ſocer optati nomen habebit avi.

Mariſ. Iatt. de Larv. & perſ. c. 9. La Chauſſe de Man. æn. vot. refer. tab. 14. Tomaſ. de Donar. c. 27. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 14. Panvin. Gyrald. Braun. Hoſpin. Urſat. Roſin. Meurſ. l. l. Schill Nomencl. Philol. p. 695.

Floccus

Floccus de Poteſt. Roman I. 1. Imo ferula, aut ſaltem pellibus inſtar ferulæ ſe cædendas *Lupercis* offerebant. Ferulæ mentionem expreſſe facit Prudent. in Symm. II. 861.

> *Inde Lupercales ferulæ, nudique petuntur*
> *Diſcurſus juvenum.*

Braun. l. l. Perduraverunt Romæ uſque ad Anaſtaſii Imperatoris tempora, Theoderico Amalo Gothorum Rege in Italia regnante; quibus auctore Gelaſio Papa circiter annum Chriſti 495. reclamantibus ſuperſtitioſis quibusdam Romanis omnino abolita ſunt; ut ex antiquo S. R. regiſtro cognovi. *Panvin. l. l. Struv. Antiq. Roman. c. 12. p.* 634.

LUPERCI dicebantur, *qui Lupercalibus nudi, ſolisque præcincti ſubligaculis diſcurrebant, & ſcuticis obvios feriebant.* Plutarch. Quæſt. Rom. 67. Romul. p. 31. B. Cæſar. p. 736. C. *Claſen. Theol. gent.* III. 1. §. 17. *Laurent. var. ſacr. gent. c.* 1. *Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 634. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* III. 2. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 22. *E. Saubert. de Sacrif. c.* 6. Horum tria fuerunt collegia, Fabiorum, Quintiliorum, Juliorum. De duobus prioribus Feſtus: *Fabiani & Quintiliani appellabantur Luperci a Fabio & Quintilio præpoſitis ſuis.* Ovid. Faſt. II. 375.

> *Dicta facit, Fabiique ſimul: venit irritus illuc*
> *Romulus, & menſas, oſſaque nuda videt.*
> *Riſit, & indoluit, Fabios potuiſſe, Remumque*
> *Vincere, Quintilios non potuiſſe ſuos.*

Tertium a C. Julio Cæſare additum eſt. Dio XLIV. p. 243. B. *Tertium quoddam genus ſacerdotum, quod Julium vocarunt, & Lupercalia celebraret, inſtitutum.* Turneb. Adv. VII, 3. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 496. C. Auguſt. de Famil Roman. in Fabia. Lomej. de Luſtrat. c. 13. Struv. l. l. Pellibus hinnulorum induebantur. Euripides. V. illum ſupr. in *Hinnuleus.* Et caprinis cingebantur. Juſtinus. V. illum ſupr. in *Lupercalia.* Ovid. Faſt. V. 101.

> *Semicaper coleris cinctutis, Faune, Lupercis,*
> *Cum luſtrant celeres vellera ſecta vias.*

Lomej. & Demſter. l. l. Viro honeſto *Lupercum* agere turpe erat. Cicer. pro Cœl. c. 11. *Fera quædam ſodalitas, & plane paſtoritia, atque agreſtis germanorum Lupercorum, quorum coitio illa agreſtis ante eſt inſtituta, quam humanitas & leges.* Idem Antonio objicit, quod *Lupercus* eſſet Phil. II. 34. *Ita eras Lupercus, ut te conſulem eſſe meminiſſe deberes.* Lomej. l. l.

LUPINUS eſt genus leguminis, cibus vulgaris, & plebejus. Plin. XVIII. 14. Ut illum emendat Salmaſ. Exerc. Plin. p. 327. a. A. *Lupinorum uſus promiſcue cum ſit & homini, & quadrupedum generi ungulas habenti communis.* Unde *tricliniorum & pauperum conviva* dicitur Lycophroni Chalcidenſ. in ſatyrica fabula, quam ſcripſit adverſus Menedemum philoſophum apud Athen. II. p. 55. D. *Muſon. de Lux. Græcor. c. 6. Canter. Nov. Lect.* VI. 17. Propter inſignem amaritiem non niſi aqua macerati, cum ingratum ſaporem exuerunt, in uſus veniunt, tunc, ſale aſperſo, cum garo eduntur. Plin. XXXV. 10. *Protogenes, cum pingeret Ialyſum, qui eſt Romæ dicatus in templo Pacis, traditur madidis lupinis vixiſſe, quoniam ſimul famem ſuſtinerent, & ſitim, ne ſenſus nimia cibi dulcedine obſtrueret.* Nonn. de Re cib. I. 10. Unde *Zeno Citticus in familiares auſterus & iracundus, multo vini hauſtu, cum placidus & lenis fieret, interrogatus, quidnam ſic ingenium mutaret, id accidere ſibi reſpondit, quod & lupinis, priusquam madeſiant aqua, amariſſimis, poſteaquam macerati ſunt, & appoti, dulciſſimis & mitiſſimis.* Athen. ibid. F. Laert. de vit. philoſ. VII. 26. *Voſſ. Lex. Etymol. Caſaub. in Laertium. Savot. de Re numm.* II. 5. In ludis ad detinendam plebem ſpargebantur. Horat. Sat. II. 3. 182. V. illum ſupr. in *Cicer.* Ubi Acro: *Faba, & lupini a magiſtratibus ludis Floralibus jactabantur, vel in circo ædilibus.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 14. Buleng. de Circ. c. 56.

Lupinus etiam eſt nummus ex *lupino* macerato factus. Hujus in comœdiis uſus erat. Unde *aurum comicum* appellat Plaut. Pœn. III. 2. 20.

> *Agite, inſpicite, aurum eſt. Profecto ſpectatores comicum:*
> *Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves.*

Muretus, cum Lutetiæ nobiſcum eſſet, hanc explicationem nobis indicavit. Sicut, inquit ille, in comœdia pro aureis nummis annumerantur *lupini*, ſic & pueri *lupini* grana pro nummis ſoliti ſunt habere, atque numerare, & inter æs & *lupinum* parum diſtinguunt: atque idem hodieque in Italia luſitantes pueri ementiuntur, & *lupinis* nummos æmulantur. Imperator Juſtinian. l. 1. C. de Aleator. *Si quis ſub ſpecie alearum victus ſit lupinis, vel alia quavis materia, ceſſet etiam adverſus eum omnis actio.* Horat. Epiſt. I. 7. 23.

> *Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis.*

Turneb. Adv. I. 15. Lambin. ad Horat. Epiſt. I. 7. 23. Gruter. in Plautum. Voſſ Lex. Etymol. Guilielm. Plaut. Quæſt. in Stich. c. 4. Hotom. Antiq. Roman. IV. 1. 1. Meo judicio valde falluntur. Hoc ex Plauto non probatur. Nemo enim eſt, qui viderit numiſmata Græca aurea formæ minoris, quin ſciat, ea *lupinos* pæne æquare craſſitie, neque magnitudine eosdem excedere, & eundem fere colorem referre, adeo ut *lupinus*, procul conſpectus, olim facile poſſet falſam præbere ſpeciem exigui numiſmatis aurei, præſertim ejus, quod jam diu manus hominum eſſet paſſum. Plautum igitur loqui de *lupinis* inde apparet, quod dicat, id, quod pro nummo aureo oſtendebatur, eſſe aurum tale, quo macerato boves pingues fiant in Barbaria; qua quidem deſcriptione propterea hic utitur Plautus, ut ſignificet, ſe non de auro loqui, ſed de veris *lupinis*, qui aqua macerari ſolebant, ut amarum & inſuavem ſaporem exuerent, & ſic non bobus ſolum, ſed etiam hominibus eſui eſſent. V. ſupr. in *Lupinus.* Non ex Juſtiniani lege. Vox enim *lupini* in illa, ut docte obſervavit Gothofredus, non ſignificat genus quoddam monetæ, ſed veros *lupinos*, quippe qui eundem olim alea ludentibus uſum præſtabant, quem hodie præſtare ſolent calculi, aliave ſymbola, quæ vice monetæ in luſibus funguntur. Non ex Horatio. Nam hic non loquitur de moneta aliqua, ſed de duobus leguminum generibus, *lupinis* nempe & *ervis.* Et voluit ſignificare, homines ſapientes optime noſſe differentias rerum, etiam valde ſibi ſimilium. Eſt quidem differentia inter *erva* & *lupinos*, inter ſe tamen conveniunt. I. Ejusdem ſunt coloris, & ſaporis, ſufflavi nempe, & amari. II. Multiplicem utrumque legumen in medicina uſum præſtat. Quam enim virtutem Galenus *lupinis*, eandem Plinius ervis adſcribit: & vires, quas Cato braſſicæ ineſſe ait, uterque modo dictis leguminibus tribuit. III. Tam *lupini*, quam erva bobus, & pabuli, & medicinæ uſum præbent, ut docet Colum. II. 10: VI. 3. & *lupinos* eodem modo, quo erva præparari dicit Galen. de Facult. ſimpl. medic. II. *Savot. de Numm. ant.* II. 5. Qui hoc recte notavit, licet illa apud Horatium correctio neceſſaria non fuerit. *Gronov. de Pecun. vet.* IV. 12.

LUPUS eſt Apollini ſacer. Heſych. in Λυκοκτόνῳ. Unde Homerus λυκηγενέτην Apollinem vocat, ut Ælianus ait, quod Latona paritura induit *lupæ* ſpeciem, ideoque in Delphico templo *lupi* ſpecie Apollinis ſimulacrum eſt. *Buleng. de Prodig. c.* 35. Et Argivi quibusdam numiſmatis ſuis *lupos* imprimi curarunt. Docet hoc nos Demetrius Triclinius, vetus interpres Sophoclis in Electra. *Fazold. de Feſt. Græc. Dec.* 4. *Feſt.* 7. Ob magnum oculorum acumen, ut teſtatur enarrator Arati. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 717. *F.* Ominoſus erat. Horat. Od. III. 27. 1.

> *Impios parræ recinentis omen*
> *Ducat, aut prægnans canis, aut ab agro*
> *Rava decurrens lupa Lanuvino.*

Plin. VIII. 22. *Inter auguria ad dextram commeantium præciſo itinere, ſi pleno id ore lupus fecerit, nullum ominum præſtantius.* Buleng. l. l. Et ejus ululatus inter prodigia. Virg. Georg. I. 485.

— *& altæ*
Per noctem reſonare lupis ululantibus urbes.

Liv. XLI. 9. *Inter hæc, quæ nuntiabantur, lupus etiam Romæ interdiu agitatus, quum Collina porta intraſſet, per Eſquilinum magno conſectantium tumultu evaſit.* Buleng. ibid. c. 1. Cerda in Virgilium.

Lupus cervarius non eſt dictus, quod ex *lupo*, & *cerva* ſit natus. Hæc enim tam diverſæ naturæ, & hoſtilis inter ſe animi animalia ſimul coire vix credibile eſt. Scripſit hoc auctor quidam obſcurus, cujus nomen jam non ſuccurrit. Sed vel quod cervorum hinnulos maculis ſuis imitetur, vel quod *lupo* aviditate par, & cervis idem ſit infenſus. Oppian. Ἁλιευτ. II. 614.

Sic etiam in ſylvis, habet venatorum ſermo,
Lupos cervarios crudeles cervum exercere.

Geſner. de Quadrup. I p. 770. Harduin. in Plin. VIII. 19. Hunc Pompejus Magnus in theatro ſuo exhibuit. Plin. VIII. 19. *Pompeji Magni primum ludi oſtenderunt chaum, quem Galli rhaphium vocabant, effigie lupi, pardorum maculis.* Intelligit *lupum* cervarium. Idem c. 22. *Sunt in eo genere, qui cervarii vocantur, qualem e Gallia in Pompeji Magni arena ſpectatum diximus.* Bulenger. de Venat. Circ. c. 19. Panvin. de Lud. Circ. II. 3. Volaterr. Comm. Urban. XXV. p. 934. C.

Lupus piſcis. Huic in *Tiberi amne inter duos pontes optimum ſaporem adjudicavit Sergius Orata.* Plin. IX. 54. Pontes Sublicium & Palatinum, quod eum in locum excrementa Urbis per os cloacæ maximæ quotidie effunderentur. Hic Tiberinus non eſt lucius, quamquam uterque vorax, ſed qui Lucillio, & aliis catillo, Græcis λάβραξ. Macrob. Sat. II. 12. *M. Varro Rer. hum. XI. enumerans quæ in quibus Italiæ partibus optima ad victum gignantur, piſci Tiberino palmam tribuit. Inter eos præcipuum locum lupus tenuit, & quidem is, qui inter duos pontes captus eſt. Id oſtendunt cum multi alii, tum etiam C. Titius vir ætatis Lucillianæ in oratione, qua legem Fanniam ſuaſit. Edimus turdum pinguem, bonumque piſcem lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit. Lucillius oſtendit ſcire ſe hunc piſcem egregii ſaporis, qui inter duos pontes captus eſſet; eumque quaſi ligurritorem catillonem appellat: ſcilicet, qui proxime ripas ſtercus inſectaretur. Lucillii verſus hic eſt:*

Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 15. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 17. §. 1. Buleng. de Conviv. II. 5. Meurſ. de Lux. Roman. c. 14. Dignoſcebatur ex ſapore. Horat. Sat. II. 2. 31.

Unde datum ſentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet: pontesne inter jactatus, an amnis
Oſtia ſub Tuſci.

Meurſ. l. l.

Lupus ferreus erat inſtrumentum uncum ſimile dentium *lupinorum*. Liv. XXVIII. 3. *Qui erexerant ad murum ſcalas, alii furcis ad ipſum factis detrudebantur: in alios lupi ſuperne ferrei injecti, ut in periculo eſſent, ne ſuſpenſi in murum extraherentur.* Turneb. Adv. XI. 28. Lipſ. Poliorc. V. Dial. 8. Huic comparare noſtra ætate poſſumus illud genus, ſive teli, ſive inſtrumenti, quo in ſubruendis trabibus, lignisque per incendia utimur. Vulgo mauwer haken. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VIII. 18.

Lupus vocatur etiam frenum aſperrimum. Græcorum id factum imitatione, quibus itidem dicitur λύκος *parvum ferrum in frenis.* Heſychius. Qui dum dicit, ἐν τοῖς χαλινοῖς, docet partem frenorum fuiſſe, & quidem talem, quæ in os ſoleret inſeri. Ovid. Triſt. IV. 6. 4.

— *duros accipit ore lupos.*

Pars itaque peculiaris, quæ non in frenis omnibus. *Scheffer. de Re vehic. I. 13. Voſſ. Lex. Etymol.*

LUR.

LURCO fuit cognomen Aufidiorum. *Lurcones dicti capacis gulæ homines, & bonorum ſuorum conſumptores.* Feſtus. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5.*

LUS.

LUSCINUS fuit cognomen Fabriciorum. LUSCUS fuit cognomen Anniorum.	*Sigon. de Nom. Rom. c. 5.*

LUSITANIA Ana, & Durio fluviis, & Oceano clauditur, nunc Portugaliam nominant, cujus caput eſt Ulisippone, vulgo Liboña dicta. *Panciroll. Not. dign. imp. occid. c. 66.* A *Luſitanis* eo tempore liberis populis non fuit otium, verum perpetua cum illis, qui ulteriorem obtinebant Hiſpaniam, bella fuerant. Hæc autem bella Celtibericum, & *Luſitanicum* per multos annos, multosque duces, ſed maxime per M. Marcellum, qui rerum a ſe geſtarum monumentum Cordubam, teſte Strabone, reliquit, L. Lucullum, & Ser. Galbam, qui *Luſitanos* contra fidem datam oppreſſit, adminiſtrata, ac profligata a Numantino, & Viriathino excepta ſunt. Numantinum bellum Numantia Arevacum civitas movit, cum ſola ceteris Celtiberis ſubactis arma teneret. Viriathinum Viriathus paſtor, & latro in Luſitania, qui unus fuerat ex iis, qui ex Ser. Galbæ prætoris manibus evaſerant, cum *Luſitanos* contra fidem publicam tradidiſſet. Numantinum diu parum proſpere geſtum tandem P. Scipio Æmilianus confecit. Viriathinum ipſo redacto in poteſtatem Viriatho ad extremum abſolvit Q. Cæpio. *Luſitanos* inde aliis atque aliis ducibus latrocinia exercentes D. Brutus latius eſt perſecutus, qui ultra Durium amnem, uſque ad flumen Lethen, Miniumque penetravit, & toto littore Oceani peragrato Callæciam adhuc ab armis populi Romani integram, quod *Luſitanos* auxilio juverat, in poteſtatem adduxit, unde ipſe Callæci cognomen invenit, Valentia oppido iis, qui ſub Viriatho militaverant, ut tradit Liv. Epit. LV. aſſignato. Atque ita recepta Celtiberia *Luſitania* & Callæcia in poteſtatem venerunt. Unde Rufus ſcripſit: *Rebellantes Luſitanos per D. Brutum obtinuimus, & uſque ad Gades ad oceanum pervenimus.* Et Strab. III. p. 105. *Ultimi ſunt montes incolentes, ac propterea, qui ſubiguntur, difficillimi; qui Bruto ei, qui Luſitanos debellavit, cognomen dederunt. Luſitania* latrocinius, & Celtiberia poſtea bello non vacavit. Hujus rei cum C. Marii res geſtæ in *Luſitania*, tum T. Didii in Celtiberia teſtimonio ſunt. Didius coſ. XX. millia Arevaccum occidit; & Termeſtinorum urbem captam mœnibus nudavit, & Colendam poſt nonum menſem obſeſſam cepit, aliosque populos in deditionem redactos, ex decem legatorum, quos ſenatus eo miſerat, ſententia militibus necandos tradidit. Diuturnis inde bellis feſſas Hiſpanias bellum Sertorianum excepit, cum *Luſitaniam* Sertorius exſul Syllæ dictatoris inimicus obtinuiſſet, eamque contra Syllam, & ejus factionem teneret. Quo bello non *Luſitania* ſolum, ſed etiam Celtiberia & Vaſcones, & Ilergetes, & totus ille Sucronenſis, ac Durienſis tractus exarſit. Tandem per Q. Metellum Pium, & Cn. Pompejum Magnum, Sertorio occiſo, & Perperna in poteſtatem adducto receptæ Hiſpaniæ ſunt. *Sigon. de Ant. jur. prov. I. 5.*

LUSTRALIA dicebantur, quibus populus a quindecimviris expiabatur, & ad ludos ſeculares præparabatur. Quæ quid eſſent, quo tempore, quo loco populo diſtribuerentur, aperit Zoſim. II. 5. *Ipſo autem meſſis tempore, perpaucis diebus, antequam ludi peragerentur, in Capitolio, temploque Palatino, quindecimviri ſedentes in ſuggeſtu luſtralia populo diſtribuebant: ea autem ſunt faces, ſulphur, & bitumen.* Taffin. de Lud. ſecul. c. 6. Guther. de Vet. jur. Pontif. III. 18.

Luſtralia dicebantur, quæ duabus manibus accepta in aram pontifex, vel cenſor imponebat, quæ non proſecabantur. Serv. Æneid. VIII. 183. *Guther. de Vet. jur. Pontif.* IV. 2. *de jur. man.* III. 30. *Laurent. Var. ſacr. gent. c. 14.*

LUSTRARE dicebant veteres expiare, purgare. Serv. Æneid. III. 279. *Luſtramur, id eſt, purgamur, ut Jovis*

ſcra faciamus. Aut certe luſtramur, id eſt, expiamur. Piaculum enim commiſſum fuerat vivo in Thracia immolato. Non. IV. 277. *Luſtrare, expiare.* Virg. Ecl. V. 75.

> *—— & cum ſollennia vota*
> *Reddemus nymphis, & cum luſtrabimus agros.*

Lucill. Sat. II. *Luſtratus, piatus.* Liv. XL. 13. *Ego, etiamſi quid ante admiſiſſem piaculo dignum, luſtratus, & expiatus ſacro.* Voſſ. Lex. Etymol. Lomej. de Luſtrat. c. I. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 17. Pituſc. in Curt. X. 9. 11. Ad hunc ritum rite peragendum apta habebantur ova & ſulphur. V. illa in ſuis locis.

Luſtrare μεταληπτικῶς ſignificat circumire. Cauſa eſt, quod ad expiandos homines, urbem, ac arva ambire ſolebant. Hoc notant nomina ambarvalis ſacrificii, & ambubaiæ. Non. IV. 277. *Luſtrare eſt circumire.* Virg. Æneid. VIII. 231. *Luſtrat Aventini montem.* Næv. Ægyſtho:

> *Tum autem laſcivum Nerei ſimum pecus*
> *Ludens ad cantum claſſem luſtratur.*

Gloſſæ veteres: περιέρχεται, *luſtrat.* Gloſſar. Iſidor. *Luſtro, vagator.* Voſſ. Lex. Etymol. Lomej. de Luſtrat. c. I. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 17.

LUSTRATIO agrorum quomodo fuerit peracta, V. ſupr. in *Ambarvalia* & *Ager*.

Luſtratio claſſium, & copiarum navalium, ubi adduxiſſent aves, peragebatur. Liv. XXXVI. 42. *C. Livius præfectus Romanæ claſſis, cum ab Rheginis, Locriſque, & ejusdem juris ſociis debitas exegiſſet naves; luſtrata claſſe ad Lacinium, altum petit.* Fiebat autem in hunc modum, ut refert Appian. Bell. civ. V. p. 727. *Altaria ſtabant in extremo littore undis alluentibus: naves plenæ claſſiariis circumſtabant cum altiſſimo ſilentio: ſacrificuli ſtantes in mari mactabant victimas, moxque in ſcaphis ter circum claſſem exta luſtralia circumferebant, navigantibus una etiam ducibus, precantibusque ut in ea luſtramina a claſſe avertantur infauſta omnia, diviſis deinde extis, partem in mare projiciebant, partem adolebant in altaribus, fauſta ominante multitudine. Hoc modo Romani claſſes ſuas luſtrare ſolebant.* Preces fundi ſolitas prodidit Liv. XXIX. 27. *Dii, deæque, qui maria, terrasque colitis, vos precor, quæſoque; uti quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur, ea mihi, populo, plebique Romanæ, ſociisque nominis Latino, qui populi Romani, quique meam ſectam, imperium, auſpiciumque, terra, mari, amnibusque ſequuntur, bene verruncent: eaque vos omnia bene juvetis: bonis auctibus auxitis: ſalvos, incolumesque victis perduellibus victores, ſpoliis decoratos, præda onuſtos, triumphantesque mecum domos reduces ſiſtatis: inimicorum, hoſtiumque ulciſcendorum copiam faxitis: quæque populus Carthaginienſis in civitatem noſtram facere molitus eſt, ea ut mihi, populoque Romano in civitatem Carthaginienſium exempla edendi facultatem detis. Secundum eas preces, cruda exta, cæſa victima, uti mos eſt, in mare projecit, tubaque ſignum dedit proficiſcendi.* Scheffer. de Milit. nav. III. 3. Alex. Gen. dier. V. 27. & ad illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 491. G. Lomej. de Luſtrat. c. 31. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 17.

Luſtratio exercitus terreſtris ad hunc modum fiebat a Macedonibus: ut referunt Curt. X. 9. 12. *Macedonum Reges ita luſtrare ſoliti erant milites, ut diſciſſæ canis viſcera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab utraque abjicerentur parte: intra id ſpatium armati omnes ſtarent, hinc equites, illinc phalanx.* Liv. XL. 6. *Forte luſtrandi exercitus venit tempus, cujus ſollenne eſt tale. Caput mediæ canis præciſæ, & prior pars ad dexteram cum extis, poſterior ad lævam viæ ponitur. Inter hanc diviſam hoſtiam copiæ armatæ traducuntur. Præferuntur primo agmini arma inſignia omnium ab ultima origine Macedoniæ Regum. Deinde Rex ipſe cum liberis ſequitur. Proxima eſt regia cohors, cuſtodeſque corporis. Poſtremum agmen Macedonum cætera multitudo claudit.* Meurſ. Græc. Fer. p. 215. Lomej. de Luſtrat. c. 31. Croph. Ant. Maced. III. 5. Alex. Gen. dier. V. 27. A Romanis, qui exercitus ſuos, & ante, & poſt pugnam *luſtrarunt.* Priorem *luſtrationem* καθάρσιον τὸ πρὸ τῶν ἀγώνων γιγνόμενον appellat Dio XLVII. p. 349. E. Et in illa Caſſio *coronam quidam inverſam denuo impoſuit*, ut addit ibid. p. 351. C. Sil. Ital. XIV. 626.

> *Sic tandem ereptam morbis graſſantibus armat*
> *Marcellus pubem, luſtratis rite manipliſ.*

Dionyſ. IX. p. 613. *T. Quintius Capitolinus, Q. Servilius coſſ. luſtrato exercitu, contra hoſtes profecti ſunt.* Lomej. l. I. *Luſtrabatur* vero inſtructus, præcedente ſue, aut hirco, ove, & tauro, in campo Martio. Armati milites lauro coronati rem divinam faciebant ſub divo. Dionyſ. IV. p. 225. *Peracto cenſu juſſit cives omnes in campo, qui omnium ante Urbem eſt maximus, cum armis adeſſe. Ibi equitibus turmatim diſpoſitis, & peditibus in aciem directis, velitibuſque per ſuos item ordines digeſtis, luſtravit eos tauro, ariete & hirco. Eas hoſtias ter circum caſtra duci juſſas mactavit tenenti campum Marti. Hoc modo uſque ad meam ætatem poſt cenſum luſtrantur Romani ab iis, qui ſanctiſſimum magiſtratum gerunt: quod luſtrum ſua voce nominant.* Hujus meminit Liv. I. 28. *Sacrificium luſtrale in diem poſterum parat.* Alexand. & ad illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 489. F. Schill Nomencl. Philol. p. 700.

Luſtratio ovium fiebat Palilibus. Vetus Kalendarium: *Menſe Aprili, oves luſtrabantur.* Paſtor ſummo diluculo aqua illas inſpergebat, & ſulphure, herbaque Sabina, & lauro igne ſuccenſis circum ovilia ſuffumigabat: cumque ſacro carmine, milio, & libo cum lacte & ſapa Pali ſacra faciebat. Hoc ſuffitu pecora expiari, & morbos depelli, ac diras tabes exterminari putarunt. Ovid. Faſt. IV. 735.

> *Paſtor oves ſaturas ad prima crepuſcula luſtret:*
> *Unda prius ſpargat, virgaque verrat humum.*
> *Frondibus, & fixis decorentur ovilia ramis,*
> *Et tegat ornatas longa corona fores.*
> *Cærulei fiant puro de ſulphure fumi,*
> *Tectaque fumanti ſulphure balet ovis.*
> *Ure maris rores, tædamque herbaſque Sabinas;*
> *Et crepet in mediis laurus aduſta focis.*
> *Libaque de milio milii fiſcella ſequatur,*
> *Ruſtica præcipue eſt hoc dea læta cibo.*
> *Adde dapes mulctrumque ſuas, dapibuſque refectus*
> *Sylvicolam tepido lacte precare Palem.*

Tibull. I. I. 15.

> *Hic ego paſtoremque meum luſtrare quotannis,*
> *Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.*

Alex. Gen. V. 27. & ad illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 489. F. Lomej. de Luſtrat. c. 29. Cyllæn. & Broukh. in Tibullum. In omni autem agri, ſive pecoris *luſtratione* ſimul pro paſtoribus, ac familia fiebat. Cato de Re Ruſt. c. 141. *Uti tu morbos viſos, inviſoſque, viduertatem, vaſtitudinemque, calamitates, intemperiaſque prohibeſſis, defendas, averrunceſque. Utique tu fruges, frumenta, virgultaque grandire, beneque evenire ſinas. Paſtores, pecuaque ſalva ſervaſſis, duiſque bonam ſalutem, valetudinemque mihi, domo, familiæque noſtræ.* Paſtores aqua *luſtrabantur* atque igni. Tibull. II. 5. 87.

> *At madidus Baccho ſua feſta Palilia paſtor*
> *Concinet: a ſtabulis tunc procul eſte lupi.*
> *Ille levis ſtipulæ ſollennes potus acervos*
> *Incendet, flammas tranſilietque ſacras.*

Prop. IV. 4. 71.

> *Urbi feſtus erat, dixere Parilia patres,*
> *Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.*
> *Annua paſtorum convivia, luſus in Urbe,*
> *Cum pagana madent fercula divitiis.*
> *Cumque ſuper raros fœni flammantis acervos*
> *Trajicit immundos ebria turba pedes.*

Hi de igne: de aqua Ovid. II. 725.

> *Certe ego de vitulo cinerem, ſtipulaſque fabales*
> *Sæpe tuli plena februa caſta manu.*
> *Certe ego tranſilui poſitas ter in ordine flammas;*
> *Virgaque roratas laurea miſit aquas.*

Simpliciter Tibull. II. I. 17.

Dii patrii purgamus agros, purgamus agreſtes,
Vos mala de noſtris pellite limitibus.

Et hoc erat *paſtorem luſtrare.* Brouckh. l. l.

Luſtratio pagorum fiebat in agris. Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Paganicæ agriculturæ cauſa ſuſceptæ, ut haberet in agris omnis pagus.* Ovid. Faſt. I. 669.

Pagus agat feſtum, pagum luſtrate coloni;
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum Tellusque Cereſque
Farre ſuo, gravidæ viſceribuſque ſuis.

Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 25. *Sed & pagi ſæpe ſignificanter finiuntur, de quibus non puto quæſtionem futuram, quorum territoriorum ipſi pagi ſint, ſed quatenus territoria. Quod tamen intelligi poteſt, magiſtri pagorum, quoad pagos luſtrare ſoliti ſunt: uti trahamus, vel ex hoc quatenus luſtrarent.* Gothofr. ad Conſtit. Conſtant. M. l. 5. C. de Epiſc. Eccleſ. & Cleric. Lomej. de Luſtrat. c. 29.

Luſtratio rogi, antequam faces ſubjicerentur, fieri ſolita eſt a maxima quaque multitudine, quæ circumibat, & ambiebat rogum. Dio LVI. p. 598. B. *Cadaver Auguſti rogo impoſitum primum pontifices omnes, deinde equites, tum milites circumierunt,* περιῆλθον, *poſtea centuriones ignem admoverunt.* Quintil. Declam. 329. *Dum maxima multitudo quaque, dum univerſus denique populus luſtret, atque ambiat rogum.* Guther. de Jur. man. I. 26.

LUSTRUM pronuntiatum per *U* tenue, quod ſonat ut Græcum Υ, proprie erat denſum, & obſcurum latibulum, ſive cubile ferarum in ſylvis. Feſtus: *Luſtra ſignificant lacunas* (Scaliger legit *lamas*, quæ Gloſſis ſunt πηλώδεις τόποι, illi vero collectiones aquarum) *lutoſas, quæ ſunt in ſylvis aprorum cubilia.* Virg. Georg. II. 471.

— *illic ſaltus, ac luſtra ferarum.*

Voſſ. Lex. Etymol. Barth. Adv. x. 2. Almelov. Antiq. p. 39. Schill Nomencl. Philol. p. 696.

Luſtrum eodem modo pronuntiatum κατὰ μεταφορὰν vocatur lupanar. Feſtus: *A qua ſimilitudine ii, qui in locis abditis, & ſordidis, ventri, & deſidiæ operam dant, dicuntur in luſtris vitam agere.* Plaut. Bacch. IV. 4. 91.

Quod idem ſcortis, quodque in luſtris comedim.

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 798. A. Stuck. de Sacrif. p. 226. Schill Nomencl. Philol. p. 696. Duobus modis eleganter meretricibus adſcribi poteſt. I. quod, ut feræ inter ſeſe, ita quoque meretrices conſueverint ſe commiſcere cum omnibus viris nulla habita ratione. II. quod in terris, & locis ſolitariis plerumque conſtituatur: unde deſcendere ſenſu obſcœniori nonnunquam ſcriptores utuntur. *Almelov. Antiq. p. 39.* Et hinc *luſtrari*, quod notat luxurioſe vivere, ſuaque bona abligurire, & decoquere. Utrumque vocabulum conjungit Lucillius:

Quem ſumptum facis in luſtris circa oppida luſtrans.

Similiter uſus eſt Plaut. Pſeud. IV. 7. 6.

Luxuriantur, luſtrantur, comedunt, quod
Habent.

Inde *luſtramentum* apud Ictum eſt ἀσέλγεια, ἀφροδισιασμός. *Voſſ. Lex. Etymol.*

Luſtrum pronuntiatum per *U* craſſum, quaſi per diphthongum OΥ ſignificat tempus, quod Græci vocant olympiada. Varr. de Ling. Lat. v. 2. *Luſtrum nominatum tempus quinquennale: quod quinto anno vectigalia, & ultra tributa per cenſores perſolvebantur.* Feſtus: *Cum vocabuli prima ſyllaba producitur, ſignificat tempus quinquennale.* Hoc quinquennale ſpatium ſic capiendum eſt, ut quadriennio exacto, quinto quoque anno ineunte *luſtrum* peractum intelligatur. Et ita hi capiendi ſunt, quia *luſtrum* veteribus tantum notavit quadriennii tempus. Ovid. Faſt. III. 165.

— *in luſtrum accedere debet,*
Quæ conſummatur partibus, una dies.

Sidon. Epiſt. IV. 24. *Sed, ut chirographo facto docetur, cauta eſt centeſima fœneratori, quæ, per biluſtre producta tempus, modum ſortis ad duplam adduxit.* Scalig. de Emend. temp. v. p. 482. in Auſon. II. 23. Gyrald. de Ann. & menſ. Oper. Tom. II. p. 748. G. Witell. in Merul. c. 28. Ferret. Muſ. Lapid. I. Memor. 29: v. 23. Blond. Triumph. Rom. III. p. 63. B. Schill Nomencl. Philol. p. 697. Imo *luſtrum* eſt quinquennium abſolutum, quia exitu quinquennii, antequam cenſores abirent magiſtratu, mancupes, & redemptores populi Romani vectigalia cenſoribus luebant. Atque hæc eſt vera horum ſcriptorum ſententia. Et hoc ſignificare probamus auctorum locis. Stat. Sylv. II. 2. 6.

Huc me poſt patrii letum quinquennia luſtri.

Mart. II. 102. 3.

Deſtituit primos virides Demetrius annos,
Quarta tribus luſtris addita meſſis erat.

Quo loco nihil apertius. Quarta enim meſſis, id eſt, quartus annus tribus *luſtris* addi dicitur. Hinc ſequitur, *luſtrum* non ex quatuor annis, ut iſti volunt, conſtare. Præterea, ſi quadriennio *luſtrum* abſolveretur, non tria *luſtra*, ſed quatuor dici debuiſſent ætatis Demetrii, qui exceſſit tertio *luſtro* exacto, & quarti *luſtri* quarto anno, id eſt, undevigeſimo, ſive nono decimo ætatis anno. Eſt hoc dicendi genus perelegans, ac poetis in deſcribendis annis perfamiliare. Horat. Od. II. 4. 23.

Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere luſtrum.

Qui quadrageſimum ætatis annum ſe exegiſſe ſignificat. Qui & annum quinquageſimum agebat, cum ſcriberet Od. IV. 1. 6.

Circa luſtra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis.

Sic *alterum luſtrum* eſt quinquennium proxime futurum. Horat. Carm. ſecul. n. 65.

Si Palatinas videt æquus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in luſtrum, meliuſque ſemper
Proroget ævum.

Singulis enim *luſtris*, id eſt, quinquenniis vota pro Reipublicæ incolumitate concipiebantur. Suet. Aug. c. 97. n. 2. *Cum luſtrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum ſæpius circumvolavit: transgreſſaque in vicinam ædem ſuper nomen Agrippæ, ad primam literam ſedit: quo animadverſo, vota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium nuncupare juſſit. Nam ſe, quamquam conſcriptis tabulis, negavit ſuſcepturum, quæ non eſſet ſoluturus.* Huc accedit, quod tradit Dio, eo ipſo anno ſeculari, qui erat U. C. 736. finito decennio, in quinquennium Reipublicæ conſtituendæ poteſtatem accepit Auguſtus: cui eadem mox in alterum quinquennium decreta eſt: ac rurſus in decennium. Quo more uſi ſunt in Republica adminiſtranda qui ſecuti ſunt Imperatores. Quare in veteribus monumentis vota quinquennalia, decennalia, tricennalia, & vicennalia leguntur, quæ primo, ſecundo, & tertio decennio imperii ſolvebantur. Eſt in hortis Farneſianis Palatinis marmor cum victimis, & inſcriptione:

CÆSARUM
DECENNALIA
FELICITER

Et in arcu Imperatoris Conſtantini:

VOTIS. X
VOTIS. XX.

Caſtal. Var. c. 19. Savar. in Sidon. Epiſt. IX. 16. Voſſ. Lex. Etymol. Cruceus in Stat. Sylv. IV. 2. 62.

Luſtrum eodem modo pronuntiatum etiam ſignificat, ut Feſtus addit, *populi luſtrationem.* Hoc inſtituit Servius cenſu peracto. V. Dionyſium ſupr. in *Luſtratio exercitus.* Voſſ. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 697. Quod primum ab illo conditum anno ab U. C. 188. qui erat annus ejus decimus. Nam quod ſcriptum exſtat apud

Cenſor. de Die nat. c. 18. *inter primum a Servio Rege conditum luſtrum, & id, quod ab Imperatore Veſpaſiano V. & Cæſare III. coſ. factum eſt, anni interfuerunt paulo minus ſexcenti quinquaginta:* id potius librarii, quam Cenſorini error eſt. Hoc vero anno primum eſſe conditum patet ex monimentis Faſtorum Capitolinorum. Nam in illis an. 454. *luſtrum* ſextum & quadrageſimum dicitur. Quinquaginta *luſtra* fiunt anni 250. qui ab annis 574. abjecti relinquunt 324. Rurſus abjice 189. annos Urbis, poſt quod tempus proxime cenſemus primum *luſtrum* conditum, Remanent anni 135. Quæ ſunt *luſtra* 27. intermiſſa poſt primum illud Servianum. *Scalig. de Emend. Temp.* v. *p.* 183. Qui annum Tullii decimum dum comparat cum an. 188. hallucinatur. Nam ex eo conſequens erit Reges ad an. 246. vel 247. imperaſſe. Servius Tullius regnavit an. 44. Tarquinius Superbus 25. Fiunt demptis Tullii prioribus decem an. 60. qui cum 187. conjuncti dant an 247. Primus itaque Tullii incidit in an. 176. decimus in 185. Nam ſi ad hos annos adjeceris reliquos Tullii 34. & Tarquinii 25. hoc eſt, 59. conſient an. 244. quot Romanis Regibus, ipſo adſtipulante Scaligero, ab auctoribus aſſignantur. Proinde triennio toto is aberrat. Sed quæ in Scaligeri ratiocinatione eſt vis conſequentiæ? Anno 574. *luſtrum* quinquageſimum eſt conditum, qui ſunt anni 254. hi dempti de 574. dant 324. Ergo poſt an. 189. primum *luſtrum* eſt conditum. Nam quid annus ille 324. ad propoſitum facit? aut unde 27. *luſtra* prætermiſſa colligit potius quam 28. vel 29? In eo tamen collectionis cardo conſiſtit, ut 27. *luſtra* prætermiſſa fuiſſe planum faciat. Deinde quemadmodum ex eo, quod in faſtis annotatum ſit an. 574. *luſtrum* 50. fuiſſe conditum, horum initium ab an. 324. repetit: ita cum an. 454. *luſtrum* 46. iidem illi faſti conditum eſſe memorent, propterea quod an. 46. per quinque multiplicati faciunt an. 230. iique de 454. abjecti relinquunt an. 224. non minori jure licebit ad eum annum *luſtrorum* illorum revocare primordium. Quod ſi 27. *luſtra* prætermiſſa ſint, ſive an. 135. detractis totidem e 224. relinquentur an. 89. longe ante natum Tullium, ac ſub Tullo Hoſtilio *luſtra* Romæ conſtituta fuerunt. Adhæc *luſtrum* Romanum, ſive quinquennium quodlibet ſequens poſt ea ſacra, *luſtrationesve*, quibus conditum eſſe dicitur antecedens, procedere incipit. e. g. ſi primum *luſtrum* a Servio conditum eſt an. 188. annus quinquennii primus vel eſt is ipſe, quo certis expiationibus, ac ceremoniis conditum dicitur *luſtrum*, n. 188. vel ei proximus 189. Ita an. 193. primum *luſtrum* finitum erit, an. 198. ſecundum, atque ita deinceps. Unde ſi an. 188. *luſtrum* primum a Servio conditum fuit; itemque an. 574 alterum: debuit hoc a priori eſſe 78. ſiquidem *luſtra* nunquam intermiſſa fuiſſent. Nam de 574. abjectis 188. reſtant an. 385. qui ſunt *luſtra* ſolida 77. His adde *luſtrum* an. 188. conditum, ſeptuagies octies conditum fuerit ad annum uſque 574. ſi, ut dixi, poſt illud Tullii primum ſervata perpetuo fuiſſent. Nunc omiſſa ſunt 27. ut putat Scaliger. Igitur 51. reliqua ſunt; adeoque anno 574. non quinquageſimum, ſed quinquageſimum primum adſcribendum erat, ſi vera eſſet Scaligeri diſputatio. Sed *luſtra* videlicet multis annis omiſſa, & identidem longo intervallo repetita eſſe, fidem faciunt annales veteres. Faſti vero Capitolini numerum eorum fideliter adnotant; ita tamen ut ex iis nihil de illorum initio poſſit colligi. Poſtremo mira eſt inconſtantia, dum poſt an. 189. *luſtrum* eſſe conditum aſſeverat, quod paullo ante ſtatuerat anno ipſo 188. a Tullio cœptum fuiſſe. Onuphrius id ipſum ejuſdem an. 11. vel 12. contigiſſe ſcribit, qui eſt Urbis 186. vel 187. Quod confirmat I. quod Cenſorinus jam laudatus inter primum Tullii, & ſeptuageſimum quintum Veſpaſiani annos interceſſiſſe refert plus minus 640. Atqui ab an. 186. ad an. 826. in quo Veſpaſianus & Titus *luſtrum* condiderunt, anni interſunt 600. Igitur an. 186. vel ſequente, *luſtrum* eſt a Tullio conditum. II. quod Livius poſt victos Etruſcos Tullium cenſum feciſſe ſcribit 1.42. Porro in tabulis Capitolinis ſecundus Tullii de Thuſcis triumphus notatur an. 186. Quo acto veriſimile eſt ſtatim cenſum a Tullio conditum fuiſſe. Atqui neutrum primi luſtri tempus illud adſtruit. Nam Cenſorinus non an. 640. ſed paullo minus ſexagintis quinquaginta interceſſiſſe ſcribit. Quos ſi de an. 827. detrahas (nam conſulatus Veſpaſiani V. & Titi III. una cum cenſu ab ipſomet Onuph. in Faſtis p. 208. conjicitur in an. 827.) reliqui ſunt anni 187. qui eſt ſecundus Tullii. Unde anno fere primo, vel ſecundo cenſus ab illo conditus videtur. Sed quoniam Cenſorinus non plenos 650. ſed paullo minus interceſſiſſe docet, freti ejus loco, in quo numerum 650. agnoſcit Onuphrius loco jam laudato, & cujus verba mendoſa eſſe temere divinat Scaliger, Servium primum *luſtrum* an. 4. vel 5. vel 6. certe ante decimum inſtituiſſe contra utrumque pertendimus. Cenſum a Tullio poſt Etruſcos debellatos factum eſſe ex Livio non colligitur. Hic enim res a Tullio geſtas ſine ullo temporum ordine percenſens, primum bellicas, deinde civiles commemorat; *Cum Vejentibus, & Etruſcis*, inquit, *primum bellum ſumpſit: quibus fortiſſime victis inſignis gloria victor rediit.* Tum ſubdit: *Cenſum primus inſtituit....* Non dicit, poſt fortiſſimam victoriam tum demum cenſum inſtituiſſe. Ac ſi pro eo, quod de cenſu poſt bellum Etruſcum meminit, hoc illum poſteriorem fuiſſe licet colligere, eadem nos argumentandi vi prius a Tullio conditum eſſe probabimus; quoniam Dionyſ. iv. p. 218.... priore loco de cenſu, & *luſtro*, deque civilibus Tullii inſtitutis, quam de bello tractat. Qui inſuper Etruſcum illud bellum xx. annis perſeveraſſe narrat: quibus evolutis Etruſci ſeſe Tullio penitus ſubjecerunt. De quo tempore, ac belli totius exitu procul dubio loquitur Livius. Quare non ante an. xx. Tullii cenſum inſtitutum oportuit, ſi quid Onuphrii ratiocinatio promovet. Enimvero primis regni ſui temporibus, & cenſum, & *luſtrum* inſtituiſſe, & cætera Tullium ordinaſſe, quæ ad civilem adminiſtrationem attinent, adeoque ante ſuſceptum cum Etruſcis bellum, facile mihi perſuadeo: quod cum cenſio illa, præcipuaque civilium inſtitutionum pars ad militiam ordinandam pertineret, quo nimirum ad ſumptus bellicos pro virili quiſque contribueret, & ad bellum idonea ætas agnoſci poſſet, credibile ſit Tullium ſaluberrimum, atque oportuniſſimum illud inventum ad id quoque bellum, quod unicum, & vero diuturnum, ac difficile geſſerit, inprimis tranſtuliſſe. Præterea cum ter in Faſtis triumphaſſe de Etruſcis Tullium notetur, ac primus triumphus an. 182. ſit adſcriptus, cur poſt ſecundum potius, quam poſt primum, imo vero poſt ultimum inſtitutum eſſe *luſtrum* Onuphrius affirmat? *Petav. de vet. ann. Roman. c.* 76. Cenſum agere, & *luſtrum* condere quo modo differant V. ſupr. in *Cenſus.*

LUSUS naviandi quis fuerit dictus V. ſupr. in *Capita aut navim.*

LUT.

LUTATIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

LYC.

LYCAONIA mediterranea ab oriente Tauro a Cilicia Trachæa dividitur, a ſeptentrione contermina eſt Cappadociæ, ab occaſu Piſidiæ, a meridie Iſauriæ. Huic *Lycaon* Arcadiæ Rex nomen dedit, quem in eam profectum, & a Jove, cui membra humana comedenda appoſuerat, in lupum converſum poetæ fabulantur. Ejus urbes inſignes erant Lyſtra & Derbe, in quibus Paulus verſatus eſt Act.c.14. n.6. & Iconium metropolis. Ptolemæus. *Panciroll. Notit. Imp. orient. c.* 125. Hanc in provinciæ formam redegit Auguſtus. Dio XLIX. p. 411. A. *Antonius his ita actis Amyntam, qui ſcriba Dejotari fuerat, Galatiæ principem conſtituit, Lycaonia, Pamphyliæque partibus quibuſdam adjectis.* Panvin. Imp. Rom. c. 15. Sigon. de Ant. jur. provinc. I. 11. Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert. II. p. 209.

LYCHNAPSIA legendum eſt pro *Lignapſia*, ut legitur in vet. Kalend. in Auguſto; nam in Bucheriana editione

tione legitur *Lychnapſia*. Λυχναψία eſt idem atque Λυχνοκαΐα, ſive Accenſio lucernarum; quod fuit nomen feſti alicujus apud Ægyptios. V. ſupr. in *Lucerna*. In Kalendario autem hoc per *Lychnapſiam* opinor ſignificari ſollennitatem aliquam, pridie Idus Auguſti quotannis celebrari ſolitam, cum primum dies poſt ſolſtitium jam adeo decreviſſet, ut ad cœnam opus eſſet accenſis luminibus. *Lambec. in Kalend. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 108. *E.*

LYCHNIS eſt gemma ignei coloris. Dionyſ. Perieg. n. 329. V. illum ſupr. in *Aſteriis*. Aleand. Tab. Heliac. Expoſ. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. v. p. 733. A.

LYCHNUCHI penſiles paſſim erant in deorum delubris. Erant etiam in templo Apollinis Palatini. Victor in regione Urbis decima; quæ Palatium: *Ædes Apollinis, ubi lychni pendebant inſtar arboris mala ferentis.* Hunc in expugnatione Thebarum Alexander Luciniæ ademptum & ipſe Apollini dicaverat, & Auguſtus ſuo Apollini conſecravit. Plin. xxxiv. 3. *Placuere & lychni penſiles in delubris arborum modo mala ferentium lucentes, qualis eſt in templo Apollinis Palatini, quem Alexander Thebarum expugnatione captum Luciniæ dicaverat eidem deo.* Et in Græcorum prytaneis. Unde mirabilis ille *lychnuchus* apud Athen. xv. p. 700. D. in Tarentinorum prytaneo a Dionyſio juniore poſitus, *in quo tot arderent lucernæ, quot dies anni.* Et inde proverbium *Lychnuchus in prytaneo.* Spanhem. de Veſt. & Prytan. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. v. p. 678. A. Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 363. D. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XVII. 6. Demſter. Antiq. Roman. I. 13. Donat. de Urb. Rom. III. 2. *Lychnuchos* V. ſupr. in *Elephantus.*

LYCIA inter Pamphyliam, & Cariam media a ſeptentrione, confinis eſt Phrygiæ, olim 60 oppidis clara, ex quibus ætate Paulli 36 tantum permanſerant. Earum opulentiſſima metropolis fuit Myra. Martyrol. VI. Decembr. ad quam ipſe in Italiam navigans appulit Actor. c. 27. n. 5. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 125. *Sigon. de Ant. jur. provinc.* I. 11. Strabonis tempore libera erat. Ita enim ille XIV. p. 456. *Cum autem hoc modo regerentur, factum eſt, ut permiſſu Romanorum liberi fuerint, & patrios mores coluerint.* Illam Rhodiis ob egregie ab ipſis navatam operam bello contra Antiochum Romani tradiderunt. Liv. XXXVIII. 39. *Rhodiis Lycia, & Caria datæ.* Sed cum poſtea Perſeo Regi Macedoniæ faviſſent, eandem illis ademerunt, ac liberam eſſe juſſerunt. Non tamen immunis, ſed vectigalis fuit. Hoc ex eo cognoſcitur, quod Verri Ciliciæ prætori objicit Cicer. Verr. I. 38. *Proquæſtore quomodo Lyciam, Pamphyliam, Phrygiamque totam frumento imperando, æſtimandoque afflixerit, non eſt neceſſe demonſtrare. Hoc ſcitote, his nominibus (quæ res per eum geſtæ ſunt, cum iſte civitatibus frumentum, coria, cilicia, ſaccos imperaret, neque ea ſumeret, pro his rebus pecuniam exigeret) his nominibus ſolis, Cn. Dolabellæ H. S. ad tricies litem eſſe æſtimatam.* Cum bello civili a M. Bruto graviſſimam cladem accepiſſet, Antonius triumvir *Lyciis immunitatem conceſſit* apud Appian. de Bell. civ. v. p. 675. Cæterum Claudius Imperator an. 796. *libertatem Lyciis ademit ob exitiabiles inter ſe diſcordias*, ut ſcribit Suet. c. 25. n. 11. ſive *quod ad cædem uſque Romanorum quorundam tumultuando eſſent progreſſi*, ut auctor eſt Dio LX. p. 676. C. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* II. *p.* 221. *Sigon. l. l.* In provinciæ formam redegit Veſpaſianus. Suet. c. 8. n. 9. *Lyciam libertate adempta in provinciæ formam redegit.* Panvin. Imp. Rom. c. 18.

LYCIARCHA erat ſupremus *Lyciorum* magiſtratus. Strab. XIV. p. 456. *Lycii adeo civiliter, & continenter vixerunt, ut cum uſque in Italiam mari dominarentur, tamen nullo turpi quæſtu capti ſint, ſed in patria juriſdictione concilii Lyciaci permanſerint. Sunt autem tres ac viginti civitates, quæ ſuffragii participes ſunt: conveniuntque ex unaquaque civitate in commune concilium, quam ipſi probarint: civitatum autem maximæ tribus ſuffragiis ſingulæ prædita ſunt, mediocres duobus, aliæ uno: pro portione vero tributa conferunt, aliaque munera obeunt. In concilio primum Lyciarcha deligitur, deinde alii concilii magiſtratus, & judicia reddunt communiter.* Sigon. de Ant. jur. provinc. I. 11. Panciroll. Notit. dign. Imp. orient. c. 125. Emm. de Lycior. republ. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IV. p. 597. C. Et provinciæ ſuæ ſacerdos, qui pro ejus, ut opinabantur, ſalute ſacra procurabat, ludorumque erat editor, & ad ludorum expenſas aliquid a poſſeſſoribus ſenatoriis exegit. Strabo: *Sub Romanis potius imaginem antiqui magiſtratus retinuerunt creandi Lyciarchæ, qui non amplius, ut olim, imperat, ſed ſacerdotio fungens ludis publicis præeſt.* Buleng. de Vectig. c. 69. Panciroll. ibid. c. 106.

LYD.

LYDIA jacet inter Cariam, & Helleſpontum, cujus metropolis Sardis fuit, ſub Crœſo Rege inſignis. *Lydia*, ait Sext. Rufus, *ſedes antiqua regnorum Antiocho a L. Scipione adempta fuit.* Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 124. Ejus totus tractus in peculiari magnæ matris tutela fuit. *Spanhem. de Veſt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* v. *p.* 661. *A.*

LYM.

LYMPHÆA erant opera publica, ſimilia noſtris cryptis artificioſis, ſive antris delicatis, qualia in hortis magnatum, & ſplendidiorum virorum amœnioribus hodie videntur, ſic dicta a *lymphis*, quæ per diverſos tubulos, canaliculos, fiſtulas, cavernaſque occultas undique cum impetu improviſo proſiliebant in otioſos ſpectatores, eoſque aſpergine madefaciebant, dum toti hærerent in perluſtrandis, & conſiderandis horum ædificiorum ornamentis, decore, pulcritudine, quæ exculta erant conchis, & conchyliis omnium locorum, in certum ordinem, ſpatia, formam, figuras diſtinctis, digeſtis, ac velut conglutinatis. *Bergier. de Viis milit.* v. *Sect.* 8. §. 8.

LYMPHARII fuerunt procuratores linificiorum. l. 13. C. de murileg. *Si quis ex corpore gynæciariorum, vel lintearioram, vel lymphariorum.... vel aliorum ſimilium ad divinas largitiones nexu ſanguinis pertinentium voluerit poſthac de ſuo collegio liberari: non quoſcunque, nec facile in locum proprium, freti dextræ triumphalis abſolutione ſubſtituant....* Differebant a magiſtris lineæ veſtis, qui ipſum linum pecti, mundari, & excoli; & in veſtes converti faciebant. Hi rude linum procurabant, & potius linteæ, non lineæ veſtis magiſtri ſunt appellandi, ut vocat Theodoſius ibid. l. 14. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 75.

LYR.

LYRA, quamvis poetæ *lyram*, citharam, teſtudinem ſæpe pro eodem organo ponant, & cithara diverſæ ſunt, quia *Lyræ* Mercurius auctor, citharæ Apollo. Sunt tamen cognata inter ſe inſtrumenta, quæ fidibus intenta pulſantur. *Lyram* deſcribit Homer. Mercur. n. 47. *Mercurius ſectos calamos pectoras teſtæ ſupinæ trajicit, quibus tergum bubulum tanquam operculum adglutinavit, ita ut calami ipſi corio pro fulcris eſſent: deinde brachiola duo in ſumma teſtæ fixit ex parte ubi erant anteriores pedes beſtiæ, quæ brachia tranſtillo tranſverſo cacuminibus conjunxit.* Manubria, ſeu brachia, πήχεις vocat Homerus, Ptolemæus κέρατα, quia erant flexuoſa, & camura. Paullo ſupra fundum teſtæ a parte prona epitonium, inſtar umbilici, pinxit, e quo omnes chordæ vinciebantur, quod dicitur Polluc. IV. 9. 3. χορδότονον, clivus, fundus, ſeu ima pars teſtæ βατήρ. Igitur chordæ omnes in uno umbilico revinctæ per βατῆρα in partem ſupinam traductæ in ipſo jugo deſinebant, in quo ſuis ſummitatibus intenſæ erant. Subjectum eſt præterea illis ſupra βατῆρα in imo partis ſupinæ lignum, aut calamus, quo chordæ veherentur; alioqui chordæ nullum ſonum redderent: μαγάδιον vocat Lucianus, Galli equuleum, quod eo chordæ vectentur; corneum erat, cum primum fuiſſet ex arundine, id eſt, ſemitubulo arundinis. Unde Comici δόνακα, *arundinem hypolyrium nominarunt, quod olim lyris cornuum loco appoſita ſit*, ut ait Pol-

lux l. l. ubi male legitur *ἀντι κεράτων*; nam *κέρατα* ſunt manubria, *κέρας* eſt magadium. Hæc fuit *lyra* Mercurii. Recentior dicta fuit phorminx. V. illam infr. in *Phorminx*. Buleng. de Theatr. II. 37. & 39. Apollinis ſeptichordis fuit. Macrob. Sat. I. 19. *Lyra Apollinis chordarum ſeptem tot cœleſtium ſphærarum motus præſtat intelligi, quibus ſolem moderatorem natura conſtituit.* Sidonius quoque epithal. Polemi & Aran. ad idem exemplar ſervatum ait eſſe ſeptenarium numerum in *lyra*, cithara, fiſtula. Sic apud Eurip. Iphig. in Taur. chorus de Apolline verba faciens nominat *κέλαδον ἑπτατόνου λύρας*. Fabulam ſectatus Callim. Hymn. in Delum, quum ait, hunc numerum ideo ab Apolline lectum, quia matre ipſum pariente modulantes olores ſepties inſulam volatu cinxerant. Septenarium numerum Phœbo factum eſſe tradit Plutarch. Sympoſ. IX. 14. Fulgent. Mythol. I. 14. Apollinari *lyræ* decem dat chordas, quod humanæ vocis decem eſſe modulamina dicat. *Aleand. Tab. Hel. Explic. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 722. *B.* Ut poſt cœnam circumferretur moris fuit in epulis. Themiſtocles cum reſpuiſſet, quia illa canere neſciret, indoctior habitus eſt. *Buleng. de Conviv.* III. 33. Et conſuetudo vetus fuit, ut ſi quis illam recuſaſſet, ei ramus myrteus daretur, ad quem cantaret. Plutarch. Conviv. I. 1. *Putean. Reliq. conviv. priſc. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 277. *E. Jun. Anim.* III. 7.

LYRISTÆ dicuntur, qui aſſa *lyra* utuntur. Sidon. Epiſt. I. 1. *Nullus ibi lyriſtes canit.* Buleng. de Theatr. II. 37.

LYRODI dicuntur, qui lyræ cantum cum voce maritant, cantores lyricorum carminum ab aliis editorum. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 609. *a. B. Buleng. de Theatr.* II. 37.

M.



eſt nota numeri millenarii. V. ſupr. in *D*.

M ab initio vocibus interdum apponitur. Romani a Phrygibus ſunt oriundi. Phryges autem literam *μ*, vel etiam ſyllabam *μα* præmittere ſolent. Unde pro Ζεὺς dixere Μαζεύς. Heſychius: *Mazeus eſt Zeus, ſive Jupiter ſecundum Phryges.* Ac videntur in magna Græcia ſimiliter pro Ζὴν, ſive Ζὰν dixiſſe Μηζὰν, vel Μαζάν. Suſpicionem injiciunt verba Feſti in October: *Salentini*, inquit, *apud quos Menzanæ Jovi* equus *dicatus vivus conjicitur in ignem.* Ubi pro *Menzanæ* puto *Mazani*, vel *Mezeni* legendum. Niſi Ζανᾶς iidem dixerint, quod Dorum alii Ζάν. Quod ſi placet, rectum erit apud Feſtum *Mazanæ*, vel *Mezanæ*: ac ſolum unius liquidæ additione peccarint librarii. Nec in Phrygiis ſolum *μ* capiti apponitur; ſed etiam Græcis & Latinis. Sic dixere ὄσχος, & μόσχος. Galen. Lexic. Hippocr. *Oſchos enim & moſchos palmites.* Ab *unda* etiam *mundus*, & *mundare*: ut proprie ſit ſordes unda abluere: quomodo & Belgis **waſſen**/ hoc eſt, *mundare*, *lavare* fit a **waſſer**/ hoc eſt, *aqua*. Voſſ. de Idolol. II. 33.

M ut exilis, & obſcuri, cum dictiones claudit, ſoni, nec enuntiari, nec ſcribi olim ſolebat, tum maxime, cum inſequentium dictionum a vocali erat initium. Ita Cenſorius Cato *die hanc*, non *diem* ſcripſit, quod obſervat Quintil. IX. 4. Et in inſcriptione, qua L. Scipionis Barbati F. expreſſum eſt elogium, legitur: DUONORO OPTUMO FUISSE VIRO. *Explan. Elog. iſtius Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1838. *F. Serv. Miſcell. c.* 4.

M & B in ſcribendo invicem permutantur a Latinis librariis. V. ſupr. in *B*.

M pro N pleræque nationes ſcripſerunt. *Ocinum* veteres Latini pro *ocimo* appellarunt. Sic Παροπάμισος & Παροπάνισος mons idem, μετώπιον & νετώπιον unguentum idem. Sic *comitium* pro *contium* majores uſurparunt. Recentioribus quoque frequens hæc mutatio, *nappam* pro *mappa* dicentibus, *nattam* pro *matta*, & ſimilia. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 605. *a. C.* 824. *b. C. Spanhem. de Præſt. numiſm. Diſſert.* VI. *p.* 514. *Caſell. de Prim. Ital. colon. Muſc. Erud. Ital. Tom.* III. *p.* 35. *Fab. Semeſtr.* II. 16.

M & V. etiam invicem permutantur. Sic *mangana* dixerunt & *vangana*, quæ in gloſſis *vagna* dicitur, vinarium vas ingentis magnitudinis. *Salmaſ. in Capitol. Maximin. c.* 22.

M' & M notis veteres Manium a Marco, qui *M* litera notatur, voluerunt diſtinguere. Ita Curius Dentatus, quem libri Latini Græcique plerumque Manium Curium nominant, in quarto ejus triumpho Capitolino ita deſcribitur, *M' Curius. M'. F. M'. N. Dentatus.* Eadem ratione Valerius, qui an. 259. dictator fuit, & a Dionyſ. VI. p. 371. Manius Valerius dicitur, in fragmentis Capitolinis vocatur M'. VAL. Præterea coſſ. qui an. 490. in conſulibus Capitolinis M'. VALERIUS, & M'. OTACILIUS ſcribuntur, a Polybio Μάνιος Οὐαλέριος, & Μάνιος Ὀτακίλιος nominantur. Quæ vero nota in tabulis Capitolinis eſt *M'*. ea in nummis argenteis eſt *M/*. ut *M/*. CORDIUS RUFUS. M/ ACILIUS IIIVIR. VALETU. M/. SERGIUS SILUS. *Sigon. de Nom. Roman. c.* [illegible] *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 31. *B. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom.* II. *p.* 2029. *B. Pigh. Annal.* I. *p.* 84.

MAC.

MACCURA *eſt manus ferrea, qua utuntur ad equos deſtringendos.* Heſychius. *Buleng. de Circo c.* 17.

MACEDONIA fuit objecta quaſi oculis Italiæ a partibus Apuliæ, & Calabriæ. Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 2. *Italia ab Alpibus in mare porrigitur, ac tribus lateribus exteras gentes intuetur. A Sicilia uſque ad Galliam omne littus Africum eſt contrarium: rurſus a Leucopetra pars, quæ ad mare attingit, Macedoniam, ac aliquam Epiri partem ſpectat: Hadriaticum vero littus Illyricum contra ſe habet.* Bergier. de viis milit. III. Sect. 47. §. 1. Illyrico proxima non iiſdem ſemper circumſcripta fuit finibus; quod alii nationis *Macedonicæ* termini fuerunt, alii regni *Macedonici*, alii provinciæ *Macedoniæ*. Nationi fines morum ac linguæ ſimilitudo dederunt a Thracia quidem, ut notat Strab. VII. p. 223. Strymonem amnem, a Theſſalia vero Peneum. Hos fines produxerunt *Macedoniæ* Reges, in primiſque Philippus Alexandri pater, cum ex finitimis gentibus quotidie aliquid *Macedonico* regno adjiceret, nempe Thracibus, Pæonibus, Illyriis, Epirotis, & Theſſalis. Ex quo fit, ut proximæ quæque *Macedoniæ* gentes non iiſdem terminis ab omnibus ſcriptoribus includantur. Strabo auctor eſt, partem Thraciæ, quæ ultra Strymonem eſt uſque ad Neſſum amnem a Philippo domitam *Macedoniæ* eſſe attributam. Et propter claritatem, ac potentiam Theſſalorum, & *Macedonum* factum eſſe, ut vicini eorum, præſertim Epirotæ, partim voluntate, partim vi in partes Theſſalorum, *Macedonumve* tranſierint; ut Athamanes, Æthices, & Talares in Theſſalorum; Oreſtæ, Pelagones, & Elimiotæ in *Macedonum*. Quin etiam Pæones, Dolopes, Illyriosque aliquot *Macedoniæ* finitimos, ut Atintanas, poſtquam a Philippo ſubacti ſunt, *Macedoniæ* attributos legendo animadvertere poſſumus. *Sigon. de Ant. jure provinc.* I. 8. *Pancirol. in Notit. dign. imp. orient. c.* 137. *Nonn. in Goltz. Græc. p.* 121. *Emm. Vet. Græc.* V. *Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IV. *p.* 128. *D. Croph. Antiq. Maced.* I. 1. *Gerbel. Græc. Antiq. Theſ. Gronov. ibid. p.* (38.) *D. Laz. Græc. Antiq.* I. 4. Bellum in *Macedonia* geſſerunt Romani I. cum Philippo Demetrii F. Huic finem impoſuit T. Quinctius Flaminius. Prima victoria Philippus *Macedoniæ* Rex relictus, Theſſalia, & reliquis, quæ in ditione ejus erant, gentibus ei ademptis, ac libertate donatis. Cum Philippo vero armis bis dimicatum eſt, primum bello Punico, cum ille ſe Annibali ſocium ad invadendam Italiam adjunxiſſet; iterum finito bello Punico, cum idem Athenienſes populi Romani ſocios ab Acarnanibus impulſus bello vexaret. Priore bello pax ita data,

data, ut fœderi Theſſalos quoque Rex adſcriberet; poſteriore, cum ad Cynoſcephalas in Theſſalia T. Quinctio duce debellatum eſſet, in has conditiones, teſte Liv. XXXIII. 20. ictum fœdus eſt: *ut captivos, transfugasque redderet Romanis, & naves omnes tectas traderet, ne plus quinquaginta aurorum haberet, neve elephantum ullum: bellum extra Macedoniæ fines ne injuſſu ſenatus gereret: mille talentum daret populo Romano, dimidium præſens, dimidium penſionibus decem annorum. Oreſtis (Macedonum ea gens eſt) quod primi ab Rege defeciſſent, ſuæ leges redditæ. Magnetes, & Perrabi, & Dolopes liberi quoque pronuntiati.* II. cum Perſeo Philippi F. Huic finem impoſuit L. Æmilius Paullus. Secunda victoria, Perſeo capto, atque in carcere necato, *Macedonia* ordinata, ſed libera relicta. Cauſæ belli fuerunt, quod contra fœdus bellum pararet, & ſocios populi Romani Thraces, Theſſalos, Græcos, aut bello tentaret, aut ad defectionem ſollicitaret. Ad Pydnam in *Macedonia* eſt ſummo prælio pugnatum. Res in hunc modum compoſitæ ſunt. *Juſſit* Paullus, inquit Liv. XLV. 29. *liberos eſſe Macedonas habentes urbes eaſdem, agroſque, utentes legibus ſuis, annuos creantes magiſtratus, tributum dimidium ejus, quod pependiſſent Regibus, pendere populo Romano: deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam. . . . eo concilia ſuæ cujuſque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magiſtratus creari juſſit. Pronuntiavit deinde, neque connubium, neque commercium agrorum, ædificiorumque inter ſe placere cuiquam extra fines regionis ſuæ eſſe: metalla quoque auri, atque argenti non exerceri, ferri & æris permitti.* III. cum Andriſco, qui ſe Philippi filium eſſe mentiebatur, ad cujus falſum nomen univerſa prope *Macedonia* conſurrexit. Huic finem impoſuit Q. Cæcilius Metellus, *Macedonicus* ex ea victoria nominatus. Tertia victoria, Pſeudophilippo ſublato, *Macedonia* in provinciæ formam eſt redacta. Anno itaque ab U. C. 605. *Macedonia* facta eſt provincia. Hoc ſignificant Flor. II. 14. 5. qui hac victoria *Macedoniam ſervitute eſſe mulctatam*: Jornandes, qui *Macedoniam a Metello ſuperatam colla ſubmiſiſſe, Romanamque provinciam factam* prodit. *Sigon. l. l. Panvin. Imp. Roman. c.* 14. *Nonn. ibid. p.* 122. Tum vero Theſſaliam *Macedoniæ* formulæ eſſe adſcriptam facile exiſtimarim. Nam eam item hoc bello a Romanis *defenſam* ſcribit Liv. Epit. L. ex quo ſuſpicari licet, eandem, quod cum *Macedonia* deceſſiſſet, pariter eſſe cum *Macedonia* conſtitutam: cui opinioni aperte Plinius, & Ptolemæus favent, cum Theſſaliam in *Macedoniæ* provinciæ fines includunt. Tum quoque *Macedoniæ* provinciæ adjunctos crediderim Taulantios, Parthinos, Dyrrachium, & Apolloniam, quæ eo uſque Illyrici fuerant; ſiquidem & Piſo Cæſaris ſocer *Macedoniæ* proconſul Dyrrachinis, Apolloniatibus, Parthinis & Bulienſibus præfuit, ut teſtatur Cicer. in Piſon. c. 40. Adjicit etiam Strab. VII. p. 226. *Lynceſtidem, Pelagonium, Oreſtidem, & Elimiotum, quæ omnes ad mare Ionium ſunt, ſuperiorem Macedoniam appellatam, a poſterioribus autem liberam; fuiſſe etiam, qui omnem regionem uſque ad Corcyram Macedoniam dixerint, quod eadem lingua, eodemque cultu omnes uterentur.* Liberæ meminit Cæſ. de Bell. civ. III. 34. *Calvinum in Macedoniam proficiſci jubet, cujus provinciæ ab ea parte, quæ libera appellatur, Menedemus princeps earum regionum miſſis legatis omnium ſuorum excellens ſtudium profitebatur.* Quin etiam ex eadem Piſoniana apparet, multos Thraciæ populos *Macedoniæ* proconſuli paruiſſe. Hi fuerunt, partim qui poſtea ab Ap. Claudio, C. Curione, M. Lucullo Imperatoribus victi ſunt, qui omnes *Macedoniam* fortiti cum Thracibus populantibus prope quotidiana bella geſſerunt: unde Cicer. de Prov. conſul. c. 2. meminit *viæ militaris, quæ per Macedoniam ferret in Helleſpontum*; partim, qui cum Aſiæ Regibus donati fuiſſent, ut Cherronenſes, quorum idem meminit in Piſon. c. 35. poſt Attali mortem ad populum Romanum reciderunt: unde idem dixit contr. Rull. II. 19. *Jubet venire agros Attalicos in Cherroneſo.* His finibus ſepta provincia, & vectigalis fuit, & prætori jus dicenti obtemperavit. De vectigalibus teſtis eſt idem l. l. ubi Piſonis Macedonicum proconſulatum exagitat: *Qui modus*, inquit, *frumenti æſtimati, qui honorarii? ſiquidem poteſt vi, & metu extortum honorarium nominari: unus æſtimator, unus venditor tota in provincia per triennium frumenti omnis fuit. c.* 36. *Vectigalem provinciam, ſingulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio impoſito, ſervis tuis publicanis a te factam eſſe memini.* De juriſdictione inde dicatur, cum ei vitio vertit, quod *contra legem liberis etiam populis jus dicere auſus ſit.* Sigon. l. l.

MACELLA eſt urbs Siciliæ. Polyb. I. 24. *Tunc exſcenſione in Siciliam facta Macellam oppidum vi expugnarunt.* Stephanus: *Macella, urbs Italiæ.* Corrupte, pro Siciliæ. Urbs munita. Colum. Roſtr. inſcriptio: *Macellam, munitam urbem pugnando cepit.* Ciaccon. in Columnam Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1821. B.

MACELLARII ſunt, qui obſonia vendunt lautiora. Suet. Jul. c. 26. n. 6. *Ea, quæ ad epulum pertinerent, quamvis macellariis oblocata, etiam domeſticatim apparabat.* Vitell. c. 19. n. 3. *Convivabatur a Vitellio ac, ſæpius redacta, ac duplo, ut macellarios adjuvaret.* Buleng. de Conviv. IV. I. Turneb. Adv. VIII. 8. Tot al. de Teſſer. hoſp. c. 29. Onomaſt. Latino-Græc. *Macellarius*, ὀψωνιοπώλης, ὀψοπώλης. *Pitiſc. in Suetonii Julium*

MACELLUM *dicitur locus, ubi carnes publice venduntur.* Plutarch. Quæſt. Rom. 59. Imo, in quo omne obſoniorum genus, id eſt, quicquid ad victum ſolet vendi. Suet. Jul. c. 43. n. 6. *Diſpoſitis circa macellum cuſtodibus, qui obſonia contra vetitum retinerent.* Piſces. Plaut. Aul. II. 8. 3.

Venio ad macellum, rogito piſces.

Feſtus. V. illum ſupr. in *Ludi piſcatorii.* Panis, & frumentum. Cicer. de Divin. II. 27. *Si Epicuri de voluptate liber corroſus eſt, putavit annonam in macello cariorem eſſe.* Stuck. Antiq. Conviv. II. 11. Donat. de Urb. Rom. III. 10. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 15. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 4. §. 3. Bellor. Fragm. veſt. vet. Rom. tab. II. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 2. Nardin. Rom. Vet. III. 7. Pitiſc. in Suet. Jul. c. 26. n. 6. Romæ duo fuerunt: unum in Cœlio, alterum in Eſquiliis. Non quod his duobus tantum locis carnes, & piſces venderentur, ſed quod illa duo tantum macella appellarentur. Alias merces illæ ubique venales erant, & majore forſan alibi, quam in hiſce, copia: ſive ea loca fora appellata ſint, ſive emporia, ſive quo alio nomine inſignita. *Nardin. & Borrich. l. l. Blond. Inſtaur. Rom.* II. §. 25.

Macellum Corvorum hodie nuncupant partem ſpatii illius inter Quirinalem, & Capitolium utrique olim modica acclivitate conjunctum. *Donat. de Urb. Rom.* I. 19. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 9. §. 4. Extra Urbem fuiſſe inde conficitur, quod in Urbe nemo ſepeliretur, niſi rariſſimo privilegio: neque vero privilegium aliud hic conceſſum legitur C. Poblicio, quam locus publicus ſepulturæ; ſed fuiſſe intra mœnia, id vero nuſquam expreſſum. *Borrich. l. l.* Ejus ſepulcrum V. infr. in *Sepulcrum.*

Macellum Liviani, ſive Livianum Victor ponit in Eſquiliis. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 2. Facili conjectura indagari poteſt ex antiquo Eccleſiæ S. Viti cognomine dictæ *in Macello.* Sed & Anaſtaſius illius ſitum luculenter oſtendit in Liberio, ubi de ſtoria S. Mariæ majoris agens ait: *Hic fecit baſilicam nomine ſuo juxta Macellum Libiæ*, vitioſe ſine dubio pro *Liviæ*, quippe quod ab Auguſta Livia nomen mutuatum eſt. Forſan locus hic eſt, quem a Tiberio ſub Auguſto dedicatum refert Dio LV. p. 553. C. *Et dedicavit locum Livium nuncupatum una cum matre, ipſeque invitavit ſenatum in Capitolium. Sed & mater mulieres privatim invitavit.* Neque eſt quod quiſquam putet illic de porticu Liviæ agi, quandoquidem illam jam antea dedicatam tradit LIV. p. 537. D. Quod ſi vero Tiberius *Macellum* hoc nomine matris conſecravit, nullo modo dubitandum opinor, quin & ſtructuræ magnificentia, & ornamentorum ſplendore fuerit eximium. Faunus ait, ætate ſua inter S. Viti, & proximam S. Antonii Eccleſiam plurima eruta fuiſſe vaſa antiqua, colligendo animalium ſanguini deſtinata; multamque oſſium copiam, cornuumque, antiqui *macelli* cer-

certissimum argumentum. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3. *Borrich. Ant. Urb. Rom. fac. c. 7. §. 6. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 15. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom* III. *p.* 341. *E.*

Macellum magnum Rufus & Victor collocant in Cœlimontio. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7. *Fabric. Antiq. Urb. Rom.* IV. 2. Quod epitheton huic est additum ad differentiam *Macelli Liviani*, quod magnitudine superavit. Quanquam alias vix credibile videtur, Liviam Augustam *Macellum* ad alterius fecisse similitudinem, quod illud nec operis magnificentia, nec spatii magnitudine antecederet: nisi hoc postea exstructum dicere velimus, aut saltem ampliatum. *Nardin. l. l.*

MACER cognomentum fuit Liciniorum, a corporis habitu dictum. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5.

MACERIA quid, & quotuplex sit, docet Varr. de Re rust. I. 14. *Quartum fabrile sepimentum est novissimum, maceria. Hujus fere species quatuor, quod sunt e lapide, ut in agro Tusculano: quod ex lateribus coctilibus, ut in agro Gallico: quod ex lateribus crudis, ut in agro Sabino: quod ex terra, & lapillis compositis in formis, ut in Hispania, & agro Tarentino.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 844. A. Illa in sepiendis fundis, atque hortis utebantur. Erat vulgo munimentum sepulcrorum. V. infr. in *Sepulcrum.*

MACERINUS fuit cognomen Geganiorum, quorum fuit I. T. Geganius *Macerinus* cosl. ann. 262. cum P. Minucio. II. L. Geganius *Macerinus*, frater illius, cum P. Valerii Poplicolæ filio in Siciliam tum ad emendum frumentum missus. III. M. Geganius *Macerinus*, qui tres consulatus gessit, in secundo de Volscis triumphavit, ducto a te currum imperatore illorum Cuvilio. Gessit & censuram cum C. Furio Pacilio an. 320. IV. Proculus Geganius *Macerinus*, fors M. frater. Consul fuit cum M. Menenio Lænate: qui annus seditionibus, & fame insignis fuit. V. L. Geganius *Macerinus*, tribunus militum consulari potestate an. 377. VI. M. Geganius *Macerinus*, tribunus militum consulari potestate an. 388. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 380. *Strein. de Gent. & fam. Roman. in gens Gegania.*

MACHINÆ sunt molitiones altiusculæ. Isidor. XIX. 8. *Machiones, dicti a machinis, in quibus insistunt propter altitudinem parietum.* Intelligit nostros hodie & Gallorum *massones*, sive fabros cæmentarios, qui olim a *machina machinones*, postea *machiones*, pronuntiata illo Hispanico, & Gallico, quo *ch* pingue *S* valet: ut China, Sina. Veteres Græci μάγγανα dixerunt Hesychius: Μάγγανα, μηχανήματα. Hegesipp. IV. 20. *Manganum sibi quoddam de ligno paravit, quo se necaret.* Lips. Poliorc. I. Dial. 3. Voss. Lex. Etymol.

Machina de bellicis instrumentis proprie ex quorundam sententia dicitur. *Lips. Poliorc.* I. *Dial.* 3. *Voss. Lex. Etymol. Thys. de Oppugn. urb.* I. *p.* 155. Vetustissima illarum mentio, quam reperio, est in libris sacris. Deut. c. 20. n. 20. *Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in cæteros apta usus, succide, & instrue machinas.* 2. Chron. c. 26. n. 15. *Fecit in Hierusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent sagittas, & saxa grandia.* Græci, vana sæpe gens, illas sibi tribuunt. Homerum tamen, & id ævum ignorasse, ipsi Scholiastæ Græci tradunt. Nec Statio absque alio auctore temere accesserim, qui Achill. I. 422. cum facit Græcorum varios populos Achilli ad bellum contribuere & conferre: addit

Murorum tormenta Pylos Messenaque tradunt.

Sed muralia tunc fuisse tormenta nemo eorum, quos hodie legimus, dixerit, nisi forte Plinius, qui vult arietem esse inventum bello Trojano VII. 56. Athenæus quidem vetustam satis rem in Græcis videtur facere, sed ævum tamen non definit: tantum Romanos hausisse, & sumpsisse ab illis VI. p. 273. E. *A Græcis machinas, & instrumenta bellica cum didicissent, ipsis eos aggressi sunt.* De quo ego dubito. Nam Romanos quidem jam olim *machinis* usos reperio, imo sub Regibus ipsis. Liv. I. 43. *Additæ huic classi duæ fabrûm centuriæ, quæ sine armis stipendia facerent: datum munus, ut machinas in bello ferrent.* Ad Periclem auctorem in eadem gente illas refert Diodor. XII. p. 302. B. *Struxit machinas primus omnium ante se.* Sed Pericles vixit circa an. 320. cum Servius Tullius vixerit an. 220. id est, seculo toto ante. Non ergo Romani a Græcis. Quid si ab Etruscis? aut a se? quis abnuat, vel affirmet? *Lips. l. l.* Fabricarunt illas ipsi milites: sic tamen, ut iis certi mixti, qui fabrilem omnem artem scirent. Livius modo laudatus. Apud quem mihi suspectum est τὸ *ferrent.* An enim ipsi suis humeris? haud potuit. L. *facerent.* Hoc enim illorum munus, ut fabricarentur *machinas*, cum iis opus. Dionys. IV. p. 222. in ipsa hac re centurias duas ὁπλοποιῶν τε καὶ τεκτόνων facit, id est, qui *armorum fabri, itemque architecti* essent. Hi tales, & postea in exercitu, atque ii scilicet præformabant, dirigebantque opera, etsi milites quoque vulgo adjutarent. Cæsar cum naves subito reficiendæ essent: *ex legionibus fabros deligit, & ex continenti alios arcessit* de Bell. Gall. V. 11. His caput unum, & operibus curator, exactorque, qui præfectus fabrûm in historiis nominatur. Lips. ibid. III. 6. Thys. l. l.

Machina vocabatur catasta, in qua servi vendebantur, & qua inclusi prostabant. Hinc *ancillam emere de machinis* apud Q. Cicer. de petit. consul. c. 2. *Turneb. Adv.* VIII. 9. XXV. 4. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 851. *G.* V. supr. in *Catasta.*

Machina vocabatur crypta subterranea. Tales sub terra ædificabantur, lapide quadrato struebantur, & concamerabantur, relicto foramine, quod saxo desuper imposito claudebatur. Liv. XXXIX. 50. *Admonent deinde quidam esse thesaurum publicum sub terra saxo quadrato septum, eo vinctus demittitur, & saxum ingens, quo operitur machina, desuper impositum est.* Salmas. Exerc. Plin. p. 851. G.

Machina mola vocatur. *Machinam frumentariam* vocat Ulpian. l. 10. ff. de instruct. vel instrum. leg. Hinc *asinus machinarius* vocatur Alphen. l. 60. ff. de legat. III. est molendarius, qui molit, id est, molam *machina* quadam inclusam volvit, & torquet. Sic *machinalia pondera* pistrinalia vocat Auson. Epist. 7.

Qui machinali saxa volvunt pondere.

Turneb. Adv. VIII. 9. Salmas. Exerc. Plin. p. 852. A.

Machina theatralis vocabatur, quæ affigebatur postibus portarum, quæ in scena tragica ut plurimum tres fuerunt, dextra, sinistra, media. Hæ περίακτοι dicebantur, quia pro re, ac tempore circumagebantur, ut subito nuntii, peregrini, cives peregre revertentes comparerent. Itaque dextra *machina* afferebantur ea, quæ extra urbem acta essent, aut agenda intus forent ex præscripto, propter jura suburbiorum, oppidorum, coloniarum. A læva reddebantur, quæ in urbe jussu, permissuque populi, aut Principum, vel iis invitis gesta essent. Id quod factum est ab Euripide in Oreste. Item si qua e portu afferrentur, cujusmodi est in Amphitruone, & Mercatore Plauti, in Hecyra Terentii. Prisci tragici etiam deos aquaticos per eam introduxere, Acheloum, Thetin, Proteum, Arethusam. Si quæ personæ *machinis* non circumagebantur, sed pedibus accedebant, per alteram introducebantur. Tertium ἐγκύκλημα vocabant: alii ἐξώστραν. Erat hæc sedes sublicis elata, strata longuriis, super quibus sella. Destinabatur locus is ad ea recitanda, quæ secreto patrata essent in ædibus: qualia in Oedipode Sophoclis, Plauti Amphitruone, Casina, & aliis. Quartum genus, quod in summa trepidatione remedia arcessebat humanis majora. Demissa namque deos ostendebat ex improviso. Id quod etiam ad proverbium rerum desperatarum traxere, θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Plurima exempla tragicis omnibus, & in Plauti Amphitruone. Alterum ejusdem *machinæ* officium, quum veheret per aerem heroas: veluti Tleopolemum, Medeam, Perseum, Bellerophontem. Quintum genus, quo rapiebantur personæ, γέρανος dictum. Hoc in fabulis Aurora Memnonem rapuit, Boreas Orithyam. *Scalig. Poet.* I. 21. *Buleng. de Theatr.* I. 21. *&* 22. *Rhodig. Ant. Lect.* VIII. 8. *Salmas. de Mod. usur. c.* 7.

MA-

MACHINARII dicuntur illi artifices, qui ab optimo ingenio vulgo ingegneri dicti. Ita *machinarius mensor*, de quo l. 7. ff. si mensor. ille est, qui norma in metiendo utitur; prout qui probat opera fabrorum materiariorum. Verum cum *aquam machinarium* inveniam l. 60. ff. de Legat. III. illum credo, quo uti possumus ad omnes tractorias, seu vectorias *machinas*. Quare *machinarii* fori piscarii forte piscium vectores. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 847. *C.*

MACROBIUS fuit præfectus cubiculi Honorii Principis. In ejus gratiam, cum doctrina, ac prudentia excelleret, omnes præpositi sacri cubiculi, magistris militum æquati, Illustres sunt declarati l. 1. C. de præpos. sacr. cubic. Nescio, an is *Macrobius* sit, qui Scipionis Somnium interpretatus, Saturnalia celebravit, & Illustris cognominatur. *Panciroll. Notit. dignit. Imp. orient.* c. 61.

MACROCOLUM, sive *macrocollum*, est octavum, & ultimum genus omnium chartarum, quas Plinius l. 13 de papyro capitibus nominatim persequitur. Ita ille XIII. 12. *Pedalis erat mensura, & cubitalis macrocollis.* Magnitudine reliquas chartarum species longe excellebat, quippe quod mensuram sexdecim digitorum, nec raro quatuor supra viginti attingebat. Habebatur tamen inter illaudatas, quod volentes unam ex eis membranam rescindere, non sine injuria aliarum tæniarum, & dilaceratione plurium plagularum moliri id possent. *Guiland. Papyr. membr.* XIX. *n.* 1. Gemino LL. scribit *Guilandinus*, simplici L. *Scalig. in Guiland. p.* 47. *Voss. Lex. Etymol.* qui tamen gemino LL scribendum contendit *de Art. gramm.* I. 37. Non erat eadem quæ Claudia. V. supr. in *Charta Claudia*, sed quam *regiam vocat* Catullus supr. in *Charta regia*. Guiland. & V. ff. l. l.

MACTEA quæ dicitur Suet. Cal. c. 38. n. 7. *Multis venientas macteas misit*, ματτύη vocatur Athen. XIV. p. 663. *Dausq. Orthogr.* II. *p.* 194. Cibus fuit omnis opiparus, & splendidus. Athenæus: *Hunc cibum plebejum, ac promiscuum, & communem mazam appellarunt, & μάττειν ipsum mistura præparare. Postea vero edulium necessarium illud intemperantius variantes, & curiosius, appellatione mazæ nonnihil detorta, opiparum, & splendidum omnem cibum matty am nuncuparunt, ac ματτυάζειν, illum apparare, quicunque sit, piscis, avis, olus, victima, moretum, alliatum.* Turneb. Adv. XXII. 6. Rhodig. Ant. Lect. IX. 12. Rader. in Mart. X. 53. 4. Pontan. in Macrob. Sat. II. 8. Pitisc. in Suetonium.

MACTARE *est verbum sacrorum κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis auctum: unde & magmentum dicebant quasi majus augmentum. Olim enim hostiæ immolatæ dicebantur mola salsa tactæ. cum vero ictæ, & aliquid ex illis in aram datum, mactatæ dicebantur per laudationem, per omnis boni significationem. Mactare est proprie magis augere.* Serv. in Æneid. IV. 57. Prisca superstitione sæva proferre verba, ne vitiarentur sacra, nefas erat. Et hinc *mactare* pro occidere. V. & infr. in *Macte*. Voss. Instit. Orator. IV. 10. §. 9. Lex. Etymol. Schott. Nodor. Ciceron. IV. 4. Brisson. de Form. I. p. 28. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

MACTE vim, & naturam habet adverbii, ac propemodum interjectionis. Præter enim affectum quendam nihil significat, hoc tantummodo a specie interjectionum diversum, quod vox sit artificialis, non naturalis, & incondita. Est enim gratulantis, & approbantis alienam virtutem. Horat. Sat. I. 2. 32.

> —— *macte*
> *Virtute esto, inquit sententia dia Catonis.*

De Ascanio supra ætatis conditionem fortia patrante Virg. Æneid. IX. 641.

> *Macte nova virtute puer, sic itur ad astra.*

Senec. Epist. 66. *Macte virtute esto, sanguinolentis, & ex acie redeuntibus dicitur.* Nann. Miscell. III. 29. Brisson. de Form. IV. p. 348. Faber Semest. I. 19. Adverbium esse, neque variationem finis admittere, nunquam quisquam mihi persuasit. Perinde est enim, ac si dicas, *aucte* adverbium esse: nam *macte*, magis aucte. Catull. LXIV. 25.

> *Teque adeo eximie tædis felicibus aucte.*

Potuit *macte*. Et quod Virgilius: *macte puer*, hoc idem erat, aucte puer. Et suum habet pluralem. Liv. VII. 36. *Macti virtute Romani milites estote.* Plin. II. 12. *Macti ingenio esti interpretes.* Curt. IV. 1. 18. *Vos quidem macti virtute, inquit, estote.* Palmer. Spicil. IV. p. 673. Gruter. Verisim. II. 21. De *macte* quod petis, plane tractandum est nobis non κριτικῶς, neque ἱστορικῶς, sed τεχνικῶς. A significatione igitur *mactum* veteres Romani vocant auctum: herbam adultam Cato vocavit *mactam*, nempe quod ita aucta esset: *macta* hostia, quum fruges, & mola aucta erât. Sic *macta* ara, quod verbenis aucta, & cumulata. *Mactare* hostiam postea pro cædere hostiam dicebant, κατ' εὐφημισμὸν, ne cædem nominarent. Quare *mactare* pro cædere? quia nunquam cædebatur hostia, nisi frugibus *macta* esset: a præcedentibus consequentia, ut vulgo rhetores, & dialectici scholastici loquuntur: ut veteres Chrysippei ἀπὸ τῶν προηγουμένων τὰ ἐπιφερόμενα. Nunquam *mactabant* hostiam quin dicerent, *macta esto hac mola salsa.* Sic quum deo alicui vinum libabant, *macte hoc vino esto.* Sed cur vocandi casu *macte*. In hoc quoque est τεχνικὸν Grammaticorum. Nam *mactus* esto dicendum erat; sed utriusque linguæ auctores ita loqui solent. Theocr. Eidyll. 17. 66.

> —— ὄλβιε κῶρε γένοιο.

Tibull. I. 8. 53.

> *Sic venias hodierne.*

Pers. Sat. III. 28.

> *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,*
> *Censoremve tuum vel quod trabeate salutas?*

Dicendum fuerat: ὄλβιος, hodiernus, millesimus. Quare & *macte esto*, pro *mactus*. Scalig. Epist. I. 20. Gruter. & Palmer. l. l. Voss. Lex. Etymol. Serv. in Virgilium.

MAD.

MADRELLA est ludus, quem etiam hodie pueri apud nos usurpant, in quo quatuor lineæ quadræ foris, quatuor alias lineas includunt, quæ media linea quasi diametro secantur, & tres unus ex collusoribus bacillos, totidem alius variis locis collocant, & id studiose agunt, ut tres bacillos suos in eadem linea contineant. Meminit illius ludi Ovid. Art. Amand. III. 365.

> *Parva tabella capit ternos utrinque lapillos;*
> *In qua vicisse est, continuasse suos.*

Trist. II. 481.

> *Parva sedet ternis instructa tabella lapillis,*
> *In qua vicisse est, continuasse suos.*

Buleng. de Lud. vet. c. 4.

MÆC.

MÆCIA tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

MÆS.

MÆSA pars marmorei ædificii exsurgebat in hortis Columnensibus in monte Quirinali, jam diruta. Blondus infr. in *Turris Mæcenatiana*. turrim Mæcenatis falso nuncupat. Ubi enim hic Esquiliæ? & Neronianis tædis ardens in conspectu Roma? Alii partem templi Solis pronuntiant, quod ab Aureliano, auctore Flavio Vopisc. c. 5. exstructum est ad eam formam, quam viderat in oriente; quod vestibus & opibus in triumpho vectis instruxit. Quid si ædificium illud partem senaculi, seu curiæ fuisse dicerem, quam Heliogabalus in Quirinali mulieribus exstruxit ad conventus habendos, quibus avia ipsius *Mæsa* nomine, & mater Soæmis præsiderent? De illo Lamprid. c. 4. Quod duplici conjectura elicitur. I. præbet nomen. *Mæsa* enim dicebatur, ut avia Heliogabali. II. ipsius ædificii

dificii forma. Serlius enim architectus sic eam nobis lineavit, ut dimidii plane figuram descripserit frequentibus (quod postulabat ædificii situs in clivo) aulis, peristylis, ac porticibus. Lampridius: *Fecit & in colle Quirinali senaculum, id est mulierum senatum, in quo ante fuerat conventus matronalis sollennibus duntaxat diebus.* Donat. de Urb. Rom. III. 15.

MAF.

MAFORTIUM, *maforium*, *mavorte*, *mavortes*, & *mavortium* fuit capitis muliebris ornamentum, & operimentum. Achmes Oneir. c. 265. *Si mulier per quietem viderit, maforium sibi ab aliquo per vim esse ablatum, vel prorsus abscissum: maritus ejus morietur, aut in universum ab ea discedet.* Ratio somnii est, quod mulieris caput vir est. Ad quod illustrandam faciunt verba Isidor. XIX. 25. *Vocatam dicunt Mavortem, quasi martem. Signum enim maritalis dignitatis, & potestatis in eo est: Caput enim mulieris vir est: inde & super caput mulieris est.* Idem erat, quod prioribus ricinium. V. Servium & Nonium infr. in *Ricinium.* Ferrar. de Re Vest. I. I. 25. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 45. Meurs. Glossar. Græco-barb. p. 428. Voss. Lex. Etymol. in Rica. Du Fresne Glossar. Tom. II. p. 341. Fuit etiam monachorum. Cassian. I. 7. *Post hæc angusto pallio tam amictus humilitatem, quam vilitatem pretii, compendiumque sectantes, colla pariter atque humeros tegunt: quod mafortes tam nostrorum quam nostro nuncupatur eloquio. Mafortes est ὁ μαφόρτης, τῶ μαφόρτȣ.* Unde *mafurtium* Nonio. Ejus enim diminutivum τὸ μαφόρτιον. Extrita litera *maforium.* Et ita recentiores Græci passim appellaverunt. Etiam glossæ Ambrosianæ: *Mafortium, fascialis, id est, angustum pallium, quo utuntur monachi, collum pariter, atque humeros tegens.* Meurs. Du Fresne, & Salmas. l. l. Meursius pro *fascialis* legit *facialis*, id est, φακιόλιον. Sed errat. Nam *facialis* nihil est. Nec *facialis* φακιόλιον est, cum sit idem quod πεζίδιον, & fasciam, vel vittam, qua caput cingitur, significat. Mihi placet legi, *fascia capitalis:* hoc est, κεφαλόδεσμος. Nam κρήδεμνιον, quod μαφόριον esse dicunt, κεφαλόδεσμον etiam exponunt Grammatici. Ad verbum est fascia capitalis. *Salmas. l. l. & c.* 48.

MAG.

MAGADIS est tibia, quæ acutum, & gravem sonum efficit. Athen. IV. p. 182. *Quam magadin, & palæomagadin nuncupant, eadem fistula gravem & acutum sonum edit, ut inquit Alexandrides in Hoplomacho.*

Magadin loquar alta simul, & summissa voce.

Unde & vetus verbum, *loquar ut magadis, acuta & gravi voce.* Hesych. *Magadeis tibiæ ad citharam, instrumentum psallendi: unde etiam psallere dicunt magadizein.* De illa plurima Athen. XIV. p. 634. . . . *Buleng. de Theatr.* II. 26. *Meurs. Lect. Attic.* IV. 20. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 4. *Gyrald. de Poet. dial.* IX. *p.* 481. *B.*

MAGICI pueri recensebantur inter artifices voluptatum. De illis Apul. Apol. p 474. *Memini me apud Varronem legere: Trallibus de eventu Mithridatici belli magica percontatione consulentibus, puerum in aqua simulacrum Mercurii contemplantem, quæ futura erant centum sexaginta versibus cecinisse. Itemque Fabium, cum quingentos denarios perdidisset, ad Nigidium consultum venisse: ab eo pueros carmine instinctos indicasse, ubi locorum defossa esset crumena cum parte eorum, cæteri ut forent distributi: unum etiam denarium ex eo numero habere M. Catonem philosophum, quem se a pedisequo in stipem Apollinis accepisse Cato confessus est. Hæc & alia apud plerosque de magicis pueris lego.* Lucas Act. Apost. c. 16. n. 16. *Puella habens spiritum Pythonem quæstum magnum præstabat dominis suis divinando.* Pignor. de Serv. p. 355.

MAGISTER est proprie nomen potestatis. Est enim ἐπιστάτης, sive præfectus: unde *magister* curiæ apud Plaut. infr. in *Magister curiæ.* societatum apud Cicer. pro Planc. c. 13. collegiorum apud Ascon. in Cicer. p. 159. vicorum apud Suet. Tib. c. 76. n. 3. & Asconium, pagorum in inscriptionibus antiquis, item in fragmento Magonis, & Vegojæ libris census in codice, pecoris apud Varr. de Re rust. II. 10. Paull. l. cui ff. 50. *Cui præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quam cæteri, diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi magistri appellantur, quin etiam ipsi magistratus per derivationem a magistris cognominantur. Unde etiam cujuslibet disciplinæ præceptores appellari a monendo, vel monstrando.* Festus: *Magistrare, moderari, unde magistri non solum doctores artium; sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur, quia omnes hi magis cæteris possunt: unde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt quam privati.* Voss. Lex. Etymol. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. I. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IV. p. 2760. D. Blond. Triumph. Rom. III. p. 55. A. Dacer. in Festum. Columb. in Lactant. c. 7. Pitisc. in Suet. Aug. c. 30. n. 1.

Magister admissionum. V. illum supr. in *Admissionales.*

Magister archivi. V. illum supr. in *Archeota.*

Magister auctionis dicebatur, qui ex corpore creditorum, prætore permittente, constitutus debitoris bona auctioni subjiciebat: iisque dividendis ita præerat, ut ei, qui plurimum liceretur, rem addiceret. Ejus enim, qui multis debebat, latitabatque, neque defendebatur, creditores prætorem adibant, apud illum querebantur, bonorumque possessionem petebant: quam & prætor dabat, atque in diem certam ea possidebant. Quæ cum venerat, prætorem rursus adibant, petebantque sibi ut liceret unum e suo numero deligere, qui bonorum venditioni præesset. Et is *magister* dicebatur. Julian. l. 5. ff. de curat. bon. dand. Cicer. ad Attic. I. 1. *Una agebant cæteri creditores, in quibus erat Lucullus, & P. Scipio, & is, quem putabant magistrum fore, si bona venirent, L. Pontius.* pro Quint. c. 15. *Cum magistri fiunt, & domini constituuntur, qui qua lege, & qua conditione pereat, pronuntient.* Is in compitis celebribus, & frequentibus urbis locis tabulam proponebat, se debitoris bona venditurum, his verbis: *Titius debitor noster incidit in causam venditionis bonorum: nos creditores ejus bona vendemus; qui volet, emptor accedat.* Hanc proscriptionem *magistri carmen* appellat Cicer. de Orat. I. 57. *Ut totum illud, uti lingua nuncupasset, non in* XII *tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.* Turneb. Adv. XXIII. 34. Sigon. de Judic. I. 18. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9.

Magister Augustalis dicebatur, qui collegium Augustalium moderabatur, juxta cum collegis, quos modo sex fuisse constat ex lapidibus. Hinc duumvir, quartumvir, sevir Augustalis in eisdem frequentissime. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 848. *E.* In honorem Imperatoris communibus impendiis viam sternendam curabat. Illorum mentio est in Inscriptione, quæ exstat in tabula marmorea in horto Ecclesiæ cathedralis urbis Castellanæ in Faliscis apud Gruter. p. 149. n. 5.

HONORI S
IMP. CÆSARIS. DIVI. F
AUGUSTI. PONT. MAXIM
PATR. PATRIÆ. ET. MUNICIP
MAGISTRI. AUGUSTALES
C. EGNATIUS. M. L. GLYCO
C. EGNATIUS. C. L. MUSICUS
C. JULIUS. CÆSAR. ISOCHRYSUS
Q. FLORONIUS. Q. L. PRINCEPS
VIAM. AUGUSTAM. AB. VIA
ANNIA. EXTRA. PORTAM. AD
CERERIS. SILICE. STERNENDAM
CURARUNT. PECUNIA. SUA
PRO. LUDIS

Bergier. de Viis milit. I. 24. 3.

Magister bibendi dicebatur, qui leges in convivio bibendi ferebat. Cicer de Senect. c. 14. *Me vero & magisteria delectant a majoribus instituta, & is sermo, qui more majorum*

jorum a summo adhibetur in poculo. Lamprid. Heliog. c. 19. *Præfectum urbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio, ita ut si recusarent, magistri eos cogerent.* Lips. Ant. Lect. III. p. 149. V. & supr. in *Arbiter.*

Magister census dicebatur, apud quem testamenta aperiebantur, publicabantur, actis inserebantur. Fiebat hoc gratuito, si hæreditas centum aureos non excedebat l. 18. & l. consulta 23. C. de testam. l. repetita 41. C. de episc. & cleric. Donationes quoque, quæ aureos quingentos non excedebant, insinuabantur l. in hac 30. & l. secundum 32. C. de donat. Acta, & decreta senatus scribebantur l. omnia 2. C. de princip. agent. in reb. Præmia a coss. aut prætoribus in curia certantibus proponenda, & pecunia in spectacula impendenda deponebatur. Symmach. Epist. ad Theod. Aug. 21. *Cum argenti publici ratio quæreretur, quod censualibus editores munerum contulerunt, repertum est quosdam debitum Reipublicæ non dedisse.* Qui Romam discendi causa veniebant, huic literas suorum præsidum ostendere tenebantur, quibus eorum oppida, natales, & merita exprimebantur, & ipsi profiteri debebant, quibus studiis operam essent daturi, sua hospitia indicare, & post ætatis annum primum & vigesimum Roma excedere l. 1. C. de stud. liber. urb. Rom. Singulis mensibus peregrinos, qui? undeve essent, & quid agerent? inquirebat, & otiosos in patriam remittebat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 9. Buleng. de Vectig. c. 13.* Sedebat in Urbe; in provinciis, qui ejus vices supplebant, ut moderatores earum, vel defensores civitatum. Optat. Milevit. de schism. Donat. I. *Brevis auri & argenti scœnti Cæciliano traditur, adhibitis testibus.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 9.

Magister collegii augurum dicebatur, qui inter eos major erat, & ætate reliquos anteibat, eisque præerat. *Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 2. Buleng. de Augur. & auspic. c. 11.*

Magister collegiorum quale obierit munus, constat ex Ascon. Cicer. p. 159. *Solebant magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant compitalitios prætextati.* Ex quibus opinor, in coloniis illa obiisse munera, quæ *magistri* vicorum in Urbe, pro ludis compitalitiis. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 848. D.*

Magister curiæ vocabatur divisor nummorum, quos nomine candidatorum inter tribus viritim dividebat. Plaut. Aul. I. 2. 29.

Nam noster nostræ qui est magister curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in viros.

II. 2. 2.

— nam neque quisquam curialium
Venit, neque magister, quem dividere argentum oportuit.

Aulularia quum sit comœdia palliata, videtur esse, quem Græci τριττυάρχην appellant. Ut enim curia pars est tribus Romanis; tribum enim unamquamque in decem curias Romulus est partitus; sic & Græcis τριττύς. Græca ad consuetudinem Romanam traducta sunt. *Turneb. Adv.* XXIV. 23. *Brod. Miscell.* VI. 10. *Beroal. Thes. Crit. Grut. Tom.* I. *p.* 263. *Ræverd. Var.* II. 16. *Bud. in Pandect. p* 236. *G. Guther. de jur. man.* II. 10.

Magister dispositionum scrinii dici non posset illarum comes. Hoc ut negem, motus sum hac ratione, quod nullus sit in scrinio dispositionum proximus. Hæc enim sunt συναίροντα, proximus & *magister.* Et comites dispositionum proximos fuisse puto, queis in dispositionibus Principis nomen hoc inditum est. *Cujac. ad tit. l. 1. C. de proxim. sacror. scrin.* Huic opinioni lex ipsa 1. C. de proxim. comit. dispos. refragatur, quæ clarissimos viros proximos scriniorum, & *magistros* dispositionum vicariorum ordini copulat. Frustra ergo *magistri* nomen dispositionum comiti denegatur: ut frustra proximum scriniorum mutato nomine fuisse scriniorum principem asseritur: cum ubique scriniorum proximi a comitibus, vel *magistris* dispositionum distinguantur. Ut plurimum comites dispositionum vocantur. Sed hoc nihil officit rei veritati. Nam sæpe & *magister* militiæ dicitur comes militum, ut probant inscriptiones legum, in quibus Stilico, & cæteri *magistri* militiæ comites utriusque militiæ leguntur. Nullam aliam curam habuit, quam ut dispositione, & libros imperii asservaret, & scrinii, in quo recondebantur, curam gereret. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 6. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 31.

Magister epistolarum Augusto imperante nondum fuit inventus; siquidem suas ipse epistolas scribebat, aut dictabat, quas postea M. Agrippæ, aut Mæcenati emendandas, vel eorum arbitrio mutandas tradebat. Dio LI. p. 444. D. *Agrippæ, & Mæcenati tantam potestatem dedit Cæsar in rebus omnibus, ut literas quascunque ad senatum, vel alios mitteret, ipsi prius legere possent; & in iis, quæ vellent, immutare: cujus rei gratia annulum ab eo acceperant, quo literas obsignarent.* Suet. c. 50. n. 1. *In diplomatibus, libellisque, & epistolis signandis initio sphinge usus est. . . . Ad epistolas omnes, horarum quoque momenta, nec diei modo, sed & noctis, quibus datæ significarentur, addebat.* Proximi Augusto successores & ipsi epistolas per se habebant, aut dictabant. Philo Legat. ad Caium p. 1029. B. *Tum brevi mora interjecta eundem ab epistolis dictat responsum ad Petronium.* Suet. Domit. c. 13. n. 4. *Pari arrogantia, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit.* Non multo post inventus est *magister* epistolarum & quidem Græcarum, ut in Notit. imp. orient. c. 94. dicitur, *qui epistolas, quæ Græce solebant emitti, aut ipse dictabat, aut Latine dictatas transferebat in Græcum.* Hic Nerone imperante institutus est. Nam Joseph. Ant. XX. 14. scribit *Beryllum, qui Neronis pædagogus erat, scriniorum ejus Græcis epistolis fuisse præfectum.* Et Nymphidianum Smyrnæum philosophum Maximi & Claudiani sophistarum germanum *Julianus apostata dictandis epistolis, quæ Græca lingua conficiendæ essent, præfecit* apud Eunapium p. 137. Epistolarum *magistris* postea usi sunt & alii Imperatores. Talem Suetonium Tranquillum, duodecim Cæsarum scriptorem nobilissimum habuit Adrianus teste Spartian. c. 11. Hic accepto a Principe rerum argumento aliis scribentibus dictabat. Zeno A. l. ult. C. si contr. jus vel util. publ. *Spectabiles,* inquit, *magistri scriniorum, qui sine præfata adjectione qualecunque divinum rescriptum dictaverint, reprehensionem subibunt. Legationes,* ut ait Notit. l. l. *civitatum, consultationes, & preces tractabat.* Legationibus enim Regum, aut civitatum intererat, ut postulata intelligeret, & responsa scriberet. Prius tamen in auditorio præfecti prætorio desideria legatorum nulla facta determinatione examinabantur, postea in Principis consistorio ab Epistolaribus recitabantur, qui demum ex sententia Principis responsum acceptum scribebant l. quotiescunque 10. C. Præsidibus quoque de facti specie dubia consulentibus ex Principis sententia rescribebat. Hæc consultatio vocabatur. Ulpian. l. 1. §. 1. de appell. *Si præses provinciæ consuluerit, & ad consultationem ejus est rescriptum, appellandi jus superest.* Panciroll. Notit. Imp. orient. c. 96. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 3. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. p. 528. D. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 9.

Magister equitum dicebatur, inquit Varr. de Ling. Lat. IV. 14. *quod summa potestas hujus in equites, & accensos, ut est summa in populum Romanum dictatoris: unde is quoque magister populi appellatus est.* Moris autem erat, ut a dictatore diceretur noctu, simul atque creatus fuerat dictator. Liv. IV. 13. *Cincinnatus dictator a consule dicitur: ipse deinde C. Servilium Ahalam magistrum equitum dicit.* & c. 21. laudatus supr. in *Dictator.* Pompon. l. 19. ff. de orig. jur. *Et his dictatoribus magistri equitum jungebantur, sic quo modo Regibus tribuni celerum: quod officium fere tale erat, quale hodie præfectorum prætorio.* Aurel. l. 1. ff. de offic. præf. prætor. *Cum apud veteres dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, & magistros equitum sibi eligerent, qui associati participes curæ militiæ gratia secundam post eos potestatem gererent.* Hotoman. de Magistrat. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 1871. F. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 20. Hugo de Milit. Equest. V. 2. Pre-

vor. de Magiſtrat. Roman. c. 8. Panvin. Faſtor. I. p. 71. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9. Volaterr. Comm. Urban. XXIX. p. 1099. Alexand. Gen. IV. 23. Pompon. Læt. de Magiſt. Roman. c. 16. Flocc. de poteſt. Roman. II. 9. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 676. L. *Primus magiſter equitum creatus eſt Sp. Caſſius.* an. ab U. C. 255. Liv. II. 18. *Auguſt. de Fam. Roman. in Caſſia. Hugo & Flocc. l. l.*

Magiſter factionum quis fuerit dictus V. ſupr. in *Dominus.*

Magiſter fani dicebatur, cui fani cura commiſſa erat. Inſcriptio Capuæ:

Q. PETICIO M. F. FAL
MAG. FANI DIANÆ

Guther. de Vet. jur. Pont. III. 3.

Magiſter gladiatorum dicebatur laniſta, qui illos docebat. Cicer. de Orat. III. 23. *Magiſter hic Samnitum ſumma ſenectute eſt.* Lipſ. Saturn. I. 15. Thyſ. de Gladiat. p. 220.

Magiſter Larum dicebatur, qui larario præfectus erat. Lapis vetus:

MARTI AUGUSTO
L. JUNIUS. MAURUS. LARUM. AUG
MAGISTER. DEDIT

Dictus eſt, ut *magiſter* ſacrorum, fani. . . qui inſcriptionibus frequentiſſimi. Fuit tamen alius ab eo, de quo Suet. Domit. c. 17. n. 4. *Puer, qui curæ Larium cubiculi ex conſuetudine aſſiſtens. . . .* Pueri illius munus fuit, ut eam curam, diligentiamque adhiberet, qua in larario recte diſpoſita omnia eſſent. *Guther. de Vet. jur. pont.* III. 10. *de Offic. dom. Aug.* III. 29. *Laurent. var. ſacr. gentil.* c. 14.

Magiſter libellorum inventus eſt ab Imperatoribus poſterioribus Auguſto. Hic enim libellos preces offerentium continenter per ſe expediebat, & ſignabat. Suetonius laudatus ſupr. in *Magiſter epiſtolarum.* Et diu principes ipſi libellis ſubſcripſerunt. Lamprid. Comm. c. 13. *Commodus in ſubſcribendo tardus, ac negligens, ita ut libellis una forma multis ſubſcriberet.* Sed cum hoc opus Principes faſtidire cœpiſſent, hic *magiſter* plures ſcriniarios habuit, qui reſponſa a Principe accepta ſcribebant. Sub tempus Notitiæ XXXIV. erant ſub hoc *magiſtro* libellenſes vocati l. hac parte C. de proxim. ſacr. ſcrin. qui libellos ſupplices privatorum, non civitatum accipiebant. *Magiſter* eos Principi oblatos legebat, & ipſe adnotabat l. ult. C. de diverſ. reſcr. aut libellenſibus reſponſa dictabat dict. l. ult. *Tractabat*, inquit Notit. imp. orient. c. 94. *cognitiones & preces.* Cognitio eſt cauſæ diſcuſſio, & examinatio, cum litigantes audiuntur. Ulpian. l. ſolent, in princ. ff. de offic. proconſ. *Solent proconſules cuſtodiarum cognitionem mandare legatis, ſcilicet, ut praeauditas cuſtodias ad ſe remittant.* Cum ergo ad Principem ab ejus delegato appellabatur, cauſam cognoſcebat pro Principe quæſtor, & præfectus prætorio qui erat in comitatu: cognitionem vero hic *magiſter* tractabat, & acti libellenſes ſcribebant. Theodoſ. A l. præcipimus §. huic C. de appell. Et ideo etiam *magiſter cognitionum* vocatur. Ita Cratinum appellat Juſtin. l. 2. §. qui omnia C. de vet. jur. enucl. in Græca conſtitutione. *Pancіroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 97. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 3. *Buleng. de Imp. Rom.* I. 14.

Magiſter memoriæ, inquit Notitia, *adnotationes omnes dictat, & emittit, & precibus reſpondet.* Quod Princeps verbo reſpondebat, *magiſter* proximo breviter *dictabat*, & ille, vel memoriales adnotabant, & ab his, quæ dictabantur, excipiendis exceptores vocabantur, cæteris aliquanto digniores. *Emittebat* n. diplomata ad currendum equis publicis nomine Principis, vel magiſtri officiorum l. in ſacris C. de palat. ſacr. largit. *Precibus reſpondebat*, id eſt, dictabat reſponſa, quæ Princeps libellis ſupplicibus dabat. Zeno l. ult. C. de diverſ. reſcr. *Univerſa reſcripta, ſive in perſonam precantium, ſive ad quemlibet judicem manaverint: quæ vel adnotatio, vel quævis pragmatica ſanctio nominentur: ſub ea conditione proferre præcipimus, ſi preces veritate nitantur.* Panciroll. Notit. dignit. Imp. orient. c. 95. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 3. Buleng. de Imp. Roman. I. 14. Laz. Comm. Reip. Roman. II. 4. Valeſ. in Ammian. XV. 5.

Magiſter militiæ ſucceſſit legato, qui ab Imperatore ad regendum exercitum mittebatur, & cui milites tam pacis, quam belli tempore obtemperabant. Veget. II. 9. *Imperatores ex conſularibus ad exercitum mittebantur, quibus legiones & auxilia univerſa obtemperabant in ordinatione pacis, vel neceſſitate bellorum, quorum loco nunc illuſtres viros conſtat magiſtros militum ſubſtitutos, a quibus non binæ tantum legiones, ſed & plures gubernabantur.* A quo ſit inventus, non conſtat. Certum eſt poſt Alexandrum a poſterioribus Principibus introductum. Metaphraſtes Theophilum *magiſtrum* equitum ſub Decio, & Veturium ſub Diocletiano nominat *magiſtrum* peditum. Aurelianum quoque, qui mox imperavit, *magiſtrum* militum per Thracias Fl. Claudii fuiſſe ſcribit Vopiſc. Aurel. c. 17. *Tuo magiſterio milites mei volo.* c. 18. *Equites ſane omnes ante imperium ſub Claudio Aurelianus gubernavit, quum offenſam magiſtri eorum incurriſſent, quod temere Claudio non jubente pugnaſſent.* Cæterum cum præfecti prætorio ubique ordinandi, & puniendi milites poteſtatem haberent, Conſtantinus, militari imperio ipſis adempto, duos *magiſtros* militum inſtituit, alterum equitum, alterum peditum, qui omne jus in milites haberent, ut auctor eſt Zoſim. II. 33. quod in occidente ſemper eſt obſervatum. Theodoſius vero, ut omnibus ex partibus hoſtibus occurreret, plures *magiſtros* militum creavit, ut ſcribit Zoſim. IV. 27. qui mox ad numerum quinque in oriente ſunt redacti. In occidente duo permanſerunt, alter equitum, peditum alter; qui in Principis comitatu degebant, & tanquam apud eum manentes, *in præſenti* ſunt vocati l. pen. C. de apparit. mag. mil. His Juſtinianus in Polemoniaco Ponto Armeniis, aliisque adjacentibus regionibus Zetam *magiſtrum* militum addidit l. ult. C. de offic. mag. mil. Horum ferme eadem poteſtas erat in milites, quæ præfectorum prætorio remanſit in provinciales l. pen. C. de offic. P. P. orient. d. l. 1. & 2. C. de offic. mag. mil. Civiles enim, criminaleſque illorum cauſas audiebant l. 1. & 2. laud. & terminabant l. de milit. C. de cuſtod. & exhib. reor. Hanc ſecundam poſt Principem dignitatem fuiſſe ſcribit Hieron. in Ezech. XXIII. *Triſtatæ*, inquit, *apud Græcos nomen eſt ſecundi gradus poſt regiam dignitatem, quos nos magiſtratus utriuſque militiæ, & præfectos annonarii tituli vocamus.* Inter alia comitibus, & *magiſtris* militum indultum erat privilegium, ut gratis in balneis publicis civitatum lavarentur C. l. 1. cap. in rei milit. cani. vel trib. lava. præf. *Magiſtris* ſucceſſere qui hodie *Generales exercitus* vocantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 31. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 12. *Salmaſ. in Vopiſcum.*

Magiſtri navium dicebantur, qui ſingulis navibus præerant, Liv. XLV. 42. *Dedit ſociis navalibus in ſingulos denarios ſeptuagenos quinque, gubernatoribus, qui in navibus fuerant, duplex, magiſtris navium quadruplex.* XXIX. 25. *Ex omnibus navibus gubernatores, & magiſtri navium, & bini milites, ut convenirent, edixit.* Scheffer. de Milit. nav. IV. 6.

Magiſter obſonii vocabatur famulus, qui obſonia ſcindebat. Senec. de Vit. beat. c. 17. *Et eſt aliquis ſcindendi obſonii magiſter.* Lipſ. in Senecam. Demſter. Paralip. ad Antiq. Roman. Roſin. V. 29.

Magiſter officiorum officiis, id eſt, miniſteriis, ſeu Principi miniſtrantibus præerat. Nomen officii, etſi multa ſignificat, hic pro miniſterio accipitur, ut apud Marc. l. legatis. §. ſi ex off. ff. de legat. III. *Si ex officio quis ad artificium tranſierit, officium artificio mutatur.* Adaucus martyr Diocletiani Imperatoris *magiſter* officiorum, & quæſtor fuit. Euſeb. VIII. 23. Non tantum Palatinis, & Principis miniſtris, ac ſcholis palatii arma tractantibus imperabat, ſed & fabricis, & limitaneis ducibus, vel comitibus l. pen. C. de offic. mag. offic. a quibus ad *magiſtrum* officiorum, & quæſtorem appellabatur l. penult. C, de

de appell. *Magisteriam dignitatem* vocant jura §. 1. in proœm. ff. §. 1. in prim. constit. C. l. 2. §. hoc etiam C. de offic. P. P. Afric. & Cassiod. Var. VI. 6. qui ejus præcipuum munus fuisse dicit, ut Principi senatores offerret. *Ad eum*, inquit, *palatii pertinet disciplina: ipse insolentium scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prospere disserenat. . . . Per eum senator veniens nostris præsentatur obtutibus, admonet trepidum, componit loquentem, sua quinetiam solet verba inserere, ut nos decenter omnia debeamus audire. Aspectus Regi haud uritas, promissor collocutionis nostræ, gloriosus donator aulici consistorii, quasi quidam lucifer: nam sicut ille venturum diem promittit, sic iste desiderantibus vultum nostræ serenitatis attribuit. Causarum præterea maximum pondus in ejus audientiæ finibus optima securitate reponimus. Veredorum quinetiam oportunam velocitatem, quorum status semper in cursu est, diligentiæ suæ districtione custodit: ut solicitudines nostras, quas consilio juvat, beneficio celeritatis expediat. Per eum nobis legatorum, quamvis festinantium, prænuntiatur adventus: per eum nominis nostri destinatur evectio. His laboribus æstimatis potestatem maximam hinc decrevit antiquitas: ut nemo judicum per provincias fasces assumeret, nisi hoc & ipse fieri decrevisset. Peraequatores etiam victualium rerum in urbe regia propria voluntate constituit, & tam necessariæ rei judicem facit.* Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 63. Buleng. de Imp. Rom. III. 14. Gother. de Offic. dom. Aug. II. 20. Salmas. in Capitol. Anton. Philos. c. 8. Treb. Poll. in Gallien. c. 17. Faber Semest. I. 5. De his etiam multa Vales. in Ammian. XXVI. 5.

Magister pagorum, qui dicitur Siculo Flacco supr. in *Lustratio pagorum*, est qui *præpositus pagorum* vocatur Theodos. de erog. milit. annon. *Ut procuratores, seu susceptores, vel præpositi pagorum & horreorum eam comparent:* & Euseb. in Epist. Sabini præfecti prætorio Latina, quam Græce reddidit Hist. Eccles. IX. 1. *Scribere præpositis pagorum uniuscujusque civitatis.* Salmas. in Treb. Poll. XXX. tyrann. c. 24. Quid vero pagus, V. infr. in *Pagus*.

Magister pecoris, qui & saltuarius, est is, ad quem præcipua pertinet animalium, & pastionis cura. Virg. Æneid. VII. 485.

— cui regia parent
Armenta, & late custodia credita campi.

Ubi recte Servius *magistrum hunc pecoris vult fuisse, & saltuarium.* Sed lapsus est, cum *magistrum pecoris* putat, *ad quem omnia animalia pertinent*, laudatque Ciceronem non adjecto loco, cui hæc verba tribuit: *nominat hominem, quem magistrum pecoris esse dicebat.* Sed leviter Ciceronem percurrit Servius. Ille enim *magistrum pecoris* inter bubulcos, & pastores servos annumerat Verr. V. 7. *Etenim nominat iste servum, quem magistrum pecoris esse diceret.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 18. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 169. D.

Magister plausus exstitit olim, qui musicam ordinaret, ac præciperet vices, quibus essent iterandæ, ne rythmus deperderetur, acclamationes. Colligitur hoc ex Treb. Poll. Claud. c. 4. *Auguste Claudi, dii te nobis præstent, dictum sexagies: Claudi Auguste, principem te, aut qualis tu es, semper optavimus, dictum quadragies: Claudi Auguste, te Respublica requirebat, dictum quadragies: Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus senator, tu vere princeps, dictum octuagies: Claudi Auguste, tu nos ab Aureolo vindica, dictum quinquies: Claudi Auguste, tu nos a Zenobia, & a Victoria libera, dictum septies.* Primum enim plausus fuerunt rudes, postea arte insigniti. Ovid. Art. I. 113.

In medio plausu, plausus tunc arte carebat.

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 16.

Magister populi vocabatur dictator. Senec. Epist. 108. *Præterea notat, eum quem nos dictatorem dicimus, & in historiis ita nominari legimus, apud antiquos magistrum populi vocatum. Hodieque id extat in auguralibus libris: & testimonium est, quod qui ab illo nominatur, magister equitum est.* Cicer. de Finib. III. 22. *Rectius magister populi, is enim est dictator.* Festus. V. illum supr. in *Lex optima.* Varro laudatus supr. in *Magister equitum.* Hotom. de Magistr. Rom. II. 1. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1800. B. 1871. F. Bud. in Pandect. p. 235. H. August. de Famil. Rom. in Cassia. Ræward. Conject. III. 20. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 185. Hoec. de Potest. Roman. II. 8. Panvin. Fast. I. p. 70. Lipf. de Magistrat. Rom II. c. 17. Pigh. Annal. Roman. I. p. 83.

Magister sacrorum Junonis memoratur in inscriptione veteri:

MAGILLUS. L. L. PHILOM
AUG. ALLIFIS. MAGIST
JUNONIS. SACRORUM
SIBI. ET. SUIS

Gutber. de Vet. jur. Pontif. I. 23.

Magister Saliorum dicebatur illorum ἔξαρχος, sive princeps. Habebat inaugurandi, & exaugurandi potestatem: qui ritus dum peragebantur, unus e Saliis, procul dubio vates, inaugurationis, & exaugurationis sollennia carmina recitabat, si *magister* ea non haberet memoriæ infixa; aliis enim ipse *magister* illa recitabat: sic Antoninus Philosophus, cum *in Saliatu & præsul, & vates, & magister esset, & multos inauguravit, atque exauguravit, nemine præeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset.* teste Capitol. c. 4. Porro ad *magistrum* pertinebat cura, ut Salii juvenes, & novi rite discerent ancilia portare, & juxta modulos rythmicos saltare. De patre suo quondam Saliorum *magistro* Stat. Sylv. V. 3. 180.

— inde sacrum didicit puer: arma probare
Monstrasti Salius.

Quod idem est, ac si diceret, tu instituisti Salios, quomodo ancilia portandi essent, & tollerent ancilium festum peragendum. Talis fuit pater Fauni Bruti apud Val. Max. I. 1. §. 9. qui filium, quamvis prætorem, jubebat arma ancilia ferre. Hujus meminit saxum vetus exhibitum a Grutero p. 489. n. 10.

C. VOCONIO. C. F
GALL. PLACIDO. AED
II. VIRO. II. FLAMINI. II
QUÆSTORI
SALIORUM. MAGISTRO

Cuper. Observ. IV. 2. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * * *Kipping. Antiq. Roman.* I. 12. 7. *Gutberl. de Saliis c.* 8. *Casaub. & Salmas. in Capitolinum.*

Magister scriniorum simpliciter, & omnium scriniorum dicebatur, qui omnia simul scrinia curabat. Non enim hic erat *magister* scrinii epistolarum, aut libellorum, aut memoriæ, aut dispositionum, sed horum quatuor scriniorum. Et quemadmodum in singulis officiis principes, & primates, & capita dicebantur officii, super quos unus erat, qui dicebatur *magister* omnium officiorum, & *magister* officiorum simpliciter; ita unumquodque scrinium proximum suum habuit, qui prior, & princeps in illo fuit: at omnia simul scrinia *magistrum* scriniorum. *Magistri* illi scriniorum præferuntur vicariana potestati tit. 11. C. proximi vero scriniorum cod. C. tit. de prox. copulantur ordini vicariorum. Cod. Justin. *magistri omnium scriniorum* appellantur. Ita Papinianus dicitur *curasse illo tempore Bassiani scrinia.* Aurel. Vict. de Cæsar. c. 20. n. 34. Intellige scriniorum *magistrum* fuisse. Festus Rufus de Ulpiano: *Hic Alexander scriniorum magistrum habuit Ulpianum Jurisconsultum* Lamprid. Alex. Sev. c. 26. *scrinii magistrum* Ulpianum fuisse dicit, ubi malim legere *scriniorum*, quia non unius, sed omnium simul scriniorum *magister* fuit. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 31. *Vopisc. Carum c.* 8. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 94. *occid. c.* 45. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 15. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 4. Quis primus instituerit, nusquam invenio apud veteres. Antiquissima ejus dignitatis mentio est apud Spartian. Æl. Ver. c. 4. *Nam quum orationem pulcerrimam, quæ hodieque legitur, sive per se, sive per scriniorum aut dicendi magistros, Ælius parasset.* In priorum temporum historia mentio horum nulla; in posteriorum frequentissima. *Casaub. in Spartianum.*

Magister Scpinatium quis fuerit, non ita facilis, meo judicio, est cognitionis. Si tamen vera sunt, quæ de dictatore prodit Alex. Gen. VIII. 23. scilicet, dictatorem dici, qui apud veteres magister populi vocabatur, conjectare ausim, eandem *magistri* coloniæ, vel municipii, ac dictatoris Romæ dignitatem, & auctoritatem fuisse; quod & mihi suadet familiaris usus hujus vocis in coloniis, & municipiis, in quibus *magister* juvenum collegii Augustalium habebatur. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 848. *B.*

Magister societatis erat diversus a mancipe. Sic a Cicer. pro Planc. c. 13. Plancii pater dicitur *maximarum societatum auctor, plurimarum magister.* Auctor hic idem est qui manceps, ut discimus ex Asconio. V. illum infr. in *Manceps.* Hic *magister* omnes rationes societatis conficiebat, & per provinciam, cujus vectigalia conduxerat, alium mittebat, qui ejus vicem gerebat, qui *pro magistro* dicebatur. Cicer. Attic. X. 10. *Terentius meus necessarius magnas operas mihi postulat, & scriptura pro magistro dedit,* & passim. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* II. 5. *Burmann. Dissert. de Vectig.* IX. *p.* 163.

Magister vestis lineæ, alias linteæ quis fuerit. V. supr. in *Comes.*

Magister vestis privatæ a Notitia sub eodem comite prædicto annectitur. Alias species ad Principis vestes conficiendas, præterquam lineas curabat. Lanam enim, & sericum ad tapeta, vestes, aulæa, lectos, stragulas, & pulvinaria pecti, & ad opus perduci, universamque vestem confici studebat. Hos procuratores appellat Constantin. l. 2. C. de murileg. *Procuratores rei privatæ, per quos privatæ nostræ subjectæ vestis tenentur, & species quæ ad nostras conspectus conferuntur, suffragiis ad hoc mittuntur,* id est, pretio hoc officium non emerint. Qui vero & ipsius Principis tractabat, priusquam hoc munus exerceret, satisdare tenebatur, sicut & præcedens. Theodos. ad comit. sacr. larg. l. privatæ C. de murileg. *Privatæ, vel linteæ vestis magistri non ante ad rem sacri ærarii procurandam permittantur accedere, quam satisdationibus dignis eorum administratio roboretur.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 75. Qui quod ait a Constantino hos appellari *procuratores rei privatæ*, in eo fugit eum ratio. Nam ea in lege distincte recensentur *procuratores rei privatæ, baphii, & gynecii.* Hennin ad Bergier. de viis milit. IV. 23. §. 5. Qui illi procuratores V. infr. in *Procurator.*

Magister vicorum, qui & *vicomagister*, quinam esset, nomen prodit: nam quia vicorum Urbis curam gerebant, *magistri* vicorum sunt appellati. Augusto ortum debent. Suet. c. 30. n. 1. *Spatium Urbis in regiones, vicosque divisit, instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri e plebe cujusque viciniæ electi.* Dio LV. p. 554. A. *Magistri vicorum ex plebe sunt constituti, quos stenoparchos dicimus.* Hotoman. de Magistrat. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1890. C. Ursat. de Not. Rom. Thes. Græv. ibid. Tom. XI. p. 848. F. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. Tom. III. p. 281. E. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p. 326. F. Nardin. Rom. Vet. III. 4. Pitisc. in Suetonium. Erant quatuor per singulos vicos, ut constat ex lapide antiquo. Prætextati ludos compitalitios facere solebant. Ascon. in Cicer. p. 159. *Sicut magistri vicorum faciebant compitalitios prætextati.* Panvin. & Pancirol. l. l. Unaquæque regio habebat 48. & tota Urbs 672. *Pancirol. ibid. p.* 390. *B.* & 322. *A. Nardin. ibid.* VIII. 1. Erat non semper unius singularis vici, sed plurium conjunctorum. V. infr. in *Vicus Cyclopis.*

MAGISTRATUS difficile definitur. Existimo tamen posse dici potestatem populi Romani ordinariam. *Gothofr. ad l. eum qui 1. de jurisd.* Ego *magistratus* voco potestates omnes eorum, qui res humanas, quæ quidem ad Rempublicam pertinent, publica auctoritate curarunt. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 20. *jur. provinc.* III. 5. Rectius Pompon. l. 2. §. post originem ff. de orig. jur. *qui juri dicundo præsit.* Hoc ad omnes *magistratus*, majores, & minores referri potest. Ego latiorem definitionem hanc assero: ut sit dignitas a Principe mandata, cum jurisdictione, potestate, & imperio, ad jus dicendum, edicendum, decernendum more majorum, cum jure gladii. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 3. Urbanus proprie est *magistratus*, cæteri qui in provinciis sunt potestates. Et ab his distinguitur. Suet. Claud. c. 23. n. 2. *Jurisdictionem de fideicommissis quotannis, & tantum in Urbe delegari magistratibus solitam in perpetuum, atque etiam per provincias potestatibus demandavit.* Ulpian. l. cum qui ff. de jurisdict. *Magistratus, vel is, qui in potestate aliqua sit, utputa proconsul, vel prætor, vel alii, qui provincias regunt.* l. hoc edictum ff. quod quisque juris in alterum statuerit. *Qui magistratum, potestatemve habebit. . . . . Si quis apud eum, qui magistratum, potestatemve habebit. . . . .* Unde Juven. Sat. X. 100.

An Fidenarum, Gabiorumque esse potestas.

Lips. de Magistr. c. 1. Chimentell. de Hon. bisell. c. 4. Buleng. de Imp. Rom. VII. 7. Guther. l. l. Pitisc. in Suetonium. Ad urbanum nemo potuit aspirare, nisi peractis decem stipendiis militaribus. Polyb. VI. 17. *Urbanum magistratum capiendi jus nemini est, antequam dena stipendia emerita habeat*, & exinde ante annos viginti septem primum *magistratum* exercere. Cœperunt enim militare Romani anno ætatis decimo septimo. V. supr. in *Ætas militaris.* Nisi quis legibus solveretur: quemadmodum de Pompejo, Octaviano, Africano, aliisque permultis factum legimus. *Gruch. de Comit. Rom.* I. 3. *Broid. Coroll. ad Potlet. For. Rom.* V. 8. *Patric. rei milit. Rom. part.* I. *sect.* I. Prisco more populus in campum Martium conveniebat, & qui *magistratum* petebant, tribus circumibant, singulosque prensantes gratiam, & suffragia precibus, & temporaria observantia emerebantur, unoquoque benigne, & nominatim appellato. Quam ad rem facilius agendam inventi sunt nomenclatores. Hunc ordinem in comitiis solitum fuisse servari ait Plin. Epist. III. 20. 5. *Citato nomine candidati silentium summum. Dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes, & laudatores dabat, vel eum, sub quo militaverat; vel etiam, cui quæstor fuerat, vel utrumque, si poterat. Addebat quosdam ex suffragatoribus; illi graviter, & paucis loquebantur. Plus hoc, quam preces, proderat. Nonnunquam candidatus aut natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat. Audiebat senatus gravitate censoria: ita sæpius digni, quam gratiosi, prævalebant.* Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Etiam ordo in adipiscendis observabatur, ut non ad fastigium honorum saltim, & omissis mediis, sed per infimos, & medios *magistratus* ad supremos honores conscenderent. Prima vero dignitas fuit quæstura, quæsturam ædilitas, ædilitatem prætura, & præturam consulatus culmen honorum, & veluti quoddam honoris fastigium sequebatur. Quoto hi *magistratus* ætatis anno peti potuerint. V. supr. in *Ætas.* Broid. l. l. Leges tamen annales Imperatores non solebant servare in *magistratibus.* Hoc satis declarat Capitol. Ver. c. 3. *Post quæsturam statim consul est factus.* Etsi legis, interdum id factum impetrata venia legis. Id his verbis confirmat Lamprid. Comm. c. 2. *Venia legis annariæ impetrata consul est factus.* Robort. de magistrat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. (42.) D. Auspicato creabatur. Dionys. II. p. 81. *Romulus accepta a deo certis signis, advocata concione, & indicatis auspiciis, Rex omnium consensu declaratur, & morem instituit in posterum, ne quis regnum assumeret, magistratumve iniret, nisi ut deus addiceret. Estque hæc auspicii lex apud Romanos longo tempore observata non solum sub Regibus, verum etiam sublata monarchia, in consulum, imperatorum, cæterorumque magistratuum legitimorum comitiis. Nostra vero tempestate imago tantum quædam hujus juris remanet religionis gratia. Candidati enim, e tentoriis diluculo prodeuntes, preces quasdam sub divo peragunt. Ibi aliqui ex auguribus, qui ære publico ad hujusmodi negotia adhibentur, fulguris signum a sinistris datum pronuntiant, etiamsi nullum sit datum. At illi vocis omine contenti, ad sumendum magistratum abeunt.* Liv. V. 17. *Magistratus vitio creatos Latinas sacrumque in Albano monte non rite concepisse: unam expiatio-*

nem

nem eorum eſſe, ut tribuni militum ſe magiſtratu abdicarent, auſpicia de integro repeterentur, & interregnum iniretur. Bulerg. de Augur. c. 13. Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 288. Manut. de Legib. c. 8. Panvin. de Civit. Roman. c. 1. *Magiſtratibus* gerendis deſtinandi dicebantur deſignari. V. ſupr. in *Deſignati.* Quando vero fuerint deſignati, & *magiſtratum* inierint. V. ſupr. in *Conſules.* Moris etiam erat, ut quicunque *magiſtratum* caperent, primo ejus die breviter aliquid deliberarent, auſpicii ſaltem cauſa. Tacit. Annal. IV. 36. 1. *Ut feriarum Latinarum diebus, præfectum Urbis Druſum, auſpicandi gratia tribunal ingreſſum, adierit Calpurnius Salvianus.* Aſconium V. ſupr. in *Dies auſpicalis.* Appellabant primum illum diem auſpicalem. V. Panegyriſten loco modo laudato. Solebant vero tantum leves quædam & tralatitiæ cauſæ proponi, dicis gratia. Suet. Ner. c. 7. n. 8. *Auſpicatus eſt & juriſdictionem præfectus Urbis ſacro Latinarum, celeberrimis patronis non tranſlatitias, ut aſſolet, ſed breves, & maximas, plurimaſque poſtulationes ingerentibus, quamvis interdictum a Claudio eſſet.* Lipſ. in Tacitum. Roa Singul. I. 4. 11. *Magiſtratum* gerere non erat cuiquam fas ultra dies quinque niſi qui publice in leges juraſſet. V. ſupr. in *Juramentum magiſtratuum.* Qui res civiles, & Reipublicæ inſtituendæ rationes explicant, frequenter in eo diſputant, quodnam magis e re ſit, *magiſtratusne* eſſe annuos, an vero perpetuos. In utramque partem ſpecioſa adferunt argumenta. At rerum civilium peritiores judices putant, in monarchia *magiſtratus* debere eſſe perpetuos: in cæteris Rebuſpublicis, maxime in democratia, annuos: ne videlicet longa imperandi conſuetudine, & dum Reipublicæ nervos quaſi in manu ipſi habent, tyrannidem occupent, & adverſus leges patrias ſummam poteſtatem, ac libertatem publicam opprimant. Id quod patuit exemplo Julii Cæſaris, cui diuturna propagatio, & continuatio poteſtatis ac imperii occaſionem præbuit, ut ſe faceret dictatorem perpetuum, & ſolum imperii Romani dominum. V. elegantem Catuli orationem ad populum Romanum apud Dion. XXXVI. p. 15. A. Verum enim vero tam ante Cæſarem, quam diu poſt nullus *magiſtratus* major fuit perpetuus; rari excesserunt annuum ſpatium, & ſoli forſan præſides, ab Imperatoribus in provincias miſſi, quibus Tiberius, & nonnulli alii Imperatores *magiſtratum* ad plures annos quandoque prorogarunt: at proconſules, & proprætores a S. P. Q. R. cum imperio in provincias miſſi tantum annuum gerebant *magiſtratum.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. 27. §. 1. 2. *Magiſtratum* non poterat capere, cujus pater in hoſtium poteſtate eſſet. Videlicet hoc judicaverunt ſapientiſſimi viri, hominis non liberi filium Rempublicam adminiſtrare nimis indecorum eſſe. Liv. XXVII. 21. *Servilium negabant, jure aut tribunum plebis, aut ædilem eſſe, quod patrem ejus, quem triumvirum agrarium occiſum a Bojis circa Mutinam eſſe, opinio per decem annos fuerat, vivere, atque in hoſtium eſſe poteſtate ſatis conſtabat.* Eundem intra decem annos capere fas non erat. V. ſupr. in *Conſul.* Marcio quidem Cenſorino ſuadente bis eundem petere non licebat. Plutarch. in Coriol. p. 214. A. Sed hoc poſtea eſt abrogatum. Multi enim iterum, ac ſæpius fuerunt conſules. *Manut. de Legib. c. 5.* In publico luctu quicquid ad ornamenta pertinebat *magiſtratus* ſolebat deponere, ac ſolitum cultum viliori permutare. De funere Germanici Tacit. Annal. III. 4. 2. *Illic miles cum armis, ſine inſignibus magiſtratus.* Moreſtell. Pomp. Feral. II. 22. Qui Rempublicam bene geſſerant, ſic remunerabantur. Plutarch. de Caton. maj. p. 347. B. *Populus mirifice approbaſſe ejus cenſuram videtur. Nam in æde Salutis ſtatuam Catoni ponens, non præturam, neque conſulatum ejus inſcripſit, ſed quod Romanorum Rempublicam inclinatam, & in pejus vergentem, cenſor diſciplina honeſta, exercitationibus temperantiæ in integrum reſtituiſſet.* Quod non inſcriptum conſulatum, aut præturam Plutarchus dicit, non ideo credendum eſt, non conſueviſſe etiam ſtatuas poni conſulibus, & prætoribus; ſed cenſuram ejus cum reliquis geſtis *magiſtratibus* comparat, & quod plus ex illa commodi Reſpublica ſenſerit, ideo etiam ejus honoris titulum, tanquam memorabiliorem præferri cæteris, & extare ad poſteritatem debere populum cenſuiſſe indicat. *Figrel. de Stat. Roman. c. 12.*

Magiſtratus codicillares erant dignitates nomine tantum datæ, re vero minime, id eſt, quæ carent effectu. Lamprid. Alex. Sev. c. 49. *Pontificatus, & quindecimviratus, & auguratus codicillares fecit, ita ut in ſenatum allegerentur.* Rhodig. Ant. Lect. IV. 25. Cui ego non aſſentior. Codicilli quandoque accipiuntur pro diplomate, ſeu literis Principalibus. V. ſupr. in *Codicilli.* Hinc *codicillares facere* eſt, ut a ſenatu datis publicis literis, ſeu diplomatibus firmarentur: vel potius, quod hujuſmodi munia prius eſſent codicillaria, id eſt, codicillis ſcriptis ab Imperatoribus darentur, ut per ſenatum eligerentur, ita ut punctus ſit faciendus juxta dictionem *codicillares*, poſtea legendum: *fecit ita. . . . Donat. in Lampridium.* Caſaub. in Lampridium, & forte juxta cum illo Lipſ. in Tacit. Annal. XIII. n. 3. interpretantur: *beneficii ſui fecit, ut ſacerdotia miſſis codicillis deferret.* Putarem ego pontificatus codicillares ad novæ dignitatis cumulum referendos, qui ex ſenatorio honore accreſceret. Hoc eſſe *codicillares facere* patet ex Lampridio, cum addit, *ut in ſenatum allegerentur.* Quod Gratianus Imperator l. 12. C. de dignit. l. 12. 1. de prætect. *codicillorum inſignia* vocat. *Judices*, inquit, *qui ſceleribus fuerint maculati, ablatis codicillorum inſignibus, inter plebejos habeantur.* Sic dicuntur l. prætor. l. 8. de honor. codicil. *codicillares dignitates, codicillorum adepti, codicilli imaginarii*, qui caſſas habent imagines dignitatum. Quo ſenſu *codicillaris illuſtratos dignitatibus* dixit Caſſiod. Var. IV. 25. Pontifices ergo omnes, ut augures & quindecimviri in ſenatorum ordinem a præfecto Urbis relati ſunt. Itaque Alexander codicillares pontifices fecit, ut in albo ampliſſimis ſacerdotiis niteſcant. *Gather. de Vet. jur. pont.* I. 10.

Magiſtratus curules erant conſules, cenſores, prætores, & ædiles curules: qui & ſoli jus habebant ponendæ imaginis. Quales, ſi majorum quoque imagines haberent, nobiles dicebantur; ſin ſuas tantum, novi homines vocabantur. *Voſſ. Lex. Etymol.* A curru dictos vulgi eſt opinio. Sed huic derivationi ſcriptura & dimenſio repugnat; veriusque a Curibus (oppidum olim Sabinorum erat) dicti. *Lipſ. de Magiſtrat. c. 12. Chiment. de hon. biſell. c. 11. Thyſ. in Gell.* III. 18. A curru tamen, quo apud veteres Romanos ſunt vecti, nomen accepiſſe Feſto credimus, qui ſic habet in Curules: *Curules magiſtratus appellati ſunt, quia curru vehebantur.* Firmat idem Gabius Baſſus apud Gell. III. 18. ubi Gellius ſic ex eo. *Senatores dicit* Baſſus *in veterum ætate, qui curulem magiſtratum geſſiſſent, curru ſolitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent, quæ ob eam cauſam curulis appellaretur.* Sed qui in veterum ætate ſolitum fuiſſe poteſt Baſſus dicere, cum hoc uni Metello tribuiſſe dicat Plin. VII. 43. *Tribuit ei,* Metello, *populus Romanus, quod nunquam ulli alii a condito ævo, ut quoties in ſenatum iret, curru veheretur ad curiam.* Et hoc confirmat vetus monumentum, a Grutero p. 377. inter alias inſcriptiones poſitum:

TRIBUIT. EI. P. R. UT QUOTIES
IN SENATUM IRET, CURRU VE-
HERETUR AD CURIAM, QUOD A
CONDITO ÆVO NULLI ALII CON-
TIGIT.

Ideoque Baſſus non ſatisfacit Zamoſc. de Senat. Rom. I. 17. ſed illi videtur fuiſſe conſuetudinis ſenatoriæ, morumque veterum oblitus. Qui nec credit Q. Metellum id, inter cætera ſumma, cum patrem ſuum in funere laudaret, relaturum fuiſſe, quod mediocres homines mediocribus honoribus uſi, omnes ſunt conſecuti. Sed non eſt veriſimile, fuiſſe Baſſum tam oblitum conſuetudinis ſenatoriæ, & morum veterum, ut Zamoſcius arbitratur. Sit culpa librarii, vel gloſſatoris, quæ putatur Baſſi. Videtur mihi Baſſus ſcripſiſſe: *curru ſolitos honoris gratia vehi.* Quod cum ſciolus non intelligeret, appoſuit *in curiam*, quia ſermonem eſſe de ſenatoribus obſervavit. Si abjiciamus duo iſta verba, convenit Feſto, qui nihil de curia.

Nec

Nec Plinio adversatur. Aliud enim est habere jus utendi curru, aliud habere jus eundi curru in senatum. Concedo igitur, quod nos posterius soli fuit tributum Metello, non dubitabit tamen, quin minus vehi curru alias potuerint *magistratus*, indeque et sellæ curules. Priori sententiæ obstat, quod Flor. I. 5. 6. & alii dicant, Tarquinium Priscum, ut alia imperii decora, & insignia, ita & sellas curules ab Etruscis sumpsisse, non a Curibus, Sabinorum oppido. Deinde Festus *curules* exponit *quadrigales:* quæ significatio manifeste a curru. Præterea quid causæ est, cur non curulis dici possit a curru, quomodo ligula est a lingua, disertus a dissero, mamilla a mamma, & similia, in quibus ob literæ abjectionem quantitas mutetur. *Scheffer. de Re vehic.* II. 16. *Voss. Lex. Etymol.* Quando thensas ducebant, habitu triumphali utebantur. Liv. V. 41. *Romæ, qui jam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compositis, turba senum domos regressa, adventum hostium obstinato ad mortem animo exspectabant. Qui eorum curules gesserant magistratus, ut in fortunæ pristinæ, honorumque, aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est, thensas ducentibus, triumphantibusque, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere.* Ruben. de Re vest. I. 21.

Magistratus extraordinarii erant, qui extra ordinem fiebant, ut quæque negotii occurrebant; atque plerique hi non centuriatis comitiis creabantur, sed tributis, prout temporum necessitas requirebat. Ipse dictator, & magister equitum inter majores extra ordinem *magistratus* ponendi sunt. *Gutber. de Offic. dom. Aug.* II. 2. *Rosin. Antiq. Rom.* VII. 15.

Magistratus legitimi sunt statuti, & ordinarii: qui si majores essent, comitiis centuriatis in campo stato die creabantur, ut minores comitiis curiatis. Atque hi non pro necessitate, ut propter subitos Reipublicæ casus creabantur. *Gutber. de Offic. dom. Aug.* II. 2.

Magistratus majores erant, qui comitiis centuriatis creabantur: I. ordinarii, consules, quod ex Cicerone & Livio manifestum est; prætores, ut ex omni historia Liviana liquet, & postremo censores, ut ex Messalla scribit Gell. XIII. 15. Qui consules, prætores, & censores majores *magistratus* vocat, eosque comitiis centuriatis creatos aperte refert. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 53. *&* 56. *Rævard. Conject.* I, 1. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 1. II. extra ordinem præfectus Urbis absente ordinario *magistratu*, interrex, dictator & magister equitum, decemviri legibus scribendis consulari potestate, tribuni militum consulari potestate, tresviri Reipublicæ constituendæ. *Panvin. ibid. c.* 56. *Lydius de Magistrat. c.* 2. *Rosin. Antiq. Rom.* VII. 2. Sed eorum dicti sedebant primi, consules, & prætores: quod si censores essent in senatu, eos infra prætores, proxime tamen sedisse crediderim: infra, quia Messalla, cum majores *magistratus* nominat, consules primum, deinde prætores, tertio loco censores constituit: proxime, quia, cum inter majores *magistratus* censura fuerit, supra minores *magistratus* sedisse censores nemo dubitaverit. *Manut. de Sen. Rom. c.* 9. Habebant jus nuntiandi de cœlo ad impediendas actiones majorum *magistratuum*. Hoc intelligi potest ex eo, quod Gellius eodem illo loco scribit. *In edicto consulum, quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scriptum fuisse, ne quis magistratus minor de cœlo servasse velit.* Hinc enim perspicuum est, consules, cum habituri essent comitia centuriata, noluisse obnuntiatione impediri minorum *magistratuum:* quin tamen majorum obnuntiatione impedirentur, non vetuisse suo edicto. Neque tamen ignoro, interdum contra edictum minores de cœlo servare solitos esse. Scribit enim Cicer. Phil. II. 38. *Antonium censoria comitia non habuisse, quia tribunus plebis fulmen sinistrum nuntiasset.* Attamen centuriata comitia erant censoria. Sed etiam aliis in multis rebus reperio consulum actiones impeditas obnuntiatione tribunorum. Cicer. Attic. IV. 3. scribit, Q. Metellum consulem habiturum fuisse comitia ædilium, nisi Milo obnuntiasset. Et alio rursus die obnuntiatione Milonis impeditum ne haberet comitia, paullo post scribitur. Et in Orat. pro Sext. c. 37. dicit Sextium venisse in templum Castoris, & consuli Q. Metello obnuntiasse. De iis rebus ego ita sentio, consules, cum tributa comitia habere vellent, vetare non potuisse, quominus de cœlo servaret qui vellet, quia ea comitia non modo majorum *magistratuum* erant, sed etiam minorum: ut opus non esset iis habendis comitiis majoribus auspiciis. At centuriatis habendis majoribus auspiciis opus erat: ideoque edicto vetare solebant consules, ne minores *magistratus* de cœlo servarent: ut scilicet majora auspicia non vitiarentur minoribus. Quod si contra edictum minores de cœlo servassent, non existimo consuli parendum fuisse illi obnuntiationi: ut apparet ex eo, quod scribit Plin. XXVIII. 2. *In augurum certe disciplina constat, neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes observare se ea negaverint.* Itaque quoties impedita obnuntiatione tribuni comitia centuriata reperio, ego interpretor, vel eundem tribunum augurem fuisse, cui etiam privato obnuntianti parendum esse leges jubebant: vel sua sponte illi obnuntiationi paruisse consulem, cum parere non cogeretur. Nam & Cicero dicit, non fuisse necesse Antonium parere obnuntiationi tribuni plebis, quoniam haberet illa comitia censoria quæ edixerat. Tametsi ipse aliam causam adferat, quam rationem edicti ab Antonio propositi. *Tua quid interest: nulla auspicia tuorum sunt, cum sis religiosus*, hoc est, cum sis obstrictus religione auspiciorum, nulla tibi sunt auspicia: itaque obnuntiatione nil moveri debuisti. Nam & in omni parte religionis qui semel se religione obstrinxerat, donec ea exsolutus esset, nihil poterat in eo genere amplius justum, ac legitimum peragere. Cum igitur Antonius ementiendis auspiciis se, populumque Romanum religione auspiciorum obstrinxisset, nihil poterat auspicato peragere, nec tenebatur auspiciis, priusquam ea esset exsoluta religio. Ut igitur cæteris in rebus parerent majores minorum obnuntiationi, certe in habendis centuriatis comitiis non erat necesse parere, alioqui frustra hujusmodi edicta proposuissent, quibus vetarent minores de cœlo servare. *Gruch. de Comit.* I. 4. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 20.

Magistratus minores erant, qui tributis comitiis creabantur, & quorum minora erant auspicia. Gell. XIII. 15. *Patriciorum auspicia in duas divisa sunt potestates; maxima sunt consulum, prætorum, censorum. Reliquorum minora sunt auspicia: ideo illi minores, hi majores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed justus curiata datur lege, majores centuriatis comitiis fiunt.* August. de Legib. c. 8. Manut. de Legib. c. 5. Gruch. ad poster. Sigon. disput. refut. c. 48. Rævard. Conject. I. 1. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 178. Iique I. ordinarii, quæstores, tribuni plebis, ædiles plebis, ædiles curules, ædiles Cereales, curatores tribuum, triumviri capitales, triumviri nocturni, triumviri valetudinis, triumviri monetales A. A. A. F. F. quatuorviri viarum curandarum, quinqueviri cis & uls Tiberim, decemviri stlitibus judicandis, centumviri litibus judicandis, præfecti ærarii, curatores operum publicorum, curatores alvei Tiberis & cloacarum, curatores viarum singularum extra urbem, præfectus prætorio, præfectus frumenti populo dividendi, præfectus vigilum, curatores regionum, denuntiatores regionum, magistri vicorum urbis, advocatus fisci. II. extra ordinem duumviri perduellionis, quæstores parricidii, vel rerum capitalium, præfectus annonæ, quinqueviri mensarii, triumviri mensarii, duumviri navales, triumviri qui conquirerent juvenes idoneos ad ferenda arma, militesque facerent, quinqueviri turribus, murisque reficiendis, decemviri qui judicant super sacramento, & libertate, decemviri distribuendorum donativorum, triumviri legendi senatus, triumviri recognoscendi turmas equitum Romanorum. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 56. *&* 69. *Prevot. de Magistr. Roman. c.* 1. *Rosin. Antiq. Rom.* VII. 2. Nusquam nec comitiatum, nec concionem avocare poterant, id est, impedire ne comitia habeantur, nec concionem a magistratu, qui eam advocavit, abducere. Hoc poterant majores. Gellius XIII. 15. V. illum supr. in *Comitia centuriata.* Et illic laudatis addit: *Minores magistratus*

tus nusquam nec comitiatum, nec concionem avocare possunt: ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is recte agit. August. de Legib. c. 12. Consules, aut aliquem eorum, qui senatum convocare poterat, adire, & ab eo cognitionem senatus petere solebant, ut Q. Fabius ædilis curulis apud Liv. viii. & Mucius apud Dionys. v. *Zamosc. de Senat. Roman. c.* 3. Quando de cœlo illis servare licuerit, V. supr. in *Magistratus majores.*

Magistratus patricii dicebantur, qui patriciorum causa, & ex patriciis familiis primum erant instituti. Comitiis centuriatis creabantur. *Manut. de Legib. c.* 8. De horum creatione prolixiorem verbis velitationem faciunt *Sigon. Poster. cum Gruch. disp. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* 1. *p.* 734. *E. . . . de Leg. curiat. c.* 1. *Gruch. ad post. Sigon. disput. refut. c.* 3. *&* 4. & multo adhuc fusiorem de binis magistratuum comitiis *Gruch. ad bin. Sigon. repreh. resp. Thes. Grav. Tom.* 1. *p.* 710. . . . *& ad post. Sigon disp. refut. Thes. ibid. p.* 818. . . . *Sigon. post. cum Gruch. disp. Thes. ibid. p.* 733. . . .

Magistratus plebeji dicebantur, qui plebis causa, & ab ipsa plebe primum erant instituti. Comitiis curiatis creabantur. *Manut. de Legib. c.* 8. V. tamen & de his tanquam pro aris, & focis decertantes Sigonium & Gruchium laudatos supr. in *Magistratus patricii.*

Magistratus provinciales dicebantur omnes, quibus erat imperium, curatiove extra Urbem tantum. In hoc numero erant triumviri, quinqueviri, decemviri, vigintiviri, aut quotquot omnino creari placuerat ad colonias deducendas, aut redigendos colonos in suas quasque colonias. In hoc numero etiam complector curatores viarum extra Urbem. Qualem fuisse Thermum legimus apud Cicer. Attic. i. 1. quem dicit *curatorem viæ Flaminiæ.* His addendi sunt triumviri, quos juvenibus ad militiam conquirendis tempore belli Punici ii. creatos reperimus. Liv. xxv. 5. V. illum infr. in *Triumviri.* Hujusmodi omnes extraordinarii erant. Tributis comitiis fieri vel indè potest ostendi, quod habentibus comitia tribunis fere creabantur. Alii erant *magistratus* provinciales, qui vel proconsules, vel proprætores, vel proquæstores in provincias mittebantur. *Gruch. de Comit.* ii. 2. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 57. *&* 65. Imperium illis dabant duæ leges: curiata, vetus admodum, & Cornelia, quam tulit L. Sylla dictator. Curiata imperium dabat populus, ut indicat Liv. ix. 38. Cornelia senatus. V. supr. in *Lex curiata.* In provincias non proficiscebantur soli, sed illos comitabatur cohors prætoria, diversa a cohorte militari, non enim armatis ex militibus, qui sacramento adacti cum Imperatore ad rem bellicam mitterentur, sed ex domesticis convictoribus, & necessariis apparitoribus constabat. Cicer. Frat. i. 1. *Quos vero aut ex domesticis convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt.* In hac erant lictores, scribæ, accensi, medici, aruspices, præcones, pictores, & hujus generis ministri, qui illis apparebant. Cicer. Verr. ii. 10. *Comites illi tui delecti, manus erant tuæ, præfecti, scribæ, medici, accensi, aruspices, præcones manus erant tuæ. quo quisque te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur. Cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ attulit, quam si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit.* iii. 28. *Recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Ingerebat iste Artemidorum medicum, Valerium præconem, Tlepolemum pictorem, & ejusmodi recuperatores.* Etiam suos habuerunt legatos non tantum ad usum rei militaris, sed ut publici ministerii *magistratui* essent adjutores. Ideoque a Cicer. in Vat. c. 15. *ministri muneris provincialis* appellantur. Et Frat. i. legatos Q. Fratris *ministros sui imperii* appellat. Et paullo post his verbis illos describit: *Quos tibi comites, & adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa Respublica.* Ac, si prætores quidem cum exercitu missi erant, in hoc quoque negotio legati adjutores fuerunt: at, si in pacatas provincias sine exercitu mitterentur, jurisdictionis administri fuerunt, quatenus ab ipso magistratu demandata erat. Cicero l. l. *Sed tamen parvi refert, abs te ipso jus dici æqualiter, & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris.* Et a Ictis quæ de officio legati scribuntur, satis indicant, illorum munus in jurisdictione positum fuisse multo magis quam in rei bellicæ administratione. *Gruch. ad post. Sigon. disp. refut. c.* 46. *Sigon de Ant. jur. prov.* ii. 1. *Berger. de viis milit.* iv. *Sect.* 29. §. 3. Ex quibus *magistratuum* provincialium comitibus perperam colligit Sigonius omnes secum duxisse tribunos militum, & præfectos, & legatos ad usum rei militaris, & exercitui quasi imperatores fuisse. Multum enim interest, utrum dicamus *magistratus,* qui in provincias ibant, in eo summo, quod habebant, imperio, simul habuisse insitam rei militaris potestatem, quod verum est: an reipsa omnes Imperatores fuisse, propter accessionem cujusdam imperii, quod non modo esset *magistratui* adventitium, sed quod non posset intelligi sine aliquo exercitu, cujus dux esset, quod falsum. *Gruch. l. l.* Subinde tamen secum ducebant legiones, & exercitus. Et hoc ipsum Imperatoribus occasionem præbuit vias publicas, tam per Italiam, quam per provincias muniendi, ut Reipublicæ causa iter facientes Roma, commode in provincias sibi destinatas possent proficisci, & finito anno eadem celeritate, & facilitate Romam redire. *Berger. l. l.* Etiam unum, aut plures jureconsultos secum ducebant l. 1. de offic. assess. quorum consilio secundum jura causas definiebant. Assessores, & consiliarii vocabantur. V. illos supr. in *Assessores.* Pancirolli. Notit. Dignit. imp. orient. c. 8. Libera Republica illis præbebantur publice necessaria, paludimenta, vestes, tabernacula, equi, muli, & omnis militaris supellex. Cicer. Verr. iv. 5. *Majores nostri nemirem, qui cum potestate, aut legatione in provinciam esset profectus, tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico: ut vestem; præbebatur enim legibus.* Solebant ea, inquam, publice locari, & a mancipe præberi. Suet. Aug. c. 36 n. 1. *Ut proconsulibus ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur.* Dio liii. p. 506. C. *Nam olim quidem erant, qui præbenda iturus in provinciam publice redimerent, & quicquid iis muneris sui causa opus esset, exhiberent.* Talis fuit Ventidius Bassus. Gell. xv. 5. *Victum sibi ægre quæsisse, eumque fordide sibi invenisse comparandis mulis, & vehiculis, quæ magistratibus, qui sortiti provincias forent, præbenda publice conduxisset.* Mancipiorum quoque certus erat numerus constitutus, quem excedere non licebat, ne numerus familiæ sumptum Reipublicæ augeret. Ideo sancitum, ut testatur Cicer. l. l. *Ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum.* Fœnum tantum, & ligna a provincialibus desumebantur. Ostendit hoc Cicer. Attic. v. 16. *Nullus fit sumptus in nos, neque in legatos, neque in quæstorem, neque in quemquam. Scito, non modo nos fœnum, aut quod lege Julia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem; nec præter quatuor lectos, & tectum quemquam accipere quidquam: multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerumque.* 17. *Nos in provincia sic gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius insumatur in quemquam.* L. Postumio cos. auctore primo hæc lex violata est. Liv. xlii. 1. *Hic iratus Prænestinis, quod cum eo privatus sacrificii faciendi causa profectus esset, nihil in se honorifice, neque publice, neque privatim factum a Prænestinis esset: priusquam ab Roma proficisceretur, literas Præneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi diverteretur, jumentaque, quum exiret inde, præsto essent. Ante hunc consulem nemo unquam sociis in ulla re oneri, aut sumptui fuit. Ideo magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis: privata hospitia habebant, ea benigne, comiterque colebant, domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis diverti mos esset. Legati, qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant: aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant.* Causam, quare hæc publice præberentur, notat Livius: *ne quid tale imperarent sociis.* Non enim volebant imperia sua sociis suis oneri esse, neque ignorabant ista ratione patefieri portam variis exactionibus;

bus, & omni prædandi ingenio, quando in isto genere nullus plerumque modus, nisi quem sua cuique cupiditas statuit, id est, apud malos omnino nullus est. Arctioribus vinculis constringi arbitrabantur avaritiam, præbitis publice necessariis, ea lege, ut omnia, quæ de frumento, aut pecunia publica sumerent, in rationes a quæstoribus referrentur. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1211. *C. Spanhem. de Præst. Numism. Dissert.* IX. *p.* 801. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 1. *Putsc. in Suet. Cæs. c.* 18. *n.* 1. §. 7. *Aug. c.* 36. *n.* 1. §. 5. Qui sese improbe gesserant in administranda provincia, post missum successorem postulati ab iis, quos concussionibus, & latrociniis vexaverant, caussam dicebant repetundarum, ex lege Acilia, deinde Cornelia, & Julia. *Pollet. For. Rom.* IV. 9. Petitio posita fuit in amicitiam, & populi voluntate concilianda. V. supr. in *Amici*, & infr. in *Voluntas popularis*.

MAGMENTUM dicebatur daps, quæ profanabatur a rusticis Jano, Silvano, Marti, Jovi dapali. Arnob. VII. p. 230. *Non magmenta, non augmina, non mille species, vel farciminum. . . .* Vetus inscriptio Patavium ex ruinis Salonæ advecta, & ad Benedicti pontem in fornice locata:

SI. QUIS. HIC. HOSTIA. SACRUM.
FAXIT. QUOD. MAGMENTUM. NEC.
PROTOLLAT. IDCIRCO. TAMEN.
PROBE. FACTUM. ESTO

Scalig. Conject. in Varr. p. 48. *Guther. de Jur. pontif.* III. 14. *Elmenhorst. in Arnobium. Turneb. Adv.* XXII. 6. *Carr. Emend.* II. 3. *Schott. Observ. Human.* I. 11.

MAGNUS fuit cognomen Cn. Pompeji ob *magnas* ejus res gestas, licet eodem usi sint Fonteji & Posthumii. Verum progressu temporis prænominis locum tenuit. Lamprid. Alex Sev. c. 11. *Magne Alexander, dii te servent. Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 844. B. Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Et deorum. Hac enim appellatione in sacrificiis mactandis diis veteres sere utebantur. Curt. VIII. 11. 24. *Rex locorum magis, quam hostium, victor, tamen magnæ Victoriæ sacrificiis, & cultu deûm fecit.* Victoria ea Alexandri, qui locorum tantum victor fuisset, non erat magna: sed ipse, ut si magna esset, *magnæ* Victoriæ fecit. *Palmer. Spicil.* III. *p.* 671.

MAGODUS fuit comicus personatus, qui habitu muliebri viri personam agebat. Athen. XIV. p. 620. E. *Aristoxenus magodum exponit, qui viriles, & muliebres personas sumit.* Tympana, & cymbala pulsabat. Athen. ibid. p. 621. C. *Qui magodus vocatur, habet tympana, & cymbala, & vestitum muliebrem omnem.* Talem hominem personatum cum cymbalis invenio apud Lamprid. Comm. c. 11. *Præfectum prætorio suum Julianum togatum præsente officio in piscinam detrusit. quem saltare etiam nudum ante concubinas suas jussit, quatientem cymbala, deformato vultu.* Aristocles hos cum rhapsodis eosdem facit apud Athen. ibid. p. 620. D. Nempe ut hi Homeri carmina in theatris concinebant, ita *magodi* in prodigiosis magorum miraculis, atque medicaminibus describendis toti erant. Athen. ibid. p. 621. D. *Magodiam idcirco nuncuparunt, quod illis cantionibus magorum prodigiosa miracula exponantur, medicamentorumque declarentur vires.* Varias repræsentare personas, & accommodare se ad comœdiæ habitum solebat. Athen. ibid. C. *Magodi sæpe comicorum argumento sumpto, instituto suo, atque dispositione varias personas repræsentarunt.* Lampe de Cymbal. vet. II. 19. Buleng. de Theatr. II. 12. Gyrald. Poet. Hist. Dial. VI. p. 326. C. Rhodig. Ant. Lect. VII. 16. Scalig. Poet. I. 52.

MAJ.

MAJANIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

MAJESTAS est populi Romani magnitudo. Cicer. Partit. c. 30. Hæc & dignitas dicitur, quæ & ad magistratum refertur, quem qui contemnit, aut lædit, *majestatem* minuere, & *majestatis* crimine teneri dicitur. l. 9. ff. de Jurisdict. l. 1. ff. ad leg. Jul. majest. *Guther. de offic. dom. Aug.* I. 4. Trebellii temporibus cœpit hominum adulatio omnem dignitatem appellare *majestatem*: ita blandi homines & parasiti proceribus Romanis adulabantur. Hunc vocis abusum obiter perstringit Trebellius mox laudandus. *Casaub. in Trebellium.* Hoc non magis probare possum, quam id quod maxime improbare debeo. Nam quis auctorum hoc dixit, scripsitve, aut quis usurpavit *majestatem* pro dignitate, non dico prætoria, aut profectoria, sed vel consulari, quæ omnium dignitatum apex etiam sub Imperatoribus censebatur? Nec illud verum est dignitates omnes tunc cœpisse vocari *majestates*, cum Principes divinitatis titulis assumptis, & non aliis quam divinis verbis compellari soliti, numen quidem, ut rem sibi propriam, vindicarunt, minoribus vero magistratibus *majestatem* reliquerunt. Quando enim hoc factum est, aut quis factum esse meminit, ut *majestas* non de Principe aliquando dicta sit, sed de magistratibus tantum minoribus, atque ita sub Principum ævo? Numen Augusti Trebellii ætate dici videtur cœpta, non *majestas*. Ita enim ille Gallien. c. 14. *Constat de genere, non satis tamen constat de dignitate, vel, ut cœperunt alii loqui, de majestate.* Imo & *majestas*, & numen Augusti semper obtinuit, ut diceretur etiam Trebellii tempore. Et hæc duo semper junctim posita legere est de Imperatore, *numini majestatique ejus.* Hinc frequentes in veteribus monumentis subscriptiones his notis signatæ; N. M. Q. E. D. hoc est: *numini majestatique ejus devotus.* Libera stante Republica non solum populi Romani *majestas* dicebatur, sed etiam consulis, & prætorum, & aliorum majorum magistratuum. At sub Imperatoribus, nusquam nisi de Imperatore ipso, nomen *majestatis* in usu fuit. Trebellius hoc puto voluit: anterioribus quidem temporibus *majestas Augusti*, & *majestas divinæ domus* semper usurpata est, sed eo sensu, ut pondus, & gravitas, & magnitudo quædam coli, venerarique digna in Principe illa voce designaretur, & honos quidam eximius, cum veneratione junctus, qui jure, meritoque illi potestati deberetur, quæ supra potestates omnes esset. Nam ut *majestas populi* olim dicebatur, propter imperii magnitudinem & dignitatem, quo tempore populus scilicet imperii summam obtinebat: sic postquam imperium a populo ad unum translatum est, *majestas* quoque quæ tanto imperio dicebatur, simul ad unum illum translata: atque hinc *majestas Augusti* dicta, quæ olim populi Romani *majestas* fuit. Ætate vero Trebellii *majestas* proprie vocari cœpta est ipsa imperii dignitas, vel imperium ipsum, hoc est, βασιλεια, quam qui habet is Imperator, & Augustus dicitur, ut dignitas consularis consulem facit, & prætoria prætorem: sic *majestas*, hoc est, imperii dignitas Imperatorem, & Augustum. Nam dignitas de aliis magistratibus, & honoribus, *majestas* de solo imperio dicebatur. Sed duæ tunc erant *majestates*; Cæsarea, & Augusta. Ideo Trebellius hoc loco, cum diceret, dubitatum esse a multis de Valeriano juniore, utrum Augustus, an Cæsar tantum fuerit, non satis de *majestate* ejus inter omnes constitisse scribit, quod alii eum Augustum, hoc est, Augusti *majestate* præditum fuisse; alii Cæsareana tantum, quidam neutra affirmarunt. Quo sensu *majestas Augusti*, & *majestas Cæsaris* pro dignitate Augusta, & Cæsarea sumitur. Et hoc plane sensu *majestatis* appellationem idem his verbis posuit c. 10. *Odenatus Rex Palmyrenorum obtinuit totius orientis imperium, idcirco præcipue, quod se fortibus factis dignum tantæ majestatis infulis declaravit.* Ubi *infulas majestatis* dignitatem imperatoriam appellavit, ut præfecturæ infulas, & consulatus, & præturæ, & aliarum dignitatum, honorumque ac præpositurarum dicebant. *Majestas* igitur Trebellii tempore dicebatur dignitas imperatoria, vel imperii infulæ, ut ita dicam. Et sic quoque *majestatem* usurpavit in Pisone XXX. tyrann. c. 21. *Sctum de Pisone factum ad noscendam ejus majestatem libenter inserui.* Imperium enim sumpserat Piso, eique post mortem non tanquam tyranno, sed tanquam legitimo Imperatori, & Augusto honores divini Scto decreti.

creti. Βασιλείαν Græci vocant hanc regiam dignitatem, vel, ut Trebellius vocat, *majestatem*, *regalitatem* vulgo appellamus: *imperium* recentioris ævi scriptores dixerunt. Hinc apud Luitprandum de rebus per Europam gestis, *imperium vestrum*, pro eo, quod nunc dicimus *majestas vestra*, cum ad Regem loquimur. *Salmas. in Trebellium.* V. tamen etiam *Guther ibid. c. 19.* & *Casaub. in Trebellium.* Læsa judicatur, ubi quid in populum suum, suamve Rempublicam, aut in magistratus, personamve Principis commissum est. In populum; ut si quis exercitum hostibus tradidit: si exercitum solicitavit, delectumve injussu populi, aut senatus habuit: si quis exercitum extra suam provinciam injussu populi duxit, aut ipse, relicto exercitu, provinciæ finibus excessit: si quis Rempublicam sua culpa male gessit: si stationem deseruit: si contra libertatem consilia iniit: si deditionem, aut bellum excitavit: si publicum hostem domi privatus habuit: si jus civitatis, aut magistratus imminuit: si præter dignitatem populi Romani regio in comitatu fuit: si contra bonum publicum locutus est: si quis ad hostem transiit, aliudve quid cum eo adversus Rempublicam pactus est. In magistratum, vel in Principis personam; si quis vim omnino ullam attulit: si tribuno plebis intercedenti non paruit, aut ab eo concionem avocavit, eumque privati loco habuit, utputa, si occurrenti in via non cessit, si consilium plebis disturbavit: & hujus generis alia, quæ facile possumus intelligere ex ea definitione, quæ prodita literis est: Majestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus civitatis amplitudo constat. *Manut. de Legib. c. 21. Sigon. de Judic.* III. 2. V. tamen infr. in *Perduellio.*

MAJUMÆ festum celebrari solitum Kal. Maji in honorem Majæ, & fiebant magni sumptus in celebratione. Suidas: *Majumas festivitas fuit Romæ, Majo mense celebrari solita, qua principes civitatis Ostiam urbem maritimam se conferentes, voluptatibus & deliciis indulgebant, alter alterum in aquam marinam conjicientes. Unde & festi illius tempus Majumas vocatum fuit.* Cod. XI. 45. *Clementiæ nostræ placuit, ut Majumæ provincialibus lætitia reddatur: ita tamen, ut servetur honestas, & verecundia castis moribus perseveret.* Laurent. var. sacr. gentil. c. 10. Brisson. de Spectac. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 1423. C. Illud integra diatribe descripsit *Andreas Rivinus*, ad quam, quia prolixior est, lectorem benevolum ablegamus.

MAJUS mensis habuit, habetque dies unum & triginta, septimo die Nonas, & decimo quinto Idus. *Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 192. *B.* Hoc mense nubere inauspicatum habebatur. Ovid. Fast. v. 487.

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora: quæ nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt,
Mense malas Majo nubere vulgus ait.

Rationes, ob quas Majo mense mulieres non ducantur, denarrat Plutarch. Quæst. Rom. 84. *Cur mense Majo mulieres non ducuntur? An quod inter Aprilem & Junium medius interjectus est: quorum quum alter Veneri, Junoni alter dicatus sit, deabus scilicet quæ nuptiis præsunt, aut parum ante capiunt, aut parum exspectant? An quod hoc mense maximo piaculo utuntur, effigies modo de ponte dejicientes, cum prius homines consuevissent? Unde Flaminicam Junonis sacerdotem tristem esse eo tempore: quippe quæ ut eo mense nullo cultu utatur, moris est. An quod plerique Romanorum hoc mense mortuis parentant, & ob eam causam Mercurium quoque eodem mense venerantur, qui Majæ cognominis est? An, ut quidam dicunt, Majus a majoribus natu appellatus est, Junius a junioribus? Nuptiis vero accommodatior est junior, ut inquit Euripides:*

Nam senectus Venerem valere jubet,
Ipsaque Venus senibus infensa est.

Abstinent igitur Majo nuptiis, Junium exspectantes, qui Majum ordine excipit. V. supr. in *Lemuria.* Stuck. Ant. Conviv. I. 25. Gyrald. de Ann. & mens. p. 773. B. Lalamant. de Ann. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 278. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Brisson. de rit. nupt. p. 11. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 13. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. 2. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 161. D.

MAL.

MALA sunt inter bellaria. Horat. Sat. II. 4. 70.

Picenis cedunt pomis Tiburtia succo;
Nam facile præstant.

Macrob. Sat. II. 15. *Et, quia mala videmus admissa bellariis, post nuces de malorum generibus disserendum est.* Buleng. de Conviv. II. 64. De *malis* vulgatum dictum, *ab ovo usque ad malum.* Et, siquidem per poma lubet *mala* intelligere, Mart. X. 48. 18.

— saturis mitia poma dabo.

Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 275. F.

Mala orbiculata in deliciis erant lautissimis hominibus urbanis. Cicer. Fam. VIII. 16. *Nunc tibi nostri, milites, qui durissimis, & frigidissimis locis teterrima hyeme bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videntur? Mala* enim deteriora edebant milites. Juven. Sat. v. 149.

Virro sibi, & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore:
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat,
Credere quæ possis surrepta sororibus Afris:
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parma, & galea.

Turneb. Adv. XII. 17.

MALACA est urbs Hispaniæ Bæticæ, vulgo *Malaga*, ad ostium *Malacæ* fluvii sita. Nunc etiam floret. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 667. *A.*

MALLEATOR erat, qui monetam feriebat, & *malleis* formas incudebat. Inde illa: *ære, auro, argento flando feriundo.* Vetus inscriptio: SIGNAT. SUPPOSTORES. MALLIATORES. MONETÆ. Mart. XII. 579.

Illinc ballucis malleator Hispanæ.

Ita lege pro *paludis.* Intelligit enim auri monetarium ex *balluca* Hispana. Idem enim est, ac si dixisset *malleatorem* auri Hispani. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 196. *a. G. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 19. *Voss. Lex. Etymol. in Malleus. Sperling. de numm. non cus. c.* 34.

MALLEOLI erant faces militares. Illarum erat genus duplex: Simplices, & rudes, de quibus Non. XVIII. 27. *Malleoli sunt manipuli spartei, pice contecti, qui incensi, aut in muros, aut in testudines jaciuntur. Sisenn. Hist.* IV. *De quibus partim malleolos, partim fasces sarmentorum incensos supra vallum frequentes.* Festus: *Malleoli vocantur, non solum parvi mallei, sed etiam ii, qui ad incendium faciendum aptantur, videlicet ad similitudinem priorum.* Atque hi non aliud videntur, quam manipulus, aut collectio spartea, ligata in medio forma quadam *mallei*, & pice, aut sulphure illita, sic projecta. Ligni, aut ferri hic nulla mentio. Alterum genus magis efficax, & militare, quod teli in morem formatur, & aptatur. Hoc ex professo describit Ammian. XXIII. 4. *Malleoli teli genus, figurantur hac specie. Sagitta est cannea, inter spiculum, & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ* (fortasse, *qua*, ad ipsum ferrum) *in muliebris coli formam, quo nentur lintea stamina, concavatur, ventre subtiliter, & plurifariam patens: atque in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento: Et sic emissa lentius invalido arcu, jactu enim rapidiore exstinguitur, si hæserit usquam, tenaciter cremat: aquisque conspersa acriores excitat æstus incendiorum, nec remedio ullo, quam suprajacto pulvere, consopitur.* Lips. Poliorcet. v. Dial. 5. Valtrin. de re milit. v. 6. Voss. Lex. Etymol. in Malleus. Stewech. in Veget. IV. 18. Philand. in Vitruv. x. 22. Baldus Lex. Vitruv. Rosin. Ant. Rom. x. 17. Thys. de Oppugn. urb. v. p. 191. Kipping. Antiq. Roman. III. 4. §. 11.

MALLEOLUS est cognomen gentis Pobliæ in num-

mis argenteis. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom: Græv. Tom.* XI. *p.* 615. *D.*

MALLEUS erat ſecuris, qua percutiebatur victima. Suet. Cal. c. 32. n. 8. *Admota altaribus victima, ſuccinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit.* Ovid. Met. II. 625.

Lactantis vituli dextra libratus ab aure
Tempora diſcuſſit claro cava malleus ictu.

Sacrifica ea de re dicitur Ovid. Met. XII. 248.

Elatamque alte, veluti qui candida tauri
Rumpere ſacrifica molitur colla ſecuri.

Choul. de Relig. vet. p. 254. Stuck. de Sacrif. p. 165. Saubert. de Sacrif. c. 17. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 496. Pitiſc. in Suetonium.

MALLUVIUM erat vas, in quo manus lavantur. Feſtus: *Malluvium dicitur, quo manus lavantur. Malluviæ, quibus manus ſunt lotæ. Malluvium latum in commentario ſacrorum ſignificat manus ut lavent.* Voſſ. Lex. Etymol. Struv. Antiq. Rom. c. 2. p. 193. Lomejer. de Luſtrat. c. 35. Grapald. de part. dom. II. 3. 6. Dacer. in Feſtum.

MALOBATHRARII vocabantur unguentarii, qui *malobathrum* unguentum pretioſiſſimum vendebant. Plaut. Aul. III. 5. 37.

Aut manulearii, aut malobathrarii.

Palmer. Spicil. XV. p. 881. Lambin. in Plautum.

MALOBATHRUM dicit Plin. XII. 26. naſci in Syria. *Dat & malobathron Syria, arborem folio convoluto, arido colore: ex quo exprimitur oleum ad unguenta, fertiliore ejusdem Ægypto.* Sed hoc eſt falſiſſimum. Nam ſola India hoc mittit. Dioſcor. I. 11. *Malobathrum in paludibus Indicis gignitur.* Syrium quidem vocat Horat. Od. II. 7. 8. ſupr. in *Convivæ*, non quod in Syria naſceretur, ſed quod ex India, ubi naſcitur, Antiochiam Syriæ emporium adveheretur. Ita ut deduxerit appellationem non a natalibus, ſed ab officinarum loco. Sic calamus aromaticus Græcis Συριακὸς κάλαμος dictus eſt, quod a Syria ipſis veniret ab India in Syriam miſſus. Romani Alexandrinum dixerunt, quia ex Ægypto habebant per Alexandrinum cataplum. Et ῥέον βαρβαρικὸν appellatum, quod a Sinenſibus in Indiam, deinde ex India per ſinum barbaricum in Arabiam, & Syriam, atque alias deinde Aſiæ & Europæ regiones invehebatur. *Salmaſ. Exercit. Plinian p.* 747. *a. F. Jul. Scalig. Exercit.* 146. *n.* 2. *Joſeph. Scalig. in Prop.* I. 2. 3. *Voſſ. Lex. Etymol. Torrent. in Horatium. Pancíroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 48.

MALUM PUNICUM fuit vicus prope vicum Mamurii in ſexta Urbis regione. Ejus meminerunt S. Rufus & P. Victor. In illo natus eſt Domitianus. Suet. c. 1. n. 1. *Domitianus natus eſt regione Urbis ſexta, ad Malum Punicum, domo, quam poſtea in templum Flaviæ gentis convertit.* Erat citra ædem S. Suſannæ, aut in Septis monialium, aut in hortis Barbarinis. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. Videtur appellatus ab arbore, quæ illic ſpecioſa ſuccreverat, eodem modo, quo alter dictus eſt *ad Pyrum*, de quo Mart. I. 118. 6.

Longum eſt, ſi velit ad Pyrum convenire.

Beroal. in Suetonium. Nardin. Rom. Vet. IV. 7. Non ab arbore; ſed a pomo Punico ex ære, aut marmore efficto. *Pancíroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 345. *B. Nardin. l. l.* Non fuit pomum ex ære, aut marmore, nec vicus, ſed domus, quæ propter natale Domitiani celebris, cujus inſigne fuit pomum Punicum, ſive id pictum fuerit, ſive fictum. Apud Suetonium enim *ad malum Punicum domo* eſt domo, quæ ab hoc inſigni fuit appellata *ad malum Punicum*, ut apud eundem *Villa ad gallinas* Galb. c. 1. n. 2. & hujus generis alia in eodem ſcriptore. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Prolegom. ad Tom.* III. * * 3. *verſ.*

MALUS fuit in circo maxima erecta, ad inſtar nauticæ, ut puto: at quem in uſum ignoro. Liv. XXXIX. 7. *Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Poſtumius Albinius faciebant, malus in circo inſtabilis in ſignum Pollentiæ procidit.* Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Donat. de Urb. Rom. III. 14.

Malus in navi eſt arbor, in qua vela cum antennis ſuſpenduntur. Cicer. Verr. V. 35. *Cleomenes malum erigi, vela fieri, ancoras præcidi imperat.* Senect. c. 6. *Cum alii malos ſcandant, alii per foros curſent.* Hunc unicum antiqui habuere, in medio navis collocatum. Ariſtot. Quæſt. mechan. VI. 2. *Navis conſtruitur ex circuli hypotheſibus, ita nimirum ut malus ſit ſemidiameter, qui exſurgat ex ipſo navis centro.* Dionyſius Alexandrinus apud Euſeb. Præpar. Euang. XIII. 24. *Dum navis compingitur, malus non ſe ipſum e medio navis erigit.* Scheffer. Mil. Nav. II. 5. Bayf. de Re nav. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 616. F. Dolet. de Re nav. Theſ. Gronov. ibid. p. 682. C. Gyrald. de Navig. c. 12.

MAM.

MAMERCINUS fuit cognomen gentis Æmiliæ. *Mamercini* novem obtinuerunt conſulatus duodecim, dictaturas quinque, tribunatus militares cum conſulari poteſtate novem, magiſteria equitum tria, triumphos tres. I. L. Æmilius *Mamercinus* fuit ter conſul 1. cum Kæſone Fabio K. F. Vibulano an. 269. 2. ſexto anno cum C. Servilio Structo Ahala. 3. poſt annos quinque cum Vopiſco Julio Julo. II. Tiberius *Mamercinus* Lucii filius bis conſul fuit. 1. anno tertio poſt ultimum patris conſulatum cum L. Valerio Voluſo Potito II. 2. cum Q. Fabio Vibulano an. 286. III. Marcus *Mamercinus* nepos, ut ſuſpicor, Lucii ter conſulis, ter dictator fuit, & bis triumphavit. Tribunus militum fuerat an. 315. cum L. Quintio Cincinnato, & L. Julio Julo. Anno proximo dictator de Fidenatibus Idib. Sept. triumphavit. Tertio poſt anno iterum dictator rei gerundæ cauſa fuit. Poſt undecim vero annos iterum triumphavit dictator tertium de Vejentibus & Fidenatibus. Quæſitor fuerat an. 325. IV. Manius *Mamercinus* fuit ter tribunus militum poſt conſulatum, quem geſſit an. 343. cum C. Valerio Potito Voluſo. Namque quinquennio poſt cum aliis quinque patriciis, & an. 350. iterum cum totidem, ac biennio proximo cum totidem collegis patriciis tertio tribunatum geſſit. V. C. *Mamercinus* bis tribunus militum fuit an. 359. & 362. VI. M. *Mamercinus* tribunus militum fuit an. 362. Quibus parentibus hi duo orti fuerint, nullum habemus auctorem. Mihi probabile videtur Manii fratres fuiſſe. VII. L. Æmilius Lucii filius quinquies tribunus militum fuit. Primus tribunatus actus eſt an. 364. 2. biennio poſt primum. 3. quadriennio poſt alterum. 4. continuatus eſt poſt tertium, inter 4. & 5. anni quatuor medii interfuerunt. Magiſter equitum fuit cum M. Furio Camillo an. 385. Conſul fuit biennio poſt, & iterum poſt annos tres cum Cn. Genucio Aventinenſi. VIII. L. Æmilius *Mamercinus* Lucii filius, Lucii nepos, bis dictator, bis magiſter equitum, & bis conſul fuit, & in ſecundo conſulatu triumphavit de Privernatibus, & inde Privernas dictus Kal. Mart. an. 424. Magiſter equitum fuit C. Julio Julo dictatore in caſtris novo more dicto an. 401. Iterum decennio poſt M. Valerio Corvo dictatori. Anno ſequenti conſulatum geſſit cum C. Plautio C. F. Vennone II. Dictator comitiorum habendorum cauſa an. 418. & iterum rei gerundæ cauſa an. 427. IX. Tiberius *Mamercinus* fuit conſul cum Q. Publio Philone an. 414. Ejus parentes ignorantur. Poſſumus ſuſpicari eſſe Privernatis fratrem. *Auguſt. de Fam. Rom. in Æmilia. Glandorp. Onom. Roman. p.* 22. . . . .

MAMERCUS fuit prænomen Æmiliæ gentis. Hoc pæne extinctum, & in cognomen mutatum e tenebris vetuſtatis antiquorum marmorum auxilio renovatum eſt. De illo Plutarch. Num. p. 65. D. *Alii dicunt, cum quatuor Numa filios habuiſſet, Mamercum unum ex Pythagoræ filio appellaviſſe; ab illoque Æmiliorum familiam patriciam fuiſſe.* Feſtus: *Mamercus prænomen eſt Oſcum, a Marte dictum, ab eo quod Oſci Martem Mamertem vocent, qui a Romanis detractione unius ſyllabæ Mars appellatur.* Notatur

in

in Fastis tribus his literis MAM. *Panvin. de Nomin. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2028. *D. Sigon. de Nomin. Roman. c.* 3.

MAMMA vocabatur nutrix, quod *mammas* porrigeret. Pers. Sat. III. 18.

Iratus mammæ, lallare recusas.

Ita Arsace nutricem Cybelen μαμμίδιον appellat apud Heliod. VII. p. 319. Inscriptio Romæ in hortis ad aquam virginis exstat, & legitur apud Gruter. p. 662.

DIS. M.
ZETHO. CORINTHUS
TATA. EJUS. ET. NICE
MAMMA. F.
V. A. I. D. XVI.

Barthol. de Puerp. p. 120. *Pignor. de Serv. p.* 382. *Turneb. Adv.* XXIII. 34. *Casaub. in Persium. Claud. de nutric. c.* 4.

MAMURIUS fuit prænomen Veturii, qui sub Numa Rege undecim ancilia fabricavit. Is enim *Mamurius Veturius* appellatur. Quod prænomen ab ullo præterea alio usurpatum fuisse nusquam inveni. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2033. *F.* De illo Ovid. Fast. III. 383.

Mamurius morum, fabræne exactior artis,
Difficile est, illud, dicere, clausit opus.

Prop. IV. 2. 61.

At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ
Tellus artifices ne terat Osca manus.

Gutberleth. de Saliis c. 14. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 344. F. Mod. de Lud. vet. II. 24. Flocc. de Potest. Roman. I. 7. Statuam ejus plumbeam in sexta Urbis regione, sive alta semita ponunt Rufus & Victor. Et hæc illi ob memoriam erecta nomen dedit vico, cujus etiam in dicta regione Rufus & Victor meminerunt. Fuit ille ante forum Sallustii. Acta martyrum, quæ a Baronio in Annalibus ad annum Christi 294. laudantur. *A die, quo Susanna percussa est, beatus Cajus Papa in domo Susannæ, in loco, ubi percussa est, jugiter obtulit sacrificium pro ejus commemoratione: facta sunt hæc in sexta regione ante forum Sallustii.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 20. & Panciroll. l. l.

MAN.

MANA Genita. V. illam supr. in *Genita Mana.*

MANCEPS quis fuerit dictus, docent Ascon. in Cicer. p. 29. *Mancipes sunt publicanorum principes, Romani homines. Qui quæstus sui causa, si decimas redimunt, decumani appellantur. Si portum, aut pasua publica, portitores, aut pecuarii: quorum ratio scriptura dicitur. Hi omnes exigenda a sociis suo periculo exigunt, & Reipublicæ repræsentant, providentes etiam in illa redemptione commodis suis. Licet autem, si moderate fiat, æstimare in cellam prætori frumentum. Mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet.* Et Festus: *Manceps dicitur, qui quid a populo emit, conducitve, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse: qui idem præs dicitur, quia tam debet præstare quod promisit quam is, qui pro eo præs factus.* Panvin. descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 262. E. Buleng. de Vectig. c. 3. Forner. Select. I. 10. Voss. Lex. Etymol. Burman. Dissert. de Vectig. c 9. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 108. G. V. etiam infr. in *Portitor.*

Manceps cursus publici, sive stationum dicebatur, qui nobis *commis des postes*, qui stationibus præficiebatur a præfecto prætorio l. 23. 26. 36. C. de curs. publ. Hi singuli singulis cursus publici mansionibus per quinquennium præponebantur l. 34. 46. C. l. l. postea perfectissimatus dignitate honestati abire permittebantur. Interea triginta tantum diebus, quoque anno, a statione, seu mutatione poterant discedere l. 36. 22. C. l. l. Horum cura erat evectiones inspicere, an essent legitimæ, ut alimenta animalibus necessaria subministrarentur, nec permittere, uni rhedæ destinata animalia alii adjungi. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 14. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 13. §. 1--5. *& ad illum Henninius.*

Manceps monumenti dicebatur, qui res, quæ monumenti tutelæ cedebant, conducebat. Gruter. Inscr. p. 414. n. 10.

C. JULIUS. DIVI. AUG. L.
HILARUS
MANCEPS. HUJUS. MONUMENTI
ANTEROS. MARMOR. VEDIAN
C. JULIUS. DIVI. AUG. L. ELAINUS

Nisi quis malit *mancipem* pro redemptore sartorum tectorum monumenti accipere, vel pro eo, qui illius præcipuam curam gerebat, qualis est Tertull. Apolog. c. 11. *manceps divinitatis*, & Plin. X. 43. *manceps sutrinæ.* Quæ significatio omnis in hunc monumenti *mancipem* cadere potest. *Guther. de Jur. man.* III. 7.

Manceps etiam dicebatur, qui a viarum curatoribus vectigalia earundem redimebat, & pecuniam inde redundantem in accepti, expensique tabulas referebat: unde *plurium per Italiam itinera fraude mancipum, & incuria magistratuum interrupta, & impervia* sæpe facta sunt. Ita Corbulo apud Tacit. Annal. III. 31. 6. De ejusmodi *mancipe* Romæ in domo Cardinalis Carpensis hæc est inscriptio:

D. M. S
CN. CORNELIO
CN. F. SAB
MUSÆO
MANCIPI. VIÆ. APPIÆ
HERENNIA. PRISCILLA
CONJUGI
BENE. MERENTI
FECIT

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. *p.* 262. *D. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Bergier. de viis milit.* I. *Sect.* 4. §. 1 -- 5. *Lips. in Tacitum.*

MANCINUS fuit cognomen gentis Hostiliæ in argenteis nummis. Hoc Glandorpii observatione in cognominum indice nunquam Hostilii gens deposuit. *Ursin. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 615. *E.* 816. *E.* Hostilius turpem cum Numantinis pacem fecerat. Cum igitur eam non probarent Romani, *Mancinum* Numantinis dederunt. Hi cum hunc dedititium non reciperent, quod crederent, ei, qui gerendi belli potestatem haberet, fœderis etiam faciendi jus competere. Romam reversus disputationi ansam dedit, an jus postliminii faveret ei, & an jus civitatis retineret integrum? Sed non tantum pristino honori restitutus, sed ad novos etiam honores est admissus: adeo ut nec ipse pœnæ loco duceret eam deditionis contumeliam, quippe qui *eodem habitu sibi statuam instituit, quo deditus est,* annotante Plin. XXXIV. 5. *Sagittar. de jan. vet. c.* 8. §. 22.

MANCIPATIO quid fuerit. V. supr. in *Emancipatio.*

Mancipatio erat etiam modus legitimus, quo legitimum rerum venditarum dominium acquirebatur ex jure quiritium. Hujus meminerunt expresse in XII. tab. decemviri his verbis: *Cum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita jus esto.* Hoc est, uti nominaverit, locutusve erit, ita jus esto. Ita hunc Festi locum restituendum esse docuit me in notis, quas ad Lucretium scripsit, Obertus Gifanius; aliter enim aliquando me sensisse non pudet fateri: legem hanc sic olim vulgo conceptam esse, ut satis esset, ea duntaxat vitia præstari, quæ lingua essent nuncupata. Testis est Cicero mox laudandus. Eamque interpretationem bonæ fidei, quæ in contractibus desiderabatur, prorsus contrariam rejiciendam esse censuerunt tandem Icti, & aliam amplectendam, per quam sincera decemvirorum intentio patefieri, dolusque omnis vindicari possit. Non enim dubitabant, quin his verbis: *uti lingua nun-*

nuncupaſſit, ita jus eſto, decemviri voluerint, omnia, quæcunque ſubeſſent prædio, vitia nominari, & ea deinde ſic præſtanda eſſe, uti lingua fuerint nuncupata. Eoque ſenſu accipiendum eſt, quod ita ſcribit Cicer. de Offic. III. 16. *Ac de jure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota eſſent venditori. Nam cum ex* XII. *tab. ſatis eſſet cautum ea præſtari quæ eſſent lingua nuncupata, quæ qui infitiatus eſſet dupli pœnam ſubiret, a Idis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta. Quidquid enim ineſt prædio vitii id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere.* Hæc Cicero per *jus civile* prudentum haud dubie interpretationem cum Pomponio intelligens. Idem Ambroſ. Offic. III. ſcribit: *Non ſolum itaque in contractibus (in quibus etiam vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur, ac niſi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris tranſcripſerit, doli actione vacuantur) ſed etiam generaliter in omnibus dolus abeſſe debet, aperienda ſimplicitas, intimanda veritas eſt.* Et quamvis Cicero hanc legem decemviralem ad prædia tantummodo videtur referre, ex eo tamen doceri non poteſt, aliam de mobilibus rebus in XII. tab. legem fuiſſe. Id enim a Cicerone idcirco factum eſt, quod plenius, & liberius ædilium edicto rerum mobilium emptoribus proſpectum eſſet, quam prudentum interpretatione. Id quod præ ſe ferunt verba Cicer. c. 17. *Nec vero in prædiis ſolum jus civile, ductum a natura, malitiam, fraudemque vindicat: ſed etiam in mancipiorum venditione venditoris fraus omnis excluditur. Qui enim ſcire debuit de ſanitate, de fuga, de furtis, præſtat edicto ædilium.* V. ſupr. in *Edictum*. Rævard. de Auctor. prudent. c. 10.

MANCIPATUS dicebatur curſus publici exercitatio, cura, & ſolicitudo. l. 24. 36. 46. C. de curſ. publ. l. 9. 16. 19. C. de div. offic. Erat quaſi ſervitutis quædam ſpecies, non quidem perpetuæ, ſed ad certum tempus lege definitæ, ſic ut qui huic muneri, operique publico deputarentur, non potuerint ante legitimum tempus eo aut abire, aut illud ultro deponere. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 13. §. 1. *Pancіroll. de Notit. imp. orient. c.* 6. *ad Bergierium Henninius.*

MANCIPI res, teſte Ulpian. Inſtit. c. 19. vocarunt prædia in Italiæ ſolo, tam ruſtica, qualis eſt fundus: quam urbana, qualis eſt domus: item jura prædiorum ruſticorum, veluti viam, iter, actum, & aquæductum: item ſervos, & quadrupedes, quæ collo, dorſove domarentur, ſicuti boves, mulos, equos & aſinos. *Sigon. de Judic.* I. 4. *Rævard. in Leg.* XII. *tab. c.* 16. Teſte Boethio ſunt, quæ ita abalienantur, ut abalienatio fiat per nexus ſollennitatem. V. illam infr. in *Nexus*. Neque aliter per leges XII. tabularum alienari poſſunt. Cæteræ autem res, quæ ſui juris ſunt, *nec mancipi* dicebantur. In jure quoque res *mancipi* cedebantur in hunc modum, ut Cajus ſcribit. Apud magiſtratum populi Romani, vel prætorem, vel provinciæ præſidem, is cui res in jure cedebatur, rem tenens ita vindicabat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo.* Prætor tunc interrogat eum qui cedit, an contra vindicet; eoque negante, aut tacente, ei, qui vindicaverit, eam rem addicit; idque legis actio vocabatur. Ita pleno jure duobus his modis res in alterum transferebatur. Abalienationem quomodo Cicero deſcribat V. ſupr. in *Abalienatio*. Quod ſi res quæ *mancipi* eſt, ſine his ſollennitatibus tradatur, abalienari non poterat, niſi ab eo, cui tradebatur, uſucaperetur. *Auguſt. ad LL.* XII. *tabul.* §. 25. *Rævard. l. l.*

MANCIPIUM dicitur ſervus, *qui ab hoſtibus manu capiebatur* l. 4. ff. de ſtatu hominum. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 17. *Pignor. de Serv. p.* 2. Illa vendebantur ad templum Caſtoris. Senec. de Conſt. Sap. c. 13. *Num moleſte feram, ſi mihi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui ad Caſtoris negotiantur, nequam mancipia ementes vendentesque, quorum tabernæ peſſimorum ſervorum turba refertæ ſunt?* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 10. n. 2. Lipſ. in Senecam. Pretium ingens, quo Daphnis fuit venditus, prodit Plin. VII. 39. *Pretium hominis in ſervitio geniti maximum ad hanc diem, quod equidem compererim, fuit Grammaticæ artis Daphnidis, Cn. Piſaurenſi vendente, & M. Scauro principe civitatis* III. *M.* DCC. *ſeſtertiis licente.* Bud. de Aſſe II. p. 230. Novitia vectigalia erant. Quintil. Declam. 340. de mangone: *Circumſcribere vectigalia populi Romani voluiſti: ſpecie prætextati imponere publicano voluiſti.* quia a venalitiariis pluris, quam veterana vendebantur. Suet. Jul. c. 47. n. 2. *Servitia recentiora, politioraque immenſo pretio comparabat, cujus ipſum etiam puderet, ſic ut rationibus vetaret inferri.* Juven. Sat. V. 56.

Flos Aſiæ ante ipſum pretio majore paratus,
Quam fuit & Tulli cenſus, pugnacis & Anci.

Ulpian. l. 36. ff. de ædil. edict. *Præcipiunt ædiles, ne veterator pro novitio veneat. Et hoc edictum fallaciis venditorum occurrit: ubique enim curant ædiles, ne emptores a venditoribus circumveniantur: ut ecce plerique ſolent mancipia, quæ novitia non ſunt, quaſi novitia diſtrahere, ad hoc ſcilicet ut pluris vendant.* Pignor. ibid. p. 51. Pitiſc. in Suetonium. Ubi vilia ſepeliverint veteres V. infr. in *Puticuli*. Sui juris facta catenas Laribus, & annulos ferreos Saturno ſuſpendebant; in templo forſan Libertatis, quod ſenatus Romanus in Julii Cæſaris gratiam publico decreto erexit. *Tomaſ. de Donar. c.* 38.

MANDATARIUS, ut a magiſtratu *mandatore* ſolebat, quod a magiſtratu *mandatum* erat, gerere debebat. Proinde ſi *mandetur* res cognitionis, *mandatarius* & per ſe cognoſcet, & tribunali utetur, & conſilium exercebit: quod ſi res erit ordinarii juris, magis judicem, & formulam dabit. Id enim, cum magiſtratui, qui jurisdictionem *mandat*, obſervandum ſit legibus moribusque populi Romani, cauſa non eſt, cur in *mandatario*, qui tantum vices, & partes ejus habet; aliter receptum ſit. De tribunali quod dixi; ut probem, adfero Livium, ſed laudatum ſupr. in *Jurisdictio*. Exhibet ille ſpeciem *mandatæ* jurisdictionis, ejusque inſignia, in his lictores, trabeam, & ſedem regiam: id eſt, ut mihi videtur, tribunal cum ſella curuli. Hoc enim ſibi judicaturo paravit Romulus. Dionyſius. V. illum infr. in *Tribunal*. Conſilium exercuiſſe addidi. Ulpianus tamen teſtatur l. 2. ff. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd. *Mandata jurisdictione a præſide, conſilium non poſſe exercere eum, cui mandatur.* Sed non ſic accipiendus Ulpianus, quaſi ſimpliciter neget, *mandata* jurisdictione a præſide, *mandatarium* non ſemper, neque peræque, ubi præſes poteſt, conſilium a *mandatario* exerceri poſſe. Idque veriſſimum eſt, & apparet ex exemplo, quod ex Ulpiano appono: *Et ſi tutores, vel curatores velint prædia vendere, cauſa cognita id prætor, vel præſes permittet: quod ſi mandaverit jurisdictionem, nequaquam poterit mandata jurisdictione eam quæſtionem transferre.* In his enim verbis non inchoatur novus ſermo, ſed ſubjicitur ſpecies, & exemplum principii ejusdem capitis. Et judicem dediſſe monui. Paullus quidem l. 12. §. 1. ff. de judic. cum indulget judicis dationem *mandatario* jurisdictionis, tantum loquitur de legato proconſulis; de aliis magiſtratuum *mandatariis* non loquitur. Sed quod jus eſt, quæve neceſſitas reſtringendi exemplum legati proconſulis? adfert enim Paullus generalem regulam, cum, cui *mandata eſt* jurisdictio, judicem dare poſſe: neque idcirco, quia pro illuſtranda regula utitur exemplo legati proconſulis, utique videtur ab ea excludere cæteros *mandatarios*. Sed id certum eſt, attendentibus ad naturam jurisdictionis, quæ talis eſt, ut ei cohæreat judicis datio l. 3. ff de Jurisdict. impoſſibile eſſe, ut a prætore *mandata* jurisdictione in ea cauſa, in qua judex dari ſolet, judicis datio, aut *mandata* non intelligatur, aut ad *mandatarium* non tranſire. Quid? quod apud Cicer. Divin. c. 17. exſtat exemplum ſpecialis judicis, quem in cauſa Agonidis dedit quæſtor Q. Cæcilius, quem tum jus dixiſſe prætoris *mandatu* hoc veriſimilius eſt, quod & Cæſarem, *cum & quæſtori ulterior Hiſpania obveniſſet, prætoris mandatu conventus jure dicundo circumiiſſe* refert Suet. c. 7. n. 1. His accedit, quod Imperatores Theodoſius & Valentinianus primi mutarunt rationem ejus juris l. unic. C. qui, pro ſua jurisdict. judic. dare darive poſſunt. Sed hæc mutatio judicis datio-

nem

nem ante *mandatarii* fuisse manifeste arguit. *Noodt de Jurisd. & imper.* II. 9. 10. & 11. *Stephan. de Jurisd. vet. Græcor.* c. 14.

MANDATORES, est enim *mandare* gerendum aliquid alicui committere, dupliciter fere accipiuntur apud Ictos. Et hi videlicet, quorum *mandato* pecunia alicui creditur, nec quicquam a fidejussoribus differunt, nisi quod illi tanquam auctores præcedunt, fidejussores vero sequuntur. Et hi, qui delatores instruunt & subornant ad accusandum. Delatoribus *mandatores* jungit Suet. Tit. c. 8. n. 14. *Inter adversa tempora & delatores, mandatoresque erant ex licentia veteri:* quia delatores compellebantur edere mandatorem. Quia vero in pari sunt turpitudine, ita parem quoque pœnam detecta calumnia merentur. Sic enim Callistr. l. 2. ff. de jure fisci. *Divus Pius Cæcilio Maximo rescripsit constitutionem patris sui, qua compelleretur delator edere mandatorem, ac nisi edidisset, ut in vincula duceretur, eo pertinere, non ut delator pœna subduceretur, si mandatorem haberet, sed ut mandator quoque perinde, atque si ipse detulisset, puniretur.* Torrent. in Suetonium. Turneb. Adv. XXII. 16. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 31. Pollet. For. Rom. IV. 4.

MANDATUM in obligationibus ex consensu erat contractus bonæ fidei de eo, quod fieri sine mercede conveniret, periculo *mandatoris* exequendo, inter quos jure civili licebat, factus: atque in hoc personæ, res *mandata*, forma *mandati*, & jus contractus considerabantur. *Sigon. de Judic.* I. 5.

Mandata Principis sunt præcepta, seu monita, quæ provinciarum rectoribus dantur, aut aliis magistratibus, quibus muneris, aut jurisdictionis eorum forma continetur, ad provinciæ administrationem, morum, & disciplinæ publicæ curam. Horum alia sunt commonitoria, alia secreta l. fin. C. de accusation. quæ *occulta* vocat Tacit. Ann. II. 43. 7. *Credidere quidam data & a Tiberio occulta mandata ad spes Germanici coercendas.* Qui & III. 16. 1. *audire se meminit ex senioribus, visum sæpius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos ejus dictitasse, literas Tiberii, & mandata in Germanicum continere, ac destinatum promere apud patres.* Atque id quidem, cum Piso criminis reus fieret. *Nam putarunt quidam*, ait Suet. Tib. c. 52. n. 7. *mandata prolaturum, nisi ea secreta obstarent.* Qui hoc intelligit, quod cum *secreta mandata* essent, & *occulta* illa resolvere insignis perfidiæ crimen esset, & graviore supplicio puniendum. *Mandata* ergo quod *secreta* erant, & *occulta* obstabant, & impedimento erant, ne ea Piso proderet, & fidem frangeret, crimenque alio crimine cumularet. *Mandata* autem Principis, sive *secreta*, sive *commonitoria* magistratibus data non aliter valent, quam si literis relata sint l. 1. C. de mandat. Princip. Ammian. XXVIII. 1. *Quidam repertus est, Gallus audax ad usque insaniam, cui commonitorium cum literis Augusti traditur.* Guther. de Offic. dom. Aug. I. 33. Ea ab Augusto inventa fuisse scribit Dio LIII. Et illa intermissa renovavit, & sex capitibus explicata Græce & Latine scribi, ac laterculo inseri jussit, inde descriptus liber præfectis tradebatur, ut ab ipsis instruerentur, quid sibi in administrando officio agendum esset d. authent. de mandat. Princip. §. penult. Justin. Novell. 24. §. & 26. §. 2. *Ut autem sciant magistratus, quomodo oporteat eos provincias gerere, visum est nobis non solum illis tradere symbola,* id est, insignia magistratus, *in codicillis, sed etiam præscribere, quomodo magistratus administrare deberent:* hæc anteriores legum latores *mandata Principis* appellabant, *ut ipsi ad hæc respicientes recte suum administrarent magistratum, & undique nostris subditis prosint. Igitur hæc sacra mandata jussimus in sacro nostro laterculo reponi, ut una cum codicillis præsidibus exhiberentur.* Panciroli. Notit. dignit. imp. orient. c. 23.

MANDRÆ sunt jumenta, aut carri, quibus marmora, ligna, & ejusmodi necessaria in urbe carrucarii trahebant. Juven. Sat. III. 236.

—— rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis convicia mandræ
Eripient somnum Druso.

Stantis enim est morantis, non pergentis mulæ. Et convicia mulionum sunt in mulas cunctantes, & stantes. Mart. V. 23. 7.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

id est, longam seriem mulorum rhedas trahentium & onera. *Senftleb. de Alea vet.* c. 12. §. 5. *Mancinell. Domit. & Grang. ad Juvenalem, Rader. ad Martialem. Scalig. in Catal.* p. 282.

Mandræ sunt *loca, in quibus porci includuntur.* Schol. Juven. Sat. III. 237. Sed non porcorum tantum, sed etiam jumentorum. Mart. V. 23. 7.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

Nimirum universe stabulum notat. Atque e Græcis acceptum. Hesychius: Μάνδραι, ἑρκη, φραγμοί, ὖλαι, σηκοὶ βοῶν καὶ ἵππων. Gloss. Cyrill. Μάνδραι θρεμμάτων, *caulæ* Μάνδρα αἰγῶν, *caprile*. Basilius *stabulum id, in quo natus Christus*, appellat μάνδραν Voss. *Lex. Etymol.*

Mandræ in lusu latrunculorum κατὰ μεταφορὰν vocabantur loca illa, sive sedes in tabula, in quibus veluti clusi tenebantur latrunculi: loca nimirum lineis distincta, in quibus siti erant calculi, sive latrunculi. Mart. VII. 71. 8.

Mandris, & vitreo latrone clausos.

Lucan. Paneg. ad Pison, n. 171.

—— hic ad majora movetur,
Ut citus, & fracta prorumpat in agmina mandra.

Nam calculus, qui in calculi diabolous sedem faciebat impetum, ut eum eriperet, & sede sua pelleret, *mandram* ejus, sive vallum frangere intelligebatur. *Mandra* idem quod septum, vel vallum. Lucanus *mandram* quam dixerat n. 171. vallum dicit n. 172.

Clausaque dejecto populetur vallo.

Vides *mandram*, *vallum*, *clausa mœnia*. Græcos πόλεις, & χαρακώματα rem eandem vocare vidimus. *Mandra* autem idem quod χαράκωμα. *Salmas. in Vopisc. Procul.* c. 13. *Souter. de Aleat.* I. 19. *Senftleb. de Alea* c. 12. §. 5. *Calcagnin. de calcul.* c. 3. *Scalig. in Catal.* p. 318. *Rader. ad Martialem.* Possunt etiam dici equites, nisi potius quatuor illarum celebriorum factionum in ludo calculorum repræsentabantur. Nam & Neronem quadrigis eburnis lusitasse auctor est Suet. c. 22. n. 2. *Scalig. ibid.* p. 282. *Grang. ad Juven. Sat.* III. 237.

MANDUCI. Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *ad obsonium vocant manducum* Pallentes erant hæ personæ, utputa famelicæ, & quæ viderentur cibum exposcere. Juven. Sat. III. 174.

—— tandemque venit ad pulpita notum
Exodium, cum persona pallentis hiatum
In gremio matris fastidit rusticus infans.

Manducus est μορμολυκεῖον, quod in ludis ferebatur προσωπεῖον ἐπίφοβον apud Plaut. Rud. II. 6. 51.

C. *Quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem?*
L. *Quapropter?* C. *Quia pol clare crepito dentibus.*

Recte pueri formidant *manducum*, dentibus enim magnis, lato gutture, maxillisque crepitantibus terriculamenti effigie componebatur. Harum larvarum usus etiam apud comicos Latinos, licet non tanta enormitate malarum; nam quid aliud γνάθωνες in comœdiis, & in Atellanis sæpissime? ibi enim turpissimæ personæ. Festus. V. illum supr. in *Comœdia Atellana.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 2. Scalig. Conject. in Varron. p. 150. Voss. Lex. Etymol. Guther. de jur. man. I. 20. Casal. de trag. & com. c. 2. Taubmann. in Plautum. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1095. C. Blond. Triumph. Rom. II. p. 53. B.

MANE *est diei principium.* Varr. de Ling. Lat. V. 2. *Post tenebras noctis diei pars prima.* Non. I. 337. *Optima pars diei* vocatur Virg. Æneid. IX. 156.

Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei.

Hæc *Voss. Lex. Etymol. Morestell. Philom.* IV. *dial.* 5. *Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XII. *p.* 255. *D.*

255. *D. Lalam. de temp. & ejus part. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1050. *A. Laurent. de ann. & menſ. c.* 3. *Gyrald. de ann. & menſ. Oper. Tom.* II. *p.* 797. *A. Briſſon. de Form.* I. *p.* 93. Illo ſummo jentacula vendebantur. Mart. XIV. 223. V. illum ſupr. in *Jentaculum.* Et ad ſacra concurrebatur. Heſiod. Oper. n. 724.

> *Neque unquam mane Jovi libato nigrum vinum*
> *Manibus illotis, neque aliis immortalibus.*

Prudent. Περὶ ςεΦ. XI. 189.

> *Mane ſalutatum concurritur, omnis adorat*
> *Pubes.*

Apul. Met. XI. p. 383. *Inchoatæ lucis ſalutationibus, religioſi primam nuntiantes horam, perſtrepunt.* Cauſam adſignat Xenoph. de Lacedæm Republ. p. 688. C. *Semper Rex ſacrificans orditur rem crepuſculo, ſtudens præſumere benevolentiam numinis.* Saubert. de Sacrif. c. 4. Stuck. de Sacrif. p. 16. Florid. in Apulejum.

MANES boni ominis cauſa, juxta linguam veterem, vocati quaſi boni. Nam *manis* & *manus* idem ac bonus Serv. Æneid. III. 63. Quod *manes* dixere, factum a Latinis exemplo Arcadum, unde magnam partem genus ducebant. Hi enim vocarunt χρηϛὸς, quod idem valet ac *manes*, ſive bonos. Fundus nobis hujus rei Plutarchus in Quæſt. Græcan. 5. ubi, cum quæſitum eſſet, qui Arcadibus, & Lacedæmoniis fuerint χρηϛοὶ, docet, in columna ab iis poſita ad Alpheum, ſcriptum fuiſſe, *Meſſinos ne liceat religione pellere, vel bonos,* χρηϛὸς, *facere.* Addit deinde, Ariſtotelem χρηϛὸς ποιεῖν exponere *non interficere:* ut ſatis liqueat, ad verbum ſonare, *manes facere.* Voſſ. de Idolol. I. 11. & Lex. Etymol. Gyrald. Synt. deor. VI. p. 214. A. Briſſon. de Form. I. p. 51. Stuck. de Sacrif. p. 48. Struv. Ant. Rom. I. p. 176. *Manes,* qui prioris vitæ honeſtate adjuti ſunt, in Lares domorum, urbiumque vertuntur. Mart. Cap. de Philol. II. ſi autem depravantur ex corpore, larvæ perhibentur ac maniæ. *Manes* igitur tam boni quam truces ſunt conſtituti, quos ἀγαθὸς καὶ κακὸς δαίμονας memorat Græja diſcretio. Hoc tradit Apulejus laudatus ſupr. in *Larvæ.* Plotinus tamen paullo aliter apud Auguſt. de Civ. Dei IX. 11. *Animas hominum dæmones eſſe, & ex hominibus fieri lares, ſi meriti boni ſint: lemures, ſive larvas, ſi mali: manes autem cum incertum eſt bonorum eos, ſive malorum eſſe meritorum.* Guther. de jur. man. II. 16. Putabant veteres offendi, niſi elugerentur. V. ſupr. in *Luctus.* Dicebantur adorari, cum quis illos alloqueretur, illiſque bene precaretur. Senec. Epiſt. 86. *In ipſa Scipionis Africani villa jacens, hæc tibi ſcribo adoratis manibus ejus.* Guther. ibid. I. 17. Menſe Februario per duodecim dies populus circa ſepulcra piaculis, & ſacrificiis placabat, cereis & facibus circa tumulos accenſis. *Ferrar. de vet. lucern. ſepulcral. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 999. *F.* Ad cantum tibiarum placabantur, & celebrabantur juſta funebria, adhibitis modis Phrygiis, qui lamentis, & queſtibus conveniebant. Perſuaſum enim habebant cantum hunc diis *manibus* gratum eſſe. Ovid. Faſt. VI. 660.

> *Cantabat mœſtis tibia funeribus.*

Bellor. Deſcr. ſepulc. Naſonior. tab. 9. Nihil ſollennius habebant veteres, quam votis proſequi, ut defuncti inferos ſibi deos pacatiores invenirent. Etſi enim teſte Non. I. 337. *boni & properi* veteribus habiti, *quod melior mors ſapientioribus quam vita probetur,* cum tamen apud eos communi ſententia receptum eſſet, locum ſub terris pœnarum reperiri, variis nominibus læva hæc numina placare nitebantur. *Tomaſ. de Donar. c.* 37. Mactatis hominibus parentare ſolebant. Unde apud Homerum Achilles in Patrocli funere:

> *Bis ſex nobilium Troum de ſanguine natos*
> *His ego mactabo manibus, tibi amice, tuiſque*
> *Manibus inferias, cinerum hic ad buſta tuorum.*

Virg. Æneid. X. 517.

> — *Sulmone creatos*
> *Quatuor hic juvenes totidem quos educat Ufens*
> *Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,*
> *Captivoque rogi perfundat ſanguine flammæ.*

Tomaſ. ibid. c. 40. Cerda in Virgilium. Evocabantur hoc modo 1. longiſſimum carmen, ſeu preces ferales præmittebantur. 2. ſi preces non audirentur, ſuccedebant iræ. 3. ſi iræ non ſatis, adhibebantur minæ. 4. poſt minas magnus ſequebatur mugitus terrarum, indicium adventus manium. 5. poſt mugitum aderant in foribus *manes* defunctorum. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 16.

Manes dii ſerviles dicuntur. Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Hoc ſacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad ſepulcrum Accæ: quod ibi prope faciunt diis manibus ſervilibus ſacerdotes.* Sed quinam iſti ſint, non expreſſit. Putarem ſervos, qui vivi ſacra non habuerunt, mortuos libertatem ſuam recuperaſſe, ob idque inferias illis datas ut ſepulcra, quod Varronis locus indicare videtur, qui poſt Accalia conſtituit *manes* ſerviles. Alium præterea auctorem habeo neminem. *Guther. de Jur. man.* II. 11.

MANGO eſt mercator venalitiarius, venalitius, σωματέμπορος, qui venales alit, & vendit. Gloſſ. Cyrill. Senec. de Ben. IV. 13. V. illum infr. in *Mercatura. Mangones* venalitios junctim vocat Plin. XXI. 26. *Radix eſt bulbacea, mangonibus venalitiis pulcre nota.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 193. a. E. Laurent. de Adulter. c. 2. Blond. Triumph. Rom. V. p. 110. G. Mercur. Var. Lect. II. 1. Schill Nomencl. Philol. p. 716. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 69. n. 2. Venales, quos pluris venderent, caſtrabat. Quintil. V. 12. *Mancipiorum negotiatores formæ puerorum virilitate exciſa lenocinantur.* Et vitia fuco occultabat. Senec. Epiſt. 80. *Mangones quicquid eſt, quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt.* Quintil. II. 16. *Mangonum qui colorem fuco, & verum robur inani ſagina mentiuntur.* Voſſ. Lex. Etymol. Pitiſc. l. l. Latiore ſignificatu dicitur, qui canes, equos, mulos alebat, & vendebat. Gloſſ. Philox. Κυνοτρόφος. *mango.* Cyrill. *mango,* ἱπποβοσκός. *Pitiſc. l. l. Farnab. ad Mart.* I. 59. 1. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 849. *D.*

MANIA exiſtimabatur mater Larum. Varr. de Ling. Lat. VIII. 38. *Videmus Maniam matrem Larum, & Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari.* Feſtus: *Manias Ælius Stilo dicit ficta quædam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas appellent. Manias autem, quas nutrices minitantur parvulis pueris eſſe larvas, id eſt manes, quos deos, deaſque putabant, quia aut ab inferis ad ſuperos manant, aut Mania eſt earum avia, materve.* Macrob. Sat. I. 8. *Qualem nunc permutationem ſacrificii memoraſti, invenio poſtea Compitalibus celebratam; cum ludi per Urbem in compitis agitabantur, reſtituti ſcilicet a Tarquinio Superbo Laribus ac Maniæ, ex reſponſo Apollinis: quo præceptum eſt, ut pro capitibus ſupplicaretur. Idque aliquandiu obſervatum, ut pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur Maniæ deæ matri Larum. Quod ſacrificii genus Junius Brutus conſul Tarquinio pulſo aliter conſtituit celebrandum. Nam capitibus allii, & papaveris ſupplicari juſſit, ut reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitum, remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis: factumque eſt, ut effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus periculum, ſi quod immineret familiis, expiarent.* Nardin. Rom. vet. VII. 11. Panciroll. Deſcr. Urb. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 375. A. Buleng. de Theatr. I. 53. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 293. a. F. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 14.

MANICÆ fuerunt in ſago Gallico. Plutarch. Oth. p. 1069. D. Cæcina partium Vitellianarum dux gravis habitu, cultuque Italicis urbibus fuit, quod *Gallicis ſubligaculis, & manicis ornatus ſigniferos, & præfectos alloquebatur.* Vetus interpres χειρῖσι perperam vertit *thecis.* Sed quæ malum iſtæ thecæ? Etiam qui vix a limine Græcas literas ſalutavit, *bracis, & manicis* interpretabitur. Et ita Cruſerius interpretatur. Quis vero locus hic *manicis? Manicæ* olim tunicarum longarum, & muliebrium fuere, quarum nullus in viro, & milite locus. Nec credibile ducem impudicorum habitu prætervectum. Cum urbes, & municipia non mollitiem ejus, ſed ſuperbiam notarent. Eadem narrans Tacit. Hiſt. II. 20. 2. *Ornatum,* inquit,

ipſius

ipsius municipia, & coloniæ in superbiam trahebant, quod versicolore sagulo bracas barbarum tegmen indutus togatus alloqueretur. Nec dubitandum est eos *manicas* in [illegible], quæ quondam ut bracæ [illegible] Romanis erant, & [illegible] stilis cultus, id superbo, & contemptiori animo adscribebant. *Ferrar. de Re vest.* I. 3. 8: II. 3. 9.

Manica vocabatur etiam manus ferrea, qua ita navim alligabant navi, ut cominus congredi, & si occasio ferret, in alterius navim transmeare possent. Lucan. III. 565.

Ast alias manicæque ligant, teretesque catenæ.

Scheffer. de Milit. nav. II. 7. V. plura infr. in *Manus.*

Manica fuit vinculum, quo collum adstringebatur. Aptum fuisse fugitivis testatur Lucilius. V. illum supr. in *Collare.*

Manicæ dicuntur etiam manuum vaginæ. V. illas supr. in *Chirothecæ.*

MANIPULARIUS dicebatur ductor *manipuli*, qui præerat *manipulis*. Glossæ: *manipularius*, ἀρχηγὸς λόχου. *Salmas. in Capitol. Maximin.* c. 4. *Panvin. Imp. Rom.* c. 16. Hoc tidem excedit: cum *manipularius* sit miles gregarius, caligatus, qui *manipulo* meret. *Græv. Thes. Antiq. Roman Tom.* I *Præfat.* * * * * 3. Et profecto in eum sensum apud veteres quidem non legas. Quare Glossographus non est audiendus. *Lips. de Milit. Roman.* II. 2. *Voss. Lex. Etym.* in *Manipulus.*

MANIPULUS fœni fuit signum militare. Donat. in Eun. IV. 7. 6. *Manipulus proprie est militis. Cum Romani, & Latini sub uno centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi sertum, vel coronam ex manipulo herbæ, vel hujusmodi conficiebant, quem pro signo sequebantur.* Ovid. Fast. III. 114.

Non illi cœlo labentia signa tenebant,
Sed sua, quæ magnum perdere crimen erat.
Illa quidem fœno, sed erat reverentia fœno,
Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa maniplos.
Unde maniplaris nomina miles habet.

Isidor. IX. 3. *Manipulus ducentorum est militum. Manipuli sunt milites, qui antequam signa essent, manipulos sibi, id est, fasciculos stipulæ, vel herbæ alicujus pro signis faciebant, a quo signo manipulares milites cognominati sunt. De quibus Lucan* I. 296.

Convocat armatos extemplo ad signa maniplos.

Et quidem sub Romulo. Plutarch. Rom. p. 22. B. *Singulas unus ducebat, graminis, & fruticum manipulum conto alligatum ferens. Inde manet in hodiernum diem, ut in exercitibus manipulares appellent.* Isidor. XVIII. 3. *Sub Romulo fasciculos fœni pro vexillis milites habuerunt. Hinc & manipuli appellantur. Manipulos dicimus fasces fœni,* Aurel. Vict. de Orig. gent. Rom. c. 22. n. 4. *Quod postquam Romulus comperisset, coacta pastorum manu, eaque in centenos homines distributa, perticas manipulis fœni varie formatis in summo junctas dedisse, quo facilius eo signo suum quisque ducem sequeretur. Unde institutum, ut postea milites, qui ejusdem signi essent, manipulares dicerentur.* Stewech. in Veget. II. 13. Voss. Lex. Etymol. Salmuth in Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 591. La Chausse de Sign. milit. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1528. C. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 9. Lips. de Milit. Roman. IV. 5. Thys. Rom. Illustr. IV. p. 92. Schill Nomencl. Philol. p. 716. Antiquissimis temporibus fuit centenum hominum. Aurelius Victor modo laudatus. Et Plutarch. l. l. totam illam Romuli manum ait fuisse *divisam in centurias.* Postea duas est complexa centurias, ut in legione sexaginta quidem centuriæ, at triginta solum *manipuli* essent. Cincius de re milit. VI. apud Gell. XVI. 4. *In legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Serv. Æneid. XI. 463. *Maniplis, hoc est, signiferis, quia secundum antiquum morem in [illegible] legio autem habebat septem cohortes, [illegible] licet in his [illegible] temporis ducum [illegible] mutaverit [illegible].* Idem sensit Isidorus supra laudatus. *Manipuli*

igitur Romuli ætate minores, postea majores: [illegible] in legione minores etiam [illegible] Rom. [illegible]. Ideo [illegible] XVII. [illegible] *omnibus* [illegible]. Nam ut cohortibus [illegible]rias, ita centuriis subjicit *maniplos*, ut minores. Confirmat Veget. II. 13. *Contubernium* [illegible] quod Cincio [illegible] satis ostendit, quod *manipulus* libera Republica, & diu [illegible] contubernium [illegible] neque Vegetii ævo. [illegible] *Stewech. l. l.* [illegible] c. 2. *Lorent.* [illegible] IV. *Synops.* I. §. 5. [illegible] *lib.* II. *p.* 55. Qui ministraverint tribunis. V. [illegible] *Tribunus.*

MANIUS primus est dictus Valerius Volesi filius. *7 sim.* II. 3. *Eoque nomine vocatum fuisse Manium Valerium Volesi filium.* Panvin. de Nomin. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2028. F. Sigon. de Nomin. Rom. c. 3. Prænomen licet vulgatissimum fuerit apud Romanos, aliquando tamen & nominis gentilitii, tum in viris, tum in mulieribus locum habuit, quinimo & cognominis. Virorum fuisse hoc monstrat saxum apud Gruter. p. 804. n. 2

D. M.
C. MANIO
PRIMIGENIO
MARIA JANUA
RIO. CUM. QUO
VIXIT. AN. XXXVI
M. III. CONJUGI
B. M. F.

Mulierum hæc inscriptio p. 966. n. 3.

MANIÆ
M. F.
PROCULÆ
PROBUS
LIBERTUS

Cognominis patet ex hoc saxo p. 248. n. 9.

IMP. CÆSARI
DIVI. TRAJANI. PARTH
DIVI. NERVÆ. NEP. P
TRAJANO. ADRIANO. AUG
PONT. MAX. TR. POT. III
COS. IIII
L. AQUILIUS. MANIUS

Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. *p.* 546 *A.* Qua nota scribatur, V. supr. in *M.*

MANLIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

MANLII fuerunt novem, qui consulatus tres, tribunatus consulari potestate duodecim, dictaturam, decemviratum legibus conscribendis, & ovationes duas obtinuerunt. I. Cn. *Manlius*, cujus cognomen ignoramus, fuit consul, vel, ut tunc appellabant, prætor cum M. Fabio Vibulano iterum an. 273. post Reges exactos 29. II. A. *Manlius* Cn. F. P. N. fuit consul cum L. Furio Medullino sexto ab hinc anno. Hujus cognomen Bassi, vel Vulsonis fuisse, a quibusdam Cincinnati, aut Cæcinnati alicubi invenio; sed parum tutum esse existimavi. III. L. *Manlius*, quem Capitolinum Livius appellat, tribunus militum fuit an. 331. IV. M. *Manlius* eodem magistratu functus post alterum annum, cujus & parentes, & cognomen ignoramus. V. A. *Manlius* A. F. Cn. N. Vulso Capitolinus, qui cum aliis quinque tribunus militum fuit an. 348. & biennio interjecto iterum. Additur a quibusdam tertius tribunatus an. 356. quod Livio A. *Manlius* hoc anno tribunus nuncupetur. Sed eundem esse non significat, cum is numerum tertium non addit. VI. M. *Manlius* Capitolinus, qui bonis innatis, dum altissimum gloriæ gradum consecutus altiorem locum cogitat, ex eodem Capitolino saxo, quod servavat, dejectus est. Consul fuit an. 361. Cum L. Valerio Potito ovans de Æquis Urbem ingressus est. Biennio post Urbe capta a Gallis, in arce

Capitolina, dum anſeres obſtrepunt, hoſtes adeſſe intelligens, eos dejecit ex cuniculo, qua aggreſſi arcem erant. Interrex fuit triennio poſt. Damnatus eſt an. 370. Poſt hunc nemo Marci prænomine eſt uſus. V. infr. in *Marcus*. VII. A. *Manlius*, quem ter tribunum militum fuiſſe Livius affirmat an. 365. 368. 370. Sunt qui quartum tribunatum addant poſt annos duodecim, quo anno Livius A. *Manlii* tribuni mentionem facit. VIII. C. *Manlius* tribunus fuit an. 374. IX. P. *Manlius* eodem anno tribunus fuit. Capitolinus cognomento dictator fuit ſuffectus M. Furio Camillo abdicanti ſeditionis ſedandæ, & rei gerundæ cauſa an. 385. Anno huic proximo idem Publius, ſive alter ejusdem nominis tribunus militum fuit, quem Verrius Flaccus A. F. A. N. Capitolinum appellat, nec addit notam, quam ſolet ſecundis magiſtratibus. *August. de Fam. Rom. in Manlia. Strein. de Gent. Rom. in Manlia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 569.

MANNUS *eſt equus brevior, quem vulgo buricum, vel brunitium vocant.* Iſidor. XII. 1. Græcis eſt βύριχος. Gloſſæ veteres: *Mannis*, βυρίχοις. Horat. Epod. IV. 14.

Aut Appiam mannis terit.

Ubi Acro juxta vulgatos codices burdos exponit. P. Conſentius, grammaticus Conſtantinopolitanus vult eſſe Gallicum: *Omne peregrinum*, ait, *ſiquidem id receptum eſt, ut Gallorum manni.* Voſſ. Lex. Etymol. Scheffer. de Re vehic. II. 6. Buleng. de Equis c. 13. Camerar. de Equis curul. Theſ. Ant. Græc. Gronov. p. XI. p. 816. E. Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 20. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 30: XXIII. 5. Grapald. de part. dom. I. 8. §. 1.

MANSIO erat diverſorium currentium de civitate in civitatem. *Manere* enim eſt pernoctare. Cicer. Attic. X. 14. *Servius pridie nonas Maji Minturnis manſiſſe dicitur, hodie in Liternino manſurus apud C. Marcellum.* Nonnunquam in ſtationes, & Græcis σταθμοὶ dicebantur hæ *manſiones*. Conſtant. l. 9. C. de annon. & tribut. *Tabula ad mutationes, manſionesque ſingulas animalibus curſui publico deputatis, certo, & denuntiato tempore devehantur.* V. etiam infr. in *Mutationes*. In his frumenta, & pabula inter milites dividenda ſervabantur. Valentin. l. 2. C. de conduct. in publ. horr. *Cum ad aliquam urbem, manſionemve acceſſeris, protinus horrea te inſpicere volumus.* Lamprid. Alex. Sev. c. 47. *Milites expeditionis tempore ſic diſpoſuit, ut in manſionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & ſeptem, ut ſolent, niſi in Barbarico.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. Salmaſ. Exercit. Plin. p. 351. b. B. Cuper. in Lactant. c. 45. Non erant inſulæ, aut domus, & ædes ſolitariæ, ac ſingulares; ſed villæ, ac vici toti, quos *manſionum* nomine vocabant, quod ibi curſores publici Imperatoris *manerent*, ſive interquieſcerent, & ſtativa nocturna haberent. Aut ſi fuerunt ſubinde quædam ædificia ſeparatim ſtructa, & ad *manſiones* deſtinenda curſoribus publicis, uti quoque vero videtur ſimile, lapſu tamen temporum paullatim in villas, vicosque abierunt integros. Talis fuit *bona manſio* inter Sardicam, & Philippolim in Thracia. Valentinianus & Valens l. 12. C. de erogat. milit. annon. *Datum* VI. *Kalend. Januar. bona manſione.* Hinc etiam venerunt nomina locorum: *Haute-Maiſon, Vieu-Maiſon, Malle-Maiſon*, & ſimilia, quæ & hodie per FrancoGalliam, præcipue per Galliam Belgicam occurrunt. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 9. §. 9. *Stewech. in Veget.* III. 19.

Manſio dicebatur etiam iter unius diei confectum. Sic Plinius Arabiam diſtinguens *manſionibus* ait XII. 14. eſſe *caput regni* Sabæorum *Sabotam in monte excelſo, a quo octo manſionibus diſtet regio eorum thurifera, Saba appellata.* Et de itinere Copto Berenicen in Ægypto agens VI. 23. illud per *manſiones* dividit, ſic diſpoſitas, ut equi, cameli, cætera jumenta in illis potum agi poſſent; unde *aquationes*, & Græce ὑδρεύματα dicebantur. *A Copto*, ait, *camelis itur, aquationum ratione manſionibus diſpoſitis.* Hinc *continuatis manſionibus* eſt continuis noctibus, & diebus ſine requie iter facere apud Juſtin. XIII. 8. 5. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 9. §. 7. *Cuper. Obſerv.* IV. 2. *& in Lactant.* c. 45. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 3. *Bernegg. ad Juſtinum. Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 15. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 7. *Hennin. ad Bergierium. Du Freſne Gloſſar.*

Manſiones Albanæ, quæ a Rufo, & Victore in Cœlio dicuntur fuiſſe, non ſunt antiqua domicilia Albanorum, quæ ipſis Tullus attribuit, cum eos Alba Longa in eum montem traduceret, qui vix totus tantæ multitudini ſufficere potuit: verum ſtativa militum illorum, qui ordinarium in monte Albano præſidium agitantes, per partes nonnunquam Romam ſolebant evocari. De illis Herodian. VIII. 5. 21. *Viſum eſt militibus iis, quorum ad Urbem Romam ſub monte Albano caſtra erant, atque in his liberi eorum, conjugesque relictæ, neci dedere Maximinum.* Capitol. Maximin. c. 23. *Timentes milites, quorum affectus in monte Albano erant.* Ubi affectus ſunt fortunæ, conjuges, liberi. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12. *Nardin. Rom. vet.* III. 7. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 34. Fuerunt, ubi nunc Eccleſia Navicellæ eſt, & antea S. Mariæ in Dominica. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 9. Qui nullam adfert, qua nitatur, rationem. Et ubi revera fuerint, incertum eſt. *Nardin. l. l.*

Manſiones Saliorum appellabantur ædificia, in quibus ancilia tempore feſti, quo per urbem circumferebantur, nocte cuſtodiebantur, Salii pernoctabant, & genio indulgebant. Gruter. Inſcript. p. 173. n. 5.

MANSIONES. SALIORUM. PALATINORUM. A. VETERIBUS. OB. ARMORUM. ANNALIUM. CUSTODIAM. CONSTITUTAS. LONGA. ÆTATE. NEGLECTAS. PECUNIA. SUA. REPARAVERUNT. PONTIFICES. VESTÆ. V. V. C. C. PRO. MAGISTERIO. PORTITI. ACILII. LUCILLI. VITRASI. PRÆTESTATI. V. V. C. C.

Cuper. Obſerv. IV. 2. *Gutberleth. de Saliis c.* 16. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * * Ego Saliorum domunculas ad ſacrarium conſtructas in illa intelligi puto. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 12. Et ego prope pontificis regiam. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 620.

Manſio mala videtur fuiſſe genus tormenti. Ulpian. l. 7. ff. de poſ. *Si hominem apud ſe depoſitum, ut quæſtio de eo haberetur, ac propterea vinctum, vel ad malam manſionem extenſum ſequeſter ſolverit.* l. 15. §. 3. ff. de injur. *Quæſtionis verbo etiam ea, quam malam manſionem dicunt, continebitur.* Quidam eculeum hac periphraſi ſignificari volunt. Alii tamen metaphoricῶs volunt intelligi arcas, in quas conjiciebantur ſervi, & alii malefici, de quibus erat quæſtio habenda: quarum meminit Cicer. pro Mil. c. 22. V. illum ſupr. in *Arca*. Laurent. de Torment. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 3700. E. Turneb. Adv. XXIII. 21.

MANSUETARII dicebantur, quibus feræ, cum captæ eſſent, tradebantur, ut eas cicurarent, & manum, ac flagellum ferre condocerent. Lamprid. Heliog. c. 21. V. illum ſupr. in *Exarmari*. Manil. IV. 234.

Quadrupedum omne genus poſitis domitare magiſtris,
Exorare tigres, rabiemque auferre leoni,
Cumque elephante loqui, tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad ſpectacula molem.

v. 699.

Non inimica feræ tali ſub tempore natus
Ora feret, placidusque geret commercia gentis.

v. 701.

Ille manu vaſtos poterit frenare leones
Et palpare lupos, pantheris ludere captis,
Nec fugiet validas cognati ſideris urſas,
Inque artes hominum, perverſaque munera ducet.
Ille elephanta premet dorſo, ſtimulisque movebit
Turpiter in tanto cedentem pondere cunctis.
Ille tigrim rabie ſolvet, pacique domabit:
Quæque alia infeſtant ſylvis animalia terras
Junget amicitia ſecum, catuloque ſagaces.

Senec.

Senec. Epist. 85. *Certi sunt domitores ferarum, qui sævissima animalia, & ad occursum exterrentia hominem, docent pati jugum: nec asperitatem excussisse contenti usque in contubernium mitigant. Leonibus magister manum insertat, osculatur tigrim suus custos, elephantem autem minimus æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem.* Buleng. de Venat. circ. c. 21. Pignor. de Serv. p. 563. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 8.

MANSUS, ut nonnulli asseverant, est terra culturæ annuæ unius aratri capax. Alii volunt tantum agri continere, quantum uni familiæ rusticanæ alendæ toto anno sufficere possit. Ex quo intelligi potest *mansum* ecclesiasticum ad eam agri quantitatem extendi, quæ suæ ecclesiæ ministris alimenta suppeditare possit. Tam legum, quam canonum auctoritate ab omni tributo immunem, & liberum esse oportet. Qua de re scriptum legitur in cap. sancitum 23. qu. 8. *Sancitum est, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio attribuatur: & presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, neque de domibus, atriis, vel hortis juxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum.* Cenal. de pond. ac mensur. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1489. B. Du Fresne Glossar.

MANTELE, *mantelum, mantellum, mantelium*, sive *mantile* pro eodem dicuntur. Serv. Fabricii Georg. IV. 377. *Mantelia, quibus manus terguntur. Varro appellat mantelia. Plautus hujus singulare mantellum posuit in Captivis:*

> *Nec his sycophantiis, nec fucis ullum mantellum inveniam.*

Lucilius autem mantelle dixit:

> —— *mappas, mantelle, merumque.*

quæ Græci μάνδυα vocant. Voss. Lex. Etymol. Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c. 37. Differt a mappa, ut modo indicavit Lucillius, I. quia erat villosum, mappa non item. Isidor. in Gloss. MSS. *Mantelia mappas dicunt villosas.* Ovid. Fast. IV. 933.

> *Duxerat ad dextram villis mantile solutis.*

Mart. XIV. 138. idem sunt *mantile*, & *villosa lintea*, ut ex lemmate, *Gausapa villosa, seu mantile*, ac disticho patet:

> *Nobilibus villosa tegant tibi lintea citrum:*
> *Orbibus in nostris circulus esse potest.*

II. etiam tegendæ mensæ serviebat: unde in colloquio scholastico I. exponitur ἐπιτραπέζιον: mappa vero solis manibus tergendis parabatur: unde χειρόμακτρα Gloss. Philox. interpretantur. *Voss. l. l. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 12. Erat rotundum, quia mensæ erant rotundæ. *Ferrar. de Re vest.* II. I. 7. V. supr. in *Gausapa*. Illo convivator mensam sternebat: at singuli convivæ ad convivia sive publica, sive privata suas mappas ferebant. Clare hoc discrimen docet Mart. XII. 29. 11.

> *Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:*
> *Mantile e mensa surripit Hermogenes.*

& hoc confirmat XIV. 138. quod distichon modo laudavimus. *Voss. & Salmas. l. l. Ciaccon. de Triclin. p.* 29. ad illum *Ursin. p.* 302. *Menag. in Diog. Laert.* II. §. 139. *Rader. ad Martialem.* Sententia Martialis est: *mensis cureis*, & si quæ aliis grandis sumptus, imponantur *mantilia*, seu *gausapa*, ne nota aliqua adspergantur: meæ mensæ nihil illis opus est: quia cum magni pretii non sit, parum refert, num lagena ei imposita *circulum*, ut fieri solet, imprimat. Nisi potius per *circulum* intelligi debeat orbis ligneus, in quo lagena statui solet, prout hodieque in tabernis diversoriis, ne maculetur *mantile*, fieri consuevit. His abunde refelli puto sententiam Junii, qui in Nomenclàtore suo c. 72. *mantile*, & mappam eo distinguit, quod illo manus abstergerentur, hæc etiam mensæ insternatur. *Mantile* quidem dici fateor, quo exterguntur manus, sed ante epulas. In epulis vero id mappis fieri solet. Quod vero Ursin. l. l. *mantile* idem ait esse, quod mappam, quia Lucillius dicat, *mantele merumque*, id quoque facillime a me refutatur, si recte a Servio adducitur Lucilii locus, hic enim potius diversa esse comprobat. *Voss. l. l.* De *mantilibus* etiam scribunt *Baccius de Conviv.* I. 12. *Cerda in Virg. Georg.* IV. 377.

MANTES vulgo dictæ villosa quælibet. Illas Massiliæ fieri vidimus, quæ & amictus, & stragulæ vestis usum nautis, & navigantibus præstant. *Bays. de Re vest. c.* 14.

MANTICULARIUS dicebatur fur, qui inserens se confertæ turbæ marsupia aut secat, aut artifici dolo aperit, & exenterat, hoc est, vacuat ablata pecunia. Tertull. Apolog. c. 44. *Quis illic manticularius? Manticulari*, significat furari. Festus: *Manticularum usus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro seculo fuit: unde manticularii dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectabant. Unde poetæ pro dolose quid agendo usi sunt eo verbo. Pacuvius Ad manticulandum astu aggreditur.* Et, *Aggreditur astu Regem, manticulandum hic est mihi.* Pius Annot. post. c. III. Du Fresne Glossar. Voss. Lex. Etymol. in Mantica.

MANTUELIS chlamys fuerit vestis mixta ex chlamyde, & pænula. Treb. Poll. Claud. c. 17. *Misi ad eum chlamydem Dardanicam mantuelem unam.* Ferrar. de Re vest. II. 3. 11. Casaub. in Trebellium. Est chlamys μανδυοειδὴς, chlamys scilicet in modum *manti* facta, vel ad formam *manti* accedens. Diversum enim genus fuit τῆς μανδύης καὶ τῆς χλαμύδος. Μανδύην tamen, & χλαμύδα plerumque confundunt auctores. Artemidoro χλαμὺς, & μανδύη idem genus vestis. Glossæ: *Paludamentum*, χλαμὺς, μαντίον. *Mantuatus* apud Isidor. in Glossis. *Paludatus*, *mantuatus*. *Mantum* tamen & *mandum* etiam dixerunt Latini: & videtur Græce non tantum μανδύας, & μανδύη genus hoc vestimenti dictum esse; sed etiam μάνδυς, μάνδυος. Hinc Latine *mantus* & *mantum*. Isidor. XIX. 24. *Mantum Hispani vocant, quod manus tegat tantum: est enim breve amictum.* In Glossis: *mandus, vestis virginalis.* A *manto mantatus*, qui *manto* tectus est, apud Mart. XIV. 29.

> *In Pompejano tecum spectabo theatro,*
> *Mantatus populo vela negare solet.*

Ita enim legendum. Optimus namque codex Palatinus, referente Grutero, habebat *mandatus*. Quod etiam posset retineri, quia *mandum*, & *mantum* dicebant. Vulgo: *Namque notus populo.* Salmas. in Trebellium. Du Fresne Glossario.

MANTURNA dicebatur dea, cui vota fiebant, ut ne recederet uxor a marito, sed cum eo perpetim *maneret*. August. de Civ. Dei VI. 9. *Ut maneat cum viro, additur dea Manturna.* Voss. de Idolol. II. 26. Gyrald. Synt. deor. I. p. 56. E. Stuck. de Sacrif. p. 47. Laurent. de Sponsal. c. I. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 158. Tomas. de Donar. c. 13. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 10. Blond. Triumph. Rom. I. p. 11. E.

MANUBIÆ quid sint, & ut a præda, & spoliis differant, docet Non. V. 39. *Manubias a præda hoc distare veteres existimarunt: ut sit præda corpora ipsa rerum, quæ capiuntur: manubiæ vero pecuniæ ex præda vendita redactæ. Et sic apud plurimos. Nam & Marcum Tullium de lege agraria ita sensisse voluerunt. Prædam, manubias sectiles, castra denique Cn. Pompeji sedente Imperatore censores.* Et hæc pluribus persequitur Gell. XIII. 24. *Ouzel. in Minut. Felic. p.* 229. *a.* Ascon. in Cicer. p. 108. *Spolia quæsita de vivo hoste nobili per deditionem manubias veteres dicebant: & erat Imperatorum hæc præda, ex qua, quod vellent, facerent.* Pro quacunque præda, nec ab hoste solum, sed etiam a cive petita videtur usurpare Suet. Vesp. c. 16. n. 6. *Sunt, qui opinentur, ad manubias, & rapinas necessitate compulsum.* Nann. Misc. III. 3. Ouzel. in Gellium mox laudandum. Gellius l. l. *Manubiæ sunt non præda, sed pecunia per quæstorem populi Romani ex præda vendita contracta.* Et hæc videtur *manubiarum* propriissima significatio; atque sic dicerentur, quia ea pecunia ex spoliis, quæ manu hosti sunt detracta. *Ouzel. l. l.* Illa Imperator vel domum suam ornabat. Liv. XXXVIII. 43. *Ambraciam captam, signaque, quæ ablata criminantur, & cætera spolia ejus urbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis.* Vel divendita opus aliquod publicum exstruebat.

Lat. Liv. XXXIII. 46. *L. Stertinius ex ulteriore Hispania quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit.* Valtrin. de Re milit. VII. 18. Turneb. Adv. XVI. 15.

Manubiæ triumphales erant opes, quæ e præda, *ex manubiis* per triumphos inferebantur. Triumphi a Romulo usque ad extrema Augusti fuere circiter trecenti duodecim: & ex his primi non nimis uberes, tamen modici, & magis, magisque creverunt. Tarquinius Superbus Suessa Pometia victa & capta, *tantum prædæ retulit, ut sacratæ diis decimæ explerent quadringentorum talentorum numerum*, notante Dionys. IV. p. 251. Ergo fuit in cumulo, quater mille talentum: id est, vicies quater centena millia Philippicorum. L. Papirius Cursor *triumphavit in magistratu ... ut illi rum temporum habitus erat, triumpho Æris gravis transvecta vicies centies millia, & quingenta tria millia: id æs redactum ex captivis dicebatur. Argenti quod captum ex urbibus erat, pondo mille trecenta triginta.* Habetur hoc in Liv. X. 46. Summa æris efficit viginti quinque millia trecentos triginta Philippæos: argenti tredecim mille trecentos. Ac tales fere, aut minores omnes illi usque ad Tarentinum triumphi, qui incidit in annum Urbis 478. De quo ita Flor. I. 18. 27. *Si pompas adspiceres, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ.* Nota Flori verba: hoc enim verum fuit, & deinceps etiam sollenne. Atque adeo quicquid notabile, aut optabile orbis, aut in eo urbes aliquæ haberet; per hanc viam, portamque triumphalem id Romam fere invectum. Postquam vero copiæ, & arma extra Italiam missa, in grandes illas, & pinguis opibus, aut victoriis quoque inclytas regiones: quid auri, argenti, spoliorum non relatum? P. Scipio ex Hispania, etsi ille triumphus non fuit, nam sine magistratu eas res gesserat, sed pecunia duntaxat triumphalis, *argenti præ se in ærarium tulit quatuordecim millia pondo, trecenta, quadraginta duo: & signati argenti magnum numerum.* Ea pondo faciunt centum quadraginta tria millia, quadringentos viginti Philippæos. Ita Liv. XXVIII. 38. Idem iterum victa Carthagine apud Liv. XXX. 45. *intulit in ærarium argenti pondo centum millia triginta tria.* Quæ si ita accipis, ut fiat triginta tria millia etiam, voce ἀπὸ κοινῦ repetita, ut equidem opinor, tum erunt nobis ter & decies centena triginta millia Philippûm. Sed quid? per triumphos omnes ibo? finis non sit: & Livius distincte, ac descripte in plerisque temporum horum fecit. Lustra, si voles. Per ætates, aut secula quosdam adhuc tangam. Ut hunc L. Æmilii de Macedonibus: qui, ut idem verba Vell. I. 9. 6. *tantum priores excessit, vel magnitudine Regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniæ, ut bis millies ærario contulerit, & omnium anteactorum comparationem amplitudine vicerit.* Pecuniæ modum producit ad bis millies: id est, quinquagies centena millia Philippum. Cornelius Sylla, etsi splendido triumpho, minus intulit, scriptumque in Plin. XXXIII. 1. *transtulisse auri pondo quindecim millia*, id est, 1500000 aureorum, *argenti pondo centum quindecim millia*, id est, 115000 Philippûm. Excessit omnes ... Cn. Pompejus in illo, quem de Rege Mithridate & oriente duxit. Intulit enim in ærarium viginti millia talentum. Ea sunt centies vicies centena millia Philippum, præter ea, quæ in milites expendit: iis enim solis donativi triumphalis nomine sedecim millia talentum, id est, 9600000 Philippum: adeo ut is, qui minimum accepit, habuerit drachmas 1500. Magna hæc omnia sunt, & vere illo Magno digna: sed hunc hic quoque C. Cæsar, ut acie, vicit, & superavit. Appian. de Bell. civil. II. p. 491. ait *quater eum triumphasse*, nam quintum differt: *& intulisse sexaginta quinque millia talentorum.* Efficiunt hæc nobis triginta novem milliones. Ex paucis hic videre est, immensas opes in ærario cumulatas esse e triumphis: quos non omnes, imo nec decimam partem dedimus. *Lips. de Magnit. Roman.* II. 8. *Thys. de Magnit. Roman.* I. *p.* 259.

Manubiæ in libris Etruscorum jactus fulminum appellabantur. Serv. Æneid. I. 46. Ab hostilis prædæ, qua quis potitus esset, similitudine. *Pier. Valer. de Fulmin. signif. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 601. *D.* Et pro ratione numinum, a quibus mittuntur, diversum colorem accipiunt. Deos fulminatores enumerant Servius l. l. *In libris Etruscorum lectum est, jactus fulminum manubias dici: & certa esse numina possidentium fulminum jactus, ut Jovem, Vulcanum, Minervam.* Et VIII. 429. *Nonnulli manubias fulminis his numinibus, id est, Jovi, Junoni, Marti, & Austro vento asserunt attributas, quod hoc loco ostendunt: nam cum dicit, tres imbris torti radios, Jovem significasse ostenditur: cum vero tres nubis aquosæ, Junonem intelligit: cum autem rutuli tres ignis, Martem.* Senec. Nat. Quæst. II. 41. *In illo* Etrusci, & philosophi *dissentiunt, quod fulmina dicunt a Jove mitti, & tres illi manubias dant. Prima, ut ajunt, monet, & placata est, & ipsius consilio Jovis mittitur. Secundam mittit quidem Jupiter, sed ex consilii sententia: duodecim enim deos advocat. Hoc fulmen boni aliquid aliquando facit, sed tunc quoque non aliter, quam ut noceat. Ne prodest quidem impune. Tertiam manubiam idem Jupiter mittit: sed adhibitis in consilium diis, quos superiores, & involutos vocant. Quæ vastat, & includit, & mutat statum privatum, utique & publicum, quem invenit.* Nann. Miscell. III. 3. Buleng. de Terræ mot. & fulm. c. 8. Guther. de Jur. man. I. 2. Jun. Anim. V. 16. Cerda in Æneid. I. 47.

MANUCLA vocabatur illa pars in catapultis, quæ nervum attractum continet. Vitruv. X. 15. *Item chelo, sive manucla dicitur.* A Græcis dicitur χεὶρ, seu δάκτυλος, ut apud Heron. in Belopœicis videre est, cujus verba sunt: *inter hæc autem collocetur ferreus digitus*, σιδηρὸς δάκτυλος. *Balans Lex. Vitruv. Turneb. Adv.* II. 4.

MANULEARII dicebantur, qui tunicarum *manicas*, sive tunicas *manuleatas* conficiebant. Plaut. Aul. III. 5. 37.

Aut manulearii, aut murrobathrarii.

Si tamen hoc a sarcinatoribus diversum artificium fuit. *Ferrar. de Re vest.* I. 3. 21. *Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* VI. *p.* 224.

MANUMISSIO dicitur, quia is, qui libertati restituebatur, a domino e *manu mittebatur.* Festus: *Manumitti servus dicebatur, cum dominus ejus, aut caput ejusdem servi, aut aliud membrum tenens dicebat: hunc hominem liberum esse volo, & emittebat eum e manu.* Est vero *de manu datio*, ut Imperator, vel *datio libertatis*, ut Ulpianus illam mox definient. *Mittebatur* autem e *manu*, ad indicandum eum jam *jugo laxatum herili*, ut utar verbis Claudiani infr. laudandi, & potestati domini exemptum. Ita enim vox *manus* sæpius pro potestate usurpatur a Ictis. Imperator Instit. I. de Libertinis. ¶ 1. & Ulpian. l. 4. ff. de just. & jur. *Manumissio est de manu datio; nam quamdiu aliquis in servitute est, manui &*, quod dicitur pro id *est, potestati suppositus est: & manumissus liberatur a domini potestate.* Hæc *res*, ut addit Imperator l. l. *a jure gentium originem sumpsit, utpote cum jure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum servitus esset incognita. Sed postquam servitus jure gentium invasit, secutum est beneficium manumissionis.* Loon. de Manum. I. 1. §. 1. Quæ libertatem justam dabat, fiebat l. censu, cum consensu domini nomen servi in censum deferebatur. Ulpianus: *Censu manumittebantur olim qui lustrabili censu Romæ, jussu dominorum, inter cives Romanos censum profitebantur.* Erant vero liberi post nomen in censum relatum, quia nulli, nisi cives Romani, censerentur, qui autem se ut civem gerebat, liber, & civis erat. Boeth. in Cicer. Top. I. *Censebantur antiquitus soli cives Romani. Si quis ergo consentiente, vel jubente domino nomen detulisset in censum, civis Romanus fiebat, & servitutis vinculo solvebatur, atque hoc erat censu fieri liberum, per consensum domini nomen in censum deferre, & effici civem Romanum.* Exolevisse credibile est, & sublatam eo tempore, quo comitia e campo ad patres translata sunt per Tiberium, de quo Tacit. Annal. I. 15. §. 1. Certe multo ante Ulpiani tempora ex usu fuisse patet ex Ulpiani verbis modo allatis. Vixit, & floruit Ulpianus sub Alexandro Severo, cui a consiliis fuit teste Lamprid. c. 68. Cœpitque

que imperare Alexander circa annum a nato Christo 224. U. C. 975. Conjecturæ favet, quod nemo Ictorum, in toto corpore juris, *manumissionis* per censum factæ mentionem faciat. *Loon. ibid. c. 2. §. 3. & 5. August. de Legib. in Junia Norbana. Cujac. Observ.* XVII. 20. II. Vindicta, cum apud magistratus quis *manumitteretur*, in Urbe apud consulem, vel apud prætorem. Pers. Sat. v. 88. V. illum infr. in *Vindicta*. l. 1. ff. de manum. vind. Ulpian. Fragm. tit. 1. §. 7. In provinciis apud proconsulem; nec tantum in ipsis provinciis præsentem, sed & antequam provinciam attingeret, modo Urbem egressus sit l. 2. ff. de offic. proconf. l. 17. ff. de manum. vindict. Apud legatum proconsulis *manumitti* posse docet Paull. l. 17. ff. eod. *Apud proconsulem postquam Urbem egressus est, vindicta manumittere possumus. Sed & apud legatum ejus manumittere possumus.* Negat Marcian. l. 2. ff. de offic. proconf. *Apud legatum proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet jurisdictionem talem.* Hos Ictos conciliare conantur, quivis suo modo, Duarer. c. de offic. proc. Robert. Recept. Lect. 1. 28. Charond. Verif. 1. 3. Pac. ἐναντιοφανῶν 1. 46. Perez. ad Cod. tit. de offic. proc. & leg. n. 8. Hotom. Observ. III. 4. Cujac. Observ. 1. 1. Burg. Elect. c. 2. Apud præsidem l. ult. C. de manum. vind. & l. 2. ff. de offic. præs. Ut & apud præfectum Ægypti l. 21. ff. eodem. *Apud præfectum Ægypti possum servum manumittere ex constitutione D. Augusti.* Loon. ibid. III. 2. Sigon. de Judic. 1. 13. August. l. l. Vindicta primus Vindicius, sive, ut Pompon. l. 2. ff. de orig. jur. Vindex, Vitelliorum servus, qui conjunctionem post Reges exactos detexit, primus liberatus esse dicitur. Liv. II. 5. V. illum infr. in *Vindicta*. Dominus servum manumissurus I. in gyrum servum agere solebat. Pers. Sat. v. 75.

— heu steriles veri quibus una Quiritem
Vertigo facit.

n. 78.

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Senec. Epist. 8. *Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas, non differtur in diem qui se illi subjecit, ac traditit, statim circumagitur.* Quintil. Declam. 342. *An majus in hoc putamus esse momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris?* Vertebat autem in gyrum ad indicandum eum jam liberum esse, & posse abire quo vellet. *Rævard. Protribun. c. 7. Fab. de Magistr. Roman. p.* 197. *Politian. Misc. c.* 98. *Casaub. & Marcil. in Persium. Cujac. Observ.* XIV. 27: V. 13. *Brisson. Antiq. Select.* 1. 11. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* 1. 6. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 1. §. 4. *Loon. ibid.* §. 2. II. Inter vertendum alapa faciem ipsius percutiebat dominus. Cornut. ad Persium supr. laudatum, & ex eo forte Isidor. IX. 4. *Quos manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant.* Ritum describit Claud. Honor. consul. IV. 611.

Te fastos ineunte quater, sollennia ludit
Omnia libertas, deductum Vindice nomen
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu.
Tristis conditio pulsata fronte recedit.
In civem rubuere genæ, tergoque removit
Verbera, promissi felix injuria voti.

Alapas illas ῥαπίσματα μετ' ὕβρεως vocat Justin. Novell. 81. Has servo manumittendo ductas manu lictoris asserit, sed videtur errare Ambros. Epist. 7. *Non ista libertas, quam manumissus accipit, & palma lictoris donatus acquirit.* Barth. ad Briton. Aremoric. p. 406. Gentil. Parerg. 1. 36. Savar. in Sidon. carm. II. 547. Cerda Adv. sacr. 143. 3. Cujac. Observ. V. 13. Rævard. Var. IV. 9. Fab. de Magistr. Roman. p. 197. Laurent. in Phædr. II. 5. 25. Kipping. & Loon l. l. III. Hoc modo in gyrum actum, & alapa percussum e manu emittebat, dicens: *hunc hominem liberum esse volo.* Festus supra laudatus. Prætor vindicta ejus capiti imposita dicebat: *ajo te liberum esse more Quiritium.* Inde conversus ad lictorem addebat: *secundum tuam causam, sicuti dixi, ecce tibi vindicta.* Tum lictor caput servi vindicta verberabat. Juven. Sat. V. 171.

— pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

Terque quaterque percussum dicit Horat. Sat. II. 7. 76.

— quem ter vindicta quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet.

Alex. Gen. IV. 10. Torrent. in Horatium. Ravard. Var. IV. 9. Loon. ibid. §. 3. Sigon. & Kipping. l. l. Rosin. Ant. Rom. 1. 20. Carol. Antiq. Roman. IV. 5. IV. In templum Feroniæ deducebatur, ibique pileum recipiebat. Serv. Æneid. VIII. 564. *Feronia libertorum dea est, in cujus templo raso capite* V. illud supr. in *Caput. pileum accipiebant, cujus rei mentionem facit Plaut. Amph.* 1. 1. 306.

Quod utinam ille faxit Jupiter, ut raso capite portem pileum.

In hujus templo Tarracinæ sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat: BENEMERITI. SERVI. SEDEANT. SURGANT. LIBERI. Sed non credo hoc diu in usu fuisse, ut in illo templo pileum caperent, cum tot quotidie *manumitterentur.* Cum autem illum accipiebant, nixi genubus sedebant, ut docet effigies servi raso capite genubus sedentis, pileumque capientis apud Pier. Hierogl. XI. 3. *Loon. ibid.* §. 4. V. infr. in *Pileus.* Simulatque peracta esset, *manumissi* nomen in acta referebatur. In illa relatum fuisse elici potest e Plauto, qui hoc modo servum cum lenone loquentem inducit Pers. IV. 3. 14.

TO. *Di dent quæ velis: eho an jam manu emisisti mulierem?*
DO. *Credo pol, credo, inquam, tibi* TO. *jam liberta auctus es?* DO. *Enecas,*
Quin tibi me dico credere. TO. *Dic bona fide: jam libera est?*
DO. *I, i ad forum, ad prætorem, exquire; siquidem credere mihi non vis.*

Et causa *manumissionis* addebatur. Terent. Adelph. V. 9. 3.

Judico Syrum fieri esse æquum liberum. MI. *Istunc liberum?*
Quodnam ob factum?

Ubi Donatus: *Jure: adscribi enim causas manumissionis in jure formula est.* Rævard. & Sigon. l. l. Loon. ibid. §. 6. Cui consentaneum est illud Ascon. in Cicer. p. 185. *Verba pauca Q. Hortensius dixit, quæ sunt, liberos esse eos, qui pro servis postularentur; nam post recentem cædem manumiserat eos Milo, sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent.* Qui per *titulum* causam intelligit. Huc respexit Martian. l. 9. de ma. vind. ubi ita scribit: *Justa causa manumissionis est, si periculo vitæ, infamiave dominum servus liberaverit.* Inter alias *manumissionis* justas causas hæc quoque numeratur, si in hoc servus *manumittatur*, ut domini *manumittentis* procurator fiat l. 43. d. tit. Antiquæ inscriptionis particula: PERSICUS LIBERTUS MANUMISSUS AT CONSILIUM PROCURATORIO NOMINE APUD DOMITIANUM CÆSAREM IN SECUN. COS. EXERCUIT DECURIAS DUAS. Intelligitur enim de eo liberto, qui in hoc *manumissus* est, ut procurator domini *manumittentis* fieret. *Nomen* enim, & *titulus*, & *causa* eadem omnino esse videntur. *Rævard. Protribun. c.* 7. III. Testamento, quo *manumissi* liberi ut sint, facit lex XII. tab. Ulpian. in fragm. tit. 1. §. 9. verba legis sunt in lege prima tabulæ quintæ: *Paterfamilias uti legassit super pecuniæ tutelæve suæ rei, ita jus esto.* Corrupta verba restituit hoc modo Ulpianus: *Paterfamilias uti legassit super pecunia tutelæve suæ rei.* Aliter verba, & melius profert Cicer. ad Herenn. 1. 13. *Lex, inquit, Paterfamilias uti super familia pecuniave sua legassit, ita jus esto.* Ubi per *familiam* haud dubie servi intelliguntur. Sed hæc vox etsi legi adsit, sive non, nihilominus ad libertates datas lex hæc pertinuit. Patet hoc ex l. 220. de V. S.

Verbis legis duodecim tabularum his: uti legassit sua rei, ita jus esto, latissima potestas tributa videtur, & hæredis instituendi, & legata, & libertates dandi, tutelas quoque constituendi. Hoc libertatem nanciscuntur directam, vel fideicommissariam. Directam, si ita verba adjecta testamento fuerint: *Stichus servus meus liber esto* l. 4. & 7. ff. de manum. vel alii quavis formula modo nulli fideicommissum olentia verba adjecta fuerint: veluti *rogo, precor, fidei tuæ committo.* Sic e contrario, si talia verba adjecta sunt, non directam, sed fideicommissariam libertatem consequuntur, & pendet eorum libertas non tam ab animo, & voluntate *manumittentis* testatoris, quam a fide hæredis instituti. *Loon. ibid.* I. 4. § 1. & 2. Ejus, quæ libertatem non justam dabat, species itidem erant tres, scilicet, per epistolam, inter amicos, & convivii adhibitione. Cajus Instit. §. 2. de jur. person. *Latini, inquit, sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur.* Hos naturales vocat Theoph. Instit. §. 4. de Libertinis: *Naturales libertatis modi sunt tres: inter amicos, per mensam, per epistolam.* Loon. ibid. II. 1. I. Per epistolam dicebatur, quando servo aliis in locis agenti, missis literis a domino permittitur, ut liber vivat. Theoph. l. l. Isidor. IX. 4. *Latinos fieri nunquam per testamentum, sed per epistolam libertatem sumere.* Oportebat ut hæc epistola quinque testium nominibus subscripta, & signata esset. Justinian. l. unic. §. 1. C. de libert. Lat. toll. *Sancimus si quis per epistolam servum suum in libertatem perducere voluerit, licere ei hoc facere quinque testibus adhibitis, qui post ejus literas, sive in subscriptione positas, sive per totum textum effusas, suas literas supponentes, fidem perpetuam possint chartulæ præbere. Et si hoc fecerit, sive per se scribendo, sive per tabularium, libertas servo competat quasi ex imitatione codicilli delata.* Loon. ibid. c. 2. Rosin. l. l. II. Inter amicos appellabatur, cum præsentibus amicis quispiam a domino *manumittitur.* Meminit hujus Senec. de vit. beat. c. 24. *Hominibus natura prodesse jubet, servi liberine sint, justæ manumissionis, an inter amicos datæ.* Plin. Epist. VII. 16. 4. *Si voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumisisti.* Qui inter amicos *manumittere* volebat, debebat hoc quoque facere quinque testibus, qui id testarentur, præsentibus. Justinian. l. unic. §. 2. C. de Lat. libert. toll. *Qui autem inter amicos manumittere, & libertatem servo suo dare malebat, licebat ei similiter quinque testibus adhibitis suam explanare voluntatem: & quod liberum eum esse voluerit, dicere.* Justinian. l. unic. §. 2. C. de Lat. libert. toll. Et si in charta scriberet se servum suum liberum esse velle, debebant id testes signare. Mart. IX. 88. 3.

Affers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, modo liberum esse jussi
Nastam, servulus est mihi paternus:
Signa.

Loon. ibid. c. 3. Salmas. de mod. usur. c. 19. Rosin. l. l. III. Per mensam, sive convivii adhibitione appellabatur, cum libertatis dandæ gratia servus convivio adhibetur. V. illam supr. in *Cœna libera.* Semper teste Justinian. ibid. §. 3. fieri poterat. Ubi per *semper* singuli dies, tam fasti, quam nefasti intelliguntur, interprete Theophilo. Verum quidem est feriis, aliisque diebus nefastis, prætorem lege agere non potuisse. Varronem & Ovidium V. supr. in *Dies nefastus.* Sed videre licet, nimis stricte observasse festos illos dies antiquitatem, nam prætor si *manumisisset* nescius expiari poterat, & debebat. Varro laudatus in *Dies nefastus.* Insecuta ætas non tam stricte observavit, & absque periculo fieri posse permisit. Paull. Sent. II. 25. 8. *Emancipatio etiam die feriato fieri potest.* Emancipatio vero est species *manumissionis.* Quapropter Imperatores Christiani id fieri permiserunt diebus festis. Constant l. 1. C. de feriis: *Emancipandi, & manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, & super his rebus acta non prohibeantur.* Loon. ibid. III. 3. Rævard. Protribun. c. 7. A coss. novis fiebat in foro Trajani, sive Ulpio. De Honorio consulatum sextum ineunte Claud. n. 645.

—— desuetaque cingit
Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.

Antemio Augusto cos. Sidon. carm. II. 545.

Nam modo nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate, Quirites.

Huic sollennitati dicatus fuit dies Kalendarum. Ammian. XXII. 6. *Mamertino consule Kalendis Januariis ludos edente circenses manumittendis ex more inductis per admissionum proximum.* Donat. de Urb. Rom. II. 24. Nardin. Rom. Vet. V. 9. Fab. Semestr. II. 20. & ad tit. 2. de orig. jur. Coram magistratu pro tribunali sedente. Claud. in Eutrop. II. 310.

—— libertatemque daturus,
Quam necdum meruit, scandit sublime tribunal.

Postea tamen favore libertatis introductum est, ut procederet, etiamsi magistratus, apud quos fieri poterat, pro tribunali non sederent. Justinian. l. l. *Servi a dominis semper manumitti solent: adeo ut vel in transitu manumittantur: veluti cum prætor, vel præses, aut proconsul in balneum, vel in theatrum eant.* Cajus l. 7. ff. de manum. vind. & Justinian. l. l. *Non est omnino necesse pro tribunali manumittere: itaque plerumque in transitu servi manumitti solent, cum aut lavandi, aut gestandi, aut ludorum gratia prodierit prætor, aut proconsul, legatusve Cæsaris.* Imo ubicunque locorum fuerit dominus, potest coram prætore *manumittere:* nec opus est, ut adsint lictores. Ulpian. l. 8. ff. eod. *Ego cum in villa cum prætore fuissem, passus sum apud eum manumitti, etsi lictoris præsentia non esset.* Loon. ibid. c. 4. In fraudem creditorum facta non valebat. Justinian. l. 1. quib. ex caus. manum. non lic. *Non unicuique volenti manumittere licet. Nam is qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit: quia lex Ælia Sentia impedit libertatem.* Hoc quomodo fiat, docet idem l. 4. *In fraudem creditorum manumittere videtur, qui jam vel eo tempore, quo manumittit, solvendo non est: vel qui datis libertatibus desiturus est solvendo esse. Prævaluisse tamen videtur, nisi animum quoque fraudandi habuerit manumissor, non impediri libertatem, quamvis bona ejus creditoribus non sufficiant. Sæpe enim de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines. Itaque tunc intelligimus impediri libertatem, cum utroque modo fraudantur creditores, id est, & consilio manumittentis, & ipsa re, eo quod ipsius bona non sunt suffectura creditoribus.* Quæ verba desumpta sunt ex l. 10. ff. qui, & a quib. manum. *Loon. ibid.* I. 3. §. 9. 10. *Augustin l. l.* Augustus, ne *manumissionibus* Romanæ civitatis honor vilior evaderet, *manumittendi modum terminavit* apud Suet. c. 40. n. 5. & n. 8. *de numero, & de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiose cavit, & hoc quoque adjecit, ne vinctus unquam, tortusve quis ullo libertatis genere civitatem adipisceretur.* Dio LV. p. 557. C. *Quia multi multos manumittebant, ætatem, quam & manumittens, & manumittendus habere deberent, constituit.* Spanhem. Constit. Anton. Imp. Exercit. II. §. 17. Pitisc. in Suetonium.

MANUMISSUS accipiebat nomen a patrono. Ideo Dionysium Pomponii Attici libertum Atticum Dionysium vocat Cicer. Fam. XII. 30. Antonium Felicem, quem Felicem tantum vocat Histor. V. 97. quia Antoniæ libertus erat, nominat Tacit. Annal. XII. 54. Cognomen hoc addebatur, quia ea tantum ingenui utebantur & liberi l. 9. C. de liberal. caus. Accipiebat & prænomen, quia prænomine veteres solebant salutare, quum aliquem honorifice, ut liberum, & ingenuum salutare vellent. Horat. Sat. II. 5. 32.

Quinte puta, aut Publi, gaudent prænomine molles
Auriculæ.

Hoc, quo ante caruerant, accepisse docet Pers. Sat. V. 76.

—— hic Dama est non tressis agaso
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama, papæ! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit, ita est, assigna. Marce tabellas.

Loon. ibid. IV. 3. §. 1. Casaub. in Persium. Malvas. Marm. Felsin. Sect. II. p. 72. Brisson. Ant. Select. I. 11. Imo,

quia

quia liberi tria nomina, ſcilicet, prænomen, nomen, & cognomen habebant, & ille tria accipiebat. Juven. Sat. v. 124.

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foris, ſi quid tentaveris unquam
Hiſcere, tanquam habeas tria nomina.

Artemidor. 1. *Novi autem quendam ſervum hominem, qui ſibi habere tria virilia viſus. Deinde vero liber factus eo pacto tria pro uno habuit nomina, duobus aſſumptis patroni nominibus.* Ideo Ciceronis libertus dictus fuit *Marcus Tullius Tiro*: & Pomponii libertus *Marcus Pomponius Dionyſius* teſte Cicer. Attic. IV. 14. *Politian. Miſcell. c.* 31. *Alciat. Diſpunct.* IV. 1. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 3. *Loon. ibid.* IV. 3. 1. Pileum in raſo capite. Plutus laudatus ſupr. in *Manumiſſio.* Liv. XLV. 44. *Hæc de Pruſia noſtri ſcriptores. Polybius eum Regem indignum majeſtate nominis tanti tradit; pileatum, capite raſo, obviam ire legatis ſolitum, libertumque ſe populi Romani ferre: & ideo inſignia ejus ordinis gerere.* Non vero omnes, ſed tantum qui teſtamento *manumiſſi* erant, & qui vindicta: qui cenſu *manumittebantur*, illi ſe pro civibus Romanis gerebant, cives autem Romanos, præter ſenes, & ægros pileum geſtaſſe non memini me legiſſe. Qui minus juſtam libertatem nacti erant, non acceperunt pileum. Perſ. Sat. v. 82.

Hæc mera libertas, hæc nobis pilea donant.

Loon. ibid. §. 2. Urſin. in Livium. Togam, ut cæteri cives. Tertull. de Reſurr. carn. c. 57. *Oro te, ſi famulum tuum libertate mutaveris, quia eadem caro, atque anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & ſtigmatibus obnoxia retro fuerant, idcirco illa eadem pati oportebit? non opinor. Atqui & veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu, menſaque honoratur.* De Olympione villico jam liberto Plaut. Caſ. II. 8. 10.

At candidatus cedit hic maſtigia.

Lipſ Elect. I. 13. Loon. ibid. §. 3. Sed tamen non omnes, verum qui juſtam conſequebantur libertatem. Quintil. Decl. 342. *Quam ſi habitum dederis, ſtolamque dederis? quod ne manumiſſis quidem omnibus contingit.* Servi vero quamdiu in ſervitute erant, apud Romanos tunicis, ac deinde penulis amicti erant. V. infr. in *Servus.* Loon. l. l. Annulum aureum. Plaut. Caſ. III. 5. 63. V. illum ſupr. in *Annulus.* Tertullianus modo laudatus. *Lipſ. Elect.* II. 8. *Kirchman. de Annul. c.* 16. *Loon. ibid. c.* 4. Calceos. V. infr. in *Solea.* Coronam domum reductus. Plaut. Pſeud. V. 2. 2.

PS. *Cum corona ebrium Pſeudolum tuum.* SI. *Libere hercle hoc quidem, ſed vide ſtatum.*

q. d. herus, tu quidem incedis coronatus, quaſi jam *manumiſſus*, cum etiamnum ſervus ſis. Ideo addit, *ſed vide ſtatum.* Tertull. de Cor. mil. c. 13. *Si veram putes ſeculi libertatem, ut & corona inſignes.* Morem hunc Romanos a Judæis accepiſſe crediderim. Certe apud illos inter Jubilæorum ſollennia ſervi liberati coronam geſtantes diſcurrebant, ut ex Maimonide refert Cunæus de Rep. Hebr. I. 2. *Loon. ibid.* §. 6. *Taubm. in Plautum.* Catenas in memoriam laborum in catenis ſervitutis perpeſſorum Laribus dedicabat. Docet hoc Horatius, apud quem homo quidam improbus multa in alium convicia jaciebat, ad quæ ille nihil reſpondebat, niſi quod cum rogaret, an modo liber eſſet, & jugo laxatus herili Sat. I. 5. 65. V. illum ſupr. in *Catena.* Mart. III. 29. 1. V. illum ſupr. in *Compedes.* Loon. ibid. c. 7. Tomaſ. de Donar. c. 38. Torrent. in Horatium.

MANUMITTERE vindicta poteſt *ſurdi, vel muti patris filius ejus juſſu.* Marcian. l. 10. ff. de manum. vind. poſſunt *municipia, & ſocietates.* Varr. de Ling. Lat. VII. *collegia omnia, quibus coeundi jus eſt. His D. Marcus manumittendi poteſtatem dedit.* Ulpian. l. 1. ff. de manum. quæ ſerv. ad univerſ. pertin. impon. Non poteſt *furioſi filius.* Marcian. l. l. dominus annis minor viginti ex lege Ælia Sentia, niſi apud conſilium juſta cauſa approbata. V. ſupr. in *Lex* & *Conſilium.* Loon. de manum. III 1. §. 1. Teſtamento dominus qui major eſt annis viginti, & ſervus annis triginta: alias non efficiet civem Romanum, ſed Latinum, poteſt tamen Romanum facere, ſi cauſam apud conſilium approbaverit. Ulpian. Fragm. tit. 1. §. 12. & 13. Ideo nec miles minor annis viginti. Pompon. l. 3. ff. de manum. teſtam. *Nec militi minori annis viginti permittitur poſſe teſtamento ſuo ſervum manumittere.* Nec mulier, quæ in tutela eſt. Ulpian. Fragm. tit. 1. §. 17. In genere non poſſunt, qui ſervi pœnæ efficiuntur l. 8. ff. de manumiſſ. Pœnæ autem ſervus ſit, qui nullum alium dominum habet quam ipſam quodammodo pœnam, ſcilicet, quum quis atrocitate ſententiæ, vel in metallum, vel ad beſtias damnatur. §. 3. Inſtit. quib. mod. jus pat. pot. ſolvit. Non rei reorum capitalium l. 8. §. 1. ff. de manumiſſ. Non qui lege Cornelia damnati ſunt, nec illi qui damnabuntur l. 8. §. 2. eod. Non pater ſervum filii, quem in caſtris acquiſivit l. 17. ff. eod. Idque recte, illud enim quod in peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi filii eſt, ad patrem non pertinet, ſed ſolus filius de ea re facere poteſt quicquid velit. Atque ita capi debet Juven. Sat. XVI. 51.

Solis præterea teſtandi militibus jus
Vivo patre datur.

Loon. ibid. §. 3. Et mulier, quæ divertit omnes omnino ſervos ſuos, etiamſi extra miniſterium ejus ſint, nec eos tantum, quos adulterii tempore in miniſterio habuerit, ſed & quos poſtea comparaverit, prohibetur. *Briſſon. ad leg. Jul. de Adult. p.* 192. *Loon. l. l.*

MANUMITTI poſſunt tam infantes, quam adulti. Cajus l. 25. ff. de manumiſſ. *Juris ratio efficit, ut infantibus quoque competat libertas.* Et tunc patroni ipſorum tutores fiunt. tot. tit. Inſtit. de legit. patron. tut. Etiam furioſi, nec refert, quo genere *manumiſſionis* liberati ſint. Javolen. l. 26. ibid. *Servum furioſum omni genere manumiſſionis ad libertatem perduci poſſe putat Labeo.* non poſſunt, qui ideo liberantur, ut crimini ſubtrahantur l. 8. §. 3. ff. de manumiſſ. Idque in omnibus criminibus obtinuiſſe puto, nec in criminibus ſervorum, ſed dominorum, ut quæſtioni ſubjici poſſint. Hoc licet colligi ex Cicer. pro Mil. c. 21. & Aſcon. in argumento iſtius orationis. nec qui hac lege venduntur ne *manumittantur.* Paull. l. 9. ff. de manumiſſ. *Servus hac lege venditus ne manumittatur, vel teſtamento prohibitus manumitti, vel a præfecto, vel præſide prohibitus ob aliquod delictum manumitti, ad libertatem adduci non poteſt.* Loon. de manumiſſ. III. 1. §. 4.

MANUPRETIUM dicitur, *quod manu factum eſt, & datum pro eo.* Varr. de Ling. Lat. IV. 36. Aſcon. in Cicer. p. 105. *Manupretium dicitur, ubi non tam materiæ ratio, quam manus, atque artis ducitur.* Cicer. Verr. I. 56. *Tantum operis in iſta locatione fuit, quantum pauca operæ fabrorum mercedis tulerunt, & manupretii machinæ.* Briſſon. Antiq. Select. IV. 23. Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. in Lamprid. Alex. Sev. c. 24.

MANUS uni homini data eſt a natura, pedes etiam aliis. Quanquam *manuum* uſus nobis, quam pedum, prior, quia facilior. Neque enim pedes ad motum tantum, ſed etiam ad onus: *manus* autem non ita: & geſtantur a pedibus: ipſæ nihil geſtant corporis. *Scalig. Poet.* I. 18. Dicitur proprie, cum eſt paſſa, & deducta. Docet id origo, nam μανὸς, & πυκνὸς opponuntur: ab illo *manum*, ab hoc pugnum dixerunt. *Scalig. ibid. c.* 2?. *Voſſ. Lex. Etymol.* Adorantes ori admovebant. V. infr. in *Oſculum.* Clariorum & potentiorum hominum deoſculabantur. V. infr. in *Oſculum.* In vindicationibus conſerere quid ſit. V. ſupr. in *Ex jure manu conſertum.* In cœlum levabant deos adoraturi. Apul. de Mund. p. 747. *Habitus orantium hic eſt, ut manibus in cœlum extenſis precemur.* Homer. Odyſſ. I. 527.

Supplicabat manus extendens in cœlum ſtelliferum.

Horat. Od. III. 23. 1.

Cœlo ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente luna, ruſtica Phidile.

Ovid. Triſt. I. 10. 21.

Ipſe

Ipse gubernator tollens ad [illegible] palmas
Exposcit votis immemor artis opem.

B[illegible] de Form. I. p. 39. Ouzel. in Minuc. p. 144. Path. Adv. III. 2. Lomej. de Lustrat. c. 33. Struv. Ant. Rom. c. 3. p. 206. Injiciebant in [illegible] vum, illum vindicaturi. V. supr. in *In cere*. Tollebant admirantes. Cicer. Acad. IV. 19. *Hortensius vehementer admirans, quod quidem [illegible] etiam Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus sæpe tolleret.* Fam. VII. 5. *Sustulimus manus, ego & Balbus: tanta fuit opportunitas: ut illud nescio quid, non fortuitum, sed divinum [illegible].* Catull. LIII. 4.

Admirans ait hæc, manusque tollens.

Voss. L[illegible] [illegible] XI. II. 4. Et victi. V. supr. in *Bra[illegible]*. [illegible], & articulos conf[illegible] nati. [illegible] motu vehementius [illegible] in [illegible] Senec. [illegible] III. 4. *Adjice [illegible], [illegible]. I. I. Horrent, [illegible] capilli, spiritus coactus, ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis [illegible] sermo præruptus, & complosæ sæpius manus. . . .* Petron. c. 17. *Ut ergo tam ambitiosus detonuit imber, retexit superbum pallio caput, & manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis, quænam est, inquit, hæc audacia?* Prop. IV. 7. 12.

Pollicibus fr[illegible] [illegible] manus.

[illegible] quem non est [illegible] compon[illegible] ad dicendum, [illegible] vult Scaliger; sed multis irata: nam id poeta jam [illegible] II. 11.

S[illegible] [illegible].

id est, animose, [illegible] ut solebat viva, & spirans. *Dousa Præcid. in Petron.* I. 8. *Broukh. in [illegible]*. [illegible] de [illegible] II. 1[illegible]. P[illegible] quibus non [illegible], [illegible] præfatione a sacris arcebantur. Liv. XLV. 5. *Cum omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sint puræ manus, [illegible].* Huc pertinet illa [illegible] γνώμη:

[illegible]

[illegible] a sordibus, & illuvie, quam a cæde, & [illegible] exigebant. Sacerdos [illegible], qui [illegible] pollutis *manibus* [illegible] sacerdos vetat apud Sil. Ital. XVII 26.

Tum puppe e media magno clamore sacerdos,
Parcite pollutas contingere vincula palmis.

Senec. Thyest. I. 95.

—— *[illegible], ne sacra manus*
[illegible]
[illegible] aras.

[illegible] 4. Cauli Antiq. Roman. I 12. A sordibus [illegible] purgarentur, ad sacra [illegible] lavabant. Cato [illegible] c. 13[illegible]. [illegible] oporteat, [illegible]: *manus interluito, postea [illegible] sumito.* Plaut. Aul. III. 6. 43.

ME. *Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem.*

Horat. Sat. II. 3. 281.

—— *qui circum compita siccus*
Lautis mane senex manibus currebat.

Vetus interpres: *Ideirco dixit lautis manibus, quia solebant [illegible] manus & pedes abluere.* Hinc χερνίψασθαι apud D[illegible] VII. p. 47[illegible]. quod Hesychius, Eustathius, & [illegible] Græci glossatores interpretantur χεῖρας νίπτεσθαι. *Merul. de Sacrif.* c. 2. §. 2. *Feith Antiq. Homer.* I. 10. *Clasen. Theol. gentil.* III. 5. §. 2. *Brisson. l. l.* Ministerio [illegible] moderabantur. Unde in tibiæ inflatione & oris, & *manuum* artificium conjungit Ovid. Fast. VI. 703. Ubi de tibia [illegible] Minerva abjecta:

Inventum Satyrus primum miratur, & usum
Nescit, & afflatam sensit habere sonum.
Et modo dimittit digitos, modo concipit auras,
Jamque inter Nymphas arte superbus erat.

Eleganter *manuum* in pulsandis tibiis ministerium expressit Cyprian. de Spectac. *Alter cum choro, & cum hominis canora voce contendens spiritu suo, quem de visceribus suis superioribus nitens hauserat, tibiarum foramina modulans, nunc e [illegible], & nunc [illegible], ac [illegible], atque in aerem profuso. Item in articulos [illegible] frangens loqui laborat, in [illegible] artifici, qui [illegible].* Inde concipi potest, quid per *loquaces manus* intelligat in fragmento Petronius:

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

Barthol. de tib. vet. I. 7. *Manu* dicebantur loqui. V. infr. in *Pantomimus*. Et oratores audientiam faciebant. V. infr. in *Silentium*. Servis fugitivis amputabantur. V. infr. in *Transfuga*. & furibus. Frontinus. V. illum infr. in *Milites*. Stubterm n de Pœn. milit. c. 11.

Manus in aleæ ludo vocabatur ipse jactus, & missus. Hinc pecuniam, quam post jactum [illegible] quisque conferebat, *manum* vocat Augustus apud Suet. c. 71. n. 6. *Si quas manus remisi.* Et *æs manuarium* universam illam pecuniam, quasi ex pluribus *manibus* collectam, quam singulis commissionibus victor auferebat, dixit Gell. XVIII. 13. *Lips. Saturn.* II. 20. *Casaub. in Suetonium. Souter. Palam.* I. 28. *Rutgers. Var. Lect.* II. 14. *Meurs. de Lud. Græcor.* p. 39. *Bulenger. de Lud. vet.* 58. & 59. *Senftleb. de Alea* c. 10 n. 3.

Manus vocabantur conatus, & invasiones singulæ gladiatorum. Quintil. V. 14. *Ut gladiatorum manus, quæ secundæ vocantur, fiunt & tertiæ, si prima ad evocandam adversarii [illegible] erat: & quarta, si geminata [illegible], ut bis cavere, bis repetere oportuerit.* IX. 1. *Nam ut armorum certamine adversos ictus, & rectas manus, cum videre, tum etiam propulsare facile est: aversæ, tectæque minus sunt [illegible].* Nec diversa multum ratione *manum mittere* dicit Senec. Epist. [illegible]. *Nunc nihil habent quo [illegible], totis corporibus ad ictum expositi: nunquam frustra manum mittunt.* Lips. Saturn. II. 20. Casaub in Suet. August. c. 71. n. 6. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Thys. de Gladiat. p. 2[illegible].

Manus ferrea, Græcis χεὶρ σιδηρᾶ dicebatur. Ea non quidem hostes perimebant, navim tamen ita alligabant navi, ut cominus congredi, &, si occasio ferret, in alterius navim transilire possent. Lucan. III. 635.

Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos
Affixit Lycidam.

Idem *manicam* vocat n. 565. V. supr. in *Manica*. Primus has excogitavit C. Duilius apud Romanos. Aur. Vict. de Vir. illustr. c. 38. n. 1. *C. Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginenses missus, manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit, quibus inter pugnandum hostium naves triginta apprehendit.* Frontin II. 3. *C. Duilius cum videret graves suas naves mobilitate Punicæ classis [illegible], excogitavit manus ferreas.* Flor. II. 2 [illegible]. *Injectæ ferreæ manus, [illegible] aliæ, ante certamen [illegible] ab hostibus.* Non tam injecta ex alto, quam in teli modum emissa per tormenta, quibus valide illigatis postquam navim comprehenderat, retro iterum revocabatur. Curt. IV. 3. 26. *Ferreæ manus tormentis emissæ plerosque rapiebant.* n. 24. *Ad implicanda navigia validis asseribus corvos, & ferreas manus cum uncis, ac falcibus illigaverunt; ut quum tormento asseres promovissent, subito laxatis funibus injicerent.* *Manuum* itaque præcipuus usus fuit, ut hostilem navim tenerent veluti captivam; sed ex prælio navali, navibus inter se consertis, facerent terrestre. Diodor. XIII. *Ferreorum nonnulli manuum injectu pugnam terrestri similem facere secum congressos adigebant.* Liv. XXXVII. 44. *Jussit in adhærentes hostium naves ferreas manus injicere, & ubi pugnam pedestri similem fecissent. . . .* Scheffer. de Milit. nav. II. 7. Gyrald. de Navig. c. 12. An differat ab harpagone V. supr. in *Harpago*.

MAP.

MAPPA quomodo differat a mantili V. supr. in *Mantele*. Ad limbum clavis purpureis solebat variari. Mart. IV. 45.

Et lato variata mappa clavo.

Petron.

Petron. c. 32. *Circaque oneratas veste cervices laticlaviam mappam.* Bayf. de Re vest. c. 12. Ruben. de Re vest. 1. 4. Gonsal. in Petronium. Totam purpuream, & non purpura tantum clavatam fuisse videtur indicare Ammian. XVI. 8. *Veterator quidam ad lautum convivium rogatus, & mundum, qualia sunt in iis regionibus plurima: cum vidisset linteorum toralium par, duos clavos ita latissimos, ut sibi vicissim arte ministrantium cohaererent, mensamque operimentis paribus tectam, anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens, intrinsecus structuram omnem, ut amictus adornaverat principales quaerens, patrimonium dives evertit.* Ex hoc loco enim obscuro admodum, ac prope deplorato, videor per caliginem hanc sententiam elicere. Cum purpuræ usus in vestibus privatis, præter clavos, eo tempore interdictus esset, & ita clavi illi latissimi in toralibus, & in mantili arte ministrantium inter se cohærerent, ut tam toralia, quam *mappa* tota purpurea, & non purpura tantum clavata videretur, inde sycophantam accusationis adornandæ occasionem arripuisse, qua illi fortunis eversi sunt, quasi vestem totam purpuream solis Imperatoribus dicatam domi possiderent. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 1. *Vales. in Ammianum.* Vocabulum est Punicum, circo usitatum. Quintil. Inst. Orat. 1. 5. *Mappam, usitatum circo nomen, Pœni sibi vendicant.* Quadrigis committendis signum dare etiam vetustis temporibus moris fuit. Ennius apud Cicer. de Divin. 1. 48.

—— At Romulus pulcer in alto
Quærit Aventino, servans genus altivolantum,
Certabant, urbem Romam, Remoramne vocarent.
Omnis cura viris, uter esset induperator.
Expectant, veluti consul cum mittere signum
Vult: omnes avidi spectant ad carceris oras
Qua mox emittat pictis ex faucibu' currus.

Mittendæ originem ad Neronem refert Cassiod. Var. III. 51. *Mappa, quæ signum dare videtur circensibus, tali casu fluxit in morem. Cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut assolet, ut avidus spectandi populus flagitaret, illi mappam, qua tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulandi. Hinc tractum est, ut ostensa mappa certa videatur esse promissio circensium futurorum.* Panvin. de Lud. Circ. 1. 14. & in illum Argolus. Calderin. Observ. III. 14. Ex Calderino Pareus in Quintilianum. Columna in Ennii Annal. 1. p. 22. Panciroll. Descr. Urb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 372. C. Bross. in Cassiodorum. Ruben. Elect. 1. 30. Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XVIII. 33. Pitisc. in Suet. Ner. c. 22. n. 4. Jun. in Tertull. de Spectac. c. 16. Buleng. de circo c. 16. Salmas. Exerc. Plin. p. 516. b. C. Casal. de Urb. ac Roman. Imper. splend. part. 2. c. 3. Nero quidem eam abjecit, quam præ manibus habebat, dum discumberet. Sed ejus usus Nerone antiquior fuit; particularem enim quandam ad signum dandam accommodatam mitti solitam puto. Quintilianus modo laudatus. Et ad illum vetus interpres: *Cur mappam usitatum circo nomen Fabius dixit? an quod in ludis circensibus mappa a prætore victori aurigæ veteri instituto mitti solebat.* Panvin. & Argol. l. l. Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1154. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 7. In illa, circensi nimirum, non Neronis fuit aliquid pictum & figuratum, ut sunt nunc *mappæ* apud nos braviorum, in quibus una cum Principum insignibus equos currentes, & similia pingimus: nam quid aliter sibi vellet *diaboli figura* apud Tertullianum mox laudandum cum *mappa* pura, & candida? quid ἐκμαγεῖον apud Cedrenum etiam mox laudandum? Erant itaque in illa picti equi, currus, palmæ, & similia. *Argol. l. l.* Illam mittere solebat I. consul. Justin. Novell. 105. de consule, consulatu suscepto, Kalendis Januariis in publicum processuro. *Ab illo secundum producet spectaculum circensium equorum, quam sane mappam vocant. . . . Rursus aliud edet circensium spectaculum, quam mappam vocant.* Ennius supr. laudatus. Scholiast. Juven. Sat. X. 38. *Mappam mittentem in circo consulem describit Poeta.* II. prætor, si uterque consul Urbe abesset. Mart. XII. 25. 9.

Cretatam prætor vellet cum mittere mappam.

Tertullianus mox laudandus. III. dictator, si & ille abesset, in illum finem dictus. Liv. VIII. 40. *Nec discrepant auctores, quin dictator eo anno A. Cornelius fuerit: id ambigitur, belline gerendi causa creatus sit, an ut esset, qui ludis Romanis, quia L. Plautius prætor gravi morbo forte implicitus erat; signum mittendis quadrigis daret, functusque eo haud sane memorandi imperii ministerio, se dictatura abdicaret.* Ita tamen, ut eam miserint magistratus interdum per *mapparium.* Cedren. p. 139. V. illum supr. in *Convivium.* Et qui forte libertus vocatur Suet. Ner. c. 22. n. 4. *Universorum, e oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent.* Demster. Paral. ad Antiq. Rosin. 1. 13. Faber de Magist. Roman. p. 190. Panvin. Buleng. & Pitisc. l. l. Magistratus solebant illam mittere ex fornicatis cameris, quæ carceribus, & ostiis impositæ erant. Ejus rei quædam imago in priscis numismatis expressa est. Illic, antequam *mappa* mitteretur, signum aliquod exigebatur, quo fixo omnes oculum ad *mappam* mittendam vertebant. Chrysost. orat. de Circo: *Ut enim in circo omnium oculi feruntur in mappam, postquam signum fixum fuit, cum ii, qui sunt in concilio editoris signi illius aperiendi potestatem acceperint.* Tertull. de Spectac. c. 16. *Adspice populum ad id spectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuosum, jam cæcum, jam de sponsionibus concitatum. Tardus est illi prætor, semper oculi ejus in urna ejus cum sortibus volutantur. Dehinc ad signum anxii pendent, unius dementiæ una vox est. Cognoscite dementiam de vanitate. Misit dicunt, & nuntiant invicem quod simul ab omnibus visum est. Teneo testimonium cæcitatis, non vident missum quid sit, mappam putant: sed est diaboli ab alto præcipitati figura.* Buleng. & Pitisc. l. l. Mittebatur I. Signum mittendis quadrigis. Livius supr. laudatus. II. Ferarum irritamen. *Mappa* enim, quæ candicat, mota & reciprocata illas irritavit. Senec. de Ira III. 30. *Ursos leonesque mappa proritat.* Lipf. ad Senecam. Demster. Buleng. & Pitisc. l. l. III. Præmium victori aurigæ, cui postea in illo missu donabatur. Non enim male vetus Quintiliani interpres jam laudatus. Has victores postea in testimonium victoriarum proferebant, & missionem, & vacationem a munere quandoque obtinebant. *Argol. l. l. Coras. Misc. jur. civ.* IV. 24. 18. Non satis recte. Præmium non erat victoriæ, quod certaminis capessendi velut signum erat. *Kipping. l. l.*

Mappa aurea a P. Victore ponitur in regione Urbis decima tertia, quæ Aventinus dicebatur. Quid fuerit ignorare me fateor. Forsan tabula aliqua picta, sculptave fuit, quæ fortasse certamina continuit circensia, unde loco nomen. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 9. *Demster. Paral. Ant. Rom. Rosin.* 1. 13.

MAPPARIUS dicebatur in circo Constantinopolitano, qui officium sustinebat mittendæ *mappæ.* Cedrenus laudatus supr. in *Convivium.* Salmas. Exerc. Plin. p. 633. a. E. Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Argol. in Panvin. de Lud. circens. 1. 14. Buleng. de Circ. c. 16.

MAPPULA vocabatur sudarium. *In sinistra parte gestabatur. Illa pituitam oculorum, & narium detergebant.* Albin. de Divin. Offic. *Ferrar. de Re vest.* 1. 38. *Ruben. de Re vest.* 1. 13.

MAR.

MARCA erat prænomen mulieris. Improbat hoc Varr. de Ling. Lat. VIII. 38. scribens posse dici *Marcum, Numerium,* non *Marcam, Numeriam.* Verum non semper improbatum fuisse suadent saxa. Gruter. Inscript. p. 522. n. 10.

M. ÆLIA
TERTULLA
L. CÆCILIUS
UXORI. FE
P. L. F.

p. 885. n. 14.

P. L. F. POSTU
MENIA
M. AURE
LIÆ. D. M. F

Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. *p.* 845. *D.*

MARCELLUS fuit cognomen gentis Claudiæ, sed plebejæ. Fuerunt viri clarissimi, & ornatissimi. Novem obtinuerunt dictaturam unam, consulatus quindecim, censuram unam, triumphos publicos quatuor, opima spolia semel, ovationem in monte Albano semel. Septem primi *M. Marcelli* dicti sunt. I. fuit consul cum C. Valerio Potito Flacco an. 422. dictator quadriennio post comitiorum causa. II. fuit consul an. 466. cum C. Nautio Rutilo. III. insignis vir, qui primus post Cannensem pugnam Hannibalem vicit, & quinquies consul fuit. Ante secundum bellum Punicum consul fuit cum Cn. Scipione Calvo an. 531. Kal. Mart. triumphum egit de Gallis Insubribus, & Germanis, atque spolia opima retulit duce hostium Viridumaro ad Clastidium interfecto. II. consul fuit suffectus L. Postumio Albino III. qui, antequam iniret, occisus est, sed vitio factus abdicavit post pugnam Cannensem anno primo, hoc est, an. 538. Sed anno proximo cum Q. Fabio Maximo IV. ipse III. creatur. Triennio post captis Syracusis in monte Albano triumphum egit, atque ovationem proconsul. IV. consul fuit an. 543. cum M. Valerio Lævino II. In quinto consulatu, quem cum T. Quintio Crispino gessit biennio post ab Hannibale occisus est. IV. fuit consul an. 557. cum L. Fabio Purpurione. Triumphum egit de Comensibus, & Insubribus IV. Non. Mart. Censor cum T. Quintio Flaminino post septem annos lustrum fecit octavum & quadragesimum. V. fuit consul cum Q. Fabio Labeone an. 570. VI. vir insignis, qui ter consul fuit, & ter triumphalis. Nepos fuit Marcelli quinquies consulis. De hoc Ascon. Cicer. p. 163. *Hic Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipsam Africam periit, paullo ante cœptum bellum Punicum* III. *Idem, cum statuas sibi, ac patri, itemque avo poneret, in monumentis avi sui ad Honoris, & Virtutis ædem, subscripsit: III. MARCELLI NOVIES COSS. Fuerat autem avus quinquies, pater semel, ipse ter.* In primo consulatu, quem gessit cum C. Sulpitio Gallo, triumphavit de Gallis Contubris, & Liguribus, Valeatibusque Idibus intercalaribus an. 587. Iterum consul cum P. Scipione Nasica II. de Liguribus, & Valeatibus iterum post annos undecim triumphavit. Tertium consul triennio post cum L. Valerio Flacco, & proconsul tertio triumphavit de Celtiberis an. 602. VII. fuit consul cum Ser. Sulpicio Ruso Icto an. 702. Hic ille est, quem magnis laudibus exornat Cicero tum in Bruto, tum in oratione *pro M. Marcello* inscripta, qua gratias agit in senatu Cæsari, quod se facilem in restituendo præbuerit. Sed a P. Magio Chilone in portu Attico interfectus est. VIII. fuit C. *Marcellus* C. F. M. N. frater patruelis superioris, consul cum L. Aimilio Paullo. IX. C. *Marcellus* M. F. M. N. consul fuit anno sequenti, quo bellum civile inter Cæsarem, & Pompejum exarsit. Ferunt Octaviam majorem sororem Augusti C. *Marcelli* uxorem fuisse, ex qua natus est *Marcellus* primus gener Augusti, quem deflet Virgilius versibus pulcerrimis. *August. de Fam. Rom. in Claudia. Strein. de Gent. & fam. Rom. in Claudia. Patin. Fam. Rom. ex antiq. numism. in Claudia.*

MARCHIONES dicebantur principes in limitibus constituti. Hæc vox Germanorum lingua limitum præfectos significat. *March* enim ipsi limitem vocant. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 140. *Laurent. de Rebusp. c.* 3. *Du Fresne Glossario.*

MARCIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

MARCIPOR quasi *Marci puer* vocabatur, quasi ejus minister, & assecla, ut Græci παῖδας vocant servos. Festus: *Quintipor servile nomen frequens apud antiquos erat, a prænomine domini ductum, ut Marcipor, Cupor.* Plin. XXXIII. 1. *Apud antiquos singuli Marcipores, Luciporesve, dominorum gentiles, victum in promiscuo habebant.* Quintil. Inst. Orator. I. 4. *In servis jam intercidit illud genus, quod ducebatur a domino; unde Marcipores, Publiporesque.* Priscian VI. p. 700. Edit. Putsch. *A puero composita corripiunt penultimam genitivi, Publipor Publiporis, Marcipor Marciporis. Ita enim antiqui pro Publii puer, & Marci puer dicebant.* Hæc significatio inde orta est, quod, ut docet Eustath. in Homer. p. 438. servuli fere puerili ætate, & quæ ministeriis sit aptior, eligerentur. *Voss. Lex. Etymol. Falconer. de Pyram. C. Cestii Epul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1478. *C. Pignor. de Serv. p.* 43. *Bud. in Pandect. p.* 278. *H. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. *Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2028. *C. Beroal. Annot. c.* 70. *Pitisc. in Curt.* V. 2. 13.

Marcipor dicebatur satyra Varronis, in qua, ut suspicor, de servitute disserebat, & herili imperio, veteresque laudabat, qui clementer, & humane servis imperabant, quos paucos, & dominorum gentiles habebant: contra homines suæ ætatis reprehendebat, qui tot agmina, tot legiones, ut ita dixerim, potius quam familias servorum habebant, quibus aspere, & sæviter imperabant. *Turneb. Adv.* XXIV. 46.

MARCULUS est instrumentum ferreum, quo fores pulsantur. *Almelov. Conject. p.* 149. Plin. VII. 56. *Cynira Agriopæ filius invenit marculum.* Vetus hujus loci lectio non *marculum*, sed *martulum* repræsentat. Quod etsi multo illo est rectius, suspicor tamen, non *martulum*, sed *martellum* primum scriptum fuisse, cujus illud diminutivum sit. Fuit autem *marculus* cadente post, & in præceps eunte Latina lingua corrupta ex illa, quam probo, dictio. Itali, & Lusitani *martello*, Hispani cæteri *martillo*, Galli *marteau* vocant, Latina pœne adhuc voce. *Stat. Observ. c.* 14. *Voss. Lex. Etymol.*

MARCUS, si litera *M.* loco prænominis fuerit. Prænomen hoc vulgatissimum licet apud Romanos, tamen a gente Manlia repudiatum. Liv. VI. 20. *Gentis Manliæ decreto cautum fuit, ne quis deinde Marcus Manlius vocaretur.* Quia scilicet *Marci* prænomine donatus fuerat Manlius ille, qui Reipublicæ tyrannidem affectaverat. Hoc vero cognominis loco usurpatum in antiquis monumentis invenitur. Inscript. apud Gruter. p. 700. n. 5.

NÆNIA
M. L. VITICULA
SIBI. ET
C. PONTIO. C. L
MARCO

p. 986. n. 8.

D. M. S
M. PETRONIO
MARCO. VIX. ANN
V. ET. DIES. XI. SUPER
M. PETRONIUS
SUAVIS. ET
SEXTILIA. LUCRETIA

Sed & *Marco* cognomen dedit Herod. III. 10. 9. *Bassianus, qui tunc honores imperatorios adeptus Severus Antoninus, accepto Marci cognomine, vocabatur.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 844. D. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Græv. Tom. II. p. 2029. C. Sigon. de Nom. Rom. c. 3.

MARE, si universum spectes, suis continetur, & terminatur littoribus, ut fluvii suis ripis: quique *mari* navigant, locum habent certum, unde, & ad quem proficiscantur. Portus enim in *mari* sunt, quod meta in circo: adeoque duobus portubus, aut littoribus oppositis *mare*, licet vastum, & longe, lateque diffusum, quodammodo finitur, & limitatur. Dicitur tamen via esse sine ullo termino, quod illius latitudo quaquaversum diffusa, quæ proprie pelagi nomine dicitur, spatium comprehendit indefinitum sine portu, ac sine limite. Virg. Æneid. V. 8.

Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus, cœlum undique & undique pontus.

Mare itaque, ut ejus viæ sint commodæ, terminent portus, stationes, plagia, & similia perfugia, necesse est. Si vero usquam, & unquam fuit in terrarum orbe gens, & natio, quæ maritimis usa sit viis ad amplificandum per orbem imperium, ea fuit Romana: quæ vix in Italia imperii terminos ad littora utriusque *maris*, quo præcingitur, promoverat, quin mox novas *mari* quæreret terras, non solum mediterraneo; sed & in ipso Oceano, quem antea Græci, & cæteri tantum fando acceperant esse, & sola mentis imagine cognoscebant. Quare debuit artes nauticas unice nosse, ut ad has, illasve orbis partes facile pro re nata posset accedere, & navigare. Plurimum namque intererat ducum, scire litttora, portus, stationes, & insulas, ut adversæ tempestatis possent evitare injurias. Romani itaque, quibus rei nauticæ peritia tam erat necessaria, itinera duxerant per urbes, oppida, & alia loca *maritima*, adnotatis portubus, & stationibus, aliisque perfugii locis, ut tanto essent commodiores navigationes ipsorum sollennes, & usitatiores, quasi Itinerarium duxerunt maritimum: cujus hæc est in Itiner. Anton. p. 112. inscriptio:

IMPERATORIS ANTONINI AUGUSTI ITINERARIUM MARITIMUM:

ut navigans, quæ littora tenens nosse debeat, aut quæ ambiri; incipiens a Gadibus, vel extrema Africa, perdocet feliciter. Bergier. de viis milit. IV Sect. 48. §. 2. 3. 4. *Maria* hyeme clausa sunt, cœlo tempestatibus fœdo, & procelloso: aperiuntur vere. Plin. II. 47. *Ver aperit navigantibus maria.* Veget. IV. 39. *Ex die tertio Iduum Novembris usque in diem sextum Iduum Martiarum maria clauduntur.* Diem anni, quo navigationem auspicabantur, festis quidam celebrabant. Apul. Met. XI. p. 365. *Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, æterna mihi nuncupavit religio, quo sedatis hybernis tempestatibus, & lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei sacerdotes.* Veget. l. l. *Post natalem, ut ita dicam, navigationis, qui sollenni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratur.* Turneb. Adv. XVIII. 24 Stewech. in Vegetium.

MARFORII statua V. illam infr. in *Statua.*

MARGARITA, sive *margaritum* differt a gemma, & lapide. Ulpian. l. 19. §. 6. ff. de aur. & arg. mund. leg. *Gemmæ sunt perlucidæ materiæ, quas, ut refert Sabinus libris ad Vitellium, Servius a lapillis eo distinguebat, quod gemmæ essent perlucidæ materiæ, velut smaragdi, chrysolithi, amethysti. Lapilli autem sunt contrariæ superioribus naturæ, ut obsiani, Vejentani. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri satis constitisse ibidem Sabinus ait, quia in concha apud rubrum mare & crescit, & coalescit.* Serv. Æneid. I. 659. *Gemmam & margaritam multi sane separant, ut Cicero: Nullam gemmam, aut margaritam. Et gemmas volunt dici diversi coloris: margaritas vero albas: vel gemmas integras, margaritas pertusas. Dicimus & hæc margaris, quod Græcum est, quo modo Nais.* Et sane *margaritæ* aceto liquefiunt, non item lapilli, ac gemmæ. Hinc *margaritas* & gemmas conjungunt Curt. VIII. 5. 3. *Regio gemmis, margaritisque ad luxum magis, quam ad magnificentiam exculta.* VIII. 9. 19. *Gemmas, margaritasque mare littoribus infundit.* Solin. c. 53. *Taprobane insula gemmis scatet, & margaritis.* Voss. Lex. Etymol. Popm. de Differ. verb. II. 92. Salmas. Exerc. Plin. p. 783. b. F. G. Pitisc. in Curt. VIII. 5. 3. Usu tamen recte, & Latine loquentium receptum est, ut *margaritarum*, & gemmarum, atque lapillorum nomen promiscue usurpetur. Quas enim *margaritas rubri maris grana* Hieronymus vocat: eæ vocantur Martiali *Erythræi lapilli* IX. 3. 8.

Splendet Erythræis perlucida mœcha lapillis.

Et *gemmæ erutæ Erythræis vadis* VIII. 28. 14.

Cedet Erythræis eruta gemma vadis.

Ac cum Curt. IX. 1. 30. scribit: *Pendebant ex auribus insignes candore, ac magnitudine lapilli.* Et Horat. Sat. I. 2. 80.

Nec magis huic niveos intra, viridesque lapillos,

certe *margaritas*, & smaragdos intelligunt. *Margaritas* in lapillorum genere habet ipsemet Solin. l. l. *Conchæ sunt, in quibus hoc genus lapidum requiritur, quæ certo anni tempore, luxuriante conceptu, sitiunt rorem veluti maritum, cujus desiderio hiant: & cum maxime lunares liquuntur aspergines, oscitatione quadam hauriunt humorem cupitum. Sic concipiunt, gravidæque fiunt, & de saginæ qualitate reddunt habitus unionum.* Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 70. *Margaritis* editores, qui ludos edebant, victores aurigas in circo remunerabantur. Testis est Mart. VIII. 78. 7.

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat.

Linea *margaritarum* intellecta. Ipsa sic enim accipi solet. V. supr. in *Linea.* Nos dicimus *filza di perle*, quasi *perularum filum*, quod filo contineantur. *Argol. in Panvin. de Lud. circens.* I. 15.

MARGARITARII dicebantur, qui gemmas, & *margaritas* agnoscebant, quas agitatores ad ornatum sui emere solebant. *Panvin. de Lud. circens.* I. 15. Hoc non satis est probabile; quid nonne aurigæ, aut domini poterant illas noscere? Putarim potius, fuisse in circo, qui *margaritas* venderent sponsoribus, prætoribus, quæstoribus, cæterisque, qui ludos ederent, qui eas victoribus largiebantur. *Argol. in Panvinium.*

MARGINES dicuntur latera latitudinis viarum, quæ utrimque oram aggeris stringunt. Et *marginare* est eos munire. Liv. XLI. 27. *Q. Fulvium Flaccum, & A. Postumium Albinum censores vias sternendas silice in urbe, & extra urbem glarea substruendas marginandasque primos omnium locavisse.* *Substruere* ad aggerem, *marginare* ad *margines* latera viæ coæquantes, & arctantes, ac stringentes refertur. Ad *marginandum* vero opifices seponebant lapides, silices, cæmenta grandioris notæ, quæ coagmentabant compactione firmiore, uti aggerem medium præstarent undique tutum, & solidum, ne difflueret, dissolveretur, aut hinc inde hisceret, rimasve ageret. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 31. §. 3. *Lips. de Magnit. Roman.* III. 10. *Thys. de Magnit. Roman.* III. *p.* 301.

MARITUS uxorem defunctam laudabat. V. supr. in *Feminæ.* Et *maritum* defunctum in alterius invidiam ut sine fine prædicarent, familiare erat uxoribus. Plaut. Frivol. apud Non. I. 340.

Superavere omnes argutando præficas.

Morest. Pomp. Feral. II. 29. Peregre reversus solebat præmittere, qui nuntium reditus uxori adferret. Terent. Hec. III. 1. 54.

Abi Parmeno intro, ac me venisse nuntia.

Plaut. Amphit. I. 1. 40.

Me a portu præmisit domum, ut hæc nuntiem uxori.

Plutarch. Quæst. Roman. 9. hanc rem copiose explicat, & causas insuper hujuscemodi veterum Romanorum instituti affert: tum, quia suspiciosi videtur, & diffidentis de uxoris suæ moribus, derepente supervenire, & quasi inexspectatam opprimere velle: tum, ut matronæ excussis negotiis, molestiisque, quas cum familia plerumque habent, jucundius *maritos* exciperent. *Nann. Miscell.* II. 4. *Palmer. Spicil.* VIII. *p.* 739. *Thes. Crit. Tom.* IV. *Luisin. Parerg.* I. 20. *Casaub. in Theophr. Charact. p.* 131. *Schott. in Senec. p.* 670. *Muret. Var. Lect.* XIII. 7. *Pontan. Bellar. Attic.* I. 4. *Broukh. in Tibullum.* Plutarchi rationibus & hanc licet addere, ne repentina vis gaudii subito adspectu incommodi aliquid afferret. *Schott. l. l.* Hunc morem Romanorum attingit Tibull. I. 3. 89.

Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante.

Cum hic Tibulli locus a nemine esset observatus, non æquo animo tulimus, illum ulterius non lucere, & suis adhuc tenebris delitescere. *Luisin. & Schott. l. l.* Hæc consuetudo nihil ad locum Tibulli. Deliam enim non fuisse uxorem Tibulli constat. *Xyland. in Plutarchum.* Nolo operose ostendere, quantum ille erret: facile videbit,

etiam amantibus tales nuntios in uſu frequenter fuiſſe, ſi Terentium ceperit arbitrum. Ita enim ille Heaut. I. 2. 2.

Et illam, ſimul cum nuntio, tibi hic ego adfuturam hodie ſcio.

II. 3. 8.

— abi dum tu Dromo illis obviam.

Broukh. l. l. Animadvertebat interdum in uxorem. V. ſupr. in *Animadvertebant.*

MARMOR eſt lapis, qui pretio, & ſumptu cæteros, qui ad ædificiorum veniunt uſum, & ſtructuras, ſuperat; non enim ſolum perfectiſſime poliri poteſt, ac cœlum, ſcalprumque recipit, ſed & duritia, ac ſoliditate: colorum denique varietate commendatur. Iſidor. XVI. 5. *Inter lapides, & marmora eſt differentia: nam & marmora dicuntur eximii lapides, qui maculis, & coloribus commendantur.* Undique ex Europa, Aſia, Africa marisque Ægæi inſulis, ab Roma remotiſſimis locis, inſanis impendiis, & ſumptibus in Urbem terra, marique advehebantur. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 4. §. 1. Quomodo paretur ad tectoria docet Vitruv. VII. 6. Sidon. Carm. XI. n. 17.

Hic lapis eſt de quinque locis, dans quinque colores.
Æthiopus, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon,
Purpureus, viridis, maculoſus, eburnus, & albus.

Plin. XXXVI. 5. *Non omittendum artem* ſcalpendi marmoris *tanto vetuſtiorem eſſe, quam picturam, aut ſtatuariam, quarum utraque cum Phidia cœpit octuageſima tertia Olympiade, poſt annos circiter trecentos triginta duos.* Sed hoc miror ab illo ſcriptum, cum idem ſcribat l. l. *Cum ii eſſent, jam fuerant in Chio inſula Malas ſculptor, ac is filius ejus Micciades, ac deinde nepos Anthermus Chius, cujus filii Bupalus, & Anthermus clariſſimi in ea ſcientia fuere, Hipponactis poetæ ætate, quem certum eſt ſexageſima Olympiade fuiſſe. Quod ſi quis horum familiam ad proavum uſque retro agat, inveniet artis ejus originem cum Olympiadum origine cœpiſſe.* Buleng. de Pictur. II. 8. Primus Romæ peregrini *marmoris* uſum ad domum ſuam privatam tranſtulit L. Craſſus Orator, cenſor cum Domitio Ahenobarbo an. 662. Plin. XXXVI. 3. *Jam L. Craſſum Oratorem illum, qui primus peregrini marmoris columnas habuit in Palatio, Hymettios tamen, nec plures ſex, aut longiores duodenum pedum, M. Brutus in jurgiis ob id Venerem Palatinam appellaverat.* Brevi poſt M. Scaurus, Syllæ privignus, in ædilitate ſua Romam advehi curavit 360. columnas *marmoreas*, ex quibus fecit theatrum, quod fuſius deſcribet Plinius infr. in *Theatrum.* Et poſt Scauri tempora *marmoris* uſus vulgo invaluit. *Mamurra enim Formiis natus, eques Romanus, præfectus fabrorum C. Cæſaris in Gallia Romæ parietes cruſta marmoris operuit totius domus ſuæ in Cœlio monte. M. Lepidus Catuli in conſulatu collega primus omnium limina ex Numidico marmore in domo poſuit magna reprehenſione. Is fuit conſul a. U. C. 666. Hoc primum inveċti Numidici marmoris veſtigium invenio, non in columnis tantum cruſtisve, ſed in maſſa, ac viliſſimo liminum uſu. Poſt hunc Lepidum ferme quadriennio L. Lucullus, qui Lucullio marmori nomen dedit, admodum delectatus illo, primus Romam invexit, atrum alioqui, cum cætera maculis, aut coloribus commendentur.* Plin. XXXVI. 6. Bergier. ibid. §. 2. . . . 5.

MARMORARII dicebantur, qui *marmora* ſecabant, expoliebant, & exſculpebant. Ita in jure appellari puto l. 1. §. ult. C. de excuſ. artif. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 5. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 68.

MARMORATUM vocabatur tectorium, ſi *marmore*, & calce opus fieret. *Marmoratum* calce, & *marmore* tuſo, & triplici varietate comminuto fiebat: niſi enim tectorium ter arenato, & bis *marmorato* inductum eſſet, nunquam ſplendoris habuit ſatis. *Guther. de Jur. man.* II. 28. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 9.

MARRA eſt inſtrumentum ferreum, ad fodiendam terram idoneum. Plin. XVIII. 16. *Verno ſeri debet, liberarique cæteris herbis: ad trimatum marris ad ſolum radi.* Juven. Sat. III. 311.

— ne marræ, & ſarcula deſint.

Colum. X. 67.

Tu penitus latis eradere viſcera marris
Ne dubita.

Pius Annot. poſt. c. 158. Voſſ. Lex. Etymol. Popm. de Inſtrum. fundi c. 8.

MARRUCINI fuerunt *ſupra Pelignos.* Strab. V. p. 166. Cæſ. de Bell. civ. I. 23. *Septem omnino dies ad Corfinium commoratus, & per fines Marrucinorum, Frentanorum, Larinatium in Apuliam pervenit.* Aternus amnis illos a Veſtinis ſecrevit. Strab. ibid. p. 167. *Aternus fluvius Veſtinos a Marrucinis dirimit; fluit enim ex agro Amiterno per Veſtinos, relictis ad dextram Marrucinis, qui ſunt ſupra Pelignos.* Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 19. Leand. Albert. Ital. p. 399.

MARS eſt natus Jove & Junone. Heſiod. Theog. n. 921.

Poſtremam vero Junonem floridam duxit uxorem:
Hæc autem Heben, Martem, & Lucinam peperit.

Vel ex Junone ſine viro conceptus in campis Oleniis tacto flore, quem indicavit Flora. Ovid. Faſt. V. 249.

Fer, precor, auxilium, dixit; celabitur auctor:
Et Stygiæ numen teſtificatur aquæ.
Quod petis, Oleniis, inquam, mihi miſſus ab arvis
Flos dabit, eſt hortis unicus ille meis.
Qui dabat, hoc dixit, ſterilem quoque tange juvencam;
Mater erit: tetigi; nec mora: mater erat.
Protinus hærentem decerpſi pollice florem,
Tangitur: & tacto concipit illa ſinu.
Jamque gravis Thracem, & læva Propontidos intrat:
Fitque potens voti; Marsque creatus erat.

Hunc, inquit Diodor. V. p. 235. D. fabulæ tradunt, primum fabricatis armis milites armaſſe, & adverſarios deorum interficiendo, bellandi, pugnandique artem invexiſſe. Ardentem vero cum effingebant, nunc in curru, nunc in equo, armatum haſta, & flagello: ardentem quoque addito gallo, militum vigilantiam oſtendebant. Iſidor. VIII. 11. ſcribit, *Martem* nudo pectore effingi ſolere, quod quiſque in bello ſe morti intrepide objicere deberet. *Ortel. Deor. & dear. cap.* I. 15. *Gyrald. Synt. deor.* X. *p.* 314. *E.* Præfuit ludo gladiatorio, & venationi. Tertull. de Spectac. c. 12. *Martem & Dianam utriuſque ludi, gladiatorii, & venatorii, præſides novimus.* Non ſolum ludo gladiatorio præfuiſſe, ſed etiam venationi probari poteſt, tum eo quod venatio viros bellicoſos maxime deceat: unde & delubrum Martis apud Thraces in ſylva fuit, ut canit Stat. Theb. VII. 40.

Hic ſteriles delubra notat Mavortia ſylvas.

tum ex eo, quod *Mars* Sylvanus ſubinde vocatur. V. infr. in *Mars Sylvanus.* Faſtn. de Lud. ſecul. c. 8. Lipſ. Sat. I. 5. Belli deus eſt creditus, quia rutilum ejus, & ſanguineum ſidus colore ſuo arguit calorem, & ſiccitatem ſuam, qua bilem accendit: unde iræ, ac bella, & animi ardor, ac robur. *Voſſ. de Idolol.* II. 34. Hunc Romani ſummo cultu venerati ſunt, quod exiſtimarent parentem ipſum fuiſſe Romuli: accedentem enim *Martem* ad Rheam Silviam Romuli matrem concubiturum cum ea, in nummis expreſſum videmus. *Caſal. de Profan. Roman. ritib. c.* 5. *Gyrald. ibid. p.* 315. *A. Ortel. l. l.* Sacrum ſollenne Kalendis Juniis illi Romæ celebratum fuit, quo illi immolabatur extra portam Capenam. Ovid. Faſt. VI. 191. V. illum infr. in *Templum.* Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 850. Ex Idibus Octobribus illi in campo Martio quotannis bigarum victricium dexterior equus immolabatur. V. ſupr. in *Equus October.* Adulterium commiſit cum Venere. Lactant. I. 10. *Mars homicida, & cædis crimine ab Athenienſibus ex gratia liberatus, ne videretur nimis ferus, & immanis, adulterium cum Venere commiſit.* Venus enim cum Marte concubuit, Sol Vulcano prodidit, ille catenas adamantinas excogitavit, quibus adulteros vinciret, illa in doli vindictam, ut videbatur, legitimam quinque Solis filias amoribus ſuccendit. Ovid. Amor. I. 9. 39.

Mars

Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.
Notior in cœlo fabula nulla fuit.

Casal. l. l. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 20.

Mars Armiger dictus est, quod ferat arma: quin & Orpheo Ὁπλοχαρὴς, hoc est, qui armis lætetur. Etiam Armipotens. Auson. Edyll. XII. 48.

Quinque truces belli motus ciet armipotens Mars.

Gyrald. Synt. deor. X. p. 319. B.

Mars Belliger dictus est, quod gerat bella: & Bellipotens, quod bello polleat. *Gyrald. Synt. deor.* X. *p.* 319. *B.*

Mars Bisultor dictus est, cum a Parthis signa Augustus recepisset, a duplici victoria. Ovid. Fast. V. 595.

Rite deo templumque datum, nomenque Bisultor.

Gyrald. Synt. deor. X. p. 318. C.

Mars Cæcus dictus est. Virg. Æneid. II. 335.

—— *& cæco Marte resistunt.*

Ubi Servius: *Vel epitheton est Martis, vel quod cæca nocte prælium gerebatur.* Gyrald. Synt. deor. X. p. 317. F.

Mars communis dictus est Græcis & Latinis. Homer. Iliad. Σ. 309.

Communis belli Mars est, victorque repente
Sæpe cadit.

Cicer Phil. X. 10. *Concedo incertos esse exitus belli, Martemque communem.* Serv. Æneid. XII. 118. V. illum supr. in *Dii communes.* Parrhas. in Orat. Cicer. pro Milon. Thes. Crit. Gruter. Tom. I. p. 831. Gyrald. Synt. deor. X. p. 316. B.

Mars Enyalius dictus est ab Enyo, id est, Bellona, vel sorore, vel matre. Nomine hoc Græci, & Latini utuntur. Macrob. Sat. I. 19. *Ἐνυάλιος est inter propria Martis nomina.* Plutarch. Amator. p. 757. C. *Mars est deus, qui homicidia, arma, jacula, murorumque oppugnationes, prædationesque inspiciat, & gubernet, Enyalius, & Stratius inde dictus.* Dionysius tamen II. p. 112. *Enyalium Sabini, eosque secuti Romani, Quirinum nominant; nondum satis certi, Marsne is sit, an alius quispiam, cui similes Marti honores deferantur: nam quidam uni deo, bellicorum certaminum præsidi, nomen utrumque tributum ajunt: alii duo numina bellica his appellationibus significata censent.* Gyrald. Synt. deor. X. p. 817. C. Selden. de diis Syr. II. I. Pigh. Annal. Rom. I. p. 22. Et Enyalium a *Marte* diversum esse docent *Cuper. Harpocr. p.* 69. *& Hansen. de Jurejur. vet. c.* 21.

Mars Gradivus dictus est. Virg. Æneid. III. 33.

Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis.

Hoc nomine dicitur, *cum sævit.* Serv. Æneid. I. 296. Festus: *Gradivus Mars appellatus est a gradiendo in bella ultro citroque: sive a vibratione hastæ, quod Græci dicunt κραδαίνειν: vel, ut alii dicunt, quia gramine sit ortus,* ex Junone nimirum natus ex florum contactu. V. supr. in *Mars:* vel *quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maximæ est honorationis.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 345. A. Casal. de prof. Roman. rit. c. 5. Brisson. de Form. I. p. 49. Gyrald. Synt. deor. X. p. 316. G. Camerar. Decad. VI. 9. Gutberl. de Saliis c. 4. Pigh. Annal. Rom. I. p. 22.

Mars Hesus putatur a plerisque. Lucan. I. 445.

—— *horrensque feris altaribus Hesus.*

Lactant. I. 21. *Galli Hesum, atque Theutaten humano cruore placabant.* Gyrald. Synt. deor. X. p. 319. A.

Mars Mamers lingua Oscorum dictus est. Festus: *Mamers Mamertis facit, id est, lingua Osca Martis.* Gyrald. Synt. deor. X. p. 317. C.

Mars Olloudius vocatur in inscriptione:

VIGILIA METIA
MASSAE FILIA
MARTI. OLLOUDIO
V. S. L. M

id est, *Vigilia Massæ filia.* A enim aliquando sic ʌ sculpi in inscriptionibus observavi, *Marti Olloudio votum solvit lubens merito.* Quid illud *Olloudii* cognomen sibi velit, ignoro, nisi forte ab ὄλλυμι, quod est, perdo, destruo. *Mars* enim humani generis destructor merito vocaretur. *Spon. Ignot. Deor. ar. Epist.* 5.

*Mars*pater in primis a Latinis, & Romanis vocatus est; præter id quod Romuli pater fuerit, sed etiam dei ipsi hoc patris nomine vocarentur. Gell. V. 12. V. illum infr. in *Pater.* Ovid. de Art. Am. I. 203.

Marsque pater, Cæsarque pater, date numen eunti.

Macrob. Sat. I. 12. *Cum hodie quoque in sacris Martem patrem vocemus.* Brisson. de Form. I. p. 43. Gyrald. Synt. deor. X. p. 316. G. Salmas. Exerc. Plin. 70. a. A.

Mars Quirinus dictus est, *cum tranquillus est.* Serv. Æneid. I. 296. Est vero Quirinus a Sabinis nuncupatus, a quiri hasta, qua hic deus uti existimabatur. *Panciroli. Descr. Urb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 345. *A. Argol. in Panvin. de Lud. circens.* I. 19. *Gyrald. Synt. deor.* X. *p.* 316. *G. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 22.

Mars salisubsulus dictus est a saliendo, subsultandoque in bello. Pacuv. apud Nonium:

Pro imperio sic Salisubsulus vestro excubet.

Hinc Catull. XVII. 6.

In quo vel Salisubsuli sacra suscipiantur.

Videtur desumptum hoc cognomen ab Homero, qui eundem deum ἀλλοπρόσαλλον vocat Iliad. E. n. 831. & 889. *Gyrald. Synt. deor.* X. *p.* 817. *E.*

Mars secutor est cognomentum *Martis.* Apul. Met. VII. p. 216. *Unde prælectum grandem hircum annosum, & horricomem, Marti secutori, comitique victimant.* Quod cognomen ei aptum, cum secundus, obsequensque. Ideo recte comitem adjecit Apulejus, velut interpretamentum. *Lips. Saturn.* II. 7.

Mars Sylvanus dictus non quasi solis præesset sylvis, sed quia vim suam exerceret in universorum elementorum ὕλην, sive materiam. Serv. Æneid. VIII. 601. *Publica ceremoniarum opinio hoc habet, pecorum & agrorum deum esse Sylvanum. Prudentiores tamen dicunt, eum esse ὑλικὸν θεὸν, hoc est, deum τῆς ὕλης. Hyle autem est fex omnium elementorum: id est ignis sordidior & aer: item aquæ & terra sordidiora, unde cuncta procreantur; quam ὕλην, Latine materiam appellaverunt.* De eo sic Macrob. Sat. I. 11. *Pan ipse, quem vocant Inuum, sub hoc habitu, quo cernitur, Solem se esse prudentioribus permittit intelligi. Hunc deum Arcades colunt, appellantes τὸν τῆς ὕλης κύριον, non sylvarum dominum, sed universæ substantiæ materialis dominatorem significari volentes.* Glossæ Philox: *Sylvanus, Pan,* θεὸς ὑλαῖος. Imo & Papias Sylvanum eundem, ac Pana facit, *Mars* itaque, & *Mars* Sylvanus, imo & Pan, cum Pan sit Sylvanus, idem qui Sol est putandus. Cato de Re rust. c. 84. *Marti sylvano in sylva interdius in capita singula boum votum facito.* Voss. de Idolol. II. 13. Gyrald. Synt. deor. X. p. 317. D. Turneb. Adv. XIX. 2: XXIX. 23. Meurs. Exerc. Critic. II. 2. I. A sylvis quoque vocatus est, ut reor, in quibus venatione feras conficiebat. Ea de causa pro bobus votum faciebant, ut nimirum lupos interficiendo, eos ab iis tutos reddat. Plaut. Truc. III. I. II.

Fuit ædepol Mars meo periratus patri,
Nam oves illius haud longe absunt a lupis.

Votum hoc describit Cato l. l. *Votum pro bubus, ut valeant, sic facito. Marti sylvano in sylva interdius, in capita singula boum votum facito farris adorei libras* III. *& lardi p.* IV. *& pulpæ p.* IV. *vini sextarios tres. Id in unum vas licere conjicere. Eam rem divinam vel servos, vel liber licebit faciat. Ubi res divina facta fuerit, statim ibidem consumito, Mulier ad eam rem divinam ne adsit, neve videat, quomodo fiat. Hoc votum in annos singulos, si voles, licebit vovere.* Taffin. de Lud. secul. c. 8. §. 7. Turneb. Adv. XXIX. 23. Tomas. de Donar. c. 26.

Mars ultor dictus est, quia pro ultione paterna hoc cognomine illi templum vovit, & locavit Augustus. Ovid. Fast.

Faſt. v. 577. V. illum infr. in *Templum*. Gyrald. Synt. deor. x. p. 318. B. V. & infr. in *Templum*.

MARSI *fuerunt gens Italiæ, lacum Phorcen accolentes*. Schol. Lycoph. n. 1275. *Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 14. Supra ſe habuiſſe videntur Veſtinos a ſeptentrione, ab occaſu Sabinos, ab oriente Pelignos, a meridie lacum Fucinum, & Æquos populos attigiſſe. De rebus cum his geſtis, hæc a Liv. VIII. 29. accepimus. Anno 427. L. Camillo, D. Bruto coſſ. cum ſatis per ſe ipſum Samnitum bellum, & defectio repens Lucanorum ſolicitos haberet patres, acceſſit, ut Veſtinus populus Samnitibus ſeſe conjungeret. Et quanquam res nova erat, tamen tanta cura patres inceſſit, ut pariter eam ſuſceptam, neglectamque timerent, ne aut impunita eorum laſcivia ſuperbiaque, aut bello pœnæ expetitæ metu propinquo, atque ira concirent finitimos populos. Et erat genus omne abunde bello Samnitico par, *Marſi*, Pelignique & Marrucini, quos, ſi Veſtinus attingeretur, omnes habendos hoſtes. Ita bellum adverſus Veſtinos ex auctoritate patrum populus juſſit, idque Bruto mandatum: ab eo in Veſtinis multiplex bellum, nec uſquam vario eventu geſtum eſt; nam & pervaſtavit agros, & populando, atque urendo tecta hoſtium, ſataque invitos in aciem extraxit: & ita prælio uno accidit Veſtinorum res, haudquaquam tamen incruento milite ſuo, ut non in caſtra ſolum refugerent hoſtes, ſed jam ne vallo quidem, ac foſſis freti, dilaberentur in oppida, ſitu urbium, mœnibusque ſe defenſuri. Poſtremo oppida quoque vi oppugnare adortus, primo Cutinum ardenti ardore militum, aut vulnerum ira ſcalis cepit, deinde Cingiliam, utriusque urbis prædam militibus conceſſit. Anno deinde 435. Q. Fabio, P. Decio coſſ. cum Samnitibus acie dimicatum: haud magno certamine hoſtes victi; neque ejus pugna memoriæ tradita foret, ni *Marſi* eo primum prælio cum Romanis certaſſent. Secuti *Marſorum* defectionem Peligni eandem fortunam habuerunt. Poſt triennium L. Poſtumio, Ti. Minucio coſſ. Liv. IV. 45. Æquorum nomen prope ad internecionem deletum ſcribit; exemploque eorum cladem fuiſſe, ut Marrucini, *Marſi*, Peligni, & Frentani mitterent Romam legatos oratores pacis petendæ, amicitiæque. Iis populis fœdus petentibus datum. Diodorus autem Pelignos armis ſubactos, & agro multatos narrat: aliis vero, qui amici videbantur eſſe, civitatem eſſe communicatam. Sequenti anno Æquos deletos, cum *Marſis*, Pelignis, & Marrucinis ſocietatem initam: At vero 451. ut ſcribit Liv. x. 3. cum Veſtinis petentibus, amicitiam fœdus ictum eſt M. Livio & M. Æmilio coſſ. Eodemque anno nuntiatum eſt, a *Marſis* agrum vi teneri, in quem Carſeoli deducta colonia erat: erat autem in agro Æquicolarum. Ea cauſa fecit, ut *Marſis* arma inferrentur. M. Valerius Maximus dictator profectus cum exercitu prælio uno eos fudit. Compulſis deinde in urbes munitas, Milioniam, Pleſtinam, Freſiliam intra dies paucos cepit: & parte agri multatis *Marſis* fœdus reſtituit. *Sigon. de Jur. Ital.* I. 19. Et cum M. Livius Druſus tribunus plebis L. Marcio Philippo, S. Julio Cæſare coſſ. ſive an. 662. aſſiduis Italicorum efflagitationibus fatigatus, legem de civitate Italiæ danda propoſuiſſet, antequam perferret, domi ſuæ, incertum a quo, necatus eſt. Illo interfecto omnium ordinum conſenſu lex oppugnata eſt. Hinc dolor atque ira Italiam fere omnem in arma, atque Urbis expugnationem accendit. Primum fuit belli in Albano monte incundi conſilium, ubi inter ſacra feriis Latinis ipſos conſules Philippum, ac Cæſarem occidere conſtituerunt; ſed hoc proditione, vel ipſius Druſi indicio diſcuſſum fuit. Quam ut ulciſceretur injuriam populus Romanus, inivit illud bellum, quod I. *Marſicum* nominatum eſt, quod illud *Marſi* potiſſimum, ut inquit Strab. v. p. 167. & eorum imperator Popedius intulerint. Hi Corfinium, quod eſt Pelignorum caput occupatum communem omnibus Italis loco Romæ urbem deſignaverunt, bellique arcem, & Italicæ nomen indiderunt: contractisque ſociorum auxiliis, & conſulibus, ac prætoribus creatis, biennium ei produxerunt. II. Sociale, quod ſociorum nomen omne in excidium Reipublicæ Romanæ conſpirarit. III. Italicum, quod omne Latium, atque Picenum, Etruria omnis, atque Campania, poſtremo Italia contra matrem, ac parentem ſuam Urbem conſurgerent, ut eſt apud Flor. III. 18. 5. & Appian. Bell. civ. I. p. 374. Et cœptum eſt Sext. Jul. Cæſ. & P. Rutilio Lupo coſſ. ſive an. 663. Conſules hi vario Marte, dubioque pugnarunt: Et Italici tamdiu reſtiterunt, donec a Cn. Pompejo coſ. & L. Sylla alterius coſ. L. Catonis legato pluribus præliis victi, & jam ad paucos redacti omnium ſuorum conſenſu communem patriam reliquerunt, quod jam *Marſi*, atque omnes finitimæ gentes in fidem Romanorum redierant, ac communi Italicorum cauſa deſerta, cum ab armis receſſiſſent, in civitatem lege Julia, V. illam ſupr. in *Lex*, adſciti fuerunt. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. I. *Pigh. Annal. Roman.* III. *p.* 216--226.

Marſi, hoc eſt, ſerpentarii antiquitus in circo quoque fuerunt. Ennius:

Non habeo denique nauci Marſum augurem.

Lamprid. Heliog. c. 23. *Serpentes per Marſicæ gentis ſacerdotes collegiſſe fertur: eosque ſubito ante lucem, ut ſolet populus ad ludos celebres convenire, effudiſſe, multosque afflictos morſu, & fuga.* Hi non modo angues placabant cantu; ſed rumpebant, ita ut cruor, & viſcera profluerent. Ovid. apud Chariſ. Soſip. Inſtit. Gramm. I. Edit. Putſch. p. 70. b.

Et mediæ Marſis findantur cantibus angues.

Lucill. apud Non. III. 69.

Jam diſrumpetur medius, jam ut Marſus colubras
Diſrumpit, cum venas extenderit omnes.

Argol. ad Panvin. de Lud. Circ. I. 14.

MARSYAS fuit *filius Hyagnis* Plutarch. de Muſic. p. 1133. E. Nonn. Dionyſ. x. 231. Tzetz. I. 15. 18. Apul. Flor. p. 761. *Oeagri* Hygin. fab. 165. *Olympi* Apollod. I. 4. 27. Tibiis, quas Minerva abjecerat, inventis, cum Apolline in certamen muſicum deſcendit, ſed victus, & corporis exuviis exutus, in fluvium ſui nominis eſt mutatus. Palæph. de Incred. c. 48. *Vidi ipſe in Phrygia fluvium, cui Marſyas nomen, quem ex Marſyæ ſanguine profluxiſſe Phryges dicebant.* Barthol. de Tib. vet. III. 2. Pitiſc. in Curt. III. I. 2. §. 12. Invenit tibiam. Hygin. fab. 165. *Quas Marſyas paſtor unus ex ſatyris invenit: quibus aſſidue commeletando, ſonum ſuaviorem indies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharæ certamen provocaret.* Suidas hoc diſcrimen addit, quod illum tibias ex ære & calamis primum confeciſſe dicat in Μαρσύας. Ille quidem reperit, ſed ante inventas, & abjectas a Minerva. V. infr. in *Minerva*. Barthol. ibid. I. 3. Baleng. de Theatr. II. 26.

MARTIALIS mons, qui eſt in monte Cœlio, dictus eſt, quod Martio campo aquis occupato, in ea Cœlii montis parte ludi equeſtres *Marti* ſacri fierent. V. ſupr. in *Equiria*.

MARTIOBARBULI laſcivia quadam militari videntur appellati eſſe milites, qui plumbatas gerebant, id eſt, glandes plumbeas. quæ & ipſæ etiam nomine *martiobarbuli* vocatæ per ludum, & jocum videntur eſſe: quod cum piſces in deliciis eſſent, in quibus numerantur *barbi*, & *barbulæ*, plumbatæ, quaſi non convivii, ſed Martis *barbi* eſſent & cibi, jculariter *martiobarbuli* dici potuerint. Veget. IV. 17. *Plumbatarum quoque exercitatio, quas martiobarbulos vocant, eſt tradenda junioribus.* Turneb. Adv. XXIV. 12. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 18. Stewech. in Vegetium. V. & Infr. in *Plumbatæ*.

MARTIUS fuit in anno Romuleo decem menſium primus. Ovid. Faſt. III. 75.

A te principium Romano ducimus anno,
Primus de patrio nomine menſis erit.

Feſtus: *Martius menſis initium anni fuit, & in Latio, & poſt Romam conditam, eo quod gens erat bellicoſiſſima. Cujus rei teſtimonium eſt, quod poſteriores menſes, qui annum finiunt, a numero appellati ultimum habent Decembrem.* Macrob. Sat. I. 12. *Quem menſem anni primum fuiſſe, vel ex hoc maxime* pro-

probatur, quod ab ipso Quintilis quintus est, & deinceps pro numero nominabantur. Non fuit primus omnibus populis ante Romam conditam. Ovid. ibid. n. 87.

Quod si forte vacas, peregrinos inspice fastos:
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliscis:
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
Inter Aricinos, Albanaque tempora constant
Factaque Telegoni mœnia celsa manu,
Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus asper,
A tribus hunc primum turba Curensis habet.
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit, hic genti quartus utrique deus.
Romulus hos omnes ut vinceret ordine saltem,
Sanguinis auctori tempora prima dedit.

Morestell. Philomus. II. Dial. 4. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 190. B. Lalam. de Ann. Rom. Thes. ibid. p. 277. B. Gyrald. de Ann. & mens. Tom. II. p. 771. D. Edit. Lugdun. Panvin. in Fast. I. p. 26. Semper habuit, & nunc habet unum & triginta dies, septimo die Nonas, & decimo quinto Idus. *Viola ibid. C.* A *Martio*, diebus circiter viginti ante æquinoctium vernum, annum idcirco inchoasse Romulus videtur, vel quia Hebræos, qui inde annum suum exordiuntur, in eo imitandos sibi proposuerat, vel quia ab eo tempore omnia novam quasi faciem, & ætatem accipiunt, inde se quoque commode anni principium facere posse arbitraretur: qua opinione motus cecinit Ovid. Fast. I. 150.

Omnia tunc virent, tunc est nova temporis ætas:
Sic annus per ver incipiendus erat.

Lalam. ibid. p. 162. C.

MAS.

MASO fuit cognomentum gentis Papiriæ. Multi fuerunt post L. *Masonem* ædilitium. Cicer. Fam. IX. 21. *Deinde L. Maso ædilitius: inde multi Masones.* Nos unum consularem agnoscimus C. Papirium C. F. L. N. collegam M. Pomponii Mathonis, qui Cos. de Corsis III. Non. Mart. an. 522. in monte Albano primus suis sumptibus myrtea corona cinctus triumphum egit. Hunc existimo pontificem minorem mortuum fuisse an. 540. quo etiam anno C. *Maso* F. F. decemvir sacrorum mortuus est. Hic post triumphum Fonti delubrum dedicavit. Cicer. de Nat. deor. III. 20. *Itaque & Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicavit.* August. de Fam. Roman. in Papiria. Victor. Var. Lect. XXXVIII. 9.

MASSA, φύραμα, cupæ etiam nomine in sepulcris plebis, & pauperiorum. Inscriptio apud Gruter. p. 663. n. 3.

TI. CLAUDIUS
ZOSIMUS. FECIT
LICINIÆ. PRISCÆ. MAMMÆ
CLAUDIÆ. PROSRHODO. SER
MASSAM. CUM. CINERARIO

Guther. de Jur. man. II. 24.

Massa in codice fit ex pluribus quasi tabellis aliis super alias structis. Latini *corpus*, Græci σωμάτιον, & τεῦχος nominant. Quod tamen & de magno volumine usurpant. Sed de struice tabellarum multiplicium, quæ codicem membraneum componunt, ut Græci σωμάτιον, proprie dixit Mart. XIV. 192.

Hæc tibi multiplici quæ structa est massa tabella
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

In gloss. Philox: *membrana* exponitur, quæ est membraneus codex. *Corpus* Latinos dixisse V. supr. in *Corpus*. Salmas. de Mod. usur. c. 10.

Massæ pomorum delicatiorum factæ, & in sole siccatæ fuerunt in deliciis. Stat. Sylv. I. 6. 18.

Et massis Amerina non perustis.

Idque exemplo ficuum, quas eo modo in *massas* redigi docet Colum. XII. 15. *Hæc cum bene proculcaverint, & totam massam comminutæ sicæ permiscuerint, patiuntur siccari.* Sed & poma ipsa dissecta, siccata in sole, & ita recondita docemur a Varr. de Re rust. I. 59. Ut hodie ubique etiam fit. *Non perusta* arbitror Papinium dicere suo legitimo tempore soli exempta. *Barth. Adv.* XXIV. 7. *& in Statium.*

MASSILIA in littore Galliæ ad mare mediterraneum est posita a Phocæensibus non procul a Rhodani ostiis. Illam integro volumine in sectiones quatuor diviso accuratius descripsit *Petrus Hendreich.* descripsit etiam *Schott. Itiner. Gall. p.* 100. 101.

MASTIGOPHORI, μαστιγοφόροι, dicebantur, qui comitabantur agonothetas in certaminibus, & virgis insolentiam certatorum, & spectatorum coercebant. Arcad. Charis. l. ult. ff. de mun. & honor. *Mastigophori quoque, qui agonothetas in certaminibus comitantur, personali quoque munere serviunt.* Xiphil. LXIII. p. 719. C. *Et, quis autem ferre, nedum videre æquo animo possit, Imperatorem Augustum in albo athletarum inscribi. . . . agonothetas, & mastigophoros pertimescere, iisque clam pecuniam largiri, ne deprehensus flagello cæderetur.* Prudentius. V. illum supr. in *Certamen gymnicum.* Non honestum eorum erat ministerium. *Brisson. Ant. Select.* IV. 17. *Panvin. de Lud. circens.* II. I. & ad illum *Argolus. Pancirol. de Magistrat. municip. c.* 25. *Mod. de Lud. Vet.* II. 21. *Fab. Agonist.* I. 18. *Van Dale Dissert.* VII. *c.* I.

MAT.

MATELLA, Plauto & Varroni apud Non. XV. 2. & *matellio* apud Varr. de Ling. Lat. IV. 25. fuit vas aquarium, ut interpretatur Nonius. Etiam vas ad urinam recipiendam. Glossæ: *Matella*, οὐρητρίς, ἀμίς. *Voss. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom.* II. 6. §. 23. *Buleng. de Conviv.* IV. 16. *Turneb. Adv.* XXII. 9. *Bayf. de Vasc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 701. *C.* V. & infr. in *Matula.*

MATER ut negotia filii gereret pietatis fiducia nonnunquam pater testamento cavebat l. liberto §. quanquam ff. de negot. gest. Ulpian. l. si mater ff. ad SCtum Tertyll. *Quid si pater eis peti prohibuerat tutorem, quoniam per matrem rem eorum administrari voluit.* Brisson. de Form. VII. p. 617.

Mater vocem nonnunquam Latini usurpant de arbore, propter ramos qui ex ea succrescunt. Plin. XII. 5. *Superiores ejusdem rami in excelsum emicant sylvosa multitudine, vasto matris corpore.* Virg. Georg. II. 18.

—— Parnassia laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.

Æneid. XII. 208.

Cum semel in sylvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro.

Rutgers. Var. Lect. IV. 16. Barth. in Claud. in nupt. Honor. & Mariæ. n. 245.

Mater avium dicitur gallina. Cassiod. Var. III. 51. *Et ideo datur intelligi, volitantes, atque inconstantissimos inde mores nasci, quos avium matribus aptaverunt.* Mart. III. 58. 39.

Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.

Juven. Sat. XI. 70.

Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Ova ipsis adsunt cum matribus.

Videtur ea ratione dici, qua gallus maritus. Juven. Sat. III. 91.

—— quo mordetur gallina marito.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 14. Grang. in Juvenalem.

Mater patria vocatur apud utriusque linguæ auctores. De Thebis Pindar. Isthm. I. Μάτερ ἐμά. Et de Roma.

—— Roma mater Regumque ducumque.

Claud.

Claud. Stilich. Consul. II. 175. Et datis Agrippæ Manil. I. 795. Sicut etiam ratione coloniarum *matres*, *parentes*, ac *metropoles* vulgo nuncupatæ, quæ alias origines, patria, aut major, vel antiqua patria vocabantur. Et *parere* proinde eædem dictæ apud Tertull. de Pall. c. 2. *Scythæ exuberant Persas, Phœnices in Africam eructant, Romanos Phryges pariunt.* Spanhem. de Præst. & us. numism. Dissert. VII. p. 643.

Matres deæ appellantur frequenter, & a temporibus Pertinacis, & Severi celebrantur in marmoribus vetustis. In genere quidem quæ pepererunt. Varro apud August. de Civ. Dei VII. *Diis quibusdam patribus, & deabus matribus sicut hominibus ignobilitatem accidisse.* Specialiter Cybele, Ceres, Hecate, Isis, Vesta, Matuta, Minervæ, Diana *matres* appellantur. Lapis hodieque Clivis exstat cum inscriptione:

MATRIBUS
ANNA NEPTIS
QUETTIUS QUINTUS
OPT. LEG. XXX. VVPFBA
V S L M MAXIMO. ET
PATERNO COSS

Alter:

MATRIBUS. ARSACIS. PATERNIS.
SIVE. MATERNIS. M. AUR. LU.
VERONIUS. VERUS. PE. PRÆFECTI.
PRO. SE. ET. SUIS. V. S. L. M

Cuper. Inscript. expos. §. 2. Brisson. de Form. I. 44.

MATERFAMILIAS *est, quæ sæpius peperit, ut scripsit Ælius Melissus in libro, cui titulus de loquendi proprietate. Utrum hoc Melissus excogitaverit ipse: an scriptum ab alio quo legerit, hariolis profecto est opus. Nullis hoc veterum scriptorum auctoritatibus confirmari potest. Enimvero illud impendio probabilius est, quod idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, matremfamilias appellatam esse eam, quæ in mariti manu, mancipioque esset: quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum venisset.* Gell. XVIII. 6. Serv. Æneid. II. *Materfamilias est, quæ in mariti manu, mancipioque, aut in cujus maritus manu, mancipioque esset: quomodo in familiam quoque mariti, & sui heredis locum venisset.* In manum vero mulier veniebat per coemptionem. Boeth. ad Topic. Cicer. *Matresfamilias erant, quæ ducebantur per coemptionem.* Serv. l. l. *Alii matresfamilias dicunt illas, quæ in matrimonium*, Lege, *in manum per coemptionem convenerunt: nam per quandam juris sollennitatem in familiam migrant mariti.* Brisson. de adulter. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 1369. E. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1020. B. Rævard. Var. IV. 12. Hotman. Antiq. III. 3. p. 417. A. Oizel. in Gellium. Ad illam proprie cura annuli signatorii pertinebat. V. supr. in *Annulus.*

MATERIS teli genus, est a Gallis. Sisenn. III. apud Non. in Materæ. *Galli materibus, Suevi lanceis configunt.* IV. *Alii materibus, aut lanceis, tamen medium perturbant agmen.* Cicer. ad Herenn. IV. 32. *Aut idem Gallos significans dicat; nec tam facile ex Italia materis Transalpina depulsa est.* Voss. de vit. serm. c. 2. & Lexic. Etymol. Gyrald. Dialog. XII. Stephan. Schediasm. IV. 3.

MATERTERA dicitur *matris* soror; & cum sororis filio comparatur l. fratris C. de inoffic. test. ac tertio numeratur gradu. d. l. ult. §. 3. ff. de gradib. l. patruo. 7. C. de legit. hæred. *Matertera magna* dicitur aviæ soror; & cum sororis nepote confertur, quartoque numeratur gradu d. l. ult. §. 4. *Matertera major* dicitur proaviæ soror; & cum sororis pronepote comparatur, quintoque numeratur gradu d. l. ult. §. 5. *Matertera maxima* dicitur abaviæ soror; & cum sororis abnepote comparatur, sextoque numeratur gradu l. 3. & d. l. ult. §. 6. de grad. *Hotoman. de Rit. nupt. c.* 9.

MATHEMATICI dicuntur vere, qui sciunt disciplinas circa abstractam quantitatem versantes, ut arithmeticen, & geographiam: aut earum principia aliis applicantes, ut faciunt geographia, astrologia, musice, optice, aliæ. Dicuntur μαθηματικαὶ ἐπιστῆμαι, & ἁπλῶς μαθήματα, hoc est, *disciplinæ*, ἀπὸ τοῦ μαθεῖν; hoc est, *discere*: quia in Græcia, ubi lingua sua contenti philosophabantur, ubi legere, & scribere norant, ab arithmeticis & geometricis auspicabantur. *Voss. Lex. Etymol.* Quia scilicet ad reliquas scientias aditum aperiunt. Nam & ingenia acuunt, eorumque solertiam augent, ad rerum contemplationem excitant, & celeritatem quam percipiendi conciliant. Et quoniam imitatione percipiuntur, aptæ puerilibus animis, qui ea potissimum ducuntur. *Wower. de Polym. c.* 22.

Mathematici quoque dici voluerunt impostores, qui aliter Chaldæi, hoc est, qui ex observatione horæ natalitiæ fata cujusque se scire profitentur. Paull. Recept. V. tit. 21. *Qui de salute Principis, vel summa Republica mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo, qui responderit, capite punitur.* Voss. Lex. Etymol. Primo anni die tam sibi, quam aliis, quos caros habebant, vitæ themata astrologica erigebant, & catalogos operum contexebant. Adrianus certe Imperator id Ælio Vero, novo successori designato, dicitur fecisse. Spartian. c. 16. *Mathesin sic scire sibi visus est, ut Vero Kalendis Januariis scripserit, quid ei toto anno posset evenire.* in Ælio Vero c. 3. *Fertur denique ab his, qui Adriani vitam diligentius in literas retulerunt, Adrianum Veri scisse genituram.* Lipen. de Stren. c. 2. prim. æt. §. 44. Erant etiam in circo. Juven. Sat. VI. 590. V. illum supr. in *Columna in circo.* Horat. Sat. I. 6. 114.

Assisto divinis.

Acro divinaculis interpretatur. Olim quippe ad metas samardæ, & *mathematici* sedebant. *Samardis*, ait Acro, *assisto*, aut sortilegis. Vetus interpres Juvenalis ait, eos stetisse in spina circi. Cicer. de Divin. I. 58. *Non vicanos aruspices, non astrologos de circo.* Buleng. de Circ. Rom. c. 56. Urbe, & Italia expulsi sunt an. 614. ab Hispallo prætore. Val. Max. I. 3. 2. *C. Cornelius Hispallus prætor peregrinus, M. Popillio Lænate, Cn. Calpurnio Coss. edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex Urbe, atque Italia jussit: levibus & ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes.* an. 721. a M. Agrippa ædile. Dio XLIX. p. 417. C. *Astrologos, & vates Urbe ejecit.* an. 768. ab Augusto Tiberio. Suet. Tib. c. 36. n. 3. *Expulit & mathematicos.* Senatusconsulti, quod factum, formam, & verba reperi in fragmentis Ictorum, quæ dedit Pithœus. Ait ibi Ulpian. l. 7. de Offic. procons. *Præterea interdicta est mathematicorum callida impostura, & obstinacitate persuasio. Nec hodie primum eis interdici placuit, sed vetus hæc prohibitio est. Denique exstat SCtum Pomponio & Rufo coss. factum, quo cavetur, ut mathematicis, Chaldæis, ariolis, & cæteris qui similem quæstum fecerunt, aqua & igni interdicatur, omniaque bona eorum publicentur.* Lips. in Tacit. Annal. II. Exc. G. Pitisc. in Suetonium.

MATRALIA celebrabantur Romæ a matronis, in honorem matris Matutæ, III. Idus Junii, libo in testa cocto oblato. Varr. de Ling. Lat. IV. 22. *Testatium, quod in testa calida coquebatur, ut etiam nunc Matralibus faciunt matronæ.* Ab illis omnes servæ arcebantur, una tantum introducta, cui colaphos infligebant. Plutarch. Camill. p. 131. B. quod ex æmulatione deæ adversus maritum factum ait idem quæst. Rom. 16. Libum illi oblatum esse docet Ovid. Fast. VI. 473.

Ite bonæ matres, vestrum Matralia festum,
Flavaque Thebanæ reddite liba deæ.

Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 431. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 852. A. Siccam. in Fast. Kalend. c. 12. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 493. C. Rhodig. Ant. Lect. XI. 13.

MATRICULA est catalogus, index, descriptio. Vox nota Ictis. Codex canon. Eccles. Afric. can. 86. Ματρίκιον, καὶ ἀρχέτυπον τῆς Νυμιδίας. Ubi cod. Latin. c. 53. *Matricula & archivum Numidiæ.* Du Fresne Glossario. Voss. de Vit. Serm. III. p. 496.

Matricula codex appellatur, in quem referuntur nomina omnium Academica fruentium libertate. Cui cum inscri-

ſcribuntur, ſtudiorum gratia, in Academiam miſſi, dicuntur *immatriculari*. Voſſ. de vit. Serm. III. p. 497.

Matricula erat etiam eorum, qui militiæ nomen dediſſent, quod ea, velut *matrice*, continerentur milites. Quod ex veteribus ſcriptis liquet. Unde in gloſſis Baſilicis: Ματρίκιον, ἡ ἀναγραφὴ τῶν ϛρατιωτῶν. *Matricula, deſcriptio*, ſive *matrix militum*. Veget. I. 26. *Tyrones ſecundum matriculæ ordinem in aciem dirigendi.* Voſſ. de vit. Serm. III. p. 497. Lex. Etymol. in Mater. Stewech. in Vegetium.

Matricula erat quoque clericorum, in quam eccleſiarum clerici referebantur, qui eo nomine ſtipendiorum eccleſiaſticorum erant participes, in concil. Agath. c. 2. Aurelian. IV. 13. Autiſiodor. c. 3. Et in qua clericorum hebdomadariorum in eccleſiaſticis officiis munus indicatur. Odo Epiſc. Pariſ. an. 1199. *Campanæ ordinate pulſabuntur, cantor faciet matriculam in omnibus ordinate.* Du Freſne Gloſſario.

Matricula erat tandem pauperum, in qua eorum, qui eccleſiaſticis ſtipendiis, ſive eccleſiæ ſumptibus alebantur, nomina deſcripta erant. *Matricula egenorum* legitur apud Lambertum in vita Heriberti Archiepiſc. Colon. n. 25. *Du Freſne Gloſſario. Voſſ. de Vit. ſerm.* III. *p.* 497. *Lipen. de Stren. c. 2. quart. æt.* §. 21.

MATRICULARII vocabantur, quorum nomina *matriculæ* inſcripta. Hi pro variis ſignificationibus diſtinguuntur. Et *matricularii* egeni, non promiſcue omnes, ſed *matriculæ* pauperum inſerti. Gregor. Turon. Hiſt. VII. 29. *Nonnulli etiam matriculariorum, & reliquorum pauperum, pro ſcelere commiſſo tectum cellulæ conantur evertere.* Lipen. de Stren. c. 2. quart. æt. §. 21. Voſſ. de vit. ſerm. III. p. 497. Du Freſne Gloſſario.

MATRIMI quinam V. infr. in *Patrimi.*

MATRIMONIUM & nuptiæ interdum promiſcue uſurpantur, hæc tamen differentia obſervari poteſt, quod *matrimonium* eſt conventio inter virum, & uxorem, de perpetua vitæ ſocietate; nuptiæ vero celebratio *matrimonii*, quæ certo ritu, pro variis cujusque civitatis legibus inſtituta eſt l. pen. ff. de don. int. vir. & ux. Ita definimus: *Matrimonium* eſt juſta viri & mulieris conventio de individua vitæ ſocietate, liberorum quærendorum cauſa inſtituta. *Franc. Hotoman. de Rit. nupt. & matrim. c.* 1. Apud Romanos contrahebatur uſu, farre, coemptione. Arnob. IV. p. 140. *Uxores dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæſitis? uſu, farre, coemptione genialis lectuli ſacramenta condicunt?* Boeth. in Topic. Cicer. p. 69. *Tribus modis uxor habebatur, uſu, farre, coemptione.* Serv. Georg. I. 31. *Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant: uſu, farre, coemptione.* Lipſ. in Tacit. Annal. IV. n. 46. Auguſt. in Leg. XII. tab. §. 18. Briſſon. de Rit. nupt. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom VIII. p. 1016. D. Caſal. de Rit. nupt. c. 1. Elmenhorſt. in Arnobium. Palæot. de Noth. & ſpur. c. 4. n. 1. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 14. V. plura de ſingulis infr. in *Uſus.* ſupr. in *Confarreatio, & Coemptio. Matrimonium* contrahentes profitebantur, ſe liberorum procreandorum cauſa convenire. Tacit. Annal. XI. 27. 1. *Cum uxore Principis, prædicta die, adhibitis qui obſignarent, velut ſuſcipiendorum liberorum cauſa conveniſſe.* Ulpian. tit. 4. regul. *Latinus libertus jus conſequitur liberis, cum lege Junia uxorem ducebat, teſtatione interpoſita, quod liberorum quærendorum cauſa uxorem duceret.* Hinc erat in ore muliercularum, ut ait Ennius verſu, quem prodidit Feſtus in Quæſo:

Ducit me uxorem ſibi liberûm quærendûm cauſa.

Plaut. Capt. IV. 2. 109.

Liberorum quærendorum cauſa ei, credo, uxor data eſt.

Ideo Auguſtus teſtamentum improbavit cujusdam, cujus non procreandorum liberorum cauſa conjugium interceſſerat apud Val. Max. VII. 7. 4. *Eſt enim*, inquit Quintil. Declam. 11. *uxor, quam jungit, quam deducit utilitas: cujus hæc reverentia eſt, quod videtur inventa cauſa liberorum.* Anton. Hotoman. de Rit. nupt. c. 3. Franciſc. Hotoman de Rit. nupt. & matrim. c. 1. In illis contrahendis ætas contrahentium definita eſt. Modeſtin. l. in ſponſalibus 14. ff. de ſponſal. Ea vero eſt pubertas, vel ipſi Juſtin. Inſtit. I. 10. *Juſtas nuptias inter ſe cives Romani contrahunt, qui ſecundum præcepta legum coeunt, maſculi quidem puberes, feminæ autem viripotentes.* Cui accedere velim teſtimonium Dionis LIV. p. 532. D. ubi ita ſcribit: Auguſtus *duodecimum annum puellis juſtum nuptiarum tempus eſſe ſtatuit.* A duodecimo ſiquidem anno pubertatem feminas auſpicari prudentibus placuit: ex eoque tempore Romæ puellæ nuptum dabantur. Id quod ea ratione factum interpretatur Plutarchus in Numa, ut celerius conjugum mores tenella adhuc ætate imbiberent, & ad obſequium virorum facilius flecti, fingique poſſent. Ex eo vero tempore pubertas in feminis legibus eſt definita, quod generationi eſſent ab eo anno aptæ. Macrob. Sat. VII. 7. *Nec hoc tacebo, quod, cum calor ſemper generationis cauſa ſit, feminæ ideo celerius, quam pueri, fiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius. Nam & ſecundum jura publica duodecimus annus in feminis, quartus decimus in puero definiunt pubertatis ætatem.* Briſſon. de Jur. connub. p. 116. Hotoman. de Rit. nupt. & matrim. c. 2. Caſal. de rit. nupt. c. 2. Non contrahebatur inter liberos, & ſerviles perſonas l. Proculus 67. ff. de jur. dot. l. 3. C. de inceſt. nupt. Quin imo libera mulier, quæ cum alieno ſervo poſt trinam domini denuntiationem in conſuetudine perſeveraſſet, Scto Claudiano libertatem amittebat, ſervitutique vindicabatur, ut Ulpian. fragm. tit. 11. §. 10. & Tertull. ad Uxor. II. docent. Quamobrem ſi ancilla libero nupſiſſet, ſive ſciſſet ancillam ſe eſſe, ſive ignoraſſet, nec *matrimonium* erat, nec viri ea pecunia fiebat, quam tempore legibus ſtatuto penes ſe uſu cepiſſet: plane, ſi apud virum ad libertatem perveniſſet, conciliabatur, convaleſcebatque *matrimonium*: exindeque dotis nomen, ſi necdum uſucapio impleta eſſet, ſortiebatur: *matrimonioque* ſoluto ejus, ut dotalis, repetitio competebat. Juſtum non inter liberas quascunque paſſim perſonas, ſed inter ſolos cives Romanos contrahebatur. Juſtin. Inſtit. I. 10. Nam cum Latinis, peregrinisque *matrimonium*, niſi id eis conceſſum eſſet, non erat. Teſtes ſunt Ulpian. fragm. tit. 5. & Boeth. ad Topic. Cicer. Ex quo Senec. de Ben. IV. 35. *Promiſi tibi*, ait, *filiam in matrimonium: poſtea peregrinus apparuiſti. Non eſt mihi cum extraneo connubium.* Macrob. Sat. I. 6. *Libertinis vero nullo jure uti prætextis licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla eſſet cum Romanis neceſſitudo.* Hinc maximam apud populum invidiam ſibi conflavit Antonius, quod contra leges patrias cum Cleopatra *matrimonium* contraxiſſet. Plutarch. Anton. p. 957. A. *Poſtquam civem, & legitime nuptam exegit, cum peregrina autem, & non ſecundum leges nupta conſuevit.* Ægre etiam tuliſſe populum Romanum narrat Xiphil. LXVI. p. 752. B. quod Titus Berenicen Ægyptiacam in palatio uxoris loco habebat, ut proinde repudiare eam ſit coactus. Quod eo proceſſit, ut ex peregrino, & cive Romana natus peregrinus naſceretur. V. ſupr. in *Lex Menſia.* At ejusmodi peregrinationis obſervationem tandem exoleviſſe ſignificare videtur Prudent. cont. Symm. II. 615.

— nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii: nam ſanguine miſto
Texitur alternis ex gentibus una propago.

At a provincialibus, cujuſcunque loci, aut ordinis eſſent, cum barbaris conjugia contrahi Valentinianus & Valens prohibuere. Enimvero patribus cum plebe *matrimonium* ne eſſet, XII. tabulis ſancitum erat. Dionyſ. X. p. 684: XI. p. 609. *Inter duodecim & hæc lex erat, ne patriciis cum plebejis licita eſſent matrimonia: non ob aliam, ut ego interpretor, cauſam, quam ne per mutua familiarum matrimonia, atque affinitates coaleſceret inter ordines concordia.* Auſpicia quoque plebeji non habebant, eaque apud ſolos patricios ſubſidebant. Et ideo ne incerta prole auſpiciorum jura turbarentur, inter eos *matrimonium* decemviri diremerunt. Nec ſenatoribus, ſenatorumve filiis cum libertinis. V. ſupr. in *Ingenui*, & *Lex Julia de marit. ordin.* Briſſon. de Jur. connub. p. 119. Hotom. l. l. & Antiq. Roman. III.

3. p. 319. C. Spanhem. Orb. Rom. II. 24. Caſal. de Profan. Roman. rit. c. 23. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 17. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 1. c. 4. aut cum illis, quæ ipſæ, quarumve parentes artem ludicram feciſſent. Caput legis Juliæ jam dictæ in hæc verba conceptum fuiſſe teſtis eſt Paull. 1. 44. *Qui ſenator eſt, quive filius, neposve ex filio, proneposve ex filio nato, cujus eorum eſt, erit: ne quis eorum ſponſam, uxoremve, ſciens, dolo malo habeto libertinam: aut eam, quæ ipſa, cujus pater, materve artem ludicram facit, fecerit: neve ſenatoris filia, neptisve ex filio, proneptisve ex nepote filio nato nata, libertino, eive, qui ipſe, cujusve pater, materve artem ludicram facit, fecerit: ſponſa, nuptave ſciens dolo malo eſto: neve quis eorum dolo malo eam ſponſam uxoremve eam habeto.* Briſſon. ibid. p. 117. Zamoſc. de Senat. Rom. I. 16. Nec ſexagenario cum uxore quinquagenaria. Unde Lactant. I. 16. *Utrum ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit?* Ac plane Apulejo inter cætera criminis loco objectum ab adverſariis legimus, quod ſexaginta annos natam feminam duxiſſet: idque factum accuratiſſime purgat Apol. p. 541. Hoc lex improbabat, tanquam liberorum quærendorum cauſa minime contractum, veroque conjugii fructu, ac fine deſtitutum. Sexagenarius autem ut generandi, ita quinquagenaria pariendi impotens eſſe vulgo exiſtimatur l. ſi ſterilis 21. ff. de a. &. empt. Ariſtot. Polit. VII. 16. finem gignendi ut plurimum viris ſeptuageſimum annum adferre, mulieribus quinquageſimum ſcribit. Itaque Dionyſ. IV. p. 212. *Uxor erat eo quinque annis junior. Erat tum natu annos quinquaginta quinque, cum Tarquinius moreretur; cum ſanum minimum pareret, erat quinquaginta annorum. Ultra tempus hoc mulier non fert uterum, ſed hic eſt pariendi terminus, ut qui hæc exquiſiverunt, ſcribunt.* Et raro contingere, ut ad ſeptuageſimum uſque annum vir generet; frequentius vero quinto, & ſexageſimo anno generandi vires conſumi ait Ariſtot. de Nat. Animal. I. Ideo Dionyſ. IV. p. 213. *In conſpectum hoc eſt conjugium Tarquinio pene octogenario, nec ea ætate liberorum procreatio eſt credibilis.* Quapropter ſenibus ſexagenariis, quaſi a re Venerea jam per ætatem excluſis, ac ſubmotis leges dicit Eutychus apud Plaut. Merc. V. 4. 57.

Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcibimus,
Seu maritum, ſive hercle adeo cœlibem, ſcortarier,
Cum eo nos hac lege agemus.

Similiter Demeæ ſuadenti ut uxorem duceret, Micio apud Terent. Adelph. V. 8. 15.

Ego novus maritus anno quinto & ſexageſimo ſiam?

Briſſon. ibid. p. 173. Caſal. de Rit. nupt. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 17. Nec tutoribus, illorumve filiis cum pupillis ſuis l. 59. ff. de rit. nupt. *Senatusconſulto, quo cautum eſt, ne tutor pupillam, vel filio ſuo, vel ſibi nuptam collocet.* Marcellinus, Hermogenis interpres: *Lex eſt, neque a tutore, neque a tutoris filio pupillam uxorem duci, oſſe.* Cauſa præcipua hæc eſt, ne pupillæ in ea familia circumſcriberentur ab iis, qui rationes ei geſtæ tutelæ reddere neceſſe habebant, neve fraudes in tutelæ adminiſtratione commiſſæ, hujuſmodi domeſtici matrimonii velamento, quo tutelæ reddendæ ratio inhibebatur, tegerentur l. libertum §. 1. ff. de rit. nupt. *Briſſon. ibid. p. 216. Hotom. & Caſal. l. l. Thyſ. Collat. leg. Attic. & Roman. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. V. p.* 1383. *F.* Nec *præſidibus provinciarum, procuratoribus Cæſaris, præfectis cohortis, aut equitum tribunis, & omnibus omnino, qui aliquod in provincia officium gerunt, cum inde oriunda, vel ibi domicilium habente* l. ſi quis officium 38. l. præfectus 63. ff. de rit. nupt. potentatus, ut Papinianus ait, ratione: ne videlicet poteſtate, in qua conſtituti ſunt, ad vim abutentes, *matrimonia* ſibi arbitrio, nutuque ſuo concilient, extorqueantque, & rapiant verius quam ducant. *Briſſon. ibid. p.* 217. *Hotom. l. l. Ravard. Var.* II. 20. Ex gradu vero aſcendentium, & deſcendentium, qui naturali ratione, ſanguiniſque jure prohibentur, in infinitum contrahi non poteſt: & inter eas perſonas, quæ parentum, liberorumve locum inter ſe obtinent, inceſtum, ac nefarium eſt. l. nuptiæ 53. ff. de rit. nupt. Veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem; matrem & filium, vel aviam & nepotem: & uſque in infinitum. Nec intereſt, ex juſtis nuptiis ejuſmodi perſonarum conjunctio deſcendat, an non l. & nihil 54. ff. de rit. nupt. Proinde in his ſpeciebus inceſtus committitur jure gentium l. ult. ff. de rit. nupt. Fœditas illarum lucet ipſa per ſe, ut qui in ea flagitia prolabitur, humanitatem ipſam exuiſſe videatur. Ciceroni utique inceſtum cum filia Q. Fufius Calenus his verbis objicit apud Dion. XLVI. p. 303. E. *Os etiam Antonii turpitudinis inſimulare inſtituit, ipſe per omnem vitam in tantam libidinem, & impuritatem projectus, ut ne a proximis abſtinuerit, uxorem proſtituerit, cum filia inceſtum commiſerit.* Et Salluſt. Orat. in Cicer. p. 226. *Verum, ut opinor, ſplendor domeſticus tibi animos attollit: uxor ſacrilega, ac perjuriis delibuta, filia matris pellex, tibi jucundior, atque obſequentior quam parenti par eſt.* Et injuſtum eſt cum perſonis, quæ vel affinitatis ratione parentum, liberorumve vicem repræſentant, ac ſuſtinent. Quare nec novercam, nec privigni uxorem, nec ſocrum, nec ejuſdem aviam, proaviam ducere licet l. ſi qua mihi 12. §. 1. l. adoptivus 14. §. nunc videamus. l. Ariſto 40. ff. de rit. nupt. Hæc exagitat Cicer. pro Cluent. c. 5. *Lectum illum genialem, quem triennio ante filiæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari, & ſterni, expulſa, atque exturbata filia, jubet. Nubit genero ſocrus, auſpicibus nullis, nullis auctoribus, funeſtis ominibus. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! o libidinem effrenatam, & indomitam! o audaciam ſingularem!* Novercam ducere uxorem non licet, Levit. c. 20. n. 11. *Is, qui cum uxore patris ſui concubuerit, nuditatem patris ſui detexit, ambo necantor.* Cur non liceat, duplicem cauſam reddit Philo περι τῶν ἐν εἴδει p. 779. C. *Et propter reverentiam in patrem, & propter matris & novercæ cognatam appellationem, ſi non & propter animæ ſenſum legi conſonum.* Atque hanc legem ſecutus Paullus conjugium novercæ, ut inceſtum, & nefarium deteſtatur 1 Cor. c. 5. n. 1. . . . Tam infauſti *matrimonii* cupiditate incenſus occurrit unus Imperator Antoninus Caracalla. De illo Spartian. c. 10. *Intereſt ſcire, quemadmodum novercam ſuam Juliam uxorem duxiſſe dicatur. Quæ quum eſſet pulcerrima, & quaſi per negligentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſſetque Antoninus, vellem, ſi liceret: reſpondiſſe fertur, ſi libet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere. Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus eſt, nuptiaſque eas celebravit, quaſi ſciret, ſe leges dare, cum vere ſolus prohibere debuiſſet. Matrem enim, non alia dicenda erat nomine, duxit uxorem: ad parricidium junxit inceſtum.* Sed nec ſocero nurus, pronuruſve recte nubit. Socerum enim parentis locum obtinere placet l. quia parentis 16. ff. de ſolut. matrim. Ac ejuſmodi quidem *matrimonia*, quæ cum privigno noverca, cum ſocero nurus contraxerit, inceſta, ac nefaria eſſe nemini dubium eſt: cum pudori, caſtitati, verecundiæ naturali, publicæque honeſtati adverſentur. Ex tranſverſo quoque cognationis gradu eſt illicitum I. inter fratrem & ſororem, ſive ab eodem patre, eademque matre progeniti fuerint, ſive ab altero eorum §. inter inſtit. de nuptiis. Nepos procem. §. 4. *Neque Cimoni fuit turpe, Athenienſium ſummo viro, ſororem germanam in matrimonio habere. At id quidem noſtris moribus nefas habetur.* Romanis utique ſemper deteſtabilis, & execrandus talis conjunctio viſa eſt. Ideoque inter ea, quæ de Caligula, non ut principe, ſed ut monſtro Suetonius narrat, hoc refert c. 24. n. 1. quod *cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecerit*, quam etiam Druſillam germanam, *Caſſio Longino conſulari collocatam abduxiſſe, & in modum juſtæ uxoris propalam habuiſſe* ſcribit n. 4. Plutarch. in Parall. p. 312. D. memorat, Papirium quendam Romanum, amoris impatientia, & ardore victum, Canuliam ſororem gravidam feciſſe. Quod ubi Papirius Tolucer, communis eorum pater, reſcivit, enſem filiæ miſit, quo puella pectus transfodit: eodemque leti genere ſceleſtum, ac nefarium facinus ſuum Papirius deinde expiavit. II. inter fratrum, ſororumve filias & patruum l. nemini 17. C. de nuptiis, tametſi

metsi talium usum invehere in Rempublicam Claudium Imperatorem, Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ amore incensum, tentasse literis proditum est, ut publici juris velamento ejus *matrimonii* a se cum ea contrahendi turpitudo tegeretur. Tacit. Annal. XII. 7. 2. *Claudius senatum ingressus decretum postulat, quo justa inter patruos, fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur: neque tamen repertus, nisi unus, talis matrimonii cupitor, Talledius Severus, eques Romanus.* Suet. Claud. c. 26. n. 10. *Illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi, & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo senatu, qui censeret cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi Reipublicæ maxime interesset: dandamque cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac vix uno interposito die confecit nuptias, non repertis, qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari.* Ne tamen tam mali exempli *matrimonia* in posterum frequentarentur, Nerva vetuit, ne fratrum filiæ ducerentur. Xiphil. LXVIII. p. 770. B. *De aliis quoque leges tulit, & ne quis exscinderetur, neve fratrum filias ducere liceret.* Brisson. ibid. p. 224. . . . Casal. l. l. Franc. Hotoman. ibid. c. 7. Palæot. de Noth. & spur. c. 7. III. inter mortuorum fratrum conjuges, & fratres superstites, Imperatorum constitutionibus cavetur, eam, quæ in manum fratris convenerit, dissolutis, seu morte, seu repudio nuptiis duci citra incesti crimen non posse l. nemini C. de nuptiis. Lucius tamen Tarquinius, cum post regium scelere partum Superbi cognomen facta indiderunt, Tulliam minorem natu, quæ Arunti fratri nupserat, Arunte veneno ab ea sublato, cum ipse conjugem quoque suam eodem genere interemisset, duxit. Dionys. IV. p. 234. Hujusmodi tamen *matrimonia* non tantum Imperatorum constitutionibus, sed etiam concilii Neocæsariensis can. sec. interdicta sunt. Quin etiam, cum quidam Ægyptiorum mortuorum fratrum conjuges *matrimonio* sibi copularent hoc colore, quod virgines mansisse dicerentur, forte profecto a Judæis instituto, apud quos fratri mortuo fratrem superstitem sobolem excitare invaluerat: Zeno, qui illa contraxissent, & inde susceptos liberos incestarum nuptiarum pœnis subjacere voluit l. licet C. de incest. nupt. IV. inter maritum, & uxoris sororem. Licentiam duabus sororibus conjungendi, dissoluto quoquo modo conjugio, Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius summoverunt l. fratris C. de incest. nupt. *Brisson. ibid. p. 238. Castal. Var. Lect. c. 14. Casal. l. l.* Honorius tamen Imperator duas Stiliconis filias unam post alteram in matrimonio habuisse fertur. Sed utriusque matrimonii exitus fuit infelix. Ex neutra enim liberos suscepit, morteque immatura utraque obiit. Zonar. III. *Ducit Stiliconis filiam Mariam uxorem. Qua mortua fertur ejus sororem Tharmantiam duxisse immaturæ tum ætatis: & illa brevi mortua est.* Paull. Diacon. XIV. append. ad Eutropium: *Ei soboles nulla fuit: nam duæ Stiliconis filiæ, id est, Maria & Tharmantia, una post alteram, ei conjugio sociatæ, utraque Dei judicio inopinata morte præventæ, ex hac luce virgines migravere.* Brisson. ibid. p. 1095. B. Casal. l. l. Virgines ex hac luce migrasse, quicquid dicat Paullus Diaconus, manifestum est mendacium. V. supr. in *Honorius.* Licitum fuit inter patrueles, & consobrinos. Augustus filiam Juliam Marcello, Octaviæ sororis suæ filio, nuptum dedit. Suet. c. 63. n. 2. *Juliam Marcello, Octaviæ sororis suæ filio, tantum quod pueritiam egresso, nuptum dedit.* Dio LIII. p. 515. D. *Nam quum nuptias filiæ suæ Juliæ, & Marcelli sororis filii propter morbum Romæ non posset facere, illius,* Agrippæ, *opera eas absens celebravit.* Filium immatura morte ereptum lugens, *avunculo eum generum* destinatum significat Quintil. Instit. Præfat. VI. Sed & Constantinus Imperator sororem suam, in Socratis Græcis codicibus Helenam, in Cassiodori Latinis Constantiam dictam Juliano in *matrimonium* tradidit, atque ita patruelis patrueli juncta est: Julianus enim ex Constantino, Constantini Magni consanguineo fratre, ortus erat. *Sobrinarum diu Romæ ignorata conjugia, tempore addito percrebruisse* scribit Tacit. Annal. XII. 6. 4. Plebiscito permissa docet Plutarch. in Αἰτ'ο.ς. *Concessum fuit, ut liceret consobrinas ducere propter hanc causam. Vir quidam pauper, sed bonus, & qui populo, si quisquam, erat carus, consobrinam, quæ sola erat paternorum bonorum heres, duxisse putabatur, & ab illa ditatus est. De hac re fuit accusatus. Populus omissa causæ cognitione ipsum absolvit, plebiscito facto, omnibus licere consobrinas uxores loco habere.* Ab Imperatore Theodosio majore fuisse prohibita nos docet Ambros. Epist. VIII. *Theodosius Imperator etiam fratres patrueles, & consobrinos vetuit inter se conjugio convenire, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora.* Aurel. Vict. Epit. c. 48. n. 10. *Tantum pudori, & continentiæ tribuens, ut consobrinarum nuptias vetuerit tanquam sororum.* A Theodosii filiis Arcadio & Honorio iterum concessa. Horum constitutio exstat l. celebrandis C. de nuptiis in hæc verba: *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est, ut revocata prisci juris auctoritate, restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter consobrinas habeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre, & sorore nati sint.* Brisson. ibid. p. 247. D. Franc. Hotoman. & Casal. l. l. Contrahebatur coemptione, confarreatione, usu: dissolvebatur remancipatione, diffarreatione, usurpatione. V. singula suis locis. Addo & sortitione. Plutarch. in Thes. p. 14. F. *Venerunt ambo Theseus & Pirithous Spartam, & Helenam, quæ in templo Dianæ Orthiæ saltabat, raptam fugam cepere. . . . Pacti sunt inter se, ut cui sors obtigisset, eam haberet uxorem. His legibus missa sorte obvenit illa Theseo.* Virg. Æneid. III. 321.

O felix una ante alias Priameia virgo,
. . . . quæ sortitus non pertulit ullos.

Plaut. Cas. II. 4. 17.

Sitellam huc tecum afferto cum aqua, & sortes.

n. 19.

Si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar.

n. 27.

Si sors decolassit, gladium faciam culcitam.

Suet. Tiber. c. 35. n. 5. *Alium & quæstura removit, quod uxorem sortitione ductam pridie, postridie repudiasset.* Inde communis locutio, sortiri uxorem, pro eam sorte accipere, quæ est propria significatio: deinde pro ducere quovis modo. Apul. Met. IX. p. 281. *Pistor pessimam, & ante cunctas mulieres longe deterrimam sortitus conjugem.* Firmic. III. 8. 7. *Sed hi mulieres stupratas sortiuntur uxores.* Videtur autem sortitio adhibita, si de aliqua lis esset inter procos: tum enim cui sors eam assignabat, eidem concedebatur. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* V. 37. *Maurit. de Sortit. vet. c. 4. §. 9: 34. n. 1. . . . Cerda & Pontan. in Virgilium. Alex. Genial.* II. 5. *& in illum Tiraquellus.*

MATRONA *est, quæ semel peperit, ut scribit Ælius Melissus in libro, cui titulus de loquendi proprietate. Impendio probabilius est, matronam dictam proprie, quæ in matrimonium cum viro convenisset, quod in eo matrimonio maneret, etiamsi liberi nondum nati forent: dictamque esse ita a matris nomine non adepto jam, sed cum spe, & omine mox apiscendi, unde ipsum quoque matrimonium dicitur.* Gell. XVIII. 6. Eadem a Servio traduntur Æneid. X. 476. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1020. *C. August. ad. Leg.* XII. *tab.* §. 18. *Oizel. in Gellium.* Cicero in Topicis simpliciter *uxorem* vocat, quæ scilicet in matrimonium convenisset. Illo denotabat eam uxorem, non concubinam fieri: & in matrimonium, non concubinatum datam. Plaut. Trin. III. 2. 64.

Sed ut inops infamis ne sim, ne mihi hanc famam differant.
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse magis, quam in matrimonium.

Festus autem scribit: *matronas eas esse, quibus stolas habendi jus erat.* Sic ut *matronæ* dicerentur notæ auctoritatis, spectatæque vitæ, & pudicitiæ feminæ. Ut apud Liv. X. 23. *Ut nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta esset, jus sacrificandi haberet.* Oizel. & Augustin.

l. l. Mundum suum Apollini Pythio dederunt primitiarum loco. Plutarch. de vit. ær. alien. *Tomas. de Donar.* c. 4. Nigrum [illegible] capillum. Serv. in Virg. Æneid. IV. 698. V. illum supr. in *Galerus*. Laurent. de adult. & meretr. c. 3. Grang. in Juvenalem. Jun. de Com. c. 9. Dempster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. V. 37. Sched. de Diis German. Syngram. II. 4. Hanc sententiam duplici impeto telo. I. Cur Servius ex antiquissimo scriptorum Catone subjicit, *matronas crines flavo cinere unctitasse, ut rutilæ essent.* Profecto nunquam notam hanc gravissimus ævi sui censor tacuisset. II. Val. Max. II. 1. 5. aperte scriptum reliquit, olim Romanas mulieres, *quo formam suam concinniorem facerent, summa cum diligentia capillos rutilasse.* Juvenalis auctoritas, quam Servius attulit, de Messalina Claudii Imperatoris uxore, sedulo *matronam* dissimulante, me non movet. Illud enim libidinis, lasciviæque portentum flavum crinem adaptabat, non ut meretriciam comam imitaretur, sed ut dissimularet suam faciem, ne in fœdo illo, ac tetro prostibulo, a lascivientibus amasiis agnosceretur. Nam & nomen titulumque mentiebatur n. 122.

—— tunc nuda papillis
Prostitit auratis, titulum mentita Lyc.scæ.

Quod si flava coma meretricia tantum fuerat, non *matronarum*, impudens igitur Ovidius, qui feminarum Romanarum castissimæ, & integerrimæ Lucretiæ flavum capillum tribuit Fast. II. 763.

Forma placet, niveusque color, flavique capilli.

Quid princeps poeta? is de Lavinia Latini Regis filia, quam miris extulit encomiis, scribit Æneid. XII. 605.

Filia prima manu flavos Lavinia crines.

Cynthiæ formam, quam magnopere deperibat, a rufo crine commendat Prop. II. 2. 57.

Fulva coma est, longæque manus.

Ad rutilandos vero crines medicamenti quoddam genus suggerit Mart. XIV. 26. 1.

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.

Kobierzyck. de Luxu Roman. I. 6. Tiraquell. in Alex. Gen. V. 18. Ferrar. de Re vest. II. I. 20. Crinibus, deos ut placarent, templorum solum, & aras solebant verrere. Liv. III. 7. *Stratæ passim matres crinibus templa verrentes veniam irarum cœlestium, finemque pesti exposcunt.* XXVI. 9. *Ploratus mulierum non ex privatis solum domibus exaudiebatur, sed undique matronæ in publicum effusæ circa deûm delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes.* Brisson. de Form. I. p. 41. Tomas. ibid. c. 10. Comitum agminibus stipatæ in publicum procedebant, imo ancillarum greges, spadonum phalanges, morionum, ac cinislonum manipulos sæpe numero ductitabant. Plaut. Aul. III. 5. 26.

Enim mihi quidem æquum est purpuram, atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedissequos,
Salutigerulos pueros, vehicula qui vehar.

Terent. Heaut. II. 3. 4.

Minime mirum, adeo impeditæ sunt. ancillarum gregem
Ducunt secum.

Ammian. XIV. 6. *Quo comitatu matronæ complures opertis capitibus, & basternis per latera civitatis cuncta discurrunt. Utque prœlii rumperiti rectores primo catervas densas opponunt, & fortes, deinde leves armaturas, post jaculatores, ultimasque subsidiales acies, si fors adegerit, invasuras: ita præpositis urbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicite, quos insignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut tessera data castrensi, juxta vehiculi frontem omne incedit textrinum: huic atratum coquinæ adjungitur ministerium, deinde totum promiscue servitium, cum otiosis plebis de vicinitate conjunctis: postremo multitudo spadonum, a senibus in pueros desinens, coloris obluridi, distortaque lineamentorum compage deformis.* De poetis judicabant. In hac muliebri ambitione irrisit Juven. VI. 434.

Illa tamen gravior, quæ cum discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elisæ,
Committit vates, & comparat: inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores.

Barth. Adv. VII. 5. Viros præclare de Republica meritos deflebant. Hic honos Junio Bruto primo consuli est habitus. Liv. II. 7. *Sed multo majus decus fuit publica mœstitia, eo ante omnia insignis, quia matronæ annum, ut parentem, eum luxerunt, quod tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset.* P. Valerio Poplicolæ. Liv. II. 16. *P. Valerius omnium consensu princeps belli, pacisque artibus moritur. Luxere matronæ ut Brutum.* Augusto. Dio LVI. p. 598. C. *Matronæ cum decreto senatus annum luxerunt.* Morestell. Pomp. Fer. IX. 6. Post mortem laudabantur. V. supr. in *Laudatio*. An, quæ filios consulares, aut aliis curulibus magistratibus functos reliquerant, honorariis vestibus, curru, & sella curuli fuerint elatæ. V. supr. in *Feminæ*. Quo modo a meretricibus fuerint discretæ. V. infr. in *Meretrices*.

MATRONALIA a *matronis* celebrabantur Marti Kalendis Martii. Festi instituendi causæ narrantur I. quod mulieres Sabinæ a Romanis raptæ sua intercessione atrox bellum, quod inter maritos & patres jam motum erat, sedavissent. II. ut favore Martis eam felicitatem consequerentur in filiis, quam videbatur iis deus Iliæ concessisse, quæ a Marte compressa Romulum summæ felicitatis filium peperit. III. quod mense Martio terra fœcunda esset, quales matronæ fieri cuperent. IV. quod Kalendis Martiis Junoni Lucinæ templum datum esset in Esquiliis. V. quod Mars Junonis, quæ conjugiis præerat, filius diceretur. Illas denarrat Ovid. Fast. III. 229--250. *Hospin. de Fest. Ethnic. p. 123. Junius Fast. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p. 233. D. Stuck. Antiq. Conviv.* I. 33. *Lipen. de Stren. c. 2. et. quart.* §. 27. *Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 404. Rosin. Ant. Rom.* IV. 7. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 9. *Petav. in Themist. Orat.* XII. *p. 658. Kipping. Antiq. Roman.* I. 10. §. 7. Erant quodammodo matronarum Saturnalia. Mart. V. 81. 10.

Scis certe puto vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.

His *servis cœnas apponebant matronæ, ut domini Saturnalibus: illæ, ut principio anni ad promptum obsequium honore servos incitarent: hi, quia gratiam perfecti operis exsolverent.* Macrob. Sat. I. 12. Solin. c. 3. Munera matronis mittebantur a maritis. Plaut. Mil. III. 1. 96.

Verum priusquam galli cantent, quæ me somno suscitet,
Dicat: da mi vir, quæ Kalendis mittam, Martiæ cum venerint.

Suet. Vesp. c. 19. n. 4. *Dabat sicut Saturnalibus viris apophoreta, ita & per Kalendas Martii feminis.* Et maritis a feminis. Mart. ibid. n. 12.

Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Juven. Sat. IX. 13. V. illum supr. in *Dona uxoria*. Hospin. Argol. Struv. l. l. Beroal. & Pitisc. in Suetonii Vespasianum, & Commentatores in Horat. Od. III. 8. 1. Kipping. l. l.

MATULA est *vas urinæ*. Festus. Has in triclinia inferendi mos a Sybaritis gente infami, & omnis generis luxus magistra ortum habuit. Athen. XII. p. 519. E. *Sybaritæ invenerunt matulas, quas in convivia ferebant.* Has sæpe, ubi incaluissent, in capita sibi invicem illidebant. Æschylus & Sophocles apud Athen. I. p. 17. C.

Ira fremens, olentem ille matulam
Jecit, nec erravit: meum namque ad caput
Vas rumpitur, fragrantis unguenti nihil
Spirans: odore fœditatis inhorrui.

Demosth. Orat. adv. Conon. *Nos lotio perfundebant, & matulas inter se frangebant.* Casaub. in Athen. I. 14. Buleng. de Conviv. III. 23. Rhodig. Ant. Lect. VII. 9. Laurent. de Prand. c. 5. Ad crepitum digiti poscebatur. V. supr. in *Digitus*. Aliquando ex cornu factas conjectabam ex Mart. XII. 32. 12.

Et cum lucerna, corneoque cratere
Matella curto rupta latere mejebat.

Quam

Quam recte critici videant. A quo more non abſunt nautæ Siculi, qui cornu bubulum, quod *poſſo* vocant, pro *matula* ſervant. *Barthol. de Unicorn. c.* 30.

MATUTA Latinorum eſt Leucothea, ſive Ino Græcorum. Cicer. Tuſcul. I. 12. *Quid Ino Cadmi filia, nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a noſtris?* Plutarch. Quæſt. Rom. 16. *Cur ſervæ aditu templi Matutæ, quæ Leucothea Græcis eſt, prohibentur?* Nardin. Rom. Vet. VII. 4. Stuck. de Sacrif. p. 36. Huic cum res divina fieret, ſuis liberis bona non precabantur, ſed filiis fratrum duntaxat. Plutarch. Camill. p. 131. B. *Fratrum liberos amplectuntur præ ſuis.* Quæſt. Rom. 17. *Cur ab hac dea nulla ſuis, ſed fratrum liberis bona precantur? An quod Ino fratris ſtudioſa fuit, ejusque filium enutriit, in propriis autem liberis infelix fuit?* Ovid. Faſt. VI. 559.

Non tamen hanc pro ſtirpe ſua pia mater adoret,
Ipſa parum felix viſa fuiſſe parens.

Briſſon. de Form. I. p. 61. Gyrald. Synt. deor. I. p. 56. F. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 164.

MAV.

* MAVORS fuit tegmen capitis. V. ſupr. in *Maforțium.*

MAURI erant egregii in ſagittando. Herod. I. 15. 4. *Erant cum illo aſſidue optimi jaculatores Mauri.* Verſabantur ſiquidem inter leones, quos continuo impetebant, unde peritiores in jaculando ſiebant. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* II. 3. Erant apud Romanos levis armaturæ equites, jam tempore Julii Cæſaris, & ante in exercitu Romano. Sub Trajano *Maurorum* præfectus Luſius Quietus ad conſulatum evectus legitur. *Titi tribuni Maurorum*, ſic præfecti appellabantur, meminit Treb. Poll. trig. tyran. c. 32. Item in notitia imperii non ſemel equitum *Maurorum* mentio fit. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1089. *E.*

MAURITANIA, quæ ultima pars Africæ, ad Oceanum vergit, & ab Hiſpaniis freto Herculeo, ſeu Gaditano dividitur, ab ortu Ampſaco fluvio a Numidia ſecernitur. Eam C. Julius Cæſar, Juba Rege victo, in provinciam redegit, ubi Criſpum Salluſtium proconſulem reliquit. Appian. Bell. civ. II. p. 490. *Cæſar Jubæ regnum Romanis ſub tributo contulit, cui Criſpus Salluſtius proconſul præfuit.* Romanis uſque ad annum humanæ ſalutis 441. paruit, quo Genſericus Vandalorum Rex, a Bonifacio magiſtro militum accitus, eam cum tota Africa occupavit. Marcellin. Com. I. I. in princ. C. de offic. præſ. præt. Africæ, & cum per triennium vario præliorum eventu pugnatum eſſet, tandem inter eum, & Valentinianum III. pax firmata eſt, & certis ſpatiis Africa inter utrumque diviſa. Et ex Valentiniani conſtitutione ad Albin. P. P. Novell. I. The. de trib. fiſc. tit. 22. & Novell. Valentin. de præd. piſt. tit. 38. apparet, Numidiam, & utramque *Mauritaniam*, & Tripolitanam ipſum habuiſſe. Anno 457. occiſo Valentiniano Genſericus non modo Numidiam cum *Mauritania* recepit; ſed Roma etiam omnibus ornamentis ſpoliata, Eudoxiam Valentiniani uxorem cum duabus filiabus abduxit, & occidentale occidit imperium. Verum Juſtinianus poſt annos 95. quam a Vandalis occupata fuerat, Africam recepit. Illam C. Caligula, inquit Plin. V. I. in duas diviſit, Tingitanam, quæ a Tingi civitate appellata, nunc regnum Feſſæ, & Marochi nuncupatur: quæ Oceano alluitur, & antea Sitifenſis a loco nominabatur: & Cæſarienſem ita a ſe dictam, quæ nunc eſt regnum Tremiſcenæ, ſive Teleſin. *Panciroll. Notit. dign. imp. occid. c.* 64. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 852. *C. Sigon. Ant. jur. prov.* I. 18.

MAUSOLEUM fuit dictum ſuperbum, & magnificum monumentum, quod *Mauſolo* Cariæ Regi defuncto Halicarnaſſi fecit Artemiſia ejus uxor. Cicer. Tuſc. Quæſt. III. 31. *Artemiſia Mauſoli Cariæ Regis uxor, quæ nobile illud Halicarnaſſi fecit ſepulcrum.* Gell. X. 18. *Artemiſia molita eſt ingenti impetu operis, conſervandæ mariti memoriæ, ſepulcrum illud memoratiſſimum, dignatumque numerari inter ſeptem omnium terrarum ſpectacula.* Deſcribit Plin. XXXVI. 5. *Sepulcrum hoc eſt ab uxore Artemiſia factum Mauſolo Cariæ Regulo, qui obiit Olympiadis centeſimæ anno ſecundo. Opus id ut eſſet inter ſeptem miracula, maxime artifices fecere. Patet ab auſtro, & ſeptentrione ſexagenos ternos pedes, brevius a frontibus, toto circuitu pedes quadringentos undecim: attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis: cingitur columnis triginta ſex. Ab oriente cælavit Scopas, a ſeptentrione Byaxis, a meridie Timotheus, ab occaſu Leochares.* Bergier. de Viis milit. II. Sect. 35. §. 3. Guther. de Jur. man. II. 21. Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 185. ad illum Salmuth p. 201. Allat. in Philon. Byzant. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2681. E, Kircher. Turr. Babyl. II. 3. 9. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. I. c. 5. part. 2. c. 21. Claſen. Theol. gentil. I. 13. I. Emm. Græc. vet. VI. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IV. p. 148. A. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. II. 10. 10. Schill. Nomencl. Philol. p. 733.

Mauſoleum fuit dictum ſepulcrum Auguſti ad imitationem Halicarnaſſenſis. Pauſan. Arcad. p. 250. *Erectum fuit Mauſolo, qui Halicarnaſſi regnavit. Ea fuit operis magnitudine, & ornamentorum magnificentia, ut Romani valde illud mirantes magnificentiſſima quæque apud ſe monumenta Mauſolea appellarint.* Deſcribit Strab. V. p. 163. *Commemoratione digniſſimum eſt, quod Mauſoleum appellant, in excelſis fundatum collibus, lapide niveo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum ad ſummum uſque verticem, ad fluminis ripam exaggeratum. In ſummo autem poſitum Cæſaris Auguſti ſimulacrum, ex ære fabricatum. Sub aggere ipſo ſunt ejus loculi, & cognatorum, & neceſſariorum. A tergo lucus eſt, mirifica continens ambulacra. In medio campi ſpatio ſui buſti exſtat ambitus, & ipſe niveo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatus interius per ſe ferens populos.* Hoc Auguſtus ipſe ſibi vivus fieri curaverat, & *id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis ſexto ſuo conſulatu exſtruxerat: circumjectasque ſylvas, & ambulationes in uſum populi tunc jam publicarat.* Suet. c. 101. n. 10. In illo Imperatores uſque ad Adrianum fere omnes fuerunt conditi; habebat enim plures loculos, quibus reliquiæ domus Auguſtæ condi poterant: atque hac in re a vulgari ſepulcro differt, quia plura ſepulcra habere poteſt. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 35. §. 6. *Guther. de Jur. man.* II. 21. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 49. *Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 15. *Bellon. de Oper. antiq. præſt.* I. 9. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 21. *Faunus Antiq. Roman.* IV. 12. *Claſen. Theol. gentil.* I. 12. I. *Blond. Inſtaur. Rom.* II. §. 74. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 7. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 20. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 6. *Allat. in Philon. Byzant. de ſept. mund. mirac. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2683. *E.* Hodie ad S. Rochi ædem circulares ejus reliquiæ conſpiciuntur operis reticulati, quas Marlianus ætate ſua nomen Auguſtæ habuiſſe affirmat. *Nardin. Boiſſard. Faunus, & Donat. l. l. Schott. Urb. Rom. Deſcript. p.* 437.

MAX.

MAXILLA dextra ſi ſalierit, utilitatem ſignificat, ſervo fidem œconomiæ adhiberi, virgini ægritudinem, viduæ vituperationem. Sin autem ſiniſtra, triſtitiam in re parva enuntiat, ſervo utilitatem, virgini vituperationem, viduæ bonam conſiderationem. *Niph. de Augur.* I. 9. Puerorum blandientes ſolebant apprehendere, deinde manum ad os referre. V. infr. in *Oſculum.*

Maxillæ olim etiam dicebantur prominentes ad proram partes. Pollux I. 9. 3. *Utraque proræ partes nuncupantur maxilla & ala.* Voſſ. de Trirem. & Liburn. conſtruct. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 721. C.

MAXIMINUS Imperator patre Micea, matre Ababa, altero Gotho, altera Alana in Thracia natus a magnitudine corporis appellatus eſſe videtur. *Auguſt. de Fam. Rom. in Julia.*

MAXIMUS eſt cognomen Fabiorum. I. fuit Q. Fabius M. F. M. N. Rullianus, qui cognomine a Rullis originem ducere videtur, in adoptionem datus Fabiis; quod minime ſcriptum reperi. Cicerone conſule *Maximi* cognomen ex cenſura obtinuit, in qua turbam forenſem in tribus urbanas coegit. Verrius tamen id cognomen ante cenſuram eidem tribuit. Quinquies fuit conſul, ter triumphalis, bis dictator, quod pauci Romæ obtinuerunt, ſepties princeps ſenatus lectus eſt, quod nemini datum eſt. Magiſter equitum fuit L. Papirio Curſore dictatore an. 428. coactus eſt abdicare honeſta de cauſa, quod abſente dictatore Samnites hoſtes viciſſet. Conſul fuit poſt triennium cum L. Fulvio Curvo. Dictator rei gerundæ cauſa an. 438. Conſul iterum poſt quinquennium cum C. Marcio Rutilo. Iterumque proconſul triumphavit Idib. Novemb. anno proximo de Etruſcis. Inſequenti anno tertium conſulatum geſſit cum P. Decio Mure II. coſ. & cum eodem cenſor fuit an. 449. luſtrum fecit 28. a quo luſtro princeps ſenatus in ſeptimum lectus ſemper eſt. Iterum dictator fuit triennio poſt rei gerundæ cauſa. Quartus conſulatus datus eſt quadriennio poſt cum eodem P. Decio: uno poſtea anno interjecto iidem coſſ. refecti ſunt, Fabius V. Decius IV. Fabius triumphum egit tertium de Samnitibus, Etruſcis, & Gallis prid. Non. Sept. an. 458. II. fuit Q. Gurges Rulliani filius, ter conſularis, bis triumphalis, & cenſorius, ac princeps ſenatus quater. Conſul fuit cum D. Junio Bruto Scæva an. 461. triumphum egit proconſul de Samnitibus anno proximo patre legato in equo currum ſequente. Iterum coſ. fuit cum C. Genucio Clepſina poſt 16. annos, iterumque triumphavit de Samnitibus, Lucanis, Bruttiis Quirinalibus an. 477. Tertium conſulatum egit cum L. Mamilio Vitulo poſt II. annos. Cenſor creditur fuiſſe, quod princeps ſenatus lectus ſit, an. 473. cum Cn. Domitio Calvino. Luſtro 35. & tribus proximis princeps ſenatus lectus eſt. III. Q. *Maximus* Verrucoſus Gurgitis nepos fuit quinquies conſul, bis dictator, bis triumphalis, bis princeps ſenatus, ſemel cenſor, pontifex, augur, &, quod omnium maximum fuit, conſervator populi Romani creditus eſt, ſecundo bello Punico, quod magis prudenti cunctatione, & conſtanti patientia aſſecutus eſt, quam aliis virtutibus: de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Primum conſulatum obtinuit an. 520. cum Manio Pomponio Mathone. Triumphavit de Liguribus Kal. Febr. Cenſor triennio poſt cum M. Sempronio Tuditano. Poſt biennium iterum coſ. fuit cum Sp. Carvilio Maximo II. Dictator an. 532. ſed abdicavit, quod vitio creati eſſent ſoricis occentu audito. Iterum dictator, vel potius pro dictatore a populo creatus fuit an. 536. Biennio poſt coſ. tertio ſuffectus M. Marcello II. qui vitio factus fuerat. Ejus collega fuit Ti. Sempronius Gracchus. Refectus eſt proximo anno cum M. Claudio Marcello III. & gladius, & clypeus populi Romani ambo coſſ. dicti ſunt. Quintum conſulatum geſſit cum Q. Fulvio Flacco IV. an. 544. iterumque triumphavit de Tarentinis & Pœnis. Princeps ſenatus lectus eſt luſtro 44. & 45. IV. fuit Q. Fabius *Maximus* Verrucoſſi filius, qui coſ. fuit cum T. Sempronio Graccho II. an. 540. Proditum eſt patrem proconſulem filio conſuli obviam veniſſe, juſſumque a filio, ut equo deſcenderet: id patri gratiſſimum fuiſſe. V. fuit Q. Fabius *Maximus* Aimilianus. Hunc L. Aimilii Paulli, qui de Perſe Rege triumphum egit, paterque Africani majoris fuit, majorem filium Verrucoſſus adoptavit. Is conſul fuit cum L. Hoſtilio Mancino an. 608. VI. fuit Q. Fabius Servilianus, quem putant Aimiliani fratrem adoptivum fuiſſe, adoptatum a Verrucoſſo, vel ab ejus filio Q. *Maximo*, filiumque fuiſſe aſſerunt Cn. Servilii Cæpionis. Conſul fuit cum L. Metello Calvo an. 611. Cenſor ſexto poſtea anno cum Q. Fulvio Nobiliore. VII. fuit Fabius Allobrogicus, Aimiliani filius, conſul cum Q. Opimio an. 632. triumphum egit anno proximo. Proconſul de Allobrogibus, & Rege Arvernorum Betulto, ut Verrius notat. Cenſor cum C. Licinio Geta an. 645. VIII. fuit Q. *Maximus* Allobrogici filius, cui Eburnus ob candorem cognomen fuit, quem etiam pullum Jovis vocabant. Conſul cum C. Licinio Geta an. 637. IX. Q. Fabius Q. F. Q. N. ſub Cæſare fuit conſul ſuffectus an. 708. qui tribus menſibus conſul fuit uno, aut altero minus die. X. fuit ſub Auguſto Paullus Fabius Q. F. Q. N. *Maximus* cum Q. Ælio Tuberone an. 742. XI. Q. Fabius Q. F. Q. N. *Maximus* Africanus fuit conſul anno proximo cum Julo Antonio. Hos duos fratres fuiſſe veriſimile eſt. *Auguſt. de Fam. Roman. in Fabia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 321. Eſt etiam uſurpatum ab aliis, nempe ab Artoriis, Cæſoniis, Carviliis, Claudiis, Juniis, Laberiis, Manliis, Pupieniis, Trebelliis, Valeriis. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 852. *E.*

MAZ.

MAZA, *μάζα*, farina cum aqua & oleo cocta. *Polentam ἀντὶ τῆς μάζας* de Stoica juventute poſuit Perſ. Sat. III. 55.

— & grandi paſta polenta.

Ibi enim *grandis polenta* eſt grandis *μάζα*. *Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 231. *b. E.* Cum enim, ut Galenus docet, polenta liquore aliquo conſpergitur, & ſubigitur, *mazæ* appellationem ſumit. Aëtius dicit, eſſe confectionem ex polenta hordeacea, cum melle, aut conſimili aliquo liquore paratam. Suidas vero, *Maza* proprie cibus ex lacte, & frumenti farina. *Nonn. de Re cibar.* I. 7. *Stuck. Ant Conviv.* I. 27. Illa pauperiores utebantur loco panis: & eam pani hordeaceo poſtponit Galen. de Alim. *Voſſ. Lex. Etymol. Stuck. l. l.* Lacedæmonii illa utebantur. *Meurſ. Miſc. Lacon.* I. 1?. Quid apud Hippocratem fuerit, diſputat *Cagnat. Var. Obſerv.* I. 23.

MAZONOMUS eſt lanx prægrandis. Horat. Sat. II. 8. 85.

— deinde ſecuti
Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
Membra gruis, ſparſi ſale multo, non ſine farre.

Buleng. de Conviv. II. 7. Primo ſic dicebatur, in qua *maza* apponebatur. Poſtea generatim lanx rotunda, & lignea. Heſychius. Dicitur etiam *mazonomium*. Pollux VI. 12. *Mazonomia lances magnæ, & concavæ, in quibus mazæ diſtribuebantur, erantque ligneæ.* Varr. R. R. III. 4. *Ut in eodem tecto ornithonis incluſum triclinium haberet, ubi delicate cœnitaret, & alios*, turdos, *videret in mazonomio poſitos coctos, alios volitare circum feneſtras captos.* Voſſ. Lex. Etymol. in Maza.

MED.

MEDALIÆ, nummi neſcio quod genus, cujus mentio in d. c. 20. de Cenſib. Ita quidem numiſmata vetera hodie Italis vocantur *medaglie ordinarie, col cerchio, medaglioni.* Freher. de Re monet. Germ. II. 3.

MEDIASTINI ſunt viliſſimi balnearum, atque ædium miniſtri. Videntur *medii* fuiſſe inter ſervos, ſummos, ut atrienſes, & diſpenſatores: imos, ut compeditos, & notæ extremæ, & quales quales. Non. II. 573. *Mediaſtinos non ſolum balnearum, ſed ædium quoque miniſtros, & curatores legimus.* Ulpian. l. 15. §. 44. ff. de Injur. V. illum ſupr. in *Compediti.* In agro abjectiſſima quæque munia inter ſervos obeunt. Horat. Epiſt. I. 14.

Tu mediaſtinus tacita prece rura petebas.

Cum, inquit, *mediaſtinus* mihi eſſes Romæ, votis optabas, ut villicus eſſes, cujus optati nunc te piget. Cicer. Catil. II. 3. *Magnopere contemno exercitum collectum ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, & ruſticis mediaſtinis:* Inter illos referendi ſunt oſtiarii, ſcoparii, peniculi, unctores, focarii, fornacarii, balneatores, & his ſimiles. *Popm. de Oper. ſerv. p.* 130. *Pignor. de Serv. p.* 79. *Turneb. Adv.* XXVIII. 31. *Voſſ. Lex. Etymol. Brod. Miſcell.* X. 17.

Rhodig. Ant. Lect. xxv. 20. *Revard. Var.* v. 20. *Van Dale Diſſert.* viii. c. 8. *Schill Nomencl. Philol. p.* 734. *Hering. de Molend. q.* 4. §. 55.

MEDIASTUTICUS erat Capuæ, antequam deficeret, magiſtratus ſummus. Liv. xxiv. 19. *Præerat Statius Metius, miſſus ab Cn. Magio Atellano: qui eo anno mediaſtuticus erat.* Sigon. de Ant. jur. Ital. ii. 14. Rhodig. Ant. Lect. xxv. 20.

MEDICÆ olim fuerunt in uſu. Antiqua inſcriptio:

SECUNDA
L. IULILLAES
MEDICA

Et hæ videntur gynæcia curaſſe, & curam adhibuiſſe mulierum piſſionibus. Quare non male notavit Anianus ad Paullum: *Quoties de mulieris prægnatione dubitatur, quinque obſtetrices, id eſt, medicæ ventrem jubentur inſpicere.* Pignor. de Serv. p. 77. Borremanſ. Var. Lect. c. 15.

MEDICI quando Romam venerint, docet Plin. xxix. 1. *Caſſius Hemina ex antiquis auctor eſt, primum e medicis veniſſe Romam Peloponneſo Archagathum Lyſaniæ filium L. Æmilio, M. Livio coſſ. anno Urbis* 535. *eique jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio emit ob id publice.* Bacc. de Therm. vet. c. 13. plerique ſervilis fuerunt conditionis. Diu enim *medicina*, ut ingenuo homine indigna, neglecta, & ad ſervos, libertinoſque ablegata eſt. Alfen. l. 26. ff. de oper. libert. *Medicus libertus quod putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum, poſtulabat. . . .* Scævol. l. 41. §. 6. ff. de fideicom. libert. *Lucius Titius ita teſtamento cavit, medicos tibi commendo illum, & illum. In tuo judicio erit, ut habeas bonos libertos, & medicos. Quod ſi ego libertatem eis dediſſem, veritus ſum, quod ſorori meæ cariſſimæ fecerunt medici ejus ſervi manumiſſi ab ea.* Senec. de Ben. iii. 24. *Tenebatur incluſus Domitius, imperavit medico, eidemque ſervo ſuo, ut ſibi venenum daret.* Briſſon. Select. Antiq. ii. 3. Freher. Parerg. ii. 16. Demſter. Paral. Ant. Roſin. ii. 17. Dilher. Diſput. Acad. ii. 4. §. 1. Alciat. de Nobil. 31. 410. Popm. de Oper. ſerv. p. 31. Laurent. de Medic. c. 1. Borremanſ. Var. Lect. c. 15. Pigh. Annal. Rom. ii. p. 139. Pitiſc. in Suet. Auguſt. c. 59. n. 1. Magnatibus Romanis tamen fuerunt familiares. Senec. de Ben. vi. 26. *Quid ergo? quare & medico, & præceptori plus quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor? Quia ex medico, & præceptore in amicum tranſeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, ſed benigna, & familiari voluntate.* Qua de re amici dicuntur procerum. Tacit. Annal. iv. 3. 6. *Sumitur in conſcientiam Eudemus amicus, ac medicus Liviæ, ſpecie artis frequens ſecretis.* Et quem *medicum*, cum quo a prædonibus captum Cæſarem ſcribit, vocat Suet. c. 4. n. 2. ejus amicum dicit Plutarch. p. 708. A. *Borremanſ. Var. Lect. c.* 15. *Laurent. l. l. Pitiſc. in Suetonium.* Primus Julius Cæſar *Romæ civitate donavit.* Suet. Jul. c. 42. n. 2. Auguſtus cum Antonii Muſæ liberti opera, gravi, ac periculoſo morbo afflictam valetudinem recuperaſſet, in beneficii præmium, laboriſque eximii mercedem, Muſæ ipſi præter magnam pecuniarum vim, aureorum annulorum jus, univerſo vero medicorum ordini a muneribus civilibus immunitatem dedit. Dio liii. p. 517. C. Hoc amplius *ſtatuam ei patres ære collato juxta ſignum Æſculapii ſtatuiſſe* auctor eſt Suet. c. 59. n. 1. *Briſſon. l. l.* Erant olim etiam chirurgi, & ignobilius illorum munus fuit, quod ipſimet manibus ſuis olim venas inciderent, medicamenta præberent, clyſteres, emplaſtra, collyria admoverent, iiſdemque omnibus, quibus hodie chirurgi, partibus fungerentur. Argumentum hujus rei eſt, quod adverſus *medicum*, qui imperite ſervum ſecuerat, actionem dari traditur l. qua actione §. 8. ff. ad leg. Aquil. *Proculus ait, ſi medicus ſervum imperite ſecuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia competere actionem.* Et *in inſtrumento medici ſunt collyria & emplaſtra* teſte Paullo l. cum de lanionis §. 10. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg. Hinc Nero *medicos admovebat, qui cunctantes mori continuo curarent: ita enim vocabat venas mortis gratia incidere* apud Suet. c. 37. n. 3. *Briſſon. ibid.* ii. 4. *Laurent. l. l. Perizon. in Ælian.* iii. 7. Hos in circo ſuos quælibet factio habebat, qui aurigas prolapſos, tractos, luxatoſque, aut ægrotos curarent. Ad hoc videtur facere Chryſoſt. de circo: *Ne deficias in agone, habes enim deſignatorem Deum, medicum Chriſtum.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. i. 15. Fuerunt etiam familias gladiatorum ſui: nec id novi ſeculi invento, ſed diu ante Imperatores. Lapis:

SILVANO SANCTO
C. AUSTURNIUS. MEDI
CUS. LUDI. GALLIC
PORTIC. ET. EXEDR.
ET. SIGN. ÆN.
VOTO. SUSCEP.
L. M.
DEDIC. KAL MAI
L. MARCIO. ET
SEX. JUL. COS.

In quo ſculpti coſſ. incidunt an. 663. Alter: EUTYCHUS. AUG. L. MEDICUS. LUDI. MATUTINI. Cenſeo exemplum tranſlatum e Græcia, apud quos medici athletis. Athletam compellat Arrian. Diſſert. iii. 10. *Oportet te jam in ordinem redigi, ad præſcriptum veſci, abſtinere bellariis, frigidam non bibere, Medico enimvero obtemperare, valetudinis præſidi.* Gladiatoribus, licet mox morituris, læſis, luxatiſve opus erat *medico*. Deinde & ratio victus gladiatoria ea, ut ſalvi ſine *medico* eſſe non poſſent. Large enim edebant, bibebant, & dabantur veluti in ſaginam. *Lipſ. Saturn.* i. 14. *Argol. l. l.*

Medici ocularii dicebantur, qui ſolos oculos curabant. Scribonii quippe Largi teſtimonio Epiſt. ad C. Julium Caliſtum, ævo ſuo, unius partis ſanandæ ſcientia præditi plenum *medicorum* meruerunt nomen, inter quos ocularii non infimi. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 855. *D.* Gloſſ. Philox. *Ocularius*, ὀφθαλμικός. Mart. viii. 74. 1. V. illum ſupr. in *Hoplomachus*. Rhod. Lex. Scribon. *Medicum* ocularium exhibet inſcriptio in villa Cæſarini Romæ inventa:

ILLUSTRIUS. TI. CÆSARIS
AUG. SER. CELADIANUS
MEDICUS. OCULARIUS
PIUS PARENTUM SUORUM
VIXIT ANNOS XXX
HIC SITUS EST IN PERPE

Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. iv. *p.* 143. *Malvaſ. Marmor. Felſin. Sect.* v. *c.* 1. Fuerunt etiam *medici* ocularii ſtatuarum: qui, licet his oculi nunquam dolerent, tamen oculorum curam in ipſis gerebant: erantque hi oculorum in ſtatuis repoſitores, quos cum excidiſſent, denuo reponebant in ſua loca. Sequentia hæc legimus apud Plutarch. de Pyth. orac. p. 397. E. *Ego ſimilium memoriam caſuum renovavi, qualis eſt, quod oculi e ſtatua Hieronis Spartiatæ exciderunt, antequam ille ad Leuctra occubuit.* Plutarchi verba illuſtrantur inſcriptione adducta a Spon. Miſcell. Erud. antiq. Sect. vi. p. 232.

M. RAPILIUS SERAPIO HIC
AB ARA MARMOREA
OCULOS REPOSUIT STATUIS
QUA AD VIXIT BENE

Van Dale Diſſert. viii. *c.* 8.

Medici pecoris. V. illos infr. in *Mulomedici*.

Medicina vocatur etiam *medici* officina. Græce ἰατρεῖον. Ælian. Var. hiſt. iii. 7. *Demochares quum videret quoſdam ſedentes in medici officina*, ἐν ἰατρείῳ. Plaut. Amph. iv. 1. 5.

In medicinis, in tonſtrinis, apud omnes ædes ſacras.

Epid. ii. 2. 14.

Per medicinas, per tonſtrinas. . . .

Perizon. in Ælianum. Taubman. in Epidicum. Ex his locis liquet in *medicorum* officinis ſolitos homines otioſos ſedere, atque ideo in iis quæri ab aliis. *Perizon. l. l.*

ME-

MEDIMNUM, vel *medimnus*, μέδιμνον, ἢ μέδιμνος est menſura aridorum capax ſex modiorum. Suidas: *Medimnus eſt menſura aridorum, ut tritici, vel hordei. Medimnum igitur menſura eſt ſex-modiorum.* Bud. de Aſſe v. p. 512. 520. Rhod. Ant. Lect. xvi. 17. Voſſ. Lex. Etymol. Porcius de Re pecun. c. 10. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 118. Contaren. de Frument. Roman. largit. c. 7. Agric. de Merſ. Græc. ii. 64. Et ita diſerte Nep. Attic. c. 2. n. 6. *Univerſos frumento donavit, ita ut ſingulis ſex modii tritici darentur, qui modus menſuræ medimnus Athenis appellatur.* Noſtratis menſuræ continet duos ſchepelos cum dimidio, ſiquidem modius dimidio ſchepeli minor eſt. *Perizon. ad Ælian.* vi. 12. V. etiam infr. in *Modius.*

MEDITRINA fuit dea a Romanis culta. V. illam infr. in *Meditrinalia.*

MEDITRINALIA, *hoc die ſolitum vinum novum, & vetus libari, & deguſtari medicamenti cauſa. Quod facere ſolent etiam nunc multi, cum dicant: novum vetus vinum bibo: novo veteri morbo medeor.* Varr. de Ling. Lat. v. 3. Feſtus: *Meditrinalia dicta hac de cauſa. Mos fuit Latinis populis, quo die quis primum guſtaret muſtum diceret ominis gratia: vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor. A quibus verbis etiam Meditrinæ deæ nomen captum, ejusque ſacra Meditrinalia dicta ſunt.* V. Idus Octobr. celebrabantur. *Siccam. ad Faſt. Kalend. c. 16. Briſſon. de Form.* 1. *p.* 91. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 50. *F. Stuck. de Sacrif. p.* 43. *Blond. Triumph. Rom.* viii. *p.* 174. *F. Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 19. *Jonſton. de Feſt. Græcor. c.* 3. *Meurſ. Græc. Feriat.* v. *Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* vii. *p.* 825. *C. Perion. de Græcor. & Roman. Magiſtrat. Theſ. Gronov. Tom.* vi. *p.* 2814. *B. Roſin. Ant. Roman.* iv. 14. *Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 439. *Schill Nomencl. Philol. p.* 737.

ME DIUS FIDIUS erat jusjurandum per *Dii fidem.* V. illud ſupr. in *Dius Fidius.*

MEDULLIA fuit oppidum cis Anienem in dubio Sabinorum, Latinorumque confinio poſitum fuiſſe videtur. Romulus coloniam fecit. Dionyſ. iii. p. 136. *Oppidum Medullia, quod Albani olim condiderant, Romulus vero per deditionem acceptum coloniam Romanorum fecit.* Sigon. de Ant. jur. Ital. ii. 5. Cluver. Ital. Ant. ii. 9.

MEDULLINUS fuit cognomen gentis Furiæ. I. Sex. Furius *Medullinus* fuit conſul cum Sp. Nautio Rutilo an. 265. II. Sp. Furius fuit conſul poſt annos ſeptem cum K. Fabio Vibulano ii. III. L. Furius fuit conſul an. 279. cum A. Manlio Volſone. IV. P. Furius fuit conſul biennio poſt cum L. Pinario Mamercino Rufo. V. Sp. Furius fuit conſul an. 289. cum A. Poſtumio Albo Regillenſi. Iterum conſul fuit ſuffectus Sex. Quintilio Varo, qui in hoc magiſtratu occiſus eſt an. 300. Eorum collega fuit P. Curiatius Trigeminus. VI. Q. Furius Fuſus pontifex maximus fuit poſt quadriennium a ſuperioris ſecundo conſulatu. VII. Agrippa *Medullinus* Fuſus conſul fuit an. 307. cum T. Quinctio Capitolino Barbato. VIII. C. Fuſus Pacilus, qui poſt quinque annos conſul fuit cum Manio Papirio Craſſo. Cenſor fuit ſeptennio poſt conſulatum cum M. Geganio Macerino. Tribunus militum fuit an. 327. IX. L. Furius Sp. F. *Medullinus* fuit Tribunus militum ſexennio ante ſuperiorem. Iterum creatus eſt anno proximo poſt ſuperioris tribunatum. Tertio an. 333. X. L. Furius L. F. Sp. N. *Medullinus* conſul fuit an. 340. cum M. Cornelio Coſſo. Iterum quadriennio poſt cum Cn. Cornelio Coſſo. Septies tribunus militum fuit, quod huic, & Ser. Cornelio Maluginenſi tantum conceſſum eſt. Tribunatus i. fuit an. 347. biennio poſt conſulatum. ii. poſt alterum biennium. iii. an. 355. iv. anno proximo. v. biennio poſt quartum. vi. anno ſequenti. vii. an. 362. XI. eſt C. Furius Pacilus, qui ſuperioris C. Fuſi Pacili filius, ut creditur, fuit. Conſulatum geſſit an. 341. cum Q. Fabio Ambuſto. XII. C. Furius C. F. C. N. Pacilus, conſul fuit an. 502. cum Q. Cæcilio Metello. XIII. M. Furius Fuſus fuit tribunus militum an. 350. XIV. Sp. Furius L. F. Sp. N. *Medullinus* Lucii bis conſulis, ſepties tribuni frater, quamvis hunc etiam Lucium Livius appellet, tribunus militum fuit an. 353. XV. Agrippa Furius *Medullinus* Fuſus, alterius Agrippæ, ut creditur, filius tribunus militum fuit cum L. *Medullino* vii. an. 362. XVI. L. Furius Sp. F. L. N. *Medullinus* tribunus militum fuit anno decimo poſt ſuperiorem cum M. Furio Camillo vi. Decennio poſt cenſor fuit an. 390. cum M. Fabio Ambuſto. XVII. Sp. Furius ſuperioris, ut creditur, frater, tribunus militum fuit an. 375. *Auguſt. de Fam. Roman. in Furia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 361.

MEG.

MEGALESIA. V. illa ſupr. in *Ludi Megalenſes.*

MEH.

MEHERCULES erat jusjurandum, quod valebat auctore Feſto *ita me Hercules juvet*, reciſa a fine particula, Homeri exemplo, ἔται ἀντὶ τοῦ ἑταῖροι. Per hunc femina non jurabat. An quia feminis iratum *Herculis* numen credebatur? Cujus rei cauſam, & hiſtoriam ſic refert Macrob. Sat. i. 12. *Mulieres in Italia ſacro Herculis non licet intereſſe: quia Herculi, cum boves Geryonis per Italiæ agros duceret, ſitienti reſpondit mulier, aquam ſe non poſſe præſtare, quod feminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris guſtare fas eſſet: propter quod Hercules facturus ſacrum deteſtatus eſt præſentiam feminarum, & Potitio, ac Pinario ſacrorum cuſtodibus juſſit, ne mulierem intereſſe permitterent.* Num vero, quia uxoris ſuæ inſidiis *Hercules* eſt circumventus? An potius, quod indignum viſum fuerit, imbellem, & infirmum ſexum ad terrarum domitoris, & invicti *Herculis* vim, ac numen provocare? Magna enim, & excelſi tantum *Herculem* decere exiſtimabant. Facit huc etiam, quod Juven. Sat. ii. 19. *verba Herculis* dixerit ſermonem maſculum, plenum virtutis, & cordatum. Qualis ab imbecilli illo ſexu exſpectari non poteſt. *Boxhorn. Quæſt. Roman.* 23. *Hanſen. de Jurejur. vet. c.* 4. *Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* xxi. 6. *Voſſ. Lex. Etymol. in Me dius fidius. Schill Nomencl. Philol. p.* 738. Hic tamen non ſtetit mulierum impotentia. Anus enim per *Herculem* jurat apud Apul. Met. iv. p. 131. *Bono animo eſto, me Hercules, nec vanis ſomniorum figmentis terreare.* Ridet hoc Tertull. de Idolol. c. 20. *Conſuetudinis vitium eſſe, etiam in Chriſtianis dicere me Hercules, dicere & me dius fidius, accedente ignorantia quorundam, qui norunt jusjurandum eſſe per Herculem.* Hoc jusjurandum nonnunquam κατὰ συγκοπὴν *Hercle* effertur. *Hanſen. l. l.*

MEL.

MEL, ut auſpicium anni fauſtum, & quaſi mellifluum ominarentur, veteres offerebant. Ovid. Faſt. i. 185. V. illum ſupr. in *Carica.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 15. & 23. A *melle* primas menſas auſpicabantur. Varr. de Re ruſt. iii. 16. *Mel ad principia convivii, & ad ſecundam menſam miniſtratur.* Horat. Sat. ii. 4. 24.

Aufidius forti miſcebat mella Falerno.

Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 310. Buleng. de Conv. ii. 3. Torrent. ad Horatium. In omni dulciario opere utebantur, ut nos ſaccharo. Saccharum enim priſci non noverunt. Itaque ejus condimento ſaporis gratiam palato parabant, & quæ triſtioris erant, & amarioris ſaporis *melle*, quo minus homines offenderentur, condiebant, & imbibebant. Sic medicamentorum virus emendabant Lucret. i. 935.

Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore.

Sic maga papaver, ut avidius liguriatur a pervigili ſerpente *melle* oblinit apud Virg. Æneid. iv. 486.

Spargens humida mella, ſoporiferumque papaver.

Turneb. Adv. xxviii. 45. Cerda in Virgilium. In condiendis

diendis mortuis, & putredine abigenda utebantur. Plin. xxii. 24. *Mellis quidem ipſius natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat, jucundo ſapore, atque non aſpero, alia quam ſalis natura.* Varro Crono περὶ ταφῆς apud Nonium: *Quare Heraclides* Ποντικὸς *plus ſapit, qui præcepit, ut comburerent, quam Democritus, qui ut in melle ſervarent, quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream ſi centum denariis calicem mulſi emere poſſimus.* Stat. Sylv. iii. 2. 117.

Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat.

Victor. Var. Lect. xix. 5. Kirchman. de Fun. Rom. i. 8. Offerebatur diis. Sil. Ital. xiii. 434.

Fundunt mella ſuper, Bacchique, & lactis honorem.

Et præcipue terreſtribus, quia mortis ſymbolum fuit. Porphyr. de Antr. nymph. *Fecerunt jam mel mortis ſymbolum. Et ideo de melle terreſtribus libationem obtulerunt.* Saubert. de Sacrif. c. 25. Stuck. de Sacrif. c. 72.

MELICRATUM eſt *vinum melle mixtum.* Iſidor. xx. 3. Male. Dicitur enim ea potio melli ra. Sed *melicratum* œnomeli, aut, ut ipſe vocat, œnomolum. *Buleng. de Conviv.* iii. 18. V. tamen infr. in *Mulſa.*

MELIMELA ſunt mala mellei ſaporis. Horat. Sat. ii. 8. 31.

Poſt hoc me docuit melimela rubere, minorem
Ad lunam delecta.

Buleng. de Conviv. ii. 64. Torrent. ad Horatium. Antea a celeritate miteſcendi muſtea dicebantur. Plin. xv. 14. *Muſtea a celeritate miteſcendi: quæ nunc melimela dicuntur, a ſapore melleo.* Varro de Re ruſt. i. 59. *Et quæ antea muſtea vocabant, nunc melimela appellant.* Torrent. l. l. Voſſ. Lex. Etymol.

Melimela mala Cydonia melle condita etiam vocari poſſunt. Mart. xiii. 24.

Si tibi Cecropia ſaturata Cydonia melle
Ponentur, dicas hæc melimela licet.

Voſſ. Lex. Etymol.

MELISSA nympha mellis uſum abs ſe repertum tradidit mortalibus, eoque a cultu & victu inhumano ad humanitatem eosdem traduxit. Sane apum qua puritatem, qua induſtriam ita deorum ſacris convenire exiſtimavit antiquitas, ut non unam duntaxat Flaminicam Cereris, ſed & alias quarumcunque deorum, dearumque ſacerdotes *Meliſſas* appellarit. De *Meliſſa* Lactant. i. 22. *Didymus in libris* ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς *ait, Meliſſea Cretenſium Regem primum diis ſacrificaſſe, ac ritus novos, ſacrorumque pompas introduxiſſe. Hujus duas fuiſſe filias, Amaltheam, & Meliſſam; quæ Jovem puerum caprino lacte, ac melle nutrierunt. unde poetica illa fabula originem ſumpſit, advolaſſe apes, atque os pueri melle compleſſe. Meliſſam vero a patre primam ſacerdotem matri magnæ conſtitutam; unde adhuc ejusdem matris antiſtites Meliſſæ nuncupantur.* Holſteen. Comment. in Nymphæum Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1801. B.

MELLARIUM nominabatur vas in ſacris Bonæ deæ. Macrob. Sat. i. 12. *Vas, in quo vinum inditum eſt, mellarium nominatur.* Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 421. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. ii. 19.

MELLITA ſunt dulciora fercula, quæ ultimis menſis apponuntur, ut hodie ſaccharati miſſus epularum a piſtore dulciario, & omnia quæ bellariorum nomine continentur, & ſacchari operis ſtrues in adjicialibus cœnis, atque nuptialibus, quæ in lancibus argenteis ad oſtentationem traducuntur, magis ut delibentur interdum, quam ut eſitentur. Suet. Ner. c. 27. n. 5. *Quorum uni mellita quadragies HS conſtiterunt.* Bud. de Aſſe iv. p. 412. Bruyer. de Re cibar. iii. 2. Græv. in Suetonium.

MELLOPROXIMI, id eſt, futuri proximi, in ſcrinio ſequuntur proximos. Exeunte proximo ejus locum ſubibant, & clariſſimi cum ſequentibus uſque ad Exceptores vocabantur. *Pancirol. Notit. dign. imperii orient. c. 94. Gutber. de Offic. dom. Aug.* iii. 7.

MELOPOEA eſt quæ vim omnem manifeſtam habet, & omnium oculis expoſitam. *Buleng. de Theatr.* i. 7. Differunt, ait Capella, genere, aut ſpecie. Genere quidem, ut alia ſit enarmonica, alia chromatica, alia diatonos, ſpecie vero, quæ gravioribus ſonis conſtat, dicitur ὑπατοειδής, & tragica. *Buleng. ibid.* ii. 4.

MELOS eſt actus acuti, aut gravioris ſoni, id eſt, ipſe ſonus acutus, aut gravis, feriens aures. Plutarch. Sympoſ. ix. 15. *Melos eſt e phthongis, & diaſtematis.* Apud Athen. xiv. 8. eſt proprie carmen modificatum, & μεμελοποιημένον, in quo habita eſt ratio harmoniæ, ut cani poſſit. Talia ſunt lyrica. Ideo omnes poetæ ſua carmina odas vocant, & *mela*, ut loquitur Martianus. *Buleng. de Theatr.* ii. 4.

MEM.

MEMBRANÆ Pergami ſunt repertæ. Plin. xiii. 11. *Mox æmulatione circa bibliothecas Regum Ptolemæi, & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolemæo, Varro membranas Pergami tradidit repertas.* Sed hoc ita dictum eſſe cogitandum eſt, quaſi Eumenes primus ſummam copiam juſſerit fieri *membranarum* ad bibliothecæ ſuæ volumina. *Membranarum* uſum eſſe antiquiſſimum indicat Græcorum proverbium, ἀρχαιότερα διφθέρας, *diphthera antiquiora.* Perſicos quoque annales ſolere *membranis* inſeri auctor eſt Diod. ii. p. 84. B. ex auctorem laudat Cteſiam, qui ſua ſe hauſiſſe dicit *ex membranis regiis, in quibus Perſæ, quadam lege, geſta vetera digeſſerant. Membranacei* quoque fuere libri, quos Eleazar pontifex Judæus miſit Ptolemæo Philadelpho, ut eſt apud Joſeph. Antiq. Judaic. xii. Itaque ita ſe res habet. Alexandria condita, cum Ægyptus in Macedonum eſſet poteſtate, chartæ per Græciam vulgaris uſus eſſe cœpit: uſque dum ex æmulatione inter Ptolemæos & Pergamenos Reges, de bibliothecæ nobilitate certantes Rex Ægyptius vetuit chartam Ægypto efferri. Tum Pergamenus Rex, ne ab ſtudio priori remitteretur, curavit, ut *membranarum* longe major eſſet copia. Hæ ovillæ erant pelles. Unde Martianus Capella, cum dixiſſet, librorum alios eſſe ex papyro, alios ex carbaſo, addit *ex ovillis multi quoque tergoribus.* Erant varii coloris. Iſidor. vi. 11. *Membrana autem aut candida, aut lutea, aut purpurea ſunt. Candida naturaliter exiſtunt. Luteum membranum bicolor eſt: quod a confectore una tingitur parte, id eſt, crocatur, de quo Perſ. Sat.* iii. 9.

Jam liber, & poſitis bicolor membrana capillis.

Purpurea vero inficiuntur colore purpureo, in quibus aurum & argentum liqueſcens pateſcat in literis. Voſſ. de Art. Gramm. i. 38. Hugo de Prima ſcrib. orig. c. 10. Dalechamp. in Plinium. Guiland. Papyr. membr. vi. 1. . . .

Membrana vocatur etiam totum corpus *membranaceum.* Mart. xiv. 188.

Si comes iſta tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

Ubi *membranam* appellat omnia Ciceronis opera in *membranis* deſcripta, & in unum corpus redacta. Sic & de Virgilio in *membranis* deſcripto xiv. 186.

Quam brevis immenſum cepit membrana Maronem.

Membrana, τὸ σωμάτιον, corpus Æneidos. Sic Longinus περὶ ὕψους Ἰλιάδος σωμάτιον dixit Sect. ix. §. 24. de totis viginti quatuor Iliadis libris, quod Latine liceat vertere *Iliadis membranam.* Totum enim Iliadis corpus intelligit. *Salmaſ. in Vopiſc. Firm. c. 3.*

MEMBRUM virile in Bacchi ſacris in ploſtello ducebatur. Varro apud Auguſt. de Civit. Dei vii. 21. *In Italiæ compitis quædam ſacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies feſtos cum honore magno ploſtellis impoſitum prius per rura in compitis, & uſque in urbem poſtea vectabatur.* Scheffer. de Re vehic. i. 18. Rhodig. Ant. Lect. iv. 6. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 12. Meurſ. Eleuſin. c. 11.

MEMMIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

MEMORIA eſt ſcriptum *memoriale.* Gell. IV. 6. *In veteribus memoriis ſcriptum legimus.* Firmic. Aſtron. VI. 26. *Talem Oedipodem habuiſſe genituram antiquæ ferunt memoriæ lectionum.* Tertull. Adv. Jud. c. 1. *Secundum memoriam populus Judæorum derelicto Deo idolis ſervivit.* Elmenhorſt. in Minuc. Felic. p. 305. Herald. & Rigalt. ibid. p. 55. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 7.

Memoria eſt ſepulcrum locutione figurata, quia externa illa adminicula *memoriam* juvant & excitant. Vetus inſcriptio:

SERVILIUS. TROILUS. SE. VIVO
COMPARAVIT. MEMORIAM
SIBI. ET. SUIS

Auguſt. de Cur. pro mort. c. 4. *Non ob aliud vel memoriæ, vel monumenta dicuntur, ea quæ inſignita fiunt ſepulcra mortuorum, niſi quia eos, qui viventium oculis morte ſubtracti ſunt, ne oblivione etiam cordibus ſubtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitari. Propter quod & Græci μνημεῖον vocant, quod nos monumentum, ſeu memoriam appellamus, quoniam lingua eorum memoria ipſa, qua meminimus, μνήμη dicitur.* In paſſione Afræ. *Tulit corpus ejus, & poſuit ſecundo milliario de civitate Auguſta in memoriam, quam ſibi, ſuisque conſtruxerat.* Ipſe Suet. Vit. c. 10. n. 7. *Lapidem memoriæ Othonis inſculptum intuens, dignum eo Mauſoleo ait.* Velſer. in paſſ. Afræ p. 496. Kirchman. de Funer. III. 10. Faes ad Gyrald. de Sepult. c. 1. Falconer. ad Inſcript. athlet. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2325. A. Gonſal. in Petron. p. 278. Pitiſc. in Suetonium.

Memoria etiam poſt mortem ex cauſa majeſtatis, perduellionis, aut ex alia tali cauſa, damnari ſolebat l. 6. §. 8. de injuſt. rupt. & irrit. teſtam. l. 32. §. 5. de donat. int. vir. & uxor. l. 76. §. fin. de leg. II. Eaque damnatio ſic fieri conſuevit, ut ejus, cujus damnabatur *memoria*, magiſtratuum albo nomen raderetur. Cicer Phil. XIII. 12. *Cujus*, Antonii, *totus conſulatus eſt ex omni monumentorum memoria revulſus.* Tacit. Annal. III. 17. 8. *Nomen Piſonis radendum faſtis cenſuit.* Effigies, & ſtatuæ dejicerentur, titulique luto tegerentur expreſſa ſenatus auctoritate. V. infr. in *Statua.* Si quis ſibi perſuaſerit antiquam hanc damnandæ *memoriæ* rationem Græcis, ut multa alia, Romanos acceptam tuliſſe, non video, cur is poſſet reprehendi. Ita de Athenienſibus Liv. XXXI. 44. *Rogationem extemplo tulerunt, plebesque ſcivit, ut Philippi ſtatuæ, imagines omnes, nominaque earum, item majorum ejus virilis, ac muliebris ſexûs omnium tollerentur.* . . . Rævard. Conject. III. 16.

MEMORIALES erant, qui deſcribebant eos, qui vel in bello, vel alibi pulcre, ac cum laude ſe geſſerant, eosque Imperatori commemorabant, ut ex hoc præmiis dignis afficerentur; & inde a rerum geſtarum *memoria*, quam conſervabant, appellati. Sed hoc poſtea munus vacavit. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1097. *G.* Et alii horum loco ſunt ſubſtituti, qui in primis laterculi minoris curam habuerunt, in quo præfecturæ, tribunatus, & præpoſituræ caſtrorum, quæ erant in limitibus imperii, continebantur l. 1. & 2. C. de Offic. quæſt. Qui ſcrinio *memoriæ*, in quo ea reponebantur, præfecti, *memoriales* appellabantur, etſi quandoque etiam epiſtolarum, libellorum, & diſpoſitionum ſcriniarii, *memoriales* ſunt nuncupati l. 2. C. de privil. cor. qui in ſacr. palat. milit. Zeno A. l. ult. C. de div. reſcr. *Qui illicite ſcribere auſi fuerint, cujuſcunque ſcrinii memoriales, ſeu pragmaticarii, vel adjutores primicerii, amiſſione cinguli feriantur.* Omnes enim, qui ſcripturarum ſuarum *memoriam* conſervabant, *memoriales* ſunt vocati, dict. l. 1. & 2. C. de Offic. quæſt. Sic Maſſurius Sabinus *memorialium* librum ſcripſit, in quo res *memoria* dignæ continebantur. Noſtri interpretes ſingularia appellare maluerunt. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient.* 95. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 7.

MEN.

MENA dea fuit, quæ fluoribus menſtruis mulierum præeſſe credebatur. Auguſt. de Civ. Dei IV. 11. *Ipſe ſit dea Mena, quam præfecerunt menſtruis feminarum.* Credita hæc dea luna eſt, quia Græcis μήνη luna dicitur. Hoc enim ſidus in humores imperium habet, & menſtrua perfluvia temperat, quæ ad ejus rationem vel moventur, vel quieſcunt. De illa rurſus Auguſt. ibid. VII. 2. *Sed ibi eſt & dea Mena, quæ menſtruis fluoribus præeſt, quamvis Jovis filia tamen ignobilis. Et hanc provinciam fluorum menſtruorum in libris ſelectorum deorum ipſi Junoni idem auctor*, Varro, *aſſignat, quæ in diis ſelectis etiam privigna ſua eidem cruori præſidet.* Voſſ. de Idolol. II. 26. Bartholin. de Puerp. p. 18. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 154. Stuck. de Sacrif. p. 43. Meurſ. de Puerp. c. 1. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 11. E.

MENDICI in ponte Sublicio ſtipem petere ſolebant. Senec. de Vit. beat. c. 25. *In Sublicium pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideo tamen me deſpiciam, quod in illorum numero conſideo, qui manum ad ſtipem porrigunt.* Verum cur hic potius, quam alibi? an quia locus frequentior, & ſic major capturæ ſpes? ſic puto: nam & nunc major illorum in ponte S. Angeli copia, quam uſquam alibi. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. *n.* 2.

MENDICULA dicitur, quod *mendicis* conveniat. Cur in cenſu, aut faſtu apud Plaut. Epid. II. 2. 39.

Quid erat induta? an mendiculam?

Nam quod quidam *meddiculam* a voce *meddix*, quæ magiſtratum teſte Feſto apud Oſcos ſignificat, dictum volunt, ſomnia ſunt. Præſtat igitur aliqua ignorare, quam argutari. *Ferrar. de Re veſt.* I. 3. 20.

MENENIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

Menenia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

ΜΗΝΙΣΚΟΣ vocatur umbella lunata, capitibus ſtatuarum impoſita apud Ethnicos, ne ab avibus conſpurcarentur. Ille Priapus Horat. Sat. I. 8. 37. ſi ſciens fallit, imprecatur ſibi hæc:

— *merdis coinquiner albis*
Corvorum.

Ariſtoph. Avib. p. 594.

Si autem non judicatis, adærabimini coopercula, μηνίσκους, ferre,
Tanquam ſtatuæ: ſic veſtrum qui non cooperimentum, μήνην, habeat
Quando habetis chlænulam albam, tunc maxime ſic pœnam
Dabitis nobis omnibus avibus evulſi.

Suidas: Μήνισκοι, *tegumenta lunata, quæ ſtatuis imponuntur, ne aves inſidentes merdis eas inquinent.* Clem. Alex. Protrept. p. 34. D. *Hirundines, & multæ aves ſæpe advolantes inquinant ejusmodi ſimulacra.* Adhuc hodie in templis Chriſtianorum imponuntur capitibus ſtatuarum. Cujus tamen rei cauſam ignorantes pictores, dum putant honoris cauſa imponi debere, non ſolum non omnibus ſtatuis imponunt; ſed & imaginibus quoque pictis adhibuerunt: quæ tamen illis opus non habent, ut ſtatuæ. *Scalig. Catal. p.* 211. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. cap. de Fibulis. Kipping. Antiq. Roman.* I. 7. 7. *Gabbem. in Priap. p.* 53. *Faes in Gyrald. de Var. ſepel. rit. c.* 1. Licet non placeant *Raynaud. de Pil. & oæ. cap. tegm. ſect.* 18. V. etiam *Pignor. de menſ. Iſiac. p.* 46. *Borremanſ. Var. Lect. c.* 19.

MENOGENES cognomen fuit Pompeji Strabonis, patris Cn. Pompeji Magni. Tantam enim vim habuit ſimilitudo alterius, ut inde cognomina etiam ſæpe inventa ſint. De Pompejo Val. Max. IX. 14. 2. *Nam pater quoque ejus*, Pompeji Magni, *eo uſque Menogenis coci ſui ſimilis eſſe viſus eſt; ut vir, & ferox animo, & præpotens armis ſordidum ejus nomen repellere a ſe non valuerit.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.

Μήνισκος vocatur quoque ornamentum muliebre, sive circulus περιτραχήλιος. V. illum supr. in *Lunulæ*.

MENS dea culta fuit a Romanis. Lactant. I. 20. *Eadem vanitate Mentem quoque inter deos collocavit senatus: quam profecto si habuisset, ejusmodi sacra nunquam suscepisset.* Causam addit Cicer. de Nat. deor. II. 31. *quod a diis ad homines pervenerit, cultaque ideo, ut bonas redderet hominum mentes.* Ei dicata inscriptio apud Gruter. p. 99. n. 7.

M. SEPTIMIUS. C. F
MENTI, FIDEIQ. DEAB
PRÆSENTIBUS
EX. VOTO. S. P.

Origo cultus cœpit bello Pun. II. Ovid. Fast. VI. 240.

Mens quoque numen habet, menti delubra videmus
Vota metu belli perfide Pœne tui.

Struv. Ant. Roman. c. I. p. 144. Cuper. Observ. II. 14. Voss. de Idolol. VIII. 12. Stuck. de Sacrif. p. 40. Caroli Antiq. Roman. I. 5.

MENSA dicebatur, in qua ponebantur vasa, tum escaria, tum vinaria, quamque duo servi convivis apponebant, juxta illud Ovid. Fast. V. 521.

Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo.

Apul. Met. IV. p. 109. *Mensas dapibus largiter instructas accumbunt.* Hinc Mart. IV. 78.

Ad cœnam nuper Varus me forte vocavit,
Ornatus dives, parvula cœna fuit.
Auro, non dapibus oraatur mensa: ministri
Apponunt oculis plurima, parva gulæ;
Tunc ego, non oculos, sed ventrem pascere veni:
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

Serv. Virg. Æneid. p. 220. *Quia apud antiquos mensas ipsas apponebant pro discis.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 279. Gabl. de Conviv. vet. c. 1. de prof. Roman. rit. c. 25. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. Laurent. de Conviv. c. 1. Villaticis, & agricolis fere erat cespititia. V. supr. in *Cespes*. Tenuiorum erat ex fago. Mart. II. 43. 9. V. illum infr. in *Orbis*. Broukh. in Tibull. I. II. 8. Lautiorum erat acerna. Mart. XIV. 90. cui titulus *Mensa acerna*:

Non sum crispa quidem, nec sylvæ filia Mauræ,
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Et apud Virg. Æneid. VIII. 178. Latinus

Accipit Æneam, solioque invitat acerno.

Horat. Sat. II. 8. 10. V. illum infr. in *Ministri*. Baccius de Conviv. Antiq. I. 6. Buleng. & Demster. l. l. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10. Bayf. de Vascul. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 703. C. Labentibus moribus citrea. Cicer. Verr. IV. 17. *Maximam, & pulcerrimam mensam citream a L. Lutadio Diodoro, omnibus scientibus, abstulisti.* Petron. de Mutat. Reip. n. 27.

—— ecce Afris eruta terris
Citrea mensa.

Augebat pretium in hoc ligno nodus arboris infelicitate tortus, & hæ maculæ amatæ, æstimatæque. Senec. de Benef. VII. 9. *Video istic mensas, & æstimatum lignum senatoris censu, eo pretiosius, quo illud in plures nodos*, id est, maculas, ut mox Petronius, *arboris infelicitas torsit.* Sine hyperbole Tertullian. de Pall. c. 5. *M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit: bis tantum Asinius Gallus numerat.* Illud *bis tantum* facit decies HS. id est 25. millia Philippicorum, qui senatorum ab Augusto census. Inde lux en Petron. l. l.

—— ostrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quod censum trahat, hoc sterile, ac male nobile lignum.

Male nobile lignum ideo, quia tortuosum, & in nodos multiplices vitio naturæ flexum. De illis maculis Plin. XIII. 15. *Præcipua dos in venam crispis, vel in vortices variis. Illud oblongo evenit discursu, ideoque tigrinum appellatur: hoc intorto, & ideo tales pantherinæ. Sunt & undatim crispæ, majore gratia, si pavonum caudæ oculos imitentur.* Augebat pretium itineris longinquitas: petebatur enim ex Atlante celebri Mauritaniæ monte. Plin. l. l. *In Atlante monte Mauritaniæ sylva est, quæ citrum arborem, & cedrum producit.* Martialis jam laudatus. Aurum ipsum pretio superabat. Mart. XIV. 89.

Accipe felices, Atlantica munera, sylvas,
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Lips. in Senecam. Meurs. de Luxu Roman. c. 9. Kobierzyck. & Demster. l. l. Ferrar. Elect. II. 17. Potter. Archæol. Græc. IV. 20. Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 2. Ursin. ibid. p. 292. Eburnea integra. Persuadet l. quæsitum est §. 43. ff. 33. quæ sic habet: *Idem respondit domo instructa legata mensas eboreas, & libros non contineri.* Argentea. Expresse docet l. legata supellectili ff. de supellect. legat. *Supellectilis mensas esse cujuscunque materiæ, scilicet, vel argenteas, vel argento inclusas, placet.* Luxus hic auctorem suum respicit Heliogabalum, qui *primus mensas, & capsas argenteas habuit*, ut ait Lampridius. Argento gemmæ, & lapides pretiosi additi. Claud. in Consul. Prob. & Olyb. n. 264.

—— ostroque infecta corusco
Humida gemmiferis illuxit regia mensis.

Ulpian. l. cum aurum ff. de aur. argent. mund. *In coronis mensarum gemmæ coronis cedent, & hæ mensis.* Ciaccon. de Triclin. p. 25. Bayf. Demster. Kobierzyck. & Meurs. l. l. Aurea. Mart. III. 31. 3.

Et servit dominæ numerosæ debitor arcæ,
Sustentatque tuas aurea mensa dapes.

Per initia erant quadratæ. Festus: *Escariæ mensæ quadratæ vocantur, in quibus homines epulantur.* Varro de Ling. Lat. IV. 25. V. illum supr. in *Cibilla*. Postea rotundæ in usu esse cœperunt. Senec. Consol. ad Helv. c. 11. *Lapides, aurum, & argentum, & magni levatique mensarum orbes, terrena sunt pondera.* Juven. Sat. I. 137.

Nam de tot pulcris, & latis orbibus, & tam
Antiquis una comedunt patrimonia mensa.

Causam adfert Athen. IX. p. 489. C. quod scilicet globosum esse mundum veteres arbitrarentur. *Veteres globosum esse mundum arbitrabantur, & ideo mensam fabricati sunt orbiculatam.* Sive quod figuram circularem putarent absolutissimam, maximeque ad cœli perpetuam, omnia continentem conversionem aptissimam, ut vult Myrleanus apud Athen. I. *Ciaccon. Meurs. Buleng. Bayf. Demster. l. l. Ursin. ibid. p. 291. Ferrar. de Re vest.* II. I. 7. *Feith Antiq. Homer.* III. 5. *Stuck. Antiq. Conviv.* II. 16. *Meibom. Mæcen. c. 21. n. 18.* sive ad significandam æqualitatem conviviorum: & ne quem sibi prælatum quispiam conquereretur. Eustath. Odys. A. p. 138. *Cum mensam dixerit extendi, significat mensas tum temporis non adhuc fuisse orbiculatas, sed extensas in longitudinem. Forsan postea excogitatæ fuerunt rotundæ propter summam æqualitatem, vel ad similitudinem areæ victum ferentis.* Stuck. l. l. Quadratæ fuerunt, sed in longum, scilicet ad lectorum mensuram, quamdiu triclinia durarunt, id est, tres lecti discubitorii. Cum autem stibadia, sive accubita in usum inducta sunt, rotundæ, sive orbes invecti sunt: nam cum stibadium lectus unus semirotundus esset, necesse erat *mensam* pariter esse rotundam, quam stibadium complectebatur, relicto loco, per quem epulæ in *mensam* inferrentur. *Ferrar. Elect.* II. 17. Quædam uno tantum pede sustinebantur, & monopodia dicebantur. Livius & Plinius, qui laudantur infr. in *Monopodium*. Aut duobus pedibus bipedes dictæ, quales in marmoribus Romæ expressas videmus. Mart. XIV. 32. II.

Ibat tripes grabatus, & bipes mensa.

Sed tripedes frequentius erant. *Ciaccon. de Triclin. p. 27.* Quem Martialis non juvat. Loquitur enim de vili, ac paupertina supellectile migrantis e domo, & frivola alio transferentis, in qua sicut erat grabatus tripes, id est, uno

pede

pede mutilus, ſimiliter *menſa* bipes, tertii pedis defectu clauda. *Ferrar. Elect. l. l.* Nec bipes in antiquis marmoribus reperitur. Tripes in pluribus veteribus triclinus habetur. Horatius mox laudandus. Cratinus hujuſmodi *menſam* τρισκελῆ dixit, quod tribus quaſi cruribus niteretur, cujus ſcilicet pedes ad ſimilitudinem crurum eſſent facti. Sed *menſa* item, quæ quatuor pedibus ſuſtinebatur, tripes etiam ab antiquis dicebatur, ut ex hoc Epicharmi loco intelligi poteſt: τὶ τὰ δ' ἐςὶ, δηλαδὴ τρίπȣς. τί, μὰν ἔχει πόδας τέτ᾽αρας; ȣ̓κ ἔςι τρίπȣς, ἀλλ᾽ οἶμαι τετράπȣς: ἔςι δ' ὄνομα αὐτῇ τρίπȣς. *Urſin. ibid. p.* 295. Poſtquam rotundæ *menſæ* in uſum venere, ferme monopodes factæ, & tripodes non ita in pretio. Unde Horat. Sat. I. 3. 12.

—— modo Reges, atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo ſit mihi menſa tripes, &
Concha ſalis puri.

Quia rotundæ erant, orbes appellabantur. *Ferrar. l. l.* V. Senecam & Juvenalem modo laudatos. Pedes hi erant eburni. Martialis modo laudatus. Lucan. x. 144.

Dentibus his niveis ſectos Atlantide ſylva
Impoſuere orbes.

Et formati in ſpecies animalium. Juven. Sat. xi. 122.

—— latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.

Meurſ. Bayſ. & Kobierzyck. l. l. Urſin. ibid. p. 295. Buleng. ibid. c. 37. Borremanſ. Var. Lect. c. 13. Figrell. de Stat. Rom. c. 6. Voſſ. de Idolol. iii. 50. *Menſæ* erant ſacræ veteribus. Syneſ. Epiſt. 57. *Sacra admodum res, per quam honore afficitur deus amicitiæ, & hoſpitalitatis.* Et inde ſæpius ſacræ dicuntur. Senec. de Ira I. 2. *Alium inter ſacra menſæ ira percuſſit.* Arnob. ii. p. 91. *Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris deorum.* Curt. v. 2. 14. *Se ſacram ejus,* Darii, *menſam ad ludibrium recidentem ſine lacrymis conſpicere non poſſe.* Quia deorum ſtatuæ illis inſerebantur, veluti tutelæ *menſarum* & conviviorum. Hi dicti θεοὶ ἐπιτραπέζιοι. Hujuſmodi fuit Hercules ἐπιτραπέζιος apud Stat. Sylv. iv. 2. 60.

—— Pellæus habebat
Regnator lætis nomen venerabile menſis.

Et de illo in ejuſdem Alexandri *menſa* Mart. ix. 44. 7.

Hæc habuit numen Pellæi menſa tyranni,
Qui cito perdomito victor in orbe jacet.

Scalig. in Feſtum. Potter. Archæol. Græc. iv. 20. Meurſ. in Lycophr. n. 137. Buleng. ibid. c. 6. Laurent. de Prand. c. 2. Lipſ. Saturn. I. 2. Herald. in Arnobium. Kipping. Antiq. Roman. iv. 3. 3. Rader. & Pitiſc. in Curtium. Atque hinc conſtare poterit, unde tanta apud auctores ſanctitas *menſæ* tribuatur, quam inhoneſtis verbis, factisve, aut perfidia violare apud veteres ſummum nefas erat. Juven. Sat. ii. 110.

Hic nullus verbis pudor, aut reverentia menſæ.

Et ubique occurrunt querelæ de perfidis *menſarum* violatoribus: veluti illa Caſſandræ de Paride, qui a Menelao exceptus uxorem ejus abripuerat. Lycophr. n. 136.

Auſus es divinum, ſceleſte, jus transgredi,
Percellens jus menſæ, & juſtitiam evertens.

Non operiebantur linteis, uti nunc moris eſt: ſed duntaxat perfricabantur ſpongiis. V. infr. in *Spongia*. Potter. l. l. *Menſam* in privatis precibus manu tangebant. Ovid. Amor. I. 4. 27.

Tange manu menſam, tangunt quo more precantes.

Briſſon. de Form. I. p. 40. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 13. Romæ, ubi tribus lectis *menſa* una cingebatur, vel certe uno ſigmate, qui lectus unus perpetuus fuit, quo ſex, pluresve caperentur, ſua cuique *menſa* non eſt appoſita. Scholiaſtes tamen Homeri ad hæc verba Odyſſ. I.

---- τῷ ξεςὴν παρετέθη τράπεζα.

Moris fuit, ut cuique convivæ ſua menſa apponeretur. Heroes enim Homeri ævo, & paullo ante, aſſidebant *menſis*, non accumbebant: ideoque cuique ſua *menſa* quadrata potuit apponi. *Buleng. ibid.* ii. I. *Falconer. de Pyram. Ceſtii Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* iv. *p.* 1471. *F. Urſin. ibid. p.* 277. *Feith. l. l. Borremanſ. Var. Lect. c.* 13. Primas excipiebant ſecundæ, & ipſæ aliquando in plures miſſus operis dulciarii, nec non lactarii, & pomorum diſpertitæ. Has apud antiquos in uſu fuiſſe Pindari poetæ teſtimonio probat Athen. xiv. p. 641. C. *Secundas menſas fuiſſe apud antiquos apparatas maxima cura, & magnificentia, docet Pindarus in Olympionacis, ubi de pelope occiſo, & illato menſæ verba facit.* E. *Nonnunquam ſecunda menſa dabatur, & ovum, & leporina, mixtim cum turdis, & opere dulciario, ut inquit Antiphanes in Leptiniſco.* Cicer. Fam. xvi. 21. *Videor enim videre ementem te res ruſticas, cum villico loquentem, in lacinia ſervantem ex menſa ſecunda ſemina.* Serv. Æneid. I. 220. *Duas habebant menſas; unam carnis, alteram pomorum.* Horat. Sat. ii. 2. 121.

—— tum penſilis uva ſecundas
Et nux ornabat menſas, cum duplice ficu.

Mart. v. 80. 11.

Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum.

Ciaccon. ibid. p. 55. Urſin. ibid. p. 312. Buleng. ibid. I. 39. Caroli Antiq. Roman. iv. 8. Kipping. Antiq. Roman. iv. 3. 11. Et interdum tertiæ. Pollux vi. 12. *Erant menſæ quædam, primæ, ſecundæ, & tertiæ.* Has in Heliogabalo videtur innuere Lampridius laudatus ſupr. in *Manſuetarii.* Sed hæc, ut videtur, raro apponebatur. *Urſin. ibid. p.* 314. Vacuam non ſinebant auferri. Rationes hujus ritus has reddit Plutarch. Sympoſ. vii. 4. I. Significabant ſemper & partis aliquid in futurum & in præſenti die ſubſecuturæ aliquam habendam rationem. II. Quod ſcitum putabant, appetitum cohibere, cumque reprimere, dum aliquid adhuc fruendum in promptu eſt: minus enim appetunt abſentia, qui præſentibus abſtinere didicerunt. III. Quod mos iſte humanitatis aliquid erga famulos videtur habere, qui ſic videntur quodammodo a dominis ad ſocietatem *menſæ* admitti, non enim tantum delectantur accipiendo, quantum participando. IV. Quod *menſa* ſit res ſacra, nulla autem rerum ſacrarum unquam debeat inanis relinqui. V. Quod *menſa* terræ videatur eſſe ſimulacrum; nam præterquam quod nos alit, rotunda etiam eſt, & ſtabilis, & recte Veſta a quibusdam appellatur: ſicut ergo terram volumus nobis aliquid utile ſemper producere, & efferre, ita cenſemus *menſam* quoque nunquam debere vacuam, & omni deſtitutam apparatu relinqui. *Ferrar. Laurent. & Feith l. l. Bayſ. ibid. p.* 705. *E. Blond. Rom. triumph.* viii. 177.

Menſa curialis poſita fuit Junoni, quæ Curis dicta eſt, a T. Tatio, ſocietate cum Romulo inita. Has perpetuo ad ſuam ætatem manſiſſe ſcribit Dionyſ. ii. p. 114. *Tatius in omnibus curiis menſas Junoni Quiritiæ poſuit: quæ ibi ſitæ ſunt noſtro quoque tempore.* De illis Feſtus: *Curiales menſæ, in quibus immolabatur Junoni, quæ Curis eſt appellata.* Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 2. C.

Menſa Delphica vocabatur abacus, in quo vaſa eſcaria, & potoria, & maxime potoria collocabantur. De potoriis Juven. Sat. iii. 203.

—— urceoli ſex,
Ornamentum abaci, nec non & parvulus infra
Cantharus, & recubans ſub eodem marmore Chiron.

Ubi Scholiaſtes: *Ornamentum abaci, quod nos Delphicam dicimus.* Porphyr. in Horat. Sat. I. 6. 116. *Menſa marmorea, quam Delphicam vocant.* Vocabatur *menſa Delphica.* Cicer. Verr. iv. 59. *Ideo prætereo, quod iſte menſas Delphicas e marmore abſtulit.* Et ſimpliciter *Delphica.* Mart. xii. 67. 7.

Argentum, atque aurum non ſimplex Delphica portat.

Qui ſignificat vel operoſum abacum, nec e *ſimplici*, ſoloque

que marmore, vel non unum, ſed plures pro copia poculorum in divite hac domo fuiſſe. Lapidem album vocat Horat. Sat. I. 6. 116.

—— & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet.

Factura erat rotunda. Pollux x. 13. *Tripodis operculum circulum appellare oportet, & ὅλμον. Quoniam & Delphici tripodis operculum, cui vates inſidet, ὅλμος vocatur.* Delphis forte ejuſdem menſulæ, in quibus expoſita donaria, Apollini ſacra. Sane quod Plutarch. in Solon. p. 80. D. & Laert. in Thalet. c. 28. τρίποδα *aureum* appellant, qui nimirum ſapientiſſimo daretur, id *auream menſam Delphicam* in ipſa ea hiſtoria dixit Val. Max. IV. I. 7. ext. Per loculamenta vaſa in iis ſtrui ſolere indicat Sidon. carm. XVII. n. 7.

Nec per multiplices, abaco ſplendente, cavernas
Argenti nigri pondera defodiam.

Qui mos adhuc ſervatur, ac miniſterii hæc vaſa per gradus & ordine diſponuntur. Agrœtius vetus grammaticus ſcribit per paria ſollenne fuiſſe collocari: *In Delphica*, inquit, *comparia vaſa ſemper ſunt.* Unde ipſe Cicero dicebat: *ſcyphorum paria complura.* Ruben. Elect. I. 34. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10. Salmaſ. in Spartian. Peſcenn. c. 6. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 299. Buleng. de Imperat. Rom. II. 35. de Conviv. IV. 10. Cujac. Obſerv. x. 13. Ferrar. Elect. II. 18. Bourdelot. in Heliodor. IV. p. 89. V. & ſupr. in *Abacus*

Menſæ fœneratorum erant circum forum, etiam in templorum porticibus. Hinc *æs circumforaneum*, de quo ſupr. in *Æs*. Poll. For. Rom. I. 3.

Menſa lanionia erat non tantum in inſtrumento *lanionis*, ſed etiam carnificis, qui illa utebatur ad damnatorum capita amputanda. Ariſtoph. Acharn. II. 2. 38.

At niſi ego, quæ juſta, dixero, & plebi huic probavero,
Tunc caput menſæ volo imponere coquinariæ.

Æſchyl. Agam. n. 1286.

Aræ paternæ loco truncus manet culinarius,
Cum mactanda fuero calida cruenta hoſtia.

Suetonius laudatus infr. in *Pars*. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium.

Menſæ in templis ſi dicatæ erant, ararum vicem præſtabant. Virg. Æneid. VIII. 279.

In menſam læti libant, divosque precantur.

I. 742.

Dixit, & in menſam laticum libavit honorem.

Macrob. Sat. III. 11. *In Papiriano jure evidenter relatum eſt, aræ vicem poſſe præſtare menſam dicatam: ut in templo, inquit, Junonis Populoniæ auguſta menſa eſt. Namque in fanis alia vaſorum ſunt, & ſacræ ſupellectilis, alia ornamentorum. Quæ vaſorum ſunt, inſtrumenti inſtar habent, quibus ſacrificia conficiuntur: quarum rerum principem locum obtinet menſa, in qua epulæ, libationesque, & ſtipes reponuntur. Ornamenta vero ſunt clypei, coronæ, & cujuſcemodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra ſacrantur. At vero menſa, arulæque eodem die, quo ædes ipſæ, dedicari ſolent. Unde menſa hoc ritu dedicata in templo aræ uſum, & religionem obtinet pulvinaris.* Guther. de Vet. jur. pontif. III. 6. Scalig. in Feſtum in Menſæ.

Menſa ſepulcralis, quam Græci τράπεζαν vocant, erat lapis quadratus, longior quam latior, ſepulturæ loco impoſitus, ſive ad ſummam ſoli ſuperficiem, ſive ſuper quatuor lapidea fulcra, aut, ut ſic loquar, tibicines, & podia, alta pedes admodum tres duoſve. Tale ſepulcrum noſtri Franco-Galli appellant tombe, a Græca voce τύμβος, quæ proprie notat ſepulcrum, aut ſepulturam generatim, quamvis Cicer. de Leg. II. 26. eam reddat voce buſti. V. ſupr. in *Buſtum*. Quemadmodum autem Latini generatim in ſepulcrorum omnis generis ſtructura, & ædificio verbo *ponendi*, ita ſpeciatim dicunt *ponere menſam*. Inſcriptio Mediolani in cœnobio monachorum D. Ambroſii apud Gruter. p. 850. n. 6.

M. M
MINUCIÆ. RUFINÆ
INNOCENTISSIMÆ. FEMINÆ
QUÆ. VIXIT. ANNIS. XXII
MENSE. UNO. DIEB. XXIV
MINUCIA. DOMITIA. SORORI
POSUIT. MENSAM. CONTRA
VOTUM

Bergier. de viis milit. II. Sect. 38. §. 5.

Menſa quoque in inſtrumentis bellicis interior eſt, & media inter duas hinc inde ſcutulas, conſtatque regulis, diapegmatis, & tabula inter regulas, & diapegmata collocata, eſtque in ſummo, & in imo capitulo. Cteſibius, vel Hero. Vitruv. x. 16. *Regulæ, quæ eſt in menſa, longitudo foraminum octo.* Turneb. Adv. II. 5. Erat pars præcipua in catapultis & balliſtis, quod erecta continebat brachia machinarum, & totum pegma. Ideo *menſa* dicebatur, quod *menſæ* inſtar eſſet plana, tetragona, & forma oblonga. Vide Heronem in Belopœicis. *Bald. Lex. Vitruv.*

Menſæ quoque vocabantur cibi ipſi *menſis* impoſiti. Virg. Æneid. I. 220.

Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remotæ.

Nam ſequitur n. 742.

Dixit, & in menſa laticum libavit honorem.

Non ergo *menſæ* ipſæ remotæ fuerunt, ſed epulæ illis impoſitæ. Pollux VI. 12. *Menſas etiam cibos iſtis impoſitos nominaverunt.* Servius: *Apud majores ipſas menſas apponebant pro diſcis.* Ciaccon. de Triclin. p. 26. & 54. Urſin. Append. p. 280. *Menſas apponebant pro diſcis.* id eſt, non lances in menſam, ſed menſam cum lancibus apponebant. Τὰ σιτία apud Pollucem non ſunt epulæ, ſed quadræ, ſive placentæ triticeæ, quibus epulæ, & obſonia imponebantur. Nam σῖτος proprie cibum ex frumento, id eſt, panem ſignificat, licet τὰ σιτία de omnibus cibis accipiantur. Celæno, harpyarum maxima, hæc dira Trojanis vaticinatur Æneid. III. 253.

Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus Urbem,
Quam vos dira fames, noſtræque injuria cædis,
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.

Ubi Servius: *Ambeſas, undique eſas, id eſt, rotundas. Majores enim noſtri has menſas habebant in honore deorum* (& ideo illis parcebatur) paniceas ſcilicet. Neque irrita furiæ vaticinatio fuit. Nam poſtquam Troes fugientis Italiæ littus adprehenderunt, cum ſub ramis arboris altæ diſcubuiſſent VII. 109.

Inſtituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis (ſic Jupiter ipſe monebat)
Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.
Conſumptis hic forte aliis, ut vertere morſus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu, malisque audacibus orbem
Fatalis cruſti, patulis nec parcere quadris:
Heus, etiam menſas conſumimus, inquit Iulus.

Ubi Servius: Adorea liba. *Ador proprie eſt genus farris; Liba ſunt placentæ de farre, melle, & oleo, ſacris apta.* Subjiciunt epulis: *ſupponunt in epularum locum.* Cereale ſolum. *Solum omne dicitur quod aliquid ſuſtinet. Unde de mari ſupra ait, Subtrahiturque ſolum. Sic nunc paniceas menſas, id eſt epularum ſuſtentaculum ſolum vocavit.* Quadris. *Aut menſis: & eſt antonomaſia: nam ſupra orbem dixit. . . .* Licet prius orbem dixerit, & poſtea quadras, non eſt antonomaſia, ſed ſynechdoche, pars pro toto. Nam placenta in orbem diducta, quadrifida diviſione in quatuor partes ſecabatur, quæ inde quadræ appellatæ, non quod quadratæ, ſed quia quarta pars orbicularis illius *menſæ* paniceæ. Horatius, & Martialis. Sed V. illos laudatos infr. in *Quadra*. Hæc paullo fuſius, ut intelligeremus, quænam *menſæ* eſſent, quæ *menſis* imponebantur: non ipſæ

epulæ, sed placentæ triticeæ, sive paniceæ, quibus epulæ imponebantur, ut nunc patinis, & lancibus. *Ferrar. Elect.* II. 17. *Buleng. de Conviv.* I. 38.

MENSALIS Juno. V. illam supr. in *Juno.*

MENSARIUS differt ab argentario; publicam enim rationem confecit, & rei nummariæ publicæ curator fuit: argentarius privatam, & negotiationis privatæ curator fuit. Itaque *mensarii* Romæ, ut res tulit, modo quinqueviri, modo triumviri sunt creati: argentarii, ut etiam reliqui mercatores, nullius lectione, judicio suo, quæstu tantum privato inducti rem nummariam jam inde ab initio Urbis exercuerunt. *Mensariorum* prima mentio fit apud Liv. VII. 21. anno ab U. C. 401. Eos ille creatos levandi fenoris causa tradit: idque his verbis: *Inclinatis semel in concordiam animis, novi consules fœnebrem quoque rem, quæ distinere unanimos videbatur, levare aggressi, solutionem alieni æris in publicam curam verterunt: quinqueviris creatis, quos mensarios ab dispensatione pecuniæ appellarunt. Fuere C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius, & Tib. Æmilius, qui rem difficillimam tractatu, & plerumque parti utrique, semper certe alteri gravem, cum alia moderatione, tum impendio magis publico, quam jactura sustinuerunt. . . .* Ex hoc loco patet, *mensarios* nihil, nisi publicæ rationis, attigisse. Quod etiam in Græcia, *atque Asia factitatum* ostendit Cicero *ab iis, quos illi τραπεζίτας vocarent*, ipse, cum de Asia diceret, *mensarios* Latino vocabulo appellavit in oratione pro Flacco c. 19. laudata supr. in *Argentarii.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. II. 11. Turneb. Adv. XX. 28. Flocc. de Potest. Roman. II. 20. Rosin. Antiq. Roman. VII. 39. Auctionibus olim præerant, pretia rerum venditarum colligebant, & redigebant. Apud eos cujusque generis res deponebantur, quia publicæ fidei erant veluti sequestres. Idcirco & promittebant se soluturos, aut reddituros pro aliis res quascunque mobiles, vel immobiles. *Salmas. de Mod. usur. c.* 16. *Kippinq. Antiq. Roman.* II. 3. §. 10.

MENSIS *est, quando luna lustrato suo cursu solem consecuta est.* Cicer. de Universo. Romulus imperii Romani conditor initium cujusque *mensis* ex illo die sumebat, quo primum nova luna sese mortalibus ostenderet. *Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 179. *E. Hagvelon. Kalend. triling. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1031. *C. Laurent. de Annis c.* 1. *Lalamant. de Temp. & ejus part. Thes. Gronov. ibid. p.* 1047. *E.* Illorum seu numerum, seu nomina acceperit Romulus ab Albanis, a Latinis, a circum-vicinis aliis populis; at videtur saltem speciali ratione tum constituisse ordinem, tum certum dierum numerum singulis assignasse. *Gassend. Kalend. Roman. c.* 1. Romani Imperatores olim de suo nomine appellari voluerunt I. propter insignem aliquam victoriam. Suet. Aug. c. 31. n. 2. *In cujus ordinatione Sextilem mensem e suo cognomine nuncupavit magis quam Septembrem, quo erat natus: quia hoc sibi & primus consulatus, & insignes victoriæ obtigerent.* II. in memoriam patris. Suet. Cal c. 15. n. 4. *At in memoriam patris Septembrem mensem Germanicum appellavit.* III. quod eo mense essent nati, vel imperium suscepissent. Suet. Domit. c. 13. n. 8. V. illum infr. in *October.* Vopisc. Tacit. c. 13. *Hic idem mensem Septembrem Tacitum appellari jussit, idcirco quod eo in mense, & natus, & factus est Imperator.* Nullus plures appellationes *mensibus* indidit, quam Commodus Imperator. Lamprid. c. 11. *Menses quoque in honorem ejus pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium, ex signo ipsius adulatores vocabant.* Nonnulli rejiciebant tales appellationes, etiamsi Scto fierent. Id factum a Tiberio. Suet. c. 26. n. 5. *Intercessit, ne mensis September Tiberius, October Livius vocarentur.* & ab Antonino Pio. Capitol. c. 10. *Menses Septembrem atque Octobrem Antonianum atque Faustinianum appellandos decrevit senatus, sed id Antoninus respuit.* Robort. de mens. appell. ex nom. Imperat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 23. A. Stewech. in Veget. Prol. IV. Omnes Junoni sacri erant, quia, ut Plutarch. Quæst. Roman. 76. tradit, *Juno est luna, quæ menses efficit.* Junonis Lunæ Reginæ meminit antiquus lapis, quem videre est Veronæ:

JUN. LUN
REG. SACR
P. VITULLIUS
PHILOLOGUS
VI. VIR. AUG
INFERIO

Quamquam & sol *mensium* dominus habitus fuerit. Unde Attis, per quem solem designabant, *Menotyrannus* vocabatur. Idem est ac si diceres μηνῶν τύραννος, *Rex mensium*, & anni moderator. Legitur in hoc lapide.

M. D. M. I
ET. ATTIDI. SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIUS. FLAVIANUS

Boxhorn. ad Plutarchum.

Mensis civilis nullo certo numero continetur, sed unaquæque civitas eum suo arbitratu intra quendam numerum observandum constituit. Censorin. de Die nat. c. 22. *Civiles menses sunt numeri quidam dierum, quos unaquæque civitas suo instituto observat; ut nunc Romani a Kalendis in Kalendas. Civiles, & posterius instituti, & ad unamquamque pertinent civitatem.* Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 179. E. Gassend. Kalend. Roman. procem.

Mensis ἐμβόλιμος, injectitius, apud Græcos constabat diebus bis undecim, seu viginti & duobus, quem, lunarem annum dierum 354 cum præcise haberent, ac putarent annum solarem dierum 365 excedere illum præcise diebus undecim, quos dixerunt ὑπερβάλλοντας, quasi excedentes, aut superfluos, cœpere altero quoque anno intercalare, ut altero quoque anno, seu initio tertii restitutio principii anni, quod ipsis ad solstitium æstivum erat, fieret. Hinc totum id temporis spatium dictum ipsis fuit τριετηρὶς, hoc est, triennium, quod revera tamen διετηρὶς, seu biennium fuit. Quia vero deinceps animadverterunt errorem ex eo subesse, quod annus solaris, præter dies illos integros, contineret adhuc sex horas, seu diei quadrantem, quem negligerent, quique intra annos quatuor unius diei promotionem crearet; eam ob causam faciendam potius quarto quoque anno intercalationem dierum quater undecim & unius, seu quadraginta quinque, hoc est, sesquimensis, censuerunt. Unde & hoc spatium, quo anni principium post quatuor annos restituebatur, dictum ipsis πενταετηρὶς, quinquennium fuit, reipsa tamen fuit solum τετραετηρὶς, quadriennium. Visum postmodum est commodius duplicare hunc numerum, sicque ἐνναετηρίδα, novennium, seu potius ὀκταετηρίδα, octennium exspectare, ut ex habitis diebus nonaginta tres fierent menses dierum tricenum, qui uno tenore intercalarentur. Romani imitati Græcos probarunt quidem intercalationem quadraginta quinque dierum intra annos quatuor faciendam, ac dierum nonaginta intra annos octo; at non censuere tamen intercalationem in totum quadriennium, octenniumve esse differendam, sed biennio quoque potius peragendam. Ac ratione ea quidem in secundo anno intercalarentur dies viginti duo, quarto viginti tres, sexto rursus viginti duo, & octavo viginti tres, atque ita porro procedendo per insequentia octennia. Verum quod non attenderent, suum illum annum dierum 355. majorem esse uno die, quam Græcorum annum dierum 354. ideo brevi effectum est, ut duobus diebus quovis biennio amplius, quam par foret, interjectis, ea fieret brumæ regressio, ut intra annos triginta contingeret initio Decembris, intra alios triginta initio Novembris, &c. Re ergo cognita, quod quovis octennio dies octo excrescerent, & post tria octennia viginti quatuor abundarent, ea propter tertio quoque octennio non dies nonaginta, sed sexaginta sex solummodo intercalarunt. Macrob. Sat. I. 13. *Gassend. Kalend. Roman. c.* 2. *Putean de Bissexto c.* 3.

Mensis intercalaris mentio frequens occurrit apud Latinos aucto-

auſtores Faſti conſulares. *Scipio Aſiaticus triumphavit an. 564. menſe intercalari, pridie Kal. Mart.* Aſcon. in Cicer. p. 186. *Pompejus conſul* III. *creatus eſt ab interrege Ser. Sulpicio* v. *Kal. Mart. menſe intercalario.* & p. 185. *Hæc agebantur menſe intercalari.* Vetuſtiſſimus Ictus Cato de verb. ſignif. *Menſis intercalaris conſtat ex diebus viginti octo.* Cicer. Verr. II. 52. *Tum Cephaleditani decreverunt intercalarium quadraginta quinque dies longum.* Muncker. de Intercal. II. 2. Gaza de Menſib. c. 18. Haguelon. Diction. triling. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1032. E.

Menſis lunaris *eſt temporis quoddam ſpatium a nova luna.* Cenſor. de Die nat. c. 22. Eſt triplex I. Περιοδικὸς, cum luna ab eodem puncto zodiaci profecta ad idem revertitur. Quod tempus conſtat ſecundum Plin. II. 9. & Chalcid. in Timæum Platonis p. 59. diebus $27\frac{1}{3}$. Secundum Cleomedem Meteor. I. 3. diebus $27\frac{1}{2}$. Secundum Gell. III. 10. & Macrob. in Somn. Scip. I. 6. diebus 28. Secundum Vitruv. IX. 4. diebus 28. & una circiter hora amplius. Secundum Martian. Capell. VIII. diebus 27. & beſſe. II. Συνοδικὸς, cum luna a ſole profecta rurſus ad eum redit. Quod fit ſecundum Cenſor. l. l. die $29\frac{1}{2}$. Geminum p. 115. die $29\frac{1}{2}$. $\frac{1}{33}$. Plin. II. 9. Cleomed. l. l. Caſſiod. Var. II. 36. die 30. III. Φάσεως eſt, qui incipit ſecundo die a coitu, duratque uſque dum tota rurſus deficiat, exque oculis evaneſcat. Plin. II. 9. *Lindenbrog. in Cenſorinum, Thyſius in Gellium* I. 20. *Salmaſ. de Emend. temp.* I. *p.* 9. *Voſſ. de Idolol.* II. 19. *Turneb. Adv.* XVI. 13. *Philand. in Vitruvium. Haguelon. Diction. triling. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1031. *E.*

Menſis magni meminit Virg. Ecl. IV. 12.

— *& incipient magni procedere menſes.*

Ubi Servius intelligit Julium & Auguſtum a duobus magni nominis Imperatoribus nuncupatos. Ita ille: *Illud tangit, quod Julius, & Auguſtus menſes in honorem Cæſaris, & Auguſti acceperint nomina.* Nonnulli Junium & Julium, a dierum magnitudine, vel horarum potius, quæ tunc ampliſſimæ æſtivis diebus ſunt. *Jun. de Ann. & menſ. c.* 4. Ita ſtulte multi blaterant. Sunt *menſes* magni anni. Nam, ut magnus ipſe annus dicitur, ſic ejus magni *menſes*. Itaque quemadmodum annus vertens duodecim tricenum plus minus dierum *menſes* habet: ſic & magnus annus duodecim dimetata, & deſcripta habet *menſium* ſpatia, quæ aliquot ſecula complectuntur. *Turneb. Adv.* XVI. 13. Non placet explicatio Servii, neque Turnebi. Quæ enim dicunt, præſertim quæ Turnebus, nihil habent peculiare ad commendationem aureæ ætatis. Sunt potius *menſes* magni vere, atque eximii, quos nullius vita potuiſſet dare majores, feliciores, fauſtiores. *Alciat. Parerg.* VIII. 8. *Cerda in Virgilium.*

Menſis Merkedonius. V. illum infr. in *Merkedonius.*

Menſis naturalis eſt tempus, quo luna a ſole digreſſa, circuitu perfecto, ipſum repetit; eſtque dierum viginti novem, ac ſemiſſis, tantillumve amplius. Cenſor. de Die nat. c. 22. *Naturalium ſpecies duæ, quod partim ſolis, partim lunæ eſſe dicantur. Naturales, & antiquiores, & omnium gentium communes ſunt.* Gaſſend. Kalend. Roman. procem. Scalig. de Emend. temp. I. p. 9. Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 179. E.

Menſis ſolaris eſt, qui naturalibus circuli cœleſtis ſegmentis definitur, qualis eſt tranſitus ſolis a ſigno ad ſignum. Cenſor. de Die nat. c. 22. *Secundum ſolem fit menſis, dum ſol unumquodque in zodiaco orbe ſignum percurrit.* Scalig. de Emend. temp. I. p. 10. Junius de ann. & menſ. c. 4.

MENSORES, ſive metatores appellabantur, qui *menſuram* agri gruma colligebant. Lucillius:

— *viamque*
Degrumabit, ut in caſtris menſor facit olim.

Metam vocabant ſignum, unde auſpicabantur metiri. *Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 481. *a. C.* 579. *b. D.* Hos mittebat judex, qui de finibus cognoſcebat. Conſtant. l. 3. C. fin. regund. *Si quis ſuper invaſis ſui juris locis prior detulerit querimoniam, quæ fundi cohæret cum proprietate controverſiæ: prius ſuper poſſeſſione quæſtio finiatur: & tunc agrimenſor ire præcipiatur ad loca, ut patefacta veritate hujuſmodi litigium terminetur.* De illorum officio Aggenus Urbicus: *In judicando menſor bonum virum, & juſtum agere debet: nulla admonitione, aut ſordibus moveri: ſervare opinionem: & arte, & moribus omnis illi artificii veritas cuſtodienda eſt, excluſis illis ſimilitudinibus, quæ falſa pro veris ſubjiciuntur. Quidam enim per imperitiam, quidam per imprudentiam peccant. Totum autem hoc judicandi officium hominem bonum, juſtum, ſobrium, caſtum, modeſtum, & artificem egregium exigit.* Et illum deſcribit Caſſiod. Var. III. 53. *Agrimenſori finium lis orta committitur, ut contentionum protervitas abſcindatur. Judex eſt utique artis ſuæ. Forum ipſius, agri deſerti ſunt. Fanaticum credis, quem tortuoſis ſemitis ambulare conſpexeris. Judicia ſiquidem rerum inter ſylvas aſperas, & dumeta perquirit. Non ambulat jure communi. Via eſt illi ſua lectio: oſtendit, quod dicit: probat, quod didicit: exercitibus ſuis concertantium jura diſcernit: & more vaſtiſſimi fluminis, aliis ſpatia tollit, aliis jura concedit.* Briſſon. de Form. V. p. 432.

Menſores frumentarii dicebantur, qui ſub frumentationis præfectis conſtituti erant. Paull. l. menſores. ff. de excuſat. *Menſores frumentarios habere jus excuſationis apparet ex reſcripto divorum Marci & Commodi.* Horum mentio in inſcriptione, quæ Comi in Rhætia alta:

D. M
CÆNNI. LUGENI. MENSORIS
PUBLICI. FLORENTIUS
LIBERTUS.

Laz. Comment. Reip. Roman. II. 15. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 30. *Cujac. Obſerv.* XI. 8. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* VII. 38.

Menſores etiam dicebantur, qui in *menſa* ſerviebant. Hos puto ſic dictos ab Honorio, & Theodoſio C. de menſor. l. I. *Primicerius menſorum biennio expleto agentis in rebus militis militiam ſortiatur.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 92.

Menſores in militia quinam fuerint dicti V. infr. in *Metatores.*

Menſores operum, & ædificiorum dicebantur architecti, ita periti *metiendi*, & locandi operi, ut ratio ſumptuum conſtet, nec excedat. Vetus inſcriptio apud Gruter. p. 623.

D. M.
L. CÆCILI. MAXIMI
MENSORIS. ÆDIFICIORUM

Plin. Epiſt. X. 29. *Menſores vix etiam iis operibus, quæ aut Romæ, aut in proximo fiunt, ſufficientes habeo: ſed in omni provincia inveniuntur, quibus credi poſſit.* Briſſon. de Form. V. p. 518. Cellar. in Plinium. Spon. Miſc. Erud. antiq. Sect. VI. p. 225.

Menſores etiam dicebantur, qui Principem in aliquam civitatem iturum præibant, & domos, in quibus quiſque hoſpitaturus eſſet, ſigno denotabant, & poſtibus hoſpitaturi nomen adſcribebant. Erant ſub magiſtro officiorum. Illorum mentio eſt in Cod. Theodoſ. VI. 34. Diverſi erant a metatore, quod hic integris caſtris locum deligebat, illi ſingulis hominibus vel in caſtris, vel in Urbe. *Beger. Spicil. Antiq.* III. 5. *Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect.* VI *p.* 226. *Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. c.* 66.

MENTO eſt cognomen Juliorum. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *Auguſt. de Famil. Roman. in Julia.*

MENTULA ſi ſalierit, ſervum ad Venerem iturum portendit. *Niphus de Augur.* I. 9. De collo puerorum ad faſcinum, ſive faſcinantium invidiam repellendam ſuſpendebant. V. ſupr. in *Faſcinum.* Alſar. de Invid. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 834. E.

MENTUM *antiquis Græciæ in ſupplicando attingere mos erat.* Plin. XI. 45. *Stuck. de Sacrif. p.* 130. *Thomaſ. de Donar. c.* 5. *Hartung. Memor.* I. 8. 5. *Jun. Anim.* II. 11. Si ejus pars dextra ſalierit, bonorum acquiſitionem omnibus ſigni-

ſignificat; ſiniſtra vero, & bonam ſpem, & bonum omnibus enuntiat: at ſi totum, nimiam ſenectutem præſagit. *Niphus de Augur.* I. 9.

MER.

MERCATORES appellantur, qui iis rebus, quibus abundamus, exportandis, & iis quibus egemus, invehendis quæſtum faciunt. Quem quæſtum laudat Cicer. de Offic. I. 42. *Mercatura, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt; ſi magna, & copioſa, multa undique apportans, multisque ſine vanitate impartiens, non eſt admodum vituperanda: atque etiam, ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius. Ut ſæpe ex alto in portum, ex portu ipſo ſe in agros, poſſeſſionesque contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari.* Genera illorum ſunt I. eorum, qui proprio nomine *mercatores* appellati ſunt. II. qui negotiatores, & negotia gerentes. Inter quos illud potiſſimum intererſuit, quod *mercatores* Romæ domicilium, & familiam habuerunt, quanquam interdum quæſtus cauſa in provinciis per aliquot menſium ſpatium verſarentur: negotiatores vero eundem ſequuti quæſtum in provinciis ſedem, ac domicilium fortunarum ſuarum collocarunt; neque fere Romam, niſi de cenſendi cauſa deceſſerant. Itaque ut Romæ fuit *mercatorum* collegium, ſic in provinciis conventus negotiatorum. *Mercatorum* collegium inſtitutum eſt an. 259. Claudio, Servilioque coſſ. Liv. II. 27. *Certamen conſulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem. Senatus a ſe rem ad populum rejecit: utri eorum dedicatio juſſu populi data eſſet, eum præeſſe annonæ, mercatorum collegium inſtituere juſſit.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 10. Idibus Majis Mercurio ſuo præſidi ſacrificabant, ut lucra tribueret. V. ſupr. in *Idibus Majis.* Civium cenſorum numero non habebantur. Dionyſ. IX. p. 583. *Civium tum, qui puberes eſſent, ſupra centum decem millia erant; mulierum autem, & puerorum, ſervorumque, & mercatorum, & ſordidas artes exercentium triplo plus, quam turba civilis.* Sigon. ibid. I. 14. Ad Janum geminum ſtabant. Horat. Epiſt. I. I. 53.

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos. Hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet, hæc referunt juvenes dictata ſenesque.

Siccam. de Centumv. judic. II. 2. In commentariis Cæſaris tendunt ſub vallo ad portam decumanam. Frontinus: *Tiberius Gracchus in Hiſpania certior factus, hoſtem inopem commercio laborare, inſtructiſſima caſtra omnibus eſculentis deſeruit: quæ adeptum hoſtem, & repertis intemperanter repletum, gravemque, reducto exercitu ſubito oppreſſit.* Hinc quintana in caſtris forum rerum venalium. Nec ſolum is erat uſus *mercatorum*, ut neceſſaria ad caſtra portarent; ſed, ut eſſent, quibus prædam vendere miles poſſet, ne ea aggravaretur, & alibi, quam in armis haberet animum. *Mercatores* tamen, ſed rerum non neceſſariarum, lixasque, ab priſcæ diſciplinæ vindicibus aliquoties expulſos, ejectosque caſtris, legimus. *Schel. in Polyb. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1228. *C.*

MERCATURA a mangonio olim ſeparabatur. Plaut. Trin. II. 2. 51.

Mercaturam an venales habuit, ubi rem perdidit?

Cicer. pro Cornel. *Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos, & Lælius multi venalitii, mercatoresque ſuperarunt.* Senec. de Benef. IV. 13. *Mercator urbibus prodeſt, medicus ægris, mango venalibus.* Venales utrobique a *mercatura*, & venalitios a *mercatoribus* diſtinctos videmus: cum tamen genus quoddam *mercaturæ* exercere videantur, qui ſervitia vendunt. *Turneb. Adv.* XVI. 5: XXVI. 16. *Blond. Triumph. Rom.* v. *p.* 110. *G.* Neque obſtat vetus inſcriptio, quæ ſic habet: L. VALERIUS. ZABDÆ. MERCAT. VENALICII. L. Nam libertus patronum ſuum mercatorem venalitium honoris cauſa appellat. *Valeſ. in Ammian.* XXII. 7.

MERCATUS differt a nundinis, quia nundinæ omnes *mercatus* ſunt: non omnes *mercatus* nundinæ. *Putean. de Nund. Roman. c.* 27. *Mercatus* eſt locus, & dies deſtinatus vendendis rebus. Nundinæ hodie dicuntur ſtati dies in locis, vel civitatibus certis mercandi cauſa libere conceſſi, cum immunitate a Principe donata vectigalium l. unic. C. de Nundin. *Tholoſan. Synt. jur.* XXV. 3. §. 5. Poſſis alios minores *mercatus*, alios majores, & a tempore, & a negotiis appellare. Sed quocunque nomine, cum a ſole dependent, ſtatis, ſive anni, ſive menſis diebus recurrunt: cum a luna, hujus quoque ſideris ſequuntur inconſtantiam, ordinemque ſuum nihilominus inveniunt, tam in menſe, quam in anno. Noſtri hodie *mercatus*, qui ſtatis hebdomadis cujusque diebus inſtituuntur, ſolares ſunt, & minores, qui ſtatis vero anni temporibus certos dies occupant, partim ſolares, partim lunares ſunt, ſed majores omnes. Hac ratione minores paſſim ſunt in urbibus, oppidis, municipiis; majores, electis tantum regionum locis, & tanquam in unam urbem provinciæ conveniant. Singulari ſane emporii exemplo Germaniam ſuam Francoſurtum nobilitat, Galliam Lugdunum, Italiam Placentia, Poloniam Jaroſlavia. Francoſurtum bis quotannis quicquid hominum eſt in vicinis regionibus, quicquid mercium colligens, ac diſpenſans, gemino mercatu, floret, verno, & autumnali. Autumnalis, qui antiquiſſimus eſt, ſolis tempora ſequitur, vernus, qui recentior, & ab anno 1330. lunæ. Lugdunum ad Rhodanum tres *mercatus* numerat: lunarem unum, & vernum: ſolares tres, menſibus Januario, Auguſto, Novembri. Placentia ad Padum quatuor, & ſolos ſolares elegit. Jaroſlavia ad Sanum una uno celebrior *mercatu* æſtivo, quam cæteræ pluribus: cum Delo, ut olim floruit, comparanda, quæ orbem quaſi terrarum recipiebat teſte Plin. XXXIV. 2. *Mercatus in Delo, concelebrante toto orbe.* Putean. l. l. Forma *mercatus*, & nundinarum ex lege conceſſionis pendet: privilegia enim alia aliis dari ſolent, quæ communia non ſunt. Valens & Valentinianus beneficii hujus utilitatem indulgent l. I. C. de Nundin. *Ut nullum in mercatibus, atque nundinis ex mercium, negotiatoribus conveniant, vel in venalitiis, aut locorum temporali quæſtu, & commodo privata exactione ſectentur, vel ſub prætextu privati debiti aliquam ibidem concurrentibus moleſtiam poſſit inferre.* Tholoſ. ibid. 6. Putean. ibid. c. 28. Locus, & tempus a ſacris ſecerni debent locis, & feriis, in quibus pietati vacandum eſt. Matth. c. 21. n. 12. Et apud Eſdram prohibitum vendere ſabbati die. Carolus quoque Magnus Imperator prohibet *mercatum*, & nundinas haberi diebus Dominicis Leg. Longobard. II. I. de feriis. Et in Gallia noſtri Reges repetitis conſtitutionibus vetant. *Tholoſ. ibid.* §. 8.

MERCES hiſtrionum varia fuit. Capitol. Anton. Philoſ. c. 11. V. illum ſupr. in *Lucar.* Sex aurei dabantur prius, ut notat Schol. Juven. Sat. VII. 243. *Solent petere ſex aureos. Nam non licebat amplius dare.* Roſcius tamen *mercedem* diurnam de publico mille denarios ſine gregalibus ſolus accipiebat. Macrob. Sat. III. 14. Cicer. pro Roſcio. Eunuchus Terentii bis acta eſt, meruitque pretium quantum nulla alia cujusquam comœdia, id eſt, octo millia nummorum, propterea ſumma quoque titulo adſcribitur, ait Donatus. Olim poetis tragicis victoribus hircus datus, agnus Homericis rhapſodis, qui ex eo ἀρνῳδοὶ vocati. Euſtath. in Homer. I. p. 5. F. *Arnodi, rhapſodi, rabdodi, quia qui cantu Homerico certabant, victores agnum accipiebant mercedem.* Buleng. de Theatr. I. 58. Salmaſ. in Lamprid. Alex. Sever. c. 33. Blond. Triumph. Rom. II. p. 47. C.

Merces Ictorum. V. illam ſupr. in *Honorarium.*

Merces etiam omne id ſignificat, quod ex agris locatis, pecunia ſub uſuris credita, & aliis rebus, quarum proprietas ad nos, uſus ad alios pertinet, redigimus. De prædiis Cicer. Attic. XII. 32. *Præſtabo nec Bibulum, nec Acidinium, nec Meſſallam, quos Athenis futuros audio, majores ſumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur.* . . . XV. 17. *Ubi ſit merces epularum.* 20. De *mercedibus dotalium prædiorum.* De uſuris Perſ. Sat. VI. 67.

Fœnoris accedat merces, hinc exime ſumptus.

Horat. Sat. I. 2. 14.

Hic

Hic quinas capiti mercedes exsequat.

Cuper. Observ. I. 17. Nann. Misc. IV. I. Rycq. ad Tacit. Annal. XI. 3. §. 2. Salmas. de Mod. usur. c. 15.

Merces Idibus singulis præceptoribus a discipulis solvebatur. Horatius. V. illum infr. in *Minerval.* Hanc verisimile est Minervæ consecrare solitos fuisse quinquatribus. Tertullianus, & Juvenalis. V. & illos infr. in *Minerval.* Observari etiam solet, ut præceptores, quibus debitæ non exsolvebantur *mercedes*, hac de re conquerentes extra ordinem audirentur l. 1. in princip. & §. 2. ff. de extr. cognit. Idque eo sensu accipiendum est, ut omnem desiderii sui apud eum, qui hujusmodi jurisdictioni præerat, exponendi necessitatem in diem postulationum producere præceptores non cogerentur, sed statim, si vellent, etiam de plano deberent audiri. *Razard. Conject.* I. 10.

MERCURIALES dicuntur mercatores, a Mercurio, quem colebant. Cicer. Fratr. II. 5. V. illam supr. in *Capitolini. Mercatorum* collegium V. supr. in *Mercatores.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. II. 10. Turneb. Adv. V. 28.

MERCURIUS est dictus filius Jovis & Majæ. Hoc modo effingebatur: filo quidem corporis juvenili, facie imberbi, cum alis supra aures; nudus totus, præterquam quod in dorso palliolum habere videatur: dextra marsupium continet, quod supra caput hirci jacet: sinistra caduceum præfert, ad pedes illius gallus, & hircus sunt. *Gyrald. Synt. deor.* IX. *p.* 297. *B.* Sine manibus & pedibus. Causam tradit Plutarch. lib. An seni sit gerenda Respublica. p. 797. F. *Eam ob causam etiam Mercurios seniores sine manibus & pedibus, rigentibus vero fascinis fingunt: indicantes a senibus minime requiri, ut corpore operentur, dummodo ii rationem efficacem, ut convenit, & fœcundam habeant.* Cum rigente fascino fictum esse narrant etiam Macrob. Sat. I. 19. *Pleraque simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita, & virilibus erectis: quæ figura significat solem mundi esse caput, & rerum satorem, omnemque vim ejus non in quodam divisorum ministerio membrorum, sed in sola mente consistere, cujus sedes in capite est,* Herodot. II. p. 123. *Sed ut Mercurii statuam facerent porrecto cum veretro, non ab Ægyptiis, sed a Pelasgis didicerunt.* Cuper. Harpocr. p. 89. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 6. & Pinell. Additam. ad eundem. La Chausse de mutin. simul. tab. II. Casal. de profan. Roman. ritib. c. 6. Cum petaso, & talaribus pinnulis affixis. Sub *Mercurii* persona Plaut. Amph. prol. n. 143.

Ego has habeo hic usque in petaso pinnulas.

Et *Mercurium* describens Apul. Apol. p. 507. *En vide, ut in capite crispatus capillus sub pilei umbraculo appareat, quam lepide super tempora pares pinnulæ emineant.* Nec in petaso tantum; sed in talaribus pinnas habet: quia scilicet sermo, cujus ille putabatur deus, & quem per aera ferre credebatur, velocissimus esse soleat: vel ut velox solis cursus exprimeretur. Macrob. l. l. *Mercurium pro sole censeri documentum est, quod simulacra Mercurii pinnatis alis adornantur, quæ res solis monstrat velocitatem. Nam quia mentis potentem Mercurium credimus, appellatumque ita intelligimus ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, & sol mundi mens est, summa autem est velocitas mentis, ideo pinnis Mercurius, quasi ipsa natura solis, ornatur.* Gyrald. ibid. p. 298. C. Salmuth ad Pancirol. de reb. deperd. & inv. p. 356. Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. V. p. 717. E. Bellor. Symbol. deæ Syr. simul. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 428. D. Fortasse galea. Hanc *Mercurio* tribuit Zenob. Prov. I. 41. *Donavit galeam Mercurio, ut & talaria, & peram.* Apud Eleos, teste Pausan. Eliac. I. p. 177. fuit *Mercurius arietem sub brachii ala gerens, & galea caput armatus.* Κυνῆν enim interpretes per *galeam* reddunt. Observatur quoque illi in argenteo orbe nummi, in quo MERCURIUS exstat. Nisi tamen potius vox Græca petasum designet. Illam ita interpretatur Suidas. *Galea dixit, quia, Iris, habebat galeam, id est, petasum, uti Mercurius nuntius: & Peloponnesii petasum vocant κυνῆν, sive galeam.* Facies, quam ille nummus exhibet, etiam me male habet, quod nihil commune habeat cum deo, qui ut juvenis, vel puer depingi solebat, non barbatus. Senex tamen & barbatus effingitur in ære apud Pignorium in annotationibus ad imagines deorum Vincentii Cartarii. *Cuper. Harpocr. p.* 81. *Monument. Antiq. p.* 194. Etiam chlamyde. Talem enim *Mercurium* suum describit Martianus initio operis: *Ac jam pubescentes genæ semiaudum incedere, chlamydeque indutum parva, invelatumque cætera humerorum cacumen obnubere sine magno risu Cypridis non sinebant.* Tertull. de Re vest. II. 3. 1. Eloquentiæ, ac loquelæ præesse existimabatur, unde & Græci eum Ἑρμῆν nuncupavere. Ac quia loquela rem peragunt nuntii, eo *deorum nuntius* vocatur. Horat. Od. I. 10. 5.

Te canam magni Jovis & deorum
Nuntium.

Ubi Homerum imitatus, qui eum διάκτορον, seu διακτόρον, & κήρυκα vocat. *Oiszel. in Mon. Felic. p.* 184 *Stuck. de Sacrif. p.* 45. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIX. 14. *Turneb. Adv.* XI. 28. *Gyrald. ibid. p.* 300. *D.* Invenit literas. Cicer. de Nat. deor. III. 22. *Mercurius dicitur Argum interemisse, ob eamque causam in Ægyptum profugisse, atque Ægyptiis leges, & literas tradidisse.* Tertull. de Coron. mil. c. 8. *Mercurius literas enarravit, necessarias, & commercii rebus, & nostris erga Deum studiis.* Gyrald. l. l. & Ortel. Deor. & dear. cap. I. 14. Palæstram. Tertull. de Spectac. c. 9. *Sed & gymnicas artes Castorum, & Herculum, & Mercuriorum disciplina prodiderunt.* Hinc Ἑρμῆς Ἐναγώνιος vocatur Pindar. Pyth. II. 18. Et Ἀγώνιος Isthm. I. 85. Et ideo *Lemeraris, & cultus est in palæstris.* Salvian. de Gubern. Dei VI. *Voss. de Idolol.* III. 19. *Stuck. de Sacrif. p.* 41. *Gyrald. ibid. p.* 304. *E. Ortel. l. l. Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 6. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 92. Lyram. V. supr. in *Lyra.* Præerat mercatoribus, aliisque lucrum facientibus, quibus ingeniosissimum ostendebat lucrum. Oppian. de Piscat. III. 9.

Mercuri, tu mihi, patrue, præstantissime filiorum
Jovis, lucrosissimum inter homines ingenium
Ostende.

Et ideo in lapidibus *Mercurius negotiator* vocatur. Saxum Metis repertum an. 1599.

MERCURIO. NEGOTIATORI
SACRUM
NUMISIUS. ALBINUS
EX. VOTO

Atque a mercatoribus maxime fuit cultus. Ovid. Fast. V. 671. V. illum supr. in *Idibus Majis.* Tomas. de Donar. c. 24. Struv. ibid. p. 91. Rhodig. ibid. XIX. 22. Stuck. ibid. p. 45. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 9. Omnis sortitio illi attributa fuit. Et ideo illi quoddam ἑρμαῖον appendebatur. Et Ἑρμοῦ κλῆρος, id est, *Mercurii sors*, quod secundum Suidam oleæ folium quod in urnam conjectum in honorem ejus primum educebatur. *Jun. Anim.* II. 5. *Tomas. l. l. Gyrald. ibid. p.* 298. *B. Libabant illi e cœna discedentes, quæ libationes Mercurio fiebant, non autem, ut postea, adulto. Mercurius enim somno videtur præesse. Libant etiam eidem linguas a cœna discedentes, eo quod linguæ illi, ceu deorum, hominumque interpreti, atque internuntio tribuuntur.* Athen. I. p. 16. B. Eustath. in Homer. Odyss. Γ. 332. *Linguas Mercurio dedicabant, ceu datori sermonis. Illas Mercurio ultimo libasse, ut memor esset cubilis, Homerus quoque indicat. Et forsan talis erat apud posteros Mercurius potabilis, de quo Deipnosophista, qui dicit Ἑρμῆν esse genus potionis apud Stratidem.* Stuck. ibid. p. 206. Buleng. de Conviv. III. 22. Rhodig. ibid. XIII. 6: XXVIII. 6. Tomas. l. l. Gyrald. ibid. XVII. p. 542. F. V. etiam supr. in *Lingua.* Imo victimas illi humanas offerebant. Tertullian. adv. Gnost. c. 7. *Gallorum Mercurium hominum victima placari apud seculum licuit.* Minuc. Fel. p. 295. *Ritus fuit, Mercurio Gallos humanas, vel inhumanas,* quæ homines minime decent, *victimas cædere.* De Teutate, qui *Mercurius*, Lucan. I. 444.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates.

Buleng. de Venat. circ. c. 7. Nicol. de Rit. Bacchan. c.

19. Ouzel. in Minutium. Lapidum acervos viatores ejus statuis solebant accumulare, ut singuli singulos adjicerent. V. supr. in *Lapis*.

Mercurius ales, & alipes fuit dictus propter talaria alata. Auct. Priap. c. 8. n. 10.

Sub tunica virgam num deus ales habet?

Ovid. Met. xi. 312.

Alipedis de stirpe dei.

Gyrald. Synt. deor. ix. p. 307. C.

Mercurius Argicida cognominatus est, non quod Argum, Ius Inachidis custodem interemerit, ut fabulis est proditum: sed a sermonis potius, cui præesse existimabatur, pernicitate. Ἀργὸν enim significat tum velocem, tum tardum, ut grammatici observant, oratione vero, ac sermone nihil velocius: nam & ideo Homerus ἔπεα πτερόεντα, hoc est, *alata verba* dixit, atque ideo illi talaria, & petasum antiqui attribuerunt. Macrob. Sat. 1. 19. *Argiphontes cognominatus est, non quod Argum peremerit, quem ferunt per ambitum capitis multorum oculorum luminibus ornatum custodisse Junonis imperio Io Inachi filiam, ejus deæ pellicem, conversam in bovis formam, quam fabulam in primus Ovidius est exsecutus. sed, ub hujusmodi fabula Argus est cœlum, luce stellarum distinctum, quibus inesse videtur vis quædam cœlestium oculorum. . . . Is ambitus cœli stellarum luminibus ornatus tunc æstimatur enectus a Mercurio, cum sol diurno tempore obscurando siderà velut enecat, vi luminis sui conspectum eorum auferendo mortalibus.* Gyrald. Synt. deor. ix. p. 302. E.

Mercurius Arcas dictus est a regione, in qua nutritus fuit. Stat. Theb. iv. 482.

— virgaque potenti
Nubilus Arcas agat.

Mart. ix. 35. 6.

Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat.

Gyrald. Synt. deor. ix. p. 299. E.

Mercurius Caducifer cognominatus est a caduceo, quo fingebatur uti. Ovid. Fast. iv. 605.

Tartara jussus adit sumptis caducifer alis.

Met. ii. 708.

Hinc se sustulerat paribus caducifer alis.

Arnob. iii. p. 118. *Caduceator ille Cyllenius, in Algido fusus monte, verborum excogitator & nominum, nundinarum, mercium, commerciorumque mutator.* Gyrald. Synt. deor. ix. p. 299. G.

Mercurius Camillus dictus est, quia deorum minister. V. illum supr. in *Camillus*.

Mercurius Cyllenius dictus est, & Cyllius per syncopen. Virg. Æneid. iv. 252.

Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit.

& proles Cyllenia. Virg. ibid. n. 258.

Materno veniens ab avo Cyllenia proles.

a Cyllene, monte Arcadiæ, in quo & nutritus, & diversatus est. Vel quod somnum animantibus conciliet, ut qui potestatem κυλλάδων habeat. Κυλάδες enim particulæ sunt, quæ sub oculis sunt: unde & Attici κυλοιδιᾷν dicunt, cum palpebræ, seu oculorum genæ intumescunt, id quod provenire solet ex nimio, vel item ex minimo somno. Festus: *Cyllenius Mercurius dictus, quod omnem rem sermo sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent, κυλλοὶ vocantur: ideoque quadratum eum fingunt. Alii voluut sic appellatum, quod in Cyllenia via sit nutritus. Alii, quod in monte Arcadiæ Cyllene. Alii a Cyllene sit nympha educatus.* Gyrald. Synt. deor. ix. p. 299. C. Stuck. de Sacrif. p. 45. Casal. de Prof. antiq. rit. c. 6. Malvas. Marm. Felsin. Sect. v. c. 13. Vinding. Hellen. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 73. D.

Mercurius Ἐνόδιος, sive vialis est dictus, quia viarum præses, in biviis, & compitis ponebatur ad semitas monstrandas. *Gyrald. Synt. deor. ix. p. 306. D. Selden. de Diis Syr. ii. 15. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. 1. 6. Holsteen. Comment. in Nymph. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iv. p. 1802. B. Tomas. de Donar. c. 24. Petav. in Themist. Orat. xiii. p. 669. Bergier. de viis milit. iv. Sect. 43. §. 15. & ad illum Hemmius. Voss. de Idolol.* ii. 32.

Mercurius κλέπτης cognominatus est, quia furti inventor. Lactant. 1. 10. *Mercurius fur, & nebulo, quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum; cœlo dignus, quia palæstram docuit, & lyram primus invenit.* Prudent. contr. Symmach. 1. 86.

Expertes furandi homines hac imbuit arte
Mercurius Maja genitus.

Horat. Od. 1. 10. 7.

Callidum, quicquid placuit, jocoso
Condere furto.

Gyrald. Synt. deor. ix. p. 297. F. Casal. de Prof. Roman. ritib. c. 6. Rhodig. Ant. Lect. xvi. 19. Quod confictum, quia commercia sermone, ac eo sæpe fraudulento, constant. *Voss. de Idolol.* ii. 32.

Mercurius malevolus fuit dictus, quia *ejus statua in nullius tabernam spectabat.* Festus. Dii enim adspicientes favere putabantur, & contra. *Gyrald. Synt. deor. ix. p. 301. C. Dacer. in Festum. Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 8.

Mercurius pacifer dictus fuit, ut testatur Ovid. Met. xiv. 291.

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album.

& in nummis Posthumi, in quorum uno clavam videtur tenere. *Cuper. Harpocr. p.* 81.

Mercurius πομπαῖος dictus est, quia animas mortuorum ad orcum compellit. Hanc vim, & potentiam virgæ ejus adscribit Virg. Æneid. iv. 239.

— primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant:
Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit,
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Horat. Od. 1. 10. 17.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus & imis.

Petron. c. 100. *Mercurius, qui animas ducere, & reducere solet.* Quæ ratio est, cur a morientibus invocaretur. Salutem, & pacem animæ Alcestis chorus precatur apud Euripidem his verbis:

Vale: benevolus te subterraneus Mercurius
Et Pluto excipiet.

Plato etiam in Phædone, de statu animarum post mortem loquens, docet, eas a labe ante contracta purgatas, a *Mercurio* ad amnem Lethæum deduci, ut ex eo oblivionem omnium rerum bibant, quo facto, licere eis in vitam redire, fatali temporum orbe circumacto. Mentem Platonis expressit Virg. Æneid. vi. 748.

Has omnes ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad flumen deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Bellor. Descript. sepulcr. Nason. tab. viii. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 92. Cuper. Monum. antiq. p. 185. Turneb. Adv. xxvi. 5. Malvas. Marm. Felsin. Sect. v. c. 13. La Chausse de Tesser. tab. x. Guther. de Jur. man. 1. 12. Gonsal. in Petronium.

Mercurius quadratus est appellatus, vel qui quatuor, id est, literas, musicam, geometriam, & palæstram invenerit. Homeri enarrator: *Mercurius, Jovis & Majæ Atlantidis filius, cum adhuc inter homines degeret, quatuor maxima invenit, literas, & musicam, & palæstram, & geometriam. Quamobrem illum Græci quadratum effingunt.* Pinell. Addit. Argol. in Panvin. de Lud. circ. 1. 6. Vel quia sermonis, & veritatis est præses. Scholiastes Aristophanis:

Quo-

Quoniam ajunt Mercurium ſermonis, & veritatis eſſe præſidem, ob id effigiem ejus quadratam, & forma cubi faciebant. Indicantes ejuſmodi figuram in quamcunque partem ceciderit, perpetuo rectam manere. Sic oratio, & veritas ubicunque ſibi ſimilis, & uniformis eſt; mendacium multiplex, & varium. Caſtellan. de Feſt. Græc. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 666. A. Gyrald. Synt. deor. IX. p. 301. D. Petav. in Themiſt. Orat. XV. p. 691.

MERENDA *eſt cibus, qui declinante die ſumitur, & proxima cœnæ, unde & antecœna a quibusdam vocatur: item merendare, quaſi meridie edere.* Iſidor. XX. 2. Nonius I. §. 118. *Merenda dicitur cibus, qui poſt meridiem datur.* Ejus mentionem facit Plaut. Moſt. IV. 2. 50.

Videſis ne forte ad merendam quopiam devorteris.

Buleng. de Conviv. I. 2. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 169. Stuck. Antiq. Conviv. I. 8. Baccius de Conviv. antiq. I. 1. Nonn. de Re cibar. I. 4. Vel qui dabatur iis, qui merebant ære, hoc eſt, mercenariis. Calpurn. Eclog. V. 61.

— feræ cum venerit hora merendæ.

Nam, antequam labore mitterentur, dabatur, ut puta a domino, ſeu conductore. *Scalig. Conject. in Varr. p. 247. Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. l. l.* Dabatur opificibus, agricolis, aliisque, qui laboribus vitam exercitam habebant, præſertim æſtivo tempore, quia a laboribus pomeridianis aliquam refectionem merebantur. Pueris etiam exhibebatur, quoniam illorum calor innatus facile omnes cibos concoquit. Iſidor. XX. 3. *Hinc & merenda, quod antiquitus pueris, & operariis panis merus dabatur.* Baccius de vino IV. p. 131. D. de Conviv. antiq. I. 1. Nonn. l. l. Feſtus tamen ſcribit, *merendam antiquos dixiſſe. quod medio die caperetur.* Quare dicendum, priſcis temporibus, nondum inducto prandii nomine *merendam* pro prandio fuiſſe, poſtea vero pro cibo, qui poſt meridiem dabatur, ut apud nos hodieque fit. *Dacer. in Feſtum. Urſin. l. l.*

MERETRICES erant diſcretæ a matronis habitu, quia ſtola, id eſt, tunica talari inſtita aſſuta, vitta, & palla uterentur. (V. ſingula ſuis locis) ſed illæ brevibus tunicis ad inſtar virilium, & toga uti cogerentur. Ulpian. ff. de Injur. *Multo minus ſi meretricia veſte feminæ, non matrisfamilias veſtitæ eſſent.* Ferrar. de Re veſt. I. 3. 23. Briſſon. Antiq. Select. I. 4. de Jur. connub. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1069. C. Laurent. de Adult. & meretr. c. 2. Dorleans in Tacit. p. 315. a. Demſter. in Roſin. Antiq. Roman. V. 32. Turneb. Adv. XVI. 19. Hoc amplius, ſellis lecticisque honeſtiores matronæ geſtabantur, quarum *uſum probroſis feminis* a Domitiano interdictum narrat Suet. c. 8. n. 9. Dio laudatus infr. in *Scimpodium.* Inde, ſella cultus matronalis. Apul. Met. XI. p. 369. *Vidi & urſam manſuem, quæ, cultu matronali, ſella vehebatur.* Briſſon. Antiq. Select. l. l. Quo modo differant a proſtibulis, docet Non. V. §. 8. *Inter meretricem, & proſtibulam hoc intereſt: quod meretrix honeſtioris loci eſt, & quæſtus: nam meretrices a merendo dictæ ſunt, quod copiam ſui tantummodo noctu facerent: proſtibula, quod ante ſtabulum ſtet quæſtus diurni, & nocturni cauſa. Manifeſtiſſime diſcernit Plaut. Ciſtell. Fragm.*

Intro ad bonam meretricem: adſtat ea in via
Sola: proſtibula ſane eſt.

Briſſon. ibid. p. 1068. F. Erant ut plurimum ſervilis, aut certe libertinæ conditionis. Plaut. Ciſt. I. 1. 39.

Eunt depreſſum, quia nos ſumus libertinæ:
Et ego, & mater tua, ambæ meretrices ſumus.

Liv. XXXIX. 9. *Scortum nobile, libertina Hyſpala, Fecenia, non digna quæſtu, cui ancillula adſueverat, etiam poſtquam manumiſſa erat, eodem ſe genere tuebatur.* Ac plane Scto, Tiberii tempore facto, quæſtum corpore facere mulieres vetitæ ſunt, quarum avus, pater, maritusve equo publico meruiſſet. Tacit. Annal. II. 85. 1. *Eodem anno gravibus decretis libido feminarum coercita eſt: cautumque, ne corpore quæſtum faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuiſſet.* Briſſon. ibid. p. 1069. F. Illarum crinis fuit flavus. Horat. Od. I. 5. 4.

Cui flavam religas comam?

de Pyrrha meretricula. De Ariadne proſtratæ pudicitiæ Catull. LXIV. 63.

Nec flavo retinens ſubtilem vertice mitram.

Tiraquell. in Alex. Gen. V. 18. Jun. de Com. c. 9. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 37. V. & ſupr. in *Matrona.* Apud ædiles flagitium profiteri, ſuumque nomen edere cogebantur. V. ſupr. in *Ædiles plebis.* Ædiles illas in tabulis, ut ſic dicam, habebant, & ſi quam vulgantem ſe extra eum numerum nacti multabant pecunia. Liv. X. 31. *Eo anno Q. Fabius Gurges conſulis filius ædilis aliquot matronas ad populum ſtupri damnatas pecunia multavit.* Et exſilio. Liv. XXV. 2. *L. Villius Tappulus, & M. Fundanius Fundulus, ædiles plebeji aliquot matronas apud populum probri accuſarunt: quaſdam ex iis damnatas in exſilium egerunt.* Lipſ. Tacit. Annal. p. 54. Briſſon. ibid. B. Laurent. l. l. Auctor Miſc. defenſ. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom. p. 537. Nudæ proſtabant. Petron. c. 7. *Cum ego negarem cognoſcere domum, video quoſdam inter titulos, nudasque meretrices furtim conſpatiantes. Meretricis* talis periphraſis eſt apud Horat. Sat. II. 7. 48. V. illum ſupr. in *Lacerna.* Juven. Sat. VI. 122. V. illum infr. in *Ornamenta.* Et Xiphilin. LXXIX. p. 912. E. V. illum ſupr. in *Lupanar.* Briſſon. ibid. A. Ferrar. de Re veſt. I. 3. 23. Gonſal. in Petronium. Barth. in Claud. Rufin. II. 447. & Adv. XLI. 15. Factum hoc, ut commode inſpici poſſent amatoribus, ne qua labe occulta deciperentur. Senec. Contr. I. 2. V. illum infr. in *Servus.* Nam cum matronæ ita ſtola talari, & manuleata opertæ eſſent, ut nihil præter faciem appareret. Horat. Sat. I. 2. 94.

Matronæ, præter faciem, nil cernere poſſis,
Cætera, ni Catia eſt, demiſſa veſte tegentis.

Contra quæ licentiam ſtupri vulgaverant, non cervice modo, ſed humeris, atque lacertis conſpicuis, ac ſeminudis erant. Ovid. de Art. III. 307.

Pars humeri tamen ima tui, pars ſumma lacerti
Nuda ſit, a læva conſpicienda manu.
Hoc vos præcipue, niveæ, decet: hoc ubi vidi,
Oſcula ferre humero, qua patet, uſque libet.

Non cervix igitur ſolum nuda, ſed & ima pars humeri, & quæ conjungitur prima lacerti in amatorum oculos incurrebat. Nuda ergo cervice monile ſuſpendebant, quibus ſtolæ cuncta operientis jus non erat. *Ferrar. l. l.* Aurum & gemmas an geſtare potuerint. V. ſupr. in *Aurum.* Quum vagarentur per urbem, palliis capita obtegere ſolebant. Ita Quartilla opertum habuit caput apud Petron. c. 9. *Retexit ſuperbum pallio caput.* Huc non inepte fortaſſis traho Mart. IX. 33. 1.

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

Gonſal. in Petronium. Briſſon. ibid. p. 1067. C. Cuique certa cella conſtituebatur V. illam ſupr. in *Cella.* Nec tantum cella, ſed etiam frons meretricis inſcribebatur. Seneca: V. illum ſupr. in *Cella.* Durant. Var. Lect. I. 2. Almelov. Antiq. ex ſacr. prof. p. 40. Laurent. l. l. Sunt etiam qui putent, ad hunc morem alluſiſſe Prophetam Jerem. c. 3. n. 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Sed longe aliter ſentimus, nam nomen non in meretricis pependit fronte, ſed cellæ, frontem enim domus veteres dixiſſe vulgare eſt. *Nicol. de Sigl. vet. c. 37. §. 7.* Cellæ merces erat as. Petron. c. 8. *Jam pro cella meretrix aſſem exegerat.* Gonſal & Franc. Dan. in Petronium. Concubitus pretium, & quantum mercedis ſingulis diebus quærere, ac referre deberent, definiebant lenones, qui hoc perſcriptum habebant in ſuis tabulis. Unde Seneca l. l. *Da mihi lenonis rationes: capturæ conveniunt,* id eſt, apparebit, tantum quotidie te retuliſſe lenoni, quantum exſpectaverat, quantumque tibi ſingulos in dies præfiniſſe in ſuis rationibus expreſſerat. Etiam quantum quoque mererent concubitu, aut ſingulis, pluribusve noctibus ſtatuiſſe lenones, manifeſtum eſt multis locis. Notabilis ille eſt, qui legitur apud Velſer. in vita Apollon. Tyr. p. 695. *Puella ait, proſternens ſe ad pedes ejus. miſerere, domine, virginitati*

meæ, ne prostituas hoc corpus sub tam turpi titulo. Leno vocavit villicum puellarum, & ait: ancilla, quæ præsens est, & exornetur diligenter, & scribatur ei titulus, quicunque Tarsiam deviolaverit, mediam libram dabit: postea ad singulos solidos populo patebit. Plaut. Pœn. I. 2. 61.

Monstrum mulieris! tantilla tanta verba funditat:
Cujus ego vel nebulæ cyatho septem noctes non emam.

Schulting. in Senec. contr. p. 78. b. Dorleans ibid. p. 318. b. Almelov. l. l. Videtur illis lege fuisse præscriptum, ne nimium emungerent pecuniæ. Plaut. Trin. IV. 2. 47.

Quæ adversum legem accepisti a plurimis pecuniam.

Viliores duobus obolis prostabant. Festus: *Diobolares meretrices dicuntur, quæ duobus obolis ducuntur.* Plaut. Pœn. I. 2. 58.

Servulorum sordidulorum scorta diobolaria.

Almolov. l. l. Manebant in circo & theatro. Lamprid. Heliogab. c. 26. *Omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegit in ædes publicas.* c. 32. *Fertur & una die ad omnes circi, & theatri, & amphitheatri, & omnium urbis locorum meretrices ingressus.* Panvin. de Lud. circens. I. 8. Buleng. de Circ. Rom. c. 56. Juven. Sat. III. 65.

—— & ad circum jussas prostare puellas.

In illis Claudii etiam Imperatoris uxor Messalina inventa est. Juven. Sat. VI. 117.

Ausa Palatino tegetem præferre cubili.

Scilicet Palatino monti, qua orientem spectat, contigua per id tempus erat altera circi extremitas. Hinc facile, & expeditum iter Messalinæ e Palatio ad proximas circi maximi porticus. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 13. §. 2. Et prostabant post ludos exactos. Isidor. XVIII. 42. *Idem vero theatrum, idem & prostibulum: eo quod post ludos exactos meretrices ibi prosternerentur.* Plaut. Cas. prol. n. 84.

—— transacta fabula,
Argentum si quis dederit, ut ego suspicor,
Ultro ibit nuptum, non manebit auspices.

Liv. II. 18. *Eo anno Romæ, cum per ludos ab Sabinorum juventute per lasciviam scorta raperentur.* Buleng. de Theatr. I. 16. & 49. Lips. Elect. I. 11. In pistrinis. V. supr. in *Alicaria*. & infr. in *Mola*. In sepulcris. V. supr. in *Bustuariæ*. In Subura. V. infr. in *Subura*. In Summænio, loco in Urbe sub antiquis mœnibus. Mart. I. 35. 5.

At meretrix abigit testem veloque seraque,
Raraque Summœni fornice rima patet.

Hinc irrisorie dicuntur *Summœnianæ uxores.* Mart. III. 82. 2.

Summœnianas cœnet inter uxores.

XII. 32. 21.

Et plena turpi matris olla resina,
Summœnianæ qua pilantur uxores.

Laurent. l. l. Brisson. ibid. p. 1067. C. In portubus, obvio nimirum quæstu propter copiam nautarum, & mercatorum. Hinc de Canidia Horat. Epod. XVII. 20.

Amata nautis multum, & institoribus.

Vile enim scortum, quod in publico prostiterit, indicat. In littoribus. Hoc conjicio ex Quintiliano. *Fortasse natus est ingenuus, fortasse ex aliquo littore, prætextam fortuna reddidit.* Cicer. Verr. V. 25. *Tametsi in acta cum mulierculis jacebat ebrius.* Prudent. contr. Symmach. I. 135.

—— temulentus adulter
Invenit expositum secretis in littoris acta.

Laurent. l. l. Chamillard. in Prudentium. In triviis, & angiportis, instar vilium canum, quos in triviis Venereis nodis cohærere scribit Lucretius. Hinc Catull. LVIII. 1.

Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amavit omnes
Nunc in quadriviis, & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Prudent. Περὶ στεφ. XIV. 38.

Sic elocutam publicitus jubet
Flexu in plateæ sistere virginem.

Meurs. Ceram. gemin. c. 18. Barth. l. l. Almelov. ibid. p. 38. Dorleans ibid. p. 317. b. Tempus, quando ad meretricem eundum erat, lenones indicabant tintinnabulo. Paull. Diac. XIII. 2. *Includebant in angusto prostibulo, & admittentes, qui cum ea fornicarentur, hora, qua turpitudinem agebant, tintinnabula percutiebant, ut eo sono illius injuria fieret manifesta.* Alias prostabant populo nona hora. Et inde *nonariæ* dictæ Pers. Sat. I. 133.

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.

Vetus interpres Persii: *Nonaria dicta meretrix, quia apud veteres a nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione illo irent adolescentes.* Ante illam fores erant clausæ, vel ex more, vel ex lege, aut edicto aliquo. Casaub. in Persium. Stuck. Ant. Conviv. I. 11. Dorleans l. l. Lips. Elect. I. 3. La Chausse de mutin. simul. tab. 6. Ferrar. de Vet. lucern. sepulcr. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 998. D. Salmas. in Spart. Adrian. c. 22. Almeloveen. l. l. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 8. Venerem & Cupidinem coronis sibi propitiabant. Plaut. Asin. IV. I. 58.

Tum si coronas, serta, unguenta jusserit
Ancillam ferre Veneri, aut Cupidini.

Ut, pluribus amatoribus sibi conciliatis, e tali quæstu ditescerent. Ovid. Fast. IV. 865.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ,
Multa professarum quæstibus apta Venus.
Cumque sua dominæ date grata sisymbria myrto,
Textaque composita juncea vincla rosa.

Paschal. de Coron. IV. 3. Priapi mentulam coronabant. Auct. Priap. L. 6.

Totam comparibus, Priape, nostris
Cingemus tibi mentulam coronis.

XL. 1.

Nota Suburranas inter Telethusa puellas,
Quæ puto de quæstu libera facta suo est:
Cingit inaurata penem tibi, sancte, corona:
Hunc pathicæ summi numinis instar habent.

Scalig. in Priap. XL. 1. Paschal. l. l. Quoties pensum absolvissent, aut, ut Prop. II. 24. 22. loquitur, quot *itinera* nocte una *confecissent*, tot corollas ludicro cuipiam, & minorum gentium deo donabant, puto Triphallo, Marsyæ, Hermæ, talibus. Priap. XXXIV. 4.

Quæ quot nocte viros peregit una,
Tot verpas tibi dedicat salignas.

Lips. Antiq. Lect. p. 158. Quæstus illarum vectigali obnoxius fuit. Tributum illud primus Caligula instituit. Ejus ad hæc usque tempora exemplum manere dicitur. Suet. c. 40. n. 5. *Ex capturis prostibulorum quantum uno concubitu mereret: additumque ad caput legis, ut publico tenerentur, quæ meretricium, quæve lenocinium fecissent.* Lamprid. Alex. Sev. c. 24. *Lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit; sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri, & ærarii deputavit.* Brisson. ibid. p. 1069. D. Veneri speculum dicabant. Auson. Epigr. LIV. 1.

Lais anus Veneri speculum dico: dignum habeat se
Æterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus; quia cernere talem,
Qualis sum, nolo; qualis eram, nequeo.

Omnes enim, qui artem aliquam desinebant, illius instrumenta diis ipsius artis præsidibus suspendebant, sacrabantque. *La Chausse de Deor. simulacr. tab.* XXVII. Ad concubitum cum bestiis quandoque in theatris publice damnabantur. Apul. Met. X. p. 353. *Ecce quidam miles per mediam plateam dirigit cursum, petiturus, populo jam postulante, illam de publico carcere mulierem, quam dixi propter multiforme scelus bestiis esse damnatam, meisque præclaris nuptiis destinatam. . . .* Argol. l. l.

Mo-

Meretrix pedestris, aut pedanea dicta fuit, quia *pedibus sine musicis instrumentis in convivia ventitaret: aut potius, quia ad terram se subigendam mœchis substerneret.* Procop. in Anecdotis. *Buleng. de Theatr.* I. 49.

MERIDIANI vocabantur gladiatores, qui circa *meridiem* exhibebantur, ut populus a sanguine recrearetur, atque inde lætus discederet. Senec. Epist. 7. *Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus exspectans, & sales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant. Contra est, quidquid ante pugnatum est, misericordia fuit. Nunc, omissis nugis, mera homicidia sunt. Mane leonibus, & ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciebantur.* Tertull. adv. gent. c. 15. *Risimus & inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem: vidimus & Jovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem.* Hisce valde delectatus est Claudius. Dio LV. p. 673. B. *Exhibuit crebro ludos gladiatorios, quibus vehementer delectabatur.* D. *Nam ut alia, sic & illos inprimis magna cum voluptate spectabat, qui, horis inter spectacula interjectis, circa prandii tempus concidebantur.* Suet. c. 34. n. 6. V. illum infr. in *Prandium.* Quos Suetonius *meridianos*, Dio μονομάχους vocat, eos intelligens, qui inter se depugnabant. Hi tamen non erant legitimi, destinatique gladiatores, sed bestiariorum velut reliquiæ, & purgamenta. *Lips. Sat.* II. 15. *Mercur. Gymn.* I. 2. *Fab. Semestr.* I. 6. *Turneb. Adv.* XXVII. 19. *Argol. in Panvin. de lud. Circ.* c. 14. *Thys. de Gladiat. p.* 228. *Laurent. Polym.* IV. 9. *Gutber. de jur. man.* II. 9. *Heins. Exercit. sacr. p.* 377. *Buleng. de Venat. c.* 34. *Torrent. & Pitisc. in Suetonium.*

MERIDIARE, id est, *meridiano* cibo sumpto, ut esset alter veluti dies inter prandium & vesperam, quiescere solebant veteres. Plin. Epist. III. 5. *Dormiebat minimum, mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tempus.* Senec. de Tranquill. c. 15. *Quidam medio die interjunxerunt, & in postmeridianas horas aliquid levioris operæ distulerunt.* Sidon. Epist. II. 9. *Excusso torpore meridiano paullisper equitabamus, quo facilius pectora marcida cibis cœnatoriæ fami exacueremus.* Ipsæ feminæ. Suet. Cal. c. 38. n. 9. *Gloriatus est expergefactæ somnio Cæsoniæ quantum egisset; dum ea meridiaret.* Etiam Imperatores. Augustus. Suet. c. 78. n. 1. *Post cibum meridianum, ita ut vestitus, calceatusque erat, retectis pedibus, paullisper conquiescebat, opposita ad oculos manu.* Alexander Severus. Lamprid. c. 61. *Et quum dormiret post convivium hora diei fere septima. . . .* Aliique. Somnum hunc *insititium* vocat Varr. de Re rust. I. 2. *Tamen æstivum diem si non diffinderem meo insititio somno meridie, vivere non possem.* Salmas. Exercit. Plin. p. 96. a. G. b. D. Barth. Adv. XLV. 4. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 27. Savar. in Sidonium. Casaub. in Suetonii Augustum. Pitisc. in Suetonii Caligulam.

MERIDIES est medius dies. Censor. de Die nat. c. 24. *Tunc meridies, quod est medii diei nomen.* Dicitur quasi *medidies.* Nam *d*, antiqui, non *r*, in hoc loco dicebant: sed suavioris pronuntiationis ergo mutatum est *d* in *r*. Cicer. de Orat. c. 47. *Ipsum meridiem, cur non medidiem? credo, quod erat insuavius.* Morestell. Philom. IV. Dial. 6. Voss. Lex. Etymol.

MERITORIA in Lexico veteri sunt loca tabernaculorum, ubi adulteria committuntur. *Turneb. Adv.* XXVII. 5.

Meritoria Romanorum militum dicuntur fuisse eo loco, ubi hodie templum est S. Mariæ in Transtiberina. Erat hic locus quasi nosocomium, vel nosodochium: in quod quicunque ex militibus, aut emeritis veteranis, corpore mutilus, aut alioquin æger se recipiebat, cum bellicam artem non amplius posset exercere: atque illic reliquum vitæ tempus sub medicorum cura publicis impensis, & alimonia transigebat. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 10.

MERKEDONII nomen apud unum Græcum scriptorem Plutarchum mox laudandum exstare: apud ipsos Romanos hujus ne vestigium quidem apparere mirum est: nisi nescio quid apud Festum, apud quem legitur: *Merkedonias dixerunt a mercede solvenda.* Scribitur antiquitus *Merkedonius*, & *Merkedinus* per *k*. *Merkedinos* dies fuisse constat ex Festo. Ii dies in veteri Kalendario Romano signati sunt MERK. ut pridie Idus Julii, & aliquot sequentibus diebus: item XII. Kal. Octob. & sequentibus: denique XIV. Kal. Decembr. & sequenti biduo. Dicti a dea *Merkedonia*, quæ præerat mercedibus, & pensionibus solvendis: ut apparet in mense Julio, in quo inquilini τὸ ἐνοίκιον pendebant, & migrabant ex ædibus in alias. Similiter in Tentonismo *Zinstag*, dies *Merkedonius*, dies census. In veteribus glossis. *Mercedonius, qui solvit mercedem.* Tertull. de Idolol. c. 13. *Sunt quidam dies munerum, quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt. Nunc ergo, inquis, recipiam meum, vel rependam alienum. Si hunc morem sibi homines de superstitione consecraverunt, tu extraneus ab eorum vanitate quid participas idolothyta sollennia, quasi tibi quoque præscriptum sit de die, quominus id, quod debes, vel tibi ab homine debetur, citra diei observationem luas, vel recipias? Da formam, in quam velis agi tecum.* Non est locus insignior ad hos *Merkedinos*, aut *Merkedonios* dies explicandos. *Scalig. de Emend. temp.* II. *p.* 177. V. *p.* 441. *Putean. de Bissext. c.* 2. *Muncker. de Intercal.* III. 8. §. 1. 2. 3. Sunt dies *Merkedonii*, qui in tribus mensibus anni, Quintili, Septembri, & Novembri eximebantur, e mense Quintili quatuor, e Septembri tres, e Novembri totidem: atque ita annus minuebatur decem diebus. Id enim significat nota *Merked.* quæ quibusdam diebus mensis Quintilis, Septembris, & Novembris adscribitur in illo Kalendario: factaque est appellatio *Merkedonii* communis mensi, qui intercalabatur, & diebus, qui eximebantur. Neque id sine causa. Nam non minus conducit hæc dierum aliquot ad exæquandum annum Romanum cum rationibus solis, quam embolimi mensis intercalatio, indeque & *Merkedonius* nomen accepit: est enim παρὰ τὸ μὴν, Æolice μεὶς, in veteri Latio *mer*, & κηδέω, unde κηδόνιος. Nam de exæquando anno Romano cum sole solliciti sunt, qui vel mensem embolimum intercalant, vel dies de mensibus eximunt. *Petit. Eclog. Chronol. de ann. & period. vet. Rom. c.* 1. Quod in veteribus fastis rusticis dies quidam *Merk* adnotatum habent, si plurimum concederemus Petito, diceremus significari dies illos ἐξαιρεσίμους, quibus nunc omnibus, nunc paucioribus exemptis, vitium per intermissionem intercalandi factum corrigeretur, & annus statum suum reciperet: non qui sollenni, ac legitima dispunctione quovis decennio excernerentur. Quanquam τὸ *merk* in rusticis fastis significare *Merkedonios*, & quidem ἐξαιρεσίμους dies conjectura sit nuda. Quod etiam exemplum harum vocum? hujus compositionis? qui transitus a sollicitudine ad dies intercalares, vel ἐξαιρεσίμους? His porro, nullis aliis rationibus, suffultum proficisci ad corrigendos illos fastos, alibi vocem *Merk* delere, alibi transponere, quid est nisi strenue ingenio suo abuti? *Gronov. Observ.* II. 18. *Merkedonius* mensis sub Numa intercalabatur singulis bienniis, sed cum hoc discrimine, quod primo biennio haberet dies 22. secundo 23. Ratio hæc est: quod primo biennio in anno lunari deerant tantum dies 22. & horæ 12. secundo autem biennio dies 22. & horæ 24. tot enim diebus singulis quadrienniis annus solaris superaverat lunarem. Plutarch. Num. p. 71. F. *Numa inæqualitatis variationem undecim diebus animadvertens discrepare, quod lunaris* 354. *diebus constet, solaris vero expleat* 365. *geminatis undecim hisce diebus mensem intercalarem duorum & viginti dierum, quem Merkidinum vocant Romani, mensi Februario altero quoque anno inseruit.* Cæs. p. 735. D. *Soli sacerdotes momentorum conscii repente, ac nemine præsentiente mensem intercalarem adscribebant, eumque nuncupabant Merkedonium, quem interjecisse Rex Numa princeps dicitur.* Intercalabatur semper post 23. Februarii, quia is ratione intercalationis censebatur ultimus mensis anni. *Munker. ibid.* §. 4. & 5. *Christmann. de Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 290. *E. Petav. de vet. ann. Roman. c.* 73. *Salmas. ibid. p.* 176. *C. Putean. ibid. c.* 2. & 13.

MERULA fuit cognomen Corneliorum. Illorum I. fuit L. Cornelius L. F. *Merula* flamen dialis, cos. cum Q. Minucio Thermo an. 560. II. Ejusdem nominis fla-

men dialis, cos. suffectus fuit L. Cornelio Cinnæ, cui imperium abrogatum est, collega Cn. Octavius occisus est, & ipse *Merula* cos. coactus a Marianis sibi manus intulit an. 666. *August. & Strein. de Famil. Roman. in Cornelia. Glandorp. Onom. Roman. p. 275.*

MERCIS appellatione homines non continentur: quare *merces* a venalibus separantur l. 1. C. de nundin. V. illam supr. in *Mercatus.* Et *licet mercis appellatio angustior sit, ut neque ad servos, fullones, sarcinatores, vel textores, vel venaliturarios pertineat; tamen ad omnes negotiationes edictum porrigendum scribit Pedius* l. 1. §. licet ff. de tribut. act. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 23.

Merx peculiaris erat, in qua servus suo nomine domini consensu ita negotiabatur, ut ejus quæstus ad ipsum pertineret. *Sigon. de Judic.* I. 17.

MES.

MESA est urbs Syriæ, unde orta est Julia Domna, Severi Imperatoris uxor, & *Mesa* ejus soror, aviaque materna Heliogabali, & Alexandri Imperatorum. *Emissam*, sive *Emesam* Stephanus vocat, quam dicit in Phœnicia fuisse. Ita etiam appellat Constantius, qui ibi jura condidit l. 25. C. de decurion. *Massam* vertunt LXX. Interpretes. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 146.

MESARNUM fuit tributum dimidiatæ ovis, cujus fit mentio in Novell. Isacii Comneni: *Ab eo qui habeat fumaria viginti dimidiatum nummum, & pro duobus argenteis unum argenteum, dimidiatam ovem, μέσαρνον, & hordei quatuor modios.* Buleng. de Vectig. c. 80.

MESCINIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

MESITICUM fuit tributum, quod pro loco in foro mercibus vendendis solvebatur. *Mese* dicitur forum in glossis: ἀγορὰ ἡ μέση, quia forum in medio urbium. *Buleng. de Vectig. c.* 86.

MESOCHORUS, μεσόχορος dicebatur, qui in auditorum corona signum opportune dabat; quo dato cuncti simul acclamandi initium faciebant. Plin. Epist. II. 14. 6. *Heri duo nomenclatores mei ternis denariis ad laudandum trahebantur: tanti constat, ut sis disertissimus. Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur: hoc ingens corona colligitur: hoc infiniti clamores commoventur, cum μεσόχορος dedit signum. Opus est enim signo apud non intelligentes, ne audientes quidem; nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant. Magister* vocatur Platon. in Euthydemo: *Cum hæc ille dixisset, quemadmodum chorus, signum dante magistro, summo plausu conclamarunt, & riserunt omnes.* Miror eos, qui ex hisce locis alternas factas acclamationes crediderunt; magistrum ac μεσόχορον *præcentorem* interpretantes. Quorum errorem ea certa verba, *signum dante*, & *dedit signum*, plane coarguunt. Nimirum, quemadmodum in veterum choris erant οἱ χορῶ κορυφαῖοι, qui pede terram, aut pulpitum tundentes, canendi signum, ac modum cæteris dabant, neutiquam canentes ipsi, vel certe cum reliquis una canentes (id quod nunc etiam fit in musicis concentibus ab eo, qui librum, aut mensam, levata, positaque manu feriens, cantici modulationem temperat, ac moderatur. Quemadmodum in navibus erat unus aliquis, qui nequaquam ipse remigans, remigibus tamen remigandi modos, ac signum daret: sic aderat in auditoriis magister, seu μεσόχορος, qui cunctis signum acclamandi daret, minime acclamans ipse, vel certe una cum cæteris acclamans. *Ferrar. de Vet. acclam. & plaus.* I. 18. *Rhodig. Ant. Lect.* IV. 14. *Buleng. de Theatr.* I. 51: II. 12. *Siccam. de Centumv. judic.* I. 13. *Vales. in Ammian.* XIV. 6.

MESOPOTAMIA jacet inter Tigrim, & Euphratem, unde nomen obtinuit, olim Adiabene dicta, ut ait Stephanus. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 150. Illam subegit Trajanus. *Panciroll. ibid. c.* 99.

MESSALA fuit cognomen Valeriæ gentis. Hoc cognomen sibi adeptus est Valerius ille, qui *Messanam* cepit. Macrob. Sat. I. 6. *Sic Messala tuus, Aviene, dictus cognomento Valerii Maximi, qui postquam Messanam urbem Siciliæ nobilissimam cepit, Messala cognominatus est.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 864. F. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Filius fuit M. Valerii Corvini, nepos M. Valerii Poplicolæ Corvini; consul semel, atque iterum, bellum cum Pœnis prospere gessit, Carthaginenses, & Hieronem Regem devicit, cujus prœlii tabulam pictam proposuit in latere curiæ Hostiliæ an. 490. Reliquos ex hac familia ordine exhibent *Glandorp. Onomast. Roman. p.* 864--867. & *Strein. de Famil. Roman. in Valeria.*

MESSAPIA V. illam supr. in *Calabria.*

MESSIUM incensores in Africa, propter magnum commodum, quod ex frumento provinciæ percipiebatur, gravius quam alibi plectebantur. l. 16. §. 9. *Evenit, ut eadem scelera in quibusdam provinciis gravius plectantur: ut in Africa messium incensores.* Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 46. In XII. tabulis vetabantur incendi. V. supr. in *Fruges.*

MESSORES corbe insignes erant. Ovid. Met. XIV. 638.

O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit, verique fuit messoris imago.

Prop. IV. 2. 27.

Arma tuli quondam, &, memini, laudabar in illis:
Corbis & imposito pondere messor eram.

Inde Cicer. pro Sext. c. 38. *Gracchus messoria se corbe contexit.* Pignor. de Serv. p. 256. Popm. de Instrum. fund. p. 12. Beroald. & Passerat. in Propertium. Inter operas suum ἴουλον canebant. *Scalig. Poet.* I. 55. *Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 261. *B.* Plurimo utebantur allio. Virg. Ecl. II. 10. & Horat. Epod. III. 3. V. illos supr. in *Allium.* Cerda in Virgilium, Torrent. in Horatium.

MET.

META est quælibet congeries fastigiata, sive strues, in acutum tendens, ima parte lata, superiori angusta. Ita *metam* lignorum appellat Cato de Re rust. c. 56. *In acervo sub dio metas facito. Metam* fœni Colum. II. 19. *Certe, quicquid ad eum modum, quo debet, siccatum erit, in metas construi conveniet, easque in angustissimos vertices exacui.* Ita *petra in metæ modum erecta est* apud Curt. VIII. 11. 6. *Simulacrum Paphiæ Veneris latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exsurgit* apud Tacit. Hist. II. 3. 6. *Voss. Lex. Etymol. Philand. in Vitruv.* II. 1. *Bargæus de Obelisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1908. *D. Pitisc. in Curtium.*

Meta circi dicebatur terminus, prope quem quadrigæ flectebant. Horat. Od. I. 1. 4.

——*metaque fervidis*
Evitata rotis.

Prop. IV. 1. 70.

Has meus ad metas sudet oportet equus.

Voss. Lex. Etymol. Barth. Adv. LVII. 16. Paschal. de Coron. VI. 13. Bargæus de Obelisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1908. B. Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Buleng. de Circ. c. 22. Illarum materia erat lignum. Primus eas inauravit Claudius Cæsar. Suet. c. 21. n. 6. *Circo maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque & tophina, ac lignea antea fuerant, exculto.* . . . Panvin. de Lud. circens. I. 14. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 12. Donat. de Urb. Rom. III. 14. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 13. n. 2. Nardin. l. l. Buleng. ibid. c. 24. Passerat. in Prop. II. 19. 66. Junius in Tertull. p. 81. a. Forma orbiculata ad instar coni, rotunda ad cupressi formam. Ovid. Met. X. 106.

——*metasque imitata cupressus.*

Erantque quasi turbines inversi. Unde & Græcis κῶνοι vocantur. Qua Latina utitur Cicer. de Nat. deor. II. 18. *Conum tibi ais, & cylindrum, & pyramidem pulcriorem, quam sphæram videri.* Aut strues πυραμοειδεῖς. Unde & pyramides & obeli a Cedreno dicuntur. Licet pyramides tribus, aut quatuor lateribus etiam constiterint. *Barg. Buleng. Donat. l. l. Salmas. Exercit. Plin. p.* 640. *b. A. Passerat. l. l.*

l. h. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend part 2. c. 3. Fuerunt autem duæ, altera ad carceres, altera ad calcem, sive sub finem circi, & ulterior appellatur a Sidon. Carm. xxiii. n. 360. mox laudando. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ. 1. 14.* His ortus solis, & occasus signabatur. Vetus poeta:

Metarum cogunt circumdare cursibus orbes,
Namque axes gemini ortum obitumque docent.

Isidor. xviii. 30. *Metarum appellatione proprie terminum, ac finem mundi designare volunt, ab eo quod aliquis emensus finis est, sive ad testimonium orientis, occidentisque solis.* Buleng. ibid. c. 22. Primæ fuerant tantum ad ornatum circi. *Buleng. ibid. c. 28.* Adeoque minus necessariæ, ut adstruit auctor epigrammatis de Circensibus. Sed hoc falsum. Circum utramque enim pariter currebant. Et nisi primæ fuissent, pro libito suo agitatores contrahere spatia potuissent, & brevioribus gyris cursus circumflectere. Præterea nondum ædificatis circis, quum in patentibus ad littora campis ludi equestres antiquitus celebrarentur, semper duæ statuebantur; una, unde cursus auspicarentur: altera, quum ad finem circumagerent, circumflecterentque. Certe circa utramque currebant. Nam ex ultima reversi primam quoque circumibant. Statius de Lud. equestr. Archemoro factis Theb. vi. 351.

Metarum instar erant, hinc nudo robore quercus
Olim omnes exuta comas, hinc saxeus umbo,
Arbiter agricolis.

Salmas. ibid. p. 637. b. B. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 17. In prima, nempe ad carceres, neque labor, neque timor erat ob patens spatium. In secunda, quia modicus erat campus, periculum inibatur, nam angustius ibi campi, & arenæ spatium. Sidon. Carm. xxiii. n. 356.

Consumpto spatio patentiore
Campus clauserat arctus arte factus,
Per quem longa humilem duplamque muro
Euripus sibi machinam tetendit;
Ut meta ulterior remisit omnes. . .

In prima periculum non ob angustias, sed desiderio compendii erat, ne si laxior gyrus peteretur, sinistram occuparet æmulus. Hinc de secunda *meta* juxta artem Sidonius mox laudandus *Argol. l. l.* Male veluti controversum faciunt, utrum eadem *meta* septies lustranda esset, an septem *metæ* lustrandæ. Huic dubitationi nullus locus. Poetis *septima meta* sæpe dicitur pro septimo *metæ* flexu. Non inde colligi potest, septem *metas* circumgyrandas fuisse. Eadem locutione Cassiod. Var. iii. 51. *Septem metis certamen omne peragitur in similitudinem hebdomadis reciprocæ.* In hebdomade certe sol idem eodem spatio septenos dies non eosdem, sed diversos circumagit. Sed *septem metas* dixit, quæ alii septem spatia, alii septem curricula, alii septem orbes, alii septem vias, alii κύκλους, alii διαύλους, alii ςάδια, alii καμπτῆρας. Videtur enim ex aliquo simili auctore sumpsisse, qui *metas* dixit pro *metæ* flexibus, vel curriculis, spatiis, decursibus circa *metas*. *Septem* itaque *metis*, id est, septem curriculis, vel spatiis certamen peragitur. *Metam* eandem septies lustratam ostendit etiam Prop. ii. 19. 65.

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota?

Ovid. Halieut. n. 68.

Seu septem spatiis circo meruere coronam.

Cedrenus: *Non amplius quam septem circuitus, quos spatia, velut stadia, & missus circum metam, quæ nunc obeliscus dicitur, conficiebant aurigæ, quod totidem essent errones cœli.* Turneb. Adv. v. 4. Faber Agon. i. 18. Passerat. ad Propertium. Cerda in Virg. Georg. i. 513. Salmas. ibid. p. 637. b. F. Panvin. de Lud. circens. i. 14. Buleng. l. l. Ars omnis, & industria aurigæ in flexione ad *metam* in eo fuit, ut tuto, scienter, prompte sinisteriore gyro *metam* circum geret, in quo periculum fuit, ne vel allisæ ad *metam* rotæ effringerentur, si propius in sinistrum flecteret; vel ne dexterior longius a *meta* ad podium recederet. Quod utrumque peccatum in aurigis notat Sidon. ibid. n. 394.

Hic compendia flexuosa metæ
Unus dum premit, incitatus a te
Elatas semel impetu quadrigas
Juncto non valuit plicare gyro,
Quem tu, quod sine lege præteriret,
Transisti remanens, ab arte restans.

id est, ille cum inhibere cursum quadrigarum non posset, longius abductus est, & sine lege præteriit *metas*: tu artis scientia manens, & resistens, *metam* circuisti. Deinde subjicit alterius peccatum n. 400.

Alter dum popularitate gaudet,
Dexter sub cuneis nimis cucurrit.

Ars sub finem septeni spatii maxime spectabatur. Sophocl. Oreste

Agitabat ultimus, postremos habens equos,
Spem suam in fine cursus ponens.

Sidon. ibid. n. 370.

Tu conamine duplicatus ipso
Stringis quadrijugos, & arte summa
In gyrum bene septimum reservas.

Senec. Epist. 30. *Quomodo manifestior notari solet agitatorum lætitia, cum septimo spatio metæ appropinquant.* Et ideo per initia stadii moderabantur equis, & sustinebant illos, cum ad finem venirent. Cicer. Acad. iv. 29. *Ego enim, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo.* Buleng. ibid. c. 29. Salmas. ibid. p. 657. b. A. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend part. 2. c. 3. Postea Domitianus quinque introduxit. Suet. c. 4. n. 8. *Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos a septenis spatiis ad quina corripuit.* Virg. Æneid. v. 130.

— unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere cursus.

Reverti, nimirum quando vicibus repetitis provehebantur a carceribus: *circumflectere*, nempe quando prope *metas* oppositas pervenerant. *Kipping. Antiq. Roman.* ii. 6. §. 3.

Meta, a Græcis alio nomine appellata μύλος ὀνικὸς, a tarditate, & cessatione, quæ asino propria est, est saxum illud, quod in molis substernitur, ut alterum, quod circumagitur, sustineat. Lapidem taliter substratum ὄνον appellat Xenoph. de Exped. Cyri 1. p. 256. C. dum scribit: *Incolas lapides molares propter flumen effodisse, & formatos, Babylonemque vectos vendidisse, & pro hoc pretio frumento comparato vitam sustinuisse.* Hunc *lapidem incussum* dixit Virg. Georg. i. 274.

— lapidemque revertens
Incussum. . . . reportat,

Hering. de Molend. q. 4. §. 39. V. etiam supr. in *Catillus*.

Meta sudans sita est inter amphitheatrum Titi, arcum Constantini, & hortos S. Mariæ novæ, ea proportione situs, ut hinc arcum Constantini sibi e regione oppositum habeat, adeoque & viam illam, qua per arcum istum olim ad circum maximum ibatur, & nunc ad S. Gregorii ædem pergitur; inde viam prospiciat, quæ per arcum Titi ad hortos ducit Farnesiorum. Exhibebat hic fons speciem *metæ* circensis, e cujus summitate exsiliens aqua, & inferiora ejus irrigans, nomen illi sudantis acquisivit. Extat hodieque nonnulla ejus pars, non sine magna, e lateribus: Unde tamen vetus ejus forma facile cognosci potest. In media ejus parte cavitas cernitur, qua aqua in fastigium ascendebat. Exhibetur integra in numismate antiquo, dialogo iv. Augustini. Hic nummus videtur indicare, a Tito ad exornandum eo magis amphitheatrum, ejusque aream, constructam fuisse. Attamen jam ante extitisse e Seneca liquet Epist. lvii. ubi strepitum referens, & clamores, quos in ædibus suis audiebat, addit: *Essedas transcurrentes pono, & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum, aut hunc, qui ad Metam sudantem tubas experitur, & tibias; nec cantat, sed exclamat.* Senecam enim, utpote hominem de comitatu Principis præcipuum haud procul a palatio

palatio habitasse verisimile est. Et hic locus de alia *Meta sudante* vix intelligi potest. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Donat. de Urb. Rom.* III. 6. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 5. *Rhodig. Antiq. Lect.* XXVIII. 12. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 11. *Crinit. de Honest. Discipl.* VIII. 5. In ejus vertice Jovis simulacrum olim fuisse proditum est. Populus, qui in amphitheatrum ad publica spectacula conveniebat, ex aqua, quæ ex ea manasse dicitur, sitim exstinxit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 13. *Donat. l. l. Bussard. Topogr. Urbis. Rom. Tom.* I. *p.* 38. *Faunus l. l. Schott. Urb. Rom. Descript. p.* 422. Ad hunc locum tubis, & tibiis canere discebant, ut videtur velle Seneca l. l. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 338. *D.*

Meta Murcia eadem quæ prima, & in carceribus. Liber de circo ultimam perperam facit. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. intimus & primus circus ad Murciam dicitur, ubi carceres erant, & non longe inde *Murciæ metæ*, ab æde *Murciæ* dictæ. Tertulliano quoque *metæ* primæ, & *Murciæ* eædem sunt. Sic enim ait de Spectac. c. 5. *Et nunc ara Conso illi in circo defossa est ad primas metas sub terra.* c. 8. *Consus apud metas sub terra delitescit Murcias. Has quoque idolum fecit. Murtiam enim deam marcoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.* Salmas. Exercit. Plin. p. 635. b. A. 636. b. E. Buleng. de Circo c. 23.

Meta est vas turbinatum testaceum *metæ* formam habens. Mart. XII. 28. V. illum supr. in *Cottanum.* Buleng. de Conviv. II. 47. Rader. in Martialem.

Meta est quoque verbum augurale. Virg. Æneid. V. 835.

Jamque fere mediam cœli nox humida metam
Contigerat.

Ubi Servius: *Perite locutus est. Nam medium cœlum meta est* ἀναβιβάζοντος *circuli, qui medius est inter ortum, & occasum. A medio autem cœlo finitur ortus, & occasus incipit sacrum. Tesca mea* apud Varr. de Ling. Lat. VI. 2. fuerunt loca effata in mediis quatuor partibus templi. Vitruv. II. 1. *Ut ex quatuor partibus ad altitudinem educunt medio metas.* Atque hoc modo tesca sunt *meta* constituta in agro, ubi auguria captabantur, qui effatus locus dicebatur. *Guther. de Vet. jur. pont.* II. 3.

METALLI nomine generaliter continetur, quicquid e terra gignitur, & eruitur, æs, alumen, creta, marmor l. sed si pecunia 3. §. 6. ff. de reb. eor. qui sub tut. *Si lapidicinas, vel quæ alia metalla pupillus habuerit stypteriæ*, id est, aluminis, παρὰ τὸ ςύφειν, quod potentissime adstringat, *vel cujus alterius materiæ: vel si cretifodinas, vel argentifodinas, vel quid aliud huic simile.* Sulphur, quod *vivax metallum* appellat Apul. Met. IX. p. 292. Ulpianus *metallis* diserte adnumerat, non secus atque aurum, argentum, æs, ferrum, & cætera l. æquissimum §. proinde ff. de usufruct. quemadmodum & calcem l. aut damnum 8. §. in calcariam ff. de pœnis. Sed & lapis pretiosus fossilis *metallum* dicitur Plin. XVIII. 9. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 707. *Pinell: Addit. ad Argol. in Panvin. de Lud. circ.* I. 27. *Barth. Adv.* XXXIV. 3. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 6. In Macedonia, Dacia, Mysia, Dardania, Ponto, & Asia præcipue *metalla* effodiuntur l. 5. C. de metall. Proconnesus quoque Propontidis insula, & Gypsus in mari rubro æris feraces erant. Nicephor. II. 28. & Novell. 22. seu authen. de nupt. *Panciroll. de Magistr. municip. c.* 16.

Metallum etiam vocatur *metallorum* fodina, sive locus, unde *metalla* effodiuntur. Nep. II. 2. 2. *Pecunia publica, quæ ex metallis redibat.* V. 1. 3. *Magnas pecunias ex metallis fecerat.* Tacit. Agric. c. 31. n. 5. *Neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur.* Lucan. IV. 303.

Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.

Castal. Var. Lect. c. 20. Græv. in Lucian. Tom. II. p. 875.

Metallum, & opus *metalli* sunt pœnæ serviles. Has pœnas ab Ægypto in Romanam Rempublicam translatas didici ex Diodor. III. p. 150. qui ob aliquod maleficium, aut facinus damnatos, itemque captivos *metallis* a Regibus addici solitos, ut vincti opus facerent, refert. *Fab. Semestr.* II. 5. Sciendum est, aliud pœnæ genus esse in *metallum* damnari: & rursum aliud in opus *metalli.* Ulpianus. V. illum supr. in *Damnati.* Differentia hæc vinculorum fortean inde, quia in *metallum* damnati fodinis inhærere cogebantur, *metalla* effodientes: quod cum fieret, non erat necessum ipsos divagari, sed in illo, cui inhærebant loco, operari: ideoque absque laboris impedimento gravioribus vinculis operabantur. At qui in opus *metalli* damnabantur, propterea levioribus adstringebantur vinculis, quod in massam *metalla* reducerent, & circa varia exercitia essent occupati: quippe, qui non assidue in fodiendo morabantur, sed modo ad exportandum *metallum*, modo ad coquendum, reducendum, & alia hujusmodi servitia præstanda adigebantur: in quibus ob graviorum vinculorum onus facile potuissent impediri. Quanquam non in vinculis tantum, sed & in pœna differentiam istam consistere certum est. Refugæ enim ex opere *metalli*, vel in *metallum* dantur, vel pœnæ *metalli* subjiciuntur. At qui ex *metallo* fugerint, gravius, hoc est, morte afficiuntur. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 708. *Rhodig. Ant. Lect.* X. 5. *Laurent. de Rebuspubl. c.* 6. *Lips. de Magn. Rom.* II. 5. *Thys. de Magn. Rom.* I. *p* 256.

METATA sunt hospitia, quæ supervenientibus militibus provinciales præbent. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 1.

METATORES appellabantur tribunus unus ex quaque legione, & centuriones illi, qui cum exercitus appropinquabant, ubi castra ponenda, præibant. Vulgus Italicum forerios appellat Veget. II. 7. *Metatores, qui præcedentes, locum eligunt castris. Metari* sane non aliud, quam dividere, secare suis finibus, & *metis.* Ita Virg. Georg. II. 274.

— *si pinguis agros metabere campi.*

Horat. Od. II. 15. 15. *Porticus metata decempedis.* Agrorum *metator* dicitur finitor Cicer. Agrar. II. 13. De castrorum *metatoribus* Lucan. I. 381.

Castra super Thusci si ponere Tibridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.

Si in ipsa Italia, imo ad urbem matrem ponere me, inquit, signa jubeas, & castra: en ego *metator.* Optat. Milevit. III. *Cum ante venturos milites, metatores, ut fieri solet, mitterentur.* Hi primo designabant prætorium, & legionum loca, & sic deinceps. His factis vexillum unum figebant, & primum in loco, ubi prætorium ponendum. Secundum in latere electum. Tertium in media linea, ubi tribuni tendunt. Quartum, ubi legiones. Hæc quidem punicea, illud autem Imperatoris album. Ad latera tenues interdum hastas defigebant. Interdum vexilla coloris alterius. His factis strigas dimetiebantur, & hastas in quaque figebant; quibus cum appropinquarent copiæ, & in conspectu haberent castra, statim omnia omnibus innotescebant. Ita milites in castra ibant, tanquam in notam, & suam urbem. Antecessores vocat Mauric. de Milit. Rom. *Antecessores qui ante agmen eunt, & loca castris idonea deligunt, & vias, qua duci exercitus commode possit, vident. Mensores, qui loca castris metandis metiuntur.* Hæc *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3. *Lips. de Milit. Roman.* V. *dial.* 12. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 136. *Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c.* 47. *&* 66. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1069. *C. Turneb. Adv.* XII. 16. *Stewech. in Vegetium. Du Fresne Glossar. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* VI. *p.* 226. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c.* 41. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 15. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 6.

METAXIATICUM est tributum impositum *metaxæ*, & serico. Suidas: *Serica est metaxa, ex qua solebant vestem texere, quam Græci Medicam dixere, hodie sericam dicunt.* Hesych. *Seres animalia nentia metaxam.* Eam Procopius ait duos sacerdotes ex Indis attulisse, unde *metaxarius* in Basilic. Ecl. 25. *Buleng. de Vectig. c.* 83.

METELLUS *dicitur in re militari quaſi mercenarius. Attius Annal.* XXVII. *Calones, famulique, metellique, caculæque, a quo genere hominum Cæciliæ familiæ cognomen putatur dictum.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 832. E. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Familia itaque *Metellorum* in gente Cæcilia plebeja, ſed nobili intra an. 290. pontificatus maximos quatuor, dictaturas duas, principatus ſenatus tres, cenſuras ſeptem, triumphos novem, conſulatus viginti, magiſteria equitum duo, viri XIX. adepti ſunt. I. L. *Metellus* C. F. cum C. Servilio Gemino Tucca ante bellum Tarentinum anno III. in magiſtratu a Senonibus Gallis eſt occiſus. Hunc Dentonem, vel Dentricem quidam appellant, quod cognomen ab aliis Cæciliis aliquando uſurpatum eſt. II. L. *Metellus* L. F. C. N. bis conſul, dictator, pontifex maximus, magiſter equitum, decemvir agris dandis, ſemel triumphalis. Priori conſulatu, quem cum C. Furio Placido egit an. 502. inſignem victoriam in Sicilia de Pœnis adeptus eſt, ac de eis triumphavit proconſul 7. Idus Septemb. anno proximo. Biennio poſt magiſter equitum fuit. Tum primum dictator extra Italiam profectus eſt. Iterum coſ. fuit cum N. Fabio Buteone an. 506. poſt quadriennium pontifex maximus eſt factus, eique ſacerdotio duos & viginti annos præfuit. Dictator comitiorum cauſa an. 529. Palladium ex incendio in templo Veſtæ exorto eduxit, cæcusque factus eſt. Centeſimum annum agens mortuus eſt. III. Hujus filius Q. Cæcilius *Metellus*, patrem in funere laudavit, & orator aliquo in numero fuit, eodem anno coſ. cum L. Veturio Philone, magiſter equitum M. Livio Salinatori comitiorum habendorum cauſa. IV. L. *Metellus*, Q. frater, quæſtor fuit an. 539. & an. proximo tribunus plebis, quique poſt Cannenſem cladem auctor deſerendæ Italiæ fuerat. V. M. *Metellus* forte etiam Q. frater, qui prætor fuit an. 547. VI. Q. Cæcilius *Metellus* Q. F. L. N. Macedonicus. Hujus felicitatem multi laudarunt. Nam conſul, cenſor, augur, ac triumphalis, & duobus luſtris princeps ſenatus, filius, & nepos conſularium, atque illuſtrium virorum filios, & nepotes habuit conſulares, & triumphales multos. Ante conſulatum proprætore triumphavit ex Macedonia de Andriſco Pſeudophilippo an. 607. Cenſuram obtinuit cum Q. Pompejo Ruſo, plebejusque tum primum uterque cenſor fuit an. 622. Unum periculum in vita cenſor ſubiit, quod C. Atinium Macerionem tribunum plebis ſenatu moverat; ab eodem enim comprehenſus eſt, & obtorto collo in Capitolium ducebatur, ut e ſaxo præcipitaretur, niſi collegæ auxilium tuliſſent. VII. L. *Metellus* Calvus, Quinti frater fuit coſ. an. 611. cum Q. Fabio Maximo Serviliano, cenſor poſt quinquennium cum L. Calpurnio Piſone Frugi. VIII. Q. *Metellus* Q. Macedonici filius ex triumpho cognomentum Balearici conſecutus eſt, quem egit poſt conſulatum, in quo habuit collegam T. Quintium Flaminium an 630. Cenſor triennio poſt cum Q. Servilio Cæpione. IX. L. *Metellus* alter Macedonici filius ex triumpho cognomen aſſecutus eſt Delmatici, antea Diadematus dictus, ob frontem diu vitta, vel diademate obligatam. Coſ. fuit cum Q. Mucio Scævula, & procoſ: triumphum egit de Delmatis an. 637. pontifex maximus an. 663. X. Marcus *Metellus* Macedonici filius coſ. fuit cum M. Æmilio Scauro, genero Delmatici an. 638. Poſt biennium triumphavit ex Sardinia. XI. C. *Metellus* Macedonici quartus filius Caprarius cognomento, quem non coſ. ſed deſignatum vidit moriens pater cum Cn. Papirio Carbone. Hic triumphavit in conſulatu eodem die, quo Marcus frater, ex Træcia. Cenſor fuit cum Q. *Metello* Numidico fratre patruele an. 651. XII. L. *Metellus* Calvus L. Calvi filius pontifex maximus, cenſor, & conſul fuit. Collegam in conſulatu habuit L. Aurelium Cottam an. 634. in cenſura, quam quadriennio poſt geſſit, Cn. Domitium Ahenobarbum. Pontificatum obtinuit mortuo P. Mucio Scævula an. 639. XIII. Q. *Metellus* Lucii frater, Numidicus poſt victoriam, & triumphum dictus bello Jugurthino. Conſul fuit quinquennio poſt eum annum, quem proxime retulimus pontificatus fratris, cum M. Junio Silano. De Jugurtha, & Numidis procoſ: biennio poſt triumphavit. XIV. Q. *Metellus* Pius Numidici filius, conſul, cenſor, pontifex maximus, & princeps ſenatus, ac triumphalis fuit, L. Sullæ Felicis in ſecundo conſulatu collega an. 673. Q. Sertorium in Hiſpania profectus eſt adjutore Cn. Pompejo Magno, mortuo Sertorio Romam reverſi ambo ex Hiſpania triumpharunt an. 682. Septimo poſt triumphum anno ſine liberis mortuus eſt. XV. Q. Cæcilius Q. F. *Metellus* Pius Scipio adoptivus hæres nominis, & familiæ, P. Scipionis Naſicæ VII consularis nepos. Bello inter Cæſarem, & Pompejum exorto generum Cn. Pompejum Magnum ſecutus, eique ſuperſtes in Africa, ne in manus inimici veniret, ſe ipſum interemit. XVI. Q. *Metellus* Nepos Balearici filius cognomen id retinuit, quod nepos eſſet Macedonici. Coſ. fuit cum T. Didio T. F. an. 655. XVII. Hujus filius Q. *Metellus* Nepos, qui tribunus plebis Ciceronem conſulatu abeuntem concionem habere prohibuit, jurare tantum veteri more permiſit prid. Kal. Jan. an. 690. Coſ. fuit poſtea cum P. Cornelio Lentulo Spinthere quinquennio poſt. XVIII. Q. *Metellus* Creticus poſtea dictus, Delmatici filius, conſul fuit an. 684. cum Q. Hortenſio oratore, triumphum egit poſt ſeptem annos proconſul ex Creta. XIX. Hujus, ut creditur frater, & in conſulatu ſucceſſor L. *Metellus* coſ. deſignatus mortuus eſt. In prætura ſucceſſor C. Verris in Sicilia fuit. XX. Q. *Metellus* Celer etiam his temporibus fuit, frater poſterioris Nepotis, ſed germanus, an uterinus, an patruelis incertum eſt. Mihi uterinus fuiſſe videtur, quod duo germani eo tempore non eiſdem prænominibus utebantur. Tum etiam, quod cognomen ob celeritatem ludorum poſt mortem patris accepit. Id magis Q. Nepoti debebatur, qui paternum cognomen retinebat, utpote hæredi, aut unico, aut maximo. Patrueles non fuiſſe indicio, quod ambo Q. F. dicuntur. Prætor fuit Cicerone coſ. & conjurationis vindex. Conſul triennio poſt cum L. Afranio an. 693. XXI. Eiſdem temporibus fuit L. *Metellus*, qui C. Cæſari pecuniam ex ærario publico efferenti tribunitia poteſtate impedire conatus eſt. XXII. Poſtremus *Metellus* ſub Auguſto fuit Q. Creticus Silanus Q. F. Q. N. coſ. cum A. Licinio Nerva Silano an. 759. *Auguſt. de Famil. Roman. in Cæcilia. Glandorp. Onomaſt. Roman.* p. 167--172. *Patin. Famil. Roman. ex antiq. numiſm.* p. 48--52. *Strein. de Gentib. & Famil. Roman. in Cæcilia. Urſin. de Famil. Roman. in Cæcilia. Rhodig. Antiq. Lect.* XVII. 22.

METIA porta. V. illam infr. in *Porta*.

METOECIUM fuit Athenis vectigal decem, vel duodecim drachmarum, quod inquilini in ærarium inferebant, & publicano tres obolos. Heſychius drachmas decem, Harpocration & Pollux III. 4. duodecim pependiſſe ſcribunt. Fuit & Romæ penſio, quam *habitationem* vocat Suet. Jul. c. 38. n. 3. *Annuam etiam habitationem Romæ uſque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos ſeſtertios remiſit.* 'Ενοίκιον vocat Dio XLVIII. p. 362. *C. Buleng. de Vectig. c. 65.*

METRETES, ſeu metreta, capit choas duodecim: pendet oleo plenus libras nonaginta. Cum autem vinum purum, aqua pura, & acetum purum oleo nona parte graviora ſint, pendet vino, aut aqua plenus libras centum. Intelligo autem de libra ponderali antiquarum unciarum duodecim, quarum unciarum pondus unum, & idem Græcis fuit, & Latinis. Hac *metretes* menſura uſi ſunt quoque Latini, mutato genere. Cato de Re ruſt. c. 107. *Oleum, ſi in metretam novam inditurus eris, amurca, ita uti eſt cruda, prius colluito, agitatoque diu, ut bene combibat: id ſi feceris, metreta oleum non bibet, & oleum melius faciet, & ipſa metreta firmior erit.* Quo in loco haud dubie pro vaſe, & non menſura capitur. Pro menſura tamen ſumpſit Colum. XII. 22. *Picis liquidæ metretam adde in labrum.* c. 49. *Quantum vini uno die feceris, ejus partem decimam, quot metretas efficiat, conſiderato. & totidem metretas aquæ dulcis in vinacea addito.* De hac quoque ſenſit Fannius cum amphoram, ſive cadum appellavit, ſic dicens:

Attica præterea dicenda eſt amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies, noſtræ ſi adjeceris urnam.

Hæc autem verba, *noſtræ ſi adjeceris urnam*, velim intelligas nomine-tenus, id eſt, ut Græca amphora, ſive cadus conſtet ex tot Græcis ſextariis, ſeu cotylis, ex quot conſtat Romana amphora, & urna: hi enim ſunt ſextarii octo, & quadraginta in amphora, & quatuor & viginti in urna, ita ut *metretes*, ſive cadus, vel Attica amphora capiat ſextarios Græcæ menſuræ 72. ſive cotylas 144. *Pætus de Roman. & Græcor. menſ.* III. *Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1648. *C.* Non eſt ad amphoram Romanam ſeſquialtera, quæ res Fannium feſellit. Tametſi enim ſeptuaginta duos ſextarios capiat, qui numerus eſt ſeſquialter ad quadraginta octo, ſummam videlicet ſextariorum Romanorum: quia tamen ſextarii ſunt inæquales, ideo capacitas tota *metretæ* non eſt ad Romanam ſeſquialtera, ſed ferme ſeſquitertia. Id quod librarum menſuralium calculus nos docet. Nam Romana octoginta libras, Græca vero centum & octo continet. Nam libræ inter variantes menſuras ſunt veluti proxenetæ, & mediatrices. Centenarius itaque octonarius, octogenarium ſuperat in libris octo & viginti, qui numerus eſt ferme tertia pars octogenarii. Superat enim ſolum quaternario rationem ſeſquitertiæ proportionis. Qui contra ſentiunt, qua ratione id faciant, ipſi viderint. Nec verum eſt quod exiſtimant, tres urnas Romanas *metretem* conficere, alias *metretem* facerent eſſe librarum centum & viginti: cum tamen ſuo ipſorum teſtimonio conſtet centum & octo libras habere *metretem*. Eſt ergo *metretes* ad amphoram Romanam ſeſquitertius, dempto quaternario: nam ter viginti octo, ſuperante tantum quaternario, octoginta efficiunt. Recedit nihilominus hæc menſura a geometrica amphora in libris triginta ſex: nam vere geometrica amphora ex librarum numero quadrate, unciarum vero cubice multiplicatarum aggregatione collecta centum quadraginta quatuor libras habere debet. De hac menſura intellexit Johan. c. 2. n. 6. ita dicens: *Erant ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas.* Cenal. de Pond. ac menſ. lat. Theſ. Græv. ibid. p. 1459. A. V. etiam *Agric. de Menſ. Græc.* II. *p.* 44.

METTIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

MEV.

MEVANIA, urbs olim, oppidum nunc ſatis amplum in Umbria, ad Clitumnum flumen, in via Flaminia, vulgo Bevagna, Propertii natalibus illuſtris, qui eam mirum in modum ſuis carminibus commendavit. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 858. *B. Cluver. Ital. Ant.* II. 7. 10. *Leand. Albert. Deſcr. Ital. p.* 137.

MEVANIOLA oppidum fuit Umbrorum, apud Bedeſis ripam, qui nunc ſuperiore ſui parte vulgo dicitur Ronco, in Apennini radicibus. Oppidani ſunt *Mevanioleuſes.* Is locus vocatur nunc Galeata, antiqui oppidi ruderibus, & antiquis inſcriptionibus clarus: ex quarum una cognoſcitur municipium aliquando fuiſſe.

Q. VELCENE
L. F. STEL
PROCULO
DECURIONI
MEVANIOLÆ
C. C. M. M. PATRONO

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. *p.* 599. *D. Cluver. Ital. Ant.* II. 6. 25.

MIC.

MICA fuit filia Philodemi Elienſis, quam virginem honeſtiſſimam, cum Lucius Ariſtotimi Elienſium tyranni filius adamaret, & ad ſtuprum trahere vellet, renitentem jugulavit. Fuſius Plutarch de clar. mul. p. 251. A. . . . Ejus ſtatua aurea in regione ſecunda Urbis ſita erat, & *Mica* proprium nomen hujus puellæ fuit. Sed forte intelligit effigiem urſæ, *Mica aurea* dictæ, quam ſævam, & homines ambedentem, & aliam nomine Innocentiam habebat Valentinianus. Ammian. XXIX. 3. *Illud nec præteriri eſt æquum, quod cum duas haberet urſas ſævas hominum ambeſtrices, Micam auream & Innocentiam, cultu ita curabat enixo, ut earum caveas prope cubiculum locaret....* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 350. F. Mihi potius cœnaculum id fuiſſe videtur, de quo Mart. II. 59. cujus inſcriptio de *Cœnatione mica:*

Mica vocor. Quid ſim, cernis? cœnatio parva.
Ex me Cæſareum proſpicis ecce tholum.
Frange toros; pete vina, roſas cape; & ungere nardo.
Ipſe jubet mortis te meminiſſe deus.

Erat ea quidem parvum cœnaculum; verum quam pulcre exornatum fuerit, vox *aurea* ſatis, ſuperque indicat. Non poſſum hic Donato aſſentiri, exiſtimanti, Martialem de cœnaculo aliquo loqui a Domitiano in palatio exſtructo: nam nec poeta hoc indicat, neque parvitas ejus hoc perſuadet. Præterea quod ex ea tholum Cæſareum proſpici potuiſſe ait, a palatio illud manifeſte excludit, facitque, ut veroſimilius arbitrer, idem fuiſſe ædificium, quod a Victore, & Ruſo in Cœlio collocatur, unde proſpectus palatii patebat. Quod ſi & in illa palatii parte fuiſſe pronuntiaverim, quæ palatio proxima, fortaſſe a vero non aberraverim, certe non extra oleas. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7. *Salmuth in Panciroll. de reb. deperd. & inv. p.* 555. De hac *mica* etiam agit contra Pancirollum, & cœnationem fuiſſe dicit *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* III. *Præf.* * * 3.

MICARE digitis dicitur de illa ſortitione, qua duo clauſis manibus, vocando, ſeu divinando certum numerum, ſubinde digitos porrigunt. Verbi gratia, ego tres digitos explico, tu totidem, ipſe quatuor nomino, tu vero ſex, ita tu qui numerum vocando divinaſti, jam viciſti. Gloſſ. Cyrill. *Micat*, λαγχάνει. Quia vero digiti ita explicati ſubito apparent, idcirco per metaphoram *micare* dicuntur. Hinc Varr. Parmen. apud Non. IV. 303. *Micandum cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur.* Cicer. de Divin. II. 41. *Quid eſt enim ſors? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras.* Auguſt. de Trinit. II. 5. *Nam id, ubi volumus, facile habemus, vel micando digitis tribus. Porro qui cum micas in tenebris, ei liberum eſt, ſi velit fallere.* Hoc genus luſus Italis notiſſimum, & adhuc apud eos durat, vulgoque appellatur *mor*, forte a *Moran*, Venetis vicina inſula. Vel quaſi μωρῶν, id eſt, ſtultorum luſus, quod digitorum jactatio ſignum ſit levitatis. Quod videre eſt in ſtultis & fatuis, *qui poſt multa inhumaniter, ac barbarice dicta, digitos porrigunt nunc ſupinos, nunc pronos, hoc geſtu aliquid mali minitantes, aut inſitam ſtultitiam ſignificantes.* Qui certiſſima eſſet fide, eum dignum dicebant, qui cum in tenebris *micaretur.* Cicer. Offic. III. 19. *Hoc nonne eſt turpe dubitare philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitent? a quibus natum eſt, id quod tritum eſt vetuſtate proverbium. Cum enim fidem alicujus, bonitatemque laudant, dignum eſſe dicunt, qui cum in tenebris mices,* id eſt, cui ſecure credas, & fidem habeas. *Eraſm. Adag. p.* 249. *A. Souter. de Aleat.* III. 9. *Wouwer. Polym. c.* 7. §. 6. *Buleng. de Sort. c.* 1. *Senft. leb. de Alea c.* 18. *n.* 3. *Maurit. de Sortit. c.* 24. §. 7. *Pitiſc. in Suet. Jul. c.* 27. *n.* 7. Hanc ſortem Helenam inveniſſe auctor eſt Hephæſtio apud Phot. p. 247. Edit. Hœſchel. atque cum Alexandro ſortientem viciſſe. A Græcis ad Romanos venit, eamque deſcribit Nonn. XXXIII. 77.

— mercicupidorum jactuum
Erat ſortitio indiſcretis manuum jactibus ſequens varios digitorum modos,
Quos interdum ſublatos erigebant, alios in pugnum
Includebant compreſſos in vinculum.

Caſaub. in Suet. Aug. c. 13. Buleng. de Lud. vet. c. 7. de Sort. c. 1. Struv. Antiq. Roman. c. 6. p. 304. Nihilominus tamen viri in republica literaria principes intelligunt

gunt per Varronianam & Tullianam *micationem* transactionem quandam, qua in contractibus, ubi de pretio certo, aliave re non convenire possent contrahentes, controversiam totam dirimebant, puta res in foro venales expositæ, item carnes a lanio sæpissime *micatione* emebantur: quod tamen postea ipso jure mutatum est, cautumque, ut sub exagio, id est, ad trutinam, non vero *micatione* carnes emerentur. Vetuit primus Apronianus præfectus Urbi, ut est in inscriptione quadam antiqua apud Gruter. p. 647. n. 6.

EX. AUCTORITATE
TURCI. APRONIANI. V. C
PRÆFECTI. URBIS
RATIO. DOCUIT. UTILITATE. SUA
DENTE. CONSUETUDINE. MI
CANDI. SUMMOTA. SUB. EXAGIO
POTIUS. PECORA. VENDERE. QUAM
DIGITIS. CONCLUDENTIBUS. TRA-
DERE

Quæ res tamen ita fiebant, ut lanio caput, pedes, & serum lactans, & subgulare cedant, reliqua caro cum pelle, & interaneis publice appendatur, & a venditore emptori præstetur. *Sensileb. de Alea vet. c.* 18. §. 1. *&* 2. *Buleng. de Lud. vet. c.* 7. *Casaub. l. l.*

MIL.

MILIARISIUM fuit nummus argenteus. Hoc aperte ostendit Justinian. Novel. 105. c. 3. ubi consulibus, cæterisque magistratibus interdicit, ne aureos nummos in vulgus spargant: argenteos autem permittit. Ejus mentionem facit Cedrenus, ubi de terræ motu commemorat, qui Leone Conone imperante Constantinopolis templa, ædificia, muros deturbarat. Sic enim Cononem loquentem inducit. *Quando vos urbis vestræ muros reficere non potestis, statuimus, ut quæstores nostrarum provinciarum exigant canonis nomine in singulos aureos singula miliarisia. Ex illo instituto consuetudo invaluit, ut bina ceratia susceptoribus tributi nomine penderentur.* Qui deinde fabulam subjungit, genus hoc tributi primum a Rege Numa institutum fuisse, cum statuisset, ut qui stipendium e palatio capiebant, singula ceratia penderent. Alio loco inquit: *miliarisia a militia dicta sunt. Nam Scipio Annibale urgente miliarisia propter auri pecuniam instituit, eaque militibus divisit.* Sed hæ quoque aniles sunt fabulæ. De illo Epiphan. de Mensur. & ponder. §. 24. *Nummus argenteus a Romanis miliarisium dicitur, quod militare donativum interpretari possis.* Pro corollario subjicio Cassiod. Var. I. 10. *Sex millia denariorum solidum esse voluerunt.* Hæc verba corrigenda sic arbitror: *sex milliarisiorum.* Aureorum enim pretia persæpe sunt mutata, ac verisimile videtur Theodosii tempore septenis *miliarisiis* constitisse, Cassiodori senis, Suidæ vero denis. Ita enim Suidas: *Miliarisium, numismatis decima pars.* Hotman. Antiq. Roman. IV. 2. 32. Plura si desideras, evolves acriter inter se contendentes *Scalig. de Re numm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1525. *E. Epist.* 204. *& Gronov. de Pec. vet. Mantiss. c.* 3.

MILIARIUM est vas longum, & angustum. Ridicule nonnulli exponunt vas, in quo *milium* coquebatur. Nam ejus usus erat ad calefaciendam aquam, vel aliquid macerandum. Athen. III. p. 98. C. *Qui & miliarium a Romanis dictum, nimirum aquæ calefaciendæ vas comparatum,* ἰπνολέβητα, *id est, furnaceum lebetem vocant.* Senec. Nat. Quæst. III. 24. *Facere solemus dracones, & miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus, per declive circumdatas: ut sæpe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo calori sat est. Frigida itaque intrat, effluit calida.* Ulpian. l cum aurum 19. §. si cui 12. ff. de aur. & arg. leg. *Certe si cacabos argenteos habebat, vel miliarium argenteum, vel sartaginem, vel aliud vas ad coquendum. . . .* Formam indicant Pallad. v. 8. *Vas æneum miliario simile, id est, altum, & angustum vespere inter alvearia collocemus, & in fundo ejus ponamus lumen accensum. Illuc papiliones convenient, & circa lumen volitabunt, & angustia vasculi ab igne proximo interire cogentur.* & Colum. IX. 14. *Si vas æneum simile miliario vespere ponatur inter alveos, & in fundum ejus lumen aliquod demittatur, undique papiliones concurrunt: dumque circa flammulam volitant, aduruntur, quod nec facile ex angusto sursum evolare, nec rursus longius ab igne possunt recedere, cum lateribus æneis circumveniantur: ideoque propinquo ardore consumuntur.* Turneb. Adv. V. 1. Voss. Lex. Etymol. Beroal. Annot. c. 102. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 550. Bays. de Vascul. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 690. E. Freinshem. de Calid. pot. c. 1. §. 5. Baccius de Conviv. antiq. III. 6. de therm. vet. c. 9 Cujac. Observ. II. 6. Græv. Thes. Antiq. Rom. Tom. XII. Præfat. * * vers. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 337. Casaub. in Athen. III. 20. & Theoph. Charact. c. 9.

MILITES legebantur fere ex rusticis, quod ii præ cæteris ad labores *militiæ* perferendos durati viderentur: atque olim ab aratro ad dictaturas, & consulatus ipsi duces arcessebantur. Cato de Re rust. præf. & Plin. XVIII. 5. V. illos infr. in *Plebs rustica.* Senec. Epist. 54. *Nullum laborem recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur.* Veget. I. 3. *Rustica plebs est armis aptior, quæ sub divo, & in labore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est.* Valtrin. de Milit. Roman. II. 6. Stewech. in Vegetium. Dalechamp. in Plinium. Ex Civibus. Civibus enim Romanis, non tantum principibus, sed privatis etiam *militibus* sanctum, & sacrum fuit Romanam civitatem tueri: majore enim caritate pro aris, pro focis, pro conjugibus & liberis, pro patria denique dimicatur, quam pro quavis mercede, atque pecunia. Ac disciplinæ desertæ severitas, totaque disciplinæ auctoritas, quæ in principibus expetitur, in cives multo promptior quam in exteros aliis moribus, aliisque legibus educatos erit. Unde ante quartum belli Punici II. mercenarium *militem* Romani non habuerunt. V. Livium infr. in *Milites mercenarii.* Sic Cæsar e Gallis legiones electas habuit, sed togatis Romanisque municipibus, & colonis. E Gallis etiam his citerioribus Alaudam illam, quam Gallico nomine appellabat, instituit: sed cui civitatem Romanam promiserat, ac postea præstitit. *Ramus de Milit. Cæsar. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1542. *E.* A quibus, & quo modo electi fuerint V. supr. in *Delectus.* Non potuerunt eligi, quorum statura quinque pedum, & septem unciarum non esset. Valentin. l. 3. C. de tyron. *In quinque pedibus, & septem unciis delectus habeatur.* Et hoc ab Urbe condita observatum fuisse fertur. Veget. I. 5. *Proceritatem tyronum scio quondam semper exactam, puta, ut senos pedes, vel certe quinos, & denas uncias habentes inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur.* Hinc colligitur, quid sibi velit Lampridius scribens c. 4. Imperatorem Alexandrum Severum *statura militaris fuisse.* Intelligit enim cum quinque pedum, & unciarum septem altitudinis fuisse. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 36. *Stewech. in Vegetium. Casaub. ad Suet. Tiber. c.* 68. *n.* 1. *Ramus ibid. p.* 1543. *C. Cujac. Observ.* XXX. 5. Videtur palus quidam mensuralis in castris ad hanc rem fuisse olim positus, & defixus, ut ad eum admotis, qui ad *militiam* deligebantur, tyronibus, vel qui sponte ad *militandum* accedebant, an statura justa, ac legitima essent, examinarentur. Palus ille vocabatur *incomma*, vel *incoma.* Ita in libris veteribus Veget. I. 1. pro *quondam*, vel, ut alii, *commodam* legitur *ad incommam.* Quam lectionem & comprobant, & explicant Isidori glossæ: *Incoma, mensura militum.* Ἔγκομμα ab eadem fortasse ratione dicebatur, quod incisuras quasdam, & κόμματα haberet, quibus pedum, & unciarum notæ distinctæ essent, & designatæ. Sic enim omnino factum oportuit, ut ad verum sciri posset, quot cuique pedes, & unciæ deessent ad explendam staturam, quæ requirebatur. *Salmas. in Lampridium, Du Fresne Glossario, Reines. Var. Lect.* II. 14. *Græv. in Isidorum, Scriver. in Vegetium.* Quo ætatis anno electi fuerint V. supr. in *Ætas militaris.* Eligebantur potissi-

mum, qui bonis eſſent nominibus, & primi nominabantur Valerius, Salvius, Statorius. V. ſupr. in *Delectus.* Citati reſpondebant, & qui citati non reſpondiſſent, multabantur. V. & hoc ſupr. in *Delectus.* Uni *militiæ*, cæteris rebus, ac negotiis relictis, debebant ſe dare. Veget. II. 19. *Incongruum videbatur, Imperatoris militem, qui veſte, & annona publica paſcebatur, utilitatibus vacare privatis.* Caſſiod. Var. II. 31. *Publicis debent inſudare, qui nomen dedere militiæ.* Leges militares Juſtiniani 6. 7. 8. *Milites neque procuratores, neque conductores, neque fidejuſſores, vel mandatores alienarum rerum ſiant. Milites agriculturæ, aut mercaturæ ſtudio non occupentur, nec ullius civilis rei curam in ſe recipiunto. alioqui militia ejiciuntor, omni ſimul privilegio militari carituri. Milites prohibentur prædia comparare in his provinciis.* Unde Macer l. Officium ff. de Re milit. *Paternus ſcripſit, debere eum, qui ſe meminerit armato præeſſe, ad opus privatum, piſcatum, venatum militem non mittere.* Et *legatum legionis, quod paucos milites cum ſuo liberto trans ripam venatum miſiſſet, ignominia notavit* Tiberius apud Suet. c. 19. n. 1 Huc reſpexit Paull. 2. Tim. c. 2. n. 4. *Nemo qui militat, implicatur hujus vitæ negotiis, ut placeat ei, qui elegit ipſum.* Stewech. in Vegetium, Lyd. de Re milit. v. 1. Olim dum res Romana moribus antiquis, viriſque ſtetit, certum eſt tyrones ad militiam adſumptos non niſi ingenuos. Imo ne ingenui quidem omnes admiſſi, ſiquidem hiſtriones omnes, præter Atellanos, a ſtipendiis militaribus repulſi ſunt. Liv. VII. 2. *Eo inſtitutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, & ſtipendia faciant tanquam expertes artis ludicræ.* Val. Max. II. 4. 4. *Atellani ab Oſcis acciti ſunt; quod genus delectationis Italica ſeveritate temperatum, ideoque vacuum nota eſt: nam neque tribu movetur, neque a militaribus ſtipendiis repellitur.* Bello civili inter C. Marium & Syllam *Marius milites non more majorum, neque ex claſſibus, ſed uti cujuſque libido erat, capite cenſos pleroſque ſcribere cœpit.* Salluſt. Bell. Jugurth. p. 135. Quam curioſi Romani fuerint in *militum* delectu patet ex l. 8. qui ſtatus ff. de Re milit. *Qui ſtatus controverſiam patiuntur, licet revera liberi ſint, non debent per id tempus nomen militiæ dare, maxime lite ordinata, ſive ex libertate in ſervitutem, ſive contra petantur. Nec hi quidem, qui ingenui bona fide ſerviunt: ſed nec qui ab hoſtibus redempti ſunt, quam ſe luant.* Imo litigioſi, criminoſi, adulterii, vel aliquo judicio publico damnati inter *milites* non recipiebantur l. 4. & 16. ff. de Re milit. & l. 1. C. qui militare poſſunt. Sed labante paullatim Reſpublicæ ſtatu ad ſtipendia admiſſi ſunt I. Libertini, qui cum antea ad *militiam* non admitterentur, bello Italico *militare* cœperunt. V. ſupr. in *Libertini.* II. Servi, ſed prius libertate donati. V. infr. in *Servus.* III. Paſtores. Cæſ. de Bell. civ. I. 24. *Servos paſtores armat, atque his equos attribuit.* IV. Gladiatores. Cæſ. ibid. c. 14. *Gladiatores, quos ibi Cæſar in ludo habebat, in forum productos Lentulus libertati confirmat, atque eis equos attribuit, & ſe ſequi juſſit.* Stewech. in Veget. I. 7. In cute notis ſignabantur. V. ſupr. in *Inſcriptio.* Certe Imperatorum nominibus olim appellabantur. Et Iphicratenſes apud Nepot. XI. 2. 4. Honoriani, Theodoſiani, Conſtantiani, Gratianenſes, Valentinianenſes. . . . in notitia utriusque imperii a ducibus denominati memorantur. Ex his notis, ac ſignis dignoſcebantur. Radulph. Flaviac. Levit. c. 14. n. 4. *Stigmata dicebantur quædam ſigna, quæ in manibus militum fiebant; ut de militia Imperatoris dignoſcerentur.* Lyd. l. l. Bene debent veſtiri. I. ut conſulant ſanitati. Veget. III. 2. *Ne minor illis veſtium ſuppetat copia. Nec ſanitati enim, nec expeditioni idoneus miles eſt, qui algere compellitur.* II. ut poſſint regi. Si enim calceis, veſtibus. . . . careant, regi non poſſunt: &, quod dicitur, neceſſitas legem non habet. Imperator Alexander Severus apud Lamprid. c. 52. V. illum ſupr. in *Convivium militare.* Stewech. in Vegetium. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. X. p. 713. Illorum veſtes erant chlamys, ſagum, paludamentum. Tunica etiam communis paganis fuit. Quæ licet diverſa nomine, re tamen eadem indumenta, aut non multum diverſa fuere. *Ferrar. de Re veſt.* II. 3. 1. Hæ publicitus concedebantur ſumma deducta e ſtipendio conſueto. Qua de re adductus Gracchus lege lata caverat, ne quicquam ſtipendii deduceretur pro veſte *militi* conceſſa. V. illam ſupr. in *Lex Sempronia.* Nihilominus ſublata denuo ea lex, aucto ſtipendio. Indicat hoc ſeditioſus ille Percennius apud Tacit. Annal. I. 17. 4. *Denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari: hinc veſtem. . . . redimi.* De antiquo illo ritu cenſeo intelligendum Veget. II. 19. *Siquidem incongruum videretur, Imperatoris militem, qui veſte & annona publica paſcebatur, utilitatibus vacare privatis.* Stewech. & Demſter. l. l. jurabant ſe duci obtemperaturos. V. infr. in *Sacramentum militare.* in nomen ducis. V. infr. in *Nomen jurare.* Et ſub Imperatoribus ante omnia in Principis ſalutem. Arrian. in Epictet. I. 14. *Deo præſtandum nobis jusjurandum eſt, quale militibus Cæſari. At illi mercede accepta jurant rebus omnibus ſe prœpoſituros ſalutem Cæſaris.* Tertullianus alluſit docte, ut ſolet, ubi diſſuadet Chriſtiano militiam, de Coron. c. 14. *Credimuſne humanum ſacramentum divino ſuperduci licere? & in alium dominum reſpondere poſt Chriſtum? & ejerare patrem, & matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari præcepit?* Nam expreſſit formulam ipſam, quam lector hauriet ex Suet. Calig. c. 15. n. 8. *De ſororibus auctor fuit, ut omnibus ſacramentis adjiceretur: neque me, liberoſque meos chariores habeo, quam Cajum & ſorores ejus.* Lipſ. in Tacit. Annal. XV. n. 143. Buleng. de Imper. II. 14. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium. Erant ſine uxore. Apparet hoc ex Tacit. Annal. XIV. 27. 3. *Neque conjugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſueti, orbas ſine poſteris domos relinquebant.* Non ritu, ſed lege id vetitum. Dio LX. p. 681. A. *Militibus, quoniam ex legibus uxorem habere non poterant, jura indulſit maritorum.* Hoc jus Severus Imperator videtur reſolviſſe, ſi recte capio Herod. III. 8. 9. *Militibus domi habere mulierem permiſit:* γυναιξὶ συνοικεῖν ἐπέτρεψε. Certe enim de legitimo conjugio capiendum videtur, quia contubernii militious, opinor, ſemper jus. A Junone arcebant eos, non a Venere Romanæ leges. Teſtis eſt Liv. XLIII. 3. qui *ſupra quatuor millia hominum ovaſſe* ait, *ut ſibi oppidum, in quo habitarent, daretur: qui nati in Hiſpaniis ex militibus Romanis, & ex Hiſpanis mulieribus, cum quibus nullum connubii jus.* Imo peregrini milites, id eſt, non cives, non amicas modo habuiſſe videntur, ſed uxores. Tabulæ Veſpaſiani Domitiani ævo: quibus inſculptum *civitatem datam militibus e claſſe Ravennate, & cohortis III. Alpinorum, itemque connubium cum uxoribus, quas tunc habuiſſent, cum civitas iis eſt data, aut quas poſtea duxiſſent.* Tamen pugnat in eam ſententiam Tertullianus, quia ſuo etiam ævo cælibes fuiſſe milites oſtendit. Ævum autem ejus ſub Severo. Is Exhort. ad caſtitat. c. 12. *Scilicet ſolis maritorum domibus bene eſt. Perierunt cœlibum familiæ, ſpadonum, militum, aut peregrinantium ſine uxoribus.* Severi ergo permiſſus aut ad prætorianos tantum pertinuit, aut verba arcte capienda, ut tantum permiſerit συνοικεῖν γυναιξὶ, cohabitare feminis, ſub eodem tecto agere, & contubernales habere, non legitimas uxores. Sed non repugnat, inquies, toti huic ſententiæ Livius, qui diſerte uxores *militibus* attribuit? In exhortatione Scipionis ad milites XXI. 41. *Unusquisque ſe non corpus ſuum, ſed conjugem, ac liberos armis protegere putet.* Et alibi. Reſpondeo. Temporaneam tunc (bello Punico ſecundo) militiam fuiſſe, nec legibus ſuis, ut poſtea devinctam. Capiebantur, mittebanturque *milites*, non pro ſtipendiorum tempore, ſed bellorum. At perpetua, & firma XXV. annorum militia inſtituta, hoc quoque inductum de cœlibatu. Sane etiam Icti hac cauſa, cauſam ſolvendi matrimonii militiam numerant l. 60. *Bona gratia diſſolvi matrimonium illud dicitur, quod propter ſacerdotium, ſterilitatem, valetudinem, militiam retineri non poteſt.* Lipſ. in Tacitum. Demſter. Paralip. in Antiq. Roman. Roſin. X. 12. Stewech. ad Veget. I. 3. Non tamen uxores in caſtris habendi jus fuit. Prop. IV. 3. 45.

Romanis utinam patuiſſent caſtra puellæ.

Stat. Sylv. V. 1. 130.

Et, ſi caſtra darent, vellet geſtare pharetras,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta.

Tibull.

Tibull. II. 6. 1.

Castra Macer sequitur, tenero quid fiet amori?

quia scilicet absque amica in castris. Ne quidem viris primariis. Tacit. Annal. III. 33. 1. *Inter quæ Severus Cæcina censuit, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur.* Mores veteres advocat. Additque rationem probabilimam, & ait n. 2. *Haud frustra placitum olim, ne feminæ in socios, aut gentes externas traherentur. Inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant.* Hinc Virg. Æneid. VIII. 688. exclamat

—— sequiturque (nefas) Ægyptia conjux.

Hæc vero exclamatio facta est, quod mulier castra secuta esset contra Romanorum morem, quorum per leges non licebat uxores in castris habere: imo in ingenti turpitudine hoc apud majores fuit. Unde bellaturus Pompejus in Lesbo reliquit uxorem. *Serv. German. Cerda ad Virgilium. Domit. Morell. Bernat. Barth. ad Statium. Lips. de Milit. Roman.* V. *dial.* 18. *Demster. & Stewech. l. l. Sigon. de Jure Prov.* II. 2. *Schott. & Schulting. in Senec. controv.* IV. 25. *Caroli Antiq. Roman.* III. 9. *Kipping. Antiq. Roman.* III. 4. §. 3. Hi non sunt audiendi, nec auctorum loca, quæ adferunt, hoc, quod volunt, probant. Nam Propertius de militia feminis interdicta; minime vero de remotione a castris vel pudore vel lege, quæ ab iis feminas arcebat, est intelligendus. Arethusa enim, vel, quæ suo hoc nomine latet, Lælia Galla conqueritur, quod a Lycota (Postumo) tam diu abesse debuerit: quare felicem Hyppoliten prædicat, quod contra hostes dimicare, & armata castra sequi posset n. 43. & n. 45. exoptat, tali modo ut castra pateant Romanis puellis, ut armatæ scilicet inter milites incedere, maritorumque laborum, & periculorum comites esse possent. Huic explicationi favet ipse n. 46.

Essem militiæ sarcina fida tuæ.

Etiamsi sarcinæ inter impedimenta esse soleant, non tamen ego: quippe si liceret Romanis puellis armatis castra sequi, sarcina fida, **een getrouwe bultzak**/ essem, quæ in omnibus periculis tibi foret præsto, omnium laborum comes, & incommodorum particeps. De *militia* feminis interdicta conqueritur Statius. Si Romanorum moribus, & legibus usitatum esset, inquit ille, ut feminæ *militiæ* possent nomen dare, vellet quoque securi, peltaque Amazonia sese instruere, maritumque in expeditionem comitari. Loquitur Poeta de Priscilla, uxore Abascantii, qui erat occupatus in expeditione, quam contra Sarmatas suscepit Domitianus, de qua Suet. c. 6. n. 2. & 5. & exinde non de remotione sexus feminini a castris. Hujus enim belli tempore non uxores tantum & feminas, sed & totos meretricum & concubinarum greges (V. Suet. Ner. c. 44.) in castris habebant duces, qui temporum licentia antiquos mores, & veterem disciplinæ rigorem in omnem libidinem, & voluptatem mutaverant. Vespasianus quidem *castrorum disciplinam correxit*, ut refert Suet. c. 4. n. 11. non tamen verbi Statii *si castra darent* recte de feminarum remotione intelligi possunt. Circa feminas enim in disciplina ab Imperatore ullo quid mutatum esse nullibi legi. Nec sub Domitiano a castris more, vel lege fuerunt remotæ, cum Juvenalis, qui sub eo vixit, satyra dignum vitium judicaverit esse in feminis quod adeo mathematicorum superstitionibus essent deditæ, ut perterritæ eorum numeris recusarent maritorum in castra comites esse Sat. VI. 571.

Illius occursus etiam vitare memento,
In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas: quæ nullum consulit, & jam
Consulitur: quæ castra viro, patriamque petente
Non ibit pariter, numeris revocata Thrasylli.

Tibullus loquitur de Macro tanquam homine jucundo, amœnitatibus & amori dedito, ita ut nesciat, quid amori nunc fiet, qui tanto privabitur alumno, cum inter tubarum strepitum, & castrensia incommoda illi adesse, sacraque ejus colere non possit. Castra enim sequi bellum, ejusque labores, & incommoda significat, & amori, otio & tranquillitati, nec non amœnitatibus, quibus in urbe amantes fruebantur, quasi sibi invicem contraria opponuntur. Sed hoc mori, vel legi a castris puellas removenti non debemus adscribere. Omnes enim vident, periculis, & itinerum longinquitate & incommodis, quia in remotissimis regionibus, & extremis nonnunquam imperii finibus bella Romani gerebant, imbellem sexum, laboribusque imparem a castris removeri. Tibullus etiam castra petituras eandem remotionis feminarum causam intelligit, & puellis Romanis valedicit n. 9.

Castra peto: valeatque Venus, valeantque puellæ.

Sed qui inde nullas feminas, uxores, vel meretrices in Romanorum castris fuisse contenderet, eadem ratione nullas fuisse Athenis feminas affirmaret. Propertius enim illuc proficiscens Cynthiam suam valere jussit III. 20. 16.

Qualiscunque mihi tuque puella vale.

Hoc tamen nemini in mentem unquam venisse putem. Cæcina sic *olim*, non vero sua tempestate sic placitum testatur. Illud autem *olim* referendum est ad tempus belli Punici II. quo latæ leges Oppiæ, quibus mulierum luxuria restricta, earum cultus oppressus, & cautum, *ne juncto vehiculo in Urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum causa veheretur.* V. Livium supr. in *Lex Oppia.* Harum legum auctoritate severitatem suam erga feminas defendit Cæcina; ac ex adverso Messalinus, dum Severo respondet, fatetur quidem *Oppias quidem leges latas fuisse: sed remissum aliquid postea, & mitigatum, quia expedierit* c. 34. n. 6. Leges vero Oppiæ vigesimo anno postquam fuerunt perlatæ, frustra M. Catone renitente fuerunt abrogatæ. Liv. XXXIV. 1. Antonii quoque tempore *ingens* illa *turpitudo*, quam apud majores fuisse dicit Servius, jam oboleverat, & *mos* ille *notissimus* abierat in desuetudinem. Expressas leges, quibus castrorum aditus feminis fuit interdictus, frustra credo in Romanorum monumentis quæres. Illæ quibus prohibitum, *ne propius ab Urbe mille passus veherentur*, jam diu erant abrogatæ. Ita ut Servii alteram rationem amplecti malim, nefas scilicet a Marone dictum, quod Antonius, qui Romanus erat, spreto omni pudore, passus fuisset feminam peregrinam, *Ægyptiam*, quam invito Romano populo duxerat, & *uxorem* vocabat apud Suet. Aug. c. 69. n. 3. eum in bello secutam fuisse, quam quod contra aliarum feminarum decora, & constitutas leges id Cleopatram fecisse crediderim. Corneliæ a Pompejo venaturo relictæ in Lesbo exemplo generalis feminarum a castris remotio minus recte statuitur, cum nulla sit consequentia a bello civili, in quo tum occupatus erat Pompejus, ad justum, moresque in eo observari solitos, neque ex eo sequitur *in ingenti fuisse turpitudine*, si uxores in castra maritos comitarentur. Observasse sufficiat, Pompejum in castra prope Apsum uxorem secum duxisse, diuque retinuisse, & nonnisi instante prælio, non ob turpitudinem, sed periculi metum, removisse in Lesbum. Testis Lucan. V. 722.

Undique collatis in rebus Cæsaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimina Martis
Jam castris instare suis, seponere tutum
Conjugii decrevit onus, Lesboque remotam
Te procul a sævi strepitu Cornelia belli
Occulere.

Remotionis rationem reddit n. 729.

—— quod nollet stare sub ictu
Fortunæ, quo mundus erat, Romanaque fata
Conjux.

n. 743.

—— tibi tuta latebra
Lesbos erit.

Ex quibus, ut & aliis Lucani locis plurimis, in ipsis castris ante remotionem Corneliam fuisse patet. Clare autem ostendit Marcia, quæ postquam ad pristinum conjugem Catonem rediisset, conqueritur, quod non æque ac Cor-

nelia mariti in bello comes esset. Lucan. II. 348.

Da mihi castra sequi: cur tuta in pace relinquar,
Et sit civili propior Cornelia bello.

Quæ querela, si jungatur iis, quæ ex Lucano de Corneliæ remotione, supra allegatis versibus, proxime sequuntur, *ingentem* illam *turpitudinem*, si unquam invaluit, illo tempore jam nullam fuisse probabit. Rogat enim Marcia, ut Catoni marito sibi liceat esse comiti. Cornelia suadendo Pompejum vult adducere, ut se in castris retineat, non a se *seponat*, & in aliam terram removeat. Quod contra omnem pudorem, legesque contrarium jubentes, tantorum virorum uxores flagitasse, vix mihi possum persuadere. Verisimilius itaque maritorum voluntati id adscribendum est, quibus non immerito visum, si conjuges in castra duxissent, ibique retinuissent, multis periculis eas fore obnoxias, ne clade aliqua accepta in hostium forte venirent potestatem. . . . Quare tutius se facturum putavit, si ante prælium in Lebum secedere Corneliam juberet, eamque *seponeret*, id est, removeret, procul a periculo poneret, non autem quasi ante profectionem in castra in Lesbum esset comitatus, deinde illic *reliquisset*, uti inaccurate innuere videtur Servius. Omnes itaque mecum sibi habebunt persuasum, post abrogatas saltem leges Oppias, oppressamque a Cæsare Rempublicam, nullo more, vel lege castrorum aditum fuisse interclusum; sed quibuscunque ea patuisse, feminisque maritos in provincias sequi fuisse concessum. Hoc S&to confirmatum docet Ulpian. l. 4. §. 11. ff. de offic. proconf. *Proficisci proconsulem melius quidem est sine uxore, sed & cum uxore potest.* . . . Et Prop. I. 13. vehementer in Cynthiam invehitur, quod cum prætore in Illyricum esset abitura, quodque in ejus contubernio navigare constituisset. Eundem Antonium Cytheris Volumnii liberta, quam uxorem mimam Antonii vocat Cicer. Phil. II. 24. postquam Galli Ægypti præfecti amorem spreverat, in Gallias secuta est. Virg. Ecl. X. 22.

—— tua cura Lycoris
Perque nives alium, perque horrida castra secuta est.

Lycoris, id est, Cytheris mutatione nominis poetis usitatissima. Et nihil contra morem solitum Antonium egisse, eo magis credendum est, quod sub Tiberio *Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus feminæ converterint.* Tacit. Annal. III. 33. 2. nec Plancinam idem II. 55. 6. non reprehendat, quod Pisonem *in castra secuta* esset, sed quod *intra decora feminis se non tenuisset, cum exercitio equitum, decursibus cohortium interfuisset.* Sic sine ulla ignominiæ nota uxorem in Germaniam duxit Germanicus. Tacit. Annal. I. 40. 3. Seditione in castris orta *uxorem perpulit ut abiret. Incedebat muliebre & miserabile agmen.* . . . 41. 2. *Progrediuntur contuberniis milites: quis ille flebilis sonus? quod tam triste? feminas illustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriæ uxoris, aut comitatus soliti, pergere ad Treviros.* Eadem Germanici uxor Agrippina mariti in Illyria, Epiro, Dalmatia, Eubœa, & Lesbo comes fuit. In castris etiam Caligula vitales spiritus primum hausit. Tacit. n. 4. *Jam infans in castris genitus.* Aur. Vict. Epit. c. 3. n. 2. *Quia natus in exercitu.* Testes sunt etiam versiculi, imperante mox eo divulgati, tradente Suet. c. 8. n. 4.

In castris natus, patriis nutritus in armis,
Jam designati Principis omen erat.

Si Agrippina contra mores in castris egisset, silentio antiqui hoc non præteriissent. Sed disciplina, Tiberio principe, ita prolapsa erat, ut *vinclis exsolutis, jam & exercitus regerent.* Tacit. Annal. III. 33. 7. & Cæcina, qui eam corrigere cupiebat, *non dignus tantæ rei censor* habitus sit c. 34. n. 1. Augustus, qui disciplinam severissime rexit, ut tradit Suet. c. 24. n. 2. ita ut *ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate, hibernisque demum mensibus permiserit uxorem intervisere*, non vetuit uxorem comitem in castris, vel provinciis habere. Nam ipse *divus Augustus quoties in occidentem, atque orientem meavit comite Livia?* ut utar verbis Tacit. n. 9. sine ulla vel populi Romani, vel scriptorum offensione, qui illum ut *severum laudant disciplinæ rectorem, & strictum observatorem, ac antiquum morem revocavisse* confirmant. Si quid durius circa feminas ab eo fuit constitutum, quia scilicet his Reipublicæ temporibus leges Oppiæ, atque aliæ omnes, quæ mulieribus duriores erant, in desuetudinem abiissent, non diu per temporum licentiam hujus disciplinæ observator Octavianus fuit. Quid igitur? viri hi illustres, spretis legibus, pudore, & disciplina comites habuerunt uxores? Sano homini credo nunquam id in mentem veniet. *Sichterman. de Pœn. milit. c. 3. Pontan. in Virgilium. Lips. in Tacit. Annal.* III. 33. 1. *Casaub. in Suet. Aug. c. 24. n. 2.* Accepto signo ad orientem solem se convertebant, deosque venerabantur, ut scribit in Marcello Plutarchus. Hinc Tacit. Hist. III. 24. 5. *Orientem solem, ita in Syria mos est, Tertiani salutavere.* Eundem quoque morem ab Horatiis, & Curiatiis, antequam inter se pugnarent, observatum narrat Zonaras. Valtrin. ibid. v. 3. Parati ad pugnam se præcingebant. V. supr. in *Discincti* & *Cinctus.* Ferebant I. Cibum. V. supr. in *Cibaria.* II. Utensilia. Illorum partem dat Joseph. de Bell. Jud. III. 3. *Ferunt Romani pedites hastam & scutum, & præter ista serram & corbem, rutrum, & securim, amplius lorum, falcem, & catenam.* Pertinebant pleraque ad lignandum, pabulandum, muniendum, & postremum ad captivos vinciendos. III. Vallos. V. infr. in *Vallus.* IV. Arma. V. supr. in *Arma.* Tot, & talia unus vir ferebat, non vir, sed jumentum, & sic comparat Josephus, qui scribit. l. l. *parum abesse a mulis sarcinariis peditem* Romanum. Itaque & *mulos* joco vocabant, an ipsos *milites*, an furculas eorum? Festus: *Muli Mariani dici solebant a C. Mario instituti, cujus milites in furca interposita tabella varicosius onera sua portare adsueverant.* Frontin. IV. 1. 7. *Cajus Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maxime exercitus agmen oneratur, vasa, & cibaria militum in fasciculos aptata furcis imposuit, sub quibus, & habile onus, & facilis requies esset: unde & in proverbium tractum est, muli Mariani.* Lips. de Milit. Rom. V. 11. Valtrin. ibid. IV. 4. Stewech. I. 19. Thys. Rom. Illustr. V. p. 133. Bergier de Viis milit. IV. Sect. 20. §. 7. Et sic onusti iter grande sæpe conficiebant. Tyrones suos adsuefacit Veget. I. 19. *pondus bajulare usque ad sexaginta libras, & iter facere gradu militari.* Quod vero istud iter, idem aperit I. 9. *Horis quinque æstivis viginti quinque millia passuum militari gradu confici.* Quid ergo in totum diem? Si de triginta, aut quadraginta dicam, non aberrem. Hoc mihi de Macedonibus adfitebitur Polyæn. IV. 2. 10. *Philippus exercebat una cum armis trecenta sæpe stadia ambulare, ferentes galeas, peltas, ocreas, sarissas, & præterea commeatum, & quæcunque vasa quotidiani usus.* Reddidi fideliter ipsa verba: & nonne hæc sunt milliaria triginta septem amplius? *Lips. l. l. Thys. ibid. p.* 134. Privato sumpto se aluerunt, sed postea etiam stipendium meruerunt. V. infr. in *Stipendium.* Cubiculis, & culina illis non erat opus. V. infr. in *Tentoria.* Stantes in castris cibum sumebant. Quintil. Declam. III. *Cum alii cibum stantes capiant, tribunus inter scorta volutabitur.* Ammian. XXV. 4. *Stans interdum more militiæ cibum brevem vilemque sumere visebatur.* Hoc prandium statarium, quod nimirum raptim, & quasi in pedes stando sumitur, vocat Mamertin. in Grat. act. *Neque tempus epularum ei, qui sæpius statarium prandium capiat.* Vales. in Ammianum. Stuck. Antiq. Conviv. II. 34. Clamor, quo hostem invadebant, edebatur in ipsa imminente jam conjunctione, & conflictu. Apud Græcos ἀλαλαγμός. V. supr. in *Clamor.* Apud Romanos *barritus* vocabatur. V. supr. in *Barritus.* Hostibus cæsis, & fugatis, qui fortiter, & egregie pugnaverant, ab Imperatore pro concione laudibus, & donis militaribus ornabantur. Ovid. de Pont. II. 1. 29.

Atque ita victorem, cum magno vocis honore,
Bellica laudatis dona dedisse viris.

Liv. II. 60. *Addebantur & laudes, quibus haud minus quam præmio gaudent militum animi.* Tacit. Annal. II. 22. 1. *Laudatis pro concione victoribus, Cæsar congeriem armorum struxit.*

xit. Liv. xxiv. 16. *Postero die per tribunum militum inde deducti, concione militum advocata a Graccho, supervenium. Ubi quum proconsul veteres milites primum, prout cujusque virtus, atque opera in ea pugna fuerat, militaribus donis donasset; tunc quod ad volones attineret, omnes, ait, malle laudatos a se, dignos, indignosque, quam quemquam eo die castigatum esse.* Brisson. de Form. iv. p. 350. Stewech. ibid. ii. 7. Broukh. in Tibull. i. i. 57. Caroli Antiq. Roman. iii. 10. Dona, quæ *militibus* singulis ab Imperatore triumphaturo dabantur, erant coronæ civicæ, murales, obsidionales, castrenses, aureæ, rostratæ, torques, armillæ, hastæ puræ, phaleræ, cornicula, & cætera generis ejusmodi. V. illas suis locis: erant etiam, quæ universis, ut pecunia. Hinc Imperatores ante triumphum *militibus* divisisse docet Liv. xxviii. 9. *Pecuniam in ærarium tulerunt sestertium tricies octoginta millia æris. M. Livius militibus quinquagenos senos asses divisit: tantundem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, cum ad exercitum redisset.* xxx. 45. *P. Scipio triumpho omnium clarissimo Urbem est invectus. Argenti tulit in ærarium pondo centum millia, militibus ex præda quadragenos æris divisit.* Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman. i. 15. Lips. de Milit. Roman. v. Dial. 17. Valtrin. de Re milit. Roman. vi. 4. Robortel. de Commod. milit. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p. 1479. E. . . . Blond. Triumph. Rom. vi. p. 138. G. Qui hostes singulari certamine occidissent, præter alia præmia hostium spolia referebant, eaque domi locis celebrioribus defigebant. V. infr. in *Spolia.* Cum Imperatore cincti discumbebant. V. infr. in *Prandium militare.* A missione illis etiam *præmium pecunia solvebatur.* Tacit. Annal. i. 17. 6. Ab Augusto id fuisse, sed obscurius, ostendit Suet. c. 49. n. 5. *Quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum, præmiorumque formulam adstrinxit, definitis pro gradu cujusque, & temporibus militiæ, & commodis missionum.* Nam *commoda missionum* hanc pecuniam accepit. Sed clarissime, summa etiam præmii expressa, Dio lv. p. 563. E. V. illum supr. in *Emeritum.* Lips. in Tacit. Excurs. G. An emeritum fuerit dicta hæc pecunia V. etiam in *Emeritum.* Pœnæ, quia illorum delicta alia levia, alia graviora erant, aliæ leviores, aliæ acerbiores sunt constitutæ. Leviores, quæ ignominiam tantum inusserunt, erant I. Stipendio privari. Quam pœnam qui patiebantur, ære diruti dicebantur. V. supr. in *Ære diruti.* II. Ad hastæ dationem condemnari. V. supr. in *Censio hastaria.* III. Tendendi locum commutare. Liv. xxv. 6. *Nunc deteriore conditione sumus, quam apud patres nostros fuerant captivi: quippe illis arma tantum, atque ordo militandi, locusque, in quo tenderent, in castris est mutatus.* IV. Inter impedimenta iter facere. Ammian. xxv. 1. *Ademptis signis, hastisque diffractis, omnes eos, qui fugisse arguebantur, inter impedimenta, & sarcinas, & captivos agere iter imposuit.* V. Extra oppidum hybernare. Liv. xxvi. 1. *Additum utrorumque ignominiæ est, ne in oppidis hybernarent, neve hyberna propius ullam urbem decem millibus passuum ædificarent.* VI. Extra castra hybernare. Val. Max. ii. 7. 15. *Decreverunt, ne quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra adsignatum vallo, aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet.* VII. Cibum stantem capere. Liv. xxiv. 16. *Nomina eorum, qui detrectatæ pugnæ memores, secessionem paullo ante fecerunt, referri ad me jubebo: iratosque singulos jurejurando adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter, quam stantes, cibum, potumque, quo stipendia facient, capturos esse.* VIII. Fossam fodere. Plutarch. in Lucull. p. 501. C. *Milites interioribus tunicis solutis in conspectu exercitus fossam pedum duodecim fodere jussit.* IX. Ante prætorium tunicatos stare. Suet. Aug. c. 24. n. 5. *Pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit, ut stare per totum diem juberet ante prætorium: interdum tunicatos, discinctosque, nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes.* X. Discinctos destitui. Liv. xxvii. 13. *Centuriones manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destitui.* Val. Max. ii. 7. 9. *Calpurnius Piso cos. C. Titium præfectum equitum, quod fugitivorum multitudine circumventus arma cum suis tradidisset, jussit laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus a mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse.* XI. Hordeo pasci. V. supr. in *Hordeum.* XII. Sanguinem mittere. Gell. x. 8. *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animadversio, jubere ignominiæ causa militi venam solvi, & sanguinem mitti: cujus rei ratio in literis veteribus, quas equidem invenire potui, non extat: sed opinor factum hoc primitus in militibus stupentis animi, atque a naturali habitu declinantis; ut non tam pœna quam medicina videretur. Postea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem; quasi minus sani viderentur omnes qui delinquerent.* Alex. Gen. ii. 13. *Hoc quoque loco pœna militaris fuisse traditur, jubere ignominiæ causa militibus audacioribus, qui nec animi, nec consilii satis haberent, venam solvi, quæ non tam pœna, quam medicina fuit, ut superflua parte sanguinis defluxa, se magis intra gyrum rationis continerent.* Hanc rationem, & causam rei subtiliter indagavit Gellius. *Faber Semestr.* i. 17. Ita quidem Gellius. Sed ego potius id factum puto, ut sanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluerant, eum cum ignominia amitterent. *Muret. Var. Lect.* xiii. 20. *Stewech. ad Veget.* iii. 4. Sed rogo te Marce, in furto sic castigato (Cato dixit) quis sanguis pro patria fundendus fuit. Quin ego etiam seorsum censeo, id fuisse notam meritæ summæ, & ultimæ animadversionis; quam cum clementia remisisset, speciem tamen ejus usurpabat in pauculo sanguine fundendo. *Lips. de Milit. Rom.* v. *dial.* 18. Ego consuetudinem inde ortam puto, quod in subito pavore medici sanguinem mitti jubeant: ut ergo pavoris, ac timiditatis ignavos milites arguerent, sanguinem mittebant. Postea usus obtinuit, ut in quocunque delicto sanguis mitteretur. *Valtrin. de Re milit.* vi. 8. *Thys. in Gellium.* Mihi videtur olim hanc unam vel pœnæ, vel ignominiæ speciem fuisse inter milites, ut hinc Romanis in ore manserit, *dandum esse invidiæ sanguinem* Liv. iii. 14. & simile, quod deinde aliis notis inventis obtinuit in certo genere. *Gronov. in Gellium.* Mihi præ omnibus Lipsii sententia semper arrisit. Nihil clarius, & militaribus moribus convenientius. Cum enim in adductis supra rationibus multæ vagæ, & incertæ sint conjecturæ, quæ probantur minus, quam a viris egregiis propria affirmantur auctoritate, & probatum nondum sit olim hanc unam vel pœnæ, vel ignominiæ speciem fuisse inter milites, nihil ex adverso est, quod moribus Romanis, & locis, quæ de missione mentionem faciunt in Lipsii sententia non conveniat. Furibus enim inflictam fuisse scribit Frontinus mox laudandus, quibus & manus amputatas esse eodem loco narrat: si vero *lenius*, id est mitius agere voluissent, & a graviori pœna recedere, sanguinem mittebant, ut omnibus constaret, mortem levi ea pœna damnatum meruisse; verum impetrata venia, & vita, hanc illi concessam esse, hoc levi supplicio ostendebant. Sic & hodie plurima in usu supplicia sunt, quæ in capitalis criminis reos irrogantur: & quæ etiamsi vitam non adimant, mortem tamen reos meruisse, satis superque ostendunt. *Sichterman. de Pœn. milit. c.* 11. Ego puto id factum fuisse, ut qui turpiter se gesserant, scirent, indignos esse, qui sanguinem, quo Mars eos dicebatur donare, Serv. in Virg. Æneid. xi. 51. possiderent: quemadmodum & cingulum, & hasta, aliaque ipsis arma adimebantur. *Almelov. in Dissert. Philol. Jurid. Inaugur. de Ignomin. Augustin. Besier. c.* 3. §. 16. XIII. Mulctam solvere. Modestin. l. desertorem ff. de Re milit. *Pœnæ militum hujusmodi sunt, pecuniaria mulcta.* . . . . . XIV. Militiam mutare, cum nimirum equiti equus adimebatur, & ille in peditum numerum referebatur. Val. Max. ii. 7. 9. *Turmas equitum, quibus præfuerat, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit.* n. 15. *Cum magnum civium suorum numerum a Pyrrho Rege ultro missum recepissent: decreverunt, ut ex iis, qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur.* XV. A castris segregari. Veget. iii. 4. *Dux debet esse attentus, ut si qui turbulenti, vel seditiosi sunt milites, eos prudentiori consilio segregatos a castris, ad agendum aliquid, quod ipsis videatur optabile: aut ad castella, urbesque deputet muniendas, atque servandas, tanta sub-*

tilitate,

tilitate, ut cum abjiciuntur, videantur electi. Cicero apud Diomedem: *Custodia castrorum non honoris, sed oneris existimatur.* XVI. Ignominiose mitti. V. infr. in *Missio ignominiosa.* Graviores, quæ in ipso corpore exercebantur, & vel caput, vel libertatem petebant. Neque enim in castris locum habuere Porciæ, Semproniæve leges, quæ a tergo, & capite civium, virgas fascesque removerent. Erantque I. Virgis cædi. Val. Max. II. 7. 4. *C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam sanguine sibi junctum, virgis cæsum, gregalis militiæ munere inter pedites fungi coegit, quod ejus culpa agger incensus, & pæne castra fuerunt capta.* II. Vite verberari. V. infr. in *Vitis.* III. Manum amputari. Frontin. IV. I. 17. *M. Cato memoriæ prodidit, in furto comprehensis inter commilitones dextras esse præcisas: aut, si lentius voluissent animadvertere, in principiis sanguinem missum.* IV. Crura exsecari. Ammian. XXIII. 5. *Signa propria quisque sequatur, sties, quod si remanserit usquam, exsectis cruribus relinquetur.* V. In exsilium mitti. Ammian. XXII. 11. *Romanus quinetiam, & Vincentius scutariorum scholæ primæ, secundæque tribuni, agitasse convicti quædam suis viribus altiora, acti sunt in exsilium.* VI. Venire. Liv. Epit. 55. *C. Mattienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca, diu virgis cæsus est, & sestertio nummo venit.* VII. Fuste verberari. V. supr. in *Fustuarium.* VIII. Securi percuti. V. infr. in *Percussio.* IX. Decimari. V. supr. in *Decimari.* X. In crucem tolli. Liv. XXX. 43. *Nominis Latini qui erant, securi percussi: Romani in crucem sublati sunt.* XI. Ad bestias damnari. Modestin. l. l. *Is, qui ad hostem confugit, & redit, torquebitur, ad bestiasque, vel in furcam damnabitur.* XII. Capite plecti. Hæc pœna multas ob causas *militibus* irrogata est, transfugere volentibus, vallum transcendentibus, aut per murum castra ingredientibus, seditionem atrocem concitantibus; imo & rem qualem qualem a duce prohibitam facientibus. Capite item plectuntur, qui præposito manum inferunt, qui adversus ducem, vel præsidem contumaces sunt, qui in acie fugam priores faciunt, exploratores qui secreta hostibus nuntiant. Item caligati, qui metu hostium languorem simulant, qui commilitonem gladio vulnerant, qui propositos suos, cum possunt, non protegunt l. omne delictum ff. de Re milit. XIII. Sepultura privari. Val. Max. II. 7. 15. *Virgis cæsos securi percuti jussit: eorumque corpora sepulturæ mandari, mortemque lugeri vetuit.* Ita quidem Stewech. in Veget. III. 4. Sed hoc exemplum quidem probat, sepulturæ privationem usurpatam esse in patriæ proditores, cives seditiosos, & milites, qui mortuo duce Jubellio sponte sua scribam ejus M. Cæsium Imperatorem delegerunt, postquam injusto bello Rhegium occupassent: nunquam vero in militem, virum, fortem, cuique lege, ac jure ob militare peccatum supplicium irrogatur militare. Ideoque inter pœnas militares recenseri non debet. *Sichterman ibid. c.* 15. XIV. Legionariorum gladiis concidi. Tacit. Annal. I. 44. 4. *Stabant pro concione legiones districtis gladiis: reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si nocentem acclamaverant, præceps datus trucidabatur: & gaudebat cædibus miles.* XV. Vivos comburi. Ammian. XXIX. 4. Valentiniani jussu Hortarius Alemannorum tribunus, *proditus contra Rempublicam quædam ad Macrianum scripsisse, barbarosque optimates, veritate tormentis expressa, conflagravit flamma pœnali.* Vulcat. Avid. Cass. c. 4. *Primus* Avidius *in supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, & a summo usque ad imum damnatos ligaret: & ab imo focum apponeret, incensisque aliis, alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret.* XVI. Sub crate necari. Liv. IV. 50. *Ad vociferationem eorum, quos sub crate necari jusserat, concursu facto.* Plaut. Pœn. V. 2. 64.

> —— AG. *Quid ait, aut quid erat? expedi.*
> MI. *Sub cratim uti jubeas sese supponi, atque eo*
> *Lapides imponi multos, ut sese neces.*

XVII. Saxis obrui. Flor. I. 22. 2. Liv. IV. 50. *Exercitus Posthumium Imperatorem, inficiantem, quas promiserat prædas, facta in castris seditione, lapidavit.* XVIII. Sagittis eminus configi. Id genus pœnæ observavi apud P. Diacon. XVII. Fuit simile illi, quo hodie utuntur, dum noxium palo alligant, & in eum, tanquam in scopum, reliqui omnes milites sclopetarii, seu bombardarii globos emittunt. XIX. Carpento trahi. Capitol. Macrin. c. 12. *Tribunum, qui excubias deseri passus est, carpento rotali subter adnexum per totum iter vivum, atque exanimem traxit.* Stewech. in Veget. III. 4. Lips. ibid. Dial. 18. Robortell. de Pœn. milit. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1482. Ouzel. in Gellium. Sichterman ibid. c. 13. & 14. Thys. Rom. Illustr. V. p. 152. Blond. Triumph. Rom. VI. p. 137. C. Valtrin. ibid. c. 8. Sigon. l. l. Lyd. ibid. c. 5. Ad has damnandi jus habebat tribunus. Veget. II. 9. *Si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate præfecti legionis a tribuno deputabatur ad pœnam.* Si fustuaria pœna exercenda erat, ipse quidem prior *militem* leviter attingebat: in graviori supplicio tantum præpositus erat, ut & centurio. Senec. de Ira I. 16. *Tunc centurio supplicio præpositus condere gladium spiculatorem jubet.* Stewech. ibid. I. 23. Lips. l. l. Exercebantur vero per lictores. Festus: *Lictores dicuntur, qui fasces virgarum ligatos ferunt: hi parentes magistratibus plagas ingerunt delinquentibus.* Nonium V. supr. in *Lictor.* Liv. IX. 16. *Quem cum inambulans ante tabernaculum vocari jussisset, lictorem expedire securim jussit: ad quam vocem exanimi stante Prænestino: agedum, lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus: perfusumque ultimi supplicii metu, multa dicta, dimisit.* Valtrin. & Stewech. l. l. Carceribus custodiæ causa apponebantur. V. supr. in *Custodia militaris.* Etiam cruciariis custodiendis. V. supr. in *Cruciarius.* Relicto armorum strepitu qui se quieti dederant, arma diis vovebant. Ovid. Trist. IV. 8. 21.

> *Miles ut emeritus non est satis utilis armis*
> *Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.*

Lucan. I. 239.

> *Rupta quies populi, stratisque excita juventus*
> *Diripiunt sacris affixa Penatibus arma,*
> *Quæ pax longa dabat.*

Tomas. de Donar. c. 22. Marti suspendebant, & sacrabant. Paull. Silent. Floril. VI. 5.

> *Scuteum taureum munimen cutis, hostiumque*
> *Sæpius hastam gestantem intestina,*
> *Et tela avertentem a pectore thoracem,*
> *Et galeam equinis setis horrentem,*
> *Posuit Lysimachus munus Martis, senilem nunc*
> *Pro panoplia baculum permutans.*

Cerda in Virg. Æneid. Ecl. VII. 24. Pro humatione cadaverum solliciti fuerunt. Sæpe autem Græcos, sæpe Romanos pactum cum hostibus iniisse de corporibus suorum sepeliendis testes sunt Homerus, Virgilius, Livius, & Cassiod. Var. II. 19. & 22. Etiam inducias sepeliendis utrimque cæsis in acie datas memorat Liv. XXXII. 11. Et Appian. de Bell. Pun. p. 63. scribit *Scipionem captivum quendam, solutum vinculis misisse ad Asdrubalem, rogantem ut sepeliret tribunos. Et hunc quæsitos inter cadavera, & aureorum annulorum indicio agnitos sepelisse.* Insigne est pietatis exemplum apud Tacit. Annal. I. 62. 1. *Igitur Romanus qui aderat exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente reliquias an suorum tegeret humo, omnes ut conjunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mæsti simul & infensi condebant.* Stewech. in Veget. II. 20. Kirchman. de Funer. Append. c. 3. Fab. Semestr. II. 1. Quensted. de Sepult. vet. c. 2. Foris illorum corpora in unum collata sepeliebantur. Suet. Cal. c. 3. n. 8. *Cæsorum clade Variana veteres, ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, colligere sua manu, & comportare primus aggressus est.* Hos tumulos in finibus, qui inde sepultuarii a limitum auctoribus dicuntur, ponebant, & in illos *militum* in prælio cæsorum cadavera in unum conferebant. Pausan. Bœot. p. 289. *Non longe a portis commune sepulcrum extat eorum, qui cum in acie cum Alexandro, & Macedonibus confligentes mortem oppetiere.* Suet. Aug. c. 12. n. 2. *Nursini Mutinensi acie interemptorum civium tumulo publice exstructo adscripserant, pro libertate eos occubuisse.* Guther. de Jur. man.

mon. i. 5. Pitisc. in Suetonii Augustum. Domi *ad memb... absci...um, & servorum justis factis, reliqui combusti corporis cineres in urna reportabantur.* Festus. Prop. III. 10. 13.

Neve aliquid de te flendum referatur in urna,
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.

Quod fieri permittit Cicer. de Leg. II. 24. *Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat. Excipit bellicam, peregrinamque mortem.* Guther. l. l. Ad tubam in castris sepeliebantur. Tertull. de Coron milit. c. 11. *Mortuus etiam tuba inquietatur aneatoris, qui excitari a tuba angeli expectat? & cremabitur ex castrensi disciplina Christianus, cui cremari non licuit, cui Christus merita ignis indulsit?* Kirchman. de Funer. II. 4. Tempore pacis fossis fodiendis, & viis muniendis, ut otium exuerent, adhibebantur. V. infr. in *Otium.*

Milites adscriptitii, vel adscriptivi dicebantur inermes qui olim castra sequi solebant, & legionibus adscribebantur, vel accensebantur, unde & accensi vocabantur. V. supr. in *Accensus*, ut in demortuorum locum subrogarentur, & supplerent defectum legionum. De his Plaut. Men. I. 3. 1.

— ER. *Extra numerum es mihi.*
PE. *Idem istuc aliis adscriptivis ad legionem fieri solet.*

Illorum, qui tamen extra numerum erant, instituti hoc spe fabat, ut essent, qui supplere, & integrare numerum legionis possent, si quos in prælio cadere contingeret. Ideo castra sequebantur, & singulis legionibus certus eorum numerus adscriptus erat. Ne autem prorsus inutiles essent, fundas iis attribuere, quibus ante primam aciem, cum cel qua levi armatura lapidibus hostes irritarent, ac lacesserent. *Salmas. de Milit. Rom. c. 14. Alex. Gen. dier.* VI. 2. *Schill Nomencl. Philol. p. 47. & 748. Taubman. in Plautum.*

Milites Augustales *appellabantur, qui ab Augusto ordinarius juncti sunt.* Veget. II. 7. *Chimentell. de Hon. bisell. c. 40.* Imperatores, penes quos jus, & arbitrium omnium rerum fuit, multa immutarunt in re castrensi, & nova etiam militum nomina introduxerunt. Etiam Nero legit Augustanos. Tacit. Annal. XIV. 15. 5. *Tunc primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate, ac robore conspicui, & pars ingenii procaces, alii in spe potentiæ.* Stewech. in Vegetium. Alex. Gen. VI. 22. & in illum Tiraquellus.

Milites caligati. V. illos supr. in *Caliga.*

Milites causarii proprie dicebantur valetudinis causa missi. Hoc nomine veniunt apud Liv. VI. 6. *Tertius exercitus ex causariis, senioribusque a T. Quintio scribatur, qui urbi, mœnibusque præsidio sit.* Colligitur hoc ex Ulpian. l. 2. §. 2. *Ignominiæ causa missum hoc ideo adjectum est: quoniam multa genera sunt missionum. Est honesta, quæ emeritis stipendiis, vel ante ab Imperatore indulgetur: & causaria, quæ propter valetudinem laboribus militiæ solvit.* Politian. Miscell. c. 92. Ræward. de Div. reg. jur. LXXX.

Milites centuriati dicebantur, qui centuriæ attributi, & assignati erant. *Turneb. Adv.* XVIII. 19.

Milites cohortium urbanarum nominantur prætorii, quoniam a prætore tutelari dicto regebantur. *Panvinol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 391. *A.* Qui gravissime hallucinatur. Nunquam dicti sunt prætoriæ cohortes urbanæ; sed illæ tantum hoc nomine fuerunt appellatæ, quibus præerat præfectus prætorio, non tam ad tutelam Urbis, quam Augusti conscripti, nec eos rexit prætor tutelaris, qui ab Augusto non est institutus, sed ab Antonino philosopho. Capitolinus. V. illum infr. in *Prætor tutelaris.* Græv. ibid. Proleg. * * 4.

Milites consummati dicebantur emeriti. Frontin. IV. 3. 12. *C. Curius, cum victis ab eo Sabinis, ex Senatus consulto ampliaretur ei modus agri, quem consummati milites accipiebant, gregalium portione contentus fuit, malum civem dicens, cui non esset id, quod cæteris, satis.* Rhodig. Ant. Lect. XI. 11.

Milites duplares, sive duplicarii. V. illos supr. in *Duplarii.*

Milites miliarenses forte sunt dicti a miliaria ave, quod ejus instar galeas gestarent: sicut alaudam legionem eodem modo Cæsar vocavit: vel forte a miliarensi loco in hortis Sallustii. Vopisc. Aurelian. c. 49. *Miliarensem porticum in hortis Sallustii ornavit.* Mihi non displicet dici, quod a prima alicujus legionis cohorte sint contracti: illa vero miliaria vocabatur, quia ex MCV. peditibus constabat. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 144. & 155.*

Milites infrequentes. V. illos supr. in *Infrequens.*

Milites mercenarii dicebantur auxiliares, qui, quanquam sæpe a Regibus mittebantur suo sumptu, tamen pecunia etiam scribebantur. Primi in Hispania, si credimus Liv. XXIV. 49. *Id modo ejus anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminem ante, quam tum Celtiberos, Romani habuerunt.* Ambigue hoc refero, haud frustra: & evertit sane Zonar. II. qui diu ante initium huic rei facit. Nam illa Livii incidunt in Annibalicum bellum, cum duo Scipiones in Hispania: at ille in Sicilia, bello Punico I. originem assignat. *Deficientes,* inquit, *a Carthaginensibus Gallos, & alios quosdam sociorum Romani stipendio conduxerunt, non ante peregrinum militem soliti alere.* Juvit aliquid Livium, quod isti per occasionem adsumpti, & reperti magis quam quæsiti: at primi consilio, & ex destinato, illi Celtiberi. *Lips. de Milit. Roman.* I. *Dial.* VII.

Milites navales in navibus pugnando suam operam præstiterunt. Hos Romani primis temporibus ex legionariis habuere. Polyb. I. 49. P. Claudius cos. *veteres, novosque remiges e vestigio navibus imponit, cum selectis epibatis, qui ex universis legionibus ultro sese offerebant.* Postcaquam vero res Romana crescere, externique, & potentes in mari hostes paratam semper, instructamque classem postulare videbantur, non amplius e terrestri, & legionario milite desumpti, sed certi quidam, iique perpetui, in classem scripti. Quod nescio an non belli Punici II. temporibus primum fuerit institutum. Liv. XXII. 57. *M. Claudius Marcellus ab Ostia mille & quingentos milites, quos in classem scriptos habebat, Romam misit.* Id quod facere potuisse non videtur, nisi eo tempore seorsim aliquos in classem scribi consuevissent. Hi quidem postea *classiarii, milites-que classici* vocati. Liv. XXVI. 51. *Remigio classici militis in altum evecti sunt.* Magis hoc firmatum, cum Augustus vagas ante classes certis locis distribuit: unamque *Miseni, & alteram Ravennæ, ad tutelam superi, & inferi maris collocavit.* Suet. c. 49. n. 2. Tunc enim nomen classiariorum Misenensium & Ravennatium inventum. Tacit. Annal. XV. 51. 1. *Primores classiariorum Misenensium labefactare connixa est.* Lapides, & prisca marmora: MIL. CL. PR. R. *Miles classis prætoriæ Ravennatis.* Scheffer. de Milit. nav. II. 4.

Milites numerarii. V. illos infr. in *Numerarii.*

Milites ordinarii. V. illos infr. in *Ordinarii.*

Milites prætoriani. V. illos infr. in *Prætoriani.*

Milites protectores. V. illos supr. in *Comes domesticorum.*

Milites provinciales sunt legionarii. Hyginus de Castrametatione: *Omnis miles provincialis accipit pedaturam pedem adjecta quinta per totam latitudinem semistrigii.* Et *Legiones quoniam sunt militis provincialis fidelissimi, ad vallum tendere debent, ut opus valli tueantur, & exercitum gentium Sclo numero corporali ceu muro teneant.* Primis temporibus, priusquam Italia subacta esset, aut in provinciam saltem redacta, legiones ex civibus Romanis conscribebantur, auxilia vero ex Italicis sociis petebantur: & hæc auxilia numerum legionum semper, aut æquabant, aut certe superabant. Post Italiam civitate donatam legiones tam ex Italicis quam ex Romanis, utique enim jam cives conscribi cœpere sunt: auxilia vero ex aliis gentibus petita partim fœderatis, partim etiam mercede conductis. At postquam totus orbis Romanus civitate Romana donatus est, quod Antonini Pii lege factum, delectus passim habitus ex omnibus orbis Romani provinciis ad legiones scribendas de novo, aut veteres supplendas, auxilia vero ex barbaris sumpta, ut Germanis, Batavis, Mauris, Arme-

nis, Oſtoënis, Palmyrenis, Getis, Dacis, aliisque exteris gentibus, quæ extra limites Romanos ſummovebantur, & imperii jugum nondum ſubierant. *Salmaſ. in Vopiſc. Prob. c. 14.* Hoc ante civitatem omnibus in orbe Romano, non ab Antonino Pio, ſed ab Antonino Caracalla datam, ut agnovit Salmaſ. de Mod. uſur. c. 19. ab Hygino, qui Trajani ætate, quod ex eodem liquet, ea commentabatur, dictum liquet: atque inde, quod ab Auguſti temporibus legiones ferme e provincialibus *militibus*, quique in provinciis diſtribuebantur, ac unde indita iis vulgo earundem provinciarum, quæ præter antiquos auctores, aliave veterum monumenta, in antiquis etiam M. Antonini, Hadriani, aut aliorum adhuc nummis comparent, nomina conſtarent: prætorianæ vero, & urbanæ cohortes ex Italicis ad Urbis cuſtodiam adſumerentur. *Militem*, & provincialem, ut *miles* de Romanis, provincialis de Gallicanis in eodem exercitu copiis intelligantur, diſtinguit Ammian. xx. 9. *Auguſte Juliane, ut provincialis, & miles, & Reipublicæ decrevit auctoritas.* Sed ſublata particula *&* legatur, ut jam olim apud Hyginum *provincialis miles*, nempe Gallicanus; quomodo *Gallicanus miles* appellatur ab Ammian. xxx. 10. aut *virtus exercitus Gall.* ſeu Gallicani legitur in Conſtantini, & Conſtantis nummis. *Spanhem. ad Cæſar. Anton. Imperat. Exerc.* 11. §. 23. *Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1035. *D.*

Milites pſili, Græce ψιλοὶ, nuncupati ſunt levioris armaturæ, quibus opponuntur, quos hoplitas dicunt Græci iidem, gravi præmunitos armatura, Macedonum ritu: ſcutis quoque in orbem circumactis, nec non haſtis longioribus; pſili, ſeu velites arcu utuntur, & jaculo, item fundi. *Rhedig. Ant. Lect.* xxi. 8. *Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1037. *C. Salmaſ. de Re milit. Roman. c.* 14.

Milites ſtatarii dicuntur, qui *non recedunt loco, ſed ſtatim rem gerunt*, ut loquar cum Plaut. Amph. i. 1. 84. Liv. ix. 19. *Statarius uterque miles, ordines ſervans.* V. infr. in *Stantes.* Cuper. Inſcript. §. 12.

Milites ſtationarii certis locis collocabantur, ut latrocinia prohiberent, turbas ſedarent, factioſos & crimina patrata præſidi indicarent. Cod. ix. 2. 8. *Si quis ſe injuriam ab alio paſſum putaverit, & querelam deferre voluerit, non ad ſtationarios decurrat, ſed præſidialem adeat poteſtatem.* Hos inſtituit Auguſtus. Suet. c. 32. n. 3. *Igitur graſſatores diſpoſitis per opportuna loca ſtationibus inhibuit*: & numero auxit Tiberius. Suet. c. 37. n. 1. *In primis tuendæ pacis a graſſaturis, ac latrociniis, ſeditionumque licentia curam habuit.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 9. Burman. de Vectig. c. 9. Pitiſc. in Suet. Auguſtum. Vectigalia pro mercibus advectis exigebant, eodem modo apocham ſcribebant, exactamque pecuniam ad præſidem mittebant, inde ad theſaurenſem dirigebatur. Conſtant. C. l. univerſi de Vectig. *Provinciales pro rebus, quas ad uſum proprium, vel ad fiſcum inferunt, vel exercendi ruris gratia revehunt, nullum vectigal a ſtationariis exigant: ea vero, quæ extra prædictas cauſas, vel negotiationis gratia portantur, ſolitæ præſtationi, vel penſationi ſubjugamus, capitali pœna propoſita ſtationariis, & urbanis militibus, & cæteris perſonis, quorum avaritia id tentari firmatur.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 75.

Milites triumphales dici poſſent, qui in triumpho triumphantem Imperatorem ſequebantur. De triumpho L. Anicii Liv. xlv. 43. *Lætior hunc triumphum ſecutus eſt miles, multiſque dux ipſe carminibus celebratus.* Carmina jocularia illi canebant. V. illa ſupr. in *Jocos.* Buleng. de Triumph. c. 32.

Milites ſubitarii vocabantur, qui cum in vicino eſſet hoſtis, & repens alicubi periculum, & auxilium ſubito ferendum, omiſſis tribubus, centuriis, ſortibus, confuſe, ac raptim capiebantur, & educebantur. Liv. iii. 30. *Senatum coſſ. vocant, jubentur ſubitarium ſcribere exercitum, atque in Algidum ducere.* Ac ſolent iſtos ſcribere in tumultu. Liv. xl. 26. *Senatum cenſere ſubitarios milites, tumultus cauſa conſcriptos primo quoque tempore dimitti.* Atque ita ſcribere, ut ſine diſcrimine, aut excuſatione ſæpe cogerentur, juvenes, ſeneſque. Liv. x. 21. *His nuntiis ſenatus conterritus, juſtitium indici, delectum omnis generis hominum haberi juſſit: nec ingenui modo, aut juniores ſacramento adacti ſunt, ſed ſeniorum etiam cohortes factæ.* Lipſ. de Milit. Rom. i. Dial. iv.

Milites urbani ſub Imperatoribus diverſi plane erant ab urbanis tempore Reipublicæ: hi enim ad ſubita belli conſcriptæ erant legiones, quæ ad cuſtodiam Urbis relinquebantur, dum aliæ in hoſtem ducerentur, nec genere militiæ, vel dignitate diſtingebantur. Sub Imperatoribus vero urbani diverſa, & ab aliis *militibus* diſtincta legio, & cohortes eſſe cœpere, & aliis *militibus* honoratiores habiti, ſolis cedentes prætorianis, qui, ut ad cuſtodiam Cæſaris, & palatii erant delegati, ita urbanis Urbis cura commiſſa fuit, unde eorum caſtra in ipſa Urbe fuere, quæ dicebantur *caſtra urbana* l. 15. § 3. ff. ad leg. Jul. de adulter. Horum magnus favor erat apud Imperatores, unde in eorum teſtamentis luculentiora plerumque legata, quam reliqui, percipiebant. V. Tacit. Annal. i. 8. 3. Variis etiam privilegiis gaudebant, nimirum, ut etſi nunquam Roma excederent, ſed perpetuo ejus cuſtodiæ cauſa ibi manerent, tamen beneficio reſtitutionis, propter abſentiam Reipublicæ cauſa, fruerentur l. 35. §. 4. ff. ex quib. cauſ. major. quæ tamen legis fictio in cauſa adulterii ipſis non prodeſt l. 15. §. 3. ff. ad leg. Jul. de adulter. Deinde ſtipendium ſeſquiplex accipiebant, dimidium ejus quod prætoriani. Maturiorem etiam vacationem, quam cæteri habebant. Colligo hoc ex l. 8. §. 9. ff. de excuſ. ubi dicitur *quis in urbanis cohortibus permilitaſſe, licet ante viginti annos mutatur.* Unde reliquos *milites* teneri viginti annos militare, urbanos ſedecim defungi potuiſſe conjicio. Et hinc Tacit. Annal. i. 17. 7. ſupplendum eſſe puto, ubi Percennius in oratione, qua *milites* ad ſeditionem accendit, hoc artificio utitur, ut invidiam prætorianis, & urbanis *militibus* conciliet, qui lautius habebantur, quam cæteri legionarii. *An*, inquit Tacitus, *prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, quæ poſt ſexdecim annos penatibus ſuis reddantur, plus periculorum ſuſcipere.* Lipſ. n. 115. putat Tacitum cum Dione pugnare, qui tradit liv. p. 539. D. *Auguſtum definiſſe prætoriis cohortibus duodecim annos.* Tacitus vero hic ſexdecim. Sed cum in Tacito infinitæ lacunæ, & hiulca loca reperiantur, idem hic accidiſſe puto, & locum ſic conſtituendum: *An prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, an urbanas, quæ poſt ſexdecim....* Ita ut Percennius prætorianis invidiam a ſtipendio, cohortibus urbanis a matura vacatione moveat. Deſiderari has voces, innuit §. 8. *Non obtrectari a ſe urbanas excubias, ſibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hoſtem aſpici.* Quæ ad urbanas cohortes, quæ ſemper in Urbe excubias agebant, ſunt neceſſario referenda, nam prætoriani, etſi & illi dici poſſint urbanas excubias agere, non tamen perpetuo ibi erant, ſed Cæſari adhærebant, quem in itineribus, & bellis comitabantur; quin etiam, quamvis Imperator domi maneret, aliquando pars quædam prætorianorum cum ducibus in longinqua bella mittebatur. Et ita legimus apud Tacit. ibid. c. 24. n. 1. *Tiberium Druſum filium cum primoribus, duabuſque prætoriis cohortibus miſiſſe.* Illis præerat præfectus Urbi. Tacit. Hiſt. iii. 62. 2. *Eſſe illi*, Flavio Sabino præfecto Urbi, *proprium militem cohortium urbanarum.* Burman. de Vectig. Diſſert. c. 9.

MILITIA eſt multitudo apta, & compoſita in armis ad vim faciendam, & arcendam ſub certa lege. *Lipſ. de Milit. Rom.* i. 2. *Caroli Antiq. Roman.* iii. 2. *Laurent. Polym.* iv. *Synopſ.* 1. §. 1. Illam civibus ſuis magno ſtudio Romani commendaverunt, & injunxerunt. Omnibus enim aditus ad magiſtratus urbanos præcluſus erat, qui nondum decem annos *militaſſent.* Polyb. vi. 17. *Urbanum magiſtratum non ante capere cuiquam licitum eſt, quam decem annos militando exegerit.* Solo itaque virtutis tramite inter eos ad honores graſſandum erat. *Patric. Rei Rom. milit. part.* 1. *ſect.* 3. *Lipſ. de Milit. Rom.* i. *Dial.* ii. *Blond. Triumph. Rom.* vi. *p.* 126. *H.* Ejus erant tria genera: legitima militia, conjuratio, evocatio. Serv. Æneid. vii. 613: viii. 1. *Apud majores noſtros tria erant militiæ genera in bellis gerendis:*

dis: nam aut legitima erat militia, aut conjuratio, aut evocatio. Legitima erat militia eorum, qui singuli jurabant pro Republica se esse facturos, nec discedebant nisi completis stipendiis, id est, militiæ temporibus: & sacramentum vocabatur. Aut certe si esset tumultus, id est, bellum Italicum, vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus, quia singulos evocare non vacabat: qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla: unum roseum, quod pedites evocabat, & unum cæruleum, quod erat equitum (nam cæruleus color est maris, a cujus deo equum constat inventum) dicebat, qui salvam esse vult Rempublicam, me sequatur. Et qui convenissent, simul jurabant, & dicebatur ista militia conjuratio. Erat & evocatio, cum ad diversa loca diversi cogebantur exercitus. Brisson. de Form. IV. p. 341. Schel. ad Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1168. F. Valtrin. de Re milit. II. 2. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 581. Laurent. ibid. §. 3. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 15. Stewech. in Veget. I. 6. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 3. Ad labores. . . . perferendos non omnis ætas idonea est, juvenumque ætas credita melior ad militares exercitationes ediscendum. Atque ita primum, ut Sall. Bell. Cat. p. 7. *juventus simul ac belli patiens erat, in castris, per laborem usu militiam discebat.* Annus itaque *militaris* ætatis erat decimus septimus. V. supr. in *Ætas militaris.* Ramus de Milit. Cæsar. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1543. D. Anni jam inde a Polybii ætate in equite deni, in pedite viceni: at hi sub Augusto tantum senideni, rursusque viceni fuere; licet ultra interdum producti. *Tricena, aut quadragena stipendia senes, & plerique truncato ex vulneribus corpore tolerare* ille sub Tiberio Percennius conqueritur apud Tacit. Annal. I. 17. 2. Quadragena in Severo Cæcina notat Tacit. Annal. I. 64. 5. *Quadragesimum id stipendium Cæcina parendi, aut imperitandi habebat.* III. 33. 1. *Quanquam ipse,* Cæcina, *plures per provincias quadraginta stipendia explevisset.* Vicenos etiam Tiberius confirmavit, quos diminuere seditiosæ legiones paullo ante conatæ erant. Confirmavit inquam, & edixit *imparem oneri Rempublicam, nisi vicesimo militiæ anno veterani dimitterentur: ita proxima seditionis male consulta, quibus sexdecim stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum.* Ipsæ leges stabiliunt hunc annum, & quodammodo legitimum faciunt. Unde etiam *justa militia* appellatur, quæ huc pertingeret: *injusta*, quæ transcenderet. *Putean. de Stipend. milit. c.* 16. *Laurent. ibid.* §. 2. Causæ justæ detrectandi erant I. *Vacatio* α. ab ætate, ut cum aliquis supra quinquagesimum annum, sive implevit stipendia sua, seu non implevit (puta non scriptum semper, aut alias ægrotasse) is talis vacat. Hunc definivit Varro de vita patrum II. & sic apud Liv. XL. 26. *A senatu imperatum est Petillio, ut omnes minores quinquaginta annis sacramento rogaret.* β. ab honore, ut si quis in magistratu, aut sacerdos. Nec enim aut illi a Republica, aut isti abducti a sacris. De illis ratio, & exempla dictant; de istis & auctoritas. Nam Plutarch. in Camillo clare: *Legem positam, qua solvebantur militia sacerdotes, nisi si Gallicum bellum esset.* γ. a beneficio, ut si cui senatus, populusve dedisset. Factum id sæpe pro meritis, alias in annos. Liv. XXIII. 20. *Prænestinis militibus senatus duplex stipendium, & quinquennii militiæ vacationem decrevit.* In quinque annos ecce decrevit, qui de legitimo stipendiorum numero deducerentur. Alias in ævum, & largius. Cicer. de Nat. deor. II. 2. indefinite: *P. Vatienus & agro a senatu, & vacatione donatus est.* Phil. V. 19. *Militibus veteranis, qui libertatem populi Romani defendissent, his liberisque eorum vacationem militiæ esse.* Ista senatus, sed dedit & populus. Liv. XXXIX. 19. *Consul cum tribunis plebis ageret, ut P. Æbutio emerita stipendia essent, neu invitus militaret.* II. *Emeritum.* Qui enim stipendia sua viginti finisset, tuto non dabit nomen. III. *Morbus, aut vitium.* Hæc late patet. Nam & manci, aut debiles non habiles ad *militiam* judicati: & nominatim is, quibus pollices, aut digiti non essent. Suet. Aug. c. 24. n. 3. *Equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit hastæ.* Val. Max. VI. 3. 3. *Ne in C. quidem Vettieno, qui sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, sibi absciderat, severitas senatus cessavit.* Nota *sinistræ*, quia ea manus inepta tunc ad scutum tenendum, sicut dextra ad gladium. Ammian. XV. 12. *Nec illorum quisquam, ut in Italia, munus Martium extimescens pollicem sibi præcidit, quos localiter murcos appellant.* Lips. de Milit. Rom. I. Dial IV. Valtrin. ibid. c. 5. Laurent. ibid. § 4. Thys. Rom. Illustr. I. p. p. 47. Stewech. in Veget. I. 6. Lindenbr. in Ammianum. Beroal. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

Militia nautica semper vilior fuit habita. Romanis perpetuum hoc judicium. Liv. XXXII. 23. *Navales socii relictis nuper classibus ad spem honoratioris militiæ transgressi sunt.* Tacit. Hist. I. 87. 2. *Facta & ceteris spes honoratioris in posterum militiæ.* Causa forte, quia plus hic videbant officere fortunam, quam virtutem: sæpeque vincere, qui mereatur vinci. Ita differit Diodor. XX. p. 760. C. *In pugnis*, inquit, *navalibus multæ variis modis causæ eveniunt, quæ faciunt, ut qui virtutis suæ jure optime victoriam alias reportarent, nec opinato succumbant. An & quia putabant minui gloriam militum ob auxilium nautarum?* Profecto enim in conflictus, præliive navalis *opere lacertorum remigum, & ars clavum regentis magistri victoriam præstat*, ut testatur Veget. IV. 43. Etiam ignaviam prætextus invenire in hac militia, ex vi fluctuum, & ventorum, animadvertebant: contraque fieri in terrestri, ubi culpam rei male gestæ frustra referas in quid aliud quam proprium timorem. Denique mors ipsa displicebat, ut in aquis, quibus non eripi tantum, sed exstingui plane animam putabant. *Lips. de Milit. Rom.* I. *Dial.* II. *Scheffer. de Milit. naval.* I. I. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* I. §. I. Sed hæc cuncta sunt vana. Nulli loco adstringitur virtus, imo quo plus in mari fortuna potest, hoc majori animo, meliorique consilio eam trahit in partes suas. Neque obscurant militum gloriam nautæ, sed promovent, ac illustrant. *Scheffer. l. l.*

Militia pro exercitu, & *militum* copia nove dicitur. *Sciop. Infam. Famian. p.* 4. At in scriptoribus medii ævi ita sæpe accipitur. Tacit. Hist. I. *urbanam militiam*, & prætorias cohortes, legionibus, & Germanico exercitui opponit. Ambros. de vocat. gent. *Cælestium armorum præsidio, a dextris, & a sinistris instruitur Christiana militia.* Tertull. de Orat. c. 14. *Nam & militia Dei sumus.* In Euang. Luc. c. 2. n. 13. Πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου. quod vertit vulgatus interpres: *multitudo militiæ cælestis.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1035. D.

MILLIARE, seu *milliarium*, a *mille* passibus deductum esse vel ex ipso constat nomine. Continet autem octo stadia, cujus terminus lapis appellatur: ut cum dicimus rem aliquam sexto ab Urbe lapide distare, intelligi volumus, inter singulos lapides *milliare* comprehendi. *Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1484. *E. Pætus de Roman. & Græcor. mens.* I. *Thes. Græv. ibid. p.* 1614. *D. Lindenbr. in Censorin. c.* 13. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 100. *a*, *C.* V. supr. in *Lapis.*

MILLIARIUM *aureum in capite fori Romani fuit statutum.* Plin. III. 5. sub ædem Saturni. Tacit. Hist. I. 27. 3. *Otho inde ad milliarium aureum sub ædem Saturni pergit.* Suet. Oth. c. 6. n. 3. *Otho præmonitis consciis, ut se in foro sub æde Saturni ad milliarium aureum opperirentur, mane Galbam salutavit.* Ab Augusto an. 734. M. Apulejo, P. Silio Nerva coss. Dio LIV. p. 526. B. *Tunc autem ipse*, Augustus, *viarum, quæ sunt circa Romam, curator constitutus, milliarium aureum, quod vocatur, fecit.* Donat. de Urb. Rom. I. 19: II. 14. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 2. Buleng. de Circo c. 52. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 11. Gyll. Topogr. Constantinop. II. 23. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 355. B. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 1. §. 5: c. 10. §. 3. Bergier. de viis milit. III. Sect. 13. §. 2. Pitisc. in Suetonium. In illam omnes viæ Italiæ competebant, & desinebant: & ita vocabatur, quod ab eo *milliariorum* numerus, quibus itinera metiebantur, incipiebat: nam lapides in viis quibus *milliaria* notabantur, *milliaria* etiam vocabantur. V. supr. in *Lapis.* Plutarch. in Galb. p. 1064. B. *Otho descen-*

dit in forum, ubi aurea columna est posita, in quam viæ militares omnes Italiæ desinunt. Turneb. Adv. v. 1. Bergier. ibid. §. 3. Nardin. Rom. Vet. v. 6. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 2. Donat. de Urb. Rom. II. 14. Gentil. de Verb. signif. p 288. Lips. & Savil. in Tacitum. Beroal. Sabell. Torrent. Babelon. in Suetonium. Etiam Beroal. Annot. c. 102. Sabell. in Plin. c. 17. Buleng. Gyll. Borrich. & Pancirol. l. l. Huic absurdo errori ipse loquendi modus reflagitur, qui *milliarium*, sive lapidum distantiam non a meditullio fori, sed ab Urbe, hoc est, a portis, aut mœnibus, quibus Urbs terminatur, olim numeratam fuisse, atque etiam nunc numerandam indicat. Unde Macer de Verb. Signif. §. 154. *Mille passus non a milliario Urbis, sed a continentibus ædificiis*, id est, suburbiis, *numerandi sunt.* Lapis etiam primus ab Urbe in via Appia ante complures annos extra Urbem inter antiquitatum ruinas detectus, a senatu, populoque Romano ad Urbis ornamentum in Capitolium translatus fuit, ubi ad gradus laterales cum publico testimonio erectus visitur. Dico igitur, si *milliarium*, lapidumque *milliariorum* principium, & distantiarum intervallum cœpisset a *milliario aureo*, hoc est, ab Ecclesia S. Adriani ad arcum Septimii Severi, sequeretur omnino lapidem illum non extra Urbem, & portam S. Sebastiani olim positum fuisse, sed intra Urbem, & quidem citra Ecclesiam SS. Nerei, & Achillei. Distat enim hæc Ecclesia a dicto arcu Septimii amplius integro veteri milliario Romano, qualibus lapides *milliarii* viæ Appiæ etiam hodie plurimis in locis distincti conspiciuntur, hoc est, sexcentis sexaginta septem paullo minus cannis. A dicta autem Ecclesia ad portam S. Sebastiani porro quingenti sunt, & amplius passus Romani veteres, quorum mille constituebant *milliarium* Romanum. Cum ergo indubitatum sit, portam S. Sebastiani a dicto *milliario aureo* distare, ut minimum *milliario* integro, & dimidio: dicta autem columna primi lapidis longius extra Urbem ad viam Appiam reperta, & inde in Capitolium translata fuerit, prout inscriptio senatus, populique Romani eidem incisa testatur, sequitur mensuras, & intervalla *milliariorum* non a foro Romano, sed a portis Urbis olim numerari cœpisse. *Holsten. de Milliar. aur. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1805. D. Rycq. in Tacitum. Fabrett. de Aquæd. Dissert. I. Thes. Græv. ibid. p. 1695. E. Pitisc. in Suetonium.* Sed nihil fuit impedimenti, quo minus a studioso aliquo veterum reliquiarum in illa Urbis toties facta vastatione, ad ornatum villæ, horti, vineæ potuerit transferri? quasi non idem in aliis reliquiis ejusdem, & multo majoris molis factum fuerit? Inscriptio, quam refert columna, esse columnam *milliariam* primi ab Urbe lapidis indicem: ex qua colligi potest, si ab Urbe, ergo non in media, est valde recens, & hodie facta, ab eo, cui placuit ista sententia; fueritne vero Holstenius, an alius, nescio. *Hennin. in Bergier.* III. *Sect.* 13. §. 1. Qui in his responsionibus ad adversariorum argumenta valde quidem, sed non serio videtur triumphare. Nam a posse ad esse non valere consequentiam norunt etiam illi, qui in scholis manum ferulæ nondum subduxerunt. Probandum fuisset columnam hanc revera in villam, aut vineam ex Urbe Roma translatam fuisse, non dicendum potuisse transferri. Non enim ferret sic argumentantem Henninius, si superesset. Columna hæc Roma Teutoburgum, aut Trajectum ad Rhenum a studioso reliquiarum translata est: quia, dum tantæ non est, ut putat, molis, ut non majoris molis reliquiæ huc illuc translatæ fuerint. Quæ licet translatæ fuissent, adhuc probandum superesset, in his reliquiis idem factum esse. Holstenium, aut alium, cui hæc placuerit sententia, inscriptionem, quam refert nostra columna, fecisse dum dicit, nihil dicit. Nam hoc eadem facilitate, qua adfertur, rejicitur. Et affirmantis est probare. Imo, si accusasse sufficit, quis erit innocens? Reliquas responsiones, quibus & alia argumenta nostram sententiam forte firmantia, quia nec mea, nec doctorum a me laudatorum sunt, destruere conatur lubens mitto. *Pitisc. in Suetonium.*

MIM.

MIMÆ mulieres in scenicis etiam ludis adhibebantur. Mart. I. 5. 5.

Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum;
Illa fronte precor carmina nostra legas.

Cicer. Phil. II. 24. *Inter quos aperta lectica mima portabatur.* c. 25. *Venisti Brundisium in sinum quidem, & complexum tuæ mimulæ.* Græci μιμαλλόνας vocant. Hanc vocem, forma tamen patronymica, usurpavit Ovid. de Art. I. 541.

Ecce Mimallonides sparsis in terga lacertis:
Ecce leves Satyri prævia turba dei.

Ubi poeta describit comitatum Bacchi proficiscentis ad Cnossidem amicam, talibus *mimis* stipati. *Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 86.*

MIMAULI erant, qui *mimum* agebant ad tibiam; unde & Hesychius μιμαυλεῖν interpretatur μιμεῖσθαι, ὑποκρίνεσθαι, id est, *imitari, repræsentare in scena*, & *agere*. Athen. x. p. 452. F. *Cleon mimaulus vocatus, qui Italicorum mimorum optimus fuit histrio per seipsum personatus.* Buleng. de Theat. I. 48.

MIMUS *est sermonis cujuslibet, motusque sine reverentia, vel factorum turpium cum lascivia imitatio. A Græcis ita definitur:* Μῖμός ἐστιν μίμησις βίου, τά τε συγκεχωρημένα, καὶ ἀσυγχώρητα περιέχων. *Mimus dictus* παρὰ τὸ μιμεῖσθαι, *quasi solus imitetur, cum & alia poemata idem faciant; sed solus, quasi privilegio quodam, quod fuit commune, possedit.* Diomed. III. p. 488. Edit. Putsch. Euanth. de Com. & trag. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 1686. C. ait *mimos dictos a diuturna imitatione vilium rerum, & vilium personarum.* Unde *mimica vilitas.* Idem scribit fabulas Terentii eo esse temperatu, *ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem.* Salmas. Exercit. Plin. p. 77. a. C. Gyrald. de Poet. hist. Dial. VI. p. 325. B. Edit. Lugdun. Voss. Lex. Etymol. Vales. in Ammian. XXIII. 5. Est igitur *mimus* poema quodvis genus actionis imitans ita, ut ridiculum faciat. Cicero tamen de Orat. II. 59. Ethologos quum vocat amoribus, quos exprimerent, ridiculi rationem non admiscuit. Sunto igitur duo genera, quæ etiam vicatim, & oppidatim per universam Galliam mirificis artificibus circumferuntur, morale, & ridiculum. *Scalig. Poet.* I. 10. Cum quo ego ethologum, & ridiculum *mimi* genera duo non constituerim, sed pro affectionibus duabus *mimi* habuerim: cum ridiculum in *mimis* perpetuum fuerit. Hoc indicat Horat. Sat. I. 10. 5.

— *nam sic*
Et Laberi mimos, ut pulcra poemata, mirer,
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris.

quod est *mimorum* scilicet. Unde & Petron. c. 40. *partes ridendas mimis* tribuit. Quin nec id Cicero siluit, cujus hæc sunt l. l. *Atque ita est totum hoc ipso genere ridiculum, ut acutissime tractandum sit. Mimorum est enim ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscœnitas.* Gatak. in Marc. Anton. de Reb. suis XI. §. 6. In locum comœdiæ successisse scribit Marcus philosophus Imperator in libris de vita. Et sane quas hodie agunt, & vocant Itali comœdias, *mimi* sunt, & planipedes verius quam comœdiæ: personas tantum habent ex comœdia. Nam antiquitus cum variæ species agerentur fabularum, diversæ personæ in singulis locum habebant, ut in togatis Romanæ, in palliatis Græcæ, privatæ quidem, sed honestæ. In *mimo* abjectæ tantum, & viles. At postquam tota res ad *mimos* rediit, personæ etiam induci in *mimos* cœptæ, quæ comœdiæ erant propriæ pedestri sermone componuntur, ut Sophronis *mimi*. Salmas. ibid. b. A. *Mimorum* inventorem Philistionem facit Cassiod. Var. IV. 51. *Mimus, qui nunc tantummodo derisui habetur, tanta Philistionis cautela repertus est.* Male. Sophron eo est antiquior. Inter *mimos* maximi nominis Sophron fuit, qui scripserat mimiambos, sed

ſed proſa oratione. *Voſſ. de Inſtit. Poet.* II. 33. §. 2. *Buleng. de Theatr.* I. 48. In *mimis* interdum crudelia exempla fuere. Mart. de Spectac. VI. 3.

Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo,
Non falſa pendens in cruce Laureolus.

Joſeph. Ant. Jud. XIX. 1. *Mox duo quædam ominoſa facta ſunt. Nam mimus inductus eſt, in quo in crucem ſuffigitur latronum dux* Laureolus. . . . Juven. Sat. VIII. 187.

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit
Judice me dignus vera cruce.

Buleng. l. l. Quomodo differat ab Atellanis. V. ſupr. in *Atellanæ.*

Mimus vocatur actor talium fabularum, Græcis βιολόγος. *Voſſ. Lex. Etymol. Mimi* dicta, & facta hominum ita imitabantur, ut actionem ſuam gravitate ſententiarum jocis interpoſitis condirent. De *mimis* actoribus Petron. c. 40.

Grex agit in ſcena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſſimulata perit.

Varias enim induebant perſonas. Lucian. Necyom. p. 336. *Vidiſti ſæpe in ſcena tragicos iſtos actores, qui, ut res poſtulat, jam Creontes ſunt, Priami, aut Agamemnones: idem paulo poſt Cecropem, aut Erechtheum agens, juſſu poetæ mendicus procedit. Fabula autem finita, exuta veſte auro intexta, & perſona depoſita, & cothurnis, pauper, ac humilis errat, non jam Agamemnon, aut Creon, ſed Polus Sunienſis filius Chariclei, aut Satyrus Marathonius filius Theogitonis.* Illorum capita fuerunt raſa. Tertull. de Spectac. c. 23. mox laudandus. Caſal. de Tragœd. & comœd. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 7. Artemid. I. 23. *Radi ſibi videri totum caput, exceptis deorum Ægyptiorum ſtudioſis, & mimis,* ſive riſus movendi ſtudioſis, γελωτοποιοῖς, *bonum eſt.* Non. I. 20. *Calvitur, dictum eſt, fruſtratur. Tractum a calvis mimicis, quod ſint omnibus fruſtratui.* Hinc Anthol. II. 3.

——— *Calvum conſpicis hic fatuum.*

Calvum, non natura, ſive vitio corporis, verum ſtudio, ex capite raſo. Loquitur enim poeta Græcus de calvitie ſannionum, ac mimorum *Voſſ. de Inſtit. Poet.* II. 32. §. 4. Et illa alaparum contumeliis objiciebant. Utramque conſuetudinem docent Arnob. VII. p. 239. *Mimis dei gaudent, & illa vis præſtans, neque ullis hominum comprehenſa naturis, libentiſſime commodat audiendis his aures: delectantur, ut res eſt ſtupidorum capitibus raſis, ſalpictarum ſonitu, atque plauſu.* Tertull. de Spectac. c. 23. *Placebit & ille, qui vultus ſuos novacula mutat infidelis erga faciem ſuam, quam non contentus Saturno, & Iſidi, & Libero proximam facere, inſuper contumeliis alaparum ſic objicit, quaſi de præcepto domini ludat?* Et ante ſcriptores hos Eccleſiaſticos Mart. V. 63. 11.

O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini?
Te ſucceſſurum credo ego Panniculo.

Turneb. Adv. XVIII. 33. Jun. in Tertullianum. Herald. in Arnobium. Voſſ. l. l. Centunculis amiciebantur. Apul. Apol. p. 422. *Num ex eo argumentarere etiam, uti me conſueſſe tragœdi ſyrmate, hiſtrionis crotalo, aut mimi centunculo?* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 77. a. D. Voſſ. de Inſtit. Poet. II. 32. §. 3. De illis Senec. Epiſt. 11. *Artifices ſcenici, qui imitantur affectus, qui motum, & trepidationem exprimunt, qui triſtitiam repræſentant, hoc indicio imitantur verecundiam: dejiciunt enim vultum, verba ſubmittunt, figunt in terram oculos, & deprimunt.* Lactant. VI. 20. *Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus diſciplinam, qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera?* Caſal. l. l. Adhibebantur conviviis. Athen. IV. p. 148. C. ſcribit in Antonii convivio fuiſſe τὰ ἐξ Ἰταλίας ἀκροάματα, *hiſtriones, mimos ex Italia,* quos ſuper illud viaticum recitaturos, aut cantu, & jocularibus dictis voluptati futuros, arceſſiverat. *Buleng. de Conviv.* III. 30. Et funeribus. Suet. Jul. c. 84. n. 3. *Inter ludos cantata ſunt quædam.* . . . id eſt, inter ſcenicorum artificum, & *mimorum*, ludionumque, qui funeribus intererant, actionem, & geſticulationem, quæ ad ſcurrilitatem, & obſcœnitatem procedebat: inprimis vero ejus, qui *archimimus* dicebatur, de quo Suet. Veſp. c. 19. n. 6. Hic perſonam defuncti ſuſtinens, omnia ejus dicta, & facta imitabatur, minima, maxima ad ejus ingenium fingebat, ridendo verum dicebat, & joculari licentia, vel vitia perſtringebat, vel virtutes laudabat. Ita de illo Suetonius. *Sed & in funere Favor archimimus, perſonam ejus ferens, imitanſque, ut mos eſt, facta ac dicta vivi.* Reineſ. Var. Lect. I. 21. Faes ad Gyrald. de Sepult. c. 14. Guther. de Jur. man. I. 23. Moreſtell. Pomp. Feral. II. 18.

Mimus etiam dicitur quævis actio ficta, & ſimulata. Hæc enim ſcenæ, & fabulæ fictæ perſimilis videtur. Suet. Cal. c. 45. n. 3. *In hoc quoque mimo præter modum intemperans.* Hor. II. 14. 3. *Regium nomen mimo quoque regio implevit.* id eſt, fucata ſimulatæ originis, & regiæ pompæ, turpiſque imagine. Ita *mimum* actionem ſimulatam, nimirum amicam rupturum ſpecie receptam vocat Suet. Oth. c. 3. n. 5. *Ne pœna acrior omnem mimum divulgaret.* Turneb. Adv. XXVII. 20. Gronov. in Script. Eccleſ. c. 25. Juret. in Symmach. VI. 71. Pith. Adv. I. 17. Buleng. de Theatr. I. 48. Pitiſc. in Suet. Caligulam.

MIN.

MINA quæ dicitur Latina lingua, Græce μνᾶ dicitur, interpoſita vocali, ut in Æſculapio, Hercule, Alcumena. Portio maxima talenti. Solon *minam, quæ ante fuerat ſeptuaginta & trium, centum fecit drachmarum.* Plutarch. p. 86. D. *Camerar. de Re numm. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1420. *B. Porcius de Re pecun. vet. c.* 2. *Laurent. de Sponſal. c.* 2. *Meurſ. Solon. c.* 12. *Emmius Vet. Græc. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IV. *p.* 439. *B. Stephan. de vet. juriſd. Græc. Theſ. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2743. *B. Gronov. de Pecun. vet.* II. 8: III. 4. *Bud. de Aſſe* I *p.* 121. *Cenal. de Pond. ac menſur. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1447. *B.* 1491. *B.* 1557. *E.*

MINARI dicebantur exta, quæ malum aliquod impendere, & imminere ſignificabant. Cicer. de Divin. II. 17. *Quæ inconſtantia deorum eſt, ut primis minentur extis, bene promittant ſecundis.* Unde *minaces fibras* dixit Virg. Georg. I 484.

Triſtibus aut extis fibræ apparere minaces.

Et *venas minaces* Lucan. I. 621.

——— *venaſque minaces*
Hoſtili de parte videt.

Briſſon. de Form. I. p. 22.

MINATIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

MINERVA fingitur nata de Jovis vertice. Ovid. Faſt. III. 837. V. illum infr. in *Minervæ Capita.* quia ingenium in cerebro poſitum eſt, ut docet Fulgent. Mythol. II. Ingenium autem, ſive ſapientia in capite hominis dicitur eſſe, hoc eſt, ſenſus ſapientis, qui invenit omnia juxta explicationem Iſidor. XIX. 20. unde hæc dea creditur præeſſe artibus, quia nihil excellentius eſt ingenio, quo reguntur univerſa. Scribit Phornut. c. 20. *Minervam* eſſe Jovis intellectum, ſive illius providentiam, ideoque in honorem *Minervæ* templa providentiæ poſita fuere; & quia veteres in cerebro totius animæ regimen, & prudentiam eſſe voluerunt, forte quia ſuprema corporis humani pars caput eſt, ſicut ſumma mundi pars æther, ea de cauſ. *Minervam* ex cerebro Jovis prognatam, ingeniiſque præeſſe dixerunt. *La Chauſſe Inſign. pontif. max. tab.* XXIII. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 339. *A. Caſal. de Prof. Roman. rit. c.* 6. Effingebatur variis modis, vultu inprimis virili, & truculento, teſte Phornuto. Alii armis inſignem, oculis torvam, & glaucis, cum haſta prælonga, & cryſtallino clypeo effecere: omniaque hæc inveſtigatæ prudentis, ac ſapientis dicunt ſignificare naturam. Pauſan. Attic. p. 22. hoc modo effictam deſcribit: *Simulacrum,* inquit, *ex auro, & ebore conſtat, media ejus galea ſphingis ſpecies appoſita, utraque vero galeæ parte gryphes ſunt*

exsculpti. Simulacrum stat veste podere, id est, ad talos demissa: Medusæ capite in ejus pectore ebore inserto, & Victoria magnitudine quatuor cubitorum: in manu est hasta, ad pedes scutum jacet, juxta hastam draco. . . . Alio Apul. Met. x. p. 346. *Irrupit alia, quam putares Minervam, caput contecta fulgenti galea, & oleaginea corona tegebatur ipsa galea: clypeum attollens, & hastam quatiens, & qualis illa cum pugnat.* Gyrald. ibid. F. Torrent. in Horat. Od. I. 15. 11. La Chausse de deor. simul. tab. IX. & X. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 92. Fulmine armatur. Mart. Capella:

Huic nam tergeminæ rutilant de vertice cristæ,
Quod dux sanguineo, præsulque corusca duello,
Vel tibi quod fulget, rapiturque triangulus ignis.

Illud olim etiam Euripides cecinit, quem Virgilium imitatum esse tradit Macrob. Sat. v. 22. *Nec hoc sine auctoritate Græcæ vetustatis est, quod ait;*

Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.

Euripides enim inducit Minervam ventos contrarios Græcorum classi a Neptuno petentem, dicentemque debere illum facere, quod Jupiter fecerit, a quo in Græcos fulmen acceperat. Jovis fulmine usam tradunt, quia suum non erat ejusmodi potestatis, ut in Græcos tam acerbiter animadvertere posset. Hanc in rem audiendus Servius Danielis: *Sed cum Varro Divin.* v. *quatuor diis fulmina adsignet, inter quos & Minervæ, quæritur cur Minerva Jovis fulmen miserit. Antiqui non solius Jovis putaverunt esse fulmen, nec id unum esse, ut testantur Etrusci libri de fulguratura, in quibus duodecim genera fulminum scripta sunt; ita ut Jovis, Junonis, Minervæ, sic quoque aliorum. . . . Quare non posuit Minervam misisse fulmen suum? sed nonnulli dicunt, habere quidem Minervam, ut Jovem, & Junonem fulmen, sed non tantum valere, ut vindictam suam possit implere, nisi usa esset Jovis fulmine: unde merito queritur Juno, Minervam, cum de numero minorum sit, qui fulmen habeant, usam tamen Jovis fulmine.* Cuper. Harpocr. p. 100. Voss. de Idolol. II. 22. Guther. de Jur. man. I. 2. Olea illi attribuitur, propterea quod semper viret, & nescio quid glaucedinis habeat: & oleum, quod nihil contineat humidi admixtum, sed semper sincerum est, & *ἀκήρατον* perseverat: sic & virginitas, ut Phornutus ait. Sunt, qui huic deæ oleæ sertum assignent, quod hæc arbor pacis sit symbolum: nam & ideo arma inferri dicuntur, ut postea in pace vivatur. Plin. XVI. 44. *Athenis olea durare traditur in certamine edita a Minerva.* Gyrald. ibid. p. 340. C. Artes multas invenit. Isidor. XIX. 20. *Minervam gentiles primam lanificii usum monstrasse, hanc etiam telam ordisse, & colorasse lanas perhibent. Olivæ quoque hanc dicunt inventricem, & fabricæ, multarumque artium repertricem. Ideoque illi vulgo opifices supplicant.* Gyrald. ibid. p. 338. C. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 14. Struv. ibid. p. 93. Etiam tibias. Diodor. v. p. 235. B. *Quæ & tibias primum fabricavit, & musicam quæ in piratione harum perficitur.* Huic inventioni hæc fuit occasio. Quum Perseus Medusæ caput ope Palladis abscidisset, sorores ejus Steno & Euryalis ipsam lugebant. Ex capite lugentium, quod serpentibus erat opertum, sibili erumpebant speciem lugentium exprimentes, quod Pallas animadvertens excogitavit, ut eundem sonum tibiis redderet. Pindar. Pyth. XII. 12.

— *quam quondam*
Pallas invenit, audacium Gorgonum
Tristem lamentationem contexens.

n. 33.

Virgo tibiarum fabricata est omnisonum melos
Ut Euryalæ
Ex rapacibus genis
Profusum luctum imitaretur cum organis.

Sed cum oris deformitatem, & inflatas in palude vidisset buccas, offensa tibias abjecit in flumen, quas deinde Marsyas reperit. Fulgent. Mythol. III. 9. Hygin. fab. 165. Athen. XIV. p. 616. E. Eleganter hæc persequitur Ovid. Fast. VI. 697. . . .

Prima terebrato per rara foramina buxo
Ut daret effeci tibia longa sonos.
Vox placuit, faciem liquidis referentibus undis:
Vidi & virgineas intumuisse genas.
Ars mihi non tanti est, valeas mea tibia dixi,
Excipit abjectam cespite ripa suo.
Inventam Satyrus primum miratur: at usum
Nescit, & inflatam sentit habere sonum.

Et Philipp. Epigramm. I. 11. 3.

Marsya mentitus es tuum inventum. Nam Minervæ
Tibias hic ex Phrygia furatus est.
Si enim tu hujusmodi tunc inflasses, nunquam Hyagnis
Prope Mæandrum flesset infelicem in tibiis pugnam.

Hæc *Barthol. de Tib.* I. 3. *Cuper. Harpocr. p.* 142. *Buleng. de Theatr.* II. 26. *Meurs. de Tib. c.* 2. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 338. *D. Hist. Poet. dial.* IX. *p.* 445. *G. Leopard. Emend.* II. 13. Medicinæ fuit præses. Ita est in illa inscriptione apud Gruter. p. 81. n. 9.

MINERVÆ
MEMORI
COELIA. JULIANA
INDULGENTIA
MEDICINARUM
EJUS. INFIRMITATE
GRAVI. LIBERATA
D. P.

Boxhorn. Quæst. Rom. c. 1. *Struv. ibid. p.* 94. Nisi pro supposititia inscriptio hæc sit habenda. Forte Cœlia Juliana mente ad tempus capta, rationis infirmitate laboraverit, postquam autem sibi restituta, *Minervæ*, velut sapientiæ, & rationis præsidi deæ, lapidem hunc dedicavit. *Boxhorn. l. l.* Qui immerito illam pro supposititia habet, cum Petrus Victorius in castigationibus posterioribus ad Cicer. Fam. XII. 25. illam testetur in agro Placentino inventam fuisse infra Cabardiacum non longe a Trebia. Male quoque inde conficit, Clœliam fortisse mente captam fuisse. . . . Nihil horum deprehendas in hoc marmore. Nam infirmitas illa gravis potuit esse morbus corporis, non animi. *Minervæ* autem tribuisse veteres etiam potestatem morbis remedendi, infirmosque restituendi constat ex aliis quoque lapidibus, in quibus *Minerva Medica* dicitur. Extat unus in eodem loco, nimirum Placentiæ infra Cabardiacum erutus apud Gruter. p. 1067. n. 3. V. illam infr. in *Minerva Medica*. Et qui statim ibidem sequitur n. 4. V. illam infr. in *Minerva memor*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. v. Proleg. * * * Cuper. Inscript. p. 300. Quia vero sapientiæ dea habebatur in scholis, ludis, atque gymnasiis ejus cultus maximus. Et dedicabatur in omnibus bibliothecis, atque academiis, in quibus & statuæ sacratæ, quas hermathenas dicebant. Cicer. ad Attic. I. 3. V. illum supr. in *Hermathena*. Rævard. Conject. I. 10. Struv. l. l. Tomas. de Donar. c. 23.

Minerva Alcides cognominata est a Macedonibus. De Perse Rege bellum adversus Romanos suscipiente Liv. XLII. 51. *Ipse*, Perses, *centum hostiis sacrificio regaliter Minervæ, quam vocant Alcidem, confecto, cum purpuratorum, & satellitum manu profectus est Citium.* Gyrald. Synt. deor. XI. p. 351. C.

Minerva armipotens, & armisona vocatur a poetis. Virg. Æneid. VII. 544.

— *tum numina sancta precamur*
Palladis armisonæ.

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 355. G.

Minerva auxiliaris, *αὐξιλιάρης*, culta est a Romanis, quod ostendit Plutarchus, & Clytonomus in libro rerum Italicarum, qui ad illius *αὐξιλιαρίας* ædem Cassium Brutum confugisse produnt; tandemque ibi fame necatum, & insepultum jacuisse. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *pag.* 355. *A.*

Minerva

Minerva Cæſia, γλαυκῶπις Ἀθηνᾶ, hoc eſt, glauca oculos, cognominata fuit. Pauſan. Attic. p. 13. *Supra Ceramicum, & porticum regiam appellatam templum fuit Vulcani, in quo Minervæ poſitum eſt ſignum, quod glaucos habet oculos, juxta fabulam Libycorum, qui Minervam Neptuni, & Tritonidis paludis filiam eſſe, atque ideo glaucos illi itidem ut Neptuno oculos eſſe.* Alii ſunt, qui autumant, quod τῆς γλαυκῆς, id eſt, noctuæ oculos haberet, quæ avis etiam ei adſcribebatur. Alii, quod virtus illuſtris ſit, & conſpicua. Diodor. I. p. 8. C. *Γλαυκῶπιν dici, non quod glaucos, id eſt, cæſios habeat oculos; inſulſum enim hoc eſſe, ſed quia aer glauco ſit aſpectu.* Scribit Gellius ſic vocatam, non tam quod glaucos, ſive cæſios oculos haberet, quam quod horrendo, ac formidoloſo ſit aſpectu: unde & glauci, id eſt, cæſii leones, & βασιλικοὶ traduntur, quod & ait Phurnut. de Nat. deor. c. 20. Cæſia porro dicta eſt *Minerva*, quaſi cœlia. Gell. II. 26. *Noſtris Latinis veteribus cæſia dicta eſt, quæ a Græcis γλαυκῶπις, ut Nigidius ait, de colore cœli, quaſi cœlia.* Gyrald. Synt. deor. XI. p. 443. F.

Minerva capita a Romanis cognominata fuit. Delubrum ejus fuit ad Cœlii montis radices. Quare ſic vocaretur varias opiniones recitat Ovid. Faſt. III. 835.

Cœlius ex alto qua mons deſcendit in æquum,
Hic ubi non plana eſt, ſed prope plana via eſt.
Parva licet videas captæ delubra Minervæ,
Quæ dea natali cœpit habere ſuo.
Nominis in dubio cauſa eſt. Capitale vocamus
Ingenium ſolers: ingenioſa dea eſt:
An, quia de capitis fertur ſine matre paterni
Vertice cum clypeo proſiluiſſe ſuo?
An, quia perdomitis ad nos captiva Phaliſcis
Venit, & hoc ſigno ſyllaba prima docet.
An, quod habet legem, capitis quæ pendere pœnas
Ex illo jubeat furta reperta loco.

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 351. D. Jun. Faſt. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 235. B. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 95.

Minerva Catuliana dicebatur a Q. Lutatio Catulo, qui ſtatuam Euphranoris opus eidem dicavit infra Capitolium. Plin. XXXIV. 8. *Hujus eſt Minerva Romæ, quæ dicitur Catuliana, infra Capitolium, a Q. Lutatio Catulo dicata.* Gyrald. Synt. deor. XI. p. 351. C. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 95. Rycq. de Capit. c. 24. Eam affirmare licet æneam fuiſſe, cum de laudatiſſimis æris opificibus eo capite ſermonem Plinius inſtituat. *Rycq. l. l.*

Minerva Chalcidica fuit Romæ in nona regione, ſi vera Victor prodit. Quidam nunc D. Mariæ arbitrantur, quod templum ab eo nomen adhuc ſervat: quidam *Minervium*. Meminit, ni fallor, Dio LI. p. 459. D. *Deinde Minervæ templum, quod Chalcidicum vocatur, dedicavit.* Gyrald. Synt. deor. XI. p 344. E.

Minerva flava eſt dicta, non a capillorum, ſed oculorum colore. Ovid. Amor. I. I. 7.

Quid ſi præripiat flavæ Venus arma Minervæ;
Ventilet accenſas flava Minerva faces.

Art. II. 659.

Si pæta eſt, Veneri ſimilis: ſi flava, Minervæ.

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 344. A.

Minerva Ithomia dicta eſt ab Urbe Theſſalica Ithome. Strab. IX. p. 301. hujus *Minervæ* meminit, ubi docet *Curalium fluvium labentem præter Ithomiæ Minervæ templum Peneum ingredi.* Catull. LXIV. 228. ut nonnulli legunt:

Quod tibi ſi ſancti conceſſerit incola Ithomi.

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 350. D.

Minerva Itonia, Itonias & Itonis, ut notat Stephanus: &, ſi Feſto ſtandum, Itonida, qui ſcribit: *Itonida Minerva a loco appellata.* Itonia vero a Liv. XXXVI. 20 ubi ſcribit: *Ibi ſtatua Regis Antiochi in templo poſita Minervæ Itoniæ iram accendit.* Callim. Hymn. Cerer. c. 75.

Cumque ad Itoniados certamina Palladis ipſum
Ormenidæ invitant.

Strab. IX. p. 283. *Bœotii, qui venerant ex Theſſalia, expugnata Coronæa, Itoniæ Minervæ templum in plano condiderunt, eodem quo Theſſalicum nomine.* Stat. Theb. II. 721.

—— ſive Aonia devertis Itone
Læta choris.

Ubi Lactantius: *Itone civitas Bœotiæ Minervæ ſacra: ut ipſe ait Theb.* VII. 330.

Ducit Itonæos & Alalcomenæa Minervæ
Agmina.

Bacchylides Minervam Itoniam dicit ab Itone. Ergo Minervam ab oppido cognominavit, quod eſt in Macedonia, ubi ejus antiqua eſt ædes, vicina Bœotiæ, in qua regnavit Amnous, Herculis filius, & Paphies. Gyrald. Synt. deor. XI. p. 349. E. Paſſerat. & Stat. in Catull. LXIV. 228. Victor. Var. Lect. XVI. 20.

Minerva Medica in regione quinta a Victore ponitur. De illa nihil comperi. Forte a veſte ſericea, id eſt, peplo, quo erat induta, Medica eſt vocata. Veſtem ſericeam Medicam eſſe dictam V. infr. in *Veſtis Medica.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 342. F. Hoc falſum eſſe res ipſa ſuadet, maxime cum ex inſcriptionibus appareat, ſanitati reſtituendæ quoque præfuiſſe *Minervam* apud Gruter. p. 1067. n. 4.

MINERVÆ. MEDICÆ
CABARDIÆ
VALERIA. SAMMONIA
VERCELLESIS. V. S. L. M.

p. 81. n. 9. V. illam ſupr. in *Minerva.* Sic & *Minervæ* propter ſanatum Patrona gratiæ referuntur in inſcriptione veteri Græca:

ΑΘΑΝΑΙΑΙ ΠΟΛΙΑΔΙ
ΧΑΡΙCΤΗΡΙΟΝ
ΥΠΕΡ. ΤΗC. ΤΟΥ. ΠΑΤΡΩΝΟC
CΩΤΗΡΙΑC

Ob hanc cauſam arbitror Alexandrum Magnum opera Philippi Acarnanis periculoſiſſimo morbo liberatum *Minervæ ludos celebraſſe* apud Curt. III. 7. 3. *Cuper. Apoth. Homer. p.* 300. *Remeſ. Inſcript. Claſſ.* XI. *n.* 81. *Tomaſ. de Donar. c.* 35. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 93.

Minerva Memor culta fuit a Gallis Ciſalpinis. Appellata, quod vota, precesque mortalium audire ſolita ſit, nec obliviſci. Lapis apud Gruter. p. 1067. n. 4.

MINERVÆ
MEMORI. TULLI
A. SUPERIANA. RES
TITUTIONE. FACTA
SIBI. CAPILLORUM

Alius, quem laudavimus ſupr. in *Minerva.* Græv. Theſ. Antiq. Rom. Tom. V. Præf. p. * * * Cuper. Inſcript. p. 300.

Minerva Muſica etiam appellata fuit. Plin. XXXIV. 8. *Demetrius fecit Minervam, quæ Muſica appellatur, quoniam dracones in Gorgone ejus ad ictus citharæ tinnitu reſonabant.* Gyrald. Synt. deor. XI. p. 351. D.

Minerva Pallas dicta eſt, vel a *Pallante gigante occiſo, vel ab haſtæ concuſſione*, ἀπὸ τὸ πάλλειν τὸ δόρυ. Serv. Æneid. I. 43. vel quod *in Pallante palude orta eſt.* Feſtus. *Vel a ſaltatione in armis: nam vel ſeſe aliud a terra attollere, vel manibus aliquid efferre, dicimus πάλλειν, & πάλλεσθαι, id eſt, vibrare, agitareque, & agitari, & ſaltationem perpeti.* Plato in Cratyl. p. 279. E. Alii a Pallante patre dictam volunt, quem illa interemerit virginitatem ſuam vitiare conantem. Sed an geminos patres *Minerva* habuit? Arcades quidem fabulantur, *Minervam* adhuc parvulam ab Jove miſſam ad Pallantem Lycaonis filium, ut cum ejus filia in ejus ædibus educaretur: ubi cum adoleviſſet, educatoris filiam in deorum numerum cooptavit, Victoriamque, id eſt, Νίκην vocavit, ſe vero ab educatoris nomine Pallada dixit. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 340. *E.*

Minerva Tritonia, ſive Tritonis dicta eſt a Tritone palude Bœotica. Pauſan. in Bœot. p. 308. *Triton torrens eſt haud magnus, prope Alalcomenas in Bœotia, verſus Libyam fluens,*

fluens, & ex Tritone palude in mare fertur, ubi tradunt educatam Minervam, & non in Libya. A Libyca tamen palude dictam putat Mel. I. 7. *Super hunc ſinum ingens palus amnem Tritona recipit, ipſa Tritonis: unde & Minervæ cognomen indutum eſt, ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ: faciuntque ei fabulæ aliquam fidem, quod quem natalem ejus putant, ludicris virginum inter ſe decertantium celebrant.* Idem Lucan. IX. 347.

> *Torpentem Tritonos adit illæſa paludem,*
> *Hanc & Pallas amat, patrio quæ vertice nata*
> *Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo eſt,*
> *Ut probat ipſe calor) tetigit: ſtagnique quieta*
> *Vultus vidit aqua, poſuitque in margine plantas,*
> *Et ſe dilecta Tritonida dixit ab unda.*

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 341. G.

Minerva Unigena dicta eſt, quod ex ſolo Jove nata eſt. Catull. LXIV. 300.

> *Unigenamque ſimul cultricem montis Ithomi.*

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 354. D.

MINERVAL, quod & *Minervale munus* dicitur, eſt mercedula magiſterii ſcilicet a ſcholaſticis dari ſolita potiſſimum ante quinquatria, per quos dies pueri vacabant. Horat. Epiſt. II. 2. 197.

> *Ac potius puer ut feſtis quinquatribus olim*
> *Exiguo, gratoque fruaris tempore raptim.*

Ovid. Faſt. IV. 829.

> *Nec vos turba feri cenſu fraudata magiſtri*
> *Spernite: diſcipulos attrahit illa novos.*

Hieron. in Epiſt. ad Epheſ. *Hoc in Kalendarum ſtrenam, & Saturnalium ſportulam, & Minervale munus grammaticus, aut rhetor, aut in ſumptus domeſticos, aut in templi ſtipes, aut ſordidum convertit in lucrum.* Varr. de Re ruſt. II. 2. *Axius, Merula mi, inquit, recipe me diſcipulum villaticæ paſtionis. Ille, quin ſimul ac promiſeris minerval, incipiam, inquit, id eſt, cœnam.* Cœnam jocoſe appellat *minerval*, quia magiſterii merces. Juven. Sat. X. 116.

> *Quisquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.*

Poetæ ſenſus hic erit, eum, qui ſemel præceptori *minerval* porrexerit, quod per aſſem deſignatur, id eſt, qui paucis diebus rhetori, aut grammatico operam dederit, optare totis quinquatribus, quæ feſta erant *Minervæ* ingeniorum præſidis, non modicum quippiam, ſed eloquium, aut famam Demoſthenis, aut Ciceronis. *Politian. Miſcell. c. 21. Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 338. *F. Briſſon de Form.* VI. *p.* 738. Quibus adſtipulamur diſcipulos magiſtris *mercedem* Idibus perſolviſſe. Hoc enim etiam planum facit Horat. Sat. I. 6. 72.

> *Noluit in Flavi ludum me mittere magni,*
> *Quo pueri, magnis e centurionibus orti*
> *Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto*
> *Ibant, octonis referentes Idibus æra.*

Sed credimus *Minerval* fuiſſe munuſculum, & ſtipem, quam diſcipulus primo ſuo ad magiſtrum ingreſſu, velut auctoramentum quoddam parati ad diſcendum animi adfert, non abludentibus ab hoc ſenſu Hieronymi verbis, qui *Minervale* id munus appellat, non magiſterii mercedem, quæ menſtrua erat, & Idibus perſolvebatur. *Minerval* itaque erat additamentum gratuitum, quod pactæ mercedi, pro cujusque facultate accedebat. Et hoc Merula jocoſe apud Varronem innuit. Nam cum Axius poſtulat ſe recipi diſcipulum, ſtipulatur ante per jocum Axius *Minerval*, quod primo ſuo in ſcholam, ut diximus, adventu diſcipuli doctori futuro exhibent. Perabſurdum eſt, quod Politianus per eum, qui *adhuc uno aſſe partam Minervam colit*, Demoſthenis, & Ciceronis protinus eloquentiam optantem interpretatur diſcipulum. Huic enim, qui ſemel *Minerval* præceptori porrexerit, hoc eſt, paucis diebus rhetori, aut grammatico operam dederit, nullum adhuc judicium, utpote rudi, & indolato puero, aut adoleſcentulo adhuc eſſe poteſt. Quocirca credimus a Juvenale voluiſſe intelligi magiſtellum illum, aut doctorculum, qui primum jam unius diſcipuli compos ludum aperire inceperit. Hæc *Minervalia*, ſive munuſculorum a diſcipulis oblatorum primitias novus magiſter *Minervæ*, cujus imago in ſcholis poni ſolebat, dedicabat. Tertull. de Idolol. c. 10. *Quis ludimagiſter ſine tabula ſeptem idolorum quinquatria tamen frequentabit? ipſam primam novi diſcipuli ſtipem Minervæ, & honori, & nomini conſecrat. Quid minus inquinamenti eo, quem præſtat quæſtus, & nominibus, & honoribus idolo nuncupatis, quam Minervalia Minervæ.* Loenſ. Miſcell. Epiphyll. II. 13. Junius in Tertullianum. Voſſ. Lex. Etymol. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 402. Laurent. de Profeſſ. c. I.

MINERVIUM fuit ſacellum *Minervæ*. Fuit Varrone indice de Ling. Lat. IV. 8. ad Ceroilienſem verſus montem Cœlium. *Ceroilienſis quarticeps circa Minervium: qua in Cœlium montem itur.* Deſcribitur ab Ovidio laudato ſupr. in *Minerva capita*. En tibi ædiculam in amœno Cœlii montis deſcenſu extremo: quam eandem eſſe ac *Minervium* Varronis nullus dubito, licet ea Panvinius veluti diverſa diſtinguat. *Nardin. Rom. Vet.* III. 6.

Minervium fuit templum *Minervæ*. Victor illud ponit in nona Urbis regione. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 338. *F. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 301. *C.*

MINICULATOR vocabatur ſervus, qui in voluminum ſcriptura uſurpabatur. Venulej. I. 44. *Veluti ſi miniculator ſit.* Perſ. Sat. V. 90. V. illum infr. in *Rubrica*. Ubi gloſſæ veteres: *Rubricas vocat minium, quo tituli legum annotabantur.* Pignor. de Serv. p. 232. Philand. ad Vitruv. IX. 3.

MINISTERIUM vaſa omnia argentea triclinio ſternendo neceſſaria ſignificat. Oroſ. VII. 39. *Dumque expoſitis opibus, attonitum barbarum magnitudine, & pondere, & pulcritudine, ignota etiam vaſorum qualitate intelligeret, virgo Chriſti ad barbarum ait: hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt.* Chryſol. Serm. 122. *Quid eſt dives? ubi ſunt torrentes torcularium tuorum? ubi ſunt horrea ad famem pauperis non cupiditatibus dilatata, quam cepiſ? ubi ſunt vina ad inopiam pauperis, annoſitatibus, & ipſa temporum oblivione ſervata? ubi ſunt effuſiones, lapſus, flumina miniſteriorum?* Pignor. de Serv. p. 101. Salmaſ. in Capitol. Antonin. Philoſ. c. 17.

MINISTRARE eſt famulari, διακονεῖν. Gloſſ. vet. quod quidem in ſacris maxime uſurpatur. Plaut. Amph. III. 3. 28.

> *Atque ut miniſtres mihi, cum ſacrufi cem.*

Eſt enim proprium ſervorum, qui *miniſtrantes* vocantur Senec. Epiſt. 95. *Guther. de Jur. man.* I. 14.

MINISTRATOR dicebatur in genere, qui *miniſtrabat*. Cicer. de Orat. II. 75. *Te, Sulpiti, objurgabam, quod miniſtratorem peteres, non adverſarium.* Etiam familiæ quadrigariæ veluti procurator, & qui præerat vice domini. Suet. Vit. c. 17. n. 2. *Alterum femur ſubdebile, impulſu olim quadrigæ, cum auriganti Cajo miniſtratorem exhiberet.* Buleng. de Circo c. 44. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 12. Beger. Spicil. Antiq. III. 34.

Miniſtrator ſervus dicebatur, qui menſæ adſtabat, & potum dominis ſuis *miniſtrabat*. Senec. Epiſt. 95. *Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur.* Petron. c. 31. *Vinum dominicum miniſtratoris gratia eſt.* Popm. de Oper. Serv. p. 120. Spon. Miſc. Erud. Antiq. ſect. 6. p. 213. Beger. Spicil. Antiq. III. 34. Antiquum marmor: AMARANTHUS AUGUSTI MINISTRATOR TURRANIANUS, ERASTUS, ET ANSIO CÆSARIS MINISTRATORES. *Pignor. de Serv. p.* 130.

Miniſtrator etiam fortaſſis idem fuit cum ſubmonitore, qui omiſſa reddebat memoriæ agentium. Cicer. de Orat. II. 75. *Ut cum te Sulpiti objurgabam, quod miniſtratorem peteres, non adverſarium.* pro Flacc. c. 22. *Vidi ego in quodam judicio Philodorum teſtem Trallianum, vidi Parrhaſium, vidi Archidemum, cum quidem idem hic mihi Mæandrius, quaſi miniſtrator, aderat, ſubjiciens, quod inter ſuos ci-*

ves, civitatémque dicerem, ſi vellem. Poller. For. Rom. II. 2.

MINISTRI in convivio dicebantur, qui convivium apparabant. Hæc ſiquidem fuit legitima, & juſta ſervorum tricliniarium nomenclatura. Virg. Æneid. I. 709.

— totidemque pares ætate miniſtri.

Lucan. x. 127.

Tunc famulæ numerus turbæ, populusque miniſter.

Pignor. de Serv. p. 100. In antiquitatis monumentis videmus *miniſtros* fere omnes conviviorum habere in ſiniſtro humero ſuſpenſam faſciam quandam latam cirris dependentibus, quam credo pallium appellatam, quando ex lana, non ex lino erat. Sic pallia linteis opponit Petron. c. 28. *Jam Trimalcio unguento perfuſus tergebatur non linteis, ſed palliis ex molliſſima lana factis.* Iſidor. XIX. 24. *Pallium eſt, quo adminiſtrantium ſcapulæ conteguntur, ut dum miniſtrant, expeditiores currant. Plautus: Si quid facturus es, appende in humeris pallium, & pergat, quantum valet, tuorum pedum velocitas.* Ruben. de Re Veſt. I. 13. Hoc merum eſt Iſidori ſomnium. Nam *miniſtrantes* ſine pallio, & in ſola tunica, ut eſſent expeditiores. Id ex tricliniis veterum monumentorum apparet, nullusque ſcriptorum menſæ *miniſtros* cum pallio produxit: neque Iſidorus ait pallium illud fuiſſe faſcias, ſive oraria. Plautus non de menſæ *miniſtris*, ſed de ſervis ſe ad curſum expedientibus loquitur, qui ne veſtimentum fuſum, & longum curſuram impediret, illud contractum conjiciebant in collum, & de pallio Græcanico, non de orariis loquitur. Aliqui quidem cum linteo, ſive ſemicinctio. Sed hoc nemo pallium appellaverit. Illam faſciam, de qua Rubenius, ſemicinctium fuiſſe dicimus, non pallium, & quidem linteum, ut ſcriptores appellant. Phædr. II. 5. 13. *Linteo Peluſio.* Et ſi lanea fuiſſet faſcia, non tamen propterea pallium. Nam etſi poſtea hæc oraria, & ſemicinctia, cum in partem veſtis ſacrificantium venerunt, ex lana, & ſerico confici cœperint, non ſequitur, quia ex lana erant, fuiſſe pallia, quaſi pallia tantum fierent ex lana, & non omnia veſtimenta, tunicæ, penulæ, lacernæ, togæ. Neque pallia Petronius opponit linteis. Id enim, ut cætera præter morem in luxu Trimalcionis notavit, quod cum alii in balneis linteo tergerentur, ille pallia, non ex lino, ſed ex lana confecta terſui adhibebat, ſive quod molliora ex tenuiſſima lana erant, ſive quod calidiora. Alii tamen pro *palliis*, *pannis* legunt. Potuiſſe tamen etiam pallia ex lino confici credimus, non quidem ad geſtandum, ſed quibus lecti operiebantur, etiam tricliniares, quæ paſſim a ſcriptoribus pallia appellantur. Catull. XXXII. 11.

Pertundo tunicamque, palliumque.

Ovid. Amor. I. 4. 50.

Conſcia de gremio pallia deme tuo.

Quæ *lintea toralia* dicta. *Ferrar. Anal. de Re veſt. c.* 18. In privatis itaque conviviis erant tantum tunicati. V. ſupr. in *Convivium.* Ammian. XXVI. 6. *Stetit itaque ſubtabidus nuſquam reperto paludamento tunica auro diſtincta, ut regius miniſter indutus a calce in pubem in pædagogiani pueri ſpeciem.* Vox *miniſter* rem totam declarat, quod in convivio aurata tunica *miniſtrarent.* Lamprid. Alex. c. 34. *Auratam veſtem miniſtrorum vel in convivio publico nullus habuit*, in quo locus auratæ tunicæ. Ita & cum Imperatores auratas paragaudas privatis interdixere, *miniſtriſque* permiſere, de conviviorum *miniſtris* intelligendum. C. de veſt. holoſ. I. 2. *Nemo vir auratas in tunicis, aut lineis habeat paragaudas: niſi hi tantummodo quibus hoc propter imperiale miniſterium conceſſum eſt.* Sub Flaviorum imperio *miniſtri* regii aliquid peculiare in cultu habuerunt. Suet. Domit. c. 12. n. 9. *Generum fratris albatos & ipſum miniſtros habere. Albatos*, quia eorum tunicæ fuerint albatæ, id eſt, candidatæ, quales petitorum togæ, & creta candefactæ, cum reliquorum albæ tantum eſſent. Vel ſi hoc, quia hujus moris non aliud exſtat veſtigium, minus forte placeret, non tantum albæ, ſed & auro diſtinctæ, ut paullo ante diximus. *Ferrar. de Re veſt.* I. 3. 4. *Salmaſ. in Lamprid. Alex. c.* 67. Linteis ſuccincti *miniſtrarunt.* Horat. Sat. II. 6. 117.

— veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,
Continuatque dapes, nec non vernaliter ipſis
Fungitur officiis.

II. 8. 10. mox laudandus. Seneca modo laudatus. *Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 349. *Stuck. Ant. Conv.* II. 22. *Ferrar. l. l.* Quoties fercula inferebantur, coronati, ac cum tibicine procedebant. Macrob. Sat. III. 16. *Gratiam ejus video ad epulas poſtliminio rediiſſe. Quippe qui dignatione veſtra cum interſum convivio ſacro, animadverto hunc piſcem a coronatis miniſtris cum tibicine introferri.* Ciaccon. de Triclin. p. 73. Paſchal. de Coron. II. 2. Mader. de Coron. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1414. C. Illorum officia fuerunt I. Argentum in Delphica diſponere, & ordinare. Senec. de Brev. vit. c. 12. *Convivia mehercule horum non poſuerim inter vacantia tempora, cum videam, quam ſolicite argentum ordinent.* de Vit. beat. c. 27. *Quare ars eſt apud te miniſtrare, nec temere ut libet collocatur argentum.* Virg. Æneid. I. 707.

Quinquaginta illi famulæ, quibus ordine longam
Cura penum ſtruere.

II. Aquam manibus præbere. Petron. c. 31. *Tandem ergo diſcubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus.* Virg. Æneid. I. 705.

Dant famuli manibus lymphas.

III. Panem convivis diſtribuere. Petron. c. 35. *Circumferebat Ægyptius puer clibano argenteo panem.* Virg. l. l.

— Cereremque caniſtris
Expediunt.

IV. Cœnam, & obſonia inferre. Senec. Epiſt. 95. *Tranſeo miniſtratorum turbam, per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur.* Virg. Æneid. I. 709.

— totidemque pares ætate miniſtri
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.

V. Obſonia ſcindere. Senec. Epiſt. 47. V. illum ſupr. in *Cibus.* Et de Brev. vit. c. 17. V. illum ſupr. in *Magiſter obſonii.* Et inde *carpi*, *carptores*, *ſciſſores*, *chironomontæ*, *diribitores*, *ſtructores* appellabantur. V. ſingulos ſuis locis. VI. Vina ſitientibus miniſtrare. Petron. c. 31. *Potionem popoſci, paratiſſimus puer me acido cantico excepit.* Erant enim elegantiſſimi pueri pocillatores. Juven. Sat. V. 56.

Flos Aſiæ ante ipſum pretio majore paratus.

n. 59.

— quod cum ita ſit, tu Gætulum Ganymedem
Reſpice, cum ſities. neſcit tot millibus emptus
Pauperibus miſcere puer.

VII. Epulis ſublatis menſam extergere, & ne quid convivantium oculos offenderet, reliquias ciborum ſublegere. Horat. Sat. II. 8. 10.

His ubi ſublatis, puer alte cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam perterſit, & alte
Sublegit, quodcunque jaceret inutile, quodque
Cœnantes poſſet offendere.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 10. Cerda in Virgilium.

MINIUM a Græcis acceptum eſſe dixerit aliquis, quia apud Heſychium legere ſit: Μίννον. . . . Sed ſolum poſteriores Græci ſic vocarunt, nempe poſtquam innotuit *minium* ex Hiſpania. Priores autem κιννάβαρι vocarunt: non quaſi foret κιννάβαρι, ſed quia ſimile ei foret. Sed *minium* ex Hiſpania apportari dicit Dioſcor. V. 109. *Cinnabarim falſo putant nonnulli cum eo; quod minium appellatur, unum & idem eſſe. Minium enim in Hiſpania ex lapide quodam argentariæ arenæ permiſto temperatur.* Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 814. a. G. Philand. in Vitruv. VII. 8. *Minio* circum ſtraverunt Principes, Caligula & Nero. V. ſupr. in *Chryſocolla.* Deorum ſimulacra feſtis diebus illinebantur. Virg. Ecl. X. 27.

Pan Deus Arcadiæ venit: quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Tibull. II. 1. 55.

Agricola & minio ſuffuſus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

V. Servium ad Virgilium. *Broukh. ad Tibullum.* Jovem Minianum V. ſupr. in *Jupiter.* Non ſolum ornatus gratia, ſed etiam ne cariem ſentirent, vel imbrium guttis perfuſæ attraherent eas, & computreſcerent. *Minium* enim præparatum & ſuperlitum adverſus talia conſervat, quamobrem hodie etiam id fit. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 7. §. 8. Librorum tituli notabantur. Ovid. Triſt. I. 1. 7. V. illum ſupr. in *Cedrus.* Et errores, ſive ſphalmata in ſcribendo. Cicer. Attic. XV. 15. *His literis ſcriptis, me ad συντάξεις dedi, quæ quidem vereor, ne miniata cerula tua pluribus locis notanda ſint.* XVI. 2. *Noſtrum opus tibi probari lætor: ex quo ante ipſe poſuiſti, quæ mihi florentia ſunt viſa tuo judicio: cerulas enim tuas miniatulas illas extimeſcebam.* Pius Annot. poſt. c. 105. Borremanſ Var. Lect. c. 4. Mag. Miſcell. I. 14. Sepulcrorum tituli ſignabantur. V. ſupr. in *Inſcriptio ſepulcrorum.* Triumphantium corpora tingebantur. V. infr. in *Triumphantes.* Præterea *minium* unguentis cœnæ triumphalis ad lavandas manus addebatur. *Perott. Cornucop. p.* 252. Illud vereor ut recte dixerit: nam puto Plinium indicare minuta unguenta ipſis cibis addita fuiſſe. Bene enim Mercur. Var. Lect. II. 19. ex Plinio, Plutarcho, & Athenæo conſtare ſcribit, veteres tam potibus, quam cibis unguenta admiſcuiſſe. Ita quippe, ut muſicis ſonis, cantibusque aures, ſpectaculis viſum, edulis palatum, & variis unguentorum, atque florum odoribus nares in conviviis delectare ſolebant. *Borremanſ. l. l.*

MINORES ætate apud Romanos poſterius non accumbebant tantum, ſed etiam ſurgebant. Val. Max. II. 1. 9. *Invitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei convivio eſſent interfuturi, ne ſenioris adventum diſcubitu præcurrerent: ſublataque menſa priores conſurgere, & abire patiebantur.* Seniores domum reducebant. Gell. II. 15. *A convivio, ut ſcriptum eſt in antiquitatibus, ſeniores a minoribus domum deducebantur.* Putean. Reliq. conv. priſc. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 278. C. XXV. annis lex Julia ſpecialiter adulterii accuſare prohibebat l. ſi maritus §. lex Julia ff. de adulter. Nec enim juſtus accuſator vitus eſt, qui nondum robuſtæ ætatis eſſet. Hoc vero in hac lege ſingulare eſt. Nam a cæteris vel capitalibus accuſationibus *minores* non repelluntur l. qui cum natu §. 1. ff. de bon. libert. Unde Macer l. qui accuſare ff. de accuſat. in iis qui propter ætatem accuſare non poſſunt, pupillum tantum numerat, id eſt, impuberem, qui nondum exacti conſilii capax eſt. Cui tamen ex conſilio tutorum patris mortem exequi, nec non de patris teſtamento agere permiſſum eſt l. 2. ff. de accuſat. Eum vero, qui puberem ætatem egreſſus, judicium jam poſſit ad accuſationem inſtituendam adhibere, in publicis quoque judiciis, niſi quæ lex nominatim reſragetur, admitti conſtat. Sed enim alienam duntaxat injuriam exequentes jure publico minores XXV. annis ex hac lege ſubmoventur. Violatum vero ſuum matrimonium minor non tantum jure viri, ſed & extranei jure vindicare poteſt d. l. de adulter. Nec enim ulla unquam præſcriptio objicitur ſuam injuriam exequenti. Ideoque & hac cauſa ad accuſandum admittuntur, qui alias idonei accuſatores non eſſent. *Briſſon de adulter. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 1377. *A.*

MINOTAURUS. *Ejus effigies inter ſigna militaria eſt: quod non minus occulta eſſe debent conſilia ducum, quam fuit domicilium ejus Labyrinthus.* Feſtus. Ejus effigies tunc efferri ſolebat cum ſecreto, & tacite rem gerendam admonerentur. Veget. III. 6. *Tutiſſimum namque in expeditionibus creditur, facienda ab hoſtibus neſciri. Ob hoc veteres Minotauri ſignum in legionibus habuerunt, ut quemadmodum ille in intimo, & ſecretiſſimo Labyrintho abditus perhibetur, ita ducis conſilium ſemper occultum eſſet.* Pier. Hierogl. III. 38. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 588. Voſſ. de Idolol. III. 76. Stewech. in Vegetium. Belle hæc dicuntur. Sed unde ruſticulis illis Romanis *Minotaurus*, & hæc fabella innotuerunt? Vide, ne vere, non *Minotaurus*, ſed taurus fuerit: uti alia animalia illa nota Italiæ, & capta ob cauſam, quam dixi. Certe & taurus robuſtum, ac ferox animal, atque aptum pugnæ. *Lipſ. de Milit. Rom.* IV. *Dial.* 5.

MINUSCULARII dicuntur tenuioris fortunæ homines, quorum paupertas quinquaginta ſolidorum ſumma æſtimatur l. 1. C. de defenſ. civit. *Si quis de tenuioribus, ac minuſcularius rebus te interpellandum eſſe crediderit: in minoribus cauſis, id eſt, uſque ad quinquaginta ſolidorum ſummam acta judicialia conficiat. Minuſculum*, ἔλαττον. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 9.

MINUTAL eſt genus condimenti, quod variis eſculentis *minutatim* conciſis fiebat, ceto marino, liquamine, oleo, vino, pomis, & coriandro. Juven. Sat. XIV. 129.

Heſternum ſolitus medio ſervare minutal. . .

Baccius de vin. & conviv. IV. p. 164. C. Grapald. de part. dom. II. 3. §. 28. Britann. in Juvenalem. De ejus conditura *Apic. de Art. coq.* IV. 3.

MINUTIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

Minutia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

Minutia vetus, & frumentaria. Rufus & Victor legunt *Minutia.* Sed Lamprid. in Commod. c. 16. habet *Minutia: Herculis ſignum æneum ſudavit in Minutia per plures dies.* Duo hæc fuere ædificia, in quorum altero frumentum venditum fuiſſe videtur. Sita fuerunt in nona regione Urbis ad Circum Flaminium. Ab aliquo *Minutiorum*, fuerunt enim Romæ plures, qui primus fuerit rei frumentariæ præfectus, poſſunt nomen habuiſſe. Sed a deo *Minutio* potius hæc derivata, cui ibi dedicatum erat ſacellum, a quo porta *Minutia* eſt dicta. Feſtus. V. illum infr. in *Porta.* Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 358. B. Lipſ. Elect. I. 8. Stuck. Ant. Conviv. I. 35. V. & infr. in *Porticus.*

MINUTIUS Augurinus. V. illum infr. in *Statua.*

MIR.

MIRACULA Romæ olim in rebus turpibus fuere. *Miracula* meretrices Plauto dicuntur in Nervolaria. Varro Marcipore eodem conjicit *miracula* neſcio quæ Græci θαύματα vocant quaſi θεάματα, a voce θεάομαι, *ſpectacula ſtupenda.* Ariſtot. de Generat. II. τὰ αὐτόματα τῶν θαυμάτων, id eſt, αὐτόματα θαύματα, *ſpontanea miracula:* unde & θαύμακτρον, *merces, quæ datur quaſi lucar præſtigiatori.* Sophron, φέρε τὸ θαύμακτρον. Et thaumatapœi, ſeu *mirifici* dicti homines projectæ audaciæ, qui ſummo vitæ periculo ſtupenda in vulgus patrarent, per rotas, & ignes ſe trajicerent, ingentia onera ſupra hominis vires portarent, in immenſam altitudinem mergerentur, & ſine ulla reſpirandi vice maria perpeterentur, ut ſcribit Senec. de Ira II. Dio Chryſoſt. in Diogene: *Cum multi miraculorum editores miracula patrarent, multi miraculorum ſpectatores de miraculis judicarent, multi prodigiorum interpretes portenta interpretarentur.* Erant, qui e loco ſuperiori machina lignea deſcenderent, unde flammam ſpargerent in ſcenam, quæ varios orbes efficeret, ac tabulata comprehenderet. Alii rotabantur in chori ſpeciem flammas ore, vel manu jactantes, & aliis innoxii. Claud. de Conſul. Mall. Theodoſ. n. 325.

Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis,
Inque chori ſpeciem ſpargentes ardua flammas
Scena rotet. varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus.

Erant, qui contum in fronte, quaſi arborem radicitus humi defixam, immotam gererent, aut puerulos in ſumma pertica luctantes inter ſe exhiberent. Chryſoſt. de Jurejur. &c. &c. *Buleng. de Theatr.* I. 35. *Caſal. de Trag. & Com. c.* 2. *de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 7.

MIS.

MISCERE Latinis, & μίσγειν Græcis dicebatur pincerna,

cerna, qui vinum infundebat. Juven. Sat. v. 60.

— nescit tot millibus emptus
Pauperibus miscere puer.

Quæ locutio & apud Etruscos remansit. De temperandi vini, & aquæ ratione ex antiquioribus varios modos recenset Athen. x. p. 426. Nempe quidam jubebant par pari *miscendum* vini & aquæ: alii tribus aquæ partibus unam vini, alii quatuor, vel etiam quinque partibus vini duas aquæ admiscendas. Qui tamen modi non faciunt certam regulam ad imitationem, jam mutatis non solum moribus, & vinorum generibus, sed & omni consuetudine potuum. *Baccius de Vin. ac conviv.* IV. *p.* 172. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 319. 320. Pocula implebantur vino ea mensura, qua quisque petebat: & hoc dicebatur *miscere*, quamvis merum esset. Mart. XIII. 108.

Misceri decet hoc a Ganymede merum.

Grang. in Juvenalem.

MISSI Principis ad statum provinciæ componendum aliquando deputabantur. Inscriptio apud Gruter. p. 360. n. 13.

Q. AQUIUS. SCÆVÆ. ET. FLAVIÆ. FILIUS. COS. ITERUM. EXTRA. SORTEM. AUCTORITATE. C. CÆSAR. ET. S. C. MISSUS. AD. COMPONENDUM. STATUM. IN. RELIQUUM. PROVINCIÆ. CYPRI.

Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14. *Du Fresne Glossario.*

MISSICIUS est miles veteranus, siquidem Romanis, teste Suida, veteranus dicitur, qui militia dimissus est post confecta stipendia. *Missicius* autem, sive *missitius*; nam quæ nos per *t* scribimus, veteres per *c* scribunt, ut cessicius, adscripticius, subditicius, cujus justa *missio* visa fuerat; quod hic non de *missione* causaria, sed de honesta *missione* intellige. Inscriptio Nemausi inventa.

TI. CÆSARIS. DIVI. AUGUSTI. FIL. AUGUSTI. MILES. MISSICIUS. T. JUL. FESTUS. MILITAVIT. ANNOS. XXV.

Gruterol. apud Spon. Miscell. Erud. Ant. Sect. VII. *p.* 240. *Cuper. Monum. Antiq. p.* 243. *Salmas. in Pollion.* XXX. *tyrann. c.* 6. *Du Fresne Glossario.*

MISSILIA dicebantur, quæ mittebantur, & projiciebantur in populum. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 72. Erant duplicis generis, & duplex erat ea *mittendi* ratio. Alia erant ejusmodi, ut sparsa reipsa non corrumperentur: alia si sparsa reipsa fuissent, fuissent quoque corrupta. Generis prioris ordinarie reipsa conjiciebantur in populum. Posterioris etiam ordinarie per tesseras. V. illas infr. in *Tessera.* Dixi ordinarie. Nam etiam quæ *missione* corrumpi non poterant, interdum per tesseras *mittebantur*. Xphil. LXVI. p. 757. D. V. illum infr. in *Tesseræ theatrales.* Nummos reipsa fuisse missos docet Suet. Cal. c. 37. n. 2. *Quin & nummos non mediocris summæ e fastigio basilicæ Juliæ per aliquot dies sparsit in plebem.* Mart. VIII. 78. 7.

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat, & in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis.

Huc pertinet, quod notant Cruc. in Stat. Sylv. I. 6. 66. & Savot. de Num. ant. I. 8. ex Curopalate de coronatione Imperatoris, *missilia* ab Imperatoribus orientis in populum jacta, ne jactu violento eum offenderent, panni sectionibus fuisse involuta: inde dicta ἐπικόμβια. Etiam illa, quæ corrumpi poterant, si reipsa mitterentur, sine *tesseris* reipsa in populum spargebantur, v. g. aves, quæ subinde lacerabantur in partes. Mart. II. 12.

Sortitur dominos, nec laceratur avis.

Lex si quid ff. pro derelicto: *Id quod quis pro derelicto habuerit, continuo meum fit. Sicuti, cum quis æs sparserit, aves emiserit, quamvis incertæ personæ voluerit eas esse, tamen ejus fierent, cui casus tulerit.* Stat. Sylv. I. 6. 75.

Inter quæ subito cadunt volatu
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas udo Numidæ legunt sub austro.
Desunt, qui rapiant, sinusque pleni
Gaudent, dum nova lucra comparantur.

& bellaria, quæ denarrat Stat. ibid. n. 10--19.

Jam bellaria adorea pluebant,
Quicquid nobile Ponticis nucetis
Fœcundis cadit, aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quas percoquit Ebusia cannas,
Largis gratuitum cadit rapinis,
Molles gajoli, lagunculique,
Et massis Amerina non perustis,
Et mustaceus, & latente palma
Prægnantes caryotides cadebant.

Taffin. de Lud. secul. c. 9. Brod. Misc. III. 12. Buleng. de Circo c. 56. de Venat. circi c. 24. Aurea mittere soli Imperatori permissum erat. Novell. Justinian. tit. 6. c. 2. *Soli aurum spargere damus Imperio, cui soli etiam contemnere præstat fortunæ fastigium: argentum vero, quod mox post aurum pretiosissimum fiet, & aliis consulibus largiri decens.* Savot. l. l. Lipen. ibid. I. §. 39. Ex edito loco jaciebantur. Xiphil. l. l. & altissimæ ad id turres exstruebantur. Herod. V. 6. 22. *Ubi autem deduxerat, atque in templo constituerat, sacris jam, celebritatibusque, quas diximus, peractis, maximas, altissimasque turres ad ipsum exstructas conscendebat, inde in plebem missilia sparsurus, aurea videlicet, argenteaque pocula, vestesque, & lintea omne genus: bestias præterea cicures, & non cicures omnes.* Ex fastigio basilicæ Juliæ sua misit Caligula. Suetonius jam laudatus. *Buleng. de Theat.* I. 33. *Taffin. l. l. Pitisc. in Suet. Calig. c.* 18. *n.* 4. Justinianus an sua lege modo allata satis consuluerit, aut consulibus, aut populo merito dubitat Perez. Præl. in C. de Consul. Nam & ipse Imperator testatur, se vidisse magna istius rei incommoda, nempe verba, & vulnera in direptione *missilium*, & inde insanas comessationes eorum, qui aliquid nacti erant: ideoque consideratione horum incommodorum hæc *missilium* jactatio tollenda erat, inprimis cum ob eam causam sæpe bene meriti a spe adeundi consularem dignitatem dejicerentur, utpote tantis sumptibus impares. Videbantur enim divitiæ eligi non merita: aut saltem eligi honores non ex virtute, sed ex pecunia. Quare Leo Imperator, ut indigentiæ coss. consuleret, & Respublica dignos honore viros haberet, sparsionem illam, vel rectius legem istam de consulatu, & consulatus muneribus prorsus sustulit Novell. 94. ad Stylianum. *Lipen. l. l.*

MISSIO nihil aliud erat, quam immunitas plenissima, & perpetua quies a laboribus militaribus. *Scheffer. de Milit. nav.* IV. 1. Nam post confecta stipendia *mittebatur* miles, liber deinceps, & immunis. Dixi *confecta stipendia*, quia lege certus annorum numerus definitus, nec sumere, aut ponere militiam volentibus erat. Ea *legitima stipendia* vocat Liv. de milite ex Cannensi fuga XXIII. 25. *Nullo præstituto militiæ tempore, nisi quod legitimorum stipendiorum esset.* Ea viginti annorum in pedite fuerunt, decem in equite. *Lips. Milit. Rom.* V. 19. Nautæ pariter, ac classiarii certo tempore, ut in militia terrestri impetrarunt. At quando id fieri consueverit, proditum non memini. Id scio, diutius quam in terrestri militia fuisse retentos. Nam cum illi liberarentur anno vigesimo, hi longius suam operam præstare coacti sunt. Argumento est lapis in hortis Cardinalis Carpensis Romæ, ubi mentio fit militis, qui militavit annis quatuor & viginti. Inscriptio hæc est:

C. ANTONIO. ANTARINO.
MILITI. EX. CLASSE. PRÆTORIA.
MISENATIUM. VIX. ANN.
XL. MIL. ANN. XXIV.

Et hunc quidem militasse tot annos constat, postea *missum* esse non constat. At forsitan morte ante legitimam *missionem*

nem præventus est. Certe ex Lipsii sententia uno anno amplius militare debuerunt. Ita is de Mil. Rom. v. Dial. 19. *Nauticos milites deteriore conditione fuisse, & annos viginti quinque militasse e lapidibus Domitiani discas.* Ego etiam sex & viginti militasse disco ex inscriptione ista:

> L. SEMPRONIUS. PROCULUS. VETERANUS. EX. CLASSE. MISENES. PRÆTORIA. MILITAVIT. ANN. XXVI. SIBI. ET. CONJUGI.

Sed & hic *missionis* nulla mentio: num igitur adhuc longius militarunt? non puto. Ostendit clarissime inscriptio illa Adriani ævi, ex qua honesta *missione* solutos apparet, qui stipendia explevissent viginti & sex:

> IMP. CÆS. DIVI. TRAJANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVÆ. NEPOS. TRAJANUS. HADRIANUS. AUG. PONT. MAX. TRIB. POP. XII. COS. III. P. P. IIS. QUI. MILITAVERUNT. IN. CLASSE. PR. MISENENSI. QUÆ. EST. SUB. JULIO. FRONTONE. SEX. ET. VIGINTI. STIPEND. EMERIT. DIMISSIS. HON. MISS. . . . .

Scheffer. de Mil. Nav. iv. 1.

Missio justa duplex est: vel honesta, quæ emeritis stipendiis datur. Macer l. 2. §. 2. ff. de his qui not. infam. l. 13. §. 2. de re milit. *Dicebatur honesta missio, quæ tempore militiæ impleto dabatur:* sive, ut definit Ulpian. d. l. 2. & d. l. 13. V. supr. in *Milites causarii.* Vel causaria, quæ ob vitium, defectum, morbum. V. supr. in *Milites causarii.* Hæc quia justam causam habebat, etiam præmiis interdum honestæ æquata. Ut in lege Valentiniani & Valentis C. vii. tit. 20. *Alii vero qui honestas missiones, sive causarias consequuntur, singula paria boum, & quinquaginta modios utriusque frugis accipiant.* In alia Constantini: *Intra viginti etiam stipendia dimissus, quoniam imbecilles & debiles corporibus non dicuntur, eodem beneficio utatur.* Lips. de Mil. Rom. Dial. v. 19. Brisson. Form. iv. p. 364. Valtrin. de Re milit. Rom. vi. 5. Stewech. ad Veget. ii. 3. Lyd. de Re milit. vi. 6. Rævard. de Div. reg. jur. lxxx. Laurent. Polym. iv. Synops. iii. Carol. Antiq. Romin iii. 12. Thys. Rom. Illustr. v. p. 153. Kipping. Differt. de Victor. §. 7. Blond. Triumph. Rom. vi. p. 142. H.

Missio injusta duplex est: vel gratiosa, per gratiam, aut ambitum ab Imperatoribus impetrata, sed sæpe invalida, & quam censores rescindebant. Liv. xliii. 14. *Missorum quoque causas sese cognituros esse, & quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi data esset, eos milites fieri jussuros.* Vel ignominiosa, qua ob delictum, aut crimen militia quis solutus. Nominis notam, & infamiam adferebat. Isti quoque hoc testati. Exemplum hujus elegans, atque ipsa formula in Hirt. de Bell. Afric. c. 54. *Cæsar postero die de suggestu, convocatis omnium legionum tribunis, centurionibusque, C. Aviene, inquit, quod in Italia milites populi Romani instigasti, rapinasque per municipia fecisti, quodque mihi, reique publicæ inutilis fuisti: ob ea res, ignominiæ causa, ab exercitu meo te removeo, hodieque ex Africa abesse, &, quantum potest, proficisci jubeo: itemque te A. Fontei, quod tribunus militum seditiosus, malusque civis fuisti, ab exercitu dimitto.* Lips. de Milit. Rom. v. Dial. 19. Brisson. de Form. iv. p. 364. Robortell. de Pœn. milit. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p. 1482. C. Valtrin. de Re milit. Rom. vi. 8. Stewech. in Veget. ii. 3. Rævard. de Div. reg. jur. lxxx. Laurent. Polym. iv. Synops. iii. Thys. Rom. Illustr. v. p. 153. Interdum absque *ignominiæ* additione mittebantur. Et illud verbum non semper erat necessarium, modo militibus arma detraherentur, & omnia sollennia, quibus in exauctoratione uti solebant. Exempla sunt P. Rutilii Cos. apud Val. Max. ii. 7. 3. *qui eo bello, quod in Sicilia cum fugitivis gessit, Q. Fabium generum suum, quia negligentia Tauromitanam arcem amiserat, provincia jussit decedere.* Cæsaris apud Hirtium modo laudatum. Interdum verba *ignominiæ causa* addebantur, si armis nondum ademptis mitterentur. Hanc *missionem* eleganter jam descripsit Hirtius in *C. Avieno ab exercitu remoto.* Et de Caligula refert Suet. c. 44. n. 1. *Postquam castra attigit, ut se acrem, & severum ducem ostenderet, legatos qui auxilia serius ex diversis locis adduxerant, cum ignominia dimisit.* Dimittebantur ignominiose non tantum gregarii milites: sed & legati, ut in Suetonio, & tribuni, ut in Hirtio vidimus. Quæ omnia confirmat Ulpian. l. 2. ff. de his qui not. infam. *Quod ait prætor: qui ab exercitu dimissus erit: dimissum accipere debemus militem caligatum, vel si quis alius usque ad centurionem, vel præfectum cohortis, vel alæ, vel legionis, vel tribunum sive cohortis, sive legionis dimissus est.* Cæterum qui exercitui præest, licet consularibus utatur insignibus, si *ignominiæ causa* missus est, infamia laborat. Ulpian. l. l. Qui non additis verbis *ignominiæ causa* mittebantur, arma cogebantur deponere: quæ egregie probat *missionis* formula apud Lamprid. Heliog. c. 54. *Quirites discedite, atque arma deponite.* Lucan. v. 357.

> *— discedite castris*
> *Tradita nostra viris ignavi signa quirites.*

Suet. Vit. c. 10. n. 2. *Quicquid prætorianarum cohortium fuit, ut pessimi exempli uno exauctoravit edicto, jussas tribunis tradere arma.* Ignominiæ causa missi, discincti & nudi in exsilium quasi proficisci debebant; nam ubi Imperator erat, agere non poterant, nunquam iterum recipi, quia inter infames recensebantur, si in perpetuum scilicet fuerunt *missi*; nam si ad tempus tantum, evanescit infamia post elapsum tempus infamiæ constitutum l. 1. C. de his qui in exsil. dat. *Sichterman. de Pœn. milit. c. 13. Faber Semest.* i. 17.

MISSORIUM vocabatur lanx, discus, vel ferculum. Mos est recentioribus Græcis, voces quas ex Latino sunt mutuati, ubi duo sigma occurrunt, alterutrum mutare in ν, ut μίνσος, *missus:* ἀντικήνσωρ, *antecessor:* σούκενσος, *successus:* μινσώριον, *missorium.* Ennod. Epist. 18. *In missorio, quod habet loricatum juvenem.* Vet. gloss. *Discum missorium,* forte quod missus & fercula exciperet. Greg. Turon. vii. 4. *Reliquos thesauros, qui apud villam Calem remanserant, in quibus missorium erat illud aureum, quod nuper fecerat.* Meurs. Glossar. Græco-barb. Du Fresne Glossar. Salmas. in Pollion. Claud. c. 3. Buleng. de Conviv. iv. 10.

MISSUS erant mensæ fercula. *Buleng. de Conviv.* iv. 10. Olim unus tantum fuit, unum ferculum, quod ex æquo in singulos convivas dividebatur. Postquam plura fercula illata sunt, ea dicta ἐπιφορήματα, ut scribit Dionysius Trypho. Apud Macrobium & Athenæum quot *missus* inferebantur, tot mensæ mutabantur, & cum cibis onustæ mensæ illatæ, cum iisdemque denno sublatæ. Serv. Æneid. 1. *Buleng. ibid.* ii. 1. *Senfileb. de alea vet. c. 10. §. 6.*

Missus in circo dicebantur equorum *emissiones,* & ἀφέσεις e carceribus. Suet. Claud. c. 21. n. 5. *Circenses frequenter in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus venatione.* Domit. c. 4. n. 8. *In his circensium die, quo facilius centum missus peragerentur,* id est, centum currus peragerentur. Virg. Georg. iii. 18.

> *Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.*

Ubi Servius: *Id est, unius diei exhibebo circenses: quia, ut Varro dicit in libris de gente populi Romani, olim viginti quinque missus fiebant, sed vigesimus quintus dicebatur ærarius, eo quod de collatione populi exhibebatur, qui desiit esse, postquam conferendæ pecuniæ est consuetudo sublata: unde hodieque permansit, ut ultimus missus appelletur ærarius. Ergo centum currus secundum antiquitatem dixit.* Quatuor portis quatuor currus singulis *missibus* mittebantur, & currus singuli semel tantum currebant. Unde apparet centum currus viginti quinque *missibus* agitatos esse. *Panvin. de Lud. Circens.* i. 14. *& in illum Argolus, Buleng. de Circo c. 15. Turneb. Adv.* v. 4. *Alex. Gen.* v. 8. *Cerda in Virgilium. Pitisc. in Suetonium.*

Missus dicitur in palæstritarum cippis pro eo, quem victum arena dimisit Principis arbitrio. Ita Gualtherius Sicul. tabul. c. 14. Cui favet Siculum saxum apud Gruter. p. 334. n. 4.

FLAMMA. SIC. VIX. ANN. XXX
PUGNAVIT. XXXIII. VICIT. XXI
STANS. VIIII. MIS. IIII. NAT. SUR
HVI. DELICATUS. COARMIO
MERENTI. FECIT

Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. *p.* 862. *C.*

Missus vocatur talorum jactus; dicimus enim non solum jacere tesseras, vel talos, sed etiam *mittere*. Senftleb. de alea vet. c. 10. §. 6.

MISTARIUS vocatur vas, quo miscemus. *Buleng. de Conviv.* IV. 15.

MIT.

MITELLA eliso *r*, & *mitrella* vocabatur angustior *mitra* feminarum, ex qua redimicula religabantur. Virg. de Copa n. 1.

Copa Syrisca caput Graja redimita mitella.

Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 29. Scalig. Poet. I. 56. Salmas. Exerc. Plin. p. 392. b. F. Viri non facile quidem, sed tamen interdum illa utebantur. Cicer. pro Rab. Post. c. 10. *Deliciarum causa, & voluptatis, non modo cives Romani, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam senatores summo loco natos, non in hortis, aut suburbanis locis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpe vid『emus.* Apul. Met. VIII. p. 260. *Die sequenti variis coloribus indusiati, & deformiter quisque formati, facie cœnoso pigmento delita, & oculis obunctis graphice prodeunt: mitellis injectis.* Gentil. de actor. & spectat. fab. c. 6. Paschal. de Coron. IV. 21.

MITELLITA, sive *mitellica*, est datio *mitellarum*, id est, coronarum sericearum, quæ in conviviis nepotum solebant usurpari. Luxuria enim coronas invenit in coronis e nardi folio, & veste serica versicolori, quas unguentis spargebant pretiosissimis. Has *mitellas* vocarunt, quasi parvas *mitras*. Plinium V. infr. in *Rosaria*. Suet. Ner. c. 27. n. 5. *Indicebat & familiaribus cœnas, quorum mitellita quadragies HS. constiterunt, alteri pluris aliquanto rosaria.* Salmas. Exercit. Plin. p. 392. b. F. Turneb. Adv. XXIV. 6. Tiraquell. III. Leg. connub. Gloss. I. p. 3. n. 27. Pitisc. in Suetonium. V. tamen, si placet, *Grævium in Suetonium.*

MITRA erat Romanis muliebre capitis tegumentum. Cicer. de Arusp. resp. c. 21. *P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, a strophio, a psaltrio, a flagitio, a stupro est factus repente popularis.* Serv. Æneid. IX. 616. *Mitræ sunt feminarum, quas calanticas dicunt.* Optat. Milevit. contr. Donat. II. *Compressam ab eo puellam, cui mitram ipse imposuerat, a qua paullo ante pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit.* Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. V. 35. Paschal. de Coron. IV. 21. Salmas. Exercit. Plin. p. 392. F. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. c. 6. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 10. Cerda in Virg. Æneid. IX. 616. Cujac. Observ. X. 17. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 18. In Lydia, & Phrygia etiam viri eo utebantur. Et hoc Romanis parum virile visum, præcipue si & redimicula haberet. Hiarbas objicit Æneæ inter alia & vestitum effeminatum apud Virg. Æneid. IV. 216.

Mæonia mentum mitra, crinemque madentem
Subnixus.

ubi Servius: *Mitra Lydia, nam utebantur & Phryges, & Lydi mitra, hoc est, incurvo pileo, de quo pendebat buccarum tegimen. Sane quibus effeminatio crimini dabatur, etiam mitra eis adscribebatur, multa enim lectio mitras meretricum esse docet. Ergo ex habitus qualitate movetur invidiam, cum enim non jam effeminatum, velut meretricem appellat, quod est inimici non mulieris tantum, sed etiam meretricem vocare.* IX. 616.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

ubi Servius: *Mitra proprie Lydorum fuit, ut* IV. 216. *quem habitum imitati sint Trojani. Alii mitras meretricum esse voluerunt, quod hic est tanquam effeminatis objectum.* Voss. Lex. Etymol. Demster. & Cerda l. l. Lampe de Cymbal. II. 23. Turneb. Adv. IV. 14: XXIX. 25. Est quoque gestamen Bacchi. V. supr. in *Bacchus*. Erat nivea & cornuta. Val. Flacc. II. 271.

Respiciens teneat virides velatus habenas,
Ut pater, & niveâ tumeant ut cornua mitra,
Et sacer ut Bacchum referat scyphus.

Prop. IV. 2. 31. V. illum supr. in *Bacchus*. Quid enim mirum, Bacchum gestare *mitram*, cum ipse non solum sit mas, sed & femina? Id quod antiquitas ideo finxit, ut ostenderet hunc deum non tam effeminare viros, quam mulieribus addere fortitudinem. *Demster. & Paschal. l. l. Le Fevre Gossario.* Quo modo a tiara differat. V. infr. in *Tiara*.

Mitra vocabatur etiam capitis muliebris redimiculum, e quo pendebant fasciolæ, quæ phylla dicebantur, quod florum instar dependerent, ut Onuphrius in calce libri de Vocibus Ecclesiasticis obscurioribus. Fascia itaque citra apicem capillos obligans. Ovid. Heroid. IX 63.

Ausus & hirsutos mitra redimire capillos.

Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. VI.

MITTENDARII usu exigente *mittebantur* in provincias, jussu prætorio præfecti pro publica aliqua utilitate, vel opportunitate. Posterioris ætatis *missi* dominici functi videntur eodem munere. Hi enim per provincias *mittebantur*, ut si quid negligentius magistratus egissent, ipsi corrigerent. De his passim in Caroli M. capitul. II. §. 24. 25. 26. Sed *mittendarii* præfectorum non corrigebant ea, quæ corrigenda essent; sed inquirebant diligenter, quid per provincias ageretur, quidve emendatione dignum: quod ad præfectum prætorio referebant, *qui sua auctoritate publicis necessitatibus consuleret.* Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 87.

MITTERE judices in consilium est jubere illos ad urnas ire, atque in eas tabellas sententiam continentes conjicere. Ascon. in Cicer. p. 77. *Mittam in consilium, id est, perorabo. Nam mittere judices in consilium est dimittere judices ad sententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis orator dixerit, dixi.* Pollet. For. Rom. V. 7. Rosin. Antiq. Rom. IX. 24.

MOD.

MODERATORES provinciarum & ipsi erant clarissimi. l. unic. C. de Offic. jurid. Alexand. *Tanquam si apud virum clarissimum moderatorem provinciæ habita fuisse dicerentur.* Sunt qui correctores *moderatores* provinciarum esse putant. Sed illud generale nomen Rectorum tempore hujus notitiæ erat. l. unic. de Offic. com. orient. *Titulos. . . . per officia viri clarissimi rectoris provinciæ flagitari præcipimus. Syriarchiæ vero sollicitudine viri clarissimi moderantis provinciam, ejusque apparitoris exerceantur.* Verum Justinianus novos *moderatores*, spectabiles factos, invenit: ut Helenoponti Novell. 28. Arabiæ Novell. 102. quos vult antiquo nomine a Græcis ἁρμοστὰς dictos. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 157.

MODIALES dicebantur aulæ, & calices, quod sexdecim sextariorum, id est, *modii* capaces essent. Plaut. Capt. IV. 4. 8.

Aulas, calicesque omnes confregit, nisi quæ modiales essent.

Pætus de Rom. & Græc. mens. III. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1930. E.

MODIMPERATOR vocabatur, qui *modum* cœnæ præscriberet. Nonius II. 562. *Modimperatores, quasi modum imperantes.* Varr. Rer. human. XX. *In conviviis qui sunt instituti potandi modimperatores.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 338. Laurent. de Prand. c. 15. Casal. de Conviv. c. 1. Maurit. de Sortit. c. 35. §. 1. Rhodig. Antig. Lect. VII. 26: XXVIII. 6. Voss. Lex. Etymol. V. illum supr. in *Arbiter*, & *Magister*.

MODIOLUS & *Modulus* differunt. *Modulus* eſt menſura in aquæductibus, per quam duci ſolebat aqua ex caſtellis, ſeu dividiculis ad privata ædificia. Frontin. de Aquæduct. I. *Ea namque eſt, namque omnes villæ tractus ejus per vicem indies modulosque certos diſpenſatum accipiunt.* De ejus menſura, quam Græci μέτρον vocant idem infra: *Aquarum moduli aut digitorum, aut ad unciarum menſuram inſtituti ſunt.* At *modulus* eſt ὕδρια, ſive καλπίς, vas aquarium ad hauriendam. Eſtque vel acceptorius, qui puteo immerſus aquam haurit: vel erogatorius, qui in actum elatus refundit: Frontinus: *Cum in erogatorio modiolo minus invenitur, in acceptorio plus; apparet, non errorem eſſe, ſed fraudem.* Keuchen. in Frontin. de Aquæd. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1638. F.

Modiolus in curribus *modii* ſpeciem utcunque referebat. Erat enim inſtar ejus rotundus, atque intus cavus, planeque perforatus. Foramen iſtud Græci πλήμνην appellabant. Pollux. I. 10. §. 10. *Quod circa ipſum axem volvitur, plemne. Cavum rotæ, quod inſeritur axi, ſyrinx.* Unde patet, non *modulum* integrum vocaſſe πλήμνην, ſed illius foramen. *Modulus* integer ei σύριγξ eſt, πλήμνη ejus foramen. Atque ſic Heſychius: *Plemne eſt chœnicis rotæ, vel ſyringis, cavum, quod ab axe impleatur.* Facit clariſſime πλήμνην partem τῆς σύριγγος, & quidem eam, quam expleat axis. Explet autem foramen, quando illi immittitur. Ergo πλήμνη foramen, & foramen σύριγγος, quæ iccirco erit corpus totum. Neque aliter accipiendus eſt Heſychius, quando ait, συρίγγιον, τροχοῦ κένωμα; idem enim eſt συρίγγιον, & σύριγξ. Et quod ipſe ait κένωμα τροχοῦ, Pollux τὸ κενὸν τοῦ τροχοῦ appellavit. Phavorinus optime: Πλῆμναι *ſunt ſyringum medietates, in quas immittitur axis extrema.* Facit ſyringes corpora tota, plemna vero media eorum, id eſt foramina, & cava. *Scheffer. de Re vehic.* I. 6.

MODIUS eſt menſura aridorum. Varr. de Re ruſt. I. 44. *Seruntur fabæ modii in jugero quatuor, tritici quinque, hordei ſex, farris decem.* III. 6. *Hordei pavonibus ſingulis menſibus ſingulis modii ſinguli.* Mart. X. 14. 5.

Quando fabæ nobis modium, farrisque dediſti,
Cum tua Niliacus rura colonus aret?

Amphoræ eſt pars tertia. Tres enim *modii* amphoram unam conſtituunt. Fannius:

Hujus dimidium fert urna, ut & ipſa medimni
Amphora, terque capit modium, ſextarius iſtum
Sex decies haurit, quot ſolvitur in digitos pes.

Pætus de Rom. & Græc. menſ. III. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1630. C. Bud. de Aſſe V. p. 546. Agric. de Menſ. Græc. II. p. 64 Noſtratis menſuræ continet duos ſchepelos. *Perizon. in Ælian.* VI. 12.

Modius in navi eſt locus, cui malus inſiſtit. Græcis, ut inquit Tarrhæus, μεσόδμη, ὅπου τίθεται ὁ ἱςός. Iſidor. XIX. 2. *Modius eſt, cui arbor inſiſtit.* Scheffer. de Milit. nav. II. 5. Rutgerſ. Var. Lect. VI. 6. Gyrald. de Navig. c. 11.

MODULUS eſt facies, & formula quædam, ad cujus lineaturas, atque dimenſiones architecti totius operis rationem dirigunt. Vulgus Italicum adhuc magis diminutiva voce dicit *modellum*. Scalig. Poet. III. 32. Bergier. de Viis milit. V. Sect. 10. §. 7.

Modulus eſt menſura in aquæductibus. V. illum ſupr. in *Modiolus*.

MODUS annonæ eſt pretium annonæ, certa ſcilicet ſumma pecuniæ, qua frumentum, & privatum negotiatorum, & reliquum, quod reliquum faciebant largitiones, venibat. Ea ſumma pro copia frumenti, quæ in Urbe erat, ut nunc quoque uſu venit, & pro anni proventu, nunc major erat, nunc minor. Tacit. Annal. XV. 72. I. *Addidit ſine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur.* Contaren. de Frument. Roman. largit. c. 3.

Modus muſicus erat ſeptuplus, ſive muſicæ modi erant ſeptem: Dorius, hypodorius, Phrygius, hypophrygius, Lydius, hypolydius, mixolydius. Martianus Capella quindecim conſtituit, ſed quinque principales, quibus bini cohærent: Lydium, cui adhærent hyperlydius, & hypolydius: ſecundus Jaſtius eſt, cui ſociatur hypojaſtius, & hyperjaſtius: tertius Æolius cum hypoæolio, & hyperæolio: quartus Phrygius cum hypophrygio, & hyperphrygio: quintus Dorius cum hyperdorio, & hypodorio. Tres olim tantum erant ſecundum Polymnaſtum, & Sacadam, Dorius, Phrygius, & Lydius; in ſingulis Sacadas ſtrophem efficiens docuit chorum canere, Dorium quidem primum, Phrygium ſecundum, Lydium tertium, & hunc nomum tripertitum vocatum ob mutationem ait Plutarch. de Muſic. p. 1134. A. *Buleng. de Theatr.* II. 17. *Barthol. de tib. vet.* I. 9. Græcis dicuntur νόμοι, quos Suidas ita interpretatur: *Modi muſici, ſecundum quos canimus.* Pro ſeria, vel jocoſa comœdia ita attemperabantur, ut argumentum fabulæ oſtenderent. Illud patet ex inſcriptionibus omnium comœdiarum Terentii, ut in Andria: *Modos fecit Flaccus Claudii F. tibiis paribus & dextris, & ſiniſtris.* *Modos*, & numeros apud auctores paſſim comprehendo confundi. Utrosque tanquam diverſos recitat Horat. de Art. Poet. n. 211.

Acceſſit numerisque modisque licentia major.

Sed evidentiorem differentiam conſtituit Cicer. Orat. c. 20. *Quicquid ſub aurium menſuram cadit, id numerus dicitur, etiamſi abſit a verſu. Modus æſtimatur ſono, & intervallo vocum, & concentu.* Ab aliis concentus Phrygius modo per *modos*, modo per numeros exprimitur. De numeris Phrygiis Lucret. II. 620.

Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes.

Prop. II. 18. 16.

Et Phrygis inſanos cæditur ad numeros.

Sed hi *modi* dicuntur. Tibull. I. 4. 65.

Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.

Ovid. Faſt. IV. 214.

Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.

Barthol. l. l.

Modus ſcenatilis eſt verſus ſcenicus, ut jambicus, quo in comœdiis, & ſcena poetæ ſolent uti. Varro in Modio:

Sed o Petrulle, ne meum taxis librum,
Si te pigebit hic modi ſcenatilis.

Turneb. Adv. XII. 16.

Modus, & menſura vini apud Romanos erat varia pro cujusque natura. Quin & magiſter bibendi *modum* ipſum vini, & menſuram præſcribebat. Ambroſ. de Elia & jejun. c. 13. *Ac ne immoderatum hoc arbitreris, menſura proponitur.* Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 321.

MOEC.

MOECHA buſtuaria. V. illam ſupr. in *Buſtuaria*.

MOECHUS quo modo olim fuerit punitus. V. ſupr. in *Adulterium* & infr. in *Mugil*.

Mœchus ſemitarius eſt ſcortator viliſſimus, ſubigens ſcortilla ſub dio in agrorum ſemitis. Catull. XXXVII. 15.

Omnes puſilli, & ſemitarii mœchi.

Turneb. Adv. XIII. 19. Laurent. de Adult. c. 3. Voſſ. Lex. Etymol. in Buſtum. Demſter. Paral. ad Roſin. Ant. Rom. I. 1. Semiſſarius eſt, qui ſemiſſe coit, vili ſcilicet pretio ſcortis dinumerato. Et ita legitur in codice Petri Gerardi juvenis mihi amiciſſimi. Tertull. Apolog. c. 50. *Licet nunc ſarmentitios, & ſemiſſarios appelletis, quia ad ſtipitem dimidii aſſis revincti ſarmentorum ambitu exurimur.* Titius Loc. contr. IX. 21. Explicatio placet, quod ſemiſſe coirent. Quod vero ſtipitem apud Tertullianum dictum putat a vilitate, quod ſcilicet eſſet dimidii aſſis, fallitur Titius. Semiſſis ibi ſignificat ἡμιποδιαῖον, ſemipedem. Nam as eſt pes Columellæ. *Villom. Anim. in Titium* IX. 22.

Mœchus etiam vocatur tonſuræ genus infame in cinædis, pathicis, & effeminatis notatum; qua gratia Cratinus poeta comicus traducitur ab Ariſtoph. Acharn. III. 4. Stroph. n. 14.

Cratinus, qui semper est cinædice tonsus ab una machæra. κεκαρμένος μοιχόν. Ubi Scholiastes: Κωμωδεῖται ἐπὶ μοιχείᾳ, καὶ ὡς ἀσέμνως κειρόμενος: μοιχὸς δὲ εἶδος, καὶ ὄνομα κουρᾶς ἀπρεποῦς κιναιδώδους. *Junius ac Coma c. 6. Rhodig. Antiq. Lect.* VII. 23.

MOEN.

MOENIA Urbis Romæ inter Servium Tullium & Aurelianum nemo alius protulit, & nulla inter duos istos Principes *mœnium* situs mutatio extitit. Asserunt quidem Marlianus, & Panvinius, ac Fabricius, aliique *mœnia* Urbis tempore Reipublicæ ultra pontem Sixti versus portam Septimianam trans Tiberim pertigisse; sed hujus suæ imaginariæ sententiæ nullum habent idoneum ex antiquis scriptoribus auctorem. Mihi unius, qui his adversatur, Dionysii auctoritas mille erit instar testium. Qui de Servio agens IV. p. 218. *Hic Regum ultimus*, inquit, *Urbis circuitum protulit, facta quinque collibus duorum adjectione. Ulterius postea non transiit murus civitatis, vetantibus, ut dicunt, religionibus. Sed sunt loca circum habitata omnia, multa, & ingentia, & aperta, captuque facilia ab hostibus; & si quisquam hoc intuens civitatis magnitudinem vellet investigare, errare cogeretur, nec signum teneret aliquod, quo ipsa se extendat, vel quo desinat: sic exterius civitati junctum est, & civitatis in infinitum protensæ præ se fert speciem: sed si a muro dimensu quidem difficili ob domos undique sibi junctas, conservantesque pluribus in locis vestigia antiquæ structuræ, metiri velit, ambitu, quo Atheniensium civitas continetur, haud multo apparebit amplior Romæ circuitus.* Vixit, fuitque Romæ Dionysius sub Tiberio: qui non modo fide dignissimus scriptor est, sed & oculis ipse suis ea in re credere potuit. Accedit huic & Strabo, qui tradit V. p. 162. Servium ad tutamen Urbis Exquilias ei adjunxisse, & montem Viminalem, ne ea loca incursibus hostium oportuna relinqueret, & ut a Capitolio ad usque Quirinalem ducere murum posset. Inde, ne ab altero horum collium latere invasio Urbis prona esset, aggerem duxit. Atque de hac Urbis munitione Strabo ita loquitur, absque ulla alterius a quoquam facti muri mentione, ac si ea suo etiam tunc ævo sarta tecta perduraret, id est, tempore eodem, sub quo vixit, Tiberii. Hæc conveniunt cum his Dionys. IX. p. 624. ubi ait, Romam præter partem illam, quæ Tiberi prætexebatur, aliamque illam aggere clausam versus portam Exquilinam, super colles, præcisasque rupes, totam firmiter munitam fuisse. Et his Plinii, qui de munitionibus Urbis hæc tradit III. 5. *Clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili. Namque eum muris æquavit, qua maxime patebat aditu plano. Cætero munita erat præcelsis muris, aut abruptis montibus.* Quare non ultra montes a Servio pomœrio inclusos, & præsertim ultra Capitolium in planitie montis Sixti, Romana tum temporis *mœnia* extensa fuisse videri potest. Quod & liquidioribus potest confirmari argumentis. Carmentalem portam non inutilem plane in Urbe restitasse, quanquam post Aurelianum inutilis fuit, sexcentis e Livio locis doceri queat: verum de temporibus agunt ante Syllæ dictaturam, a quo *mœnia* ampliata volunt: iis ego non utendam censeo. At Ovidius, Sylla longe tempore posterior, columnæ bellicæ meminit, quæ fuit ad circum Flaminium Fast. VI. 205. loquitur autem de tempore præsenti hastam mitti solitam, belli indictricem. V. illum supr. in *Ædes Bellonæ*. Atqui hic ritus nonnisi extra Urbem usurpabatur. Cæterum omnem dubitandi ansam præcidit Varr. de Ling. Lat. V. 34. Carmentalem inter eas portas, quæ ipsius ævo inutiles in Urbe restabant, non numerat: quod sine dubio, si muri Urbis ultra processissent, facturus fuisse videtur, non secus ac post Aurelianum Aurelius Victor, & Rufus fecere. Neque illa alicujus momenti responsio est, potuisse & cum muris portam proferri; quandoquidem illa usque ad Victoris ævum sub Capitolio erat, parsque regionis fori. Addatur Festus in voce Taurii. V. illum supr. in *Ludi Taurii*. Agit illic Festus de tempore præsenti, quod Syllano longe posterius. Accedat iisdem & Dio, qui Octavii porticum circa extrema Augusti extra Urbem collocat LV. p. 553. C. *Sed Tiberius initio mensis, quo iniit consulatum cum Cn. Pisone, senatum coegit in Octavii. Is enim locus erat extra muros.* Nec aliter Joseph. de bell. Jud. VII. Vespasianum & Titum tradit, priusquam triumphantes Romam ingrederentur, in eadem Octavii porticu a senatu exceptos fuisse. Hanc autem Vellej. II. 1. 1. & Plin. XXXIV. 3. ad circum Flaminium fuisse dicunt. Ergo sat longe ultra pontem Sixti, & haud procul a radicibus Capitolii: atque ita nec Augusti ævo, neque Vespasiani *mœnia* Urbis mota, prolataque fuere. Nec vero simile est, ullam *mœnium* mutationem esse factam. Nam quod Roma extra *mœnia* latius, quam intra eorum ambitum habitata fuerit, permissumque, ut illa ædificiis subjectis, & adstructis absconderentur, plurimisque portis interscinderentur, certum mihi indicium est, murorum illam gentium dominam, ingenti amplitudine sua nixam, & imperii magnitudine ab incursionibus tutam securamque, nullam postea habuisse curam: donec triginta sub Gallieno exortis tyrannis, Aurelianum ea subiit cogitatio, prospiciendum Urbis securitati, muroque universam cludendam, firmandamque. Atque eccum testem idoneum Vopisc. Aurelian. c. 21. *Cum videret posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio senatus, muros Urbis Romæ dilatavit.* Nardin. Rom. Vet. I. 4. Faunus Antiq. Roman. I. 4.

MOENIANA. V. illa supr. in *Columna Mœnia*.

MOESIÆ duæ sunt inter Æmum montem & Danubium. Prima superior, secunda inferior vocatur. Ulpian. l. 9. ff. de captiv. *Nulla dubitatio est post rescriptum Imperatoris Antonini, & divi patris ejus ad Ovinium Tertullum præsidem provinciæ Mœsiæ inferioris.* Hæc ad Pontum Euxinum tendens Bulgaria, seu Segiria nuncupatur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 153. Has Augustus per L. Pisonem eorum unum, ad quos Horatius Poeticam scripsit, in potestatem redegit, & manserunt sub Romano imperio usque ad Notitiæ tempora. Ex his deinde alteram Aurelianus Princeps, traductis eo Romanis colonis, Daciam appellavit: alteram inferiorem Getæ incoluerunt. *Volater. Comment. Urban.* VIII. *p.* 288. *D. Panciroll. ibid. c.* 135.

MOG.

MOGONTIACUM Itinerario metropolis est Germaniæ primæ secundum Rhenum. *Panciroll. Notit. imp. occid. c.* 88. Contra Rheni, Mœnique amnium confluentes posita. Germani posteriores urbis nomen contrahentes dixere *Maintz* & *Meintz*: unde postea Latine loquentes fecere vocabulum *Mogontia*, & nonnulli *Moguntia*. Ptolemæus in positu hujus urbis haud leviter erravit, infra Obringam amnem, qui nunc vulgo Are dicitur, Μοκοντίακον, *Mocontiacum* suum in Germania inferiore, quæ Obringa terminabatur, collocans. Primum sui conditorem habuit Cl. Drusum Neronem, Cæsaris Augusti privignum, Tiberii Imperatoris fratrem; qui castra hic legionum posuit, locumque mœnibus haud dubie firmavit. Præpositus is fuit his oris statim post cladem Lollianam teste Paterc. II. 97. 1. M. Crasso, & Cn. Cornelio coss. ut auctor est Dio LIV. id est, anno Urbis 739. ante natum Christum 14. Locum ipsum etiam ante Romanorum in eo hibernationem fuisse in vici modum habitatum, indicat nomen Celtica lingua formatum: quod Drusus Romanus non primus imposuit; sed ab incolis jam ante impositum invenit. Inter totius Germaniæ oppida secundam ab Agrippinensium urbe dignitatem semper habuit. *Cluver. Germ. Ant.* II. 13.

MOL.

MOLA est machina, vel opus quoddam ex duobus *molaribus* sibi invicem impositis, & rotis quibusdam dentatis agitabilibus, iisque vel ligneis, vel ferreis præcipue constans; in quo ad humanæ operæ, jumentorum, venti,

ti, & aquæ incitationem, ſive circinationem, prorſus inſtabili machinarum vertigine, frumenta arida, item polenta, ſeminaque deſuper injecta, vel lente incidentia, per mutuam *molarum* colliſionem, ſive confricationem, in tenuiſſimam farinam, maſſamve comminuuntur, & conteruntur: quædam quoque res peculiari modo, & inſtrumento, pro varietate *molarum* expoliuntur, acuuntur, & diſſecantur. *Hering. de Molendin. q.* 3. §. 19. prima ſua ſignificatione notat *molam* aſinariam, truſatilem, aut ſimilem. *Voſſ. Lex. Etymol. Apud majores noſtros*, inquit Servius ad Æneid. I. 183. *molarum uſus non erat, frumenta torrebant, & ea in pilas miſſa pinſebant: & hoc erat genus molendi: unde & pinſores dicti, qui nunc piſtores dicuntur.* Eſt inſtrumentum, quo frumenta teruntur. *Molarum* uſus antiquiſſimus fuit, & a Cerere profectus, quæ *prima homines docuit molere.* Plin. VII. 50. licet Stephan. in voce Μυλαντία inventionem Milanti cuidam aſſignet, adeoque etiam temporibus heroicis cognitus. Nam in horto Alcinoi Phæacum principis *mola* reponitur Odyſſ. VII. 104. apud Homerum:

Aliæ quidem molunt ſub mola pomacei coloris frugem.

Demſter. Paralip. ad Roſin. Ant. Rom. I. 14. Hering. ibid. q. 2. §. 36. & 44. Quorum poſterior miſſis fabulis multis ante ſeculis apud Hebræos *molas* in uſu fuiſſe, tum quia panis ex farina in tenuiſſimum pulverem redacta, in quam abſque ſubſidio *molarum* in tanta copia redigi non potuiſſe veriſimile eſt, in veteri teſtamento mentio fit Gen. c. 14. n. 18: c. 18. n. 5: c. 19. n. 3: c. 21. n. 14. tum quia *molæ* nominantur Exod. c. 11. n. 5: Num. c. 11. n. 8: Deut. c. 24. n. 6. docet ibid. §. 47--67. Meretrices in illis verſabantur. Paull. Diacon. XIII. 2. *Horum mancipes tempore procedente piſtrina publica latrocinia eſſe fecerunt: cum enim eſſent molæ in locis ſubterraneis conſtitutæ, per ſingula latera earum domuum tabernas inſtituentes, meretrices in eis proſtare faciebant, quatenus per eas plurimos deciperent, alios qui pro pane veniebant, alios qui pro luxuriæ turpitudine ibi feſtinabant.* Ita fere Plaut. Pœn. I. 2. 54. eas *piſtorum amicas* vocavit: unde an apud nos non remanſerit hæſito, quod ſocii navales, quum a lenonibus exigunt ſcorta, dicunt, **hebje geen brood**/ panis nomine ea deſignantes, ne inhoneſta poſcere ulli intelligerentur. *Almelov. Antiq. p.* 37. Neque illud prætereundum eſt, quod ab Artemid. II. 47. traditum. *Mola ſemper durorum, & difficilium negotiorum ſolutionem portendit, & fidelem ſervum ſignificat.* Denique ſciendum & *molæ* ſuum fuiſſe numen, ſuumque deum tutelarem. Pollux VII. 33. 8. *Molitor, mola, piſtrinum, dea molaris.* Sed & *promylius* deus ſemper ante *molas* collocabatur ob ſuavem alimoniam. Suidas in voce Προμύλαια: Θεὸς προμύλιος. Heſychius: Προμυλαία, Θεὸς ἱδρυμένη ἐν τοῖς μύλωσι. *Demſter. l. l. & Hering. ibid.* §. 55. Hunc, ut *molarum* præſidem, in *molis* conſecratum collocabant, ut ejus favore fruges feliciter *molerentur*, & bonam, atque copioſam farinam ſuis dominis proferrent. *Portus in Suidam. Molendi* duæ ſunt rationes: una cum ſuſpenſa *molæ* fruges frangimus, ut in faba freſa, & in polenta craſſiuncula, quam Græci κρίμνον vocant: & ex eo κριμνώδη appellat Ariſtoph. in Nebul. III. 3. 5. quæ craſſa ſunt. Et Virg. Æneid. I. 184. dixit:

Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

Altera, cum *molæ* non ſuſpenduntur, ſed *lapis lapidem terit*, ut Lucret. I. 883. id eſt, *mola molam*, cum tenuior farina & minutior elicitur. *Turnob. Adv.* V. 24. *Cerda in Virgilium. Hering. de Molend. q.* 4. §. 68. *Taubman. in Plaut. Aſin.* I. I. 16.

Mola aquaria in aſinariæ locum eſt ſubſtituta. Ejus uſus non eſt ita recens, ut quidam arbitrantur. Meminit Pallad. I. 42. *Si aquæ copia eſt, fuſura balnearum debent piſtrina ſuſcipere, ut ibi formatis aquariis molis, ſine animalium, vel hominum labore frumenta frangantur.* Pignor. de Serv. p. 513. Qua ratione confici debeat, docet Vitruv. X. 10. *Circa earum frontes affiguntur pinnæ, quæ cum percutiuntur ab impetu fluminis cogunt progredientes verſari rotam: & ita modiolis aquam haurientes, & in ſummum referentes, ſine operarum calcatura, ipſius fluminis impulſu verſatæ præſtant quod opus eſt ad uſum.* Meminit Zeno Imp. l. 10. C. de Aquæduct. *Suburbanum vel prædium, vel balneum, vel aquæ mola, vel hortus, ad cujus uſum aqua publica fuerit derivata.* Demſter. Paral. ad Antiq. Rom. Roſin. I. 14. Hering. de Molend. q. 5. §. 23--26. A primis uſque Regum temporibus in flumine fuiſſe docet Procop. de Bell. Goth. I. ubi cauſas additæ Urbi Tranſtiberanæ regionis adfert: *Cujus rei opportunitate Romam veteres illi ipſum hunc collem Janiculum, & ei e regione fluminis ripam muris junxere, ne hoſtes vel molas diſturbare licentius poſſent, vel flumen pertranſeundo facile ulterius muris inſidiari.* . . . Et Beliſarii inventionem, quod ad *molas* poſt paullo refert: *Sed poſtquam, ut diximus, per hoſtes fuere aquæductus hi interrupti, neque ex his defluens aqua molas de cætero exerceret. . . . Beliſarius tamen, ut erat vir prudentiæ ſingularis, id ex neceſſitate excogitavit remedium, ſub ponte ipſo, cujus meminimus, pertinente ad Janiculi muros funes ex utraque fluminis ripa valide diſtenſos, ac deligatos tranſmiſit. His lembos binos pari magnitudine nectit, conſtringitque bipedali diſtantes ab invicem ſpatio, quo maxime aquarum defluxus per pontis fornicem præceps deſcendit, vaſtoſque & molares lapides in alterum lembum imponens media ipſa intercapedine, machinam inde ſuſpendit, qua molæ volvuntur.* . . . Ad quæ adverſus contra nitentes illud adjicerem, *molas* haſce longa temporis intercapedine fuiſſe neglectas, obſoleto, & ignorato poſt earum uſu, atque adornatione, quod facilior per aquæductus earum circumagendarum ratio eſſet: atque ita non minorem ex hoc novo invento, atque *molarum* inſtitutione Beliſario deberi gloriam, quam primo earum inventori. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 2. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 17. §. 1. *Donat. de Urb. Rom.* I. 17. *Rhedig. Ant. Lect.* IX. 16.

Mola aſinaria dicebatur, quam aſini verſabant, tectis capitibus, velataque facie. Apul. Met. IX. p. 278. V. illum infr. in *Piſtrinum.* Achmes Oneiroer. c. 195. *Piſtrinum, in quo aſinus robuſtus moleret.* Demſter. ad Roſin. Ant. Rom. Paral. I. 15. Hering. de Molend. q. 5. §. 15. 16. Juven. Sat. VIII. 66. V. illum ſupr. in *Epirhedium.* Quæ hinc *verſatilis* appellatur, *aſinaria* Cat. de Re ruſt. c. 11. *machinaria* Apul. Met. VII. p. 220. *Molæ machinariæ ſubjugum me dedit.* Grang. in Juvenalem. Nam *molarum*, & *conficiendi frumenti pæne ſollennis eſt hujus pecoris labor.* Colum. VII. I. Atque ob hanc cauſam inter cætera, quæ ruri neceſſaria, *aſinum molarium* commemorat: c. 11. Alfeno Icto *aſinus* eſt *machinarius* l. 60. ff. de Legat. III. qui ex eadem ratione cenſet in prædiis legatis contineri. Meminit ejusdem Ulpian. l. 12. §. 10. ff. de Inſtr. ubi jungit machinæ frumentariæ: unde intelligitur eſſe plane Catonis *molarium*, id eſt, eum, qui *molam* machina quadam incluſam volvit, & torquet. De hoc Catull. XCV. 10.

Et non piſtrino traditur atque aſino.

id eſt, datur ad *molas* truſatiles, & verſatiles. *Scheffer. de Re vehic.* I. 8. *Popm. de Inſtrum. fund. p.* 16. *Thyſ. in Gell.* III. 3. Ad Catulli locum facit Epigramma vetus:

Cum poſſis parvo ſumptu conducere aſellum,
Qui ſoleat teretes vertere rite molas.

Barth. Adv. XXVII. 5. Ideo aſini, dependente pane, corona, ſicuti & *molæ* cingebantur Veſtalibus V. Idus Junias. Ovid. Faſt. VI. 307.

Nunc quoque cum fiunt antiquæ ſacra Vacunæ,
Ante Vacunales ſtantque ſedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetuſto:
Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet aſellis,
Et velant ſcabras florida ſerta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et fornacali ſunt ſua ſacra deæ.
Suppoſitum cineri panem focus ipſe parabat,
Strataque erat tepido tegula quaſſa ſolo.
Inde focum ſervat piſtor, dominamque ſocorum;
Et quæ pumiceas verſat aſella molas.

Corona aſini ad formam panis fuiſſe videtur. Hinc Lactant.

stant. I. 22. *Apud Romanos eundem, asellum, Vestalibus sacris in honorem pudicitiæ conservatæ panibus coronant.* Thys. l. l. Paschal. de Coron. IV. 18.

Mola ferraria in usu fuit armis acuendis. Glossæ ad Stat. Theb. III. 584. *Per molam acuminariam.* Sic *molita arma*, samiata, sive acuta sic reddita intelligit Lindenbrog. in Friderici Imperatoris Constitut. Sicul. I. 9. Glossar. codic. leg. semiprisc. *Hering. de Molend. q.* 6. §. 5. *Barth. in Statium.*

Mola fullonia appellatur, in qua panni recentes affusa aqua calida contunduntur, expoliuntur, & præparantur. Unde etiam pannaria dicitur. Vetus est inventum. Convincit quodammodo locus 2 Reg. c. 18. n. 17. *Substiterunt ad aquæductum piscinæ superioris, qui est in aggere agri fullonis.* V. etiam pilam fullonicam infr. in *Pila.* Hering. de Molend. q. 6. §. 17.

Mola olearia, sive olivaria, ut dicitur Pompon. l. cum fundus 21. ff. de fund. inst. & inst. leg. Dicitur etiam trapetum. V. infr. in *Trapetum.* Vetustate sua reliquis præcellit. *Hering. de Molend. q.* 6. §. 1.

Mola quadrina plurimum farinæ in pistrinis faciebat. Pompon. apud Nonium in pistore: *Nam plus quæsti facerent, quam quadrinas si haberent molas.* Ita *torcularia fuerunt quadrinis vasis*, ut apud Cat. de Re rust. c. 18. legimus, quæ plus olei, vinique premebant. *Turneb. Adv.* XII. 16.

Mola trusatilis dicebatur, quæ circumacta manuum agilitate & robore fruges terebat. Fuerunt illæ omnium antiquissimæ. Gell. III. 3. *Ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset.* Ideo *manuales* dicuntur Servio Georg. I. 274. Illas eleganter describit Virg. Moret. n. 19—30. *Demster. Paralip. ad Rosin. Ant. Rom.* I. 15. *Thys. in Gellium. Grapald. de Part. dom.* II. 4. §. 27. *Turneb. Adv.* VII. 22. *Bruyer. de Re cibar.* VI. 2. *Hering. de Molend. q.* 5. §. 6. Qui tamen contendit trusatilem & manuariam esse distinguendas *ibid.* §. 10. 11. 12. Easdemque distinguit *Agric. de Re metall.* VIII. *p.* 230.

Mola quoque vocatur informis in utero, sive tumor uteri induratus graviditatis opinionem adferens. Plutarch. de Præcept. connub. p. 145. D. *Informis autem fœtus, ac carnis moles, quæ ex corruptis humoribus coeunt, molas vocant.* Plin. VII. 15. *Solum animal menstruale mulier est: inde unius utero, quas appellarunt molas. Ea est caro informis, inanima, ferri ictum, & aciem respuens. Movetur, sistitque menses: & ut partus, alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatiore excidens.* X. 64. *Molas gigni putant, ubi mulier non ex mare, verum ex semetipsa tantum conceperit: ideo nec animari, quia non sit ex duobus: altricemque habere per se vitam illam, quæ satis, arboribusque contingat.* V. etiam Aristot. de Generat. animal. IV. 7. *Harduin. in Plinium. Voss. Lex. Etymol. Baccius de Therm. vet. c.* 23. *Hering. de Molendin. q.* 3. §. 12. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 17. V. infr. in *Molucrum.*

Mola etiam olim erat instrumentum bellicum. Ammian. XX. 11. *Dolia desuper cadebant, molæ, & columnarum fragmenta: quorum nimiis ponderibus obruebantur pugnatores.* Ipsæ vero *molæ* projectæ, an lapides? & hi quoque ponderosi, & prægraves, ac suffecerint vel fragmenta, si quis pro nostris moribus saperet, & sentiret. Sed *molares* illi veterum non tam grandes, ut nec ipsæ *molæ*: quæ manuariæ tantum, & a servis volvendæ. Itaque crebræ erant, & fere domesticatim. Atque inde toties in hac tali historia, *molares* immissos, aut jactos. Illos, dico modicos: nec ad nostros aptabis. *Lips. Poliorc.* V. *Dial.* 4. *Thys. de oppugn. urb.* V. *p.* 191.

Mola salsa *vocabatur far tostum sale conspersum, quod eo molito hostia aspergeretur. Maxima enim salis auctoritas e sacris veterum intelligitur, apud quos nulla sacra sine mola salsa conficiebantur.* Plin. XXXI. 7. Homerus vocat οὐλὰς, vel οὐλοχύτας, e frugibus saxo, aut mola fractis constantes. In hanc rem antiquissimo ritu a Græcis adhibebatur hordeum, uti far apud Romanos, teste Dionys. II. p. 94. *Et quemadmodum Græci antiquissimam hordeariam frugem rati, hordeo victimas inituant, οὐλὰς illas, hoc est, molam salsam nominantes; ita Romani quamvis hostiam, igne adolendam respergunt farre, quippe qui hoc frugum genus antiquissimum existimant, & honoratissimum.* Additam fuisse illum docet Homeri Scholiastes: *Auxæ horacaceæ sale mixtæ, quas infundebant victimis cæsis ante sacrificandum.* Inde etiam *fruges salsas* dicit Virg. Æneid. II. 133. Plaut. Amp. II. 2. 107. V. illum supr. in *Jupiter prodigialis.* Illarum usus fuit omnino maximus in sacris, adeo ut Plinius modo laudatus *nulla sine his confici* asserat. Obtinuit hic ritus ex veteri more sacrificiorum, quæ initio ex hujusmodi frugibus dumtaxat constabant, ut notat Homeri Scholiastes. Inde Ovid. Fast. I. 337.

Ante, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Atque hoc fuisse ex Numæ instituto antiquitas apud Romanos testatur. V. Plinium supr. in *Far.* Feith Ant. Hom. I. 8. Stuck. Ant. Conviv. I. 30. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1017. C. de Form. I. p. 31. Saubert. de Sacrif. c. 18. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 58. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 472. Turneb. Adv. VII. 13. & in Plinii præfat. p. 21. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Cerda in Virg. Æneid. V. 741. Hering. de Molendin. q. 3. §. 14. Choul de Relig. vet. p. 235. Torrent. & Lambin. in Horat. Od. III. 23. 20. Caroli Ant. Rom. I. 11. Græci tamen fruges integras, nec fresas, nec molitas aspergebant hostiæ. Argumento est, quod οὐλαὶ a Græcis, & οὐλοχύται vocantur, quæ erant hordei integræ fruges cum sale mixtæ. Expressit Horat. Od. III. 23. 20. V. illum infr. in *Sacrificare.* Usi sunt Græci, ut Theophrastus scripsit apud Eust. pr. Homer. Iliad. I. 449. hordeo non molito in sacris in memoriam priscæ vitæ, in qua homines nondum molere fruges, sed solidis vesci solebant. Idem Suidas: οὐλοθυτεῖν. *Hordeum quidem ad hunc usque diem illi, qui sacrificant, libationibus integrum affundunt, ut sit antiqui victus argumentum.* Est igitur *mola* salsa tanquam *molitura* salsa, ut *molæ*, qua frumenta franguntur, nomen *molito* farri tribuitur. *Turneb. Cerd. Hering. & Saubert. l. l. Torrent. in Horatium, Lomej. de Lustrat. c.* 24. Hujus ceremoniæ rationem hanc reddit Eustath. ad Homer. l. l. *Veteres*, inquit, *in suis sacris, οὐλοχύταις, hordeum hoc sale συγχεόμενον, commixtum semper præmittebant: ut hoc ipso deorum erga homines benignitatem in frugum inventione, & Reipublicæ constitutione ob oculos ponerent, & animum quoque gratum testarentur, atque ita tum beneficiorum recordatione, tum gratiarum actione deorum benevolentiam porro sibi compararent.* Stuck. de Sacrif. p. 73. Ego conjecturam facio, hanc ipsam salis adspersionem a Judæis ad gentes manasse, cum illi in omni oblatione sal offerre ex præcepto Jehovæ tenerentur. Levit. c. 2. n. 13. Num. c. 18. n. 19. Ezech. c. 43. n. 24. Marc. c. 9. n. 49 *Hering. de Molendin. q.* 3. §. 16. *Pier. Hierogl.* XXXI. 9. *Salmuth. in Panciról. l. l.*

MOLERE mulierem est cum illa coire. Plaut. Truc. II. 2. 54.

— suam non enim ille meretriculis
Molendis rem coegit.

Auson. Epigr. LXX. 7.

Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam.

Varr. Myst. apud Non. II. 234. *Sed tibi fortasse alius molit, & depsit.* Scalig. Conject. in Varr. p. 59. Almelov. Antiq. p. 37. Balduin. Calc. antiq. c. 10. Beroal. Annot. c. 97. Pius Annot. post. c. 64. Palmer. Spicil. IV. p. 680. Drus. Observ. V. 5. Taubman. in Plautum. Hering. de Molendin. q. 3. §. 13. Wouwer. Gonsal. & Erhard. in Petron. c. 23. Scalig. in Ausonium.

MOLES Adriani, quam is sibi in sepulcrum erexit in Transtiberino solo ponti Ælio adjunctum, alterum in Urbe Mausoleum, ex marmore Pario in imo quadratum, exinde rotundum exsurgebat. De eo Dio LXIX. p. 797 E. *Sepultus est Adrianus in ripa fluvii, juxta pontem Ælium. Illic enim sepulcrum conditum. Jam enim Augusti monumentum*

tum repletum, nec quisquam amplius in eo ſepeliebatur. Donat. de Urbe Rom. III. 21. Pancirol. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 360. F. Faunus Antiq. Urb. Rom. v. 11. Blond. Inſtaur. Rom. I. §. 47. Schott. Itiner. Ital. p. 181. Æmulatus ea in re videtur Auguſti nobile Mauſoleum, quod huic ex adverſum ſitum, & campo Martio minori objectum, ſicut hoc minori. Forma, qualis & Mauſoleo Auguſti, quadrata huic fuit, rotundam quaſi turrim peramplam complexa, & extrinſecus toti Pario marmore albiſſimo veſtita turrim ornabant diſpoſitæ in ſummo undique faſtigio ſtatuæ, & ſigna hominum, equorumque cum quadrigis, quemadmodum patet e Procop. Belli Goth. I. V. illam ſupr. in *Arx Angeli.* Nardin. Rom. Vet. VII. 13. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 22. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. n. 3. Caſal. de Urb. ac Imper. Rom. ſplend. part. I. c. 23. In hoc ipſe primus omnium ſepultus dicitur. Et deinde omnium Antoninorum cineres conditi ſunt. Oſtendunt hoc epitaphia quædam in ipſo ſepulcro inciſa. Commodi *corpus juſſu Pertinacis in monumentum Adriani tranſlatum eſt.* Lamprid. c. 17. Veri Imperatoris *corpus illatum eſt Adriani ſepulcro, in quo & Cæſar pater ejus naturalis ſepultus eſt.* Capitol. c. 11. *Marlian. & Panciroll. l. l.* Addit Procopius, *molem* columnis, quadrigis, & equeſtribus ſtatuis exornatam fuiſſe. In cacumine ejus nux pinea ænea inaurata magnitudinis inuſitatæ, hodie in Belvedere omnium patens conſpectui, cum duobus pavonibus æneis itidem inauratis: quatuor olim fuerunt. Et quidem nux pinea ideo ſepulcro impoſita, ut planctum magnæ deum matris occidente Aty Cybelejo adumbraret, quia necatus ſub pinu Atys. Pavones ideo, ut Auguſtas illic quoque deſignaret conditas, quæ a morte in conſecratione putabantur alis pavonum in cœlum attolli, ut ex numiſmatis liquet. *Borrich. l. l.* Intus tota oppleta eſt, & obſtructa: ita ut vix unis ſufficiens ſcalis locus ad deſcenſum ſit in ejus interiori: ſic ut munimento potius alicui bellico, quam monumento ſepulcrali conſtructa videatur. Poſtea ſane, quum Imperator Aurelianus campum Martium mœnibus compleĉteretur, eaque ſecundum Tiberim cum ponte *molis* Adrianæ conjungeret, vicinia hæc Honorium excitaſſe videtur, aliumve quem Imperatorem, ut ea *mole* in murorum Urbis reſtitutione pro arce uteretur, priſtina ei forma relicta. Procopius: *Sepulcrum id priſci homines muris duobus ad ipſum a mœnium circuitu pertinentibus, eorum partem eſſe fecerunt: ſimile enim eſt præcelſæ turri ad ejus loci portam præminenti. Erat igitur ibi munitio tutiſſima.* Nardin. Donat. & Marlian. l. l. Arx Angeli eſt dicta, & quare V. ſupr. in *Arx.*

MOLETRINA appellari poſſet aquariarum molarum locus, quibus nunc utimur. Colligo hoc ex Non. I. 230. *Moletrina a molendo, quod piſtrinum dicimus. Cato in Thermum: Nervo, carcere, moletrina.* Bud. in Pandect. p. 118. C. Demſter. Paralip. ad Roſin. Ant. Rom. I. 14. Voſſ. Lexic. Etymol.

MOLILE vocatur manubrium, quo movetur *mola*, ut a libra librile. Cato de Re ruſt. c. 11. *Molile unum.* Turneb. Adv. VII. 22. Voſſ. Lex. Etymol. in Mola. Hering. de Molend. q. 4. §. 50.

MOLITOR ſervus, qui ad uſum ruſticum paratus eſt. Ulpian. l. 12. §. 5. ff. de inſtr. vel inſtrum. leg. *Item molitores, ſi ad uſum ruſticum parati ſunt.* Pomponius Piſtore. *Decepit vicinos. Quod molendum conducit, comeſt.* V. illum etiam ſupr. in *Mola quadrina.* Popm. de Oper. ſerv. p. 129. Hering. de Molend. q. 4. §. 55.

MOLLESTRÆ *erant pelles ovillæ, quibus tergebantur galeæ.* Feſtus. Sic Latini vocabulum Græcum depravarunt, & e μηλωτῇ *molleſtram* interpolarunt. *Turneb. Adv.* III. 11. Si quid veniæ viri æqui darent audaciæ, & temeritati, affirmarem eſſe legendum *melotas.* Μηλωτὰς enim Græci vocant ovium pelles. *Turneb. ibid.* XIX. 24.

MOLLICINA *veſtis a mollicie dicta. Novius Pedio: Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium.* Non. XIV. 23. *Ferrar de Re veſt.* I. 3. 19.

MOLLIRENT ut vocem, clyſtere, & vomitu ſe purgabant, & plumbeam chartam ſupino pectore ſuſtinebant veteres. Suet. Ner. c. 20. n. 2. Nero *plumbeam chartam ſupinus pectore ſuſtinere, & clyſtere, vomituque purgari, & abſtinere pomis, aliisque officientibus.* Buleng. de Theatr. II. 8.

MOLLITER ut jacerent, vulgo mortuis precari ſolebant. Ovid. Amor. I. 8. 108.

Ut mea defunctæ molliter oſſa cubent.

Triſt. III. 3. 75.

At tibi, qui tranſis, ne ſit grave, quisquis amaſti,
Dicere, Naſonis molliter oſſa cubent.

Briſſon. de Form. I. p. 88.

MOLOCHINARIUS dicitur, qui colorem tingit ad purpuram inclinantem, qualis in malvæ flore ſpectatur. Non. XVI. 2. *Molochinum a Græco color eſt flori ſimilis malvæ. Cæcil. Pauſimach. Carbaſina, molochina, ampelina.* Plaut. *Aul.* III. 5. 40. *Infectores molochini coloris molochinarios appellavit.* Ferrar. de Re veſt. I. 3. 21. Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 12. Taubmann. in Plautum.

MOLUCRUM ſcopa eſt molaria. Feſtus ex emendatione Salmaſ. Exerc. Plin. p. 17. a. F. *Molucrum dicitur, quo molæ verruntur, quod Græce μυλήκορον vocant.* Gutberl. de Saliis c. 23. Voſſ. Lex. Etymol.

Molucrum dicitur etiam tumor ventris, ſeu informis in utero caro. Feſtus: *Molucrum dicitur etiam tumor ventris, qui etiam virginibus ſolet evenire, cujus meminit Afranius in Virgine:*

—— ferme virgini
Excreſcit uterus, tanquam gravidæ mulieri.
Molucrum vocatur, tranſit ſine doloribus.

Gutberl. de Saliis c. 23. Turneb. Adv. III. 11. Hering. de Molendin. q. 3. §. 12. In his verſibus *molucrum* eſt μυλόσαρξ, vel, quod idem eſt, μυλόκρεας. *Salmaſ. Exerc. Plin. p. 17. a. E. Voſſ. de Idolol.* III. 54. Verum enim vero, quod Afranius cenſet, virgini quoque id contingere, parum fidei meretur. Sane aliter de eo Hippocr. περὶ γυναικείων I. qui *molam*, ſeu *molucrum* eſſe ait a virili ſemine pauco, & morboſo. Pluraque de hoc Andr. Laurent. Rei anatom. VIII. 4. 13. *Voſſ. l. l. & Lex. Etymol.*

Molucrum quoque *dicitur lignum quoddam quadratum, ubi molatur*, ut Scaliger emendat. Ita *Cloatius in libris ſacrorum. Idem Ælius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod ſub mola ſupponatur.* Feſtus: *Gutberl. de Saliis c. 23. Hering. de Molend. q. 4. §. 43.*

MON.

MONACUS, *genus vehiculi, quod ab uno jumento ducatur.* Gloſſar. vet. Arabico-Lat. Hoc eſt corruptum. Reſcribe ex Iſidor. Gloſſ. *monocoſmon.* Ita enim ille: *Monocoſmum, quod ab uno jumento ducitur, vehiculi genus.* Κόσμον enim jumentum. Et inde μονόκοσμον. Atque inde κοσμιατικὸν, quod pro jumenti tractura ſolvebatur veredario. Occurrit in diplomate Andronici Palæologi junioris apud Phranzem. III. 24. *Meurſ. Gloſſar. Græco-barb. in* κόσμον. Κόσμον junioribus Græcis jumentum non ſignat, verum ζωντίμιον. Metuo quoque ne & κοσμιατικὸν Phranzi aliud longe ſit: & *monocoſmum* potius fuerit vehiculum hominum delicatorum ornate, compteque procedentium, ac tale, ut unum tantum hominem, vel ſummum & alterum caperet: eoque appellatio ſit a κόσμος ſignificante ornatum. Ei vero, quod dicebamus, non ab uno modo jumento trahi ſolere; ſed fere unum ſolum eo hominem tractum; favet vetus vocabularium, ubi legas: *Monocoſmus, id eſt, genus vehiculi, quod ab uno jumento trahitur. Et hoc monocoſmum, id eſt, currus, unum tantum portans, & dicitur a monos, & coſmus.* Voſſ. de vit. ſerm. III. 27. Voſſii explicatio refellitur explicatione Iſidori, quæ nihil habet de ornatu. Arbitramur eſſe a μόνος & ἄγειν. Nempe in *monacus* literam exiſtimo eſſe permutatam, & *monacus* ſcriptum pro *monagus*: ut *cenas* pro *genas*, *frucem* pro *frugem*, *rocato* pro *rogato* reperimus. Porro *monagus*, quaſi μοναγοὶ, quomodo & *hippagus* ſimili originatione apud Plin. VII. 56. quæ Græcis ἱππηγὸς. Qui *monagus* proinde ſigni-

significabit currum tractum, ductumve ab uno, non sententia glossatoris solum, verum ipsa vocabuli ratione. Et quia idem significare debet *monocosmon*, etiam de eo aliter vix judicandum. Quanquam mea sententia Isidorus scripserit *monocasmon*, similiterque id posuerit pro *monagesmon*. Ut *monagasmon* sit dictum per insertionem literæ *s* pro *monagogimon* significatione pari cum *monaco*. Nisi putamus esse aliud *monocosmon*, seu *monacosmon* in masculino, & aliud in neutro: ut habet vocabularium Vossio laudatum. Verum metuo, ne sit inanis hæc subtilitas magistri. Et frustra descripsit Vossius *vehiculum hominum delicatorum*. . . . Nam contra fuit vehiculum, quod ab uno trahebatur jumento, sicut verbis manifestis docent veteres. Adde quod si illud *monos* referendum est ad hominem, ratio vocabuli pereat, si vehiculum præter illum unum admiserit & alterum. Sane a jumenti trahentis numero solitario, non hominis utentis, nec ornatu vehiculi, aut hominis, sed ductu nominatum esse voluit glossarum auctor, quando non *ducitur* scripsit, sed *ducatur*: quasi diceret, *monacus* ita vocatus est, quod ducatur ab uno tantum, hæcque illius constructio sit & forma, ut jumenta plura non admittat. Reliqua *monaci* quæ fuerit structura, dicere non habemus. Et ejus usus est parum notus. *Scheffer. de Re vehic.* II. 10.

MONARCHIA, sive regia administratio Reipublicæ censetur omnium optima, ut quæ valde similis divinis actionibus, humanisque maxime consentanea. Hinc dictus Rex viva Dei imago, animata imago Dei. Subscribunt Homer. Iliad. II. 204.

Non bonum est multorum imperium: sit dominus unus,
Unus Rex.

Claud. Stilich. consul. II. 113.

Fallitur egregio quisquis sub Principe credit
Servitium: nunquam libertas gratior exstat,
Quam sub Rege pio.

Et alii. Quapropter antiquis sæpe in ore, ἐκ Διὸς βασιλῆες, quibus, quia optimis, imperium jure debetur. Ex Democrito: *Natura imperare proprium præstantiori.* Isocrates: *Non immerito monarchiam tanto faciliorem esse judicaverimus, quanto facilius est animum suum unius viri instituto accommodare, quam multis, variisque opinionibus placere conari.* Laurent. de Rebuspubl. c. I. Rittershus. in Oppian. p. 52. Tiraquell. de Jure primig. quæst. IV. n. 21--26.

MONAULUS, μόναυλος, erat tibia singularis, ad differentiam tibiæ zygiæ, cum binæ simul inflarentur. Alio nomine tityrene appellabatur. Ægyptiorum fuit inventum. Pollux IV. 10. I. *Monaulus Ægyptiorum inventum est.* Osiridi ejus inventionem adscribit, & eo hymenæum accinisse veteres dicit Athen. IV. p. 175. E. *Juba libro quarto historiæ theatralis Ægyptios scribit asserere monaulon ab Osiride inventum fuisse, & quem photinga vocant obliquis fistulis constructum. Anaxandrides in Thesauro:*

Sumpto monaulo hymenæum accinebant.

Idem in Phialophoro:

A. *Monaulon ubinam aluisti, heus tu Syre?*
S. *Qualem monaulum?* A. *Arundinem tibialem.*

Et suavissimos concentus meditatos fuisse p. 176. A. *Monaulo suavissimos concentus summissa voce meditatur, & cantillat.* Apul. Apol. p. 415.

Quod si animam inspiras, dona & jam carmina nostra
Cedant victa tuo dulciloquo calamo.

In conviviis frequens fuit. Athenæus: *Quibus photingia, & monaulia comessationis instrumenta, non belli addiderant.* Et hoc sensu Mart. XIV. 64.

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis,
Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet.

Bartholin. de Tib. I. 6. Meurs. de Tib. c. 22. Scalig. Poet. I. 20. Rhodig. Ant. Lect. IX. 7. Buleng. de Theatr. II. 4.

MONERIS, μονήρης, vocabatur navis, quæ simplicem habebat ordinem: pertinebatque, seu potius ea ipsa erat, quæ alias peculiariter appellabatur longa. Græcis aliquando, maxime posterioribus temporibus γαλαίας. Leo Imperator in Tacticis; οἱονεὶ γαλαίας ἢ μονήρεις λεγομένας. Et hinc sine dubio galearum nomen apud nostros ortum est. Μονοκρότους dixit Strab. VII. Naves, *quæ simplice ordine aguntur*, sunt Tacit. Hist. V. 23. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 2. *Bays. de Re nav. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* XI. *p.* 571. *A. Meibom. de Fabr. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 617. *C. Opel. de Fabr. trirem. Thes. Græv. ibid. p.* 695. *D.*

MONETA definitur a Paullo l. I. ff. de contrah. empt. *materia forma publica percussa, usum, dominiumque non tam ex substantia præbens, quam ex quantitate.* Forma publica est, quæ imposita a triumviris æri, argento, auro flando, feriundo; aliisque magistratibus *monetalibus* jam inde lege XII. tab. creatis: Cicer. de Leg. III. 3. *Minores magistratus æs, argentum, aurum publice signanto.* Aut postquam majestas, & imperium a populo in Principem translata est, a Principe ipso, qui auctoritatem nummo tribuit: nam privata forma quæ est, adulterinam esse necesse est. Denique forma publica est iconium publicum, quod habetur, & exercetur in officina, *monetaque* publica, character ipse, & sphragisterium, iconicum, ut vocat Suet. Cal. c. 22. n. 7. quo nummus insignitur, ceu sigillo, annuloque bulla. Harmenopulus. Tota enim *monetæ* faciendæ ratio hæc est, ut primo ipsum metallum ignibus excoctum, & temperatum præparetur, deinde in lamellas æquales concidatur, tum denique iconio, & typario cudatur, percutiatur, & signetur. Quæ omnia, licet non suo ordine, expressit Lucan. VI. 402.

Primus Thessalicæ rector telluris Itonus
In formam calidæ percussit pondera massæ.
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

Freher. de Re monet. vet. Roman. I. 2. Laz. Græc. antiq. I. 5. Ea forma, ex quo in Principem omnis potestas translata est, vultum fere Principis habet cum inscriptione; ut stante Republica, consulum nomina, non tamen vultus, sed Romæ plerumque galeatæ, alteriusve pro arbitrio numinis. Idque ita perpetuum, ut non alio melius e re nata argumento Pharisæorum rebelles Romanis animos domare Dominus potuerit, quam ex ipso denario censui debito, habente Tiberii Cæsaris εἰκόνα καὶ ἐπιγραφὴν apud Matth. c. 22. n. 20. Prudent. Περὶ στεφ. II. 96.

En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.

n. 120.

Cui nummus omnis scribitur.

Unde *monetam* ita definit Juven. Sat. XIV. 291.

Concisum argentum in titulos, faciesque minutas.

& Sat. VI. 204.

— lance beata
Dacicus aut scripto radiat Germanicus auro.

Freher. l. l. Demster. Paralip. in Rosin. Ant. Rom. VIII. 31. Quantitas ea est, quam Paullus dixit, æqualitate sua, quod publicam, ac perpetuam æstimationem habet, difficultatibus permutationum subvenire. Quia rerum nimirum omnium incerta, fluxa, & variabilis est æstimatio, ut Plato inquit: Τὰς ἰδὲ χρείας εὕροι τὶς καὶ καιρῷ, καὶ νόμῳ, καὶ ἡδοναῖς, καὶ ἤθεσι, καὶ τύχαις ἄνω καὶ κάτω εἰς τὴν τιμὴν, καὶ ἀτιμίαν μεταβαλλομένας. Nummi perpetua, & certa est æstimatio, ut ait Ulpian. l. 3. ff. de in lit. jurand. adeo ut omnibus rebus venalibus possit adæquari semper commodissime: omnes enim res pecunia æstimantur l. pen. Cod. de constit. pecun. Ideo nummum *usum, dominiumque ex quantitate* ait *præbere magis quam ex substantia.* In nummis, & pecunia non corpora spectantur, sed valor & potestas: ut pecunia valeat, & censeatur non lamella, sed æstimio, & indicatura l. I. §. non solum ff. ad leg. Falcid. l. I. ff. de contrah. empt. l. 29. & 94. ff. de solut. Res cæteras ex substantia, non quantitate, quia quanti-

tas, & valor earum perpetuus non eſt: ſed ut loquitur Cicer. pro Q. Roſc. c. 12. *pretia earum ſæpe jacent.* Nummi pretium eſt perpetuum, ut ejusdem ponderis nummi eodem ſemper valore cenſeantur, æqualitate quadam admirabili, etiamſi diverſorum ſint vultuum; ne Philippei puta pluris ſint quam Antoniniani l. 3. C. de veter. numiſm. poteſt. Theodoſ. Novell. 25. de pret. ſolidi. Leo philoſ. Novell. 51. ſi modo in pondere conveniant, quod ſolent. Hæc eſt illa æqualitas, quæ etiam barbaris fuit admirabilis. Solin. c. 53. *Stupuiſſe Regem Taprobanes pecuniam, quæ capta cum ipſo*, liberto Annii Plocami *erat, quod tametſi ſignata diſparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis.* Plin. VI. 22. *Mirum in modum in auditis juſtitiam ille ſuſpexit, quod pares pondere denarii eſſent in capta pecunia, cum diverſa imagines indicarent a pluribus factos. Et hoc maxime ſolicitatus ad amicitiam, legatos quatuor miſit.* Freher. l. l. Veteres, & præcipue Romani uſi ſunt *monetis* ex metallo puro, & nulla mixtura adulterato conſtantibus, ſaltem quamdiu imperium ipſorum floruit: illo enim decreſcente & bonitas *monetæ* diminutionem paſſa eſt. Imperator Tacitus apud Vopiſc. c. 9. cum tandem animadverteret, quam damnoſa eſſet Reipublicæ ſequior *monetæ* temperatura, lege lata metallorum mixturas ſevere prohibuit, quod edictum etiam poſt Diocletianum adeo ſtudioſe obſervatum fuit, ut vix ulla numiſmata antiqua poſt hujus Imperatoris ætatem percuſſa reperiantur, quæ non ex puro, & probo metallo conſtent. Quæ ſub Imperatore Alexio, qui ob eam cauſam ab hiſtoricis reprehenditur, ex minus puro, & probo metallo percuſſa fuerunt, ea ætatem non tulerunt, quoniam hodie pauca, vel nulla hujus generis reperiuntur. *Savot. de Numm. antiq* III. 4. E commodo Reipublicæ quam maxime eſſe, ut *monetæ* ex metallo, nulla ſequioris materiæ mixtura cudantur, decem rationibus ſatis fuſe demonſtrat *Savot. ibid. c.* 5. Materia non fuit ferrum. Hoc enim difficile funditur, & cum æruginem facile concipiat, ſervare pondus legitimum non poteſt. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 1. 1. Sed triplex fuit. Pompon. §. deinde de orig. jur. *æs, argentum, aurum.* Pollio XXX. Tyrann. c. 31. *Cuſi ſunt ejus nummi ærei, aurei, argentei.* Cicero de Legibus jam laudatus. Hoc tamen diſcrimine, quod initio omnes omnino pecuniæ ex ære, ex auro, argentoque nulli nummi cuſi. Iſidor. XVI. 17. *Antiquiſſimi, nondum auro, argentoque invento, ære utebantur, nam prius ærea pecunia in uſu hominum fuit, poſt argentea, deinde aurea ſubſecuta.* Neque enim ante victoriam Pyrrhi argentum ſignatum in uſu Romæ. V. ſupr. in *Argentum.* neque aurum in pecunia cognitum ante Carthaginem, & Corinthum ſuperatas. V. ſupr. in *Aurum.* Ovid. Faſt. I. 221.

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro eſt,
Priſcaque concedit victa moneta novæ.

Adeo ut nec plumbeos, nec ſtanneos nummos priſcos illos habuiſſe legamus in lege Cornelia de falſo. V. illam ſupr. in *Lex.* quanquam plumbei pro viliſſimis, & quaſi nullius pretii rebus nummi uſurpentur apud Plaut. Trin. IV. 2. 119.

— Eine aurum crederem?
Cui, ſi capitis res ſiet, nummum unquam credam plumbeum.

Caſ. III. 3. 40.

Cui homini hodie peculi nummus non eſt, niſi plumbeus.

Mart. X. 74. 4.

Centum merebor plumbeos die toto.

Demſter. l. l. Agric. de Pond. & temperat. monet. II. p. 294. Intelligit Martialis quadrantes æreos. Æs enim admiſcebatur plumbo etiam publice. Et inde *plumbeos nummos* per contemptum appellat æream *monetam*, cui plurimum plumbi admixtum. *Salmaſ. in Vopiſc. Tacit. c.* 9. Non ſunt audiendi illi, qui putant auctores illos per voces *plumbei nummi* non intelligere *monetam* e plumbo factam, ſed talem, quæ pæne nullius valoris, & pretii eſſet. Si hæc fuit ſententia Salmaſii, uti ſane eſſe videtur, *monetam* æream ab Imperatoribus Romanis cuſam fuiſſe tempore Martialis, qui ſub Domitiano vixit, liceat mihi ab ipſo diſſentire, quoniam omnes Imperatorum Romanorum nummi, fere usque ad ætatem Septimii Severi, nihil plumbi admixtum habent. Error iſte huic viro facile condonabitur, quoniam notitia hæc non ex libris, ſed ex ſolo examine *monetæ* antiquæ æreæ comparari poteſt. Iſti enim, qui ſtudii hujus amore tenentur, cum *monetam* æream ante Septimium Severum cuſam igni probant, nihil plumbi inde ſecerni deprehendunt. Aliter autem comparata ſunt numiſmata poſt ætatem Severi cuſa, quippe ex quibus guttulæ quædam plumbi, vel modico ignis calore, diverſis in locis exprimuntur. Omnes, qui numiſmata antiqua collegerunt, viderunt absque dubio nummos antiquos plumbeos, eorumque nonnullos ego ipſemet poſſedi. Sed hoc non adeo mirum videri debet, quoniam Eraſmus refert, ſuo tempore *monetam* plumbeam apud Anglos in uſu fuiſſe. *Savot. ibid.* II. 1. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 2. Sciendum tamen eſt ſub quibusdam Imperatoribus *monetam* fuiſſe electrinam. Lamprid. Alex. Sev. c. 25. *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit: & quidem electreos aliquantos.* Hotoman. l. l. Agric. ibid. p. 277. Quosdam mihi præterea Romanos nummos ex agris ſuis effoſſos oſtendit Princeps quidam, non ex metallo, ſed leviore aliqua materia ſubnigra percuſſos: atque, ut mea fert opinio, ex ſuccini genere: quod eſſe multiplex copioſe ſimul, & eleganter docet Georg. Agric. de nat. foſſ. IV. Ut mihi ſuſpicari liceat, electreos illos fuiſſe, quos commemoravimus: quandoquidem ἤλεκτρον Græci nomine generali ſuccinum appellant. Fuit & aliud genus nummorum, ſed ludicrum, ex lupinis aqua, ut opinor, maceratis percuſſum. *Hotman. l. l.* V. & ſupr. in *Lupinus.* Ut valeret, proba materia, & vultus Imperatoris ei impreſſus requirebantur. V. jam dicta. Falſa erat vetita legibus Romanis, nam peculatus id crimen vocatur. V. infr. in *Peculatus.* Falſæ damnati cremabantur. V. ſupr. in *Crematio. Monetæ* malleatores, ſignatores, & ſuppoſtores ſuis locis.

Moneta vocatur etiam locus ipſe cudendis nummis deſtinatus. Ita non ſemel in Cod. Theod. & Juſtin. In veteri urbis Conſtantinopoleos deſcriptione: *Monetam, portum Theodoſiacum.* . . . . Ammian. XXII. 11. *Ille quod aram in moneta, quam regebat, recens locatam evertit.* Sidon. c. 23. n. 40.

Delubris, capitoliis, monetis.

Lindenbr. in Ammianum. Savar. in Sidonium.

MONETALES Romæ erant magiſtratus, qui curam cudendæ *monetæ* habebant. Cicer. Fam. VII. 13. V. illos infr. in *Triumviri.*

MONETARII dicebantur, qui metallum tractabant, & ſignabant l. 1. de falſ. monet. C. qui in *moneta* operabantur l. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. pecul. Egnatius in Annotationibus *monetarios* exponit veſtium textores. Sed huic Suidas contradicit: *monetarii circa numiſma operantes.* Buleng. de Vectig. c. 22. Demſter. Paralip. ad Roſin. Ant. Rom. VII. 31. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 11. Horum totum corpus & ſchola erat, procuratoribus, & rationalibus ſubditum, hominum genus cum liberis, & uxoribus huic ſoli miniſterio addictum, & obnoxium l. 1. 7. 13. C. de murileg. monet. & ab aliis dignitatibus remotum l. 6. C. de dignit. Eorumque tantus fuit numerus, & factio, ut Aureliano Imperatore, procuratore ſuo Feliciſſimo interfecto, adverſus Principem ſe extulerint, unde grave bellum motum, quod vix extingui potuit, Vopiſco, Eutropio, Victore, Suida auctoribus. * *Freher. in Anonym. de Re monet. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1419. *D. Turneb. Adv.* XVIII. 17. Qui quomodo monetas cudant, prolixius narrat *Agricol. de Pret. metall. p.* 266.

MONILE erat *ornamentum muliebre ex gemmis, quod ex collo dependebat.* Iſidor. XIX. 31. Παρατραχήλιος κόσμος Græcis dicitur. Et *monile* collo tribuit Virg. Æneid. I. 657. V. illum ſupr. in *Baca.* Thyſ. in Gell. V. 5. Manut. Quæſ. Epiſt. III. 10. Muliebre eſſe ſcribit etiam Feſtus: *Monile eſt ornatus mulieris, qualem habuiſſe Eryphilam fabulæ ferunt.*

ferunt. Et inter torquem, & *monile* ita distinguit Isidorus, quasi torques sit proprie virorum, *monile* feminarum. *Torques*, ait, *& bullæ a viris geruntur, a feminis monilia, & catellæ.* Sed hoc nugatorium est. Nam de Aty juvene Ovid. Met. v. 50.

Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat
Aureus, ornabant aurata monilia collum.

A monendo etiam dictum volunt Grammatici. Et pro monimento usurpavit Tertull. Apolog. c. 16. *Monilia crucium sunt*, hoc est, crucis figuram repræsentant, atque ita crucis nos admonent. Quod si ergo a monendo est, idque quoniam admoneat virtutis, ut Grammatici exponunt, quomodo ad feminas pertinere possit? Quare nihil aliud *monilia* quam *torques*. Etiam segmentum vocatur. V. illud infr. in *Segmentum*. Scheffer. de Torquib. c. 1. Pertinebat tamen magis ad feminas, & reprehenditur hic ornatus ut muliebris. Herod. v. 8. 2. *Contemnebant eum Romani milites, ut aureis monilibus haudquaquam viriliter ornatum.* Scheffer. ibid. c. 8. Erat etiam ornatus equorum, pendens a collo in pectus. Ovid. Met. x. 264.

Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.

De equis Latini Virg. Æneid. vii. 278.

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Gell. v. 5. *Inducebat equitatum frenis, ephippiis, monilibus præfulgentem.* Grapald. de part. dom. 1 8. §. 17. Fiebant ex gemmis, aurove. Senec. Med. iii. 572.

—— *est & auro textili*
Monile fulgens.

Juven. Sat. vi. 589.

Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum.

Claud. in Rufin. i. 187.

—— *cuicunque monile*
Contextum gemmis, aut prædia culta fuissent.

Barthol. de Armill. vet. §. 1. Scheffer. ibid. c. 10.

MONITORES in campo vocabantur, qui castrensibus tyronum, & prætorianorum exercitiis præerant. Tertull. Apolog. c. 30. *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus.* Et hoc nomen non tantum in tyrocinio valet, sed in heroibus, aliisque adolescentibus, qui artibus certis imbuendi *admonitione* rectoris alicujus indigerent. Pacat. Paneg. *Tibris quondam hospitis monitor Æneæ.* Symmach. Epist. iii. 13. *Nullam certe Nestor tertiæ ætatis suæ seculo militiæ vacationem poposcit, nec Achilli excusavit ætatis suæ frigus Phœnix monitor.* Eligebatur in hos usus ut plerumque, qui gravitate, morumque sanctitate, non modo præceptis, ferventem, & in vitia præcipitem juventutem regere posset. Val. Flacc. i. 473.

Donat & Iphyclo pelagus, juvenumque labores
Æsonides, fessum Phylace quem miserat ævo
Non jam operum in partem, monitus sed traderet ut acres,
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.

Stat. Sylv. v. 3. 147.

Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi.

Monitor iste tyronum Romanorum, sive magister exercitiorum in sequius officia obeuntes animadvertebat, eosque pro facti negligentia castigabat, non voce modo, sed & verbere. Claud. Honor. Consul. vi. 625.

—— *insonuit cum verbere signa magister.*

Idque tractum a Græca consuetudine videtur insinuare Ælian. Var. hist. ii. 6. *Hippomachus pugillandi magister, cum athleta quidam ex ejus discipulis specimen exhiberet artis, & circumstans multitudo universa plausum tolleret, percussit eum virga.* Demster. ad Rosin. Ant. Rom. v. 25. Meurs. Canter. & Potter. in Lycoph. n. 241. Barth. in Stat. Theb. xii. 205.

Monitores vocabantur custodes thalami. Stat. Theb. xii. 205.

Olim hic virginei custos, monitorque pudoris.

Tales additos puellis docent Sceledrus in Milite glorioso, Ovidius, Tibullus, & Propertius. *Monitor*, qui admonet decoris, & si quid oblitum, ejus recordari jubet. Ita libros commentarios *monitores*, qui subjiciant necessaria, dictos notat Festus: *Monitores dicuntur, & qui in scena monent histriones, & libri commentarii.* Barth. in Statium.

Monitores vocabantur nomenclatores, qui candidatis nomina civium, ut quisque occurrebat, suggerebant. Plin. Paneg. c. 23. n. 1. *Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras: gratum, quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares.* Horat. Epist. i. 6. 50.

Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus.

Erat enim favoris conciliabulum, quemvis appellare nomine suo. *Cellar. in Plinium. Barthius in Statium.*

Monitores vocabantur in scena, qui actoribus verba suggerebant, si forte memoria laberentur. Festus laudatus in *Monitores custodes thalami.* Plutarch. in Politic. *Imitari oportet histriones, qui monitorem audiunt, & tenorem, ac modum datæ sibi potestatis non egrediuntur* Buleng. de Theatr. i. 54. Casal. de Trag. & com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7.

Monitores etiam servi vocabantur domestici, qui rerum agendarum tempora dominis indicabant. Apul. Met. ii. p. 68. *Post hac monitu famuli mei, qui noctis admonebat, jam & ipse crapula distentus, protinus exsurgo.* Et horum, qui *admonerent*, ingens videtur fuisse numerus apud homines nobiles, & fortunatos. Senec. de Brev. vit. c. 12. *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se, & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt: quos quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius admonet: & usque eo nimio delicati animi languore solvuntur, ut per se scire non possint, an esuriant.* Val. Max. vii. 8. ext. 5. *Carneades cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere obliviscebatur, nisi Melissa,* monitrix domestica, *temperato inter studia officio, manum necessariis usibus aptasset.* Pignor. de Serv. p. 260.

MONITUS pontificum dicitur, ut deorum, vel vatum passim apud Poetas. In domesticis religionibus *monere* bonorum pontificum erat: in publicis quasi deorum numine afflati id agebant. Sic vota pontificum *monitu* suscipiebantur, aut sacra fiebant. De votis lapis Romæ:

PONTIFICUM
MONITU
VOTO
SUSCEPTO

Guther. de vet. jur. pont. i. 24.

MONOBOLON erat saltus singularis. Juvenes enim *cursu, & saliendo sese exercebant.* Plaut. Bacch iii. 3. 24. Justinianus Imperator l. victum C. de aleator. *Duntaxat ludere liceat μονόβολον*, id est, *cursu exerceri, & certare.* Qui lusus a casu pendentes cum sustulisset, aliquod genus ludorum substituit, qui virtutis causa susciperentur, & ad eo poris exercitationem maxime facerent. Phot. Nomocan. c. 29. *Solum autem ludere licet monobolum.* Ubi Balsamon in Scholiis. *Scito, quod monobolum dicitur cursus.* Souter. de Aleat. iii. 7. Meurs. de Lud. Græc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. vii. p. 977. E. Buleng. de Lud. vet. c. 26.

MONOCROTA voco navigia, quæ unum, aut duos versus remigum habent eadem altitudine stantes, aut in ejusdem altitudinis transtris sedentes. *Monocrota*, quæ simplicem remorum versum habent, duum generum sunt: quippe unus remex, aut remo uno naviculam ab uno latere impellit; quod fit in monoxylis, seu lintribus: aut duobus remis, singulis videlicet ab utroque naviculæ latere remigant. *Meibom. Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* xii. *p.* 570. *B.* Quis est quæso, qui *monocrota* usurparit unquam de monoxylis, seu lintribus? Dicta sunt *monocrota*, ut dicrota. Dicrota naves ordinum duorum. Erunt ergo & *monocrota* naves ordinis unius, quales

les alias moneres Græcis sunt vocatæ. Ideo Strab. VII. Ἀπὸ μονοκρότου μέχρι δεκήρους. Sicut δεκήρης navis decem ordinum, sic μονόκροτος unius ordinis, neque unquam quisquam usurpavit de navigio, in quo unus tantum remigat. *Opel. de Fabric. trirem. Thes. Græv. ibid. p. 695. C.*

MONOLINUM *de albis*, ut legendum est apud Capitol. Maximin. jun. c. I. est filum unum, quo margaritæ insertæ sunt; nam albæ sunt margaritæ. *Monolinum* Latine liceat una voce appellare unifilum. Μονόμιτον scribitur in Glossis, quod idem esse puto quod μονόλινον. Nam, & filum, & linum dicitur, quo intricabantur margaritæ. Sic & τρίλινον, *trifilum*, quod ex trinis erat filis margaritarum. Erant etiam ex quaternis, quæ τετράλινα dicebantur. Glossæ: τετράλινον, *quadrifilum gemmarum.* Ἰσόλινα autem vocabant, cum margaritarum fila erant paria, hoc est, cum margaritæ filis innexæ ejusdem, & ad amussim paris magnitudinis, & rotunditatis erant: quod etiam hodieque studiose observant damnosæ mulieres. *Filopares* vocat Anastas. in Gregor. IV. *Albas majores numero viginti & novem, alabandinas majores numero viginti, albas modicas libr'eas circum capitis coronam diverse filopares.* Salmas. & Casaub. in Capitolinum.

MONHMEΡΙΟΝ quidam spectaculum fuisse putant, quo feræ cicures tantum, & mansuetæ exhibebantur, quasi μόνα ἥμερα θηρία sola mansueta animalia dicerentur. Leon philosophus εἰς τὸ μονημέριον. Flor. l. Epigram. c. 4.

> *Sagittarie, Musarum rex, eminus jaculans, Apollo,*
> *Dic forori, validas ut feras excitet,*
> *Quæ tantum tangant hominum corpus, quæ accendant*
> *Populi delectati divinum os: neque unquam videam,*
> *Jovis clementis thronum assecutus, alicujus viri mortem.*

Pessime. *Monomerium* fuit spectaculum unius diei. Novell. 105. *Buleng. de Venat. circ. c. 25. Augustin. de Legib. in Julia de vi publica*

MONOPHAGIA est vitio data. Athen. I. p. 8. E. *Veteres soliti sunt μονοφαγεῖν. Antiphanes: Solus jam comedis, & me lædis. Amicipsias: Abi Morbonium monophage.* Aristophanes μονοφαγέστατον vocat hominem profundæ gulæ, qualis fuit Albinus Cæsar. *Buleng. de Conviv. I. 6. Rhodigin. Ant. Lect.* XXVII. 24.

MONOPODIUM erat mensa, quæ uno pede sustinebatur. Hæ ea tempestate pulcerrimæ, lautissimæque censebantur. Liv. XXXIX. 6. de triumpho Cn. Manlii Vulsonis: *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est. Ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt.* Plin. XXXIV. 3. V. illum supr. in *Lectus tricliniaris.* Turneb. Adv. I. 25. Rhodigin. Ant. Lect. VII. 12. Falconer. de Pyram. C. Cestii Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1471. C. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 489. 503. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 184. F.

MONOPOLIUM est, si certæ personæ, vel certo corpori concesserit Princeps, ut ei soli jus sit vendendæ alicujus mercis, sub onere conferendæ in fiscum pensionis. Strab. XVII. *Rerum gravis pretii vectigalia. Habent enim monopolia.* Cassiod. Var. II. 4. *Antiochum siliquatici, vel monopolii titulos exercentem.* 30. *Quatenus nec monopolii, nec siliquatici, nec aurariæ aliquid pensionis impendat, vel quodlibet gravamen ex permissa nundinatione sustineat.* Buleng. de Vectig. c. 55. Turneb. Adv. XXVIII. 6. Guther. de Offic. dom. August. III. 23. Grapald. de Part. dom. II. 3. §. 45. Illa omnia prohibuit Zeno Imperator C. de monopol. *Prohibemus, ne quis cujuscunque vestis, vel piscis, vel pectinum forte, vel echini, vel cujuslibet alterius ad victum, vel ad quemcunque usum pertinentis speciei, vel cujuslibet materiæ, pro sua auctoritate, vel sacro jam elicito, aut in posterum eliciendo rescripto, aut pragmatica sanctione, vel sacra nostræ pietatis admonitione, monopolium audeat exercere. . . .* Et: *Si quis monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis exspoliatus perpetuitate damnetur exilii.* Cujac. Observ. X. 19: XVI. 23. Thys. de Republ. Athen. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. V. p. 1371. A. Collat. Attic. & Roman. leg. Thes. Gronov. ibid. p. 1383. A. Buleng. & Guther. l. l.

ΜΟΝΟΞΥΛΟΝ, *monoxylus* est navis species ex solo ligno confecta, ut etiam vox ipsa indicat. Veget. III. 7. *Sed commodius repertum est, ut monoxylos, hoc est, paullo latiores scaphulas, ex singulis trabibus excavatas, pro genere ligni, & subtilitate levissima, carpentis secum portet exercitus.* Ejus meminit etiam Pollux I. 9. I. Hoc genus navis ἄδρυον Cyprii vocant. Μονόξυλον quidem epithetum est aliquando. Plin. VI. 23. *Regio, ex qua piper monoxylis lintribus Baracen convehitur, vocatur Cottonora.* Gyrald. de Navig. c. 18. Sed Plinius mihi suspectus de glossemate. Istiusmodi naviculas conficere usus Britanniæ Cæsarem docuit, iisque in Hispania est usus. Cæsar. Bel. civ. I. 54. *Imperat militibus Cæsar, ut naves faciant, cujus generis eum superioribus annis usus Britanniæ docuerat.* Stewech. in Vegetium.

ΜΟΝΟΧΙΤΩΝ Græcis est sola tunica amictus. Plutarchus in Antonio de Cleopatra loquens, quæ valetudine affecta, in lectulo jacens, ut Augustum adventantem rescivit, tunicata exiliit obviam, seque ad pedes ejus stravit, & abjecit: *Ipsa jacebat in lecto sordido: ingredienti ipsi unica amicta tunica exiliens accidit.* Bayf. de Re vest. c. 12.

MONTIUM magna olim veneratio, inque iis exstructæ aræ, & templa, ut satis superque ex historia, tam sacra, quam profana patet, plerisque numinibus fuerunt. Inde apud Philostr. de vit. Apollon. I. 2. Caucasum θεῶν οἶκον vocant. Persæ apud Herod. I. p. 131. *Editissimis quibusque conscensis montibus Jovi hostias immolant. Montinus,* qui *montibus* præest, deus occurrit apud Arnob. IV. p. 132. *Quis Montinum montium deum esse credat?* Mater Galerii Maximiani *deorum montium cultrix, & mulier admodum superstitiosa* dicitur Lactant. de Mort. persecut. c. 11. *Dii montenses* in inscriptione veteri celebrantur apud Gruter. p. 21.

ARAM. JOVI. FULGE
RATORIS. EX. PRECEP
TO. DEORUM. MON
TENSIUM. . . .

Quæ quia Romæ inventa, videntur significari dii, qui septem ejus *montibus* præsidebant; quorumque in honorem institutum forte est sacrum *Septimontium*, quod celebrabatur a *Montanis.* V. illos infr. in *Montani.* Cuper. Apoth. Homer. p. 15. Spanhem. in Callim. Hymn. in Delum n. 70. Columb. & Baudri in Lactantium.

Mons Aventinus. V. illum supr. in *Aventinus.*

Mons aureus. V. illum supr. in *Janiculum.*

Mons Caballus nunc dicitur collis Quirinalis a duabus statuis marmoreis Alexandri Magni Regis Macedonum, equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Constantinus Imperator Romam transtulit, atque in medio thermarum a se in Quirinali exstructarum collocavit, quarum altera Phidiæ, altera Praxitelis manu factæ sunt, ut titulus indicat. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 274. *E.* Sed Phidias & Praxiteles ante Alexandri tempora vixerunt, & Alexandri res gestas exprimere non potuerunt, nec hæ statuæ Alexandrum figurarunt. Quod porro affirmant alterum a Phidia signum, alterum a Praxitele expressum, verisimile non est; centum enim circiter annis inter se artifices distant: utraque vero signa ex eadem officina prodiisse sculpturæ periti observant: nec debuerat Castor Olympiade 83. a Phidia effingi, & Pollux a Praxitele Olympiade 104. Juvenum enim hæc equos frenantium colossea signa Castoris certe ac Pollucis sunt, pro typo æternitatis posita, ut in nummo Maxentii videre est. Non immerito tamen præstantissima opera, quæ miraculo habentur, eximiis sculptoribus adjudicata fuere Constantini seculo: tituli namque in veteri basi recentiores sunt: ac Latino, non Græco idiomate inscripti, ut erat in more positum sculptoribus Græcis, per omnia, quæ adhuc erant, simulacra. Ex eo vero loco translatæ sunt a Sixto Quinto pontifice maximo ad aream contra pontificii palatii vestibulum, sua utrique subjecta basi,

basi, prifcisque titulis reſtitutis. Fulvius II. docet, equos marmoreos contra palatium pontificis constitutos advexiſſe in Urbem Tiridatem Armeniorum Regem. Atqui legitur apud Sext. Rufum, & P. Victorem equos Tiridatis fuiſſe æneos. Hi vero ſunt marmorei. V. ſupr. in *Equus æneus*. Donat. de Urb. Rom. III. 15. Nardin. Rom. Vet. IV. 6.

Mons Capitolinus. V. illum ſupr. in *Capitolinus*.

Mons citatorius, ſive citorius vicinus Horologio, retro S. Laurentii in Lucina ſua habet initia. Blond. Inſtaur. Rom. II. §. 71. eum in principio appellatum putat *montem* citatorium, eoque, qui in comitiis dato ſuffragio e ſeptis campi Martii exibant, eo ſe recepiſſe, ne cæteris eſſent impedimento. Verum præterquam, quod nil ejuſmodi apud veteres legatur ſcriptores, ne ſpeciem quidem habet veri; quum fieri nequiverit, ut tantillus collis omnes populi Romani ceperit centurias a ſuffragiis datis illuc ſe recipientes. Sed nec alia in proximo loca plana, & commodiora, capacioraque tantæ deerant multitudinis. Fulvius eum vel citatorum appellat a citandis tribubus; vel acceptorium ab acceptandis ſuffragiis, aut etiam ſeptorum a proximis ſeptis: creditque eum ex egeſta terra natum, quum columnæ Antoninianæ in vicinia jacerentur fundamenta. Sed in eo diſſentientem habet Marlianum, cui Topogr. Urb. Rom. v. 4. probari non poteſt, locum tam celebrem, publicisque uſibus deſtinatum, tanta effoſſæ telluris mole a tam pio Imperatore fuiſſe occupatum. Sed nec mihi veriſimile videtur, jaciendis illius columnæ fundamentis tantum terræ egeſtum, ut hunc collem efficeret, qui ſine dubio tum temporis, non ſecus ac cæteri, multo quam nunc, fuit editior. Marlianus rudera potius ingentis ædificii iſtuc accumulata cenſet: cujus tamen aliqua, ut theatri Marcelli, ſi non hac noſtra, ſaltem avorum, proavorumque memoria, & arte centum, ducentosve annos exſtare debuiſſent veſtigia. Nam Blondi quidem ætate collis erat, dicebaturque: & ædificium tam altum, tamque ſplendidum, magnificum, ac ſumptuoſum, quantum ex iſtiuſmodi conjectandum foret ruderibus, tam facile in cineres dilabi non potuit. Contra ei videtur potius alter de duobus eſſe campi collibus, quos Strabo in vicinia, ſeu ripa fluminis collocat. Nam fabula quidem illa vulgi ore trita, Agrippam ſcilicet ea terra Pantheon oppleviſſe, quo ei hemiſphærium imponeret, nimis quam anilis eſt. Sphærica namque templorum condendi ratio Romæ ab antiquiſſimis temporibus fuit cognita, diu ante Auguſtum, & Agrippam ibidem uſurpata, frequentataque, quorum ævo architectura ad ſummam jam pervenerat artis abſolutæ culmen: adeo ut ad hemiſphæria conſtruenda nulla terræ, non ſecus atque nunc, aggeſtione opus fuerit. Sed neque fieri potuit, ut omnem illam terræ molem, quæ illud loci totum ſpatium occupat, quod inter aream Capranicam, & S. Laurentii ædem in Lucina interjicet; quæque & a vicinis, aliisque, varios ad uſus, auferendo, & pluviarum detritu, plurimum deminuta eſt, interius Panthei ſpatium continuerit. Propiora videamus. Septa ei ab antiquariis vicina fuiſſe dicuntur, quanquam de ſitu ejus in diverſa abeant. Tum ad animum revocentur hæc Macrob. I. 16. *Ex re candidatis uſus fuit in comitium nundinis venire, & in colle conſiſtere, unde coram poſſint ab univerſis videri.* Una hic omnium ſententia eſt, Macrobium loqui de comitiorum tempore, quo candidati ſe populo in colle campo Martio vicino conſpiciendos præbebant: & hunc collem Hortulorum eſſe putant, ubi nunc Eccleſia SS. Trinitatis in montibus conſpicitur. At e tam longinquo loco quemquam a populo, etiamſi aquilina oculorum acie fuiſſet, dignoſci potuiſſe tam a vero remotum eſt, quam quod maxime: adhæc nulla, quæ conſpectum impedirent, interjecta inter collem illum, & ſepta campi debuiſſent eſſe ædificia: quæ tamen illic plurima fuiſſe certo conſtat. Septa vero plerique in area columnæ Antonianæ, aut ſaltem ad fontem Trevium fuiſſe ſtatuunt. Animadverto, hic omnes in hunc errorem lapſos, quod nullus alius iis in proximo collis occurreret, quum tamen eſſe deberet. At quis propior, quis ad hanc rem aptior, quam Citorius? Et Macrobii verba non tam de comitiis, in campo Martio habitis, quam de nundinis accipienda ſunt, quæ nono quoque die in foro celebrabantur: quo quidem tempore populus omnis ex agris in Urbem confluere ſolebat: ita ut candidati proximo foro comitium, quo a populo conſpicerentur, in comitium adſcenderent, quod in foro erat. Non obſtat tamen, quo minus ipſo comitiorum tempore candidati in collem omnium ſeſe conſpectui obtulerint. Quod ſi vero jam tum citorius collis exſtiterit, propior ſane, & ad rem aptior alius eſſe nullus potuit. Ac ſi tandem & hic, & Jordanus, in quo veriſimilitudo major eſt, ex egeſta terra exorti ſunt, ne aliquis amœniſſimi campi planities effoſſa exſtruendis fundamentis terra devenuſtaretur, hoc tamen extra controverſiam eſt, ætate Strabonis, qui ſub Tiberio vixit, colles illic ſaltem duos exſtitiſſe. Quare, ſive *mons* citorius collis, ſive egeſta terra fuerit, ſive ædificiorum rudera, indicium hoc nobis ſufficiat feciſſe, citorium collem illam, quam diximus, dextri campi Martii lateris partem occupaſſe. Appellatio ipſam vocis originem manifeſte prodit. Centuriæ namque olim in campum convocatæ, ſingulæ ordine citari ſolebant a præcone, ut ſepta intrarent, & ſuffragia ferrent. Liv. XXVI. 22. *Tum centuria & auctoritate mota eorum, & admiratione circa fremitu, petit a conſule, ut Veturiam ſeniorum citaret. Velle ſeſe cum majoribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum conſules dicere. Citatis Veturiæ ſenioribus, datum ſecreto in ovili cum his colloquendi tempus.* Hæc autem citatio nonniſi in loco editiore fieri potuit, quo præconis vox melius ab omnibus poſſet exaudiri. Porro in ædibus Caroli Euſtachii adverſus monaſterium *montis* citorii permagna columna vetus eſt maximam partem terra obruta, quam complures columnam fuiſſe citatoriam exiſtimant. Quod ſi verum eſt, ſitus ſane nullus aptior eſſe potuit, nimirum in ipſo campi margine, & collis clivo, ad introitum ſeptorum. Verum ad porticum illam quondam Europæ pertinuiſſe multo mihi videtur veriſimilius. *Nardin. Rom. vet.* VI. 6.

Mons Cœlius. V. illum ſupr. in *Cœlius*.

Mons crucis ſincte vocatur *mons* arduus, & acceſſu difficillimus, prope locum, qui Julium Carnicum dicitur. In medio hujus adſcenſu occurrit rupes prærupta, & in ea callis valde anguſtus, olim Julii Cæſaris juſſu a militibus Romanis exciſus. Hoc colligitur ex reliquiis epigrammatis inſculpti in præcipiti ſaxo, cujus literæ vetuſtate ſunt abolitæ, reliquis ſolum primis, quæ legi poſſint, hiſce:

C. JULIUS. CÆSAR.

Alii hanc inſcriptionem pleniorem exhibent, quam dicunt eſſe in Forojulienſi regione, medio ferme *montis* crucis aſcenſu, præcipiti ſaxo inciſum, apud Gruter. p. 149. n. 1. hoc modo:

C. JULIUS. CÆSAR. VIAM. INVIAM
SOLERT. S. ET. IMPENDIO. ROTAB
REDD

Bergier. de viis milit. III. *Sect.* 33. §. 3.

Mons Exquilinus. V. illum ſupr. in *Exquilinus*.

Mons Jordanus appellatur, cujus potiorem partem ducum Urſinorum perampla occupant ædes. Aliæ eorundem ad imum ejus colliculi, & carceres olim circi agonalis: reperto cum ſtruerentur, in fundamentis ſimulacro, quod Paſquinum vocant. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 11.

Mons Jovis Gallis, *monte* Jovis appellantur Alpes Penninæ, V. ſupr. in *Alpes*.

Mons Palatinus. V. illum infr. in *Palatinus*.

Mons Pietatis Romæ hodie publica domus eſt, deſignatque idem, quod apud Belgis **Banck van Leeninge**, aut **Lombarden**. *Borrichi. Antiq. Urb. fac. c.* 11. §. 1.

Mons Querquetulanus fuit dictus Cœlius. V. ſupr. in *Cœlius*.

Mons Quirinalis. V. illum infr. in *Quirinalis*.

Mons

Mons ſacer fuit trans pontem ſalarium, in quem plebs Romana patriciis irata ſeceſſerat. Anieni vicinum fuiſſe tradit Dionyſ. vi. p. 375. *Montem quendam prope Anienem fluvium occupant, non longe ab Urbe, qui nunc inde vocatur mons ſacer.* Clarius Val. Max. viii. 9. 1. *Regibus exactis, plebs diſſidens a patribus, juxta ripam fluminis Anienis in colle, qui ſacer appellatur, armata conſedit.* Quare non alium fuiſſe, quam qui hodie trans pontem ſalarium conſurgit, præceps etiam nunc, pro certo affirmare auſim. Plin. xix. 4. *Nemo ſacros, Aventinoſque montes, & iratæ plebis ſeceſſus circumſpexerit.* Nardin. Rom. Vet. iv. 4. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 278. A. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 3. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. §. 9.

Mons Speluga eſt idem, quem Rhæti appellant Colmen del Orſo, ſitus prope montem Adulam, Abduam, aut Abuam, quem iidem nominant Colmen del Olcello, Itali Montbrajo, aut Montgrajo, per quem Spelugam a Rhætis itur Bellinſonium. Pagus eſt celebris Speluga, qui monti nomen dedit, diſtat Curia 36. & Clavenna 27. milliaribus. *Bergier. de viis milit.* iii. *Sect.* 32. §. 9.

Mons teſtaceus appellatur collis in campo Figulino ex fractis figulorum teſtis congeſtus, formam habens cucurbitæ. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 8. *Aring. Rom. Subterr.* iii. 1. 5. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* ii. 19. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iv. 1. In circuitu ſuo fere duo millia paſſuum continet, & in altitudine plus quam centum & ſexaginta pedes. Fragmenta hæc figuli eam Urbis partem circa flumen incolentes congeſſerunt: ne ſi in Tiberim projecta eſſent, fluvii curſum impedirent, vel ſi in agros vicinos eſſent exonerata, locorum obeſſent fertilitati. *Boiſſard. Topograp. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 16. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* iii. 3. *Schott. Itiner. Ital. p.* 388. Mirum, unde tanta copia figlinorum operum: nec ſatis cauſæ affertur, cur in eum locum comportata, & in cumulum coacervata fuerint. Fictilium quidem ibi reliquiæ congeſtæ conſpiciuntur; ſed cur in collem creverint, alii probabiliter, ſi licet, exponant. Nam de eo perpetuum apud antiquos ſilentium. Quidam Romæ opinantur factum e fragmentis urnarum, quæ olim fiebant ad excipiendos cineres crematorum corporum, & magna copia, diverſaque figura quotidie non ſolum e vineis, ſed tota Romana planitie effodiuntur. Sed an vere in unum coacervatæ locum, cur, quandoque fuerint dicere non poſſunt. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 13. Alii creviſſe ex urnis, aliiſque teſtaceis, in quibus imperio ſubditi Romano populi tributa Romam pertuliſſent. Et nos quidem eam famam eſſe falſiſſimam certius probare poſſumus, quam quo auctore, qua inſtitutione id factum ſit, edocere. Quantum vero attinet ad famæ falſitatem, norunt mecum, qui Romanorum geſtas res legerunt, conſueviſſe quæſtores in provincias mitti, quibus curæ eſſet tributa exigere, & ſive legionibus in ſtipendia diſtribuere, ſive in ærarium Romam referre. M. Cato Uticenſis quæſtor in Aſiam, in Cyprumque miſſus, habita a provincialibus tributa, non fictilibus urnis geſſit, quas homo legum obſervantiſſimus in teſtacei *montis* exaggeratione confringeret: ſed tenaciſſimo conſutos corio ſacculos in ſumma navis puppi geſtavit, ſubere ea ratione longiſſimis alligatos reſtibus, ut ſi ipſe cum nautis naufragio periiſſet, ſupernatans ſuber oſtenderet in fundo depoſitum. Ita de illo Plutarch. p. 777. E. *Blond. Inſtaur. Rom.* iii. §. 74. *Schott. l. l.*

Mons Vaticanus. V. illum infr. in *Vaticanus.*

Mons Viminalis. V. illum infr. in *Viminalis.*

MONSTRUM definire licet cum Paullo, quod contra formam humani generis converſo more procreatur l. 14. non ſunt liberi ff. de ſtat. hom. vel ex Ulpiano, ſi quid mulier ediderit, vel inæquale viſu, vel vagitu novum, non humanæ figuræ, ſed alterius magis animalis quam hominis partum l. 135. quæret aliquis ff. de V. S. Partus *monſtroſus*, ſimul ac natus eſſet, debuit necari. Indicat Cicer. de Leg. iii. 8. *Deinde cum eſſet cito necatus, tanquam ex* xii. *tabulis inſignis ad deformitatem puer.* Fuit autem ſimilis lex inter regias Romuli, ut apparet ex Dionyſ. ii. p. 88. Indeque decemviri hoc caput etiam in xii. tab. tranſtulerunt. Sic etiam apud Thebanos lex fuit, teſte Ælian. Var. hiſt. ii. 7. Huc pertinent illa Ennii apud Non. iv. 36.

Mihi auſculta, nate, pueros cremari jube.

Huc quoque proverbium pertinet: *Monſtrum in ultimas terras deportandum.* Videtur autem poſterioribus temporibus hic mos necandi *monſtra* tanquam nimis crudelis abiiſſe in deſuetudinem: & ipſa quidem in vivis relinqui cœpiſſe; veruntamen ita, ut liberorum loco non haberentur, neque matri ſuæ prodeſſent in SCto Tertulliano ad ſucceſſionem d. l. non ſunt liberi. ff. de ſtat. hom. Paull. Sent. iv. 9. §. mulier. *Matri, inquit, ſi monſtroſum aliquid, aut prodigioſum enixa ſit, nihil proficit.* Rittersh. in Leg. xii. tab. Claſſ. iii. p. 1. c. 10. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 17. *Monſtra* & oſtenta hoſtiis ſolebant procurari: idque ex conſilio, & præſcripto augurum, & aruſpicum, quindecimque virorum, qui libros Sibyllinos ſuper hac re adibant, & inſpiciebant: ut ſcilicet averruncaretur malum, quod illa minabantur. Cicer. de Divin. i. 2. *Cumque magna vis videretur eſſe in monſtris interpretandis, ac procurandis in aruſpicum diſciplina.* Phædr. iii. 3. 11.

Si procurare vis oſtentum ruſtice.

Rittersh. in Phædrum.

MONTANI dicebantur, qui Romæ in *montibus* habitabant. Cicer. pro dom. c. 28. *Nullum eſt in hac Urbe collegium, nulli pagani, aut montani, qui non ampliſſime non modo de ſalute mea, ſed etiam de dignitate decreverint.* Turneb. Adv. iii. 3. Cuper. Apoth. Homer. p. 15. Lomej. de Luſtrat. c. 30.

MONTINUS dicebatur *montium* deus. V. illum ſupr. in *Montium veneratio.*

MONTORIUS. V. illum ſupr. in *Janiculum.*

MONUMENTUM dicitur quælibet res, quæ ad nominis æternitatem paratur. Feſtus: *Monumentum eſt, quicquid ob memoriam alicujus factum eſt, ut fana, porticus, ſcripta, & carmina.* Ictus Florent. Inſtit. vii. *Monumentum generaliter res eſt memoriæ cauſa in poſterum prodita, in qua ſi corpus, vel reliquiæ inferantur, fiet ſepulcrum.* Cicer. Fragm. Epiſt. *Sed ego, quæ monumenti ratio ſit, nomine ipſo admoneor: ad memoriam magis ſpectare debet poſteritatis, quam ad præſentis temporis gratiam.* Eleganter Cicer. pro Sext. c. 67. *L. Opimius, cujus monumentum celeberrimum in foro ſepulcrum deſertiſſimum in littore Dyrrachino relictum eſt.* Quod pro cenotaphio accipi non poteſt: nec enim in foro, aut in Urbe ſepulcrum, aut cenotaphium exſtruere licebat. *Kirchman. de Fun. Rom.* iii. 10. *Guther. de Jur. man.* ii. 18. *Faes in Gyrald. de var. ſepel. rit. c.* 9.

Monumentum differt a ſepulcro, in quo corpus conditum eſt, & quod per cadaveris illationem religioſum fit: *monumentum* vero quodcunque opus, aut ædificium tranſmittendæ ad poſteros memoriæ cauſa factum. l. 2. §. 6. ff. de religioſ. & ſumpt. fun. *Monumentum eſt, quod ſervandæ memoriæ gratia exſiſtit.* Florentinus modo laudatus. Hinc virorum priſci ævi illuſtrium plura ſubinde occurrunt *monumenta*, inter quæ unum vere ſepulcri nomen habere potuit. Sic Dionyſ. i. p. 44. narrat Æneam ita ſibi conciliaſſe hominum benevolentiam, ut, *poſtquam inter mortales eſſe deſierit, multis in locis monumentis honoratus ſit, & ſepulcris honorariis: nec enim alias facile cauſam afferri poſſe, cur tot exſtent per Italiam.* Bergier. de viis milit. ii. Sect. 34. 11. Guther. de Jur. man. ii. 18. Ferret. Muſ. Lapid. iv. Memor. 27. Almelov. Ant. p. 55. Freher. Parerg. i. 23. Laz. Comm. Reip. Rom. iii. 18. Non ſolum in locis privatis, ſed etiam in viis publicis exſtruere ſolebant, ut tranſeuntes, & iter facientes defunctorum titulos, & elogia legerent, mortuiſque terram levem, quæ illorum cineres tegeret, precarentur: & ut viatores mortalitatis admonerentur. Varr. de Ling. Lat. v. 6. *Monumenta ideo ſecundum viam, quo prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales.* Quam pulcer iſte aſpectus viantibus? quanta & ſeriorum, & jocorum materies? Illic illuſtrium ingeniorum, aut clarorum virorum memoria,

ria, & inscriptio? alibi libertorum, servorum, scortorum superba *monumenta*. Mirari, dolere, illudere, etiam detestari occasio erit: & quid in tot titulis, & inscriptionibus pasci? Pertinent huc inscriptiones, quibus viatores, vel hospites solent compellari: ut ASPICE VIATOR, CAVE VIATOR, & similes. Harum celebriores fuerant Appia, Aurelia, Flaminia, Latina, Lavicana, Laurentina, Ostiensis, Prænestina, Salaria, Tiburtina. *Bellor. Pict. Sepulcr. Nason. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 1031. *Lips. Admir.* III. 10. *Kirchman. de Funer.* II. 22. *Morestell. Pomp. Feral.* XII. 13. *Ferret. & Almelov. l. l.* An locari potuerit, videamus. Illam prohibet lapis Brundisii apud Gruter. p. 801. n. 5.

. . . .

NEQUE. ULLI. LIQUEBIT. LOCATIO
NIS. CAUSA. IN. ANNIS. CENTUM.
QUANDOQUE. TRANSVENDERE.
QUOD. SI QUI ADVERSUS. IT. FE-
CERINT. EORUM BONA. PERTINE-
RE. DEBEBUNT AD. REMPUBLI-
CAM. BRUNDISINORUM

Quæ quia prohibet, ne ulli liceat locationis causa in annos centum quandoque transvendere, locationem permissam satis ostendit earum quidem rerum, quæ *monumenti* tutelæ cedebant, quas qui conduceret, *manceps monumenti* dicebatur. *Guther. ibid.* III. 7. In partes quandoque secabantur secundum jus, quod in illis quisque haberet. Docent hoc inscriptiones, in quibus pars dimidia *monumenti* concessa aliquando est. Gruter. 614. 11. Romæ:

CURTIA. Ɔ. L. PRAPIS
CUI. PARS. DIMIDIA. HUJUS
MONUMENTI. CONCESSA. EST. AB
C. MOECENATO. HELIO.

Vir, & uxor in parte dimidia viventes sibi *monumenta* compararunt, hoc modo distincta. Gruter. p. 672. n. 14.

D. M.
C. STATILIUS
PROCULUS
SE. VIVO. FECIT. SIBI
ET. CLAUDIÆ. HE
LIADI. CONJUGI. KA
RISSIMÆ. IN. PAR
TE. DIMIDIA. ET. LI
BERTIS. LIBERTA
BUSQ. SUIS. POSTERISQ
EORUM

Guther. ibid. II. 24. *Kirchman. ibid.* III. 14. Quotannis floribus ornabantur. V. supr. in *Flores*. Alienationes, & venditiones prohibebantur. V. infr. in *Sepulcrum*. Qui contra defunctorum voluntatem alienaverant, solvebant pœnas, certam summam pecuniæ inferendæ arcæ pontificum. Idque titulis cavebatur: SI. QUIS. HOC. SEPULCRUM. VEL. MONUMENTUM. CUM. ÆDIFICIO. UNIVERSO. POST. OBITUM. MEUM. VENDERE. VEL. DONARE. VOLUERIT. VEL. CORPUS. ALIENUM. INVEHERE. VELIT. DABIT. POENÆ. NOMINE. ARCÆ. PONTIFICUM. HS. C. ET. CUI. DONATUM. VEL. VENDITUM. FUERIT. EADEM. POENA. TENEBITUR. Altera inscriptio: SI. QUIS. CONTRA. HANC. INSCRIPTIONEM. FECERIT. INFERET. POENÆ. NOMINE. ARCÆ. PONTIFICUM. L. H. H. M. ET. LOCIS. S. S. C. M. A. *Brisson. de Form.* VII. *p.* 703. *Ferret. ibid.* I. 43. Interdum sibi duntaxat faciebant, quæ nulli alii patere, & vel hæredibus suis claudi volebant. Ejus rei ergo districte vetabant, ne quis eo inferretur, pœna quandoque addita, ut patet ex inscriptionibus:

IN. H. S. SIVE. LIBERT. SIVE. LI-
BER. INFERATUR. NEMO: SECUS.
QUI. FECERIT. MITEM. ISIDEM.
IRATAM. SENTIAT. ET. SUORUM.
OSSA. ERUTA. ATQUE. DISPERSA.
VIDEAT.

Alias cavebant, ne hæredem quemcunque sequeretur, quod fiebat his verbis: HOC. MONUMENTUM. HÆREDEM. NON. SEQUITUR. Quandoque hæredem duntaxat extraneum arcebant in hunc modum: HOC. MONUMENTUM. EXTERUM. HÆREDEM. NON. SEQUITUR. vel HOC. MONUMENTUM. EXTERUM. HÆREDEM. NON. RECIPIT. Quæ verba his plerumque notis scribuntur: H. M. E. H. N. S. & H. M. E. H. N. R. *Brisson. ibid. p.* 702. *Turneb. Adv.* V. 15. *Laz. l. l.* Facere unicuique liberum fuit, reficere sine pontificum permissu fas non fuit. Ulpian. l. 5. tit. 8. ff. de mort. infer. *Si in eo monumento, quod imperfectum esse dicitur, reliquiæ hominis conditæ sunt: nihil impedit, quo minus id perficiatur. Sed si religiosus locus jam factus sit, pontifices explorare debent, quatenus, salva religione, desiderio reficiendi operis medendum sit.* Vetus lapis Romæ apud Gruter. p. 518. n. 4.

T. ÆLIUS. SENTINIANUS. PETIT.
A. PONTIFIC. UT. SIBI. PERMITTE-
RENT. REFICERE. N. MONUMEN-
TUM. JURIS. SUI.

Corruptum tamen, *& lapsum, corporibus non contactis, liceat reficere.* Marcian. l. 7. ff. de sepulcr. viol. Qua ratione motus Germanicus cum *tumulum Varianis legionibus structum, & veterem aram Druso sitam disjectam invenisset, restituit aram, tumulum iterare haud visum* apud Tacit. Annal. II. 7. 3. Tumulum enim sine decreto pontificum, vel jussu Tiberii Principis, & pontificis maximi non licebat reficere, cui minus grata exstructio prima tumuli fuerat. Tacit. Annal. I. 62. 3. *Guther. de Vet. jure pontif.* II. 9. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 588. De . . . impensa quæsitum est, an deduci debeat? Et Sabinus deducendam putat, si necessarium fuerit *monumentum* exstruere. Marcellus consultus, an funeris, *monumentique* impensa, quantam testator fieri jussit, in ære alieno deduci debeat: respondit non amplius eo nomine, quam quod funeris causa consumptum sit, deducendum. Nam ejus, quod in exstructione *monumenti* erogatum est, diversam esse causam. Nec enim *monumenti* ædificationem ita necessariam esse, ut funus, & sepultura idcirco eum, cui pecunia ad faciendum *monumentum* legata sit, Falcidiam passurum l. 1. §. fin. ff. ad leg. Falcid. Nec amplius concedendum erit, quam quod sufficiat ad speciem modicam *monumenti* l. 2. ff. eod. Impensa ergo *monumenti* inter funeris sumptum non ita numeratur, ut omne creditum præcedat, quamvis testatio jussu facta sit. Sed si æs alienum non impediat, hæredes hanc deducere debent familiæ erciscundæ judicio: & si non possit, Falcidiæ locus erit ad impensam recipiendam. *Guther. de Jur. man.* III. 21. V. & infr. in *Sepulcrum*.

Monumentum sub ascia. V. illud supr. in *Ascia*.

Monumentum extra sortem dicitur in inscriptione, quæ Ravennæ in Italia:

FI. DICAT. CINERES. ET. OSSUA.
LAODICEÆ. PHILOCAPTÆ. SITA.
HIC. SUNT. PERPETUÆ. MEMORIÆ.
PAOTI. ET. INFAMIÆ. CAUSA. SUÆ.
INSATIABILI. VENERE. EXHAUSTA.
SUBTER. VIVO. VIRO. MORTUA.
EST. XIX. AN. XXIII. MENS. VIII. D.
V. INFELICISSIMI. PARENTIS. TA-
CITI. NOMINE. EXTRA. SORTEM.
AD. RUDERA. POSUERE.

Quod quale fuerit, non satis intelligo, nisi forte *monumenta* extra sortem cippi militares fuerint, militi non missa sorte promiscue in agris, neque pedum adhibita mensura, vel his, qui notam habebant infamiæ in locis abditis concessi: quod hodie his fieri solet, qui sibi mortem consciscunt. *Laz. Comment. Reip. Rom.* III. 18. Cujus interpretationem Guichardus respuit, & hoc loquendi genus deducendum putat ab agrorum designatione, quæ fiebat

iis, qui in colonias deducebantur. Nam auctores diviſionum leges quadam colonis deſcribebant, quibus cippi, ſepulcrave cineribus deputarentur. Et cum ſingulis pars agrorum aſſignata eſſet, quæ ſepulcra familiaria contineret, qui extra partem illam familiæ aſſignatam ſepultus eſſet, & in alieno fundo poſitus, *extra ſortem* jacere dicebatur. Guichardi opinio epiſtola M. Bruti juvatur apud Cicer. Fam. XI. 20. *Æqualiter, aut ſorte agros legionibus aſſignari puto oportere.* Sed verius eſt *extra ſortem* ſignificare extra ſacra, & gentem. Nam ſortis nomen a Latinis auctoribus pro genere, & gente uſurpatur. De Junone Ovid. Faſt. VI. 29.

> *Si genus adſpicitur; Saturnum prima parentem*
> *Feci: Saturni ſors ego prima fui.*

Et ſors patrimonium eſt. Feſtus. A quo conſortes fratres, qui patrimonium non diviſerunt, & ad quos eadem ſors pertinet. Varr. de Ling. Lat. V. 7. Cicer. Verr. III. 23. *Ex agris tres fratres conſortes profugerunt.* Sors, Græcis κλῆρος hærediolum, prædium, ſeu fundus eſt. *Extra ſortem* ergo eſt extra familiare ſepulcrum, extra ſacra, & gentem, quod fas negabant eſſe, idque Torquatus in gente Popilia judicavit. Cicer. de Leg. II. *Guther. de Jur. man.* II. 25.

Monumentum functum eſt non in quod corpus illatum eſt ſolum, ſed in quo juſtæ ſepulturæ traditum eſt. l. 43. ff. de rei vindic. *Si nondum functo monumento, in hoc detracti erunt, ut alibi reponerentur, poterunt a domino vindicari.* Guther. de jur. man. III. 4.

Monumentum honorarium. V. illud infr. in *Tumulus honorarius.*

Monumenta Æmilia dicuntur baſilica Paulli. Non enim unius Æmilii opus. Æmilius Paullus, qui poſtea cum C. Marcello coſ. duas baſilicas, veterem refecit, novam locavit. Cicer. Attic. IV. 16. *Paullus in medio foro baſilicam jam pæne texuit iisdem antiquis columnis: illam autem quam locavit, facit magnificentiſſimam.* Novam interventu bellorum civilium ipſe non perfecit, perfecit ſub Auguſto Paullus Æmilius, qui conſul an. 720. & poſtea cenſor. Dio XLIX. p. 416. D. *Porticum, quæ Paulli dicitur, Æmilius Lepidus Paullus propriis impenſis perfecit, & in conſulatu ſuo, gerebat eum in parte iſtius anni, dedicavit.* Eam incendio conſumptam refecit viginti annis poſt alius Æmilius. Dio LIV. p. 538. A. *Hæc porticus incendio abſumpta, eſt refecta poſtea verbo quidem ab Æmilio, qui ab eo, qui primus hanc ſtruxerat, genus ſuum trahebat, re autem ab Auguſto, & Paulli amicis.* Et poſt annos quinque & triginta iterum collapſam firmavit, ornavitque Manius Lepidus. Tacit. Annal. III. 72. 1. *Iisdem diebus Lepidus a ſenatu petivit, ut baſilicam Paulli, Æmilia monumenta, propria pecunia firmaret, ornaretque.* Lipſ. in Tacit. n. 170.

Monumenta Agrippæ fuerunt ejus thermæ, Pantheon, & porticus Vipſania. Tacit. Annal. XV. 39. 2. *Sed ſolatium populo exturbato, & profugo, campum Martis, ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam ſuos* Nero *patefecit.* Donat. de Urb. Rom. III. 19.

Monumenta Mariana V. infr. in *Tropæa.*

Monumentum C. Ceſtii, ingens pyramis ſepulcralis, opus totum e marmore quadrato, ipſis muris ad portam S. Paulli incluſa, inſertave conſpicitur. Olim illud extra Urbis mœnia fuit, ſed ab Aureliano muris ita inſerta eſt, ut pars ejus extrorſum, pars vero introrſum vergat. Inſcriptio ejus occidentem verſus bipedalibus literis medio operi inciſa C. Ceſtium auctorem præfert ſeptemvirum epulonum: altera vero orienti expoſita literis minoribus, inferioreque loco ex teſtamento factum dicit 330. diebus. Prioris hoc eſt exemplum:

C. CESTIUS. L. F. POB. EPULO. PR.
TR. PL. VII. VIR. EPULONUM.

Alterius:

OPUS. ABSOLUTUM. EX. TESTAMENTO. DIEBUS. CCCXXX. ARBITRATU. PONTI. P. F. CLA. MELÆ. HÆREDIS. ET. POTHI. L.

Nardin. Rom. Vet. VII. 9.

Monumentum Comitis Herculis fuit in via Salaria. Suet. Veſp. c. 12. n. 3. *Quin & conante quodam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, Comitemque Herculis, cujus monumentum exſtat via Salaria, referre, irriſit ultro.* Quod qua parte viæ Salariæ fuerit, & ad quam referendum ſit regionem, ignoratur. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7.

MOR.

MORATORES ludi erant, qui quantum conjectura conſequi poſſum, quadrigarios, & bigarios *morabantur*, ne ante tempus, aut non ſuo ordine currerent: & ut inter miſſus intervalla eſſent. Eorum eſt mentio in illo titulo: Q. RAPIDIO. Q. F. LEM. MULIONI. MORATORI. LUDI. CIRCENSIS. *Turneb. Adv.* XI. 11. *Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 15. *Buleng. de Circo c.* 44. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* * * *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 4.

MORBUS arquatus, & arquati dicuntur, qui eo laborant, ab arcus, ſive iridis colore. *Chimentell. de Hon. biſell. c.* 24.

Morbus comitialis dictus, quod ſi quis eo correptus repente in comitiis concidiſſet, comitia eo diſſolverentur, nec juſta eo haberi poſſent. Serenus Sammonicus.

> *Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,*
> *Quod fieri nobis ſuffragia juſta recuſat.*
> *Sæpe etenim membris acri languore caducis*
> *Concilium populi labes horrenda diremit.*

Exemplum habemus in Feſto, qui etiam Catonis locum ex oratione recitat. *Prohibere*, inquit, *comitia dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem major, ceterum ob id ipſum comitialis appellatur. Cato in oratione, quam ſcripſit de ſacrilegio commiſſo: Domi cum auſpicamus, honorem me deum immortalium velim habuiſſe. Servi, ancillæ, ſi quis eorum ſub centone crepuit, quod ego non ſenſi, nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem ſervo, aut ancillæ dormienti evenit, quod comitia prohibere ſolet, ne id mihi quidem vitium facit.* Voſſ. Lex. Etymol. in Comitia. Manut. de Comit. Roman. c. 8. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XXV. 1. Ad hunc morbum egregiam animadverſionem ponit Scrib. Larg. compoſ. 17. *Ex jecinore gladiatoris jugulati particulam aliquam novies datam conſumant.* Celſus & Minutius Felix jugulati gladiatoris ſanguinem ponunt. Ille III. 23. *Quidam jugulati gladiatoris calido ſanguine poto morbo comitiali ſe liberarunt.* Hic p. 299. *Ipſum credo docuiſſe comitialem morbum hominis ſanguine, id eſt, morbo graviore, ſanare.* Mire hæc illuſtrant, quæ profert Aratæus Cappadox de acut. & diuturn. morbor. curat. IV. 175. *Ipſe vidi, qui ſubjecta patera hominis recens occiſi ſanguinem e vulnere exceperint, exceptumque biberint. O magnam iſtius neceſſitatis vehementiam, ſuſtinere ut malo cuipiam fiat medicina, & tam abominando malo. Sed iſti num ſanitatem eo facto receperint, verum affirmare mihi nemo poteſt.* Elmenhorſt. in Minutium. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 15.

Morbus ſonticus in XII. tabulis eſt qui nocet. Ulpian. l. 2. §. 3. ff. ſi quis cautionibus: *Lex XII. tabularum, ſi judex, vel alteruter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, jubet diem judicii eſſe diffiſum.* Ad hanc legem Juliani verba referuntur l. 60. ff. de re judic. *Quæſitum eſt, cum alter ex litigatoribus febricitans diſceſſiſſet, & judex abſente eo pronuntiaſſet, an jure videretur pronuntiaſſe reſpondit: morbus ſonticus etiam invitis litigatoribus, ac judice diem differt. Sonticus autem exiſtimandus eſt, qui cujusque rei agendæ impedimento eſt. Litiganti porro quid magis impedimento eſt, quam motus corporis contra naturam, quam febrem appellant?* Javolen. l. 113. ff. de verb. ſignif. *Morbus ſonticus eſt, qui cuique rei nocet.* Originem nominis explicat Venulej. l. ult. ff. de ædil. edict. *Quoties morbus ſonticus nominatur, eum ſignificari Caſſius ait, qui noceat. Nocere autem intelligi, qui perpetuus eſt, non qui tempore finiatur. Sed morbum ſonticum eum videri, qui inciderit in hominem, poſtquam is natus ſit. Sontes enim nocentes dicuntur.* Et ita Ælius Stilo apud Feſtum,

ſtum. *Auguſt. in Leg.* XII. *tab.* §. 37. *Haman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 478. *B. Crim. de Honeſt. Diſcipl.* XXV. 10. *Sigon. de Judic.* I. 18. In gloſſis Philoxeni redditur ἱερὰ νόσος, hoc eſt, comitialis. Et ita accipit Plin. XXXVI. 19. *Gagates deprehendit ſonticum morbum.* Quod manifeſtum ex Dioſcor. V. 146. *Gagates ſuffitus deprehendit ſonticum morbum.* Et Apulej. Apol. p. 479. *Incenſo gagate explorari morbum caducum.* Et ita accipi debet in Leg. XII. tabularum. *Turneb. Adv.* XVII. 7. *Voſſ. Lex. Etymol. in Comitia & Sons.* Quibus non accedo. Apparet enim decemviros loqui generatim de quovis morbo gravi, & juſto, quique rebus agendis impedimentum afferat, ſive de morbo vehementiori vim graviter nocendi habente, ex verbis Gell. XX. 1. *Cæteroqui morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem legum iſtarum ſcriptores alio in loco, non per ſe morbum, ſed morbum ſonticum appellant.* Ouzel. in Gell. XX. 1. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 3. c. 4.

MORDEBAT ſocuntium alter alterum dentibus. V. ſupr. in *Dens.*

MORETUM eſt omne intritum. Sic in optimo veteri gloſſario *moretum* τρίμμα exponitur. Ovid. Faſt. IV. 367.

Non pudet herboſum, dixi, poſuiſſe moretum.

Conficiebatur ex his octo, allio, apio, ruta, coriandro, bulbo, caſeo, oleo, & aceto. Quæ hoc ipſo ordine commemorat auctor poematis, quod *Moretum* inſcribitur. Græcis μυσωτὸν, & Attice μυττωτόν. Qui μυσωτοῦ nomine nihil aliud, quam alliatum intritum, intelligunt: ut & Latini quoque. Unde *moretarium alliatum* Donat. Phorm. II. 2. 4. quo Vaſcones fere ſemper pro condimento utuntur. Idem Donatus proverbium,

Tute hoc intriſti, tibi omne eſt exedendum.

Mihi quoque videtur & Callim. Fragm. Bentl. 282. eodem alluſiſſe, ubi hæc verba, ἣν ἐτρίψαντο μυσωτόν. Quod ſupplendum plane mihi videtur.

Τοῦς χρὴν ἐγκάπτειν, ἣν ἐτρίψαντο, μυσωτόν.

Ad verbum: *Exedere hos decuit, ſibi quod trivere, moretum.* Schol. Ariſtoph. ad Veſp. p. 312. Μυττωτὸν κυρίως τὸ ἐκ τῶν σκορόδων καὶ τύρου, καὶ ὄξους τρίμμα. Καὶ οὕτως ὠνομάσθη, ἀντὶ τοῦ μυσωτόν τι παρὰ τὸ μυσάττεσθαι τὴν ὀσμήν: εἴγε καὶ ὁ Καλλίμαχός φησιν: ἣν ἐτρίψαντο μυσωτόν. *Scalig. in Moretum. Voſſ. Lex. Etymol. Barth. Adv.* XXXV. 8. *Buleng. de Conviv.* II. 4. *Stuck. de Sacrif. p.* 75. *Scheffer. de Mil. nav.* IV. 1. *Grapald. de Part. dom.* II. 4. 26.

MORIENTES mandata dabant, quæ hæredes, legatariosve, aut eos, quorum fidem ſpectatam habebant, curare volebant, e quibus præcipue ea, quibus de funere cavebant. V. ſupr. in *Funus.* Deſiderabant amicos ſui eſſe memores. Suet. vit. Horat. n. 5. *Mæcenas quantopere Horatium dilexerit, ſatis monſtratur ejus extremis, tali ad Auguſtum elogio, Horatii Flacci, ut mei, memor eſto.* Aug. c. 100. n. 2. Auguſtus *in hac voce defecit: Livia noſtri conjugii memor vive, ac vale.* Tacit. Annal. II. 72. 1. Germanicus *ad uxorem verſus, per memoriam ſui oravit.* . . . . Inſcr. Vetus: VALE C. TERTULLE, & ESTO MEMOR PIETATIS PATERNÆ. *Briſſon. de Form.* VII. *p.* 673. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 21. *Pitiſc. in Suetonium.* Ultionem necis ſuæ alicui mandabant. Suet. Cal. c. 3. n. 9. Germanicus *non ultra progreſſus, quam ut mandaret domeſticis ultionem.* Veſp. c. 6. n. 8. *Jactatum exemplar epiſtolæ defuncti Othonis ad Veſpaſianum, extrema obteſtatione ultionem mandantis.* Tacit. Annal. II. 71. 8. *Juravere amici, dextram morientis, Germanici, contingentes, ſpiritum ante quam ultionem amiſſuros.* Briſſon. ibid. p. 674. Pitiſc. in Suetonii Caligulam. Mercurii numen invocabant, quippe quem animas ad inferos deducere credebant: itaque ſupremo ſumpto poculo, priusquam biberent, defundebant aliquid inſtar ἀπαρχῶν. Val. Max. II. 6. ubi hiſtoriam narrat matronæ veneni ſupremum poculum bibituræ: *Poculum, in quo venenum temperatum erat, conſtanti dextera arripuit. Tum defuſis Mercurio delibamentis, & invocato numine ejus, ut ſe placido itinere in meliorem ſedis infernæ deduceret partem, cupido hauſtu traxit mortiferam potionem.* Meurſ. de Funer. c. 2. Aras deorum complecti jubebantur, Senec. Herc. Fur. II. 2. 501.

Conjugia quoniam pervicax noſtra abnuis,
Regemque terres: ſceptra quid poſſint, ſcies.
Complectere aras, nullus eripiet deus
Te mihi.

Quo ſenſu accipio Plin. XXXV. 10. *Timanthi eſt Iphigenia, qua ſtante ad aras peritura.* Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. I. 13. Annulum tradebant uni ex hæredibus. V. ſupr. in *Annuli.* Verba ultima attenti excipiebant propinqui *morientis* lecto adſidentes. Nam divino aliquo inſtinctu, inflatuque incitatus *morientium* animus credebatur, qui urgentibus fatis perfectiorem haberet futurorum quandam prædictionem, & præſenſionem. Unde & illorum verba quam maxime annotarunt ſcriptores. *Morientis* Bruti verba annotavit Dio XLVII. p. 356. A. *O miſera virtus! cum nihil quam verba eſſes, ego te tanquam rem aliquam exercui; tu vero ſervis fortunæ.* Auguſti Suetonius modo laudatus. *Guther. de Jur. man.* I. 11. *Caſal. de Prof. Roman. rit. c.* 26. *Kemp. de Oſcul. Diſſert.* XX. §. 4--7. *Claſen. de Theol. gent.* I. 10. §. 11. *Pitiſc. in Suetonium.* Spiritum ore excipiebant, vultum vultui imponentes. V. infr. in *Spiritus.* Morte violenta ut caderent, ne quid indecorum in corpore poſſet videri, magna cum cura curabant. Eurip. Hecub. n. 569.

Aſt illa jam moriens, tamen
Sollicita multum eſt, condecenter ut cadat.

Q. Calab. I. 620.

Compoſite cadens ad terram, nec pudor
Formoſum corpus dedecorat.

Ovid. Faſt. II. 833.

Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat honeſte,
Reſpicit, hæc etiam cura cadentis erat.

Suet. Jul. c. 82. n. 3. *Utque animadvertit, undique ſe ſtrictis pugionibus peti, ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velata.* Mag. Miſcell. II. 21. Stanl. in Æſchyl. Agam. n. 2. Pitiſc. in Suetonium.

MORINI ſunt populi Belgarum, *Menapiis ad mare contermini.* Strab. IV. p. 134. Idem Ptolemæus, & Cæſar. *Pancіroll. Notit. dign. imp. occid. c.* 87. Horum regio circa Teruannam creditur eſſe. Habebantur hominum ultimi. Et *extremos hominum* vocat illos Virg. Æneid. VIII. 727. Quo etiam reſpicit Mel. III. 2. *Ab illis Oſiſmiis ait, iterum ad ſeptemtriones frons littorum reſpicit, pertinentque ad ultimos Gallicarum gentium Morinos, nec portu, quem Geſoriacum vocant, quicquam habent notius.* Hodie ſunt Flandri. *Bergier. de Viis milit.* I. *Sect.* 29. §. 7. III. *Sect.* 39. §. 16. *Cluver. Germ. Ant.* II. 28. Nec Julii Cæſaris ævo, nec diu poſt, ullas habuerunt urbes. Teſtatur hoc de *Morinis*, ac Menapiis verba faciens diſertis verbis Dio XXXIX. p. 111. B. *Neque urbes, ſeu oppida habent, ſed in tuguriis habitant.* Unde & ejus ævo, ac ſub Veſpaſiano, ejuſque filiis Tito & Domitiano Geſſoriacum non habuit nomen urbis, ſed tantum pagi, quod vicum notabat. Plin. IV. 17. *Deinde Menapii, Morini, Oromanſaci juncti pago, qui Geſſoriacus vocatur.* Neque putes hic per pagum intelligi totam regionem, qua ſignificatione ſæpe occurrit, quia gentis & regionis nomen, *Morini*, præceſſerunt. *Bergier. ibid.* III. *Sect.* 43. §. 5. *Cluver. l. l.*

MORIONES, ut ut deformes, & monſtroſi, in convivium animi gratia recipiebantur. Mart. III. 82. 24.

Opimianum morionibus nectar
Cryſtallinisque, murrhinisque propinat.

Horum formam, & elegantiam tangit idem VI. 39. 15

Hunc vero acuto capite, & auribus longis,
Quæ ſic moventur, ut ſolent aſellorum,
Quis morionis filium neget Cyrthæ?

Stuporem vero, cujus gratia inter cætera comparabantur, notat idem XIV. 210.

— *Morio*

Non mendax ſtupor eſt, nec fingitur arte doloſa,
Quiſquis plus juſto non ſapit, ille ſapit.

Chacon. de Triclin. p. 79. Pignor. de Serv. p. 186. Buleng. de Theatr. I. 44. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 7. Clem. Alexandr. Pædag. III. 4. conqueritur, *mulieres ſolitas ſolis accumbere iisdem in lectulis cum morionibus capite acuto, ludentes cum iis, & ſe oblectantes ſimiis illis portentoſis.* Buleng. l. l. Et ingentibus ſæpe pretiis emebantur: aliquando viginti millibus nummum, ſive ſeſtertiis mille. Indicans Mart. VIII. 13.

Morio dictus erat: viginti millibus emi:
Redde mihi nummos, Gargiliane, ſapit.

Meurſ. de Lux. Roman. c. 6. Buleng. l. l.

ΜΟΡΜΩ' fuit quædam femina monſtroſa, & facie quaſi ferina, & eousque formidabilis, ut qui ei etiam occurriſſent, ſtatim ſeſe proriperent. Hinc poſita fuit pro terriculo, terriculamento, lamia, & larva perſonarum; & in ſumma, pro monſtris illis, qualia nutrices noſtræ, ut pueris terrorem incutiant, nominant la beſana, la tantafera, la tregenda, l'orco, i battuti, & ſimilia. *Pinell. Additam. in Argol. de Lud. Circ.* II. 2. *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p.* 446. *F.*

ΜΟΡΜΟΛΥΚΕΙΑ dixerunt perſonas monſtra illa imitantes, quæ præſertim apud tragicos, ut horrorem augerent, in ſcena locum invenerunt. Heſychius: *Mormolucia, tragœdiarum perſonæ.* Et dicitur *mormolucium*, ut placet Euſtath. Iliad. Σ. p. 1204. Edit. Baſil. eo quod præ ſe ferat *terrorem mormûs & lupi potentiam.* Bourdin. Schol. Ariſtoph. in Theſmoph. p. 789. E. adjungit *perſonas eſſe haud tantum tragicorum, ſed & hypocritarum.* Innuens, ni fallor, non minus terroris afferre debere aſpectum *mormonum*, quam hypocritæ occurſus. *Pinell. Addit. in Argol. de Lud. Circ.* II. 2. *Buleng. de Theatr.* I. 2. *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p.* 446. *F.*

MORS nihil aliud eſt, quam rerum duarum, animæ ſcilicet, & corporis a ſe invicem diſſolutio. Plato Gorg. p. 557. Plutarch. Conſol. ad Apollon. p. 121. De *morte* ſic loquuntur Ethnici, ut dicant eam eſſe tranſitum ad meliorem vitam: & quo metum iſtius demerent hominibus, philoſophati ſunt, *quod ſomno ſit ſimilis.* Xenoph. de Expedit. Cyri VIII. p. 237. Hinc Diogenes Cynicus vocat ſomni fratrem. Nam cum paullo ante vitæ exitum ſomnus eum obruiſſet, medicus vero eum excitaſſet, quæſiſſetque, num gravius quippiam ipſi accidiſſet? dixit: *nihil frater, fratri antevertit ſomnus morti.* Plutarch. ibid. p. 107. Gorgias Leontinus in extremo vitæ poſitus, & bene ſenio confectus, adverſa valetudine correptus, paullatim in ſomnum prolabens jacebat. Rogatus, quo modo ſe haberet: *jam*, inquit *me ſomnus incipit ſuo fratri tradere.* Ælian. Var. hiſt. II. 34. Pauſan. Eliac. I. p. 165. narrat ſe ſimulacrum vidiſſe *mortis*, & ſomni: *Femina expreſſa eſt puerum conſopitum dextera album tenens, nigrum ſiniſtra, & hunc dormienti effigie, diſtortis utrinque pedibus. Indicant inſcriptiones, eorum puerorum unum mortem eſſe, alterum ſomnum: mulierem illam noctem, utriusque nutricem.* Cliſen. Theol. gent. I. 9. §. 1. Meurſ. Miſc. Lacon. I. 6. Turneb. Adv. XXVIII. 44. Putaverunt illam deum, ſive deam. Et inter illos Virg. Æneid. XI. 197.

Multa boum circa mactantur corpora Morti,
Setigerosque ſues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

Ubi Servius: *Aut in morte, aut Morti ipſi deæ. Statius: In ſcopulis Mors ſeva ſedet. Lucanus. Ipſamque vocatam quam petat a nobis mortem tibi cogeſ fateri.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 50. D. Pinaq. ell. in Alex. Gen. I. 13. Cerda in Virgilium, Cliſen. ibid. § 7. Berthald. de Ara c. 8. §. 4. Voſſ. de Idolol. III. 20. Nullas omnino aras, nulla templa habuiſſe tamen verbis diſertiſſimis ait Æſchylus:

Sola deûm mors non amat munera,
Nec ullus ei ſacrificat, aut libat in templis.
Sed ab ea dæmonum ſola aliena eſt ſuadela.
Nullam habet aram, non celebratur hymnis

Quo videtur reſpexiſſe Mart. IV. 54. 5.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, obſervant, quem ſtatuere, diem.

Sed hos errores convincimus non tantum auctoritate Servii; ſed etiam Æliani ab Euſtathio Æneid. IX. laudati, apud Gades templum *Morti* dicatum, Plutarchi in Cleom. p. 808. C. apud Lacedæmonios *Mortis* ſtatutum fuiſſe ſcribentium. *Tit. Loc. contr.* IV. 20. *Berthald & Meurſ. l. l.* itemque *Meurſ. de Fun. c.* 1. Cum lætitia ſe ad bibendum invitabant, etiam *mortis* reminiſcentiam intermiſcebant, ut apud Vibium Gallum in Controv. IX. 7. Senecæ his verbis: *Convivæ certe tui dicunt: bibamus, moriendum eſt.* Quem ritum etiam ſervatum, cum pueri miniſtri lumina menſæ inferrent, ſoliti ſimilia dicere, docemur ab Ammian. XVI. 8. *Malignitate ſimili quidam Agens in rebus in Hiſpania, ad cœnam iidem invitatus, cum inferentes veſpertina lumina pueros exclamaſſe audiſſet; vivamus, pereundum eſt.* Lipſ. Saturn. I. 16. Caſal. de Conviv. c. 1. Valeſ. in Ammianum. Sibi ipſi conſciſcere ubique fortiter factum prædicabant Stoici. Sed communi philoſophorum aliorum conſenſu merito damnatum eſt, qui pius omnibus retinendum animum in cuſtodia corporis eſſe docuerunt, nec injuſſu ejus, a quo ille eſt nobis datus, ex hominum vita migrandum, ne munus aſſignatum a Deo defugiſſe videamur: Nulli igitur ſua ſponte moriendum eſt: & cum corporum vinculis, & carcere detineamur, non decet quemquam ex his evolare, quia Deus poſſeſſor noſtri eſt, ut Socrates moriens olim monebat. Plato in Phædone. Quare iis, quibus etiam *mors* præſtaret, ſibimet prodeſſe non licet, ſed alium oportet exſpectare, qui proſit. Nec tamen honeſta fugienda eſt, ſed ſuo tempore cum gloria appetenda, cum naturæ ſit neceſſitas & finis, ad quem omnis honeſtæ vitæ ratio inſtituitur, quæ in *mortis* meditatione conſummata. Quid enim honeſtius, quid optandum magis eſſet, quam ubi lucem libertatis exſtinctam videris, bene volentibus ſatis miſerum hoc vitæ diverſorium commutare? Quid ſapienti acerbius, quam virtutis avitæ tacitum funus in dies ſpectare, lugereque illam facilius, quam juvare? Optanda quidem tum eſt, non fugienda, ſed nec occupanda: ut cum res fortiter, aut præclare dictæ, vel factæ exſtinxerint invidiam, ſempiterni nominis gloria apud poſteros celebretur, quam nullam aſſequi poſſunt, qui ſibi violentas manus intulerunt. Fugitivus enim illorum animus eſt, qui perpetuis malorum compedibus coercetur, æternaque poſt mortem infamia diſturbatur. Hoc genus *mortis* impuriſſimæ *informe letum* Virg. Æneid. XII. 603. & ibi Servius, *fœdam mortem* Liv. XLII. 28. *informem exitum* Tacit. Annal. VI. 49. 1. *tumultuarium mortis genus* Apulej. Met. I. p. 23. appellavit. *Guther. de Jur. man.* I. 9. V. ſupr. in Αὐτόχειρες & *Homicida ſui.* Mentionem *mortis* abominabantur veteres, Liv. XXX. 25. *Annibali jam terræ appropinquanti, juſſus e nauticis eſcendere in malum, ut ſpecularetur, quam tenerent, regionem, quum dixiſſet, ſepulcrum dirutum proram ſpectare, abominatus, prætervehi juſſo gubernatore, ad Leptim appulit claſſem.* Senec. Troad. III. 608.

— *fingit an quisquam hoc parens?*
Nec abominandæ mortis auſpicium pavet?
Auſpicia metuunt, qui nihil majus timent.

Suet. Claud. c. 46. n. 4. *In ultima cognitione pro tribunali acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis, quanquam abominantibus, qui audiebant, ſemel atque iterum pronuntiavit.* Pitiſc. in Suetonium: & mortuum dicebant abiiſſe. Feſtus: *Abitionem antiqui dicebant mortem.* Auctor de morte Druſi n. 238.

Actor abit operis, ſed tamen exſtat opus.

Phædr. IV. 19. 1.

Abiturus illuc, quo priores abierunt.

Eodem modo οἴχεσθαι, & οἰχόμενοι apud Græcos. *Meurſ. de Funer. c.* 1. *Scalig. & Dacer. in Feſtum. Scheffer in Phædrum.* Fuiſſe. Auctor de morte Druſi n. 148.

Jam-

Jamne meus non eſt, nec me facit ille parentem?
Jamne ſui Druſi mater? & ipſe ſuit?

Tibull. III. 5. 31.

Vivite felices, memores & vivite noſtri:
Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe velint.

Meurſ. l. l. Gatak. de Styl. Nov. teſtam. c. 19. Palmer. Spicil. XI. p. 806. Scalig. in Tibullum. Vixiſſe. Senec. Epiſt. 12. *Pacuvius, qui Syriam uſu ſuam fecit, cum vino & funebribus illis epulis ſe ſepeliſſet, quaſi ſibi parentaverit, ſic in cubiculum ferebatur a cœna, ut inter plauſus exoletorum hoc ad ſymphoniam caneretur, βεβίωκε, βεβίωκε.* Plaut. Pſeud. I. 3. 77.

Vixit amator, ubi lenoni placet.

Virg. Æneid. IV. 653.

Vixi: & quem dederat curſum fortuna, peregi.

Et Cicero de Catilinæ ſociis dicturus eſſe interfectos: alta voce dixit *vixerunt*. Plutarch. Cicer. p. 871. D. Qui & hæc addit: *Ita Romani vitantes verbi atrocitatem interfectos ſignificant eſſe.* Meurſ. Scal. Gatak. Palmer. l. l. Druſ. Quæſt. Hebraic. II. 15. Cerda in Virgilium. Voſſ. Inſtit. Orat. IV. 10. 9. Ad plures ſe penetraſſe. Plaut. Trin. II. 2. 13.

Quia ego ad hoc genus hominum duravi? quin prius
Me ad plures penetravi?

Victor. Var. Lect. II. 7. Alciat. Parerg. X. 13. Canter. Nov. Lect. IV. 18. Leopard. Emend. VI. 17. Voſſ. l. l. Taubmann. in Plautum. Præcocem credebant veteres a diis immitti propter commiſſum aliquod ſingulare. Suet. Tit. c. 10. n. 3. *Febrim nactus ſuſpexiſſe dicitur cælum, multumque conqueſtus: eripi ſibi vitam immerenti. neque enim exſtare ullum ſuum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno.* Eam ſuſpicionem, quantum poteſt, a ſe amolitur Cornelia apud Prop. IV. 12. 17.

Immatura licet, tamen huc non noxia veni.

Lapis Romæ ad Minervam apud Porcarios apud Gruter. Inſcript. p. 820. n. 1. PROCOPE MANUS LEBO CONTRA DEUM, QUI ME INNOCENTEM SUSTULIT, QUÆ VIXI ANN. XX. *Broukh. in Propertium. Barth. Adv.* XLIV. 26. *Puiſc. in Suetonium.*

Mors ſine arbitrio dicitur Tacit. Annal. XVI. 11. 5. *Accuſati poſt ſepulturam, decretumque ut more majorum punirentur, & Nero interceſſit, mortem ſine arbitrio permittens.* Qui accuſati fuerunt poſt L. Veteris ſepulturam, ex ſequentibus Taciti verbis conſtat eos eſſe, qui illi Veteri aliqua neceſſitate juncti eſſent. Fruſtra enim mortuis Nero *mortem* permiſiſſet, & poſt ſepulturam arbitrium. Quid vero ſit *mortem ſine arbitrio permittere* a multis dubitatum, qui receptam Taciti lectionem rejecerunt. Fab. Semeſt. II. 7. emendabat *ſuo arbitrio*. Hunc æmulatus Lipſ. n. 22. legit, *mortem ſine arbitro*. *Mors ſine arbitro* eſt ei libera, ſine domino, ſine judice. Et ſimile affert ex Annal. I. 26. 4. *An præmia ſub dominis, pœnas ſine arbitro eſſe?* Ego vero conſtanter pernego, tueorque vulgatam: *mortem enim ſine arbitrio permiſit Nero*, id eſt, ſine honorariis, ſine ordinatione, ſine pompa funeris, ſine teſtamento. Tacitum advoco lectionis ſuæ aſſertorem. Ille idem Annal. VI. 29. 2. *Damnati, publicatis bonis, ſepultura prohibebantur. Eorum, qui de ſe ſtatuebant, humabantur corpora, manebant teſtamenta, pretium feſtinandi.* Manebant ergo teſtamenta, id eſt, arbitria. Nam arbitrium pro teſtamento in jure uſurpari nemo aliquantum eruditus ignorat. Quod pro funeris pompa uſurpavit Horat. Od. IV. 7. 21.

Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria.

Quod male interpres intellexit: *cum de te Minos ſplendide judicaverit.* Nam ſplendide dicere legimus: judicare ſplendide nec Latinum eſt, nec uſitatum. Ita & loquitur Auſon. de Profeſſ. XX. 7. de arbitriis funeris, quæ ſunt honoraria, impenſæ, pretium, ordinatio funeris:

Quamvis externa tamen a regione reducit
Te patria, & civem morte obita repetit.
Cumque vagantem operam diviſæ impenderis urbi
Arbitrium de te ſumit origo ſuum.

Sequor auctorem Cicer. pro Dom. c. 37. *Videte prætextatos inimicos, nondum morte complorata arbitria petere funeris.* Oſtendit igitur Auſonius Sedatum rhetorem impenſa publica elatum, & ſepultum: ut in inſcriptionibus paſſim videre eſt multos, quibus impenſa funeris, & locus ſepulturæ publice decretus eſt. *Gutber. de Vet. jur. pontif.* II. 9. Quid ſit *mors* ſine honorariis, ipſe viderit. Arbitrium autem ſignificare pompam funeris, quis unquam audivit? Ego cenſeo nihil aliud ſignificare Tacitum, quam Neronem pro tribunitia poteſtate interceſſiſſe, ne ex Scto more majorum punirentur, ſed ut *mors* hæc, quam eligerent, ſine arbitrio aliorum, ſed ſuo, illis permitteretur, & indulgeretur, ne poſt *mortis* illud voluntariæ genus, alia quaſi morte, ſeu pœna afficerentur. Eſt conciſum genus loquendi. Aliter ſtatuit Gronov. Obſ. II. ſi vero reſpicias, ſed in ſententia loci nobiſcum facit, quem vide. *Arbitria funeris* apud Ciceronem non ſunt impenſæ, pretium, ordinatio funeris; ſed merces, quæ promiſſa erat ſatellitibus Clodii, ſi Cicero in exſilium eſſet ejectus: ut in Piſon. c. 9. *Atque eodem in templo, eodem & loci veſtigio, & temporis arbitria non mei ſolum, ſed patriæ funeris abſtuliſti.* Eſt enim arbitrium nonnunquam pecunia, merces, quæ ſolvitur ob jus aliquod, aut reipublicæ, aut privatis. Locus Auſonii nihil aliud notat, quam, cum operam navaſſes, & Burdigalenſibus, & Toloſanis, de mortuo tamen arbitrium ſibi ſumpſit, ſeu vindicavit origo, hoc eſt, patria tua, voluitque ut aut apud ſe condaris, aut ut inter ſuos profeſſores referaris, quamvis alibi ſis mortuus, & ſepultus. Locum Horatii olim recte dilucidarunt viri docti. Pompam funebrem Minos inferorum judex non curat, imo quicquid eſt pompæ, & fuci, jubet deponere, ut multis in locis lepide jocatur Lucian. in dial. mort. *Grav. Prolegom. ad Theſ. Antiq. Rom. Tom.* V. * * 4.

Mors naturalis eſt quædam, cum fatalem annorum ſummam confecimus, ut cum morimur in ſenectute profunda. *Mors* eſt etiam merita, ut quam bellorum caſus, & morbi intemperantia & cruditate quæſiti, aut ſcelera & crimina afferunt. Meruit enim mori, qui in aciem prodit. Hinc illud Æneæ apud Virg. Æneid. II. 434.

— & ſi fata fuiſſent
Ut caderem, meruiſſe manu.

Is quoque *mortem* laceſſit, qui luxurioſe, & intemperanter vivendo valetudinem labefactat. At nec fato, nec merita *morte* Dido occidebat: ſed *morte* immerita, ut ſubito furore correpta. Virg. Æneid. IV. 696.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.

Itaque fatali *morti*, & naturali, quæ contingit, cum quis non moritur ante diem. Virg. n. 697.

Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore.

Virgilius opponit. *Turneb. Adv.* XI. 19. V. etiam *Rhodig. Antiq. Lect.* XXI. 4. *Nann. Miſc.* VII. 17. *Cerd. ad Virgilium. Genial. Parerg.* I. 37.

MORTARIUM erat vas, in quo ſubigebatur mortarium. Ligneum nimirum, ſeu lapideum, in quo piſtillo ferreo, ligneove res duræ, & frangibiles teruntur. *Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 269. *a. B. Turneb. Adv.* XVI. 17. *Bald. Lex. Vitruv. Grapald. de Part. dom.* II. 4. §. 76.

Mortarium vocatur rudus pinſitum, & ſubactum. Vitruv. VIII. 7. *Mortario mixtum addatur.* VII. 3. *Calcisque duæ partes ad quinque mortarii.* In hoc addebantur & fragmenta cœmentorum, id eſt, lapidum, vel parva cœmenta, ut ex aliquot locis Vitruvii, & Plinii conſtat. Rudus ipſum, quod *mortarium* appellat Vitruvius, ex ſaxis contuſis componebatur. Inde eſt, quod recentiores cœmentum pro intrita ipſa, & ferrumine uſurparunt, & cœmentare pro lapides inter ſe in ſtructura nectere, & ferruminare. *Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 269. *a. B. Bald. Lexic. Vitruv. Voſſ. Lex. Etymol.*

Mortarium etiam vocatur lacus, conceptaculum, ſive alveus, in quo arenatum maceratur, ſubigitur, & aſſervatur. Vitruv. V. 12. *Et cœmentis ex mortario materia mixta.*

ta. VIII. 7. *Calx quam vehementissima mortario misceatur.* Plin. XXXVI. 23. *In Græcia tectorii etiam arenatum quod inducturi sunt, prius in mortario ligneis vectibus subigunt.* Inde & nos ἀλιτρίβανον sic dicimus. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 269. *a. B. Bald. Lexic. Vitruv. Barth. Adv.* VI. 17. *Voss. Lex. Etymol.*

MORTICINA dicuntur, quæ non mactata, sed per se mortua sunt. Serv. Æneid. IV. 518. *Morticina dicuntur, quæ de pecudibus sua sponte mortuis fiebant.* Voss. Lex. Etymol. Morestell. Pomp. Feral. II. 11.

MORTUALIA dicuntur omnia, quæ ad *mortuos* pertinent. Vestimenta, quæ in luctu sumuntur. Nævius Lycurgo:

Palliis, petagiis, crocotis, malacis, mortualibus.

Næniæ, seu carmina præficarum. Plaut. Asin. IV. 1. 63.

Hæc non sunt nugæ: non enim mortualia.

Voss. Lex. Etymol. in Mors. Kirchman. de Funer. II. 17. Turneb. Adv. XXIII. 8.

MORUM est pomum *mori* arboris, coloris, ubi maturuerit, nigri. Ovid. Met. IV. 165.

Nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater.

Horat. Sat. II. 4 22.

—— ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet.

Quod Horatii præceptum falsissimum est. Nam cum *mora* facile putrescant, prima potius mensa sumi debent. *Voss. Lex. Etymol. in Morus.* Qui Catii doctrinam defenderit, Galenum cum tota medicorum gente graviter offenderit. *Mora* enim quod leviter refrigerent, vacuo inferri ventriculo non improbant: at mala comminantur, si post alia cibaria sumantur. *Torrent. in Horatium.* Sed non dicit Catius, eum salubres æstates traducturum, qui postquam se obsonio expleverit: sed qui nihil præter *mora* nigra, & matura mane ex arbore decerpta in prandio comedet. *Lamb. in Horatium. Turneb. Adv.* I. 24. Quæ sententia non tam ridicula est, quam nonnulli existimant, si de æstivo, hoc est, levissimo prandio locum hunc interpretemur: quali in summis caloribus contenti esse debent, qui prolixe cœnaturi sunt; quemadmodum & hi, qui impense, vel ficus, vel pepones, aliosve fructus amant, nihil præterea mane obsonari, modo valetudini consulant. Atque ea, ni fallor, ratione sumpta *mora* adversus æstum plurimum profuerint. *Torrent. l. l.* Venia tantorum virorum longe aliter dicendum videtur. Poetam alludere hoc loco ad seculi sui morem, quo tempore in usu erat, fructus omnes cum bellariis reliquis ultima mensa mandere: non secus ac in lactuca quondam evenisse scimus, quæ, cum Augusti ævo solebat dapes claudere, sub Domitiano illas inchoare. V. supr. in *Lactuca.* Sic Plutarch. Sympos. VIII. 9. docet frigidas mensas a cauda ad caput traductas fuisse, ita ut, quæ ultimo loco olim adsumebantur, in primum postea locum migraverint. Itaque Horatius nihil aliud ex doctrina Catii vult dicere, nisi quod salubris sit *mororum* esus æstivo tempore: parum anxius, an primo, vel postremo loco essent sumenda; morem enim sui temporis respicit, quando scilicet postremo loco sumebantur: non secus ac hodierna die apud plerosque in Belgica moris est, ultima mensa illis vesci, nulla salubritatis cura. Catii enim catillonis, non medicorum doctrinam tota illa satyra exagitat. *Nonn. de Re cibar.* I. 30.

Morum etiam ex rubis inter bellaria est. Illa Græcis τὰ τῆς βάτου μῶρα, μῶρα βατώδη, & βάτινα dicuntur. Ovid. Met. I. 105.

—— in duris hærentia mora rubetis.

Sed hæc plurimum ab aliis callo differunt, magis etiam adstringunt: & si qui largius iis se impleverint, capitis dolorem incurrunt, alii stomacho anguntur; sed ab urbanis raro manduntur, sed voracibus pueris, rusticisque relinquuntur. *Nonn. de Re cibar.* I. 30. *Buleng. de Conviv.* II. 39.

MOS.

MOS quomodo differat ab instituto V. supr. in *Institutum.* Opponitur legi, ut jus non scritum scripto. Livius: *Tribuni plebis appellati negarunt, se in mora esse, quo minus, quod ei more majorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret.* Cicer. de Leg. II. 24. *Hoc habemus in duodecim, reliqua sunt in more.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 5.

MUC.

MUCCINIUM vocatur linteum, quo exceptatur nasi *muccus.* Arnob. II. p. 59. *Indicet, in quos habitus vestis stragula facta sit, muccinium. . . .* Turneb. Adv. XIII. 14. Casaub. in Vopisc. Aurelian. c. 48. Elmenhorst. in Arnobium.

MUCIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

MUG.

MUGIL, sive *mugilis* olim in podicem adulterorum immittebatur. Catull. XV. 19.

Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique, mugilesque.

Juven. Sat. X. 317.

—— quosdam mœchos & mugilis intrat.

Ubi Schol. *Piscis grandis capitis, postremis exilis, qui in podicem mœchorum deprehensorum solebat immitti.* Voss. de Idolol. IV. 49. Casaub. in Athen. I. 5. Grang. in Juvenalem.

MUGILLANI Papisii tres consulatus, tribunatus militares cum consulari potestate totidem, & censuram consecuti sunt. I. L. Papisius anno post Romam conditam 309. cum L. Sempronio Atratino consul suffectus fuit tribunis militum, qui eo anno primum cum consulari potestate creari cœpti, quod vitio creati dicerentur. Censor anno proximo cum eodem factus est. Iterum consul fuit cum C. Servilio Ahala an. 326. Hunc eundem invenio Interregem fuisse an. 333. II. L. *Mugillanus* tribunus militum fuit ante eum annum, qui fortasse idem Interrex fuit. III. M. *Mugillanus* bis tribunus militum fuit an. 335. & 337. & consul quinquennio post tribunatum posteriorem cum C. Nautio Rutilo. Occisus est Urbe a Gallis capta an. 363. cum in sella curuli sedenti Gallus barbam prius demulcere cœpisset, isque scipione eburneo Gallum percussisset. *August. de Fam. Rom. in Papiria.*

MUGITUS imaginum, μύκη ἀγαλμάτων, dicebatur, cum imaginum voces sibi audire viderentur. Apollon. Argon. IV. 1286.

Aut cum sponte sua simulacra sanguine sudant,
Aut mugitus audire in templis nobis videmur.

Buleng. de Omin. c. 2.

Mugitus terræ inter prodigia censebatur. Senec. Oedip. I. 173.

—— mugisse solum

III. 576.

—— terra se retro dedit,
Gemuitque penitus.

Claud. de Rapt. Proserp. II. 152.

Ecce repens mugire fragor.

Buleng. de Terr. mot. c. 18.

MUGONIA porta. V. illam infr. in *Porta.*

MUL.

MULI, *mulæve*, quia istorum pretia luxus fecit, supra equos valebant. Plaut. Aul. III. 5. 20.

Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sient viliores Gallicis cantheriis.

Quid

Quid equos dico? parum hoc est: ipsas mox etiam domos superarunt, puta tenuiorum civium. Mart. III. 62. 6.

Quod pluris mula est, quam domus, empta tibi.

Meurs. de Lux. Roman. c. 11. *Mulorum* usus in re vehiculari fuit longe frequentissimus. Atque apud Homer. Iliad Ω. Priami Regis Nausicaæ filiæ regiæ: Alcinoi Odyss. Z. currum ducunt. Etiam Medea, filia regia apud Apollon. III. 840. jubet *mulos adjungere vehiculo.* Unde constat magna in dignatione apud veteres fuisse. Neque post eviluerunt. De Nerone Suet. c. 30. n. 10. *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis.* De Vespasiano idem c. 23. n. 6. *Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desiluisse.* Nota, *mulas* utrobique dici, non *mulos.* Illarum enim usus crebrior ad vehicula. Inde videas carpenta cum *mulabus* in nummis Agrippinæ, matris Caji; Domitillæ, conjugis Vespasiani; Faustinæ conjugis Antonini, & aliarum. Et *mulas* per *delicatiora jumenta* intelligit Plin. XXXIII. 3. *Nostra ætate Poppæa, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat.* Præter Imperatores, & ipsorum conjuges, etiam aliæ opulentiores, & honestiores feminæ ad vehicula habebant *mulas.* Inde SCtum Heliogabali apud Lamprid. c. 4. cum luxu earum usu fieret promiscuus, de matronis: *quæ asino veheretur, quæ carpento mulari.* Et solebant a maritis exigere, præsertim locupletiores, & clariores. Eo respexit Tertull. ad Uxor. II. 5. his verbis: *Unde, nisi a diabolo maritum petant bonum exhibendæ sellæ, & mulabus.* Viris quoque in dignitate constitutis serviebant in vehiculis. Præsidibus provinciarum sane Alexander Severus constituit *mulas senas, mulos binos*, cum in aliquam dimitteret provinciam apud Lamprid. c. 42. Ubi Salmasius bene annotavit, *mulas* petiisse ad rhedas, vel carrucas. Dicit Lampridius Severum hoc fecisse *exemplo veterum.* Sed veteres illi tantum de *mulis* loquuntur. Livius & Suetonius. V. illos supr. in *Magistratus provinciales.* Habebant illos non ad carpenta, vel carrucas, verum clitellarios. Postea mollitie crescente sumpsisse quoque ad carrucas videntur, easque *mulas.* Usurparunt certe & alii. Inde *mularum carrucariarum* mentio apud Ulpianum l. 38. §. 8. ff. de edict. ædil. *Quæsitum est, si mula talis sit, ut transjungi non possit, an sana sit? & ait Pomponius sanam esse, plerasque denique carrucarias tales esse, ut non possint transjungi.* In his data opera, ut essent nitidæ, ut ejusdem omnes coloris. Senec. Epist. 87. *Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ, unius omnes coloris?* Et inde, ut jam dictum, pretia illarum augebantur. Habuerunt etiam *mulos* in cursu publico. Inde Arcadius & Honorius Imperatores l. 53. C. de curs. publ. *Si quis vel per unam mutationem veredum, mulamve superducendam esse crediderit. . . .* Et nominatim in fiscali rheda. Sulp. Sev. Dial. II. c. 4. *Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat. Consurgunt deinde omnes pariter in verbera. Consumit Gallicas mularum pœna mastigias.* Solebant quoque jungi vehiculis vulgaribus, quibus iter faciebant. Hinc Auson. Epist. VIII. 5. & XIV. 15. V. illum infr. in *Petorritum.* Scheffer. de Re vehic. I. 8. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. *Mulis* quoque *celebrabantur ludi in circo maximo consuales, quod id genus quadrupedum primum putatur cœptum jungi currui, & vehiculo. Mulus vehiculo lunæ adhibebatur, quod tam sterilis sit, quam mulus: vel quod ut mulus non suo genere, sed equi creetur, sic ea solis, non suo fulgore luceat.* Festus. Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 3. Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Consualibus ab opere erant immunes, & coronabantur floribus. V. supr. in *Consualia.*

Mulus centuriatus erat communis toti centuriæ ad sarcinas vehendas. Vopisc. Aurelian. c. 7. *Mulum centuriatum communiter curent.* Turneb. Adv. XVIII. 19. Casaub. & Salmas. in Vopiscum.

MULIER proprie non est homo. *Homini* enim *mulierem* opponit Paullus laudatus supr. in *Abortio.* Cujac. Observ. VI. 21. Etiam homo est. Cajus l. 152. ff. de verb. signif. *Hominis appellatione tam feminam, quam masculum contineri non dubitamus.* Julian. l. 62. ff. de Legat. III. *Semper sexus masculinus etiam femininum sexum continet*, non quidem extensivæ interpretationis beneficio, sed maxime vi, & proprietate sermonis: quod pluribus exsequutus sum in l. 2. p. 1. C. de in jus vocando. Paullus per disjunctam istam orationem, *mulier, aut homo*, non ita inter mulierem, & hominem distinguit, ut hominis appellatione masculum sexum duntaxat, non etiam femineum contineri velit. Agit enim de pœna illi infligenda, qui abortionis, aut amatorium poculum propinavit: & quidem si eo *mulier, aut homo perierit*, propinantem summo supplicio afficiendam esse ait. Abortionis poculum quod datur, ut partus conceptus abigatur, soli *mulieri* propinatur: cujus uti proprium est concipere; ita & conceptum tueri, ut abortus evitetur l. quæritur ff. de ædil. edict. Ut conceptio, ita & abortio in nullos viros, sed solas cadit feminas. Solis ergo his abortionis poculum datur. At amatorium poculum, ut ad excitandam amorem, vel viri, vel feminæ, conficitur: ita tam viro, quam feminæ propinari potest. Utrumque igitur poculum Paullus in proposita quæstione conjungens, distinctionis fœdere utitur, & negotium illud ita decidit, non quidem ut *mulierem* & *hominem* invicem opponat; sed ut singulis poculis singulos per relationem subjiciat: poculo scilicet abortionis *mulierem*, quam solam abortire posse constat; poculo amatorio hominem, utrumque sexum comprehendentem: cum certum sit, utrique sexui hoc propinari posse. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 450. Nec sexus speciem mutat: quia discrimen non ab anima petitur, sed corporis, partiumque ejus dispositione. Unde Nazianz. Orat. XI. p. 184. Edit. Morell. *O femineam* Gorgoniæ *naturam, quæ, propter commune salutis certamen, virilem naturam superasti: atque illud ostendisti, marem, & feminam, corporis, non item animæ, discrimen esse.* Idem sensit S. Julitta, beata illa martyr *mulieres* ad constantem fidei Christianæ confessionem adhortans apud Basil. Homil. in illam p. 369. Edit. Paris. Sonnii: *Eadem massa, qua viri, & ipsæ constamus. Ad imaginem Dei, perinde ac illi, & nos conditæ sumus. Opifex, æque ac viros, honore nos illo decoravit, ut virtutis*, non modo moralis, prout in gentiles cadit: sed etiam, ut ex fide proficiscitur, ac pietatis Christianæ propria est, & promissionem habet vitæ æternæ; nam & *mulier* Servatorem habet Jesum Christum, & templum est Spiritus Sancti, *essemus capaces. Quid mirum, quando viris per omnia consanguineæ sumus?* Recte, cum mulier Adamo similis dicatur. Nam Dei verba sunt Gen. c. 2. n. 18, ut LXX reddidere, ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθὸν κατ' αὐτόν, *faciamus ei adjutorium secundum eum*, hoc est, *ei simile*, ut vulgatus vertit interpres. At si *mulier* similis sit viro, etiam similis sit Deo, ad cujus similitudinem Adam conditus est. Atque idem apertius ostendit Moses Gen. c. 1. n. 27. *Creavit Deus hominem in imagine sua: in imagine Dei creavit eum, marem & feminam creavit eos.* Ubi non modo utrumque ad imaginem Dei conditum, sed etiam hominem esse utrumque, satis clare pronuntiatur. *Voss. de Idolol.* III. 48. Quæ coemptionem faciebat, Caja vocabatur. V. supr. in *Caja.* Quinquagenaria, ut scripsit Plin. VII. 14. raro gignit, & ejus partus mirabiles Justin. l. si major de legit. hær. altera constitutione appellat. Et Paull. l. si sterilis de act. em. *Si sterilis ancilla sit, cujus partus venit, vel major annis quinquaginta, cum id emptor ignoraverit, ex empto tenetur venditor.* Quamobrem, cum ille, qui quinquagenariam *mulierem* duceret, ex aliis liberos habere posset, prohibitus est lege Papia, ne quinquagenariam duceret. *August. de Leg. in Julia.* Faciem larvæ inclusam continebant in publicum prodituræ, in ipso domus limine detrahebant, ut ad primum aspectum omnium ora in se converterent: in publico tectorio aliquo abscondebant, ne libidinantium oculorum adspectum satiarent: lacte asinino macerabant; pigmento decolorabant. V. supr. in *Faciem* Creta exhilarabant. V. supr. in *Creta.* Frontem nimbis imbuebant. V. infr. in *Nimbus.* *Ad hæreditates legitimas ultra consanguineas*

sorores-

forores non admittebantur, idque jure civili, id eſt, Voconia rogatione videtur effectum. Paull. Sent. IV. tit. 8. Lex tamen XII. tab. nulla diſcretione ſexus cognatos admittebat. Ex quibus verbis cognoſcimus ex hac lege manaſſe, quod Juſtin. l. lege 12. tab. C. de leg. hær. inſtit. de leg. adgn. ſuc. §. cæterum, queritur, poſt XII. tab. feminas exceptis filiabus, & ſororibus conſanguineis eſſe novis legibus, quam mediam jurisprudentiam appellat, legitima ſucceſſione excluſas. Quamvis hac quoque in parte Voconiæ legi derogatum eſt Juſtiniani conſtitutione, ante quem prætores eis ſubvenerant data bonorum poſſeſſione, quæ *unde proximi cognati* appellatur. Quamobrem quod Gell. XX. 1. ſcribit nihil *utilius fuiſſe plebiſcito Voconio de coercendis mulierum hæreditatibus, obliteratum tamen eſſe civitatis opulentia*, exiſtimo eum ad prætorum edicta reſpexiſſe. Fieri tamen poteſt, ut jam tum tota lex in uſu eſſe deſierit. De qua Auguſt. in de Civit. Dei III. 21. *Inter ſecundum, & poſtremum bellum Carthaginenſe lata eſt lex Voconia, ne quis hæredem feminam faceret, nec unicam filiam. Qua lege quid iniquius dici, aut cogitari poſſit, ignoro.* Et hæc iniquitas fecit, ut lex abrogaretur, vel moribus, vel ſcriptis legibus. *Auguſt. ibid. in Voconia §. 2. Fab. in tit. de div. reg. jur. ad* l. 11. Propter infirmitatem conſilii erant in perpetua tutela. V. ſupr. in *Lex Claudia*, & infr. in *Tutela*. Officia publica, & civilia non poſſunt adminiſtrare. Ulpian. de div. reg. jur. l. 2. *Feminæ ab omnibus officiis civilibus; vel publicis remotæ ſunt, & ideo nec judices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores exiſtere.* Calliſtr. l. pen. de edend. *Ab omni opere virili feminæ removeri conſueverunt.* Nerat. l. ult. de tutel. *Feminæ tutores dare non poſſunt quia munus illud maſculorum eſt.* Quod autem judices eſſe non potuerint, hoc inde evenire teſtatur Paull. l. 12. §. 2. de Judic. *quia receptum eſt, ut civilibus officiis mulieres non fungantur.* Ræward. & Fab. l. l. Et jurare, & deferre jusjurandum poſſunt l. 3. §. unde Marcell. ſi patronus. l. qui juraſſe ff. hoc tit. *Ticher. de Jurejur. c. 2.* Teſtimonii dicendi jus illis non fuiſſe ſignificat Gell. VI. 7. his verbis: *Inter honores, qui plurimi Tarratiæ Veſtali virgini ſunt habiti, jus quoque teſtimonii dicendi tribuitur, teſtabiliſque una omnium feminarum ut ſit, datur.* Juſtin. Inſtit. II. 10. §. 7. *Mulier non poteſt in numerum teſtium adhiberi.* Licuiſſe tamen teſtimonium dicere, ſi quidem non licuiſſe de adulterio damnatis, his verbis indicat Paull. l. 18. ff. de Teſtibus: *Ex eo, quod prohibet lex Julia de adulteriis, teſtimonium dicere condemnatam mulierem: colligitur, etiam mulieres teſtimonii in judicio dicendi jus habere.* Manut. de Leg. c. 15. Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 50. *Quæ ſe capite non diminuerat*, id eſt, emancipata non erat, *ſi teſtamentum feciſſet, ſecundum eas tabulas poſſeſſio ex edicto prætoris dari non poterat.* Cicer. Topic. c. 4. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 22. Neque frumentum moluiſſe, neque cibum videntur coxiſſe. Ita enim Plutarch. Quæſt. Rom. 84. *Antiquitus neque molere ſinebant, neque coquere, memoria pactorum cum Sabinis initorum. Poſt raptum enim Sabinarum, & bellum pace mutatum, id quoque in pactis ſcriptum fuit, mulierem viro Romano nuptam neque molere debere, neque coquere.* Sed Plutarcho adverſatur Plin. XVIII. 11. dum ſcribit: *Piſtores Romæ non fuerunt ad Perſicum uſque bellum, annis ab Urbe condita 580. Ipſi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, ſicut etiam in plurimis gentium. Artoptam Plautus appellat in fabula, quam Aulularıam ſcripſit: magna ob id concertatione eruditorum, an is verſus poetæ ſit illius: certumque ſit, A. Ateji Capitonis ſententia, toſtum panem lautioribus coquere ſolitos: piſtoreſque tantum eos, qui far pinſebant, nominatos.* Quid, quod uxor Catonis pinſendi, hoc eſt, panes ſaltem lautiores coquendi laborem a ſua dignitate non putavit alienum, ut refert Plutarchus. Etiam paſtoribus cibaria expediiſſe colligo ex Varr. de Re ruſt. II. 10. *Qui ſunt in ſaltibus, & ſylveſtribus locis paſcunt, & non villa, ſed caſis repentinos imbres vitant: his mulieres adjungere, quæ ſequantur greges, ac cibaria paſtoribus expediant, eoſque aſſiduiores faciant, utile arbitrati ſunt multi.* Tempora igitur diſtinguenda. Primo Urbis conditæ initio forſan obtinuerit, ut *mulieres* cibum non coquerent, poſtea tamen factum fuerit. Et hoc pactum cum Sabinis initum non diu fuerit ſervatum, quia Plutarchus dicit hoc *antiquitus* in more fuiſſe, non ſua ætate. Nec interfuit Sabinorum id ratum haberi; nam ſua in civitatem Romanam commigratione Romani ſunt facti, & Sabini eſſe deſierunt. *Pincier. Otii Marpurg.* III. 12. *Boxhorn. in Plutarchum. Stuck. Ant. Conv.* II. 13. *Nonn. de Re cibar.* I. 5. *Hering. de Molend. q.* 4. §. 27. Ad opus ſalinarum, ſeu ſalis conficiendi damnabantur l. 6. ff. de captiv. *Mulier in opus ſalinarum ob maleficium data, & deinde a latrunculis exteræ gentis capta, & jure commercii vendita, ac redempta in cauſam ſuam recidit.* Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 15. Cujac. Obſerv. III. 3. Hering. l. l. Quamdiu virum defunctum lugere deberet. V. ſupr. in *Luctus*. Prægnantis ultimo ſupplicio damnatæ pœnam Romanorum legibus differri, quoad pepererit, etiam remotis a profeſſione noſtra hominibus notum eſt. Quintil. Declam. 277. *Supplicium prægnantis lex differri in diem partus jubet.* Nec vero Romanorum proprium hoc jus fuit. Eo enim Athenienſes eſſe uſos, indicio eſt, quod veneficii apud Areopagitas poſtulatam prægnantem *mulierem*, cum in ea cauſa eſſet, ut capitis damnaretur, de conſilii ſententia ſervatam eſſe dum partum edidiſſet, memorat Ælian. V. H. 18. *Briſſon. Antiq. Select.* II. 20. *Perizon. & Scheffer. in Ælianum.* Inter regias leges etiam hæc fuit: *ne mulier, quæ prægnans mortua eſſet, humaretur, antequam partus ei excideretur: qui contra feciſſet, ut is ſpem animantis cum gravida peremiſſe videretur.* Quam legem humanitatis pleniſſimam conſervavit nobis Marcellus l. 2. ff. de mort. infer. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. claſſ.* I. *cap.* 3. V. etiam ſupr. in *Lex regia*. Et plura ſupr. in *Feminæ*.

Mulier uſuraria. V. illam infr. in *Uxor*.

MULIO erat ſervus, qui *mulos* clitellarios, ſive quadrigarios ducebat, & de urbano miniſterio; niſi propter opus ruſticum teſtator eos deſtinatos habeat. De hoc Ulpian. l. 12. §. 9. de inſtr. vel inſtrum. *Item oſtiarium, mulionemque inſtrumenti eſſe conſtat.* Alfen. l. 60. §. 1. ff. de leg. III. *Servis, & ancillis urbanis legatis agaſonem, mulionem legato non contineri reſpondi.* Juven. III. 317.

Nam mihi commota jam dudum mulio virga.

Popm. de Oper. ſerv. p. 98. Pignor. de Serv. p. 429. Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 6. Barth. Adv. VI. 8.

Mulio perpetuarius eſt, qui in perpetuum jumenta ſequitur, non ad certum tempus deſtinatus, ſed qui omnem vitam illi negotio impendit. Vel qui conducitur, ne iter pro lubitu interjungat, ſed perpetuo a diluculo ad veſperum iter facere cogitur. Seneca de Hercule in Ludo Claudii: *Tu autem qui plura loca calcaſti, quam ullus mulio perpetuarius.* Barth. Adv. VI. 8.

MULLEUS ἁπλῶς dicitur, vel *mulleus calceus*. Priori modo Titinn. apud Feſtum: Poſteriori Cato apud Feſtum. V. bis laudatum ſupr. in *Calceus*. & Vopiſc. Aurel. c. 49. etiam laudatum ſupr. in *Calceus*. . . . Voſſ. Lex. Etymol. Differt a campago, qui fuit de genere crepidarum, & ſolearum; *mulleus* autem Romanus calceus, & cum toga ſumptus, id eſt, cavus, & ſolide tibiam veſtiens ad mediam. *Ferrar. Anal. de Re veſt. c.* 37. a cothurno. V. ſupr. in *Cothurnus*. Aliis fuit altior. Id de Julii Cæſaris lautitiis ubi loquitur, non obſcure indicat Dio XLIII. p. 234. E. V. illum ſupr. in *Calceus*. Et hanc *mulleorum* compoſitionem ſuadet etiam hodierna noſtrorum ſtructura, quos ita ſimplicioribus calceis editiores geſtare ſolemus. *Baldum. de Calc. ant. c.* 10. Ruber, ſive puniceus. Dio modo laudatus. Quare Lamprid. Alex. Sev. c. 40. notat ipſum præter morem Imperatorum feciſſe, quod *baxeis albis uteretur, non coccineis, ut prius ſolebant.* Et ideo *mulleos* paſſim Græci auctores ὑποδήματα, ſeu πέδιλα ἐρυθρὰ, & ἐρυθρόχροα, ſeu φοινικόχροα appellant. *Balduin. l. l. Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 391. *Byn. de Calc. Hebr.* I. 3. 11. *Voſſ. de Idolol.* IV. 5. Uncinatus erat. Feſtus laudatus in *Calceus*, quia uncinis, & clavis confixus eſſet. *Scalig. ad Feſtum.* Potius quod repandus eſſet & acuminatus. *Ferrar.*

Ferrar. ibid. c. 32. *Salmaſ. l. l.* His ſic confectis, & aſſectis primum Reges Albani, qui olim in Italia imperitabant, uſi fuerunt. Feſtus: *Mulleos genus calceorum ajunt eſſe, quibus Reges Albanorum primi uſi ſunt*, ut a cæteris facile poſſent internoſci, auguſtioremque ipſo pedum calceatu, ut & cætero veſtium apparatu majeſtatem ſibi conciliarent. Et Romani. Etenim & Romulus *calceis utebatur rubris*. ut ait Zonar. Annal. II. A Regibus illorum uſum, qui deinceps in Republica Romana cæteris nobilitate præcelluerunt patricii, & qui magiſtratum curulem geſſerant. Feſtus: *Mulleis deinde patricii uſi ſunt. M. Cato Orig.* VII. *Qui magiſtratum curulem cepiſſet, calceos mulleos, alii uncinatos, cæteri perones.* Ruben. de Re veſt. II. 1. Ferrar. & Balduin. l. l. Rævard. Var. I. 8. Laurent. de Re veſtiar. c. 5. Feſti locus plane defectus videtur. Ut probet *patricios mulleis uſos fuiſſe*, adducit Catonem. Sed apud Catonem nihil de patriciis, ſed de iis modo, *qui magiſtratum curulem cepiſſent.* Quid cæteri patricii, nondum magiſtratu functi, & num patricii tantum magiſtratum curulem capiebant? Aut igitur aliquid deeſt in verbis Feſti, aut ejus, ſive Catonis ſententia eſt, eos, qui magiſtratum curulem cepiſſent, *mulleos calceos* geſtaſſe, *cum alii uncinatos, cæteri perones.* Ferrar. l. l. Et hi olim tanto loco habiti, ut qui in curuli magiſtratu erant, non eos ubique, & ſemper geſtarent, ſed diebus tantum ſollennioribus, & ludorum celebratione, & cum thenſis ducerent, camque triumpharent. De iis exſtat vetus in lapide, qui ad C. Marii memoriam Arimini poſitus eſt, monumentum, his verbis:

DE. MANUBIIS. CIMBRICIS. ET
TEUTONICIS. ÆDEM. HONORI
VICTOR. FECIT. VESTE. TRIUM
PHALI. CALCEIS. PUNICEIS

Caſaub. in Suet. Jul. c. 49. *Salmaſ. ad Vopiſc. Aurel. c* 49. *Baldum. Ruben. & Ferrar. l. l. Byn. ibid.* §. 12. *Saubert. de Sacrif. c.* 9. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 342. Poſteriori ævo hic mos geſtandi calceos rubros ad Imperatores tranſiit. V. ſupr. in *Calceus.*

MULLUS eſt rubro colore, ſed moriens varios induit colores. Senec. Nat. Quæſt. III. 18. *Nihil eſt mullo exſpirante formoſius. Ipſa colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pallor ſuffunditur: quam æque variatur, & in certa facies inter vitam & mortem coloris eſt.* Buleng. de Conviv. II. 26. Plin. IX. 17. *Mullum exſpirantem verſicolori quadam, & numeroſa varietate ſpectari proceres gulæ narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem, utique ſi vitro ſpectetur incluſus.* Meurſ. de Lux. Roman. c. 14. *Mullis ex reliqua nobilitate, & gratia maxima eſt, & copia, ſicut magnitudo modica: binasque libras raro admodum exſuperant: barba gemina inſigniuntur inferiori labro.* Plin. l. l. Unde *barbati* dicuntur. Varr. de Re ruſt. III. 17. *Celerius voluntate Hortenſii ex equili educeres, ut tibi haberes, mulus, quam e piſcina barbatum mullum.* Et vernacula lingua *barbi*, & *barbones*. Quanta cura *mullum* aluerint gulæ proceres, docet Varro. *Majorem curam ſibi haberet* Q. Hortenſius, *ne ejus eſurirent mulli, quam ego habeo, ne mei in Roſea eſuriant aſini.* Quo factu *mullum* ederint ventres delicatiores, curatius narrat Senec. Nat. Quæſt. III. 18. *Piſc. in Suet. Tib. c.* 34. *n.* 2. Petebatur a longinquis regionibus. Juven. Sat. V. 92.

Mullus erat domino, quem miſit Corſica, vel quem
Tauromitanæ rupes quando omne peractum eſt,
Et jam defecit noſtrum mare.

Meurſ. & Nonn. l. l. Fuerunt olim in deliciis hepar, & caput. Subit Galen. de Aliment. facult. III. 27. aliquando ſe rogaſſe quendam, qui grandi pretio ingentes elect *mullos* mercatus; cur eos piſces tantopere expeteret: illum reſpondiſſe, duo eſſe in capiti, hepar & caput. Aetius II. 79. *Admiramur quidem ipſius jecur, & cerebrum voluptatis cauſa.* Hepar non ſolum per ſe edi ſolebat: ſed etiam imponebatur oleo, & garo, cum vini pauxillo: inque his eo uſque comminuebatur, donec ex iis ſuccus fieret uni-

cus, in quo *mulli* carnes, quas ederent, tingebant. Illorum barbæ, jam Domitiani ævo, magno ſunt loco habitæ. Juven. VI. 39.

— *carvurus turture magno,*
Mullorumque jubis.

Ubi vetus interpres *jubas* interpretatur *criſtas*: male profecto. Plane enim, abuſione duriori, ſed poetæ conceſſa, *jubas* pro *barbis* dixit. Lamp id. Heliog. c. 20. *Barbas ſane mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro naſturtiis, & apiaſtris, & facelaribus, & fœnogræco exhiberet plenis fabatariis, & diſcis: quod præcipue ſtupendum eſt.* Certe ſtupendum hoc, & pæne incredibile: immenſi enim copia opus fuit, ut illorum barbæ diſcos capaciſſimos implerent, cum geminæ tantum illis ſint, nec omnibus quidem. *Voſſ. de Idolol.* IV. 25. *Caſaub. in Lampridium. Nonn. l. l.* Pretium erat immane temporibus Tiberii Cæſaris. Indicant illa Senec. Epiſt. 95. *Tiberius Cæſar mullum ſibi, cum in macellum deferri, & venire juſſiſſet; Amici, inquit, omnia me fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius. Ultra ſpem illi conjectura proceſſit. Licitati ſunt: vicit Octavius, & ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cum quinque millibus HS,* ſive ducentis quinquaginta florenis, *emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, ne Apicius quidem emerat.* Apud Juven. Sat. IV. 15. Criſpinus

—— *mullum ſex millibus emit*
Æquantem ſane paribus ſeſtertia libris.

id eſt, florenis trecentis. Aſinius Celer ſeptem millibus, id eſt, trecentis quinquaginta florenis. Macrob. Sat. II. 12. *Aſinius Celer, vir conſularis, mullum unum ſeptem millibus nummum mercatus eſt.* Sed Tertull. de Pall. c. 5. ſex tantum millia narrat. *Aſinius Celer mulli unius obſonium* VI. *HS. dedit.* Plin. IX. 17. octo. *Aſinius Celer hoc piſce prodigus, Cajo principe, unum mercatus eſt octo millibus nummum.* Fuerunt, qui emerent decem millibus, ſive florenis quingentis. Suet. Tib. c. 34. n. 2. *Tres mullos triginta millibus nummum veniſſe, graviter conqueſtus.* Meurſ. & Voſſ. l. l. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 12. Baccius de Conviv. IV. p. 162. Bruyer. de Re Cibar. III. 2: XIX. 2. Lipſ. de Magnit. Roman. IV. 7.

MULOMEDICI vocantur *medici* brutorum. Ita legit Accurſius l. 1. C. de excuſat. artif. Firmic. VIII. 13. *Hoc oriente qui natus fuerit, aut erit mulomedicus.* In Baſilicis ſcriptum eſt: *medici, & equorum medici.* *Medici equarii* Val. Max. IX. 15. 2. *Herophilus equarius medicus.* Panciroll. de Corpor. artif. §. 2. Brod. Miſc. X. 10. Spanhem. de Præſt. num. diſſ. IX. p. 809. Rhodig. Ant. Lect. XXVI. 31. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 15. Scheffer. de Re Vehic. I. 17. Hugo de Milit. Equeſt. III. 1.

MULSA eſt aqua melle temperata. Græcis μελίκρατον, vel etiam ὑδρόμελι dicitur: quanquam duo hæc nomina, nunc eandem rem, nunc diverſam videntur ſignificare. Diſtinguit illa Dioſcor. V. 9. Melicratum enim fieri dicit ex una mellis menſura, & duabus aquæ cœleſtis mixtis, & inſolatis: quæ vero majori apparatu *mulſa*, a quibusdam hydromel appellatur: eſſe præterea, qui hydromeli vocant *mulſam* aquam, quæ lotis aqua favis confecta fuerit. Frequentius tamen confunduntur ab aliis ſcriptoribus. In illis hallucinatur Iſidor. XX. 3. *Hydromelum, quod fiat ex aqua, & malis Matianis. Melicratum, vinum melle mixtum.* Pollux VI. 2. *Melicratum, quod nunc œnomeli vocant. Mulſum enim eſt œnomeli, mulſa melicratum.* V. infr. in *Mulſum*. Nonn. de Re cibar. IV. 14. Alciat. Parerg. IX. 2. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 538.

MULSUM eſt vinum melle conditum. E Maſſico vino, & melle Attico cum primis commendat Mart. IV. 13. 3.

Tam bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo:
Maſſica Theſeis quam bene vina favis.

Et tanti facit, ut ambroſias ornare dapes poſſe cenſeat, quippe dignum, ut a Ganymede Jovis pocillatore in cœna propinetur XIII. 108. cujus titulus *mulſum*:

Attica nectareum turbatis mella Falernum.
Misceri decet hoc a Ganymede merum.

Præfertur, quod ex vetere vino, austeroque, & bono melle factum est. Dioscor. v. 16. Causam explicat Macrob. Sat. vii. 12. *Cur mel, & vinum diversis ætatibus habentur optima? mel quod recentissimum, vinum quod vetustissimum; unde est & illud proverbium, quo utuntur gulones mulsum quod probe temperes miscendum esse novo Hymettio, & vetulo Falerno. Propterea, inquit ille, quia inter se ingenio diversa sunt. Vini enim natura humida est, mellis arida. Nam quæ udanda sunt corporis, vino fomentur, quæ siccanda sunt, melle detergentur.* Igitur, longinquitate temporis de utroque aliquid exsorbente, *vinum fit meracius, mel aridius: & ita mel succo privatur, ut vinum aqualescatur.* Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd & inv. p. 537. Nonn. de Re cibar. iv. 12. Crinit. de Hon. discipl. ix. 8. Anteludium cœnæ hoc tam, quod veluti θηριακὴν, seu antidotum antiquis ex Plinio, aliisque scriptoribus reperio in primæ mensæ auspiciis. Horat. Sat. ii. 4. 27.

— vacuis committere venis
Nil nisi lene decet, leni præcordia mulso
Prolueris melius.

Senec. Epist. 122. *Circa lucem discurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur. Quæro quid sit? Dicitur mulsum, & alicam poposcisse, a balneo exisse.* Laurent. de Prand. c. 13. Ejus auctor fuit Aristæus. Plin. xiv. 4. *Aristæum primum omnium in eadem gente mel miscuisse vino, suavitate præcipua utriusque naturæ sponte provenientis.* Ejus dotes curatius prædicat Plin. xxii. 24. *Nonn. l. l. Hummelb. in Apic. de Art. coquin* iii. 2. Romani hoc bibebant in deliciis: & in triumpho milites ab Imperatore eo donabantur. Plaut. Bacch. iv. 9. 149.

Sed, spectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho: pervulgatum est, nihil moror.
Veruntamen accipientur mulso milites.

Hoc more Q. Terentius Culleo *pileatus, sicut in triumpho ierat P. Scipio Africanus, in funere*, renovata memoria triumphi, *ante lectum ivit, & ad portam Capenam mulsum prosecutis funus dedit.* Liv. xxxviii. 55. *Turneb. Adv.* xiv. 11. *Salmuth. l. l. Laurent. ibid. c. 6.*

MULTA dicebant veteres, *cum in dolium, aut culeum unum addunt, prima urna addita.* Varr. de Ling. Lat. iv. 36. Vel ad fascinum depellendum. Fuit namque veterum superstitio, ut finitum numerum obnoxium fascino crederent. Proinde etiam Catull. v. 10.

Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa.

Alsar. de Invid. & Fascin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xii. p. 896. F. Vel ominis gratia, copiam, & multitudinem ominantes. *Turneb. Adv.* xxii. 21.

Multa & pœna quomodo differant, docet Ulpian. l. 131. de verbor. signif. *Inter multam & pœnam multum interest. cum pœna generale sit nomen, omnium delictorum coercitio; multa specialis peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est: pœna autem non tantum pecuniaria, verum capitis, & existimationis irrogari solet. Et multa quidem ex arbitrio ejus venit, qui multam dicit: pœna non irrogatur, nisi quæ quaque lege, vel quo alio jure specialiter huic delicto imposita est. Quinimo multa ibi dicitur, ubi specialis pœna non est imposita. Item multam is dicere potest, cui judicatio data est: magistratus solos, & præsides provinciarum posse multam dicere mandatis permissum est: pœnam autem unusquisque irrogare potest, cui hujus criminis, sive delicti exsecutio competit.* In *multa* sic acta res est. Pecunia per magistratum exigebatur. Quod si ille solvendo non esset, bona auctioni subjiciebantur. Liv. iii. 14. *Pecunia a patre Cæsonis exacta crudeliter.* xxxviii. 60. *In bona deinde L. Scipionis possessum publice quæstores prætor misit: neque in iis non modo vestigium ullum comparuit pecuniæ regiæ, sed nec tantum redactum est, quantæ summæ damnatus fuerat.* Sigon. de Judic. ii. 24. Non temere verbum *hodie* adjectum est, propterea quod alia olim fuerit *multæ* animadversio. Nec enim pecuniaria primum, sed ut ex Tull. de Rep. ii. Isidorus refert, olim *multa* ovium & boum erat, quod tunc esset res in pecore. Id quod a Plinio mox laudando quoque traditur. Et confirmatur ex eo, quod Plutarch. in Poplic. p. 103. A. contumacibus, qui consulibus non paruissent, constitutam fuisse narrat *multam quinque bobus, & duabus ovibus talentem.* *Multæ* dictio his verbis concipiebatur: *M. Terentio quando citatus, neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem multam dico.* Gell. xi. 1. Non enim aliter justa *multæ* dictio habebatur, nisi in qua ovis masculino genere efferretur. Etiam illud, si bubus & ovibus simul *multa* diceretur, observari solitum, ut ne bovem prius quam ovem nominaret, qui indiceret *multam*. Plin. xviii. 3. *Multatio quoque non nisi ovium, boumque impendio dicebatur. Non omittenda priscarum legum benevolentia. Cautum quippe, ne bovem prius, quam ovem nominaret, qui indiceret multam.* Non licuit quondam pluribus quam triginta bubus, & duabus ovibus quemquam *multare*. Festus in Multam: *Maximam multam dixerunt trium millium, & viginti assium: quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duabus ovibus quemquam multari: æstimabaturque bos centussibus, ovis decussibus.* Qui hisce repetitis in Peculatus addit: *Eam legem sanxerunt T. Menenius Lanatus & Sestius Capitolinus coss.* Brisson. Antiq. Select. i. 3. de Form. v. p. 488. Pollet. For. Rom. v. 2. Sard. de Mor. gent. ii. 26. Guther. de vet. jure pont. ii. 2. Laurent. var. sacr. gentil. c. 1.

MULTATUS *ter ob eandem culpam, fuste percutiebatur.* Polyb. i. 35. Ignoranti disciplinam ignoscendum esse censent Icti l. 3. §. 9. & l. 4. §. ult. eod. Sed quia iteratum delictum nullam meretur excusationem, hinc qui tertium aliquid admisit, pœna competenti afficiendus est, & etiamsi leviori supplicio delictum alias esset puniendum, nunc fustuarii pœna eum manebat. Causa, quod talem pravo ingenio censebant, & factum ad peccandum. Fortasse & contumacia iis visa punienda, & quod quasi per contemptum, ludibriumque legis peccaret. Quare & contumaciam omnem militum capite puniendam esse auctor est Arrius Menand. l. 6. §. 11. ff. de Re milit. *Lips. de Milit. Roman.* v. *dial.* 18. *Sichterman. de Pœn. milit. c.* 3.

MULTICIUM erat vestis molli intexta substamine, qua uti solebant puellæ. Scholiastes ineditus Juven. Sat. ii. 77. *Multicia genus est vestis laneæ subtili arte contextæ. Dicta multicia, quod sit multa, & inenarrabili arte expressa, qua solummodo uti licitum erat innuptis puellis, & viduis matronis.* Voss. Lex. Etymol. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. v. 31. Vestem esse muliebrem docet etiam Juven. xi. 85.

— ne tacito bilem tibi contrahat uxor
Humida suspectis referens multicia rugis.

Multiciorum virilium mentio fit a Vopisc. Aurel. c. 12. *Tunicas multicias viriles decem.* Sed quod additur *virilium*, denotat proprie muliebria vestimenta fuisse, & secutis temporibus a viris usurpata. *Ferrar. de Re vest.* i. i. 20. *Multiciæ tunicæ*, sive πολύμιτοι, & subsericæ erant illa ætate in frequenti usu. *Casaub. ad Vopiscum* *Multicias tunicas* a subsericis distinguit, & πολυμίτας interpretatur. Nollem factum. Nam *multicias tunicas* hic appellari censeo, quas alibi *tunicas subsericas* vocat, & semper jungit cum lineis. Ut ita esse credamus, rem ipsam auctorem dabo. Juven. Sat. ii. 65.

— sed quid
Non facient alii, cum tu multicia sumas
Cretice?

n. 69.

Dammetur, si vis, etiam Carfinia, talem
Non sumat damnata togam.

Omnino igitur intelligit togam sericam, quæ tunc erat ad usum mollium, & delicatorum. Quintil. xii. 10. *Sed me hactenus cedentem nemo insequatur ultra: do tempori, ne toga crassa sit, non serica.* Quod ostendit etiam n. 78. ubi *Creticum pellucere* dicit. Nam pellucidæ vestes sericæ. Sericas cum dico, subsericas intelligo. Non aliæ tunc in usu.

Ideo

Ideo interpres Juvenalis eo loco recte exponit *multicia*, *veſtes molli intextas ſubtemine*. *Multicium* adjectivum, quod in ſubſtantivum tranſit, nam & *multicia* veſtis, & veſtimentum *multicium*, & ſimpliciter *multicium*. *Multicia ſynthesis* eſt ſerica, & nimia ſubteminum tenuitate, ut loquitur Ammianus, perflabilis. Tertull. de Pall. c. 4. *Endromidis ſolocem aliqua multicia ſyntheſi exſtruxit*. Eſt itaque τὸ πολυσπαθητὸν ἱμάτιον, veſtis ſerica bene denſata, & radio bene percuſſa, a *multum* & *icio*: nam id tenuitatem, levitatemque veſtibus conciliat, cum bene ſunt percuſſæ. Athenæus: περ ἔλκμα σπαθητὸν. Heſychius: σπαθητὸν, γυναικεῖον. Σπαθητὸν ad verbum eſt *multicium muliebre*, vel *tunica multicia muliebris*. Salmaſ. in Vopiſcum. Jun. in Tertullianum.

MUN.

MUNATIA gens. V. illam ſupr. in *Gens*.

MUNDUS dicitur cœlum. Catull. LXIV. 206.

> --- *concuſſitque micantia ſidera mundus.*

Virg. Georg. I. 5.

> --- *vos o clariſſima mundi*
> *Lumina.*

Et ita Græci. Orph. Hymn. in Solem n. 9.

> *Auream lyram habens, concinnum mundi curſum trahens.*

Nec tantum poetæ. Etiam Plin. II. 1. *Mundum hunc, & quod alio nomine cœlum appellare libuit.* Quin proprium eſſe cœli appellationem innuit Macrob. in Somn. Scip. I. 20. *Sed ipſum quoque cœlum, quod vere mundus vocatur.* II. 11. *Unde & mundanus dicitur, quia mundus proprie cœlum vocatur.* Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. V. p. 721. E. Taubman. Virg. Cul. n. 114. Cerda Ecl. III. 104. Dauſquej. in Sil. Ital. p. 495. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 109. a. F. Qui *mundus* eſt ſuperior, & *mundus lucens* a Cicerone in Timæo appellatur. *Turneb. Adv.* XIX. 24.

Mundus dicitur foſſa, quam Romulus in meditullio Urbis faciendam curavit. Plutarch. in Romul. p. 23. D. *Circa comitium, quod nunc eſt, foſſa eſt rotunda circumducta. In eam primitias detulerunt omnium, quibus aut ex lege tanquam bonis, aut ex natura tanquam neceſſariis utebantur. Poſtremo ex qua quisque advenerat regione, ejus terræ portiunculam collatam eo conjecerunt, & commiſcuerunt.* An foſſa hæc ideo facta, ut famam rerum adæquandam cœlo, & ad totius terrarum orbis imperium perventuram Rempublicam Romanam indicarent? An rerum omnium primitiæ in eam conjectæ, quod per clementiam cœli, & terræ fœcunditatem bonis fere omnibus, & neceſſariis potiſſimus expleri? An ab advenis & peregrinis portio ſoli patrii in eam delata, ut oſtenderent, velle ſeſe Urbem, & ditionem Romanam tanquam patriam ſuam habere, & tueri, ac cum cæteris, tanquam ex eodem omnes loco eſſent oriundi, concordes, & unanimes converſari? *Boxhorn. Quæſt. Rom* 41. *Mag. Miſc.* IV. 15. *Donat. de Urb. Rom.* I. 2.

Mundus muliebris differt ab ornamentis muliebribus. Ulpian. l. 25. §. 10. ff. de aur. arg. mund. *Ornamenta muliebria ſunt, quibus mulier ornatur: veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli, præter ſignatorios, & omnia, quæ ad aliam rem nullam parantur, niſi corporis ornandi cauſa, quo ex numero etiam hæc ſunt, aurum, gemmæ, lapilli, quia aliam nullam utilitatem in ſe habent. Mundus muliebris eſt, quo mulier mundior fit. Continentur eo ſpecula, matulæ, unguenta, vaſa unguentaria, & ſi qua ſimilia dici poſſunt, veluti lavatio, riſcus. Ornamentorum hæc, vittæ, mitræ, ſemimitræ, calautica, acus cum margarita, quam mulieres habere ſolent, reticula, croculantia. Sicut & mulier poteſt eſſe munda, non tamen ornata: ut ſolet contingere in his, quæ ſe emundaverint lotæ in balneo, neque ſe ornaverint: & contra eſt aliqua ex ſomno ſtatim ornata, non tamen commundata.* Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 403. & 687. Lipen. de Stren. c. 3. §. 81. Barth. Adv. VII. 12. Voſſ. Lex. Etymol. in Mundus. Barthol. de Inaur. c. 7. Legem Oppiam de mundo muliebri V. ſupr. in *Lex*. An *mundus*, & ornamenta illa, quæ corporis ornandi cauſa parata a marito habet uxor, præcipua uxoris fiant; an vero a mariti defuncti hæredibus repeti poſſint, merito dubites. Et quidem, ſi vivente adhuc marito revocata ea non fuerint: crediderim, mulieri ea cedere: quandoquidem non ſolum, quæ maritus uxoris gratia emerit, aut quovis modo compararit, ſed & quæ eidem donaverit, morte confirmari recte dicantur, ſi expreſſe non fuerint revocata l. cum his ſtatus §. 1. de donat. int. vir. & uxor. l. ſequens quæſtio 68. de legat. II. *Salmuth. l. l.*

Mundus patens deſcribitur a Feſto: *Mundus, ut ait Capito Atejus in libro pontificali VI. ter in anno patere ſolet, diebus his: poſtridie Volcanalia, ante diem tertium nonas Octobris, & ante diem ſextum idus Novembris. Qui quid ita dicatur, ſic refert Cato in commentariis juris civilis. Mundo nomen impoſitum eſt ab eo mundo, qui ſupra eſt. Forma enim ejus eſt ex iis, qui intravere, cognoſcere potuit, adſimilis ille ejus inferiorem partem, veluti conſecratam diis manibus clauſam omni tempore, niſi iis diebus, qui ſupra ſcripti ſunt, majores cenſuerunt, quos dies etiam religioſos judicaverunt, ea de cauſa, quod quo tempore ea, quæ occulta, & abdita, ea religionis deorum manium eſſent, velut in lucem quandam adducerentur, & patefierent: nihil eo tempore in Republica geri voluerunt. Itaque per eos dies non cum hoſte manus conſerebant: non exercitus ſcribebatur: non comitia habebant: non aliud quicquam in re publica, niſi quod ultima neceſſitas admonebat, adminiſtrabatur.* Hunc exiſtimo de *mundo* Cereris intelligendum eſſe. *Mundus* autem in ſacris Cereris videtur appellatus arcanus quidam ornatus, qui hujus *mundi* ſimilitudinem exprimeret. Hic ter in anno oſtendebatur: quo tempore nihil eorum, quæ dixi, agi licuit, cum enim *ſacrum illud Diti patri, & Proſerpinæ eſſet, melius occluſa Plutonis fauce*, ut ait Macrob. Sat. I. 16. *eundum ad prælium putaverunt.* Hinc Varro apud eundem inquit: *Mundus cum patet, deorum triſtium, atque inferûm quaſi janua patet: propterea non modo prælium committi, verum etiam delectum rei militaris cauſa habere, ac militem proficiſci, navem ſolvere, uxorem liberûm quærendorum cauſa ducere religioſum eſt.* Non aliam eſſe *mundum* niſi Cereris oſtendit Feſtus in ſchedis: *Mundus*, inquit, *etiam mulieris appellari poteſt, atque etiam æde Cereris, qui mundus appellatur, qui ter in anno ſolet patere III. Kalend. Sept. & IV. non. Octob. & III. Id. Novemb. qui id omne dictus eſt, quod terra movetur.* Valtrin. de Re milit. I. 7. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 379. Guther. de Jur. pontif. III. 16.

MUNERARIUS dicebatur, qui ludos edebat. Gloſſæ: *Munerarius*, ἀγωνοθέτης. Hujus vocis primum patrem Auguſtum facit Quintil. VIII. 3. *Quædam in uſu perquam recentia; ut Meſſala primus reatum, munerarium Auguſtus primus dixerunt.* Lipſ. Sat. I. 7. Buleng. de venat. circ. c. 13. Lipen. de Stren. c. 1. §. 10. Mod. de Lud. vet. II. 21. Van Dale Diſſert. III. c. 2.

MUNICIPES ſuo jure, & ſuis legibus vivebant, *muneris* tantum cum populo Romano honorarii participes erant. Ea fuit Reipublicæ Romanæ ratio, & conſuetudo, ut peregrinas nationes ſocietatis federe, Italicas vero gentes civitatis jure ſibi conjungeret. *Nunquam* enim a Romanis, ut Cicero pro Balbo c. 13. ſcribit, *intermiſſa eſt communicatio civitatis*, quæ res, & ad conciliandos animos hominum, & ad augendam potentiam, maximo in imperio adjumento eſſe ſolet. Quorum igitur ſpectata in Rempublicam, & cognita fides eſſet, iis civitatem populus Romanus largiebatur, non tamen eadem ratione omnibus. Nam aliis cum ſuffragio, aliis vero ſine ſuffragio, civitatis beneficium tribuebat. Illi *municipes*, hi *cæretes* dicebantur. Hanc differentiam uſque ad bellum Marſicum duraſſe, quo univerſa fere Italia civitate donata eſt, licet promiſcue ab auctoribus etiam ii, qui ſuffragii jus non haberent, *municipes* nominarentur, teſtis eſt Paterc. II. Itaque vere *municipes* & cives Romani erant, & ſuffragia ferebant, atque magiſtratus petebant. Quare Curii, Co-

runcanii, Porcii, Pompeji, Marii, Tullii, & reliqui ex *municipiis* oriundi ampliſſimos Romæ honores conſecuti ſunt. Gell. xvi. 13. *Municipes ſunt cives Romani ex municipiis, legibus ſuis, & ſuo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Romani lege adſtricti, ni, inquam, populus eorum fundus factus eſt.* Auguſt. & Strein. de Famil. Rom. in Porcia. Sigon. de Ant. jur. Ital. ii. 6 & 7. Civ. Rom. i. i. Spanhem. ad Conſtit. Imper. Anton. Exerc. i. §. 8. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. i. p. 20. & 30. Oizel. in Gellium. Panvin. Imp. Rom. c. 6. & 7. Tomaſ. de Teſſer. hoſpit. c. 3. Voſſ. Lex. Etymol. in Munus. Prevot. de Magiſtr. Roman. c. i. Non ingenui cives Romani, niſi ſi quando Romæ fortunarum ſuarum domicilium collocaſſent, nominabantur. V. ſupr. in *Civis Romanus.* Dum in *municipio* erant, alia ab ingenuis civibus Romanis ſacra obſervarunt, ſed, ſi Romam commigraſſent, *municipalia* ne Romæ quidem reliquerunt. Feſtus: *Municipalia ſacra dicta ſunt ea, quæ ab initio habebant ante civitatem Romanam acceptam, quæ obſervare eos voluerunt pontifices, & eo more facere, quo adſueſſent antiquitus.* Unde de ſe, & Arpino *municipio* ſuo loquens merito ait Cicer. de Leg. ii. i. *Hic gens, hic ſacra, hic majorum multa veſtigia.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 8. Ital. ii. 7. Qui cum ſuffragii latione civitatem conſecuti erant, & in *municipiis* commorabantur, omnibus civium Romanorum privilegiis potiebantur, uno excepto, quod in curias Romanas, quæ tantum in Urbe erant, non deſcribebantur, atque ob eam cauſam curiatis comitiis, in quibus tamen parum momenti erat, excludebantur. *Panvin. ibid. c. 6. Sigon. de Ant. jur. Ital.* ii. 7. Duas prope habebant patrias, unam naturæ, alteram juris. Cicer. de Leg. ii. 2. V. illum infr. in *Patria.* Patriam juris civitatem Romanam intelligit, cujus jura, & privata, & publica uſurparunt. Nam I. legum de libertate beneficio uſi ſunt. Cicer. Verr. v. 62. cum de Gavio Compſano, *municipe* a Verre prætore cæſo, ita exclamavit. *Cædebatur in foro Meſſanæ civis Romanus: o nomen dulce libertatis, o jus eximium noſtræ civitatis, o leges Porciæ, legesque Semproniæ!* II. Connubiorum Romanorum jura ſunt aſſecuti. Hoc poteſt perſpici ex eo, &, quod ſponſaliorum ratio apud Latinos civitate accepta ſit commutata, & quod multi cives Romani, iidemque nobiliſſimi, *municipum* filias in matrimonio habuerint. Quod ſi hæc duo jura poſſederint, quis dubitet, quin reliquas etiam juris Quiritium partes ſint adepti, patriæ poteſtatis, hæreditatum, mancipiorum, uſucapionum, teſtamentorum, & tutelarum? Nam de publico jure nullus prope relinquitur controverſiæ locus. Neque enim quemquam dubitaturum eſſe opinor, quin, ſi tribum habuerint, cenſeri in ea etiam potuerint. Quod ut credam cum ratio me impellit, tum auctoritas Livii, qui ſcripſit xxxviii. 36. Formianos, & Fundanos in tribum Æmiliam conjectos in ea a cenſoribus Romanis Romæ eo anno eſſe cenſos. Quod ſi ſunt cenſi, ad id certe ſunt cenſi, ut cognita ex cenſu pecuniarum, & juniorum multitudine, in utroque officii genere Reip. ſatisfacerent. Nam ſuffragii ferendi, ac magiſtratus petendi Romæ adeo certum jus habuerunt, ut iidem & in *municipio*, & in Urbe magiſtratus interdum geſſerint. De Octaviis Veliternis *municipibus* Suet. Aug. c. 2. n. 6. *Proavus Auguſti ſecundo bello Punico ſtipendia tribunus militum fecit. Avus municipalibus magiſteriis contentus fuit. Pater Romæ præturam geſſit.* Quid dico Suetonium? Cicero T. Annium Milonem Lanuvii dictatorem fuiſſe ait, tum cum Romæ conſulatum petebat, & M. Cœlium, qui Romæ ædilis curulis, & prætor fuit, *ſumma omnia abſentem Puteolis eſſe adeptum; & ſe Marcum filium in Arpinati municipio ædilem creari voluiſſe ad conſtituendum municipium*, cum ambo Romæ conſulatum adminiſtrarint. *Sigon. l. l.* Hæreditates libertorum, & extraneorum ex teſtamento, atque ab inteſtato, recta via, ac per fideicommiſſum ex Scto Aproniano, aliisque capere poterant. Paull. l. 26. ff. ad Sctum Trebellianum. Ulpian. l. unica de libert. univerſ. *Auguſtin. de Leg. in Vectibulicia.* Servos publicos poterant manumittere. V. ſupr. in *Lex Vectibulicia.*

MUNICIPIUM erat oppidum jure civium Romanorum donatum. *Municipiorum* duo genera fuerunt: unum quibus civitas cum jure ſuffragiorum; alterum ſine ſuffragio data erat. Illis dare Quiritibus honores & capere poteſtas fuerat; iſtis non erat: ſed in legionibus ut cives, non in auxiliis ut ſocii, adſcribebantur. *Goltz. Ital. p.* 205. *Hotman. Antiq. Roman.* ii. 16. *Kipping. Antiq. Roman.* ii. 2. § 2. *Blond. Triumph. Rom.* iii. *p.* 66. *F.* differt a colonia. Gell. xvi. 13. *Coloniæ non veniunt extrinſecus in civitatem, nec ſuis radicibus nituntur: ſed ex civitate quaſi propagatæ ſunt: & jura, inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii habent. Quæ tamen conditio, quum ſit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen, & præſtabilior exiſtimatur propter amplitudinem, majeſtatemque populi Romani, cujus iſtæ coloniæ quaſi effigies parvæ, ſimulacraque eſſe quædam videntur: & ſimul, quia obſcura, obliterataque ſunt municipiorum jura, quibus uti jam per innotitiam non queunt.* Sigon. de Ant. jur. Ital. ii. 6. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. i. p. 30. B. Spanhem. ad Conſtit. Imper. Anton. Exercit. i. §. 15. a præfectura. Hi enim, qui præfecturas incolebant, una tantum re civium Romanorum imaginem præ ſe ferebant, quia legibus Romanis utebantur; quandoquidem a Romanis magiſtratibus, ut Feſtus admonet, regebantur: ex quo ſequitur, ut legibus Romanis viverent: cætera vero civium Romanorum jura non habebant. Commodius igitur cum *municipiis*, quam cum coloniis, aut præfecturis agebatur, ſiquidem coloniæ, & præfecturæ, cum plus oneris, tum vero minus habebant emolumenti, obſtricti enim legibus Romanis tenebantur, neque tamen frui muneribus publicis poterant. *Municipes* vero quodam modo frui libertate videbantur, cum a ſuis civibus regerentur, ſuisque moribus, ac legibus viverent: &, ubi vellent, Romam ire ad ſuffragium ferendum, & ipſi magiſtratus capere poterant. *Manut. ibid. C.* Ante legem Juliam, & coloniæ, & fœderatæ civitates *municipia* dicta ſunt. Hinc manavit illud Liv. xxvi. 8. *Ipſe per Appiæ municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Soram, Lavinium præmiſit.* Et illud Cicer. Famil. xiii. 30. de Neapoli: *Erat adſcriptus in id municipium ante civitatem ſociis, & Latinis datam.* Et tamen tum Setia, tum Sora coloniæ, Neapolis fœderata civitas erat. Ex quo intelligi poteſt vere hoc modo ſcriptum eſſe a Gell. l. l. *Municipes, & municipia verba ſunt dictu facilia, & uſu obvia, & neutiquam reperias, qui hæc dicat, quin ſcire ſe plane putet, quid dicat: quotus enim fere noſtrum eſt, qui cum ex colonia populi Romani ſit, non & ſe municipem eſſe, & populares ſuos municipes eſſe dicat? quod eſt a ratione, & veritate longe averſum.* Sigon. ibid. c. 9. Spanhem. ad Conſtit. Imper. Anton Exerc. i. §. 18.

MUNIFICES vocantur milites, qui nullo fulti privilegio, omnia neceſſaria munera exſequebantur: nec tantum vigilias agebant, ſed ligna, aquam, & alia hujuſmodi in caſtra portabant. Veget. ii. 7. *Reliqui munifices appellantur, quia munera facere coguntur.* c. 19. *Faſcicularia, id eſt, lignum, fœnum, aquam, ſtramen etiam legitimi milites in caſtra portabant. Munifices enim ab eo appellantur, quod hæc munera faciant.* Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 78. Voſſ. Lex. Etymol Stewech. in Vegetium. Laurent. Polym. iv. Synopſ. 3. Faber Semeſt. i. 17. Lipſ. de Milit. Roman. v. 6. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 120. Valeſ. in Ammian. xvi. 5.

MUNIFICI dicuntur tributarii. Symm. Epiſt. v. 87. *Grave eſt enim nos quidem pro agris noſtris functionibus publicis eſſe munificos.* Buleng. de Vectig. c. 2.

MUNUS appellabatur, quod ab amicis funus proſequentibus in rogum conjiciebatur. Suet. Jul. c. 84. n. 2. *Præferentibus munera, quia ſuffecturus dies non videbatur, præceptum eſt, ut omiſſo ordine, quibus quisque vellet itineribus Urbis, portaret in campum.* Val. Flacc. iii. 313.

— *dat debita cæſis*
Munera, quæ noſtro miſiſſet Cyzicus igni.

Tibull. ii. 4. 44.

Nec qui det mœſtus munus in exſequias.

Kirchman. de Funer. III. 5. Meurſ. de Funer. c. 22. Alard. in Flaccum. Caſal. de Proph. Roman. rit. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 21. Pitiſc. in Suetonium.

Munus natalitium tum puero recens nato. Teſtatur Capitol. Clod. Albin. c. 6. *Infantulo tuo Peſcennino Primo munera digna ſuo loco, tuoque mittamus.* Terent. Phorm. I. 1. 12.

—— Porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.

Turneb. Adv. III. 6. Barthol. de Puerp. p. 128. tum provectioris ætati natali recurrente. Plaut. Pſeud. I. 2.

Facite hodie ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant:
Nam niſi penus annuus hodie convenit, cras proſtituam vos.
Natalem ſcitis mihi diem eſſe hunc.

Mart. X. 24. 1.

Natales mihi Martiæ kalendæ,
Quæ mittunt mihi munus, & puellæ.

Feſtis his umbellas, armillas. . . . uxoribus donabant mariti, Juven. Sat. IX. 50.

En cui tu viridem umbellam, cui ſuccina mittas
Grandia, natalis quoties redit.

Barthol. de Puerp. p. 129. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 61. Grang. in Juvenalem.

Munus nuptiale matri pupillæ, vel ſorori mittere tutorem poſſe negat Cajus l. 13. §. 2. ff. de adminiſt. & peric. tut. Eſt etiam Ulpianus auctor, ſi *munus* nuptiale matri pupilli miſerit tutor, non eum pupillo imputaturum: idque Labeonem ſcripſiſſe l. 1. §. 3. ff. de tut. & ration. diſtrah. Dubium non eſt, quin ad eum morem Cajus, Ulpianus, & Labeo his in locis reſpexerint, quo a ſoceris, eorumque familiis, cognatis, & propinquis *munera* die repotiorum novis nuptis mitti ſolent. Hujus moris meminit Terent. Phorm. I. 1. 5.

—— herilem filium ejus duxiſſe audio
Uxorem, ei credo munus hoc corraditur.

Nec alio videri poteſt reſpexiſſe Suet. Aug. c. 66. n. 9. *Legata, vel partes hæreditatis, a quibusque parentibus relicta ſibi, aut ſtatim liberis eorum concedere, aut ſi pupillari ætate eſſent, die virilis togæ, vel nuptiarum, cum incremento reſtituere conſueverat.* Teſtatur Suidas poſtridie nuptiarum a ſponſæ patre, tam ſponſæ, quam ſponſo ſollenni pompa *munera* mitti conſueviſſe, eamque pompam hujuſmodi fuiſſe, ut puer præcederet alba veſte facem incenſam ferens, hunc ſequeretur mulier caniſtrum geſtans, cæteris ordine ſequentibus familiaribus, qui aurum, patellas, lecticas, pectines, lectos, ſandalia, thecis, pyxides unguentarias, interdum etiam ſponſo una offerrent. *Revard. Conject.* III. 11. *Salmaſ. de Mod. uſur. c. 4. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 744. Hotoman. de Vet. rit. nupt. c. 8. Lipen. de Stren. 1. §. 19. Willich. in Terentium.*

Munus etiam appellabatur ſpectaculum, vel, quia populo gratis daretur, vel ab officio, quia officium ſe mortuis facere arbitrabantur. Ita Tertull. de Spectac. c. 12. *Munus dictum eſt ab officio, quoniam officium etiam muneris nomen eſt. Officium autem mortuis hoc ſpectaculo facere ſe veteres arbitrabantur, poſteaquam illud humaniore atrocitate temperaverunt. Nam olim quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio ſervos mercati in exſequiis immolabant. Poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc, & qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi diſcerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Ita mortem homicidiis conſolabantur. Hæc muneris origo.* Bene, ac perite Tertullianus: nam *munus* proprie officium antiquis, ſicut *munis*, officioſus. Feſtus: *Munem ſignificare certum eſt officioſum: ſicut e contrario immunis dicitur, qui nullo fungitur officio.* Lipſ. Sat. I. 7. Kirchman. de Funer. IV. 8. Faber Semeſt. II. 10. Bud. in Pandect. p. 275. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 13. Guther. de jur. man. II. 8. Mod. de ſpectac. II. 21. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 26. V. ſupr. in *Gladiator*. *Munus* oſtendere, pronuntiare, proponere. V. ſupr. in *Editor*.

MUR.

MURÆNA fuit cognomen Liciniæ gentis plebejæ. Deductum eſt a piſce nobiliſſimo. Varr. de Re ruſt. III. 3. *Sic noſtra ætas luxuria propagavit leporaria, ac piſcinas protraxit ad mare, & in eas pelagios greges piſcium revocavit. Non propter hos appellati Sergius Orata, & Licinius Muræna?* Urſin. de Famil. Roman. in Licinia. Nonn. de Re cibar. III. 17. Sigonn. de Nomin. Roman. c. 5. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 832. B. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 12.

Muræna Latinis peculiari nomine *fluta*, Græcis πλώτη dicebatur. Sicula maxime laudabatur. Macrob. Sat. II. 11. *Arceſſebantur murænæ ad piſcinas noſtræ urbis ab uſque freto Siculo, quod Rhegium a Meſſana reſpicit: illic enim optimæ a prodigis eſſe creduntur, tam Hercules quam anguillæ: & utræque ex illo loco Græce πλῶται vocantur, Latine flutæ, quod in ſummo ſupernantes ſole torrefactæ curvare ſe poſſe, & in aquam mergere deſinunt, atque ita faciles captu fiunt.* Unde Mart. XIII. 80.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exuſtam mergere ſole cutem.

Magnum illi ad menſas honorem habuerunt gulæ magiſtri, adeo ut *murænarum vivarium privatim excogitaverit C. Hirrius ante alios, & cœnis triumphalibus Cæſaris dictatoris ſex millia numero murænarum mutuo appenderit.* Plin. IX. 55. Illarum lactes commendabant palata eruditiora. Suet. Vit. c. 13. n. 5. *In hac. . . . murænarum lactes commiſcuit.* Lamprid. Heliog. c. 23. *Murænarum lactibus, & luporum in mediterraneis ruſticos pavit.* Nonn. de Re cibar. III. 17. Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 443. . . . Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 12. Bruyer. de Re cibar. XIX. 17. Pitiſc. in Suetonium.

Muræna etiam fuit colli ornamentum. Hieron. ad Marcellam de laudibus Aſellæ. *Cum primum hoc propoſitum arripuit, aurum colli ſui (quod quidem murænulam vulgus vocat, quod ſcilicet metallo in virgulas lenteſcente, quadam ordinis flexuoſi catena contexitur) abſque parentibus vendidit.* Iſidor. XIX. 31. *Muræna vocatur, quod auri metallo in virgulis lenteſcente quædam ordinis flexuoſi catena contexitur, in ſimilitudinem murænæ, quæ ad collum ornandum aptatur. Hæc interdum auri, atque argenti textur virgulis. Unde & dicitur in Canticis Canticorum: murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Walramus in Paraphraſi:

Auri murænas argento vermiculatas.

Voſſ. Lex Etymol. Scheffer. de Antiq. torquib. c. 4.

MURCI appellabantur, qui ſibi pollicem amputaverant. Ammian. XV. 12. *Ad militandum omnis ætas aptiſſima: & pari pectoris robore ſenex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artubus, & labore aſſiduo, multa contempturus, & formidanda: Nec eorum aliquando quiſquam, ut in Italia, munus Martium pertimeſcens, pollicem ſibi præcidit, quos jocaliter murcos appellant.* Quod *Murcia* dea haberetur ignavorum. V. infr. in *Murcia*. Pollices ſibi ignavi præcidebant *cauſa detrectandi ſacramenti*, ut Suet. Aug. c. 24. n. 3. quia gladium commode ſtringere non poterant. Satis veriſimile eſt, quos Itali, & Galli *poltrons* vocant, ab hac pollicum truncatione nomen accepiſſe. *Valtrin. de Re milit. Roman. II. 7. Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Circo c. 2. Lindenbrog. & Valeſ. in Ammianum. Cujac. Obſerv. XV. 40. Sichterman. de Pœn. milit. c. 9.*

MURCIA erat dea ignavorum. Tertull. de Spectac. c. 8. *Murciam deam marcoris volunt.* Arnob. IV. p. 132. *Quis ſegnium deam Murciam.* Auguſt. de Civit. Dei IV. 16. *Vocaverunt deam Murciam, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id eſt, nimis deſidioſum, & inactuoſum.* Voſſ. Lex. Etymol.

in Murcum. Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 391. A. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 637. E. Turneb. Adv. XXIII. 22. Stuck. de Sacrif. p. 42. Marlian. Topogr. III. 15. Buleng. de Circo c. 3. & 23. Boxhorn. ad Plutarch. Quæſt. Rom. 20. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. G.

MURCIUS vocabatur mons Aventinus. V. ſupr. in *Aventinus*.

MUREX eſt concha latior purpura, ſimplice concha, utroque latere ſe colligit, roſtro pedali quinque digitos craſſo, navium ſecundo vento volantium curſum ſiſtit. Laudantur murices Bajani. Horat. Sat. II. 4. 32.

> *Murice Bajano melior.*

Buleng. de Conviv. II. 34. Rader. in Mart. XIII. 87. I.

Murex pro purpura ſumitur, quia ex ejus ſanguine color efficitur purpureus. Habet *murex* florem in ore, quem moriens exſpuit: hinc a nautis, ut vivus in poteſtatem; venit, curatur. Plin. IX. 36. *Murices latent circa canis ortum tricenis diebus, ſicut purpuræ. Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lenirem cujusdam ceræ ſalivant. Simili modo & purpuræ. Sed purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis habent faucibus. Liquoris hic eſt minimi in candida vena, unde pretioſus ille bibitur nigrantis roſæ colore ſublucens. Vivas capere contendunt, quia cum vita ſua ſuccum illum evomunt.* Mart. V. 24. 5.

> *Non niſi vel cocco madida, vel murice tincta*
> *Veſte nites.*

XIII. 87. cujus titulus, *Murices.*

> *Sanguine de noſtro tinctas, ingrate, lacernas*
> *Induis, & non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.*

Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 10. Rader. in Mart. XIII. 87. V. & infr. in *Purpura.*

Murex vocatur etiam machinula ferrea, quæ in quamcunque inciderit partem, aculeos protendit: unde & doloſe in terram adverſus hoſtes conjici ſolet. Val. Max. III. 7. 2. *Suadentibus quibusdam, ut circa mœnia ejus ferreos murices ſpargeret.* Curt. IV. 13. 36. *Bion transfuga ad Regem pervenit, nuntians, murices ferreos in terram defodiſſe Darium. Triboli* dicuntur Veget. III. 24. Salvian. de Gubern. VI. p. 106. Τρίβολοι σιδηροῖ Plutarch. Apophth. 80. Mauric. Strateg. IV. 3. Leon. Imper. Tact. XIII. 42. Polyæn. Stratag. IV. 3. 17. Herod. IV. 15. 6. *Styli cæci* Hirt. de Bell. Afric. c. 31. Sil. Ital. X. 414. *Stimuli* Cæſ. de Bell. Gall. VII. 73. 9. Ab illis *muricati greſſus* dicuntur doloſi, & qui quaſi per *murices* ferreos fiant. Fulgent. Præf. p. 8. *Intuemur arva, quibus adhuc impreſſæ bellantium plantæ muricatos, qui dicuntur, ſigillaverunt greſſus.* Caſaub. in Athen. VIII. 9. Thyſ. de Oppugn. Urb. V. p. 190. Voſſ. Lex. Etymol. Lipſ. Poliorc. V. Dial. 3. Bud. in Pandect. p. 115. Stewech. in Vegetium. Dauſq. in Silium. Rittersh. & Baluz. in Salvianum. Pitiſc. in Curtium. Sparſi igitur contra ingreſſum, & in tuitione oppidorum utiliter ſpargi poſſunt, imo & caſtrorum. Nam ita in Tacticis Imperatoris modo laudatis: *Quod tribulos in aculeis religatos haberent milites, eosque jacerent in ambitu caſtrorum: ac cum moturi illinc eſſent, eosdem ita facile colligebant.* Etiam contra equos, & camelos, quorum molles ungulæ, cum ſucceſſu. Herodianus jam laudatus: *Poſteaquam ab equitatu, & camelorum multitudine premebantur, fuga ſimulata tribulos, aliaque machinamenta ferrea acuminata projiciebant, quæ ſub arenis latentia, neque cuiquam conſpecta, perniciem equitibus, & camelorum inſeſſoribus afferebant: quippe illis calcatis equi, potiſſimum vero cameli, quoniam huic generi molliſſimæ ſunt ungulæ, ſuccidua claudicabant, excuſſis tergo inſeſſoribus.* Remedium in eos calcei e ferro, aut duriore ligno. Polyæn. I. 39. 2. *Nicias dux Athenienſium in Sicilia tribulos contra equitatum Syracuſium cum ſparſiſſet. . . . ſed a peltaſtis ſolida, & dura calciamenta habentibus interficiebantur.* Lipſ. & Thyſ. l. l.

MURIA vocatur aqua ſalſa, qua aliquid maceratur, aut ſervatur. Colum. XII. 25. *Quidam, imo etiam fere omnes Græci aqua ſalſa, vel muria muſtum condiunt.* Cato de Re ruſt. c. 89. *Ea muries erit, qua carnem, vel caſeos, vel ſalſamenta condias.* Voſſ. Lex. Etymol in Muriatica. Nonn. de Re cibar. III. 45. Caſaub. in Perſ. VI. 20.

Muria eſt liquamen, quod ex thynnorum ſanie, maceratis illorum carnibus ſale, defluebat. Parabatur variis in locis. Plin. XXXI. 8. *Laudantur muria Antipolis, ac Thurii, jam vero & Dalmatia.* Antipolitanæ meminit Mart. XIII. 103. cui titulus, *Muria.*

> *Antipolitana, fateor, ſum filia thynni.*

Byzantinæ Horat. Sat. II. 4. 65.

> *Quod pingi miſcere mero, muriaque decebit*
> *Non alia, quam qua Byzantia putruit orca.*

Scalig. Lect. Auſon. II. 28. Voſſ. Lex. Etymol. Schott. Obſerv. III. 5. Caſaub. in Perſ. VI. 20. Nonn. de Re cibar. III. 45. Buleng. de Conviv. II. 25. Veteribus in uſu fuit, cum bonæ mentis ſtudia, etiam in conviviis, dignitatem ſuam tuerentur, ut, qui propoſitum ſuper cœna gryphum non ſolveret, poculum *muriæ* vel invitus hauriret. Pollux VI. 19. *Qui gryphum ſolvebat, in præmium accipiebat carnium ferculum: qui vero non poterat, muriæ poculum ebibebat.* Athen. X. p. 458. F. *Qui propoſitum gryphum non explicabant, muriam bibebant admixtam ſuæ potioni, ea lege ut absque reſpiratione calicem ebiberent.* Pollux. V. illum ſupr. in *Griphi.* Nonn. l. l.

Muria dura dicitur Celſ. II. 24. *Conveniunt oleæ ex dura muria.* Scribon. Larg. Compoſ. 60. *Poſtridie recenti muria dura macerant.* Eſt illa, quæ vi ſolis uſque adeo craſſefacta eſt, ut alterius rei liquidioris comparatione dura quodammodo appareat. *Mercur. Var. Lect.* II. 26. *Schott. obſerv.* III. 5. Qui toto cœlo errant: proprie enim eſt matura, & ſalſiſſima. Indicat Colum. XII. 6. *Muriam duram ſic facito: dolium patentiſſimi oris locato in ea parte villæ, quæ plurimum ſolis accipit: id dolium aqua cœleſti repleto, ea enim eſt huic rei aptiſſima, vel, ſi non fuerit pluvialis, certe fontana dulciſſimi ſaporis. In eam tum indito ſportam junceam, vel ſparteam, quæ replenda ſit ſale candido, quo candidior muria fiat: Cum ſalem per aliquot dies videbis liqueſcere, ex eo intelliges nondum eſſe muriam maturam: itaque ſubinde alium ſalem tamdiu ingeres, donec in ſporta permaneat integer, nec minuatur; quod cum animadverteris, ſcies habere maturitatem ſuam.* Dicitur dura, non quod liquor indureſcat, ſed quod aqua in ipſum ſalem vim ſuam liqueſcendi, non ſecus acſi arida eſſet, nequit exercere. Cur hoc eveniat, docet Plin. XXXI. 6. *Verum & hoc cura providit, inventa ratione, qua ſibi quisque aquam maris faceret. Illud in ea ratione mirum, ſi plus quam ſextarius ſalis cum quatuor aquæ ſextariis mergatur, vinci aquam, ſalemque non liquari: Cætero ſextarius ſalis cum quatuor aquæ ſextariis, ſalſiſſimi maris vim, & naturam implet.* Scribon. Larg. compoſ. 185. *Adjuvari debent, qui biberunt ex vino mero atque plurimo, vel aqua marina, vel muria dura pota: item ovis anſerinis ſorbilibus, plurimum ſalis habentibus, vel jure gallinaceo, agninove quam pinguiſſimo, & ſalſiſſimo per ſe poto.* Nonn. de Re cibar. III. 45. Turneb. Adv. XVII. 16. Rhod. Ind. Scribon.

MURIATICA ταρίχη piſcium vocarunt Romani, quæ omnino uno nomine Septentrionalium lingua hodie dicuntur ſtockviſch. Plaut. Pœn. I. 2. 32.

> *Quaſi ſalſa muriatica eſſe autumantur,*
> *Sine omni lepore, & ſine ſuavitate,*
> *Niſi multa aqua uſque & diu macerantur,*
> *Olent, ſalſa ſunt, tangere ut non velis.*

Scalig. Conject. in Varr. p. 126. Auſon. Lect. II. 28. Hoc minime veriſimile puto. Nam hæc vento areſiunt: illa *muria* conduntur. *Voſſ. Lex. Etymol.* Sunt itaque ſalſi piſces, ſive ſalſamenta, quæ in *muria* ſervabantur. *Lambin. in Plautum. Buleng. de Conviv.* II. 30.

MURILEGULI ſunt piſcatores, & purpurarum perquiſitores, legendis conchyliis deputati. Meminerunt Imperatores c. IX. *Rhodig. Ant. Lect.* VIII. 12. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 21.

MURINES, μυῤῥίνης, erat *vinum unguento mixtum.* Pollux VI. 2. Heſychius: Μυῤῥίνη, *vinum, cui unguentum in-*

infusum. Ælian. Var. Hist. xii. 31. *Quid vero? nonne hæc sunt luxus Græcorum demonstratio? Vinum enim unguento miscebant, atque ita bibebant, & maxime amabant hanc mixtionem. Vocabatur autem vinum illud myrrhinites.* L. *myrrines.* Plin. xiii. 3. *At hercule jam quidam etiam unguenta in potus addunt.* *Murrina* vocatur Plaut. Pseud. ii. 4. 50. & Plin. xiv. 13.

Quid si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet?
Murrinam, passum, defrutum, mellinam.

Delicata fuit potio, & ganeæ propria. Docere hoc potest & Suetius, sive Succius comœdiarum scriptor, ubi Glyceram meretriculam a dulcedine nomen habentem introducit ita loquentem:

Murrinum mihi adfer, quo virilibus armis occurram fortiuscula.

Jun. Anim. v. 19. Brod. Misc. iv. 4. Barthol. de Cruce ii. §. 3. Scheffer. & Perizon. in Ælianum, Buleng. de Conviv. iii. 3. Salmas. Exercit. Plin. p. 501. a. A.

MURRA est lapis pretiosus odoris præstantia commendabilis, & colorum varietate insignis, nascens in oriente apud Parthos, & præcipue in Carmania, crediturque esse humor solis calore sub terra condensatus. *Moreſt. Pomp. Feral.* vi. 6. Μόῤῥαν Græci dicunt. Pausan. Arcad. p. 251. *Crystallus, & murra, & quæ alia hominibus ex lapide sunt facta.* Μόῤῥα. Perperam legitur μοῤῥία, & perperam emendant μυῤῥία. Ut crystallus Pausaniæ, unde crystallina pocula, ita & μόῤῥα lapis ipse, ex quo pocula *murrea*, & *murrina*. *Murram* appellant Mart. x. 80. 1.

Plorat Eros, quoties maculosæ pocula murræ
Inspicit.

Stat. Sylv. iii. 4. 57.

——— *hic pocula magno*
Prima duci, murrasque graves, crystallaque portat
Candidiore manu.

Ita enim ubique legendum, non myrrha. Græci, ut dixi, μόῤῥαν, & μόῤῥινα. Arriano λίθια μοῤῥίνη. *Salmas. Exerc. Plin. p. 543. F.*

Murra est odoramentum siccum, quod ex *murra* lapide contrito componitur, διάπασμα nuncupatum. Pompon. xxxiv. 2. Pandect. *Unguentis legatis, non tantum ea legata videntur, quibus ungimur voluptatis causa, sed etiam valetudinis: qualia sunt murra....* Servius de Odor. Misc. Ital. Erud. Tom. iii. p. 671.

MURRHATA potio. V. illam infr. in *Potio.*

MURRINA vasa. V. illa infr. in *Vasa.*

MURROBATHRARII, sive *myrobathrarii* dicuntur Plaut. Aul. iii. 5. 37.

Aut manulearii, aut murrobathrarii.

Illos Turneb. ad Theophr. de Odorib. interpretatur fuisse, qui calceamenta muliebria, ut bene olerent, unguentis, & gratis odoribus, ac suffimentis imbuebant. Sed quis credat artifices fuisse, qui hoc tantum facerent? Quasi ipsæ mulieres hoc ministerio defungi non possent, ut unguenta, quæ corpori infunderent, etiam calceos illinerent. Si tamen eo luxus provenerat, ut res tam pretiosa etiam solo subjiceretur. *Ferrar. de Re vest.* i. 3. 21. *Lambin. & Taubman. in Plautum. Saubert. de Sacrif.* c. 9. Antiqua scriptura est *marobatharii.* Ego *aromatarii* redundante primo elemento, & *h* in locum *m* introducto, ut non raro, legendum esse nunc existimo. *Turneb. Adv.* vi. 24. Mihi simplicior notatio videtur, quæ & a Lambino adducitur, *myrobrecharii*, quæ vox significat eos, qui unguento perfundunt, & madefaciunt. *Ferrar. l. l.* Mihi *murobractarii* magis arrident, pro *myrobrectarii.* Barbaræ enim verbum ἀπὸ τοῦ βρεκτοῦ finxerunt, quod humectare, & madefacere significat, & idem plane quod βρέχειν. *Salmas. in Vopisc. Aurel. c. 46.* V. etiam supr. in *Malobathrarii.*

MURUS omnis urbium sacer, & intaminatus habebatur. Plutarch. Quæst. Rom. 27. *Varronis sententia est, muros propterea sacros existimandos, ut pro iis propugnarent alacrius cives, mortemque etiam oppetere justinerent. Et videtur Romulus quoque fratrem propterea interfecisse, quod sacrum locum, & inaccessum transilire aggressus, transcendendum, profanumque reddidisset.* De Urbe Romulus legem statuit, ut *muri sacrosancti essent.* Hanc legem significasse videtur Cicer. de Nat. deor. iii. 40. cum ait, *muros a pontificibus habitos esse sanctos, quos violare nefas esset.* Manut. de Leg. c. 2. Guther. de Jur. Pontif. iii. 10. Salmuth in Pancíroll. de Reb. deperd. & inv. p. 207. Donat. de Urb. Rom. i. 4. Faber Semest. i. 22. Hieronicæ muri urbis, quam intrassent, partem solebant disjicere. Suet. Ner. c. 25. n. 1. V. illum supr. in *Hieronicæ.* Si de novo exstruerentur, vel collapsi restituerentur, nomina benefactorum lapidibus incisa præfigebantur, ut quilibet ex inscriptione legere, & percipere potuerit, quis auctor hujus fuerit. Inscriptiones partim verbis, partim siglis concipiebantur, uti patet ex illa ad Novam Carthaginem:

CN. CORNELIUS. L. F
GAL. CINNA. II. VIR
MURUM LONG. P. CII
EX D. D. F. F. I. Q. P.

Hæ siglæ ita legendæ: *Cnæus Cornelius Lucii filius Gall. Cinna duumvir murum longum ped. CII. ex decreto decurionum fieri fecit idemque probavit.* Et ex illa Salonæ in Dalmatia

L. GRAVIAR. NN. AUG.
II. VIR. QUINQ. DEC. DECR.
MUR. REF. IDEMQ. PROB. CORQ.

Quæ siglæ ita exponendæ sunt. *Lucius Gravio Arnensis nomine Augustalis duumvir quinquies decurionum decreto murum refecit idemque probavit curavitque.* Nicol. de Sigl. vet. c. 30. §. 4.

MUS.

MUS est inter voces blandientes. Puella blandiens amatori *murem* eum vocat apud Mart. xi. 30. 3.

Nam cum me murem, cum me tua lumina dicis.

Vetustissimi quique codices sic habent. Ratio, videtur esse, quia *mures* sunt salacissimi. Ælian. de Anim. xii. 10. *Ferunt mures, salacissimos esse, testemque adducunt Cratinum, scilicet in Fugitivis. Age nunc tibi de sereno adversus molitiem muris fulgurabo Xenophontis. Sed enim feminam quoque murem narrant ad Venerem esse prærabidam. Rursumque apud Epicratem in choro. Fabula enim hæc Epicratis est. Postremo subiit me detestabilis lena, dejerans per puellam, per Dianam, per Persephatam, esse vitulam, esse virginem, esse puellam indomitam. At illa cavus erat murinus. Superjectione eam salacissimam dicere voluit, cum cavum prorsus murinum vocitavit.* Politiam Miscell. c. 96. Futura præcognoscit. Putrida numque jam domo, & paullo post casura, primi periculum provident *mures*: relictisque caveis illis, ac sedibus, quas incolebant, quanta maxima celeritate possunt, inde aufugiunt, atque demigrant. Hoc docent Ælian. ibid. xi. 19. *Domum ruituram, qui in ea sunt mures, præsentiunt. Quinque enim diebus priusquam pessum iret Helice, omnes in ea mures magnis copiis exibant.* Plin. viii. 28. *Ruinis imminentibus musculi præmigrant.* Victor. Var. Lect. xvii. 5. Voss. de Idolol. iii. 59. Auspicia dirimit. Plin. ix. 57. *Soricum occentu dirimi auspicia annales refertos habemus.* Et ideo oscinum auspiciis jungitur. Auson. Edyll. xii. 111.

Quadrupes oscinibus quis jungitur auspiciis? mus.

Scalig. Lect. Auson. i. 25. Lomej. de Lustrat. c. 12. Buleng. de Prodig. c. 36. Ex ejus pellibus penulas nobiliores gerebant. Senec. Epist. 60. *Non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur, ac murium?* Justin. ii. 2. 9. *Et quanquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis, aut murinis utuntur.* Ammian. xxxi. 1. *Indumentis operiuntur ex pellibus silvestrium murium consarcinatis.* In illis erant martes, & hermelini. Helmold. Chron. Slavor. i. 1. *Pellibus abundant peregrinis, quarum odor letiferum nostro orbi super-*

ſuperbiæ venenum propinavit. Et illi quidem ut ſtercora hæc habent, ad noſtram, credo, damnationem, qui ad marturinam veſtem anhelamus, quaſi ad ſummam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quas nos appellamus faldones, illi offerunt tam pretioſos marturet. Turneb. Adv. xv. 23. Lipſ. in Senecam. Bernegg. in Juſtinum. Valeſ. Lindenbrog. in Ammianum.

MUSÆ dicuntur filiæ Jovis & Mnemoſynes, quia ad procinctum in literaria velut palæſtra tendentem, neceſſe ſit νοητικὸν εἶναι, καὶ μνημονικὸν, id eſt, intelligendi, percipiendique poteſtate, atque item retinendi præcipue pollere. Jovem autem contribuere τὸ νοητικόν: at Mnemoſynen τὸ μνημονικόν. *Rhodig. Ant. Lect.* x. 16: xx. 10. *Turneb. Adv.* xxviii. 43 *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 260. *C.* Illarum numerum diverſum ponit Arnob. iii. 121. *Muſas Mnaſeas auctor eſt filias eſſe Telluris & Cœli: Jovis cæteri prædicant ex Memoria uxore, vel Mente. Has quidam virgines, alii matres fuiſſe conſcribunt. Ephorus has numero eſſe tres effert: Mnaſeas quatuor: Myrtilus inducit ſeptem: octo aſſeverat Crates: ad extremum Heſiodus novem cum nominibus prodit.* Cuper. Harpocr. p. 27. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 8. Gyrald. l. l. Subtilius contemplanti mihi videtur *Muſarum* numerus a canentium numero per initia conſtitutus. Itaque eo creſcente ad quartam perſonam uſque, additam a nonnullis & quartam *Muſam.* Aucta deinde variis in organis arte concentionum, etiam ſeptem proditæ. Poſtremo ad novem uſque promota frequentia in eo ſtetit: idque non ſine cauſa. Eſt enim perfectiſſimus numerus: ſuper quo multi multa ex Muſicorum præceptionibus tradidere. *Scalig. Poet.* i. 2. *Paſchal. de Coron.* ix. 27. A Cupidinis *jaculis tutas agere*, qui *illas reveretur, quia vultu ſunt reverendo, & ſemper aliquid meditantur, & cantionibus animum intentum habent,* ſcribit Lucian. dial. Vener. & Cupid. p. 217. Sed tamen non omnes ſunt virgines. Nam Terpſychorem concubuiſſe cum Acheloo, & ex eo compreſſu Sirenas prognatas ſcribit Apollon. iv. Non ipſa Erato, quam volunt dici ἀπὸ τοῦ ἐρᾷν, *ab amando.* Schol. Apollon. iii. 1. Orpheum Calliope prognatum ait. Polymniæ amorem Eryximachus apud Platon. Symp. diſcriminat ab amore Uraniæ: hujus amor, inquit, eſt honeſtus, & præclarus; at Polymniæ vulgaris. *Paſchal. ibid.* iii. 4. *Gyrald. ibid. p.* 263. *C.* Alatæ effinguntur ob ingeniorum præſtantiam, atque expromptam mobilitatem. Quam ob cauſam Homerus quoque alata verba nominat. In fabulis memoriæ proditum eſt, Sirenas Junonis ſuaſu cum *Muſis* cantu fruſtra contendiſſe: ab ipſis enim victis illas pro ſupplicio evulſis alarum pennis coronas capitibus impoſuiſſe. *Scalig. l. l. Cuper. ibid. p.* 170. *Paſchal. ibid. c.* 18. *Gyrald. Synt. de Muſ. p.* 566. *D Edit. Lugd.*

Muſæ Aganippides dicuntur a fonte Hippocrene, qui etiam Aganippe vocatus eſt. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 264. *G.*

Muſæ Aonides dicuntur ab Aoniis montibus, qui montes, & Aones dicti: ut illud

Aonas in montes ut duxerit una ſororum.

Gyrald. Synt. deor. vii. p. 264. B.

Muſæ Camenæ dicuntur quaſi canenæ, a cano. Macrob. in Somn. Scip. ii. 3. *Muſas eſſe mundi cantum etiam ſciunt, qui eas Camenas quaſi canenas a canendo dixerunt.* A caſcis, & priſcis Latinis dictæ ſunt quaſi Caſmenæ. Varr. de Ling. Lat. vi. 3. *Caſmenarum priſcum vocabulum. Alibi Carmenæ ab eadem origine ſunt declinatæ, ut in multis verbis, in quibus antiqui dicebant S. poſtea dixerunt R. Quare Caſmena, Carmena: R poſtea extrito Camena factum.* Feſtus: *Camenæ muſæ a carminibus ſunt dictæ, vel quod canunt antiquorum laudes, vel quod ſint caſtæ mentis præſides.* Gyrald. de Muſ. p. 560. F. Synt. deor. ibid. p. 263. E. Turneb. Adv. xiv. 13. Panciroll. Deſcr. Urb. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 323. E.

Muſæ Caſtalides dicuntur a Parnaſſi fonte Caſtalio, cujus aqua potu ſuavis fuiſſe traditur. *Gyrald. de Muſ. p.* 562. *D. Synt. deor. p.* 265. *E.*

Muſæ Heliconiades dicuntur ab Helicone, Bœotiæ monte, non Parnaſſi jugo, ut cum Servio grammaticorum plerique exiſtimant. In illo primi Otus & Ephialtes *Muſis* ſacra fecere, eumque montem *Muſis* ſacrum eſſe voluere. *Gyrald. Synt. deor. p.* 263. *F. de Muſ. p.* 560. *F.*

Muſæ Libethrides a Magneſiæ fonte ipſis conſecrato dicuntur. Strab. ix. p. 282. *Hoc in loco conſecrata eſt Muſis ædes, fonsque Caballinus, & Libethriadum ſpelunca nympharum.* Virg. Ecl. ix. 21.

Nymphæ, noſter amor, Libethrides.

Gyrald. Synt. deor. vii. p. 265. B. de Muſ. p. 562. A.

Muſæ Mæonides dicuntur a Mæonia, ut putatur, regione: vel ab Homero, qui Mæonius dictus eſt. Ovid. Met. v. 267.

Feliceſque vocat pariter ſtudiique locique
Mæonidas.

Gyrald. Synt. deor. vii. p. 266. E. de Muſ. p. 563. A.

Muſæ Mnemoſynides dicuntur a matre Mnemoſyne, quæ eſt memoria. *Gyrald. Synt. deor. p.* 266. *B. de Muſ. p.* 562. *F.*

Muſæ Olympiades dicuntur ab Olympo. Varr. de Ling. Lat. vi. 2.

Muſæ, quæ pedibus magnum pulſatis Olympum.

Cœlum dicunt Græci Olympum, montem eum in Macedonia omnes, a quo puto potius dictas Muſas. Gyrald. Synt. deor. p. 266. C. de Muſ. p. 562. F.

Muſæ Pegaſides dicuntur *a fonte, quem Pegaſus ictu ungulæ fingitur aperuiſſe: ob quam cauſam a Græcis eſt appellatus Hippocrene.* Feſtus. *Gyrald. Synt. deor. p.* 264. *E. de Muſ. p.* 561. *D.*

Muſæ Pierides dicuntur *propter amœnitatem, ac ſolitudinem Pierii montis, quod eæ ſecretis locis propter ſtudia liberalia delectentur.* Feſtus. Cicer. de Nat. deor. iii. 21. *Muſæ, quas Pierias, & Pieridas ſolent poetæ appellare.* Gyrald. Synt. deor. p. 264. C. de Muſ. p. 561. B.

Muſæ Pimplejades dicuntur a fonte, vel vico Macedoniæ, ut Porphyrion ait: ut vero interpretes Apollonii a Pimplia regione, quæ fuerit prope Pieriam. *Gyrald. Synt. deor. p.* 265. *D. de Muſ. p.* 562. *B.*

Muſæ Theſpiades dicuntur, non, ut quidam putant, a Theſpia matre, vel nutrice, quod nuſquam apud auctores compertum: ſed a Theſpia, vel Theſpiis, civitate Bœotiæ, ubi præcipue *Muſæ* colebantur. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 265. *A. de Muſ p.* 561. *F.*

MUSAICUM vulgo vocant emblemata, ſeu opus vermiculatum ex teſſellis marmoris varii coloris, in homines, & varias animalium formas effictum. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 11. *Philand. in Vitruv.* vii. 1. V. infr. in *Muſivum.*

MUSCÆ quia non aberant a tricliniis Romanorum, miniſter, qui illas fugaret, erat in tricliniis. Mart. iii. 82. 10.

Et æſtuanti tenue ventilat frigus
Supina praſino concubina flabello
Fugatque muſcas myrtea puer virga.

xiv. 67. V. illum ſupr. in *Flabellum.* Senec. de Ira iii. 25. *Quid enim eſt, cur muſca parum curioſe fugata, nos in rabiem agat.* Pignor. de Serv. p. 134. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 274. Caſal. de Prof. Roman. rit. c. 25. de Urb. ac imp. Rom. ſplend. p. 2. c. 19. Lindenbr. in Ammian. xxviii. 4.

Muſca ænea fuit ludus puerilis, qui in uſu veterum Græcorum erat, in alias etiam terras manavit, ad noſtra tempora apud nos permanſit: &, quod non minus mirum eſt, quamvis diverſa lingua, ab eadem re nomen traxit. Noſtri pueri *muſcam cæcam*, quam *æneam* appellat Pollux ix. 7. *Muſca ænea: faſcia pueri oculos obligantes, hic quidem convertitur clamans, æneam venabor muſcam. Hi vero reſpondentes, venaberis, ſed non capies: funiculis ipſum cædunt, usque dum aliquem arripuerit.* Victor. Var. Lect. xv. 16. Buleng. de Lud. vet. c. 17. Meurſ. de Lud. Græcor. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. vii. p. 977. F.

Musca dicebatur parasitus, qui invocatus aliorum cœnas captabat. Apud Antiphanem comicum parasitus:

> *Ut moveam quasi vecte fores, sim terræ motus, ut insiliam locusta,*
> *Ut cœnem invocatus, sim musca, ut non exeam, puteus.*

Plaut. Pœn. III. 3. 77.

> LYC. *Hospitium te ajunt quæritare.* COL. *Quærito.*
> LYC. *Ita illi dixerunt, qui hinc a me abierunt modo,*
> *Te quæritare a muscis.* COL. *Minime gentium.*
> LYC. *Quid ita?* COL. *Quia a muscis si mihi hospitium quærerem,*
> *Adveneram huc recta in carcerem rectà via.*

Stuck. Ant. Conviv. II. 4. Buleng. de Conviv. I. 25. Potter. Archæol. Græc. IV. 19. Laurent. de Occul. c. 4.

MUSCULARII *musculo* tecti fossas oppidorum complanabant. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 85.*

MUSEARII sive *Musivarii* dicantur, qui artem tessellas marmoris in varias formas effingendi callent. l. 1. C. de Excus. art. *Artifices artium ab universis muneribus vacare percipimus, musearios.* . . . . Panciroll. de Corpor. artif. c. 11. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 134. Philand. in Vitruv. VII. 1. Crinit. de Honest. Discipl. XXII. 1. Buleng. de Pict. I. 8.

MUSCULUS erat machina; qua tecti milites opus faciebant. Erat inter instrumenta fortiæ oppugnationis. Cæs. Bell. Civ. III. 80. *Cæsar castris munitis, scalas musculosque ad repentinam oppugnationem, & crates parari jussit.* Idem de Gallis, qui Alesiæ inclusi, cum subito perrumpere Juliana castra vellent, de Bell. Gall. VII. 84. *Vercingentorix oppido egreditur, e castris,* male. Quomodo enim & oppido egreditur, & profert instrumenta *e castris*? Nulla vero ipse jam castra habebat, & in oppidum copias reduxerat: sed nec petere a sociis potuit, Romanis interjectis. Vocula *e* abest libro scripto optimo. L. *crates, longurios, musculos, falces, reliquaque quæ eruptionis causa paraverat, profert.* Munitiones etiam suas illo proferre, & plus loci occupare conatus est Cæsar subito deprehensus, in Alexandrina urbe cum rem gereret. Hirt. de Bell. Alex. c. 1. *Interim munitiones quotidie augentur, atque omnes oppidi partes, quæ minus firmæ esse viderentur, testudinibus, atque musculis aptantur.* Mallem *quatiuntur, captantur*, aut tale quid. Isidoro XVIII. 11. est *cuniculo similis, quo murus perfoditur.* Sed si cuniculo similis, cur animal., in fossorio? Verba, *murus eo perfoditur*, induxere vulgo nostros mechanicos, aut militares scriptores, ut patent, & forment *musculum* acuto rostro, & eo ipso muros perfodientem. Nihil tale olim: & esset hæc terebra potius. Si legeretur, *sub quo*, id verum esset: & est velut specus ligneum, in quo milites constituti diruunt murum, & demoliuntur. Differt a vineis, pluteis, cum forma, tum modulo, & firmitate. Exiguus enim est, & muris quasi facie oblongior: sed lignis validis structus, & ne perfringi desuper posset. Veget. IV. 16. *Musculos dicunt minores machinas, quibus protecti bellatores, si lutum obsuerit, civitatis fossatum, etiam apportatis lapidibus, lignis, ac terra non solum complent, sed etiam solidant, ut turres ambulatoriæ sine impedimento jungantur ad murum. . . . istæ machinæ breviores, deputatæ turribus magnis, adventus illarum parant viam, itineraque præmuniunt.* Alium a Vegetiano describit Cæs. de Bell. Civ. II. 10. *Musculi hæc erat forma. Duæ primum trabes in solo æque longæ, distantes inter se pedes quatuor collocantur: inque eis columellæ pedum in altitudinem quinque defiguntur. Has inter se capreolis molli fastigio conjungunt, ubi tigna, quæ musculi tegendi causa ponant, collocentur. Eo super tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis, clavisque religant. Ad extremum musculi tectum, trabesque extremas, quadratas regulas, quatuor patentes digitos figunt: quæ lateres, qui super musculo struantur, contineant. Ita fastigiato, atque ordinatim structo, ut trabes erant in capreolis collocatæ, lateribus, lutoque musculus, ut ab igne, qui ex muro jaceretur, tutus esset, contegitur. Supra lateres coria inducuntur: ne canalibus aqua immissa lateres diluere possit. Coria, ne rursus igni, ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Hoc opus omne tectum vineis ad ipsam turrim perficiunt, subitoque, in præcinctu hostibus, machinatione navali, phalangis subjectis, ad turrim hostium admovent, ut ædificio jungatur.* . . . Lips. Poliorc. I. 5. Valtrin. de Milit. Rom. V. 6. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 152. Turneb. Adv. XI. 24. Stewech. in Vegetium. Laurent. Polym. IV Synopsi. II. Thys. de Oppugn. Urb. I. p. 163. Blond. Triumph. Rom. VI. p. 132. B.

MUSEUM vocatur locus, in quo *Musæ* coluntur, sive fanum Musarum, ut Νυμφεῖον, fanum nympharum. *Neocor. Diatr. de Mus. Alex. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2768. B.*

Museum etiam est locus studiis, & ὁμιλίαις, convictuique doctorum virorum destinatus. Tale fuit Alexandrinum, quod collegium erat, in quo viri excellentis doctrinæ, initio a Regibus Alexandrinis, postea vero Ægypto a Romanis subacta, ab Imperatoribus Romanis, liberalitate magnis Principibus dignissima, alebantur, ut omnium aliarum rerum cura vacui, omne tempus in literis & studiis, eruditisque confabulationibus consumerent. Philostr. vit. sophist. p. 524. C. *Adrianus eum inter viros equestris ordinis censeri voluit, & eos, qui in Museo alebantur. Museum autem Ægyptia mensa erat, quæ ex omni terrarum orbe eloquentissimos quosque viros convocabat.* A Ptolemæo institutum fuisse testatur Plutarch. adv. Colot. p. 1095. *Ptolemæus, qui primus viros doctos in Museum convocavit.* Sed a quo institutum fuerit, non addit. Facile mihi persuaserim, conditorem ejus fuisse Ptolemæum Philadelphum, quippe quem singulari studio, & favore literas, literatosque viros fovisse constat, & in eam curam præcipue incubuisse, ut Ægyptus optimarum artium studiis, & ingeniorum gloria effloresceret. Hujus certe tempore floruit. Athenæus enim, postquam laudasset Ptolemæum Philadelphum ob magnificentiam in omnibus operibus ejus conspicuam, subjungit V. p. 203. *De librorum multitudine, & bibliothecarum constructione, & convocatione in Museum quid attinet dicere, cum ea omnes memoria teneant?* Imperatores Romanos in illo viros eruditos fovisse testatur Strabo, qui & illud describit XVII. p. 546. *Pars regiæ & Museum, quod deambulationem habet, & exedram, magnamque insuper domum, in qua cœnaculum est eorum, qui Musei consortes sunt, ac literis humanioribus operam dant. Hoc collegium publicam habet pecuniam, & sacerdotem, qui Museo præest, olim a Regibus, nunc a Cæsare constitutum.* Huic veteri Claudius Imperator alterum addidit, ipsius nomine Claudium vocatum. Suet. c. 42. n. 7. *Quarum causa veteri Alexandriæ Museo additum ex ipsius nomine.* Athen. VI. p. 240. B. *Antidotus, in fabula Protochorus dicta, inducit aliquem similem iis, qui nunc in Claudio philosophantur.* Casaub. in Suetonium. Neocor. Diatr. de Mus. Alex. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2768. C. Gronov. de Mus. Alex. Thes. Gronov. ibid. p. 2741. . . . Panciroll. Notit. dignit. Imp. orient. c. 122. Goeree Antiq. biblic. V. 6. Lips. de Biblioth. c. 11. Thys. Antiq. Roman. p. 380. Ad Ptolemæum primum, h. e. Sotera refero, & Plutarchi locum sic distinguo: *Ptolemæus primus, qui* . . . . Perizon. Addend. ad Ælian. p. 995.

MUSICA est bene modulandi solertia, quæ melicis, & rythmicis astructionibus continetur, ait Martianus Capella, vel, ut Isidorus, est peritia modulationis, sono, cantuque consistens. Hujus primordia Pythagoras reperit ex malleorum sonitu, & chordarum extensione percussa, ut docet Cassiod. de *Musica*, cum Clemens Alexandrinus Protreptico suo velit a *Musis Musicam* repertam. Verius Moses a Tubal ante universum aquarum eluvionem repertam esse scribit. Nonnulli Linum Thebanum, Zethum, & Amphiona ejus artis ante alios omnes laude viguisse contendunt. Clem. Strom. I. p. 306. A. Idæos Dactylos *musicos* rythmos reperisse auctor est. Solin. c. 17. a Cretensibus reperta est, cum Idæi Dactyli modulos crepitu, ac tinnitu æris deprehensos in ordinem versuum transtulissent. A Dardanis repertam asserit Strab. VII. *Dardani cum essent oppido agrestes, ita ut spelæa sub fimo, & sterquilinio fodientes, ibi versarentur, Musicæ tamen studiosi fuerunt, mu-*

ficis semper usi & tibiis, & instrumentis, quæ fidibus intenderentur. Plutarch. de Music. p. 1135. E. putat Apollinem omnis *musicæ* repertorem, quæ tibiis & fidibus constet. *Buleng. de Theat.* II. 3. Ejus plus æquo Romani studiosi fuerunt. Ammian. XIV. 6. *Paucæ domus studiorum seriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignaviæ torrentes exundant, perflabili sono, vocali tinnitu fidium resultantes. Denique pro philosopho cantor, & in locum oratoris doctor artium ludicrarum accitur, &, bibliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæque, & histrionici gestus instrumenta non levia.* Kobierzyck. de Lux. Roman. c. 12. Adhibebant illam in conviviis. In convivio hospitali Didonis & Æneæ apud Virg. Æneid. I. 744.

— cithara crinitus Jopas
Personat aurata.

Suet. Ner. c. 20. n. 1. *Diebus continuis post cœnam* Terpno citharœdo *canenti in multam noctem assidens, paullatim & ipse meditari, exercerique cœpit.* Liv. XXXIX. 6. V. illum supr. in *Cocus.* Et *ornamenta* sive *additamenta convivii* cantum & citharam vocat Hom. Odyss. XXI. 430. *Cerda in Virgilium. Stuck. Conviv. Antiq.* III. 20. *Kobierzyck. ibid. c.* 11. *Moll. in Long. Pastor. p.* 74. V. & supr. in *Canebant.*

Musica muta nominabatur, quod aquæ sono, solis manuum, vultus, pedum gestibus exercebatur: iidemque & intelligebantur, & mirabiliter populum oblectabant, actibus in scena intermediis. Qui hanc exercebant, mimi, & pantomimi dicebantur. Cassiod. Var. I. 20. *Hanc partem musicæ disciplinæ mutam nominaverunt majores, scilicet, quæ ore clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut scripturæ textu possit cognosci.* Hæc ars ivit in fumum, & nec ullum ejus extat vestigium. *Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 258. *& ad illum Salmuth. Schill Nomencl. Philol. p.* 784. Id quod non est magni faciendum: siquidem nullum alium fructum, præterquam delectationem, adferebat: quæ sane homini Christiano non magnopere curanda. *Panciroll. l. l.*

MUSIVA, *musæa*, vel *musaica*, & vernacule nobis *a la mosaique* dicebantur opera, ad differentiam operis segmentati, quod ex segmentis fiebat, non arte pictis, sed sui coloris nativi, nobis *en marqueterie*, constabant proprie ex segmentis arte pictis. V. infr. in *Sectilia.* Serviebant maxime incrustandis muris, & parietibus in templis, palatiis, cubiculis magnatum. In antiquis nonnullis templis visuntur adhuc hujus operis reliquiæ: sic Parisiorum Lutetiæ in sacello sancto occurrunt hinc & inde in pronao intervalla inducta hoc modo, & incrustata paullo infra vitreas fenestras. *Bergier. de viis milit.* II. *sect.* 21. §. 6. *Gronov. Mus. Alexandr. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2756. *D.* Spartian. Pescenn. c. 6. *Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.* Opus *musivum* expressit Nilus Scholast. Epigr. IV. Vertit Alciatus.

— qua arte ex aliis aliisque lapillis
Tam cito compositum transiens in satyrum.

Philand. in Vitruv. VII. 1. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 133. Alii de pictura, qua fornices, apsides, cameræ, tholi, trulli, testudines templorum, porticuum, & regiarum exornantur. Ego autem de omnibus sigillis, imaginibus, exemplis, quæ ex tessellis, ac scutulis marmoreis, aut ex hyacinthis, unionibus, carbunculis, & aliis gemmis, lapillisque construuntur, interpretor. Scribit enim Treb. Poll. trig. tyrann. c. 25. *Tetricos obtulisse* Aureliano *civicam coronam de museo picturatam*, id est sigillis, & imaguncults ex unionibus, smaragdis, & carbunculis ornatam. Et Codinus in Constantinopoli ὑποδήματα μυσάκια, calceos imperatorios de *musivo* pictos, quod cum essent purpurei, aquila in eis ex gemmis, & unionibus conflata esset. *Buleng. de Pict.* I. 8. V. quoque *Salmas. in Spartianum, Casaub. in Spartianum, & Suet. Jul. c.* 46. & *Baldum Lex. Vitruv. in Tessera.*

MUSIVARII. V. illos supr. in *Musearii.*

MUSSIDIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

MUSTACLUM, sive *mustaceus* fuit placenta, ex farina, & musto facta. Cato de Re rust. c. 122. *Mustaceos sic facito. Farinæ silignea modium musto conspergito. Anisum, cuminum, adipis pondo duo, casei libram, & de virga lauri deradito, eodem addito. Et ubi definxeris, lauri folia subtus addito, cum coques.* Ejus meminit Stat. Sylv. I. 6. 19.

Et mustaceus & latente palma
Prægnantes caryotides cadebant.

Turneb. Adv. XXIII. 10. Calcagn. Epist. Quæst. I. 18. Bacc. de Vin. & Conviv. IV. p. 159. Buleng. de Conviv. IV. 18. Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Lect. Ant. IX. 16. Barth. in Statium. Stuck. Ant. Conviv. I. 24. Erasm. in Adag. p. 61. Dalechamp. in Plin. XV. 30. Affinibus & amicis in celebratione nuptiarum dari solebat. Juvenalis, dum monet non ducendam perversis moribus Sat. VI. 202.

— ducendi nulla videtur
Causa; nec est, quod cœnam, & mustacea perdas.

Bacc. l. l. Inde proverbium *laureolam in mustaceo quærere*, quod ex frivolis negotiis captare famam haud præclaram, neque magnificam. Quum quis enim jam absumpto *mustaceo* serius advenisset, quod de Pinariis in sacro Herculis traditum est, quo tempore jam nihil erat reliqui præter laurum, quæ *mustaceo* substernebatur: facete, & σκωμματικῶς dicebatur ille *in mustaceo laurum quærere*, utpote cui præter sedimentum nihil superesset. Hinc cum devictis, profligatisque a Cicerone incolis Amani montis, sempiternis hostibus populi Romani, Bibulus supervenisset, aliquid gloriæ inde aucupans: salse, nec sine stomacho scribit Cicero ad Attic. V. 20. eum in *mustaceo laureolam quærere*: & acute admodum, ac eleganter laureolæ nomine usus est, quæ non laurum tantum, verum etiam victoriam significat. *Erasm. Calcagn. Turneb. Voss. l. l.*

MUSTELA est de genere murium. In malam trahebatur sævam. Theophrast. Charact. c. 17. *Si viam mustela eo ingrediente transcurrerit, non ante progredietur quam alius prior transierit: aut ipse tres lapides trans viam miserit.* Apul. Met. IX. p. 302. *Visæ interea mustelæ mortuum serpentem forinsecus mordicus attrahentes. . . . Hæc tot, ac talia ingenti pavore domini illius, & familiæ totius ad extremum stuporem dejecerunt animos.* Buleng. de Prodig. c. 38. Casaub. in Theophrastum.

Mustelæ nomine etiam inclaruit lampetra. Plin. IX. 17. *Proxima est his mensa generis duntaxat mustelarum, quas mirum dictu, inter Alpes, lacus quoque Rhætiæ Brigantinus æmulas marinis generat.* Auson. Eidyll. X. 106.

Quæque per Illyricum, per stagna binominis Istri,
Spinarum indiciis caperis mustela natantum,
In nostrum subvecta fretum, ne lata Mosellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color! atra superne
Puncta notant tergum: qua lutea circuit Iris.
Lubrica cœruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium fartim pinguescit: at illinc
Usque sub extremam squallet cutis arida caudam.

Sed mirum est poetam septena illa ab utroque latere foramina, sive branchias, quibus lampetra respirat, præteriisse, quæ vulgus oculos opinatur. Sed a poeta nemo exactam fidem, ut ab historico, aut philosopho exiget: *Nonn. de Re cibar.* III. 32.

MUT.

MUTATIONES dicebantur loca cursus publici l. si quis 15. l. nemo 17. C. de muner. & honor. Cassiod. Tripart. VI. 45. scribit Julianum Sabam cognovisse mortem Juliani apostatæ, licet plusquam viginti *mutationes* ab eo loco usque ad illius exercitum esse viderentur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 6. *Pith. præf. ad Itiner. Burdigal. p* 138. *Mutationes*, & *mansiones* in eo conveniebant, quod specifice, si scholarum voce licet uti, distinguantur a civitati-

vitatibus. Evidenter hoc apparet in Itinerario a Burdigala Hieruſalem uſque p. 139. . . . . ubi nullus omnino notatur locus, cui non annotetur aut τὸ *civitas*, aut τὸ *mutatio*, aut τὸ *manſio*. Itaque tam *mutationes*, quam *manſiones* fuerunt extra urbes, ac civitates; uti in villis, vicis, aliisque locis immunitis, ac facilis aditus, ad quæ loca noctu, diuque curſu publico commodo accedere licuit, & ſine ulla temporum mora equos curſuales cito *mutare* ad perſequendum iter. Neque enim *mutationes*, & *manſiones* curſus publici Romani quærendæ ſunt in coloniis, municipiis, præfecturis, civitatibusque fœderatis, ſed in vicis, aut villis, utpote in quibus Imperatores fieri curaverant ædificia curſui publico accommodando, ubi tam equi curſuales, quam homines, & catabulenſes ad curſus publici tutelam, & facilitatem erant diſpoſiti. In eo diſtinguebantur, quod *mutationes* ſolum curſui publico deſtinabantur: at latius patebat *manſionum* uſus. Hæ enim tam curſui publico, quam militi legionum Romanarum patebant. Prius de curſu publico confirmant verba Imperatorum Valentiniani & Valentis l. 9. C. de annon. & trib. *Tabulariorum fraudes ſe reſecaſſe per ſuburbicarias regiones vir clariſſimus Anatolius conſularis miſſa relatione teſtatus eſt: quod pabula, quæ hactenus ex eorum voluntate, atque arbitrio, ad mutationes, manſioneſque ſingulas, animalibus curſui publico deputatis, repente, atque improviſe ſolebant convehi, nunc in conſilio ratione tractata, pro longinquitate, ac moleſtia itineris, ab unoquoque oppido, certo, ac denuntiato tempore, devehi ordinavit.* Militi quoque legionum Romanarum patuiſſe manſiones innuunt illi, qui definiunt, *eas eſſe ſtationes, in quas ſe milites expeditionis tempore quieſcendi cauſa recipiebant.* Bergier. de Viis militar. IV. Sect. 9. §. 2. & 5. Deinde brevius iter eſt *mutationum*, ſive ſtationum, ubi *mutantur* equi: manſionum vero, ſive ſtativarum unius diei eſt. *Guther. de Offic. dom. Auguſt.* III. 15.

Mutationes vocabantur etiam ipſi veredi. Ammian. XXI. 9. *Præfectus prætorio Taurus, ut hoſtem vitans externum, mature diſceſſit, vectusque mutatione celeri curſus publici, tranſitis Alpibus Juliis, eodem ictu florentium itidem præfectum ſecum abduxit.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. 9. §. 4. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6.

MUTATORIUM Cæſaris apud Rufum & Victorem legitur regione prima, quæ porta Capena. Apud illos pro ædificio accipitur, forte pro domo publica, quam Cæſar pontifex maximus habitavit. Suet. c. 46. n. 1. *Habitavit primo in Suburra modicis ædibus. Poſt autem pontificatum maximum in Sacra via domo publica.* Panvinol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 324. F. Veſtigium noſtrum quadratum locum deſignat, cum porticibus, nullamque circi faciem refert. Mihi placet opinio Franciſci Albertini de Mirabilibus novæ, & veteris Urbis. *Erant*, inquit ille, *mutatoria, ut mutatorium Cæſaris, quæ erant privatæ domus magnorum ad ſeceſſum, & delicias, variis picturis, & marmoribus exornatæ.* Athen. XII. p. 513. F. *Reges Perſarum, & Parthorum pro anni tempore ædes mutaſſe* refert: *Celeberrimi omnium virorum, ob ſuas delicias, Perſæ primi fuère, quoniam in Suſis Reges hyemabant, æſtateque degebant in Ecbatanis. Verſabantur per autumnum in Perſepoli, & reliquam totius anni partem in Babylonia.* Romani Imperatores ultra Palatinas ædes habuere privatas domos, ac thermas, quas pro anni tempore *mutabant*: ut de thermis hyemalibus Aureliani ſcribit Vopiſc. c. 45. *Thermas in Tranſtiberina regione facere paravit hyemales.* Noſtri etiam pontifices cubicula, ac ædes *mutant*, ut Quirinale palatium dici *mutatorium* pontificum poſſit; cum e Vaticano diſcedentes in Quirinali per æſtatem commorantur. *Bellor. Fragm. veſt. vet. Rom. tab.* XI. Eſto locus deſtinatus ei rei, cum Cæſar togam ſago commutaret. Nam *mutare* de veſtimentis ſæpius dicitur, ut in procinctum abiturus illic ſaga militibus diſtribueret, ipſe paludamentum ſumeret. Et talibus dicata fuiſſe propria ædificia liquet ex eo, quod ædem Martis iis, qui cum imperio in provincias irent, dedicavit Auguſtus, ut inde producerentur. Suet. c. 29. n. 7. Videatur etiam aviarium, ſeu ornithona egregium Cæſar hac regione habuiſſe, quod *mutatorium* a *mutis*, ſeu cavis avium dictum ſit, ſiquidem ea vox tum quoque uſitata fuit: quod non cenſeo. *Barth. Adv.* II. 22.

MUTILUS eſt tabella, ad quam veſpere gallinæ volatu ſe recipiunt, mane deſiliunt. Colum. VIII. 9. *Ad lineam mutili per parietem deſcripte tenentulas cannabinas accipiunt.* Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. II. 18.

Mutulus dicitur etiam lignea, vel lapidea pars prominens, cui caput trabis imponitur. Eſt enim quaſi *mutila* trabs. Vitruv. IV. 2. *E canteriorum projecturis mutulorum ſub coronis ratio eſt inventa.* Voſſ. Lex. Etymol. Philand. in Vitruv. III. 3. Bald. Lex. Vitruv. Bergier de viis milit. v. Sect. 10. §. 10.

Mutilus eſt cognomen gentis Papiæ in nummis argenteis gentis Papiæ, Apronianæ communibus, ut ex Goltzio videre eſt in faſtis ann. ab U. C. 660. & 661. *Urſat. Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 866. *A.*

MUTINUS, ſive *Mutunus* erat numen Πριαπῶδες, quod *Mutuni Tutuni* nomine Romanis matronis cultum utriuſque obſcœni appellationem videtur habuiſſe. Sponſa, antequam viro jungeretur, inviſebat templum *Mutini*, & ſedebat ſuper ejus faſcinum, & apponebat propria pudenda ſupra hoc idolum. Arnob. IV. p. 131. *Etiamne Tutunus*, alii *Mutunus* legunt, *cujus immanibus pudendis, horrentique faſcino, veſtras inequitare matronas, & auſpicabile ducitis, & optatis.* p. 133. *Qui non ſupplices Lumi Mutuno procumbimus, atque Tutuno.* De illo Lactant. I. 20. *Mutinus, in cujus ſinu pudendo nubentes præſident; ut illarum pudicitiam prior deus delibaſſe videatur.* Sic duplex ejuſdem dei nomen, *Mutunus*, *Tutunus*. Ex utroque obſcœno videtur appellatio compoſita. Μυττὸς Siculum, vel Æolicum, pro μυχὸς de pudendo mulierum. Inde μυττὼν, μυττῶνος, & Romanum *muttonus*. Ποσθὼν, & ποσθαὼν, qui ingens habet virile, Æolice ποθθὼν, ποθθῶνος, inde Latinum *Puttunus*, & *Tuttunus*. Nam *T.* & *P.* invicem permutabant tam Æoles, quam veteres Latini. *Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 219. *F. Barthol. de Puerp. p.* 2. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 431. *F. Nardin. vet. Rom.* VI. 14. *Caſal. de Prof. Rom. rit. c.* 13. *de Rit. nupt. c.* 1. *de Urb. ac Imp. Rom. ſplend. p.* 2. *c.* 16. *Briſſon. de Rit. nupt. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1048. *D. Elmenhorſt. & Herald. in Arnobium. Lipen. de Stren. c.* 1. §. 9. *Tomaſ. de Donar. c.* 13. *La Chauſſe de Mutin. ſimul. tab.* 1. *&* 2. *Struv. Ant. Rom.* I. *p.* 158. *Meurſ. de Puerp. c.* 1. *Laurent. de Oſcul. c.* 4. *Röſin. Antiq. Rom.* II. 19. Quicquid ſit, Priapi erat ſignum. Auguſt. de Civ. Dei IV. 11. *Ipſe ſit Mutunus, vel Tutunus, qui eſt apud Græcos Priapus.* Cui VI. 24. *ſuper Priapi ſcapum nova nupta ſedere* dicitur, quod Plinio membrum virile ſignificat. *Barthol. l. l. La Chauſſe ibid. tab.* 1. Ejus idolum eſt repertum in monte Viminali ex ruderibus cujuſdam templi gentilitatis. Extat Romæ apud clariſſimos viros dominos de Gottifredis ex marmore albo altitudinis trium circiter palmorum. Repræſentat membrum virile erectum junctis pedibus: a tergo eſt aliud quoque membrum virile erectum, ſed hoc parvum non amplius parvi digiti; & ſupra hoc virile membrum parvum inſidet puella nuda, quæ propria pudenda ſuper parvum apponit. *Caſal. l. l.* Videtur etiam fuiſſe deus qui *mutiret*, efficeretque, nequid emanaret; ſed clam eſſet, & tacitum, & occultum. Lucilius:

Sed quid Mutino, ſubjectoque huic opus ſigno?
Ut lucraretur lardum, & carnaria furtim
Patrum conficeret.

Turneb. Adv. XVII. 23.

MUTITATIO quædam erat apud veteres per dies feſtos. Gell. II. 24. *Legi nuper in Capitonis Atei Conjectaneis ſenatus decretum vetus, in quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalenſibus mutitarent, id eſt, mutua inter ſe dominia,* convivia hilariora, quæ a domino, ſive præbitore convivii nomen acceperunt, *agitarent, jurare apud conſules.* Ad hæc alternantia convivia reſpexit Virg. Georg. I. 301.

Mutuaque inter ſe læti convivia curant.

Et de Tantalo Pind. Olym. I. 63.

Alternantia convivia diis prabens.

Lips. Sat. I. 19.

MUTUUM erat contractus, quo rerum, quæ pondere, numero, mensura constarent, usus ita concedebatur, ut postea non eædem, sed aliæ generis ejusdem redderentur. *Sigon. de Judic. I. 5. Salmas. de Mod. usur. c. 14. Cujac. Observ.* XI. 37. Erat contractus voluntarius, alterum tantum obligans. Do tibi mutuum, teneris reddere. *Salmas. ibid. c. 12.*

MYJ.

MYJAGROS deus fuit congregator muscarum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 15. Imo deus expulsor muscarum, abigens muscarum. Solin. c. 2. V. illum infr. in *Sacellum Herculis*. Pausan. Arcad. p. 258. *In ea celebritate ante Myjagro sacrificant: preces inter sacra heroi effundunt, Myjagrum invocantes: atque ita facientibus nihil prаeterea molestia musca inferunt.* Plin. X. 28. V. illum supr. in *Jupiter* Ἀπομύιος. *Myiodem* illum vocat de muscis loquens Plin. XXIX. 6. *Nullum animal minus docile existimatur, minorisve intellectus: eo mirabilius est, Olympiæ sacro certamine nubes earum immolato tauro deo, quem Myjodem vocant, extra territorium id abire.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 46. F. Lomej. de Lustrat. c. 12. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 8. Laurent. de Oscul. c. 4. Is est, quem Ἀμομύιον Δία vocatum, cultumque apud Eleos tradit Pausan. Eliac. p. 61. ὡς ἐλαύνοντα τῆς Ἐλείας Ὀλυμπίας τὰς μυίας. Sed nihil tam contrariæ significationis, quam Μυιώδης, & Ἀπομύιος. Μυιώδης siquidem proprie dicitur locus, quem multitudo muscarum infestat: Ἀπομύιος est muscarum abigeus, quasi ἀπολαύνων τὰς μυίας. Legendum in Plinio puto, quem Apomyjon Dia vocant, hoc est, Ἀπομύιον Δία. Aut etiam Μυιῶν Δία, id est, Jovem muscarum, aut muscarium: ut Apollo Παρνοπίων, & Σμινθεύς. Imo licet Μυιώδη retineamus in Plinio, male tamen viri docti sentiunt, qui *Myjodem* eundem censent cum *Myjagro*. Res enim in totum diversa. Apud Olympiam Eleam, tempore tantum sacri certaminis, quum Jovi Olympiaco sacra fiebant, Jovi etiam, quem Ἀπομύιον vocabant, sacrificabatur, non ut muscæ interirent, sed ut extra territorium abirent. Hinc Ἀπομύιος deus ille indigitabatur, quasi muscarum expulsor. At apud Eleos *Myjagros* deus placabatur, ut muscas internecioni daret, quarum multitudo pestilentiam quotannis regioni adferebat. Non igitur eadem historia potest esse, nec idem dei cognomentum, cujus diversæ sunt potestates, cum alter muscas exstinguat, alter expellat. *Salmas. Exerc. Plin. p. 9. b. F.*

MYL.

MYLOTHROS dicitur cantilena, quæ a molentibus canitur. Eustath. Iliad. Φ. p. 1324. *Mylothros cantilena dicta est eodem nomine cum eo, qui molam aspicit.* Buleng. de Theatr. II. 10.

MYO.

MYOPARO *est navicula piratarum. Cicer. de Repub.* III. *Nam cum quæreretur ex eo, quo scelere impulsus mare haberet infestum uno myoparone, eodem, inquit, quo tu orbem terræ. Sall. Hist.* III. *Et forte in navigando cohors una grandi faselo vecta a ceteris deerravit, marique placido a duobus prædonum myoparonibus circumventa.* Non. c. 13. §. 6. *Gyrald. de Navig. c. 18. Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 594. *A. Savar. in Sidon.* VIII. 6. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* VII. 32. *Turneb. Adv.* III. 1. *Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de variet. nav. Thes. Gronov. ibid. p.* 776. *D.* V. etiam *Scheffer. de Milit. nav.* II. 2. Plutarchus *myoparonas* videtur vocare, quos phaselos dixit Appianus, ubi ejusdem rei cum Plutarcho meminit. Verba Plutarchi sic habent in Anton. p. 932. A. *Octavia, præter ea, quæ pacta fuerant, a marito impetravit ut fratri viginti myoparonas concederet.* Appian. de Bell. civ. V. p. 726. *Munerata est Octavia fratrem decem phaselis mixtis ex forma onerariarum, longarumque navium.* Quibus sane Appiani verbis, nisi alium auctorem, quam Plutarchus, secutus est, conjiciat lector *myoparones* fuisse phaselos: quorum forma mixta erat ex nave oneraria, & longa triremi: ut hac nostra memoria faciendos locavit Franciscus Rex Regum, ad oceanum Britanniæ minoris, quos galeones vocant *Bayf. ibid. p.* 595. *A. Scheffer. l. l.*

MYR.

MYRA fuit metropolis Lyciæ opulentissima. Martyrol. Decemb. VI. Ad hanc Paullus in Italiam navigans appulit. Actor. c. 27. n. 5. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 125.

MYRMILLO in amphitheatralibus spectaculis Gallica erat armatura: vox autem de Græco deflexa, ut quæ in aliud solum transportata sunt, ingenio loci, & cœli mutantur, leviter quoque mutata est. Nam quod ea armatura fortissimorum erat hominum, quales opinione hominum fuerant antiqui *Myrmidones* Achillis milites, & habebantur Romanorum sententia Galli, *myrmillonesque* de Græca illa fortissima natione appellabantur: idcirco gladiatoribus hoc nomen hæsit. *Turneb. Adv.* III. 4. Qui *myrmillones* velificante una litera transfert in Græciam. At ego in Galliam potius; unde venisse eos accredam Festo: *Retiario*, inquit, *pugnanti adversus myrmillonem cantatur, non te peto, piscem peto: quid me fugis Galle? quia myrmillonicum genus armaturæ Gallicum est, ipsique myrmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat.* Nec abit a Festo Plutarch. in Crasso p. 547. C. qui gladiatores, qui cum Spartaco rebellarunt e ludo Lentuli, *Gallos fuisse* ait, & *Thraces*. Gallos ceperim *Myrmillones*. Hi & *crupellarii* dicebantur. Videntur inter pugnam soliti subsidere, ad excipiendum adversarium, & vitabundi. Ausonius ostendit præloquio centonis sui: *Simulantur species multæ formarum, aper bestia, anser volans, aut myrmillo in armis subsidens.* Ammian. XVI. 12. *Seque in modum myrmillonis operiens, hostium latera perforabat.* Artemidorus laudandus infr. in Threx Threcem ait solitum ἐπιβαίνειν, sive insurgere, & veluti conscendere in hostem, id est, *myrmillonem* subsidentem. Nam ii duo plerumque compositi. Auson. in Monosyll. n. 102.

Quis myrmilloni componitur æquimanus? Threx.

Cicer. Phil. VII. 6. *Myrmillo pugnavit in Asia: cum ornasset Threcidicis comitem, & familiarem suum, illum miserum fugientem trucidavit.* Componebantur etiam cum retiariis. V. infr. in *Retiarius*. Vox ipsa, si vis suspicionem, est Etrusca. Cum enim res gladiatoria ab iis, quidni hoc nomen? *Lips. Saturn.* II. 10. *Pius Annot. Post. c.* 88. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 29. *a. D. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 4. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1094. *D. Thys. de Gladiat. p.* 226. *Laurent. Polymath.* IV. 9. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 50. *H. Mod. de Lud. vet.* II. 21. *Donat. & Pitisc. in Suet. Calig. c.* 22. *n.* 7. Illorum armaturam describit Juven. Sat. VI. 261.

Aspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeæ curvetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro.

Myrmillones enim galeati. Juven. Sat. VIII. 200.

—— nec myrmillonis in armis
Nec galea faciem abscondit.

Ultimum versum inepte arbitrantur, quam denso volumine, & complicatione vestes ejus sinuentur, & complicentur, quod fascia succinctæ pugnarent. Verum, ut Samnitibus, ut tradit Livius laudatus infr. in *Samnites*, pro lorica spongia erat pectori adpressa: ita conjicio, pro eadem lorica fuisse fasciam, ex pluribus tiliarum contabulationibus densatam, veluti quandam tabellarum, instar codicis, compaginationem muniendo pectori adversus ictus. Vetus interpres: *volumen in speciem libri, id est, longa fascia:* ubi volumen improprie appellat, quod codicem dicere debuerat,

buerat, multiplici tabellarum serie compactum. *Ferrar. Elect.* II. 14.

MYROBRECHARII dicuntur unguentarii, qui unguento perfundunt, & madefaciunt. Plaut. Aul. III. 5. 37. V. illum supr. in *Manulearii.* Ferrar. de Re Vest. I. 3. 21. V. tamen supr. in *Murrobathrarii.*

MYROTHECIUM est theca, atque repositorium. Cicer. Attic. II. I. per translationem decentissimam: *Meus liber totum Isocratis myrothecium, atque omnes ejus discipulorum arculas consumpsit.* Beroal. Append. Annot. c. 6.

MYRTUS sacello Bonæ deæ non inferebatur. Rationes dat Plutarch. Quæst. Rom. 20. *An credendum est fabulæ, quæ perhibet Fauni cujusdam aruspicis uxorem, cum clam poto vino non posset latere, a marito virgis myrteis fuisse castigatam? An vero quod cum ab aliis rebus puræ, tum maxime rei Venereæ, sacra ista peragunt? non enim solum maritos, sed omnes in universum mares domo exterminant, cum deæ sacris operantur ritibus. Itaque myrtum, ut Veneri sacram, abominantur. Nam quæ hodie Murcia Venus dicitur, ea scilicet olim Myrtia fuit dicta.* Auctor hujus fabulæ est Sextus Clodius VI. de diis Græcorum. Arnob. V. p. 168. Lactant. I. 22. *Faunam Fatuam, Bona quæ dicitur dea, myrteis cæsam virgis, quod marito nesciente seriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat sexto de diis Græcorum signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta: nec myrteas fas sit inferre verbenas.* Boxhorn. in Plutarchum. Veneri attribuebatur. Virg. Ecl. VII. 62.

Formosæ myrtus Veneri gratissima.

Et apud eundem Æneas Veneris filius spectaturus ludos Æneid. V. 72.

— velat materna tempora myrto.

Quare Veneri dicata sit, variæ a pluribus opiniones assignantur. Phurnut. de Nat. deor. c. 24. hanc rationem esse ait, quod hæc planta ad amores conciliandos facit. Alii quod in mari videlicet Cyprio nata sit, unde Ἀφροδίτη, & Cyprigena. Amat enim *myrtus* maris littora: vel, ut etiam Servius ait Ecl. VII. 62. Æneid. V. 72. *quia cum mari exiisset, ne nuda consficeretur, latuit in myrto; vel quia fragilis est arbor, ut amor inconstans; vel quia est jucundi odoris: nempe Venus odoribus & unguentis delectatur.* Curt. de Cult. Hortor. V. 8. Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 388. A. Stuck. Ant. Conviv. III. 16. Paschal. de Coron. VII. 18. Ortel. Deor. & dear. cap. I. 25. Nicolai de Rit. Bacchan. c. 19. Laurent. de Adulter. c. 3. Broukh. in Tibull. I. 3. 66. Etiam Laribus erat accepta. Horat. Od. III. 23. 16.

— te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium,
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

Broukh. ibid. I. II. 28. Illa coronabantur epulantes. Horat. Od. I. 4. 9.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto.

hoc est coronas ex *myrto* capiti imponere. *Stuck. l. l.* & triumphantes. Plin. XV. 29. *Massurius auctor est, curru quoque triumphantes myrtea corona usos. L. Piso tradit, Papyrium Massonem, qui primus in monte Albano triumphavit de Corsis, myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum. Avus maternus Africani sequentis hic fuit. Marcus Valerius duabus coronis utebatur, laurea & myrtea, qui & hoc voverat.* Paschal. ibid. c. 21. *In antiquissimo delubro Quirini, hoc est, ipsius Romuli sacræ fuere myrti duæ ante ædem ipsam per longum tempus, altera patricia appellata, altera plebeja. Patricia multis annis prævaluit, flaccescente plebeja, exuberans, ac læta, quamdiu senatus quoque floruit, illa vigens, plebeja retorrida, ac squalida: Quæ postquam evaluit flaccessente patricia Marsico bello, languida auctoritas patrum facta est, ac paullatim in sterilitatem emarcuit majestas.* Plin. l. l. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 12. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6.

MYS.

MYSIA Asiæ Attalicæ pars fuit duplex: *una Olympena est, Bithyniæ, atque Epicteto finitima, altera ad Caicum amnem, & agrum Pergamenum usque in Tetraniam, & fluminis ostium. Verum hæc adeo immutata sunt, & Mysorum fines, & Phrygum quidem diversi sint, verum eos dignoscere operosum.* Strab. XII. p. 396. Ptolemæus autem minorem ad Propontidem provehit, majorem usque ad amnem Caicum. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 10.

MYSTERIA noctu celebrabant veteres. Apoll. Argon. III. 1028.

Tunc medium noctem æquatam observans,
Magna fluentis lotus flavii.

Ovid. Met. VII. 84.

Fertque vagos mediæ per muta silentia noctis
Incomitata gradus.

Præsertim, si inferis, ac lemuribus fieret. Ovid. Fast. V. 429.

Nox ubi jam media est, somnosque silentia præbent,
Et canis, & variæ conticuistis aves.

Ratio I. quod animus eo tempore videatur intentior, quod in sacris maxime decet. Clem. Alex. Strom. IV. p. 530. C. *Propterea & sacrificia noctu fiunt maxime, in quibus animæ a corpore coarctationem significantia.* II. ab ipsa actorum turpitudine jure petitur, quæ, ut opera tenebrarum, lucem usque fugerunt. Tertull. Valentin. c. I. *Nam & illa Eleusinia, hæresis & ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent pudor est.* Synes. de Provid. *Ignoratio mysteriorum est illorum veneratio: propterea noctu creduntur mysteria.* Lomej. de Lustrat. c. 38. Saubert. de Sacrif. c. 4. Meurs. Eleusin. c. 9. Prophanis oculis qui inspexerat, excæcabatur. V. inf. in *Sacrum seclusum.*

MYSTRUM est quarta pars cyathi: pendet oleo plenum drachmas duas semis: aqua, aut vino drachmas duas, scripula duo, grana octo. *Pætus de Rom. & Græc. mens.* III. *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1649. *F. Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Græv. ibid. p.* 1454. *C.*

N.



vel superposita virgula transversa denotabatur, vel omittebatur. Græcos enim imitabantur, & multa sine *N* litera scribebant Latini, ea scribendi ratione, qua Hortesius antiqui dicebant, pro Hortensius. Græci enim Ὀρτήσιος scribebant. Velius Longus de Orthogr. p. 2237. Edit. Putsch. *Sequenda est non unquam elegantia eruditorum, quod quasdam literas levitatis causa omiserunt: sicut Cicero, qui Foresia, & Megalesia, & Hortesia sine N litera libenter dicebant.* Ita in Kalendario Vallensi MES. JANUAR. & sic deinceps scriptum est. *Urs. in. ad Kalend. Rust. Farnes. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 21. *B. Serv. Miscell. c.* 4. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 12. *a. D.* Et hoc in Latinis inscriptionibus frequenter observatur. In inscriptione Gruteri p. 173. n. 1. IMPESA pro *impensa*: in alia apud Fabrett. ad Col. Traj. p. 68. MESIBUS pro *mensibus*, & p. 35. DISPESATOR pro *dispensator* legitur. *Cuper. Monum. Ant. p.* 212. In Pandectis Florentinis PRÆGNAS pro *prægnans.* Imo apud Plautum MUSAS pro *mussans* prol. Merc. n. 49.

Summo hæc clamore, interdum mussas.

STAS pro *stans* Stich. IV. 2. 13.

Quin tu: stas obstrusero aliquid strenue.

Palmer. Spicil. IX. p. 750. XIV. p. 861.

N Latini plerumque addunt nominibus, quæ ex Græco sumpserunt, ut *thensaurus*, θησαυρός. Et in nominibus

pro-

propriis *Rhuncus* pro *Rhucus*, qui Græcis Ῥοῖκ☉. Nævius in carmine belli Punici I. *Inerant signa expressa, quomodo Titani bicorpores, gigantes, magnique Atlantes, Rhuncus, atque Purpureus filii Terras*, Ῥοῖκ☉, καὶ Πορφυρίων. *Salmas. Exerc. Plin. p. 12. a. D.*

N est litera numeralis, quæ nonaginta denotat. Unde versus apud Ugutionem:

N. nonaginta caput, quæ sic caput esse videtur.

Ita etiam in notis antiquis: *N.* LXXXX. *nonaginta.* At apud Baronium nongentos efficere dicitur hoc versu:

N. quoque nongentos numero demonstrat habendos.

Eidem literæ si recta linea superaddatur, nonaginta millia significat. *Du Fresne Lex. Etymol.*

N in L mutari valde usitatum est: *Nabu* & *Labu*, & *Labinitus* qui vocatur Herodoto, is est *Nabunidus* Beroso. *Scalig. de Emend. temp.* VI. *p.* 578. *&* *in Beros. fragm. p.* 9. Sic *Perna*, *Perla*; & πλεύμων pro πνεύμων, *lympha* pro *nympha*, *ullus* pro *unus*, *catella* pro *catena*. Braun. de vestit. Sacerd. Hebr. II. 10.

N & M mutarunt veteres. V. supr. in *M.*

N & R mutarunt veteres. Hinc ex γνώμα *groma*, ex κνέφ☉ *crepus*, atque inde *crepusculum*, ex τόν☉ *torus*, ex μονὸς, Æolice μεινὸς *merus*. ex δεινὸς *dirus* fecerunt. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 147. *a* *C.* 472. *a.* *A.* 795. *a. D.*

N & V sæpe invicem mutabant r. Hinc iidem *Naristæ* & *Varistæ*, vel *Naristi* & *Varisti*. Ὀυαρισοὶ dicuntur Ptolemæo, quos Ναρίσας appellat Dio. *Salmas. in Capitol. M. Anton. Philos. c.* 22.

N. L. fuit symbolon, & insigne ampliationis in tabella, pro *non liquet*: nam si liqueret, tabella A. absolutionis, aut C. condemnationis in urnam conjiciebatur. Ascon. in Cicer. p. 76. *Ante legem Glauciam de comperendinatione aut statim sententia dicebatur, si absolvendus esset reus: aut amplius pronuntiabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent judices, non liquet, hoc est, obscura causa est. Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cujus peroratione videbatur obscuritas. . . . . Cum condemnandi nota esset C litera, absolvendi A, ampliandi signum N L dabant, quo significabant, non liquere: unde ampliatio nascebatur.* Cicer. pro Cluent. *Deinde homines sapientes ex vetere illa judiciorum disciplina, qui neque absolvere hominem nocentissimum possent, neque eum, de quo orta esset suspicio, pecunia oppugnatum re illa incognita primo condemnare vellent, non liquere dixerunt.* pro Cæcin. c. 10. *Venisse in consilium publicæ quæstionis, cum ejus consilii judex non esset, & in eo consilio cum causam non audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse, sibi liquere. Dum incognita re judicare voluissent, maluisse condemnare, quam absolvere.* Pollet. For. Rom. IV. 15: V. 8. Beroal. Annot. c. 51. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 877. F. Bud. in Pandect. p. 33. D. 268. D. Brisson. de Form. p. 489. Sigon. de Judic. II. 22. Manut de Legib. c. 22. Mosellel. Philom. III. 12. Donat. Dilucid. Liv. c. 43. Sardus de Morib. gent. II. 22. Schill Nomenc. Philol. p. 101. Faber. de Magistr. Roman. p. 212. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. II. 13. Crinit. de Honest. Discipl. VI. 8. Nicol. de Sigl. vet. c. II. §. 2. Maurit. de Sortit. c. 28. §. 3. Erasm. Adag. p. 159. b.

NAB.

NABLION, sive *naulion* diminutivum est ab eo, quod vel *nablon*, vel *naulum* dicimus. Etenim literas *B* & *V* ferme pro iisdem positas in veteribus monumentis diximus supr. in *B.* Multa sunt organorum barbara nomina, sicuti narrat Strab. X. p. 324. inter quæ *nabla* enumerantur. *Organi speciem nabla* esse dicit Suidas, & *psalterium organum esse musicum, quod nabla etiam vocatur.* Gallus Salomo, ordinarius apud Hebræos enarrator sacrarum literarum, *nevel* esse Hebraice, quod psanterin, id est, psalterium legatur. Constat autem literis id nomen tribus נבל, ex quo etiam *nevel* in Esaja legitur & Amos, & Græca deinde figura *naulon*, a quo diminutivum *naulion*. Ovid. de Art. III. 327.

Disce etiam duplici genialia naulia palma
Vertere, conveniunt dulcibus illa jocis.

Polit. Miscell. c. 14. Barthol. de Tib. III. 7. Mag. de Tintinn. c. 17. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Theatr. II. 10. Gyrald. de Music. p. 559. C. Edit. Leid. Brod. Misc. II. 14. Putant aliqui esse instrumentum musicum, quod vulgo dicitur cornamusa, quod sit instar utris pleni: adjunguntur enim fistulæ perforatæ, aut calami aperti, e quibus egreditur dulcis sonus. Interpretes nunc psalterium, nunc lyram transferunt. Joseph. Ant. VII. 10. scribit *nablum* duodecim esse chordarum, & digitis tangi consuetum: quare forsan nostræ chely, seu testudini non fuit dissimile instrumentum. Quidam fistulam utricularem interpretantur. *Cerda Advers. c.* 135. *n.* 9. Aut valde ego a scopo aberro, aut ille cæcutit, qui ab Ovidio non aliquod genus cymbalorum describi videt. Agnosce *duplicem palmam*, & exinde duplex organum. Ovid. Fast. IV. 84.

Æraque tinnitus ære repulsa dabant.

Ita *verti* scribit, id est, variis modis jactari, susque deque ferri. De cymbalista Gaditano Mart. III. 63. 6.

Qui movet in varios brachia volsa modos.

Denique *conveniunt dulcibus illa modis*, & ludis meretricus. Si recte sentio, horum organorum motrices ναύλας Græcia nominavit. Ex Philemone videtur probare Pollux IV. 9. *Cæterum & naulæ meminit Philemon:*

Adesse hic, Parmeno, oportebat tibicinam,
Naulam quendam.

Lampe de Cymbal. I. 19. Pignor. de Serv. p. 167.

NAE.

NÆNIA vocabatur carmen, quod a præficis in lamentationibus ad tibias cantari solebat. Festus: *Nænia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.* Non. II. 594. *Nænia ineptum, & inconditum carmen, quod adducta pretio mulier, quæ præfica diceretur, iis, quibus propinqui non essent:* imo vero etiam quibus essent o Noni, *mortuis exhiberet.* Cicer. de Leg. II. 24 *Honoratorum virorum laudes in concione memoranto, easque etiam ad cantus ad tibicinem prosequuntor, cui nomen næniæ: quo vocabulo etiam Graecho cantus lugubres nominantur.* Gloss. Cyrill. *Næniæ*, ἐπιτάφια, ἐγκώμια νεκρῶν. Et aliæ: *Næniæ*, ἐπιτάφι☉ ᾠδή. *Kirchman. de Fun. Rom.* II. 6. *Meurs. de Fun. c.* 18. *Cuper. Observ.* I. 1. *Mag. Misc.* I. 13. *Guther. de jur. man.* I. 22. *Ferret. Mus. Lapid.* VI. *Memor.* 11. *Scalig. Conject. in Varr. p.* 142. *& in Festum. Meurs. F. Collect. de Tib. c.* 14. *Bartholin. de Tib.* II. 14. *&* 15. *Voss. Lex. Etymol. Ravard. ad Leg.* XII. *tab.* 15. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p.* 165. *Gronov. in Marmor. bas. Coloss. Tiber. erect. c.* 14. *Reines. Var. Lect.* I. 10. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 5. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 39. *C. Schill Nom. Philol. p.* 787.

Nænia fuit dea, in cujus tutela erant, quibus extrema tempora imminebant. Arnob. IV. p. 131. *In tutela sunt Næniæ, quibus extrema sunt tempora.* Barthol. de Tib. II. 15. Cerd. Adv. c. 35. §. 37. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 160. Gyrald. Synt. deor. I. p. 50. C. Voss. Lex. Etymol.

Nænia etiam carmen fuit lætum, ut quod ludis Troicis canebatur. Varr. de Vit. pop. Rom. IV. *Ibi a muliere, quæ optima voce esset, Pergama laudari: deinde næniam cantari solitam ad tibiam, & fides eorum, qui ludis Troicis cursitassent.* Quia, ut reor, laudabantur illi, qui ad Trojam occubuissent, vel alii: certe laudatio fuit. *Cuper. Observ.* I. 1.

Nænia quoque vocabatur camen puerile, & inconditum, quia in næniis frivola multa canebantur. Horat. Epist. I. 1. 62.

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert.

Cuper.

Cuper. Obferv. I. I. Voff. Lex. Etymol.

Nænia etiam vocabatur carmen foporiferum, & fomnolentum. Ita veteres grammatici ad Horat. Od. III. 28. 16.

Dicetur merita nox quoque nænia.

Arnob. VII. p. 237. *Somno occupari ut poffint, lenes audiendæ funt næniæ.* Ejus exemplum habetur in Theocr. Eidyll. XIV. 8.

Dormite pueri mei dulcem & excitabilem fomnum,
Dormite animi mei, fratres duo incolumes liberi,
Felices dormiatis, & felices auroram confequamini.

Inde nutrices dicuntur βαυκαλίζειν, vel βαυκαλᾶν. Hefych. Βαυκαλᾶν, *fomnum inducere pueris cantando.* Et cantilenæ illarum, quibus cantandis fomnum pueris conciliant, καταβαυκαλήσεις vocantur. Athen. XIV. p. 618. E. *Nutricum lactantium cantilenæ καταβαυκαλήσεις nuncupantur.* Et νιννιοι apud Hefychium. *Cafaub. in Theoph. Char. c. 7. & Athen.* XIV. 3. *Scalig. Aufon. Lect.* II. II. *Leopard. Emend.* VII. 5. *Claude Diatr. de nutric. c.* 4.

Nænia fuit quoque dictum extremum inteftinum, quod νῆστιν, feu jejunum Græci dicunt. Arnob. VII. p. 229. *Quid nænia? quid offæ?* Plaut. Bacch. IV. 8. 47.

Qua quidem te faciam, fi tu me irritaveris,
Confoffiorem foricina nænia.

Cerda Adverf. c. 185. §. 54. Taubman. in Plautum. Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 165.

NÆVIA gens. V. illam fupr. in *Gens.*

Nævia porta. V. illam infr. in *Porta.*

Nævia fylva. V. illam infr. in *Sylva.*

NAJ.

NAJADES, five *Naides* vocabantur nymphæ fontium. *Najadum* nomen, licet omnis aqua fluat, de Nereidibus nusquam fumitur; fed de fluminum, fontium, ftagnorum, puteorum nymphis. Porphyr. de antr. nymph. *Etiam antra nymphis confecraverunt, maximeque Naidibus, quæ fontibus præfunt, & ab aquarum fluxu Naides dicuntur.* Voff. de Idolol. II. 80. Gyrald. Synt. deor. V. p. 175. E. Ferret. Muf. Lapid. II. Memor. 25. Clafen. Theol. gentil. III. I. 18. Finxerunt veteres campos Elyfios, & fluvium Lethen incolere, & blanditiis fuis animas exhilarare, in locis illis amœnis. Stat. Sylv. II. 6. 100.

—— *aut illi per amœna filentia Lethes*
Forfan Avernales alludunt undique mixtæ
Najades.

Bellor. Defcr. Sepulcr. Nafon. tab. XI.

NAN.

NANDO flumina trajiciebant milites Romani. Suet. Jul. c. 57. n. 2. *Si flumina morarentur, nando trajiciens, ut perfæpe nuntios de fe prævenerit.* Ea de re tyrones docebantur *natare* ex Romana difciplina. Veget. I. 10. *Natandi ufum æftivis menfibus omnis æqualiter debet tyro condifcere, non enim pontibus femper flumina tranfeuntur, fed & cedens, & infequens natare cogitur frequenter exercitus. Sæpe repentinis imbribus, vel nivibus folent exundare torrentes. Et ignorantia non folum ab hofte, fed etiam ab ipfis aquis difcrimen incurrit: ideo Romani veteres campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juventus poft exercitum armorum fudorem, pulveremque dilueret, ac laffitudinem curfus natandi labore deponeret.* III. 4. *Seu mare, feu fluvius vicinus eft fedibus, æftivo tempore ad natandum cogendi funt omnes.* Aut ad Urbem. Vegetius modo laudatus. Aut in pifcina, quæ fuit huic rei. Feftus: *Pifcinæ publicæ hodieque nomen manet, ipfa non exftat, ad quam & natatum, & exercitationis alioqui caufa veniebat populus.* Imo & interdum parentes ipfi liberos fuos hanc artem docebant. Cato prifcus apud Plutarch. p. 348. B. *filium fuum praivit, & docuit ipfe fluminum verticofa, aut rapida natando fuperare, ac tranfmittere.* Auguftus apud Suet. c. 64. n. 6. *nepotes natare plerumque per fe docuit.* Lipf. de Mil. Rom. V. Dial. 13. Mercur. Gymn. III. 14. Cerda Virg. Æneid. IX. 603. Tiraquell. Alex. Genial. I. 20. Hugo de Milit. Equeft. III. I. Laurent. Polym. IV. Synopf. 3. Thyf. Rom. Illuftr. V. p. 140. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 5. Hering. de Molend. q. 16. §. 7 -- 12. Duaren. Animadv. I. 3. Barth. in Claud. Conful. IV. Honor. n. 317. Pitifc. in Suet. Julium & Auguftum.

NANI, & *nanæ* dicuntur *parva nimis ftatura, brevi atque humili corpore homines, paullum fupra terram exftantes.* Gell. XIX. 13. Fuerunt inter minifteria magnatum, ac principum virorum, communis noftro feculo etiam luxus, quos non natura tantum nodo adftrinxerat, fed etiam ars mangonum: illi enim ut *nanos* efficerent, alebant pueros in arca conclufos, & fafciis revinctos. Suet. Tib. c. 61. n. 17. *Annalibus fuis inferuit vir confularis, frequenti quondam convivio, cui & ipfe affuerit, interrogatum eum fubito, & clare, a quodam nano adftante menfæ inter copreas.* In domo Augufti fuit Conopas nomine minimus homo duos pedes & palmum, in deliciis Juliæ neptis ejus. Ac nefcio quo pacto portentum illud toleraverit Auguftus. Scio etenim illum tefte Suet. c. 83. n. 3. *pumilos atque diftortos, & omnis generis ejusdem, ut ludibria naturæ, malique ominis abhorruiffe.* Et, ut obfervavi apud Suet. c. 43. n. 9. *Lucium quendam honefte natum* in ludicro *exhibuit, tantum ut oftenderet, quod erat bipedali minor, librarum feptemdecim, ac vocis immenfæ.* Ejusdem genii & Alexander Severus, qui *nanos, & nanas, & moriones, & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populo donavit.* Kozierzyck. de Lux. Roman. II. 4. Ciaccon. de Triclin. p. 82. Pignor. de Serv. p. 189. Pitifc. in Suetonium. Venerunt etiam in pugnas, improbo quodam ftudio novitatis. Xiphil. LXVII. p. 763. A. *Pugnas etiam noctu fæpe exhibuit: & interdum nanos, & feminas inter fe commifit.* Stat. Sylv. I. 6. 57.

Hic audax fubit ordo pumilorum,
Quos natura brevi ftatu peracto,
Nodofum femel in globum ligavit:
Edunt vulnera, conferuntque dextras,
Et mortem fibi, qua manu? minantur.
Ridet Mars pater, & cruenta Virtus,
Cafuraque vagis grues rapinis.

Lipf. Saturn. II. 4.

Nanus dicitur mulus, aut equuleus humilior. Helvius Cinna:

At nunc me Genufina per falicta
Bimis rheda rapit citata nanis.

Gell. XIX. 13. *Voff. Lex. Etymol.*

Nanus itidem eft poculi genus Romanum, quod Græco nomine, item Latino *nanum barbaton* vocabant. Græcum nomen eft *nanus*, fed figura Latina. Latinum nomen barbatos, fed figura Græca. Varr. de Lat. Ling. IV. 27. *Quo poftea acceffit nanus cum Græco nomine, & cum Latino nomine Græca figura barbatos.* Scalig. Lect. Aufon. II. 28. Quem de barbatos per o falli puto. Neque enim aliud voluit Varro, quam Latinos accepiffe a Græcis vocem *nanus*, verum quia figura vafis Latini nonnihil a Græcorum vafe differebat, non fimpliciter *nanum* vocaffe, fed diverfitatem hanc eo indicaffe, quod adjicerent barbatus. Hanc fententiam confirmat Feftus: *Nanum Græci vas aquarium dicunt humile, & concavum, quod vulgo vocant fitulum barbatum.* Et illud in veteribus gloffis: *Barbatus* νάννος, τὸ σκεῦος. *Voff. Lex. Etymol. in Myobarbum. Turneb. Adv.* XXII. 9. *Popm. de Inftrum. fund. c.* 19.

NAP.

NAPÆÆ funt nymphæ convallium & faltuum. Virg. Georg. IV. 535.

—— *faciles venerare Napæas.*

Holfteen. in Nymph. Thef. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1800. E. Voff. de Idolol. II. 78. Gyrald. Synt. deor. V. p. 173. G.

NAPUSA fuit colonia juris Italici. Urbs eft Daciæ, cu-

cui nunc nomen Claudiopolis, vulgo Clausemburg. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 633. *E.*

NAR.

NARBO urbs illustrissima, maximumque Galliæ *Narbonensis* emporium, etiam nunc insignis floret. Strab. iii. p. 125. *Narbo super Atacis fluvii ostia, & lacum Narbonensem situs est, maximum eorum, quæ ibi locorum sunt, emporium.* Polyb. iii. 37. *Non longe abest in occasu a Massilia, & Rhodani ostiis.* Decumanorum est colonia Plin. iii. 4. Mel. ii. 5. quod decimæ legionis milites in eam deducti fuerint. Colonia primum eo deducta est M. Porcio Catone, & Q. Marcio Rege coss. Eutrop. iv. 22. Paterc. i. 15. 5. ii. 8. i. quos consules fuisse dicunt fasti Capitolini, & ex illis Pigh. Annal. iii. p. 85. anno ab U. C. 635. Et iterum eo anno, quo & Arelate, fide Suet. Tib. c. 4. n. 2. quam deduxit C. Julii Cæsaris nomine Tiberius Claudius Nero Tiberii Imperatoris pater. Ab hoc tempore *Narbo Martius Julia Paterna Claudia* est dicta, Julia & Paterna a C. Julio patre, Claudia a Claudio deductore forsitan. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 608. *F. Sigon. de Ant. jure prov.* i. 6. *Schott. Itiner, Gall. p.* 28. *&* 93. *Pitisc. in Suetonium.* Unde *Martius* fuerit dictus, disputant *Merul. Cosmogr.* ii. 3. 35. *Schott. & Ursat. l. l.*

NARCISSUS *Claudii principatu servitute liberatus est.* Plin. xxxiii. 10. Fuit opulentissimus, & apud principem gratiosissimus. Suet. c. 28. n. 4. Claudius *ante omnes libertos suspexit Narcissum ab epistolis.* Juven. Sat. xiv. 328.

> *Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna*
> *Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,*
> *Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus*
> *Paruit imperiis uxorem occidere jussus.*

Dio lx. p. 688. C. *Narcissus fuit hominum ea tempestate potentissimus, ut qui amplius quater millies sestertium possederit.* id est, plus quam centies centena millia, sive decem milliones aureorum. Consulenti Claudio nuptias Agrippinæ neptis palam dissuaserat, eidem infensus, & cum Augusta postea jurgatus. Quare irata femina, cum primum licuit per imperium filii Neronis, hominem sustulit. Tacit. Annal. xiii. 1. 4. *Nec minus properato Narcissus Claudii libertus, de cujus jurgiis adversus Agrippinam retuli, aspera custodia, & necessitate extrema, ad mortem agitur, invito principe, cujus abditis adhuc vitiis per avaritiam, ac prodigentiam mire congruebat.* Donat. de Urb. Rom. iii. 18. Pitisc. in Suetonium.

NARDUS Romanis in triclinio discumbentibus a ministris dabatur. *Nardino* enim capita ungebant. Tib. ii. 2. 7.

> *Illius puro distillent tempora nardo.*

iii. 6. 63.

> *Jam dudum Tyrio madefactus tempora nardo.*

Horat. Od. iv. 12. 17. V. illum infr. in *Onyx.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 261. In rogum conjiciebatur. Prop. iv. 7. 32.

> *Cur nardo flammæ non oluere meæ.*

Kirchman. de Funer. iii. 5.

NARES dicitur canalis habere, hoc est, exitus, quibus humor egeritur. Vitruv. vii. 4. *Inter duos parietes canalis ducatur inferior quam libramentum canalis fuerit, habens nares ad locum patentem. Item cum in altitudinem perstructus fuerit relinquantur spiramenta: si enim non per nares humor, & in imo, & in summo habuerit exitus, non minus in nova structura dissipabit. Si locus non patietur structuram, canales fiant, & nares exeant ad locum patentem.* Ita *nares fossæ* extremam fossæ partem humiliorem, depressiorem, & in salum dejectam, qua exitum in mare haberet aqua paludis restagnantis, vocat Vopisc. Prob. c. 21. *Ingentem parans fossam, qua, dejectis in altum naribus, paludem siccaret.* Salmas. in Vopiscum. Bald. Lexic. Vitruv.

Nares etiam dicuntur spiramenta fornaculæ, quibus protruditur fuligo. Vitruv. vii. 10. *Ante id fit fornacula habens in laconicum nares; & ejus præfurnium magna diligentia comprimatur, ne flamma extra dissipetur. Hanc ignis potestas urendo cogit emittere per nares intra laconicum fuliginem.* Rhodig. Ant. Lect. iii. 30.

NARNIA *oppidum antea Nequinum vocatum est.* Plin. iii. 14. Hodie vulgo vocatur *Narni.* Situm est in aspero, arduo, & magna ex parte abrupto monte; cujus imas radices, præruptamque rupem *Nar* amnis abluit. Procop. Gothic. rer. i. oppidum illud ita describit: *Narnia in edito sita est monte: ad cujus radices Nar amnis præterfluit, qui nomen etiam urbi præbuit. Adscensus ad eam duo deducunt: alter in orientem versus, in occidentem alter. Horum alter difficiles in præciso saxo angustias habet, alter non nisi ponte adiri potest, qui flumen superne integens, transitum præbet. Hunc Cæsar Augustus olim construxit; spectaculum memoratu dignissimum: quippe omnium fornicum, quos scimus, excelsissimus est.* Supersunt etiam nunc stupendi operis fornices, qui subterlabente flumine, quo æquali via ab urbe in adversum jugum pateret transitus, olim jungebant duos præruptos & altos montes. Hos *utrumque jugum* vocat, qui *Narniam* describit, Claud. in Honor. cons. vi. 515.

> *Celsa dehinc patulum prospectans Narnia campum*
> *Regali calcatur equo, rarique coloris*
> *Non procul amnis abest; urbi qui nominis auctor*
> *Ilice sub densa sylvis arctatus opacis*
> *Inter utrumque jugum tortis anfractibus albet.*

Colonia illuc deducta est Romanorum in consulatu M. Fulvii Pætini, & T. Manlii Torquati teste Liv. x. 9. & 10. *Cluver. Ital. Ant.* ii. 7. 19. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 633. *E. Leand. Descr. Ital. p.* 153.

NARNIENSIS tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

NARTHECIUM dicebatur vasculum, in quo reponebantur medicamenta, sive arcula medicamentaria. *Narthecis* enim medulla exempta caulis est cavus. Inde & pro medicamentorum repositorio usurpatur, etiamsi fuerit ex alia materia fabrefactum. Cic. de Fin. ii. 7. *Jam doloris medicamenta illa Epicurea tanquam de narthecio promant.* Mart. xiv. 78. Lemma est *narthecion.*

> *Artis ebur medicæ narthecia cernis, habebis,*
> *Munera, quæ cuperet Pactius esse sua.*

Beroal. Annot. Append. c. 6. Voss. Lex. Etymol. Rader. in Martialem.

NAS.

NASCI se veteres etiam eo die, quo in Republica honores amplissimos, ut consulatum, consequebantur. Cicer. post red. ad Quirit. *A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus, a vobis natus sum consularis.* Sallust. Orat. Cottæ p. m. 196. *Nam si parricida vestri sum, & bis genitus hic deos penates meos, patriamque, & summum imperium vilia habeo.* Turneb. Adv. xxiii. 4. Laurent. de Natalit. c. 2.

NASCIO, seu, ut alii tradunt, *natio* fuit dea, quæ *nascentibus* præesse credebatur. Cicer. de Nat. deor. iii. 18. *Quod si tales dii sunt, ut rebus humanis intersint: Natio quoque dea putanda est: cui, cum fana circuimus in agro Ardeati, rem divinam facere solemus: quæ quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Natio nominata est.* Gyrald. Synt. deor. i. p. 49. B. Tomas. de Donar. c. 10. Struv. Antiq. Rom. c. i. p. 156. Stuck. de Sacrif. p. 44. Laurent. de Natalit. c. i. Selden. de diis Syr. ii. 2.

NASITERNA fuit *vas aquatile.* Non. c. 15. §. 25. *genus vasis aquarii ansati, & patentis, quale est, quo equi perfundi solent. Plautus in Bacchidibus:*

> *Ecquis huc effert nasiternam cum aqua?*

Festus. Pætus de Græc. & Rom. mens. iii. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 1627. B. Buleng. de Conviv. iv. 16. Gyrald. de Poet. Dial. iv. p. 256. G. Brisson. Ant. Select. i. 10. Hugo de Milit. Equest. iii. 3. Hanc ex

ære

ære fuiſſe interpretatur Varr. de Re ruſt. I. 22. *Ut ex ære ahena, urceos, naſiternam.* Pætus l. l. *Naſi* calicibus tribuuntur. V. Martialem & Juvenalem ſupr. in *Calices.* Hinc *naſiterna*, quod tres *naſos*, hoc eſt, anſas haberet. *Scalig. in Feſtum. Turneb. Adv.* VII. 22. *Voſſ. de Vit. ſerm.* I. 8. *Lexic. Etymol. Salmuth in Pancíroll. p.* 97. *Muncker. in Fulgent. Expoſ ſerm. ant.* §. 27. His ego minime aſſentior. Etenim Feſtus ſimpliciter *anſatum fuiſſe vas* dicit, nec quicquam aliud præfert illa vox. Poſterior ejus pars nequicquam ſignificat ternum *naſorum*, ſeu anſarum numerum, quod videntur velle, ſed mera eſt terminatio vocabuli a *naſutus*, ſeu *naſitus* formati, ut a ciſta fit ciſterna. Atque ita heſternus, hodiernus, taberna, lucerna, & multa alia. *Perizon. Animadv. Hiſtor. c.* 9.

NASUS auguribus hæc ſignificat. Si dextra ejus pars ſalierit, injucunditates fugere ſignificat, ſervo utilitatem, virgini conſilium, viduæ ſubjugationem. Sin autem ſiniſtra, inopina bona enuntiat, ſervo auxilium, virgini conſilium, viduæ ſubjugationem. Si *naſi* medium, triſtitiam, ſervo injucunditatem, virgini nuptias, viduæ vituperationem. Si totus *naſus*, ſemper inopina bona præſagit. Si extrema pars ſiniſtræ partis *naſi* quatitur, damnum, ſervo malum, virgini vituperationem, viduæ calumniam. Si extrema dextræ partis, utilitatem, ſervo vero, virgini, & viduæ injucunditatem. Si medium ambarum partium extremitatis tremuerit, damnum, ac injuriam, ſervo bonam conſiderationem, viduæ auxilium. *Niphus de Augur. c.* 9. *Homini tantum eſt altior, & illum novi mores ſubdolæ irriſioni dicavere.* Plin. XI. 37. Hinc Horat. Sat. I. 6. 5.

— naſo ſuſpendis adunco.

Mart. XIII. 2. 1.

Naſutus ſis uſque licet, ſis denique naſus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
Et poſſis ipſum tu deridere Latinum.

Has loquendi formulas a Græcis Latini acceperunt. Gregorius Theodorus: *Naſus contumeliam ſpirans, & contemptum.* Pollux II. 4. 15. *Cavillatorem quidam munctorem vocant. Et fraudem Menander emunctionem appellavit.* Hinc μυκτηρισμὸς pro deriſu. Quintil. VIII. 6. *Adjicitur his μυκτηρισμὸς, ſimulatus quidem, ſed non latens deriſus.* Brod. Miſc. IV. 32. Barth. Adv. XI. 7. Torrent. in Horatium. Turneb. in Plinii præfat. p. 18. Aduncum laudibus vehunt venuſti formarum ſpectatores. Ex antiquitate adſtipulatores habent Ariſten. Epiſt. I. 18. *Itaque juvenum ſi quis ſimus, laudas tanquam concinnum; aduncum naſum regium vocas.* Petron. c. 86. in laudatiſſimæ Circes deſcriptione *nares paullulum inflexæ.* Sidon. Epiſt. I. 2. *Naſus venuſtus, incurvus.* Barth. Adv. XXV. 8. Gonſal. in Petronium. Savar. in Sidonium. Jun. de Pictur. III. 9. §. 13.

NAT.

NATALES dies ſollenni cultu celebrabant veteres I. Deorum. Arnob. VII. p. 238. *Telluris natalis eſt. Dii enim ex uteris prodeunt, & habent dies lætos, quibus eis adſcriptum eſt auram uſurpare vitalem?* Minuc. Fel. Octav. p. 60. *Omitto vetera, quæ multa ſunt, & de deorum natalibus, donis, muneribus.* Acron in Horat. Od. II. 12. *Natalis Dianæ a virginibus celebrabatur, ſicut Apollinis a pueris.* Tertull. de Idolol. c. 10. *Idem fit idoli natali, omnis diaboli pompa frequentatur.* Ouzel. in Minucium. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 450. Lindenbrog. in Cenſor. de Die nat. c. 2. II. Imperatorum, Auguſti. Suet. c. 57. n. 3. *Equites Romani natalem ejus ſponte, atque conſenſu biduo ſemper celebrarunt.* Dio LIV. p. 545. A. *Natalis Auguſti in circo, & variis aliis Urbis locis, venationibus celebratus eſt: idque etſi non decretum, tamen quotannis fere a prætoribus factum.* Tiberii. Suet. c. 26. n. 3. *Natalem ſuis plebejis incurrentem circenſibus vix unius bigæ adjectione honorari paſſus.* Et id Imperatoribus gratum fuit. Dio LV. p. 552. C. *Sed id potius accipiebat, ut natalitiis ſuis ludi eſſent equeſtres.* Nonnullis minus gratum, ſi negligerentur. Suet. Calig. c. 26. n. 3. *Conſulibus oblitis de natali ſuo edicere, abrogavit magiſtratum, fuitque per triduum ſine ſumma poteſtate Reſpublica.* Dio LIX. p. 655. C. *Ad hæc conſulibus magiſtratu, quod ferias in ſuum natalem non indixiſſent, cum prætores eo anniverſario circenſes equeſtrem exhibuiſſent, & venationem, quod quotannis fiebat.* Ouzel. ibid. p. 61. a. Struv. ibid. p. 451. Guther. de Jur. pontif. III. 16. Ræv. id. Conject. III. 4. Briſſon. de Spectac. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2430. B. Tonnan. de Donar. c. 9. Caſaub. & Pitiſc. ad Suetonium. Et illorum electionis. Balſam. ad Phot. Nomoc. Νατάλια δὲ εἰσὶ τὰ τῶν βασιλέων γενέθλια, καὶ ἡ τούτων ἀνάῤῥησις. Plin. Epiſt. X. 60. *Diem domine, quo ſervaſti imperium; dum ſuſcipis, quanta mereris lætitia, celebravimus.* Tacit. Hiſt. II. 79. 3. *Iſque primus principatus dies in poſterum celebratus.* Spartian. Adrian. c. 4. *Tertio iduum Auguſti natalem imperii ſtatuit celebrandum.* Conſtantinum Naiſſi Daciæ natum, Britannias *illic oriundo*, id eſt, Conſtantino Chloro patri ſuccedendo nobiles feciſſe notavit Panegyriſtes. *Lomei. de Luſtrat. c.* 30. *Lindenbr. in Cenſorin. de Die nat. c.* 2. *Briſſon. de Spectac. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2430. *D.* III. Magnorum virorum. Senec. Epiſt. 64. *Quidni ego magnorum virorum imagines habeam, & natalitia celebrem.* Quorum natalis illis natali proprio ſanctior erat. De Mæcenatis natali Horat. Od. IV. 11. 17.

Jure ſollemnis mihi, ſanctiorque
Pæne natali proprio, quod ex hac
Luce Mæcenas meus affluentes
Ordinat annos.

De Virgilii natali Silius apud Plin. Epiſt. III. 7. 8. Silius Italicus *Virgilii natalem religioſius, quam ſuum, celebrabat.* Ouzel. ibid. p. 61. b. Struv. & Tomaſ. ibid. Buchner. in Plinium. Meibom. Mæcen. c. 4. §. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 791. Cauſam reddit Cenſor. de Die nat. c. 3. *Quum ſinguli homines ſuos tantum proprios colant natales: ego tamen duplici quotannis officio hujuſce religionis adſtringor. Nam quum ex te,* Cerealem appellat, *tuaque amicitia honorem, dignitatem, decus, atque præſidium, cuncta denique vitæ præmia recipiam, nefas arbitror, ſi diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebravero. Ille enim mihi vitam, hic fructum vitæ, atque ornamentum peperit.* Meibom. l. l. IV. Suos privati. Plaut. Pſeud. I. 2. 32.

Mihi hodie natalis dies eſt, decet vos omnes eum concelebrare.

Juven. Sat. XII. 1.

Natali, Corvine, die mihi dulcior hæc eſt.

Cultu nitido, ac læto; nam tum cives Romani incedebant pexi, annulati, & in alba veſte. Horat. Sat. II. 2. 60. laudatus infr. in *Repotia.* Perſ. Sat. I. 14.

— pexuſque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus.

Ubi vetus ſcholiaſtes: *Quidam habent annulos, quos die tantum natali gerunt.* Ovid. Triſt. V. 5. 7. V. illum ſupr. in *Genius.* Munera a clientibus accipiebant. Petron. c. 30. *Veſtimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali die donaverat cliens quidam.* Plaut. Curc. V. 2. 56.

Hic annulus eſt, quem ego tibi miſi natali die.

Mart. IX. 54. 1.

Natali tibi, Quincte, tuo dare parva volebam
Munera, tu prohibes: imperioſus homo es.

Sacrificabant eadem die, mares Genio mero, thure, corollis. V. ſupr. in *Genius.* Cœnam ii, quorum natalis eſſet, *celebrandæ lucis annuæ, quam principem ſibi vitæ habuerant, dabant amicis, & magiſtris.* Gell. XIX. 9. Plaut. Pſeud. I. 2. 33.

Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aqua ut jaceant.
Magnifice enim volo ſummos viros accipere.

Mart. XI. 66. 1.

Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit.

Sibique genialiter, & liberalius ſolito vino indulgebant. Senec. de Ira II. 33. *Potiones vix honeſtas natalibus liberorum podagricus ſenex hauriebat.* Et ad illam ſenatorii, at-

que equestris ordinis hominis invitabant. Mart. x. 27. 1.

Natali, Diodore, tuo conviva senatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques.

Convivium etiam interdum publicum exhibebant. V. supr. in *Convivium natalitium*. Illis sollenne votum, nimirum, ut dies ille sæpissime bonis, & faustis avibus rediret, amici persolvebant. Plin. Epist. x. 89. *Opto domine, & hunc natalem, & plurimos alios annos quam felicissime agas, æternaque laude florentem virtutis tuæ gloriam, & incolumis, & fortis aliis super alia operibus augeas.* Tib. 1. 8. 63.

At tu natalis multos celebrande per annos
Candidior semper, candidiorque veni.

Feminæ Junoni. Tibull. iv. 6. 1. V. illam supr. in *Juno*. Ouzel. ibid. p. 62. Strav. l. l. Laurent. de Natal. c. 2. Stuck. de Conviv. i. 16. Lomej. de Lustrat. c. 30. V. Urbium in olæ etiam. Cicer. pro Flac. c. 40. *O nonæ illæ Decembres, quæ me consule fuistis; quem ego diem vere natalem hujus Urbis, aut certe salutarem appellare possum.* Plin. xiv. 4. *Et cœli temperies fuit, quam cocturam vocant solis opere natali Urbis 633.* Sic l. 2. C. de Feriis: *Natalitii dies urbium maximarum Romæ & Constantinopolis.* Ouzel. ibid. p. 60. Strav. l. l. VI. Omnes propter aliquam lætitiam insignem. Hegio cum audivisset filium suam captivum advenisse apud Plaut. Capt. iv. 2. 111.

Di immortales, iterum natus videor, si vera autumas.

Hinc *natalis* adoptionis apud Spartian. Adrian. c. 4. *Quinto iduum Augusti die legatus Syriæ literas adoptionis accepit: quando & natalem adoptionis celebrari jussit.* Navigationis. Veget. iv. 39. V. illum supr. in *Mare*. Apul. Met. xi. p. 378. *Ad ripam maris simulacris rite dispositis, navem faberrime factam, picturis miris Ægyptiorum circumsecus variegatam, summus sacerdos tæda lucida, & ovo, & sulphure sollemnissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam deæ nuncupavit, dedicavitque.* Reditus. Cicer. ad Attic. iii. 20. *Ad quæ recuperanda per fortunas incumbe, ut facis, diemque natalem reditus mei cura, ut in tuis ædibus amœnissimis agam tecum, & cum meis.* Lindenbr. in Censor. de Die nat. c. 2. Salmas. in Spartianum. Barthol. de Puerp. p. 33. Gutber. de Jur. pontif. iii. 17.

NATARE in mari facilius est, quam in fluviis, & id genus crudis aquis, quia marina aqua crassitie sua corpora humana facilius sustinet. Aristot. Probl. xxiii. §. 13. *Bacc. de Therm. vet. c. 25. Scewech. in Veget. ii. 23.*

NATATIO erat quasi venter thermarum. Patentissima ejus pars erat, & respiciebat aquilonem. Ex ea a latere per basilicas, ac diætas venimus in atria, exinde in palæstras interiores, ac maximam basilicam, & demum ad balnearum membra. Erat, inquam, in recessu medio ab aquilone, longitudine ducentorum pedum, latitudine dimidio minus, ponte, ac arcubus bipartita ad interiores aditus. *Bacc. de Therm. vet. c. 6.* Locus itaque a balnearum partibus separatus: nimirum quia singularis erat, ac proprius usus, non tam quidem ad lavationem, quam ad exercitium. Est enim *natare* laboriosum, quod ita jactatis manibus, & cruribus, assiduo universæ corporis exercentur partes. Quare Aristoteles in Problematibus *natationem* ob laborem cursui comparat. *Bacc. de Therm. vet. c. 8.*

Natatio erat etiam exercitium militare. V. supr. in *Nando*.

NATES auguribus hæc significant. Si dextra salierit, incorruptionem habenti negotiationem nuntiat. Si sinistra, debiti expensas facere, cæteris bonum. Sin autem dextra junctura coxæ cum *natibus* salierit, motum cum felicitate præsagit, & bonum: si sinistra, remotionem tristitiæ, cæteris vero jucunditatis carentiam. *Niphus de Augur.* 1. 9.

NATIONES quædam in provinciis dicebantur. Plin. v. 4. *Ex reliquo numero non civitates tantum, sed pleræque etiam nationes jure dici possunt, ut Capitani, Musulani.* c. 5. *Tabidium oppidum, Niteris natio, Enipi natio, Bubejum oppidum.* Quid per *nationem* sit intelligendum, & quantum distet ab oppido, satis patet. *Robert. de Prov. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. (4.) E.*

NATTA fuit cognomen gentis Pinariæ. Alicui Pinariorum forte indidit tumor ille dolore carens, in corporis alicujus parte protuberans. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 875. A.* L. Pinarius *Natta* fuit magister equitum L. Manlio Capitolino Imperioso, dictatori clavi figendi causa an. 390. Liv. vii. 3. Decimo quarto post anno L. Furio Camillo, App. Claudio coss. prætor oram maritimam adversus Græcos prædones tuetur. Liv. vii. 25. Apud Ciceronem L. Pinarius *Natta* pontifex frater uxoris P. Clodii Pulcri auctor fuit adoptionis a P. Fontejo factæ ejusdem Pulcri, ut tribunus plebis creari posset. Eundem privignum fuisse ait L. Licinii Murenæ consularis. Apud Senec. Epist. 122. Pinarius *Natta in Julium Montanum, tolerabilem poetam, amicitia Tiberii notum & frigore, ortus & occasus libentissime inferentem: cum indignaretur quidam illum tota die recitasse, & negaret accedendum ad recitationes ejus, ait: numquid liberalius possum agere? paratus sum illum audire ab ortu ad occasum.* August. de Famil. Roman. in Pinaria. Glandorp. Onomast. Roman. p. 679.

NATURALES. V. illos supr. in *Filius*.

NAV.

NAVALIA sunt loca, ubi naves stant post fabricationem. Liv. xxxvii. 10. *Polyxenidas augere simulando errorem, subducit quasdam naves, alias velut subducturus esset, navalia reficit.* Cicer. de Offic. ii. 17. *Atque etiam illæ impensæ meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus.* Laz. Comm. Reip. Rom. vi. 5.

Navalia Romæ erant loca, quo naves appellere, & merces suas exponere solitæ fuere, flumen subeuntes. Fuerunt prope pontem sublicium. Eaque ab Anco Rege exstructa esse asserit Dionysius. De iis meminit Liv. xlv. 2. *L. Æmilio cos. naves, quæ in Tiberi paratæ, instructæque stabant, ut si Rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, & in navalibus collocari senatus jussit.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 13. Vetera non fuerunt in Transtiberina regione, ubi nunc sunt, ut Fulvio, Marliano, & aliis placuit, sed extra portam Trigeminam. Liv. xxxv. 10. *Ædilitas insignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi, & L. Æmilii Paulli. Porticum unam extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adjecto, alteram a porta Fontinali ad Martis aram, qua in Campum iter esset, perduxerunt.* xl. 51. *Porticum extra portam Trigeminam, & aliam post navalia.* Nardin. Rom. Vet. vii. 9. Ligna adverso Tiberi advecta hic vendebantur. Liv. xxxv. 41. *Iidem* M. Tuccius, & P. Junius Brutus ædiles curules *porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt.* Primus Aurelianus *navalia*, & emporium urbanis inclusit mœnibus, ne quando hosti tot granaria, & navigia cederent in prædam. In hanc rem Vopisc. c. 21. *Cum videret Aurelianus, posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio senatus, muros urbis Romæ dilatavit.* Nimirum sub Gallieno Gothi & Scythæ variis se infudere Romanorum provinciis, & licet repressi, sæpe novis incursionibus fatigarunt imperii vires. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 4.*

NAVALIS porta. V. illam infr. in *Porta*.

NAVARCHUS ex mediis magistratibus navalibus primum locum tenebat. Erat ei imperium non in multas, sed in unam navim. Veget. iv. 32. *Singulæ Liburnæ singulos navarchos, id est, quasi naviculariros habebant: qui exceptis cæteris nautarum officiis, gubernatoribus, atque remigibus, & militibus exercendis quotidianam curam, & jugem adhibebant industriam.* Qui multas officii ejus partes definit, non tamen omnes. Nam &, si quando prælium instabat, ipse in triremi expediebat omnia, ejusque imperio cuncta erant subjecta. Nomen hoc demum sub Cæsaribus hoc sensu valuit. Prius enim ii ita dicebantur, qui classibus sociorum imperabant. Cicer. Verr. v. 24. *Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, cæterisque rebus*

bus navarcho suo quæque civitas semper dare solebat: is neque ut accusaretur a nautis, committere audebat, & civibus suis rationem reddere debebat: In illo negotio non modo labore, sed etiam periculo versabatur. Erat hoc, ut dico, factitatum semper, nec solum in Sicilia; sed in omnibus provinciis. Vult, unamquamque civitatem, quæ ex fœdere naves aliquot debebat, quando eas mittebat, præfecisse quendam, quem *navarchum* nominavere. Is curam navium gerere, is imperare nautis, stipendia, frumentum, aliaque ipsis dare cogebatur ex suæ cujusque civitatis publico: sique imperii tempus præterfluxisset, vel finitum esset bellum, civibus suis expensorum reddere rationem. Hos præfectos Latina voce nōminat Liv. XXXVI. 45. *Medio fere in cursu obviæ fuere iis quinque & viginti tectæ Rhodiæ naves cum Pausistrato præfecto classis.* XXXVII. 13. *Inde duas sociorum ex Italia, duas Rhodias triremes cum præfecto Epicrate Rhodiorum ad fretum Cephaleniæ tuendum prætor misit.* Sed de his hoc loco sermo non est, verum de illis, qui singulis navibus præerant, quique puriore ævo a Latinis etiam magistri navium dicebantur. V. supr. in *Magister*, & a Tacito trierarchi. V. infr. in *Trierarchus*. Scheffer. de Milit. Nav. III. 2: IV. 6. Calcagn. de Re naut. c. 18. Stewech. in Vegetium. Postell. de Repub. Athen. c. 9.

NAVES sunt vehicula, ex uno, pluribusve lignis fabricata. Vehicula, inquam, quibus utimur in aquis. Aquas intelligimus, sive flumina sint, sive maria; nam in utrisque navigatur. Licet, si commoditatem spectes, melius, ac tutius in illis. Flumina enim minus violentia, minus tempestatibus obnoxia. Unde fit, ut prius in fluminibus, postea demum in mari navigatum arbitrentur. Claud. Rapt. Proserp. Præf. n. 1.

Inventa secuit primus qui nave profundum,
Et rudibus remis solicitavit aquas:
Tranquillis primum trepidus se credidit undis,
Littora securo tramite summa legens:
Mox longos tentare sinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela noto.
Ast ubi paullatim præceps audacia crevit,
Cordaque languentem dedidicere metum:
Jam vagus irrupit pelago, cœlumque secutus
Ægeas hyemes, Ioniumque domat.

Scheffer. de Milit. nav. I. 1. *Navium* fabricandarum exempla veteres a piscibus duxisse legimus: nam ab illorum dorso carinam, a capite proram, a cauda temonem, a branchiis remos formaverunt. Quidam potius ab avibus id factum arbitrati sunt, unde & poeta *velorum alas* vocat: id quod & Hesiodus νηὸς πτερὰ, ubi & Proclus id ab avibus desumptum ait. Temonem quidem in navi ab avium cauda formatum plerique credidere: sed & ab avibus nunc quoque servant rostra vocabulum. *Gyrald. de Navig. c. 3. Calcagn. de Re naut. c. 3. Dresem. in Iscan. de Bell. Trojan. I. 52.* qui etiam per saturam illarum inventores recenset. Ut bonæ sint, cumprimis bellicæ, requiruntur I. magnitudo decens, ne vel nimia sit, vel nulla. Curt. IV. 11. 8. *Videsne, ut navigia, quæ modum excedant, regi nequeant?* Aristot. Probl. VII. 2. *Navis palmi unius prorsus non erit navis, ut nec duorum stadiorum aliqua: quia altera propter parvitatem, altera propter magnitudinem cursum, sive navigationem impedire solet.* Docent hoc *naves* Pœnorum. Flor. II. 2. 34. *Commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis, & in ea quasi Carthago, quod ipsum exitio fuit.* Antonii & Cleopatræ. Flor. IV. 11. 5. *Quippe a senis in novenos remorum ordinibus: ad hoc turribus, atque tabulatis allevatæ, castellorum, & urbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur: quæ quidem ipsa moles exitio fuit.* Scheffer. ibid. c. 5. Pitisc. in Curtium. II. levitas, ne graves sint, sed ut flecti facile, ut celeriter circumagi queant. De Romanis Flor. II. 2. 35. *Romana classis prompta, levis, & quodam genere castrensis, sic remis, quasi habenis agebatur.* Polyxenidas apud Liv. XXXVI. 43. gloriatur *se ceteris omnibus superiorem, & celeritate navium, & varietate auxiliorum. Romanas naves inscite factas immobiles esse.* Causa I. ut hosti profligato promptius instemus, ideoque melius prosequamur victoriam: quod fieri non potest, si navigia sint graviora. Appian. de bell. Syr. p. 100. *Romana classis alacritate superabat, & robore, sed quia gravioribus utebantur navibus, non poterant agiles adversariorum fugientes assequi.* II. ut si fugam suadeat, vel usus, vel necessitas, melius servari queamus; vel ex media fuga naves circumagere, & hostes incomposite subsequentes adoriri. Lucan. III. 553.

Sed Grajis habiles, pugnamque lacessere pinus,
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo.

Scheffer. l. l. III. Robur, sive firmitudo. Hæc obtinetur, I. cum materia certo tempore cæditur. Materia enim intempestive cæsa facile a vermibus perforatur. Serv. in Georg. I. *Tempore importuno cæsæ arbores cito teredines faciunt.* Veget. IV. 35. *Reliquis diebus præcisa, etiam codem anno interna vermium labe exesa in pulverem vertitur.* Ideoque *materia est cædenda justo tempore, hoc est, a primo autumno, ad id tempus, quod erit, antequam flare incipiat favonius.* Vitruv. II. 9. Nec tamen omnibus, sed *octo tantum diebus in istis mensibus.* ut Vegetius modo laudatus. Qui numerantur a quinta decima lunæ ad tertiam usque & vicesimam. Alii nisi *vicesima in tricesimam* cædi nolunt. Plin. XVI. 4. Colum. XI. 2. Sed quicquid sit, hoc plane certum ex Plin. l. l. *infinitum referre lunarem rationem, adeo ut, si in coitu illius cædatur, qui competat in novissimum diem brumæ, illa æterna sit materies.* Scheffer. l. l. Gyrald. ibid. c. 4. Calcagn. ibid. c. 6. II. cum naves bene compinguntur. Compactio quondam clavis ferreis fiebat. Sed pro illis æreos adhibendos censet Veget. IV. 34. *Utilius æreis clavis, quam ferreis compingenda.* quia æs non ita facile rubigine consumitur in aquis, sicut ferrum. Tacit. Hist. III. 47. 5. *Sine vinculo æris, aut ferri connexa sunt.* Scheffer. l. l. Calcagn. ibid. c. 8. Commissuræ tabularum stuppa firmabantur. Plin. XIX. 1. *Stuppa, ea lini pars proxima cortici malleo stuppario contusa, stipatur inter tigna, & rimas navium dehiscentium.* Curt. X. 1. 19. *Cypriorum Regibus imperatum, ut æs, stuppamque, & vela præberent.* Scheffer. l. l. Calcagn. ibid. c. 9. III. cum in hunc modum stipatæ unguntur. Virg. Æneid. VIII. 91.

Labitur uncta vadis abies.

IV. 398.

— natat uncta carina

Cera. Vegetius & Ovidius. V. illos supr. in *Cera*. Pice. Plin. XVI. 11. *Pix liquida in Europa e tæda coquitur, navalibus muniendis.* Val. Flacc. I. 479.

Parte trahat tacitum puppis mare, fissaque fluctu
Vel pice, vel molli concludere vulnera cera.

Et resina quandoque ceteris confusa. Veget. IV. 44. *Unctas cera, & pice, & resina tabulas succendunt.* Navis ramentum vocatur Sammonico:

Navis ramentum, & quæ nomine prassion herba est.

Et unguen rasum:

Mollitamque picem, & rasum de navibus unguen.

zopissa. Plin. XVI. 12. *Non omittendum apud eosdem zopissam vocari derasam navibus maritimis picem cum cera.* Dioscor. I. 82. *Zopissam aliqui ajunt derasam navibus resinam cum cera, quam alii apochyma appellant.* Scheffer. l. l. Calcagn. ibid. c. 10. Stewech. in Vegetium. Almelov. Antiq. p. 9. Materia navium non est quodvis lignum, cum alia ob nativam gravitatem, alia propter alias causas non sint idonea. Celebrantur itaque I. Abies. Virg. Georg. II. 68.

Nascitur & casus abies visura marinos.

Veget. IV. 34. *Ex cupresso ergo, & pina domestica, sive sylvestri larice, & abiete præcipue Liburna contexitur.* Causam, quod levis sit, fuisse dicit Theoph. Hist. Plant. V. 8. *Triremes, at majores longas naves ex abiete levitatis causa faciunt.* Plin. XVI. 39. *Navium malis, antemnisque propter levitatem præfertur abies.* Scheffer. & Gyrald. l. l. Calcagn. ibid. c. 4. Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 641. A. p. 647. D. Columna in Ennii

Annal. vi. p. 68. Cerda in Virgilium. II. Alnus. Lucan. iii. 440.

Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,
Sylvaque Dodones, & fluctibus aptior alnus.

Stat. Theb. vi. 105.

Alnus amica fretis.

Credo, quia etiam levior; nam propter levitatem commendatur etiam a Virg. Georg. ii. 451.

Nec non & torrentem undam levis innatat alnus.

Scheffer. l. l. III. Cedrus. V. supr. in *Cedrus.* IV. Cupressus. Arrian. Exped. Alex. vii. p. 485. *Dicit idem, Aristobulus, Alexandrum aliam quoque classem construxisse, cæsis in Babylonia cupressis. Harum enim arborum tantum in Assyria copiam esse, reliquarum, quæ conficiendis navibus aptæ sunt, inopia laborare.* Cupressum veteres commendaverunt, vel quod cariem, & situm non sentit: vel quod minime rimis satiscat. Diuturnitatis rationem dat Vitruv. ii. 9. *Non minus est admirandum de cupressu & pinu, quod ea habentes humoris abundantiam, aquamque cæterorum mixtionem, propter humoris satietatem in operibus solent esse pandæ; sed in vetustatem sine vitiis conservantur: quod is liquor, qui inest, penitus in corporibus earum habet amarum saporem, qui propter acritudinem non patitur penetrare cariem, neque eas bestiolas, quæ sunt nocentes.* Meibom. Calcagn. & Gyrald. l. l. Rhodig. Ant. Lect. xxv. 2. Bochart. Geogr. sacr. i. 1?4. Fuller. Misc. sacr. iv. 5. V. Pinus, quia bene fert ætatem, si terra præsertim condatur. Theophr. v. 8. *Abies, pinus, cedrus, ut generatim dicam, ligna sunt, ex quibus naves fabricantur.* Vegetius modo laudatus. Exstat perlepidum Græcum epigramma, quod Thomas Morus Latinis verbis explicavit, quo pinus queritur, se terra marique ventis exagitari:

Pinus ego ventis facile superabilis arbor;
Stulte quid undivagam me facis ergo ratem?
An non augurium metuis? cum persequitur me
In terra, boream qui fugiam in pelago?

Inde pinus pro nave ipsa a poetis usurpatur. Catull. lxiv. 2.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas.

Scheffer. Gyrald. Calcagn. & Meibom. l. l. Dresem. ibid. ibid. n. 79. Columna in Ennii Annal. vi. p. 69. Arida oportet hæc esse materia, ex qua debent fieri. Cæs. de Bell. Civ. i. 58. *Nostri gravitate, & tarditate navium impediebantur; factæ enim subito ex humida materia non eundem usum celeritatis habebant.* Hinc & Ulysses, ut erat prudens, omniumque rerum peritus, ratem ædificaturus, non obvias quasque capit arbores, sed tantum eas, quæ, ut canit Homer. Odyss. v. 240.

Dudum arefactæ, valde siccæ, quo navigarent leviter.

Prodest hæc res eo quoque, ne naves dehiscant. Nam, *si virides tabulæ compingantur, cum nativum humorem exsudarunt, contrahuntur, & rimas faciunt latiores, quo nihil est periculosius navigantibus.* Veget. iv. 36. *Scheffer. l. l.* Nominabantur I. ab insigni. Hinc δελφινοφόρος dicta est apud Polluc. i. 9. 3. ubi δελφὶς inter ἔμβολον, & προεμβολίδα collocatur. Ταυροφόρος apud Stephan. in Ταυρόεις, quia insigne ejus fuerat taurus. Ὑόπρωρος apud Hesych. in Σαμιακὸς τρόπος, quod caput porcinum in rostris haberet. *Salmas. Exerc. Plin. p. 403. a. B.* II. ab insulis. Etenim κνιδουργεῖς quandoque dicuntur, quia in Cnido compingerentur: Cercyronque a Cercyra, quæ Corcyra est, vocarunt. Parona item, id est, πάρωνα, a Paro. *Rhodig. Ant. Lect.* viii. 5. III. a mercibus, quas subvehunt: frumentariæ, quibus frumentum: vinariæ, quibus vinum: oleariæ, quibus oleum: mercatoriæ, quibus merces subvehuntur, & comportantur. *Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* xi. *p.* 600. *C. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p.* 678. *F.* IV. a ministerio, quod præstant: piscatoriæ, speculatoriæ, exploratoriæ, quibus utuntur piscatores, speculatores, exploratores. *Dolet. l. l. Steweeh. in Veget.* iv. 32. *Scheffer. de Variet. nav. Thes. Gronov. ibid. p.* 783. *E. Gyrald. ibid. c.* 17. V. a patria: Ægyptiæ, Asiaticæ, Syriacæ, Rhodiæ, Achajæ, Punicæ, Smyrneæ, Romanæ, Sidoniæ, Carpasiæ, Alexandrinæ, & istiusmodi multæ. Cæs. de Bell. Civ. iii. 5. *Præerat Ægyptiis navibus Pompejus filius, Asiaticis D. Lælius & C. Triarius, Syriacis C. Cassius, Rhodiis C. Marcellus cum C. Coponio, Liburnicæ atque Achaicæ classi Scribonius Libo & M. Octavius.* Dolet. ibid. E. Gyrald. & Steweeh. l. l. Nomen, quod unaquæque habebat proprium, ac singulare, idque proræ inscriptum, circa acrostolium. Pollux i. 9. 3. *Pars supra acrostolium prominens ptychis vocatur, ubi & nomen navis inscribitur.* Apollonii interpres i. 1089. *Ptychis vocatur, ubi navis nomen inscribitur.* Videtur lignea fuisse tabula, acrostolio affixa, in qua scriptum fuit hoc nomen. Didym. apud Eustath. in Iliad. O. p. 1049. *Stolus est lignum latum a parte navis, quæ dicta ptyche. Ptyche vero est, ubi navis nomen inscribitur.* Et quoniam rotunda erat; & in fronte navigii sita, ob similitudinem a Græcis ὀφθαλμὸς appellabatur. Pollux & Eustath. l. l. *Scheffer de Milit. Nav.* iii. 1. Confectæ deo, cujus simulacrum referebant, dedicabantur certis sacris, certis ritibus. Apud Apul. Met. xi. p. 378. navis Isidi consecratur ritibus, qui & de aliis intelligi possunt, & debent. *Inter hæc & festorum votorum tumultum paullatim progressi, jam ripam maris proximamus, atque ad ipsum illum locum, quo pridie meus stabulaverat asinus, pervenimus. Ibi simulacris rite dispositis, navem faberrime factam, picturis miris circumseptis variegatam, summus sacerdos tæda lucida, & ovo, & sulphure, sollennissimas preces de casto præfatur ore, quam purissime purificatam deæ nuncupavit, dedicavitque.* Mos præterea fuit sertis coronatas, & floribus conspersas, a nautis & ipsis coronatis, magna cum lætitia, multoque clamore in mare deduci. V. supr. in *Deductio.* Et tandem cum apud Græcos, tum apud Latinos, nuper ædificatas non conscendere, vel adhibere ad bellum, nisi antea probatas, ut sciretur, quam agiles essent, quidque remis valerent. Hirt. Bell. Alex. c. 13. *Paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes 32. quinqueremes 5. confecerunt. Ad has minores, apertasque complures adjecerunt, & in portu periclitati remigio, quid quæque earum efficere posset, idoneos milites imposuerunt, seque ad confligendum omnibus rebus paraverunt.* Liv. xxxv. 26. *Comparaverat & tyrannus modicam classem, tres tectas naves, & lembos, pristesque. Harum novarum navium agilitatem ut experiretur, simul & omnia satis apta ad certamen essent, quotidie in altum proficiscitur.* Græci hoc negotium ἀναπειρᾷν vocare consueverunt. Polyb. Excerpt. Legat. ix. *Rhodii omnium, quas haberent, navium experimentum agerent.* Ἀναπεπειρᾶσθαι τοὺς Ῥοδίους. Pollux i. 9. §. 25. *Cæterum opus ipsum est solvere, e portu educere, experiri.* Προσαναπειρᾶσθαι. *Scheffer. ibid.* i. 5. Variis coloribus pingebantur. V. infr. in *Prora.* Coronabantur I. quæ vehebant epulas, quibus, cum sacra fierent, indulgeri mos fuit. Ovid. Fast. vi. 779.

Ferte coronatæ juvenum convivia lintres.

iv. 335.

Ante coronata puppi sine labe juvencam
Mactarunt operum, conjugiique rudem.

Paschal. de Coron. iv. 18. II. eorum, qui navigaturi essent boni ominis causa. Athenienses apud Diodor. xiii. instructa classe adversus Syracusios, cum adhuc essent in portu, tantoque apparatu mirum in modum lætarentur, inter cætera alacritatis argumenta illud fuit, quod *naves* coronarent. Virg. Æneid. iv. 417.

—— vocat jam carbasus auras,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Paschal. ibid. ii. 9. Cerda in Virgilium. III. e navigatione domum rediturorum. Hi enim post depositas coronas, canebant ἀποστολικὸν ἐν τοῖς πᾶσι, ut Etymologicum, & coronas resumebant. Ita Pindar. Isthm. vii. 12. monet eos, qui emerserunt ex iis, quibus premebantur, malis, ne coronis abstineant.

Ma-

Magnis luctibus
Igitur liberati
Neque in orbitatem concidamus
Coronarum: neque mœ-
rores fove.

Paſchal. l. l. IV. jam portum ingreſſæ decurſa navigatione. Virg. Æneid. I. 303.

Ceu preſſæ cum jam portum tetigere carinæ
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

De Æneadum appulſu in Italiam Ovid. Met. xv. 695.

Æneadæ gaudent: cæſoque in littore tauro
Torta coronatæ ſolvunt retinacula navis.

Paſchal. ibid. vii. 7. Cerda in Virgilium. Emeritæ diis marinis ſacrabantur. Valer. Flacc. II. 285.

Viſa ratis, ſævæ defecta laboribus undæ;
Quam Thetidi longinqua dies, Glaucoque repoſtam
Solibus & canis urebat luna pruinis.

Broukh. in Prop. II. 19. 43.

Naves actuariæ *dicuntur celeres, quod cito agi poſſent.* Non. XIII. 9. vel, ut alii, quod remis agantur. Iſidorus tamen XIX. I. *quæ velis ſimul, & remis agantur.* Meminit illarum Gell. x. 25. *Actuariæ, quas Græci ἐπικώπους vocant, vel ἐπιβάτιδας.* Ἐπικώπους, id eſt, remigio inſtructas. Ἐπιβάτιδας, id eſt, vectorias, vel conductitias; ἐπιβάτης enim eſt, qui ſua, vel conductitia nave utitur. Nonnulli legunt ἐπιπαράλους, quod ſcilicet propter littora agantur. *Gyrald. de Navig. c. 18. Bayſ. de Re nav. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 607. A. Auctor Miſc. defenſ. pro Salmaſ. ad Jus Attic. & Rom. p. 727. Thyſ. in Gellium. Dolet. de Re nav. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. XI. p. 676. A.* Bayſius in eo, quod dicit actuarias dictas, quod remis agerentur, contrarium ſibi habet Savilium, qui in commentariis de Milit. Rom. ſæpius chordis, & funibus tractas ſcribit, ac propterea inter ὁπλιταγωγοὺς, ϛρατιώτιδας, & id genus graviora navigia recenſet. Falſo tamen. V. Nonium jam laudatum. Et onerariæ iſtæ actuariis aperte opponuntur a Salluſtio: *Actuariæ*, inquit, *naves circiter triginta, decem onerariæ erant.* Sed non ideo Bayſii verba ſatis clara, quum & *naves* alias remis actas ſcimus. Nam ſi remis ſolis impulſas putavit, graviter haud dubie lapſus eſt. Abunde enim, vel ex trecentis auctorum locis etiam velis adminiſtratas eſſe comprobari poteſt. Itaque potius firmandum fuerit auctoritate Liv. XXXVIII. 38. *Tradito & naves longas, armamentaque earum, neve plures, quam decem naves actuarias, quarum nulla plus quam triginta remis agatur, habeto.* Vides huic concedi uſum *navium* actuariarum, ſed earum, quæ ad ſummum triginta remis agerentur. Erant ergo aliæ, quæ pluribus. Sed quæ amabo, niſi quas πεντηκοντόρους, & ἑκατοντόρους Pollux nominat. Hæ enim a remorum numero definiuntur. Cæterum has ipſas etiam longas, verum arctiore ſenſu nominis Latini appellare conſueverunt. Documento ſit, quod Plin. VII. 56. ubi aliarum *navium* origines deduxit, hujus unius nullam, ſed longarum mentionem fecerit. Quod profecto pro ſua in his rebus diligentia tanto minus facturus erat, quanto magis apud priſcos genus iſthoc *navium* fuit uſitatum. Certe Jaſonem longa primo uſum, dum ex veterum ſcriptorum monumentis tradit, ſat confirmat, quod hic dicimus. Nam de nave Jaſonis expreſſe Stat. Theb. v. 425.

Quinquaginta illi trabibus de more revinctis
Eminus abrupto quatiunt nova littora ſaltu.

Quinquaginta, inquit ille, *trabibus*, hoc eſt, remis. Fuit ergo pentecontorus. Et ſic appellat Pindar. IV. 436. Unde jam videmus, cur priſcorum quidam Danaum longæ navis inventorem teſte Apollonii interprete I. 4. credi voluerint. Iſthoc enim nunquam potuiſſent, ſi a pentecontoro alia fuiſſet, ac diverſa: certum quippe ac indubitatum, pentecontorum a Danao inventum eſſe. Fuit ergo eadem, quam Latini actuariam, vel longam, Græci a remorum numero vocarunt. Hinc manifeſtus Bayſii lapſus, qui a longis actuarias differre ſcribit; ſed & Savilii, qui a pentecontoris μακρὰ diſtinxit. Sed hic vir in hanc ſententiam adductus verbis Thucydidis, quæ ita habent I. p. 11. B. *Paucis triremibus uſi, ſed inſtructis pentecontoris, & longis navibus.* Ex quo tamen loco parum id probatur. Neque enim πλοῖα μακρὰ hic πεντηκοντόροις opponuntur, verum tanquam genus ſpeciem ſuam comprehendunt. *Scheffer. de Variet. nav. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 777. D.* Dividimus illas in duo genera, quorum primum eſt minorum, alterum majorum. Minores actuariolas vocat Cicer. ad Attic. XVI. 6. *Corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum.* Actuariolum Cicer. Attic. x. 13. *Quid duro tempore anni actuariolo fore cenſes?* Frequentius a ſcalmis nomina ſortiuntur. Cicer. ad Attic. XVI. 3. *Hæc ego, conſcendens e Pompejano tribus actuariolis decem ſcalmis.* Vides a ſcalmis actuariolas hic deſcribi, atque ita ad actuariolas pertinere, quæ a ſcalmis nomen habent. Ut illa duorum ſcalmorum, cujus meminit Cicer. de Orat. I. 38. *Citius is, qui duorum ſcalmorum naviculam in portu everterit.* Majores proprie actuarias vocabant. Quæ enim ex priore genere viginti, triginta, quadraginta remis erat inſtructa, non amplius actuariola, vel tot ſcalmorum, ſed actuaria dicebatur. Græcis εἰκόσορος & τριακόντορος. Illa, quæ agebatur remis viginti, decem in uno latere, decem in altero. Suidas: *Eicoſorus, navis quæ viginti remis agitur.* Hæc, quia remis agebatur triginta. Scholiaſt. Thucyd. IV. *Triacontoros, quæ a triginta impellitur:* Erat & quæ quadraginta remis impellebatur. Meminit Scholiaſt. Ælian. *Triacontorus, & teſſeracontorus dicitur ex multitudine remorum.* Scheffer. de Milit. Nav. II. 2.

Naves æratæ habebant roſtra ærata. Et inde proræ æratæ dicuntur. Virg. Æneid. IX. 122.

Quot prius æratæ ſteterant ad littora proræ.

Imo æratæ nude vocantur *naves*. Cæſ. de Bell. Civ. II. 3. *Interim L. Naſidius a C. Pompejo cum claſſe navium ſexdecim, in quibus paucæ erant æratæ. L. Domitio, Maſſilienſibusque ſubſidio miſſus.* Talis fuit illa Herculis, quam antiqui ideo æneam finxere. Serv. Æneid. VIII. 194. *Ad Geryonem navi ænea navigavit, tergo leonis velificans.* Qui hoc explicat VII. 662. *Hercules fingitur ad Geryonem olla ærea transvectus, quod habuit navem fortem, & ære munitam.* Per *ære munitam* hoc in loco non debemus intelligere roſtratam. Roſtra enim Herculis temporibus adhuc incognita fuere. Proras *navium* ære munierunt. Iſidor. XIX. I. *Priſci ferro, aut ære proras navium armabant, propter ſcopulos, ne ſcilicet feriantur, aut collidantur.* Unde ſatis manifeſtum eſt, diverſa hæc fuiſſe roſtra *ab illis quorum uſus tantum ad prælia, & conflictum pertinebat.* Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. Brod. Miſcell. IV. 13. Bayſ. de Re nav. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. XI. p. 592. D.

Naves annotinæ dicebantur, quæ convehendis frumentis, & annonæ erant accommodatæ. Cæſ. de Bell. Gall. v. 8. *Quum magnæ manus eo conveniſſent, multitudine navium perterritæ, quæ cum annotinis, privatiſque quas ſui quiſque commodi cauſa fecerat, amplius 800 uno erant viſæ, timore a littore diſceſſerant.* Scheff. Mil. Nav. IV. I. Calcagn. de Re nav. c. 12. Errant, qui frumentarias a Cæſare annotinas dictas putant. Sunt illi annotinæ eo anno factæ, ut hornotinæ. . . . Græcus interpres τὰς τοῦ πρόσθεν ἔτους vertit. *Petav. in Themiſt. Orat. XIII. p. 665.*

Naves apertæ dicebantur, quæ conſtrata non habebant. Hirt. de Bell. Alex. c. 11. *Magno impetu quatuor ad eam conſtratæ naves, & complures apertæ contenderunt.* Liv. XXX. 43. *Tertio die e navibus, quarum ſeptuaginta tectæ, cæteræ apertæ minoris omnes formæ erant, profecti Phoceam petierant.* Græcis ἄφρακται dicuntur. Hinc leviores, ut tectæ, quibus opponuntur, graviores. Liv. XXVII. 21. *Centum tectæ naves, & quinquaginta leviores apertæ.* Atque eo ſenſu etiam Tacit. Annal. XII. 56. I. *Lacu in ipſo navale prælium adornatur, ut quondam Auguſtus ſtructo cis Tiberim ſtagno, ſed levioribus navigiis, & minore copia ediderat. Claudius triremes, quadriremeſque, & undeviginti millia hominum armavit.* Dicebantur *apertæ*, non quod nullas prorſus habuerint tabulas, ſed in prora tantum & puppi, in quibus ſtabant pugnaturi. V. ſupr. in *Cataſtromata*. Scheffer. de Mi-

lit. nav. II. 2. & 5. de variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 786. F. Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 575. A. Erant ferme triremes, iisque minores; ut triemioliæ, lembi, myoparones, pristes. In illis, uno remigum læso, jam cæterorum quoque ministeria turbabantur, quod, quum ita arcte sederent, ut omnes simul procumbere, & recumbere deberent, læsus unus illum motum turbaret, deinde lateris sui remigium debilius redderet. Duo autem erant, quæ apertas triremes commendarent. I. quod thranitæ, seu summo loco considentes remiges sub adventum hostium ad pugnam facile consurgerent. II. quod humiliores, adeoque leviores essent. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 664. *F.*

Naves armatæ omnes velis utebantur, ut secundo vento, aut velis solum, aut simul velis, remisque navigarent: at in pugna navali, malo deposito, collectisque velis, remos expediebant, quibus solis tum utebantur, ut cito, avis instar, ad omnem occasionem se movere possent. Quæ etiam causa fuit, ut a remis nomen obtinerent: & actuariæ quoque earum minores dicerentur, ut quæ remis solis agi possent. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 571. *A.*

Naves captivæ dicebantur ab hostibus captæ. Cæs. Bell. Civil. II. 5. *Nam ad eas, quæ factæ fuerant Arelatæ per Cæsarem, captivæ Massiliensium accesserant sex.* Liv. XXIII. 39. *Dum hæc Romani parant, aguntque; ad Philippum captiva navis, una ex iis, quæ Romam missæ erant, ex cursu refugit.* Græci αἰχμαλώτας dicunt, ut videmus apud Xenoph. Rer. Græc. II. p. 461. E. *Bayf. de Re naval. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* XI. *p.* 623. *C.*

Naves caudicariæ, sive codicariæ ex codicibus, hoc est, crassis tabulis construebantur. Varr. de Vit. pop. Rom. II. *Antiqui plures tabulas conjunctas codices dicebant, a quo in Tiberi naves codicarias appellamus.* Festus: *Caudicariæ naves ex tabulis crassioribus factæ.* Seneca laudatus supr. in *Caudex.* Scheffer. de Milit. nav. IV. 1. Calcagn. de Re nav. c. 12. Gyrald. de Navig. c. 18. Rhodig. Ant. Lect. XXIV. 6. Barth. Adv. XL. 20. Thys. in Gell. X. 25. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 659. Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. XI. p. 628. B. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 676. A. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. VII. 32. & 38.

Naves constratæ secundum armaturam a Latinis, a Græcis κατάφρακται, quæ habebant catastromata. Hirtius laudatus in *Naves apertæ.* Cicer. Verr. V. 34. *Erat sola illa navis constrata.* Scheffer. de Milit. nav. II. 5. Bayf. de Re naval. Thes. Antiq. Græc. Gronov. XI. p. 574. F. Cæs. de Bell. Civ. III. 111. *Illæ triremes omnes, & quinqueremes aptæ, instructæque omnibus rebus ad navigandum, præter has viginti duæ erant, quæ præsidii causa Alexandriæ esse consueverant.* Nimirum quia hæ solæ proprie ad prælia idoneæ. Polyb. I. 17. *Philippi naves paratæ erant ad prælium, constratæ tres & quinquaginta.* Scheffer. ibid. c. 2. V. & supr. in *Cataphractæ.*

Naves cubiculatæ dicebantur, in quibus cubicula, & horti, & cœnacula, item balnea, & alia, quæ voluptatibus inserviunt. *Cubiculatam* vocat Senec. de Benef. VII. 20. *Cui triremes, & æratas non mitterem, lusorias, & cubiculatas, ut alia ludibria Regum in mari lascivientium mittam.* Strab. VII. p. 550. *In illa navale thalamegorum navium, quibus principes in superiorem regionem navigant.* Imitatione Græca Suet. Jul. c. 52. n. 1. *Eadem nave thalamego pæne Æthiopia tenus Ægyptum penetravit.* Lembum lecti capacem Sidon. II. 12. *Misisti tu lectum mobilem, solidum, lecti capacem.* Paradam Ausonius laudatus infr. in *Parada.* Exemplo esse potest illa Maximi Tyrii philosophi, quæ describitur Dissert. XXXI. ea enim & hortos & lavacra, gymnasia quoque & triclinia, & gynecæa habuit. *Scheff. de Milit. nav.* II. 2. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Pius Annot. post. c.* 182. *Pitisc. in Suetonium.*

Naves fluviatiles dicebantur, quibus in fluminibus erat usus. Liv. X. 2. *Ibi captivis proximo vico in custodiam datis, pars fluviatiles naves ad superanda vada stagnorum apte plani alveis fabricatas. . . .* A Græcis ποτάμια πλοῖα. In hoc genere lintres, cymbæ, pontones, & hujusmodi multæ. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 606. *F. Stewech. in Veget.* III. 7.

Naves frumentariæ dicebantur onerariæ, quia ad vehendum frumentum aptæ, a Græcis σιτηγοί Cæs. de Bell. civ. III. 96. *Ad mare pervenit, navemque frumentariam conscendit.* Bayf. de Re naval. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 599. A.

Naves hippagogæ. V. illas supr. in *Hippagogæ.*

Naves leves dicebantur, quia apertæ erant. Liv. XXXVII. 27. *Apparuit piraticas celoces, & lembos esse, qui posteaquam viderunt ex alto classem, in fugam verterunt: & celeritate superabant levioribus, & ad id fabrefactis navigiis.* Flor. III. 6. *Leves, & fugaces myoparones gravi, & martia classe turbaret.* Scheffer. de Milit. nav. II. 2.

Naves longæ Latinis quæ dicuntur, a Græcis μακρὰ πλοῖα, καὶ νῆες μακραὶ dicuntur. Illarum adeo crebra est mentio apud auctores, ut auctoritatibus id ostendere sit superfluum. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 568. *A. Scheffer. Dissert. de variet. nav. Thes. Gronov. ibid.* 771. *D. Kipping. Dissert. de Expedit. marit.* §. 4. Revera fuerunt longiores, quam onerariæ. Isidor. XIX. 1. *Longæ naves dictæ, eo quod longiores sunt ceteris.* Thucydidis interpres: *Naves bellicæ sunt longiores onerariis*, de quibus ante disseruerat, & quarum species in comparatione cum his orbiculata, & rotunda fere erat. Illarum genera sunt duo: unum actuariarum. V. illas supr. alterum longarum in specie sic dictarum. Et hæ in duplici erant differentia: aliæ cum ordinibus, aliæ sine ordinibus. Hæ, quæ serie simplici per utrumque latus dispositos habebant remos; illæ, quæ duplici, triplici, quadruplici, & deinceps. Sine ordinibus erant, & dicebantur, quæ quinquaginta, & plures usque ad centum habebant remos, dimidiam partem in uno, dimidiam in altero latere: similes εἰκοσόροις, aut τριακοντόροις. Unde & a Græcis πεντηκόντοροι, & ἑκατόντοροι appellantur. Erant mediæ quasi inter actuarias, & quæ ordines habebant. Illæ minores erant, hæ majores. Itaque & inter genus utrumque interponuntur. Polyb. I. *Parabant reliqua navigia, triremes, pentecontoros, & maxima acatia.* Ordines in navibus, quæ cum illis erant. V. infr. in *Ordines.* Scheff de Mil. Nav. II. 2. V. illum quoque supr. in *Naves actuariæ.*

Naves lusoriæ recentiore seculo vocabantur, quas Romani habebant in plerisque limitibus, in quibus a barbaris fluminibus dividebantur, prohibendis vicinorum hostium excursibus, incursibusque vicissim faciendis. Veget. IV. 46. *De lusoriis, quas in Danubio quotidianis utuntur excubiis, reticendum puto.* Huc & illuc solebant discursitare. Et *ludere* navis dicitur, quæ huc & illuc velut lascivia quadam currit. Senec. Epist. 4. *Eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur.* Ante tempora Valentiniani atque Theodosii vere pro lusoriis, & ad Regum, Principumque voluptates comparatis hoc vocabulum sumebatur. Hinc æratis, sive bellicis adversum ponit, & ab iis distinguit Seneca supr. in *Naves cubiculatæ.* Turneb. Adv. XXIV. 25. Pith. Adv. I. 14. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 152. Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Stewech. in Vegetium. Lips. in Senec. de Benef. VII. 20. Lindenbr. in Ammian. XVII. 2.

Naves militares dicebantur bellicæ, & ad prælium aptæ. Agebantur remis. Nam quia olim in conflictu non ventis impellebantur naves, verum remis, ut tanto obedientiores essent nautis, faciliusque huc & illuc, pro necessitate, rationeque negotii agi possent: idcirco remis instructas esse militares oportebat. Quanquam non raro velis uterentur. Græci πολεμικὰς appellabant. Et quia remis agebantur, a Græcis dictæ sunt ἐπίκωπα. Diodor. XIV. *Habebat cum onerariis, ceterisque aliis, quæ remis aguntur, ταῖς ἐπικώπαις, ac rostratæ simul sunt, naves haud pauciores quingentis.* Fortassis etiam μακραὶ, seu longæ, præsertim quando non de singulis, sed universis sermo est. Ulpian.

ad

ad Demosth. orat ad Leptinen: *Longas militares naves appellant.* Scholiastes Aristophanis: *Longæ naves, militares.* Sic Polyb. III. pro eo quod c. 22. singulariter in fœdere primo inter Romanos ac Carthaginienses cautum est, *ne Romani navigent ultra pulcrum promontorium, aut ut delati Carthaginem quicquam emant, præter necessaria reficiendæ navi,* πλὴν ὅσα πρὸς πλοίου ἐπισκευὴν (quibus verbis quamcunque navem bellicam, sive magnam, sive parvam intelligit) sic interpretando ait c. 23. *Noluerunt ultra pulcrum promontorium navigare Romanos μακραῖς ναυσί.* Omnes igitur in universum militares, majores minoresque, generis cujuscunque vocabantur longæ. Hoc sensu Liv. xxv. 27. *Bomilcar centum triginta navibus longis, & septuaginta onerariis profectus est.* Cæs. de Bell. Gall. v. 25. *Quod ubi animadvertit, naves longas paululum removeri ab onerariis navibus, & remis incitari jussit.* Et hæc causa est, cur Scaurus de Orthographia scripsit: *De navi autem, cum longa sit, an oneraria, rogamus.* Nempe his vocabulis omnia *navium* genera comprehendi ostendit. Credo & Justin. II. 4. ideo de Hercule scripsisse, quod *novem longis navibus* contra Amazones profectus sit. Pentecontororum enim iis temporibus tam frequentem usum fuisse vix putaverim. *Scheffer. de Milit. nav. II. 2. de variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 771. E.*

Naves onerariæ dicebantur, quod essent oneri ferendo idoneæ: nam oneri sunt merces; & ea ratione φορτηγοὶ dicuntur a Græcis. *Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. XI. p. 598. D. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 675. E. Gyrald. de Navig. c. 18. Bergier. de Viis milit. IV. Sect. 44. §. 6. Kipping. Dissert. de Expedit. marit. c. 7.* Non solebant agi remis. Declarat hoc Liv. XXVII. 15. *Naves, quas Lævinus tuendis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, partim tormentis & saxis, omnique missilium telorum genere instruit: onerarias quoque, non eas solum, quæ remis agerentur.* Bayf. l. l. Qui hoc loco omnem antiquitatem observasse, atque excussisse minime videtur, quandoquidem non solum velis, verum etiam remis cursum conficiebant. Quod verum esse demonstrat Homer. Odyss. IX. 321.

—— hunc quidem nos comparavimus inspicientes
Quantus malus navis viginti remorum nigræ
Onerariæ, latæ, quæ transit magnam undam.

Ut ergo error absit, dicendum itaque est, onerarias maximas, quæ nulla nisi ventorum vi impelli possent, ut etiam hodie fit, remis agi non consuevisse; minores vero, ut hæ, quæ viginti remorum essent, & remis, & velis, & ut navigandi ratio, atque usus exigebat, maria sulcasse. *Mag. Miscell. I. 6. Salmas. ad jus Attic. p. 704. Auctor anon. def. pro Salmas. ad jus Attic. p. 657. Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 622. A. . . . Kipping. l. l.* Harum mentio sicut apud alios auctores, sic sæpiunis Liv. XXXII. 18. *Nullus in tota Acarnaniæ & Ætoliæ ora portus erat, qui simul omnes onerarias, quæ commeatum exercitui portabant, caperet.* XXXVI. 7. *Arcessendas censeo omnes terrestres, & navales copias, sequantur classem onerariæ cum commeatibus.* Nimirum, ut frumenta, commeatumque, ita etiam alia onera, resque ad bellum pertinentes vehebant. Liv. XXXV. 47. *Proficiscitur Livius quadraginta tectis navibus, apertis sexaginta, & ducentæ onerariæ cum omnis generis commeatu, bellicoque alio apparatu sequebantur.* Plutarch. Pomp. *Ipse solvit longis navibus centum viginti: onerariis, quibus commeatus, tela, stipendium, tormenta portarentur, octingentis.* Diodor. II. *Commeatus naves onerariæ evacuant, & quicquid harum est reliquum, ad annonam, ceterasque res venales ex Africa, & Sardinia convehendam redeunt.* Quod ait, ἀγορὰν ἐξεῖλετο, ex eo patet consuevisse forum habere rerum venalium. Idem paullo ante: *Habebat onerarias multas, super tria millia, quæ forum rerum venalium vehebant.* Hinc Liv. XLI. 2. *Nautici tabernacula detendunt, commeatumque in littore expositum in naves capiunt.* Habebant scilicet expositum in littore, sub tabernaculis ad id exstructis. Aliquando mercatores sequebantur lucri studio, resque omnis generis venales proponebant. Thucyd. VI. p. 441. B. *Multæ aliæ onerariæ simul navigabant, exercitationis negotiationis causa sequebantur.* Cæsar laudatus supr. in *Naves annonariæ.* Porro φορτηγοὶ & στρογγύλαι sunt ejusdem generis: altero nimirum nomine ab usu, altero a forma vocabantur; rotundiores enim erant, quam militares. Thucydidis interpres: *Strongyle navis mercatoria, sic dicta, quia bellicis navibus latior erat.* Conveniunt & ὁλκάδες. Polyænus enim quas στρογγύλας, eas paullo post ὁλκάδας nominat VI. 16. 3. Hesychius: *Holcas, navis oneraria.* Dicebantur ὁλκάδες a trahendo, quia funibus nonnunquam consueverant religari ad naves militares. Schol. Aristoph. Equit. I. 2. 22. *Holcades, a trahendo.* De his accipiendus Liv. XXX. 26. *Desertæ fuga nautarum primum ab Ægimuro, dein ab Aquis onerariæ Carthaginem puppibus tractæ sunt.* Vides puppe tractas, & quidem ob defectum remigum, qui eas deseruerant. *Scheffer. de Milit. nav.* IV. 1. Etiam frumentariæ dicebantur. V. supr. in *Naves frumentariæ.*

Naves orariæ vocabantur, in quibus ad littus navigabant. Plin. Epist. X. 26. *Nunc destino orariis navibus provinciam petere.* Propter oram, seu in vicinia littoris navigare primum consueverunt. Monstravit hoc Claudianus laudatus supr. in *Naves*, qui ait: *Littora summa legens.* In ora enim, sive littore minor fluctuum vis, & a terra propinqua major spes in periculo. Et hoc deinceps genus retentum est. Isidor. XIX. 1. *littorarias* videtur vocasse: *Trabariæ, amnicæ naves, quæ alio nomine littorariæ dicuntur.* Scheffer. de Milit. nav. I. 1. Turneb. Adv. I. 16. Voss. Lex. Etymol.

Naves piscatoriæ piscium capiendorum causa paratæ erant: quas *navicellas* vocat Martian. de fundo instruct. l. item pictoris. Liv. XXIII. 1. *Ni mare propinquum, & haud procul littore naves piscatoriæ pleræque conspectæ peritis nandi dedissent effugium.* Cymba videtur fuisse inter piscatorias. Cicero laudatus supr. in *Cymba.* Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 601. A. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 705. 742. Kipping. Dissert. de Expedit marit. §. 7.

Naves plicatiles aliæ sunt a solubilibus. Plin. V. 9. *Plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas ventum est.* Fiebant ex pellibus, lignisque quibusdam circularibus, quibus pelles expandebantur, exemptisque rursum complicabantur. Tales Babyloniorum illæ fuisse videntur, quas in hunc modum describit Herod. I. p. 89. L. *Navigia illis sunt omnia circulari forma, eaque ex aluta, vel corio. Ubi enim ligna circularia e salice compararunt, obtendunt extrorsus tegumenta e pellibus, quibus soli vice utuntur, carinæque loco: nulla neque puppis, neque proræ forma discreta, verum scuti instar in orbem composita, deinde stipula refarciunt, illudque navigium flumini permittunt. Singula ex his vivos intus habent asinos. Et postquam Babylonem pervenerunt, lignis navigii, atque omnibus stramentis venundatis pelles asinis imponunt, eosque in Armeniam agunt.* Scheffer. de Milit. nav. I. 4. Cuhegin. de Re mar. c. 11.

Naves præcursoriæ ut plurimum ex minimo navigiorum genere, & ceteris agiliore, velutum remige, justam classem antecedere solebant. Πρόπλους vocant Thucyd. VI. p. 441. D. 442. A. & Appian. Bel. civ. V. p. 728. προπλέους Appian. ibid. p. 722. Per ἐπακτρίδας interpretatus est Gell. X. 25. Polyb. I. 53. *Romanis quæstoribus, qui Syracusis fuerant, præmissi lembi classem præire soliti,* οἱ προπλεῖν εἰθισμένοι λέμβοι, *imminere hostem significant.* Et ejusmodi fuerunt, quarum mentio fit apud Senec. Epist. 77. *Subito hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti solent, & nuntiare venturæ classis adventum.* Scheffer. de variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 784. A. de Milit. nav. II. 2. Gyrald. de Navig. c. 18.

Naves prædatoriæ, sive piraticæ inter longas scribendæ. Liv. XXIX. 28. *Nam post M. Atilium Regulum, & L. Manlium consules, annis prope quinquaginta, nullum Romanum exercitum viderant, præter prædatorias classes, quibus exscensiones in agros maritimos factæ erant.* Liv. XXXIV. 32. *Sed, si diis placet, affinitatem etiam per Philoclem præfectum ejus pepigisti: & bellum adversum nos gerens, mare circa Maleam infe-*

infestum navibus piraticis fecisti. Piraticas celoces vocat Liv. XXXVII. 27. supr. in *Naves leves.* Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 593. D. Scheffer. de Milit. nav. II. 2.

Naves prætoriæ. Illis prætores, hoc est, summi classium præfecti vehebantur. Græci ναυαρχεῖς, ϛρατίδας, & ϛρατηγεῖς appellant. Sic Æmilius *cum prætoria nave primus in altum evehit* apud Liv. XXXVII. 29. Et Germanos *prætoriam navem vexillo insignem, quia illic ducem esse crederent,* videas abripere apud Tacit. Hist. V. 22. 6. Erant autem reliquis, ut debent, plerumque majores. Lucan. III. 535.

Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur.

Et de illarum firmitudine idem ibid. n. 563.

—— quæcunque ratis tentavit robora Bruti
Ictu victa suo, percussa & capta cohæsit.

Scheffer. de Variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 783. E. Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 593. C. Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 652. E. Kipping. Differt. de Exped marit. §. 6. Vexillo, aut alio signo insignis fuit, non modo cum pugnandum erat, verum etiam aliis semper, ut eam reliquæ, quocunque cundum esset, sequerentur. Plin. XXI. 1. *Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit. Hoc fuit imperatoriæ navis insigne.* Tacitus jam laudatus. Noctu quidem λαμπτῆρα, vulgo fanò vocant, *navim* prætoriam ad puppim habuisse, ut ad conspectum luminis cursum reliquæ dirigerent, ac sequerentur, probatur ex Xenophonte. Ex eadem tamen vexillum, indicium pugnæ, insolitum non sum nescius. Hirt. de Bell. Alex. c. 45. *Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci, demittique antennas jubet, & milites armari, & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naves subsequebantur, idem ut facerent, significabat.* Ea de re Leo de bell. appar. c. 19. *Belli tempore confligendi signum habebant, quod Φοινίκιδα appellabant; erat autem camelaucion, hasta longiore elevatum rubro colore.* Stewech. in Veget. IV. 45

Naves προφυλακίδες dicebantur, quæ quotiens classis in salo staret, tanquam vigiles, ante eam erant in perpetua statione. Thucyd. I. p. 76. *Interea Samii repentina eruptione navigantes, castra nullis munitionibus cincta invadunt, navesque quæ vigilias agebant, corrumpunt.* τάς τε προφυλακίδας ναῦς διέφθειραν. Scholiastes loci interpretatur τὰς πρὸς τῶν ἄλλων ὁρμούσας, hoc est, *quæ ante reliquam classem in statione erant.* Hinc Pollux I. 9. *custodire alias naves* ἐνορμεῖν, & ναυλοχεῖν dicit. De istiusmodi intelligendas Cæs. de Bell. Civ. III. 40. *Alteram navim, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, vicit.* Iphicrates egregio commento malos harum *navium* attolli, inque iis jussit vigiles constitui, quia inde longior, & in terram, & in mare prospectus esset. Xenoph. Hist. Græc. VI. p. 587. D. Et ne facile ab adversariis impetus in eas fieret, instituit Pompejus, ut perpetuos in prora ignes gestarent. Sic intelligo Appian. de Bell. Civ. V. p. 378. *Metu Agrippæ ignes perpetuos extulerunt, ut absterrerent hostium naves, ne impetum in se facerent.* Scheffer. de Milit. nav. II. 2. de Variet. nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 785. D. Gyrald. de Navig. c. 18.

Naves rostratæ. V. illas supr. in *Naves æratæ.*

Naves solubiles dicuntur Diodor. II. p. 73. D. *quæ disjungi possent:* cum usus postularet, in partes dividi, & iterum conjungi poterant. Curt. VIII. 10. 3. *Jussit navigia facere, queis in ulteriora transportari posset exercitus. Illi, quia plura flumina superanda erant, sic junxere naves, ut solutæ plaustris vehi possent, rursusque conjungi.* Diodor. l. I. *Arcessitis navium architectis e Phœnicia, Syria, Cypro, aliisque maritimis locis negotium dedit, ut navigia fluminibus apta, quæ disjungi possent, coagmentarent. Ita naves suas humeris per juga montium usque ad littus Adriaticum transtulerunt Colchi: cognito quod Argonautæ idem propter magnitudinem navis priores fecissent.* Justin. XXXII. 3. 14. *Scheffer. de Milit. nav.* I. 4: III. 3. *Stewech. in Veget.* III. 7. *Pitisc. in Curtium.*

Naves solutiles e trabibus textæ, eo artificio, ut facile dissolvi possent, in arena erant pro caveis, unde velut ex equo Trojano feræ erumperent. Δεξαμένην, quasi cisternam, aut lacum dicas, vocat Xiphil. LXXVI. p. 860. B. *Cum arca omnis, quæ in speciem navis in theatro erat, ut trecentas feras & accipere, & dimittere posset, subito soluta esset, exsiluerunt ursi. . . . .* Exemplum ab hac amphitheatrali oblatum est Neroni scelestæ illius navis, qua matrem necaret. Dio LXI. p. 695. B. *Et quoniam eam cædem palam non audebant, nec venenis clam patrare facile id possent: navim quampiam in amphitheatro conspicientes factam ita ut sponte solveretur, & belluis quibusdam emissis, rursus compingeretur, rediret in priorem statum, visum iis huic similem ædificare.* Lips. de Amphith. c. 10. Buleng. de Venat. circ. c. 17.

Naves speculatoriæ adventum hostium, locum, vires, & consilia illorum indagabant, & renuntiabant suis. Liv. XXXVI. 42. *Cæteram classem Polyxenidam parare, & deducere jussit, speculatorias naves ad omnia exploranda circa insulas dimisit.* Veget. IV. 37. *Scaphæ majoribus Liburnis exploratoriæ sociantur. Per has & superventus fieri, & commeatus adversariorum navium aliquando intercipi solent, & speculandi studio adventus earum, vel consilium deprehendi.* A Græcis κατάσκοπα nominantur. Plutarch. Pompejo p. 653. A. *Classis Pompeji erat omnino incomparabilis. Siquidem naves habebat bello aptas quingentas, Liburnicarum vero & speculatoriarum magnum numerum.* Scheffer. de variet. nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 784. B. de Milit. nav. II. 2. Gyrald. de Navig. c. 18. Auctor. Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 736.

Naves stationariæ locorum custodiam agebant, ejusque causa per mare disponebantur, & in statione esse dicebantur. Hirt. de Bell. Afric. c. 53. *Conspicatæ naves Cæsarianas, quæ in statione apud Thapsum stabant.* c. 46. *Cæsar commotus eos, quos in stationibus cum longis navibus apud Thapsum custodiæ causa in salo esse jusserat, ut suis onerariis, longisque navibus præsidio essent, ob negligentiam ignominiæ causa dimittendos ab exercitu curavit.* Liv. XXXII. 22. *Placuit Romanam Rhodiamque classem redire Samo, atque ibi in statione esse, ne Polyxenidas ab Epheso moveret.* Scheffer. de Variet. nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 786. A. de Milit. nav. II. 2.

Naves sutiles dicebantur, quæ ex viminibus contextæ coriis integebantur. Virg. Æneid. VI. 413.

—— gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.

Sidon. c. VII. 371.

—— cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.

Coria, & pelles circumsuebantur. Plin. VII. 56. *Etiamnum in Britannico oceano sutiles naves corio circumsuto fiunt.* Lino. Plin. XXIV. 9. *Cum sutiles fierent naves, lino tamen, non sparto unquam sutas.* Festus: *Serilla Verrius appellari putat navigia Histrica & Liburnica, quæ lino, ac sparto condensantur, a conserendo, & contexendo dicta. quæ dixit Pacuvius in Niptris:*

Nec ullam subscus cohibet compagem alvei,
Sed suta lino, & sparteis serillibus.

Cum περιφρασικῶς, & ficto vocabulo usus sit pro funiculis, qui sparto conseruntur. Loris. Varro apud Gell. XVIII. 3. *Liburni plerumque naves loris suebant.* Et quia suebantur, ῥαπτὰ πλοῖα nominata sunt. Strabo de Butri palude VII. *Est valde uliginosa, & sutilibus navigiis vix navigabilis.* Scheffer. de Milit. nav. I. 3. Salmas. Exerc. Plin. p. 187. b. F. Gyrald. de Navig. c. 7. Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 607. D. Stewech. in Veget. VII. 7. Guiland. Papyr. membr. XVI. §. 12. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. VII. 32.

Naves tabellariæ dicebantur, quia veluti nuntii erant adventantis classis. Senec. Epist. 77. *Subito hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti solent, & nuntiare venturæ classis adventum: tabellarias vocant.* Lips. in Sene-

Senecam. Sed in classe non Martia, quod notandum. Intelligitur hinc jocus Plauti in ancillam Acroteleutii Mil. glor. IV. I. 39.

Hæc celox illius est, quæ hic egreditur, internuntia.

Adventum, ait, ejus annuntiat, ut celoces, & genus, quæ præire justam classem solent. Præibant enim, ut adventum hostium, vires, consilia indagarent, & suis renuntiarent. Unde & exploratoriæ, & speculatoriæ dicebantur. V. supr. in *Naves speculatoriæ*. Scheffer. de Milit. nav. II. 2.

Naves tectæ dicebantur, quæ operimenta quædam ex tabulis habebant in superiori parte. V. illas supr. in *Naves apertæ*. Illarum ferme minima fuit quadriremis. Magno commodo erant remigibus, qui tabulis superne tecti ab hostibus telo nullo lædi poterant. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 664. *E. Scheffer. de Milit. nav.* II. 2. *Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 574. *F.*

Naves trabariæ vocabantur lintres, sive ex uno ligno excavatæ. Isidor. XIX. I. *Trabariæ amnicæ naves, quæ ex singulis trabibus cavantur, quæ alio nomine littorariæ dicuntur.* Hinc Virg. Æneid. III. 191.

— vastumque cava trabe currimus æquor.

Scheffer. de Milit. nav. I. 3.

Naves turritæ ad proram, & puppim turres habebant impositas. Virg. Æneid. VIII. 693.

Tanta mole viri turritis puppibus instant.

Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 679. A. Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 589. A. Laurent. de Variet. nav. Thes. Gronov. ibid. p. 790. C. Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. V. illas infr. in *Turris.*

Naves dicuntur quoque templorum, & sacrarum ædium cameræ, quod illorum veluti *navium* carinæ sint. Ita tecta mapalium Africanorum cameræ quoque speciem referebant. Sallust. Bell. Jugurth. p 77. *Oblonga incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ, sunt.* Salmas. Exerc. Plin. p. 855. b. C. Pollet. For. Rom. I. 3. Gyrald. de Navig. c. 5.

NAUFRAGI radebantur. Juven. Sat. XII. 81.

Tunc stagnante sinu gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.

Non. Marcell. c. 12. n. 38. V. illum infr. in *Pileus.* De hoc ritu Petron. c. 64. *Ergo illi qui sunt, qui nocte ad lunam radebantur? pessimo medius fidius exemplo. Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave, neque ungues, neque capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur. Excanduit Lycas hoc sermone turbatus: Itane, inquit, capillos aliquis in nave præcidit, & hoc nocte intempesta? attrahite ocyus nocentes in medium, ut sciam, quorum capitibus debeat navigium lustrari.* Artemidor. I. 23. *Radi sibi videri totum caput, exceptis deorum Ægyptiorum sacerdotibus, & risus movendi studiosis, & his, quibus radi est mos, bonum est, aliis omnibus malum. Navigantibus palam naufragium portendit, & ægrotantibus in extremum periculum collapsionem, sed non mortem. Naufragi enim, aut ex magno morbo servati homines raduntur, minime vero mortui.* Allusit ad hunc morem Paull. Act. c. 27. n. 34. cum inquit: *Nullius enim vestrum capillus ex capite cadet.* Kirchmann. de Funer. II. 14. Durant. Var. II. 9. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegmin. Sect. 10. Erhard. & Gonsal. in Petronium. Jun. de Coma. c. 2. Grang. in Juvenalem. Tomas. de Donar. c. 11. Hotoman. de Barba & coma §. 11. Vet. rit. nupt. c. 17. Boxhorn. Quæst. Rom. 45. Ferrar. Elect. II. 13. Schill Nomencl. Philol. p. 794. Sched. de Diis German. II. 50. Salvi, qui evaserant, una cum tabula vestes suas ex voto suspendebant. Virg. Æneid. XII. 768.

Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

Horat. Od. I. 5. 13. V. illum infr. in *Votum.* Brisson. de Form. I. p. 107. Cerda in Virgilium, Torrent. in Horatium. Scheffer. de Milit. nav. IV. 2. Struv. Ant. Rom. c. 5. p. 238. Saubert. de Sacrif. c. 2. Tenuiores, & qui merces perdiderant, ut calamitate ob oculos posita, plura emendicarent, suspensa a collo tabula naufragii, misericordiam commovebant. Pers. I. 88.

— cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes?

Juven. Sat. XIV. 301.

— mersa rate naufragus assem
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.

Horat. de Art. Poet. n. 20.

— quid hoc? si fractis enatet exspes
Navibus ære dato qui pingitur?

Torrent. in Horat. Od. I. 5. 13. Grang. in Juvenalem, Nann. in Horat. de Arte Poetica. Tomas. ibid. c. 7. Ita destituti, ut tabulam depictam non haberent, truncum ferebant fasciis involutum, casumque narrabant. Mart. XII. 57. 12.

Nec fasciato naufragus loquax trunco.

Grang. in Juvenalem, Rader. in Martialem. Et quidem nudis pedibus. V. infr. in *Nudipedalia.*

NAUFRAGIUM velut mors ordinaria erat prædonum. Sulpic. Sever. Dial. III. *Non naufragi forte prædonis passus in medio mari mortem, vix esset in extremo nactus littore sepulturam.* Barth. Adv. III. 20. Equi, currusque quam cum facerent, in circi voluptate nihil oculis gratius fuit. Demosth. in Erotic. *Multis dicentibus, quod in certaminibus curulibus pulcerrimum spectaculum præbent currus fracti & naufragi. Naufragium* illud fiebat, aut ad metam cum detergerentur rotæ, ad saxum, aut in spina circi, cum currus, & equi forte inter se concurrerent, & quasi attererent. De naufragio ad metam de Oreste Sophocles in Electra:

Orestes postea solvens habenas sinisteriores,
Flectente se equo imprudens summam columnam
Ferit: rupit autem axis mediam fistulam, quæ subit modiolum,
Et ex orbe cecidit.

De incursu equorum in equos Sil. Ital. XVI. 405.

Donec confisus primævæ flore juventæ
Obliquum Durius conversis pronus habenis
Oppugnat currum, atque eversum propulit axem
Atlantis senio invalidi.

n. 411.

— perfracto volvitur axe
Cernuus, ac pariter fusi, miserabile, campo
Discordes sternuntur equi.

Romæ, cum equorum, aurigarumve vitio currus fracti essent, alii clamore populi deposcebantur. Plutarch. in Sylla: *Cum evertissent currus Romani cum risu, alios petebant, ut solent, curulibus spectaculis.* Quod usu veniebat aurigis, qui bonitate equorum freti ad tria, aut quatuor præmia aspirarent: alios enim currus, quibus compararentur, deposcebant. Ex composito currus adversæ factionis aurigæ evertere conabantur, eo maxime loco, unde sedens spectaret Imperator. Chrysost. de Humanit. *Aurigæ prætercursu totius populi theatro, contendunt eo loci adversariorum currus subvertere, ubi Regem viderint sedentem, & unum oculum tot vultibus digniorem putant.* Buleng de Circo c. 30.

NAVICULARII sunt navium domini, qui Græce ναύκληροι dicuntur, meritorias naves habentes, quos patronos appellamus. Tacit. Annal. XII. 55. 2. *Atque inde decursu in littora, aut orbes vim cultoribus, ac oppidanis, ac plerumque in mercatores, & navicularios audebant.* Unde naviculariam facere Cicer. Verrin. V. 18. *Quid eos loqui, qui videbant: quid existimare eos, qui audebant, arbitrabare? inanem te navem esse in Italiam deducturum? naviculariam te, cum Romam venisses, esse facturum?* Hi & *naviculatores* ab eodem dicuntur pro Man. c. 5. *Majores vestri sæpe, mercatoribus, ac naviculatoribus curiosius tractatis, bella gesserunt.*

Veget. IV. 32. *navicularios* esse dicit, qui in classe singulis navibus præsint, quos Græci *nauarchos* vocant. V. illum supr. in *Nauarchus*. Bud. in Pandect. p. 106. E. Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 691. D. Liz. Comm. Reip. Rom. VI. 6. Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 75. Calcagn. de Re naut. c. 18.

NAVIGANDI initium a diis esse veteres crediderunt. Aliqui Prometheum ejus fecerunt auctorem, alii Janum, plures etiam Minervam; ut cæterarum artium inventricem. Qui rem a fabulis ad liquidum perducere voluerunt, Phœniciis hanc laudem tribuere. Plin. V. 12. *Gens Phœnicum in gloria magna, navalium, ac bellicarum artium.* Mel. I. 12. *Phœnicen illustravere Phœnices, solers hominum genus, & ad belli, pacisque munia eximium. Literas, & literarum operas, aliasque etiam artes, mare navibus adire commenti.* Diodor. XI. p. 151. D. *Magna Phœnices in rebus nauticis gloria celebrantur, tum multitudine navium, tum singulari navigandi peritia a superioribus suis accepta.* Scheffer. de Milit. nav. I. 2. Gyrald. de Re naut. c. 1. Kipping. Differt. de Expedit. marit. §. 5. Niedersteed Melit. vet. & nov. II. 16. Broukh. in Tibull. I. 8. 20. Romani ante bellum Punicum mari sese non commiserunt. Tum enim, cum Carthaginenses plurimum mari valerent, coacti & ipsi sunt classem comparare, & navalis prælii periculum facere. Ne autem omnino *navigationis*, & rerum maritimarum expertes essent, providentia & cura consulum factum est, ut milites paullatim ad remigium interea, dum tota classis pararetur, exercerentur hoc modo. Subselliis in arena per ordinem positis, remiges insidentes ad vocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes una protendere brachia, ac reducere, remosque per arenam movere pariter docebantur: ad illius vocem simul motus incipiebant, simul desinebant, per hunc modum *navigandi* artem edocti, & perfectis interea navibus mare ingressi, post paucos dies verum in undis periculum fecerunt. Polyb. I. 20. *Hering. de Molend. q. 16. §. 4.*

NAVIGANTES tempestate urgente fusis precibus comas evellebant. Scribit hoc in vita sua Libanius. *Tomas. de Donar. c.* 11. Flactibus faciebant. Cicer. Nat. deor. III. 20. *Nostri duces mare ingredientes, immolare fluctibus hostiam consueverunt.* Barth. Adv. LVII. 10. Sidera adorabant. V. infr. in *Sidera*. Qui naufragium pati inter *navigandum* pertimescebant, ne ab undis projecti sepultura carerent, aurum, aut quicquid auro æstimandum venit, e collo in sepulturæ exhibendæ pretium suspendebant, quam sibi impendi vel oblato pretio peroptabant ab his, qui fortuito in eorundem cadavera incidissent. Conjicio ex Synes. Epist. 4. ubi de navigatione quadam diserte meminit, qua tempestatis, procellarumque vi actus in apertum vitæ discrimen venerat. *Aring. Rom. Subterr.* I. 6 3. Ventis etiam supplicabant, idque præcipue, cum deprensi essent in tempestate aliqua. Lucret. V. 1225.

Summa etiam cum vis violenti per mare venti
Induperatorem classis super æquora verrit
Cum validis pariter legionibus, atque elephantis,
Non divûm pacem votis adit, ac prece quæsit,
Ventorum pavidus paces, animasque serenas?

Barth. l. l. Eundo, & redeundo in littore sacrificabant. Virg. Æneid. III. 403.

Quin, ubi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris jam vota in littore solves.

v. 235.

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus.

Florid. Sabin. Subcis. I. 10. Cerda in Georg. I 437. Priusquam navim conscendebant, littora tangebant, terramque osculabantur. V. lib. Lucan. IV. 373.

Ultima jam patriæ cedens dedit oscula ripæ.

Precatoriis formulam ante navis ingressum usurpatam a nautis, vitantibus vectores, aut scandentes excipientibus hanc lego: *conscendite, quod bene vertat.* Laurent. de variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 790. A. Amicos numinibus commendabant. Hujusmodi pro Virgilio Athenas solvente carmen votivum Horat. Od. I. 3. Ritum hunc confirmat vetus saxum:

NEPTUNO. ET
DIS. AQUATILIB
PRO. SALUT. ET
INCOLUMIT. SIM
QUART. SECUNDIN.

Tomas. ibid. c. 25.

NAU.

NAULION instrumentum musicum. V. illud supr. in *Nablion*.

NAULUM, ναῦλον, est pretium, quod vectori pro navigatione solvitur. Juven. Sat. VIII. 97.

— furor est post omnia perdere naulum.

Ulpian. l. cum servus §. fructus ff. de Legat. I. *Fructus hi deducuntur in petitionem, non quos hæres percepit, sed quos legatarius percipere potuit: id in operis servorum, vel vecturis jumentorum, vel nautis naulum dicendum.* Voss. Lex. Etymol. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. Guther. de Jur. man. I. 16. Gyrald. de Navig. c. 19. Clasen. Theol. Gent. II. 2. Hinc portorium, quod Charonti solebat dari, ut ad ulteriorem ripam navicula deduceret commeantes. V. infr. in *Obolus*.

NAUMACHIA erat pugna navalis, seu lacus, in quo naves pugnabant, & navale prælium populo repræsentabatur. Primum lacus ille sine cura, sine ullo ornatu defossus prope Tiberim. Suet. Aug. c. 43. n. 8. *Item navale prælium, circa Tiberim cavato solo.* Postea res in delicias conversa: nam & lateribus exstrui, trabibusque ligneis circummuniri, & tabulis, ac sedilibus in modum theatrorum excoli cœpere, quos idcirco *naumachias* vocaverunt. Suet. Dom. c. 5. n. 3. *Excitavit & naumachiam, e cujus postea lapide maximus circus, deustis utrinque lateribus, exstructus est.* Postea in circis etiam hi ludi populo exhibiti, quod vel unicum circensium navalium nomen probare potest. Nec in his tantummodo, sed etiam in amphitheatris. Apparatus fuit varius, ac multiplex, non ad usum modo, sed ornatum etiam ac luxum. Quo referimus *Tritonem* a Claudio exhibitum, *qui ex argento factus in medio lacu per machinam emergebat*, pugnantes *excitabat buccina*, hydraulica quadam arte. Suet. c. 21. n. 15. Nymphas aquis innatantes, Mart. de Spectac. c. 26. n. 1.

Lusit Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.

Et belluas, monstraque marina. Suet. Ner. c. 12. n. 4. *Exhibuit & naumachiam marina aqua innantibus belluis.* Xiphil. LXI. p. 694. A. *Theatro aliquo repente aqua marina expleto, in qua pisces, & animalia natabant, bellum navale dedit.* Aquarum immissio fiebat per occultos, atque subterraneos meatus, tanta celeritate, ut a spectatoribus vix sentiretur, qua celeritate postea, si placuisset iterum, aquæ iterum emittebantur. Mart. de Spectac. c. 24. n. 3.

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
Cui lux prima sacri muneris ipsa fuit.
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,
Et par unda fretis, hic modo terra fuit.
Non credis? specta, dum laxent æquora martem:
Parva mora est; dices, hic modo pontus erat.

Xiphil. LXI. p. 694. A. *Quum autem in theatro spectacula præberet, primum eodem theatro derepente aqua maris repleto bellum navale dedit, deinde subito aquam abduxit, rursusque exsiccato solo multos pedites congredi jussit.* Scheffer. de Milit. nav. III. 2. Bergier. de viis milit. V. Sect. 8. §. 4. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 186. & in illum Salmuth p. 218. Panvin. de Lud. Circens. II. 11. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 374. B. Mod. de Lud.

Lud. & Spectac. II. 19. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 31. Nautici certaminis spectaculum in illa fuit vel ad disciplinam militarem, quo facilius milites pericula fluminum, vel navalis belli, cum opus fuisset, possent evadere. Sic Polybius refert Romanos bello Punico I. quod adversus Carthaginenses gesturi erant, milites suos in navali disciplina exercuisse. Et Suet. c. 16. n. 2. Augustum, cum esset contra Pompejum iturus, in portu Julio apud Bajas, milites in navali exercitatione tota hyeme detinuisse. Vel ad delectationem populi, ut cætera spectacula. Plura enim erant, quæ præberent animo delectationem. I. alvei magnitudo, ac circi cujusdam amplissimi forma, edita ad commoditatem tanti ludi, in conspectu maximæ civitatis. II. classis in eam, etiam magnarum navium introductio, & ludus ipse certaminis. III. populi celebritas, & vel ipsa aquarum copia, atque amœnitas, maris instar tranquillissimi: & quæ apertis euripis tantam vim aquarum uno haustu reciperet, laxaretque finito spectaculo. In hoc movet admirationem advenæ Martialis de Spectac. c. 24. n. 3. modo laudatus. *Baccius de Therm. vet. c. 8. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 13. §. 2.

Naumachia Augusti, quo deducta est aqua Alsietina, statuitur ad templum, & cœnobium monialium SS. Cosmæ, & Damiani. Suet. Tib. c. 72. n. I. *Bis omnino, toto secessus tempore; Romam redire conatus est, semel triremi usque ad proximos naumachiæ hortos subvectus est: disposita statione per ripas Tiberis, quæ obviam prodeuntes summoveret.* Frontin. de Aquæduct. I. *Ni forte, cum opus naumachiæ Augustus aggrederetur, ne quid salubrioribus aquis detraheret, Alsietinam aquam proprio opere perduxit: & quod naumachiæ cœperat superesse, hortis subjacentibus concessit.* Donat. de Urb. Rom. III. 21. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 374. C. Baccius de Therm. vet. c. 8. Faunus Antiq. Urb. Rom. V. 7.

Naumachia circi maximi fuit, quam veterem vocat Suet. Tit. c. 7. n. 12. *Dedit & navale prælium in veteri naumachia.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15.

Naumachia Domitiani collocatur in campo Martio ad cœnobium monialium S. Sylvestri. Suetonius laudatus supr. in *Naumachia.* Blondus & Fulvius apud Nardin. Rom. Vet. VI. 10. Borrich. Ant. Fac. c. 11. §. 6. De hac, an potius de *naumachia* Augusti in Transtiberina regione locutus est Stat. Sylv. IV. 4. 5.

Continuo dextras flavi pete Tibridis oras,
Lydia qua penitus stagnum navale coercet
Ripa, suburbanisque vadum prætexitur hortis.

Mart. de Spectac. c. 28. n. 12.

Hanc norint unam secula naumachiam.

Nisi de Titi spectaculo in aquis edito sermo sit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 12.

Naumachia an a Nerone præter circum ibi etiam structa sit, dubium est. Quidam ecclesiastici scriptores ad templum, & sepulcrum S. Petri illam posuerunt. Negat Baronius, quod antiquorum nemo id a Nerone factum affirmet, & ille maritima spectacula, teste Dion. LXII. p. 707. D. ediderit in theatro. Quem ultro sequor. Qui vero, aut vulgi sermone permoti, aut alia de causa hortis Neronis *naumachiam* apposuerunt, hanc pro circo accepere vulgari appellatione, cum præsertim in circo esset etiam euripus pro navalibus ludis. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 9.

Naumachia apud Vaticanum celeberrima priscis temporibus exstabat, a qua tota deinde regio illa, quæ S. Peregrini ædem respicit, suam denominationem acceperat. *Aring. Rom. Subterr.* II. 3. 16.

Naumachia species fuit κυβείας. Pollux VII 33. 10. Qui nihil tamen de illo: nec Eustathius: nec Meurs. de Lud. Græc. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 978. E. Nos adjicimus hos versus ex Lucill. XIV.

Naumachiam licet hæc, alveolumque putare, &
Calces, delectes te, hilo non rectius vivas.

Ut alveoli vocabulum ab aquatili, seu fluviali materia, ad talorum, tesserarum, latrunculorumque instrumenta translatum est, sic etiam *naumachiæ* vocabulum ad hanc ipsam ludicri materiam assumptum arbitror, ita scilicet, ut cum calculis ludamus in alveo, seu alveolo, sic ipse ludus *naumachiæ* non sit dissimilis, propter pugnam scilicet calculorum, cui se invicem committunt in alveolo, tanquam naves in freto. *Senftleb. de Alea vet. c.* 8. §. 9.

Naumachia etiam locus fuit, ubi omnia instrumenta bellica, quæ ad classes instruendas erant necessaria, reponebantur, quale est arsenale Venetum: fuitque eo loco, qui dicitur hodie a Ripa: ubi vinum venale proponitur, quod ex Ostia navigio per Tiberim in Urbem invehitur. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 10.

NAUMACHIARII dicebantur, qui prælium navale committebant. Erant plerumque captivi, reive criminum capitalium; e quibus alteri parti Siculorum, vel Atheniensium: alteri Rhodiorum, aut Persarum, vel alterius gentis nomen imponebant. Pugnabant hi inter se ad mortem usque, nisi qua Principis indulgentia singulari eximerentur. Dio LX. p. 687. B. *Qui eo prælio decertaturi erant, damnati fuerant rei capitalis; erantque utrinque quinquaginta naves; alteri Rhodii, alteri Siculi nominabantur. Hi principio simul omnes Claudium salutaverunt his verbis: salve Imperator, pereuntes salutamus te.* Suet. Claud. c. 21. n. 13. *Emissurus Fucinum naumachiam ante commisit, sed cum proclamantibus naumachiariis, ave Imperator, morituri te salutant, respondisset, avete vos. . . .* Omnia complexus Tacit. Annal. XII. 56. 2. *Claudius triremes, quadriremesque, & undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent: attamen spatium amplexus, ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium, & prælio solita. In ratibus prætoriarum cohortium manipuli, turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex quis catapultæ, balistæque tenderentur. Reliqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. Pugnatum, quanquam inter sontes, fortium virorum animo: ac post multum vulnerum occidioni exempti sunt.* Scheffer. de Milit. nav. III. 2.

NAUPEGI, navium ædificatores a personalibus muneribus erant immunes. Patern. l. 6. ff. de jur. immun. *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit, ut sunt naupegi.* Panciroll. de Corpor. artif. §. 35.

NAUSUM fuit genus navigii Gallici. Innuit hoc Auson. Epist. 22. *Et nauso frugis aliquantulum nostræ advehi possit.* Et in jambico subjecto:

Ut inde nauso devehat.

Gyrald. de Navig. c. 18.

NAUTA est, qui in nave est ducendæ navis gratia. Cicer. Fam. XVI. 9. *Solent nautæ festinare quæstus sui causa.* Attic. IX. 3. *Ego nautas eum non putabam habiturum.* Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 691. B. Antiquis temporibus non alios quam milites habuerunt, si excipias gubernatores. De Græcis ad Trojam Senec. Agam. III. 423.

Jamque ense fessum miles exonerat latus;
Neglectaque summas per puppes scuta jacent,
Ad militares remus aptatur manus.

Græcis hoc genus ἀυτερέται dictum est. Pollux. I. 9. & Suidas: *Autercetes. Sic Thucydides vocavit, qui & remigant, & pugnant.* Postea, cum naves melius ad bellum instrui cœperunt, præter milites, certos etiam legerunt *nautas*, iisque curam navium commiserunt. E quibus alii fuerunt remiges, alii aliis muneribus destinati, qui idcirco specialiori nomine *nautarum* appellati sunt. Cæsar de Bell. Gall. III. 8. *Interim naves longas ædificari, remiges ex provincia institui, nautas, gubernatoresque comparari jubet.* Veget. IV. 13. *In nautis diligentia, in gubernatoribus peritia, in remigibus virtus eligatur.* Ambo *nautas* a remigibus distinguunt. Sic apud Græcos *nautæ* aliquando, remigesque sunt diversi. Ideo hoc ordine recenset Pollux I. 9. 5. *Navigantes sunt, gubernator, proreta, nauta, remex.* VII. 33. 9. *Gubernatores, proretæ, remiges, nautæ.* Scheffer. de Milit. nav. II. 3. Illorum habitus fuit pænula coloris Veneti, sive thalassici, aut cœrulei, quam induti, brachio dex-

tio exſecto, cauſiaque, ſive capatio, vel bardocucullo, veluti & noſtra ætate, tecti incedebant. Veſtes enim iis adverſus ventis injurias pelliceæ erant. Quo ſpectat monitum Veg. l. iv. 37. *in mari exploratores veſte Veneta induendos.* Tomaſ. de Donar. c. 25. Cantilena, ut legitur in commentariis Ariſtophaniorum Acharnenſium, vocabatur νίγλαρον, melos quoddam muſicum παρακελευστικόν. *Scalig. Poet.* i. 55. *Putean. Reliq. conv. priſc. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* xii. *p.* 261. *B.* In biremibus ad latera tantum, ſedentes in ſedilibus, remigabant: in triremibus, pluriumque ordinum navibus in ſedilibus, & tranſtris, medio navis collocatis. *Meibom. de Fabric. trirem. Theſ. Græv. ibid. p.* 576. *B.* Stipendium ab initio, poſtquam claſſibus cœperunt uti, acceperunt ab equitibus, qui in hanc rem pecuniam contulerunt. Servius laudatus ſupr. in *Claſſis.* Ex publico vero auctis Romanorum opibus. Liv. xxiii. 48. *Quod ad ſtipendia attinet, ſi ærarium inops eſſet, ſe aliquam rationem inituros, quomodo ab Hiſpanis ſumat, cætera utique ab Roma mittenda eſſe.* Et ita Romani. Socii vero ipſis dare ſtipendia cogebantur. Conſtituebat ergo quæque civitas navarchum, cui daret pecuniam, frumenta, cætera. Cicero laudatus in *Navarchus.* Quantum utrorumque fuerit, ignotum. Licet conjectare, minus accepiſſe quam in cetera militia: cum qui ex hac ad illam tranſiiſſent, meliorem ſuam feciſſe conditionem viderentur. Ac forte duos tantum aſſes capiebant, cum illi tres haberent. Auctum tamen illud poſt ab Imperatoribus, legimusque, Anaſtaſii temporibus remiges quinque ſolidos habuiſſe. Caſſiod. v. 16. *Si libertate gaudet electus* (de remige loquitur) *quinos ſolidos, donativum & annonam ſe noverit accipere competentem; eo modo & illi tractandi ſunt, qui a ſuis dominis exuuntur, quando libertatis genus eſt, ſervire rectori. Ita tamen, ut ſupra dicti nautæ armorum nomine pro hominum qualitate binos, ac ternos ſolidos a noſtra debeant ſede percipere, quatenus unuſquiſque cum fuerit admonitus, paratus debeat inveniri.* Et hæc ſtipendia vulgi. Plus accipiebant magiſtratus, uti docet caput legis Rhodiæ xxx. in quo de mercede uniuſcujuſque agitur. Ibi enim ei, *qui clavum tenet, portio una cum ſemiſſe, tantundem proretæ, & naupego, nautæ & carabitæ portio una, paraſchitæ portio dimidia tribuitur.* Scheffer. ibid. iv. 1. Adverſa tempeſtate jactati vota faciebant Caſtori & Polluci. Cicer. de Invent. ii. eorumque ſimulacra in Samothracia ante portum ſita fuerunt, ut iis naufragio liberati vota ſolverent. Annotat hoc Servius. In hanc rem Romæ legitur:

CASTORI. ET. POLLUCI
SACRUM
OB. FELICEM. IN. PATRIAM
REDITUM. TOT. SUPERATIS
NAUFRAGII. PERICULIS
. . . . . . EX. VOTO. CUM
SOCIIS
L. M. P
C. VALERIUS. C. F. AGELLUS
. . . .

Romæ apud Tiberim, ubi nunc delubrum Blaſio ſacrum, in templo Neptuni olim tabulas naufragii pictas ſuſpenderunt. Tumulo etiam eorum, qui ad littus ejecti erant, fragmenta navium inferebantur, quæ eſſent veluti manium donaria. Lycophron:

— *buſtum ſupra*
Statuere cippum funebrem Argo navis
Tranſtrum revulſum manium donarium.

Tomaſ. de Donar. c. 35. In iſtis ſumma requirebatur ſcientia. V. illam infr. in *Scientia.*

NAUTIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

NEA.

NEAPOLIS urbs eſt proxima in littore a Puteolis in Campania. Ante Parthenope dicta, & prius Phalerum, ſi poetis credimus. Primos ejus conditores plerique ſcriptores pronuntiarunt Cumanos. Urbis magnitudo conſtricta olim fuit intra Megarim inſulam, & Sebethum amnem: quorum hic nunc *Fiume dell' Maddalena,* paullo remotus ab mœnibus Urbis; illa contra ipſam nunc ſita, ab impoſita arce *Caſtel dell' ovo* vocatur. *Cluver. Ant. Ital.* iv. 3. 1. *Goltz. Ital. p.* 209. *Avert. Deſcr. Ital. p.* 275. Fuit inter eas colonias, quæ incerto plane tempore deductæ fuerunt, licet tamen ante Titi Imperatoris tempora, ut conſtat ex Frontin. de Colon. p. 106. *Neapolim muro ductam. Iter populo debetur pedibus* xxx. *Sed ager ejus, ut Syriæ Paleſtinæ a Græcis eſt in jugeribus aſſignatus, & limites intercisivi ſunt conſtituti. Inter quos poſtea & miles Imperatoris Titi lege modum jugerationis ob meritum accepit.* Meral. Coſmogr. ii. 4. 19. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 633. F. Præfecturam fuiſſe, quia legibus Romanis non uteretur, nullo modo crediderim. Nam ſi fuiſſet, minime Romanis exſulibus ibi licuiſſet commorari. Polyb. vi. 12. cives Romanos, legibus ejectos Neapolim petere ſolitos fuiſſe, ibique ſedem ponere, ut libero in loco oſtendit, & fœderatam civitatem appellat. Poſt legem Juliam municipium fuit, ante inter ſocios Italicos. Cicer. Fam. xiii. 30. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* i. *p.* 21. C. Fœderata fuit fœdere Italico cum Velia & Heraclea. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* ii. 14. *Goltzius.* V. illum infr. in *Oppida fœderata.*

NEB.

NEBULONES dicti ſunt fraudium architecti, & fures. Non. i. 67. *Nebulones dicti ſunt, quia mendacius, & aſtutius iis nebulam quandam, & tenebras objiciunt. aut quibus ad fugam ſingulis, & juxta hæc erant accommodata, & utilia.* Lucill. xiv.

Publius Paullus mihi Turditanus quæſtor,
Hibera in terra fuit lucifugus nebulo.

Enimvero *nebulæ* non raro fures faciunt, & accommodatiores illis *nebulæ,* obſervante Homero, quam noctes. Licet enim & ſuæ tenebrionibus nocturnis vices, invitant tamen magis *nebulæ,* ut incuſtoditæ, quam noctes defenſæ excubiis. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 14. §. 3. *Turneb. Adv.* xx. 1.

NEC.

NECESSARII fuerunt, quos non ſanguis, ſed conſuetudo vitæ conjunxit, ut familiares, vicini, tribules, clientes, municipes, ejuſdem ſodalitatis, collegii, ſocietatis, & ordinis. *Sigon. de Judic.* ii. 30. Etiam dicuntur, qui rebus labantibus, aut jam collapſis opitulatores, atque vindices contingunt; videlicet penitus peſſum caſuris, niſi fata eorum remedia produxiſſent. Vopiſc. Aurel. c. 37. *Hic finis Aureliano fuit, principi neceſſario magis quam bono.* Barth. Adv. xliii. 27.

Neceſſarius dicitur ſervus, qui hæres a domino ſuo inſtitutus eſt, quando non eſt ſolvendo hæreditas. l. facta. §. ult. ff. ad Sctum Trebell. Cauſa enim ſervi hæredis inſtituendi eſt, ne poſt mortem domini creditores illis defraudentur. Ulpian. l. 7. §. 10. ff. de minor. *Minori ſubſtitutum ſervum neceſſarium, repudiante quidem hæreditatem minore, neceſſarium fore: &, ſi fuerit reſtitutus minor, liberum nihilominus remanere.* l. fratres C. de offic. teſtam. l. ult. C. de neceſſ. hæred. inſtit. *Contra ſervum autem neceſſarium hæredem inſtitutum, non datur inofficioſi teſtamenti querela.* Popma de Serv. p. 176.

NECROMANTIA vocabatur, qua animæ ab inferis revocabantur, per quas magus occulta diſcebat, & de ſecuturis eventibus edocebatur; nam hoc illi audacter pollicebantur, eorum imperio ſubditas animarum regiones, & quas vellent, poſſe rurſus ſuperam traducere ad lucem. Sic gloriatur Medea apud Ovid. Met. vii. 107.

— *jubeoque tremiſcere montes,*
Et mugire ſolum, maneſque exire ſepulcris.

Tibull. i. 2. 45.

Has

Hæc cantu ſudatque ſ. . . , . . . ſque ſepulcris
Elicit, & tepido devectat . . . rogo.

Et fama ita creditum a vulgo ethnicorum denotant verſus apud Cicer. Tuſc. Quæſt. I. 16.

Unde animæ excitantur obſcura umbra, aperto oſtio
Alti Acherontis, falſo ſanguine imagines mortuorum.

Per hanc paganos deludebat diabolus, & phantaſmate ſimulabat perſonam, quam inter viventes reſtitui cupiebant. Itaque præſtigium, & hallucinatio tantum fiebat. Æneas Gazæus in Theophraſto: *Hæc dicens ille, & ergo ſuis illis carminibus fallunt, quippe non patrem, aut mulierculam producunt, ſed dirum quendam dæmonem patris, aut mulieris perſonam repræſentantem monſtrant.* Chryſoſt. in Matth. VIII. Hom. XXIX. *Non enim anima defuncti eſt, quæ iſta dicit; ſed dæmon, qui hæc, ut decipiat, fingit.* Claſen. Theol. gent. I. 6. Kirchmann. de Funer. III. 23. Cerda in Virg. Ecl. VIII. 98. Delr. Diſq. Mag. IV. Peucer. de Divin. 8.

NEG.

NEGOTIATORES erant mercatores locupletiores, qualem *negotiatorem magnarium* appellat Apul. Met. I. p. 11. Hi mercaturam amplam, ſive *negotiationem* exercebant: qualis *negotiatio ſagaria* l. 52. §. 4. ff. pro ſocio, *negotiatio lignaria* apud Capitolinum. *Ferrar. de Re Veſt.* II. I. 5. Quomodo differant a mercatoribus V. ſupr. in *Mercatores.* Proſtabant in baſilicis. V. ſupr. in *Baſilica.* Octavam mercium pro rebus importatis, & exportatis ſolvebant. l. 5. C. de vectig. & commiſſ. *Ea vero quæ extra prædictas cauſas, vel negotiationis gratia portantur, ſolitæ præſtationi, vel penſationi ſubjugamus.* l. 7. ibid. *Ex præſtatione vectigalium nullius omnino nomine quicquam minuatur, quin octavas more ſolito conſtitutas omne hominum genus, quod commercia voluerit intereſſe dependat.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 5. Servi dicebantur, qui præpoſiti erant *negotii* exercendi cauſa, veluti ad emendum, locandum, conducendum. Martian. l. 65. ff. de Leg. III. *Legatis ſervis, exceptis negotiatoribus; Labeo ſcripſit, eos legato exceptos videri, qui præpoſiti eſſent negotii exercendi cauſa, veluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpoſiti eſſent.* Popma de Serv. p. 27.

NEM.

NEMAUSUS eſt civitas in Gallia Narbonenſi inter Ararim, & Monobium flumina. *Nemaſia* appellatur a Valentiniano l. ult. C. Th. de pond. & aur. illat. ſed mendoſe, ut puto. *Panciroll. Notit. imp. occid. c.* 35. Strab. IV. p. 129. *Caput Arecomicorum eſt Nemauſus, longe inferior Narbone, ſi peregrinam, & negotiantium turbam conſideres; ſin rempublicam ſpectes, multo præſtantior: nam quatuor & viginti habet pagos popularium præſtantes viris, qui ei ſubſunt, & jus quoque Latii habent: ita ut Nemauſi invenias Romanos, qui ædilitatis, & quæſturæ honorem ſint conſecuti.* Eſt *Romanorum colonia, Auguſto imperante deducta, atque ideo Auguſta Nemauſus* cognominata. Vetus inſcriptio *Nemauſi* reperta:

D. M.
T. INDESII. TERTII
ÆD. COL. AUG. NEM
DOMITIA. EORTE. SIBI
ET. VIRO. DE. SE. BENE
MERITO. V. F

Gruter. p. 323. n. 5. Inſignis etiam nunc viget hæc urbs, *Nimes* vulgo appellata. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 536. *E. Vaillant Numiſm.* I. *p.* 56. *Schott. Itiner. Gall. p.* 36.

NEMEA dicebantur ludi, quos conſtituiſſe Herculem leone occiſo volunt, qui *Nemeam* regionem infeſtabat. Tertull. de Spectac. c. 11. *Proinde Olympia Jovi, quæ ſunt Romæ Capitolina. Item Herculi Nemea.* Ipſe Hercules *Nemeam* agnoſcit ut ſuam apud Stat. Sylv. III. 1. 182.

Nec mihi plus Nemee, priſcumque habitabitur Argos.

Et hæc eſt receptiſſima exiſtimatio horum ludorum. Aliud quoque reperio. Quippe memorant Adraſtum, una cum iis, qui Thebas oppugnatum ierant, veniſſe ad *Nemeam*, ubi Hypſipyle Ophelten Lyci Regis filium in ſervitute alebat. Hæc rogata ab his ducibus, ut aquam iis monſtraret, ne puerum humi deponeret, in apio altiſſimo, quod ad fontem erat, eum occuluit. Ibi draco puerum, dum ipſa ducibus aquam præbet, exedit. Draconem Adraſtus, & cæteri interfecerunt, ludoſque funebres, eoſdemque quinquennales puero inſtituerunt. Hygin. fab. 74. Clem. Alex. Exhort. ad gent. p. 21. D. hunc puerum vocat Archemorum, cui juſta facta ſunt: ejuſque funebrem rationem ait appellari *Nemeum*. Hinc eſt, quod Artemid. I. 79. dixit, coronam *Nemeam* eſſe dicatam certamini ſepulcrali: quod in illorum numero eſſet, quos vocabant ἀγῶνας ἐπιταφίους, ubi decurrebant in honorem illorum, qui bello periiſſent. Hoc cenſet Statius; ut apparet ex Sylv. V. 3. 51.

Illic & Siculi ſuperaſſem dona ſepulcri,
Et Nemees lucum, & Pelopis ſolemnia trunci.

Paſchal. de Coron. VI. 26. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 3. Potter. Archæol. Græc. II. 24. Scalig. Poet. I. 25. Victores in iis apio coronabantur. V. ſupr. in *Apium.*

NEMUS minus religioſum, minuſque venerabile erat olim luco: ut omnes tamen a cædendis, & violandis arboribus abſtinerent, *nemoroſa*, & umbroſa loca numinibus ſacra Græci pſictera, ut Nicander ait, vocarunt. *Curt. Hort.* III. 13. Illa cum ad corporis, tum etiam animi incolumitatem conducibilia expetebant veteres. Tacit. Orat. c. 12. n. 1. *Nemora vero, & luci, & ſecretum ipſum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem, quod nec in ſtrepitu, nec ſedente ante oſtium litigatore, nec inter ſordes, ac lacrymas reorum componuntur; ſed ſecedit animus in loca pura, atque innocentia, fruiturque ſedibus ſacris.* Virg. Ecl. II. 61.

—— Pallas, quas condidit arces,
Ipſa colat, nobis placeant ante omnia ſylvæ.

Curt. ibid. VI. 5. In domorum tectis ſcilicet planis, & ſine faſtigio, ubi terra ſuper trabes, ſive & fornices lateritios aggerebatur, ſerebant. Senec. Epiſt. 122. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in ſummis turribus ſerunt? quorum ſylvæ in tectis domorum, ac faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egiſſent.* Horat. Od. III. 10. 5.

Audis, quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulcra ſitum tecta remugiat
Ventis.

Tibull. III. 3. 15.

Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos.

Senec. Contr. V. 5. *Alunt in ſummis culminibus mentita nemora, & navigabilium piſcinarum freta.* Hinc *ſuperbi* apud Senec. de Ira I. c. 16. & *in tecta ſcandere* apud Plin. XV. 14. dicuntur. *Lipſ. in Senec. Epiſt. Torrent. in Horatium. Broukh. in Tibullum.*

Nemus Annæ Perennæ ſitum fuit inter Anienis confluentem, & pontem Milvium. *Cluver. Ital. Ant.* III. 2. 36. Juxta Tiberim fuit, priuſquam Urbem attingeret. Ovid. Faſt. III. 524.

Haud procul a ripis, advena Tibri, tuis.

Conſpici etiam e ſuburbano Julii Martialis potuit, quod in Janiculo fuit e regione pontis Milvii. Mart. IV. 64. 16.

Et, quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.

Verum utrum exacte in angulo confluentium iſtorum fluminum fuerit, an vero in proximo, a nemine indicatur. Alterutrum tamen verum conjicere licet, ſiquidem feſtum illic celebratum in memoriam iſtius Annæ creditum eſt, quæ in monte ſacro plebi, quæ in illum ſeceſſerat, cibos ſubminiſtravit, ut eſt apud Ovidium: nam hoc pa-

cto *nemus* illi monti vicinum fuisse necesse est; non tamen trans Anienen fuit; nam Martialis id aqua Virgine irrigatum fuisse tradit: unde vel in ipso angulo fuit ad confluentes, vel saltem non procul inde remotum. *Nardin. Rom. vet.* IV. 7.

Nemus Cæsarum est, de quo Tacit. Annal. XIV. 15. 2. *Exstructa apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula, & cauponæ.* Suet. Aug. c. 43. n. 2. *Navale prælium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc, Augusti tempore, Cæsarum nemus est.* Tabulæ Ancyranæ: *Navalis prœlii spectaculum populo exhibui, in quo loco nunc nemus Cæsarum est.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 11. Caji, & Lucii memoriæ fuit dicatum. Cum Suetonius dixerit: *in quo nunc Cæsarum nemus est*, inferre quis posset, tempore Suetonii, qui post exactum ab Augusti morte seculum floruit, idem *nemus* superfuisse, ac neminem successorum principum memoriæ Caji & Lucii sacratum *nemus* excidisse. At Dio scribit de Nerone apud Xiphil. LXI. p. 699. C. *Populo epulum dedit intra naves in eo loco, in quo ab Augusto bellum navale factum fuerat.* Sed de his alii viderint, qui antiquæ Romæ topographiam quærunt. *Noris. Cenot. Pisan. Diss.* II. *p.* 181.

Nemus Nævium, V. illud infr. in *Porta Nævia.*

NEN.

NENDI artem invenit Mercurius. Non statim ad eandem perfectionem perducta fuit, ad quam Mosis tempore pervenerat. Sed Tertullian. de Pall. c. 3. videtur docere Mercurium invenisse artem lanam trahendi in modum restis satis crassi, instar philyræ, aut junci, ex quibus vestes fieri solebant, ut inde fierent tegumenta tantum rudia, & crassa instar storeæ, quales fortassis sunt sacci illi, in quibus lana Hispanica nobis hodie apportatur, quibus pauperes apud nos utuntur pro tegete, & veste. Verisimile etiam est ex ipsa lana ita crasse in restis modum contorta tegumenta, & vestes potius nexa fuisse, quam texta, quemadmodum ex teneris, viminibus, juncis, & alia materia fluminea potius nectebantur, quam texebantur; nondum enim ars textoria, proprie ita dicta, inventa fuit. Hæc autem vestis nexilis dicitur potius, quam textilis. Lucret. V. 1349.

Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen:
Textile post ferrum est; quia ferro tela paratur.
Nec ratione alia possunt tam levia gigni
Insilia, ac fusi, radii, scapique sonantes.

Braun. de Vest. Sacerd. Hebr. I. 16. 6.

NEO.

NEOCORI, νεωκόροι, vocabantur ædium sacrorum custodes. Ita in Etymologico νεωκόρος explicatur ὁ τοῦ νεὼ ἐπιμελούμενος. Apud Suidam νεωκόρος, ὁ τὸν νεὼν κοσμῶν, καὶ εὐτρεπίζων. Itaque & claves templorum custodiæ *neocori* commissæ erant, ut constat ex Aristid. Orat. I. & aliis. Latini quidem ædituos dixerunt. V. supr. in *Æditŭus*; sed quandoque *neocori* verbo usi sunt. Firmic. de Error. prof. relig. c. 14. Serapis *in Ægypto colitur, hic adoratur. Hujus simulacrum neocororum turba custodit.* Mathes. IV. 7. *Ista conjunctio faciet neocoros.* Ruben. Diatr. de Urb. neocor. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1350. A. Et ab his non dissimili analogia populi, aut civitates, in quorum solo constitutum erat templum aliquod toti provinciæ commune, & publica panegyri, ludisve celebre. Illæ vero civitates, aut populi maxima cura studebant, ut sacrificiis, sacrisque certaminibus templa illa celebria redderentur. Ita in nummo M. Antonii triumviri Ephesii se *Neocoros* inscribunt, quia in urbe sua situm erat templum Dianæ, in cujus honorem conventus sollennis, & sacra certamina a communi Ionum peragebantur. Hoc significatu vocem νεωκόρον accepit Lucas Act. c. 19. n. 35. *Viri Ephesii, quisnam est hominum, qui ignorat, Ephesiorum civitatem æditŭam, νεωκόρον, esse magnæ deæ Dianæ, & simulacri e cœlo delapsi?* Ubi scriba ille Ephesum vocat Dianæ νεωκόρον, ut Con insulam *Æsculapii ministram* vocat Tacit. Annal. XII. 61. 2. *Quin etiam dixit Xenophontem eadem familia ortum: precibusque ejus dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi sacram, & tantam dei ministram insulam colerent.* Ubi videtur voluisse exprimere vocem Græcam νεωκόρος: etenim in Co insula templum erat Æsculapii, Græcorum, atque insularum cultu celebre. Qua fere notione æditui verbo utitur Suet. Aug. c. 5. n. 2. *Cn. Lectorius allegavit, se esse possessorem, ac velut æditŭum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset.* Ruben. ibid.... Falconer. ad Inscript. athlet. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XII. p. 2334. D. Vaillant Numism. II. p. 171. Petit. Var. Lect. c. 29. Prideaux Marm. Oxon. p. 89. & hoc monente Nicol. Bon. de neocoris. Inter zacorum, & *neocorum* interfuit: & ille, ut docet Thomas magister, hoc nescio quid dignius fuit. Hesychius putat eorum ministerium spectasse tantummodo ea, *quæ versantur circa ornatum templi.* Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circ. p. 546. C.

NEP.

NEPET, vel *Nepete* est urbs Etruriæ. Hodie interdum *Nepe*, interdum *Nepi* dicitur. *Per deditionem acceptam Etrusci cum haberent, fascibus sarmentorum ex agro collatis, ductus est ad mœnia* Romanorum *exercitus, & completis fossis scalæ sunt admotæ, & clamore primo, impetuque recepta est.* Liv. VI. 10. Romanorum colonia huc deducta est post Urbem a Gallis captam. Paterc. I. 14. 2. Postea municipium quoque factum fuisse testatur Festus in *Municipium.* Et *Nepesini* memorantur municipes in antiquis inscriptionibus. *Cluver. Ital. ant.* II. 3. 41. *Leand. Descr. Ital. p.* 212. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5.

NEPOS est juris auctoribus, & vetustioribus Latinis tantum ὁ ἔκγονος, filii, aut filiæ natus. Posterior ætas produxit vocis usum ad ἀδελφιδοῦς, natos fratre, aut sorore: quam solam vocis ejus notionem vernaculus sermo noster, & Italicus agnoscunt. Sic aliquoties in historiæ Augustæ libris capiuntur *nepotis*, & *neptis* appellationes: & in Liviana epitoma, atque Eutropio, qui inde habet, Octavianus C. Cæsaris *ex sorore nepos* dicitur. Apud Ambrosium Epist. 66. & veteri notione, & hac posteriore observabamus positum *neptis* vocabulum. Agitur ibi de matrimonio inter Paterni filium, & *neptem* ejusdem ex filia. Cum veteribus loquitur, quando ait: *Vix filio neptem copulare ex filia?* Alteram notionem vulgo tum receptam indicat, cum scribit: *Interroga nominum religionem: nempe avunculus iste illius, ista hujus neptis vocatur.*" Sic quoque hoc versu locutus est Ovid. de Pont. III. 3. 62.

Cæsar, ab Ænea qui tibi fratre nepos.

Salmas. in Spartian. Adrian. c. 2. Barth. Adv. XLIV. 10. Du Fresne Glossar.

Nepos fuit plurium cognomen. Nominatur in Fastis an. 656. *Q. Cæcilius Metellus Nepos*, ejusque etiam filius an. 697. qui epistolam tertiam libri quinti ad Ciceronem inscribit: *Q. Metellus Nepos.* Celebris inter scriptores *Cornelius Nepos* recensetur. Licinii *Nepotis* prætoris meminit Plin. Epist. VI. 5. *Pletorium Nepotem* senatorem laudat Spartian. Adrian. c. 4. & *Herennium Nepotem* Sever. c. 13. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5. *Noris. Epist. Consul. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 408. *B.* Verrius autem Flaccus, qui tabulas Capitolinas digessit, ibidem prænomina, nomina, ac cognomina consulum accuratissime recitavit; & ne nominum similitudo in familiis numerosis confusionem gigneret, prænomina patris atque avi cujuscunque consulis in eisdem fastis signavit. Cognomina consulum in postrema parte versus locavit. Si consules nullum cognomen tulissent, aut illud fortasse ignotum fuisset eidem auctori, loco cognominis designabat, cujus consul *nepos* extitisset, non quidem unicam literam N. exarando, ut in aliis, quorum cognomina annotabat, sed integram vocem NEPOS reponendo in ea extrema parte versus, in qua aliorum cognomina legebantur. En quosdam consulatus ex iisdem

tabulis

tabulis Capitolinis exſcriptos juxta annos Urbis Capitolinos.

Conſules	Ann. Urbis
Cn. Servilius Cn. F. Cn. N.	CÆPIO. 551
Cn. Servilius Cn. F. Cn.	NEPOS.
M. Aimilius M. F. M. N.	LEPIDUS. 567
C. Flaminius C. F. C.	NEPOS.
L. Cornelius P. F. L. N.	SCIPIO. 590
C. Lælius C. F. C.	NEPOS.
Q. Opimius Q. F. Q.	NEPOS. 600
L. Poſthumius SP. F. L. N.	ALBINUS.

In hiſce quatuor conſulum collegiis vides poſtremum vocabulum NEPOS non exprimere quodpiam proprium eorundem cognomen, ſed cujus avi, puta Caji, Cnei, Quinti *nepotes* iidem fuerint. *Noriſ. l. l.*

Nepotes dicuntur prodigi, & luxurioſæ vitæ homines. Horat. Epod. I. 34. V. illum ſupr. in *Diſcinčti.* Cur illis *nepotum* nomen impoſitum ſit, geminam invenio cauſam. Una eſt, quod pueri parentibus orbati, ſi in avorum ſint poteſtate, fere nequam evadant, & diſſoluti: quia faciliores parentibus eſſe avi ſolent, &, ſi ſeveriores eſſe velint, a pueris, patris metu ſolutis, contemni ſolent. Altera ratio eſt iſta, qui parentum ſuorum ſudorem in congerendis opibus viderunt, iſti, quia ſciunt, quam difficulter opes parentur, frugi eſſe ſolent: contra autem *nepotes*, quia nec ipſi ſudarunt in parandis divitiis, nec ſciunt, quanto labore eas avus acquiſierit, prodigi eſſe conſueverunt. *Voſſ. Lex. Etymol.*

NEPTUNALIA erant feriæ, & ludi in honorem *Neptuni* dei maris, quibus caſas frondeas ad Tiberis ripam excitabant, quas *umbras* dicebant, inque iis ſolis radios frangentes inter ſeſe feſtos dies agebant. *Siccam in Faſt. Kalend. c.* 13. *Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 408. *Perion. de Græcor. & Roman. magiſtrat. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2813. *F.* Hujus dei teſte Varr. de Ling. Lat. V. 3. ſextæ feriæ ſunt. Græci vero octavum cujusque menſis diem *Neptuno* ſacrum eſſe voluerunt, ut Plutarchus in Theſeo. Taurus ei immolabatur, unde Virg. Æneid. III. 119.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.

Homer. Odyſſ. III. 6. *tauros valde nigros* vocat, quo loco interpres: *Tauros propter maris violentiam, nigros vero propter aquæ colorem ex maris profundo.* Pindar. Olymp. XIII. 99. ταῦρον ἀργὸν illi adſcribit: quem quidam *album* interpretantur, propter maris ſpumas; alii *florentem*, ſeu *nitentem*, aut *procerum* exponunt; verius autem, qui *velocem*: qui autem *album*, prorſus errant; nam & Pindari interpretes *nigros tauros* ei immolari volunt. *Ortel. deor. & dear. cap.* I. *fig.* II. *Gyrald. Synt. deor.* V. *p.* 160. *A. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 876. *D.* Meminit Auſon. Eclog. XVII. 19.

Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conſo, conſiliisque vocant?
Feſta hæc navigiis, aut quæ celebrata quadrigis
Jungunt Romanos, finitimosque duces.

Scheffer. de Milit. nav. I. 5.

NEPTUNUS filius fuit Opis, & Saturni, frater Jovis & Plutonis. *Tomaſ. de Donar. c.* 25. *Vener. de Græc. antiq. c.* 9. Illum mater enixa, infantem in ovile abdidit, una cum agnis ab opilionibus enutriendum: pro puero autem equinum pullum, quem ſe peperiſſe ſimulabat, Saturno dedit devorandum. *Lauremb. Græc. Ant. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IV. *p.* 47. *B.* Pingebatur nunc pacatus, & tranquillus; nunc commotus. Virg. Æneid. I. 130.

— graviter commotus, & alto
Proſpiciens, ſumma placidum caput extulit unda.

Nunc etiam nudus cum tridente, nunc in veſte cœrulea, quæ maris colorem imitetur. Lucianus in Sacrificiis cyaneis capillis nigris depingit. A Philoſtrato tamen in Imaginibus cum equis, & cetis in mari tranquille deſcribitur incedere. Addit ei Hyginus in Delphino buccinam & fuſcinam: *Qui Neptuno*, inquit, *ſimulacrum faciunt, aut in manu, aut ſub pede ejus delphinum conſtituere videmus, quod Neptuno gratiſſimum eſſe arbitrantur.* Ortel. l. l. Gyrald. ibid. p. 159. F. In tabula apud Antonium de Cavaleriis exhibetur paluſtribus juncis ornatus, cum capillo, ac barba tortis, ac prolixis, more deorum fluviatilium, ſiniſtra elevata forte tridentem gerens, quo triplex aquarum virtus innuitur, liquida nempe, fœcunda, & potabilis juxta interpretationem Fulgent. Mythol. I. 3. dextra extenſa fluctus marinos compeſcens, ut deſcribitur a Virg. Æneid. I. 129--147. *La Chauſſe de deor. ſimul. tab.* VII. *Omne mare imum regnum ei datum eſt*, ut Cicer. de Nat. deor. II. 26. & Virgilius jam laudatus. Et hinc *liquidum deum* illum poetice vocat Prop. III. 17. 14.

Quæ voluit liquido tota ſubire deo.

Tomaſ. l. l. Gyrald. ibid. G. Cum fratribus enim Jove, & Plutone mundi hæreditariam diviſionem ſorti commiſit, & quidem, ut Placid. ad Stat. Theb. VIII. 196. vult, in urbe Claria, & Jupiter cœlum, Pluto infernum, Neptunus mare accepit. Serv. Æneid. I. 143. *Jupiter, & Neptunus, & Dis pater, Saturni & Opis filii, cum de mundi poſſeſſione certamen miſſent, placuit, ut imperium ſorte dividerent; ita effectum eſt, ut cœlum Jupiter, maria Neptunus, Dis pater inferos ſortirentur.* Veluti hoc verſiculi hi probant:

Jupiter aſtra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent tres tria quisque ſuum.

Claſen. Theol. gentil. II. 4. Vener. ibid. c. 10. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. II. 13. Hoc traditum eſt a poſteris, quia navigandi arte inventa claſſem, cui eam Saturnus præfecerit, legitur inſtituiſſe. *Ortel. ibid. Figur.* II. Colebatur in circis apud Arnob. III. & ideo circenſes illi attributi apud Lactant. VI. 20. *Buleng. de Circo c.* 9. *Tomaſ. ibid. c.* 32. *Circenſium die ſollenni pompæ ejus ſimulacrum detraxit* Auguſtus apud Suet. c. 16. n. 4. id eſt, cum aliis diis in pompam non tranſtulit. Non tranſtulit autem, quia naufragium fecerat. *Buleng. ibid. Guther. de Jur. man.* II. 15. *Caſaub. in Suetonium.*

Neptunus Conſus. V. illum ſupr. in *Conſus.*

Neptunus Ἐνοσίχθων, Ἐνοσίγαιος, Enoſigæus eſt dictus ab ἔνοσις, *concuſſio*, & γαῖα, *terra*, eo quod terram quatiat. Ammian. XVII. 7. *Ideo humentis ſubſtantiæ poteſtatem Enoſigæum, & Siſichthona poetæ veteres, & theologi nuncupaverunt*, de terræ motibus diſſerens, qua ratione fierent. Macrob. Sat. I. 17. *Nec mirum, ſi gemini effectus variis nominibus celebrantur: cum alios quoque deos ex contrario in eadem re duplici cenſeri & poteſtate accipiamus & nomine; ut Neptunum, quem alias Ἐνοσίχθονα, id eſt, terram moventem vocant. Ennoſigæus* duplici *nn* aliquando ſcriptum, propter ſyllabæ moram: nam cum ἔνοσις prima brevi enuntietur, ad carminis normam aliquando litera duplicatur. Hoc non modo a Græcis fit, ſed & apud Latinos. Juven. Sat. X. 182.

Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum.

Gyrald. Synt. deor. V. p. 166. B. Grang. in Juvenalem.

Neptunus equeſtris a Latinis, a Græcis hippius eſt dictus. Feſtus: *Hippius, id eſt, equeſter Neptunus dictus eſt, vel, quod Pegaſus ex eo, & Pegaſide natus ſit: vel, quod ejuuleus, ut putant, loco ejus ſuppoſitus Saturno fuerit, quem pro Neptuno devoraret: vel, quod tridentis ictu terra equum exciverit, cui ob hoc in Illyrico quaternos equos jaciebant nono quoque anno in mare.* Pauſan. Achaic. p. 22. *Ego ſic puto cognominatum, quod equitationis inventor fuerit. Nam & Homerus in equorum certamine ab Dei hujus appellatione adhibuit juramentum, quod equis conveniret:*

En age equos tangens Neptuni numina juro,
Fraude meos nulla prudens tardare jugales.

Pampho vero, qui Athenienſibus antiquiſſimos hymnos fecit, Neptunum appellavit equorum, ac turritarum, velatarumque navium datorem, non alio inde niſi ab equeſtri appellationem deflectens. Gyrald. Synt. deor. V. p. 162. E. Beger. Spicil.

Antiq. II. 3. La Chausse de æn. ant. lucern. tab. x. Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 3. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Ortel. deor. & deat. cap. I. fig. II. Laz. Græc. ant. II. 3. Camerar. de equis curand. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 826. E. Rosin. Antiq. Roman. II. 13.

Neptunus portunus appellabatur, interdum a Palæmone seorsum. Martian. v.

Portuni trifidam suspirans flagitat hastam.

Idem I. cum Mercurius de ducenda uxore cogitat. *Nec solum superûm Regem attestabatur uxorium, idque etiam Diti prepositum, idque Portuno* Apul. Met. IV. p. 135. *Et Portunus cœrulei barbis hispidus, & gravis piscoso sinu Salacia, auriga parvulus delphini Palæmon jam passim maria persulcantes.* Cicero laudatus supr. in *Neptunus.* Gyrald. Synt. deor. v. p. 165. B.

Neptunus redux. Huic votum solvebant, qui ex itinere maritimo salvi domum redierant. Huic positus est lapis, in inscriptionum editarum libris adhuc invisus, qui Ostiæ fuit erutus:

NEPTUNO. REDUC
SACRUM
Q. MANLIUS. Q. F. PAL
SEVERIANUS
VIVIR. AUGUST. ET. FLAM
TITIAL. U. S. L. M

Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. x. *Præfat.* * * 4. *vers. Rosin. Antiq. Roman.* II. 13.

Neptunus secundus Jupiter est dictus. Jovis nomen siquidem tribus Saturni filiis commune. Stat. Achill. I. 48.

— dextramque secundi,
Quod superest, complexa Jovis.

Sidon. c. XXII. n. 159.

Sacra tridentiferi Jovis hic armenta profundo
Pharnacis immergit genitor.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 160. B. Bernart. in Statium, Savaro in Sidonium.

Neptunus Tænarius est dictus. Plaut. Trin. IV. I. I.

Salsipotenti, & multipotenti Jovis fratri Tænario Neptuno.

Prop. I. 13. 21.

Non sic Æmonio Salmonida mixtus Enipeo
Tænarius facili pressit amore deus.

A Tænaro Laconicæ promontorio, in quo erat sacra *Neptuno* ædes. *Gyrald. Synt. deor.* v. *p.* 161. *B. Petit. Misc.* II. 7. *Kipping. Ant. Rom.* I. I. 25.

Neptunus tridentiger est dictus, & tridentifer. Ovid. Met. XI. 202.

Cumque tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam.

VIII. 594.

— o proxima cœlo
Regna vagæ, dixi, sortite tridentifer undæ.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 160. C.

NEQ.

NEQUINUM urbs est Umbriæ. Postea *Narnia* est dicta. V. illam supr. in *Narnia.*

NER.

NERIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

NERO fuit antiquum cognomen Claudiorum. Suet. Tib. c. I. n. 6. *Inter cognomina & Neronis assumpsit* patricia gens Claudia, *quo significatur lingua Sabina fortis, ac strenuus.* Gell. XIII. 22. *Id autem sive Nerio, sive Nerienes est, Sabinum verbum est, eoque significatur virtus, & fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos a Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia, & præstanti fortitudine, Nero appellatus est. Sed id Sabini a Græcis accepisse videntur, qui vincula, & firmamenta membrorum neura dicunt: unde & nos quoque Latine nervos appellamus.* Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 2029. D. Ursat. de Not. Rom. Thes. Græv. Tom. XI. p. 872. E. August. de Fam. Rom. in Claudia. Spanhem. Dissert. de Præst. numism. VI. p. 534. Pitisc. in Suetonium. Glossar. Nero, ἀνδρεῖος. Græci, a quorum lingua Sabina vetus non alia fuit, hominem bonis lacertis vocant νευρώδη. Et νευρῶν accipiebant pro robustum reddere. Utraque vox proprie de gymnastis usurpatur. *Casaub. in Suetonium.* Hoc, ut pleraque posterioribus Reipublicæ temporibus, in prænomen ejusdem etiam gentis transiit, eoque nominatus est Tiberii Cæsaris frater, *Nero* Claudius Drusus, Claudii Imperatoris, & Germanici Cæsaris pater. Item L. Domitius Ahenobarbus, qui a Claudio principe adoptatus, *Nero* Claudius Cæsar vocitatus est, qui eo mortuo Romanus princeps factus est, omnium, quos terra tulit, sævissimus fuit. *Panvin. & Ursat. l. l.* Duos *Nerones* consulares video, quorum alter censuram, & ovationem obtinuit. Nam C. Claudius TI. F. TI. N. *Nero* consul fuit cum M. Livio Salinatore II. an. 546. censor cum eodem Salinatore triennio post. Alter Ti. Clodius P. F. TI. N. consul fuit cum M. Servilio Pulice Gemino an. 551. Cum hi duo *Nerones* Tiberii nepotes a Verrio dicantur, & Tiberius *Nero* Cæci filius fuerit, verisimile est, hos pronepotes Appii Cæci fuisse. *August. ibid. A.*

Nero Imperator fuit L. Domitius Cn. F. L. N. Ahenobarbus, quem matris Agrippinæ Germanici filiæ, C. Caligulæ sororis, Claudii Imperatoris neptis, & uxoris illecebris, & astu Claudius adoptatum, Neronem Claudium Drusum appellavit, filioque naturali Britannico, quem ex Messallina susceperat, præposuit. Is die obitus Claudii imperium suscepit. *Panvin. Fast.* II. *p.* 202. Barbam Jovi Capitolino consecravit. Suet. c. 12. n. 11. *Barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit.* Tomas. de Donar. c. 11. Aquæ decoquendæ modum invenit. V. supr. in *Decocta.* Gelidam in deliciis habuit. Suet. c. 27. n. 2. *Refotus sæpius piscinis tempore æstivo nivatis.* Butius de Pot. ant. c. 18. Thermas cum in thermis Agrippæ neque capacitati, neque adeo deliciis consultum fuisset, quadragesimo circiter postea anno, ad agonalem ipsum circum secundas suo nomine exstruxit: vestigiis etiam extantibus maximis, ab emporio usque, ac gymnasio publico, ad templum S. Augustini. Lamprid. Alex. c. 25. *In his thermas nominis sui juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, constituit.* Baccius de Therm. vet. c. 3. Tantæ fuit luxuriæ, ut frigidis, & calidis lavaret unguentis, retibusque aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur. *Prosper Chronic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 286. *D.* Convivia profusissima instituit. Illa fusius describit Petron. c. 31. *Tandem discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes, ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. Allata est tum gustatio valde lauta. In promulsidario asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant asellum duæ lances, & ponticuli etiam ferruminati sustinebant glires melle, & papavere sparsos. Fuerunt & tomacula supra craticulam ferventia argenteam posita, infra craticulam Syriaca pruna, cum granis Punici mali.* c. 33. *Gustantibus adhuc nobis repositorium allatum est cum corbe, in qua gallina erat lignea, patentibus in orbem alis, quales esse solent quæ incumbunt ova. Accessere continuo duo servi, & symphonia strepente scrutari paleam cœperunt, erutaque subinde pavonina ova divisere convivis. Hic nescio quid boni debet esse, persecutus putamen manu pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello piperatam.* Buleng. de Conviv. I. 9. Frequens in popinis helluabatur. Mart. v. 72. 3.

In sellariolis frequens popinis.

& interim, *ne quid in popinis cocti præter legumina, aut olera veniret, interdixit.* Suet. c. 16. n. 3. *Bulend. ibid.* II. 63. Unguenta cum floribus spargere solebat. Suet. c. 31. n. 8.

V. il-

V. illum ſupr. in *Cæſare*. Buleng. ibid. III. 28. Luſorias delicias, quibus circenſes ludi in tabula joculari repræſentarentur excogitavit, parvis ex ligno concinnatis quadrigis, quæ puerili ſtudio filo protractæ, ut equis ſpatia conficiebant: & voluptas in iis erat, currus everſos, tractos aurigas, ſimileſque naufragorum noxas cum riſu inſpicere. Suet. c. 22. n. 2. *Qui inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet.* Huc refero Suet. c. 45. n. 4. *Statuæ ejus a vertice currus appoſitus, cum inſcriptione Græca, nunc demum agona eſſe, & traheret tandem.* Parvula nempe quadriga, quali utebatur in abaco, in vertice ipſi fuit appoſita, quam ut traheret petebatur: nec niſi de illa luſoria trahere dici poteſt, cum quadrigæ in circo ducerentur, non traherentur a Nerone. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 12. Praſinis favebat, & ſervus oſtiarius ejus, quia ſervi eodem colore, quo domini, erant induti, praſinatus. Petron. c. 28. *In aditu ipſo ſtabat oſtiarius praſinatus.* Argol. ibid. c. 27.

NERONIA fuerunt ludi ſcenici, & gymnici. Inſtituit illa Romæ primus Nero. Suet. Ner. c. 12. n. 8. *Inſtituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ more Græco triplex, muſicum, gymnicum, equeſtre, quod appellavit Neronia. Inſtituit ſe quartum, & Cornelio Coſſo coſſ.* Tacit. Annal. XIV. 20. 1. Cum jam antea Neapoli inſtitutum fuiſſet ludicrum quinquennale. Suet. Aug. c. 99. n. 5. *Mox Neapolim trajecit, & quinquennale certamen gymnicum honori ſuo inſtitutum perſpectavit.* In quem finem inſtituerit, indicat Xiphil. LXI. p. 699. D. *Poſtea pro ſalute, ac diuturnitate imperii ſui certamen quinquennale inſtituit.* Buleng. de Theat. I. 10. de Circo c. 40. Mod. de Lud. vet. II. 6. Pitiſc. in Suetonii Neronem.

NERVA *Coccejus poſt Domitiani cædem Imperator Romæ eſt deſignatus.* Xiphil. LXVIII. p. 769. A. Vir haud dubie nobiliſſimus, & qui jam bis conſul fuerat. Ut autem ex nummis ejus, & Xiphilino conſtat, omnes titulos, omnium Imperatorum inſignia ſtatim adeptus eſt. Cujus imperii initium dies cædis Domitiani fuit. Eum autem M. Coccejum appellatum fuiſſe, ejus liberti epigramma ſubindicat. M. COCCEJUS. AUG. L. ENCOLPUS. Exſtat etiam nummus initio imperii Nervæ cuſus ita inſcriptus:

IMP. NERVA. CÆS. AUG. PONT. MAX.
TR. P. COS. II. DESIG. III. P. P.

Panvin. Faſt. II. *p.* 213.

NERVII erant Galliæ Belgicæ populi. Ammian. XXXI. 2. *Nervii mediterranea incolunt loca, vicini verticibus celſis, quos præruptos, geluque torpentes aquilones adſtringunt.* Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 21.

NERVUS *eſt ferreum vinculum, quo pedes impediuntur, quanquam Plautus eo etiam cervices vinciri ait:*

Perfidioſe captus: ædepol nervo cervices probas.

Feſtus. *Rhodig. Ant. Lect.* X. 5. *Nann. Miſc.* II. 19. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 3. Sed qua in re differet a compedibus, quæ & ipſæ vincula pedum ſunt, & quidem ferreæ? Lex duodecim tabularum manifeſto diſtinguit: *Secum. ducito. vincito. aut nervo. aut compedibus. quindecim. pondo. ne. minoribus.* At *nervus* etiam vinculum pedum, ſed ligneum, cui pedes immittebantur, & *nervus* in eo vinciebantur. Id Attici vocarunt ξύλον abſolute, & ἐν ξύλῳ δεδέσθαι, qui in *nervo* vinciebantur. Comici Latini, qui palliatas docuerunt, quas e Græco verterunt, pro ἐν ξύλῳ δεδέσθαι poſuerunt *in nervo vinciri.* Plaut. Aul. IV. 10. 13.

At ego credo deos voluiſſe, ut apud te me in nervo enecem.

Ἐν ξύλῳ. Quod *nervo* etiam colla vinciri e Plauto notat Feſtus, ſcire oportet, eodem vinculo ligneo tam cervices, quam pedes, & manus aliquando necti ſolita. Lignum hoc quinque locis foramina habebat, quibus collum, & manus, & pedes inſerebantur. Hinc πεντεσύριγγον ξύλον vocat Ariſtoph. Equit. III. 1. 54.

Jubet te hunc ligare in ligno quinque foraminum.

πεντεσυρίγγῳ ξύλῳ. Ubi Schol. Πεντεσύριγγον, *quinque foramina habens, quibus pedes, & manus, & cervix inſeruntur.* Heſych. Πεντεσύριγγον ξύλον, *quinque foramina habens, quatuor quidem, quibus pedes & manus nectuntur; unum vero quo cervix.* De eo plane intelligit Plaut. Rud. III. 6. 50.

Illic in columbum, credo, leno vertitur,
Nam in columbari collum haud multo poſt erit,
In nervo ille hodie nidamenta congeret.

Qui *nervum* vocat illud ξύλον πεντεσύριγγον. Et hoc *columbar* appellat, quia cavernas haberet ſimiles cavis, vel loculamentis, in quibus columbi nidificant. Qui pedibus, manibuſque, & collo in eodem ligno conſtricti tenebantur, cernuare cogebantur, & caput inter genua ferme demiſſum habere. In carcere igitur, tam Græco, quam Romano, noxii, aut *nervo*, aut compedibus vincti ſervabantur. Gell. XI. 18. *Fures privatorum furtorum in nervo, atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro, atque in purpura.* id eſt, alii in *nervo*, alii in compedibus. Non enim ſimul in utroque. Liv. VIII. 28. *Ne quis niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam luiſſet, in compedibus, aut nervo teneretur.* Fuit graviſſimus, quo homo quaſi quadrupes conſtringebatur, pedibus, manibuſque eodem ligno impactis, & collo etiam inſerto. Leviſſimus, quo pedes tantum vincti. *Salmaſ. de mod. uſur.* c. 18. *Scalig. & Dacer. in Feſtum. Voſſ. Lex. Etymol. Laurent. de Rebuſpubl.* c. 7. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Claſſ.* III. *p.* 3. *c.* 11.

Nervus dici flagellum, quo martyres cædebantur, etiam poteſt. Ea flagella ars confecit, quæ ſua ſiccitate, & duritie ſunt valida. Non erant tam *nervea*, quam pellicea ex animalium mactatorum conciſa corio. Lora dicuntur, ſeu habenæ loreæ, ἱμάσθλη Nonno in Johannem. Apul. Met. VIII. p. 261. *lanoſi velleris tænia.* Et quamvis ex *nervis* animalium fierent contexta, tamen camellita erant, teſtibus Euſtathio, Athenæo, Plutarcho, imo *oſſibus pecuinis catenata* apud Apul. l. l. Unde quidam iis ictibus cæſi interierunt, auctore Ulpian. VIII. de pœnis. *Bartholin. de Cruc. hypomn.* I. §. 12.

Nervus erat etiam inter apparatus bellicos. Veget. IV. 9. *Nervorum copiam ſummo ſtudio expedit colligi: quia onagri, vel baliſtæ, cæteraque tormenta, niſi funibus nervinis intenta nihil proſunt.* Vitruv. X. 15. *Per quæ tenduntur nervi torti, qui brachia continere catapultarum debent.* Eligendi, ut docet Hero c. 18. *ex animalibus robuſtioribus, & quam plurimum exercitatis, ut cervi quidem, ex iis, qui in cruribus pedibuſque, tauri, qui in humero ſunt.* Lipſ. Poliorc. III. Dial. 3. Stewech. ad Vegetium.

NEU.

NEUROBATÆ, νευροβάται, nervis, ac fidiculis incedebant, ac filis tenuiſſimis, ita ut vix apparentibus præ tenuitate, ac ſubtilitate filis, ſuper quæ ambulabant, quaſi in ventis ferri viderentur. Vopiſc. Carin. c. 19. *Nam & neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit.* Funambulos certe a *neurobatis* diſtinguit Firmic. VII. *Erunt funambuli, oribatæ, neurobatæ. Neurobaten* eleganter expreſſit Tertull. de Pudic. c. 10. V. illum ſupr. in *Funambuli.* Generaliore vocabulo *funambulum* dixit, qui verius erat dicendus *neurobates.* Funis de tenuiſſimo filo non dicitur: at qui tenue filum, ſive nervum ingrediebatur, is plane νευροβάτης. *Salmaſ. in Vopiſcum. Buleng. de Theat.* I. 36.

ΝΕΥΡΟΣΠΑΣΤΑ dicta fuerunt ſimulacra, quæ certis fidiculis, nerviſque inter ſe in hanc illamve partem quadam cum venuſtate movebantur, *nervis*, & νευροσπάσαι, qui illa ad motum dirigebant. Ariſtoteles de mundo c. 6. ut eum locum tranſtulit Apul. de Mundo p. 741. *Qui in ligneolis hominum figuris geſtus movent, quando filum membri, quod agitari ſolet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad miniſterium præſto erunt, nec invenuſte totus videbitur vivere.* Ejuſmodi ſimulacra αὐτοκίνητα circumtulere geſticulatores circumforanei, ut iis oſtenſis lucrum aliquod ab imperito vulgo emungerent. Meminit Xenoph. Sympoſ. p. 889. A. Socrates, cum quendam ex hoc genere ludionum interrogaſſet, *ob quam cau-*

sam se efferret, responsum tulit: *propter homines stultos. Nam illi, quod spectent imagunculas meas, quæ fidiculis tentæ moventur, ἐμὰ νευρόσπαστα, me alunt.* Σιγιλλάρια νευροσπαστούμενα vocat M. Anton. de Reb. suis VII. §. 3. Erant plerumque lignea. Horat. Sat. II. 7. 82.

Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

Apulejus modo laudatus. De illis Gell. XIV. 1. *Ut plane homines ludicra, & ridenda quædam νευρόσπαστα esse videantur, si nihil sua sponte, nihil arbitratu suo faciunt; sed ducentibus stellis, & aurigantibus.* Figrel. de Stat. Rom. c. 3. Rhodig. Ant. Lect. VII. 16. Oizel. in Gell. XIV. 1. Turneb. Adv. II. 18. Torrent. & Lambin. in Horatium. Gatak. in Antoninum. Gyrald. de Comœd. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 1488. C.

NEX.

NEXUS dicebatur, quicquid per æs & libram fiebat: at præter cætera abalienatio, & obligatio fiebat: quarum illa mancipatio, hæc *nexi* datio dicebatur. Ergo nomen *nexus* utrique commune fuit. Hoc cognoscitur ex Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *Nexum Manilius scribit esse, quod per æs & libram geratur, in quo sunt mancipia. Mucius Scævola, quæ per æs & libram fiant, ut obligentur, præterquam quæ mancipio dentur. Hoc verius esse ipsum verbum ostendit, de quo quæritur. Nam idem, quod obligatur per libram, neque suum fit, inde nexum dictum.* Ex quibus apparet, duo esse jura inter se diversa, jus mancipii, & jus *nexi*. Quod, cum utrumque conjunxit, significavit Cicer. Fam. VII. 30. *Attici te proprium esse scribis mancipio, & nexu.* de Arusp. resp. c. 14. *Multæ sunt in hac urbe, atque haud scio, an fere cunctæ jure optimo, sed tamen jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi.* Jus autem mancipii est jus dominii emptione acquisiti: jus *nexi* jus dominii oppignoratione, aut alia obligatione adepti. Quid mancipatio fuerit, docet Cicer. Top. c. 5. V. illum supr. in *Abalienatio.* Abalienatio enim est genus, cujus species est traditio *nexu*, id est, mancipatio, & in jure cessio. V. illam supr. in *Cessio.* Cum autem *nexus* sit, quod fit per æs & libram: ergo mancipatio est traditio alteri per æs & libram; *nexum* obligatio per æs & libram. Hoc autem quomodo fieret in mancipatione, ibi exponit Boetius: *Jure civili aliquid fieri non inter alios nisi cives Romanos potest, quorum est jus civile, quod XII. tab. continetur: omnes res, quæ abalienari possunt, id est, a nostro ad alterius dominium transire, mancipi dictæ sunt. Mancipi vero res veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus solennitatem fieret. Nexus vero est quædam juris sollennitas, quæ fiebat eo modo, quo in Institutionibus Cajus exponit, cujus hæc verba sunt: mancipatio est imaginaria quædam venditio, quod ipsum jus est Romanorum civium, eaque res ita agitur, adhibitis non minus quinque testibus civibus Romanis puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo; isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra: deinde ære percutit libram; idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quasi pretii loco. Quæcunque res lege XII. tab. aliter nisi per hanc solennitatem abalienari non poterat.* Adde, more fuisse receptum, ut auctor, id est, venditor *nexu* se dicis causa obligaret ad rem perpetuo mancipi, hoc est, emptori præstandam. Unde Cicer. pro Mur. c. 2. *Quod si in iis rebus repetendis, quæ mancipi sunt, is periculum judicii præstare debet, qui se nexu obligavit.* Qui autem mancipio vendebat, eum evictionis periculum in se recepisse ostendit Plaut. Pers. IV. 3. 55.

Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur
Mancipio, neque promittet, neque quicquam dabit.

n. 63.

— nihil mihi opus est
Litibus, neque tricis: quam ob rem ego argentum numerem foras,
Nisi mancipio accipio, quid eo mihi opus est mercimonio?
Nihil periculi videtur, ne metuas.

De nexo sic scribit Festus: *Nexum est, ut ait Gallus Ælius, quod unque per æs & libram geritur, idque necti dicitur. quo in genere sunt hæc, testamenti factio, nexi datio, nexi liberatio. Nexum æs dicebatur pecunia, quæ per nexum obligatur.* Obligatio *nexi* in hunc modum fiebat: *manceps, id est, is, cui res abalienabatur, stipulabatur ab altero: dare spondes? & alter respondebat, spondeo, simulque dicis causa spondentem alligabat, ac nectebat.* Aptissimum *nexi liberationis* hoc, credo, erit exemplum. De M. Manlio Liv. VI. 14. *Centurionem nobilem judicatum pecuniæ cum duci vidisset, manum injecit: inde rem creditori palam populo solvit, libraque & ære liberatum emittit.* Jus autem *nexorum* proprium civis Romani fuisse ostendit Cicer. pro Cæcin. c. 35. cum ait *L. Syllam ita ademisse civitatem Volaterranis, ut nexa reliquerit.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 11. August. ad Leg. XII. tab. §. 26. Salmas. de mod. usur. c. 17. Pollet. For. Rom. V. 18. Calcagn. de Verb. signif. p. 354. Equitat. p. 575. Turneb. Adv. XX. 19. Barth. Adv. XLIII. 23. Rhodig. Ant. Lect. XII. 21. & 20. Jus hoc *nexus*, hoc est, personæ captio, & abductio in servitutem ob non dissolutum æs alienum Scto sublatum est an. 428. *ob unius fœneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. L. Papirius is fuit. Cui cum se C. Publilius ob æs alienum paternum nexum dedisset; quæ ætas formaque misericordiam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt: & florem ætatis ejus fructum adventitium crediti ratus, primo perlicere adolescentem sermone incesto est conatus: dein postquam aspernabantur flagitium aures, minis territare: postremo. . . . nudari jubet, verberaque afferri. . . . Jussi consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut in nervo teneretur. Pecuniæ creditæ, bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita nexi soluti: cautumque in posterum, ne necterentur.* Liv. VIII. 28. *Rabir. de Hast. & auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* (22) *A.* Hoc verum quidem est, sed tamen illa lex post obsolevit, & desuetudine quasi fuit antiquata. Nam sæpe fit mentio *nexorum* causa crediti apud scriptores, qui diu post hæc tempora vixerunt. Sane legati, quos C. Manlius ad Marcium Regem mittit, de hac fœneratorum sævitia valde queruntur apud Sallust. de Bell. Catil. p. 26. *Deos, hominesque testamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab injuria tuta forent: quia miseri, egentes, violentia atque crudelitate fœneratorum plerique patria, sed omnes fama, atque fortunis expertes sumus: neque cuiquam nostrum licuit more majorum lege uti, neque amisso patrimonio corpus liberum habere: tanta sævitia fœneratorum, atque prætoris fuit.* Vides hic debitores queri, se corpus liberum non habere, sed id obnoxium fuisse creditori, hoc est, fuisse creditori addictum, ut apud eum propter debita non soluta servitutem serviret, idque sententia prætoris: de cujus crudelitate propter hanc sententiam latam æque queruntur legati Manliani, ac de fœneratorum. Cæcilius apud Gell. XX. 1. ubi disputat de lege XII. tabb. qua sancitur debitorum, qui pluribus creditoribus deberent, corpora secandi esse ait: *Addici nunc, ætate Gellii, & vinciri multos videmus.* Græv. Thes. Antiq. Rom. Tom. III. Proleg. * * vers.

NEXUS qui dictus fuerit, docet Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia dabat dum solveret, nexus vocabatur, ut ab ære obæratus. Hoc C. Pœtilio auctore sublatum ne fieret, & omnes qui bonam copiam ejurarent, ne essent nexi, dissoluti.* Certatim quasi ex compacto viri docti delendum illud *dissoluti* pronuntiant. Sed non animadverterunt longe aliter vocem *nexus* a Varrone ibi sumi, & explicari, quam vulgus accipit. Nec enim dubium, quin si *nexus* hic vinctum significaret, expungendum foret *dissoluti*. Nam qui non *nexi* sunt, id est, vincti, ii plane *dissoluti* intelligendi. Atqui *nexum* hic Varro ait dictum esse *liberum hominem, qui operas dabat pro pecunia, donec solvisset.* Tales non erant vincti. Quid enim ab eo timeres, qui se sua voluntate in servitutem dederat? Nec omnes porro fuisse vinctos qui in domo creditoris serviebant dum solverent quod debebant, colligitur ex Liv. II. 23. *Ad hæc visa auditaque clamor ingens oritur.*

tur. Nam jam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit. Nexi vincti solutique, se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem. Ita enim interpretandum. *Nexos*, id est, qui *nexus* nomine detinebantur a suis creditoribus, tam vinctos, quam solutos, se in publicum proripuisse dicit. Etiamsi quis pertendat omnes vinctos servisse, non tamen ob id appellati *nexi*. Et clare Varro ita *nexum* vocatum fuisse tradit, qui liber operas suas pro pecunia daret, donec solvisset, ut ooæratum ab ære. Ergo *nexus* idem simpliciter quod obligatus corpore, vel oppigneratus. Nec alio fane sensu *reus* ipse debitor dicitur, cujus corpus pecuniæ creditæ est obnoxium, quam bona *rea*, quæ sunt obnoxia. Quod mirum tot doctos viros hactenus non observasse. Si *nectere* verbum esset proprium debitoribus, qui in vincula dabantur apud creditorem, nihilque aliud denotaret quam vincire nervo aut creditoribus, lex duodecim tabularum non temere aliam usurpasset vocem de hujusmodi addictis, qui vinciebantur. At usa est verbo *vincire*, non *nectere* in eo significatu. Sic enim posuit: *Secum ducito, vincito nervo aut compedibus.* Cur non dixit, *nectito*, si proprium huic rei vocabulum? Imo non fuit, sed aliud designavit. *Nexus* idem est quod oppigneratio. Et *nexus*, & *nexi* idem quod oppigneratus, vel oppignerati. Hinc *nexum inire* de his, qui sponte se pignori dabant creditori, suaque corpora ipsi addicebant. Liv. VII. 19. *Nam etsi unciario fænore facto levata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant.* hoc est, semetipsos pignori dabant creditoribus, & usque ad solutionem eis serviebant. Pro quo & *in nexum dare*, vel *nexus*, ut in pignus, & pignori dixit Liv. VIII. 28. *L. Papirius is fuit, cui cum se C. Publilius ob æs alienum paternum in nexum dedisset.* Is Publilius se sponte tradidit pignori suo creditori, hoc est, *in nexum*. Ubicunque *nexos* ob æs alienum nominat Livius, non aliter ii intelligendi, quam pignerati, & obligati ob debitum. Nec aliter accepit Varro, cum dixit *liberos homines, qui in servitute operas suas dabant* lege Pœtilia, *ne essent nexi, dissolutos fuisse.* hoc est, ne essent obligati ipsi in corpore suo fuisse dissolutos. Sic dissolvi res pignori data dicitur, quam ne *nexa* sit, id est, obligata, debitori creditor reddit. Apud Liv. l. l. ubi loquitur de lege Pœtilia, qua cautum est, *ne in posterum crederentur debitores*, non id significat ne vincirentur, sed ne oppignerarentur, vel pignoris *nexu* obligarentur ipsi. Et quod *nexos* solutos esse ejusdem legis beneficio scribit, quorum personæ pignori obligatæ detinebantur a creditoribus, liberatos fuisse ait, ut solutum, & dissolutum pignus dicitur, quod liberatur. *Salmas. de Mod. usur. c.* 18. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. p. 45 . *Cujac. Observ.* x. 36. *Raevard. ad leg.* XII. *tab. c.* 8. *Scheffer. Agripp. Liberat. c.* 3. *Victor. Var. Lect.* v. 21. De *nexis* veriter disputant *Robort. Emend.* 1. 35. *&* *Sigon. Emend.* 1. 38.

Nexus etiam tortuosus pertinebat ad pancratiastas. Quintil. II. 8. *Sicut ille exercendi corpora peritus, non si docendum pancratiastem susceperit pugno ferire, vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia quæ sunt ejus certaminis.* Ambros. in Psalm. 36. *Alii pancratiastæ, qui cestum, & pulveris jactum membrorum nexibus miscent, omni sibi verberandi jure permisso, quos παμμάχους vocant, eo quod omni lusu, & pugnæ adversus se habeant potestatem.* Faber Agonist. I. 9. & luctatores. Hoc *nexus* vocabulum Herculis cum Antæo luctam, sive pancratium accurate describens usurpavit Lucan. IV. 617.

> *Conseruere manus, & multo brachia nexu*
> *Colla diu gravibus frustra tentata lacertis.*

n. 631.

> *Intumuere tori, totosque induruit artus,*
> *Herculeosque novo laxavit corpore nodos.*

Ubi *nodorum* nomine illud *nexus* vocabulum designatur, quod Achelous Ovidianus de sua cum Hercule colluctatione verba faciens protulit Met. IX. 57.

> *Vix tamen inserui sudore fluentia multo*
> *Brachia, vix solvi duros a corpore nexus.*

Senec. de Benef. VII. 2. *Quemadmodum magnus luctator est, non qui omnes numeros, nexusque perdidicit.* *Ligaturas* vocat Ambrosius laudatus. *In hoc itaque seculari agone alii sunt, qui simplici quodam, & legitimo genere luctantur, & ligaturis tantum corporis certant.* Faber ibid. c. 20. V. etiam infr. in *Nodus.*

NIG.

NIGER cognomen fuit Cæciliæ gentis obscurius & ignotius. Imo in gente Cæcilia *incognitam Nigrorum familiam reperiri*, ait Patinus, cujus *nullum vestigium sit apud veteres.* Et sequitur Spanhem. Dissert. de Numism. præst. VI. p. 521. At o præclari, ποῖον ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων? Ignotum omnino ex veterum scriptis illud esse cognomen? Meminit utique *Cæcilii Nigri* auctor bell. Hispan. c. 35. *Hic Cæcilium Nigrum nomine Barbarum ad Lennium convenit.* Sed & hujus ipsius *Q. Cæcilii Nigri hominis Siculi*, æque ac qui illi in nummis adjungitur C. Hejus, Plutarchus in Cicerone Ascon. in Divin. Cicer. p. 2. Imo contra eum Cicero illam ipsam orationem de accusatore Verris constituendo dixit. *Perizon. Anim. Histor. c.* 7.

NIGRINI fuere plures in Republica diversarum gentium, Avidiæ, Pontiæ, Domitiæ ex qua fuit, cujus meminit Spartian. in Adrian. c. 7. *Nigrini insidias evasit.* Nam ejus filia erat Domitia Lucilla Ælii Veri uxor: quem, etsi insidiatoris sui generum, adoptavit Adrianus. Meminit & *Domitii Nigrini* cujusdam Galen. de Compos. Medic. κατὰ γένη VII. *Casaub. in Spartianum.*

NIH.

NIHIL *credas mihi divini & humani*, quod est, nihil mihi credas ullius rei, erat genus cujusdam prope jurisjurandi antiquis. Plaut. Asin. v. 2. 4.

> *Neque divini, neque mi humani posthac quicquam accreduas,*
> *Artemona, si hujus rei me esse mendacem inveneris.*

Trucul. II. 2. 51.

> —— *nunquam edepol mihi*
> *Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum credidit.*

Hansen. de Jurejur. Vet. c. 18.

Nihil ad farinas, οὐδὲν πρὸς ἄλφιτον, nihil ad parandas facultates. Nam ἄλφιτα pro victu, proque re familiari pone e poetis est familiare. Proverbium ad artes steriles, ut poeticen, criticam, & hujusmodi, recte detortum. *Pincier. Add. tom. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 17. *Erasm. Adag.* p. 35. a.

Nihil vos moramur qualis fuerit formula V. supr. in *Formula dimittendi senatus.*

NIM.

NIMBUS *est fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte feminarum.* Isidor. XIX. 31. Usus est Arnob. II. p. 72. *Imminuerent frontes nimbis.* Hinc *nimbata*, quæ *nimbo* ornata est, meretrix. Plaut. Pœn. I. 2. 135.

> *Quam magis aspecto, tam magis est nimbata.*

Voss. Lex. Etymol. Cerda Adv. c. 185. §. 6. Herald. in Arnob. l. m. Frons parva inter formæ decora reputabatur. Horat. Od. I. 33. 5.

> *Insignem tenui fronte Lycorida*
> *Cyri torret amor.*

Epist. I. 7. 26.

> --- *nigros angusta fronte capillos.*

ut magnitudinem dissimulare possent, nonnullæ formæ studiosæ *nimbis* eam imminuebant. Arnobius laudatus. Et hos ipsos tam callide dissimulabant, ut ægre cognosci possent. Inde Miliphio apud Plautum laudatum. Imbuebant enim colore eodem, qui esset capillorum: unde fasciæ *coloriceæ* Osce a vetere poeta nuncupantur, id est, coloriæ. Quod

aurum

aurum linteo aſſutum dicit Iſidorus, meræ nugæ ſunt: ſiquidem eo modo internoſci potuiſſent. *Meurſ. in Plautum.* Sed quo colore infici poſſent faſciolæ frontales, qui oculos deciperet? aut quomodò ſericæ, vel linteæ faſciæ capillorum faciem haberent? Feminarum coſmetica contipentiſſimus juvenis ignorabat. Apud noſtrates notiora hæc ſunt, & ex noſtro more antiquum minuendæ frontis artificium facile deprehendemus. Capillos a vertice in faciem demittant: faſciola deinde ſerica, vel linea frontem ligant, comprehenſis ſubtus capillis, quos deinde retro flectunt: & faſciola interiore eos detinente frons brevior videtur. Hinc intellige Petron. c. 86. *Frons minima, & quæ radices capillorum retro flexerat:* ne ſcilicet exiſtimaret invidus aliquis minimam illam frontem a *nimbo* eſſe, & capillos, non a radicibus, ſed a faſciola arcta retro flexos. Unde nullo jure Iſidorus reprehenditur. Faſciolæ enim illæ, quo ſolidiores, & firmiores eſſent, intexi auro poterant. *Ramirez. in Mart.* IV. 42.

Nimbus appellabatur lumen illud, quod deorum, & imperantium capita circumdat, quando pinguntur. Serv. Æneid. II. 615: III. 587. exponit *lucem divinam:* & addit, *eſt fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur.* Et II. 590. *Proprie nimbus eſt, qui deorum, vel imperantium capita quaſi clara nebula ambire pingitur.* Imo omne id, quod numen aliquod cingit, quo modo ſanctos hodierni pictores exhibent. Servius ad II. 694. *Nunc Theologicam rationem ſequitur, quæ aſſerit flammarum, quos cernimus, tractus nimbos eſſe deſcendentis numinis.* Cuper. Obſ. II. 16. Borremanſ. Var. Lect. c. 19. Aleand. Tab. Hel. Explic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 709. D. Cerda Adv. c. 105. n. 1. Kipping. Antiq. Roman. I. 7. §. 11.

Nimbus vocabantur nummi theatrales, qui in publicis, & obſcœnis ſpectaculis in vulgus magno numero ſpargebantur. Mart. VIII. 78. 9.

> *Nunc veniunt ſubitis laſciva numiſmata nimbis:*
> *Nunc dat ſpectatas teſſera longa feras.*

Videmus hic *laſciva numiſmata*, & ſimul copiam, & rationem eorundem, quæ velut *ſubitis nimbis* ad ſpectatores theatrali licentia *projiciebantur.* Spanhem. Diſſ. de Præſt. numiſm. IX. p. 762.

Nimbus appellabatur ſparſio theatralis. Mart. de Spectac. 3. 8.

> *Et Cilices nimbis hic maduere ſuis.*

Lipſ. de Amphith. c. 16. Aleand. Tab. Hel. Explic. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 709. D. Scalig. Epiſt. 199.

Nimbus appellabatur vas ipſum, quo ſtillicidia in theatris ſpargebantur. Mart. IX. 39. 5.

> *Lubrica Corycio quamvis ſint pulpita nimbo.*

Fuit θεατρικὸν ἀργύριον, quod *extat* Latino vocabulo nuncupat Chariſius. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 12.

NIQ.

NIQUISCIVIT *centuria eſt, quæ dicitur a Servio Tullio Rege conſtituta, in qua liceret ei ſuffragium ferre, qui non tuliſſet in ſua; ne quis civis ſuffragii jure privaretur: nam ſciſcito ſignificat ſententiam dico, ac ſuffragium fero, unde ſcita plebis: ſed in ea centuria neque cenſetur quiſquam, neque centuriæ præficitur, neque centurialis poteſt eſſe: quia nemo certus eſt ejus centuriæ, eſt autem, niquiſcivit, niſi quis ſcivit.* Feſtus. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 33. *D.*

NIS.

NISI eſt verbum in ſponſionibus uſitatum. V. infr. in *Si.*

NIT.

NITELÆ ſunt micæ auri colori reſpondentes ex arena. Solin. c. 36. *Depurgant in minimum nitelas pulveris.* Illis illuminabant capillos. Apul. Apol. p. 407.

> *Miſi, ut petiſti tibi medicinas dentium,*
> *Nitelas oris ex Arabicis frugibus,*
> *Tenuem, candificum, nobilem pulviſculum.*

Scobem auri vocat Pollio Gallien. c. 16. *Crinibus ſuis auri ſcobem aſperſit.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 5. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 189. a. F. Rader. in Mart. V. 38.

NITRUM *fit pæne eodem modo quo ſal, niſi quod ſalinis mare infundunt, Nilum autem nitrariis.* Plin. XXXI. 10. Illo utebantur in cadaveribus condiendis. Herodot. II. p. 136. *Nitrum carnes tabefacit, mortuique tantum cutis, & oſſa relinquuntur.* Bellon. de oper. antiq. præſt. III. 8. Kirchm. de Funer. I. 8. In lotionibus. Unde *nitrum* & lomentum in re balnearia ſæpe junctim legere eſt, ut apud Cicer. ad Fam. VIII. 14. *Perſuaſum eſt ei: cenſuram lomentum aut nitrum eſſe. Errare mihi videtur. Nam ſordes eluere vult, venas ſibi omnes, & viſcera aperit.* Cyprian. Epiſt. 76. *Neque enim ſic in ſacramento ſalutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali, & ſeculari ſordes cutis, & corporis abluuntur, ut aphronitris, & cæteris quoque lomentis, & ſolio, & piſcina opus ſit.* Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 432. Et numerabatur inter munditias, præſertim muliebres. Athanaſ. de Virginibus. *Cum laveris faciem tuam, ne injeceris nitrum.* Ovid. de Medic. Fac. n. 73.

> *Nec ceruſſa tibi, nec nitri ſpuma rubentis*
> *Deſit.*

n. 85.

> *Thus ubi miſcueris radenti corpora nitro.*

Saubert. de ſacrif. c. 18. In ſacrificiorum purgationibus, ac probationibus, ut candidiores, & mundiores evaderent victimæ. Inter cornua affundebatur. *Meyen & Hortenſ. ad Virg. Æneid.* IV. 61. *Saubert. l. l. Lomej. de Luſtrat. c.* 25.

NIX.

NIX frigore concreta, pro aqua, vino diluendo adhibebatur, ardentiſſimis æſtatis caloribus. Plin. XIX. 4. *Hi nives, illi glaciem potant, pœnaſque montium in voluptatem gulæ vertunt, ſervatur algor æſtibus, excogitaturque, ut alienis menſibus nix algeat.* In MSC. *ſervatur Ligur æſtibus.* Appoſite magis, quod *nivem* hanc, aut glaciem ex Alpibus vicinis Liguriæ Romam transferrent. Epiſt. I. 15. §. 1. *Promittis ad cœnam. . . . parata erat alica cum mulſo & nive, nam hanc quoque computabis, imo hanc inprimis quæ perit in ferculo.* Sed non ſine ſanitatis jactura. Macrob. Sat. VII. 12. *Noſſe aveo, cur aqua, quæ obſita globis nivium perducitur ad nivalem rigorem non* (quod expungi debere docet Muret. Var. Lect. IX. 9.) *minus in potu noxia eſt, quam ex ipſa nive aqua reſoluta, ſcimus enim quot, quantæque noxæ epoto nivis humore naſcantur.* Hæc Avienus, ſubjungit Diſarius: *Aqua ex nive reſoluta, etiamſi igne calefiat, æque noxia eſt, ac ſi epota ſit frigida, ergo non ſolo rigore nivalis aquæ pernicioſa eſt, ſed ob aliam cauſam.* Ideoque frequentes ſunt ſcriptores in exprobratione, & coercitione delicatioris iſtius bibendi conſuetudinis. Gell. XIX. 5. *Is nos aquam multam ex diluta nive bibentes coercebat, ſeveriuſque increpabat* ex auctoritate Ariſtotelis, quem fuſius laudat Gellius. Senec. Epiſt. 78. *O infelicem ægrum, quare? quia non vino nivem diluit, quia non rigorem potionis ſuæ renovat fracta inſuper glacie.* Et ejus uſum a medicis vetitum oſtendit Mart. VI. 86. 1.

> *Setinum, dominæque nives, denſique trientes,*
> *Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?*

Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Rom. V. 30. Barth. Adv. XXV. 1. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 17. Baccius de Conv. Antiq. II. 4. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 538. Ouzel. in Gellium. Butius de Potu Antiq. c. 18. Quomodo perduraverit tempore æſtivo, docet Athen. III. p. 124. C. *Chares Mitylenæus ſcribit Alexandri juſſu foſſas triginta, parum inter ſe diſtantes, excavatas*

vatas fuiſſe, eaſque nive impletas ſuperinjectis quercus ramis, ac nivem longo ſic tempore perduraſſe. Et alium modum tradit Plutarch. Sympoſ. vi. 6. *Scire deſidero, quid cauſæ ſit, quod a calidiſſimis rebus nix adſervatur. Etenim paleis eam involventes, & rudibus pannis per multum temporis integram retinent. Non enim ſtatim calidum eſt, ſi quid facultatem habet calefaciendi. Eadem enim veſtis hyeme calorem, æſtu frigus parat. Ita nutrix tragica Niobes liberos:*

Calefacit, & refrigerat centonibus,
Lævidenſis veſtium.

Proinde ſicut veſtis nos calefacta calefacit, ita nivem frigefacta frigefacit. Frigeſcit autem a tenui ſpiritu, quem nix emittit. Is eum inſitus eam continet ſolutam. Mercur. de Potion. & edul. Antiq. c. 2. Bibituri colo nivario. V. illum ſupr. in *Colus*, illum colabant. Et manibus abluendis. Petron. c. 31. *Diſcubuimus Alexandrinis pueris aquam nivatam in manus infundentibus.* Demſter. l. l.

NOB.

NOBILES appellabantur, qui majorum ſuorum habebant imagines. Jus enim imaginis nihil aliud eſt quam jus *nobilitatis*. Etenim, ut imago a magiſtratu proficiſcitur, ſic *nobilitas* ab imagine: unde etiam imagines ſæpe pro *nobilitate* ſunt poſitæ. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 20. *de Nom. Rom. c. 6. Kipping. Antiq. Roman* II. I. 5. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2019. *C. Spanhem. Diſſ. de Numiſm. Præſt.* I. *p.* 37. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 9. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * 2. Quem videſis etiam infr. in *Senatus. Roſin. Antiq. Roman.* I. 19. *& ad illum Demſterus. Guther. de Jur. man.* I. 21. Primum tantum patricii ſunt dicti, quippe quibus primum honores hi, ex quibus *nobilitas* comparatur, in Republica patuerunt. Poſt plebeji etiam, ubi primum ad curules honores pervenerunt. Neque enim, ut dictum, ex genere *nobilitas*, ſed ex imaginibus parabatur *Sigon. de Nom. Rom. & Panvin. l. l.* Adoleſcentes depravata Republica aliquando quadrigas agitaverunt. Aſcon. in Cicer. p. 148. *Atque ut iſtum omittam, in exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium, inquit: De Antonio dici manifeſtum eſt. Sed dicit eum in exercitu Syllæ prædonem, propter equitum turmas, quibus Achajam ab eo vexatam eſſe ſignificavimus. In introitu gladiatorem, pertinet ad invidiam proſcriptionis, quæ tum facta eſt. In victoria quadrigarium, quod, cum Sylla poſt victoriam circenſes faceret, ita ut honeſti homines quadrigas agitarent. Fuit inter eos C. Antonius.* Et p. 152. *Diximus jam ſupra, Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium, & alios quoſdam nobiles homines agitaſſe. Præterea Antonius redemptas habebat in ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem ſenatori habere liceret per legem. Fuit autem notiſſimus in circo quadrigarum agitator Boculus.* Suet. Aug. c. 43. n. 4. *In circo aurigas, curſoreſque, & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobiliſſima juventute produxit.* Panvin. de Lud. circenſ. I. II. Buleng. de Venat. circ. c. 37.

NOBILIOR fuit cognomen Fulviæ gentis. Illorum I. M. Fulvius M. F. CN. N. Pætinus *Nobilior* ſine magiſtratu fuit. II. Serv. Fulvius M. F. M. N. Pætinus *Nobilior*, conſul fuit cum M. Aimilio Paullo an. 498. Navalem egit triumphum de Coſſurenſibus & Pœneis 13. Kalend. Februar. III. M. Fulvius M. F. Serv. N. *Nobilior* ovationem ſupra triumphum, & conſulatum adjecit, ut jure *nobilior* cæteris diceretur. In prætura ovans ex Hiſpania reverſus eſt 562. Conſul fuit cum Cn. Cornelio Dolabella. Proconſul triumphavit anno proximo de Liguribus & Valeatibus 12. Kal. Sept. an. 595. IV. Q. Fulvius Marci frater conſulatum primus Kal. Jan. iniit cum T. Annio Luſco. Cenſor fuiſſe dicitur cum Q. Fabio Max. Serviliano poſt ſeptemdecim annos. Luſit aliquando in hoc nomine M. Cato Cenſorius, qui paullo poſt conſulatum Q. Fulvii mortuus eſt: &, cum, de quo loquebatur, non *Nobiliorem* dicendum eſſe affirmabat, ſed *mobiliorem*. Strein. & Auguſt. de Famil. Roman. in Fulvia. Glandorp. Onomaſt. Rom n. p. 356.

NOBILISSIMI titulus omnibus antecellens eſt inventus, ſed paucis attributus. Quodammodo imperii participem faciebat, & quaſi Cæſarem. Eo honeſtitus veſtem purpuream, aureo limbo circumdatam geſtabat, ut auctor eſt Zoſim. II. Primus circa an. 269. Licinius Valerianus in marmore Vindebonæ, mox Carinus, & Numerianus ejus filius in aliis vetuſtatis monumentis *nobiliſſimi* Cæſares ſunt appellati. Deinde Severus, & Maximinus l. 1. C. de feriis. Poſt hos Gratianus, & Valentinianus adhuc infantes *nobiles* pueri ſunt nuncupati l. 2. de magiſtr. municip. l. 5. C. de feriis. Juſtinianus quoque velut imperii ſucceſſor a Juſtino *nobiliſſimus* eſt appellatus, inquit Zonaras. Sed & feminæ hoc titulo honeſtabantur. Nam Maria Arcadii filia in prima regione Conſtantinopolis, & Arcadia in decima regione, ubi earum erant ædes, *nobiliſſimæ* vocantur. Hunc honorem a Conſtantio excogitatum ſcribit Zoſimus, lege lata, ut ante præfectos prætorio ſederent. Sed ea dignitas ab eo aucta, non inventa eſſe poteſt, quam antea fuiſſe oſtendimus. *Pancirell. Notit. dignit. Orient. c. 4. Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 41. *n.* 9.

NOC.

NOCENTES. V. illos infr. in *Noxii*.

NOCTU ſi pugnandum eſt, & lunæ rationem habendam Romanæ hiſtoriæ exemplo cognoſcitur, qui cum Ponticis congreſſuri ita direxerunt aciem, ut luna hoſtibus adverſa, ſuis a tergo eſſet. Qua in occaſum vergente, & propius ad horizontem prolabente, productiores Romanorum porrectæ ſunt umbræ. Hinc decepti inani imagine Pontici in umbrarum ſpectra irritum ſua tela conjecere: ut ex Plutarch. Pomp. c. 53. Frontin. II. I. 12. & aliis diſcimus; fruſtra iiſdem reclamante Flor. III. 5. 23. *Stewech. in Vege.* III. 14. Explorare tutiſſimum. Veget. III. 6. *Tutius exploratores operantur noctibus quam diebus.* Virg. Æneid. VIII. 658.

Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ.

IX. 355.

Abſiſtamus, ait: nam lux inimica propinquat.

Stewech. in Vegetium. Celebrabantur myſteria. V. ſupr. in *Myſteria*. Ducebatur ſponſa ad ædes mariti. V. ſupr. in *Duci*.

NOCTUA eſt avis nocturna. Baſil. in Hexamer. Homil. VIII. p. 37. *Buleng. de Augur. c. 6.* Olien. Feſtus: *Oſcinum tripudium eſt, quod oris cantu ſignificat quid portendi: cum cecinit noctua.* Buleng. ibid. c. 4. Peſſimum præbet augurium, potiſſimum in rebus publicis, nam deſerta incolit: nec tantum deſolata, ſed dira etiam & inacceſſa, nec cantu aliquo vocali, ſed gemitu canit. *Niphus de Augur.* I. 10. *Potter. Archæol. Græc.* II. 15. Athenienſibus indicium victoriæ fuit, cujus etiam volatus in adagium ceſſit: noctua volat, cum profligatos hoſtes, & ſubſecutam victoriam innuerent. Id vero ſibi proponebant, propterea quod avis hæc Minervæ ſacra crederetur. *Morcſell. Alyp. dial.* 14. *Eraſm. Adag. p.* 103. *A. Lomej. de Luſtrat. c.* 12. Minervæ *noctuam* plerique Athenienſium & Tarentinorum aliquot nummi adjudicant: de cujus tutelæ ratione differit Dio Pruſ. orat. 12. *Noctuam* certe ſapientiæ ſymbolum arguit nummus aureus Magni Conſtantini, in quo eadem in cippo cum epigraphe SAPIENTIA PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI. Hinc impoſita eſt columnæ Trajani in nummo Seguini, quo providentia illius Principis, duraturo apud poſteros indicio notaretur. Ut minus jam mirum videatur, ſub *noctuæ* ſymbolo Minervam apud Ægyptios depictam, quod tradidit Philoſtr. de vit. Apollon. II. 9. *Spanhem. Diſſ. de Numiſm. præſtant.* III. *p.* 123.

NOCTURNA ſacra. V. illa infr. in *Sacra*.

Nocturnæ voces. V. illas infr. in *Vox*.

Nocturnus cuſtos. V. illum ſupr. in *Cuſtos*.

NOD.

NODINUS, vel *Nodotus* deus dicebatur a *nodis*, & geniculis plantarum. Arnob. IV. p. 131. *Nodotus dicitur deus, qui ad nodos perducit res ſuas.* Auguſt. de Civ. Dei IV. 8. *Præfecerant geniculis, nodisque culmorum deum Nodotum.* Tomaſ. de Donar. c. 26. Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. D. Voſſ. de Idolol. II. 61. Lex. Etymol. in Nodus. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. Rhodig. Ant. Lect. XXV. 30. Struv. Ant. Rom. I. p. 151.

NODUS in acie quid ſit, docet Iſidor. IX. 3. *Nodus proprie eſt denſa peditum multitudo, ſicut turma equitum.* Stewech. in Veget. III. 19.

Nodus artifex vocatur togæ umbo, vel umbilicus. V. illum infr. in *Umbilicus.*

Nodus erat, in quem crines cogebant, & quem ex ipſa coma, quam ſatis longam nutriebant, faciebant Germani. *Tortos in nodum crines* in nodum coactos, vel *nodo* ſubſtrictos, quia non datur ex crine *nodum* in capite facere, niſi torqueatur, dixit Mart. de Spectac. 3. n. 9. Rectam quippe; ac prolixam cæſariem *nodare* non poſſis, niſi in modum funis obliques eam, ac torqueas. Sic in *nodum* facile ducitur, nec aliter datur. Tacit. Germ. c. 38. n. 2. *Inſigne gentis obliquare crinem, nodoque ſubſtringere.* Quem locum perperam capiunt de crine calamiſtris vibrato. Nec melior eſt interpretatio Lipſ. n. 90. & Cluver. Germ. Ant. I. 16. ut crinem non in rectum paſſi ſint deſcendere, ſed reduxerint in poſteriorem verticem, & obliquarint. Hæ enim nugæ. *Obliquant crinem, & nodo ſubſtringunt*, quia *nodo* aliter ſubſtringere nequeunt, niſi obliquatum, ac tortum. Ideo *obliquandi crinis* meminit, ut oſtenderet ex ipſo crine *nodum* eos facere ſolitos, non alio vinculo *nodare.* Nam vinculo, aut tænia poteſt *nodari*, ac religari crinis etiam rectus, & in rectum deſcendens. At ex ipſo crine *nodum* facere non datur, niſi *obliquato*, ac torto. *Nodo ſubſtringendi crinis* morem, non etiam flectendi, aut ferro calido torendi Germanis auctores paſſim tribuunt. Senec. de Ira III. 26. *Nec crinis coactus in nodum apud Germanos virum dedecet.* Epiſt. 124. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum nodo vinxeris.* Nec alia mens eſt Juven. Sat. XIII. 164.

> *Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam*
> *Cæſariem, & madido torquentis cornua cirro?*

Torquent cornua madido cirro, qui comam obliquant, ut in cirrum, & *nodum* eam cogant. *Cornua* vocat longas crinium ſertas, quæ torquentur, ut in *nodum* mitti poſſint. Græci & κέρατα appellant. *Salmaſ. Exerc. Plin. p. 535. b. B. Jun. de Coma c. 8. Palmer. Spicil. X. p. 784. Edit. Francofurt.*

Nodus luctaminis, & pancratii propria vox eſt. Ammian. XV. 3. *Et Paullo catenæ inditum eſt cognomentum, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indiſſolubilis, miram in nodorum varietatem ſeſe diſpendens, ut in colluctationibus callere nimis quidam artifices ſolent palæſtritæ.* Brachiorum *nodum* vocat Aurel. Vict. de Cæſar. c. 17. n. 9. *Ibi per miniſtrum ungendi faucibus, quaſi arte exercitii, brachiorum nodo validius preſſis, expiravit.* Ubi *brachiorum nodus* eſt illorum circa collum implicatio, & ſtrangulatio. Græcis ἄμμα. Gloſſæ: *Nexum*, ἄμμα ἐπὶ πάλης δεσμός. *Salmaſ. Exercit. Plin. p. 206. b. C. in Lamprid. Commod. c. 17. Valeſ. in Ammianum.*

Nodus magicus eſt καταδεσμὸς, ac defixio. Tertull. de Spectac. c. 2. vocat devinctionem magicam. *Vis homicidium ferro, veneno, magicis devinctionibus perfici.* Quæ eadem ſunt. *Nodum* enim aliquem, aut vinculum verum, quo brachia conſtringerentur, imaginari non licet. Tibull. I. 9. 5.

> *Ipſa Venus magico religatum brachia nodo*
> *Perdocuit multis non ſine verberibus.*

Cui pars illa, qua viri ſunt, magica arte ad eam impotentiam redigitur, ut officio ſuo ſatisfacere nequeat, *magico nodo* religata intelligi debet. *Nodus* ille non ad diſſolvendum amorem contractum proprie pertinet, ſed ad impediendam virilitatis facultatem. Hoc cum fit, amor etiam conſequenter diſſolvitur. Qui non poteſt hærere, ubi membra illa maleficio contracta ſunt, ac funerata. Proprie igitur, ac Latine *magicum nodum* dicere liceat hoc fortilegium, quo in nuptiis ſuis aliqui prohibentur officium virile facere. *Nodum hyænæ* pro magico impedimento, ac defixione, quam facit hyæna, ubi res omnes magiæ ſervientes enumerat, dixit Lucan. VI. 672.

> *Viſcera non lyncis, non diræ nodus hyænæ.*

Ἡ πῆξις τῆς ὑαίνης. Ita vocat Ariſtoteles. De hyæna Plin. VIII. 31. *Et quibuſdam magicis artibus omne animal, quod ter luſtraverit, in veſtigio hærere.* Hæc eſt magica πῆξις, vel *magicus nodus*, quo illaqueat eos, quos ter luſtraverit. Alias *nodus* etiam pro qualibet remora, & impedimento ponitur Latinis. Antonium vocat Flor. IV. 9. I. *publicæ ſecuritatis ſcopulum, nodum, ac moram.* Prudent. Hamartig. n. 210.

> *Enſe ferit dominum pugnæ, nodumque, moramque.*

Proinde eleganter, ac vere *nodus Veneris* dici poteſt ea magica defixio, qua Venus impediebatur. *Devotos* etiam dixere, qui malefica arte defixi Veneris munus implere non poſſent. V. ſupr. in *Devotus.* Salmaſ. Exercit. Plin. p. 766. b. A. Lyd. Conviv. ſerm. I. 40. Gubert. Coſtan. de Matrim. p. 98. Fernel. de abdit. rer. cauſ. c. 16. Quæ non dixiſſent, ſi poetam inſpexiſſent. Nam quæ eſt hæc collectio? Fruſtra me celas, o Marathe, fruſtra diſſimulas. Non poſſum falli in his myſteriis, quæ me perdocuit ipſa Venus, quo tempore magicis maleficiis funeravit partem illam mei, qua quondam Achilles eram. Præterea quis unquam dixit, defigendorum brachia religari, ipſoſque verberibus multis mulcari? Recte Cyllenius: *Eſt ſenſus, ſe omnes amatorios modos optime ſcire ex aſſiduo amoris uſu.* Tum: Nodo religatum brachia *ſimpliciter intelligimus, quod eſt metaphoricũs, irretitum amoris vecordia, ut ab amando ſe extricare non poſſit. Nodus magicus eſt inexplicabilis.* Non tam inexplicabis, quam certo quodam ritu ex arcana magiæ diſciplina complicatus. Talis erat in medicina, ex qua natam magiam nemo veterum dubitavit, *nodus* ille, quem Herculeum vocabant. Plin. XXVIII. 6. *Vulnera nodo Herculis præligare, mirum quantum ocyor medicina eſt. Atque etiam quotidiani cinctus tali nodo, vim quandam habere utilem dicuntur.* Ipſe Mercurii caduceus duobus ambiebatur draconibus, mare & femina media parte voluminis ſui nodo Herculeo obligatis, docente Macrob. Sat. I. 19. Eſt autem hic imago poetica, oſtendens amoris peritiam non poſſe comparari niſi multis, ac gravibus laboribus, atque ærumnis. Suſpenditur a Venere amator, quo modo ſervi, & noxii ſolebant; ſed fune in *nodum* magicum conſtricto, ne poſſet *renodari*, aut ſolvi: deinde crebris verberibus cæditur, ut addiſcat patientiam, hoc eſt, ut faſtum ferat immitis dominæ. Hoc Venereum ſupplicium alii quoque poetæ alluſerunt. Prop. III. 22. 13.

> *Correptus ſævo Veneris torrebar aheno:*
> *Vinctus eram verſas in mea terga manus.*

Horat. Od. I. 27. 21.

> *Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis*
> *Magus venenis, quis poterit deus?*
> *Vix illigatum te triformi*
> *Pegaſus expediet Chimæra.*

Hi ſunt *nodi* illi magici. *Broukh. in Tibullum.*

NOL.

NOLA eſt urbs Campaniæ antiqua. Occurrit ab Abella Neapolim euntibus. Sita eſt in planitie, & campo. Sil. Ital. XII. 162.

> *Campo Nola ſedet, crebris circumdata in orbem*
> *Turribus, & celſo facilem tutatur adiri*
> *Planitiem vallo.*

A Chalcidenſibus conditam ſcribunt Sil. Ital. n. 161.

Hinc

Hunc ad Chalcidicam transfert citus agmine Nolam.
& Justin. xx. 1. 13. *Nolani nonne Chalcidensium coloni sunt?* Sed a Tuscis Paterc. I. 7. 2. *Nam quidam hujus temporis tractu ajunt a Tuscis Nolam conditam ante annos fere octingentos triginta.* Ergo octo & quadraginta annis ante condita fuit, quam Roma a Romulo: nam Vellejus scripsit, & dedicavit hoc opus suum M. Vinicio Quartino an. 882. cum is consul esset cum C. Cassio Longino. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 5. 22. *Leand. Descript. Ital. p.* 286. Coloniam deductam putat Panvinius de Imperio Romano Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 377. C. an. 631. ex lege Drusi tribuni plebis, auctoribus Plutarcho, Appiano, ac præcipue Floro Epit. 73. ad Livium: cujus hæc sunt verba: *Nola colonia in potestatem Samnitium venit cum L. Postumio prætore, qui ab eis interemptus est.* Ipsam denuo deductam, agrumque ejus assignationem mutuam patet ex Frontino de Colon. p. 106. *Nola, muro ducta, colonia Augusta. Vespasianus Augustus deduxit. Iter populo debetur pedibus 120. Ager ejus limitibus Syllanis militi fuerat assignatus, postea intercisivis mensuris collocatus, & jam vindicatus est a cultoribus.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 630. B. Sigon. de Antiq. jur. Ital. III. 4. Goltz. Ital. p. 239.

Nolæ dicuntur tintinnabula a Campaniæ *Nola.* V. supr. in *Campana. Nolæ* mentionem fecit, qui Domitiani Imperatoris ætate floruit, Quintil. Inst. Orat. VIII. 6. Satis etiam illud tritum est sermone proverbium, *in cubiculo nolam.* Mag. de Tintinnab. c. 1. Galeot. Mart. de Promisc. doctr. c. 28. Illarum usum V. supr. in *Campana*, & infr. in *Tintinnabulum.*

NOLLE *factum esse* erat mos satisfactionis expressus, & sollemnis. Olim jurabant se agnoscere, quod indigno injuriam intulissent, eaque res Iæsum vindicabat ab infamia. Qui enim sine ea satisfactione hujusmodi offensas condonabant, habebantur vel ignavi, quod ultionem non audebant expetere, vel ita flagitiosi, ut in legibus, & judiciis spem nullam vindictæ haberent. Terent. Adelph. II. 1. 8.

> *Tu, quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle*
> *Factam esse, hujus non faciam: crede hoc, ego meum jus persequar:*
> *Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re malefeceris.*
> *Novi ego vestra hæc; nollem factum: jusjurandum dabitur, te esse*
> *Indignum injuria hac; indignis quum egomet sim acceptus modis.*

Plaut. Amphitr. III. 2. 6.

> *Durare nequeo in ædibus, ita me probri,*
> *Stupri, dedecoris a viro argutam meo!*
> *Ea quæ sunt facta, infecta refert, ac clamitat.*
> *Quæ neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit.*
> *Atque id me susque deque esse habituram esse putat.*
> *Non edepol faciam: neque me perpetior probri*
> *Falso insimulatam: quin ego illum aut deseram,*
> *Aut satisfaciat mihi ille, atque adjuret insuper*
> *Nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit.*

Nann. Miscell. II. 7. Turneb. Adv. XVIII. 25. Langl. Ot. Semestr. X. 1. Brisson. de Form. VIII. p. 716. Scalig. in Festum in Manticularum.

NOM.

NOMEN *est proprium vocabulum singulorum.* Non. IV. 324. hoc est, ea vox qua unaquæque res appellatur. Definit Cicer. de Invent. I. 24. *Nomen est, quod unicuique personæ tribuitur, quo quæque suo proprio, & certo vocabulo appellatur.* Hoc cum generale sit, in tria, vel, ut aliis placet, quatuor appellationis membra, sive partes dividitur: *prænomen, nomen* quod gentilitium dicitur, *cognomen*, & *agnomen*, quæ omnia dicuntur etiam *nomina* propria, quorum originis, seu naturæ ordo hic est, *nomen, prænomen, cognomen, & agnomen.* Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1992. A. V. tamen supr. in *Agnomen.* Romani duobus primum, post etiam tribus *nominibus* usi sunt: quorum unum præcipue *nomen*, alterum *prænomen*, tertium *cognomen*, aut *agnomen* appellaverunt. Qui de causis hujus facti disseruerunt, in duas fere partes divisi sunt: quorum alii hunc consuetudinem propriam fuisse Romanorum: alii a vicinis populis acceptam fuisse tradiderunt. Priorem opinionem tuetur Varro, ut est apud Val. Max. Epit. de Prænom. p. 1. posteriorem quidam alii. Varronem maxime movisse video, quod in Italia ante Romam conditam quosdam homines uno tantummodo nomine præditos fuisse, ut Romulum, & Remum, & Faustulum animadvertit. Varronis opinionem Priscianus secutus, causas, cur Romani *nomina* duplicaverint, exponit duas: I. ut, qui in unaquaque familia eodem *nomine* vocarentur, proposito aliquo discrimine, quod inde *prænomen* dixerunt, distinguerentur. II. ut Sabinorum gratiam, benevolentiamque colligerent, quos Romulus in civitatem suscepit, aut suis Sabinorum nomina, aut contra sui Sabinorum nominibus præponentes. Id quod in Romulo scripsit etiam Eutropius. Quin etiam Appianus huc spectasse videtur, cum in Præf. hist. p. 10. scribit: *Cæterum nomen olim cuique Romano unum erat, ut cæteris omnibus: post accessit alterum; nec ita dudum etiam tertium cœptum est addi quibusdam, quo magis agnoscerentur ex aliqua nota corporis, aut virtute animi.* Et Varr. de Ling. Lat. VIII. 38. cum ait: *Cum essent duo Terentii, aut plures, discernendi causa, ut aliquid singuli haberent, notabant forte ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius esset: qui luci, Lucius: qui post patris mortem, Posthumus.* Qui secus senserunt, hac ratione adducti populis mutuatos esse Romanos dixerunt: præsertim vero, cum ipsi ante Romam conditam matrem Romuli legerent Rheam Sylviam, avum Numitorem Sylvium, fratrem ejus Amulium Sylvium; posterioresque duces Metium Fufetium, Titum Tatium, Numam Pompilium patremque ejus Pomponem Pompilium nominatos. In hac opinione fuerunt Arruntius Claudius, & Valerius Maximus. Nam Claudius, ut Diomedes scribit, a Græcis hoc sumptum tradit, apud quos multi, æque atque apud Romanos, tria nomina usurpaverint; id quod in Alexandro Dardanio Paride, & in Achille Æacide Celeri intelligi posse putat. Valerius ab Albanis, & Sabinis, a quibus potissimum traxerunt originem, Romanos hanc consuetudinem accepisse ait. Atque huic ego assentior, quippe qui & Romulum, & Remum, aut quo Spurii fuerint, geminos nomine caruisse, aut certe ex Sylvia gente, cujus & mater erat, extitisse existimem. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 1. *Panvin. ibid. p.* 2021. *D.* Romani itaque *nomine*, aut *prænomine* tantummodo non fuerunt contenti, sed *cognomina*, atque *agnomen* etiam adjunxerunt. Pitisc. Achaic. p. 215. *Nec enim Romani Græcorum ritu unico a patribus accepto nomine appellantur; sed bina fere singulis ut plurimum, plura etiam imponuntur nomina.* *Nomen* unum Romanis commune, alterum gentilitium fuisse ait Dionys. III. p. 185. *Postquam autem Romanorum cuique præter commune nomen esse nomen alterum, gentilitium scilicet, & a paterna stirpe acceptum, ut hac etiam re cæteris fieret similis, pro Lucumone Lucii commune nomen cepit, & Tarquinii nomen gentilitium.* Et commune *nomen* appellat prænomen III. p. 202. *Communi, & appellativo nomine dictus est Nevius, gentilitio Attius.* Sed Plutarch. in Coriolan. p. 218. D. *Tertium ei Coriolano nomen inditum est: ex quo intelligi potest, Cajum fuisse ei proprium nomen; alterum vero gentilitium.* Qui & in Mario p. 406. D. de Romanorum nominibus ita disputat, ut varia fuisse *nomina* genere dicat: & illorum alia prima, alia secunda, alia tertia vocet. Ac prima quidem nomina ponit, quæ propria; ut Cnæum, Lucium, Publium: secunda vero, quæ gentis causa multis communia sunt; ut Pompejos, Manlios, Cornelios: tertia, quæ ab actione aliqua, vel a corpore, vel a moribus indita sunt; ut Macrinum, Torquatum, Syllam. Et secundis quidem respondere apud Græcos Heraclidas, ac Pelopidas; tertiis vero Gryphum, & Callinicum putet. Ita & Cicer. ad Attic.

Attic. IV. 15. *Qui vetere prænomine, novo nomine Titus erit Cæcilius.* Et Suet. Cæs. c. 20. n. 5. *Ut quod eo anno actum esset, Julio & Cæsare actum scriberent, bis eundem repetentes, nomine, atque cognomine,* ostendunt, Titum quidem *prænomen*, Cæcilium vero & Julium *nomina*, Cæsarem cognomen esse. *Sigon. ibid. c. 2. Panvin. ibid. p.* 1993. *E. Gyrald. Crit. Dial.* 4. *Spanhem. de Præst. numism. Diss.* VI. *p.* 506. *Brod. Misc.* v. 10. Imo nec hisce tribus contenti fuerunt; sed alia etiam ad singulos accuratius significandos vocabula invenerunt. Ascon. in Cicer. p. 52. *Moris fuit, ut cum aliquis civis Romanus ostendendus esset, significaretur aut a prænomine suo, aut a nomine, aut a cognatione, aut a tribu in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, ut si esset senator, equesve Romanus.* Quod a cognatione significatos esse scribit, a patris, avi, vel proavi *prænomine* eum intelligi volo. Nam quod a patris *prænomine nominandi* consuetudo fuerit, omnes libri, lapides, & nummi pleni sunt, ut M. Tullius M. F. Cicero, C. Julius C. F. Cæsar. A patris & avi Capitolinæ tabulæ satis demonstant. A proavi indicant vetusta epigrammata, quorum alterum Romæ est in hortis Colotianis, alterum Cajetæ:

C. OCTAVIUS. C. F. C. N. C. P. . . . .
PATER. AUGUSTI. TR. MIL. BIS. Q.
ÆDILIS. PL. CUM. . . . C. TORANIO.
JUDEX. QUÆSTIONUM. PR. PRO
COS. IMPERATOR. APPELLATUS. EX.
PROVINCIA. MACEDONIA.

Item:

L. MUNATIUS. L. F. L. N. L. PRON.
PLANCUS. COS. CENS. IMP. ITER.
VII. EPUL. TRIUMPH. EX. RHETIS.
ÆDEM. SATURNI. FECIT. DE. MA-
NUBIIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITA-
LIA. BENEVENTI. IN. GALLIA. CO-
LONIAS. DEDUXIT. LUGDUNUM.
ET. RAURICAM.

Multi a patris cognomine significabantur, ut Q. Fabius Maximi filius, T. Quinctius Capitolin. filius, & in adoptivis Q. Metellus Nasicæ filius, & in vetusta basi Romæ:

P. CORNELIUS. PAULLI. F. SCIPIO
ÆMILIANUS. COS. II. CENSOR
AUGUR. TRIUMPHAVIT. ITER

Item aliqui cognominati tum a patris prænomine, & cognomine, ut in tabulis Capitolinis C. LIVIUS. M. AIMILIANI. F. Drusus. Quod a tribubus, id tale est. Quum tribus omnes Romæ XXXV. numerarentur, atque ex his aliquam necesse esset, cujuscunque ordinis esset, civis Romanus obtineret, idcirco factum est, ut a tribu, in qua censeretur, significaretur; tribus autem nomen ablativo casu poneretur. Ita legimus Verr. procem. c. 8. *C. Verres Romilia.* Verr. II. 43. *C. Claudius Palatina* Philip. IX. 7. *Ser. Sulpicius Lemonia.* Nam Romilia, Palatina, Lemonia nomina tribuum sunt. Tribus autem ipsa prioribus fere tantum literis significabatur, quod in antiquis inscriptionibus manifestissimum est, & recentum videmus Epist. Cœl. ad Cicer. VIII. 8. hoc modo: *C. Lucejus. C. F. Pup. Hirrus. C. Scribonius C. F. Pob. Curio. L. Julius L. F. Pomp. Annalis.* id est, Pupinia, Poblilia, & Pomptina. *Panvin. ibid. p.* 2045. *C. Sigon. ibid. c.* 7. Sub Imperatoribus quum Romana civitas integris provinciis daretur, hi qui civitatem Romanam consequebantur, vel Imperatoris *prænomen*, & *nomen*, vel ejus, aut eorum, quorum præcipue subsidio civitatem impetrassent, *nomina* ferebant. Verum quum Antoninus Caracallus Imperator constitutionem edidisset, quæ Digest. I. sub titulo de statu hominum refertur, qua omnes eos, qui in orbe Romano essent, cives esse voluit; tum pro cujuscunque arbitrio *nomina* sumpta, aut nobilissimorum familiarum, quæ jam defecerant, aut nova excogitata: vetere vocandi consuetudine, quæ ad ea usque tempora, parum certe violata, perduraverat paullatim postea labante. Quæ præcipua causa fuit, quod portento simile est, ut post Caracalli tempora intra paucissimos annos trium horum *nominum* usus per mille annos conservatus omnino dissipatus sit, & in nova vocabula transformatus. Nam nulla deinceps *nominis*, *prænominis*, vel *cognominis* distinctio observata est, sed omnia in fœdissimam barbariem versa, antiquitatis cognomen omni ex parte perdiderunt. *Panvin. ibid. p.* 2047. *B.* Duobus modis accipitur. Nam & genus, & species est. Genus quum dicimus: apud Romanos tria erant *nominum* genera. Species, ut quorum unum præcipue erat *nomen*, quod gentilitium diceretur: alterum *prænomen*, quod *nomini* gentilitio præponeretur: tertium *cognomen*, unde duo illa priora distinguerentur. Itaque & gentilitium *nomen*, & *prænomen*, & *cognomen nomina* sunt, si ut genus sumamus, id est, ut vocabula, quæ in nominando aliquo celebremus. Hæc appellandi ratio etiam a veteribus usurpata est. Quum enim de hominis *nomine* faciunt mentionem, *prænomen*, familiæ *nomen*, atque *cognomen* sæpe sub unius *nominis* voce significant. Hoc autem vel ex eo cognosci potest, quod sub titulo de *mutatione nominis* his verbis constitutio Imperatoris Diocletiani sit: *Sicut in initio nominis, cognominis, prænominis recognoscendi singulos impositio libera est privatis: ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen, vel prænomen, vel cognomen sine aliqua fraude licito jure, si liber es, minime prohiberis.* Ab hac generali appellatione exhæredatio *nominatim* facta dicitur, quum sufficiat *nomen*, *prænomen*, aut *cognomen* dicere, ut Ulpianus scribit. Auson. Eidyll. XI. 80.

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Cicer. pro Mur. c. 12. *Ut quia in alicujus libris, exempli causa, id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quæ coemptionem fecerant, Cajas vocari.* Illic igitur *prænomen* dictum *nomen* est: at *cognomen* apud Cicer. pro Cæcin. c. 10. *Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam Terentianus est Phormio.* Mart. II. 2. 1.

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet.

Ita Caprarium, & Bubulcum *cognomina*, *nomina* vocavit Plutarch. in Poplic. p. 103. B. Quæ cum ita sint, est tamen specialis quædam *nominis* significatio, quæ familiæ tantum *nomen* significat, ab antiquis ita ad *prænominis*, & *cognominis* distinctionem usurpata, quam desi[illegible] dicimus: *nomen* speciatim sumptum, quod quum gentilitium sit, proprie appellatur *nomen*, est id, quod genus indicans, non tantum proprium personæ est, sed etiam genti, vel familiæ: quod ideo etiam gentilitium dicitur, quia originem gentis, vel familiæ declarat; ut Antonius, Curtius, Aurelius, Mucius, Marius, Fabius, Julius, & similia. Hoc ita esse docet Probus in Val. Max. Epit. x. *Omnia, quæ ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. Quod per proprietatem dicitur hoc distat, quia eo genus cognoscitur, ideoque dicitur gentilitium.* Ulpian. de Verb. signif. *Nomen itaque cum speciali hac significatione accipitur, familiæ nomen significat, Romanis tantum hominibus: nam Græci, & Barbari singulis nominibus usi familiæ nomine non utebantur.* Itaque Demosthenes, Aristoteles, Plato, Socrates, & illa sacrosancta nomina, Jesus, Moses, Cephas, Johannes, inter cætera aliarum nationum ad familiam non propagantur: erant enim non gentis, sed singulorum hominum vocabula. *Panvin. ibid. p.* 1992. *E. Sigon. l. l. Nomine* proprio summo honore functum, Republica ad Cæsares delata, appellasse videtur contumeliosum fuisse. Senec. de Constant. c. 18. *Cajus Caligula iratus fuit Herennio Macro, quod illum Cajum salutaverat: nec impune cessit primipilario, quod Caligulam dixerat.* Et cum omnes, qui cum Antonio erant, Cleopatram appellarent Reginam, gratiam procul dubio ejus, nec non triumviri captantes, inventus Cn. Domitius, *qui solus Antonianarum partium, nunquam, nisi nomine, salutavit.* Paterc. II. 82. 3. Ita *privato nomine Vespasianum*, licet illi *non succensuerit*, *salutavit Helvidius Priscus*

apud

apud Suet. c. 15. n. 2. *Cuper. Observ.* IV. 8. Mutabant, & adoptantis assumebant, qui adoptabantur. V. supr. in *Adoptio*. Commune, seu gentis, seu familiæ sæpe uni ex fratribus, vel sororibus præcipue, & quasi κατ' ἐξοχὴν tribuebatur. Ita *Clodia*, Metelli uxor, proprie quodammodo, ut videtur, nominatur a Plutarch. Cicer. p. 875. C. non quod altera non fuerit Clodia, aut alia gente, alio patre orta; sed quia cæteris diutius vixerit, vel quia præter cæteras flagitiis suis fuerit celebris, communi omnium *nomine* sibi proprio insigniri a populo solita, & frequenti ejus usu solo illo *nomine* cuivis cognita. Nero Claudius Drusus, Augusti privignus, Tiberii frater, quum tres reliquisset liberos, omnibus iis *Claudii* fuit nomen, quippe totius gentis commune, non peculiare, aut vere proprium ullius in ea hominis. Sed tamen unus ex iis, qui postea Imperator est factus, præcipue, & quasi peculiariter eo maxime nomine vulgo est appellatus, & appellatur eo solo a Suetonio, etiam cum fratre, & sorore, alio & suo quisque proprio *nomine*, insignitis, conjunctus. Nam *ex Antonio minore*, inquit Claud. c. 1. n. 13. *complures quidem liberos tulit* Drusus; *verum tres omnino reliquit, Germanicum, Livillam, Claudium.* At Germanicus ante adoptionem in Juliam gentem, & Livilla æque erant *Claudii*, nec eo nomine excluduntur, quod tertius eo solo, quasi sibi proprio ornatur. Germanicus ab Imperatore Tiberio jussu Augusti in Juliam familiam adoptatus dici deinceps cœpit *C. Julius Cæsar Germanicus*, atque ita, cum ipse, tum ejus liberi omnes erant, & *Julii*, & *Cæsares*. Tamen a Suet. Cal. c. 7. n. 2. tres illius filii hoc modo *Nero, Drusus*, & *C. Cæsar* nominantur. Ubi ut apparet, soli postremo *Cæsaris* nomen tribuitur, quamvis revera omnibus esset commune. *Perizon. Animadv. Histor.* c. 3. Potissimum illorum, quorum beneficio civitatem impetraverant, ferebant, qui in illam suscipiebantur. Cicer. Fam. XIII. 36. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est. Ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit: itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Verrin. IV. 17. *Q. Lutatius Diodorus beneficio Q. Catuli a Sylla civis Romanus factus.* Et *Q. Cæcilius Dio* est appellatus, qui beneficio Q. Metelli civis erat factus apud Cicer. Verrin. II. 8. *Sigon. ibid. c. 3. Panvin. ibid. p. 2046. F.*

Nomen dare dicebantur milites Romani, qui in delectu habendo, a consulibus pro tribunali sedentibus, vel sellis in foro positis, *nominatim* ac singillatim citati, nulla excusatione proposita respondebant, & *nomen* veluti inscribendum curabant. Liv. V. 10. *Omnium primum tribunis militum fuit, delectum haberi. Nec juniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti nomina dare, ut Urbis custodiam agerent.* l. 3. ff. de Re milit. *Qui post desertionem in aliam militiam nomen dederunt.* Inde ad *nomen* respondere dicuntur qui comparent, ut utar nostris verbis. Liv. VII. 4. *Acerbitas in delectu, non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, invisa erat.* Bud. in Pandect. p. 74. B. Patric. Rei milit. Rom. part. 1. sect. 4. Brisson. de Form. IV. p. 340.

In *nomen* ejus, qui summo imperio erat præfuturus, jurare dicebantur milites, qui illi obedientiam promittebant. Suet. Claud. c. 10. n. 7. *Multitudine, quæ circumstabat, unum rectorem jam, & nominatim exposcente, armatos pro concione jurare in nomen suum passus est.* Ammian. XXI. 5. *Jussi universi in ejus nomen jurare sollenniter, gladiis cervicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris, verbis juratione conceptis, omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, si necessitas exigeret, perlaturos.* Herodian. II. 2. 21. *Mox jurati de more in illius nomen, factaque re divina, laureati omnes populus, atque exercitus prosequebantur* Julianum. *Scnel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1169. D. Hansen. de Jurejur. vet. c. 17. Pitisc. in Suetonium.*

Nomina librorum, qui in alveolis, sive *nidis*, ut appellat Mart. I. 118. 15. reponebantur, in postibus tabernarum librariarum inscripta erant. Mart. ibid. n. 10.

Contra Cæsaris est forum taberna
Scriptis postibus hinc & inde totis,
Omnes ut cito perlegas poetas:
Illinc me pete, nec roges Atrectum.

Atrectus bibliopola fuit. Dicit poeta vel ex indice librorum in tabernæ antepagmento, & limine constare posse, utrum apud illum Martialis exstet, nec ne: & necesse non esse ipsum Atrectum eo nomine convenire atque alloqui. Horatius. V. illum infr. in *Taberna*. Scriver. in Martialem.

Nomen rei deferebat ad prætorem, cui judicii exercitio obtigisset, is, qui accusare paratus erat, idque recipi postulabat, & qua lege reum faceret profitebatur. Hoc ideo, quia in libello accusatoris rei *nomen*, & species criminis concipiebatur. Plaut. Aul. III. 2. 2.

Ad tresviros jam ego deferam tuum nomen.

Cicer. pro Dom. c. 19. *Nomen Sexti Propertii detulit.* Pollet. For. Rom. IV. 7. Brisson. Antiq. Sect. II. 1. Quoniam autem delatio *nominis* idem est in judicio publico, quod in privato intentio litis, verisimile est, eisdem formulis actionum, quoad res passa est, observatas. V. illas supr. in *Actio*, & *Intentio*.

Nomina sua operibus suis adscribere solebant artifices. Mart. IX. 45. 1.

Alciden modo Vindicis rogabam,
Esset cujus opus, laborque felix.
Risit: nam solet hoc; levique nutu
Græce numquid, ait, poeta nescis?
Inscripta est basis, indicatque nomen.
Λυσίππου *lego, Vindicis putavi.*

Cicer. Verr. IV. 43. *Signum Apollinis pulcerrimum, cujus in femine literulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum.* Phædr. V. prol. II. 6.

Si marmori adscripserunt Praxitelem suo
Detrito, Myronem argento.

Inscriptio in hortis Vaticanis: P. CINCIUS. C. F. SALVIUS. FECIT. *Gud. & Scheffer. in Phædrum. Nicol. de Sigl. vet. c. 33. §. 5.* Publicis principes, aut illi, quorum pecunia id opus factum erat. Alterius, ac ne præsidis quidem *nomen* superscribere licebat. l. opus novum. §. inscribi ff. de operibus publicis: *Inscribi nomen operi publico alterius, quam principis, aut ejus cujus pecunia id opus factum sit, non licet. Ne præsidis quidem nomen licebit superscribere.* At qui, ut tradit Ulpian. ibid. 1. 2. *liberalitate, non necessitate debiti reditus suos ad opera finienda concessit, munificentiæ suæ fructum de inscriptione nominis suis operibus, si qua fecerit, capere per invidiam non prohibetur. Ne ejus nomine, cujus liberalitate opus exstructum est, eraso aliorum nomina inscribantur, & propterea revocentur similes in patriam liberalitates, præses provinciæ auctoritatem suam interponat.* Inscriptio: IMP. CÆSAR DIVI JULI F. AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS COS. II. TRIBUNITIÆ POTEST. XIX. IM. XIV. RIVOS AQUARUM OMNIUM FECIT. Et in inscription. Antonini Pii: OPUS PONTIS VETUSTATE CONLAPSUM RESTITUIS. *Brisson. de Formul.* VIII. *p.* 728.

Nomina appellabantur tituli debitorum. Ascon. in Cicer. p. 77. *Tituli debitorum nomina dicuntur, præsertim in iis debitis, in quibus hominum nomina scripta sunt, quibus pecuniæ commodatæ sunt. Cui rei contrarium est, mutuas accepisse. Ergo nomina, debita, vel debitores.* Cicer. Verr. I. 10. *Cum reperiretur pecuniam sumpsisse mutuam, nomina sua exegisse.* Ab eo, quod Kalendariis solerent eorum, quibus pecuniæ credebantur, *nomina* perscribi. *Brisson. de Form. p.* 538. Inde *nomen* locare apud Phædr. I. 16. 1.

Fraudator nomen quum locat sponso improbo.

dicitur, qui accepto mutuo, vel merce alteri obligatur, qui suum tanquam debitoris *nomen* locat, & patitur apud alium esse in tabulis, in quas referimus, si cui mutuamus, aut vendimus in diem. *Gronov. apud Scheffer. in Phædrum. Pitisc. in Suet. Gramm. c. 11. n. 4.* Et expedire, expungere, qui debitum solvit. Suet. Gramm. c. 11. n. 4.

Unum difficile expedire nomen.

Cicer. Attic. xvi. 6. *Nomina mea per deos expedi, exſolve.* Plaut. Ciſt. i. 3. 40.

> *Nunc quod reliquum reſtat, volo perſolvere:*
> *Ut expungatur nomen, ne quid debeam.*

Debitoris enim *nomen*, dum, quod debet, ſolvit, in tabulis ſuis expungit creditor, & ſuum expedit debitor. *Gudius in Phædrum. Pitiſc. in Suetonium.*

NOMENCLATIO fuit præcipua popularis rationis pars. Habuit eam vim, ut petitor ſuo quemque civem *nomine* appellaret, ac ſalutaret. Unde Quinctus ſcripſit: *Primum, ut homines noris, ſignifica, ut appareat, & auge, ut quotidie melius fiat.* Fuit in primis illud petitori elaborandum, ut ſingulos cives noſſet, eorumque nomina teneret. Si quidem qui aut non tenet, aut oblitus eſt nomen alterius, is parum ejus rationem videtur ducere, teſte in Rhetoricis Ariſtotele. Quare cum Ap. Claudius Scipioni Æmiliano, ſuo in cenſura competitori, objiceret, quod is neminem civium noſſet, reſpondit Scipio, non mirandum id videri: ſe enim dediſſe operam, ut a civibus ſuis cognoſceretur, non ut ipſe eos cognoſceret. Unde dixit Quinctus de Petit. conſ. c. 7. *Quin incipiat Antonius homines adjungere, atque invitare ad amicitiam, quos per ſe ſuo nomine appellare non poſſit? mihi quidem ſtultius nihil videtur, quam exiſtimare, eum ſtudioſum tui, quem non noris.* Sigon. de Judic. ii. 30.

NOMENCLATOR erat miniſter, qui, quoniam in tanto populo, & tantis vitæ occupationibus fieri non poterat, ut æque omnes cogniti eſſent, petitori nomina civium, ut quisque occurrebat, ſuggereret. Cicer. Attic. iv. 1. *Ad urbem ita veni, ut nemo illius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit.* Senec. de Benef. i. 3. *Quemadmodum nomenclatori memoriæ loco audacia eſt: & cuicumque nomen non poteſt reddere, imponit.* Cicer. pro Mur. c. 36. *Quid quod habes Cato nomenclatorem? in eo quidem fallis, & decipis: nam ſi nomine appellari abs te cives tuos honeſtum eſt, turpe eſt, eos notiores eſſe ſervo, quam tibi. Sin, ſi etiam noris, tamen per monitorem appellandi ſunt, cur non ante petis quam inſuſurravit? aut quid cum admoneris; tamen quaſi tute noris, ita ſalutas?* Sigon. de Judic. ii. 30. Pignor. de Serv. p. 60. Stuck. Ant. Conviv. ii. 31. Konerzyck. de Lux. Rom. ii. 2. Kemp. de Oſcul. Diſſ. xi. p. 503. Barth. Ad. lii. 10. Laz. Comm. Reip. Rom. xii. 5. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 736. & ad illum Salmuth p. 738. Notit. dignit. imp. occid. c. 3. Coraſ. Miſc. iv. 13. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 5. Kipping. Antiq. Roman. iv. 1. §. 1. Schill Nomencl. Philol. p. 798. Beroald. & Pitiſc. in Suet. Aug. c. 19. n. 1. Laurent. de Profeſſ. c. 5. Hunc deſcripſit his verbis Horat. Epiſt. i. 6. 50.

> *Mercemur ſervum, qui dictet nomina, lævum*
> *Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram*
> *Porrigere.*

Quibus ſuadet, ut qui honoribus ſtudet, paret ſervum, qui dictet civium nomina, & lævo latere fodiendo admoneat petitorem officii ſui; nimirum *cogat trans pondera dextram porrigere*, id eſt, trans togam, quam ſcimus brachium cohibuiſſe. V. ſupr. in *Toga.* Dum enim irent lentius, *dextris pondere* togæ gravatis, admonebat eos *nomenclator*, ut dextra e toga exſerta prenſarent: quod cum aliquo incommodo faciebant. *Sigon. l. l.* Qui mire *pondera* togam interpretatur. Nam *trans pondera* eſt contra gravitatem, cum cogitur quibuslibet blandiri, & manum illorum prenſare contra quam tam viros graves decet. *Pondus* enim & *pondera* ſæpe gravitatem notat. Cicer. Attic. xi. 7. *Addis etiam, quod etſi mihi levius eſt, quam tuum judicium, tamen non eſt leve, cæteris quoque, id eſt, qui pondus habent, factum noſtrum probari,* hoc eſt, qui viri graves ſunt, & *magnæ auctoritatis.* Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom. ii. Præfat. * * * * * * V. etiam *Zurckium in Horat. l. l.*

Nomenclator cenſorius, ut vocatur in antiqua inſcriptione:

L. VOLUSIO
URBANO
NOMENCLATORI
CENSORIO

Et forſitan a cenſibus, ut in hac inſcriptione:

DIIS. MANIBUS
TI. CLAUD. AUG. LIB
THALETIS. VINCIANI
NOMENCLATORIS
A CENSIBUS.

dicebatur, qui cives ſe, aut bona ſua non profitentes *nominabat*, ut cenſui adſcribi cogerentur. Nomina enim ſua, uxorum, liberorum, ſervorumque apud cenſores profiteri debebant Romani. Et ſane hic videtur cenſoribus *nomina* in memoriam revocaſſe, non cives citaſſe nominatim. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 3. Pignor. de Serv. p. 284. Laurent. de Profeſſ. c. 5.*

Nomenclator thenſarum in ludis & pompa pontifici maximo adfuit, cujus erant ludi & thenſæ. Hujus enim opera pontifex utebatur, dum thenſarum ordinem diſponeret, quæ variæ erant, jugariosque, id eſt, aurigas juberet prodire in pompam, & ſingulorum deorum thenſas ſuo nomine citare. In gloſſ. vet. ζευγηλάτης. Inſcriptio vetus Romæ:

SOLI. INVICTO
SACRUM
T. POMPONIUS
NOMENCLATOR
TENSAR. JUGARIS

Gather. de vet. jur. pontif. ii. 14. *Schott. Nod. Cicer.* iv. 6. Ex hac inſcriptione miniſtros ſacros ab officio patet dictos eſſe thenſarios. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* ii. 2. Verum ego valde dubito, an ad thenſas ſpectet hæc inſcriptio. Primum enim abeſt ſpiritus, quem appoſuerunt veteres. Deinde ſi cum Schotto legimus *nomenclator thenſarum,* quo pertineat *jugaris,* quod ſubjicitur, haud liquet. Sed & ſi cum Argolo malumus *tenſarius*, quid velit illud *jugaris*, minime cognoſcitur. Qnare mihi alius videtur, de quo agitur inſcriptione iſta: is nimirum, qui in circo jungere ad currus equos ſolebat, eisque frena imponere. Hos tenſarios vocaſſe diſcimus ex Accio, cujus verba in Paride ſervavit nobis Non. c. 3. n. 95. *Frena tenſarii equorum accommodant.* Talis thenſarius recte vocatur jugaris, a jugo, quia frenis juga immittit. Habebant enim juga quædam foramina, Græcis ὀμφαλὸς vocata, Latinis tenſaria, per quæ frena tranſmittebantur, ne turbari poſſent, aut defluere. *Scheffer. de Re Vehic.* ii. 24. *Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. l. l.*

Nomenclator in triclinium eſt etiam evocatus, eratque qui convivas vocabat, ſive invitabat. Græcis vocatur ὀνομακλήτωρ, δείπνων ταξίαρχος, & δειπνοκλήτωρ. Ammian. xiv. 6. *Nomenclatores aſſueti hæc, & talia venditare, mercede accepta, cœnis quoſdam, & prandiis inſerunt ſubdititios, ignobiles, & obſcuros.* Pignor. de Serv. p. 112. Buleng. de Conviv. i. 25. Stuck. Ant. Conviv. ii. 2. Cerda Adv. c. 94. n. 14. Laurent. de Profeſſ. c. 5. Et cuique ſuum locum aſſignabat. Athenæus: *Poſtea ſurgentes accubuimus, ut quiſque voluit, non expectato nomenclatore, & cœnarum ordinatore.* Buleng. ibid. p. 34.

Nomenclatores etiam habebant mulieres, quia horum miniſterium non tantum ad candidatorum prenſationes, ſed & ad ſalutationes matutinas, & convivarum diſpoſitiones, aliaque talia pertinebat. Suet. Aug. c. 19. n. 1. *Compreſſit conjurationem Telephi mulieris ſervi nomenclatoris.* Plin. xxxiv. 1. *Hoc perfecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac ſervorum quoque cauſa nomenclator adhibendus.* Gronov. Obſ. ii. 24. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium.

NOMENTANA porta. V. illam infr. in *Porta.*

Nomentana via. V. illam infr. in *Via.*

NOMINALIA erant ſacra, quæ ſemel in cujuſque infantia celebrabantur. Idem hic dies appellabatur luſtricus. V. illum ſupr. in *Dies.*

NOMINATIM aliquem compellare, id eſt, ejus *nomen*

men palam recitare. Hoc in veteri comœdia licuit. In media, & nova mos exolevit. Romæ C. Cælius judex abſolvit injuriarum eum, qui Lucullum poetam *nominatim* læſerat. Cicer. ad Herenn. II. 13. *P. Mucius eum, qui L. Accium poetam nominaverat, condemnavit.* I. 14. *Mimus quidam nominatim Accium poetam compellavit in ſcena. Cum eo Accius injuriarum agit. Hic nihil aliud defendit, niſi licere nominari eum, cujus nomine ſcripta dentur agenda.* Buleng. de Theatr. I. 57.

NOMINATIO ſacerdotum dicta eſt, ut magiſtratuum. Cicer. Phil. XIII. 5. *In paternum auguratus locum, ut, quod a patre acceperam, filio reddam, mea nominatione cooptabo.* Ab eo *dies nominationis.* Plin. Epiſt. IV. 8. 3. *Qui me nominationis die per hos continuos annos inter ſacerdotes nominabat.* Guther. de vet. jur. pontif. I. 8. Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 560.

NOMUS eſt modulatio, quæ in vocis flexione, intenſioneque, & remiſſione eſt. Ratio nominis eſt, quia Græce νόμος lex eſt. Ariſtot. Problem. Sect. 19. q. 28. *Cur νόμοι pleraeque cantilenæ appellentur? An quod homines prius quam literas ſcirent, νόμους, leges cantabant, ne eas oblivioni mandarent: quod etiam noſtra ætate Agathyrſis in more eſt.* Plutarch. de Muſic. p. 1133. B. *Sicuti leges infringere nefas, ita & legitimam modulationum formam in quoque genere tranſilire nefas eſt: in ſingulis enim nomis propriam contentionem ſervabant.* Erant ſeptem *nomi*, a Terpandro reperti. Suidas: *Septem nomi a Terpandro fuerunt inſtituti: quorum unus erat orthius, tetradius, acutus, Dorius, Ionius, Lydius, Phrygius.* Buleng. de Theatr. II. 28. Rhodig. Ant. Lect. IX. 8. Barthol. de Tib. I. 9. In illis cavebatur in primis, ne diſſonum eſſet, aut fieret colonomus, cujus meminit Auſon. Epiſt. XI. *Denique diſſonum, quem colonomon proprie a philologis appellatum, adcrevi.* Martianus διαφώνους tonos vocat, id eſt, *diſſentientes, qui cum percuſſi fuerint, invicem diſcrepant.* Κόλος νόμος eſt mutilus. Verbo adcreſcendi Auſonius utitur ἀρχαικῶς. Tranſitive enim poſuit. *Scalig. Lect. Auſon.* II. 6. *Buleng. l. l.* V. etiam ſupr. in *Modus.*

Nomus orthius eſt dictus, quia voce maxime ſublata canebatur. Herod. I. p. 10. B. *Arion ſtans in tranſtris nomon orthium percurrit.* Gell. XVI. 19. *Arion de more cinctus, amictus, ornatus, ſtansque in ſummæ puppis foro, carmen, quod orthium dicitur, voce ſublatiſſima cantavit.* Euſtath. in Homer. p. 758. *Eſt apud muſicos orthius nomus, aut modus ille carminis ad prælium excitans. Timotheus igitur orthion canens ita Marte implevit Alexandrum, ut ſtatim ad arma proſiliret.* Scholiaſt. Ariſtoph. Acharn. I. I. 16. *Orthius nomus ita dictus, quia ſit contentus, & ſublatus.* Minervæ dictus eſt. Pindar. Pyth. XII. 39.

Invenit hoc dea. At hoc poſtquam invenit, viri mortales ut haberent,
Nominavit capitum multorum legem, νόμον,
Illuſtrem populos cientem procum certaminum
Tenue tranſeuntem
Æs ſimul, & calamos.

Buleng. de Theatr. II. 28. Barthol. de Tib. I. 9. Rhodig. Antiq. Lect. IX. 8. Scalig. Poet. I. 18. Ouzel. in Gellium. Voſſ. de Trirem. & Liburn. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 725. B.

NON.

NON LIQUET fuit ſignum ampliandi V. ſupr. in *N. L.*

NONÆ nullum deum tutelarem habuerunt. Ovid. Faſt. I. 57.

Nonarum tutela deo caret.

Moreſtell. Philom. III. dial. 3. Gyrald. de ann. & menſ. Tom. II. p. 791. B. Siccam. in Faſt. Kalend. c. 6. Viola de vet. ac nov. Rom. temp. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 187. C. Hunc diem Romani celebrabant, quoniam natalem Servii Tullii eo die venerabantur. Licet enim incertum eſſet, quo menſe ille natus eſſet, *Nonis* tamen eſſe conſtabat. Et iccirco omnes *Nonas* celebri lætitia frequentabant. *Viol. l. l. Lipen. de Stren. c. 2. pr. et. §. 32.* Cæſar cum certis menſibus duos adjiceret dies, *nonarum* ordinem noluit mutare. Unde vetus *nonarum* numerus in Julianis menſibus perſeverat. Nam quatuor illi ſoli menſes ſex *nonarum* dies habent, qui olim uno & triginta diebus conſtabant, videlicet Martius, Majus, Julius, October. *Petav. de vet. ann. Roman. c. 73. Moreſtell. l. l. Roſin. Antiq. Rom.* IV. 4. *Nonas* ſingulorum menſium ex his edíſcis:

Sex Majus nonas, October, Julius, & Mars:
Quatuor at reliqui.

Et ex Auſon. Eclog. 12. 1.

At nonas modo quarta aperit, modo ſexta refert lux.
Sexta refert Maji, Octobris, Martisque recurſu,
Et qui ſolſtitio ſua tempora Julius infert,
Cætera pars menſum quartis eſt prædita nonis.

Moreſtell. l. l. *Nonis* initus Urbis populus mercatus, ſacrorumque cauſa in Urbem confluebat, ſingulis menſibus tantum ſemel. Varr. de Ling. Lat. V. 4. *Eodem enim die in Urbem ab agreis ad Regem conveniebat populus. Harum rerum veſtigia apparent in ſacreis nonalibus in arce, quod tunc ferias primas menſtruas, quæ futuræ ſint eo menſe, Rex pradicit populo.* Siccam. l. l. & Gaſſend. in Kalend. Roman. c. 1. Nihil etiam feriæ rei inchaovit Auguſtus, quia *nonæ, nundinæ,* & *novendial* invicem etſi diverſa ratione dicuntur; dies vero *novendiales* mortuis ſacri, & atri erant. Illis quid aggredi inominatum eſſe vox ipſa quoque oſtendere videtur, nempe quæ te *non ire*, eoque, quo velis, pertendere non poſſe admoneat. Suet. c. 92. n. 6. *Obſervabat & dies quosdam, ne aut poſtridie nundinas quoquam proficiſceretur, aut nonis quicquam rei ſeriæ inchoaret.* Siccam. ibid. c. 5. Putean. de Nundin. c. 28. Caſaub. Torrent. & Pitiſc. in Suetonium. *Nonis* nubere infauſtum erat. V. ſupr. in *Kalendæ.*

Nonæ Caprotinæ. V. illas ſupr. in *Juno.*

Nonæ quintanæ, & ſeptimanæ in quintum, vel ſeptimum menſis diem incidebant. Cenſor. de Die nat. c. 20. *Quapropter nunc cum in ſeptem menſibus dies ſinguli & triceni ſint, quatuor tamen illi ita primitus inſtituti eo dinoſcuntur, quod nonas haberent ſeptimanas, cæteri quintanas.* Alciat. de verb. ſignif. 198. Muncker. de Intercal. III. 15. 6: IV. 14. 3. Petav. de vet. ann. Roman. c. 73.

NONIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

NOR.

NORBA erat oppidum Volſcorum, ultra Coram, verſus Signium euntibus. Vulgo nunc incolis dicitur *Norma*, & *Norme.* Colonia eo deducta eſt T. Geganio & P. Minucio coſſ. anno 262. ante natum D. Jeſum 491. ut arx eſſet in Pomptino. Liv. II. 34. *Conſules deinde T. Geganius, & P. Minucius Norbæ in montes novam coloniam, quæ arx in Pomptino eſſet, miſerunt.* ut ſeditio ſedaretur. Dionyſ. VII. p. 428. *Nec multis diebus poſt manus bene magna neceſſe habuit migrare Norbam Latini nominis urbem:* loquitur de ſuo ſeculo, quo Latii finis ad Lirim uſque prolatus erat. *Fefellit tamen ſua ſpes patricios, nec ſeditio, ut cogitaverant, quicquam remiſit.* Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 5. Cluver. Ant. Ital. III. 8. 3.

NORBANA gens. V. illum ſupr. in *Gens.*

NORICUM eſt ſecundum Danubium: ab occaſu Oenum fluvium, a meridie Æmum montem habet, ab ortu Cetium, a Septentrione Danubium. Vulgo *Bavariam* vocant: aliique addunt Stiriam, Carinthiamque. *Pancirol. Notit. Dign. imp. occid. c. 81. Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 32. §. 12. *Cluver. Introd. ad Geogr.* III. 4. *Vindel. & Noric. c.* 5. Non Bavariæ, ſed Auſtriæ pars eſt. Archiepiſcopatus vero Salisburgenſis, Carniola, Stiria, Carinthia. *Hennin. ad Bergierum. Noricos* ſubegit Tiberius. Strab. IV. p. 142. *Poſt hos,* Vindelicos, *vicini jam Adriatici ſinus intimo, & locis ad Aquilejam habitant Noricorum quidam, & Carni. Noricorum ſunt etiam Taurisci. Horum omnium crebris incurſionibus finem impoſuit Tiberius, & ejus frater Druſus*

unica æſtate. Suet. Tib. c. 16. n. 4. *Perſeverantiæ grande pretium tulit; toto Illyrico, quod inter Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & ſinum maris Adriatici patet, perdomito, & in ditionem redacto.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Sigon de Ant. jur. Ital. III. 6. Robort. de Provinc. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (6.). E.

NOS.

NOSIDIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

NOT.

NOTÆ vocabantur ἀθετήσεις, quas critici in recenſendis auctorum operibus, ſpuriis, aut vitioſis locis appingebant: & quæ loca notatu, & obſervatione digna viderentur, indicabant Cicer. in Piſon. c. 30. *Quoniam te non Ariſtarchum, ſed Phalarim Grammaticum habemus, qui non notam apponas, & malum verſum;* Senec. Epiſt. 88. *Ariſtarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoſcam.* Auſon. Epiſt. 18. 29.

Quique notas ſpuriis verſibus appoſuit.

Horat. de Art. Poet. n. 445.

Vir bonus, & prudens verſus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum.
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
Fiet Ariſtarchus.

Ubi Acro: *Notam culpæ ſignificat. Nam notare verſum male formatum dicimus.* Recte vero *notam culpæ.* Nam *culpæ* dicuntur ἀθετήσεις, ſeu *notæ* vitiorum. Auſon. Lud. Sapient. n. 11.

Mæonio qualem cultum quæſivit Homero
Cenſor Ariſtarchus, normaque Zenodoti.
Pone obelos igitur ſpuriorum ſtigmata vatum,
Palmas, non culpas eſſe putabo meas.

Gell. XVII. 2. *Quæ in eo libro ſcripta eſſent in utraſque exiſtimationes laudis, aut culpæ adnotamentis digna.* Laudis nomine laudabilia Gellius hic denotat, quorum *nota* duplex L. apud Latinos videtur fuiſſe. Unde apud Paullum Diaconum in *notis* literarum L. L. *Laudabiles loci.* Alibi etiam eſt L. SENT. *Laudabilis ſententia.* Græci *notam* literæ X apponebant, quæ ſignificabat Χρηστὸν, ſive Χρήσιμον. Laert. III. 66. *X. utrimque punctum habens ad electiores quaſque ſententias, ornatuſque verborum apponitur.* Caſſiod. de Divin. Lect. 1. *Ticonius Donatiſta in eodem volumine quædam non reſpuenda ſubjunxit, quædam vero venenoſa dogmatis ſuis permiſcuit. Cui tantum in bonis dictis chreſimon, in malis achreſton, quantum tranſiens valui aperire, ut arbitror, competenter adfixi.* Ἄχρηστον, quod Græci adſcribebant ad ea, quæ improbabant, Gellius *culpæ adnotamenta* vocat. Et *deculpatum verbum* dicit pro rejectitio, culpæ notis compuncto, ac damnato XIX. 10. *Dehoneſtum tibi, deculpatumque hoc verbum videtur.* Culpæ *nota* ut plurimum erat obelus. Iſidor. I. 20. *Obelus, id eſt, virgula jacens apponitur in verbis, aut ſententiis ſuperflue iteratis, ſive ubi lectio aliqua falſitate notata eſt, ut quaſi ſagitta jugulet ſupervacua, & falſa confodiat.* Ad ſimilem *notam*, nempe πρὸς τὴν ἀθέτησιν litera θ utebantur. Sidon. carm. IX. 331.

Et qui valet exaratione
Diſtinctum bonis applicare theta.

Perſ. Sat. IV. 12.

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

Quod ad exemplum judicum factum videtur, qui, ut notat Perſii Scholiaſtes, *literam θ apponunt ad eorum nomina, quos ſupplicio afficiunt.* Wouwer. Polym. c. 17. n. 9. Reineſ. Var. Lect. III. 7. Caſaub. & Menag. in Laertium, Oizel. in Gellium. Nicol. de Sigl. vet. c. 2. §. 6. Schill Nomencl. Philolog. p. 802.

Notæ cenſoriæ vocabantur propriæ animadverſiones cenſorum, & ipſi dicebantur *notare.* Plin. Epiſt. IX. 13. *Nota certo quaſi cenſoria inuratur.* De cenſura Claudii Suet. c. 16. n. 4. *Et cum orantibus familiaribus dempſiſſet cuidam appoſitam notam. Notabant* autem cenſores I. ſenatores remotione a curia II. equites ademptione equi publici III. plebejos, cum aut moverent tribu, aut jure ſuffragii privarent, atque ærarios facerent. Aſcon. in Cicer. p. 20. *Buchner. in Plinium. Nota* in Gloſſar. ψόγος, σπῖλος. Moris erat, ut qui vel famoſo judicio, vel alia ratione infames erant, illorum nomen ad cenſores referretur, illique *nota* in cenſualibus tabulis apponeretur, ſicque illorum ignominia inſignior eſſet. Liv. XXXIX. 42. *Patrum memoria inſtitutum fertur, ut cenſores motis ſenatu adſcriberent notas. Longe graviſſima in L. Quintium oratio eſt, quaſi accuſator ante notam, non cenſor poſt notam uſus eſſet.* In albo ordinum, aut tribuum *notare*, *notam affligere* dicit Macrob. Sat. VII. *Vel cui nota quondam afflicta cenſoria eſt.* Contra iis, qui liberabantur infamia, *nota demi* dicebatur. Suetonius laudatus. Et *allevata.* Tacit. Hiſt I. 52. 2. *Redditi pleriſque ordines, remiſſa ignominia, allevata nota.* Herald. in Arnob. p. 172. Ræward. de Div. reg. jur. c. 109. Hug. de Prim. ſcrib. orig. c. 23. Pitiſc. in Suetonium.

Nota genitiva eſt congenita, originalis, & a natura ingenita. Suet. Aug. c. 80. n. 1. *Corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus, atque alvum genitivis notis in modum, & ordinem, ac numerum ſtellarum cœleſtis urſæ.* Vocatur *ſignum ingenuum* Auſon. de Urb. II. 10.

— Illa Seleucum
Nuncupat: ingenuum cujus fuit ancora ſignum,
Qualis inuſta ſolet generis nota certa, per omnem
Nam ſobolis ſeriem nativa cucurrit imago.

Nota generis naturalis eandem, quam Auſonius, hiſtoriam narranti Juſtin. XV. 4. 9. *Originis ejus argumentum etiam in poſteris manſit: ſiquidem filii nepoteſque ejus ancoram in femore, veluti notam generis naturalem, habuere. Originis nota* Solin. c. 1. *Modo qualeſcunque originis ſuæ notas ferunt. Nota genitalis* Ammian. XXII. 14. *Eſt Apis bos diverſis genitalium notarum figuris expreſſus.* Σημεῖον συγγενὲς Ariſtot. Hiſt. Anim. VII. 6. *Et habentes ſigna congenita, σημεῖα συγγενῆ, ut nævos, & cicatrices.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 28. b. A. 311. a. G. Caſaub. in Theoph. Charact. p. 373. Kemp. de Oſcul. Diſſ. XVIII. n. 2. Pitiſc. in Suetonium.

Nota vocabatur inſcriptio ſtatuarum, aliorumque operum. Horat. Od. IV. 8. 13.

Non inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus, & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus.

Ubi commentator vetus: *Notæ ſunt characteres, tituli, inſcriptiones, quibus defuncti duces quondam immortalitatem conſequuntur.* Figrel. de Stat. Roman. c. 27. Has potius *notas* quam literas appellat. Loci enim anguſti, ſive in arcuum triumphalium fronte, ſive in ſtatuarum baſi integre perſcribere omnia non ſinebant. *Notis* ergo fere utebantur. *Torrent. in Horatium.*

Notæ arithmeticæ. V. illas infr. in *Numerare.*

Notæ judiciariæ erant, quibus judices in cauſis gravioribus ſententiam, quam de tabulis non pronuntiabant, *notabant.* Aſcon. in Cicer. p. 25. *Judices ſententiam de tabula pronuntiabant in levioribus cauſis, & ob id ipſum neque nota, neque cuſtode opus fuit.* Erant *A. C. N. L.* & *Theta.* V. ſingulas ſuis locis. *Hugo de prim. ſcrib. orig. c. 22.*

Notæ militares. V. illas ſupr. in *Milites.*

Notæ muſicæ, quas vocant, originem trahunt ex hymno D. Johanni ſacro, quem monachus quidam in Officiolo ſuo ad hunc modum habebat conſignatum:

UT queant laxis
RE ſonare fibris
MIra geſtorum
FAmuli tuorum.
SOLve polluti
LAbii reatum,
Sancte Johannes.

Ex hoc hymno religioſus iſte primas cujuslibet verſus ſyllabas, quæ ſunt UT, RE, MI, FA, SOL, LA pro pri-

primis notis cantus posuit: & cantu isto in manus collocato cantare incepit, ac voces cum *notis*, quas in lineas posuerat, in concordiam redigere. *Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 249. Musicas *notas* superiores locamus, verba suo notis substituimus. Quare dixit Horat. Epist. II. 2. 87.

Verba lyræ motura sonum connectere.

Buleng. de Theatr. II. 39.

Notæ pecuariæ pecudibus ad internoscendum eas inscribebantur. Festus. V. illum supr. in *Dignorare* & infr. in *Signare*. Virg. Georg. I. 263.

Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.

III. 158.

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt.

Calpurn. Ecl. v. 84.

Impressurus ovi tui nomina, nam tibi lites
Auferet ingentes lectus possessor in armo.

Ubi obiter aperit rationem moris. Meminit ejusdem ritus ex Arriano Titius Loc. contr. VII. 20. docens *Sibas Indorum gentem consuevisse bubus clavæ notam inurere in Herculis memoriam, qui illuc penetravit.* Hugo de prim. scrib. orig. c. 20. Zimmermann. Floril. Philol. p. 566. Fruter. Verisf. I. 15. Nicol. de Sigl. Vet. c. 49. §. 3. Cerda & Pontan. in Virgilium.

Notæ serviles. V. illas supr. in *Inscriptio.*

Notæ sortiariæ. V. illas infr. in *Sors.*

Notæ suffragatoriæ cœperunt, ex quo consulibus Mario & Flacco perlata est lex tabellaria a L. Cassio Longino de suffragiis non voce, aut hastarum sonitu, aut χειροτονίᾳ, sed tabellis ferendis. Eæ erant, aut puncta, aut singulæ literæ. V. infr. in *Puncta.* Hugo de prima scrib. orig. c. 24.

Notæ vocantur plumæ, ex auro, vel purpura, rotundæ, & in modum plumarum fictæ, quibus vestes intertexebantur, & variegabantur. Ovid. Met. VI. 577.

Purpureasque notas filis intexuit albis.

Quintil. VIII. 5. *Porro ut adfert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita neminem deceat intertexta notis pluribus vestis.* Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20. Ferrar. de Re vest. Anal. c. 3.

Notæ vocantur etiam scripturæ quædam compendia, cum verba non perscribimus, sed signamus. *Notarum* istarum primus quis auctor? Ego libenter Græcis gloriam dederim, & nominatim Xenophonti. De illo Laert. II. 48. *Primus notis excipiens dicta Socratis in lucem, hominesque protulit.* At Latini ad se trahunt. Isidor. I. 21. *Vulgares*, ut distinguat a juridicis, & quia hæ in communissimo usu, *notas Ennius primus mille & centum invenit.* Sed itane auctor Ennius, nusquam lectum, & ipse Isidorus mox abnuit: *Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentus est notas, sed tantum præpositionum. Post eum Tertius, Persannius, Philargyrus, & Aquila Mæcenatis libertus alius alias addiderunt: deinde Seneca*, patrem puto intelligi, *contractu omnium, digestoque, & aucto numero, opus effecit in quinque millia.* Quis ille *Tertius*? nullus in scriptis libris, quos ego vidi: & vox abest. Itaque legim, *post eum Persannius*: & idem nomen supra reponere autim: *vulgares notas Persannius primus*, non autem *Ennius*. Ita dicat istum reperisse primum tali numero *notas*, etsi paucas ante Tiro Tullius. Hoc clare Eusebius in Chronico: *M. Tullius Tiro, Ciceronis libertus, primus notas commentus est.* Mæcenatem etiam laudat Dio LV. p. 553. B. *quod primus notis quasdam ad celeritatem scribendi invenit.* Non hercle primus omnes, sed *quasdam* ex iis, & auxit. Et exinde Dionem mente refragari istis non arbitror, etsi pæne verbis. Fuerunt itaque inventum Tironis, Persannii, Aquilæ, libertorum, aut servorum. Ingenue Senec. Epist. 90. *Quid loquar verborum notas, quibus quamvis citata excipiatur oratio? vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* Lips. Epist. ad Belg. Centur. I. 27. Pollet. For. Rom. v. 12. Pignor. de Serv. p. 219. Wouwer. de Polym. c. 6. n. 10. Voss. Grammat. I. 41. Bernart. ad Stat. Sylv. I. 1. 16. Hugo de prim. scrib. orig. c. 18. Schill Nomencl. Philol. p. 801. Qui Dionem mente suæ sententiæ non refragari dicit Lipsius, qui tam signanter, & diserte Mæcenati *notarum* inventionem tribuit. Et cur tacet de Seneca, quem de *notis* rem perfecisse scribit Isidorus. Etenim nec iste ex vilissimorum mancipiorum numero fuit; nec Mæcenati vitio verti potest, quod illi dedecori non fuit. Circumfertur autem etiam hodie *Tullii Tironis, & Senecæ notarum volumen* superioribus annis a Grutero evulgatum. *Meibom. Mæcen. c.* 26. §. 5. Ægyptiis hoc potius tribuendum est ex sententia Antonii Guberti Polyhist. c. 6. Ita enim hic refert: Hic mos per *notas* scribendi ab Ægyptiis videtur manasse, qui hieroglyphicis *notis*, hoc est, exsculptis sacris figuris animalium, aliarumque rerum, atque adeo literis primi omnium usi sunt, ut res, & animi pensa significarent. Sed facile contigerit, ut *notæ* ab Ægyptiis ad Græcos emanarint, apud quos cum varius hominum ingenia delectentur, Xenophon præcipue *notarum* studio tractus, easdem diligentius excoluit, & intermissione veluti sepultas in lucem, hominesque retulit. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 3. §. 9. & 10. Literas non esse ex Pedii sententia opinatur Paull. l. 6. §. 2. ff. de honor. possess. *Notis scriptæ tabulæ non continentur edicto: quia notas literas non esse Pedius libro vicesimo quinto ad edictum scribit.* Et eas a literis distinguunt Paull. l. 40. ff. de testam. milit. *Lucius Titius miles notario suo testamentum scribendum notis dictavit: & antequam literis præscriberetur, vita defunctus est.* Et Ulpian. l. 1. §. 7. ff. de extraord. cognit. *Ceterorum artium opificibus, sive artificibus, quæ sunt extra literas, vel notas positæ. . . .* Et revera *notæ* nomen videtur patere latius, quam literæ: ut fulminis ictum, quo statua lactentis Romuli de cœlo tacta est, *notam* vocat Cicer. de Divin. II. 21. *Hoc tamen callide Jupiter cogitavit, Romulus lactens fulmine ictus: urbi igitur periculum ostenditur ei, quam ille condidit, quam scite per notas nos certiores facit Jupiter.* Quapropter si fulminis ictus est *nota*, idemque ictus non est litera: ut *nota* non sit litera, oportet consequi. Eodem pacto etiam Orat. pro Rabir. perduel. c. 9. *P. Furium hominem omnibus insignem notis turpitudinis* esse dixit. Et de Offic. II. 7. *Alexandri Pheræi satellitem barbarum compunctum notis Thraciis* ex historia fuisse narrat. *Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *(p. 12) D. Torrent. in Horat. Od.* IV. 8. 13. *Pollet. & Bernart. l. l. Popm. de Serv. p.* 71. Ferrarius hic valde argutatur. Nec *notæ* illæ apud Ciceron. de Divin. apud quem *notæ* sunt signa, quibus aliquid præsignificatur: nec *notæ* turpitudinis, nec Threiciæ, quas Thraces inurebant corporibus, huc quicquam faciunt: nec illæ *notæ* quibus res secretas significabant amicis, sive illæ fuerint literæ aliter scriptæ, ut si *b* pro *a*, *c* pro *b* ponatur, ad exemplum Julii Cæsaris, sive fuerint certæ quædam literæ, figuræve voces denotantes, nihil faciunt ad Paulli *notas*. Is loquitur de his *notis*, quibus ταχύγραφοι utebantur, qui oratorum orationes excipiebant, quarum singulæ vocem significabant, vel etiam plures, quæ siglæ posterioribus temporibus appellabantur. Hæ *notæ* fuerant duplices, ut in tabulis judicum N. L. pro *non liquet*, A *amplio*, SC *senatusconsultum*, quæ in frequenti usu fuerunt ab antiquissimis temporibus, ut liquet ex priscis legibus, lapidibus, inscriptionibus, & aliis monumentis: aut figuræ quædam, ut [sign] qua *fasces*, [sign] *Imperator Cæsar*, [sign] *orbis terrarum totus* significabatur, de quibus extat liber a Grutero in lucem emissus, qui Tyronis, & Senecæ nomen præ se fert, quæ sunt vocum compendia. Has *notas* intelligit Paullus, cum ait *notam non esse literam, & propterea testamentum notis scriptum esse irritum.* De his *notis* accipienda est quoque de testam. milit. Non tamen inficior posse a Paullo literas etiam illas singularias intelligi, quæ vocem integram denotant. Nam licet sint literæ, non tamen vim literarum obtinent, sed vocum, ut: S. V. B. E. E. V. in epistolis Tullii, quibus, ut notum,

 signi-

ſignificatur, *ſi vos valetis, bene eſt, ego valeo.* Has literas non literarum loco habet Ictus, ſed vocum. Verum prior ſententia mihi verior videtur eſſe. Iſtæ, quibus literæ ſingulariæ voces denotant, diu ante Ciceronem, & Tironem fuerunt adhibitæ in publicis, privatisque monumentis, & tabulis: harum vero, quibus utebantur *notarii*, artem dicitur condidiſſe Cicero, aut ejus libertus Tyro, quamvis de illarum ambigatur, inventione. *Græv. Præfat. ad Theſ. Ant. Rom. Tom.* 1. * * 2. *verſ. Hugo de prim. ſcrib. orig. c.* 18. Illarum uſus duplex: publicus, & privatus. Suggerit Iſidor. l. l. *Notarum uſus erat, ut quicquid pro concione, aut in judiciis diceretur, librarii ſcriberent complures ſimul adſtantes, diviſis inter ſe partibus, quot quisque verba, & quo ordine exciperet. Complures ſimul* fuiſſe neceſſum fuit, ubi citata, & longa oratio, neque unius mens, aut manus ſuffeciſſet. *Diviſerunt partes, & verba,* id eſt, primus ſex prima verba, pro exemplo, ſecundus ſex altera, tertius tertia: aut tali diviſione: & poſtea ſimul juncti, & conferentes, membris inſitis, orationem explerent. Ac plurimum ita fuerit, certiusque ita fuerit: arte tamen adaucta nihil ambigam vel unum ſuffeciſſe. Igitur publice hic uſus, orationes & dicta excipere, ac promulgare. Ita Aſcon. in Cicer. p. 194. tradidit orationem Ciceronis pro Milone, ipſam quam dixerat, nam hodierna hæc ſcripta modo eſt, *exceptam fuiſſe, quæ ſuo tempore exſtaret.* Et Quintil. Inſtit. Orat. vii. 3. queritur, *orationes aliquot ſuas circumferri, negligentia excipientium in quæſtum notariorum corruptas.* Privatim fuit plurimus, ſive in excipiendo ſtatim, & ſine jactura magna lectionis adnotando. Minor: Plin. Epiſt. iii. 5. 15. *In itinere ad latus notarius cum libro & pugillaribus*, de majore: & de ſeipſo ix. 36. 2. *Notarium voco, &, die admiſſo, quæ formaveram, dicto.* Quis negat grande in eo commodum? Hodie ſi in lectionibus publicis, ubi dictatura negat, uſurpetur: quanto bono, & quo temporis fœnore fiat? *Lipſ. l. l. Nicol. ibid. c.* 7. §. 1. & 2. Nam mira hic in excipiendo celeritas: quæ finis, & fructus proprie hujus inventi. Celeritas, inquam, tanta, ut *quamvis citata*, verba Senec. Epiſt. 90. *excipiatur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequatur.* Quid ſequatur? imo præveniat. Mart. xiv. 208.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

Manil. iv. 198.

Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis.

Auſon. Epigram. 138. 16.

Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta jam ceris tenes,
Tu me loquentem prævenis.
Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?

Unde *furta verborum* dicebantur. Hieron. de vitand. ſuſp. contub. *Extemporalis eſt dictatio, & tanta ad lumen lucernulæ facilitate profuſa, ut notariorum manus lingua præcurreret, & ſigna, ac furta verborum volubilitas ſermonis obrueret.* Lipſ. & Hugo l. l. Wouwer. ibid. n. 8. Nicol. ibid. §. 3. Donat. & Pitiſc. in Suet. Tit. c. 3. n. 3. Iis etiam occultis uſi ſunt in iis, quæ alios celare vellent. Cicer. Attic. xiii. 32. *Quæ ad te de legatis ſcripſi, parum intellexiſti credo: quia διὰ σημείων ſcripſeram.* Gell. xvii. 9. *occultas literas* vocat, & de earum ſignificatione Probum Grammaticum commentarios reliquiſſe ſcribit. Firmic. Aſtron. iii. 12. *difficiles, & abſconſas literas* appellat. Harum frequens uſus in ſacris, quorum myſteria occultis *notis*, & literis tradi ſolita, ne profanis paterent. Apul. xi. p. 386. *De opertis adyti profert quosdam libros, literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris cujuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes: partim nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus a curioſitate profanorum lectione munita.* Wouwer. ibid. n. 12. Erant & *notarum* pleni juris civilis libri, quarum varia, ac ſubtili interpretatione cum multi in fraudem inducerentur, magnæ etiam judicantibus, diſcentibusque tenebræ offunderentur, novitii eas Imperatores, quemadmodum Iſidor. i. 22. ſcribit, ex legum codicibus ſuſtulere. Et ſane Juſtinianus diſerte prohibuit quicquam in ſuis libris *notis* ſcribi, ne qua malignis interpretibus, imperitiſve, verborum evertendorum anſa præberetur. Teſtamenta autem *notis* ſcribi longe ante in paganorum cauſis improbatum fuerat: in militibus, quibus quoquomodo vellent, & quomodo poſſent teſtamenta facere, principum conſtitutionibus conceſſum fuerat, tunc tolerabatur, cum literis perſcribi teſtamenta ſua anguſtiæ temporis paſſæ non erant. V. Paullum ſupr. laudatum. Itaque nec *notis* ſcriptæ tabulæ edicto, quo prætor ſecundum tabulas bonorum poſſeſſionem defert, continebantur. l. ſed cum patrono ff. de bonor. poſſeſſ. *Briſſon. Antiq. ſelect.* iv. 21. *Popm. l. l.*

Nota vini. V. illam ſupr. in *Amphora.*

NOTARIUS proprie dicebatur ſervus, ſeu libertus, dictæ ſcriptionis peritus. Gloſſæ veteres: *Notarius, ſigni ſcriptor.* Mart. x. 62. 4.

Nec calculator, nec notarius velox.

Scævol. l. 41. §. Sejo. ff. de fideicom. libert. *Sejo auri libras tres, & Stichum notarium, quem peto, manumittas.* Paull. l. 40. ff. de teſtam. milit. ſupr. laudatus. *Bernart. in Stat. Sylv.* i. 1. 16. *Beger. Spicil. Antiq.* iii. 19. *Popm. de Serv. p.* 71. *Wouwer. Polymath. c.* 6. *n.* 9. Tres *notariorum* erant ordines. Alii *tribuni notarii*, appellati quod honore tribunis prætorianis æquabantur. Zoſim. v. 40. *Johannes præpoſitus aliquando notarius principis, quos tribunos vocant.* Candidati etiam dicebantur. Caſſiod. Var. i. 4. *Pater meus candidati ſub Valentiniano principe geſſit tribuni, & notarii laudabiliter dignitatem.* Alii *domeſtici*, quod Imperatori eſſent a ſecretis, cujus arcana ſcribebant. *Familiares* ſuos vocat Gratian. l. penult. C. T. de primic. *Ad imperiale ſecretum eligi* dicit Caſſiod. l. l. Ultimus ordo erat inferiorum tribunorum *notariorum.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 93. Schill. Nomencl. Philol. p. 805. Erant diverſi a ſcribis. V. infr. in *Scribæ.*

NOTHÆ filiæ an dos a patre debeatur, quæritur. Nam extat teſtimonium Ulpian. l. uxorem 41. §. pater naturalis 11. ff. de Legat. iii. ubi aperte ſcribitur, patrem non teneri dotem ſpuriæ filiæ conſtituere. Indeque vulgaris nata opinio eſt, patrem *nothis* puellis dotem non debere. Sed videamus, an lex illa nihil ad jus novum, hoc eſt, a Juſtiniano inductum pertineat: nam jure antiquo pater naturalis filiam alere non cogebatur l. 5. §. 4. ff. de agnoſc. lib. tantum abeſt, ut dotare teneretur. Sed cum jure novo boni viri arbitratu alimenta debeantur, ſtatuendum putarem, ex boni quoque viri arbitratu, pro facultatum paternarum modo, ei dotem, quæ quodammodo alimentorum locum obtinet, conſtituendam eſſe. Hæc conſtituta ſi fuerit, quæritur, ad quem ſoluto matrimonio revertatur. Sed de eo quia nihil toto jure conſtitutum eſt, non dubitarem, ad eum modum nobis reſpondendum eſſe, quem de cæteris dotibus in libro de Dotibus explicavimus. *Hotmann. de Spur. & Legitimat. c.* 3. *Palæot. de Noth. & ſpur. c.* 49. *n.* 1.

NOTHUS, νόθος, vox eſt Græca, quæ generaliter ſignificat in hominibus, beſtiis, arboribus, herbis, ac rebus omnibus, quod non eſt legitimum, hoc eſt, ſecundum generalem curſum, ac regulam. Sic dicimus *notha* ſcripta ea, quæ non ſunt auctoris, cujus nomen referunt. Sic *notha* poma a legitimo, & ordinario ſtatu declinantia. Sic *qui non ſit legitimus, Græcis vocatur. Latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam teſtatus eſt, non habemus, ideoque utimur peregrino.* Quintil. Inſtit. iii. 6. *Hotmann. de Spur. & Legitimat. c.* 1. *Rhodig. Ant. Lect.* xxiv. 6. *Bud. in Pandect. p.* 50. *I. Voſſ. Lex. Etymol. Palæot. de Noth. & Spur. c.* 17. *n.* 9: *c.* 18. *n.* 5. *Heuter. de Liber. homin. libert. c.* 7. §. 3. *Cujac. Obſerv.* v. 6. Differt a ſpurio, quod certum patrem nominare poteſt, ut qui e concubina naſcitur: ſpurius non poteſt, eo quod e muliere ſe pluribus pro-

prostituente, sive, ut Lucret. IV. 1064. loquitur, *volgivaga Venere* est conceptus. *Voss. l. l. Palæot. de Noth. & Spur.* §. 17. *n.* 9. & 10. cum legitima in locum querelæ inofficiosi introducta sit, pater in illos inofficiosus dici non poterit, cum justis liberis existentibus non liceat ei amplius uncia illis relinquere, ut Novell. 89. dicitur. Etsi autem ex causa quidem intestati, si justi liberi non extent, sextans iis debeatur, qua de causa tertia sextantis pars eorum legitima esse videretur: tamen, cum legitima nonnisi ex testati causa debeatur, inofficiosus dici non poterit, qui etiamsi inofficiosissimus esse cupiat, tamen nonnisi in uncia esse potest. Nihil igitur iis legitimæ nomine debetur, sed ejus nomine alimenta boni viri arbitratu attribuenda sunt. *Hotmann. ibid. c.* 3. Quod attinet ad illorum hæreditates paternas, Justin. Novell. 89. §. 13. statuit, ut, quod jus *nothis* in parentum hæreditatibus tribuitur, idem parentibus in illorum successionibus concedatur. Quod non ita facile ad explicandum videtur. Nam siquidem *nothus* liberos habeat, verum est, patrem ipsius egentem, arbitratu viri boni, ipsius facultatibus alendum esse. Quod ad alterum caput attinet, quo constitutum est, ut, si pater justos liberos non habeat, sextans *notho*, decunx legitimis patris hæredibus attribuatur; non video, quemadmodum in *nothi* persona reciprocari possit. Nam si *nothus* liberis careat, non sextans, sed as integer patri debebitur: ex causa autem testati jus hoc manifestum est, ut *nothus*, liberos habens, patri suo unciam relinquere debeat: sed si pater liberos non habeat, patrem habeat; dictum est, eum posse bessem *notho* relinquere, trientem patri debere: quod quemadmodum contrariam in partem verti possit, obscurum est; pater enim patri suo trientem tantum debet, cum *notho* bessem relinquat. At *nothus*, liberos non habens, poterit extraneis bessem relinquere, suo vero patri trientem. Postremus articulus, in quo dictum est, si pater neque patrem, neque liberos habeat, totum assem posse *notho* relinquere; reciprocationem non admittit. Maternas vero. In illis jus *nothorum* antiquo jure multiplex fuit. I. ut ex Orphiciano Scto matris intestatæ hæredes essent legitimi l. 1. §. 2. C. ad Tertyll. §. 3. Instit. de Orphic. II. ut iis legitima in bonis maternis deberetur: alioqui inofficiosi querela uterentur l. 1. suspecta 29. §. 6. ff. de inoffic. testam. III. ut bonorum possessio *unde cognati* iis deferretur. l. 2. ff. unde cognati. §. vulgo quæsitus Instit. de succ. cognat. IV. ut mater illos alere cogeretur l. si quis a liberis §. 4. ff. de agnosc. lib. V. ex Justiniani constitutione, ut una cum justis liberis æquis ex partibus succederent l. si qua illustris 5. C. ad Orphic. VI. ut patronæ liberi vulgo quæsiti materni liberti bonorum possessionem acciperent l. patronæ 18. ff. de bon. libert. VII. ut mater iis tutorem petere cogeretur l. ult. C. qui pet. tut. *Hotman. ibid. c.* 4. Ex nobilibus parentibus nati nobilitatem videntur retinere. Cum enim maternam cognationem retineant, qua de causa bonorum possessio *unde cognati* ipsis defertur l. 8. Modestinus ff. unde cognati. difficile dictu est, eos posse cognationem sine nobilitate retinere: quippe cum matris conditionem sequi dicantur l. 1. ff. ad municip. Præterea, quod ad novum jus attinet, hodie *nothi* sine patre dici non possunt. Nam ex Novellis Justiniani tam certum habent patrem, certamque matrem, quam qui ex justissimis nuptiis procreati sunt. Itaque etiam ab intestato patri hæredes designantur. Quod si legitimati sunt, quia tunc in patriam potestatem redacti sunt, ut intelligitur l. ult. ff. de adopt. probabiliter disputari posset, eos suitatem usquequaque adeptos esse, quasi jus suitatis individuum sit, ut videmus l. qui in prov. 57. §. 1. ff. de rit. nupt. statum eorum, qui incestu nati fuerant, ab Imperatoribus ita confirmari, ut plane pro legitimis habeantur. Contra, quod ad matris familiam attinet, pugnat I. quod nobilitas jure nostro definitur claritas generis, ac proinde ex majorum origine defertur l. 1. C. de dignit. *nothorum* autem origo ex eo tantum die, quo nati sunt, numeratur l. ejus qui 9. ff. ad municip. *Ejus qui justum patrem non habet, prima origo a matre, eoque die, quo ex ea editus est, numerari debet.* II. Mulier familiæ suæ, & caput, & finis est l. pronuntiatio 195. ff. de verb. signif. feminarum autem liberi in familia earum non censentur. l. seq. eod. III. Justin. l. si qua illustris C. ad Orphic. si bene lex attendatur, concubinatus, & *nothorum* nomen a nobilissimis feminis apertissime removet. Etsi autem novo jure certum patrem habeant, non tamen filii jus adipiscuntur, quia suitas, filiatio, agnatio, cognatio sunt individua l. quæsitum 34. ff. de Adopt. Quod autem ad legitimatos attinet, jus antiquum, quo per principis præscriptum suitatem adipiscebantur, aperte per Novell. 89. abrogatum est: ubi Justinianus sanxit, ut legitimati soli patri legitimati sint, non etiam generi: idque certæ duntaxat portionis causa. Unde apparet, legitimationem esse jus quoddam definitum, & certis tanquam terminis ita circumscriptum, ut longius produci non possit. Cum autem claritas generis per totam familiam diffusa, & plane individua sit; atque in agnatione, & gentilitate posita, quomodo ex ea sola parte nobilitatem adsequerentur? *Hotman. ibid.* c. 5. V. etiam infr. in *Spurius.*

NOTITIA *dignitatum*.... significat summariam cognitionem magistratuum, ac Palatinorum: in quo sensu hæc vox a posterioribus legum latoribus accipitur. Constantinus enim *notitiam* artificum pro eorum indice ponit l. 1. C. de excus. artif. Theodosius pro brevi scriptura, quæ continet quantum quæque provincia ex indicto auro solvere debeat. Leo l. fin. §. & est notitia C. de div. offic. pro catalogo officiorum, quæ in scriniis memoriæ epistolarum, & libellorum scribenda, & a principe probanda erant. Justinianus pro albo, vel matricula scholarum accipit l. ult. C. de offic. mag. Alio nomine *brevis* vocatur l. ult. C. de conven. fisc. debitor. Et Suetonius *breviarium imperii* Aug. c. 102. n. 7. *rationarium imperii* Aug. c. 28. n. 1. nominat. *Dignitatum* vero, non magistratuum dixit, quia non tantum jus dicentes, sed & aliis honoribus præditos continet, ut primicerios sacri cubiculi, notariorum, castrensem palatii, & scriniorum magistros, qui jurisdictione cavent, & spectabilium dignitate honestantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VII. *p.* 1329. *A.* 1326. *A. Buleng. de Vectig. c.* 95. Non alium quam Augustum, & sequentes principes auctores habet. *Panciroll. ibid. p.* 1326. *B.* Ego ab vetusto aliquo scriptore conscriptam nullus dubito. Verum cum in descriptione Constantinopolitanarum regionum situs etiam & limites exactissima diligentia notatos videam, Romanas autem exiliter, & quasi cursim tractatas: tum vero multis etiam in locis manifestos, & Victori, Rufoque repugnantes errores animadvertam, Græculum aliquem rerum Romanarum satis imperitum illius auctorem agnosco: in cujus sententiam nonnisi testudineis pedibus eundum sit. *Nardin. Rom. Vet.* II. 5.

NOTOR dicebatur, qui ignoti dabat notitiam. Hi non nimium diversi erant a proxenetis, & intercessoribus. Cum quis quasi ignotis pecuniam alteris credere verebatur, *notores* eos commendabant, & sibi *notos* affirmabant, & bene his posse credi. Senec. Epist. 39. *Qui notorem dat, ignotus est.* Lud. de morte Claudii p. 850. *Si quis a me notorem petiisset, te fui nominaturus, qui me optime nosti.* *Cognitores* dicuntur Cicer. Verr. V. 65. *Adeunt ad ea loca, quæ nunquam antea viderunt: ubi neque noti esse quo venerunt, nec semper cum cognitoribus esse possunt.* Γνωστῆρας vocat Xenoph. Pædag. Cyri p. 163. B. Γνωστῆρας ἐμοὶ προσαγαγών. *Salmas. de Mod. usur. c.* 10. & 16. *Turneb. Adv.* XXIX. 36. *Lips. in Senecæ Epistolas. Gruter. in Senec. Ludum. Douz. Præcid. in Petron.* II. 2. *Wouwer. de Polymath. c.* 6. *n.* 11.

NOTORIA non est brevis, aut compendiaria scriptio, quemadmodum existimavit princeps hujus ætatis Ictorum. Non est dicta a *notis*, hoc est, compendiis illis literarum. Sed est indicium, quo crimina, sive rei deferuntur ad principem, & ejus *notitiæ* suggeruntur. Dicta, quod *notos* faciebat, sive indicabat reos. Apul. Met. VII. p. 208. *Sed ille, qui commodum falsam de me notoriam pertulerat.* August. Epist. 160. *Qui non accusantibus nostris; sed illorum notoria, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat,* præ-

præſentari videntur examini. Gloſſ. vet. μήνυσις, *notoria, indicium.* Græci ἀναφορὰν dicunt. Gloſſæ noſtræ: *notoria,* ἀναφορά. *Salmaſ. in Treb. Poll. Claud. c. 17. Wouwer. de Polymath. n. 6. n. 11. Cerda Adv. c. 106. n. 2.*

NOV.

NOVA ut ederent, laus erat edentium. Plin. Epiſt. IX. 6. 1. *Circenſes erant, quo genere ſpectaculi nec leviſſime quidem teneor. Nihil novum, nihil varium, nihil quod non ſemel ſpectaſſe ſufficiat.* Vopiſc. Carin. c. 19. *Memorabile maxime, & Carini, & Numeriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos novis ornatos ſpectaculis dederunt.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 3.

NOVALE, & *novalis ager*, Græce dicitur νέωμα, νέατος, νέος, νειός, νέα, & νέατα. Gloſſæ: νέατος, *novalis terra.* Sæpius arabatur. Prima aratione dicebatur terra proſcindi: altera redarari, vel iterari: tertia tertiari, vel lirari. Prima aratione grandes glebæ excitantur, ſecunda franguntur, tertia aut quarta aratio fit cum ſeminis jactione. *Novalis* ergo ager primam ſolum arationem expertus fuit, perque annum ceſſavit. Plin. XVIII. 19. *Quod vere ſemel aratum eſt, a temporis argumento vervactum vocatur. Hoc in novali, atque requieto neceſſarium eſt. Novale eſt, quod alternis annis ſeritur.* Feſtus: *Novalem agrum Ælius Gallus, & Opilius, item Aurelius eum ajunt eſſe, quem Græci νεὸν dicunt, ad quod Homero quoque teſte nititur, qui dixit Iliad.* Σ. 547. νειοῖο βαθείης τέλσον ἱκέσθαι, *ad novalis profundi terminum pervenire. Sed Cincius eum eſſe, ubi gleba proſciſſa ad novam ſementem ſit relicta.* Paull. l. 30. §. Novalis ff. de verb. ſignif. *Novalis eſt terra proſciſſa, quæ anno ceſſatur, quam Græci NEACIN vocant.* Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 514. b. E. Bud. in Pandect. p. 278. A. Turneb. Adv. XVIII. 12. Calcagn. de verb. ſignif. p. 356.

NOVATIO *eſt prioris debiti in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem transfuſio, atque tranſlatio, hoc eſt, cum ex præcedente cauſa ita nova conſtituatur, ut prior perimatur.* Ulpian. l. 1. ff. de novat. & obligat. Definitio hæc paucis totam *novationis* ſubſtantiam evolvit, atque explicat, cujus ea vis, ac poteſtas eſt, ut priore perempta novam conſtituat obligationem. *Briſſon. de Solution. p. 262. Sigon. de Judic. I. 5.*

NOVEMBER. Nomen ſuum aſſumpto alio nomine non mutaſſe ſcribit Plutarch. in Num. p. 72. E. *Soli poſtremi duo appellationem ab ordine, ſicuti ab initio habuere, ſervaverunt.* Sed *Exſuperatorium* Commodi adulatores dixiſſe Lamprid. c. 11. *Menſes in honorem ejus pro Auguſto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exſuperatorium, pro Decembri Amazonium, ex ſigno ipſius adulatores vocabant.* Illo tamen mortuo libertatem adeptus priſtinum nomen recuperavit. *Moreſtell. Philom. II. 13. Viola de Vet. & nov. Rom. temp. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 196. E. Stuck. de Sacrif. p. 26.* Cum triginta dierum eſſet a Romulo conſtitutus, & a Numa uno mutilatus, a Cæſare tamen ad triginta fuit reſtitutus, & ſemper nonas quinto menſis die, idusque decimo tertio conſervavit. *Viola l. l.*

NOVEMDIALIA fuerunt feriæ funebres. V. illas ſupr. in *Feriæ novemdiales.*

NOVERCA eſt altera patris uxor. Modeſtin. l. 4. § 6. ff. de Gradib. *Uxor liberis ex alia uxore natis noverca dicitur.* Hotman. de Rit. nupt. & matrim. c. 10. Hujus cum privigno matrimonium eſt illicitum. V. ſupr. in *Matrimonium.*

Novercæ appellantur loca iniqua a menſoribus. V. illas ſupr. in *Cinabulæ.*

NOVI dicebantur, qui nulla majorum commendatione, primi ad magiſtratus curules pervenerunt. Plutarch. Caton. maj. p. 336. B. *Quia ſolent Romani obſcuro genere ortos, qui incipiunt actibus ſuis inclareſcere, novos homines appellare, ut etiam appellabant Catonem.* Appian. Bell. Civil. II. p. 428. *Novos homines vocare ſolent eos, qui non majorum gloria, ſed ſuapte virtute inclaruerunt.* Catonis pater ignobilis, ipſe *novus*, poſteri ejus nobiles exſtiterunt. Eſt enim *novitas* inter nobilitatem & ignobilitatem interjecta. Hujus rei admonemur a Cicer. pro Cluent. c. 40. *Et jam querimur, ſæpe hominibus novis non ſatis magnos in hac civitate eſſe fructus? nego uſquam unquam fuiſſe majores: ubi ſi quis ignobili loco ita vivit, ut nobilitatis dignitatem virtute tueri poſſe videatur, uſque eo pervenit, quoad eum induſtria cum innocentia proſecuta eſt. Si quis autem hoc uno nititur, quod ſit ignobilis, procedit ſæpe longius, quam ſi idem ille ſit cum iiſdem ſuis nobiliſſimus.* Itaque de ſe homine *novo* dixit in Rull. c. 1. *Me hominem novum conſulem feciſtis. Mihi apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur, non quod non tales fuerint, quales nos illorum ſanguine, diſciplinisque inſtitutos videtis, ſed quod laude populari, atque honoris veſtri luce caruerunt. c. 36. Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me a vobis deprecentur.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 20. de Nom. Rom. c. 6. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2019. E. Lipſ. Elect. I. 29. Kipping. Antiq. Roman. II. 1. 5. Roſin. Antiq. Roman. I. 19. & ad illum Demſterus.

NOVIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

NOVUMCOMUM eſt ſitum ad radices Alpium ad Larium lacum. Strab. IV. p. 133. & 141. *Initio mediocre fuit oppidum. Sed Pompejus Strabo Magni pater afflictam a ſupra accolentibus Rhætis inſtauravit: deinde C. Scipio addidit tria colonorum millia, adjecit: quibus iterum D. Cæſar 177 addidit, de quibus 10 fuerunt Græcorum nobiliſſimi. His & jus civitatis dedit, & inter colonos eorum nomina retulit, qui tamen Græci ibi ſedes non poſuerunt, ſed coloniæ iſti nomen reliquerunt, ut Novocomenſes oppidani omnes appellarentur.* Aliquot poſt annis M. Marcellus coſ. Cæſaris inimicus, ad ſenatum retulit, *ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxiſſet, civitas adimeretur, quod per ambitionem, & ultra præſcriptum data eſſet.* Suet. Jul. c. 28. n. 3. Civitatem intellexit, non Romanam, quæ veteribus incolis data eſſet, quæ nulla erat: ſed *Novocomenſem*, quæ quingentis colonis Græcis adjectis. Nam, ut ſcribit Appian. Bell. civil. II. p. 443. Cæſar *Novumcomum* ad Latii jus redegit, quod erat, *ut qui annuum magiſtratum ibi geſſiſſet, is civis Romanus eſſet,* id eſt, novos colonos Græcos, quos Comum adſcripſerat, etiam jure Latii, quo veteres incolæ lege Pompeja donati fuerant, decoravit. Marcelli factum in *Novocomenſem* V. ſupr. in *Jus Latii.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 2.

NOX.

NOX *in quatuor vigilias dividitur. Singulæ ternas horas continent.* Suidas in Προφυλακή. Cenſor. de Die nat. c. 23. *Noctem quadripartito dividebant: idque teſtatur ſimilitudo militaris, ubi dicitur, vigilia prima, item ſecunda, & tertia, & quarta.* Valtrin. de Re milit. Roman. IV. 6. Laurent. de Ann. c. 1. Actionem dirimebat. Plin. Epiſt. IV. 9. 9. *Actionem meam, ut prælia, nox diremit. Egeram tribus horis & dimidia; ſupererat ſeſquihora. Nam cum e lege accuſator ſex horas, novem reus accepiſſet; ita diviſerat tempus reus inter me, & eum, qui dicturus poſt erat, ut ego quinque horis, ille reliquis uteretur.* Pollet. For. Roman. I. 11. Intempeſta vocabatur ea *noctis* pars, quæ ad res gerendas idoneum tempus non habet. Græce ἀκρονυχία, ἀμολγὸς, & ὥρα ἀσάλπιγκτος dicitur. Cicer. in Piſon. c. 31. *Nocte intempeſta crepidatus veſte ſervili navem conſcendit.* Virg. Æneid. III. 587.

Et lunam in medio nox intempeſta tenebat.

Columna in Ennii Annal. I. p. 45. Cerda in Virgilium & Georg. I. 247. Ritu Romano dea cenſebatur. Horat. Od. III. 28. 16.

Dicetur merita nox quoque nænia.

Turneb. Adv. XXIV. 45. Pingebatur in tunica multis ſtellis obſita, *Barth. Adv.* XII. 11. Nocturno tempore ſacra illi fecerunt gallo. Ovid. Faſt. I. 455.

Nocte deæ nocti cristatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocet ore diem.

Gyrald. Symb. Pythag. interpr. §. 19. Stuck. de Sacrif. p. 20.

NOXA & *noxia* differunt, ut vult Tribonianus, dum scribit in Instit. IV. 18. 2. *Noxa est ipsum corpus, quod nocuit id est servus: noxia ipsum maleficium, veluti furtum, damnum, rapina, injuria.* Hinc sua desumpserunt veteres glossæ. *Noxa*, αὐτὸ σῶμα τὸ βλάψαν. *Noxia*, αὐτὸ τὸ κακούργημα· οἷον κλοπὴ, ζημία, ἁρπαγὴ, ὕβρις. Sed ea *noxæ* notio non videtur esse in usu. Nec *noxia* semper sumitur pro culpa: sed est cum ponitur pro jurgio, aut dissidio. Petron. c. 56. *In mediam noxam perfertur.* Auson. Eid. XII. 31.

Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est dos.

Et annotandum, quod hodie in Gallia jurgium vocatur *noise*, id a *noxia* esse detortum. *Scalig. in Catal. p. 213. Voss. Lex. Etymol.* *Noxa* tria significat. I. damnum, ut cum *noxam dedisse* dicitur servus. II. peccatum, vel delictum, cum *noxam commisisse*. III. pœnam, vel supplicium, quando *noxæ deditus*. Et recte veteres Philoxeni glossæ *noxæ æditum* interpretantur ἔκδοτον εἰς κόλασιν. Servius rectius de differentia *noxæ*, & *noxiæ* quam Tribonianus. Æneid. I. 45. *Hoc interest inter noxam & noxiam, quod noxia culpa est, id est, peccatum, noxa autem pœna.* Citant veteres grammatici ex Accii Menalippa: *Te esse huic noxæ obnoxium*, id est, pœnæ, supplicio. Imo *noxa* tam pœnam, quam maleficium significat. Pœna est in *noxæ deditione*: maleficium, cum *noxa committi* dicitur. At quod sæpe *noxæ* deditio occurreret in libris Ictorum veterum, putavit ille ibi *deditionem noxæ* poni pro deditione corporis. Ipsum quippe corpus dedebatur, quod ἀγώγιμον fiebat, & ἔκδοτον εἰς κόλασιν. Ut l. 1. ff. de noxal. action. *Ut si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquerit, evitare litis æstimationem.* Hinc ille sumpsit, aut ex similibus locis, *noxam* esse corpus ipsum. Atqui si *noxa* corpus est in *noxæ* deditione, erit etiam, cum servus dicitur *noxæ* dedi, & in *noxam*. Quod est ridiculum. *Salmas. de Mod. usur. c. 19. Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 39. Beroald. in Serv. §. 3.* *Noxia* est natura sua adjectivum, & intelligitur culpa. *Voss. & Beroal. l. l.*

NOXII, sive sontes olim vendebantur in pœnam delictorum. Colum. III. 3. *Vinitoris, quem vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium posse comparari putat.* Utrum vero illa *noxiorum* venditio pœnalis in petra illa scelerata fieri sit solita, qui locus puniendis damnatis jam destinatus erat: an vero in alio saxo, lapideve, ubi servi, aut bona quævis alia sub hasta vendebantur, quoque emptores concurrere consueverant, libero inquirentium arbitrio dijudicandum relinquo. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9. In amphitheatrum in tunicis auratis, & chlamydibus inducebantur. Spartianus. V. illum supr. in *Chlamys*. Ferrar. de Re vest. II. 3. 13. Ad stipitem alligati feris prædæ erant, & ab illis laniabantur. Artemid. II. *Quidam somnio sibi visus est transformatus, & summa manuum truncus, is cum esset capite damnatus, surrectus ad stipitem ab urso devoratus est.* Vopisc. Aurel. c. 37. *Sane Mnestheus postea surrectus ad stipitem bestiis objectus est.* Buleng. de Circ. Rom. c. 6. de Venat. Circi c. 36. de Theat. I. 48. Existimationis alicujus qui erant, in carcere strangulabantur. V. supr. in *Carcer*. Interdum vivi comburebantur. Zonar. Tom. III. p. 238. *Malefici Constantinopoli in theatro aurigationis comburuntur.* Suidas in Valentiniano. *Præpositum Rhodanum in circo igne cremat.* Buleng. de Circo c. 6.

NUB.

NUBERE proprio, & primario significatu est tegere, velare, operire. Onomast. *Nubo*, καλύπτω. Auctor vetus in Pervig. Ven. n. 22.

Ipsa jussit mane, ut udæ virgines nubant rosæ.

Brisson. de Ritu nupt. p. 58. Hotman. de Vet. rit. nupt. c. 15. Weitz. in Pervigilium. Lips. Elect. I. 5. Et hinc est nuptias facere, quia novæ *nuptæ velo obnubi* solebant, cum ad virum ducebantur. Ambros. Exhort. ad virg. Tom. I. p. 108. *Operiuntur ut nubes, cum acceperint nuptiæ velamina.* Unde puella dicitur *nubere*, adolescens *ducere*. Caper de Orthogr. *Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput suum, genuque.* Hieron. in Matth. c. 22. n. 30. *Latina consuetudo Græco idiomati non respondet: nubere enim proprie dicuntur mulieres, & viri uxores ducere.* Ovid. Met. IX. 760. de Iphi puella, sed quam pro mare pater adhuc habuerat, & ei formosissimam virginem desponderat:

Pronuba quid Juno? quid ad hæc, Hymenæe, venitis
Sacra, quibus qui ducat abest, ubi nubimus ambæ.

& manifeste inter *nubere*, & *ducere*, ita ut eis usus obtinuit, distinguit Claud. in Eutrop. I. 223.

— nubas, ducasve licebit,
Nunquam mater eris, nunquam pater.

Scalig. Animad. in Titii loc. contr. x. 19. Guther. de vet. jur. pontif. I. 16. Nihilominus etiam viri dicuntur *nubere*. Non. II. 577. *Nubere veteres non solum mulieres, sed etiam viros dicebant, ita ut nunc Itali dicunt. Pompon. Pannuc.*

Sed meus frater major, postquam vidit me ejectum domo,
Nupsit posterius dotatæ vetulæ, varicosæ, Afræ.

Varr. Antiq. XIV. apud Non. VII. 98. *Viris nuptis sacrificabantur in cubiculo viduæ.* Plaut. Trin. arg. n. 9.

Senex ut rediit, cujus nubunt liberi.

Filius nimirum & filia. Ovid. Met. I. 700.

Talia verba refert: tibi nubere, nympha, volentis
Votis cede dei.

Senec. Contr. 21. *Tyrannus permisit servis, ut dominabus suis nubant.* Juvenalis. V. illum infr. in *Porticus Quirini.* Tertull. ad uxor. I. 7. *Regem seculi pontificem maximum rursus nubere nefas est.* II. 9. *Nam nec in terris filii sine consensu patrum rite, & jure nubent.* Barth. Adv. VI. 14: XXVI. 26. & in Claudianum, Farnab. in Ovidium, Taubm. in Plaut. Casin. I. 5. 6. Junius in Tertullianum. Feriis publicis viduæ, sed non virgines *nubebant*. Plutarch. Quæst. Rom. 103. *An causa est, quam adfert Varro? virgines nubere invitas, & tristes, mulieres cum lætitia: festo autem die nihil cum molestia, omnia lubenti animo sunt agenda. Aut quia decori est virginibus earum multis præsentibus peragi, idemque viduis dedecori? primæ enim nuptiæ optandæ sunt, & in pretio: secundæ votis recusandæ, quod vel cum turpitudine nubunt vivente priore marito, vel cum luctu, si is sit mortuus: itaque viduæ ad suas nuptias quiete magis gaudent quam frequentia hominum & tumultu; festivitates porro multitudinem ad se trahunt, neque nuptiis vacare patiuntur. Aut, quia festo die raptis Sabinis virginibus bellum est ortum, religio ipsis inde fuit virginum nuptias festis diebus celebrare?* Brisson. ibid. p. 94. Etiam anciliorum festo *nubere* ominosum erat. Kalendarium vetustum: *Festum Martis & Junonis. Ancilia feruntur. Non est bonum nubere.* Et in Kalendario Dempsteri ad primum Martii legitur. *Martis, anciliorumque festum: nec nubere bonum, quousque condantur.* Ovid. Fast. III. 393.

Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ: habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna est aliena maritis.
Condita cum fuerint, aptius omen erit.

Gutberl. de Saliis c. 15. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 13. Brisson. de rit. nupt. p. 13. Et mense Majo inauspicatum habebatur. V. supr. in *Majus*. *Nubentes* oliva coronabantur V. infr. in *Oliva*.

NUC.

NUCLEUS est proprie tenerum illud, & aptum edi in amygdalis, cæterisque nucibus. Quemadmodum vero hoc continetur inter durum utrinque putamen, ut

Qui e nuce nucleum esse vult, frangat nucem.

dicente Plaut. Curc. I. 1. 55. sic eleganti translatione ar-

chitecti *nucleum* vocant tertium pavimenti corium, partem ceteris teneriorem, & molliorem, quæ supra & infra continetur, & includitur duobus durioribus, & firmioribus, infra ruderatione, supra summa crusta testacea. Componebatur ex lateribus, testis figulinis, aut testa tusa calci admixtis, sic ut ad tres partes una esset calcis. Oportebat, ut *nucleus*, & summa crusta junctim haberent crassitudinem sex digitorum, si firmitate, & soliditate perfecta erant. Docet hoc, & quæ modo diximus, Vitruv. VII. 1. *Insuper ex testa nucleus inducatur, mixtionem habens ad tres partes unam calcis, ita uti ne minore sit crassitudine pavimentum [illegible]rum sex [illegible].* Berger. de Viis milit. II. Sect. 13. §. 7. [illegible] Italian vulgus [illegible] appellat. *Philand. ad Vitruvium.*

NUD.

NUDATIO præcedebat suspensionem. Nam simul ad crucem ventum, spoliabant hominem, & sic in eam dabant. Receptum hoc in plerisque suppliciis, velut natura suasit, quæ *nudos* induxit in vitam, & educit: etiam in isto. [illegible] Onerosor. II. 5[illegible]. *Crucif[illegible] pauperi, qui [illegible] crucifixi [illegible] vero [illegible] quia [illegible].* In C[illegible] observes: quum J[illegible] vestes jam detractum, & [illegible] iterum deductum. *Lips. de Cruce* II. [illegible]

NUDI in quolibet pæne certamine certabant veteres. Virg. Georg. II. 531.

> *Corporaque agresti nudat prædura palæstra.*

Mart. III. 68. 3.

> *Gymnasium, thermæ, stadium est hac parte; recede.*
> *Exuimur: nudos parce videre viros.*

Mercur. Gymn. I. 6. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 1. [illegible] *Nudus* in Olympico stadio primus [illegible] Acanthus Lacedæmonius. V. illum supr. [illegible] *Ad[illegible]* [illegible] quandoque pantomimi. Cyprian. Epist. 10[illegible]. *[illegible] nudus [illegible], alter orbem æneum [illegible].* [illegible] de Theat. I. 51.

NUDIPEDALIA solemnia fuere apud gentiles, Græcos, Romanos, Barbaros, in quo *nudis pedibus* oportebat omnes incedere. Tertull. Apolog. c. 40. *Denique cum ab immensitate [illegible], [illegible] in [illegible], quidam quotidie pasti, statimque pransuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denuntiatis.* Institutum, ut videtur, *nudipedalium* fuit, ut aquam cœlestium defluxum, terra arescente, impetrarent. Proprium tamen id populi Judaici festum. Docet Joseph. de bell. Judaic. II. 15. V. illum supr. in *Berenice.* Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. v. 36. [illegible] de Cult. antiq. c. 23. Perperam. Aliunde [illegible] quam a solemnibus jejuniorum diebus, qui inter Judæos in magnis calamitatibus [illegible], [illegible]. Et licet pro [illegible], & [illegible] *nudis pedibus* [illegible] Judæi, non tamen [illegible] proprium festum Judaici populi fuerit. [illegible] hodie Judæi ingruentibus in civitatem [illegible] calamitatibus publicis, peste puta grassante; aut [illegible], [illegible] frumentum invadente, item propter pluviam vel deretum, vel abundantiam [illegible] dicunt [illegible] a [illegible] patribus institutum [illegible]. Quæ [illegible] variis signis abjecti animi [illegible], [illegible] quasi [illegible] religio est, ut externis [illegible] abjectum animum, ut [illegible] sibi concilient. Pariter *nudipe[illegible]* [illegible] inter gentiles instituta fuit, ut divinum favorem in se elicerent, non Judæorum exemplo, [illegible] ingenii, quod ad talia proclive est. Putarunt enim se hac ratione deos sibi reddituros ma[illegible] *[illegible] H[illegible]* II. 4. §. 5. *Nudis* pedibus [illegible] si quando per plateas, & vicos circumcursitantes [illegible]. Prudent. Peristeph. x. 156.

> *Nudare plantas ante carpentum scio*
> *Proceres togatos matris Idææ sacris.*
> *Lapis nigellus evehendus essedo*
> *Muliebris oris clausus argento sedet,*
> *Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,*
> *Pedes remotis atterentes calceis,*
> *Almonis usque pervenitis rivulum.*

Matronæ Romanæ, ubi vota deæ Vestæ concipienda, ejus ædem *nudis pedibus* adibant. Ovid. Fast. VI. 397.

> *Huc pede matronam nudo descendere vidi.*

Sic etiam bello Gallico *Virgines ex sacerdotio Vestæ nudo pede fugientia sacra comitabantur.* Flor. I. 13. 12. Balduin. l. l. Casaub. in Suet. Aug. c. 100. Lomej. de Lustr. c. 34. In superstitionis ritibus obeundis incedebant. Plin. XVII. 18. *Privatim autem contra erucas ambiri arbores singulas a muliere incitati mensis, nudis pedibus, recincta.* In sacris magicis uno tantum *nudo* pede veneficæ. Virgil. Æneid. IV. 518.

> *Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta.*

Ovid. Met. VII. 182.

> *Tectis egreditur vestes induta recinctas,*
> *Nuda pedem.*

Senec. Med. IV. 2.

> *Tibi more gentis vinculo solvens comam,*
> *Secreta nudo nemora lustravi pede.*

Nudos utrosque *pedes*, sed præter sacrorum magicorum morem dicit Horat. Sat. I. 8. 23.

> *Vidi egomet nigra succinctam vadere palla*
> *Canidiam, nudis pedibus, passoque capillo.*

Et in bello quidam populi. Ita bellaces Ætoli fuisse produntur, ac propterea dicti μονοκρήπιδες. Ad Hernicos Italiæ populos transtulit Virg. Æneid. VII. 689.

> —— *vestigia nuda sinistri*
> *Instituere pedis; crudus tegit altera pero.*

Nudis illi, credo, utrisque *pedibus* fuissent, nisi tutius pugnandi ratio pedi, crurique dextro adhibendum peronis munimentum suasisset; cum in congrediendo illi dextrum pedem ante sinistrum promoverent. *Balduin. l. l.* Item *nudis pedibus* in funeribus incedebant Romani. Suet. Aug. c. 101. n. 10. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis pedibus nudis*, in indicium reverentiæ, & ταπεινοφροσύνης, vel, ut loquitur Tertull. Adv. Psychic. c. 12. & 13. ταπεινοφρονήσεως. *Casaub. in Suetonium. Braun. de vestit. sacerd. Hebr.* I. 3. §. 11. *Balduin. l. l.* Ex Suetonio non potest colligi Romanorum hunc ritum fuisse, ut *nudis* pedibus luctum funebrem testarentur. Nam quod in pompa funebri Augusti est factum, plane singulare est, & insolitum. Fuit enim, ut dictum, reverentiæ indicium, atque hic honor Augusto est habitus, ut qui jam major homine, & inter divos esset. Et ideo necesse est, ut ritus fuerit omnino peculiaris, in aliorum funeribus non observatus. *Byn. ibid.* II. 5. §. 9. *Kirchm. de Funer.* III. 7. *Sagittar. Nudiped.* c. 3. §. 4. Ad extremam, quam perpessi, miseriam contestandam circumibant naufragi. Ita colligo ex Paullini Episcopi Nolani carmine ad Cythereum de Martiniani naufragio:

> *Caligis tamen vilibus donatus est,*
> *Ne nautico erraret pede,*
> *Qui maluisset confuseri excalceus,*
> *Quam calceari sordidus.*

Quo etiam referenda sunt hæc Alciphron. Epist. 3. *Etenim cum aliquando pisces vendere instituissem, audivi quendam ex his, qui in Pæane versantur, discalceatum, & lurido colore praeditum: qui carmen recitabat, quo navigantium desperatio decantabatur.* Sagittar. ibid. c. 1. §. 26. Veterum erant servi venales. Docet hoc, ubi de Cappadocibus, & Bithynis Romam venum ductis, Juven. Sat. VII. 16. V. infr. in *Servus.* Tandem & mimi suos egerunt mimos. Hoc nonnulli probare cupiunt, quod *planipedes* sint dicti, & fabula *planipedia.* *Planus* enim *pes* videtur dici, qui expers

est

eſt cothurni, ac ſocci, utpote *nudus*. Eleganter ad hos *nudos* mimorum pedes reſpiciens Senec. Epiſt. 8. *Quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos jacent? quam multa Publii, non excalceatis, ſed cothurnatis dicenda ſunt.* V. infr. in *Planipedia*. Sagittar. Nudiped. c. 1. §. 28.

NUDUS dicitur homo tunica veſtitus, cui ornando deſunt veſtes exteriores. Ita *nudus* Eſajas c. 20. n. 2. qui ſaccum depoſuerat, veſtem extimam in luctu uſurpari ſolitam. David 2. Sam. c. 6. n. 20. quia regali veſte depoſita ſaltaverat. L. Quinctius Cincinnatus, *quem nudum arantem trans Tiberim offenderant ad eum miſſi legati* apud Aurel. Vict. de Vir. illuſtr. c. 17. Is enim *togam*, quam *propere e tugurio proferre uxorem Raciliam jubet* apud Liv. III. 26. depoſuerat. Hinc Virg. Georg. I. 299.

Nudus ara, ſere nudus.

ubi Servius: *id eſt, adeo ſereno cœlo, ut veſtimento non egeas:* quæ aratori erat unica tunica. Et *dejecta ab humeris toga nudum pectus* populo oſtendiſſe dicitur Auguſtus apud Suet. c. 52. n. 3. Et de eodem Græcis γυμνός. Ariſtoph. Concion. n. 38.

Poſt hunc Evaon ille ingenioſiſſimus
Acceſſit nudus, γυμνός, ut quidem pleriſque videbatur,
Ipſe enim negabat ſe pallium habere.

Long. Paſtor. II. 60. *Qui abjecto encombomate nudus in curſum ſe dedit.* Cuper. Obſerv. 1. 7. Roa Singul. II. 4. 1. Gatak. Miſc. Adv. 1. 10. Moll in Longum. Pitiſc. in Suetonium.

NUM.

NUMA, de illo parum plane quod dicam habeo, quum nihil de eo a veteribus, quod ſciam, traditum ſit. Id autem prænomen Sabinum, a ſecundo Romanorum Rege Pompilio, item *Numa* Marcio pontifice maximo primo tantum uſurpatum fuiſſe ſatis manifeſtum eſt. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2030. *F. Sigon. de Nom. Rom. c.* 3. Fuit Sabinus, Pomponii filius, Romanorum Rex ſecundus. Liv. I. 18. *Inclyta juſtitia, religioque ea tempeſtate Numæ Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat. Audito nomine Numæ patres Romani, quanquam inclinari opes ad Sabinos, Rege inde ſumpto, videbantur; tamen neque ſe quiſquam, nec factionis ſuæ alium, nec denique patrum, aut civium quenquam præferre viro illi auſi, ad unum omnes Numæ Pompilio regnum deferendum decernunt.* Strein. de Famil. Roman. in Pompilia. Panvin. Faſt. I. p. 49. Succeſſit Romulo anno Olympiadis decimæ ſextæ tertio. Dionyſ. II. p. 120. *Et poſt hoc legatos cum creaſſet ex patriciis, emiſit ſuſcepturos virum*, Numam Pompilium, *ut regnum capeſſeret, anno tertio ſextæ decimæ Olympiadis.* Et p. 121. *In decimæ ſextæ Olympiadis medio Romanorum regnum ſuſcepit.* Meurſ. de Athen. Archont. I. 6. Sigon. de Temporib. Athen. & Lacedæm. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. V. p. 1637. A. Panvin. l. l. Fuit Pythagoreus. Clem. Strom. I. p. 304. D. Euſeb. Præpar. Euang. IX. 6. *Numa Rex Romanorum erat quidem Pythagoreus, ex iis autem, quæ a Moſe tradita ſunt, adjutus prohibuit Romanis, ne homini, aut animali ſimilem Dei facerent imaginem.* Boxhorn. in Plutarch. Quæſt. Roman. 10. Quinetiam arbitratur Cicer. de Orat. II. 37. propter Pythagoreorum admirationem *Numam* quoque Regem, etſi annis permultis ante fuit quam Pythagoras, Pythagoreum a poſterioribus exiſtimatum. Nam cum Pythagoræ diſciplinam, & inſtituta cognoſcerent, Regiſque ejus æquitatem, & ſapientiam a majoribus ſuis accepiſſent, ætates autem & tempora ignorarent propter vetuſtatem, eum qui ſapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuiſſe crediderunt. *Jacot. de Philoſ. doctr. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* X. *p.* 361. *B.* Romulum ſubſecutus, multo etiam magis civitatem legibus excoluit, & ab armis ad religionem, bonoſque mores totam traduxit: totuſque fuit in re divina, & ad eos ſacerdotes, quos Romulus inſtituit, qui ſexaginta fuerunt, ipſe alios præterea adjecit, flaminem dialem, Martialem, Quirinalem, virgines Veſtales quatuor, Salios Marti gradivo duodecim, pontificem maximum ex patriciis. *Manut. de Leg. Rom. c.* 2. *de Civit. Roman Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 7. *E. Panvin. de Civit. Rom. c.* 10. Leges de rebus tum humanis, tum ſacris tulit. V. illas ſupr. in *Lex*. Illas conditurus colloquiorum commercium cum Egeria nympha ſimulabat. Valerius Maximus & Livius. V. illos ſupr. in *Egeria*. Ex ejus inſtituto in pompis, & ſupplicationibus ſacerdotum Romanorum incedebant per Urbem præcones, feriaſque, & juſtitium indicebant. Siquidem Pythagoreos, ajunt, non permittere, ut obiter quis adoret, & ſupplicet diis, verum ut domo ſtatim mente ad id meditatus accedat: ita cenſuit Numa decere, nihil ut cives rei divinæ audirent, vel viderent perfunctorie, vel ſolute, ſed vacui curis aliis, veluti ad ſummum negotium religionis adverterent animum, viaſque a ſtrepitu, crepitu, gemitu, & omnibus, quæ comitantur, neceſſariis, & vulgares operas, ad ſacra præſtarent puras. *Laurent. var. ſacr. gentil. c.* 14. Atque *omnium primum, ad curſum lunæ in duodecim menſes deſcripſit annum: quem quia tricenos dies ſingulis menſibus luna non explet, deſuntque dies ſolido anno, qui ſolſtitiali circumagitur orbe, intercalaribus menſibus interponendis, ita diſpenſavit, ut quarto, & vigeſimo anno ad metam candem ſolis unde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis dies congruerent. Idem nefaſtos dies, faſtoſque fecit: quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.* Liv. I. 19. *Sucam. in Faſt. Kalend. Roman. c.* 1. *Lipen. de Stren. c.* 2. *prim. at.* §. 10. Quirinalem montem veteri Urbi adjeciſſe traditur. V. infr. in *Quirinalis*. Regnum tenuit annis quadraginta tribus. Exceſſit Olympiadis ſeptimæ & vigeſimæ ſecundo anno. *Meurſ. ibid.* I. 10. Sub Janiculo eſt ſepultus. Plinius. V. illum ſupr. in *Charta*. Cauſa integritatis librorum poſt tot ſecula, *cedriati* erant, docente eodem Plinio, hoc eſt, cedrio peruncti. Vitruv. II. 9. V. illum ſupr. in *Cedrus*. Nonnihil diverſum de his libris Liv. XL. 29. V. illum infr. in *Sepulcrum Numæ*. qui & adjicit, juſſu ſenatus combuſtos fuiſſe in Comitio, quod *pleraque in iis diſſolvendarum religionum eſſent.* Verum non pauca hic, utcunque credita forſan ſcriptoribus ipſis, olent impoſturam, efficiuntque ut inventi illi in ſepulcro *Numæ* libri nobis ſimiles videantur Originibus Etruſcis ab Inghiramo repertis. Et in eo fucum olfecit Livius, quod traderet Valerius Antias libros illos fuiſſe Pythagoricos: quomodo enim Pythagorici? cum Pythagoras jam vetulus in Italiam primum deſcenderit Olympiade ſexageſima ſecunda, ex calculo Jamblichi. *Numa* autem ad regnum productus ſit anno tertio Olympiadis decimæ ſextæ, atque adeo diu ante adventum Pythagoræ ſepultus. Accedit, quod inventi libri ſolvendis religionibus deſervirent, cum *Numa* condendæ religionis auctor fuerit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. *n.* 1. *Claſen. Theol. Gent.* I. 10. §. 4.

NUMANTINUS eſt dictus P. Scipio a *Numantia* deleta. Paterc. II. 4. 2. *P. Scipio Africanus Æmilianus intra annum, ac tres menſes, quam eo venerat* in Hiſpaniam, *circumdatam operibus Numantiam, excisamque æquavit ſolo. Nec quiſquam ullius gentis hominum ante eum clariore urbium excidio nomen ſuum perpetuæ commendavit memoriæ.* Appian. Bell. Alex. p. 311. *Romanus hic Imperator duas potentiſſimas urbes evertit, Carthaginem ex SCto, & Numantiam. . . . ſive potius, ut multi arbitrantur, illuſtria duo cognomina ex clariſſimarum urbium excidiis quæſiverit. Siquidem illum ad hunc uſque diem Romani Africanum, & Numantinum ex illarum urbium cladibus, excidiiſque appellant.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5.

NUMELLA *eſt machinæ genus ligneum, ad diſcruciandos noxios paratum, quo & collum, & pedes immittunt.* Plaut. *Aſin.* III. 2. 5. V. illum infr. in *Vincula*. Non. II. 586. Feſto *eſt genus vinculi, quo quadrupedes alligantur. Solent ea fieri nervo, aut corio crudo bovis ut plurimum.* Varr. de Re ruſt. II. 9. *Conſuefaciunt canes, ut alligari primum poſſint levibus numellis.* Laurent. de Rebuſpub. c. 17. Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XXVI. 2. Pollet. For. Rom. V. 14.

NUMERA ſenatum dicebatur conſuli, cum infrequens ordo videbatur, ut SCtum fieri non poſſet. Hoc

consuli dicere licebat, si tot non essent senatores, quot numero liceat perscribi Sctum. Festus: *Numera senatum ait quivis senatur consuli, cum impedimento esse vult, quo minus faciat Sctum, postulatque, ut aut res, quæ referuntur, dividantur, aut singuli consulantur, aut si tot non sint senatores, quo numero liceat perscribi Sctum.* Hæc Festi verba non parvo esse auxilio possunt ad eruendam sententiam Ciceron. ex ad Attic. v. 4. *Cum ambem autem habemus, ne quid ad senatum: consule, aut numera.* Cœlius ad Cicer. Fam. viii. 11. *Rem totam erat nobis Hirtium diutius dicturum, prædictum erat: nec modo non fecit, sed cum de hostibus ageretur, & posset rem impedire, si, ut numeraretur, postularet, tacuit.* Turneb. Adv. xxx. 31. Brisson. de Form. ii. p. 183. Zamosc. de Senat. Rom. ii. 11. Manut. de Senat. Roman. c. 10.

NUMERARE solebant veteres per digitos. V. supr. in *Digitus.* per calculos. Homil. Græco-Lat. *Jam perito pariter reliqui respondebant, quæcunque ad incipientes prædita sunt, necessaria, & numeros, digitos, & calculos.* Modus hic recentiori usu inductus: & parum varietatis, aut reconditæ doctrinæ alit: totus enim in collatione calculorum consistit, quorum valor in ratione situs augetur, aut minuitur, de quo insignis est locus Aristot. περι σοφις. ἐλεγχ. I. I. *Hieron. er. de Polym. c. 7. n. 1.* per literas. Incipiebant ab alphabeto alecedario. Tenebat illis *A* quingenta, *B* trecenta, *C* centum, *D* quingenta, *E* ducentum quinquaginta, *F* quadraginta, *G* quadringenta, *H* ducenta, *I* unum, *K* unum & quinquaginta, *L* quinquaginta, *M* mille, *N* nonaginta, *O* undecim, *P* quadringenta, *Q* vel *q* quingenta, *R* octoginta, *S* septuaginta, *T* centum sexaginta, *V* quinque, *X* decem, *Y* centum quinquaginta, *Z* duo millia. Si vero iisdem literis macra, id est, accentus longas superponitur, millenarium tantum numerum significabant. Sic $\bar{A}$ quingenta millia, $\bar{B}$ tria millia, $\bar{C}$ centum millia, $\bar{D}$ quingenta millia, $\bar{E}$ ducenta quinquaginta millia, $\bar{F}$ quadraginta millia, $\bar{G}$ quadringenta millia, $\bar{H}$ ducenta millia, $\bar{I}$ mille, $\bar{K}$ centum quinquaginta unum millia, $\bar{L}$ quinquaginta millia, $\bar{M}$ mille millia, $\bar{N}$ nonaginta millia, $\bar{O}$ undecim millia, $\bar{P}$ quadringenta millia, $\bar{Q}$ vel $\bar{q}$ quingenta millia, $\bar{R}$ octoginta millia, $\bar{S}$ septuaginta millia, $\bar{T}$ centum sexaginta millia, $\bar{V}$ quinque millia, $\bar{X}$ decem millia, $\bar{Y}$ centum quinquaginta millia, $\bar{Z}$ bis millies mille. *Gyrald. Var. Crit. Dialog. 3. Agricol. de Pret. Metall.* iii. *p.* 337. *Hugo de prim. scrib. orig. c.* 28.

NUMERARII sunt appellati, qui rationes *numerando* supputaverunt. Augustin. de Lib. arbit. ii. 11. *Multos novi numerarios, aut numeratores, vel, si quo alio nomine vocantur, qui bene, & mirabiliter computant.* In præfecti officio quatuor reperiebantur, in provinciis bini, tabularii vocati l. 2. C. de num. lib. 12. l. 1. C. Theod. eod. qui cum actuariis easdem rationes tractabant. Eorum unus bonorum, quæ ex delictis, vel successionibus, aliisque hujusmodi causis ad fiscum deferebantur, & ad comitem rerum privatarum spectabant, rationes tractabat. Alius res tributorum notabat, quæ ad largitiones pertinebant l. in provinc. eod. tit. & l. duos C. de suscept. & arcar. Duas enim Princeps arcas habebat, quibus duo illustres comites erant præfecti, scilicet comes largitionum, & alter rerum privatarum, Romæ antea præfecti ærarii vocati l. 1. C. de quæst. Eas rationes in primis *numerarii* apud præsides in provinciis tractabant. Orientis vero præfecti *numerarius* ad se transmissas recognoscebat, & ne quid debitæ summæ deesset, prospiciebat, aurique ad thesauros provinciarum delati partem ad arcam prætorianam spectantem, reliquam ad comitem largitionum transmitti curabat. Alter comes privato Principis patrimonio, id est, prædiis, & domibus præerat, & aliqua etiam pauca tributa sibi obligata exigebat, & quicquid ex causis fiscalibus, & bonis proscriptis percipiebatur, & si qua alio modo ad fiscum cadebant, quarum rationes alteri in provinciis *numerarii* conficiebant, scribebantque bonorum genera, & quantitates publicatas, quantum ex prædiis Principis exactum esset, quæ omnia orientis præfecti *numerarius* diligenter colligebat. Gratian. l. in provinc. C. de numerar. *In provinciis singulis duo numerarii, qui & tabularii, collocantur; quorum unus fiscalis arcæ ratiocinium, ad alterum largitionales pertinent tractabantur.* Hi duo præfecti *numerarii*, quemadmodum & alii, provinciarum rationes tantum, & summas tractabant. Tertius *numerarius* auri nuncupatus l. duos C. de suscept. & arc. aurum ex provinciis exactum, & ad largitionum arcam destinatum suscipiebat l. ult. C. de numerar. vel monetam argenteam in aurum permutari curabat: item aurifodinarum rationes tractabat, a singulisque aurilegulis septenos scrupulos auri exigebat l. per annos C. de metall. Ultimus *numerarius* erat operum publicorum, inter quæ prætoria, domus publicæ l. 3. C. de oper. publ. portus, aquæductus, mœnia l. 6. C. eod. tit. thermæ l. 10 C. eod. recensentur, ad quæ exstruenda tertia pars redituum civitatum erat destinata dict. l. 10. si non sufficiebat, cives pro modo jugerum ad opus conferebant l. 11. C. eod. tit. Horum impensas & rationes hic *numerarius* scribebat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 15. & 79. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 873. *E. Spanhem. de Præst. numism. Diss.* ix. *p.* 798. *Pignor. de Serv. p.* 300. *Du Fresne Glossario.*

Numerarii militares notabant in libro, qui singulis diebus excubassent, nocte vigilias egissent, vel alia munia obiissent, ut sciri possit, qui in muneribus debebant succedere. Veget. ii. 19. *In quibusdam militibus notarum peritia, calculandi, computandique usus exigitur. Totius enim legionis ratio, sive obsequiorum, sive militarium munerum, sive pecuniæ quotidie adscribitur actis. . . . Quoti etiam enim in pace vigilias, quot excubiterum, sive angarias de omnibus centuriis, & contuberniis, quæ vicissim milites faciunt, ut ne quis injuste prægravetur, aut alicui præstetur immunitas. Nomina eorum, qui vices suas fecerunt, brevibus inseruntur. Quando quis commeatum accepit, vel quot dierum, annotatur in brevibus.* Stipendia etiam soluta militibus notabant, quemadmodum præfectorum *numerarii* vectigalium, & tributorum rationes, *rationarii* a Marcellin. xv 5. appellantur ob prædictas rationes quas scribebant. *Interrogato Remigio etiam tum rationario apparitionis armorum magistri.* xix. 9. *Numerarii apparitionis magistri equitum.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 41. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. xi. p. 873. D. *Numerarii* etiam dicebantur cohortis milites. Cohortes enim aliquando *numeri* dicebantur. V. inf. in *Numerus.* Fuerunt etiam in domo Augusta. Illorum munus dignitas non est, sed officium dignitatis. A *numerando* denominati sunt, qui prætorianæ fiscalis rationes tractabant, & penes eos ratiocinium publicarum notitia consistebat Novell. Theodos. & Valent. 49. Atque hi etiam auctoritates, commonitoria, præceptiones, evectiones conficiebant, adhibita adjutorum, & chartulariorum, aliorumque quorundam inspectione, & subscriptione l. 6. C. de executor. & exactor. *Guther. de Offic. dom. Aug.* ii. 13: iii. 2. *Pancirol. Notit. Dignit. imp. orient. c.* 15. *&* 78. *Ursat. l. l.*

Numerarii primiscrinii vocantur apud Notitiam in officio præf. Urb. in occidente c. 3. Hi *numerum* delinquentium, varietatem delictorum, clausorum ordines, ætatem, sexum, & nomina condemnatorum, & absolutorum scribebant: quod etsi onus esset commentariensis l. pen. vel ult. C. de custod. reor. etiam adjutori incumbebat, quod præsertim Notitiæ tempore observari potuit. Non ergo intelligo primiscrinios *numerarios* factos fuisse, quia si aderant *numerarii*, ipsi frustra eum locum tenuissent, sed interpretor eos in delinquentium, & criminum rationibus, & aliis hujusmodi annotandis *numerarii* officio functos fuisse. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 41.

NUMERIA *fuit dea, quæ docebat numerare.* Augustin. de Civit. Dei iv. 11. *Gyrald. Synt. deor.* i. *p.* 52. *C. Lipen. de Stren. c.* 1. §. 6. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 159. Fuit & quæ celeritatem partus adjuvabat, & a parturientibus invocabatur. Varr. de Liber. educ. *Ut qui contra celeriter erant nati, fere Numerii prænomine erant, quod qui cito facturum quid se ostendere volebat, docebat, numero id fore*

fore, quod etiam in partu precabantur Numeriam, quam deam solent indigitare etiam pontifices. Turneb. Adv. xxix. 28.

Numeria gens. V. illam supr. in *Gens.*

NUMERIUS. De illo quæ narrat Festus, V. supr. in Gens *Numeria*. Valerius autem x. *Numerii prænomine sola familia patricia usa est Fabii, idcirco quod ccc. sex apud Cremeram flumen a Vejentibus cæsis, qui unus ex ea stirpe exstiterat, ducta in matrimonium uxore Numerii Otacilii Maleventani, sub eo pacto, ut quem filium sustulisset, ei Numerii prænomen imponeret, obtemperavit.* His verbis colligo, primum *Numerium* prænomen esse, deinde genti Fabiæ ex patriciis tantum proprium fuisse, eoque primum patricium usum esse Numerium, siquidem promiscuum antea plebejis familiis esse potuit, ut est in marmoribus Capitolinis L. SEXTIUS. SEX. F. N. N. SEXTIN. LATERAN. *Numerii* enim *nepos* interpretor. Eadem ratione etiam est in lapide veteri, ita exarata, N. JUNIO. EPIGONO. CHRESTUS. LIB. PATRONO. B. M. DE. SE. id est, *Numerio Junio.* . . . Et apud Cicer. pro Cluent. c. 7. *Dinea, socrus Oppianici, quæ filios habuit M. & Numerium Aurios* de Orat. III. 23. *At Numerius Furius, noster familiaris.* de Divin. II. 41. *Numerius Suffucius, honestus homo, & nobilis.* De *Numerii* prænomine Varr. Anal. II. *Metellus Metella, Ennius Ennia; sed Marcus & Numerius, non Marca, aut Numeria.* *Numerium* autem prænomen N nota scribere antiquos consuevisse demonstratur I. Ante omnia certum est ex his testimoniis, *Numerium* prænomen esse, præsertim Fabiorum, nullumque aliud prænomen fuisse, quod a litera *N* inciperet præter Neronem, quod & integrum scribitur, & Fabiorum nunquam fuit, & non ante Augusti tempora usurpari cœptum est. Quæ cum ita sint, quis negabit unquam, cum N. Fabium Pictorem, sive N. Fabium Vibulanum scriptum invenemus, eam prænominis notam *N* pro Numerio usurpari non debere: dicique *Numerius Fabius Vibulanus*, vel *Pictor*, & ita in aliis? II. Quum hoc proprium gentis Fabiæ prænomen fuisse iidem auctores referant, eoque primum Fabiorum appellatum fuisse constat, qui ejus Q. Fabii filius fuit, qui trecentis sex Fabiis interfectis cæde Cremerensi superfuerat, atque in tabulis Capitolinis an. 346. N. Fabius Q. F. M'. N. Vibulanus idem descriptus sit, nihil dubitandum duxi, quin & ille *Numerius*, & cæteri Fabiorum, aliarumque gentium, qui *N.* præpositam habent, *Numerii* intelligerentur, quod etiam Val. Max. IV. 3. confirmat: nam qui in marmoribus scribitur *N. Fabius Pictor*, ab eo etiam *Numerius Fabius Pictor* ibidem appellatur. III. Hoc idem docet Diomedes de A. C. CN. D. L. M. P. Q. T. prænominibus [illegible], ubi *N* notam *Numerium* significare aperte refert. P. autem Consentius de CN. M'. P. SER. SEX. SP. prænominibus verba faciens, *N* quoque notæ, quam *Numerium* interpretatur, meminit. Hæc autem omnibus prænominibus latinis libris ob vetustatem quum exoleverit, & in CN. M. & C. evasisset, lapidum antiquorum, optimorumque auctorum auxilio renovata, ac restituta est. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II *p.* 2029. *F. Sivon. de Nom. Rom. c.* 3. *Vessat. de Not. Rom. Ins. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 874. *A. Spanhem. de Præst. et. numism. Diss.* VI. *p.* 514. Prænomen hoc pro [illegible] usurpatum fuisse, tam in lapide vetusto Verulis in [illegible] D. Vitalis sic CN. NUMERIUS. . . . . quam apud Asconium, quod me magis movet, inveni, qui in Pisoniana *Q. Numerii* meminit, Ciceronis tempore viventis. *Panvin. ibid. p.* 205. *D.*

NUMERUS a Minerva inventus est. Liv. VII. 3. *Fixos clavos, quia raræ per ea tempora literæ fuerunt, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Minervæ dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum sit.* Gyrald. de Ann. & mens. Tom. II. p. 768. G. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 380. Meurs. Denar. Pythag. c. 1. Ab aliis *numeros* invenisse Palamedes memoratur. Athanas. Orat. adv. gent. p. 20. C. *Literarum structuram, & numeros, & mensuras, & pondera Palamedes invenit.* Plato de Repub. VII. p. 697. D. *Ridiculum omnino Imperatorem in tragœdiis Agamemnonem Palamedes passim ostendit: nonne animadvertisti, ipsum inquientem, quod numerum invenerit?* Ab Æqualitate etiam institutos dicit Jocasta Phœniss. n. 545.

Etenim mensuras hominibus, & partes ponderum
Æqualitas ordinavit, & numeros constituit.

Sunt qui Pythagoræ inventum tradunt. Isidor. III. 2. *Numeri disciplinam primum apud Græcos Pythagoram autumant conscripsisse, ac deinde a Nicomacho diffusius esse compositam.* Beda de Computo: *Primus scien tiam numeri habuit Pythagoras apud Græcos.* Meurs. l. l.

Numerus aureus computistis dicitur cyclus lunaris, seu decemnovennalis, in eum finem institutus, ut, quatenus per totam seriem Kalendarii deducitur, demonstret omnia novilunia, ac illud speciatim, a quo supputata luna 14. indigitat Pascha. Quippe anno 1. cycli, v. g. ubicunque in Kalendario, ac per menses singulos inscriptum vides aureum *numerum*, 1. ipse indicet novilunium eo die contingere, vel contigisse; ac pari modo anno 2. ubicunque vides aureum *numerum* 2. anno 3. atque ita porro, quousque annis cycli expletis, tum ad unitatem redeatur, tum novilunia iisdem diebus, eodemque ordine recurrant. Aureum autem *numerum* appellari ajunt, seu quod olim aureis literis inscriberetur, seu propter inventionis, & usus ejus excellentiam. *Du Fresne Glossario. Chulmann. de Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 300. *D. Calcagn. Orat. in Epiphan.* 1. Hujus observationis auctores Hipparchus facit Metonem & Calippum, ut videre licet apud Ptolemæum Almagisti III. 1. *Chulmann. l. l.*

Numerus denarius oritur ex duobus imparibus, ternario, & septenario, celebris in lustrationibus. Liquet hoc ex ceremoniis denariis apud Festum: *Denariæ ceremoniæ dicebantur, & tricenariæ, quibus sacra acturis, decem continuis diebus, vel triginta, certis quibusdam rebus carendum erat.* De hujus perfectione multa differuntur a Philone Judæo libro de Decalogo, Joach. Camerar. in commentario Græco, quem super aurea Pythagoræ carmina scripsit, & Ovid. Fast. III. 121.

Annus erat, decimum cum luna repleverat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit. . . .

Lomej. de Lustrat. c. 35. Meurs. Denar. Pythagor. c. 12.

Numerus impar *est immortalis, quia dividi integer non potest*, ut scribit Serv. in Virg. Ecl. VIII. 75. & addit, *necendi causa, multarumque rerum impares numeros servari. Diis superis adscriptas* esse. Hinc pastor Virgilianus Ecl. VIII. 75.

—— *numero deus impare gaudet.*

Dexter erat: ideoque templi ingredi per latus dextrum oportebat. Ut omnino dicam, [illegible] cum Plin. XXVIII. 2. *Impares numeros ad omnia vehementiores credimus: idque in febribus dierum observatione intelligitur.* Cum Festo: *Imparem numerum antiqui hominibus prosperiorem esse crediderunt.* Putean. de Bissext. c. 3. Gutier. de Jur. pontif. IV. 5. Lomej. de Lustrat. c. 35. Calcagn. Equitat. p. 565. Meurs. Denar. Pythag. c. 2. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 7.

Numerus millenarius est plenus, quia denarii cubus. Etenim decuplato in se lustro centum fiunt: in centum mille, qui numerorum numerus est, & absolutam rerum omnium mensuram continet. Hinc quæcunque ad infinitum, sive immensum accedunt, mille appellantur. *Putean. de Bissext. c.* 19.

Numerus novenarius est primus ex impari quadratus. Ter enim tria novem. Unde non sine mysterio Phurnut. de Nat. deor. c. 14. *Novem Musas*, Musis sacer est hic numerus, *esse, quia quadratos, & eximios eos faciunt, a quibus coluntur, ut numerus ipse quadratus est.* Quadratos autem homines, sive τετραγώνες Aristot. Ethic. I. 11. *stipes tes & constantes* vocat. *Putean. de Nundin. c.* 6. *Meurs. de Denar. Pythagor. c.* 11. Est maxime perfectus: unde Græci pariter & Latini interdum pro maximo, & consummato dixere, ut in Homero observat Eustathius, in Nicandro Grammatici, in Arato Theon. *Gyrald. Synt. de Musis p.* 557.

p. 557. *D.* In luſtrationibus erat uſitatiſſimus. Ovid. Met. VII. 261.

Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

XIII. 951.

— ego luſtror ab illis:
Et purgante nefas novies mihi carmine dicto.

Religioſus hic *numerus*, & apud ſuperos propter novem orbes cœleſtes, & apud inferos, quibus apud Virg. Æneid. VI. 439.

Fata obſtant, triſtique palus inamabilis unda
Alligat, & novies ſtyx interfuſa coercet.

Hinc *novendialia* mortuorum, tunc enim mortuis parentabant Romani. V. infr. in *Sacrum*. Lomej. de Luſtrat. c. 35. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 8.

Numerus octonarius primus eſt cubus. Anon. in Theolog. Arithmet. *Octonarium primum actu cubum diximus, ac ſolum intra denarium pariter parem.* Clem. Alex. Strom. VI. p. 656. D. *Denarius eſt omnium confeſſione undiquaque perfectus; octonarius vero primus cubus.* Et perfectus. Mart. Capell. VII. *Octonarius cubus ita omnium cuborum eſt primus, ut monas omnium numerorum. Octonarius primus cubus eſt, & perfectus.* Imperfectum tamen, & ideo partum octimeſtrem minime vitalem eſſe ſtatuit Alex. Aphrod. Probl. II. 47. *Quare pueri ſeptimeſtres ſunt vitales, octimeſtres vero non item? quia numerus ſeptenarius eſt perfectus, octonarius imperfectus.* Vulcano ſacer eſſe putabatur. Mart. Capell. *Octonarius primus cubus eſt, & perfectus, Vulcano dicatus.* Meurſ. de Denar. Pythag. c. 10. Rhodig. Antiq. Lect. XXII. 13.

Numerus par ſtatuebatur infinitus, ut impar finitus Pythagoreis. Serv. in Virg. Ecl. VIII. 75. *Varro dicit, Pythagoreos putare, imparem numerum habere finem, parem eſſe infinitum.* Themiſt. in Phyſic. III. *Sed & in eo a Platone differunt Pythagorei, qui non omnem numerum infinitum dicunt, ſed ſolum parem: nam hunc eſſe cauſam ſectionis in partes æquales, quæ infinitæ; ac natura quidem ſua, quibus ineſt, infinitatem generare; finiri vero ab impari: quod pari appoſitus ſectionem in æquales partes vetet.* Pſellus in eundem: *Et Pythagorici quidem parem numerum infinitæ naturæ eſſe judicabant.* Femina exiſtimabatur, ut impar maſculus. Anonym. in Ptolem. Tetrabibl. I. *Nam quæcunque, ajunt, ab impare numero generantur, ea maſcula ſunt: quæcunque vero a pari, feminina: etenim ſolent Pythagorici ſic ſtatuere; numerum parem ſectioni, atque paſſioni obnoxium; imparem utriusque expertem, & efficacem: ideoque ille quidem femina ipſis nominatur, hic vero mas.* Macrob. in Somn. Scip. I. 6. *Numerum imparem marem, parem feminam ſuperius expreſſimus.* Meurſ. de Denar. Pythag. c. 2. Salmaſ. Exercit. Plin. p. 15. a. A. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 7. Apud veteres ſacer erat mortuis, & ſemper infelix. Hinc octo juvenes, quatuor & quatuor vivos ſervat ad inferias Virg. Æneid. X. 518.

Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Vfens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris.

VI. 243.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit.

Ad Patrocli funus Achilles apud Homer. Iliad. XXI. 27.

Vivos ex fluvio duodecim delegit juvenes
Pœnam Patrocli Menœtiadæ mortui.

Notum eſt, Februarium, cui pares dies, ſacrum inferis. *Cerda in Æneid.* X. 518. *Schill Nomencl. Philol. p.* 813.

Numerus quaternarius exſurgit ex duobus binariis. Hic Pythagoricis myſticus fuit, per quem ipſe juravit Pythagoras, quem perennem rerum fontem eſſe judicavit: unde in aureis carminibus, ſub ejus nomine circumlatis n. 47.

Ita certe per eum, qui animæ noſtræ tribuit quaternum,
Fontem perennis naturæ.

Lomej. de Luſtrat. c. 35. Broukh. in Tibull. I. II. 63. Mercurio erat ſacer: quod nimirum quarto menſis die natus crederetur. Plutarch. Sympoſ. IX. 3. *Mercurio potiſſimum quaternarius eſt dicatus: multique quarto menſis die deum eſſe natum tradunt.* Mart. Capell. VII. *Hic numerus quadratus ipſi Cyllenio deputatur, quod quadratus deus ſolus habeatur.* Etiam Herculi, qui natalem eundem habere credebatur. Procl. in dies Heſiod. *Quaternarius numerus Herculis eſt, & Mercurii.* Et: *Quaternarius Herculis eſt; quia is eo die natus.* Meurſ. de Denar. Pythag. c. 6. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 9. Hic in luſtrationibus non obſervabatur. Nec hoc arguit Ovid. Faſt. IV. 777.

His dea placanda eſt: hæc tu converſus ad ortus
Dic quater, & vivo perlue rore manus.

Homines enim docti, qui multa hujus poetæ exemplaria contulerunt, in plurimis ſic legerunt:

Dic ter, & in vivo perlue rore manus.

quod ad hunc locum notavit Nic. Heinſius, qui & unica litera ſublata commode legi poſſe monet:

Dic ter, & i vivo perlue rore manus.

Quem loquendi modum non raro ab oſcitantibus librariis interverſum, eraſum, corruptum multis exemplis idem docet ad Amor. III. 3. & Heroid. IV. 127. *Lomej. de Luſtrat. c.* 35.

Numerus quinarius Minervæ erat ſacer: unde etiam quinta luna nati eſſe credebantur Pluto, Furiæ, gigantes. Virg. Georg. I. 276.

Ipſa dies alios alio dedit ordine luna
Felices operum, quintam fuge: pallidus Orcus,
Eumenidesque ſatæ: tum partu terra nefando
Cœumque, Japetumque creat, ſævumque Typhœa,
Et conjuratos cœlum reſcindere fratres.

Ubi Servius: *Quinta luna nullius operis initium ſumat. Dicitur enim hic numerus Minervæ eſſe conſecratus, quam ſterilem eſſe conſtat: unde etiam omnia ſterilia quinta luna nata eſſe dicuntur; ut Orcus, Furiæ, gigantes.* Meurſ. de Denar. Pythag. c. 7. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 10.

Numerus rotundus dicitur ἀριθμὸς ἀπηρτισμένος, quando millenarii relictis paucis centenariis, aut centenarii neglectis ſummulis excurrentibus uſurpantur, ut Lyſiæ χίλιοι pro χίλιοι διακόσιοι. Harpocrat. in χίλιοι διακόσιοι. *Lyſias in ea adverſus Cliniam, & Iſæus in defenſione pro Nicia expleto uſi ſunt numero* χιλίας. Pollux IX. 6. hoc ſecutus talentum Babylonium dixit habere ἑπτακισχιλίας δραχμὰς, quum tamen haberet δύο καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς, hoc eſt, ἑπτακισχιλίας καὶ διακοσίας δραχμάς. *Scalig. de Re numm. antiq. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1509. *D.* V. & infr. in *Rotundare*.

Numerus ſenarius cenſebatur perfectus eſſe, qui partibus ſuis impleretur. Mart. Capell. VII. *Senarium perfectum, analogicumque eſſe quis dubitet, cum ſuis partibus impleatur? Nam & ſextam ſui intra ſe continet, quod eſt unus; & tertiam, quod duo; & medietatem, quod tria.* Caſſiod. de Amic. p. 611. *Senarius numerus, perfectus, conſtans ex partibus ſuis; ſi enim conjunxeris unum, duo, tria, perfectum habebis ſenarium.* Generationi maxime aptus credebatur. Philo de mund. opific. p. 3. B. *Rebus, quæ creabantur, opus erat ordine; ordini autem numerus eſt proprius; inter numeros vero lege naturæ aptiſſimus generationi eſt ſenarius: nam poſt unitatem primus eſt perfectus, ex ſuis partibus æquatus, atque ex iisdem completus; e dimidio quidem ternario, tertia vero parte binario, ut ſexta unitate; &, ut ita dicam, mas ſimul & femina exiſtit, atque ex viribus utriusque eſt concinnatus.* Cenſorin. c. 11. *Nec immerito ſenarius fundamentum gignendi eſt: nam eum* τέλειον *Græci, nos autem perfectum vocamus: quod ejus partes tres, ſexta, & tertia, & dimidia, id eſt, unus, & duo, & tres eundem ipſum perficiunt.* Ab iſta cauſa hunc Veneri attribuerunt. Mart. Capell. VII. *Hic numerus Veneri eſt attributus, quod ex utriusque ſexus commixtione conficitur: id eſt, ex triade, qui mas, quod impar eſt, numerus habetur: & dyade, quæ femina, paritate; nam bis terni, hexas fit.* Meurſ. de Denar. Pythag. c. 8.

c. 8. Rhodig. Antiq. Lect. XXII. 11. Putean. de Bissext. c. 18. Lindenbr. in Censorinum.

Numerus septenarius componitur ex pari & impari. Habebatur inter plenos, & perfectos. Alex. Aphrod. Probl. II. 47. *Numerus septenarius est perfectus natura, ut testatur Pythagoras, & arithmetici, & musici.* Huc referant, quod partus septimestris sit vitalis. Paull. Recept. sent. IV. 9. *Septimo mense natus matri prodest. Ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur.* Multa in hanc rem affert Alex. l. l. *Numerum septenarium natura perfectum esse constat ex eo, quod Deus terrarum orbem septem astris regat. Hominı septimo mense dentes prodeunt, septimo anno ejiciuntur, bis septimo item pubescit, ter septimo vir fit, morbi quoque eodem modo septenario numero judicantur: ac luna itidem per septenarium formatur, menses quoque per septenarios constituuntur, ac vocales septem existunt.* Censorin. c. 7. *In omnibus numeris septenarius plurimum potest. Siquidem septem formemur mensibus, addimusque a certo tempore loqui constare incipiamus, & quod post septem menses dentis nobis innascantur, iidemque post septimum cadant annum, quarto autem decimo pubescere soleamus.* Multa in hanc rem Alex. Aphrod. l. l. Medicinæ corporis attribuebatur, & Apollini sacer esse existimabatur. Censorin. c. 14. *Plerique aliter moti duos numeros subtiliter discreverunt, ut dicentes, septenarium ad corpus, novenarium ad animum pertinere: hunc medicinæ corporis, & Apollini attributum: illum Musis, quia morbos animi, quos appellant πάθη, musica lenire, ac sanare consueverit.* In lustrationibus observabatur. Apul. Met. XI. p. 356. *Confestim discussa pigra quiete alacer exsurgo: meque protinus, purificandi studio, marino lavacro trado; septiesque submerso fluctibus capite; quod eum numerum præcipue religionibus aptissimum Pythagoras prodidit. . . .* Meurs. de Denar. Pythag. c. 9. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 12. Lindenbr. in Censorinum. Lomej. de Lustrat. c. 35.

Numerus ternarius censebatur sanctus. Marbod. sive Æmil. Mac. de gemmis V.

Hoc tribus, ut multum, dandum censemus amicis:
Qui numerus sacer est.

supra alios omnes. Auson. Eidyll. XI. 88.

Ter bibe, tris numerus super omnia.

primus perfectus. Pollux VI. 2. *Tertius vero crater Jovis Servatoris Perfecti: quia & ternarius numerus primus perfectus.* Auson. ibid. n. 52.

Tris coit in partes numerus perfectus.

Rationem, quod principium, medium, & finem habeat, reddit Plutarch. Symp. IX. 3. *Et omnium numerorum primus perfectus est quidem ternarius; ut qui habeat principium, medium, & finem.* Eapropter usitatus erat in controversiis dirimendis. Dionys. III. p. 150. *Auctor erat, ut terni ex utraque urbe viri electi ante omnium oculos, Albanorum pariter, & Romanorum, decertarent: etenim idoneum maxime hunc numerum esse ad negotium controversum qualecunque dirimendum: quippe qui principium, medium, atque finem in se contineat.* In sacris. In illis ter libabant, ter sacra faciebant. Nicom. in Eclog. τῶν θεολογ. ἀριθμητ. apud Anonym. *Ter libant, & ter sacrificant, qui preces suas perfici a deo petunt.* Jamblich. de Vit. Pythag. I. 28. *Dicere solum, ter libare homines, & oracula Apollinem reddere ex tripode, quod in ternario primum numerum ostenderit.* Ovid. Met. VII. 189.

Ter se convertit, ter sumptis flumine crinem
Irroravit aquis, ternis & hiatibus ora
Solvit.

In sortibus, quas consulebant, tollendis. Tib. I. 3. V. illam infr. in *Sors.* In mortuorum nominibus vocandis. Didym. ad Odys. IX. *Vetus mos est, peregre mortuorum animas ter vocare superstites, cum domum abeant.* In malis, aut morbis deprecandis. In illis ter despuebant. Plin. XXVIII. 4. *Eadem ratione terna despuere deprecatione in omni medicina mos est.* Theocritus. V. illum infr. in *Spuere.* Tib. I. 2. 55.

Hæc mihi composuit cantus, queis fallere posses:
Ter cane, ter dictis despue carminibus.

In Junone invocanda. Illam parturientes ter invocabant. Horat. Od. III. 22. 2.

Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis.

Meurs. de Denar. Pythag. c. 5. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 9. Guther. de Jur. pontif. IV. 5. Putean. de Bissext. c. 5. Saubert. de Sacrif. c. 18. Lomej. de Lustrat. c. 35. Gyrald. Symb. Pythagor. 13. Cerda in Virg. Ecl. VIII. 75.

Numeri vocabantur cohortes. Ulpian. l. 2. §. 1. ff. de his qui notant. infam. *Exercitum non unam cohortem, neque unam alam dicimus, sed numero multo militum. Nam exercitum præesse dicimus eum, qui legionem, vel legiones cum suis auxiliis ab Imperatore commissas administrat. Sed hic etiam eum, qui ab aliquo numero militum missus est, quasi ab exercitu missum sic accipiemus.* Suet. Vesp. c. 6. n. 5. *Revocatis ad officium numeris parumper.* Claudian. Epith. Pallad. & Celer. n. 86.

Regnorum tractat numeros, cuneosque recenset.

Inde *in numeros*, id est, in cohortes, *distribui*. Plin. Epist. X. 30. 38. *Quod sacramento militari nondum distributi in numeros erant. In numeros referri, in numeris esse.* Ulpian. l. 42. ff. de testam. milit. *Ex eo tempore quis jure militari incipit posse testari, ex quo in numeros relatus est, aut non. Proinde qui nondum in numeris sunt, licet jam lecti tyrones sint, & publicis expensis iter faciant, nondum milites sunt, debent enim in numeros referri.* Lips. in Tacit. Hist. I. n. 26. Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 71. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 873. D. Du Fresne Glossario. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 8. Stewech. in Veget. II. 1. Ræward. Var. IV. 8. Vales. in Ammian. XX. 1. Lindenb. in Ammian. XIV. 7. Buchner. in Plinium. Torrent. Marcil. & Pitisc. in Suetonium.

Numeri vocabantur corpora, aut scholæ. Vopisc. Firm. c. 4. *Quidam Burburus nomine, de numero vexillariorum notissimus potator.* In veteri inscriptione: *Ex numero frumentariorum.* In alio antiquo saxo: *Ex numero Dalmatarum fortium.* Salmas. in Vopiscum.

Numeri vocabantur legiones. Tacit. Agric. c. 18. n. 3. *Sparsi per provinciam numeri.* Capitol. Macrin. c. 5. *Timuit & collegam, ne ipse imperare cuperet, quod si vel unius numeri consensus accederet. . . .* Et ita Græcis ἀριθμοί. Sozom. Hist. Eccles. I. 8. *Ex eo tempore Romanorum legiones quæ jam vocantur numeri, singulæ sibi tabernaculum separatum construxerunt.* Lips. in Tacit. Hist. I. n. 26. Ræward. Var. IV. 8. Vales. in Ammian. XX. 1.

Numeri vocabantur tesseræ in ludo tessearum. Ovid. Art. II. 203.

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos.

III. 355.

Et modo tres jactet numeros: modo cogitet, apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.

Calcagn. de Tesser. p. 295.

Numero fieri dicebant veteres, quod cito fieret. Virg. Æneid. XI. 203.

Nec numero, nec honore cremant.

De turba pauperiore. Nec enim ad *numerum* hic versus referendus est, quo pauperiores illi plures simul urebantur, sed ad ignis celeritatem. Plaut. Pœn. V. 4. 120.

O Apelles, o Zeuxis pictor, cur numero estis mortui?

id est, cur tam cito? Festus. Ut *numero* dicere est nimis properanter aliquid dicere; *numero* purgare se, accusationi occurrere. Plaut. Merc. IV. 3. 37. *Guther. de Jur. man.* I. 25.

NUMIDIA ab Ampsico ad ortum tendens, usque ad Sissarum fluvium pervenit. Ejus caput est Cirtha. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 64.* Anno Urbis 643. P. Scipione, L. Bestia coss. contra Jugurtham *Numidarum* Regem bellum susceptum est, quod fratres Hiempsalem, & Adherbalem agitatus regni cupiditate contra senatus de-

num-

nuntiationem occidisset. Primus in *Numidiam* cum exercitu missus L. Calpurnius Bestia, qui captus Regis pecunia pacem cum eo flagitiosam fecit, quæ a senatu improbata est. Post Bestiam Sp. Postumius res in Africa male gessit. Deinde Q. Metellus consul adversus Jugurtham missus, exercitu ad pristinam disciplinam redacto, duobus prœlis Jugurtham fudit, Thalam oppidum diripuit, universam *Numidiam* vastavit, & Regem ipsum per Mauros, & Getulos fugientem insecutus, re pæne confecta, successorem accepit C. Marium consulem. Ipse Romam triumphans ingressus est, *Numidici* cognomine auctus. C. Marius consul, transportatis in Africam copiis, Jugurtham, qui bellum reparaverat, aliquot levibus prœliis primo fudit, fugavit, & armis exuit. Eum postremo cum Boccho Mauritaniæ Rege, quem bello socium asciverat, vicit. Bocchus in desperationem versus Jugurtham vivum Romanis prodidit. A quibus captus, & in triumphum a C. Mario ductus, occisus est. *Numidia*, quæ ejus regnum fuerat, a C. Mario proconsule an. 649. ex decem legatorum sententia provinciæ formam accepit, atque in Africa duæ provinciæ factæ sunt, Africa, ubi erat Carthago, & *Numidia*. Hanc rem Sex. Rufus ita tradit: *Numidia ab amicis Regibus tenebatur, sed Jugurthæ ob necatos Adherbalem & Hiempsalem ,, Micipsæ Regis filios, bellum indictum est. Quo per Metellum consulem attrito, perque C. Marium capto, in potestatem populi Romani Numidia venit.* Panvin. Imp. Roman. c. 14. Manut. de Legib. c. 10.

NUMISMATA auro, argento, ære percutiebantur. V. singula suis locis: reperiuntur etiam, quamvis rarissime, plumbea, stannea, ferrea; cujus generis *numismata* habui, inter quæ unum erat ferreum, quod tale esse eo indicio deprehendi, quod a magnete attrahebatur. Omnia vetera Græcorum, & Romanorum ex auro puro signata sunt. Romana ex metallo puro, & simplici constabant, tempore liberæ Reipublicæ, & sub Imperatoribus primis percussa: sed post illud tempus a pristina puritate paullatim desciverunt, usque ad Alexandrum Severum, a quo bonitas illorum ita imminuta fuit, ut ab ærosis temperatura non different. *Savot. de Numm. Antiq.* IV. 8. *Sardus de Nummis Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1718. *C.*

NUMITORIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

NUMMARIUS judex. V. illum supr. in *Judex.*

NUMONIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

NUMMULARIUS dicebatur permutator *nummorum*, qui majoris pretii *nummis* acceptis, *nummulos*, id est, minusculam monetam per partes reddebat: aut certæ regionis acceptam pecuniam alterius pecunia permutabat. Quod licet non publica auctoritate faceret, tamen *nummularium quoque non esse iniquum cogi rationes reddere* scripsit Pompon. l. 9. ff. de edend. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 881. *C. Salmas. Exerc. Plin. p.* 761. *B.*

Nummularius etiam dicebatur, qui probabat, & æstimabat *nummos*, an probi essent, cujus auri, an subærati, an æqui ponderis, an bonæ fusionis. l. 39. ff. de solut. & liber. *Si solutus pecuniam tibi, jussu tuo signatam, eam apud nummularium, quoad probaretur, deposuerim.* Apul. Metam. x. p. 325. *Ne forte aliquis istorum, quos offers, aureorum, nequam, vel adulter reperiatur: in hoc ipso sacculo conditos, eos annulo tuo prænota, donec altera die, nummulario præsente, comprobentur.* Hunc credo fuisse præfecto Urbi commissum, penes quem de ejus proba negotiatione cura erat. l. 1. §. 9. ff. de Offic. præf Urb. *Præfectus Urbi curare debet, ut nummularii probe se agant circa omne negotium suum: & temperent his, quæ sunt prohibita.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 881. C. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Laz. Comm. Reip. Rom II. 13. Long. de Annul. c. 11.

NUMMUS est dictio Græca, vel potius Sicula. Pollux IX. 6. *Nummus Romanorum videtur numismatis nomen: est vero Græcum Doriensium, qui in Italia, & Sicilia habitarunt. Aristoteles in Tarentinorum republica tradit, numisma ab ipsis nummum vocari, eique insculptum esse Tarantem Neptuni filium delphino vectum.* Hujusmodi *nummum* æneum pondere granorum 124. habui, cui parte una impressa effigies viri nudi delphino insidentis, sub delphini corpore, quasi pila, aut sphærula: in ora literis Græcis ΤΑΡΑΝΤΙ. notis fugacibus, sed tamen qui ab attento facile legerentur: parte altera itidem vir nudus sedens, manu, ut videbatur, super aram extensa, ita obscure, ut reliqua conjectare non potuerim. Hujus descriptionem exhibeo, ut Pollucis locus clarius intelligatur. *Snell. de Re numm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1555. *D. Camerar. de Re numm. Thes. Gronov. ibid. p.* 1413. *C.* Illorum in commerciis usus ex ipsomet Homero colligitur, cum meminit ἑκατομβοίων, ut in permutatione armorum Glauci, ac Diomedis Iliad. VI. 135.

Qui cum Tydide Diomede arma permutavit,
Aurea æneis, ἑκατόμβοια *novem bobus valentibus.*

Scholiastes enim ait *numismata* fuisse, quæ ex veteri ritu ab una parte haberent bovis imaginem, ab altera Regis. Pollux IX. 6. *Vetus erat Atheniensium moneta, Bos appellata, eo quod bovem insculptum habet. Et hanc Homerum putant intelligere dicentem, centum boum pretio digna dignis pretio novem boum,* scilicet arma permutat. *Sed & in Draconis legibus est, solvere decabœum.* Feith Antiq. Homer. II. 10. Vultibus Imperatorum signabatur. Hoc in more positum Græcis & Romanis. Aristot. Polit. I. 9. *nummi* appellat χαρακτῆρα. Latini vertunt titulos, figuras, hoc est, vultus Imperatorum, qui cudi hujusmodi monetam jubebant, nomen, inscriptionem, notam aliquam victoriæ alicujus, aut casus alterius indicem addebant. Cassiod. Var. VI. 7. *Ut imago Principis subjectos videretur pascere per commercium.* VII. 32. *Monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur.* Artemid. IV. 33. *Stratonicus putabat se Regem calcitrare, & progressus invenit aureum numisma, quod calcaverat, neque enim differebat, sive Regem, sive ipsius imaginem calcitrare, aut calcare.* Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. VII. 31. Formam, & quantitatem V. supr. in *Moneta.* Signari dicitur, feriri, & cudi, νόμισμα κόπτεσθαι. Unde τοῦ πονηροῦ κόμματος malos dixit Aristoph. Schol. Plut. IV. 3. 10. haud dubie alludens ad *nummos* adulterinos. Ipse in Ranis ὀρθῶς κοπεῖσι καὶ κεκωδωνισμένοις, *bene signatis & probis.* Ubi tinnitu probatos dicit: ita enim periculum quoque bonitatis fieri solet. Latini Græcam vocem interpretantes *percussi* dixerunt. Plin. XXXIII. 3. V. illum supr. in *Aurum.* Camerar. ibid. p. 1411. C. Novus non percutiebatur Romæ, aut in pondere, pretiove mutabatur, ut cum as ex librari factus est duarum unciarum nisi lege. Hoc significat Plin. XXXIII. 3. cum ait: *Pondus æris immutatum primo Punico bello, cum impensis Respublica non sufficeret: constitutumque ut asses sextantario pondere ferirentur.* Manut. de Legib. c. 17. Ex qua materia factus V. supr. in *Moneta.* Commoveri dicebatur, quia exigebatur. Cicer. pro Fontej. c. 1. *Nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur.* pro Flacc. c. 19. *In qua nummus commoveri nullus potest sine quinque prætoribus.* Buleng. de Vectig. c. 3. Qui nascebantur, qui togam virilem sumebant, aliique conferre debebant ex instituto Servii Tullii, ut sciret numerum hominum, per sexus, ac ætates, nascentium, & morientium. Dionys. IV. p. 220. Ad paganalia *jussit omnes in singula capita conferre certum numismatis genus; sed aliud viros, aliud mulieres, aliud impuberos; quibus per sacrorum præsides connumeratis apparebat hominum numerus per sexus, ac ætates distinctus. Tradit L. Piso Annal.* I. *voluisse eum & urbanæ multitudinis scire numerum, tum nascentium, tum morientium, tum eorum qui virilem togam sumerent: statuisseque quanti pretii nummos pro singulis inferre deberent cognati; in ærarium Ilythiæ, Romani Junonem Lucinam vocant, pro nascentibus: in ærarium Veneris in luco situm, quam Libitinam appellant, pro defunctis: in Juventutis pro togam virilem sumentibus, unde poterat nosse annis singulis, quantus esset in universum numerus civium, tum quam multi ex his essent per ætatem idonei militiæ.* Postea tamen consuetudo illa inferendi *nummi* desiisse videtur; nec enim ullus ejus scriptor meminit: sed morientium *numerus* ex Libitinariis cognoscebatur. *Voss. de Idolol.* II. 27.

Faes

Faes in Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 1. *Kirchman. de Funer.* I. 9. *Laurent. Polym.* III. 11. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 3. *Valtrin. de Re milit. Roman.* II. 3. *Demſter. in Roſin.* v. 32. Adulterinum quinam, & quomodo percuſſerint, & illorum pœnas V. ſupr. in *Moneta*. *Nummos* ſcribere eſt non præſentes ſolvere: ſed pro his in certum diem ſolvendis apud trapezitam ſe obligare, & per argentarium in certum diem cavere redditum iri *nummos* qui debeantur. Plaut. Aſin. II. 4. 34.

— *adducit domum etiam ultro, & reſcribit nummos.*

Queritur pro pecunia præſenti cautionem ſolvendæ per menſam pecuniæ apud argentarium factam: & ante dictum n. 32.

Non vidi huc ipſum adducere trapezitam Exærambum.

Itaque apud Terent. Phorm. v. 7. 28.

— *illud mihi*
Argentum rurſum jube reſcribi, Phormio.

valet, cave mihi a menſa redditum iri. Et apud Horat. Sat. II. 3. 75.

Putidius multo cerebrum eſt, mihi crede, Perilli
Dictantis quod tu nunquam reſcribere poſſis.

valet, quod tu nominibus ad menſam factis, non poſſis ei per argentarium poſtea renumerare. Sic Phorm. v 7. 30.

Quodne ego perſcripſi porro illis, quibus debui?

eſt, quod ad trapezitam attuli, & totum ſcripſi, quibus dinumeraret certa die, ut nihil jam mihi reliquum ſit, atque ita expunxi nomina quibus debebam. *Turneb. Adv.* IV. 13. *Piſtoris & Taubmann. in Plautum.*

Nummus aſper vocabatur bene percuſſus, recens, integer, non vetus, non tritus, atque ipſo uſu levis fugientibus notis, nec forma expreſſa. Suet. Ner. c. 44. n. 4. *Exegit ingenti faſtidio, & acerbitate nummum aſperum.* Perſ. Sat. III. 70.

— *quid aſper*
Utile nummus habet?

Senec. Epiſt. 19. *Movebis mihi controverſiam, ſi te novi, nec voles, quod debeo, niſi in aſpero, & probo accipere.* Illum καινὸν vocat Theophr. Char. Ethic. c. 22. *Qui etiam, ſi minam argenti velit ſolvere, laboret ut reddat in aſpero, καινὸν ποιήσαι ἀποδοῦναι. Turneb. Adv.* XVIII. 28. *Scalig. de Re numm. p.* 41. *Caſaub. in Theophraſtum, & Perſium. Buleng. de Pictur.* I. 20. *Barth. in Stat. Achill.* II. 49. *Ptiſc. in Suetonium.* Quos hujus vocabuli notionem eſſe ſequutos non ſum neſcius: ſed quia nummi ſerrati, aculeati, ut dicam infr. in *nummus ſerratus*, & tanquam ſpinoſi, ac proinde tractatu aſperi eſſent, inde fortaſſe non abſurda conjectura eſt, nomen hoc aſperorum factum: atque id genus nummorum ab avaris, & ad rem attentis avide expetitum fuiſſe, ne, ſi quid vitii ſubeſſet, latere poſſet. Et nihil abſurdi eſt dicere, duplicem illius nominis notionem fuiſſe. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 1. 2.

Nummus bigatus, denarius argenteus, bigæ nota inſignitus. Plin. XXXIII. 3. *Nota argenti fuere bigæ, atque quadrigæ: & inde bigati, quadrigatique.* Agit ibi de vetuſtiſſima *nummi* argentei ſignatura. Tacit. Germ. c. 5. n. 7. *Pecuniam probant veterem, & diu notam, ſerratos, bigatosque.* Bigatorum nempe illorum uſus fuit antiquiſſimus, atque ita primum Germanis etiam innotuit. Hos ergo maxime probabant. Liv. XXIII. 15. *Bigatos quingentos quæſtorem juveni numerare jubet.* Pro bigatis dixerunt & *argentum bigatum.* Liv. XXXIII. 8. *Tulit in triumpho argenti bigati ſeptuaginta novem millia.* XXXIV. 44. *Tulit in eo triumpho argenti bigati centum viginti tria millia pondo.* Fuerunt bigæ illæ non bellicæ, ſed circenſes. Ita docent omnes veteres denarii, qui hodieque extant. Cur iſto genere monetam publicam voluerint ſignare, nemo forte dixerit. Poſſunt tamen placuiſſe bigæ, ut in memoriam revocarent circenſes primos Romuli, quorum occaſione comparavit ſuis matrimonia, & ſic civitatem veluti de novo condidit. *Scheffer. de Re vehic.* II. 11. *Chiflet. de Oth. ær. c.* 7. *Voſſ. Lex. Etymol. in Biga. Lipſ. in Tacit. Germ. n.* 23. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 36. *Sperling. de Numm. non cuſ. c.* 38. *Bud. de Aſſe p.* 633. *Pigh. Annal. Roman.* I. *p.* 451.

Nummus centimonialis eſt forma centenaria, majorina pecunia. l. 2. C. Th. ſi quis pecun. conflav. *Centimonialem tantum nummum in converſatione publicâ tractari præcipimus majori pecuniæ figuratione ſubmota.* C. Th. de falſ. mon. *Comperimus nonnullos flaturarios majorinam pecuniam ſeparato ab ære argento repurgare.* Buleng. de Vectig. c. 77. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19.

Nummus quadrigatus quadrigæ nota erat inſignitus. Feſtus in Grave æs: *Nummi quadrigati, & bigati a figura cælaturæ dicti.* Liv. XXII. 54. *Venuſini in ſingulos equites quadrigatos nummos vicenos, & peditibus denos dederunt.* Plin. XXXIII. 3. V. illum ſupr. in *Nummus bigatus*. Scheffer. de Re veh. II. 13. Voſſ. Lex. Etymol. in Biga. Bud. de Aſſ. v. p. 635. Sperling de Numm. non cuſ. c. 38. Lipen. de Stren. c. 3. §. 36. Pigh. Annal. I. p. 451.

Nummus ſerratus dictus, quia ſerra erat ejus nota. Tacitus laudatus ſupr. in *Nummus bigatus*. Rhodig. Ant. Lect. x. 2. Rhenan. in Tacitum. *Nummus* mihi eſt, in cujus poſtica parte caput Urbis, & inſcriptum ROMA SER. Hæc nota ſignificat fortaſſe SERRATUS: Serrati enim nummi dicebantur, quibus ſerra impreſſa erat. *Urſin. de Famil. Roman. in Manlia. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 957. *C.* Sed quo argumento Urſine? Mille *nummi* cum illo capite, in queis nihil tale, & potius id referendum ad Serrani cognomen, quod ex alia gente hærere huic potuit per adoptionem. Potius, quia illorum circumferentia ſerrata erat, & ambitus inciſus, atque ita formatus, ut ſunt canum, & ſerpentum dentes. Sciendum autem eſt, typum ferreum, in quem metallum, vel liquatum, vel certe attenuatum imponebatur, angulatam in circuitu formam habuiſſe: ſic ut *nummus* in eo percuſſus ei, quaſi typus aculeatus antitypo reſponderet. Facile autem intellectu eſt, excogitatum id fuiſſe, ut fraus falſariorum agnoſci poſſet, qui laminis aureis, & argenteis æs interponebant. Et dicebantur inde probari. Plin. XXXIII. 9. *Miſcuit denario triumvir Antonius ferrum. Igitur ars facta denarios probare.* Perſ. Sat. v. 104.

— *tibi recto vivere talo*
Ars dedit? & veri ſpeciem dinoſcere calles,
Ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro?

Spectaſſe id eos in nummis vulgo, addocent ratio, & Tertull. de Pœnit. c. 6. *Si ergo qui venditant, prius nummum, quo paciſcuntur, examinant, ne ſcalptus, neve raſus, ne adulter ſit.* Lipſ. in Tacit. German. n. 23. Claud. Chiflet. de antiq. numiſm. c. 7. Henr. Thom. Chiflet. de Oth. ær. c. 6. Hotman. Antiq. Roman. IV. 1. 2. Zimmerman. Floril. Philol. p. 571.

Nummo addicere donationis erat inſtar, cum obtentu venditionis rem donantes, invidiam donationis vitamus, aut pudori accipientis conſulimus. Suet. Jul. c. 50. n. 3. *Serviliæ ampliſſima prædia ex auctionibus haſtæ nummo addixit.* Val. Max. v. 2. 10. *Marco Cornuto prætore funus Hirtii, & Panſæ juſſu ſenatus locante, qui tunc libitinam exercebant, tum rerum ſuarum uſum, tum miniſterium ſuum gratuitum polliciti ſunt, quia ii pro Republica dimicantes occiderant: perſeverantique poſtulatione extuderunt, ut exſequiarum apparatus ſeſtertio nummo ipſis præbentibus addiceretur.* Noſtrates hoc dicunt, fragmento panis vendere. *Bud. in Pandect. p.* 158. *K. de Aſſe* I. *p.* 106.

NUN.

NUNCUPARE eſt pronuntiare, expreſſe & nominatim dicere. Cicer. de Offic. III. 16. *Nam, cum ex* XII. *tab. ſatis eſſet ea præſtari, quæ eſſent lingua nuncupata: quæ qui infitiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret: a jureconſultis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta. Quicquid enim eſſet in prædio vitii, id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere.* Eſt enim *nuncupare* non ſcripto, ſed verbo cavere,

cavere, vel dicere, quod Græce ὑπαγορεύειν dicitur. Unde testamentum *nuncupare* dictum est. Plin. XIV. 22. *Alii testamenta sua nuncupant.* Justin. XII. 15. 13. *Nam etsi non voce nuncupatus hæres, judicio tamen electus videbatur.* Julian. l. 8. §. 4. ff. de bon. possess. secund. tab. *Quidam in tabulis testamentum sibi fecit, filio autem impuberi per nuncupationem substituit.* Sic dicitur *nuncupata voluntas* a Justin. Instit. II. 10. §. 15. *Nuncupata vota* Suet. Aug. c. 97. n. 2. *Bud. in Pandect. p. 62. A. Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* III. *p. 2. c. 26.* Testamentum *nuncupabatur* hoc modo: *Hæc uti in his tabulis, cerisve scripta sunt, ita do, lego, ita testor, ita vos, Quirites, testimonium perhibetote.* Guther. de Vet. jur. pontif. II. 6.

NUNDINA dea a nono die est appellata, quo mares lustrabant, iisque nomina imponebant. Macrob. Sat. I. 16. *Nundinam deam Romanorum a nono die nascentium nuncupatam.* Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2034. F. Tomas. de Donar. c. 10. Bartholin. de Puerp. p. 136. Stuck. Ant. Conviv. I. 16. de Sacr. gent. p. 44. Lomej. de Lustrat. c. 27. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 163. Crinit. de Honest. Discipl. III. 4. Laurent. de Natalit. c. 1. 2. 3. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10.

Nundinæ nono quoque *die* celebrabantur. A *nundinis* igitur ad *nundinas* novem dies erant, diversi octo, intermedii septem. *Nono die* a rustico opere ad Urbem, & *nundinas* Romani ventitabant. Dionys. VII. p. 463. *Nundinæ Romanis, nono quoque die celebratæ; quando ad Urbem plebs agrestis confluens, res venales permutabat, & jure inter se agebat, & suffragia ferebat de rebus publicis: de quibus vel leges permitteret ei arbitrium, vel senatus deferret. Intermediis septem diebus, quia magna pars pauperes erant, & manu sua parabant victum, occupabantur rure.* Recte septem: primus enim dies, & hic nonus *nundinas* habebat; inter primum autem, & nonum septem interjecti, quos *rusticos* appelles, ut duos illos *urbanos*. Varr. de Re rust. præfat. II. *Viri magni, nostri majores, annum ita diviserunt, ut nonis modo diebus urbanas res usurparent; reliquis septem, ut rura colerent.* Distincte Plin. XVIII. 3. hanc ob causam *nundinis* comitia notat non fuisse: *Nundinis Urbem revisebant, & ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur.* Dionysii itaque verba de suffragiis ferendis ad prima tempora referenda sunt. *Putean. de Nund. Rom. c. 3. Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 18. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 447. Person. de Græc. & Rom. magistr.* III. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p. 2816. D. Hospinian. de Orig. Fest. Ethn. c. 5. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom.* II. *p. 808. F.* Quis primus Romæ instituerit, quæritur. Originem alii ad Romulum, alii ad Servium Tullium referunt. Macrob. Sat. I. 16. *Nundinarum originem quidam Romulo assignant, quem, communicato regno cum T. Tatio, sacrificiis, & sodalitatibus institutis, nundinas quoque adjecisse commemorant, sicut Tuditanus affirmat. Sed Cassius Servium Tullium fecisse nundinas dicit, ut in Urbem ex agris convenirent, urbanas, rusticasque res ordinaturi. Geminus ait diem nundinarum exactis jam Regibus cœpisse celebrari; quia plerique de plebe repetita Servii Tullii memoria parentarent ei in nundinis, cui rei etiam Varro consentit.* Quia tamen plures conjunctis velut calculis hunc Romulo honorem deferunt, a conditore Urbis temere non recedam. Verisimile quoque est, Romulum, cum annum in nova Urbe ordinaret, *nundinas* haud omisisse. Diserte Dionys. II. p. 98. Romulus *nonum diem nundinis assignans.* Soli etiam Romuli anno *nundinæ* ex asse conveniunt numero. *Putean. ibid. c. 4. Siccam. in Fast. Kalend. c. 6. Morestell. Philom.* V. *Dial. 14. Hospinian. & Person. l. l.* Non erant eædem quæ *nonæ*. Macrob. I. 13. *Cum sæpe eveniret, ut nundinæ modo in anni principem diem, modo in nonas caderent, remedium, quo hoc averteretur, excogitatum est. Quod aperiemus, si prius ostenderimus, cur nundinæ, vel primis Kalendis, vel nonis omnibus caveantur. Nam quoties incipiente anno dies cœpit, qui adjectus est nundinis, omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit. Nonis autem conventus universæ multitudinis vitandus existimabatur, quoniam populus Romanus exactis Regibus diem hunc nonarum maxime celebrabat, quem natalem Servii Tullii existimabant. Qui, cum incertum esset, quo mense Servius Tullius natus fuisset: nonis tamen natum esse constaret, omnes nonas celebri notitia frequentabant. Veriti ergo, qui diebus præerant, ne quid nundinis collecta universitas ob Regis desiderium novaret, cavisse, ut nonæ a nundinis segregarentur.* Hospinian. l. l. Putean. ibid. c. 12. Ferias esse ait Festus: *Nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui; ut rustici convenirent mercandi, vendendique causa: eumque nefastum, ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores.* Sic & Macrob. Sat. I. 16. opinionisque suæ auctores laudat Jul. Cæsar. Auspic. XVI. *Nundinis concionem advocari non posse, id est, cum populo agi; ideoque nundinis Romanorum comitia haberi non posse, nimirum, quia feriæ sunt.* Etiam Corn. Labeon. Fast. I. *Nundinis ferias esse.* Contra Titus de feriis scribens, *nundinarum dies non inter ferias retulit, sed tantum sollennes vocavit.* Et Julius Modestus, qui affirmat: *Messala augure consulente pontifices, an nundinarum Romanarum, nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse eos, nundinas sibi ferias non videri.* Item Trebat. Relig. I. *Nundinis magistratum posse manumittere, judiciaque addicere, quod feriis non licebat.* Hæc facili negotio conciliantur: verbis nimirum Macrobii, qui cum ex Granio Liciniano Fast. II. hæc laudasset: Granius *ait nundinas Jovis ferias esse, siquidem flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem soleat immolare: sed lege Hortensia effectum est, ut fastæ essent, uti rustici, qui nundinandi causa in Urbem veniebant, lites componerent. Nefasto enim die prætori fari non licebat:* addit: *ergo qui ferias dicunt, a mendacio vindicantur patrocinio vetustatis: qui contra sentiunt, æstimatu ætatis, quæ legem secuta est, vera depromunt.* Putean. ibid. c. 8. Manut. de Comit. Roman. c. 8. de Legib. Roman. c. 34. Gyrald. ibid. B. Siccam. Morestell. & Hospinian. l. l. Reipsa erant mercatus. Hinc *nundinari* est mercari, sive emas, sive vendas: & *nundinatio* emptio atque venditio. Græce ἀγορὰ, a verbo ἀγείρω, id est, congrego. Homines enim ad emendum, vendendumque merces conveniunt. Gloss. vet. *Nundina,* ἀγορὰ τῶν ὠνίων. q. d. *forum rerum venalium.* Πανήγυρις etiam, quasi *confluxus hominum, & frequentia.* Locus forum est. Aristoteles Polit. VII. 12. ubi de mercatu in urbe constituendo, forum appellat *locum aptum rebus, quæ ex agris mittuntur, convehendis.* Sex modis forum intelligi notat Festus: sed ad nostrum institutum facit, *esse negotiationis locum, ut forum Flaminium, forum Julium, ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda curarunt. Quod etiam in locis privatis, & in viis, & agris fieri solet.* Cæterum olim Romæ fora omnino XVII. Romanum, quod dicitur magnum, Cæsaris, Augusti, Boarium, Transitorium, Olitorium, Pistorium, Trajani, Ænobarbi, Suarium, Archemorium, Diocletiani, Gallorum, Rusticorum, Cupedinis, Piscarium, Sallustii. *Putean. ibid. c. 2. Nundinæ* quidem omnes, mercatus sunt; sed non omnes mercatus *nundinæ*. V. supr. in *Mercatus.* Illarum dies demonstrabant literæ A. B. C. D. E. F. G. H. Harum serie totum conteritur Kalendarium. Inter fastos ideo referebantur, quod lege Hortensia fastæ erant, ut ex Granio Liciniano jam retulit Macrobius. C. vero litera comitiales dies notantur, per quos solum comitia haberi licebat. Ea vero ratione hi dies inter fastos connumerantur, quod cum comitia non haberentur, fasti essent. *Ciaccon. in vet. Roman. Kalend. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p. 16. A. Struv. ibid. c. 8. p. 352. c. 9. p. 448.* Jus illas concedendi olim pertinebat ad senatum Romanum. Plin. Epist. V. 4. 1. *Sollers vir prætorius a senatu petiit, ut sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur. Contradixerunt Vicentinorum legati. A consulibus jus nundinarum in privata prædia petiit* Claudius apud Suet. c. 12. n. 3. Unde de Antonii *nundinis* Cicer. Phil. II. 36. *Itaque si hæc manent, quæ stante Republica manere non possunt, provincias universas P. C. perdidistis. Neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani hujus domesticis nundinis deminutum est.* Petitæ & postea a Principe l. 1. ff. de nund. *Nundinis a Principe impetratis, non utendo qui meruit, decennis tempore usum amittit.* Tholos. Synt. jur. XXV. 3. §. 4. Brisson. Ant. Select. 2. 15.

1. 15. Sigon. de ant. jur. Ital. II. 15. Putean. ibid. c. 28. Struv. ibid. p. 448. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Illarum quædam jura, ac sollennia erant, quæ velut fulcra quædam hoc ædificium sustinebant, ad robur simul, & ornatum. Jura quidem, privilegia, atque immunitates sunt *nundinatoribus* olim, ut & hodie, concessæ, velut illices lucri. Quia enim tributis, vectigalibusque merces liberantur, concursus est: utrobique compendium, sive vendantur res, sive emantur. Quid antiquitus fuerit, satis posteriora, & hæc nostra secula docent. Hoc etiam quondam obtinuit, ne quis *nundinarum* tempore jure conveniretur. Ita lex Imperatorum Valentis, & Valentiniani de *nundinis* l. 1. C. V. illam supr. in *Mercatus*. Putean. l. l. Tholos. ibid. §. 6. Inter sollennia epulæ quoque *nundinariæ* erant. V. illas supr. in *Epulæ*. Illarum numen quoque Mercurius: ille, ut lucri auctor, ita hilaritatis amator. Quasi dicam, etiam in conviviis commercia esse, vel in commerciis convivia; negotia autem epulis absolvi. Mensam, & ut Græci appellant, τράπεζαν vide: quemadmodum cupedias, ita & pecunias; non minus in foro, quam in triclinio statui solita, & frequentari. Nec superstitio defuit, vitium inprimis populare. Mirum est, quod scripsit Plin. XXVIII. 2. *Ungues resecari nundinis tacenti, atque a digito indice, multorum pecuniæ religiosum est.* Quæ verba quem omnino sensum contineant, ambiguum videtur. Cur enim *taceenti*, & cur *a digito indice*? Pecunia quidem *nundinarum* beneficium, imo instrumentum est. Refectio ad imminutionem facit, ideoque pecunia religiosa, tristis, sæva, infausta, &, ut verbo dicam, vitanda. Quid si tamen ad recisam pecuniam referas? Huc fortassis pertinet quoque: *nihil inter nundinum gustare*, & *inter nundinum barbam radere*. Et annum infelicem censere, quando vel in Kalendas Januarias, vel in nonas quascunque cadunt, maxime superstitiosum est. Etiam Augustum hic reprehendo, qui plebejum in se vitium admisit, majestatem superstitione maculans, qui observavit, *ne postridie nundinas quoquam proficisceretur*. V. supr. in *Nonæ*. Putean. l. l. Illarum tutela erat I. sacra, & quid religionis ad *nundinas* relatum est. An *Nundina* dea illis præfuerit, pronum sit a nomine statuere. Glossæ, si tamen correctæ, nescio quid insinuent: *Nundina*, ἀγορὰ, πανήγυρις. A Macrobio tamen ad lustrica sacra refertur. V. illum supr. in *Nundina*. Quid si dicam vero, in his quoque sacris *nundinarum* constitutionem spectari? Jovis esse ferias ante ostendi. Eo enim die *in regia arietem solitum immolari*. Cæterum Mercurio sacras esse conditio nominis indicat. Hic sermonis deus erat: sed & lucri, ac mercimonii; cum negotia omnia verbis, & eloquio constent, ac perficiantur. Hinc sane qui Latinis Mercurius, & a mercibus, ut Festo placet, appellatur, Græcis Ἑρμῆς, quasi interpres, ac nuntius. Unde Ἑρμηνεία, ipse sermo. Non frustra igitur ἐμποραῖος, ἐμπολαῖος, κερδῷος, *Mercatorius*, *Negotiator*, sive *Nundinator*, & *Lucrio*. Huc facit vetus inscriptio laudata supr. in *Mercurius*. Ipse apud Plaut. Amph. prol. n. 1.

Ut vos in vestris vultis mercimoniis
Emundis, vendundisque me lætum lucris
Afficere, atque adjuvare in rebus omnibus;
Et ut res, rationesque vestrorum omnium
Bene expedire vultis, peregreque & domi,
Bonoque, atque amplo auctare perpetuo lucro.

Peculiariter tamen *mense Majo Majæ, & Mercurio mercatores omnes sacrificare* scribit Macrob. Sat. I. 12. II. civilis, tanquam magistratum hic aliquem agnoscas, cum & præfectum suum habuerint, quem ædilem Romani, & Græco vocabulo ἀγορανόμον, quasi *legem*, *regulamque fori*, appellarunt. Hujus quodnam munus fuerit V. supr. in *Ædilis*. *Nundinis* toti lavabantur. Senec. Epist. 86. *Ut ajunt, qui priscos mores Urbis tradiderunt, brachia, & crura quotidie abluebant, quæ scilicet sordes opere collegerant: cæterum toti nundinis lavabantur.* Struv. l. l.

Nundinæ hebdomadicæ, hebdomade jam introducta fiebant diebus Solis, & toto anno. Illas Constantinus constituit, curante Valerio Catulino præfecto prætorii per provinciam Pannoniæ superiorem. Vetus inscriptio, quæ facit ad has *nundinas*:

IMP. CÆS. FL. CONSTANT. AQUAS.
IASAS. OLIM VI. IGNIS. CONS. CUM.
PORTICIBUS. ET. OMN. ORNAMENTIS. AD. PRISTIN. FACIEM. RESTITUIT. PROVISIONE. ETIAM. PIETATIS. SUÆ. NUNDINAS. D. SOLIS.
PERPETI. ANNO. CONSTITUIT
CURANTE. VALERIO. CATULINO.
P. P. P. P. P. SUPER

Putean. de Nundin. Roman. c. 26.

NUNDINIUM, seu *nundinum* dicebatur ordinatio consulum. Vopisc. in Tacit. c. 9. *Idcirco quod jam senatus omnia nundina*, sive *nundinia*: ita enim Palatinus, & prima editio, *suffectorum consulum clauserat*. Lamprid. Alex. Sev. c. 43. *Nundinia vetera instituit*. Notum est sub Imperatoribus jam inde a Claudio bimestres consules fuisse, ita ut duodecim in annum ordinarentur. Et si variatum aliquando pro libidine Principum quorundam, & plures ordinati: hunc tamen numerum, & ordinandi modum tenuerunt plures, & meliores Imperatores. Sex igitur *nundinia*, vel collegia consulum suffectorum erant. *Nundinium* I. ordinariorum consulum a Kalendis Januariis usque ad Martias. II. suffectorum a Kalendis Martiis ad Majas. III. a Majis ad Julias. IV. a Juliis ad Septembres. V. a Septembribus ad Novembres. VI. in reliquos duos anni menses. Atque hæc sunt omnia suffectorum consulum *nundinia*, quæ sic vocat Vopiscus, quæ jam clauserat senatus, hoc est, omnes consules totius anni designaverat, & ordinaverat, cum consulatum fratri petiit Tacitus: ideoque non impetravit, quod minime vacuus locus esset relictus. Hinc legimus in vita Alex. Sev. c. 28. *Consulatum ter iniit tantum ordinarium, ac primo nundinio sibi alios semper suffecit.* Nam primum *nundinum*, ut dixi, fuit consulum ordinariorum, qui Kalendis Januariis consulatum inibant, & nomen fastis dabant: quo primo *nundino* semper alios sibi sufficiebat Alexander, nec consulatum gerebat totos illos duos menses primi *nundini*. Et ibidem c. 43. eundem *consules vel ordinarios, vel suffectos, ex senatus sententia nominavisse: & vetera nundinia ex ordine instituisse*, hoc est, eum ordinem, & modum consulum ordinandorum revocasse, quem descripsimus. Cum enim multi ante Alexandrum Imperatores, jam inde a Commodo, sub quo *viginti quinque consules in unum annum* facti sunt apud Lamprid. c. 6. adeo parum observabant, ut alium ejus rei morem agnoscerent nullum, nisi quem sua libido statuisset, Alexander vetera *nundinia* ex ordine instituit, & in pristinum statum, & formam reduxit. Quare appellata *nundinia* vices istæ, & ordines suffectorum consulum, puto rationem arcessi posse ex veteri more creandorum consulum, cum penes populum comitiorum, & campi jus erat. Tribus enim *nundinis*, vel in *trinundinum* indicebantur comitia creandis consulibus: sed & candidati ipsi *nundinis* in comitium veniebant, & populo se ostendebant, & singulos prensabant: quod & ipsum *internundino* faciebant. Ad eam rem igitur *trinundini* tempus dabatur petituris consulatum. Cicer. Fam. XVI. 12. *Neque jam velle absentis rationem haberi sui: se præsentem trinundinum petiturum.* Mutato more, & jure designandorum consulum in populum, & principem translato, mos tamen idem videtur remansisse, ut candidati *nundinis* in comitium venirent, & ab omnibus viderentur. *Salmas. in Vopiscum.*

NUNTIATORES dicuntur emissarii, internuntii, & delatores criminum: ex quo eorum indicia notoria dicuntur. V. supr. in *Notoria*. Paull. l. 6. ff. ad Sctum Turpill. *Nuntiatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis assistere jubentur.* Cujus sensus hic est: *nuntiatores*, qui reos deferunt per notoria, licet citra calumniæ metum accusent, debere tamen assistere suis indiciis, eaque tueri notoria, quæ attulerunt, interim dum quæstio de crimine habetur. *Bud. in Pandect. p. 238. Pollet. For. Rom. IV. 4.*

NUNTIATIO duplex est. I. augurii, quam habebat solum, cui spectio erat, hoc est, augur. II. avocandæ concionis, quam solus habebat, qui omne jus auspiciorum habet, hoc est, major magistratus, quæ vocabatur *obnuntiatio*. Videmus hoc in verbis Festi: *Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione, & nuntiato: quia omne jus sacrorum habent, auguribus spectio duntaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire nuntiando, quæ cum vidissent satis, spectio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gererent, non ut alios impedirent nuntiando.* Locus profligatissimus est, ac multis vulneribus confectus. Non solum enim corruptus, sed mancus, ac parte sui non parva truncatus. Festi sententia hæc videtur fuisse. *Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione. Spectio, & nuntiatio data erat iis magistratibus, qui omne jus auspiciorum habent: auguribus spectio duntaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire nuntiando quæcumque vidissent: at iis spectio sine nuntiatione data est.* Cum Phil. II. 32. dicitur augures *habere nuntiationem*, est jus tantum *nuntiandi* magistratui de eo quod viderint. *Scalig. & Augustin. in Festum. Buleng. de Augur. c. 9. Manut. de Quæs. per Epist.* I. 9.

Nuntiatio novi operis quid fuerit. V. infr. in *Opus*.

NUNTIUM remittere apud Romanos, & libellum repudii mittere in divortiis & repudiis formulæ erant loquendi usitatæ. V. Cicer. supr. in *Divortium*. Jure enim divino, non modo civili repudium, & divortium per *internuntios* solebant fieri. *Hotman. de Sponsal. c. 6. Rhodig. Ant. Lect.* XVII. 29: XXVIII. 16.

Nuntius in tragœdiis vocabatur, qui quascunque res nuntiabat, Græce vocabatur ἄγγελος. Quæ enim in illis res non erat intus, narrabantur, non exhibebantur. Et Græce ἐξάγγελος, qui voce supplebat, quod in scena fieri non poterat. Æschylus primus reperit *nuntios*. Philostratus in Gorgia. Ajax tamen apud Sophoclem suam ipsius calamitatem exponit, ubi Scholiastes: *Scena translata est in desertio quodam loco, deinde Ajax quum adornasset ensem, narrationem quandam, & complorationem ante mortem profert; quia ridiculum erat mutam personam inductam in ensem incumbere. Talia autem apud veteres rara sunt. Solent enim res gestas per nuntios renuntiare.* Buleng. de Theatr. I. 7.

NUP.

NUPTA nova senis crinibus ornabatur. V. illos supr. in *Crinis*. Hasta celibari ejus caput comebatur. V. illam supr. in *Hasta*. Corona redimiebatur. V. illam supr. in *Corona*. Tunica recta induebatur. V. illam infr. in *Tunica*. Cingulo, quod vir in lecto solvebat, cingebatur. V. illud supr. in *Cingulum*. Jugum imponebatur. V. illud supr. in *Jugum*. Soccos luteos gestabat. V. illos infr. in *Soccus*. Velo, quod flammeum vocabatur, obnubebatur. V. illud supr. in *Flammeum*. Rapi simulabatur. Festus: *Rapi simulatur virgo ex gremio matris: aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur. Quod videlicet ea res feliciter Romulo cesserit.* Igitur hoc factum ad exemplum primarum matrum, quæ ludis sollennibus raptæ, & sic viris Romanis junctæ fuere. Ni verius sit, quod hoc ritu virgines ostendere voluerint, quam invitæ virginitatis suæ jacturam, legitimo licet conjugio, subirent. Hinc Catull. LXI. 3.

Qui rapis teneram ad virum
Virginem.

Plutarch. Quæst. Rom. 26. Sigon. de Jur. civ. Rom. I. 9. Brisson. de Rit. nupt. p. 61. Caroli Antiq. Roman. IV. 3. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 4. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 37. In viri domum, tanquam conjugii mansionem, ac domicilium traducebatur. Ab hoc more manavit, quod dicimus uxorem ducere: nam id proprie dicitur; etenim cum dicimus uxorem ducere, deest domum. Plene autem, & perfecte sic enuntiatur, uxorem domum ducere. Plaut. Aul. II. I. 28.

Volo te uxorem domum ducere.

Trin. V. 2. 64.

Quid causa est, quin uxorem cras domum ducat?

Terent. Hec. I. I. 5.

Nunquam se illa viva uxorem ducturum domum.

Hinc *duo in unam domum convenire* dicebantur. Plutarch. Sympos. IV. 3. Eodemque modo Græci ἄγεσθαι γυναῖκα immunute dicunt, apud quos ista deductio in usu fuit. *Brisson. Ant. Select.* I. 18. *de Rit. nupt. p. 62. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 22. de Rit. nuptiar. c. 1. Caroli. l. l. Taubman. in Plauti Aulularium.* Et quidem noctu. Val. Max. I. 5. 4. *Cæcilia Metelli dum sororis adultæ ætatis virginis more prisco nocte concubia nuptiale petit, omen ipsa fecit.* Tacitus a Nerone cum Pythagora confectas nuptias referens Annal. XV. 37. 5. *Cuncta denique spectata, quæ etiam in femina nox operit.* Ea ratio est, cur noctem adesse Catull. LXII. 1. admoneat.

Vesper adest, juvenes consurgite: vesper olympo,
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas.
Jam veniet virgo.

Demster. Paral. ad Antiq. Rosin. V. 37. Brisson. ibid. p. 64. & Antiq. Select. I. 18. Licet. de Lucern. sepulcr. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 1000. D. Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. p. 2. c. 16. & de Prof. Rom. rit. c. 22. Potter. Archæol. Græc. IV. 11. Carol. & Kipping. l. l. Cerda in Virg. Æneid. IV. 339. Quod nocte virgines deduxerint domum, puto hanc reddi posse rationem, quod noluerint aspici a multitudine hominum, ne pudore, & ex eo oriente timore corriperentur, quod quodammodo liquet ex obnubilatione flammei, quo se marito, virisque obnubebant, id est, obvelabant. Altera, quod tacite indicarint, hæc secreta, & tacita festa debere esse, ne cuipiam aliquid innotesceret. Adde, quod juvenes potius elegerint tempus, ut eo liberius possent ludere, & quasi jam tenebris noctis absconditi paullo magis indulgere voluptatibus, actum hunc sollennem ut plurimum concomitantibus. *Almelov. Antiq. p. 79.* A pueris patrimis, & matrimis. Festus: *Patrimi & matrimi pueri tres adhibebantur in nuptiis: unus, qui facem præferret ex spina alba, qui noctu nubebant. duo, qui nubentem tenebant.* Unde Catull. LXI. 81. mox laudandus. *Brisson. Casal. Caroli & Kipping. l. l. Hotmann. de vet. rit. nupt. c. 16. & 31.* Ad faces accensis. V. illas supr. in *Fax*. Illa *solebat rapi, qua præducente nova nupta deducta erat, ab utrisque amicis ne aut uxor eam sub lecto ea nocte poneret: aut vir in sepulcro comburendam curaret: quo utroque mors propinqua alterutrius captari putabatur.* Festus. *Hotman. de vet. rit. nupt. c. 19. Brisson. ibid. c. 69. Casal. l. l.* In altum tollebatur. Optat. Milevit. in Donat. VI. *Invenistis hujusmodi virgines, quæ jam spiritaliter nupserant, quasi secundo coegistis ad nuptias, ut crines iterum solverent imperastis. Hoc nec mulieres patiuntur, quæ carnaliter nubunt: ex quibus si alicui maritum mutare contigerit, non repetitur ulla temporalis festivitas. Non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur.* Verum hoc ex suæ id gentis potius, quam Latiæ moribus ab Optato mihi videtur esse dictum. *Brisson. & Casal. l. l. Pith. Adv.* II. 6. Colus compta cum fuso, & stamine comitabatur. V. supr. in *Colus*. Præterea utensilia mulieris, & quæ in usu, ac ministerio ejus erant, per puerum impuberem in vase operto gestabantur. Puer, camillus: vas ipsum cumerum proprio nomine vocabatur. V. utrumque supr. in *Camillus*. Asses tres ad maritum deferebat. V. supr. in *Asses*. Ædium fores floribus & frondibus ornabantur. Catull. LXIV. 293.

Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Juven. Sat. VI. 79.

Ornentur postes, & grandi janua lauro.

Ex hoc more de muliere statim post nuptias divertente dixit Juven. II. 228.

Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Briffon. ibid. p. 81. Lyd. Serm. Conv. II. p. 128. Aring. Rom. Subterr. VI. 49. 9. Sagittar. de Jan. vet. c. 30 §. 16. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Paschal. de Coron. II. 16. Cerda in Æneid. IV. 249. Bernart. in Stat. Theb. p. 81. Cruc. in Sylv. p. 25. Casal. Caroli & Kipping. l. l. Præ foribus adventum mariti interrogabatur, quænam esset, & se Cajam esse respondebat. Val. Max. x. *Cæterum Caja usu præter omnes celebrata est. Fertur enim, Cajam Cæciliam Tarquinii Prisci Regis uxorem optimam lanificam fuisse.* Plutarch. Quæst. Rom. 30. eos qui nubentem introducerent ei verba hæc suggessisse testis est, *ubi tu Cajus, ego Caja.* Quorum verborum sensum eum esse quidam existimabant: ubi tu dominus & paterfamilias, ego domina & materfamilias: ut, quemadmodum Icti in exemplis proponendis Caji, Seji, Lucii, Titii, philosophi vero Theonis, & Dionis nomina usurpant, ita & in nuptialibus his ceremoniis nomen Cajæ exempli causa fuerit institutum. Alii Cajæ Cæciliæ nomini, quod ominis boni causa nubentes frequentabant, morem hunc accepto ferendum esse magis placebat. V. Festum supr. in *Caja.* Certe Ictos ridendi ea res argumentum præbuit Cicer. Orat. pro Mur. c. 12. *Ut Caja, ait, quia in alicujus libris exempli causa id nomen invenerant, putarunt omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Cajas vocari.* Quintil. I. 7. *Nam & Cajus C. litera notatur, quæ inversa mulierem declarat: quia tam Cajas vocitatas esse quam Cajos ex nuptialibus sacris apparet.* Brisson. de Rit. nupt. p. 83. Hotoman. de Vet. rit. nupt. c. 16. Antiq. Roman. III. 3. p. 417. E. Casal. Carol. & Kipping. l. l. Postes januæ lana tingebat, & adipe ungebat. Serv. Æneid. IV. p. 450. *Moris fuit, ut nubentes puellæ, simul ac venirent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo ungerent.* Lucan. II. 355.

Infulaque in geminos discurrit candida postes.

Plin. XXVIII. 9. *Certe novæ nuptæ intrantes etiamnum sollenne habent eo,* lupino adipe, *postes attingere*, ne quid mali medicamenti inferretur. Unde Arnob. III. p. 115. *O egregia numinum, & singularis interpretatio potestatum? nisi postes virorum axungia unguine oblinerentur ab sponsis.* Brisson. ibid. p. 84. Sagittar. de Jan. vet. c. 30. §. 18. Hotoman. ibid. c. 18. Casal. Caroli & Kipping. l. l. Aquam, & ignem in limine appositum utrimque tangebat. V. supr. in *Aqua.* Ad limen domus obstinata stabat, & illud non tangebat, sed pedes tollebat. V. supr. in *Limen.* Et ita januæ limen transiliebat, eoque modo in ædes inducebatur. V. supr. in *Limen.* Ingrediens claves accipiebat. V. supr. in *Clavis.* In pelle lanata statuebatur. V. infr. in *Pellis.* Boxhorn. Quæst. Rom. 26. Brisson. ibid. p. 88. Casal. l. l. Cœna nuptialis dabatur. V. supr. in *Cœna.* Eique tibia interveniebat. V. infr. in *Tibia.* Talassio inclamabatur. V. infr. in *Talassio.* Super Priapi fascinum considere jubebatur. V. supr. in *Mutinus.* Tum a patrimis, & matrimis pueris dimittebatur, & a pronubis in lecto nuptiali, sive geniali collocabatur. Catull. LXI. 181.

Mitte brachiolum teres
Prætextate puellulæ,
Jam cubile adeat viri,
Vos unis senibus bonæ
Cognitæ bene feminæ
Collocate puellulam.

Terent. Eun. III. 5. 45.

— deinde eam in lectum illæ collocarunt.

ubi Donatus: *Verbum hoc proprium est, & adscribitur pronubis.* Claud. de Rapt. Prof. II. 361.

Jam suus infernos processerat Hesperus orbi:
Ducitur in thalamum virgo: stat pronuba juxta
Stellantes Nox picta sinus, tangensque cubile.
Omina perpetuo genitalia fœdere sancit.

Ad hoc officium spectatæ pudicitiæ mulieres, & quæ uni duntaxat viro nupsissent, adhibebantur: quo matrimonii perpetuitatem, quemadmodum Festus auctor, auspicarentur. Catullus modo laudatus. *Brisson. ibid. p. 107. Hotoman. ibid. c. 31. Turneb. Adv.* III. 13. *Passerat. in Catullum. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 9. *Saubert. de Sacrif. c. 8. Kipping. Ant. Rom.* IV. 2. §. 4. *Casal. l. l.* Cum vero ad eam maritus accessisset, ut clamor, qui nonnunquam a virginibus in primo congressu edi solet, exaudiri non posset, epithalamia a suis sociis virginibus canebantur. Quorum quidem duo erant genera: alterum accinere solebant vespere, quod κατακοιμητικὸν Græci vocabant: alterum vero sub auroram, quod ideo διεγερτικὸν dicebatur, ut explicat Schol. in Theocr. Edyll. III. *Hotoman. l. l.* In eumque usum etiam nuces a pueris spargi solebant. V. infr. in *Nux.* A multitudine puerorum obscœna clamabantur, versusque mollitie, ac lascivia diffluentes, maxima, nec ulli reprehensioni obnoxia licentia occinebantur. Hos Fescenninos vocabant. V. supr. in *Fescennina.*

NUPTIÆ quid sint, dicendum. Nam plerumque matrimonii, & nuptiarum vocabula confunduntur, ut in l. hæres. ff. de negot. gest. *Hæres viri defuncti uxorem quæ res viri, tempore nuptiarum, in sua potestate habuit, compilatæ hæreditatis postulare non debet.* Itaque inquit Justinianus: *Nuptiæ, sive matrimonium est viri & mulieris conjunctio.* Longe tamen aliud est connubium, aliud matrimonium, aliud *Nuptiæ.* Connubium quid sit V. supr. in *Connubium.* Matrimonium quid sit V. supr. in *Matrimonium.* *Nuptiæ* proprie sunt illæ celebritates, quæ in copulandis *nuptiis* observantur. Clem. Alex. Strom. II. *Nuptiæ sunt viri & mulieris conjunctio, instituta ad legitimos liberos secundum leges procreandos.* Quintil. Declam. III. *Vis scire, quid sint nuptiæ? Aspice illam virginem, quam pater tradidit, eamque celebri, comitante populo.* Quod vero Modestin. l. 1. ff. de rit. nupt. definit *nuptias, conjunctionem maris & feminæ, & consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicationem,* magis ad matrimonium pertinet. Sed, ut solent Icti, non proprietatem verborum secutus, animi destinationem significare voluit. *Ant. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 15. Franc. Hotoman. de Rit. nupt. c. 1.* Tabulis scriptis firmabantur, fractis dissolvebantur. V. infr. in *Tabulæ nuptiales.* Justæ, & legitimæ inter quas personas contrahantur, videndum. Personarum jus versatur in his octo. I. Ætate. V. illam supr. in *Ætas* & in *Matrimonium.* II. Statu. Non consisterunt inter liberos, & servos. III. Patria. Non consisterunt inter cives & peregrinos. IV. Conditione, dignitate, & familiæ jure. Non consistebant inter patricios, & plebejos: ingenuos, & libertinos. V. Potestate, cujus consideratio tripartita est. 1. in provinciarum rectoribus. 2. in tutoribus. V. supr. in *Matrimonium.* 3. in parentibus. De qua ita statuendum est: *nuptias* a filiis, filiabusve familias non jussu ejus, cujus in potestate sunt, contractas injustas esse l. 2. Nuptiæ ff. ibid. *Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, in quorum potestate sunt.* Adeo ut nec distractæ reconciliari, nisi eorum consensu possint l. nuptiæ 18. ff. ibid. *Nuptiæ inter easdem personas, nisi volentibus parentibus renovatæ, justæ non habentur.* Legis æquitatem Justinianus partim civilem esse scribit, hoc est, patriam potestatem; partim naturalem, quam Icti æque propemodum, ut illam, observant; nimirum honorem, & reverentiam, quæ naturæ jure parentibus atque omnibus debetur. l. 6. Parentes ff. de in jus voc. Si pater absit, sive apud hostes sit: vel, ubi sit, ignoretur, triennium ei exspectando præfinitum est: cum eo tamen, ut si filium eas *nuptias* contraxerit, quas improbaturus non esset, ratæ haberentur l. si nepos 9. Si furiosus sit, Justinianus scribit, antiquo jure in filia patris consensum non desideratum fuisse, de filio dubitatum, neque dubitandi causam exponit. *Hotoman. l. l.* Qui contra parentum voluntatem matrimonium contraxerint, an exhæredari possint. V. supr. in *Liberi.* VI. in cognatione. VII. in affinitate. VIII. in adoptione. Etenim *nuptiis* inter se jungi eæ personæ non poterant, quæ per adoptionem parentum, liberorumve sibi esse cœpissent; in tantum, ut etiam dissoluta adoptione idem juris maneret. Justin. Instit. l. 2. de nuptiis ff. de rit. nupt. Sed per adoptionem factam sororem, adoptione soluta, uxorem ducere nihil vetabat. Cajus ibid. *Si emancipatus fuero ab eo, sine dubio nihil impedit nuptias, scilicet quia post eman-*

emancipationem extraneus intelligor. Adoptione enim quæsita fraternitas eousque impediebat nuptias, donec maneret adoptio. Cajus ibid. l. 17. Similiterque adoptivi patris matrem, materteram, aut neptem ex filio ducere uxorem post emancipationem nemo impediebatur, cum in extranei causam emancipatione redactus esset. Adoptivæ utique sororis filia uxor duci, vel constante adhuc adoptione, licito jure poterat, quod ea cognata non esset, cum avunculus nemo fiat per adoptionem. Hæ enim demum cognationes per adoptionem contrahuntur, quæ adgnatorum jus adjunctum habent. Ulpian. l. 2. §. parvi ff. de suis & legit. Pari ratione alio patre natam, patris sui sororem adoptivam, ducere quis poterat, quoniam inter eos nulla cognatio intercedebat, quippe cum ea patri agnata non erat. Sed & Maximianus Constantino per adoptionem nepoti filiam in matrimonium tradidit. Quod auctor Paneg. Maxim. & Const. dicti tantum abest ut vituperet, ut summis contra laudibus efferat: *O divinum*, inquiens, *tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti, divi inquam Constantii filium, in quem se prima illius juventa transfudit.* Quinetiam Claudius Neronem, a se in locum filii adoptatum, cum filia sua Octavia matrimonio junxisse legitur, *filia tamen prius in adoptionem tradita, ut in alienam familiam eo modo transferretur, ne soror fratri nubere videretur.* Dio LX. p. 686. E. *Brisson. ibid. p. 230-232.... Hotoman. ibid. c. 4.* Sponsalibus factis iis dies dicebatur. Nec enim temere, & e re nata, ac quolibet, prout incidisset, die *nubebant*. Sed in ea re non levem mensium, temporum, ac dierum delectum habebant. Kalendæ, Nonæ. Idus, omnesque feriæ præterquam viduis, religiosæ fuerunt. V. supr. in *Kalendæ*, & *Nubere*. Mensis item Majus illis infaustus, & inauspicatus existimabatur. V. supr. in *Maius*. Februarius erat vitandus. V. supr. in *Februarius*. Saliorum dies erant ominosi. V. infr. in *Salii*. Contra *nuptiis* aptissimum erat tempus illud, quod Idus Junias sequitur. Ostendit hoc, quo loco filiæ diuturnam salutem precatus, ita concludit Ovid. Fast. VI. 221.

> *Hanc ego cum vellem genero dare, tempora tædis*
> *Apta requirebam, quæque cavenda forent.*
> *Tunc mihi post longas monstratur Junius Idus*
> *Utilis & nuptis, utilis esse viris.*
> *Primaque pars hujus thalamis aliena reperta est,*
> *Nam mihi sic conjux sancta dialis ait.*

Brisson. de rit. nupt. p. 11. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 13. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 2. Hunc antiqui putabant Parcas albo vellere condere. Sidon. Carm. XIV. 1.

> *Prosper connubio dies coruscat,*
> *Quem Clotho niveis benigna pensis,*
> *Albis quem picei lapillis Indi,*
> *Quem pacis simul arbor, & juventæ*
> *Æternumque virens oliva signet.*

Plenilunium autem *nuptiis* celebrandis, non desinens luna, aut incipiens, sive cum in damno erat, & incremento putabatur: quo tempore & Græci suas nundinas celebrabant, quod inde boni ominis nonnihil ex lunæ facie auspicarentur: sive ut frequenti jam, & advenis referta civitate, in conspectu amplæ multitudinis posita, celebrioresque, nobilioresque haberentur *nuptiæ*; ut colligitur ex Pindaro in Isthmiis, & Euripide in Iphigenia in Aulide, ubi Agamemnon rogatus ab uxore Clitemnestra, quando filiæ suæ vellet celebrari *nuptias*, respondit n. 717.

> *Quando lunæ fortunatæ venerit circulus.*

Laurent. de Sponsal. & Nupt. c. 1. Antiquitus nonnisi captatis prius auguriis fiebant. V. supr. in *Auspices*. Secundis se addicere mulieres habebant religioni. V. infr. in *Uxor*. Jure tamen non fuisse prohibitas liquet ex eo, quod parentes ac amici Penelopem, rati Ulyssem demortuum, denuo nubere jubent Odyss. XIX. Atque hac re cæteris apud Græcos præivisse fertur Gorgophone Persei filia, quæ Periere Æoli filio, quicum virgo nupta fuerat, mortuo, alteri viro Oebalo nupsit, *cum sanctum ac sollenne feminis esset, priore viro mortuo, secundis nuptiis abstinere*, ut est apud Pausan. Corinth. p. 64. De illis Julian. l. 6. ff. de Divort. & repud. *Uxores eorum, qui in hostium potestate pervenerunt, possunt videri nuptiarum locum retinere eo solo, quod alii temere nubere non possunt. Et generaliter definiendum est, donec certum est maritum vivere in captivitate constitutum, nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium, nisi mallent ipsæ mulieres causam repudii præstare. Sin autem in incerto est, an vivus apud hostes teneatur, vel morte præventus, tunc, si quinquennium a tempore captivitatis excesserit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias. ita tamen, ut bona gratia dissolutum videatur pristinum matrimonium, & unusquisque jus suum habeat imminutum: eodem jure & in marito in civitate degente, & uxore captiva observando.* Feith Antiq. Homer. II. 15. Illarum ritibus hoc olim continebatur, ut qua domus parte somnus erat capiendus, ejus cubiculi lectus alio loco sublatus poneretur, ominis vitandi causa, ne videlicet, e quo cadaver prioris conjugis elatum fuerat, in eundem nova nupta malis avibus deduceretur. Et quoniam lecti locus mutandus erat, usu non raro veniebat, ut opera eadem transferenda esset janua in aliam cubiculi partem. Sic igitur fiebat, ut plane renovatum domicilium felicibus ominibus novos conjuges reciperet. Hic porro mos quanquam ab uno scriptore duntaxat, quod sciam, expressus est, ejus tamen tanti testimonium est, ut multorum facile sit loco. Corneliam enim hæc ad liberos post funus loquentem facit Prop. IV. 12. 81.

> *Seu tamen adversum mutarit janua lectum,*
> *Sederit & nostro cauta noverca toro.*

Quibus quid innuere poeta velit, ex iis, quæ diximus, manifestum est. Nec fere aliter apud eundem IV. 9. 57. Cynthia, cum prosedis expulsis, in gratiam cum Propertio reditum pararet, & quasi novum auspicaretur conjugium, post suffimenta, de quibus infr. in *Sulphur*. subjicitur deinde, quod eodem pertinet. n. 59.

> *Atque ita mutato per singula pallia lecto,*
> *Respondi: & toto solvimus arma toro.*

Canter. Nov. Lect. III. 4. Laurent. l. l. V. & supr. in *Lectus adversus*. Jus quodnam dicatur *nuptiarum* V. supr. in *Jus*.

NUT.

NUTRICII erant servi, qui Cæsaris, & vel patriciorum, & equitum pueros a juventute educabant, & instruebant. Cæs. Bell. civ. III. 107. *Erat in procuratione regni propter ætatem pueri nutricius ejus, eunuchus, nomine Pothinus.* Hirt. de Bell. Alexand. c. 4. *Arsinoe Achillam per Ganymedem eunuchum, nutricium suum præoccupat, atque interficit.* Popm. de oper. servor. p. 29. Pignor. de serv. p. 382.

NUTRIX. Huic infans committebatur. Ejus officium erat lac præbere, & cibum, interdum ulnis gerere. Ovid. Met. IX. 375.

> *Hunc tamen infantem maternis demite ramis,*
> *Et date nutrici: nostraque sub arbore sæpe*
> *Lac facitote bibat.*

Aristoph. Equit. II. 2.

> *Nutricum more tu populum pascis male:*
> *Quia ubi præmanderis, in os paullulum ipsi ingeris,*
> *Tu vero triplo plus, quam alumnus, devoras.*

Barthol. de Puerper. p. 113. Dormiturum deponere in cunis. V. illas supr. in *Cunæ*. Vel illarum loco in vannis & clypeis. V. supr. in *Infantes*. In cunis collocatum ad somnum provocare cantillando. Stat. Theb. V. 616.

> — *quoties tibi Lemnon & Argo*
> *Sueta loqui, & somnum longa suadere querela.*

Lucret. V. 230.

> *Nec crepitacula eis opus sunt, nec cuiquam adhibenda est*
> *Almæ nutricis blanda, atque infracta loquela.*

Hæc

Hæc dicebatur nænia. V. illam supr. in *Nænia.* Et inde lallare dicebantur *nutrices.* V. supr. in *Lallare.* Et crepitaculorum motu, atque sono. Arnob. II. p. 70. *Ad silentium pavida nutricis motibus, & crepitaculis adducerentur auditis.* IV. p. 141. *Ergone Jupiter, ut fletum exponeret ineptissime tractum, crepitaculis obticuit auditis, & ad somnos inductus est in mollissimis cunis jacens, & vocibus delinitus infractis?* Mart. Capell. I. p. 4. *Tunc crepitacula, tinnitusque, queis infanti somnum duceret, adhibebat.* Lucretius modo laudatus. *Casan. Conlect. in Lucretium. Elmenhorst. in Arnob. p.* 85. *Lampe de Cymb. vet.* III. 15. *Claud. l. l.* Lacrymas sedare, mammas præbendo. Plutarch. de Lib. educ. p. 9. A. *Imitandæ in hoc genere nutrices, quæ infantes cum ad fletum provocarunt, rursum ut consolentur, mammam præbent.* Placentas dando. Arrian. in Epictet. II. 16. *Pueri quidem cum primum plorant, nutrice paullum digressa, placentula accepta ploratus obliviscuntur.* Minas interdum adhibendo. Sic minabantur lupum. Æsop. fab. 138. *Lupus profectus ad prendam locum, audivit lugentem puerulum, eique dicentem anum, desine plorare; sin minus, hac hora tradam te lupo.* Avien. fab. Æsop. I. I.

Rustica deflenti puero juraverat olim,
Ni taceat, rapido quod foret esca lupo.

n. 13. dicit lupus ad lupam:

Nam quæ præda? rogo, quæ spes contingere posset?
Jurgia nutricis cum mihi verba darent?

Et illum, si delinirentur, se occisuras pollicebantur. Æsop. l. l. *Sed cum advenisset vespera, audit rursus anum blandientem puerulo, ac dicentem: si venerit lupus, interficiemus eum fili.* Claud. l. l. Larvis terrorem incutiendo. Illas μορμολύκεια vocabant, quæ vox a lupi mentione originem traxit, & a voce μορμώ: quoties enim opprimere vagitum, clamoremque puerorum vellent, dicere solebant μορμώ, aut λύκος. Prioris exemplum est apud Theocr. Eidyl. XV. 40.

Non te una ducam fili, larva, μορμώ, foris est.

Posterioris exemplum apud Æsopum modo vidimus. *Anna Fabri ad Callim. hymn.* III. 67. Id genus μορμολυκείων, quibus pueros, seu infantes terrerent, duæ fuerunt species; una larvarum, seu προσωπείων, quibus ad faciem, histrionum instar, alligatis, lamiæ alicujus, aut fictam alterius formidandi aspectus faciem continuo referrent. Tale προσωπείων genus tangit Chrysost. adv. Judaizant. p. 370. Tom. VI. *Sicuti infantibus larvas exhibentes ad terrorem, & risum factas multorum e sceleratis famulis magnum excitant risum.* Ἀνδριάν. p. 494. ejusdem tomi. *Infantes enim parvas etiam metuunt larvas. . . . & de pretiosissimam quidem horrent larvam.* Altera harum μορμόνων, ut eas vocat Comicus, species, ubi citra ullum hujusmodi fictæ faciei, seu larvæ eidem circumpositæ, usum *facies solum atræ fuliginis cinere*, ut utar verbis Apul. Met. IV. p. 138. & sicut *Mercurius atro carbone oblitus, puellam territasse* dicitur Callim. Hymn. III. 69. *Spanhem. in Callimachum. Claude l. l.* Puellas, quas aluerant, provectiores ætate semper ad nuptiarum usque dies observabant, ne vel a petulantibus, & luxuriosis hominibus, aut alio quovis modo virginitatis flore privarentur. Ideo Rebeccæ Deboram nutricem comitem adjunxerunt Gen. c. 24. n. 59. *Mos ille, ut nutrices in limine, sive ante fores thalami cubarent, aliquando etiam cubiculi limenis custodes, ut apud Achill. Tat.* II. ait Bourdelotius ad Heliod. Æthiop. VII. p. 316. *Denique in furorem illam insciis omnibus in posterum egisset amor, nisi quædam anus, nomine Cybeles, custos cubilis, & rerum Venerearum Arsaces ministra, incurrisset in thalamum.* Apollon. vit. apud Velser. p. 681. *Cum puella,* Regis Antiochi filia a patre vitiata, *quid faceret, cogitaret, nutrix subito intravit ad eam.* Tibull. I. 3. 83.

At tu casta, precor, maneas, sanctique pudoris
Adsideat custos sedula semper anus.

Almelov. Antiq. p. 66. Claud. ibid. c. 5. Quin imo notat Marcil. Aufar. Philol. c. 36. ex Livio, *nutrices* quondam puellas, etiam cum ad ludos mitterentur, fuisse [illegible] titas: & addit illas propter summam in custodienda virginitate sollicitudinem singulis diebus hora matutina collum filo mensurasse. Et ita Catull. LXIV. 373.

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.

Almelov. l. l. Ab hac nutritione & cura mutuus inter *nutrices*, & alumnas amor in tantum crevit, ut non tantum paterno amori æquiparaverint, sed etiam antetulerint sapientes. Clem. Alex. Pædag. I. 6. p. 106. B. ex Euripide apud Stob. Serm. 197. *Aluisse inter homines sæpe affert plura amoris incitamenta, quam procreasse liberos.* Scholiast. Stat. Theb. V. 632. laudante Barthio, *Matre non inferior sæpe dilectio nutricis.* Et ab amore isto blandæ ortæ sunt illæ compellationes, quibus *nutrices*, & alumni sese compellabant. Apud Virg. Cir. n. 224. Carme *nutrix* ad Scyllam.

Et simul o nobis sacrum caput, inquit, alumna.

Scylla contra ad Carmen n. 257.

Illa autem, quid nunc me, inquit, nutricula, torques.

Ab alumnis in honorem Μαῖαι vocabantur. Hesychius: *Μαῖα est compellatio honorifica ad natu majorem loco τῆς nutrix.* Pollux III. 3. 4. *Quæ lac præbet, lactans, vel μαῖα dicitur.* Homer. Odyss. XIX. 15.

Extra vocatam allocutus est nutricem Eurycleam:
Nutrix, age.

Et alumnos, parentum instar, filios, filiasve appellabant. Homer. ibid. n. 21.

Hunc rursus allocuta est dilecta nutrix Euryclea
Utinam jam tandem, fili, prudentiam suscipias.

Eurip. Hippol. n. 204.

Forti animo sis, filia, neque moleste
Agites corpus.

Et a puellis matres vocabantur. Aristinæt. Epist. I. 6. *Quid ais? o mater, nihil est, quod metuam magis.* Heliod. Æthiop. VII. p. 317. *Accepi vulnus, mater, quantum antea nunquam.* Claud. ibid. c. 5. & mamma. V. supr. in *Mamma.* Pro infantibus lustrico eorum die vota faciebant. Horat. Epist. I. 4. 8.

Quid voveat dulci nutricula majus alumno
Quam sapere, & fari ut possit quæ sentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena.

Sed optabant illis non quæ sunt vere bona; sed quæ videbantur illis esse. Unde Pers. Sat. II. 39.

Ast ego nutrici non mando vota.

Qui vult, parentum vota similia esse stultarum *nutricularum* votis male sanis. Senec. Epist. 60. *Etiamnum optas, quod tibi optavit nutrix, aut pædagogus, aut mater. Nondum intelligis quantum mali optaverint.* Atque his verbis tangit poeta insignem illum hominum errorem, qui putant rem esse facilem, & cuivis notam, scire quid sit a Deo petendum. Persius vero cum negat *nutrici se vota mandare*, hoc significat: non nisi sapientissimos viros orandi scientiam tenere. *Casaub. in Persium. Claud. ibid. c.* 4. Alumnorum in casibus adversis dolorem pro viribus levare studebant. Suet. Ner. c. 43. n. 2. *Ut resipuit, veste discissa, capite converberato, actum de se pronuntiavit: consolantique [illegible] nutriculæ, & aliis quoque jam principibus similia accidisse memoranti respondit....* Apollon. vit. apud Velser. p. 682. *Nutrix ut audivit eam mortis remedium quærere, blando eam sermonis colloquio revocavit, ut a proposito suo recederet, cohortatur.* Ovid. Heroid. XI. 33.

Prima malum nutrix animo præsensit anili.
Prima mihi nutrix, Æoli, dixit, amas....
Quas mihi non herbas, quæ non medicamina nutrix
Attulit, audaci supposuitque manu?
Nec tenui vocem. Quid, ait, tua crimina prodis?
Oraque clamantis conscia pressit anus.
Quid faciam infelix? gemitus dolor edere cogit.
Sed timor, & nutrix, & pudor ipse, vetant.

Pitisc. in Suetonium. Claud. l. l. Hinc tanta illis in puellas

las sæpius erat potestas, ut cuicunque vellent pro lubitu in matrimonium darent. Ita Sophrona apud Terent. Phorm. v. 1. 24.

Ego autem, quæ essem anus deserta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus ædium.

Quod autem hæc fuerit *nutrix*, probant verba Chremetis n. 8.

Certe edepol, nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi,
Meæ nutricem gnatæ video.

Almelov. l. l. Non tantum innuptis, sed & jam nuptis adeunt. Hinc Medeam præ dolore solam, & sine *nutrice* esse, quasi rem insolitam miratur pædagogus apud Euripidem, & *nutricem* rogat Med. n. 52.

Quomodo sine te sola Medea relinqui vult?

Et passim apud Græcos, Latinosque tragicos, Reginis, clarisque mulieribus *nutrices* semper sunt comites. Et hic mos Romæ in luxum versus est. Nulla enim nobilis femina prodibat foras, quin inter immanem ancillarum comitatum *nutricem* haberet. Juven. Sat. vi. 352.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.

Claud. l. l.

Nutrix assa in glossis quotidianis vocatur τροφὸς. De illa Non. 1. 280. *Assas nutrices difficilis multi existimant intellectus. At vero acri intentione potuimus indagare ob eam proprietatem officii eo nomine nuncupari, quod assiat iis, quos nutriunt, nec vel exiguo divellantur.* Turneb. Adv. xxiv. 22. Claud. de nutric. c. 2. Hoc quidem Nonius, sed ad eam ne ullum veterum producit testem. Ego inveni apud illum ii. 63. in exemplo Varronis ab eo adducto, cum verbi veteris notionem explicat: *Assa non multo post, quod ea parere non poterat mulier, foras betere jussit.* Hodie perperam legitur, *Assa nos multos.* Scalig. Conject. in Varr. p. 121. Mihi nondum displicet, quod de Varronis verbis jampridem existimavi: ea pertinere ad Spurium Carvilium, qui primus Romanorum uxorem repudiasse dicitur. Lego igitur hoc modo: *A se annos multos....* Muret. Var. Lect. xv. 15. Carr. Emend. ii. 9. Voss. Lex. Etymol. Nos tamen unum, & certum testimonium afferemus. Legitur apud Juven. Sat. xiv. 208.

Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ.

Ita enim lego, & non *pueris poscentibus assem.* Et ita est in annotationibus interlinearibus libri vetustissimi: in quibus *poscentibus assem* supra scriptum, vel *reptantibus assæ.* Carr. l. l. At Juvenalis vetus interpres *assam* interpretatur *siccam nutricem, quæ lac non præstat infantibus, sed solum [illegible] & mundi[illegible] adhibet.* Belgæ dicunt **een droge minne**. *Grang. in Juvenalem. Voss. & Claud. l. l.*

Nutrices vocantur quoque mammæ, & papillæ. Catull. lxiv. 18.

Illaque atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore nymphas,
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.

Apul. Met. ii. p. 115. *Eandem nutricem simul bibimus.* Cum enim *nutrices* plerumque dicantur αἱ τροφοὶ, partes corporis earum, quibus utuntur in eo munere fungendo, infantibusque alendis, apte & ipsæ illo nomine appellantur. Est hoc genus translationis. *Victor. Var. Lect.* xx. 5. *Voss. Instit. Orat.* v. 6. 4. *Turneb. Adv.* viii. 8. *Barth. Adv.* xxxiii. 12. *Par. Lex. Crit. in Mordices. Passer. in Catullum. Claud. de nutric. c. 2.*

NUX.

NUX attribuitur *omnibus, quæ duro teguntur corio, vel operimento, ut avellanæ, amygdalæ, juglandes, castaneæ.* Serv. Ecl. ii. 53. *Nonn. de Re cibar.* 1. 43. *Vorst. de Latin. mer. susp.* c. 14. In secundis mensis ponebantur *nuces.* Horat. Sat. ii. 2. 121.

—— tum pensilis uva secundas
Ornabat mensas, & nux cum duplice ficu.

Macrob. Sat. iii. 18. *Adhuc Furio dicente secundæ mensæ illata bellaria novo sermoni principium dederunt. Symmachus enim duas attrectans nuces....* Putean. Reliq. conv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xii. p. 275. F. Buleng. de Conviv. ii. 39. Nuptiis religiosæ erant, & a maritis, & pueris spargebantur. Catull. lxi. 137.

Ne nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris iners
Concubine, satis diu
Lusisti nucibus.

Virg. Ecl. viii. 30.

Sparge marite nuces: jam deserit Hesperus Oetam.

De cujus moris causa parum inter veteres convenit. Servius in Virgilium. *Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit sicut Juno. Nam nuces in tutela sunt Jovis. Unde & juglandes vocantur quasi Jovis glandes. Nam illud vulgare est, ideo spargi nuces, ut rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis possit audiri.* Plinius vero xv. 22. *Nuces juglandes, quanquam & ipsæ nuptialium Fescenninorum comites, multum pineis minores universitate, eademque portione ampliores nucleo. Nec non & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito. Quod est verosimilius, quam quia cadendo tripudium sonivium faciant.* Brisson. de rit. nupt. p. 100. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 31. Calcagn. Equitat. p. 564. Sigon. de jur. ant. civ. Rom. i. 9. Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 676. & ad illum Salmuth p. 688. Scalig. Poet. iii. 100. Senftleb. de Alea vet. iii. 15. 4. Casal. de rit. nupt. c. 1. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. v. 1. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 11. E. Laurent. de sponsal. c. 1. Cerda in Virgilium. Schill Nomencl. Philol. p. 829. Nostra tamen sententia minus vulgaris: *nucibus* olim veteres lusisse, & in nuptiis *nuces* sparsisse, ut se puerilibus omnibus ludis renuntiare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere maritus eo indicio testaretur. Proinde Pers. 1. 10. per illa verba:

—— & nucibus facimus quæcunque relictis
Cum sapimus patruos.

ostendit e primori ætate egressionem, & omittendas animi laxationes, novaque œconomiæ studia auspicanda. *Scalig. & Salmuth l. l. Souter. de Aleat.* iii. 5. *Senftleb. ibid.* §. 7. *Kipping. Antiq. Roman.* iv. 2. §. 3. Cerealibus mittebantur in circo. Festus; *Nuces mitti Cerealibus Capito Sinnius solere dici ait, cum velimus significare missilia Cerealibus in circo mitti: quod cum mitti nuces mos esset, plane volumus a parte totum designare: quia adeo deligantur supra alia missilia, præsertim flamma cum sunt ustæ.* Frictæ populo vendebantur. Horatius. V. illum supr. in *Cicer.* Plautus. V. illum infr. in *Sesamum.* Buleng. de Circo c. 56. Argol. in Panvin de Lud. Circens. 1. 14. Taubman. in Plautum. Pueri in sinu vestis gerebant, & ludebant. Horat. Sat. ii. 3. 171.

—— postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare, & ludere vidi.

& deprehensi pœnas dabant. Mart. xiv. 18.

Alea parva nuces, & non damnosa videtur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Buleng. de Lud. vet. c. 8. Vel potius cum ultra præscriptum tempus *nucum* ludo indulgerent, tunc enim de corio suo sæpe magistris satisfaciebant. *Souter. l. l. Rader. in Martialem.* Ludorum genera aliquot enumerat Ovid. de Nuce. I. consistit his verbis n. 75.

Qua-

Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota est,
Cum sibi suppositis additur una tribus.

id est, tota alea, seu totus ludus quatuor absolvitur nucibus, quarum tribus sibi invicem suppositis quarta quoque additur. *Castellatas* dici in quodam vetusto codice Suet. Aug. c. 83. n. 2. observat ad illum Beroaldus. Donatus Marius hunc ludum ita exponit: Pueri castellatim *nuces* sibi construunt, quas procul distantes si everterent, *nuce* emissa, quotquot fuerint eversæ, atque etiam quæ dispositæ sunt infra eversas, omnes lucrantur. Ego ita intelligo: tribus *nucibus* invicem stricte collocatis in formam tuberculi cujusdam supra imponebatur quarta, ut quoddam quasi castellum appareret, in hoc castellum ludentes procul distantes singulas emittebant *nuces*; cujus ergo *nux* tangendo castellum destrueret, ejus erant *nuces* istæ castellatæ, seu in formam castelli instructæ. V. infr. in *Ocellata*. II. verbis his n. 77.

Per tabulæ clivum labi jubet alter & optat,
Tangat ut e multis quælibet una suam.

id est, unica *nux* emittebatur in tabulam, quæ ubi jam consistebat, ad eam collusores emittebant invicem alias, quisque tamen suam, & quoties emissarum harum posteriorum *nucum* aliqua priorem tangebat, toties ille, qui mittebat, lucrabatur *nucem*: inde optabat, ut una quælibet e multis *nucem* istam, quasi in scopum expositam tangeret, nimirum, ut eo plures lucraretur *nuces*. III. verbis n. 79. Sed V. illud genus infr. in *Par impar ludere*. IV. his verbis n. 81.

Fit quoque de creta; qualem cœleste figuram
Sidus, & in Græcis litera quarta gerit.
Hæc ubi distincta est gradibus, quæ constitit intus,
Quot tetigit virga, tot rapit ipsa nuces.

De pueris hactenus locutus est: nunc aliud genus puellaris ludi proponit. Fingebatur delta Græcorum, sive triangularis forma, quam Deltoton in cœlo gerit, in medio statuebatur puella obnuptis oculis, delta ipsum in gradus distinguebatur, gradibus singulæ *nuces* imponebantur, quas cum virguncula tetigisset, *nuces* vicerat. Una litera claram facit sententiam. Nam *virgo* scribendam. Ne autem una chorda oberret, puellam puero subjungit *Parth. Adv.* x. 23. Ultima poetæ non sunt intelligenda de virgine, vel puella quadam, quæ in medio hujus figuræ constitisset; nimiæ enim capacitatis hac ratione delta fuisse oporteret, ut non tantum puella, sed & in cæteris gradibus, quos remotiores invicem fuisse opus est, *nuces* concinne locari potuissent. Unica literula ad pristinam lectionem adhibita versui vitio laboranti salutarem admovebo manum, cum pro *virga* ponam *virgas*; tunc enim rectum, & germanum sensum, modumque ludendi elicio talem. In tabella, vel mensa delta Græcorum certis aliquot gradibus distinguebatur, in quam pueri procul quodammodo stantes *nucem* unam mittebant, quæ si consistebat in illo schemate, res erat salva, & mittens tot *nuces* lucrabatur, quot virgas, id est, lineas *nux* illa tetigerat. Puta, si tertiam, quartam, quintam, sextam. . . . . lineam tetigisset *nux* emissa, etiam *nuces* accepisset ille, qui *nucem* manu mittebat. Si vero figuram plane excessisset *nux* emissa, inanis erat jactus, & alius admittebatur ex sociis. V. his verbis n. 85.

Vas quoque sæpe cavum, spatio distante, locatur,
In quod missa levi nux cadat una manu.

id est, vasculum quoddam, orca dictum, strictioris capacitatis loco aliquo statuebant, in illudque, spatio aliquo distantes, *nuces* dimittebant: cujus ergo *nux* incideret, victor erat, contra *nucem* amittebat, qui vasculo aberrabat. Interdum vasculi loco vel foveam parabant, vel in eandem foveam vasculum locabant, & ita *nucem* in eandem mittebant. Hic ludus Græcis dicebatur τρόπα. Pollux IX. 7. *Ludus, tropa dictus, plerumque talis fit, quos in foveam de industria ad horum exceptionem factam projiciunt. Sæpenumero tamen glandibus, & nucibus, talorum loco ludentes utuntur.* Senftleb. c. 16. n. 1-5. Buleng. ibid. c. 2.

Nux ocellata. V. illam infr. in *Ocellata*.

Nux pinea aliquot pedum altitudine, vetusti operis, & inaurata, de pinu altissima ænea, quæ dicitur fuisse in Vaticano, Cathgarum vertas, adhuc ante basilicam S. Petri cernitur. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 20.

NYC.

NYCTELEIA vocabantur sacra nocturna Cybeles Semivirorum enim turpitudines nonnisi nocturnæ frequentiæ. Serv. ad Virg. Æne. l. IV. 303. *Nocte celebratus, unde ipsa sacra nycteleia dicebantur, quæ populus Romanus exclusit causa turpitudinis.* Sic *nyctelius* pater Bacchus. Ovid. Art. I. 567.

Nyctileumque patrem, nocturnaque sacra precante.

Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. II. 1.

NYCTOSTRATEGI Græcis, Romanis *nocturni triumviri* dicebantur, qui arcendis incendiis, quæ plurimum *nocte* oriri solent, cum familia præerant. Paullus. V. illum infr. in *Triumviri nocturni*. Munus fuit personale, in municipiis frequentatum. Arcad. l. ult. §. legati ff. de mun. & hon. *Sed & nyctostrategi, & pacis custodes, & patrimoniorum curatores personale munus ineunt.* Romæ vero præfectus vigilum fuit. Postea Constantinopoli antiquo vocabulo abolito prætorem populi Justinianus instituit l. novell. 13. *Pancirol. de Magistrat. municip. c.* 24.

NYM.

NYMPHÆ antra colebant. Antra *nymphis* dedicata poetarum nemo vel leviter initiatus non dubitabit, præsertim, qui Porphyrii philosophi luculentam dissertationem legerit, qua Homericum illud *nympharum* antrum, obscuræ, & reconditissimæ sapientiæ plenum illustravit. Unde ab Orpheo inter alia *antricolæ*, & *specuum cives* indigitantur Hymn. L. 5. Nec temere quævis, sed fontium, & aquarum scatebris irrigua. Hinc Orpheus ibid. n. 2.

Quæ liquidas habitant sub terræ anfractibus ædes.

Et Virg. Æneid. I. 170. Lybicum illud *scopulis pendentibus antrum*, quod intus aquæ dulces scaturirent, n. 172. appellat *nympharum domum*. Ædiculas illis ad aquarum capita, fontesque positas, vel unum hoc nos docet epigramma Uticense apud Gruter. p. 93. n. 9.

Sextus Pompeius primus cognomine Pardus,
Ou[illegible] ... [illegible] solum,
Æediculam hanc nymphis posuit: quia sæpius usus
Hos [illegible] senex tam bene quam juvenis.

Holsteen. in pict. nymphæum refer. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1800. C. Reperiuntur frequenter dormientes, amphorisque & crateribus innitentes, quorum symbolorum in Odyssea mentio apud Homerum, & illa latius exsequitur interpres ejus Porphyrius. Antiqui operis pulcerrimum monumentum Romæ, in capite viæ latæ, in domo privata vidi. Erat autem Nais sinu aperto, prona jacens, & ventre ad pubem nudo, capite incubans amphoræ. Recentis operis in agro Neapolitano, in villa Leucopetrea, Arethusa nuda ad fontem, in *nymphæo* conchyliato. Epigramma in horto Colotii:

Hujus nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere: sive bibas, sive lavere, tace.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15. Ædiculæ vestibulo apiculam velut *nympharum* flaminicam, sive æditum, ad templi fores observantem appinxit *nymphas* pictor. Apicularum enim nomen *nymphæ* ultro ambiunt, eoque, si Porphyrio credimus, peculiariter appellari gaudent: idque vel puritatis causa, vel ob communem utrisque dulcedinem. Capellas etiam adjecit, eodem jure ad *nympharum* adyta admittendas. Nam Melissa & Amalthæa Jovem puerum caprino lacte nutriverunt. V. supr. in *Melissa*.

Orpheo quoque n. 11. αἰγολικαὶ, & νόμιαι, five *caprotinæ* dicuntur, quia paftoribus, & capellis gaudent. Unde & Homerus Fauno capripedi *nymphas* comites dedit. Nec aliam ob caufam capras, hœdosque *nymphis*, & fontibus veteres immolabant. Adhæc fi tesqua afpera, & faxa confragofa fpectes, quid aptius pictor illis appingere potuit, quam capras ὀρεσκώυς, ὀρεονόμυς, & ὀρεάδας Homero, aliisque propterea dictas, quia arduas, præcipitesque rupes pendulo veftigio perreptare amant. *Holfteen. ibid. pag.* 1801. *B*

Nymphæ commotiæ vocatæ fuerunt *ad lacum Cutilienfem, a commotu: quod ibi infula in aqua commovetur.* Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Gyrald. Synt. deor.* v. *p.* 180. *A.*

Nymphæ Corycides vocatæ funt a Corycio antro montis Parnaffi. Paufan. Phocic. p. 349. *Parnaffi accolæ facrum Corycium nympharum putant.* Ovid. Met. I. 320.

> *Corycidas nymphas, & numina montis adorant.*

Gyrald. Synt. deor. v. p. 176. E.

Nymphæ Dodonides funt nuncupatæ a Dodone Epiri, ubi oracula notiffima reddebantur. Sacerdotes hæ ibi fuerunt, & miniftræ, quas ita effingit Philoftr. Imag. ut rigida, ac facra quadam fpecie effe viderentur: nam & fuffitus, & libamina exhibere, & miniftrare prope videbantur. Ex fententia Pherecydis *Hyades* appellatæ funt. Schol. Homeri Iliad. Σ. 486. *Pherecydes vero Hyadas Dodonidas nymphas dicit effe, & Bacchi nutrices.* Schol. German. in Tauro: *In figno autem Tauri frons & facies Hyades appellantur, quas Pherecydes Athenæus nutrices Liberi dicit, quæ Dodonides nymphæ funt.* Hygin. fab. 182. *Nymphæ Dodonides, poftea confecratæ inter fidera, Hyades appellantur.* Gyrald. Synt. deor. v. p. 176. C. Muncker. in Hyginum.

Nymphæ Dorides funt dictæ Nereides, ex Nereo, deo marino, & Doride natæ. Ovid. Met. II. 11.

> *Doridaque, & natas: quarum pars nare videntur.*

Gyrald. Synt. deor. v. p. 174. D.

Nymphæ dryades fuerunt fylveftres, ἀπὸ τῆς δρυὸς nuncupatæ, quod generale nomen arborum eft, & fpeciale quercus: unde & *querquetulanæ* dictæ. V. illas infr. *Gyrald. Synt. deor.* v. *p.* 173. *G.*

Nymphæ hamadryades dictæ funt, quod ἅμα ταῖς δρυσὶ, hoc eft, fimul cum arboribus nafcantur, & interire videantur. Pherenicus Hamadryada *nympham* fuiffe fcribit, quæ cum Oxilo concubuerit: & inde natæ fuerint filiæ, Carye, Balanus, Graneum, Orea, Ægirus, Ptelea, Ampelus, & Syce, quæ a nomine matris Hamadryades dictæ fuere. *Gyrald. Synt. deor.* v. *p.* 174. *A.*

Nymphæ hyades. V. illas fupr. in *Nymphæ Dodonides.*

Nymphæ Ifmenides dictæ funt ab Ifmeno Bœotiæ celebri flumine. Ovid. Met. III. 733.

> *Thuraque dant, fanctasque colunt Ifmenides aras.*

Gyrald. Synt. deor. v. p. 176. G.

Nymphæ Lelegeides funt, quæ habitabant in terra Lelegum, qui ex Græcia in Cariam funt advecti. Ovid. Met. IX. 651.

> *Sæpe etiam tenues teneris Lelegeides ulnis*
> *Tollere conantur.*

Gyrald. Synt. deor. v. p. 179. F.

Nymphæ Lemoniades appellabantur, quæ in pratis verfabantur, & campis. Sophocl. *Nymphæque liquentes Lemoniades*, hoc eft, campeftres, aut pratenfes. Hefychius: *quoniam hæ nymphæ ἐν λειμῶσι, hoc eft, in campis verfantur.* Gyrald. Synt. deor. v. p. 173. C.

Nymphæ Limnades appellabantur, quæ in ftagnis, & lacubus verfabantur. Per has jurat Theocr. Eidyll. v. 17.

> *Non per, non per ipfas Limnadas, o bone nymphas.*

Hæ & Limnææ, & Limnacides vocabantur. Hinc *nymphæ* nomen deduxit Ovid. Met. v. 48.

> *Edita Limniace vitreis peperiffe fub undis*
> *Creditur.*

Gyrald. Synt. deor. v. p. 173. D.

Nymphæ Najades fuerunt fontium. V. illas fupr. in *Najades.*

Nymphæ Napææ fuerunt convallium. V. illas fupr. in *Napææ.*

Nymphæ Nereides, five Nerinæ dicebantur, quæ ex Nereo, deo marino, & Doride erant natæ. Quinquaginta ab Orpheo in hymnis, & a Pindaro in Ifthmiis dicuntur, & connumerantur ab Hefiodo in Theogonia. *Gyrald. Synt. deor.* v. *p.* 178. *D.*

Nymphæ Nyfeides dicebantur a Nyfa monte, in quo nutritus, & unde appellatus Dionyfius. Ovid. Met. III. 314.

> *—— inde datum nymphæ Nifeides antris*
> *Occuluere fuis, lactisque alimenta dedere.*

Gyrald. Synt. deor. v. p. 179. D.

Nymphæ Oceanitides, quæ & Oceaninæ, fuerunt Oceani, & Tethyos filiæ. In illas & hymnus Orphei legitur, cum fuffimento aromatum. Et nomina denarrantur ab Hefiodo in Theogonia. *Gyrald. Synt. deor.* v. *p.* 174. *G. Spanhem. Hymn. in Dian. n.* 13.

Nymphæ Oreades, & Oreftiades nuncupatæ funt, quæ in montibus degebant. Homer. Iliad. Z. 420. *nymphæ Oreftiades natæ Jovis.* Hæ & Orodemniades, & Agroftinæ ab Hefychio vocatæ funt, qui ait: *Orodemniades nymphæ dicuntur, quod in cubilibus montium quiefcerent*, ἀπὸ τῆς ὄρους τῶν δεμνίων: vel ἀπὸ τῶν ὀροδάμνων, qui rami funt, & germina ftirpium. *Gyrald. Synt. deor.* v. *p.* 173. *B.*

Nymphæ Phaethontiades dictæ funt, quod Phaethontis forores effent, & in arbores populos converfæ. Fabulam explicat Ovid. Met. II. 340. . . . Virg. Ecl. VI. 62.

> *Tum Phaethontiadas mufco circumdat amaræ*
> *Corticis.*

Fabula eft notiffima Græcis, & Latinis fcriptoribus. *Gyrald. Synt. deor.* v. *p.* 177. *C.*

Nymphæ querquetulanæ fuerunt dryades dictæ. Feftus: *Querquetulanæ viræ putantur fignificari nymphæ præfidentes querceto virefcenti, quod genus fylvæ fuiffe indicant intra portam, quæ ab eo dicta eft Querquetularia.* Gyrald. Synt. deor. v. p. 174. A. Tomaf. de Donar. c. 8. *Nymphæ* enim apud poetas tum ex aliis arboribus, tum maxime e quercu nafci funt dictæ. Atque ita *nymphis* priores eæ quercus, quæ illarum fcilicet matres habitæ. Ita Paufan. x. p. 672. *Nymphæ prifcis poetarum fabulis, tum ex aliis arboribus, tum maxime e quercubus natæ ferebantur.* Spanhem. in Callim. hymn. in Del. n. 83.

Nymphæ terreftres quorumvis animantium, atque inprimis Bacchi nutrices, imo pratorum, ac florum præfides a veteribus cenfebantur. Earum itaque cultus infignis erat. Et quidem maxima harum ratio apud agricolas. Virg. Ecl. v. 74.

> *Hæc tibi femper erunt, & cum follennia vota*
> *Reddemus nymphis.*

In primis vero ea cum voto offerebantur dona, quæ ipfarum munere in hominum ufus veniunt. Flores nempe varii, purpureæque rofæ, ut omnia copiofe rigarent, veluti eft apud Leonid. Epigram. c. 7. Muneris infuper loco mel erat, quod e floribus ortum, qui ipfis funt in deliciis, ipfarum genio dignum. Unde & dulciffimæ appellatæ fuerunt, quemadmodum in tabula marmorea ad radicem Capitolii:

NYMPHIS. LYMPHISQ. AUG
DULCISSIMIS
OB. REDITUM. AQUARUM
PLACIDE. PROSILIENTIUM

Sacris ad hæc ipfarum præter capram, lac, & oleum, imo vinum adhibebatur. Nec minus ftatuæ, aræ, facella, iis veluti honoribus dicata, ut non modo incendia, fed mala quæque averterent. Hinc faxum Albæ in palatio vet. Cancell.

PRO. SALUTE. DOMINI
NOSTRI. SANCTISSIMI

ANTONINI. PII. NYMPHIS
NOVIS. SACRUM. RUFFINUS
LEG. XIII.

Statua, & ſanum iis ponebantur. Inſcriptio ad balnea Avinionis in agro Senenſi:

NYMPHIS. SACR
L. TREBONIUS. PATERN
LIB. FORTUNATUS
VOTO. POSUIT
SIGNUM. CUM. BASI. M
ET. ÆDEM. F. CUR

Ara ſacrabatur. Vetus epigramma Romæ inventum:

UNDIS. CYANES. DONUM. PLACAVILE. FECIT. CONTUCIUS. BLANDAS. PER. AQUAS. ARAM. VENERANDAM.

Ubi *placavile* pro *placabile* permutatione B. & V. antiquis recepta. Sacellum itidem. Comprobat allata Senis dedicatio. In æde *nympharum* cenſores acta ſua tabulis de cripta publicis ſervabant. Cicer. pro Mil. c. 27. *Qui nympharum ædem incendit, ut memoriam publicam recenſionis tabulis publicis impreſſam exſtingueret.* At quid eæ *nymphis* creditæ? niſi quod cenſura puræ mentis integritatem iis peculiarem exigat. *Tomaſ. de Donar. c. 28.. Spanhem. in Callim. hymn. in Del. n. 83. Barth. in Stat. Theb.* v. 519.

Nymphæ uraniæ, id eſt, cœleſtes appellatæ ſunt a gentibus animæ, & cœleſtes mentes, quæ ſphæris cœli præſunt, quas & Muſas, & Sirenas etiam vocavere, ut Plato, Macrobius, alii dixere, & Proclus in primis. *Gyrald. Synt. deor.* v, *p.* 173. *B.*

Nymphæ dicuntur Muſæ. Serv. Ecl. VII. 21. *Ut poetæ invocent nymphas, ſicut hoc loco, hæc ratio eſt, quod ſecundum Varronem ipſæ ſint nymphæ, quæ & Muſæ. Nam & in aqua conſiſtere dicuntur, quæ de fontibus manat, ſicut exiſtimaverunt, qui Camœnis fontem conſecrarunt, nam eis non vino, ſed aqua, & lacte ſacrificari ſolet, nec immerito. Nam aquæ motus muſicen efficit, ut in hydraulia videmus. Sane ſciendum, quod idem Varro tres tantum Muſas commemorat. Unam, quæ ex aqua naſcitur motu, alteram quæ aeris ictu efficit ſonus, tertiam quæ in aera tantum voce conſiſtit. L. quæ in aſſa tantum voce.* V. illam infr. in *Vox.* Barth. in Stat. Theb. v. 519.

Nymphæ dicuntur ſponſæ, ut quidam arbitrantur ἀπὸ τοῦ νῦν πρώτως φαίνεσθαι, *quod nunc primum ſe viſendas præbeant,* cum antea prodeant obtectæ. Hinc mos Venetarum puellarum vultum tegentium, nec prius retegentium, quam mulieres evaſerint. *Laurent. de Sponſal. c.* 1. *Barth. in Stat. Theb.* v. 519.

NYMPHÆUM erat ædes publica, in qua nuptias celebrabant, qui ædibus carebant ad choreas capacibus. Ita enim Zonaras explicat in Leone Magno. *Cujac. ad l. 5. C. de aquæd. Bergier. de viis milit.* v. *Sect.* 8. §. 6. *Panciroll. de reb. deperd. & inv. p.* 93. *& Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 341. *E.* Columnis *nymphea* ſuffulta fuiſſe credo. Et hæc quidem inſtructa erant culinis, & conclavibus: in quibus mantilia, patinæ, orbes, & alia vaſa reponebantur. Appellabanturque, quod ſponſam Græci *nympham* dicerent. *Panciroll. l. l.* Non ἀπὸ τῶν νυμφῶν, hoc eſt, novis nuptis denominata ſunt; ſed a *nymphis*, hoc eſt lymphis. Fere ſemper cum balneis, vel thermis junguntur. Capitol. in Gordian. c. 32. *Opera Gordiani Romæ nulla exſtant, præter quædam nymphæa, & balneas.* l. 5. ff. de Aquæd. *Quid in publicis thermis, quid in nymphæis pro abundantia civium conveniat deputari.* l. 6. *Maluimus aquaductum prædictum noſtri palatii publicarum thermarum, ac nymphæorum commoditatibus inſervire.* Græci vocant ὑδρεῖα. Latini *aquaria*, & *aquægia* dixerunt. Gloſſæ *aquarium*, ὑδραγώγιον. Aliæ ὑδρεῖον exponunt. Lacum ita vocabant. Gloſſæ: ὑδρεῖον, *lacus*, *ſilanus*. Vetus inſcriptio:

QUOD. AQUAM. NOVAM
CONQUIRENDAM. ET
IN. MUNICIP. REDUCEND.
ET. NYMPHÆUM. FACIEND
PEC. PUB. C.

A lacubus diſtinguuntur. P. Victor *nymphæa* duodecim Romæ fuiſſe tradit, lacus vero mille CCC. II. Diſtinguuntur etiam a puteis. Vetus inſcriptio: EJUS. RECEPTUI. PUTEUM. AD. PROX. TRICLIN. USUM. IN. HOC. SPHÆRISTERIO. UBI. ET. IMPERAT. NYMPHÆUM. FACIENDUM. CURAVIT. Sunt itaque ſalientes, vel fontes manu ſtructi aquam e publico ejaculantes. In lacubus aqua accipitur, non ſalit. *Salmaſ. in Capitolinum. Borriel. Antiq. Urb. Fac. c.* 7. §. 9. *Barth. Adv.* VII. 10. *Hennin. ad Bergierum.* Hac ſignificatione videtur uſu paſſe Anaſtaſ. in Hilario Papa: *Nymphæum, & triporticum fecit ante oratorium S. crucis, ubi ſunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur hecaton pente.* Hoc enim loco nihil aliud eſt niſi fons in media illa porticu centum quinque columnarum. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11. Et exinde lavacra, & thermæ, quæ poſteritatis cauſa a principibus exſtruebantur. Habebant aquam tepidam; at non valetudinis, ſed voluptatis cauſa. *Salmuth in Panciroll. p.* 104. *Beroald. in Apul.* XI. *p.* 741. *Cerda Adv. c.* 95. *n.* 5. *Rhodig. Antiq. Lection.* XXVIII. 27. *Alciat. Annot. in tres poſt. libros Cod. p.* 108. *Aring. Rom. Subter.* IV. 20. 1. *Pius Annot. poſt. c.* 126. A thermis ſunt diverſa. Sunt enim proprie ædes *nymphis* ſacratæ, marmorum varietate, & columnarum altitudine, ac pictis tabulis, aquarum denique copia ſpectabiles. Ita Liban. Antiochic. p. 372. D. *nymphæum* Antiochiæ, Euagr. Hiſt. Eccleſ. II. 12. deſcribit. *Delubrum circa ipſas.* cujus meminit, porticus, *nympharum excellentiſſimum, marmorum radiis, & columnarum coloribus, & picturæ ſplendore, atque liquorum abundantia omnium oculos ad ſe convertens.* Philoſtr. VIII. 4. de *nymphæo* Puteolano: *Sederunt in nymphæo, in quo dolium erat ex lapide candido, fontem aquæ continens.* Valeſ. in Ammian. XV. 7. Græv. Theſ. Antiq. Rom. Tom. III. Proleg. * * 3. Si ad feſta nuptialia fuerint ordinata, doceant nos, cur Jovis nomine dictum exſtet apud Victor. reg. VII. & Alexandri apud eundem reg. V. Etiam Marci magnificum celebrat Ammian. XV. 7. Ego antra quæpiam ſtudioſe confecta, & *nympharum* habitaculis æmula ea appellatione venire ſuſpicor. Quid enim mirum, talia habuiſſe inter publica ædificia, cum *Antrum Cyclopis* Victor memoret locatum in reg. II. Sunt itaque talia naturalia intra fontibus nativis, ingenuiſque ſedilibus, velut ad habitationem *nympharum* ornata, quæ ars æmulata in urbes poſtea transduxit e montibus, & convallibus ob amœnitatem ruſticæ manſionis. Sane nimias in talibus aquas fuiſſe memorant Imperatores Theodoſ. & Valentin. l. 5 C. Inſtit. de Aquæd. XI. *Ampliſſima tua ſede diſpoſitura quid in thermis publicis, quid in nymphæis pro abundantia civium conveniat deputari, quid his perſonis, quibus noſtra ſerenitas indulſit, ex aqua ſuperflua debeat impertiri.* l. 6. *Etenim memoratas fiſtulas thermis tantum, & nymphæis, quibus eminentia deputaverat, volumus inſervire.* Quæ ſane non arguunt loca nuptiis deſtinata. Nam nuptias & in privatis domibus celebratas nos docent comœdiæ: aliquando vero in baſilicis, ut iidem Imperatores alibi nos docent: quibus ſane extantibus *nymphæis* ad id deſtinatis opus non erat. Iidem Imperatores l. 21. C. de oper. publ. *Illud quoque decernimus, ne in eam, baſilicam, equos liceat introminti, vel nuptias celebrari.* Igitur alia loca, & a nuptialibus, & a balnearum domibus *nymphæa* Romana. *Barth. Adv.* VI. 12. V. etiam *Nardin. Rom. vet.* III. 4. De veteribus nullum ad noſtra, aut patrum uſque tempora duravit. *Fabric. l. l.*

Nymphæum Alexandri Imperatoris fuit in reg. V. quæ Exquilina, P. Victore, & Sex. Ruſo referentibus, ſed incertum qua ſede. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. cap.* 18. *Nardin. Rom. vet.* III. 4. *Fabrett. de Aquæd. Diſſ.* 1. §. 90.

Nymphæum Gordiani ad latus D. Laurentii in Damaſo cum inſcriptione marmorum ibi repertorum merito collo-

catur. De illo Capitolinus. V. illum ſupr. in *Nymphæum.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. n. 6. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 18. Donat. de Urb. Rom. III. 11.

Nymphæum Jovis a P. Victore in reg. VII. fuiſſe dicitur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11.

Nymphæum Flavii Philippi, quod hic Romæ reparaſſe dicitur. Quo tempore hoc reparaverit, incertum eſt. Nam antiqui tantum marmoris invenimus teſtimonium.

FLAVIUS. PHILIPPUS. VIR
CLARISSIMUS. PRÆFECTUS. URBI
NYMFIUM. SORDIUM. SQUALORE
FOEDATUM. ET. MARMORUM. NU
DITATE. DEFORME. AD. CULTUM
PRISTINUM. REVOCAVIT.

Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 18.

Nymphæum Marci fuit inter Cœlium, & Palatinum, ubi erat Severi Septizonium. Ammian. XV. 7. V. illum infr. in *Septizonium.* Donat. de Urb. Rom. III. 11. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 18.

Nymphæum recens nunc eſt inter Neapolim, & montem Veſuvium in villa Leucopetrea, cujus forma talis eſt. Ædificium ex marmore quadrangulare, ad quod per unam ſolummodo portam eſt aditus, & aliquot gradibus deſcenſus. Ad dextram introeunti in *Nymphæi* capite fons eſt aquæ limpidiſſimæ, ad cujus quaſi cuſtodiam accubat Arethuſa nuda ex candidiſſimo marmore: ſolum varium, & marmoratum, & canali circumdatum, in quem aqua ex fonte effluit. Parietes ex conchis, lapillisque albi, nigri, flavi, purpurei coloris, quaſi maltha illiti: in quibus ex concharum compoſitione, tanquam ductibus ex pictura, anni menſes duodecim, & quatuor virtutes politicæ expreſſæ. Item raptus Proſerpinæ, Pan canens fiſtula, & mulcens gregem. Præterea imagines *nympharum* natantium, navigantium, in piſcibus ludentium: inter quas Helle inſidens arieti, Siren delphino, Europa tauro. In eodem ad ſingula latera quatuor ſtatuæ marmoreæ, Herculis leonem geſtantis, Panos agnum bajulantis, Genii cani blandientis, Najadis nudæ. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 18.

ΝΥΜΦΑΓΩΓΟΙ communi nomine nominabantur, qui ſponſam ex patris domo ducebant. Pollux. III. 3. 4. *Qui ſponſam e patris ædibus deducit, dicitur νυμφαγωγός. Hotman. de vet. rit. nupt. c.* 16.

O.



pro *A* ponebant veteres. Sic *Opiomi* pro *Apiomi* l. 26. C. de loc. & cond. *Torquitius* pro *Tarquitius* in lapide invento in via Oſtienſi. *Oriculo* pro *Oricula* apud Gruter. p. 1069. n. 9. Et ex Græco παροψὶς *parapſidem* fecerunt. *Reineſ. Inſcript. Ind. c.* 19. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 852. ... de *Præſt numiſm. Diſſ.* IX. *p.* 908.

O & *AU* in veteri ſcribendi ratione fuerunt promiſcua, in antiquis denariis *Plautia* & *Plotia.* Quirini educator *Foſtulus* in denario gentis Pompejæ legitur, qui apud auctores *Fauſtulus.* Spanhem. de Præſt. numiſm. Diſſ. II. p. 80. Et eadem ratione dixerunt olim *orum* & *aurum*, *oratam* & *auratam*, *oriculas* & *auriculas.* Feſtus: *Orata genus piſcis appellatur a colore auri, quod ruſtici orum dicebant, ut auriculas oricillas. Itaque Sergium quoque quendam prædivitem, quod & duobus anulis aureis, & grandibus uteretur, Oratam dictum eſſe appellatum.* Dauſq. Orthogr. II. p. 86. & 243. Scheffer. de Re vehic. II. 19. Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 19. Reineſ. Inſcript. Ind. c. 19. Palmer. Spicil. V. Caſaub. Marcil. Pitiſc. in Suet. Veſp. c. 22. n. 4.

O & *E* ſæpe mutuas tradebant operas, & in alternas ſedes ſubibant. V. ſupr. in *E.*

O in *I* mutabant veteres. Ita ex Græco τροχάλιον *trichilium*, & ex κόνις *cinis* faciebant. *Salmaſ. in Spartian. Adrian. c.* 10.

O & *U* permutabantur. Lapidis Privernatis fragmentum paſſim *O* pro *U* exhibet, ut *Appios*, *conſol*, *honc*, *conſentiont*, *Luciom.* Hoc enim non opificis errore, vel inſcitia, ſed ex eo prorſus veterum more factum eſt. Quintil. I. 4. *Quid O atque U permutatæ invicem? Ut Hecoba, & notrix, Culchides, & Pulyxena ſcriberentur: ac ne id in Græcis tantum notetur, dederont ac probaveront. Sic Ὀδυσσεύς, quem Ὀλυσσέα fecerunt Æoles, ad Ulyſſem deductus eſt.* Ant. Inſcript. Scip. Barb. Explan. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 837. B. Auguſt. de Famil. Rom. in Mucia. Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſ. IV. p. 469. Spanhem. de præſt. numiſm. Diſſ. II. p. 73. & 76. Reineſ. Inſcr. Ind. c. 19. Panvin. Faſt. I. p. 63. Victor. Var. Lect. VIII. 23: XXXIV. 9. Malvaſ. Marm. Felſin. V. 10: VII. 3. Palmer. Spicil. I. p. 616. Baluz. in Salvian. VII. p. 348.

OBÆ.

OBÆRATI dicebantur, qui quidem necdum in ſervitutem addicti, eam tamen ex legibus ſibi metuebant imminentem. Cauſæ ſunt calamitates, & miſeriæ, quæ fere duplices, corporis, & famæ. Hæ communes *obæratis*, atque nexis, illæ nexorum propriæ. Quamprimum enim a creditore ad prætorem adducti ſolvendo ſe non eſſe jurarant, infames reddebantur, ut qui fidem creditori præſtitam non ſervaſſent. Docent hoc legati Manlii, quando coram rege Q. Marcio ſic queruntur apud Salluſt. Bell. Catilin. p. 26. *Violentia, atque crudelitate fœneratorum plerique patria, ſed omnes fama, atque fortunis expertes ſumus. Fama* dicunt, *& fortunis.* Liv. VI. 34. *Fama, & corpore judicati, atque addicti creditoribus ſatisfaciebant. Fama* primo ponit, deinde *corpore*, quia alterum ad *obæratos*, alterum ad nexos pertinet: alterum fiebat ab initio, alterum in fine. Hoc clarius aliquanto videmus ex c. 13. ubi tribuni ajunt: *Acriores æris alieni eſſe ſtimulos, nec egeſtatem modo, atque ignominiam minari, ſed nervo, ac vinculis corpus liberum territare.* Hic enim expreſſe ignominia diſtincta a vinculis, quæ quoniam addictis tantum injici fas erat, manifeſtum arbitror, alteram illam *obæratorum* pœnam fuiſſe, eorum ſcilicet, qui ad diem præſtitutam non ſolviſſent, illiusque rei nomine a prætore eſſent judicati. Nec enim ſtatim addicebantur, ſed vi legum publicarum triginta dies, juſtos inde appellatos habebant, intra quos pecuniam conquirerent. Quo omni tempore judicati dicebantur. V. Gellium ſupr. in *Dies.* Unde ſimul diſcimus illud *judicati* in verbis Livii non ad proximum, ſed antecedens verbum referendum eſſe, & *obæratos* reſpicere. Summa infamiæ in duobus maxime conſiſtebat, quod & fidem apud honeſtiores amitterent, & exciderent gratia patronorum, nec deinceps digni haberentur, qui eos clientium more ſalutarent, proſequerentur in viis, & id genus alia officia præſtarent. Appius declarat hoc in ſua oratione apud Dionyſ. VI. p. 386. *Nulli eorum, qui me defraudarunt, nexum, aut infamiam conciliavi, ſed omnes per me liberi ſunt, omnes gratiam habent, ut clientes, & amici, atque in maxime neceſſariis cenſeri volunt.* Scheffer. Agrippa. Liber. c. 3.

OBB.

OBBA, *poculi genus, vel ligneum, vel ex ſparto. Varr. Epiſt. ad Marullum: Utrum meridie, an veſperi libentius ad obbam accedas.* Non. XV. 14: II. 597. Ἀκύρως. Nam proprie eſt vas vinarium, idque amplum & ventrioſum. Perſ. Sat. V. 46.

> —— *ubi torta cannabe fulto*
> *Cœna ſit in tranſtro, Vejentanumque rubellum*
> *Exhalet vapida læſum pice ſeſſilis obba.*

Ubi *ſeſſilis obba* eſt vas vinarium ei ſimile, quod vocamus *barril.* Caſaub. in Perſium, Jun in Tertull. mox laudandus.

Voſſ.

Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 897. a. A. Illas fuit in epulis funebribus. Glossæ Philox. *Obua* ... ἀμβρὶξ, ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς σπένδουσιν. Tertull. Apolog. c. 13. *Quid autem ab epulo Jovis silicernium? a simpulo obba? ab aruspice pollinctor? nam & aruspex mortuis apparet.* Kirchman. de Funer. IV. 7.

OBE.

OBELIAS vocabatur panis, qui in veruculis torrebatur. Hi sunt forte qui hodie *oublies*, vel *gaufres* vulgo vocantur: tabulis enim ferreis parantur, veruculorum vinculis ... sculptis. Solebant veteres sub convivii finem mensis adhuc calentes inferre, atque ex passo, non secus ac *obelias* nostras vino intinctas edere. *Nonn. de Re cibar.* I. 8. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 15. *Buleng. de Convv.* IV. 18. *Sperling. Diss. de numm. non. cus. c.* 23.

OBELISCUS *est asperrimus lapis, in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam; utque radium imitetur, gracilescens, paullisper specie quadrata in verticem productus angustum, manu levigatus artifici. Formarum innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei undique videmus incisas, initialis sapientiæ insignivit antiquitas. Volucrum, enim, ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, ad ævi quoque sequentis ætates, ut patratorum vulgatius perveniret memoria, promissa, vel soluta Regum vota monstrabant.* Ammian. XVII. 4. *Panvin. de Lud. Circens.* I. 17. & *ad illum Argolus. Buleng. de Circo c.* 20. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 10. *Mercat. de Obelisc. c.* 1. *Mod. de Triumph. vet.* I. 39. *Salmuth in Panvin. de Reb. deperd. & inv. p.* 180. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 63. *Kircher. Turr. Babel.* II. 2. 6. & *de Obelisc. Pamph.* I. 7. *Polyd. Virg.* III. 11. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 637. *b. A. Ferret. Mus. lapid.* II. 36: IV. 51. *Gyllus Topogr. Constantinop.* II. 11. *Pier. Hierogl.* XLIX. 32. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 19. *Barg. de Obelisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1905. *F. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 378. *B. Pitisc. in Suet. Claud. c.* 20. *n.* 7. Figura, in quam conformatur, quod solis radios imitetur, ad solem quoque referatur necesse est. Sensim enim instar metæ ad proceritatem consurgit, & illam quidem excelsam. Et omnino ita factus, ut, quamquam idem cum meta non est, tamen haud sane longe distet a specie, & figura ipsius metæ. Sunt, qui putent, in eum illum saxeam, ad veram similitudinem conformatam, mentem significare nostram ad unum modo Deum se efferentem instar radii solaris, qui, quo longius a sole discedit, eo latior fit: quo minus, eo acutior, & in verum ipsum lucis auctorem, quasi in punctum, desinit. *Barg. ibid. p.* 1906. *C. Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 17. Non est excogitatus a sacerdotibus ob hanc causam, sed Mithre Rege. Plin. XXXVI. 8. *Primus omnium id instituit Mithres, qui in Solis urbe regnabat, somnio jussus: & hoc inscriptum est in eo.* Fieri potuit, ut, quod Mithres somniaverat, sacerdotes acute excogitata radiorum solarium imagine quasi quadam re ipsa confirmaverint, & inde philosophandi occasionem præbuerint multis. *Barg. ibid. p.* 1908. *F. Buleng. l. l. Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c.* 2. *Polydor. Virg. de Invent. rer.* III. 11. *Kircher. Obelisc.* I. 7. Errant qui putant ad pyramidum formam inventos, ac factos. Nam Diodor. I. p. 30. testatur, inter ornamenta Thebarum fuisse etiam *obeliscorum* ex uno lapide constantium admirabiles substructiones. Quod si Thebæ arte conditam Memphim amplius quingentos annos antecesserunt, & pyramides a Memphiticis Regibus exstructæ sunt; concludi potest, multo ante fuisse *obeliscos*, quam pyramides. Præsertim cum ex Plinio constet, a Mithre, qui in Solis urbe longe vetustiore, quam Memphis, regnabat, *obeliscum* fuisse inventum; pyramidem vero a Chembrete, qui Memphi multis post seculis regnum obtinuerit. Ut vero tempore, ita etiam dignitate, & veneratione superior. Nam præterquam quod ... portentosam molem ex uno, eoque durissimo saxo ... integram potuisse, finis etiam, si spectetur, & causa, cur exstiterit, videbitur esse pyramidi longissime præferendus. Mithres enim Rex conficiendum curavit, ut quasi ex concepto voto soli donum daret: in eoque rerum a se gestarum memoriam Ægyptiacis notis perscriptam ad posteros propagaret. At pyramides sepulcri causa fuisse substructas certo scimus. *Barg. ibid. p.* 1911. *B. Bellon. de Oper. Antiq.* I. 8. *Mercat. ibid. c.* 12. *Casal. l. l.* De *obeliscis* etiam totum volumen composuit *Kircherus.*

Obeliscus Augustæus fuit, quem Augustus in circo statuit. Plin. XXXVI. 9. *Is autem obeliscus, quem D. Augustus in circo magno statuit, excisus est a Rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum & dodrantis, præter basim ejusdem lapidis.* Ammian. XVII. 4. *Augustus obeliscos duos ab Heliopolitana civitate transtulit Ægyptia, quorum unus in circo maximo, alter in campo locatus est Martio.* Hunc Fulvius, & Marlianus non erectum esse ab Augusto dicunt, verum in ipso conatu diffractum ita semper usque ad memoriam suam in terra jacuisse. Unde hanc fabulam acceperint, nescio: sed erectum eum esse cum ex Plinii, tum ex Ammiani verbis satis clare, ac perspicue constat. Nec aliud numisma Augusti, in quo circus cum erecto in eo *obelisco* expressus est, credere jubet. Verosimile vero est postea longa ævi vetustate collapsum, fractumque esse: unde Constantinus & Constantius alterum integrum ex Ægypto in ejus locum transvehendum curarunt. Erat hic, si Ammiano fides, multo major, & altior, quem *Augustus vel magnitudine ejus mole deterritus, vel religione, quod soli sacer esset, impeditus, transferre non sustinuit:* Constantinus autem per Nilum Alexandriam devexit, ut eum Romam deportaret, navem enormem trecentorum remorum construxit. Illo interea fatis functo, Constantius mari illum Tiberi invexit: hinc in terram expositus *defertur in vicum Alexandri tertio lapide ab Urbe sejunctum: unde chamulcis impositus, tractusque lenius per Ostiensem portum, piscinamque publicam circo illatus est maximo:* in quo & erectus est. Atque ita de duobus a Victore annotatis jacet alter, alter erectus; ille Augusti, hic Constantii. Hic idem ille esse fertur, qui hodieque ante basilicam S. Joannis in Laterano visitur: alter vero Augusti in area populi, seu ad portam Flaminiam; uterque a Sixto V. erectus, ut in vita ejus Ciccarellus tradit, qui eos e valle circensi erutos affirmat. Verum neutrum eorum integrum esse ex eo liquet, quia Augusteus 125. pedum fuit, ad quam altitudinem ille ad portam Flaminiam non assurgit: alter vero Lateranensis, qui altior esse debebat, priore minor est. Tum uter Augusti fuerit, atque mihi incertum videtur: nam licet inscriptio basis *obelisci* Flaminici nomen Augusti ferat, quum tamen ambo in terra disjecti, fractique reperti fuerint, neutri basis conjuncta esse potuit. Contra *obeliscum* illum campi Martii fuisse horologii gnomonicum inscriptio indicio est, nullatenus ab illa differens, quæ ad S. Laurentii in Lucina fuit, a Fulvio descripta. *Nardin. Rom. vet.* VII. 2. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 19. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 378. *C. Barg. de Obelisc. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1926. *B. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 31. *Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 15. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 10. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 64. De illo in campo Martio Plin. XXXVI. 10. *Ei, qui est in campo, D. Augustus addidit mirabilem usum ad deprehendendas solis umbras dierumque, ac noctium magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die sexta hora.* Puto Augustum circa *obeliscum* stravisse humum lapidibus, sed non longius, quam umbra horæ sextæ diei. *Paullatimque*, inquit Plinius, *per regulas, quæ sunt ex ære inclusæ, singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret, digna cognitu res, & ingenio fœcundo.* Ego illas regulas ex ære humi lapidibus inclusas putaverim, non autem sursum *obelisco*. *Manlius*, pergit Plinius, *mathematicus apici auratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in semetipsam, alia atque alia incrementa jaculantem apice, ratione, ut ferunt, a capite hominis intellecta.* Ænea pila

aurata in vertice *obeliſci* impoſita umbram ad ſtratas ex ære regulas ita jaculabatur, ut horæ in ſingulos dies ad ſolem, & lunam deprehendi facile poſſent. *Bellon. de oper. Antiq.* I. 8. *Barg. ibid. p.* 1922. *D. Boiſſard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 15. *Mod. de Triumph. vet.* I. 39. *Blond. Inſtaur. Rom.* II. §. 75.

Obeliſcus Cajanus fuit, quem Cajus princeps in Vaticano locavit. Plin. XVI. 40. *Abies admirationis præcipue viſa eſt in navi, quæ ex Ægypto Caji principis juſſu, obeliſcum in Vaticano circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad ſuſtinendum eum adduxit.* XXXVI. II. *Tertius obeliſcus eſt in foro Vaticano, Caji, & Neronis principum circo, ex omnibus unus omnino fractus eſt in molitione, quem fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus.* Nunc aream D. Petri exornat. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 373. *E. Nardin. Rom.* VII. 13. *Aring. Rom. Subterr.* I. 37. § 16. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 21. *Barg. de obeliſc. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1923. *C. Bellon. de oper. Antiq.* I. 8. *Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 22. *Boiſſard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 15. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* I. *c.* 10. *Mod. de Triumph. vet.* I. 39. Eſt pars tantum ejus, quem Nuncoreus faciundum curaverat. Pergit enim Plinius: *Ejusdem remanet & alius centum cubitorum, quem poſt cæcitatem viſu reddito ex oraculo ſoli ſacravit.* Unde colligitur, hunc centum cubitorum alteram, & majorem fuiſſe diffracti *obeliſci* partem. Olim vero, ſicut & nunc, leonibus æreis ſuffultum fuiſſe liquet e Petrarch. Epiſt. VI. 2. *Hoc eſt ſaxum miræ magnitudinis, æneisque leonibus innixum, divis Imperatoribus ſacrum.* . . . In culmine pila erat ex ære, quam cineres Auguſti continuiſſe creditum: verum Ciccarellus in vita Sixti V. tradit, Fontanam Architectum, qui eam diſrapit, deprehendiſſe fuſam abſque ullo foramine, per quod cineres in eam inferri poſſent: paucula tamen foramina minora in ea inventa, ſed a bombardarum globulis inflicta, in quæ ventus nonnihil pulveris intulerat. *Nardin. & Barg. l. l.* Hunc *magnum* nominat Suet. Claud. c. 20. n. 7. *Navem, qua magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus, demerſit.* Non comparatione eorum, qui parvi ſunt, quales etiam nunc aliquot Romæ conſpiciuntur; ſed, ut *magnitudine* iis, qui juſſu Auguſti unus in circo maximo, alter in campo Martio ſtatuti fuerunt, longe præſtitiſſe intelligeretur. Idque ex hujusmodi quaſi cognomine, non defracto, & imminuto, ſed de integro adhuc, vel Heliopoli ſtante, vel Romam primum advecto accipi oporteret. Nam alioquin non ipſe *magnus* cognominari debuit, ſed is, quem in circo maximo Auguſtus ſtatuerat, pedum octogenum octonum, hoc eſt, cubitorum quinquagenum octonum, & beſſis. Quod eo magis fieri par fuit, quod qui in campo Martio erat, perinde ac Vaticanus, quadragenis octonis cubitis in altitudinem aſſurgebat; erantque omnino ambo inter ſe magnitudine pares. *Barg. de Obeliſc. ibid. p.* 1924. *A.*

Obeliſcus in Caracallæ circo, cujus ruinæ hac noſtra adhuc etiam ætate inſpiciuntur, perfractus, notisque inſculptus Ægyptiacis cernitur. Hoc Romanæ antiquitatis monumentum, longa temporum injuria disjectum, poſtea neglectum inculto loco cum jaceret, & ſubſideret, Innocentius X. P. R. in Urbem hac noſtra ætate transferri voluit, & in ipſiuſmet circi agonalis umbilico, nobili, baſis inſtar, ſubſtructa mole, ſtatuis multipliciter, ac fontibus conſpicua, ut uno eodemque tempore opus, quod invida temporum vetuſtas disjecerat, cumulatius reſtitueret, & recurrente Jubilæi anno 1650. & Urbis, & antiquitatis decori proſpiceret, magnificentius aliorum *obeliſcorum* more erigendum, & ſtatuendum curavit. *Aringh. Rom. Subterr.* III. 10. §. 17.

Obeliſcus Quirinalis, qui in circi Elagabali medio ſurgebat inſignis, & notis hieroglyphicis diſtinctus, hodie fractus in area Cardinalis Franciſci Barberini oſtentatur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. *n.* 2.

Obeliſcus Salluſtianus, notis, ſive literis Ægyptiis inſcriptus jacet in medio hortorum ejus, qui non ſolum proximam occupabant vallem, ſed ad portam Collinam fere uſque ſecundum Urbis mœnia diffundebantur. Lunæ ſacrat dicatus. Locus adhuc hodie vulgo dicitur Soloſtrico. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Barg. de Obeliſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1923. *A. Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 20. *Schott. Urb. Rom. deſcript. p.* 444.

Obeliſcus in Tiberis inſula minimus eſt, & inter magnos non connumeratur. *Panciroll. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 378. *E.* Panvin. ibid p. 312. unum de maximis in inſula ponit: & in illo alios habet aſſentientes. Sed hujus mihi rei nullum aliud, niſi in recentiore Victore, exſtat uſquam indicium. Unde magis in diverſam rapior ſententiam, ſiquidem in antiquiore ſex tantum grandium mentio fit: quorum duo fuiſſe ait in circo maximo, unum in Vaticano, unum in campo Martio, & reliquos duos in ſepulcro, ſeu monumento Auguſti. *Nardin. Rom. vet.* VII. 12. Quo ergo referendus ille in circo Flaminio? ille in circo agonali vetuſtus? (nam hodiernus ex circo Caracallæ, & is ſatis magnus) ille in circo Floræ? ille in circo Salluſtii? nam numiſmata antiqua in his omnibus agnoſcunt *obeliſcos* magnos, nautici mali exemplo faſtigiatos. Aſſerimus itaque in inſula Tiberina *obeliſcum*. Hunc Quirites, cum inſulam Tiberinam in ſpeciem navigii, quo Æſculapius advectus erat, erexerunt, mali nautici loco ſtatuerunt. Ejus apex hieroglyphicis avium, piſciumque figuris literatus adhuc extra templum D. Bartholomæi cernitur, metæ vicem ſuſtinens. Quin & hodie Tibure in hortis Cardinalis d' Eſte ex marmore tota illa inſula repræſentatur, pulcerrime in morem navis exornata, *obeliſco* malum formante. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. *n.* 2.

ʹΟΒΕΛΟΣ Latine veru nominatur, inſtrumentum ſcilicet ferreum, quod in prima ſui parte craſſiore corpore cum ſit, paullatim minuitur, donec in acutam cuſpidem deſinat. Eo carnes ad ignem circumvolutæ torreri conſueverunt. Virg. Georg. II. 396.

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Barg. de Obeliſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1005. E.

OBEX eſt omne id, quod munimenti cauſa *objicitur*. Ita Serv. Georg. IV. 422. *ſaxi obicem* ejus *objectionem* exponit. Quo ſenſu dicit contra Lucifer. Hieron. *obicem clypei.* Oroſ. III. 19. *obicem muri.* Sagittar. de Jan. vet. c. 11. §. 5. Inde peſſulus, qui valvis objicitur. Sil. Ital. IV. 23.

— & robora portis
Et fidos certant obices arceſſere ſylva.

Barth. Adv. XXXV. 10. Januarum plerumque erat ligneus, quod vel ex Æneæ Tactico diſcimus, qui tamen majoris firmitudinis cauſa præcipit, *obicem tribus, aut quatuor e partibus muniri laminis ferreis in longum appoſitis.* Et hi ſunt *ferrati obices* Latinorum. Ammian. XXI. *Alii ferratos portarum obices effringendos adorti, vulgo ignibus petebantur.* Sed & ferreos, atque æreos *obices* fieri olim ſolitos vel ex hiſtoria ſacra docemur, quæ μοχλῶν χαλκῶν, καὶ σιδηρῶν cum in Regum libris, tum alibi ſæpe meminit. *Sagittar. l. l. Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 653. *D.*

Obex eſt paxillus, qui in foramen axis immittitur, σύριγξ Græcis. Scholiaſt. Sophocl. in Electr. p. 113. Edit. Henr. Steph. 1568. *Syringa eſt pars, quæ in foramen rotæ immittitur, id eſt, paxillus axis.* Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. I. 3. Sed *obicem* Scholia quæ laudant, nunquam σύριγγα exponunt. Dicunt eſſe quod inſeritur foramini rotæ. At clavus, ſive paxillus, qui Latinis *obex*, non rotæ foramini inſeritur, ſed axis. Τὸ εἰς τὸν ἄξονα ἐμβαλλόμενον dicunt Gloſſæ Græcæ. *Scheffer. de Re vehic.* I. 5.

Obex etiam eſt pila lapidea, muro objecta, & obnixa ad fulciendam fabricam. Græcis vocatur ἀντηρίς. Gloſſæ optimæ: *Obices, ἀντήριδες. Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 856. *C.*

OBL.

OBLATIO erat genus penſitationis. Auxilia nunc dict-

dicimus, ut octava vini heminatim divenditi, & vicesima ejus, quod cuppatim, culleatimque venit, reliquarumque mercium, quæque a solidariis negotiatoribus venduntur, quos grossarios appellant: quæque a minutariis, qui & propolæ dicuntur. *Bud. in Pandect. p.* 82. *C. Rhodig. Ant. Lect.* v. 11. *Buleng. de Vectig. c.* 18. Ad *oblationem* pertinent ea, quæ provinciales sponte, & gratulandi animo Imperatoribus offerebant, ut strenæ, stipes, quas ex voto pro salute Augusti quotannis mittebant in lacum Curtium apud Suet. c. 57. n. 4. Vota, quæ tertio die post Kal. Januar. pro salute principis suscipiebantur apud Suet. Tib. c. 54. n. 2. Libra auri obryzi ex voto, quæ transiit in speciem indicti l. 1. C. de oblat. vot. . . . . . *Buleng. l. l. Lipen. de Stren.* 1. §. 13. Etiam moris fuit, ut decennalibus Imperatorum, & exactione lustri senatus plures auri libras Principi offerret. Symmach. Epist. x. 36. *Hic jussu ejus ad commune secretarium, quo faciendæ oblationis gratia summates quosque conduxeram, a principibus officii utriusque perducitur. Oblativas functiones* vocat Epist. x. 43. *Quod oblativis functionibus eadem domus esset obnoxia.* Theodosius, & Arcadius dicunt se remittere senatui *oblationem* prompta liberalitate promissam C. de præd. senat. *Si quid nomine Syriarchiæ a senatoris possessionibus annua collatione confertur, jubemus aboleri.* Dicitur *aurum oblativum* senatorum, quod in Urbe persolvunt. l. 24. dudum C. lib. 6. tit. 2. *Dudum præcepimus, ut aurum oblativum senatores, qui in sacratissima urbe degunt, in urbe complerent. Hi vero qui in provinciis larem foverent, per censualium officia in provinciis solverent.* Buleng. ibid. c. 68.

OBLIGARE eum dicimus, quem beneficiis nostrum facimus, ita ut suus pæne non sit, sed omnia nobis debeat. Hoc hodieque in nostro idiotismo usurpamus. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 768. *D.*

Obligare est verbum proprium magicæ artis, quæ incantationibus, deprecationibus, diris, herbis, fascinationibus animum hominis, ac mentem, quem *obligat*, ita præpedit, & extra se ponit, ut sui officii meminisse non amplius possit, aut muniis naturalibus fungi. *Salmas. Exercit. Plin. p.* 768. C. V. & supr. in *Defigere & Devotus.*

OBLIGATIO fuit vinculum juris, quo necessitate astringebantur alicujus rei solvendæ ex jure civili. Erant variæ. *Sigon. de Judic.* 1. 5.

Obligatio civilis est, quæ vel nunquam revera contracta est, vel cum revera contracta esset, facto tamen aliquo, sed ad juris civilis rationem non accommodato dissoluta erat: ut si quis vi, metuve promisisset, summo jure *obligatus* erat: & si creditor pactus esset, se nunquam petiturum, aut debitor creditoris postulatu jurasset, se non debere. *Sigon. de Judic.* 1. 5.

Obligatio ex consensu } V. illas supr. in *Contractus.*
Obligatio ex contractu }

Obligatio ex quasi contractu erat, quæ neque ex contractu, neque ex delicto proprie nascebatur, sed quia rei privatæ negotium gestum erat, ita appellabatur, ut si quis negotium absentis, & ignorantis sua sponte, ac sine mandato gessisset, quæ negotiorum gestorum appellata. *Sigon. de Judic.* 1. 5.

Obligatio ex delicto erat, quæ ex delictis tantum privatis nascebatur, furto, rapina, damno injuria dato, & injuria. V. singula suis locis. *Sigon. de Judic.* 1. 5.

Obligatio ex quasi delicto erat, cum quis pœna aliqua multabatur quasi deliquisset, cum tamen revera non deliquisset: sed tantum in culpa esset, veluti si cujus ex cœnaculo dejectum aliquid esset. *Sigon. de Judic.* 1. 5.

Obligatio honoraria erat, quam vel prætor, vel ædilis in edictis suis instituit: veluti cum prætor bonorum possessionem creditoribus omnibus hæreditariis *obligavit.* Sigon. de Judic. 1. 5.

Obligatio mixta erat, quæ cum revera, & æquissime contracta esset, etiam a jure civili comprobata erat: ut ex mutuo, commodato, deposito, empto, conducto. V. singula suis locis. *Sigon. de Judic.* 1. 5.

Obligatio naturalis erat, quæ revera contracta, a jure tamen Quiritium non approbabatur: veluti si servus civi Romano pecuniam credidcrit, jure quidem naturali: quæ parem omnium hominum conditionem esse voluit, *obligatio* nata est, sed ea prætor, non jus dicit. *Sigon. de Judic.* 1. 5.

Obligatio quatuor modis dissolvebatur, solutione, acceptilatione, novatione, delegatione. V. singulos suis locis. *Sigon. de Judic.* 1. 5.

OBLINERE dolia dicebantur, qui illa obturabant. Cato de Re rust. c. 113. *Sinito dies quindecim aperta, antequam oblinas.* c. 110. *Sinito biduum oblitum dolium.* Hoc est *pice adstringere.* Horat. Od. III. 8. 10.

Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere institutæ.

Turneb. Adv. xxx. 6.

OBN.

OBNUNTIARE, & annuntiare differunt. Donat. in Terent. Adelph. IV. 2. 8. *Qui malam rem nuntiat, obnuntiat: qui bonam, annuntiat. Et proprie obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis, scævumque viderint: inde etiam etymologia hujus verbi est.* August. de Legib. in Fusia. Popm. de differ. verb. 1. 24. Beroal. Annot. c. 44. Et *obnuntiare* dicebatur, cum ei qui cum populo agere volebat, id *renuntiabatur.* Negabant enim augures fas esse agi cum populo, cum de cœlo servaretur. *August. de Legib. c.* 12. Quomodo differat a servare de cœlo, & quibus licuerit. V. infr. in *Servare.* Erat quasi partus auspiciorum; nam auspicia ideo erant, ut esset *obnuntiatio:* cum enim de cœlo servatum esset, tum ferentibus legem *obnuntiabatur:* nec unquam servatum est de cœlo, quin *obnuntiatum* sit, sive prospera, sive adversa signa essent, cum prospera confirmarent id, quod cum populo ageretur, adversa impedirent. *Manut. de Legib. c.* 8. Augurium duarum rerum observatione fiebat: vel cum de cœlo fulsisset, aut tonuisset (erat enim in augurum disciplina, ut Jove fulgente, tonante, comitia dimitterentur) quo genere impedimenti Pompejus Magnus in secundo consulatu, cum prætorem creari virum omnium integerrimum M. Catonem videret: ipse autem hominem flagitiosissimum P. Vatinium, Cæsaris gratia, vellet, comitia dissolvit: vel cum aves adversa portenderent. *Manut. ibid. c.* 36. *Beroald. Annot. c.* 43. Verba sollennia, & velut concepta *obnuntiantis* erant: *alio die:* quibus significabat in alium diem differri debere comitia. Cicer. Phil. II. 33. & de Leg. II. 12. V. illum supr. in *Alio die & Comitia.* Illud quoque observandum est, licet augur, aut magistratus *obnuntiando* ementitus fuisset auspicia, hoc est, renuntiasset, se aliquid de cœlo servando vidisse, aut audivisse, quod nec vidisset, nec audivisset, nihilominus tamen parendum fuisse: alioqui obstrictum religione se existimabit populus Romanus. Hoc ex Cicerone apparet. Nam ementitum auspicia dicit Antonium, cum *obnuntiavit* comitiis Dolabellæ, & tamen ob illam *obnuntiationem* dicit populum Romanum religione obstrictum, vitiosumque consulem appellat Dolabellam. Verba ejus hæc sunt Phil. v. 3. *Quid, quod cum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum? nihil ne ad auspicia bonus augur arbitratur pertinere?* Id autem ut ita fieret, legibus cautum erat: ea ratione, quod, ut ait Cicer. de Legib. II. auspicia magis retenta erant, ut ad Reipublicæ tempus accommodarentur, quam quod quidquam ad agendi consilium pertinerent. *Gruch. de Comit.* 1. 4. Fuit *obnuntiatio* duabus legibus Ælia, & Fusia. V. illas supr. in *Lex.* confirmata. Centum prope annos servatæ hæ leges fuerunt; sed lege Clodia L. Pisone, & A. Gabinio sunt abrogatæ. *August. de Legib. in Fusia. Struv. Ant Rom. c.* 6. *p.* 269.

OBO.

OBOLUS fuit apud Græcos nummus minutulus, non tamen omnium minutissimus, cum in semiobolos, chalcos, & lepta distribuatur, tametsi Fannius id asseruisse videatur his versibus:

Cecro-

Cecropum ſupereſt poſt hæc docuiſſe talentum,
Sexaginta minas, ſeu vis ſex millia drachmas,
Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis:
Nam nihil his obolove minus, majusve talento.

Quod ſi verum eſt, ſemiobolus, chalcus, & lepton magis ad pondera, quam ad numiſmata figuris formata referenda forent. Verum parum refert, an iſtud credatur, an illud. *Cenal. de Pond. & menſ. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 251. *C.* Eſt unus veteris pecuniæ ſtufero Batavico ſimillimus; conſtat enim octo chalcis, & chalcus eſt, quem Batavi *deuium* vocant. *Græv. in Lucian. Tom.* II. *p.* 884. *Gronov. de Pecun. vet.* III. 7. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 1. *Meibom. de Fabric. trirem. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 599. *E.* Sexta pars drachmæ. Plin. XXI. 34. *Drachma Attica denarii argentei habet pondus. Eadem ſex obolos pondere efficit.* Voſſ. Lex. Etymol. Cenal. ibid. F. Camerar. de Re numm. Theſ. Ant. Græc. Gronov. IX. p. 1421. F. Bud. de Aſſe v. p. 620. Patric. Rei milit. Rom. part. XII. ſect. 1. De *obolo* etiam ſatis fuſe *Sperling. de Numm. non-cuſ. c.* 23. Dividebatur in binos ſemiobolos. *Bud. ibid.* 1. *p.* 16. *Obolum* veteres mortuorum ori imponebant, quem pro vectura acciperet Charon. Lucian. de Luctu p. 302. *Hæc uſque adeo vulgi animos pervaſerunt, ut ſimul familiarium quiſpiam mortuus fuerit, in primis obolum ei in os imponant, quem pro vectura ſit accepturus portitor.* Juven. Sat III. 265.

Jam ſedet in ripa tetrumque novitius horret
Porthmea, nec ſperat cœnoſi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Prop. IV. 12. 7.

Vota movent ſuperos, ubi portitor æra recepit,
Obſerat herboſos lurida porta rogos.

Duos *obolos* pro naulo ponit Ariſtoph. Ran. n. 102.

Hæc te carina nauta annis obſitus
Obolis duobus tranſvehet nigram Styga.

Ubi annotat Scholiaſtes auctum Charonti ſtipendium, & ad *obolum* perventum fuiſſe ab opulentioribus, & potentioribus, ne ceteræ multitudini æquarentur. Græcis hic nummus *δανάκη* dicebatur. Meurſ. de Fun. c. 5. Cuper. Numiſm. Antiq. p. 235. Moreſtell. Pomp. Feral. VI. 7. Cluſen. Theol. Gentil. II. 2. 2. §. 5. Guther. de jur. man. I. 6. Caſal. de Proph. Rom. rit. c. 26. Urb. ac imp. Rom. ſplend. p. 2. c. 21. Hujus ſuperſtitionis ſplendida veſtigia exſtant in nummo æreo Niſæorum, qui eſt apud Goltzium. In ejus una area cernitur ſpica cum litera M. & voce ΟΒΟΛΟΣ; in altera homo fere nudus, ſcaphæ inſiſtens, & nummum porrigens tanquam vecturæ pretium, cum inſcriptione ΝΙΣΑΙΩΝ. Æacus fingebatur hoc vectigal colligere. Lucian. in Charont. p 343. *Et Æacus, qui colligendo vectigali præeſt, ſtomachabatur, quod tanto tempore ne obolum quidem lucrifecerit.* Cuper. l. l.

OBR.

OBROGARE legi quid ſit, V. ſupr. in *Lex.*
OBRYZUM. V. ſupr. in *Aurum.*

OBS.

OBSCÆVARE *eſt quaſi ſcævum, id eſt, malum omen adferre. Plaut. Aſin* II. 1. 18.

Metuo, quod illic obſcævavit meæ falſæ fallaciæ.

Non. II. 295. Donat. Adelph. V. illum ſupr. in *Obnuntiare.* Iſidor. X. *Scævus, ſiniſter, atque perverſus: eſt enim peſſimus, & crudelis omnis.* Buleng. de Augur. c. 2. Taubman. in Plautum.

OBSCOENITAS ſcenæ olim erat magna, tum quia *obſcœna* fabulæ in illa agebantur, tum quia motus, & geſtus erant impudici, atque adeo proſtibula ipſa in ſcenam ſæpe veniebant, & ſub ſcena proſtabant. Tacit. Annal. XIV. 15. 1. *Ne adhuc publico theatro dehoneſtaretur, inſtituit ludos Juvenalium vocabulo. Non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quo minus Latini, Græcique hiſtriones artem exercerent, uſque ad geſtus, modosque haud viriles. Quin & feminæ illuſtres deformia meditatæ.* Unde illam toties ſcriptores exagitant. Arnob. VII. p. 239. *Delectantur, ut res eſt, ſtupidorum capitibus raſis, ſalapittarum ſonitu, atque plauſu, factis, & dictis turpibus, facinorum ingentium rubore. Jam vero ſi viderint in feminas molliaturas enervantes ſe viros. Quid celatis, quin & ipſos dicatis deos lucere, lyrcire, ſaltare, obſcœnas compingere cantiones, & clunibus fluctuare criſpatis.* p. 238. *Exiſtimatur tractari ſe honorifice Flora, ſi, uis in ludis flagitioſis conſpexerit res agi, & migratum ab lupanaribus in theatra.* Hieron. ad Marcell. & in Hilarion. *In ſcenis theatralibus unus, atque idem hiſtrio nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem, arena ſæviat, circus inſaniat, theatra luxurient.* Cyprian. Epiſt. 103. *Agentium in ſcena ſtrophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, ſcurriles jocos, paraſitos ſordidos, ipſos quoque patresfamilias togatos, modo ſtupidos, modo obſcœnos, in omnibus ſtolidos, certis nominibus inverecundos. Superinducetur homo fractus omnibus membris, ac vir ultra muliebrem mollitiem diſſolutus, cui ars ſit verba manibus expedire, ut deſaltentur fabuloſæ antiquitatis libidines.* Buleng. de Theat. I. 49.

OBSECRARE, *orare*, & *rogare* differunt. Donat. in Terent. Adelph. III. 4. 26. *Orare eſt placidos petere, obſecrare iratos rogare. Unde plus facit obſecrans, quam orans: plus vero orans quam rogans.* Guther. de vet. jur. pont. IV. 14.

OBSECRATIO certis precationibus a ſummis magiſtratibus fiebat, & ne quid verborum præteriretur, aut præpoſterum diceretur, ſcripto præibat aliquis, rurſusque alius cuſtos dabatur qui attenderet, alius vero præponebatur, qui favere linguis juberet; tibicen canebat, ne quid aliud exaudiretur. Et quoties deprecatio erraviſſet, extis adimebantur capita, vel corda; tanta fuit verborum vis, vel incantatio. Edixit Claudius Imperator apud Suet. c. 22. n. 1. *dira avi in Urbe, aut in Capitolio viſa, obſecratio ut haberetur, eamque ut ipſe jure Maximi pontificis commoto pro roſtris populo præiret.* Quod etiam fieri ſolebat, cum agri novo quodam motu contremiſcerent, *obſecratio a populo duumviris præeuntibus eſt facta* apud Liv. IV. 21. In rebus adverſis, aut in pavore publico, ut cum *Romani duces ſe in Faliſcorum inſidias præcipitaverunt, obſecrationes in templis ſunt factæ: precibusque a diis petitum, ut exitium ab Urbis tectis, templisque, ac Romanis mœnibus arcerent* apud Liv. V. 18. In illa hoc verbo uti ſolebant *ob vos ſacro* pro *vos obſecro.* Ex antiquis nimirum precationum formulis, in quibus de induſtria verba trajiciebant. Feſtus: *Ob vos ſacro in quibusdam precationibus eſt, pro vos obſecro: ut ſub vos placo, pro ſupplico.* Guther. de Vet. Jur. Pont. IV. 14. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 14.

OBSECRO ſi quis dixerat, tam ſuperſtitioſa priſcorum hominum natio fuit, eum quem alloquebatur, obſtringere, & obligare quodam ſacramento, & jurejurando videbatur: & ſi ea perſona erat, cui pudorem deberet, cuique omnia libere in utramque partem eſſe vellet, ut eam religione ſolveret, ſubjiciebat *reſecro:* quo verbo *obſecrationem* ſolvebat. Plaut. Aul. IV. 7. 2.

— *nunc te obſecro,*
Fac mentionem cum avunculo, mater mea:
Reſecroque mater quod dudum obſecraveram.

Etiam qui *obſecrabatur*, ne religione ea obligaretur, *reſecro* dicere ſolebat. Plaut. Perſ. I. 1. 49.

TO. *Obſecro.* SO. *Reſecro.*

Quare, qui populum *obſecraverat*, ut comitiis periculo aliquo liberaretur, jubebat magiſtratus eum *reſecrare*, id eſt, ſolvere religione, ut liberum de illo eſſet judicium. Feſtus: *Reſecrare, ſolvere religione, utique cum reus populum comitiis oraverat per deos, ut eo periculo liberaretur, jubebat magiſtratus eum reſecrare.* Turneb. Adv. V. 25. Hanſen. de Jurejur. vet. c. 4. Pith. Adv. I. 10. Guther. de Vet. Jur. Pont. I. 10. Taubman. in Plautum. Laurent. de Rebuſp. c 5. Valeſ. in Ammian. XXIV 6.

OBSERARE fores dicebantur, qui obdita *ſera* illas intus occludebant. Βάλανος ferrum fuit glandis facie,

&

& cavum, quod in foramen *ſeræ*, hoc eſt, lignei vectis, τῦ μοχλῦ, immittebatur, & ſic *ſeram* committebat januæ, ut niſi extracto eo removeri, ac revelli non poſſet *ſera*, nec janua aperiri. Ita autem in *ſeræ* foramen incidebat βάλανος, ut totus lateret, nec erui inde poſſet, vel extrahi, niſi immiſſo alio ferro oblongo, quod in cavitatem βαλάνυ ita inibat, ut eam evelleret, & ſurſum traheret. Ferrum illud βαλανάγρα vocabatur. Foramen *ſeræ*, in quod deſcendebat βάλανος, dicebatur βαλανοδόκη. Sed pro definito tenendum eſt, nec βάλανον, nec βαλανάγραν locum habuiſſe niſi in his foribus, quæ *ſera*, vel vecte ligneo tranſverſo firmabantur. Græci μοχλὸν vocant. Gloſſæ: *ſera*, μοχλός. Inde *obſerare*, & *reſerare*. Primæ domus januæ, quæ in publicum aperiebantur, & urbium portæ ita ſolent muniri. Ovid. Amor. I. 6. 24.

Excute poſte ſeram.

Τὸ ἀρχέθυρον intelligit, & januam, quæ publicum reſpicit. Veroſimile non eſt eodem munimine interiorum conclavium, & œcorum fores firmatas fuiſſe. Comici hæc rite ſolent diſtinguere. De prima janua Terent. Eun. IV. 6. 25.

Abi tu, atque obſera oſtium intus.

id eſt, obdita *ſera* intus occlude, μόχλωσον τὴν θύραν ἔνδοθεν. Ædes oppugnatum veniebat miles. At de conclavi, vel thalamo dicit III. 5. 15.

—— peſſulum oſtio obdo.

Ferreo obice occluſiſſe intus ſignificat. *Salmaſ. Exercit. Plin. p. 649. E. Sagittar. de Jan. vet. c. 10. n. 6. Turneb. Adv.* XIX. 7.

OBSESSI aliquoties laceſſiti debent erumpere, cum minime exſpectantur. Liv. III. 5. *Interim in caſtris Furius conſul, quum primo quietus obſidionem paſſus eſſet, in incautum hoſtem decumana porta erumpit.* Cæſ. Bell. Gall. V. 49. *Sic noſtros contempſere, ut alii vallum manu ſcindere, alii foſſas complere inciperent. Tunc Cæſar omnibus portis eruptione facta, equitatuque emiſſo, celeriter hoſtes dat in fugam.* Stewech. in Veget. III. 11.

OBSIDES erant veluti pignora populorum, Regumve, cum Regibus, populiſve contrahentium, quæ & ἐνεχύρων, & ἐγγύης nomine auctoribus veniunt. Ὅμηρα ἔγγυα vocat Dionyſ. VIII. p. 515. Q. Claudius in Annalibus vocat *arrhabonem*. Gell. XVII. 2. *Quum tantus arrhabo penes Samnites populi Romani eſſet, arrhabonem dixit ſexcentos obſides: & id maluit, quam pignus dicere: quoniam vis hujus vocabuli in ea ſententia gravior, acriorque eſt.* Salmaſ. de mod. uſur. c. 16. Dabantur aut ſua voluntate, aut ejus, qui imperium habet: nam in ſummo civili imperio comprehenditur & jus in actiones ſubditorum, ut in bona. Sed civitas, aut ejus rector tenebitur illud incommodum, ei qui patitur, aut proximis repenſare: & ſi plures ſint, quorum quis *obſes* eat, Reipublicæ nihil interſit, danda opera videtur, ut ſorte res dirimatur. In vaſallum, niſi idem ſubditus ſit, jus hoc feudi dominus non habet: neque enim reverentia, & obſequium, quæ debet, huc uſque pertingunt. Interfici poſſunt per jus gentium externum, non etiam interno jure, niſi par ipſius culpa accedat. Servi quoque non fiunt: imo & jure gentium bona habere, & hæredibus relinquere poſſunt, quanquam Romano jure cautum eſt, ut bona eorum in fiſcum cogantur. Marcian. l. 31. ff. de jur. fiſc. *Divus Commodus reſcripſit, obſidum bona, ſicut captivorum, omnimodo in fiſcum eſſe cogenda.* Non licet illis fugere, ſi ab initio, aut poſtea, quo laxius haberentur, fidem dederint. Alioqui videtur non is animus fuiſſe civitatis obligandi civem ne aufugeret, ſed hoſti dandi facultatem qualis vellet cuſtodiæ. Et ſic defendi poteſt Clœliæ factum. Sed etſi ipſa nihil peccaverat, civitas tamen recipere, & retinere *obſidem* non poterat. Liv. II. 13. *Si non dedatur obſes, pro rupto ſe fœdus habiturum. Romani pignus pacis ex fœdere reſtituerunt.* Odioſa autem eſt *obſidum* obligatio, tum quia libertati inimica, tum quia ex facto alieno venit. Ideoque ſtricta interpretatio hic locum habet: quare in unam cauſam dati in aliam retineri non poterunt: quod ita intellige, ſi aliud quid ſine *obſidum* acceſſione promiſſum ſit. At ſi in alia cauſa fides jam violata ſit, aut contractum debitum, jam poterit *obſes* retineri, non ut *obſes*, ſed eo gentium jure, quo ſubditi ex facto imperantium retineri poſſunt, κατ' ἀνδροληψίαν, quod ipſum tamen ne fiat caveri poterit, adjecto pacto de reddendis *obſidibus*, ubi id, cujus nomine dati erunt, impletum erit. *Grot. de Jur. bell. & pac.* III. 20. §. 52. . . 55. Martianus tamen regulam laudatam limitat l. 32. *Sed ſi accepto jure, & uſu togæ Romanæ, ut cives Romani ſemper egerint, Divi fratres procuratoribus hæreditatium reſcripſerunt, ſine dubitatione jus eorum ab obſidis conditione ſeparatum eſſe beneficio principali, ideoque idem jus illis ſervandum quod habent, ſi a legitimis civibus Romanis hæredes inſtituti fuiſſent.* Nimirum *obſides* erant peregrini, ideoque non poterant hæredes inſtitui a cive Romano, ſed iis legata, & relicta caduca fiebant, & fiſco cedebant d. l. 31. Eam non ita accipere debemus, ut video interpretes feciſſe, quaſi *obſidibus* non liceret de ſuo patrimonio diſponere, & mortuorum omnia bona in fiſcum redigi vellet: hoc enim contra omnem æquitatem conſtitueretur, cum *obſides* filios & agnatos domi haberent, qui ſine injuria non poterant privari hæreditate, ſed tantum voluit Commodus, eos nihil poſſe accipere ex teſtamento civis Romani, quia erant peregrini, nec capaces juris civilis Romani; ſi vero beneficio Principis togæ uſus illis erat conceſſus, cives facti eſſe videbantur, & jure ex civium teſtamento capere legata, & hæreditates poterant, ſed eo caſu viceſimam debebant præſtare fiſco, quod colligitur inde, quia *hoc Divi fratres procuratoribus hæreditatum reſcripſerunt*, & ex verbis ultimis, quæ ita conſtitui debent: *idem jus iis ſervandum, quod habent, qui a legitimis civibus Romanis heredes inſtituti ſunt*: nimirum, ut tantum viceſimam, non totam hæreditatem fiſcus ſibi vindicet, ut in teſtamentis civium. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 11. Fugitivi de rupe Tarpeja dejiciebantur. V. infr. in *Rupes.*

OBSIDIO navalis fiebat I. occluſione portus. Ante omnia enim circumdaturi maritimam urbem, *obſidione* portus, mœnique ejus claudebant, navibus ſic inter ſe diſpoſitis, ut ne hoſti exitus daretur. Liv. XXVI. 43. *Naves etiam in portu, velut maritimam quoque oſtentans obſidionem, inſtruxit.* Polyb. I. 46. *Conſul quo diligentius aditum ex omni parte cuſtodiret, inſtructis per noctem navibus decem quam expeditiſſimis, ſtabat ipſe in littore cum omni exercitu, ſpectator eorum, quæ gererentur: naves vero ab utraque parte ad paludis voraginem, quantum fieri poterat, accedentes, remos, quaſi alas, ſuſtinebant ad invadendam, & comprehendendam navem, quæ erat exitura.* Has catenis colligare inter ſe, & pontibus ſuperſtratis ſiſtere continuo ordine ab uno littore in oppoſitum conſueverunt, quo difficilior fieret tranſitus. Nec enim, niſi perruptis catenis, poterat evadi, quod ſagittarii, & milites in pontibus iſtis conſtituti prohibere debebant. Diodor. XIII. *Navium conjugatione, ζεύγματι, portus oſtia obſtruxerunt. Acatos enim, triremesque, & onerarias ancoris firmatas, & catenis ferreis conſtrictas tabulatis pontibus inſtraverunt.* Et, quo firmius exitus occluderetur, Demetrius Rex vallum excogitavit, quod interiret muri, præacutisque ferramentis munitum appulſum hoſtium impediret, in obſidione Rhodi. Diodor. XX. p. 776. C. *Vallum natabile ſuper ligna quadrupedia; clavis inter ſe compaginata exſtruxit, ut acceſſu ſuo hoſtes ab incurſatione in naves machinis oneratas prohiberet.* In hunc finem in *obſidione* Lilybæi trabes ingentes ancoris firmatas Romani impoſuerunt. Diodor. Eclog. XXIV. 1. *Lignis grandibus & ancoris obvallarunt profundum.* Aliquando mole objecta portum obturabant. Appian. Bell. Pun. p. 74. *Id ubi ſenſit Scipio, conatus eſt claudere os portus. Produxit igitur in mare longum aggerem, ab ea lingua, quæ inter ſtagnum erat, & mare, per altum recta verſus os protendens, dejectis, & conſtipatis ſaxis prægrandibus, ne fluctibus cederent.* Nonnunquam merſis navibus, ſaxis, & arena oppletis, portum obſtruebant: verum id plerumque tum

fiebat, cum ſpes occupandæ urbis exigua, pericula ex incurſionibus hoſtilibus certiſſima. Diodor. l. l. *Romani terram a mari ad mare foſſa præmuniverunt, oſtium portus cum quatuordecim cercuris lapidibus gravatis per aggeſtionem impleverunt.* II. Oppugnatione. Hæc ut plurimum fiebat ex binis inter ſe conſertis navibus, injectoque ponte, cui inſiſtebant tela, & baliſtas jaculantes in propugnatores mœnium. Curt. IV. 3. 14. *Binas quadriremes Macedones inter ſe ita junxerant, ut proræ cohærerent, puppes intervallo, quantum capere poterant, diſtarent. Hoc puppium intervallum antennis, aſſeribusque validis deligatis, ſuperque eos pontibus ſtratis, qui militem ſuſtinerent, impleverunt. Sic inſtructas remis ad urbem agebant: inde miſſilia in propugnatores ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur.* Imponebantur tabulatis turres, qui eminerent ſupra mœnia, machinæque aliæ, ut arietes, catapultæ, & id genus. V. ſingula ſuis locis. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 7.

OBSIGNARE eſt cera appoſita, & affixa ſignaculum imprimere, ne id aperiri poſſet, niſi avulſa cera, & refracto ſignaculo. Hic mos fuit tam Græcis, quam Latinis, ut quæ patere omnibus nollent, ſed clauſa eſſe, ac tuta, *obſignarent.* Annulos ad hunc uſum habuere, cum gemma aliqua cavata cum charactere, qui ectypam figuram ceræ impreſſus poſſet efficere. Ante illorum uſum rudi adhuc, & imperito ſeculo, quod tamen tum ad rem ſuam conſervandam attentum fuit, lignis carie exeſis, vermiculatis, ac σητοβρώτοις utebantur vice ſignaculi ad ceram notandam. Lycophr. n. 508.

Reliquas porro ædes vermiculatum intactum
Sigillum ſervabit.

Ubi Scholiaſtes & Heſychius in θριπτόβρωτος. Θρὶψ, *vermis, qui naſcitur in lignis. Priuſquam enim ſigna eſſent inventa, veteres lignis a vermibus exeſis obſignarunt, quia multos habebant ſtimulos.* Cellæ, arcæ, armariola, ſcrinia, lagenæ etiam, atque amphoræ, aliaque utenſilia, quæ patere nolebant, annulis olim *obſignabantur.* Plaut. Caſ. II. 1. 1.

Obſignate cellas, referte anulum ad me.

Mart. IX. 89. 7.

Nunc ſignat annulus meus lagenam.

Tacit. Annal. II. 2. 6. *Irridebantur & Græci comites, ac viliſſima utenſilium annulo clauſa*, id eſt, *ſignata*, vel *obſignata.* Nam *ſignare* in his idem eſt, quod *obſignare.* Hujus moris meminit etiam Theophr. Charact. c. 19. *Cubans in lecto uxorem interrogat, an capſam bene clauſerit, an probe ſit arca obſignata.* Salmaſ. de mod. uſur. c. 11. Meurſ. in Lycophronem. Guther. de Jur. man. I. 12. *Obſignaverunt* hæc, ne quid furto periret. Plin. XXXIII. 1. *Quæ fuit illa priſcorum vita, qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur; at nunc cibi quoque, & potus annulo vindicantur. Hoc profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac ſervorum quoque cauſa nomenclator adhibendus: aliter apud antiquos victum omnem in promiſcuo habebant, nec ulla olim cuſtodia a domeſticis opus erat, nunc rapiendæ comparantur epulæ, pariterque qui rapiant eas, & claves quoque ipſas ſignaſſe non eſt ſatis, gravatis ſomno, aut morientibus annuli detrahuntur.* Cicer. Fam. XVI. 26. V. illum ſupr. in *Lagena.* Long. de Annul. c. 3. Kirchman. de Annul. c. 1. Ræward. Var. Lect. V. 16. Nicol. de Sigl. vet. c. 44. §. 4. Lipſ. in Tacit. Annal. II. Excurſ. B. Sched. de Diis German. II. 7. Taubmann. in Plautum. Turneb. Adv. XXX. 7. Etiam alicujus bona, quæ publice poſſidebantur, ad injurias propulſandas, *obſignabantur.* Cicer. Attic. VI. 1. *Diverſatus eſt Laodiceæ apud Pompejum Vindulum, ibi ſua depoſuit, cum ad me profectus eſt. Moritur interim Vindulus, quæ res ad magnum Pompejum pertinere putabatur. C. Vennonius domum Vinduli venit: cum omnia obſignaret, in Vedianas incidit.* De reorum fortunis publice poſſidendis Modeſtin. l. fin. ff. de requir. reis. *Mandato cavetur intra annum requirendorum bona obſignari: ut ſi redierint, & ſe purgaverint, integram ſuam rem habeant.* Obſervet hic lector, eum, cujus bona *obſignabantur*, illis interim liberius uti non poſſe, quæ deponi, & interim in depoſito eſſe, idem Ictus voluit. Quare Ulpian. l. Servius ff. de vent. in poſſ. mitt. cum in gratiam poſtumi poſſeſſionem tueretur, nolletque bona in depoſito eſſe. *Servius ajebat, res hæreditarias hæredem inſtitutum, vel ſubſtitutum obſignare non debere: ſed tantum pernumerare, & mulieri aſſignare.* Rabir. de haſt. orig. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. (30) B. Nec minus literæ ad alios mittendæ. V. ſupr. in *Cera* & *Linum.*

OBSIGNATIO tabularum. de qua Gell. XIV. 2. V. illum infr. in *Rationes menſæ*, ſpecialiter de ſyngraphis dicebatur. Syngraphæ enim in tabulis a tabellione publico ſcriptæ, a teſtibus ſubſcribi, & *obſignari* ſolebant, & ab utroque contrahentium apud amicum, vel apud menſarium aliquem, quorum publica erat fides, deponi, ut ſi quid controverſiæ inter ipſos oriretur, ad tabularum ſcripturam reverti, & inde litem dirimere poſſent; & in eo maxime diſtabant ſyngraphæ a chirographorum tabulis, quod hæ tantum propria debitoris manu ſcribi, nullis teſtibus adhibitis, neque *obſignari* ſolitæ; iſtæ vero a teſtibus ſubſcribi, *obſignari*, & apud communem amicum deponi ſolerent. Unde per has tabulas, quæ *obſignabantur*, longe validius fidem ſuam obſtringere cenſebatur debendi reus, quam chirographo, aut domeſtico alio, privatoque inſtrumento. *Salmaſ. de Mod. uſur.* c. 11. *Oizel. in Gellium.*

OBSIGNATORES dicebantur teſtes, qui ad tabulas teſtamenti *ſignandas* advocabantur, ut rei geſtæ teſtimonium perhiberent, eaſque ſuo annulo confirmarent. Cicer. Attic. XII. 18. *Quod ſcribis Terentiam de obſignatoribus mei teſtamenti loqui.* Et *ſignatores.* Suet. Tib. c. 23. n. 2. *Illatum deinde Auguſti teſtamentum, non admiſſis ſignatoribus.* Hoc inter recepta Romæ officia numerabatur. Plin. Epiſt. I. 9. 2. *Ille me ad ſignandum teſtamentum rogavit.* II. 20. 10. *Aurelia, ornata femina, ſignatura teſtamentum ſumpſerat pulcerrimas tunicas: Regulus, cum veniſſet ad ſignandum. . . .* Oportebat hos in conſpectu teſtatoris uno eodemque tempore convenire, nomen ſuum ſubſcribere, & annulo *obſignare.* Nam *ſi quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, veruntamen ſignarit: vel ſi adſcripſerit ſe, non tamen ſignarit, pro eo eſt, ac ſi adhibitus non eſſet*, ut ait Ulpian. l. ad teſtium. §. ſi quis ff. qui teſtam. fac. Si etiam *coram teſtatore non omnes eodem loco teſtes ſuo, vel alieno annulo ſignaverint, jure deficit teſtamentum.* Ut eſt in l. 12. C. de teſtam. *Kirchmann. de Annul.* c. 5. *Long. de Annul.* c. 10. *Salmaſ. de Mod. uſur.* c. 11.

OBSONATOR vocabatur, qui *obſoniis* comparandis præerat. Athenæo ὀψώνης, & ἀγοραστής. Ejus officium erat coemere, quæ uſus domeſticus expoſtulabat. Senec. Epiſt. 47. *Adjice obſonatores, quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt, qui ſciunt, cujus rei illum ſapor excitet, cujus delectet aſpectus, cujus novitate nauſeabundus erigi poſſit.* Mart. XIV. 215. Cujus lemma eſt *obſonator*:

Dic quotus, & quanti cupias cœnare, nec unum
Addideris verbum, cœna parata tibi eſt.

Plaut. Mil. III. 1. 73.

Vel primarium paraſitum, atque obſonatorem optimum.

De illis Marcian. l. 65. ff. de Legat. III. *Cubicularios, vel obſonatores, vel eos, qui piſcatoribus præpoſiti ſunt, non videri negotiationis appellatione contineri.* Popm. de oper. ſerv. p. 115. Pignor. de Serv. p. III. Spon. Miſcell. Erud. antiq. Sect. VI. p. 214. Stuck. Antiq. Conviv. II. 11. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 347. Buleng. de Conviv. IV. 1. Caſaub. in Spartian. Adrian. c. 17. in Athen. VIII. 14. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 11. Kipping. Antiq. Roman. IV. 1. §. 1. Hummelb. in Apic. de Art. Coquin. V. 3. Zimmerman. Floril. Philol. p. 581.

OBSONIUM, ὀψώνιον, ψ in β mutato. Generatim ſignificat omne id quod cum pane comeditur. Heſychius: Ὄψον, προσφάγιον. Κατ' ἐξοχὴν, & κυρίως, ſolum piſcem. Plutarch. Sympoſ. IV. 3. *Quemadmodum ex multis poetis unum, qui reliquis præſtat, eximio poetæ nomine afficimus: ita cum multa obſonia ſunt, piſcis tamen obtinuit,*

ut

ut vel solus, vel præcipue obsonium vocaretur, quia voluptate reliquis omnibus multo antecellit. Sic passim apud scriptores ὀψοφάγοι dicuntur, non qui carnibus, fructibusve libenter vescerentur, sed qui piscibus gauderent. De Rhodiis Ælian. Var. Hist. I. 28. *In Rhodo qui pisces in deliciis habent, horumque suavitatem admirantur, & omnibus reliquis obsoniis anteponunt, eum populares quasi liberalem commendant: quibus vero carnium esus magis arridet, hos agrestes, & ventres calumniæ causa vocant.* Hinc legas apud Nepot. Themist. c. 10. n. 3. ex *Myunte* Themistoclem *habuisse obsonium:* pro quo est apud Diodor. XI. p. 271. Regem præbuisse Themistocli *Myuntem in obsonium habentem mare piscosum.* Et ita Terentius, qui cum Andr. II. 2. 23. dixisset *paullulum obsonii*, subjicit n. 32.

Pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.

Imo ipsæ sacræ literæ: ut Joh. c. 6. n. 9. ubi δύο ὀψάρια legas; pro quo δύο ἰχθύες est apud Matth. c. 14. n. 17. Marc. c. 6. n. 38. Luc. c. 6. n. 13. *Voss. Lex. Etymol. & de Idolol.* IV. 23. *Nonn. de Re cibar.* III. 4. *Turneb. Adv.* XX. 31. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 11. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 11. *Buleng. de Conv.* II. 24. *Popm. de Oper. serv.* p. 115. *Lister in Apic. de Art. coquin.* IX. 1.

Obsoniam vocabatur etiam annona militum. *Obsonia* enim ad victum parantur. Polyb. VI. 37. *Horum omnium certa pretia quæstor de stipendio deducit:* ἐκ τῶν ὀψονίων ὑπολογίζεται. Gloss. vetus: *Stipendium,* ὀψώνιον στρατιωτικὸν, μισθὸς στρατιωτικός. *Stewech. in Veget.* II. 19. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 11.

OBSTETRIX honore cum medicis convenit, si probata. Erat enim in *obstetricibus* & quædam artis medicæ peritia. Hinc medicinam exhibere dicuntur l. 1. §. sed & obstetricem ff. de var. & extr. cogn. Et Anian. ad Paull. Sent. II. 24. *Quinque obstetrices,* inquit, *id est, medicæ.* Quare etiam matri medicinam faciebant. Pollux IV. 26. *Dant obstetrices pharmaca quædam his, quæ difficilem partum expertæ sunt.* Principio an prægnans sit æstimabat, aliarum quoque mulierum concurrente judicio. In puerperii articulo, & hoc est primarium ejus officium, matris vice exitum procurat. Et ideo *obstetricis*, & nutricis officium ita distinguit Non. V. 105. *Educere est extra trahere, educare enutrire, vel provehere. Varr. de lib. educ. Educit enim obstetrix, educat nutrix.* Recte susceptum fasciis involvit. Hujus quoque ope detractus pileus naturalis. Medicinam nato matrique faciebat, & ad loturam manus contulit. Nec ignotum hoc maribus munus. Si falsum partum sapposuisset, lege tenebatur. Duravit *obstetricis* necessitas ad quintum diem, quum muneribus donaretur, & lotis manibus nutrici infantem committeret. *Thom. & Casp. Barthol. de Puerp.* p. 109. Artem *obstetricandi* apud Ægyptios in usu fuisse maxime vero simile est, cum quod omnes Ægyptii habiti fuerint medici, & artium quarumcunque observatores, & excultores diligentissimi, tum quod discretionis gratia tam gentis, quam propria Rex Pharao addiderit nomina, testante Mose. Veteres Græcos iis caruisse docet Hygin. Fab. 274. Hic ea occasione refert, quæ prima, & quemadmodum eam adepta fuerit artem. *Antiqui,* ait ille, *obstetrices non habuerunt, unde mulieres verecundia ductæ interierant. Nam Athenienses caverant, ne quis servus, aut femina medicinam disceret. Agnodice quædam puella virgo concupivit medicinam discere, quæ cum concupisset, demptis capillis, habitu virili se Herophilo cuidam tradidit in disciplinam. Quæ cum artem didicisset, & feminam laborantem audisset, ab inferiore parte veniebat ad eam: quæ cum credere se noluisset, æstimans virum esse, illa, tunica sublata, ostendebat se feminam esse; & ita eas curabat. Quod cum vidissent medici, se ad feminas non admitti, Agnodicen accusare cœperunt, quod dicerent eum glabrum esse, & corruptorem earum, & illas simulare imbecillitatem. Quo cum Areopagitæ consedissent, Agnodicen damnare cœperunt, quibus Agnodice tunicam adlevavit, & se ostendit feminam esse. Et validius medici accusare cœperunt. Quare tum feminæ principes ad judicium convenerunt, & dixerunt: vos conjuges non estis, sed hostes, quia quæ salutem nobis invenit, eam damnatis. Tunc Athenienses legem emendarunt, ut ingenuæ artem medicinam discerent.* Hæ postea & apud Romanos admissæ sunt: & quælibet regione Urbis certo numero habitarunt. Hoc Reinel. Epist. 35. ad Rupert. colligit ex elegantissimo hoc marmore: VALERIÆ. BERECUNDÆ. JATROMÆ. REGIONIS. SUÆ. PRIMÆ. Q. V. ANN. XXXIV. M. IX. D. XVIII. Appellatio ab officio, seu professione est: JATROMÆA, quod mulierum morbis mederetur, simulque obstetricaretur: qualis Agnodice Hygini, & Victoria Sabina, cui Theodorus Priscianus suum Gynæciorum librum inscripsit. Vocatur REGIONIS SUÆ PRIMA, ut intelligatur fuisse excellens quædam, supra reliquas perita, probata, & honorata. *Almelov. Antiq.* p. 85. *Cujac. Observ.* XVII. 27. *Potter. Archæol. Græc.* II. 14.

OBSTITA dicuntur ab obsistendo, sive pro *obliquo* ponatur, quomodo usurpat Lucret. IV. 519.

Omnia mendose fieri, atque obstita necesse est.

quomodo item Apulejus de Deo Socratis semel iterumque loquitur, sive eo intelligatur, quod *violatum, tactumque est de cœlo*; quomodo Cloatius, & Ælius Stolo, Festo teste, interpretabantur: ac in lege antiqua apud Cicer. de Legib. II. 9. *Quibus divis creverint, procuranto: itidemque fulgura, atque obstita pianto.* Etiam Cincius apud Festum auctor est, *obstitos* esse vocatos, *qui deo, deæve obstitissent*, hoc est, qui vidissent, quod videri nefas est. Quales in furorem agi credebant: unde & νυμφόληπτοι, & Ceriti dicebantur. *Voss. Lex. Etymol. & de Idolol.* II. 20. *Buleng. de Terr. mot. & fulm.* c. 12. *Scalig. in Varr.* p. 33. *Ætn.* p. 108. *Guther. de jur. man.* I. 4. *Schegk. Præmes.* 6. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. p. 105.

OBSTRIGILLARE dicebantur, qui alteri obstabant, & impedimento erant. Ennius Sat. II. apud Non. II. 650.

—— restitant,
Occurrunt, obstant, obstrigillant, obagitant.

Et apud eundem Varr. de vit. P. R. IV. *Quod Curio cum id fecisset, dicebat amicis, ut renuntiaretur se obstrigillaturum, ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret consul.* Salmas. Exerc. Plin. p. 41. a. A. 821. a. D.

OBSTRIGILLATOR est, qui præ invidia aliorum progressus, ac processus impedit. Varr. apud Non. II. 605. *Æmulum illum artis, atque obstrigillatorem.* Ductum a strigilibus, quibus cum vehementius stringimur, etiam plerumque lædimur. *Turneb. Adv.* XV. 1. Qui non bene. Verbum archaicum fuit *strigare* pro stringere. Hinc diminutivum *strigillare*, & compositum *obstrigillare*, impedire, obstare, officere. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 821. *a. E.*

OBSTRIGILLUM, sive *obstrigillus* vocatur pala annuli, quæ constringit & cohibet gemmam. Optimæ glossæ: *Obstrigillum,* σφραγιδοφύλαξ. *Salmas. in Vopisc. Carin.* c. 20. *Exerc. Plin.* p. 41. *B.* 821. *a E. Voss. Lex Etymol. in Obstrigillo.*

Obstrigillum, sive *obstrigillus* vocatur vinculum socci. Plin. IX. 36. *Nec crepidarum tantum obstrigillis, sed totis socculis addunt.* Vulgo *obstragulis.* Isidor. XIX. 34. *Obstrigilli sunt, qui per plantas consuti sunt, & ex superiore parte corrigia trahuntur, ut constringantur: unde & nominantur.* Salmas. Exerc. Plin. p. 41. A. 821. a. E. Voss. Lex. in *Obstrigillo.* Balduin. de Calc. c. 8. & 11.

OBT.

OBTESTATIO *dicitur, quando eum adjuramus, quem rogamus. Oramus per eas res, propter quas rogamus: ut Virg. Æneid.* X. 46.

—— per eversæ genitor fumantia Trojæ
Excidia obtestor.

Terent. Andr. III. 5. 56.

Per tuam fidem, perque hujus solitudinem
Te obtestor.

Donat. ad Terentium. *Hansen. de Jurej. vet.* c. 18. *Schott. Observ.* III. 39.

OBV.

OBVAGULATIO erat convicium, quod is, cui teſtimonium deerat, hoc eſt, qui ſuam intentionem nullo poterat teſtimonio confirmare, die tertio ad ædes adverſarii adverſario teſtibus adhibitis faciebat. Veluti ſi quid eſſe in tuis ædibus contenderem, quod quum vere ad me pertineret, tamen apud te eſſe nullo teſtimonio poteram demonſtrare, illudque mihi reſtituere uno, & altero die rogatus omnino recuſares, mihi permiſiſſe videntur decemviri, quandoquidem deficiente teſtimonio inutiliter aut lege, aut jure ageretur, tertio die ad ædes venire, ibique ante tuas ædes rem meam cum convicio repetere. Feſtus in Vagulatio: *Vagulatio in lege* XII. *tabularum ſignificat quæſtionem cum convicio. Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.* Portum explicat ipſe domum in *Portum.* Ubi etiam hæc lex traditur: *Portum in duodecim pro domo poſitum omnes fere conſentiunt: cui teſtimonium defuerit. . . .* Inde *ob portum obvagulare* idem eſt quod pipulo differre ante ædes. Ita Plaut. Aul. III. 2. 31.

Ita me bene amet Laverna, tu jam niſi reddi
Mihi vaſa jubes, pipulo hic differam te ante ædes.

Obvagulationis is effectus olim fuiſſe videtur; ut tertio die, juſto præſentibus ſuperſtitibus convicio ſollenniter ob portum facto, licuerit conviciatori ejus, qui convicium paſſus erat, ædes cum iisdem teſtibus ingredi: & liberam res ſuas quærendi in ſuis ædibus poteſtatem facere is, cui convicium factum erat ſuo conviciatori cogebatur. *Revard. ad Leg.* XII. *tab. c.* 11. *Turneb. Adv.* XIII. 26. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Claſſ.* III. *p.* 3. *c.* 6. *Dacer. in Feſtum. Roſin. Ant. Rom.* VIII. 6.

OCC.

OCCASUS ſolis nomine tempus noviſſimum lucis, vel ſuprema tempeſtatis ſignificatur. Sic eſt expreſſum in XII. tabulis: *Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto,* apud Gell. XVII. 2. *Moreſtell. Philom.* IV. *Dial.* 7. Solem *occaſum* pro ſolis *occaſu* auctores priſci quadam vetuſtate non inſuavi dixerunt. Plaut. Men. V. 7. 33.

Namque ſi abſque te eſſem hodie, nunquam ad ſolem occaſum viverem.

Emendo tamen *ſole occaſo* in legibus decemviralibus. *Revard. ad Leg.* XII. *tab. c.* 7. Veriſſima tamen videtur lectio in illis *ſol occaſus.* Senſus legis eſt: ſupremus terminus judiciorum eſſe dicitur, cum *ſol occidit*: nimirum ſicut prælia, ſic & judicia, quæ ipſa quoque ſunt prælia civilia, nox ſuperveniens dirimere debet. Athenis quidem Areopagitas etiam noctu judicia exercuiſſe accepimus. Et de Auguſto hoc tanquam ſingulare, & exorbitans a more majorum, annotavit Suet. c. 33. n. 1. *quod jus dixerit aſſidue, & in noctem nonnunquam.* Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 3. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 481.

OCCARE eſt glebas *occa* frangere, & ſemina profundius condere. Non. I. 306. *Occationis proprietas his indiciis aperitur. Varr. de Re ruſt.* I. 31. *Et poſtea occare, id eſt, comminuere, ne ſit gleba. Quod ita occidunt, occare dicuntur. Serenus: Occatio, occæcatio eſt.* Cicer. de Senect. c. 15. *Quæ terra cum gremio mollito, ac ſubacto ſparſum ſemen excepit, primum id occæcatum prohibet: ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt.* Colum. XI. 2. *Sed frigidioribus regionibus pulverationem faciunt, quam vocant ruſtici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur, & reſolvitur in pulverem. Occationem* circumloquitur Virg. Georg. I. 94.

Multum adeo raſtris glebas qui frangit inertes,
Vimineaſque trahit crates.

Fiebat enim & raſtris, & cratibus. Plin. XVIII. 20. *Aratione per transverſum iterata, occatio ſequitur, ubi res poſcit crate vel raſtro.* Victor. Var. Lect. II. 24. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 365. a. D. 512. b. A. Urſin. ad Kalend. Ruſt. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 25. A. Cerda in Virgilium. Rhodig. Antiq. Lect. VII. 30. Voſſ. Lex. Etymol.

OCCATOR erat deus *occationis* præſes. Serv. Georg. I. 21. *Nomina numinum in indigitamentis, id eſt, in libris pontificalibus inveniuntur, qui & nomina deorum, & rationes ipſorum numinum continent: verbi cauſa, ut Occator deus ab occatione dicatur.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 40. G. Stuck. de ſacrif. p. 35. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 512. b. C. Voſſ. Lex. Etymol.

Occator eſt ruſticus, qui *occa* glebas frangit. Colum. II. 13. *Tritici modii occupant occatoris unam operam.* Pignor. de Serv. p. 516.

OCCENTARE *oſtium* quid fuerit, docet Feſtus: *Occentare dicebant pro convicium facere, cum id clare, & cum quodam canore fieret, ut procul exaudiri poſſit; quod turpe habebatur, quia non ſine cauſa fieri putatur.* Plaut. Merc. II. 3. 723.

Vellicent, vocent, moleſti ſint, occentent oſtium.

Perſ. IV. 4. 20.

At enim illi noctu occentabunt oſtium.

Multa enim convicia veteres dicebant poſtibus, & eosdem diris omnibus devovebant. Ovid. Rem. Amor. n. 507.

Nec dic blanditias, nec dic convicia poſti.

Sagittar. de Jan. vet. c. 37. §. 12. Auctor. miſc. def. pro Salmaſ. ad jus Attic. & Rom. p. 264. Hotman. Antiq. Roman. p. 468. F.

OCCUPARE dicebatur de primi oſtii, ſive primi loci agitatore, quem locum ſors dabit. Ex merito loci *occupabat*, id eſt, cæteros antecedebat agitator ille, qui oſtium illud ſortitus erat. Hoc conſtat ex Senec. Troad. IV. 1015.

—— quid precer vobis? precor
His digna ſacris æquora. Hoc claſſi accidat
Toti Pelaſgæ, ratibus hoc mille accidat,
Meæ precabor, cum vehar, quicquid rati.
Me mea ſequantur fata. Non pelago quies
Tranquilla veniat, ſæviat ventis mare,
Et ledi, & Hymi, & mea, & Priami mali
Dumque iſta venient, interim hæc pœna in loco eſt.
Sorte occupavi, præmium eripiant mihi.

Vulgo ſcribitur:

Sortem occupavi, præmium eripiunt mihi.

Nemo vero *ſortem occupabat*; ſed eam, quæ obtigerat, capiebat, ac per eam locum, vel præmium, quodcunque illa aſſignaret. Hecuba multa dira, & infauſta precatur Græcis reditum is, & quæcunque ipſa pateretur, quæque jam paſſa eſſet mala. Dumque iſta, inquit, venient, quæ illis opto, hæc pœna interim, qua afficior, in loco eſt, id eſt, locum ſuum obtinet. At quæ illis imprecor, locum quoque habebunt, ac tempore ſuo venient. *Sorte occupavi,* hoc eſt, in hoc ſtadio miſeriarum, ac ſuppliciorum decurrendo ſors mihi tribuit, ut prima eſſem, & primo loco exirem, ac proinde cæteros anteverterem: ſed ipſis opto, ut præmium mihi eripiant, & licet tardius egreſſi, me tamen queant ſuperare, & longe miſeriores, quam ipſa ſum, evadere, palmamque in hujus ſtadii curſu obtinere. Metaphora ſumpta a ſtadii curſoribus, penes quos qui *ſorte occupabat*, id eſt, qui primo loco exibat e limine, licet plurima victoriæ præſumptione fretus, ſæpe tamen victoriam ſequentibus tradebat, qui præmium ipſi auferebant. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 636. *a. D. Argol. ad Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 14. Ex quatuor oſtiis, qui carceres dicebantur, emittebantur quadrigæ. Inde legimus in antiquis inſcriptionibus, *primo, ſecundo, tertio oſtio miſſus.* Sed quia ad victoriam conſequendam non parum referebat, ex quo quis oſtio dimittebatur, ſortiebantur inter ſe aurigæ oſtia quatuor, qui illum miſſum debebant peragere. Felicisſimus erat in ſortiendo, cui ſors aſſignabat primum oſtium, quod proximum erat Murciæ metis, qui pri-

matum in illo missa obtinebat, &c., si observaret omnia, quæ peritis aurigis observanda sunt, nec casus interveniret, præ ceteris facilius victoriæ potiebatur, quia illi cursus erat proximus spinam ad flexum circa metam, cum ceterorum curricula essent longiora, qui longius aberant a spina, & metis in fine spinæ positis. Inde & qui e primo ostio emittebatur, dicitur *occupavit* ... *Occupavit* scilicet primum locum inter agitatores. Mihi et Salmasius *occupavit* esse prævertit alios. Sane *occupare* frequentissime est præoccupare, prævertere, ... apud Justin. II. 3. 10: XXXVIII. 10. 1. est prior bellum inferre, & alia infinita. At si tantum modo ... sit in loco, sive ostio primo ad contendendum victoriam, quæ laus est & ostentandi causa, cum ... munere ex ostio primo emissus alios quadrigarios antevertit? Itaque in hac locutione *occupavit*, est, ut dixi, primum inter aurigas locum *occupavit* sortitione. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* * * 2. ...

Occupare loca in theatro solebant avidi ludorum de multa nocte. Lamprid. Heliog. c. 23. *Serpentes per Marsicæ gentis sacerdotes collegisse fertur: eosque subito ante lucem, ut solet populus ad ludos celebres convenire, effudisse.* Mart. V. 14. 2.

Tunc cum liceret occupare, Mannejus. . . .

Suet. Cal. c. 26. n. 6. *Inquietatus fremitu gratuita in circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit.* Lipf. de Amphith. c. 15. Rader. in Martialem. Pitisc. in Suetonium. Thys. de Amphith. p. 206.

OCCURSUS æthiopis, claudi, cochtis olim habebatur infaustus. Appian. Bell. civ. IV. p. 668. *Exercitui Bruti castris excunti obviam fuit æthiops, quem mox milites abominati concīderunt.* Chrysost. ad Neophyt. Orat. II. *Sæpe aliquis domo progrediens vidit coclitem, aut claudum, & inauspicatum duxit. Hæc est pompa Satanica. Non enim hominis occursus diem infaustum facit. Si occurrit virgo, dies hic malus erit inutilis, aut, si meretrix, dies erit commoda, & opportuna, & magni quæstus.* Senec. Contr. I. *Occurrunt nuptiis omina dira, fatis publicis auspicia feralia, feriatis, ac sollennibus isti greges debilium, cæcorum, claudorum oberrant.* Buleng. de Prodig. c. 41.

OCE.

OCELLÆ dicti sunt, *qui parvis utrique erant oculis.* Plin. XI. 37. Cognomen fuit familiæ Serviorum. Cicer. Fam. VIII. 7. *Servius Ocella nemini persuasisset, se mœchum esse, nisi triduo bis deprehensus esset.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Glandorp. Onom. Rom. p. 792. Harduin. in Plinium.

OCELLATA quid fuerint, immane quantum inter se discrepant interpretes Suetonii: apud quem horum fit mentio, Aug. c. 83. n. 2. *Animi laxandi causa modo talis, aut ocellatis, nucibusque ludebat.* Fuit apud Græcos ludicrum ὀσομάχιον. Auson. Epist. Idyll. XIII. *Simile ut dicu ludicro, quod Græci ὀσομαχίαν vocavere.* Hoc, ut opinor, Latini ocellis, aut ossiculis ludere nominant. Et his lusërit Augustus. *Brod. Misc.* IV. 7. Qui frustra fuit, cum ossiculis legi voluit. Neque enim ulla apud veteres fuit, ut ipse putavit, ὀσομαχία, inductus loco Ausonii corrupto. *Casaub. l. l.* Hoc enim a mente Ausonii est alienissimum. Neque animadvertit, quid inte esset inter lusum, & ludicrum, hoc est, inter παιδιὰν, καὶ παίγνιον. Sed fefellit hominem, ut dixi, lectio mendosa, ὀσομαχίαν pro σομάτιον: & *ossicula* pro *oscilla* legentem. Nam quin recte σομάτιον, & *ossicula* emendaverimus: præter conjecturam certissimam, qua usi sumus, fidem fecerit vetus Glossarius, in quo scriptum legitur: *Ocellata*, σομάτιον. *Scalig. Lect. Auson.* II. 26. Sunt, qui *ocellata*, perforatas, non bonas, interpretantur: quod nullo modo placet: haud enim tali potuit lusus, deprehensa fraude, fuissetque pueros abstrahere potius, quam allicere. *Beroald. & Sabell. ad Suetonium.* Eo verbo potius veniunt avellanæ, nucularumque genera, quæ in summo veluti parvum *oculum* figuratum habent, aut *ocellorum* quandam præ se speciem, & rotunditatem ferunt. *Turneb. Adv.* III. 18. *Buleng. de Lud. vet.* c. 12. & *Sabell. l. l.* Qui intelligunt pilulas rotundas instar *ocellorum*, quibus puellæ puellariter ludentes oblectantur. Nos in quodam codice vetustissimo legimus *castellatis.* V. illas supr. in *Nux.* Mihi vero, ut dicam quod sentio, diligenter veteris Tranquilli perlitatis sic legendum videtur, *oscillis, nucibusque ludebat:* sicut in sinceriore Tranquilli codice scriptum e latere observavi. V. infr. in *Oscilla.* Beroal. l. l. Posses etiam per *ocellatam* amygdalam nucem interpretari, cujus testa minutissimis foraminibus, quasi *ocellis* proforata est. *Sabell. l. l.* Quod nos sentimus, & probabilius putamus, id est ejusmodi, ut *nuces ocellatas*, nucleos, quos in Persicis pomis sitos inspicimus, dicamus esse, quibus persæpe ludere nostrates pueros hodie vidimus: dictasque *ocellatas*, propter *ocellos*, & foramina, quibus muniuntur undique. Neque de amygdala, & avellana, vel *oscilla*, sicut error habet, sed de persicorum ossibus, quibus tunc ludebatur, & nunc frequens plerorum lusus est, intelligi convenire credimus exploratæ, & non ambiguæ sententiæ fore. *Alex. Gen. dier.* III. 21. Qui hic ludit. Quasi vero hic nucleorum ludus non veniret intelligendus nomine nucum: aut quasi his nucleis pueri non forent usi pro nucibus, ut magni interfuerit nucum *ocellatarum* meminisse. *Mercer. in Alexandrum.* Per nuces *ocellatas* ego intelligo nuces *ocellum* habentes; namque tales pueri probare in ludo puerili solent, & improbare quæ *ocellum* non habent. Ea autem pars *ocellus* appellatur in nucibus, ubi interstitia interiorum nucleorum terminantur in summo putamine, seu cortice testacea, qui *ocellus* si putredine, carie, vel alia de causa tollitur, nuces exinde malas, & non bonas pueri deprehendunt; ob id proverbio in ludendo edicere, tanquam lege certa solent, nuces ea in parte *ocelli* perforatas, seu excavatas, a ludo arcendas, tanquam improbas, & malas, easque dignoscunt spiritu in foramine insufflato. Ut itaque Suetonius ostenderet, quantum Augustus puerili ludo oblectaretur, nucibus *ocellatis* adjectivum conjunxit, ut significaret ita impense Augustum ludo incubuisse, ut nuces etiam observaret, seligens bonas, *ocellatas* scilicet a malis, & a ludo puerili relegatas, quibus luderet. *Donat. in Suetonium.* *Ocellata* sunt distinguenda a nucibus, sunt globuli, calculi, in formam *ocellorum* facti, vel *oculi* modo lucentes, vel lapidei, vel eburnei, vel ex alia aliqua materia. Varro Marcipore apud Non. III. 138.

Altera exorat patrem libram ocellatorum:
Altera virum semodium margaritorum.

His olim ludebant puellæ, ut nunc quoque. Ovid. Met. X. 160.

—— modo grata puellis
Munera fert illi conchas, teretesque lapillos.

Casaub. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Souter. de Aleator. III. 5. Senfleb. de Alea c. 16 n. 1: 17. n. 2--6.

OCELLATIM ludere, ita enim lego pro *ocellatis* in Suet. Aug. laudato supr. in *Ocellata*, dicimur passim apud nos Italos, cum pueros imitamur, qui se modo abscondunt, modo proferunt, oculosque digito obvelant, tanquam non videantur, deinde sono edito prorumpunt. Hoc fecisse Socratem legimus, nam cum quis ab eo peteret, quid hæc vita foret, abscondit se post parietem, ac continuo ostendit, ut ludum esse puerilem, ac momentaneum vitam nostram, declarat. Ejus ludi meminit Horat. Od. I. 9. 22.

Gratus puellæ risus ab angulo.

Et Virg. Ecl. III. 65.

Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Argol. in Panvin. de Lud. Circenf. II. 1.

OCR.

OCREA est munimentum tibiæ. Liv. IX. 40. *Sinistrum*

ſtrum crus ocrea tectum. Κνημῖδα vocat Homer. Iliad. III. 330. V. illum ſupr. in *Lunula.* Feith Antiq. Homer. IV. 8. Romanis majori, quam nunc ſunt in uſu. Hoc genus indumenti *Cares invenerunt.* Plin. VII. 56. Vulcat. Gallic. Avid. Caſſ. c. 6. *Arma militum ſeptima die ſemper reſpexit, veſtimenta etiam, & calceamenta, & ocreas.* Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 13. Fuerunt primo e corio, poſtea ex ære, & ferro. Hinc χαλκοκνημῖδας Ἀχαιὰς, *ex ære ocreatos Achivos* vocat Homer. Iliad. VII. 41. Et Hercules cum aureo thorace, induit *ocreas ex orichalco ſplendido.* Κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινῦ. *Voſſ. de Idolol.* III. 70. *Byn. de Hebr. calc.* I. 4. 11. *Potter. Archæol. Græc.* III. 4. *Kipping. Antiq. Roman.* III. 3. §. 4. *Laz. l. l.* Dimidium crus tantum tegebant, factæ ad modum earum, quæ hodie *borzachini* vocantur, quales & marmora oſtendunt. Harum nonnullæ ex una lamina totæ conſtabant, erantque non ſolum adverſus cæſam, ſed etiam punctam firmæ; nonnullæ vero ex laminis, quodam inter ſe ſpatio diſtinctis, & in morem ſerpentum oblique ductis factæ erant, quæ tantum adverſus cæſim crus muniebant. Credo autem ſic eas perforari ſolitas fuiſſe, ut crura geſtantium minus onerarent; & ob cauſam eandem breviores eas fuiſſe exiſtimo, quoniam, licet ſcutum paullum attolleretur ad caput defendendum, crurum tamen pars ſuperior, quamvis *ocreis* nuda, ob ſcuti longitudinem ab ictibus ſatis tuta erat. Mirum videri poſſit, equites non geſtaſſe longiores *ocreas* quam pedites, modo marmora hic non fallant, dextrumque genu cum femore, & crure dimidio nudum habuiſſe, quæ tamen corporis pars, homini in equo ſedenti, omnium maxime ad ictus patet, ſiniſtrum enim a ſcuto tegitur. At non poſſum mihi perſuadere, Romanos adeo providos, & cautos circa ea, quæ ad armaturam pertinerent, huic parti corporis nullum tegumentum dediſſe, ſive id eſſet ex ære, ſive ex ferro, ſive ex texto lineo, ex quo etiam loricæ conficiebant. Vegetius affirmat Romanos dextro tantum cruri eas induxiſſe. I. 20. *Pedites ſcutati etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere.* Quod, cum gladio cominus rem gererent, pedem dextrum inante haberent, eumque ideo ſcuto minus tectum. Livius vero de Samnitibus ſupr. laudatus. Et Polyb. VI. 21. loquitur numero unitatis: *Accedit ocrea,* & ſententiam iſtam videtur confirmare. Pluraliter vero dixit Liv. I. 43. *Arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære:* ideoque de duabus, non vero de una intelligendus. *Ocreas* quoque numero multitudinis dixit Dionyſ. IV. p. 221. Et monumenta lapidea de binis, non de una fidem faciunt. *Patric. Rei milit. Rom. part.* V. *ſect. 6. Voſſ. l. l. Lipſ. de Milit. Rom.* III. 7. *Zimmerman. Floril. Philol. p.* 580. *Caroli Antiq. Roman.* III. 7. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* III. *p.* 83. De *Ocrea* etiam multa *Spanhem. in Julian. Orat.* I. *p.* 251. *a. f.*

OCRICULANA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

OCT.

OCTAVA pars in publicum inferebatur ex gerulorum quæſtibus. Hoc vectigal inſtituit Caligula. Suet. c. 40. n. 5. *Ex gerulorum diurnis quæſtibus pars octava exigebatur.* Burman. Diſſ. de Vectig. c. 12. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 8. Ex libertorum poſſeſſionibus. Dio L. p. 424. E. *Triumviratu Lepidi & Antonii imperatum libertis, quotquot in Italia degerent, ſi ducenta H. S. vel amplius poſſiderent, ut octavam partem ſuarum facultatum in publicum inferrent.* Buleng. de Vectig. c. 46. Ex mercibus, quæ venirent. l. 7. C. loc. & cond. *vectigal octavarum* dicitur. l. 7. de vectig. *octavas dependere.* Buleng. ibid. c. 59. Burmann. ibid. c. 5.

OCTAVARII dicebantur, qui vectigal *octavæ* portorii nomine exigebant. Mutatio in eo aliqua accidit, ut cum antiquioribus Reipublicæ ſeculis privata auctoritate, & propriis miniſtris publicani vectigalia exigerent, *octavariis* adjuncti ſunt milites, qui illis contra vim, & fraudes mercatorum adeſſent. Hoc colligitur ex Dion. XLVIII. p. 383. A. ubi narrat, plebem tumultuantem contra publicanos *cum illis & eorum miniſtris & militibus, qui illis in exigendis pecuniis opitularentur, ad manus veniſſe.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. 9. Buleng. de Vectig. c. 59. Schill Nomencl. Philol. p. 835.

OCTAVIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

OCTOBER. Hunc de nomine ſuo Domitianum dixit Domitianus. Suet. c. 13. n. 8. *Poſt duos triumphos cognomine adſumpto, Septembrem menſem, & Octobrem ex appellationibus ſuis, Germanicum Domitianumque transnominavit: quod altero ſuſcepiſſet imperium, altero natus eſſet.* Euſeb. Chron. ad an. 2103. *Duo menſes aliter appellati, September Germanicus, & October Domitianus.* Sed hæc nomina menſium cum Domitiano interciderunt. Plutarch. Num. p. 72. D. *Succedentes appellationibus ſuis transnominavit Domitianus; verum haud id diu: quo trucidato receperunt ſuas, atque alter September, alter vocatur October.* Macrob. Saturn. I. 12. *Menſis September principalem ſui retinuit appellationem: quem Germanici appellatione, Octobrem vero ſuo nomine Domitianus invaſerat: ſed ubi infauſtum vocabulum ex omni ære, vel ſaxo placuit eradi: menſes quoque uſurpatione tyrannicæ appellationis exuti ſunt.* Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 196. A. Moreſtell. Philom. II. 12. Panvin. Faſt. I. p. 28. Pitiſc. in Suetonium. Semper unum, & triginta dies retinuit. Et nonas ſeptimo menſis die, & idus decimo quinto habuit. *Viola ibid. B.*

October equus. V. illum ſupr. in *Equus.*

OCTOPHORUM fuit octo rotarum vehiculum. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 199. *D.* Imo fuit lectica, quæ ab octo lecticariis ferebatur. Mart. VI. 59.

Octophoro ſanus portatur, Avite, Philippus.
Hunc tu ſi ſanum credis, Avite, furis.

Apul. Apol. p. 525. *Vectabatur octophoro.* Aliquot lecticariis qui portabatur, quia lectica fere ſemper a ſex tantum ſervis geſtabatur, protinus notabatur. Indicat hoc Mart. l. l. ubi Philippum quendam inſanum vocat, quod ab octo ſervis lectica ejus ob quandam divitiarum inanem oſtentationem per Urbem geſtaretur. *Mercur. Gymnaſt.* III. 11. Qui falſus eſt. *Octophori* ſatis frequentes in Urbe fuerunt. Id notavit potius in Philippo Martialis, quod, cum eſſet ſanus, id eſt, valens, integriſque corporis viribus, *octophoro* geſtari voluerit. Scilicet *octophorus* mea opinione fuit muliebris fere lectica, quia recta, occluſaque, ac ex eo ponderoſior. At tecta, opertaque tantum pro infirmis. De puella Mart. IX. 3. 11.

Octo Syris ſuffulta datur lectica puellæ.

& Apulejus modo laudatus. Quod ſi ergo vir, præſertim in Urbe, utebatur *octophoro,* vel ægrotus, vel ſtulte ambitioſus, ac delicatus habebatur. Atque huc reſpexit Martialis, luſitque ambiguitate vocis *ſanus.* Si hunc credis ſanum, valentemque, furis, quia nemo valens tali utitur lectica inter viros. Ergo neceſſe eſt, ut ſit non ſanus, ſi non corpore, ſaltem mente. Et quia *octophorus* lectica muliebris, ideo in viris notata, niſi ægrotarent. Cum præſertim tarde, molliterque incederet. Suet. Cal. c. 43. n. 2. *Iter confecit modo feſtinanter, & rapide, interdum adeo ſegniter, & delicate, ut octophoro veheretur.* Obſervamus tamen, majorem earum apud viros fuiſſe uſum in viis extra Urbem, quam in Urbe. Sic enim & Verrem legimus *octophoro* feciſſe iter apud Cicer. V. 11. *Scheffer. de Re vehic.* II. 5.

OCU.

OCULAR, *oculare, ocularium* eſt in caſſide ferrata pars obverſa *oculis,* per quam occurrentia, tecta tota facie, videri poſſunt; nobis *viſier,* e Latino *viſorium.* Rigordus ſub A. D. 1215. vocat *ocularium galeæ.* Guil. Brito Philipp. II. galeæ medias feneſtras, quibus eſt *ocularia* nomen, per quas admittit ocularis pupula lumen. *Reineſ. Inſcript. Claſſ.* XI. *n.* 66.

OCULARIARIUS eſt faber ille, qui vitra, vel muniendis contra injurias aeris *oculis,* vel objectis majore for-

ma repræſentandis, & apprehendendis facilius inſer. ... præparat. *Vitrarium* dixit Senec. Epiſt. 90. *qui ſpiritu vitrum in habitus plurimos format.* Inſcript. Romæ:

L. PATROCLUS. FABER
OCULARIARIUS.

Reineſ. Inſcript. Claſſ. XI. *n.* 66.

OCULARIUS, qui dicitur *medicus ocularius* in lapide qui eſt Stabiæ apud Petrum la Scina Nepenth. Homer. par. IV. CN. HELVIUS. CN. L. IOLA. MEDICUS. OCULARIUS. & in illo, qui eſt Romæ prope collem hortulorum:

TI. LYRIUS. TI. CÆSARIS
AUG. SER. CELADIANUS
MEDICUS. OCULARIUS.
PIUS. PARENTIUM. SUORUM.

& *medicus ab oculis* in alio lapide: SILICIUS. MEDICUS. AB OCULIS. eſt, qui *oculos* curat. *Ocularii* apud Galen. de Compoſ. med. ſec. loc. III. 1: IV. 6. & 7. nominatim occurrunt Capito, Hermias, Heros, Sergius, Paccius, Gallio, Gajus, Stolus, Britannicus, Zoilus. Nec immerito, quandoquidem nulla corporis pars tot vitiis obnoxia: ut nonnulli ſupra centum & viginti diſtinctas eorum affectiones obſervarint. Talis Atimetus apud Scribon comp. 120. & Euelpides, quem ſua ætate maximum fuiſſe *medicum ocularium* ſcribit Celſ. VI. 6. *Rhod. in Scribon. p.* 76. *Pignor. de Serv. p.* 72. *Urſat. de not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 855. *D.*

OCULUS *inter omnes creaturas dignus eſt admiratione: quandoquidem is omnem perluſtrans creaturam, ipſum quoque Deum in ea mihi enarrat, dum Creatorem in creatura veluti ſpectandum exhibet, atque animum a viſibilium inſpectione ad inviſibilium cognitionem traducit. Hujus opera cum plures alias res creatas percepi, tum præcipue multiplicem colorum tincturam, triſtitiam tenebrarum, lucis denique ſplendorem. Sublato nimirum oculo, omnis creatura teſtibus veluti deſtituta ſeneſcet, nemine ſapientiam, potentiamque divinam in ea elucentem digne conſiderante.* Photius in Excerptis ex Aſterii Amaſeæ Epiſcopi ſermone in cœcum a nativitate. Plin. XI. 37. Fronti, ac ſupercilio *ſubjacent oculi, pars corporis pretioſiſſima, ut qui lucis uſu vitam diſtinguant a morte.* Junius de Pictur. III. 9. §. 8. Si dexter ſalierit, portendit, ſubditos inimicos fore, & peregrinationes. Si ſuperior palpebra, acquiſitionem omnino, ſecundum vero Antiphonta negotiationem, & ſanitatem ſignificat, ſervo inſidias, viduæ peregrinationem: ſin autem inferior, lacrymas enuntiat, ſervo bonum, virgini injuriam, viduæ ſubjugationem. Si angulus dextri tremuerit, pauperi injucunditatem, ſervo bonum, virgini periculum, viduæ inhonorationem, atque inimici peregrinantis reditum. Si ſiniſter quatitur, adventum hoſpitis maxime dilecti, aut futurum iter denuntiat, & ſi aliquis ab ipſo fugiet, eum per longum iter inveniet, & ſpem mulieribus etiam ſignificat; pauperi vero iter in bonum, aliis multum laborem, & parum poſſidere præſagit. Si ſiniſtri ſuperior palpebra ſalierit, pauperi acquiſitionem, & opulentiam ſignificat, ſervo inſidias, virgini vituperationem, viduæ bonum, diviti convivium, agricolæ, & venatori auxilium, & utilitatem, militi felicitatem. Si ſiniſtri dexter angulus ſalierit, ſanitatem, & ſalutem ominatur: ſi vero ſiniſter, omnia bona ſignificat: ſi inferior ſiniſtri palpebra, injucunditatem, ſervo calumniam, virgini incorruptibilitatem, viduæ injuriam. *Niphus de Augur.* I. 9. *Muret. Var. Lect.* IX. 6. Illorum ſordes, qui ſummo mane ſurgebant, abluebant. V. ſupr. in *Abluebant.* Mortuo *oculos* claudebant Græci pariter ac Romani: & quidem uxores maritis. Homer. Odyſſ. Ω. 293.

Neque uxor multum dotata prudens Penelope
Ploravit in lectis dilectum maritum, ut decet
Oculos illius claudens: hic enim eſt honos mortuorum.

Ovid. Triſt. Eleg. IV. 3. 43.

Supremoque die notum ſpectantia cœlum
Texiſſent digiti lumina noſtra tui.

Mariti uxoribus. Ovid. Heroid. X. 119.

Ergo nec lacrymas matris moritura videbo?
Nec mea qui digitis lumina condat, erit?

Parentes liberis. Homer. Iliad. Λ. 452.

Ah miſer! non quidem tibi pater, & honoranda mater
Oculos claudent mortuo.

Lucan. III. 737.

Ille caput labens, & jam languentia colla
Viſo patre levat: vox fauces nulla ſolutas
Proſequitur: tacito tantum petit oſcula vultu,
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.

Liberi parentibus. Albinov. ad Liv. n. 157.

Soſpite te ſaltem moriar, Nero: tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.
Atque utinam Druſi manus altera, & altera fratris
Formarent oculos, comprimerentque meos.

Val. Max. II. 1. *Cum jam viſceribus rigorem cordi imminere eſſet locuta, filiarum manus ad ſupremum opprimendorum oculorum officium advocavit.* Legem Mæviam. V. illam infr. in *Sigillum.* nonnulli ita interpretantur, quaſi caveatur, ne filii morituris patribus *oculos* claudant; ſed ut id faciant propinqui, & neceſſarii. Alii filiis id quidem licuiſſe arbitrantur. ſed velarium fuiſſe obductum, aut clauſas feneſtras, ne aſſiſtentes viderent oculos morientis. Ego aſſentior Antonio Auguſtino de Leg. in Mævia, exiſtimanti dictum id per tranſlationem eſſe, videlicet, ne parentum mortem maturarent, iisque ſpiritum adhuc ducentibus oculos operirent. Frater fratri. Albinov. ibid. n. 93.

Lumina cærulea jam jamque natantia morte,
Lumina fraternas jam ſubitura manus.

Claudebantur morientibus, quia nefas exiſtimabant eos ſupremum ab homine ſpectari. Plin. XI. 37. *Morientibus oculos operire, rurſusque in rogo patefacere Quiritium magno ritu ſacrum eſt: ita more condito, ut neque ab homine ſupremum ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtendi nefas.* Forte etiam eo ipſo indicare voluerunt, mortem fere ſomnum quendam eſſe, aut ſomno quam ſimillimum: vel cavere, ne horror aliquis circumſtantibus oboriatur, cum terribile appareat apertis oculis a mortuo velut conſpici: vel etiam gratificari morientibus, quibus maximæ curæ eſſe ſolet, ut membris decenter compoſitis e vita migrent. Hinc *formare oculos* ſupr. dixit Albinovanus. *Kirchman. de Funer.* I. 6. *Meurſ. de Funer. c.* 3. *in Lycophron. p.* 193. *Delrio in Senec. Troad. n.* 327. *Guther. de Jur. man.* I. 12. *Moreſtell. Pomp. Feral.* I. 5. *Schott. in Senec. Controv.* IV. *p.* 640. *a. Claſen. Theol. gentil.* I. 10. 18. *Feith Antiq. Homer.* I. 13. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 1. *Caſal. de Urbis, ac Roman. imper. ſplend. part.* 2. *c.* 21. *de Prophan. Roman. rit. c.* 26. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 39. *A. Goral. in Albinovanum.* In rogo aperiebant. Plinius modo laudatus. Quem morem alluſiſſe videtur Virg. Æneid. IV. 244.

Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Servius *reſignare* perperam exponit claudere, perturbare. *Turneb. Adv.* XXIV. 26. *Kirchman. ibid.* III. 2. *Nicol. de Sepulcr. Hebræor.* II. 3. 4. Hoc a mente Virgilii alienum eſſe, & Turnebum ineptire dicunt *Guther. l. l.* & *Caſtal. Obſerv. Dec.* IV. 4. Sed Turnebi explicatio firmatur verbis Varronis ſupr. productis. Illic in re mortuorum *ſigillare* eſt occludere. Reſigno erit aperio, quaſi reſigillo. *Cerda in Virgilium.* Per *oculos*, tanquam per rem ſibi cariſſimam jurabant, præcipue in amoris negotio. Tibull. III. 6. 47.

Etſi perque ſuos fallax jurarit ocellos. . . .

Prop. I. 15. 33.

Quamve mihi viles iſti videantur ocelli,
Per quos ſæpe mihi credita perfidia eſt.
Hos tu jurabas, ſi quid mentita fuiſſes,
Ut tibi ſuppoſitis exciderent manibus,

Plaut. Men. V. 9. 1.

Si vultis per oculos jurare, nihilo hercle ea causa magis
Facietis, ut ego hodie abstulerim pallam. . .

Petronius. V. illum supr. in *Jurare*. Brisson. de Form. VIII. p. 709. Hansen. de jurejur. vet. c. 21. Broukh. in Tibullum. Laurent. de Rebuspubl. c. 4. Nec tantum per suos, sed & per *oculos* adamati capitis. Ovid. Amor. II. 16. 43.

At mihi te comitem juraras usque futuram,
Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.

III. 3. 9.

Argutos habuit, radiant ut sidus, ocellos;
Per quos mentita est perfida sæpe mihi. . . .
Perque suos illam nuper jurasse recordor,
Perque meos oculos, & doluere mihi.

Broukh. l. l. *Oculos* digito eruere erat olim consuetudo in ira. Mart. I. 93. 12.

Sed fodiam digito, qui superest, oculum.

Lucian. Sympos. p. 653. Tom. II. *Verum Cleodemus intentato digito Zenothemidi oculum effodit.* Lamprid. Alex. Sev. c. 17. *Referebat Encolpius, illum si unquam furem judicem vidisset, paratum habuisse digitum, ut illi oculum erueret.* Salmas. in Lampridium. Damnatorum obligabant. Joseph. de Bell. Jud. VII. 14. *Is eum revinctis post terga manibus, oculisque fascia obstructis, in conspectum Romanorum, veluti capite cæsurus, produxit.* Apud Curt. VI. II. 15. *obligantur oculi* Philotæ, ut feralibus istis tenebris magis etiam angeretur, & admota crudelitatis tormenta, quanto inopinata, vehementius expavesceret. Hodie iis, qui gladio percutiuntur, integuntur *oculi*, mitiorem ob caussam: ne scilicet aspectu carnificis perterriti, preces ultimas turbatiori mente profundant: deinde ne speculatorem forte subducto capite, aut projectis manibus frustrentur, vel impediant. *Freinshem. in Curtium.* Osculari amantium proprium quoddam erant. Apul. Met. II. p. 42. *Vesperi quoque cum somno concederes, te in cubiculum deduxit comiter, & blandule lectulo collocavit, & satis amanter cooperuit: & osculato tuo capite, quam invita discederet, vultu prodidit.* Quoniam *oculi* quasi fenestræ sunt, in quibus mentis imago apparet, atque illorum contactu pectus veluti tangitur. Cordis nuntii sunt; ex his enim virtutes, vitiaque agnoscimus, iratum, vel propitium animum, lætum, vel affectum perpendimus. Apul. Met. III. p. 84. *Cum isto fine sermonis oculos Fotidis udos, ac tremulos, & prona libidine marcidos, jam jamque semiadopertulos admissis, & sorbillantibus suavius sitienter hauriebam.* Hoc genus osculi improbioris significant Prop. II. 12. 7.

Illa meos somno lassis patefecit ocellos
Ore suo.

Catull. XLV. 10.

At Acme leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore suaviata.

Kemp. de Oscul. Diss. XIII. §. 15. Passerat. in Propertium. Schott. Observ. II. 36.

Oculus terræ alicujus appellatur urbs ejus princeps. Cicer. de Nat. deor. III. 38. *Critolaus evertit Corinthum, Carthaginem Hasdrubal. Hi duo illos oculos oræ maritimæ effoderunt.* Attic. XVI. 2. *Cur ego tecum non sum: cur ocellos Italiæ villulas meas non video.* Pindar. Olymp. II. 15.

Qui quum laborassent multum animo,
Sacrum tenuerunt habitaculum
Fluvii, Siciliæque erant
Oculus.

Sic Julian. Epist. 24. Damascum *totius orientis oculum* vocat. *Victor. Var. Lect.* IX. 9. *Surita in Anton. Itiner. p.* 586. *Barth. Adv.* XI. 3. *Schott. Observ.* II. 36: III. 28. *Voss. Instit. Orat.* IV. 5. 6. *Vechner. Hellen. p.* 283. *Jun. Adag. p.* 48.

Oculus volutæ est parvus ille circulus in volutæ Ionicæ meditullio, seu centro constitutus, circa quem volutæ pulvinus, veluti circa teretem baculum, seu axem circumvolvitur. Metaphorice igitur *oculus*. Vitruv. III. 3. *Tunc in eo loco, qui locus dividit quatuor & dimidium, & tres, & dimidiam partem centrum oculi signetur.* Bald. Lex. Vitruv.

ODA.

ODARUM genus fuit triplex: unum, quod omnes pariter uno concentu: alterum, quod viritim singuli per ordinem canebant: & tertium scolion, quod a peritissimo quoque, ut res in ordine canebat, succinebatur. *Buleng. de Theat.* II. 10.

ODE.

ODEUM erat locus Athenis theatri speciem habens, in quo certamina musica spectabantur. Pericles illud struxerat. Suidas: *Odeum Athenis tanquam theatrum erat, quod, ut ajunt, Pericles exstruxit, ut musicos ostentaret. Cantilenarium* Latine dici posse dicit Rittersh. in Salvian. p. 57. & *Cantatorium* ad Suidam Æmylius Portus. Describit Plutarch. in Pericl. p. 160. A. *Odeum, cujus interior descriptio multa habet sedilia, multasque columnas, tectum autem subvexum, & acclive, in unum assurgens fastigium, imaginem ferunt esse, & simulacrum tabernaculi Regis.* Et Aristoph. Schol. p. 510: *Locus erat in theatri speciem, in quo de more poemata ostendebantur, antequam theatra publicarentur.* Sigon. de Republ. Athen. IV. 3. Meurs. Lect. Attic. IV. 28. Ceram. Gemin. c. 11. Pius Annot. Post. c. 86. Panvin. de Lud. Circ. II. 1. ad illum Argolus & Pinellus. Mercur. Gymnast. III. 7. Philand. in Vitruv. V. 9. Bald. Lex. Vitruv. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Theatr. I. 26. Bergier. de viis milit. V. 8. 7. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 12. Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 82. Salmuth ad illum p. 89. Pitisc. in Suet. Domit. c. 5. n. 3. Schil. Nomencl. Philol. p. 836. Romæ quatuor fuerunt *odea*. I. in monte Aventino. De illo Cicer. Attic. IV. 16. *Monumentum, quod tu laudibus tollere solebas, ut odeum laxaremus, & usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus.* II. inter Palatinum & Cœlium prope Metam sudantem. Hujus quidem nomen Seneca non exprimit, sed ab usu describit Epist. 57. V. illum supr. in *Meta sudans.* III. prope theatrum Pompeji. Hoc videtur innuere Ammian. XVI. 10. *Deinde intra septem montium culmina, per acclivitates, planitiemque posita Urbis mœnia membra collustrans, & suburbana, quicquid viderat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat. . . . Urbis templum, forumque Pacis, & Pompeji theatrum, & odeum, & stadium, aliaque inter hæc decora Urbis æternæ.* IV. inter cætera opera mirabilia, & memorabilia fecit Domitianus. Suet. c. 5. n. 3. *Excitavit templum Flaviæ gentis, & stadium, & odeum.* Qui non plane indicat, exstruxeritne, an reparaverit. *Fabric. Buleng. Philand. Bald. Pitisc. l. l. Rittersh. in Salvian. in p.* 57. Trajani opus fuisse vult Xiphil. LXIX. p. 789. C. *Apollodorum architectum, qui forum, & odeum, & gymnasium, opera Trajani, Romæ fecerat, primum exsilio, deinde etiam morte multavit* Adrianus. *Panciroll. Salmuth & Pitisc. l. l.* Fuit illud templum Minervæ. Itaque Mart. IX. 4. opera Domitiani recensens nusquam *odei* meminit, sed templi Palladis, & templi gentis Flaviæ, per templum Palladis intelligens *odeum*. Atque hoc inde quoque planius est, quod scripsit n. 10.

Pallada prætereo: res agit illa tuas.

Quomodo Pallas res Domitiani agit? Quia in *odeo*, sive templo ejus chori musicorum, & poetarum commissiones, cantantium laudes Domitiani. Idem dictum quoque forte *Minervium* nona regione Urbis, sive circo Flaminio apud P. Victorem. Tangit hoc quoque IV. 53. 1.

Hunc quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Pallados, & templi limina, Cosme, novi.

Limina templi novi dixit *odeum*, sive Minervium novum perconditum a Domitiano veteri Minervæ. Nam etiam *vetus Minerva cum luco* eadem regione Urbis. Dixit *nostræ*

ſtræ Palladis, *odeum* opponens templo gentis Flaviæ, quod etiam ipſum opus Domitiani hoc capite, & dicatam quoque Minervæ Flavianæ. Victor regione Urbis ſexta: *Templum Minervæ Flavianæ, alias templum gentis Flaviæ.* Duplex itaque Pallas, ſive Minerva: una Flaviana, altera *odei*, quam Martialis *noſtram* vocavit, quod in ejus templo muſicorum, & poetarum chori frequentarentur, & canerent laudes Domitiani. *Marcil. in Suetonium.* Antiquarii hoc genus ædificii muſicis, & tibicinibus inſerviiſſe dicunt, priusquam in theatrum prodirent. Sed hoc Domitiani certaminibus fuiſſe muſicis dicatum ego exiſtimo, quæ publice coram ipſo celebrati. Suet. c. 4. n. 9. *Inſtituit & quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, muſicum, equeſtre, gymnicum. Certabant etiam & proſa oratione Græce Latineque, ac præter citharœdos chorocitharistæ quoque, & pſilocitharistæ.* Nardin. Rom. Vet. VI. 10.

ODO.

ODORAMENTA, flores, & crocum, præcipue cum agerentur fabulæ, in theatri, ſcenæque delicias obrepſerunt. Hoc perobſcure, quum de Atta comico poeta meminit, ſignificat Horat. Epiſt. II. 1. 79. V. illum ſupr. in *Atta*. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 26. Extra ſepulcra ſtatuta erant. Inſcriptio apud Gruter. p. 1122. n. 12.

D. M
PHILEMINIÆ. P. L
MAXIMÆ
STATUTA
ODORAMENTA
EX. H-S. ∽∽∽∽
PRIMA. MATER
MISERRIMA
FILIÆ. CARISSIMÆ
AN. XVIII

Hæc ſtatis, & ſollennibus diebus ſepulcris infundebantur. *Guther. de Jur. man.* II. 32.

ODORES ſunt herbæ *odoriferæ*, aromata. Cicer. Verr. V. 6. *Proferebant alii purpuram, thus alii, atque odores.* Curt. VIII. 9. § 23. *Quum Rex ſe in publico conſpici patitur, thuribula argentea miniſtri ferunt, totumque iter odoribus complent.* Idem V. I. §. 11. & Tibullus mox laudandi. *Pitiſc. in Curt.* V. I. §. 11. Proveniunt in Arabia. Tibull. II. 2. 5.

Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.

Curt. V. I. §. 11. *Arabia odorum fertilitate nobilis regio.* Herodian. III. 9. §. 6. *Illic*, in Arabia, *herbæ proveniunt odoratæ, quæ nos aromata ſuffimentaque habemus.* Prop. III. II. 8.

Cinnamon, & multi pastor odoris Arabs.

Solinus. V. illum infr. in *Thus*. Adeo ferax eſt Arabia diverſarum rerum *odoratarum*, ut Strab. XVI. p. 535. ſcripſerit *Sabæos odoribus ſtupefieri*; ut feratur adagio *Arabice olere*; utque Plin. XII. 17. maxime miretur, *peregrinos ipſam mire odores & ad exteros petere. Tanta mortalibus ſuarum rerum ſatietas eſt, alienarumque aviditas.* Servius de Odor. Miſc. Erud. Ital. Tom. III. p. 647. Paſſerat. in Prop. II. 22. 17. Pitiſc. l. l. *Odorum* uſus fuit I. in ſacris. Tibullus jam laudatus. Præcipue ob iſta, quia non ſunt ſpecies, ſed *halitus fumei*. Ariſtot. de ſenſu & ſenſil. c. 2. & ex rebus bene temperatis educti vim habent tum aera purgandi, tum, ubi cerebro ſunt recepti, recreandi ſpiritus, & ad tempus conſervandi. Vel eo attenderunt gentiles, quod dii cœlum incolant, & *odores* cœlum petant: quod item dii ſpiritus ſint, & *odores* reficiant ſpiritus. Si nihil horum placet; dicamus, nationes id traditione a piis accepiſſe majoribus. Nam magna pars ceremoniarum gentilium ex patriarchalibus, ac Moſaicis originem traxit. *Voſſ. de Idolol.* III. 30. II. in conviviis. Senec. de vit. beat. c. 11. *Adſpice Nomentanum, & Apicium, terrarum, ac maris, ut iſti vocant, bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem e ſuggestu roſæ exſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantes. Mollibus, lenibusque fomentis totum laceſſitur eorum corpus: & ne nares interim ceſſent, odoribus variis inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur.* Plaut. Men. II. 3. 3.

Sternite lectos, incendite odores.

Apud Athen. XV. p. 686. pueri *ad menſam coronas, unguenta, & odores* apportant. *Ciaccon. de Triclin. c. 74. Lipſ. in Senecam. Bacc. de Conviv.* III. 12. *Taubman. in Plautum.* III. in funerandis cadaveribus, ut odoris gravitas prohiberetur. Illos ferebant proximiores, & amici, & poſt tubicines progrediebantur. Stat. Sylv. V. I. 208.

—— *quis carmine longo*
Exſequias, & dona malæ feralia pompæ
Perleget? omne illic ſtipatum examine longo
Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arſura ſeges.

Portabant lancibus. Prop. II. 10. 23. V. illum infr. in *Unguentum*. Et illis inſcribebant, quid quæque continerent. Stat. Theb. VI. 126.

Portant inferias, arſuraque fercula primi
Grajorum, titulisque pios teſtantur honores.

Meurſ. de Fun. c. 22. Guther. de Jur. man. I. 23. Jaciebant in rogum. Plin. XII. 18. *Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria: quæ diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum aſſeverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps noviſſimo Poppææ ſuæ die concremaverit. Æſtimentur poſtea toto orbe ſingulis annis tot funera, acervatimque congeſta honori cadaverum, quæ diis per ſingulas micas dantur.* Val. Max. V. I. 10. *Caput etiam* Pompeji *plurimis & pretioſiſſimis odoribus cremandum curavit Cæſar.* Hunc luxum modo deprecatus eſt Propertius. *Kirchman. de Fun.* III. 5. *Moreſtell. Pomp. Feral.* VII. 2. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 9. Hunc morem Romanorum mortuos omni genere *odorum* condiendi, ab Ægyptiis primum, & Judæis uſurpatum, tum ab unigenito Dei Filio approbatum, Chriſtiani ſpe reſurrectionis, ut diutius integri ſervarentur, in ſepeliendis ſanctorum corporibus obſervaverunt. Tertull. Apolog. c. 42. *Thura plane non emimus. Si Arabiæ queruntur, ſciant pluris, & carioris merces ſuas Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam diis fumigandis.* Hoc eſt enim, plus *odoramentorum* a Chriſtianis in illa paupertate prodigi conſueviſſe, quam ab Ethnicis. Scilicet Ethnici duobus digitulis paucas thuris glebulas diis numerabant. Chriſtiani plena manu, & ſina caſiam, & cinnama effundebant, ſumptibusque funerum Arabias, & Sabæos exhauriebant. *Ferrar. de Lucern. ſepulcr. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 1014. *F. Morell. in Statii Sylvas.* IV. in theatris. V. ſupr. in *Odoramenta*.

OE.

OE pro *E* antiqui ſcribebant. Lapis in arca arcis S. Andreæ a Briorto:

IN. HONOREM. DOMUS. DIVINÆ
DEO. MERCURIO
D. PROSCOENIUM. OMNI. IMPENDIO. M
SUO. CAMULIA. ATTICA.

Reineſ. Inſcr. Append. omiſſ. n. 41. *& Ind. g.*

Oe pro *U* antiqui ſcribebant. Serv. in Virg. Æneid. X. 24. *Mœrorum pro murorum; nam veteres pleraque eorum, quæ nos per U dicimus, per OE ſcribebant.* Inde in Columna roſtrata eſt *claſeis Pœnicas* pro *Punicas*: inde *pœnire* pro *punire* dicebant, quod verbum a *pœna* venit: inde in ponte Fabricio Romæ ſcriptum eſt *cœravit* pro *curavit*: in vetuſto plebiſcito, quod adducitur a Feſto in Publica pondera *œtier*, pro *utier*. Ciaccon. Column. Roſtrat. Theſ. Ant. Rom. IV. p. 1820. F. Turneb. Adv. III. 11. Reineſ. Inſcript. Ind. g.

OEC.

OECUS, Græcum verbum οἶκος, domum significat, & quamvis domum. Vitruv. vi. 5. *Sin autem exedræ, aut œci quadrati fuerint.* c. 10. *Constituuntur œci magni.* Hic de parte domus intelligitur, eaque nobili, in qua virilia celebrabantur convivia: quod de quadratis *œcis* testatur ipsemet Vitruv. l. l. his verbis: *Ad meridiem vero spectantes œcos quadratos, tam ampla magnitudine, ut faciliter in eis tricliniis quatuor stratis ministrationum ludorumque operis locus possit esse spatiosus.* Erant quoque in Græcorum domibus œci magni, in quibus, ut idem met attestatur, matresfamiliarum [illegible] lanificia, & hi tum situ, tum officio a quadratis longe aberant. Cœnitionibus autem *œcos* esse aptos locos [illegible] e Plin. xxxvi. 25. ubi ait: *Sosium Pergami stravisse asaroton œcon, in cujus pavimento erant reliquiæ, & purgamenta cœnæ, tessellis, testulisque manu artificis [illegible].* Putat Baptista Albertus, Græcorum [illegible] respondere, & forte a vero non aberrat. [illegible] ex verbis Vitruvii facile liquet. Sed & ex Polluce I. 8. qui tradit *œcon dici triclinon, pentaclinon, & decaclinon ex lectorum numero.* Apud Athen. v. habemus [illegible] navis Ptolemæi Philopatoris *œcon* fuisse τρισκαιδεκάκλινον, hoc est, tredecim lectorum capacem. [illegible] species, qui & tetrastyli a numero columnarum, Cyziceni & Ægyptii. Horum omnium imagines [illegible] lineatas oculis subjecit Andreas Palladius, [illegible] egregius architectus Architect. II. c. [illegible] 10. qui quidem vernacule. Albertum secutus, [illegible] cognominat. *Baldus & de Laet. Lexic. Vitruv. Zimmerman. Floril. Philolol. p.* 579.

OEN.

OENOPHORUM est vas, cujus nomen a vino ferendo [illegible]. Hinc Satyricus Juven. Sat. vi. 425.

> —— *[illegible] totum*
> *Oenophorum [illegible], plena quod tenditur urna*
> *[illegible]*

Nos dicimus *broch* a Græco verbo βρέχω, id est, fundo, quod sit vas fundendo vino accommodatum, implendis, deplendisque culeis, & vasis conditoriis, & vino quocunque modo [illegible] vasando. *Bud. de Asse* [illegible] *p.* 614. *Cenal. de P*[illegible] *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 1474. *B. Granz. in Juvenalem.*

OENOPONS, vulgo *Inspruch*, est urbs sita ad *Oenum flumen, quod Rhetos, Noricosque interfluit.* Tacit. Hist. iii. 5. 5. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 82.

OENOTRIA dicta est ab *Oenotro* filio Lycaonis Arcadis. Hoc duce *colonia a Græcis in Italiam* [illegible] *xvii.* [illegible] *Trojam bellum* [illegible] *Migrarunt Oenotrus* [illegible] *portione sui patrimonii. Cum enim* [illegible] *sortes dividi Arcadiam.* [illegible] *relicta Peloponneso,* [illegible] *parare,* [illegible] *comitante bona parte popularium. Adjunxerunt se his & alii Græci, quibus non sufficiebat ager proprius. Oenotrus cum majore parte exercitus pervenit in sinum, qui alluit occidentale latus Italiæ. Is tunc propter accolas* [illegible] *Ausonius. Hic nactus multos agros* [illegible], *sed incultos plerosque, ac ne eos quidem, qui colerentur, frequentatos hominibus, cum* [illegible] *a barbaris,* [illegible] *oppida parva, & contigua in montibus, ut tum erat mos veterum.* [illegible], *fuit autem illud non exiguum, Oenotria vocata est, Oenotrique ditionis ejus homines.* Dionys. Ant. Rom. I. p. 9. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 207. *C. Ferrar. de Orig. Rom. Thes. Græv. Tom.* I. *p.* (4.) *D. Leo Casella de* [illegible] *Ital. Tom.* iii. *p.* 11. *Cluver. Ital. Ant.* ii. [illegible] *de Ant. jur. Ital.* I. 12. *Panciroll. Notit.* [illegible] *imp. occid. c.* 53. [illegible] *Thes. Antiq. Græc.* [illegible] *xi. p.* 375. *A. Victor. Var. Lect.* xxii. 20. [illegible] *Ann.* I. 22.

OFF.

OFFELLÆ cognomine Lucretium quendam legi fuisse, occisum a L. Sylla Felice dictatore, sive a L. Bellieno avunculo L. Catilinæ ex ejus auctoritate, quod ausus esset petere consulatum contra ejus voluntatem; quod cum populus Romanus indigne tulisset, advocata concione omnes se id jussisse certiores fecit: ut verba a tyranni facto non discreparent. *August. de Famil. Roman. in Lucretia.*

OFFENDERENT si exeuntes domo ad limen, inauspicatum erat. Tiball. I. 3. 19.

> *O quoties ingressus iter mihi tristia dixi:*
> *Offensum in porta signa dedisse pedem.*

Ovid. Heroid. xiii. 87.

> *Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,*
> *Pes tuus offenso limine signa dedit.*

Amor. I. 12. 3.

> *Omnia sunt aliquid: modo cum discedere vellet*
> *Ad limen digitos restitit icta Nape.*

Ideo exeuntes observabant, ne *offenderent.* Ovid. Amor. I, 12. 5.

> *Missa foras iterum limen transire memento*
> *Cautius, atque alte sobria ferre pedem.*

Cicer. de Divin. ii. 40. V. illum supr. in *Corrigia.* Buleng. de Prodig. c. 13. Sagittar. de Jan. c. 35. §. 12. Broukh. & Stat. in Tibullum. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. iii. 8. Delrio Disquis. Magic. iii. 4. 4. Zimmerman. Floril. Philol. p. 646.

OFFENDIX dicebatur amentum in pileo flaminis, quod infra mentum illum retinebat. Mentum enim, infra quod erat, ad pileum retinendum *offendebat.* Etiam cum ab utroque pilei latere amentum dimitteretur, utroque concurrente infra mentum, se mutuo ibi *offendebat.* Festus: *Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur, & remittatur. At Veranolus coriola existimat, quibus apex retineatur, & remittatur.* Voss. Lex. Etymol. Scalig. Conject. in Varr. p. 125. Boxhorn. Quæst. Rom. 30. Guther. de Vet. jur. pont. I. 29. Meral. de Sacerd. Roman. c. 2. §. 9.

OFFERENDARIUM fuit aræ species, ad quam liba *ferentur.* Nam aræ in sepulcris frequentes fuerunt, in quibus pro manium quiete inferiæ dabantur. Dictum ab *offerendo*: unde *offerre* pro sacrificare in Primillæ inscriptione Romæ apud Gruter. p. 1123. n. 6.

D. M.
PRIMILLÆ. ÆS
TIONES. CUI. ET
SACRIS. DOMESTI
CIS. OFFERRE. CON
CESSERAT. OLLAS
VI. MINORES. ET.
LIBERIS. EJUS. IN
AVITO. CONDITORIO
INDULSIT

In inscriptione apud Gruter. p. 884. n. 16. vocatur *Oberendarium.* V. illam supr. in *B. pro F.* Guther. de jur. man. ii. 24.

OFFERUMENTUM dicebatur, *quod offerebatur.* Festus. Id ego de iis accipiendum putaverim, quæ in sacris *offerebantur.* Unde, ut suspicor, natus est elegans jocus Plaut. Rud. iii. 4. 48.

> *Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo.*

Ubi *offerumentas* vibices plagarum tergo oblatarum perquam jlocalariter appellat. *Turneb. Adv.* xvi. 22. *Stuck. de Sacrif. p.* 12.

OFFICINA proprie est, in qua opera fiunt. Differt a taberna, in qua opera ipsa, & ceteræ merces venduntur. *Officina* est statuarii, fusoris, flatoris, cælatoris, excusoris, vitrarii, pictoris, sutoris, fabri. Taberna vocatur

catur vinaria, olearia, & mille hujusmodi: unde opifices, & tabernarii vocantur. Cicer. pro Flacc. c. 18. *Opifices & tabernarios, atque omnem illam fecem civitatum, quid est negotii concitare?* Vall. Elegant. IV. 44. Voss. Lex. Etymol.

Officinæ minii fuerunt inter templum Floræ, & secundam ædem Quirini, quæ ad fontem di Trevi conspicua erat. Vitruv. VII. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 8. §. 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 25. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 21.

Officina monetæ fuit in Capitolio, propinqua curiæ Calabræ. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 9. Sed a Capitolio ad ædem Saturni fortasse translata. Non leve argumentum est multis visum, quia ibi non longe a templo Antonini magnam æreorum nummorum copiam effodi vidimus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 3.

Officinæ odores coquentium etiam Romæ olim erant. Senec. Epist. 90. *Hinc fabrorum officinæ sunt, hinc odores coquentium.* Meurs. de Lux. Rom. c. 3.

Officinæ panariæ in unaquaque erant Urbis regione, & panis venalis gradibus quibusdam exponebatur. Prudent. contr. Symm. I. 583.

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.

Talis forte prope circum, utpote in publico Urbis loco, fuerit. Huc enim possemus convertere verba Symm. ibid. II. 947.

Qui venit esuriens magni ad spectacula circi?
Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet.

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 13.

Officina vitri fuit in circo Flaminio. Mart. XII. 75. 1.

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Erant ea vitra vilia, sed quæ calidis aquis, ut crystallina & gemmata, non vitiarentur. De iisdem loquitur paullo obscurius XIV. 94.

Non sumus audacis plebeja toreumata vitri,
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Erant quasi cælata punctis coloratis, & crystallinis similia, quare toreumata vocantur. *Buleng. de Circo c.* 5.

OFFICINATOR dicebatur monitor, & præfectus operariorum, qui segniores monebat, castigabat, & exercebat. Ulpian. l. in instrumento ff. de Instruct. vel instrum. leg. *Quærendi homines, qui agrum colunt, & qui eos exercent, præpositive sunt his: quorum in numero sunt villici, & monitores.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Hoc vocabulo utitur Vitruv. VI. 11. *Cum subtiliter officinatoris probabitur exactio.* Intelligit Vitruvius omnes artifices, qui manu operantur, ut fabros lignarios, cœmentarios, sculptores, pictores, & alios istis similes. Non inveni hanc vocem ab alio Latinæ linguæ auctore fuisse usurpatum. *Bald. Vitruv. Lex. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 884. *D.* Quid si mercatores fuerint, qui *officinas* in castris habebant, omnes res necessarias militibus divendentes, quos hodie in castris *markatandos* voce Italica vocamus. De his & hæc monumenta accipienda sunt. Romæ in ædibus domini a Golot, Secretarii Apostolici:

T. IUL. BALBILLO. SAC. SOLIS. EU
TYCHES. AUG. LIB. OFFICINATOR.
A STATIVIS. AMICO. OPTIMO. DE-
DICA. . . . . .

Paduæ in ædibus Francisci Contareni D.

N. CC. VI. C. SEPUL. O
NESIMI. OFFICINA
TORI.

Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 6.

Officinator a statuis, cujusmodi legitur fuisse Eutyches nescio quis Augustorum libertus, est faber statuarius, proxime ad vim vocis, quam Vitruvius aliis intactam usurpavit. *Pignor. de Serv. p.* 465.

OFFICIOSI erant iidem qui salutatores. Ita vocabantur clientes, qui patronis, & amicis magnis ave matutinum cum dixissent, in atrio, & vestibulo morabantur, ad deducendum eos. Senec. de Brevit. Vit. c. 14. *Quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obscuros ædium aditus profugient?* Gell. XVI. 5. *Qui domos amplas antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus, & viam medius esset, in eo loco qui dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant.* Pignor. de Serv. p. 254. Sagittar. de Jan. Vet. c. 8. §. 6.

OFFICIUM vocabatur matutina salutatio. Tertull. de Pall. c. 5. *Nihil officio advigilo.* Et *officium* salutationis. Suet. Aug. c. 27. n. 6. *Q. Gallium prætorem, in officio salutationis. . . . . servilem in modum torsit.* Apul. Met. VII. p. 187. *Ut primum tenebris abjectis, dies inalbebat, & candidum solis curriculum cuncta collustrabat, quidam de numero latronum supervenit: sic enim mutuæ salutationis officium indicabat.* Et sic ideo vocabatur, quia ex *officiis* multis, quæ patronis clientes præstare tenebantur, illud non minimum erat, præcipue crescente luxu, qui, ut in omnibus, sic in hac salutatione maximus fuit; quo plures enim clientes, & salutatores patronus haberet, eo pluris æstimabatur. *Claude de Salutat. Vet. c.* 7. *Pitisc in Suetonium.*

Officium vocabatur nuptiarum celebratio, pompa, qua nova nupta deducebatur. Describit Juven. Sat. II. 132.

— *officium cras*
Primo sole mihi peragendum est in valle Quirini.
Quæ causa officii? quid quæris? nubit amicus.

Suet. Cal. c. 25. n. 2. *Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperavit.* Apul. Met. IV. p. 129. *Consensu parentum tabulis etiam maritus nuncupatus, ad nuptias officio frequenti cognatorum, & affinium stipatus. Officium* nuptiale vocat Petron. c. 25. *Consurrexi ad officium nuptiale.* Hinc Juven. Sat. VI. 203. *Labente officio*, id est, discedentibus convivis, qui ad nuptias convenerant. *Grang. ad Juvenalem. Gonsal. ad Petronium. Florid. in Apulejum. Pitisc. in Suetonium.*

OFFRINGERE terram dicebantur, qui illam secundo arabant. Varr. de Re rust. I. 29. *Terram cum primum arant, proscindere appellant: quum iterum, offringere dicunt.* Nam proscissione, hoc est, prima aratione, grandes glebæ excitantur, quæ iteratione *offringuntur*, rumpuntur, & æquantur. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 510. *a. F.*

OGU.

OGULNIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

OHE.

OHE est interjectio, *qua fastidium, & satietatem designabant* veteres. Donat. ad Terent. Phorm. II. 3. 30. Persius hanc vocem usurpans, eorum fastidium notavit, qui inter dicendum, aut recitandum effusioribus audientium acclamationibus ita onerabantur, ut licet earum avidi, cogerentur tamen tanquam saturi acclamantibus silentium imperare, atque identidem dicere, *ohe, ohe.* Ejus versus sunt hi Sat. I. 22.

Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe.

Respexit ad verba Horatii, quæ leguntur Sat. II. 5. 96.

Importunus amat laudari, donec ohe jam
Ad cœlum manibus sublatis dixerit? urge &
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.

Apud quem *ohe* fuisse fastidii, ac satietatis indicium scriptum reliquit Juven. Sat. VII. 62. scribens in hunc modum:

— ſatur eſt, cum dicit Horatius, ohe.

Ferrar. de Acclam. & plauſ. III. 17. Caſaub. in Perſium.

OLE.

OLEA *eſt arbor, oliva fœtus; oleum liquor.* Caper de Orthogr. p. 2242. Edit. Putſch. Ita Græci ἐλαίαν *oleam*, ἐλάαν *olivam*, ἔλαιον *oleum* dicunt. Eo tamen deducta res eſt, ut *olea*, & *oliva* confundantur, ſumanturque tam pro fructu, quam pro arbore. Nam *oleam* fructum dicit Colum. XII. 50. *Olea diſtringenda eſt, & ſtatim exprimenda. Olivam* arborem dicit Virg. Ecl. VIII. 16.

Incumbens tereti Damon ſic cœpit olivæ.

Perott. Cornuc. col. 948. Schacch. Myrothec. I. 4. Voſſ. Lex. Etymol. Magnæ religionis olim fuit. Plin. XV. 30. *Adeo in prophanis uſibus pollui oleam fas non eſt, ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria, aræve debeant.* Guther. de Jure man. II. 7. Schacch. ibid. c. 3. Nec minoris dignitatis. Plin. XV. 4. *Oleæ honorem Romana majeſtas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Juliis ex ea coronando; item minoribus triumphis ovantes. Athenæ quoque victores olea coronant, Græci vero oleaſtro Olympiæ.* Paſchal. de Coron. VI. 16. Schacch. ibid. II. 13. Fuit ſymbolum victoriæ. Hoc hinc liquet, quod nuntii victoriæ ſæpiſſime viſi ſunt operti ramis *oleæ*. Hoc cultu eſt is, qui apud Æſchylum Agamemnone Trojam eſſe captam Clytemneſtræ nuntiat:

Præconem a littore hunc video umbratum
Ramis oleæ.

Et hac potiſſimum de cauſa puto priſci moris fuiſſe, ut *olea*, ut eſt apud Artemid. IV. 59. cum mortuis efferretur, id eſt, ut ea mortui coronarentur, ſicut victores humanorum agonum. *Paſchal. l. l.* Pacis, quod Minerva cum Neptuno pacem facit ramis *oleæ* coronata. Ideo hæc frons dicitur pacalis. Ovid. Met. VI. 101.

Circuit extremas oleis pacalibus oras.

Et inde Numæ Regi Romano auctori artium pacis eam tribuit Virg. Æneid. VI. 608.

Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ
Sacra ferens? noſco crines, incanaque menta
Regis Romani, primus qui legibus Urbem
Fundabat.

Unde legati pacem petentes *oleæ* ramum geſtant. Stat. Theb. II. 389.

— ramus manifeſtat olivæ
Legatum, cauſasque viæ.

Ob quam cauſam quandoque dicta eſt precans. Stat. ibid. II. 478.

— ramumque precantis olivæ
Abjicit.

Paſchal. ibid. c. 17. Lydius Agon. ſacr. c. 42. & fulmine tactam veteres dicebant eſſe ſignum vel ſublatæ, vel interturbandæ pacis. *Pier. de Fulm. ſignif. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 601. *C.* Principem locum tenet inter ea, quæ terra fundit, & in menſis Regum frequens eſt. Horat. Sat. II. 2. 44.

— necdum omnis abacta
Pauperies epulis Regum: nam vilibus ovis,
Nigrisque eſt oleis hodie locus.

Pollux VI. 9. 1. *Drupæ olivæ, quæ natant in ſale, & aceto,* Muſon. de Lux. Græc. c. 6. Nonn. de Re cibar. I. 42. Buleng. de Conviv. II. 41.

OLEARIÆ merci præpoſitus vocabatur ſervus illam curans, cujuſmodi legitur in veteri marmore Creſcens quidam natione Beſſus. Ulpian. l. 13. ff. de inſtit. act. *Habebat quis ſervum merci oleariæ præpoſitum Arelatæ.* Pignor. de Serv. p. 352.

OLEARIUS dicitur, qui *oleum* facit, vel vendit. Colum. XII. 50. *Diligentes olearii baccam integram prælo non ſubjiciunt.* Hi negotiabantur ad Velabrum majus. Plaut. Capt. III. 1. 29.

Omnes compacto rem agunt, quaſi in Velabro olearii.

Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 4.

OLEASTER eſt arbor duriſſima. Ex eo fiebant Regum ſceptra, atque adeo ῥόπαλος clava, geſtamen herois; cujuſmodi fuit nodoſa, & ponderoſa illa, qua Hercules donatur. *Paſchal. de Coron.* VI. 19. Ex illo ante ſana dona ſua ſuſpendebant. Ariſtoph. Plut. IV. 3. 101.

Oleaſtro affigam iſti.

Ubi Schol. *Ad cotinos, & alias arbores ubique in templis affigunt donaria.* Virg. Æneid. XII. 766.

Forte ſacer Fauni foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti divo, & votas ſuſpendere veſtes.

Theophraſt. Hiſt. plant. V. 3. & qui Theophraſtum vertit Plin. XVI. 39. *Megaris diu ſtetit oleaſter in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultaverat. Fuitque arbor illa fatalis excidio urbis præmonitæ oraculo, cum arbor arma peperiſſet: quod ſuccisæ accidit, ocreis, galeisque intus repertis.* Turneb. Adv. VIII. 16. Tomaſ. de Donar. vet. c. 7. Paſchal. l. l. Bodæus in Theophraſtum. Cerda & Pontan. in Virgilium. Olympionicis coronandis inſerviebat. Ariſtoph. ibid. II. 5. 103.

Certe Jupiter eſt pauper. Et hoc jam manifeſte te docebo:
Nam ſi dives eſſet, quomodo celebrans ipſe Olympiacum certamen,
Ubi Græcos omnes ſemper quinto quoque anno congregat,
Renuntiavit athletarum victores coronatos oleaſtri corona.

Plinius laudatus in *olea*. Pius Annot. Prior. c. 11. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 17: XXI. 24. Paſchal. ibid. c. 18.

OLETUM eſt locus *olea* conſitus. Cato de Re ruſt. c. 3. *Si oletum bonum, beneque frequens, cultumque erit.* Scoppa Collect. I. 17. Voſſ. Lex. Etymol.

Oletum eſt locus *olens*. Perſ. Sat. I. 112.

— hic, inquit, veto quiſquam faxit oletum.

Ubi ſtercus humanum ſignificare interpretes ajunt, & citant Verranii auctoritatem dicentis: *Sacerdotula in ſacrario Martis fecit oletum,* apud Feſtum. Sed errant. Nam tam in Perſio, quam in Verranio ſignificat locum olentem, & fœtidum, quem ſæpius mejendo facimus. Subdit enim Perſ. II. 113.

— pueri, ſacer eſt locus: extra
Mejite.

& non cacate, vel excrementa ventris mittite. *Voſſ. Lex. Etymol. & de Anal.* III. 23. *Scoppa Collect.* I. 17. *Caſaub. in Perſium. Rabir. de Haſt. & auct. origin. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* (30.) *F. Dacer. in Feſtum.*

OLEUM Athenienſibus acceptum referunt celeberrimi auctores. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 25. Nequaquam. Notiſſimam enim extitiſſe *olivam* quid dixerim ætate Moyſis, Jobi, aut Abrahæ? apud quos & de *olea*, ac de *oliva* non ſemel haberi ſermonem conſtat? etiam ante diluvium ſacra teſtantur oracula, *olivam* notiſſimam fuiſſe plantam. Columba enim pacati numinis ſignum, ejusdem plantæ ramuſculo attulit his, qui cum Noe ſervati a cataclyſmo in arca claudebantur. Cum igitur *oliva* pacis nota tunc fuerit, *oleum* quin notum e ſeculo dixerim? *Suus quidem olivæ ſuccus oleum eſt*, ut loquamur cum Plin. XV. 3. *Schacch. Myrothec.* I. 3. Ejus ſummum optimum eſt. Plutarch. Sympoſ. III. 2. *Summum olei optimum.* Hoc ideo creditur, quoniam ſit aereum, ac proinde ſcandat ſuperna vi ſuæ naturæ. *Rhodig. ibid.* XXVIII. 25. *Buleng. de Conviv.* III. 1. Romæ maximo fuit in pretio, & vel rariſſimo pretio vendi ſolitum. Unde proverbium: *quaſi in Velabro olearii* apud Plautum ſupr. in *Olearius.* Velabrum enim Romæ fuit locus, in quo *olearii oleum* diſtrahebant. Mos autem huic hominum generi fuit, ut inter ſe de pretio conſpirarent, quo pluris venundarent. Et inde proverbium hoc de illis, qui conſpirant, remque ex compacto gerunt. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 15. *Borrich. Ant.*

Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 6. Antiquis Reipublicæ temporibus non dividebatur, ad luxum enim, & voluptatem magis, quam ad sustinendam vitam necessarium a priscis Romanis censebatur, nec nisi semel, & extra ordinem id plebi datum legimus a Scipione Africano, qui cum ædilitatem curulem auspicaretur, *congium olei in vicos singulos dedit*, teste Liv. xxv. 2. Ad cujus imitationem postea idem in gratiam plebis fecit Agrippa sub Augusto, ut narrat Dio x ix. p. 417. B. Sub Imperatoribus vero *olei* divisio magis frequentata fuit, accrescente voluptatis & luxus studio: ac primo quidem ad *gymnasium senatui, & equiti præbuit* Nero. Suet. c. 12. n. 9. Tacit. Annal. xiv. 47. 3. Deinde a Severo ordinarie populo dari cœpit. Is enim, ut Spartian. c. 23. tantam copiam Romam vehi jussit, *ut per quinquennium non solum Urbis usibus, sed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret.* Et hoc ab Heliogabalo imminutum restituit Alexander Severus. Lamprid. c. 22. *Oleum, quod Severus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit.* Et ultra illud, quod populo dividebat, in usum balnearum publicum suppeditavit. Lamprid. c. 24. *Addidit & oleum luminibus thermarum, quum antea non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur.* Burmann. de Vectig. Differt. iii. p. 47. Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 4. Bacc. de Therm. vet. c. 10. Hæc *olei* distributio ad præfectum annonæ pertinebat. Patet hoc ex Symm. Epist. x. 48. *Olei tantum species victum plebis tenuiter invecta sollicitat. Cujus rei V. C. præfectus annonæ dudum fecit indicium.* Et id docet inscriptio l. unic. C. Theod. de mensa olearia. Præfectus vero per ministros suos populo admetiebatur capulis, & inde ministri capulatores dicebantur. Portio, quam quisque ex plebe accipiebat, vocabatur mensa olearia. l. C. modo laudata. Cum vero a Victore in descriptione Urbis memorentur lxxiv. mille mensæ oleariæ, dubitatur, num eæ de iis mensis, in quibus expositum erat venale *oleum*, an vero de his portionibus *olei*, quod dividebatur, sint accipiendæ. V. Gothofr. d. l. Non sola autem plebs, & milites *oleum* ab Imperatoribus accipiebant, sed & officialibus, & ministris domus Augustæ depromebatur, qui inter eas species, quas in salarium ferebant, etiam *oleum* accipiebant. Sic inter alia, quæ Valerianus Probo dat, etiam *olei per biduum sextarium unum* recenset Vopisc. c. 4. Et ita passim in lectione historiarum Augustarum observare licet. *Burmann. l. l.* Exiturus a balneo madore detersо *oleo* leniter perungebatur. Detersionis per *oleum* singularis hæc utilitas est Galen. de sanit. tuend. iv. quod cum mediocri frictione, & quæ tensa sunt remittit, &, quæ inter exercitium vehementius fatigata sunt, emollit. Præstat & hoc non mediocre commodum, quod exiguos cutis meatus opplendo ab extrinsecus ambientis injuria vindicare poterit, & vestimenti instar nativum calorem munire, & sudorem inhibere. Ut hinc maxime universa ratione sudationum, inunctionumque in balneis haberi possit. Quos largius antiqui sudare volebant, eos neque a balneo, neque ante balneum unxissent, quod perpetuo in his, qui aut cruditate, aut plenitudine premuntur, servandum est. Sed diu hos tenebant in Laconico, & mox in calidum solium mittebant. At contra, qui longo morbo laborassent, extenuatique fuissent, hos ubi in calida lavissent, ac post frigidæ solium sudare incepissent, perungebant. In sanis autem, quod frequentius usu evenit, quibus aut longo itinere, aut exercitatione, aut alio quovis pacto corpus esset exhaustum, hos non solum a balneo, sed & ante balneum ungi imperabant, de sanit. tuend. iii. *Bacc. de Therm. vet. c.* 19. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 18. *de Therm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* ix. *p.* 640. *A.* Illo ungebantur luctatores. Horat. Od. i. 8. 8.

- - - cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat?

Virg. Æneid. iii. 281.

Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii.

Levore enim obductum corpus difficilius ab ἀντιπάλῳ prehendi potest. Robustis etiam robur addit. Theocr. Idy. l. iv. 6.

Annon audisti? Milon ipsum ad Alpheum secum abduxit.
Battus. *Et quando ille unquam oleum oculis vidit suis?*
Corydon. *Ajunt eum vel cum Hercule viribus, & robore certare posse.*

Certe *fructus oleæ laborem corporis sanat.* ut ait Philo. *Paschal. de Coron.* vi. 17. *Casal. de Therm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* ix. *p.* 640. *C. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c* 18. *Stranch. Olymp. agon.* §. 13. *Mercur. Gymnast.* 1. 8. *Kipping. Antiq. Roman.* ii. 6. §. 5. Fervens oleum effundebant in obsessores adscendentes. Joseph. de Bell. Jud. iii. 10. *Cum Romani jam invicem se adhortati latera junxissent, ac desuper protecti longioribus scutis inexpugnabilem globum fecissent, muroque succederent, tum* Josephus *ferventi oleo perfundi eos jubet. Quæ res Romanorum connexionem solvit, & cum magno dolore a muro abibant præcipites. Celerrime enim oleum a capite ad pedes, per omnia sese arma insinuabat, & carnem instar ignis depascebatur: quippe quod natura facile accenditur, & tarde refrigeratur, ob pinguedinem, & lentorem. Loricis itaque, & gladiis illigati cum essent, fuga non erat hujus pestis: sed nunc subsilientes, nunc dolore se incurvantes, decidebant de pontibus.* Lips. Poliorc. v. dial. 2. Thys. de Oppugn. urb. v. p. 189. Laurent. Polymath. iv. 2. 10.

OLI.

OLITOR est mancipium horti. Cicer. Fam. xvi. 18. *Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat: sic olitorem ipsum commovebis. Helico nequissimus HS CIↃ dabat, nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa.* Colum. xi. 3. *Facturus mox si collibuisset, quod nunc aggredior, ut olitoris curam subtexerem villici officiis.* Hic asino, seu caballo utebatur, quod etiam nunc Romæ fit. Horat. Epist. i. 18.

— ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

Apul. Met. ix. p. 299. *Me denique ipsum pauperculus quidam hortulanus comparat quinquaginta nummis, sed magno, ut ajebat. Matutino me multis oleribus onustum proximam civitatem deducere consueverat dominus.* Pignor. de Serv. p. 555.

OLIVA non est pomum. Plinius separatim de *olea*, & *olivis* tractat xv. 2.... 6. deinde transit ad tractatum, quo explicat *omnium pomorum genera, & naturam.* Ita enim titulus capitis noni libri decimi quinti, & a nucibus pineis incipit. Sic pomorum nomine omnes arborum fructus comprehendit, exceptis *olivis*. Cur *olivas* non eodem genere complexus est? quia baccæ sunt. Virg. Georg. ii. 518.

—— & teritur Sicyonia bacca trapetis.

Baccas autem a pomis secernit ibid. c. 28. *quæ baccis natura, eadem & pomis.* Et xii. 7. *Usum ejus adeo placuisse mirum est. In aliis quippe suavitas cepit, in aliis species invitavit: huic nec pomi, nec baccæ commendatio est.* Suavitas ad pomum referenda est, species ad baccam. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 421. *b. D.* Principio prandii sumebatur instar tenuis cibi, ut docemur in colloquiis priscis puerilibus Græco-Latinis. Unde Clemens Recognit: sive de vita Petri vii. cibo electili aliorum opponit victum suum prætenuem, ut qui panem cum *olivis* edere soleat. *Quis cocis imperabit, & diversa, atque electa pulmenta providebit, quæ arte scitissima, & varia preparentur? Sed fortassis, quamvis mecum positus videaris, non agnoveris vitam meam. Panis mihi solus cum olivis, & raro etiam cum oleribus in usu est.* Barth. Adv. xiv. 5. Et ita Mart. xi. 53. 11.

Et quæ Picenæ senserunt frigus olivæ,
Hæc satis in gustu.

Inserviunt ad orexin excitandam, & ad bibendum egregie invitant. Et Actius addit salsas ante alios cibos comestas

mestas alvum subducere. Nec solum in gustu, sed etiam secunda mensa apponebantur. Mart. XIII. 36.

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem sunt oliva dapes.

Qui innuit habere vim movendi alvum; & ideo primo loco sumebantur: quia vero facultatem habent adstringentem, cum bellariis inferebantur ultima mensa. Plin. XXIII. 3. dicit *albas esse stomacho utiliores, ventri minus: nigras stomacho inutiliores, ventri faciliores, capiti & oculis non convenire.* Nonn. de Re cibar. I. 42. Nubentes coronabantur. Arbor enim hæc pacis, & juventæ signum. Sidon. Carm. XV. n. 198.

Amborum tum diva comas viridantis olivæ
Pace ligat, nectit dextras, ac fœdera jungit.

XIV. 4.

Quem pacis simul arbor, & juventæ
Æternumque virens oliva signet.

Laurent. de Sponsal. c. I. Savaro in Sidonium. Illa utebantur in expiationibus. V. supr. in *Expiatio.* & ejus ramos præferebant supplices. V. infr. in *Supplices.*

OLIVARE dicuntur, qui *olivas* legunt, vel stringunt. Plin. XV. 3. *Olivantibus lex antiquissima fuit: oleam ne stringito, neve verberato.* Pollux VII. 32. *Olivæ fructum decerpere* ἐλαιᾶν *vocaverunt: & olivatores, qui hoc faciunt.* Salmas. Exerc. Plin. p. 939. a. F.

OLIVITOR vocatur, qui colit *oleas*, qui *oliveta facit*, ut loquitur Ulpian. Fragm. tit. 6. Apul. Florid. p. 790. *Ager frumento piger, aratro irritus, fœcundior oliveto, nec vinitori, nec olivitori scalpitur.* Sidon. Epist. II. 9. *Colles ædibus superiores exercentur vinitori, & olivitori.* Pignor. de Serv. p. 549 Colv. in Apulejum.

OAK.

'ΟΛΚΑ'Σ navis est oneraria. Hesychius, & Glossæ. Plutarch. in Æmil. *Viginti holcades cum ipso onere cepit, reliquas frumento onustas depressit.* Etiam apud Flandros teste Baysio *des holckes* appellantur. Funibus nonnunquam consueverunt religari ad naves militares. De his est accipiendus Liv. XXX. 26. *Desertæ fuga nautarum primum ab Ægimuro, dein ab Aquis onerariæ Carthaginem puppibus tractæ sunt.* Vides pone tractas; & quidem ob defectum remigum, qui fuga eas deseruerant. *Scheffer. Mil. Nav.* IV. 1.

OLL.

OLLA est vas culinarium, in quo cibi coquuntur. Catull. XCII. 2.

Hoc est quod dicunt: ipsa olera olla legit.

Non *ollas*, sed *aulas* veteres dixerunt. Festus. V. illum supr. in *Exta.* *Aulæ* voce sæpius usus est Plautus. Et Plauti *Aulularia* dicta est ab *aula* Euchonis auri plena. *Voss. Lex. Etymol.* Olerum *ollas* peculiares in foco Laribus consecrato seponere veteres sunt consueti, quas Laribus sacras tangere nefas erat, tanta superstitione colebantur. Prudent. Peri Steph. X. 261.

Fuliginosi thure placantur Lares,
Et respuuntur consecrata olusculæ?
At unde major esse majestas focis,
Quam nata in hortis sarculatis creditur?
Si numen ollis, numen & porris inest.

Barth. Adv. XLI. 21.

Olla erat sepulcrum plebis & pauperiorum. Fuerunt aut majores, aut minores, cinerariæ, aut ossuariæ. De majoribus lapis vetus apud Gruter. p. 855. n. 3.

ÆLIÆ. TRYPHOSÆ
JUS. SEPULCRI. POSTE
RISQ. EJUS. OLLAM. MA
GNAM. ITEM. THUS. VI
NUM. FAR. ET. OLEUM

AD. SACRA. PRIVATA. DEDIT
Q. FELICIANUS

De minoribus est Inscriptio Primillæ. V. illam supr. in *Offerendarium.* Ea inter has differentia fuit, quod magnæ minoribus honoratiores erant, ut ingentia sepulcra humilioribus ampliora. Utræque in sepulcris, aut illius ædificiis plerumque consecratæ. Inscriptio apud Gruterum p. 867. n. 5.

HÆC. ÆDIFICIA. PROPRIA
COMPARATA. FACTA
DICATAQ. SUNT. MONUMENTI
SIVE. SEPULCRUM. EST. ET
OLLARUM. QUÆ. IN. HIS. ÆDIFICIIS
INSUNT. ET. CONSECRATÆ. SUNT
RELIGIONISQ. EARUM. CAUSA....

Quæ monumento, aut maceria inclusæ. Lapis apud Gruter. p. 935. n. 9.

Q. CANUSIUS
PRÆNESTINUS
MACERIAM. ET. OL
LARIA. LIBERTIS
LIBERTABUSQUE
SUIS. FECIT.

Ossuariæ a cinerariis in eo differunt; quod hæ cineres, illæ ossa exciperent. Ab urna forma solum distinguebatur. Nam urna est conditoria & cinerum, quæ major & minor. *Guther. de Jur. man.* II. 24. *Ollas* donatas testantur antiqui lapides. Romæ in domo Cæsia:

DIOMEDES. TYRANNI
CÆSARIS. SERVI. FRATER
OLLA. DATA. AB
CN. DOMITIO. VERBANO

Bene merentibus. Lapis Romæ ad D. Augustini ædem sub fenestra quadam:

CLAUDIUS. APHRO
V. A. XXV
L. ANTONIUS. POTHUS
OLLAM. CUM. TITULO. BENE
MERENTI
VIA. HOSTIENSI. SEPTIMO. A. ROMA
LAPIDE
T. FLAVIO. AUG. LIBERTO
EPAPHRODITO
CYRNEARIO. A. VIC. PUB
FLAVIA. AUG. LIBERTA
TYCHE. MAR. OLLAM. D

Interdum publice ad majorem honorem. Romæ in ædibus Delphinorum:

JULIÆ. PLEBEÆ
IN. HONOREM
ALEXANDRI. ET. DEMETRII
CÆSARIS. AUGUSTI. L
EX. DECRET. DECUR
OLLA. PUBLICE. DATA. EST

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 16. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* IX. *c.* 2. *Kirchman. de Funer.* II. 23.

OLY.

OLYMPIA, festum ab Atheniensibus, aliisque Græciæ populis in Jovis τȣ̃ 'Ολυμπίȣ honorem gloriamque agitatum. Schol. Pindar. Pyth. IX. 177. *Olympiis, quæ nunc non aguntur Pisis, sed quæ Athenis.* Eratque & certamen; id quod testantur MSta Scholia Græca admodum vetusta in Sophoclis Electram. Verba huc facientia ita habent: *Quatuor erant agones in Græcia. Olympii erant Jovis Olympii.* . . . Hesychius refert, certamen Athenis factum fuisse. Verba ejus ecce hæc: 'Ολύμπια, ὁ 'Αθήνησιν ἀγών. Sollennia hæc primum instituta anno mundi 2766.

2766. sed renovata denuo 430 annis post. Dehinc quinto quoque anno ad *Olympiam* urbem, unde & nomen habent, celebrabantur. Schol. Pindar. Olymp. x. 69. *Quinquennalem instituit festivitatem.* At Suidas statuit, quarto quoque anno, & quidem Olympiade prima, tempore Solomonis acta fuisse. Verba Suidæ sunt ista: *Olympias. Sic apud Græcos vocatur certamen quarto quoque anno celebrari solitum. Ob diem, qui quarto quoque anno conficitur ex tribus horis, quæ quotannis adduntur cursui solari. Inchoata autem est prima Olympias Salomonis tempore, ut Jovis [illegible] per [illegible] orbem celebraretur.* Celebrabantur plenilunio. Idem Schol. Olymp. iii. 35. *In plenilunio certamen Olympicum agitur.* Et quidem die sexto & decimo lunæ: quod idem interpres indicat loco laudato his verbis: *Die decimo sexto lunæ certamen Olympicum celebratur.* Instituta fuere ab Hercule, sicut idem nos docet Olymp. ii. 1. his verbis: *Certamen Olympicum instituit Hercules.* Schol. Homer. Iliad. Λ. *Hercules instituit Jovis certamen Olympicum, & ipse primus certamen incepit.* Agebantur quoque in Elide, & quidem singulis quadriennis. Etymol. magn. in voce Ἦλις: *In [illegible] Elide colitur Jupiter Olympius: quarto anno celebrantur Olympia.* Agonistæ Elide æque ac Athenis, antequam certarent, sacra faciebant pro felici successu. Athen. xiv. p. 659. F. *Ritus sacrificiorum, & ceremonias [illegible] palam est ex Olympiadis ad Alexandrum epistola: quæ [illegible], coquum [illegible] in sacris faciundis exercitatum, his verbis: Pelignam coquum missum a matre habe. Scit ille omnia patria tua sacra, quomodo [illegible], & [illegible], & Bacchica, & alia prorsus omnia, quæ hic in Olympiis immolat.* Qui in hoc certamine vicerat, Ὀλυμπιονίκης vocatur apud Suidam. Victores præmium coronam ex apio, seu olea acceperunt. Epigram. Græc. i. 1. 4.

> *Præmia sunt oleæ, & mala, apium, strobilus.*

Dabatur etiam aliis corona ex [illegible]. Chrysost. in Genes. c. 15. Homil. 42. *In certaminibus Olympicis coronæ [illegible] nihil [illegible] est, quam [illegible].* Instaurata fuit [illegible] Endymionis pater. Etymol. magn. in voce Ἀέθλιος. *[illegible] Endymionis pater curat certamen Olympicum [illegible].* Præfectus, aut judex in hoc certamine vocabatur Ἀλυτάρχης. V. supr. in *Alytarcha.* Hæc *Fasold.* [illegible] *Græc.* Ἱερολογ. *Dissert.* 1. *Fest.* 1. §. 1--12. *Paschal. de Coron* vi. 2. 3. 4. *Scalig. Poet.* 1. 23. *Jonsen. Sched. de Fest. Græc. part.* 1. c. 1. §. 10. *Laz. Comm. Reip. Rom.* x. 11. *Rosing. Ant. Lect.* xiii. 17. *Phleg. Trallian. Fragm. de Olymp.* & [illegible] *Meurs. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* ix. p. 1291. *P. [illegible] Olymp.* c. 3. *Fab. Agonist.* 1. 25. *Sard. de [illegible]* iii. 22. *Hospin. de Fest. Ethnic.* p. 170. *B. [illegible] Græc.* p. 46. *Potter. Archæol.* ii. 22. *Strauch. [illegible]* §. 2.

OLYMPUS est fossa rotunda, unde sulcus Urbi designandæ ducebatur. Plutarch. Rom. p. 23. D. *[illegible] circumducta. Fossam hanc eodem quo Olympum nomine [illegible] mundum. Hanc Urbem [illegible] circulo [illegible].* Fab Pict. 11. *Romulus [illegible] ex [illegible], atque [illegible] Olympum [illegible] pomœriumque sacravit, & aratro ab Olympo in vico Thusco per Palatium circumducens ab imo collis ad verticem, quadratam Urbem signavit.* Donat. de Urb. Rom. 1. 2. Mag. Misc. iii. 13.

OME.

OMEN est intentio auspicantis, qua auspicans ipse aliquid, quod [illegible], ut augurium accipit, diciturque bonum, & malum *omen*, ut apud Livium non semel legitur. Cum procis necem machinaretur Ulysses, precatus est Jovem, ut duplex illi signum daret, quo id, quod animo conceperat, perfectum iri certo sciret, cui [illegible] Jupiter, & puellam in ædibus pistrino addictam [illegible] ut non diutius eo die in Ulyssis domo comederent proci, quod Ulysses pro omine accepit [illegible] eventus, siquidem eo die ab Ulysse, & Telemacho ad unum cæsi sunt. *Niphus de Augur.* 1. 1. Sumitur pro quolibet auspicio, & augurio. Tibull. 1, 3. 17.

> *—— aves dant omina dira.*

Petron. Satyr. c. 83.

> *Fortior ominibus movit Mavortia signa....*

id est, auguriis. Suet. Ner. c. 46. n. 1. *Terrebatur evidentibus portentis somniorum, & auspiciorum, & ominum.* Tamen strictius sumitur. Nam cum Auson. Gryph. n. 20. dixit:

> *—— omina trina.*

non quemlibet divinandi formam intellexit, sed eam, quæ sibilo, sternutatio, & tinnitus auris. *Dempster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin.* iii. 8. *Scalig. Auson. Lect.* 1. 16. Divinationem per *omina* Cererem reperisse censent nonnulli apud Hesychium. Hoc genus *ominum* tradaucunt, ac rident Chrysost. in Epist. 1. ad Corinth. homil. 5. & 12. *Multi genituram sibi construunt, multi observant inanes superstitiones, & ominibus, auguriis, signis serviunt, alii amuletis, & excantationibus [illegible]: multi dies observant, [illegible].* Cicer. de Divin 1. 45. *Pythagorei non solum voces deorum observant, sed etiam hominum, quæ vocant omina, quæ majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, felix, fortunatumque sit præfabantur, rebusque divinis, quæ publice fierent, ut faverent linguis imperabatur, inque feriis imperandis, ut litibus, & jurgiis abstinerent, itemque in lustranda colonia ab eo qui eam deduceret, & cum Imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod item in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Buleng. de Omin. c. 1. Barth. Adv. xxxvii. 11. Dicitur etiam de avibus. Sil. Ital. iv. 127

> *—— nosco te summe deorum,*
> *Adsis, o, [illegible] pater alitis omen.*

Niphus ibid. ii. 10. Buleng. l. l. Qui moneri de re aliqua volebat, in templum [illegible], & [illegible] in aurem [illegible] postulatum suum, tum exibat e foro obturatis auribus: cum foras prodiisset, manus ab auribus amovebat, & quam primum vocem audiisset, oraculum accipiebat, ut de Mercurio forensi [illegible] Paul[illegible]. Achæor. p. 228. Boni *ominis* causa dicebant, ἐν παλῶμεν, ut ait Lucianus. In testamentis *bono exemplo*, apud Theoph. de stupid. [illegible] μὲν ἐν in testamento Aristotelis. In edictis prætoris *bonum factum.* Potius *hoc bene [illegible].* Cicer. Attic. vii. 2. *bene evenit.* Mala deprecabantur. Cicer. Phil. iv. 10. *O dii immortales avertite, & detestamini quæso hoc omen.* Ovid. Heroid. xiii. 49.

> *Dii precor a nobis omen removete sinistrum.*

Buleng. l. l. Illud se accipere dicebant veteres. Cicer. de Divin. 1. 46. & Plutarch. in Æmil. p. 260. A. V. supr. in *Accipere.* In melius vertere dicebantur. Suet. Jul. c. 59. n. 3. *Prolapsus in egressu navis, verso ad melius omine, teneo te, inquit, Africa.* Hoc vero poterant, quia ominum vires & in nostra potestate sunt, ac prout quæque accepta sunt, ita valent. Plin. xxviii. 2. *Unde C. Flaminius consul exercitu lustrato, cum Arretium versus castra movisset, & contra Annibalem legiones duceret, & ipse, & equus ejus repente concidisset, rem illam non habuit religioni.* Cicer. de Divin. 1. 35. Patisc. in Suetonium. Principiis omnibus inesse credebant. Ovid. Fast. 1. 177.

> *Tum deus incumbens baculo, quem dextra gerebat;*
> *Omina principiis, inquit, inesse solent.*
> *Ad primam vocem timidis advertitis aures:*
> *Et visam primum consulit augur avem.*

Suet. Aug. c. 92. n. 6. V. illum supr. in *Nonæ.* Brisson. ibid. p. 93. Buleng. l. l. In navis conscensione cuncta diligenter annotare, & quævis facile in *omen* trahere solebant. Inter quæ sinistrum habebatur, si quis ex læva ex multitudine sternutasset. Polyæn. iii. 10. 2. *Timotheus solvebat cum universa classe. Forte quis sternutabat: tum gubernator jussit quiescere, nec nautæ triremes conscendere audebant.* Si vero a dextra, bonum *omen* habebat. Plutarchus in

in Themistocle, cum & ipse faceret conscensionem p. 119. A. *Simul & bonum omen sternutamento a dextra facto datum est.* Scheffer. de Milit. nav. III. 3. De læva nihil Polyænus, nihil Frontinus, qui eandem historiam refert I. 12. 11. *Timotheus Atheniensis, classe dimicaturus adversus Corcyræos, gubernatori suo, qui proficiscenti jam classi signum receptui cœperat dare, quia ex remigibus quendam sternutantem audierat; miraris, inquit, ex tot millibus unum perfrixisse.* Sternutamenta a dextra per se boni fuisse ominis non videntur: sed cum bono quodam auspicio, dicto, factove supervenirent, ita demum illud confirmasse. Manifestum hoc ex Plutarch. l. l. *Quos contuitus vates Euphrantides, ut simul & magnam hostiæ, & lucidam flammam ediderant, ac bonum omen sternutamento a dextera parte est datum, dextram Themistoclis complexus, adolescentes illos omnes jussit, ut victimam, & hostiam Omesti Baccho, votis nuncupatis, immolarent.* Maasvic. in Polyænum. Infaustum quoque habebatur, si hirundines consedissent in navi. Hostilio Mancino certe cladem denuntiavit. Et Cleopatra apud Dion. L. p. 428. B. domum propterea regrediundum censuit. *Scheffer. l. l.* In descensione observabant quam diligentissime, quo nomine ea res, quæ se prima obtulisset visui, nominaretur, indeque capiebatur *omen*. Liv. XXIX. 27. *Scipio, quod esset proximum promontorium percontatus, cum Pulcri promontorium id vocari audivisset, placet omen, inquit, huc dirigite naves.* *Percontatus* ait: ita enim solebant. Val. Max. I. 5. 6. Pompejus *appellens ad oppidum Paphon, cum conspexisset in littore speciosum ædificium, gubernatorem interrogavit, quod ei nomen esset, qui respondit, Canobasilea vocari, quæ vox spem ejus, quantulacunque restabat, comminuit. Neque id dissimulanter tulit: avertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit.* Scheffer. ibid. c. 4. Ante pugnam *omina* diligentissime observabant, quæ læta, quæve tristia apparerent. De Parmenione Alexandrum ad prælium navale instigante Arrian. I. p. 54. *Sperabat cum aliis de causis Græcos superiores fore, tum vel eo præcipue, quod aquila a puppi classis Alexandri in littore subsistens visa esset.* Augusto, *pridie quam Siciliensem pugnam classe committeret, deambulanti in littore piscis e mari exsiluit, & ad pedes jacuit. Apud Actium descendenti in aciem, asellus cum asinario occurrit: Eutychus homini, bestiæ Nicon erat nomen.* Quod in certum victoriæ *omen* ab eo tractum est. Suet. c. 96. n. 5. *Scheffer. ibid. c. 6.*

OMENTUM est membrana, qua intestina involvuntur. Isidor. XI. 1. *Omentum membranum, quod continet majorem intestinorum partem, quod ἐπίπλοον Græci vocant:* quia, ut ut Gorræus, *jecinoris quidem cavo, & ventriculi fundo, & duodeno intestino, & lieni, & colo ligamentis adhæret, reliquis autem intestinis prætenditur, & quodammodo ἐπιπλέει, hoc est, innatat.* Voss. Lex. Etymol. *Omento*, & adipe partes hostiæ, quas adolebant, operiebant, ut facilius arderent, pinguitudine ignem alente. Itaque id est, quod ab Homer. Iliad. A. 460. *adipe operuerunt, & obduxerunt.* Strab. XV. p. 503. conceptis verbis: *Quidam omenti partem igni imponunt.* Hinc sole clarius efficitur illud Pers. Sat. II. 47.

Tot tibi cum in flammis junicum omenta liquescant.

Et Catull. LXXXIX. 3.

Omentum in flamma pingue liquefaciens.

Turneb. Adv. VII. 23. Lips. in Tacit. Annal. XV. n. 40. Brisson. de Regn. Pers. II. p. 175. Popm. Conject. in Varr. p. 234. Bochart. Hieroz. II. 45. Casaub. in Persium. Scalig. in Catullum. Ex *omenti* statu, & situ aruspices multa conjectabant. Lucan. I. 624.

Cor jacet, & saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt, produntque suas omenta latebras.

Et Manto, extis inspectis, Tiresiæ patri tum cœco, inter cætera dicit apud Senec. Oedip. II. 369.

---- *non molli ambitu*
Omenta pingues viscerum obtendunt sinus.

Bochart. l. l.

OMETIDES erant tanquam fasciæ scapulares, vel humerales. Ovid. Art. Am. III. 273.

Conveniunt tenues scapulis ometides alis.

Ita ego, licet contra librorum auctoritatem, affirmaverim legendum pro *ameletides*: in quibus explicandis natio Grammaticorum frustra sudat, nihilque proficit. Quis enim nescit ad dissimulandam scapularum altitudinem tenuibus fasciis utendum, ne si crassioribus, & plenioris fili aliqua utatur, magis vitium extet, & appareat? Recordor equidem, Grammaticos primi ordinis (in illis sunt Rhodig. Ant. Lect. XIII. 31. & Mycillus in Ovidium) *analectides* legere, & intelligere tanquam pulvillos ex xylino lino, vel quavis materia ad constipandas puellarum scapulas, ut videri habitiores possint, quibus subscriptorem præstare non possum. *Turneb. Adv.* IV. 23. V. tamen, si lubet, *Heinsium in Ovidium.*

OMN.

OMNES, OMNES erat formula, qua utebantur in Sctis condendis. Vopisc. in Tacit. c. 7. *Hac oratione & Tacitus ipse vehementer est motus, & totus senatorius ordo concussus, statimque acclamatum est, omnes, omnes.* in Prob. c. 11. *Decerno igitur P. C. votis omnium concinentibus nomen Cæsareum, nomen Augustum, addo proconsulare imperium, patris patriæ reverentiam, pontificatum maximum, jus tertiæ relationis, tribunitiam potestatem. Post hæc acclamatum est, omnes, omnes.* Hac voce significabant, supervacaneam esse aliarum sententiarum dictionem, cum ejus sententia, qui primus dixerat, uno *omnium* consensu approbaretur. *Ferrar. de Acclam. & plaus.* III. 2. & 3. *Casaub. in Pollion. Valerian. c. 2. Salmas. in Pollion. trig. tyran. c. 21. & Vopisc. Tacitum. Faber Semest. I. 14. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin.* VII. 5.

ONA.

ONAGER est animal, quod in Africa nascitur. Solin. c. 27. *Inter ea quæ dicunt herbatica, Africa onagros habet.* Dicitur *onagrus* imitatione Græca, ὄναγρος, asinus sylvestris, Varr. de Re rust. II. 6. *Ad seminationem onagrus idoneus, quod e fero fit mansuetus facile, & e mansueto ferus nunquam.* Olaus Magnus XI. 36. *onagros* explicat alces septemtrionalibus in quotidianum usum venientes. Sed utramque feram multum inter se differre evincet I. Origo nominis. Isidor. XII. 1. *Onager interpretandus asinus ferus: ὄνον quippe Græci asinum vocant, ἄγριον ferum.* Alce ad cervum accedit potius quam asinum. II. Natalis locus alces boreæ sunt partes, & quidem propriæ, Olao probante. At *onagros* veterum montem, qui Cappadociam a Lycia dividit, non transisse fidem facit Plin. VIII. 58. imo Phrygiam, & Lycaoniam præcipuam incoluisse testatur Plin. ibid. c. 44. & Varro l. l. III. Forma diversa, quam venantur ex naturæ varietate. *Onagri* ex Isidoro indomiti sunt in desertis vagantes, alces contra septentrionalibus ita domiti, ut pro equis adhiberentur, nisi ob arcana regni interdicto prohibiti essent. Alcis caro dura, & concoctu difficilis nobis visa Hafniæ, nulla saporis gratia, quæ *onagro* est singularis. Plin. VIII. 44. *Pullis eorum ceu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos lalisiones appellant.* Quorum usus & Romæ ante Mæcenatem frequens, qui *instituit epulari asinarum pullos, multum eo tempore prælatos onagris: post eum interiit auctoritas sapori: lalisionum oriente usu celerrime id genus defecit.* Plin. ibid. c. 43. Quem hoc modo emendat Salmas. Exerc. Plin. p. 239. b. B. *Barthol. de Unicorn. c. 18. Gesner. de Quadrup. I. p. 19. Sub Gordiano tertio Romæ fuerunt onagri viginti.* Capitol. c. 33. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 3.

Onager est machina bellica. Veget. IV. 22. *Adversum hæc obsessos defendere consueverunt onagri. . . . Onager autem dirigit lapides sed pro nervorum crassitudine, & magnitudine saxorum pondera jaculatur. Nam quanto amplior fuerit, tanto majora saxa fulminis more contorquet.* Ammian.

xxiii. 4. confundit cum ſcorpione, & diverſum ſentit atque Vegetius. Deſcriptionem machinæ, non facile alibi obviam, ab eodem huc transfero. *Scorpionis, quem nunc appellant onagrum, hujuſmodi forma eſt. Dolantur axes duo quernei, vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere videantur in gibbus, hique in modum ſerratoriæ machinæ connectuntur, ex utroque latere patentius perforati. Quos inter per cavernas funes colligantur robuſti, compagem, ne diſſiliat, continentes. Ab hac medietate reſtium ligneus ſtylus, exſurgens obliquus, in modum jugalis temonis erectus, ita nervorum modulis implicatur, ut altius tolli poſſit, & inclinari: ſummitatique ejus unci ferrei copulantur, e quibus pendet ſtuppea, vel ferrea funda: cui ligno fulcimentum proſternitur ingens cilicium paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum ſuper congeſtos ceſpites, vel lateritios aggeres. Nam muro ſaxeo hujuſmodi moles impoſita disjectat quicquid invenerit ſubter, concuſſione violenta, non pondere. Cum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ impoſito, quaterni altrinſecus juvenes repagula, quibus incorporati ſunt funes, explicantes, retrorſus ſtylum pene uncinum inclinant. Itaque demum ſublimis adſtans magiſter, clauſtrum, quod totius operis continet vincula, reſerat malleo forti percuſſum. Unde abſolutus ictu volucri ſtylus, & mollitudine offenſus cilicii, ſaxum contorquet, quicquid incurrerit, colliſurum. Et tormentum quidem appellatur ex eo, quod omnis explicatio torquetur. Scorpio autem, quoniam aculeum deſuper habet erectum: cui etiam onagri vocabulum indidit ætas novella, ea re, quod aſini feri cum venatibus aguntur, ita eminus lapides poſt terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora ſequentium, aut perfractis oſſibus capita ipſa diſplodunt.* Stewech. in Vegetium. Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 6. Geſner. de Quadrup. i. p. 21.

ONAGRINUM caſtellum erat ſitum e regione Bononiæ, ab aſinis agreſtibus, quibus abundabat, vocatum. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 79.*

ONY.

ONYX eſt proprie vas unguentarium ex *onyche* lapide. Plin. xiii. 2. *Onychin aliqui alabaſtritem vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optime ea incorrupta ſervare dicitur.* Dioſcor. v. 153. *Alabaſtrites vocatus onyx.* Horat. Od. iv. 12. 17.

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Hic lapis ab unguis humani ſimilitudine in nominis ſocietatem venit. Et quanquam *onychis* præcipuus olim ad unguenta uſus, tamen factum eſt, ut quodcunque vaſculum unguentarium, etiam alterius materiæ, *onyx* diceretur. Prop. iii. 8. 22.

Et crocino nares murreus ungat onyx.

Urſin. Append. ad Ciaccon. de Tricl n. p. 269. Bochart. Hieroz. v. 22. Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 748. b. F. Scriv. in Mart. vii. 94. 1. Torrent. in Horatium.

Onyx vocatur ipſa gemma. Invaleſcente luxu ad columnas, & pavimenta tranſiit. Lucan. x. 116.

Purpureusque lapis, totaque effuſus in aula
Calcabatur onyx.

Mart. xii. 50. 4.

Calcatusque tuo ſub pede lucet onyx.

Scriver. Mart. xii 94. 1. Torrent. in Horat. Od. iv. 12. 17. Voſſ. Lex. Etymol. Nec non ad pocula. Appian. Mithrid. bell. p. 251. *In Talauris, quam urbem Mithridates habuerat apparatus promptuarium, M M poculorum ex onyche gemma factorum, compactorumque auro inventa ſunt.... Eorum pars a Dario Hyſtaſpis filio ſucceſſoribus per manus tradita fuerat: partem ex Ptolemæorum gaza Cleopatra penes Coos depoſuerat, unde Mithridates a civibus tradita deportaverat: partem ipſe Rex paraverat, ac collegerat, elegantioris ſupellectilis percupidus.* Eggeling. Myſter. Cerer. & Bacch. Antiq. Græc. Gronov. Tom. vii. p. 63.

OPA.

OPALIA *dicebantur dies feſti, quibus Opi ſupplicabant.* Feſtus. Antiquitus unus Saturnalia dies: & idem communis cum *Ope*. Nam *Opalia*, & Saturnalia utraque incidebant in xiv. Kalend. Januar. Teſtis Macrob. Sat. i. 10. *Ex his colligi poteſt, & uno die Saturnalia fuiſſe, & non niſi* xiv. *Kalend. Januar. celebrata: quo ſolo die apud ædem Saturni convivio diſſoluto Saturnalia clamitabantur, qui dies nunc Opalibus inter Saturnalia deputatur, cum primum Saturno pariter, & Opi fuerit adſcriptus. Hanc autem deam Opem Saturni conjugem crediderunt; & ideo hoc menſe Saturnalia, itemque Opalia celebrari: quod Saturnus, ejusque uxor, tam frugum, quam fructuum repertores eſſe creduntur.* Et ita Kalendarium vetus repertum Romæ. Nec hoc mirum, ut dies ſit communis, quorum eſt lectus. Hinc explicandus Suidas: *Saturnalia, feſtum celebratum Saturno, & matri deûm.* Nihil in ſpeciem vanius, quam Saturnalia adſcribere matri deûm, ſive *Opi*. Sed communio illa dierum Græculo confuſionis cauſa non fuit injuſta. Et ideo lego apud Auſon. Eclog. xvii. 15.

Viſne Opis ante ſacrum, vel Saturnalia dicam?
Feſtaque ſervorum, cum famulantur heri.

Ubi legebatur: *Viſne ope ſancte ſacrum.* Ambigit enim poeta, *Opalia* prius, an Saturnalia dicat: quare? quia, ut jam iteravi, conveniebant ea feſta, & utrique deo, deæ, ſacer idem dies. Et hæc pertinent ad tempora conſulum, & rempublicam priſcam. Tempore C. Cæſaris, & deinceps hæc paullo aliter ſe habuerunt. Ut enim Cæſar faſtos correxit, & Decembri menſi duos addidit dies: Saturnalia, ut ſic dicam, ſedem mutaverunt, & a xvi. Kalend. numerari cœpta: non ut ante a xiv. Migrarunt igitur Saturnalia: non tamen *Ops*, quæ in die veteri ſtabilis permanſit. Hanc correctionem Cæſarianam ſpectavit Varr. de Ling. Lat. v. 3. qui condidit libros illos, uti vel hinc diſcimus Cæſare jam dictatore, & feriarum dies ad faſtos ejus aptavit: *Saturnalia, dicta ab Saturno, quod eo die feriæ ejus, ut poſt diem tertium L. ut poſt, die tertio, Opalia.* Lipſ. Saturn. i. 3. Perion. de Græc. & Rom. magiſtrat. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. vi. p. 2814. C. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 887. A. Gyrald. Synt. deor. iv. p. 148. D. xvii. p. 493. D. Voſſ. de Idolol. ii. 58. Stuck. de Sacrif. p. 33. Hoſpin. de Feſt. Ethnic. p. 230. b. Siccam. in Faſt. Kalend. c. 18.

OPE.

OPERA in re ſacra veteribus dicebatur ſacrificium. *Operari* enim ipſis idem fuit quod ſacrificare. V. infra. Afran. apud Non. xii. 21. *Solvo operam Dianæ*, id eſt, ſacra facio, ſolvo rem divinam, quæ Dianæ debebatur. *Turneb. Adv.* vi. 9.

Operæ vocabantur etiam operarii, qui *opus* aliquod faciebant. Serv. Æneid. xi. 183. *Si autem feminino genere dixerimus operas, ipſas perſonas, quæ aliquid faciunt, ſignificamus.* Maxime tamen abjectum, ſordidum, & vilis conditionis hominem. Cicer. pro Sext. c. 27. *Cum per tribunum aliquem, & ſexcentas operas ſe fortunis ſpoliari videant.* pro Flacc. c. 38. *Operæ faceſſant, ſervitia ſileant.* Suet. Veſp. c. 1. n. 9. *Non negaverim, Petronis patrem mancipem eſſe operarum.* Beroal. Annot. c. 88. Pollet. For. Rom. ii. 1. Palmer. Spicil. v. p. 689. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 3. n. 1. Unde *operas publicanis dare* dicebantur, id eſt, miniſtros. Valer. Max. vi. 9. 8. *P. Rupilius non publicanum in Sicilia egit, ſed operas publicanis dedit.* Cicer. Fam. xiii. 9. *C. Pupius, qui eſt in operis ejus ſocietatis.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. 9.

Operæ campeſtres vocabantur, qui in campo Martio candidatis honorem petentibus aderant, & ſuam præſtabant *operam*, proque illis laborabant, ut ſuffragatoribus ſuffragantibus honorem petitum conſequerentur. Suet. Aug. c. 3. n. 1. *Miror C. Octavium a nonnullis inter operas*

campestres prodiium. Beroal. Arnot. c. 88. Pollet. For. Rom. II. 1. Pitisc. in Suetonium.

Operæ forenses sunt advocati, cum rogantur a reis causarum ergo, eadem prorsus forma, qua modo *operæ* campestres. Sunt hujusmodi, advocati, patroni, causidici, cognitores, subscriptores, pragmatici, submonitores, custodes, laudatores. *Pollet. For. Rom.* II. 1.

Opera in militia Romana erant secunda exercitii pars. Quis ei singulos non reperio, nisi quod sparsim tangunt, & universæ. Universe quidem ita Liv. IX. 19. *Jam in opere quis par Romano miles? quis ad tolerandum laborem melior?* Atque hoc ille, ubi Romanos cum Macedonibus comparat, & hac parte longe anteivisse affirmat. Tamen & illi profecto hic laudabiles. Eos deterioit Polyb. V. 2. *operarios, & circa fossiones, & castrorum munitiones, & omnem ejusmodi ærumnam, laboriosissimos.* Sed haud dubie superarunt Romani: nec fuerunt, aut erunt ista de re ulli milites comparandi. Isti patrarunt, quidquid fidem superat, & fieri humana manu vix posse videatur. Rem asseram paucis, & illustribus exemplis. Cæsar ingressu Helvetiorum in Provinciam excitatus cum *legione, quam secum habebat, militibusque qui ex provincia convenerant, a lacu Lemano ad montem Juram millia passuum decem novem murum, in altitudinem pedum sexdecim, fossamque perducit. Eo opere perfecto, præsidia disponit, castella communit, quo facilius, si se invito transire conarentur, prohibere posset.* Cæs. de Bell. Gall. I. 7. Id opus non multis diebus confecit, & Helvetios consilio, & aditu dejecit. Grande mehercules spatium novemdecim milliarium. Non tam grandis munitio, quæ ad Alesiam ejusdem Cæsaris, sed operosa magis & multiplex. Ipsa enim *in circuitu undecim millia passuum tenebat. Fossa fuit pedum viginti directis lateribus ducta. Ab ea pedes quadringentos recedens reliquas munitiones instruxit.* Hæ erant *duæ fossæ quindecim pedes latæ, eadem altitudine: quarum interiorem aqua ex flumine derivata implevit. Post eas aggerem, & vallum duodecim pedum exstruxit. Huic loricam, pinnasque adjecit, grandibus cervis eminentibus, qui adscensum hostium tardarent: & turres toto opere circumdedit, quæ pedes octoginta inter se distarent.* Cæs. ibid. VII. 72. Opus etiam arduum, & supra fidem atque opinionem aggressus est Cæsar, quo Pompeji castra ad Dyrrhachium obduxit vallo, ut Flor. IV. 2. 39. *sedecim millium*, vel ut ipse de Bell. Civ. III. 63. *Octodecim millium* passuum, vel, ut Appian. de Bell. Civ. II. p. 466. *mille ducentorum stadiorum*, id est, centum quinquaginta circiter milliarium. Lucanus, qui inspexit, judicabit etiam pro numero illo majore. Nam ille grandi ore hoc opus attollit Pharsal. VI. 36. . . . *Lips. de Milit. Roman.* V. *dial.* 13. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 137.

OPERARI dicuntur, qui diis sacra faciunt, qui sacrificia offerunt. Non. XII. 21. *Operari est deos religiose, & cum summa veneratione sacrificiis litare.* Tacit. Annal. II. 14. 1. *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, vidit se operatum.* Liv. X. 39. *Dum hostes operati superstitionibus concilia secreta agunt.* Virg. Georg. I. 339.

— *Lætis operatus in herbis.*

Hinc *operationes* apud Festum in Privatæ feriæ, & *opera* apud Afranium modo laudatum sunt sacrificia. *Brisson. de Form.* I. *p.* 19. *Stuck. de Sacrif. p.* 112. & 110. *Modius in Livium. Cerda in Virgilium. Vlit. in Gratium n.* 42. *Passer. in Prop.* II. 24. 1. *Caroli Antiq. Roman.* I. 11. *Broukh. in Tibull.* II. 5. 95

OPERARIUS vocatur agricola, qui *ruri facit opus*, ut loquitur Terent. Phorm. II. 1. 20. Ita appellat illum Varr. de Re rust. I. 17. *Cassius scribit, operarios parandos esse, qui laborem ferre possint: ne minores annorum* XXII. *& ad agriculturam dociles.* Pignor. de Serv. p. 516.

OPERIMENTA hyemalia capitis, aut pedum apud veteres fuerunt, quæ hodie vocamus feltra, ex quibus cum alia confiunt, tum galeri. Hæc materia illis fuit notissima. Ejus artifices Græci πιλοποιὺς. Latini coactiliarios dixerunt: fit enim feltrum e lana coacta. *Operimenta pedum*, quorum meminit Euthymius, ubi dicit Christi tunicam fuisse a superioribus partibus contextam, veluti hæc sunt *operimenta*, ea sunt, quæ *impilia* appellat Ulpian. l. 10. ff. de aur. arg. mund ubi separantur ab udonibus. Græci πίλυς dicunt: quidam etiam ἐμπίλια. Sed hoc genus panni quomodo potest dici a superioribus contextum, ut vult Euthymius? hodiernis feltris hoc nullo pacto videtur convenire. *Casaub. Exerc. ad Annal. Eccles. Baron.* XVI. 84. Cogitur ibi lana, non texitur. Ergo non coactilia, sed vere texta erant, quod aperte declarat, aut per acus longiores, ut nunc fit, aut, si illud artificium nondum cognitum, solis manibus confecta, & quidem a superiore parte incipiendo, & in orbem, sive per totum texendo. Et talis tunica Christi inconsutilis, desuper contexta per totum. *Ferrar. de Re vest. Anal.* c. 13.

OPH.

OPHAZ aurum legitur apud Hieron. in Jerem. c. 10. *Septem nominibus apud Hebræos appellatur, quorum uno Ophaz dicitur, quod nos dicere possemus obryzum.* Qui non dicit, obryzum, & obryzatum quasi Ophiriticum vocari, eo quod ex Ophir Solomonis allatum omnium optimum fuerit, ut μετὰ πολλῆς συγνώμης illi injuriam faciunt Danæus, Villalpandus, Beroaldus, Pererius, Delrio, aliique; sed saltem quod possit ob puritatem obryzum appellari. Ea ergo synonymica appellatio, non grammatica derivatio. Quid? quod auri obryzi in Jobo fit mentio a vulgata, qui tamen aurum ex Ophir tantum abest, ut habuerit, ut ne noverit suo tempore. *Lipen. de Sin. c.* 3. §. 66

OPI.

OPICE fuit locus Etruriæ, Tyrrheno mari adjacens, in quem extremum, ut Aristoteles Stagirita philosophus, Heraclides cognomine Lembus, & plerique alii asserunt, Troja capta a Græcis quosdam ex Achivis Ilio discedentes classem nacti, & circum Malea navigantes, hyberno tempore actis ventorum vi, tempestatibusque multis, diu in mari cum pererrarent, pervenerunt. Ubi tamen non substiterunt, sed per Tiberim vecti in ea loca, ubi nunc Roma est, consederunt, & ibi, extractis ex amne navibus, aliquantulum manserunt, parati quidem ineunte vere cursum persequi; verum a mulieribus longam pertæsis navigationem, & a mari abhorrentibus, suadente nobilissima, & prudenti hima captivarum Roma, quæ iis comes erat, servitutemque, si Achivi in patriam reverterentur, timente, classis noctu est incensa. Hoc factum viris mœstitiam primum attulit, deinde necessitate coacti circa palatium positis sedibus struxerunt mœnia, & oppidum ab ejus potissimum nomine appellarunt, quæ ejus rei auctor fuisset, cujusque consilio eis sibi firmassent sedes. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 210 *E.*

OPICI tenuerunt alteram Campaniæ partem, & habuerunt ad mare Liternum oppidum cum flumine, Cumas, Misenum, Bajas, sinum Lucrinum, & Avernum, Puteolos, Neapolim, Heracleam, omnia in sinu, qui Crater dicitur; intus Atellam, Abellam, Suessulam. Acerras, montem Vesuvium, Nolam, Pompejos. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 10. *Panvin. Imp. Rom.* c. 3. Fuerunt inhonesti & obsceni, ut in vitium nomen abierit. Plin. XXIX. 1. *Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos, quam alios, Opicos appellatione fœdant.* Festus in Oscum: *Opicum quoque invenimus pro Osco. Oscis frequentissimus fuit usus libidinum spurcarum: unde & verba impudentia appellantur obscœna. Oscos, quos dicimus, ait Verrius, Opscos antea dictos, teste Ennio, cum dicat: De muris res gerit Opscus. Adjicit etiam, quod stupra inconcessa libidinis obscœna dicantur ab ejus gentis consuetudine ducta.* Buleng. de Theat. II. 2. Turneb. Adv. X. 12. Dalechamp. in Plinium. Oscos Palæpoli capta an. 428. subegit Q. Publilius Philo proconsul. Liv. VIII. 25. *Panvin. & Sigon. l. l.*

OPIFI-

OPIFICES, & artifices in civitate mercatoribus, & agricultoris aliquanto inigniores fuerunt. Illorum artes sordidæ, & illiberales habitæ sunt. Docet Cicer. de Offic. 1.42. *Illiberales, & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. Est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis: sordidi enim putantur, qui mercantur a mercatoribus, ut statim vendant. Opifices omnes in sordida arte versantur: nec vero quicquam ingenuum potest habere officina: minimeque artes probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum, cetarii, lanii, coqui, piscatores, ut ait Terentius: adde his, si placet, unguentarios, saltatores, totumque ludum talarium.* Ex antiquissimo instituto erant in multa collegia distributi. Initii ei auctor fuit Numa. Plutarch. p. 71. D. Vel Servius Tullius. Hunc enim horum auctorem asserit Flor. 1. 6. 3. V. illos supr. in *Collegium artificum*. Sigon. de jur. ant. civ. Rom. II. 12. Inde vero facta sunt & alia multa collegia, sed ea fere, quæ adversus Rempublicam esse videbantur, sublata. Sed ... & quando V. etiam supr. in *Collegium*. Hi etiam cives fuere. V. supr. in *Artes*. Admissi quoque ad suffragia. Liv. XL. 51. *Censores mutarunt suffragia: regionatimque generibus hominum, causisque, & quæstibus tribus descripserunt.* Qui quæstus cum dixit, collegia plebis intellexit. Unde merito se collegiorum suffragiis in patriam revocatum gloriatur pro dom. c. 28. *Nullum est in hac urbe collegium, quod non amplissime non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverit.* Et, cum ibid. c. 33. ait, *homines in campum non tabernas, ed ...*, nonne satis ostendit, opifices clausis tabernis in campum suffragii causa venitare solitos esse. Et hæc pars populi a seditiosis hominibus colebatur, quia pondeus aliquid ad comitia adferebat. Cicer. l. l. *An tu populum Romanum illum putas esse, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus, ut obsideant senatum, optent quotidie cædem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum, nisi tabernis clausis frequentare non poteras.* Et ... Ita P. Rupilius ex operis publicanorum consulatum est adeptus, imperium in Sicilia gessit, & triumphavit. M. Terentius Varro, *loco non humili solum, sed etiam sordido ortus, patrem habuit lanium, ipse institor mercis, & filio hoc ipso in servili ejus artis ministerio est usus*, ut illum describit Liv. XXII. 36. quæstor, ædilis, prætor, & consul fuit. Sigon. l. l.

OPILIO est custos ovium, qui ovium gregem servat, & pascit. Plaut. Asin. III. 1. 36.

> *Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oves,*
> *Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.*

Virg. Ecl. X. 19.

> *Venit & opilio, tardi venere bubulci.*

Alfen. l. 60. §. 3. ff. de leg. III. tradit *prædiis legatis, & quæ eorum prædiorum colendorum causa empta, parataque essent, ... machinarium legatum videri, item oves, quæ stercorandi fundi causa pararentur: item opilionem, si ejus generis oves curaret.* Popm. de Oper. serv. p. 97. Pignor. de Serv. p. 5-6. Cerda in Virgil. l. m. Voss. Lex. Etymol.

OPIMA spolia. V. illa infr. in *Spolia*.

OPIMIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

OPINATORES erant milites, qui præerant annonæ, ne aliquid deesset exercitui. C. l. missi ff. de exact. tribut. *Missi opinatores, id est, exactores militaris annonæ cum delegatoriis judicibus in provincias*, non ut ipsi annonam militarem exigerent, verum quo judici, ejusque officiis instarent, *ut intra anni metas acciperent, quod debebatur.* Procuratores vocantur Veget. IV. 7. *Nisi ab exordio dimensione salubri per idoneos procuratores erogatio temperetur.* Fortasse prorogatores appellandi. Ita Cassiod. Var. X. 28. *Arcarios, prorogatores tritici, vini, & casei...* Stewech. in Vegetium. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 15. Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 702. A. Burman. Diss. de Vectig. c. 9. Glossæ: *Opinator, ὁ τῆς στρατιωτικῆς ἀννώνης ἀπαιτητής.* Male Cujacius inde dictos opinatur, quod *opinionem*, id est, censum agri exigerent. Imo, quod probarent, spectarentque annonam, quam exigendam habebant. Nam *opinator* idem quod probator, & æstimator. Gloss. vet. *Opinator, æstimator, vel qui conducit aliquid, trutinat, vel expendit.* Hæc officium *opinatoris* quale esset in exigenda militari annona plane ostendunt. *Opinionem* etiam pro taxatione, & æstimatione ponebant. Gloss. Cyrill. *Opinio, σύναψις: æstimatum, τὴν σύνοψιν, ἤτοι ἐξαργυρισμόν, ἤτοι διατίμησιν.* Salmas. in Pollion. trig. tyrann. c. 6.

OPISTOGRAPHA erant schedæ, in quibus extemporalia scripta, & nondum emendata adlinebantur, & in aversa parte, hoc est, in tergo scripta, & exarata solebant. Ulpian. l. 4. ff. de bonor. possess. sec. tab. *Chartæ appellatio & ad novam chartam refertur, & ad deliciam, perinde ... in opisthographo quis testatus sit, hinc peti potest bonorum possessio.* Plin. Epist. III. 5. 17. *Hac intentione tot ista volumina peregit, Electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opistographos quidem, & minutissimis scriptos.* In *opistographis*, & adversariis rationes, & diurna sua perscribebant, quibus utramque chartæ paginam occupabant, adversam, & aversam. Ab adversis dicta adversaria, ab aversa *opistographa*. Studiosi quoque, & literati homines primas suas curas, & commentationes, & quicquid denique sub limam revocandum esset, in ejusmodi schedis *opistographis* consignare moris habebant, quod postea in mundam chartam, & quæ ab una tantum parte scriberetur, transferendum curabant. Lucian. d.l. *Βίων πράσις* peram Cynicorum lupinis, & libellis *opistographis* refertam fuisse dicit, in quibus φιλοσοφήματα habet de secta sua incondite, & tumultuarie scripta habebant. *Salmas. in Vopisc. Firm. c. 3. Voss. Lex. Etymol. Alex. Gen. dier.* II. 30. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. ... p. 283. Guiland. de Papyr. membr. 18. n. 10. Scalig. ad illum p. 44. Savaron. ad Sidon. Epist. II. 9. Cellar. in Plinium.*

OPITER appellatus est ille, teste Valerio, qui patre mortuo, avo vivo genitus est. Et Festus: *Opiter est, cujus pater avo vivo mortuus est*, Quintil. I. 4. V. illum supr. in *Cordus*. Hoc prænomen Virginiorum proprium fuit, non admodum in usu, quod auctore Probo duabus notis sic OP. scribebatur. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2031. A. Sigon. de Nom. Rom. c. 3. Ursat. de not. Rom. Thes. Græv. Tom. XI. p. 886. F. Voss. Lex. Etymol. Pigh. Annal. Rom. I. p. 79.*

OPITERGIUM, vulgus *Oderzum* vocat, est in Tarvisinis, seu Venetia, de quo Ptolemæus. Ab Attila dirutum, postea est instauratum. *Pancirol. Not. dign. imp. occid. c. 88.*

ΌΠΛ.

ΌΠΛΙ͂ΤΑΙ a scriptoribus priscis vocantur ob armorum, quæ gestabant, varietatem, nimirum ἀπὸ τῆς πανοπλίας, ab omnibus, quæ simul gerebant, armis. Forte etiam ἀπὸ τῶν ὅπλων, quod inter alias significationes Hesychius exponit *scutorum armaturæ*. Suidas: Ὁπλῖται vocantur illi, *qui gravissima armatura utuntur, more Macedonico, scutis rotundis, hastis longioribus.* Arcer. ad Ælian. Tact. c. 2. Boecler. Diss. de Legion. Rom. c. 7. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1037. C.

OPO.

OPOBALSAMUM vocatur succus, qui manat ex *balsamo* arbore. Dioscor. I. 18. *Quod vero opobalsamum dicitur, æstivis sub ortu canis ardoribus excipitur incisa ferreis unguibus arbore. Sed tam paucum exstillat, ut quotannis vix plures quam seni, septenique congii colligantur, ubique pondus argento duplo rependitur.* Plin. XII. 25. *Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiæ, sed tenuis guttis, ploratu, lana parva colligitur in cornua.* Opobalsamo, & lacrymis fere compositi liquores asservabantur in lacrymarum phialis sepulcralibus. Inscriptio, quæ est Rhodæ:

C. LÆLIO. C. F. IV
MAGNA. OMNIUM. EXPECTATIO-
NE. GENITO. ET. DECIMO. OCTA-

VO. ÆTATIS. ANNO. AB. IMMA
NI. ATROPO. E. VITA. RECISO
FUSCA. MATER
AD. LUCTUM. ET. GEMITUM. RE
LICTA. EUM. LACHRIMIS. ET. O
POBALSAMO. UDUM. HOC. SEPUL
CRO. CONDIDIT.

Guther. de Jur. man. II. 22. *Aring. Rom. Subterr.* I. 23. 12. Licet ſimulatores hirſuti eſſent, & piloſi, in privatis balineis ſeſe per totum corpus ungere ſolebant. Juven. Sat. II. 41. V. illam ſupr. in *Lex Scantinia.* Grang. in Juvenalem.

OPOROTHECA, ὀπωροθήκη dicitur locus, ubi conduntur autumnales fructus. Varr. de Re ruſt. I. 59. *Oporothecas qui faciunt, ad aquilonem, ut feneſtras habeant, atque ut eæ perflentur, curant: neque tamen ſine foriculis. ne, cum humorem admiſerint, pertinaci vento vieta fiant.* Stuck. Ant. Conviv. II. 10.

OPP.

OPPIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

Oppia lex. V. illam ſupr. in *Lex.*

OPPIDUM & urbs cum conjunguntur, *urbs* eſt nobilior, & *oppidum* vilius. Suet. Aug. c. 53. n. 3. *Urbe, oppidove egreſſus.* Alioquin *oppida* eadem ſunt quæ urbes. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe, & urbo urbes.* Cicer. pro Roſc. Amer. c. 18. *Ne in oppidum quidem, niſi perraro, veniret: domum ſuam iſtam ne fere quiſquam vocabat: nec mirum, qui neque in urbe viveret.* Scopp. Collect. c. 28. Differt a caſtello. Iſidorus. V. illum ſupr. in *Caſtellum.* Captorum argenteæ, atque eburneæ imagines triumphantibus inter pompam triumphalem præferebantur. Ovid. de Pont. II. 1. 37.

Protinus argento veros imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris.

III. 4. 105.

Oppida turritis cingantur eburnea muris;
Fictaque res vero more putetur agi.

Mos hic locum dedit facetiſſimo joco, quem refert Quintil. VI. 3. *Chryſippus, cum in triumpho Cæſaris eborea oppida eſſent tranſlata, & poſt dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas eſſe oppidorum Cæſaris dixit.* Jun. de Pictur. II. 8. Laurent. Polym. III. Synop. II. Barth. Adv. XIX. 8. Condendorum, & delendorum morem V. infr. in *Urbs.*

Oppidum vocantur carceres circi. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Oppidum dicuntur carceres, quod ea muri parte pinnis, turribusque carceres olim fuerunt. Scripſit Poeta* Ennius:

Dictator ubi currum inſedit, provehitur uſque ad oppidum.

V. eundem ſupr. in *Carceres.* Feſtus: *Oppidum dicitur & locus in circo, unde quadrigæ emittuntur.* Panvin. de Lud. circenſ. I. 5. Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Dacer. in Feſtum. Donat. de Urb. Rom. III. 14.

Oppida fœderata vocabantur, quæ neque coloniæ, neque municipia, neque præfecturæ erant. Aliud jus nullum, quam fœderis, & ſocietatis cum populo Romano habebant. Fœderata in Italia fuerunt, aut Latii fœdere obſtricta; ut Tibur, & Præneſte: aut Italico; ut Neapolis, Velia, & Heraclia: aut Gallico; ut Ravenna. Habebant ſuam Rempublicam, leges, & magiſtratus. Hinc civibus Romanis in civitates fœderatas exſulatum ire, teſte Polyb. VI. 12. permiſſum erat: tanquam in eas, quæ Rempublicam ſuam propria in poteſtate haberent; neque Romanis obnoxium. Obſervo in illis omnes fere magiſtratus fuiſſe, qui Romæ erant, dictatorem, conſulem, prætorem, ædilem, quæſtorem. *Goltz. Ital. p.* 206.

OPPIUS mons. Apparet *Oppium* verticem Exquiliarum illum eſſe, in quo templum S. Petri ad vincula. *Donat. de Urb. Rom.* III. 9. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. *n.* 1.

OPPONERE in circo dicebatur auriga, qui cum cæteros antevertiſſet, & nimis a ſequente urgeretur, qui campum ei eripere ſumma vi nitebatur, ut nulla vi, ac ſtudio ipſum poſſet remorari, ac ſe antecederet, niſi arte quadam, qua currum obliquum nec opino *opponebat*, ut tergo inhærentis agitatoris currus, cum effuſo ferretur impetu, in illum impingeretur, ut aut frangeretur, aut effunderetur auriga. Plin. VIII. 42. *Claudii Cæſaris ſecularium ludorum circenſibus excuſſo in carceribus auriga Albato Corace, occupavere prima* nimirum eqni juncti ad currum, *tum obtinuere opponentes, effundentes, omniaque contra æmulos, quæ debuiſſent peritiſſimo auriga inſiſtente, facientes.* Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom. IX. Præfat. * * 3.

OPPUGNATIO eſt vel ſubita, vel diuturna. Subita, cum impetu, nec circumvallatione adhibita incurrunt. Ad hanc rem corona primum uſi, tum teſtudine, ſæpe & ſcalis, cratibus, muſculis, & quæ leviores ſunt machinarum. *Lipſ. Poliorc.* I. 3. *Thyſ. de Oppugn. urb.* I. *p.* 156. Diuturna admovebatur, ubi prior non ſucceſſiſſet: & aut artibus, ingeniisque vincendi hoſtes, aut longa fame domandi erant. Hanc exſpectare anceps, arduum, & ideo converſi ad majora opera, ut circumvallationem: aut tormenta, arietem, helepolin, terebram, catapultam, balliſtam, ſcorpionem: & tela, ſundini, jacula, & ſagittas. V. ſingula ſuis locis. *Lipſ. ibid.* II. 1. *Thyſ. ibid. p.* 163. *Laurent. Polym.* IV. 2.

OPS.

OPS eſt *dicta terra. Huic deæ ſedentes vota concipiebant, terramque de induſtria tangebant; demonſtrantes & ipſam matrem eſſe terram mortalibus appetendam. Philochorus Saturno & Opi primum in Attica ſtatuiſſe aram Cecropem dicit, eoſque deos pro Jove, terraque coluiſſe, inſtituiſſeque, ut patresfamiliarum, & frugibus, & fructibus jam coactis paſſim cum ſervis veſcerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverant.* Macrob. Saturn. I. 10. Menſe Aprili bovem gravidam Romani mactabant; itemque vaccas prægnantes, quarum vitulos a miniſtris exſectos maxima Virgo cremabat, & porcum. Horat. Epiſt. II. 1. 148. V. illum ſupr. in *Feſcennina.* Sacrificia hæc deridet Arnob. VIII. p. 227. *Telluri matri ſcropha ingens immolatur feta.* Cur Telluri plena ſue ſacrificatum, hanc rationem adſert Scaliger ad Feſtum; quod pecudis id genus, cum ſeritur, roſtro ſemen fodiendo corrumpere ſoleat. *Tomaſ. de Donar. c.* 15. *Gyrald. Synt. deor.* IV. *p.* 148. *E.* Cognomen particulare habuit *Conſiva*, a conſerendo. Feſtum ejus *Opeconſiva.* Incidebat in VIII. Kalend. Septembr. ut liquet ex veteri Kalendario. De eo ſic Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Opeconſiva dies ab dea Opeconſiva, cujus in regia ſacrarium; quod ideo actum, ut eo præter Virgines Veſtales, & ſacerdotem publicum, introeat nemo. Is, cum eat, ſuffibulum haud habeat.* Voſſ. de Idolol. II. 58. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 887. C. Siccam. in Faſt. Kalend. c. 14. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. n. 1. Gyrald. l. l.

OPSONIUM, V. illud ſupr. in *Obſonium.*

OPT.

OPTIMATES dicebantur, qui patriciorum partibus favebant. Cicer. pro Sext. c. 45. *Duo genera ſemper in hac civitate fuerunt eorum, qui verſari in Republica, atque in ea ſe excellentius gerere ſtuduerunt: quibus ex generibus alteri ſe populares, alteri optimates & haberi, & eſſe voluerunt. Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda eſſe volebant, populares: qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarent, optimates habebantur. . . Omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. . . Horum qui voluntati, commodis, opinioni in Republica gubernanda ſerviunt, defenſores optimatium, ipſique optimates graviſſimi, & clariſſimi cives numerantur, & principes civitatis. Quid eſt igitur propoſitum his Republicæ gubernatoribus, quod intueri, & quo cur-*

co fium suum dirigere debeant? id quod est præstantissimum, maximeque optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt, summi viri, & conservatores civitatis putantur. Sigon. de Antiq. jur. c.v. Roman. II. 21. Hotman. Antiq. Roman. II. 9. Rosin. Antiq. Roman. I. 18. & ad illum Dempsterus.

OPTIMUS fuit cognomentum C. Scipionis Nasicæ. Pompon. §. 57. ff. de Orig. jur. *Fuit post eos Cajus Scipio Nasica, qui Optimus a Senatu appellatus est.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 263. B. Brisson. de Form. VIII. p. 734.

OPTIO *in re militari appellatur is, quem decurio, aut centurio optabat sibi rerum privatarum ministrum, quo facilius obiret publica officia.* Paullus ad Festum. Festus vero: *Optio, qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adjungi dabatur centurioni a tribuno militum, qui ex eo tempore, quem velint, centurionibus permissum est optare, & nomen ex facto sortitus est.* His Festus videtur dicere, *optionem* antea dictum accensum, cum scilicet a tribunis daretur centurioni; sed postquam centurio optare eum cœpit, & eligere, tunc *optionem* etiam dici cœptum esse. Et ita hunc locum interpretatus est Lips. de Milit. Rom. II. 8. qui optime monuit pro *ex eo tempore* legi debere *ex quo tempore*. Sed mihi scrupulum movet, quod ex Varrone didici, *optiones* a centurionibus ab initio fuisse electos; sed postea tribunos munus illud invasisse, ut *optiones* eligerent. Ita ille de Ling. Lat. IV. 16. *Quos hi, decuriones, primo administros ipsi sibi adoptabant, optiones vocari cœpti, quos nunc propter ambitionem tribuni faciunt.* Nodum mihi insolubilem solvit Cuper. Observ. IV. 9. qui postquam ex Varrone, & Polybio asseruit *optiones* primitus a centurionibus electos fuisse, ita Festum interpretatur: *Optio, qui nunc dicitur, antea vocatus accensus, datus centurioni a tribuno: & illud nomen optionis sortitus est ex eo tempore, quo centuriones ipsi eos eligebant, sive optabant.* Dacer. ad Festum. V. etiam *Sigon. de Jur. prov. II. 2. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 882. *B. Guther. de Jur. man.* I. 7. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 10. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* V. 15. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 11. *Stewech. in Veget.* II. 7. *Bud. in Pandect. p.* 271. *E.* Veget. II. 7. illos appellat, *quod antecedentibus ægritudine præpeditis, tanquam adoptati eorum, atque vicarii solent universa curare.* Turneb. Adv. IV. 7.

Optio, neque est solum in castris, sed in aliis plerisque officiis, carceris dicitur ab Ulpian. l. 6. ff. de bon. damn. Eos ego censeo esse, quos commentariensis qui dicitur, adjutores sibi sumpsit ad custodias observandas, regendasque. August. in Johan. c. II. tract. 49. *Nam & receptiones in custodiam pro meritis caussarum adhibentur. Alios jubentur custodire lictores, humano, atque civili officio, mitique: alii traduntur optionibus, alii mittuntur in carcerem.* Bud. in Pandect. p. 271. H. Reines. Inscript. Class. I. n. 3. Ego malim speculatoris adjutorem interpretari, ex verbis legis, quæ, dum de pannicularis damnatorum loquitur, sanxit, ut *neque speculatores ultro sibi vendicent, neque optiones ea desiderent, quibus spoliatur, quo momento quis punitus est.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Stewech. in Veget. II. 7.

Optio equitum cohortis, qui dicitur in inscriptione, quæ Romæ in hortis Marchionis Vincentii Justiniani ad portam Flaminiam:

DIS. DEABUS
C. JULIUS. C. F. ARN
AFRICANUS BRIXEL
LO OPTIO EQUIT
COH. VIII.

erat adjutor centurionis, vel alterius ordinarii a tribuno datus, tanquam ejus vel valetudine præpediti, vel negotiis aliis obruti, vel absentis vicarius, & rerum ejus privatarum administer, tanquam *adoptatus* quidam, selectus, & adscitus, & hoc in militia Romana vetere. Hinc e Tacit. Hist. I. 25. I. *optio cohortis speculatorum* notus est. *Reines. Inscript. Class.* I. *n.* 3.

Optio fabricæ videtur esse, qui Imperatoriæ fabricæ custos præest. Tarrunt. Patern. l. 6. ff. de jur. immun. *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum tribuit: ut sunt optio fabricæ. . . .* Turneb. Adv. II. 13. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Stewech. in Veget. II. 7.

Optio tabellariorum, stationis marmorum vocatur in veteri lapide:

PRO. SALUTE. AUGG. N. N
L. SEPTIMI. SEVERI. PERTINACIS
ET. AURELI. ANTONINI. AUG
SEMNUS. AUGG. N. N. LIB. OPTIO
TABELLARIORUM. STATIONIS.
MARMORUM

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19.

Optio vocatur etiam obsonator. Procop. Pers. III. *Johanne in tradidit, cui cura sumptuum domesticorum. Romani optionem vocant.* Buleng. de Conviv. IV. 1.

OPU.

OPUS appellatur ædificium magnificum, ut indicant tractatus in Pandectis, & codice Justinianeo de *operibus* publicis, & de ratiociniis *operum* publicorum. Virg. Georg. II. 155.

Adde tot egregias urbes, operumque laborem.

Maxima vero *opera* erant in Urbe circus maximus: Mœnia quoque, amphitheatrum castrense l. 3. ff. de oper. publ. in v. regione. Campum Viminalem sub aggere in v. regione inter maxima *opera* pono. Campum Martium in IX. regione. Illis, quia præcipua diligentia egebant, datus fuit *curator*, *maximorum operum* dictus. Alia & *opera* magna vocata, quæ forte huic curatori commissa non erant, ut forum Romanum magnum in VIII. regione, & macellum magnum in II. circus Flaminius, & ludus magnus. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 13.

Opus albarium. V. illud supr. in *Albarium*.

Opus novum Justin. lib. τῶν νεαρῶν constit. 63. καινοτομίαν appellat. Illud facere est ædificando, vel detrahendo aliquid, pristinam loci, vel *operis* faciem immutare. l. 1. §. opus ff. de oper. nov. nunt. Proinde qui murum, aut alteram cæmentum imponit, aut, qui vetus ædificium, ne corruat, suppositis tibicinibus fulcit, & fulciret, novum *opus* facere non dicitur l. 1. ff. si quis ad... l. stipulat. §. opus eod. tit. *Opus* novum nuntiat, aut dicit, qui alteri ne novum faciat *opus*, denuntiat, & prohibet. Nuntiatio novi *operis* speciem quandam appellationis habet. Nam, ut interposita appellatione, sive jure, sive injuria, nihil novari oportet l. 1. nihil novari... etiam a nuntiatione, quamvis non jure facta, nihil novi *operis* facere permittitur. Et si factum quicquam fuerit, id postea destruitur, eoque nomine adversus eum, qui fecit, interdictum datur a prætore, cujus hæc verba sunt. l. 20. prætor ait ff. de oper. nov. nunt. *Quem in locum nuntiatum est, ne quid operis novi fieret, qua de re agitur, quod eo in loco, antequam nuntiatio missa fieret, aut ... causa esset, ut remitti deberet factum est, id restituas.* Duaren. Disput. anniv. I. 16. Muret. Obs. Jurid. c. 14. Guther. de Jur. man. III. 13. Cujac. Obs. V. I. 16. Ræuard. Var. II. 2.

Opus publicum. Inter *opera* publica Constantius A l. 4. C. de oper. publ. prætoria, id est, ædes, in quibus præsides degebant, & jus reddebant, & alias domos publicas recenset. Item portus, aquæductus l. ad portus 7. C. eod. thermas, horrea, & stabula ad equos cursus publici destinata l. nemo 13. C. eod. Vocantur & illa, quæ pro admirandis recenset Plin. XXXVI. 5. quæ ab Augusto, Tiberio, & aliis principibus condita recenset Suetonius. Inter hæc erat amphitheatrum in III. regione, & theatra quatuor in IX. regione, Balbi, Marcelli, & alia duo minora. Inter illa Justin. Novell. 25. §. oportet, muros,

pontes,

pontes, vias, & aquæductus recenset. P. Victor, & descriptio Urbis Romæ ante Notitiam hujusmodi plura nominat. *Pancıroll. Notit. a.imt. imp. occid. c.* 14. *orient. c.* 15. *Reines. Inscript. Cl.* IX. *n.* 54. *Gutver. de Offic. dom. Aug.* II. 13. Nullius nomen *operi* publico alterius quam Principis, aut ejus, cujus pecunia id opus factum esset, non licebat inscribi l. opus ff. de oper. publ. *Pancıroll. & Guther. l. l.*

Opus topiarium quid sit V. infr. in *Topiariu.* Plin. XV. 30. *Ad e ut in topiario opere laurus, quæ taxa dicitur.* A Græcis Romam delatum quis ignorat. Neque id nostris temporibus incognitum. Profecto nonnullorum horti in Italia & Belgio, in arte topiaria facile cum Romanis de principatu contenderent. *Kobierzyck. de Lux. Roman.* II. 7. *Popm. de Oper. serv. p.* 95.

ORA.

ORA est extrema vestimenti pars. Duplex est, summa nempe, & ima. *Ruben. de Re vest.* II. I. Summa, Græcis ᾤα, circa collum, & humeros hæret: ima, Græcis ἡ πέζα, est extrema, vel ultima. *Ultimam fimbriam* appellat Poll. trig. tyr. c. 30. Ovid. Amor. I. 7. 45.

Nonne satis fuerat timidae inclamasse puellae,
Nec nimium rigidas intonuisse minas?
Aut tunicam summa deducere turpiter ora
Ad mediam? mediae zona tulisset opem.

Si sæviendum, inquit ille, fuit, nonne sic potius sævire debui, ut tu nicam ab *ora* summa deducerem, & scinderem, usque ad mediam: non enim ulterius scindi potuisset, sed illa parte, qua cingitur, zona opem tulisset, ne posset usque ad ultimam *oram* lacerari. *Salmas. in Pollionem.* Imo est eadem quæ lacinia. V. supr. in *Lacinia.*

Ora Latinis quibusdam funis est nauticus, quo ad terram navis ligatur. Quintil. præf. ad Tryphon. *Permittamus vela ventis, & oram solventibus bene precemur.* Liv. XXVIII. 36. *Trabibus, scalis, orisque, & ancoris, ne in moliendo mora esset, præciderunt.* Gyrald. de Navig. c. 15. Domit. ad Vopisc. Aurelian. c. 48. *Oram solvere* non aliud quicquam esse credo, quam e littore navigare, ipsumque littus, & *oram* liberare & solvere. Ut enim scriptum est ab Horat. Epod. X. I.

Mala soluta navis exit alite.

quod antea in littore retinaculo esset religata: sic cum eodem retinaculo *ora* ipsa, æque ac navis ligata sit, eo sublato cum incipit navigatio, solvi merito *ora* dicitur, ut & navis. Utraque enim ante vincta erat. *Turneb. Adv.* III. I. Licentius tamen quidam *oram* negant pro fune accipi, & in Livio *lora* reponunt, vetusti, ut ajunt, exemplaris fide nisi. Alii vero interpretantur, *oram*, id est, *a littore solventibus.* Pro his facit Cicero, qui pro Mur. c. 2. *portu solvere* dixit. *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* II. 8. *Gyrald. l. l.*

Ora etiam spatium vocatur. Ennius apud Macrob. Sat. VI. I.

Quis potis ingentes oras evolvere belli.

id est, tam ingentia belli spatia: quod maximum, & diuturnissimum fuit. Virg. Æneid. IX. 528. Ennium imitans:

Et mecum ingentes oras evolvite belli.

Turneb. Adv. XVI. 22: XVII. 3.

ORACULUM est legis interpretatio, adeo ut nihil a lege differat; ita videlicet nuncupatum, quod in eo Dei continentur oratio, quæ voluntatis est index. Hoc quidem affirmat Cicer. Top. c. 20. *Oracula ex ipso appellata sunt, quod est in his deorum oratio.* Χρησμὸς vocatur, quasi index voluntatis divinæ, quæque indigentiam, seu necessitatem quandam afferat vi rationis impellentem, ut illud sequamur, quod jubet. Τεθειμένον etiam. Sed hoc ut ejusdem est significationis cum lege, & Themide, ita ab una, & eadem voce derivatur, qua θεσμὸς, & θεμὸς, θεσμὶς, καὶ θέμις, nempe a τίθημι, eo quod terminum ponant, ac præscribant, quem excedere nefas est. Hinc etiam est, quod θεμιστεύειν tam significet vaticinari, & responsa dare, quam leges ferre, & jura reddere. Atque ex his manifestum, cur Themin *oraculis* præesse dicant poetæ, cum ab ea provenire, legisque divinæ *oracula* esse interpretationes docuerimus. *Pigh. Them. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1161. *C.* Illorum duo fuerunt genera: unum, quod a furentibus profundebatur, ut a Pythia numine Apollinis correpta; alterum, quod æquatis, & paribus sortibus, e sitella, vel urna ducebatur. Cicer. de Divin. II. 33. *Auspicia restant, & sortes eæ, quæ ducuntur, non illæ, quæ vaticinatione funduntur, quæ oracula verius dicimus.* Horum celebriora loca enumerat Stat. Theb. VIII. 196.

—— mutisque diu plorabere Delphis,
Hic Tenedon, Cyrrhamque dies, partuque ligatam
Delon, & unon i claudet penetralia Branchi;
Nec Clarias hac luce fores, Didymaeaque quisquam
Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit.
Quin & corniger vatis nemus, atque Molossi
Quercus anhela Jovis, Trojanaque Thymbra tacebit.

Clasen. Theol. gentil. I. 6. §. 2. Illa consulturis jejunium indicebatur. Tertull. de Anim. c. 48. *Ut cum apud oracula incubaturis jejunium indicebatur.* Et: *Sic enim & dæmonia sobrietatem expostulant a suis somniatoribus.* Laurent. de Prand. c. 22. In limine dabantur petentibus, vatibus in adytis reddentibus. Colligitur ex Virg. Æneid. VI. 115.

Quin ut te supplex peterem, & tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat.

45.

Ventum erat ad limen, cum virgo poscere fata
Tempus ait.

98.

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit.

Memoriæ mandare olim fuit summa religio. Sophocl. in Trachin. *Moris fuit illico conscribi acceptum oraculum, ne memoria excideret.* Scribebantur in foliis, ut ajunt, palmarum. Virg. Æneid. III. 445.

Quæcunque in foliis descripsit carmina virgo.

Laurent. ibid. c. 14. Ad illa concurrebant I. Anima, quæ divinationem susciperet. II. Causa naturalis, quæ animam ad divinationem suscipiendam aptam redderet. III. Dæmon, ac deus, qui divinationem immitterent. Animam, ut divinationis esset capax, oportebat sua natura omnino spoliari, & omnem ratiocinationem deponere, quia tunc inservire poterat, tanquam vehiculum, & instrumentum dæmonibus, ac diis, qui veluti præfecti, & custodes regebant omnem ipsius impetum, & passionem. Sed, ut hæc evaderet, extrinseca naturalis causa in pluribus opus erat: quamvis aliqui natura sic affecti, & constituti essent, ut hujusmodi sponte fierent. Hæc causa in primis erat terra: neque mirum. Nam, cum hæc suo sinu omnes cœlestes influxus recipiat, generandique vim a deo sole habeat; & tot mira quotidie producat: cur non poterit etiam, aut halitum spirare, aut fontem emittere, qui mentes hominum e sua sede dimoveat? Has causas reddit Plutarchus. Cur perierint, ex his facile demonstrat. Nam causæ naturales, subjungit p. 419. quamvis universæ æternæ sint, singulæ tamen intereunt: terraque ipsa, quæ tota sempiterna, interitusque expers est, varias vices in partibus patitur, & aliquæ ejus virtutes alicubi oriuntur, alicubi occidunt: alio migrant, aliunde demigrant: ut ex lacubus, & amnibus, alibi aliquando deficientibus, & alibi aliquando scaturientibus patet. Dæmones quoque quamvis longam vitam vivant, & ipsi intereunt. Nam Tiberii Cæsaris tempore, Tauro Navæ, voce ex mari egressa, nuntiatum fuit, magnum dæmonem, nomine Pan, apud insulas Echinadas obiisse. Quare deficiunt *oracula*, deficientibus causis, ex quibus prodierant. Forsan enim dæmones illi, qui Delphico, & Branchidico *oraculis* aderant, mortui sunt, & Delphica terra amisit vim spi-

ſpirandi ex antro illo halitum, furore homines replentem: idemque fonti Branchidico, & Colophonio evenit. *Vener. de Oracul. & divin. Antiq. c. 9.*

Oraculum Delphicum, quia præ aliis veridicum fuit, omnium celeberrimum eſt habitum. Strab. IX. p. 289. *Delphico fano majorem honoris partem oraculum comparavit, omnium minime fallax exiſtimatum.* Hoc capræ invenerunt oberrantes circa terræ hiatum, ubi nunc eſt adytum templi. V. ſupr. in *Apollo Delphicus.* Strab. IX. p. 28. *Oraculum ipſum ajunt eſſe ſpecum altiſſime depreſſum, aditu non admodum lato. Ex eo ſpiritum efferri furoris divini efficacem, ſupra ſpiraculum tripodem ſitum ſublimem, quo conſcendentem Pythiam, ubi ſpiritum exceperit, verſa, ſolutaque oratione ſortes pronuntiare, poetasque eſſe quosdam fani miniſtros, qui oracula, prorſa oratione edita, verſa efferant.* Ibi fuit ſpecus, cujus ex intima parte ſpiritus erumpens Pythiam, quæ cortinæ diductis feminibus i. ſiſtebat, per pudenda ſe inſinuans afflabat. Schol. Ariſtoph. Plut. I. I. 39. *Pythia inſidens tripodi, & diducens femora malum inferne ſpiritum per verenda naturæ excipiebat, & capillo ſoluto ſpumam ex ore exſpuens, & furens, vaticinia, vel verius deliramenta effabatur.* *Oracula* erant dubia, quæ non niſi caſus poſtremi diſcrevere. Hujuſmodi ſunt hæc:

Crœſus Halym penetrans magnam ſubvertet opum vim.
Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.

Arnob. III. p. 114. *Divinitatis ſcientiam largitur hariolantibus Pythiis: & cur obliqua, ac dubia, cur obſcuritatis ſubmerſa caligine dat ſæpius, ſubminiſtratque reſponſa?* Pacuvius Peribœa.

Flexa, non falſa autumare dictio Delphis ſolet.

Ubi *dictionem* reſponſum Apollinis vocat. Senec. Oedip. II. 212.

Reſponſa dubia ſorte perplexa latent,
Ambage nexa, Delphico mos eſt deo
Arcana tegere.

Nero ſuſtulit, cum homines ad os illud mactaſſet, unde ſpiritus ſacer exibat, narrante Dione. Minutius deſiiſſe ait, cum homines politiores, & minus crudeles eſſe incepiſſent. Delphis Auguſto redditum apud Euſebium, & Zonaram in hæc verba:

Me puer Hebreus, qui diis imperat,
Jubet hanc ædem relinquere, & viam rurſus ire.

A quo facit Lucan. V. 111.

—— *non ullo ſecula dono*
Noſtra carent majore deûm, quam Delphica ſedes
Quod ſilet, poſtquam Reges timuere futura,
Et ſuperos vetuere loqui.

Buleng. de Orac. & vat. c. 6. Vener. de orac. & divin. Antiq. c. I. Potter. Archæol. Græc. II. 9. Sed illud poſt natum D. Jeſum diu duraſſe multis probat *van Dale de Oracul. Ethnic. Diſſert. II.*

Oraculum dicebatur quoque templum, in quo *oracula* redduntur. Suet. Tib. c. 14. n. 4. *Cum Illyricum petens, juxta Patavium adiſſet Geryonis oraculum.* Curt. IV. 7. 6. *Adire Jovis Hammonis oraculum ſtatuit.* Plin. XII. 23. *Hammonis oraculum, juxta quod gignitur arbor.* Pitiſc. in Suetonium.

ORARIUM. Hac utuntur voce ſcriptores Latini, Græci, ac Syri: ſed origo eſt Romana. Auctor Etymologici, poſtquam docuit φώσων, & φωσώνιον dici linteum quoddam, vel ſindonem parvam, addit ἢ προσώπȣ τὸ ἐκμαγεῖον: *ita enim a Romanis vocatur orarium.* Eſt igitur linteum proprie *ori* tergendo paratum. Ideo Prudent. Περὶ ςεφ. I. 86. vocat *pignus oris:*

Hic ſui dat pignus oris, ut ferunt, orarium.

Apertiſſime Beda in Martyrologio, octavo Idus Februarii: *Dorothea ducta ad locum pœnarum, in quo jugulanda erat, pauliſper oratione facta, protulit orarium ſuum, & vocato ad ſe quodam puerulo annorum ſex, miſit Theophilo, dicens: dic ei, Dorothea ancilla Dei mittit tibi mala de paradiſo ſponſi ſui Chriſti. Is accipiens, & gratias agens, quod petitionem ejus impleſſet, caput ſibi faciem tergere.* Aut eadem res, aut non admodum diverſi, *orarium*, ſudarium, ſemicinctium, & φώσων. A probatis enim auctoribus, Græcis, & Latinis ſæpe confunduntur; & alterum promiſcue pro altero, tanquam ſynonyma, uſurpantur, & quod unius duntaxat proprium videbatur, omnibus non raro tribuitur. Heſychius: Σημικίνθια, φακιόλια, ζωνάρια, ὠράρια. Suidas: Σιμικίνθιον, φακιόλιον, ἢ σουδάριον. Auctor Etym. legendus ad oratus. Hieron. ad Nepotian. Epiſt. II. *Ridiculum, & plenum dedecoris eſt, referto marſupio, quod ſudarium, orarium, que non habeas, gloriari.* Caſaub. & Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 48. Franc. Bernard. Ferrar. de Acclam. & plauſ. II. 8. Erat in faſciæ modum longiuſculum. Probamus teſtimonio Auguſt. de Civit. Dei XXII. 8. Ubi de eo loquens, cui delapſus ſede ſua oculus in maxillam deciderat: *Hunc, ait, ut potuit, oculum lapſum, atque pendentem, loco ſuo revocatum ligavit orario.* Quod *orarium* Auguſtinus, id ipſum in hiſtoria ſimili τελαμῶνας, hoc eſt, *faſciolas* vocat Evagr. Hiſt. Eccleſ. IV. 7. *Zenonem Chuzubites, poſtquam uxori Arceſilai alterum oculum radio effoſſum audivit, propere ad illum contendit, plagam, quam acceperat, conſpicaturus. Ubi autem vidit, pupillam penitus extinctam, & oculum ſede dilapſum, cuidam ex medicis, qui eo commeaverant, mandat, ut ſpongiam afferat, oculumque delapſum in ſedem ſuam, quam commode poſſet, inducat, & ſpongiam appoſitam faſciolis adliget, τελαμῶσιν ἀναδῆσαι.* Et latum. Nam antiquus Juvenalis interpres, quem habemus, flammeum illud, quo nubentes amiciebantur, *orarium* interpretatur. Orarium, qualia ſunt noſtra linteola, quæ a fazzoletto appellantur, Interpretibus *pannus*, ſive *panniculi* dicuntur. *Caſaub. & Franc. Bernard. Ferrar. l. l. Octav. Ferrar. Analect. de Re veſt. c. 17.* Aurelianus novum, nec antea cognitum *orariorum* uſum inſtituit, & dono dedit populo Romano, ut illis in ſpectaculis uteretur *ad favorem.* Vopiſc. c. 48. *Ipſumque primum donaſſe oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem.* Turneb. Adv. XIX. 21. Buleng. de Theat. I. 59. Caſaub. Salmaſ. Octav. & Franc. Bernard. Ferrar. l. l. Faber Agoniſt. II. 30. Laurent. de Acclam. c. 2. *Quæ hæc oraria? quis favor?* *Favor* quidem, acclamatio ſolemnis: at *oraria* quidpiam, quod *ori* adjungerent, ſive inducerent, ad augendum, aut dirigendum vocem, ut hiſtrionum perſonam. Tegmen inquam aliquod, aut velamentum reſonans, ad magis concinnandas modulatas iſtas voces. *Lipſ. Elect.* II. 10. Ego per *oraria* puto intelligendum vittas, vulgo *bande*, quibus corpora cingere ab humero ſurſum, deorſum vero ad oppoſitum ilium ſolent, vel collo circumdare milites, ut cujus centuriæ, ſeu legionis ſint, dignoſcatur, & ſub quo duce militent. Eisdem noſtris temporibus, tum viri, tum mulieres mutuo ſe donant, tanquam amoris, & benevolentiæ ſignum, *favorisque* ergo gerunt. Unde & communi appellatione *favori* vocantur. Hujuſmodi Aurelianus *populo Romano donavit ad favorem*, ut popularium animum in ſui amorem alliceret, & popularem auram captaret. *Donat. in Vopiſcum.* Neuter eſt aſſecutus quis eſſet *orariorum* uſus in *favendo*, ſive, ut loquitur Vopiſcus, *ad favorem.* Enimvero *favere orario*, vel, *uti ad favorem orario*, nihil aliud eſt, quam jactato, ſeu concuſſo *orario*, hoc eſt, faſcia lintea longiuſcula, ac modice lata, *favoris*, & benevolentiæ ſignum dare. *Caſaub. Octav. & Franc. Bernard. Ferrar. l. l.* Conſuetudinem hanc ab Aureliano introductam, non theatra modo, & cæteri ſpectaculorum loci, ſed & ſacri ipſi quandoque Chriſtianorum conventus exceperunt, ac retinuerunt. Ita Paullus Samoſatenus concionans ab auditoribus ſuis non modo *favorem, neque acclamari ſibi, ac plaudi, ſed oraria etiam ad theatri morem moveri expectabat.* Euſeb. Hiſt. Eccleſ. VII. 30. *Franc. Bern. Ferrar. ibid. c. 7. Fab. Agoniſt.* II. 30. Illa portabant ſenatores. Gloſſæ Baſilicæ: *Oraria, & odonia, ſunt panni longi, qui & oraria dicuntur quibusdam. Hæc fere, qui in palatium ibant ſenatores, gerebant, illis utebantur ad emungendum, & expuendum.* Non illi, qui conſulares trabeas ferebant, ſed loco illorum mappulas, ſive ſemicinctia. Theophyl. in Act. Apoſt. 19. *Sudaria,*

Sudaria, & semicinctia linea sunt utraque, sed sudaria quidem capiti imponuntur, semicinctia vero in manibus tenent, qui non possunt oraria gestare, quales sunt, qui ferunt consulares vestes, ut abstergant humorem faciei. Ruben. de Re vest. I. 13. Qui hæc conatus est probare. Sed non satis percipio, cur a solis senatoribus gestarentur? Nunquid ceteri, quibus eorum jus non erat, digitis, aut cubito emungebantur? Illud mirum magis, quod senatoribus licebat, non licebat consulibus. Itaque cur senatoribus tantum orariorum jus esset, causam adhuc quæro. *Oct. Ferrar. l. l.*

ORATA *cognominatus est C. Sergius, quod ei pisces, qui auratæ vocantur, carissimi fuerunt.* V. Festum supr. in *O & au. Hic primus balneas pensiles habuit, primus ostrearia in Bajano locavit, primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit. Fuit autem ætate L. Crassi illius diserti.* Macrob. Sat. II. 11. *Ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit; æstuariis intercipiendo fluctus, pisciumque diversos greges separatos molibus includendo, ut nulla tam sæva tempestas incideret, qua non Oratæ mensæ varietate ferculorum abundarent.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Ferrett. Mus. Lapid. IV. memor. 43. Glandorp. Onomast. Roman. p. 789.

ORATIO accusatoris, quæ, & quotuplex. V. supr. in *Accusatio.*

Oratio funebris. V. illam supr. in *Laudatio.*

Oratio Principum est omnis illorum in senatu allocutio, aut viva voce, aut ex scripto ab alio recitata. Hujus variæ fuerunt species. Nam aliæ sunt suasoriæ, aliæ sunt Principis sententiæ, cum de re aliqua senatus haberetur: quædam objurgatoriæ, aut monitoriæ: nonnullæ sunt allocutiones, sive deliberationes: aliæ vim legis obtinent, cum Princeps de re aliqua quid constituit, *orationemque* in senatu habet, ut illius auctoritate Scto firmetur, quod decrevit. Hoc dicendi, vel scribendi genere primo vim suam, & imperii Principes auxerunt, & tenuerunt. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 30. Sctis nulla vis fuit, nisi placitum Principis accessisset: nam ita fere Imperatorum mos fuit, postquam omnem potestatem, quæ olim penes populum erat, in se receperant, ut, si quid novi juris promulgare vellent, *orationem* in senatu haberent, qua patribus aperiebant, quid statuere vellent, & simul, quid ii censerent, consulebant. Paull. l. 22. ff. de hæred. petit. *In oratione D. Hadriani ita est: dispicite patres conscripti. . . . Oratione* Principis audita patres sententias ferebant, Sctum de ea re, quam proposuerat, fiebat. Et hinc sæpe in jure una & eadem res orationi Principis, & Scto adscribitur. Deinde factum Sctum ad Imperatorem perferebatur, qui si illud approbabat, exire, & legis vim habere jubebat, ita ut omne robur, non a senatu, sed a Principe accederet. *Burman. Differt. de Vectig. c. 6.* Nomine Principis in senatu recitabantur a quæstore. V. infr. in *Quæstores candidati.* Interdum a consule. Suet. Ner. c. 15. n. 9. *De quibusdam rebus rationes a senatu missas, præterito quæstoris officio, per consulem plerumque recitabat.* Unde tantopere sibi gaudet Symm. Epist. I. 89. *Contestare apud invictos Principes gaudium meum, qui humanæ voci divinas literas crediderunt, quorum victorias ex mei oris promptuario senatus audivit, cum mihi a principibus æternis legenda in concilio patrum delegaretur oratio.* Buleng. de Imperat. Rom. III. 16. Guther. l. l. Pitisc. in Suetonium.

ORATOR differt a patrono. Hic in causis agendis tantum occupatur, ille e foro aliquando excedit ad rostra concionem habiturus ad populum, in senatu sententiam dicturus, ludit nonnunquam ad ostentationem *orationes* epidicticas, encomia, nænias, aliaque argumenta, jucunda magis, quam seria. Quid multis? In tribus causarum generibus, demonstrativo, deliberativo, & judiciali versatur, cum hic sese in tertio exerceat, tanquam ejus septis, & cancellis conclusus. Obit ad exteras gentes legationes, in quibus, si bellum indicit, aut inimicitias denuntiat, res repetit, legatus, & fœcialis vocatur: si pacem exposcit, veniam orat, fœdus rogat, *orator* dicitur. Virg. Æneid. VII. 152.

Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris:

Curt. V. 3. 11. *Inde triginta oratoribus missis ad deprecandum triste responsum a Rege redditur, non esse veniæ locum.* Pollet. Fo. Rom. II. 6. Bud. in Pandect. p. 215. Paschal. Legat. c. 2. Pitisc. in Curtium.

ORB.

ORBICULUS annuli est ipsa annuli περιφέρεια. Annulus enim, qui gemmam habet, constat tribus partibus: *orbiculo*, pala, gemma. Apul. Florid. p. 777. Hippias philosophus *etiam pedum tegumenta crepidas sibi compegerat, & annulum in læva auricum faberrimo signaculo: quem ostentabat. Ipse ejus annuli & orbiculum circulaverat, & palam clauserat, & gemmam insculpserat.* Kirchman. de Annul. c. 3.

Orbiculus erat etiam parvum rotundum scutum, in quo historiæ depingebantur. Inserebatur vestibus. Anastas. in Leon. III. *Pari modo ut supra & alia tetravela alba holoserica rosata Paschales habentes tabulas, atque orbiculos de chrysoclavo.* in Leon. IV. *Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam, candidis per totum margaritis fulgentem, & in dextra, lævaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne ipsius præsulis nomen est descriptum.* Ruben. de Re vest. I. 24.

ORBILE est rotunditas ipsius orbis, qui auctior est in fine: hic contra tabulam tympano similem habet. Varr. de Re rust. III. 5. *In insula est columella, in qua intus axis, qui pro mensa sustinet rotam radiatam, ita ut ad extremum, ubi orbile solet esse acutum, tabula cavata sit, ut tympanum, in latitudinem duos pedes, & semipedem, in altitudinem palmum.* Turneb. Adv. XXIII. 21. Nihil minus est quam id quod vult Turnebus. Nam procul dubio *orbile* vocat, quam Græci σύριγγα, & poetæ χνόην. Id erat axis capitulum, seu cardo, quod in modioli formam conveniebat. Pro eo tabula cava ad modum tympani erat in summo impacta, quæ exciperet modium rotæ, ita ut modius ipse in ejus cavum iniret, ut in acetabulum. Recepta lectio non caret vitio. Nam quid est, *ubi orbile solet esse acutum.* *Orbile* non ita desinit in mucronem, ut acutum dici possit. Deinde, quid erit illa tabula? an ita ulla ejus crassitudinis esse potest, ut tantum excavetur, quantum ad modium rotæ excipiendum sufficiat? L. *ita ut ad extremum, ubi orbile solet esse, acetabula cavata sit.* Scalig. Conject. in Varr. p. 237. Qui dicit, *orbile* partem illam esse axis, quæ modiolo immittitur. Sed non satisfacit. Nam postulare aliud verba, *ubi orbile solet esse*, videntur. Nempe ostendunt, alias quidem, & in rotis ceteris ibi esse consuevisse, at in hac illius loco aliud fuisse quippiam. Jam si hic non fuit *orbile*, quomodo potest stare, quod præcedit apud Varronem: *intus axis, qui sustinet rotam radiatam,* si *orbile*, quod vult Scaliger, pars axis fuit, quæ modiolo immittebatur? Axis absque *orbili* Scaligeriano sustinere rotam non potest. Nec tamen probo, quod Turnebus habet de a . . amine in fine. Nam illa verba revera sunt corrupta. Puto ita corrigenda esse: *ad extremum, ubi orbile solet esse, arcus cum tabula cavata sit.* Hoc enim Varro dicit, non fuisse in rota illa *orbile*, sicut in rotis ceteris, verum arcum parti radiorum affixum habuisse, cum tabula subpacta, superne aperto foramine, ut imponi turdis cibus, potusque posset. Itaque sequitur: *Aqua calida, & frigida ex orbi ligneo, mensaque, quam dixi in primis radiis esse, epitoniis versis ad unumquemque factum, sic, ut fluat in convivam. Orbem ligneum, mensamque* hic appellat, quam paullo ante *tabulam cavatam.* Hanc fuisse ait in *primis radiis*, non in rotæ modiolo, quod Scaliger putabat. Ait Scaliger, aquam fluxisse ex radiis. Nihil tale Varro. *mensam in primis radiis* ponit. Et per *primos radios* intelligit summos, id est, extremitates eorum, extrema ejus capita, quæ alias *orbili* solent immitti. Omnino enim per *orbile* intelligit circulum modiolum exterius ambientem. Curtio est *orbis rotarum* IV. 9. 5. quomodo paullo ante Varro *orbem ligneum* ad similitudinem hujus appellavit.

Nomi-

Nominatim vocat *rotarum orbes*, ut de nulla alia vehiculi parte, ac ne axis quidem poſſit accipi. Atque ita quoque Iſidor. xv. 16. *Orbita, veſtigium carri, ab orbe rotæ dicta.* Nemo non per *orbem rotæ* hic intelligit extremum circulum, quippe qui revera, ſoluſque veſtigium id facit. Virgilius ſimiliter Georg. III. 172.

— & junctos temo trahit æneus orbes.

Qui & *ferratos* propter canthos dixit II. 361.

Undique jam tergo ferratos ſuſtinet orbes.

Curvaturam rotæ vocat Ovid. Met. II. 108.

— temo aureus, aurea ſummæ
Curvatura rotæ.

Flexuram Prudent. Pſychom. II. 38.

— & radiorum
Argento albentem ſeriem, quam ſumma rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.

Scheffer. de Re vehic. I. 6.

ORBIS univerſus ab Romanis ſub jugum miſſus. Plurimum vero etiamnum, imo multo maxima pars deerat. Hanc tamen opinionem imbiberant plane Romani, ſive ex geographiæ ignorantia, ſive vel quod ſibi ipſis illi dulci imaginatione, vel Imperatoribus ſuis blandirentur: ut adeo iſtiuſmodi voculis pleni ſint libri poetarum. Petron. c. 79.

Orbem jam totum victor Romanus habebat:
Qua mare, qua tellus, qua ſidus curret utrumque.

Lucan. VII. 423.

Haud multum terræ ſpatium reſtabat Eoæ,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,
Omniaque errantes ſtellæ Romana viderent.

Tibull. II. 5. 59.

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Qua ſua de cœlo proſpicit arva Ceres:
Quaque patent ortus, & qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

hiſtoricorum. Salluſt. Bell. Catil. p. 29. *Ea tempeſtate mihi imperium populi Romani multo maxime miſerabile viſum eſt: cui cum ad occaſum ab ortu ſolis omnia domita armis parerent. . . .* Latin. Pacat. *Quia gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum privata, & publica vota redduntur.* Ipſorum patrum. Ita enim Concil. Chalcedon. Act. I. p. 405. . . . *Præcepit dominus orbis terræ. Juſſum eſt a domino orbis terræ.* Quin & id in nummis profeſſi ſunt Imperatores *orbem* ſimul dextra portantes. Et Ulpian. l. 17. de ſtat. hom. *Orbem Romanum* dixit, tanquam extra Romanum imperium *orbis* nullus eſſet. *Mader. in Panvin. de triumph. c. 1. Grot. de jur. bell. & pac. II. 22. §. 13. Barth. Adv. XXIII. 2. Racemat. in Petron. p. 515. Sitzman. in Rutil. Itiner. I. 58. Lipſ. de magnit. Rom. I. 3. Conring. de German. Imp. Rom. c. 2. Bergier. de viis milit. III. Sect. I. §. 4.*

Orbis laneus apud Prop. IV. 6. 6.

Terque focum circa laneus orbis eat.

erat corona lanea. Antiquiſſimum fuit genus coronarum lanearum, ut ait Feſtus, quæ lemniſcatæ dicuntur ab hiſtoricis, quoniam lemniſci, quæ ſunt faſciæ coloratæ illis adjiciebantur, aliquando diſcolores, imo aurei. Plinius. V. illum ſupr. in *Corona lemniſcata*. Beroald. in Propertium. Quid ſit, adhuc quæratur. Nam hunc ritum plane ignoro. Beroaldus hic mihi viſum ſuſtulit. Hoc unum aſſerere poſſumus, quod apud illum de *laneo orbe* dicitur, id Græcis eſſe κανῶν κύκλῳ βωμοῦ ἑλίσσειν. Κανοῦν, id eſt, caniſtrum, in quo mola ſalſa, & quædam alia ad ſacrificium pertinentia, circum aram in *orbem* circumferebant. Semper puer ingenuus Romæ, qui Camillus dicebatur, & ipſe quoque cumerum geſtabat, quod nihil aliud eſt, quam τὸ κανοῦν Græcorum. Sed non legimus illud circa aram circumferri. Deinde, quis eſt *laneus orbis*, niſi glomus? Itaque hic ritus latet peritus mihi incognitus. *Scalig. in Propertium.* Cui hoc fruſtra videtur ænigma. *Laneum orbem* dicit Propertius, quem *vittam laneam* Ovid. Faſt. III. 30.

Decidit ante ſacros lanea vitta focos.

quod lana, ut ex Plinio notiſſimum eſt, familiare maxime indumentum ſubminiſtraret, & ob id diis familiaribus, Laribus, illa maxime conveniebat. Plin. XXIII. 3. *Corona deorum honos erat, & Larium privatorum, publicorumque, ac ſepulcrorum, ac manium.* Addo ſupernumerarios teſtes ipſum Prop. III. 4. 29. Ex quo liquet, coronam hanc laneam in expiatoriis, & magicis ſacris receptiſſimam:

Et ſtrigis inventæ per buſta jacentia plumæ,
Cinctaque funeſto lanea vitta viro.

& Virg. Ecl. VIII. 64.

Affer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta.

Manut. de vet. dier. rat. apud Demſter. Paral. ad Antiq. Roſin. p. 277. A. Hortib. Lect. Theocrit. c. 2. Græv. Lect. Heſiod. c. 25. Paſſerat. in Propertium. Guther. de vet. jur. pontif. IV. 2.

Orbis dicitur pro menſa. Menſæ, quæ prius quadratæ fuerant, poſtea rotundæ ſunt factæ. Mart. II. 43. 9.

Tu Libycos Indis ſuſpendis dentibus orbes.

id eſt, menſam citream rotundam totam factam e ligno citri arboris.

Fulcitur teſta fagina menſa mihi.

IX. 23. 5.

Ut Mauri Libycis certum ſtent dentibus orbes.

Gronov. Muſ. Alexandr. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2752. E. Ferrar. Anal. de Re veſt. c. 1. Ciaccon. de Triclin. p. 25. Ego volo *orbes* menſarum eſſe projecturas quaſdam, ſive ſupercilia, oris, marginibus, ac limbis menſarum, ſive pediculorum, cum ipſis, commiſſuræ, atque juncturæ obtegendæ gratia *orbiculatim* adhiberi ſolita, ſed quæ ſint exemptilia, cum ſine ipſis menſæ conſiſtere poſſint. *Faber Semeſtr.* III. 25. Aſt ego malim eſſe labium menſæ undulatum in ambitum. *Buleng. de Conviv.* I. 39.

Orbis orationis vocatur rotunda periodus artificio, numeroque definita. Cicer. Orat. c. 71. *In Thucydide orbem modo orationis deſidero, ornamenta comparent.* c. 61. *In eo, quod appellamus ἐπιδεικτικὸν, placet omnia dici Iſocrateo, Theopompeoque more, illa circumſcriptione, ambituque, ut tanquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutiſque ſententiis.* Στρογγύλως ἐκφέρουσαν λέξιν nominant Græci. Hujus primum architectum fuiſſe Thraſymachum ſuis monumentis reliquit Theophraſtus. Eundem *orbem* dicunt etiam κύκλον. Sic apud Dionyſ. in Iſocrat. *complecti animi cogitationes orbe, & ambitu*, περιόδῳ τε καὶ κύκλῳ, *numeroſo plane, verſuumque ſimillimo.* Sophiſtæ ſolebant *rotundare orationem*, quæ dimenſo, & volubili curſu apte in hominum aures, & ſuaviſſime allabatur. Eam dixit *erotundatam* Sidon. Epiſt. IX. 7. *circumtonſam* Senec. Epiſt. 115. *fandi rotam* Auſon. Profeſſ. Burdig. IV. 16. Perite, nam ducitur rotundus a rota, ut auctor eſt Non. I. 297. Max. Tyr. Diſſert. XV. vocat *rotundas periodos.* Cicer. c. 13. *Thucydides præfractior, nec ſatis, ut ita dicam, rotundus.* Et quia rotundi *orbis* volvi eſt proprium, apud Rhetores volvi, & volubilis dicitur oratio. Ἐπιτρόχαλον ῥύσιν τῆς λέξεως Græci vocant. Hinc illa Cicer. ibid. c. 62. *Sæpe etiam in amplificanda re, conceſſu omnium funditur numeroſe, & volubiliter oratio.* Creſol. Theatr. Rhetor. III. 26.

ORBONA dea a Romanis culta fuit, ne *orbos* faceret. Plin. II. 7. *Orbonæ ara fuit ad ædem Larium.* Arnob. IV. p. 131. *In tutela Orbonæ ſunt orbati liberis parentibus.* Nardin. Rom. Vet. III. 12. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 6. §. 5. Gyrald. Synt. deor. I. p. 51. A. Laurent. de Natal. c. I. Tomaſ. de Donar. c. 10. Lipen. Stren. I. 6. Macrobius auctor eſt, matronas ad arcendam orbitatem *Orbonam* propitiaſſe, ubi infando ſacrorum inſtituto orbari conſueverе. *Sabell. Annot. in Plinium.* Hoc ego nuſquam in eo auctore legi exiſtimo. *Pintian. in Plinium.* Qui *Orbonæ* mentionem apud Plinium exterminandam putat, veluti ſpuriam, & adulterinam, ut quam ſcriptor nullus celebrarit,

nullibique omnino compareat. Ego *Orbonæ* lectionem defendo conſtanter, & ſervandam autumo, quum eam, ubi in reliqua fictitiorum, & putatitiorum deorum turba, quam enumerat, hanc quoque non diſſimulanter nominet doctiſſimus pariter, & antiquitatis omnis callentiſſimus Arnobius modo laudatus. *Jun. Anim.* III. 1.

ORC.

ORCA fuit vas fictile, duas habens anſas, in quo ſalſamenta reponuntur, ut monet Schol. Ariſtoph. in Veſp. p. 479. & iiſdem verbis tradit Suidas. Et ita Perſ. Sat. III. 76.

Mænaque quod prima nondum defecerit orca.

Voſſ. Lex. Etymol. Caſaub. in Perſium. Bud. de Aſſe v. p. 607.

Orca fuit vas ficarium. Feſtus: *Orcæ, genus marinæ belluæ maximum, ad cujus ſimilitudinem vaſa quoque ficaria orcæ dicuntur.* Colum. XII. 15. *Nonnulli hanc ipſam formam fici orcis ſine pice includunt.* Plin. XV. 19. *At ubi ficorum copia abundat, implentur orcæ in Aſia.* Voſſ. Lex. Etymol.

Orca fuit vas vinarium. Varr. de Re ruſt. I. 13. *Quod ſæpe, ubi conditum novum vinum, orcæ fervere muſti in Hiſpania ruptæ.* Non. XV. 13. Vopiſc. Aurel. c. 50. *Qui biberet inſu. ubilo appoſito plus orca.* Voſſ. Lex. Etymol. Cenal. de pond. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1474. B. Goeſ. Ind. in rei agrar. auctor. Bud. de Aſſe v. p. 607. Amphora fuit majus, ſed quantum mihi latet. *Lipſ. Epiſt. Miſcell.* 51.

Orca quinetiam fuit dicta machinula in luſu talario, ad præcavendos aleatorum dolos comparata. Perſ. Sat. III. 48.

— quid dexter ſenio ferret
Scire erat in voto: damnoſa canicula quantum
Raderet, anguſtæ collo non fallier orcæ.

Nam ridiculi ſunt, qui vas fictile ſomniant, in quod inter ludentes pueros qui nucem injeciſſet, victor erat. Autumnus huc reſpicit ad Juven. Sat. XIV. Nam adducto illo Mart. IV. 14. 8.

Incertis ſonat hinc, & hinc fritillis.

ſtatim ſubjicit: pueri vas in terram figebant, & in illud nuces jaciebant. Nugæ. Nuſquam hoc lectum. Et ſi ſit; non hoc vult Perſius. pyrgum dicit lata alvo, anguſto ore, atque collo longiore, in quem tali, teſſeræve conjicerentur. Hic inſtar *orcæ*, ſive urnæ fuit. Pompon. apud Priſcian. III. 9.

Interim dum contemplor orcam, taxillos perdidi.

Souter. de Aleat. I. 3. Calcagn. de talor. lud. c. 1. Voſſ. Lex. Etymol. Beroal. Annot. c. 21. Caſaub. in Perſium. Tomaſin. de Teſſ. hoſpital. c. 16.

ORCHESTRA *erat pulpitum ſcenæ, ubi ſaltator agere poſſet, aut duo inter ſe diſputare. Ibi enim poetæ, comœdi, & tragœdi ad certamen conſcendebant, iiſque canentibus alii geſtus edebant.* Iſidor. XVIII. 44. Suidas: *Orcheſtra eſt locus ex tabulatis ſolum habens, in quo mimi agunt.* Vitruv. v. 7. *eſt inter gradus imos.* v. 6. In illa erant loca ſenatorum ſedibus deſignata. Et ita Cicer. de Prov. conſ. c. 6. *Conſul Piſo nunc in orcheſtra helluatur.* Altitudo non fuit plus pedum quinque, ut qui in *orcheſtra* ſederint, ſpectare potuerint omnium agentium geſtus. Ampliorem habuerunt Græci *orcheſtram*, & ſcenam receſſiorem, minoreque latitudine pulpitum, quod logeum appellant. Ideoque apud eos tragici, & comici actores in ſcena peragunt, reliqui autem artifices ſuas per *orcheſtram* præſtant actiones. Romæ tamen ipſi etiam planipedes in *orcheſtram* deſcendebant, ſi Feſto fides. *Orcheſtra*, inquit ille, *eſt locus in ſcena, quo antea, qui nunc planipedes, non admittebantur hiſtriones, ſed tantum interim, dum fabulæ explicarentur, quæ ſine iis expediri non poterant.* In Græcia lineæ ducebantur in *Orcheſtra*, ut chorus ordine ſtaret. Heſychius. Græci tripodes Baccho ſacros in *orcheſtra* poſuere, ubi ſtaret chorus. Ariſtid. Orat. de concord. ad Rhod. *Aſpicite hos tripodas Libero ſacros, omnino gaudentis eos aſpicientes. An vobis illi conſtitui poſſe videntur, ſi chori inter ſe pugnent?* Cavebant, ne *orcheſtris* ſcobs, aut arena ſuperjiceretur, quod ea ſuperjecta vox devoraretur. Plin. XI. 51. *In theatrorum orcheſtris ſcobe, aut arena ſuperjecta devoratur, & in rudi parietum circumjectu doliis etiam inanibus: currit eadem concavo, vel recto parietum ſpatio.* Buleng. de Theat. I. 27. Lipſ. de Amphith. c. 14. Philand. in Vitruv. v. 7. Bald. Lex. Vitruv. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 5. Pith. Adv. Subc. II. 17. Thyſ. de Amphith. p. 205. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. v. 10. Scalig. Poet. I. 18. & 21. Caſal. de Tragœd. & comœd. c. 1.

Orcheſtra etiam, ſive, ut quidam nominant, tabulatum in ſcholis, & profeſſorum cœtibus fuit, & in eo cathedræ honeſtiores, tum ipſius ſedes oratoris. Rem delineavit in theatro poetico exædificando Juven. Sat. VII. 45.

Nemo dabit Regum, quanti ſubſellia conſtent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris.

Ubi Scholiaſtes: *Orcheſtra ſpatium in theatro dicitur, quod pantomimo ſaltanti vacat: ejuſmodi autem & poeta eligit, in quo ſtans recitet ante tabulata.* Ita hæc emendamus, etſi non approbamus. Et ſedit profecto, non ſtetit poeta, atque adeo in pulvino. Perſ. Sat. I. 17.

Sede leges celſa.

Juvenalis mentem fuiſſe arbitror, ſubſellia, anabathra, & in fronte ante ipſum recitatorem *orcheſtram* fuiſſe, plane ut in theatris: ubi inferiore, & primore illa parte primores, & ſenatores ſedebant. Itaque hic cathedræ aliquæ diſpoſitæ honeſtioribus, extra auditorum plebem. De ſe recitaturo Plin. Epiſt. VIII. 21. 2. *Poſitis ante lectos cathedris, amicos collocavi. Reportandas cathedras* Satyricus dixit: vel quia uſurariæ, vel quia conductæ: vel denique ab ſuis locis huc collatæ. *Lipſ. Epiſt. ad Belg.* II. 48. *Creſol. Theat. Rhetor.* III. 13. *Voſſ. de Imitat.* c. 7. *Chimentel. de Honor. biſell.* c. 23.

ORCINI liberti. V. illos ſupr. in *Liberti.*

Orcini ſenatores. V. illos infr. in *Senatores.*

ORCUS peregrinus dicitur in antiquo lapide, qui legitur Neapoli:

D. M
TERTIO. FRATRI
SOROR
BENEMERENTI
FECIT
VIXIT. ANNIS. PLUS
MINUS. XXXI
ORCO. PEREGRINO

Scaliger inter deos retulit in indice Inſcriptionum, quo deorum nomina continentur. *Orcum* pro deo habitum docet Feſtus: *Orcum ait Verrius dictum Uragum, quod & U literæ ſonum pro O efferebant, & per C. literæ ſonum nihilominus uſurpabant, ſed nihil adfert exemplorum, ut ita eſſe credamus: niſi quod is deus nos maxime urgeat.* Templum etiam ejus Romæ fuit. V. infr. in *Templum.* Inter ſelectos deos habitum ex Varrone oſtendit Auguſtinus. Porro dii peregrini dicebantur, quos ex aliarum gentium inſtitutis amplectebantur Romani. V. illos ſupr. in *Dii.* Sed *orcus* hoc modo *peregrinus* dici neutiquam poteſt. An ideo ſic appellatus, quia extra cœlum & terras regnum eſſe cenſeretur? An vero, quia mortis auctor eſt & præſtes? Per eam autem homines defuncti ex hac luce in alia, & peregrina loca deferuntur. Sed aliud quid latet. Per *Orcum peregrinum* alienum ſepulcrum puto denotari. Sepulcra enim erant trium generum. I. Communia, in quibus promiſcue multi ex plebe condebantur. Neque enim unicuique ex populo ſepulcrum ſuum erat. Quanquam non ignorem communia etiam dici, quæ tantum ad omnes ejuſdem ſtirpis ſpectabant. II. Propria, quæ quis aut ſibi, aut familiæ toti, aut quibuſdam ex ea exſtruxit. Quo faciunt infinitæ formulæ in Romanorum monumentis, quibus diſer-

tim cavetur, ne cui alteri liceat inferre cadaver. Libenter enim inter ſuos ſuorum tantummodo cineribus volebant admiſceri. III. Peregrina, in quibus aut honoris, aut amicitiæ, aut neceſſitatis cauſa alii non ejusdem familiæ ſepeliebantur, quorum reſpectu peregrina dicuntur. Ita Ennius impoſitus ſepulcro Scipionum, ut Liv. xxxviii. 56. Cicer. pro Arch. c. 9. aliique prodidere. Sic Servator noſter Chriſtus in Joſephi ab Arimathia ſepulcrum eſt delatus. *Orcum* autem pro ſepulcro poni non eſt novum. Narbonæ in veteri epitaphio:

Orbem ſub legem ſi habeas, dum vivis, ad orcum
Quid vales? hic nulla eſt divitis ambitio.

Feſtus quietalem *orcum* antiquitus vocatum notat. Quieſcere autem de illis dicitur, qui in ſepulcris. Nec aliter Hebræi una, eademque voce שאול ſepulcrum, & infernum notant, *Boxhorn. Quæſt. Rom.* 10.

ORD.

ORDINARIUS proprie eſt *ordinum* ductor. Ταξίαρχον Græci vocant. *Ordinarium manipularem eum, qui infimi eſſet ordinis, appellatum credidiſſe quosdam* ſcribit Feſtus. *Ordinarius* etiam dicebatur, qui in *ordine* merebat, miles gregarius. Cato in ea contra Thermum, quam de ſuis virtutibus ſcripſerat: *quid mihi fieret, ſi non ego ſtipendia in ordine omnia ordinarius meruiſſem ſemper?* Frontin. Stratag. iv. 1. *Q. Metellus coſ. quamvis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere.* Militem in legione idem vocat paullo poſt eum qui in *ordine* merebat: *L. Rutilius coſ. cum ſecundum leges in contubernio filium poſſet habere, in legione militem fecit.* An *ordinarii* hoc ſenſu accipiendi pro militibus legionariis, & iis, qui in *ordine* merebant? Inter iſtos *ordinarios* in militia legionaria ſtipendia prima Bonoſo fuere, deinde inter equites militavit apud Vopiſc. Bonoſ. c. 14. *Ordinarii* aliter ſumuntur apud Vegetium: nam dictos fuiſſe vult, qui prima in acie pugnarent, primosque in prælio ducebant *ordines*, & eos eſſe qui antea principes vocabantur ii. 15. *Sed ante ſigna, & circa ſigna, nec non etiam in prima acie dimicantes, principes vocabantur, hoc eſt, ordinarii, cæterique principales.* Olim, & libera Republica ſic acies ordinabantur, ut primi haſtati pugnarent, deinde principes, poſtremo loco triarii. Verum mutata poſtea ferme in totum militiæ ratione, principes dicti ſunt, qui in prima acie pugnam capeſſerent, quo nomine primi *ordines*, vel primorum *ordinum* ductores, hoc eſt, *ordinarii* intelligebantur. Quinam principes vocarentur, alio loco oſtendit Vegetius: *Inſtructionis lex eſt, ut in primo ordine exercitati, & veteres milites collocentur, quos antea principes vocabant.* Atque hi ſunt principes, quos *ordinarios* ſupra appellavit, veteres nempe, & exercitati milites, qui in prælio, quia primi erant, primos *ordines* ducebant. Vix dubitem *ordinarios* iſtos fuiſſe, qui ante evocati dicebantur: milites erant veteres, & qui e militia jam exierant, ſed ad eam ſponte revocabantur, *ordinum* & præmiorum ſpe. Ταξίαρχοι, *ordinarii* in gloſſis exponuntur. Eædem & evocatum ταξίαρχον interpretantur. *Ordinarios* a centurionibus ſeparat Capitol. in Clod. Albin. c. 11. *Sæpe ordinarios & centuriones, ubi cauſæ qualitas non poſtulabat, in crucem ſuſtulit.* Et evocati ſeparantur a centurionibus. Cæſ. de Bell. Civ. i. 17. *Et pro rata parte centurionibus, evocatisque.* iii. 53. *Ex Pompejanis cecidiſſe reperiebamus centuriones, & evocatos complures.* *Ordinarios* etiam diſtinguit Vegetius a centurionibus. Centuriones non erant iſti evocati, ſed pro centurionibus, & vitem centurionum inſigne geſtabant. Hi *ordinarii* certo numero in legione militabant, & *ordinarii legionis* dicebantur. Mentio in veteribus ſaxis *ordinariorum legionis.* Veget. ii. 7. *Ordinarii dicuntur, qui in prælio, quia primi ſunt, primos ordines ducunt. Auguſtales appellantur, qui ab Auguſto ordinariis juncti ſunt.* Auguſtales illos ab Auguſto *ordinariis* junctos puto eosdem eſſe, qui evocati Auguſti paſſim vocantur in veterum libris, & antiquis ſaxeis monumentis. Evocati itaque *ordinarii* a centurionibus ſeparantur: centuriones enim non erant, ſed cum præliandum eſſet, & ad manus veniendum, cum acies ordinabantur, *ordines* ducendos accipiebant. Hinc *ordinarios* interpretatur Vegetius, qui *in prælio primos ordines ducebant*: extra prælium igitur non ducebant. Quod obſervandum eſt. Atque hanc cauſam eſſe puto diſcriminis, & differentiæ, quam ſtatuunt auctores inter *ordinarios*, ſive *ordinum* ductores, & centuriones. Capitol. in Maximin. c. 4. *Hic diu ſub Caracalla ordines duxit, centurias, & cæteras militares dignitates ſæpe tractavit.* Salmaſ. in Vopiſcum: de Re milit. Roman. c. 6. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 20.

Ordinarius præſes. V. illum infr. in *Præſes.*

Ordinarius pugil. V. illum infr. in *Pugil.*

Ordinarius ſervus. V. illum infr. in *Servus.*

ORDINATIO eſt ratio, qua in acie *ordinandi* diſponitur legio per majora, aut minora corpora, quæ totidem ſunt veluti partes, ac membra totius *ordinationis*. *Ordinatio* ea τάξις, vel ἔνταξις Græce dicitur. Polybiana legio per minora corpora *ordinabatur*, ut erant manipuli, ex peditibus centum & viginti. Legio Cæſariana per cohortes inſtruebatur, quæ corpora fuerunt ſexcentorum militum. Unde de acie, qualis tunc temporis *ordinabatur*, Virg. Georg. ii. 279.

Ut ſæpe ingenti bello, cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo ſtetit agmen aperto,
Directæque acies.

Præterea etiam hæc differentia extitit, quod in *ordinatione* legionis priſcæ intervalla relinquebantur inter ordines, ſive manipulos, qui *ordinabantur*. In nova dum *ordinaretur*, nihil tale fieri ſolitum, ſed *per confertas cohortes*, ut loquitur Livius, hoc eſt, invicem junctas, & nullis intervallis hiantes, inſtituebatur. Triplex enim acies erat pro triplici genere militum, quo legiones diſtinguebantur, n. haſtatorum, principum, triariorum. Acies illæ invicem ſibi ſuccidaneæ diſponebantur, & altera alteram ſequebatur, nec omnes uno eodemque tempore pugnabant. Secunda erat ſubſidiaria primæ, tertia ſecundæ. Ideo intervalla relinquebantur inter ordines cujusque aciei. V. ſupr. in *Intervalla.* Veterem hunc præliorum morem deſcribit Livius ſupr. in *Acies* laudatus. *Salmaſ. de Re milit. Rom. c.* 3. *Ordinationis* hujus *ordo* conſiſtit in locatione *ordinum* ipſorum. Ut in omni *ordine*, ſive *ordinatione* alii primi ſunt, alii extremi, alii medii, quibus *ordo* totus conſtituitur, ita & in *ordinandis* peditibus, equitibusque alii anteponebantur, alii poſtponebantur: alii primam aciem conſtituebant, alii poſtremam, alii mediam. Prior aciem per majora, aut minora corpora, per cohortes puta, aut manipulos inſtruit. Hic ſpectat locationem ipſam militum in principiis, aut poſtprincipiis, ut anteſignani erant, & poſtſignani. V. illos ſuis locis. *Salmaſ. ibid. c.* 4.

ORDO differt a collegio, corpore, & ſodalitio. *Ordo* enim dignitatem, vel artem plurimum deſignat, ut equeſter, ſenatorius, qui ampliſſimus; publicanorum & mancipum. Collegium tres faciunt. Corpus eſt συναρχία. Sodalitas ἑταιρεία. *Guther. de vet. jur. pontif.* i. 3. *Laz. Comm. Reip. Rom.* iii. 1.

Ordo civium Romanorum triplex, ſenatorius maximus, equeſtris huic dignitate proximus, & plebejus infimus, nihil aliud fuit, quam illorum in tres gradus diſtinctio. *Zamoſc. de Senat. Rom.* i. 2. Hos tres fuiſſe teſtes ſunt Cicer. Orat. in tog. cand. apud Aſcon. p. 149. *A quibus conſulatum petis? a ſenatoribus, qui te auctoritate ſua ſpoliatum ornamentis omnibus vinctum pæne Africanis oratoribus tradiderunt? ab equeſtri ordine, quem trucidaſti? a plebe, cui ſpectaculum ejusmodi tua crudelitas præbuit.* Val. Max. iii. 7. 1. *Scipio ſenatum totum, & univerſum equeſtrem ordinem, & cunctam plebem comitem habuit.* Paterc. ii. 3. 2. *Tum ſenatus, atque equeſtris ordinis pars melior, & intacta pernicioſis conſiliis plebs in Gracchum irruere.* Auſon. Eidyll. xi. 78.

Martia Roma triplex: equitatu, plebe, ſenatu.

Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. ii. 1. Ut in hos honoris

causa referebantur, sic ignominiæ causa ex illis a censoribus cives pellebantur. V. supr. in *Censoria notatio.* Horum jura quærere nihil aliud est, quam jura civium, quatenus in ordines distributi sunt, indagare. Hæc vero fortasse plura fuerunt, sed maxime duo excelluerunt, quorum alterum judiciorum attingit, spectacula alterum. Etenim, ut omnes cives sedes in theatro spectandorum ludorum causa habuerunt, sic omnes etiam & privatas, & publicas causas judicarunt. *Sigon. ibid. c.* 17.

Ordo decurionum significabat collegium ipsum, & curiam; hinc *in ordinem regredi* habetur l. 15. ff. ad municip. & de incol. *ab ordine removeri, & in ordinem restitui* dicitur l. 2. ff. de decurion. & *in ordinem allegi*, ut l. 13. ff. eod. ergo in *ordinem* decurionum regredi, restitui, allegi, vel ab *ordine* decurionum removeri. Sic *ordines* Dertosanorum, Barcinonensium, Clusinorum, & similium erant ordines *decurionum* illarum urbium. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 888. *A.*

Ordo in militia significat I. manipulum. II. seriem manipulorum per frontem, sive secundum longitudinem collocatorum. III. seriem manipulorum secundum latitudinem, sive profunditatem dispositorum. IV. Corpus quoddam militum quocunque modo ordinatorum. Prima significatione legitur apud Liv. VIII. 8. *Postremo in plures ordines instruebatur.* Latini initio aciem suam in modum phalangis instruxerant; postea stipendiarii Romanorum facti, eam manipulatim dispositam, certis intervallis in fronte discreverunt, ita, ut *ordines*, spatio illo intercedente, distincti a se, & separati conspicerentur. Livii verba duplicem sensum recipiunt. Vel in plures ordines per frontem, id est, in plures manipulos, quod idem foret quod manipulatim; cumque sensum juvat, quod sequitur: *ordo habebat sexagenos milites*, id est, manipulos: vel in plures manipulorum *ordines*, non per frontem, sive secundum longitudinem collocatorum, quoniam hac ratione unus tantum efficeretur *ordo*; sed secundum altitudinem, ita ut alter alterum a tergo exciperet. Cui interpretationi favere videntur ea, quæ sequuntur: *prima acies hastati erant.* Et hactenus uterque sensus verbis Livii convenit; quoniam, sive ea de fronte, sive de altitudine aciei accipienda putes, utrobique erant plures *ordines*: illic quidem plures manipuli, qui & singuli dicuntur *ordines*, hic vero plures *ordines* manipulorum. *Patric. de Re milit. Rom. part.* IV. *sect.* 2. *Ordinem ducere* est militibus præesse. Cicer. Phil. I. 8. *Viri fortissimi, atque honestissimi, qui ordines duxerunt.* non tamen esse centurionem tempore certe Capitolini, qui inter *ordinem*, & centuriatum distinguit Maximin. c. 4. *Sub Antonino Caracallo ordines duxit, centuriatus tractavit.* Major videtur fuisse dignitas centurionis quam ejus qui *ordines* duceret. Ita in veteri inscriptione quoque centurio alias est ab *ordinum* ductore:

SERGIUS. TERENTIUS
CENTUR. EMER. VIX. A. LXX
ORDIN. DUX. SUB
L. POSTUMIO. MODES
TINA., MARITO
MERENTISSIMO

Manipuli enim *ordinis* ductor, centuriæ centurio præerat. *Salmas. in Capitolinum.* Hos Imperatores assignabant. Liv. XLII. 33. *Deprecatus est, ne prohiberent consulem, quem cuique ordinem assignari e Republica esset, eum assignare.* c. 34. *In eo exercitu miles gregarius biennium fui adversus Philippum Regem: tertio anno virtutis causa mihi T. Quintius Flamininus decimum ordinem hastatum assignavit.* . . . . Cum autem *ordines* ab Imperatoribus assignatos legimus, sane per tribunos militares assignatos intelligere debemus. Livius enim l. l. *Ordinem quo me dignum judicent tribuni militum, ipsorum potestatis est.* Et c. 35. *Tribuni militares in legione prima primum pilum virtutis causa ei assignarunt.* Sigon. de Ant. jur. prov. II. 2. *Ordinum* intervalla in acie V. supr. in *Intervalli.*

Ordo remorum distinctus est a versu, si non vocabulo, re saltem ipsa. Et certe versus proprie significare videntur series istas remigantium, ἰλάσίας: quæ cum sint duplices, etiam versus fuisse duplices, & dici posse consentaneum: dextros nempe, & sinistros. *Ordines* vero non tam significare videntur, quod dextrum est, aut sinistrum, quam quod superius, aut inferius, ut potius sint σοῖχοι, οἱ ἐπ' ἀλλήλοις, ut vocat Scholiastes vetus Æliāno subjectus. Sic distinguere videtur, ubi de triremi loquitur, Virg. Æneid. V. 119.

— triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Habebat ergo quisque *ordo* versus duos, dextrum, & sinistrum: navis vero tot *ordines*: quadriremis puta, quatuor: quinqueremis quinque. Ita ut triremis tres quidem haberet *ordines*, sed sex versus: quinqueremis quinque *ordines*, sed decem versus. *Scheffer. de Milit. Nav.* I. 6. Reperiuntur, qui illos in longum, id est, a prora in puppim: alii, qui in altum, hoc est, a carina in catastroma: rursum alii, qui in transversum, id est, in puppi prope catastroma, in prora proxime carinam, aut contra, intelligi oportere contendunt. Singulorum opiniones fusius, quam ut hisce inseri potuerint, examinat *Scheffer. ibid.* II. 2. V. etiam *Kipping. Dissert. de Expedit. marit.* §. 4.

Ordo rerum judicandarum. V. illum infr. in *Prætor.*

Ordo sedendi in senatu. V. illum infr. in *Senatores.*

ORE.

OREA est ferrum, quod primis temporibus inferebatur ori equorum. Cælius apud Festum: *Equus mihi sub feminibus occisus erat, oreas detraho.* Dicit *detraho*, quia lora ad caput erant revinctæ, quæ proinde juncta hic cum ferramento per *oreas* intellexit. Alias *oreæ* proprie sola illa ferramenta, quæ inferebant *ori*, sic ab *ore* dicta. Ideo Cato Orig. III. apud Festum: *Equus respondit, oreas mihi inde.* Facio *indi*, id est, inseri, immitti, sine dubio respectu *oris*. Græci στόμια vocarunt. Pollux II. 4. *Stomium, seu orea pars est freni*, χαλινῦ τι μέρ☉. Χαλινὸς ferramentum totum, quod inferebatur *ori* equi, στόμιον pars ea, quam apprehendebat, vel mordebat *ore. Scheffer. de Re vehic.* I. 13. *Voss. Lex. Etymol.*

ORESTES fuit cognomen Aureliæ gentis. I. L. *Orestes* L. F. L. N. fuit consul cum Sex: Julio Cæsare an. 596. II. consul fuit cum Mam. Æmilio Lepido an. 627. Superioris fuit filius, triumphavit proconsul ex Sardinia VI. Id. Decemb. post triennium. III. superioris filius in consulatu collega fuit C. Marii III. cos. & in eo magistratu mortuus est an. 650. *August. de Famil. Rom. in Aurelia.*

ORG.

ORGANUM *est vocabulum generale vasorum omnium musicorum. Hoc autem, cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant: ut autem organum dicatur, magis ea vulgaris est consuetudo Græcorum.* Isidor. III. 20. Et ad hanc Isidori regulam *organicos* citharoedos vocat Lucret. II. 412. *organa* citharas Juven. Sat. VI. 412. *Pignor. de Serv. p.* 175.

Organum hydraulicum. V. supr. in *Hydraulica.*

Organa habuerunt etiam veteres, quæ vento animata exprimebant concentum, quoties digitis attingerentur regulæ cum tibiis concinentes, de quibus extat Epigramma Juliani desertoris Anthol. I. 86. 8.

Variam arundinum video naturam: an in alio
Æreo forte magis germinarunt agro
Agrestes, neque spiritu nostro incitantur:
Sed ex bubulo erumpens folle ventus
Subter bene foratorum calamorum sub radicem intrat.
Et aliquis vir egregius habens veloces digitos manus,
Stat undique tangens tabulas concordes tibiarum:
Hæ vero molliter saltantes exprimunt cantilenam.

Organa illa ætate Juliani primum nata sunt qui velint. Horum

rum uſus hodie ubique fere viget. *Barthol. de Tib. vet.* III. 7. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* II. 19.

ORGIA fuerunt ſacra in honorem cum aliorum deorum, tum in primis Bacchi celebrari ſolita. Serv. Æneid. IV. 312. *Sciendum Orgia apud Græcos dici ſacra omnia, ſicut apud Latinos ceremonia dicuntur. Sed jam ſacra Liberi orgia vocant, Myſteria* explicavit Etymologici auctor. Ad quem ſenſum Catull. LXIV. 259.

Pars obſcœna cavis celebrabant Orgia ciſtis,
Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.

Hæc primus cecinit Orpheus. Clem. Alex. Admon. ad Gent. p. 48. B. *Thracius ſacrorum ſimul interpres, & poeta Oeagri filius Orpheus, poſteaquam Orgiorum ſacra fuit enarratus, & ſimulacrorum expoſuit theologiam, veritatis induxit recantationem.* Conſtabant quibusdam arcanis, ſerpentibus, atque aliis, quæ præter eos, qui illis initiati erant, videre nemo audebat, quin imo, quid ſignificarent, præter eosdem omnibus ignotum erat. Oppian. Cyneg. IV. 246.

— *Prima exhibuerunt*
Orgia occultam circa arcam: cumque his ſane
Bœoticæ clam ſacra attingebant feminæ.

Celebratiſſima fuerunt, quæ Baccho frequentabantur. Stat. Achill. I. 593.

Lucus Agenorei ſublimis ad Orgia Bacchi
Stabat, & admiſſum cœlo nemus.

II. 137.

— *quid ſi Bacchæa ferentes*
Orgia, Palladias aut circum viderit aras?

Clem. Alex. Pædag. II. 8. *Qui enim bacchantur, nec abſque coronis Orgia ſua celebrant.* Præcipuo in honore ejus erant ejus trieterica, dicta, quia tertio quoque anno celebrabantur, inſtituta in memoriam triennalis expeditionis, quam in Indiam Bacchus ſuſceperit. Ovid. Rem. Amor. n. 593.

Ibat, ut Edono referens trieterica Baccho
Ire ſolet fuſis barbara turba comis.

Virg. Æneid. IV. 312.

— *ubi audito ſtimulant trieterica Baccho*
Orgia.

Lampe de Cymb. vet. III. 9. Vives in Auguſt. de Civit. Dei VII. 20. Voſſ. de Idolol. IX. 29. Stuck. de Conviv. I. 33. Saubert. de Sacrif. c. 17. Hoſpin. de Orig. Feſt. II. 13. Rittershuſ. in Oppianum. Barthol. de Tib. II. 10. Paſchal. de Coron. I. 17. Ruben. de numm. Aſia recept. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1372. E. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 484. D. Ortel. Deor. & dear. cap. II. fig. 31. Caſtellan. de Feſt. Græcor. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 640. E. 643. C. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 22. Delrio in Senec. Hercul. Oet. n. 594.

ORI.

ORIA, vel, ut alii, *orea*, eſt genus naviculæ, quo ob parvitatem alto ſe committere non audebant. Fulgent. Expoſ. ſerm. ant. §. 15. *Oriam dicunt navicellam modicam piſcatoriam. Plautus Caciſto:*

— *malo hunc alligari ad oriam,*
Ut ſemper piſcetur, etſi ſit tempeſtas maxima.

Voſſ. Lex. Etymol.

ORICHALCUM nonnulli ſcribunt per diphthongum *au*, quia ex auro & ære, quod Græce eſt χαλκὸς, conflatum eſſe putant. Feſtus: *Aurichalcum quidam putant compoſitum ex ære, & auro, ſive quod colorem habeat aureum.* Serv. Æneid. XII. 87. *Inter quæ*, metalla, *aurichalcum pretioſius viſum eſt, quod & ſplendorem auri, & duritiem æris poſſideat.* Sed ab aureo dici colore, nugæ ſunt. Metalli verum nomen eſt *orichalcum*, ut Græcis ὀρείχαλκος, id eſt, *æs montanum.* Quod illi nomen veteres videntur indidiſſe, quia vetus erat fabula, e ſylveſtris montibus incendio conceptis præſtantiſſima metalla defluxiſſe. Senec. Epiſt. 90. *Ferri*, malim *auri metalla & æris invenerunt; cum incendio ſylvarum aduſta tellus in ſummo venas jacentes liquefacta fudiſſet.* Serv. Æneid. XII. 87. *Lucretius dicit, cum primum homines ſylvas incendiſſent, nullarum adhuc rerum periti, terra ipſa fertilis omnium ex incendii calore deſudavit metalla, inter quæ orichalcum.* Qui ab aureo colore dictum putarunt, hoc nomine deſignarunt vulgare illud æs, quod cum natura ſit rubrum, admixta cadmia flaveſcit. Feſtus: *Cadmia terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat aurichalcum.* Proinde auro opponi tanquam multo vilius. Suet. Vit. c. 5. n. 3. *Pro auro, & argento ſtannum, & aurichalcum ſuppoſuiſſe.* L. Labeo 45. ff. de contrah. empt. *Si vas aurichalcum pro auro vendidiſſet ignorans, tenetur, ut aurum, quod vendidit, præſtet.* At aliud fuiſſe ære longe pretioſius, nec multum infra auri pretium res ipſa clamat. Nam apud Plat. Crit. p. 1104. legimus, Atlantidem inſulam, inter cætera metalla, prodidiſſe nunc ſolo nomine notum orichalcum, tum autem metalli genus celeberrimum, & omnium, excepto auro, pretioſiſſimum, quod ibi e terra multis locis effodiebatur.* Inde apud veteres poetas inter præcipua ornamenta cum auro ſæpe nominatur. Sic Horæ Veneri ponunt apud Homer. Hymn. v. 8.

— *in auriculis perforatis*
Donum, inaures, *ex orichalco, & auro pretioſo.*

Turnus apud Virg. Æneid. XII. 87.

— *auro ſqualentem, alboque orichalco*
Circumdat loricam humeris.

Plauto *aurichalco contra* fere idem eſt, quod aliis *auro contra.* Mil. III. 1. 64.

Cedo mihi tres homines aurichalco contra cum iſtis moribus.

Eſt tam rarum inventu nativum, ut Plato modo deſcripſerit *ſolo nomine notum.* Et an vere extet, aut vero unquam extiterit, jam inde ab Ariſtotele controverſia fuerit inter ſcriptores. Schol. Apollon. IV. 973. *Ariſtoteles in myſteriis hujus æris, neque nomen, neque ſpeciem extare. Alii nominari quidem arbitrantur, ſed non extare. Sed hoc ex illorum eſt numero, quæ temere creduntur. Illud enim extare aſſerunt curioſiores.* Bochart. Hieroz. II. 6. 16. Savot. de Numm. antiq. II. 16. Rhodig. Ant. Lect. XIX. 9. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 40. & ad illum Salmuth.

ORIENS fuit plaga veteribus, ubi ſol oritur, a Tigri fluvio uſque ad Cyprum, & Thracias verſus occidentem, & a ponto ſeptentrionali uſque ad Arabiam verſus meridiem, totamque eam regionem olim Syriam dictam auctor eſt Plin. V. 12. quam *terrarum maximam* appellat. De *oriente* Ammian. XIV. 8. *Orientis vero limes in longum porrectus, & rectum ab Euphratis fluminis ripis ad uſque ſupercilia porrigitur Nili, læva Saracenis conterminatus gentibus, dextra pelagi fragoribus patens: quam plagam Nicanor Seleucus occupatam auxit mirum in modum, cum poſt Alexandri Macedonis obitum ſucceſſorio jure teneret regna Perſidis.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 105. In Notitia imperii *oriens*, & *occidens* ſeparantur, quia illo tempore duo in his partibus ſinguli Principes imperabant. Hæc diviſio a Probo & Floriano, mox Maximino & Conſtante, Conſtantino atque Galerio originem habuit, qui primi Romani imperii provincias ſunt partiti. Antea enim etſi M. Antoninus cum fratre Vero, & Severus cum Antonino filio ſimul imperaverint, nullam tamen orbis diviſionem fecerunt. Conſtantini quoque M. filii & ipſi Romanum orbem in tres partes diviſerunt. Sed brevi rebus in ſolum Conſtantinum tranſlatis, totum in unum coaluit imperium. Poſtea frater Valentinianus cum fratre Valente *oriente occidenteque* diviſo, hunc ſibi retinuit, illi ſocio imperii facto *orientem* conceſſit, & militum etiam copias cum eo eſt partitus, ut ſcribit Ammian. XXVI. 4. Sed hoc cum liberis extinctis, poſt paucos annos ad ſolum Theodoſium univerſum rediit imperium, qui & ipſe rurſus filiis Arcadio *orientem*, & Honorio occidentem reliquit. Itaque Ægypto, & utraque Libya uſque ad Syrtes majores, & Europa uſque ad Drinonem fluvium Arcadio traditis, ibi utriusque imperii fines fecerunt. Re-

liqua in occidente cum Africa, Hispaniis, & Britannia Honorius obtinuit: cuncta tamen communi nomine, velut unum esset imperium, administrabant. Continuata est hæc divisio usque ad Valentinianum tertium, & Martianum, sub quibus Barbari Britanniis, Hispaniisque prius occupatis, demum Gallias, ac tandem Italiam cum Illyrico & Africa tenuerunt, Occidentisque extinctum est imperium, solum *Orientis*, etsi multis agitatum fluctibus, aliquot seculis incolume permansit. *Panciroll. ibid. p.* 1330.

ORN.

ORNAMENTUM est quod corporis *ornandi*, & venustatis gratia paratur. V. infr. in *Ornamenta muliebria.* Non etiam, quod necessitatis, vel utilitatis causa habetur, adeo ut nec vestis *ornamentum* existimetur. Paull. l. quamvis 26. ff. de aur. arg. mund. *Quamvis quædam ex veste magis ornatus gratia, quam quo corpus tegant, comparentur: tamen quod eo nomine sint reperta, potius habenda esse vestis numero, quam ornamentorum. Similiter ornamentorum esse constat, quibus uti mulieres venustatis, & ornatus causa cœperunt: neque referre, si quædam eorum alium quoque usum præbeant, sicuti mitræ, & anademata: quamvis enim corpus tegant, tamen ornamentorum, non vestis esse. Ornamentum* neque necessitatis, neque cultus gratia est, sed ut *ornatius* sit corpus: unde non solum cultui, & vestitui, verum ipsi quandoque corpori accedit: cujusmodi sunt armillæ, inaures, gemmæ, margaritæ, annuli, vittæ, mitræ... Quibus rebus neque corpus induitur, neque cultum redditur, sed exornatur tantum: adeo etiam ut matrona nuda, quæ corpori vittas, armillas, inaures, gemmasque apposuit, hoc modo *ornata* dici possit. Differt a mundo. V. supr. in *Mundus muliebris.* Goedd. ad l. signatorius 84. n. 3. & 4. ff. de verb. signif. Tempore luctus mulieres deponebant, nec aurum, vel purpuram gestabant. V. supr. in *Aurum.* In rogum conjiciebantur. Qua de re elegans est jocus Scævolæ: *Mulier quædam decedens testamento ita scripserat, funerari arbitrio viri mei volo, & inferri mihi quacunque sepulturæ meæ causa feram ex ornamentis.* Verba sunt testatricis volentis inferri *ornamenta*, quibus culta efferretur mortua. *Morestell. Pomp. Feral.* VII. 2.

Ornamenta ædilitia erant præcipua, scipio eburneus, & sella curulis ex ebore facta. Liv. XXX. 19. *Latum ad populum est, ne C. Servilio fraudi esset, quod patre, qui sella curuli sedisset, vivo, quum id ignoraret, tribunus plebis, atque ædilis plebis fuisset.* Laz. Comment. Reip. IX. 7.

Ornamenta aræ sunt, quicquid majoris cultus gratia circum aras poneretur, fingeretur, pingeretur conveniens tam cujusvis sive divi, sive hominis conditioni, quam ipsius operis generi, rationi, & symmetriæ. In Delphinatu lapis repertus:

ISIDI. MATRI
SEX. CLAUDIUS. VALERIANUS
ARAM
CUM. SUIS. ORNAMENTIS
UT. VOVERAT
D. D.

Reines. Inscript. Class. I. *n.* 105. *&* 223. Et alter Romæ:

SOLI. INVICTO. MITRE
M. ULP. MAXIMUS. PRÆ
POSITUS. TABELLARI
ORUM. ARAM. CUM
SUIS. ORNAMENTIS
ET. BELA. f. TABELLAS DOMINI
INSIGNIA. HABENTES
N. IIII.
UT. VOVERAT. D. D

Ornamenta aræ sunt coronæ lanceæ, quibus cingi solebant, cæteraque quæ ad illius decorem, & sacrificii rationem in ara ipsa erant necessaria. In illis etiam sculpta occurrunt plurima, ut corollæ, genii, gryphi, pegasi, corvi, cantelli, quæ passim in inscriptionibus notantur. *Guther. de vet. jur. pont.* III. 10.

Ornamenta circi fuerunt multa. Testantur cum antiquis lapidibus, nummorum, & gemmarum monumentis veteres auctores, Tertullianus, Cassiodorus, & Isidorus. Quæ aut circi *ornatui*, & necessitati; aut *ornamento*, & religioni simul apposita erant. Prioris generis fuerunt ostia, carceres, alba linea, euripus, funes Hermuli. Illum certatim *exornarunt* Julius Cæsar, Augustus, Tiberius, Domitianus, Trajanus, alii. Posterioris erant sacra. In circi enim *ornamentis*, & ludis, quos vetustas habuit sacros, *magnarum rerum indicia*, ut Cassiod. III. 51. ait, *significationesque claudebantur*: &, ut scribit Isidor. XVII. 29. *veteres circensia ludicra ad mundi causas referentes, ea iis assimilabant, ut hac ratione religionem suam in perpetuum constitutam vulgo exornarent.* Inter sacra *ornamenta* maximum, & admiratione dignissimum fuit Obeliscus major, & minor. Juxta majorem Solis delubrum, & effigies. Ab alio latere Isidis, sive Cybeles deorum matris simulacrum. Ad metas ara Consi, & delubrum Murciæ. Erant ibidem delphinorum septem columnis impositorum in honorem Neptuni simulacra, item columnæ setiæ, metiæ vel messiæ, atque tutellinæ, ova Castoris, oleæ surculus pacem designans, Fortunæ, & Victoriæ simulacra. Demum in antiquis lapideis tabulis aliquot alia *ornamenta*, & signa, aræ, tripodes, & similia conspiciuntur, quorum certam, & exploratam cognitionem adhuc habere non potui. *Panvin. de Lud. circens.* I. 17. V. singula suis locis.

Ornamenta consularia erant fasces, sella eburnea, tunica palmata, trabea inclinante imperio dicta, clavus, atque ensis. Cicer. in Pison. c. 10. *Tu etiam mentionem facies consulatus tui? aut te fuisse Romæ consulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, & prætexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio te consule esse voluisti.* Quibus consulatum veteres dare non poterant, ejus *ornamenta*, quibus illum illi tribuebant honorem, ac si revera consulatum gessissent, domum mittebant. Suet. Jul. c. 76. n. 7. *Decem prætoriis viris consularia ornamenta tribuit.* Tacit. Hist. I. 79. 7. *Fulvius Aurelius, & Julianus Titius, ac Numisius Lupus, legati legionum, consularibus ornamentis donantur.* Laz. Comment. Reip. Rom. IX. 4. Faber. ad tit. II. de Orig. jur. p. 185. Pitisc. in Suetonium. V. & supr. in *Insignia.*

Ornamenta decurionalia in coloniis civibus plebejis optime de patria meritis conferebantur. Inscriptio apud Gruter. p. 372. n. 7.

L. AURELIO. L. L
VICTORI
DOMO. EQUO. AUG. ET
SENIÆ. SACER. PRIM
CORP. AUGUSTALIUM
ORNAT. ORNAM
DECURIONALIB
PLEB. SENIENSIUM
ÆRE. COLLATO

nempe, ut *commodis publicis, ac si decurio frueretur*, ut in lapide Sinuessano dicitur p. 495. n. 3. Ut vero, qui *ornamenta* consularia obtinebat, non dicebatur consul; ita nec in coloniis nuncupabatur decurio, qui *ornamenta* decurionalia ferebat. Hinc in eodem additur: *Titio Chresimo filio ejus ob merita patris honorem decurionatus gratuitum decrevit ordo decurionum.* . . . . Norif. Differt. in Cenot. Pisan. I. 6. Laz. Comment. Reip. Rom. III. 9: IX. 12.

Ornamenta fontium erant simulacra illis apposita. In publicis locis, & nobilium ædibus adhuc plurima cernuntur. Usitatissimum fuit, deos fluminum apponere, qui formantur jacere semierecti, urnisque brachio suppositis amnes tanquam e fonte emittere, velati plerumque serto arundineo, & tecti carbaso umbilico tenus, superiore corporis parte nudi. Talis cernitur in domo Cæsia, talis Arnus in hortis pontificiis, & duo colossi marmorei in area Capitolina Naris & Anienis: vel, ut aliis, Acheloi

loi & Istri. Alter cubito innititur Sphingi monstro, alter tergo animali: barba alter prolixa, alter modice resecta. In domo Chisiorum, extra portam Septimiam, ante deum aquarum, eo modo cubantem, nuda mulier stans, dextramque mamillam manu comprimens, aquam in subjectum labrum immittit. Ad ortum Virginis in agro Lucullano puellæ imago ad fontem stetit, ut Frontinus testatur: in Umbria Clitumnus prætextatus juxta fontem suum, ut junior Plinius: in Surrentino Pollii ante balneum ipse Neptunus, ut Statius. Etiam nymphæ dormientes reperiebantur. V. illas supr. in *Nymphæ.* Erant & alia simulacra. Interdum totus aliquis fons absorbebatur, quem deus marinus ore excipiebat. Propert. II. 23. 49.

Et leviter lymphis tota crepitantibus Urbe,
Cum subito Triton ore recondit aquam.

Nonnunquam rursus evomebatur, vel per majores, minoresque canales, Nilum & Europam, vel per conchas, certave vasorum genera. De silano Lucret. VI. 1263.

Corpora silanos ad aquarum strata jacebant.

De cantharo vetus lapis, extra portam Ostiensem repertus in vinetis! cum hoc disticho:

Perdiderat laticum longæva injuria cursus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15.

Ornamenta gladiatorum sunt illorum arma. Senec. Natur. Quæst. IV. præf. *Sic ergo formare ut scias te non posse consequi ut sis impenetrabilis: cum omnia caveris, per ornamenta feriet.* Honestissime, a re gladiatoria, id est, per ipsa arma. Epist. 14. *Ars ei constat, qui per ornamenta percussus est.* Gladios ipsos *ornamenta* vocat Suet. Tit. c. 9. n. 3. *Insequenti die gladiatorum spectaculo, circa se ex industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit.* Quæ *ornamenta* Suetonius, *gladios* vocat Vict. Epit. c. 10. n. 10. *Ornare* est enim armare. Tacit. Hist. III. 63. 2. *Flavianus exercitus, ut ad prælium intentus, ornatusque adstiterat.* Cicer. Cæcinn. c. 21. *Armatos, si Latine loqui volumus, quos appellare vere possumus? opinor eos, qui scutis, telisque parati, ornatique sunt.* Et ad hunc modum de gladiatoribus Festus: *Ornatus dicitur bene aptus, ut miles, aut gladiator, aut acturus fabulas.* Lips. Saturn. II. 17. Epist. Quæst. II. 10. Salmas. Exerc. Plin. p. 26. b. A. Schott. Observ. V. 4. Gruter. in Senecam. Thys. de Gladiat. p. 229.

Ornamenta imaginum dicuntur, quicquid majoris cultus gratia circum imagines poneretur, fingeretur, pingeretur conveniens tam cujusvis, sive divi, sive hominis conditioni, quam ipsius operis generi, rationi, & symmetriæ: item antepagmenta, sive lignea operimenta antarum, & capitum in trabibus, & arrectaria superius limen sustinentia, crepidines, & alia membra ostiorum, quæ transversa, & directa circa antepagmenta currunt. Romæ effossa tabula:

NUMINI. DOMUS. AUGUSTÆ ET
SANCTI SILVANI SALUTARIS SA
CRUM IMP. CÆS. NERVÆ TRAJA
NI OPTIMI PRINC. GERM. DAC
IMAGINES ARGENT. PARASTATI
CAS CUM SUIS ORNAMENTIS. ET
REGULIS ET BASIBUS ET CONCA
MERATIONE FERREA C. JULIUS
NYMPHIUS DEC. ANNALIS SUA PE
CUNIA PONENDAS CURAVIT.

Reinef. Inscript. Class. I. n. 105.

Ornamenta Imperatoria fuerunt insignia principatus. Lamprid. Alex. Sev. c. 48. Ovinium Camillum *participem imperii appellavit: ornamentis imperialibus, & melioribus, quam ipse utebatur, auxit.* Præcipua erant ignis prælatus, diadema, purpura, fasces, sella, imagines inter signa, acclamatio, & præcentio. *Laz. Comment. Reip. Rom.* IX. 2.

Ornamenta lectorum sunt erones, storeæ, tapetes avibus intextis, στρωθωτὰ ἐλίγματα, ζωωτὰ, ἱμπετάσματα πυργωτὰ, vel περιστρώματα, quæ tunices pictura, vel textura repræsentant, & quicquid insternendi, aut incubandi causa paratur. *Buleng. de Conviv.* I. 35. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 34.

Ornamenta mamillarum sunt gemmæ, quibus *ornantur.* Paull. l. 32. §. 9. ff. de aur. arg. *Legavit quædam ornamentum mamillarum ex cylindris triginta quatuor, & tympanis margaritis triginta quatuor.* Et hoc *ornamentum*, ob quod Messalina, scortum nobile apud Juven. Sat. VI. 122.

— nuda papillis
Constitit auratis.

Non aliæ *auratæ papillæ*, quam *ornamento* istiusmodi mamillarum, cujus Paullus mentionem fecit, decoratæ, quod etiam ex auro, gemmisque fuit. *Scheffer. de Torquib.* c. 10.

Ornamenta mulierum. V. illa supr. in *Mundus muliebris.*

Ornamenta præsidialia, quæ & præfectoria nuncupabantur, initio imperii perpetua non erant, sed successorem patiebantur, posterius vero, abusu in rebus quotidie increscente, in titulum abierunt. Unde est illud Ulpian. l. 2. ff. de senator. *Consularis feminæ utique consularem virum præferendum esse, nemo ambigit: sed vir præfectorius an feminæ consulari præferatur, videndum est.* Erant omnia ei, quibus illi uti solebant, qui nomine Augustorum provincias administrabant, hoc est ex vestimentis, paludamentum, latus clavus, & tiaræ, quibus caput tegebatur: ex cæteris vero sella curulis, vehicula publica, & jumenta publica. *Laz. Comment. Rep. Rom.* IX. 9.

Ornamenta prætoria ob jurisdictionis majestatem, & honorem, fere omnia, quæ consulum, fuerunt: utpote sella curulis,

Prætexta, & trabeæ, fasces, lectica, tribunal.

ut dicam verbis Juven. Sat. X. 35. Quin imo cum ex more ludis sollennibus præsideret, deum honoris causa, habitu prorsus regio, atque triumphali prodibat in publicum. Suet. Claud. c. 28. n. 5. *Pallantem quæstoriis, prætoriisque ornamentis ornari passus est.* Pigh. Annal. Roman. Tom. I. p. 266. Hæc præterea erant prætexta prætoria, & annuli aurei, quos & ipsos, quamquam communes cum senatoribus prætor habebat. Hæc decreta fuerunt Pallanti, quamvis prætura non fungeretur. Plin. Epist. VIII. 6. 1. *Huic senatus ob fidem pietatemque erga patronos ornamenta prætoria decrevit.* Tacit. Annal. XII. 53. 2. cum hanc ipsam rem narrat, *prætoria insignia* appellat. *Pallanti, quem repertorem ejus relationis ediderat Cæsar, prætoria insignia. . . .* Cornelio Fusco, & Arrio Varo apud Tacit. Hist. IV. 4. 3. *Adduntur Cornelio Fusco, & Arrio Varo prætoria insignia.* Buchner. & Cellar. in Plinium. Schill Nomencl. Philol. p. 849.

Ornamenta puerperarum erant caput fasciis cinctum, pallio abjecto, & soleis, quæ peracto resumebantur opere. Eruimus hæc ex tabula figulina, quam exhibet Tomas. de Donar. c. 14. Continet hæc obstetricem, quæ puerum in lucem jam editum gremio fovet, & dextra mulierem puerperam sustinet fere nudam, habitu dimisso. Ita de puerperæ habitu Plaut. Truc. II. 5. 10.

— vosmet jam videtis,
Ut ornata incedo: puerperio ego nunc me esse ægram assimulo.

Barthol. de puerp. vet. p. 21.

Ornamenta quæstoria erant scipio eburneus, & sella curulis. Tacit. Annal. XI. 38. 4. *Decreta Narcisso quæstoria insignia.* Laz. Comment. Reip. Rom. IX. 7.

Ornamenta senatorum hæc monumentis, & literis potissimum celebrantur. In Urbe locus ludis honestissimus, epulandi publice jus, & lati clavi, calceorumque insigne. In provinciis autem præter hæc insignia, lictorum quoque, & apparitorum pompa. *Zamojc. de Senat. Rom.* I. 17. *Laz. Comment. Reip. Rom.* IX. 8. *Schill Nomencl. Philol. p.* 849.

Ornamenta tribunitia fuerunt curulis sella, & jus conjiciendi in vincula. Liv. XXVIII. 24. *C. Albius Calenus, & C. Atrius Umber, nequaquam tribunitiis contenti ornamentis,*

insignia etiam imperii fasces securesque attrectare ausi sunt. Laz. Comment. Reip. Rom. IX. 6.

Ornamenta triumphalia, quæ triumphantibus dari solebant. Hæc fuerunt appellatio Imperatoris, laurea corona, prætexta, trabea triumphalis, sceptrum, statua, sacrificia, supplicationes. Horum usus inventus est an. 740. Cn. Lentulo, & M. Crasso coss. cum Agrippa Bosphoranos subegisset. Dio LIV. p. 538. D. *Agrippæ nomine supplicatio quidem fuit, nec tamen triumphum, etsi sibi decretum duxit. Cujus exemplum pro lege quadam acceptum posteriores imitati, triumphum non susceperunt. Ideoque, ut ego censeo, nulli etiam aliis, qui ejus similis esset, facere illud concessum, sed solis triumphalibus ornamentis sunt ornati.* Hisce fere Masanissam ornat Scipio apud Liv. XXX. 15. *Ibi Masanissam primum Regem appellatum, eximiusque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat: addit verbis honorem, neque magnificentius quidquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse, quo unum omnium externorum dignum Masanissam populus Romanus ducat.* Panvin. de triumph. c. 6. & Mader. in illum. Buleng. de triumph. c. 19. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 3. Faber ad tit. II. de Orig. jur. p. 184. Mulius de Triump. vet. I. 27. Schill Nomencl. Philol. p. 849. Donat. & Pitisc. in Suet. Tib. c. 9. n. 4. Catalogum eorum, qui olim Romæ *ornamenta* triumphalia abstulerunt, exhibet *Panvin. Fast.* v. p. 364.

ORNATRIX dicebatur puella, quæ mulieribus comas *exornabat*. De illis Ulpian. l. 49. ff. de legat. III. *Item mancipia alia. puellæ fortasse, queis sibi comas mulieres exornant.* Marcian. l. 65. ff. ibid. *Ornatricibus legatis Celsus scripsit, eas, quæ duos tantum menses apud magistrum fuerunt, legato non cedere: alii & has cedere, ne necesse sit nullam cedere: cum omnes adhuc discere possunt, & omne artificium incrementum recipit.* Ovid. Art. III. 239.

Tuta sit ornatrix.

Harum quoque mentio fit in monumento illo Romano.

CINERIBUS CAMILLÆ ALPIONIÆ
QUIRINÆ ORNATRICI
FESTUS M. SEPTIMI GALLI DISPENSAT.

Demster. Paral. in Rosin. Antiq. Roman. V. 35. *Sched. de Diis German. Syngram.* II. 4. *Popm. de Serv. p.* 56. *Spon. Miscell. Erud. antiq. Sect.* VI. *p.* 226. *Reines. Inscript. Class.* I. *n.* 69. *Brod. Miscell.* X. 17. *Cujac. Observ.* XI. 16. *Ravard. Conject.* II. 17. *Alet in Long. Pastor. p.* 21. *Wouwer. in Petron. p.* 472. *Koburzyck. de Luxu Roman.* I. 6. *Pitisc. in Suet. Claud. c.* 40. *n.* 2. Ad illas quod attinet, notandum est, tradi consuevisse magistris, ut edifcerent *ornandi* artificium. Marcianus modo laudatus. Per *magistrum* intelligit eam, præceptorem, qui *ornandi*, comasdique industriam quandam singularem profitebatur. Hujusmodi olim fuisse innuent Tertull. de Cult. Femin. c. 7. *Frustra laboratis ornatæ videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis.* Rævard. Conject. II. 19. Artificium hoc describunt Manil. V. 146.

Illis cura sui vultus, frontisque decoræ
Semper erit, tortosque in flexum ponere crines,
Aut nodis revocare, & rursus vertice denso
Fingere, & appositis caput emutare capillis.

Tertull. de Cult. Femin. c. 6. *Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? aliæ gestiunt in cincinnis coercere, aliæ ut vagi, & volucres elabantur non bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium, atque textilium capillamentorum: nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Pignor. de Serv. p. 390.

ORT.

ORTHEA locum, seu ædificium cum intercolumniis denotat, quale fuit Septizonium, quod ei vicinum fuit. V. & infr. in *Septizonium*. Nardin Rom. Vet. III. 6.

ORTHIUS nomus. V. illum supr. in *Nomus*.

OS.

OS, qui summo mane surgebant, abluebant. V. supr. in *Abluebant*. In exsequiis & luctu lacerabant mulieres. V. supr. in *Genæ*. Ut nævos occultarent, linebant etiam viri, ut libertinus ille apud Mart. II. 29. 9.

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem:
Ignoras quid sit? splenia tolle, leges.

Atque hinc ortum proverbium, *os sublinere*: quod de eo proprie dicebant, qui simulans se *os* alicui linere ad decorem, uti mos fuit, contra, ac secus quam erat consuetudo, *os* illi ridiculis picturis deturpabat, ut qui olim gryllum pingebant. Nam sublinere in hac parœmia est παραχρίειν, potius quam ὑποχρίειν. Plautus etiam *os oblinere* dixit, quod iis κυρίως convenit, qui non faciei partem de consueto more linebant, sed *os* totum. Oblinere est καταχρίειν, ut apud Marcellum Empiricum, *pinnula oblinere strumas*. Casaub. in Spartian. Adrian. c. 4. Par. Lex. crit. V. supr. in *Facies*.

OSC.

OSCEDO est vitium, quo sæpe oscitamus, osque diducimus. Gell. IV. 20. *Quum ille dejerasset, invitissimum sese, ac repugnantem oscitatione victum, tenerique eo vitio, quod oscedo appellatur.* . . . Turneb. Adv. X. 26. Thys. in Gellium. Buleng. de Theatr. II 2.

Oscedo est etiam putor *oris*. Isidor. IV. 8. *Oscedo est, qua infantium ora ulcerantur.* Sammon. Seren. c. 14.

Hinc oscedo fugit, linguæ quoque vulnera cedunt.

Turneb. Adv. X. 26. Buleng. de Theatr. II. 2. Thys. in Gell. IV. 20.

OSCI *post Ausones Campaniæ partem habuerunt: nunc vero Latinorum sunt.* Strabo ubi de novo Latio V. p. 161. Sed Plin. V. 3. *Ultra Circejos Volsci, Osci, Ausones: unde nomen modo Latii processit usque ad Lirim amnem.* . . . Ex his verbis quis non intelligat, hanc regionem primum Volscorum, Oscorum, & Ausonum, deinde Latinorum fuisse? in qua oppida floruerunt Tarracina, Fundi, Cajeta, mons Cæcubus, Formiæ, Vescia, Ausona, Minturnæ, Fregellæ, Arpinum, Sora, & terminus regionis Liris amnis. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 7. Antea dicti fuerunt *Opici*. V. supr. Qui cum Latine nescirent, a Romanis tamen facile, & cum voluptate intelligebantur, propter imperitiam linguæ, & cum gens illa periisset, sermo ejus apud Romanos mansit, & carmina quædam, & mimi certo quodam certamine, quod instituto majorum celebatur, in scena recitabantur. *Guther. de Vet. jur. pontif.* III. 19. Unius, aut plurium syllabarum detractione nomina scribebant, & illorum exemplo prisci Latini. Ita in monte Sumano agri Vicentini Palæmonis grammatici monumentum habet QUIES pro QUIESCENS. *Tomas. de Donar.* c. 7.

OSCILLA sunt larvæ, & προσωπεῖα, ut ex Macrob. Saturn. I. 7. cognoscimus, quæ in αἰώραις, & jactationibus ludicris rustici ori opponebant, ut essent magis ridiculi. Virg. Georg. II. 386.

Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.

Intelligit *oscilla* ex corticibus arborum. Quem morem Atheniensium tangit & Maurus Terentianus, a quo jactationes ipsas, & cernuationes, quas Græci vocant αἰώρας, etiam *oscilla* appellarunt. Idem n. 388.

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

V. supr. in *Larvæ*. Scalig. Lect. Auson. II. 26. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Theat. I. 38. Cerda in Virgilium. Jun. de Pictur. I. 8. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 130. Muncker. in Hygin. Fab. 130. Apud Macrobium tale aliquid mihi commonstrari velim. Sed hoc tantum abest, ut ex illo potius compertum habeam cum larvis *oscilla* nihil

[illegible] commune [illegible], sed ca [illegible], quæ Græcis [illegible] id est, [illegible] dicuntur, quorum [illegible] Serv. [illegible] 7. & 11. [illegible] quod cum diu [illegible] capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum [illegible] [illegible] propter oraculum quoddam. Hercules, cum Geryonis pecore per Italiam reverteretur, [illegible] ut [illegible] mutarentur, [illegible] Diti, non hominum capita, sed [illegible] ad humanam effigiem arte fabricata. E quo ritu si quis ad nos usque ritus [illegible], non autem credidimus [illegible] [illegible] imagunculas [illegible] templis suspendi, quando [illegible] ab [illegible] qua ærumna servatos nos esse profitemur. *Mariscott. de Person. & Larv. c. 1.* Dicuntur etiam [illegible], & pensiles gestationes [illegible] per sex ferarum Latinarum dies, quibus [illegible] adhibetur. Et sub *oscillorum* appellatione [illegible] jactatione [illegible] quæ hodie apud multas puellas, & pueros efficitur, assere funibus quatuor [illegible], & ibi [illegible] pueris, aut puellis veluti per aerem jactatis. Serv. in Virg. l. l. *Respondit oraculum sedari posse pestilentiam, si Erigones, & Icarii cadavera requirerentur: quæ cum diu quæsita [illegible] ad ostendendam suam devotionem Athenienses, ut etiam in alieno ea quærere viderentur elemento, suspenderunt de arboribus funem: ad quem se tenentes homines [illegible] ut [illegible] etiam per aerem [illegible] [illegible]. Sed quum inde [illegible] caderent, inventum est, ut formas ad oris sui similitudinem facerent, & eas pro se [illegible] moverent. Unde & [illegible] [illegible], & moverentur ora.* Buleng. de Lud. vet. c. 11. & l. l. Gual. de Triog. & [illegible] c. 2. de Urb. ac Imp. Roman. splend. part. 2. c. 7. Meurs. de Regn. Athen. 11. 2. Jun. in Tertull. de Pall. p. 6. Voss. & Salmas. l. l. Leonard Emend. vi. 14. Mercur. de Art. Gymn. 111. 8. Turneb. Adv. vii. 20: xx. 24. Cerda in Virgilium. Tomas. de Donar. c. 22. Laurent. Polym. iv. Syncps. 8. Hoc genus lusus celebrare [illegible] in memoriam & imaginem vitæ humanæ: in qua [illegible] [illegible] in infimum dejiciuntur, infima in altum efferuntur, & evehuntur: ita memoriam redintegrantes [illegible] vitæ Latinarum diebus. Per *oscillationem* motus cunarum, per lactatam potionem, qua tum utebantur, lactis alimentum significabant. *Oscillationem* etiam [illegible], ut existimo, fieri dixit Virg. n. 388. In quo [illegible] interpretantur: nam obscœnæ etiam partis [illegible] *oscillum* vocari posse censent. *Turneb.* vii. 20. Cum quo possis intelligere veretra de arboribus suspensa [illegible] fascinationem. Quæ etiam veterum quorundam fuit sententia. Serv. l. l. *Alii dicunt oscilla [illegible] de floribus facta, quæ suspendebantur per [illegible] homines acceptis [illegible] personis [illegible], [illegible] moverent [illegible] Orpheo [illegible] est.* Voss. l. l. Cerda in Virgil. Etiam purgationis est genus, & quidem maximum, quo animæ [illegible] purgantur. Serv. Æneid. vi. 741. *In omnibus sacris tres sunt [illegible] purgationes. Nam aut [illegible] purgantur & sulphure, aut aqua abluuntur, aut aere ventilantur, quod erat in sacris Liberi. Hinc enim est, quod dixit* n. 388. *Oscilla.* . . . Voss. de Idolol. 11. 24. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 491. A. Lomej. de Lustrat. c. 18.

OSCINES aves *Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes [illegible], ut corvus, cornix, noctua: aut quæ alis, [illegible], ut buteo, sanqualis, aquila, immusulus, [illegible] [illegible], [illegible] & parra, & [illegible] [illegible].* Festus. Plin. x. 19. *Nam ac [illegible] [illegible], qui in duas dividuntur species, oscines [illegible] alites: illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit.* Buleng. de Augur. & Auspic. c. 4. Pius Annot. post. c. 50. Laurent. var. sacr. gentil. c. 1. Turneb. Adv. xxv. 4.

OSCULUM inter, *basium & suavium, quæ tria sunt osculandi genera,* differentia est: *oscula officiorum sunt, basia [illegible], suavia libidinum, vel amorum.* Donat. in Terent. Eun. 111. 2. 37. Nec aliud dicit Serv. Æneid. 1. 260. *Sciendum, osculum religionis esse, suavium voluptatis.* Ubi addit: *Quamvis quidam [illegible] [illegible] [illegible], forto suavium [illegible].* Sed hanc differentiam [illegible] Ciceronis locus evertit. Sic enim ad Attic. xvi. 11. *Attice, [illegible] [illegible] [illegible], meis verbis suavium des.* Hoc idem *osculum* vocat Att. xii. 1. *[illegible] ad complexum meæ [illegible], atque ad [illegible] [illegible].* Lomej. Dier. genial. [illegible] 1. [illegible] x. p. 372. Kemp. de Oscul. Dissert. 1. §. 6. & 8. Hotman. de ver. rit. nupt. c. 6. Rittershus. in [illegible] 5. q. 95. §. 429. Est signum amicitiæ, & benevolentiæ. Suet. Vitell. c. 7. n. 6. *Veterem de se persuasionem Vitellius [illegible] etiam de se experimentis auxerat, tota [illegible] [illegible] obvios exosculans.* Galb. c. 55. n. 1. *[illegible], omnibus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].* Kemp. [illegible] xxv. §. 29. Et talia reconciliationis, [illegible] concordes [illegible] [illegible] [illegible], & calorem, amorem, inque ex spiritum [illegible] sibi [illegible], atque communicant. Tertull. de Patientia: *[illegible], [illegible] non potes [illegible] aliquem, [illegible] frequentari osculo: quem osculans, quando frequenter illum a malo dehortaris.* Hinc Petron. c. 51. *[illegible] plenam, [illegible] manus: [illegible], [illegible] in gratiam, & optima fide reviviscentem amicitiam, toto pectore adstrinxi.* c. 59. *[illegible], inquit Eumolpus, [illegible] etiam [illegible]* c. 69. *[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].* Kemp. ibid. Dissert. xvii. § 4. Gonsal. in Petron. c. 59. Lomej. ibid. p. 389. [illegible], & basia jactare dicebantur adorantes, qui [illegible] stantes manum porrigebant, eamque [illegible] ad os [illegible] referebant, & suaviabantur. *Lips. Elect.* 11. 6. Hoc [illegible] scriptum. Imo contra faciebant. Manum enim *osculari*, deinde eam versus [illegible], quem adorabant, protendere consueverant. Tacit. Hist. 1. 36. 4. *[illegible] protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione.* Juven. Sat. iv. 118.

Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.

Phædr. v. 7. 28.

— jactat basia
Tibicen,

id est, populum adorat. Is enim proprie *osculum* jacere dicitur, qui manum *osculatur*, deinde eam porrigit ad eos, quorum honori, ac venerationi dat illud *osculum*: nam protensione manus, quam prius erant *osculati*, quodammodo *osculum* ipsum porrigere, & jactare ad eos videbantur, quibus honorem illum deferebant. Hoc ostendit Juven. Sat. 111. 106.

A facie jactare manus, laudare paratus.

Qui *a facie jactat manus*, is utique manu faciem prius tangit, quam eam jactet, hoc est, manum ad os refert, deinde eam jactat, & porrigit, postquam eam *osculatus est*: & sic quodammodo *osculum* ipsum jactare, & porrigere creditur. Sic olim gentiles deos suos, sic Imperatores, & principes suos, & Imperatorum imagines, æque ac deorum simulacra adorabant. Denique omnes etiam illos, quibus maximum honorem, vel vere, vel etiam adulatione gratum [illegible] volebant. De Nerone, verum histrionem [illegible] Tacit. Annal. xvi. 4. 3. *Postremo genu flexus, & [illegible] [illegible] manu veneratus est.* Histrionum enim, pantomimorum, & cantorum mos hic erat, ut populum scenam [illegible] adorarent. Vetus epigramma:

Ingressus scenam populum saltator adorat.

Sic aurigæ flagello populum venerabantur. Cum enim dextram manum in adorando ad os referrent, aurigæ, qui dextra flagellum tenebant, flagellum ipsum *osculabantur*, & sic adorabant. Xiphil. lxxix. p. 874. E. [illegible] Caracalla *veneratus [illegible] flagello.* Vocabatur hoc osculum [illegible]. *Salmas. in Vopisc. Prob. c. 23. Ferrar. de Acclam.*

& *Plaus.* II. 26. *Voss. de Idolol.* II. 3. *Meurs. Auct. Philol.* c. 18. *Buleng. de circo c.* 46. *Kemp. Differt.* VII. §. 6. IX. §. 20. *Tomas. de Tesser. hospital. c.* 7. *Vales. in Ammian.* XXVI. 7. *Lomej. ibid. p.* 343. *Gallæus ad Lactant.* II. 4. *Muret. Var. Lect.* XI. 1. *Brisson. de Form.* I. *p.* 37. *Laurent. de Oscul. c.* 4. *Saubert. de Sacrif. c.* [illegible]. *Pith. Lect. Subc.* I. 7. *Lanaus in Vet num. explic. Misc. Ital.* I. *p.* 337. *Carol. Ant. Rom.* I. 2. *Kipping. Ant. Rom.* I. 6. §. 5. *Wouwer. Elmenhorst. Rigalt. & Ouzel. in Min. Felic. p.* 12. & 13.

Osculum civilis conversationis est, quod in illa sibi figebant I. Pares, ut amici inter occurrendum se *osculo* salutantes. Mart. VII. 94. 1.

Bruma est, & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvios hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.

XI. 98. 1.

Effugere non est, Basse, basiatores:
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt
Et hinc, & illinc, usquequaque, quacumque.
Non ulcus acre, pustulæve lucentes,
Nec triste mentum, sordidique lichenes
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et æstuantem basiant, & algentem,
Et nuptiale basium reservantem.
Nec te cucullis asseret caput tectum. . . .

Salutationes has *perfunctorias*, quo nomine *quotidiana oscula* veniunt Optat. Milevit. contr. Donatist. IV. *edicto*, cujus causam verbosius prodidit Plin. XXVI. 1. quidem *prohibuerat* Tiberius apud Suet. c. 34. n. 4. sed tamen Martialis tempore, ut his ejus versibus docemur, adhuc viguerunt. *Kemp. ibid. Differt.* XVI. §. 2. & 3. *Lomej. ibid. p.* 354. *Borremans. Var. Lect. c.* 15. *Claude de Salutat. c.* 4. *Pitisc. in Suetonium.* Et propinqui *osculo* explorantes, *an mulieres contra legem temetum olerent.* Institutum hoc erat Catonis teste Plin. XIV. 13. Huic rationi addit & alias Plutarch. Rom. quæst. 6. I. promit ex Aristotele, facinus nempe Troadum, ab iis in Italia perpetratum: cum, post navium appulsum, viri digressi essent, mulieres ignem navibus injecerunt, ut erroribus ac navigationibus finem imponerent, deinde sibi a maritis metuentes, cognatos, ac familiares, ut quisque se obtulerat, eum suavio sunt amplexæ, itaque placata, ut in gratiam fuit reditum, hoc eis blandiendi genus retinuerunt. II. datum hoc esse mulieribus, ut honor simul eis, & potentia conciliaretur, si viderentur multos habere cognatos, & propinquos. III. cum esset legibus interdictum cognatarum nuptiis, usque ad *osculum* tamen amori permissum progredi: eaque fuit consanguinitatis tessera, & communicatio. Ad cognationis jus respexit Prop. II. 5. 7.

Quinetiam falsos fingis tibi sæpe propinquos,
Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.

Lomej. ibid. p. 357. Kemp. ibid. §. 12. Hendreich. Massil. Sect. II. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2962. F. Donat. in Suet. Claud. c. 26. n. 10. Lips. & Claude l. l. Passerat. in Propertium. II. Dispares. I. Potentiores minoribus. Ideoque vitio datum Tiberio, quod *paucos admodum in digressu osculatus fuerit.* Suet. c. 10. n. 5. Neroni, *quod neque adveniens, neque proficiscens quemquam osculo impertiverit.* Suet. c. 37. n. 7. Caligulæ, *quod paucos osculabatur.* Dio LIX. p. 661. A. Contra laudatur Trajanus, *quod senatum osculo exciperet, ut dimissus osculo fuerat.* Plin. Paneg. c. 23. n. 1. Et Otho, *ut consueverat*, a Galba, *osculo exceptus est.* Suet. c. 6. n. 3. *Lips. Elect.* II. 6. & *in Plinium. Tomas. de tesser. hospit. c.* 21. *Pitisc. in Suetonii Othonem. Lomej. ibid. p.* 361. II. Inferiores potentioribus in subjectionis signum. Ita Samuel propheta Sauli in Regem uncto 1. Sam. c. 10. n. 1. quo spectat & Psalm. 2. 12. *Osculamini filium.* Lomej. ibid. p. 362. Voss. de Idolol. I. 29. III. Parentes liberis. Philippus Alexandro. Plutarch. p. 667. E. *Ut equum flexit rite convertit Alexander glorians, & ovans, cæteri omnes applausere: patri vero manasse etiam aliquantulum gaudio lacrymas ferunt. Ac postquam desilit ex equo, caput ejus osculatus. . . .* Cicero Tulliæ supr. in *Convivium.* Et Laban ægre tulit, non tam quod Jacobus gener clanculum discesserat, quam quod passus non fuerat *filios, & filias osculari.* Gen. c. 21. n. 28. *Kemp ibid.* §. 10. IV. Liberi parentibus. Chariclea apud Heliod. III. p. 140. *Postquam patrem soluto more amplexu excepisset.* Cicer. pro Mur. c. 41. *Quo se miser vertet? an ad matrem? quæ misera modo consulem osculata filium suum nunc cruciatur.* Kemp. & Claud. l. l. Plurimus etiam erat *osculorum* usus I. inter digredientes, qui *osculo* domi manentibus valedicebant. Ovid. Heroid. V. 51.

Oscula dimisse quoties repetita dedisti?
Quam vix sustinuit dicere lingua, vale?

Qui de seipso Roma discedente Trist. I. 3. 58.

Sæpe Vale dicto rursus sum multa locutus,
Et quasi discedens oscula summa dedi.

Julius Cæsar ad comitia descendens, adeoque discedens matrem *osculatus* est. Suet. c. 13. n. 2. *Lomej. ibid. p.* 386. *Kemp. ibid. Differt.* XX. 2. *Pitisc. in Suetonium.* II. inter peregre redeuntes, qui *osculo* a domesticis, & amicis excipiuntur. Homer. Odys. XVI. 15.

Osculatus est autem ipsi, caputque, & ambo lumina pulcra,
Manusque ambas; tenera autem ei excidit lacryma.
Sicut autem pater suum filium benevolus amplectitur
Venientem ex longinqua terra decimo anno,
Sic tunc Telemachum divinum divus subulcus
Totum osculatus est, circumplexus, uti mortem effugisset.

Horat. Od. I. 36. 4.

Qui nunc Hesperia sospes ab ultima
Caris multa sodalibus
Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiæ.

Ubi vetus Cruquii commentator: *Hæc est amicorum consuetudo, dum longinquo revertuntur.* Claude ibid. c. 9. Lomej. ibid. p. 385. Torrent. in Horatium. Kemp. ibid. Differt. XVI. §. 4. III. Inter convivas. Illis enim præmiorum loco distribuebantur cottabum ludentibus. Apud Athen. XV. p. 668. C. Calippus

Insomnis tota nocte, qui fuerit, pyramuntem accipiet
Cottabi præmium, & quam volet,
Ex præsentibus feminis osculabitur.

Et Eubulus:

Adsunto nunc mulieres, ut nocte tota,
Ex quo natus est infans, decima, saltetis
Præmium illi qui vincet, tres vittas dabo,
Mala quinque, novem oscula.

Lomej. ibid. p. 388. Figebantur non uno modo. Simplicissima, quæ castus amoris affectus castis casta dabat. Ubi autem illud πάθος exuberat, variis se exprimit modis. Clausum suadet Mart. XIII. 18.

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

propter fœtidum spirantis halitum. *Lomej. ibid. p.* 373. *Osculabantur* magnorum virorum I. capita. Plutarch. Brut. p. 991. E. *Manus ejus*, C. Cæsaris, *tangentes, pectus, & caput deosculabantur.* Ammian. XXVIII. 4. *Ex his quidam cum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes. . . .* II. frontem, & genas. Frontem genio sacram, quod majestati affinius est, ut blandimentis genas suaviari. *Tomas. l. l. Rhodig. Ant. Lect.* III. 26. III. oculos, quia *sunt quasi fenestræ quædam animi.* Cicer. Tusc. Quæst. I. 20. *quos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere.* Plin. XI. 37. Cicer. Fam. XVI. 27. *Ego vos ad* III. *Kalend. videbo, tuosque oculos, etiamsi te in medio foro veniens videro, dissuaviabor.* In horum dissuaviatione summa voluptas ponebatur. Catull. XLVIII. 1.

Ju-

Jucundos oculos tuos, Juventi,
Si quis me sinat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta.

IX. 9.

Jucundum os, oculosque suaviabor.

Homerus modo laudatus. *Turneb. Adv.* II. 10. *Barth. Adv.* XXXII. 6. *Schott. Obs.* II. 36. *D. Orleans in Tacit. p.* 588. *Muret. in Catull.* IX. 9. *Kemp. ibid. Dissert.* XVI. §. 2: XXV. 29. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 435. IV. humeros. Homer. Odyss. Φ. 224.

Et osculati sunt amplectentes caputque & humeros.

Stuck. Ant. Conviv. II. 32. V. collum. Suet. Cal. c. 33. n. 2. *Quoties uxoris, vel amiculæ collum exoscularetur.* Et *osculatam* vetus Scholiastes interpretatur *dilectam cervicem*, quæ dicitur Stat. Achill. I. 329.

At sua dilecta cervice monilia transfert.

Barthius in Statium. VI. pectus. Plutarchus & Ammianus modo laudati. *Tomas. l. l.* VII. manus, sed manui potentiorum. Plutarch. Caton. p. 764. C. *Bolpuam post Catonis adventum, non votis, neque laudationibus, quibus mala summa est, sed cum lacrymis multis, & complexibus, vestes pedibus ejus substernentes, qua incederet, & manus ejus deosculantes: quæ paucis omnino imperatorum ejus ævi Romani tribuebant.* Suet. Tib. c. 72. n. 8. *Charicem medicum, quod manum sibi osculandi causa apprehendisset. . . .* Natus mos videtur a blanditiis candidatorum, prensantium, rogantium, & alienas manus *osculantium.* Senec. Epist. 119. *Alius eorum manus osculis terit, quibus designatus contingendam manum negaturus est.* Luisin. Parerg. II. 19. Barth. in Claud. Rufin. II. 443. Buleng. de Imperat. Rom. III. 15. Laurent. de Oscul. c. 4. Hotman. de vet. rit. nupt. c. 11. Salmuth & Lips. l. l. Lomej. ibid. p. 366. Pitisc. in Suetonium. VIII. genua. V. supra in *Genu.* IX. pedes. Ita Caligulæ. Dio LIX. p. 661. B. *Paucos osculabatur, plerisque etiam senatorum, manum tantum, aut pedem adorandum porrigebat.* Senec. de Benef. II. 12. *C. Cæsar dedit vitam Pompejo Pennio, si dat, qui non aufert: deinde absoluto, & agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem.* Maximini junioris. Capitol. c. 2. *In salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur, & nonnunquam etiam pedes: quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat: dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* In Trajano, quod hæc non fecerit, laudat Plin. Paneg. c. 24. n. 2. *Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis.* Lips. & Stuck. l. l. Barth. Adv. XXXIV. 21. Kemp. ibid. n. 14. Coler. in Alex. II. 15. Horn. de Orig. Americ. II. 12. Reitz. in Godw. Mos. & Aar. III. 2. 7. §. 2. Pitisc. in Suet. Cal. c. 56. n. 4. Lomej. ibid. p. 367. D. Orleans in Tacit. p. 589. b. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 436. Læt. Comp. Rom. hist. c. 1. Claud. de Salutat. c. 6.

Osculum labratum. Glossæ: *labratum*, ἀσπασικὸν βασιλέως. *labratum*, φίλημα βασιλικόν. *labratum* ἀτελὲς est: non integrum erat, *labratum osculum*, sed ad ectivum in substantivum transiit. Labrata autem *oscula* sunt labris impressa, ut loquitur Min. Fel. Octav. p. 12. *Cæcilius, Serapidis simulacro denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis impressit.* Is erat adorantium ritus. V. supr. in *Osculum.* Hinc labratum *osculum* ejus, qui in adorando manum labris admoveat, & osculabatur. Sic numina sua olim, sic Imperatores suos adorabant, & Imperatorum imagines, haud minus quam deorum simulacra. Et notandum est, ab auctore glossarum labratum non simpliciter exponi φίλημα, aut ἀσπασικὸν, sed ἀσπασικὸν βασιλέως, & φίλημα βασιλικόν, quia scilicet soli Imperatores hoc genere *osculi* salutarentur, id est adorarentur. *Salmas. in Vopisc. Prob. c.* 23. *Tomas. de tess. hospit. c.* 8. *Cujac. Observ.* XI. 27. *Cassal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 20. Ego hoc in Glossis dici existimo, non quod solummodo Imperatores, & principes tali honore afficiebantur. Nam & histriones, & pantomimi, & id genus alii, dextra labris admota, populum adorarunt. V. supr. in *Osculum.* Sed quod plurimum, usque quasi proprius adorationis cultus esset; cum autem ad alios deferebatur, id tralatitie, & plerumque blandimenti, vel adulationis ergo fieri solitum. Atque hinc concludo glossographum denominationem a digniore petiisse. *Ouzel. in Minuc. Felic. p.* 13. Lindenbr. in Ammianum κατὰ συγκοπὴν dictum judicat, quasi laboratum, id est, arte, ac labore summo effigiatum, ut Gloss. Nomicum interpretatur: ideoque non *osculum*, sed sacros vultus notaret, ut in Cod. XII. 64. l. 1. Joh. Damasc. orat. III. pro Imag. *Homines Reges mortales, plerumque & impios, & peccatores: & magistratus ab illis constitutos, eorumque labrata*, id est, imagines arte elaboratas, *adorant.* Talis ergo imago cum *osculo* labrato confundenda non est. Hoc enim est adoratio, & veneratio principis, purpuræ, imperii. *Lomej. Genial. Dier. Tom.* I. *Dissert.* X. *p.* 364.

Osculum religiosum, quod diis suis figebant veteres. Hi enim diis veneranda ode osculabantur. I. os. Cic. Verr. IV. 43. *Ibi est ex ære simulacrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim me quidquam vidisse pulchrius, usque co, judices, ut rictum ejus, ac mentum paulo sit attritius, quod in precibus, ac gratulationibus*, malo, *gratationibus, non solum id venerari, sed etiam osculari solent.* II. dextras. Lucret. I. 317.

—— *tum portas propter ahena*
Signa, manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu, præterque meantum.

Ænea scilicet signa, seu statuæ, ad portas collocari solitæ, quarum dextras *osculabantur*, tangebant, & quasi salutabant exeuntes, boni eventus causa. Varr. de Ling. Lat. IV. *Nam neque quas Ambracia ante portas statuit, duas similes, pecies aneas dii magni. . . .* De hoc *osculo* Tacit. Annal. XV. 71. I. *Agere grates diis, ornare lauro domum, genua ipsius advolvi, & dextram osculis fatigare.* III. pedes. Apul. Met. XI. p. 381. *Exosculatis vestigiis deæ, quæ gradus tenebat, argento formata, ad suos discedunt lares.* Ovid. Trist. I. 3. 41.

Illa etiam ante lares, passis prostrata capillis,
Contigit exstinctos ore tremente focos.

Lips. Elect. II. 6. Kemp. de Oscul. Dissert. VII. §. 5. Lomej. Dier. genial. Tom. I. dissert. X. p. 359. Pith. Adv. I. 7. Luisin. Parerg. II. 19. Quinetiam religionis erat, *oscula* figere I. Templorum liminibus. V. supr. in *Limen.* 2. postibus. V. infr. in *Postis.* II. Terræ patriæ, simul ac ex oris peregrinis appellerent. Homer. Odyss. IV. 522.

Gaudens ascendit in patriam terram,
Et osculabatur attingens patriam suam.

Lomej. ibid. p. 346. Kemp. ibid. §. 21. III. hominibus I. morientibus. Senec. ad Polyb. c. 34. *Cæsar parentis meus Drusum intima Germaniæ recludentem. . . . in complexu, & osculis suis amisit.* Auson. Parent. XXIII. 13.

Illa manus inter genitricis, & oscula patris
Occidit.

Suet. Aug. c. 100, n. 2. *Repente in osculis Liviæ defecit.* Videntur exeuntem animam *osculo* excipere, & in se transferre voluisse. Hoc fieri posse existimarunt veteres, Cicero. V. illum infr. in *Spiritus.* Maxime, quia putabant illam per os tanquam per januam aliquam exire. V. supr. in *Anima.* 2. jam defunctis, & jam jam in rogum ponendis. Prop. II. 10. 29.

Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.

Tibull. I. I. 75.

Flebis & arsuro positum me Delia lecto,
Tristibus & lacrymis oscula mista dabis.

Kirchman. de Fun. Rom. I. 5. Guther. de jur. man. I. 12. Meurst. Pomp. Teral. I. 2. Alex. Gen. III. 7. & in illum Tiraquellus. Quenstedt. de Sepult. vet. c. 5. Kemp. ibid. Dissert. XX. §. 4. & 8. Nicol. de Luct. Græc. c. 3. §. 7. Lomej. ibid. p. 352. Pitisc in Suetonium.

Osculum valgum, nam *valgiter commovere labra* dicit

Petron. c. 26. dici poteſt, quod fit colliſione linguarum. Apul. Metam. II. p. 46. *Arctius eum complexus cœpi ſuaviari, jam patentis oris inhalatu cinnameo, & occurſantis linguæ illiſu nectareo prona libidine adubeſcente.* C. Matius apud Gell. xx. 9.

Simulque amicam reficere frigidam caldo:
Columbatimque labra conſerens labris.

Unde Mæcenas: *Si quis feminæ cirro criſpatæ labris columbatur.* Tibull. I. 9. 37. V. illum ſupr. in *Dens.* Et Plaut. Aul. III. 3. 105.

Fac proinde ut ſerpentem beſtiam me, ut duplicem habeam linguam.

quia nempe ſerpentibus lingua biſulca. *Lomej. Dier. genial. Tom. I. Diſſert. x. p. 382. Gonz. Præcid. in Petron. I. 12. Turneb. Adv. I. 15. Saubert. de Sacrif. c. 23. Oizel. in Gellium. Erhard. Symb. Petron. p. 589. Kemp. de Oſcul. Diſſert.* XIII. §. 10.

Oſculum χύτρα, id eſt, olla etiam vocatur, quia in eo geſtu caput ollæ, ita aures anſarum ſpeciem referre videretur. Suidas: χύτρον, *ſpecies oſculi.* Pollux x. 24. *Non eſt inconveniens noviſſe, quod* χύτρα *oſculi ſpecies erat, cum pueros auriculis prehenſos oſcularentur: quod Ennius* priſcæ comœdiæ poeta, quem Eunicum perperam vocant, *in Antia innuit:*

Prehendens per aures da mihi chytræ oſculum.

Theocr. Idyll. v. 131.

Non amo Alcippen, quia me nuper non oſculata eſt
Aures prehendens, cum ipſi palumbem darem.

Inter Latinos hoc *oſculi* genus primus expreſſit Plaut. Aſin. III. 3. 78.

Prehende auriculis, compara labella cum labellis.

Pœn. I. 2. 163.

Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſavium.

Inter felices anni eventus Tibull. II. 5. 91.

Et fœtus matrona dabit, gnatusque parenti
Oſcula comprenſis auribus accipiet.

Ratio hujus moris Delrio ad Senecam hæc videtur, ut pueri tandem ea ratione deſueſcerent, dolore aurium, *oſcula* frequentare, quia ſæpe turpia, & cum libidinis ſuſpicione fierent. Verum hæc veriſimilis non eſt, quia etiam inter liberos, & parentes hoc genus *oſculi* uſitatum fuit. Neque hæc aurium apprehenſio tanta vi facta, ut dolorem inferret, cum potius amori magis augendo, incendendoque inſerviret. Placent ergo hæ I. quod nimirum auris memoriæ facta, ſcientias, ac virtutes penitius in animum demittat, quam alii ſenſus, in quibus affectus magis dominantur. II. quod illa aurium apprehenſione vim amoris reſtaurare, atque excitare voluerunt. Clem. Alex. Strom. v. p. 551. C. *Non ergo temere præcipimus pueris, auribus eos apprehendentes, ut oſculentur eos, qui ad ipſos attinent. Hoc utique tacite ſignificantes, ingenerari per auditum ſenſum dilectionis.* Plutarch. de Audit. p. 38. A. *Vitiis multæ partes corporis, multaque loca aditum ſpatiumque ad animum penetrandi præbent. Unica virtuti, qua adoleſcentes arripiat, anſa aures ſunt, ſi quidem puræ ſint, & jam inde ab initio adulatoriarum corruptelarum vacuæ, intactæque a pravis ſermonibus ſerventur. . . . Et vulgo parvulos qui deoſculantur, quum ipſi aures eorum tangunt, tum eos idem jubent facere: per jocum innuentes, maxime amandos eſſe eos, qui per aures proſunt.* III. ut commodius, & dulcius figerentur: qualia *arctiſſima* dicuntur a Suet. Galb. c. 22. n. 4. talia enim amantium eſſe ſolent. Lucret. IV. 1072.

Quod petiere, premunt arcte, faciuntque dolorem
Corporis, & dentes inlidunt ſæpe labellis,
Oſculaque adfigunt.

Lomei. Dier. genial. Tom. I. Diſſert. x. p. 375. Canter. Nov. Lect. v. 25. Stuck. Ant. Conviv. II. 32. Dalechamp. in Plin. XI. 46. Meurſ. de Lud. Græc. p. 41. Turneb. Adv. XXIX. 32. Schott. Obſerv. II. 13. M. Donat. in Suet. Tiber. c. 34. Voet. in Herod. Marc. & Comm. p. 203. Lyd. Sparſ. flor. paſſ. D. Jeſu p. 34. Gyrald. Dialog. IX. Cerda Adv. ſacr. c. 138. n. 12. Laurent. Polym. p. 53. de Oſcul. c. 3. var. ſacr. gentil. c. 7. Barnes Eurip. Supplic. n. 1101. Kemp. de Oſcul. Diſſert. 25. n. 34. Broukh. in Tibullum. Claude de Salutat. vet. c. 4. Taubman. in Plauti Pœnulum. Hotman. de vet. rit. nupt. c. 11. *Oſculum* hoc ſuo tempore Florentinum fuiſſe dictum, & ſe a patribus, & avis, cum puer eſſet, illo exceptum teſtatur *Gyrald. l. l.*

Oſculum etiam ſignificat parvum, ſive exiguum os. Petron. c. 86. *Oſculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit.* Ovid. Met. I. 499.

— *videt oſculi, quæ non*
Eſt vidiſſe ſatis.

Oſculum delibare dicit Suet. Aug. c. 94. n. 15. *Ejusque oſculum delibatum digitis ad os ſuum retuliſſet.* Quod non eſt manu porrecta, & ad os relata *oſculum* labiis imprimere, licet hic mos adorantium fuerit. Tale enim nihil innuit Suetonius, quamvis illum ſic interpretetur Caſaubonus. Qui tangit potius veterum conſuetudinem, qua blandientes ſolebant puerorum maxillas apprehendere, deinde manum ad os referre. Sic veteres critici interpretati ſunt illud Virg. Æneid. I. 260.

Olli ſubridens hominum ſator atque deorum
Oſcula libavit natæ.

Servius, qui eſt in membranis Fuldenſibus: *Sane multi nolunt ita intelligi, ut ſummum oſculum filiæ dederit, id eſt, non preſſim, ſed ſumma labella contingens: ſed ita ajunt, tum hilarus Jupiter vultus natæ libavit, id eſt, contigit, ſcilicet ut nos ſolemus cum blandimentis quibusdam ſiniſtram maxillam contingere liberorum, ac deinde ad os noſtrum dextram referre. Ergo libavit merito, quia partem vultus, non totos contigerat: ut oſcula dixerit quaſi minora, & teneriora filiæ ora, ut ora diminutive oſcula. Oſcula* igitur libare, non eſt *oſcula* ſummatim, & leviter dare, ſed ora leviter, & ſummatim tangere. De eodem blandimenti genere Suet. Galb. c. 4. n. 3. *Conſtat Auguſtum puero adhuc ſalutanti ſe inter æquales apprehenſa buccula dixiſſe. . . .* Apul. Met. VI. p. 192. *Tunc Jupiter preſſa Cupidinis buccula, manuque ad os ſuum relata, conſaviat.* Salmaſ. in Vopiſc. Prob. c. 23. Kemp. de Oſcul. Diſſert. I. §. 5. Pricæus in Apulejum. Borremanſ. Var. Lect. c. 20. Voet. in Herod. & Comm. p. 204. D. Orleans in Tacit. p. 588. b. Pontan. in Virgilium. Pitiſc. in Suetonium.

OSI.

OSIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

OSR.

OSRHOENA eſt pars Meſopotamiæ inter Tigrin, & Euphratem. *Oſrhœna* civitas regioni nomen dedit. Suidas. *Oſrhœna* ab Honorio vocatur l. 10. C. de ædif. priv. Ea pars eſt Meſopotamiæ inter Amanum, & Maſium montes: a ſeptentrione habens Armeniam majorem, ab occaſu Euphratem, quo a Comagena dividitur, ab ortu ad Niſibim extenditur. Ejus caput eſt Ædeſſa. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 115. & 149.*

OSS.

OSSA *belluæ, cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda Romæ, apportata ex oppido Judææ Joppe, oſtendit inter reliqua miracula in ædilitate ſua M. Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine coſtarum Indicos elephantos excedente, ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali.* Plin. IX. 5. Solin. c. 34. *Bulleng. de Venat. Circ. c. 11. Columna in Ennium p. 267.* Quod ſi verum, non amplius ab eo tempore oſtendi potuerunt in urbe Joppe. Atqui ſcribit Mel. I. 11. adhuc ibi ea oſtentata ſuo tempore. *Quin etiam,* inquit, *rei celebratæ carminibus, ac fabulis, ſervatæque a Perſeo Andromedæ clarum veſtigium, belluæ marinæ oſſa immania oſtentant.*

Nec

Nec enim quis dixerit, reportata Joppem fuisse post ædilitatem Scauri. *Salmas. Exerc. Plin. p. 405. b. F.*

Ossa illorum, qui extra patriam peregrino solo morerentur, in patriam reportari solebant. V. infr. in *Urna*. Item illorum, *qui feris mutisque mortui essent*. Lex XII. tabularum. Pium enim est, reliquias majorum sepulcris inferri. De bellica tamen morte reperio SCtum, quo qui militiæ obiissent, eo ubi essent loci sepeliri jubeatur. Factum est id bello Italico, ut est apud Appian. Bell. Civ. I. p. 377. *Consulis autem cadavere, & aliorum nobilium non paucorum ad sepulturam in urbem relato, tristis via erat populo ejus pompæ facies, & diuturnus luctus excitus est tot cæsorum deploratio. Quapropter Senatu decretum fuit, ut posthac defunctorum in bello corpora ibi humarentur, ubicunque cecidissent, ne ob eorum conspectum reliqui segniores ad militiam fierent.* Quæstio est difficilis, quæ diu multos viros doctos habuit exercitos: nimirum: quomodo cadaveris cineres, & *ossa* dignosci potuerint a cineribus ex ligno natis. Huic respondetur supr. in *Cineres*. Horum mixtura probatur inscriptionibus, in quibus idem locus monumenti plurium *ossa* caperet. *Ossa* mixta habet inscriptio Romæ apud Gruter. p. 715. n. 10.

OSSA. MEA. IN. ARAM. MIXTA
CUM. FILIÆ. UNA. REQUIESCUNT

Cinerum mixtura post obitum facta Phyllidis: illa enim *Domitiani reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, & cineribus Juliæ Titi, quam & ipsa educaverat, commiscuit, cum cadaver antea Latina via funeraret.* Suet. Domit. c. 17. n. 6. Sic miscere cineres. Mart. I. 94. 3.

Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulcro,
Hoc erit Antullæ mistus uterque parens.

Guther. de Jur. man. II. 25. Reines. Inscript. Class. XVIII. n. 22. Bourdelot. in Heliod. II. p. 39. Broukh. in Prop. II. 7. 85. Plura V. infr. in *Ossilegium*.

Ossa pendentibus carnifices suffringere consueverunt. Johan. c. 19. n. 31. *Judæi rogaverunt Pilatum, ut confringerentur cruci affixorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites, & prioris confregerunt crura, & alterius qui crucifixus fuerat cum eo. Ad Jesum quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt ejus crura.* Lactant. IV. 26. *Suffixus itaque cum spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putaverunt ossa ejus suffringere, sicut mos eorum ferebat.* Faber Semestr. II. 8.

OSSILAGO dea esse memoratur, *quæ durat, & solidat infantibus parvis ossa. . . . aut Ossilago solidatrix ossium nomen proprium non haberet?* Gyrald. Synt. deor. I. p. 50. B. Tomas. de Donar. c. 10. Stuck. de Sacrif. p. 45.

OSSILEGIUM erat, cum post bustum *ossa colligebant*. Gloss. vet. *Ossilegium*, ὀσολόγιον. Ὀσολογίαν vocat Diodor. IV. p. 170. A. *Hinc cum Iolaus ossa conquisiturus,* ἐλθὼν ἐπὶ τὴν ὀσολογίαν, *nihil omnino inveniret. . . .* Hujus ritus plenæ sunt omnes fere auctorum paginæ. Homer. Odyss. Ω. n. 72.

Mane jam tua collegimus alba ossa o Achilles.

Propert. II. 19. 33.

Nolo nobilibus, nolo conferre beatis,
Vix venit extremo qui legat ossa die.

Apul. Flor. p. 800. *Recta de auditorio exsequias eundum, legenda ejus esse ossa.* Totam *ossilegii* formam, omnesque ejus ceremonias nobis depinxit Tibull. III. 2. 9.

Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaque ossa super nigra favilla teget.
Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.
Sed veniat charæ matris comitata dolore,
Mæreat hæc genero, lugeat illa viro.
Præfatæ ante meos manes, animamque, rogatæ
Perfusæque pias ante liquore manus.
Pars, quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.
Et primum annoso spargent collecta Lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illic quas mittit dives Panchaia merces,
Eoique Arabes, dives & Assyria.
Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem:
Sic ego componi versus in ossa velim.

Quibus nos docet I. Lecta fuisse *ossa* ab amicis, & propinquis. Testatur hoc quoque Homer. Iliad. Ω. n. 793.

Ossa alba collegerunt fratres, sociique.

Senec. de Ira II. 33. *Dignus fuit, cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere.* Prop. IV. I. 127.

Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris.

II. Lotis ante manibus lecta *ossa* fuisse. Hujus ritus vestigium me alibi legere non memini. Hic autem clarissimis verbis indicatur. III. Eos, qui reliquias legebant, fuisse incinctos, id est, soluta, fluxaque veste muliebrem in morem. Quod & annotavit Suet. Aug. c. 101. n. 9. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati, & discincti.* IV. Collecta vino, lacte, aliisque odoribus, imo etiam lacrymis suffusa irrigata, & in linteo ventilari solita, ut exugeretur humor iste, quo sparsa erant. Ovid. Heroid. XIV. 127.

Et sparsa lacrymis perfusa fidelibus ossa.

In Epitaphio Rusticellæ:

Ne grave sit tumulum visere sæpe meum.
Et quæcunque tuis humor labetur ocellis
Protinus inde meos defluat in cineres.

Inscriptio vetus:

O utinam vivo potuissem præmia morum
Reddere, nunc lacrymas accipe pro meritis.
Nam, semper, fateor, tacita te mente probavi:
Detexit sensus ultima flamma meos.
Ossibus infundam quæ nunquam vina bibisti.

Kirchm. de Fun. Rom. III. 6. Herald. Adv. I. 7. Guther. de jur. man. I. 26. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 2. Nicol. de Luct. Græcor. c. 13. §. 8. Quensteed. de Sepult. vet. c. 7. Clasen. Theol. gentil. I. 10. Sched. de Diis German. c. 49. Casal. de Funer. p. 350. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. 2. c. 21. Proph. Roman. rit. c. 26. Voss. Lex. Etymol. in Os. Ferrar. Elect. II. 21. Hotman. Antiq. Romar. III. I. p. 391. Cerda Æneid. XI. 212. Legebantur tum in urnam. V. infr. in *Urna*. tum in sinum. V. infr. in *Sinum*. Et componebantur. V. supr. in *Componere*. Illa funeræ mulieres in sinu colligebant. V. supr. in *Funera*. Multum interesse puto inter *ossa legere homini mortuo*, & inter *hominis mortui ossa legere*. Nam *ossa* hominis mortui, quæ dispersa sunt, & non cohærent, cum simul colliguntur, tunc *hominis ossa legi* dicuntur. Senec. de Ira II. 33. *Dignus fuit, cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere.* Apul. Flor. p. 800. *Recta de auditorio ad exsequias eundum, legenda ejus esse ossa.* Cæterum *homini mortuo leguntur ossa*, cum ejus cadaveri aliqua *ossa* adimuntur. Hoc sensu *vivis ossa legere* Senec. ad Marc. c. 22. *Atque lacerationes medicorum ossa vivis legentium.* Legere siquidem pro adimere, & auferre veteres dixisse non est obscurum, si consideremus eum dicendum esse sacrilegum, qui adimit, qui aufert res Deo rite consecratas. Horat. Sat. I. 3. 117.

Et qui nocturnus divûm sacra legerit.

Decemviri vetuerunt *homini mortuo ossa legi*. Cicer. de Leg. II. 24. *Cætera funebria duodecim sustulerunt: homini mortuo ne ossa legito.* Per *ossa* membrum aliquod ex *ossibus* duobus aut tribus constans, ut est, digitus, intellexerunt: illudque homini mortuo adimi vetuerunt, nisi is, aut peregre, aut in bello mortuus esset. Quum enim alicui digitus legitur, certe eidem adimuntur, sive *leguntur ossa, quo post funus fiat:* quod addunt decemviri. Et hoc interpretatur Festus mox laudandus. Credo, quia molestum esset, ad eum locum amicos exsequiarum causa evocare, ubi quis in bello occubuisset, vel ubi civis Romanus inter peregrinos

grinos mortem obiisset. Ideoque homini hujusmodi mortuo permiserunt *ossa legi, quo post funus fiat*, hoc est, membrum aliquod adimi, ad quod servatum justa Romæ fierent, reliquo corpore apud peregrinos combusto. *Ravard. in leg.* XII. *tab. c.* 15. *Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 732. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab Class.* I. *c.* 7. *Hotman. l. l. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 6. Acute quidem hæc, sed parum ἐυσόχως. Aliud enim est *digitum abscindere*, aliud *legere ossa*, etsi res sunt valde affines, & ab eadem causa manantes. Utrumque institutum augendo luctui, ut ait Cicero. Erant nempe, qui ante ἐκφορὰν mortuo digitum præciderent, ad quem servatum justa fierent postmodum, quoties luctum vellent instaurare. Festus: *Membrum abscind. mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur, ad quod servatum justa fierent, reliquo corpore combusto.* Alii vero *ossa* in reliquiis condendis legebant, domumque ferebant fine eadem. Quæ de Varronis *Excepto*, vel Ciceronis *Recepto osse* intelligendi existimo. Verum hunc morem *legendi ossa* XII. tabulæ sustulerunt, *extra quam si quis foris militiæque mortuus siet.* Tum enim *ossa legi* permittebant, quod *pium sit, reliquias majorum sepulcris inferri.* Kirchman. ibid. III. 7.

OSSUARIUM, sive *Ossarium* dicebatur urnula, cui inclusa ossa & cineres defunctorum componebantur. Græcis ὀστοθήκη, vel ὀστοδοχεῖον. Vetus inscript. JULIA. FUSCINIA. OSSUARIUM. VIVA. SIBI. FECIT. Altera: OSSARIUM. M. MANNEI. ERONIS. Meminit & hujus vocis Ulpian. l. 2. ff. de sepulc. viol. *Kirchm. de Fun. Rom.* III. 8. *Guther. de jur. man.* II. 24. *Reines. Inscript. Class.* IX. *n.* 24. *Quensteed. de Sepult. vet. c.* 7. *Ferret. Mus. Lapid.* III. 28. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 645. *A. Clasen. Theol. gentil.* I. 10. 10.

OST.

OSTENTUM *Labeo definit omne contra naturam cujusque rei genitum, factumque. Duo autem genera sunt ostentorum: unum quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus forte, aut pedibus, aut qua altera parte corporis, quæ naturæ contraria est: alterum, cum quid prodigiosum videtur, quæ Græci* φαντάσματα, *id est, visiones vocant.* Buleng. de Prodig. c. 1. August. ad Leg. XII. tab. §. 45. Niphus de Augur. I. I. Schill Nomencl. Philol. p. 857. Solebant procurari. V. supr. in *Monstrum.*

OSTIA in faucibus Tiberis ab Anco Marcio exstructa est, invehendis mercibus opportuna inprimis, & necessaria. Liv. I. 33. *Ab eo in ore Tiberis Ostia urbs condita.* Flor. I. 4. 2. V. illum infr. in *Portus Ostiæ.* Dionys. III. p. 183. *Porro qua inter flumen, & mare prominens littus curvatur in cubiti speciem, oppidum Ancus muniit, quod ex ea re Ostiam appellavit,* Θύραν *nos diceremus: effecitque ut Roma non mediterraneis tantum, sed etiam marinis hominibus patens, transmarina quoque bona degustaret.* Sagittar. de jan. vet. c. 3. §. 7. Sigon. de jur. ant. Ital. II. 5. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 8. A. Ferret. Mus. Lapid. I. 16. Aring. Rom. Subterr. III. I. §. 10. Elmenhorst. in Min. Felic. p. 10. Merul. Cosmogr. II. 4. 22. Cluver. Ital. Ant. III. 3. §. 1. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 49. §. 8. Goltz. Ital. p. 225. Eo luxuriæ causa Romani nepotuli, & decoctores se conferebant. Juven. Sat. XI. 46.

Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romæ
Et coram dominis consumitur: inde ubi paullum
Nescio quid superest, & pallet fœnoris auctor,
Qui vertere solum, Bajas & ad Ostia currunt.

Vel etiam, ut ibi lavarent. Nam & hic quasi quædam mœroris credebantur abstersiones, ubi lupini velut amari aquis, ita & animi solliciti edulcarentur lavacris. Quo referre quisquam posset, quod est in August. Confess. IX. 12. §. 4 qui *cum corpus Monicæ matris apud Ostia Tiberina,* ubi se instaurabant navigationi, *defunctum extulisset, ad sanandum dolorem suum, visum eidem pissimo filio fuit, ut iret lavatum, quod audisset inde balneis nomen inditum, quia Græci* βαλανεῖον *dixissent, quod anxietatem pelleret ex animo. Sed,* confitetur ibidem, *misericordia patris orphanorum, quod postquam lavisset, talis adhuc fuisset, qualis prius quam lavisset, cum ne sic quidem exsudasset de corde suo mœroris amaritudo, nisi quod deinde dormierit paullo melius, & evigilans non parva ex parte invenisset mitigatum dolorem suum.* Inde Rutil. Itiner. I. 155.

Pan te precor gemino placatum Castore portum,
Temperet æquoream dux Cytherea viam.

Rivin. de Majum. c. 7. §. 23.

OSTIARIUM erat genus tributi, quod *ostiorum* nomine pendebatur. Cæs. de Bell. civ. III. 31. *Multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur, in capita singulorum servorum, ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur.* Ejus meminit Cicer. Fam. III. 8. *Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumptu legationum aut minuendo, aut remittendo decrevisse nihil, nisi quod principes civitatum a me postulassent: ne in venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum, atque ostiorum inducerentur sumptus minime necessarii.* Sagittar. de jan. vet. c. 3. §. 15. Burman. de Vectig. Dissert. c. 12. p. 248.

OSTIARIUS, quem *claustritium* appellat Lævius apud Gell. XII. 10. *puerum ab janua* Nep. XXIII. 12. 4. aditum obsidebat, ut admitteret nimirum, vel dimitteret eos, qui dominum conveniebant. *Pignor. de Serv. p.* 444. Hunc Græci θυρωρὸν vocabant. Suidas: Ὀστιάριος, *qui custodit portas, & impedit ingredi volentes.* In aula, ubi plurimi *ostiarii*, quidam præfectus eorum decurio vocabatur. V. supr. in *Decurio.* Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. VI. p. 214. Beger. Spicil. Antiq. III. 7. Du Fresne Glossar. III. p. 75. V. & supr. in *Janitores.*

OSTIUM proprie dicebatur de clausis foribus; uti janua de apertis, si placuerint Serv. Æneid. VI. 43. *Non sine causa dixit aditus & ostia. Nam Vitruvius, qui de Architectonica scripsit, ait, cum ab aliquo arcemur ingressu, id ostium dici.* & Isidor. XIV. 7. *Janua est primus domus ingressus: cætera intra januam ostia vocantur. Generaliter quidem ostium est, per quod ab aliquo arcemur ingressu dictum.* Sagittar. de jan. vet. c. 3. §. 4.

Ostia in circo, unde equi exibant ad spatia septem decurrenda, non omnia paris conditionis fuerunt; sed alia melioris, alia pejoris sortis habita. Ideo sortito legebantur. Singulis missibus quatuor quadrigæ emittebantur, quæ quatuor *ostiis* exibant. Quod proximum *ostium* primis metis fuit, mediæque circi areæ, id optimæ conditionis habebatur, & *primum ostium* dicebatur. Nam ab eo loco ad ultimas metas brevissimum iter quia rectissimum. Longius a secundo, deinde a tertio, longissimum a quarto, eoque id *ostium* pessimæ, & ultimæ sortis, quia longius erat remotum a recto tramite, qui a metis prioribus ad metas ulteriores patebat. Auson. Epist. XVIII. 11. V. illum supr. in *Janua consulum.* Ex duabus circi extremitatibus, altera quæ in hemicycli formam desinebat, amplissimum, & patens *ostium* mœniano suppositum, & duo ex utroque latere alia mœniana, sive podia quadrigis ornata habebat. In altera autem, cui figura quadrata anguli in modum turrium, vel mœnianorum erant, tredecim *ostia* fuere constructa, quorum medium omnium maximum, alio podio subjectum, reliqua duodecim æqualia & minora, sex scilicet ex utraque majoris *ostii* parte erant. Ausonius. V. illum supr. in *Janua consulum.* Panvin. de Lud. circens. I. 5. De illa porta, quæ fuit, ubi circus in hemicycli formam desinebat, ubi erant ultimæ metæ, circa quas agitatores fervidas flectebant rotis, altum apud omnes scriptores veteres est silentium. Media porta una tantum fuit, & ea quidem in fronte circi inter duodecim *ostia* contra spinam, per quam thensæ, & pompa ducebatur, & ad quam ipse munerator sedebat in cultu, & curru triumphali. Ex quatuor vero huic portæ proximis *ostiis* (erant autem duodecim, sex ab utroque latere)

ſatere) mappa miſſa quatuor emittebantur aurigæ, eaque *oſtia* dicebantur etiam *carceres*. Virg. Georg. I. 512.

Ut cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Addunt ſe in ſpatia.

In parte circi extrema in hemicyclum deſinentis metæ tantum erant, ſeu turriculæ tres in una baſi, & præterea ſeptem aliæ turriculæ, quæ aut erant ovalis formæ, aut ſpiras ovalis formæ verticibus habebant impoſitas, quæ ad denotanda ſpatia, quot confecerant aurigæ, erigebantur, ut ſi bis emenſi eſſent circum, duæ conſpicerentur; ſi ter, tres; cum ſeptimum ſpatium conficeretur, & auriga primus circa metam currum egiſſet, ſeptem ova ſtabant conſtituta in omnium oculis, ut tam ſpectatoribus, quam quadrigariis innoteſceret, miſſum hunc eſſe peractum, quia ſeptem ſpatia emenſi erant aurigæ. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* * 4. *verſ.* Utrinque ſenos carceres fornicatos habebat. Ea ſunt *oſtia* circi. Sena illa, quæ ad dextram erant medii *oſtii*, omnia æqualiter, & uno eodemque tempore pandebantur, quamvis ex quatuor tantum prioribus quadrigæ mitti ſolerent, niſi ſi quando plures quam quatuor colorum factiones certarent. Nam priſtinis quatuor gregum factionibus Domitianus duas fertur addidiſſe, purpurei, auratique panni. Senis *oſtiis* opus fuit apertis, quando hæ ſex factiones ſimul committebant. Cæterum poſt mortem Domitiani non diu ad hibitæ illæ duraverunt, ſed priſtinus numerus eſt retentus. Quærat aliquis, cur ſex *oſtia* ſemper ſolita ſint aperiri, cum ſollenne eſſet quatuor duntaxat quadrigas ex quatuor *oſtiis* per ſingulos miſſus emitti. Et ſane cum cætera *oſtia*, tum magis apertiones eorum ſupervacuæ. Atqui non ſena tantum *oſtia*, ſed omnia duodena in circo Romano una ſimul machinatione pandi ſolita oſtendit locus Caſſiod. III. 51. *Biſſena oſtia ad duodecim ſigna poſuerunt. Hæc ab Hermulis funibus demiſſis ſubita æqualitate panduntur, docentibus totum illic, ut putatur, conſilio geri, ubi imago capitis cognoſcitur operari.* Nec abnuit Auſonius, ſi recte capiatur. Non enim dicit ſena tantum *oſtia* circum aperire, ſed pro parte ſena. Ergo ab una parte ſex, ab altera totidem aperiebantur, excepto medio *oſtio*, in quo conſulum ſedes, atque editoris. Omnia ſimul, quæ unum latus circi ex minoribus occupabant, pandi ſolita clare dicit Dionyſ. III. p. 201. *Reliquum e duobus minoribus latus, quod ſubdivale eſt, habet fornicatos carceres, unde equi emittuntur, qui omnes uno aperiuntur repagulo. Cryptas, & porticus fornicatas* ejuſmodi Dionyſii ἱππαφέσεις ψαλιδωτὰς vocavit Sidon. ſupr. in *Janua*. Sciendum porro eſt præter illud *oſtium* medium duodenos in circo carceres equorum fuiſſe, utrinque ſenos, ut teſtatur ibidem Sidonius. Sola ſex *oſtia*, quæ a latere dextro illius mediæ januæ erant, neceſſaria mittendis quadrigis fuere, quia a dextra ad ſiniſtram curricula ſua peragebant. An igitur ad ornatum, atque ut æqualis eſſet architecturæ facies, totidem *oſtia* in altero latere facta, quæ ut ipſa eodem machinarum artificio, eodemque tempore pandebantur, quamvis nulli inde currus emitterentur? Ex illis porro ſenis *oſtiis*, quæ ad dextram fuere primarum metarum ſola quatuor prima quadrigas emittebant, quatuor certaturas ſingula ſingulas. Quod ab eo tempore obtinuit, quo in quatuor colores, & greges tota circi factio diviſa eſt. Hoc enim conſtituto quatuor aurigæ cum ſuis quiſque coloribus per ſingulos miſſus certabant. Antea plures in hoc certamen ἱππικὸν deſcendebant. An legitimum dicemus fuiſſe, ut ſex una miſſione contenderent, ideo Tarquinium Priſcum, ſi modo in circo maximo primus carceres exſtruendos curavit, ſex tantum *oſtia* in eo feciſſe, ſex quadrigis emittendis? Atque duodecim *oſtia*, ſive carceres in circo illo, ſex in ſiniſtra lateris ejuſdem, totidemque in dextera. An ſupervacua, & inutilia prorſus ſiniſtræ partis *oſtia*, atque ad ornamentum tantum architecturæ acta? Supervacanea certe illa, quo tempore quatuor tantum quadrigæ quaternis oſtiis emitti ſolitæ. *Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 633. *a. C. Buleng. de Circo c.* 14. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 2. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 4. *Lyd. Agon. ſacr. c.* 30.

Oſtia fluminum dicuntur illorum exitus, quibus in mare exeunt. Cicer. Phil. II. 11. *Qui hanc rem in Cilicia ad oſtium fluminis Cydni confeciſſet.* pro Man. 12. *Nunc nullam intra oceani oſtium prædonum navim eſſe audiatis.* Salmaſ. Exercit. Plin. p. 310. E. Gyll. de Boſp. Thrac. I. 1.

Oſtia, Græcis στόματα, vocantur portus, quos fere flumina conſtituunt eo loco, ubi ſe dejiciunt in mare. Virg. Æneid. V. 281.

Vela facit tamen, & plenis ſubit oſtia velis.

Ubi Servius: *Oſtia, id eſt, portus, ideo, quia exitus fluminum frequenter portus efficiunt.* Talis portus eſt in *oſtio* Tiberis, cui Ancus Martius navalia adjecit. V. ſupr. in *Oſtia*. Scheffer. Mil. Nav. III. 4.

Oſtia, Græcis στόματα vocantur etiam anguſti inter duo cornua portuum meatus, per quos navigia ingrediuntur, & egrediuntur. Liv. XXXVI. 45. *Ante oſtium portus acie inſtructa ſteterunt.* Qui XXXVII. 11. videtur etiam *fauces* nominare. Quod enim primum *fauces* vocat, mox *oſtium* reddit, cum ait: *Pauſiſtratus unam viam ſalutis eſſe ratus, ſi viam facere per fauces portus, atque erumpere in mare apertum poſſet, princeps remis ad oſtium portus tendit.* Niſi potius ſic differant, ut *oſtium* initium ſit *faucium*, & ab *oſtio fauces* longius promineant in mare. Hinc namque in Livio ſequitur, *ſuperantem jam fauces*, quaſi jam egreſſus *oſtium*, *fauces* ſuperare debuerit. *Scheff. Mil. Nav.* III. 4.

OSTREA in principio cœnæ veteres videntur præbuiſſe. Plutarch. Sympoſ. IX. *Menſæ frigidæ, quod ante oſtrea olus crudum habent, ut dicit Plato, a cauda ad os tranſlata, primum pro ultimo ordinem habent.* Stuck. Antiq. Conviv. III. 1. *Non cibi, ſed oblectamenta ſunt, ad edendum ſaturos cogentia: quod gratiſſimum eſt edacibus, & ſe, ultra quam capiunt, farcientibus, facile deſcenſura, facile reditura.* Senec. Epiſt. 108. Quare, ut delicatorum cupediæ, habebantur. Cicer. Fam. VII. 26. *Ita ego, qui me oſtreis, & murenis facile abſtinebam.* Senec. l. l. *Inde oſtreis, boletisque in omnem vitam renuntiatum eſt.* Nonn. de Re cibar. III. 37. Delicatuli primo morſu deprehendebant, ubi capta eſſent. Juven. Sat. IV. 140.

— *Circeis nata forent, an*
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo,
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu.

Amabant maxime grandia. Juven. Sat. VI. 302.

Grandia quæ mediis jam noctibus oſtrea mordet.

Eaque Lucrina. Petron. c. 79.

— *inde Lucrinis*
Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas.

Mart. III. 60.

Oſtrea tu ſumis ſtagno ſaturata Lucrino.

Aperiebant in ipſa menſa. Senec. Epiſt. 88. *O infelicem ægrum! quare? quia non oſtrea illi Lucrina in ipſa menſa aperiuntur.* Meurſ. de Lux. Rom. c. 14. Lucillii ætate ſingula mille nummis ſunt empta Sat. XIII.

— *his itidem in cœna oſtrea mille*
Nummis empta.

Ciaccon. de triclin. p. 64. Buleng. de Conviv. I. 9.

OSTREARIUM eſt *oſtrearum* vivarium. Tanta enim illorum cura erat apud veteres, ut etiam vivaria illis exſtruerent, ne unquam præclara illa gulæ ſcitamenta deeſſent. Macrob. Sat. II. 11. V. illum ſupr. in *Orata*. Plin. IX. 54. *Oſtrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano, ætate L. Craſſi Oratoris ante Marſicum bellum: nec gulæ cauſa, ſed avaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio ſuo percipiens.* Buleng. de Conviv. II. 31. Nonn. de Re cibar. III. 37.

OSTROGOTHI. V. illos ſupr. in *Gothi*.

OTA.

OTACILLA gens. V. illam ſupr. in *Gens*.

OTH.

OTHO M. Salvius, Galba Auguſto, & Piſone Cæſare 17 Kal. Febuar. an. 821. cæſis, octavus poſt Cæſarem dictatorem imperium Romanum invaſit. Ejus pater L. Otho vir conſularis, avus vero Marcus prætorius fuere. Ei omnia Imperatorum inſignia, & titulos a ſenatu decreta fuiſſe docet hic nummus: IMP. OTHO. CÆSAR. AUGUSTUS. P. M. TRI. P. COS. In imperio confirmatus conſul fuit II. antea enim ſub Galba fuerat, & id docet ejus antiquo nummo eſt: IMP. OTHO. CÆS. AUG. TRI. P. a tergo PONT. MAX. COS. II. Hoc anno 12 Kal. Maji, qui dies quintus & nonageſimus imperii erat, ipſe bello civili a Vitellio Bebriaci victus, ſe ipſe Brixelli interfecit, annum ætatis agens ſeptimum & vigeſimum, ut auctores ſunt Tacitus & Suetonius. *Panvin. Faſt.* II. *p.* 105.

OTHONE, ὀθόνη, & ὀθόνιον dicitur veſtis linea, quæ, quoniam interdum muliebris erat, ab Homer. Iliad. III. 141. inducitur Helene ἀργεννῇσι καλυψαμένη ὀθόνῃσιν. Heſychius: Ὀθόνη, σινδών. Ὀθόνια λινᾶ ἱμάτια. Idem Homer. XVIII. 595. puellis tripudiantibus dat λεπτὰς ὀθόνας, adolescentibus autem χιτῶνας εὐνήτους. Quanquam Heſychius ὀθόνιον πᾶν τὸ ἱμάτιον κἂν μὴ λινοῦν ᾖ interpretatur. Mulieribus etiam tunicas lineas adſcribit Ariſtoph. Lyſiſtr. p. 844.

Stamusque nudæ lineis in ſubuculis.

Ubi χιτώνας ἀμοργίνας interpretantur lineas tunicas, quod amorgina veſtimenta ad inſtar byſſi, ſive carbaſi tenuiſſima eſſent. Veteres tamen criticorum aliqui genus coloris dixere, nempe purpureum ſecundum gloſſam, ut ait Euſtathius: ut non ſatis conſtet, utrum ea vox lini ſpeciem, an colorem, an utrumque ſignificet. *Ferrar. de Re vest.* II. 4. 12. *Feith Ant. Hom.* III. 7. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 824. *C.*

OTI.

OTIUM quantum det malorum, exercitus Romani duces, & Imperatores, gnari, tam Republica libera, quam cum ſub Cæſarum conceſſiſſet imperium, mox ut armis ſibi quietem, & pacem pepererant, non ideo militem *otioſum* habebant; ſed eum operi, aut ad voluptatem, aut ad utilitatem, aut ad neceſſitatem faciendo admovebant. Sic Corbulo inferioris Germaniæ legatus ſub Claudio Imperatore, præcipue, *ut miles otium exueret, inter Moſam, Rhenumque trium & viginti millium ſpatio foſſam produxit, qua incerta oceani vetarentur,* teſte Tacit. Annal. XI 20. 2. In eadem Germania *Paullinus Pompejus, L. Vetus ſub Nerone Imperatore exercitui præerant: ne tamen ſegnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres & ſexaginta annos a Druſo aggerem coercendo Rheno abſolvit: Vetus Moſellam atque Ararim, facta inter utrumque foſſa connectere parabat, ut copiæ per mare, deinde Rhodano atque Arare ſubvectæ per eam foſſam, mox fluvio Moſella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent: ſublatiſque itinerum difficultatibus, navigabilia inter ſe orientis ſeptentrioniſque littora fierent:* ut idem Tacit. Annal. XIII. 53. 2. teſtatur. Inter labores illos erat & munitio viarum. Cœpit id opus militare brevi poſt vias extra Urbem munitas. Flaminius conſul, qui primus poſt Appium Cæcum vias militares per Italiam munivit, perdomitis Liguribus, pace data finitimis, provincia aliquamdiu a bello quieta, *ne in otio militem haberet, viam a Bononia perduxit ad Arretium,* teſte Liv. XXXIX. 2. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 2. §. 2.

OYA.

'OYA fuit interjectio admirantis, quam Latini *vah* dicunt, & eſt mere Latinum: quam & Græci uſurparunt in acclamationibus, vel etiam ſcriptores Græci, qui ipſi ipſa verba acclamationum referebant, cum cætera Græce expreſſiſſent, eam ex Latino retinuerunt. Arrian. in Epictet. III. 23. Εἰπέ μοι οὐὰ, καὶ θαυμασικῶς. Et: Ἵνα σοι, οὐὰ, φάσιν ἐπιφωνημάτια λέγοντι. Dio LXIII. p. 724. A. Πάντων δὲ τῶν ἀνθρώπων, καὶ αὐτῶν τῶν βουλευτῶν ὅτι μάλιστα συμβοώντων, Ὀλυμπιονῖκα οὐὰ, Πυθιονῖκα οὐα. οὐὰ igitur inter laudantium, & admirantium voces, & οὐὰ θαυμαστῶς, σοφῶς, & ſimiles. Latinum plane eſt *vah*, quod frequens occurrit apud Comicos. Terent. Eun. IV. 6. 20.

Vah qualem me putas eſſe.

Adelph. III. 2. 17.

Tum Syrum impulſorem, vah! quibus illum lacerarem modis.

οὐὰ, *vah*: ut Οὐεσπασιανὸς, *Veſpaſianus*, Οὐενετία, *Venetia*, Ὀκτάουιον, *Octavium*. Sic enim veteres, Euſtathio teſte, quod recentiores Βεσπασιανὸν, Βενετίαν, Ὀκτάβιον ſcripſere, & pronuntiavere. Eam acclamantes tum emittebant, cum vel ob rei ſive novitatem, ſive magnitudinem, vel ob dicentium, aut recitantium excellentiam, præſtantiamque in admirationem traducebantur. Adducta veterum teſtimonia transferimus. Arriani: *Dic mihi vah, & admirabiliter.* Et: *Ut tibi vah acclament epiphonemata dicenti.* Dionis: *Acclamabant omnes, & ſenatores inprimis, Vah, Olympice victor, vah, Pythice victor.* Salmaſ. in Pollion. Claud. c. 18. Ferrar. de Acclam. & Plauſ. III. 15.

OVA.

OVA olim initio cœnæ apponebantur. Hinc Cicer. Fam. IX. 20. *Integram famem ad ovum affero.* Horat. Sat. I. 3. 6.

Si collibuiſſet, ab ovo
Uſque ad mala citaret, Io Bacche.

id eſt, ab initio cœnæ uſque ad menſam ſecundam, quæ pomis, ſeu malis conſtabat. Porphyrio in Horatium: *Ab ovo uſque ad mala, ab initio cœnæ ad finem. Ovum enim hodie initium cœnæ, quippe cum in guſtu ſtatim a balneis offeratur, mala autem apud veteres inter cætera ſecundæ menſæ afferebantur.* Varr. apud Non. IV. 46. *Diſcumbimus mutuis, dominus maturat ova, ac cœnam committit.* Cum quidam e convivis apud Varr. de Re ruſt. I. 2. qui ſe tardius veniſſe exiſtimabant, ita rogarent cæteros: *Num cœna comeſa venimus?* reſpondent illi: *Bono animo eſto: nam non modo non ovum illud ſublatum eſt, quod ludis circenſibus noviſſimi curriculi finem facit quadrigis: ſed ne illud quidem, quod in Cereali pompa ſolet eſſe primum.* Ciacon. de Triclin. p. 54. & ad illum Urſin. p. 309. Voſſ. de Idolol. III. 90. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 14. Torrent. in Horatium. Baccius de Conviv. Ant. II. 11. Caſal. de Conviv. vet. c. 1. de Urb. ac Imper Roman. ſplend. part. 2. c. 19. Carol. Antiq. Roman. IV. 6. Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 1. Laurent. de Prand. c. 6. Buleng. de Conviv. II. 4. Feralibus etiam epulis apponebantur. Juven. Sat. V. 84.

Sed tibi dimidio conſtrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.

Kirchm. de Fun. Rom. IV. 7. Guther. de Jur. man. II. 12. In luſtrationibus locum ſibi ſane non ultimum vindicarunt. Antiquæ enim puritatis, & puræ antiquitatis ſymbolum erant commodiſſimum: unde & proverbium: ἐξ ὠοῦ ἐξῆλθεν, de illis, qui ſupra modum puri eſſent, ac nitidi. *Lomej. de Luſtrat. c.* 21. Monſtrat hoc illud Juven. Sat. VI. 518.

— niſi ſe centum luſtraverit ovis.

Indicat hoc Ovid. Art. Amand. II. 329.

Et veniat, quæ luſtret anus, lectumque, locumque,
Præferat & tremula ſulphur & ova manu.

Ejus a recentioribus ratio promitur, quod ex animalium generibus adeo multiformibus plurima edantur *ovis*, quæ velut media ſint inter animal, & non animal: proinde pergrata diis cenſuere veteres: quando & cyami nomine non aliud intellexiſſe videatur Pythagoras, quam ovum, quod ſit in eo animalium κύησις, id eſt, fœtura. Ejus erat de-

cretum,

cretum, compar censeri κνάμας ἰδῖειν, κεφαλάς τε τοκηῶν. Rhodig. Ant. Lect. xxvii. 17. Stuck. de Sacrif. p. 215. Brod. Miscell. i. 25. Schill Nomencl. Philol. p. 6,,.

Ova circi ornamenta fuerunt fabricæ quædam ex ligno ovali figura factæ, cum basi, qui sisti posset, & erigi. Dio xlix. p. 417. A. vocat ὠοειδῆ δημιουργήματα, ovales fabricas. Poterant hinc inde transferri, & portari. Quod & Varro innuit verbis laudatis supr. in Ova. Salmas. Exerc. Plin. p. 640. a B. Bargæus de ædif. Rom. evers. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. iv. p. 1889. D. Non procul ab utrisque metis, imo metis ipsis imposita fuerunt. Non ita fuisse antiqua nonnulli putant, & Agrippæ ejus rei originem tribuunt, auctore Dion. l. l. Cum videret in circo homines sæpius errare circa numerum spatiorum decurrentium delphinos, & ovales fabricas constituit, quibus circuitus curriculorum notarentur, ac numerarentur. Quibus verbis innuitur, ova metis imposita ab Agrippa, ut cum variæ columnæ in circo essent, ne erraretur in metis, indicarent ova metam ultimam, quæ & circumflectenda fuit. Buleng. de Circo c. 19. Hæc prorsus absurda sunt, & falsa. Nam etsi plures columnæ in circo, nullæ tamen metis similes, quæ geminæ tantum fuere, primæ & ultimæ. Utraque ex una basi tres summitates, sive obeliscos surgentes habuit. Nihil simile in aliis columnis. Nemo hic igitur potuerit errare. Nec hoc dicit Dio, sed circa numerum spatiorum, & curriculorum homines labi solitos. Exempli gratia, cum quatuor essent curricula peracta, quidam quinque, aut sex spatia evoluta dicerent. Quod & Liv. xli. 27. docet: ubi ait censores locasse carceres in circo faciendos, & ova ad notas curriculis numerandis. Ergo ova illa notæ fuerunt, quibus curricula numerabantur. Id factum an. ab U. C. 581. Quod si verum est, illud utique falsum erit, quod asserit Dio Agrippam primum invenisse, ut curriculorum in circo numerus ovorum notatione designaretur. Quin & Varro supr. in Ova meminit illius ovi, quod ludis circensibus novissimi curriculi finem faciebat quadrigis. Ergo ante Agrippam reperta, & usitata ova notandis in circo curriculorum numeris. Nec ova illa metarum summitati imposita erant. Qui enim metarum apicibus addita, quot jam spatia peracta essent, possent indicare? præterea non ova sunt, quæ summis metis, & obelisco imposita visuntur, sed pilæ, vel sphæræ, sicut omnibus fere pyramidibus, & obeliscis eas addi moris fuit in summo apice. Alia porro est ovi forma, alia sphæricæ. Non vane auguror septem ova tot numero statuta fuisse, quot curricula erant peragenda. Primo curriculo peracto unum ovum e medio tollebatur, secundo facto alterum. Ita de reliquis. Sexto spatio confecto unum restabat ovum, quod novissimi curriculi indicium faceret: quo absoluto etiam illud auferebat. Ad eam sententiam manifestis, & expressis vestigiis ducunt verba Varronis, quæ superius attulimus. Poterat & contraria ratione numerus curriculorum per ova oriri, ut singulis peractis spatiis unum subinde ovum produceretur in medium, atque erigeretur, quibus omnibus productis, & statutis, omnia curricula finita indicarentur. Hanc rationem, ut in vulgatis editionibus descriptus est, videtur adstipular Cassiod. Var. iii. 51. Nec illud putatur vanum, quod metarum circuitus ovorum erectionibus exprimatur, quando actus ipse multis superstitionibus gravis, ovi exemplo geniturum se aliqua profitetur. Ut hæc sunt, eum sensum efficiunt, proxime diximus. Sed veteres libri habent ovorum exceptionibus. His exprimebantur circuitus curriculorum, quia post singula spatia evoluta unum eximebatur ovum. Nihil verius. Idem sensus potest inesse & lectioni ipsæ, exceptionibus. Nam excipere est ὑπεξαιρεῖν, & exceptio ὑπεξαίρεσις. Excipere aliquem de grege, de numero idem est quod eximere. Glossæ: Excepti ὑπεξῃρημένοι. Juvenalis videtur phalas vocare. Eas quoque cum delphinis conjungit, ut fecit Dio. V. infr. in Phalæ. Salmas. l. l. Ciaccon. de Triclin. p. 56. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. i. 14. Ferrar. Elect. ii. 15. Faber Paralip. ad Agonist. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. viii. p. 2262. D. Donat. in Livium. Alciat. Parerg. iv.

c. ult. Pamel. in Tertull. de Spect. c. 8. n. 70. Jun. in Tertull. de Spect. c. 8. Fuerunt Polluci, & Castori sacra. Tertull. de Spectac. c. 8. Ova honori Castorum adscribunt, qui illos ovo editos credendo de cygno Jove non erubescunt. Illis pro insigni dimidiatam ovi testam tribuit Lucian. dial. Apoll. & Mercur. p. 236. ὠὰ τὸ ἡμίτομον. Et, cum inter homines degerent, galeis utebantur, quæ dimidiati ovi figuram haberent. Lycophr. n. 506.

Quorum caput ovalis testæ hemisphærium
Operiet.

Buleng. & Salmas. l. l. Nardin. Rom. vet. vii. 2. Panvin. de Lud. Circens. i. 14.

OVATIO erat triumphus minor. Dionys. viii. p. 535. *Aquilo minor triumphus concessit, quem ovationem nominant.* Qui ovabat, pedibus incedebat. Unde πεζὸς θρίαμβος dicitur. Dionys. ix. p. 594. *Manlius in Urbem reversus, ob confectum id bellum,* τὸν πεζὸν θρίαμβον, *ovationem, quam petierat, impetravit.* Quomodo a triumpho differat, docet Dionys. v. p. 314. *Primum, quod in ipsa ovatione is, cui eam decernunt, ingreditur pedibus, non autem curru, ut ille: deinde quia non gestat togam pictam, & palmatam, neque ornatur trabea, qui est consulum, & prætorum patrius cultus; neque laurea coronatur, quinetiam sceptrum in re altera caret, quod non gestet sceptrum.* Ovantium enim est myrtea. Plutarch. Marcell. p. 310. D. Postea equo est vectus. Dio liv. p. 544. E. *Ut eques in Urbem veheretur.* Symmach. Epist. x. 22. *Ut cautes equinam duci fecissent, ut triumphantes currus inveheret.* Ovationis causa fuit, ut inquit Gell. v. 6. *quum aut bella non rite indicta, neque cum hoste justo gesta sunt: aut hostium nomen humile, & non idoneum est, ut servorum, piratarumque: aut deditione repente facta impulverea, ut dici solet, incruentaque victoria obvenit.* Buleng. de Triump. c. 18. Sigon. de Ant. jur. prov. ii. 10. Panvin. Fast. v. p. 344. Pigh. Annal. Rom. i. p. 79. Blond. Triumph. Rom. x. p. 202. H. Boxhorn. Quæst. Rom. c. 44. Fabrett. Mus. Lapid. ii. Memor. 36. Laz. Comment. Reip. Rom. ix. 3. Stuck. Ant. Conviv. i. 21. Paschal. de Coron. vii. 21. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 10. de Triump. c. 2. & 3. Kipping. Dissert. de Victor. c. 5. Barth. in Stat. Theb. ii. 604. Zimmerman. Floril. Philol. p. 586. Schill Nomencl. Philol. p. 859. Pitisc. in Suet. Aug. c. 22. n. 2.

OUF.

OUFENTINA tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

OVI.

OVICULA est dictus Q. Fabius Maximus, quia moribus fuit humilibus. Plutarch. in Fab. p. 174. C. *Ovicula etiam puer dictus est ex mansuetis, & gravibus moribus.* Aurel. Vict. de Vir. Illustr. c. 43. n. 1. *Quintus Fabius Maximus Ovicula a clementia morum dictus.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Bochart. Hieroz. i. 2. 46.

OVILE dicta fuit septa, in quibus comitia ad creandos magistratus habebantur, quod populum inclusum cogerent, veluti caulæ gregem. Juven. Sat vi. 528.

— ut spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.

Lucan. ii. 197. V. illum infr. in *Villa publica*. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 4. Donat. de Urb. Rom. i. 22: iii. 16. Nardin. Rom. Vet. vi. 6. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 11. §. 6. Beroal. in Serv. §. 38. Nann. Misc. vi. 2. Grucch. de Comit. Roman. i. 4. *Ovilia* appellata sunt; non quod ibi exstructa fuerint, ubi Romulus pecora paverit, ut Berold. in Virg. Ecl. i. 34. censuit; sed quia antequam Lepidus marmoreis porticibus illa exornaret, ligneis cancellis, veluti quidem ovium stabula undequaque claudebantur, sicuti expressa sunt in argenteo Liciniæ gentis denario. Hi hoc ligni cancelli, & pontes, quos C. Marius in suo tribunatu plebis, qui contigit anno U. C. 633. ne cui alteri præter suffragatorem illic consisten-

di ad poſtulandum, rogandumque locus eſſet, ſua lege anguſtiores fieri juſſit: quos ſupra ſuffragator apparet, qui, a diribitore tabella accepta, mox ſuum in ciſtam ſuffragium conjicit. *Pignol. Digreſſ. de Columm. Anton. Pii c. 2.* V. & infr. in *Septa*.

OVINIA Lex. V. illam ſupr. in *Lex*.

OVIS ab ovantibus mactabatur. Plutarch. Marcell. p. 311. A. *Imperatori in ovantibus ovem immolare moris erat.* Quod animal, ſimplex, & pacatum pugnam & vulnera aliis non inferret. *Boxhorn. Quæſt. Rom. 44. Panvin. de Triumph. c. 4.* Prima, quæ cecidit, fuit victima. V. infr. in *Porca*.

Ovis adaſia, *vetula recentis partus.* Feſtus. Gloſſ. Iſidor. *Adaſia, ovis major natu.* Qui præterit ea de partu. *Voſſ. Lex. Etymol. Popma de inſtrum. fund. c. 5. Scalig. in Feſtum.* Ego exiſtimo iſta *recentis partus* eſſe interpretationem vocis πρωτότοκος, *primogenitus.* Verba diſtinguo: *Adaſia, ovis vetula, recentis partus,* id eſt, primogenita, quam recenti, ſive primo partu mater peperit. Inde patet, cur Iſidorus dixerit, *ovis major natu.* Sic etiam *avillas* dicit *agnas recentis partus.* Nam avillæ ſunt agnæ vetulæ. *Dacer. in Feſtum.*

Ovis apica dicitur, quæ ventrem lana nudum habet. Varr. de Re ruſt. II. 2. *Ovem eſſe oportet corpore amplo, quæ lana multa ſit, ac molli, villis altis, & denſis toto corpore, maxime circum cervicem, & collum: ventrem quoque ut habeat piloſum. Itaque quæ id non haberent, majores noſtri apicas appellabant, ac rejiciebant.* Feſtus: *Apica dicitur ovis, quæ ventrem glabrum habet.* Apicus, ἄπειχος, glaber. Πεῖκος lanam, ſeu vellus notat. *Voſſ. Lex. Etymol. in Apicæ. Popm. de inſtrum. fund. c. 5. Dacer. in Feſtum.*

Ovis bidens dicitur *interpoſita litera d, quæ eſt duorum annorum: longo loquendi uſu corrupta vox eſt, & ex bidennibus bidentes factum, quoniam id videbatur eſſe dictu facilius, leniusque.* Vel, ut *Hyginus Julius, hoſtia, quæ per ætatem duos dentes altiores habet. Verba illius ipſa poſui: Quæ bidens eſt, inquit, hoſtia, oportet habeat dentes octo, ſed ex his duo cæteris altiores, per quos appareat ex minore ætate in majorem tranſcendiſſe.* Gell. XVI. 6. Macrob. Sat. VI. 9. His ſubſcribunt Feſtus: *Bidentes hoſtiæ duos dentes cæteris longiores habent.* & Serv. Æneid. IV. 57: VI. 39. *Sunt in ovibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non niſi circa bimatum apparent: nec in omnibus, ſed in his, quæ ſunt apta ſacrificiis, inveniuntur.* Gloſſ. Philox: *Bidentes*, ἐπὶ τῶν προβάτων, διὰ τὸ διόδοντα αὐτὰ εἶναι. Hæc ſunt intelligenda non ſimpliciter de duobus dentibus, ſed de duobus dentibus longioribus, & extra cæteros eminentibus. *Voſſ. Lex. Etymol. Oizel. in Gellium. Popm. de inſtrum. fund. c. 5. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 14.*

Ovis delicula dicitur, quæ vel ætate, vel morbo delinquit, & deficit. Cato de Re Ruſt. c. 2. *Vendat armenta delicula, oves deliculas.* Popm. de inſtrum. fund. c. 5.

Ovis mina eadem quæ apica, quæ ventre eſt glabro. Varr. de Re ruſt. II. 2. *Uti pecus ovilium, quod recte ſanum eſt, extra luſcam, ſurdam, minam, id eſt, ventre glabro.* Plaut. Truc. III. 1. 8.

Minas viginti mihi dat: accipio libens,
Condo in crumenam: ille abiit, ego perperas, minas
Oves in crumena hac in urbem detuli.

Ubi venuſte ludit Comicus voce *minas.* Nam & reſpicit minas argenti, quas adoleſcens ex aſinis venditis acceperat, & ſimul alludit ad id, quod apicas *oves* aliter minas appellarent. *Voſſ. Lex. Etymol. in Apicæ. Scalig. Conject. in Varron. p. 217. Popm. de inſtrum. fund. c. 5. Muret. Var. Lect.* IX. 15. *Douza in Plaut. Pſeud.* I. 3. 95.

Ovis paſcalis, ſive paſcualis dicitur, quæ paſſim in nemoribus, & montibus paſcitur. Feſtus: *Paſcales oves pro paſcuales inſcienter Cato dixit in ea quam ſcripſit. . . paſcalis ovis vetuit.* Lucill. apud Feſt. in Solox:

Paſcali pecore, ac montano, hirto, atque ſoloce.

Ubi & hirta, & ſolox quoque vocatur, quia, dum tecta non eſt, ejus lana craſſa eſt, & ſquallida. quæ ſolox vocatur. *Popm. inſtrum. fund. c. 5. Scalig. Conject. in Varr. p. 129. & Feſtum. Voſſ. Lex. Etymol. in Paſco.*

Ovis peculiaris, quæ etiam peculatoria dicitur Varr. de Ling. Lat. IV. 19. dicitur, quæ ſervo, aut filiofamilias eſt in peculio. Plaut. Aſin. III. 1. 37. V. illum ſupr. in *Opilio.* Ut ſervus dicitur peculiaris. V. illum infr. in *Servus.* Popm. de inſtrum. fund. c. 5. Voſſ. Lex. Etymol. in Peculium. Taubman. in Plautum.

Ovis pellita vocabatur, præcipue Tarentina, quæ pellibus deſuper adverſus aeris injuriam tegebatur, ut ejus lana cæteris mollior, ac majore cura, ac ſumptu ad lanificium nutriretur. Et ideo *pellitæ* vocabantur. Varr. de Re ruſt. II. 2. *Similiter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, ut ſunt Tarentinæ, & Atticæ, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte poſſit, vel lavari, ac parari.* Horat. Od. II. 6. 10.

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Idem obtinuit apud Megarenſes, ut patet ex Laert. VI. 41. Qua de cauſa lepidiſſime eorum ſtultitiam, & inhumanitatem erga liberos deriſit Diogenes Cynicus: *Videns*, inquit, *apud Megarenſes oves pellibus tectas, eorum vero liberos nudos; dixit, præſtat Megarenſium arietem eſſe, quam filium.* Bochart. Hieroz. XI. 2. 45. Braun. de Veſtit. Sacerd. Hebr. I. 9. 12. Popm. de Inſtrum. fund. c. 5. Menag. in Laertium. Torrent. in Horatium. Voſſ. de Idolol. III. 70. Zimmerman. Floril. Philol. p. 593.

Ovis puſuloſa, ſive puſtuloſa dicitur, quæ ſacro corripitur igne, quem puſulam vocant paſtores, eo quod pus contineat, & puſtulis cuti imprimat. Colum. VII. 5. *Eſt inſanabilis ſacer ignis, quam puſulam vocant paſtores. Dolus Mendeſius cenſet, propter hanc ſæpius, ac diligenter ovium terga perſpicere, ut ſi forte ſit in aliqua tale vitium deprehenſum, confeſtim ſcrobem defodiamus in limine ſtabuli, & vivam pecudem, quæ fuerit puſuloſa, reſupinam obruamus, patiamurque ſuper obrutam mejere totum gregem, quod eo facto morbus propulſetur.* Popm. de inſtrum. fund. c. 5. Voſſ. Lex. Etymol. in Pus. Thyſ. in Gell. VI. 5.

OXY.

OXYBAPHUM fuit vas, quo acetum, & acria in menſa ſolebant poni. V. ſupr. in *Acetabulum.* a Fannio etiam *oxybaphus* dicitur, continet in ſe ſeſquicyathum: pendet oleo plenum unciam unam, drachmas ſeptem; aqua, aut vino uncias duas, ſcripula duo. *Pætus de Rom. & Græc. menſ. rat.* III. *Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1649. *C.*

OXYGARUM fit ex garo, & aceto. Mart. III. 50. 3.

Depoſiti ſoleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

In hoc ὀξὺ non acutum ſignificat, & penetrans, ſed acidum, vel acetoſum, τὸ ὄξος. Gloſſæ: ὀξύγαρον, *acetarium.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 266. a. A. Buleng. de Conviv. II. 25. Laurent. de Prand. c. 6. Pertinuit ad antecœnam, ſive guſtationem. *Buleng. ibid. c.* 4.

P.



& B ſæpius commutantur. V. ſupr. in *B*.

P & C ſæpius commutantur. V. ſupr. in *C*.

P & R in veteribus libris ſæpe confunduntur, in charactere, quem vulgo vocant Longobardicum, quo plerique libri veterum ſcripti reperiuntur. Sic membranæ *petunſus* habent pro *retunſus* apud Capitolin. Gord. c. 7. &

pecogno-

pecognovit pro *recognovit*, ex quo fecerant *spe cognovit* apud eund. ibid. c. 14. *Salmas. de mod. usur. c. 16. in Lamprid. Heliog. c. 8. Vopisc. Carin. c. 19. Capitol. Gord. l. l. Exercit. Plin. p. 36. b. F. 112. a. D. Reines. inscript. Class.* xx. *n.* 268.

P tenuem in aspiratam sæpe mutabant veteres Latini. Ita e *Panotiis Phanotii*. & denique *Fanesii* tandem corrupti sunt. Plin. iv. 13. *Fanesiorum aliæ, in quibus nuda alioqui corpora prægrandes ipsorum aures tota contegant.* De Panotiis enim hoc Isidor. xi. 3. *Panotii apud Scythiam esse feruntur, tam diffusa aurium magnitudine, ut eis omne corpus contegant. Pan enim Græco sermone omne: ota aures dicuntur.* Turneb. Adv. vi. 19.

P pro T in antiquis codicibus vitioso, sed frequenti more scribendi invenitur. Sic *pelino* pro *telino* legebatur apud Tertull. de pall. c. 4. *rufpare* pro *rustare* apud eund. ibid. c. 2. Et in veteribus glossis *pipita* pro *pitita*, sive *pituita*: *ruplus* pro *rutlus*, & alia sexcenta. *Salmas. in Tertull. de Pall. p. 295. Vopisc. Probus c. 19. Exerc. Plin. p.* 570. *a. B.* 823. *b. A.*

P in signis militaribus notabat signa, seu vexilla principum, ut *H.* hastatorum. V. supr. in H.

PAB.

PABULA, & *sumptus* si Imperator alicubi in urbe Roma decerneret, extraordinarii, & summi honoris documentum erat. *Pabula* dabantur, ut jumenta, quæ quis secum adduxerat, inde publicis impensis alerentur; *sumptus* in hominum alimentum Imperatores largiebantur. Unde hæc conjunctim data legimus. Vopisc. Aurel. c. 9. *Sane quoniam ei,* Aureliano, *aliquid præcipue decernendum est, quamdiu Romæ fuerit, pabula extra ordinem decernes. Ipsi autem ad sumptus aureos Antonianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum. reliqua per præfectos ærarii præbebantur.* Ea etiam, in quibus commoda erant, tenebantur provinciæ militibus hibernantibus dare. Hoc colligo ex Treb. Poll. trig. tyr. c. 18. *Videsne, ut ille provinciales non gravet? ut illic equos contineat, ubi sunt pabula?* Et *in Thracia etiam equites sine noxa provincialium hyemare possunt. Multum enim ex campis fœni colligitur.* Burman. Differt. de Vectig. c. 4.

PABULATIO frequentissime per servos equitum videtur facta, equitibus in statione manentibus. Cæs. de Bell. Gall. viii. 10. *Accidebat quotannis pabulationibus id, quod accidere erat necesse, cum raris, disjectisque ex ædificiis pabulum conquireretur, ut impeditis locis pabulatores circumvenirentur, quæ res etsi mediocre detrimentum jumentorum, ac servorum nostris afferebat.* Apud Leonem οἱ ὑπηρετέντες παῖδες fœnum secare, *pabulum* colligere, & jumenta ad pastum emittere dicuntur. *Schel ad Polyb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p.* 1232. *C. Laz. Comm. Reip. Roman.* iv. 6.

PAC.

PACIFICATOR in statuis dicitur habitus. Quintil. Instit. Orat. xi. 3. *Fit & ille habitus, qui esse in statuis pacificator solet, qui inclinato in dexterum humerum capite, brachio ab aure protenso, manum infesto pollice extendit, qui quidem maxime placet iis, qui se dicere sublata manu jactant.* Sublevare manum solebant imperantes, hortantes, monentes, itemque jussis obtemperantes. Unde in Imperatorum statuis, quæ honori eorum post bella confecta, & pacem redditam fiebant, gestus ille exprimi solebat tanquam imperantium arma ponere, & significantium pacata esse omnia. Talis fuit in pedestri Julii Cæsaris statua, ut in ejus nummo est expressa, quem inter cæteros ejus Cæsaris exhibet Goltzius p. 11. n. 8. Talem fuisse in Augusti statuis, quæ ipsi tum sine dubio decretæ fuere Romæ, cum fugato S. Pompejo res Siciliæ composuisset, ostendunt ejus Imperatoris nummi quatuor apud eundem Goltzium p. 46. n. 4. 6. 7. 9. Nec alius erat ille in Domitiani statua equestri, de quo Stat. Sylv. i. i. 37.

Dextra vetat pugnas.

Exstat adhuc *pacificatore* habitu statua M. Aurelii illa, quæ olim ante ædem Lateranensem posita, nunc in area Capitolina visitur. Pacem illo gestu significari discimus ex Cæs. de Bell. Gall. vii. 50. *Tametsi dextris humeris exertis animadvertebantur, quod insigne pacatis esse consueverat, tametsi id ipsum sui fallendi causa milites ab hostibus factum existimabant.* Et turbarum, seditionumque sedationem. Pers. Sat. iv. 8.

Ergo cum mota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus.

Figrel. de Stat. illustr. Roman. c. 19. Polit. Misc. c. 65.

PACTA *conventa*, & *pacta conventaque* legimus. *Pactum* est ex parte stipulantium: conventum, cum quæ *pepigerunt*, promissa sunt, de hisque est conventum: antecedit enim *pactum*, sequitur conventum. Senec. de Ben. iii. 15. mox laudandus. *Turneb. Adv.* xvi. 5. *Cujac. Observ.* ii. 15. Interea dum res in vadimonio fuit, reus cognita actione, aut actor sine judicio cessit, aut se ad contendendum paravit. Si cessit, rem aut *pacto*, aut transactione composuit. Auctor est Ulpian. ff. de transactionibus: *Qui transigebat,* inquit, *de re dubia, atque incerta, neque finita transigebat, qui paciscebatur, donationis causa rem certam, & indubitatam liberalitate remittebat.* Hinc Cicer. pro Q. Rosc. c. 18. *Cum de sua parte Roscius transegit cum Flavio, actionem sibi suam reliquit, an non?* Hinc erat in edicto: *Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, sc.ta, edicta, decreta principum, neque quo fraus eorum cuiquam fiat, facta erunt, servabo.* Quod ad omnes *pactiones*, transactionesque traductum est. *Sigon. de judic.* i. 20. *Salmas. de mod. usur. c.* 12. Tabulæ omnes, quæ *pacta, conventaque* continebant, signabantur. Cum enim maxima pars mortalium fluxam fidem gerat, hæc a priscis inventa ratio est, ut impressis signis *pacta conventaque* signarentur. De qua re insignis locus apud Senec. de Benef. iii. 15. *Utinam nulla stipulatio emptorem venditoremque obligaret, nec pacta conventaque impressis signis custodirentur: fides potius illa servaret, & æquum colens animus. Sed necessaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quam spectare malunt. Adhibentur ab utraque parte testes. Ille per tabulas plurium nomina interpositis parariis facit. Ille non est interrogatione contentus, nisi rem manu sua tenuit. O turpem humano generi fraudis, ac nequitiæ publicæ confessionem! Annulis nostris plus, quam animis creditur. In quid isti viri ornati adhibiti sunt? in quid imprimunt signa? nempe, ne ille neget accepisse, quod accepit.* Kirchman. de Annul. c. 5.

Pacta puella. V. illam infr. in *Puella.*

Pacta dicebantur tributa, quæ Imperatores pendebant Scythis, Bulgaris, aut Sarracenis. Diacon. xxiii. *Dominus Bulgariæ denuntiavit Imperatori, aut tribue mihi pacta, aut demoliar Thraciam.* Buleng. de Vectig. c. 78.

PACTIO differt a fœdere. Hoc satis demonstrat, ut opinor, Cicer. pro Cæcinn. c. 18. *Quod edictum magistratus, quod fœdus, aut pactio?* Nam *pactionis* nomine etsi omnia, quæ cum hostibus *paciscerentur*, continebantur, quo etiam modo fœdus *pactio* nominari potest: tamen hoc in loco præcipuam *paciscendæ* amicitiæ rationem significatam existimo, ut inducias. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* i. i. *Pactiones* & earum tabulas in deorum delubris custodire solebant, credebant enim veteres illas fidei æedituorum. Asserit hoc Ulpian. l. 3. §. 3. ff. de tab. exhib. *Si custodiam tabularum adituus, vel tabularius suscepit.* Huic subscribit Papin. l. cum pater. §. donationis ff. de Legat. ii. *Donationis prædiorum epistolam ignorante filio, mater in æde sacra verbis fideicommissi non subnixam deposuit, & literas tales ad adituum misit.* Sed major virginibus Vestalibus fides habebatur. V. in *Virgines Vestales.* Laurent. var. sacr. gentil. c. 6. Tomas. de donar. c. 24.

Pactiones decumani, qui decumas conduxerant exigendas ab aratoribus, solebant cum aratoribus facere de sationibus, secundum quas frumenti certa quantitas illis daretur. Iniquas decumanorum Verrinorum *pactiones* late describit Cicer. Verr. iii. 46. . . . 50. Hæ confi-

cribantur, ut lites, quæ inter publicanos, & provinciales ſemper oriebantur, exſtinguerentur. Cicer. Fratr. I. I. *Poſſunt in pactionibus faciendis, non legem ſpectare cenſoriam, ſed potius commoditatem conficiendi negotii, & liberationem moleſtiæ.* Secundum has magiſtratus in provinciis controverſias dirimebant, unde ſibi in provincia agenti gratulatur Cicer. Attic. V. 14. & 15. *ſe poſſe omnibus ſatisfacere, eo facilius, quod in ſua provincia confectæ eſſent pactiones.* Solebant etiam prætores, & proconſules in provinciis edicta de his *pactionibus* proponere, quibus profitebantur, *ſe pacta, quæ nec vi, nec dolo facta erant inter publicanos, & provinciales, ſervaturos:* de quibus agit Cicer. Attic. VI. I. Unde etiam colligitur, *pactionibus* publicanos uſuras adſcripſiſſe, ſi intra tempus *pacto* comprehenſum non ſolutum eſſet vectigal, de quo convenerant, dicit enim: *Uſuras eorum, quas pactionibus adſcripſerant, ſervavit etiam Servilius, ego ſic: diem ſtatuo ſatis laxam, quam ante ſi ſolverint, dico me centeſimas ducturum: ſi non ſolverint, ex pactione.* Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 9.

PACUVIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

PÆA.

PÆAN & hymnus univerſum dicitur cantus divinis accommodatus laudibus, privatim vero non una eſt ejus rei nomenclatura. Siquidem Dianæ hymnus dicitur hypingos, Apollinis hyporchema, vel *pæan*, qui maxime concinebatur, ut vis peſtis latius graſſantis reprimeretur. V. etiam ſupr. in *Apollo.* Dianæ vero & Apollinis hymnus proſodia nuncupatur, Dionyſii dithyrambus. *Rhodig. Ant. Lect.* VII. 3. *Taſſin. de Lud. ſecul. c.* 17. *Stuck. de Sacrif. p.* 173. *Turneb. Adv.* I. 12. Hilaritatis cantus, & lætitiæ eſt. Virg. Æneid. VI. 657.

—— lætumque choro pæana canentes.

Ovid. Art. II. I. I.

Dicite io pæan, & io bis dicite pæan.

Buleng. de Theat. II. 5. Cum Apollo immaniſſimum draconem proſtraverat, incolarum Delphicorum fuit prima gratulatio apud Claud. in Rufin. præf. n. 11.

Omnis, io pæan, regio ſonat.

Callim. hymn. in Apoll. n. 97.

Io, io, pæan patulas jam perſonet aures,
Id primum accinuit Phœbo gens Delphica carmen,
Aurea cum afflicit certiſſima ſpicula torquens.
Nam draco Pythonem tibi quondam occurrit eunti
Immanis, crebro quem telorum impete victor
Straviſti, fremitu populi acclamante ſecundo,
Io, io, pæan, jace tela.

Barth. Adv. LIII. I. Rhythmus duplex eſt, primus ſacer Marti, alter Apollini: ille ante congreſſum, hic adepta victoria ſolebat cani. Suidas. Qui hæc accepit ab Scholiaſte Thucydidis: ubi enim Græcus ſcriptor dicit I. p. 35. ἐπεπαιώνισο ἀυτοῖς ὡς ἐπιπλῶν, pæan his clamatus ad navalem congreſſum, Scholiaſtes ſic ſubdit: δύο παιᾶνας ἦδον οἱ Ἕλληνες, πρὸ μὲν τῦ πολέμυ τῷ Ἄρει: μετὰ δὲ τὸν πόλεμον τῷ Ἀπόλλωνι. *Spanhem. in Julian. Imp. Orat.* I. *p.* 233. *Cerda in Virgilium. Gyrald. de Poet. dial.* I. *p.* 42. *F.*

PÆDAGOGIA Romani appellarunt pueros elegantiores, quos veſte compoſita, facie decora, capillis in cincinnos convolutis, & plerumque ſtaturæ, ætatiſque ejuſdem domi habuerunt. Senec. Epiſt. 95. *Ut eadem omnibus ſit lenitas, eadem primæ menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum, ne quis cui rectior eſt coma, criſpulis miſceatur.* De eorum forma permultum ſolliciti fuere, quam ne vehemens ſolis æſtus, vel vis frigoris adureret, vehementer annitebantur. Senec. Epiſt. 123. *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne ſol, ne frigus teneram cutem lædat, turpe eſt, neminem eſſe in comitatu puerorum, cujus ſana facies medicamentum deſideret.* Quo cultu corporis, & quam magnifice habiti hi pueri, docet Senec. de Tranquill. c. I. *Perſtringit animum apparatus alicujus pædagogii, diligentius quam intra privatum larem veſtita, & auro culta mancipia, & agmen ſervorum nitentium.* De iſtis Ammian. XXVI. 6. *Tunica auro diſtincta, ut regius miniſter indutus a calce ad pubem, in pædagogiani pueri ſpeciem.* Plin. XXIII. 3. ubi de auro, alluſit: *Honeſtius viri pædagogiis id damus.* Horum multitudo patet ex Senec. Epiſt. 95. *Tranſeo puerorum infelicium greges, quos poſt tranſacta convivia, aliæ cubiculi contumeliæ exſpectant.* Ubi Lipſius: ut aut patiantur, aut faciant obſcœna. Controv. IV. *Principes viri contra naturam divitias exercent, caſtratorum greges habent, exoletos ſuos, ut ad longiorem patientiam impudicitiæ idonei ſint, amputant his, nemo ſuccurrit delibatis, & formoſis debilibus.* In comitatu, aut etiam intra privatos lares ſuo ordine erant diſpoſiti. Senec. Epiſt. 95. *Agmina exoletorum, per nationes, coloresque deſcripta.* Imo etiam per ætates diſcriminati. Senec. de brev. vit. c. 12. *Qui vinctorum*, melius, ut Lipſius, *victorum ſuorum greges in ætatum, & colorum paria deducit.* Ammian. XIV. *Poſtrema multitudo ſpadonum, a ſenibus in pueros deſinens.* Lucan. X. 127.

Tunc famulæ numerus turbæ, populuſque miniſter
Diſcolor, hos ſanguis, alios diſtinxerat ætas:
Hæc Libycos, pars jam flavos gerit altera crines.

Kobierzyck. de Lux. Rom. II. 4. Buleng. de Conviv. IV. 7. Pignor. de Serv. p. 45. Turneb. Adv. VIII. 9: XXVI. 20. Lipſ. in Tacit. Annal. XV. Excurſ. B. Donat. & Torrent. in Suet. Ner. c. 28. n. I.

Pædagogium etiam vocatur cubiculum puerorum. Plin. Epiſt. VII. 27. 13. *Puer in pædagogio miſtus pluribus dormiebat.* Ferret. Muſ. Lapid. IV. Memor. 32. Cellar. in Plinium. Torrent. in Suet. Ner. c. 28. n. I. Rhodig. Ant. Lect. VII. 6. Ego pro loco non accipio. Ubique enim pro cœtu, & collegio puerorum ſumitur. Apud Plinium reſcribo: *puer e pædagogio:* intelligit enim puerum *pædagogianum.* Ammian. XXIX. 3. *Adultus quidam ex his, quos pædagogianos appellant.* Lipſ. in Tacit. Annal. XV. Excurſ. B.

PÆDAGOGUS *nutritor parvulorum.* Caper de verb. dub. p. 2250. Edit. Putſch. Κατὰ λέξιν ſonat puerorum doctorem. Nam quod aliqui ductorem puerorum transferunt, falluntur. Arbitrantur illi eſſe a παῖς *puer*, & ἀγωγὸς, hoc eſt, *ductor:* quia nempe ἄγειν proprie ſit *ducere.* Verum ἀγωγὸς hic ſequitur ſignificationem eam vocabuli ἀγωγὴ, qua uſurpatur, cum Plutarchus libellum inſcripſit περὶ παίδων ἀγωγῆς. Cur vero ἀγωγὴ quoque *inſtitutionem* ſignificet, cauſa eſt, quod iidem, qui pueros comitabantur, ac ducebant, eorum quoque mores formabant. Utrumque ſi complecti voles, *pueritiæ ductorem, doctoremque* dixeris. Senec. Epiſt. 89. *Ariſto Chius non tantum ſupervacuas dixit eſſe naturalem & rationalem, ſed etiam contrarias. Moralem quoque, quam ſolam reliquerat, circumcidit. Nam cum locum, qui monitiones continet, ſuſtulit, & pædagogi eſſe dixit, non philoſophi: tanquam quicquam aliud ſit ſapiens, quam humani generis pædagogus.* Voſſ. Lex. Etymol. Claude de nutric. & pædag. c. 6. *Pædagogos* ſumma diligentia eligendos omni tempore ſapientes cenſuerunt: facillime enim *pædagogorum* vitia contrahunt pueri. Quintil. Inſtit. Orat. I. I. *Siquidem Leonides Alexandri pædagogus quibuſdam eum vitiis imbuit, quæ robuſtum quoque, & jam maximum Regem, ab illa inſtitutione puerili ſunt proſecuta.* Servis tamen, & quidem ultimis, minimiſque ſervorum, aut vilibus mercenariis, atque ex fece plebis hominibus puerorum curam vulgo parentes commiſerunt. Clem. Alex. Pædag. I. 7. *Neque Alcibiadis ſcortationem Thrax Zopyrus reprimere potuit, ſed erat emptitium mancipium Zopyrus; & Themiſtoclis liberorum pædagogus Sicinnus ignavus fuit famulus.* Ipſius Claudii *pædagogus ſuperjumentarius ſervus* fuiſſe fertur. Suet. c. 2. n. 4. Sed hoc ut ineptum, & valde abſurdum culpat Plutarch. de liber. educ. p. 4. & 9. *Laurent. de Natalit. c.* 4. *Claud. l. l.* Illorum officium erat I. pueris, ne vitam licentiorem ingrederentur, ſemper adeſſe. Plaut. Bacch. III. 3. 18.

Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ,
Digitum longe a pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Inde de hippodromo, & palæſtra ubi reveniſſes domum,
Cincticulo præcinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres.

Huc

Huc facit jocus Suet. Galb. c. 14. n. 2. *Regebatur trium arbitrio, quos una, & intra palatium habitantes, nec unquam non adhærentes pædagogos vulgo vocabant.* Pignor. de Serv. p. 234. Claude ibid. c. 7. Patric. in Suetonium. II. illos monere, bonisque præceptis, & exemplis majorum, vel virtutibus clarorum hominum frequenter repetitis stimulum addere. Seneca modo laudatus. Arrian. in Epict. III. 19. *Homo, numquid illi te pædagogum præfecimus, & non filio nostro? hunc corrige, hunc juva.* Hoc proprium esse pædagogi, apparet ex Clementis Alexandrini *pædagogo.* Hinc fingebantur vel vultu severo. Suet. Ner. c. 37. n. 3. *Pæto Thraseæ objiciebat tristitem, & pædagogi vultum.* Talis Lydus pædagogus Pistoclerum a nequitia, ad quam adducebatur, sed frustra revocantis apud Plaut. Bacch. I. 2. 19.

LY. Etiam me adversus exordire argutias?
Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.

Et ist us, de quo *fatigavit* puero *mater fodiens lacrymas abstergens* apud Senec. de Ira II. 21. Vel sæpissime senes, ut moniti majoris ponderis, & auctoritatis sint. Ita senem appellat Antigonam apud Eurip. Phœn. II. 125.

Dic, o senex, quomodo nominatur.

n. 143.

Tu vero, o senex, quomodo scis certo hæc?

Pignor. ibid. p. 236. Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 892. A. Laurent. var. sacr. gentil. c. 4. Claude l. l. III. in viis ducere. Ælian. V. H. XIV. 20. *Sybarita quidam pædagogus, quum puer, quem ducebat per viam, in ficum incidisset,* . . . Manilius mox laudandus: etiam in ludum literarium. Ælian. V. H. III. 21. *Puer adhuc Themistocles quodam tempore e ludo redibat: ita tunc, obvio Pisistrato, pædagogus dixit Themistocli.* . . . Gloss. Isidor. *Pappus pædagogus, qui sequitur ludentes.* August. de gest. Pelag. *Sine pædagogis posse pueros pergere in scholam, quamvis ad hoc non sint inutilia pædagogorum adjumenta.* Pignor. ibid. p. 235. Barth. Adv. XXI. 1. Gronov. Observ. II. 11. Claude l. l. IV. in theatrum comitari. Theophrast. Charact. c. 9. *Qui etiam liberos suos cum pædagogo in theatrum postero die ducere non dubitabit.* Suet. Aug. c. 44. n. 5. *Maritis e plebe proprios ordines assignavit. Prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis.* Unde per pædagogum sibi patuit theatris interesse non licuisse, quam pilorum plus in mento, quam in capite haberet, narrat Julianus. *Casaub. in Theophrastum, & Suet. num. Claude l. l.* Hinc inflati, & elati plerumque erant, ut I. nullum se crederent doctiorem, sed omnibus se sapientiores reputarent Quintil. l. l. *De pædagogis hoc amplius, ut, aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant. Nihil enim pejus est iis, qui paullum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi, atque interim sævientes stultitiam suam perdocent.* Claude l. l. II. imagine quadam potestatis, cum servi essent, in prætextatos dominarentur. Manil. V. 451.

Componet teneros etiam qui nutriet annos,
Et dominum dominus prætexta lege sequatur,
Quodque jubet, hic credat stupefactus imagine juris.

Prætextatorum simplicitatem cum vult dicere poeta, credere omnia pædagogo ait, stupefactos tanquam revera eorum foret dominus. *Barth. Adv.* VII. 6: XLIII. 7. III. & domini nomine insigniuntur. Stat Sylv. II. 1. 52.

— heu lactea colla,
Bracchiaque, & nunquam domini sine pondere cervix.

n. 70.

— tu domino requies, portusque senectæ.

Manilius jam laudatus. IV. cibi portionem quotidie præbere. *Pædagogum* hoc jubet Medea apud Eurip. Med. n. 1019.

— sed ingredere in domum,
Et pueris para quæ convenit quotidie.

V. imperium exercere vellent in reliquos servos, quos aliquando excipiebant verberibus. Arrian. in Epictet. III. 19. *Rursus, si quando e balneo cibum non invenerimus, nunquam pusillanimitatem animi nostri compescit pædagogus, sed coquum verberibus afficit.* Claude l. l. Illorum Romæ notata sepulcra visuntur, & hæc habentur:

D. M
T. FLAVIO. AUG. LIB. GANYMEDI
PÆDAGOGO. PUERORUM
CÆS. N. FECIT. ULPIA. HELPIS
CONJUGI. OPTIM. B. M. ET
LIB. LIBERTABUSQUE. SUIS.

Aliud:

D. M.
P. ALIUS. AUG. LIB.
LYCUS. PÆDAGOG.
PUERORUM. A. CAPUT
AFRICÆ.

Ferret. Mus. Lapid. IV. *Memor.* XXII.

PÆDANIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

PÆN.

PÆNULA, sive *penula*, vestis fuit spissa, frigori, & imbribus arcendis apta. Tertull. Apolog. c. 6. V. illum supr. in *Lacerna.* Horat. Epist. I. 11. 17.

Incolumi Rhodos, & Mytilene pulchra facit, quod
Pænula solstitio, campestre nivalibus auris
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.

Ubi vetus interpres: *Pænula crassa vestis, in æstate inutilis propter spissitudinem.* Hinc jocus Galbæ apud Quintil. VI. 3. *Pænulam roganti, non possum, inquit, commodare, domi maneo: cum cænaculum ejus perplueret.* Idem: *Galba pænulam roganti respondit, non pluit, non est opus tibi; si pluit, ipse utar.* Ferrar. de Re vest. II. 2. 1. Barthol. de Pænul. c. 1. Voss. Lex. Etymol. Ozel. in Gell. XIII. 21. Bald. Lex. Vitruv. Braun. de Re vest. sacerd. Hebr. I. 15. 11. Sigon. de Judic. III. 18. Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 316. Laz. Comm. Reip. Roman. VIII. 11. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. p. 713. Fuit itaque vestimentum itinerarium, quo extra Urbem utebantur. Cicer. pro Mil. c. 20. *Quid minus promptum ad pugnam, quam pænula irretitus?* De itinere suo Senec. Epist. 87. *Culcita in terra jacet, ego in culcita. Ex duabus pænulis altera stragulum, altera opertorium facta est.* Unde & muliones in pænula, quæ inde mulionia. Cicer. pro Sext. 38. *Sensit rusticulus non incautus suum sanguinem quæri. mulionicam pænulam arripuit, cum qua primum Romam ad comitia venerat.* Sub Flavius intra Urbem gestata videtur, sed tamen pluviæ tantum causa. De salutatore, qui etiam fœdis imore diebus ave matutinum portabat, Juven. Sat. V. 76.

Scilicet hoc fuerat, propter quod sæpe relicta
Conjuge per montem adversum, gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret sæva cum grandine vernus
Jupiter, & multo stillaret pænula nimbo.

Docet hoc etiam jocus Galbæ jam memoratus. Paullatim tamen in promiscuo usu, etiam cum sudum esset, esse cœperunt. *Ferrar. l. l.* A Lacedæmoniis est petita, cujus inventores primos supra dixit Tertullianus. Theatra enim quia tectis carebant, ut non sine molestia ludis interesse spectatores possent, tempore præsertim hyberno, Lacedæmonii, ut & voluptatibus indulgerent, & arcendo frigori pares essent, *pænulam* invenere primi. Horum postea morem Romani sunt imitati. Suet. Galb. c. 6. n. 3. *A Cajo Cæsare Getulico substitutus, postridie quam ad legiones venit, sollenni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera, ut manus pænulis continerent.* Lampridius infr. laudandus. *Barthol. ibid. c. 2. Donius de utraque pænul. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VI. *p.* 1151. *B. Casaub. in Spartian. Adrian. c.* 3. *Ozel. l. l.* Fuerunt duplices, aliæ scorteæ, aliæ laneæ. De scorteis Mart. XIV. 130.

Ingredure viam cœlo licet uſque ſereno:
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Senec. Quæſt. Nat. IV. 6. *Hi cum ſignum dediſſent adeſſe jam grandinem, quid exſpectas, ut homines ad pænulas diſcurrerent ſcorteas?* Laneæ duplicis generis fuere. Nam aut brevi villo, quæ & Canuſinæ: aut villoſæ, quæ gauſapinæ dictæ. Illæ pluviæ tempore adhibitæ etiam intra Urbem, cum fere ſcorteæ tantum in itinere, gauſapinæ per hyemem cauſa frigoris ſumptæ. De primis Plin. VIII. 48. *Lana laudatiſſima Appula, & quæ in Italia Græci pecoris appellatur: tertium locum Mileſiæ oves obtinent: Appulæ breves villo, nec niſi pænulis celebres: circa Tarentum, Canuſiumque ſummam nobilitatem habent.* Pænulis celebrem hujuſmodi lanam tradit, propter villi brevitatem: nam villoſæ veſtes potius imbrem trahant, quam excutiunt. Alteræ gauſapinæ fuerunt longiori ſcilicet villo, eæque etiam, cum ſudum eſſet, frigoris cauſa intra Urbem adhibitæ. Mart. XIV. 145.

Is mihi candor ineſt, villorum gratia tanta,
Ut me vel media ſumere meſſe velis.

De hac capiendus Horatiûs ſupra laudatus: *Pænula* ſcilicet gauſapina inepta ſolſtitio æſtivo. Niſi quis malit quamlibet *pænulam*, quæ æſtate non neceſſaria, cum minimum pluat. Acron de gauſapina interpretatur. *Nihil frigiditatis in æſtate affert, quia ſpiſſa, & craſſa.* Ferrar. ibid. c. 6. Anal. c. 7. Barthol. ibid. c. 3. Donius ibid. D. Salmaſ. in Spartian. Adrian. c. 3. Lamprid. Alex. Sev. c. 27. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 14. Fuit veſtis aſtricta, & quæ partium corporis, quas tegebat, figuram exprimebat: quod proprium eſt earum veſtium, quæ arcte, non ſolutim, amiciunt, nec multo patent latius, quam id, quod tegunt, corpus. Ideo Artemid. II. 3. inter veſtes, quæ *tribulationem & anguſtias ſignificant*, & *pænulas* recenſet. Cicero etiam *pænula irretitum* Milonem modo dixit. *Caſaub. l. l. Ferrar. de Re veſt. ibid. c. 7. Ruben. de Re veſt.* I. 6. Sed hi ſunt decepti opinor ex prava acceptione etymologiæ, quæ non eſt, quod ὅλον τὸ σῶμα φαίνει, ſed quod tota conſpiciatur, ὅτι ὅλη φαίνεται: cui activum ſignificatum, non paſſivum, ut opus erat, tribuebant. Ita Etymologici magni auctor: Τὸν φαινόλαν ἀποδύσασθαι, τουτέστι τὸ ἱμάτιον, παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον. Aliud certe eſt τὸ σῶμα, aliud τὸ ἱμάτιον φαίνεσθαι ὅλον, quod eo nomine φαίνεται, quia nullum in hoc amictu ſinus, aut contabulationis, ut in toga, laxiſſimo veſtimento, veſtigium apparet. Hinc Auct. dial. de cauſ. corr. eloq. c. 39. n. 2. *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe pænulas, quibus aſtricti, & velut incluſi cum judicibus fabulamur?* Et quia in ſomniis θλίψιν, & στενοχωρίαν veſtes ſignificabant, non ideo tam anguſta erat *pænula*, ut membrorum veſtigia per veſtem exprimeret. Et ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα non eſt membra preſſe exprimere, & conſtringere; ſed corpus involvere, & undique ambire. Hinc apertior eſt locus Ciceronis, qui in animo habuit, opinor, retiariorum illud ſinuatum rete, quo adverſarios ſuos ſecutores repente conſtrictos fuſcina demum convulnerabant. *Donius ibid. p.* 1150. *D. Barthol. ibid. c.* 4. Quanquam temporum conditione mutata ſit; quantum tamen ex antiquis ſtatuis conjicere licet, veſtis eſt fere rotunda, quæ ſi caput, jugulum, mediaque crura, quibus terminatur, excipiamus, totum hominem operit. Strictior eſt ejus ora quæ collum ambit, tam laxe tamen patens, ut caput exeri poſſet, operiri, aut involvi. Unde Pompon. in Penicea: *Pænulam in caput induce, ne te noſcat.* Non in ea ſunt, quæ appellantur μανίκια, ſeu manicæ, ut Simeon Theſſalonicenſis inquit. Non pectus patet. Manus, & brachia veſte continentur, quæ aliter expediri non poſſunt, niſi aut per ſciſſuram exerantur, aut hinc inde extremis oris ſubjiciantur, ita ut *pænula* in rugas, & plicas contrahatur. Pars ventrem ſpectans aperta eſt, alioquin veſtimentum clauſum, & rotundum eſſet. *Barthol. l. l.* Militares, & ſerviles, & plebejæ omnes fuerunt cinctæ. Gell. XIII. 21. *Pigritum eſt, cinctos ſaltem eſſe, & pænulatos.* Petron. c. 21. *Cinædus ſupervenit myrtea ſubornatus gauſapina, cinguloque ſuccinctus.* Nam *gauſapinam pænulam* intelligit. *Salmaſ. in Lamprid. Anton. Diadum. c.* 2. Cui minime aſſentiri poſſumus. Nihil enim impeditius foret, aut brachiorum uſibus, quibus ſervorum miniſteria potiſſimum conſtant, minus aptum. Caſtricius potius apud Gellium non modo laſciviam lacernam pro pænula, vel toga uſurpantium reprehenderit; ſed etiam mollitiem tunicam diſcinctam ſub lacerna geſtantium. Quod ex Petronio affert, nihil vetat, tunicam quoque mollibus, ac prolixis villis confectam gauſapinam vocatam fuiſſe, non minus quam *pænulam*, quamvis gauſapina tunica alibi non memoretur. *Donius ibid. p.* 1152. *A. Ferrar. ibid. c.* 3. *&* 7. *Ruben.* & *Octzel. l. l.* Conjectura, qua ego ejus opinioni accedere non poſſum, petitur ex Quintil. XI. 3. *Pars ejus prior mediis cruribus optime terminatur, poſterior eadem portione altius quam cinctura.* Ubi *cinctura* non togam, ſed tunicam cinctam ſignificari certum eſt. *Pænulati* igitur cincti ſunt, ſed ratione tunicæ. Hoc etiam liquet ex conſtit. Grat. Valentin. & Theod. c. 1. de hab. quo uti oport. intr. Urb. *Officiales. . . . uti quidem pænulis jubemus, verum interiorem veſtem admodum cingulis obſervari.* Interior veſtis tunica eſt, quæ cingi debet. Senec. de brev. vit. c. 12. *Quam diligenter ex lectorum ſuorum tunicas ſuccingunt.* *Pænula* autem *eſt veſtis, quam ſupra tunicam accipimus*, ut docet Non. XIV. 3. *Barthol. l. l.* Scorteæ nativo colore pellis ſine dubio fuerunt. Laneæ gauſapinæ albæ fuerunt. Mart. XIV. 145. jam laudatus. Canuſinæ fuerunt duplicis coloris, fuſcæ, & rufæ. Mart. XIV. 127. fuſcarum colorem turbato mulſo ſimilem fuiſſe teſtatur:

Hæc tibi turbato Canuſina ſimillima mulſo
Munus erit, gaude, non cito fiet anus.

Hinc paſſim Canuſinæ fuſcæ a vulgo Romæ geſtitæ, præter pueros, & milites, qui exemplo Gallorum magis rufo colore, quam fuſco in pænulis gaudebant. Mart. XIV. 129.

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibuſque color.

Ferrar. ibid. c. 8. Barthol. ibid. c. 5. Lipſ. Elect. I. 25. Fuit etiam communis mulieribus. Ulpian. l. veſtis ff. de aur. & arg. V. illum infr. in *Veſtimenta*. Lamprid. Alex. Sev. c. 27. tradit ab illo interdictas matronis pænulas: *Matronas intra Urbem pænulis uti vetuit, in itinere permiſit.* Hæ colore, & ornatu virilibus pretioſiores fuerunt. Pollio in Quieto c. 14. *Alexandrum Magnum Macedonem viri in annulis, & argento, mulieres in reticulis, & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exſculptum ſemper habuerunt: eouſque ut tunicæ, & limbi, & pænulæ matronales in familia ejus hodieque ſint, quæ Alexandri effigiem, deliciis variantibus, monſtrent.* Unde conjicere licet, *pænulas*, quas habere ex inſtituto mulieres debebant, hoc aliis ſecretas, quod aut eſſent auro contextæ, aut Phrygio opere figuris quibuſdam diſtinctæ, quæ Macedonis Alexandri effigiem exprimerent. Et harum uſum viris non convenire. Reprehenſus propterea fuit Cæſar Caligula, quod cultu, atque veſtitu nimium ſibi indulgeret, *pænulis*que uteretur depictis & gemmatis, quæ viros non decerent, a Suet. c. 52. n. 2. *Veſtitu, calceatuque, & cætero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique non humano ſemper uſus eſt. Sæpe depictas, gemmataſque indutus pænulas proceſſit.* Barthol. ibid. c. 8. Ferrar. ibid. c. 9. Ernſt. Epiſt. ad Barthol. Theſ. Ant. Rom. Græv. ibid. p. 1180. D.

Pænula ſignificat eam partem calcei, quæ pedem involucro ſui obtegit. Non. VI. 3. *Pænulam abuſive omne quicquid tegit nobiliſſimi veteres tranſtulerunt. Varr. Manio: Cum corrigias diſruptas tenet, pænula reliquum pedem ſcortea pertegere.* Turneb. Adv. XXVIII. 12. Voſſ. Lex. Etymol. Bald. Lex. Vitruv.

Pænula vocatur etiam pars machinæ Cteſibicæ, quia & ipſa quoddam eſt operculum. Cui fini, & uſui valeat, ſatis patet ex verbis, qui ea utitur, Vitruv. X. 12. *Supra catinum pænula, ut infundibulum inverſum, attemperata.*

An

An ea vox eo ſenſu apud alium Latinum ſcriptorem uſurpata inveniatur me neſcire aperte fateor. *Bald. Lex. Vitruv. Voſſ. Lex. Etymol.*

PÆT.

PÆTINUS fuit cognomen Fulviorum. *Pætinos* tres invenio. Illorum I. M. Curvus *Pætinus* L. F. L. N. conſul ſuffectus Ti. Minucio Augurino in magiſtratu occiſo. Triumphum egit in conſulatu de Samnitibus III. Non. Octobr. an. 448. Cognomen adoptionis eſt a Pætis, V. illos infr. in *Pætus*. II. M. *Pætinus* Cn. F. Cn. N. qui conſul fuit cum T. Manlio Torquato, qui in magiſtratu mortuus eſt an. 454. & triumpham egit de Samnitibus, Nequinatibusque. Hunc Fulvius jungere non poſſumus, niſi fingamus, aliquem Lucium duos filios habuiſſe, Lucium & Cn. ex Lucio ſuperiores natos eſſe filios, aut nepotes, ex Cn. hunc nepotem. III. Serg. *Pætinus* Nobilior M. F. M. N. conſul fuit cum M. Aimilio Paullo an. 498. *Auguſt. de Famil. Rom. in Fulvia. Glandorp. Onomaſt. Rom. p. 351. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p. 958. E.*

PÆTUS Æliorum fuit cognomen. Cicer. pro Clu. c. 26. *Quid tu, Pæte: hoc enim ſibi Stalenus cognomen ex imaginibus Æliorum delegerat: ne ſi ſe Ligurem feciſſet, nationis magis ſuæ, quam generis uti cognomine videretur.* Stucin. de Gent. & famil. Rom. in Ælia. Sigon. de nom. Rom. c. 5. Schott. Nod. Cicer. III. 16. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 958. E. Glandorp. Onom. Rom. p. 11.

PAG.

PAGÆ vocabantur ſepulcra, quæ ſtatuas non habebant. V. infr. in *Statua*.

PAGANALIA frequenti cœtu ex omnibus *pagis* quotannis peragebantur, collato a ſingulis cenſus capiti certo numiſmatis genere. Inſtituta ſunt a Servio Tullio. Dionyſ. IV. p. 220. *Ut etiam ruſticanæ multitudinis facilius iniri poſſet numerus, per ſingulos pagos aras juſſit* Servius Tullius *dedicari diis tutelaribus, quotannisque ibi conventum fieri, & ſacrificium, feſtum hoc cumprimis religioſum conſtituens vocatum Paganalia, ſimulque eorum ſacrorum ritus, qui nunc quoque ſervantur, conſcripſit. Ad id ſacrificium, eumque conventum omnes paganos juſſit in ſingula capita conferre certum numiſmatis genus, ſed aliud viros, aliud mulieres, aliud puberes. quibus connumeratis per ſacrorum præſides apparebat hominum numerus per ætates, ac ſexus diſtinctus.* De illis Ovid. Faſt. I. 669.

Pagus agat feſtum, pagum luſtrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum, Tellusque, Ceresque
Farre ſuo, gravidæ viſceribusque ſuis.

Hoſpin. de Orig. feſt. Ethnic. p. 99. a. Moreſt. Alyp. dial. IX. Siccam. in Faſt. Kalend. Rom. c. 4. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 14. Guther. de Vet. jur. pont. IV. 1. Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Roſin. Ant. Rom. IV. 17. Struv. Antiq. Rom. c. 9. p. 381. & 446. Sperling. Diſſert. de numm. non cuſ. c. 33. Lomej. de Luſtrat. c. 30. In illis potio burranica dabatur. Feſtus, & Ovidius. V. illos ſupr. in *Burranica*. Varr. de Ling. Lat. V. 3. videtur a *paganalibus paganicas* diſtinguere: quod *paganalia* eſſent privatæ feriæ alicujus *pagi*, *paganica* vero omnium. Tamen nihil tale apud Ovidium, & alios. *Scalig. Conject. in Varron. p. 79.*

PAGANI dicuntur, qui ruri in *pagis* agri colendi cauſa agunt. Circa fontes ponebantur *pagi*: & *pagani* eodem forte potabant. Cicer. pro Dom. c. 28. V. illum ſupr. in *Montani*. Laz. Comm. Reip. Rom. XII. Sect. I. c. 6. Weitz. in Prudent. Περὶ στεφ. X. 296. Claſen. de Theol. gent. I. 1. Voſſ. Lex. Etymol. in Pagus.

Pagani dicuntur omnes, qui non ſunt adſcripti militiæ: atque in *paganico* eſſe dicebantur, qui nondum inter milites cenſiti eſſent. Tertull. de Coron. milit. c. 11. *Christianum hominem militiæ adſcriptum eadem pro Chriſti nomine præſtare debere, quæ fides paganica condixit.* q. d. Eadem eſt lex Chriſtiani hominis militantis cum illa, quæ fuerit illi præſcripta, cum adhuc *paganus*, nondum inter milites annumeratus. *Weitz. in Prudent.* Περὶ στεφ. XIV. 296. *Claſen. de Theol. gent.* I. 1. Suidas: Παγανοί, ἀστράτευτοι. Mauric. Strat. I. 6. *Veluti non miles, παγανὸς, magiſtratui civili ſubjicitur.* Et hinc militi, & armato opponitur. Juven. Sat. XVI. 33.

—— citius falſum producere teſtem
Contra paganum poſſis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati.

Suet. Aug. c. 27. n. 4. *Pinarium equitem Romanum cum concionante ſe admiſſa turba paganorum apud milites ſubſcribere quædam animadvertiſſet, confodi imperavit.* Etiam apud Ictos. Ulpian. ff. XXIX. 1. 9. 2. *Eſt reſcriptum a divo Pio in eo, qui cum eſſet paganus, fecit teſtamentum, mox militare cæpit.* Paull. ibid. 48. 1. *Hic quaſi in militia ſequenti fecit teſtamentum, exemplo ejus, qui paganus fecit, deinde militare cæpit.* Laz. Comm. Reip. Rom. XII. Sect. I. c. 6. Voſſ. Lex. Etymol. in Pagus. Caſaub. in Perſ. prol. n. 6. Stewech. in Veget. II. 23. Pitiſc. in Suetonium.

Pagani dicuntur etiam gentiles, & a Chriſti confeſſione alieni ab auctoribus in primitiva eccleſia ſcribebantur. *Laz. Comment. Reip. Rom.* XII. *Sect. I. c. 6. Stewech. in Veget.* II. 23. *Brod. Miſc.* X. 21. Non enim antiqua, ſed recens eſt ea vocis ſignificatio. Auguſt. Retract. II. 43. *Deorum falſorum cultores uſitato nomine paganos vocamus.* Unde hoc nomine dicti ſint, viri varia tradiderunt. Philaſtr. de hæreſ. c. 3. Iſidor. VIII. Beda in Cant. c. 6. n. 30. Luc. c. 6. n. 23. & homil. in fer. Palm. III. Nos opinamur, quod cum Conſtantini M. & filiorum edictis proſcriptus eſſet ab urbibus, & civitatibus profanus deorum cultus, eorumque fana paſſim in iis clauderentur, in *pagos* ſeſe reciperent gentiles, ibique deos ſuos colerent, & clandeſtina ſacra peragerent, *pagani* dicti fuerint. In *pagis* enim, & villis illorum ſuperſtitionis cultum fuiſſe frequentem, docet Cicer. de Leg. II. Erant enim illic celebria feſta, *Paganalia* dicta. Unumquemque gentilium in ſuo agro habuiſſe partem aliquam diis ſacratam, in qua eos colerent, auctor eſt Cenſor: de die nat. c. 1. Hinc Prudent. Περὶ στεφ. X. 296.

Non erubeſcis, ſtulte, pago dedite,
Te tanta ſemper perdidiſſe obſonia.

Contr. Symm. I. 620.

Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet.

Sic gentiles ipſos vocat. *Weitz. in Prudentium. Baron. Martyrol. ſub 31. Januarii p. 83. Du Freſne Gloſſario. Claſen. de Theol. gent.* I. 1. *Voet. de gentiliſm. & vocat. gent. p. 581. Herald. in Arnob. p. 4. Voſſ. Lex. Etymol. in Pagus.* Non ſerios, aut curioſos, qui promptius religioni obſiſtebant, ſed pervicaces, velut ruſtico ſtupore pugnantes *paganos* appellarunt. Sane & *paganica numina* ſunt, quæ comparata cum aliis idolis craſſi intellectus, & obobtuſorum ſenſuum dici poſſunt. Ut Auſonius Ethnicæ phraſeos nimium retinens Faunos *paganica numina* vocat ex beſtiis, & hominibus mixtos. *Barth. Adv.* XIII. 4. Sed hi falluntur. Græcis ἔθνος, & Latinis, gens idem. Hinc Latinis gentiles, qui Græcis ἐθνικοί. At *paganos* vulgus pro gentilibus dicebat. Nam *pagus* apud Latinos idem etiam quod ἔθνος, vel gens. V. infr. in *Pagus*: ſic *paganus* & gentilis idem plane ſignificant. Cod. Theod. de haret. I. 46. *Judæi, atque gentiles, quos vulgo paganos appellant.* Hinc *pagum* pro gentilitate ipſi uſurpavit Prudent: Περὶ στεφ. X. 296. & *paganos* intellexit. Quo tamen loco vulgo abutuntur, qui *paganos* a *pagis*, hoc eſt, vicis appellatos volunt. *Salmaſ. in Vopiſc. Saturn. c. 8.*

PAGANICA pila. V. illam infra in *Pila*.

PAGUS videtur conſtare e pluribus vicis, ut vicus e pluribus caſis: ut ſit regio, nullo mœnium ambitu, accolis diſperſis, in plano circa flumina, vel fontes, qui ad unum

in ea locum consilii causa coeunt. Festus supr. in *Pagani.* Et *paganos* a montanis distinguit Cicer. supr. in *Montani.* *Pagum* a vico diversum esse ostendit Tacit. Germ. c. 12. n. 5. *Eliguntur, qui jura per pagos, vicosque reddunt.* Manut. Quæst. Epist. III. 7. Laz. Comm. Reip. Rom. XII. Sect. I. c. 6. Hennin. in Bergier. de viis milit. IV. 6. 2. Voss. Lex. Etymol.

Pagus dicitur etiam quamvis amplius regionis tractus, & tota aliqua præfectura, & gens qualibet populosa. Glossæ: *Pagus*, τοπαρχία, χωρὰ, νομός. Hinc Helvetiorum gens tota in quatuor *pagos* divisa apud Cæsar. de bell. Gall. I. 12. *Is pagus appellabatur Tigurinus: nam omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est.* Hinc vox nostra Gallica, *pays.* Salmas. in Vopisc. Saturn. c. 18. Voss. Lex. Etymol. Laz. Comm. Reip. Rom. XII. Sect. I. c. 6.

Pagus Sulpitius non dubito quin extiterit in via Salaria, sed nusquam a me illum conquisivisse fateor, quia forsan, ut de Ilio deplorat Lucan. IX. 968.

—— *tota teguntur*
Pergama dumetis, etiam periere ruinæ.

Fabrett. de Aquæduct. Dissert. III. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1767. D.

Pagus Succusanus fuit contra arcum Constantini, sub initium hortorum Cardinalis Pii. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. Proximus fuit Suburræ veteri in Exquiliis, quibus contra Gabinos succurrebat, antequam illas Servius muro complecteretur, Urbique adjungeret, sed non amplius *pagum* postea fuisse, sed vicum: ideoque & a Rufo inter Exquilinæ regionis vicos numerari concludimus. Hæc regio nunquam ad arcum usque pergit Constantini, neque ad amphitheatrum Titi, nec ad S. Clementis, quod ea pars Urbis in regione esset Isidis, ac Serapidis: neque item extendebatur ad SS. Petri & Marcellini ædem: quia eousque, aut paullo etiam alterius Isidis & Serapidis regio exporrigebatur. Vicus igitur Succusanus, qui in Exquilina fuit, erat inter ædem SS. Petri & Marcellini, & portam majorem, ea via, quæ Labicana fuisse creditur. *Nardin. Rom. vet.* III. 6.

ΠΑΙ.

ΠΑΙΓΝΙΑ tametsi sæpe appellentur γνωρίσματα, inter ea tamen & ista id discriminis fuisse arbitror, quod omnia quidem παίγνια essent γνωρίσματα, non vero γνωρίσματα omnia παίγνια. Παίγνιον enim proprie, quo infantes ludunt: cujusmodi in Plaut. Rud. IV 4. 112. V. Plautum supr. in *Crepundia.* nominantur ensiculus, securicula, sicula, manicula, sucula. Una voce alias crepundia vocantur, quanquam & hæc id proprie denotet, quod crepitu sonat, & a ploratu ad silentium vocat infantes. Interim & παίγνια, γνωρίσματα, cum ob alias rationes, tum præcipue, quod in eis parentes nomina sua inscripta habebant. Clarissime id patet ex Plaut. l. l. *Scheffer. de Torquib. c. 5.*

PAL.

PALA est instrumentum rusticum, ligoni simile, atque itidem latum, quo terra fossa vel egeritur, vel aggeritur. Plaut. Pœn. IV. 2. 58.

Palas vendundas sibi ait, & mergas datas,
Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat.

Voss. Lex. Etymol. Stewech. in Veget. II. 25. Popm. de instrum. fund. c. 8. Turneb. Adv. VIII. 6. Du Fresne Glossar.

Pala est annuli pars, cui gemma inseritur, & quæ gemmam continet. Cicer. de Offic. III. 9. *Ibi cum palam annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat.* Erat rotunda & cava, ut gemmam insertam, & inclusam teneret: Σφενδόνη, τὸ τοῦ δακτυλίου περιφερὲς, ἡ σφραγίς. *Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20. Kirchm. de Annul. c. 3. Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Antiq. Lect.* VI. 12.

Pala est ventilabrum, instrumentum, quo ventilantur, & purgantur frumenta. Tertull. de Præscript. c. 3. *Palam in manu portat ad purgandam aream suam.* Voss. Lex. Etymol. Barth. Adv. XI. 8. Du Fresne Glossar.

Pala battuta, quasi percussam dixeris, est mensura lignea admodum patula, quæ frumento plena, in altum a bajulis, quantum fieri potest, sublevatur, ac derepente certo etiam ictu subducitur, ut frumentum ex alto cadens ictu in rubitellam ca'cetur, idque a duobus altrinsecus fit. *Patus de Pond. Rom. & Græc.* IV. *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1657. *A.*

PALÆSTINA, quæ & Judæa dicta est, ab oriente, & septentrione Libano, & Antilibano: ab occidente parte Phœniciæ terminatur: & a Sidone usque in Gazam, & Arabiam secundum Syriaci littus maris extenditur: a meridie Arabia petræa cingitur. Latitudo ejus a Joppe oppido ad Thraconos montes, sive Antilibanum est circiter millium passuum LX. quam mediam fere Jordanes fluvius dividit. Longitudo a fontibus Jordanis, & monte Libano, usque ad Bersabeam urbem, atque initium Ægypti est millium passuum CLX. Plin. V. 13. CLXXXVIII. Clauditur undique montibus hinc abruptis rupibus, & profundis vallibus concursu torrentium, inde altis, & in plexis anfractibus sic contractis, ut per angustos colles vix pateat transitus viatori. Appellata est a Philistiim, quem nos corrupte Palæstinum dicimus. Is descendit a Cham filio Noæ, ut Hieron. in Genes. quæst. 10. In tres partes est divisa: Primam, id est, majorem, cujus metropolis fuit Cæsarea, seu turris Stratonis: secundam, cujus caput fuit Samaria, postea ab Herode Rege appellata Sebaste, id est, Augusta. Hæc regio inter Galilæam, & Judæam sita a Josepho Samaritis, ab aliis secunda *Palæstina* vocatur: & tertiam, cujus metropolis erat Hierosolyma. Salutaris est dicta a salubribus aquis. Hæ reperiuntur prope oppidum Emmaus postmodum Nicopolim a Romanis vocatum, ob victoriam contra Judæos obtentam. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 107. *&* 112. *Ubb. Emm. Græc. Vet.* VI. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IV. *p.* 152. *D.*

PALÆSTRA vocatur locus quicunque corporibus exercendis aptus. Cicer. de Leg. II. 13. *Fluvius rapide delapsus cito in unum confluit, & tantum complectitur, quod satis est modicæ palæstræ loci.* Virg. Æneid. VI. 642.

Pars in gramineis exercent membra palæstris.

Mercur. Gymnast. I. 9. Turneb. Adv. XXVIII. 46. Cerda in Virgilium. Panvin. de Lud. Circ. II. 1.

Palæstra vocatur totum gymnasium. Vitruv. V. 11. *Nunc mihi videtur palæstrarum ædificationes tradere explicate, & quemadmodum apud Græcos constituantur monstrare. Constituuntur autem in tribus porticibus exedræ spatiosæ. In palæstris peristylia quadrata, sive oblonga ita sunt facienda, ut duorum stadiorum habeant ambulationis circuitionem, quod Græci vocant δίαυλον; ex quibus tres porticus simplices disponantur, quartaque, quæ ad meridianas regiones est conversa, duplex, uti cum tempestates ventosæ sunt, non possit aspergo in interiorem partem pervenire.* Mercur. Gymn. I. 9. Panvin. de Lud. Circ. II. 1. Argol. in Panvinium. Pancirol. de reb. deperd. & inv. p. 158.

Palæstra vocatur quoque sexta pars gymnasii, ubi, ut Lydus apud Plaut. Bacch. III. 3. 24.

Cursu, luctando, hasta, disco, pugillatu, pila,
Saliendo sese exercebant magis, quam scorto, aut saviis.

In hac significatione accepit Catull. LXIII. 60.

Abero foro, palæstra, stadio, & gymnasiis?

& Afran. apud Non. II. 658.

Etiam depellis mihi manum per palæstricos.

id est, *palæstræ* usum callentes, ut ait Nonius. Forsan dubitabit aliquis, an in *palæstra* hac pulvis stratus esset, cum Galen. de tuend. valet. II. 9. ipsam a loco, ubi pulvis erat, separasse videtur: *Sed & hæc absque palæstra; & alto pulvere in quocunque loco conculcato erectis stantibus fieri possunt:*

possunt: quæ vero lucta inter se contendentes agunt robori acquirendo incumbentes, vel alto pulvere, vel palæstra opus habent. Cui ita responsum volo, etiam in *palæstra* fuisse stratum pulverem, sed humilem, ac modicum, ita ut duo fuerint loca pulvere strata, alterum *palæstræ*, alterum extra *palæstram*: in illo pulvis humilis, in hoc altus, & copiosus esset: cujus pulveris in utroque usus erat, tum ut certantes firmius contenderent, neque pedibus laberentur: tum etiam ut qui in terram dejiciebantur, minus læderentur. At altus pulvis hoc amplius habebat, quod dum homines in illo pedes alte figebant, majori conatu, ac vi ad eos tollendos opus habebant, atque inde robur majus comparabant. Quæ omniæ significavit Lucian. de exercitat: *Mercur. Gymn.* I. 9. Athletarum imaginibus exornabatur. Plin. XXXV. 2. *Iidem palæstras athletarum imaginibus exornant.* Junius de Pictur. II. 8. Faber Agon. II. 20.

Palæstra vocatur etiam interdum ipsa *palæstrarum* exercitatio. Mart. IV. 90. 5.

Hinc oleo corpusque frico, mollique palæstra,
Stringo libens, animo gaudens, ac fœnore liber.

Et Cicero pro *palæstra* actiones ordinate, & venuste factas metaphorice intelligere visus est auctoritate Lucillii, cujus hic versus legitur apud Porphyrionem:

Judicis Hortensi est ad eam rem nata palæstra.

Mercur. Gymn. I. 9. Panvin. de Lud. Circ. II. 1. Philostr. Εικον. II. in *Palæstra Palæstram* quasi virginem depictam Mercurii filiam fuisse a veteribus existimatam, quæ in Arcadia primum hoc genus exercitationis invenerit, eleganter exprimit. *Faber Agonist.* I. 16. Mercurium exercitationis inventorem laudant Horat. Od. I. 10. 2.

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formavit, catus, & decoræ
More palæstræ.

Et de Tydeo sub dei nomine Mercurium intelligens Stat. Theb. VI. 832.

Ingentes contra ille viros Acheloia circum
Littora, felicesque deo monstrante palæstras.

Diodor. V. p. 236. B. *Quin & palæstræ inventor fuit.* Lactant. in Statium. Faber l. l. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. fig. 14.

Palæstra vocabatur etiam rusticis septum in villa, ubi apri inclusi. Varr. de Re rust. III. 13. *Cum e superiore loco e palæstra apris effunderetur glans.* Cicer. Q. Frat. III. 9. *Imagines istæ, & palæstra, & piscina, & nilus, multorum Philitimorum est.* Hinc *aprum palæstritam* dixit Mart. III. 82. 20.

Partitur apri glandulas palæstritæ.

Scalig. in Varron. p. 247. Lips. Poliorc. IV. dial. 1. Scriver. in Martialem. Nona. de Re cibar. II. 8.

PALÆSTRITA dicitur, qui in *palæstra* se exercet. Mart. VI. 39. 8.

At ille sima nare, turgidis labris
Ipsa est imago Pannici palæstritæ.

Inscriptio Florentiæ:

L. CORNELIUS
POTHUS. PALASTR.
HOSPITAL

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. VI. *p.* 215. *Pignor. de Serv. p.* 354. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 161.

Palæstrita etiam dicebatur, qui athletas ungebat in gymnasiis. Hi & γυμνασαὶ, & ἀλεῖπται dicti. Horum officium fuit, athletarum nares vellere, ac resina levigare. Pers. Sat. IV. 38.

Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescet aratro.

Qui proprie locutus est, nec *palæstritas* dixit vulsores robustissimos, & suæ professionis apices, ut sentit Casaubonus ad hunc locum. Nam *palæstritæ*, qui ministerium, & operam præstabant ungendis, & exercendis athletis, eosdem etiam, ut apparet, depilabant. *Salmas. in Tertull. de Pal. p.* 273.

PALANGÆ sunt bacilli, aut fustes teretes modici, ut qui navibus supponuntur, aut quibus idem onus plures portant. Non. II. 725. *Palangæ dicuntur fustes teretes, qui navibus subjiciuntur, cum attrahuntur ad pelagus, vel cum ad littus subducuntur. Varr. de vit. pop. Rom.* IV. *Cum Pœnus in fretum obviam venisset nostris, & quosdam cepisset, crudelissime pro palangis carinis subjecerat, quo metu debilitaret nostros.* Has signat Horat. Od. I. 4. 2.

Trahuntque siccas machinæ carinas.

Græcis teretes isti baculi similiter φάλαγγες, & φαλάγγια vocentur. *Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de Milit. nav.* III. 3. *Bochart. Hieroz.* II. 3. 19 *Salmas. Exerc. Plin. p.* 726. *a. B. Meurs. in Minuc. Felic. p.* 23. *Rhodig. Ant. Lect.* XX. 29. *Philand. in Vitruv.* X. 8. *Bald Lex. Vitruv. Beroal. in Serv.* §. 19. *Schill Nomencl. Philol. p.* 865.

PALANGARII sunt, *qui aliquid oneris fustibus transvehunt.* Non. II. 725. Gloss. Philox. *Palangarii, fustibus onera suspendentes, & plures simul portantes.* Qui nonnihil abit a Nonio. Sunt enim illi *palangarii* plures conjuncti *palangis* onera gestantes. Sed credibile est utrosque sic vocatos. *Palangarius* fuit Maschlion ille, de quo Mart. V. 12. 1.

Quod nutantia fronte perticata
Gestat pondera Maschlion superbus.

Meminit & Vitruv. X. 8. *Onerum vero maxima pondera, cum feruntur a palangariis.* Salmas. Exercit. Plin. p. 726 a. C. Bochart. Hieroz. II. 3. 19. Voss. Lex. Etymol. in Palangæ. Meurs. in Minuc. Felic. p. 23. Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv.

PALANTIUM castellum Arcades, qui sexaginta annis ante res Trojanas ex urbe *Palantio* exeuntes, & sedem duce Euandro quærentes, in hunc locum, ubi nunc Roma est, delati, a Faunoque Aboriginum Rege benigne suscepti, agri portionem acceperunt, colle haud procul a Tiberi electo, struxerunt. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 1. *Voss de Idolol.* I. 12.

PALARE dicuntur, qui terga vertunt, qui fugiunt, non satis observato verbi usu. Proprie enim *palantur* victores. Virg. Æneid. V. 265.

Demoleus cursu palantes Troas agebat.

Sil. Ital. II. 161.

Palantesque fuga praceps ad littora cursu
Egerat.

Liv. VIII. 24. *Contrahens suos ex fuga palatos.* Barth. Adv. XIX. 16. Cellar. in Silium.

PALARIA nomen fuit exercitationi militum ad *palum.* Sosip. Charis. Instit. 1. Edit. Putsch. p. 11. *Hæc palaria, cum milites ad palos exercentur.* In militia fuerunt prælusiones tyronum. Exercitatio, sive prælusio ad *palum* fuit duplex. *Pali* figebantur in terram, ut nutare non possent. Sex pedes e terra eminebant. Ad illos cominus sudibus, id est, clavis, seu gladiis ligneis exercebantur. Juven. Sat. VI. 247.

— aut quis non vidit vulnera pali
Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacessit,
Atque omnes complet numeros.

Veget. I. 11. *Clavas ligneas, duplicis æque ponderis, pro gladiis tyronibus dabant. Eoque modo, non tantum mane, sed etiam post meridiem exercebantur ad palos. Palorum enim usus non solum militibus, sed etiam gladiatoribus plurimum prodest. Nec unquam aut arena, aut campus invictum armis virum probavit, nisi qui diligenter exercitatus docebatur ad palum. A singulis tyronibus singuli pali defigebantur in terram, ita ut nutare non possent, & sex pedibus eminerent. Contra illum palum, tanquam contra adversarium, tyro cum crate, & clava; velut cum gladio, se exercebat, & scuto: ut nunc quasi caput, aut faciem peteret, nunc a lateribus minaretur, interdum contenderet poplites, & crura succidere, recederet, assultaret, insiliret, & quasi præsentem adversarium, sic pa-*

lum omni impetu, omni bellandi arte certaret. Eminus miſſilibus parum feriebant. Veget. II. 23. *Miſſilibus etiam palos ipſos procul ferire meditentur, ut & ars dirigendi, & dextræ virtus poſſit accreſcere.* Stewech. in Vegetium. Mercur Gymnaſt. III. 4. Salmaſ. in Spartian. Adrian. c. 26. Lipſ. Saturn. I. 15. de Milit. Roman. V. 14. Lyd. Agon. ſacr. c. 15. Thyſ. Rom. Illuſtr. V. p. 141. Scalig. Conject. in Varr. p. 63. Valtrin. de re milit. Rom. I. 4. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 3. Alex. Gen. I. 20. Schill Nomencl. Philol. p. 865.

PALATIAR, ſive *Palatuar, dicebatur ſacrificium, quod fiebat Romæ in monte Palatino.* Feſtus in Sacrificium. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 21. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 14. *Stuck. de Sacrif. p.* 15. *Gutther. de vet. jur. pont.* IV. 1.

PALATINA regio. V. illam infr. in *Regio.*

Palatina tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

PALATINI omnes in communi vocantur, qui in *palatii* [illegible] militant, & diverſis comitibus apparent. Nam & *Palatini* ſunt notarii, qui intra conſiſtorii ſecreta funguntur officio, quique inter Agentes in rebus. Admiſſionales, qui ſub caſtrenſi officio, quorum alii Imperatori obſequuntur: alii ſcriniis vacant, id eſt, memoriæ epiſtolarum, & libellorum: alii *Palatinorum* magiſtro: atque alii comitibus ſacrarum largitionum, & privatarum. *Guther. de offic. dom. Aug.* III. 24. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 1.

PALATINUS mons poſt forum erigitur, prima ſedes Urbis, & poſtea imperii. Ejus fines a vallibus ipſi ſeſe produnt. A ſeptentrione clauditur foro Romano, & antiquo Velabro, ſeu valle ipſum interjacente, & Capitolium. Ab occaſu valle inter *Palatium*, & Aventinum ſita, ubi olim circus maximus. A meridie valle inter eundem *Palatinum*, & Cœlium intermedia, in qua olim Septizonium Severi, viæque Appiæ fines. Ab ortu via olim ſacra, & planitie, quæ *Palatio* adjacet, Cœlio, Eſquilino, & Quirinali. Forma paullo longior quadrata: olim fortaſſe rotundo propior. *Donat. de Urb. Rom.* III. 1. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 3. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 273. *C. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 12. *Godw. Anthol. hiſt. Rom.* I. 1. 2. Ejus pars forum verſus, Germali nomen habuit: Cœlium verſus Veliæ. *Panvin. ibid. p.* 272. *D. Fabric. l. l.* Ædificia multa habuit. Hodie ſuffoſſionibus, & ſubterraneis meatibus totus quaſi penſilis, & deformis ruinis, quas per vineta, quæ ibi conſita ſunt, ne diſcernere quidem licet. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 21. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 20. *Fabric. l. l.* Et nihil nunc in illo obſervatu dignum exceptis hortis Farneſianis illuſtribus. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 2. §. 2. *Donat. de Urb. Rom.* III. 2. *Schott. Itiner. Ital. p.* 172.

PALATIUM *nominatur ædes Imperatoris, non quod ita aliquando decretum ſit, ſed quod in Palatino Auguſtus Cæſar habitabat, ibique prætorium ejus erat, ac domus ejus ab eo monte, propterea quod ibi quondam Romulus habitabat, multum ſplendoris accepit; ideoque etiamſi alibi Imperator domicilium ſuum habeat, tamen id quoque palatii nomen obtinet.* Dio LIII. p. 507. B. *Donat. de Urb. Rom.* III. 2. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 272. *E. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 3. *Fab. Semeſt.* III. 1. In illo Romani Imperatores ab Auguſto habitaverunt. V. ſupr. in *Domus.* Habebat I. ingens veſtibulum. Gell. III. 1. *In veſtibulo ædium Palatinarum omnis fere ordinum multitudo opperientes ſalutationem Cæſaris conſtiterant.* XIX. 13. *Stabant forte una in veſtibulo palatii fabulantes.* . . . Ad arcum Titi fuiſſe exiſtimandum eſt, non in ſacra via, in qua Neronis veſtibulum, ſed jam dirutum. De ea videtur loqui Suet. Veſp. c. 25. n. 2. *Dicitur vidiſſe quondam per quietem ſtateram in medio Palatinæ domus p[illegible]am.* II. gradus, qui in ſacram viam ducebant, & qui duraverunt ad tempora Vitellii. Hic enim *pro gradibus Palatii apud frequentes milites cedere ſe imperio profeſſus eſt.* Suet. c. 15. n. 4. Forſan iidem fuere Neronis aut ſaltem pars eorundem reliqua extra dirutum veſtibulum: aut ipſo etiam adhuc vivente Nerone ſubdivales fuere, a Neroniano veſtibulo in editiora ferentes. Et ab his diverſos, pro quibus poſt mortem Claudii Nero *Imperator eſt conſalutatus.* Suet. c. 8. n. 1. Hos in altera *Palatii* parte, ubi nempe domus Tiberiana fuit, exſtitiſſe probabile eſt. III. aream theatri capacem. Joſeph. XVIII. 1. *Deinde conſedit* Caligula *in theatro, quod compactile inſtaurabatur per ſingulos hoc modo. Duas habebat januas, alteram verſus ſubdivalem aream.* . . . Et alteram, quæ principatu Neronis, & Vitellii in averſa parte collis fuit, ut indicat Gell. XX. 1. *Ad eum forte in area Palatina, cum ſalutationem Cæſaris opperiremur, philoſophus Palatinus acceſſit.* IV. Porticus non in veſtibulo tantum, ſed plures pluribus in locis in tam laxæ vaſtitatis ædificio: ut enim conclavibus undique lumen ſuppeteret, impluviis permultis opus fuit: & illorum nullum fere non porticibus adornatum fuit. Meminit aliquarum Capitol. Pertin. c. 11. *Supervenerunt Pertinaci* milites interfectores, *cum ille aulicum famulatum ordinaret, ingreſſique porticus Palatii uſque ad locum, qui appellatur Sicilia, & Jovis Cœnatio.* V. Atrium ad inſtar templi ex augurali diſciplina conſecratum. Ibidem ſæpius ſenatus habebatur. Serv. Æneid. XI. 235. *Idcirco etiam in Palatii atrio, quod augurato conditum eſt, apud majores conſulebatur ſenatus; ubi etiam arietes immolabantur.* VI. hortos, ſed non adeo magnos. Lamprid. Heliog. c. 23. *Montem nivium in viridario domus æſtate fecit.* VII. Balneas. Joſeph. XIX. 1. *Mox ubi regiam ingreſſi ſunt, deflexi ad infrequentem quandam cryptam ducentem ad balneas.* Hæ ad *Palatii* uſum privatum exſtructæ fuerunt, & diverſæ ab illis veteribus, de quibus Cicer. pro Roſc. c. 7. VIII. Lararium, & quidem duplex. V. illud ſupr. in *Lararium.* IX. Auguratorium. V. illud ſupr. in *Augurale.* X. ſtabulum ſuis inſtructum porticibus. De hoc viſa a ſe illic nova a Carino, & Numeriano exhibita ſpectacula referens Vopiſc. Carin. c. 19. *Ludos Romanos novis ornatos ſpectaculis dederant, quos in Palatio circa porticus ſtabuli pictos vidimus.* XI. hippodromum. V. illum ſupr. in *Hippodromus.* XII. cellam atrienſis. V. illam ſupr. in *Cella. Donat. & Nardin. l. l.*

Palatium Antoninus Caracalla ſub thermis ſuis in Aventino dicitur poſuiſſe. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 7. Sed de illo nihil Victor, & nos rem relinquimus in medio. Niſi placeat conjectura, fuiſſe non procul a thermis, ubi hodie templum cernitur S. Cæſarii in Palatio dictum. *Borrich. Ant. Urb. Rom. Fac. c.* 14. §. 2.

Palatium II. Conſtantini prope baſilicam D. Johannis cognomento Lateranenſis in Cœlio verſus portam Gabiuſam collocatum fuiſſe dicunt *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 9. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 35.

Palatium Decii Imperatoris apud ædem nunc S. Laurentii cognomento in paniſperna in colle Viminali, in ea parte, quæ ad Suburram vergit, ſitum fuiſſe nonnulli tradidere. Sed de hoc apud antiquos ſcriptores non memini me legere. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 21.

Palatium Diocletiani prope ejus thermas in colle Viminali fuiſſe opinamur, in vinea ſita inter ipſas thermas, & vallem Quirinalem: ubi columnarum baſes adhuc ſuis locis ſtantes effodi vidimus: & ſacellum conchis marinis, variiſque lapillis invicem conſertis adornatum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 21. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 6.

Palatium Farneſianum Cardinalis inchoaverat: eoque pontifice cum aliqua feciſſet Rannutius Cardinalis Farneſius, poſtea Alexander item Cardinalis Farneſius tanto ſplendore in quadrum pari laterum dimenſione perfecit, quantum qui oculis non ſubjecerit, animo concipere vix queat. Molitionem regebat juſſu Paulli Michael Angelus Bonarota. Hujus magiſterio atrium pilæ quadratis porticibus ſubjectæ medio ſcapo exſtantibus Doricis columnis definiunt. Epiſtylia, & coronas excipit gracilioribus pilis, & columnis ea portione prominentibus ordo Ionicus, partim arcubus, partim occluſos per arcus patentibus feneſtris. Summa ſpatia Corinthio ornatiſſimoque genere clauduntur. Verum pro columnis antæ quadrato ſaxo, & paraſtatæ ſuſtinent incumbentes coronas.

Nihil

Nihil æque oculos tenet, atque exterior corona ad tecti subgrundium, & culmen; tanta partium symmetria scotias primum, regulas, torosque duxit artifex: tum zophori hyacinthos, dein projectos mutulos, & impositam super coronam, & cymatia, atque in his altissima leonum capitula conformavit, & sculpsit. Plurima Romæ effossa, præsertim in thermis Antonianis, & huc deportata in atrio, scalarum areolis, aliisque in locis conspiciuntur simulacra. Quippe aulæ, & cubicula pulcerrimis lucentia picturis, quibus interior etiam xystus, & statuis, priscisque e marmore admirandis operibus abundat. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 10.

Palatium Gordianus Imperator splendidum erexerat prope thermas suas. Ducentas habuit in duplici ordine columnas marmoreas. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 44. V. illud supr. in *Domus.*

Palatium Laterani prospectum præcipuum in campum Martium olim habuit. Anastas. in Leon. III. *Macronam ipsius Lateranensis patriarchii, quæ extenditur a campo, & ultra imagines Apostolorum*. Situm fuit inter Ecclesiæ sacrarium, & muros civitatis: cujus situs arcus etiam ac fenestræ indicio sunt, quæ ea in parte muri sunt. Diversum fuit a patriarchio alio Lateranensi, quod avorum nostrorum ætate exstitit, ubi Sixtus V. hoc, quod nunc est, *palatium* ædificavit. Prius enim illud destructum est, vel cum Totila partem murorum Urbis diruerat, vel cum Belisarius eos restitueret: qui forsan, ut illos tutiores redderet, & a proditione Silverii securiores, *Palatium* Lateranense solo æquavit. Fors & aliquo incendio, quo Lateranense *Palatium* postea correptum fuerit, vel in ingenti illa Urbis destructione, quæ illi sub Gregorio VII. & Imperatore Friderico II. ea in parte accidit, periit; cum Normannorum pugnis, & ab exercitu Guiscardi omne illud Urbis spatium, quod inter Capitolium, & Lateranensem basilicam interjacet, pessumdaretur. Alterum constructum fuit a Gregorio IV. ut arbitror: quandoquidem Anastasius illum pontificibus duo *palatia* ædificasse refert: vel a Nicolao I. quem idem scriptor perpulcram ibidem domum exstruxisse tradit. Auxit illud Innocentius II. aliquot atriis, restituit & ampliavit Clemens III. idemque præstitit Gregorius IX. Potuit & *palatium* fuisse, quod Adrianus V. inchoasse, perfecisse Nicolaus III. legitur, ad Laterani latus. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7.

Palatium Licinii fuit ad D. Bibianæ nunc ædem, ad ursum pileatum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 15. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 3. sive fuerit Licinii Imperatoris, sive potius Licinii Suræ, qui, ut testatur Dio LXVIII. p. 777. D. Trajani fuit amicus, & opulentissimus gymnasium populo Romano suis sumptibus ædificavit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2. Possit & aliquis illud M. Licinii Crassi fuisse suspicari, cujus divitiæ quondam famosissimæ fuerunt. Hujus autem domum hac in regione Victor collocat. Forte vel illius Licini celebre illud ædificium fuit, cujus meminit Mart. VIII. 3. 5.

Et cum rupta situ Messalæ saxa jacebunt,
Altaque cum Licini marmora pulvis erunt.

Quem a M. Crasso diversum fuisse docet Senec. Epist. 119. *Ad summum, quem voles mihi ex his, quorum nomina cum Crasso, Licinoque numerantur.* Ubi Licini a Licinii distinguuntur. Licinum hunc ditissimum fuisse cognoscimus ex Senec. Epist. 120. *Modo Licinum divitiis prætulant.* Cujuscunque vero fuerit ædificium, pars est ut tum residua aliqua domus Licinianæ. Nam rudera nihil aliud quam majoris alicujus ædificii diruta, & convulsa nobis membra repræsentant. *Nardin. l. l.*

Palatium Nerva ad suum struxit forum. Ejus ruinæ adhuc extant ad turrim militiæ, & templum S. Blasii. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 42.

Palatium Scauri fuit ad summam Veliam, versus S. Mariam novam, cum atrio, quod circumdabatur altissimis columnis marmoreis: quæ triginta octo pedes longæ erant, præter basin, & epistylium. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 30.

Palatium Sessorianum, ut Anastasius testatur in S. Silvestro, & Beda Martyrol. Tom. I. fuit, in quo Ecclesia S. Crucis in Hierosolymis a Constantino ædificata fuit. Hujus nulla alia supercst notitia. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2.

Palatium Vaticanum pro ejus dignitate Urbanus VIII. excoluit. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 12. Et novum in Vaticano, ex quo subjectæ Urbis jucundissimus est prospectus, excitavit Sixtus V. Quod ab aliis pontificibus deinde exornatum hodie iidem incolunt. *Donat. l. l. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 6.

Palatium Vespasiani fuit extra portam Capenam. In illo martyres pro tribunali examinati olim a tyrannis ethnicis leguntur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 3. *n.* I. *Aring. Rom. Subterr.* III. 21.

PALATIUM si salierit, in auguriis, bonam in domo locutionem: & si sinistra pars, etiam bonum significat: contra autem, si dextra. *Niphus de Augur.* I. 9.

PALEA vocatur etiam pars annuli, cui gemma inseritur. Philarg. in Virg. Georg. III. 53. *Palearia, unde & paleæ, quæ collum amplectuntur, & ea pars annuli, quæ gemmam cohibet, propter similitudinem palea dicitur. Cicer. de Off.* III. *Cum paleam ejus annuli converteret.* Ciceronis exemplaria antiquissima *palam*, non *paleam* legunt. V. supr. in *Pala.* Kirchman. de annul. c. 3. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20.

PALES *dicebatur dea pastorum.* Festus. *Armentorum, & pecorum gregibus præerat.* Arnob. III. p. 113. Hanc precabantur, ut felices partus daret pecori, pascua salubria, & a lupis, ac tabe immunia. Ovid. Fast. IV. 763.

Pelle procul morbos, valeant hominesque gregesque,
Et valeant vigiles, provida turba, canes.

Struv. Ant. Rom. I. p. 179. Gyrald. Synt. deor. I. p. 43. D. Voss. de Idolol. II. 61. Stuck. de Sacrif. II. p. 41. Faber Agon. II. 5. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3. Broukh. in Tibullum mox laudandum. *Pali* antiqui re divina facta, priusquam vere hybernis educerent stabulis, solebant lustrare: & interdum præmium pastoribus fistula certantibus proponere. Calpurn. Ecl. VII. 11.

Nam dum lentus abes, lustravit ovilia Thyrsis:
Jussit & arguta juvenes certare cicuta.

Turneb. Adv. XXI. 3. Lacte colebatur. Tibull. I. I. 16.

Et placidam niveo spargere lacte Palem.

Ovid. Fast. IV. 746.

Sylvicolam tepido lacte precare Palem.

Brisson. de Form. I. p. 58. Stuck. de Sacrif. p. 72. Broukh. l. l.

PALICI fuerunt duo dii Siculorum. V. illos supr. in *Dii.*

PALILIA *vocantur sacra, quæ Pali deæ solvuntur* XI. *Kal. Maj. die.* Serv. Georg. III. I. Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Palilia dicta a Pale, quod & feriæ ei deæ fiunt.* Dionysius mox laudandus *Parilia* vocat, a quadrupedum partu. Observabantur hoc die varii ritus, variæque purgationes, & expiamina solebant fieri. I. purgabat se populus in urbe Roma suffimento, cui adhibebatur sanguis equinus, cineres nondum nati vituli, e mactatæ matris utero exerti, & adusti in Fordicidiis a Vestalibus, stipulæ fabales, ex quibus omnibus supra prunas impositis fiebat suffitio. II. summo mane a pastoribus purgabantur passim in agro & Urbe ovilia, ac pecora hoc modo: inspergebant oves aqua & sulphure, herbaque Sabina, & lauro igne succensis, circumcirca ovilia suffibant, quo pecora purgari, morbos, & tabem depelli credebant. III. Lacte, sapa, & milio *Pali* deæ sacra persolvebant, quibus preces adjungebant pro salute, & incolumitate pecoris, & convivia celebrabant. IV. his peractis vesperi sub noctem accendebantur insuper acervi fæni, vel stipularum, eorumque flammas ad id ordine dispositas pastores transiliebant. Hos ritus omnes, & illorum rationes verbosius describit Ovid. Fast. IV. 629--806. *Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p.* 151.

p. 151. *Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 435. Laz. Comm. Reip. Rom.* XI. 2. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 43. *D:* XVII. 493. *B:* 550. *E. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 216. *C. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 893. *B. Tomaſ. de Donar. c.* 30. *Turneb. Adv.* XVI. 22. *Siccam. in Faſt. Kalend. c.* 4. *Stuck. de Sacriſ. p.* 35. & 41. *Lomej. de Luſtrat. c.* 29. *Laurent. de Natal. & Conviv. c.* 3. *var. ſacr. gentil. c.* 14. *Roſin. Ant Rom.* IV. 8. *Demſter. Paral. ad Roſin.* I. I. *Donat. in Vopiſc. p.* 1047. *Goltz. de Orig. & Stat. Pop. Rom. p.* 269. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 14. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 10. §. 14. *Scaeli Nomencl. Philol. p.* 867. In illis etiam cymbala pulſabantur. Athen. VIII. p. 361. E. *Auditus eſt per univerſam civitatem tibiarum ſtrepitus, cymbalorum ſonus, ac inſuper tympanorum ſtrepitus, cum multorum, qui canebant, vocibus. Celebrabantur enim Palilia, dicta quondam feriæ, nunc Romanis appellant, exſtructo, dicatoque Fortunæ urbis templo ab optimo, & humaniſſimo Imperatore Adriano.* Lampe de Cymb. III. 10. Illis Romæ urbis fundamenta jacta credebantur. Dionyſ. I. p. 75. *Quem diem, ſi ullum alium, Romana civitas noſtro quoque tempore ſingulis annis feſtum celebrat, vocatque Parilia: cum ineunte vere agricolæ, paſtoresque pro partu quadrupedum diis alituri gratias, ſacra faciunt.* Plutarch. Rom. p. 23. F. *Conditam Urbem ita conſeſſo eſt* XI. *Kal. Maj. quem habent feſtum Romani*, & patriæ natalem appellant. Prop. IV. 4. 71.

> *Urbi feſtus erat, dixere Palilia patres:*
> *Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.*

Hinc Suet. Cal. c. 16. n. 13. *Decretum autem, ut dies, quo cepiſſet imperium, Palilia vocarentur, velut argumentum rurſus conditæ Urbis.* Demſter. Siccam. Strüv. & Roſin. l. l. Columna in Ennii Annal. I. p. 22. Pitiſc. in Suetonium.

PALIMPSESTUS eſt charta deletitia, hoc eſt, cujus prior ſcriptura delebatur, ut nova poſſet inarari. Cicer. Fam. VII. 18. *Nam quod in palimpſeſto, laudo equidem parſimoniam: ſed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris quam exſcribere, niſi forte tuas formulas.* Catull. XXII. 5.

> —— *nec ſic, ut fit, in palimpſeſto*
> *Relata.*

Fiebat id ſpongia, unde Varro.

> *Si diſplicebit tibi tam latum mare,*
> *Tantum parato ſpongiam deletilem.*

Alluſit Æſchylus, cum ait ὑγραῖς σπογγίου βολαῖς, & Auguſtus, cum diceret, *Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.* Græce παλίμψεστος, vel παλίψεστος legitur. Compoſita vox ex πάλιν & ψάω, quod eſt abſtergeo, ſive deleo. Et hinc περίψημα apud Apoſtolum I Cor. c. 4. n. 13. *ſordes, quæ detergendo deducuntur:* quam interpretationem confirmat Euſtathius, cum σπόγγισμά τι eſſe dicit. Integra hujus vocis lectio exſtat apud Plutarch. p. 504. D. *Quidam offendunt aures eorundem verborum iterationibus, non aliter quam palipſeſta exæquantes.* Leopard. Emend. XIII. II. Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. de mod. uſur. c. 10. p. 416. Turneb. Adv. XXV. 22. Bud. de Aſſe p. 204.

PALIO dicitur Italis præmium certaminis, quia *palia* certamen eſt. Favorinus: Παλία ἀγὼν a παλεῖν: παλαίω eſt enim *luctor*, unde & *palio* etiam unico l. apud nos exponitur athlum, & pendet oculis publice expoſitum, quando more etiam veteri, ſive in curſu, ſive in lucta, aut ceſtu decerneretur, præſenti ſemper, ac in medio erant bravia, ac præmia. Etiam *pallio* ſcribitur, quia veſtis πάλλεται, *vibratur*, ab excutiendo, veſtes ſiquidem pro præmiis certatoribus dabantur. Stat. Theb. VI. 722.

> *Tunc genitus Thalao victori tigrin inanem*
> *Ire jubet, fulvo quæ circumfuſa nitebat*
> *Margine.*

Induſium ex tigridis pelle ſignificat. *Argel. in Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 16.

PALLA dicebatur *pallium*, quod tunicæ, ſive ſtolæ mulieres honeſtæ injiciebant. Virg. Æneid. I. 652.

> *Ferre jubet pallam ſignis, auroque rigentem.*

Ubi Servius: *Pallam rigentem, duram propter aurum, ſicut & novas veſtes videmus. Significat autem tunicæ pallium.* Cum pars ejus in humerum ſiniſtrum rejiceretur, & ſiniſtro brachio pars altera ſubduceretur, in rugas contrahebatur. Virg. Æneid. XI. 576.

> —— *pro longæ tegmine pallæ.*

Ubi Servius: *Palla propriæ eſt muliebris veſtis deducta uſque ad veſtigia: unde ait Virgilius longæ. & Horat. Sat.* I. 2.

> *Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla.*

Et Ovid. Amor. III. 13.

> *Virginei crines auro, gemmaque premuntur,*
> *Et teget auratos palla ſuperba pedes.*

Ferrar. de re veſt. I. 3. 18: II. 4. 5. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 16. Diverſa fuit ab amiculo. V. ſupr. in *Amiculum.* Græcis peplum vocatur. V. infr. in *Peplum.* Fuit mulierum ita peculiaris, & matriſfamiliæ cauſa comparata, ut illa *viri non facile uti poſſent ſine vituperatione*, ut loquitur Ulpian. l. 23. ff. de auro, arg. Ibi *pallæ*, non *pallia* legendum eſſe, etſi ita exſtet in Pandectis Florentinis, idque tueatur Fab. Semeſtr. I. 15. ex eo apparet, quod *pallia* inter communia viris, & feminis veſtimenta a Icto recenſentur, cum *pallæ* muliebria tantum fuerint. Non. XIV. 7. *Palla eſt honeſtæ mulieris veſtimentum, hoc eſt, tunicæ pallium.* Et Liv. XXVII. 4. narrat, Ptolemæo Ægypti Regi a ſenatu dono miſſam *togam, & tunicam purpuream, Cleopatræ Reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo.* Ferrar. ibid. I. 3. 18. Manut. Quæſ. Epiſt. III. 2. Erat quadrangula, umbonem non habebat, ut toga, ſed ejus vice gerebatur lacinia ab humero dejecta. Apul. Met. XI. p. 360. *Palla ſub dexterum latus ad humerum lævum recurrens, umbonis vice dejecta parte*, ſic lego pro *partem*, *laciniæ multiplici contabulatione dependula.* Ruben. de re veſt. II. 11. Erat tunica fibulatoria, ut peplus apud Græcos, quam feminæ illuſtres ſumebant, quando in publicum prodibant, & fibulis ad pectus conſtringebant. Fuiſſe fibulatoriam præter cæteros oſtendit Curt. III. 3. 18. qui *pallam* appellat candyn Perſarum. Eſt autem candys Perſica *palla*, quam fibulis conſtringunt milites. Heſychius. Erat tunica ſimul, & pallium, & hinc *tunicopallium*, ſive *tunicapallium* compoſita voce vocabatur. Interpres Cruquii ad Horat. Sat. I. 2. 99. *Palla pro peripodio ponitur, quod tunicopallium dici poteſt.* Et ita lego apud Servium, & Nonium jam laudatos. Sed & abſolute ſæpe *palla pallia* dicuntur antiquis. Quod multos in errorem induxit, qui inde credidere *pallam* fuiſſe exterius amiculum, quod & perſuadere videtur Horat. Sat. I. 2. 97.

> —— *multæ tibi tum officient res,*
> *Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ,*
> *Ad talos ſtola dimiſſa, & circumdata palla,*
> *Plurima quæ officiant pure apparere tibi rem.*

Ex quo colligunt interpretes, *demiſſæ* ad terram *ſtolæ pallam circumdatam* fuiſſe. Sed mihi videtur legendum eſſe:

> —— *& circumdata palla*
> *Plurima.*

Ita ut annuat, officere ſtolam dimiſſam ad pedes, & plurima alia, quæ *palla circumdantur*, id eſt, ſupparum, induſium, aliaque hujus generis. Non nego tamen aliquando *pallam*, ut & peplum apud Græcos pro extima veſte ſumi, ſed nunquam ſtolæ ſuperjici. Fuit enim indumentum, non amictus. Hoc probari poteſt ex Cornif. ad Herenn. IV. 47. *Uti citharœdus cum prodierit optime veſtitus, palla inaurata indutus.* Sidon. Carm. XV. n. 13.

> *Squameus ad mediam thorax non pervenit alvum,*
> *Poſt chalybem pendente peplo tegit extima limo*
> *Circum palla pedes, qui cum ſub veſte moventur,*
> *Criſpato rigidæ crepitant in ſyrmate rugæ.*

Ovid. Met. XIV. 262.

> —— *pallamque induta nitentem*
> *Inſuper aurato circumvelatur amictu.*

Ruben. ibid. I. 20. Nec *palla*, nec peplus fuit veſtimentum ex pallio, & tunica conflatum, multo minus tunica fibu-

fibulatoria. V. infr. in *Peplus*. Et, si Rubenio credimus, matronæ Romanæ supra pallium, quod illi stola, gestarunt tunicam, quæ illi *palla*. Cum contra indubitatum sit, stolam fuisse tunicam muliebrem, *pallam* autem pallium. Audax est facinus apud Servium & Nonium legere *tunicopallium*, quia vetus Horatii interpres nugator ait *pallam tunicopallium* dici posse, cum locus ille menda non careat, ex Servio, & Nonio corrigendus. Sola etiam Horatii, quem laudat, auctoritas evinceret, *pallam* fuisse pallium muliebre, & stolæ superindui solitum. Res, inquam, ipsa sine ullo interprete clamat, stolam fuisse tunicam, *eamque palla circumdatam*. Hæc enim caussa erat, ut occulta corporis vitia matronarum apparere non possent. Quod scilicet duplici veste, eaque fusa, & talari, tunica, & pallio omnia præter faciem obvelarentur. Nec Horatius videtur persuadere, sed clarius ostendit, quam sol lucet, *pallam* fuisse superius amiculum. Si enim non erat exterius, quid tandem fuit, quo illud a stola differebat? Horatium contra omnium codicum, & interpretum fidem corrigit. Sed demus, matronas eodem tempore supparum, indusium, stolam, ac *pallam* gestasse, hæc tamen omnia *palla* circumdita erant: igitur exterius vestimentum, & quod cæteris imponebatur. *Pro extima* tandem *veste aliquando sumi* admittit, *sed nunquam stolæ superjectam*. Verum stolam circumdare, nisi ipsi superimponeretur, non poterat. Nec aliud, quam exterius vestimentum fuisse *pallam*, indicant verba Sidonii. Quis enim non videt, *extima* de tunica interiore, sive stola accipi non posse? Ibi *pendente peplo*, est fluente velo, sive sinu ad pedes cadente, & quidem *limo*, id est, obliquo: non enim *palla* ora æqualiter cadebat ad pedes, cum pars dextra brachio, vel humero sinistro imposita subduceretur, sinistra autem ad pedes flueret. Numeri autem 15. & 16. mirifice Servium, & Nonium explicant, qui *pallam* ab irrigatione & mobilitate, quæ est circa finem hujusmodi vestium, dictam tradunt, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Nec Ovidius indicat *pallam* fuisse tunicam. Sed ibi amictus est amiculum, hoc est, velum capiti tegendo, quod breve, neque infra humeros cadens: vel more Græcorum *pallam*, sive peplum generice pro tunica accepit. Apud Curtium, quia etiam inter vestimenta virilia, sed minime Romana adscripta est *palla*, vestimentum exterius est, sive accipitres loco fibularum fuerint, rostro concurrentes, sive eorum figura *pallæ* injecta, aut acu picta. Nam quæ sequuntur, *& zona aurea muliebriter cinctus, acinacem suspenderat*: ea cinctura de tunica, non de *palla* accipienda est. *Gallica palla* Martialis tunica fuisse videtur, sed aperta Nam Strab. iv. p. 135. ait Gallos *pro tunicis gestare vestes apertas, manuleatas, usque ad pudenda, & nates*. Quanquam hoc potius de sago Gallico intelligendum putamus, quod apertum, & chirodotum, sive manuleatum erat, & quoniam breve vix ad pudenda pertingens, ideo Galli iis velandis braccas gestarunt. *Palla* apud Ciceronem nonnisi pro tunica accipi potest. V. supr. in *Citharœdus*. Ferrar. Anal. de re Vest. c. 26. Cuper. Apoth. Homer. p. 182. Torrent. ad Horatium. Manut. l. l. Aureis clavis sæpe ornata fuit. Virg. Æneid. i. 652. supra laudatus. Ubi *signis auroque* est, ut Servius explicat, *signis aureis*, χρυσόσημον. Stat. Achill. i. 263.

Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere.

Sæpe etiam purpura clavata Ovid. Fast. ii. 107. V. illum supr. in *Citharœdus*. Ferrar. de re Vest. ii. 3. 13. Ruben. l. l. Fuscam, sive pullam, ricinio deposito, in funere gerebant mulieres Romanæ. Varr. de vit. pop. Rom. iii. apud Non. xvi. 13. *Ut dum supra terram essent, ricinus lugerent: funere ipso ut pullis pallis amictæ*. Et ibid. n. 14. *Propinquæ adolescentulæ etiam anthracinis, proximæ amiculo nigello capillo demisso sequerentur luctum*. Ruben. ibid. c. 7 Transiit inde ad citharœdos. Cornificius & Ovidius jam laudati. Propter quam caussam ipse Apollo *palla* indutus a poetis producitur. Ovidius & Tibullus. V. illos supr. in *Apollo*. Bayf. de re Vest. c. 13. Salmas. in Tertull. de pall. p. 469. Ferrar. de re Vest. i. 3. 18: ii. 4. 3. Ruben. ibid. c. 20. Laurent. de Præcon. c. 2. Broukh. in Tibullum. Ad tragœdos. Ovid. Amor. ii. 18. 13.

Sceptra tamen sumpsi; curaque tragœdia nostra
Crevit: & huic operi quamlibet aptus eram.
Risit amor, pallamque meam, pictosque cothurnos,
Sceptraque privata tam cito sumpta manu.

iii. 1. 11.

Venit & ingenti violenta tragœdia passu:
Fronte comæ torva, palla jacebat humi.

Bayf. Ferrar. & Ruben. l. l. Ad saltatores. Plaut. Men. i. 3. 14.

Sed obsecro hercle salta sic cum palla postea.

Quia autem saltatores molles, & effeminati, Plaut. ibid. ii. 3. 46.

—— non ego te indutum foras
Exire vidi palla? MEN. *væ capiti tuo:*
Omnes cinædos esse censes, tu quia es,
Tun' me indutum fuisse palla prædicas?

Et cum Menæchmus induisset *pallam*, quam uxori surripuerat, ait ad parasitum i. 2. 34.

Dic mihi, nunquam tu vidisti tabulam pictam in pariete,
Ubi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?
Age me aspice, ecquid assimulo similiter?

Mihi mirum videtur, cum *palla* vestitus exterior muliebris esset, eamque Menæchmus parasito per jocum olfaciendam dedisset, illum aspernatum dicere ibid. n. 57.

Summum olfactare oportet vestimentum muliebre,
Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore illutili.

Nam si de tunica, aut subucula loqueretur, credibilius esset. Sed jocus parasiticus est. Suet. Cal. c. 54. n. 6. *Tres consulares. . . super pulpitum collocavit: deinde repente magno tibiarum, & scabellorum crepitu cum palla, tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit.* Quod sane mirum videri potest, saltatores longis, ac fluentibus tunica, pallaque velatos, cum habiliores succincti, & tunicati tantum futuri fuissent. *Ferrar. ibid. Donat. in Vopisc. p.* 1067.

PALLADIUM erat *Palladis* simulacrum, quod antiquorum superstitio poeticis fabulis edocta, olim e cœlo lapsum fuisse, Dardanique manibus exceptum credidit. Scutum id fuisse quidam existimaverunt, ut Romæ ancilia. Aliter Diodorus, atque Dio sentiunt, qui scribunt signum fuisse ligneum, tricubitale, cœlo lapsum in Pessinunte urbe Phrygiæ, dextera tenens hastam, læva colum, & fusum, & ad eum locum bove duce pervenisse, ubi Dardanus erat: qui dum urbem Ilium condidisset, deos rogavit, ut aliquod signum darent temporis novæ urbis, statimque apparuisse *Palladium*, a quo cum exceptum esset, Apollinis oraculo admonitus est, tamdiu mansuram urbem, donec in ea *Palladium* conservaretur. Alii, ut Varro, Dionysius, Ovidius, Plutarchus, & Servius dicunt: Chrysam, Pallantis filiam, cum in Arcadia Dardano nupsisset, pro dote secum adduxisse *Palladium*, & magnorum deorum simulacra, scilicet Penates, quibus templa Dardanus in Samothracia construxit, quæ postea sacra sunt in Ilium nepotum tempore transvecta, & in templo Palladis, quod in arce Trojana erat, collocata: accepto oraculo mansuram urbem, quamdiu intra mœnia *Palladium* conservaretur, quod circa intimam arcis, templique partem abditum fuit, quodam altero *Palladio* illi simillimo effecto, quod in publico neglectius asservabatur. Itaque tempore belli, quod Græcia adversus Trojanos gessit, cum Pyrrhus ex Heleno vate Priami filio didicisset, salvo in urbe *Palladio*, inexpugnabilem esse Trojam, idque Græcorum principes cognovissent, cum nulla spes potiundæ urbis esset, nisi prius sublato *Palladio*, datum est negotium Ulyssi & Diomedi, qui clam per cloacas in urbem ingressi, vique in custodes facta, *Palladium* Antenoris opera, quod ejus uxori Theanæ Palladis sacerdoti traditum fuerat custodiendum, subripientes ad suos reversi sunt: urbemque tutelari Palladis nomine spoliatam infir-

infirmum, captuque non admodum difficilem reddiderunt. Quod tamen a Græcis captum imaginarium fuisse existimant, verumque capta jam urbe Sicam Æneæ tradidisse cum magnis diis, quos Penates Trojani vocabant. Silius vero Italicus verum quidem raptum asseruit, idque Æneæ a Diomede redditum, quod Æneas cum omnibus Trojanorum sacris, & ceremoniis in Italiam adduxit, Laviniique collocavit, quod deinde ab Ascanio Albam Longam translatum putant, condito Vestæ templo. Porro ex Alba Longa sub Rege Tullo Hostilio, postquam eam diruerat: sive, ut Varro putat, ex Lavinio Romam translatum est, atque in æde Vestæ collocatum. Servius. V. illum supr. in *Gens Nautia.* Panvin. de Imp. Rom. c. 30. Gyrald. Synt. de r. xi. p. 340. G. Ferret. Mus. Lapid. III. Mem. 8. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 9. Figrell. de stat. illust. Rom. c. 3. Struv. Ant. Rom. c. 11. p. 525. Gyll. Topogr. Constantinop. III. 3. Dresem. in Ilcan. de Bell. Trojan. I. 536. In Penu, interiori templi Vestæ recessu, abscondebatur, & nunquam conspiciebatur. Lucan IX. 993.

— nulloque aspecta suorum
Pallas in abstrusi penetralibus memorabile templo.

Herod. I. 14. 7. *Plurima quæque, & pulcerrima Urbis ædificia conflagrarunt: inter quæ & Vestæ templum; sic, ut Palladium quoque conspiceretur, quod in primis colunt, atque in arcano habent Romani, Troja, ut perhibent, adductum, ac tum primum, postquam in Italiam devenit, conspectum ab hominibus. Quippe raptum id Vestales virgines media sacra via in ædem Imperatoris transtulerunt.* A Vestalibus solis, vel certa sola Vestali maxima videri licuisse indicat Lucan. I. 597.

Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.

Imo nec Vestalibus *Palladium*, licet quæ alias sacras videre permissum expressis verbis tradit Dionys. II. Unde colligi potest recte Lucanum de sola id virgine Vestali maxima accepisse. Penus dictus Vestalibus aperiri potuit, ut id non videretur. Sine dubio tegetibus sublatis armarium, in quo servari solebat, clausum remansit. *Nardin. Rom. Vet.* v. 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 10. §. 3. *Lips. de Vesta* c. 9

PALLAS. V. illam supr. in *Minerva.*

Pallas fuit potentissimus libertorum Claudii Imperatoris, & omnium opulentissimus. Auctor fuit Scti Claudiani ut liberi mulieri, quæ alterius servo se conjunxisset, illi servirent C. de Claud. Scto toll. §. ult. Instit. de success. sublat. Tacit. Annal. XII. 53. 2. *Pallanti, quem repertorem ejus relationis ediderat Cæsar, prætoria insignia, & centies quinquagies sestertium censuit consul designatus Borea Soranus. Additum a Scipione Cornelio, grates publice agendas, quod Regibus Arcadiæ ortus, veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros Principis haberi sineret. Asseveravit Claudius, contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere. Et fixum est ære publico Sctum, quo libertinus sestertii ter millies possessor antiquæ parcimoniæ laudibus cumulabatur.* Efficit summa tres milliones auri, quos tenebat *Pallas.* Et centum quinquaginta millia aureorum illius temporis ipsi decreta a senatu, quorum 48 libram efficiebant, unde immensas opes quæsivit. Plin. XXXIII. 10. *Multos cognovimus servitute liberatos opulentiores, pariterque tres Claudii principatu, Pallantem, Callistum, & Narcissum.* Hunc veneno Nero sustulit, ut ejus divitiis potiretur. Tacit. Annal. XIV. 65. 1. *Eodem anno libertorum potentissimos veneno interfecisse creditur. Pallantem, quod immensam pecuniam longa senecta detineret.* Inter alia hortos sibi comparaverat Pallantianos vocatos. V. illos supr. in *Horti.* Humatus fuit in via Tiburtina intra primum ab Urbe lapidem. Plin. Epist. VII. 29. 2. *Est via Tiburtina intra primum lapidem monumentum Pallantis, ita inscriptum; huic senatus ob fidem, pietatemque erga patronos ornamenta prætoria decrevit, & sestertium centies quinquagies, cujus honore contentus fuit.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 342. A. Fromond. in Senec. Nat. Quæst. I. 17.

PALLIASTRUM & obsoletum, & longo usu detritum. Apul. Met. I. p. 11. *Ecce Socratem contubernalem meum conspicio. Humi sedebat scissili palliastro semiamictus. Palliolum* appellat Cicer. Tusc. Quæst. III. 23. *Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia.* Ferrar. de re vest. II. 4. 14. Voss. Lex. Etymol. in Pallium.

PALLIATA comœdia. V. illam supr. in *Comœdia.*

Palliati sunt Græci, quos in suo ministerio, & comitatu habuerit Cæsar, ut medicos, & alios eruditos viros, quorum convictu delectabatur. Suet. Jul. c. 48. n. 1. *Convivatum assidue, per provincias duobus tricliniis: uno, quo sagati, palliative; altero quo togati cum illustrioribus provinciarum discumberent.* Casaub. in Suetonium. Sed cum Suetonius loquatur de provinciis, per quas convivaretur Cæsar, *pallium* autem commune fere gentium gestamen, *palliati* fuerunt provinciales, ad quos Cæsar divertebat. *Ferrar. de re vest.* II. 3. 7.

PALLIOLUM fuit *pallium* breve, & angustum. Vox ipsa hoc declarat. Capitis operimentum muliebre, præcipue meretricum. Mart. IX. 33. 1.

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

Juven. Sat. III. 94.

— vel Dorida nullo
Cultam palliolo.

Salmas. in Vopisc. Bonos. c. 15. in Tertull. pall. p. 309. Ferrar. de re Vest. II. 4. 23. Bayf. de re Vest. c. 13. Etiam virile, sed I. ægrotorum. Senec. Nat. Quæst. IV. 13. *Videbis quosdam graciles, & palliolo, focalique circumdatos, pallentes, & ægros.* Ovid. de Art. I. 733.

Arguat & macies animum: nec turpe putaris,
Palliolum nitidis imposuisse comis.

Nec de alio *palliolo* capies, etsi paullo aliter ego cepi Saturn. I. 13. Suet. Claud. c. 2. n. 5. *Ob valetudinem novo more palliolatus præsedit. Palliolum* enim, *sicut fascias, & focalia sola potest excusare valetudo.* Quintil. XI. 3. *Lips. de Amphith.* c. 20. *Salmas. in Vopiscum. Casal. de prof. Romarit.* c. 20. *Fromond. in Senecam. Ferrar. l. l.* II. mollium, & delicatorum, vitandi, credo, solis gratia: cum pilei usus iis non esset. Senec. Epist. 114. *Hunc,* Mæcenatem mollem, & discinctum, *esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput, exclusis utrinque auribus, non aliter quam in mimo divitis fugitivi solent.* Plaut. Curc. II. 3. 9.

Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant.

Salmuth in Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 361. Lips. Epist. Quæst. III. 23. & Amphith. l. l. Salmas. in Tertullianum. Fromond. in Senecam. Casal. l. l. Taubm. in Plautum. Pitisc. in Suetonium. III. volentium latere. Lucian. dial. mort. de philosopho: *Flet, quia non amplius tam opiparas cœnas habebit, neque nocte exiens clara omnibus, capite pallio involuto, ordine omnia accedet scorta.* Plaut. Pœn. III. 4. 33.

— quin si voles
Operire capita, ne nos leno noverit.

Ferrar. de re Vest. I. 1. II: II. 4. 23.

PALLIUM est vestis exterior. Tertull. de pall. c. 1. *Pallium, extrinsecus habitus.* Est enim supra omnia vestimenta, & omnium extremum. *Ultimum habitum* vocat Cassian. de habit. monach. c. 11. Græci ἐπίβλημα dicunt, τὸ ἐπάνω πάντων βεβλημένον, *quod supra omnia vestimenta sumitur,* ut loquitur Non. XIV. 26. *Salmas. in Tertull.* p. 106. Tunicæ itaque injiciebatur, & totum corpus circumjectu suo involvebat. Græci ἱμάτιον, & φᾶρος dixerunt. *Ferrar. de re vest.* II. 4. 2. Inferiores tamen Latinam *palii* vocem suam fecerunt. Hesychius: Τριβώνιον, πάλλιον. Et ῥῆγεα πάλλια βαπτά. Glossæ: *Pallium,* πάλλιον. *Gausapa,* πάλλια βαρβαρικά. *Ferrar. ibid.* c. 3. *Salmas. Spartian. Adrian.* c. 11. Non fuit nisi Græcanicum vestimentum, ut toga Romanorum. Suet. Aug. c. 98. n. 5. *Sed & cæteros continuos dies, inter varia munuscula, togas, insuper, ac pallia distribuit, lege proposita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu uterentur, id est, Græci cum toga, Romani*

mani cum pallio incederent. Claud. c. 15. n. 6. *Peregrinitatis reum, orta inter advocatos contentione, togatumne, an palliatum dicere causam oporteret, mutare habitum sæpius jussit.* Quod scilicet nullus gestandi togam jus haberet, nisi civis Romanus. Val. Max. II. 2. inter cætera Romanæ gravitatis indicia illud ponit, *quod Græcis nunquam nisi Latine responsa darent: imo eosdem etiam in ipsa Græcia per interpretem loqui cogerent. Quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis,* inquit, *deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subjici debere arbitrabantur.* Et nullus Romæ pallii usus in viris, etiam postquam togæ depositæ sunt. Et propterea veteres illi duces notati sint, quod aliquando in provinciis deposita toga pallium induerint, Scipio in Sicilia, Germanicus in Ægypto. Ita Rabirio objectum est, *quod homo consularis soccos habuerit, & pallium.* Cicer. pro Rab. c. 10. *Ferrar. l. l. Manut. Quæst. Epist.* III. 1. *Freher. Parerg.* II. 17. *Bud. in Pandect. p.* 253. *Bayf. de re vest. c.* 13. Ex pellibus factum fuisse dicit Isidor. XIX. 24. *Dictum pallium a pellibus, quia prius super indumenta pellicea veteres induebantur, quasi pellea.* Satis inepte. Nam commune pallium ex lana fuit. Plaut. Mil. Glor. III. 1. 92.

> —— *eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium*
> *Malacum, & calidum conficiatur.*

Plutarch. de Audiend. p. 42. D. *Neque pallium induere hyeme, nisi ex lana ovium Atticarum.* Licet ejus textura ex pretio plus, minusve æstimaretur. Ælian. Var. hist. I. 16. tradit Apollodorum Socrati in carcere morituro attulisse *tunicam ex pretiosa lana, pulcreque textam, simile item pallium.* Ferrar. ibid. II. 4. 3. & 6. Braun. de vest. sacerd. Heb. II. 5. 4. Fuit vestimentum apertum, quod tunicæ injiceretur. Quadratum fuisse, sive quadrangulum viris doctis visum est. Quia scilicet Athen. V. p. 223. B. tradit Romanos in Asia, ut Mithridatis iram effugerent, depositis togis *quadrata vestimenta* sumpsisse. Et Appian. bell. civ. V. p. 677. narrat Antonium in Ægypto *pallium Græcanicum quadratum* sumpsisse. Huic opinioni non assentior. Nam si omnia vestimenta aperta eadem & quadrata fuere, cur quædam quadrata a scriptoribus peculiariter notantur? Vetula apud Petron. c. 95. *quadrato pallico incincta*, hoc est, *pallio* in nodum coacto succincta, ut toga Gabino ritu cingebatur. Festus *ricinium, & ricam quadratum pallium femineum fuisse* dicit, cum tamen omne *pallium* apertum esset. Præterea omne sagum istorum sententia apertum, ergo & quadratum. Atqui Isidor. XIX. 24. sagum Gallicum quadratum fuisse tradit. Non igitur commune sagum tale fuit. Sed, quod miror viros doctissimos effugisse, Tertull. l. l. vetus Carthaginensium *pallium* fuisse dicit quadrangulum, quod ipsius ætate tantum a sacerdotibus Æsculapii gestabatur: non ergo quod Tertullianus, & reliqui strictiorem philosophiam professi gerebant, tale fuit. Quid opus erat vetus *pallium* ad illud sacerdotium Æsculapii exigere, si illud, quod togæ prætulerat Africanus, quadrangulum, & antiquo simile fuit? Quæ manifesto vincunt, diversum ab antiquo *pallium* Tertulliani fuisse, hoc nequaquam. Illud ergo describit, quod in usu esse desierat, non quod in oculos incurrebat. Alias existimavi, quadratum fuisse, quod duabus plagulis divisum, quatuor in inferiori parte angulos haberet, quodque fibula in humeris nectebatur: idque commune Græcorum; at philosophorum non fuisse quadratum, sed semirotundum, nostrisque *palliis* haud absimile, quod non infibularetur, sed dextra pars in humerum sinistrum injiceretur. Sed mutare sententiam me cogunt veteres statuæ *palliatæ*, in quibus nec duæ istæ plagulæ, nec fibula usquam apparet: sed *pallium* omnino nostri simile est, fusum scilicet, & semirotundum, quale prorsus *pallium* Romanarum mulierum, sive *palla*. Si est igitur aliquis in re difficillima conjecturæ locus, crediderim *pallium* quadratum non fuisse Græcorum, sed Asiaticorum, & reliquarum gentium ad orientem colentium, & ideo Romanos, qui in Asia negotiabantur, ut Mithridatis crudelitatem evaderent, positis togis, quadrata vestimenta gentis illius propria sumpsisse: Antonium etiam in Ægypto stolam quadrangulam induisse, ut Cleopatræ gratificaretur. Id autem tantum posteriorem corporis partem operuisse, & vere quadrangulum fuisse, cujus anguli duo superiores fibula cervicibus adstringerentur, duo ad latera, & infra caderent. Nihil tamen certi affirmare ausim, quia Appianus stolam illam, sive *pallium quadrangulum* Antonii *Græcanicum* appellat. Eodemque habitu Athenis versatum cum Octavii, quem Alexandriæ cum Cleopatra habuerat: ubi credibile est Græcum *pallium* more gentis induisse. Itaque amplius cogitandum censeo. *Ferrar. ibid. c.* 4. *Cuper. Apoth. Hom. p.* 156. 165. *Braun. ibid.* §. 6. *Salmas. ibid. p.* 472. Fusum, & ad pedes usque fluens. Hoc constat ex statuis, & Quintil. Instit. XI. 3. *Togam veteres ad calceos usque demittebant, ut Græci pallium.* Et colligitur ex eo, quod qui illud in amictu supra genua subducerent, negligentiæ, ac rusticitatis arguebantur. Ælian. X. 11. *Barbam promissam alebat, radebat caput ad cutem, & pallium supra genua gerebat.* Et Athen. I. p. 21. C. affert verba Philetæri, sive Amphis veteris poetæ:

> *Ne pallium infra pectus demittas miser,*
> *Nec supra genu advolvas rusticorum modo.*

Theophr. Char. Ethic. c. 5. *Sæpe etiam pallio ita supra genua contracto sedet, ut denudatæ corporis partes appareant.* Ferrar. ibid. c. 6. Casaub. ad Theophrastum. Non eodem modo ab omnibus gestatum videtur. Cum enim vestimentum apertum esset, potuit, quemadmodum nunc fieri videmus, ita gestari, ut pars utraque ad pedes fusa caderet, vel una pars, sive ala, dextra scilicet, sinistro brachio imponeretur, aut demum sinistro humero injiceretur. Communis tamen ratio, præcipue honestiorum, vestiendi *pallii* ultima fuit, nempe, ut pars *pallii* dextra ita sinistro humero imponeretur, ut totum corpus, atque utrumque humerum involveret, solaque fere dextra ad pectus extaret involuto brachio, interdum ipsa quoque operiretur. Quintil. l. l. ait veteribus Romanis nullos sinus in toga, mox perquam breves fuisse. *Itaque,* inquit, *etiam gestu necesse est usos esse in principio eos alio, quorum brachium, sicut Græcorum, veste continebatur.* Græci igitur brachium veste, hoc est, *pallio* continebant. Ita ut aliquando ipsa manus *pallio* involveretur. *Ferrar. ibid. c.* 5. Color, præcipue apud honestiores, fuit albus. Nam & simplicior hic cultus, ac naturæ ipsi propior, imo & civilior videtur, cum pullus in luctu sumeretur. Artemid II. 2. *Alba vestimenta solis sacrificis conferunt, & servis Græcorum: reliquis turbationes significant, propterea quod hi, qui in turba versantur, albo vestitu utuntur. Opificibus autem manuariis cessationem, & otium portendunt, & quanto pretiosiora fuerint vestimenta, tanto plus otii prædicunt. Neque enim operarii, maxime qui mechanicas artes exercent, albis vestibus utuntur. Servis autem Romanorum, solis his qui recte agunt, conferunt: reliquis mala sunt.* Ferrar. ibid. c. 13. Monachorum & ascetarum fuit nigrum. Synes. Epist. 146. ad Johannem, qui asceticum habitum sumpserat: *Dicit se induisse subnigrum pallium.* Rhetorum rufum, & phœnicei coloris, philosophorum fuscum. Basilius presbyter in Nazianzenum: *Tribones sunt pallia quædam; rhetorum quidem rubra sunt, & Phœnicei coloris; sed philosophorum fusca.* Apollonius teste Philostr. II. 9. *fuscum pallium* habuit. *Salmas. ibid. p.* 75. *Braun. ibid.* §. 5. Tribonia non nisi philosophorum fuerunt, & quidem severioris notæ. Et fortasse ætatem suam Basilius respexit. Subjicit enim illud fuisse, sicut magistratibus σκαραμάγγιον. Sane quomodo vestis detrita, ac lacera purpura infici posset, aut decens esset, non video. Et mirum est Ælian. IV. 22. prodere veteres Athenienses *pallia* purpurea, tunicasque variegatas gestare solitos: *Purpurea sibi circumdabant pallia, pictas vero induebant tunicas.* Purpura enim in magno erat pretio, & insigne regium. Quis credat privatos homines vulgo purpuratos incessisse? Præterea tunicæ variegatæ non nisi muliebres fuere. *Ferrar. l. l. Perizon. in Ælianum.*

Pallium Imperatorium erit, quo inferiori ævo ipsi Imperatores videntur usi. Nam Valerianus jubet dari Aureliano inter reliqua *pallia proconsularia duo* apud Vopisc.

in Aurelian. c. 13. Probo *pallia Gallica duo fibulata* apud eundem in Probo c. 4. Et in Epistola Commodi ad Clodium Albinum: *Sane ut tibi insigne aliquod imperialis majestatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me praesente* apud Capitol. Clod. c. 2. Sed quodnam fuerit hoc *pallium* non ita certum est. Nam proconsules domi praetextam, in exercitu paludamentum habuere: quod cum esset, aut album, aut coccineum, nihil novi largitus est Albino Commodus, qui & antea jus paludamenti coccinei habebat. Nisi dicere velimus sub Imperatoribus privatis ducibus, legatis nempe & proconsulibus ademptum jus coccinei paludamenti, solisque Imperatoribus servatum. *Ferrar. de re vest.* II 4. 3.

Pallium nuptiale βαπτὸν, sive tinctum sponsis modo gestare licebat. Vetus interpres Aristoph. in Plut. II. 5. 43. *Tincta vestimenta sponsi ferunt.* Disputabat ibi paupertas, si omnes divites essent, fore, ut artes e vita tollerentur: nemo domos strueret: nemo vestimenta pretio lavaret: & post cætera futurum, ut nullus venderet unguenta, quibus madescerent, qui *novam nuptam ducerent:*

Neque sumptuosis vestibus infectis, ac versicoloribus ornandi.

Tale fuit, quod & non aliud habebat in spectaculis deprehensus Athenis: quod magnæ paupertatis indicium, & ipso spectaculorum die commiserationem commovit. Lucian. Nigrin. p. 28. *Quod non puderet* Athenienses *paupertatem confiteri, referebat mihi vocem quandam, quam ajebat publice ab omnibus emissam audisse se in ludis Panathenaicis. Quendam ex civibus prehensum, & ad ludorum præsidem adductum fuisse, quod in veste tincta spectaculo interesset. Cæteros autem, qui hominem viderant, misertos illius, ac veniam precatos esse. Cumque præco publicaret, eum contra leges fecisse, quod tali cum veste ludos spectaret, omnes una voce, quasi antea super hoc deliberassent, exclamasse, ut venia daretur sic amicto, neque enim illum aliam vestem habere.* Ferrar. de Re vest. II. 4. 13.

Pallium philosophantium amictus, ac peculiare sapientiæ tegmen fuit. Neque unquam ferme philosophi a scriptoribus inducuntur, quin hac veluti nota, atque insigni a reliquis distinguantur. Gell. IX. 2. *Video, inquit Herodes, barbam & pallium; philosophum nondum video.* M. Antoninum philosophiæ operam vehementer dedisse, & quidem adhuc puerum tradit Capitol. c. 2. *Philosophiæ operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer. Nam duodecimum annum ingressus habitum philosophi assumpsit: & deinceps tolerantiam, cum studeret in pallio, & humi cubaret.* Lucian. de merc. cond. p. 465. de eo, qui pro philosopho, ac Græculo in divitis familiam adscitus erat: *Num te pudet, cum in tanta Romanorum turba solus in peregrino pallio verseris?* p. 466. *Verum quoniam promissam habes barbam, & vultu gravitatem præ te fers, atque Græcanico pallio decenter amictus es, norunt que omnes te philosophum esse.* p. 474. *Canicula e pallio paulum infra barbam prospectans, & philosophi mentum oblingens in ejus pallio peperit.* Ferrar. de re vest. II. 4. 14. Antoninus assumpsit pallium, nempe Græcanicum, sine tunica, cum totius corporis illuvie. Hic communis habitus omnium philosophantium, quo separabantur a cæteris. Fuere & propriæ singularum sectarum notæ, propria gestamina. *Casaub. in Capitolinum.* Qui merito doctis viris reprehenditur, qui tamen qualis philosophorum habitus esset, non prodiderunt. Ergo soli severiorem, ac sanctiorem philosophiam professi, ut Pythagorei, Stoici, ac Cynici, tam in Græcia, quam Romæ, *pallio* a cæteris discreti, quod peculiare eorum hominum fuit. Nempe cum commune *pallium* Græcorum laneum esset, & album, philosophantium tegmen *pallium* detritum fuit, obsoletum, sordidum, ac pullum. *Ferrar. l. l. Salmas. in Capitolinum.* V. & infr. in *Vestimenta quadrata.*

Pallium puerilia inter vestimenta numerat Ulpian. l. 23. §. 2. ff. de aur. arg. leg. *Puerilia vestimenta sunt, quæ ad nullum usum pertinent nisi puerilem, veluti togæ prætextæ, alicula, chlamydes, pallia, quæ filiis nostris comparamus.* Plutarch. Lycurg. p. 50. B. *Ubi attigerunt annum duodecimum, jam sine tunica agebant, unum accipiebant quotannis pallium.* Ælian. Var. hist. VII. 13. *Agesilaus Lacedæmonius, jam senex, sæpe prodibat in publicum, solo amictus pallio attrito. Quidam eum objurgabat, tanquam qui juvenilia ageret.* Cuper. Apoth. Hom. p. 184.

Pallium fuit etiam servorum, non in convivio ministrantium, sed in comœdiis palliatis ad cursuram se expedientium, dum illud, quia, cum ad pedes flueret, festinanti memoriam objiciebat, in humeros n. dextram partem in sinistrum, sinistram in dextrum conjiciebant. Plaut. Capt. IV. I. 12.

Nunc certa res est, eodem pacto, ut comici servi solent,
Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audias.

Epid. II. 2. 10.

Age nunc, orna te, Epidice, & palliolum in collum conjice,
Atque dissimulato, quasi per totam urbem hominem quæsiveris.

Quod & colligere *pallium* dicebantur. Plaut. Capt. IV. 2. 9.

Collecto quidem est pallio, quidnam acturus est?

Ferrar. de re vest. II. 4. 7. & 21. Quo habitu interdum & liberi, ut parasiti trechedipni, cum ad cœnam festinarent. In prolegom. Terent. *Parasiti cum intortis palliis veniunt*, id est, in collum conjectis ad cursum. *Ferrar. ibid. c. 21. & Anal. c. 18.*

Pallium vocatur etiam vestis stragula Ulpian. ff. L. 16. 45. *Neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium, περίστρωμα.* Suet. Ner. c. 48. n. 6. *Decubuit super lectum modicella culcita, vetere pallio strato instructum.* Ovid. Amor. X. 4. 41.

Hæc tamen aspiciam, sed quæ bene pallia celant
Illa mihi cæci causa timoris erunt.

Prop. IV. 3. 62.

Tum queror, in toto non sidere pallia lecto.

Bays. de re vest. c. 13. Ferrar. de re vest. II. 4. 4. Cuper. Apoth. Hom. p. 164. August. in Leg. XII. tab. §. Pitisc. in Suetonium.

PALLOR ut deus est cultus. V. infr. in *Pavor.*

PALMA fuerat enata in ara Jovis in Capitolio tempore belli Persici. Festus in Religio: *M. Valerius Messala, C. Cassius Longinus censores: quorum in magistratu subversa pudicitia fuerat, famosi extiterunt: nam palmam, quæ in Capitolio in ara ipsa Jovis optimi maximi bello Persico nata fuerat, tunc prostratam ferunt, & ibi enatam ficum, infamesque rursus fecit, qui sine ullo pudicitiæ respectu fuerant censores.* Plin. XVII. 25. *Nec non & Romæ in Capitolio in capite bis bello Persei enata palma victoriam, triumphosque portendit: hac tempestatibus prostrata, eodem loco ficus enata est, M. Messalæ, C. Cassii censorum lustro. A quo tempore pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodidit.* Nardin. Rom. Vet. V. 15. Symbolum fuit victoriæ. Gell. III. 6. *Per Hercle rem mirandam Aristoteles Probl. VII. & Plutarch Sympos. VIII. 4. dicit. Si super palmæ arboris, inquit, lignum magna pondera imponas, & tam graviter urgeas, oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat; non deorsum palma cedit, nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur, recurvaturque: propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ; quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus, opprimentibusque non cedat.* Panvin. de Lud. circ. I. 15. Morestell. Alyp. dial. XIV. Lipen. de Stren. c. 3. §. 16. Vaillant. Numism. p. 196. Erasm. Adag. p. 706. b. Paschal. de Coron. VI. 20. Hinc victoria cum *palma* picta. Nummus Trajani victoriam habet, ut innumeri alii, in quo sedens dea spectatur cum lauro, & *palmæ* ramo. Et *palmaris dea* dicitur Apul. Met. II. p. 39. *Atria attollebant statuas palmaris deæ.* Statua *palmaris*, quæ ob victoriam datur. Cicer. Phil. VI. 5. *Sed illa statua palmaris, de qua, si meliora tempora essent, non possem sine risu dicere.* Et *palma* pro ipsa victoria ponitur. Curt. IX. 2. 29. *Ne infregeritis in manibus*

bus meis palmam. Hujus rei initium tradit Pausan Arcad p. 276. *Ludis ante plerisque palma corona decernitur, vulgo-re que cuncti ubique locorum palmam dextera præferunt. Ejus rei hujusmodi initium traditur fuisse. Theseum ajunt e Creta reducem ludos Apollini fecisse, victoresque palma coronasse.* Argol. in Panvinium. Voss. Lex. Etymol. Pitisc. in Cantium. Illam victores non tantum capite gestabant, sed etiam manu. Apul. Met. xi. p. 373. *Mercurius læva caduceum gerens, dextra palmam virentem quatiens.* Suet. Cal. c. 32. n. 7. *Mirmillonem e ludo rudibus secum batuentem, & sponte prostratum confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discucurrit.* Pausanias & Curtius modo laudati. *Paschal. & Pitisc. l. l.* Auferebant illam aurigæ. Suet. Ner. c. 5. n. 5. *Perfidiæ vero tantæ, ut in pretiis mercede palmarum aurigarios fraudaverit.* c. 22. n. 3. *Neque dissimulabat velle se palmarum numerum ampliare. . .* Ovid. Fast. iv. 392.

Primaque ventosis palma petetur equis.

Buleng. de circo c. 55. Panvin. de Lud. circens. i. 16. Et, si fortiter depugnassent, victoresque populo placuissent, gladiatores. Cicer. pro Rosc. c. 6. *Alter plurimarum palmarum vetus, ac nobilis gladiator habetur.* Et de Commodo Antonino Lamprid. c. 12. *Tantum palmarum gladiatoriarum confecisse, vel victis retiariis, vel occisis, ut mille contingeret.* Suetonius modo laudatus. *Lips. Sat.* ii. 23. *Faber Semest.* ii. 11. *Pitisc. in Suetonium.* Imo, qui doctrinæ dotibus cæteris antistabant scriptores. Terent. Phorm. Prol. n. 17.

—— *in medio omnibus*
Palmam esse positam, qui artem tractant Musicam.

Virg. Georg. iii. 12.

Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

Gloriatur poeta se primum literarum Mantuam patriam suam palmas Idumæas, hoc est, se eam nova laude poetices coronaturum. Prop. iv. 1. 98.

—— *libris est data palma meis.*

Paschal. de Coron. vi. 21. Passerat. in Propertium. *Palmarum* in foliis ante chartam inventam scribebant veteres. Plin. xiii. 11. *M. Varro auctor est, antea non fuisse chartarum usum. In palmarum foliis primo scriptitatum. Malvarum* apud illum novandum putem. Apud neminem enim Varrone antiquiorem comperi, *palmarum folia* ad usum scribendi aliquando accommodata fuisse. Natura etiam asperiora, durioraque sunt, quam ut commode in eum usum recipi queant. Suet. Aug. c. 94. n. 20. *Ex ea, palma, continuo nata suboles adeo in paucis diebus adolevit, ut non æquipararet modo matricem, verum etiam obtegeret, frequentaretur que columbarum nidis: quamvis id avium genus duram, & asperam frondem maxime vitet.* Accedit ad gratiam, quod malvarum folia rectius opponuntur arborum libris, quam folia *palmarum*, quæ & ipsæ arbores sunt. Cinna quoque antiquus poeta in malvarum foliis scriptitatum indicat. Referuntur ejus versus ab Isidor. vi. 12.

Hæc tibi Arateis multum invigilata lucernis
Carmina, queis ignes novimus aerios,
Levis in aridulo malvæ descripta libello,
Prusiaca vexi munera navicula.

Guiland. Papyr. membr. iii. §. 29. & 30. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 398. Ego expertus sum aptissima esse scribendo, si primum cultri dossello levigaveris. Præterea si veteres in *palmarum* foliis scriptitaverunt, cur Plinii lectio damnanda est? Atqui hoc verum esse patet ex Isidoro, quem Guilandinum non consuluisse mirum est. *At vero*, inquit vi. 12. *historiæ majore modulo scribebantur, & non solum in charta, vel membranis, sed etiam in omentis elephantinis, textilibusque malvarum foliis, atque palmarum.* In quibus verbis non solum veteres in *palmarum* foliis scriptitasse apparet, sed & illa folia texta, & conglutinata fuisse. Quin *palmarum* folia malvaceis longe meliora. Nam malvacea vix tolerare eis calamorum mucronibus esse possunt, cui incommodo medebantur, ut puto, glutine, & aliis rebus; ut appareat curari folia postquam exaruissent, antea non posse. Idque genus chartæ antiquissimum fuisse. Nam tunc Cinna mittit sodali suo, quisquis fuit ille, Aratea Phænomena, non quod liber ille rarus esset, qui eo tempore vulgatissimus erat, sed quia rara charta, in qua scriptus. *Salmuth in Guiland. p. 13. Hugo de prim. scrib. orig. c. 10. Cyprianb. in Anvis Taxtas. c. 31. Palmas* veterum tesseras, ut auspicium anni faustum ominarentur, offerebant veteres. Testem citamus Ovidium. V. illum supr. in *Caricæ*. *Palmæ* nomine cum fructus dactylos, subinet, & caryotas, tum folia, seu frondosos ramusculos intelligimus. Unam, & eam confirmat Athen. xiv. 22. Regio hordeum fert, quantum alia nulla: cætera ex *palmæ* prævenit. Ex ea enim panis, & mel, & vinum, & acetum fit, & textilia varia. Nucleis pro carbonibus fabri ferrarii utuntur, qui in aqua macerati bobus, & ovibus in pabulum dantur. Hodie ex Guinea de *palma* refertur, quod incolæ ex ea faciunt oleum, vinum, panem, pannum: oleum confortans, vinum medicans, & inebrians, panem nutrientem, pannum vestibus conficiendis aptum, item mappas, sportas, lectulorum stragula, storeas, tentoria nautica. . . . quæ in compendio recitat Abbas Anhusanus Hist. hort. ii. 30. *Lipen. de Siren. c. 3. §. 15. & 16.*

PALMIPES est mensura *palmo*, pedeque constata. Sic sit, ut censeatur esse quinque *palmorum*. Hæc dimensio pygon appellari potest. Minor est cubito *palmo* uno, quæ quantitas a flexura cubiti ad mediam juncturam digiti medii, quem impudicum vocant, extenditur. *Cenal. de Mensur. & pond. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 1481. *D. Lips. de Amphith. c.* 13. *Pætus de Rom. & Græc. mens.* i. *Thes. Græv. ibid. p.* 1613. *E.*

PALMULA *est pars remi extrema in modum palmæ protenta.* Serv. Æneid. v. 165. Idem Festus: *Palmulæ appellantur remi a similitudine manus humanæ.* Vitruv. x. 8. *Extremis progredientibus a centro palmis in maris undis.* Catull. iv. 4.

Nequisse præterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.

n. 17.

Tuo imbuisse palmulas in æquore.

Scheffer. de Milit. nav. ii. 5. Voss. Lex. Etymol. in Palma. Turneb. Adv. iii. 7. Kipping. Dissert. de Exped. marit. §. 1. Philand. in Vitruv. Passerat. in Catull. lxiv. 7. Cerda in Virgilium.

PALMUS vel est minor, quem & *palæstem* appellare possumus, est tripollicaris, & quatuor digitorum: vel major, in se comprehendens quatuor digitos cum pollice non lato, sed profundo: hujus profunditas trium dimensionum minima latum digitum æquat. Est ergo *palmus* iste major quinque digitorum, quem vulgus appellat *ungdour*, Græci δῶρον & σπιθαμή. Unde & lateres tetradori, & pentadori. *Cenal. de Pond. ac mensur. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 1480. *A. Pætus de Roman. & Græcor. mens.* ii. *Thes. Græv. ibid. p.* 1621. *C. Covarruv. Var. Resolut. Tom.* ii. *lib.* ii. 20. *Hemm. in Bergier. de viis milit.* iii. *sect.* 10. §. 3.

PALMYRA non longe ab Euphrate distat, vastasque circum habet solitudines, ut Plin. v. 25. sed ipsa nobilis situ, & divitiis sui soli, & aquis amœnis. Fatalis urbs Romanis, ultra eam enim nunquam imperium proferre potuerunt. Hebraice *Tamar* dicta Ezech. c. 48. n. 28. Hieron. in Ezech. *Urbs in solitudine est, quam & Salomon miris operibus exstruxit, & hodie Palmyra nuncupatur, quod ibi palmeta sint plurima.* Restituta ab Adriano principe, cives Adrianopolitæ sunt dicti, ut ait Stephanus. Colonia Romanorum fuit. l. 5. ff. de Censibus: *Est & Palmyrena civitas in provincia Phœnicea prope barbaras gentes, & nationes collocata.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 48. & 147.

PALPITATIO membrorum dicebatur, si membrum aliquod corporis saliret. Hujus species erant tres I. παλμός,

μὸς, quæ a veteri gloſſario ſaliſatio dicitur. V. infr. in *Saliſatio*. II. tinnitus auris. V. illam ſupr. in *Auris*. III. πταρμὸς, ſternutatio. V. illam infr. in *Sternutamentum*. Lomej. de Luſtrat. c. 12. Scalig. Auſon. Lect. I. 16.

PALUDAMENTUM fuit veſtis militaris. Feſtus: *Paludati in libris auguralibus ſignificat, ut ait Veranius, armati, ornati. Omnia enim militaria ornamenta paludamenta dici.* Pro veſte militari, etiam ejus, qui non eſſet Imperator poſuit Liv. I. 26. *Cognitoque ſuper humero fratris paludamento ſponſi, quod ipſa confecerat, ſolvit crines.* Erat illud unius Curiatiorum, quorum nemo, ut arbitror, Imperator in Albanis fuit. Inde *paludati*. Cicer. Fam. VIII. 10. *Conſules autem, quia verentur, ne illud SCtum fiat, ut paludati exeant.* Juven. Sat. VI. 400.

> *Cumque paludatis ducibus, præſente marito,*
> *Ipſa loqui recta facie.*

Bayſ. de Re veſt. c. 11. Herald. Adv. I. 8. Laz. Comm. Reip. Roman. VIII. 9. Roſin. Antiq. Roman. V. 31. Demſter. Paral. ad Antiq. Roman. Roſin. X. p. 713. Materia fuit lana, ex qua omnis Quiritium veſtitus conficiebatur. Nam cum ſericum nondum in uſu urbano eſſet, nedum militari, linum etiam, aut incognitum, aut proceſſu temporis interioribus tunicis adhibitum, una veſtimentorum materia lana fuit. Sed, ſicut togæ, & tunicæ ex lana aliæ aliis pretioſiores fuere ipſius lanæ pretio, eadem ratione, & chlamydes, ſagaque, & *paludamenta* majoris, minorisve pretii. *Ferrar. de re veſt.* II. 3. 12. V. illum infr. in *Sagum*. Formam veteres ſtatuæ repræſentant. Erat indumentum, ſive pallium, ad talos fere uſque demiſſum, quod dextro brachio exerto in ſiniſtro humero nodo colligebatur. Ab illo trabeam diverſam fuiſſe non puto, niſi quod, cum *paludamentum* unius coloris eſſet, trabea virgas quaſdam trabium inſtar haberet intextas. *Valtrin. de re milit.* III. 13. Qui in re veſtiaria non ſemel peccat. Non fuit talare. V. infr. in *Sagum*. Nec dextro brachio exerto in ſiniſtro humero nodo alligari ſolebat. Hoc enim falſum eſſe veteres ſtatuæ demonſtrant. Trabeam cum paludamento confundit, id eſt, pallium cum toga. Fuit apertum. Demonſtrat illud Livii de Graccho. *Paludamentum brachio involvens.* Tunicæ injiciebatur, & fibula nectebatur. Et hoc veteres ſtatuæ indicant. *Ferrar. ibid.* c. 8. In ſiniſtro humero nodo fuiſſe colligatum putat etiam Valtur. de Re milit. X. 1. quia marmora apud Bayſ. l. l. & Boiſſard. Antiq. Roman. III. p. 59. nodum in ſiniſtro humero oſtendunt. Sed qualia illa marmora? Veteres ſtatuæ omnes atteſtantur, quod in dextro humero alligata fibula ſit. Galba Cæſar paludatus cum nodo in humero dextro eſt in numiſmatis Auguſt. tab. 21. n. 22. Adrianus Cæſar paludatus cum nodo in dextro humero e marmoribus Farneſianis pingitur apud Baptiſt. de Cavaler. Antiq. Roman. I. tab. 41. Auguſti ſimulacrum depictum eſt e marmoribus Capitolinis, ut nodus ſit in humero dextro apud Baptiſt. ibid. tab. 71. Nec non ſimulacrum Julii Cæſaris cum dextero nodo eſt ibid. tab. 72. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 5. Non ad tutelam, ſed ornatus cauſa. *Voſſ. Lex. Etymol.* Confunduntur a ſcriptoribus, quia forma idem veſtimentum fuerit, *paludamentum*, chlamys, & ſagum. Qui tamen proprie locuti ſunt, *paludamentum* Imperatoris chlamydem dixerunt, ſagum militum. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Paludamenta ſunt hæc inſignia, & ornamenta militaria: ideo ad bellum cum exit Imperator, ac lictores veſtem mutant, & ſigna incinuerunt, paludatus dicitur proficiſci.* Iſidor. XIX. 24. *Paludamentum erat inſigne pallium Imperatorum, cocco, purpuraque, & auro diſtinctum.* Unde Apul. Apol. p. 441. *Quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum.* Græcis dicitur Φοινιξ ς. Appian. Parth. p. 142. *Non, ut moris erat Imperatoribus Romanis, in purpurea proceſſit* Gracchus, ἐν φοινικίδι. *Ferrar. ibid.* c. 6. *Voſſ. & Kipping. l. l.* Hoc Imperator in hoſtem profecturus induebat votis in Capitolio auſpicatis. Liv. XXI. 63. V. illum ſupr. in *Imperator*. Plin. Pan. c. 56. n. 4. *Geſtus non in hoc Urbis otio, & intimo ſinu pacis, ſed juxta barbaras gentes: ut illi ſolebant, quibus erat moris paludamento mutare prætextam*, id eſt, depoſita prætexta ſumere *paludamentum*, & proficiſci in hoſtes. Hinc Schol. ad Juven. Sat. VI. 400. *Paludatis, euntibus ad militiam, chlamydatis ſcilicet. Salluſtius: Togam paludamento mutavit.* Ferrar. l. l. Lipſ. de Milit. Rom. II. 12. Sigon. de jur. provinc. II. 4. Roſin. l. l. Pitiſc. in Suet. Jul. c. 64. §. 9. Et, cum e bello reverteretur, hoc poſito togatus Urbem ingrediebatur. Xiphil. LXXIV. p. 839. B. *His confectis rebus, Severus Romam intravit, & cum uſque ad portas Urbis in equo ſediſſet, paludamento amictus, inde toga indutus, pedibus introiit.* Quare, ut novum, ac tyrannicum in Vitellio notant Suet. c. 11. n. 1. *Urbem denique ad claſſicum introiit paludatus.* Et Tacit. Hiſt. II. 89. 1. *Ipſe Vitellius, a ponte Milvio, inſigni equo, paludatus, accinctusque, ſenatum, & populum ante ſe agens, quo minus ut captam Urbem ingrederetur, amicorum conſilio deterritus, ſumpta prætexta, & compoſito agmine inceſſit.* Ferrar. l. l. Pitiſc. in Suetonium. Erat purpureum, ſive ex cocco. Plin. XXII. 1. *Atque ut ſileamus Galatiæ, Africæ, Luſitaniæ cocci granum Imperatoriis dicatum paludamentis.* De Cæſare Dio XLII. p. 204. B. *Hi cum confertim in naves urgentibus hoſtibus præcipitarent, evenit, ut multi in mare exciderent; inter quos Cæſar ipſe fuit: uſque in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutus, cum & veſte gravaretur, & ab Ægyptiis Imperatorem eſſe ex purpura colligentibus, jaculis peteretur.* Ita Appian. de bell. Punic. p. 66. narrat ſenatum Romanum Phamææ, ob ſtrenuam operam bello Punico navatam, donaſſe *purpureum paludamentum, quod fibula aurea nectebatur.* Inter prodigia, quæ Craſſi necem præceſſerunt, refert Plutarch. p. 557. A. quod pugnaturus in Parthos, *non, ut mos eſt Romanorum Imperatoribus, in puniceа veſte fuerit progreſſus, ſed atra.* Et Val. Max. I. 6. 11. *Ducturus erat a Carris adverſus Parthos exercitum: et pullum traditum eſt paludamentum, cum in prælium exeuntibus album, aut purpureum dari ſoleret.* De albo colore novum eſt, ſed verum. Nam etſi puniceo creberrime, tamen & illo interdum. De Scipione Imperatore Hirt. de Bell. Afric. c. 57. *Cum ſagulo purpureo ante adventum Regis uti ſolitus eſſet, dicitur Juba cum eo egiſſe, non oportere illum eodem veſtitu uti atque ipſe uteretur. Itaque factum eſt illico, uti Scipio ſeſe ad album veſtitum transferret.* Lipſ. Valtrin. & Kipping. l. l. Ferrar. ibid. c. 15. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 4. de Judic. III. 18. Purpureum erat, quod color iſte acuat fortitudinem, & quod fuſus de vulnere ſanguis ruber non ita facile notetur in veſtimento rubro. Hoc erat a Lacedæmoniis, de quorum ſtatutis ita referunt Val. Max. II. 6. 2. *Iidem ad diſſimulandum, & occultandum vulnerum ſuorum cruorem, puniceis in prælio tunicis utebantur; non, ne ipſis aſpectus ejus terrorem, ſed ne hoſtibus fiduciæ aliquid adferret.* Ælian. Var. Hiſt. VI. 6. *In prælio indutum eſſe purpurea chlamyde neceſſe erat; colorem enim illum habere etiam aliquid majeſtatis; præterea vero fluxum ſanguinis ſupervenientis de vulneribus etiam magis terrere hoſtes, aſpectu magis ſaturo, & magis formidabili.* Kipping. l. l. Vulgari fuit laxius & fuſius, & chlamyde longius. Docent hoc Adriani numiſmata. *Ferrar. ibid.* c. 8. Adhibuit hoc Imperator ad ſagum. *Valtrin. l. l.* Quod verum non eſt. Nam cum idem veſtimentum ſagum fuerit, duo *paludamenta* geſtaſſet Imperator. *Ferrar. l. l.* Lictores etiam *paludati* erant, id eſt, cum ſagulis. Liv. XLI. 10. *C. Claudius coſ. veritus, ne forte ea res provinciam, exercitumque ſibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, nocte profectus præceps in provinciam abiit.* XLV. 39. *Conſul proficiſcens prætorve paludatis lictoribus in provinciam, & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat.* Ferrar. ibid. c. 5. Sigon. de jur. provinc. II. 4. Gruch. Refut. ad poſt. Sigon. refut. c. 43. V. tamen Gronov. in Liv. XLI. 10. Et tandem Salii. V. infr. in *Saliæ*.

PALUDATUS cognomen ab ornamento militari. Nummus, cujus inſcriptio: MUN. TUR. L. CÆC. AQUIN. M. CEL. PALUD. II. VIR. *Municipium Turiaſo. Lucio Cæcilio Aquino, Marco Celio Paludato duumviris.* Vaillant. Numiſm. I. p. 84.

PALUM adverſus exercitationem pugnæ habuit athletarum

tarum gymnastica. V. supr. in *Palaria*. Ad . . matronæ quoque se exercebant. Indignatur Juvenalis laudatus in *Palaria*. Et colligit ibid. n. 266.

—— quæ ludia sumpserit unquam
Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Asyli?

inferendis ictibus delassata. *Ferrar. Elect.* II. 14. Novii virgis ad necem cædebantur. Liv. II. 5. *Stabant deligati ad palum nobilissimi juvenes.* Cicer. Verr. v. 6. *Hos ad supplicium jam more majorum traditos, & ad palum alligatos, ex media morte eripere, ac liberare ausus es?* Suet. Claud. c. 34 n. 3. *Cum deligatis ad palum novus carnifex deesset.* Laber Semest. II. 7. Pitisc. in Suetonium.

PALUS Capreæ Romulo fatalis fuit. In campo Martio fuisse dicit Liv. I. 16. *His immortalibus editis operibus, cum ad exercitum recensendum concionem in campo ad Capræ paludem haberet.* . . . In rheumatibus Tiberis esse locum, ad quem unus erat aditus, & propterea tutus: ubi Romulus exercitum recensuerit. Plutarch. Romul. p. 34. E. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 12.

Palus Pomptina, & in plurali *paludes* Pomptinæ fuerunt fossæ quædam, partim navigabiles, quæ a Foro Appii ad Feroniæ fanum prope Terracinam ad M. P. xv. aut xvi. porrigebantur, olimque adeo amplæ patebant, ut ante inundationem locum præbuerint xxiii. Urbibus, ut Mutianus ter cos. prodidit apud Plin. III. 5. Appius igitur, cum viam sibi cognominem sterneret, & hæ *paludes* illum recto itinere impedirent, coactus fuit magno, & flexuoso circuitu viam deducere usque ad Terracinam; quem ut viatores evitarent, solebant vesperi ad hanc *paludem* prope Forum Appii lintrem conscendere, & nocturna, quæ ibi solita erat, navigatione Terracinam delati exscendere, atque in viam Appiam redire. Hoc iter Horatius aliquando fecit, ut ipse lepide id ipsum, & nocturnam navigationem describit Sat. I. 5. Eodem modo & Terracina iter Romam solebant facere. Strab. v. p. 161. *Penes Terracinam Romam iter facienti, fossa ad viam Appiam apponitur, & quidem multis in locis, quam & palustres, & fluviatiles implent aquæ. Per nocturna maxime fit navigatio, ut qui primis inscendant tenebris, oriente sole egressi, viæ Appiæ reliquum evadant, & interdiu trahentibus mulis remulco perambulent.* Hanc Trajanus fere exsiccavit, & complevit, eamque magnis, spatiosisque molibus, & aggeribus injectis coegit ferre onus viæ Appiæ, quam recto itinere Terracinam usque continuavit non solum, sed juxta plura ædificia, & pontes magnificos addidit, bonamque *paludis* hujus partem continenti reddidit. Dio LXVIII. p. 777. D. *Trajanus iisdem temporibus stravit paludes Pomptinas lapidibus, exstruxitque juxta vias ædificia, pontesque magnificos.* Bergier. de viis milit. I. Sect. 17. §. 8. Cluver. Ital. ant. III. 7. II. Merul. Cosmogr. II. 4. 12. Almelov. in Juven. Sat. III. 307. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 17.

PAM.

PAMPHILUS fuit dictus Metellus consul. V. infr. in *Spinther*.

PAMPHYLIA olim Mopsia cognominata, nunc vulgo Sattalia, corrupto vocabulo, ab Attalia ejus metropoli, civitate maxima dicitur. Ab oriente habet Ciliciam, ab occasu Lyciam, a septentrione Galatiam, a meridie mare *Pamphylium*. Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 124. Augustus *Pamphyliam* ditionis regiæ ad id tempus liberam gentem in provinciæ formam redegit. Dio LIII. p. 514. D. *Panvin. Imper. Rom.* c. 15. *Noris. Cenot. Pisan. Diss.* II. p. 211.

PAN.

PAN deus pastoralis, Inuus a Latinis dictus testibus Liv. I. 5. & Macrob. Sat. I. 22. Hunc deum Arcades colebant, appellantes τὸν τῆς ὕλης κύριον, non sylvarum dominum, sed universæ substantiæ materialis dominatorem significantes, ut ait Macrobius: cujus materiæ vis universorum corporum, seu illa divina sit, sive terrena, componit essentiam. Prob. Georg. I. 17. *Pana Latini Inuum interpretantur, cujus ex Arcadia religionem Italiæ fertur intulisse Evander. Sed creditur propter duo argumenta sub ejus nomine, & vocabulo Jupiter coli, id est, mundus: quorum unum est, quod πᾶν Græce significet omne, id est, universam naturam: alterum, quod hinnuli pellis, qua tegitur, varietas maculis imitetur stellas.* Pan, Phurnut. de Nat. deor. c. 27. ait, *ideo dictus, quod universi aeris ipse putaretur: nam pars ejus inferior hirsuta, ac pilosa, hircinaque, quod terræ asperitati convenit: superior vero pars hominis est, quod in æthere sit ἡγεμονικὸν mundi, quod utique rationale est.* Ἐπίσκοπον etiam dicere, id est, speculatorem pecudum, & armentorum, eaque fortasse causa cornua etiam illi, & fissas ungulas addidere, & forte ob geminas auriculas. *Gyrald. Synt. deor.* xv. p. 451. A. *Ortel. Deor. & dear. cap.* II. *fig.* 33. *Onuphr. in Mauc. Fel.* c. p. 135. *Sicul. Ant. Rom.* c. 1. p. 146. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 4. §. 7. *Lemier. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* I. 1. 2. Quidam tradiderunt, *Pana* esse Jovis & Contumeliæ filium: alii Mercurii & Penelopes: alii Penelopes quidem, & omnium procorum, & inde illi nomen *Pan*, ut Duris Samius prodidit. Epimenides vero Jovis & Callistus *Pana* & Arcadi filios geminos ait. *Gyrald. ibid.* p. 452. E. *Ortel. l. l.* Fabula, quæ de *Panos* ortu fertur, eum scilicet ex Mercurio in hircum verso, & Penelope genitum, ipsum indicat mundum verno tempore exortum. Libentius *Pan* ex mythologorum omnium sententia rerum universitas: at per Mercurium ver significatur: qui in hircum versus dicitur ad notandam ejus temporis fœcunditatem, quippe ver tempus est fœcundissimum, ut ait Theoph. de caus. plant. III. ac sane hircum ipsum tanquam fœcunditatis indicium ab Ægyptiis adoratum prodit Diodor. I. Penelope vero pro rerum genitrice natura, seu pro hyle accipienda est, quæ telas texere, & retexere idcirco dicebatur, ut rerum vicissitudo, ortusque, & interitus indicaretur. *Aleand. Tab. Heliac. Expos. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* v. *p.* 746. *C.*

Pan Arcadius deus vocabatur. Prop. I. 18. 10.

—— Arcadio pinus amata deo.

Virg. Ecl. x. 26.

Pan deus Arcadiæ venit.

Ovid. Fast. II. 271.

Pana deum veteres pecudis coluisse feruntur
Arcades, Arcadiis plurimus ille jugis.

Gyrald. Synt. deor. xv. p. 453. B. Cerda in Virgilium. Passerat. in Propertium.

Pan capripes cognominabatur, a Græcis αἰγομέλης, & αἰγίπαν, & numero plurium *ægipanes*. Prop. III. 15. 34.

Capripedes calamo Panes hiante canunt.

Hygin. Astron. II. 28. *Hujus effigies similis est Ægipani.* Gyrald. Synt. deor. xv. p. 453. D. Voss. de Idolol. I. 8.

Pan Lycæus cognominabatur. Virg. Æneid. VIII. 344.

Parrhasio dictum Panos de monte Lycæi.

In Lycæo, inquit Placidus Cælius grammaticus, *templum fuit Panos, in quo natus asseritur.* Pausanias vero in Arcad. p. 268. in monte Lycæo, & templum, & lucum, & hippodromum, ac stadium fuisse ejus numini dicatum: unde illi nomen. Justin. XLIII. I. 7. *In hujus radicibus templum Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit.* Gyrald. Synt. deor. xv. p. 453. A. Illi canis immolabatur. V. supr. in *Canis*.

Pan Tegeæus dicebatur, a Tegea Arcadiæ. Prop. III. 2. 30.

—— & calami Pan Tegeæe tui.

Virg. Georg. I. 18.

Adsis o Tegeæe favens.

Gyrald. Synt. deor. xv. p. 453. E.

PANARIUM dicitur vas, quo ex vimine facto panes repositi referebantur. Varr. de Ling. Lat. IV. 22. *Hinc panarium, ubi id servabant: sicut granarium, ubi granum*

fin.

frumenti condebant. Suet. Cal. c. 18. n. 4. *Sparſit & miſſilia variarum rerum, & panaria cum obſonio viritim diviſit.* Domit. c. 4. n. 14. *Septimontiali ſacro, ſenatui, equitique panariis: plebi ſportellis cum obſonio diſtributis.* De Domitiani panariis Stat. Sylv. I. 6. 28.

> *Ecce autem caveas ſubit per omnes*
> *Inſignis ſpecie, decora cultu,*
> *Plebes altera, non minor ſedente.*
> *Hi panaria, candidasque mappas*
> *Subvectant, epulasque lautiores.*

Stuck. Ant. Conviv. I. 35. Voſſ. Lex. Etymol. in Panis. Ciapald. de Part. dom. II. 3. §. 25. Buleng. de Conviv. IV. 18. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 116. a. Pitiſc. in Suetonium.

PANARIUS vocatur piſtor, qui *panes* coquit & vendit. Gloſſæ: Ἀρτοπώλης, *panarius.* Arnob. II. p. 70. *Quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, panchriſtarios.* Lego *panarios.* Ouzel. in Minuc. Felic. p. 116. a.

PANCARPUM appellarunt veteres ſpectaculi genus, in quo homines mercede conducti cum beſtiis depugnarunt. Caſſian. Collat. v. 14. *Ut fieri ſolet ab his, qui coram Regibus hujus mundi omnigenis congredi beſtiis præmiorum contemplatione conſuerunt, quod ſpectaculi genus vulgo pancarpum nuncupatur. Hi, inquam, feras quaſcunque fortiores robore, vel ſe ſatis rabie conſpexerint diriores, adverſus eas primæ congreſſionis certamen arripiunt, quibus extinctis reliquas, quæ minus terribiles, minusque vehementes ſunt, exitu faciliore proſternunt.* Juſtinian. Novell. 105. *Poſt illud, quod dicitur totius diei, multa delectatione implebit populum, hoc quod vocatur πάγκαρπον, & cum beſtiis pugnantes homines, & audaces, inſuper & incitemente beſtiæ.* Ubi ἄνθρωποι εὐδοκιμοῦντες τῇ τόλμῃ ſunt παράβολοι. Ita enim Græci vocant homines perditæ, ac deſperatæ audaciæ, qui operam ſuam, ut cum beſtiis pugnarent, locabant. *Audaces* dicuntur Claud. XVII. 294.

> *Audaces legat ipſe viros, qui colla ferarum*
> *Arte ligent, certoque premant venabula niſu.*

Μονημέριον etiam dicebatur, quod ultra unius diei ſpatium non protraheretur. Extat Leonis philoſophi epigramma Floril. I. 4. εἰς τὸ μονημέριον, ſive unius diei ſpectaculum. V. illud ſupr. in Μονημέριον. Auctorati, & mercede conducti hoc faciebant, ut conſtat ex Caſſiano, & Caſſiod. Var. v. 42. ubi *pancarpum* multis deſcribit, etſi non nominet: *Longum eſt per periculorum caſus ſermonibus evagari. . . . Sed vobis, quibus neceſſe eſt talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia, ut hac miſeris faciatis eſſe votiva.* Hæc verba ſatis liquido patefaciunt, mercede, ac præmiis invitatos in arenam deſcendiſſe ejuſmodi audaces, ac deſperatos homines ad beſtias depugnandas. Edebatur in amphitheatro. Duravit ad poſteriorum Imperatorum ævum, & ſolebat edi a conſulibus, & prætoribus, qui magiſtratum inibant. Errant, quibus *pancarpus* dicitur hoc genus ſpectaculi: nam *hoc pancarpum* dicebatur, Græcis τὸ πάγκαρπον, quod ἐλλειπτικῶς dicitur, integrum enim eſt τὸ πάγκαρπον κυνηγέσιον, & dictum ab omnigenis beſtiis, quæ in illo ſpectaculo depugnabantur, & occidebantur ab illis audacibus, & παραβόλοις, qui operam ſuam ad eas conficiendas locabant. Nominis rationem ſupra aperuit Caſſianus. Docet etiam Auguſtin. adv. Secundinum: *Nunc pancarpi quod in ludicris muneribus edi ſolet, propter omnium generum, quæ inerant, feras exagitatis arcam Noe, quæ per omne genus animalium futuram ex omnibus gentibus ſigurabat Eccleſiam.* Male hodie legitur *herbas.* Quicquid miſcellum eſſet, & ex variis rebus contextum, conſarcinatumque, πάγκαρπον Græci dixere. Sic πάγκαρπον ςέφανον vocant coronam ex vario florum genere factam. Meleager ita inſcripſerat veterum epigrammatum collectionem ex omnibus antiquorum poetarum epigrammatis compilatam, in qua ſingulos poetas, quos in illam compilationem innexuerat, ſingulis floribus perquam eleganter comparabat:

> Μοῦσα φίλα, τίνι τάνδε φέρεις πάγκαρπον ἀοιδὰν
> Ἤτις ὁ καὶ τεύξας ὑμνοθέταν ςέφανον.

Et alio:

> Πάγκαρπόν σοι Κύπρι καθήμοσε χειρὶ τρυγήσας
> Παίδων ἄνθος ἔρως ψυχαπάτην ςέφανον.

Παγκάρπους iidem Græci vocaverunt ςεφάνους ex omni genere fructuum compoſitas corollas, quibus columnarum frontes ornabantur. Ἐγκάρπους vocavit Vitruv. IV. I. V. ſupr. in *Encarpus.* Salmaſ. in Capitol. Gordian. c. 3. Cerda Adv. LII. 3. Buleng. de Triumph. c. 37. Du Freſne Gloſſario. Quomodo differat a ſylva alio ſpectaculi genere V. infr. in *Sylva.* Apud Juſtinianum pro πάγκαρπον, παγκράτιον legendum ſuſpicatur *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 17.

PANCHRESTARII ſunt confectores liborum, dulciarii. Nam πάγχρηςα ejuſmodi ſcitamenta. Salvian. de Provid. VI. p. 127. *Infantes quoque omnes fere parvulos contumaces, quos morigeros minæ, ac ferulæ non efficiunt, interdum πάγχρηςα, atque blanditiæ ad obedientiam trahunt.* Et ab illis *panchriſtarii* apud Arnob. II. p. 70. V. illum ſupr. in *Panarius.* Turneb. Adv. XIII. 14. Salmaſ. in Lamprid. Helog. c. 32. Elmenh. & Herald. in Arnobium. Rittersh. in Salvianum. Poſſent etiam, ſed prius probo, dici medicamentarii, & pigmentarii, qui medicamenta, & remedia omnibus valetudinum generibus accommodata conficiunt, ſplendido, & magnifico promiſſo, ſi effectus reſponderet. *Turneb. l. l.* Nam *panchreſtum* alias ſignificat φάρμακόν τι πρὸς πάντα τῶν ἀῤῥωςημάτων γένη χρηςόν, qualem & panaceam jactitant: vel potius, quoniam vix eſt, ut detur tale quid, quod omnibus morbis, etiam contrariis mederi valeat, quod non niſi prodeſſe poſſit, & quod totum ſit utile, id *panchreſtum* vocabitur. Utitur hoc nomine Plin. XXXVI. 20. *Principatum dat ex iis Æthiopico, oculorum medicamentis utiliſſimo, & iis, quæ panchreſta appellant.* Rittersh. l. l.

PANCRATIASTES dicebatur, qui quinque certandi generibus, diſci jactu, curſu, ſaltu, pugilatu, luctatione omnes vicit. *Herm. Barbar. in Plin.* XXIV. S. *Volaterr. Comm. Urb.* XXIX. *p.* 1090. *F. Lyd. Agon. ſacr. p.* 10. Huic ſententiæ repugnat Gell. III. 15. *De Rhodio etiam Diagora celebrata hiſtoria eſt. Is Diagoras tres filios adoleſcentes habuit: unum pugilem, alterum pancratiaſten, tertium luctatorem, eosque omnes vidit vincere, coronarique eodem Olympiæ die.* Senec. de Ben. v. 3. *Lacedæmonii vetant ſuos pancratio, aut cæſtu decernere.* Lucian. de Gymnaſ. p. 272. *Cæterum horum exercitiorum: aliud quod illo in luto fit, lucta vocatur. Illi vero in pulvere quoque luctantur. Quod vero ſe invicem erecto corpore percutiunt, pancratio decertare dicimus. Sunt præterea & alia nobis ejuſmodi gymnaſia, pugilatus, diſci, & ſaltus.* Alii itaque πένταθλοι, ſive quinquertiones, quos illi cum *pancratiaſtis* confundunt. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 17. *Voſſ. Lex. Etymol. Panvin. de Lud. Circ.* II. I. *Thyſ. in Gellium. Mod. de Lud. & ſcen.* II. 21. *Alciat. Annot. in tres poſt. libr. cod. p.* 104. *A. Rhodig. Antiq. Lect.* XIII. 30. *Thyſ. in Gellium. Strauch. Olympic. agon.* §. 17. *Langban. in Longin. de Subtil. ſect.* 34. Omnes vires in hiſce certaminibus effundebant. Et manibus pedibusque pugnantem interpretantur. Quintil. II. 8. *Sicut ille exercendi corpora peritus, non ſi docendum pancratiaſten ſuſceperit, pugno ferire, vel calce tantum, aut nexus modo certos aliquos docebit, ſed omnia quæ ſunt ejus certaminis.* Lucian. ibid. p. 269. *Quidam eorum mutuo ſe ſupplantant: quidam obſtructa gula ſtrangulant: nonnulli inter ſe vi flectuntur, & in cœno more ſuum volutati mutuo ſe conſpergunt: jamprimum poſitis veſtimentis pingui alter alterum affricantes placidiſſime, mox neſcio qua vi impulſi obtrudunt invicem ſeſe depreſſo vultu, frontesque oblidunt pecudum more inter ſe arietantes: & ecce, cruribus hic illum tollens, humi allidens, mox in eum ſeſe librans erigi ultra non ſinit in cœno proculcatum, cruribusque comprehenſum cubitis in ventrem connexus fœdiſſime miſerum angit. Hic vero plauſu ad humerum facto, ſupplicat opinor, ne præfocetur.* Panvin. l. l. Bud. in Pandect. p. 96. C. & 117. B. Quis ſit, paucis docet Ariſtot. Rhetor. I. 5. ubi varia athletarum genera definit in hunc modum: *Qui poteſt crura projicere certo quodam modo, & movere velociter,*

ter, & longe, curſor eſt: qui vero conſtringere, & tenere, luctator: at, qui pellere plaga, pugil: qui autem utriſque, pancratiaſticus: qui demum omnibus, quinquertio. Suidas in Παγκρατιαςαῖς: *Illis, qui manibus, & pedibus pugnant.* Falconer. ad Inſcript. Athlet. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2321. E. Faber Agon. I. 11. Ante ludum ſortiebantur modo, quem narrat Lucian. Hermot. p. 535. *Argentea urna deo ſacra in medio poſita eſt: in eam parvæ ſortes conjiciuntur, fabæ magnitudine, literis inſcriptæ. Duabus, utrique numerum alpha, inſcribitur: duabus item beta, duabus quoque aliis gamma, ac deinceps ordine literarum, ſi ſint athletæ plures, duæ ſemper ſortes eandem literam habent. Tum accedens unuſquiſque accedit, & invocato Jove, manuque in urnam immiſſa, unam ex ſortibus trahit, & poſt eum alter. Et adſtans unicuique flagellifer, protenſa manu obſtat, quo minus legere queant quænam ſit litera quam traxit. Sed cum jam habent omnes, alytarches, opinor, aut judicum unus circumeuntes ſortes in orbem ſtantium inſpicit. Sicque eum, qui alpha habet, cum eo qui alpha alterum traxit, aut luctæ, aut pancratio decertaturum committit: eum quoque qui beta, cum eo qui beta ſimiliter, aliosque eadem ratione qui eaſdem literas ſortiuntur.* Laurent. de Rebuſpubl. c. 1.

PANCRATICE, robuſte. *Pancratice valere* eſt robuſtum eſſe, & firma corporis valetudine, ut ii, qui *pancratio* exercentur. Plaut. Bacch. II. 3. 14.

Benene uſque valuit? pancratice, atque athletice.

Panvin. de Lud. Circ. II. 2.

PANCRATIUM fuit genus exercitationis, ex lucta, & pugilatu compoſitum, quod *pancratium* communiter gymnaſtici omnes appellabant. Plutarch. Sympoſ. II. 4. *Nam neque curſum, neque pugillationem in palæſtra elaborant: ſed ſolius luctæ, & pancratii, ſunt volutationes iſtæ: liquet enim pancratium e lucta, & pugillatione eſſe compoſitum.* Mercur. Gymnaſt. II. 9. Panvin. de Lud. circenſ. II. 1. Falconer. in Inſcript. Athlet. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2322. B. Paſchal. de Coron. VI. 23. Faber Agoniſt. I. 30. & 31. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 30. Voſſ. Lex. Etymol. Thyſ. in Gell. III. 15. Potter. Archæol. Græc. II. 21.

Pancratium volutatorium erat ſpecies luctæ, & nuncupabatur, quod ii, qui in eo ſe exercerent, humi proſtrati, mutuoque implicati, dum alter alterum ſibi ſubjicere niteretur, humi volutarentur. *Mercur. Gymnaſt.* II. 8. *Falconer. in Inſcript. Athlet. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2322. *B. Faber. Agoniſt.* I. 10.

PANDA, *vel Pantica dea appellata eſt, quod Tito Tatio, Capitolinum ut caperet collem, viam pandere, & aperire permiſſum eſt.* Arnob. IV. 28. *Lapen. de Siren. c.* 2. *prim. et.* §. 9. *Remeſ. Inſcript. Claſſ.* I. *n.* 33. *Voſſ. de Idolol.* II. 26. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 21. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 52. *D. Stuck. de Sacrif. p.* 56. Quo auctore id ſcripſerit Arnobius, non conſtat. Nihil enim hujuſmodi apud Halicarnaſſenſem, Livium, Feſtum, alios me legere commemini. *Voſſ. Lex. Etymol. in Pando.* Eſt ipſa Ceres. Varr. de vit. pop. Rom. I. apud Non. I. 209. *Hanc deam melius putat eſſe Cererem, ſed quod in aſylum qui confugiſſent, panis daretur, eſſe nomen fictum, a pane dando pandere, hoc eſt, aperire.* Buleng. de Conviv. IV. 18. Hering. de Molend. q. 2. §. 40. Non eſt Ceres. Nam Varro ipſe aperte diſtinguit in ſatyra Menippæa, quæ vocatur σκιαμαχία his verſibus apud Gell. XIII. 22.

Sed Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes, & Minerva, Fortuna, ac Ceres.

Nec pando eſt a panem do, verum ex πετάω, quod idem notat. Onomaſticum Pando, πετάζω, N. inſertum. Et more ſuo ludit Varro, cum hanc Æneæ ſententiam in medium affert, eamque probare videtur. *Voſſ. l. l. Oſel. in Gellium.* Eſt ipſa pax. Gloſſ. Philox: *Panda*, εἰρήνης θεὸς. Nomen ex eo fuerit, quia pacis tempore *panduntur* urbium portæ, *Turneb. Adv.* XIX. 11. *Voſſ. & Oſel. l. l.*

PANDANA porta. V. illam infr. in *Porta*.

PANDECTAS, πανδέκτας, *Græco titulo Tullius Tiro inſcripſit, tanquam omne rerum, atque doctrinarum genus continentes.* Gell. XIII. 9. Plin. præfat. ponit hanc inſcriptionem inter illecebroſas, & magna promittentes, *propter quas*, ut ipſe inquit, *vadimonium deſeri poſſit.* Sed & eodem modo inſcribuntur libri Digeſtorum, qui ex ſeptem & triginta ICtis ſunt coagmentati. De horum appellatione ſic ſcribit Juſtinianus epiſtola ad ſenatum, & omnes populos, quæ hodie ſecunda eſt in tit. de vet. jur. enucl. *Nomen*, inquit, *libris impoſuimus Digeſtorum, ſeu Pandectarum, qui omnes diſputationes in ſe habent legitimas, & quod undique fuit collectum, hoc in ſinus receperunt in centum quinquaginta pene millia verſuum, totum opus conſummantes.* Signantur hodie hac nota ff. Vid. ſupr. in ff. Voſſ. Lex. Etym. el. Oſel. in Gellium. Du Freſne Gloſſario.

PANDURIUM aliter recentiores auctores accepere, aliter veteres. *Panduram* enim vetuſtiores trichordum appellarunt, & vocem ipſam acceptam tulerunt Aſſyriis. Pollux IV. 9. 2. *Trichordum, quod Aſſyrii panduram vocant, etiam illorum inventum fuit.* At inter ἐμπνευςὰ organa recenſet Iſidor. II. 20. *Secunda diviſio organica eſt in iis, quæ ſpiritu inflante completa, in ſonum vocis animantur, ut ſunt tubæ, calami, fiſtulæ, organa, pandura.* Et, *Pandurius*, *ab inventore vocatus: de quo Virg. Ecl.* II. 32.

Pan primus calamos cera conjungere binos
Inſtituit: Pan curat oves, oviumque magiſtros.

Fuit enim apud gentiles deus paſtoralis, qui primus diſpares calamos ad cantum aptavit, & ſtudioſa arte compoſuit. Iſidorus dixit *pandorius* pro *pandurius*, & *pandurius* pro *pandurium*. Nam Græce τὸ πανδούριον. Sciendum recentiores id *panduram*, & *pandurium* appellaſſe, quod veteribus erat fiſtula ex ſeptem calamis compacta, quam κηροδέταν σύριγγα Euripides, quamque *per ſeptem diſcrimina vocum obloqui* dixit poeta Æneid. VI. 646. Heſychius: σύριγγες, πανδούρια. Fiſtulam autem vocare cœperunt, quæ una tantum arundine conſtaret. Hoc diſcrimen aperte indicat Capella: *Rerum per medium quidam agreſtes, canorique ſemidei: quorum Hircipedem pandura, Sylvanum arundinis enodis fiſtula sibilatrix, rureſtris Faunum tibia docuerunt.* Quis ille Hircipes niſi Pan, cui omnes σύριγγα attribuunt, cujusque imaginem habes expreſſam verſibus Theocriti, quibus inſcriptio σύριγξ. Qui hujuſmodi organo cecinit, *pandurizare* dictus eſt Latinis. Lamprid. Heliog. c. 32. *Ipſe pandurizavit.* E lauro, quæ ad mare naſcitur, factum deſcribit Euſtath. p. 1214. id quod ſumpſiſſe videtur ab Athen. IV. p. p. 184. A. *Pythagoras, qui de mari rubro ſcripſit, Troglodytas inquit panduram ex ea lauro, quæ in mari gignitur, fabricare.* Salmaſ. in Lampridium, & Exercit. Plinian. p. 584. b. B. Barthol. de Tib. III. 6. Buleng. de Theatr. II. 31. Rhodig. Ant. Lect. IX. 4.

PANEGYRIS, πανήγυρις apud Græcos, ſignificat nundinas, & publicum conventum, quod undique ſe illic vicinæ gentes congregarent. Cicer. Attic. I. 14. *Et erat eo ipſo loco ipſo die nundinarum πανήγυρις.* Cicero mercatum, ita enim hanc vocem interpretatur, tranſtulit Tuſc. Quæſt. V. 3. *Pythagoram autem reſpondiſſe, ſimilem ſibi videri vitam hominum, & mercatum.* Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. I. 18. Ejus definitio hæc legitur Etymol. magn. p. 650. *Panegyris eſt feſtum, congregatio, ad quam omnes congregantur.* Pinell. Additam. ad I. 18.

PANICA, πανικὰ, vocantur Græcis repentini quidam terrores, & conſternationes, quales utique lymphatici metus, uſque adeo irrevocabiles, ut non ratione modo, ſed mente etiam careant. Cicer. Famil. XVI. 23. *Et ſi Atticus noſter, qui quondam me commoveri πανικοῖς intellexit, idem ſemper putat, nec videt, quibus præſidiis philoſophiæ ſeptus ſim, hercle quod timidus ipſe eſt*, θορυβοποιεῖ. Attic. V. 20. *Scis enim inquit, quædam πανικὰ dici.* Polyæn. IV. 3. 26. *Alexander ad fluvium Tigrim prævertere Darium feſtinabat: panicum, πανικὸν, ab extrema acie pervaſit univerſum exercitum.* Pauſanias mox laudandus. *Panicum terrorem* vocat Hygin. Aſtron. Poet. II. 28. *Hic etiam dicitur, cum Jupiter Titanas oppugnaret, primus objeciſſe hoſtibus terrorem, qui Panicus dicitur, ut ait Eratoſthenes. Panicos tumultus* Phurnut. c. 27. *Nihil prohibet, quin etiam Panicos tu-*

multus dicuntur, qui subito, & sine ratione certa exoriuntur. Et Synesius mox laudandus. A *Pane* deo dicuntur immitti. Long. Pastor. p. 54. *Constabat a Pane esse hæc terriculamenta.* Pausan. Phocic. p. 34?. *Ea nocte panicus illos invasit terror. Terrores enim, quorum causa non suberat, ab eo, Pane, immitti ajunt.* Hinc *Panos iras* vocat Eurip. Med. n. 1172. Ubi interpres: *Panicos terrores, quoniam repentinorum terrorum, & conturbationum causam deo Pani tribuunt.* Salvian. de Provid. *Et panici tumultus interdum exterritum occupabant.* Ubi interpres: *Panici terrores appellantur, cum quando in exercitu aut, ubique perturbantur, nullam ob causam. Solent enim feminæ vi numinis instinctæ, Panis ?? clamoribus concelebrare, quibus utpote repentinis metus audientes ??.* Tulius describit Valer. Flacc. III. 43--57. *Politian. Misc. c. 28. Gyrald. Synt. deor. xv. p. 454. D. Buleng. de Prodig. c. 62. Stuck. de Sacrif. p. 43. Barth. Adv. xxxiii. 16. Potter. Archæol. Græc. ii. 17. Minos in Alciat. Emblem. 122. Pasc. in Curt. iv. 12. 14. §. 47.*

PANIS conficiendi cura olim spectabat ad matres familiæ. Multis enim annis Romani caruerunt pistoribus. Plin. xviii. 10. V. illum supr. in *Mulier.* Sic in aula Alcinoi quinquaginta ancillæ, quarum aliæ frumentum mola contundebant, aliæ texebant apud Homer. Odyss. vi. Theophr. Eth. Char. c. 5. *Diligenter interim, ne hoc ancilla præparare, jussit, caveris. Deinde vero cum illa molere, & quod satis est ??, tum sibi, tum universæ familiæ panem facere.* Feith Antiq. Homer. iv. 3. Ut ingenti Urbem colentium multitudini suppeditaret, nec deesset unquam, repertum a Trajano, firmatumque pistorum collegium. V. infr. in *Panis civilis.* Qua ratione & populo Romano universo, & peregrinis optimus Romanus prospexit, quorum plerique *pane* a propola vitam tolerabant; id quod & stante Republica, & collapsa factum conjicio ex Cicerone, quem proferimus infr. in *Propola.* & hodieque Romæ traditum est, qua in urbe, ut in plerisque omnibus Italiæ, pistorum collegium in eam, quam dixi, gratiam viget. *Contaren. de Frument. Roman. largit. c. 4. Panem* comedere, & gustare erat jentare veteribus. V. infr. in *Panis siccus.*

Panis ædificiorum vocatur de annon. civil. Hos Constantinus assignavit militibus, qui & ipsi Urbem ædificiis exornarent. l. 2. C. Th. de annon. civil. Hi in *pane* cocto exhibiti domibus assignabantur l. 1. C. de canon. frum. urbis Constant. l. 11. *Pancirol. Notit. dign. imp. orient. c. 26.*

Panis artolaginus. V. illum supr. in *Artolaginus.*

Panis artoptitius dicebatur, qui assabatur in artopta. Lautioribus & delicatis coquebatur. *Differebat a testuaceo, & furnaceo.* Athen. iii. p. 113. A. Tostus autem *panis* est artoptitius. Plin. xviii. 11. *Certum est Ateii Capitonis sententia, tostum panem lautioribus coquere solitos in artopta.* Turneb. Adv. xiv. 5. Beroal. in Suet. August. c. 76. Laz. Comment. Reip. Roman. ii. 15. Ferrar. Elect. ii. 10. Schill Nomen. Philol. p. 162.

Panis athletarum. V. illum supr. in *Colliphia.*

Panis autopyrus est, ex quo nihil, neque pollinis, neque furfuris excretum, vel ademptum, quasi totum in se triticum, non imminutum habens, ex Græco αὐτόπυρος. Cels. ii. 18. *Deinde, cui nihil ademptum est, quod αὐτόπυρον Græci vocant.* Scribon. comp. 227. *Et super hoc panem autopyron ex aqua maceratum, & tritum.* Du Fresne Glossario. Saracen. in Dioscor. ii. 107. Bruyerin. de re cibar. vi. 9. Rhod. in Scribonium.

Panis azymus stomacho est aptissimus. Cels. ii. 24. *Stomacho aptus panis est sine fermento.* Scribon. comp. 133. *Cibo quo carnis esse dare, cum pane azymo.* Rhod. in Scribonium. Gapeld. de Part. dom. ii. 3. §. 25. Rhodig. Antiq Lect. ix. 16

Panis cacabaceus dicitur, qui saporem malum ex aqua in cacabo calefacta retinet. Zeno Veron. ad neophytos post baptismum Serm. vi. *Non illos panes aura corrupit, non fumus amarus infecit, non frigus elisit: quod plus est, sine fermento levati sunt: cui cacabacei non sunt: non vetusti, non usti, non crudi, non mucidi.* Casaub. in Lamprid. Heliogab. c. 19. Ego malim dictos nigros, & quibus nihil est ademptum furfuris. Papias: *Similiter autem & cacabaceus panis calidus siccat.* Nugatur in Zenon: Vir doctus, qui nugaces, & garrulos interpretatur, cum de *panibus* agatur. *Du Fresne Glossario.*

Panis cibarius dicitur, a quo furfur excretum non est, sed excussa mollissima, purissimaque farina. Cicer. Tusc. Quæst. v. 34. *Nec esuriens Ptolemæus ederat: cui cum peragranti Ægyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius.* Athen. iii. p. 113. ἀγελαῖος, quasi *gregarius*, Terent. Eun. v. 4. 17. *ater*, Plaut. Asin. i. 2. 16. & Suet. Ner. c. 48. n. 7. *sordidus*, Festo *acerrosus*, Juven. Sat. v. 11. *caninus* dicitur. *Saracen. in Dioscor. ii. 107. Popm. de Instrum. fund. c. 20. Schott. Nod. Cicer. iv. 9. Brod. Misc. iv. 10. Victor. Var. Lect. i. 22. Laz. Comm. Reip. Rom. ii. 15. Bruyer. de Re cibar. vi. 9. Bud. de Asse v. p. 594.*

Panis civilis dicitur, quem populo Romano loco frumenti olim diviserunt. Quando cœperit, non diserte scio: suspicor, in imperio Trajani. Aur. Vict. Cæs. c. 13. n. 5. *Romæ a Domitiano cœpta fora. . . & annonæ perpetuæ mire consultum, reperto, firmatoque pistorum collegio.* Juven. Sat. x. 80.

> *— atque duas tantum res anxius optat*
> *Panem, & Circenses.*

Lips. Elect. i. 8. Mod. in Liv. ii. 9. Errant viri doctissimi, dum ejus moris originem repetunt a Trajano. Mirum enim, si jam in imperio Trajani *panis* populo distributus fuit, neminem auctorem, tanto intervallo, sub tot Imperatoribus, qui a Trajano usque ad Aurelianum, ejus rei mentionem fecisse: contra meminere multi sub mediis illis Imperatoribus, tesserarum frumentariarum. Ulpianus, Paullus, alii ICti, qui vixere Alexandri Severi temporibus, harum tesserarum mentionem habent. Quo igitur tesseras frumentarias, si tunc *panis* dabatur? an frumentum, & *panes* accipiebant? nemo sanus id dixerit. Sub Severo adhuc frumentum expendebatur. Spartian. c. 23. *Moriens septem annorum canonem, ita ut quotidiana septuaginta quinque millia modiorum expendi possent, reliquit.* Frumentum non potest aliter ex ?? interpretari, quam in specie ipsa. Atqui Juvenalis modo laudatus, ætati Trajani compar, meminit *panis* populo distribuendi. Ut ætati Juvenalis controversiam non moveam, quam juste ad hanc rem movere possem, dicam eundem frumenti tesseræ meminisse Sat. vii. 174.

> *Summula ne pereat, qua vilis tessera venit*
> *Frumenti.*

Ergo priore versu *panem* poetice usurpat pro frumento, ex quo *panis*. Nugatur interpres, qui *summulam* sic exponit: *ne annonam perdat: simola medium significat gradum panis. Simolam*, vel *sumulam* vocat, quam veteres *similam*, unde nos dicimus *semoule.* Quod enim ejus ætate *panes* vulgo distribuerentur, putavit sic semper fuisse, & *tesseram frumenti* pro *panaria* tessera accipit. Sed nec Aurel. Vict. de Cæsar. c. 13. n. 5. ubi scribit Trajanum *miro annonæ perpetuæ consuluisse, reperto, firmatoque pistorum collegio*, auctorem facit Trajanum annonæ populo dividendæ, non in frumento, sed in *pane* cocto. Aurelianum ejus rei primum auctorem docemus verbis Vopisc. c. 35. *Coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siligines vocantur, & singulis quibusque donasse: ita ut siligineum suum quotidie toto suo ævo, & unusquisque reciperet, & posteris suis demitteret. Panem* primus, ut porcinam, populo distribuit Aurelianus. Nam statim sequitur apud Vopiscum: *Nam idem Aurelianus porcinam carnem populo Romano distribuit, quæ hodieque dividitur.* Confirmat Zosim. i. 61. 7. *Præter hæc & panum honorario munere populum Romanum donavit.* Bilibres primum fuisse factos ex Vopisco discimus. Sic viginti quatuor uncias quotidie accipiebant singuli populares. Addidit postea unciam idem Aurelianus. Addidere sequentes principes, & usque ad triginta sex uncias pondus processit. Et plures minores dari cœperunt: ita ut sex

ſex quotidie darentur ſingulis popularibus, quorum quisque ſex uncias pendebat: & ſic in ſex panibus triginta ſex uncias accipiebat populus Romanus ſub Theodoſio, cum viginti quinque tantum unciæ in uno pane ſub Aureliano præberentur. Lex Valentiniani C. Th. de ann. civ. *Civis Romanus, qui in viginti panibus ſordidis, qui nunc dicuntur Sardinenſes, quinquaginta uncias comparabat, triginta & ſex uncias in buccellis ſex mundis ſine pretio conſequatur.* In modum coronæ fuiſſe docemur hoc Vopiſci loco. Conſtant. περὶ θεμάτ· *buccella panis dicitur in modum circuli factus.* Hoc non aliud eſt, quam in modum coronæ. Buccellas vocaſſe illos civiles *panes* teſtimonio eſt lex illa, quam adduximus. *Salmaſ. in Vopiſcum.* De illo etiam *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 16.

Panis clibanites dicitur, qui in clibano coquitur. Athen. III. p. 113. B. *Panis artoptitius a clibanite, & furnaceo differt. Clibanites, & furnaceus mollius fermentum poſcunt.* Turneb. Adv. XIV. 5. Bruyer. de Re cibar. VI. 9. Schill Nomencl. Philol. p. 162. Iſidor. XX. 2. *Panis clibanitus in teſta coctus.* Alexand. Iatroſoph. Paſſ. II. 79. *Quales ſunt panis bene confectus clibanites. . .* Ubi Gloſſ. MSS. *quaſi furni.* Conſtantin. de rat. vict. p. 279. *Panis fermentatus in clibano coctus.* Cui opponitur *ſub cinere coctus.* p. 278. *Du Freſne Gloſſario.*

Panis confuſaneus dicitur, qui ex tritico integro, ſive ex farina, cui nihil vel floris, vel furfuris deceſſit, paratus eſt. Talis minus alit ob furfures commixtos, ſed alvum magis movet. Vocatur & συγκομιςὸς, quaſi qui omnia ſecum ferat, & ἄπυρ☉. *Nonn. de re cibar.* I. 6. *Bacc. de Conviv.* II. 11.

Panis diſpenſatorius dicitur ſecundus. Vetus interpres Horat. Epiſt. II. I. 123. *Pane ſecundo, non ſiligineo, non primo, non poſtremo, ſed diſpenſatorio.* Ubi diſpenſatorium accipio, quem fiſcalem dicit interpres Perſii. V. illum infr. in *Panis fiſcalis.* quod populo ſcilicet diſpenſaretur. Prudent. contr. Symmach. I. 583. V. illum ſupr. in *Officina panaria.* Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 48.

Panis dulciarius dicitur ex melle factus. Apul. Met. X. p. 329. *Piſtor dulciarius, qui panes, & mellita concinnabat edulia.* V. & illum ſupr. in *Lacertus.* Et ſic intelligitur hoc Mart. XIV. 222. cujus titulus: *piſtor dulciarius.*

> *Mille tibi dulces operum manus iſta figuras*
> *Exſtruit: huic uni parca laborat apis.*

Laz. Comm. Reip. Rom. II. 15. Grapald. de Part. dom. II. 3. §. 25.

Panis fiſcalis dicitur, qui ex fiſco populo dividebatur, gratis, non pretio. Civilis etiam, & gradilis dicitur. Veteres gloſſæ ad Perſ. Sat. III. 112. *Farinam, panem non delicioſius cribro diſcuſſum, ſed plebejum, de populi annona, id eſt, fiſcalem dicit.* Subit mirari, cur fiſcalem illum, ſive diſpenſatorium non de prima nota fuiſſe, ſed ſecundæ notent illi interpretes, cum vel a prima diſtributione *panum* populum Romanum ſiligineos *panes*, hoc eſt, primos, & mundos accepiſſe conſtet. Sed fuiſſe tempus, in quo non mundos e fiſco percipiebat populus, ſed ſordidos comparabat, oſtendit lex C. Th. adducta ſupr. in *Panis civilis.* In illa enim mundus opponitur ſecundo, & ſordido. Mutavit igitur id Valentinianus, vel potius in antiquum ſtatum redegit, ut populo mundi diſtribuerentur, quos ante eum ſordidos, nec gratuitos, ſed pretio comparabat e fiſco, ut vina etiam fiſcalia emebat. V. infr. in *Vinum fiſcale.* Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 48. Du Freſne Gloſſario. Contaren. de frument. Roman. largit. c. 5.

Panis furfuraceus, furfureus, aut furfuroſus Latinis, πιτυρίας, πιτυρίτης, aut πιτυρώδης Græcis, dicitur ſordidiſſimus, & infirmiſſimus, quippe qui minimum nutriat. Magnam partem extis tritici conſtat, quæ Græci ἀφαιρήματα, & πίτυρα, Latini furfures, canicas, & apludas vocant: ac in canum fere gratiam confici ſolet. Canicaceum vocat Pacuvius:

> *Qui apud te quaſi ſervus eſt canicaceum panem.*

Saracen. in Dioſcor. II. 107. Du Freſne Gloſſario. Nonn. de re cibar. I. 6. Bruyer. de Re cibar. VI. 4. & 9. Bacc. de Conviv. II. 11. Grapald. de Part. dom. II. 3. §. 25.

Panis gradilis dicitur diſtribui in gradibus ſolitus. Titulus eſt lib. XIV. C. Th. de annon. civ. & pan. grad. Prudent. contr. Symmach. II. 947. V. illum ſupr. in *Officina panariæ.* Et I. 583. V. ſupr. in *Panis diſpenſatorius.* Res ipſa id ſuadebat, ut ſcilicet in loco altiori exempti, & ſecreti diſtributores eſſent a premente turba. *Lipſ. Elect.* I. 8. *Du Freſne Gloſſario. Panciroll. Notit. imp. orient.* c. 26. *occid.* c. 4. *Turneb. Adv.* XI. 6. *Stuck. Ant. Conv.* I. 35. *Guther. de Off. dom. Aug.* II. 11. *Laurent. de Conviv. vet.* c. 7. Verum hoc eſt. Sed ubi gradus illi? quidam (& inter illos eſt Gronov. in Ammian. XXVIII. 4.), in ſingulis regionibus Urbis gradus erectos fuiſſe, ubi hæc diviſio. Alii (inter quos eſt Cujac. Obſerv. XXVI. 17.) ad piſtrina, quæ in ſingulis regionibus erant, gradus illos ponunt. Sed quis erexit? quis poſuit? ad quam rem erecti? non enim ab omni ævo Romæ hæc *panis* diſtributio celebrata eſt: cui rei igitur inſerviebant prius? ſed quam multos oportet gradus fuiſſe, aut quam capacem locum, in quo erecti, tenendæ tantæ multitudini, quæ quotidie ad *panes* accipiendos conveniebat: nemini enim de officina piſtoris præbebatur. In iiſdem plane gradibus, quibus olim populo congiaria dabantur, æra dividebantur, & miſſilia omne genus ſpargebantur, & teſſeræ mittebantur, in iis ipſis etiam *panes* erogabantur. Hæc autem fieri moris erat in amphitheatri gradibus. De his accipienda inſcriptio:

> COLLEGIO. DENDROPH.
> ROMANOR. QUIBUS. EX
> S. C. COIRE. LICET. ARGEN
> TI. P. X, ET. HS. X. MILLIA. N
> REDDEDIT
> QUÆ. DIVISA. SUNT. POPULO.
> PER. GRADUS
> KAL. AUG. N. COLLEGI.

Per gradus amphitheatri intellige, vel theatri, in quibus omnes diviſiones, & ἐπιδόσεις populo fiebant. Mart. I. 12. I.

> *Cum data ſint equiti bis quina nomiſmata, quare*
> *Bis decies ſolus Sextiliane bibis?*

Ubi data illa nomiſmata oſtendit I. 27. 3.

> *Nec conceſſorum vicina nomiſmata centum,*
> *Æra ſed a cuneis ulteriora rapis.*

Non contentus enim hic eques nummos in ſuo gradu recipere, ex gradibus raptum ibat. Hinc illæ locutiones, *de gradibus*, *in gradibus*, & *gradibus panem* diſtribuere, pro hominibus qui ſunt in gradibus. C. Th. de annon. civ. & pane grad. I. 3. *Omnia ea gradibus diſtribuant.* Sic *gradibus erogare.* I. 5. *Clementia noſtra deputabit, in quo nunc emitur loco, propriis gradibus erogandum,* id eſt, popularium gradibus, unica voce *popularia* vocabantur. Et diſtincti erant gradus popularium, & militarium, equeſtrium, & ſenatorum. Suet. Aug. c. 44. n. 4. *Militem ſecrevit a populo.* Hinc capienda l. 2. C. Th. eod. tit. qua vetatur *panis* gradilis in alium gradum tranſlationem fieri: *Et cognoſcat officium PF. annonæ ſeveriſſima ſibi imminere ſupplicia, ſi ulterius tranſlationem per gradus permiſerit commutari.* Vetat, inquam, illa lex, ne quis militaris in popularium gradibus *panem* accipiat, aut contra, & ſic graduum permutationes fiant. Minime tamen diſſimulandum eſt, cum ex Conſtantini inſtituto annonæ civicæ in urbe Conſtantinopolitana itidem, ut Romæ, erogarentur, erogationem eam non in circo, aut amphitheatri gradibus, ſed in foro fieri ſolitam. Ibi enim populus per gradus diſtinctus, & per turmas diviſus, cum in ſuo quisque loco, & gradu adſtaret, *panes* illos civiles, qui de publico dabantur, accipiebat. In eodem quoque loco, hoc eſt in fori gradibus, ſparſiones conſulum, quas ὑπατείας vocabant, fieri conſueverant. Joſeph. Orig. XIX. I. *Dabatur occaſio præcipitandi in forum e faſtigio baſilicæ, nummos inde aureos, & argenteos ſpargentem populo.* In foro igitur Romano, ut

PAN.

ut & in Conſtantinopolitano puto gradus illos fuiſſe conſtitutos & erectos. Ut hanc ſententiam amplectar, moveor non parum verbis legis 5. modo laudatæ. In eodem loco & emebatur, & populo gratuitus expendebatur *panis*. Ubi autem emebatur, niſi in foro? Ibi per gradus populus erat diviſus, cum *panes* accipiebat. Corippus:

Diſpoſuere gradus, quis ſtaret in ordine longo
Diviſum in turmas, atque in ſua corpora vulgus.

Sic etiam interpretor verſum Prudent. contr. Symmach. II. 947. ſupra allatum. Singularum enim Urbis regionum populares ſua loca ibi aſſignata habebant, & gradus ſuos diſtinctos, & hoc eſt quod ait, nullius regionis gradus in foro vacuos fuiſſe, ſed omnes ſcilicet repletos: quo ſignificat omnibus *panes* erogatos eſſe. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 35.

Panis madidus, quo faciem linebant veteres, fiebat ex oryza, aut fabis, ut apud medicos in compoſitione pſilothrorum legimus: item ex farina ſiliginea. Juven. Sat. VI. 471.

Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit, & facies madidæ dicetur, an ulcus?

Hinc *tectoria* vocat Juven. n. 467.

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit.

Quia illo, quaſi *tectorio* quodam faciem inducebant. Illo faciem linebat Otho. Suet. c. 12. n. 4. *Faciem quotidie pane madido linere conſueverat.* Et hoc de Othone teſtatur etiam Juven. Sat. II. 107.

Et preſſum in facie digitis extendere panem.

Salmaſ. & Caſaub. in Spartian. Adrian. c. 4. Beroald. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium. Fromond. in Senec. Nat. Quæſt. I. 17.

Panis militaris erat gravis, madidus, ſubitus, & ſubcineritius, nec bene, aut diu excoctus. Plin. XVIII. 7. *Lex certa naturæ, ut in quocunque genere panis militaris tertia portio ad grani pondus accedat.* Hunc ſua manu miles parabat. Sua manu dico, coquebant illi ingenui, illi cives quid? imo ipſe aliquis Imperator, nec ex Curiis, aut Fabriciis, ſed novitius Antoninis. Herodianus nobis auctor, Antoninum Caracallam, cum duritiem & robur præferret, omnia militariter egiſſe: atque etiam, inquit IV. 7. 9. *Panem addebat ſubitarium, & negligenter factum. Triticum enim ſua manu molens, quod ipſi ſatis eſſet, maſſamque ex eo conficiens, & in carbonibus coquens, eo veſcebatur.* Manuarias molas circumferebant, aut in lapide tundebant: denique ſine furni, aut clibani opera, ſubito ſic in carbonibus, aut ſub cinere coquebant. *Lipſ. de Milit. Rom.* V. *dial.* 16. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* V. *p.* 146.

Panis mundus eſt purior, aut e polline confectus. *Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq.* VII. 38. Opponitur ſecundo, & ſordido. V. ſupr. in *Panis fiſcalis*, & infr. in *Panis ſecundus.*

Panis muſtaceus. V. illum ſupr. in *Muſtaceum.*

Panis nauticus erat iterum toſtus. Iſidor. XX. 2. *Panis nauticus, recoctus, & rubefactus.* Feſtus contra *parum coctum* vocat, ideoque recoquendum. Hoc convenit cum Plauto: quippe apud quem panis ille rubidus iterum in furno conditur, & torretur. Caſ. II. 5. 1.

Una edepol opera in furnum calidum condito,
Atque ibi torreto me pro pane rubido hera.

Plin. Sec. XXII. 25. hoc nomine vocatur. *Vetus, aut nauticus panis. Navalis* Plin. Valer. V. 1. *Utatur etiam pane navali. . . .* Scheffer. de Milit. nav. IV. 1. Stuck. Ant. Conviv. I. 21. Bacc. de Conviv. II. 11. Grapald. de Part. dom. II. 3. §. 25. Harduin. in Plinium.

Panis ruſticus nominatur a Plin. XIX. 8. *Hoc*, candidi papaveris ſemen, *panis ruſtici cruſtæ inſpergitur, affuſo ovo inhærens, ubi inferiorem cruſtam apium githque cereali ſapore condiunt.* Hic fuit vel triticeus, vel ſiligineus, vel hordeaceus, ſive ex ſolo hordeo, ſive ex hordeo & tritico miſto, vel denique ex milio, ut teſtatur Colum. II. 9. *Pomp. de Inſtrum. fund. c.* 20.

Panis ſecundus dicitur, qui in alendo ſecundum habet locum a ſiligineo. Horat. Epiſt. II. 1. 123.*

—— vivit ſiliquis, & pane ſecundo.

Secundarius vocatur Suet. Aug. c. 76. n. 2. *Secundarium panem maxime appetebat.* Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 35. & 48. Bruyer. de Re cibar. VI. 9. Bacc. de Conviv. II. 12. Pitiſc. in Suetonium. *Panis ſequens* eſt Lamprid. Alex. Sev. c. 37. Sequens enim, & ſecundus res eadem, & ex eodem fonte ſunt voces. Secundum enim veteres dicebant, & ſcribebant pro ſequendum, ut dicundum, faciundum, & ſimilia. Inde igitur ſecundus, vel ſequendus, qui ſequi debet, id eſt, proximus a primo, aut qui primum ſequitur: nam is eſt ſequens, vel ſecundus. *Panis* igitur mundus, & ſequens apud Lampridium opponuntur: ut in formula Marculfi *panis* nitidus, & ſequens: *Panis nitid. modios tantos, panis ſequentis modios tantos.* Sic δεύτερα ἄλφιτα Græci, τὰ ἐυτελῆ, & δευτέρια. *Salmaſ. in Lampridium. Du Freſne Gloſſario.*

Panis ſiccus an molli, & recenti opponitur, durus, & non recens coctus, eoque ſiccior? an pro biſcocto, ut hodie vocamus, ſumetur? ſic ξηρὸν ἄρτον Græci interpretantur buccellatum, qui eſt panis nauticus, & nobis hodie biſcoctus dicitur, ut Græcis δίπυρος, an ſolus, ſine ullo alio pulmento? Hunc in jentaculis comedebant veteres: & *panem* comedere, guſtare erat illis jentare. Plerique non ſolum eum comedebant, ſed palmulas, uvas paſſas, nucleos, mel Atticum crudum, aut coctum, aut aliquid melliti, operiſve dulciarii: ſalſi etiam aliquid aliquando cum *pane* ſumebant. Alii *panem* ſolum comedebant. Vopiſc. Tacit. c. 11. *Panem niſi ſiccum nunquam comedit, eundemque ſale, atque aliis rebus conditum.* Capitol. Anton. Pio c. 13. *Panem ſiccum comedit ad ſuſtentandas vires.* Senec. Epiſt. 83. *Non multum mihi ad balneum ſupereſt: panis deinde ſiccus, & ſine menſa prandium.* Nunquam igitur jentaculum ſine *pane*, imo *panis* caput jentaculi, aliquando ſiccus, & ſolus, interdum cum aliis rebus. *Salmaſ. in Vopiſcum, & Capitolinum.* Mihi eſt, qui ſine potu ſumitur. *Harduin. in Plin.* XXII. 25.

Panis ſiligineus Romæ erat inter laudatos *panes*. Parabatur ex flore quaſi farinæ, & ex candidiore, & præſtantiore tritico. Lautis tantum apponebatur. Juven. Sat. V. 70.

Sed tener, & niveus, mollique ſiligine factus
Servatur domino.

Græcis ſiligo ignota, imo ne nomen quidem inter illos ad Galeni uſque tempora invenit, adeo ut Romana voce coactus fuerit uti. Ita enim de Alim. Facult. I. 9. Σιλίγνις *neque Græcum nomen eſt, neque ipſum aliter poſſum exprimere. Siliginem tritici delicias* vocat Plin. XVIII. 8. Medici ex ſiligine plurimum alimenti ſuppeditari ajunt. Celſ. II. 18. *Ex tritico firmiſſima ſiligo, deinde ſimila.* Paull. Ægin. I. 78. *Ex panibus magis alit ſiligineus, deinde ſimilaceus.* Et hinc ſiligineus. Vopiſc. Aurelian. c. 35. *Coronas eum feciſſe de panibus qui nunc ſiliginei vocantur, & ſingulis quibuſque donaſſe: ita ut ſiligineum ſuum quotidie ævo ſuo & unuſquiſque reciperet, & poſteris ſuis dimitteret.* Horatii interpres. V. illum ſupr. in *Panis diſpenſatorius.* Nonn. de re cibar. I. 6. Saracen. in Dioſcor. II. 107. Caſaub. & Salmaſ. in Vopiſcum. Bruyer. de Re cibar. V. 4. & 9. Bacc. de Conviv. II. 12. Hering. de Molend. q. 4 §. 18. Bud. de Aſſe V. p. 599. Grapald. de Part. dom. II. 3. §. 25.

Panis ſimilaceus, vel ſimilagineus, Græcis σεμιδαλίτης dicitur, qui conficitur ex ſimila, vel ſimilagine, quæ farina tenuis quidem eſt, ſed ſiligine impurior, utpote ex qua non omnes, ſed craſſiores tantum furfures excuſſi, ſecretique ſunt. Mart. XIII. 10.

Nec poteris ſimilæ dotes numerare, nec uſus,
Piſtori toties cum ſit, & apta coco.

Bruyerin. de re cibar. V. 7. Nonn. de re cibar. I. 6. Saracen. in Dioſcor. II. 107. Rader. in Martialem. Hering. de Molend. q. 4. §. 20. Bud. de Aſſe V. p. 560.

Panis ſordidus eſt, quem juſculo ſuperfuſo canibus præbere ſolemus. Juven. Sat. V. 11.

--- &

— & farris sordes meri lere canini.

Ubi vetus interpres: *Panis furfuraceus canum est.* Plaut. Asin. I. 2. 16.

Sordido vitam oblectabas pane.

Suet. Ner. c. 48. n. 7. *Panem sordidum afferuatus est.* Du Fresne Glossario. Taubman. in Plautum. Hering. de Molend. q. 4. §. 17. Pitisc. in Suetonium. *Sordidos* hisce & [illegible] verit, qui olim ex polline fumicati tenui [illegible] ad molæ parietem adhærescente, indeque multis cum sordibus deterso, ut verius pulveris, quam farinæ nomen mereretur, conficeat. *Saracen. in D.* [illegible] 11. 107.

Panis speusticus dicitur a festinando. Σπεύδω enim Græce festino significat. Plin. XVIII. 11. *Panes alias appellantur a festinatione, ut speustici.* Alex. Gen. dier. V. 21. & in illum Tiraquellus. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 15. Bruyer. de Re cibar. VI. 9. Perott. Cornuc. col. 258.

Panis subcineritius dicitur, qui sub cinere coquitur. Isidor. XX. 2. *Panis subcineritius cinere coctus, & reversatus,* id est, inter coquendum versus. Colum. IX. 5. *Panis, qui non versatur.* Non enim perfecte coquitur, nisi vertatur Hos. c. 7. n. 8. *Ephraim est panis subcineritius, qui inter coquendum non fuit versus,* ac proinde partim coctus, partim crudus, ita ut merito dubites, sitne panis, an mera pasta. Græcis vocatur ἐγκρυφίας. Athen. III. p. 110. B. *Videtur hoc panis genus a pruna coqui, ut encryphias apud Athenienses.* Bochart. Hierozoic. I. 2. 33. Alex. Gen. dier. V. 21. & in illum Tiraquellus. Bruyer. de Re cibar VI. 9. Grepald. de Part. dom. II. 3. §. 25. Perott. Cornuc. col. 258.

PANNICULARIÆ causa quid sit, docet rescriptum Adriani l. 6. ff. de bon. damnat. *Pannicularia causa quemadmodum intelligi debeat, ex ipso nomine apparet. Non enim bona damnatorum pannicularia significari quis probe dixerit: nec si zonam circa se habuerit, protinus aliquis sibi vindicare debebit. Sed vestem, qua is fuerit indutus, aut nummulos in ventralem, quos victus sui causa in promptu habuerit, aut leves annulos, id est, quæ rem non excedunt aureorum quinque. Alioquin si quis damnatus digito habuerit aut sardonycha, aut aliam gemmam magni pretii: vel si quod chirographum magnæ pecuniæ in sinu habuerit: nullo jure [illegible] in panniculariæ ratione retinebitur. Pannicularia sunt ea, quæ in custodiam receptus secum attulit spolia, quibus indutus est, cum ad supplicium ducitur, ut ipsa appellatio ostendit.* Bud. in Pandect. p. 250. C. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 44. Salmas. in Spartian. Pescenn. c. 10. Rhodig. Ant. Lect. VI. 12. Menag. Amœnit. jur. c. 39.

PANNICULUS vocatur vestis tenuis, & pellucida. Juven. Sat. VI. 261.

Hæ sunt, quæ tenui sudant in chlamyde, quarum
Delicias & panniculus bombycinus urit.

Kobierzyck. de Luxu Roman. I. 9.

PANNONIA prima, & superior ultra montem Cetium ad orientem usque ad fluvium Oeronem inter Alpes Libanniæ, & Danubium est, nunc Austria vocatur: inferior ultra Oenonem Drava, & Danubio clauditur, ubi Ister Drava miscetur, nunc Bosnam, & Servia nominant. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 61.* Intra Savum fluvium, & Danubium clausa a Tiberio Cæsare vivente Augusto biennio est subacta. *Peoniam* appellat Appian. de Bell. Illyr. p. 762. scribit, quam Zonaras, & aliqui diversam faciunt, & in Macedonia ad Axium flumen constituunt. Ptolemæus in duas dividit, superiorem, seu primam, ubi nunc est Austria, & inferiorem, seu secundam Narbone fluvio a prima separatam, quæ nunc Ungaria dicitur. *Pancirol. ibid. c. 62. Ferret. Mus. Lapid.* II. *mem.* 37. Vellej. II. 96. 2. *Pannonicum bellum inchoatum Agrippa, & M. Vinicio coss. magnum, atroxque, & perquam vicinum imminebat Italiæ, per Neronem gestum est.* Suet. Aug. c. 20. n. 3. *Reliqua per legatos administravit: ut tamen quibusdam Pannonicis interveniret.* Panvin. Imp. Rom. c. 15.

PANNUS pro vestimento lacero Latinis scriptoribus accipitur. Senec. de Ira III. 19. *Cum fun[illegible] vent[illegible]rentur, scindi vestimenta miserorum, & in os farciri pannos imperavit.* Epist. 20. *Magnificentior mihi credere sermo tuus in grabato videbitur, & in panno.* Et: *Nemo [illegible] ves: quisquis exit in lucem, jussus est la[illegible], & panno contentus.* Ῥάκος Græcis lacerum est pallium, sive pannus. Hesychius: Ῥάκος διεῤῥωγὸς ἱμάτιον. *Ferrar. de re vest.* II. 4. 14. *Barth. Adv.* XIX. 11. *Pitisc. in Suet. Cal. c.* 35. n. 5.

PANSA cognominabatur, cui pedes lati, ac passi erant. *Sigon. de nomin. Roman. c. 5.*

PANTEX vocatur [illegible] in collo. Vet gloss. *Pantex,* [illegible]: *pantices,* [illegible] *ἐν τραχήλῳ. Bulenger. de Equis c.* 18.

PANTHEON Agrippæ est illa ædes, cui nunc S. Mariæ Rotundæ nomen. Dubium est, an ipse Agrippa [illegible] construxerit, vel ex[illegible] tum perfecerit, quam in fronte tenent sculptum grandioribus literis M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIUM FECIT. Dio LIII. p. 515. B. usurpat vocem ἐξετέλεσε, quæ non [illegible] construere, sed perficere tantummodo significat: *Pantheon quoque perfecit Agrippa. Id ita dictum [illegible], quod in simulacris Martis, & Veneris multas deorum imagines accepit: ut vero mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma convexa fastigiatam coeli similitudinem ostenderet.* [illegible] ex[illegible] liquet, non [illegible] cephorum [illegible], [illegible] porticus, & templi: neque hanc extremis suis partibus templo ipsi [illegible], verum tanquam separatam structuram [illegible] vix adhærere. Tum & qui [illegible] sunt, elegantiam porticus longe ædificii [illegible] præstare, multoque præstantiorem, & [illegible] artificis esse opus asserunt. *Nardin. Rom. Vet.* VI. [illegible] *Ferret. Mus. Lapid.* V. *mem.* 5. *Schott. Itiner. Ital. p.* 186. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 39. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 3. *c.* 6. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV 13. *Cruel. Antiq. Roman.* I. 8. *Lips. de Magnit. Roman.* III. 6. *Thys. de Magnit. Roman.* III. *p.* 290. *Blond. Instaur. Rom.* III. §. 62. Ammian. XVI. 10. ubi templum hoc una cum Jovis Capitolini Romæ, & Veneris, [illegible] templis inter præstantissima Urbis opera enumerat, [illegible] illud describit: *Velut regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam.* Sic & Plin. XXXVI. 15. [illegible] lud recensens Urbis ædificia, ait: *Pantheon [illegible] Ultori ab Agrippa factum, cum theatrum ante texerit Romæ.* . . . Nardin. l. l. Schott. Urb. Rom. Descript. p. 424. Ubi Agrippa posuerit V. supr. in *Campus Agrippæ.* Hoc templum, quia in summo pateris [illegible], [illegible] pluviam excipit, imperiti quidam tholo superstructo tectum, & [illegible] arbitrantur. Cæterum id non alia ratione [illegible], perfectumque est a conditore. Hoc enim videtur esse ex eo templorum genere, quæ hypæthra, id est, subdivalia dicuntur a Vitruv. III. 1. *Quæ habent interiore parte columnas in altitudine duplices remotas a parietibus ad circuitionem, ut porticus peristyliorum: medium autem sub divo est, sine tecto: [illegible] valvarum ex utraque parte in pronao, & postico. Hujus autem exemplar Romæ non est, sed Athenis octastylos in templo Jovis Olympii.* Quamvis enim interiore parte non habeat [illegible] quadratum, & [illegible] peristylum, & in postico valvas, qua forma Vitruvius negat *Pantheon* esse hypæthrum, ut Philander [illegible] dicat, Vitruvium hypæthrum non dixisse, tamen quia superne non tegitur, & vere sub dio est, non video, cur Agrippa Jovis Olympici ædem imitatus, quamvis diversa forma, noluerit etiam Romæ ædem hypæthram Jovi constituere. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16. *Struv. Antiq. Rom. c.* 11. *p.* 523. Olim non modo tectum porticus, sed tota templi testudo tegulis, ac tabulis æneis tegebatur. Ac tegulas quidem Constantinus III. Imperator Græcus cum cæteris omnibus, quæ ex ære erant, ornamentis, & marmore omni in Siciliam abstulit, ut Anastasius refert in vita Vitaliani Papæ. Idem auctor est, Gregorium III. laminis æreis tectum, sive testudinem operuisse, quæque per circuitum dissipata fuerant, in-

staurasse. *Donat. & Nardin. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 11. Culmen laminis argenteis tectum habuisse scribit Pomp. Læt. de Rom. antiq. *Quas*, inquit, *Constans nepos Heraclii veniens ad Urbem sustulit.* Panciro l. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 360. C. Trabes eneæ ganeas itidem ex ære, singulasque tribus prægrandibus tabulis, clavis item æreis connexas ætas nostra vidit, sublatas ab Urbano VIII. an. 627. ut e. ns altari majori Ecclesiæ S. Petri columnas adderet, & castellum S. Angeli tormentis bellicis instrueret, repositis in eorum locum ligneis, porticuque ad angulum dextri lateris restituta, duabus insuper additis turribus campanilibus. *Nardin. & Donat. l. l.* Janua, seu porta ex ære fuit, magnitudinis incredibilis: quæ quum non conveniret antiium altitudini, suspicio multis oborta est, non veram illam, primamve portam esse, sed aliam ex alio illi vetere ædificio substitutam. Porro tam enormis marmorearum antium altitudo est, quæ adhuc integri visuntur, ut jure merito intuentibus stuporem incutiat. *Nardin. l. l.* In fastigio fuerunt statuæ, quas nimia operis altitudo minus conspicuas faciebat. Plin. XXXVI. 5. *Agrippæ Pantheon decoravit Diogenes Atheniensis: & caryatides in columnis templi ejus probantur inter pauca operum: sicut in fastigio posita signa, sed propter altitudinem loci minus celebrata.* Quæ qua parte, locove fuerint, hactenus discernere non potui. XXXIV. 3. *Syracusana*, id est, ex ære Syracusano, *sunt in Pantheo capita columnarum a M. Agrippa posita.* Sed nec ubi illa fuerint, dispicere valui. Nisi forte sex facellula, quæ illic pro columnis hodieque conspiciuntur, caryatides olim, & capitula ex ære habuerint, mutata postea ab aliquo, qui *Pantheon* restituerit. *Nardin. Marlian & Pancirol. l. l.* Cum vetustate collapsum esset, restitutum est ab Adriano. Spartian. c. 19. *Romæ instauravit Pantheum:* ab Antonino Pio. Capitol. c. 8. *Instauratum templum Agrippæ:* a Septimio Severo, ut monet inscriptio apud Gruter. p. 1. n. 1. IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS SEVERUS. . . . ET. IMP. CÆS. M. AURELIUS. ANTONINUS. PIUS. . . . PANTHEUM. VETUSTATE. CORRUPTUM. CUM. OMNI. CULTU. RESTITUERUNT. *Marlian. Donat. Lips. & Schott. l. l. Thys. ibid. p.* 291. Fuit olim laminis argenteis coopertum; sed Constantinus Heraclii nepos eas abstulit cum reliquis Urbis ornamentis: quarum loco restitutæ sunt plumbeæ a Martino VII. pontifice maximo. *Schott. l. l.* Mutavit & transiit in melioris templi usum, & a Venere ad nostram Virginem, faciente Bonifacio IV. Pontifice, sub annum Christi 607. *Is petiit Phocam*, ait Regino, *ut in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, & a Domitiano fuerat exstructum ecclesiam sibi facere liceret; quod annuit Imperator.* Lips. Thys. & Blond. l. l.

PANTHERA vulgo Romanis, πάρδαλις Græcis, familiare in Asia feræ genus, ac vel inprimis in Caria & Lycia, ut liquet ex Agatharchide apud Phot. cod. 250. c. 55. ac præterea ex Æliano, cui XVII. 43. Καρικὴ, καὶ Λυκιακὴ vocatur. Inde petita ejus in Romanis spectaculis celebritas, & frequentia. Plin. VIII. 17. *Primus Scaurus ædilitate sua varias centum quinquaginta universas misit: dein Pompejus Magnus quadringentas decem: D. Augustus quadringentas viginti.* Plutarch. Cicer. p. 879. B. *Cœlio oratori, ut pantheras sibi ex Cilicia Romam mitteret ad ludos rogan ti, cum jactantia aliqua rerum suarum rescripsit non esse in Cilicia pantheras, in Cariam fugisse.* Spanhem. Dissert. de præst. numism. III. p. 168. Panvin. de Lud. circens. II. 3. & in illum Argelius, & in Additam. Pinell. Baccho erat sacra. Hinc *symbolum Bacchi* vocat Philostr. Imag. I. & in illas conversis Bacchi nutrices vulgo fabulantur poetæ. Hinc *panthera* juxta eundem Philostr. de vit. Apoll n. II. I. in Pamphylia reperta cum torque aureo, & Armeniis literis: REX ARSACES DEO NYSIO. Nota etiam ratio ejus rei, petita ex natura, & indole illius animalis, quod vino inprimis deditum narrant: unde & vinosam vocatur Oppian. Cyneg. IV. 319.

Feras vinosas excogitavit pantheras.

Adeo etiam, ut non alia arte in eo capiendo utantur venatores, quam apposito illi potu, ex quo continuo solet inebriari, quod fuse narrat idem Oppianus, & firmant insuper Arabum historiæ. Hinc mos ille veterum in Bacchi simulacris pantherisçum ad pedes ejus statuendi, in quem deus ille vinum e scypho effundit, quem dextra tenet, sinistra autem thyrsum. Docet id nos Herodotus agens de veterum versatilibus scenis, in quibus illo habitu depictum vulgo Bacchum tradit: *Sinistra manu thyrsum tenens, dextra autem scyphum. Assidet ad Bacchi pedes pantheriscus. Ex scypho autem vinum in subjectum pantheriscum effunditur.* Spanhem. ibid. p. 164. Nicol. de rit. Bacchan. c. 8. La Chausse de deor. simulacr. Tabul. 4. Tomas. de donar. c. 27.

PANTOMIMUS dicebatur veteribus, qui nihil non gestibus exprimebat, qui effingebat & imitabatur omnes personas in scenis. Cassiod. Var. IV. 51. *Pantomimo, cui a multifaria imitatione nomen est, cum primum scenam plausibus invitatus advenerit, assistunt consoni chori diversis organis eruditi: tunc illa sensuum manus oculis canorum carmen exponit, & per signa composita, quasi quibusdam literis edocet intuentis adspectum: in illaque leguntur apices rerum: & non scribendo facit, quod scriptura declaravit.* In scena enim horum usus is erat, ut quodcunque chori canerent, isti motibus corporis exprimerent, velut in omnium omnino personarum vultus, & habitus mutabiles. Docemur hoc perquam pulcre a vetere Epigrammatario, cujus carmen veterum Pithæanorum V. ita legitur:

Mascula femineo derivans pectora sexu,
Atque aptans lentum sexum ad utrumque latus.
Ingressus scenam populum saltator adorat,
Solerti pendet prodere verba manu.
Nam cum grata chorus diffundit cantica dulcis,
Quæ resonat cantor, motibus ipse probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adstat,
Illustrat verum, cuncta decore replet.
Tot linguæ, quot membra viro; mirabilis ars est,
Quæ facit articulos ore silente loqui.

Versu quarto scribendum:

Sollerti prodit pandere verba manu.

Nihil enim non poterant loquaci manu velut edisserere hoc genus gesticulatores. Similiter Sidon. XXIII. 268.

Clausis faucibus, & loquente gestu.

Cassiod. Var. I. 20. ubi *pantomimorum* artem describit: *Hanc partem musicæ disciplinæ mutam nominavere majores: scilicet, quæ ore clauso, manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi; quod vix narrante lingua, aut scripturæ textu possit agnosci.* Barth. Adv. XLIV. 20. Mariscott. de Pers. & Larv. c. 2. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 19. Buleng. de Theatr. I. 51. Scalig. Poet. I. 18. Voss. Instit. Rhetor. VI. 11. 4. Instit. Poetic. II. 36. 4. Savaro in Sidonium. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 6. Gyrald. Hist. Poet. dial. 6. Bartholin. de Tib. I. 11. Pancirol. de reb. deperd. & inv. p. 85. & in illum Salmuth p. 261. Ferret. Mus. Lapid. III. mem. 42. Turneb. Adv. XXVI. 20. in Cicer. joc. p. 21. Gonsal. in Petron. p. 122. Ferrar. Elect. II. 11. Ars *pantomimica* vetus conjungebatur cum comœdis, tragœdis, & satyris: idemque & canebant, & saltabant. Fuit vetustissimi: & si minus visum referre ad tempora heroica, saltem Æschyli, ac Platonis tempore fuit cognita. Quintil. Instit. I. 11. *Chironomia est, ut nomine ipso declaratur, lex gestus, & ab illis temporibus heroicis orta est, & a summis Græciæ viris, & ab ipso etiam Socrate probata; a Platone quoque in parte civilium posita virtutum, & a Chrysippo in præceptis, de liberorum educatione compositis, non omissa.* Platone antiquior fuit Telesis, sive Telestes, de quo Athen. I. p. 21. *Telesis, sive Telestes, saltandi magister, multos reperit modos argutia manuum exprimendi ea, quæ dicuntur. Aristocles ait, Telesten, Æschyli saltatorem, tantum fuisse saltandi artificem, ut, cum saltaret septem duces ad Thebas, quæcunque gesta erant, clare oculis subjiceret.* Novi pantomimi separati erant a comœdia, tragœdia, & satyra; omniaque taciti gesti-

geſtibus declarabant, quia manus erat pro lingua. Horum ars temporibus demum Auguſti Cæſaris cœpit, ipſo auctore Auguſto. Is *pantomimorum* artem, antea incognitam, primus in Urbem induxit; eaque in re opera uſus eſt Pyladis Cilicis, & Bathylli Alexandrini. Suidas: *Saltatio pantomimorum. Hanc Cæſar Auguſtus invenit, Pylade & Bathyllo primitus eam introducentibus.* Voſſ. ibid. c. 37. §. 1. & 3. Lipſ. in Tacit. Annal. 1. n. 196. Imponit nobis Suidas: qui ut paucula verba lucrifaceret, auctoris mentem pervertit, unde illa tranſcribebat. Is dubio procul eſt Zoſimus: quod liquido apparebit, ſi utrumque ſcriptorem componas, & contendas invicem. Atqui Zoſimus non ab Auguſto, ſed temporibus Auguſti originem habuiſſe ſcribit 1. 6. *Nam & pantomimorum ſaltatio, prius incognita, temporibus iis*, id eſt, Auguſti, *in uſu eſſe cœpit, Pylade, ac Bathyllo primis ejus auctoribus.* Caſaub. in Athen. 1. 17. Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 19. Meibom. Mæcen. c. 22. n. 27. Kuſter. in Suidam. V. etiam infr. in *Saltatio.* Utebantur veſte, atque habitu toto, illi maxime convenienti, cujus fabulam ſaltarent. In numine exemplo fuerit, quod de Munatio Planco refert Paterc. II. 83. 2. *Plancus, cum cœruleatus, & nudus, caputque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus, Glaucum ſaltaſſet in convivio.* Nempe iſtiuſmodi ſchema numen iſtud marinum potiſſimum referebat. Sic, ſi Hercules eſſet repræſentandus, cum pelle leonina, arcu, pharetra ſagittis plena, & rhopalo dentato comparebat. Sane Pylades, cum ageret Herculem Furentem, etiam tela in populum immittebat: atque idem fecit in convivio Auguſti; tulitque id Cæſar, ne crederetur major velle videri, quam populus Romanus. Tum gaudebant crocota. Apul. Apol. p. 422. V. illum ſupr. in *Crocota.* Nempe tragœdi utebantur ſyrmate, hiſtriones ſive *pantomimi* crocota, & aliis veſtibus muliebribus, in quibus impudicarum mulierum geſtus exprimebant: centunculis vero mimi induebantur. *Voſſ. ibid. c.* 36. §. 9. Fuerunt ſæpe Romæ coerciti. V. ſupr. in *Hiſtrio.*

PAP.

PAPA eſt cibus puerorum, quem nos hodie **pap** appellamus. Varr. apud Non. II. 97. *Cum cibum ac potionem buas, & papas vocent.* Sed ſuſpicatur Meurſius hanc impropriam, ac ſecundariam eſſe ſignificationem, proprie autem notare caput mamillæ, indeque, quod ejus opinionem non parum firmat, *papillam* dici ὑποκοριστικῶς. Nec obſcura fuerit ratio hujus inverſionis. Nam pueris *papam*, hoc eſt, *papillam* poſcentibus, ſæpe, ſive quod maternum lac non ſufficiat puero alendo, ſive quod paullatim ſolidioribus adſueſcat cibis, his præbetur cruſtulum infriatum: eaque res cauſam præbuiſſe videtur huic ſignificationis immutationi. *Voſſ. de vit. ſerm.* 1. 7. *Lex. Etymol. in Papaver. Barthol. de Puerp. p.* 121. *Rhodig. Ant. Lect.* XI. 20. *Taubman. Plaut. Epid.* V. 2. 62.

PAPARE dicuntur pueri, cum edunt. Papias Gloſſario: *Papare puerorum eſt, ſicut manducare virorum. Papare* edere eſt apud Plaut. Epid. V. 2. 62.

Novo liberto opus eſt, quod papet.

Ubi recens libertus infanti modo nato in lucem comparatur. *Barth. Adv.* IV. 24. *Rhodig. Ant. Lect.* XI. 20. *Voſſ. Lex. Etymol. in Papilla, & Papare, de vit. ſerm.* 1. 7. Perſ. Sat. III. 16.

Et ſimilis Regum pueris papare minutum
Poſcis.

Ubi minutum, ſi cum *papare* jungas, erit λειανθὲν, μασσηθὲν, minutum, & alienis dentibus comminutum: ut ſolus ſuperſit labor deglutiendi. Si conjungas cum verbo, non inelegans fuerit τῶ κλαυθμυρισμῶ periphraſis, *poſcere minutum.* Nam poſcere omnino hic ſignificat querula, ac lamentabili voce poſtulare, qui eſt infantium κλαυθμυρισμός. Plutarch. Sympoſ. V. proœm. *Nutrices ingeſtis in os offulis infantes cibant, donec illi ſatiati, & a quiritatu ceſſantes, plane ſopiti fuerint.* Extat fragmentum epiſtolæ Theanus Pythagoreæ, quam ſcripſerat de recta liberorum educatione, ubi pleraque exponuntur argumenta corrupti indulgentia pueri. Omnium primum eſt hoc: *Tu liberos tuos, ac ſi Sardanapali proles eſſent, educas, maſculam naturam voluptatibus, & deliciis frangens: Quid enim illo fiet infante, vel puerulo, qui niſi illico, quod edat, habeat, plorat? qui niſi manſum ſit quod offertur, moroſulus indignatur?* Caſaub. in Perſium.

PAPAS vocabatur pædagogus. Juven. Sat. VI. 632.

Mordeat ante aliquis, quicquid porrexerit illa
Quæ peperit, timidus prægustet pocula papas.

Gloſſ. Iſidor. *Papas pædagogus, qui ſequitur ſtudentes.* Hinc datur intelligi, quid ſibi velint acta Viti, & Modeſti martyrum: *Angelus domini apparuit papati ejus, religioſo viro, Modeſto nomine.* Pignor. de Serv. p. 371. Barth. Adv. IV. 24. Grang. in Juvenalem. Claud. de nutric. & pædag. c. 7.

PAPAVER erat ſymbolum fœcunditatis. Porphyr. apud Euſeb. Præp. Evang. III. 11. Inde Liviæ, & omnes fere Auguſtæ in nummis, & marmoribus antiquis dextra geſtant ſpicas, & *papavera.* Ruben. Diſſert. de Gemm. Tiber. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1334. A. Toll. Diſſert. de Siſtr. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. VI. p. 417. E. Aleand. Tab. Heliac. explic. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. V. p. 728. B. Menetrej. Dian. Epheſ. Stat. ſymbol. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 375. E. Principem locum olim obtinebat inter bellaria. V. Plautum, & Petronium infr. in *Seſamum.*

PAPHLAGONIA Haly ab ortu, ab occaſu Billæo fluvius clauditur. *Pylemeniam* prius dictam fuiſſe ſcribit Plin. VI. 2. Poſtea Phynius Ægyptius eam invaſit, qui filium *Paphlagonem* reliquit, a quo *Paphlagonia* regio eſt cognominata, ut Stephanus, & Conſtantinus Porphyrogenneta referunt. Sex habet urbes, Gangram metropolim, Amaſtram, Soram, Dadybram, Ionopolim, & Pompejopolim. Conſtantinus: *Gens ſtolidiſſima, & contemptiſſima impudentia, & nequitia famoſa, cujus in catalogo navium Homerus meminit, & unde mulas provenire dicit.* Rufus: *Pilæmenes ejus Rex, amicus populi Romani eam tenuit, ſæpe a Mithridate pulſus regno, a nobis eſt reſtitutus, quo mortuo provincia ejus Paphlagonibus impoſita eſt: Romanos enim teſtamento hæredes reliquit.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 129. Apud Athenienſes *Paphlagonem* appellari convicium erat. Suidas: *Paphlagon, Cleon Athenienſium dux propter vocis inſuavitatem. Dictus eſt a verbo παφλάζειν, id eſt, æſtuare, ſtrepitum edere, qualem edit æſtuans mare. Peregrinus enim erat, & barbarus.* Hinc Belon apud Curt. VI. 11. 4. *Ludibrio ei fuiſſe ruſticos homines, Phrygasque, & Paphlagonas appellatos.* Eraſm. Adag. p. 280. Rader. & Pitiſc. in Curtium.

PAPIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

Papia lex. V. illam ſupr. in *Lex.*

Papia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

PAPILIO eſt σκήνωμα, ut exponitur in vet. gloſſ. Ita uſus eſt Veget. 1. 3. *Interdum ſub divo, interdum ſub papilionibus commorentur.* Voſſ. Lex. Etymol. Vidi, qui vellet tabernacula Principum, gregarii militis *papiliones* eſſe, non tam veterum auctoritate perſuaſus, quam conſuetudine hujus ævi, quo centuriones, & præpoſiti tentoriis utuntur, manipulares ex ſtramento, arundinibus, aut obvia materia tuguriola faciunt, quibus bini ſingulis contegantur. Sed Romani neque tot flammæ alimenta in caſtris eſſe, neque primores molliter, cæteros omnes negligenter haberi ex uſu, & diſciplina caſtrorum exiſtimantes, tam his quam illis tentoria ex pellibus attribuebant, quæ caſtrenſi vocabulo *papiliones* vocabantur. Ita enim & Imperatorum tabernacula vocabant. Lamprid. Alex. Sev. c. 61. *Pranderat forte publico, ut ſolebat, convivio, id eſt, apertis papilionibus.* c. 51. *In procinctu, atque in expeditionibus apertis papilionibus prandit, atque cœnavit.* Treb. Poll. XXX. Tyr. c. 16. *Cui erant ſigillata tentoria, & aurati papiliones.* Forma *papilionis*, & pedaturæ, quæ ei adſignatur, eadem, id eſt, quadrata: hæc enim ad explendam aream,

& continuandos *papilionibus papiliones* inprimis apta, cum rotundæ quæque aliæ obliquis lateribus nudam, & inanem pedaturæ partem relinquant. Sunt tamen & in Trajani columnæ tabernacula rotundis propiora. Utrinque apertos fuisse ratio compositionis Hyginianæ ostendit: cum enim inter *papilionem*, & *papilionem* nihil spatii relinquatur, præter duos pedes, incrementum tensuræ; hinc autem viæ, inde armenta, & jumenta ponantur, ne aut ab armis suis, aut a via intercurrente objectu pellium excluderetur miles, *papilionem* pervium fuisse, & hinc inde exitum habuisse necesse est. Atque inde, opinor, castrense hoc nomen tentoria traxerunt, quod binis a fronte, & a tergo pellibus in medio ad exitum apertis, & divisis in modum quatuor alarum tegerentur, quibus hinc inde paullum allevatis inde *papilionum* volantium similitudinem quandam exhiberent. Curt. VII. 8. 2. *Sæpe pellibus tabernaculi allevatis, ut conspiceret hostium ignes.* Et *apertis papilionibus prandere* solitum, *& cœnare* de Imperatore Alexandro jam diximus. In longitudine hemistrigii *occupat pedes decem*, tantum in latitudine. *Tegit homines octo.* Octo enim homines, vel quaterni binis ordinibus in quadrato hoc denum pedum commode cubabant. Accipient pedes duos cum semisse in latitudinem, quinque in longitudinem, nisi si ex incremento tensuræ adjiciendum aliquantum. Justa enim militaris statura sex, vel utique quinque pedum, & undecim unciarum habebatur, & longitudini lectorum sex vulgo pedes, tres latitudini dabantur. Sed nihil fortasse necesse est tantum adsignari in terra, vel lectis ex stramento, vel gramine requiescentibus, & appositis. Apud Xenoph. Cyropæd. V. p. 121. E. ipse describitur Cyrus *accumbens in stramineo toro*; cui Gobryas: *tot vobis lecti sunt, quot supra terram cubilia: præterea lanas ovium non habetis pro stragulis, sed quæcunque sarmenta tum montes, tum campi suppeditant.* Octo igitur homines contubernium. V. supr. in *Contubernium*. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1026. B.

Papilio dicitur etiam lecticæ species, a figura tentorii e pellibus, vel velis tensi. Gallice *le papillon*. Voss. de Idolol. II. 10.

Papilio tandem dicitur nostris testudinatis veterum tectis tectum quod est simile. Fallitur vir eruditissimus, qui putat, *papiliones* ab architectis nostris hodie vocari; quæ veteres τρίχωρα dicebant. *Salmas. in Spartian. Pescenn.* c. 12.

PAPIRIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

Papiria tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

PAPUS fuit cognomen Æmiliorum. *Paporum* gens duos habuit clarissimos viros, quorum alter consul bis, & censor, alter etiam censorius, & triumphalis, ac consularis fuit. Ante hos a Livio M. Æmilius *Papus* dictator refertur IX. 7. quem nos Barbulam appellamus, alios annales secuti. Sed sine controversia Q. Æmilius *Papus* consul fuit cum C. Fabricio Luscino anno proximo ante bellum Tarentinum, quod L. Æmilio Barbula, & Q. Marcio Philippo coss. inchoatum est an. 472. Secundum consulatum, & censuram egit cum eodem collega an. 475. & 488. Lustrum fecerunt 33. Post hunc L. Aimilius Q. F. L. N. post illius censuræ annum I. consul fuit cum C. Atilio Regulo anno primo belli Gallici Cisalpini, & de Gallis triumphum egit III. Non. Mart. in consulatu. Censor fuit cum C. Flaminio an. 533. *Paporum* cognomen videtur ex eo sumptum, quod *papi* carduorum flores sunt, ut ait Festus, de quibus Lucret. III. 387.

Vestem, nec plumas avium, paposque volantes.

August. de Famil. Roman. in Æmilia. Glandorp. Onomast. Romar. p. 23.

PAPYRUS stirps est duplex: una, quæ proprie vocatur biblus Ægyptia, non nisi in Ægypto, & India Straboni nascens: tametsi Theophrastus in Syria quoque provenire tradit; Plinius etiam in Babylone: altera quæ extra Ægyptum in Italia etiam gignitur una cum typha, & anthela; vel, ut Guarinus & Trifernates apud Strabonem interpretati sunt, una cum cremio, & ulva, atque a Theophrasto privatim sari appellatur, ab Eustathio biblus altera. Ex priore fiebant quondam chartæ: ex posteriore non item. Quod nescientes nonnulli crediderunt *papyrum*, quæ biblus est Ægyptia, provenire in Italia, quo nihil est falsum magis. Illam describit Plin. XIII. 11. *Papyrum nascitur in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem fastigiatum, thyrsi modo cacumen includens: semine nullo, aut usu ejus alio, quam floris ad deos coronandos.* Qui descriptionem proponit, qualem invenerat apud Theoph. Hist. plant. IV. 9. *Nascitur*, inquit ille, *papyrus non in altitudine gurgitum, sed prope intra duo cubita, nonnusquam etiam minus: crassitudine radicis qua vola viri robusti, longitudine super dena cubita provenit. Super terram ipsam radices obliquas, tenues, densasque in limum demittens surculum, quos papyros dixere, profert triquetros, angulatos, magnitudine quaternorum ferme cubitorum, coma inutili, exilique fastigiatos: fructus nullius fœcundos, ex multisque radicis partibus erumpentes* Ex hac Theophrasti oratione duo in Plinio verba sede sua non jacentia alio repono. Lego enim: *decem non amplius cubitorum longitudine, triangulis lateribus in gracilitatem fastigiatum.* Cum enim in Ægypto peregrinarer, & magna cura in omnes ejus regiones stirpes inquirerem, nunquam potui in *papyrum* incidere, cujus thyrsi, seu virgæ ad summum septem cubita excederent. Vis itaque transcribentium incuriane dicam, an injuria Plinio est facta: hos enim *longitudinem decem cubitorum* radicibus attributam ad scapos, hastiliave, seu caules imperite nimis transtulisse mihi persuadeo. Nec Plinium asserere ab errore possum, qui quatuor Theophrasti verba, κόμην ἔχοντας ἀχρείαν, ἀσθενῆ, id est, *comam inutilem, debilemque sustinentes*, Latine dixerit, *thyrsi modo cacumen includens*. Quod neque dictis a Theophrasto quadrat, qui *papyrum* gestare comam, non vero globum, aut spicam tradit, quibus thyrsus includitur, neque veritati respondet, quæ Theophrasti sententiam palam defendit. *Guiland. Papyr membr.* VII. §. 2. 3. 4. 22. In quo judicium requiro: qui non diligenter considerarit verba Latina Theophrasti, an cum Græcis, vel potius cum historia *papyri* conveniant. Itaque cum verba ex Græcis Latine reddita ita concepta sint: *super terram ipsam radices obliquas, tenues, densasque in limum demittens*: miror, cur ἀτοπίαν non consideravit. Nam si demittit radices in limum, quomodo super terram? An non opposita sunt, terra & limus, superficies terræ & profunditas? Theophrasti codicem corruptum esse plures viderunt. Lego sine ulla dubitatione: φύεται δὲ ὑπὲρ τῆς γῆς αὐτὴ, πλαγίας ῥίζας εἰς τὸν πηλὸν καθιεῖσα: λεπτοὺς δὲ καὶ πυκνοὺς ἄνω τοὺς παπύρους καλουμένους τριγώνους. *Nascitur hæc ipsa*, magistra radix, *supra terram, obliquas radiculas in limum demittens. Superius tenues & spissas papyros vocatos triquetros.* Voces λεπτοὺς καὶ πυκνοὺς de radicibus intelligi nequeunt, quia πολὺν ξύλον ἔχειν dixit Theophrastus, ita ut ex illis fabrilia multa fiant, & carbones. Sed fabrilia hæc non fiebant ex obliquis radicibus e præcipua radice exeuntibus, sed ex ipsa radice magistra, quæ est internodii manus crassitudine, longitudine decem cubitos excedens: ad quod non attendit Plinius, cum dixit, *decem non amplius cubitorum longitudine.* Ὑπὲρ δέκα dixit Theophrastus. Corruptus videtur codex, lege *decem & amplius*. Sed unde illud *coma inutili, exilique fastigiatos* ex Theophrasti ἀχρείαν, ἀσθενῆ. Sane in verbis Græcis nulli fastigii mentio. Neque probo *volam* ἀντὶ τοῦ καρποῦ, cum Plinius recte brachium verterit. *Scalig. in Guiland.* p. 25. Ridicula est emendatio viri docti. Quæ deorsum radices demittunt, recte καθιέναι τὰς ῥίζας dicantur. At radix καθιεῖσα ἄνω τοὺς παπύρους neutiquam dici queat, nisi summa vertantur imis, & omnia fiant retro. Nam καθιέναι est deorsum mittere, ἀνιέναι sursum. Hinc apud Dioscoridem φυτὰ dicuntur τὸν καυλὸν, τὰ φύλλα ἀνιέναι, quia sursum emittunt. Φύεται, inquit Theophrastus, ὑπὸ τῆς γῆς αὐτῆς ea nempe radix. At quomodo fieri potest, ut radix supra terram sit?

ſit? Radix non eſt radix, niſi terra tegatur. Nemo non mihi aſſentietur emendanti: φύει δὲ ὑπὸ τῆς γῆς αὐτὴ πλαγίας ῥίζας εἰς τὸν πηλὸν καθιεῖσα λέπτας, καὶ πυκνάς, ἄνω δὲ τὰς παπύρους καλουμένους, μέγεθος ὡς τετραπήχεις. *Emittit in limum hæc radix ſub terra alias obliquas, tenues, ac ſpiſſas, ſupra terram caules ipſos qui papyri vocantur, triquetros, magnitudine quaternorum fere cubitorum.* Hæc indubitata, & palmaris correctio. Radix illa, quæ craſſitudinem habet τοῦ καρποῦ, longitudinem decem cubitorum, ſub terra quidem alias radiculas emittit in limum obliquas, tenues, ac ſpiſſas, ſupra terram vero ἄνω δὲ φύει ſcilicet & emittit τοὺς παπύρους καλουμένους, caules nimirum ipſos, qui *papyri* vocantur. Scripſiſſe etiam Theophraſtum, φύει, non φύεται, quod ſequitur, oſtendit, ἄνω δὲ τοὺς παπύρους καλουμένους. Nam, quo hæc referas, non haberes. Nec enim cum καθιεῖσα poſſunt conſtrui. Ridicule porro Plinius *papyri radicem obliquam brachiali craſſitudine* ait eſſe. Non una *radix obliqua* in *papyro*, ſed plures e majore radice prodeuntes, eæque tenues, & parvæ. Scribitur in veteri libro: *brachiali radices obliquæ craſſitudine.* Πλαγίας ῥίζας dixit quidem Theophraſtus, ſed conſtructio Pliniana legendum poſtulat *radicis.* Præterea nec radices illæ obliquæ ea ſunt craſſitudine, ſed magiſtra radix. *Brachiali radicis obliquæ craſſitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine.* Nulla in his verbis tranſpoſitio, ut putat Guilandinus, ſed hallucinatio Plinii, qui radicis longitudinem *papyro* ipſi, id eſt, cauli tribuit. Atqui Theophraſtus *radicem decem cubitis longam facit, papyros ipſos quatuor cubitorum longitudine.* Sed ille hæc miſcuit, & confudit jure ſuo, ac more perpetuo. *Salmaſ. Exerc. Plin. p. 379. a. B.* Plinio iraſcitur Scaliger, quod Theophraſti verba *thyrſi modo cacumen includens* verterit. Sed cauſa fuit Plinio, cur ita verterit. Manifeſto enim legit, κόμης ἔχοντας κάχρυν ἀσθενῆ. Κάχρυς eſt quaſi rudimentum quoddam floris, aut germinis paniculæ modo compactum, quale viſitur in ſalicibus, corylis, nucibus, & aliis. *Papyrus* habet χαίτην, quia ὁ πάπυρος jam ſumitur pro ſcapo adultiore, cui adgnaſcentia virgulta, quos παπύρους vocat Theophraſtus, pro coma rudimentum paniculæ potius habent. In quo potius reprehendendus Plinius, qui deſcriptionem τῶν καλουμένων παπύρων cum deſcriptione τῆς παπύρου confundit. Igitur ſcapis adultioribus *papyri* χαίτην attribuit Strabo XVII. agnatis autem *papyris* pro coma κόμης κάχρυν Theophraſtus, hoc eſt, rudimentum comæ. Nam κάχρυς eſt rudimentum futuri germinis, aut floris, aut fructus. A forma thyrſum vocavit. Nam thyrſus in conum deſinit, propterea κωνοφόροι Bacchæ pro θυρσοφόροι dicuntur. Et nomen *faſtigium* oſtendit acutum cacumen virgulti. *Bodæus a Stapel in Theophr. Hiſt. Plant.* IV. 9. Verba Plinii expono his verbis: cacumen in gracilitatem thyrſi modo faſtigiatum includens. Non hæc figura eſt capitis *papyri*: ſed ex his conſtat thyrſos in gracilitatem coni inſtar fuiſſe faſtigiatos. Nihil in Theophraſti verbis, quod mireris de cacumine thyrſi modo in gracilitatem faſtigiato: & tamen certum eſt, Theophraſtea illa Plinium in hiſtoria *papyri* reddidiſſe. Corrigebat igitur vir magnus: κόμης ἔχοντας κάχρυν ἀσθενῆ. Sed nihil κάχρυς ad hunc locum. Rectius emendaveris, Plinio ipſo auctore: κόμην ἔχοντας ἀκρέαν θυρσίνην. Hoc eſt, quod Plinius ad verbum reddidit. Pro ἀκρέαν correctores repoſuerunt ἀχρεῖαν, quia alterum ignorabant. Ἄκρεος pro ἄκρος, & ἄκρεον pro ἄκρον, quo veteres Græci paſſim uſi ſunt, Hippocrates, aliique, Dioſcorides etiam & Galenus ſic loquuntur. *Salmaſ. ibid. a. F. b. F.* Habemus tres virorum doctiſſimorum ſententias, quarum poſtrema maxime probabilis. *Bodæus a Stapel l. l.*

Papyrus ſtirpis ſcapum, ſive caulem κατ᾽ ἐξοχὴν ſignificat. Plin. XIII. 11. *Præparantur ex papyro chartæ, diviſæ acu in prætenues, ſed quam latiſſimas philuras. . . . Ex ipſo quidem papyro navigia texunt.* c. 12. *Cum prima ſupina tabula ſchedæ adlinitur, longitudine papyri.* Quibus in locis *papyrum* vocat non radices, non folia, quæ ambo, tum ad textum, tum ad chartam faciendam inutilia ſunt, ſed ſcapum, qui ſolus utrique ei uſui deſervit. *Guiland. Papyr. membr.* VII. §. 8. *Bodæus a Stapel in Theoph. Hiſt. plant.* IV. 9.

Papyrus vocatur extimus, ſummusque ſcapi *papyri* cortex inſtar ſcirpi lenis glaberque. Plin. XIII. 12. *Poſt hanc papyrum eſt, extremumque ejus ſcirpo ſimile, ac ne ad funes quidem, niſi in humore utile.* Guiland. Papyr. membr. VII. §. 15. Bodæus a Stapel in Theoph. Hiſt. Plant. IV 9. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 705. b. B. p. 706. a. A.

Papyrus vocatur ſimplex philura, quam etiam tæniam, bractеam, & laminam nuncupamus, quæ ab interiore ſcapi parte detracta, & glutine duplicata præſtabat dictam proprie chartam. Ulpian. de Legat. III. qui eſt Pand. XXXII. c. 52. §. 6. *Chartis legatis, neque papyrum ad chartas paratum, neque chartæ nondum perfectæ continebuntur.* Guiland. Papyr. membr. VII. § 16. Bodæus a Stapel in Theoph. Hiſt. Plant. IV. 9.

Papyrus accipitur pro charta perfecta, & omnibus ſuis numeris abſoluta. Mart. III. 2. 4.

Cordylas madida tegas papyro.

XIII. 1. 3.

Perdite Niliacas Muſæ mea damna papyros.

Apul. Met. I. p. 2. *Modo ſi papyrum Ægyptiam argutia Nilotici calami inſcriptam non ſpreveris inſpicere.* Guiland. Papyr. membr. VII. §. 17. Bodæus a Stapel in Theoph. Hiſt. plant IV. 9.

Papyrus vocatur radix *papyri*, qua Ægyptii etiamnum pro ligno ignis gratia utuntur, quem damnum quondam feciſſe teſtantur Theophraſtus, Dioſcorides, Plinius. Proinde Martialis inaneas veteres uſus eſſe *papyro* ad rogum, non ſuperficiem ejus ſtirpis, ſed radices denotavit VIII. 44. 14.

Farctus papyro dum tibi torus creſcit.

Quæ cauſa eſt, cur Ictus de Legat. III. c. 55. §. 5. *papyrum* contineri ligni appellatione cenſeat. *Lignorum*, inquit, *appellatione in quibusdam regionibus, ut in Ægypto, ubi arundine pro ligno utuntur, & arundines, & papyrum comburuntur, & herbulæ quædam, vel ſpinæ, vel vepres continebuntur.* Guiland. Papyr. membr. VII. §. 18. Non poſſum ſatis admirari, qui Guilandino in mentem venerit, *papyrum* apud Martialem ſignificare radicem. Nam in ejus verſiculo *papyrus* eſt verum ſari, quo tunicatus popellus Romæ toros farciebat: &, quia in circo veniebat, tomentum circenſe vocabatur. Nam beatiores ex Lingonicorum ſagorum villis deraſis farciebant culcita; pauperiores ex ſari Tuſco, cujus meminit Strabo, & πάπυρον vocat. Ait igitur Martialis Titulli lectum funebrem *papyro farctum*, propterea pauperrimum hominem fuiſſe oportet. Putat Guilandinus hic innui ex radicibus *papyri* Romæ rogum accendi ſolitum. Quid, tantane penuria ligni Romæ erit, ut opus eſſet peregrinis *papyri* radicibus ad ignem accendendum? Contra tantum Ægypto illarum radicum ſuperfuit, ut etiam haberent, quas exteris nationibus venderent? & tamen Ictus ait eos penuria ligni coactos arundinem, herbas, ſpinas, vepres urere. *Scalig. in Guiland. p.* 27. Qui Guilandinum recte reprehendit, quod ex Niliaca *papyro* toros fuiſſe accenſos tradiderit, cum ex *papyro* altera tori implerentur. *Papyro* enim farciebant lectos mortuorum, cum quibus rogo inferebantur, ac comburebantur, alimentum ignibus ex *papyro* illa quærebant ad cremanda cadavera. Plin. XVI. 37. *Nec in fruticum, nec in veprium, cauliumve, nec in herbarum, aut ullo alio quam ſuo genere numerentur jure ſcirpi fragiles, paluſtresque ad tegulum, tegetesque; e quibus detracto cortice candelæ luminibus, & funeribus ſerviunt.* Gloſſæ: *Scirpus*, φλέως, πάπυρος. Sed male πάπυρον de quo Martialis, ſcribit eſſe ſari. Planta hæc Ægypto peculiaris. Italiæ vero familiaris *papyrus* altera, de qua Strabo & Martialis. Ubicunque auctores pro charta *papyrum* ponunt, ibi de Ægyptia *papyro* capi debet: at vero ubi *papyrus* ad lychnos, & funera uſui eſſe narratur, de altera *papyro* Italiæ familiari, hoc eſt, ſcirpo intelligi oportet, ut in verſu Martialis laudato. Nec enim ad hos uſus ex Ægypto vehebatur *papyrus*, ſed ex Itali-

ca, vel indigena *papyro* candelæ fiebant, ut satis aperte, ac dilucide docet Plinius. *Bodæus a Stapel in Theoph. Hist. Plant.* IV. 9. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 705. *a. F.* . . .

Papyrus vocatur etiam vinculum ex biblo Ægyptia contortum. Colum. VI. 6. *Atque ita sub cauda sanguis emittitur, qui cum satis profluxit, inhibetur papyri ligamine.* Anacreon:

> *Religatus at papyro*
> *Tunicam cupido collo*
> *Mihi poculum ministret.*

Guiland. Papyr. membr. VII. §. 19. Bodæus a Stapel in Theoph. Hist. Pant. IV. 9.

Papyrus denique nuncupatur hodie ab omnibus & hoc chartæ genus, in quam hæc literarum elementa depingo, quam ex linteolis veteribus detritis, nulliusque amplius usus, ac postea in lanuginem contritis passim confici, nemo est quem fugiat. *Guiland. Papyr. membr.* VII. §. 21. *Bodæus a Stapel in Theoph. Hist. Plant.* IV. 9.

PAR.

PAR dicitur conjux. Ovid. Fast. IV. 98.

> *Et docuit jungi cum pare quemque sua.*

III. 526.

> *Potat, & accumbit cum pare quisque sua.*

Avian. de fab. poet. & Hesiod. c. 136. *Altera serpens parem quærit.* Barth. Adv. X. 20.

Pares dicebantur gemini fratres. Ovid. Met. VIII. 308.

> *Actoridæque pares.*

Virg. in Juvenil. de Castore & Polluce:

> *Germanique pares.*

Parrhas. Epist. 41.

Paria inter se componi dicebantur, postquam gladiatores in arenam essent deducti. V. supr. in *Componere.*

Par, impar ludere, & olim, & hodie frequens lusus est. Horat. Sat. II. 3. 248.

> *Ludere par impar, equitare in arundine longa.*

Suet. Aug. c. 71. n. 7. *Si vellent inter se inter cœnam vel talis, vel par impar ludere.* Ludentes sumptis in manu talis, fabis, nucibus, amygdalis, interdum etiam nummis, interrogantes alterum divinare jubebant, *ἄρτια ἢ περιττά, paria* nempe, an *imparia* haberent. Græcis ἀρτιάζειν dicebatur. Suidas: Ἀρτιάζειν, *ludere par, an impar.* Describitur Polluc. IX. 7. Vox *ἀρτιάζειν in talis pluribus manu comprehensis divinationem habuit parium & imparium. Id ipsum factitatum in fabis, nucibus, amygdalis, & argento, si fide dignus Aristophanes in Pluto dicens:*

> *Nos servuli par impar ludimus aureis*
> *Nummis.*

Exstat locus IV. 1. 16. Qui numerum divinabat, illum auferebat, qui aberrabat, tantundem de suo solvebat. Docet hoc Schol. Aristoph. l. l. *Quum aliquis pugno incluserit nuces, extenta manu interrogat, quot? si, qui rogatus est, numerum divinarit, lucratur id quod erat in manu: si aberraverit, tantundem de suo exsolvit.* Et Ovid. de nuce n. 79.

> *Est etiam, par sit numerus qui dicat, an impar,*
> *Ut divinatas auferat augur opes.*

Meurs. de Lud. Græc. p. 5. Souter. Palam. III. 5. & 10. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. V. 1. Senftleb. de Alea c. 16. §. 3. Buleng. de Lud. Vet. c. 6. de Conviv. III. 29. Ursin. Append. ad Ciaccon. de triclin. p. 378. Brisson. de Form. VIII. p. 747. Laurent. Polym. IV. Synops. 8. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1096. E. Donat. & Pitisc. in Suetonium.

PARABASIS est excursio quædam, & quasi digressio, qua, ubi histriones e scena discesserant, chorus apostrophen habebat ad populum, vel de se, vel de Republica, vel certe de singulorum peccatis. Implebatur brevi concentu, & inciso, & stropha, & antistrophe, & epirrhemate, & antepirrhemate, & anapæsto. *Parabasis,* ait Scholiastes Aristophanis Nubib. I. 5. 81. dicitur anapæstus, quia fit anapæstis versibus. Perfecta *parabasis* quasdam habet versuum cæsuras, cujus pars dicitur commation. *Parabases* comœdorum, ait ille, multa utilia præcepta habent, quod scilicet sententiis gravibus condiantur, & vitia civium carpant. *Buleng. de Theat.* I. 6. & 8: II. 13. *Scalig. Poet.* I. 7.

PARABATÆ dicebantur cursores, qui primum super currus ab aurigis agitatos in circo vecti, unde *sessores* a poetis dicuntur, mox equestribus certaminibus finitis, e curribus descendentes, pedibus certatim currebant. Dionys. VII. p. 479. *Antiquum institutum apud Græcos fuit, a Romanis etiam observatum, de vectorum in curribus cursu. Finito enim equorum certamine, cursores in pedes e curribus desilientes, quibus una cum aurigis vecti erant, quos poetæ parabatas, Athenienses apobatas vocant, cursu stadii inter se ipsi certant.* Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Buleng. de Circo c. 26. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 31. Gyrald. de navig. c. 19. Lyd. Agon. sacr. Proleg. p. 11.

PARABOLANI, qui dicuntur l. placet C. de episc. & cler. quinam fuerint, vidi plerumque ab Ictis dubitari. Accursius pronuntiavit, esse medicos, nomenque ab eo sumpsisse, quod multas haberent *parabolas,* quod videlicet, ut quisque loquacior est, ita doctior medicus vulgi opinione existimetur. Hæc expositio plane ridicula est. Ego censeo fuisse plebejos quosdam, qui famulitio, vel ecclesiarum, vel hospitalium, xenonumve deputati erant, & quasi adscriptitii glebæ: ut sicut illis omni vita ab agrorum cultura recedere non licebat, ita his ab servitio ægrorum, qui in nosocomiis residebant. *Parabolanos* glebæ adscriptitios esse in juris civilis Græco interprete legi. Dicti sunt a Græca præpositione παρὰ, & βῶλος, quæ vox pro gleba accipitur. *Alciat. Dispunct.* IV. 9. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIX. 11. *Laurent. de medic. & baln. c.* 1. Et hanc interpretationem magis adeo ne prætermitterem, quam quod ejus ullam rationem esse habendam putarim, commemoravi. Aliquando existimavi, a *parabola* Euangelica nomen habere, in qua quidam a latronibus vulneratus, a Levita neglectus, a viatore Samaritano fovetur, & curatur: præsertim cum Honorii, & Theodosii constitutione *sexcenti parabolani* curandis debilium corporibus deputentur, quasi æmuli istius Samaritani: neque me istius conjecturæ, & opinionis pœnitet. Possent tamen dici inclinatione Latini vocabuli Græci, homines qui se in periculum maximum conjiciunt, ut qui ægrotos publice in Alexandrina civitate curabant in nosocomiis: grassante enim, ut non raro assolet, peste, & ipsi rapiebantur, & id muneris contempta vita susceperant. Itaque a Cassiodoro scribitur histor. tripart. XI. *Dum aliquo tempore in amphitheatro Constantinopoleos spectaret, cœpit clamare populus, crudeli bestiæ artifex parabolus pugnet.* Nam παράβολος homo est audaciæ, & ad pericula adeunda præceps, & temerarius. *Turneb. Adv.* XIII. 23. *Laurent. l. l.* Et hoc maxime verisimile est. Nam plus est παράβολος, quam θρασὺς, hoc est, *audax:* unde legere est apud Plutarch. in Numa p. 64. D. παράβολος θρασύτης, pro quo Cicero diceret pro Clu. c. 65. *eminens & projecta audacia.* Gloss. vet. *periculum facere,* παραβολεύσασθαι. Hinc Græcis παράβολοι quoque vocati, non quidem ἁπλῶς, quicunque *ad bestias damnati essent,* quos Apostolus 1 Cor. c. 4. n. 9. ἐπιθανατίους appellat; sed *auctorati ad bestias,* hoc est, qui operas locabant, ut meridiano spectaculo cum bestiis pugnarent. V. supr. in *Pancarpum.* Voss. Lex. Etymol. in Parabola. Buleng. de Venat. circ. c. 31. Salmas. de mod. usur. c. 5.

PARACLAUSITHYRON erat cantus tibiæ amantium, questum ad fores amicarum habens. Exemplum παρακλαυσιθύρου est apud Theocr. Eidyll. XXIV. 17.

> *Sed veniens flebat ad tristes ædes,*
> *Et osculabatur limen, sic autem vocem extulit.*

Buleng. de Theat. II. 27.

PARADARUM meminerunt Auſon. Epiſt. v. 29.

Expoſitum ſubter paradas, lectoque jacentem.

Sidon. Epiſt. viii. 12. *Hic ſuperflexa crate paradarum ſereni brumalis, nidis tutabis.* Legendum aliquando credidi: *Paſtadas expoſitum ſubter*, id eſt, ſub quadam ipſius navis ſcena, & umbraculo. Placet tamen: *Expoſitum ſubter pardas*, id eſt, ſub belluatis jacentem, & Babylonicis peripetaſmatis. *Pardas* autem feminino genere pantheras, & pardos intellexit. Sed cum in vetere Lexico repererim *paradam* eſſe lapathium: fortaſſe inde textum umbraculum intellexit, vel peripetaſma, hac herba diſtinctum, atque variatum: ſolent enim herbæ eis intexi; *pardos* legit etiam, qui volet. *Turneb. Adv.* xxii. 10. Immane quantum Turnebi interpretatio diſcrepat a mente Auſonii. Nam *parada* eſt genus navigii Vibiſci voluptarii undique tecti, quo æſtu ultro citroque reciprocante per Garumnam molliter ferebantur. Et hoc toris, & culcitis inſternebatur, ne agitatio ulla ſentiretur. Quod cognoſcimus ex Sidonio ad Trigetium: quem rogat a portu Alingonis ſolvere, & *paradis* Burdegalam pervehi. *Scalig. Lect. Auſon.* ii. 14. *Caſaub. in Suet. Jul. c.* 52. *Scheffer. de Milit. nav.* ii. 2. *& addend. p.* 325. Notat potius fornicem, ſive tectum navigii voluptarii; in quo molliter toris incubabant, tecto tuti ab æſtu, frigore, vento, pluviaque. Hoc ſignare ex allatis Auſonii, ac Sidonii verbis cognoſcimus. *Voſſ. de vit. ſerm.* iii. 32. *Du Freſne Gloſſario. Cerda Adv.* x. 2. In Scaligeri ſententiam nec ego facile deſcendo, & quid vere *paradæ* ſint, neſcio. *Paradas* tamen legunt MSS omnes, & vet. liber. Quidam liber, & Baſil. *plancarum*, non inepte. *Plancæ ſunt latæ tabulæ.* Feſtus. Plin. viii. 42. *Nec pontes tranſeunt per raritatem plancarum tranſlucentibus fluviis.* Savaro in Sidonium. Cerda l. l.

PARADISUS, παράδεισ☧, qua voce Græcis dicuntur ferarum ſepta, ſive vivaria. Gell. ii. 20. *Vivaria quæ nunc vulgus dicit, ſunt quos παραδείσους Græci appellant.* Pollux ix. 3. *Sed paradiſi barbaricum nomen videtur: conſuetudine autem in uſum Græcum pervenit, ſicuti & multa alia Perſica.* Arboribus erat conſitus, & in illum animi laxandi, & remittendi cauſa ſecedere, & morari Reges conſueverant. Xenoph. Memor. v. p. 829. C. *Quaſcunque regiones Rex incolit, & quocunque ſe confert, ſtudioſe dat operam, ut horti ſint, quos paradiſos vocant, omnibus referti, quæcunque pulcra, & bona enaſci de terra poſſunt. Atque in his ipſe magna ex parte verſatur, quum anni tempus id fieri non prohibet. Profecto curari neceſſe eſt, illic, ubi Rex verſatur, ut pulcerrime inſtructi ſint paradiſi tum arboribus, tum aliis rebus e terra naſcentibus.* Et in illo omnis generis feræ alebantur, quas Reges voluptatis ſimul, & exercendi corporis cauſa agitare, exercereque conſueverant. Xenoph. Anabaſ. i. p. 246. A. *Erat hic Cyro regia, & ingens hortus refertus feris belluis, quas eques ipſe inſectabatur, ſi quando ſeipſum, & equos exercere vellet.* Buleng. de Venat. circ. c. 3. Briſſon. de regn. Perſ. i. p. 52. Voſſ. Lexic. Etymol. Claten. Theol. gentil. ii. 10. 3.

PARAGAUDÆ erant faſciæ, vel aureæ, vel ſericæ auro ornatæ, quæ veſtibus intexebantur, non, ut inſtitæ, adſuebantur. Id ſatis oſtendit Imperatorum Gratiani, Valentiniani & Theodoſii reſcriptum his verbis l. 2. C. de veſt. holov. V. illud ſupr. in *Miniſtri.* At in Valentis, Valentiniani, & Gratiani reſcripto *auratas, & ſericas paragaudas auro intextas viriles privatis uſibus contexere, conficereque prohibemus.* Veſtis potius ipſa *paragaudis* diſtincta, & inſignita ſignificatur; nam & *paragauda* veſtis ipſa etiam dicebatur. Vopiſc. Prob. c. 4. *Interulas paragaudas duas.* Aurel. c. 46. *Paragaudas veſtes ipſe primus militibus dedit, cum ante nonniſi rectas purpureas accepiſſent.* Qui locus prætexturam quandam veſti *paragaudæ* fuiſſe intextam ſignificat, cum illi purpuream rectam opponat, quæ nec clavata, nec prætexta erat. Harum quædam erant monolores, quibus una tantum *paragauda* intexta eſſet: quædam dilores, quibus duæ, quæ ſua latitudine lora æmularentur videntur: trilores, quibus tres: nam quod aliæ tanquam faſciæ lori æquarent latitudinem, & ſimularent ſpeciem, ideo ſuſpicor ab hiſtoricis, & a populo olim ſic vocatas fuiſſe. Vopiſc. Aurel. l. l. *Et quidem alias monolores, alias dilores, trilores alias, & uſque ad pentelores, quales hodie lineæ ſunt.* Videtur eſſe verbum e Græco, & Latino compoſitum, ut quoddam ornamentum, & *gaudium* veſtis intelligatur. *Turneb. Adv.* ix. 11. Id hunc etymon petit etiam *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 75. *Salmuth in Pancirol. de reb. deperd. & inv. p.* 396. *Schill Nomencl. Philol. p.* 880. Quos fugit ratio. Eſt enim vox pura puta Syrorum, vel orientalium aliorum, a quibus Syri acceperunt. פרגוד, ſive פרגודה, *paragauda* Jonathani paraphraſtæ vetuſtiſſimo librorum ſacrorum dicitur veſtis colorum varietate, & arte inſignis. *Caſaub. in Poll. Claud. c.* 17. *Hennin. in Bergier. de viis milit.* iv. *Sect.* 26. §. 2. Parthi potius & veſtem, & nomen veſtis Romanis tradiderunt, atque aliis etiam nationibus, quæ nomen illud retinuerunt. Παραγαύδας igitur eſt veſtis Parthica. Heſychius: Παραγαύδας, male hodie παραγωγάς, χιτὼν παρὰ Πάρθοις. *Salmaſ. in Poll. l. l.* Lex 2. de veſt. holov. modo laudata ſeparat *paragaudas* a veſtibus, quibus adſuebantur. Adſuebantur veſtibus modo ſingulæ, modo binæ, modo ternæ, vel quaternæ, atque interdum etiam quinæ. V. Vopiſcum ſupr. laudatum. *Caſaub. l. l. Ferrar. de re veſt.* i. 3. 3. *Alciat. Annot. in tres poſt. libr. cod. p.* 107. *A.* Sub Gallieno *paragaudarum* tunicarum, non ſuperius, mentionem fieri video. Poſt illa tempora paſſim viriles, & muliebres in uſu fuere, ita ut & milites ſub Aureliano illas acciperent, cum antea purpureis tantum accipi ſolerent: quæ cum promiſcui uſus eſſent tam apud viros, quam apud mulieres, Valentinianus & Valens Imperatores lege eas prohibuere, cum viriles, tum muliebres, & privatis ademere, ſuiſque gynæciis tantum fieri voluere. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 46.

PARAGRAPHUS erat linea protenſa hoc modo ——, quæ κατὰ πρόσωπα ἀμοιβαῖα jambicis & choricis inter ſtropham, & antiſtropham apponitur: huic dupla addi ſolet, redditurque trigoni obliqui extra baſin ſpecies ⊏. Euſtathius inter poetarum figuras nominat *paragraphen*: quæ fit cum præcedentia complectentes, ad alia tranſitum facimus, ut apud Homerum: ὡς οἱ μὲν τὰ πένοντο κατὰ ϛρατόν. *Rhodig. Ant. Lect.* xv. 20. *Alciat. Diſpunct.* iii. 16.

PARALLELUS aliquando ἁπλῶς ſignificat tropicum. Fragmentum veteris aſtrologi ad Cenſorini libellum adſutum a Lud. Carrione: *Cœlum circulis quinque diſtinguitur, quorum duo extremi maxime frigidi, auſtralis humillimus, & aquilonius excelſiſſimus: his utrimque proximi paralleli vocantur, æque, ut ita dixerim, diſtantes, iidem tropici, iidem ſolſtitiales, alter hybernus, alter æſtivus.* Bellus de part. templ. augur. c. 4.

ΠΑΡΑΛΟΥΡΓΕΣ, παραπήχυ, & παρυφὶς fuit veſtimentum, quod utrimque habuit clavos purpureos. Heſychius: Παραπήχυν, *veſtimentum, ab utraque parte habens purpuram.* Pollux vii. 13. *Veſtis, quæ dicitur παρυφὲς, & παραλουργὲς utrimque clavos habet purpureos.* Hinc explicandus Heſychius, a quo παραλουργεῖς exponuntur οἱ ἦτ'ον ἔνδοξοι καὶ ἔντιμοι. Ubi per παραλουργεῖς anguſticlavii, nempe qui pauperem clavum geſtabant, ut Statii verbis utar, intelliguntur. *Ruben. de re veſt.* i. 8. Hoc potuit fieri in Græca chlamyde, quæ amictui, & poſtea in Dalmatica diaconorum facta fuit: in Romana tunica, quæ indutui, fieri non potuit, ut ſcilicet etiam retro purpuram habuerit: cum ea vel toga, vel lacerna, vel pænula tegeretur, ſub quibus clavi in dorſo latuiſſent. *Ferrar. Anal. de re veſt. c.* 11. V. etiam *Ferrarium ſupr. in Clavus anguſtus.*

PARANYMPHUS, παράνυμφ☧, dicebatur qui ſponſam in ducenda domum ſponſi comitabatur. Auguſt. de Civit. dei vi. 9. *Quid impletur cubiculum turba numinum, quando & paranymphi inde diſcedunt?* Alii tamen hos rectius παρανυμφίους dici arbitrantur: prout appellat Pollux iii. 4. 4. V. illum infr. in *Parochus.* Sane prius illud

aperte

aperte improbat Eustath. in Homer. Iliad. p. 516. *Et paranymphus per [illegible] sic dictum : rectius paranymphus dicitur, sponsam [illegible] deducit.* Voss. Lex. Etymol. Salmuth in Pancirol. de rebus deperd. & invent. p. 680. Laurent. de Sponsal. c. 1.

PARAPHERNA, παράφερνα, dicuntur res uxoria extra dotem, a παρὰ & φερνὴ, id est, dos. Ulpian. l. 9. § 11. ff. de jure dot. *Dotis causa data accipere debemus [illegible] [illegible] daretur. Cæterum, si res dentur in ea, quæ [illegible] [illegible] [illegible] decunt, quæque Galli peculium appellant, [illegible]* Hic sive paraphernorum [illegible] exemplum [illegible] Liv. xxvi. 50. ubi narrat, ut Scipio Africanus [illegible] virginem nobilem principi Celtiberorum [illegible], cui Allucio nomen erat, desponsatam, [illegible], ut pecuniam ad virginem redimendam a parentibus allatam adjiceret, his utens verbis: *[illegible] [illegible] [illegible], hæc tibi a me [illegible] dotalia accedunt.* Parapherna etiam signat Cicer. Philipp. xi. 5. cum inquit: *His qui præter dotem, quam in civilibus malis acceperunt, agrum Campanum est largitus Antonius.* Voss. Lex. Etymol. [illegible] receptitia dicuntur. [illegible] res [illegible] ἐξώπροικα, quod extra dotem [illegible] [illegible] tradita [illegible] donationes §. species ff. de [illegible] ad [illegible] mulieris instrumento dotali recepta, quasique peculium l. ult. C. de pact. convent. l. 3. C. [illegible] uxor pro marito d. l. si ego. In his bonis, [illegible] muliere, nullum jus erat marito se immiscendi, [illegible] quæ præter jus dotis excipiebantur, ea receptitia appellabat. Unde servus receptitius. V. illum infr. in *Servus:* & receptitia dos. V. illam supr. in *Dos.* Hotman. de vet. rit. nuptiar. c. 8. Schill Nomencl. Philol. p. 882.

PARAPSIS. V. illam infr. in *Paropsis.*

PARARII dicuntur, qui paribus equis vehuntur. Senec. de Ben. ii. 23. *Quidam [illegible] interponi pararios, nec [illegible] [illegible] dare:* Pares equi dicuntur [illegible] quibus desultores usi. *Buleng. de Circo* [illegible] [illegible], quam proxenetæ, hoc est, me[illegible] [illegible] Apul. Met. ix p. 303. verbo utimur, intercessoresque inter emptorem & venditorem: qui utrimque animos [illegible], & conjungunt. In veteribus glossis *pararius* exponitur μεσίτης. Et ita Seneca. Etiam de Ben. iii. 15. *Ille per tabulas plurium nomina, interpositis parariis, facit.* Qui & *intercessores* eos vocat Epist. 120. *Nemo per intercessorem mutuatur.* Falluntur, qui translationem esse arbitrantur a ludis circensibus, ubi singulatores, qui singulo, hoc est, unico utebantur equo: *pararii*, qui gemino. Sed aliam esse Senecæ mentem, ex iis liquet, quæ [illegible]. *Voss. Lex. Etymol. Briss. de Form.* vi. *p.* 538. *Knoch. Ant. Lect.* xi. 10.

PARASANGÆ erant *apud Persas viarum mensuræ.* [illegible] Plin. vi. 26. *Inconstantiam mensuræ diversitas auctorum facit: cum Persæ quoque schœnis, & parasangis, alii [illegible] [illegible].* Quidam triginta stadia patere [illegible] Hesychius: Παρασάγγης, μέτρον ὁδοῦ τριάκοντα σαδια ἔχον. Hero in Isagoge sua: Ὁ παρασάγγης ἔχει μίλια τέτταρα, σαδίους τριάκοντα: ἐςι δὲ τὸ μέτρον Περσικόν. At Strab. xi. p. 357. ait, non similiter ab omnibus definiri: nam alios ei tribuere stadia triginta, alios quadraginta, alios sexaginta. Causam hanc addit, quia diversa mensura pro locis diversis uterentur: ita ut uno loco major esset, quam altero in loco, uti hodieque alibi longis, alibi brevioribus, alibi mediocribus milliaribus utuntur. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exercit. Plin. p.* 841. *b. D. Brisson. de regn. Pers. p.* 276. *Cenal. de pond. & mens. rat. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* xi. *p.* 1485. *F. Hennin. in Bergier. de viis milit.* iii. *Sect.* ii. §. 2.

PARASCENIUM fuit locus ab utraque parte scenæ ante ipsam scenam, in cujus medio θυμέλη erecta erat, ut Suidas. Harpocrat. *Parascenium locus circa scenam præparandis certaminibus destinatus.* Idem fere cum proscenio. *Buleng. de Theatr.* i. 26. *Rhodig. Ant. Lect.* viii. 8.

ΠΑΡΑΣΗΜΟΝ, *parasemon*, erat pictura, quæ effigiem animalis, vel alterius rei, montis puta, item arboris, aut floris in nave referebat: ex qua deinde miles naves inter se discernere, suamque ab aliis dignoscere valebat. Non enim promiscue cuivis, quam primum occupasset, eam conscendere licebat; sed singulæ centuriæ, singula vexilla proprias suas habebant naves. Liv. xxxvii. 29. *Concursum ad naves est, suam quisque noscere, & adire poterat præ tumultu.* At unde inter se dignosci potuissent, quum ad reliquam structuram quantum attinet, ejusdem generis pleræque fuerint, triremes scilicet, quadriremes, nisi ex *parasemo?* Quare & a Græcis sic vocatum, quia quamque navim consignabat, unamque distinguebat ab altera. Igitur apud Herod. viii. p. 558. cum Artemisia in nobili ad Salaminam pugna suppressisset navim, & Xerxes re animadversa circumstantes rogaret, nunquid Artemisiæ hoc esset facinus? illi affirmarunt: quia *noverant insigne navis ipsius.* Locus hujus signi proprius in prora erat, inter embolum, & proembolida. Pictum erat plerumque: unde & pictura vocatum a Latinis. Aliquando etiam sculptum legimus. Referebat autem fere semper προτομὰς brutorum animalium, ut tauri, leonis, similium. Atque hoc nonnunquam fiebat ad terrorem. Prop. iv. 6. 50.

— *Pictos experiare metus.*

Picti enim *metus* hoc in loco, qui ex signorum istis picturis. *Scheffer. de milit. nav.* iii. 1. *Salmas. Exercit. Plin. p.* 403. *A. a. D. Kipping. Dissert. de Expedit. marit.* §. 2. V. etiam infr. in *Tutela.*

PARASITIUM fuit *horreum, in quo primitias sacri frumenti parasiti recondebant.* Athen. vi. p. 235. D. *Scalig. Poetic.* i. 14. *Faber Agonist.* ii. 17. *Meurs. de Athen. Attic.* iii. 6.

PARASITUS primo dictus fuit, qui cum sacerdotibus victimæ partem caperet. Itaque iidem sic e Græcis παράσιτοι, qui Deorum epulones. Postea vero in malam partem accipi cœpit, ac de iis dictum, qui cibi gratia assentarentur. Athen. vi. p. 235. B. *Crates propriet. Attic. serm.* ii. *inquit: Parasitus nunc sane rem fœdam, & inhonestam significat, olim vero sic vocabantur, quos deligendis, annotandisque sacris frumentis præficiebant. Parasitorum certe collegium, ac prætorium fuit. Itaque sic in Regis legibus scriptum est: hoc Regis curæ sit, ut magistratus creentur, & e tribubus ac genere parasiti, qui ex alimentariorum frugibus suæ classis, ac tribus unusquisque hordei sextarium eligant, ut in templo, patrio more, cum Athenienses epulentur. Selecti quoque hordei sextarium Athenæorum parasiti præbeant Apollini ad priscos epulorum, & sacrorum ritus: Aristoteles de Methonensium republica parasitos duos scribit prætorum singulis assignatos fuisse; Polemarchis vero unum; eosque & a piscatoribus, & ab aliis quibusdam certum accepisse præstitutumque obsonium. Quem vero nunc parasitum vocant, Carystius Pergamenus libro de doctrinis inquit, primum Alexidem sic nominasse, oblitus Epicharmum in Spe, sive Pluto compotationi adhibuisse.* Voss. Lex. Etymol. Stuck. Antiq. Conviv. ii 4. Rhodig. Ant. Lect. xii. 1. Buleng. de Theat. i. 43. Muson. Philos. de Lux. Græc. c. 10. Scalig. Poet. i. 14. Casal. de tragœd. & comœd. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7. Potter. Archæol. Græc. iv. 19. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 6. Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. vii. p. 616. E. Laurent. de Conviv. vet. c. 6. de prand. & cœn. vet. c. 7. Novar. Schediasm. iii. 24. Omnibus fere mimis inducebantur. Et, cum in scenam inducerentur, habebant strigilem, lecythum, & pedum. Erantque in mimis fere secundarum partium. Unde apud Senec. de Ira iii. 8. *Optimum judicavit quicquid dixisset sequi, & secundas agere,* id est, assentari, & supparasitari. *Parasiti* Apollinis meminit Mart. ix. 29. 9.

Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi.

Et juxta cum illo vetus poeta:

Laudatus populo, solitus mandata referre,
Allectus scenæ, parasitus Apollinis idem,
Multorum in mimis saltantibus utilis actor.

Et inscriptio vetus:

AGILIO

AGILIO PANTOMIMO, SACERDOTI SYNODI, APOLLINIS PARASITO.

Hic in scena dicebat: *Salva res est, dum cantat senex*, ait Festus. Verrius existimat, *Apollinis parasitos* appellari, quod C. Volumnius, qui ad tibicinem saltarit, cum redeuntes e victoria dixere, *salva res est, senex cantat*, secundarum partium fuerit, quia fere omnibus mimis *parasitus* inducatur. In conviviis canebant, & assentabantur. Juven. Sat. xiv. 46.

— & cantus pernoctantis parasiti.

Græcor. Epigramm. ii.

O venter impudens, per quem parasiti adulatores
Jus culo vendunt leges libertatis.

Buleng. Demster. & Casal. l. l. Tres illorum apud comicos fuerunt familiæ. Alii dictis ridiculis mensas alienas captabant: quibus idcirco ἀπὸ ϛ γελᾶν Gelasinis, hoc est, ridiculis nomen erat. Hoc ipse fatetur apud Plaut. Stich. i. 3. 20.

Gelasimo nomen mihi indidit parvo pater:
Quia inde jam a pausillo puero ridiculus fui.

Et *derisores* ideo illos vocat Plaut. Capt. i. i. 3. Alii adulando, & ubique ad omnia alterum & dicta, & facta illud euge accinendo mensas captabant. Alii verberi hilari fronte Spartanorum in morem perferebant: & dicebantur flagriones a flagris, plagipatidæ a plagis patiendis, Lacones a Laconica patientia, duri capitones a capitis duritie in verberibus perferendis, non a pertinacia comedendi, ut quidam volunt. Plaut. Capt. iii. i. 9.

Ilicet parasiticæ arti maximam in malam crucem!
Et juventus jam ridiculos, inopesque ab se segregat.
Nihil morantur jam Lacones, imi subselli viros,
Plagipatidas, quibus sunt verba sine penu & pecunia.

i. i. 20.

Et hic quidem hercle, nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus, frangique aulas in caput.

Terent. Eun. ii. 2. 13.

At ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pati
Possum.

Nann. Miscell. i. 14. Rigalt. Funer. paras. p. 21. Voss. Demster. & Buleng. l. l.

PARAVEREDI videntur fuisse majores equi agminales, quod agmen sequerentur exercitus, conveherentque impedimenta, le bagage. *Cujac. ad l.* 18. §. 21. *ff. de muner. & honor. Guther. de Offic. dom. Aug.* iii. 14. Qui minus recte sentiunt. *Paraveredi* enim, sive agminales a veredis non magnitudine distabant, sed evectione, & loco. *Veredi* fiscales erant, in stationibus cursus publici, ac viam militarem. *Paraveredi*, seu agminales contra. V. supr. in *Equi agminales.* Hennin. in Bergier. de viis milit. iv. Sect. 12. §. 4. Laz. Comm. Reip. Rom. ii. 14. Rhodig. Ant. Lect. xviii. 8. Cerda Adv. xlix. i.

PARAZONIUM erat genus gladii, qui ad zonam accingebatur. Ut majoribus potestatibus gladius, ejusque potestas dabatur, sic tribunis pugio, quod *parazonium* dicitur. Mart. xiv. 32. cui titulus est *parazonium:*

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris,
Arma tribunitium cingere digna latus.

Dio lxviii. p. 778. B. *Quinetiam cum Suræ prima vice præfecti prætorianorum munere functuro gladium, quo is cingendus erat,* τὸ ξίφ☉, ὃ παραζώννυσθαι αὐτὸν ἐχρῆν, *præberet*, Trajanus, *eo nudato, sursumque porrecto: accipe gladium hunc ait, ut eo si recte imperem, pro me; sin nequiter, contra me utaris.* Laz. Comm. Reip. Rom. viii. 18. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 19. Turneb. Adv. xii. 6. Lipf. Anal. ad milit. Roman. iii. dial. 3. Valtrin. de Re milit. iii. 10. Stewech. in Veget. ii. 7. Nonn. in Goltz. Jul. Cæs. Nomism. p. 58. Thys. Rom. Illustr. iii. 76. Rader. in Martialem. Cui non is sensus, quod soli tribuni gestassent, errant qui arbitrati sunt: sed laudat illud suum *parazonium*, & ita fabrum, cultamque vult, ut vel tribuno sit dignum. *Lipf. l. l.*

PARCÆ fuerunt dictæ juxta nonnullos a *partienda* vita humana, sicut Græce μοῖρας a Græco μοιράομαι, *partior.* Serv. in Eclog. iv. 46. dictas putat, ex eo, quod *minime parcant* cum mortis tempus advenit. Malim cum Varrone apud Gell. iii. 16. a *partu* derivare. Hinc est quod Sibylla in oraculo *Parcas* vocat παντογόνυς, *omnigeneras:* & apud Pindarum in Olympicis Apollo jubet Ilythiam cum *Parcis* assistere Euadne parturienti. Hinc teste Fulgentio poetæ tria fata attribuunt Plutoni, hoc est, tres *Parcas:* quarum primo Clotho, altera Lachesis, tertia Atropos. Clotho enim Græce, evocatio Latine dicitur: Lachesis, sors nuncupatur: Atropos, sine ordine. His significare volentes, primam esse nativitatis evocationem, secundam vitæ sortem, tertiam mortem, quæ sine ordine venit. Κλώθω enim idem est ac *neo*, quod est linum e colo attrahere, ut solet nativitas ex utero fœtum in auras educere. Lachesis λαγχάνω, *sortior.* Atropos ab alpha privativo, & τρέπω, *verto*, quasi rerum ordinem vertit, non ut par est: vel quasi verti non possit in aliam mentem, cum mortem afferre destinavit. Ex his causa deduci potest, ob quam *Parcis* sacrificia jussu Sibyllæ offerenda essent post sacra facta Diti, atque Proserpinæ. Nempe, quod ut ipsæ Diti semper assisterent, ita sacra earum conjungi deberent ejus sacris. Adde quod Ditis, & Erebi essent filiæ, cui Dis dominatur. Sed alia ratio mihi succurrit, quæ magis arridet, quod venturis temporibus futura prænuntient, & consequentes etiam sequentium seculorum eventus: imo quod tempora moderatur, iisque præsideant. Plato de Republ. xii. *Parcæ ad Sirenum harmoniam canunt, Lachesis præterita, præsentia Clotho, Atropos futura.* Idem auctor libri de mundo, nisi quod apud cum Lachesis futurum tempus, Atropos præteritum moderari dicatur. Apul. de Mund. p. 755. ternarium *Parcarum* numerum ideo a triplici tempore ductum arbitratur: nam id fili, quod in fuso perfectum est, præteriti temporis speciem habere asserit: quod torquetur in digitis, momenti præsentis spatia indicare: quod nondum e colo tractum est, futuri, & consequentis seculi posteriora ostendere. Certe nihil tritius apud poetas, quam *Parcas* futura prædicere. Homer. Odys. H. 197.

Patiatur quæcunque ei fatum, Parcæque graves
Jam nato nerunt filo, quando ipsum peperit mater.

Virg. Ecl. iv. 46.

Talia secla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Catull. lxiv. 305--322. *Taffin. de Lud. Secul. c.* 10. §. 3. *Voss. de Idolol.* ii. 44. *Struv. Ant. Roman. c.* i. *p.* 181. *Gyrald. Synt. deor.* vi. *p.* 207. *A. Rhodig. Ant. Lect.* xxii. 13. Erant in Theologia gentili vel eædem cum fatis, juxta sexcenta auctorum loca, vel fati dominæ. Ovid. Trist. v. 3. 17.

An dominæ fati quicquid cecinere sorores.

& quibus *Parcis* proinde ab Horatio carm. secul. n. 27. invocatis additum inter alia:

— bona jam peractis jungite fata.

Spanhem. Dissert. de præst. numism. ix. p. 839.

PARDOS, sed rarissime, ad currus junxerunt veteres. De temporibus Domitiani, quibus visum hoc spectaculum, Mart. i. 105. i.

Picto quod juga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello.

Scheffer de Re vehic. i. 9.

PAREDRUS, πάρεδρ☉, dicitur assessor. Aristoteles Politicis. *Capiunt paredros binos Archon & Polemarchus, quos voluerint.* Huc respexisse videtur Cicer. Fam. xvi. 18. *Paredrum excita, ut hortum ipse conducat.* Sunt qui Regi assidentes, ac velut custodes, *paredros* interpretentur. Quod in Pericle Plutarchus significat perspicue. At in Lycurgo, quicunque custodiæ causa assideant. Quin erant Athenis quoque συνάρχοντες, καὶ πάρεδροι. Ab Procop.

bell. Pers. 1. Proclus celebratur Imperatoris *paredrio* magistratu insignis, quem Romani quæstorem nuncupant. Jureconsultum hunc Latini interpretantur. *Rhodig. Ant. Lect.* II. 13. *Cerda Adv.* LIV. 7. *Chiment. de hon. bisell.* c. 17. *Emm. Descript. Reip. Athen. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* IV. *p.* 455. *F.*

Paredri, πάρεδροι deorum fieri dicebantur, & σύνθρονοι, quasi assessores, & eadem sede præditi cum cæteris diis, qui de hominibus in deorum numerum referebantur. Hoc est, quod ait Tertullianus, *synodum deorum fieri, & collegio eorum adscribi.* Lucian. de non tem. cred. calumn. p. 420. *Denique assessori, παρέδρῳ, malorumque depulsori deo, Hephæstioni, sacra faciunt.* Hesychius: Πάρεδρος, παρακαθήμενος, παραμένων, σύνθρονος. Sciendum vero est unicuique deorum suos attributos παρέδρους, Jovi τοὺς δώδεκα θεοὺς, sex mares, sex feminas, quos propterea Consentes appellaverunt, id est, συνέδρους. Matri deum Idæos Dactylos. Æsculapio Ὑγείαν, Ἰασὼ καὶ Τελεσφορίωνα. Sic aliis alios assignatos fuisse liquet. Hinc Virg. Georg. I. 24.

> *Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum*
> *Concilia, incertum est.*

id est, quibus diis πάρεδρος futurus sis. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 14. *Chiment. de hon. bisell. c.* 17. *Van Dale de Fals. Prophet. c.* 4.

PAREGOREMATA dicebantur, ubi quid ageret chorus, quod in theatro exaudiretur. Sicuti ranarum chorus apud Aristophanem. *Buleng. de Theatr.* II. 13.

PARENTALIA dicuntur *congregatio, quæ fit in luctu*, post sepulturam scilicet. Pollux VIII. 7. Græcis proprie νεκύσια. Glossæ: *Parentalia*, νεκύσια. Suidas: Νεκύσια, *mortuorum feriæ.* Erant festa, vel convivia feralia speciatim in mortibus *parentum*, vel aliorum propinquorum, hincque dies *parentales*, quibus oblationes, & sollennitates celebrabantur in honorem defunctorum parentum. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 26. *Nicol. de Luct. Græc. c.* 20. 4. *de rit. Bacchan. c.* 16. *Laurent. de Funer. c.* 2. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 44. *F.* Instituta sunt a Numa. Auson. Parent. p. 43. *Titulus libelli est parentalia. Antiquæ appellationis hic dies, & jam inde ab Numa cognitus inferiis institutus.* Ad Æneam refert Ovid. Fast. II. 533.

> *Est honor & tumulis animas placare paternas,*
> *Parvaque in exstructas munera ferre pyras.*
> *Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor*
> *Attulit in terras, juste Latine, tuas.*

Meurs. de Fun. c. 36. Dicitur & justa peragere, funerandi officium implere. *Bud. in Pandect. p.* 91. *A. Nicol. de Luct. l. l.* Sed hos ego non probo. Justa enim sunt a lege, & pontificio jure, at multi, qui nullis illis legibus obstricti essent, ultro ad virorum fortium sepulcra *parentarunt*, ut Caligula, qui *sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias manibus dabat.* Suet. Calig. c. 3. n. 6. Ceremoniæ in utrisque eædem ferme sunt, nec tamen inferiæ sunt *parentalia*, aut justa. Inferiæ quoque privatæ sunt, feriæ *parentalia* publicæ. Omnis *parentatio* a civibus, aut incolis festo colebatur. Lapis Arelate p. 547. §. 8.

L. JULIO. SECUNDO
UTRICULARIO. COR
C. I. P. A. QUI. LEGAVIT
EIS. TESTAMENTO
SUO. * CC. UT. USUR. EOR
OMNIBUS. ANNIS. SACRIFI
CIO. EI. PARENTETUR
ITEM. NAUT. DRUENTIOR
CORPOR. MOGITUMA
EPIPODIUS. FILIUS. NA
PATRI. PIENTISS

Guther. de jur. man. II. 12. Sacer huic rei apud Romanos mensis Februarius: Latini mense Majo faciebant. Plutarch. Quæst. Rom. 36. *Multi Latinorum isto mense, Majo, mortuis parentant.* Et Accæ Larentiæ Decembri mense *parentabatur.* V. supr. in *December.* Observabant, & mensis, & diei finem. Plutarch. Quæst. Rom. c. 34. *Die in vesperam vergente, & mense decrescente solent mortuis parentare.* Meurs. l. l. *Parentationis* proprium fuit, ut epulæ ad monumentum ferrentur. Tertull. de Resurr. c. 1. *Defunctis parentant, & quidem impensissimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, ut quos negant sentire quicquam, etiam desiderare præsumant.* de testim. anim. c. 4. *Vocas porro securos, si quando extra portam, cum obsoniis, & matteis tibi potius parentans ad busta recedis, aut a bustis dilutior redis. Et in convivio eorum quasi præsentibus, & circumcumbentibus sortem suam exprobrare non possis, debes adulari, propter quod lætius vivis.* Duplex autem epulum fuit, unum cognatorum, aut eorum, qui *parentabant:* alterum defunctorum. Prioris exemplum est, quod ad sepulcrum L. Catilinæ damnato Antonio celebratum est: posterius ex epularum genere dignosci potest, quæ etiamnum in *parentatione* comburebantur. Est enim *parentare* ἀποκαίειν νεκροῖς νεκύσια, atque hujusmodi epulæ fuerunt faba, apium, sal, legumina, ova, mola salsa, hostiæ maximæ. *Guther. ibid.* Et hoc erat duplex: fiebatque & natali, & mortuali die in memoriam defuncti. Suidas: Γενέσια, *alicujus nati memoria quotannis recurrens:* Ecce τοῦ τεχθέντος & ita Moschopulus, & Phavorinus, neque τεθνεῶτος rescribendum est, quod nuper in notis ad Phrynichum voluit Nunnesius. Nam quod Ammonius ait: *Genesia in mortuorum honorem celebrantur, quo quisque die mortuus est*, error est Grammatici. Et proprie quidem γενέσια erant, quæ natali die; νεκύσια quæ mortuali: sed tamen promiscue alterum pro altero usurparunt; non quod idem uterque dies esset, sed quod eadem fere omnia utroque die fierent: & quod non minus ille quam in defuncti gratiam celebraretur. Hinc Hesychius: *Genesia, festum lugubre apud Athenienses. sive necysia.* Et natalis diei testimonium clare perhibet Laert. x. 18. Ubi in testamento Epicurus: *Parentalia patri, matri, fratribus, ac nobis fieri curent die sollenni natali.* Hoc discriminis habuisse necysia videntur, quod etiam tum carmen lugubre canerent ancillæ, & quæ cum illis. Ammon. de thren. & epic. diff. *Hi vero differre threnum, & epicedium dixerunt, quod threnus canatur in ipsa miseria ante elatum funus, & post elatum, & quotannis, canentibus ancillis, & quæ cum illis.* Meurs. l. l. Etiam in illis facularum usus erat. V. infr. in *Sepulcrum.*

PARENTANTES sedebant. V. infr. in *Sedes.*

PARENTES an ex damnato concubitu natis alimenta debeant quæritur, cum Justin. Novell. 89. c. 15. his utatur verbis: *Neque alendus est a parentibus, neque habebit quoddam ad præsentem legem participium.* Novell. 74. c. 6. *Sed sit supplicium etiam hoc patrum, ut agnoscant, quia neque quicquam peccatricis concupiscentiæ eorum habebunt filii.* Quo eodem pertinet illud Ulpian. l. 1. §. 2. ff. de agnosc. lib. *ubi ait, patrem cogi alere filiam, dum tamen juste quæsita sit.* Denique si illis alimenta legare liceat, fraudis facultas dabitur, cum id legatum in totam vitam pertineat. l. Mela ait 34. ff. de alim. legat. Contra tamen illud pugnat, quod dici solet, acerbum esse, *parentum* delicta liberorum pœnis lui l. crimen 26. ff. de pœn. l. spuriis 6. ff. de decurion. Item naturæ legem, & sanguinis vim civili ratione non exstingui §. ult. de legit. adgnat. tut. & l. eas obligationes 8. ff. de capit. minut. Qui vero alimenta denegat, necare videtur l. necare 4. ff. de lib agnosc. Ut in pauca conferam, cum eos alere mater jure civili jubeatur d. l. 5. §. 4. de agnosc. lib. ex æquo, & bono statuendum putarem, si mater, unde ipsos alat, non habeat, & fortunæ tenuis sit, non modo patri licere iis alimenta relinquere, sed etiam magistratus imperio cogendum esse, usquedum sese spurii exhibere possint arg. d. l. 5. §. sed si filius 7. eod. Legare iis, tanquam extraneis, nullo modo permittendum est, ne, quod una ratione prohibitum est, altera concedi videatur, contra l. scire oportet 21. §. 1. de tut. & cur. &, quod in eorum odium inductum est, ut ἀλλότριοι censeantur, in eorum favorem contorqueatur, contra l. si quis solidum. 72. ff. de hæred.

inst.

inſt. Quod pragmatici quidam objiciunt ex l. extraneum 9. C. de hæred. inſtit. abſurdum eſt. Non enim quia extranei ſunt, propterea illis legare non licet: ſed quia, Juſtiniani lege, ut indigni, & incapaces, repudiati ſunt, quemadmodum deportatis non propterea legare non licet, quia extranei ſunt, ſed quia peregrini, & civitatis jure multati ſunt. *Hotman. de Spur. & legitim. c.* 6. Olim jure civili poterant filios ſuos in poteſtate poſitos absque ulla cauſa exhæredare. V. ſupr. in *Exhæredare.* Bona inter liberos teſtamento plerumque dividebant. Ulpian. l. ſi filia nupta. §. ſi pater ff. famil. erciſc. *Si pater in filios ſine ſcriptura bona diviſit, & onera æris alieni pro modo poſſeſſionum diſtribuit: non videri ſimplicem donationem, ſed potius ſupremi judicii diviſionem, Papinianus ait.* Scævol. l. alumnæ §. Qui filias ff. de adimend. vel transf. leg. *Qui filias ex diſparibus portionibus teſtamento hæredes inſtituerit, pæne omnium bonorum ſuorum eodem teſtamento diviſionem fecit, deinde hæc verba adjecit: reliqua autem omnia bona exiſtentia mihi ſimiliter, & hæreditaria onera erunt ſolum duarum familiarum mearum, ſcilicet Primæ, & Secundæ, vel quæ ex his ſubſiſtet.* Interdum bonorum diviſionem facientes, de æris alieni ſolutione cavebant. Scævol. l. 39. Ex parte. §. pater ff. famil. erciſc. *Pater in filios diviſit bona, & eam diviſionem teſtamento confirmavit, & cavit, ut æs alienum, quod unusquisque eorum habebat, ſive habiturus erat, ſolus ſuſtineret.* Ulpianus modo laudatus. Uni etiam ex hæredibus quandoque onus æris alieni injungebant. Ulpian. l. ſi filia. §. Papinianus ait: l. l. *Si uni ex hæredibus onus æris alieni injungitur citra ſpeciem legati, officio judicis familiæ erciſcundæ cognoſcentis ſuſcipere id eum oportere: ſed non ultra dodrantem portionis ſuæ, ut quadrantem illibatum habeat.* Cajus l. ſervo legato. §. ſi teſtator. ff. de legat. 1. *Si teſtator quosdam ex hæredibus juſſerit æs alienum ſolvere.* Frugi etiam æſtimationem patrimonii ſui facere ſolebant. Papin. l. cum pater. §. pater 30. ff. de legat. 2. *Videbatur æſtimationem, ut a parentibus frugi fieri ſolet, patrimonii ſui feciſſe.* Imo modum patrimonii, & quantum in bonis relinquerent, teſtamentis quandoque comprehendebant. Plin. XXXIII. 10. *Aſinio Gallo, C. Marcio Cenſorino coſſ. a. d.* VI. *Kal. Febr. C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo edixit, quamvis multa civili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſervorum quatuor millia centum ſedecim, juga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris CC. quinquaginta ſeptem millia: in numerato HS. DC. Funerari ſe juſſit HS.* XI. Briſſon. de Form. VII. p. 619. Illorum poteſtas in nuptias liberorum quanta fuerit. V. ſupr. in *Liberi* & *Nuptiæ.* Nomina recens natorum apud acta debebant profiteri. V. ſupr. in *Liberi.*

PARERGA dicuntur *illa, quæ in ornamentum operis accedunt.* Quintil. Inſtit. II. 3. Plin. XXXV. 10. *Protogenes cum Athenis Minervæ delubro propylæon pingeret, ubi fecit nobilem Paralon, & Hemoniada, adjecit parvulas naves longas in iis, quæ pictores parerga appellant.* Deſcribit illa plenius Galen. de uſu part. corp. hum. XI. *Boni artifices acceſſorium quoddam artis ipſorum ſpecimen clauſtris adjungunt, & in clypeis, & ſæpe in manubriis gladiorum, & in phialis nonnunquam ornatum quendam, & effigiatum opus ultra quam uſus expoſtulat, hederasque nonnullas, & vinearum helices, aut aliquam cupreſſum, vel aliud ſimile fingentes.* Philoſtr. Imag. I. in piſcatoribus non incommode *condimenta picturæ* videtur appellaſſe. Solent vero artifices ut plurimum incurioſius delineare: unde neque parem cum ipſis operibus inſpiciendi curam videntur mereri: qua de re Plutarch. cur Pyth. non reddat oracula. *Opificum parerga perfunctorie exſequemur, in multis enim ſunt feſtivi. Frigidum vero, & plus juſto curioſum non ubique effugiunt.* Junius de Pictur III. 7. §. 12. Nann. Miſc. I. 19. Hanſen. de jurejur. c. 14.

PARHIPPUS eſt is, qui præter numerum in tractatoria comprehenſum, vehiculum, vel equos agit. *Parhippi* meminit Julian. Epiſt. 20. *Ducet autem publicus curſus uno vehiculo, & parhippo.* Et Cod. Juſtin. XII. 51. 4. *Parhippum eum videri, & habendum eſſe, qui uſurpato uno, vel duobus veredis, quos ſolos evectio continebit, alterum, tertiumve extra ordinem commoveat. Nihil autem intereſſe debet, nec ad crimen vocari, utrum agens in rebus ſuo itineri, an mulionis ſubjugando, modo evectionis datæ formæ licentiam non excedat.* Alciat. in tres libros poſt. cod. p. 116. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 14. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 15. §. 5. Iſta vocabuli ſignificatio ad hunc locum Juliani transferri non poteſt. Quippe nominatim in tractoria copiam facit Euſtochio vehiculi unius, & *parhippi*, quemadmodum & Epiſt. 31. ad Aetium. Præterea Theodoricus Rex apud Caſſiod. Var. V. 5. perſpicue aliud eſſe *parhippum* docet. Nam ita ſcribit: *Et de illis quoque pari ſeveritate cenſemus, qui ſupra evectionum numerum curſuales equos uſurpare præſumunt. Parhippis quinetiam non ultra quam centum libras jubemus imponi.* Quibus verbis liquet, *parhippum*, neque eum appellari hominem, qui ſupra numerum evectione finitum curſualem unum uſurpat; neque crimini perpetuo dari. Quocirca *parhippum* inte pretor equum ſingularem, qui præter duos illos, quibus vehiculum trahitur, tertius adhibetur: cui, ut expeditior ſit, ſupra centenas libras Theodoricus imponi vetat. Sic enim Julianus intelligendus eſt, quaſi diceret, *parhippum eſſe veredum, qui extra ordinem commovetur.* Nam ex facto ipſo, quæ ſit nominis proprietas, explicare voluit: Ut ſi quis, quid fœnus eſſet exponens, ita loqueretur: fœnus eſt; ſi quis mutuo data pecunia ſupra ſortem aliquid accipit: minime ex eo conſequens ſit, hominem ipſum, qui uſuram capit, fœnus appellari. *Petav. in Juliani Epiſt.* 20.

PARIARE, & *paria* facere dicuntur, qui *pares* faciunt rationes, *pares* habent paginas, tantum acceperunt, quantum expenderunt. Ulpian. l. 4. §. 5. ff. de Manum. *Proinde &, ſi ei nummos prorogavit emptor, cum ei pariaverit, poterit ad libertatem pervenire.* Scævol. l. 40. §. 7. ff. de ſtat. lib. *Si heredi meo rationes reddiderit, pariaque fecerit, a die mortis meæ intra menſem ſextum liber eſto.* Hinc de fortuna Plin. II. 7. *Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium ſola utramque paginam facit.* Inde *pariatores*, qui ejuſmodi Paull. l. 81. Julius Paullus ff. de condit. & demonſt. *Vel pariatore, vel reliqua habente, libera eſſet mulier.* Valla Eleg. V. 74. Alciat. Parerg. I. 24. Bud. in Pandect. p. 271. B. Auguſt. Obſerv. IV. 24. Briſſon. in verb. paria facere. Voſſ. Lex. Etymol. & de vit. ſerm. IV. 16. Salmuth in Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 4. Rævard. Var. III. 9. Schill Nomencl. Philol. p. 880.

Pariare vela dicuntur navigantes, qui paribus, & æquis velis ſecundo flatu curſum tenent. Virg. Æneid. IV. 587.

Senſit & æquatis claſſem procedere velis.

Cum enim æqualiter tenduntur dextra, & ſiniſtra vela; tum proſpera navigatio eſt. Æquitas quippe, & ſecundas auras ſpirare ſignum eſt. Unde apud eundem Æneid. V. 844.

Æquatæ ſpirant auræ.

Auctor vetus apud Macrob. VI. 4. *Pæſtanum & Vibonenſem ſinum pedibus æquis tranſmiſimus.* id eſt, æquis velis, vel æqualiter tenſis. Catull. IV. 20.

—— ſive utrumque Jupiter
Simul ſecundus incidiſſet in pedem.

Salmaſ. Exerc. Plin. p. 400. b. B. V. infr. in *Pes.*

PARIES eſt ſtructura, quæ obducta ſtat ad interiora ædificia vacua obvallanda, aut tectum quo & pluvia excipitur & æſtus excluditur, atque adeo cameras, & contignationes ſuſtinet. Singuli *parietes* ſunt veluti ſingulæ perpetuæ in latitudinem, & altitudinem columnæ, uti porticus eſt pluribus in locis apertus *paries*; quamobrem ad columnarum rationem ſunt tollendi, ut ſint latiores in imo, & contractiores in verticem, id eſt, ad columnarum ſymmetriam temperati. *Philand. in Vitruv.* II. 8. In communi loco ſeſquipede craſſiores facere non licebat. Vitruv. II. 8. *Leges publicæ non patiuntur majores craſſitudines quam ſeſquipedales conſtitui loco communi.* Plin. XXXV. 15. *Romæ non fiunt talia ædificia, quia ſeſquipedalis paries non plus quam unam contignationem tolerat.* Auguſtin. ad Leg. XII.

tab. §. 20. Marmore inducebantur, quod incrustare Latini appellant. Senec. Epist. 115. V. illum supr. in *Domus*. Epist. 94. *Ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant.* Fabianus Papirius declamator apud Senec. Contr. II. 1. *Varius ille secatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat.* L. *frende*, quasi marmor in *frondes* concisum. Primus id fecit Mamurra, præfectus fabrûm C. Cæsaris. Plin. XXXVI. 6. V. illum supr. in *Marmor*. Inaurabantur. Ejus rei origo a Capitolio. Publicam enim magnificentiam privata luxuria est sequuta. Plin. XXXIII. 3. Hieron. Epist. ad Gaudentium: V. illos supr. in *Lacunar*. Ebur cum gemmis interebatur. Stat. Sylv. I. 3. 48.

—— labor est, auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.

Tacit. Annal. XV. 42. 1. *Nero exstruxit domum, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo essent.* Pretiosissimis aulæis, & tapetibus vestiebantur. Tertull. de Hab. mul. c. 8. *Parietes Tyriis, & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur.* Meurs. de Luxu c. 12. Kobierzyck. de Luxu II. 7. Donat. de Urb. Rom. I. 27. Vales. in Ammian. XXVIII. 4. Abacorum formis, & *speculorum* orbibus veteres distinguebant. V. infr. in *Speculum*. Illos pingere in frequenti usu Romanis. Lactant. de Mort. persecut. c. 5. *Imposito pede super dorsum ejus, illud esse verum dicebat, exprobrans ei cum risu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent.* Id primum institutum est Augusti ætate. Plin. XXXV. 10. *Augustus primus instituit amœnissimam parietum picturam....* Cuper. & Columb. in Lactantium. Broukh. in Propertium statim laudandum. Illarum argumenta fere erant amores, stupra, concubitus. Prop. II. 5. 25.

Tum paries nullo crimine pictus erat.

Circa tales tabellas insaniebat veterum luxuria. Plin. l. l. *Parrhasius pinxit minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis joci se reficiens.* Suet. Tib. c. 43. n. 2. *Cubicula plurifariam dispositis tabellis, ac sigillis lascivissimarum picturarum, & figurarum adornavit.* Ovid. Trist. II. 521.

Scilicet in domibus vestris ut prisca virorum
Artifici fulgent corpora picta manu:
Sic quæ concubitus varios, Venerisque figuras
Exprimat, est aliquo parva tabella loco.

Broukh. in Propertium. Voet. in Herodian. p. 82. 83. Casaub. in Suet. Tib. c. 43. n. 2.

Paries cæmentitius dicebatur structus ex cæmentis, hoc est, lapidibus informibus, & imbricum modo hærentibus. Vitruv. II. 8. *Itaque pilis lapideis, structuris testaceis, parietibus cæmentitiis altitudines exstructæ....* Salmas. Exerc. Plin. p. 269. a. E. Philand. in Vitruvium.

Paries cratitius dicebatur, qui ligneis cratibus, aut cannis in modum cratis insertis, & plexe intercursantibus constabat, & luto inducebatur. Vitruv. II. 8. *Cratitii parietes velim ne inventi essent. Quantum enim celeritate, & loci laxamento prosunt, tantum majori, & communi sunt calamitati, quod ad incendia, uti fasces, sunt parati.* Idem de cratitiis loquitur, quibus luto inductis cannarum duplex ordo affigebatur, ut tectorium superinductum firmius adhæresceret VII. 3. *Cum paries totus luto inquinatus fuerit, tunc in eo opere cannæ clavis muscariis perpetuæ figantur, deinde iterum luto inducto si priores transversariis ordinibus fixæ sunt, secundæ erectis figantur* Salmas. Exerc. Plin. p. 868. b. E. Philand. in Vitruvium.

Paries formaceus dicitur, qui fit ex terra, *quoniam*, ut inquit Plin. XXXV. 14. *in forma circumdatis utrinque duabus tabulis infercitur verius, quam instruitur. durat ævis, incorruptus imbribus, ventis, ignibus, omnique cæmento firmior.* Ejusmodi ab Hispanis tapiæ appellantur. *Philand. in Vitruv.* II. 8: VII. 3.

Paries intergerinus, sive potius intergerivus *dicitur, qui inter confines struitur, & quasi intergeritur.* Festus. Hinc glossæ vet. *Intergeries, paries,* ὁ τοῖχος δύο κτήσεις διορίζων, qui interponitur inter duas habitationes, ut eas separet. Utitur Plin. XXXV. 14. *Cautum est, ne communis crassior fiat, nec intergerivorum ratio patitur.* Voss. Lex. Etymol. in Intergerivus. Pius Annot. post. c. 83.

Paries lateritius dicitur, qui fit ex lateribus crudis, id est, sole tantum coctis. Vitruv. II. 8. *In urbe propter necessitatem angustiarum non patiuntur esse lateritios parietes.* Philand. in Vitruvium.

Paries satiatus luto, & palea dicitur, qui fartus est luto. Festi abbreviator: *Acceratum lutum, & paleis mixtum.* Petron. c. 95.

Et paries circa palea satiatus inani,
Fortuitoque luto.

Pro calce, & arena multi utebantur luto subacto, & paleis mixto in *parietum* instructura. *Salmas. Exerc. Plin. p. 868. b. D.*

Paries testaceus dicitur, qui fit ex latere igne percocto. Vitruv. II. 8. *Itaque fatuus esse videtur, impensa testaceorum in sumptu, quam compendio cratitiorum esse in periculo.* Philand. in Vitruvium.

PARILIA erant festa, quæ prægnantes privatim colebant, dicis causa in lecto cubantes. Festus: *Parilia festa sibi observanda judicant puerperæ domi in stratis, uti pariendo ab ipsis quasi stabiliantur.* Meurs. de Puerp. c. 1. Siccam. in Fast. Kalend. c. 4. Struv. Antiq. Rom. c. 9. p. 436.

Parilia deæ Pali sacra V. supr. in *Palilia*.

PARMA urbium in Bojis prima post Tarum amnem sese offert. Memoratur Cicer. Fam. X. 33. *Non mediocriter doleo, Parmam esse direptam.* Cluver. Ital. ant. I. 28. 2. M. Claudio Marcello & Q. Fabio Labeone coss. est colonia facta. Liv. XXXIX. 55. *Eodem anno Mutina & Parma coloniæ Romanorum civium sunt deductæ. Bina millia hominum in agro, qui proxime Bojorum, ante Tuscorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. Deduxerunt triumviri M. Æmilius Lepidus, T. Ebutius Carus, L. Quintius Crispinus.* Panvin. Imp. Rom. c. 11. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 631. E. Cluver. l. l.

Parma fuit *scutum breve*. Non. c. 18. §. 14. Forma rotunda. Polyb. VI. 20. *Parma & firmitatem habet a structura, & magnitudinem, quæ ad defensionem sufficiat: quippe cui figura rotunda, diametrum habet tripedalem.* Liv. XXXVIII. 21. *Hic miles tripedalem parmam habet.* Quod Nonius dicit, verum est, si cum scuto, quod Polybius describit. V. illum infr. in *Scutum*. conferatur. Alioquin non breve scutum: cum diametrum habeat trium pedum. Aut Nonii ætate *parmarum* magnitudo non eadem, quæ Polybio, & Livio scribentibus fuit. *Manut. de Quæs. per Epist.* III. 6. *Gatak. in Antonin. de reb. suis* I. §. 5. *Carols Antiq. Roman.* III. 6. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* X. 10. *Valtrin. de re milit. Roman.* III. 12. *Stewech. in Veget.* III. 16. *Lips. de milit. Rom.* III. *dial.* 1. Ejus materia fuit lorum, sive corium. Suidas: *Parmæ, coriacea facta apud Carthaginienses.* Manut. l. l. Si talia apud Romanos, cur ad Carthaginienses restringit Suidas? Cur Polybius verbo non tangit? & discriminat a legionariorum? Nam istorum e ligno fuerunt, corio saltem superducto. Censeo idem in istis. Ipse Polybius indicat, qui stabilitatem, & δύναμιν Romanæ *parmæ* tribuit: non habuisset e corio mero. *Lips. & Carols l. l. Kipping. Antiq. Roman.* III. 2. §. 3. Corium superductum erat ex bobus tribus, ut eo validius obstaret hastis, & telis. Virg. Æneid. X. 785.

—— per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus.

Kipping. l. l. Forte sit ab Afris. His enim jam tribuit Suidas. Vel potius a Thracibus. Gloss. vet. *Parma*, Θρακικὸν ὅπλον. Clem. Alex. Strom. I. p. 307. A. *Thraces primi eam, quæ parma vocatur, invenerunt.* Propterea gladiatoribus iis, qui Threces dicti, *parma* dabatur. *Voss. Lex. Etymol. Lips. Saturn.* II. 9. Ea usi sunt velites. Liv. XXVI. 4. V. illum infr. in *Velites*. Et loco modo laudato. Etiam equites. Liv. VIII. 7. *Equus ad vulneris sensum, prioribus erectus pedibus, magna vi cum caput quateret, excussit equitem: quem cuspide, parmaque innixum, attollentem*

tem se a gravi casu, Manlius ab jugulo, ita ut per costas ferrum emmeret, terræ affixit. Sallust. Hist. iv. apud Non. l. l. *Soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisque in formam parmæ equestris armabat.* Equestres tamen a velitaribus magnitudine differebant. Dixit hoc modo Livius. *Manut. l. l.* Velitum forte *parmas* extremis temporibus sustulit C. Marius. Festus: *Parmulis pugnare milites soliti sunt: quarum usum sustulit C. Marius, datis in vicem earum Bruttianis. Li Bruttianæ parmæ dicebantur scuta, quibus Bruttiani sunt usi.* Valtrin. l. l. Non sublatum *parmarum* esse usum dicit Festus; sed pro Romanis Bruttianas esse inductas, non mutata forma, sed magnitudine, vel aucta, vel imminuta. Auctam tamen verisimilius est: quia Festus Romanas *parmulas*, Bruttianas vero *parmas* appellat. *Manut. l. l.* Tyronibus dabatur alba & pura, insignio prorsus nuda. Virg. Æneid. ix. 548.

Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.

Insignium factis gloriosis sibi promerebantur, ut adscriberetur. *Kipping. l. l.*

PARMULARIUS dicebatur, qui Threcum armaturæ favet. Suet. Domit. c. 10. n. 3. V. illum supr. in *Crimen.* Threces enim parmam gerebant. V. infr. in *Threces.* In ludis vero circensibus erant multi, & factionum perstudiosi, & in amphitheatralibus muneribus certæ armaturæ deditii, ejusque gladiatoribus faventes. Sic qui Veneto colori favebant, Venetiani vocabantur, qui prasinæ factioni prasiniani, qui secutoribus secutoriani, qui Threcibus *parmularii.* Anton. Imp. de vit. 1. §. 5. *Ne in certamine equestri prasinæ, aut Venetæ factioni, neve in gladiatorio Threci, aut secutorio fautor fierem.* Turneb. Adv. v. 10: xxvi. 11. Gatak. in Antoninum. Lips. Saturn. ii. 24. Pitisc. in Suetonium.

PARO est genus naviculæ, unde *myoparones* apud Festum. Diminutivum *parunculum* habes apud Papiam glossographorum omnium rhapsodum. Mentio ejus apud Auson. 1. 248. & 457.

Nil reliqui rapiente fuga retulere paroni.

Corrupto ævo *parva* dicebatur, ut apud modo nominatum inaugilitum videre potes. *Barth. Adv.* xxxv. 7. *Turneb. Adv.* iii. 1. *Voss. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p.* 275. *D.*

PAROCHIA dicebatur locus, in quo magistratibus in provincias abeuntibus instrumenta ad iter necessaria præbebantur. Cicer. Attic. xiii. 1. *Omnino cum Sextus noster parochiis publicis occupavit, quod quidem facile patior. Veruntamen, quod mihi magno beneficio meo magna cum fratris sui mus necessitudo est, invito eum per literas, ut apud me diversetur.* Stuck. Ant. Conviv. ii. 7. Alciat. Præterm. 1. p. 121. D. Torrent. in Horat. Sat. i. 5. 45.

Parochia solet vulgo vocari locus, in quo degit populus, cui proprius sacerdos destinatus. Ego vero censeo, non *parochias* primum, sed *paræcias* appellatas esse. Πάροικοι sunt accolæ. Quare qui sinum aliquod accolunt, *paræci* dicti sunt, ejusdem scilicet sini consortes: & *paræcia* accolarum conventus, & accolatus, sacraque vicinia. Confirmat id locus August. de Civit. Dei xxv. 23. *Presbyter fuit quidam nomine Restitutus in paræcia Calamensi Ecclesiæ.* Bud. in Pandect. p. 272. C. Voss. Lex Etymol. in Parochus.

PAROCHUS dicebatur redemptor, cui Romani locabant præstationem mulorum, tabernaculorum, vehiculorum, & cæterorum instrumentorum ad iter magistratibus in provincias, vel legationis causa peregre abeuntibus necessariorum. Antiquis enim Reipublicæ temporibus solebant illis sumptus itineris decerni, ne sociis, vel provincialibus molesti esse cogerentur. De his, non vero de mendicis peregrinantibus, quibus ea, quæ xenodochia vocantur, patere solent, Horat. Sat. i. 5. 45.

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & parochi, qui debent ligna, salemque.

Varr. apud Non. i. 239.

Idem sacerdos, prætor, parochus denique,
Idem senatus, idemque populi caput.

Torrent. in Horatium. Sigon. de jur. prov. ii. 5. Stuck. Antiq. Conviv. ii. 7. Burman. Differt. de vectig. c. 6. Hennin. ad Bergier. de viis milit. iv. Sect. 10. §. 8. Bud. in Pandect. p. 272. Voss. Lex. Etymol. Alciat. Præterm. 1. p. 121. D. Witell. contr. Merul. c. 7. Zimmerman. Floril. Philol. p. 593. Non. l. l. *Parochus a Græco tractum est nomen, quod vehicula præbeat: hoc schemate enim Græce, Latine vehicula appellantur: & est officii genus, quod administrantibus paret.* Sed hic, ut homo est parum diligens, partim recte dicit, partim perperam, & præterea mendosus est. Errat in eo, quod a vehiculis nomen trahit. Error inde emanavit, quod Græci πάροχον appellant eum, qui juxta alterum eodem vehiculo vehitur, a verbo παροχέω, seu παροχέομαι: ut sponso sponsam domum ducenti, quod curru fieri solet, assidebat is, quem nunc fere paranympham dicimus. De quo multa Eustathius, Suidas, alii. Mendosus est, nam pro *administrantibus magistratibus* legendum est. *Torrent. l. l.*

Parochus vocatur convivator, qui cœnam præbet. Horat. Sat. ii 8. 36.

Tum parochi faciem nil sic timentis ut acres
Potores.

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 339. Stuck. Ant. Conviv. ii. 7. Bud. in Pandect. p. 262. B.

Parochus dicebatur quoque, qui ecclesiæ præest. Unde Germanicum Pfarrer corruptum. *Voss. Lex. Etymol.*

PAROPSIS est vas cibarium aliquantum concavum, in quo obsonia apponuntur. Suet. Galb. c. 12. n. 6. *Ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti paropsidem leguminis porrexit.* Juven. iii. 142.

— *quam multa, magnaque paropside cœnat.*

Mart. xi. 28. 5.

Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem, sed quam protinus illa voret.

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 358. Stuck. Ant. Conviv. ii. 11: iii. 2. Rhodig. Ant. Lect. xxvii. 23. Buleng. de Conviv. iv. 10. Bacc. de Conviv. ii. 9. Bayf. de Vascul. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. ix. p. 686. A. Pitisc. in Suetonium. Apud Juvenalem fere in veteribus exemplaribus semper *parapsis* legitur: & Hesychius non tantum *paropsidem* appellari, sed etiam *parapsidem* observat. *Turneb. Adv.* x. 27. Et *paropsis* videtur esse scutella escaria: siquidem nomen est a παρὰ, & ὄψον. At *parapsis* est ὀξυβάφιον, sive ἐμβάφιον, ut interpretatur Hesychius. Atque hoc Cujac. Obs. x. 17. venire censet ex ea absidis notione, qua notat lancem escariam. Non videtur tamen observari hoc discrimen in veteribus libris. Eucher. ad Salon. *Paropsis acetabulum majus. Aliqui & catinum ita appellari putant.* Gloss. vet. *Paropsis, acetabulum majus, & sinfusorium.* Voss. Lex. Etymol.

PARRA fuit diri, & inauspicati ominis. Horat. Od. iii. 27. 1.

Impios parræ recinentis omen
Ducat.

Festus in Oscines: *Picus autem Martius, Feroniusque, & parra & in oscinibus, & in alitibus habentur.* Buleng. de Augur. c. 6. Secunda auspicia non cantu, sed loco facit apud Plaut. Asin. ii. 1. 13

Picus & cornix est ab leva, corvus, parra ab dextera:
Consuadent.

Turneb. Adv. ix. 29.

PARRICIDA est, qui parem occidit. Festus in Parici: *Paricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilii Regis his verbis: si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto.* Sigon. de Judic. iii. 4. August. de Legib. in Regia. Rosin. Ant. Rom. viii. 60. & in illum Demster. p. 653. Voss. Instit. Orat. iv. 12. 2. Rittersh. in Leg. xii. tab. Class. ii. c. 10. Postremis Reipu-

publicæ temporibus pœnas adversus *parricidas*, lege lata, C. Cæsar auxit apud Suet. c. 42. n. 5. tulit enim, ut *parricidæ non exsilio solum*, ut antea, *sed bonis etiam omnibus multarentur.* Manut. de Legib. c. 26.

PARRICIDIUM dicebantur Idus Martiæ, post Julium Cæsarem e medio sublatum. V. supr. in *Idus.*

PARS in conviviis vocabatur portio, μερὶς, cibi κλάσμα. Petron. c. 33. *Ego quidem pene projeci partem meam.* Suet. Domit. c. 11. n. 2. *Partibus etiam de cœna dignatus est.* Cal. c. 18. n. 5. *Qua epulatione equiti Romano, contra se hilarius, avidiusque vescenti, partes suas misit.* Piccart. Peric. Crit. c. 19. Buleng. de Conviv. I. 2. Rivet. in Genes. c. 43. p. 626. Rigalt. in Phædr. I. 5. 6. Borremans. Var. Lect. c. 13. Pitisc. in Suetonii Caligulam. *Partes* etiam absentibus amicis de cœna solebant mittere. Spartian. Carac. c. 3. *Post hæc fratrem patruelem Afrum, cui pridie partes de cœna miserat, jussit occidi.* Dio LXXIII. p. 831. C. *Epulis* Pertinax *nos frugaliter excipiebat. Quod si non faceret, alia ad alios mittebat, etiam vilissimi pretii.* Quæ adfert Capitol. Pertin. c. 12. *Amicis si quando de prandio suo mittere volust, misit offulas binas, aut omasi partem, aliquando lumbos gallinaceos.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 284. Stuck. Ant. Conviv. III. 2. & 26. Buleng. de Conviv. II. 2. Laurent. Polym. I. 44. Pitisc. in Suetonii Caligulam. Eti m morte damnandis tyranni. Alex. Gen. III. 5. *Ægyptiis fuit in more, ut hi, de quibus sumendum erat supplicium, pridie quam darentur neci, munuscula, & cœnam ex Regis mensa acciperent. Quem usum Cæsarum temporibus invaluisse legimus, ut quos morte afficere volebant, illis exquisita obsonia, & partem cœnæ mitterent.* Plutarch. Cleom. p. 822. B. *Postquam itum est in eam sententiam,* Cleomenem esse obtruncandum, *Ptolemæo forte Canopum profecto, primo vulgaverunt rumorem liberari eum a Rege custodia: deinde, quod in more Regi esset, ut quos esset carcere soluturus, cœnam his & munera mitteret: amici multa talia apparata miserunt foris in urbem Cleomeni, quo concurrerent custodes, qui ista missa putabant a Rege.* Roa Singul. II. 2. 12. Pitisc. in Suetonii Domitianum. *Parte,* qua peccaverant, nequam homines solebant puniri. Falsariis manus præcidebantur. Diod. I. p. 50. A. de Ægyptiis. *Scribis, qui tabulas falsas concinnarent, vel de relatis in tabulas publicas quidquam demerent, aut syngraphas ementitas obtruderent, lex utramque manum præcidi jussit, ut qua quisque corporis parte in legem peccasset, hac ad finem usque irreparabili cum damno, & ipse culpam lueret, & alios pœna hac ita commonefactos ab id genus facinore deterreret.* Et ita Claudius: *Proclamante quodam, præcidenti jus falsario manus, carnificem statim acciri cum machæra, mensaque lanionia flagitavit.* Suet. c. 15. n. 5. Alexander Severus *notarium, qui falsum causæ brevem in consilio imperatorio retulerat, incisis digitorum nervis, ita ut nunquam posset scribere, deportavit.* Lamprid. c. 28. Galba *nummulario non ex fide versanti pecunias manus amputavit, mensaque ejus affixit.* Suet. c. 9. n. 3. Fugitivis pedes l. 3. C. de servis fugitivis: *Si fugitivi servi deprehendantur transeuntes, aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur.* Cujac. Observ. VII. 13. Sichterman de Pœn. milit. c. 11. Faber Semest. I. 4. Pitisc. in Suetonii Claudium. *Partes* primas, secundas agere quid V. supr. in *Actor.*

Pars { familiaris, hostilis } jecinoris in aruspicina. V. illas supr. in *Caput extorum.*

PARTHI, penes quos, velut divisione orbis cum Romanis facta, orientis imperium erat eo tempore, quo Romani toto occidente potiti cum iis de summa rerum decertabant, Scytharum exsules fuerunt. Hoc ipsorum vocabulo manifestatur, nam Scythico sermone *Parthi* exsules dicuntur. Hi Assyriorum, & Medorum temporibus, qui primi Asiæ imperio potiti sunt, inter orientales populos obscurissimi fuerunt. Postea quoque cum imperium orientis a Medis ad Persas translatum est, veluti vulgus sine nomine præda victorum fuerunt. Postremo Macedonibus triumphato oriente servierunt. Post Alexandri mortem, nullo Macedonum dignante, Satanori externo socio traditi sunt. A Seleuco pronepote Antiochi, a quo & successoribus fuerunt possessi, primum defecere bello Punico I. C. Acilio Regulo II. L. Manlio Vulsone Longo II. coss. an. U. C. 504. Defectionis auctor fuit Arsaces quidam, vir sicut incertæ originis, ita virtutis expertæ. Hic, & ejus successores varia bella cum variis populis prospere gesserunt. Orodes bella cum Romanis gessit, Crassumque Imperatorem cum filio, & omni fere Romano exercitu delevit. Hujus filius Pacorus missus ad persequendas Romani belli reliquias magnis rebus in Syria gestis in patriam patri suspectus revocatus, quo absente exercitus *Parthorum* in Syria relictus, a C. Cassio quæstore Crassi cum omnibus ducibus cæsus est. Bellis civilibus Romanis Pompejo contra Cæsarem, Bruto & Cassio adversus Augustum, & Antonium auxilia miserunt. Post belli finem Pacoro duce, & Labieno, qui Pompejanarum partium fuerat, & bello victus ad Parthos transfugerat, Syriam irruperunt, & totam occupaverunt. Quos P. Ventidius Bassus Romanus dux prælio commisso ad internecionem usque, Pacoro, & Labieno occisis, occidit. Non longe post id prælium Orodes a filio Praharte est occisus, & regnum ejus vi invasit Prahartes. Huic M. Antonius triumvir, propter auxilium adversus se & Cæsarem latum, bellum cum sedecim validissimis legionibus intulit, sed graviter multis prœliis, fame, pestilentia, tempestatibus vexatus, & *Parthia* cum magna exercitus parte amissa, refugit. Prahartes victoria insolentior factus, cum multa crudeliter ageret, in exsilium pellitur, regnumque ejus Tyridati cuidam traditur; sed Scytharum præsidio adjutus, Tyridate fugato, regnum recuperavit. Cui cum Augustus metum injecisset, se bellum *Parthis* inferre velle, tunc tota *Parthia* captivi ex Crassiano, sive Antonii exercitu collecti, signa cum his militaria erepta Augusto remissa, & filii, nepotesque Phrahartis obsides Augusto dati. Post quem ejus filius Phrahartes Rex est appellatus, & post illum Orodes Rex fuit. Hoc occiso, legati Parthorum Vononem vetustissimum liberorum Phrahartis, quem Phrahartes olim Augusto obsidem dederat, ad regnum paternum acciverunt. Is a Tiberio missus, haud multo post regno vi exactus, Artabanum successorem accepit. Qui cum bellum cum Romanis suscepisset, his adjuvantibus, auctore Vitellio Syriæ legato a Tyridate regii Arsacidarum sanguinis bello petitus, regno pulsus est: & tertio cum recuperasset, cum uxore, & filio a fratre Gotharze interfectus est. Gotharzes cum Meherhate a Claudio Imperatore ad *Parthicum* regnum obtinendum misso pugnavit, quem prœlio victum, captumque, auribus præcisis incolumem servavit. Quo morbo decedente in regnum accitus est Vonones Medis tum præsidens. Hic brevi, & inglorio imperio perfunctus regnum reliquit Vologesi, qui rerum magnitudine in Romanis annalibus notissimus est. Hic enim diuturnum adversus populum Romanum bellum gessit, & non solum par, verum etiam aliquando victor fuit. Ipse Armeniam Romanis Nerone imperante ademit, duas Romanas legiones sub jugum misit. Vologesem filium regni successorem reliquit, cujus gesta apud omnes annalium memorias interciderunt. Post eum Chosroes Rex fuit. Cui cum Trajanus bellum intulisset, Armeniam primum, deinde Mesopotamiam omnem, & Assyriam ademit: ipsum vero prœlio victum fugavit, atque sine summo Regis imperio *Parthi* aliquot annis fuerunt. Verum *Parthis* ad defectionem spectantibus, Trajanus Regem constituit Parthenaspatem, quo pulso, Chosroes avitum recepit imperium. Post quem Vologeses filius regnum diu tenuit. Cum hoc Marcus, & L. Verus Romani principes multa bella gessere, eique Assyriam, & Armeniam ab Adriano relictas eripuere. Post Vologesem novissimus omnium Arsacidarum imperium tenuit Artabanus. Qui cum Romanis, Severo, Caracalla, & Macrino imperantibus, multa bella vario Marte gessit. Quem postremo Alexandro Romanis imperante Artaxerxes Persa triplici prœlio victum, non solum *Parthorum* regno, sed vita etiam privavit: imperiique orientis summam a *Parthis* iterum ad Persas transtulit, anno a primo Arsace 473.

Panvin. Imp. Roman. c. 25. *Noris. Cenotaph. Pisan Dissert.* II. *c.* 6. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *memor.* 37.

PARTHICUS cognominatus est primum Trajanus. Dio LXVIII. p. 781 D. *Adhuc Nisibi, Batnisque captis Parthicus cognominatus est.* Alter ab illo Antoninus Philosophus, una cum Lucio Vero fratre. Capitolin. c. 9. *Profligato bello uterque Parthicus appellatus est: sed hoc quoque Marcus delatum nomen repudiavit, quod postea recepit.* Postea Imperatores multi *Parthici* cognominati sunt. Indicant hoc eorum numismata. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 893. *F. Spanhem. Dissert. de præst. numism.* VI. *p.* 526. Labienus a *Parthis*, non devictis, sed defensis, ad quos se contulerat transfuga. Dio XLVIII. p. 373. B. Labienus, *pecunia confecta, ac spoliatis fanis, Parthicum sese imperatorem nominavit, ratione a more Romano diversissima. Quos enim adversum Romanos ducebat, ab iis nomen sibi sumebat: quasi vero ejus, ac non cives suos vicisset.* Spanhem. l. l.

PARTICARII inter negotiantes, divinæ domui inservientes enumerantur l. 7. C. de excus. mun. *Negotiantes vestiarios, linteones, purpurarios, & particarios, qui devotioni nostræ deserviunt, visum est ab omni munere immunes esse.* Dicebantur *particarum* venditores. *Particæ* enim & *partus* coria sunt. Versificator Lexicus:

Particulas vendens vir particus institor extat.

Alii de pellibus e *Parthia*, ceu nobilioribus, & peculiari βυρσοδεψικῆς artificio paratis intelligere malunt; iisque assentior, non tantum ob *tzangas Parthicas.* V. illas infr. in *Tzangæ*, & *Parthica tergora Campano fuco* apud Coripp. II. 6. quæ sunt coria e Parthia, tincta murice, pro calceis Imperatoriis: sed vel maxime ob l. interdum. §. species ff. de publicanis, in qua cum *pelles Babylonicæ* simul nominentur cum *pellibus Parthicis*, tam has, quam illas a locis, unde comparari solebant, appellatas vero consentaneum est. *Reines. Inscript. Class.* x. *n.* 8. *Salmas. in Treb. Poll. Claud. c.* 17. *Cujac. in Codicem.*

PARTICULONES *sunt dicti cohæredes, quod partes patrimonii sumant: Pompon. præc. post. Age modo Stagnari, particulones producam tibi.* Non. I. 71. *Guther. de vet. jur. pont.* II. 6. V. tamen infr. in *Partitio.*

PARTIRI est Etruscæ disciplinæ, & vox auguralis. E tesquis enim, sive jugis, locisque eminentioribus, unde liber esset totius cœli conspectus, *partiebatur* augur, & designabat lituo cœli regiones, & conceptis verbis templum a terra ad cœlum usque describebat, variaque rite in spatia diribebat. Stat. Theb. III. 496.

—— sic fatur, & alto
Membra locat scopulo: tunc plura, ignotaque jungit
Numina, & immensi fruitur caligine mundi.
Postquam rite diu partiti sidera, cunctas
Perlegere animis, oculisque sequacibus auras.

VIII. 279.

—— haud mora, cuncti
Insignem fama, sanctoque Melampode cretum
Thiodamanta volunt; quicum ipse arcana deorum
Partiri, & visas una sociare solebat
Amphiaraus aves.

Bellus de part. templ. augur. c. 1. §. 8.

PARTITIO erat modus, quo hæredi liberatio a sacris quærebatur. *Partitionem* voco pecuniæ divisionem a testatore factam testamento inter hæredes, legatariumque, secundum tabulas testamenti. Ab hac cohæredes *particulones* dicti sunt, quod *partes* illis invicem factæ. Ad *partitionem* tamen decursum est, ut legatariis consuleretur, ne tantundem caperent, quantum omnes hæredes, sacrisque hoc modo obligarentur. *Guther. de vet. jur. pontif.* II. 6. *Scalig. in Festum in Puri.* Ego memineram *partitionem* esse genus legati, quo legatarius accipiebat tantundem, quantum hæres, seu dimidiatam hæreditatem, vel, si plures hæredes essent, tantum quantum omnes hæredes. Theophil. II. 33. *Τὸ γὰρ παλαιὸν ἓν πέμπτον γένος ληγάτων, ὃ ἐλέγετο παρτιτίων, ἤτοι μερικὸν, κατελιμπάνετο δὲ τοῦτον τὸν τρόπον.* *Titius mihi hæres esto, & cum Sejo dividito in dimidia portione.* Ea adeo non erat causa liberandi quemquam sacris, ut Scævola definiat apud Cicer. de Legib. II. 19. proxime hæredes adstringi sacris, *qui morte, testamentove desuncti tantundem capiat, quantum omnes hæredes.* Le iterum Scævola & Coruncanius apud Cicer. ibid. n. 21. *qui tantundem caperet, quantum omnes heredes, sacris alligari.* Gutherio aliud est testamentum, aliud tabulæ testamenti. Subtiliter. Nam divisionem istam facit testator testamento secundum tabulas testamenti. Rursus, quid partes factæ invicem? Si cohæredes invicem sibi fecerunt, non ergo testator secundum tabulas testamenti. Falsum est ab hac *partitione* cohæredes dictos *particulones*: nam ista *partitio* est non inter hæredes, sed hæredem & legatarium. Falsum quoque ad *partitionem* esse decursum... nam qui *partitionem* faciebat, hoc est, legatario tantum relinquebat, quantum hæredi, vel omnibus hæredibus, is legatarium adstringebat sacris. Qui nollet adstringere sacris legatarium, is minus ei relinquebat quam hæredi, vel omnibus hæredibus. Hoc *jure pontificio* esse ait Cicer. n. 21. sed *huc accessisse ex jure civili inventum, quo pecunia sacrorum molestia liberaretur: nempe, ut centum nummi deducerentur.* Ita enim erat minus futurum. Ergo *partitione* facta, hoc est, si legatario una erat relicta pars dimidia hæreditatis, is legatarius *partiarius* deductis centum nummis necessitatem quidem sacrorum evitabat: non ideo tamen *partitio* est modus solvendi sacris, magis quam hæredis institutio; neque ideo fiebat, ut sacris solveretur legatarius. Nec vocabulum *partitionis* accipiendum pro genere legati, de quo diximus, cum Cicer. l. l. ait *partitionis caput scriptum caute*: sed est τεχνικὸν, ut cum *regulæ, definitiones, casus, quæstiones, theoremata* dicuntur: ut cum Cicero *partitiones oratorias* scripsit. Dixerat n. 19. *Illi sæpe quod positum est in una cognitione, id in infinita dispartiuntur.* n. 20. *Hæc nos a Scævola didicimus, non ita descripta ab antiquis.* I. de Orat. 42. *Ut primum omne jus civile in genera digerat, quæ perpauca sunt: deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiat.* Has ergo Scævolæ *partitiones* intelligit Cicero, & *caput partitionis*, ut ad Trebatium Fam. VII. 25. *Tamen id caput, ubi hæc controversia est, notavi.* Ascon. in Cicer. I. 46. Ubi Cicero: *in illo capite Anniano*, inquit, *proprie juris capita dicuntur.* Quod si omnino *partitionem* in verbis Ciceronis accipere liceat genus legati, *τὸ caput* tamen aliter, quam diximus, accipi non potest: & *caput partitionis* erit definitio, vel exceptio de *partitione.* Gronov. de Pecun. Vet. IV. 7.

PARTUS ad facilitatem impetrandam Junoni vota solvebantur. Allusit Prop. IV. I. 95. V. illum supr. in *Juno.* Accedebant huic alii dii, & deæ, qui parturientibus præerant: quales Mena, Pertunda, Latona, Egeria, Lucina, dii nixii; & a Romanis, ex pariendi discrimine, maxime celebratæ deæ, Prosa, vel Prorsa, & Postverta, a quibus mulieres auxilium exspectabant. *Tomas. de donar. c.* 14. Epotis medicaminibus, in ipsis visceribus, quæ exstinguunt, *quia parricidium faciunt antequam pariunt*, ut loquitur Minuc. Fel. p. 29. ut parricidæ puniuntur. Paull. Sentent. v. 23. V. illum supr. in *Abortionis poculum.* Concil. Wormat. c. 35. *Mulieres, quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidæ judicandæ sunt.* Cujac. Obs. v. XIX. 9. Rævard. Conject. III. 1. Elmenhorst. & Ouzel. in Minut. Fel. l. l. Septimestris legitimus, & perfectus nasci potest. Paull. l. septimo. ff. de stat. hom. Ulpian. l. Intestato. §. de eo autem. ff. de suis & legit. hær. *Septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis: & ideo credendum est, eum, qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse.* Paull. Sent. IV. *Septimo mense natus matri prodest ad jus liberorum. Ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur.* Ad *partum* frequentior esse decimus mensis credebatur. Inde ortum illud Virg. Ecl. IV. 61.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et de anno Romuli mensium decem Ovid. Fast. I. 33.

Quod

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Post decem menses mortis natus non admittitur ad legitimam hæreditatem. Ulpian. d. l. §. post decens. Hinc Scævol. l. 29. princ. ff. de lib. & post. *Si filius meus vivo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, sive quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit, heredes sunto.* Justin. l. 4. C. ff. de postum. hered. *Si filius, vel filia intra decem mensium spatium, post mortem meam editi fuerint, hæredes sunto.* August. ad Leg. XII. tab. §. 24. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. I. c. 9.

ΠΑΡΥΦΗΝ ἀπὸ τῆς ὤας distinguunt Græci. Ὤαν extremam oram vestis, & infimam vocant. Παρυφὴν, quod ad extremam oram adsutum est, purpureum prætextum. Pollux VII. 14. *Ὦα, extrema utrinque tunicæ pars. Λῶμα vero utrinque existentes vestis partes, non tamen eo loco, ubi ὤα est. Sed quæ circa ὤας sunt contexturæ, fimbriæ vocantur, & limbi.* Hesychius vocat παραστροφὴν extremitatem vestis in se replicatam, & corrotundatam, contortamque, supra quam limbi, vel fasciæ purpureæ, vel clavi adsuebantur, quibus prætexebatur vestis. Hinc περιπορφυρόσημος vestis, purpureis clavis prætexta: & παρυφαὶ, quomodi clavi, & limbi, quibus prætexi solebat. Glossæ: παρυφή, *prætextum.* Hinc *prætextum* pro ornamento. V. infr. in *Prætextum.* Salmas. in Vopisc. Aurel. c. 46. Etiam H. Stephanus in Thesauro linguæ Græcæ παρυφὴν interpretatur *limbum.* Quid παρυφή sit, fatetur Eustathius se ignorare. Scribit enim in Odyss. II. p. 83. *A verbo ὑφῶ, id est, texo, venit ὕφος, atque etiam παρυφή. Est autem paryphe secundum Athenæum ornamenti genus in veste: sed non satis plane, & aperte, quid fuerit, indicat. Forte fuit ut illa, quæ dicuntur exemplota, & plumaria: nec tamen videtur fuisse ora vesti apposita, sed aliquod ornamentum, quibusdam partibus vestimentorum adtextum.* Ubi videmus, Eustathium, quamvis neget liquido sibi constare, quid sit παρυφή, tamen haud accedere iis, qui παρυφὴν esse limbum extremæ oræ adtextum existimant. Pollux l. l. παρυφὴν cum limbis confundere videtur. Sed ibi improprie hac voce usus est, ut Latini quoque Grammatici clavorum nomen ad limbos aliquando transferunt. Nam c. 13. ait: *virgæ purpureæ in imis paryphæ vocantur.* Virgæ autem purpureæ, vel aureæ non in imis oris assuebantur, sed mediis vestibus inserebantur, ut in sagulis Gallorum, & dalmaticis diaconorum, quarum clavos Alcuinus & Remigius virgulas coccineas appellant. Lucian. in Demonacte lato clavo indutos εὐπαρύφους appellat: *Videns gloriantem quendam ex laticlaviis ob latitudinem purpuræ.* Proprie igitur Plutarchus de παρυφῇ loquens verbo ἐμβάλλειν usus est, de institutis Laconicis: *Saccos solitum bajulare necaverunt, quod prætextam sacco inseruisset,* παρυφὴν εἰς τὸν σάκκον ἐνέβαλε. Nam τὸ ἐμβάλλειν non de limbis, aut prætexta purpura, sed de clavis a Græcis dicitur. Suidas in voce χλαμύς: *Non extrinsecus addens, sed extrinsecus immittens,* ἐμβαλὼν, *purpuram.* Ruben. de re Vest. I. 2. V. & supr. in Παραλουργές.

PAS.

PASCERE proprie dicitur de familia servorum: ut apud Catonem *bene vestire, & bene pascere.* Imitatus Apul. Apol. p. 438. *Pauciores habeo servos, parcius pasco, levius vestio.* Juven. Sat. III. 141.

Quot pascit servos?

Casaub. in Spartian. Adrian. c. 11.

Pascere absolute dictum pro convivium exhibere, vel epulari. Spartian. Adrian. c. 17. *Quum cum plurimis summatibus pasceret, fercula de aliis mensis etiam ultimis quibusque jussit apponi.* Lamprid. Alex. Sev. c. 41. *Et quum argentum in ministerio plus ducentis libris non haberet, nec plures ministros, argentum, & ministros antea quando pascebat, accipiebat ab amicis, quod hodieque fit, si pascatur a præfectis absente Imperatore.* *Pascere* dicebatur Imperator, cum solenne convivium exhiberet magistratibus, & reliquis proceribus, & summatibus. *Pascere* dicebatur tam is, qui convivium præbebat, quam ille, cui præbebatur. Ennodius in Epigrammatis: *de eo qui nunquam nisi in depositione filii pavit,* id est, qui nunquam quemquam convivio accepit. . . . Hoc est lemma. Sequitur epigramma:

Convivæ miseri luctus deponite multos:
Prandia tot venient, funera quot fuerint.

Salmas. in Spartiani Adrianum, & Lampridii Alexandrum. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 72. & 86.

Pascere linguam dicebantur in sacrificiis qui tacebant. Paull. apud Festum: *Pascito linguam in sacrificiis dicebatur: id est, coerceto, contineto, taceto.* Turneb. Adv. V. 19: XIV. 9. Guther. de vet. jur. pont. IV. 2. Buleng. de omin. c. 1. Brisson. de Form. I. p. 8. Palmer. Spicil. X. p. 778. *Pascere linguam* ineptum est. *Compescere* quidem dicitur coercere: quod proprie fit in idem pascuum cogere animalia & compellere: cui contrarium dispescere. Sed *pascere* simpliciter pro coercere inauditum est. *Parcere linguam,* φείδεσθαι τῆς γλώσσης, tacere, abstinere linguam. *Salmas. Exercit. Plinian. p. 73. a. A.*

PASCUA vulgo, & communiter dicuntur saltus, & sylvæ, in quibus greges pascebant. Plin. XVIII. 3. *Etiam nunc in tabulis censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat.* Virg. Georg. III. 323.

In saltus, utrumque gregem, atque in pascua mittes.

Calpurn. Eclog. V. 24.

Sed non ante greges in pascua mittito clausos.

Plurima *pascua* possidebant Romani per totam Italiam, & provinciis, præcipua erant in Apulia, & illa Italiæ parte. Varr. de re Rust. II. 1. *Greges ovium longe abiguntur ex Apulia in Samnium æstivatum.* Liv. XXXIX. 29. *Magnus motus servilis eo anno in Apulia fuit. L. Postumius de pastorum conjuratione, qui vias latrociniis, pascuaque publica infesta habuerant, quæstionem severe exercuit.* In provinciis etiam fuerunt. Cicero meminit magistrorum scripturæ in Asia Attic. XI. 10. *P. Terentius operas in portu, & scriptura Asiæ pro magistro dedit.* & Siciliæ. Verr. II. 70. *In scriptura Siciliæ pro magistro est quidam L. Carpinatius.* Inter publica maxime celebratur sylva Scantia. Cicer. Agrar. I. 1. *Veneat, inquit, sylva Scantia. Utrum tandem hanc sylvam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis invenisti?* Et salicta ad Minturnas. Cicer. Agrar. II. 14. *Accedent salicta ad Minturnas.* Sub illis etiam montes comprehendi puto, qui maxime ad pascendos greges ovium apti erant. Sic inter patrimonia populi Romani recenset Cicer. l. l. *Montem Gaurum,* & Siculus Flaccus *montium Romanorum* inter agros vectigales meminit. Ex his magnum ærario Romano vectigal obveniebat, quod a pastoribus pro gregum pastione solvebatur. Antiquissimum hoc fuit, & diu solum, atque unicum Reipublicæ emolumentum. Plin. l. l. Antiquis tamen temporibus non videntur publica tam stricte privatis clausa, & depasci vetita fuisse, vel saltem licentia vulgi invaluerat, ut quisque suas pecudes in publica immitteret, donec ab ædilibus plebis Publiciis publicis reditibus consultum est, lege lata, & multa imposita iis, quorum agrum publicum depascerent. Ovid. Fast. V. 283.

Venerat in morem populi depascere saltus:
Idque diu licuit, pœnaque nulla fuit.
Vindice servabant nullo sua pabula vulgus:
Jamque in privato pascere inertis erat.
Plebis ad ædiles delata licentia talis
Publicios: animus defuit ante viris.
Rem populus recipit: multam subiere nocentes.
Vindicibus laudi publica cura fuit.

Ab eo tempore magna cura publicorum *pascuorum* habita fuit, & multæ, qua pecuarios ædiles afficiebant, mentio apud Liv. X. 47: XXXII. 42: XXXV. 10. quæ ad ludos Florales plerumque adhibebatur. Ovid. Fast. V. 291.

Multa

Multa data est ex parte mihi: magnoque favore
Victores ludos instituere novos.

Deinde publice etiam abhinc locata fuere publicanis, qui a pascere volentibus certum æs accipiebant, vectigalis nomine, de quo in *Scriptura*. Usus Italiæ gentibus valde erat necessarius, quia in ea regione, *neque eadem loca, æstiva & hiberna, idonea erant omnibus ad pascendum*, ut Varr. l. l. docet: sed aliis *pascuis* æstate, aliis hyeme indigebant: cumque privati, & mediocres pastores non utriusque generis *pascua* possiderent, quod ipsis deficiebat, publica præstabant. Ita l. 12. §. 8. ff. de instr. & inst. leg. dicantur *aliqua parte anni pecora in [illegible]*, nimirum proprio pastoris, *pascua*, *alia parte pascuis publicis [illegible]*. Sub Imperatoribus tota hujus vectigalis ratio [illegible], & immutata fuit, & eandem cum agris publicis sortem habuere *pascua* publica: omnia enim a seditiosis, & populari studio devotis civibus, a publico patrimonio decerpta fuere. Lege Thoria, qua omnes agri vectigales immunes facti sunt, cautum erat: *Neive populo, neive publicano pecuniam, scripturam, [illegible], dareve debeat.* Deinde omnia, cum reliquis Italiæ agris, aut vendita, quod tentabat Rullus, aut divisa sunt, & ita vectigal scripturæ exolevit. *Pascua* vero, quæ in provinciis, & subjectis regionibus quondam publica [illegible], videntur ab Imperatoribus fuisse occupata, & eorum reditus in fiscum redacti. Sane in utroque Codice meretur, & titulus specialis est de *pascuis publicis, & privatis*: est & alter *de fundis, & saltibus rei Dominicæ*: ex quibus constat Imperatores possedisse jure Dominico multa *pascua*, & saltus. *Pascua* Imperatorum a gregibus propriis plerumque depascebantur, qui *greges Dominici* appellantur l. [illegible] C. Th. de *greg. domin.* Hi greges ut plurimum equorum erant, quos Imperatores ad usus bellicos plurimos in provinciis coemebant, & in his *pascuis* [illegible]. Si vero, vel non magna satis copia equorum, vel amplior *pascuorum* modus esset, locabatur ea *pascuorum* pars, quæ superabat, pastoribus, qui proprios greges cum dominicis [illegible], & fixa, & annua pensione jus pascendi [illegible] dimebant, quam augeri Julianus, & deinde Valentinianus, & Valens prohibuere: ne prætextu, quod majorem, quam antiquis temporibus solebant, pensionem solverent, sibi tota *pascua* vindicarent depascenda, & greges dominicos ab illis excluderent l. 1. & 2. C. Th. de [illegible]. *Sigon. de ant. jur. civ. Rom.* I. 16. *Burmann. Dissert. de Vect.* c. 4.

PASSER cognominatus est M. Petronius. Memoratur Varr. de re rust. III. Fors hic est M. ille Petronius, qui Catonem a Cæsare consule in carcerem duci jussum secutus est. Cumque Cæsar increparet, quod ante senatus dimissionem digrederetur: *malo*, inquit, *esse cum Catone ἐν τῷ [illegible], quam hic tecum.* Glandorp. Onom. Roman. p. 6[illegible]4. Sigon. de nomin. Roman. c. 5.

PASSUM *dicitur liquoris genus, quod ex uva passa cogitur.* Virg. Georg. II. 93.

Et passo Psythia utilior.

Non. IV. 364. *Varr. de vit. pop. Rom.* I. *Passum nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque passi essent in sole adure.* Non. XVII. 16. *Bulenger. de Conviv.* III. 7. & 18. *Cerda in Virgilium.* Servius ad Virg. l. l. *Mustum decoquitur, & inde fit passum, hinc defrutum dictum, quod defraudetur.* Sed errat Servius. Nam *passum* non fit ex musto decocto, neque defrutum nominatur. D[illegible] a defruto. Defrutum quid sit, & quomodo [illegible]. V. supr. in *Defrutum*. *Passi* conficiendi modum verbosius docent Colum. XII. 39. Pallad. Octob. tit. 19. Plin. XIV. 9. ex quibus hæc excerpsimus. *Passum* fit ex uva, quam Græci sticam vocant, nos Apianam: uvæ in vite diutius sole aduruntur, aut oleo fervente: aut [illegible] in [illegible] vas expansis, donec paullo amplius dimidium ponderis supersit: arida deinde acta in dolium conjiciunt, eodem mustum adjicientes, ita ut grana sub mersa sint: quæ ubi combiberint, seque impleverint, prelo premuntur, & ita vinum generosissimum tollitur. Qui autem volunt secundarium *passum* facere, adjiciant vinaceis tantum aquæ puteanæ, quantum ex prima pressura *passi* fluxerit. Et hoc quidem esse credidimus, quod neoterici lingua vernacula malvaticum appellant, quod generosum tamen ex insula Creta his temporibus [illegible], & antiquitus mittebatur. Declarat hoc [illegible] distichon Mart. XIII. 106. cujus lemma est *passum*:

Gnossia Minoæ genuit vindemia Cretæ:
Hoc tibi [illegible] pauperis esse solet.

& Juven. Sat. XIV. 270.

Qui gaudes pingue antiquo de litore Cretæ
Passum, [illegible] vas [illegible] genus.

Beroal. in Sue[illegible] 54. Bacc. de vin. I. 13. Nonn. de Re cib. IV. 13. Mercurial. de Conviv. vet. c. 10. §. 33. & 34. Voss. Lex. Etym. in Passum. Refertur ad dulcia. Procul. l. qui vinum §. 1. ff de trit. vin. & ol. leg. *Cui dulcia legata essent, [illegible] testamento [illegible], omnia hæc esse [illegible], mulsum, passum, defrutum.* Meminit etiam *passi* inter alia dulcia [illegible] aut Pierd. [illegible] 51.

Muriolam, passum, defrutum, [illegible].

Mulieres hoc bibebant. Non. XVII 13. *Varr. de vit. pop. Rom.* I. *[illegible]* [illegible] *Passum appellare putant.* De [illegible] Rosin. [illegible] Gell. X. 23. *Bibere autem solitas [illegible] loram, passum, murrinam, [illegible] potu dulcia.* Athen. X. p. [illegible]0. E. V. [illegible] in *Femina.* Casaub. in Athen. X. 11. [illegible] de R[illegible] III. 7. Rosin. Ant. [illegible] XVIII. 37. Bulenger. de Conviv. III. 5. Mercurial. ibid. §. 31. & 32. Schard Nomencl. [illegible] p. 1102.

PASSUS [illegible] iter est spatium, quantum homo [illegible] [illegible] [illegible] aut expansis [illegible] & dicitur Græcis ὀργυιά, quæ est mensura sex pedum, quæ inter ambas manus, [illegible] [illegible]. Aliter Pitisc. [illegible] 18. [illegible] l. 5. C. [illegible] reg. Cujac. ad [illegible] 4. [illegible] Gothof. [illegible] Π. de term. mot. & [illegible] *passum* [illegible] Π fin. reg. in lege Græca Solonis ὀργυιὰ [illegible] vel 2. ab extensis, sive [illegible] pedibus: quæ [illegible] vulgaris, nulla certa, & stata quantitate; sed est spatium illud, quod quilibet homo in progrediendo pedum extensione determinat, atque adeo, cum pro corporum, crurumque longitudine alio aliis gradus, gressusque formant grandiores, vel minores, horum quoque *passuum* non est certa, ac definita quantitas: [illegible] Ulyssis gressus [illegible] Polyphemi gradum [illegible] 3. [illegible], & hic demum [illegible], qui & simplex dicitur, item gressus, complectitur [illegible], adeoque in L. L. decemviralibus XII. tab. vocatur sestertius, quod [illegible] relinqui [illegible], κατ᾽ ἐξοχὴν passus, Græce ὄργυμα, & cognominatus geometricus, estque spatium quinque pedum, quale inter confines agros interstitium olim debebat [illegible] l. 5. C. fin. reg. Dicitur etiam gradus, ut l. 3. pr. Π de term. mot. *Berger. de vus milit.* III *Sect.* 10 §. 4. *& ad illum Henninius. Cenal. de pond. & mens. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1482. *D. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 328. *B. [illegible] ae L. l. Circ.* [illegible] II. I.

PASTILLUS *est [illegible] panis parvi, diminutiva a pane.* Fest. [illegible] Horat. Sat. I. 2. 27.

Pastillos Rufillus olet.

Magni, & varii in medicina erat usus, ut tradit Cels. V. 17. & 20. Horatius de odoratis loquitur, qui non ad medicinam, sed ad delicias, ac voluptatem comparantur. Odores enim aut sicci, aut liquidi in usu erant. Liquidi unguenta vocantur. Sicci a forma, qua circumferuntur, *pastilli*, & in universum διαπάσματα. Plin. XIII. 2. *Siccis odoribus constant, quæ διαπάσματα vocantur.* XXXIII. 6. *[illegible] teritur, & in pastillos dividitur.* Torrent. in Horatium. Barth. Adv. XXXVI. 3. Blond. Triumph. Rom. I. p. 18. E. Varia forma sunt facti. Rotundi, qui τροχίσκοι, & κυκλίσκοι, & τροχοειδέες ἄρτοι Andromacho in

theriace, alii ἀρτίσκους vocant. Oblongi, ut dactyli palmarum; vel ovali figura. Theomneſtus ὑπομήκεις κολλύρας vocat de re veterinaria. Pelagonius in eodem libro; κόψον, καὶ ποίησον πασίλλους ὡσεὶ ᾠά. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 936. *b. E.*

PASTINUM vineaticum eſt inſtrumentum bifurcum, quo ſemina in ſcrobes demiſſa panguntur. Colum. III. 18. *Paſtinum vocant agricolæ ferramentum bifurcum, quo ſemina panguntur.* Popm. de Inſtrum. fund. c. 8.

PASTORES ſunt ſervi, qui curam habent paſcendi. Ulpian. l. 8. §. 1. de inſtr. & inſtrum. l. 12. *Quibusdam in regionibus accedunt inſtrumento, ſi villa cultior eſt, atrienſes, ſcoparii. Si etiam viridaria ſint, topiarii, ſi fundus ſaltus, paſtionesque habeat, greges pecorum, paſtores, ſaltuarii.* Virg. Georg. III. 479.

Nunc quoque poſt tanto videat, deſertaque regna
Paſtorum, & longe ſaltus, lateque vacantes.

Juven. Sat. XI. 151.

Paſtoris duri eſt hic filius, ille bubulci.

Dicebantur etiam ſervi ad baculum. V. ſupr. in *Ad.* Popm. de Oper. ſerv. p. 96. Pignor. de Serv. p. 539. *Paſtorum* traduces ſe Romani forſin ideo finxerunt, quod Reſpublicæ pleræque, & civitates a *paſtoribus*, agreſtibusque primum fuerint conſtitutæ. Antiquiſſimi enim mortales, agriculturæ potiſſimum addicti, & proinde rudes ante, atque vagi, civilis ſocietatis, mutuique præſidii causa, in unum convenere. Et ſic civitates natæ. Omnium enim interfuit, ut ſinguli convenirent, & ſingulorum interfuit, ut uno in loco unius ſimul & omnium id eſſet, quod antea diſperſum habebatur. Niſi forſan alicui verius videatur, quod virtutem ſuam, atque felicitatem hoc figmento magis voluerint commendare. Quippe inuſitati exempli eſt, ex tam humilibus, abjectisque initiis, ad tantam majeſtatem, ex caſis, & tuguriis *paſtorum*, ad totius terrarum orbis principatum Romanos potuiſſe eluctari. Qui ex magnis ortus majorem ſe non facit, ludiorium; qui licet ex parvis prodierit, maximos tamen gloria rerum vicit, ſtuporem ſui merito omnibus imponit. *Boxhorn. Quæſt. Rom. c.* 19. Pani fiſtulam emeritam ſuſpendebant. Tibull. II. 5. 29.

Pendebatque vagi paſtoris in arbore votum
Garrula ſylveſtri fiſtula ſacra deo.

Virg. Ecl. VII. 24.

Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.

Long. Paſtor. I. p. 5. *Paſtoralia pocula, item tibiæ obliquæ, fiſtulæ & calami, paſtorum ætate provectiorum conſecrata dona, de tholis pendebant.* IV. p. 136. *Daphnis* vitam ruſticam relicturus, *collectis rebus omnibus, dona diis diſtribuit: Baccho peram, atque pellem conſecravit: Pani fiſtulam, nec non tibiam obliquam: Nymphis pedum & mulctralia.* Broukh. in Tibullum. Moll in Longum. Cerda in Virgilium. Barthol. de Tib. vet. III. 6. Meurſ. de Tib. vet. c. 2. Buleng. de Theatr. II. 22.

PAT.

PATAGIARIUS dicebatur, qui *patagia* conficiebat, vel vendebat. Feſtus: *Patagiarii, qui ejuſmodi opera faciunt.* Inſcriptio Romæ:

SEX. ANTONIUS. SEX. L. ARISTUS
MANULEARIUS. PATAGIAR.
SEX. ANTONIUS. SEX. LIB. STENALEUS. VIOLARIUS
ANTONIA. GLAUGELA. LIB
COMM. FECERUNT. INFR. PED. XX
IN AGR. PED. XXV.

Plaut. Aulul. III. 3. 35. V. illum ſupr. in *Caupo.* Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. VI. p. 224. Reineſ. Inſcript. Claſſ. XI. n. 83. Cerda Adverſ. 185. 10.

PATAGIUM erat clavus aureus, qui in materiam pretioſam incudebatur, & ſummis manicis, uti & veſtibus circa manum immiſſus, eas ornabat. Non. XIV. 19. *Patagium aureus clavus, qui pretioſis veſtibus immitti ſolet.* Hinc *tunica patagiata*, quæ dicitur Plaut. Epid. II. 2. 47. *Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. VI. p.* 224. *Reineſ. Inſcript. Claſſ. XI. n.* 83. *Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 190. *Ferrar. de re veſt.* I. 3. 20. *Anal. de re veſt. c.* 2. Erat honeſtis matronis, quod clavus viris. Et ipſum ἔτυμον declarat. *Patagium* enim dictum, quod quibusdam quaſi maculis, & nævis inſperſum erat. Πάταγος enim, niſi fallor, eſt morbus peſtilens, quo correpti qui moriuntur, nullum indicium morbi relinquunt aliud, quam nævulos in parte corporis. Quocirca in Gallia vocant *tac*, hoc eſt, maculam, vel nævum. Ab ea ſimilitudine a clavulis, qui tanquam nævi in plagulis ſparſi ſunt, dicitur *patagium.* Scalig. Append. ad Conject. Varr. p. 192. Voſſ. Lex. Etymol. Qui omnino non placent. Nonius enim improprie, & pro more ſeculi ſui locutus eſt, quo omnia ſegmenta veſtimentorum, quamvis ad oras attexta eſſent, clavos appellabant. *Patagium* enim non erat clavus, ſed ſegmentum aureum, quo ſumma ora tunicæ circa guttur ornatur. Ita Feſtus, cujus major auctoritas quam Nonii: *Patagium eſt, quod ad ſummam tunicam aſſui ſolet.* Atque hanc ſententiam aperte firmat Apul. Met. II. p. 46. *Uberes enim crines leniter emiſſos, & cervice dependulos, & deinde per colla diſperſos, ſenſimque ſinuato patagio reſidentes paulliſper ad finem conglobatos in ſummum verticem nodus adſtrinxerat.* Ubi eleganter criſpos, & flavos Fotidis crines circa collum ejus diſpoſitos *ſinuoſum patagium* appellat. *Patagiata* etiam tunica ornatus eſt Gracchus apud Juven. Sat. VIII. 207.

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum ſe
Porrigat.

Ruben. de re veſt. I. 1. Cerda Adverſ. 185. 10. Et ego arbitror eſſe limbum, faſciam, vel ſegmentum, quod tunicæ circa collum, vel circa fauces aſſuebatur. Verum mihi Apulejus videtur ipſos crines a fronte uſque in collum per tempora contortos, ut frequentiſſime in nummis animadvertere licet, *patagium* vocare; quia ſcilicet & verum *patagium* circa illud erat. Ferrarius Rubenium reprehendit, quod *ſpiram* putaverit eſſe *patagium* apud Juvenalem in hemiſtichio ſequente:

—— & longo jactetur ſpira galero.

ſibique nondum exploratum eſſe fatetur, quomodo quæ de faucibus tunicæ ſe porrigebat, poſſit dici *jactari longo galero.* At mihi nondum conſtat Rubenium exiſtimaſſe *ſpiram* ita debere interpretari; quippe qui verba illa omittat. Illorum, quæ ponit, hic eſt ſenſus, fidem habeamus tunicæ, hunc hominem in arena depugnantem Salium, & Gracchum eſſe; quia illa circa fauces aurea eſt, vel aureum limbum, ſive *patagium* habet. Quod vero Nonio explicatur *aureus clavus, qui veſtibus immitti ſolet*, hinc factum eſt, quod nulla inter *patagium*, & clavum fuit differentia, niſi quod hic recte per veſtes deſcenderet, illud vero transverſe eas ornaret; ita ut ambæ forent lineæ diverſum nomen propter diverſum, quem occupabant in tunicis, locum ſortitæ. *Cuper. Apoth. Homer. p.* 187.

PATELENA dicebatur dea, quæ præerat ſegetibus, cum ſpicæ, & folliculi *patefcunt*, ut ſcilicet ſpicæ exire poſſint. Auguſt. de Civ. Dei IV. 8. *Præfecerunt frumentis, cum folliculi pateſcunt, deam Patelenam.* Stuck. de Sacriſ. p. 35. Rhodig. Ant. Lect. XXV. 30. Tomaſ. de Donar. c. 26. Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. D. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 151. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. H. Arnob. IV. p. 132. binas facit *Patellanam, & Patellam: ex quibus unam patefactis, patefaciendis rebus alteram præſtitutam* ait. *Struv. & Gyrald. l. l. Cerda Adv. c.* 132. §. 37. *Voſſ. Lex. Etymol. in Patina.*

PATELLA eſt ὑποκοριστικὸν a *patina.* Feſtus: *Patellæ vaſa parva picata, ſacris faciundis apta, quæ erant forma veluti capidula quædam.* Voſſ. Lex. Etymol. in *Patina.* In ea olera poni conſueverant. Horat. Epiſt. I. 5. 2.

Nec modica cœnare times olus omne patella.

Mart. V. 79. 6.

Pone-

Ponetur digitis tenendus unctis,
Nigra coliculus virens patella.

Ursin Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 357. Et diis apponebantur epulæ, cum res divina diis penatibus, laribusque fiebat, aut de cœna eis libabatur. Varr. apud Non. xv. 6. V. illum supr. in *Dii patellarii.* Pers. Sat. III. 26.

Cultrixque foci secura patella.

Ubi vet. Schol. *Quia delibatæ dapes in ea positæ ad focum feruntur.* Voss. l. l. Turneb. Adv. VIII. 10. Stuck. Ant. Conviv. III. 2. Rhodig. Ant. Lect. III. 2. Lips. in Tacit. Annal. xv. n. 43.

PATELLARII dii. V. illos supr. in *Dii.*

PATENA est alveus ad hordeum equis apponendum. Veget. de re veterin. I. 56. *Patenaque appellatur, hoc est, alveus ad hordeum ministrandum, sit munda semper.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 13.

PATER coronas in foribus suspendebat nato sibi infante. Juven. Sat. IX. 85.

—— foribus suspende coronas,
Jam pater es.

Stat. Sylv. IV. 8. 35.

—— cumque tibi vagiret tertius infans,
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Litera, quæ festos cumulare altaribus ignes,
Et redimire chelyn, postesque ornare juberet.

Manavit hic mos a Græcis, qui id quinto die faciebant. Ephippus in Geryone:

Ὀυ ςεφαν@ ὐδ' ἔις ἐς. πρόσθε τῶν θυρῶν
Ἀμφιδρομίων ὄντων.

Meurs. de Puerp. c. 7. Grang. in Juvenalem. Propter nimiam paupertatem, & egestatem filium, filiamve victus causa poterat vendere. Hoc Imperatoris Constantini lege permissum ei erat. Licebat autem ei qui vendidit, aut ei, qui venditus est, aut alii cuilibet ad ingenuitatem eum revocare, pretio servi reddito emptori, aut alio mancipio ejusdem æstimationis. Quamobrem mirandum est, eundem Imperatorem scripsisse, *patribus*, quibus jus vitæ in liberos, necisque potestas permissa est, eripere libertatem non licere, ut in Theodosii, & Justiniani constitutionibus l. ult. C. de pat. pot. l. 2. de lib. cav. C. Th. reperitur: nisi velimus conjunctis hisce capitibus respondere, nihil horum esse sine maxima causa permissum. Hoc autem jus potestatis paternæ, ut Justin. Instit. de patr. potest. existimat, proprium est civium Romanorum. *Neque enim,* inquit, *alii sunt homines, qui talem in liberos potestatem habeant, qualem nos habemus. In potestate autem nostra sunt liberi, quos ex justis nuptiis procreavimus, item quos filii nostri, qui sub patria potestate sunt, procreaverint, non item filiæ.* August. in Leg. XII. tab. §. 6 V. etiam supr. *Emancipatio.* Cum in causa filii cognosceret, veluti judex, si deliquisset, cognatos, affines, amicos interiores advocabat, quorum consilio statueret, ne quid inconsulto, temereque iræ æstu, cæcoque percitus in plectendo peccaret. Senec. de Clem. I. 15. *T. Arium, qui filium prehensum in parricidio exsilio damnavit....* Deinde subdit: *Cogniturus de filio T. Arius, advocavit in consilium C. Augustum: venit in privatos penates, assedit, pars alieni consilii fuit.* Tacit. Annal. XIII. 32. 2. *Pomponia Græcina insignis femina Plautio, qui ovans se de Britanniis retulit, nupta, ac superstitionis externæ rea, mariti judicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite, famaque conjugis cognovit, & insontem nuntiavit.* Laurent. de Adult. & meretr. c. I. Lips. in Senecam. *In accusatione filiæ æquale jus cum marito habebat.* Scævol. l. is cujus, §. Marito ff. ad leg. Jul. de adult. *Marito primum, vel patri eam filiam, quam in potestate habet, intra dies sexaginta divortii accusare permittitur.* Ulpian. l. si maritus ff. l. l. *Si maritus in magistratu sit, potest præveniri a patre? Ait quin non oportet: & putat Pomponius debere dici, quoad maritus magistratum gerit, patris quoque accusationem impediendam, ne præripiatur marito jus, quod cum eo æquale habet. Si tamen simul ad accusationem ambo veniant, maritus præfertur. Nam & propensiore jure, & majore dolore exsecuturum eum accusationem credendum est, in tantum, ut etiam si pater prævenerit, & libellos inscriptionum deposuerit, marito non negligente, nec retardante, sed accusationem parante, & probationibus instante, atque imminente, ut facilius judicantibus de adulterio probetur, idem sit dicendum.* Ulpian. l. Ex lege Julia §. si simul ff. l. l. Lege vero tertia: *Nisi pater maritum infamem arguat, aut accuset, colludere magis cum uxore, quam ex animo accusare, postponetur marito.* Brisson. de Adult. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 1370. E.

*Pater*familias vocabatur civis Romanus, aut quicunque alius, qui Romæ habitabat, habens familiam, homo nimirum bonæ, & provectæ ætatis, familiæ locupletis, & plurium liberorum pater. Suet. Cal. c. 26. n. 9. *Patresfamiliarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis subjiciebat.* Domit. c. 10. n. 3. *Patremfamilias, quod Threcem mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, canibus objecit.* Reperio & familiaris ἁπλῶς hoc sensu dici. Festus: *Familiaris Romanus, privatus Romanus.* Casaub. in Suet. Caligulam. Barth. Adv. LIV. 2. *Patrisfamilias*, id est, civi Romano, qui e patris potestate exierat, hunc enim *patremfamilias* appellarunt, & non cuilibet legandi potestas erat permissa. Hujus testamentarii juris tota ratio e XII. tab. fonte manavit. Fuit enim in iis lex ejusmodi, quod in Rhetoricis ad Herennium, & de Inventione, itemque apud Pomponium, Ulpianum, & Justinianum invenitur, quanquam apud alios plenius, alios vero exilius, sed omnes fere in hunc modum: *Paterfamilias uti legassit super familia, tutelave suæ rei, ita jus esto.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 12. In familia solus omnia munera sustinet, quibus nunc in civitatibus infiniti satisfaciunt magistratus. Nam & mores, factaque observat, quod est censorum; & jus dicit inter socios, si qua de re sit controversia, quod est judicum; & si quid sub deliberationem cadat, de eo consilium suum exponit, & sententiam, quod est senatorum; & collabentes ædes reficit, quod ædilium est munus; & pecunias cogit, sumptusque necessarios, in quo quæstorum munus versatur, & si quid est generis ejusdem. *Perion. de Græcor. & Roman. magistr. I. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2764. F.*

Pater patratus erat magister, & caput fecialium. Plutarch. Quæst. Rom. 61. *Cur inter feciales maximus est is, quem patrem patratum appellant? Is autem est qui liberos habet vivo adhuc patre suo: atque etiamnum privilegium, auctoritatemque aliquam retinet: prætores enim corpora, quæ ob formam & florem ætatis custodia opus habebant pudica, eorum fidei commendant. An quia & liberos reverentur suos, & timent genitores? an ipsum nomen rem explicat? est enim patratum, quasi perfectum, & absolutum, & perfectior alius putabatur, qui vivo patre pater esset factus. Aut jurisjurandi, & pacis præsidem oportet simul, ut ait Homerus, prorsum & retrorsum videre? Id vero maxime præstare possit, qui & filium habet, de quo consultet, & patrem quicum deliberet.* Illi soli indicendi belli facultas erat. Serv. Æneid. IX. 53. V. illum supr. in *Clarigatio.* Liv. I. 24. *Fecialis erat M. Valerius: patrem patratum Sp. Fusium fecit, verbena caput, capillosque tangens (pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum fit) fœdus, multisque id verbis peragit.* Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 480. D. Panvin. de Civ. Rom. c. 32. Alex. Gen. dier. V. 3. Læt. de Sacerd. Rom. c. 9. Brisson. de Form. IV. p. 343. Saubert. de Sacrif. c. 6. Hansen. de jurejur. c. 10. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2. Lipen. de Stren. c. 3. §. 12. Donat. in Liv. I. 24. Voss. Lex. Etymol. in Patratus. Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. III. 2. Clasen. de Theol. gent. III. I. 16. Laurent. de Profess. c. 3. Flocc. de Potest. Roman. I. 10. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 86. E. Schill Nomencl. Philol. p. 887.

Pater patriæ primus fuit dictus Cicero decreto senatus. Plin. VII. 30. *Salve primus omnium parens patriæ appellate,* vel a Catone, ut narrant Appian. Bell. Civil. II. p. 431. & Plutarch. Cicer. p. 872. C. vel a Catulo, ut ipse in Pison. c. 3. Deinde Camillus a militibus apud Liv. V. 49.

 Cæsar,

Cæsar, cum jam patriam funditus evertisset, per adulationem. Dio XLIV. p. 242. C. Post Cæsarem Augustus apud Suet. c. 58. 1. Vespasianus apud Suet. c. 12. n. 4. Pertinax ea die, qua Augustus est appellatus apud Capitol. c. 5. Dici recusaverunt Tiberius apud Suet. c. 67. n. 3. & Nero apud Suet. c. 8. n. 2. Distulerunt Adrianus apud Spartian. c. 6. & Antoninus Philosophus apud Capitol. c. 9. Sic dicti sunt Imperatores *honoris gratia, & ut admonerentur, ut subditos liberorum instar diligerent, & hi illos velut parentes revererentur.* Dio LIII. p. 509. B. *ut scirent datam sibi patriam potestatem, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens.* Senec. de Clem. I. 14. *Guther. de Offic. dom. Aug. I. 40. Laz. Comment. Reip. Rom. III. 17. Alex. de Nigris Epist. ad Cappon. apud Malvas. Marm. Felsin. Sect. III. c. 4. Spanhem Dissert. de præst. numism. VIII. p. 724. Alciat. de Magistr. civil. & milit. offic. Misc. Ital. Erud. Tom. I. p. 534. Robortell. de cognom. & appell. Imperat. Misc. Ital. ibid. p. 652. Brisson. de Form. II. p. 227. Nonn. in Goltz. Jul. Cæsar. Numism. p. 48. Pitisc. in Suet. Jul. c. 76. n. 2.* Controversum inter eruditos agitatam de anno, quo Augustus *Patris patriæ* appellationem acceperit. V. supr. in *Augustus.*

Patres a plebe secrevit Romulus. Dionys. II. p. 83. *Illustres genere, & virtute celebres, opibusque, ut tum ferebant tempora, abundantes, quibus essent liberi, secrevit ab obscuris, abjectis, & egenis. Inferioris fortunæ homines plebejos vocavit; qui Græcis essent δημοτικοί. Potioris vero patres, sive quod ætate anteirent alios, sive quod haberent liberos, sive propter claritatem generis, sive propter hæc omnia; exemplo, ut videtur, ab Atheniensium Republica sumpto, quæ illo tempore adhuc florebat. Hi enim in partem distributa multitudine, εὐπατρίδας appellabant illustribus familiis ortos, opibusque præpollentes, penes quos fuit civitatis regimen: cæteros cives ἀγροίκους, quibus nullum erat in Republica suffragium.* Panvin. de Nomin. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2008. C. de Civit. Rom. c. 3. Hotman. Antiq. Roman. II. 9. Sigon. de Nomin. Rom. c. 6. de Ant. jur. civ. Rom. I. 7: II. 2. Manut. de Senat. Rom. c. 1. de civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 2. E.

Patres conscripti *dicebantur, qui ex equestri ordine patribus adscribebantur, ut numerus senatorum expleretur.* Festus. Liv. II. 1. *Deinde quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus Regis deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis ad trecentorum summam explevit: traditumque inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui patres, quique conscripti essent: conscriptos videlicet in novum senatum appellabant lectos.* Eos primum conscriptos esse credendum, qui primo ordini jam instituto inserti sunt, & reliqui omnes, qui variis temporibus in eum ordinem sunt collocati. Nam si conscriptum esse, idem est quod allectum, cur hi qui in ordinem jam institutum cooptati sunt, conscripti non sunt appellandi? *Patrum* conscriptorum appellatio itaque a secunda Romuli senatorum lectione manavit. Plutarch. Romul. p. 24. F. *Nam nunc quoque senatores exteræ nationes, prætores, & imperatores, ipsi Romani cum amplissimo, & honoratissimo, tum minime invidioso nomine Patres conscriptos vocant: principio patres tantum, post numero amplificato, Patres conscriptos appellavere.* Et hi majorum gentium sunt appellati. Minorum gentium qui dicerentur, legerunt Tarquinius Priscus. Liv. I. 35. *Nec minus regni sui firmandi, quam augendæ Reipublicæ memor, centum in Patres legit; qui deinde minorum gentium sunt appellati.* L. Junius Brutus. Tacit. Annal. XI. 26. 2. laudandus infr. in *Patricii.* & Livius modo laudatus. Hi tamen omnes, quicunque ad veteres *patres,* quos Romulus scripserat, vel a Tarquinio, vel a consulibus post ejectos Reges adscripti sunt, communi nomine conscripti dicti sunt. *Panvin. de Civit. Rom. c. 9. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom.* II. 1. *Manut. de Sen. Rom. c.* 1. *Strein. de Gentib. & Famil. Roman. Præfat. Perion. de Rom. & Græc. magistrat.* I. *Thes. Ant. Græc. Gronov.* VII. *p.* 2767. *E. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 4. Pigh. Annal. Rom.* I. *p. 69. Flocc. de Potest. Roman.* II. 1. *Bud. Triumph. Rom.* III. *p. 55. C.* Qui in senatu sententiam dicebant, aut alias verba faciebant, utebantur his verbis: *Patres conscripti:* eaque appellatione senatum compellabant, non ad consulem, sed ad universum amplissimum ordinem orationem dirigentes. Liv. XXII. 60. *Nihil vos eorum, Patres conscripti, quæ illic acta sunt, ignorare patiar.* XXVIII. 39. *Etsi nihil ultra malorum est, Patres conscripti, quam quod passi sumus.* Et iisdem Imperatores senatum alloquebantur. Suet. Aug. c. 58. n. 3. *Compos factus votorum meorum, Patres conscripti, quid habeo aliud deos immortales precari.* Tib. c. 29. n. 3. *Dixi, & nunc, & sæpe alias, Patres conscripti, bonum, & salutarem principem senatui servire debere.* Et ab iisdem orationes, quas in senatu habebant, veteres interdum inchoabant. Liv. V. 27. *Patres conscripti, victoria, cui nec deus, nec homo quisquam invideat, victi a vobis, & Imperatore vestro, dedimus nos vobis.* Tacit. Annal. II. 37. 4. *Patres conscripti, hos, quorum numerum, & pueritiam videtis, non sponte sustuli.* Vet. interp. Juven. Sat. IV. 81. *Crispus municeps Vercellensis tyrocinio suo ita sententiam cœpit: Patres conscripti, & tu Cæsar, propter quod sunt oratione plenissime a Tiberio conlaudatus.* Brisson. de Form. II. p. 161.

Patres omnes dii generaliter inter sollennes ritus, & precationes nuncupabantur. Lactant. IV. 3. *Jupiter a precantibus pater vocatur, & Saturnus, & Janus, & Liber, & cæteri deinceps; quod Lucilius in deorum concilio irridet:*

Ut nemo sit nostrum, quin pater optimus divûm:
Ut Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,
Janus, Quirinus pater nomen dicatur ad unum.

Gell. V. 12. *Jovem Latini veteres a juvando appellavere, eundemque, alio vocabulo juncto, patrem dixerunt. Nam quod in elisis, aut immutatis quibusdam literis Jupiter, id plenum, atque integrum est Jovispater. Sic & Neptunuspater conjuncte dictus est, & Saturnuspater, & Januspater, & Marspater.* Brisson. de Form. I. p. 43. Voss. de Idol. I. II. 16. Salmas. Exerc. Plin. p. 70. a. A. Turneb. Adv. XIII. 8. Gerall. in Albinov. Eleg. I. 23. Masson Horat. vit. p. 239. Schal Nomencl. Philol. p. 885.

PATERA in marmoribus antiquis in primis habetur. Græci dicunt φιάλην, sive φιάλιον, ut est apud Athen. IV. p. 155. D. in quo scribit Durim Samium memoriæ prodidisse, Philippum Alexandri Magni Macedonis patrem, cum phialam auream haberet, semper illam sub pulvino tenuisse repositam, φιάλιον χρυσοῦν. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 367.* Fuit poculi genus latum ac patens. Macrob. Saturn. V. 21. *Patera, ut & ipsum nomen indicio est, poculum planum, ac patens est.* Sacrificiis erat destinatum, & eo sacerdotes vinum inter cornua victimarum spergebant. Virg. Æneid. VI. 248.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris.

IV. 60.

Ipsa tenens patera dextram pulcerrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Illis Jovi libare solitum ostendit Virg. Æneid. VII. 133.

Nunc pateras libate Jovi.

Stuck. de Sacrif. p. 178. de Conviv. II. 37. Chausse Insign. pontif. tab. 18. Turneb. Adv. VIII. 10. Casal. de prof. Rom. rit. p. 89. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 1. Etiam potioni a summo sacrum. Varr. de Ling. Lat. IV. 26. *Præterea in poculis erant pateræ; Hisce etiam nunc in publico convivio antiquitatis retinendæ causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur: & in sacrificando hoc poculo magistratus dat deo vinum, & sanguinem.* Hoc in loco *circumferri potionem* Varroni idem videtur esse, quod in orbem præberi a summo: id quod illud quoque Plauti docet Pers. V. 2. 40.

Age, circumfer mulsum bibere, da usque plenis cantharis.

Stuck. Ant. Conviv. III. 14. Bruyer. de Re cibar. III. 9.

Patera filicata dicta est a filice, quæ ad filicis herbæ speciem erat cælata. Cicer. Parad. I. *Quid autem Numa Pompilius? Minime gratas diis immortalibus capedines, & fictiles urnulas, quam filicatas aliorum pateras arbitramur.*

Salmas.

Salmas. in Pollion. Claud. c. 17. Stuck. Antiq. Conviv. II. 15.

Patera hederata videtur habuisse tantum folia hederæ cælo expressa. Pollio Claud. c. 17. *Misi ad eum patinam argenteam hederatam.* Salmas. in Pollionem.

PATIBULUM dicta est pars patens, & transversa in cruce? Indicat hoc Senec. ad Marc. c. 20. *Alii brachia patibulo explicuerunt.* Sicut inferior, defixusque stipes, crux proprie dictus. *Lips. de Cruc.* III. 3. *Laurent. de Rebus publ.* c. 7. Proprie est idem ac furca, dicitur enim a patentibus ramis, sive cornibus. Hoc nomine intelligitur rectus stipes, sed cum duobus cornibus; inter quæ facinorosi cervices interserebant: exinde manus cornibus, sive ramis alligabantur. Sic gestantes furcam, sive *patibulum*, a pone sequente carnifice, vel conservis, cædebantur virgis: sæpe etiam ita cæsi agebantur in crucem. Unde est, quod quandoque *patibulum* idem est ac furca: interdum autem differt. Pro furca sumitur, cum Tacit. Annl. XIV. 33. 5. conjungit *patibula*, *ignes*, *cruces.* Pro cruce accipitur, cum ait Sallust. Hist. IV. apud Non. IV. 355. *patibulo affigi.* Valde errat Lipsius, cum censet in cruce proprie sic vocata κυρίως dici patens, ac transversum illud lignum, quod ad stipitem arrectarium se habet, ut in navi antenna ad malum. Nemo veterum sic *patibuli* vocem usurpat. Neque enim, cum aliquem legimus *patibulatum*, credendum est gestasse transversum crucis lignum, sed furcam, hoc est, stipitem rectum, summa in parte habentem duos ramos, sive cornua. Nec magis verum est, crucem proprie dici rectum stipitem. Verum quidem est, crucem proprie nuncupatam duobus lignis constitisse, recto, & transverso: sed nunquam vel crux pro solo recto, vel *patibulum* pro solo transverso usurpatum a veteribus invenias. Sed semper *patibulum* notat vel furcam, quæ bicornis erat, ut litera Y: vel crucem, cujus figura litera T. Constantinus Magnus vetuit, ne facinorosus affigeretur cruci. Quod dedit honori crucifixi Servatoris nostri. In crucis vero locum induxit novam *patibuli* formam, hodieque obtinentem, quæ obtinet figuram Græcanicæ literæ Π. Æque falsus Lipsius, cum scribit eopse libro, facinorosos post gestatam furcam ad campse prope crucem a...os. Nec enim furcæ affigebantur, sed cruci. Unde Plautus Carbonaria:

> *Patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci.*

Nec quisquam dixit furcifigi, sed crucifigi. *Voss. Lex. Etymol.*

Patibula sunt instrumenta, & machinamenta duo scalata e diverso in axiculum unum capitibus suis conjuncta, divaricatis ad imum cruribus. Cato de re rust. c. 69. *Ubi vindemia, & oleitas facta erit, prela extollito. . . . corbulas, quala, scalas, patibula, in suo quidque loco reponito.* Titinn. Fullon. apud Non. IV. 355.

> *Si quisquam hodie præter hanc*
> *Posticum nostrum pepulerit, patibulo hoc*
> *Ei caput defringam.*

His in vindemia arbusti potissimum opus est, & altioribus jugis, hodieque in pergulana vite uti homines nostri solent. Nonius tamen feram interpretatur. *Patibulum, fera, qua ostia obcluduntur, quod hac remota valvæ pateant.* Turneb. Adv. VI. 23. Popm. de instrum fund. c. 11.

PATINA inter vasa escaria habetur in veteribus marmoribus, qua utebantur, & ferculi vice, & ad coquendum pulmentarium. Plin. XXIII. 2. *Decoquitur in patinis cum sale, & adipe.* Horat. Sat. II. 8. 42.

> *Affertur squillas inter muræna natantes*
> *In patina porrecta.*

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 354. Bayf. de vascul. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 684. C. Quid sit, non omnes sciunt. Vulgo confundunt cum lance. Atqui lanx Græce est πίναξ, patina vero λοπάς. Lancibus & cibi simplices apponebantur, ut carnes assæ, frusta, & similia: *patinis* vero id factum nusquam legis; sed iis utebantur ad condiendos pisces, tyrotaricha, & similia, unde de fece sapæ Plinius modo laudatus. Itaque ut λοπάδες, ita *patinæ* quoque operculum habebant. Id vel docemur proverbio hoc apud Chromatium: *dignum patella operculum.* Voss. Lex. Etymol. Fictiles erant, in quibus lautiores cibi apponebantur. Plin. XXXV. 12. *Atque ut luxu quoque aliqua contingat auctoritas fictilibus, tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur summa cœnarum lautitia. Una erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piscis, inclinatis jam scilicet moribus, ut tamen eos præferre Græciæ etiam philosophis possimus. Siquidem in Aristotelis heredum auctione sexaginta patinas venisse traditur. Nam nos cum unam Æsopi tragœdiarum histrionis in natura avium diceremus sestertiis centum stetisse, non dubito indignatos legentes. At Hercules, Vitellius in principatu suo decies sestertio condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat: quoniam eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent, quam murrhina.* Juven. Sat. IV. 133.

> *Debetur magnus patinæ, subitusque Prometheus:*
> *Argillam, atque rotam citius properate.*

Salmas. ad Tertull. de pall. p. 459. Bacc. de Conviv. II. 9. Bayf. l. l. Constitit itaque Vitellii patina florenorum quinquaginta millibus. Condimentum sumptuosissimæ hujus *patinæ* accipimus ex Suet. c. 13. n. 5. *In hac scarorum jecinora, phasianorum, & pavonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarum lactes, a Carpathio usque, fretoque Hispaniæ, per navarchos, ac triremes petitarum commiscuit.* Meurs. de Lux. Roman. c. 13. Lips. de Magnit. Roman. IV. 7. Bacc. l. l. *Hanc, cum fictilis esse non posset propter magnitudinem, argenteam fecit: eaque diu permansit, veluti res diis consecrata, quousque Adrianus eam conspicatus conflari jussit.* Xiphil. LXV. p. 735. B. Pitisc. in Suetonium.

PATOECI, πάταικοι. V. illos i. f.. in *Tutela navium.*

PATRIA homini potest esse una naturæ, altera civitatis. Cicero quum in sua ad Arpinum municipium villa Attico suo dixisset de Leg. II. 1. se eo loco vel maxime delectari, & quidem, quod hæc esset, seu Arpinum, sua, & fratris sui, Quinti nempe tum præsentis, *germana patria:* quærit continuo Atticus c. 2. *numquid duas haberent patrias? anne est illa una patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum.* Ad quæ regerit Cicero: *Ego me hercule, & illi, & omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis: ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est: itaque cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris: ut vestri Attici, priusquam Theseus eosdem migrare ex agris, & in astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit, & Sunii erant iidem & Attici: sic nos eam patriam ducimus, ubi nati; & illam, qua excepti sumus.* Spanhem. Exercit. ad Constit. Imper. Anton. I. §. 7. Lomej. Gen. dier. Decad. II. Differt. 2. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. II. 7. Ab illis, qui ex aliqua peregrinatione domum salvi redibant, verbo salve salutabatur. Plaut. Bacc. II. 1. 1.

> *Herilis patria salve, quam ego biennio*
> *Postquam in Ephesum abii, nunc conspicio lubens.*

Stich. V. 2. 1.

> *Salvete Athenæ, quæ nutrices Græciæ:*
> *Terra herilis patria, te video libens.*

Ad quem morem sine dubio alludit Julian. Orat. III. *Siquidem nos omnes, quotquot in Thracia, & Ionia sedem habemus, originem ex Græcia ducimus, & quisquis nostrûm non omnino ingratus est, parentes suos salutare, ac regionem ipsam complecti quodammodo cupit.* Brisson. de Form. I. p. 35. Claude de Salutat. c. 8.

PATRIARCHIUM vetus pontificum Romanorum, partim vetustate collapsum, partim incultum, ac deformatum, ad basilicam Lateranensem, Sixtus V. pontifex Romanus totum a fundamentis magnificentissime refectum, & picturatum ædificavit ea laxitate, ut cum in eo senatum, seu consistorium haberet, purpuratos patres omnes, suis quemque cubiculis dispertitos acciperet. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 12.

PATRICIATUS non fuit nomen magistratus, sed ordinis: non enim unus fuit *patricius*, sed plures quasi

ſenatus principes, ut qui florente Romana Republica conſulares, prætoriique fuerant, quibusque & ſella curulis, & primæ ſententiæ locus debetur. Dignitatis hujus vel temporibus Juſtiniani ortus debetur, vel ſaltem ipſius ævo ſumpſit incrementum. Hanc de ſe bene meritis Imperatores juſtæ remunerationis loco conferebant. Caſſiod. Var. I. 3. *Hinc [illegible] tot ampliſſimis laudibus inclutum, patriciatus tibi apicem [illegible] remuneratione conferimus: ut quod aliis eſt [illegible], tibi ſit [illegible] meritorum.* Dandi patriciatus formulam exhibet Caſſiod. l. Var. III. 5. *Tu parentum laude decoratus, tu [illegible] luce conſpicuus, ſume [illegible] patriciatus inſignia, [illegible] plenarum [illegible]: [illegible] honoris inſulas adultam [illegible], qui [illegible] judicia ſuperaſti.* Qui etiam multa de hoc honore ſcribit VIII. 9. & 10. *Urſat. de Not. Roman. [illegible] Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 892. *B.* Dignitatem hanc Sirmond. in Sidon. Epiſt. V. 16. putat eandem eſſe [illegible] & conſulatum: quia conſulatus ſit apex omnium dignitatum, κορυφὴ καὶ κεφαλὴ, ex Chryſoſtomo. Quod ita intelligi poteſt, ut [illegible] conſulatu, conſulares omnes *patricius* præcedat. Videtur [illegible] item amplior conſulari dignitate, quod conſularis honor patria poteſtate non liberat: at *patriciatus* imperialibus codicillis præſtitus ab illa patria poteſtate eximebat. [illegible] Inſtitut. quib. mod. jus patr. pot. ſolvit. Al[illegible] diverſa [illegible] dignitatum [illegible] auctoritate Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius decreverunt l. 1. C. Th. de conſul. & patr. Sirmondi ſententiam tuetur Plin. Paneg. *Conſulatum ſi [illegible] Princeps, præfecturam prætorii, [illegible], aut patriciatum non gerit.* Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 11. & 12.

PATRICIDIUM dicitur, ſi quis patrem, aut filium, aut eum [illegible] quæ nuncupatione *parentum* continetur, occiderit, ſive clam, ſive palam id [illegible]: nec non is, cujus dolo malo id factum eſt, vel conſcius criminis exſtitit. *Auguſt. de Leg. in Pompeja. Manut. de Leg. c.* 26. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Claſſ.* II. *c.* 11. *Demſter. Paralip. in Roſin. Antiq. Roman. p.* 653. Adverſus *patricidas* Romulus nullam pœnam ſtatuit: qui neminem unquam tam ab humanitate averſum, tam naturæ inimicum fore exiſtimaret, ut parentibus, unde vitam ipſam, ac lucis uſuram, manus afferret, neque per annos DC. Romæ quiſquam tale facinus perpetravit. Itaque primus L. Hoſtius traditur poſt annos DC. & poſt Punica bella patrem ſuum occidiſſe. Liv. Epit. LXVIII. tamen ſcribit: *Publicium Malleolum bello Cimbrico an.* 640. *matre interempta, primum omnium in [illegible] culleo, in mare præcipitatum eſſe.* Et Cicer. ad Herenn. I. 13. de Invent. II. 50. *Qui parentem necaſſe judicatus erit, is obvolutus, & obligatus corio deportetur in profluentem. Malleolus judicatus eſt matrem necaſſe.* Auguſt. & Manut. l. l. Voſſ. de Idolol. III. 84. Rhodig. Ant. Lect. XI. 17. Nec apud Athenienſes Solon. Cicer. pro Sext. Roſc. c. 25. *Is cum interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necaſſet, reſpondit; ſe id neminem facturum putaſſe. Sapienter [illegible] dicitur, cum de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur.* Quem locum reſpexit Hieron. Epiſt. 151. *Et Tullius de patricidarum ſuppliciis apud Athenienſes Solonem ſcri[illegible], ne non tam prohibere, quam admonere videretur.* Meurſ. Them. Att. I. [illegible]. Solon. c. 22. Stephan. de Jurisdict. vet. Græc. [illegible] 15. Sigon. de judic. II. 31. Pigh. Annal. Rom. III. p. 16[illegible]. Gentil. de Actor. & ſpectat. tib. c. 9. Ritter h. l. l. De [illegible] ſupplicio Cicer. l. l. *[illegible] majores noſtri ſapientius? qui cum intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in patricidas ſingulare excogitaverunt: ut quos natura ipſa [illegible] in officio non potuiſſet, ii magnitudine pœnæ maleficio ſummoverentur: inſui voluerunt in culleum vivos, atque ita in flumen dejici. O ſingularem ſapientiam, judices! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe, & eripuiſſe, cui repente cœlum, ſolem, aquam, terramque ademerunt, ut, qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur? Noluerunt feris corpus objicere, ne beſtiis quoque, quæ tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus uteremur: non ſic nudos in flumen dejicere, ne cum delati eſſent in mare, ipſum pollucrent, quo cætera, quæ violata ſunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare eſt, cujus partem ullam reliquerint: etenim, quid tam eſt commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? Ita vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa non tangat terra: ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.* V. ſupr. in *Culleus.* Primo tamen damnato ſtatim folliculo lupino os obvolvebatur, *& ſoleæ ligneæ pedibus induc[illegible], & in carcerem ducebatur.* Cicero ad Herenn. & de Invent. l. l. Os illi obvolvebatur, quod indignum cenſerent, qui communi ſpiritu, luceque frueretur. Lupinum folliculum eſſe voluerunt, quaſi feritatem ſignificantes, qui necem atrocem, & acerbam ſua manu parenti obtuliſſet. Soleæ ligneæ ejus pedibus inducebantur, ne communi hominum reliquorum e corio calceatu uterentur, neu calceamenta, quibus homines uti ſolerent, pollueret, ſi eis pedibus ſuis calcarent, neu terram tangerent pedibus nudis [illegible] parentem communem; ſed & ſenſus expers, & omnis humanitatis, & durus, & aſper, vereque ligneas eo ipſo ſignificabatur. *Turneb. Adv.* XIII. 13. *Demſter. Par. l. ad Roſin. Antiq. Roman.* VIII. 31. *[illegible] de Cu. c.* 5. *[illegible] l. l.* Ad [illegible] carcere contineatur, donec exacto anno plecti debitis pœnis a magiſtratu poſſet. Calpurn. Flacc. Declam. IV. cui epigraphe eſt, *damnatus parricidii anno cuſtodiatur.* Thema: *Damnat[illegible], qui ſub noverca eſt, vult illum pater domi cuſtodire, ille petit, publico carcere ſervetur.* Demſter. l. l. Tum virgis ſanguineis cædebantur. Modeſtin. l. 9. ff. ad leg. Pompej. de patricid. *Pœna patricidii, more majorum, hæc inſtituta eſt, ut parricida virgis ſanguineis verberatus.* Tandem culleo inſuebatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera & ſimia. Gloſſæ, quæ Fulgentio adſcribuntur: *Culleus eſt ſaccus, in quo patricidæ incluſi, cum ſimia, ſerpente, & gallo mergebantur in mare.* Modeſtin. l. l. *Deinde culleo inſuatur cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia.* Doſith. Grammat. V. illum ſupr. in *Culleus.* Juven. Sat. VIII. 213.

Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culleus unus.

Canem culeo indebant, tum ob nimiam impudentiam, tum quia matrem init, & cum patre depugnat. Gallum gallinaceum inſuebant, quia innatum illi eſt, cum parentibus & liberis colluctari. Hanc enim rationem puto eſſe magis veroſimilem, quam ſuperbiam animalis, vel quod gens Gallorum, quæ avi eſt cognominis, tantopere foret exoſa Romanis: quas ſolas cauſas adducit Cardan. de Subtil. X. Simiam addebant. Juven. Sat. XIII. 155.

Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adverſis innoxia ſimia fatis.

Quod, ut ſimia homini ſimilis eſt, homo non eſt: ita *patricida* externus habeat formam hominis, intus autem omnia ab natura humana videantur aliena. Etiam, quia catulos ſuos, quos maxime diligit, compreſſu brachiorum, & vi oſculorum necat. Viperam adjiciebant, quia dum naſcitur, arroſo, perruptoque ventre matris eam occidit. Voluit hoc Theophilus in paraphraſi ad §. Alia deinde lex Inſtitut. de publ. judic. ubi verba ejus ſunt: *Ideo animantia hæc patricidæ culleo induntur, quia ipſi ſunt ſimillima. Quia tam enim eorum e medio tollunt proprios parentes; quæ etiam a pœna inter ſe invicem non poſſunt abſtinere.* Boxhorn. Quæſt. Roman. c. 37. Voſſ. de Idolol. III. 85. Turneb. ibid. VIII. 23. Laurent. de Rebuſpub. c. 7. Sard. de mor. gent. II. 28. Gyrald. de var. ſepel. rit. Miſc. Ital. Erud. Tom. III. p. 371. Aring. Rom. Subterr. I. 8. §. 1. Manut. & Demſter. l. l. Mag. Miſc. IV. 8. Ner. Anal. I. 39. Bud. in Pandect. p. 230. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. 2. c. 11. Laurent. de Rebuſp. c. 7. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 33. n. 2. Kipping. Antiq. Roman. II. 7. §. 7.

Crimen

Crimen hoc non est vindicatum hoc supplicio in convictum, & manifesti *parricidii* reum; nisi si ultro confiteretur: nec concilio fuit extorta tormentis; tamen nihilominus convictus capitali pœna uti homicida coercebatur, ea fuit lenitate Augustus, nolens patricidii pœna plecti nisi confessos. Sed Augustus sua interrogatione *certe patrem tuum non occidisti* apud Suet. c. 33. n. 2. viam salutis, & libertatis reo non aperuit, ut voluit Casaubonus ad Suetonium; sed benigna interrogatione abnutivum responsum voluit elicere; ne convictus, non tamen confessus pœnam patricidii sustineret. *Delrio Disquis. magic. Append.* v. 1. Capitol. in Anton. Pio c. 8. *Usque adeo sub eo nullus percussus est senator, ut etiam patricida confessus in insula deserta poneretur, quia vivere illi naturæ legibus non licebat.* Pith. in Suet. l. l.

PATRICII fuerunt dicti progenies *patrum*. Romulus ex *patribus* centum primo senatores legit, & his sacra, judicia, magistratus, & totius Reipublicæ administrationem commisit. Centum hi senatores *patres* tantum, & posteri eorum *patricii* majorum gentium vere appellati sunt. Hos tantum majorum gentium fuisse, vel sequentis lectionis testimonio confirmari potest. Hi enim eorum ratione habita, non nisi minorum gentium seipsos esse profiterentur. Fuerunt equidem & hi majorum gentium, si iis qui a sequentibus Regibus lecti sunt conferantur, alias etiam minorum gentium. Livius hud.tus in *Patres conscripti*: ut a Romulo lecti ita sint majorum gentium, ut minorum esse non possint. Novissimi vero a Bruto creati appellati sunt minorum gentium, & ita minorum, ut majorum appellationem obtinere nequeant. Tacit. Annal. xi. 25. 2. *Cæterum vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis.* Medii a Regibus allecti modo majorum, modo minorum dici possunt: majorum quidem inferiorum, minorum vero superiorum habita ratione. *Sigon. de Nom. Rom. c. 6. de ant. jur. civ. Rom. I. 7. Hotman. Antiq. Roman.* II. 9 *Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2767. *E. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2008. *D. de Civit. Rom. c. 9. Fast.* I. *p.* 42. *Pith. Adv.* II. 7. *Laurent. Var. sacr. gentil. c. 2. de Rebuspubl. c. 3. Strein. de Gent. & famil. præfat.* Romulus non legit alios quam ingenuos. Id significavit P. Decius apud Liv. x. 8. cum dixit: *patricios primum esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra quam ingenuos.* Et apud Festum Cincius, qui aperte primis temporibus patricios eosdem fuisse cum ingenuis scribit. Verba ejus sunt hæc: *Patricios Cincius ait in libro de comitiis, eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur.* Sigon. de ant. jur. civ. Rom. l. l. August. & Scalig. in Festum. Manut. de Civit. Rom. p. 3. B. contendit fuisse nonnullos *patricios* non quidem plebejos, sed de plebe, qui nec senatores fuerint, nec equites. Sed hæ argutiæ sunt, quamvis & Sigonio probentur, nec ullius antiqui scriptoris auctoritate, nec ratione possunt firmari. Fuerunt quidem gentes, in quibus alia familia erat plebeja, alia *patricia*. Suet. Tib. c. 1. n. 1. *Patricia gens Claudia (fuit enim & alia plebeja, nec potentia minor, nec dignitate) orta est ex Regillis.* Sed Claudii *patricii*, licet inter illos reperirentur, qui nec senatores, nec equites numerabantur, non erant tamen, nec dici poterant esse de plebe. Poterant hi interreges fieri, flamines diales prodi, quod non poterant Claudii plebeji, licet essent equestris, aut senatorii ordinis viri. *Patricius* cum opponitur homini de plebe, non respicitur ordo civium, sed nativitas post *patrum* a Romulo conscriptorum tempus. Equites omnes, qui non erant *patricii*, erant de plebe, aut plebeji, quamvis in equestri essent ordine. *Patricii*, licet non essent equestris ordinis, sive propter censûs tenuitatem, sive quod a censoribus nondum essent in turmas relati, *patricii* tamen erant, & respectu natalium nunquam dicebantur esse de plebe. Plebejus in senatum lectus, & ad summas dignitates evectus, erat, & dicebatur plebejus, etiamsi esset nobilissimus. Nam Romæ nobiles erant, quorum majores gesserant curules magistratus, sive patricii essent, sive plebeji, quo consequebantur jus imaginem prodendi ad posteritatis memoriam. Quo quis plures habebat in atrio fumosas imagines, eo nobilior erat, sit licet ejus familia plebeja. Multi sane *patricii* erant, qui a *patriciis* majorum gentium ducebant sanguinem, qui non erant nobiles, quia nemo ex illorum majoribus ad curulem dignitatem fuerat elatus, ut & multi equites. Equestris enim ordo apud Romanos non nobilitabat. Vicissim multi plebeji erant nobilissimi. Est merum commentum Paulli de *patriciis* de plebe, cum dicit patriciorum tria fuisse genera, senatores, equites, de plebe. *Patricios* fuisse senatores, & equites verum est, falsum de *patriciis* de plebe. *Patricius* non opponitur senatori, & equiti, sed homini de plebe. Videndus Cicero oratione pro domo, & Gell. x. 20. *In populo omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines continentur: plebes vero ea dicitur, in qua gentes civium patriciæ non insunt.* Græv. Præfat. ad Antiq. Rom. Tom. I. * * 3. Soli ex Romuli instituto auspicia habuerunt. V. supr. in *Auspicium*. Non *patricio* plebejum, sed plebejo patricium liceat adoptare. Et in hoc genere quid lex jusserit observari. V. supr. in *Adoptio*. Illis a Romulo commissa sunt sacrorum administratio, magistratus, judicia, publicis de rebus in senatu deliberatio. Dionys. II. p. 83. *Romulus postquam discrevit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit quid utrisque faciendum esset: ut patricii sacra curarent, magistratus gererent, jus redderent, secum Rempublicam administrarent, res urbanas obirent.* Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 2. F. Panvin. de Civit. Rom. c. 3. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2008. D. Fast. I. p. 42. Sigon. de Nomin. Roman. c. 6. Nonnulli, postquam *patricii* facti fuerant, eo jure non contenti ad plebem se contulerunt. Fuisse enim a plebe ad *patricios* aditum, & ab iis ad plebem reditum, ostendit, cum de Octavia gente loquitur, Suet. Aug. c. 2. n. 1. *Ea gens a Tarquinio Prisco inter Romanas gentes allecta, mox a Servio Tullio in patricias transducta, procedente tempore ad plebem se contulit, ac rursus magno intervallo per D. Julium in patriciatum rediit.* Et idem significat Cicer. Brut. c. 16. *Transitiones a plebe sunt, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunduntur genus: ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio cos. anno decimo post exactos Reges fuit.* Et Plin. XVIII. 3. cum Liv. IV. 16. cum dicunt *L. Minucium Augurinum transisse a patribus ad plebem, undecimumque tribunum plebis cooptatum.* Hoc factum esse existimo, vel *patriciorum* jura repudiando, vel se in diversam gentem cooptando. Hoc pacto effectum est, ut aut plebejus in *patricii* familiam transiverit, ut Livius in Mamerci Lepidi, & Brutus in A. Albini: aut *patricius* in plebem, ut P. Clodius in M. Fonteji, P. Dolabella in Liviæ transmigrarint. *Sigon. l. l. Patriciis cum plebejis Romæ connubium ne esset, in legum tabulas contulerant* decemviri; sed illam contra rogatione abrogavit C. Canulejus. V. supr. in *Connubium*. *Patricios* quoniam extulerat, plebejos vero depresserat, ne aut illis horum invidia obesset, aut hi illorum potentia circumvenirentur, ambo inter se sanctissimo quodam necessitudinis vinculo adstringerentur, *patricios* patronos plebis, plebejos *patrum* clientes esse constituit: atque amborum in ea colenda necessitudine officia diligentissime demonstravit Romulus: patronorum, ut clientibus incognita jura traderent, causam eorum in foro, re postulante, defenderent; clientum, ut patronos domo deducerent, domumque reducerent, eosque in collocandis filiabus, si ita opus esset, pecunia sublevarent; neutris autem licere voluit, se inter se aut nomen deferendo, aut testimonium dicendo, aut suffragium ineundo, aut cum inimicis sentiendo legere: alioquin eum lege a se de proditione lata teneri, eumque sacrum deo esse, id est, impune occidi licere. *Sigon. l. l. Manut. de senat. Rom. c.* I. *Turrig. in Ursi Inscript.* §. 27. *Pollet. For. Rom.* II. 10. Habitaverunt in vico *patricio*. V. infr. in *Vicus*. Prope Capitolium vero non licebat illis habitare. Rationes ponit

Plu-

Plutarch. Quæſt. Rom. 90. *An quia M. Manlius illi habitans tyrannidem affectavit? propter quem illa familia ſe cohibendo ſe obſervavit, nemini ſe ex ea Marci prænomen facturum. An antiquus tenebat nomen? Etenim Poplicolam hominem magis, quam quemquam alium, popularem non defuerunt calumniati imperium petere, metuere vero plebs, integrum domum ſuam ipſe diruit, quod ea imminere foro videretur.* Auguſt. de Famil. Rom. in Manlia. Laticlaviam gerebant etiam in prætexta pueruli, eamque cum prætexta depoſuerunt, cum acciperent cum toga virili tunicam. V. ſupr. in *Clavus latus.* Illorum calceos V. ſupr. in *Calceus, Corrigia, & Luna.* Ejusdem gentis, & nominis familiæ, altera *patricia*, altera plebeja fuit. V. ſupr. in *Familia.*

Patricii in Imperatorum conſtitutionibus, diverſi ab antiquis illis fuerunt conſiliarii. Non nobilitatis tantum nomen, ut apud veteres Romanos; ſed etiam dignitatis & præfecturæ. Suidas in voce Γραμματείδιον: *Imperatoria diplomata, quæ patriciorum honorem dabant.* Malchus in Byzanticis: *Adamantius Regiorum honorum memor, cum illum & patricium, & exercitus ducem fecit.* Dixi & præfecturæ nomen; & hoc verum eſt. Vict. Tutunn. in Chron. *Stuzas tyrannus, gentium multitudine ordinata, Solomoni magiſtro militiæ, & patricio Africæ occurrit.* Origo dignitatis eſt a Conſtantino Magno, qui primus ea ornavit Optatum. Zoſim. II. 40. *Optato quoque cum hoc interfecto, qui patricii dignitatem adeptus a Conſtantino fuerat. Eum honoris titulum primus Conſtantinus excogitaverat, lataque lege ſanxerat, ut qui hunc conſecuti fuiſſent, ſupra ipſos præfectos prætorio ſederent.* In eccleſia quoque epiſcopis præponebantur. Luitprand. in Legat. *Bulgarorum ille apoſtolus, quanquam, ut dicis, & verum eſt, tonſus, illotus, & catena auri cinctus ſit, patricius tamen eſt, cui epiſcopum præponere, Francorum præſertim, nefas decernimus.* Imo ipſis patriarchis pares cenſebantur, quippe proximi Imperatoribus. Warneſr. Strab. de reb. eccleſ. c. 31. *Comparetur papa Romanus Auguſtis, & Cæſaribus: patriarchæ vero patriciis, qui primi poſt Cæſares in imperiis ſuiſſe videntur.* Itaque et Imperator ἐπισημονάρχης dicebatur, & eccleſiæ præerat, rebusque eccleſiaſticis, velut ſupremum caput; ita patricius aliquis ejus locum tenebat, & ὑπεκκλησίων hac de re appellabatur. Accipimus ex Diſput. Gregent. *Rex & in ſeo ὑπεκκλησίονα, quem Romani patricium appellant.* Meurſ. Gloſſar. Græco-barb. Du Freſne Gloſſario. Gutber. de Offic. dom. Aug. I. 11. Baron. in Martyrol. m. Auguſti d. 28. Panciroll. Notit. dignit. imp. Orient. c. 1.

PATRIMES, & *matrimes* ſacrorum lingua pro *patrimi*, ac *matrimi*, ut *porci ſacres* apud Plaut. Men. II. 2. 16. dicebantur, quibus uterque parens erat ſuperſtes. Græcis ἀμφιθαλεῖς. Feſtus: *Matrimes, ac patrimes dicuntur, quibus mater, & pater adhuc vivunt.* Turneb. Adv. XXVIII. 20. Voſſ. Lex. Etymol. Gutberleth. de Saliis c. 9. Cerda Adv. c. 144. §. 39. Dacer. in Feſtum. Ab his ſæpe numero legimus in publicis ſupplicationibus, & lectiſterniis cantatum carmen fuiſſe: nam ab orbis altero parente canere mali ominis viſum fuiſſet. Liv. XXXVII. 3. *Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id ſacrificium adhibiti.* Turneb. l. l. Lomej. de Luſtrat. c. 13. Nubentem deducebant. V. ſupr. in *Nupta.*

PATRIMONIUM ſacrum. V. illud infr. in *Procurator patrimonii.*

PATRONUS eſt dictus quaſi *pater.* Ideo Serv. Æneid. VI 609. *Ex lege XII. tab. venit, in quibus ſcriptum eſt; patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto. Si enim clientes quaſi colentes ſunt, patroni quaſi patres; tantundem eſt clientem fallere, quam filium.* Et ſunt correlativa, *patronus* & cliens, ſicut pater, & filius. Ideo cecinit Auſonius:

Eſto patronus, & defende reos,
Sed gratia rara clientis.

Origo *patronorum*, & clientum defluxit primum in Urbem a Romulo mutuata ex vicinis populis Sabinis, & Latinis. V. ſupr. in *Cliens.* Hinc lex adſcripta in veteri jurisprudentia, in qua ſic legitur: *Plebeji, quem ſibi ex patriciis patronum volent, deligant.* Ex quibus liquet *patronorum* conſuetudinem fluxiſſe a pauperibus auxilii gratia, ut ſi a potentioribus opprimerentur, haberent, qui injuriam propulſarent. Quare bene M. Manlius Capitolinus in concione, quam poſt vincula ad plebem habuit, apud Liv. VI. 18. *Quot enim clientes circa ſingulos fuiſtis patronos, tot nunc adverſus unum hoſtem eritis. Ego me patronum profiteor plebis.* Turrig. ad Urſi inſcript. p. 27. Pollet. For. Rom. II. 10. Nec tantum Urbis incolæ, verum etiam coloniæ, & ſocii *patronos* in Urbe adoptabant. Halicarn. II. p. 85. Tantæ auctoritatis, fideique erat hoc *patroni* munus, ut ſi *patronus* aliquis, vel in minimo defeciſſe, aut neglexiſſe clientem ſuum convinceretur, Diti ſacer prævaricator eſſet, ac a quovis impune occideretur. Halicarn. ibid. p. 84. Gell. V. 13: XX. 1. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 1. §. 3. Ex tali *patrocinio* devenit, quod advocati dicerentur *patroni*, quoties defenderent reum in foro judiciali. *Turrig. & Pollet. l. l.* Clientis litem proinde ſuam faciebant, illumque fideliter tuebantur. Hinc legati *patrocinii* fœdus allegant apud Plin. Epiſt. III. 4. 4. *Legati rurſus inducti iterum me jam præſentem poſtulaverunt advocatum: implorantes fidem meam, quam eſſent contra Maſſam Bæbium experti, allegantes patrocinii fœdus.* Hi in ſenatu petebant advocatum in cauſa repetundarum eum, cum quo percuſſerant *patrocinii* fœdus, ut is *patronus* pro iis diceret, quorum *patronus* eſſet. Ita etiam Siculi Ciceronem, in cujus tutela erant, & clientela, adverſus Verrem accuſatorem nacti ſunt, ut is eſſet orator, qui eſſet *patronus.* Nam ita de ſe Divin. c. 1. *Cum quæſtor in Sicilia fuiſſem, judices, itaque ex ea provincia deceſſiſſem, ut Siculis omnibus jucundam, diuturnamque memoriam quæſturæ, nominiſque mei relinquerem: factum eſt, uti cum ſummum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præſidium ſuis fortunis conſtitutum eſſe arbitrarentur.* Et paullo poſt de hoc more, ut *patroni* pro clientibus dicerent: *Adductus, judices, officio, fide, miſericordia, multorum bonorum exemplo, vetere conſuetudine, inſtitutoque majorum.* Tacit. de Orat. c. 3. n. 4. *Adeo te tragœdiæ iſtæ non ſatiant, quo minus omiſſis orationum, & cauſarum ſtudiis, omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyeſtem conſumas' cum tot amicorum cauſæ, tot coloniarum, & municipiorum clientelæ in forum vocent.* Pollet. l. l. Illis certum dicendi ſpatium fuit præfixum. Hunc morem primus Pompejus Magnus an. U. C. 702. induxit. Tacit. Orat. c. 38. n. 2. *Primus tertio conſulatu Cn. Pompejus adſtrinxit, impoſuitque veluti frenos eloquentiæ. Antea nemo intra pauciſſimas horas perorare cogebatur, & liberæ comperendinationes erant, & modum dicendi ſibi quisque ſumebat, & numerus, neque dierum, neque patronorum finiebatur.* Siccam. de judic. centumv. I. 13. Pigh. Annal. Tom. III. p. 411. V. ſupr. in *Clepſydra.* De illorum numero Aſcon. Arg. orat. pro Scauro p. 171. *Defenderunt Scaurum ſex patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur: at poſt bella civilia, ante legem Juliam, ad duodenos patronos eſt perventum.* Pollet. ibid. I. 12. Manut. de Leg. c. 15. Auguſt. de Leg. in Julia de Sacerdotiis. Sigon. de Judic. II. 1. Tempore Quintiliani etiam pænulati dicebant. Teſtis Tacitus, ubi non modo artus, ſed & habitus veteris eloquentiæ cum recentiore comparantur, de Orat. c. 39 n. 2. *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe pænulas iſtas, quibus adſtricti, & veluti incluſi cum judicibus fabulamur?* Pollet. ibid. II. 8. Et ætate Juvenalis in lacernis purpureis. Ita enim ille Sat. VII. 134.

Spondet enim Tyrio ſtlataria purpura filo,
Cauſidicum vendunt amethyſtina, convenit illis
Et ſtrepitu, & facie majoris vivere cenſus.

Loquitur de lacernis, non de lato clavo. Alioquin omnes cauſidicos ſenatores fuiſſe oportet, & laticlavios. Lacernæ ergo purpureæ clientes alliciebant: nam lacernas in cauſis adhibitas docet idem Sat. XVI. 45.

—— tum facundo ponente lacernas
Cæditio.

Qui-

Qui, ſi *patronus*, & non judex fuit, quia illum facundum appellat, poſuit lacernas: non quod defatigatus eſſet exſpectando, non enim mora æſtum affert: neque dicendo delaſſatus, nondum enim cauſam ceperat. Fortaſſe quia dicturi lacernas deponebant, in quo tamen hæſito, cum pænulas in agendo adhibitas dicat Tacitus ſupr. laudatus. *Ferrar. de re veſt.* II. I. 25. Mihi tamen veriſimile fit, pænulam a paucis admodum uſurpatam, nec diu obtinuiſſe, cum ſequenti ſeculo togati appellati ſint, quod, cum toga deſiiſſet, ipſi inter orandum eam retinerent. Niſi dicere velimus, ab auctore illo pænulas pro lacernis ad majorem invidiam appellatas. *Ferrar. ibid.* II. 2. 2. V. & ſupr. in *Advocatus*. Munera accipere vetabantur lege Titia & lege Cincia. V. illas ſupr. in *Lex*. Libertos obligare prohibebantur, ut mercedem operarum præſtarent onerandæ libertatis cauſa lege Ælia Sentia. V. illam ſupr. in *Lex*. Primus omnium pecuniam accepit Antiphon Rhamnuſius. Ammian. xxx. 4. *Et Antiphon ille Rhamnuſius, quem ob defenſum negotium omnium primum antiquitas prodidit accepiſſe mercedem.* Poſtea Claudius Imperator uſque ad decem HS. capi permiſit. Tacit. Annal. xi. 7. 5. *Ut minus decora hæc, ita haud fruſtra dicta Princeps ratus, capiendis pecuniis poſuit modum, uſque ad dena ſeſtertia, quem egreſſi repetundarum tenerentur.* Ita ut pro modo litis, proque advocati facundia, & fori conſuetudine æſtimatio iniretur, dummodo tamen licitum honorarium quantitas non egrederetur. Unde *juſtam mercedem* patrono fuiſſe dandam dicit Suet. Ner. c. 17. n. 3. Et Ulpian. Dig. L. 13. 12. *Sic tamen, ut computetur id, quod datum eſt, cum eo, quod debetur: neutrumque compoſitum licitam quantitatem excedat. Licita autem quantitas intelligitur pro ſingulis cauſis uſque ad centum aureos.* Quos, ſed peracto negotio, ſub Trajano illum capere permiſit Licinius Nepos prætor apud Plin. Epiſt. v. 21. V. illum ſupr. in *Honorarium*. Decem millia HS. dena HS. & centum aurei non differunt, ſi aureum quinque & viginti denariis æſtimemus. *Manut. ibid.* I. 17. *Lipſius in Tacitum, Alciat. Diſpunct.* III. 9. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 61. *Pitiſc. in Suetonium.* Formulas acclamandi V. ſupr. in *Formula*. Et μεσόχορον, qui in ſuperiori loco ſupra cæteros eminens, ubi occaſio acclamandi, & laudandi adveniat cæteris, qui propter frequentiam populi audire non poterant, ſignum dabat, acclamandi tempus eſſe V. ſupr. in *Meſochorus*.

PAV.

PAVENTINA dea præerat infantibus, & *pavores* ab eis arcebat. Auguſt. de Civ. Dei IV. 11. *De pavore infantium Paventia nuncupetur.* Tomaſ. de donar. c. 10. Gyrald. Synt. deor. I. p. 49. C. Struv. Synt. deor. I. p. 156. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. F.

PAVERA dicuntur a *paviendo*. *Pavire* παρὰ τὸ παίειν. Feſtus: *Depavere, cædere.* Lucilius:

—— palmiſve miſellam
Depuvit me.

id eſt, verberavit me: quod ipſum eſt ex Græco παίειν. *Pavera* frumenta ſunt multum trita, ut granum deglubatur. Sunt enim frumenta quædam, quæ vix e glumis ſuis evaginari poſſunt. Feſtus. *Scalig. in Cirin p.* 61. *Ferrar. de re Veſt.* I. 2. 11. *Voſſ. Lex. Etymol. in Pavire.*

PAVICULA eſt inſtrumentum, quo area denſatur, & æquatur. Fit ex ligno pedem longo, craſſo plus minus ſemipedem, longo inſtructa manubrio, ad medium inclinato. Unde Vitruv. VII. 1. illam nominat virgam. *Cum fuerit hoc ita perſtratum, ſupra nucleus inducatur, & virgis cædendo ſubigatur:* & vectem ligneum. *Deinde rudus inducatur, & vectibus ligneis crebriter pinſatione ſolidetur.* Cato de re Ruſt. c. 129. *Comminuito terram, & cylindro, aut pavicula coæquato.* c. 91. *Deinde coæquato, & paviculis verberato.* Gloſſæ: *Paviculæ,* ἱμαλιςῆρες. *Voſſ. Lex. Etymol. Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* II §. 5: 15 § 2. *Popm. de Inſtrum. fund. c.* 19. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 41. *b. A.*

PAVIMENTUM inter, & muſium tantum intereſt, quantum inter ſolum, & cameram triclinii, quamvis hujus ætatis doctiſſimi viri *pavimentum*, & muſium nihil differre arbitrentur. Sed nuſquam apud ullum auctorem, ſive recentem placeat ſumere, ſeu vetuſtum invenies dictum, *pavimenta* de muſivo picta, aut ſola de muſivo ſtrata. Semper cameris, & abſidibus aſſignatur muſivum, ut ſolo *pavimentum*. Idem eſt tamen utrumque opus, & teſſellatione utrumque contexitur. Sed ut *pavimentum* nunquam de camera, ſic nec muſium de *pavimento*. Etſi ſcripſerit Plin. XXXVI. 25. *Pavimenta de humo pulſa tranſiere in cameras.* Hoc verum eſſe nemo ibit inficias. *Pavimentorum* tamen nomen ad cameras etiamque tranſlatum, id ego nego, & pernego. Cameram igitur, trullum, apſidem leges ubique muſivo pictam, ſolum, aut ἔδαφος nunquam. Plin. XXXVI. 21. *In æſtivis muſea vocant dependentia ad imaginem ſpecus arte reddendam.* Vides muſea proprie dici in æſtivis, non *pavimenta*, ſed accuratum ad ſimilitudinem ſpecus arte factam. Codinus hanc differentiam religioſe obſervat. Cum enim eodem opere ſola, parietes, & cameræ decorarentur; πάτωσιν vocat, quod in ſolo ponitur; ὀρθομαρμάρωσιν, quod in parietibus; in cameris vero, & pendentibus μουσείωσιν. Ita *pavimentum* a muſivo, quo ſolæ cameræ ornabantur, Anaſtaſius aperte diſtinguit in Adriano: *Fecit in patriarchio Lateranenſi triclinium majus ſuper omnia triclinia nomini ſuo magnitudinis decoratum, ponens in eo fundamenta firmiſſima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis ſtravit, & diverſis coloribus tam porphyreticis quamque albis, & ſepulis, cum columnis, & ſtilis, ſimul poſuit ac decoravit cameram cum apſida de muſivo.* Item *Præterea vero ſanctiſſimus pontifex juxta eccleſiam B. Petri Apoſtoli fecit in triclinio majori miræ pulcritudinis decoratum apſidam de muſivo ornatam, & apſidas duas dextra, levaque ſuper marmore, & picturas ſplendentes, & in pavimento marmoreis exemplis ſtravit.* Salmaſ. in Spartian. Peſcenn. c. 6. *Pavimentum* Latinis, δάπεδον, ἐδάπεδον, ἔδαφος Græcis, ſignificat ſolum, aream ve, qualiſcunque ea demum ſit, gypſo, terra, arena, glarea, ſilice, latere, teſſeris, marmore, aliuſve generis lapide incruſtata, ſic ut ſolum illud, ſive area, ſit firma, *pavita*, & conſolidata ſuper terræ, aut tabulati ſuperficiem, uti cruſtam nanciſcatur ſtabilis, firmi, & certi ſoli ad ſuſtinenda ea, quæ vel imponuntur, vel transferuntur. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* II. §. 3. *Grapald. de part. dom.* II. I. § 4. Pœni primi vias lapidum, ſilicum, ſabulique ſtructura muniverunt, & conſolidaverunt. Iſidor. XV. 16. *Primum Pœni dicuntur vias,* urbicas, ruſticas enim extra Urbem a nullis aliis, præterquam Romanis ſtratas fuiſſe ex hiſtoriis notum eſt; *lapidibus ſtraviſſe. poſtea Romani per omnem pene orbem diſpoſuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs eſſet otioſa.* Marmaridæ Pœnorum vicini in ſuis urbibus imitati ſunt horum inventum, atque ad eorundem modum vias ſtraverunt. Et hoc eſt, quod ſcribit Plin. XXXVI. 25. *Pavimenta credo primum facta, quæ nunc vocamus barbarica, atque ſubtegulanea, in Italia fiſtucis pavita, hoc certe ex nomine ipſo intelligi poteſt.* Non enim dicit Barbaros Tingitanæ, aut Cæſareæ Mauritaniæ primos eſſe inventores *pavimenti*, ſi hanc vocem generatim ſumas. *Bergier. ibid.* I. *Sect.* I. §. 3. II. *Sect.* II. §. 6. Illorum ſplendor lacunaribus Romæ reſpondebat. Senec. Epiſt. 94. *Ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum reſpondeat nitor.* Tibull. III. 3. 16.

Auratæque trabes, marmoreumque ſolum.

Apul. Met. V. p. 142. *Pavimenta ipſa lapide pretioſo cæſim deminuto, in varia picturæ genera diſcriminantur. Vehementer iterum, ac ſæpius beatos illos, qui ſuper gemmas, & monilia calcant!* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 7. Meurſ. de Luxu Roman. c. 12. Valeſ. in Ammian. XXVIII. 4.

Pavimentum aſaraton, ἀσάρωτον. V. illud ſupr. in *Aſarotum*.

Pavimentum canneum vocatur, cui fiſtucæ, V. illas ſupr. in *Fiſtuca*, ſubjiciuntur. *Grapald. de part. dom.* II. I. §. 4. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 15. §. 3.

Pavimentum ceroſtrotum. V. illud ſupr. in *Ceroſtrotum.*

Pavimentum contignatum dicebatur, quod ſuper contignationes eſſet. Quæ in hoc collocando opifici obſervanda ſint, monet Vitruv. VII. 1. *In contignationibus diligenter eſt animadvertendum, ne quis paries, qui non exeat ad ſummum, ſit exſtructus ſub pavimentum, ſed potius relaxatus ſupra ſe pendentem habeat coaxationem. Cum enim ſolidus exit, contignationibus areſcentibus, aut pandatione ſidentibus, permanente ſtructuræ ſoliditate, dextra, aut ſiniſtra ſecundum ſe facit in pavimentis neceſſario rimas.* Bergier. de viis milit. II. Sect. 13. §. 3. 12. §. 2.

Pavimentum incertum dicitur, quod ſilicibus conſtat incertis, & irregularibus, qui ſecum invicem coagmentantur per ſuturam, ut ſic dicam, nulla certa figura, & ut quodque latus, quoad per ejus lineas liceret, contigui lapidis lateribus cohæreret. *Albert. de re ædif.* III. 6. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 23. §. 8.

Pavimentum lithoſtroton. V. illud ſupr. in *Lithoſtrota.*

Pavimentum muſivum. V. illud ſupr. in *Muſiva.*

Pavimentum ordinarium vocatur, quando ſilices quadrati, ſive prægrandes, ſive minuti, ſive juſti collocantur uno, & eodem ordine, ad lineam rectam, ſecundum regulam, & libellam. Si magnitudine æquali ſint omnes ejuſdem operis ſilices, opiſices ad elegantiæ gratiam ſic eos collocant, ut linea alterius ordinis ex duorum ſilicum compoſitione exorta occupet in altero ordine medium ſilicis objecti, qualem figuram adumbrat litera hæc inverſa ⊥. *Albert. de re ædif.* III. 6. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 23. §. 7.

Pavimentum plano pede dicebatur, quod fiebat in extima ſoli area, & terræ ſuperficie, ſic dictum, quod plano pede adiri poſſet, & non conſcenderetur. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 12. §. 2. 15. §. 1.

Pavimentum Pœnicum cognominabatur, cujus ſegmenta ex marmore Numidico fiebant. In uſum primo venit circa tempora Catonis. Feſtus: *Pavimenta Pœnica, marmore Numidico conſtrata, ſignificat Cato, cum ait in ea, quam habuit, ne quis conſul bis fieret: dicere poſſum, quibus villæ, atque ædes ædificatæ, atque expolitæ maximo opere, citro, atque ebore, atque pavimentis Pœnicis ſtent.* Bergier. de viis milit. II. Sect. 21. §. 5.

Pavimentum purum vocabatur, cujus ſuperficies erat plana, & æqualis. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 21. §. 3.

Pavimentum reticulatum nomen obtinuit a retium ſpatiolis in oblongum quadratis. Deſcribit illud Albert. de re ædif. III. 6. *Reticulata ſtructura eſt, in qua lapides quadrati, ſeu juſti, ſeu minuti ponuntur, non jacentes in latus, ſed in angulum ſtantes; fronte ad regulam, & perpendiculum expoſita.* Talis ſpeciei *pavimentum* erat in aula majori palatii Pariſienſis ante incendium, quod contigit an. 1618. ubi lapides quadrati nigri, & candidi invicem ſic erant diſpoſiti, ut angulis ſuis, non vero lateribus procurrerent directis verſus parietes, quibus aula illa erat circumſcripta, & limitata. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 23. §. 7.

Pavimentum ſcalpturatum, ſive cœlatum vocatur, quod variis figuris inciſum, & velut expreſſum, quod ſcalpro, vel cœlo in ſumma ſuperficie elaboratum erat. Quando hæc Romæ cœperint, indicat Plin. XXXVI. 25. *Romæ ſcalpturatum in Jovis Capitolini æde primum factum eſt poſt tertium bellum Punicum initum.* Si inſuper hæc ſcalpturata diverſis coloribus forent picta, vocabantur emblemata. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 21. §. 3. & 12. *Rycq. de Capitol. c.* 17.

Pavimentum ſectile. V. illud infr. in *Sectilia.*

Pavimentum ſegmentatum. V. illud infr. in *Segmenta.*

Pavimentum ſubdiale Græci invenerunt. Plin. XXXVI. 25. *Subdialia Græci invenere, talibus domos contegentes, facile tractu, & repente, ſed fallax, ubicunque imbres gelant.* Interpres Gallicus reddit *terraſſes*, vel *plateformes.* Hæc ſunt commoda in regionibus calidioribus; ſed incommoda, & periculoſa, ubi imbres per hyemem gelant. Hinc Vitruv. VII. 1. *Sub dio maxime idonea facienda ſunt pavimenta, quod contignationes humore creſcentes,* ſcilicet dum tabulata madefacta intumeſcunt, *aut ſiccitate decreſcentes,* dum ſcilicet areſacta tabulata contrahuntur, *ſeu pandationibus ſidentes,* videlicet dum nimio pondere inclinant, & ruinam minantur, *movendo ſe faciunt vitia pavimentis.* Idem fere dixit Plinius modo laudatus. His incommodis ut mederentur, ne ſcilicet cœli injuria opus corrumperetur, & ut ponderi ſuperingerendo ſufficeret, *binas per diverſum coaſſationes ſubſterni neceſſarium erit.* Plin. l. l. Scilicet, ut Vitruv. l. l. exponit, *Cum coaxatum fuerit, ſuper altera coaxatio tranſverſa ſternatur, clavique fixa duplicem præbeat contignationis loricationem.* Bergier. de viis milit. II. Sect. 14. §. 1. 2. 3. Philand. in Vitruvium. Ut autem inter coagmenta materies ab gelicidiis ne laboraret, fæcibus quotannis ante hyemem ſaturabatur, ita ut non paterentur in ſe recipere gelicidii pruinam, monente Vitruv. l. l. ne ſcilicet gelu offenderet ligna, olei fæcibus e retrimento olei imbuebantur. Craſſities enim olei non permittit aquæ humorem penetrare. *Bergier. ibid.* §. 7.

Pavimentum teſſellatum. V. illud infr. in *Teſſellæ.*

Pavimentum teſtaceum dicitur, quod ex lateribus ſic generatim dictis fiebat. Olim horum duo fuerunt genera, ex lateribus majoribus, & ex minoribus. Lateres majores dicebantur teſſeræ, aut teſſeræ magnæ: minores ſpicata teſtacea. At hæc vocabula magis conveniunt minuſculis emblematibus lapideis, aut marmoreis, quorum uſus eſt in opere muſivo, aut vermiculato, quam *pavimentis* teſtaceis. Hiſce enim, quia lateritiæ indolis ſunt, apud architectos nomen eſt laterculorum; aliter ſpicata teſtacea dicuntur, cujuſcunque demum ſint figuræ, triangularis, oblongæ, quadratæ, rhomboidis, quidem *en loſange* vulgo dicimus, hexagonæ: quorum ſpicatorum inventio Tiburtinis debetur. De his Vitruv. VII. 1. *Item teſtacea ſpicata Tiburtina ſunt diligenter exigenda, ut non habeant lacunas, nec exſtantes tumulos; ſed ſint extenſa, & ad regulam perfricata.* Plin. XXXVI. 25. *Similiter ſunt & ſpicata teſtacea.* Spicatorum teſtaceorum nomen deinde pervenit ad omnes laterculorum ſpecies, quæ forma oblongula, & angulis ſuis in opere collocata ſpicæ frumentariæ ſeriem ſitu ſuo eſſingunt. Hoc eſt proprie, quod primis initiis architecti vocabant *ſpicatim pavimenta inſternere*, quoniam ad ſpicarum compoſitarum, & juxta ſe collocatarum ſeriatim imitationem & figuram hæc *pavimenti* ſpecies accedebat. Poſtea tandem has voces fere ad omnia lateritia *pavimenta* adaptarunt, cujuſcunque demum figuræ eſſent laterculi. Forma horum laterculorum exprimitur voce ſpicatorum, quæ ortum debet verbo ſpicare, quod proprie frugum eſt, cum extra culmum protrudunt ſpicas, qui maturus, & plenus, non unum, ſed plura acumina oſtentat, quæ Latini ariſtas vocant. Hinc *inſpicare* deductum Virg. Georg. I. 292.

—— ferroque faces inſpicat acuto.

quod Servius exponit, *incidere ad ſpici*, ita L. non *ad ſpeciem, & ariſtarum imaginem.* Idem verbum ſignificat & in unam, eandemque cuſpidem acuere, prout ſic acuminati ſunt ſinguli laterculi ſpicatorum teſtaceorum. Et ſane ariſtæ ſpicarum, compoſitæ ex tot tenuibus filis ex palea ſurgentibus, nonnihil ex longinquo mentiuntur intuenti, & adumbrant ceu unum mucronem, qui ex pluribus minoribus acuminibus in ſummum terminatur, & coit. Sic *ſpicandi* verbo utitur Grat. Cyneg. I. 117.

Quid, Macetûm immenſos libeat ſi dicere contos,
Quam longa exigui ſpicant haſtilia dentes?

Cum ergo laterculi, de quibus agimus, non niſi unum ſupra & infra habuerint acumen, nec plura; mirandum non eſt, quod ratione convenientiæ cum figura ſpicæ frumentariæ dicti fuerint *ſpicata*, quæ appellatio formam, ut *teſtacea* materiam denotat. Licet namque teſta proprie ſignificet generatim quævis vaſa, & opera teſtacea; ſæpius tamen, & ſpeciatim pro lateribus, aut laterculis ponitur, quod opera, & vaſa teſtacea, ac lateres ex eodem terræ genere, nempe argilla, fierent. Sed & pro figulino fragmento occurrit, ut apud Ovid. Met. VIII. 663.

--- *menſa…*

—— *menſæ ſed erat pes tertius impar,*
Teſta parem fecit.

Bergier. de viis milit. II. Sect. 20. § 7. . . 12.

PAULLINUS cognomen eſt inter illa, quæ ita ſunt immutata, ut per diminutionem in *inus* a ſuo primitivo deflexa ſint. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5.*

PAULLULUS cognomen diminutione fit a *Paullus*. Hoc quidam Poſtumiorum uſurparunt. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2031. B. Sigon. de Nom. Rom. c. 5.*

PAULLUS cum priſcis temporibus Æmiliæ gentis cognomen fuiſſet, nominum ſe te cum Republica labante, circa Auguſti tempora, vel paullo ante, in quaſdam etiam gentes prænomen ſeſe convertit, quo appellatus eſt Lepidi triumviri frater Paullus Æmilius Lepidus, & alii plures ejusdem gentis poſt ipsum. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2031. A. Perizon. Animadv. Hiſt. c. 3. Sigon. de Nom. Rom. c. 5.* Id autem duplici *L* ſcribi debere præter reſtitutam codicem [illegible], qui id mendoſe unico *L* deſcribunt, omnia antiqua lapidum, & librorum monumenta teſtantur. *Panvin. l. l.* [illegible] *Numiſm. Roman. Miſcell. explic. Miſc. Erud. Ital. Tom. I. p.* 378. Priſcianus, qui in grammaticis locupletior eſt ſe [illegible] quam ullus ſcriptor, *Paullus*, non *Paulus* vult ſcribendum III. p. 614. edit. Putſch. [illegible] *non geminavit L in diminutivo.* [illegible] *diphthongus poſt ſe geminari conſonantem prohibeat.* Turneb. Adv. XXX. 8.

PAVO eſt avis Indica. Ælian. de Anim. XIII. 18. ubi deſcribit palatium Regis Indorum. *In hortis ejus* [illegible] *pavones aluntur.* XVI. 2. *Sunt & in India pavones multo maximi.* De Hydraote flumine Indiæ Curt. IX. I. 13. *Junctum erat flumini nemus, opacum arboribus alibi inuſitatis, agreſtiumque pavonum multitudine frequens.* Bochart. Hieroz. II. 2. 16. Pulcerrima. Varr. de Re R. ſt. III. 6. *Huic natura formæ e volucribus dedit palmam.* [illegible] pulcritudinem deſcribit Tertull. de pall. c. 3. *Quamquam & pavo pluma veſtis, & quidem de cataclitis: imo omni conchylio preſſior, qua colla florent: & omni* [illegible] *qua terga fulgent: & omni ſyrmate ſolutior, qua caudæ jacent. Multicolor, & diſcolor, & verſicolor. Nunquam ipſa, ſemper alia: etſi ſemper ipſa, quando alia. Toties denique mutanda, quoties movenda.* Hinc Petron. c. 37.

> *Tuo palato clauſus pavo paſcitur,*
> *Plumato amictus aureo Babylonico.*

Bochart. ibid. II. I. 20. Nonn. de re cib. II 24. Caſtell de eſu Carn. IV. 9. Magni olim habita. *Ob pavonem e viridario ſubreptum militem prætorianum capite punivit* Tiberius apud Suet. c. 60. n. 3. Et Alexander Magnus, cum apud Indos primum vidiſſet, *pulcritudinis admiratione perculſus*, [illegible] *pœnas interminatus eſt.* [illegible] ibid. II. 2. 16. Nonn. l. l. *Cibi gratia primus occidit orator Hortenſius aditiali cœna ſacerdotii. Quod protinus factum tam luxuriæ, quam ſeveri boni viri laudabant,* ut narrant [illegible] 20. & Varr. l. l. *Saginare primus inſtituit circa novi* [illegible] *piraticum bellum M. Aufidius Lurco, exque eo quæſtu reditus ſeſtertium ſexagena M. habuit.* Hortenſium ſecuti multi extulerunt eorum pretia, *ita ut ova eorum* [illegible] *veneant* [illegible] *ipſi facile quinquagenis.* Varr. l. l. Ad ingens hoc pretium exclamat Macrob. Sat. III. 13. *Ecce res non admiranda ſolum, ſed pudenda: ut ova pavonum quinis denariis veneant, quæ hodie non dicam vilius, ſed omnino nec veneunt.* Meurſ. de L. x. Rom. c. 15. Gonſal. in Petronium. Brayer. de Re cibar. III. 2: XV. 28. Bochart. Nonn. Caſtellan. l. l.

Pavo Fitellius dictus eſt a ſtudio hujus avis. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5.*

PAVOR & pallor dei a Tullo Hoſtilio figurati, & culti. Lactant. I. 20. *Pavorem, palloremque Tullus Hoſtilius figuravit, & coluit. Quid de hoc dicam, niſi dignum fuiſſe, qui ſemper deos ſuos, ſicut optari ſolet, præſentes haberet?* Auguſtinus *Hoſtilius certe Rex deos & ipſe novos, pavorem, atque pallorem propitiandos non introduceret, ſi* [illegible] *deum noſceret, & coleret.* Ita vero accidit, cum commiſſo inter Romanos, & Vejentes prælio, nuntiatum eſſet Tullo Hoſtilio Regi, Albanos defeciſſe, *palleretque & paveret* Romanos ob eam rem videret, *ipſe in re trepida templum vovit pavori & pallori.* Liv. I. 7. *Lipſ. de Siren. c. 1. §. 7. Gyrald. Synt. deor. I. p. 55. A. Guther. de Salus c. 6.*

PAVORII & Pallorii ſunt Salii dicti, & inſtituti ab Hoſtilio Rege. V. illos infr. in *Salii.*

PAUPERES via Oſtienſi, & extra portam Trigeminam ſtipem a prætereuntibus olim ethnicorum tempore petere conſueverant. Plin. XXXIV. 5. *Item P. Minucio præfecto annonæ extra portam Trigeminam* [illegible] *collata....* Plaut. Capt. I. I. 22.

> [illegible]
> [illegible]

Aring. Rom. Subterr. III. I. [illegible]

[illegible] quid deſit, [illegible] eam lex vetet [illegible] nec publice [illegible] agere, niſi [illegible] *paupertas* [illegible]. *Lipſ. de Siren. c. 2. ſect. 3. §. 15.* [illegible] quibus [illegible] vendebant. Prudent. in Symm. II. 947.

> *Quis tenet* [illegible]
> [illegible] *gradibus* [illegible] *jejunia*
> [illegible]

Aul. [illegible] p. 117. [illegible] *quidam, repentina correpta peſtilentia pæne ad nullum redactæ* [illegible] *prævalebat, quaſi cibo parandam portamus ad noſtrum receptaculum.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 14. Horum [illegible] erat alium, & [illegible]. V. [illegible] in [illegible] tantum habebant [illegible] ampliæ duas. Ulpian. l. 5. ff. de off. præſid. [illegible] *homines ſub prætextu* [illegible] *lumine uno, vel* [illegible] *ſupellectilis,* [illegible] *injuria vexentur,* [illegible]. Illa occupati a comitiis [illegible] aut [illegible] homines [illegible] & aditu [illegible]. Lego enim non *lumine*, ſed *limine*. Arbitror Ulpianum idem ſignificare voluiſſe aliis nominibus, quod ſuis Cicero pro Mil. c. 27. *Qui parietem ſæpe feriebat* [illegible] *ut fororem non modo veſtibulo privaret, ſed omni aditu et limine.* Hoc enim legitur in pluribus ſcriptis exemplaribus pro *lumine*. Neque enim [illegible] domus ſororis dicit Clodium, ſed aditum obſtruxiſſe, facultatemque illi eripuiſſe domus ſuæ [illegible] etiam [illegible]. *Victor. Var. Lect.* XX. 18. Teſtamentis ſignandis adhiberi non poterant. Paupertas enim, cum tali ingentem materiam præbeat, ſemper Romanis ſuſpecta fuit: quemadmodum de C. [illegible] ſcribit Valer. Max. II. 3. I. *Lonc. de Anul. c.* 10. [illegible] nigris veſtibus & vilibus [illegible] involuti. Artemidorus & Euſebius. V. illos ſupr. in *Cadaver.*

PAUPERIES eſt damnum a quadrupede factum. Ulpian. l. I. ff. ſi quadr. pauper. fec. dic. *Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, actio ex lege* XII. *tab. deſcendit: quæ lex voluit, aut dari id, quod nocuit, id eſt, id animal, quod noxiam commiſit, aut æſtimationem noxiæ offerre. Noxia autem eſt ipſum delictum, pauperies eſt damnum ſine injuria facientis datum: nec enim poteſt dici animal injuriam feciſſe, quod ſenſu caret.* Juſtin. Inſtit. IV. 9. *Animalium nomine, quæ ratione carent, ſi qua laſcivia, aut pavore, aut feritate pauperiem fecerint, noxialis actio lege* XII. *tab. prodita eſt.* Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 40. Urſin. ad Leg. & Sch. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1356. D. Sigon. de

de Judic. I. 17. Thyſ. Collat. Rom. & Attic. leg. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. v. p. 1388. E. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 2. c. 38. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 473. C.

PAUSÆ certæ fuerunt conſtitutæ, in quibus *pauſabant*, qui Anubim portabant, quas nunc ſtationes dicimus. Has omnes cogebantur explere, qui ſacra Iſidis ferebant, cum certis locis requieſcebant, ubi ſtatutæ erant illæ *pauſæ*, & ſimulacrum deponebant, *pauſas edere*, & *explere* dicebantur. Spartian. Peſcenn. c. 6. *Sacris Iſidis Commodus adeo deditus fuit, ut & caput raderet, & Anubim portaret, & omnes pauſas expleret.* Anton. Carac. c. 9. *Quum Antoninus Commodus ſacra Iſidis ita celebraverit, ut & Anubin portaret, & pauſas ederet.* Gloſſæ: *Pauſat*, ἀναπαύει. Arnob. v. p. 160. *Pauſata circum arboris robur*, hoc eſt, ἀναπαυομένη. Ad certas arbores ſacras, aut ſacella quædam diſtributas, & aſſignatas illas fuiſſe *pauſas* veriſimile eſt, easdemque ſemper repetiſſe, quotieſcunque Anubin portarent. *Salmaſ. & Caſaub. ad Spartianum. Reineſ. Inſcript. Claſſ. I. n.* 139.

PAUSARIUS dicebatur, qui in portando Anubi omnes *pauſas* edi conſuetas in Iſidis ſacris explebat. Vetus inſcriptio:

PRO. SALUTE. DOMUS. AUGUSTÆ
CORPORA. PAUSARIORUM. ET
ARGENTARIORUM. ISIDI
ET. OSIRI. MANSIONEM
ÆDIFICAMUS.

Quæ inſcriptio duas res nos docet, & corpus, ſive collegium *pauſariorum* Romæ fuiſſe, & manſiones Iſidi extrui ſolitas, in quibus, vel ad quas *pauſæ* fiebant. Sed & manſio, & *pauſa* idem eſt. Ne vero quis putet *pauſarios* artifices, aut opifices fuiſſe quosdam propter argentariorum nomen, cum quibus junguntur in illa inſcriptione. Nam & ſic dendrophori in quamplurimis inſcriptionibus cum tignariis, & fabris, & centonariis junctim ponuntur: nec tamen opifices fuerunt. V. illos ſupr. in *Dendrophori.* Salmaſ. ad Spartian. Carac. c. 9. Cerd. Adv. c. 132. §. 33. *Pauſarios* huic rei fuiſſe, & quidem corpus ſacrum Iſidi-cultorum ita dictos, merito dubitamus: Quomodo enim hi tanquam ὁμόφυλοι, & unius corporis, & ſodalitii cum argentariis jungerentur? quomodo fuiſſent συνερανισταὶ, καὶ συνεισφόροι uni arcæ, in quam contribuerent, adſcripti? Non comperta ſunt συστήματα ἱερατικὰ, ſæpe ſolum ἀνθαίρετα, & voluntaria cum profanis cœtibus, & functionibus civilibus quicquam habuiſſe commune. Neque vero diverſa corpora, & ſodales ſic coiviſſe, inde, quod dendrophori & fabri jungi legantur in inſcriptionibus, liquidum fecit Salmaſius. Sunt enim dendrophori pars civium certæ curiæ, & functioni pro uſu Reipublicæ mancipata, & innexa, ejusdemque cum alteris ſortis. Sepoſitis igitur *pauſariis* e lectione data a Salmaſio facile erit veram eruere: nimirum *corporati* (ſyllabo *ti* e litera *P* commode reſultat) *aurariorum*: quibus recte, uti ὁμότεχνοι, & contubernales, ſeu congildones aggregantur argentarii. *Reineſ. Inſcript. Claſſ. I. n.* 139.

Pauſarius eſt, qui remigibus modos dat. Senec. Epiſt. 56. *Sed jam me ſic ad omnia iſta duravi, ut audire vel pauſarium poſſim, voce acerbiſſima remigibus modos dantem.* Savar. in Sidon. Epiſt. II. 10. Voſſ. Lex. Etymol. Herald. in Arnob. p. 204. Scheffer. de milit. nav. IV. 7. Ferrar. de Plauſ. & acclam. I. 18.

PAX.

PAX culta ab antiquis. Juven. Sat. I. 115.

Ut colitur pax, atque fides.

Gyrald. Synt. deor. I. p. 31. E. Pingitur in numiſmate Cæſaris Octavii virginali forma, cum oleæ ramo, & cornucopiæ. Oliva autem *pacis* eſt ſymbolum, eſtque Minervæ ſacra, quæ ſcientiarum præſes eſt, & quod oleo lucubrationes ſtudiorum fiunt, quæ *pacis* vigent temporibus. Cornucopia rerum omnium *pacis* temporibus abundantiam deſignat, in quo & ſpicæ conſpiciuntur interdum, & vomer, quo terra proſcinditur, & lætæ fruges exiſtunt. In Græcis Locrenſium nummis occurrit ſedentis habitu, & alata, gerens caduceum, cum inſcriptione ΕΙΡΗΝΗ. *Auguſt. Antiq. dial.* II. *Ortel. Deor. & dear. cap.* II. *fig.* 50. *Cuper. Apoth. Homer. p.* 178. Etiam conſpicitur ſerpentem conculcans pedibus, vel arma humi jacentia face accendens; & ſæpius fundata, publica, æterna, & perpetua dicitur. Symbolum ejus ſunt duæ dextræ conjunctæ cum caduceo, & duobus Amaltheæ cornibus. *Struv Ant. Rom.* I. *p.* 140.

Pax ab Imperatoribus petebatur, a ſenatu dabatur. Ubi enim petentibus hoſtibus Imperator *pacem* dediſſet, mox Romam ad ſenatum mittebat, ut ejus auctoritate confirmaretur: quod ſi ſenatus *pacem* probaſſet, ad populum ferebatur, vellet, juberetne *pacem*, fœdusque cum ea gente eſſe: neque enim ſine auctoritate ſenatus, juſſuque populi quidquam eorum ratum erat, quæ cum hoſtibus duces ipſi pepigiſſent. Liv. XXXVII. 55. *Poſt Rhodios Antiochi legati vocati ſunt. Ii obteſtati ſunt patres conſcriptos, ut pacem datam a L. Scipione Imperatore, quibus legibus dediſſet, confirmarent auctoritate ſua. Et ſenatus eam pacem ſervandam cenſuit, & paucos poſt dies populus juſſit.* Tributis comitiis jubebatur. Liv. XXXIII. 25. *Ni Q. Martius Rex, & C. Atinius Labeo tribuni plebis ſe interceſſuros dixiſſent, ni prius ipſi ad plebem tuliſſent, vellent, juberentne cum Rege Philippo pacem eſſe. Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata eſt, omnes quinque & triginta tribus, uti rogatæ, juſſerunt.* Valtrin. de re milit. Rom. VI. II. Nann. Miſc. VI. 28. *Pacem* veniamque deorum in calamitatibus publicis, morbis graſſantibus, vel prodigiis, quæ iratos deos portenderent, nuntiatis, expoſcebant. Liv. VII. 2. *T. Sulpicio Petico, & C. Licinio Stolone coſſ. peſtilentia fuit, & pacis deûm expoſcendæ cauſa tertio poſt conditam Urbem lectiſternium fuit.* Virg. Æneid. III. 261.

Sed votis, precibusque jubent expoſcere pacem.

Briſſon. de Form. I. p. 81. Struv. Ant. Rom. III. p. 211. Guther. de vet. jur. pont. IV. 6. *Pax* deûm proprie ſacrificii fructus. Plaut. Pœn. I. 2. 43.

Sunt hic omnia, quæ ad deûm pacem oportet adeſſe?

Liv. VI. 12. *Hoſtia cæſa pacem deûm adorare.* Quod paucis explicat Plaut. Merc. IV. I. 12.

Apollo, quæſo ut des pacem propitius,
Salutem, & ſanitatem noſtræ familiæ,
Meoque ut parcas gnato pace propitius.

Guther. ibid. c. I. *Pacem* mortuis optabant. Valentin. novell. de ſepulcris: *Pax ſepultis.* Et Valerius Probus has notas H. R. I. P. interpretatur: *Hic requieſcit in pace.* Kirchman. de Fun. III. 9. Morcſtell. Pomp. Feral. VIII. 9.

PEC.

PECTEN albus eſt tenerior, non olet ſalſuginem, & facile digeritur. Patulus cur dicatur, indicat Ariſtot. de Anim. IV. *Eorum, quæ duabus teſtis continentur, alia ſunt patula, ut pectines.* Buleng. de Conviv. II. 38.

Pecten buxeus e buxo, ut etiamnum, comparabatur. Legimus & eburneum. Et Callimachus aureum quoque agnoſcit, ubi talem a nymphis adferri ad Palladis lavacrum jubet Lavacr. Pallad. n. 31.

Pectinem & ex auro producite, poſſit ut udos
Extergens crines pectine dividere.

Officium *pectinis* eleganter expreſſit Claud. Nup. Honor. & Mar. n. 101.

—— hæc morſu numeroſi dentis eburno
Multifidum diſcrimen arat: ſed tertia retro
Dat varios nexus, & juſto dividit orbes
Ordine.

Ejus uſum inculpatum eſſe aſſero, non in complanando ſolum crinium horrore, & deducendis lendibus, pediculisque, ſed ad excitandos conſopitos ſpiritus laudatum, dum affrictu denticulorum meatus cuticulares reſerat, fu-

midos-

midoſque vapores diſcutit. *Jun. de Com. c. 7. Spanhem. in Callimachum. Pignor. de Serv. p.* 404.

Peclen ferreus adhibeatur ad diſcerpendas Chriſtianorum carnes. Erant hi ſimiles *pectinibus* illis, quibus lana pecti ſolet. *Gallon. de Martyr. cruc. apud Magium de equul. p.* 180. *Laurent. de Rebuſpubl. c.* 7.

Peclen ligneus manubrio affixus, quo paullo longius a terra interpoſito exſtans ſpica proſcinditur, quemadmodum fit in capilli tonſura per *pectinem*. Colum. II. 21. *Multi mergis, alii pectinibus ſpicam ipſam legunt: idque in rara ſegete facillimum eſt, in denſa difficillimum.* Plin. XVIII. 30. *Panicum, & milium ſingillatim pectine manuali legunt Galli.* Popm. de inſtrum. fund. c. 9.

PECTINÆ quid fuerint V. infr. in *Refector pectinarum.*

PECTORALE, καρδιοφύλαξ, pectori erat tegendo. Varr. de Ling. Lat. IV. 24. *De corio crudo pectoralia faciebant.* E corio fuiſſe, uti & Varro, vult Sil. Ital. VIII. 524.

Pectora pellis obit cæſi a venatibus urſi.

Qui etiam e ferro n. 548.

Ille viris pila, & ferro circumdare pectus
Addiderat.

Ex ære Polyb. VI. 21. *Plerique capientes æream laminam, quæ ſit palmi majoris, ſive duodecim digitorum undique, nec amplius, eam pectori apponunt, & vocant pectorale.* Lipſ. de milit. Rom. III. 6. Quale id fuerit, ignoro. Videtur ſimile fuiſſe *pectorali* illi, quo quidam Germani interdum utuntur, qui forte ob exiguas patrimonii ſui facultates integram loricam ſibi parare non poſſunt. Et in hoc bello, quod Veneti cum Turcis gerunt, cohors quædam centenaria fuit, cujus milites geſtabant dimidiatam loricam, quæ pectus vix ad mammillas uſque tegebat: inde deſcendens in acutum paullatim coibat, adeo ut miles paullulum ſe inclinans extremæ partis cuſpidem ventri ſuo infigeret. Eadem *pectoralis* hujus forma, & longitudo a tergo quoque erat. *Patric. rei milit. Rom. part. 5. ſect. 9.*

PECTUS cancro tribuunt aſtronomi. *Niph. de Augur.* I. 21. Si ſalierit, convivium omnibus denuntiat; aliis vero ad implementum diſcurſus, ſed cum timore. *Niph. ibid. c. 9.* In luctu tundebant. Lucian. dial. meretr. *Dilaceravit comas, & præcordia percuſſit, & luxit.* Arnob. V. p. 167. *Quid pectoribus applodentes paſſis cum crinibus Galli? nonne illos referunt in memoriam luctus, quibus mater turrita cum Adeſti lacrymabili puerum proſecuta eſt ejulatu?* Et: *Cur more lugentium cædant pectoribus lacertos, & fortunam mitentur in lacrymabili conſtitutorum ſorte.* Prop. II. 10. 27.

Tu vero nudum pectus lacerata ſequeris.

Ejus tunſione dolorem indicabant, uti hoc ſuffragium gentiles quoque conſueverunt exhibere defunctis. Donat. ad Æneid. IV. 673. *Cum igitur audiſſet, & ex eo, quod audiit, exanimis fuiſſet effecta, ut in doloribus fieri ſolet, unguibus ora ſua, utpote unanimis, ſoror fœdabat, & pectora pugnis. Ut ergo ob ſororem defunctam dolorem oſtenderet ſoror ſuperſtes, pectora pugnis percutiebat.* Kirchman. de Funer. II. 11. Nicol. de Luct. Græc. c. 11. §. 6. Feith Antiq. Homer. III. 15.

PECUARII vocabantur, qui paſcua publica conduxerant, ut inde vectigal colligerent. Aſcon. in Cicer. p. 29. *Mancipes, qui quæſtus ſui cauſa, ſi paſcua publica redimunt, pecuarii appellantur.* Liv. XXXIII. 42. *Ædiles plebis Cn. Domitius Ænobarbus, & C. Scribonius curio maximus multos pecuarios ad populi judicium adduxerunt.* Burmann. Diſſert. de vectig. c. 9. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 262. E. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 4. Blond. Triumph. Rom. V. p. 109. C.

PECULATOR eſt, *qui furtum facit pecuniæ publicæ.* Aſcon. in Cicer. p. 43. Cicer. de Offic. III. 18. *Neque enim de peculatoribus hoc loco differendum eſt.* Sigon. de Judic. II. 28.

PECULATUS eſt dictus furtum pecuniæ publicæ. Feſtus: *Peculatus furtum publicum dici cœptus eſt a pecore, quia ab eo initium ejus fraudis eſſe cœpit: ſiquidem ante æs, aut argentum ſignatum ob delicta pœna graviſſima erat duarum ovium, & triginta boum.* Sigon. de Judic. II. 28. Feſti hunc locum non eſſe exiſtimat Antonius Auguſtinus. De hoc crimine Iſidor. V. 26. *Peculatus judicium in eos datur, qui ærario fraudem faciunt, pecuniamve publicam intervertunt.* Icti l. 11. ff. ad legem Juliam peculatus: *Cavetur lege Julia peculatus, ne quis ex auro, argento, ære publico quid tollat, neve intercipiat.* l. 9. ff. ad legem Corneliam de falſo. V. illam ſupr. in *Lex.* Demſter. in Roſin. Antiq. Roman. VII. 31. Primis temporibus certum prætorem, aut quæſitorem non habuit, ſed lege, prout uſus incidebat, prætoribus, aut etiam conſulibus, mandabatur. Sit exemplo judicium L. Scipionis Africani fratris factum an. 566. Huic proconſuli crimen objectum eſt, quod, quo commodior pax Antiocho daretur, ipſe ſex millia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepiſſet, quam in ærarium retuliſſet; A. Hoſtilius legatus octoginta pondo auri, argenti quadringenta tria; Furius quæſtor auri centum triginta, argenti viginti pondo. Accuſati prædes dabant, aut in carcerem trudebantur, lis æſtimabatur, in bona damnatorum quæſtores mittebantur. Ser. Sulpicio prætore urbano ad ſenatum referente, quem rogatione Petillia quærere vellent, Q. Terentium Culleonem patres juſſerunt. V. Liv. XXXVIII. 54. & 55. Poſtquam autem quæſtio repetundarum perpetua conſtituta proprium prætorem eſt nacta, tum vero quæſtio etiam *peculatus* præcipuo prætori eodem modo mandata eſt. Id ante dictaturam L. Syllæ, id eſt, ante an. 671. Qua lege acceperit, nondum inveni. Non a Sylla. Pomponius enim ff. de orig. jur. refert Syllam tuliſſe tantum de ſicariis, veneficiis, parricidio, & falſo, & propterea quatuor prætores adjeciſſe, non prætermiſſurus crimen *peculatus*, ſi a Sylla ad certum prætorem eſſet redactum. Poſt Syllam habuiſſe, argumento ſunt I. quod Cicero M. Craſſo, Cn. Pompejo coſſ. an. 683. minatur Verri, quem de pecuniis repetundis reum agebat, judicium *peculatus.* II. quod Cluentium defendens Lepido, & Tullo coſſ. an. 687. inquit, ſe prætorem de pecuniis repetundis quærere, C. Orchinium de *peculatu.* III. ſequenti anno, in defenſione Murenæ L. Murenam prætorem urbanum jurisdictionem eſſe ſortitum, Ser. Sulpicium quæſtionem *peculatus.* Sigon. de judic. l. l.

PECULIARES dicebantur ſervi & ancillæ, quod quaſi in *peculio* eſſent, & numerarentur; ſimiliter ac reliquæ eorum res *peculiares.* Hinc *ovis peculiaris*, Plaut. Aſin. III. 1. 36. V. illum ſupr. in *Opilio. gallus peculiaris.* Plaut. Aul. III. 4. 6.

Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anni peculiaris, perdidit penitiſſime.

Vinum peculiare, quod ſervi habuerunt. Ulpian. ff. XXXIII. 6. 9. §. 3. vel ut diſtinguerentur *peculiares* a publicis. De his Plaut. Capt. prol. n. 19.

Hic poſtquam hunc emit, dedit eum huic gnato ſuo
Peculiarem.

Hinc *peculiares* ſervos dicit Suet. Jul. c. 76. n. 9. *Monetæ, publicisque vectigalibus peculiares ſervos præpoſuit. Peculiares* loculos Suet. Galb. c. 12. n. 7. *Cano choraulæ denarios quinque donavit, prolatos manu ſua e peculiaribus loculis ſuis.* Hos Plutarch. Galb. p. 1060. A. dicit *de ſuo, non de publico dediſſe.* Turneb. in Plinii præfat. p. 23. Laurent. de Natal. c. 4. Voſſ. Inſtit. Orat. IV. §. 12. Pitiſc. in Suetonium.

PECULIUM *ſervorum a pecore dictum eſt, ut pecunia patrum familiæ.* Feſtus. Serv. Eclog. I. 33. *Omne patrimonium apud antiquos peculium dicebatur a pecoribus, in quibus eorum conſtabat univerſa ſubſtantia: unde etiam pecunia dicta eſt a peculio. Aut certe & hoc ad morſum temporum pertinet: nam modo tantum ſervi peculium dicimus.* Veter. gloſſ. *Peculium*, περιουσία, περίκτησις, ἴδιον, σφέτερον. Nec ſolum ſervorum fuit, ſed & ita dictum, quod filiusfamilias ſibi parentis permiſſu ſervabat, deducto illo, quod parenti debebatur. Ita filiis cedebat, ſi pluris vendidiſſent merces, quam quanti eas pater æſtimaſſet. Plaut. Merc. prol. n. 95.

Lucrum ingens facio, præterquam mihi meus pater
Dedit æſtimatas merces: ita peculium
Conficio grande.

Optimæ Glossæ: *Peculium, possessio ejus, qui est in aliena potestate, ut filiifamilias, vel servi.* Vid. Lex. Etymol. Dacer. in Festum. Rævard. de Div. [illegible] jur. xiii.

Peculium mulierum Galli appellarunt bona, quæ Græcis παράφερνα. V. supr. in *Parapherna*. Ulpian. l. 9. §. 2. de jur. dot. *Mulier res, quas solet in usu habere in domo mariti, neque in dotem dedit, in libellum conferret, eumque marito offerret hac intentione, ut maritus subscriberet quasi eas res accepisset, & veluti chirographum mariti hujusmodi libellum uxor custodiret, ut facto divortio docere posset, res quæ libello continentur, in domum mariti se in*[illegible] rerum non ire si custodia marito commissa [illegible], vel mandati agi poterit; sin minus, agebatur rerum amotarum, si animo amoventis maritus eas contrectaret; aut ad exhibendum, si non amovere eas connisus [illegible] l. 9. in fin. Et hoc est omnino illud, quod scribit Apollin. Epist. vii. *Quo profecto mater puellæ para*[illegible] *vel proponere.* Quem locum Ulpianus dixerat, *paraphernicum instrumentum* [illegible] appellat Sidonius. Eoque referendum est, quod de servo receptitio ex Catone refert Gellius laudatus infr. in *Servus*. Rævard Protribun. c. 4.

PECUNIA olim fuit ærea, argentea, aurea. V. supr. in *Moneta*, *Æs*, *Argentum*, *Aurum*. Cur apud omnes gentes [illegible] rotunda, observavit August. in Psalm. 85. quia facile volvitur, & ab uno domino ad alium transit; [illegible] vero sit symbolum volubilitatis. *Raynaud. de* [illegible] *Sect.* 10. Non tantum sacra, sed & profana, tam publica, quam privata asservabatur in templis a Romanis in templo Saturni. V. supr. in *Ærarium*. Pacis. Herodian. I. 14. §. 4. *Totum de improviso Pacis templum* [illegible]: *quod unum scilicet opus* [illegible] *Urbe maximum* [illegible] *pulcerrimum: item templorum omnium opulentissimum, egregieque munitum, multoque ornatum auro, & argento. Quippe universi ferme suas* [illegible], *congerebant.* Græcis in Dianæ Ephesiæ. Cæs. de Bell. civ. III. 105. *Cæsar, quum in Asiam venisset, reperiebat T. Ampium conatum esse tollere pecunias Epheso ex fano Dianæ.* Nep. Hann. c. 9. n. 3. *A*[illegible] *complet plumbo, summas operit auro, &* [illegible] *in templo Dianæ,* [illegible] *fidei credere.* Junonis Samiæ. Cicer. de Leg. II. 16. *Atheniensis Clisthenes Junoni Samiæ, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit.* Herculis. Cæs. ibid. II. 18. *Pecuniam omnem, omniaque ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gades contulit.* Quia templa, tanquam res sanctas, minus obnoxia violationi, ac direptioni [illegible]: & quia victor religiosior, urbem cum [illegible], templa, delubra, ac fana petulantiæ, atque aviditati [illegible]. *Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Rom.* VII. 31. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 6. *Brod. Misc.* IV. 17. *Gebhard. & Schott. in Nepotem. Rævard. Var.* I. 15. *Lips. in Tacit. Annal.* I. *n.* 53. *Franckenstein de Ærar. Pop. Rom.* c. 1. Et a milite custodiebantur templa. Tertull. de Coron. mil. c. 11. ubi non vult Christianum militem [illegible]: *Et excubabit pro templis, quibus renuntiavit? &* [illegible], *ubi apostolo non placet? & quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit?* Juven. Sat. XIV. 260.

— *Et ad vigilem ponendi Castora nummi.*

Lips. & Brod. l. l. Grang. in Juvenalem. Apud nummularios, sive mensarios, quos Comici appellant interdum trapezitas, interdum danistas, duobus modis deponebat [illegible], aut custodiæ, aut fœnoris gratia l. 7. §. 2. ff. depositi. l. 50. ff. de administr. & peric. tutor. De priore Plaut. Capt. I. 2. 89.

Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.

De posteriore, ubi danistam loquentem introducit. Most. III. 1. 1.

Scelestiorem [illegible] *locando argento fœnori*
Nunquam [illegible], *quam hic mihi annus obtigit.*
A mane ad noctem totum usque in foro ago diem,
Locare argenti [illegible] *nummum queo.*

Qui custodiæ causa apud mensam deponebant, hi fidem publicam sequebantur: & iis, qui idipsum fœnoris gratia faciebant, aliisque creditoribus præferebantur l. 24. §. 2. ff. de reb. auctorit. jud. possid. Eosque, qui non fœnoris, sed custodiæ causa apud trapezitas deponebant, publice illam deposuisse colligi potest ex Papin. l. 56. §. 1. ff. mandati. l. 24. §. 2. ff. de reb. auctor. jud. possid. Quo sensu *in loco publico pecuniam deponere consignatam* visus est dixisse etiam Hermogen. l. 64. ff. de fidejuss. *Rævard. Var.* I. 15. In sepulcris mortuorum. Terent. Eun. prol. n. 12.

— *unde esset thesaurus sibi,*
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.

Virg. Æneid. v. 362.

— *veteres tellure recludit*
Thesauros.

Ex quo natus est jocus Plaut. Pseud. I. 4. 20.

Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie.

Kirchman. de Funer. III. 14. Guther. de jur. man. II. 33. Tomas. de Donar. c. 22. Franckenstein, & Laurent. l. l. Long. de Annul. c. 11. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. VII. 31. Quæ deponebatur, in sacculo consignabatur. Scævol. l. mulier ff. de leg. commiss. *Sacculum cum pecunia signatorum signis obsignavit.* Signis, ut ego quidem sentio, privatis, non, ut quidam somniant, publicis. Quorum opinionem, præter varios Pandectarum locos, satis refellit etiam illud Cicer. Verr. V. 39. *Ipse in tabellas refert, obsignat signis amicorum.* Ea gratia nummu[illegible] adhiberi. Apul. Met. X. p. 325. *Ne forte aliquis istorum, quos offers, aureorum nequam, vel adulter reperiatur, in hoc ipso sacculo conditos, eos annulo tuo prænota, donec altera die nummulario præsente comprobentur.* Long. & Laurent. l. l. Kirchman. de Annul. c. 10. A litigantibus pro litis qualitate apud pontificem. Hæc, quod in sacro reponeretur, *sacramentum* appellabatur. V. infr. in *Sacramentum*. A militibus, quæ super quotidianum usum, & necessarium victum superfluebat, ad signa. Veget. II. 20. *Illud ab antiquis divinitus institutum est, ut ex donativo, quod milites consequerentur, dimidia pars sequestraretur apud signa, & ibidem ipsis militibus servaretur, ne per luxum, aut inanium rerum comparationem a contubernalibus posset absumi. Miles deinde, qui sumptus suos scit apud signa depositos, de deserendo nihil cogitat, magis diligit signa, pro illis in acie fortius dimicat.* Hinc Tacit. Annal. I. 37. 3. *Cum fisci de Imperatore rapti inter signa, interque aquilas veherentur.* Et Domitianus, quum animadverteret, *L. Antonium apud duarum legionum hiberna res novas molientem, fiduciam cepisse ex depositorum summa, prohibuit, ne in posterum miles plus quam mille nummos ad signa deponeret,* apud Suet. c. 7. n. 8. priscum morem penitus abolere non ex re putans, sed tutius moderamen futurum, si summam militaris depositi imminueret. *Donat. & Pitisc. in Suetonium. Laz. Comm. Reip. Rom.* VII. 1. *Valtrin. de re milit. Rom.* VI. 3. *Lips. in Tacitum. Schill Nomencl. Philol. p.* 1041. *Pecuniam* appendere, seu ponderare magis quam numerare solebant Romani. Unde *expensa in rationibus, impendia, & dependere* etiam nunc usurpamus. Hinc etiam in veteri formula *per æs & libram emere*, quia libripendes scilicet adhibebantur ad pensitandum. Sed & ab hac pensitatione manavit *æs grave* dictum, quod pondus justum, & legitimum haberet. Cornut. in Pers. II. 59. *Solebat pensari potius, quam numerari.* Unde per pondo numerabatur. Plinius. V. illum supr. in *Ærarium sanctius*. Flor. I. 31. *Mille pondo auri recessum suum venditantes, idque ipsum per insolentiam, cum ad iniqua pondera, addito adhuc gladio, superbe victis increparent.* Demster. Paral. in Rosin. Antiq. Roman. VII. 31. Stewech. in Veget. II. 9. Putean. Reliq. conv. prisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 256. F. Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 27. Formulæ *pecunia judicare, pecunia anquirere, multam dicere, multam irrogare,* natæ sunt ex eo, quod quos damno affecerunt, id est, *pecunia* condemnarunt, in iis multæ nomen usurparunt. Livius,

vius: *Bis pecunia anquiſitum eſt: tertio cum capitis ſe anquirere diceret, tribuni plebis permiſerunt, ut aut capitis, aut pecuniæ judicaret privato.* Sigon. de Judic. III. 3. *Pecunia* duplum, aut triplum ex præda equiti datum præ pedite. Hoc in triumpho Porcii Catonis narrat Liv. XXXIV. 45. *Militibus ex præda diviſit in ſingulos ducenos ſeptuagenos æris, triplex equiti.* Marcelli Liv. XXXIII. 23. *Laus æris trecenta viginti millia, argenti bigati ducenta triginta quatuor millia: in pedites ſingulos dati octingenti æris: triplex equiti, centurionique.* Hugo de Milit. Equeſt. v. 1.

Pecunia ærоſa vocatur, quæ ſubærata eſt: quæ aurea, vel argentea videtur, & habet in ſe æris plurimum: quemadmodum & Feſtus *æroſam Cyprum* dixit, quod in ea plurimum æris naſcatur. Scævol. l. 102. ff. de ſolut. *Creditor oblatam a debitore pecuniam, ut alia die accepturus, diſtulit: mox pecunia, qua illa Reſpublica utebatur, quaſi æroſa, juſſu præſidis ſublata eſt.* Coraſ. Miſcell. jur. I. 9. n. 5. Salmuth in Pancir. de reb. dep. & inv. p. 511. Brod. Miſc. VII. 16. Donat. Dilucid. in Vopiſc. Tacit. Theſ. Crit. Gruter. Tom. IV. p. 1047. Hotman. Antiq. Roman. IV. I. I. Demſter. Paralip. in Roſin. Antiq. Roman. VII. 31. *Æroſa* apud Scævolam eſt vox inſolens. Cum ad veteres codices confugiſſem, deprehendi Græcam dictionem corruptam circumferri. Non igitur legendum eſt æroſa, ſed ἔρανοс. Significat ἔρανος mercedem, tum etiam collationem pecuniæ vice cujusdam tributi indictæ. *Alciat. Diſpunct.* II. 25. Sed prior lectio potior. Nam ærata pecunia plerumque ſuppoſititio ſigno adulterina erat. Perſ. Sat. v. 105.

> —— *& veri ſpeciem dignoſcere calles,*
> *Ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro.*

Demſter. l. l.

Pecunia attributa dicebatur provincialis. V. illam ſupr. in *Attributum.*

Pecunia publica a prætoribus urbanis Romæ curabatur, cuſtodiebatur, & in tabulas referebatur, quam ipſi aut aliunde accepiſſent, aut alio erogaſſent: a quæſtoribus provincialibus curabatur, quæ aut ex ærario deprompta, in uſus eſſet provinciæ expendenda, aut a provincia eſſet in ærarium referenda. Quare provincialis duplex fuit: attributa, & vectigalis. *Sigon. de ant. jure prov.* II. 8.

Pecunia vectigalis dicebatur provincialis, quæ ex vectigalibus, & tributis colligebatur: tum quæ ex re frumentaria, tum quæ ex portoriis, cæteriſque, quæ publicani exercent, vectigalibus exigebatur. *Sigon. de jur. provinc.* II. 8.

PECUS, & varia *pecudum* genera in rogum mittebantur, eaque præſertim, quæ defunctis cariſſima fuiſſe conſtabat. V. infr. in *Pyra.*

PED.

PEDALE *eſt menſura pedis.* Corn. Fronto de ſerm. Lat. *Chimentell. de hon. biſell. c.* 29.

PEDAMEN, ſive *pedamentum* vocatur adminiculum vitium. Varr. de re ruſt. I. 8. *Quibus ſtat recta vinea, pedamenta dicuntur.* Colum. IV. 26. *Tamen in his hæc, eorumque ſimilia pedamenta poſt putationem retractanda ſunt, parteſque eorum putres dedolandæ.* c. 15. *Nam plurimum intereſt, adhuc nova conditione pedamen omne veſtiri.* Urſin. ad Kalend. Ruſtic. Farneſ. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 22. D. *Pedare* eſt ſuffulcire, & quaſi pede ſtatuminare. Onomaſt. vet. *Impedo,* ἐμπεδόω. Colum. IV. 16. *Cum menſem trigeſimum exceſſit vinea, id eſt, tertio autumno, vehementioribus ſtaminibus eſt impedanda.* Hinc *pedatæ* vites opponuntur ſubrectis. *Voſſ. Lex. Etymol.*

PEDANEUS, ut minus Latinum, rejicit, & *pedarius* legendum eſſe contendit Gell. III. 18. *Hoc vocabulum a pleriſque barbare dici animadvertimus: nam pro pedariis pedaneos appellant.* Dicebantur vero tum judices, tum ſenatores. Judices dicebantur, *qui ex delegatione cauſas audiebant,* ut interpretatur Ammianus ad Paulli Sent. v. 28. Solebant autem hi de humilioribus ſolum negotiis, cauſiſque levioribus cognoſcere. A Theoph. Inſtit. de interd. in princ. transfertur χαμαιδικασταί. Unde paret ſic dictos, quod judicantes in imo loco conſiderent, ubi magiſtratus ſubſellia *pedum* habebant: vel quia *pede* plano judicarent, non pro tribunali, ut cenſet Cujac. in Novell. 82. Senatores qui fuerint dicti V. infr. in *Senatores.* Voſſ. Lex. Etymol. Hotoman. de Senat. II. 7. Manut. de Senat. c. 1. Zamoſc. de Senat. II. 10. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1101. D. Rævard. Conject. III. 10. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 4. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XV. 7. Flocc. de Poteſt. Roman. II. 1. Schill. Nomencl. Philol. p. 897.

PEDARIUS fautor appellabatur, qui in alicujus ſententiam *pedibus* ibat, eoque ſuffragio ſtudium, ac favorem præſtabat: unde & *pedaria* ſententia, ſicuti in Laberianis mimis notatum eſt: cum non verbis quidem, aut punctis, ſed *pedibus* in alienam irent ſententiam. *Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* XV. 7.

PEDATURA eſt quodlibet ſpatium, in quo aliquid poni, locarive poſſit. Ut *pedatura caſtrorum,* ſpatium, quod caſtrorum metatio detinet. *Pedatura murorum* id quod obtinent muri. Caſſiod. Var. v. 9. *Omnes regionis Tridentinæ habitatores ad exſtruendam civitatem acceptis a Theodorico Rege mercibus competentibus pedaturas murorum ſubire in commune cogebantur. Pedatura ſingulorum militum,* in qua ſinguli milites conſiſtere poſſunt, determinata dimenſio loci. Veget. III. 8. *Singulæ centuriæ accipiunt pedaturas.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 504. b B. Stewech. in Vegetium. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 3. Lipſ. de Milit. Roman. v. 2. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 109.

PEDES dicebatur, qui nullum adhuc in militia gradum habebat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 64. Ex prima conſtitutione rei militaris Romanæ ſatis apparet, omne robur militiæ Romanis in *pedite* fuiſſe: cui eques vix pro portione decupla reſponderet. Cauſa ab initio, quod difficilius parabantur, & inſtruebantur equites. Sed ratio, & tempus multa mutavit. Ita cum adverſus hoſtes equitatu validos eundum fuit, equitum quoque numerus exaugebatur. Imo ſub Conſtantinopolitanis Imperatoribus militia equeſtris numero præſtabat *peditatui.* Boecl. Diſſert. de Leg. Rom. c. 5. Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p. 1092. C. Majus inſtar in *peditatu* poſuiſſe Romanos veteres quam in equitatu, hinc liquet, quod pro ratione *peditum* pauciſſimos in exercitu haberent equites. Quod a prima Regum inſtitutione manavit, & manſit non ſolum quamdiu ſtetit Reſpublica, ſed etiam ſub Cæſaribus primi, ac medii imperii. Sub Regibus Roma inter Apenninum, & mare ſita, & præterea in montuoſis locis condita, non multum equeſtri idonea videbatur, illo præcipue tempore, cum nihil extra Urbis pomœria ferme poſſiderent. In alia parte Italiæ in nomine fuerunt, ac laude Tarantini equites, Apuli, Campani, non etiam Romani. Romulus in ornanda, & ordinanda militia, cum legionem trium millium feciſſet, contra hunc numerum *peditum* trecentos tantum equites inſtituit ſingulis, ut volunt, attribuendos legionibus, qui & inde legionarii dicerentur. Sic pro deno *pedite* unus eques adſcriptus, pro centeno denus. *Salmaſ. de re milit. Rom. c.* 20. Quantus eorum in unaquaque legione fuerit numerus. V. ſupr. in *Legio.* Stipendium quando, & quantum fuerit datum. V. infr. in *Stipendium.*

PEDICA *eſt laqueus, quo captivorum pedes illaqueabantur.* Iſidor. v. 27. *Voſſ. Lex. Etymol. Laurent. de Rebuſp. c.* 7.

PEDICINUS vocatur, qua forma amicinum dicitur, ut ſit ποδεών, id eſt, pes gracilis in torculari, edolatuſque, quo arbor ſtatuitur, inſeriturque foramini fundamenti. Cato de re Ruſt. c. 18. *Ibi foramen duobus pedicinis facito: ibi arbores pedicino in lapide ſtatuito.* Turneb. Adv. VII. 25. Popm. de inſtrum. fund. c. 11.

PEDICULARIUS exponitur συντονάριος in Gloſſ. Philox. & dicitur qui inter ſymphoniacos modum dat tono: unde & nomen. Fiebat enim hoc *pedibus* pulſando ſca-

ſcabellum. Lactant. in Stat. Theb. VII. 171. *Buxa ſcabellum, quod in ſacris tibicines pede ſonare conſueverunt.* Forſitan revera habuerunt ſcabella in hunc uſum parata, quæ pedis pulſu, lignea ſolea, vel ferrea percuſſa ſonarent. *Pedicula* autem Latini videntur vocaſſe iſta ποδαρέλια vel ὑποπόδια. Et ſcabella ſunt ποδοψόφια, & idem ſignificant quod *pedicula*. Hinc *pediculariam* vocant τὸν ποδοψόφον, τὸν ποδὶ κτυποῦντα. *Pedarius* etiam, vel *podarius* dicebatur. Aliæ gloſſæ: ποδοψόφοι, *podarii*. Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 19. p. 839. Voſſ. Lex. Etymol. in pediculus.

PEDISEQUA dominam ſubſequebatur. Plaut. Aſin. I. 3. 31.

Vult placere ſeſe amicæ, vult mihi, vult pediſequæ.

Marc. Capell. II. *Periergia aliis comitata pediſequis.* Et ipſos etiam pueros. Cicer. Herenn. IV. 52. *Gorgia pediſequa puerorum, abſconde pueros, defende.* Pignor. de Serv. p. 426.

PEDISEQUUS, *pedeſequos*, & *pedeſſequos*, antiquo ſcribendi modo, ſervus, qui dominum pedibus ſequitur. Cicer. ad Attic. II. 16. *Quæ mihi videtur una conciuncula, clamore pediſſequorum noſtrorum, eſſe peritura.* Plaut. Mil. IV. 2. 18.

PA. *Sequere hac me ergo.* PY. *pediſſequos tibi ſum.*

Inſcriptio Florent.

C. LIVIUS. LIVIÆ
AUGUSTÆ. SER.
PEDESSEQUOS

Et alia:

JULIUS. TROS. LIVIÆ
AUGUSTÆ. SER. PEDE
SEQUOS.

Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect. VI. *p.* 229. *Pollet. For. Rom.* I. 10. *Beger. Spicil. Antiq.* III. 11. *Pignor. de Serv. p.* 248. 293.

PEDULE onomaſtici auctor ſcamnum muliebre a Cornelio Frontone vocari ſcribit. Verba Cornelii ſunt: *Pedule ſub pedibus præſtat utilitatem.* Sed ab auctore ſuo ſecedit. Opinor namque a Frontone deſcribi non ſuppedaneum, aut ſcamnum, ſed ſoccum, aut calceamentum, vel ejus partem, quæ veſtigio ſuppingitur. Utilitas enim, de qua Cornelius, reſpicit veſtiendi, & muniendi modum. Reperio ad verbum etiam in Feſto: *Pedulla, quæ dicimus* ΠΕΔ. . . . . *Græcos appellare manifeſtum eſt.* Ubi Gothoſredus explet πέδιλα, hoc eſt, calceos, vel ſocculos. Scaliger ante illum: *Pedulla, eadem & pedulia. Gloſſ. vet. pedule,* ποδεῖον. Eſt autem ποδεῖον, ſive πόδειον ſocculus. Italice retinemus eam vocem *pedulus* pro ſolo, aut parte, quæ *pedem* veſtit. Gloſſæ Benedicti: Πεδίλια, ποδῶν καλύμματα, *pedum integumenta.* Gloſſ. Iſid. *Pedana, pedulis novus, qui caligæ aſſuitur.* Chimentell. de hon. biſell. c. 29. Nigron. de Cal. c. 2. n. 43. Meurſ. Gloſſar. Græco-barb. Columna in Ennii Annal. XI. p. 97. Meminit & *pedulium* Ictus l. 25. §. 1. de aur. & arg. pro faſciis pedum, & quibusdam calceamentorum firmamentis. *Chimentel. l. l.* V. ſupr. in *Faſcia pedules.*

PEG.

PEGMA in re ludorum dicebatur lignea quædam moles, quæ machinamentis occultis attollebatur, & deprimebatur. Senec. Epiſt. 88. *His annumeres licet machinatores, qui pegmata per ſe ſurgentia excogitant, & tabulata tacite in ſublime creſcentia, & alias ex inopinato varietates, aut dehiſcentibus, quæ cohærebant: aut his, quæ diſtabant, ſua ſponte coeuntibus: aut his, quæ eminebant, paullatim in ſe reſidentibus.* Unde dicitur *creſcere* Mart. Spectac. 2. 2.

Et creſcunt media pegmata celſa via.

& *deſcendere ponderibus reductis* Claud. Conſul. Mall. n. 324.

Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis.

Joſeph. Bell. Judaic. VII. 14. *Fuit monſtri loco apparatus pegmatum, quæ geſtabantur: etenim metus erat, ne bajuli oneri impares eſſent: erant enim tribus, aut quatuor tectis.* Super eo producti per ludos facinoroſi homines, quales gladiatores fere erant, qui contabulationis ſcanſione ſtatim erecti in conſpectum veniebant: ut vel inibi pugnam inter ſe committerent: vel ſpectati a populo, mox ſolutis compagibus *pegmatis*, caſu ſuo in foveam, ubi vel ignis, vel feræ erant, populum oblectarent. Ignes deſcribit Claud. Mall. Theod. n 325.

Inque chori ſpeciem ſpargentes ardua flammas
Scena rotet: varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus, pictæque citato
Ludant igne trabes, & non permiſſa morari
Fida per innocuas errent incendia turres.

Feras Strab. VI. p. 188. *Eum*, Silurum latronem, *in foro ludis gladiatoriis commiſſis diſcerpi a beſtiis vidimus. Poſitus enim in tabulato ſublimi, tanquam in Ætna, compagibus ſolutis, eo ſubito collapſo, delatus eſt in caveas, in quibus beſtiæ ita erant ligatæ, ut facile ſolverentur, infra tabulatum dedita opera paratas.* Suet. Claud. c. 34. n. 6. *Si pegma parum ceſſiſſet.* Inde *gladiatores pegmares* dicti. Suet. Calig. c. 26. n. 9. V. illos ſupr. in *Gladiator.* Lipſ. de Amphith. c. 22. Buleng. de venat. c. 34. de Theatr. I. 36. Voſſ. Lex. Etymol. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 5. Thyſ. de Amphith. p. 210. Scalig. in Manil. p. 404. Philand. in Vitruv. IX. 7. Nardin. Rom. Vet. III. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 5. n. 1. Gruter. in Senecam. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. V. 10. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 3. Caſaub. Beroal. & Pitiſc. in Suetonii Caligulam.

Pegmata vocantur in privatis ædibus antepagmenta, quæ valvarum ſunt ornamenta, affixa antis. Ulpian. l. 12. §. ſpecularia. ff. de inſtr. vel inſtr. leg. *In emptione domus ſpecularia, & pegmata, ſive in ædificio ſint poſita, ſive ad tempus detracta.* Turneb. Adv. VIII. 9. Voſſ. Lex. Etymol.

Pegmata ſunt loculamenta, & plutei librarii. Cicer. Attic. IV. 8. *Nihil venuſtius quam illa tua pegmata: poſtquam miſiſti, libros illuſtrarunt valde.* Lipſ. de Amphith. c. 22.

PEJ.

PEJERARE eſt fidem religioſe, & ſancte datam non ſervare. Id falſum jurare nonnullis viſum; non Cicer. de Offic. III. 30. *Non enim falſum jurare pejerare eſt, ſed quod ex animi tui ſententia juraveris ſicut verbis conceptis more noſtro, id non facere.* Hanſen. de jurejur. vet. c. 3.

PEL.

PELAGUS proprie dicitur maris latitudo, quaquaverſum diffuſa, ſpatium comprehendit indefinitum ſine portu, ac limine: unde mare dicitur via ſine ullo termino eſſe. Sic ea voce uſus canit Virg. Æneid. V. 8.

Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus, cælum undique, & undique pontus.

Bergier. de viis milit. IV. ſect. 48. §. 2.

PELASGI, quibus patria antiquior Argos Argolicum in Achaja, domo profecti Theſſaliam occupaverunt, eamque in tres partes diſtributam, Phthiotim, & Achajam, & Pelaſgiotim, ex nominibus ducum ſuorum appellaverunt. *Ferrar. de Orig. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* (6) *D.* Diverſa ſententia eſt longe vero ſimilior. Nam Theſſalia fuit parens cum cæterarum Græcarum gentium, tum & *Pelaſgorum*, qui ex Theſſalia profecti in Helladem, & Peloponneſum ſe diffuderunt, & in illas terras patriorum fluminum, & urbium nomina detulerunt. *Pelaſgus*, cui originem debent Pelaſgi, aut pater fuit Æmonis, aut ſecundum alios avus. A *Pelaſgo* Theſſalia dicta fuit *Pelaſgia*, ſi Stephano fides: *Theſſalia a Theſſalo, quæ prius Pelaſgia dicta eſt*; uti poſt ab Æmone *Pelaſgi* nepote, & a Theſſalo filio Æmonis Theſſalia, teſtante

stante id eodem Stephano, quamvis in genere [illegible] alii. Hi *Pelasgi*, uti cæteri Thessaliæ prisci populi, sedes transtulerant in Peloponnesum. Ibi in memoriam [illegible] patriæ, quæ Ἄργος Πελασγικὸν dicebatur, [illegible] condiderunt [illegible] in Peloponneso, quem [illegible] Ἄργος, sed ad discrimen Thessalici Argi Ἄργος Ἀχαϊκόν. Scio veteres auctores esse, qui tradunt duos [illegible] *Pelasgos*, Peloponnesiacum, & Thessalicum: ab illo [illegible] nomen duxere *Pelasgos* Peloponnesiacos, ab [illegible] Thessalicos, a quibus pars Thessaliæ [illegible] *Pelasgiotis*. Sed hæc diversitas opinionum [illegible] videtur [illegible], quod, cum in Thessalia *Pelasgos* [illegible], & *Pelasgos* quoque in Peloponneso olim [illegible] [illegible] illa [illegible] *Pelasgi* nomen [illegible], & Pelopis [illegible], [illegible] *Pelasgos*, in quo sæpe [illegible] Græcis [illegible] Thessaliæ [illegible] [illegible] in Græciam [illegible], & A[illegible], alia quæ Peloponnesi [illegible], Arcades, qui [illegible] antiquitatis gloriam [illegible], invidentes Thessalis originis suæ auctorem, *Pelasgum* [illegible], [illegible] a Thessalico esse [illegible] [illegible] Pelasgos Peloponnesi [illegible] in Thessaliam [illegible], & ibi Argos *Pelasgicum* condidisse, cum [illegible] Græciæ populi orti ex Thessalia ex [illegible] Græciam [illegible], a quo ac *Pelasgi*, & [illegible] *Græci*. [illegible] *in Antiq. Roman. Tom.* I. * * 2. *[illegible] Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 6.

PELIGNORUM Corfinium, & Sulmonem clarissima [illegible], Strabone & Ptolemæo teste [illegible] [illegible] inter se nullum [illegible] Cæs[illegible] video esse notatum, ut *Pelignos* a [illegible] [illegible] Sagro, quod est inter Aternum [illegible], & [illegible], in Strabonis. Sagro autem [illegible] fuerint Marrucini, ut ad [illegible] fuerint Frentani, Marrucini suo Frentanis inter Aternum, & Sagrum [illegible], sub Marrucinis *Peligni* [illegible] [illegible]. *Sigon. ac Ant. jur. Ital.* I. 19.

PELLA Macedoniæ urbs clara, ut quæ ejusdem metropolis, Alexandrique Magni, ac Philippi patris natalibus [illegible]. De ea Strab. Geogr. XVI. p. 517. Liv. XLIV. 46. [illegible] In Romanorum nobis [illegible] *Colonia Julia Augusta Pella*. Quando, & [illegible] deducta sit, non [illegible], nisi forte Macedonia in [illegible]. Gordiani III. nummus invenitur, [illegible] inscriptione, & vir nudus, collibus insidens, brachium dextrum [illegible] caput elevans, [illegible] tenens, cui ante femur [illegible] *[illegible]. de Nor. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 631. *F.*

PELLEX appellata est in lege Numæ, quæ [illegible] [illegible] apud Paullum [illegible] ad legem Julia[illegible] Granius Flaccus in libro de jure [illegible] *pellicem* [illegible] vocari, quæ cum [illegible] corpus misceat. Jus autem [illegible] [illegible] collectio. Granius igitur [illegible] interpretatur. Massurius vero [illegible] [illegible] quæ cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat, quam postea amicam, aut honestiore [illegible] concubinam appellarunt. Alii enim, quæ [illegible] in domo esset, quam παλλακὴν Græci [illegible]. *[illegible] de Leg. in Regia. R[illegible] de A[illegible]*. *Mong. Amœn. jur. civil.* c. 39. Differentiam [illegible], pellicem & uxorem tradit Demosth. Orat. in Neæram p. 881. A. *Meretrices causa [illegible]: concubinas propter quotidiana ministeria, & curationem corporis, uxores propter ingenuos liberos suscipiendos, & [illegible] familiaris administrationem & custodiam.* Mong. Amœn. jur. civil. c. 39. Non tam viri, quam uxoris dicitur. Ovid. Met. VI. 538.

> — *pellex ego facta sororis.*

Cicer. Orat. c. 30. *Ab hac in [illegible] natura uxor [illegible] [illegible] pellex*. Suet. Jul. c. 49. n. 3. *Donum* [illegible] *libertam eum patrem Reginæ [illegible].* Gell XIII. 4. *Malam mihi [illegible]. Juno, magnum debet, cum [illegible] contueris.* Donat & Patiss. in Suetonium. *Pellicibus* Juno erat infesta. Unde *Junonis aram tangere non sinebant* ex lege Numæ modo [illegible]. Rationem ad[illegible] prudentiæ Regis Numæ, qui nullum agnosceret [illegible] nomen, nisi legitimi, cui Juno præesset. *Voss. de Idolol.* II. 27. *Struv. Ant. Rom.* c. 3. *p.* 266.

PELLIO dicitur, qui *pelles*, & coria conficit, & tentoria, quæ *pellibus* tegebantur l. 3. ff. de supell. leg. Illorum [illegible] Lamprid. in Alex. c. 24. *Pellionum vectigal [illegible].* P[illegible] de corpor. artif. §. 28. Et l. 1. C. de [illegible] *pelliones* [illegible] *muner[illegible] præcipimus.* Sequiora secula *pellicarium*, *pellificem*, & *pellipa[illegible]*, *pelliones* [illegible] [illegible], quæ sunt [illegible] [illegible] In Glossario. *Pomp. Laet.* C[illegible] X. *n.* 8. *Du Fresne Glossario.* Ab urbibus olim summove[illegible]. V. [illegible] *Coriarius.*

PELLIONARIUS de mercatoribus *pellium*, coriorumque capi potest in hac inscriptione:

COLLEGIUM
PELLIONARIORUM
ET PROCURATORUM

Hi enim non minus, quam aliorum mercium [illegible] [illegible], [illegible], [illegible], [illegible], serici negotiatores societatem coiverunt, & collegio se ad[illegible] *Pomp. [illegible]* x. *n.* 8.

PELLIS [illegible] minorum [illegible], ut [illegible]. Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *[illegible] quæ [illegible] pellibus sunt facta.* Popm. de differ. verb. I. p. 56. Stuck. de sacrif. p. 1[illegible]. Illis [illegible], in quibus [illegible]. Ælian. Var. Hist. XIII. 1. *[illegible] Atalanta [illegible] ferarum pellibus.* Juven. Sat. VI. 5.

> *Sylvestrem montana torum cum sterneret uxor*
> *Frondibus, & culmis, vicinarumque ferarum*
> *Pellibus.*

Prop. III. 11. 35.

> *Atque [illegible] pelles totos operibat amantes,*
> *Altaque nativo creverat herba toro.*

Epi[illegible] apud Athen. VI. *P[illegible] domum veni, super [illegible] pellibus [illegible].* Buleng. de Conv. V. 1. 29. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin V. 31. Voss. Lex. Etymol. Laurent. de Prand. c. 7. sedes stragulorum loco [illegible]. Val. Max. IV. 3. 11. *[illegible] pellibus [illegible].* Cicer. pro Mur. c. 36. *[illegible] homo [illegible], ac Stoicus, [illegible] pelliculis [illegible] lectulos Punicanos.* Virg. Æneid. VIII. 177.

> *Præcipuumque toro, & villosi pelle leonis*
> *Accipit Æneam.*

Ubi Donatus monet, *quod hujusce modi tapetes, & stragula [illegible] de [illegible].* Prod. Misc. X. 14. Chimentell. de [illegible] c. 31. Et *nos [illegible] in pelle lanata considere solebat, vel propter morem vetustum, [illegible] pellibus [illegible] vel quod [illegible].* Ut docet Festus *In pelle.* Et juxta cum illo Serv. Dan. Æneid. IV. 38. *Mos apud veteres fuit [illegible] pelle, [illegible] ejus [illegible] in [illegible].* Chimentell. l. l. Stuck. ibid p. 1[illegible]. Voss. de Idolol. III. 53. Paschal. de Coron. IX. 24. Dacer. ad Fest. im. Hæ ita stragulorum more explicabantur, & oppandebantur, ut poni, & amoveri possent, plicari, componi, recondi. Homer. Odyss. P. n. 32.

> *Pellem sternens super sedilus artifi[illegible].*

Paullatim factum deinceps, ut sedibus affigerentur ad usum assiduum, ac diuturnum [illegible]: pars autem ipsa, in qua [illegible] sedemus, injectis pilis, conserta stuppa, congesto tomento, [illegible], [illegible], ac [illegible] perpetuum vicem pulvini præberet. *Chimentell. l. l.* Erat & in navi-

navibus, quam sibi substernebant remiges. Græce ὑπηρέσιον vocatur. Schol. Thucyd. *Hyperesium est pellis, in qua consident remigantes, ne conterant nates.* Scheffer. de milit. nav. II. 5. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 14. Militibus etiam inserviebat, qui ex illis tentoria sua faciebant. Siquidem Tacit. Annal. IV. 72. 2. *Tributum iis,* Frisiis, *Drusus jusserat modicum pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent: non intenta cujusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura; donec Olennius e primipilaribus, regendis Frisiis impositus, terga urorum delegit, quorum ad formam acciperentur.* Factitatum id erat a Græcis. His enim στεγάσματα καὶ διφθέρας, *tentoria & tegmina* pelles attribuit Xenoph. Anabas. I. Et Curt. VII. 8. 2. Sæpe *pellibus tabernaculi allevatis, ut conspiceret hostium ignes.* Ab illis sunt mutuati Romani. Apud quos hoc sane antiquum, nec tamen ab Urbe semper usurpatum; sed an. 327. in Vejorum obsidione. Liv. V. 2. *Vexari, & subigi multo acrius quam Vejentes: quippe illos hyemem sub tectis suis agere. . . . militem Romanum in opere, ac labore, nivibus, pruinisque obrutum sub pellibus durare.* Flor. I. 12. 8. *Vejentium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hyematum sub pellibus.* Retenta diu ea consuetudo. Cæs. de Bell. Gall. III. 29. *Ejusmodi tempestates sunt consecutæ, ut continuatione imbrium diutius sub pellibus milites contineri non possent.* Tacit. Annal. XIII. 35. 4. *Retentus omnis exercitus sub pellibus hyeme sæva adeo, ut obducta glacie nisi effossa humus tentoriis locum non præberet.* Rhodig. Paschal. Demster. l. l. Lips. de Milit. Rom. V. 5. Stuck. ibid. p. 182. Lyd. de Milit. re V. 3. Stewech. in Veget. I. 3. Ex illis vestes conficiebant, & corporis tegumenta. Laurent. de prand. c. 7. Valtrin. de Re milit. IV. 5. Patric. de Re milit. Rom. part. IX. sect. 43. Rævard. Var. IV. 3. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 8. Thys. Rom. Illustr. V. p. 116. Lucret. V. 952.

Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

Hinc & *pelliti* olim patres conscripti. Prop. IV. I. 12.

Pellitos habuit, rustica corda, patres.

& ferarum *pellibus* induti Mauri, Germani, aliæque horridiores gentes commemorantur. Inter vestimenta *pelliceas* vestes reponunt Ulpian. l. 23. §. 3. ff. de aur. & arg. leg. *Vestis etiam ex pellibus constabit.* Paull. ibid. I. 24. *Cum & tunicas, & stragula pellicea nonnulli habeant.* Et rursus Ulpian. ibid. I. 25. *Argumento sunt etiam nationes quædam, veluti Sarmatarum, quæ pellibus teguntur.* Imo progressu temporis non solum gentibus minus cultis, idem vulgo habitus retentus; sed iis quoque, qui horridius, aut simplicius vitæ genus professi, se ad priscam illam simplicitatem componebant: quales nempe aut sanctissimi illi viri, Elias, Esaias, Zacharias, Servatoris præcursor; aut gentilium etiam heroes, de quibus id aperte testatur Schol. Apollon. I. 324. *Pellis quidem; consuetum heroibus pellem gerere;* aut sapientiæ studiis apud eosdem gentiles clari, sicut de Dione oris aurei constat, quem sæpe leoninum exuvium gestasse Suidas & Photius tradunt. Inde etiam priscis Christianorum ascetis simile quæsitum corporis tegumentum; qui nempe seculo renuntiantes ex ferarum *pellibus* indumenta sibi conficiebant. Talis Hilario apud eundem in vita Hilarionis *sacco membra coopertus, & pelliceum habens ependyten:* aut Simon monachus, de quo Isidor. Pelus. Epist. I. 475. *ex caprinis pellibus contexta vestis, qua amictus est, nudum esse ostendit.* Spanhem de Præst. Numism. Dissert. V. p. 345. Stuck. de Sacrif. p. 180. Salmas. Exerc. Plin. p. 221. a. A. Laz. Græc. Ant. I. 7. Byn. de Calc. Hebr. I. 2. 2. Mag. Misc. III. 7. Volaterr. Comment. Urban. XXVIII. p. 1048. C. Paschal. Voss. Laurent. Casal. & Demster. l. l. Caprinis cingebantur Luperci. V. supr. in *Luperci.* In sacris gentilium simulacra nonnulla *pellibus* animalium nimirum immolatorum tegebantur, & induebantur. Cicer. de Nat. deor. I. 29. *Sospita dea cum pelle caprina.* Et in deorum templis erant anathemata quædam, quæ suspendere solebant, tanquam dona quædam atque munia, ipsis gratissima. Huc referendus commemoratione sane dignissimus *clypeus ille ligneus, bovis mactati pelle obductus, qui Romæ in templo Fidii, tanquam perpetuum monumentum icti inter Romanos, & Gabinos fœderis, fuerat suspensus: & in quo antiquis literis inscriptæ sunt fœderis inter ipsos initi leges* apud Dionys. IV. p. 257. *Stuck. l. l. Saub. de Sacrif. c. 20.* In templis incubabant ad accipienda deorum responsa. V. supr. in *Incubare.* Equis insternebant prisci Romani illos conscensuri. V. supr. in *Equus.*

PELLONIA dea appellata est a *pellendis* hostibus. August. de Civit. Dei IV. 21. *Cum esset invocanda propter hostes depellendos diva Pellonia.* Arnob. IV. p. 129. *Ubi quæso jamdudum Pellonia hæc fuit, cum apud Furculas Caudinas decus publicum subjugatum est?* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 17. Lipen. de Stren. I. §. 6. Gyrald. Synt. deor. I. p. 53. B. Elmenhorst. in Arnobium. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 160. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. F. Rosin. Antiq. Roman. II. 19.

PELOPONNESUS *est peninsula, haud ulli terrarum nobilitate postferenda,* ut inquit Plin. IV. 4. Strab. VIII. p. 230. ἀκρόπολιν, hoc est, *totius Græciæ arcem* appellat. Nam præter magnitudinem, & populorum in ea habitantium potentiam, ipse locorum situs imperii quandam præ se fert majestatem. Est enim incredibile dictu, quanta varietate se mutuo sequantur innumerabiles sinus, quo inter se ordine montium prominentiæ cohæreant, atque connectantur, quot undique se offerant aspectu jucundissimi chersonesi. Et in quo naturæ opificium singulare admirari poteris, tota insula, nisi qua Isthmo adhæret, spatioso mari, veluti muro circumvallatur: ut non inepte T. Quintius apud Liv. XXXVI. 32. *Sicut testudinem, ubi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus video esse; ubi exerit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium, atque infirmum habere; haud dissimiliter vos Achæi clausos undique mari, quæ intra Peloponnesi sint terminos, ea & jungere vobis, & juncta tueri facile.* Gerbel. Græc. Ant. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IV. p. (48) A. Strab. VIII. p. 231. formam describit. *Forma platani folio similis est.* Etiam Dionys. n. 403.

—— Pelopis insula consequitur
Similis platani muris caudam imitanti folio.

Imperium Heraclidarum in *Peloponneso* maxime inclytum fuit, duravitque ad tempora Macedonum: & tandem tota cum universa Græcia Romanis cessit. Constantin. Porphyrog. II. them. 6. *Vinding. Hellen. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 5. A. Sigon. de Ant. jur. provinc. I. 9. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 104. Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 1.*

PELTA erat *scutum parvum, & leve.* Ælian. de instr. acieb. p. 4. Cetræ admodum simile. Liv. XXVIII. 5. *Menippum quendam ex regiis ducibus cum mille peltatis, pelta cetræ haud dissimilis est, Chalcidem mittit.* XXXI. 36. *Nocte cetratos, quos peltastos vocant, loco oportuno inter bina castra in insidiis abdiderat.* Lunam semiplenam referebat. Virg. Æneid. I. 494.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Ubi Servius: *Scutis brevissimis in modum lunæ jam mediæ.* De forma etiam Dionys. II. p. 129. *Sinistra vero tenet peltam Thraciam: ea scuto oblongo, latera angustiora habenti similis est.* Quadrangularum etiam meminit Suidas: Πέλται ἀσπίδια τετράγωνα. Hoc scuti genere utebantur Amazones, Macedones, Afri, Hispani, Cretenses. *Pelta ornatam, & juxta adequitantem* Cæsoniam *militibus ostendit* Caligula. Suet. c. 25. n. 5. *Manut. Quæs. Epist. III. 6. Lips. Anal. ad Milit. III. 1. Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 36. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 15. Brisson. de regn. Persar. III. p. 292. Alex. Gen. dier. VI. 22.* & ad illum *Tiraquellus. Pier. Hierogl. XLII. 36. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 11. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 10. Pitisc. in Suetonium.*

PELTASTA, πελταστὴς dicitur, *qui utitur pelta.* Thomas Magister. *Cerda Adv. c. 120. n. 111.* Horum originem ad auctorem Iphicratem Atheniensem referunt Nep. 61. §. 4. *Ille e contrario peltam pro parma fecit, a quo postea*

peltastæ

peltastæ pedites appellantur, ut ad motus, concursusque essent leviores. Diodor. xv. p. 480. A. *Mos fuerat Græcis hactenus prolixa gestare scuta. Sed cum hæc propter gravitatem ad motum impeditiora essent, forma illorum contracta, & peltas modice conformatas substituit, duo præcipue hac immutatione spectans, tum ut corpus satis tegeretur, tum ut levitate magis ad usum habilia forent. Tum peltatæ a peltis nuncupati sunt.* Brisson. de Regn. Pers. p. 292. Rigalt. Gloss. Tactic. p. 143.

PELVIS est ποδόνιπτρον, vas, in quo pedes lavantur. Veteres pedes ante, & post cœnam lavabant, & *pelvi* utebantur. Itaque Homerus scribit, Ulyssem ab Eurycliа agnitum in pedum ante cœnam lotione. Ac Plutarch. Pomp. p. 658. D. refert Favonium Pompejo ministrasse non tantum in cœna, sed in pedum quoque lavatione. *Urfin. Append. ad Ciacon. de Triclin. p. 308. Voss. Lex. Etym. l.* Pollux x. 21. *Commodissime pelvis quispiam fuerit superius aqua repletus. Tum etiam id quo evomant, pelvim nominant, ut Cratinus in Horis: Num si studio laborat? alam ocyus quis, & pelvim inferat.* Buttus de potu antiq. c. 13.

PELUSIUM est unum ex septem ostiis Nili, cum oppido munitissimo, ubi nunc est Damiata. *Clavem Ægypti* vocat Suidas. Hieron. in Ezech. 30. *Robur appellatur Ægypti Pelusium, quia portum habet munitissimum, & negotiatores maris maxime ibi exercebantur.* Olim *Æliopolim* ab Ælio Principe, qui eam triplici muro circumdedit, dictam putat Sabellicus. Hanc urbem in Augustanica locat Ammian. xxii. 16. *In Augustamnica Pelusium oppidum est nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrari deorum monitu jussus, in lacu, qui ejusdem civitatis alluit mœnia, cum post interfectum fratrem Phocum horrendis furiarum imaginibus raptaretur.* Panciroll. Notitia imp. orient. c. 141.

PEN.

PENATES ait Dionys. 1. p. 55. A. duos adolescentes fuisse militari habitu, & vetusto opere, qui sederent, & pila in manibus tenerent, cujus rei testimonium titulus fuisset, DII PENATES. Eos Nigid. de diis xix. apud Macrob. Sat. iii 4. putat esse Apollinem, & Neptunum, quod in Apolline calor, & aritudo, in Neptuno humor, & his intelligatur, quæ nostræ compositionis principia perhibentur. Alii Jovem & Junonem, horum enim præcipuum esse munus, juvare mortales, atque inde utrique nomen. Alii Castorem & Pollucem habuerunt persuasum vocari deos magnos. Deos magnos Penates vocat Virg. Æneid. iii. 12.

Cum sociis, natoque, Penatibus, & magnis diis.

Ubi eruditiores particulam *&* ad expositionem positam volunt. Illorum origo, & institutio hæc est. Pallantis filiam legimus, cum Dardano in Arcadia nuberet, dotis nomine munera Palladis attulisse, scutum quippe breve, cœlo lapsum, quod Palladium appellarunt, cumque hujusmodi scuto magnorum deorum simulacra. Orta autem seditione in Peloponneso, Dardanum inde cum uxore, & magna Arcadum manu vertisse solum, atque in Samothraciam navigasse, ubi dotalibus muneribus templum erexit, quibus occultas instituit ceremonias, ut sacra ea separaret a vulgi cognitione. Simulacra itaque in subterraneo specu condidit, quæ mox cum inde in Asiam transmigraret, secum advexit, & in Dardania a se nuncupata collocavit. Ilus, cum Ilion ædificasset, eo deos ipsos transtulit. Æneas ex incendio Trojano ablatos in Italiam vexit, eosque Lavinii posuit. Ascanius in suam Albam traduxit, pulcerrimo illic templo ædificato. Verum ajunt sequenti nocte, nullo ferente, Lavinium rediisse, ostia clausa inventa, parietes integros, & tectum nulla ex parte violatum: quo miraculo motum Ascanium, ajunt, sexcentos cultores Lavinium misisse, qui sacra custodirent, præfectumque his antistitem Egestum nomine. Iidem demum Romam translati, cum urbem approbassent, nequaquam abierunt. Cumque eos Romani in Urbis, imperiique sui custodes admisissent, ne per vim, aut dolum auferri possent, eos in subterraneo, ut Dardanus fecerat, specu, tem lo ibi dedicato, posuerunt. *Pier. Hierogl.* xlii. 29. *Gyrald. Synt. deor. xv. p. 438. F. Voss. de Idolol.* 1. 12. *Ortel. Deor. & dear. cap.* ii. 36. *Lehr. in Senec. Thyest. n.* 264. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 3. *Landus in Vet. Numism. Roman. Misc. explic. Miscell. Ital. erud. Tom.* 1. *p.* 339. *Struv. Antiq. Roman c.* 1. *p* 174. Populi Romani non solum in templo Vestæ, ut liquet ex Tacit. Annal. xv. 41. 1. *Delubrum Vestæ cum penatibus populi Romani exusta:* sed ipsa etiam Vesta inter *penates* illos annumerari solita. Macrob. l. l. *Vestam de numero penatium, aut certe comitem eorum esse manifestum est.* Serv. Æneid. ii. 296. observat, consules, & prætores, sive dictatorem, qui Lavinii abirent magistratu, sacra *penatibus, simul, & Vestæ fecisse.* Unde explicari debet, quod de Vesta legitur apud Cicer. de Nat. deor. ii. 67. *Dea, quæ est custos rerum intimarum*, in intima nempe ædium parte, quæ Vestæ sacra, re onditarum; & quod addit: *Nec longe absunt ab hac Vesta dii Penates, sive a penu ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines, penus) sive ab eo, quod penitus insident, ex quo etiam penetrales a poetis dicuntur.* ut etiam postea factum a Senec. Thebaid. ii. 340.

Ferte arma: facibus petite penetrales deos.

nempe, quia a Græcis θεοὶ μύχιοι similiter sunt appellati. *Spanhem. de Vesta & prytan. Græc. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. v. p. 686. A. & Observat. in Julian. Orat. 1. p. 68.*

PENDET *venalis*, cujus bona in tabella proscripta publice *pendent*. Suet. Claud. c. 9. n. 5. *Ut cum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit sub edicto præfectorum.* Quod *pendere ad ærarium* dicit Domit. c. 9. n. 6. *Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, universos discrimine liberavit. Bona suspensa*, quæ pendent venalia proscripta in tabula, dicit Senec. de Benef. iv. 12. *Suspensis amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus.* Talis στηλίτης dicitur Aristot. Rhet. ii. 23. *Quemadmodum Leodamas dixit se defendens, cum eum Thrasybulus accusaret, quod in columna ærariorum scriptus esse, στηλίτης γεγονὼς, in arce: sed eximi, inquit, tyrannorum tempore non conducebat.* Salmas. de mod. usur. c. 16. Luisin. Parerg. 1. 3. Turneb. Adv. xii. 9. Pincian. in Senecam. Pitisc. in Suetonii Claudium.

PENETRALE proprie est deorum penatium sacrarium. Festus: *Penetrale sacrificium dicitur, quod interiore parte sacrarii conficitur.* Paullus: *Penetralia sunt penatium deorum sacraria.* Serv. Æneid. vi. 71. explicat *secreta templorum.* Gloss. vet. Μυχοὶ, ἐνδότατα, quæ pro interiore parte domus accipiuntur. Virg. Æneid. ii. 297.

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Guther. de vet. jur. pont. iii. 9. Gyrald. Synt. deor. xv. p. 439. G. Struv. Ant. Rom. c. 11. p. 512. Siccam. in Fast. Kalend. c. 5. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. ii. 2. In illo pretiosissima quæque abdebantur, ut metus præsentis numinis sacrilegos deterreret. Lucan. v. 146.

— illa pavens adyti penetrale remoti
Fatidicum, prima templorum in parte resistit.

Quippe hic simulacrum ipsorum deorum erat collocatum. Claud. de Rapt. Proserp. 1. 210.

— adytis gavisa Cybelle
Exsilit.

Honor. Consf. iv. 570.

— penetralibus exit
Effigies; brevis illa quidem.

Victimæ immolabantur. Lucan. ii. 127.

Ante ipsum penetrale deæ, semperque calentes
Mactavere focos.

Honoratiorum, seu principum cadavera condebantur. Suet.

 Aug.

Aug. c. 18. n. 1. *Corpus Magni Alexandri cum prolatum e penetrali subjecisset oculis.* Demster. l. l.

PENICULUS vocatur oblonga spongia caudæ similis. Plaut. Men. II. 3. 40.

> *Quis iste est peniculus? qui extergentur baxeæ?*

Inde factum nomen servis Peniculis, quod *penicillo* mensas mundarent. Inde illud Plauti sub persona parasiti Men. I. 1. 1.

> *Juventus nomen fecit peniculo mihi,*
> *Ideo quia mensam, quando edo, detergeo.*

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 301. Turneb. Adv. XVIII. 15. Voss. Lex. Etymol. in Penis. Popm. de Oper. serv. p. 140

Peniculus, sive *penicillus* est instrumentum pictoris, quo inducit colores in picturam. Marcian. l. 17. ff. de Instrum. fundi: *Peniculi, & cauteria, & conchæ.* Plin. XXXV. 10. *Arrepto peniculo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam.* Quintil. II. 22. *Ut cælator cælum, & pictor penicilla desiderant.* Popma de oper. serv. p. 141. Buleng. de Pictur. I. 13. *Penicilli* pictorii optimi hodie fiunt e pilis tenuissimis crinacei, vel muris Armenii ad colores ex oleo tritos adhibendos, sed ad aquarii subactus picturam e nefrendis, seu porculi setis tenerrimis, quibus cauda vestita est. *Buleng. ibid.* II. 2.

PENNUS fuit cognomen Juniorum. Ex illis fuit M. Junius *Pennus*, quem M. F. M. N. Verrius appellat, & existimatur fuisse M. Bruti consularis filius, ac pater D. Bruti Callaici. Hic consul fuit cum Q. Ailio, sive Ailio Paito an. 586. Hujus filius laudatur a Cicer. Brut. c. 28. utpote qui in tribunatu plebis C. Gracchum exagitarit quæstorem an. 626. Eumque ædilitium mortuum fuisse asserit. Ante hos tamen M. Junius *Pennus* prætor urbanus fuit an. 552. & post annos viginti novem alter M. *Pennus* Hispaniam citeriorem prætor obtinuit, quem illius filium fuisse existimo, hunc vero eundem illum consulem. *August. de Famil. Roman. in Junia.*

PENSIO est merces ædium, aut cellarum conductarum. Mart. XII. 32. 3.

> *Quas non retentas pensione pro bima.*

Paull. Sent. V. tit. 36. *Si propter prædia urbana, vel mancipia appellatur, pensiones earum, vel mercedes vecturæ, etiamsi de navi agatur, deponi solent.* Turneb. Adv. XXX. 26. Tributum hoc fuit duplex: alterum capitis, alterum soli. Hoc pro modo facultatum, & prædiorum imponebatur. Qui agrum habebat, ager pro domino pendebat: qui non habebat, nec eo tenebatur. *Pensioni* alteri capitis omnes erant obnoxii, qua dites, qua pauperes. Qui nihil omnino in censu habebant, invenire tamen cogebantur, unde illam tributi *pensionem* solverent. Pauperes in Hispania coccum passim nascentibus fruticibus decerpebant, atque inde corradebant, unde tributum capitulare, sive capitationem penderent. Hæc est, quam pensionem alteram tributi vocat Plin. XVI. 8. *Pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donat.* Eam donabat Hispaniæ pauperibus, coccum quia illis dabat, unde eam pensitare possent. Festus notat *tributorum collationem aliam in capite fuisse, aliam in censu.* Eadem mente herbas, quæ in hortis nascuntur, *pensionem esse pauperum*, quia ex eo reditu pauperes extundebant, unde censum solverent, dixit Plin XIX. 4. *Itaque Hercule nullum macelli vectigal majus fuit Romæ; clamore plebis incusantis apud omnes principes, donec portorium remissum est hujus mercis, compertumque non aliter quæstuosius censum haberi, aut tutius, ac minore fortunæ jure, cum credatur pensio ea pauperum. Is in solo sponsor est, & sub dio reditus, superficiesque cælo quocunque gaudens.* Salmas. Exerc. Plin. p. 195. a. D. Qui hoc loco capitationis vim, quidque vox ea valeat, non intellexit. Disces hoc ex iis, quæ de capitatione disputat Gothofr. in Cod. Theodos. XI. 1. de annon. & tribut. p. 27. & 43. item XIII. 10. de censu p. 116. Capitatio enim, & genus illud tributi dicebatur, quod pro possessionum quoque numero, si quæ essent, imponeretur. Salvian. de Gubern. Dei V. p. 97. *Cum possessio ab his recesserit, capitatio non recedit: proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur.* Neque vero de tributo gemino nunc sermonem esse Plinius ipse haud obscure indicat, cum *pensionem tributi alteram* hunc cocci proventum, non *tributi alterius pensionem* vocat: hoc est, in cocco alterum esse solvendo tributo subsidium, non tributo alteri. *Hardun. in Plinium.*

PENTAPOLIS dicta est Libya Cyrenaica. V. illam supr. in *Libya.*

PENTAPYLON Jovis arbitratoris apud Victor. reg. X. quæ Palatium, est porticus habens quinque ordines columnarum quadratarum. *Pyla* enim est quadrata columna. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 364. *A.* Templum fuisse omnes concedunt. Sed in vocis explicatione dissentiunt. Quidam hybridam esse volunt e Græca, & Latina mistam, ac quinque *pilas* in eo templo fuisse indicare. Hos Pyrrhus Ligorius egregie confutat, & totam Græcam censet, & huic templo quinque portas tribuit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 14.

PENTATHLUM certamen. V. illud infr. in *Quinquertium.*

PENTECONTARCHA dictus est a *pentecontoro* navigii genere. Harpocration: *Pentecontarcha, pentecontori præfectus.* Ejus officium fuit obedire trierarchis, cuncta triremi necessaria emere, & adducere. Demosth. Orat. Adv. Polyclem. *Euctemon pentecontarchus, ut ex Hellesponto propter morbum domum est missus, cum primum appulit, & audiit istum mihi successorem datum, cum sciret jam & exisse tempus præfecturæ meæ, & me jam ultra terminum abesse, adhibito Dinia socero meo eum in Digmate convenit, & quamprimum ad navem abire jussit, impensas enim in dies singulos magnas fieri. Ac singulatim ei commemoravit, quæ mercedes remigio, & militibus in singulos menses numerarentur, & quæ in nave quotidie impendebantur, non ignorabat, per eum enim, dum esset pentecontarchus, & emebantur, & expendebantur omnia.* Scheffer. de milit. nav. IV. 6. Gyrald. de Navig. c. 18.

PENTECONTOROS fuit navis longa sine ordinibus, quinquaginta habebat remos, dimidiam partem in uno, dimidium in altero latere. Hanc Græci scriptores a Danao inventam prodiderunt, eoque fuisse numero, quod totidem essent Danai filiæ, hoc est, quinquaginta, cum ex Ægypto Argos in Græciam aufugit. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Scheffer. de milit. nav.* I. 3. Pherecid. Comm. ad Apollon. testis est fuisse longam: quando de Argo nave: *hanc ajunt primam fuisse longam.* Nam Argo fuit *pentecontoros.* Stat. Theb. V. 423.

> *Quinquaginta illi trabibus de more revinctis,*
> *Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu.*

Pentecontoros ergo prima, quæ strictiore sensu longa dicta est. Thucyd. I. p. 11. *B. Paucis utebantur triremibus, multis autem pentecontoris, & longis navibus instructi erant, ut illi.* Non opponit hic *pentecontoros* & longas, sed interpretationis causa addit, reliquaque porro genera intelligit longarum. *Scheffer. ibid.* II. 1. & supr. in *Naves actuariæ.* Ad unius structuram talentum impendebatur. Polyb. Excerpt. Leg. 57. *Rex Ptolemæus legatum misit decem naves pollicens pentecontoros. Achæi, quod esset munus dignum cui haberetur gratia, promissum cupide acceperunt. Accedit enim sumptus earum navium ad summam talentorum ferme decem.* Scheffer. ibid. c. 4.

PENTERIS Græcum nomen est. Latino nomine dicitur quinqueremis. Hirt. Bell. Alex. c. 47. *Capit ex eo prælio penterem unam.* Scheffer. de milit. nav. II. 2. Pollet. For. Rom. I. 4. Godwin. in Cæsarem.

PENUIARIUS in antiquo marmore Puteolis legitur. Et Athen. I. apud Homerum notavit *penuariam*, seu *penariam* ancillam, quæ Græce est ἡ ταμία. *Pignor. de Serv. p.* 98.

PENULA vestis fuit frigori arcendo apta. V. illam supr. in *Pænula.*

PENUS *inter, & cellarium hoc intererat, quod cellarium pau-*

paucorum dierum, penus eſſet temporis longi. Serv. Æneid. I. 708. Q. Scævola apud Gell. IV. 1. *Penus eſt, quod eſculentum, aut poculentum eſt: quod enim ipſius patrisfamilias, liberorum patrisfamilias, ejusque familiæ, quæ circum eum, aut liberos ejus eſt, & opus eorum facit, cauſa paratum eſt, ut Mucius ait, penus videri debet. Nam quæ ad edendum, bibendumque in dies ſingulos prandii, aut cœnæ cauſa parantur, penus non ſunt: ſed ea potius, quæ hujuſce generis longæ uſionis gratia contrahuntur, & reconduntur, ex eo quod non in promptu ſint, ſed intus, & penitus habeantur, penus dicta ſunt.* Penoris enim nomine veniant eſculenta, & poculenta, oleum, garum, muria, mel, acetum, & hordeum, ligna, & carbones, thus & ceræ. Nec injuria. *Eſt enim omne, quo veſcuntur homines, penus.* Cicer. de Nat. deor. II. 27. *Pignor. de Serv. p. 99.* Obſignari ſolebat. V. ſupr. in *Obſignare.*

Penus etiam *vocatur locus intimus in æde Veſtæ, tegetibus ſeptus, qui certis diebus circa Veſtalia aperitur.* Feſtus. addo, *& clauditur:* ſicut utriusque ritus meminit Serv. Æneid. III. 12. *Quos niſi ſacerdoti videre fas nulli eſt, qui ideo penates appellantur, quod in penetralibus ædium cœli ſedeant: nam & ipſum penetral penus dicitur, ut hodie quoque penus Veſtæ claudi, vel aperiri dicitur.* Tempus notari videmus in veteri Romano Kalendario, nempe in Junio VII. *Idus Veſta aperit*; mox ejusdem menſis XVII. *Kal. Jul. Veſta clauditur.* Spa. hem. de Veſt. & prytan. Græc. Theſ. Antiq. Græv. Tom. V. p. 685 E. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 379. c. 11. p. 512. & 524. Nardin. Rom. Vet. V. 5. Manut. de Legib. c. 40. Hyde de Relig. Vet. Perſar. c. 7. Duplex erat: exterior, in qua pila piſtorii, olla fictilis, furnus, in quo muriem coquebant Veſtales, item ſeria, in qua aqua jugis ad ſal miſcendum: interior, quæ & *penetrale* dicitur, in qua æternus ignis, Palladium, diuque Romæ Penates aſſervabantur. *Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 5.*

PEP.

PEPLUS, & *peplum*, a Græcis accepimus. Heſychius: πέπλον, ἢ πέπλος, ἱμάτιον, ἢ ἔνδυμα γυναικεῖον. Sed antiquiores πέπλος dicunt, ut Homerus; juniores πέπλον, ut Nonnus. E Latinis maſculino utitur Claud. Epithal. Honor. & Mariæ n. 123.

Et crines feſtina ligat, peplumque fluentem
Allevat.

Neutro Plaut. apud Serv. Æneid. I 484.

Nunquam in urbem venio, niſi cum infertur peplum.

Voſſ. Lex. Etymol. Ego exiſtimo id genus veſtis, quod Græci *peplum* appellant, eſſe pallam. Ita in gloſſis: *Palla*, πέπλος. Forma cognoſcitur ex Euſtath. Iliad. V. 194. *Peplus eſt etiam tunica muliebris, quam non induunt, ſed fibulis conſtringunt.* Odyſſ. XVIII. 291. *Peplum quidam ajunt magnum, & perpulcrum, & pictum pallium eſſe, tegens ſiniſtrum humerum, ante & pone adducens duas oras in dextrum latus, ita ut nuda relinquatur dextra manus & humerus. Si vero ita ſe res habet, cur duodecim fibulis opus habet, cum ſit forma chlamydis? Videtur potius peplum eſſe veſtimentum muliebre, qualia ſunt Dorica, apertum ſolum a parte anteriore, & propterea multis fibulis indigens.* Hinc conſtat dubitaſſe veteres Grammaticos, an tunica, an pallium eſſet. Mixtum enim erat ex pallio, & tunica veſtimentum, atque tunicæ, & pallii uſum præſtabat, ut ait Pollux VII. 13. Etenim erat tunica fibulatoria, ut dixi ſupr. in *Palla*. Ruben. de re veſt. I. 20. Ex Euſtathio ad Odyſſeam non ſequitur fuiſſe tunicam. Nam & chlamys, & pallium eſt veſtis ſuperior, & aperta, illa infibulabatur, hoc nequaquam: non tamen tunica, quæ clauſa erat, & interior. Et mirum eſt ab eodem ad Iliada poni, eſſe *tunicam muliebrem, quam non induunt, ſed fibulis conſtringunt.* Omnis enim tunica, ſive conſuta, ſive fibulis nexa induebatur. Nam veteres Critici illud diſcrimen poſuere inter induere, & amicire, ut illud de veſte interiore, hoc de exteriore ſemper accipiatur: & ita tunica etiam fibulata induitur, non amicitur. Rectius igitur ad Odyſſeam fuiſſe dicit μανδυοειδῆ, non tunicam, ſed veſtimentum chlamydis modo fibulatum. Hyllus quidem apud Sophoclem Trachyniis ad Dejaniram de Hercule, *tuum donum ferens, exitiale peplum*, mox appellat *tunicam*. V. Euſtath. Iliad. p. 456. Sed *peplum* generice pro quolibet veſte accipitur, ut & ſtola: ſtricte tamen, & proprie pro pallio tam virili, quam muliebri. Sane Homerus a tunica diverſum facit. Nam Iliad. XXIV. 229. ubi dona recenſet, quæ Priamus Achilli daturus erat, ponit *duodecim peplos, & totidem tunicas.* Ubi etiam apparet aliquod diſcrimen fuiſſe inter *pepla*, & pallia, φάρεα, quæ etiam ponit duodecim, quod iſta ex lana, *pepla* autem ex lino eſſent. Nam Euſtathius alibi appellat *peplum* περίβλημα σινδονοειδὲς *pallium in modum ſindonis.* Περίβλημα eſt pallium, non tunica: ſubjicit fuiſſe anteriore parte apertum, laxum, fibulas habens, quibus ſtringeretur, ſi opus foret. Quæ omnia pallio conveniunt, non tunicæ. Non ſemper infibulabatur, & tunc more pallii communis, & rejici in humerum ſiniſtrum poterat, & brachio dextro ſubjectum humerum excludere. Quoties fibulis nectebatur, erat veſtimentum μανδυοειδὲς, id eſt, in formam chlamydis circumpoſitum, ut lacernæ apud Romanos: & ut hodie quidam pallia ad fauces, vel in humeris fibulis, aut globulis nectunt. Fuiſſe veſtimentum tam virile, quam muliebre, ita ex Homero conſtat, ut dubitari non poſſit. Fuiſſe apertum illa indicant apud eundem. Ubi Venus Æneæ *peplum* in prælio obtendit, ut illi eſſet ἕρκος βελέων, quod nonniſi expanſa veſte fieri poterat: quod ſedilia Alcinoi *peplis* conſtrata: quod *peplis* & currus, & defunctorum cadavera teguntur: quod Herculis oſſa purpureis *peplis* involvuntur. *Peplum* etiam Minervæ, quod in pompa ferebatur, variis figuris intextum, fuiſſe apertum nemo negaverit. Et ideo *peplum* non fuiſſe tunicam, quæ clauſa etiam fibulis nectebatur, atque ita pallium, etiam *peplum* fuerit, pallium fuiſſe, non tunicam. Quomodo fieri potuerit, ut ex tunica & pallio veſtimentum eſſet conflatum, viderint acutiores. Pollux l. l. hoc non habet. Tantum inter veſtimenta recenſet tunicam, & *peplum*. Et addit *duplicem pepli uſum ad induendum, & injiciendum:* illud cum infibularetur, hoc cum apertum eſſet. Ἐπίβλημα enim eſt pallium, ſive amiculum. *Quod ſit pallium, ex Minervæ peplis conjici: quod autem tunica, ex eo: quia dicit Xenophon: Laceravit in ſuperiore parte peplum, detexit enim tunc pectus.* Quia cum *peplum* aliquando ad fauces fibulis necteretur, eo dirupto, & diffibulato potuit pectus, cum tunica in ſuperiore parte laxa eſſet, inde apparere. Sed veriſimilius eſt, tunicam a Xenophonte *peplum* generica voce appellatam, prout omnem veſtem ſignificare ſupra diximus. Nec fibulis ad pectus conſtrinxerunt, deinde aliud amiculum ſuperjecerunt matronæ illuſtres, quando in publicum prodibant, quod dixit Rubenius ſupr. in *Palla*. Nam apud Theocritum Praxinoe primo ſumit τὴν περονατρίδα, deinde τ᾽ ὠμπεχόνιον. Περονατρίδα exponit vetus interpres *peplum*, & indumentum, quod primo incingebatur, quia ſcilicet infibularetur. Sed hæc tunica fuit, generice *peplus* dicta. Et ſi cingebatur, quomodo pallii uſum præſtare potuerit? Ἀμπεχόνιον vero fuit amiculum, ſive exterius veſtimentum, quod tunicæ ſuperimponebatur. Nam quia *peplum* infibulabatur, aliquando etiam tunica, propterea *peplum* fuiſſe tunicam non puto dialectica feret: hoc enim modo, & chlamys, & lacerna, quia fibula nectebantur, etiam tunica fuiſſet. Tunicam autem fibulis ad humeros nexam, & in ſtatua Romana, quam edidit Alberti patruus, vidimus, & a Græcis mulieribus factum in *Tunica* docebimus, fibulas autem in pectore nondum obſervare licuit. *Ferrar. Anal. de re veſt. c. 26. Salmaſ. ad Tertull. de pall. p. 357. De peplo* etiam multa *Faes ad Gyrald. de vario Vario ſepel. rit. c. 1.*

PER.

PERA erat ſacculus mendicorum, turpis, rimoſus, qui humeris loro imponebatur. In illam cibos colligere, at-

que recondere solebant, ut etiam hodie fieri consuevit. Describit illam Homer. Odys. N. 437.

— dedit ei deformem sacculum
Crebris loris rimosum, inerat autem tortum lorum.

Mart. IV. 53. 3.

Cum baculo, peraque senem, cui cana, putrisque
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.

Inde apud Suidam proverbium: *mendici pera non impletur.* *Peram* habuerunt etiam aliquando Philosophi, sed inprimis Cynici. *Stuck. Ant. Conv.* II. 5. *Guther. de jur. man.* III. 10.

Pera fuit cognomen Juniorum. Hoc cognomine duos consulares reperio, quorum alter censorius, & bis triumphalis; alter dictator, & censor fuit. I. fuit D. Junius D. F. D. N. consul an. 487. cum N. Fabio Pictore, & in eodem consulatu bis triumphum egit 5. Kal. Octobr. de Sassinatibus, & Non. Febr. de Salentinis, & Messapiis. Censor fuit an. 500. cum L. Postumio Megello, qui prætor etiam erat, & eo in magistratu mortuo D. *Pera* abdicavit. Sunt, qui suspicentur hunc *Peram* D. Scævæ consularis filium fuisse, & alterius Scævæ consularis nepotem: quod a temporum ratione alienum non est. II. fuit M. *Pera* D. F. D. N. superioris, ut arbitror, filius, consul cum M. Æmilio Barbula an. 523. & censor quinquennio post cum C. Claudio AP. F. Centhone, dictator rei gerundæ causa post pugnam Cannensem an. 537. magistrum equitum dixit Ti. Sempronium Gracchum ædilem curulem. *August. de Famil. Roman. in Junia.*

PERÆQUATORES & inspectores dicebantur, qui censum emendabant prædiis inspectis, & adæquatis invicem, ut ii relevarentur, quibus esset gravius onus adscriptum: gravarentur, quæ censita essent levius l. 13. Cod. de annon. & tribut. Euseb. de vit. Constant. IV. ἄνδρας ἐξισωτὰς, ἐπόπτας vocat. Græci interpretes: *Inspector dicitur exæquator.* Cassiod. Var. X. *Ut ad prædium, de quo querela est, diligens inspector accedat, & rebus moderata inquisitione trutinatis, quicquid gravaminis potest habere possessor, rationabiliter abrogetur.* Buleng. de vectig. c. 12. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13. Rhodig. Ant. Lect. XXV. 23. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 27.

PERAGERE est accusationem ad exitum perducere. Tacit. Annal. IV. 21. 3. *Cæterorum, quæ multa cumulabantur, receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam.* Val. Max. VI. 2. 4. *Duos sustinuit reos, eorumque alterum lege peregit, alterum professione, qua solum poterat.* Condemnare vero l. 12. de adulteriis. *Nec ante ad mulierem quisquam pervenito, quam adulterum reum peregerit.* Brisson ad leg. dict.

PERCUSSIO erat genus necis, quod fiebat securi per lictorem prægressa verberatione, quæ virgis adhibebatur. Liv. II. 5. *Stabant deligati ad palum nobilissimi juvenes. Consules in sedem processere suam, missique lictores ad sumendum supplicium nudatos virgis cædunt, securique feriunt.* XXVI. 15. *Producti omnes, virgisque cæsi, ac securi percussi. Inde citato equo proconsul Cales percurrit: ubi cum in tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad palum, præconi imperat, ut lege agere juberet. Ita de iis quoque sumptum supplicium.* Sigon. de Judic. III. 16. Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 18.

PERCUTERE fossam dicebantur, qui illam faciebant, & ducebant. Plin. Epist. X. 50. 4. *Ego per eadem loca invenio fossam a Rege percussam.* Frontin. V. 8. *Fossam transversam in eo monte percussit.* Veget. III. 7. *Percussis lateribus fossis.* Stewech. in Veget. III. 8. Cellar. in Plinium.

PERDUELLIO est crimen, quod nos vix a majestatis crimine distinguimus, quo hostium numero habebatur, qui Rempublicam hostili animo læsisset. Quos enim *nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant.* Cajus l. 234. ff. de verb. signif. Ulpian. l. 13. ff. ad leg. Jul. majest. *Plane non quisque legis Juliæ majestatis reus est, in eadem conditione est: sed qui perduellionis reus est, hostili animo adversus Rempublicam, vel Principem animatus.* August. de Legib. in Cœlia tabellaria perduellionis. Manut. de Leg. c. 21. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 215. Quanquam apud nostros ICtos a crimine majestatis partim nihil distinguitur, partim majestati, ut species generi, subjicitur: tamen longe diversa fuisse demonstrat locus Cicer. Verr. I. 5. prolixior quam ut his inseratur. Ex illo enim apertum est, crimen majestatis fuisse, duces hostium pecunia liberare, aut privatum hominem domi suæ hostium duces servare incolumes. *Perduellionis* vero civem Romanum contra jus libertatis sibi legibus, Porcia maxime, & Sempronia, concessæ in crucem tollere, aut securi percutere, aut in latumias conjicere, aut verberare. Quicunque enim contra jus libertatis civem Romanum quasi peregrinum tractasset, tanquam oppugnator libertatis Romanæ reus *perduellionis* ad populum fiebat. Jus enim civitatis totum erat penes populum: ideoque judicio populi merito subjiciebatur, qui contra leges de jure civitatis, ac libertatis populi quicquam fecerat. Itaque C. Rabirius *perduellionis* reus factus est, quod Saturninum tribunum plebis, quamvis seditiosum, & Reipublicæ perturbatorem injussu populi Romani occidisse diceretur. Quia enim tribunatus magistratus erat ad libertatis populi defensionem institutus, idcirco leges sacrosanctos esse tribunos plebis jubebant: quod nihil aliud erat, quam sacrum caput ejus esse, qui eis nocuisset: quod idem erat atque pro hoste haberi, qui eis nocuisset. Majestatis crimen erat legionem sollicitasse, seditionem in exercitu excitasse, ut indicat Cicero pro Cluentio: cum Balbum, & Stalenum majestatis damnatos ait, quod ista fecissent. Item magistratui quippiam pro suo imperio agenti resistere, ut C. Cornelius majestatis reus est factus, quod intercessioni collegarum non cessisset. *Perduellionis* crimen in eum cadebat, qui aut regnum affectasset, aut omnino per proditionem, & hostili animo quicquam commisisset, quod in Reipublicæ incommodum cederet. Hinc apud Liv. XXVI. 3. Sempronius tribunus plebis Cn. Fulvio *perduellionis* se judicare dixit, quod *multi jurati dixerunt fugæ, pavorisque initium a* Fulvio *prætore ortum.* Cum enim ante videretur temeritate, atque inscitia male Rempublicam gessisse Fulvius, pecunia tantum anquisitum est: at postquam auditum est illorum testimonium, per quod suspicio esse cœpit, proditionem potius, quam imperitiam rei militaris causam male gestæ Reipublicæ fuisse, tum vero Sempronius capite anquirendum censuit, ac Fulvium *perduellionis* accusavit. Crimen quoque majestatis sub prætorem habuit, qui hanc quæstionem exerceret: erantque judices, quos prætor ex decuriis illorum, penes quos erant judicia, sortito legisset, non populus. In crimine vero *perduellionis* populus judicabat, ut locus ex Verrinis laudatus aperte demonstrat. Atque illa quidem erat ordinaria de *perduellione* judicandi ratio, quam T. Labienus accusator Rabirii non observavit, sed veterem illum sub Regibus morem revocaverat, & duumviros hujus criminis a prætore sortiendos curarat C. Cæsarem apud Suet. c. 12. n. 1. & L. Cæsarem apud Dion. XXXVII. p. 42. a quibus condemnatus provocavit ad populum, ad quem Cicero habuit orationem, quæ extat pro *Rabirio perduellionis reo*: ex qua satis apparet, Labienum contra legitimum judiciorum morem reduxisse duumviros *perduellionis*, qui eo modo judicarent, quo legimus de Horatio tempore Tulli Hostilii Regis factum esse judicium. *Gruchius de Comit.* I. 2. *Panvin. de Civit. Rom.* c. 53. *Robort. de judic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* (14) *F. Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* II. *c.* 9. Judicium hoc absolvebatur centuriatis comitiis. Val. Max. VI. 5. *Cum Ti. Gracchus, & C. Claudius ob nimis severe gestam censuram majorem partem civitatis exasperassent, diem his M. Pompilius tribunus plebis perduellionis ad populum dixit. Quo in judicio primæ classis permultæ centuriæ Claudium aperte damnabant.* Et Cicer. pro dom. c. 32. dicit *Cæsonem Quintium, & M. Furium Camillum, & M. Servilium Ahalam a populo centuriatis comitiis damnatos in exsilium profugisse.* Imo legibus, ut centuriatis comitiis de *perduellione* judicaretur, cautum fuit. Scribit enim Cicer. pro Sest. c. 30. *Cum & sacratis legibus, & duodecim tabulis*

san-

ſanctum eſſet, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite civis, niſi comitiis centuriatis rogari. Legem XII. tab. ponit his verbis Cicer. de Leg. III. 4. *De capite civis, niſi per maximum comitiatum, olloſque, quos cenſores in partibus populi locaſſint, ne ferunto.* Capitis fuiſſe *perduellionis* judicium nemo ambigit, de quo populus judicavit centuriatis comitiis. Quapropter P. Clodius, cum reum *perduellionis* Ciceronem fecit, ob id judicatus eſt non jure feciſſe, quod tributa comitia habuit de capite civis Romani. Cicer. ibid. c. 19. *Quo verius in cauſa noſtra vir magni ingenii, ſummaque prudentia L. Cotta dicebat, nihil omnino actum eſſe de nobis. Præter enim quam quod comitia illa eſſent armis geſta civilibus, præterea neque tributa comitia rata eſſe poſſe, neque ulla privilegia.* Gruch. & Panvin. l. l. Manut. de Leg. c. 19. & 21. Pœna fuit acerbiſſima, nempe mors: ut in P. Horatio, Sp. Caſſio. M. Manlio. C. Rabirio: quorum Horatio, & Rabirio crux, Caſſio & Manlio ſaxum fuit propoſitum. *Sigon. de Judic.* III. 8. *Rycq. de Capitol.* c. 4. V. infr. in *Rupes.* Hi ſepultura prohibebantur. Clarum eſt hoc exemplo Gracchorum. Valer. Max. VI. 3. *Viguit in noſtra civitate Tiberii, & Caji Gracchorum ſumma nobilitas, ac ſpes ampliſſima. Sed quia ſtatum civitatis conati erant convellere, inſepulta cadavera jacuerunt, ſupremuſque humanæ conditionis honos filiis Gracchi, & nepotibus Africani defuit.* Nec non militum illorum, *qui Rhegium injuſto bello occupaverant, mortuoque duce Jubellio, M. Caſium ſcribam ejus ſua ſponte Imperatorem delegerant:* quos omnes *ſenatus Romanus carceri incluſit, quinquagenos per ſingulos dies virgis cæſos ſecuri percuti juſſit, eorumque corpora ſepulturâ mandari, mortemque lugeri vetuit* teſte Val. Max. II. 7. Ex hoc jure Veſpaſianus adhuc prætor *pœnæ conjuratorum addendum cenſuit, ut inſepulti projicerentur* apud Suet. c. 2. n. 8. Qui tamen locus non obſcure indicat, ſepulturam interdum fuiſſe conjuratis conceſſam. Et hoc teſtatur exemplum Lentuli, & Catilinariæ conjurationis conſciorum, quos quidem juſſu Ciceronis in carcere ſecuri percuſſos, at ſepultura non eſſe prohibitos diſerte ſcribit Plutarch. Antonio. Niſi forte id ideo factum, quod de indemnatis, deque inauditis, licet ſontibus, extra ordinem ſumptum fuit ſupplicium. Nam alias majeſtatis, vel *perduellionis* rei poſt ultimum ſupplicium in Gemonias ſcalas abjici, & unco in Tiberim protrahi ſolebant. Hoc M. Clodio circa an. 517. accidit. Val. Max. VI. 3. 3. *M. Clodium ſenatus Corſis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit. Quem ab hoſtibus non acceptum in publica cuſtodia necari juſſit. Semel læſa majeſtate imperii, quot modis ira pertinax vindex! factum ejus reſcidit, libertatem ademit, ſpiritum extinxit, corpus contumelia carceris, & deteſtanda Gemoniarum ſcalarum nota defœdavit.* Kirchman. Append. ad lib. de Funer. c. 7. Guther. de jur. man. I. 6. Faber. Semeſtr. II. 9. Quenſteed. de Sepult. c. 3.

PEREGRE abeuntibus lamentoſum vale dicebatur. V. infr. in *Vale.* Reverſi mariti, ne improviſi ſuis ſe reſtituerent, priuſquam in conſpectum ſuorum ſe darent, ſolebant præmittere, qui nuntium reditus adferret. V. ſupr. in *Maritus.*

PEREGRINANTES quæ itineri faciendo neceſſaria, vel ſaltem accommodata, ſumere ſolebant. Charinus adoleſcens, amore perditus, injuriaque patris compulſus, patriam ut relinqueret, hæc ipſum ſecum habuiſſe oſtendit apud Plaut. Merc. V. 2. 71. *chlamydem, zonam; machæram, ampullam.* Et revocatus a ſodali ſuo, qui nuntiarat ipſius amicam inventam eſſe, illa omnia depoſuerat; ſed paullo poſt, putans id falſum, ſeque deluſum, denuo ſumit n. 80--86. Adjungitur his petaſus in Pſeudolo. Cum enim fallax is ſervus ſycophantam ornaret, ut *peregrinus* videretur, ac tunc ipſum Athenas adveniſſe, inquit II. 4. 45.

Etiam opus eſt chlamyde, & machæra, & petaſo.

Petaſatos eſſe ſolitos, qui longo itineri ſe darent, dicemus infr. in *Petaſus.* Victor. Var. Lect. I. 24. domino *peregrinanti* præſto erant familiares miniſtri. Senec. de Benef. III. 19. *Quia non poteſt creditor domini ſui fieri, ſi pecuniam illi dederit: alioqui quotidie dominum ſuum obligat, peregrinantem ſequitur, ægro miniſtrat, & labore ſummo colit.* Plin. Epiſt. III. 16. 8. *Nempe enim daturi eſtis conſulari viro ſervulos aliquos, quorum e manu cibum capiat, a quibus veſtiatur, a quibus calcietur: omnia vel ſola præſtabo.* Sunt verba Ariæ matronæ milites orantis, *ut ſinerent cum Pæto marito, navem aſcenſuro, ſimul imponi.* Horat. Sat. I. 6. 100.

Nam mihi continuo major quærenda foret res,
Atque ſalutandi plures: ducendus & unus,
Et comes alter, uti ne ſolus ruſve peregre-
Ve exirem, plures calones, atque caballi
Paſcendi.

Pignor. de Serv. p. 302. Capillos nutriebant, donec domum reverterentur. Ita Oſirim, cum totum terrarum orbem *peragraturus* eſſet, decreviſſe dicunt, crines non tondere, antequam in patriam rediiſſet. *Nat. Com. Mythol.* V. 13. *Salmuth de reb. deperd. & inv. p.* 581. Illos numini alicui devovebant, & domum reverſi detonſos conſecrabant. Stat. Theb. VI. 608.

Flavus ab intonſo pendebat vertice crinis
Arcados.

Hinc cæſariem apud Homer. Iliad. XXIII. in funere Patrocli Sperchio amni, ſi in patriam rediiſſet, devoverat Achilles. *Turneb. Adv.* XXII. 28. *Demſter. Antiq. Roman.* X. 29. *Tomaſ. de donar. c.* 11. Pro periculis in itinere repulſis, moleſtiiſque *peregrinationis* feliciter exanclatis hoſtias cædebant. Ita Philocomaſium apud Plaut. Mil. Glor. II. 5. 1.

Inde ignem in aram, ut Epheſiæ Dianæ læta laudes
Grateſque agam, eique ut Arabico fumificem odore amœne:
Quæ me in locis Neptuniis, templiſque turbulentis
Servavit, ſævis fluctibus ubi ſum afflictata multum.

Cydippe apud Ovid. Heroid. XXI. 91.

Protinus egreſſæ ſuperis, quibus inſula ſacra eſt,
Flava ſalutatis thura merumque damus.

Locum, in quem revertebantur, aut commigrabant, vel potius genium loci, religioſe ſalutabant. Lapis Budæ Hungariæ in ſuburbio: DIS. MILITARIBUS. ET. GENIO. LOCI. PRO SALUTE. ET. REDITU. IMP. CÆS. Sacrificabant inprimis Fortunæ reduci. Claudianus. V. illum ſupr. in *Fortuna.* Laribus vialibus. Inſcriptio:

FORTUNÆ
REDUCI. LARI
VIALI. ROMÆ
ÆTERNÆ.

Herculi, qui inde & Defenſor, & Invictus audivit. Romæ: HERCULI. INVICTO. QUOD. PROFICISCENTES. EXPEDITIONIBUS. SACRIS. VOVERANT. REGRESSI. CUM MANIPULIS. LIBENTES. VOTUM. SOLVERUNT. Mercurio: apud Iſaram fluvium in Bojaria: DEO. MERCURIO. FORTUNÆ. REDUCI. SACRUM. Sylvano: Romæ inter marmora, quæ ſecantur ad fabricam D. Petri in Vaticano: SYLVANO. AUG. SACR. PRO. SALUTE. ITUS. AC. REDITUS. IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTI. DINDUMENUS. FURNESIUS. PRÆGUST. AUGUSTI. V. S. L. M. Neptuno. Romæ:

D. M. PROPI. . . . OLENT. . . .
NEPTUNO. SACR.
PRO. FELICI. ITU. AC. REDITU.

Caſtori & Polluci. Ibidem: CASTORI. ET. POLLUCI. SACRUM. OB. FELICEM. IN. PATRIAM. REDITUM. TOT. SUPERATIS. NAUFRAGII. PERICULIS. Diis magnis. Inſcriptio: MAGNIS. DIS. SACRUM. F. VALERIUS. RUFUS. VOTUM. QUOD. ABIENS. FEC. POST. REDITUM.

[illegible]ITUM. DE. SUO. L. S. L. M. Diis omnibus. Romæ in Julii III. vinea: PRO. SALUTE. ITU. AC. REDITU. BUTR[illegible] N. SYLVANO. ET. DIIS. OMNIBUS. *S[illegible] de S[illegible] c. 2.*

PEREGRINI [illegible] significant, quod quidam putant, deportatos. Significat enim id n[illegible] cives alterius civitatis. Cic. de Offic. I. 34. *Peregrini, & incolæ [illegible] est, [illegible] ægere, [illegible] de alio [illegible].* Quin [illegible] deportati ea de causa [illegible] appellabantur, quod [illegible] [illegible] fed si [illegible] §. [illegible] ff. de [illegible] *[illegible] multa tempora non [illegible], ut [illegible] vivo testatore [illegible] pervenit, [illegible]* [illegible] §. sed si per pœnam [illegible] appellat [illegible], in quo [illegible] *de Leg. in [illegible] Antiq. Select.* I. 5. Ex toto orbe olim Romam veniebant, alii [illegible] publice, multi & [illegible]. Senec. ad [illegible] c. 6. *[illegible] hanc frequentiam, cui vix urbis immensæ tecta sufficiunt: [illegible] ex [illegible], & coloniis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. Alios [illegible], alios [illegible] publica, alios imposita legatio, [illegible] opportunum vitiis locum [illegible], alios [illegible] eloquentiam.* *Nullum non hominum genus concurrit in Urbem, & virtutibus, & vitiis magna [illegible]. Jube omnes [illegible], & unde domo quisque sit, quære: videbis, majorem partem esse, [illegible] in maximam quidem, ac [illegible]* Berger. de viis milit. IV. Sect. 31. §. 4. [illegible] omnes a cauponis [illegible] poterant, [illegible] assignatus erat, qui *castra peregrinorum* appellabatur. *Panciroll. Descr. Urb. [illegible] Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 392. *C.* V. illi [illegible] Civitatem non habebant. Unde Harpocrat [illegible] quam manumissus a *peregrina*, civitatem [illegible] Plin. Epist. X. 4. *[illegible] Harpocrati, [illegible]* Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 17. C. Immunes erant a vectigali vicesimæ. Ratio: nam cum commodis carerent civitatis Romanæ, nec ex testamento civis Romani aliquid capere possent, neque honores Romæ gerere, nec suffragium ferre, neque [illegible]. *B[illegible] ibid.* I. 13. Recte etiam huic legi obnoxii non erant, sed ex jure gentium, vel etiam proprio, quo vivebant, parentibus, & agnatis suis succedebant, nihilque fisco ex hereditate pendebant: atque ita videri poterat *peregrinorum* conditio melior, quam civium Romanorum, nec videbantur facile *peregrini* civitatem Romanam appetituri, & voluntarie se vectigali gravi subjecturi. *Inveniebantur tamen, quibus tantus amor nostri nominis [illegible], ut Romanam civitatem, non modo vicesimæ, sed etiam affinitatum damno, bene compensari putarent.* Plin. Paneg. c. 37. n. 5. *Spanhem. ad Constit. Anton. Exerc.* II. §. 7. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 11. Civitate, arte quam frumento, donabantur. Frumentum enim civibus dabatur. *Cortiren de Frument. Roman. largit. c.* 6. Virtute, & meritis in Rempublicam locum in tribu, hoc est, potestatem sed. suffragii consequebantur. *Manut. ibid. p.* 27. *E.* Relati sunt in tribus an. 513. *Siccam. de Centumv. Judic.* I. 8. Romanorum enim erga *peregrinos* humanitas magna fuit. Colligitur hoc quoque inde, quod *peregrinum* appellarunt *hostem*, ab hostiendo, ut nonnulli volunt, hoc est, æquando, propterea, quod inter cives, & *peregrinos* debeat esse æquabilitas. Cicer. de Offic. I. 12. *Hostis apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus: indicant* XII. *tabulæ. Aut status dies cum hoste. Itemque adversus hostem æterna auctoritas.* [illegible] non est, cum ipsi quoque ex *peregrinis*, & advenis undique confluentibus in unum coaluerint. His adde, quod Romæ externis, & *peregrinis* magistratus dabatur regius, consularis, & prætorius, ut Numæ, & Tarquinii temporibus: consules multi *peregrini*, & externi fuerunt. Habebant & prætorem *peregrinum*, qui *peregrinis* jus dixit. *Stuck. Antiq. Conviv.* I. 27. Hos tamen Urbe expulerunt an. 688. rogatione a C. Papio, tribuno plebis lata. V. supr. in *Lex Papia.* Et ob hanc causam male audiverunt. Liban. in Antiochic. p. 366. *Ita & ego convenient incolarum multitudo est apud [illegible], & multitudini incolarum bonitas agri respondet: cujus ope [illegible] peregrinos [illegible] hospitalem [illegible]: tametsi nobis exemplum suppeteret Urbis Romæ, quæ [illegible] inopia premitur annonæ, peregrinorum expulsione huic malo mederi [illegible].* Themist. Orat. 6. *Quare nihil nobis continua peregrinorum expulsione opus est, [illegible] ac origini nostræ Urbi Romæ: quod quidem omni pœna atrocius remedium est.* Vales. in Ammian. XIV. 6. Pitisc. in Suet. Aug. c. 42. n. 4 §. 13.

PEREGRINITAS est, cum jus civium amittitur. Ulpian. I. sed si hac lege §. sed si per pœnam ff. de in jus voc. *Sed si per pœnam deportationis ad peregrinitatem redactus sit patronus, putat Pomponius eum amittere honorem.* Suet. Claud. c. 16. n. 5. *Splendidum virum in peregrinitatem redegit.* Et *peregrinitatis reus* est, qui se falso pro cive Romano gessisset. c. 15. n. 6. *Peregrinitatis reum orta inter advocatos levi contentione. . . . mutare habitum jussit.* Convictus vendebatur. Calpurn. Flacc. Declam. 17. *Civitatem peregrinus [illegible]. Pauper [illegible] peregrinitatis venit, [illegible].* Brisson. Antiq. Select. I. 13. Pitisc. in Suet. Claud. c. 15. n. 6.

PERFECTISSIMATUS, Græcis διασημότης, & τελειότης. Gregor. Nazianz. Epist. 128. erat dignitas proxima clarissimatui, quam eadem provinciarum, ut Arabiæ, Dalmatiæ, Hispaniæ Præsidibus, & correctoribus, præfecto annonæ, vigilum, magistro census, rationali summæ rei, seu καθολικῷ, inprimis magistris, seu capitibus [illegible]morum, & [illegible] notariorum tribuitur. *Remes. Inscr. Class.* VI. *n.* 28. Est inter eas, quas Constantinus Magnus excogitavit, & in usum vocavit, ut bene meritos de suo imperio viros honestaret. Euseb. de vit. Constant. IV. 1. *Porro perfectissimatu, & aliis plurimis ejusmodi dignitatum [illegible] alii donabantur. Namque Imperator quo plures honore afficeret, varias dignitates excogitaverat.* Berger. de viis milit. IV. Sect. 13. §. 2. Panciroll. Notit. dignit. imper. orient. c. 3.

PERFECTISSIMI quartum habebant dignitatis gradum inter quinque illas, quas adinvenit Constantinus Magnus. Minores enim dignitatis honore, & gradu erant quam Illustrissimi, Spectabiles, & Clarissimi; at erant supra Egregios. *Berger. de viis milit.* IV. *Sect.* 13. §. 3. Quando inventi sint, non constat, sed vetustior eorum videtur origo. Narrat enim Dioclet. I. divo II. de quæstion. M. Antonium disposuisse, ne eminentissimorum, & *perfectissimorum* liberi pœnis plebejorum afficiantur. Nullibi tamen de his in Pandectis fit mentio. Quemadmodum vero tres comitum ordines invenit Constantinus, totidem credendum est ab eo *perfectissimorum* classes divisas fuisse. Erant enim primi, secundi, & tertii ordinis *perfectissimi*, quales multi in scriniis largitionum nominantur I. ult. C. de divers. offic. d. I. scriniis. 7. C. de priv. sacr. larg. Hæc dignitas his notis scribebatur V. P. id est, *vir perfectissimus*. Rei exemplum habemus in inscriptione cujusdam rescripti Constantini I. cum reis 18. C. de pœn. quæ est hujusmodi:

CONSTANTINUS. A. THEODORO.
V. P. PRÆSIDI. ARABIÆ.

Horum meminit & Ammian. XXI. 16. *Nec sub eo, Constantio, dux quisquam cum clarissimatu provectus est: erant enim perfectissimi*, id est, neminem copiis militum præfecit, qui esset senator: sed eos tantum, qui essent *perfectissimi*. Hodie eos, qui in minoribus oppidis jus dicunt, inter *perfectissimos* connumerari posse crediderim, cum nunc, quoad jus dicendum, quælibet civitas sit instar

pro-

provinciæ glo. l. ult. in verb. 1. una provinc. C. de long. temp. præscript. *Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. c. 3.* Privilegium habebant, ne ipsi, vel eorum liberi usque ad pronepotes criminis causa torquerì possent, nec plebejorum pœnis subjici d. l. divo. Quare nec in metallum damnari, nec furcæ affigi, nec vivi exuri consueverant l. mortis 9. §. istæ. ff. de pœnis. nec fustibus cædi. glo. d. l. divo. Hodie hic titulus penitus in desuetudinem abiit. *Panciroll. & Berger. l. l.*

PERGAMENUM Latini membranam appellarunt, quod optima *Pergamo* adferrentur. Hieron. Epist. ad Chromatium: *De quibus hoc primum queror, cur tot interjacentibus spatiis maris, atque terrarum tam parvam epistolam miseritis, nisi quod ita merui, qui vobis, ut scribitis, ante non scripsi. Chartam defuisse non puto, Ægypto commonstrante commercia. Et si alicui Ptolemæus maria clausisset, tamen rex Attalus membranas a Pergamo miserat, ut penuria charta pellibus pensaretur. Unde & Pergamenorum nomen ad hunc usque diem, tradente sibi invicem posteritate, servatum est.* Ubi mirandum non est, quod Attalum vocat, qui Eumenes est Plin. XIII. 11. Nam similiter appellat Ælianus: nempe, quia, ut Reges Parthorum Arsacidæ, Philistæorum Abimelech, Syriæ ac Damasci Benhadad, Arabum Abbari, vel potius Aibari, Latinorum Murani, Ægypti Ptolemæi, Hunnorum Cagani, sic *Pergameni* Reges vocati Attali. *Voss. Lex. Etymol. de Art. Grammat.* I. 38. *Salmas. Plin. Exerc. p. 659. a. E. Guiland. Papyr. Membr.* VI. §. 21. & 22.

PERGAMUM minoris Mysiæ oppidum, ut inquit Strab. XIII. p. 429. primus Philetærus, Lysimachi Macedonis præfectus, mortuo Alexandro obtinuit: quem Eumenes fratris filius est consecutus, qui multorum circa locorum, Antiocho Seleuci filio Rege apud Sardes superato, potitus est: cui deinceps Attalus Attali filius successit, qui socius a populo Romano, & a senatu Rex appellatus, Romanis contra Philippum Macedoniæ Regem auxilio fuit; eoque bello confecto Æginam insulam a senatu obtinuit. Attalum Eumenes alter excepit, cui cum pro Romanis contra Antiochum magnum Syriæ Regem stetisset, regnum auctum est, Antiocho devicto, ex senatus & decem legatorum sententia. Liv. XXXVII. 55. Bello vero, quod paullo post cum Galatis Cn. Manlio Vulsone duce gestum est, absoluto, eidem Eumeni præmia cumulata. Liv. XXXVIII. 39. Eumeni tam multis beneficiis a Romanis ornato Attalus alter successit, is qui Romanos bello contra Pseudo-philippum Macedonem adjuvit: quem novis propterea beneficiis a populo Romano auctum verisimile est. Post quem Attalus tertius regnavit, qui superiorum beneficiorum haud immemor, sine liberis decedens, patrii regni populum Romanum hæredem an. 620. reliquit. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 10.

PERGRÆCARI est majoribus potare poculis, geniumque multo vino explere, more Græcorum, quorum luxum in conviviis Romani imitati sunt. Plaut. Most. I. 1. 21.

Dies, noctesque bibite, pergræcamini.

Ita in convivii, quod Rubrius Verri instruxerat, descriptione Cicer. Verr. I. 26. *Discumbitur, fit sermo inter eos, & invitatio, ut Græco more biberetur: hortatur hospes, poscunt majoribus poculis.* Tusc. Quæst. V. 41. *Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinetur: aut bibat, inquit, aut abeat. Et recte: aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi, aut ne sobrius in vinolentiam vinolentorum incidat, ante discedat. Congræcari* dixit Bacch. IV. 4. 91.

Quod dem scortis, quodque in lustris comedim, & congræcem.

Græcari Horat. Sat. II. 2. 10.

—— vel si Romana fatigat
Militia assuetum Græcari.

Vet. Schol. *Græcari, potare, conviviis operam dare Græcorum more.* Kirchmann. de Lux. Roman. I. 5. Crag. de Repub. Lacedæm. III. 5. 7.

PERGULA est locus ædium editior, qui super tectum ædificari solebat, quem vulgo *galeriam* vocamus. Gloss. Cyrilli: *Pergula*, ὑπερῷον, ἐξώστα, μεσόδμη, ὀροφὴ, στενὸν οἴκημα. Tertull. adv. Valentin. c. 7. *Ipsam civitatem nostro Ennianam cœnaculis in sublimitatem dispositam, aut forma, alias atque alias pergulis superstructis.* Cujac. Observ. XI. 13. Baleng. de Pict. I. 1. 13. Pitisc. in Suet. Aug. c. 94. n. 22. In *pergulis* dictæ cœnaculis *magistrales* vocat Vopisc. in Saturnin. c. 10. *Romæ frequentaverat pergulas magistrales, sed non celebres, verum e trivio magistri docebant.* Quem, quo loco dicitur, & contra pertendo, in iis publice docendo Grammaticæ, & Rhetoricæ magistros, aliarumque artium, quæ liberales vocantur, professores, etiam qui de publico stipendium accipiebant. Hos *pergulas magistrales* vocat hic Vopiscus: & *publicæ magistratiores*, & *publice* docere dicantur l. 3. C. Th. de stud. liber. urb. Constantinop. his verbis: *Universos, qui usurpantes sibi nomina magistrorum, in publicis magistrationibus, cellisque collectos discipulos circumferre consueverunt, ab ostentatione vulgari prohibemus.* Quibus autem publice profitendi facultas data non erat, hi intra domesticos parietes, hi tantum discipulis privatim vacabant, nec in pergulis publicis docebant. Picturæ quoque professores in locis publicis pergulas habebant. l. 4. de excusat. artif. C. Th. de picturæ professoribus: *Ad negotiatorum quoque conditionem nec deducantur, si modo ex sua merce eas habeant, quas pro pretio artis ipsorum pergulas, & officinas in locis publicis sine pensione obtineant.* Lucilius:

Pergula pictoris veri nihil, omnia falsa.

Mathematici quoque, quibus aliquando etiam profitendi, publiceque proponendi Romæ copia concessa est, in *pergulis* studia sua exercebant, & respondebant. Mathematici *pergulæ* meminit Suet. Aug. c. 94. n. 22. *In secessu Apolloniæ Theagenis mathematici pergulam comite Agrippa adscenderat.* Grammatici *pergulæ* mentio apud eundem Gramm. c. 18. n. 2. *Hic initio circa scenam versatus est, dum mimographos adjuvat: deinde in pergula docuit.* Nec verum est, quod vir alter doctissimus scripsit, pauperes Grammaticos, quibus in ædibus habendæ scholæ potestas non erat, in *pergula* docuisse. *Pergulæ* erant cellæ publicæ, in quibus omnium artium, doctrinarumque professores publice docebant. *Salmas. in Vopiscum. Domit. in Suet. Augustum.*

Pergula vocabitur cella meretricum. Plaut. Pseud. I. 2. 79.

Te ego ipsam culleo cras faciam deportere in pergulam.

Turn. Adv. VIII. 1. Salmas. in Vopisc. Saturn. c. 10. *Pergula* apud Plautum est ipsius lenonis, qui vult eas mulieres venales prostare: propterea eas exponit in eo ædium loco, qui omnibus in conspectu esset: quo nomine vetus glossarium exponit *pergulam*, περιφανῆ. *Scalig. Auson. Lect.* II. 12. *in Prop.* IV. 5. 68.

Pergula etiam fuit locus publicus, in quo pauperes, quibus, nec cella erat, nec domus, interdum habitabant. Prop. IV. 5. 68.

Horrent algentis pergula curta foco.

Sic & Crassitius, libertinus, pauper Grammaticus, cui per inopiam in propriis ædibus scholæ potestas non erat, docuit in *pergula* apud Suet. Gramm. c. 18. n. 2. *Turneb. Adv.* VIII. 1. Qui, meo judicio, frustra est. Confundit enim *pergulam* pauperum cum *pergula* ædificiorum. Apud Propertium *pergula* est casa, seu tuguriolum arundinibus tectum. Ita & Auson. Epist. IV. 6.

Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis.

Is enim Theonem in *pergula* columinibus arundineis fulta, itemque arundinibus tecta ait habitare, & pauperrimum esse hominem indicat. Et in opere topiario quid sit *pergula* notum. Ab ejus similitudine pauperum tuguria dicta. *Scalig. Auson. Lect.* II. 12. *& in Propertium.*

PERJURIUM, si quis Jovem, aut cæteros deos jurejurando teneris fefellisset, jure civili non puniebatur;

deos enim ejus ſatis idoneos ultores veteres putabant eſſe. Harmenopul. Prompt. jur. c v. VII. I. *Nemo, qui per deum pejeravit, periclitatur. Satis enim deum ultorem habet jurisjurandi per Deum præſtiti contempta religio.* Alexand. C. l. 2. de reb. credit. *Jurisjurandi contempta religio ſatis Deum ultorem habet.* Cicer. de Leg. II. 9. *Perjurii pœna divina, exitium: humana dedecus.* Et *deorum injurias diis eſſe curæ* dicebat apud Tacit. Annal. I. 73. 4. illorum contemptor Tiberius Princeps, cum *Rubrio equiti Romano criminis daretur violatum perjurio nomen Auguſti.* Guther. de vet. jur. pont. II. 3. Hanſen. de jurejur. vet. c. 2. Trellier. de jurejur. c. 6. Wouwer. & Elmenhorſt. in Minuc. Felic. p. 284. Vetuſtiore tamen ſeculo pontifex maximus *perjurii* erat cognitor, & qui per deos *pejerabant*, pontificibus pœnas dabant. Plaut. Rud. V. 3. 21.

Licet jurare: tun' meo pontifex perjurio es?

Hanſen. l. l. Taubman. in Plautum. Hoc ego non ad ultionem, vel jurisdictionem pontificum retulerim, ſed ad criminis expiationem, quæ a pontifice quæri ſolebat. Nam commiſſum piaculum dicebatur, cum id factum eſſet, cujus cauſa hoſtiæ, aut libamenta deberentur: ut fraus, ſcelus, aut flagitium purgaretur. Quod ex pontificum præcepto fiebat, ſi quid domeſtica religione piandum eſſet, de quo Acro in Horat. Od. I. 28. Sic igitur lenonis *perjurii* verba accipienda exiſtimo: tune ſi deos ſciens fefellerim, tanquam publicus ſacerdos, mihi modum præſcribes, quibus hoſtiis commiſſum piaculum reſolvam, veniamque a diis immortalibus poſſim impetrare? Lex enim ſacrorum erat: *Impius ne audeto placare donis iram deorum.* Quod intellige, niſi piaculari hoſtia impietatem eluiſſet. *Guther. l. l.* Ejus comes erat I. nulla fides. Cicer. pro Rabir. Poſt. c. 13. *Ubi ſemel quis pejeraverit, ei credi poſtea, etſi per plures deos juret, non oportet.* Hanſen. l. l. II. deformitas aliqua corporis. Horat. Od. II. 8. 1.

Ulla ſi juris tibi pejerati
Pœna Barine nocuiſſet unquam,
Dente ſi nigro fieres, vel uno
Turpior ungui.

Ovid. Amor. III. 3. 1.

Eſſe deos credamne? fidem jurata fefellit,
Et facies illi, quæ fuit ante, manet.
Quam longos habuit nondum perjura capillos,
Tam longos, poſtquam numina læſit, habet.
Candida candorem roſeo ſuffuſa rubore
Ante fletit, niveo lucet in ore rubor.

Prop. III. 5. 14.

Attulimus longas in freta veſtra manus.

id eſt, perjurio non debilitatas. Unde *ſanctos viros*, id eſt, non *perjuros* vocat n. 32.

Portabat ſanctos alveus iſte viros.

Hanſen. l. l. Scalig. in Propertium. III. fulmen, quo de cœlo a Jove tangebantur. Virg. Æneid. XII. 200.

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit.

Sancire fœdera fulmine dicitur, qui fulmine vindicat, quod contra formulam jurisjurandi commiſſum eſt. Nam animadverſio in ſontes juris ſanctio, & conſervatio eſt. Ariſtophanes:

Hoc enim plane Jupiter in perjuros mittit.

Turneb. Adv. XXV. 9. Hanſen. l. l. Cerda in Virgilium. Juſtinianus tamen Imperator illum, qui per caput Dei, vel capillum jurat, ultimo ſupplicio ſubjicit Novell. conſtit. 71. *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blaſphemia contra Deum uſus fuerit, officio præfecti Urbis ultimo ſupplicio ſubjiciatur.* Elmenhorſt. l. l. Ei, qui per Principem pejeravit, ſi quidem calore iracundiæ hoc fecerit, ignoſcitur. Alexand. C. l. 2. de reb. credit. *Periculum corporis, vel majeſtatis crimen, ſecundum conſtituta divorum parentum meorum, etsi per Principis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet.* Sin minus, fuſtium caſtigationi ſubjicitur. Ulpian. l. ſi duo §. ſi quis: *Si quis juraverit in re pecuniaria per genium Principis, dare ſe non oportere, & pejeraverit. . . . Imperator noſter cum patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimittere.* Et hoc ita diſerte tradit Harmenopul. l. l. *Si quis per Principis venerationem calore quodam pejerarit, veniam conſequitur. Si quis juraverit in re pecuniaria, per genium Principis, & pejeraverit, fuſtibus caſtigatus dimittitur.* Guther, Trellier, & Elmenhorſt. l. l.

PERISCELIDES non dicuntur tibialia, etſi σκέλος ſit crus, unde deſcendit, ſed femoralia. *Nigron. de Caliga c. 2.* Sic exponit Hieronym. Epiſt. ad Fabiolam. Ac Suidæ eſt: περισκελῆ, βρακία, φεμινάλια. Et ſic uſi LXX Interpretes. Sed improprie. Nam *periſcelides* crura vinciunt: at feminalia feminum ſunt tegumenta, nec ultra genua, ac poplites deſcendunt. *Voſſ. Lex. Etymol.* Fuerunt faſciæ crurales. Tales Herculi apud Omphalem agenti tribuuntur apud Senec. Hippol. I. n. 321.

Crura diſtincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente ſocco.

Caſaub. ad Suet. Aug. c. 82. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. V. 35. Balduin. de Calc. c. 16. Sed nec hi recte. Nam faſcia nunquam dicitur annulus, aut vinculum aureum. Omnino ſunt ornamenta crurum muliebrium. Gloſſæ: *Periſcelides ornamenta ſunt, vel circuli aurei ſunt crurum muliebrium.* Et Horatii ſchol. ad Epiſt. I. 17.

Nota refert meretricis acumina, ſæpe catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis.

periſcelidem interpretatur *ornamentum pedis circa crura.* Et nonnihil de *periſcelide* capi poteſt Seneca. Oſtendunt hoc Senecæ verba præcedentia:

Paſſus aptari digitis ſmaragdos,
Et dari legem rudibus capillis.

Scilicet poſt ornatum digitorum, atque capillorum voluit ſignificare *periſcelidas* inter pedum ornamenta fuiſſe. *Byn. de Calc. Hebr.* I. 8. 5. *Sched. de Dis German. Syngram.* II. 9. De illis interpretor & ego Plin. XXXIII. 3. *Aurum etiamne pedibus induitur, atque inter ſtolam plebemque hunc medium feminarum equeſtrem ordinem facit.* Ferrar. de re veſt. I. 3. 17. Analect. c. 22. Perperam hæc cum *periſcelis* confundunt viri docti. Ego Plinium interpretor de anſis, & obſtrigillis ſolearum, quæ erant ex auro, quibus vinculis ſecundi gradus feminæ a plebejis diſtinguebantur. De Parrhaſio pictore Athen. XII. p. 543. E. Aureis habenis conſtringebat calceorum anſas. Et de iiſdem Petron. c. 86. *Jam pedum candor intra auri gracile vinculum poſitus Parium marmor extinxerat.* Nec non Manil. V. 519.

Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincla.

Ruben. de Re veſt. c. 16. Sed Plinio damus interpretem Plinium, qui in re ſimili XXXIII. 12. *Argentum ſuccedit ex re aliquando & auro, luxu feminarum plebis compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tritior vetat.* Innuit argenteas compedes a plebe geſtatas, cum aureæ jam faſtidiri cœpiſſent. Fruſtra docti calceorum ornatum explicant, quem aureum in feminis equeſtris ordinis fuiſſe falſo ex Plinio colligunt. Præterea quis ſanus dixerit compedes fuiſſe ſolearum obſtragula? Nemo ignorat compedes eſſe crurum vincula, ſicut manuum manicas, colli bojas. Dictæ autem compedes, quia illis crura, pedesque colligantur, atque adſtringuntur, ſcilicet in imo, ac prope pedes. Talia matronarum aurea, plebejarum argentea *periſcelia* erant. Aurei ſcilicet circuli, aureique annuli, & argentei, ſicut compedes ipſæ annuli ferrei dicuntur Mart. III. 29. 1.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

Quos annulos ferreos in cruribus geſſerat Zoilus, poſtea eques factus, aureos in digitis. Ita illa Petronii, Manilii, & Senecæ de *periſcelio* intelligenda ſunt. Quia igitur annuli aurei in digitis equites, medium ordinem, a plebe diſtinguebant, acute, & eleganter Plinius de circulis aureis, ſive annulis crurum matronarum Romanarum ait: *etiamne*

etiamne pedibus induitur, atque inter stolam, plebemque hunc medium feminarum equestrem ordinem facit? Quos annulos, sive circulos argenteos in plebejis feminis propterea *compedes* appellat. *Pedibus* autem *induitur*, quia ad crurum extremitatem, qua pes cruri nectitur, circuli illi fuere. *Ferrar. & Byn. l. l.*

PERISTROMATA Græco vocabulo stragulæ vestes appellabantur. Varr. de Ling. Lat. IV. 35. *Græca sunt peristromata, & peripetasmata: sic aliud aliquid, item convivii causa.* Cicer. Phil. II. 27. *Conchyliatis Cn. Pompeji peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres.* Erant purpurea, majorique ex parte textili opere, sive acu picta. Mart. VIII. 28. 17.

Non ego prætulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.

Plaut. Pseud. I. 2. 12.

Ita vestra ego latera loris faciam, ut valide varia fient,
Ut ne peristromata quidem æque picta sint Campanica.

Cicer. Tusc. Quæst. V. 21. *Collocari jussit hominem in aureo lecto strato pulcerrime textili stragulo, magnificis operibus picto.* Ciaccon. de Triclin. p. 16.

PERISTYLIUM est locus columnis cinctus, quales solent esse ambitus atriorum in magnatum ædibus, & olim fuerunt omnium templorum. Suet. Aug. c. 82. n. 2. *Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristylio, cubabat.* Et ita apud Petron. c. 64. lego: Quod *Bays in peristylio notaveram.* Byn. de Calc. Hebr. I. 8. 8. Ferret. Mus. Lapid. IV. mem. 21. Schill Nomencl. Philol. p. 903. Lindenbr. in Ammian. XXII. 13.

PERMISSUS pontificum fuit, sine quo nihil in loco sacro fieret, aut moveretur: qui & *decretum* dicebatur: Vetus inscriptio:

P. ÆLIUS. VENERIANUS
HOC. VAS. DISOMUM. SIBI. ET
FELICITATI. SUÆ. POSUIT. ET
TRIBUNAL. EX. PERMISSU. PONTIF.
PERFECIT.

Ad pontificum *permissum* ædium sacrarum consensus quandoque accedebat. Alia inscriptio:

PERMISSU. C. MASSENI. MARCELLI
PONTIFICIS. VOLCAN. ET. ÆDIUM
SACRARUM.

Guther. de vet. jur. pontif. I. 24.

Permissus in sepulcris jus adeundi denotat. Lapis vetus:

D. M. SERTORIA. PAULINA
FEC. M. DOMITIO. SUCCESSO
CONJUGI. B. M. AD. HOC
SEPULCHRUM. ITUM. AMBITUM. OMNI
TEMPORI. PERMISSUM
EST. AB Q. SULPICIO
EPITYNCHANO

non servitutem, quæ sine testamento pactionibus, & stipulationibus constitui non potest. Sic *permitti* dicimus, quod jure, lege, vel a Principe, aut magistratu conceditur, vel a privato in suo, ut *permittitur* aquam vel ex castello, vel ex rivo, vel ex quo alio loco publico ducere, idque a Principe l. 1. §. permittitur ff. de aq. quotid. quod nemo servitutem dixerit: quo modo etiam lex municipalis *permittit* in civitate sepelire. l. 3. §. dicimus ff. de sepulcr. viol. *Guther. de jur. man.* III. 12.

PERMUTATIO est antiquissimum genus commercii, post introductum rerum dominium, mature inter homines receptum. V. supr. in *Emptio.*

PERNÆ sunt in maximo passim honore. Primis mensis quidam apponunt ad excitandam orexim; alii ultimis, ut lassum stomachum acrimonia sua vellicent, & sitim excitent, ut ait Horat. Sat. II. 4. 60.

—— perna magis, ac magis hillis
Flagitat in morsus refici.

Nonn. de Re cibar. II. 4. Inter *pernam* & petasonem interest, quod petasonis pars *perna* vocetur. Athen. XIV. p. 657. E. *Quoniam petasonis pars unicuique crus est, quam pernam vocant.* Itaque *pernæ* sunt suum crura, quod etiam de hominibus dixit Livius apud Festum in Suppernati:

His pernas succidit iniqua superbia Pœni.

Quem versum interpretatur Livius de clade Cannensi loquens, cum ait XXII. 51. *quosdam jacentes viros succisis feminibus, poplitibusque invenimus &c.* Et veteres eleganttissime *suppernatos* vocabant eos, *quibus crura succisa essent in modum suillarum pernarum.* Ita Festus. Petaso autem non modo crus, aut femora, sed simul cum his exsectos humeros, aut clunes comprehendit, quod etiam ipsa vocis origo subindicat, quæ apud Græcos latitudinis significationem præ se fert. *Castell. de Esu carn.* II. 2. *Nonn. l. l. Hummell. in Apic. de Re coquin.* VII 9. Alia quoque differentia fuisse videtur, quod petasone recenti vescerentur: *pernas* autem salirent, & in fumo suspenderent, atque in carnario ad usus necessarios reponerent. Hinc de petasone Mart. XIII. 55.

Musteus est: propera, charos nec differ amicos:
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

At *pernam fumosam* appellat Horat. Sat. II. 2. 117.

—— fumosæ cum pede pernæ.

Et Cato de Re rust. c. 162. cum docuisset, qua ratione *salire pernas* oporteat, *eas sale tersas in fumo*, deinde *oleo, & aceto commixto perunctas in carnario suspendi* jubet. Castell. l. l.

PERO fuit *calceamentum rusticum.* Serv. Æneid. VII. 689. Laxitatem *peronum* ostendit a *pera* petita appellatio. Unde Hieron. in Genes. c. 44. apud Hebræos eandem vocem & *peronem*, & sacculum sonare docet. Et sane rustici, & agricolæ, quibus familiaris fuit, amplioribus, & laxioribus pedum, crurumque integumentis gaudere solent: ut qui plus in calceatu, ut & cætero habitu, fructuosum usum, quam concinnam elegantiam spectent. Hinc a *peronum* illorum calceatu *peronati* epitheton aratori tribuit Pers. Sat. V. 102.

Navim si poscat sibi peronatus arator.

Sic igitur laxa erat illorum amplitudo, ut ad mediam saltem tibiam ampliter procurrerent; quo scilicet minus limo, ac luto aratorum pedes, inferioresque tibiarum partes inficerentur, ubi per cœnum, limumque illis erat gradiendum. Et eam ob rem *altum peronem* dixit Juven. Sat. XIV. 186.

Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi.

Balduin. de Calc. c. 17. Bud. in Pandect. p. 175. C. Baldus Lex. Vitruv. Voss. Lex. Etymol. de Idolol. III. 70. Rævard. Var. I. 8. Popm. de Instrum. fund. c. 20. Braun. de vest. Hebr. I. 3. 10. Ferrar. de re vest. Anal. c. 34. Nec tantum rustici sunt usi, sed etiam olim Hernici Italiæ populi in bellis. De iis Virg. Æneid. VII. 689.

—— vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.

Uno nempe pede, eoque dextro, Ætolorum bellicosorum populorum dubio procul imitatione, qui pro more sic instructi ad bella gradiebantur, & ideo μονοκρήπιδες, id est, *unius crepidæ* fuerant appellati. Ab his ad alios usus traductum facile est conjicere: cum quæ semel utilia quibusdam visa sunt, ea quilibet alii, ubi opus est, libentur usurpent. Unde cum apud Paull. l. 3. §. 3. ff. de offic. præf. vig. legimus: *Calceatum debere præfectum vigilum coerrare*, sane *peronibus* calceatum par est intelligere, propterea quod præfectis illis id ex officio incumbebat, ut quantumlibet intempesta nocte, per nives, per glaciem, & limosa loca sæpe coerrarent. Et ad id maxime *perones.* Quin etiam in ipse Urbe apud plebejos illorum usus obtinuit: ut ex M. Catonis fragmento licet colligere: cujus ex Scaligeri emendatione hæc apud Festum in Mulleus: *Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos, alii*

 uncu-

uncinatos, *cæteri perones*. Sic enim tres calceamentorum ſpecies apte diſtinctas videre eſt: ita, ut cum mullei patriciorum eſſent, & uncinati calcei minus illuſtrium, *perones* reliquis Romanis attribuantur. Proindeque non eorum poſſum probare ſententiam, qui ex hoc ipſo Catonis loco contendant ſenatoribus, qui magiſtratum curulem non geſſiſſent, uſurpatos fuiſſe; ut ſic ab illuſtrioribus, quorum mullei erant proprii, diſtinguerentur. Nam veroſimile videri nulla ratione poteſt, ſenatores, quorum erat ſpectabilis in Republica Romana dignitas, laxo illo, & craſſiore calceatu uti unquam voluiſſe: niſi quis eo tantum ſenſu *peronibus* uſos dicat olim ſenatores, ut ipſi *perones καταχρηστικῶς* pro calceis lunatis, & uncinatis uſurpentur: a quibus equidem, ſi præciſe loquendum, non parum erant diſcrepantes; etiamſi cum calceis illud haberent commune, quod, ut illi, ſuratim, ſive tibiatim calcearentur. *Balduin. l. l.* Peregrinum tamen, magis quam civile erat calceamentum. Ita enim interpres Juven. Sat. I. 111. ſcribit: *vel pedules novos in braccis, quos perones dicunt, habens, ut peregrinus.* Saliſber. in Euthet. ubi de ſchemate peregrino:

Trita tegant frontem pilea, pero pedem.

Favet etiam Tertull. de hab. mul. c. 7. qui de Parthis, & Medis ſermonem faciens, quos Romæ vidiſſe ſe teſtatur: *Iis peronibus*, inquit, *uniones emergere de luto cupiunt:* quos nimirum gentilitio more geſtabant. *Balduin. l. l. Savar. in Sidon.* IV. 20. Etiam feminæ olim *peronibus* utebantur; ſed eorum prius aſpera ruſticitate in molliorem elegantiam ſic immutata, ut exculti, affabre conſuti, ornati etiam gemmis, auroque prætexti, & ſuppacti eſſent; qui prius erant e craſſo, crudoque corio, craſſa, rudique Minerva conſarcinati. Ideo illos *effeminatorum* epitheto inſignit: & eorum *ſutrinam veneream*, in qua nimirum ſutores omnem ſuam operam, atque induſtriam, ad venuſtum & voluptarium leporem calceamentis conciliandum referebant, appellat Tertull. de pall. c. 5. *Magnum inceſſus munimentum ſutrinæ Venereæ, perones effeminatos.* Balduin. l. l. *Perones*, calceamentum virile, & ruſticum, a feminis uſurpatos nemo veterum tradidit, cum cætera muliebris licentiæ portenta diſtincte referrent, neque eſt veriſimile. *Ferrar. l. l.* Tertullianus *effeminatos* vocat, quia ruſtici erant ex crudo corio, urbani ex aluta: & calcei ex aluta magis conveniebant mulieribus quam viris. *Salmaſ. in Tertull. de pall. p.* 394. *Ruben. de re veſt.* II. 2. Aut omnia me fallunt, aut Tertulliani iſto capite ſententia hæc eſt, *perones* per id tempus non ex corio, aut aluta; ſed etiam ex lana confectos, & propter mollitiem *effeminatos* dici, imo *falſam pedum tutelam*. Quæ enim adverſus imbres, & lutum ex laneo calceamento tutela? Ex vetere etiam Juvenalis interprete ſupra laudato, licet ejus interpretatio ſit inepta, nam de gypſatis pedibus venalium intelligendus eſt Juvenalis, apparet eo tempore, etiam pedules *perones* dictos, licet ex lana; nam pedules ex lana, aut hircorum pilis, ſive cyniphii mariti barba conficiebantur. *Immundam pedum tutelam*, imo *falſam* dixerat Tertullianus, quia nempe *ſutrinæ* illæ excogitaverant novum genus *peronum* ex lana, & ideo ironice *munimentum* appellat: nam *peronum* ex corio, præcipue crudo, *vera pedum tutela* adverſus imbrem, & lutum, poſtquam texi ex lana cœperunt, *falſa* jam *pedum tutela*, aut nulla adverſus pluvias, & cœnum, & reliquas cœli injurias, in his *peronibus effeminatis*. Ferrar. l. l. Etiam apud Tertullianum vetus codex habet cum prima editione, *ſutrinæ Venetiæ*. Has dictas putaverim, in quibus Venetæ pelles ſuerentur, ex quibus calcei conficiebantur. In Venetia autem, & Veneta regione pelles olim optime curari, & confieri ſolitas crediderim, ſuendis calceamentis aptas. In Venetia enim pecudum magna erat copia, ergo & pellium, ex quibus calcei fiebant. Ovium Altinarum, & Euganearum frequens, & celebris mentio apud veteres, quæ loca ſunt in Venetiarum tractu. Fortaſſe etiam & calcei, ſive *perones* optimi in Veneta regione concinnabantur, unde *Venetas ſutrinas* dixerit Tertullianus. *Salmaſ. l. l.* Ex lana iſtarum ovium molliſſima & laudatiſſima *perones* facti, *falſa pedum tutela.* Veriſimile tamen eſt, ſoleam ex corio ſuppactam, in ſuperiore parte, quæ pedem, & crus induebat, laneos, ſive lanatos fuiſſe. *Ferrar. l. l.* Ex crudo itaque corio i. minime ſubacto, & concinnato fiebat, unde *crudus pero* dicitur Virg. l. l. & *ſetoſus* Sidon. Epiſt. IV. 20. *Quorum pedes perone ſetoſo talos adusque vinciebantur.* Salmaſ. ibid. p. 395. Byn. & Ferrar. l. l.

PERORIGA dicebatur, qui equos admittebat. Varr. de Re ruſt. II. 8. *Eodem tempore, quos equos adducentes, iidemque ut ineant equas, peroригas curamus.* *Proriga* vocatur Plin. VIII. 42. *Equæ eadem ex cauſa in agro Reatino laceratum prorigam accepimus.* Vera lectio in Varrone eſt *præoriga*. Præeſt enim jumentis prurientibus. Ut prurio dicitur quaſi perurio, hoc eſt, peruror; ſic *proriga*, quaſi *peroriga*, vel potius *præuriga*, quia præeſt urigini, hoc eſt τῇ ὀχείᾳ. *Voſſ. Lex. Etymol. in Proriga. Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 627. *b. G. Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 15. *Herald. in Arnob. p.* 225.

PERROGARE ſententias dicebatur, qui omnium ad cenſendum qui vocati erant, ſententias rogabat. Liv. XXIX. 19. *Perrogari eo die ſententiæ accenſis ſtudiis pro Scipione, & adverſus Scipionem non potuere.* Suet. Aug. c. 35. n. 5. *Sententias de majore negotio perrogabat.* Plin. Epiſt. VI. 22. 5. *Statim de Attico perrogavit.* Pollet. For. Rom. IV. 4. Barth. Adv. LIX. 7. Cellar. in Plinium, Pitiſc. in Suetonium.

PERSÆ orientis populi nobiliſſimi fuere, Cyro, & Cambyſe Regibus celebrati. A Macedonibus Alexandro Rege orientis imperio dejecti, ſub ejus ſucceſſorum primum, deinde Parthorum imperio diu fuere. Poſtremo anno Urbis CIↃ LXXVII. Alexandro Romanis imperante, Artaxerxes quidam *Perſa*, quamquam obſcuro loco inter ipſos natus, ingentis tamen animi, & ſpiritus vir, veterem *Perſarum* gloriam inſtauraturus, *Perſarum* gentibus ad rebellionem ſollicitatis, ab Artabano defecit, Artabanum triplici prælio victum regno, & vita exuit, orientisque imperio *Perſas* iterum impoſuit. Qui multis rebus bello præclare geſtis, initi regni anno XV. decedens, imperium pacatum filio Sapori reliquit. Hic Romanis pæne exitialis fuit. Quibus in Meſopotamia ingenti prælio profligatis, & Meſopotamiam eis eripuit, & Imperatorem ipſorum Valerianum vivum cepit. Narſes Perſarum Rex ſeptimus annis octo regnavit, quo a Galerio prælio victo, Meſopotamia, Armenia, & quinque trans Tigrim provinciæ bello receptæ ſunt. Poſt Narſem Miſdates annis octo, & Sapores II. ſeptuaginta annis in Perſis regnaverunt. Cum Sapore Conſtantinus Magnus, Conſtantius, & Julianus Imperatores Romani continua bella geſſerunt. Cum hoc, reddita Niſibi, & Meſopotamiæ parte, turpe fœdus fecit Jovianus Auguſtus, imperii, quam gloriæ cupidior. Cum Cavade *Perſarum* Rege, qui annis uno & quadraginta regnavit, ea bella auſpiciis Juſtiniani Imperatoris geſſit Beliſarius, quæ a Procopio in libris de bello Perſico deſcribuntur. Cavades junior regni initio Vararanis inſidiis regno exactus, Tiberii Mauritii Romani Imperatoris ope, cæſo Tyranno Vararane, regnum paternum recuperavit, annisque octo & triginta regnavit. Qui cum Mauritii Imperatoris amiciſſimus eſſet, eo a Phoca occiſo, bellum Romanis intulit, iisque Syriam omnem ademit. Phoca occiſo, Heraclius contra *Perſas* profectus, bello ſeptem annorum eos vicit, Syriam recepit, veteres imperii limites ſuper Euphratem reſtituit. Noviſſimus *Perſarum* Rex fuit Ormiſda, quo anno regni nono, a Sarracenis duce Haomoro regno pulſo, *Perſarum* regnum in oriente defecit, anno a primo Artaxerxe 414. Chriſtiani vero natalis 639. Quo tempore rerum orientalium ſumma penes Sarracenos eſſe cœpit. *Panvin. Imp. Rom. c.* 26.

PERSCRIBERE eſt conſtituere ad ſolvendum certo die perſcriptionem menſæ, & creditori cavere. Cicer. Attic. XVI. 2. *De Publilio quod perſcribi oportet, moram non puto eſſe faciendam.* Nam apud argentarios fere *perſcriptiones* illas conficiebant. *Turneb. Adv.* IX. 22. V. inſr. in *Scribere*.

PER-

PERSICA arbor Hermepoli, quæ magna in Ægypto civitas, fuit, ut ſcribunt Sozomenus, & Cedrenus, cujus folium, vel cortex cujvis morbo medebatur. Eam ferunt fugienti in Ægyptum Chriſto ſeſe inclinaſſe, & ipſum adoraſſe, atque umbram præbuiſſe. Julianus Apoſtata ad invidiam nominis Chriſtiani hanc arborem excidit. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 144. Pomis ſingulis apud Plin. xv. 12. *Pretium triceni nummi fuere*, id eſt novem denarii. *Bulenger. de Conviv.* I. 9.

PERSONA eſt larva hiſtrionum, cooperimentum, quo facies tegitur. Gell. v. 7. *Caput, & os coperimento perſonæ tectum.* Phædr. I. 7. I.

Perſonam tragicam forte vulpes viderat.

Voſſ. Lex. Etymol. Mariſcott. de perſ. & larv. c. I. Rigalt. in Phædrum. Schill Nomencl. Philol. p. 905. Imo habitus qualiſcunque, vel fictus, vel qui ad veri alicujus imitationem, prout eſt repræſentantis intentio, ſe magis accommodet. A qua ipſa imitatione veræ *perſonæ*, eo modo acceptæ, quo philoſophi illam definiunt *naturæ rationalis individuam ſubſtantiam*, factum arbitror, ut *perſonæ* appellatione, velut æquivoce, dictum ſit quodcunque aliquod, vel plura ex iis attributis exprimeret, quibus a Cicer. de Invent. I. vera *perſona* circumſcribitur. In hanc ſententiam me impulit, tum probabilis quædam veriſimilitudo, tum etiam vocabuli προσωπεῖον, quo Græce *perſona*, ſeu larva ſignificatur, cum vocabulo πρόσωπον affinitas, quod ſæpiſſime pro *perſona* proprie dicta uſurpatum reperimus. Huc etiam forſitan reſpexit, nec a ſcopo longe aberravit, licet non ſatis recte collinearit, Scalig. Poet. I. 13. cum *perſonam* appellari aſſerit quaſi περὶ σῶμα, hoc eſt, *circa corpus*, qua etiam ſignificatione Italicum la maſcara, ἀπὸ τῶν μαχάλων dictum opinatur Calepinus: *quod villoſis*, ait ille, *centonibus plerumque involvantur, qui hoc habitu delitеſcere ſtudent.* Imo, ſi tantummodo eſſet oris cooperimentum, Græcorum προσωπεῖον, & μορμολύκειον, quæ ſunt ejus συνώνυμα, quod docet Pollux x. 39. & apud nos larva, eadem prorſus acciperentur ſignificatione. Larva vero proprie magis accipitur pro inani terriculamento: ut apud Plaut. Amphit. Suppoſ. IV. 3. 4.

Larva umbratilis, tu me minis territas.

Ut & μορμολύκειον a verbo μορμύσσομαι, quod eſt perterrefacio. Etiam *perſona* hoc nomine dicitur, vel προσωπεῖον, ideo, quod timorem inſuetis incutiendi vim habere videatur. Juven. Sat. III. 175.

—— perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Mart. XIV. 176. I.

Sum figuli luſus, Rufi perſona Batavi:
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Ad perterrefaciendum vero non minus, quantum quidem primo quodam intuitu res ficta valeat, deformis corporis, quam faciei habitus: neque horribilem magis aſpectum habebit ille, quem Pomponius ait, *magnus manducus*; ſecundum Feſtum, *late dehiſcens, & ingentem ſonitum dentibus faciens*, quam monſtrum illud ἄμορφον, ſeu potius πολύμορφον, quale deſcribit Horat. de Art. Poet. n. I. . . . *Mariſcott. l. l.* Illarum uſus fuit I. in theatris. E tragicis primum Suidas refert Chœrilum Athenienſem, quem circa Olymp. 65. in certamen tradit deſcendiſſe, ſecundum quoſdam larvas, & ſcenam inchoaſſe. Alibi Theſpin facit *perſonarum* inventorem, poſtquam is ab initio vultum minio inunxiſſet, dein portulaca texiſſet. Quod confirmare videtur Horat. de Art. Poet. n. 276.

—— plauſtris vexiſſe poemata Theſpis
Quæ canerent, agerentve peruncti fæcibus ora.

Alii Æſchylo rei palmam tribuunt, teſtimonio Horat. ibid. n. 278.

Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus.

Poſt Æſchylum Phrynichus, Suida teſte, mulierum *perſonas*, pædagogique Neophron Sicyonius adinvenere. Romæ ante Livium Andronicum galeris, non *perſonis* utebantur, ut qualitas corporis indicium faceret ætatis, cum eſſent aut albi, aut nigri, aut rufi. *Perſonis* uti cœpit primus Roſcius Gallus, oculis perverſis, nec ſatis decorus in *perſonis*, niſi paraſitos pronuntiaret. Diomed. III. *Perſonati* primi egere comœdiam Cincius & Faliſcus, tragœdiam Minutius & Prothonius, auctore Donato. *Buleng. de Theat.* I. 53. *Mariſcott. ibid. c.* 2. *Gyrald. de Poet. dial.* 6. *p.* 337. *E. Scalig. Poet.* I. 13. *Caſal. de Com. & trag. c.* 2. *de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 7. *Voſſ. de Inſtit. poet.* II. 10. §. 3. II. in conviviis. Demoſt. de falſ. legat. loquens de Epicrate: *Et hujus execrandi Cyrebionis, qui in ſolemnitatibus ſine perſona comeſſatur.* Homini ſic exprobrans ſummam impudentiam, quod eum non puderet aliorum conſuetudini adverſari, & ſine *perſona* publico, feſtoque convivio intereſſe. Auguſtus epulum amicis dediſſe traditur, quod vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in quo deorum, dearumque habitu exornati convivæ diſcumbebant, ipſeque præcipue Apollinis ornatu conſpicuus. Feſtivum ea de epigramma legitur apud Suet. Aug. c. 70. n. I. Larvæ etiam quædam in medium convivium jaciebantur, quæ figuram quamlibet exprimebant. V. ſupr. in *Larva.* Mariſcott. ibid. c. 4. III. in funeribus. Suet. Veſp. c. 19. n. 6. *Sed & in funere Favor archimimus perſonam ejus gerens, imitanſque, ut eſt mos, facta & dicta vivi.* . . . Herodian. IV. 2. 19. *Currus item circumaguntur* circa rogum nempe, in quo Principis jacebat cadaver, *inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferant, imagines habentes omnium Romanorum.* Mariſcott. ibid. c. 6. IV. in præliis ad hoſtes I. circumveniendos, & fallendos. Ad fallendos hoc inter ſagaciora ſtratagemata ſemper obtinuiſſe teſtantur hiſtoriarum monumenta, maximeque qui talia collegere Frontinus & Polyænus, ut valentiores quique e militibus, ex occaſione, vel in femineum habitum componerentur, quod fecit Solon adverſus Megarenſes: vel etiam in hoſtilem, quod Darius adverſus Sacas, Cimon adverſus Perſas, Cato adverſus Pœnos, aliique adverſus alios fecere. 2. perterrefaciendos. Exempla hoc docebunt Tacit. Germ. c. 43. n. 6. *Arii inſitæ feritati arte lenocinabantur: tincta corpora; ipſaque formidine, atque umbra feralis exercitus terrorem inferebant, nullo hoſtium ſuſtinente novum, ac velut infernum aſpectum.* Britannis *celebris hæc conſuetudo fuit, ut glaſto ſe inficerent, quod cœruleum efficit colorem, atque hoc horribiliori eſſent in pugna aſpectu.* apud Cæſar. de Bell. Gall. v. 14. V. in triumphis. De quibus adeo notum eſt, ut a thriis, quæ ficulnea ſunt folia, quæque ante inventas *perſonas* earum vicem ſupplebant, triumphi nomen deductum aliqui velint. Zonar. Tom. II. in Diocletiano: *Priuſquam ſcenici perſonas excogitaſſent, ficulneis foliis facies velati, dicteria verſibus jambicis proferebant, quam licentiam & milites in victoria feſtivitate, eodem ornatu in victores uſurpabant, atque hinc triumpho nomen. a θρῖον ſcilicet, & ἴαμβος, θρίαμβος, quæ vox paulliſper immutata Latine triumphum effecit.* Militum hanc apud Romanos licentiam indicat Mart. I. 5. 3. ſupr. in *Jocos. Perſonas* deorum in pompa referebant. Apul. Met. VI. p. 373. *Nec mora: cum dei, dignati pedibus humanis incedere, prodeunt; hic horrendum attollens canis cervices arduas; ille ſuperûm commeator & inferûm, nunc atra, nunc aurea facie ſublimis, læva caduceum gerens, dextra palmam virentem quatiens: cujus veſtigium continuo ſequebatur bos in erectum levata ſtatum. Erat ea bos omniparentis deæ fœcundum ſimulacrum: quod, reſidens humeris ſuis, proferebat unus e miniſterio beato, greſſu geſtuoſo.* Tertull. Apolog. c. 15. *Vidimus aliquando caſtratum Atyn illum deum ex Peſſinunte, & qui vivus ardebat, Herculem induerat. Riſimus & inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. Vidimus & Jovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem.* Ubi habes caſtratum Atyn repræſentatum in Cybeles fabula, ſic Mercurium, cujus eſt mortuos ad inferna deducere, ac proinde cauterio examinantem mortuos, an vivi eſſent, nempe ignito ferro. Reliqua ſic legerem: *vidimus & ad Jo-*

vis fratrem, nempe ipsum Plutonem deducere ad inferos. *Mulco*, malleolo vitis, pro virga. Et repræsentibant veteres fabulis hoc modo, ut de Phaethonte idem ibidem: *Leget sol filius suum.* Argol. l. l.

Persona primarum partium dicebatur histrio, qui sæpius in fabularum actibus ingrediebatur: ut secundarum, & tertiarum, qui minus, minusque procedebat. V. illas supr. in *Actor*. Omnes etiam, ut me nomine prodit Pollux IV. 19. [illegible] ac proprium vestitum habebant: & colore vestis, formaque, ut reliquo etiam ornatu, statim, ut [illegible] visæ forent a spectatoribus, intelligi poterat esse illas, aut adolescentem amori deditum, aut militem, aut parasitum, aut meretricem, aut lenam, aut matronam, aut aliam denique quamlibet. Eodem pacto rustici homines, & coloni vestitum eum gerebant, qui illi [illegible], & [illegible] congrueret. Servabatur hoc diligenter. Adjuvabat [illegible] mediocriter eventum fabulæ: efficiebatque, ut spectatores melius omnia perciperent, nec in *personis* distinguendis confunderentur. *Victor. Var. Lect.* XXVI. 23. Etiam nomina, quæ convenientia erant aliqua ratione, & etiam [illegible] fabulæ, vel *personæ* congruam. *Est absurdum*, ait Donatus, *poetam aperte argumenta confingere, vel nomen personis incongruum dare, vel [illegible], quod [illegible] a nomine [illegible].* Hinc servus fidelis Parmeno, infidelis Sosia, infidelis Syrus, & Geta, juvenis Pamphilus, & id genus plura. *Gyrald. ibid p.* 338. *A.*

PERSONATA dicebatur fabula, quam quidam primum putant a *personatis* histrionibus dictam. Sed cum [illegible] multos annos comœdi *personis* uti cœpere, verosimilius [illegible] esse arbitror, cum [illegible] comœdorum actam novam per Attellanos, qui proprie vocantur *personati*, quia [illegible] fuit non cogi in scenam ponere personarum, quod ceteris histrionibus [illegible] necesse fuit. *Gyrald. de Poet. dial.* 6. *p.* 329. *D. Ræard. Conject.* I. 7.

PERSONULA aliqua tenui plerique matronæ, & præcipue Gallicæ vultum operiunt, ad solis nempe æstum, & ventorum rigorem, etiam ad pulveris molestiam depellendam. Et hoc non est recens inventum. Id eo audentius asseruerim, quod Polluc. X. 39. in vasculorum ordine commemorari videam προσωπεῖον, μορμολύκειον, γοργόνειον, & a Platone in Sophistis linteam faciem; ὀθόνιον enim prorsus πρόσωπον. Et, quod ad rem pertinet expressius c. 19. inter instrumenta gynecæi προσωπὶς, & ex Aristophanis Danaidibus προσωπίδιον, hoc est, *personula* ab eodem Polluce reponuntur. *Mariscott. de Person. c.* 6.

PERSPICILLA sunt vitra inservientia objectis majore forma repræsentandis, & [illegible] appellendandis. Itali illa vocant *ochialia*. Val. de Taranta Philon. II. 48. dixit *berillos*, [illegible] *oculis* [illegible], e Germanico brillen corrupta appellatione. *Reines. Inscript. Class.* XI. *n.* 66.

PERTICA vocatur baculus oblongus: ut quo fructus decutiunt: quomodo utitur Ovid. in Nuce n. 68.

At cum maturas fisso nova cortice rimas
Nux agit; ad partes pertica sæva venit:
Pertica dat plenis immitia vulnera ramis,
Ne possim lapidum verbera sola queri.

Voss. Lex. Etymol. & quo onera portantur, atque inde *perticata frons* Masclionis apud Mart. V. 12. 1.

Quod nutantia fronte perticata
Gestat pondera Masclion superbus.

Salmas. in Lamprid. Commod. c. 13. Exerc. Plin. p. 726. C.

Pertica etiam vocatur regula, qua agros metiuntur: unde in veteribus glossis non solum κάμαξ, sed etiam κανὼν exponitur. Poeta in Diris n. 45.

Pertica quæ nostros metata est impia agellos.

Prop. IV. I. 130.

Abstulit excultas pertica tristis opes.

Serv. Ecl. IX. 7. *Usque ad eum autem locum perticam militarem [illegible] perrexerat, limitator ab Augusto datus: id est, per quindecim millia passuum agri Mantuani, cum Cremonensis non sufficeret.* Ubi *perticam militarem* vocat, qua agri militibus dividebantur. Crebra *perticæ* mentio apud Aggenum, Siculum Flaccum, & alios agrimensores. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p.* 480. *b. F.* 486. *b. C. Turneb. Adv.* XXVI. 35. *Velser. rer. Vindel.* IV. *p.* 230. *Reines. Inscript. Class.* II. *n.* 24. *Gyrald. de poet. dial.* IV. *p.* 223. *D. Rutgers. Var. Lect.* I. 11. *Loens. Misc.* III. 2. *Scalig. in Propertium & Diras. Hennin. ad Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 10. §. 3. *Buchner. in Epist. Plin.* VIII. 2. 8. *Schill Nomencl. Philol. p.* 906.

PERTUNDA dea erat inter nuptiales. Præerat pertundendo cugio. Arnob. IV. p. 131. *Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis præsto est, virginalem scrobem effodientibus maritis?* Illam ridet August. de Civit. Dei VI. 9. *Dea Pertunda ibi quid faciet? Erubescat, eat foras, agat aliquid & maritus. Valde inhonestum est, ut quod vocatur illa, impleat quisquam nisi ille. Sed forte ideo toleratur, quia dea esse dicitur, non deus. Nam si masculus crederetur, & Pertundus vocaretur, magis contra eum pro uxoris pudicitia posceret maritus auxilium, quam Fœta contra Sylvanum.* Tomas. de Donar. c. 14. Lipen. de Strên. c. 1. §. 6. Meurs. de Puerp. c. 1. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 48. A. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 158. Voss. Lex. Etymol. in Tando. Elmenhorst. in Arnobium. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 4. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 11. E.

PERVIGILIUM a vigiliis differre negat Sosip. Charis. 1. p. 43. *Cum per se vigiliæ dicantur, præpositione adjecta non naturam mutant, sed accipiunt temporis diuturnitatem, ut qui vigilant, pervigilare dicantur:* & *pervigilia* idem sint quod vigiliæ. Quod firmare videtur Plaut. Aul. prol. n. 36.

Qui illam stupravit noctu Cereris vigiliis.

Sed repugnat Mart. IX. 70. 10.

Nam vigilare leve est, pervigilare grave.

Guther. de vet. jur. pont. IV. 1. Nox tota illo transigebatur. Cyrill. in glossis: παννυχισμὸς, καὶ ἡ διὰ νυκτὸς ἀγρυπνία. Hesychio παννυχὶς, ἑορτὴ νυκτερινὴ σὺν ὅλῳ τῷ ὄικῳ. *Pervigilatio* vocatur Cice. de Legib. II. 15. *Novos deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes vexat.* Certis diis, ut Cereri, Veneri, Apollini, Fortunæ, cui anniversaria constituit Galba apud Suet. c. 4. n. 8. indicebantur. De illis etiam Arnob. IV. p. 173. *Quibus sancta illa pervigilia consecrata sunt, & pannychismi gratos.* Ut *pervigilare* grave fuit vel Martiali. Vigiliæ in omnibus solennibus sacris ἀγρυπνίας partem noctis aliquam in templis insomnem ferebant, non noctem totam. *Guther. l. l. Taffin. de Lud. Secul. c.* 14. *Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 388, *Laurent. var. sacr. gentil. c.* 14. *Gonsal. in Petron. p.* 66. *Thys. in Gell.* II. 23. Illud veteres peregerunt ℵ. sacrorum. Tacit. Annal. XV. 44. 2. *Unde hausta aqua, templum, & simulacrum deæ prospersum est: & lectisternia, ac pervigilia celebravere feminæ, quibus mariti erant.* Unde venustissimum poema, cujuscunque etiam auctoris, cui titulus: *pervigilium Veneris.* Suet. Galb. l. l. ב. voluptatis, & hilaritatis. Tale peregit Vitellius apud Tacit. Hist. II. 68. 2. *Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis, ac Bacchanalibus, quam disciplinæ, & castris propiora.* Suet. Vitell. c. 10. n. 8. *In Apennini quidem jugis etiam pervigilium egit.* Calig. c. 54. n. 5. *Nec alia de causa videretur eo die, quo periit, pervigilium indixisse, quam ut initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur.* Donat. & Pitisc. in Suetonii Caligulam.

PES.

PES est ima corporis pars, ambulationis organum: id quod vestigium ponit in solo. *Pedis*, in auguriis, planta dextra si salierit, utilitatem & bonum: sin vero sinister, victoriam in judicio, & bonum novum nuntiat. Radius si dexter salierit, tristitiam; sin sinister, iter cum lucro pronuntiat. Talus si dexter salierit, curam, & injucunditatem; si sinister, idem prædicit. Calcaneum si dextrum palpitaverit, iter bonum: si sinistrum, idem nuntiat. Utriusque concavum iter bonum nuntiat secundum

dum *Ægyptios*; ſecundum tamen alios dextri pedis iter utile, quo nullus ivit, enuntiat. Margo dextra, quæ Græce pelma, id eſt, planta pedis dicitur, ſi ſalierit, iter: ſin ſiniſtra, diuturnam peregrinationem prædicit. Dextri greſſus obliquum, quod eſt in externa parte ſi palpitaverit, debilitatem: ſi ſiniſtrum, bonum novum nuntiat. Dextri digitus parvus ſi palpitaverit, utilitatem: ſi ſecundus, negotium: ſi tertius bonum, ſervo peregrinationem, virgini injuriam, viduæ convivium: ſi quartus peregrinationem, ſervo & virgini damnum, viduæ morbum, aliis utilitatem: ſin magnus, peregrinationem enuntiat, ſervo conditionem, virgini nuptias, viduæ hilaritatem. Dextri ungues ſi ſalierint, aut formiculaverint, mollitiem, ſervo valetudinem, virgini ac viduæ nuptias prædicunt. Parvi digiti unguis bonum: ſecundi peregrinationem bonam: tertii injucunditatem: quarti utilitatem: quinti bonum enarrat. Siniſtri digitus parvus ſi quatitur, bonum, ſervo mutuationem heri, virgini injuriam, viduæ convivium: ſi ſecundus, bonam peregrinationem, ſervo lætitiam, virgini conſilium, viduæ ſubjugationem: ſi medius, injucunditatem, ſervo utilitatem, viduæ injucunditatem: ſi quartus, utilitatem ab amicis comparatam, ſervo morbum, virgini nuptias, viduæ calumniam: ſi magnus, magna bona, ſervo facultatem, virgini futuras nuptias, viduæ utilitatem: ungues ſi ſalierint, aut formiculaverint, diviti injucunditatem, pauperi divitias, ſervo damnum, virgini conſilium, viduæ ignominiam pronuntiat. *Niphus de Augur. c. 9.* Dextro primum niti cum redirent aliquo, unde diſceſſerant, moris fuiſſe exiſtimo, ne male cederet ſcilicet, re infecta cujus gratia prodierant loco, cum repetere. Ita intelligendus eſt Petron. c. 30. *Ceterum, ut movimus dextros greſſus:* apparet ex his verbis in domibus magnatum adeo nihil ominoſum fieri conſuetum fuiſſe, ut gradientes etiam dextros pedes ſtatu priores movere ex diſciplina eſſe noſſent, *ſervus nobis diſpoliatus procubuit ante pedes. . . . Retulimus ergo dextros pedes.* Barth. Adv. 11. 10. Balduin. de Calc. c. 23. Colla eorum, quos devicerant in prælio, conculcabant. Claud. in Honor. conſul. vi. 649.

Colla triumphati proculcat Honorius Iſtri.

Virg. Æneid. x. 489.

Et terram hoſtilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus ſuper aſſiſtens. . . .

n. 736.

Tum ſuper abjectum poſito pede: nixus & haſta.

De Diogene calcato Glycas Annal. iv. *Diogenes Imperator in hoſtium poteſtatem venit, vinctusque ad Sultanum ducitur. Ille ſolio ſuo deſiliens pro more calcavit Diogenis cervice, mox eum de terra erigit, amanterque complectitur.* Barth. in Claudianum, in Stat. Theb. 11. 713. Sylv. 1. 1. 51. Adv. 111. 14: xliv. 18. Byn. de Calc. Hebr. 11. 6. 4. Cuper. in Lactant. de Mort. perſec. c. 5. Cerda in Virgilium, Broukh. in Prop. 1. 1. 4: 111. 11. 10. Demſter. Paral. in Roſin. Antiq. x. 29. Vetuſtiſſimus autem mos ipſe. Occurrit in ipſis ſacris. Joſ. c. 10. n. 24. *Cumque Reges ad eum captivi adducti forent, omnes vocavit Iſraelitas, atque exercitus principibus: ite, pedibus calcate colla iſtorum Regum.* Baruch. c. 4. n. 25. *Perſecutus te eſt inimicus tuus, ſed cito videbitis interitum ejus, ſuperque cervices ejus pedes veſtros ponetis.* Barth. in Stat. l. l. Lavabant diſcubituri. Plaut. Perſ. v. 2. 14.

Locus hic tuus eſt, hic accumbe, ferte aquam pedibus.

Quia enim in lectis diſcumbentes epulabantur, propterea prius depoſitis ſoleis *pedes* lavabant, ne ſcilicet *pedibus* pulveroſis ſtrata inquinarent. Oleaſt. in Geneſ. xix. *Ratio, ut reor, quare tunc hoſpitibus aqua ad pedes abluendos ad ingreſſum dabatur, eſt, quia omnes pedites incedebant, nec erat tunc uſus equorum, ideo ne illotis pedibus domum fœdarent, atque etiam ut melius quieſcerent, pedes in ingreſſu lavare ſolebant, credo enim etiam illius temporis nudis pedibus homines inceſſiſſe.* Butius de Potu Antiq. c. 3. Stuck. Ant. Conviv. 1. 27. Ciaccon. de Triclin. p. 39. Byn. de Calc. Hebr. 1. 6. 6. Almelov. Antiq. p. 45. V. & ſupr. in *Pelvis.* Dicebatur natare in calceo, ſi laxior eſſet. Et hoc erat illauti, & incurii hominis indicium. Hinc ei, quæ velit amari, elegantiæ præcepta tradens Ovid. de Art. Am. 1. 516.

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Thaliam alloquens Sidon. Epiſt. viii. 11.

Soccos ferre cave, nec, ut ſolebat,
Laxo pes natet altus in cothurno.

Etiam, ubi malcſanum feminini cultus ſtudium perſtringit, Hieron. Epiſt. ad Euſtochium: *Omnis cura his de veſtibus, ſi bene oleant, ſi pes in laxa pelle non folleat.* Decorum autem duxit antiquitas, ſi ſtrictim calcearentur. Itaque ne follicarent calcei, ſi quando *pedum* modulo laxiores eſſent, ſolebant eos 1. tomento, vel quavis alia re idonea ſtipare. Puellarum in ſuo ornatu curam operoſam exagitans Tertull. de Veland. Virg. c. 12. *Calceum ſtipant multiformem.* 2. anſulis, ſive corrigiis *pedibus* ſtrictius, firmiusque aptare. Tibull. 1. 9. 14.

Anſaque compreſſos alligat arcta pedes.

Sidon. Carm. 11. 401. V. illum ſupr. in *Cothurnus.* Unde Germanici hominis lauti *cothurnatus tenſus* dicitur a Sidon. Epiſt. iv. 13. *Balduin. de Calc. c. 21. Savar. in Sidonium.* Nudis incedebant veteres in ſacris, in bello, in funere, naufragi, ſervi venales. V. ſupr. in *Nudipedalia.* curſores, & tabellarii. V. ſupr. in *Excalceati.* Imo & ſi ſenatores initio naſcentis Reipublicæ. Scholiaſt. Juven. Sat. 1. 3. V. illum ſupr. in *Calceus.* Imperatores, & magni duces hoc etiam feciſſe leguntur, ut patientis animi, tolerantiæque bellicæ argumenta ſuis militibus præberent. Talis Phocion fuit, qui, ut ſcribit Plutarch. p. 743. D. *nudis pedibus ruri, & in caſtris incedebat, niſi atrocior hyems fuiſſet: hinc jocantes milites nullum certius ſævientis frigoris putabant argumentum, quam Phocionem calceatum videre.* De Scipione & Germanico Tacit. Annal. 11. 59. 2. *Sine milite incedere, pedibus intectis.* Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. v. 36. Si offenderet inter exeundum, inauſpicatum erat. V. ſupr. in *Offenderent.* Etiam referebat quem pedem cui præponerent, dextrum an ſiniſtrum. Prop. 111. 1. 5. dicite,

Quove pede ingreſſi, quamve bibiſtis aquam.

Virg. Æneid. viii. 301.

Salve vera Jovis proles, decus addite divis:
Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.

Juven. Sat. x. 5.

— quid jam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti.

Apul. Metam. 1. p. 10. *Sed, ut fieri aſſolet, ſiniſtro pede profectum me ſpes compendii fruſtrata eſt.* Broukh. in Propertium, Barth. in Stat. Theb. 111. 261. Berould. in Apulejum. Oſculandos etiam nobilibus præbebant ultima Romani imperii ætate Imperatores ſuperbiſſimi. V. ſupr. in *Oſculum.* *Pedibus* ſententiam ferre dicebantur ſenatores, cum neque rogatis, neque dictis ſententiis, tantummodo per diſceſſionem Sctum fiebat: quod, ut opinor, eo tempore fieri ſolitum eſt, cum de parvi ponderis negotio ageretur: nimium enim temporis in re leviore conterendum non putabant. Gell. 111. 18. *Non pauci ſunt, qui opinantur pedarios ſenatores appellatos, qui ſententiam in ſenatu non verbis dicerent, ſed in alienam ſententiam pedibus irent.* Cicer. Attic. 1. 18. *Cum eſt actum, neque animadverſum eſt, ad quos pertineret, & raptim in eam ſententiam pedarii concurrerent.* Hotoman. de Senat. 11. 6. Manut. de Senat. c. 10. Briſſon. de Form. 11. p. 184. V. & ſupr. in *Diſceſſio.* *Pedum* amputatione etiam fugitivi ſolebant coerceri, atque adeo qua parte peccaſſent, eadem multari. V. ſupr. in *Pars.* Hoſtium quoque cadavera *pedibus* trahebantur. De Penthefilea I. Septimius Ephem. iv. 3. *Achilles interfectam eam ſepelire cupiens, mox a Diomede prohibitus eſt. Is namque percontatus circumſtantes, quidnam de ea faciendum eſſet, conſenſu omnium pedibus attractam in Scamandrum præcipitat.*

cipitat. Hoc victor Hercules in fure Caco ante Diomedem fecerat. Virg. Æneid. VIII. 264.

—— pedibusque informe cadaver
Protrahitur.

Juven. Sat. V. 125.

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus.

Erasm. Adag. p. 187. a. Broukh. in Tibull. I. 7. 78. Cerda in Virgilium.

Pes in Romanis mensuris, quibus longitudines, latitudines, & altitudines metiuntur, primum locum inter quascunque minores, & majores mensuras tenet: in eo namque minores omnes terminantur, & ab eo majores omnes incipiunt. Prisca enim prudentia a digiti latitudine initium sumens, ex quatuor ex eis palmum constituit, quia tot a palma digiti proficiscuntur: & ex palmis quatuor, id est, digitis sedecim *pedem* creavit, ex duobus perfectis numeris, nempe sex & decem, unum constituens perfectissimum. Decem enim omnibus perfectus habetur, ut & Aristot. problem. XV. 3. placuit: & Vitruv. III. 1. & Capell. de nupt. philol. VII. testantur: sex autem a mathematicis, ut idem Vitruvius, & Capella demonstrant, perfectus quoque appellatur. De hoc pede Colum. V. 1. *Modus omnis areæ pedali mensura comprehenditur, qui digitorum est sexdecim.* Quem rursus *pedem*, ut fere res omnes reliquas in uncias duodecim, assem ex eo constituentes, iidem antiqui diviserunt, ita ut tamen quibusque unciis quaternos digitos complecterentur, ut licet colligi ex Frontino de Aquæduct. *Est digitus, ut convenit, sexta decima pars pedis uncia duodecima.* Et exinde has unciales *pedis* divisiones iisdem nominibus, quibus aliis partes, nuncupaverunt: unciam, sescunciam, sextantem, quadrantem, trientem, quincuncem, semissem, septuncem, bessem, dodrantem, dextantem, & deuncem. *Pætus de Rom. & Græc. mens. I. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1611. *A. Cenal. de pond & mensurat. Thes. Græv. ibid. p.* 1480. *F. Stewech. in Veget.* I. 4. *Donat. de Urb. Rom.* II. 4. De hac mensura multa scripserunt *Savot. de Numm. Antiq.* III. 28. 29. 30. *Fabrett. de Aquæduct. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1714. *C.* . . . Sed, quia plura sunt, quam ut chartæ hujus ratio admittat, illos laudasse sufficiat.

Pes navis ipsa navis dicitur. Lycoph. n. 97.

Navis te, & Pherecleí pedes vehent.

Pherecleí, quia a Phereclo constructæ erant, teste Colutho. Unde Ovid. Heroid. XVI. 21.

Hac duce Sigeo dubias a littore feci
Longa Phereclea per freta puppe vias.

Canter. in Lycophronem. Qui fallitur. Ego *pedes* remos dico. Non. IV. 399. *Remi sunt navales pedes.* Etiam *pedes* remos interpretatur Artemid. I. 50. *Plures pedes habere navis gubernatori quietem & tranquillitatem significat, pluribus enim pedibus utitur navem remis impellendo.* Hinc remipedem navem dixit Auson. Eid. X. 201.

Remipedes medio certant quum flumine lembi.

Callim. Epigr. V. 5. ἐρέσσων ποσσίν. Lucill. Sat. VIII.

Verum flumen uti atque ipso divortio aquarum
Illius pedibus cercurum concutit æquis.

Quia remi appellati sunt *pedes*, naves ambulare dicuntur. Cato de re rust. c. 1. *Oppidum validum prope siet, aut mare, aut amnis, qua naves ambulent.* Et progredi. Sallust. apud Non. VI. 27. *Earum aliæ paullulum progressæ nimio simul & incerto onere deprimebantur.* Meurs. in Lycophronem. Turneb. Adv. XVIII. 15. Non nego pro remis accipi *pedes*, si de parte navis dicantur. Sicut enim *pedibus* homines, ita remis vehuntur naves. Hinc Eurip. Hecub. n. 939.

—— postquam
Reducem navis movit pedem.

n. 1019.

—— etenim Græci cupiunt
Solvere domum versus ex Troja navium pedem.

Non video tamen, cur naves *pedibus* comparari nequeant; cum, sicut in terra *pedibus*, ita in mari navibus a loco in locum vehamur. *Potter. in Lycophronem.*

Pes veli est ejus proprie sinus, sive medium, quia ejus beneficio, ubi vento impletum, ambulent maria, quasi *pedibus* qui sunt ambulationis instrumentum. Catull. IV. 21.

—— sive utrumque Jupiter
Simul secundus incidisset in pedem.

Roa Singul. VI. 10. Catull. sententia est, sive ventus, is *Jupiter* dicitur, vela impleverit. Nam *pedem* dixere Romani pro fune, quo velum tenditur, imaque veli parte, & κατὰ συνεκδοχὴν pro sinu veli, qui vento impletur. Ratio translationis est ex eo, quia, ut *pes* ima est corporis pars, ita & id, quod dicimus in velo. Nempe, quo *pedem mensæ* dicunt Ovid. Met. XII. 254. & Plin. XII. 1. *pedem vinaceorum* Colum. XII. 43. *betaceos pedes* Varr. de re rust. I. 2. *Voss. Instit. Orat.* IV. 12. 3. *de Idolol.* II. 84. *Scalig. in Catullum.* Serv. Æneid. V. 830. *Podiam L pedem, id est, funem, quo tenditur velum, quod Græci πόδα vocant; ut est apud Pindarum & Aristophanem.* Senec. de Benef. II. 34. *Ingens est rerum copia sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed alunde commodatis. Qui pedem, & nostrum, & lecti, & veli, & carminis dicimus.* Lycophr. n. 1015.

Pedatis invecti velis.

Meurs. & Potter. in Lycophronem. Est ergo proprie funiculus ille, quo angulus veli religatur. Quomodo Græci dicunt in proverbio: *omissa hypera persequeris pedem.* Hypera est funis, quo cornua antennarum vel tenduntur, vel laxantur: *pes* vero is, quem dixi, funis. Hinc ventus, medios sinus veli inflans, nautica locutione dicitur *incidere in utrumque pedem.* Contra, quum læva, sive dextera vocat aura, dicitur ναυτικῶς facere pedem. Itaque *facere pedem* est, quod nautæ nostri dicunt, dimidio vento navigare. Et errat, qui *facere pedem* accipit pro vela facere. Atqui vela facere est velificari. Atqui non omnis velificans *facit pedem.* Non enim est πληστιος ἄνεμος quum *facit pedem*, sed cum medios sinus implet. Cæcil. apud Isidor. XIX. 4. *Venerio cursu veni prolato pede usque ad Saphonem.* *Pedem tenere* dicitur, qui præest velo tendendo, & vertendo. Servius: *Per sortem divisi ad officia remigandi, quis proreta esset, quis pedem teneret.* *Propedem* dixit Turpilius ibidem:

—— quasi quum ventus fert navim in mare
Secundus, si quis propedem misit veli sinistrum.

Quid sit *facere pedem*, recte demonstrat Virg. Æneid. V. 830. quum dicit: *nunc dextros, nunc sinistros solvere sinus.* Scalig. l. l. Voss. Lex. Etymol. Gyrald. de navig. c. 15. Bayf. de re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 619. B. Salmas. Exerc. Plin. p. 400. b. D. Turneb. Adv. XX. 5.

Pes in versu est syllabarum dispositio certo numero numerosa. Seneca laudatus supr. in *Pes veli.* Cur vero *pes* in versu dicatur, docet Acron ad Horat. de Art. poet. n. 274.

Legitimumque sonum digitis callemus, & aure.

Digitis, inquit, *& aure, quia sonus metri pollicis strepitu, & auris perceptione probari solet: unde & dactyli pedes quidam dicti sunt: & ipsi pedes appellati sunt, quoniam sonum metrorum pulsu pedis nostri adjuvamus.* Scalig. Poet. II. 2. Voss. Lex. Etymol.

PESCIA dicebantur pelles agninæ. Festus: *Pescia in Saliari carmine Ælius Stilo dici ait capitia ex pellibus agninis facta, quod Græci vocent pelles πέσκη neutro genere pluraliter.* Scalig. Poet. I. 10. Voss. Lex. Etymol. Gutberleth. de Saliis p. 146.

PESSULUS est obex, sive id, quo obducto fores clauduntur. Terent. Heaut. II. III. 37.

Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit ostium,
Continuo hic se conjecit intro: ego consequor.
Anus foribus obdit pessulum.

Apul. IV. p. 121. *Quis enim, quamvis fortis, & intrepidus,*

dus, immani forma tantæ bestiæ, noctu præsertim visitatæ, non te ad fugam scilicet concitaret? non obdito cellæ pessulo, pavens, & trepidus sese cohiberes? Duos fere obdebant, qui securiores esse vellent, unus superior, alter inferior. Plaut. Aul. 1. 2. 25.

Ostium ambobus occlude pessulis.

Atque hinc est, quod sæpius in numero multitudinis hac voce usi sunt scriptores antiqui. Apul. Met. 1. p. 21. *Commodum limen evaseram, & fores ad pristinum statum resurgunt, cardines ad foramina resident, postes ad repagula redeunt, ad claustra pessuli recurrunt.* III. p. 85. *Et cum rursus pessulis injectis, & uncino firmiter immisso, sic ad me recurrat.* In glossis idem est ac μάνδαλ☉, & μάνδαλον. Gloss. Philox. *Pessulum, μάνδαλον, κλεῖθρον, χιλώνιον.* At alibi: Μάνδαλον, καταχεύς. *Sagittar. de jan. vet. c. 14. §. 1-4. 7. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 649. b. C. Grapald. de part. dom. 1. 1. §. 5.*

Pessulus etiam vocatur, quod vasis alicujus ori sublitur ad obturandum. Sulpit. Sever. dial. IV. de Martin. virtut. *Presbyter hodieque vitreum, obditis pessulis, quo claudi diligentius servanda consueverunt, in vitro illo spatium non fuisse.* Loquitur enim de vitrea ampulla, in qua oleum sub Martini benedictione creverat, quod exundante copia deflueret. *Sagittar. de jan. vet. c. 14. §. 7.*

PET.

PETA vocabatur dea, *quæ præsto erat rebus petendis.* Arnob. IV. p. 131. *Tomas. de donar. c. 11. Lipen. de Fest. c. 1. §. 6. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 41. A. Stuck. de Sacrif. p. 46. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 151. & 160. Cerda Adv. c. 132. §. 37. Voss. Lex. Etymol. in Peto.*

PETAMINARIUS dici posset, qui se avium more in auras jaculatur. Usi sunt hac voce Salvian. de Gubern. Dei VI. *Equidem quia longum est nunc dicere de omnibus, amphitheatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petaminariis....* Firmic. VIII. 15. quod est de delphino in oriente in octava parte Capricorni: ubi eundem jungit cum petauristariis, & simul cum θαυματοποιοῖς. Designatur a Claud. de consul. Mall. Theod. n. 320.

Vel qui more avium sese jaculantur in auras.

Manil. V. 440.

Et ciduata volant pennis, & in aere ludunt.

Voss. Lex. Etymol. Cerda Adv. c. 112. §. 17. Salmas. Exerc. Plin. p. 693. b. A. Buleng. de Theatr. 1. 36. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 19. Scalig. in Manilium, Rittersh. in Salvianum.

PETASO quid, & quomodo differat a perna V. supra in *Perna.*

PETASUS erat distinctus a pileo, quod ad umbram faciendam marginatus, & latos haberet margines, ut nostri pilei: forma enim in Mercurii statuis: unde Ephippus de eo Athen. XII. p. 537. F. *Et petasum in capite, & caduceum in manu:* hic latos margines non habuerit, sed similis fuerit pileis nostris dormitoriis, aut nauticis. *Lips. de Amphith. c. 19. Voss. Lex. Etymol. Salmuth ad Pancirol. de reb. deperd. & inv. p. 355. Minuc. in Octav. Trinum. Præfat. p. 63.* Fuit peregrinantium, & itinerantium. Plautus. V. illum supr. in *Peregrinantes.* Qui longo itineri se darent, *petasatos* esse solitos, declarat etiam Cicer. Fam. XV. 17. cum se purgat de intermissione epistolarum: rejicit enim culpam in tabellarios, qui tempus ad scribendam non darent, hoc pacto: *Sed petasati veniunt: comites ad portam exspectare dicunt.* De Augusto Suet. c. 82. n. 2. *Domi quoque non nisi petasatus sub divo spatiabatur.* Ubi *domi quoque* singularem habent emphasin: quasi novum, & insolens fuerit, ut alibi, quam per viam *petasatus* quis incederet. *Victor. Var. Lect. 1. 24. Ferret. Mus. Lapid. 1. Mon. 2. Lips. & Salmuth l. l. Ferrar. Anal. de re Vest. c. 47. Bayf. de re Vest. c. 20. Beroald. & Pitisc. in Suetonium. Sweert. in Mag. de Tintinn. p. 114.*

Petasus per translationem dicitur, quod in petasi formam ædificiis superpositum, extensum, & explicatum est, in metæ formam se trahens. Plin. XXXVI. 13. *Supra id quadratum pyramides stant quinque, ita fastigatæ, ut in summo orbis æneus, & petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant exapta catenis tintinnabula, quæ vento agitata longe sonitus referant, ut Dodonæ olim factum.* Sweert. in Mag. de Tintinn. p. 114.

PETAURISTA vocabatur mechanicus, qui in machina, velut in aerem sese jaciunt desperata audacia. Festus: *Petauristas Lucilius a petauro appellatos existimare videtur, cum ait:*

Sicuti mechanici, cum alto exsiluere petauro.

At ælius Stilo, quod in aere volent, cum ait: petauristæ proprie Græce, quod τοὺς πρὸς ἀέρα πετάνται. Ideo Lucilium, & Ælium reprehendit. Nam *petauristæ a petauro* dicuntur: Erat enim *petaurum* machina in sublimi suspensa, ex qua se in rotam, sive in tas excuterent, atque in terram devolarent. Quod intelligit Juven. Sat. XIV. 265.

Quam magno ejiciant animum jactata petauro
Corpora, quique solet rectum descendere funem.

Mart. XI. 22. 3.

Cui rarus transilit ictus, nescit petauro.

Scalig. in Festum, in Manil. V. 434. Voss. Lex. Etymol. Merc. Gymnast. III. 8. Buleng. de Theatr. 1. 36. Turneb. Adv. VIII. 4. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 19. Salmas. Exerc. Plin. p. 693. Wittell. c. 13. Castal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7. Laurent. Polym. IV. Synops. 8. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 1. Schill Nomencl. Philol. p. 906.

PETAURUM erat tabella multo altiva, ad quam vespere se gallinæ recipiebant, & mane ex ea devolabant. Suidas: *Petaurum, quasi πέτευρον, quod volatilia in eo dormiunt.* A quo facit Varr. de re rust. III. 9. *Petaurum mutuo, id est, pars assulis, quibus incubant aves.* Nicander:

Gallinam somno consopitam e petauro decipiens.

Buleng. de Theat. 1. 36. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 19. Scalig. in Festum. Voss. Lex. Etymol. Demster. Paral. Antiq. Roman. Rosin. V. 1. Schill Nomencl. Philol. p. 906.

PETERE est verbum gladiatorum, dum ferri mucronem in partem aliquam dirigunt. Virg. Æneid. IX. 438.

At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.

Ubi Servius: *Petitiones proprie dicuntur impetus gladiatorum.* Cicer. Catil. 1. 6. *Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, & ut aiunt, corpore effugi?* Petitiones cum adversos, & rectas; tum aversas, & a latere instituebant. Veget. 1. 11. *Ut nunc quasi caput, aut faciem peteret, nunc a lateribus minaretur.* Quintil IX. 1. *In armorum certamine adversos ictus, & rectas manus, cum videre, tum propulsare facile est: aversæ, tectæque minus sunt observabiles.* Stewech in Vegetium. Rhodig. Ant Lect. XI. 11. Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1271. F. Cerda Adv. c. 136. §. 16. Lips. Sat. II. 20. Castal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Thys. de Gladiat. p. 233.

Petebat qui plus, quam sibi debebatur, causa cadebat, & dein rem amittebat Cicer. pro Quint. Rosc. c. 4. *Hic tu, si amplius HS nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti.* Justinian. IV. 6. 34. V. illum infr. in *Relatio.* Suet. Claud. c. 14. n. 6. *Iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent, restituit actiones.* Brisson. Antiq. Select. IV. 10. Ræverd. Var. III. 14. Cujac. Observ. VII. 27. XII. 21. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

PETORRITUM non fuit φορεῖον, ut vertit auctor Onomastici Argentoratensis. Nam φορεῖον sella est, vel lectica, quæ ab servis omnibus destituitur. Nisi putamus τὸ φορεῖον accepisse pro vehiculo quocunque, vocemque Latinam specialem reddidisse generali Græca. Sed vehiculi genus. Hoc veterum quidam Græcum, alii Gallicum

cum dixerunt eſſe. Gell. xv. 30. *Cum quæreretur, petorritum quali forma vehiculum, cujatisque linguæ vocabulum eſſet: & faciem vehiculi ementitus eſt longe alienam, falſamque, & vocabulum Græcum eſſe dixit; atque id ſignificare volucres rotas interpretatus eſt: commutataque una litera petorritum eſſe dictum volebat, quaſi petorotum. Scriptum etiam hoc eſſe a Valerio Probo contendit. Ego hoc nuſquam Probum ſcripſiſſe credo. Petorritum enim eſt non ex Græca dimidiatum, ſed totum tranſalpibus: Nam eſt vox Gallica. Id ſcriptum eſt in lib. Varr. rer. div.* XIV. *Quo in loco Varro dicit petorritum eſſe verbum Gallicum.* Cum Varrone, & Gellio facit Fabius, qui ſic habet Inſtit. I. 5. *Plurima Gallica valuerunt, ut rheda, ac petorritum.* Etiam Feſtus: *Petorritum Gallicum vehiculum exiſtimant.* Et Cruquii Schol. ad Horat. Sat. I. 6. 104. *Petorritum genus eſt Gallici vehiculi.* Habuit quatuor rotas. Feſtus: *Nomen ejus dictum exiſtimant a numero quatuor rotarum.* Videtur fuiſſe ſine tecto. Ideo enim *tecta petorrita* pilenta vocat Iſidor. xx. 12. *Pilentum, vel petorritum contectum, quatuor rotarum vehiculum.* Pilenta ſane non fuere *petorrita.* Ideo nec *tecta petorrita*, quæ ſunt eadem cum pilentis, *petorrita* communiter ſic dicta. Ex quo ſequitur, quod dixi, *petorrita* communiter vocata fuiſſe abſque tecto aperta. Trahebatur a mulabus. Auſon. Epiſt. VIII. 5.

Cornipedes rapiant impoſta petorrita mulæ.

XIV. 15.

—— male nota petorrita vites:
Nec celeres mulas ipſe Metiſcus agat.

Pertinebat ad viros, quod oſtendit Auſonius. Convenit, quando ſibi, ſi eſſet opulentior, *ducenda petorrita* dicit Horat. Sat. I. 6. 102.

—— uti ne ſolus ruſve peregre-
Ve exirem; plures calones, atque caballi
Paſcendi, ducenda petorrita.

Et quidem opulentiores, ut ex Horatio obſervamus. Illorumque miniſtros, & comites vehendos. Unus enim pluribus per ſe non poteſt uti. Atque ſic opinor capiendum eſſe, quando famulis Cruquii Schol. in Horat. Epiſt. I. 2. tribuit: *Pilenta vehicula matronarum, ſicut petorrita famularum.* Non ſolæ famulæ iis vehebantur, ſed etiam famulæ, ſicut famuli, quos in *petorritis* poſt ſe viri honoratiores trahebant. Adhibebatur potiſſimum, cum iter eſſet faciendum. Docent hoc Auſonius & Horatius. In Urbe ipſa fuiſſe uſurpatum quoque docet, ubi ait ad ſpectaculum triumphi cum *petorritis* feſtinatum fuiſſe, Horat. Epiſt. II. I. 192.

Eſſeda feſtinant, pilenta, petorrita, naves.

Jam vero notum, triumphos habitos non extra Urbem, ſed in ipſa. *Scheffer. de re Vehicul.* II. 26. *Ligor. de Vehic. Antiq.* c. 22. *Taſſin. de Lud. ſecul.* c. 15. §. 16. *Voſſ. Lex. Etymol.*

PETRA eſt rupes excavata, vel locus manu factus. Feſtus: *Petrarum genera ſunt duo, quorum alterum ſaxum naturale prominens in mare, cujus meminit Ennius* II.

Alte delata, cæteriſque ingentibus tecta.

Et Livius in Centauris: ubi ego ſæpe petris, alterum manu factum, ut docet Ælius Gallus, petra eſt, quæ Jovis dextra, ac ſiniſtra fornicem expletura eſt ad libramentum ſummi fornicis. Guther. de vet. jur. pont. III. 5.

Petra pertuſa eſt mons in via Flaminia fabrili ſcalpro excavatus ad compendifaciendam viam Flaminiam. Hanc deſcribit Aur. Vict. c. 9. r. 10. *Tunc cavati montes per Flaminiam ſunt prono transgreſſu, quæ vulgariter pertuſa petra vocitatur.* Qui noſtra ætate montem hunc viderunt, ajunt eum partem facere Apennini, prope locum, cui nomen *Furlo*: qui quod arduitate ſua impediret, & occuparet rectum iter viæ Flaminiæ, a Veſpaſiano Imperatore fuit in modum arcus, ac perpetui fornicis excavatus, & exciſus ad oppoſitum uſque latus per paſſus CC. geometricos, quæ longitudo eſt fere ∞ pedum. Ad alterum introitum per modum arcus factum titulus ſequens ſervat auctoris nomen, & honorem apud Gruter. p. 149. n. 7.

IMP. CÆSAR. AUGUSTUS
VESPASIANUS. PONT. MAX.
TRIB. POTEST. VII. IM. XXVII. CONS. VIII.
CENSOR. FACIUND. CURAVIT

Bergier. de viis milit. I. Sect. 17. §. 3.

Petra ſcelerata in Vaticanis cryptis apud baſilicam fuit, ſuper qua innumeri fere martyres effuſo ſanguine martyrii agonem conſummarunt. Vulgo a gentilibus ſic appellabatur. Cum hanc Chriſtianorum ſanguine jugiter manantem viderent, eam ſummopere deteſtantes hoc nomine infamare conati ſunt. Chriſtiani eandem in ſummo honore ſemper habuerunt, & veluti rem ſacram ſuſpexerunt. Hæc inſcriptio ibi legitur:

SUPER. ISTO. LAPIDE. MULTA
CORPORA. SANCTORUM. MARTYRIO
CÆSA. SUNT.

In veteri baſilica erat ad lævam partem juxta ſacellum ſanctiſſimi ſudarii: nunc vero juxta luſtralis aquæ fontem ad dextram intrantibus ſub Innocentio X. omnibus veneranda exhibita eſt. *Aring. Rom. Subterr.* II. 4. §. 8. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 5. §. 2.

Petra taurobolata legitur Romæ in lapide priſco:

ÆMILIA
SERAPIAS
TAUROBOLIUM. FECIT
PETRAM. TAUROBOLIAM
POSUIT
PER. SACERDOTE
VALERIO. PANCARPO
IDIB. MAIS. ANULLINO. II
ET. FRONTONE. COS.

Facto taurobolio poſita eſt. Non fuit ara, cum illa ante taurobolium factum fuiſſet erigenda. Sed lapis, qui ſacrificii monumentum ad memoriam poſteritatis contineret. *Guther. de vet. jur. pont.* III. 5. Ego intelligo de ara, quam matris deûm, vel etiam Mithræ ſacris operata facto taurobolio poſuit Æmilia PERmittente, ſive PRÆeunte ſacerdote. *Reineſ. Inſcript. Claſſ.* I. *n.* 42. *van Dale de Taurobol. Diſſert.* I. *c.* 9. Feſtus vero *petram manu factam fornicem* continere ait. V. illum ſupr. in *Petra.* Hæc ergo locus fuiſſe videtur excavatus, in quo ſacra myſtici tauroboli peragerentur, non ita inter aras, ſed templa referenda. Ædes igitur ſaxo excavata erat, vel uti Apul. Florid. c. I. *ſpelunca frondibus inumbrata.* Struv. Antiq. Roman. c. 11. p. 514.

PETREIA ludionum loco fuit. Feſtus: *Petreja vocabatur, quæ pompam præcedens in coloniis, aut municipiis imitabatur anum ebriam, ab agri vitio, ſcilicet petris, appellata.* Tales hodie in multis Galliæ pagis viſuntur, cum memoria tutelaris divi celebratur, quæ his ineptiis maxime contaminatur. *Guther. de vet. jur. pont.* II. 13. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 53. *B.*

PETRONIA amnis infra Anienem in Tiberim defluxit. Feſtus: *Petronia amnis eſt in Tiberim profluens, quam magiſtratus auſpicato tranſeunt, cum quid in campo agere volunt, quod genus auſpicii perenne vocatur. Amnem feminine antiqui enuntiabant.* Ergo in ipſa videtur fuiſſe Urbe inter Capitolium & campum Martium. Sed quo ſitu fuerit, hodie minime conſtat. *Cluver. Ital. Ant.* II. 10. §. 17. Ego ecquid certi inventurum me ſperem? Videamus. In eodem Feſto legis: *Cati fons, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluit, dictus, quod in agro cujusdam fuerit Cati.* Memini me non ſine admiratione animi in via Roſella aliquando ſcaturientem e veteri aliquo opere optimi ſaporis aquam vidiſſe loco humiliore ædium Grimanarum, quam puto ſcaturiginem e Quirinali deſcendere, vel proximis illi campis: non tamen eam pro aqua Petronia venditare animus eſt; uti nec illam, quæ in area Matthæorum fontem illum conſtituit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 7.

PETRUS Apoſtolus quando Romam venerit, an ſub Claudio, an ſub Nerone, prolixioribus diatribis inter ſe certant *Baron. ad an. Chriſti* 44. *n.* 13. *Valeſ. in Euſeb. Hiſtor.*

ſtor. Eccleſ. II. 16. *Pagi Critic. Hyſtor. Chronol. in Annal. Baron. ad an. Chriſti* 43. *n.* 2. & 3. *Baluz. Tom.* ... & *Bauldri in Lactant. de Mort. perſecut. c.* 2. Videantur tamen *Diſſertatio Spanhemii de temere credita Petri in urbem Romam profectione, & tractatus Salmaſii de Primatu Petri*. Romæ in carcere detentus fuit in illa parte carceris, quæ ſuperest ſub æde S. Joſephi, cui S. *Petro* in carcere nomen. Hæc vetus, & certa traditio eſt. Ibidem & fontem ... adhuc durantem, ut commentariensem, ... ad Christianam religionem baptizaret: in quo carcere in honorem principis Apoſtolorum a S. Silveſtro Papa parvula ara poſita fuit, quæ & nunc ibidem viſitur. *Nardin. Rom. Vet.* v. II. Anaſtaſ. in ejus vit. *Sepultus eſt via Aurelia in templo Apollinis juxta locum, ubi crucifixus eſt, juxta palatium Neronianum, juxta territorium triumphale.* In vita Cornelii: *Accepit corpus D. Petri Apoſtoli, & poſuit juxta locum, ubi crucifixus eſt, inter corpora SS. Epiſcoporum in templo Apollinis in montem aureum in Vaticano palatii Neroniani.* Nardin. ibid. VII. 13. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 11.

PETUSCUM *palatii dicta eſt ea regio Urbis, quam Romulus obverſam poſuit ea parte, qua erat plurimum Romani agri ad mare verſus, & qua molliſſime adibatur Urbs, cum Etruſcorum agrum a Romano Tiberis diſcluderet, ceteræ vicinæ civitates colles aliquos haberent oppoſitos.* Feſtus. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I, 2.

PEU.

PEUCETII populi fuerunt Apuliæ. Illorum ad mare fuerunt Egnatia, Barium, Aufidus amnis. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 13. Illam occupavit *Peucetius* filius Lycaonis Arcadum Regis, qui cum Oenotro fratre, cum agri paterni portio, quæ illis contigerat, non ſufficeret, ex Arcadia in Italiam commigraverat. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 207. *C.*

PHÆ.

PHÆCASIUM fuit genus calceamenti, ut diſcimus ex Polluc. VII. 22. & ex illo Senec. de Benef. VII. 21. *Pythagoricus quidam emerat a ſutore phæcaſia.* Voſſ. Lex. Etymol. Fuit ex corio. Licet colligere ex Senecæ ve bis laudatis. Mentio ſutoris, a quo *phæcaſia* Pythagoricus emerat, oſtendere videtur coriacea fuiſſe. Sed clare id docet Eratoſth. in Mercur. apud Polluc. l. l.

Pellem olim ſuebat tenuis phæcaſii.

Πέλμα enim apud Græcos & de corio dicitur. *Byn. de calc. Hebr.* I. 2. 4. Heſychius *ſpeciem calceamenti ruſtici* ... dicit. Quod ſi verum, velut quoſdam perones e craſſo corio, & rudi Minerva confectos licebit imaginari. Ruſticis enim tenuiores, & leviores calcei non fuerunt in uſu. Deinde nomen *phæcaſii*, deducit enim appellationem ἀπὸ τοῦ φαικοῦ, quod leve, atque tenue ſignificat, tenuem, levique calceamenti genus intelligendum ſuggerit: unde & Eratoſthenes modo laudatus ad hujus etymi ſenſum, epitheton ἐλαφρῶ illi adjunxit, calceo agreſti, qui craſſus, & gravis eſſe ſolet, inepte attribui videtur. Alii ab Heſychio ſentiunt, qui de iis ita ſcripſerunt, ut crepidis, baxiſque philoſophicis; vel ſoccis, udonibusve ... ſimilia fuiſſe inſinuent. Senec. Epiſt. 113. *Puto quædam eſſe, quæ deceant phæcaſiatum, & palliatum.* Loquitur de philoſophis, quibus ut peculiare geſtamen erat pallium, ita & *phæcaſia* præbuiſſe calceatum videntur. de Benef. VII. 21. *Pythagoricus quidam emerat a ſutore phæcaſia, rem magnam, non præſentibus nummis.* Ubi *rem magnam* intelligendum ... ironice; non quod, ut quidam volunt, pretioſiores eſſent illi calcei, quam pro perſona philoſophi: ſed per comparationem cum alia merce, ex qua non ſoluto pretio lucrum majus illi philoſopho potuiſſet obtingere. Quæ utrum menti Senecæ reſpondeant, integer locus, ſi conſulatur, oſtendet. Plutarch. in Anton. p. 931. A. ubi Antonium cultu, contra morem Romanum, Græcanico, ſeu philoſophico inſignem denotat, ipſum ... pallio, *phæcaſiiſque proceſſiſſe* ... Alii rurſus aliquantum a ſuperioribus deflectunt. Appian. de Bell. civil. V. p. 677. tacet de philoſophis, & Athenienſium, Alexandrinorumque ſacerdotibus *phæcaſia* in uſu communi fuiſſe ſignificat, dum ait: *...ctus ... omnibus, & ... obſequiis, calceamenta candida, qualia Athenienſium ſacerdotes, & Alexandrinorum, quæ phæcaſia vocant, deferre conſueverunt, ſibi aſſumit.* Et Herodian. v. 5. §. 21. inſanum Antonini luxum deſcribens, de *phæcaſiis* omnino videtur locutus, cum dixit: *Præfecti exercitibus linteis calceamentis utebantur, uti vates in iis regionibus conſueverunt.* Philoſophis, & ſacerdotibus familiaria fuiſſe admittam, ſi modo ſic utraque diſtincta credantur, ut ſacerdotes candidis & linteis, ut ex Appiano, & Herodiano conſtat, philoſophi vero nigris, coriaceiſque uterentur. Fruſtra enim Pythagoricus a ſutore *phæcaſia* diceretur emiſſe, ſi non e corio compacta fuiſſent. Albus enim, aut alius e nigro color parum philoſophum decere, qui ... verbis, ... externo corporis ... ſplendori ... contemptorem eſſe oporter. Quod ad utrorumque formam, & figuram pertinet, ſic ... fuiſſe ... ut pedes totos ... obtegerent, ſive lineum illud eſſet, ſive pelliceum; atque adeo propter ... item, levem etiam, atque agilem pedibus inceſſum præberent. Uno verbo. Sacerdotum mihi videntur ... ſimilia, quos Gallice *chauſſons* appellamus: philoſophorum vero ſoccis illis, quod Gallico ... nomine nuncupamus *eſcarpins*. Atque ita philoſophi illa facile potuerunt ... crepidis inſerere: quo modo jam ... calceolos mulleis ... geſtare conſueverant. Quando igitur legitur apud Juven. Sat. III. 218.

Phæcaſianorum vetera ornamenta deorum.

... ſignificari *phæcaſiis* illis calceamenta, quæ ſacerdotum erant propria, ut deorum, & ... ſacerdotum ... invicem reſponderet. De aliis ... Petron. c. 42. quibus ... legionarium ... alter ... objicit: *ege vero in exercitu ... milites ambulant?* Ut ... mendacii ... calceata arguat, ex eo, quod pro more Romano milites, non *phæcaſiis*, ſed caligis calceati incederent. ... enim *phæcaſium* illum par eſt accipere: ut ejus *phæcaſia* non quidem lintea, ſed coriacea tantum eſſent. *Balduin. de Calc. c.* 14. *Voſſ. Lex. Etymol. Flav. Conject. c.* 41. *Donz. Præcid. in Petron c.* 21. *Gonſal. in Petronium.*

PHALÆ, ſive *falæ* ... turres rotundæ, quarum faſtigium ovi refert imaginem. Græci teſte Vitruv. III. 2. Βώμους appellant: *& ipſi vero ... ſpecies ... ut baſis, ſeu phalæ, humiles, ...* Ita olim ... decuimus. Sane baſis, ſive *phala* eſt ὠοειδὲς δημιούργημα. Ova circenſia ... nomine appellat Juven. Sat. VI. 590. V. illum ſuper ... *Columnam in circo.* Et ὠοειδῆ δημιουργήματα Dio XLIX. p. 417. A. Quæ perperam metas vertunt. Metæ in acumen deſinunt inſtar turbinis, non ovi ... in ſpeciem facta ſunt. Serv. Æneid. IX. 705. *Hoc telo*, phalarica ... *pugnatur de turribus, quas phalas dici manifeſtum eſt. Unde & in circo phalæ dicuntur diviſiones inter euripum & metas, quod ibi conſtructis ad tempus turribus, hoſtilis pugna edi ſolebat.* Juvenalis. Nardinum, quod ait *phalas ... eſſe in circo, & turres ibi extructas ad tempus*, ... *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 630. *b. A. Voſſ. Lex. Etymol. Alexr. Parerg.* IV. 27. *Buleng. de circo c.* 19. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* I. 14. *Columna in Ennii Annal.* ... *p.* 109. V. & ſeqq. ... in Circo *Falas* fuiſſe turres veteres contendunt. ... rotundas, & ovali figura faſtigiatas ... non prodit. Feſtus: *Falæ dictæ ſunt ab altitudine, a falando, quod apud Etruſcos ſignificat cœlum.* Serv. Æneid. IX. 705. *Falæ, turres, diviſiones in circo, inter euripum, & metas.* Diviſionem intelligit aggerem, ſive ſpinam circum inter ſecantem, in qua illæ turres, & ita interpoſita erat inter euripum ſpectacula ambientem, & metas hinc inde ad caput aggeris poſitas. Sed quomodo turres illæ erigi, & transferri poſſent, quod

Salmasius dixit supr. in *Ova.* nemo dixerit. Ipsæ ovales machinæ non turribus, sed columnis impositæ erant (ut in antiquis nummis manifestum est) atque inde erigi, & moveri poterant. Itaque credibile est, *falas* nihil aliud fuisse quam obeliscos aggeri impositos, ut ibidem apparet, instar turrium sublimes. *Ferrar. Elect.* II. 15. Farnabius ad Juvenalem annotat, per *phalas* intelligi sortilegos, & divinatores, qui in circo ante *phalas*, id est, turres ligneas, & delphinorum columnas versabantur. Quinam enim huic rei aptiores exoptentur, quam ii, qui sacris præsunt, qui divinæ voluntatis interpretes, qui deorum, quibus solis futurorum est præcognitio, internuntii? *Maurit. de Sortit. c.* 7. §. 8. V. & infr. in *Sortilegi.*

PHALANGÆ. V. illas supr. in *Palanga.*

PHALANGARII. V. illos sup. in *Palangarii.*

PHALANX *est lingua Macedonum legio.* Serv. Æneid. XI. 92. *Phalangem* prisci scriptores non proprie legionem appellarunt; sed cuneum militarem, quando scilicet pes pedi, clypeus clypeo, vir viro, in acie conserebantur. Curt. III. 2. 13. *Macedones phalangem vocant peditum stabile agmen: Vir viro, arma armis conserta sunt.* Beroal. in Serv. §. 19. & ita Polyb. Lib. Hist. XVII. c. 25. *Equidem quod phalangis proprietatem suam, ac vim obtinentis incursum, atque [illegible] frontem impressionem manere, ac sustinere [illegible], e multis id dijudicare facile est. Nam vir cum armis, imminente conflictu cum fit densatio, stat occupans locum trium pedum. . . . Unde fit, ut secundi quidem, & tertii, & quarti ordinis, sive jugi, sarissæ plures duobus; quinti vero duos tantum protendantur ante præcedentium ordines; si modo phalanx proprietatem suam [illegible], & convenienter sibi densata [illegible], sive pone, sive ad latus stantis: quam hisce versibus Homerus ostendit:*

Et clypeus clypeum, & galeam galea, atque virum vir
Sustinet, implexis vario nutamine cristis
Vibrantum: dum densato stat in agmine miles.

Institutam a Philippo, atque Alexandro Regibus fuisse ait Appian. Syriac. p. 107. *Robur erat phalanx sedecim millium [illegible] Alexandri, & Philippi.* Et ejus inventionem Philippo Amyntæ filio expressis verbis adscribit Diodor. XVI. p. 511. A. *Excogitavit ordinem illum junctissimum phalangis, quæ Macedonum peculiaris fuit, sumpto exemplo heroum, qui clypeos clypeis conjungebant in bello Trojano.* Et hinc Liv. XXXVII. 40. *Decem & sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitæ appellabantur.* Quadrata forma instruebatur. Curt. V. I. 19. Alexander *quadrato agmine, quod ipse ducebat, [illegible].* Arrian. Exped. Alex. I. p. 10. *Nicanorem quadrata acie phalangem jubet ducere.* Constabat sedecim millibus militum. Appianus & Livius modo laudati. Totidem in sua habuit Philippus Demetrii filius apud Liv. XXXIII. 4. *Decem & sex millia militum fuere; robur omne virium, & regni.* Et Caracalla apud Xiphilin. LXXVII. p. 873. D. *Comparavit sibi phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant sedecim millia hominum, eamque phalangem Alexandri nominavit.* Croph. Antiq. Maced. III. 5. Stewech. ad Veget. II. 2. Rader. ad Curtium. Nec Macedonica solum, sed quævis conferta peditibus gravis armaturæ, aliarum quoque gentium acies dicta est. Hinc tot seculis ante nobilitatam a Philippi, & Alexandri temporibus *phalangem*, talis aciei, notique ejus συνασπισμοῦ meminit Homerus, cujus verba de ea re supra adduxit Polybius. Ita mentio fit Spartanæ apud Xenoph. Hist. Græc. VII. p. 647. Diodor. XV. p. 395. Herodian. IV. 8. Arcadis apud Xenoph. ibid. p. 637. & Virg. Æneid. XI. 92: XII. 551. juxta Servium. Argivæ apud Virg. ibid. II. 254. Hinc Veget. II. 2. *Denique Macedones, Græci, Dardani phalanges habuerunt.* Imo unde vocis illius usum de conferta peditum acie, ut tot alia, mutuati sunt Romani, dum a summo Imperatore de Helvetiis dicitur de Bell. Gall. I. 24. *Ipsi confertissima acie, rejecto nostro equitatu, phalange facta, sub primam nostram aciem successerunt.* c. 52. *At Germani celeriter ex consuetudine sua, phalange facta, impetus gladiorum exceperunt.* Etsi vero Macedonicæ, & Romanæ non eadem fuerit ratio, quoad militum numerum, eorumve ordinem, aut se pro re nata convertendi, vel viritim, quæ discrimina tangit Polybius, dimicandi facultatem; multa tamen iis erant communia: utraque e peditibus ferme constans, in quibus, ut Macedonici juxta Curt. III. 9. 2. ita Romani potissimum erat *exercitus robur:* prout a quodam Belisarii protectore dictum legitur apud Procop. Goth. I. 28. *Per quem*, peditatum, *Romanum imperium olim in eam magnitudinem crevisse accepimus.* Adde, quod *phalangitæ*, uti & legionarii gravis essent armaturæ; utrique clypeis, hastisque, etsi harum haud una esset magnitudo, vel forma, instructi; ac præterea, quod de legionibus e Cæsare vidimus, ac eo jam ævo obtinuit, & in *phalange* erat præcipuum, confertim, & constipatis ordinibus in acie depugnantes. *Spanhem. Observ. ad Julian. Orat.* I. *p.* 231. *a. Stewech. l. l.*

PHALARICA, sive *falarica* erat *telum missile, quo utebantur ex phalis, id est, locis exstructis dimicantes.* Festus. In Saguntina historia describunt Liv. XXI. 8. *Phalarica erat Saguntinis missile telum, hastili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum extabat: id, sicut in pilo, quadratum stuppa circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus posset.* Et grandem, & quasi *trabem* Sil. Ital. I. 350.

Armavit clausos, ac portis arcuit hostem
Librari multa consueta phalarica dextra,
Horrendum visu robur, celsisque nivosa
Pyrenes trabs lecta jugis: cui plurima cuspis,
Vix muris toleranda lues: sed cætera pingui
Uncta pice, atque atro circumlita sulphure fumat.
Fulminis hæc ritu summis e mœnibus arcis
Incita, sulcatum tremula secat aera flamma.

Ex pice, sulphure, & stuppa componebatur, ut non tantum transfigere, sed etiam accendere esset idonea. De ea Tacit. Hist. IV. 23. 6. *Crates, vineasque parantibus adactæ tormentis ardentes hastæ.* Veget. IV. 18. *Phalaricas cum incendio destinant.* Lips. Poliorc. V. 5. Voss. Lex. Etymol. Stewech. in Vegetium. Alex. Gen. dier. VI. 22. & ad illum Tiraquellus. Columna in Ennium p. 131. Vlit. in Grat. Cyneg. n. 342. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17. Thys. de Oppugn. urb. V. p. 192. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 2. Schill Nomencl. Philol. p. 907. Demster. Paral. p. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 10.

PHALERÆ differebant a torquibus. Sil. Ital. XV. 252.

—— phaleris hic pectora fulget,
Hic torque aurato circumdat bellica colla.

Juven. Sat. XVI. 60.

Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

Etiam Dionys. X. p. 663. in Siccii donis discrete posuit *torques, & phaleras* 1. quia torques erant rotundæ, ac tortæ, *phaleræ* planæ, ac latæ. 2. torques stringebant magis, & ambiebant ipsum collum, *phaleræ* demissæ ad pectus pendebant. 3. torques erant ex puro auro, *phaleræ* claviculos tantum aureos habebant. *Lips. de Milit. Rom.* V. 17. *Scheffer. de torquib. c.* 4. & 11. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 147. *Nicol. de Triumph. c.* 19. §. 5. *Grang. in Juvenalem.* Quid fuerint, non usquequaque certum. Suidas: *Phaleræ, frontis ornamenta, scutula, id quo frons equorum exornatur. apud Herodotum vero circa maxillas tegumenta.* Videntur Suidæ scuti similitudinem retulisse, ut a naribus ad frontem ducta illustris lamina dilataretur in fronte, attenuata in imo. Hoc volunt ejus verba, ut agnoscat tamen Herodoto significare *maxillarum tegumenta.* Servio ad Æneid. VII. 278.

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

sunt monilia. Dicit enim: *monilia non nisi hominum dicimus quæ nunc ad laudem pro phaleris posuit.* Monile vero *equis prependens a collo ornamentum est* Festo. A monilibus tamen distinguit Gell. V. 5. *Inducebat equitatum frenis, ephippiis,*

ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem. Inde controversiæ dirimendæ causa sentirem, quicquid equorum frontibus, maxillis, pectoribus ad speciem adderetur, communi vocabulo *phaleras* esse nominatas: nisi manifeste eis & Plinius a frontalibus, & Gellius a monilibus diversas ostenderent. *Manut. Quæst. Epist.* III. 10. *Valtrin. de re milit.* III. 12. *Popm. de instrum. fund. c.* 21. *Pitisc. in Suet. Aug. c.* 25. *n.* 3. Ego conjicio fuisse cingula quædam claviculis aureis velut bullis ornata. Ita sane pictæ repræsentantur in Notitia imperii: & Pancirollus ad insignia viri Illust. præf. præt. per Illyricum: *In impresso pro fascus ... et phaleræ cernuntur, hæ sunt ovales orbiculi, & auro affixulis tota. In M. S. purpureæ tæniæ dorsa, ac pectora, collaque equorum complectuntur.* Scheffer. & Nicol. l. l. Non tam equorum ornamenta fuisse, quam equitum, & hominum in culmine galearum eminentia, & in illis plumas præcipue volitantes ex Liv. IX. 46. & Plin. XXXIII. 1. probare nititur *Licet. de Lucern. Antiq.* VI. 82. Contra ea solum equorum, & nullo modo equitum fuisse satis fuse asserit *Cerda in Virg. Æneid.* IX. 359. Et equorum, & equitum fuisse contendit *Hugo de milit. Equest.* II. 3. Quicquid, & quorum fuerint, certe fuerunt inter dona militaria. Polyb VI. 37. *Imperator illi, qui hostem prostraverit, & spolia detraxerit, peditî quidem phialam, equiti vero phaleras.* Gell. II. 12. *Sicinnius Dentatus bellator strenuus pugnasse dicitur in hostem centum & viginti prœlia, & phaleris donatus quinquies viciesque.* Buleng. de triumph. c. 22. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I 15. Valtrin. ibid. VI. 4. Stewech. in Veget. II. 7. Lips. & Thys. l. l. Pitisc. in Sueton. l. l. Etiam datæ sunt cursoribus. Petron. c. 28. *Præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor.* Suet. Ner. c. 30. n. 10. *Nunquam carrucis minus mille iter fecisse dicitur. . . . . armillata, phalerataque Mazacum turba, atque cursorum.* Sunt illis datæ non solum ad ornatum, sed quod plumatæ essent ad eorum celeritatem indicandam; quo nomine Mercurio deorum nuntio velocissimo gentilitas ad pileum alas apposuit. Hanc autem cursoram, maxime tabellariorum velocitatem in cursu *phalera* veteres, equorum, quorum vices illi implebant, ornamento, quod equus ad cursum a natura institutus dicatur, celeritatis hieroglyphicum est Valerian. IV. 3. *Licet. l. l. Pignor. de Serv. p.* 289. *Gonsal. in Petronium. Pitisc. in Suetonium.*

PHALLICA saltatio. V. illam infr. in *Saltatio.*

PHARI appellantur turres, quæ portibus imminentes, noctu igne prælato, naves in tutas stationes dirigunt. Herodian. IV. 2. 15. *Possis ejus ædificii formam comparare turribus his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato, naves in tutas stationes dirigunt: pharos vulgo appellant.* Unde tales compluribus locis flagrare, ut Puteolis, ac Ravennæ dicit Plin. XXXVI. 12. Talis etiam fuit Capreis. Stat. Sylv. III. 5. 100.

Teleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit pharus æmula lunæ.

Turris Phari ante paucos dies, quam obiit Tiberius, terræ motu Capreis concidit, scribit Suet. c. 74. n. 2. Talem excitavit Caligula. Suet. c. 46. n. 2. *Et in indicium victoriæ altissimam turrim excitavit: ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium cursus ignes emicarent.* Dictæ sunt ab illa, quæ fuit in Pharo colonia a Cæsare deducta, quæ Alexandriæ ponte jungitur, de qua Cæs. de bell. civ. III. 112. *Pharus est in insula turris magna altitudine, mirificis operibus exstructa, quæ nomen ab insula accepit: nocturnis ignibus cursum navium regens.* Plin. V. 31: XXXVI. 12. Hanc fecerat Sostratus Gnidius. Plin. XXXVI. 12. *Magnificatur & alia turris, a Rege facta in insula Pharo, portum obtinente Alexandriæ, quam constitisse* 800. *talentis tradunt: magno animo, ne quid omittamus, Ptolemæi Regis, quod in ea permiserit Sostrati Gnidii architecti structuræ ipsius nomen inscribi. Usus ejus, nocturno navium cursui ignes ostendere, ad prænuntianda vada, portusque introitum.* Scheffer. de milit. nav. III. 4. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p. 1. c. 5. Pitisc. in Suetonii Tiberium.

PHASELUS, sive *faselus* fuit *navigium Campanum.* Non. XIII. 7. *navis velox, & oblonga.* Acron ad Hor. Od. III. 2. 29. *navicula brevis* Serv. Georg. IV. 289. *Voss. Lex. Etymol.* Ejus meminit Cicer. ad Attic. I. 13. *Accepi tuas jam tres epistolas. . . . tertiam, quam ancoris solutis de phaselo dedisti.* Pictum vocat Virg. l. l.

Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.

Fragilem, quia parvus erat, Horat. l. l.

--- *fragilemque mecum*
Solvat phaselum.

Dolet. de re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 678. A. Gyrald. de navig. c. 18. Scheffer. de variet. nav. Thes. Gronov. ibid. p. 776. E. de milit. nav. II. 2. Legendo versa consecravit Castori, & Polluci Catullus: quibus versiculis aperte docet, eum minime fuisse appositum, seu quis remis uti velit, seu velis, cum ait.

Sive palmulis opus foret volare, sive linteo.

Carmen est:

Phaselus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse navium celerrimus:
Neque ullius natantis trabis impetum
Nequisse præterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo. . . .

Bayf. de re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 995. B. Gyrald. l. l. An myoparo fuerit, V. supr. in *myoparo.*

PHASIANUS *a Phaside insulæ Græciæ, unde primum exportatus est, appellatus.* Isidor. XII 7. Qui hallucinatur. Rara olim volucris, nunc frequentior: pennarum pulcritudine conspicua; peculiare illi quod geminas ex plumis auriculas subrigit, submittitque. *Nonn. de re cib.* II. 26. Ab Argonautis ex Colchide in Græciam, est allatus, & a nobilissimo regionis amne *Phasi* sumpsit nomen. Ad ostia hujus amnis magna illarum avium frequentia, cui causa conveniebat, ut Græci prodiderunt. Mart. XIII. 72. lemmate *Phasianus:*

Argiva primum sum transportata carina,
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Manil. V. 370.

—— *Numidarum pascimur oris,*
Phasidos & damnis; arcessitur inde macellum,
Unde aurata novo convecta est æquore pellis.

Voss. Lex. Etymol. Castellin. de Carn. esu IV. 10. Nonn. l. l. Pitisc. in Suet. Cal. c. 22. n. 9. In avium genere videntur explevisse culmen luxus: vix enim hic ex aliquo reprehenditur, quin illi simul objiciantur. Aristoph. Nubib. I. 1. 109. perstringens Leogoram altilium phasianorum copiam exprobrat. Arbiter ille sui ævi, inter illa alia nonnunquam severus, sub persona luxum objurgat, cui sumptus, & fastidium pro facetiis procedit: c. 55.

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non sint faciles.

c. 79.

—— *jam Phasidos unda*
Orbata est avibus, mutoque in littore tantum
Solæ desertis adspirant frondibus auræ.

Clem. Alex. Pædag. II. 1. cibos enumerans, quos pretiosos non tantum eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas etiam, & difficultas parandi facit, ὄρνεις ἀπὸ Φάσιδος non omittit. Hinc adstricti moris Principes, qui repressi luxus gloriam quæsiverunt, *phasianos* aut mensis inferri vetuerunt, aut censoria exempli sui severitate reliquis abstinendi necessitatem imposuerunt. Ptolemæus Physcon, quamvis in Ægypto *phasianos* magno numero aleret, *se phasianum nunquam gustasse professus est, sed has aves habuit ut repositum thesaurum.* Athen. XIV. p. 654. Pertinax, qui epulas Imperatorias ex immenso ad certum revocavit modum, *phasianum privato convivio nunquam comedit, aut alicui misit.* Capitol. c. 12. Alexander Severus non nisi sollennioribus festis, ut *Kalendis Januariis, Hilariis, Matris deûm, & ludis Apollinaribus, & Jovis epulo, & Saturnalibus, & hujusmodi festis diebus phasia-*

num appofuit. Lamprid. c. 37. *Caftellan. & Nonn. l. l.* Kobierzyck. *de Luxu Roman.* II. 11. *Bochart. Hieroz.* II. 1. 14. *Buleng. de Conviv.* II. 14. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 8. *Bruyer. de Re cibar.* XV. 39. Amens ille Caligula, cum refragante tam fuperorum, quam mortalium calculo, per vim, & audaciam temerariam, fe in deorum collegium ultro ingereret, numini fuo aves has pretiofas immolari voluit. Suet. l. l. *Hoftiæ erant phœnicopteri, pavones, tetraones, Numidicæ, [illegible], Phafianæ, quæ generatim per fingulos dies immolarentur.* Kobierzyck. l. l.

PHE.

PHETRIUM fignum cum ara ex infcriptionibus occurrit Romæ.

SIGN. GENIO
VESBINUS. AUG. L.
PHETRIUM
AUGUSTALIBUS
CUM. AR. GENI
MUNIC. CÆRIT
DONUM. DEDIT

Gutber. de vet. jur. pontif. III. 6.

PHI.

PHIALA eft quam Græci φιάλην vocant. Afclepiades Myrleanus apud Athen. XI. p. 501. B. *Phiale in diverfa literarum mutatione πιάλη eft, quia potionis habeat quod [illegible], [illegible] poculo [illegible].* Et φιάλιον. Athen. VI. p. 231. B. *Philippum Regis Alexandri patrem Duris Samius [illegible], [illegible] phialam [illegible] cubantem pulvinari femper fubdidiffe.* Quam tamen poculum vocat Plin. XXXIII. 3. *[illegible] fubditо Philippum Regem dormire folitum.* Bayf. de Vafcul. Thef. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. [illegible]. C. Bacc. de Conviv. III. 1. Fiebat ex gemmis, & auro. Juven. Sat. V. 38. V. illum fupr. in *Cuftos.* Bacc. l. l. Fuit rotunda, & aut lebeti fimilis, aut balnearum cameræ, nec non utrinque anfata. Athen. XI. p. 501. A. *Non poculum dixit, fed æneum vas, patulum, lebeti fimile, ex utraque parte [illegible] auritum.* Caruit pedibus. Athen. l. l. *Parthenius ἀμφίθετον exponit phialam carentem fundo. Apollodorus poculum effe ait, quod in fundum collocari nequit, [illegible].* Aleand. tab. heliac explic. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 712. D. Donabatur olim dono [illegible] qui hoftem proftravіffet, & fpoliaffet. Polybius. V. illum fupr. in *Phaleræ.* Valtrin. de re milit. Rom. VI. 4. Ego dubium animi, & affenfus me effe non nego, [illegible] Polybium [illegible] ita fcriptum. Ego nufquam [illegible] militaria de *phiala*, five patera legi. Extat eorum longus, & multiplex index in Valerio, & Plinio de his, quæ Siccio Dentato olim data. At in ea [illegible] patella una. Inferiore duntaxat ævo [illegible] in V[illegible] Prob. c. 5. donatum eam poft alia dona [illegible]. Sed hoc & femel legas, & inter grandiora dona, non hæc tralatitia, & minora. [illegible] φιάλην [illegible] lego ψάλιον, *armillam.* Hæc creberrima [illegible]. [illegible]: *Armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt.* Tertull. de pall. c. 4. *[illegible] fortium donis.* Lipf. de milit. Rom. V. 17. Gualther. ad tab. Sicil. 400. Barthol. de Armill. [illegible].

PHILIPPIS in nummis Antonini Pii adhucnum, vulgo *Filibo.* Urbs eft Thraciæ. Plin. IV. 11. *Intus Philippi [illegible].* Fuit *[illegible]* l. 6. ff. de ce[illegible] lib. quæ nifi [illegible] Imperatore *[illegible]* deducta. Eft in notis Romanorum COL. JUL. AUG. PHIL. *Colonia Julia Augufta Philippi.* [illegible] temp[illegible] prorfus ignoro. *Urfat. de Not. Roman. [illegible] Rom. Græv. Tom. XI. p. 632. A.*

PHILIP[illegible] Imperator, cum fe ad diis facrificandum [illegible], [illegible] fuafu, atque adhortationibus a facrificandi vol[illegible] refilut, & fidem Chrifti amplexatus, a Fabiano Papa facro baptifmate tinctus eft. Surius in actis Pontii Tom. VII. d. 14. Maji. Orof. VII. 20. Eufeb. Chron. an. Chrifti 247. Fidei caufa obiit. Eufeb. ibid. an. 254. *Decius cum Philippos patrem, & filium interfeciffet, ob odium eorum perfecutionem in Chriftianos movit.* Cedren. in Philippo: *Interfectus eft Philippus una cum filio contra Decium pro Chriftianis depugnans.* Taffin. Chronol. nov. lud. fecul. c. 12. §. 6.

Philippus fuit cognomen Marciorum; cujus gentis auctor Ancus Marcius Rex. *Sigon. de Nomin. Roman.* c. 5. V. infr. in *Rex.*

PHILYRA eft *planta habens corticem papyraceum frumento fimilem, ex quo coronas plectunt.* Auct. Etymolog. *Eft flexibilis, quod habet humiditatem lubricam, feu vifcofam.* Theophraft. de plant. I. *Pafchal. de Coron.* II. 12. Vincula ex tenuibus membranis, quæ inter lignum & corticem tiliæ reperiuntur, *philyras* appellat Plin. XVI. 14. *Inter tiliæ corticem & lignum tenues tunicæ multiplices membrana, e quibus vincula tiliæ vocantur: tenuiffimæ earum philyræ, coronarum lemnifcis celebres, antiquorum honore.* Politian. Mifc. c. 72. Beroal. Annot. c. 4. Ruben. de re veft. II. 10. Guiland. Papyr. membr. III. §. 49. Materia corollaria & coronaria *philyra*, ficuti filo nectebatur. Tertull. de pall. c. 3. *Dumque pertentat quod facilitas materiæ fuadebat, tractu profequente filum eliquaffe; & in reftis priftinæ modum, quam tenus philyra vinxerat, tenuiffe.* de Coron. milit. c. 5. *Hoc fint tibi flores, & inferti, & innexi, & in filo, & in fcirpo, quod liberi, quod foluti:* hoc eft, ne pluris facito coronam, quam flores nullo ordine difpofitos. E quibus verbis colligimus, duplici ratione nexas fuiffe coronas. Quippe quædam conftabant e floribus infertis, id eft, qui alii aliis effent implicati, & innexi. In aliis finguli flores remanebant integri, fed ordinati, nunc filo, nunc fcirpo. Scirpum pro *philyra* ufurpatum a Tertulliano ajo. *Pafchal. l. l.* Et convivas coronatos illis coronis, quæ ex *philyra* contexuntur, faltare demonftrat Ovid. Faft. V. 337.

Ebrius incinctis philyra conviva capillis
Saltat.

Et de talibus Horat. Od. I. 38. 2.

Difplicent nexæ philyra coronæ.

Beroal. l. l. Pro membrana, vel papyro ufurpabatur. Plin. XIII. 11. *Præparantur ex eo chartæ, divifæ acu in prætenues fed quam latiffimas philyras.* Quod fic accipitur, hoc inde eft, quod antiquitus ex arboribus, ac inprimis e tilia arbore, quæ Græcis φιλύρα dicitur, tabellas folebant conficere, quibus infis ceram infundebant, ut in his acuta ftyli parte exararent, & inverfa, quæ latior erat, inducerent. *Voff. Lex. Etymol.* Et ex ea compingebantur libri. Q. Septim. Romanus, ille qui Dictym Cretenfem Latine vertit, in ea epiftola, quam fcripfit Q. Arcadio. *At thefaurum rati mox diffolvunt non aurum, nec aliud quicquam prædæ; fed libros ex philyra in lucem producturi.* Mart. Capell. II. *Alii carbafinis voluminibus complicati libri, ex ovillis multi quoque; rari vero in philyræ cortice fubnotati.* Pafchal. l. l. Horum raritatem ad artificium refero, non ad novitatem. *Philyra* autem facti libri ita fcite compingebantur, ut effent replicatiles. Herodian. I. 17. §. 1. *Commodus, fumpto in manus libello, quales de philyra tenuiffimi, atque in utramque partem replicabiles fiunt, confcribit in eo quofcunque illa nocte interficere decreverat.* Barth. Adv. XXXV. 19. Jurgebantur, & torquebantur reftes. Te[illegible]ani enim commentatores veterum editionum fcripturam ad hunc modum interpolarunt, cum nullum in ea, nec texturæ, nec veftis veftigium extet. Sic enim habet: *& in reftis priftini modum, quem philyræ tenus junxerat, exiffe.* Ex quo totum hunc locum fic fcribi placet: *Denique cum ipfis Mercurium forte palpati arietis molitie delectatum, deglubaffe oviculam, dumque pertentat, & quod facilitas materiæ fuadebat, tractu profequente filum eliquat, in reftis priftini modum, quem philyræ tenus junxerat, exiffe.* Hoc ius ille lanæ, quem forte ex velle re arietis traxerat Mercurius, dum digitis deducitur, & torquetur, ex[illegible] in modum reftis, qui ex *philyra* necti folitus: atque ex illa fortuita lanæ tracti eliquatione per Mercurium facta, natum, & inventum

tum ab Iside torquere lanas, & in sila deducere ad eundem modum, quo prius nectebantur, & torquebantur vestes ex *philyra*: exinde materia vestibus ex lana texendis. *Tenus*, quod Græci τένος, vel τόνος, quicquid in longum ducitur, & extenditur, dicunt. Tenus philyræ dicitur Tertulliano *philyra* ipsa, hoc est, tiliæ membrana, ex qua restes torquentur. *Salmas. in Tertull. de pall. p.* 209.

PHO.

PHOENICE *acclivis Libano monti, regio plena gratiarum, & venustatis, urbibus decorata magnis, & pulcris, in quibus amœnitate, celebritateque nominatim Tyrus excelsa, Sidon, & Berythus, iisdemque pares, Emissa, & Damascus, seculis condita priscis.* Ammian. xiv. 8. Guilielmus Tyri Episcopus Sacri belli xiii. 2. sic dividit: *Olim per multa tempora Phœnicia simplex fuit, & uniformis: nunc autem in duas divisa est, quarum prima maritima dicitur, cujus metropolis est Tyrus habens* xiv. *suffraganeos. . . . altera dicitur Phœnicia Libanensis, cujus metropolis est Damascus, quæ etiam aliquando dicitur Syria. Hæc iterum Phœnicia postea divisa est in duas partes, quarum altera dicitur Damascena, altera Emissena.* Hieron. in Act. Apost. *Phœnicia provincia Syriæ est, cujus partes sunt Samaria, Galilæa, & aliæ plurimæ regiones.* Tota regio inter Palæstinam, & Syriam Palmyrenam trianguli speciem præbet. Ab oriente habet fontem Eleutheri, & Chrysorrhoæ caput: a meridie montem Libani: ab occidente mare Ægyptium, ubi in latum extenditur, *Phœnicia* maritima, a Corsæo fluvio cincta, ubi Biblus, & Tripolis, Berythus, ac Sidon. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 108.

PHOENICES artem navigandi invenerunt. V. supr. in *Navigandi. Veneri donum dabant de prostitutione filiarum, antequam jungerent eas viris.* August. de Civit. Dei iv. 10. *Tomas. de Donar. c.* 16. Principum infantes ad aras mactabant. *Tomas. ibid. c.* 40.

PHOENICOPTERUS est *genus avis, quæ habet pennas colore phœnicio. In aqua semper est, abundans in Africa. Hujus rostrum tam prolixum est, & curvum, ut, nisi merso capite, aqua in os ipsius non possit intrare.* Schol. Juven. ad Sat. xi. 139.

Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens.

Soli sacer est, ciconia paullo major, si ei forma non absimilis, si colorem, & rostrum extimum excipias, palustris Nili accola, ut prodit Kiranides c. 7. Lingua est gulosis in deliciis. Senec. Epist. 110. *Quod non desideras milliarios apros, nec linguas phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ.* Mart. xiii. 66.

Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis
Nostra sapit.

Suet. Vit. c. 13. n. 5. *In hac* patina *linguæ phœnicopterûm.* Inventum hoc est Apicii. Plin. x. 48. *Phœnicopteri linguam præcipui saporis esse Apicius docuit, nepotum omnium altissimus gurges.* Quomodo condiatur, docet Apic. de re coquin. vi. 7. Hujus sanguine, pridie quam periret, *respersus est sacrificans* Cajus. Suet. c. 57. n. 9. *Castellan. de carn. esu* iv. 13. *Nonn. de re cibar.* ii. 31. *Buleng. de Conviv.* ii. 13. *Meurs. de Luxu Roman. c.* 15. *Bruyer. de Re cibar.* xv. 45. *Kobierzyck. de Luxu Roman.* ii. 11. *Rader. in Martialem. Pitisc. in Suet. Calig. c.* 22. *n.* 9. Est valde frequens in paludibus maritimis ad mare mediterraneum, Provinciæ & Languedociæ. Unde valde miror Patinum ad Caligulam dicere, qualis sit ista avis, non satis constare. Est maxime electa ad sacrificia, propter egregiam ejus pulcritudinem, nempe ex plumis albis & coccineis, quibus ex toto vestitur; atque magnitudinem potius, quam ob carnis gustum; cum inter hircosas aves, & gravioris saporis sit. Lingua hœdinæ linguæ magnitudine parum cedit: & gustu ea sapidior est. *Lister in Apic. de Art. coquin.* vi. 7.

PHONASCUS vocatur formandæ vocis præceptor. Describit illum Varr. apud Non. ii. 826.

Phonascus sum, vocisque suscitabulum,
Cantantumque gallus gallinaceus.

Sidon. Epist. ii. 1. *Nec sub phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat.* Suet. Aug. c. 74. n. 6. Augustus *dabat assidue phonasco operam. Edomator vocis* dicitur Tertull. de pall. c. 5. Ejus mentio fit apud Gruter. Inscript. p. 89.

TI. CLAUDIUS
QUI. MACEDO
PHONASCUS

Barthol. de Tib. ii. 14. *Wowwer. de Polymat. c.* 5. §. 5. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de theat.* ii. 6. *Pollet. & Broid. For. Rom.* i. 11. *Mercur. Gymnast.* iii. 7. *Savar. in Sidonium. Pitisc. in Suetonium. Schill Nomencl. Philol p.* 908.

PHORCE *est lacus stadia* cccc. *distans a Roma. Marsi autem gens Italiæ, lacum hunc accolentes.* Isaac. Schol. Lycophr. n. 1275.

Phorcesque Marsicis paludis latices.

Pinell. Addit. ad Argol. in Panciroll. de Lud. Circens. ii. 14. Sic vocatur Lacus Fucinus. V. illum supr. in *Lacus.* Qui unde Lycophroni *Phorce* dicatur, minime dispicitur. *Cluver. Ital. Antiq.* ii. 15. 3.

PHORMIX eadem est cum cithara. Ostendit hoc Homer. Iliad. xviii. 569.

In medio eorum puer perdulci phormige
Suaviter canebat.

Fuisse *citharam, quæ humeris feratur*, vult Hesychius. *Buleng. de Theatr.* ii. 37.

PHR.

PHRYGIA Asiæ minoris regio, quam Suidas *Achillim* credit esse nominatam, in majorem, & minorem dividitur a Xenophonte, Ptolemæo, & Strabone, qui minorem Epictetum, & Hellespontiacum vocat, Hellesponto etiam a Diodor. xviii. attribuitur; eadem Troas dicitur. Major ab Aristide superior, a Strabone Paroria appellatur, quæ Olympo, & Hellesponto adjacet: in ea Colossæ, Laodicæa metropolis, & Hierapolis claræ urbes habebantur. Minor postea Pacatiana, forte ab Ovinio Pacatiano est dicta, qui sub Constantino P. P. orientis in ea diu resedit, ac consul & P. U. fuit. Ab oriente habet Cappadociam: ab occasu *Phrygiam* majorem, seu salutarem vocatam: a septentrione Galatiam: ab austro Lydiam. Major, quæ ad oram Ægæi maris, prope Hellespontum, ubi Troas, seu minor *Phrygia* extenditur, Caico flumine intersecatur, a Galatia Icio fluvio disterminatur; inquit Hieron. in Acta Apostol. Salutaris ob plurimos ibi a Michaele Archangelo sanitati restitutos est vocata. Niceph. vii. 50: viii. 4. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 126. *Sigon. de Antiq. jur. provinc.* i. 10.

PHRYGIO dicitur, qui vestes acu pingit. Plaut. Aul. iii. 5. 34.

Stat fullo, phrygio, lanarius.

Titinn. apud Non. i. 10.

Phrygio fui primo, beneque id opus scivi:
Reliqui acus, aciasque hero, atque heræ nostræ.

Phryges artificio vestes acu pingendi nobiles erant, & hanc artem invenisse existimantur. Plin. viii. 48. *Acu facere Idæi Phryges invenerunt: ideoque Phrygiones appellati sunt.* Varr. apud Non. I. I. *Phrygio qui pulvinar poterat pingere, soliar desigebat.* Græcis οἱ βελονοποικιλταὶ dicuntur. Nos hodie vocamus *brodeurs*, & opus *phrygionicum ouvrage en broderie.* Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20. Voss. Lex. Etymol. Pignor. de Serv. p. 359. Braun. de Vest. Sacerd. Hebr. i. 17. 15.

PHY.

PHYLACISTÆ sunt, qui servos in custodia, & ergastulo servabant: ut apud Plaut. Capt. iii. 5. 93.

Illis

Illic est deductus recta in phylacam, ut dignus est.

Per translationem artifices intelliguntur, qui manupretium, vel mercis mercedem flagitant, qui quod in atriis diutius expectant, custodes, & *phylacistæ* dicti videntur. Plaut. Aul. III. 5. 44.

Tricent cum stant phylacistæ in atriis.

Turneb. Adv. XIV. 5: XXIV. 23. Taubman. in Plauti Aulul ariam.

PHYLLA dicebantur fasciolæ, quæ pendebant e capitis muliebris redimiculo, quod florum instar dependerent, ut ait Onuphr. in calce libri de vocibus Ecclesiasticis obscurioribus. *Raynaud. de Pil. & cet. cap. tegm. Sect.* VI.

PIA.

PIACULARIS porta. V. illam infr. in *Porta*.

PIACULUM proprie vocatur sacrificium, & quicquid agitur, ... præbetur pro satisfactione peccati; unde *sacrificium piaculare*, & *auspicium piaculare*, quod sacrificantibus tristia portendebat, cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset. . . . Virg. Æneid. I. 673.

--- *hæc prima piacula sunto.*

Horat. Od. I. 28. 34.

Teque piacula nulla resolvent.

id est, nullis hostiis te expiabis. *Piare* enim est purgare, expiare; & *piari* dicuntur peccata, hoc est, lui, sive solvendo pœnam debitam, sive aliud quid, quod pœnæ debitæ in locum succedit. Virg. Æneid. II. 140.

--- *& culpam miserorum morte piabunt.*

hoc est, efficient ut luantur. Sallust. Orat. ad C. Cæsar. de Rep. ordin. p. 211. *Cæde cædem, sanguine sanguinem expiant.* Id ... est ... per successionem rei alterius in locum pœnæ debitæ. Plaut. Epid. II. 2. 36.

Men' piacularem oportet fieri propter stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succedaneum.

Lomej. de Lustrat. c. 1. Stuck. de Sacrif. p. 224. Saubert. de Sacrif. c. 3. Turneb. Adv. XXVIII. 46. Guther. de vet. jur. pont. II. 3. Voss. Lex. Etymol. Ravard. Conject. III. 1. Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 126. Ferret. Mus. Lapid. IV. memor. 43.

Piaculum improprie vocatur crimen, peccatum, flagitium, propter quod *piaculum* debetur. Virg. Æneid. VI. 569.

Distulit in seram commissa piacula mortem.

Ubi ... *piaculum* interpretatur Servius. *Stuck. de Sacrif. p.* 211. *Voss. Lex. Etymol. Lomej. de Lustrat. c.* 1. *Saubert. de Sacrif. c.* 3. *Ravard. Conject.* III. 1.

PIC.

PICA Minutius dictus est a studio hujus avis. *Sigon. de nom. Rom. c.* 5.

PICÆ aves, quibus ingenii largitor venter humanas voces expresserat, in domibus potentiorum, supra limen appendebantur, quæ intrantibus χαῖρε ingeminabant. Petron. c. 28. *Super limen cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat.* Kobierzyck. de Luxu Rom. II. 7. Bruyer. de Re cibar. XV. 79.

PICARIÆ. V. illas infr. in *Vectigal*.

PICATIO, & vitii ... resinæque in usus in hominibus depilandis cinædis familiaris fuit. Suggillatur satis acerbe a Satyrographo, qui pathicos depilari solitos testatur vitio ... resina, & cera, quo nitidiores redderentur, ... Nævolo ... hirsutam pilorum suffruticantium sylvam exprobrat Sat. VIII. 12.

--- *horrida siccæ*
Sylva comæ, nullus tota nitor in cute, qualem
Bruttia præstabat calidi tibi fascia visci:
Sed fruticante pilo neglecta, & squalida crura.

Idem non in uno loco Martialis affirmat. Apud illum etiam scorta resina pilantur XII. 32. 21.

Nec plena turpi matris olla resina,
Summœnianæ qua pilantur uxores.

Junius de Coma c. 2.

PICEA est arbor funesta, & olim apponebatur foribus indicium quoddam, quo funesta illa esse domus, in qua mortuus erat, cognosceretur, ne quis imprudens funestam domum, rem divinam facturus, introiret, & quasi contaminatus suscepta peragere non posset. Plin. XVI. 10. *Picea montes amat, & frigora: feralis arbor, & funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens.* Ratio fuit, quia & *picea* resecto vertice intermoritur. *Kirchmann. de Funer.* I. 14.

PICENUM vulgo *Marchia Anconitana* dictum *Pentapolis provincia* vocatur a Synodo VI. Constantinopoli habita sub Constantino Pogonato. Hanc *Piceni* denominationem tradit Festus: *Picena regio, in qua est Asculum, dicta, quod Sabini, cum Asculum proficiscerentur, in vexillo eorum picus consederat.* Duplex fuisse significat Notitia, Annonarium, & Suburbicarium. Strab. V. p. 173. *Picentum caput fuit urbs Picentia: sed nunc per pagos habitant, a Romanis Urbe expulsi, quod Annibali se conjunxissent: quo quidem reipublicæ ... pro militia iis injunctum fuit, ut cursores, ac tabellarii essent.* Et legem a C. Flaminio tribuno plebis latam fuisse de eorum agro viritim dividendo refert Cicer. Caton. c. 4. Quia ergo in formam suburbiorum redactum est *Picenum*, & mœnibus desolatum, suburbicanum potuit appellari. Alii ita dictum volunt, quod ea pars Romæ propior esset, ac fere Urbis suburbiis conjungeretur: tam ita Plin. III. 5. subit Romam *per directum ... passuum triginta millia* DCCLXV. *Ad extrema vero tectorum cum castris prætoriis a milliario, per vicos omnium viarum mensuram colligere paullo amplius* LXX. *millium passuum. Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari.* Postea cum Trajanus, deinde Aurelianus Urbis pomœrium protulissent, constat usque ad Tiberis ostium suburbia pervenisse. Quod & Aristides affirmat in Panegyrico Urbis: *Descendit hæc usque ad mare, ubi commune emporium, communeque omnium, quæ terra proveniunt, ... Quicquid nunc Italiæ restat, complexa illum universa mihi videtur, unique urbs perpetua in Ionium mare protensa.* Itaque tam longe se extendentibus suburbiis, non mirum si *Piceni* pars suburbicaria dici potuit. His concinit Symm. Epist. II. 80. *Tum P. V. Spoletum suburbanitas nostra est.* A suburbanis enim provinciis ad P. V. appellabatur. Valens A l. 13. C. Th. de accus. *Referant judices de suburbanis provinciis ad præfecturam sedis urbanæ.* Pancіroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 41. Ultimi Italiæ fuerunt *Picentes*. Oram tenuerunt ab Aterno amne ad Æsim. In illa sunt oppida, Castrum, Cupra maritima, Truentum, Numana, Ancona: intus Trajena, urbs Salvia, Septempeda, Cupra montana, Firmum, & Asculum utrumque cognomine *Picenum*, Hadria; inde Matrinus amnis, Auximum, Iguium, Puæventia. Prætutianam regionem modo cum *Piceno* conjunctam, modo ab eo separatam significat Plin. III. 13. Cum *Picentibus* an. 453. T. Manlio Torquato, M. Fulvio Pæto coss. fœdus primum est ictum. Liv. X. 10. *Romæ terrorem præbuit fama Gallici tumultus, ad bellum Etruscum adjecti, & minus cunctanter fœdus ictum cum Picenti populo est.* c. 11. *Cum Etruscum bellum segnius opinione esset, alterius belli fama Picentium novorum sociorum indicio exorta est; Samnites arma, & rebellionem spectare, seque ab eis sollicitatos esse. Picentibus gratiæ actæ.* In hoc fœdere mansisse usque ad an. 484. inde licet suspicari, quod eo demum anno *Q. Ogulnio Gallo, Q. Fabio Pictore coss. Picentes bellum commovisse; & ab insequentibus coss. Pub. Sempronio, Appio Claudio victos esse* tradidit Eutrop. II. 16. De hoc bello Oros. IV. 4 *Sempronius cos. adversus Picentes duxit exercitum. Et cum directa intra jactum teli utraque acies constitisset, repente ita cum horrendo fragore terra tremuit, ut stupore miraculi utrumque pave-*

pavefactum agmen hebesceret. Diu attoniti utrinque populi hæsitavere. Præjudicata incepti conscientia, tandem procursu concito iniere certamen. Romani pauci admodum eo prælio qui evasere, vicerunt. Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 15. Goltz. Ital. p. 242.

PICTOR fuit cognomen Fabiorum. Plin. XXXIV. 4. *Apud Romanos quoque honos mature huic arti*, picturæ, *contigit. Siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clarissimæ gentis, princepsque ejus cognominis ipse ædem Salutis pinxit anno Urbis conditæ 450. quæ pictura duravit ad nostram memoriam, æde Claudii principatu exusta.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. *Pictores* duos consulares legi. Alter est C. Fabius C. F. M. N. qui consul fuit cum Q. Ogulnio Gallo an. 484. Hunc Q. Fabium appellat Plin. XXXIII. 3. eoque cos. ait *argentum signatum primo fuisse quinto anno ante primum bellum Punicum.* Alter Caji frater N. Pictor, qui triennio post cos. fuit cum D. Junio Pera. Triumphum egit bis: III. Non. Octobr. de Sassinatibus, & Kalend. de Sallentineis, Messapeisque. *August. de Famil. Roman. in Fabia. Strein. de Gent. & Famil. Roman. in Fabia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 325.*

Pictores censum capitis etiam servi non pendebant l. ult. C. Th. de excusat. hospites recipere non cogebantur l. archiatros C. de metatis. C. Th. l. l. pergulas, & officinas in locis publicis sine pensione tenebant, in civitate, quam elegerant, morabantur, aliisque privilegiis gaudebant. ult. l. l. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 3. *Pictorem* cum cælatore domestico conjungit Juven. Sat. IX. 145.

Sit mihi præterea curvus cælator, & alter
Qui multas facies pingat cito.

Marcian. l. 17. ff. de instruct. vel instrum. l.g. *Pictoris instrumento legato, ceræ, colores, similiaque horum legato cedunt.* Paull. Sent. III. *Instrumento pictoris legato, colores, penicilli, cauteria, & temperandorum colorum vasa debebuntur.* Apud Græcos erant homines non nisi liberi, & ingenui. Plin. XXXV. 10. *Semper honos in tota Græcia ei*, picturæ, *fuit, ut ingenui eam exercerent, mox ut honesti: perpetuo interdicto, ne servitia docerentur. Ideoque nullius, qui servierit, opera celebrantur.* Romani servis suis hanc artem, ut sibi haberent, permiserunt. *Pignor. de Serv.* p. 356.

PICTURA est ars, quæ tam facili successu poesin æmulata est, ut pariter oculos atque illa aures tenuerit: affectus utraque movens, utraque parem semper sibi licentiam arrogans. Hujus, ut inquit Plin. XXXV. 3. *artis initia sunt incerta. Ægyptii sex millibus annorum antiquiorem faciunt quam Græci, vana antiquitatis jactatione. Græci alii Sicyone, alii apud Corinthios primum inventam esse* prædicant, rudibus primum initiis: nempe umbra hominis lineis in parietibus circumscripta: unde prima lineamenta ducere uno verbo adumbrare dicimus. *Inventam linearem*, pergit Plinius, *dicunt a Philocle Ægyptio, vel Cleante Corinthio. Primi exercuere Ardices Corinthius, & Telephanes Sicyonius, sine ullo etiamnum colore, jam tamen lineas spargentes intus. Ideo & quos pingerent, adscribere institutum.* Ælian. Var. Hist. X. 10. *Quum ars pingendi inciperet, & quodam modo in lacte, fasciisque versaretur, adeo rudíter depinxerunt animantia, ut inscriberent iis pictores, hoc est bos, illud equus, hoc arbor. Primus*, addit enim & hæc Plinius, *invenit eas colorare, testa, ut ferunt, trita Cleophantus Corinthius.* Demontiosf. de Pictur. Antiq. II. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 791. F. Buleng. de Pictur. I. 2. Vita est memoriæ, lux vitæ, testis temporum, nuntia virtutis, mortuorum a morte restitutio, famæ, gloriæque immortalitas, virorum propagatio; quæ facit, ut absentes præsto sint, & variis dissitisque locis uno tempore repræsententur. Apud Romanos mature honos huic arti contigit. V. Plinium modo laudatum in *Pictor.* Buleng. l. l.

PICUMNUS fuit deus Rutulorum. De illo Serv. Virg. Æneid. IX. 4. *Pilumnus & Picumnus fratres fuerunt, & dii horum*, Rutulorum. *Picumnus usum invenit agrorum stercorandorum: unde & Sterquilinius dictus est.* Voss. de Idolol. I. 40. Gyrald. Synt. deor. I. p. 56. A. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 232. A. Par. Elect. Plaut. II. 14. V. & infr. in *Pilumnus.*

PICUS in auguriis receptus est a gentilibus, & propter hanc rationem a Saturni filio nomen sumpsit, qui eo in auspiciis utebatur; ferunt enim hanc avem aliquid divini habere, quod *clavus, cuneusve adactus, quanta libeat vi, arbori in qua nidum habuerit*, hærere diu non possit, sed *statim exiliat, cum crepitu arboris.* Plin. X. 18. Refert Albertus, si foramen, in quo *picus* nidum, pullosve habuerit, pessulo obstruitur, *picus* ducens herbam quandam, virtute, & tactu illius cum pessulo deobturat foramen. *In capite prætoris urbani L. Tuberonis, in foro pro tribunali jura reddentis, sedit ita placide, ut manu prehenderetur, respondere vates, exitium imperio portendi, si dimitteretur: at si exanimaretur, prætori. Et ille avem protinus concerpsit: nec multo post implevit prodigium.* Plin. l. l. *Niphus de Augur.* I. 10. *Buleng. de Augur. & auspic. c. 6. Picum* Latini venerantur, & eo universi magnopere abstinent. Plutarch. Roman. quæst. 21. *An quia Picum veneficio uxoris mutatum in picum avem fabula fert, & oracula pronuntiasse, ac responsa interrogantibus dedisse? An hoc quidem omnino incredibile est, & monstrosum? alia vero fabula probabilior Romulo & Remo expositis non tantum lupam ubera præbuisse, sed & picum frequenter advolasse, & bucceas in ora inseruisse? Frequentes enim etiamnum in locis, quæ sub montibus sita sunt, ac sylvestria, ubi picus, ibi etiam lupus visitur, ut narrat Nigidius. Aut potius sicut aliæ aves diis sacræ, ita picus Marti sacer est? est enim audax, & ferox avis, rostrumque habet ita robustum, ut quercus etiam exscindat, cum rostri ictibus usque ad medullam pervenerit.* Romulum, & Remum pavisse testatur etiam Ovid. Fast. III. 53.

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino,
Et picum expositis sæpe tulisse cibum?

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 10.

PIE.

PIETAS ut dea a veteribus est culta. Ejus caput erat muliebre. Eamque vel Augustorum, Augustarumque, vel Romanam, & senatus, modo per aram, in qua ignis ardet, adjuncto simpulo, & arca thurifera, vel per signa pontificalia, & auguralia repræsentabant, modo vel per Æneam Anchisen portantem, vel duos fratres Catinenses; aut per feminam puellos foventem, & lactantem, vel per matronam capite velato sacrificantem, ciconiamque notabant. *Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 138. Ortel. Deor. & dear. cap. 11. fig. 56.*

Pietas cognominatus est L. Antonius, quod eo animo Rempublicam una cum Fulvia tractarit, quasi pro Marco triumviro fratre laboraret. Unde dicitur L. Antonius *Pietas.* Dio XLVIII. p. 352. A. *L. Antonius causæ societate cum Fulvia contracta, ac si id Marci fratris sui causa faceret; nam Pietatis quoque cognomen sibi propter suam in fratrem pietatem sumpserat, strenue eam agebat.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Spanhem. Dissert. VI. de præst. numism. p. 532. Nonn. in Goltz. Jul. Cæsar. Numism. p. 70. Vignol. Dissert. de Column. Anton. Pii c. 6. Inter epitheta solita, & propria Imperatorum sequiori ævo est recepta: quod notatur in Novella Justiniani CXV. & cujus exempla in Constitutionibus Imperatorum obvia, ut Theodosii l. 2. C. Th. de frum. Urb. const. *Nec non a Divo Pietatis meæ avo.* Et apud Symmach. Epist. X. 34. *Asperioribus, quam Pietati vestræ mos est, literis.* Cassiod. Var. I. 1. Theodoricum inducit scribentem ad Imperatorem Anastasium, *ad serenissimam Pietatem vestram.* Ut mittam etiam Ponticam Diœcesim a Constantio, quod Ammian. XVII. 7. refert, *ad honorem uxoris Eusebiæ Pietatis cognomine dedicatam.* Spanhem. Dissert. VIII. de præst. numism. p. 723.

PIG.

PIGMENTARIUS vocatur *pigmentorum* venditor, vulgo

vulgo *drogistæ.* Scribon. Comp. 22. *Ut pigmentarii institores ejus rei compendii causa faciunt.* Marcian. l. 3. §. 3. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. *SCto effectum est, ut pigmentarii, si cui temere cicutam, salamandram, aconitum. . . . & id quod lustramenti causa dederint, pœna teneantur hujus legis.* *Pigmenta* enim habentur inter medicamenta. Scribon. Comp. 21. *Quæ ex cadmia, aut ære usto, ejusdemque generis pigmentis componuntur.* Plin. XXIX. 1. *Quod venenum esse, docebimus inter pigmenta.* Fulgent. Mythol. III. 8. *Quod hoc genus pigmenti sit valde fervidum.* Glossæ: *Pigmentarius*, μυροπώλης, φαρμακοπώλης, μυρεψός. Fulgent. Expos. prisc. serm. §. 43. *Myropolæ sunt, qui unguenta vendunt, ut sunt pigmentarii.* Schol. Pers. Sat. I. 43. *Per scombros significat salsamentarios, per thus pigmentarios.* Est idem qui pharmacopola. Firmic. Astron. VIII. 25. *Thurarios faciet, vel pigmentarios, seu pharmacopolas.* Muncker. Mythol. l. l. Rhod. in Scribon. l. l. Barth. Adv. XXXIX. 16. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 903. E. Beroald. in Apul. VIII. p. 254. Zimmerman. Floril. Philol. p. 620.

PIGNUS est contractus, quo res aliqua creditori ea lege obligabatur, ut in illa ipsa, cum primum ei satisfactum esset, reddenda dolum, & levem culpam præstare deberet. *Sigon. de judic.* I. 5. *Inter pignus, & hypothecam tantum nominis sonum differre* scribit Marcian. l. res §. inter ff. sed de illo fusius disputant *August. ad Leg.* XII. *tab.* §. 54. *Salmas. de modo usur. c.* 13. & *Guther. de jur. man.* III. 2. Capiebatur, antequam multa quæ dicebatur senatoribus, qui absque justa causa senatu abessent, solveretur. Gell. XIV. 7. *De pignore quoque capiendo disseruit, deque multa dicenda senatori, qui, quum in senatum venire deberet, non adesset.* Cicer. Phil. I. 5. *Quis unquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus & multam?* Liv. III. 38. *Postquam citati non conveniebant, dimissi circa domos apparitores ad pignora capienda, sciscitandumque, num consulto detrectarent.* Quod solebat vendi, si multa in condictum tempus non solveretur. Cicer. de Orat. III. 1. *An tu, cum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris, eamque in conspectu populi Romani conciderís, me his pignoribus existimas posse terreri? non tibi illa sunt cædenda, si Crassum vis coercere.* *Cædere* antiquo verbo dixit, pro eo quod est auctione distrahere. Namque cædere significat consumere. V. supr. in *Cædere.* Eodem modo consules minores magistratus, pontifex maximus sacerdotes, & imperatores in castris legatos coercebant. Plutarch. Caton. p. 777. C. *Quod ipse ubi rescivit, neque se ad cœnas ejus venisse, neque, si ad consilium, vocaretur, paruisse, cumque minaretur, se cum pignore, (ita enim solet agi cum illis, qui non obtemperant magistratibus) coacturum, nihil istos terrores curasse.* Liv. XXXVII. 51. *Priusquam in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum, & Postumium Albinum fuerat. Consulem illum cum C. Lutatio collega in Siciliam ad classem proficiscentem ad sacra retinuerat Metellus pontifex maximus; prætorem hunc, ne in Sardiniam proficisceretur, P. Licinius tenuit, & in senatu, & ad populum magnis contentionibus certatum est: & imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & multæ dictæ, & tribuni appellati, & provocatum ad populum est. Religio ad postremum vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici; & multæ ex jussu populi remissæ.* Zamosc. de Senat. Rom. II. 4. Manut. de Senat. Rom. c. 6. Oizel. in Gellium. *Pignore*, vel hypotheca cedere, vel etiam decedere, ut Cicer. Fam. XIII. 56. est possessione, & dominio cedere. Lex commissoria pignorum, cautio fuit, vel pactio, qua debitor creditori cavebat, ut si pecuniam die dicto non solvisset, *pignus* committeretur, id est, possessione, & dominio cederet. *Salmas. ibid. c.* 14. Id sibi ut jure dominii possidere liceret, creditores, qui acceperant, cujus facilis, & expedita distractio non esset, debitoribus in solutione cessantibus, a Principe plerumque impetrasse in jure civili satis est cognitum l. eleganter ff. de pign. action. l. si is qui in aliena §. ult. ff. de acquir. rer. dom. tit. de jur. dom. impetr. C. Sed in ea re quænam sollennia servarentur, non satis liquet, eoque obscurior est l. 1. C. de jur. dom. impetr. in qua hujusmodi sollennium mentio habetur. Ego de eo, quod proferam, hoc habeo. *Pignus* primum a creditore proscribi, venaleque proponi solebat. Ejus si emptor non inveniretur, vel minus idoneus inveniretur, tunc a Principe creditor, ut sibi jure dominii tenere, habereque liceret, postulabat. Quo facto anni spatium debitori indulgebatur, intra quod oblato debito *pignus* luere, ac revocare posset: post eum annum lapsum deinceps creditor ex rescripto Principis pro domino *pignus* possidebat. Hoc cognitum est unius Justiniani testimonio l. vetustissimam C. de jur. dom. impetr. *Igitur in pignoribus, quæ jure dominii possidere aliquis cupiebat, proscriptio publica, & annus luitionis antiquitus introducti sunt. Pignus autem publice proscriptum neque vidimus, neque nisi tantummodo ex librorum recitatione audivimus.* Hinc petetur interpretatio l. si quis in aliena. §. quod si creditor. in qua ita est: *Quæ cum ita sint: & cum ex Principis auctoritate creditor ut proprium agrum tenere cœperit, jure dominii intra constitutum luendi tempus pignoris causa vertitur. Constitutum tempus* anni intellige, qui ad luendum *pignus* debitori concedebatur. *Brisson. Ant. Select.* IV. 9.

PIL.

PILA erat effigies tum lanea hominis, quæ Laribus in ludis compitalibus suspendebatur. Festus: *Pilæ, & viriles, & muliebres effigies in compitis suspendebantur Compitalibus ex lana, quod esse deorum inferorum hunc diem festum, quos vocant Lares, putarent; quibus eo die tot pilæ, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur: ut vivis, sic enim invocantur, parcerent, & essent his pilis, & simulacris contenti.* Junius de Pictur. II. 8. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 11. Lomej. de Lustrat. c. 30. Rader. ad Mart. II. 35. 6. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 24. Voss. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 909. tum stramentitia, qua objecta tauri irritabantur. Mart. de Spect. XXII. 6.

Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

XIX. 1.

Sustulerat raptas taurus in astra pilas.

Gloss. *Pilæ*, ταυριάριοι, ταυροκαθάπται. Unde proverbialiter *homines fœneos* dicit Cicer. Cornel. princ. *Prospectat videlicet Cominius, quid agatur: videlicet homines fœneos in medium ad tentandum periculum objectos.* Ascon. p. 127. *Simulacra, effigiesque hominum ex fœno fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur.* Huc etiam allusit Varro, cum unam de Menippeis suis proscripsit titulo *Ajacis stramentitii.* Scalig. ad Festum. Salmas. ad Spartian. Pescenn. c. 12. Buleng. de Venat. circi c. 22. Junius & Rader. l. l. Hisce nullius omnino pretii vestes circumponebantur. Proinde *pannosas pilas* quandoque vocat Martialis: ut Epigr. X. 86.

Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
Nunc postquam desiit ludere, prima pila est.

Rhodig. Jun. & Rader. l. l.

Pila fullonica, de qua Cato de Re rust. c. 10. est, qua tunduntur panni & vestes, ut poliantur: quod hodieque opera rotarum aquariarum sublatis *pilis* fieri videmus. *Turneb. Adv.* VII. 22. *Popm. de Instrum. fundi c.* 19. *Hering. de Molend. q.* 6. §. 16.

Pila vocatur mortarium, in quo quid contunditur. Pallad. I. 41. *Omnia simul mista in pila contundes.* Cœl. Aurelian. Acut. III. 4. *Tunc iisdem diebus mittimus medicamentum in pilam, & conterentes formamus trochiscos.* Inter *pilam* & *pilum* quæ sit differentia, docet Scribon. Compos. 74. *Commis, & tragacanthum passo Cretico uno die, & una nocte macerari oportet, & postero die pila, & pilo mundo contundere, & cætera trito mortario curiose miscere.* *Pila* namque videtur dici in quo, *pilum* vi cujus res ea contunditur. Eandem observationem confirmat, sed *pilam* tale vas esse demonstrans, in quo calefieri res etiam fuerint

con

consuetæ Compos. 75. *Deinde myrrham tritam seorsum admiscere, & rursus utraque in unum diu terere, atque ita in pilam conjicere: & ubi cum concaluerint ictu pili terebinthinam paullatim miscere, donec omnium unitas fiat.* Barth. Adv. xxxviii. 2: xxxix. 15. Hering. de Molendin. q. 4. §. 9. Recensentur a scriptoribus rei rusticæ, maxime a Catone *farraria* ad far pinsendum, *fabaria* ad fabam fresum, *lignea*, in qua tunduntur grana molliora, ut zea, *seminaria* ad terendos seminum nucleos, *fullonica*, in qua tunduntur panni, & vestes, ut poliantur. *Pilum fabarium, farrarium, seminarium*, quo faba, far, semina in *pila*, sive mortario feriuntur, & tunduntur. *Popma de Instrum. fund.* c. 19.

Pilæ dicuntur saxa illa, quæ præstruuntur muro littorali ad frangendum undarum vim, murumque ab iis defendendum. Virg. Æneid. ix. 709.

Qualis in Euboico Bajarum littore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam jaciunt ponto.

Colum. ix. *Prejaciuntur in gyrum moles. Sic enim maris atrocitas objectu crepidinis frangitur.* Græci vocant non tantum προκύματα, sed etiam χηλὴν: unde Suidas exponit *saxa, quæ ante murum ad mare situm sunt projecta propter fluctuum vim, ne murus lædatur.* Voss. Lex. Etymol. Cerda in Virgilium. Keuchen. in Frontin. de Aquæduct. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iv. p. 1664. F. Holsteen. de Pila Staffil. Thes. Græv. ibid. p. 1804.

Pila ad sepulcrum mediocre referri potest. *Pilæ* quippe quæ non solum medii ordinis hominibus, sed & Principibus, imo Imperatorum uxoribus pro sepulcris fuerunt. Sunt autem *pilæ* incertæ & irregulares columnæ, sic dictæ, quod non habeant certum ex quinque illis architectonicis ordinem, cum sint nimis breves, crassæ, & amplæ. Sunt vel rotundæ, vel quadratæ. Rotundæ Græcis κίονες, aut ξύλοι, quadratæ στῆλαι nominantur. Hinc Plin. vi. 28. *pilas* quadratas e lapide appellat *stelas lapideas*. Prioris speciei est densa illa *pila* rotunda in sepulcro Pacuvii, poetæ antiquissimi, quod hodie adhuc visitur Romæ. Habet tantum tres diametros imæ partis, & capitello tegitur Dorici ordinis. *Bergier. de viis milit.* ii. *Sect.* 37. §. 1. *Philand. ad Vitruv.* ii. 11. *Guther. de jur. man.* ii. 23.

Pila fuit signum militare. Quod *pilæ* signum ad solas Imperatorum imagines quidam trahere velint, quæ tanquam clypei, & velut in suggestu altera super alteram ponuntur, nondum mihi persuadere potuerunt. Isidor. xviii. 3. *Pilam in signa constituisse fertur Augustus propter nationes sibi in cuncto orbe subjectas, ut magis figuram orbis ostenderet.* Imperatorum imagines signa diversa fuisse ab aquilis, & reliquis signis dubium esse cuiquam non potest. Veget. ii. 7. *Aquiliferi, qui aquilam portant: imaginarii, vel imaginiferi, qui Imperatorum imagines ferunt.* Tum & illud nemini ignotum est, *pilas* illas, circulos, sive clypeos in omnibus fere signis conspici. Quod sciunt, qui veterum monumenta, & nummos tractant. In nummo Galbæ *pilæ* conspiciuntur supra se mutuo positæ: etiam in iis hastis, in quarum summitate insidet aquila. Similes clypei, seu globuli reperiuntur in nummis C. Valerii Flacci cos. an. 660. C. Flavii Fimbriæ an. 649. M. Cornelii Cethegi an. 593. Neque tamen libera Republica in iis signis cujusquam imagines poni potuerunt. *Stewech. in Veget.* ii. 6. *Lips. de Milit. Roman.* iv. *dial.* 5. *Junius de Pictur.* ii. 8. *Thys. Rom. Illustr.* iv. *p.* 92. Hoc genus vexilli *tufam* vocabant Romani. Beda Hist. ii. 16. *Nec non & incedente illo ubi libet per plateas illud genus vexilli, quod Romani tufam, Angli appellant tuuf, ante eum ferri solebat.* De splendore, & pompa Regis Eduini scribit, & vel pacis tempore semper incessisse cum hoc vexillo. Et hinc emendo Veget. iii. 5. *Muta signa sunt aquilæ, dracones, vexilla, flamulæ, tufæ.* pro, ut legitur, *flamulæ rufæ*. Lips. & Thys. l. l.

Pila vocatur etiam structura erecta ad aliquid sustinendum, confirmandumque: nempe quia ligni, aut lapidis teretis & oblongi, quo in mortario tunditur, vel cylindri habeat figuram. Differt a columna. V. supr. in *Columna*. Voss. Lexic. Etymol. In Urbe passim erectæ visebantur, quibus vendibilia mercimonia appendi, venumque exponi solita. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 15. Ex his forsitan insignia venditorum, aut rerum venalium conditio descripta, depictave suspendebatur, quo melius e longinquo conspici possent. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 6. Ad illas erant cauponæ, & popinæ. Mart. vii. 60. 5.

Nulla catenatis pila est præcincta lagenis.

præsertim tabernæ librariæ. Catull. xxxvii. 1. & Horat. Sat. i. 4. 71. V. illos in *Tabernis*. Holsteen. de Pila Staffil. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iv. p. 1804. C. Donat. l. l. Parthen. ad Catullum. Lambin. in Horatium.

Pila Horatia fuit in Foro. Columna ea fuit, ad quam Horatius spolia Curiatiorum veluti tropæum suspendit. Liv. i. 26. *Inter hæc senex, juvenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc pila Horatia appellatur, ostentans. . . .* Dionys. iii. p. 160. *Extat & alterum virtutis, quam in pugna declaravit, testimonium, angularis columella, a qua altera fori porticus incipit: cui alio orum trigeminorum spolia superimposita fuerant. sed arma illa periere sublata sunt; columella priscam appellationem retinens, pila vocatur Horatia.* Nardin. Rom. Vet. v. 7. Passerat. in Propert. p. 415 D.

Pila Naris, sive Honoris fuit contra quartum verticem collis Quirinalis. Varr. de Ling. Lat. iv. 8. *Collis Salutaris quarticepsos adversum est pila Naris.* Nomen huic vel ab imagine Naris fluminis, vel ab insigni aliquo, seu simulacro Honoris tributum fuit: quia vero adversum collem Salutarem fuit, non longe a palatio Papali abesse potuit. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 6. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 8. §. 5.

Pila Staffilaris in veteri instrumento basilicæ Vaticanæ legitur. Est massa quædam, sive moles structilis ad ripam ulteriorem Tiberis, sive in regione Transtiberina ex cæmentis, & lapidibus, forma quadrata, solidi, firmique operis; ita supra ripæ superioris crepidinem edita, ut ex ea catenæ ferreæ, atque rudentes, molæ subjecto in amne fluitantis retinacula, religari possint; ne illa undarum impetu abripiatur. Turretti nomen ob quadratam, & editiorem formam pridem obtinuit, atque nunc etiam vulgo retinet. Videndum, cur *pila Staffilaris* appelletur, cum hoc tempore Romæ in usu esse desierit. Vox est mere Germanica, & superioribus seculis a pistoribus Germanis introducta, cum penes eam nationem fere solam omne panis conficiendi artificium esset. Pistoribus autem præcipuum, & continuum negotium est cum molitoribus, quorum opera in farina conficienda quotidie utuntur: itaque mirandum non est, eandem vocem, & pistoribus, & molitoribus fuisse communem. Illud autem præmittendum; Linguæ Germanicæ duas esse dialectos, aliam inferioris, aliam superioris: quarum differentia in eo præcipue consistit, quod inferiores Germani vocalibus, & consonantibus, literis simplicibus, & lenioribus utantur; superiores diphthongis, & consonantibus asperioribus, iisque geminatis. Unde cum inferiores dicant simium **ape** / sacerdotem **pape** / arma **wapen** / sperare **hopen**; superiores easdem voces durius ita proferant, **affe** / **pfapfe** / vel **pfaffe** / **waffen** / **hoffen**. His præsuppositis dico, quod inferioribus Germanis **stappe** / & **stapel** / vel **stappel** dicitur pro gradu, & scala, hoc superioribus esse **staffe** / & **staffel**: unde a Germanis una cum re ipsa etiam staffæ nomen Itali, Galli, & Hispani acceperunt, quam Latini posteriores proprio nomine scalam appellarunt. Pari etiam modo jus exonerandarum mercium in quibusdam civitatibus, aut emporiis ad mare, aut flumina navigabilia positis, Itali *scalam mercimoniorum* vocant, quod Germanis inferioribus **stapel** / & superioribus **staffel** dicitur, & inter regalia habetur. Illud certum est, vocem illam scalam, gradus, & exscendendi locum significare. Cum ergo *pilis* illis molas fluviales retinentibus ubique de proximo adjungi soleant scalæ structiles cæmentitii, aut lateritii operis, per quas hominibus

pariter, & jumentis deſcenſus ad molam præbetur; certum eſt, & indubitatum, *pilam* illam propterea ſtaffilarem cognominatam, quod ſtaffilam, ſive ſcalam ejuſmodi haberet conjunctam. Atque hoc adeo ab hodierno Turretii nomine non abhorret, ut Loccen. de jur. marit. I. 4. obſervet etiam nunc in Suecia turrem campanariam vulgo Clockſtapel / hoc eſt ſtaffilam campanariam appellari. Suecorum enim linguam ex Saxonica magnam partem derivatam eſſe conſtat. Et in legibus antiquis ripuariis Regis tribunal Staplum Regis eſt appellatum, a Germanico ſtap / vel ſtaffel / hoc eſt gradu; quod ad illud, ſuggeſtu quodam erectum, gradibus aſcenderetur. *Holſten. de Pila Staffil. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1803. *A.* 1805. *A.*

Pila Tiburtina fuit vicina circo Floræ. Mart. v. 23.

Nam Tiburtinæ ſum proximus accola pilæ;
Qua videt antiquum ruſtica Flora Jovem.

Quæ quum in regione ſeptima fuerit, neceſſe eſt ut ad aream Grimanam, ſive in ejus limite exſtiterit, prope declivitatem illam, quæ ad fontem Trevium ducit: ubi & continuum eſſe debuit utriusque regionis ſextæ, & ſeptimæ. Dato igitur, ſtatutoque, viam Felicem hanc ab illa regionem dirimere, in ea, vel in ejus ſaltem vicinia, inter duarum viarum Roſellæ, & B. V. Conſtantinopolitanæ capita, ſeu principia, *pilam* Tiburtinam fuiſſe exiſtimo. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 9. §. I. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 25. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 278. *E. Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 10.

Pila denique eſt ſphæra luſoria. Fuit ludus præcipuæ commendationis apud veteres, quo viri clari, & illuſtres exercendi corporis, & animi vegetandi cauſa ſtudioſiſſime luſerunt: Auguſtus apud Suet. c. 83. n. I. *Ad pilam primo, folliculumque tranſiit.* Mutius Scævola augur apud Valer. Max. VIII. 8. 2. *Scævola quietæ remiſſionis eorum certiſſimus teſtis, optime pila luſiſſe traditur: quia videlicet ad hoc diverticulum animum ſuum forenſibus miniſteriis fatigatum transferre ſolebat.* Dionyſius tyrannus apud Cicer. Tuſc. Quæſt. v. 20. *Atque is cum pila ludere vellet, ſtudioſe enim id factitabat.* . . . Alex. Gen. dier. III. 21. & ad illum Tiraquellus. Souter. de Aleat. III. 4. Juvenum luſus erat. Varro apud Non. II. 281. Sera parecte: *purgatum ſcito, quoniam videbis Romæ in foro ante lanienas pueru-los pila expulſim ludere.* Sidonius, qui de rebus præpoſteris quibusdam actis Epiſt. I. 8. *Muri cadunt, aquæ ſtant; turres fluunt, naves ſedent: ægri deambulant, medici jacent; ſiunt vivi, natant ſepulti. . . . ſtudent pilæ ſenes, aleæ juvenes.* Qui vellicat ſenem quendam Epiſt. v. 17.

Auſus & ipſe manu juvenum tentare laborem.

Sphæriſtarum ſe turmalibus conſtanter immiſcuit. Et Trimalcio, quod præter conſuetudinem *pila* ſe exercuerit, vellicatur a Petron. c. 27. *Videmus ſenem calvum tunica veſtitum ruſſea inter pueros capillatos ludentem pila: nec tam pueri nos, quamquam erat operæ pretium, ad ſpectaculum duxerant, quam ipſe paterfamilias, qui ſoleatus pila praſina exercebatur.* Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Rom. v. I. Savar. ad Sidonium, Gonſal. ad Petronium. Sæpius tamen *pila* ſenes exercitati. Indicat clare Mart. XIV. 47. V. illum ſupr. in *Follis.* Et Spurinna apud Plin. Epiſt. III. I. 8. *movetur pila vehementer, & diu: nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum ſenectute.* Gonſal. l. l. *Pilam luſoriam invenit Pythus.* Plin. VII. 56. Ejus inventionem ſibi vindicent Lydi apud Herodot. I. p. 45. B. *Tum igitur inventum ab iisdem aleæ, teſſerarumque ludum, & pilæ.* Athen. I. p. 14. E. auctor eſt *inventricem fuiſſe Anagallin puellam Corcyræam, quam dono dedit Nauſicaæ Alcinoi Regis Corcyræi filiæ.* Hac Phæacia juventus primum luſit, ut narratur Odyſſ. VIII. 372.

Ille pilam dextra miſſurus ad aſtra reflectit
Terga retro: rurſus pede ad magnum protinus ictam
Conſurgens terram procumbit pronus ad imam.

Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1095. G. Souter. l. l. Quod ſic varietur inter ſcriptores, puto in cauſa eſſe plura *pilarum* genera; adeo ut hic de hac, ille de alia *pila*, quod dicit, intellexerit. *Souter. l. l.* Genera *pilæ* ludendi videntur fuiſſe: datatim, expulſim, raptim. *Turneb. Adv.* VII. 4. V. ſingula ſuis locis.

Pila follis fuit dicta. V. illam ſupr. in *Follis.*

Pila harpaſtum fuit dicta. V. illam ſupr. in *Harpaſtum.*

Pila paganica fuit appellata, quod eſſet vulgaris admodum, & in villis pagis vocatis, vel in pagis Urbis ut plurimum in uſu haberetur. Fuit ex corio pluma repleto, trigonali latior, non ita tamen, ut eſt follis, laxa, ſed durior; ſiquidem follis, qui vento replebatur, etſi quanto durior erat, tanto facilius eo ludebatur, quanto laxior, tanto difficilius, ut etiam tempeſtate noſtra quotidiana experientia comprobat: tamen paganica quo etiam durior eſſet, & pluma replebatur, & non ita replebatur, ut laxa uſquam foret, ſed undequaque duriſſima, & propterea difficulter ea ludebatur. Mart. XIV. 45.

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa, & minus arcta pila.

Sub nomine enim ſimplici *pilæ* intelligitur aliquando follis, aliquando trigonalis. Paganicæ exercitatio etiam in gymnaſiis in uſu extitit. Mart. VII. 31. 7. V. illum infr. in *Thermæ.* Mercur. Gymnaſt. II. 5. Souter. de Aleat. III. 4. Rader. in Martialem. Ferret. Muſ. Lapid. II. Memor. 41. Turrig. in Inſcript. Urſ. Tog. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 397. F. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq Roman. v. I.

Pila trigonalis erat parva, ita nuncupata, vel a loco, ut voluerunt nonnulli, ubi ea exercebantur, qui triangularis erat; vel potius, quod magis credibile eſt, a ludentium numero, figura, & ſitu. Hanc eſſe aliquando *pilam* ſimplici nomine appellatam invenio, ut apud Martialem laudatum in *Pila paganica.* Si enim ſola quatuor *pilæ* genera facimus, neceſſario cum cæteræ a Martiale nominentur, trigonalis ſub *pila* ſimplici comprehendetur. De hac ſimilitudine locutum credo Celſ. I. 6. quando dixit: *ab alvo citata vexatis pilam,* & reliqua ſuperiores partes exercentia convenire, quoniam in hujuſmodi ludo partes inferiores fere ſemper firmæ manebant, ſuperiores perpetuo agitabantur. Quomodo perageretur exercitatio iſta, conjicere poſſumus ex Martialis verbis, in quibus demonſtrat, luſores ita triangulari ſitus figura colludere ſolitos, ut manibus utrisque, modo ſiniſtra, modo dextra *pilam* viciſſim expellere, & excipere valerent, ne unquam caderet: in quo ſummam ludentium laudem fuiſſe veriſimile fit. Laudat enim Polybum quendam ob agilitatem ſiniſtræ manus in jacienda, excipiendaque *pila* VII. 71. 9.

Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudes Polybi magis ſiniſtras.

XII. 84. 3. V. illum ſupr. in *Follis.*
XIV. 46.

Si me mobilibus ſcis expulſare ſiniſtris,
Sum tua: ſi neſcis ruſtice, redde pilam.

Tepidum trigona dixit Mart. IV. 19. 5.

Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona.

& XII. 84. 3. modo laudato: ſi quid divinare conceditur, vel quod homines ludendo, ob vehementem utriusque manus laborem, & aſſiduo motus *pilæ* tenore magis incaleſcerent: vel quod locus, ubi ludebatur, tepidario in gymnaſiis vicinus foret, & propterea ludentes, tam loci, quam *pilæ* teporem quendam perciperent: ita vero fuiſſe veriſimile videri poteſt, quia poſt *pilæ* ludum balnea calida ſtatim ingredi conſueverant: vel quia ex continuo motu *pilæ* in manibus ipſa tepida evaderet, eo modo, quo limen, quod ex continuo ſupra ipſum ſtatu tepeſceret, tepidum dixit Prop. I. 16. 22.

Turpis & in tepido limine ſomnus erit?

Mercur. Gymnaſt. II. 5. Souter. de Aleat. III. 4. Ferret.

Muſ. Lapid. II. Memor. 41. Rader. in Mart. IV. 19. 5. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 8.

Pila vitrea dicitur in Urſi togati inſcriptione, Romæ reperta an. 1591. menſe Januario ſub Innocentio IX.

URSUS TOGATUS VITREA QUI PRIMUS PILA
LUSI DECENTER CUM MEIS LUSORIBUS. . . .

Exhibent illam Velſer. Rerum Auguſt. p. 244. & Gruter. Inſcript. p. 637. Non dicitur vitrea, ut aliquis exiſtimavit, quia tenuis, & perlucida eſſet, quo ſenſu dixit Varro: *Media vitrea æſtate, & vitrea toga.* Sed quia ex vitro facta. Quod *pilæ* fierent ex vitro, teſtatur Plin. XXXVI. 26. dicens: *Ardentes aqua vitreæ pilæ ſole adverſo.* Etiam vitreis latrunculis veteres conſuevere ludere. V. ſupr. in *Calculi.* Hæc cum alias non eſſet luſoria, Urſus auctor fuit, ut ea luderetur. Hunc ludum arbitrantur doctiores fuiſſe hujuſmodi, ut adeo diligenter, tantaque dexteritate *pila* vitrea luderetur, ut nullo pacto huc illuc agitando frangenda eſſet. Nec ſane memini alicubi fieri mentionem apud veteres, & recentiores de vitrea *pila*, niſi hoc loco. *Turrig. in illam* §. 3. 4. *Souter. de Aleat.* III. 4. § 4.

Pila etiam in judiciis frequens fuit. Prop. IV. 12. 19.

At ſi quis poſita judex ſedet Æacus urna,
In mea ſortita judicet oſſa pila.

Sortiri pilam eſt ſorte educere ex urna nomen judicis in *pila* ſcriptum. De illis *pilis* Aſcon. in Cicer. p. 191. V. illum ſupr. in *Lex Pompeja de judicibus.* Cujuſmodi hæc fuerit, quæſivi, nec reperi. Sane tabellis ad eam rem, non *pilis* utebantur Romani. Plutarchus in Lycurgo *pilas* exiguas e furfure commemorat, quibus conjectis in vas tanquam ſortitione fabarum admittebatur, vel excludebatur aliquis a conviviis Lacedæmoniorum. *Paſſer. in Propertium.* Sed hæc nihil ad judicum tribunalia. Ego exiſtimem eſſe globulos quosdam, quibus nomina judicum inſcripta: & adducor maxime Aſconii auctoritate. V. Aſcon. ſupr. in *Lex Pompeja de Judicibus.* Demſter. Antiq. Rom. ad Roſin. Paralip. IX. 31. Maurit. de Sortit. c. 11. §. 4. Quæ ſortitio per *pilam* extractam obſervata quoque, ſi quis ex judicibus reo videbatur inimicus, vel incommodus, tum poſitis in arca judicum nominibus, dein in urnam conjectis, cujus nomen exibat, is loco ſuſpecti judicis ad dicendam ſententiam erat deſtinatus, quam vocare ſolebant ſubſortitionem. Sic igitur, ubi apud ſcriptores veteres judices fuiſſe ſortitos, vel ſubſortitos, de *pilis* intelligendum, quibus nomina judicum inſcripta, urnæ injecta, & inde educta fuerunt. *Maurit. l. l.*

PILANI erant juniores, vel tenuioris fortunæ homines. *Panvin. de Imper. Roman. c.* 16. Imo veterani, qui aliter dicuntur triarii. V. Varron. mox laudandum. Unde *primipilus* primus *pilanorum* centurio. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* I. * * * * 2. *verſ.* Dicebantur, qui *pilis* pugnabant. Feſtus: *Pilani, pilis pugnantes.* Solis triariis hoc nomen fuit peculiare. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Pilani dicti, qui pilis pugnabant: pilani triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine, extremis ſubſidio deponebantur.* Ovid. Faſt. III. 128. V. illum ſupr. in *Equites.* Turneb. Adv. XI. 27. Stewech. in Veget. I. 19. Panvin. Imper. Roman. c. 16. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 974. F. Valtrin. de Re Milit. Rom. III. 12. Lipſ. de Milit. Rom. II. 1. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 1. § 5. Thyſ. Rom. Illuſtr. II. p. 54.

PILARII dicebantur, qui uſu edocti miracula in ſcena patrabant. Quintil. X. 7. *Quo conſtant miracula illa in ſcenis pilariorum, ac ventilatorum, ut ea quæ emiſerint, ultro venire in manus credas, & quia jubentur decurrere.* Buleng. de Theatr. I. 35. Lipſ. Saturn. II. 19. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 8. Faber Paralip. ad Agoniſt. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2250. E.

PILENTUM fuit vehiculum. Græci quomodo vocarint, nusquam reperi. Nec mirum. Tuſcum fuit vocabulum. Apud Nonium dictione *Carrum* ita legito: Varr.

ἀεὶ Λιβύη: *Gallica petorita, arcerrus, Tuſca pilenta.* Scalig. in Catal. p. 243. Scheffer. de re Vehic. II. 25. Fuit matronarum. Livius mox laudandus. Poſtea caſternam dixerunt. *Coraſ. Miſc.* III. 20. 16. Qui hoc fortaſſis collegit ex Servio mox laudando. Verum Servius non vult *pilenta* iſtiuſmodi fuiſſe vehicula, qualia baſternæ; ſed fuiſſe quondam illum uſum *pilentorum* apud matronas, qualis extitit deinde baſternarum: baſternas in locum *pilentorum* ſucceſſiſſe. Nam alias baſternæ gerebantur a jumentis, neque ullas rotas habuerunt. V. ſupr. in *Baſterna.* At *pilenta* inceſſere rotis, ut ſtatim dicetur: atque ideo non geſtabantur, ſed trahebantur. *Scheffer. l. l.* Formam tradit Iſidor. XX. 12. *Pilentum, vel petorritum convectum, quatuor rotarum vehiculum.* Duplicia faciebant petorrita, quædam aperta, quæ vulgaria erant. V. ſupr. in *Petorritum.* quædam contecta, quæ voce propria nuncupabantur *pilenta.* Unde illa diſtinguit Hortius ſupr. laudatus in *Petorritum.* Ex quo liquet, habuiſſe quatuor rotas, & fuiſſe contectum. Macrob. Sat. I. 6. quidem: *Evenit, ut Circenſium die puer de cœnaculo pompam ſuperne deſpiceret, & patri referret, quo ordine ſecreta ſacrorum in arca pilenti compoſita vidiſſet:* ita ut non potuerit eſſe contectum. Sed exiſtimo dici ibi *pilentum* admodum improprie vehiculum, quo feruntur ſacra. Certe plauſtra alias fuiſſe hæc vehicula. Serv. Æneid. I. *Romæ quoque ſacra legimus, Cereris, de plauſtro vehi conſueverunt.* Et *pilentum* proprie ad mulieres ſpectabat, non geſtationem rerum ſacrarum. A lateribus patebat. Inde eo vecta cernitur Veſtalis, & conſpiciendam ſeſe præbet apud Prudent. contr. Symm. II. 1085.

Interea, dum torta vagos ligat inſula crines,
Fatales que adolet prunas innupta ſacerdos,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas
Pilento reſidens molli, ſeque ore retecto
Imputat attonitæ virgo ſpectabilis urbi.

Fuit delicatum & molle, ut docet Prudentius. Et hoc firmat Virg. Æneid. VIII. 666. ubi ait:

—— caſtæ ducebant ſacra per urbem
Pilentis matres in mollibus.

Ubi Servius: *Mollibus, penſilibus: ut molle feretrum, & oſcilla mollia.* Penſilia fuiſſe colligimus etiam ex Onomaſtico Argentoratenſi, in quo exponitur μετέωρον ὄχημα. Eſt autem μετέωρον, penſile, hoc eſt, quod ſuſpenſum pendet. Ornabatur, ac pingebatur colore, primis quidem temporibus veneto, poſtea ruſſato. Servius l. l. & ex illo Iſidor. XX. 12. *Pilenta ſicut vehicula, ſicut nunc baſternas videmus. Erant tunc veneti coloris, non, ut nunc ſunt, ruſſati.* Trahebantur a mulabus, ut opinor, quando aliis pleriſque iſtiuſmodi vehiculis adjunctæ ſunt. Uſus *pilentorum* fuit ad vehendas matronas. Feſtus: *Pilentum, vehiculi genus, quo matronæ ferebantur.* Virgilius l. l. Ubi Servius: *Pilenta ſunt vehicula, quibus niſi caſtæ matronæ uti non poterant.* Et Virgines Veſtales, ut nos docet Prudent. l. l. Utebantur his I. ad ſacra, ludosque. Liv. V. 25. *Grata ea res, detulerant aurum, & ornamenta ſua in ærarium, ut quæ maxime ſenatui unquam fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad ſacra ludosque uterentur.* Illis ſacra non ferebant, ſed ducebant, ut dixit Virgilius, id eſt, deducebant, ut Virgilium Servius explicat, hoc eſt, *pilentis* impoſitæ pietatis, & officii cauſa proſequebantur. Hoc enim eſt ſacra ducere, ſive deducere. V. infr. in *Sacra.* II. ad cernendam pompam triumphalem. Horat. Epiſt. II. 1. 191.

Mox trahitur manibus Regum fortuna retortis.
Eſſeda feſtinant, pilenta, petorrita, naves.
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.

II. in pompa triumphali. Claud. Nupt. Honor. & Mar. n. 285.

Ante fores jam pompa ſonat, pilentaque ſacram
Præradiant ductura nurum.

Scheffer. l. l. Taffin. de lud. ſecul. c. 15. §. 16.

PILEATI fratres dicuntur Caſtores. Catullus laudatus

tus ſupr. in *Pila*. Cur illis *pilea* attributa, docet Feſtus: *Pilea Caſtori & Polluci dederant antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos eſt.* Docet hoc nos Thucyd. IV. *Tunc res moleſta Lacedamoniis accidit: neque enim pilei ſui a ſagittis protegebant.* Et illorum *pileos* dicit Lycophr. n. 507.

— *munimentum contra lethalem haſtam.*

Teſtatur idem Philo de legat. ad Cajum p. 1003. B. *Veluti in theatro alias alium cultum ſumebat. . . . modo pileum in capite, quoties Dioſcuros ageret.* Fuerunt forma dimidiati ovi. Lycophr. n. 506.

Quorum caput ovalis teſta hemiſphærium
Operiet.

Meurſ. Miſc. Lacon. I. 17. & in Lycophronem. Pier. Hieroglyph. XL. 2. Braun. de veſt. Sacerd. Hebr. II. 4. 19. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. §. 8.

PILLUS, quem & *pileum* dixerunt, erat tegmen capitis. Patet hoc ex Mart. XIV. 132. Inſcriptio: *pileus:*

Si poſſem, totas cuperem miſiſſe lacernas:
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

XIV. I. 2.

Dumque decent noſtrum pilea ſumpta Jovem.

Bayf. de re veſt. c. 20. Laurent. de re veſt. c. 1. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 936. E. Paſſim e lana conficiebantur: cujuſmodi plerumque ſunt *pileoli* lectricarii, quali uſum S. Bernardum, eoque in Hiſpaniam tranſmiſſo, edita eſſe miracula ſcribitur vitæ ejus IV. 4. Alias e lacernis cæſis concinnabantur, ut apud nos *pilei* quadrati. Docet hoc Stat. Sylv. IV. 9. 25.

— *uſque adeo ne defuerunt*
Cæſis pilea ſuta de lacernis.

Et *pileum* partem lacernæ vocavit Martialis jam laudatus. *Domit. ad Statium. Pier. Hierogl.* XL. 12. *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegum.* §. 8. Ut demus, pauperiores *pilea* ex lacernis confeciſſe, quæ a libertis, & in Saturnalibus ab ingenuis geſtabantur, ex lana coacta confecta fuiſſe credere debemus: aliter ægre pluvia arceri potuiſſet. Statius eo loco viliſſima, & pauperrimorum Saturnalitia dona per jocum recenſet: qualia Martialis inter Apophoreta non adſcriberet. Neque *pileum* ex lacerna confectum proprie quis lacernæ partem diceret. *Ferrar. de re veſt.* II. I. 20. Cum enim caput, tanquam pars corporis ſuperior, pluviæ maxime expoſitum ſit, ne aqua eo facile penetraret, & caput humidum redderet, quod ſanitati non parum noceret, talia tegumenta in illius tutelam excogitata ſunt, quæ arcendæ aquæ eſſent apta. Sed nullum aptius excogitari poteſt, quam id quod fieri ſolet ex lana coactili, unde etiam *pileus* dictus eſt. Nihil aliud eſt *pileus* quam Græcorum πῖλος, ſive πιλίον. Græcorum autem πῖλος proprie dictus fit ex lana coacta: eſt enim πιλόω, & πιλέω, cogo, & conſtipo. Gloſſa: πίλησις, ἡ σφίξις, preſſio, πῖλος, pileum, πιλωτὸν, coactile, πιλωτοποιὸς, coactiliarius. Et apud Pollac. VII. 33. 4 πιλοποιός eſt qui pilos ex coacta lana conficit. *Braun. de Veſtit. Sacerd. Hebr.* II. 4. 2. Forma veterum *pileorum* fuit varia. Iſti ex lana coacta, qui proprie *pilei* dici debent, ut plurimum rotundi erant inſtar galeæ militum, unde & galerus, & galericulus, quaſi diceres, minuta galea. Quidam altiores, & acuminati erant, quales in Europa habuimus inſtar maſſæ zachari, vulgo panis zachari, **een zuykerbrood**; ſive inſtar pyramidis, cujuſmodi videmus in nummis & marmoribus. *Braun. ibid.* §. 9. Color fuit varius apud veteres, purpureus, pictus, flavus, ferrugineus, ut plurimum albus. Hos ſingulos auctorum locis plurimis probat *Braun. ibid.* §. 7. & 8. Priſcis Romanis non fuit in uſu. I. enim nummi omnes veteres, & ſtatuæ, in quibus cultus ſcilicet, & habitus priſcus, ſine tegmine ſemper. II. ſcriptores priſci *pileum*, aut petaſum videntur a vulgo abſtinere. Quo facit locus Suet. Jul. c. 45. n. 4. qui ait Julium Cæſarem ex *omnibus decretis ſibi a ſenatu, populoque honoribus non alium, aut recepiſſe, aut uſurpaſſe libentius quam jus laureæ perpetuo geſtandæ*, idque ad calvitium celandum. Obſecro ut quid, ſi *pileus*, aut petaſus illis? qui certe aptior, & fidelior ad diſſimulandum calvitium quam corona. Quintiliani item oratoris ſui deſcriptio XI. 3. in quo cum veſtium omnium ſingillatim meminerit uſque ad calceos: in capite tamen format, & fingit ſolum capillum. III. Euſtath. Odyſſ. I. diſertim ſcribit *capita intecta habere ad Romanos tranſiiſſe a priſcis Græcis.* Tempora tamen, & homines ſunt ſpectandi, quibus jus, & uſus *pilei* fuit. Tempora quinque: ſacra, ludi, Saturnalia, peregrinatio, militia. Dum ſacrificabant, capite fuerunt velato, priſco quodam, & obvio ritu. Videre hoc eſt in numiſmatibus, marmoribus antiquis, & ex auctoribus. In ludis fuerunt pileati. Mart. XIV. 29.

In Pompejano tectus ſpectabo theatro;
Nam populo ventus vela negare ſolet.

Vopiſcus, ubi Junium Meſſallam, ejuſque effuſionem in ludis acerbe taxat, in Carin. c. 20. *Donati ſunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canuſini.* Etiam Saturnalibus, per quos liberrimæ vitæ dies *pileus* admiſſus, ſignum ſcilicet libertatis. Mart. XI. 7. 4.

Permittis, puto, pileata Roma.

XIV. I.

Dumque decent noſtrum pilea ſumpta Jovem.

Peregrinatio petaſum bono jure ſibi ſumpſit contra pluvias, æſtus, ventos. Plautus ubique addocet, qui peregre euntibus, aut venientibus petaſum aptat. V. ſupr. in *Petaſus*. Denique in militia. Vegetius. V. illum infr. in *Pileus Pannonicus*. Alias exempla etiam in militibus *pileorum* rara. Homines certi, ut dixi, quorum vertex immunis a communi more. Novi liberti, ægri, ſenes, & fortaſſe convivæ. Novi liberti fuerunt in *pileis*. V. auctores ad ſequentem antiquitatem laudatos. Ægris hoc quoque licuit capiti firmando. Ovidius indicat, qui amanti ſuo præit ad morbum, & pallorem fingendum, & inter ſigna tribuit *pileolum* de Art. Amand. I. 733.

Arguat & macies animum: nec turpe putaris
Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Artemidorus etiam Oneirocr. I. 22. obſervat *lanam pro capillis habere longos morbos, & tabem ſignificare:* nimirum, quia *pileoli* iſti e lana. Senibus quoque *pileum* tribuerunt, a pari cauſa. Fragmentum Varr. de vit. pop. Rom. I. *Minores natu capite aperto erant, capillo pexo.* Aliud ergo in majoribus fuiſſe videtur. Et hunc morem cum Romano imperio Byzantium etiam tranſlatum oſtendit Niceph. Gregor. X. extr. *De capitis tegmine moris apud ſuperiores Principes erat, ut ætate provectiores aulici pileis turbinatis uterentur, ſerico tectis: juniores autem omnes prorſus nudis eſſent capitibus. Andronico autem Imperatore is mos adeo exolevit, ut paſſim omnes, & ſeniores, & juniores pileis uterentur, non minus in palatio, quam in agris.* Sed tamen permiſſum hoc potius ſenibus credo, quam crebro uſitatum. Romæ quidem, nam ubi exempla? Et contra Varronis verba nonnihil etiam invenire poſſem, quod probabiliter obducam. Convivæ etiam videntur fuiſſe *pileati*. Suſpicionem clare facit Horat. Epiſt. I. 13. 15.

Ut cum pileolo ſoleas conviva tribulis.

Nam habitum convivalem attribuere neſcio cui videtur, *pileum* & ſoleas. Itaque vetus ibi interpres: *Neque ſic ſub armis eas, ut unus de tribu, qui ad cœnam vadens, ipſe ſibi ſoleas fert cum pileolo.* Ego tamen ambigo. I. quia in tam crebra conviviorum mentione *pileos* alibi non invenio. II. quia inepti iidem, me judice, convivantibus; ob unguenta, ob coronas. Illud credo magis, *pileorum* uſum in balneis fuiſſe: a quibus cum exirent, eoſdem aliquando retinuiſſe etiam in menſa. Certe lapis antiquus Patavii eſt, ubi convivii aliqua forma, & qui accumbunt, partim capite nudo, partim velut *pileolo*, aut faſcia ſunt devincti. Sed Athenæus ſtabilitor, & ſtator *pileo* convivali. Apud illum enim Larenſius dilaudans ſuos Romanos loquitur VI. p. 274. B. *Veſtes etiam habemus, & calceatus frugi, ac ſimplices, & pileos capitibus circumponimus ex ovium pellibus denſos, ac villoſos.* N… eſt ſane, ut

ut *pileos* illos aliter accipiamus, quam aut de menſalibus (in convivio enim hæc dicta) aut peregrinantibus. Quod poſtremum ipſe Larenſius firmare videtur, qui præmiſit: *Romanos nihil ſuperflui in veſtitu habere*, ὔτε ἀπερχομένυς: id eſt, ut ego interpretor, *nec peregrinantes quidem*, *aut alio abeuntes*. Quomodo digniori caput aperuiſſe dicantur. V. ſupr. in *Caput*. Lipſ. de Amphith. c. 19. & 20. Turneb. Adv. VIII. 4. Figrell. de Stat. Roman. c. 20. Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 320. & ad illum Salmuth. Thyſ. in Gell. VII. 4. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 12. Carol. Antiq. Roman. IV. 11. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. §. 19. Romanis mos fuit, ut eorum ſervi libertatem aſſecuti *pileum* capite tonſo geſtarent. Plaut. Amph. 1. 1. 306.

Ut ego hodie raſo capite calvus capiam pileum.

Cauſam adfert Non. XII. 38. *Qui liberi fiebant, ea cauſa calvi erant, quod tempeſtatem ſervitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati ſolent.* Hinc *pileus* pro libertate. Mart. II. 48. 4.

Totis pilea ſarcinis redemi.

In nummo Tib. Claudii Cæſaris videre eſt ſigillum, quod dextera *pileum* tenet; lævam, quam late poteſt, diſcapedinatam exporrigit, cum inſcriptione: LIBERTAS. COS. IIII. Et eſt ſignum libertatis. Ideoque *ad pileum ſervos vocare* eſt illis libertatem concedere. Liv. XXIV. 32. *Poſtero die ſervi ad pileum vocati.* Suet. Tib. c. 4. n. 4. *Servisque ad pileum vocatis.* Caſſius quoque & Brutus occiſo Cæſare cudi curarunt nummum exhibentem duos gladios cum *pileo* in medio, cum hac ſubſcriptione IDIBUS MARTIIS, quia eo die occiſus erat Cæſar. Hunc deſcribit Alciat. Emblem. 150.

Cæſaris exitio, ceu libertate recepta,
Hæc ducibus Brutis cuſa moneta fuit
Enſiculi in primis, queis pileus inſuper adſtat,
Qualem miſſa manu ſervitia accipiunt.

Populus item Romanus ſublato Nerone tanquam ſervitio liberatus, *pileatus* per publicum diſcurrebat. Xiphil. LXIII. p. 727. D. *Ferebant pileos multi, quaſi eſſent libertatem conſecuti.* Pier. Hiergol. XL. 3. Stuck. Ant. Conviv. II. 28. Rævard. Protribun. c. 7. Nonn. in Goltz. Jul. Cæſar. Nomiſm. p. 52. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 52. Paſchal. de Coron. IX. 23. Caſal. de prophan. Roman. ritib. c. 20. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. l. l. Schill Nomencl. Philol. p. 912. Loon. de manumiſſ. IV. 3. 2. Turrig. ad inſcript. Urſ. togat. §. 2. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 38. D. Balduin. de Calc. Ant. c. 34. Landus in vet. num. Rom. Miſc. explic. Miſc. Erud. Ital. Tom. 1. p. 393. Beroal. & Pitiſc. in Suetonium. Boxhorn. Quæſt. Roman. 45. Voſſ. Lex. Etymol. Raynaud. & Thyſ. l. l. Mirum an ab hoc more, de quo Nonius, mos ille ductus ſit, dubitanti probabilis illius inſtitutionis ratio reddi poſſe videtur, quod qui libertate mutabantur, tanquam novi homines fierent, ita crinem mutabant: quod apud Athenienſes quoque ſervatum in verbo Ἀνδραποδώδη τρίχα memorat Suidas. *Briſſon. Antiq. Select.* 1. 11.

Pileus Pannonicus vocabatur militaris. Conficiebatur ex pellibus. Veget. 1. 20. *Uſque ad præſentem prope ætatem conſuetudo permanſit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus uterentur: quod propterea ſervabatur, ne gravis galea videretur in prœlio homini, qui geſtabat aliquid ſemper in capite.* Feſtus etiam retulit capitia ex pellibus agninis facta, quæ peſcia fuerint dicta. V. illa ſupr. in *Peſcia*. Mag. Miſc. III. 7.

Pileus Theſſalicus latos habebat margines ad faciendam umbram. Dio. V. illum ſupr. in *Diribitorium*. Hephæſtion Grammaticus annotat fuiſſe inſignes his verbis: *Theſſalici petaſi, ſeu galeri erant præmagni.* Meminit & Theophr. Hiſt. Plant. IV. 10. ubi de faba Ægyptia loquitur, quam dicit proferre folia ingentia, *magnitudine Theſſalicum pileum æquantia.* Quem Theophraſtus πῖλον vocat, πέτασον appellat Dioſcor. II. 128. Faba Ægyptia *folium habet inſtar petaſi magnum.* Uſum indicat Callim. Fragm. Bentl. 124.

— circum autem caput illi erat nuper ex Hæmonia
Perlatus pileus quidam, tutamen adverſus ſolem.

Πέτρον enim ſolem ex Anaxagoræ opinione hic dici puto. *Junius Anim.* II. 6. *Lipſ. de Amphith. c.* 18. *Voſſ. Lex. Etymol. Chimentell. de Hon. biſell. c.* 27. *Bentlej. in Callimachum*, qui apud Callimachum mavult legere ὑετῦ, *ad defendendam pluviam.*

Pileus etiam appellari ſolet pellicula illa, qua quidam infantium caput velatum habentes in lucem veniunt. Nec enim omnes cum *pileo*, vel capitis indumento naſcuntur. Balſamoni ad canon. 61. concilii in Trullo ἔνδυμα νεογενῦς παιδὸς vocatur. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 659. *D.* Ea propter, quia *pileum* referre videtur, *pileus* denominatur. Obſtetrices ſolebant hunc cauſidicis vendere. V. ſupr. in *Diadumenus*. Caſaub. in Lamprid. Anton. Diadum. c. 4. Almelov. Antiq. p. 88. Barthol. de Puerp. p. 111. Paſchal. de Coron. I. 10. Kirchman. de Annul. c. 21.

PILICREPUS vocatur, qui *pilas*, hoc eſt, ſphæras, ſeu glomos pice illitos in ignem balneorum, ſive vaporarii conjiciebat, ſicubi forte reſtingueretur. Senec. Epiſt. 56. *Si vero pilicrepus ſupervenerit, & numerare cœperit pilas, actum eſt.* In hanc ſententiam ut pedibus eam, facit Stat. Sylv. 1. 5. 57.

Quid nunc ſtrata ſolo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas? ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

Hujuſmodi *pilarum*, ut opinor, meminit etiam Vitruv. V. 10. *Suſpenſuræ caldariorum ita ſunt faciendæ, ut primum ſeſquipedalibus tegulis ſolum ſternatur inclinatum ad hypocauſtum, uti pila cum immittatur, non poſſit intus reſiſtere: ſed rurſus redeat ad præfurnium, ipſa per ſe ita flamma facilius pervagabitur ſub ſuſpenſione.* Rhodig. Ant. Lect. XXV. 19. Stuck. Ant. Convival. II. 25. Cerda Adv. c. 141. §. 502. Savar. in Sidon. Epiſt. II. 2. Mercur. Gymn. I. 12. Ferret. Muſ. Lapid. II. memor. 41. Ab his ego diſſentio, atque eum interpretor, qui *pilas* crepat, aut *pila crepitante* luſitat, nam *pila crepitum* facit: quod facere ſolebant paullo ante balneum, vel dum hypocauſta, & ſudationes caleſcerent. Mart. XIV. 163.

Redde pilam, ſonat æs thermarum: ludere pergis?
Virgine vis lota ſolus abire domum?

In mittenda, & remittenda *pila*, cum *pilicrepus* plures, quam eſſent, manus & vices numerarat, maximus excitabatur clamor ab adverſariis. *Turneb. Adv.* VI. 4. Gloſſæ Iſidori: *Pilicrepus, qui pila ludit.* In veteri lapide Urſi Togati:

EGO SUM OVANTES CONVENITE PILICREPI.
URSUMQUE CANITE VOCE CONCORDI SENEM,
HILAREM, JOCOSUM, PILICREPUM, SCHOLASTICUM.

Ergo ad *pilas* non fornicarias, ſed luſorias hoc referendum. Certum *pilas crepare*, ac ſonitum edere, cum datatim luditur, & decidunt: maxime in tabulatis, quibus tunc ludebant. Nec Statius jam laudatus de *pilis* fornacariis eſt intelligendus. Oſtendit enim tantum, ubi tabulata illa fuerint, nempe adſita hypocauſto. *Lipſ. in Senecam.* Ego nec his, nec illis poſſum aſſentire. *Pilicrepus* Senecæ eſt miniſter balnearius, qui *pilos* cum forficularum *crepitu* truncat: id quod pro more habent. *Junius Nomenclat. Ocloing. c.* 8. Quod quidem non nego: ſed in veteri lapide modo laudato, quem ſi Junius legiſſet, non negaſſet, *pila* ludentem, & inter ludendum *pila* concrepantem, ſonitumque edentem ſignificat. *Turrig. ad illum* §. 12.

PILOS cinœdi detergebant e partibus corporis, quas natura veſtitas eſſe voluit, dropace. V. ſupr. in *Dropax.* pice, pſilothro, pumice, volſella. V. ſingula infr. ſuis locis. Evulſos e victimæ fronte conjiciebant veteres in ignem ſuper aram accenſum cum quadam molarum parte, prima libamina. Homer. Odyſſ. III. 445.

Pelvimque, & molas salsas sacrabat: multa vero Minervam
Orabat adolens capillos in ignem jaciens.

Virg. Æneid. vi. 245.

Et summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imposuit sacris libamina prima.

xii. 173.

Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum.

Feith Antiq. Homer. i. 9. Saubert. de Sacrif. c. 18. Stuck. Antiq. Conviv. i. 30.

PILUM fuit missile proprium Romani legionarii militis. Unde *pilatæ* legiones veterum. Illo armat hunc Polyb. vi. 21. Et quam commode Latinos Sil. Ital. viii. 373.

Non illis solitum crispare hastilia campo,
Nec mos pennigeris pharetram implevisse sagittis,
Pila volunt, brevibusque habiles mucronibus enses,
Ære caput tecti, surgunt super agmina cristis.

Latini, inquit, non hastas spargunt, non sagittas; sed *pila* iis telum, & breves Hispanici gladii, tum galea, & cristæ. Est ipse legionarius miles expressus. *Lips. Milit. Roman.* iii. *dial.* 4. *Dausquej. ad Sil. Ital. p.* 421. *Stuck. Antiq. Conviv.* iii. 13. *Thys. Rom. Illustr.* iii. *p.* 77. Appian. de bell. Gallic. p. 754. *pilum* describit *telum jaculo dissimile, videlicet hastile quadrangulum, præfixo ferro quadrangulo, paris longitudinis, cætera molli, præter cuspidem.* Cujus definitio convenire potius videtur veruto: cui Polybius trium cubitorum longitudinem tribuit. Veget. i. 20. ferrum *pili novem unciarum, sive pedale, ac trigonum* fuisse docet. Hastile quantum fuerit, tradit ii. 15. *Item bina missilia, unum majus, ferro triangulo, unciarum novem, hastile pedum quinque semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur.* Et potest disci ex Polybio. Is in suo fragmento vi. de castrametatione. *Pili*, inquit, *telum lignum habet longitudine plerumque bicubitale, crassitudine digitali, spiculum unius spithamæ, palmi inquam majoris, eo usque attenuatum, & acutum, ut mox primum post jactum necessario flectatur, sitque inhabile ad remittendum. Alioqui commune fieret telum.* Stewech. in Veget. i. 20. Laz. Comment. Reip. Rom. iv. 15: viii. 17. Rhodig. Ant. Lect. xvi. 11. Kipping. Antiq. Rom. iii. 3 §. 2. Describit Polyb. l. l. *Accedunt pila duo. Sunt e pilis quædam crassa, quædam tenuia: e solidioribus quæ rotunda sunt, palmarem habent diametrum; quæ quadrata, latus. Tenuia sibynis modicis assimilantur. Omnium istorum longitudo ferri fere tria cubita. Aptatur singulis telum ferreum, hamatum, longitudine par ipsi ligno, cujus nexum, usionemque ita valide firmant, ad medium usque ligni inserentes, & crebris fibulis adstringentes, ut non prius devinctio illa inter utendum solvatur, quam ipsum ferrum defringatur: & si crassitiem habet in parte inferiore, & qua ligno infigitur digiti & semis. In tantum, & tam promte curant hanc connexionem.* Quæ singula fusius explicant *Thys. & Lips. l. l. Valtrin. de re milit. Roman.* iii. 12. *Tiraquell. in Alex. Gen. dier.* iv. 7. *Sibill Nomencl. Philol. p.* 915. *Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* x. 10. Ejus formam laborarunt præpingere doctissimi viri, non tamen satisfecerunt animo sagacissimo, & perspicacissimo Josephi Scaligeri, cujus ultimum in terris conatum ajunt fuisse veram, ipsius judicio, hujus teli delineationem. *Barth. in Stat. Theb.* iv. 111. *Sylv.* iii. 3. 99. At cura ea supersederi posse faciunt nummi veteres, qui telum hoc perspicue spectandum exhibent. Ex iis unus est, quem proponit Guther. de vet. jur. pont. iii. 16. *Barth. l. l.*

Pilum erat etiam instrumentum, quo quid in mortario tunditur. Pro illo *pistillum* est usitatum. Glossæ: *Pilum, pistillum, & telum.* Lips. de Milit. Rom. iii. dial. 4. Voss. Lex. Etymol. & de Idolol. i. 40. Vives in August. de Civ. Dei vi. 9. V. supr. in *Pila.*

PILUMNUS fuit deus Rutulorum. V. Servium supr. in *Picumnus.* Fuerit ex priscis Italis, qui invenerit artem tum pinsendi, sive in pilis tundendi frumenta. Serv. Æneid. ix. 4. *Pilumnus invenit usum pinsendi frumenti; unde & a pistoribus colitur:* tum stercorandi agros. Et hinc Stercutius est dictus. Serv. Æneid. x. 76. *Pilumnus idem Stercutius: qui propter pilum inventum, quo fruges confici solent, ita appellatus est.* Plin. xvii. 9. *Augeas Rex* agros lætificare *in Græcia excogitasse traditur: divulgasse vero Hercules in Italia: quæ regi suo Stercuto, Fauni filio, ob hoc inventum immortalitatem tribuit.* Tomas. de donar. c. 13. Voss. de Idolol. i. 40. Gyrald. Synt. deor. i. p. 56. A. Meurs. Adv. Misc. ii. 1. Pareus Elect. Plaut. p. 214. Hering. de Molend. q. 4. §. 10. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 232. Stuck. de Sacrif. p. 35. Cum fratre Picumno credebatur præesse connubiis, & puerorum tutelæ, unde & illis in ædibus lectus sternebatur. Varr. de vit. pop. Rom. ii. apud Non. xii. 36. *Natus si erat vitalis, sublatus ab obstetrice statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse: diis conjugalibus, Pilumno, & Picumno, in ædibus lectus sternebatur.* Serv. Æneid. x. 76. *Varro Pilumnum & Picumnum infantium deos esse ait: eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur, an vitalis sit, qui natus est. Pilo Pilumnum dictum, quia pellat mala infantiæ.* Meurs. de Puerp. c. 4. Barthol. de Puerp. p. 56. Laurent. de Natal. c. 1. Voss. & Ouzel. l. l. Gyrald. ibid. B. Puerperæ adversus Sylvanum adhibebatur custos cum Intercidona & Deverra. August. de Civ. Dei vi. 9. *Mulieri fœtæ post partum tres deos custodes commemorat adhiberi, ne Sylvanus deus per noctem ingrediatur, & vexet: eorumque custodum significandorum tres homines nocte circumire limina domus, & primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis: ut his datis culturæ signis deus Sylvanus prohibeatur intrare. Ab his tribus rebus tres nuncupatos deos: Intercidonam a securis intercisione, Pilumnum a pilo, Deverram a scopis.* Meurs. ibid. c. 2. Struv. Antiq Roman. c. 1. p. 156. Blond. Triumph. Rom. i. p. 12. A. Est nomen in vulgus minus notum dii notissimi Romuli. Hoc ex Saliorum carminibus potest cognosci: quibus *Pilumni* populi appellantur Romani, non quod *pilis uti assueti*, ut vult Festus: nam sic omnes *pilani Pilumni* dicendi essent; nec *quia præcipue pellant hostes;* tum enim *Pellumni* nuncupari debebant, sed tanquam Romuli nepotes. Nam *Pilumnoe* ibi secundus casus est, numeri singularis, non primus pluralis: ut ille existimavit. Est idem cum Romulo Quirino. Ut enim Sabini sua lingua a quiri Quirinum: ita Salii obscuritatis studiosissimi, vocumque ignotarum usurpatores, & formatores Latina a *pilo Pilumnum* indigetabant. Conjugii curam sustinere est creditus, quia civibus suis ad stabiliendum novum regnum, genusque propagandum, Sabinas uxores nobilissima illa rapina dederit. *Meurs. & Par. l. l.*

PIN.

PINACOTHECA erat locus, ubi tabulæ pictæ, statuæ, & hujuscemodi res servabantur. Differebat a tablino in eo, quod in tablino codices, & monumenta rerum in magistratu gestarum adservarentur. Plin. xxxv. 7. *Inter hæc pinacothecas veteribus tabulis consuunt, alienasque effigies colunt.* Latine tabularum repositorium diceres; unde nonnulli pro *pinacotheca* tabularium dixerunt. Πίναξ Græce tabula, θήκη repositorium. Nostri loca ejusmodi Gallico vocabulo *gallerias* dicunt. De structura Vitruv. vi. 5. *Pinacothecæ uti exedræ amplis magnitudinibus sunt constituendæ.* Bald. Lexic. Vitruv. Pignor. de Serv. p. 464. Alex. Gen. dier. v. 24. Buleng. de Pictur. i. 15.

PINARII fuerunt Romæ sacerdotes Herculis. *Pinarius* enim, & Potitius duo senes fuerunt, quibus Hercules apud Regem Euandrum ostendit, qualiter se coli vellet, scilicet ut mane & vesperi ei sacrificaretur. Perfecto itaque primo matutino sacrificio, cum circa solis occasum essent sacra repetenda, Potitius prior advenit, Pinarius postea extis jam redditis: quare iratus Hercules statuit, ut *Pinariorum* familia tantum ministra esset Potitiis epulantibus, & sacra complentibus: unde etiam *Pinarii* dicti sunt ἀπὸ τῆς πείνης, id est, a fame; nam senem illum *Pinarium*

narium constat alio nomine fuisse nuncupatum. Dionys. I. p. 32. *Ferunt, ut semper grata eorum haberet sacrificia* Hercules, *præfecisse illis, edoctas prius ritum, duas nobiles familias: hos fuisse Potitios, atque Pinarios: Potitiis solis extorum dape vescentibus; a quibus arcerentur Pinarii, in communi officio semper posteriorem partem cedentes collegis sacerdotii Potitiis: eam fuisse tarditatis multam, & negligentiæ, quod qui mane præsto esse, ac iis jam extis ad ceteram dapem venissent.* Eadem Liv. I. 7. & Aur. Vict. de Orig. gent. Rom. c. 8. n. I. *Panvin. de Civit. Roman. c. 14. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 479. B. Salmas. Exercit. Plin. p. 91. a. B. Struv. Antiq. Roman. c. 12. p. 634. Saubert. de Sacrif. c. 6. Lomej. de Lustrat. c. 13. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 10. Laurent. var. sacr. gentil. c. 1. Spon. Prot. deor ap. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 268. D. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 2. Flocc. de Potest. Roman. I. 2. Lat. de Sacerdot. c. 3. Fula err. Comment. Urban. XXIX. p. 1104. G.*

PINCERNA etiam dicebatur pocillator. Non ausim affirmare probum esse vocabulum, etiamsi usus est Ascon. in Cicer. p. 89. *Majoribus poculis poscunt a pincerna* si vera sunt eo in loco exemplaria. *Bud. de Asse* V. p. 564. *Stuck Ant. Conv.* II. 21. Non est, quod de Latinitate ejus ambigamus, si est usus Asconius. *Voss. Lex. Etymol.*

PINCIANA porta. V. illam infr. in *Porta*.

PINCIUS collis hortulorum. V. illum supr. in *Collis*.

PINNÆ in galeis dicebantur summitates, *quas Samnites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites*. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Voss. Lex. Etymol. Lips. Saturn.* II. II. Schol. Juven. Sat. III. 158.

—— fluus inter

Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ.

Pinnis pavonum ornari solent gladiatores, si quando ad pompam desendunt. Pinnirapos autem dicit lanistas, ex latino gladiatorum: qui post victoriam retiarii pinnam, id est, manicam rapit, ut ostendat populo se vicisse. Aut ideo pinnirapos, quia pinnas in galeis habebant, ut Lucilius

Cum septem incolumis pinnis redit, & recipit se.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. I. Turneb. Adv. III. 8. Non alii sunt *pinnirapi*, quam qui cum Samnite compositi, quique rapiunt ejus *pinnam*. Onomasticon vetus secutores eos facere videtur: *Pinnirapi*, inquit, *sectatores*, puto *secutores gladiatores, quod pinnas rapiant*. Lips. l. l.

Pinnæ in muris erant summitates, acroteria acuminata, ad modum fastigii turrium, columellæ, statuæ, & id genus alia tectorum ornamenta, in summo tecto collocata. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Muri summa, pinnæ, a pinnis militum.* Curt. IX. 4. 30. *Non pinnæ, sicut alibi, fastigium distinxerant.* Cæs. de bell. Gall. IV. 72. *Huic loricam, pinnasque adjecit.* Rader. in Curtium. Junius Nomencl. c. 52. Stabant directæ in summo loricæ, ut hodieque sepibus, aliisque id genus ferreas *pinnas* imponi videmus, adversum transcensiones. *Pinnis*, quomodo veteres figebant eas in summo loricæ, erectis hodie in bello non utimur. *Voss. in Cæsarem. Lips. Poliorcet.* II. *dial.* 2.

Pinnæ in navibus appellantur utræque gubernaculi latitudines. Non. II. 82. *Nonnulli gubernaculorum partes tenuiores ad hanc similitudinem*, bipennis scilicet, *pinnas vocant.* Scheffer. de Milit. naval. II. 5.

Pinnæ in vestibus. V. illas supr. in *Lacinia*.

PINUS XI. Kal. April. quo primum die sol æquinoctialem circulum attingit, succidebatur, & in matris deum sacrarium inferebatur. Arnob. v. p. 167. *Quid sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in deum matris intromittitis sanctuarium?* Serv. Æneid. IX. 116. *Cujus*, Attidis, *ut perpetua maneret memoria, Mater magna instituit, ut quotannis in sacris suis plangeretur, pinumque arborem, sub qua jacuerat, tutelæ suæ adscripsit.* Vales. in Ammian. XXIII. 3. Herald. in Arnobium. Altissima ænea fuit ercta in Vaticano, Carthaginem versus: de qua una adhuc nux aliquot pedum altitudine, ante basilicam S. Petri cer-

nitur, vetusti operis, & inaurata. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 20. Aring. Rom. Subterr.* II. 3. §. 15.

PIS.

PISÆ urbs Græco fonte nata, Græcis gaudet appellationibus. *Chiment. de Hon. bisell. c.* 8. In illa urbe est spatium, ac subselliorum positus quadrata forma sub portica Academiæ, in quo sedent Professores ad gravissima suæ artis scita propugnandi, singuli adversus singulos. Laudabile institutum, quod in aliis Lyceis jamdiu defuctum, Pisis perdurat ad exercenda acriter docentium ingenia, quos vel una hæc periclitandæ doctrinæ cogitatio liberioribus omnino devovet literarum, suæque professioni addictos, mancipatosque insudare cogit. Adsunt disputationibus conferti auditorum cunei, perinde ac judicium de magistris facientium, ac in lubrica illa arena vices successerint. Quanquam & hic multum frontis durities, ac verborum volubilitas prodest: ac sicuti in ceteris humanæ vitæ partibus, pudor, ac modestia, etsi cum doctrina conjuncta, infra est. Multos sane inclytos alioquin viros a *Pisanis* Athenis id experimentum deterruit, ne fumantes ursi nares attingerent. *Chimentell. ibid. c.* 23. An. 573. *Pisanis agrum pollicentibus, quo Latina colonia deduceretur, gratiæ ab senatu actæ: triumviri creati ad eam Q. Fabius Buteo, M. & P. Popilii Lænates.* Liv. XL. 43. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5.

PISAURUM *in Gallicum agrum*, *Pollentia in Picenum* an. 569. P. Claudio, & L. Porcio coss. *coloniæ duæ deductæ sunt: sena jugera in singulos data: diviserunt agrum, coloniasque deduxerunt triumviri Q. Fabius Labeo, & M. & Q. Fulvii, Flaccus, & Nobilior.* Liv. XXXIX. 44. *Sigon. de Antiq. jur. Ital.* II. 5. Plutarch. Anton. p. 943. F. hæc scribit de Pisauro: *Prodigium ante prælium Actiacum extitit, quod Pisaurum oppidum non longe ab Hadria, quo Antonius colonos adscripserat, terræ hiatu labefactatum est.* Sigon. ibid. III. 4.

PISCATORES erant servi, qui *piscabantur*. Horum meminerunt Cicer. de Offic. III. 14. *Piscatores ad se convocat.* Ovid. Met. XIV. 651.

Miles erat gladio, piscator arundine sumpta.

Scævol. l. 27. ff. de instruct. vel instrum. leg. *An servi piscatores, qui solebant in ministerio testatoris esse, & ubicunque eum sequi, & urbicis rationibus expungebantur, nec mortis testatoris tempore in prædiis legatis deprehensi fuerint, legati esse videantur.* Popm. de Oper. serv. p. 101. Pignor. de Serv. p. 556. 561. Apud Romanos non utique erant vile hominum genus. Etenim, monente Festo, ludi quotannis pro illis fiebant. V. illos supr. in *Ludi*. Quinimo sua etiam erant utensilia, quæ eleganter persequitur Ælian. de Anim. XII. 43. Artis regi, hoc est, Neptuno nympharum & fluviorum patrono vovent Epigr. III. I. Mercurio Epigr. 2. & 3. Priapo pisces suspendebant Epigr. 12. quemadmodum Pani cancrum Copalus piscationis primitias Epigr. 14. Neptuno autem thynnorum *piscatores* præcipue votum fecisse notat Ælian. ibid. XV. 6. Taceo præter insigne emolumentum hujus exercitii jucunditatem, qua delectati olim, hodieque viri principes. De Nerone notat Suet. c. 30. n. 9. quod *piscatus est rete aurato, purpura, coccoque funibus nexis.* Tomas. de Donar. c. 33.

PISCINA est locus, in quo *pisces* aluntur. Ex pretio *piscium* magni annui reditus dominis. Et hac de causa *piscinæ* erant caræ, & propter eas villæ. Adeoque Hirrius suam vendidit quadringenties sestertio. Narrat Varr. de Re rust. III. 17. *Memini hunc Cæsari duo millia murænarum mutua dedisse in pondus, & propter piscium multitudinem quadringenties sestertio villam venisse*, id est, vicies centum mille florenis. Et exiguum hoc est. Superavit Lucullus, cujus sola *piscina* tanti vendita. Varr. ibid. c. 2. *M. Cato nuper, cum Luculli accepit tutelam, e piscinis ejus quadraginta millibus sestertiis vendidit, &c.* Ampl. s Colum. VIII. 16. *Iisdem temporibus maxime laudabatur severitas Catonis,*

qui nihilominus & ipse, tutor Luculli, grandi ære sestertium quadringentorum millium piscinas suas vendidit. Sed contribuit hortensius. Refert hoc, sestertium quadraginta millium. Habebant eas plures conjunctas. Varro: *Quis nostrum non vidit Crassi piscinas? quis contra maritimas non expiscatas, & plures conjunctas habet?* Ut vero reditus magna, ita etiam impendia. Varro: *Ædificantur magno, implentur magno, aluntur magno.* Hirrius consumebat quotannis ducenta duodecim millia, sive florenos sexcentos mille. Varro: *Hirrius circum piscinas suas ex ædificiis duodecim millia sestertium capiebat. Eam omnem mercedem escis, quas dabat piscibus, consumebat.* Meurs. de Luxu Roman. c. 14. Kobierzyk. de Luxu Roman. II. 12. Nonn. de re cibar. III. 5. Stuck. Ant. Conviv. II. 25. Lips. Thesaur. Rom. VIII. p. 171. D. Thasio lapide, cujus tunc magnum erat pretium, circumdabantur. Senec. Epist. 86. *Pauper sibi videtur, nisi Thasius lapis, quondam rarum in templo aliquo spectaculum, piscinas nostras circumdedit, in quas multa gratia, ut populo recens missa demittimus.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. III. p. 369. F. Kobierzyk. l. l. Primus illis nobilitatem dedit Licinius Muræna. Plin. IX. 54. *Eadem ætate prior Licinius Murena reliquorum piscium vivaria invenit, cujus deinde exemplum nobilitas secuta est, Philippi, & Hortensii.* Sed supra omnes Luculli insanum studium eminuit. Varro ibid. c. 17. *Ad Neapolim L. Lucullus postquam perfodisset montem, ac maritima flumina immisisset in piscinas, quæ reciproce fluerent, ipse Neptuno non cederet de piscatu: factum e cœlo ut æstuantes, ceu pisces videntur propter æstus e luxisse in loca frigidiora, ut Appuli solent pecuaria facere, quod propter calores in montes Sabinos pecus ducunt. In Bajano autem tantum ardebat cura, ut architecto permiserit, ut suam pecuniam consumeret, dummodo perduceret specus e piscinis in mare.* Plin. l. l. *Lucullus exciso etiam monte juxta Neapolim, majore impendio quam villam ædificaverat, euripum, & maria admisit, qua de causa Magnus Pompejus Xerxem togatum eum appellabat.* Nonn. l. l.

Piscina aquæ Claudii ad septimum ab Urbe milliarium fuit. Auctor Frontin. n. 57. Ad hanc absolute distantiam, rudera, quarum ichnographiam dimus ad cisternæ modum, sed longe privatæ cisternæ modum excedentia, durissime silice compacta, & reticulato opere contecta inveni, ad levam recedentis, quæ Marinum ducit, viæ, milliario & semis ultra hospitium *Meza via di Marino* dictum. Operis, quod subterraneum esse debuit, cum paullo ultra quartum ab Urbe lapidem arcus Claudiæ finiantur, parum quamvis, tantum certe remanet, quod conjecturæ non improbabili locum faciat: plurimi namque lapidis quadrati circa hoc ædificium fragmenta, & ingens crustæ, quæ olim rivo accreverat, copia, nedum passim sparsa jacet, sed recentiorum ibi prope parietinarum cæmentis immixta cernitur. Conjunctas Claudiæ, & Anienis novi piscinas fuisse arguit tum ædificii duplicitas, quam alius Frontini locus n. 26. ubi omnes, quæ suas piscinas habent, sex eas intra hunc eundem septem milliarium ambitum concludit. *Fabrett. de Aquæd. dissert. II. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1743. F.*

Piscina aquæ Marciæ referenda. Ad ipsam viam Latinam, quæ eo loco paullo post quartum lapidem inter arcus Marciæ, & Claudiæ procurrit, in fundo *dello Spedaletto*, & prope rudera plurium ædificiorum, quæ hodie ex quantitate vulgo *le cento Celle* dicuntur, aliis integrior forte fortuna cisterna, & eum inter, ac veterem Marciæ ductum patens remansit, quibus duobus membris conformantibus piscinæ limariæ effectum resultasse putamus. *Fabrett. de Aquæd. Dissert. II. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1740. C.*

Piscina balnearis dici posset balnei pars frigidaria, Græcis κολυμβήθρα. Opponitur caldariis. Lamprid. Alex. Sever. c. 30. *Atque ibi unctus lavabatur, ut caldaria, vel nunquam, vel raro, piscina semper uteretur.* Vopisc. Carin. c. 17. *Eaque in piscina usus esset.* Salmas. in Vopiscum. Chimentel. de hon. bisell. c. 25. In gymnasiis, sive balneis solebant veteres natare, atque in frigidarii baptisterio, alias *piscina* vocata. De illa existimo locutum Galenum, dum Method. VII. siccitate ventriculi laborantes curandi rationem edocens, magis laudat lotionem in balneo factam ἐν ταῖς κολυμβήθραις, id est, in *piscinis* natando institutis, quam ἐν τοῖς μικροῖς πυέλοις: quanquam etiam interdum in area gymnasiorum ædificatam credo. Testatur Plin. Epist. V. 6 §. 25. *Si natare latius, aut tepidius velis, in area piscina est.* Et ante Plinium Mart. III. 44. 12. qui Ligurini cujusdam insulsi importunitatem describens dixit:

> *In thermas fugio, sonas ad aurem:*
> *Piscinam peto, non licet natare.*

Nisi velimus Martialem potius de *piscina publica*, de qua statim dicetur, locutum esse. *Mercur. Gymnast.* III. 14. *Baccius de therm. vet. c. 8. Scriver. in Mart. X. 13.*

Piscina dulcis, vetustior, quæ & plebeja dicta, nullo postea in pretio fuit. Varr. de re rust. III. 3. *Quis habebat piscinam nisi dulcem, & in ea duntaxat squalos, ac mugiles pisces? quis contra nunc Rhodon, non dicit sua nihil interesse, utrum iis piscibus stagnum habeat plenum, an ranis?* Colum. VIII. 16. *Nam & harum rerum studia majores nostri celebraverunt adeo, ut etiam dulcibus aquis marinos clauderent pisces, atque eadem cura mugilem, scarumque.* Lego ex Varrone *squallum* plebejum piscem. *Scarus* erat peregrinus Italiæ littoribus ad Tiberii Cæsaris ætatem: *nutrirent, qua nunc murena & lupus educantur.* Nonn. de re cibar. III. 5. Stuck. Ant. Conviv. II. 10.

Piscina maritima nobilis inprimis, ac in pretio erat: Varr. de re rust. III. 3. *Illæ autem maritimæ piscinæ nobilium, quibus Neptunus, ut aquam, sic & pisces, ministrat, magis ad oculos pertinent, quam ad vesicam.* Nonn. de re cibar. III. 5. Stuck. Ant. Conviv. II. 10.

Piscina publica erat locus aqua plenus sine *piscibus*, ad natandum paratus, & ob id *piscina publica* vocabatur, quæ postea esse desiit. Festus: *Piscinæ publicæ hodieque nomen manet, ipsa non extat, ad quam & natatum, & exercitationis alioqui causa veniebat populus.* Mart. III. 44. 13.

> *Piscinam peto, non licet natare.*

Forsitan in eorum gratiam, & usum instituta fuit, qui natatus adhuc ignari periculose in Tiberim descerent. Meminit ejusdem Cicer. ad Fratr. III. 7. V. illum supr. in *Amoulatio.* Hanc ibi forsan factam conjicio occasione viæ Appiæ, quæ illac transivit, primaque in Urbem inducta fuit. Exactus ejus situs ignoratur; nec sciri potest, quoniam ætate Festi jam non amplius extitit. Aream illic capacem fuisse inde licet colligere, quod eo ferme omnia negotia e foro translata sunt tempore belli Punici II. quum Hannibal Urbi immineret. Liv. XXIII. 32. *Prætores, quorum jurisdictio erat, tribunalia ad piscinam publicam posuerunt: eo vadimonia fieri jusserunt, ibique eo anno jus dictum est.* Nardin. Rom. Vet. VII. 6. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 8. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 368. E. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 14. §. 1. Stuck. Ant. Conviv. II. 10. Regioni Urbis duodecimæ nomen dedit. Amplectebatur totam illam planitiem, quæ circum maximum, & thermas Antonianas interjacet, media inter Cœlimontium, hoc est regionem secundam, & Aventinum, qui decimam tertiam constituit. *Borrich. Panciroll. Marlian. & Nardin. l. l. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 17.*

Piscina sacrificialis dici posset, quæ ad sacrificiorum usum juxta templi aream, ubi hostiæ proponebantur venales, & cætera sacrificium spectantia, posita erat. Templo *piscinam* addi solere docet inscriptio apud Gruter. p. 61. n. 35.

Q. VIBIUS. Q. F. MAXIMUS
ARAM. VOLCANO
MACERIAQ. AREAM
SÆPIENDAM. PISCINAM
QUE. EX. D. D.
DE PECUNIA. PUBLICA
FACIENDA. COER.

Struv. Ant. Rom, c. 11. *p.* 515. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.*7. *Guther. de Vet. jur. pontif.* III. 6.

Piſcina etiam dicebatur vas, ſive labrum lapideum, ſive ligneum portatile, in quo natabant, & ſe lavabant. Cicero ad Fratrem: *Latiorem piſcinam voluiſſem ubi jactata brachia non offenderentur.* Baccius de Therm. vet. c. 8. Urſin. Append. ad Ciaccon. de triclin. p. 144.

PISCINARII, & *piſcinarum Tritones* dicuntur, qui flagrant ſtudio *piſcium* in *piſcinis* ſervandorum. Cicer. ad Attic. I. 20. *Mihi ut invideant piſcinarii noſtri, ſcribam ad te alias.* 19. *Beatos homines, hos piſcinarios dico amicos tuos non obſcure nobis invidere.* II. 9. *Sed de ne iſtis quidem piſcinarum Tritonibus poterit ſe jactare.* Nonn. de re cibar. III. 5. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 11. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 5.

PISCINICA ſuit tributum *piſcinis* impoſitum. Contacuzen. II. 1. *In ſumptus ejus, & familiæ de publicis vectigalibus quam piſcinicam vocant, ferentem in annos ſingulos duodecim aureorum millia decrevit.* IV. 42. *De publicis Byzantii vectigalibus piſcinicam nominatam, paullo plura denariorum millia in annum ferentem.* Buleng. de Vectig. c. 72.

PISCIS nullus ex parte dentes habet, ſed omnes denſos habent acutorum dentium ordines, ne diu mandendo alimentum auferatur aquæ impetu. .Boa *piſcis* boatum edit, cæteri ferme ſilent. Apud Pauſan. Arcad. p. 252. pacilıæ piſces in fluvio Arcadiæ vocem turdi imitantur. De illis Plin. IX. 7. *Piſces* carent pulmonibus, ſed viſcera trahunt aerem, qui aquis incluſus eſt, ut in terræ cavis, quia *piſces* æſtate oſcitant, anhelant, dormiunt, at ſine reſpiratione ſomno locus non eſt. Audiunt, odorantur, quod ſine aere non procedit. Branchiis paſſis attrahunt aerem, & ejiciunt cum aqua quod Ariſtoteles negat, quia pulmone careat, & aqua eos per branchias refrigerat. Maris imperium portendunt. Delphis, cum Athenienſes aquam e puteo hauſiſſent, in qua repertus *piſcis*, reſpondit aruſpex, eos maris dominos fore. *Buleng. de Conviv.* II. 30. Heroum temporibus *piſcium* eſum fuiſſe uſitatum docet Athen. IV. 5. Eorum tamen in conviviis heroum nullam mentionem facit; propterea quod iis in dignitate conſtitutis non convenire hujuſmodi alimentum exiſtimabat. Euſtathius Gadarei Meleagri teſtimonio comprobat, veteres non fuiſſe appetentes *piſcium*; ſed eorum eſum poſt Homeri tempora invaluiſſe. Hor. Apoll. Hiergol. 42. ait, nefarium intuentes, aut etiam abominationem, *piſcem* pingunt: quod horum eſum, qui in ſacris verſantur, horreant, & execrentur: eſt enim ejus naturæ *piſcis* omnis, ut quæ offenderit exhauriat, inque ſuum ipſe genus ſæviat. *Laurent. de Prand. & cœn. vet. c.* 10. Quanti olim eos fecerint Græci, vel ex eo conſtat, quod cum obſonii nomine, quicquid cum pane edimus, intelligi poſſet, uſus tamen obtinuit, ut ſolus *piſcis* hoc nomine gauderet. V. ſupr. in *Obſonium.* Romani ad inſaniam *piſcium* ſtudio flagrarunt. Non enim lautitiarum tantum fundum in illis reponebant; ſed familiarum inde cognomina, pudendum dictu! ab illis deſumpſere. Colum. VIII. 16. *Jam celebres erant deliciæ popinales, cum ab mari deferrentur vivaria, quorum ſtudioſiſſimi, veluti antea devictarum gentium Numantinus & Iſauricus; ita Sergius Orata, & Licinius Muræna captorum piſcium lætabantur vocabulis.* V. ſupr. in *Muræna*, & *Orata.* Magna enim Romæ erat garconum frequentia, qui profuſis ſumptibus mare pæne exhauriebant. Hoc diſertis verbis Juven. Sat. V. 94.

Atque ita defecit noſtrum mare, dum gula ſævit
Retibus aſſiduis, penitus ſcrutante macello
Proxima, nec patimur Tyrrhenum creſcere piſcem.

Nonn. de re cibar. III. 5. Sapuerunt ruſticum, niſi periculoſa naufragiis maria miniſtraſſent. Luxum hunc acerbe exagitat, &, ut indomitam laſcivorum hominum gulam expleant, in mari Siculo, periculoſo licet, piſcari piſcatores minime vereri dicit Juven. Sat. V. 100.

— *nam dum ſe continet auſter,*
Dum ſedet, & ſiccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.

Petebantur vero e longinquis regionibus, & Taurometanæ rupes indagabantur. Senec. ad Helv. c. 9. *Quod diſſolutus deliciis ſtomachus admittat, ab ultimo petitur oceano.* Qui & pereleganter *luxuriam terræ mariſque vaſtatricem* dixit Epiſt. 95. & ad Helv. c. 9. *Non eſt neceſſe conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere.* Meurſ. de Lux. Rom. c. 14. Kobierzyck. de Luxu Rom. II. 12. Pretioſiſſimi leguntur mullus, muræna, oſtrea, ſcarus, gobius, lupus, aurata, accipenſis, rhombus, ſalmo, ſcombrus, thunnus, pelamis, muſtela, ſive lampetra. *Baccius de Conviv. ant.* II. 15. *Kobierzyck. l. l.* Tintinnabuli ſonitu vendebantur. Apud Græcos ὀψοφάγυς illo in forum convocare moris erat ad piſcium venditionem, ut quam recentes venire poſſent. Plutarch. Sympoſ. IV. 4. *Sed qui ſubinde in foro piſcario verſantur, & tintinnabulum celeriter exaudiunt.* De Iaſiis Strab. XIV. p. 453. *Cum citharœdus artis ſuæ periculum faceret publice, tantiſper ab omnibus auditus fuit, dum tintinnabulum ſignum venditionis piſcium daret: eo audito, univerſos ad piſces diſceſſiſſe.* Alibi per præconem hoc factum invenio, ac vocis miniſterio contentos a tintinnabulo abſtinuiſſe. Juven. Sat. IV. 32.

Jam princeps equitum, magna qui voce ſolebat
Vendere municipes fracta de merce ſiluros.

Rhodig. Ant. Lect. XIX. 11. Mercurial. Var. Lect. I. 25. de Potión. ác edul. ant. c. 5. Caſaub. in Strabonem. Mag. de Tintinn. c. 3. & ad illum Sweertius. Nonn. ibid. c. 6. Romæ etiam in uſu fuit, *piſcium* gerulos magnis clamoribus, ac curſim incedere, ne conferta turba properantibus impedimento eſſet. Senec. Nat. Quæſt. III. 18. *Mirabamur tantum in illis eſſe faſtidium, ut nollent attingere, niſi eodem die captum piſcem; qui, ut ajunt, ſaperet ipſum mare: ideo curſu advehebatur, ideo gerulis, cum clamore, & anhelitu properantibus dabatur via.* Nonn. l. l. Illis nomina nonnulli imponebant, & ad illa vocati, inclamatique adveniebant. Plin. X. 70. *Spectatur & in piſcinis Cæſaris, genera piſcium ad nomina venire, quoſdamque ſingulos.* Mart. IV. 30. 3.

Sacris piſcibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil eſt in orbe majus.
Quid quod nomen habent, & ad magiſtri
Vocem quiſque ſui venit citatus.

X. 30. 21.

Piſcina rhombum paſcit, & lupos vernas.
Natat ad magiſtrum delicata muræna,
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adeſſe juſſi prodeunt ſenes mulli.

Et fugitivorum inquiſitores conſtituebantur. Juven. Sat. IV. 45.

Deſtinat hoc monſtrum cymbæ linique magiſter
Pontifici ſummo: quis enim proponere talem,
Aut emere auderet? cum plena & littora multo
Delatore forent; diſperſi protinus algæ
Inquiſitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piſcem,
Depaſtumque diu vivaria Cæſaris: inde
Elapſum, veterem ad dominum debere reverti.

A pondere æſtimabantur. Mart. III. 55. 5.

Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem.

Horat. Sat. II. 2. 33.

— *laudas, inſane, trilibrem*
Mullum, in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt.

Juvenalis laudatus in *Mullus.* Adeoque in ipſis conviviis ponderabantur, adſtantibus notariis multis, qui ponderis ſcilicet miraculum referrent in pugillares. Ammian. XXVIII. 4. *Poſcuntur etiam in conviviis aliquoties trutinæ, ut appoſiti piſces, & volucres ponderentur, & glires: quorum magnitudo ſæpius replicata non ſine tædio præſentium, ut antehac inuſitata, laudatur aſſidue: maxime cum hæc eadem numerantes notarii triginta prope adſiſtunt cum thecis, & pugillaribus tabulis.* Meurſ. de Luxu Roman. c. 14. Poſtponi

debent carnibus. Sunt enim justo frigidiores, & humidiores. Hoc patet, quia vel nullam, vel paucum habeat sanguinem. *Sanguinis enim abundantia caloris indicium est.* Aristot. de Part. anim. III. 6. Explosa enim est Empedoclis sententia, qui *pisces* aliis animantibus esse asseruit calidiores, ideoque in aquis vivere, ut ingens caloris nativi excessus continuo temperaretur. Humidiores esse victus ipse demonstrat, tum locus, in quo vivitur. Recte Aristot. de Respir. c. 14. *Natura in universum talis esse solet, qualis est locus, in quo sunt; quæ in aqua [illegible], quæ in terra sicca.* Itaque substantia *piscium* aquea est, & labilis, atque obnoxia putredini; quia propter defectum caloris eam non est assecuta modum [illegible], qui ad solidioris consistentiæ firmitatem [illegible]. [illegible] spiritus generat frigidos, impuros, & aquosos, [illegible] ingenium: sanguinem quoque frigidum, & pituitosum, a quo cutis decolor, & corporis habitus lugubris, atque, ut Augusti vocabulo utar, *betissans* in furorem. *Castellan. de carn. esu* I. 2. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 17. Adhibebantur in sacrificiis. Negat hoc Plutarch Sympos. VIII. 8. *Piscium nullus immolatur, nec unquam eo sacra fiunt.* Sed non venit illi in mentem Bœotios [illegible] esse anguillas Copaidis raræ magnitudinis [illegible] modo coronare, asperaque mola [illegible] precatos diis immolare. Ita est apud Athen VII. p. 297. D. Qui etiam VIII. p. 333. D. memorat, [illegible] Demetrii ducem pisces sacrificasse Neptuno aversori, quod hostem suum Tryphonem Apamæensem, a quo [illegible] fuerat, cum omnibus copiis, repentinis fluctibus obruisset. Tryphonis [illegible] post [illegible] Neptuno immolatum [illegible], diximus supr. in *Pisc. torc.* [illegible] immolatum est. [illegible] V. illum supr. in *Ludi piscatorii.* Rhodig. ibid. XXVIII. 7. Voss. de Idolol. IX. 7. Nonn. ibid. c. 3. Illis ipsorum fulminum expiatio ex parte olim procurabatur. Ovid. Fast. III. 339.

Cæde caput, dixit: cui Rex, parebimus, inquit;
Cædenda est hortis eruta cæpa meis.
Addidit hic, hominis: sumes, ait ille, capillos,
Postulat hic animam: cui Numa, piscis, ait.

Plutarch. Num. p. 70. D. *Fulgurum expiatio in hodiernum diem cæpis, crinibus, & mænis peragitur.* Voss. & Nonn. l. l. Lomej. de Lustrat. c. 37. Ex illis auguria desumebantur. Suet. Aug. c. 96. n. 5. *Pridie quam Siciliensem pugnam classe committeret, deambulanti in littore, piscis e mari exsiluit, & ad pedes jacuit.* Hoc explicuerunt vates apud Dion. XLIX. p. 395. A. *Neque prius animum recepit, quam piscis quidam sponte sua, ex mari prosiliens, ad pedes ejus se projecit: [illegible] subjugationem fidem cum habuisset, animum confirmavit.* Plin. IX. 16. *[illegible] ambulante in littore Augusto, piscis e mari ad pedes ejus exsiluit: quo argumento vates respondere, Neptunum patrem [illegible] Sext. Pompejo, sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria tempore illo tenuerint.* Buleng. de Divin. III. 20. Prodig. c. 46. Nonn. l. l. Pitisc. in Suetonium.

PISO fuit cognomen Calpurniæ gentis. Hoc genti dedit primus ille, qui optime *pisa* serere cœpit. Plin. XVIII. 3. *Cognomina prima inde: Pisones a pisendo;* vel, ut videtur Alex. Gen. III. 11. usum invenit fruges igne tostas in pilas molas *pisendi*. Urs. at. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 834. B. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Ante obitum Augusti undecim consulares invenio. Illorum I. fuit C. *Piso* C. F. C. N. Hic prætor de Lusitanis, & Celtibcris ex Hispania triumphavit an. 569. Consul fuit quadriennio post cum A. Postumio Albino, & in magistratu mortuus est. II. L. *Piso* Cæsoninus C. F. C. N. cos. fuit an. 605. cum Sp. Postumio Albino Magno. Hic superioris filius, aut nepos, &, ut ex Ciceronis, & Asconii verbis elicitur, adoptivus potius, quam naturalis. Nam Cæsonium quendam Gallum Placentiam venisse, ejusque filium Calventii Mediolanensis filiam duxisse, ex quibus L. *Piso* nepos, aut pronepos hujus natus sit, in quem tota illa oratione, quæ in *Pisonem* inscribitur, invehitur. III. Cn. *Piso* cos. cum M. Popillio Lænate an. 614. IV. Q. *Piso* cos. quadriennio post superiorem cum Ser. Fulvio Flacco. V. L. *Piso* Frugi. Hic primus cognomen id ob frugalitatem accepit. Tribunus plebis fuit an. 604. cos. post sedecim annos cum P. Mucio Scævola: censor cum L. Metello Calvo an. 627. Legem Calpurniam de repetundis primam in tribunatu hic tulit. VI. L. *Piso* Cæsoninus superioris Cæsonini filius, cos. fuit cum M. Livio Druso an 641. Hic legatus occisus est a Gallis cum L. Cassio Longino cos. post annos quinque. VII. C. *Piso* Frugi, qui filius, vel nepos fuit L. *Pisonis* Frugi, de quo antea diximus. Cos. fuit an. 686. cum M. Acilio Glabrione. His temporibus L. *Piso* Frugi filius primi L. *Pisonis* Frugi prætor in Hispania obiit, & Cn. *Piso* CN. F. qui conjurare cum Catilina, & P. Autronio an. 688. ausus est, Quæstor Pro PR. in Hispania occisus est. VIII. consularis fuit L. *Piso* Cæsoninus, qui nepos fuit ejus, qui a Gallis occisus est, ut C. Cæsar gener testatur, ultum se privatas inimicitias familiæ, quod avum soceri occiderint. Cos. fuit cum A. Gabinio an. 695. Post consulatum in Macedoniam profectus est. Inde revocatus post biennium ex sententia Ciceronis. Censor fuit an. 703. cum Appio Claudio Pulcro. Laudatur a Cicerone in Philippicis, quod primus in M. Antonium cos. invectus sit. Hoc tempore M. Pupius *Pisonem* quendam adoptavit, qui M. Pupius M. F. *Piso Calpurnianus* dictus cos. & triumphalis fuit, in cujus domo Cicero discere solebat. Biennio post Ciceronem cos. fuit cum M. Valerio Messalla Nigro. IX. Cn. *Piso* CN. F. CN. N. collega Augusti in XI. consulatu in locum A. Terentii Varronis Murænæ, qui antequam iniret, mortuus est. Iterum cos. fuit cum Ti. Claudio Nerone II. post sedecim annos. X. L. *Piso* Cæsoninus L. F. L. N. filius, ut creditur, censorii, cos. fuit cum M. Livio Druso Libone post annos octo quam superior. Triumphalia ornamenta accepit legatus Augusti an. 743. de Bessis, & Scordiscis & Thracia. XI. L. Piso Augur CN. F. CN. N. cos. fuit cum Cosso Cornelio Lentulo Isaurico postea dicto an. 752. qui annus primus post Virginis partum fuit. Hic *Pisonis* bis cos. filius fuisse creditur. Post mortem Augusti quinque *Pisones* consules invenio, Cæsarem unum paucis diebus, adoptatum a Galba Imperatore; Augustum unum appellatum a paucis in Thessalia tempore Gallieni Imperatoris. His duobus L. prænomen fuit, Cæsar M. Licinii Crassi filius a L. *Pisone* Frugi adoptatus est, postea in Sulpiciam familiam a Galba translatus, occisus est cum patre adoptivo eodem mense. I. *Piso* Calpurnius L. F. L. N. cos. fuit cum M. Licinio Crasso an. 779. sub Ti. Cæsare Imperatore. II. C. *Piso* Magnus cos. suffectus est ex Kal. Jul. cum L. Vitellio Paullo an. 800. sub Ti. Claudio Imperatore. III. L. *Piso* L. F. primi illius, ut creditur, filius collega fuit Neronis Imperatoris in II. consulatu nono anno post superioris consulatum. IV. L. *Piso* cos. fuit cum Vettio Rustico Bolano an. 863. sub Trajano Imperatore. V. Calpurnius *Piso* cos. fuit cum M. Salvio Juliano an. 927. sub M. Philosopho Augusto. Præter hos unum consularem reperi Calpurnium Agricolam, qui sub Alexandro Imperatore cos. fuit cum Clementino an. 982. *August. de Famil. Roman. in Calpurnia. Strein. de Gent. & Famil. Roman. in Calpurnia.*

PISTILLUM erat instrumentum, quo frumenta in pila tundebantur, & conterebantur. Plaut. Aul. I. 2. 17.

Cultrum, securim, pistillum, mortarium:
Quæ utenda vasa semper vicini rogant.

Sympos. Ænigm. 86.

Contero cuncta simul virtutis robore magno,
Una mihi cervix, capitum sed forma duorum,
Pro pedibus caput est, nam cætera corpora non sunt.

Illorum pars ima erat glabra, & obtusa. Patet hoc ex proverbiis inde natis, *pistillo calvior, pistillo nudior.* Pro duritie frumentorum fiebant. Plin. XVIII. 10. *Pistura non omnium facilis, quippe ex Hetruria spicam farris tosti pinsente pil*

pilo præferrato, fistula serrata, & stella intus denticulata, ut nisi intenti pinsant, concidantur grana, ferroque frangantur. Etsi vero mos ille pinsendi in desuetudinem nunc abiit, pilæ tamen manserunt, eorumque in officinis ferrariis, monetariis, & aliis magnus est usus. *Hering. de Molend. q.* 4. §. 23. & 24. *Grapald. de Part. dom.* II. 4. §. 26.

PISTORES dicebantur, qui ante inventum molarum usum far *pinsebant*, id est, pilis tundebant. Varr. apud Non. II. 643. *Nec pistorem ullum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam.* De vit. pop. Rom. I. *Nec pistoris nomen erat, nisi ejus, qui ruri far pinseret.* Serv. Æneid. I. 183. *Quia apud majores nostros molarum non erat usus, frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant, & hoc erat genus molendi. Unde & pinsores dicti sunt, qui nunc pistores vocantur:* Farinam molis frangebant. Pomponius Comicus:

Cum neque molis molui, neque palmis pinsui.

Euseb. Chron. *Plautus ad molas manuarias pistori se locavit.* Postea, ἀρτοποιοὶ dicti, etiam panem faciebant. Conjungit hæc Mart. VIII. 16. 4.

A pistore Cypere non recedis,
Et panem facis, & facis farinam.

Hinc Mart. XIV. 223. V. illum supr. in *Jentaculum*. Glossæ: ἀρτοποιός, *pistor, panificus*. Minuc. Fel. p. 115. *Et quid ad hæc, ait, audet Octavius, homo Plautinæ prosapiæ, ut pistorum præcipuus.* Wouwer. in Minucium. Popma de Oper. serv. p. 128. Pignor. de Serv. p. 94. Voss. Lex. Etymol. in Pinso. Cujac. Observ. XVI. 5. Hering. de Molend. q. 4. §. 25. Pistores temporibus apud Romanos non fuerunt, ad Persicum usque bellum an. 580. Plin. XVIII. 11. V. illum supr. in *Mulier*. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 316. Bruyer. de Re cibar. VI. 1. Hering. l. l. Alex. Gen. dier. III. 11. Stuck. Ant. Conviv. II. 13. Polyb. Virg. de Rer. invent. IX 2. Rosin. Antiq. Rom. I. 14. Buleng. de Conviv. II. 57. Nonn. de Re cibar. I. 5. Baccius de Conviv. Antiq. II. 12. *Cantionem*, quam canebant ad molam, ἱμαῖον vocabant, ut est apud Aristophanem in Atticis, & Callimachum in Hecale. *Scalig. Poet.* I. 55. *Putean. Reliq. Conviv. prisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 261. *B.* Erant & sub cura patronorum, & præfecti annonæ, qui pensum, & munditiem panis exigebant. Cassiod. in Formul. præfect. annon. *Per officinas pistorum discurris, pensum, & munditiam exigis.* Popma l. l. Cum vero Romæ conficiendo coquendoque pani pistores non sufficerent, singulo quinquennio ex Africa novi Romam mittebantur, qui hoc officium ibi exercerent l. secundam C. Th. de mens. olear. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid.* c. 4. Frequentes erant in foro. Patet hoc ex Plauto, apud quem cum Hegio de suo adventu in forum locutus fuerat Capt. IV. 2. 6. obvium in illo habuit Ergasilum, qui de pistoribus in foro hærentibus n. 27.

Tum pistores scrophipasci, qui alunt furfure sues.

Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. n. 7.

Pistor dulciarius. V. illum supr. in *Dulciarius*.

Pistor lactarius. V. illum supr. in *Lactarius*.

Pistor siligenarius erat, qui ex siligine faciebat panem. Romæ horum fuit corpus. Lapis Romæ: ANNONÆ. SANCTÆ. ÆLIUS. VITALIO. MENSOR. PERPETUUS. CORPORI. PISTORUM. SILIGINARIORUM. *Casaub. in Vopisc. Aurelian. c.* 35. *Reines. Inscript. Cl.* I. *n.* 254.

PISTRINUM est locus, in quo frumentum pinsitur, & molis teritur, ac panis conficitur. Eleganter describit Apul. Met. VIII. p. 277. *Philebus pistor me præstinavit, & ad pistrinum, quod exercebat, perduxit. Ibi complurium jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage varia. Nec die tantum, verum perpeti etiam nocte, prorsus instabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam.* Et pistrini habitatores p. 279. *Dii boni! quales hi homunculi, vibicibus lividinis totam cutem depicti, dorsumque plagosum, scissili centunculo magis inumbrati, quam obtecti; nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem injecti, cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, frontes literati, & capillum semirasi, & pedes annulati.* Pignor. de Serv. p. 19. Hering. de Molendin. q. 4. §. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 916. In eo damnati servi exercebantur. Terent. Andr. I. 2. 28.

Verberibus cæsum in pistrinum te Dave dedam.

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 318. Eoque & mulieres conjiciebantur. Luc. c. 17. n. 35. *Et duæ erunt molentes simul: una accipietur, & altera relinquetur.* Meminit etiam Theophrastus in Characteribus. *Pignor. ibid. p.* 513. Molendinorum, quæ hodie ubique sunt in usu, notam rationem etiam habuerunt. V. supr. in *Mola asinaria*; sed quia ubique non erat aqua, & longius moletrinas petere nolebant, propinqua quælibet regio *pistrina* habuit: quæ cum in regione Urbis prima essent viginti, quodlibet *pistrinum* plus minus octo & quinquaginta insulis, & domibus sufficiebat. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 328. *A. Pignor. l. l. Hering. ibid. q.* 3. §. 18. In *pistrinis* molis circumagebant jumenta oculis corio obductis, vel servi facinorosi, quorum oculos effodiebant supplicii loco. Sulpic. Sever. Hist. Eccles. I. 52. *Tum illi effossis oculis compedibus in carcerem conjecerunt.* Loquitur de Simsone. Historia exstat Judic. c. 16. n. 21. Factum ideo, ne vertigo illos occuparet, ac laborem impediret. Apul. Met. IX. p. 278. *Molæ, quæ maxima videbatur, matutinus adstituor, & illico velata facie propellor ad incurva spatia flexuosi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco gressu, mea recalcans vestigia, vagarer incerto errore.* Kipping. Antiq. Roman. II. 7. §. 12. Beroald. in Apulejum.

PISTRIS. V. infr. in *Pristis*.

PIT.

PITHAULES. V. illum infr. in *Pythaules*.

PITISSARE, sive ut alii scribunt *pytissare* est *rorantibus*, ut loquitur Cicer. de Senect. c. 14. *& minutis poculis* pergræcari. Terent. Heaut. III. 1. 48.

Nam, ut alia omittam, pitissando modo mihi
Quid, quid vini absumpsit.

Ubi Donatus: *Pitissare est parce vinum gustare, quasi tentandi gratia.* Et mox: *Pitissando, id est, expressis labris expuendo, dum saporem vini probat.* Est a πιτίζω, unde ἐκποτίζω, quod est *pitissando exhaurio*. Sic usus Alexis apud Athen. III. Καὶ τὸ μὲν ὄξὺν οἶνον ἐκπιτίζομεν. Perperam confundunt πιτίζειν & πυτίζειν, quorum illud notat degustando bibere, ac venit a πίω, bibo: hoc autem significat sputo, a πτύω, spuo. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Conviv.* I. 39. III. 22.

PITTACIUM pro albo posteriores posuerunt. Lamprid. Alex. Sever. c. 21. *De promovendis etiam sibi annotabat: & perlegebat cuncta pittacia.* Hoc reperies in codice Justiniani non uno in loco. Gloss. vet. Πιττάκιον, *pittacium, brevis*. Græci etiam λεύκωμα vocarunt. *Stewech. in Veget.* I. 25. *Polet. For. Rom.* III. 8. Dicuntur *pittacia* pice, vel maltha illitæ breves tabellæ, in quibus elogia scribebantur, & id genus alia, quæ paucis verbis possunt comprehendi. Tale fuit apud Polybium Excerpt. Legat. 114. missum Demetrio Seleuci F. fugam ex Urbe meditanti, & in ipso rei articulo cessanti. Tale quoque quo usus Augustus apud Suet. c. 89. n. 5. *In evolvendis, inquit, utriusque linguæ auctoribus nihil æque spectabat quam præcepta, & exempla, publice, vel privatim salubria: eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum, provinciarumque rectores, aut ad Urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent.* Casaub. in Suetonium, & Lampridium. Ego vero puto *pittacia* schedulis fuisse e membrana excisas, in quibus gnomas, & breves sententias scribebant. Sane Polybii *pittacium*, in quo quædam gnomæ erant descriptæ, nihil aliud mihi fuisse videtur, quam parva membranæ schedula, quam ad Demetrium misit. Atque idem Augustus in Suetonii loco mihi factitasse videtur. Exceptas enim veterum sententias parvæ membranæ scedulæ inscribebat, & nihil

amplius, easque perferri ad eos curabat, quos increpiturus erat. Atque ita *pittacium* sumerem in Petronio, quem ad lucit. Nihil enim aliud ibi *pittacia* videntur quam scedulæ de memoriam excisæ, affixæ ampullis, quibus inscripta fuit ætas vini. Petron. c. 34. *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ: quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum.* Byn. de Calc. Hebræor. I. 2. 6. Salmas. in Lampridium. Barth. Adv. XII. 1.

Pittacium significat emplastrum, sive corium medicamento illitum, quod capiti, vel præcordiis applicatur, quod etiam hodie inter medicos est tritum. Cels. III. 10. *Oportet habere duo pittacia, quæ latitudinem frontis, longitudinemque æquent: ex his mutuem alterum in aceto, & rosa habere, alterum in fronte.* Byn. de Calc. Hebræor. I. 2. 6. Cerda Adv. c. 62. n. 7.

PITYLUS est sputum, seu spuma maris, quæ ex vehementi remorum per tussione oritur: translate vero ponitur pro ipso sono, quem ista facit percussio. Inde est, quod in Argo navi apud Hygin. Fab. 14. *Hercules & Idas ad pitylum sedisse* dicuntur, qui, velut robustiores, cæteros in edendo *pitylo* præirent. *Voss. de Trirem, & Liburn. const. vol. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 728. *D. Turneb. Adv.* XXVIII. 43. *Barth. Adv.* VI. 8. *Muncker. in Hyginum.*

PIU.

PIUS Antoninus Imperator est appellatus. Non commune solum cum reliquis dein Augustis. V. supr. in *Pietas*. Sed & proprium *Pii* cognomen illi mansit, desumptum ab illius in Hadrianum, tum in deos *pietate*. Prius notat Capitol. c. 2. *Pius cognominatus est a senatu, quod Hadriano contra omnium studia post mortem infinitos, atque immensos honores decrevit.* Posterius Pausan. Arcad. p. 273. *Hunc Romani Pium cognomine appellarunt, quod unus omnium religionum studiosissimus fuerit.* Aliam causam adfert Joh n. Antioch. p. 821. *Pii appellationem omnium Imperatorum primus a morum simplicitate retulit.* Si vero generum ejus Marcum audiamus, *Pius* quasi clemens dictus est. *Hæc, clementia, Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecravit, hæc patrem tuum in primis Pii nomine ornavit.* Vulcat. Gallic. Avid. Cass. c. 11. Quo certe respexisse videtur Claud. Honor. Cons. IV. 275.

Sis pius inprimis, nam cum vincamur im omni
Munere, sola deos æquat clementia nobis.

Spanhem. Differt. de præst. numism. VIII. p. 724. Casaub. in Capitolinum. Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 890. C. Vignol. Differt. de Columm. Anton. Pii c. 6.

Pius Q. Metellus Q. Metelli Numidici filius est cognominatus, quod patrem, a Saturnino in exilium pulsus, ejus *pietate* in patriam est revocatus. Paterc. II. 15. 4. *Q. Metellus Numidici filius, qui meritum cognomen Pii consecutus erat: quippe expulsum civitate a L. Saturnino tribuno plebis, quod solus in leges ejus jurare noluerat, pietate sua, auctoritate senatus, consensu Reipublicæ restituit patrem.* August. de Famil. Roman. in Cæcilia. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Glandorp. Onom. Roman. p. 170. Vignol. Differt. de Columm. Anton. Pii c. 6.

PIX.

PIX adhibebatur olim I. ad condienda vina. Plin. XIV. 19. *Pice, ac resina condire musta vulgare est ei, provinciisque finitimis.* Ratio musti condiendi traditur ab eodem c. 20. *Ratio condiendi musta, in primo fervore, qui novem diebus cum plurimum peragitur, aspersu picis, ut odor vino contingat, & saporis quædam acumina.* Beroal. in Serv. §. 51. Salmas. Exerc. Plin. p. 500. b. B. II. ad vasa linenda, & obturanda. Cato de re rust. c. 23. *Face ad vindemiam quæ opus sunt, ut parentur, vasa laventur, corbulæ sarciantur, picentur dolia.* Colum. XII. 18. *Dolia quoque, & seriæ, cæteraque vasa ante quadragesimum vindemiæ diem picanda sunt.* Suet. Claud. c. 16. n. 9. *Edicto admonebat, ut uberi vinearum proventu bene dolia picarentur.* Beroal. l. l. Pitisc. in Suetonium. III. ad naves muniendas. V. supr. in *Naves*. IV. ad pilos e partibus corporis, quas natura vestitas esse voluit, detergendos. Plin. ibid. c. 20. *Pudet confiteri, maximum jam honorem ejus esse in evellendis virorum corpori pilis.* Hoc πιττοῦν vocant Græci. Ita Clem. Alex. Pædag. III. 3. *Propter eos plenæ sunt civitates iis, qui effeminatos hos picant, radunt, & vellunt. Officinæ ubique constructæ, & apertæ sunt, & hujus meretriciæ fornicationis artifices multum pecuniæ lucrantur ab iis, qui seipsos pice oblinunt, pilos vulsoribus quoquo modo præbent vellendos, quos nec eorum, qui vident, nec eorum qui accedunt, nec sui ipsorum, qui viri sunt, pudet.* Victor. Var. Lect. VIII. 14. Jun. de Coma c. 2. Salmas. ad Tertull. de pall. p. 284. Dalechamp. in Plinium. Et pilare Latini. Mart. XII. 32. 21. V. illum supr. in *Meretrices*. X. 48. 1. sed laudatum infr. in *Sacerdos*. Scalig. in Tibull. p. 133. Scriver. in Mart. X. 48. 1. V. ad homines torquendos. Illorum enim corpora ferventi *pice* instillata. Lucret. III. 1030.

Verbera, carnifices, robur, pix, lumina, tæda.

Plaut. Capt. III. 4. 64.

—— at pol te, si hic sapiat senex,
Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat.

Victor. & Dalechamp. l. l. Brod. Miscell. II. 10. Lambin. in Lucretium. Et ferventem *picem* potandam precari mos erat execrantibus. Plaut. Merc. I. 2. 29.

At tu ædepol calidam picem bibito, ægritudo abscesserit.

In veteri inscriptione apud Gruter. p. 1191. n. 9. HÆC STIGMATA. ÆTERNA. ACTE. LIBERTÆ. INUSTA. SUNT. VENENARIÆ. ET. PERFIDÆ. DOLOSÆ. DURI. PECTORIS. CLAVOM. ET. RESTIM. SPARTEAM. UTI. SIBI. COLLUM. ALLIGET. ET. PICEM. CALENTEM. PECTUS. MALUM. COMBURAT. SUUM. *Taubmann. in Plautum.* VI. ad rejiciendos, qui obsessæ urbis muros conscendere conarentur. Sallust. de bell. Jugurt. p. 111. *Oppidani in proximos saxa volvere, præterea picem sulphure, & tæda mistam mittere.* Cæs. de bell. Gall. VII. 24. *Picem, reliquasque res, quibus ignis excitari potest, fundebant.* Quæ talia vasis plurimum inserebant, etiam fictilibus. Herodian. VIII. 4. 26. *Illi saxa desuper jaciebant, & miscentes picem sulphuri, ac bitumini, in cavis vasis longa manubria habentibus, cum ea fervefecissent, appropinquanti exercitui injiciebant & imbris in modum dense, & confertim inspergebant.* Interdum auxilio fundarum projiciebant. Appian. de bell. Punic. p. 77. *Romani aggeres excitarunt oppositos, & adversos turribus, & faces apparantes, itemque sulphur & picem in vasis fundis emittebant in ipsas.* Dionys. X. p. 642. *Atque alii a vicinis ædibus bitumine, & pice fervida vasa repleta fundis inserentes, & adaptantes jaculabantur super ipsum collem.* Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 2. Thys. de Oppugn. urb. V. p. 189. Laurent. Polymath. IV. 2. 10. VII. ad rogum incendendum. Inscriptio: NEC. EX EORUM. BONIS. PLUS. INVENTUM. EST. QUAM. QUOD. SUFFICERET. AD. EMENDAM. PYRAM. ET. PICEM. QUIBUS. CORPORA. CREMARENTUR. *Kirchman. de Funer. Roman.* III. 1.

PLA.

PLACENTÆ inter bellaria non obtinent postremum locum. *Buleng. de Conviv.* II. 54. *Bruyer. de Re cibar.* VI. 7. Græcis πλακοῦς dicitur. Diogenes cum magna aviditate *placentam* voraret, interrogatus quid comederet; *panem*, inquit, *probe confectum*. Inter præcipuas delicias recensebantur, ubique notæ, sed apud Atticos nobilissimæ, ob mellis forte præstantiam. Simplicissima compositio erat ex farina in oleo fricta cum caseo, salubritatis causa mox adjectum mel: sed increscente luxu multo præstantiores paratæ,

paratæ, ex variis herbis, fructibusque, addito saccaro, ovis, & butyro. *Nonn. de Re cibar.* I. 8. *Menetrej. Symbol. Dian. Ephes. Stat. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VII. *p.* 386. *C. Stuck. de Sacrif. p.* 75. *&* 223. *Casaub. in Athen.* III. 29. *Schul Nomencl. Philol. p.* 916. Mellitæ ad parandas certe in lautioribus conviviis delicias excogitatæ, ac secundis mensis appositæ. Quo trahi possunt illa dulciarii pistoris verba apud Mart. XIV. 222.

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruit, huic uni parca laborat apis.

Menetrej. ibid. B. *Placenta* Romani plerumque, præsertim in sacris conviviis, seu cœnis vesci solebant. Sic Bruyer. de re cibar. VI. 7. ex Athenæo *placentæ* quoddam genus fuisse docet, quo solo in pervigiliis, id est, cœnis sacris, nam hæ semper pervigiliis conjunctæ fere, veteres usi sint. *Falconer. Dissert. de Pyram. C. Cest. Epul. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1469. *A.*

PLACENTIA a Romanis est condita, & colonia deducta an. 535. P. Cornelio Scipione & Ti. Sempronio Longo coss. Polyb. III. 40. *Institutum prius negotium de coloniis in Galliam Cisalpinam deducendis perficere Romani conantur. Igitur oppida summo studio mœnibus cingere: futuros incolas, erant autem sena colonorum millia utrique urbi assignata, intra dies triginta ad suas colonias sistere se jubere: harum alteram cis Padum condebant, cui nomen fecerunt Placentiæ: alteram trans Padum, quæ dicta est Cremona.* Ascon. in Cicer. p. 155. *Colonia deducta est pridie Kal. Januar. primo anno belli Punici* II. *In coloniis his equites deducendi fuit causa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant. Deduxerunt triumviri P. Cornelius Asina, P. Papyrius Maso, Cn. Pompejus, sive Cn. Cornelius Scipio.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 5. Cluver. Ital. Ant. I. 27. 2.

PLACIDIA Augusta a fratre Honorio pulsa, ad Orientem cum Honoria, & Valentiniano filiis proficiscitur, Mariniano & Asclepiodoto coss. *Prosper Chron. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 315. *E.* cum Valentiniano Cæsare mira felicitate Johannem tyrannum opprimunt, & regnum rectores recipiunt, Theodosio XI. & Valentiniano coss. *Prosper ibid. p.* 316. *B.* Defuncta est V. Kal. Decemb. Valentiniano VIII. & Avieno coss. *Prosper ibid. p.* 320. *E.* Ejus domus fuit Constantinopoli in prima promontorii peninsulæ parte. *Gyll. de Bosphor. Thrac.* II. I.

PLACITA sunt, quæ post multas varietates stabilita sunt l. 55. ff. de legat. 2. In appellationibus pronuntiari solebat, juste, vel injuste pronuntiatum l. furti §. 1. ff. de his qui notant. infam. Quod si in iis Principi quid *placeret:* illud significat, Principis arbitrio, & benigniori interpretatione ex bono, & æquo rem esse decisam: nec Principem eorum sententiam secutum, quæ minus æqua ex juris rigore videretur. Quod confirmatur ex Virg. Æneid. I. 283.

— *quin aspera Juno*
Consilium in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum.

Observo tamen hoc verbum *placuit* in Imperatorum decretis, maxime in voluntatum quæstionibus usurpatum, quæ juris stricti non sunt, sed pendent ex arbitrio judicantis l. 14. C. de donat. int. vir. & ux. Nam omnis voluntatis quæstio in æstimatione judicis est l. 7. C. de fideicom. etiamsi juris subtilitas reluctari videatur l. filio ff. de injust. rupt. testam. quia testatorum voluntates ex bono & æquo interpretationem capiunt l. in iis quæ ff. de condit. & demonst. Quare in hujusmodi controversiis Principes usi sunt verbo *placuit.* Colligitur hoc ex decreto l. cum vero §. cum quidam ff. de fideicom. libert. *Cum quidam Celsus ancillam, quam pignori obligaverat, dimisso creditore, per fideicommissum manumitti voluisset: & heredibus creditorem non liberantibus, infantes, qui postea erant editi, venissent a creditore: Imperator noster rescripsit secundum ea, quæ Divo Pio placuerant, ne pueri ingenuitati destinata fraudarentur, pretio emptori restituto, perinde eos ingenuos fore, ac si mater eorum suo tempore manumissa fuisset.*

Verbum istud *placuit* extenditur etiam ad ea, quæ extra testamentorum causas a mera Principis voluntate proficiscuntur, & quæ ex æquo, & bono terminantur. *Placuit,* ἀρέσκει, veteribus glossis, unde *placita* senatus Galliæ *aresta* dicuntur: quod juris rationem prudentissimi patres nonnunquam ab æquitate sejunctam ad ipsam æquitatem revocent, boni, & æqui rationem secuti. *Guther. de offic. dom. Aug.* I. 23.

PLAGÆ differunt I. a cassibus, quod illi concavi sint; sunt enim, ut ipsa retia, planæ ac rectæ. II. A retibus, quod illa longo tractu tendantur; hæ nonnisi in viarum angustiis, quæ reti continuari non possint, objiciantur. Ideo ἐνόδια τὰ ἐν ταῖς ὁδοῖς, *plagæ quæ in viis* dicuntur Polluc. IV. 4. Et *plagas* a retibus distinguit Horat. Epod. II. 31.

Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas:
Aut amite levi rara tendit retia.

Et lucem trahit locus Virg. Æneid. IV. 131. Ubi Servius: *Multi dividunt, ut sic retia rara, majora: plagas vero minora intelligant.* Verissima illorum sententia est. A qua omnes postmodo aberrarunt. *Alii* enim, ut addit Servius, *plagas per definitionem accipiunt, ut intelligant, quæ sunt retia rara plagæ.* Magnitudine itaque etiam differunt. Isidor. XIX. 5. *Minus rete emplagium dicitur a plagis.* Vlit. in Nemes. Cyneg. n. 300. Voss. Lex. Etymol.

Plaga vocatur tegimen grande lineum, quo hodie mulieres Romanæ utuntur. Ejus diminutivum est *plagula,* cujus meminit Ulpian. l. 23. §. 2. ff. de aur. & arg. in recensendis vestibus muliebribus. *Bayf. de re vest. c.* 20. *Brod. Misc.* X. 20. Nonius tamen XIV. 5. *Plaga, grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lectuariam sindonem dicimus. Varr. de vit. pop. Rom.* III. *Chlamydes, plagæ, vela aurea.* Voss. Lex. Etymol. Ferrar. Anal. de re vest. c. 2. Guiland. Papyr. membr. XVI. §. 13.

Plaga etiam vocatur spatium ætheris, zona cœlestis. Varr. lege Mænia apud Non. IV. 361.

Nos admirantes quod sereno lumine
Tonuisset, oculis cœli rimari plagas.

Stat. Theb. XI. 5.

Componit dextra victor concussa plagarum
Jupiter, & vultu cœlumque, aëremque reducit.

Barth. in Statium.

PLAGIARIUS vocatur mancipiorum suppressor, & *plagiator* Tertull. adv. Marc. I. 23. Est, qui servo, aut servæ persuadet, ut a domino, dominave fugiat; vel eum, eamve invito, vel insciente domino celat, vinctum habet, emit, vel vendit. Etiam qui sciens liberum hominem vendit, in servitutem tradit, aut eo utitur quasi servo: & qui servos alienos supprimit. Auctor Etymologici: *Plagiarius est non tantum, qui liberos in servitutem ducit, sed etiam qui servos dominis eripit.* Popma de oper. serv. p. 166. Rhodig. Ant. Lect. IX. 22. Schill Nomencl. Philol. p. 917. De illis V. supr. *Legem Fabiam.*

PLAGIAULOS, πλαγίαυλος, fuit tibia diversa a Phrygia, quæ tamen & ipsa quoque, curva, sive obliqua, Græce ἔλυμος dicebatur. Pollux IV. 10. I. *Tibiarum species obliqua, lotinea, Libycorum inventum. Ipsi vero hanc* πλαγίαυλον *nominant.* Ἔλυμος, *qua materia ipsa e buxo est. Inventores vero sunt Phryges. Sed & cornu utrisque adnutans tibiis huic tibiæ adest in honorem Cybeles.* Dicit Pollux: τοῖς ἑκατέροις αὐλοῖς, hoc est. tam *plagiaulo,* quam elymo additum esse κέρας ἀνανεῦον. Codonem e cornu habebat similiter ac Phrygia: sed erat incurva, Phrygia recta. Igitur cum *adunco cornu tibiam* vocat Ovid. Met. III. 533. in sacris Bacchi, de *plagiaulo* accipi par est, non de Phrygia. Virg. Æneid. XI. 737.

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

Utramque tibiam, *plagiaulon,* & Phrygiam, implexas in antiquis monumentis visere est, ubi sacra deûm matris insculpta habentur, & utramque quidem cum codonibus. V. etiam Pollucem. Latinis *vascam tibiam* vocari obser-

vat

[illegible] Serv. l. l. *Hanc tibiam Græci vocant πλαγίαυλον, La-[illegible]* [illegible]. De hac [illegible] capiendus est Solin. c. 5. *Sive [illegible], quæ [illegible] numero præcentoriis antecedunt.* Sal-m[illegible] Exercit. [illegible] p. 86. b. E. Barthol. de Tib. 1. 5. & 6. Rhodig. Ant. Lect. IX. 7.

PLAGULÆ sunt chartæ philyræ. V. illas supr. in *Charta & Papyrus.*

Plagulæ [illegible] lecticarum vela, quæ pro arbitrio obtendi, vel removeri poterant. Suet. Tit. c. 10. n. 3. *Cum [illegible] lecticam [illegible], [illegible] dicitur dimotis plagulis [illegible].* [illegible] de morte Ciceronis apud Senec. Suas. [illegible]. *Cicero [illegible] remoto velo, postquam armatos [illegible] cervicem [illegible].* Has qui removerat, *aperire [illegible]* dicebantur. Sic accipio Propert. IV. 9 49. V. il-[illegible] *[illegible].* Scheffer. de re vehic. II. 5. Turneb. Advers. [illegible] 25: XXII. 16. Lips. Elect. I. 19. Pollet. For. Rom. [illegible]. 6. [illegible] p. 918. *Plagulas δίκτυον* ex-[illegible] [illegible]. [illegible] quod reticula [illegible] est [illegible] ad [illegible], [illegible] a lecticis pendula, quæ [illegible] tamen aur[illegible] admitterent. *Barth. Adv.* XLIII. 1.

Plagulæ in vestibus [illegible] tunicæ duæ partes, sive panni, qui ad latera suebantur. Varr. de Ling. Lat. VIII. 47. *Non si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis: utraque pars in suo genere caret analogia.* [illegible] sensus est, ut mihi videtur, cum tunica constet ex duabus pannis, sive ex δυοῖν περιτμημάτων, ut ait Joseph. Ant. III. 8. id est, duabus *plagulis*, ut Varro hic appellat, quæ consuuntur ad latera: si pars anterior tunicæ sit angustis clavis ornata, pars vero posterior latis clavis, utraque in genere suo caret analogia. Tertullianus huc alludit de Orat. c. 1. *Oportet in hac quoque [illegible] novum [illegible] novis utribus recondi, & novum plagulis [illegible].* Ruben. de Re vest. I. 1. Hæc eadem sententia fuit Salmasii ad Vopiscum, licet id Rubenius dissimulet. *Ex duabus*, inquit Salmasius, *plagulis [illegible] tunicæ, & [illegible] erant, una anteriore, altera posteriore, & utraque clavis latis, aut angustis insignita, prout dignitas ejus, cui parabatur, exigeret.* Sed quis unquam veterum prodidit clavos etiam in posteriore tunicæ parte [illegible] fuisse? aut ad quid ponebantur, cæci, & latentes, cum pars ea tunicæ, aut togæ, aut lacerna, aut pænula tegeretur, & ita nunquam conspicua. Inepte advocat Tertullianum. Si enim *plagula* erat anterior, ac posterior tunicæ pars, quomodo vestimento addi poterat? Verisimilior igitur mihi videtur opinio Scaligeri Conject. in Varr. p. 192. duos pannos, sive duas *plagulas* clavis purpureis consutos tunicæ adsutos in pectore, non tamen quod ille censet, ex humeris demissas, ut epomis Græcorum. Nam *plagulas* de duabus tunicæ partibus, anteriore, & posteriore dici posse non puto, sed *plagas* cum *plagulis*, quæ vox Nonio supr. in *Plaga* accipitur pro toral, sive lectorum sindone & exiguum pannum, aut velum significet, ut Suetonius in *Pla[illegible]* [illegible] *lecticæ plagulis*, & Plin. XIII. 12. [illegible], *seu paginas plagulas*, id est, schedas appellat. Et quia etiam retia *plagæ* dicebantur. V. supr. in *Plaga*, panni illi clavis consuti *plagulæ* dicti, quod retis figuram expriment, licet clavi rotundi, ictium *plagæ* quadratæ, & scutulatæ. Ajebat ergo, si altera *plagula*, puta a dextra angustis, a sinistra latis clavis consuta fuisset, caruerit utramque analogia. Quæ res etiam indicat, non unum, aut duos, sed plures clavos fuisse. Aliter Varronis sententia constare non poterit. *Ferrar. Anal. de re vest. c. 2.*

PLANCÆ sunt crassiores asseres, ad firmitatem majorem [illegible] ut plurimum durioribus. Pallad. de re rust. I. 21. *[illegible] supponantur stationibus equorum cum stramine, ut jacentibus molle sit, stantibus durum.* Plin. [illegible] II. 13. *Nec pontes transeuntur per [illegible] plancarum transitum [illegible].* Barth. Adv. XLIX. 9. Chimentel. de hon. [illegible] II. c. 21.

PLANCTUS inhoneratus fuit inauspicatus. Flor. IV. 2. *[illegible]: fuga victimarum, apum examina, insignes interdiu tenebræ, dux ipse, & nocturna imagine [illegible] audiens plausum in modum planctus circumsonare, & mane cum pullo amiculo, nefas, apud principia conspectus est.* Buleng. de prodig. c. 62. Usitatus in funeribus. V. supr. in *Pectus*.

PLANCUS est dictus, qui supra modum pedibus est planis, id est, qui pedes imos graciles habet, planosque æqualiter, quasi tabellas, quæ *plancæ* vocantur. Festus: *Plancæ dicebantur tabulæ planæ, ob quam causam & Planci appellantur, qui supra modum pedibus planis sunt.* Vaillant Numm. I. p. 85. In gente Munatia clari extiterunt. Iidem qui *Ploti*, & *Plauti* dicti. In nummis argenteis gentiæ Juliæ, & Munatiæ communibus. L. PLANC. PR. URB. *Lucius Plancus prætor Urbis.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 835. B. Illorum I. fuit L. Munatius *Plancus*, orator, ac discipulus Ciceronis. Militavit sub Cæsare in Galliis, cui & in bello civili cum adhæsisset, post præturam designatus ab illo consul cum D. Bruto, Galliam comatam administravit. Post bellum Perusinum profectus ad Antonium, cum diu illi, & Reginæ Cleopatræ servilibus obsequiis se approbasset, inter apparatum Actiaci belli transfugit ad Cæsarem, a quo post aliquot annos ad censuram evectus est, pluribus etiam honoribus decoratus. Inscriptio: *L. Munatius. L. F. L. N. pron. Plancus. cos. cens. Imper. iter.* VIIvir. *epulonum. triumphaus ex Rætis aedem Saturni fecit de manubiis. agros divisit in Italia Beneventi, in Galliam colonias deduxit Lugdunum & Rauracam.* II. L. Munatius *Plancus*, haud dubie *Planci* censorii viri F. consulatum gessit an. 765. sub finem vitæ Augusti. Missus legatus ad Germanicum, pæne a militibus seditionem agitantibus occisus est. Tacit. Annal. I. 39. 2. III. C. Plotius *Plancus* L. frater a triumviris proscriptus, cum in regione Salernina lateret, odore unguenti proditus est. Quanquam autem adhuc fallere posset: servis, ubi dominus esset, in summis tormentis se scire negantibus, non sustinens tam fideles diutius excruciari, in medium processit, militumque jugulis gladium præbuit. IV. T. Munatius *Plancus* Bursa & ipse L. Oratoris, & C. frater, tribunus plebis cum Q. Pompejo Rufo, Miloni in causa cædis Clodianæ valde adversatus est, Ciceroni etiam ob id infestus, etsi antea ab illo pro tribunali judicum defensus erat. In funere Clodii curiam incendit. Unde mox ex condemnatione maximo populi plausu pulsus Urbe, quadriennio post a Cæsare rerum potiente restitutus est. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 613.

PLANETA fuit vestis sacra. Baronius ad annum 58. contendit fuisse pænulam. Pænulam fuisse inter vestes sacras non negaverim, sed eandem fuisse ac *planetam*; hoc est, quod fateri non possum. *Planeta* sic dicta est; ut ipse fatetur Baronius, a πλάνης, quod circum errans totum ambiat corpus, quales esse antiquiores ait idem, quæ in Ecclesiis asservantur, quæ nempe rotundæ, ac per totum clausæ uno circumjectu totum corpus involvebant, etiam utrumque brachium ita, ut nisi a lateribus utroque pariter brachio sublevari possent. Quare alii *planetas* dictas existimarunt, quod ejus extrema ora hinc inde in brachia, scapulasque rejecta errabunda deflueret. Et ideo plures eandem vestem *casulam* dixere elegantia, quæ eorum temporum propria fuit. V. Isidorum supr. in *Casula*. Qui addit *Græce planetas dictas, quia horis errantibus evagantur, ut & stellæ planetæ, quæ vagæ suo errore, motuque discurrunt.* Pro *horis* L. *oris*, id est, limbo, & extrema parte, ut scilicet secundum etymon πλάνης *planeta* Græce dicatur, quia ejus oræ errarent, & vagarentur, modo nempe subductæ brachiis, modo defluentes, & nunquam stabiles. Sic & sacri glossographi vestem laxam interpretantur circa humeros, quæ errantibus oris evagatur. Gemma animæ. V. illam supr. in *Casula*. Fuit itaque vel toga, vel togæ simillima, ea nempe forma, qua olim in usu erat, nam ætate nostra non parum immutata est. Vetus quippe totum hominem cooperiebat, atque involvebat, ut diximus. Quales nunc in antiquis picturis cernuntur, qualesque sunt adhuc Græcorum sacris operantium vestes exteriores, & nos Venetiis vidimus. Paullatim inde a lateribus scindi cœpit, credo, quia nimis onerosa

rosa res esse, donec ad hanc formam ventum est, qua utrinque aperta facile brachia excluduntur. *Ferrar. de Re vest.* I. 1. 36. Similitudine decepti, cum nondum pænulam videre contigisset, eam togam, vel togæ simillimam fuisse diximus. Pænula est, non toga, brevior scilicet toga, & angustior, præterea utroque brachio subducta, cum in toga alterum exsereretur. *Ferrar. ibid.* II. 2. 7. Apud scriptores Ecclesiasticos Ecclesiæ Latinæ, omnes videlicet semiantiquos minus usitatum pænulæ vocabulum comperio, sed partim casulam, partim *planetam* vocitari. Prius apud Hispanos mansit, quibus casula est; imo apud Gallos, qui chasuble corruptius vocant; posterius apud nostrates. Cum vero apud Latinos natum sit hoc vocabulum, eoque tempore, quo Græcæ linguæ non adeo frequens erat usus, crediderim ejus radices non in Græcia, sed in Latio esse quærendas: quoniam sic appellata fuerit, quod *plana* esset, hoc est, nullis, vel paucis plicis corrugata, ad discrimen fortasse pænulæ veteris, quæ rugosior fuit. Cæterum proavorum ætate ejusdem fere formæ apud nostrates fuit sacrum hoc vestimentum, quam apud Græcos hodieque conspicimus: rotundum videlicet, æquatoque in ambitum gyro; non autem in duas semirotundas plagas, anteriorem, & posteriorem divisum; quam in speciem paullatim degeneravit, dum sacrificaturi, onus illud brachiorum pertæsi, & commoditati magis, quam decori studentes, sensim ab utroque latere eam resecant, donec cubito tenus pertingeret. Olim vero necesse fuit circa medium cubitum, ne brachia impedirentur; vel, ut casus tulerat, corrugari; vel certe ordine quodam plurifariam replicari. Et quidem, ut Auctor gemmæ supr. in *Casula*, in utroque brachio triplicabatur: quod cum sit, interior facies tegitur, exterior apparet: circa pectus, & inter humeros duplicabatur; ita ut interior facies circa collum detegeretur. Quæ notitia satis liquido ostendit, qua ratione hic habitus sacrificanti aptaretur, quamdiu primævam speciem retinuit. *Donius de Utraque penul. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* VI. *p.* 1555. *Cerda Adv. c.* 36. §. 12.

PLANIPES *Græce dicitur mimus. Ideo autem Latine planipes, quod actores planis pedibus, id est, nudis proscenium introirent: non, ut tragici actores cum cothurnis, neque ut comici cum soccis.* Diomed. III. p. 487. Edit. Putsch. Idem Donatus, sive potius Euanthius proleg. in Terentium: *Planipedia dicta ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non cothurno, aut socco utuntur in scena, sed plano pede.* Ubi *planus pes* dicitur, qui est expers cothurni, ac socci, utpote nudus. Hoc enim oppositio docet. Senec. Epist. 8. *Quantum disertissimorum versuum inter mimos jacent? quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt.* Certum igitur mimorum nudos fuisse pedes: attamen non æque certum, an ob id *planipedes* dicti, eorumque fabula *planipedia*. Alia enim est ratio, quod scilicet primitus non admitterentur in orchestram. V. Festum supr. in *Orchestra*. sed *plano* agerent *pede*, sive in plano, atque humili loco. Affert & hoc Diomedes his verbis: *Sive quod olim non in suggestu scenæ, sed in plano orchestræ, positis instrumentis mimicis actitabant.* Et Euanthius quoque: *Vel ideo, quod non ea negotia continet, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt; sed in plano, & humili loco.* Ejus meminit Gell. I. 11. *Quid enim foret ea re ineptius, sicut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros, & modos, & frequentamenta quædam varia tibicen incineret?* Sagittar. Nudiped. I. 28. Salmas. Exerc. Plin. p. 77. a. D. Gyrald. de Poet. dialog. VI. p. 325. D. Buleng. de Theatr. Præf. & I. 47. Ferret. Mus. Lapid. III. Memor. 42. Bartholin. de tib. II. 11. Scalig. Poet. I. 10. Casal. de trag. & com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7. Brod. Misc. II. 18. Voss. Instit. Poet. II. 32. 1. Sed errat Diomedes, cum idem *planipedem* fuisse putat ac mimum. Nec enim quivis mimus *planipes*. Quæ sententia refellitur istoc Auson. Epist. 14. *Vive, mi Paulle, quam ineptum lacessieris, in verbis rudem, in eloquendo hiulcum, diluti salis, & fellis ignavi: nec de mimo planipedem, nec de comœdis histrionem.* Ubi clare indicat, mimos omnes fuisse *planipedes*: sed non omnes *planipedes* mimos: quemadmodum non omnes histriones comœdi, sed comœdi omnes histriones. Inter *planipedes* præcipui erant mimi; uti inter histriones comœdi: sed Ausonii temporibus, quibus tragœdi & ante minus in usu. *Voss. l. l.* Reciniati in scenam prodibant. Festus in Orchestra: *Recinia autem portabant, quo ne [illegible] habitu prodirent, atque ut inde nomen ducerent.* Festus. V. illum infr. in *Ricinium*. Voss. ibid. §. 2. Buleng. l. l.

e PLANO, id est, in solo, soli planitie, χαμόθεν judicare dicitur judex, aut magistratus, qui sine forma, quod ajunt, ac strepitu judicii, non editiore loco sedens, sed in via, ac transitu, aut inter deambulandum, de levioribus negotiis, his maxime, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt, decernit, & statuit. *Plana* clivosis, & sublimibus opponuntur. Ulpian. Digest. XIII. 6. 5. §. 7. *Si tibi commodavi, ut & in machina operaretur. cæterum si, ut de plano opus faceret.* Et *de plano cognoscere*, & *pro tribunali* contraria sunt. Suet. Tib. c. 33. n. 3. *Judices aut de plano, aut e quæstoris tribunali legum.... admonebat.* Paull. Digest. XLVIII. 18. 18. §. 10. *Custodiæ non solum pro tribunali, sed & de plano audiri possunt, atque damnari.* Gradus namque ad tribunalis fastigium, ubi sella posita. *Cimentell. ac Hon. bisell. c.* 15. *Pitter. For. Rom.* I. 5. *Sic.am. de judic. Centumv.* I. 3. *Rævard. Protrib.in. c.* 7. *Noodt de Jurisd. & imper.* I. 10. *Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Unde de plano recte legi possit* vulgaria esse legum verba Valerius Probus docet. Ubi prodit veteribus decantatas fuisse V. D. P. R. L. P. In locis enim celeberrimis, atque ubi omnibus legi possent, proponebantur. Ulpian. l. 11. ff. de inst. act. *Proscribere palam sic accipimus: claris literis, unde de plano recte legi possit, ante tabernam scilicet, vel ante eum locum, in quo negotiatio exercetur: non in loco remoto, sed in evidenti: literis verum, Græcis, an Latinis? puto secundum loci consuetudinem, ne quis causari possit ignorantiam literarum.* Et in Regis nostri bibliotheca legis in æs incisæ fragmentum vetus: APUD FORUM PALAM UNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSITUR PROSCRIPTAM HABUERINT. Ἐξ ἐπιπέδȣ Joseph. Ant. Jud. XIX. 4. id est, *de plano*, quod & χαμόθεν l. 13. ff. de excusat. Hæc est proponendarum legum conditio vulgaris. Quamobrem culpatur merito Cajus Cæsar, qui de vectigalibus quibusdam *legem proposuit minutissimis literis, & angustissimo loco, uti ne cui describere liceret.* Suet. c. 41. n. 1. *Cujac. Observ.* VII. 29. *Torrent. & Pitisc. in Suetonium.*

PLANTA pedis si dextra salierit, utilitatem & bonum: sin vero sinistra, victoriam in judicio, & bonum novum nuntiat. *Niphus de Augur.* I. 9.

Ex PLANTATIS quinta pars exigebatur. Appian. de bell. civ. I. p. 353. *Sub vectigali annuorum fructuum, decimæ partis ex satis, quintæ vero ex plantatis. Agri enim vectigales multas habent constitutiones. In quibusdam provinciis fructus partem constitutam præstant: alii quintas, alii septimas.* Vox φυτευομένων, apud Appianum quæ extat, est generalis, & omnia, quæ *plantantur*, significat. Ego ex vite, olea, ficu, pomo, nuce, intelligi, & redigi Appiani vectigal velim, nec aliunde video posse. Nisi tamen de sylva cædua intelligit: quod in medio relinquo. *Lips. de Magnit. Rom.* II. 1. *Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c.* 3. Prius, rejecto posteriori vectigali, cujus nullum apud veteres scriptores vestigium est, cum illis verum esse putamus: nam arbores, & earum fructus vectigali subjacuisse clarum est. Hygin. de Limit. constit. inter agros, qui vectigal præstant, enumerat *sylvas glandiferas. Certa pretia agris constituta, ut in Pannonia arvi primi, arvi secundi, partis sylvæ glandiferæ, sylvæ vulgaris pascuæ. His omnibus agris vectigal ad modum ubertatis per singula jugera constitutum est.* Et inter publica vectigalia vectigal picariarum, quod fuit redactum ex locatione arborum, ex quibus pix defluebat. V. illud infr. in *Vectigal*. Burmann. Differt. de Vectig. c. 2.

PLASMA est remedium voci formandæ aptum. Pers. Sat. I. 17.

—— liquido cum plaſmate guttur
Mobile collueris.

Liquidum plaſma, ὑγρὸν & ὑγραῖνον, vel potius λειαῖνον: eſt enim de genere eorum medicamentorum, quæ λεαντικὰ vocant Græci medici. Πλάττειν φωνὴν dicitur phonaſcus, qui arte vocem corrigit, & format in melius. *Caſaub. in Perſium. Creſoll. Theatr. Rhet.* III. 18. Perperam. Πλάσμα vox eſt, quæ πλάσιν accepit, & quæ bene formata eſt apud Perſium: cujus verborum hic ſenſus eſt: quum liquidam, & εὔπλαστον vocem per leve guttur eliquaveris, ut loquitur n. 34.

—— vatum & plorabile ſi quid
Eliquat, & tenero ſupplantat verba palato.

Et ita accipitur apud Quintil. I. 8. *Pronuntiatio plaſmate, ut nunc fit, plerisque effeminata.* Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 466. Buleng. de Theat. II. 19.

PLASTICA apud Græcos quæ dicitur, apud Latinos figulina vocatur. V. illam ſupr. in *Figulina*.

PLATANON vocatur *platanetum*, ſive locus, ubi plures *platani*. Senec. Epiſt. 55. *Platanona medius rivus & a mari, & ab Acheruſio lacu receptus, Euripi modo dividit.* Petron. c. 86. *Rogavi ancillam, ut in platanona produceret dominam.* Exornabatur interdum pictis feris. Mart. III. 19. 1.

Proxima centenis oſtenditur urſa columnis,
Exornant fictæ qua platanona feræ.

Gonſal. in Petronium. *Platanones* fiebant in ea thermarum parte, quæ erat ante natationem, ad exercitationes maxime idonea. Fiebant enim xyſta, *ut eſſent inter duas porticus ſylva, aut platanones, & in his perficerentur inter arbores ambulationes.* Vitruv. V. 11. *Baccius de therm. vet. c. 6.* Ponitur *platanon* a Victore in regione duodecima. Nemus forte ſimile illi, quod ad porticum Pompeji, de quo Martialis jam laudatus. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 9. Apud Victorem pro inſigni cenſetur. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 372. *E.*

PLATANUS nullum fert fructum, ut vel maritandis vitibus utilis non ſit. Propterea haud invenuſte nuncupatur *cœlebs* Horat. Od. II. 15. 4.

—— platanusque cœlebs
Evincet ulmos.

& vidua Mart. III. 58. 1.

Bajana noſtri villa, Baſſe, Fauſtini
Non otioſis ordinata myrtetis,
Viduaque platano.

Propter umbras alioquin Romanis chara, ut pomariorum totorum pretiis ſingulæ conſtiterint. Plin. XII. 1. *Quis non jure miretur arborem umbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe?* Barth. XLIII. 22. Gonſal. in Petron. p. 362. Ejus rami tam late vagabantur, ut etiam in ſcamnis patulis arboris epularentur quindecim convivæ, aſſiſtentibus miniſtris. *Tantumque honoris poſt datum platano, ut vino infuſo enutriretur: compertum id maxime prodeſſe radicibus.* Plin. l. l. Quod primus excogitavit Hortenſius. Macrob. Sat. III. 13. *Is Hortenſius ſuas vino irrigare conſuevit: adeo, ut in quadam actione, quam habuit cum Cicerone ſuſceptam, precario a Tullio poſtulaſſet, ut locum dicendi permutaret ſecum. Abire enim in villam neceſſario ſe velle, ut vinum platano, quam in Tuſculano poſuerat, ipſe ſuffunderet.* Arbor, tantis olim quæ apud Romanos in deliciis, nunc ab Italis ignoratur. Fatetur id Patric. de inſtit. repub. VII. 5. *Nam platinum, quæ in deliciis apud priſcos erat, ignoramus: cujus commendatio tanta fuit umbræ gratia, non ex fructu, quoniam nullum gignit, ut ex Ionio in Diomedis inſulam, & in Siciliam, atque in Italiam tranſvecta, gratiſſimam umbram civibus Romanis præbuerit.* Kobierzyk. de Luxu Rom. II. 8. Genio, & voluptati erat dicata. Et inde *genialis* vocatur Ovid. Met. X. 95.

Et platanus genialis.

Et puto apud Plin. l. l. pro *tranſtulit ingeniis* ſcribendum *tranſtulit in genios: Spado Theſſalicus præterea, & merito dici poſſet is quoque Dionyſius, tranſtulit in genios.* Nam inde ratio peti poteſt, cur Dionyſius ille merito vocari poſſit, quoniam transferendo illas arbores in cultum geniorum effecit, ut ſub illis vino, ac voluptati, cujus deus eſt Bacchus, qui Dionyſius etiam dicitur, indulgeretur in genii cultum. De compotationibus ſub *platano* Horat. Od. II. 11. 13. & Virg. Georg. IV. 146. V. illos ſupr. in *Cœna*. Taffin. de Lud. ſecul. c. 13. §. 8.

PLATEA vulgo montanaria vocitata fuit inter Marcelli theatrum, & Capitolium, ubi olim fuit forum olitorium, quod extra portam Carmentalem fuit. *Marlian. Topogr.* III. 12. A Carmentali, ut arbitror, diſſimili quanquam voce, vocabulum traxit. Diſplicet enim ejus loci etymon, quod quidam derivant a montanis ruſticis illo confluentibus, ut operam ſuam conductoribus locent. *Donat. de Urb. Rom.* I. 9.

PLAUDERE dicuntur textores, cum inſtrumento ad eam rem facto licium denſius inculcant, & cum ſonitu collidunt. Virg. Cir. n. 179.

Non Libyco molles plauduntur pectine telæ.

Tibull. II. 1. 65.

Atque aliqua aſſidue textrix operata Minervam
Cantat, & appulſo tela ſonant latere.

Græci id dicunt σπαθᾷν, vel κροτεῖν. *Voſſ. Lex. Etymol. Taubman. in Virgilium.*

Plaudere dicuntur etiam, qui pectus cum quovis ſonitu verberant. Virg. Æneid. XII. 85.

Circumſtant properi aurigæ, manibusque laceſſunt
Pectora plauſa cavis.

Etiam aves. Virg. Æneid. V. 515.

Jam vacuo lætam cœlo ſpeculatus, & alis
Plaudentem nigra fixit ſub nube columbam.

Stat. Sylv. I. 2. 146.

Claraque gaudentes plauſerunt limina cycni.

Barth. in Statium.

Plaudite dicebatur ſpectatoribus, cum peractis fabulis dimitterentur. Quod vel a grege, vel ab ea perſona, quæ poſtrema in ſcenam introducebatur, pronuntiabatur. In omnibus comœdiis Terentii hoc perpetuum eſt, qui ſeſe non tam late in hac clauſula effundens, quam Plautus, vel ſolo verbo *plaudite*, nonnunquam contentus eſt. Plaut. Curc. V. 3. 51.

Spectatores plaudite.

Qui *plauſum* variis verborum figuris dari jubet. Truc. V. 76.

Spectatores, bene valete, plaudite, atque exſurgite.

Epid. Greg. n. 2.

Plaudite, valete, lumbos ſurgite, atque extollite.

Etiam interdum pluribus verbis. Ciſtell. Caterv. n. 5.

Nunc, quod ad vos, ſpectatores, reliquum relinquitur,
More majorum date plauſum poſtrema in comœdia.

Hunc morem etiam tangit Horat. Art. poet. n. 154.

Si plauſoris eges aulæa manentis, & usque
Seſſuri, donec cantor, vos plaudite, dicat.

Quo alludit Cicer. de Seneſt. c. 19. *Neque enim hiſtrioni, ut placeat, peragenda eſt fabula, modo, in quocunque fuerit actu, probetur, nec ſapienti usque ad plaudite vivendum.* Briſſon. de Form. VIII. 748. Nann. in Horatium.

PLAUSORES erant diviſi in choros. Hos deſcribit Coripp. II.

Excutiunt plauſus, ſtudiorum gaudia ſurgunt,
Alternisque ſibi reſpondent agmina dictis:
Emittunt dextra pariter, pariterque remittunt,
Certatim toto vulgus micat undique circo,
Et veniunt denſæ maxinis albentibus undæ:
Diſponunt cantus, modulos & cantibus addunt.
Nunc ſimul erectis, pronis nunc ordine membris
Dant capita, accedunt pariter, pariterque recedunt;
Fertque, refertque globos moles condenſa virorum.

Ubi *manicis albentibus* ad elationem manuum, quæ in *plausu* fit, significandam dixit. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 16.

PLAUSTRUM fuit vehiculum latum, non in ambitum structum tabulis aut cum sella superne, verum planum. *Plautum* enim apud veteres, seu *plotum*, quod latum est, & planum, a πλατὺς, quomodo & Germani, Belgæ, alique *platt* usurpant. Ita *plauti* dicti canes. Festus: *Plauti appellantur canes, quorum aures languidæ sunt, & flaccidæ, ut latius videantur patere.* Et *plauti* homines cum planis, latisque pedibus. V. illos infr. in *Plautus.* Græci appellant ἅμαξαν. Philox: *Plaustrum*, ἅμαξα. Et paullo post: *Plostrum*, ἅμαξα. Varr. de Ling. Lat. VI. 4. *Septem stellas Graci, ut Homerus, vocant ἅμαξαν, nostri boves, & triones. Et plaustrum appellatum, a parte totum, ut multa.* Habuit rotas duas. Isidor. XII. 12. *Plaustrum vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferuntur.* Quæ plures habuerunt, non jam *plaustra* communiter appellabantur, sed cum addito, *majora*. Sic ad differentiam communium appellat Cato de Re rust. c. 11. *ubi* ad villam instructam requirit *plostra majora* III. Adjunctos habuere boves. Epigramma vetus in descriptione amnis congelati.

Plaustra boves ducunt, qua remis acta carina est.

Virg. Georg. II. 205.

—— nec ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra juvencis.

Aliquando mulos. Cato de Re rust. c. 62. *Quot juga boum, mulorum, asinorum habebis, totidem plaustra e e oportet.* Aliquando asinos. Liquet hoc ex Caton. l. l. Et hac de causa nominat *plostrarios* c. 11. Nam post cætera requiri ait ad vineam *asinos plostrarios duos.* Usus illorum fuit, ut I. perferrentur iis onera. Isidorus jam laudatus. Et ὀχήματα σκευοφόρα hoc genus nominavit Pollux X. 12. II. in bello veherentur naves, quibus superari debent flumina. De hoc, licet *carpenta* vocet, Veget. III. 7. *Commodius repertum est, ut monoxylos, hoc est, paullo latiores scaphulas ex singulis trabibus excavatas pro genere ligni, & subtilitate levissima carpentis secum portet exercitus.* Curt. VIII. 10. *Illi, quia plura flumina superanda erant, sic junxere naves, ut solutæ plaustris vehi possent.* III. transveherentur homines, rustici præsertim, & agrestes. Valer. Max I. I. 10. *Vestales descendere incipientes L. Albinus plaustro conjugem, & liberos vehens aspexit.* Justin. XI. 7. *Jubentur eum Regem observare, quem reversi primum in templum Jovis euntem plaustro reperissent. . . . Ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Jovis positum majestati regiæ consecravit.* Scheffer. de re vehic. II. 19. *Plaustris* etiam utebantur Dionysiis, quæ Lenæa vocantur, ait Aristophanis Scholiastes, quibus poetæ ridiculi causa poemata sedentes e *plaustro* canebant. Sidon. IX. 232.

Pictum fæcibus Æschylon secutus
Aut plaustris solitum sonare Thespin,
Qui post pulpita trina sub cothurno
Ducebat oliæ marem capellæ.

Buleng. de Theat. I. 2.

PLAUSUS manuum erat sonus, nec insuavis, nec absurdus, quem manus audientium, seu spectantium, invicem sese apte ferientes, collidentesque artificiose ad favorem efficiebant. Erat triplex; ex triplici utique sono, quem solebant, exercitatæ in *plaudendo* manus reddere. Bombos dixere, imbrices, & testas. V. singulos suis locis. *Ferrar. de Acclam. & plaus.* I. 2. Manibus esse datos licet videre ex Suet. Galb. c. 6. n. 3. *Postridie quam ad legiones venit, sollenni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera, ut manus pænulis continerent:* ut minime possent sese ad *applaudendum* movere. Et manibus fieri dicitur. Themist. Orat. 17. *Plausum quidem, ut apparet, extremis nunc manibus excitatis.* Nazianz. Orat. 32. *Manibus plaudite.* Imo plaudere est manus movere. Aristæn. Epist. I. 26. *Populus interea rectus, ac mirabundus adstat, & manus movet.* Colum. Præf. I. *In circis potius, ac theatris manus movemus.* Plin. Epist. VI. 17. 2. *Recitabatur liber absolutissimus: hunc duo, aut tres, ut sibi, & paucis videntur, diserti, surdis, mutisque similes audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manum, non assurrexerunt.* Ferrar. ibid. c. 7. Pitisc. in Suetonium. Aliquando priscis temporibus facrunt omnino sine arte: sic nimirum dati, quales naturæ vis quædam, & impetus ad res novas, improvisas, inopinatas, admirabiles, lætas, tristes, & his similes, exprimere solebat. Ovid. de Art. amand. I. 113.

In medio plausu, plausus tunc arte carebat.

Tunc. primis scilicet imperii Romuli annis, quando facta fuit Sabinarum virginum rapina, de qua ibi sermo est. Postea nonnisi artificiose sunt dati. Tacit. Annal. XVI. 4. 4. *Plebs quidem Urbis, histrionum quoque gestus juvare solita, personabat certis modis, plausuque composito*, id est, artificiose dato c. 5. n. I. quod addit: *cum manibus nescius fatiscerent, turbarent gnaros*, indicat manifeste, fuisse aliquando in *plaudendo* manuum artem, quam nossent alii, alii ignorarent. Neronis tempore etiam extitisse, qui artificiosam *plausuum* doctrinam traderent, & qui condiscerent, aperte cognoscitur ex Suet. c. 20. n. 6. *Neque eo segnius adolescentes equestris ordinis, & quinque amplius millia e plebe, robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent.* Ferrar. ibid. c. 8. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 16. Buleng. de Theat. I. 59. Efficiebatur manibus se complodentibus. Et in Sardanapali statua, quæ Tharsi erat, exprimebatur cum inscriptione, quæ modis omnibus lasciviendum esse commoneret. *Pier. Hierogl.* XXXV. 7. Ex gestu statuæ Sardanapali colligitur I. Non ambarum, sed unius duntaxat manus crepitum illum fuisse. II. Crepitum illum solitum edi ex digitis inter se collisis, seu compressis. III. Fuisse eundem inanitatis, ac rei contemptæ indicem. Strab. XIV. p. 462. *Atque inibi Sardanapali monumentum esse, ac lapideam imaginem, dexteræ manus digitos conjungentem, ac veluti crepitum edentem. Ede, bibe, lude, nam cæteræ res hominum haud dignæ sunt hocce digitorum crepitu.* Athen. XII. p. 529. D. *Omnium felicissimus Sardanapalus, cum toto vitæ decursu voluptatem plurimi fecisset, post obitum declarat insculptis monumento digitis, res hominum esse ridiculas, & ne crepitu digitorum dignas, quem collisis inter se digitis duobus significavit, inutilem vero curam esse, quæ impenditur reliquis. Illinc haud procul aberat Sardanapali monumentum, ubi sculpta in lapide fuit imago dextra manus conjunctis digitis, velut ad sonum elidendum. Ede, bibe, lude: reliqua ne digitorum quidem strepitu digna sunt; hæc scilicet illa loquebatur inscriptio.* Sed hæc tria neutiquam de *plausu* dici possunt, siquidem hic nonnisi artificiosa utriusque manus collisione fiebat; & amplius erat lætitiæ, ac gratulationis signum. Efficiebatur itaque utriusque manus conformatione, ac illisione, palma nimirum cum palma collata interdum, interdum dexteræ digitis paullulum contractis, & lævæ palmam apte ferientibus. Senec. Nat. Quæst. II. 28. *Videmus nubes impingi montibus, nec sonum fieri. Primum omnium, non quocunque modo illisæ sunt, sonant, sed si apte sunt compositæ, ad sonum edendum. Aversæ inter se manus collisæ non plaudunt, sed palma cum palma collata plausum facit. Et plurimum interest, utrum cavæ concutiantur, an planæ, & extentæ.* Philostr. in Como: *Plausum etiam imitatur pictura, cujus maxime indiget Comus. Nam dextera contractis digitis subjectam sinistram ad cavum plectit, ut manus cymbalorum more percussæ consonæ fiant.* Aristæn. Epist. I. 10. *At virginis æquales perfectum tum demum hymenæum cecinere: e queis si qua discrepare visa, respicit eam chori magistra, & ad modulum commode reducit, manibus simul increpans: alius canticis applaudere, dexteræ contractis digitis subjectæ lævæ palmam feriens, ut manus complosæ dulcem sonum, cymbalorum in modum, ederent.* Ferrar. ibid. c. 9. Voss. de Imitat. c. 8. §. 3. Cresoll. Theatr. Rhetor. III. 20. §. 1. Dabatur a stantibus: exsurgebant enim, & exsiliebant, ut *plauderent*. Cicer. ad Attic. II. 19. *Curiones stantes plauserunt.* Philostr. in Arrichione: *Clamant exsilientes e sedibus, & hi quidem movent manus, illi vestem....* Prop. III. 16. 18.

Stantiaque in plauſum tota theatra juvent.

Buleng. l. l. Paſſerat. in Propertium. Ferrar. ibid. c. 14. [illegible] interdum [illegible] Ariſt. Orat. de paraphſiis. *Non-ne [illegible], qui [illegible] laudem, non modo in ſpecioſis declamationibus, verum etiam in theatris redimunt?* Plin. Epiſt. II. 19. *Hos duo [illegible] laudatores mei ternis denariis ad laudandum trahebantur, tanti conſtat, ut ſis diſertiſſimus.* Creſoll. Theatr. Rhetor. III. 20. 8. Petav. ad Themiſt. Orat. I. p. 514. [illegible] ambitione perditi pecuniæ non parcebant, ut hos *plauſus* extorquerent. Cicer. pro Sext. c. 54. *Theatrales, gladiatoriique conſeſſus dicuntur omnino ſolere, levitate nonnullorum, emptos plauſus, & exiles, & raros excitare.* Buleng. l. l.

Plauſus [illegible], vocis ac linguæ fuit dicentium plena dignitatis [illegible], animos audientium quaſi titillans, & [illegible] cum ſuavitate illabens. Fiebat cum ex verbis, ac [illegible] lectis, & illuſtribus, apteque connexis inter ſe, ac colligatis, tum ex apta vocis ipſius compoſitione, & [illegible] temperato. Talem in veterum dictione fuiſſe teſtificatur Apul. de deo Socrat. p. 670. *Homines ratione [illegible], oratione plaudentes.* Hieron. Epiſt. 139. quæ eſt ad Cyprianum: *Poſtulas ut difficillimum pſalmum tibi ediſſeram, non compoſita verborum oratione, plauſuque populari, qui ſolet imperitos auditores decipere, atque palpare, ſed ora-[illegible]* . . . . Philoſtr. de vit. ſophiſt. II. agens de [illegible] Herodis ſtylo, ac dictionis genere. *Concinnitas ſermonis admodum caſtigata eſt, & ſubtilitas gravis, ſubrepens potius, quam premens; & plauſus cum ſecuritate, & [illegible] Critiæ vocis æmula.* Ferrar. de Acclam. & plauſ. c. 4.

PLAUTUS, ſive *plotus* dicebatur, qui planis ſupra modum erat pedibus, & nullam in medio habebat cavitatem. *[illegible] Nomin. Roman. c. & 5. Auguſtin. de Famil. Roman. in Plautia.* *Plotii* a *Plautiis* non diſtinguuntur, ut nec a Claudiis Clodii. Sic Paula Polla, plauſtrum & ploſtrum dicitur... Cn. *Plotii* Planci proſcripti a triumviris Lepido, Antonio, & Octaviano a Paterc. II. 67. 2. mentio fit, cujus frater L. Munatius Plancus coſ. triumphum egit de Gallis cum M. Æmilio Lepido II. an. 711. cum diceretur uterque conſul fratrem proſcribendum curaſſe: celebratum eſt a militibus carmen non infacetum:

De Germanis, non de Gallis, duo triumphant conſules.

V. illum ſupr. in *Plancus.* Auguſtin. l. l.

Plautus, qui [illegible] *Plotus*, poſtea dictus fuit M. Attius Sarſinas Umber, cujus extant comœdiæ. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Plautia. Gyrald. de Poet. dial.* VIII. Incidit in ætatem Catonis, quo & ipſo cenſore mortuum eſſe ſcripſit Cicer. Brut. c. 15. ante ſe conſulem 160. annis, hoc eſt, ab U. C. circiter D. P. Claudio L. Portio coſſ. *Camerar. de comic. verſ. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 1579. *A. Gyrald. l. l.*

PLE.

PLEBEJI appellati ſunt progenies plebis. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 3. Illis a Romulo mandatum, *ut agros colerent, pecora alerent, quæſtuarias artes exercerent.* Dionyſ. II. p. 83. *[illegible] de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 3. *A. Sigon. de Nom. Rom. c.* 6. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2008. *[illegible] l. l.* Gentem adepti ſunt, qui ex duobus ingenuis erant orti. V. ſupr. in *Gens.* Procedente tempore patricios magiſtratus omnes, ſacerdotia, auſpicia, ordines, imperia, & triumphos, quæ ſolis patriciis ante patebant, ſunt aſſecuti. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 7. *de Nom. Rom. c.* 6. *[illegible] l. l.* [illegible] illis curia patuit. Feſtus: *Reges, [illegible] conſulares legebant ſibi conjunctiſ-[illegible], ac deinde plebejorum.* Dionyſ. VII. p. 469. *[illegible] opes plebis creverunt. Patres vero multas partes priſcæ amplitudinis amiſerant, cum & in ſenatum, [illegible], & ad ſacerdotia plebejos admiſiſſent, & [illegible] illos feciſſent participes, quæ propria [illegible].* Qui autem illis ad publicum conſilium aperuerit viam, adhuc omnes quærunt. Legimus quidem, & notavimus apud Liv. V. 12. P. Licinium Calvum, qui primus de plebe honorem tribunatus militaris conſulari poteſtate delibavit, veterem ſenatorem fuiſſe. Quin imo & ante, eo tempore, quo Sp. Mælius, poſt tribunatum plebis geſtum, ob affectatam dominationem cæſus eſt, *plebejos* legi potuiſſe. Argumento ſunt illa Quinctii verba apud Liv. IV. 15. *Ut quem ſenatorem vix concoquere poſſet civitas, Regem ferret.* Nam ipſe Mælius, auctore Liv. ibid. c. 13. non ex ſenatorio, ſed ex equeſtri erat ordine. Zonaras tamen jam inde a Servio Tullio *plebejos* lectos tradit: *Ut gratiam*, inquit, *plebi referret, cum aliis muneribus illam affecit, tum nonnullos ex plebis corpore in ſenatum legit. Ac plurimis quidem rebus deteriore quam patricii erant conditione tum plebeji, procedente vero tempore interregno, & ſacerdotiis quibuſdam exceptis, par cum illis jus obtinuerunt.* Nam, quod Feſtus refert *plebejos* a Valerio coſ. allectos, id ita factum eſſe, ut docuimus auctorem ſecuti Dionyſium, & ipſe Feſtus alio loco aperte indicat, *Conſcripti*, inquit, *dicebantur, qui patribus adſcribebantur, ut numerus ſenatorum expleretur.* Suetonius autem videtur omnia turbare loquens de gente Octavia Aug. c. 2. n. 1. Primum enim dicit eam *a Tarquinio Priſco Rege inter Romanas gentes allectam in ſenatum, mox a Ser. Tullio in patricios traductam.* Quare illud *in ſenatum* abundare libenter exiſtimaverim, additum ab aliquo, qui dictionem *allectam* exponeret. *Zamoſc. de Senat. Rom.* I. 6. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* II. 2. *Manut. de Senat. Rom. c.* 1. V. & ſupr. in *Auſpicia, Comitia, Imago, Nobiles, Patricii, Patronus.*

PLEBISCITUM *eſt, quod plebs plebejo magiſtratu rogante, veluti tribuno, conſtituebat.* Juſtin. Inſtit. de jur. nat. §. Plebiſcitum. Feſtus: *Scita plebis appellantur ea, quæ plebs ſuo ſuffragio ſine patribus juſſit, plebejo magiſtratu rogante.* *Plebis* appellatione quinam intelligantur. V. infr. in *Plebs.* Neque ſolum illa *plebiſcita* ſunt, quæ *plebs* in diſcordia fecit; ſed ut omnia, quæ tribunus rogabat, & *plebs ſciſcebat*, non Hortenſia ſolum, ſed aliis quoque legibus, Horatia & Publilia, juſſum eſt, omnes tenerent. Illud inter *plebiſcita*, & cæteras leges intererat, quod hæc a *plebe*, illæ a populo rogabantur; hæc tribunus tributis comitiis, illas conſul, aliusve ex majoribus magiſtratibus, centuriatis, tributis, curiatisve comitiis ferebant; hæc *plebem* olim tantummodo tenebant, illæ ſemper omnes. Poſt legem Hortenſiam ſine controverſia *plebiſcita* pro legibus haberi cœperunt. V. illam ſupr. in *Lex Hortenſia.* Hujuſmodi ſunt Aquilia lex, Semproniæ, Apulejæ, Clodiæ, quas modo *plebiſcita*, modo leges appellari videmus. *Auguſt. de Legib. c.* 3. *& in Hortenſia. Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 89. *C. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 5. *Panvin. de civit. Rom. c.* 68. *&* 70. *Manut. de Legib. c.* 31.

Plebiſcitum Atinium. De illo Gell. XIV. 8. *Nam & tribunis plebis ſenatus habendi jus erat, quanquam ſenatores non eſſent, ante Atinium plebiſcitum.* Hunc C. Atinium Labeonem tribunum plebis opinor fuiſſe, qui cum timeret, ne a ſequentibus cenſoribus in ſenatu legendo præteriretur, quod Q. Metellum Macedonicum cenſorem, a quo præteritus fuerat, de Saxo Tarpejo dejici juſſerat, eam rogationem tulerit in tribunatu, vi ipſa geſti tribunatus, non cenſoris beneficio ſenator eſſet. Unde ſcribit Liv. XLV. 15. *Cn. Tremellium tribunum petitioni cenſorum, quia lectus non erat in ſenatum, interceſſiſſe.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 2. Manut. de Leg. Rom. c. 5. Ouzel. in Gellium. Zamoſc. de Senat. Rom. I. 9. Quando confectum ſit V. infr. in *Tribuni plebis.*

Plebiſcitum Sempronianum obviam ibat fraudibus fœneratorum. Liv. XXXV. 7. *Inſtabat cura alia, quod civitas fœnore laborabat: & quum multis fœnebribus legibus conſtricta avaritia eſſet, via fraudis inita erat, ut in ſocios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transſcriberent; ita libero fœnore obruebant debitores. Cujus cernendi quum ratio quæreretur, diem finiri placuit, Feralia quæ proxime fuiſſent: ut, qui poſt eam diem ſocii civibus Romanis crediſſent pecunias, profiterentur: & ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus,*

gibus, jus creditori diceretur. Inde poſteaquam profeſſionibus detecta eſt magnitudo æris alieni per hanc fraudem contracti; M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate patrum plebem rogavit, plebsque ſcivit, ut cum ſociis, ac nomine Latino, pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis, eſſet. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 2.

PLEBS *a populo eo differt, quo ſpecies a genere: nam appellatione populi univerſi cives ſignificantur, connumeratis etiam patriciis, & ſenatoribus. Plebis autem appellatione, ſine patriciis, & ſenatoribus, cæteri cives ſignificantur.* Juſtin. Inſtit. de jur. natur. §. Lex. Auguſt. de Legib. c. 3. & 7. Gell. X. 20 *Plebem Capito ſeorſum a populo diviſit: quoniam in populo omnis pars civitatis omnesque ejus ordines continentur: plebes vero ea dicitur, in qua gentes civium non inſunt.* Hinc Cicer. Fam. X. 35. LEPIDUS. IMPER. ITER. PONT. MAX. SENAT. POP. PL. Q. R. S. D. *Græv. Præf. ad Theſ. Antiq. Rom. Tom.* I. * * * 2. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* I. 16. A patribus *plebem* diſtinxit Romulus. V. ſupr. in *Patres.* Regibus, & patriciis dominantibus honoribus caruit, & omni Reipublicæ prorſus munere excluſa fuit. Patricii enim ſoli conſulatum, id eſt regium imperium, ſacra omnia, comitia, atque omnem poſtremo in *plebem*, & vitæ, & necis poteſtatem habebant. *Plebs* vero non modo omnis expers honoris optimatibus obediebat, ſed diremptis connubiis vitæ etiam ipſius prope communione privata, maxima cum indignitate ſerviebat. Quam rem tanquam indignam quum Valerius conſul animadvertiſſet, ut aliqua, quæ nulla in ea Republica tunc erat, moderatio induceretur, atque tenuiores cum principibus æquarentur, & *plebs* pari cum patriciis in civitate jure uteretur, libertatis *plebis* Romanæ ille primus initia jecit, ut collega Brutus univerſæ Reipublicæ jecerat. Duas enim leges humaniſſimas, & maxime populares tulit, de imperio a populo accipiendo, & de provocationibus a magiſtratibus ad populum, & ne cuiquam injuſſu populi civem Romanum aut verberare, aut necare fas eſſet. Quum etiam in concionem adſcenderet, faſces in concionem populi ſubmittebat. Quare in hoc magiſtratu Poplicola primo vocatus eſt, quod *plebis* ſtudioſus populum nimis coluiſſet. Dionyſ. V. p. 292. *Panvin. de Civit. Rom. c. 67. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. l. l.* Anno ſecundo ab exactis Regibus tributo exſoluta fuit. Liv. II. 9. *Portoriis quoque & tributo plebe liberata, ut divites conferrent, qui oneri ferendo eſſent.* Et tertio anno decretum ſcribit Dionyſ. V. p. 294. *ut pauperes omnium vectigalium vacationem haberent, quæ Regibus pependiſſent, neque in bellum quicquam conferrent: ſatis enim eſſe, ſi ipſi pro Republica militarent.* *Plebem* autem intelligamus oportet hoc loco homines rei familiaris anguſtiis impeditos, quorum major pars e *plebe* erat: ſiquidem eodem anno de quodam *plebejo* tributum conferente Liv. ibid. c. 24. *Sabino bello, ait, ſe militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, ſed villa incenſa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo ſuo tempore imperatum, æs alienum feciſſe.* Sigon. ibid. c. 16. Opponitur bonis, cum pro *plebe* populares homines humillimos, ac tenuiſſimos accipiant. Cicer. Sext. c. 48. *C. Gracchus frumentariam legem ferebat: res erat jucunda plebi, repugnabant boni.* Attic. I. 13. *Apud bonos iidem ſumus, quos reliquiſti: apud fecem, & ſordem Urbis multo melius quam reliquiſti.* Et quoniam *plebis* numerus multo eſt, quam bonorum, uberior, hinc etiam multos bonis opponit, ut de Rep. VI. apud Non. XII. 4. *Enimvero in diſſenſione civili cum boni plus quam multi valent, expendendos ab his, non numerandos puto.* Sigon. ibid. II. 21. Ex plebe creati ſunt I. Ædiles curules. V. ſupr. in *Ædilis.* II. Cenſores. V. ſupr. in *Cenſor.* III. Conſules. V. illos ſupr. in *Conſules.* IV. Decemviri ſacrorum. V. illos ſupr. in *Decemviri.* V. Dictatores. V. illos ſupr. in *Dictator.* VI. Prætores. V. illos infr. in *Prætor.* VII. Tribuni militum. V. illos infr. in *Tribunus.*

Plebs ruſtica, quæ ut ſimplicior, ſic honeſtior, atque integrior fuit; hinc enim Cato de Re ruſt. præfat. & Plin. XVIII. 5. *Ex agricolis, & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur, maximeque pius quæſtus, ſtabiliſſimusque conſequitur, minimeque invidioſus: minimeque male cogitantes ſunt, qui in eo ſtudio occupati ſunt.* Erat illa pars *plebis* Romanæ, quæ rura tenebat, idque agri colendi cauſa: colebat autem vel ſuum agrum, vel alienum, ſive publicus is fuerit, ſive privatus. Magno ſtudio a primis temporibus res ruſtica a Romanis culta eſt. V. ſupr. in *Agricultura.* Hanc plebis partem *tribus ruſticas* vocat Val. Max. VII. 5. 2. *Omnes ruſticæ tribus paupertatem ſibi ab eo exprobratam judicantes iram ſuam adverſus contumelioſam ejus urbanitatem diſtrinxerunt.* Intelligit illam *plebem*, quæ manibus ſuis agros excolebat, ac maximas in tribubus ruſticis opes habebat. Liv. XXV. 1. *Numerum auxit ruſtica plebs ex incultis diutino bello, infeſtisque agris egeſtate, & metu in Urbem compulſa.* Hinc cum liberto Tirone, qui ruſticum prædium emerat, jocans ait Cicer. Famil. XVI. 21. *Ruſticus Romanus factus es:* quaſi vero eum agrum more majorum manibus ſuis eſſet Tiro culturus. Romanæ *plebi* agri vel a triumviris lege fuerant aſſignati, ut quondam Licinia lege de quingentis jugeribus, poſt Sempronia; aut a cenſoribus erant civibus Romanis fruendi dati, ita ut decumas frumenti annuas ſolverent, qui aratores & agricolæ dicebantur. Priores intellexit Liv. XLII. 34. *Sp. Liguſtinus tribus Cruſtuminæ ex Sabinis ſum oriundus: pater mihi agri jugerum reliquit, & parvum tugurium, in quo natus educatusque ſum, hodieque ibi habito.* Aſcon. in Cicer. p. 19. *Plebs ruſtica partim agros, partim jus civitatis amiſit, partim omnino proſcripta eſt victore Sylla, quod plebs Romana de Marianis partibus fuerat.* Poſteriores Cicer. Rull. II. 30. *Deinde in hac aſſignatione agrorum ne illud quidem dici poteſt, quod in cæteris, agros deſertos a plebe, atque a cultura hominum liberorum eſſe non oportere, ſic enim dico, ſi Campanus ager dividatur, exturbari, & expelli plebem ex agris, non conſtitui: totus enim ager Campanus colitur, & poſſidetur a plebe, & plebe optima, & modeſtiſſima: quod genus hominum optime moratorum, optimorum aratorum, & militum ab hoc plebicola tribuno funditus ejicitur.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 6. Nomine ruſticæ *plebis* non ii modo, qui domicilium haberent in agro Romano, quæ fuerunt quindecim illæ tribus a Servio Rege conſtitutæ: ſed ii etiam comprehendebantur, qui extra terminos agri Romani habitabant; quæ fuere ſedecim illæ tribus, quæ, ejectis Regibus additæ ſunt, & numerum quinque & triginta expleverunt. Quodque magis mirum ſit, univerſa Italia, poſt acceptam legis Juliæ beneficio civitatem, id eſt multo poſt abſolutum numerum triginta tribuum, *plebis* ruſticæ pars fuit; ideo ſcilicet, quia ſuffragium ferret in tribubus ruſticis. Nam ad illa Cicer. in Verr. act. I. *Cum hæc frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit*, ſubjungit Aſconius: *Frequentiam dicit plebis ruſticæ.* Convenerat autem ex municipiis cujuſcunque modi multitudo, aut, propter comitia, ſuffragiorum cauſa; aut ludorum, votivorum, Romanorum, Victoriæ, plebejorum: aut ut cenſeretur. *Manut. de Civit. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 15. *F.*

Plebs urbana eſt, quæ intra Urbem habitavit. Non fuit eadem quæ ruſtica. Perſpicuum hoc eſt ex iis, quæ dicta ſunt: planius fiet exemplo ex ſeditione Appulejana petito. De illo ſic Appian. Bell. civil. I. p. 368. *Appulejus legi ferendæ diem edixit, atque eos, qui in agris verſabantur, advocavit: iis enim maxime, quod Mario Imperatore ſtipendia meruiſſent, confidebat. Majores autem eſſe Italicorum opes populorum populus ægre ferebat: ac die legis ferendæ, quicunque tribunorum legi intercedebant, ab Appulejo contumelia affecti ſe ex tribunali projiciebant. Urbana vero turba clamorem ſuſtulit, quaſi tonitruum audiſſet. Cum autem Appulejani vim facerent, urbani abjectis veſtibus, atque arreptis lapidibus in ruſticos ſe intulerunt. Illi vero iterum ab Appulejo coacti, & ipſi cum fuſtibus in urbanos impetum fecerunt, ac per vim legem juſſerunt.* Hujus *plebis* partes fuerunt, tribuni ærarii, ſcribæ, mercatores & negotiatores, argentarii & fœneratores, artifices & opifices, turba forenſis, libertini, & magiſtratuum apparitores. Has partes *plebis* urbanæ voco, quoniam omnes fere, qui e *plebe* fuerint, in

aliquo horum numerum occupatos fuiſſe comperio. Præceptionis hujus teſtem produco Ciceronem. Is ita Catil. IV. 7. *Omnes adſunt omnium ordinum homines, plenum eſt forum, pleni omnes aditus hujus loci. Quid ego hic equites Romanos commemorem? pari ſtudio defendendæ Reipublicæ conveniſſe video tribunos ærarios; ſcribas etiam univerſos: quos cum caſu hic dies ad ærarium frequentaſſet, video ad expectationem ſortis, ad communem ſalutem eſſe converſos. Omnis adeſt ingenuorum multitudo etiam tenuiſſimorum. Operæ pretium eſt libertinorum hominum ſtudia cognoſcere, qui ſua virtute fortunam civitatis conſecuti, hanc vere ſuam patriam eſſe judicant. Quod ſi auditum eſt, lenonem quendam Lentuli concurſare circum tabernas, pretio ſperantem ſollicitari poſſe animos egentium, atque imperitorum, eſt id quidem cœptum, atque tentatum; ſed nulli ſunt inventi tam aut fortuna miſeri, aut voluntate perditi, qui non ipſum illum ſellæ, atque operis, & quæſtus quotidiani locum; qui non cubile, lectulum ſuum; qui denique curſum hunc otioſum vitæ ſuæ ſalvum eſſe velint. Multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis ſunt: imo vero genus hoc univerſum amantiſſimum eſt otii: etenim omne eorum inſtrumentum, omnis opera, ac quæſtus frequentia civium ſuſtinetur, alitur otio: quorum ſi quæſtus occluſis tabernis minui ſolet, quid tandem incenſis futurum eſt?* Confirmat Q. Frat. de petit. c. 8. *Primum id, quod ante oculos eſt, ſenatores, equitesque Romanos, cæterorum ordinum homines navos, & gratioſos complectere. Multi homines urbani, & induſtrii, multi libertini gratioſi in foro namque verſantur. Deinde habeto rationem Urbis totius, collegiorum omnium, pagorum, vicinitatum. Ex iis principes ad amicitiam tuam ſi adjunxeris, per eos reliquam multitudinem facile tenebis:* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 7. Etiam *plebs urbana* vocatur Cicer. cont. Rull. II. 26. *Et nimirum illud eſt, quod ab hoc tribuno plebis dictum eſt in ſenatu, urbanam plebem nimium in Republica poſſe, exhauriendam eſſe: hoc enim verbo eſt uſus, quaſi de aliqua ſentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur. Turba forenſis* Liv. IX. 46. *Q. Fabius cenſor, ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas appellavit*, etiam illa pars *plebis*, in qua homines verſati ſunt non ſolum egentès, & rebus domeſticis impediti; ſed nocentes etiam, & furioſi. De hujus commodis lege ſua agraria Ti. Gracchus tulit, cum diceret: *feras quidem, & beſtias luſtrum, ac tectum, quo ſe reciperent, in Italia habere; qui vero aſſidue pro libertate pugnarent, præter aerem, lucemque nihil in Italia poſſidere: ſed ſine lare, ſine ſede, cum liberis, conjugibusque vagari: mentiri autem Imperatores Romanos, cum milites hortarentur, ut pro aris focisque pugnarent: neque enim Lares paternos, nec monumenta majorum eos tenere, ſed pro aliena luxuria dimicare, atque orbis terrarum dominos verbo appellari, revera autem ne glebam quidem terræ poſſidere.* Quin etiam hæc illa *plebs* fuit, cujus ſtudio P. Clodius tribunus plebis Ciceronem ex Urbe expulit, ac Rempublicam divexavit: de qua ſic ille pro domo c. 30. *P. Clodius conſulari homini adimere potuit civitatem, concilio advocato, conductis operis non ſolum egentium, ſed etiam ſervorum, Sedulio principe, qui primus ſcivit: quod facile potuit propter inopiam tecti in foro pernoctans.* Neque vero ſolum, quos paupertatis humilitas depreſſerat, ſed quos etiam flagitioſa, ac turpis vita ſignaverat, *plebs* hæc urbana complexa eſt. Salluſt. Bell. Catil. p. 30. *Sed urbana plebs præceps erat multis de cauſis: primum omnium, qui ubique probro, ac petulantia maxime præſtabant; item alii, qui per dedecora patrimoniis amiſſis; poſtremo omnes, quos flagitium, aut facinus domo expulerat, hi Romam ſicuti in ſentinam confluxerant.* Quo factum eſt, ut Cicero *bonis ſordem & fecem* Urbis oppoſuerit. V. ſupr. in *Plebs*. Et cum de emittenda infima tenuiſſimorum hominum multitudine, atque in agros deducenda loquerentur, *plebem exhaurire* dicebantur. V. Ciceronem modo laudatum. Hanc *forenſem* turbam vocavit Livius, credo, quod in foro otioſa, quaſi agrariis, & frumentariis largitionibus inhians verſaretur, atque ſeditioſiſſimo cuique magiſtratui, vel concionem habenti, vel cum populo agenti faciliime ſe dederet, eamque in quatuor urbanas tribus concluſam dixit. Ego tamen ex urbanis tribubus quatuor eam exiiſſe, atque in omnes diffuſam eſſe, inde ducor ad opinandum, quod nec Gracchi, nec Clodius, nec cæteri furioſi, amentesque tribuni plebis quicquam in Republica moliri hujus *plebis* ſuffragiis, & ſtudio potuiſſent, ſi quatuor tantum tribus in poteſtate habuiſſent; præſertim cum uni tribui unum ſuffragium concederetur, in quod majoris partis ex ipſa tribu ſententiæ inclinaſſent. Neque ex alio etiam, quam ex hoc quaſi corpore proletarios, & capite cenſos fuiſſe exiſtimarim, quos in ſextam claſſem, ultimamque centuriam rejecit Servius Tullius. Poſtremo & hunc eſſe illum populum, quem Horat. Epiſt. I. 7. 65. *tunicatum popellum* appellavit, quod non toga, ſed tunica ſex ipſa civitatis uteretur, exiſtimo: unde Tacit. de Orat. c. 7. n. 5. vulgus imperitum *populum tunicatum* vocavit. *Sigon. ibid. c. 13. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 14.* Ejus ſeditio prima ex nobilium fœneratorum impotentia, qui *plebem* ære alieno obſtrictam in vinculis habebant, quarto decimo anno poſt Reges exactos Ap. Claudio, P. Servilio coſſ. exarſit. Sedata eſt per Servilium conſulem, quum edixiſſet, ne quis civem Romanum vinctum, aut clauſum teneret, quominus ei nominis edendi apud conſules, qui tum in Volſcis bellum parabant, poteſtas fieret. Anno ſequenti A. Virginio, & T. Veturio coſſ. quum Æqui, Volſci, & Sabini una omnes moviſſent, & *plebs* ad bellum nomina profiteri nollet, jamque ſeditio anno priore nexorum cauſa commota vehementius in dies gliſceret, viſum eſt patribus ad dictatorem confugere, cujus metu *plebs* ſine dubio quietura eſſet. Itaque M. Valerius Voluſus Poplicolæ frater dictator dictus, *plebem* convocata concione, gratiſſima oratione repreſſit, pollicitus ubi primum confecto bello domum rediiſſet, ſibi curæ fore, ut ad ſenatum de ſe nexis referretur. Eam tamen promiſſis mitigatam in hoſtes eduxit, ac quum victoria parta per ſenatum promiſſa præſtare non poſſet, dictatura ſe abdicavit. Paullo poſt, cum *plebs* per cauſam renovati ab Æquilis belli ex Urbe educta eſſet, auctore Sicinio quodam patribus irata a conſulibus diſceſſit, & trans Anienem amnem collem quendam occupavit, qui ſacer eſt appellatus, neque eo anno revocari in Urbem potuit. Anno ſequenti, qui erat U. C. 262. Sp. Caſſio II. Poſtumo Cominio II. coſſ. legati decem a ſenatu ad *plebem* de conciliatione miſſis, unius Agrippæ Menenii oratione commota, decreta a ſenatu levatione debitorum, & nexorum propter æs alienum rediit. Cæterum verita ne ſoluto cœtu vel promiſſis non ſtarent, vel ut digreſſi eſſent, alius ob alias cauſas comprehenſi, pœnas darent, hac lege, quæ ſacratæ nomen accepit, cum patribus in gratiam rediit, ut magiſtratum & ipſa ſibi ex ſuo corpore contra patriciorum potentiam, & vim creare poſſet, quoque auxilii latio adverſus coſſ. eſſet. Ii tribuni *plebis* dicti ſunt. Cicer. pro C. Corn. apud Aſcon. p. 138. *Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno* XVI. *poſt Reges exactos, propter nimiam dominationem potentium, ſecederent, leges ſacratas ipſi ſibi conſtituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons ſacer nominatur, in quo armati conſederant, æternæ memoriæ cauſa conſecrarent.* Panvin. de Civit. Rom. c. 68. Et cum Ap. Claudius decemvir Virginiam, plebejam virginem, quam amabat, pretio pellicere adortus, quum fruſtra ſe laborare animadvertiſſet, in ſervitutem per clientem ſuum M. Claudium eam aſſerere eſſet conatus, & patrem ejus eo compuliſſet, ut ipſam filiam manu ſua ſibi occidendam putarit, quam Appii Claudii libidini dederetur: ea res, ut erat atrox, in utraque caſtra perlata ſeditionem maximam plebis excitavit. Et *plebs* relictis caſtris quum primum in Aventinum, poſt in montem ſacrum ſeceſſiſſet, paullo poſt placata, ſe redituram eſſe profeſſa eſt, ſi tribuni plebis ſibi reſtituerentur, & decemviris abdicatis conſularis poteſtas revocaretur. Quibus conditionibus a ſenatu acceptis, ipſa in Urbem rediit. *Panvin. ibid. c. 70. Auguſt. de Legib. in Duilia de tribunis plebis.*

PLO.

PLOTUS quis fuerit dictus. V. supr. in *Plautus*.

PLOXEMUM dicebatur capsa in cisio. Catull. xcv. 3.

Gingivas vero ploxemi habet veteris.

Inde Festus. *Ploxemum appellari ait Catullus capsum in cisio, capsave, cum ait. . . .* Quintil. I. 10. *Catullus circa Padum invenit.* Qui Gallicam vocem videtur facere. Quam tamen, licet Gallis circa Padum fuerit in usu, sicut multas alias, ita hanc vel sumpsisse, vel communem Gallos habuisse censeo cum Græcis. Neque dubitare possum, quin conveniat πλοχάμῳ, quod significat plexum, contextumque quid ex vitilibus. Ejusmodi quid videtur Catullus significasse. Loquitur enim de enormibus ipsius dentibus, & gingivis stercoreis. Has comparat *ploxemo* veteri. Cujus comparationis ratio videtur nulla, nisi hic intelligamus non capsum quodlibet, etiam politi, ornatique vehiculi, vel arcam, sed qualis solet esse plaustri agrestis, cum stercus, fimusve illo devehitur in agros. *Sirpeam stercorariam* vocavit Cato de re rust. c. 10. Et hæ sirpeæ fuerunt in plaustris. Unde Ovid. Fastor. VI. 679.

At dominus, discedite, ait, plaustroque morantes
Sustulit, in plaustro sirpe[illegible]a fuit.

Tali ergo sirpeæ comparat gingivas Æmilii, fimo scilicet turpi fœdatæ. *Schejfer. de re vehic.* I. 7. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. in Capitol. Anton. Pium c.* 12.

PLU.

PLUMÆ dicebantur laminæ rotundæ, vel circuli ferrei, e quibus loricæ succudebantur, quod *plumarum* similitudinem referrent. Inde plumatæ loricæ ex laminis ferreis in modum *plumæ* factis consertæ. Virg. Æneid. XI. 770.

—— quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Ad quem Servius ex Sallustio: *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Justin. XLI. 2. 10. *Munimentum ipsis equisque loricæ plumatæ sunt, quæ utrumque toto corpore tegunt.* Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20. Lips. de Milit. Rom III. 6. Stewech. in Veget. III. 22. Turneb. Adv. XI. 25. Bernegg. in Justinum. Cerda in Virgilium. Ferrar. Anal. de re vest. c. 30. Bald. Lex. Vitruv. in Plumarii.

Plumæ vocabantur etiam notæ ex auro, vel purpura rotundæ, & in modum *plumarum* factæ, quibus vestes intertexebantur, ac variabantur. Sic & *plumatæ* vestes, & *plumatiles*, & *plumata* Babylonica, quæ pluribus ejusmodi notis, ex auro, purpurave, acu intextis, sparsa erant, & variata. Σημεῖα Græcis, Latinis notæ, & signa, hæc vestium ποικίλματα: unde χρυσόσημος vestis, & πορφυρόσημος, aureis, purpureisque notis insignita: ut contra ἄσημος, quæ nihil auri, aut purpuræ intextum haberet. Latini *signa* & *notas* dixerunt. Virg. Æneid. I. 652. V. illum supr. in *Palla*. Ovid. Met. VI. 597.

Purpureasque notas filis intexuit albis.

Quintil. VIII. 5. *Porro ut adfert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita neminem deceat intertexta notis pluribus vestis.* *Clavos* autem etiam Latini vocabant hujuscemodi notas, ut Græci ἥλους, a figura. Variis enim figuris, qua rotundis, qua quadratis veterum luxuria lusit in vestibus auro, purpurave illudendis. Quæ rotundæ erant, & in circulum flexæ, *plumas*, ut dixi, vocitarunt Latini, & fortasse etiam *clavos*. Clavorum enim capita rotunda: unde & ἀσπιδίσκους Græci vocant: dixerunt & oculos: hinc *vestes purpura oculare* apud Tertull. de Pudic. c. 8. *Sed plerique interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in vestibus purpura oculandis sæpissime evenire est.* Purpura clavare vestem, & purpura oculare idem. Palas etiam annulorum, & illos vestium ocellos eodem nomine appellarunt. Sic Græci σφραγῖδας, & de annulorum palis, & de vestium signis, sive clavis dixerunt. *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 20. *Voss. de Idolol.* III. 97. *Thys. in Gell.* II. 6. *Panciroll. de Corp. Art.* §. 25. His ego non omnino assentior. Credo enim πλούμια esse omne id, quod in vestibus *plumaria* arte intextum erat, sive essent tabulæ, sive essent orbiculi, vel rotæ. Glossæ Βασιλ. Πλουμία, *picta textura*. Atque ut orbiculi rotæ intextæ πλουμία erant, sic etiam clavi, sive tabulæ pictæ eodem nomine appellabantur. Procop. de ædif. *Tunica serica aureis ornamentis undique distincta, quæ πλουμία dicere solent.* Ruben. de re vest. I. 23. Quis præter Rubenium tabulas longas *plumas* appellavit. Aurea ornamenta apud Procopium sunt aurei orbiculi, non longæ tabulæ. Etiam orbiculi textura picta, & variegata. Illa signa aurea, vel purpurea rotunda fuisse satis probavit Salmasius. *Ferrar. de re vest. Anal. c.* 30. De *plumandi* arte Vopiscum explicans hæc Turneb. Adv. XI. 25. *Plumandi, texendi a quibusdam, ab aliis acu pingendi exponitur: & sane videri potest pro acu pingere interdum accipi, ut ab Hieronymo: species tamen quædam proprie est acu pingendi, cum clavi, aut patagia, aut segmenta, aut scutulæ, aut tessellæ, sic aliæ aliis assuuntur, ut plumam avium referant: unde & plumariorum, & plumandi nomen ortum est per similitudinem traductum: aut cum sine assumento acu pingendo plumæ avium referuntur.* Qui merito ait, interdum sic *plumandi* vocem accipi. Nam alias textorum quoque opus esse *plumationem*, indicat locus Prudent. Hamart. n. 293.

—— Hunc videas lascivas præpete cursu
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis.

Cui similis locus apud Lucan. X. 125.

Fulget gemma toris, & jaspide fulva supellex
Strata micant: Tyrio quorum pars maxima succo
Cocta diu, virus non uno duxit aheno,
Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco,
Ut mos est Phariis miscendi licia telis.

Ubi *pars auro plumata* dicitur, quæ auro esset intertexta. Et Vitruv. VI. 7. disertim nominat *plumariorum textrinas*. Ac propter ista assentire non possum Fuller. Misc. Sacr. I. 20. dum *plumarios* dictos arbitratur eos, qui ex *plumis*, pennisve avium versicoloribus opera plurima tanta, tamque exquisita, ac pæne imitabili solertia elaborant, ut vel cum ipsius Apellis, aut Zeuxis accuratissimo penicillo facile certare queant. *Voss. Lex. Etymol. Chamillard. in Prudentium. Barth. Adv.* XI. 18.

PLUMBARII l. artifices C. de excus. artif. dicuntur, qui *plumbeas* pilas, & alia ex *plumbo* faciunt. Alii tamen *plumarii* legunt. *Panciroll. de corp. artif.* §. 25.

PLUMBATA, πλυμβάτον erat flagellum, cujus lora *plumbum* in extremo innexum habebant. Suidas: Πλυμβάτοις, μολιβδοῖς, κατὰ γλῶτταν. Onomast. vet. *Plumbata*, μολιβδωταί. Constantin. A. ad popul. l. 2. C. de exact. tribut. *Nemo carcerem, plumbatarumque verbera, aut pondera, aliaque ab insolentia judicum reperta supplicia, in debitorum solutionibus, vel a perversis, vel ab iratis judicibus expavescat.* Hoc genus verberum expressit Prudent. Περὶ στεφ. X. 116.

Tundatur tergum crebris ictibus.
Plumboque cervix verberata extuberet.
Pulsatus ergo martyr illa grandine,
Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos.

Meurs. Glossar. Græco-Barb. Cerda Adv. CXXIV. 28. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 10. Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 1. Du Fresne Glossar. Pancirol. Notit. dign. imp. orient. c. 12. Hotman. Antiq. Roman. V. p. 763. A. Laurent. de Rebusp. c. 7. *Plumbatis* plectebantur nobiles, homines genere, & dignitate præstantes, ignobiles equuleo. Prudent. ibid. n. 107.

Incensus his Asclepiades jusserat
Eviscerandum corpus equuleo eminus

Ten.

Pendere, & uncis, vinculisque crescere.
App[illegible] c. fe [illegible]
I[illegible] p[illegible]
A[illegible]que m[illegible] [illegible] p[illegible]um civium.
Jubet amoveri noxialem stipitem,
P[illegible] c[illegible]rum pœna ne damnet virum
Tundatur. . . .
P[illegible] que competenter plectitur;
[illegible] vilis, [illegible].

Argel. in P[illegible] & Cerda l. l. Hoc advertatur iis, quæ olim [illegible], & Imperatorum legibus [illegible] avit B[illegible] on. ad [illegible] Roman. xi. J[illegible] E. p. 27[illegible] typ. V[illegible]. 1[illegible]0. [illegible] versus legitur: *Plumb[illegible] ver[illegible]ous [illegible] personas torquere con[illegible] leges mutant. . . .* Pinell l. l.

Plumbatæ erant glandes *plumbeæ*, quas milites, qui mattiobarbuli appellabantur, gerebant. *Turneb. Adv.* xxiv. 12. Qu[illegible] dict[illegible] forte fuit in eam opinionem, quod easdem esse put[illegible] *plumbatas*, q[illegible] olim in [illegible] *Stewech. in Veget.* iv. 29. *Guther. de Off. dom. Aug.* iii. 10. In eu[illegible] d[illegible] c[illegible] ore a pœne vir [illegible] me pertraxerat, nisi repol[illegible] Vegetius, q[illegible] *plumbatas* inter [illegible] numerat iv. 29. *[illegible] lancea, veruta, vel [illegible] in fubrecos vehemen[illegible] [illegible]unt.* J[illegible] tr[illegible] [illegible] glandes, p[illegible] ex [illegible] [illegible] de rebus bellicis. Is [illegible] *plumbatas* pr[illegible]. Alte[illegible] vocat [illegible]tum. Tri[illegible] exposit[illegible]em adl[illegible] et. *Hoc [illegible] genus, quod in mo[illegible] [illegible] penn[illegible] videtur in[illegible], n[illegible], neque [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] e[illegible], in ho[illegible] c minus va[illegible], quod [illegible] ratione videtur a cre[illegible] [illegible]em. Aut [illegible] [illegible], aut sine [illegible] a[illegible]um, & in terram positum, plantæ calcantis infigitur, eo quod in partem quamlibet si fuerit conversum ex latere, aculeo ex se eminente [illegible]. Fit autem ex ligno [illegible] lum [illegible] facto, cui ferreum [illegible] in formam [illegible] ap[illegible] [illegible]gitur. fistula ejusdem ferri parumper extensa, supra quam modico interjecto spatio plumbo adhærentes jaculi velut tribuli emergunt. In summa autem parte ejusdem jaculi [illegible] pennæ, elev[illegible] causa, tanto [illegible] super ea[illegible] [illegible] spatio, [illegible] tenentis ampecti.* Al[illegible] n[illegible] m. Mim[illegible] expositionem talem habet. *Bene extensa [illegible] dre ta virga accipiet in extremitate sui rotu[illegible], & in [illegible] ferrum [illegible] in tribulata plumbo, & penn[illegible], ut plum[illegible] pondere, & pennarum celeritate adjuta rotunditas teli, facile clypeos adversari[illegible] [illegible] videat penetrare.* No[illegible] glande, [illegible] jacul[illegible] ad modum sagittarum, licet etiam conjicere ex Veget. ii. 15. *Plumbatas [illegible] in scutis primo impetu jaciunt.* Commode in scutis gestari potuisse, facile capiet, qui scutorum longitudinem non ign[illegible] *S[illegible] h. l. l.*

[illegible]PLUMBATURA est, quando *plumbo* massi massæ jungitur, ita ut [illegible] *plumbo* cohæreat. Paull. l. in rem [illegible] ff. de rei vindicatione: *Non item in eo, quod app[illegible]tum est, quia [illegible] per eandem materiam fa[illegible] [illegible], plumbatura vero non idem efficit.* Bavf. de V[illegible] Tacf. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. iv. p. 682. D.

PLUMBUM liquefactum infundebatur scandentibus in muros. Polyæn. Stratag. vi. 3. *Lerum cum hostes testudinem admoverent, muroque subruerent, illi a muris plumbum liquefactum in vasis æreis protendentes, effundebant, eoque facto testudo soluta est.* Nota *protendisse*, nempe in pe[illegible], contisque. Hoc & in Herodiani verbis [illegible] in *Pix* allatis est expressum. *Lipf. Poliorc.* v. *dial.* 2. *Thyf. de Oppugn. Urb.* v. *p.* 189. *Laurent. Polymath.* iv. 2. 10.

PLUTEUS in lecto cubiculari erat proprie lecti sponda interior. Duo erant lecti latera, spondæ Latinis, ἐνήλατα Græcis. Harum altera interior, altera exterior dicta: interior, quæ propius parietem erat, & ea etiam eminenti *pluteo* muniti, sed non tam alto, quam ille, qui ad lecti caput Isidor. xx. 11. *Sponda exterior pars lecti, pluteus autem interior.* Sic enim lectos in cubiculo collocabant veteres, ut parieti propius admoverentur, nec in medio essent positi: quod etiam hodieque solemus. Sic illa pars, quæ parietem spectabat, & *pluteo* muniebatur, & interior sponda vocabatur. Ad *pluteum* mulieres cubabant, viri autem in priori sponda, quæ & exterior, quæque carebat *pluteo*. Prior, & exterior sponda eadem. Ovid. Amor. iii. 14. 32.

Et pressus prior est, interiorque torus.

Marcellus: *Fascia, qua infectores utuntur, si spondam lecti priorem, qua vir cubat, perunxeris, & spondæ medio inligaveris, dolores capitis remediabis.* Artemid. i. 76. *Sponda interior feminam, exterior virum recipit.* Pueri quoque cinædi, nam & hi mulierum loco, ad *pluteum* cubabant, & in parte tori interiore. Mart. iii. 91. 5. V. illum supr. in *Locus singular.* Ubi vides, *pluteum* partem tori interiorem dici, ut priorem spondam. Hinc Dolabella Cæsarem *spondam interiorem regiæ lecticæ* vocabat apud Suet. c. 49. n. 3. *Salmaf. in Spartian. Æl. Ver. c.* 5. *Ferrar. Elect.* i. 23. *Faes in Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 2.

Pluteus in lecto tricliniari non minus quam in cubiculari sponda dicebatur; sed contrario modo: nam sponda pars interior lecti tricliniaris appellabatur, & quæ mensæ admovebatur, exterior vero *pluteus*. Ideo puellæ, & pueri, qui in deliciis interiores accumbere dicebantur, cum in gremio amatorum suorum jacerent, nec *pluteum* tangerent. Scipio Africanus [illegible] Sulpicio Gallo: *qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chirodota tunica interior accubuerit.* Juven. Sat. ii. 119. V. illum infr. in *Tabulæ nuptiales.* Salmaf. in Spartian. Æl. Ver. c. 5. Ferrar. Elect. i. 23. Buleng. de Conviv. i. 31. Bacc. de Conviv. i. 8. Kipping. Antiq. Roman. iv. 3. 3. Non videtur fuisse de aliqua essentia lecti, nec mensarum; sed significare exterius spatium a lecto, ejusque mensa ad parietem retro, & ad latera, in quo circum adstantes, ac ministratores adsisterent. Ad hoc facit plena historia Plutarch. Symp. i. 3. de omni ordine lectorum, & convivantium. *Ubi*, inquit, *secunda mensa ad primam*, hoc est, ad proximam, *applicata, angulus flexu suo intercapedinem facit, qua spatium accedendi, alloquendi, ac audiendi præberet. . . .* Ad hunc sensum de spatiis balnearum Vitruv. v. 10. *Alvei, seu balnei latitudo inter parietem, & pluteum,* externam scilicet ora m balnei *non minus sit pedes senos.* Idque plane magis explicatur auctoritate Suet. Cal. c. 26. n. 2. V. illum supr. in *Convivium.* Baccius de Conviv. i. 9. Sit positus pro abaco, sive repositorio apud Suetonium; nam si *plutei* sunt fulcra tori, sive septa, non duo dixit; sed idem: ipsos stetisse, & ad pedes, & ad *pluteum*. Ursin Append. ad Ciaccon. de triclin. p. 224.

Pluteus hororum fuit tabula obliquata, & uno sui latere ita subjecta, ut libri impositi commodius inservirent oculis legentium. Sidonius laudatus supr. in *Armarium*. Super talibus *pluteis* fuisse collocatas interdum statuas, sive Iconicas, sive Hermaas, sive capite solo vultum doctorum referentes, videtur voluisse Juven. Sat. ii. 7.

Et jubet archetypos pluteum servare cleanthas.

Non enim semper ad justam magnitudinem effictis statuis suas bibliothecas ornarunt antiqui, sed non raro minores adhibuerunt, quas *pluteis* imponebant. Huc forsitan respexit Cicer. ad Attic. i. 9. cum ipsi mandaret *putealia sigillata duo*, scilicet quæ apta essent *pluteis* imponi. *Figrel. de Stat. Rom. c.* 24. *Bald. Lex. Vitruv. Grang. in Juvenalem. Faes in Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 2. *Lipf. de Biblioth. c.* 9. *Thyf. Antiq. Rom. p.* 38.

Pluteus est mensa illa pendens, supra quam commode scribimus, quæ idcirco *scriptorium* a nostris dicitur. De hoc videtur intellexisse Perf. ii. 106.

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.

Bald. Lex. Vitruv.

Pluteus in militia olim fuit e tabulis, & asseribus quod ipsa vox dicit: nam id *pluteus* Latinis. Distinguitur a cratibus. Cæf. de bell. civil iii 23. *Scaphas magnarum navium cratibus, ac pluteis contexit.* Curt. v. 3. 7. *Casa materia*

… vineis, & pluteis faciendis. Postea & ex cratibus factus est, & corio intendebatur. Multa sunt exempla, & consessionem fuisse video in materie, forma tamen leviter diversa. Miror Verrium Flaccum scribere: *Plutei, crates corio crudo intentæ, quæ solent opponi militibus opus facientibus, & appellabantur militares. Nunc etiam tabulæ, quibus præsepiuntur, eodem nomine dicuntur.* Facit novitium de tabulis, vetus de cratibus: quod putabamus esse contra. Certe novitii semper pro craticio opere. Ammian. XIX. 5. *Persa vimineis civitatem pluteis circumdabat.* Isidor. XVIII. 11. *Plutei sunt crates corio crudo intentæ, quæ in opere faciendo hosti objiciuntur.* Lips. Poliorc. I. 7. Laurent. Polym. IV. Sveton. I. 11. Blond. Triumph. Rom. VI. p. 132. A. Differt a vineis, quod, ut quidam volunt erant similes illis appendicibus, quas ædificiis applicamus, & tectum in unam partem devexum habebant: vineæ in utramque partem devexitatem habebant. *Turneb. Adv.* XI. 24. *Stewech. in Veget.* IV. 5. *Plutei etiam ad similitudinem absidis contexuntur e viminibus & ciliciis, vel coriis proteguntur, ternisque rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus apponuntur, in quamcunque partem volueris admoventur more carpenti: quos obsidentes applicant muris, eorumque munitione protecti, sagittis, sive fundis, vel missilibus defensores omnes de propugnaculis civitatis exturbant, ut scalis ascendendi facilior præstetur occasio. Sed vineæ erant machinæ e lignis levioribus colligatæ, altæ pedibus octo, latæ pedibus septem, longæ pedibus septem. Harum tectum munitione duplici tabulatis, cratibusque contexebatur.* Veget. IV. 15. *Turneb. & Stewech l. l. Valtrin. de re milit.* V 6. *Laz. Comment. Resp. Rom.* VIII. 15.

Pluteus etiam vocabatur quasi porticus superior in basilicis, qui in utrumque latus per intercolumnia peristyliorum liberum habebat prospectum. Vitruv. IV. 4. *Pluteis marmoreis, sive ex intestino opere factis.* I. 5. *Pluteorum, columnarumque superiorum distributio.* Pollet. For. Rom. I. 2. Philand. ad Vitruvium.

Pluteus tandem est sponda scamni, cui, dum sedemus, tergo adhæremus. Ulpian. l. fundi nihil §. quæ pictæ ff. de action. empt. *Reticuli circa columnas, plutei circa parietes.* Bald. Lex. Vitruv.

PLUTO fuit filius Saturni, & Opis, uno eodemque partu cum Glauco editus, & clam a Saturno servatus. *Boccat. Geneal. deor.* VIII. 6. *Clasen. Theol. gentil.* II. 4. §. 2. Pindarus illi virgam attribuit, qua mortuos deducat ad inferos. Nunc curru vehi, nunc solio sedere finxit antiquitas. Ex Parcæ verbis describitur a Claud. de rapt. Proserp. I. 55.

—— o maxime noctis
Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant
Stamina, qui finem cunctis, & semina præbes,
Nascendique vices alterna morte rependis,
Qui vitam, letumque regis: nam quicquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi certis ambagibus ævi. . . .

Fulgent. Mythol. I. 4. *Plutonem dicunt terrarum præsulem. πλοῦτος enim Græce divitiæ dicuntur, solis terris credentes divitias deputari. Hunc etiam tenebris addictum dixere, quod sola terra materia sit cunctis elementis obscurior. Sceptrum quoque in manu gestat, quod regna solis competant terris.* c. 5. *Tricerberum canem ejus subjiciunt pedibus, quod mortalium jurgiorum invidiæ ternario conflentur statu, id est, naturali, causali, accidentali.* Plura *Voss. de Idolol. gent.* I. 18. *Boccat. Gyrald. & Clasen. l. l. Struv. Ant. Rom.* I. *p.* 117. Illum colebant Romani, fere ut Sinenses hodie dæmonem, ne ab eo læderentur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 12. §. 3. Illi, qui periculum maris evaserant, vota posuerunt. Quale in Hispania ad castra Vicelliana Medelin.

PLUTONI
DEO. IN. LOCO
SUB. TERRA. COND
PERICULO. OEANI
LIBER. ARAM. POSU
IT. FAB. VICELIA
NUS. EX. VOTO

Tomas. de donar. c. 25.

Pluto Februus est appellatus ab antiquis, a purgationibus & lustrationibus funerum. Isidor. V. 33. *Februarius nuncupatus a Februo, id est, Plutone, cui eo mense sacrificabatur.* Gyrald. Synt. deor. VI. p. 197. B. de ann. & mens. p. 775. C.

Pluto Jupiter infernus est dictus. Claud. de rapt. Proserp. I. I.

Inferni raptoris equos.

Gyrald. Synt. deor. VI p. 197. C.

Pluto Jupiter niger est dictus. Sil. Ital. VIII. 116.

Nigro forte Jovi, cui tertia regna laborant.

Gyrald. Synt. der. VI. p. 197. C.

Pluto Jupiter Stygius est dictus. Ovid. Fast. V. 445.

Sæpe tibi est Stygii regia visa Jovis.

Virg. Æneid. IV. 638.

Sacra Jovi Stygio.

Gyrald. Synt. deor. VI. p. 197. C. Bellor. Sepulcr. Nason. tab. 8. Ortel. Deor. & dear. cap. I. fig. 12.

Pluto Quietalis est dictus, quia omnibus pausam afferat. Festus: *Quietalis dicebatur orcus ab antiquis.* Gyrald. Synt. deor. VI. p. 197. C.

Pluto Soranus est nuncupatus a Sabinis, ex quo & Hirpini Sorani dicti, quasi *Plutonis* lupi, quod is deus ibi coleretur: vel quod rapto ex responso viverent. Serv. Æneid. XI. 785. *Soractis mons est Hirpinorum in Flaminia collocatus. In hoc monte cum aliquando Diti patri sacrum persolveretur, nam diis manibus consecratus est, subito venientes lupi exta de igni rapuerunt, quos cum diu pastores sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut juxta stantes necaret, & exinde est orta pestilentia, quia fuerant lupos secuti: de qua responsum est, posse eam sedari, si lupos imitarentur, id est, rapto viverent. Quod postquam factum est, dicti sunt ipsi populi Hirpini Sorani. Nam lupi Sabinorum lingua hirpi vocantur. Sorani vero a Dite: nam Ditis pater vocatur Soranus: quasi lupi Ditis patris.* Gyrald. Synt. deor. VI. p. 196. F.

Pluto Summanus est dictus, quasi *summus manium*, cui *attribuebantur nocturna fulmina*, ut Plin. II. 52. Fuit in fastigio templi Jovis opt. max. Cicer. de Divin. I. 10. *Nonne cum multa alia mirabilia, tum illud in primis, cum Summanus in fastigio Jovis opt. max. qui tum erat fictilis, e cœlo ictus esset, nec usquam ejus simulacri caput inveniretur, haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt: idque inventum est eo loco, qui est ab haruspicibus demonstratus.* August. de Civit. Dei IV. 23. *Sic apud ipsos Romanos legitur. Romani veteres nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quam Jovem, ad quem diurna fulmina pertinebant. Sed postquam Jovi templum insigne, ac sublime constructum est, propter ædis dignitatem sic ad eum multitudo confluxit, ut vix inveniatur, qui Summani nomen, quod audire jam non potest, se saltem legisse meminerit.* Quod ignobilis jam factus esset. Quis fuerit, dubitat, & Pyrrhi tempore coli cœptum esse indicat Ovid. Fast. VI. 731.

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,
Tum, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

Gyrald. Synt. deor. VI. p. 196. C. de var. sepel. rit. c. I. & Faes ad illum. Rhodig. Ant. Lect. II. 3: X. 18. Ortel. Deor. & dear. cap. I. fig. 12. Dalechamp. in Plinium. Rycq. de Capitol. c. 15. Stuck. de Sacrif. p. 48. Casal. de Ægypt. rit. c. 20. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 117. Guther. de jur. man. I. 3.

PLUVIALE substantive, & per se positum designat genus vestimenti pinguis, & villosi, *pluvialique* tempestati apti: ut itinerarium, quod in itinere. *Pluvium* dicitur in capitulis Caroli Magni. Schol. Juven. Sat. IX. 28. *In alio pingues, ut ostendat grossas, ac per hoc pluviales, quæ muniant a pluvia, non quæ ornent.* Et sic lego apud Lamprid. Alex. Sev. c. 27. *Quum id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviale fuisset.* Salmas. in Lampridium, Ferrar. de re vest. I. I. 39.

POC.

POCILLATORES ſervi, pincernæ qui miniſtrant, pocula menſæ ingerentes. Unde Ganymedes, qui a diis raptus fertur, ut Jovi pocula miniſtraret, *pocillator* appellatus eſt. Hinc Auſon. Eidyll. xii. 86.

Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.

Et Apul. Met. vi. p. 195. *Tunc poculum nectaris Jovis quidem ſuus pocillator ille ruſticus puer, cæteris vero Liber miniſtrabat.* Popm. de Oper. ſerv. p. 110 Pignor. de Serv. p. 132. Buleng. de Conviv. iv. 6. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 19. de prof. Rom. rit. c. 25. Nicol. de rit. Bacchan. c. 5. Erant juvenes loti, calamiſtrati, candidis præcincti tunicis. Horat. Sat. ii. 8. 69.

—— ut omnes
Præcincti recte pueri, comptique miniſtrent.

Apul. Met. ii. p. 52. *Sic paratus cœnæ me committo. Frequens ibi numerus epulonum, &, utpote apud primatem feminam, flos ipſe civitatis. Diribitores pluſculi, ſplendide amicti, puellæ ſcitule miniſtrantes, pueri calamiſtrati, pulcre induſiati, gemmas formatas in pocula vini vetuſti frequenter offerentes.* Laz. Chauſſe de Deor. ſimul. tab. 38. Honeſtum id olim miniſterium fuiſſe auctor eſt Athen. x. p. 424. E. qui non ſolum apud Græcos, ſed & Romanos morem fuiſſe ſcribit, *ut nobiliſſimi juvenes in conviviis, & ſacris publicis id munus obirent.* Popma l. l.

POCULA fiebant olim ex ære. Tertull. de hab. mulier. c. 5. *Quædam eſui & potui vaſcula ex ære adhuc ſervat memoria antiquitatis.* Urſin. Append. ad Ciaccon. de triclin. p. 352. Ex cornu boum. Vetus interpres Hom. Iliad. Θ. 189. *Ante inventum poculorum uſum ex cornu bibebant.* Plin. xi. 37. *Urorum cornibus barbari ſeptentrionales potant, urnaſque binas capitis unius cornua implent.* Ambroſ. de Elia c. 17. *Per cornu fluenta in fauces hominum vini.* Barthol. de Unicorn. c. 30. Buleng. de Conviv. iv. 12. Feith Ant. Homer. iii. 2. Demſter. Paral. ad Ant. Rom. Roſin. v. 30. Laurent. de Prand. c. 20. Schill Nomencl. Philol. p. 922. V. & ſupr. in *Bacchus*, & illic auctores laudatos. Ex ligno & quidem fago. Virg. Ecl. iii. 37.

Inſanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.

Ovid. Faſt. v. 522.

Terra rubens crater, pocula fagus erat.

Senec. Herc. Oet. ii. 652.

Pectora pauper ſecura gerit,
Tunicæ patrias pocula fago,
Sed non trepida tenet illa manu.

Stuck. Ant. Conviv. iii. 12. Urſin. Arbor. Biblic. viii. 3. Buleng. ibid. c. 12. Demſter. l. l. Cerda in Virgilium. Brouckh. in Tibull. i. 11. 8. Schill ibid. p. 922. Hedera. Homer. Odyſſ. i. 346.

Poculum hederaceum in manibus tenens nigri vini.

Hoc vocabatur ciſſybium. V. illud ſupr. in *Ciſſybium.* Demſter. & Stuck. l. l. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 361. *Pocula* hederacea magno fuerunt in uſu atque pretio. 1. quod ebrietati frigore ſuo, ac diſcutiendis capitis doloribus ex tumulentia contractis ſunt accommodata, foliis etiam, aut ramuſculis foris capiti admotis, & ob id corollæ quoque convivales ex hedera confici fuerunt ſolitæ ad temulentiam arcendam. 2. quod cauponum fraudes, qui vinum aqua miſcent, eo *poculo* deprehenduntur. Nam, teſte Caton. de re ruſtic. c. 10. mira eſt hæc hederæ vis & natura, ut ſi vinum lymphatum in vas hederaceum effundatur, illud continuo per poros refudet atque affluat, atque interne per lignum effundatur, aqua vero ob groſſiorem ſubſtantiam remaneat. *Stuck. & Demſter. l. l. Buleng. ibid. c. 12.* Olea. Ictus l. 30. ff. de leg. 3. *Qui quatuor pocula oleagina habebat, ita legavit, pocula oleagina paria duo.* Demſter. & Buleng. l. l. Ex terra fictilia. Tibull. i. 1. 33. V. illum ſupr. in *Fictilia.* Fiebant ex terra Samia. Plaut. Stich. v. 4. 11.

—— quibus divitiæ domi ſunt, ſcaphio, & cantharis,
Batiolis bibunt: at nos noſtro Samiolo potorio
Tamen vivimus.

Cicer. de Republ. vi. *Oratio extat, Læli, quam habemus in manibus, quam diis immortalibus gratæ ſint Samiæ capedines.* Et e Sagunto Hiſpaniæ civitate advehebantur. Mart. xiv. 108.

Quæ non ſollicitus teneat, ſervetque miniſter,
Sume Saguntino pocula facta luto.

viii. 6. 2.

Ficta Saguntino cymbia malo luto.

Urſin. ibid. p. 361. Buleng. ibid. c. 10. Demſter. & Schill. l. l. Ex vitro. Apul. Met. ii. p. 52. *Ampli calices variæ quidem gratiæ, ſed pretioſitatis unius, hic vitrum fabre ſigillatum, ibi cryſtallum impunctum, argentum alibi clarum, & aurum fulgurans, & ſuccinum mire cavatum in lapidem, ut bibat.* In deliciis olim fuit. Mart. i. 38. 1.

Baſſe, bibis vitro.

Et nepotibus præſertim in uſu. Juven. Sat. ii. 95.

—— vitreo bibit ille Priapo.

Vitrum illud tale non erat, quale hodie frangi leviſſimo caſu ſolet, ſed quod flecti, plicarique poterat. Plin. xxxvi. 26. *Ferunt Tiberio principe, excogitato vitri temperamento, ut flexibile eſſet: & totam officinam artificis ejus abolitam: ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur. Eaque fama crebrior diu, quam certior fuit. Sed quid refert? Neronis principatu reperta vitri arte, quæ modicos calices duos, quos appellabant pterotos, H. S. ſex millibus venderet.* Ejus etiam meminerunt Iſidor. xvi. 15. & Saliſber. Nug. curial. iv. 5. Poſterior rem memoratu digniſſimam ex Petronio, apud quem hodie non reperitur, adducit: *Apud Petronium Trimalcio refert, fabrum fuiſſe, qui vitrea vaſa faceret, tenacitatis tantæ, ut non magis, quam aurea, aut argentea frangerentur. Cum ergo phialam hujuſmodi de vitro puriſſimo, & ſolo, ut putabat, dignam Cæſare fabricaſſet, cum munere ſuo Cæſarem adiens admiſſus eſt. Laudata eſt ſpecies muneris, commendata manus artificis, acceptata eſt devotio donantis. Faber, ut admirationem intuentium verteret in ſtuporem, & ſibi gratiam plenius conciliaret Imperatoris, petitam de manu Cæſaris phialam recepit, eamque validius projecit in pavimentum toto impetu, ut nec ſolidiſſima, & conſtantiſſima æris materia maneret illæſa. Cæſar autem ad hæc non magis obſtupuit, quam expavit. At ille de terra ſuſtulit phialam, quæ quidem non erat fracta, ſed colliſa, ac ſi æris ſubſtantia vitri ſpeciem induiſſet. Deinde malleolum de ſinu proferens, vitrum correxit aptiſſime, & tanquam colliſum vas æneum crebris ictibus reparavit: quo facto ſe cœlum Jovis tenere arbitratus eſt, eo quod familiaritatem Cæſaris, & admirationem omnium ſe promeruiſſe credebat. Sed ſecus accidit. Quæſivit enim Cæſar, an alius ſciret hanc condituram vitrorum? Quod cum negaret, eum decollari præcepit Imperator, dicens, quia ſi hoc artificium innoteſceret, aurum & argentum vileſcerent quaſi lutum.* Hæc fracta permutabantur ſulphure. Juven. Sat. v. 46.

Tu Beneventani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor, ac jam
Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulphura vitro.

Mart. i. 42. 4.

Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutat vitreis.

Crinit. de Honeſt. diſcipl. xxiii. 4. Douz. Præcid. in Petron. iii. 9. Rhodig. Ant. Lect. xx. 30. Buleng. ibid. c. 12. Urſin. Demſter. & Schill l. l. Dalechamp. in Plinium. Ex argento, luxu in pretio invento, ſed magno nepotum a continentioribus civibus diſcrimine. Iſti enim purum, ſimplex, nulliſque emblematis cælatum argentum habebant. Plin. Epiſt. iii. 1. *Apponitur cœna minus nitida, quam frugi in argento puro, & antiquo.* Ulpian. l. 7. ff. de in rem verſo: *Illud verum non eſt, quod Mela ſcribit,*

si servo meo argentum dederis, ut pocula tibi faceret ex quolibet argento. . . . . Juven. Sat. IX. 141.

> *Pignoribus positis argenti vascula puri*
> *Sed quæ Fabricius censor notat.*

Ubi Schol. *Fabricius censor collegam suum notavit in senatu, quia supra decem libras argenti, unam phialam invenit.* Illi totos census profuderunt in mirabiles sculpturas. Paull. l. 13. ff. de condict. furt. *Ex argento surrepto pocula facta condici posse Fulcinius ait, ergo in condictione poculorum, etiam cælaturæ æstimatio fiet, quæ impensa a furis facta est.* Juven. Sat. I. 76.

> *Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.*

Ubi Schol. *Dicit emblematum opus. Caper hic præcipue ab omnibus prædicatur: quem etiam laudavit suo carmine Mart.* VIII. 51. 9.

> *Stat caper in phiala, Thebani vellere Phryxi*
> *Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror.*

Demster. l. l. Buleng. de Conviv. ibid. c. 14. Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 485. Meurs. de Luxu Roman. c. 8. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10. Ciaccon. de triclin. p. 31. Schill ibid. p. 924. Ex auro. Cicer. Verr. IV. 27. *Exponit multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro.* Scævol. l. 36. ff. de aur. & arg. leg. *Sejæ dulcissimæ poculum aureum, quod elegerit, fidei hæredum committo.* Et hæc cælabantur. Isidor. XX. 4. *Celata vasa argentea, vel aurea sunt, quæ signis eminentioribus intus, extrave expressa.* Insculpebantur facta patrum. Virg. Æneid. I. 644.

> *Ingens argentum mensis, cælataque in auro*
> *Fortia facta patrum.*

& gentilitia stemmata familiæ. Stat. Theb. I. 540.

> —— *postquam ordine mensæ*
> *Victa fames, signis perfectam, auroque nitentem*
> *Iasides pateram famulos ex more poposcit,*
> *Qua Danaus libare diis, seniorque Phoroneus*
> *Assueti, tenet hæc operum cælata figuras.*
> *Aureus anguicomam præsecto Gorgona collo*
> *Ales habet.*

Buleng. Demster. Ciaccon. & Schill l. l. Et addebantur gemmæ viridantes ut plurimum illis inoculandis, quia viridis color optime cum auro convenit. Paull. l. 3. ad Sabinum. *Si ut habiliter gemmæ geri possint, inclusæ auro fuerint, tum aurum gemmis dicimus cedere.* Schol. Juven. Sat. V. 42. *Venia danda est, si custodiaris, cum acceperit phialam, quoniam gemmæ pretiosæ in poculo sunt, & calices gemmati.* Inter illas primatum tenet smaragdus. Plin. Præf. XXXIII. *Nec hoc fuit satis, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices.* Mart. XIV. 109. sub lemmate *Calices gemmati:*

> *Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,*
> *Aspice quot digitos exuit iste calix.*

Beryllus quoque, quia viridis ad hunc usum translata. Juven. Sat. V. 38. V. illum supr. in *Custos. inæquales beryllo*, id est, beryllo textas, & per hoc inæquales asperitate, & extuberantia gemmarum. Callais etiam ex viridibus gemmis, & smaragdo similis in ornamentis aureorum poculorum plurima. Solin. c. 20. *Callais honore, & pretio ad smaragdos: viret pallidum: nihil jucundius aurum decet*, id est, aurum poculorum. Et hoc *aurum gemmatum* proprie dicebatur. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 139. *b. B.* 170. *a. B. Demster. & Buleng. l. l.* Ex gemmis. Gemma enim excavabatur in *poculum.* Et tale vocabitur gemmeum, ut gemmatum, quod gemmis erat intextum. Hieron. Epist. ad Macharium: *Beatioresne tibi videntur, qui gemma bibunt.* Cyprian. Epist. II. 2. *Suspiret ille in convivio, bibat licet gemma.* Apul. Met. II. p. 52. V. illum supr. in *Pocillatores.* Virg. Georg. II. 506.

> *Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.*

Et quidem ex amethysto. Mart. X. 49. 1.

> *Cum potes amethysto trientes.*

id est, poculo ex amethysto facto. Ex crystallo. Sidon. Epist. II. 13. *Spumarent falerno gemmæ capaces, inque crystallis calerent unguenta glacialibus.* Senec. de Ira III. 40. *Fregerat unus ex servis ejus crystallinum, rapi eum Vedius jussit, nec vulgari periturum morte. Motus est novitate crudelitatis Cæsar, & illum quidem mitti, & crystallina omnia coram se frangi jussit.* Mart. IX. 60. 13.

> *Et turbata brevi questus crystallina vitro,*
> *Murrhina signavit, seposuitque decem.*

Salmas. ibid. p. 170. a. B. Savaro in Sidonium. Demster. Kobierzyck. Meurs. & Schill l. l. Cerda in Virgilium. Ex lapide pretioso murrha. Schol. Juven. VI. 141. *Pocula facta de murrha.* Senec. Epist. 119. *Illa hoc unum jubet, sitim extingui: utrum sit aureum poculum, an crystallinum, an murrhinum, nihil refert.* Dignitionem, & immodicam æstimationem colligere licet ex eodem de Benef. VII. 9. *Video murrhina pocula, parum scilicet luxuria magno fuerit, nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent.* Ortum, ac principium describit Plin. XXXVII. 2. *Eadem victoria primum in Urbem murrhina induxit, primusque Pompejus sex pocula ex eo triumpho Jovi Capitolino dedicavit, quæ protinus ad usum hominum transiere, abacis etiam, escariisque vasis inde expetitis: excrescitque indies rei luxus, murrhino octoginta sestertiis empto, capaci plane ad sextarios tres calice. Potavit ex eo ante hos annos consularis ob amorem abroso ejus margine.* Demster. l. l. Ciaccon. de Triclin. p. 35. Buleng. ibid. c. 13. Baccius de Conviv. III. 1. Bays. de Vascul. Thes. Antiq. Græc. Gronov. IV. p. 693. D. Schill ibid. p. 924. Forma fuit diversissima. Quædam enim panda, quædam angusta, alia oblonga, nonnulla in navigii speciem efficta. Erant, & quæ duos habebant fundos: quale est Nestoreum apud Homer. Iliad. Λ. 631. Athen. XI. p. 489. F. Et de quo Mart. VIII. 6. 9.

> *Hi duo longævo censentur Nestore fundi,*
> *Pollice de Pylio trita columba nitet.*

Nec deerant, qui tympanum referrent, parva, & cava, sine fundo, & auribus, quæ mollia erant, & parum viris convenientia: & quia Græci χλεμμύδα vocant formam operimenti testudinis, *clemmateres* etiam dicebantur. Plin. XXXIII. 11. *Mox additum argentum in angulis, lineasque per commissuras. Tympana vero se juvene appellata stateras, & lances, quas antiqui magidas appellaverant.* Quædam ansulis carebant, alia ansulas habebant, nonnulla aurita una tantum erant parte. Pollux IV. 16. *Phialam vero ancipitem, & aureum poculum utrimque ansatum Homerus a forma appellat, sed unicam ansam habens, cotyliscus nominabatur.* Athen. XI. p. 476. F. *Cissybium est poculum una parte tantum auritum.* Macrob. Sat. V. 21. V. illum supr. in *Carchesium.* Ansularum harum usus, ut apparet, erat, ut qui propinaret, aut porrigeret, unam earum manu teneret, alteram vero, cui tradebatur poculum, arriperet. Virg. Ecl. VI. 17.

> *Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.*

Ovid. Heroid. XVI. 251.

> *Dum stupeo visis, nam pocula forte tenebam,*
> *Tortilis a digitis excidit ansa meis.*

Hæc sunt, quæ *calices pterotI* nuncupantur a Plin. XXXVI. 26. quasi pinnatos, aut alatos dicas, quod ansæ utrinque protensæ alarum speciem referrent. Verba ipsa jam supra posui. *Demster. l. l. Buleng. ibid. c.* 15. Coronabantur. Homer. Iliad. I. 175.

> *Juvenes autem crateras coronaverunt potu.*

Et ab illo accepit Virg. Æneid. VII. 147.

> *Crateras læti statuunt, & vina coronant.*

Tibull. II. 5. 97.

> *Aut e veste sua tendent umbracula sertis*
> *Vincta, coronatus stabit & ipse calix.*

Et quidem ad hilaritatem, & jucunditatem, quæ in convivio versari debet, significandam. *Paschal. de Coron.* I. 4: IV. 19. *Saubert. de Sacrif. c.* 17. *Casal. de Prof. Rom. rit. c.* 25. *Laurent. var. sacr. gentil. c.* 3. *Ursin. ibid. p.* 266.

Cerda in Virgilium. Buleng. ibid. II. 1. *Stuck. ibid.* III. 16. Et convivali quadam licentia in ipsum poculum indebantur flores. Tertull. de Corona militis. *Jam vero & in sinum conde, si tanta mundiția est*, nempe florum. *In lectulum sparge, si tanta mollitia est. In poculum inde, si tanta innocentia est.* Huc pertinet illud Prop. II. 24. 37.

Cum tua propendent demissa in pocula serta.

Et hac de causa ipsum adeo vinum dicebatur coronatum, & redimitum. Virg. Æneid. I. 728.

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Stat. Sylv. III. 1. 76.

—— festasque dapes, redimitaque vina
Abripiunt famuli, ne quo convivia migrent.

Paschal. ibid. II. 2. Mader. de Coron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1413. C. Cuper. Apoth. Homer. p. 39. Voss. de Art. Poet. c. 10. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. Buleng. de Conviv. III. 24. Bacc. de Conviv. p. 187. & 200. Broukh. in Tibullum. In ipsis mensis apponebantur, non a ministris porrigebantur. Virg. Georg. IV. 379.

Pars epulis onerant mensas, & plena reponunt
Pocula.

De Cleopatræ cœna Antonio data Athen. IV. p. 148. A. *Dedit singulis ducibus lectum, in quo accubuerant, & pocula, ut in mensas distributa fuerant, secum auferri permisit singulis.* Suet. Claud. c. 32. n. 5. *Convivæ, qui pridem scyphum aureum surripuisse existimabatur, revocato in diem posterum, calicem fictilem apposuit.* Ciaccon. de Triclin. p. 73. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 4. Cerda in Virg. Æneid. VIII. 157. Pitisc. in Suetonium. In publicis conviviis initio minutis *poculis* bibebant, in fine majoribus, ut Alex. Trall. Probl. 1. Ut sensim stomachus corroboraretur vino ferendo. *Buleng. ibid.* II. 1: III. 14. *Ursin. ibid.* p. 331. V. & supr. in *Cyathus.*

POD.

PODERIS, ποδήρις. V. illam supr. in *Camisia.*

PODISMUS est agrimensoribus, quod aliter pedaturam vocant. Mensura nempe jugeri, areæ, aut alterius, pedibus definita. Pedibus enim, vel passibus, vel fune, aut pertica certam pedum mensuram habente colligebatur magnitudo loci. Ac ποδίζειν proprie est pedibus dimetiri. Unde ποδισμὸς, *podismus*: quo usus Frontinus in Fragmento. Ab eo *podismare* est *podismum* areæ colligere, sive pedibus mensurare: ut βηματίζειν, passibus mensurare. Junius Nypsus. *Omnem trigonum una ratione podismare, orthogonium ut puta, oxygonium, & amblygonium.* Sic in laterculo veteri: *ager podismatus.* Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 483. b. C. Bud. in Pandect. p. 271. I. Stewech. in Veget. II. 7. Lips. de Milit. Roman. v. dial. 3. Thys. Rom. Illustr. v. p. 109.

PODIUM est projectura in summo muro arenam circi, vel amphitheatri proxime cingente. Vitruv. v. 7. *Podii altitudo ab libramento pulpiti cum corona, & lysi duodecima orchestræ diametri. Supra podium columnæ cum capitulis, & spiris, altæ quarta parte ejusdem diametri.* Suet. Ner. c. 12. n. 7. *Perraro præsidere, cæterum accubans primum parvis foraminibus, deinde toto podio adaperto spectare consueverat.* Erat arenæ proximum, & ideo dignissimus is orchestræ gradus, qui proximus *podio.* Et fuit is latior, cum in eo suggestus fuerit Imperatoris eminentior quidam exstructus, qui fuit veluti ejus domus. Origo rei a Julio Cæsare: quem inter alios honores, quos nimios recepit, *suggestum in orchestra admisisse* ait Suet. c. 76. n. 2. Principes secuti id tenuere. Suet. Ner. c. 12. n. 6. Plin. Paneg. c. 51. n. 4. V. illos supr. in *Cubiculum.* Ac consules, prætores, aliique, quibus id jus, sederint in eo sellis curulibus, cum lictoribus, & apparitoribus, & magistratus sui pompa. Juven. Sat. II. 145.

Et Capitolinis generosior, & Marcellis,
Et Catulis, Paulique minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium spectantibus.

Sed & in eodem fuit tribunal editoris, & virginum Vestalium sedes. Cum enim aliis honoribus, ut lictoribus, & veste prætexta, insignes voluerint eos esse, qui ludos exhiberent, tum etiam altiori hac sede, in qua præsiderent. Suspicor ex Suet. Aug. c. 44. n. 7. qui *virginibus Vestalibus*, inquit, *locum in theatro separatim, & contra prætoris tribunal dedit.* Nam quod prætorem nominat, eo est, quod plerumque ludos ii exhibebant. At quin aliis etiam editoribus is honos, & is locus, non ambigo. Quod vero ad *podium* ea sedes cum ratio evincit, tum Suetonius, qui ex adversum collocat Vestales. Eæ autem ad *podium.* Prudent. contr. Symmach. II. 1008.

An quoniam podii meliore in parte sedentes
Spectant.

Voss. Lex. Etymol. Lips. de Amphith. c. 11. Chimentell. de Hon. bisell. c. 18. Tiraquell. in Alex. Gen. v. 16. Salmas. Exerc. Plin. p. 644. b. A. 645. a. B. Scalig. Poet. I. 21. Thys. de Amphith. p. 201. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 10. Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Hujus murus, qui arenam dividebat, non minus altitudinis habebat, cum hoc *podio*, duodenos quindenosve pedes. Hunc nulla fera poterat transilire. Et tamen contra inopinatos quoque casus a catis illis provide provisum. Nam I. retia valida, nodosa, in orbem undique *podium* cingebant, quorum raritas non impediebat adspectum. Plin. XXXVII. 3. *Tanta copia succini invecta, ut retia arcendis feris podium protegentia succino nodarentur.* Ex auro illa texit Calpurn. Ecl. VII. 53.

—— auro quoque torta refulgent
Retia, quæ totis in arenam dentibus exstant.

II. versatiles quidam trunci adponebantur muro, & huic *podio* contra scansionem omnem ferarum & insultum. Quæ ligna in ipsis caveis agnoscit Ammian. XIX. 6. *Ut dentatæ in caveis bestiæ, tetro pedore efferatæ, evadendi spe, repagulis versatilibus illiduntur.* In caveis, inquam, sed in ipso etiam *podio*, aut circa videtur collocare Calpurn. n. 48.

—— nec non, ubi finis arenæ,
Proxima marmoreo peragit spectacula muro:
Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis
Et coit in rotulam, teres qua lubricus axis
Impositos subita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras.

Contra elephantes, & immanes illas feras alia arma parata. Nam aut clathris ferreis arenam totam circumdabant: aut, quod certius, euripis. Valde enim id genus metuens aquæ. Plin. VIII. 7. *Universi eruptionem tentavere, non sine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Qua de causa C. Cæsar dictator postea simile spectaculum editurus euripis arenam circumdedit.* Lips. ibid. c. 12. Thys. l. l. Fuerunt etiam *podia* templi porticibus circumposita, ad speciem aliquam, vel forte profanam turbam amovendam. Vetus inscriptio: ARAM. GENTIS. JULIÆ. IN. CAPITOLIO. DEFORAS. PODIO. SINISTERIORE. *Rycq. de Capitol. c. 36.*

POE.

POEMATA dicuntur odæ, ᾄσματα, μέτρα, λόγοι ἔμμετροι, ἔπη, cantica, metra, heroica, ἡρωεῖα, exametra, rhapsodia, elegia, pentametra, trimetra, epigrammata, jambi, jambæa, anapæsta, mele, chorica, tetrametra, strophe, antistrophe, epodos, hymni, prosodia, pæanes, daphnephorica, tripodiforia, dithyrambi, ithyphallica, oschoforia, parœmia, hyporchemata, triambi, epilenia, epilœmia, quæ canuntur cum pestis sævit, aut sedatur, parthenæa, epithalamia, encomia, epinicia, scholia, threni, silli, parodus, stasimon, emmelia, comaticum, exodus, euctica, embateria, hymenæus, nomi, procœmia, proauliæ, pronomia, juli, ulami, ospingi, linus, epimyrios, imerus, imadus. Pollux IV. 7. 1. *Buleng. de Theat.* I. 4. *Scalig. Poet.* I. 56. *Genera poematis sunt tria: activum, vel imitativum, quod Græci dramaticum, vel*

vel numelicum: enarrativum, vel enuntiativum, quod Græci exegeticon, vel apologeticon vocant: commune, sive mixtum, quod Græci κοινὸν, μικτὸν appellant. Diomed. III. p. 477. *Buleng. ibid. c. 6. Voss. Inst. poet.* II. I. §. 6.

POENA & multa differunt. V. supr. in *Multa*. Illarum genera octo ex auctoritate Tullii prodidit Isidor. v. 27. *Octo genera pœnarum in legibus contineri Tullius scribit: scilicet, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, servitutem, & mortem.* Harum aliæ bona læserunt, ut damnum: aliæ corpus, ut vincula, verbera, & talio: aliæ jus, ut ignominia, exsilium, & servitus: aliæ vitam, ut mors. Singulas V. suis locis. *Sigon. de judic.* II. 3: III: 3. Illam populus aut jussit, aut remisit sub Regibus comitiis curiatis, post exactos Reges centuriatis, & tributis. *Sigon. ibid.* III. 3. *Pœnas* singulorum delictorum V. suis locis. Causæ populo exponi solebant vel titulis. V. infr. in *Titulus:* vel præconis elogio. V. infr. in *Præco*.

Pœnæ, quibus in militia terrestri, qui deliquissent, puniebantur, fuerunt variæ. V. illas supr. in *Milites*. Exigebantur etiam in principiis. V. infr. in *Principia*.

Pœnæ, quibus in militia navali, qui deliquissent, puniebantur, vel erant eædem, quales in militia terrestri; nonnullæ diversæ. Diversæ erant I. Ignominia, vel, ut Græci dicunt, ἀτιμία, qua notabatur non ipse modo, sed & liberi ipsius, qui se præbuisset ignavum in conflictu. Suidas: *Pugnæ navalis omissæ pœna: Quemadmodum militiæ, & aciei desertæ, & armorum abjectorum pœnæ legibus constitutæ erant; sic etiam prælii navalis deserti certæ erant pœnæ. Sic autem oportebat & ipsos navalis prælii desertores, & illorum posteros infames esse.* Hujus autem tanta vis fuit, ut nec magistratum gerere, nec aliud munus publicum capessere, ac ne vulgari quidem veste cum aliis uti his liceret. II. Castigatio, quæ fuit vel vulgaris, cum qui levius quid peccasset in navigio, ei plagæ aliquot cum funibus infligerentur. Giton & comes ejus capillos detondi sibi curaverant in navi, quod navigantibus tristissimum est omen, quoniam a naufragis consuevit fieri, neminique ideo in navi licuit. Igitur, ut est apud Petron. c. 65. *Ut tutela navis expiaretur, placuit quadragenas utrisque plagas imponi. Nulla ergo fit mora. Aggrediuntur nos furentes nautæ cum funibus, tentantque vilissimo sanguine tutelam placare. Et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi.* Horat. Epod. IV. 3.

Ibericis peruste funibus latus.

Ubi Comment. a Cruq. edit. *Peruste funibus, id est, habens latus valde cæsum; vult enim significare illum olim servum, in Hispanica navigatione valde cæsum fuisse.* Tales autem suspendebantur in malo. Sallust. Hist. IV. *Notissimus quisque malo dependens verberabatur.* Vel durior, cum gravius delinquentis corpus per thalamium trajectum ligaretur, ita ut corpus deorsum penderet, pedes essent in navi. Herodot. v. p. 341. D. *Megabetes in circumeundis navium excubiis offendit navim Myndiæ a nemine custodiri, quam rem indigne ferens, jussit satellites inventum ejus navis magistrum nomine Scylacem vincri trajectum per thalamium, ita ut caput extaret, corpus intus esset.* Alludit ad hoc genus pœnæ Plaut. Rud. III. 6. 50. V. illum supr. in *Columbar. Columbar* enim etiam foramen denotat, per quod remus eminet. III. Immersio in aquam. Sallust. l. l. *Notissimus quisque immutilato corpore improbi* L. *in puppi patibulo eminens affigebatur.* Existimo enim fune sic fuisse ligatum sontem, ut submersus cætera mari, vel aquis, solo extaret capite. Verosimile vero est in *puppi* fuisse religatos, ubi trahi possent. Etiam Servius hoc ait in supplicio, quod idem plane fuisse, quod id quod a Sallustio describitur, censeo. Servii verba de Scylla sunt hæc Ecl. VI. *Scylla quod quasi parricida a Minoe ad puppim religata tracta sit, in avem cirin conversa est.* IV. Incessatio sputis, ac saliva. *Gubernatorum* apud Cercetas propria hæc fuit, *ut si a via aberrassent, singuli in eorum faciem conspuerent.* Stobæus ex Nicolao. V. Præsectio manuum. Pœna hæc atrox fuit quondam statuta in eos, qui fuga deseruissent navim. Suidas ex incerto in λειποναῦται. *Edixit, ut conquirerentur per Græciam desertores navium, omnibusque præciderentur manus.* VI. Exsilium, vel depositio in insulam, qua damnatus demittebatur e navi in scapham, & exponebatur in deserta, & ignota insula. Strabo II. p. 68. *Itaque se cum audiret verbis ad eam destinari navigationem, futurum autem, ut in desertam aliquam insulam exponeretur, in Romanorum effugisse potestatem.* VII. Mors, qua desertores captivi, primum fuligine conspurcati, deinde cæsi flagris, denique in locum, unde aufugerant, deducti interficiebantur. Hujus exemplum habemus apud Cedrenum: *Imperator Narses dicto citius desertores istos conquisivit, ac reliquorum terrendorum causa simulavit, se eos suppliciis afficere. Triginta quippe de captivis, qui in prætorio asservabantur, Saracenis faciem fuligine oblitos in circum produci, ibique flagris ignominiose cæsos in Peloponnesum emitti, tanquam si fugæ reliquis auctores fuissent, atque isthic, unde profugissent, interfici jussit. Ergo desertorum loco in palos suffixis in Peloponneso triginta istis Saracenis, Romanos classiarios omnes ingens metus incessit.* Scheffer. de Milit. nav. IV. 4.

POETÆ fuerunt ab initio servi Romæ. Livius Andronicus poeta tragicus simul & comicus, bello captus, Romæ aliquandiu servivit. Eusebium in Chronicis hujus historiæ testem invenimus. Et *poetica* facultas spernebatur illis temporibus, ac pro nihilo ducebatur. Inde de *poetis* manavit illud Cicer. Tusc. Quæst. I. 2. *Honorem huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua objecit, ut probrum, Marco Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset: duxerat autem consul ille in Ætoliam, ut scimus, Ennium.* Et Ciceronis sententiam Cato approbat in libro de moribus apud Gell. XI. 2. *Poeticæ artis honos non erat: si qui in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur.* Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. (16.) A. Crinit. de Poet. Lat. præfat. Ouzel. in Gellium. Factum autem est, ut paullo mox principes etiam viri, aucto imperio, & domi forisque pace adepta, ad hanc studiorum partem animum inclinarint: summoque cultu, atque honore illos habuerint, qui carmine absolvendo viderentur admodum excellere. Gratissimus fuit P. Scipioni Ennius, Mario L. Plotius, C. Lælio P. Terentius, qui adeo familiariter cum eo vixisse traditur, ut illius fabulæ a nonnullis Lælio adscribantur. Decius præterea Brutus magnopere poetam Accium dilexit, nullam quidem ob aliam rationem, præterquam, quod in scribendo carmine præclaro ingenio foret. *Crinit. l. l. Barth. Adv.* III. 4. Roma itaque ante Centonis & Sempronii consulatum *poetas* nullos habuit, id est ante annum ab U. C. 445. quo primum Livius Andronicus & Ennius in scenam prodiere. *Nardin. Rom. Vet. l. l.* Carmina sua recitabant in foro Trajano. Venant. Fortun. III. 23.

Ardua suscepi mistis epigrammata chartis,
Atque cothurnato verba rotata sopho.
Percurrens tumido spumantia carmina versu,
Credidi in undoso me dare vela freto.
Prona procellosos ructavit pagina fluctus,
Et velut oceanas fonte refudit aquas.
Vix modo tam nitido pomposa poemata cultu
Audit Trajano Roma verenda foro.

Et ob virorum principum laudes in illo foro recitatas Claudio Claudiano ab Imperatoribus Arcadio, & Honorio effigies in illo est posita. Subscriptio statuæ: STATUAM. IN. FORO. DIVI. TRAJANI. ERIGI. COLLOCARIQUE. JUSSERUNT. *Barth. ibid.* XLIX. I. *Nardin. ibid.* v. 9. Et in templo Apollinis Palatini. Liquet hoc ex applausu a Claudio exaudito, de quo Plin. Epist. I. 13. V. illum infr. in *Recitare*. In eodem coram Tarpa de operum suorum præstantia contendebant. V. tamen in *Templum Apollinis*. Boni coronabantur. Et quidem hedera. V. supr. in *Hedera*, nec non lauro. V. supr. in *Laurus*. Etiam dum versus scribebant, se corona redimire solebant, velut auspicato, deos sibi con-

conciliantes hac tanquam religione. Stat. Theb. III. 466.

Huc gemini vates sanctam canentis olivæ
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis...

Horat. Epist. II. I. 110.

Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant.

Val. Flacc. I. 5.

Phœbe fave, si Cumeæ mihi conscia vatis
Stat casta cortina domo: si laurea digna
Fronde viret.

Turneb. Adv. XIX. 3. Alard. in Valerium. Laurent. de Præcon. & cithar. c. 2. Illotum tempora vittis ornabantur. V. infr. in *Vitta*. Mali lapidibus petebantur. Petron. c. 50. *Ex his, qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt, at ille, qui plausum ingenii sui noverat, operuit caput, extraque templum profugit. Timui ego, ne me poetam vocarent: itaque subsecutus fugientem, ad littus perveni: &, ut primum extra teli conjectum licuit consistere, rogo, inquam, quid tibi vis cum isto morbo? minus quam duabus horis mecum moraris, & sæpius poetice, quam humane locutus es. Itaque non miror, si te populus lapidibus prosequitur. Ego quoque sinum meum saxis onerabo, ut quotiescunque cœperis a te exire, sanguinem tibi a capite mittam... Movit ille vultum: &, mi, inquit, adolescens, non hodie primum auspicatus sum: imo, quoties theatrum, ut recitem aliquid, intravi, hac me adventitia excipere frequentia solet.* Adventitia hic omnino pro lapidatione accipitur. c. 33. *Hoc est, quod promiseras, ne quem hodie versum faceres? Per fidem, saltem nobis parce, qui te nunquam lapidavimus. Nam si aliquis ex his, qui in eodem synœcio potant, nomen poetæ olfecerit, totam concitabit viciniam, & nos omnes sub eadem causa obruet.* Casaub. in Athen. VI. II. Laurent. l. I Fenor. de Acclam. III. 24. Wouwer. Erhard. & Lotich. in Petronium. Ad eranon, & cœnas conveniebant, sed nihil præter cantum conferebant. Unde & dicuntur *sine fumo parasitare, quia sumptu alieno cœnant*, & opiparæ cœnæ signum est fumus aut ignis apud Athen. I. *Buleng. de Conviv.* I. 2. Lyram Apollini sacrabant. Ovid. Heroid. XV. 181.

Inde chelyn Phœbo communia munera ponam:
Et sub ea versus unus & alter erunt.
Grata lyram posui tibi, Phœbe, poetria Sappho:
Convenit illa mihi, convenit illa tibi.

Tomas. de Donar. c. 23. Collegium an Romæ habuerint. V. supr. in *Collegium*. Laureatorum mos manavit ex agonibus Capitolinis. V. supr. in *Agon Capitolinus*.

POETOVIO, & *Pætovium* est urbs illa in Stiria, quæ a Germanis *Petaw* vulgo dicitur. Hujus meminit, & in illa legionem decimam tertiam stativa habuisse narrat Tacit. Hist. III. I. I. *Meliore fato, fideque Flavianarum partium duces consilia belli tractabant. Pætovionem in hyberna tertiæ decimæ legionis convenerant: illic agitavere, placeretne obstrui Pannoniæ Alpes.* Extat & hujus coloniæ nomen apud Ammian. XIV. II. ubi quod Norico videlicet in Pannoniis proximum sit, Noricorum oppidum appellat, tradens Constantium per id iter fecisse, cum in Istrium proficisceretur: *Pandente viam*, inquit, *fatorum sorte tristissima, qua præstitutum erat eum vita, & imperio spoliari, venit Pœtovionem oppidum Noricorum.* Laz. Comm. Reip. Rom. XII. 8. I. Cluver. de Vindel & Noric. c. 5. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 660. E.

POL.

POLA *est civitas Istriæ, quondam a Colchis condita.* Plin. III. 19. Strab. V. p. 217. *Principes nostros hodie Italiæ fines ad Polam usque Istriæ protulisse. . . . totidem stadia sunt a promontorio, quod est ante Polam situm Anconem Venetico agro ad dextram relicto.* Inde Romanorum colonia a Cajo Julio Cæsare deducta, & *Pietas Julia* nuncupata Plinio teste. De illa Ammian. XIV. II. *Inopinum carpento privato impositum ad Istriam duxit prope oppidum Polam.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 538. D. Vales. in Ammianum.

POLIMENTA, sive coleos, quos renes vocarunt Latini, ὄρχεις, νεφρὸς, παραστάτας Græci, comedebant veteres: & hodie Italis cibus est gratissimus. *Buleng. de Conviv.* II. 6.

POLLENTIA, sive *Potentia*, urbs fuit Piceni. In hanc a Romanis colonia est deducta. V. supr. in *Pisaurum*.

POLLEX dexter si palpitaverit, bonum significat, servo bonam locutionem, virgini nuptias, viduæ raptum: sinister remissionem vitæ, servo libertatem, virgini injuriam, viduæ utilitatem. *Niphus de Augur.* I. 9. Apud aquarios sumitur pro modulo laticis, sed qui major digito, & idem cum uncia; quoniam tres *pollices* quatuor digitos efficiunt, sic erat unus *pollex* duodecima pars pedis, nempe uncia. De re agrâria ad rem aquariam translatum est hoc nomen. *Chimentell. de Honor. bisell. c. 39. Cenal. de pond & mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1479. *E.* Qui faveret, *pollicem* premebat: qui minus faveret, *pollicem* convertebat. Qui gestus in proverbium abierunt, ut jam premere *pollicem*, qui quoquo modo favet: convertere dicatur, qui male vult. Plin. XXVIII. 2. *Pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio jubemur.* Juven. Sat. III. 36.

Munera nunc edunt, converso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Prudent. contr. Symmach. II. 1096.

— consurgit ad ictus:
Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.

Poeta vetus de spe. V. illum supr. in *Infesti*. Contra ea Horat. Epist. I. 18. 65.

Consentire suis studiis qui crediderit te
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Erasm. Adag. p. 57. Politian. Miscell. c. 42. Turneb. Adv. XI. 6. Lips. Sat. II. 22. Torrent. in Horatium. Ferrar. de Acclam. & plaus. II. 5. & 12. Gyrald. Var. Crit. dialog. 2. Guther. de jur. man. II. 16. Alciat. Parerg. XII. 9. Pollet. & Broid. For. Rom. I. 7. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Laurent. de Acclam. c. 2. de Gladiat. p. 234. Bernart. in Stat. Theb. VIII. 26. Modum, quo presserint, & verterint, videntur explicare ad Horatium Porphyrion. *Utroque pollice*, ait ille, *id est, utraque manu, συνεκδοχικῶς, a parte totum: an qui vehementius laudat, manus jungens jungit pollicem cum proximo?* Acron. *utroque pollice, συνεκδοχικῶς, manu utraque sublata, ac sæpius mota; hic enim gestus valde laudantium est.* Cruquius: *Pollice ad medium digitum presso, inque indicem relapso, signum clarum, sonitumque damus, favoremque significamus; quod si fiat utroque pollice, maximi id favoris est; & hoc est premere pollicem. Convertere vero pollicem, quod est non annuentis, sed vituperantis, est manu pansa pollicem a compressione continere in signum doloris, & malevolentiæ.* Sed, quod ajunt Porphyrion & Acron *pollicem utrumque* pro manu utraque positum, non sunt audiendi. Nam *pollicum*, non manuum meminerunt Plinius, & Horatius jam laudati. Quod addunt, Porphyrion quidem: *qui vehementius laudat, ab eo pollicem jungi cum proximo.* Acron vero: *manum utramque sublatam.* . . . ne non sit fictum, valde vereor. Nec enim, quod sciam, alii consuetudinis hujus meminerunt. Et quod probare debebant ut dubium, suo quodam jure sibi sumpserunt pro concesso. Cruquius in Horatium fallitur I. in eo, quod alterum duntaxat *pollicem* fuisse olim in favendo pressum affirmat. Si non alia re, Horatii certe, ac Plinii testimonio plane refellitur. II. gestus, quem in premendo *pollice* solitum usurpari memorat, non *pollicis* pressus est, sed crepitus digitorum. V. illum supr. in *Digitus*. III. dum *premere pollicem* narrat fuisse, *pollicem ad medium digitum premi, atque in indicem relabi.* Hæc enim verba modum potius exprimunt, quo digitus medius *pollice* tereretur, quam

quo p. emeretur *pollex*, quod extra quæstionem erat. IV. ...um *convertere pollicem* aut nihil aliud fuisse, quam *manu ...nsa pollicem a compressione continere.* Hoc enim totum ob...urum, atque incertum est. Neque ita se rem habere ...lanum facit ratione ulla, aut argumento, & neutiquam ...x quis verbis possumus modum conjicere, quo *pollex* al...ter verteretur, quod tamen explicandum proposuerat. Ut ...nos aliquid, quod huc faciat, curemus, animadverten...dum est. I. In gladiatoriis ludis potentem adeo fuisse spe...ctatorem populum interdum, ut, cui faveret, is inco...lumis servaretur; ille vero jugularetur, cui denegaret fa...vorem, seu contra quem turpiter faveret. Senec. in lib. *In sapientem non cadere injuriam* c. 16. *Quæris, quid inter ...duos intersit? quod inter gladiatores fortissimos; quorum alter ...premit vulnus, & stat in gradu; alter respiciens ad clamantem populum, significat nihil esse, ac intercedi non patitur.* Ni...mirum fortissimorum hujusmodi gladiatorum alii occul...tabant vulnera, stabantque in gradu suo, ut fallentes hoc modo populum, favorem ab eo, atque adeo vitam sibi extorquerent: alii vero contemnentes eundem populi fa...vorem, deque salute propria nihil curantes, pro se inter...cedi non patiebantur. II. delati favoris, atque adeo vitæ signum erat unum, & alterum pressum *pollicem*; denegati vero, ac proinde mortis alterum duntaxat conversum. ...Istius consuetudinis non obscura fit mentio a Suetonio, & Peradio Scholastico, poeta veteri. V. utrumque supr. in *Infesti.* III. gestus illos maxime notos fuisse, nec, quis ex iis vel spectantium favor, aut odium: vel dimicantium vita, aut interitus omnino penderet, ignotos fuisse, ac latentes: eorumque differentiam clare apparuisse, quod utroque *pollice* fieret alter, alter altero duntaxat: ut mi...nime verendum sit, ne, sive utraque, sive altera tantum...modo sublata manu non statim ignosceretur vel favor & vita, vel odium & interitus. His positis ausim affirma...re, *premere pollices* aliud nihil fuisse, quam manu utraque sublata, pugnoque facto, *pollices* ipsos intra pugnum arcte, vehementerque comprimere: *vertere pollicem* vero altera manu levata in sublime, inque pugnum pariter contracta *pollicem* a pugno attollere; atque vel in eum ipsum, qui manum elevarat, detorquere, ac retroflectere, vel circumagere, seu in gyrum ducere. *Ferrar. & Laurent. l. l.* Hæ, sive favoris, sive ἐπισημασίαι non pertinebant ad theatra, & scenam, ut vult Ferrar. c. 13. sed ad amphi...theatra, ad munera, seu spectacula gladiatorum: ad thea...tra pertinent plausus, sibili, explosio. Non spectasse sce...nicos, patet ex Juvenale & Prudentio laudatis. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* VI. *Præfat.* ∗ ∗ Rodebat cogi...tabundus, & qui sceleris conscientia defixus erat. Lucian. dial. Panis, & Mercur. p. 229. *Non commisisti adulterium cum capra, sed reminiscere, num aliquando liberam puellam in Arcadia per vim stupraris. Quid mordendo digitum quæ...ris, ac diu dubitas?* Horat. Epod. v. 47.

Hic præsectum sæva dente livido
Canina rodeas pollicem.

Petron. in Fragm. *Pollice usque ad periculum roso.* Barth. Adv. XXI. 4. Sibi rescindebant ignavi sacramenti detrectan...di causa. V. supr. in *Murci.*

POLLIA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

POLLICERI dicuntur, qui ultro promittunt. Vo...cabulum deducitur a *liceor*, quo utuntur, qui in auctio...ne licienda ultro pretium deferunt. Ulpian. l. 3. ff. de pollicitat. *Pollicitatio est offerentis solius promissum.* Hoto...man. de vet. rit. nupt. c. 5. Turneb. Adv. XXVIII. 31.

POLLINCTORES dicebantur, qui mortuorum cor...pora lavabant, & ungebant. Ulpian. l. 5. ff. de institor. act. *Si libitinarius, quos Græce νεκροθάπτας vocant, servum pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit.* Varro: mutuum muli scabunt, sive περὶ ἀφορισμοῦ apud Non. II. 682. *Itaque plures dies inter medici discessum, & adventum pollinctoris intercesserunt.* Mart. X. 97. 3.

Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato.

Plaut. Pœn. prol. n. 59.

Carthaginenses fratres patrueles duo
Fuere, summo genere, & summis divitiis:
Eorum alter vivit, alter est emortuus.
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Gloss. vet. *Pollinctor*, ἐνταφιαστής. *Pollinctor*, νεκροφόρος, νεκρόκοσμος. *Popm. de Oper. serv. p.* 49. *Pignor. de Serv. p.* 76. *Turneb. Adv.* XXVIII. 31: XXIX. 20. *Kirchman. de Funer.* I. 9. *Morestell. Pomp. Feral.* I. 13. *Guther. de Jur. man.* I. 14. *Cerda Adv. c.* 140. §. 13. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 745. *b. A. in Vopisc. Aurelian. c.* 4. *Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 9. *& Faes in illum. Jun. in Tertull. Apolog. c.* 13. *Voss. Lexic. Etymol. Hering. de Molend. q.* 4. §. 66. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *memor.* 26. *Laz. Comment.* III. 18. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 26. *Revard. ad Leg.* XII. *tab. c.* 12. *Casal. de Prof. Rom. rit. c.* 26. *Nicol de Luct. Græc. c.* 6. §. 5. *Clasen. de Theol. gent.* I. 10. §. 15. *Meurs. de Funer. c.* 5. *Laurent. de Funer. c.* 1. *Dieteric. Antiq. Biblic. p.* 146. *Ursin. ad Leg. & Sct. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1365. *B. Ferrar. Elect.* II. 20. *Boxhorn. & Taubman. in Plaut. Pœn. prol. n.* 63. De *Pollinctura* etiam scripsit *Andreas Rivinus.*

POLLUCERE est vox sacrorum, de illis, qui diis offerunt libamenta. *Polluceudi* voce usus est Cato de re rust. c. 133. V. illum supr. in *Jupiter dapalis.* Plin. XXXII. 2. V. illam supr. in *Lex Numæ de Polluctu.* Plaut. Stich. I. 3. 81.

Ut decumam partem Herculi polluceam.

hoc est, τὴν δεκάτην ἀποθύσω τῷ Ἡρακλεῖ; quod Syllam, & Crassum olim fecisse scribit Plutarchus, qui id vocat δεκατεύειν τὰς οὐσίας. Herculi decimas offerebant, quia is putabatur gaudere bonorum exuberantium imminutione, ut qui victu, nec lauto, nec immodico, usus esset. Hujusce moris meminit & Varr. de Ling. Lat. v. 7. *Hinc profanatum, quod in sacrario polluctum. Atque inde Herculi decuma dicta ab eo est, quod sacrificio quodam fanatur, id est, ut fani lege sit, id dicitur polluctum, quod a porriciendo est fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum polluctum est.* Voss. Lex. Etymol. Guther. de vet. jure pont. IV. 23. Beroal. Append. Annot. c. 11. Scalig. in Festum. Saubert. de Sacrif. c. 25. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 481. Stuck. de Sacrif. p. 12. *Pollucere* dapem est sine contagione illam profanare, id est, sacro eximere, & populo proponere. *Laurent. var. sacr. gentil. c.* 14. *Guther. l. l.* Merces dicebantur mercatores, quando de mercibus ἀπαρχὰς, & libamenta diis offerebant. *Scalig. in Festum.*

POLLUCTUM proprie dicitur sacrificium, sive convivium, quod Jovi dapali, Herculi, aliisve fieret. Macrob. Saturn. II. 12. V. illum supr. in *Catillo.* Cassius Hemina laudatus supr. in *Lex Numæ de polluctu.* Hoc vero quia opiparum, & sumptuosum erat, hinc etiam dicitur cœna lauta, ac sumptuosa. Plaut. Rud. v. 3. 62.

— *Spectatores vos quoque ad cœnam vocem,*
Ni daturus nihil sim, neque sit quicquam pollucti domi.

Polluc̄turam vocat Stich. IV. 4. 3.

Quisquis prætereat, comessatum volo vocari. ST. Convenit,
Dum quidem hercle quisque veniat cum vino suo: nam hinc quidem
Hodie polluctura, præter nos, jam dabitur nemini.

Hanc *pollucibilem cœnam* vocat Macrob. ibid. c. 17. *Altera die Cleopatra, pertentans Antonium, pollucibilem sane cœnam paravit, sed quam non miraretur Antonius.* Hinc *pollucibiliter obsonare* pro opipare. Plaut. Most. I. 1. 22.

Amicas emite, liberate, pascite
Parasitos, obsonate pollucibiliter.

Voss. Lex. Etymol. Guther. de vet. jur. pont. IV. 23. Saubert. de Sacrif. c. 25. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 481. Cerda Adv. c. 185. §. 77. Beroal. Append. Annot. c. 11.

POLYPHAGI etiam errabant in aulis Principum, & illis Principes delectabantur. Suet. Ner. c. 37. n. 4. *Creditur etiam polyphago cuidam Ægyptii generis crudam carnem, & quicquid daretur, mandere assueto, concupisse vivos homi-*

homines laniandos, absumendosque objicere. Vopisc. Aurelian. c. 50. *Vehementissime delectatus est phagone, qui usque eo multum comedit, ut uno die ante mensam ejus aprum integrum, centum panes, vervecem, & porcellum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca.* Kobierzyk. de Luxu Roman. II. 4. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.

POLYPTICHII non sunt chirographa, vel apochæ, ut male tradit Alciat. Parerg. III. sed rationes, sive ἀποσεσημειωμένα publica l. 2. C. Th. de discuss. l. 13. C. Th. eadem tit. & ideo l. 2. de discuss. *rationibus publicis*, id est, *polipticis*. Sic plerumque solet scribi, quanquam si origo spectetur, scribendum sit *polyptichis*. Id namque ex eo tractum est nomen, quod ex chartæ publicæ πολλὰς ἀποκλείσεις ὅιον πτυχὰς habeant. Qua forma & diptycha dicuntur. V. illa supr. in *Diptycha*. Adnotari in *polyptichis* omnia, quæ ad rationes publicas spectant, his verbis indicat Veget. II. 19. *Totius legionis ratio, sive obsequiorum, sive militarium numerorum, sive pecuniæ quotidie adscribitur actis majore prope diligentia, quam res annonaria vel civilis polypticis annotatur.* Vulgo male *politicis libris.* Cassiod. Var. V. *Ut omnibus a te sollicita atque æquabili indagatione compertis polyptici jubeantur adscribi.* Cujac. Observ. IV. 37.

POM.

POMARIA in summis turribus Romani habuerunt. Senec. Epist. 122. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt? quorum sylvæ in tectis domorum, ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent?* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Lips. in Senecam.

POMARIUS fuit inter negotiatores minutos, & ῥωποπώλας. Suidæ ὀπωρώνης, ὁ τὰς ὀπώρας πωλῶν καὶ ἀγοράζων. Nonnullibi hortulanorum & olitorum corpori accensetur. *Remes. Inscript. Clas.* XI. *n.* 79. Inscriptio Romæ:

C. JULIUS. EPAPHRA
POMAR. DE. CIRCO
MAXIMO. ANTE.
PULVINAR. SIBI. ET
VENULEJÆ. CN. CN. L
HELENÆ. CONJUGI. SUÆ.

Pomarius de circo maximo videtur dictus hortulanus, qui viridaria circo maximo, qui extra Urbem erat, conjuncta colebat. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p.* 230. Ejus meminit Horat. Sat. II. 3. 226.

Hic simul accepit patrimoni mille talenta
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps
Mane domum veniant.

Meminit etiam Spartian. Heliogab. c. 27. *Dulciarios, & lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores, vel pomarii.* Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. S: XXX. 10.

POMOERIUM quid fuerit, docetur a Liv. I. 44. *Pomœrium, verbi vim solam intuentes, postmœnium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus Hetrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant, ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjunguntur; & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod nec habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam murus post id, pomœrium Romani appellarunt: & in Urbis incremento semper, quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.* A Festo vocatur prosimurium: *Prosimurium esse ait Antistius in commentario juris pontificalis pomœrium; id est, locum proximum muro. Cato: olim quidem omnes auspicabantur extra Aventinum, nunc etiam intra ædificia.* Quoniam igitur, cum muri alicujus protollerentur civitatis, ab antiquis Hetruscis simul etiam *pomœrium* proferri solitum erat, natus inde error antiquariorum est pervulgatus, ut cum *pomœrium* aliquando ab hoc, vel illo prolatum legatur; mœnia etiam prolata existimaverint, & tradiderint. Sed inter utrumque est distinguendum. I. Festus in *Prosimurium* dicit, vetustissimum *pomœrium* a Romulo initio U. C. Palatini montis circuitu terminatum: quanquam tum ab ipso Romulo, tum a cæteris Regibus muri aliquoties prolati sint; a Servio primum ulterius extensum: *Antiquissimum Romuli pomœrium Palatini radicibus terminatur. Protulit id Ser. Tullius Rex; item L. Cornelius Sylla.* Huic accedit Liv. I. 1. qui ambitum Urbis a Tullo Hostilio, Anco Martio, & Servio Tullio pluribus adjunctis collibus dilatatum refert: verum *pomœrium* a Servio Tullio solummodo promotum tradit, & a mœnium prolatione distinguit: *Addit*, inquit, *duos colles, Quirinalem, Viminalemque, ac deinceps auget Esquilias: aggere, & fossa, & muro Urbem circumdat. Item pomœrium profert.* Ubi vox *item* addita diversitatem cum facti, tum temporis indicat: ostenditque *pomœrium* posterius, & non una cum mœnibus prolatum, neque nisi tum demum post Romulum. Et testis Gell. XIII. 14. cum & ipse dixisset: *Antiquissimum pomœrium, quod a Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur*; qua de causa Aventinus Urbis circuitui inclusus non esset, inquirens, solos prolati pomœrii auctores Tullium, Syllam, & Cæsarem nominat, numeratque. II. *Pomœrium* a Sylla, Cæsare Julio, & Octaviano Augusto mutatum fuit; & tamen muros Urbis Dionysius ullo unquam tempore eo, quo a Tullio erant positi, loco motos expresse negat, quod religione id vetaretur. III. Vopisc. c. 21. Aurelianum mœnia amplissimo ambitu dilatasse scribit, immoto, immutatoque *pomœrio*, *Nec tamen addidit pomœrio eo tempore, sed postea.* Ecce hic disertissimis verbis mœnia extensa leguntur, relicto vetere intra eorum novum ambitum exteriore *pomœrio*. Ejus definitionem ex augurum libris veteres recitant. Gell. XIII. 14. *Pomœrium quid esset, augures P. R. qui libros de auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia definierunt. Pomœrium est locus intra agrum effatum pone muros regionibus certis terminatus ad captanda auspicia.* Macrob. Sat. I. 24. *Ita belli isti homines*, grammatici, *certos scientiæ fines, & velut quædam pomœria, & effata posuerunt, ultra quæ egredi si quis audeat, prospexisse in ædem deæ, a qua mares absterrentur, existimandus est.* Hinc colligere licet, relicto quibusdam in Urbis locis interiore, & exteriore *pomœrio* intra muros, qui proferendo ab eodem fuerant semoti, accidisse, ut, quod Livius, & Dionysius referunt, plurima muris adnexa, & adstructa fuerint ædificia; quod sine dubio Romani, utpote religionis observantissimi, minime permisissent, si murorum, & *pomœrii* par semper fuisset ratio. Veri *pomœrii* termini non aliter agnoscebantur, aut observabantur, quam ab auguribus in auspiciis capiendis, quod in *pomœrio* fieri sollenne erat, ut Plutarchus in Marcello indicat: *Cum quis*, inquit, *ex optimatibus domum in pomœrio, aut tabernaculum mercede conduxisset, ac in eo pro captandis sederet auspiciis, postmodum firmis nondum signis, si qua illum in Urbem causa retrahebat, primum oportebat relinquere tabernaculum, & alterum suscipere.* Festus in Publici: *Captabant auguria templo cœli regionibus designato, quod lituo, qui Quirinal appellatur, designabant in pomœrio extra Urbem.* Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Principium, quod est post murum, pomœrium dictum, ejusque ambitu auspicia urbana finiuntur.* Quando igitur Ancus Martius Aventinum intra Urbis ambitum amplexus muros veteres desub radicibus Palatini, & Cœlii montis sustulit, & *pomœrium* hoc pacto universum intra muros in ea valle restituit: necessario istuc auguribus conveniundum erat ad captanda pro more auguria: atque ita extra *pomœrium* mons Aventinus erat, sed tamen intra mœnia. Gell. l. l. *Aventinum extra pomœrium exclusum, post auctore Claudio receptum, & intra pomœrii fines observatum.* Ubi vocula *observatum* novitatem non muri, sed exerciti ibi muneris indicat. Sic & verba Varronis modo laudata satis superque innuunt, tetatem ipsius ævo *pomœrium* post murum non fuisse. Sic & Catonis verba apud Festum: *Olim quidem omnes auspicabantur extra Aventinum: nunc etiam intra ædificia*; nil aliud significant, quam *pomœrium*

mœrium exterius alicubi in Urbe intra muros fuiſſe. Terminabatur multis lapidibus, de quibus Varr. l. l. *Cippi pomœrii stant circum Romam.* Eorum tutela penes augures erat. Inſcriptio:

COLLEGIUM
AUGURUM. AUCTORE. IMP. CÆ
SARE. DIVI TRAIANI. PARTHICI.
F. DIVI. NERVÆ. NEPOTE. TRAIA
NO. HADRIANO. AUG. PONT. MAX.
TRIB. POT. V. COS. III. PROCOS.
TERMINOS POMERII. RESTITUEN
DOS. CURAVIT.

Pars, quæ pontificalis dicta, id eſt, pontificum curæ reſervata, proxime muros erat. Feſtus: *Pontificale pomœrium appellabant locum illum, agrumque pone murum, in quo pontifices sua constituerent auſpicia.* Ambitum, ſeu ſpatium pomœrii proferre ſolebant, qui fines protulerant imperii. Seneca de brev. vit. c. 14. *Idem narrabat, Syllam ultimum Romanorum protuliſſe pomœrium, quod nunquam provinciali, ſed Italico agro acquiſito mos proferre apud antiquos fuit.* Non ſemper eodem quoquoverſum ſpatio proferebatur, ſed pro libitu proferentis. Aventinus hic nobis præbet exemplum. Ritus in hoc adhiberi ſolitos deſcribit Feſtus: *Cum pomœrium proferretur*, inquiens, *tum augures publici P. R. his verbis precabantur, ut tutelares Urbis pomœrium hoc nec minuerent, nec mutarent, sed iis, quibus terminatum erat, regionibus conſervarent.* Protulerunt Servius Tullius, Sylla, & Cæſar Julius, deinde & Auguſtus. Tacitus: *Sicut iis pomœrium augendi jus proferendi imperii, qui populum Romanum agro de hoſtibus capto auxerunt. Antiquiſſimum Romani pomœrium a Palatini montis radicibus terminabatur. Protulit id Servius Tullius Rex. Item L. Cornelius Sylla dictator imitatus, ut videtur, Tullium Regem proferre tentavit.* Tacit. Annal. XII. 23. 3. *Et pomœrium Urbis auxit Cæſar more priſco, quo iis, qui protulere imperium, etiam terminos Urbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quanquam magnis nationibus ſubactis, uſurpaverunt, niſi L. Sylla, & divus Auguſtus.* Sed quouſque incertum eſt: multumque in eo ſtudii ponunt Panvinius, Fabricius, & alii, dum multis ipſi non ſatis grati moliuntur vanos amoenitas. Hoc certum eſt, excluſum fuiſſe Aventinum, quem Claudius adjecit. V. ſupr. in *Aventinus.* Ampliaverunt & Nero, & Trajanus, atque item Aurelianus. Vopiſc. l. l. *Pomœrio addidit Auguſtus, addidit Trajanus, addidit Nero.* Niſi forte is ambiguitate nominis Claudii in errorem lapſus eſt, & pro Claudio Neronem ſubſtituit. *Nardin. Rom. Vet.* I. 5. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* I. §. 10. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 216. *E.... 227. B.... Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 5. *Donat. de Urb. Rom.* I. 3. 12. 13. 14. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 6. *E. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 2. *Gutber. de vet. jur. pont.* I. 27. *Rycq. de Capit. Rom. c.* I. *Salmaſ. in Vopiſcum. Fauntus Antiq. Roman.* I. 5.

POMONAL fuit prædium in via Oſtienſi. Feſtus: *Pomonal eſt in agro Solonio via Oſtienſi ad duodecimum lapidem diverticulo a miliario octavo.* Marlian. Topog. Urb. Rom. V. 28. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 257. C.

POMPA, πομπὴ, eſt deductio, vel tranſvectio, quæ per publicas Urbis vias honoris cauſa fit: ut in triumphis, ſupplicationibus, funeribus, nuptiis. Speciatim ſolet dici de circenſi *pompa*: unde Tertull. de Spect. c. 7. *Sed Circenſium paullo pompatior ſuggeſtus, quibus proprie hoc nomen pompa, præcedit.* Voſſ. Lex. Etymol. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2. Quænam fuerit, addit Tertullianus: *Illa quorum ſit, in ſemet ipſa probat de ſimulacrorum ſerie, de imaginum agmine, de curribus, de thenſis, de harmamaxis, de ſedibus, de coronis, de exuviis, quanta ſacrificia præcedant, intercedant, ſuccedant, quot collegia, quot ſacerdotia, quot officia moveantur, ſciunt homines illius urbis, in qua dæmoniorum conventus conſedit.* Et multo fuſius explicat Dionyſ. VII. p. 475.... In illa præcedebant I. magiſtratus, qui in Urbe maximam habebant poteſtatem, ut dictator, conſules, decemviri legibus ſcribendis deputati; aut tribuni militum conſulari poteſtate, vel his abſentibus prætores. II. nobiles juvenes pubertati proximi. Equis vehebantur, quorum patres eſſent equites, & equeſtrem cenſum H. S. CD. millium haberent. Inferioris cenſus pedites militiæ pedeſtris forma, per alas, centurias, claſſiumque, & manipulorum ordines diſtincti ſubſequebantur. Tacit. Annal. XII. 41. 3. *Ludicro Circenſium, quod acquirendis vulgi ſtudiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphali veſte travecti ſunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriuſque præſumeret.* III. ſequebantur quadrigæ, & bigæ, equi ſingulares, & deſultorii cum ſuis aurigis, ſive agitatoribus. IV. veniebant graviorum, leviumque certaminum tum generi militantes, pugiles, curſores, & luctatores nudo corpore, pudendis tantum ſubligaribus campeſtribus tectis. V. tres chori ſaltantium, virorum, imberbium, & puerorum. Horum apparatus & habitus deſcribit Dionyſius. VI. chori ſatyricorum, hoc eſt, eorum, qui Satyrorum more ſaltabant, ſicinnem referentes Græcam. VII. tibicines inflantes antiquæ moris breves tibiales, quarum diu uſus apud Romanos fuit, quum in Græcia exolevisset, citharœdique lyras ſepticordes eburneas, quæ etiam barbita dicuntur, plectentes. VIII. ſacerdotum miniſtri, thuribula, acerras, & alias arculas aureas, & argenteas, ſacras, & publicas, in quibus aromata, & thus per viam ad ſuffitum faciendum adolebant, ferentes. IX. reliqui ſacrorum ſanctiores miniſtri, ut Camilli, & Camillæ, Flaminii, & Flaminiæ, æditui, ſcribæ publici pontificum: a commentariis XV. ſacris faciundis, adjutores aruſpicum, kalatores ſacerdotiorum, pullarii, popæ, victimarii, lictores flaminum, præficæ, proclamitatores, lictores, deſignatores, & alii ſimiles, tauros, vaccas, arietes, & alias hoſtias vittatas, & infulatas ad immolandum ducentes, pompas, & res templorum ſacras, argenteas, aureisque miræ elaboratas, ut vaſa, pateras, candelabra, lituos, apices, tripodas, gladios, ſecures ad cædendas victimas, ſimpulla, aſperſoria, exuvias, & alia ejus generis portantes. X. ferebantur I. ſimulacra deorum. Ovid. Amor. III. 2. 43.

Sed jam pompa venit: linguis, animiſque favete:
Tempus adeſt plauſus: aurea pompa venit.
Prima loco fertur paſſis Victoria pennis:
Huc ades; & meus hic fac, dea, vincat amor.
Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis.
Nil mihi cum pelago: me mea terra capit.
Plaude tuo, miles, Marti: nos odimus arma.
Pax juvat, & media pace repertus Amor.
Auguribus Phœbus, Phœbe venantibus adſit:
Artifices in te verte, Minerva, manus.
Ruricolæ Cereri, teneroque aſſurgite Baccho:
Pollucem pugiles, Caſtora placet eques.
Nos tibi, blanda Venus, puerisque potentibus arcu
Plaudimus: inceptis annue, diva, meis.

2. imagines gentilitiæ eorum, qui circenſes edebant: ſicuti in pompa funebri ferebantur teſte Plin. XXX. 2. *Expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera. ſemperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* Conſtat enim ex Suetonio, & Tacito, Britannici equeſtrem ſtatuam in Circenſibus fuiſſe prælatam. Ita ille Tit. c. 2. n. 5. *Statuit ei ſtatuam ex ebore equeſtrem, quæ circenſi pompa hodieque præfertur.* Hic Annal. II. 83. I. *Honores, ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique. . . . ludos Circenſes eburnea effigies præiret.* Et *Julii Cæſaris ſtatuam in circenſibus pompis cum deorum ſimulacris eſſe vectam* narrat Dio XLIII. p. 236. B. XI. Armamaxi currus Scythici. XII. Collegia omnium ſacerdotum: qui virgas oleaginas manibus tenebant, & capita apicibus redimita habebant. XIII. præter eos magiſtratus, qui *pompæ* ductores erant, dictator cum magiſtro equitum Reipublicæ tempore, vel Imperator cum filiis Cæ-

stitibus, consules duo, vel alii magistratus consulari potestate, ut Xviri legum scribendarum, tribuni militum, IIIviri Reipublicæ constituendæ, censores duo, Interrex, si tunc creati erant, prætores, ædiles sex; curules, plebis, & cerealis, tribuni plebis, quæstores urbani, tribuum curatores, IIIviri capitales, IIIviri nocturni, IIIviri monetales, IVviri viarum curandarum, Xviri litibus judicandis, præfecti ærarii, curatores operum publicorum, curatores alvei Tiberis, & cloacarum Urbis, præfectus prætorio, præfectus vigilum, curatores, & denuntiatores regionum. XIV. magister vicorum Urbis, advocatus fisci, IIIviri legendi senatus, IIIviri recognoscendi turmas equitum, & eorum ministri, apparitores, scribæ, accensi, præcones, lictores, viatores, & alii. *Panvin. l. l. Taffin. de Lud. secul. c.* 15. §. 12. *Buleng. de Circo c.* 38. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 13. §. 2. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p.* 2. *c.* 3. Recta e foro per Velabrum ad circum maximum duci solebat. Ovid. Fast. VI. 405.

Qua Velabra solent in circum ducere pompas,
Nil præter salices, cassaque canna fuit.

Fuit, quantum conjectura assequi licet, per vicum Tuscum ducta, per quem e foro ad circum viam maxime tritam, ac familiarem fuisse indicat Dionys. v. p. 305. *Tuscus vicus Romanis lingua vocatur, qua transitur a foro in circum maximum.* In hujus vici angulo signum fuit Vertumni, & inde flexui *pomparum* fuit. V. infr. in *signum Vertumni*. *Pompam*, non circensem, sed aliam etiam e foro in circum maximum exisse narrat Liv. XXVII. 37. *In foro pompa constitit: per manus reste data virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. Inde vico Tusco, Velabroque per boarium forum.* Nardin. Rom. Vet. v. 10: VII. 4. Panvin. l. l. Quæ dum ducebatur, viæ solebant ornari. Cicer. Verr. I. 59. *Quam tu viam thensarum, & pompæ hujusmodi exegisti.* Ad quæ Asconius: *Exigere viam dicuntur magistratus, cum vicinam cogunt munire, quam diligentissime sumtu facto. Thensæ autem sunt sacra vehicula, pompa ordinum, & hostiarum.* Munitio illa, sive exornatio viarum fiebat, vel muros, ac parietes ædium pannis velando, vel vias thensis velis integendo, ne despectus e fenestris in vias esset: vel quoque utraque cura fuit adhibita. Macrob. Sat. I. 6. *Evenisse, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset. Qui cum rem gestam senatui nuntiasset, placuisse velari loca ea, qua pompa veheretur.* Plutarch. Romul. p. 20. B. *Quidam dicunt, Velabrum esse aditum eum, qua in circum ex foro itur, quem, qui ludos exhiberent, hinc exorsi velis operire soliti fuerint.* Nardin. l. l.

Pompa triumphalis est spoliorum, aliarumque rerum ordine gestata multitudo. Ad pascendos enim voluptate animos, oculosque explendos præferebantur urbium, montium, fluviorum, regionum nomina, spolia, & exuviæ hostibus detractæ, postremo ipsi duces superati. Tacit. Annal. II. 41. 2. *Germanicus Cæsar ad* VII. *Kalendas Junias triumphavit de Cheruscis Cattisque, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt, vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, præliorum.* Cicer. in Pison. c. 25. *Dicres de triumpho, quid habet currus iste? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis, & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista, mihi crede, delectamenta pæne puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle; quibus ex rebus nihil est quod referre ad voluptatem corporis posset.* Ovid. Trist IV. 2. 37.

Hic lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes,
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.
Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva
Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit.
Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis invicti sub pede mœsta sedet.

Et Scipionis ex Africa triumphum qui describit, Appian. de Bell. Punic. p. 35. 36. Videsis illum. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom.* x. 29. *Valtrin. de Re milit. Roman.* VII. 8. *Buleng. de Triumph. c.* 25. *Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IX. *p.* 1363. *A. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 1. *Alex. Gen. dier.* VI. 6. *& in illum Tiraquellus.* Per medios circos vehebatur, ut populus non modo e via, sed multo commodius e gradibus sedilibusque circensium cavearum cuncta sedens adspiceret. Id memorat Plutarch. in Æmil. Paull. p. 272. C. *Populus in equestribus theatris, sive hippodromis, quos circos vocant, & circa forum tabulata figentes, & occupantes alias Urbis partes, ut pompæ singula subjicerent visui, spectarunt.* Locorum ad spectandum meminit in triumpho Titi & Vespasiani etiam Joseph. de Bell. Jud. VII. 24. *Inter spectacula transeuntes triumphum ducebant, ut multitudini facilior præberetur adspectus.* Quid autem est *inter spectacula transire*, nisi per loca spectaculorum & circos, quorum gradus insederat populus, ut spectaret facilius, atque commodius? Vespasianus autem discedens ab Octavia porticu per circum primo Flaminium, deinde Maximum transiturus erat. Sed omnis triumphi *pompa* e campo Martio, ubi instruebatur, incipiens, etiam per circum Agonalem, hodie Navonum, ab Alexandro exstructum, ultimis saltem ætatibus, cum rari triumphi, traduci poterat. *Pompa* itaque, ut dictum, in campo Martio instructa cum moveri cœpisset, Imperatoribus duntaxat ad portam præstolantibus, primum offendebat frequentissimas porticus, & templa in campo Flaminio, tum juxta porticum Octaviam petebat circum Flaminium, quo egressa intrabat portam triumphalem. Hinc juxta theatrum Marcelli ad alias porticus Octaviæ nomine ab Augusto exstructas ferebatur. Inde per medium Velabrum & forum boarium veniebat ad circum Maximum. Hinc lævorsum conversa tendebat ad curias veteres, ubi arcus Constantini. Inde alio flexu pergebat ad sacram viam. Prop. II. 1. 33. V. illum infr. in *Triumphus*. Horat. Od. IV. 2. 34.

Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum, merita decorus
Fronde Sicambros.

Epod. VII. 7.

Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via.

Et ab illa descendebat in forum. Et hoc circumire necesse erat, ut frequentissimus, qui aderat populus, commode spectaret. Tum juxta templum Saturni, ubi Septimii arcus, adscendebat, iterum flexo curru, in Capitolium. *Donat. de Urb. Rom.* I. 22. *Nicol. de Triumph. c.* 13. §. 2. & 3. In illa ferebantur imagines ducum captivorum suppositæ tropæis, quæ & in illa ferebantur. Ovid. de Pont. III. 4. 104.

Stentque super vinctos trunca tropæa viros.

Hinc Senec. Troad. II. 151. sic loquitur, quasi in persona vivorum, qui triumphabantur, fieret, quod fiebat in illorum imaginibus tropæo suppositis: *Non*

Subjecta feret colla tropæis.

Prop. III. 3. 10.

Et subter captos arma sedere duces.

Eo alludit in triumpho Scipionis Africani Silius Italicus, laudatus supr. in *Captivi*. Gronov. in Senecam. Broukh. in Propertium.

POMPEJA gens. V. illam supr. in *Gens*.

Pompeja tropæa. V. illa infr. in *Tropæum*.

POMPEJI oppidum Campaniæ, ultra Herculanium paullum a mari remotum. Flor. I. 16. 6. *Urbes ad mare Herculanium, Pompeji.* Apud ipsam Sarni ripam situm fuit. Plin. III. 5. *Pompeji, haud procul spectante Vesuvio, alluente vero Sarno amne.* Ex intervallo liquet, nunc esse oppidum Schafati. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 3. 10. Eo L. Cornelius Sylla colonos duxit. Cicer. pro Syll. c. 21. *Disjunxit P. Sylla Pompejanos a colonis, ut hoc dissidio, ac dissensione facta oppidum in sua potestate esset, & Pompejos haberet,*

beret, cum ab hoc illa colonia deducta sit. Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 4.

POMPEJUS credebatur filius tibicinis. In eum Scipio minor usus est dicterio, quod de cessatoribus dicebatur, *tibicinem expectare.* Pompejus enim C. Lælio consulatum ambiente, cui Scipio maxime favebat, negavit Scipioni se petiturum, adfuturum vero Lælio, eumque deducturum: quem dum expectat, auditum est, cum jam candidatum prehensare obvios. Tum Scipio ridens: *Ne*, inquit, *nos egregie stulti fuimus, qui perinde ac deos, non homines precaturi fuimus, stamus tibicines expectantes.* Hinc ansam Tacit. Annal. XIV. 61. 6. ubi de Octavia Messalinæ filia loquens: *An quia*, ait, *veram progeniem penatibus Cæsarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis Ægyptii subolem imperatorio fastigio induci?* Nempe propter Pompejum, qui, uti diximus, tibicen a Scipione vocatus est. Octavia vero a Scribonia Augusti uxore descendebat. *Junio de Lib. Celt. l. c.* 25. Consulatum gessit, cum annum ageret quartum & trigesimum, solutus videlicet legibus, meritorum ingentium in Rempublicam, eximiæque virtutis ergo. Cicer. pro leg. Man. c. 21. *Quam singulare, quam ut ex S. C. legibus solutus, consul ante fieret, quam per leges capere liceret ullum alium magistratum*, curulem fecit. *Manut. de Legib. c. 6.* Legem tulit in primo consulatu, ut ad tribunos plebis esset provocatio, & omnia omnino, quæ tribunis plebis ademerat, illis restituerentur. In tertio consulatu de jure magistratuum, ne quis peteret absens. V. supr. in *Lex.* Bithynis, & Ponticis legem tulit, *ne quis caperet magistratum, neve in senatu esset minor annorum triginta; eadem lege comprehensum est, ut qui ceperint magistratum, sint in senatu.* Plin. Epist. X. 83. Ne decuriones, *qui in bulen a censoribus legebantur*, *pecuniam pro introitu darent.* Plin. Epist. X. 113. Sed id observatum non est semper, nam, ut apud eundem Plinium legitur, aliquando *& singula millia denariorum, & bina* solverunt. Ut *Bithynicis civitatibus liceret adscribere sibi, quos vellent cives, dum civitatis non sint alienæ, sed suarum quisque civitatum, quæ sunt in Bithynia. Eadem lege sanxit, quibus de causis e senatu a censoribus ejicerentur.* Manut. ibid. c. 1. Eques adhuc Romanus, contra legem triumphavit. Paterc. II. 30. 2. *Metellus, & Pompejus ex Hispaniis triumphaverunt: sed Pompejus hoc quoque triumpho, adhuc eques Romanus, ante diem quam consulatum iniret, curru Urbem invectus est.* Manut. ibid. c. 12. In ludis illi privilegii insignia sunt concessa. Paterc. II. 40. 4. *Absente Cn. Pompejo, T. Ampius, & T. Labienus tribuni plebis legem tulerunt, ut is ludis circensibus corona laurea, & omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem prætexta, coronaque aurea. Id ille non plus quam semel, & hoc sane nimium fuit, usurpare sustinuit.* Panvin. de Lud. Circens. II 16. Primus Romæ perpetuum theatrum posuit. V. infr. in *Theatrum.* Vivo statua equestris posita est. V. infr. in *Statua.* Fugit an. ab U. C. 704. qui annus consules habuit C. Claudium Marcellum, & L. Cornelium Lentulum Crurem. Sed nonnullam parit difficultatem, quod de ejus fuga a veteribus scriptoribus in litteras est relatum. Hirt. de Bello Hispan. c. 31. *Ipsis Liberalibus fusi, fugatique sunt hostes.* Oros. VI. 16. *Et qui [illegible] eo die bellum hoc actum est, quo Pompejus pater ab Urbe bellum gesturus aufugerat.* Plutarch. Cæs. p. 734. A. *Hanc victoriam obtinuit Saturnalibus, quibus Pompejus Magnus ad bellum profectus dicitur spatio annorum quatuor interjecto.* Verum si Cæsari, si Ciceroni fides, Pompejus ab Urbe profectus est novo anno, mense Januario: quomodo igitur Liberalibus? quæ in sextum decimum Kalendis Apriles conferuntur: cum etiam, si Ciceronem audimus, scripserit Cicero, *Pompejum Brundisii consedisse rates, & reliquisse Italiam quarto Kalendas Martias.* Sed posteritas illud verum non est, idque ex [illegible] Cicero, non ex rei veritate. En tibi exemplar [illegible] ad Oppium *a. d. VII. Id. Mart. Brundisium* [illegible] *Pompejus est Brundisio* [illegible] Kal. April. Pompejus Brundisio [illegible] suis copiis. Habes in epistola Matii, & Trebatii ad Ciceronem: *Cum Capua exissemus, in itinere audivimus Pompejum Brundisio a. d. XVI. Kal. April. cum omnibus copiis*, [illegible] *profectum esse. Cæsarem postero die in oppidum introisse.* Ergo Liberalibus Brundisio fugit Pompejus: atque id est, quod [illegible] Plutarch. [illegible] judicio: nam ejus verba sic interpretor: *quo etiam dicitur Pompejus sub ipsius belli principio fugisse.* Et forte ab Orosio olim scriptum: *quo Pompejus pater ab urbe B. [illegible] bellum gesturus aufugerat.* deinde librarii descripserant, *ab urbe B. bellum*, sed postea qui non intellexerunt, *B.* illud expunxerunt. Certum igitur est, *Pompejum* Brundisio fugisse Liberalibus, id est, XVII Kal. April. eodemque die ejus milites ad Mundam fusos, & fugatos esse. *Petit. de ann. & period. vet. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 389. B.*

POMPHOLIX. V. illam infr. in *Tuthia*, & *Spodium.*

POMPONIA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

POMPONII a Numæ filio fluxisse traduntur. Plutarch. in Num. p. 73. E. *Pomponis subolem esse Pomponios.* Quanquam plebeji fuerunt. Qui cognominibus Mathone, Attico, Musa, Molone, Flacco, & Vitulo distincti Romæ summos honores adepti. Sunt qui *Pomponios* ante Urbem conditam fuisse scribant, majorumque gentium patricios existimant eos fuisse, ex qua gente fuit Faustulus Romuli educator. Duplex forte etiam *Pomponiorum* gens fuit. *Panvin. de Nom. Roman. Græv. Tom. II. p. 2005. D. Sigon. de Nom. Roman. c. 4.*

POMUM generaliter nomen est omne id, quod molliore cortice est tectum. Serv. Ecl. II. 53. *Poma generaliter dicuntur omnia molliora.* Virg. Ecl. IX. 50.

> *Insere, Daphni, pyros: carpent tua poma nepotes.*

Ubi pyra *poma* esse appellata apparet II. 53.

> *Addam cerea pruna: & honos erit huic quoque pomo.*

Ex quo apparet, pruna quoque cerea *poma* fuisse. Auctor carminis de Nuce n. 29.

> *Hoc in notitiam veniat maloque pyroque:*
> *Destituent sylvas utraque poma suas.*
> *Cuique sibi vario distinguit poma colore,*
> *Audiat hoc cerasus: stipes inanis erit.*

Latius itaque patet quam malum, quod *pomi* species est. Sed vulgo genus pro specie [illegible]. *Vorst. de Latin. merit. susp. c. 14. Voss. Lex. Etymol. Salmas. [illegible] Plin. p. 471. b. B.* Nuces tamen *pomi* appellatione contineri quorundam fuit opinio. Plin. XV. 22. ubi de nucibus. *Si hoc pomum natura compactili operimento clausit* [illegible]. Quin & *pomi* appellatione nuces ipsas pineas contineri ipse Plinius existimavit. Cum enim hunc titulum capiti [illegible] dedisset, *Omnium pomorum genera & naturæ*, a nucibus pineis incipit. Qua in sententia quoque Eubulus ἐπιγραμματοποιὸς eo, quo nuces pineas loquentes facit, disticho.

> *Poma sumus Cybeles. Procul hinc abscede, viator,*
> *Ne cadat in miserum nostra ruina caput.*

Imo & *pomi* appellatione omnes arborum fructus δενδρῖτας contineri quorumdam fuit opinio. Hesychius: *Pomum, omnis fructus.* Canon. Apostol. sect. 4. *Omnium aliorum pomorum primitiæ Episcopo & presbyteris domum mittuntur.* Menag. Amœn. jur. civ. c. [illegible]. Salmas. l. l. Legenda sunt mense Septembri. Kalend. Rust. Farnes. *Mensis September. Poma leguntur.* Quomodo legantur, tradit Colum. XII. 44. *Omne pomum, quod in vetustatem reponitur, cum pediculis suis legendum est, sed, si sine arboris noxa fieri possit, etiam cum ramulis: nam ea res plurimum ad perennitatem confert.* Plin. XV. 16. *Colligi maturitate post æquinoctium autumnale, neque ante XV. lunam, neque ante primam horam.* Urlin. in Kalend. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 26. A. Quomodo serventur, docent Plin. XV. 16. *In universum de pomis servandis præcipitur pomaria in loco frigido, ac sicco contabulari: septentrionalibus fenestras sereno die patere, austros specularibus arcere, aquilonis quoque afflatu poma detumescere rugis.* Vitruv. I. 4. *Obsonia & poma, quæ non in ea cæli parte ponuntur, quæ est aversa a solis cursu, non diu*

ser-

ſervantur. Nam ſemper calor cum excoquitur, aeribus firmitatem eripit: & vaporibus fervidis exugendo naturales virtutes, diſſolvit eas, & fervore molleſcentes efficit imbecillas. Varro. V. illum ſupr. in *Oporotheca.* Stuck. Antiq. Conviv. II. 10. Philand. in Vitruvium. Romæ in Sacra via auro contra venibant. *Buleng. de Conviv.* I. 9. Reddebantur diis. Tib. I. 1. 19. V. illum ſupr. in *Annus.* Jovi pauperes *poma* pro bove dederant; unde Ζεὺς μηλίχιος dictus. Idem Herculi factum refert Pollux I. 27. cui Bœoti arietem immolaturi ſertus victimam adducentes, ab Aſopo fluvio, ſubito, ne tranſire poſſent, accreſcente, excluduntur. Hoc pueri juxta aram videntes adreptum malum, cui ramos pedum vice ſubdiderunt quatuor, duoſque cornuum loco, ad arietis formam deo immolarunt, quem eo magnopere delectari credebant. Unde orta proverbia: μήλιος Ἡρακλῆς, per contemptum de eo, qui nomine eſſet magnificus, reapſe vappa, & mendicus. Item μῆλον Ἡρακλῆς de eo, qui exigua munuſcula boni facit. *Gebhard. Crepund.* I. 4. *Saubert. de Sacrif.* c. 24. *Ex pomis* Cantabri & Nortmanni, quibus cœli inclementia vinum negavit, potum conficiunt non injucundum: quem ignaris convivis vini loco ſæpe ſubjiciunt: adeo ut qui minus erudito ſunt palato, vix fraudem deprehendant: quod non novitium eſt inventum, ſed jam Plinii ætate in uſu fuit. Ipſe teſtatur Plin. XIV. 16. *Vinum fit & e ſiliqua Syriaca, & e pyris, malorumque omnibus generibus.* Nonn. de re cibar. I. 35: IV. 18.

PON.

PONEDEXTRA una voce dicuntur fulmina, & aves. V. ſupr. in *Antica.*

PONTES, cum Roma paullatim accrevit, & plurima ſpatia eſt complexa cis & uls Tiberim, extrui, & fieri neceſſe fuit, ut ultro citroque commeari poſſet, ac pericula, & incommoda, quæ trajectu *pontonum*, cymbarum, lintrium, navicularum, ſubinde accidunt, evitarentur. In Urbe facti erant ex lapide quadrato, nonnulli quoque paſſim marmore exornati: adeoque immenſi fuerunt ſumptus, ſi Tiberis flumen magnum, rapidum, vorticoſum reſpicias. Facile tecum ipſe poteris reputare, ſi integrum opus conſideres: quod ratione partium duobus modis dividitur. Prima diviſio erat in pilas, fornices, ſtraturam pavimentis quo iter eſt. Pilæ erant vel ad ripas fluviorum utrimque oppoſitas: hæ apud architectos Latinos dicuntur ſublices, apud noſtrates culées, & contreforts, quod muniebat, ſubſidia, ac præſidia eſſent *pontis* ab utraque hinc & inde ripæ parte: vel erant in medio fluvii alveo, quæ ſpeciali voce pilarum vocantur, unde noſtrum piles, quod proprie notat fornicati operis, ſive arcuatæ ſtructuræ columnas, ad ſuſtinendum lapideum *pontem*, quibus datur tertia pars craſſitudinis, qua parte apertura, ſive janua fornicis, ſive arcus, qui illis imponitur, & inſtruitur. Ante vero quam ſtatuantur, ſive locentur, plerumque plurimi pali ſolo humi, & fundi fiſtuca adiguntur, depanguntur, & defiguntur, quorum ſummitates poſtea tibalis, & aſſeribus craſſis, qui juxta ſe proxime collocantur, denſantur, & fibulis, ac ſubſcudibus ferreis firmiter compinguntur, & coagmentantur, ut ſic ſtatumen certum, & immobile præparetur futuræ ſtructuræ. Id vero eſt & maximi ſumptus, & longi temporis. Ut enim crebra, & frequenti fiſtucatione fundamentum pararent, ſæpiſſime aquam non minus multorum hominum, quam machinarum hydraulicarum ope exſiccare, aut avertere debebant. Quod ad fornices, & ſtraturam pavimenti attinet, illa quoque maximam materiarum copiam expoſcebant. Ad alteram accedo diviſionem, quæ communis eſt *pontibus*, quos Romani tam intra, quam extra Urbem fecerunt. Habebant priſci illi *pontes* in medio aggerem, ſive iter, quo utebantur vehicula, & equites, quod plerumque ejuſdem erat latitudinis, atque viæ, aut plateæ proximæ, quæ per *pontem* connectebantur. Utraque latera extrema utrimque pro peditibus nonnihil eminebant altiora, quæ Latine dicuntur decurſoria; hæc autem ornabantur pteromate, ſive lorica, quæ Latine ſpondæ appellantur, ſuntque periboli adverſus caſuum, & præcipitiorum pericula. Spondæ hæ quandoque adverſus pluvias, cœlique injurias magnificam habebant tecturam. Tale ſtetit in ponte Ælio columnis excitatum quadraginta duabus marmoreis, opere trabeato, tectura ænea, ornatu mirifico. Fecerunt Romani *pontes* per Urbem, per Italiam, per provincias. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 35. §. 1. 10. & 11. Romani omnem movebant lapidem, ut incolumes ſervarentur. Hinc munus hoc graviſſimis viris demandarunt. Initio *pontes* Tiberis primum curarunt pontifices, qui ſublicium augurato condiderunt, a quo nomen ipſis eſt impoſitum. Deinde cenſoribus, item viarum curatoribus hoc munus datum. Poſtremo idem munus ſuſceperunt nominis, & honoris ſui cauſa Imperatores. Antoninus enim Pius Janiculenſem marmoreum fecit, Gordianus Ceſtium reſtituit, Hadrianus novum de ſuo nomine exſtruxit. Auctorum nomina non ſine gloria in frontiſpicio *pontium* tabulæ inſcribebantur. In inſcriptionibus his & verba, & ſiglas uſurpabant veteres, ita ut illæ partim ex verbis, partim ex ſiglis compoſitæ fuerint. Utrumque inſcriptio *pontis* ſublicii teſtatur:

P. LENTULUS. CN. F. T. QUINTUS
CRISPINUS VALERIANUS EX S. C.
FACIUNDUM CURAVERE FIDEMQ.
PROBAVERE.

Quæ ſignificat, quod P. Lucius filius Cnæi, & T. Quintius, Criſpinus, Valerianus ex Scto contractum inierint, ad perficiendum hoc opus, quod deinceps ſenatus approbaverit. Et *pontis* Fabricii, quam laudamus infr. in *Pons Fabricius.* Alteri parti, qua inſula jungitur cum civitate, & hodie *pons* S. Bartholomæi vocatur, cum prius *pons* Ceſtius diceretur, quia ab ipſo ædificatus, affixa in tabula marmorea leguntur verba, quæ referimus infr. in *Pons Ceſtius.* Nicol. de Sigl. vet. c. 30. §. 1. 2. 3.

Pons Ælius, ſive Hadriani, ſi Tiberis curſum ſequamur, fuit ſecundus in Urbe. Struxit illum Hadrianus juxta Mauſoleum ſuum, quod molis Hadriani nomine dedicavit, ut ibi ad Urbem pateret tranſitus. Spartian. Hadrian. c. 19. *Fecit & ſui nominis pontem.* Dio LXIX. p. 797. E. *Sepultus eſt juxta flumen ad pontem Ælium.* Ante non ita multos annos reparatus a pontifice maximo hodie inter pulcerrima, & magnificentiſſima opera viſitur, & nitet. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 35. §. 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 18. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 378. *F. Donat. de Urb. Rom.* III. 21. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. *n.* 2. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 16. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 2. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* I. *c.* 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 5. *Schott. Itiner. Ital. p.* 371.

Pons Æmilius octavus, & ultimus fuit, ſi ſpectes curſum Tiberis. Fuit idem qui ſublicius: at ratione temporis omnium primus & antiquiſſimus. Initio ligneus factus eſt ab Anco Martio Romanorum Rege, non ſine ſacris pontificum ceremoniis, qui poſt exactos Reges munus hujus *pontis* reficiendi, toties, quoties opus erat, ornare debuerunt. Eſt revulſus, Horatio Coclite in eo Etruſcorum impetum ſuſtinente. Tandem cum ruinam minaretur, lapideum fecit Æmilius Lepidus, a quo deinde *pons Æmilius* eſt dictus. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 35. §. 9. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 16. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. *n.* 2. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 379. *A. Nardin. Rom. Vet.* VIII. 3. At quis iſte Æmilius, & quo tempore fecerit, tacent qui hoc dicunt. Ætate Ovidii adhuc erat roboreus. Ita enim ille Faſt. V. 621. V. illum ſupr. in *Argei.* Et fortaſſe ſublicii nomen manſit, cum lapideus eſſet, & ſimul Æmilius diceretur. Tacit. Hiſt. I. 86. 3. Othone Principe *Tiberis immenſo auctu prorupto ponte ſublicio refuſus.* Capitol. de Anton. Pio, cum ejus opera recenſeret c. 8. *Pons ſublicius, Phari reſtitutio.*

Lamprid. Heliog. c. 17. Æmilium nuncupavit. *Sed quum non cepiſſet cloacula fortuito, per pontem Æmilium annexo pondere, ne fluitaret, in Tiberim abjectum eſt.* Situs erat fere ad radices Aventini ultra *pontem* nunc S. Mariæ appellatum. Plutarch. in vit. Gracchi p. 842. C. de C. Graccho deſcendente ex Aventino: *In Cajum fugam capeſſentem inferentibus ſe hoſtibus & aſſecutis ad pontem ſublicium.* De Pomponio, & Lectorio amicis Gracchi fugientis Valer. Max. IV. 7. *Pomponius, quo facilius Cajus evaderet, concitatum ſequentium agmen in porta Trigemina*, erat ea ad radices Aventini, *inhibuit: Lectorius in ponte ſublicio conſtitit.* Idem oſtendit Ovidius, qui forum boarium Aventino proximum aſſeruit *pontibus* terminari Faſt. VI. 477. V. illum ſupr. in *Forum.* Donat. & Nardin. l. l.

Pons Anienſis dicitur in Italia, qui eſt ſuper Anienem, hodie Teverone, eo loco, ubi via Salaria hoc flumen tranſit. Hunc pontem a Totila Gothorum Rege deſtructum, poſt hunc Regem devictum reſtituit Narſes, eunuchus patricius, Juſtiniani Imperatoris copiarum adverſus Gothos in Italiam miſſarum dux, ut docent Inſcriptiones. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 36. §. 4. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 28. 5. *Schott. Urb. Rom. deſcr. p.* 445.

Pons Ariminenſis dicitur in Italia, quem Auguſtus Cæſar Arimini fecit ſuper flumen Ariminum, qui Flaminiam viam Æmiliæ, Urbemque ſuburbio jungit. Eſt is inter pulcerrimos, & conſideratione, ac ſpectatu digniſſimos, tam ratione ſoliditatis, & firmæ compagis, quam nitoris, & elegantis ſtructuræ. In longum ducentos pedes arcubus quinis innititur: quorum tres medii apertura, ſive janua ſua patent æquales, ſinguli XXXV. pedes, at bini extremi hinc & inde minores arcus tantum patent XX. pedes. Omnes confornicati ſunt lunatis fornicibus, ſive ad inſtar dimidii circuli, atque ejuſdem curvaturæ habent oram, ſive projecturam, quæ lata eſt decimam partem latitudinis aperturæ, ſeu diametri in arcubus majoribus, octavam vero partem in minoribus. Pilarum prominentiæ, ſive, ut ſic loquar, roſtra ad angulos rectos, non acutos porriguntur. Anguli enim recti ſatis apti ſunt ad frangendum, divellendumque undarum impetum, & præterea fortiores ſunt, magiſque reſiſtunt, quam acuti, minuſque expoſiti rupturæ periculo ab illidentibus arboribus, aliiſve rebus, quas rapidi fluminis turſus ſecum abripere ſolet. Supra pilas hinc & inde viſuntur loculamenta, in quibus olim poſitæ fuerunt ſtatuæ. Super hæc ſecundum *pontis* longitudinem hinc & inde ora projecta, inſtar coronidis, cernitur, quæ, licet parva, miram toti operi conciliat gratiam. Coronant opus ab utraque parte cubitalis crepido, & ſpondæ marmoreæ, columnis opere Dorico pulcerrime elaboratis. Ad latera inſcriptiones docent magnificum hoc opus factum ab Auguſto, & Tiberio. Prioris hæc eſt:

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUG. PONT.
MAX. COS. XIIII. IMP. XX. TRIBUNIC.
POTEST. XXXVIII. P. P.

Poſterioris iſta:

TI. CÆSAR. AUGUSTI. F. DIVI. JULII. N. AUG. PONT. MAX. COS. IIII.
IMP. VIII. TRIB. POTEST. XXII.
DEDERE.

Ex quibus colligitur, an. ab U. C. 779. Cn. Lentulo & C. Calviſio Coſſ. opus hoc abſolutum fuiſſe. Sic deſcribitur ab Andr. Pallad. Archit. III. 10. & Cyprian. Eichov. in Delic. Ital. p. 39. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 35. §. 5.

Pons Aurelianus fuit tertius in Urbe, factus a M. Aurelio Antonino Philoſopho. De quo tamen nihil legi. Capitol. c. 8. ſcribit *Tiberim* ſub M. Aurelio graviter *inundaſſe, & multa Urbis ædificia vexaſſe, quæ mala Marcus*, inquit, *temperavit.* Hac occaſione forte hunc *pontem* exſtruxit. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 378. *F.* Alias *Vaticanus* dictus eſt a vicinia montis Vaticani. A cujus campo etiam *triumphalis* dictus eſt, quia & huic cognomen triumphalis fuiſſe e vita S. Petri conſtat. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 3. Vel quod Imperatores triumphalem pompam, cum triumphabant, per eum tranſeuntes ducebant. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 35. §. 5. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 18. Ejus rudera videmus adhuc in Tiberi e regione noſocomii S. Spiritus; per hunc ex occidente triumphaturi incedebant, in Capitolium properantes. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 17. §. 2. *Marlian. l. l.* Dictus quoque eſt *pons Nobilium*, illiuſque tranſitus ruſticis fertur interdictus fuiſſe. *Bergier. l. l.* Qui, & juxta cum illo Fulvius, Marlianus, aliique unde hoc habeant, aut quo nitantur auctore, ignorare me fateor. *Nardin. l. l.* Diu olim inchoatus tandem perfectus eſt ab Imperatoribus Valentiniano, Valente, & Gratiano, ut teſtis eſt inſcriptio apud Gruter. p. 160. n. 6.

. . . . : TIANI. TRIUMFALIS. PRINCIPIS. PONTI M. ÆTERNITATI. AUGUSTI. NOMINIS. CONSECRATUM. IN. USUM. SENATUS. POPULIQ. ROMANI. D. D. D. N. NN. VALENTINIANUS. VALENS. ET. GRATIANUS. VICTORES. MAXIMI. AC. PERENNES. AUGUSTI. PERFICI. DEDICARIQ. JUSSERUNT. . . . .

Bergier. l. l.

Pons Bajanus dicitur in Italia, quo Caligula Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles, longitudine *trium millium ducentorum quinquaginta paſſuum*, ſi credimus Dion. LIX. p. 652. E. ſi Suet. Cal. c. 19. n. 2. *trium millium, & ſexcentorum fere paſſuum*, quæ fere ſunt leucæ duæ Francicæ, conjunxit. Scilicet, ut in omnibus prodigioſam ſe geſſit, ita rem haud magnam eſſe cenſebat, ſi equo per continentem terram triumphans inveheretur, triumphum eum, ut jam a majoribus vulgatum, ſprevit, ac per mare ipſum, *ponte* injecto, equo triumphalem in modum vehi intendit. Huic operi elegit ſinum Bajanum. Cauſam & inter alias hanc refert Suet. n. 8. *quod Thraſyllus mathematicus, anxio de ſucceſſore Tiberio, & in verum nepotem proniori, affirmaſſet; non magis Cajum imperaturum, quam per Bajanum ſinum equis diſcurſurum.* Ne ergo falſum dixiſſe videri poſſet mathematicus, ſinum Bajanum *ponte* ſternendum & contabulandum elegit. Ad eum faciendum contractæ, & convectæ ſunt undique ex mari mediterraneo onerariæ naves, unde advectionibus impeditis fames vehemens Italiam, ac maxime Romam invaſit. Cum vero omnes, quæ haberi poterant, non ſufficerent, mox ſumma celeritate alias plurimas fieri juſſit, & his addi, quas omnes ordine duplici ad ancoras collocavit. Deinde, ut miſceret terram mari, ac elementa ipſa permutaret, terramque continentem ſuper ipſo mari exhiberet, ſuperjecit his navibus contabulatis aggerem terrenum, quem in Appiæ viæ formam direxit, ſtravitque lapidibus quadratis trium, quatuor, quinque pedum magnitudine. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 36. §. 6. & 7. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* I. *c.* 16.

Pons Ceſtius fuit quintus in Urbe, ſi ſpectes curſum Tiberis. Inſulam parvam in medio Tiberi Urbi, & Janiculo conjungit, & a vicino templo S. Bartholomæi hodie cognominatur. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 17. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 3. *Schott. Itiner. Ital. p.* 183. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 35. §. 7. Illum condidit C. Ceſtius Gallus. Hunc cum M. Servilio Rufo Honiano conſulem fuiſſe ſcribunt Plin. X. 43. & Tacit. Annal. VI. 31. 1. Id fuit ſub Tiberio anno humanæ ſalutis 36. Patrem habuit Ceſtium ſenatorem, quem Tiberius ad accuſandum Minutium Thermum impulit, ut auctor eſt Tacit. ibid. VI. 7. 3. & hujus *pontis* curator eſſe potuiſſet. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 379. *D.* Ego vigentis Reipublicæ tempore conſtructum exiſtimem. Sub Tiberio namque non conſulis, ſed ipſius Principis nomine fuiſſet inſignitus. Inſcriptiones, quæ hodieque utrinque in ejus margine viſuntur, a Valentiniano, Valente

te & Gratiano restitutum indicant; quarum hoc exemplum est:

DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES. CÆSARES.

FL. VALENTINIANUS. PIUS. FELIX. MAX. VICTOR. AC TRIUMF. SEMPER. AUGUST. PONT. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTH. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. ET

FL. VALENS. PIUS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIUMF. SEMPER. AUG. PONT. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTH. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. ET.

FL. GRATIANUS. PIUS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIOMF. SEMPER. AUG. PONTIF. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. COS. PRIMUM. P. P. P. PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN. USUM. SENATUS. AC. POPULI. ROMANI. CONSTITUI. DEDICARIQ. JUSSERUNT.

Nardin. l. l. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. 1. *p.* 12. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 1. *c.* 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 4.

Pons Fabricius Urbi cis Tiberim jungit insulam dictam, proxime theatrum Marcelli. Eum fecit L. Fabricius curator viarum Urbis, opus probantibus Q. Lepido, & M. Lollio coss. Testis inscriptio, quæ eo in ponte legitur apud Gruter. p. 160. n. 3.

L. FABRICIUS. C. F. CUR. VIAR. FACIUNDUM COERAVIT. IDEMQ. PROBAVIT.

Q. LEPIDUS. M. F. M. LOLLIUS. M. F. COS. EX. S. C. PROBAVERUNT.

Succinit Dio xxxvii. p. 50. B. *Et pons lapideus, ad novam insulam conducens, qua est in Tiberi, tunc exstructus, dictusque est Fabricius.* Nardin. Rom. Vet. viii. 3. Bergier. de viis milit. iv. Sect. 35. §. 7. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 379. C. Schott. Itiner. Ital. p. 183. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. 1. p. 12. Casal. de Urb. ac Imper. Roman splend. part. 1. c. 15. Faunus Antiq. Urb. Rom. v. 4. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 17. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 16. Donat. de Urb. Rom. iii. 21. Factum id paullo post Catilinariam conjurationem. *Pontem* vero hunc expresse *lapideum* factum esse dicit Dio, ut a ligneo priore distingueret. Vix enim credibile est, nullam ante hunc *pontem* insulam Urbi conjunxisse ab U. C. usque ad extrema Reipublicæ Romanæ tempora. Dionis verba confirmat Porphyr. in Horat. Sat. ii. 3. Initio & Fabricius, & Cestius lignei fuere, & per hos 306. Fabios porta Carmentali egressos, viamque versus theatrum Marcelli insistentes, atque hinc ad *pontes* in Etruriam transiisse, valde mihi videtur verisimile: usus enim insulæ *pontes* exigebat. *Nardin. l. l.* Olim quoque *pons Tarpejus* dictus est, & hodie *pons quatuor capitum*, a quadrifronte Jano, qui in introitu ejus ad *pontem* in insula positus est. *Schott. Itiner. Ital. l. l. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. *n.* 2. *Marlian. Bergier. Pancirol. Fabric. Donat. Nardin. l. l.*

Pons Gardius in Gallia hodie dicitur *Pont du Gar.* Opus Agrippæ creditum. Situs est inter Avenionem, & Nemausum, super fluvium non ita magnum, Guardon vocatum dictum, qui ex Langodocia, sive Occitania, defluens in Rhodanum illabitur. Joh. Poldo Ant. Nemaus. 1. 18. & Paull. Hentzner. Itiner. n. 183. in illo triplicem agnoscunt seriem, & conveniunt in numero fornicum, & pilarum. Ima series longa est pedes 438. distributa in sex arcus, sive fornices, quorum singulæ januæ, sive aperturæ patent pedes 58. sustinentur vero binis sublicibus, & quinque pilis, quarum unaquæque crassa est pedes 18. alta pedes 83. Prima hæc series diu postea fuit patefacta, & aperta, ut hominibus, equis, & jumentis transitum præberet, quo fit compendium itineris fere duarum leucarum Francicarum. Unde toti huic operi etiam deinde *pontis* nomen accessit, quamvis, si operis rationem, modumque, & auctoris propositum respicias, revera sit aquæductus, non autem *pons.* Altera series, unde porro constat, non fuisse *pontem,* sustinendæ tantum tertiæ, & summæ seriei est facta, longa pedes 746. lata pedes 21. Arcus, sive fornices habet undecim, qui janua sua, sive apertura singuli patent pedes 56. alti pedes 60, impositi pilis crassis pedes 13. Inter imam, & mediam seriem, secundum operis longitudinem, interjicitur, ac intercurrit velut fascia, pluteus, ac intervallum, altum pedes 7. & deuncem, quod non sine grata proportione symmetriæ distinguit utramque hanc seriem. Tertia, & summa series est aquæductus, sed hinc inde hodie corruptus; cui sustinendo utraque inferior fornicationum series est facta, non vero ut *pons* essent, aut transitum præberent. Longus est aquæductus ille pedes 104. & dimidium, arcuum vero 35. qui janua sua singuli patent pedes interpositi pilis crassis pedes quinque & dimidium: altus est tantum pedes sex: & in eodem factus canalis pro ducenda aqua, qui cavitate sua quadrata, patet in singula latera pedes tres. Intervallum, sive intermedium illud, quod alteram, & supremam seriem distinguit inter se, habet octo pedes, & semissem. Sic ut tota operis altitudo sit 171. pedum, & quincuncis. In hoc opere admirando, vero Romanæ magnificentiæ simulacro, mirum occurrit I. quod lapides quadrati, molis immensæ, nulli calce compacti, tamen cohæreant. II. quod tanti, & tam magnifici operis nulla reperiatur inscriptio, quæ auctorem memorat. *Bergier. de viis milit.* iv. *Sect.* 37. §. 2.

Pons Janiculensis, aut Janicularis quartus est in Urbe, dictus est a vicino Janiculi colle: olim etiam dictus *pons ruptus*, quod civilibus bellis demolitus diu fuerit in ruinis: at hodie *pons Sistus*, aut *Xysti*, sive *Sixti* iv. dicitur, quod hic P. M. eum restituerit: longus nunc est pedes 215. *Bergier. de viis milit.* iv. *Sect.* 35. §. 6. *Nardin. Rom. vet.* viii. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. §. 2. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 17. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 16. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 11. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 1. *c.* 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 5. *Schott. Itiner. Ital. p.* 182. Post hunc *pontem* se flumen dividit, & insulam circumfluit. *Fabric. l. l.*

Pons Lepidi ab Antonino dictus est *pons* Æmilius, sive sublicius. V. supr. in *Pons Æmilius.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 16.

Pons Lucanus dicitur in Italia super Anienen. Et est Tiburi proximus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 26. *Aring. Rom. Subterr.* iv. 15. 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* 1. 12.

Pons Mamæus, vulgo Mamolo appellatus est etiam in Italia supra Anienem, ab Antonino Pio exstructus: qui a Mamæa matre Alexandri instauratus ejus nomen obtinuit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 26. *Aring. Rom. Subterr.* iv. 15. 3. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* 1. 12. *Schott. Urb. Rom. Descr. p.* 430.

Pons Milvius, hodie *Ponte mole* Italis dictus, est primus in Urbe, qui refertur ad *pontes* Urbis, quamvis ad mille circiter passus ab Urbe absit adversum Tiberim, versus & inter occidentem, & septemtriones. Prope hunc a Constantino M. devictus est Maxentius, qui fugam meditans, Romamque se recepturus, rupto *ponte* illo, in Tiberim decidit, ibique vitam & imperium amisit. Lactant. de Mort. persecut. c. 44. *Bergier. de viis milit.* iv. *Sect.* 35. §. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. §. 2. *Schott. Urb. Rom. Admir. p.* 187. *descript. p.* 439. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.*

Rom. v. 17. *Nardin. Rom. Vet.* v. 17. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 38. 7. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 51. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 5. *Donat. de Urb. Rom.* I. 17. Ab Æmilio Scauro censore est factus. Ammian. XXVII. 3. *Secessit in Milvium pontem, quem struxisse superior dicitur Scaurus.* Aur. Vict. de Vir. illustr. c. 72. §. 8. *Censor pontem Milvium fecit.* Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 15. Pigh. Annal. Roman. III. p. 126. Blond. Instaur. Rom. I. §. 11. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 379. A. Donat. ibid. III. 21. Cuper. in Lactantium. Ab Augusto refectus, in via Flaminia. De Honorii in Urbem introitu, cum esset sextum consulatum adeptus, Claud. n. 543.

Omne, Palatino quod pons a colle recedit
Milvius, & quantum licuit consurgere rectis,
Unda replet turbæ facies.

Fornices habet magnos quatuor, binos mediocres, totidem parvos. *Fabric. Descr. Urbis Rom. c.* 16. Partis ejus superioris pilis incumbentis nihil ferme antiqui operis est. Nicolaus V. pont. max. eum restituit. *Nardin. & Casal. l. l.*

Pons Narniensis dicitur in Italia, in via Flaminia, a Roma circiter 60. M. P. structus super Narem, prope Narniam, in regione veterum Sabinorum, quæ urbs in Itinerario Antonini p. 71. ubi via Flaminia describitur, Roma abesse scribitur 59. M. P. Dicam verbis testis oculati Fr. Schotti Itiner. I. p. 270. *Prætergressis oppidum apparent a dextris supra Narem admirandi, ac longe conspicui pontis fornices, ac minæ ingentes, qui duos prealtos, & abruptos montes subter labente flumine solebat conjungere, ut æquali via transitus ab oppido Narnia pateret in montem adversum. Ex manubiis Sicambricis exstructum ab Augusto quidam autumant, & Procop. de bell. Goth. I. Augustum ejus auctorem memorat, haud unquam pontis arcus celsiores a se visos scribens. Quæ adhuc ejus reliquiæ supersunt, ex lapide quadrato prægrandi pilis vastissimis sublimes arcus impositi, me hercule demonstrant, florentis imperii maximum, & insani sumptus opus hoc fuisse.* Nec de alio *ponte* puto loqui Mart. VII. 92.

Nec jam parce mihi, nec abutere Narnia Quincto,
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

Bergier. de viis militar. IV. Sect. 36. §. 3.

Pons Numentanus in via est Numentana, a Narsete Eunucho structus, ut docet inscriptio. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 45. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 10. *Schott. Urb. Rom. Descript. p.* 431.

Pons Palatinus, aut Senatorius fuit septimus in Urbe. Per eum senatores sollenni ritu, & ceremonia transibant in collem Janiculum, consulturi libros Sibyllinos, & inde in palatium Imperatorum redibant. Hodie dicitur *pons S. Mariæ Transtiberinæ*, sive *Ægyptiacæ*, a templo ejus divæ vicino. Hunc Augustus aliquando refecit, teste inscriptione, quæ in eo *ponte* legitur apud Gruter. p. 160. n. 1.

D. AUG. PONT. MAX. EX. S. C. REFECIT.

Bergier. de viis milit. IV. *Sect.* 35. §. 8. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. §. 2. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 15. *Nardin. Rom. vet.* VIII. 3. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 12. *Cas. l. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 3. Quia aquam ex insula duabus partibus cum impetu defluentem accipit, reliquis major est. Fornices habet sex, pilas quinque. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 16. De hoc existimant locutum Liv. XL. 51. *M. Fulvius plura, & majoris locavit usus, portam, & pilas pontis in Tiberim, quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus, & L. Mummius censores locaverunt imponendos.* Hunc restituerat Julius III. tum magna ex parte Gregorius XIII. sub initium anni secularis 1575. durantibus antiquis fornicibus ad utramque ripam. Sed anno 1598. inundante, ut nunquam, Tiberi, versus Palatinam ripam iterum proruptus, necdum instauratus in usu non est. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21.

Pons sublicius fuit octavus in Urbe. Festus: *Sublicium pontem quidam putant esse appellatum a sublicibus peculiari vocabulo Volscorum, quæ sunt tigna in latitudinem extensa, quæ non aliter Formiani vocant quam a nomine eorum, quibus illorum pons surrectus erat.* Auctor ejus Ancus Martius, ut Urbi Transtiberinam jungeret. Liv. I. 33. *Janiculum non muro solum, sed etiam, ob commoditatem itineris, ponte sublicio, tum primum in Tiberi facto, conjungi Urbi placuit.* Dionys. III. p. 183. *Sublicium pontem quem solis lignis sine ære, ac ferro contineri fas est, ille,* Ancus Martius, *imposuisse Tiberi dicitur: qui in hunc usque diem conservatur, & sacer habetur ab omnibus.* Hic, postquam tempore belli Etrusci sub Porsenna Rege ægre, multoque cum labore ruptus est, postea, ut facilius solveretur, absque ullis ferreis clavis refectus est. Plin. XXXVI. 15. *Cyzici & buleuterion vocant ædificium amplum, sine ferreo clavo, ita disposita contignatione, ut eximantur trabes sine fulturis, ac reponantur. Quod item Romæ in ponte sublicio religiosum est, postequam Coclite Horatio defendente ægre revulsus est.* Dictus est Æmilius ab Æmilio, qui illum, cum ruinam minaretur, refecerit. V. supr. in *Pons Æmilius.* Nardin. Rom. Vet. VIII. 3. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 14. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 379. A. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 16. Donat. de Urb. Rom. III. 21. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 17. §. 2. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 15. Faunus Antiq. Urb. Rom. v. 2. Blond. Instaur. Rom. I. §. 29. Belli tempore dissolvebatur. *Voss. de Magnit. Rom. Vet. c.* 2. Adeo sacer habebatur, ut, si collaberetur, pontifex non nisi victima cæsa eum reficere posset. Dionys. III. p. 183. *Qui,* pons sublicius, *usque in hunc diem conservatur, & sacer habetur ab omnibus, cujus si qua pars laboret, pontifices eam reficiendam curant, patria quædam in ejus instauratione peragentes sacrificia.* Bos. de Pontif. max. Rom. Vet. c. 1. §. 6. Clasen. Theolog. gentil. III. 1. 2. In sublicio stipem petere sunt soliti. Senec. de Vit. beat. c. 25. *In sublicium pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideo tamen me despiciam; quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt.* Verum cur hic potius quam alibi? an quia locus frequentior, & sic major capturæ spes? sic puto: nam & nunc major illorum copia in ponte S. Angeli, quam usquam alibi. Ex hoc *ponte* sollenne erat a. d. XV. sive Idus Majas Argeos in Tiberim jacere. V. supr. in *Argei.* E qua fabula etiam tum in flumine *pontem* hic fuisse colligi possit, nisi & ficta esset narratio, & a Dionys. I. p. 30. nulla *pontis* mentio fieret, ætate Herculis in flumen homines dejici solitos referente, sicut postea factum scirpeis imaginibus. Macrob. Sat. I. 7. tradit Herculem Pelasgos ritum hunc docuisse, qui vicina Cutiliæ lacui tum temporis incolebant; & hunc ritum ad Romanos derivatum. Sexagenarios de *ponte* sublicio dejici solitos, mera, ut Festus exponit in Sexagenarius, fabula est, e lege veteri nata, *sexagenarios de ponte repellendos.* V. supr. in *Depontani.* At hic septorum *pons* intelligitur, ubi suffragia ferebantur: ita ut ea locutio idem significet, quod jure suffragii privari. *Nardin. l. l. August. de Legib. in Maria.*

Pons suffragiorum erat tabulatum, in quod in campo Martio exstructum adscendebant singulæ per vicem tribus suffragia laturæ, datisque suffragiis in aliam campi partem transibant, qui locus mons citatorum vocabatur. Suet. Jul. c. 80. n. 8. *Qui primum cunctati, utrumne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem, partibus divisis e ponte dejicerent.* Pollet. For. Rom. v. 8. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 4. Hotman. Antiq. Rom. II. 12. Blond. Triumph. Rom. III. p. 78. F. IV. p. 90. E. Erat via, qua alicunde in alium locum migraret, qui suffragium dicebat: ita ut de loco in locum moveretur populus in ferendis suffragiis. Multos fuisse existimamus, ut esset in ea septa ingressus ex diversis undique partibus, quas seorsum singulæ tribus extra septa obtinebant. Nec ita colligebantur suffragia, ut, manentibus tribubus in suis quibusque locis, rogatores circumirent ipsas tribus: sed, ut diribitores tabellas dabant, cum ad pontes populus veniebat, ita rogatores transeuntis populi tabellas colligebant.

bant. *Gruch. de Comit.* I. 4. II. 5. Transibant igitur per eos ad lationem suffragii, tabellis in prima parte *pontis* acceptis, quas in extrema reddebant. Erant quot tribus, aut quot centuriæ, tot *pontes*: ut per suum singulæ *pontes* suffragium ferrent. Alii quia negotium longi temporis, nec sine perturbatione aliqua fuisset, si *ponte* unico tribus omnes, aut centuriæ transire cogerentur. Et cum ait Cicer. Att. I. 14. *Operæ Clodianæ pontes occuparunt.* de Legib. III. 17. V. illam supr. in *Lex Maria.* ad Herenn. I. 12. *Pontes disturbat, cistas dejicit: pontium* multitudinem perspicue declarant. *Pontes* autem dicti, quod exstructæ ad tempus mensæ satis angustæ, præsertim post legem Mariam, *pontium* similitudinem haberent: quæ, si tributim populus in forum vocaretur, 35. pro numero tribuum fuere: si centuriatim in campum, totidem quot centuriæ, id est, 193. *Manut. de Legib.* c. 37. Erant angustiores. V. sup. in *Lex Maria de suffragiis.* Non erant perpetui, sed ad tempus exstruebantur, vel in foro, vel in campo: ubi utique comitia habebantur; nec veri *pontes*, sed, ut dixi, angustæ quædam mensæ, sive substructiones ex tabulatis, gradibus e solo sublatæ, ad id institutæ, ut per eas suffragium ferretur absque omni fraude, ac confusione. *Manut. de Legib.* c. 9. *Gruch. de Comit.* II. 5. Etiam in foro, & tributis comitiis Romanos usos fuisse apparet ex locis Ciceronis, in quibus de eare mentio est. Ad Herenn. I. 12. *Cum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus, & trientibus laturus esset, Q. Cæpio, qui per id temporis quæstor urbanus erat, docuit Senatum, ærarium pati non posse tantam largitionem. Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus Rempublicam videri eum facere, Saturninus ferre cœpit: collegæ intercedere, ille nihilominus sitellam detulit. Cæpio ut illum contra S. C. intercedentibus collegis adversus Rempublicam vidit ferre, cum bonis viris impetum facit, pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo secius lex feratur.* Attic. I. 14. quem modo laudavimus. His duobus in locis agitur de comitiis tributis, quæ in foro habebantur. *Gruch. ibid.* I. 4.

Pons Trajani super Danubium omnium *pontium*, qui unquam per orbem sunt facti, est magnificentissimus. Quem hic eum describit Dio LXVIII. p. 776 B. *Pilæ ejus sunt 20. e lapide secto & quadrato, quæ altitudinem habent 150. pedum, latitudinem 60. distant inter se 170. pedes, fornicibus devinctæ. Quomodo autem non admiretur sumptum in eis factum? atque in flumine magno, & vorticoso, & fundo limoso structis: non enim avertere quidem cursum fluminis alio modo. . . . Quo magis in arctum ex lato contrahitur, eo rursum in latum se effundit, tanto nimirum & rapidius fluit, & profundius exsistet. Ut hoc quoque difficultatem, atque admirationem operis valde auxerit. Magnitudo igitur animi Trajani ex eo quidem constat, non tamen usum nobis nunc præbent: sed pilæ duntaxat stant, quasi in eum finem modo structæ, ut documento sint, nihil esse, quod ingenio humano non possit effici.* Trajanus eum fecerat, ut, si Daci legiones, & cives Romanos ultra Danubium commorantes in Decebali regno, quod Trajanus acquisiverat, invaderent tumultu, aut bello, prompta, & expedita cito posset mittere, & transducere auxilia, & opem laborantibus ferre, beneficio tam præclari *pontis.* At successor ejus Adrianus e contrario metuens, ne Barbari custodibus oppressis illo transirent in Mœsiam, & præsidia ibi opprimerent Romana, *superiora pontis,* teste Dione, jussit dirui, & arcus demi: qui omnium fere latissimi, quos unquam homines facere, ac perficere sunt ausi. Aut verius, Hadrianus desperans, unquam a se fieri posse æque magnificum opus, ex invidia in optimum, maximumque Principem Trajanum, hoc orbis miraculum, quale nunquam restitui potest, corrupit. Reliquiæ tam portentosi operis in medio adhuc visuntur Danubio, ad ruinas urbis Warhel in Hungaria. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 38. §. 8. *Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part.* I. c. 15. *Lips. de Magnit. Roman.* III. 13. *Tross. de Magnit. Rom.* III. p. 206.

Pons Trajani super Tagum fluvium in Hispania. Ab ædificatore Trajano Imperatore ita nominatur. Est inter maxima Hispaniarum miracula, & tam antiquus, ut ipsi scriptores Hispanici negent, posse verum auctorem ejus nominari. Vulgus, ut omnia valde magnifica, & insolita ope ad deos, aut gigantes referre auctores solet, ita & hujus *pontis* auctorem facit Herculem. Ego credo, Romanos, qui tot, tanta, & tam diu bella in Hispaniis gesserant, veros esse auctores, & conditores, licet historia taceat, quis eorum tantum opus fecerit, aut perfecerit. Longus est 50. passus, qui faciunt pedes 1500. & divisus in fornices, sive arcus 26. quorum singulæ januæ patent pedes 72. pilæ vero, quæ eos sustinent, crassæ sunt pedes circiter 23. altæ vero ultra pedes 200. Est in regno Castiliæ, in urbe Salamantica. Vetustate hinc inde corruptus a Trajano Imperatore restitutus est, ut continuaret viam illam publicam, quam suo is ævo munivit, & quæ vulgo argentea a colore silicis, quo strata est, cognominatur. Ejus reparationis testis est inscriptio, quæ in eo *ponte* legitur:

IMP. CÆSAR. D. NERVÆ. FILIUS
NERVA. TRAJANUS. AUG
GERM. P. M. TRIB. POT
COS. II. RESTITUIT.
M. P. II.

Bergier. de viis milit. IV. *Sect.* 38. §. 2.

Pons triumphalis est inter Ælium, & Aurelium. Alio nomine Vaticanus, qui in campum, & montem Vaticanum duceret. *Fabric. Descr. Urb. Rom.* c. 16. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 2. *Casal de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* I. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 5. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 41. *Schott. Itiner. Ital. p.* 182. Est nunc ruptus, quod per ipsum triumphantes transirent. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 18. V. tamen & supr. in *Pons Aurelianus.*

Pons via Ostiensi ad Tiberim relicta sese offert ad lævam, rivo non admodum magno superjacens. A quo semita sese extendit in colles vicinos, ducitque ad eum locum, qui vocatur Tre Fontane. *Boissard. Topogr. Urb. Rom.* I. 16.

Pontes in amphitheatro fuerunt tabulata allevata in modum *pontium*, ita ut una pars terram tangeret, altera vero pedibus ligneis, ex aliave materia factis allevaretur: in quibus damnati ad bestias statuebantur, vel constringebantur, ut majore impetu feræ in eos ferrentur, & dilaceratio, seu *vexatio*, ut loquebantur, ab omnibus posset conspici. Nulla tum erat amphitheatri divisio, sed in ipsa arena patente, omniumque oculis exposito, *pontes* hi erant exstructi. Firmat hoc passionis Saturi auctor; *Et cum ad ursum substrictus esset in ponte, ursus de cavea prodire noluit;* id est, cum martyr vinctus in *ponte* deponeretur, ut ursus in eum impetum facere, & sævire posset; quod paullo ante *apro subligare & subministrare* dixit: *Itaque cum apro subministraretur, venator potius, qui illum apro subligaverat, suffossus ab eadem bestia post dies muneris obiit,* id est, dum in ponte, vel certe arena deponeretur vinctus, & offerretur apro dilaniandus. Atque hic *pons* in eadem passione *pulpitum* appellatur: *Itaque in commissione spectaculi revocatus, leopardo expertus, etiam super pulpitum ab urso erat vexatus,* sive in pulpito, vel *ponte* positus, primum a leopardo, inde ab urso fuit vexatus, id est, morsus, laceratus. Quin & ascendere respectu horum pulpitorum, vel *pontium* martyres dicuntur, ut patet ex eadem passione: *Ceteri quidem immobiles, & cum silentio ferrum receperunt, multo magis Saturus, qui, ut prior ascenderat, prior reddidit spiritum.* ascenderat scilicet in pulpitum, vel *pontem.* Cuper. in Lactant. de Mortib. persecut. c. 21.

Pontes in militia etiam subitarii fiebant fluminibus trajiciendis ex ratibus simul junctis, aut doliis, sive cupis, aut utribus vinctis. Cæs. de Bell. Gall. I. 12. *Hoc prælio facto, reliquas copias Helvetiorum ut consequi posset, pontem in Arare faciendum curat, atque ita exercitum transducit.* VIII. 14. *Pontibus palude constrata, legiones transducit.* Ex navibus factos esse docent Flor. III. 5. 22. *Statim ponte navibus*

vibus facto, primus omnium Romanorum transit Euphratem. Veget. III. 7. *Commodius repertum est, ut monoxylos, hoc est, paullo leviores scaphulas, ex singulis trabibus excavatas, carpentis secum portet exercitus, tabulatis pariter, & clavis ferreis preparatis. Ita absque mora constructus pons, & funibus vinctus.* Ex doliis, sive cupis. Herodian. VIII. 4. 8. *Sed magna lignorum, ac navigiorum penuria, quibus inter se junctis pontem fabricaretur: nuntiarunt quidam e fabris, esse permultas in agris illis desertis inanes cupas, forma rotunda, quibus incolæ quondam ad vinum importandum utebantur. Eæ cum essent ad similitudinem navium concavæ, devinctæ mox inter se, scapharum more innatare videbantur. Iterum intra pessimis vinculis inter se constrictæ, ac viminibus insuper injectis, & pulvere multo saturatæ, non poterant. Quod ubi factum est, facile milites in ulteriorem ripam transgressi.* Veget. l. l. *Nigeri amnes tumultuario opere colligatis inanibus cupis, aut trabibus transitum præbent.* Lucan. IV. 420.

Namque ratem vacuæ sustentant undique cupæ:
Quarum porrectis series constricta catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.

Ex utribus facere docuit Rhodius quispiam apud Xenophontem. V. illum laudatum inf. in *Uter.* Simili ponte usi Romani, & ascogrefum dixerunt, quasi *pontem utrinum.* V. illum supr. in *Ascogrefus.* Laurent. Polym. IV. Synopf. II. Lipf. Poliorc. II. 5. Stewech. in Vegetium. Thyf. de Oppugn. urb. II. p. 172. *Pontem* a se in Rheno factum describit Cæs. de Bell. G ll. IV. 17. & qui in illum commentantur *Scalig. de Subl. Exercit.* 329. *Mag. Miscel.* IV. 20. *Turneb. Adv.* XXIV. 30. *Hotoman. in Cæsarem. Lips. l. l.*

PONTIFEX. Illos Numa instituit ex patribus. Liv. I. 20. *Pontificem Numam Marcium, Marci filium ex patribus legit.* Dionyf. II. p. 132. *Novissima Numæ institutorum pars continebat sacra maximi apud Romanos sacerdotii, & cujus potestas est amplissima.* Quatuor tantum numero, qui ex patriciis cooptati sunt ad an. 454. in quo M. Valerio, & Q. Appulejo coss. ut tradit Liv. X. 6. *ne undique tranquillæ res essent, certamen injectum inter primores civitatis, patricios, plebejosque, ab tribunis plebis Q. & Cn. Ogulniis. Qui undique criminandorum patrum apud plebem occasionibus quæsitis, postquam alia frustra tentata erant, eam actionem susceperunt, qua non infimam plebem accenderent, sed ipsa capita plebis, consulares, triumphalesque plebejos: quorum honoribus nihil, præter sacerdotia, quæ nondum promiscua erant, deesset. Rogationem ergo promulgarunt, ut quum quatuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quatuor pontifices de plebe adlegerentur. Eam rem juxta ægre passi patres, quam quum consulatum vulgari viderent. Simulabant ad deos id magis, quam ad se pertinere: ipsos visuros, ne sacra sua polluantur: id se optare tantum, ne qua in Rempublicam clades veniat. Minus autem tetendere, assueti jam tali genere certaminum vinci: & cernebant adversarios non id, quod olim vix speraverint, affectantes magnos honores, sed omnia jam, in quorum spem dubium erat certamen, tamen adeptos; multiplices consulatus, censurasque, & triumphos.* c. 9. *Vocare tribus exemplo populus jubebat, apparebatque accipi legem: ille tamen dies est intercessione sublatus: postero die deterritis tribunis ingenti consensu accepta est. Pontifices creantur, suasor legis P. Decius Mus, P. Sempronius Sophus, C. Marcius Rutilus, M. Livius Denter. Ita octo pontificum numerus factus.* Qui usque ad Sullæ felicis dictaturam mansit. Cæterum quum Sulla, adversæ partis factionibus cæsis, dictator renuntiatus fuisset, inter multa, quæ aut abrogavit, aut addidit, *pontificum* collegium ampliavit, ut essent quindecim. Ita ex Livio Flor. Epit. 89. Ex cujus facto duplex factus est *pontificum* ordo: primi enim octo, & ii deinceps, qui in eorum locum cooptati sunt, majores appellati, reliqui septem minores dicti sunt. *Panvin. de Civ. Rom.* c. 33. *Fast.* V. p. 330. *Flocc. de Potest. Roman.* I. 8. *Lat. de Sacerdot.* c. 10. Majores patricii, minores plebeji sunt appellati: quales fuerunt flamines majores, & minores. *Guther. de vet. jur. pont.* I. c. 17. Viri eruditi dividunt hoc modo *pontifices* ex Cicer. de Harusp. respons. c. 6. *At vero domum meam P. Cornelius Lentulus consul & pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus. Man. Glabrio, M. Messalla, L. Lentulus flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Clodius Rex sacrorum, M. Crassus, M. Scaurus, C. Curio, Sextus Cæsar flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, pontifices minores, cognita causa, duobus locis dicta; maxima frequentia amplissimorum, ac sapientissimorum civium adstante, omni religione, una mente, omnes liberaverunt.* Inter hos nominantur *pontifices* sedecim, duo flamines, ac insuper Rex sacrorum, tres vero *pontifices* postremo loco post flaminem Quirinalem nominatos, minores appellat. Sed hæc opinio refellitur testimonio Livii; narrat enim XXII. 57. L. Cantilium an. 538. fuisse *scribam pontificum, quos nunc pontifices minores appellant.* Itaque *pontifices* minores ii postea dicti sunt, qui diu ante Sullam, qui septem octo prioribus an. 673. addidit, Romæ erant; non vero ii, quos nova lege dictator superinduxit. Cicero sedecim *pontifices* recenset, quorum tamen postremos nuncupat minores: isti igitur neutiquam pertinebant ad collegium XV. *pontificum.* Guther. ibid. I. 31. sciens, ac volens P. Albinovanum e collegio ejicit, ne, uno supra numerum XV. intruso, collegium *pontificum* ex sedecim sacerdotibus conflaretur. P. Albinovanum tamen & Q. Cornelium, quos Cicero in oratione habita an. 697. minores *pontifices* appellat, fuisse *pontifices* ante an. 691. quo mortuus est Metellus Pius pontifex maximus, ex cujus libris se ea exscripsisse testatur. Macrobius referens cœnam datam sacerdotibus in inauguratione P. Lentuli flaminis Martialis, ait Sat. I. 13. *Duobus tricliniis pontifices cubuerunt. . . . Q. Cornelius, P. Albinovanus.* Notis. Cenot. Pisan. Dissert. I. c. 5. Universus illorum cœtus vocabatur collegium. Cicer. pro dom. c. 12. *Quid est aut tam arrogans, quam de religione, de rebus divinis, ceremoniis, sacris, pontificum collegium docere conari. . . .* A collegio ab ipsis Numæ temporibus cooptabantur. Dionyf. II. p. 133. *Defuncto aliquo eorum in ejus locum sufficitur alius, non a populo delectus, sed ab illis ipsis, qui omnium civium maxime idoneus visus fuerit.* Usque ad annum circiter 650. quo tempore Cn. Domitius *in tribunatu pontificibus offensior, quod alium quam se in patris locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit.* Ita Suet. Ner. c. 2. n. I. Cicer. Agrar. II. 7. *Atque hoc idem de ceteris sacerdotibus Cn. Domitius tribunus plebis tulit: quod populus per religionem sacrorum sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* Vell. II. 12. 3. *Quo anno Cn. Domitius tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet.* Panvin. l. l. Gruch. de Comit. I. 2: II. 2. Blond. Triumph. Rom. II. p. 30. G. Pitisc. in Suetonium. V. & infr. in *Sacerdos.* Ex verbis Ciceronis colligimus, populum illos non creasse propter religionem sacrorum, sed suis suffragiis designasse, postea que a collegio cooptatos. Nos hodie jus nominationis, quod vocant, populo Romano daremus, canonicam institutionem collegio. *Guther. ibid.* c. 8. At Romani scriptores non semel sacerdotes a populo creari dixerunt. Liv. XXV. 5. *Comitia inde pontifici maximo creando sunt habita.* Epit. 67. *Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus est.* Vellejus modo laudatus. Idem erat *creare,* ac *designare.* Cæsar dicitur *flamen dialis creatus* Vell. II. 43. I. *destinatus* Suet. Jul. c. I. n. I. Cajus Cæsar in nummis dicitur *consul designatus,* in Ancyrano lapide *creatus.* Populus Romanus, si Ecclesiæ vocibus uti velimus, jus canonicæ institutionis, non puræ putæ nominationis habuit; neque enim Principes, qui nominant, sed pontifex Romanus, penes quem est canonica institutio, dicitur antistites creare. Cæterum populus Romanus habitis comitiis, *pontifices* creare dicebatur, ut sane non nominationis tantum, sed plenæ institutionis eorundem jus habuerit. In *pontifice* faciendo apud Romanos post latam legem Domitiam distinguebantur hæc tria, creari videlicet, nominari seu cooptari, ac inaugurari. *Pontifex* comitiis tributis a populo creabatur, ut ex Vellejo, & Livio

vio ostendi. Deinde ab uno, vel a duobus e collegio nominatus, cooptabatur in collegium. Cicer. Phil. XIII. 5. *Reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, prosequetur, in primis paternum auguratus locum: in quem ego eum, ut, quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo.* II. 2. *Quo tempore me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompejus & Q. Hortensius nominarunt.* Ita inauguratio cooptationem sequebatur, quæ idem erat ac consecratio, quæ regiam nominationem, ac factam a pontifice Romano antistitis creationem consequitur. *Noris. l. l. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 560. Panvin. Fast. v. p.* 331. Ornamenta *pontificum*, quos suis vestibus indutos antiquitas veneratα est, postea mirantur, erant apex, tutulus, galerus, suffibulum. V. singula suis locis. *Pontifices* togam prætextam habent. Lamprid. Alex. Sev. c. 40. *Accepit prætextam, etiam cum sacra faceret, sed loco pontificis maximi, non Imperatoris.* Liv. XXXIII. 28. *Romæ eo primum anno triumviri, epulones facti sunt C. Licinius Lucullus, T. Romulejus, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Lecca. His triumviris idem ut pontifici, lege datum togæ prætextæ habendæ jus.* Ruben. de Re vest. II. 14. Struv. ibid. p. 563. Illorum potestas fuit amplissima. Eam describit Dionys. l. l. *Erant summa auctoritate præditi: nam de omnibus causis ad sacra pertinentibus judicant, tam inter magistratus sacros, quam inter privatos homines, novasque leges de sacris arbitratu suo condunt, sicubi destituuntur scriptis legibus: & magistratus, penes quos ceremoniæ sunt, ac sacrificia, sacerdotesque omnes examinant, ministros quoque sacrorum in officio continent, ne quid præter sollennes ritus faciant, a profano etiam & imperito vulgo consuluntur de cultu deorum, ac geniorum, aliisque religionibus: quod si quem animadvertant præcepta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem, vel senatui, vel populo. Id genus sacerdotes, sive sacri doctores, sive sacrarum rerum consulti, sive sacrorum custodes recte dicendi sunt. Ego hierophantas nostris appellari dixerim.* Cicer. pro dom. c. 1. *Quum multa divinitus, pontifices, a majoribus nostris inventa, atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eosdem, & religionibus deorum immortalium, & summæ Reipublicæ præesse voluerunt, ut amplissimi, & clarissimi cives, Rempublicam bene gerendo, pontifices, religionem sapienter administrando, Rempublicam conservarent. Quod si ullo tempore magna causa in sacerdotum populi Romani judicio, ac potestate versata est: hæc profecto tanta est, ut omnis Reipublicæ dignitas, omnium civium salus, vita, libertas, aræ, foci, dii penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatique commissa, & credita esse videantur.* de Arusp. resp. c. 10. *Te appello, Lentule, tui sacerdotii sunt thensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum. Vosque, pontifices, ad quos epulum Jovis opt. max. si quid est prætermissum, aut commissum adferunt, quorum de sententia illa eadem revocata, atque instaurata celebrantur, qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto, aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio pontificum, nihil cujusque aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum.* Panvin. l. l. Guther. ibid. II. 1. Sigon. de ant. jur. civ. Rom. I. 19. Lapsus est Dionysius, qui illos tribunorum, populique subtrahit potestati. Poterant cogi a tribunis plebis, ut sacris interessent, vel peragerent illa, quibus erant præfecti, si denuntiatio præcessisset. Quod P. Clodio objecit Cicer. pro dom. c. 45. *Pontifex non adfuit. Non te pudet, cum apud pontifices res agatur, pontificem dicere, collegium pontificum non adfuisse? præsertim cum tribunus plebis vel denuntiare potueris, vel cogere.* Sed cum raro id accideret, illud Græcus scriptor nunquam accidisse putavit. Imo credo, ipsos, ut magistratus, civesque cæteros, censoriæ notioni obnoxios fuisse. Censorum in eos potestatem Decii Imperatoris oratio ad Valerianum censorem satis probat. Hic enim cum Scto censor creatus esset. *Felicem te*, inquit Imperator apud Treb. Poll. Valer. c. 2. Valeriane, *senatus sententia totius orbis Romani suscipe censuram: tu de judicibus, de præfectis eminentissimis judicabis. Excepto præfecto Urbis Romæ, exceptis consulibus ordinariis, & sacrorum Rege, ac maxima virginum Vestalium, si tamen incorrupta permaneat, de omnibus sententiam feres.* Guther. ibid. II. 11. In sacris itaque curandis maxima fuit potestas *pontificum*, qui omnibus majorum magistratuum insignibus fuerunt decorati. Illis enim apparitores, scribæ, librarii, præcones, architecti, lictores, pullarii, cæterique ministri dati sunt qui magistratibus. Illorum jurisdictio quædam continebat criminum persecutionem, quædam ad civilia negotia trahebatur. Quæ crimina persequebatur, multam habebat & pœnam. Quæ civilis erat, adoptiones, testamenta, cæteraque complectebatur. *Guther. ibid.* II. 1. Jus illis etiam fuit comitia habendi. V. supr. in *Comitia.* Collegium hoc usque ad Theodosii senioris Imperatoris tempora Romæ fuit. Quibus, religione Christiana jam omnia obtinente, Imperatoribusque antiquæ superstitioni adversantibus, uno edicto sacerdotiorum omnium reditus fisco applicati sunt. Quare postea pontifices, augures, & reliqui sacerdotes fieri desierunt, quum reditibus omnibus multati essent. *Panvin. l. l.* Qui illorum catalogum contexuit *Fast. v. p.* 333.

Pontifex maximus dictus est, non quod ætate, aut ordine anteiret reliquos, ut augur maximus, vestalis maxima, & fortasse prætor maximus apud Festum in Maximum, sed quoniam potestate, & auctoritate præstabat cæteris, ac, ut ait Festus in Maximus pontifex: *maximarum rerum, quæ ad sacra, & religiones pertinent, judex erat.* Nam & minor ætate, ac novissime in collegium adoptatus *pontificatum* maximum adipisci poterat: & *Pontifex* maximus, sicut & curio maximus, eligebatur a populo in comitiis, non, ut cæteri, ordine succedebat. Quanquam nihilominus fuit in collegio, qui maximus dicebatur, quod primus in id venerat, sed inter minores, ut apparet e Festo. Qui tamen non ait *pontificem* maximum dictum, quod ut indubium inde colligunt viri docti. *Minorum pontificum, inquit, maximus dicitur, qui primus in id collegium venit: item minimus, qui novissimus.* Ex quibus nil aliud sequitur, quam maximum appellatum, aut simpliciter, quomodo prima Vestalium maxima vocata est: aut nomine scribæ, nam ita dicebantur minores *pontifices*, aliove quopiam adjecto. *Pontificem* vero maximum dictum esse non magis inde colligitur, quam novissimum appellatum minimum. *Bos. de Pont. max. c. 2. Guther. de vet. jur. pont.* I. 4. A Numa creatus est. Aur. Vict. de vir. illustr. c. 3. n. 2. Numa *pontificem maximum creavit.* Livius supr. laudatus in *Pontifex.* Occasionem tradit Suidas: *Pontifex apud Romanos magnus sacerdos, quem Numa Romanorum legislator constituit, cum Tiberis, magno impetu latus, antiquissimum pontem invasit. Hic votis factis ad ejus fluvium, ut ejus impetum sedaret, cum oravit, ne pontem dirumperet, fluvio persuasit, ut quiete, & moderate pontem toleraret: Item eos, qui pontifices dicuntur, sacerdotibus præfecit.* Vult *pontificem* factum, ut precibus suis efficeret, ne Tiberis antiquissimum pontem rumperet. Quod figmentum est. Nam Tiberinum pontem post annos 30. demum Ancus ædificavit. V. supr. in *Pons.* Cæteri sub Regibus, utrum a Regibus, an a populo, vel collegio facti sint, non liquet. Scimus e Liv. XXV. 5. Q. Fulvio Flacco, & Appio Claudio Pulchro coss. hoc est, an. 542. & deinceps a populo in comitiis creatos. Ait enim, tunc comitia *pontifici* maximo creando habita. Idque etiam haud paulo ante fieri solitum colligas, quod hunc morem in libris præcedentibus, ut novum, nullibi memorat. *Cn. Domitium, pontificem maximum populi suffragio creatum esse,* dicit Liv. Epit. 67. sed non dixit, quod scribit Panvin. Fast. v. 335. primum sic creatum. Qualia ea fuerint primum, non reperio. Postea tributa fuisse apparet ex Suet. Cæs. c. 13. n. 2. qui ait, Cæsarem, cum pont. max. crearetur, *plura in competitorum tribubus suffragia, quam utrumque in omnibus tulisse.* Et hoc ante legem Domitiam, hoc est, an. 650. obtinuit. Cicer. Agr. II. 7. *Veteres propter amplitudinem sacerdotii*, loquitur de *pontifice* maximo, *voluisse populo supplicari*, quibus addit: *Atque hoc idem de cæteris sacerdotiis Cn. Domitius tribunus plebis tulit.* Non omnes tribus, sed tantum septemdecim sorte ductæ suffragia tulerunt.

runt. Apparet hoc ex Cicer. l. l. ubi ait *juſſiſſe tribunum plebis creare decemviros per tribus ſeptemdecim*; easque *ſortis beneficio vocatas*: addidiſſeque; *ut comitiis pontificis maximi*. V. etiam infr. in *Sortitiones*. Dicebantur comitia *pontificis maximi*. Patet hoc ex Cicerone modo laudato, & Livio mox laudando. Ea initio unus de collegio habuit. Liv. xxv. 5. ***Comitia inde pontifici maximo creando ſunt habita.*** *Ea comitia novus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit.* Ætas huic honori nulla definita videtur. Q. enim Metellus Pius *adoleſcens pontifex maximus* factus eſt. Aur. Vict. de vir. illuſtr. c. 63. n. 3. Solum ante annum 17. quo togam virilem accipiebant, non videntur creati. Illud autem neceſſe erat, ut *pontifex* eſſet, qui maximus fieri cuperet. Alias enim uno ſemper auctum fuiſſet collegium, quoties novus *pontifex* maximus allegeretur. Et conſtat inductione exemplorum, nullum electum *pontificem* maximum, qui in collegio non eſſet. Caverunt, ne *pontificatum* maximum infauſto die ſuſciperent. Id enim Vitellio vitio verſum, teſtantur Tacit. Hiſt. ii. 91. 1. *Apud civitatem cuncta interpretantem funeſti ominis loco acceptum eſt, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius, antiquitus infauſto die Cremerenſi, Allienſique cladibus.* Suet. c. 11. n. 2. *Omni divino, humanoque jure neglecto, Allienſi die pontificatum maximum cepit.* Boſ. ibid. c. 3. n. 2. 3. 4. 6. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 567. Panvin. de Civit. Rom. c. 33. Guther. ibid. I. 8. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 1. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 19. Fuit privatus. Cicer. Catil. i. 1. *An ampliſſimus vir P. Scipio, pontifex maximus, Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipublicæ privatus interfecit?* Muret. in Ciceronem. Ciceroni nunquam venit in mentem dicere hoc loco, *pontificem* maximum eſſe privatum; ſed P. Scipionem, qui poſtea factus eſt *pontifex* maximus, ſeditionem Gracchi compeſcuiſſe, cum adhuc privatus eſſet. Sic clare eum, & abſque ambagibus privatum facit de Offic. i. 22. *Nec plus Africanus ſingularis & vir, & imperator in excidenda Numantia Reipublicæ profuit, quam eodem tempore P. Naſica privatus, cum Tib. Gracchum interemit.* Et licet Appian. de Bell. civ. i. p. 359. ſcribat Romanis *ducem fuiſſe Scipionem pontificem maximum & Gracchanos tanto viro ceſſiſſe*, mihi tamen contrarium plane videtur, & major eſt auctoritas Paterc. ii. 3. 1. qui ſcribit P. Scipionem Naſicam *privatum*, & *togatum* hæc feciſſe, *atque ob eas virtutes primum omnium abſentem pontificem maximum eſſe factum.* Compeſcuit igitur Scipio ſeditionem privatus, & propter tam egregium facinus *pontificatum* maximum meruit; & quia eam dignitatem paullo poſt adeptus eſt, auctores tempora non ſatis rite diſtinguentes, eum ſcripſerunt Gracchum occidiſſe, cum *pontifex* maximus foret. P. Licinius Craſſus Dives *pontifex* maximus bello contra Ariſtonicum geſto periit. Liv. Epit. lix. *P. Licinius Craſſus conſul, cum idem pontifex maximus eſſet (quod nunquam antea factum fuerat) extra Italiam profectus, prælio victus, & interemptus eſt.* & quidem coſſ. Appio Claudio, & M. Perperna, teſte Jul. Obſeq. c. 87. id eſt an. 623. cum anno priore Craſſus fuiſſet conſul, eodemque in bellum eſſet profectus, quo ipſo anno alii volunt eum etiam periiſſe. Nullo igitur modo potuit Scipio, ſeditione Gracchana, quæ repreſſa eſt an. 620. vel 621. *pontificatum* maximum gerere; ſed, occiſo Licinio Craſſo, primum is honor ipſi oblatus eſt, & quidem abſenti, quippe qui, *ut invidiæ ſubtraheretur, per ſpeciem legationis in Aſiam ablegatus erat*, quemadmodum teſtatur Aurel. Vict. c. 64. n. 9. *Cuper. in Lactant. de Mort. perſec.* c. 18. Ejus officium erat I. religiones interpretari. Liv. i. 20. Numa primo pontifici *ſacra omnia exſcripta, exſignataque attribuit; quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica, privataque ſacra, pontificis ſcitis ſubjecit, ut eſſet, quo conſultum plebes veniret.* providere, ne quid religio detrimenti pateretur. Quare prohibebat transgredi quæ de ſacris, ac religione conſtituta erant: ac ne quid divini juris, negligendo patrios ritus, ac peregrinos adſciſcendo, turbaretur. Quod ſi quid contra jus religionis a ſenatu, populoque decretum eſſet, intercedebat. Sic cum Cn. Flavius ædilis curulis *ædem Concordiæ dedicare vellet, negabat Cornelius Barbatus pontifex maximus niſi conſulem, aut Imperatorem poſſe templum dedicare.* Liv. ix. 46. Flamines Martialem ac Quirinalem eandem ob cauſam retinebat in Urbe ad ſacra, nec ſinebat Italia excedere. Liv. Epit. 19. *Cæcilius Metellus pontifex maximus A. Poſtumium conſulem, quoniam is idem flamen Martialis erat, quum is ad bellum gerendum proficiſci vellet, in Urbe tenuit, nec paſſus eſt a ſacris recedere.* Libros ſacros, ſi religioni inutiles, aut noxii eſſent, tollebat. Exemplo eſt Auguſtus, *qui poſtquam pontificatum maximum ſuſcepit, quicquid fatidicorum nullis, vel parum idoneis auctoribus ferebatur, ſupra duo millia contracta undique cremavit.* Suet. c. 31. n. 1. II. cuſtodire tum ſacra Veſtæ, & ignem æternum, tum virgines Veſtales, quarum ideo ἐπίσκοπος audit Plutarch. Num. p. 66. Illis præfuiſſe diſcimus ex Ovid. Faſt. iii. 417.

Quiſquis ades, caſtæque colis penetralia Veſtæ,
Gratare, Iliacis thuraque pone focis.
Cæſaris innumeris, quos maluit ille mereri,
Acceſſit titulis pontificalis honor:
Ignibus æternis æterni numina præſunt
Cæſaris; imperii pignora juncta vides.
Ortus ab Ænea tangit cognata ſacerdos
Numina: cognatum, Veſta, tuere caput.
Quos ſancta fovet ille manu, bene vivitis ignes:
Vivite inexſtincti, flammaque, duxque, precor.

Veſtales eligebat, capiebatque, expulſis ſcilicet Regibus: ſi quæ deliquiſſe diceretur, cognoſcebat de delicto: ubi peccati convicta eſſet, caſtigabat. V. infr. in *Veſtales*. III. tenebatur intereſſe actibus quibuſdam ſollennibus, qui ad religionem pertinebant. In votis nuncupandis, in obſecrationibus, in dedicationibus templorum, & ararum aderat, & verba præibat magiſtratui, aut populo, quæ dicenda eſſent. De votis exemplum apud Liv. xxxi. 9. *Vovit in eadem verba conſul, præeunte maximo pontifice.* de obſecrationibus apud Suet. Claud. c. 22. n. 2. *Obſecrationem ipſo jure pontifex maximus, commonito pro roſtris populo praeiret.* de dedicationibus apud Liv. ix. 46. C. Flavius *ædem Concordiæ in area Vulcani ſumma invidia nobilium dedicavit, coactusque conſenſu populi Cornelius Barbatus pontifex maximus verba praire.* Intererat comitiis, quibus ſacerdotes aliquot præcipui creabantur, eoſque capiebat, ac inaugurabat. V. ſupr. in *Comitia calata*. Interfuit arrogationibus, ſive adoptionibus lege curiata factis. Patet hoc, quod comitia illa *arbitris pontificibus* a Gell. v. 19. & *apud pontifices* a Tacit. Hiſt. i. 15. 1. facta dicuntur; quodque jusjurandum a Q. Mucio *pontifice* maximo dicitur conceptum, quod in arrogando juraretur apud Gell. l. l. Verum auctorem fuiſſe *pontificem*, & verba ſollennia rogationis protuliſſe ipſum, quod Guther. de vet. jur. pont. i. 13. placuit, neque Gellius ait, nec alibi, puto, reperitur. Aderant *pontifices*, quia hæc res quodammodo ad religionem ſpectabat, cum adoptionem hæreditas ſequeretur ſacrorum, ac qui adoptabatur, in gentem, & ſacra adoptantis tranſiret. Sic de matrimonialibus quibuſdam iidem cognoſcebant. Nam cum Auguſtus ducturus eſſet Liviam, *conſulti ſunt pontifices*, quanquam *per ludibrium; an concepto, necdum edito partu, rite nuberet.* Tacit. Annal. i. 10. 7. Sacræ enim res nuptiæ, & ſacris ceremoniis confirmatæ, præſertim, quæ per confarreationem contractæ. Quare in his *pontifex* nubentes jungebat. Docet Serv. Dan. Georg. i. V. illum ſupr. in *Confarreatio*. IV. Curare annum, & annales. Anni rationem V. ſupr. in *Annus*. De annalibus Cicer. de Orat. ii. 12. V. illum ſupr. in *Annales*. Schedæ Servii: *Tabulam dealbatam quotannis Pontifex maximus habuit, in qua præſcriptis conſulum nominibus, & aliorum, digna memoratu notare conſueverat, domi militiæque, terra marique geſta, per ſingulos dies: cujus diligentiæ annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt.* Gellii ævo videntur adhuc extitiſſe. Is enim iv. 5. lectorem ablegat ad annalium maximorum xi. *Boſ. ibid. c. 4. Guther. ibid. 1. & 2. Struv.*

ibid. p. 570. *Panzin. l. l. Flocc. de Poteſt. Roman.* I. 8. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 12. §. 5. Poteſtate & imperio vacuus fuit. Liv. IV. 54. apud quem patricii: *Negare, ſi ea ita ſint, liberos tollendos eſſe: qui pulſi majorum loco, cernentesque alios in poſſeſſione dignitatis ſuæ, ſalii, flaminesque nusquam alio, quam ad ſacrificandum pro populo ſine imperiis, ac poteſtatibus relinquantur.* Arnil. de Exempt. cleric. I. 8. Sigon. l. l. Qui tal unum. Et Livius nihil tale cogitavit. Quod ille de ſaliis, & flaminibus ſcripſit, illud ad omnes omnino ſacerdotes trahunt. Sed verba Livii longe aliter accipienda ſunt. Etenim cum promiſcua illis temporibus eſſent comitia quæſtoria, hoc eſt, quæſtores partim ex plebe crearentur, poſtea facti ſunt ex parte dimidia ſacerdotes: quæſtores plebeji tum creati omnes, patresque cum quæſturæ honorem communicaſſent, totum amiſerant: unde irae: viderunt enim patres, ope tribunorum, plebem honores omnes ſibi vindicaturam, ſacerdotiaque omnia, flaminibus, & ſaliis omiſſis, qui patricii erant, ſine imperio, ac poteſtate, id eſt, ita ſacris publicis addicti, ut magiſtratum raro capeſſerent. Nam inter flaminis leges hæc una eſt apud Gell. X. 15. *Claſſem procinctam extra pomœrium, id eſt, exercitum armatum videre flamini diali religio eſt.* *Poteſtatem* igitur, *& imperium* intelligo, auctoritatem bellicam, quæ magiſtratui, aut privato, lege curiata, vel plebiſcito dabatur: non jus illud jure magiſtratus conceſſum, quod in jubendo, vetando, jure dicendo, edicendoque conſiſtit, quale eſt majorum magiſtratuum, & pontificum. *Guther. ibid.* I. 14. Poteſtas igitur, ut officio melius, commodiusque fungi poſſet, illi magna conceſſa eſt. Poſita erat in eo, quod, ut Feſtus in Ordo ſacerdotum ait, *judex atque arbiter rerum divinarum, atque humanarum:* ſive ut Paullus in Maximus pontifex, *maximus rerum, quæ ad ſacra, & religiones pertinent, judex, vindexque contumaciæ privatorum, magiſtratuumque erat.* Cicer. de Haruſp. reſp. c. 7. *Ita eſt interpretatio illa pontificum, ut iidem habeant poteſtatem judicum.* Moxque *judicium capitis* iisdem tribuit. Liv. I. 20. V. illum ſupr. in *Pontifex.* Ad illam pertinebat I. jus ſtatuendi, ac leges ſanciendi de ceremoniis, ac religione. Non facio cum Guther. de vet. jur. Pont. I. 13. aut legum curiatarum de adoptionibus auctorem: nec aſſumo teſtamenta, & ſacrorum deteſtationes curiatis comitiis ab eo factas. Quæcunque enim hujus rei veſtigia apud ſcriptores ſuperſunt, non niſi conſilium, ac præſentiam *pontificum* in his actionibus arguunt. Sed in iis tamen rebus, quæ ad ceremonias pertinebant, quæque a ſolis *pontificibus* ſciri fas erat, leges ab illis ſancitas oſtendit Dionyſ. II. p. 132. V. illum ſupr. in *Pontifex*, tum etiam quod, ut modo dictum, de ceremoniis edicebat; denique quod, ut mox dicetur, gratiam ceremoniarum poterat facere; cujusdem enim eſt diſpenſare, cujus & ſancire. Imo antiquiſſimæ Romanorum leges hoc docent: in quibus hæc fuit: *Inceſtum pontifices ſupplicio ſupremo ſanciunto.* Cicer. de Legib. II. 9. II. Imperium in perſonas ſacras, quæ omnes ei ſubjectæ erant. De rege ſacrorum Liv. II. 2. *Regem ſacrificulum creant. Id ſacerdotium pontifici ſubjecere.* Quanto magis de cæteris, qui rege inferiores erant, idem credendum? Quare poterat invitos inaugurare, ac cogere, ut magiſtratu ſe abdicarent, ut in Italia, ac Urbe manerent; etiam multa dicta, ſi obſequium detrectarent. Cujus rei exempl. ſupra dedimus. III. Jus intercedendi actibus ſolennibus ac religioſis. Et de illis ſupra diximus. IV. Jus diſpenſandi de ceremoniis. Domitianus enim permiſit flamini diali, ut uxorem repudiare poſſet. Auctor Plutarch. Quæſt. Rom. 49. Ac eidem a *pontificibus* gratiam aliquot ceremoniarum factam ſcribit Gell. X. 15. Huc refero decretum in Auguſto Principe factum apud Tacit. Annal. III. 71. 4. *Quoties valetudo adverſa flaminem dialem inceſſiſſet, ut pontificis maximi arbitrio plusquam binoctium abeſſet: dum ne diebus publici ſacrificii, neu ſæpius quam bis eundem in annum.* V. Juriſdictio de rebus ſacris, non ſolum propriiſſime dicta, nec tantum ea, quæ mero imperio opponi ſolet, ſed cum quadam latitudine: quatenus & quæſtionem facti, & merum, mixtumque imperium comprehendit. Cujus cum veluti tres ſint partes: cognitio facti, quam notionem vocant; juriſdictio propriiſſime dicta, qua ſtatuitur de facto cognito, & qualitas juſtitiæ, vel injuſtitiæ facti definitur; & denique exſecutio illius, quod ſtatutum eſt, quam ICti imperium appellant. De notione res manifeſta eſt ex iis, quæ jam diximus. Cognito facto ſtatuiſſe, ac ſententiam tanquam judicem tuliſſe evincunt, quæ dixerunt Feſtus, Cicer. de Haruſp. reſp. c. 7. & Dionyſ. II. p. 132. ſupra laudati: quod paſſim dicuntur judicaſſe, abſolviſſe, condemnaſſe. Hæc tria habentur apud Aſcon. in Cicer. p. 198. *Quo tempore Sext. Peduceus tribunus plebis criminatus eſt, L. Metellum pontificem maximum, totumque collegium pontificum male judicaſſe de inceſtu virginum Veſtalium, quod unam modo Æmiliam damnaverat, abſolverat autem duas, Martiam & Liciniam, populus hunc Caſſium creavit, qui de eisdem virginibus quæreret: isque & utrasque eas, & præterea complures alias, nimia etiam, ut exiſtimatio eſt, aſperitate uſus, damnavit.* Imperium merum pariter ac mixtum habuiſſe colligo I. quod *vindex contumaciæ privatorum, magiſtratuumque* dictus eſt. II. quod multam dixit C. Servilius *pontifex* maximus L. Dolabellæ, regi futuro ſacrorum, recuſanti magiſtratu ſe abdicare. Liv. XL. 42. quod de Q. Fabio Pictore flamine Quirinali, ac prætore ad ſacra a P. Licinio *pontifice* maximo retento dicit Liv. XXXVII. 51. ubi & *pignora capta* ſcribit. III. quod virgines Veſtales, earumque ſtupratores caſtigavit, ac flagro cædi juſſit: hosque interdum ad mortem uſque; illas autem inceſtus convictas defodi vivas curavit. Quo uno caſu imperium merum videtur habuiſſe: fortaſſe, quia hæc pœna lege definita eſſet. Fuerat enim lex in atrio Libertatis, *probrum virginis Veſtalis ut capite puniretur, vir qui eam inceſtaſſet, verberibus necaretur.* Feſtus in probrum. *Boſ. de pontif. max. c.* 5. §. 4. *Guther. de vet. jur. pont.* I. 13. 14. 15. 18. 22: II. 1 -- 4. VI. Jus comitia habendi: & quidem I. centuriata regis ſacrorum inaugurandi cauſa. Primus enim rex ſacrificulus a *pontificibus* & auguribus eſt creatus: Quia comitia hæc inter calata fuerunt; ea autem a *pontificibus* habita ſunt: quia multam dicere potuerunt: denique quia habuerunt jus agendi cum populo, cum comitia tribunis plebis creandis a Q. Furio *pontifice* maximo, & comitia *pontificis* maximi a M. Cethego *pontifice* habita legantur. Quidni ergo centuriata habuerint. II. Curiata flaminum inaugurandorum, quia hæc itidem calata, nec uſquam, cum flamines inaugurari dicuntur, in eorum creatione ulli magiſtratus leguntur interveniſſe. III. tributa *pontificum.* Non enim eſt probabile, *pontificem maximum* non potuiſſe habere comitia *pontificibus* ſufficiendis, poſt legem Domitiam ſcilicet, cum interim unus de collegio poſſet habere comitia *pontifici maximo* creando. *Gruch. de comit.* I. 3: III. 5: II. 3. *Guther. ibid.* I. 8. *&* 27. *Struv. ibid. p.* 574. *Auguſt. de Legeb. c.* 9. Hæc leviſſimis conjecturis ſunt inædificata, quibus destructis tota moles corruit. Præcipua eſt, comitia calata, quæ *pro collegio pontificum* haberi Labeo ſcripſit apud Gell. V. 27. a *pontificibus* habita. At quam incerta! Unde enim oſtendent *pro collegio* eſſe potius a *pontificibus*, quam apud eos exponendum. V. Gellium ſupr. in *Comitia calata.* Quod Q. Furius comitia tribunis plebis creandis habuit, extra ordinem factum eſt, fuitque hæc poteſtas illi ex Sⁱᵗᵒ, non ex ordinario jure, delegata, cum nulli tunc eſſent tribuni plebis, propter decemvirorum imperium, in quo conſtituendo omnes alii magiſtratus ceſſarant, nec poſſent ipſi ab interrege patricio magiſtratu creari. An *pontifici maximo* licuerit exercitum imperare V. ſupr. in *Exercitus.* Boſ. ibid. §. 5. VII. Jus ludos edendi. V. ſupr. in *Ludi pontificales.* Privilegia, præter ea, quæ ſacerdotibus omnibus fuere communia, ſunt I. quod non tenebatur, neque ſenatui, neque populo rationem factorum reddere, nullique pœnæ obnoxius erat. Nam ad eum quoque pertinebat, quod de *pontificibus* in univerſum ſcribit Dionyſ. II. p. 132. V. illum ſupr. in *Pontifex.* Neque huic repugnat, uti quibusdam viſum eſt, quod licebat ab illo ad populum provocare. Aliud enim eſt provocationi, aliud pœnæ eſſe obnoxium. Illud ſententiam *pontificis*, quæ

quæ utique corrigi potuit; hoc personam respicit, quæ non potuit puniri. Imo ne quidem litigare cum eo licuit. Nam, ut est apud Liv. Epit. 47. *Cn. Tremellio tribuno plebis multa dicta est, quod cum M. Æmilio Lepido pontifice maximo injuriose contenderat: sacrorumque quam magistratuum jus potentius fuit*, ut ad Livium legit Gronovius. *Bos. ibid. c. 6. §. 1. Struv. ibid. p. 577.* II. quod per omnem vitam hanc dignitatem retinebat. Cassiod. Var. vi. 2. *Mox ut datus fuerit*, patriciatus, *in vitæ tempus reliquum hominis fit, coævus, ornatus individuus, cingulum fidele, quod nesciit ante deserere, quam de mundo homines contingat exire: credo ad similitudinem pontificatus, unde venerat, rem fuisse formatam: qui sacerdotium non deponunt, nisi cum vitæ munera relinquunt.* Eo alludunt Imperatores, cum scribunt sic: *Hi veluti dicati infulis mysterium perenne custodiunt.* C. Th. 1. 122. de decurion: nam *dicati infulis* sunt *pontifices*. Atque hanc ob caussam potius factum puto, quod Augustus etsi potestatem regiam adsumpsisset, tamen *pontificatum maximum Lepido vivo auferre non sustinuit*: ut narrat Suet. c. 31. n. 1. quam clementiæ studio, ut Tiberius apud Dionem, & Senec. de Clem. 1. 10. interpretantur, præsertim cum Dio diserte hanc caussam prodat XLIX. p. 401. B. *Neque enim licebat eum vivo alicui adimi.* Bos. ibid. §. 2. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. III. quod parem in eo sacerdotio non habebat, ac unus tantum eo tempore hac dignitate fungebatur. Nam si duo potuissent simul esse *pontifices maximi*, nihil prohibuisset, quin Augustus vivo Lepido *pontificatum* susciperet. Nec leguntur unquam duo simul fuisse, nisi sero demum, postquam Imperatores pari potestate plures regnarunt. *Bos. ibid. §. 3. Struv. ibid. p. 478. Grav. Thes. Antiq. Rom. Tom. v. Proleg. * * 2.* IV. quod prætexta, magistratus insigni usus est. Lamprid. Alex. Sev. c. 40. V. illum supr. in *Pontifex*. Sella quoque & lictoribus usum putem, tum quod præcipuum esset sacerdotium ipsis magistratibus potius, tum quod nulli ad id electi, nisi qui sella curuli sedissent. Flamen quoque dialis, & Vestales, minores utique dignitate ista usurparunt. Atque huc forsan pertinet nummus Julii Cæsaris apud Occon. in Numism. Imper. p. 14. in quo duæ secures cum fascibus, sub quibus legitur: DIC. PERP. hoc est, dictator perpetuo: & inter eos sella laureata, supra quam, PONT. MAX. Ut enim duplicati fasces dictaturam, ita videtur sella laureata *pontificatum maximum* innuere. *Bos. ibid. c. 4. Guther. ibid. 1. 28: 11. 13. Struv. ibid. p. 579. Alex. Gen. dier. ibid. & ad illum Tiraquellus.* Quædam tamen aliis concessa, ei prohibita fuerunt. I. non poterat olim extra Italiam proficisci. Liv. XXVIII. 38. *P. Scipio consul dictus, ei P. Licinius Crassus additus est. Nominatæ consulibus provinciæ. Sicilia extra sortem Scipioni concedente collega, quia cura sacrorum pontificem maximum in Italia retinebat.* c. 44. *Negare, posse P. Licinium, consulem, virum fortissimum præstare, qui ne sacris absit pontifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ provinciæ non venit.* Huic primus contravenit Crassus alter, consul itidem, & *pontifex maximus*. Liv. Epit. 59. *P. Licinius Crassus consul, cum idem pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, victus, & interemptus est.* Posteriores *pontifices maximi* illius exemplo veteri illi instituto eripuerunt, & lege Vatinia, extra sortem provincias elegerunt, ut Julius Cæsar Gallias apud Suet. c. 22. n. 2. *Guther. ibid. c. 13. Bos. ibid. n. 5. Struv. ibid. p. 578.* II. Domum non nisi publicam inhabitabat. Dio LIV. p. 541. A. *Pontificem maximum omnino oportebat habitare in publico.* Quamobrem & Cæsar *post pontificatum maximum habitavit in sacra via, domo publica* apud Suet. c. 46. n. 1. Et Augustus, *cum nollet domum publicam sibi decerni, partem suæ publicavit.* Auctor Dio laudatus. Solebat autem *pontifex* habitare juxta Vestæ in regia, ad quam conveniebant *pontifices*. Plin. Epist. IV. 11. 6. *Pontificis maximi jure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocavit.* Guther. ibid. c. 16. Bos. ibid. §. 6. Struv. l. l. Pitisc. in Suetonium. III. Cadaver adspicere, aut tangere non audebat. Senec. ad Marc. c. 15. *Tiberius Cæsar, & quem genuerat, & quem adoptaverat, amisit, ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret.* Alex. Gen. dier. l. l. Lips. ad Senecam & Tacit. Annal. IV. 37. Buleng. de Imperat. Rom. 1. 18. Kirchman. de Funer. II. 21. Guther. de jur. man. II. 8. Morestell. Pomp. Ferial. III. 11. At Dio gravis cumprimis, & fide dignissimus scriptor, cum narrasset, ut Augustus Agrippam velo ante mortuum oppanso laudarit, *pontifici* prohibitum fuisse videre mortuum diserte negat. l. l. *Laudationem Agrippæ Augustus recitavit, velo quopiam ante mortuum expanso. Id cui rei factum, mihi non liquet. Tamen alii retiunt ideo, quia pontifex esset: alii quia obiret munera censoris. Neutri recte, neque enim Pontifici mortuum adspicere nefas: neque censori, nisi cum finem censioni imponit, condique lustrum.* Quid ergo? an dicemus Augustum & Tiberium, ut augures, velum interposuisse: nam in hoc collegio utrumque fuisse nummi veteres firmant. Augures autem nefas fuisse mortuos tangere docet illud Tiberii apud Tacit. Annal. 1. 62. 4. *Non debuisse Imperatorem auguratu, & vetustissimis ceremoniis præditum feralia attrectare.* An potius ita Dioni conciliari possit, si dicamus non quidem lege aliqua vetitum, sed tamen non decuisse. Fuit enim cadaverum contrectatio apud plerasque gentes digna purgatione habita; inprimis apud sacerdotes, qui præ reliquis debebant puri esse. Eadem ratione puto accipiendum Suet. Tit. c. 9. n. 1. *Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, fidem præstitit: nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius* fuit. *Bos. ibid. §. 7. Struv. ibid. p. 581.* Nescio an Senecæ opinionem recte Dio refutet. Vir tam magnus, & tanta doctrina ignoraverit, quid in sui ævi ritu, aut superstitione? Cras credo, hodie nihil. Pro Seneca pugnat Serv. Æneid. IV. 500. *Moris Romani fuerat ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus.* Meurs. de Funer. c. 14. IV. nuptias iterare vetabatur. Tertull. Exhort. ad castit. c. 13. *Duo ipsi pontifici maximo matrimonia iterare non licet.* de monog. c. 17. *Pontifex maximus nubit semel.* ad uxor. 1. 7. V. illum supr. in *Nubere*. Quæ si vera sunt, ab initio solum, aut non adeo stricte, observata fuerunt. Nam postremis temporibus neglecta esse certum est. Illud fateri oportet, debuisse *pontificem maximum* castam, ac probam uxorem deligere. Colligo e Paneg. Plin. c. 83. ubi Plotinam laudans: *Quid illa*, inquit, *sanctius? quid antiquius? nonne si pontifici maximo deligenda sit conjux, aut hanc, aut similem elegerit.* Guther. ibid. 1. 16. Bos. ibid. §. 8. Struv. l. l. Tantus honor non vilibus hominibus, sed principibus civitatis collatus est, gestusque a dictatoribus, magistris equitum, consulibus, consularibus, censoribus, prætoribus, tribunis plebis, senatoribus, cæterisque magistratibus: item ab auguribus, decemviris, & quindecemviris S. F. sacerdotibusque præcipuis aliis. Rationem reddit Cicer. pro dom. c. 1. V. illum supr. in *Pontifex*. Quare qui petiere, ac gessere *pontificatum*, dicebantur Liv. XL. 42. *clari viri.* Aur. Vict. de vir. illust. c. 63. n. 3. *consulares.* Cicer. pro dom. c. 45. *honoribus populi Romani ornati.* Liv. XXV. 5. *senes, honoratique.* Ab initio solis patriciis patuit, donec omnibus fere reliquis cum plebe communicatis, ad hunc quoque ei aditus daretur. Nam circa an. 500. Tiberius Coruncanus primus ex plebe *pontifex maximus* creatus. Liv. Epit. 18. *Bos. ibid. c. 7. §. 3. & 4. Struv. ibid. p. 177. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1.* Postquam ad unum delata rerum summa est, Imperatorum proprius is titulus, ac honor esse cœpit. Et in locum Metelli Pii C. Julius Cæsar *pontifex maximus* factus est M. Cicerone, & C. Antonio cos. hoc est, an. 691. paullo antequam Cicero consulatu decederet. Lepido, *qui in confusione rerum, & tumultu pontificatum maximum interceperat*, ut est Liv. Epit. 117. victo, & triumvirali potestate exuto, solo *pontificis* titulo, quia illi dignitatem ipsam auferre non sustinuit, contentus fuit Augustus. Qui illo defuncto *pontifex maximus* factus est post annos quinquaginta, quam Julius eundem honorem adeptus erat. Augusto, quia in prin-

principatu, etiam in hac dignitate successit Tiberius, qui, ut est in saxo vetere Romano, VI. *Idus. Martias. Pontifex. maximus. feliciſſime. creatus. eſt.* Et hunc in hoc secuti sunt, quotquot deinceps a senatu, populoque Romano Imperatores sunt agniti. *Boſ. de Pont. max. Imp. Roman c.* I. §. 5. 6. & 7. V. de Imperatore pontifice maximo inscriptionem infr. in *Semper Augustus.* Quod affirmamus solum de iis, qui I. vere Imperatores, non tantum Cæsares, sive designati successores imperii fuerunt. Nam Cæsares solummodo *pontifices*, plerumque supra numerum in id collegium cooptati dicebantur. II. soli imperium tenebant. Nam cum primum duo, vel plures simul imperarunt, quod a M. Aurelio, & L. Vero fieri cœpit, unus tantum *pontifex maximus*, cæteri *pontifices* simpliciter vocati sunt. III. a senatu populoque Romano approbati sunt. Qui enim ab exercitu, aliorum odio, creati Romam non pervenere, aut hostes populi Romani judicati sunt, illos nolim adserere *pontificatum* re ipsa gessisse. IV. tempus & occasionem hanc potestatem exercendi habuere. Nam quosdam, qui vel uno die, aut paucis diebus imperium gessere, ut M. Marcius, Severus Hostilianus, Perpenna Licinianus, Quintillus, & nonnulli alii; vel toto imperii tempore bellis occupati ab Urbe & Italia absuerunt, vix aliquid peregisse, quod ad potestatem, aut officium *pontificis* maximi pertinere existimo. *Boſ. ibid. c.* 2. §. 4. Imperatores Christiani an fuerint *pontifices* idem ibidem c. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & van Dale Dissert. II. c. I. & 2. prolixioribus diatribis examinant.

PONTIFICII forte dicti, quod *pontificibus* ministrarent, ex quibus fuit Ti. *Pontificius* tribunus plebis; de quo Liv. II. 44. & Dionyſ. IX. p. 562. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 4.

PONTINA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

PONTONES sunt naves, quibus utimur in trajiciendis fluminibus. Cæſ. de bell. civ. III. 29. *Pontones, quod est genus navium Gallicarum, Lissi relinquit.* Meminit etiam Gell. X. 25. *Scaphæ, pontones. Pontonium* genere neutro vocat Isidor. XIX. I. *Pontonium navigium fluminale, tardum, & grave, quod nonnisi remigio,* mallem *remulco, progredi poteſt. Fluminale* hic accipiendum, non quasi in fluminibus solum fuerit usurpatum, sed quia frequenter, & quidem ad trajectus. Apulejus: *Si vado non poterunt, pontonibus tranſibunt.* Paull. l. 38. ff. de S. P. R. *uſque ad flumen, in quo pontonibus trajicitur.* Firmabaturque navis in fune, cujus capita in utramque ripam pertinentia alligabantur palis, ut attracto fune sequeretur navis, ut & hodie fieri consuevit. *Scheffer. de milit. nav.* IV. I. *Bayſ. de re nav. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 596. *F. Dolet. de re nav. Theſ. Gronov. ibid. p.* 677. *D. Gyrald. de navig. c.* 18. *Thyſ. ad Gellium.* Quidam tabulatum navigium interpretantur, conjunctum duobus lintribus, quo putant referri debere versum Auson. Eidyll. XII. 151.

Lintribus in geminis conſtratus ponto ſit, an pons.

Thyſ. & Gyrald. l. l.

PONTUS dicebatur tota ea regio a Bosporo Thracio usque ad Colchidem, & orientem versus, & Armeniam: Paphlagoniam, Galatiam, & Cappadociam continebat; sed proprie a Bosporo Thracio usque ad Bithyniam, & Sangarium flumen perveniebat: unde duplex *pontus* fuit Novell. 29. c. 2. fin. l. ad fi. C. de div. offic. Novell. 27. princ. sed usque ad Euphratem tota diœcesis *Pontica* vocabatur l. 5. C. de temp. appell. l. antepen. C. de numera. l. 2. C. de milit. vest. I. I. C. ut nemo ad suum patroc. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 127. Major pars *Ponti* per Pompejum magnum, victo Mithridate, Rege *Ponti*, provinciæ formam accepit. Nam altera pars sub Nerone, Polemone Ponti Rege mortuo, eandem fortunam est consecuta. *Panvin. de Imp. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 404. *E. Manut. de Legib. c.* 10. *Sigon. de jur. provinc.* I. 13. *Panciroll. l. l.*

Pontus Polemoniacus dicitur ad distinctionem *Ponti* Pelagonii, qui mendose scribitur per Æ in veteri inscriptione: PONTI. PÆLAGONII. ET. BITHYNIÆ. *Scalig. in Euſeb. p.* 180. Ab ortu habet Armeniam minorem, a meridie Cappadociam, a septentrione *pontum* Euxinum, per cujus oram usque ad Paphlagoniam occasum versus extenditur. Dictus est a Polemone Rege. Aur. Vict. de Cæſ. c. 5. n. 2. *Quo etiam Pontum in jus provinciæ, Polemonis permiſſu redegit: cujus gratia Polemoniacus Pontus appellatur.* Sub Nerone, Polemone Ponti Rege mortuo, in Romanorum potestatem venit. Suet. Ner. c. 18: n. 2. *Ponti regnum, concedente Polemone in provinciæ formam redegit.* Vopiſc. in Aurel. c. 21. *Pontus ſub Nerone Pontus Polemoniacus Romano nomini tributus.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 127. Scaliger in Euseb. l. l. Pitiſc. in Suetonium. Jornandes eam cum Paphlagonia testamento Romanis relictam scribit. *Helenopontum* in Helenæ matris honorem Constantinus appellavit Novell. 28. *Panciroll. l. l.*

POP.

POPA erat minister sacrorum, qui victimas immolabat. Gloſſ. Cyrilli: *popa*, θύτης. Succinctus, atque ad ilia nudus erat. Prop. IV. I. 62.

Succinctique calent ad nova ſacra popæ.

Suet. Calig. c. 32. n. 8. *Admota altaribus victima, ſuccinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit.* Voſſ. Lex. Etymol. in Popina. Oiſel. in Minuc. Felic. p. 190. Turneb. Adv. XVIII. 5: XXX. 7. Stuck. de sacrif. p. 109. Ant. Conviv. I. 21. Majorag. Epiſt. Quæſt. II. 4. Saubert. de Sacrif. c. 6. Panvin. de Civit. Rom. c. 44. Guther. de vet. jur. pont. II. 14. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2. Rhodig. Ant. Lect. XXVI. 2. Caſal. de prof. Rom. rit. c. 15. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. I. Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 8. Nicol. de Triumph. c. 16. §. 4. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 640. Feith Ant. Homer. II. 5. Pitiſc. in Suetonium.

POPILIA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

POPINA est locus, ubi cibi calidi venduntur, aut ubi publica obsonia & delicatiores cibi assari, apparari, atque etiam comedi consueverunt. In illis helluabantur, unde uncta dicitur Horat. Epiſt. I. 4. 21.

— fornix tibi, & uncta popina
Incutiunt urbis deſiderium.

quia cibaria unctiora in illa vendebantur. Harum cura ædilibus data. V. supr. in *Ædilis.* Sed illis illarum *coercitionem* ademit Claudius. Suet. Claud. c. 38. n. 4. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 11. *Brod. Miſc.* V. 13. *Buleng. de Conviv.* II. 24. *Pitiſc. in Suetonium.* Erant ad omnia pæne gymnasia. *Buleng. de Circ. c.* 56.

POPLICOLA est dictus P. Valerius consul surrogatus in locum Collatini, quia apud populum gratiosus erat ob leges institutas humanissimas, & maxime populares, de imperio a populo accipiendo, & de provocationibus a magistratibus ad populum: & ne cuiquam, injussu populi, civem Romanum aut verberare, aut necare fas esset. Dionyſ. V. p. 329. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 67. *Faſt.* I. *p.* 63. *Manut. de Legib. c.* 16. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5. *Strein. de famil. & gent. in Streinia.* Val. Max. IV. I. I. *P. Valerius, qui populi majeſtatem venerando, Poplicolæ nomen aſſequutus eſt.* Sil. Ital. II. 8.

Poplicola, ingentis Voleſi Spartana propago,
Is cultam referens inſigni nomine plebem,
Auſonios atavo ducebat conſule faſces.

Pigh. Annal. Rom. I. p. 69. Quod, etsi propter originem, & significationem damnari non potest, *Publicola* tamen lenius, & concinnius dicitur. *Turneb. Adv.* XXX. 28.

POPPYSMA, sive *poppyſmus* est vox factitia de sono, id significans, quo maxime nondum perdomitis equis adulamur. Plin. XXVIII. 2. *Fulgetras adorare poppyſmis conſenſus gentium eſt.* Aristoph. Veſp. p. 474. C.

Jupi-

Jupiter o Rex, ſin fulgur agam,
Nobiliores atque opulenti
Poppyſma edunt pæne cacantes.

Ubi Schol. *Mos hic eſt, ut ad fulgetras poppyſſetur.* Pollux I. 11. 12. de equitatione ubi ſcribit: *Poppyſmo aſtare, & excitare.* Et hinc *poppyſma præbere* eſt adulari. Juven. Sat. VI. 584.

Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.

Ubi Schol. *Poppyſma eſt oris preſſi ſonus, ut labiorum in ſe collidorum ſtrepitus.* Polit. Miſcell. c. 32. Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv. IV. 15. Lomej. de Luſtrat. c. 37. Buleng. de Sort. c. 1. Guther. de jur. man. 1. 3.

POPULARES dicuntur, qui ſunt ejuſdem patriæ, συμπατριῶται. Terent. Phorm. I. 1. 1.

Amicus ſummus meus, & popularis Geta.

Sunt enim Getæ, & Davi, ſive, quod idem eſt, Dai gentes inter ſe conterminæ. Strab. VII. p. 210. *Fuit & alia ejus regionis diviſio, ex antiquis permanens temporibus, alios enim Dacos, alios Getas appellant. Getas quidem qui ad pontum in orientem vergunt. Dacos autem, qui in oppoſitum verſus Germaniam, & ad Iſtri fontes, quos olim Davos vocatos eſſe reor.* Nann. Miſcell. II. 15. Turneb. Adv. XIX. 14. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. I. 16.

Populares etiam opponuntur optimatibus. V. illos ſupr. in *Optimates.*

POPULARIA erant gradus, ſive loca in theatro, in quibus *populus* ſedens ſolebat ludos ſpectare, ad diſcrimen equeſtrium. Suet. Claud. c. 25. n. 13. *Germanorum legatis in orcheſtra ſedere permiſit, ſimplicitate eorum, & fiducia motus, quod in popularia deducti, cum animadvertiſſent Parthos, & Armenios ſedentes in ſenatu, ad eadem loca ſponte tranſierant.* Domit. c. 4. n. 14. *Pars major* miſſilium *intra popularia deciderat.* Tertull. de Spectac. c. 3. *Vias vocant cardines balteorum per ambitum, & diſcrimina populariorum per proclivium.* Turneb. Adv. XVIII. 33. Fab. Semeſtr. II. 6. Lipſ. de Amphith. c. 14. Thyſ. de Amphith. p. 206. Ulpianus etiam l. 1. §. 12. ff. de offic. præf. urb. milites ſtationarios vult diſponi a præfecto Urbis *ad tuendam popularium quietem.* Qui intelligit hunc plebis conſeſſum. *Lipſ. l. l. Popularia* non ſignificant *populi* conſeſſum theatralem; ſed dicuntur pro factionibus illis quatuor, Veneta, Praſina, Albata, Ruſſata. Sic & δήμους Græci dicunt, de quibus in Novell. 17. c. 2. *Nerius Anal.* I. 5. *Popularium quies* eſt ſimpliciter *populi*, & civium Romanorum tranquillitas: unde Sannio Terentianus quiritium fidem invocans proclamat Adelph. II. 1. 1.

Obſecro, populares, ferte miſero, atque innocenti auxilium.

Ubi Donatus *populares cives* interpretatur. *Burman. Diſſert. de Vectig. c. 9.*

POPULUS a plebe quomodo differat V. ſupr. in *Plebs.* ſub Regibus magiſtratus creabat, leges ſciſcebat, vel condebat, de bello, paceve decernebat, ſocietatem cum aliquo contrahebat, ac diſſolvebat, fœdera inibat, quum rex, vel conſules retuliſſent. Neque enim plebis poteſtas abſoluta erat, niſi ea etiam ſenatus approbaſſet, quæ a plebe ſancita erant. Ferebat enim *populus* ſuffragium non viritim, ſed per triginta curias diviſus, & quod pluribus viſum eſſet curiis, ad ſenatum referebatur. Qui mos paullatim dilabi cœpit, & ſenſim eo res proceſſit, ut ſuffragiorum jus converſum fuerit: neque enim de plebiſcitis ſenatus quidquam ſtatuebat, ſed ſenatuſconſultum ratum non erat, niſi id *populus* approbaſſet. Jure enim ſciſcendarum legum, vi poſtremo, & ſeceſſionibus, *populus* tantam ſibi poteſtatem exactis Regibus vindicavit, ut maximam Reipublicæ Romanæ partem demum obtinuerit ſtatus *popularis.* Quanquam enim regiæ poteſtatis ſpecies quædam in conſulum imperio, in ſenatus vero poteſtate optimatum principatus quodammodo agnoſceretur, *populi* tamen tanta auctoritas ſupra omnes magiſtratus, & ſenatum fuit, ut non immerito dici poſſit, omne imperium, atque illius Reipublicæ majeſtatem penes *populum* fuiſſe. Cui argumento eſſe poteſt ad *populum* provocatio, quæ non fuiſſet, niſi major *populi* eſſet, quam magiſtratuum poteſtas: quin etiam faſces ſubmittendi mos, cum magiſtratus in concionem adſcendebant, confeſſio erat, *populi*, quam magiſtratuum vim, majeſtatemque majorem fuiſſe. Jam vero de capite civis, omninoque de libertate, ac jure civitatis, nullius erat, niſi *populi* judicium. Quæ ſi maximi ſunt in omni Republica momenti, *populum* ſane, penes quem hæc omnia fuerunt, longe maximam Reipublicæ Romanæ partem obtinuiſſe fatendum eſt. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 3. Ab Gracchorum igitur tempore majores in Republica plebis, quam optimatum opes extitere, quippe quæ omnium jam honorum, quos ſoli ante patricii obtinuerant, particeps facta, præterea tribunatum, ac tributa comitia, quibus omnino patriciis interdictum erat, adepta, ad hæc agris, judiciis, frumento, ſuffragiis ſociorum aucta, univerſam Rempublicam ut in poteſtate haberet, ſic ex libidine adminiſtraret, nobiliſſimi optimatum oppreſſi, veteres cives ſpoliati, civitatis honor parce ante dari ſolitus integris provinciis conceſſus. Hunc iniquum plebis dominatum, quum terminos impotentiæ non faceret, L. Sylla dictator poſtea ſuſtulit, qui imperio, quod a ſenatu acceperat, lege tribunicia Sulpicii a C. Mario ſpoliatus, extorta armis ex inimicorum manibus Republica, tribunorum plebis poteſtate admodum imminuta, plebe agris pulſa, ac ad internecionem fere cæſa, judiciis ſenatui redditis, rurſus optimatum Rempublicam ſtabilivit, *popularemque* convellit. Qui ſtatus diuturnus non fuit. Nam paucis annis poſt Cn. Pompejus in primo conſulatu, antiqua tribunis plebis poteſtate, ac dignitate reſtituta, plebe ad judicia cum ſenatoribus, & equitibus lege Aurelia advocata, vetus aliud optimæ Reipublicæ quæſiiſſe temperamentum viſus eſt, quod mutatis, imo corruptis penitus totius civitatis moribus, atque avaritia jam, & ambitione latiſſime graſſante, aſſequi nulla ratione potuit. Ita perturbato Reipublicæ ſtatu crebro a paucis de univerſa occupanda Republica cogitatum eſt, tum enim Piſo, tum Craſſus, tum Catilina, cum aliis ejuſdem furoris ſociis, adverſus Rempublicam conſpirarunt. Tum Cæſar, denuo Craſſus, & ipſe forte mutata mente Pompejus inita ſocietate, extraordinarias opes, quæ liberæ civitati jure formidabiles eſſent, ſibi quæſierunt. Qua brevi dirempta civilis diſcordia, ac totius Reipublicæ perturbatio conſecuta eſt, quum Cæſaris potentiam ſenatus, Pompeji, nam Craſſus paullo ante occiderat, *populus* ferre non poſſet. Victo Pompejo, atque optimatum factione afflicta, rurſus ad injuſtum unius Cæſaris dominatum Reſpublica recidit, atque aliquot annis oppreſſa fuit. Quo, ab iis, qui libertati ſtudebant, interfecto, quum reviviſcere priſca patrum gravitas, atque ad ſpem auctoritatis priſtinæ quodammodo reſpirare videretur, haud ita multo poſt in ipſomet recuperandæ Reipublicæ apparatu, a *populo*, cui Antonius, ac poſt etiam Octavius, qui Cæſaris partes ambo ſuſceperant vindicandas, ſervierunt, ſublata funditus atque oppreſſa eſt, cum inauditum ante triumviratum in Rempublicam intuliſſent, ac nefariam optimatum, atque inimicorum ſuorum proſcriptionem feciſſent. Bruto & Caſſio adverſæ factionis ducibus cæſis, oppreſſo in Sicilia Sex. Pompejo, Lepido poteſtate exuto, M. Antonio occiſo, cum nulla amplius eſſent publica arma, & Julianarum partium dux ſolus Octavius reliquus eſſet, cunctis diſcordiis civilibus feſſis tanquam bellorum civilium, quæ ille confecerat, præmium, totius Reiplicæ jus, poteſtatem, atque imperium, quod ab initio Regum, poſt magiſtratuum, ſenatus, & *populi* fuerat in perpetuum Principis ſub nomine tranſtulit. Qui poſito triumviri nomine, conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem tribunitio jure contentum, ubi militem donis, *populum* annona, cunctos dulcedine otii, inſurgere paullatim, munia ſenatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo adverſante, cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent, cæteris nobilior

quanto

quanto quis ſervitio promptior, opibus, & honoribus extolleretur, ac novis rebus aucti tuta, & præſentia, quam vetera, & periculoſa mallent. Neque provinciæ illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto ſenatus, *populique* imperio ob certamina potentium, & avaritiam magiſtratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, pecunia turbabantur. Ita Tacit. Annal. I. 2. I. . . . Auguſtus ad unius arbitrium conſtitutam Rempublicam decedens Tiberio Cæſari reliquit, is Cajo Caligulæ: a quo tempore uſque ad Neronis mortem hic *populi* Romani ſtatus fuit. Sub Auguſto, quanquam omnia ad ejus arbitrium fierent, in eis tamen ſtudiorum *populi*, & ſenatus auctoritatis rationem ſemper habuit. Nihil enim unquam egit, quod non alterutrius auctoritate fieri vellet. Tiberius *populum* plebemque omni Reipublicæ adminiſtratione excluſit, ſenatum maxime veneratus eſt. Cajus & Nero quamvis tyrannice imperium egerint, ſenatus tamen auctoritatem non neglexerunt. Claudius eam magnifecit. Sub Galba bello civili inter Othonem & Vitellium, & hunc & Veſpaſianum ſenatus poteſtas ita corruit, ut eum annum Reipublicæ ſupremum vocet Tacitus. Nam deinceps Romani principes diuturnitate poteſtatis inſolentiores facti, omnia ad arbitrium, ſenatus poteſtate neglecta, agere cœperunt. Verum in his quidam meliores, & temperatiores, ut Trajanus, Hadrianus, Pius, Marcus, & Alexander: quidam inſolentiores, magiſque impotentes, ut Domitianus, Commodus, Severus, Caracallus, & reliqui fere omnes, qui imperium Romanum in regni formam verterunt, uſque ad Conſtantium, qui imperium adeptus, tanquam patrimonium eſſet, illud diviſit, mutavit, omnia miſcuit, antiquam ſuperſtitionem abolevit, alteram imperii formam longe a priore conſtituit. *Panvin. ibid. c.* 71. Quodcunque poſtremum juſſerat, id erat jus & ratum. Liv. VII. 17. *In ſecundo interregno orta contentio eſt, quod duo patricii conſules creabantur; intercedentibusque tribunis interrex Fabius ajebat, in XII. tabulis legem eſſe, ut quodcunque poſtremum populus juſſiſſet, id jus, ratumque eſſet: juſſum populi & ſuffragia eſſe.* Auguſt. de leg. XII. tabb. §. 1. Urſin. ad Leg. & Scta Theſ. Antiq. Rom. Tom. II. p. 1362. b. P.

Populi fundi fuerunt ſocii, vel fœderati populi Romani, qui legibus Romanis, quas adſciverant, parebant, iiſque utebantur. Quod accidere potuit duabus de cauſis, cum ſcilicet apud illos *populos* fœderatos, vel ſocios nulla lex de re quapiam lata eſſet: vel, cum ob utilitatem aliquam legem patriam abrogabant ſocii, Romanamque adſciſcebant. Cicer. pro Balb. c. 8. *Quid potuit dici imperitius, quam fœderatos populos fieri fundos oportere? nam id non magis eſt proprium fœderatorum, quam omnium liberorum. Sed totum hoc, judices, in ea fuit poſitum ſemper ratione, atque ſententia, ut, cum juſſiſſet populus Romanus aliquid: ſi id adſciviſſent ſocii populi, ac Latini, & ſi ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo reſediſſet: ut tum lege eadem is populus teneretur; non ut de jure noſtro aliquid minueretur: ſed ut illi populi aut jure eo, quod a nobis eſſet conſtitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio uterentur.* Quibus verbis intelligimus *populos* teneri, & legibus Romanis obligari, ſicut fundus, ſeu ager hypothecæ obnoxius, creditori oppigneratus, quique præs eſt optimus, ac ſponſor. Illos autem *fundos populos* ea fuiſſe conditione conſtat ex Gellio, qui de municipibus, ac *populis fundis* ita diſſerit XVI. 13. *Municipes ergo ſunt cives Romani ex municipiis, legibus ſuis, & ſuo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes; a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Romani lege adſtricti, ni in quam populus eorum fundus factus erat.* Patet itaque *populum fundum* factum neceſſitatibus obnoxium, & legibus *populi* Romani adſtrictum fuiſſe, quibus etiam municipes *populi fundi* facti adſtringebantur. Qui etiam meminit de legis fundo, Frontonem ſic loquentem faciens XIX. 8. *Sed hæc ego*, inquit, *dixi, non ut hujus ſententiæ, legiſque fundus, ſubſcriptorque fierem. ſed ut ne Cæſaris viri docti opinionem ἀπαραμύθητον deſtituerem.* Quibus Frontonem ſententiam mutare noluiſſe oſtendit, & Cæſaris opinioni adhærere: & metaphora uſus eſt a *populis* legis fundis factis, qui mutatis propriis legibus, Romanas adſciſcebant, iiſque ſubſcribebant. Qui priori loco verba facit de illis, quibus *populi fundi* tenentur: poſteriori vero loco modum explicat, quomodo fundi legis fiant, mutando ſcilicet leges proprias, & externis ſubſcribendo. Ex quo etiam docemur, in illa loquendi formula, *populus fundus*, ſubauditam fuiſſe vocem *legis*, quam Gellius exprimit. Illi formulæ nullā ſervitutis nota, nulla deditionis inerat: ſponte ſiquidem legum Romanarum jugo ſe ſubmittebant: neque illis *populis* hoc voluiſſe ſufficiebat, niſi & populo Romano placuiſſet. Beneficium itaque accipiebant, non injuriam patiebantur *populi fundi* facti: cauſa eorum deterior non erat, commodum, quin imo & utilitas ipſis accedebant. Ad loquendi formulam quod attinet, *populus fundus, rei fundus*, Plautus Lyſitelem adoleſcentem de nuptiis verba facientem producit, & ut virginem Lesbonici ſororem connubio ſibi jungeret, conſilia agitantem. Abſente Charmide virginis patre cum Lesbonico egerat, ut ſibi nuptum daretur puella, etiamque indotata. Negabat Lesbonicus, indotatam ſororem, turpe enim id videbatur, in matrimonium collocare velle, etſi dote numerata bonorum ipſi nihil reliqui eſſet. Cum ergo non expreſſis verbis deſpondiſſet ſororem, peregre advenit Charmides puellæ pater, cumque convenire ſtatuit Lyſiteles, & talia verba loquitur Trin. V. 1. 6.

Nunc is mihi propere conveniendus eſt, ut, quæ cum ejus filio
Egi, ei rei fundus pater ſit potior.

Fundus pro auctore accipi poteſt, quicum tutius nuptialia pacta, & inſtrumenta conficiat Lyſiteles. Et ita Feſtus: *Fundus quoque dicitur populus eſſe rei, quam alienat, hoc eſt, auctor.* Quæ verba ad contractum emptionis, & venditionis pertinent, & ſignificant populum de evictione teneri, & emptori eam præſtare debere, cum ipſe venditionis auctor fuerit? Quæ formula uſurpata quoque videtur, quamvis minus proprie, loquendo de *populis* illis, qui jure quiritium adſcito, ob aliquam utilitatem ſuam *populi fundi* facti ſunt. Ut enim voluntarius contractus eſt emptio venditio, & conſenſu peragitur; ita voluntarius erat contractus eorum, qui ſua jura, & leges quaſi alienabant, & Romanis commutabant; ipſis enim eligentibus, & populo Romano permittente, *populi fundi* fiebant. Vi autem verborum illius formulæ fundos factos intelligere debemus, adſcitis legibus Romanis earum obſervationi ita ſe obſtrinxiſſe, ut αὐτονομίᾳ, juribusque propriis, quæ alienaverant, uti amplius non poſſent, aut novas leges, inductis Romanis, ſcribere; ita ut, ſi quid ejuſmodi auſi fuiſſent, fœderum violatorum, ac ſpretæ majeſtatis rei forent, pœnaſque eo nomine dare tenerentur. Cum enim id beneficii loco habitum ſit, niſi cum ſumma injuria, ac majeſtatis populi Romani contemptu, ab iis qui acceperant, leges Romanæ violari non poterant. Sed & Ciceronis interpretatio apertior eſt, nec huic tamen adverſatur, *fundus* enim *populus* ideo appellari vult, quod in eo eadem lex, qua utebatur populus Romanus, tanquam in fundo reſideret. *Bullıald. Obſerv. de popul. fund. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1935. *E.* Falſiſſimum eſt *fundos populos* factos fuiſſe juris ſui, libertatis, id eſt, αὐτονομίας amiſſione, & quaſi alienatione, mutatis ſcilicet legibus propriis, adſcitiſque Romanis. Et hoc eſt prorſus alienum a mente Ciceronis, cum dicit l. l. *cum magna pars in iis civitatibus fœderis ſui libertatem civitati anteferret.* Nam *populi fundi* prorſus liberi erant, ac ſui juris, nullo jure, nulla lege populi Romani adſtricti, niſi quam ipſi ſponte *adſciviſſent, voluiſſentque*, ut loquitur Cicero. Velle autem, & adſciſcere liberorum eſt. Sed Bullialdus primum deceptus eſt a prava lectione: nam in loco Ciceronis legit *juris ſui libertatem civitati anteferre*, cum tamen legatur in omnibus, ut opinor, editionibus, *fœderis ſui libertatem*. Fœderati enim liberi erant, ut docet Proculus l. 7. ff. de capt. & poſtl. reverſ. Hæc autem libertas fœderis adimebatur

batur civitate Romana: populus enim, qui in civitatem Romanam tranſiret, fœderatus populi Romani amplius eſſe non poterat. Ex hoc loco tantum conſequitur, libertatem fœderis ſimul cum jure civitatis Romanæ non conſiſtere, quod veriſſimum eſt. Deinde exiſtimavit *populos fundos* fieri mutatis ſuis legibus, adſcitiſque Romanis: quod tamen neceſſe non fuit. Unam enim duntaxat, aut alteram legem adſciſcebant, non autem omnes leges populi Romani; neque id laturi fuiſſent Romani, ut aliquis populus, aut ſocius, aut fœderatus omnes ipſorum leges adſciſcerent. Nec ullus veterum dicit, quosdam fuiſſe populos, qui leges omnes populi Romani adſciviſſent: & cum Romæ quotidie novæ leges ferrentur, quoties etiam leges ab illis populis adſciſci debuiſſent. Denique putavit in hoc capite legis Juliæ *fundum populum* dici reſpectu aliarum legum populi Romani, cum tamen *fundus populus* hic dicatur auctor, ſubſcriptorque legis ipſius Juliæ. Conſenſum enim ipſorum populorum intercedere oportebat, ut civitatem Romanam adipiſcerentur. Invito quippe beneficium non datur. Hinc eſt quod dicit Livius: Prænestinos ob virtutem civitate donatos non mutaviſſe: quod idem eſt ac ſi diceret, fundos factos non fuiſſe. *Populi* non fiebant *fundi* ſuo jure, ſed beneficio populi Romani; fiebant tamen fundi de ſuo jure, ut de rebus ſuis ſtatuerent. Cicero: *Videbat enim populos de ſuo jure, non de noſtro fundos fieri ſolere.* Fere in eas leges, quæ de jure civili latæ eſſent, *fundi populi* fiebant; non vero in eas leges, quæ ad jus publicum *populi* Romani ſpectabant. Cicero: *De noſtra Republica, de noſtro imperio, de noſtris bellis, de victoria, de ſalute fundos populos fieri noluerunt.* Nomen itaque *fundus*, cum de *populis* dicitur, non ſignificat ſtatum quendam, aut conditionem *populorum*, eo modo quo, cum *populus* liber, aut fœderatus, ac ſocius appellatur, ſtatus, & conditio illius *populi* declarari ſolet. *Fundus* enim *populus* nihil aliud eſt, quam auctor, ſubſcriptorque, ei nimirum legi, quam adſciſcit. Et fiunt fundi legi *populi* Romani eodem modo, quo fundi venditioni fiunt, cum locum, aut agrum vendunt publicum. Ut igitur ex eo, quod *populus* aliquis *fundus* factus fuerat, cum locum aliquem alienaverat, quemadmodum docet Feſtus, non recte quis concluderet, peculiarem eſſe conditionem *populorum fundorum*: ita neque ex eo, quod *populi fundi* fiant legi cuiquam *populi* Romani. *Valeſ. de popul. fund. Theſ. Græv. ibid. p. 1947. B.*

Populifugium nominatur dies, quo populus Romanus a Thuſcis in fugam converſus fuit. Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Dies populifugia videtur nominatus, quod eo die repente tumultu fugerit populus: non multo enim poſt hic dies quam deceſſus Gallorum ex Urbe: & qui tum ſub Urbe populi, ut Ficulneates, ac Fidenates, & finitimi alii contra nos conjurarunt. Aliquot hujus diei veſtigia fugæ in ſacris apparent; de quibus rebus antiquitatum libri plura referunt.* Feſtum hoc Junio attribuit Varr. l. l. Julio Macrob. Sat. III. 2. *Quod poſtridie re bene geſta, cum pridie populus a Thuſcis in fugam verſus ſit, unde populifugia vocantur.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 908. D. Junius Faſt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 244. B. Sicam. in Faſt. Kalend. Rom. c. 13. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 493. E. Struv. Antiq. c. 9. p. 439. Hujus diei nec in Faſtis Ovidianis, nec in iis, quos inventos eſſe dixi inter ruinas Capitolii, ulla fit mentio. Atque hic dies quotus Junii fuerit, ignoro. *Perion. de Græc. & Rom. magiſtr. III. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2813. C.* Dictum vero eſſe, quod fugerit in Romuli raptu oborta ſubita procella teſtatur Dionyſ. II. p. 119. *Aliquos illos eam cædem oborta ſubita illa caligine, quam turba diffugiente, a ſatellitio quoque deſtitutus eſſet* Romulus: *ideoque diem hujus caſus hodieque a verſo in fugam populo populifugii nomen retinere.* Junius l. l.

POR.

PORCA eſt victimarum omnium antiquiſſima, ſi veteribus credimus. Ovid. Faſt. I. 349.

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ,
Ulta ſuas meritæ cæde nocentis opes.
Nam ſata vere novo teneris lactentia ſuccis
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.

Idque ex doctrina Pythagoræ, quem ſic loquentem inducit Ovid. Met. XV. 111.

—— prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni.

Atque is ſacrificandi ritus a Græcis manavit ad Romanos. *Bochart. Hieroz. I. 3. 29. Nonn. de Re cibar. II. I. Saubert. de Sacrif. c. 23.* Id etiam ex ipſa nominis origine, tum ex vetuſtiſſimis Eleuſiniorum initiis, aliiſque antiquorum rituum ceremoniis eleganter colligit Varr. de Re ruſt. II. 4. *Sus*, inquit, *Græce dicitur ὗς, olim θῦς, ab illo verbo, quod dicitur θύειν, quod eſt immolare. Ab ſuillo enim genere pecoris immolandi initium primum ſumptum videtur: cujus veſtigia, quod initiis Cereris porci immolantur, & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur, & quod nuptiarum initio antiqui Reges, & ſublimes viri in Etruria, in conjunctione nuptiali, nova nupta, & novus maritus primum porcum immolant. Priſci quoque Latini, & etiam Græci in Italia idem factitaſſe videntur.* Hoc tamen ad Ethnicos referri debet: nam univerſe falſum eſt. Ovem quippe primam omnium cecidiſſe victimam ſacræ literæ nos docent. Gen. c. 4. n. 4. *Abel obtulit de primogenito gregis ſui.* Caſtellan. de Eſu carn. II. I. Illa Cereri ſicont. Hujus duplex ratio reddi poteſt. I. eſt utilitas, quam ex hoc animali in hominum genus redundare videmus. Primum enim arandi artem hominibus oſtendiſſe videtur. Ea de re eſt Ægyptiis ſacra. Plutarch. Quæſt. ſympoſ. IV. 5. *Ita ſuem eos revereri, ut ſationis, & arationis magiſtram.* Imo hominem quotidie meliora ſperare docet, nunquam enim retrogreditur, ut cancer, ſed paſcens progreditur. II. quod pauperiem fecerit, damnumque ſegetibus intulerit. Callimach. Hymn. in Dianam n. 156.

Sues opera agriculturæ, ſues plantas vaſtant.

Æſchylus apud Athen. IX. p. 375. E.

Porcum ſacrificia cum ipſa ſue,
Multis ædes affecit illa damnis,
Ac quatiens, evertens, ſurſum deorſum omnia conturbavit.

Ovidius modo laudatus. *Lomejer. de Luſtrat. c. 29. Stuck. de Sacrif. p. 65. Meurſ. Eleuſin. c. 7. Nonn. de Re cibar. II. 1. Rhodig. Ant. Lect. XX. 26. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 2.* Mactabatur etiam nuptialibus diis, quum animal ſit prolificum. Et potentiores quidem viri in Hetruria nuptialibus conviviis, novæ nuptæ, maritique diis tutelaribus *porcum* immolabant. Quod etiam priſci Latini, & Græci in Italia faciebant. Unde ſponſam ducturus, poſtquam omnia apparaſſet, ſpe fruſtratus ſponſæ exclamavit:

Periit quidem ſus, & talentum, & nuptiæ.

Licet. de gemm. c. 119. Tomaſ. de Donar. c. 13. V. infr. in *Sacrificium nuptiale*.

Porca contracta dicitur, cum quis anniverſarium piaculare ſacrum peccato contraxit, ut ipſi quotannis ſolvere id ſit neceſſe pontificio Romanorum ritu. Cicer. de Legib. II. 22. *Neque neceſſe eſt ediſſeri a nobis, quæ in porca contracta jura ſint.* Mar. Victorin. Artis Grammat. II. p. 2470. *Non eſt, ut emendaſtis, porca præcidanea, ſed præcidaria, quæ frugum cauſa immolatur: qui juſta defuncto non fecerunt, aut in faciendo peccaverunt, his porca contrahitur, quam omnibus annis immolari oporteat, antequam novam quaſi dapem mereat de ſe capere.* Turneb. Adv. XVII. 20. Kirchman. de Funer. IV. I. Guther. de jur. man. I. 8.

Porca præcidanea quænam fuerit dicta V. ſupr. in *Hoſtia.* Sacrificii formulam exhibet Cato de Re ruſt. c. 135. V. illam ſupr. in *Formula.* Kirchman. de Funer. IV. I. Turneb. Adv. XVI. 22 Scalig. in Feſtum. Bochart. Hieroz. I. 3. 29. Stuck. de Sacrif. p. 65. Guther. de vet. jur. pont.

pont. iv. 1. Saubert. de Sacrif. c. 19. Lomejer. de Lustrat. c. 29. Thys in Gellium. Nicol. de Luct. Græc. c. 1. §. 1. Zimmerman. Floril. Philol. p. 634. Guther. de jur. man. 1. 8. Turneb. in Cicer. de Leg. ii. p. 153.

Porca præsentanea opponitur præcidaneæ. Hæc in præsentia, & quasi in conspectu mortui semel immolabatur. Mar. Victor. Art. Grammat. ii. p. 2470. *At illa, quæ & in re, & in præsente mortuo, quem condituri sunt, immolatur: quia ex ea capere non possunt ad quod justa faciunt, præsentanea vocatur.* Brisson. de Form. i. p. 13. Guther. de jur. man. i. 8.

Porca apud Columellam longissima dimensione centum viginti pedes habet, latitudine vero triginta: qui numerus ductus in alterum profert pedes quadratos ter mille sexcentos. Est ergo octava pars jugeri, & quarta pars actus. *Cenal. de ponder. ac mensur. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 1487. F.*

Porca in agris eadem est quæ lira. Columella: *Liras rustici vocant easdem porcas, cum sic aratum est, ut inter duas latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis præbeat.* Varr. de Re rust. i. 29. *inter duos sulcos elatam terram* interpretatur, quod idem est. Glossæ: τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος. Idem vult Nonius, quum *porcas* esse dicit i. 305. *signa sulcorum, quæ ultra se jaci semina prohibeant.* Intelligit partes eminentes, & conspicuas inter sulcos, quæ sedem siccam seminibus præbebant, aqua per sulcos delabente. *Salmas. Exerc. Plin. p. 511. b. F. Voss. Lex. Etymol. Pius Annot. prior. c. 10.*

PORCARIUS. V. illum infr. in *Porculator.*

PORCIA lex. V. illam supr. in *Lex.*

PORCULATORIS *& subulci diversa professio, diversæ pastiones, nec eundem glabræ sues, densæque cœli statum, nec eandem educationem, cultumve quærunt.* Colum. Præf. i. Ille namque ob servabat lactentes. Colum. vii. 9. *Porculatoris maximum officium est, ut unamquamque cum sua prole claudat. . . . Attamen quia id facere gregibus amplius videtur operosum, commodissimum est haras ita fabricare, ut limen earum in tantam altitudinem consurgat, quantum possit nutrix exsilire, lactens autem supergredi non possit.* hic pascebat adultos. Varr. de re Rust. ii. 4. *Haræ altitudinis modus sit, ut subulcus facile circumspicere possit, ne qui porcellus a matre opprimatur. Subulcus debet consuefacere, omnia ut faciant ad buccinam.* Ut & porcarius. Papinian. tit. 4. leg. Sal. tit. 8. ex edit. Basil. *Porculatio* enim *nutricatus* est ex sententia Varr. l. l. *Pignor. de Serv. p. 538. Rhodigin. Ant. Lect. xxv. 26.*

PORCULUS est paxillus, vel uncus in medio suculæ fixus, ut teneat funem, qui suculam circumplexus simul versatur. Cato de re Rust. c. 19. *Porculum in media sucula facito. Inter arbores medium quod erit, id ad medium collibrato, ubi porculum figere oportebit.* Plaut. Rud. iv. 4. 126.

Quin tu i directa cum sucula, & cum porculis!

Popma de Instrum. fund. c. 11. Turneb. Adv. vii. 25.

PORCUS, vel *porca* a fœdus ineuntibus cædebatur. Hanc dicunt etiam Virg. Æneid. viii. 641.

— & cæsa jungebant fœdera porca.

Festus: *Porci effigies inter militaria signa quintum locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæsa porca, fœdus firmari solebat.* Suet. Claud. c. 25. n. 17. *Cum Regibus fœdus icit in foro, porca cæsa, ac vetere fecialium præfatione adhibita.* Illum Varr. de re Rust. ii. 4. *Initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur.* Liv. i. 24. *Tu illo die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam.* ix. 5. V. illum *infr.* Dict. Cret. i. p. 15. *Calchas Thestoris filius, præscius futurorum, porcum marem in forum medium afferri jubet, quem in duas partes exsectum, orienti, occidentique dividit, atque ita singulos nudatis gladiis per medium transire jubet. Dein mucronibus sanguine ejus oblitis, adhibitis etiam aliis ad eam rem necessariis, inimicitias sibi cum Priamo per religionem confirmant: neque prius se bellum deserturos, quam Ilium, atque omne regnum eruissent.* Servius Virgilium hac in re lapsum esse credit, scribit enim l. l. *Falso ait porca. Nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur.* Legerat, quod in fecialium libris scribitur, *porcum* feriendum esse: nec meminerat, eampse *porci* vocem etiam dici de femina apud Cicer. de Legib. ii. 22. *Porco femina piaculum pati.* Et ideo *porcum* semper in feriundo fœdere adhibitum ait, lapsumque Maronem ipsum. Sed sic erraverit quoque Cicero, erraverit Suetonius, erraverit Festus. *Voss. Instit. Orat. i. 9. 11. Bochart. Hieroz. ii. 1. 33. Carol. Antiq. Roman. iii. 11. Kipping. Antiq. Roman. i. 12. §. 15. Paschal. Legat. c. 64. Zimmerman. Floril. Philol. p. 632. Tiraquell. in Alex. Gen. v. 3. Turneb. Adv. xxvi. 29. Stuck. de Sacrif. p. 65. Donat. in Livium. Pitisc. in Suetonium.* *Porcus* quidem cædebatur in fœderibus, sed femina. Quare apud omnes laudatos auctores *cæsa porco* legendum putem. Nam in sanciendo fœdere femina Cereri immolabatur, cui sine piaculo mas dari non potuit. Mares enim diis, feminas deabus mactare, pontificalis observatio est, ut videmus ex votis fratrum arvalium, qui Jovi bovem, Junoni vaccam, Concordiæ vaccam, Genio taurum voverunt, & persolverunt. In omnibus tamen sacrificiis cum feminini generis plus valerent victimæ: si per marem litare non possent, succidanea dabatur femina. Quod si per feminam non litarent, succidanea nulla poterat adhiberi, sicque succidaneæ diis feminæ dari solebant. *Guther. de vet. jur. pontif. iv. 18.* Percutiebatur vero a fecialibus. Liv. ix. 5. *Quid aut sponsoribus in fœdere opus esset, aut obsidibus, ubi precatione res transigitur? per quem populum fiat, quo minus legibus dictis stetur? ut eum ita Jupiter feriat, quemadmodum a fecialibus porcus feriatur.* Et quidem silice. Serv. l. l. *Nam cum ante gladiis conficeretur, a fecialibus inventum, ut silice feriretur, ea causa, quod antiquum Jovis signum lapidis silicem putaverunt esse.* Liv. i. 24. *Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit.* Pitisc. l. l. Immolabatur Cereri. V. supr. in *Porca.* Laribus. Horat. Sat. ii. 3. 164.

— immolet æquis
Hic porcum Laribus.

de eo qui insania non vexetur. Insanos *porco* immolato expiari constat ex Plaut. Men. ii. 2. 15.

Adolescens, quibus hic pretiis porci veneunt
Sacres sinceri? CY. *Nummo.* ME. *Eum a me accipe.*
Jube te piari de mea pecunia.
Nam ego quidem insanum esse te certo scio.

Hoc piaculi genus antiquis usitatum fuit. Ratio. Maniam Græci insipientiam, insaniamve dicunt. At Maniam hanc Larum matrem fuisse cognominatim pronuntiavit Varro. V. illum supr. in *Mania.* Quin & Sex. Pompejus Maniam Manium deorum, qui iidem & Lares dicuntur, aviam, matremque fuisse scribit: utriusque enim opinionis esse auctores. Hinc factum, ut vecordes homines, & insani Laribus sacrificarent, ut qui ejusdem cum matre potestatis essent participes, aut qui proprio numine Maniam genetricem συμβωμὸν καὶ σύνναον placarent, insaniæque asperginem detergerent. Merito autem videtur immolari *porcus* Laribus, qui & grundiles a grunniendi appellatione dicuntur. V. supr. in *Lares.* Jun. Anim. iv. 7. Laurent. var. sacr. gentil. c. 14. Buleng. de Conviv. ii. 24. Minervæ, cui ob immunditiem est invisus. Veneri hercle graviori de causa. Festus: *Suillum genus invisum Veneri prodiderunt poetæ, ob interfectum ab apro Adonim quem diligebat dea.* Tomas. de Donar. c. 4. Silvano. Juven. vi. 447.

Cædere Silvano porcum.

Stuck. de Sacrif. p. 65. Natalibus epulis apponebatur, iisque in deliciis erat. Plaut. Pseud. i. 2. 32.

Mihi hodie natalis est dies, decet eum vos omnes concelebrare,
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua jaceant.

Juven. Sat. xi. 84.

Moris

Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum.

Horat. Od. III. 17. 14.

—— cras genium mero
Curabis, & porco bimestri.

Sed quidnam esse causæ dicemus, cur fartum, & lardum potissimum natalitiis apposita? An quia dapsilis admodum caro, ac tenera? vel quia ad pastum natum animal, cui, ut Chrysippus dicebat, *anima pro sale est, ne putisceat.* Cicer. de Nat. Deor. II. 64. Schott. Obs. v. II. 14.

Porcus mystica hostia vocatur. Tibull. I. II. 26.

Hostiaque e plena mystica porcus hara.

In iis enim sacris Cereris, quæ mysteria vocabantur, consuetudo fuit, ut quisque pro se Cereri *porco* faceret. Ratione V. supr. in *Porca.* Neque sane satis convenit inter antiquos scriptores de causis, ob quas hoc, aut illud animal, autem, aut illi deo immolaretur. Alii enim, quod cuique deo gratissimum esset, id ad illius aras mactari solitum ajunt. Alii, quod quisque deus odisset, ejus potissimum illum cæde oblectari putabant. Sed utra de causa *porcus* Cereri caderet: illud certe observabatur, ut & præpinguis esset, & nulla sui parte mancus, aut mutilus. Ergo *porcos mysticos*, aut mystericos vocabant, qui pinguissimi, & integerrimi essent. *Porcos sacres sinceros* vocat Plautus. V. illum supr. in *Porcus.* Quare Megarensis ille Aristophaneus, qui filias suas pro *porcis* vendere cupiebat, [illegible], ut saccum ingressæ ita grunniant, ut *porci* mystici esse videantur. Acharn. III. 2. 16.

Sed & [illegible] hac applicate rostra, tum
In [illegible] irrepite, grunnite, insuper
Clamate, & porcorum vocem emittite,
[illegible] mysticarum.

Et paullo post interrogatus a Dicæopoli, quid ferret, *porcas* se mysticas ferre respondet III. 3. 15.

Quid fers? MEG. *porcas mecum apporto mysticas.*

Muret. Var. Lect. III. 7. Turneb. Adv. XXIX. 32. Donat. in Liv. I. 24. Stuck. de Sacrif. p. 65. Ræward. Conject. III. 18. Zimmerman. Floril. Philol. p. 633.

Porcus sacer vocabatur a partu decimo die purus, & integerrimus, quod tum primum idoneus ad sacrificia. Varr. de re Rust. II. 4. *Qui a partu decimo die habentur puri, ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum. Itaque apud Plautum in Menæchmis, cum insanum quem putat, ut piaetur in oppido Epidamno, interrogat: quanti hic porci sunt sacres.* Sacrem porcum, qui a partu statim purus est, dicit Veranius apud Festum. *Suis fœtum sacrificio die quinto purum esse, pecoris octavo, bovis tricesimo* [illegible] Plin. VIII. 51. *Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 451. P[illegible] de [illegible] c. 5. [illegible] in Plaut. Men. II. 2. 16. Zimmerman. Floril. Philol. p. 634.*

¶ *Porcus* etiam erat signum militare. V. supr. in *Aper.*

Porcus Trojanus, singulare luxus invertum, nomen inde accepit, quod ita diversas species animalium tegeret, quemadmodum equus ille, fatalis machina, heroas ad excidium Trojanum inclusos tenuit. Macrob. Sat. III. 13. *Ipsa vero edulium genera quam dictu turpia? nam Cato in suasione legis Fanniæ objecit seculo suo, quod porcum Trojanum mensis inferant: quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum; ut ille Trojanus equus gravidus armatis fuit.* Quæ animalia includerentur, videre est apud Athen. IV. p. 129. B. *Erant in ipso simul assi turdi, vulvæ, ficedularum copia innumerarum, vitelli ovorum [illegible], & pectines.* Qui & IX. p. 376. B. refert mensis illatum *porcellum* ab altera parte assatum, & probe tostum; ab altera vero jurulentum & elixum: cui & hoc quoque coqui artificium accesserat, quod nullum vulneris vestigium inspectantibus exhiberet, cum tamen non solum exenteratus, sed etiam impensis multa farctus, & [illegible] esset. Identidemque memorat pro farctu fuisse [illegible], atque alias aviculas, ovorum vitellos, abdomina [illegible], & vulvas minutatim concisas, & gallinas, quarum quoque ventres farctis vulvarum, lucanicis, isiciis, aliisque lautitiis distenti essent. *C[illegible] de Fin. Carn. II. 3. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 11. Pancirol. de rer. deperd. & inv. p. 503. Bulen. de Conviv. II. 5.*

PORIATICUM vocabatur tributum, quod pro mercibus solvebatur, ubi evehebantur. *Buleng. de Vectig. c. 86.*

PORPHYRIO avis habebat rostrum puniceum, sive rubri coloris. Eustath. Odyss. III. p. 126. *Vocatur porphyrio ob rostrum puniceum.* Braun. de vestit. sacerd. Hebr. I. 14. 3. Mart. XIII. 78.

Nomen habet magni volucris tam parva gigantis,
Et nomen prasini porphyrionis habet.

In Narbonensi provincia est frequens, rostro, & cruribus purpureis, cæruleus toto corpore color. *Buleng. de Conviv. II. 12.*

PORRECTA *inter exta* [illegible], quæque porrecta dicebantur [illegible], qua significatur illud temporis intervallum, quod [illegible] inter extorum exsectionem, & eorundem porrectionem, seu projectionem in aram, in focum, in mare, atque fluctus: aut quo ea diis redditur, *porricitur*, id est, projici oportebat. Varr. de Ling. Lat. V. 3. V. illum infr. in [illegible]. & supr. in *Dies intercisi.* Stuck. de Sacrif. p. 197.

PORRICERE *est ex antiquitatis [illegible], & ex præcepto pontificum verbum solenne [illegible]. Veranius ex primo libro Pictoris ita [illegible] hujus verbi exemplum est: Exta porriciunto, dis danto in altaria, aramve, focumve, eove quo exta dari debebant. Porricere ergo, non projicere, ut quidam, proprium sacrificii verbum est. Et, quia dixit Veranius, in aram, focumve, eove quo exta dari debebant, pro ara & foco mare accipiendum est, cum sacrificium diis maris dicatur.* Virgil. Æneid. V. 235.

Dii, quibus imperium est pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras voti reus; extaque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Macrob. Sat. III. 2. Varr. de re Rust. I. 29. *Quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quod ea seges frumentum porricit. Sic quoque exta diis cum dabant, porricere dicebant.* Unde illud Varronis *inter porrecta & cæsa.* V. illud supr. in *Porrecta.* Brisson. de Form. I. p. 27. Stuck. de Sacrif. p. 196. Gutber. de vet. jur. pont. IV. 2. Turneb. Adv. XXIV. 13. S[illegible] de S[illegible] c. 20. Palmer. Spicil. X. p. 777. Voss. Lex. Etymol.

PORRICIÆ dicuntur exta, quæ in aræ foco ponuntur, quod diis *porriguntur,* Solin c. 11. *Nec longe inde collis Vulcanius, in quo qui divinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem: cum porricias intulerint, si adest deus, sacrorum probator, sarmenta licet viridia, [illegible], nullo inflagrante halitu, a numine fit incendium.* Turneb. Adv. XXIV. 13. Sed magis placet veterum codicum lectio, in quibus est *proficias.* Quo utitur etiam Arnob. VII p. 231. *Quod si omnes has partes, quas proficias dicitis, accipere dii [illegible], suntque diis gratæ.* Festus: *Proficiæ, quod profecatum porricitur.* Dicuntur *proficere,* & *porricere:* quia pars extorum prius *proficitur,* hoc est, *præsecatur:* deinde *porricitur,* hoc est, aris imponitur, ut comburatur. *Voss. Lex. Etymol. in Porricere. Salmas. Exercit. Plin. p. 90. a. E. Brisson. de Form. I. 24. Gutber. de vet. jur. pont. IV. 2. Elmenhorst. [illegible] Herald. in [illegible]. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 477. [illegible] I. 11. § 9.*

PORRO *Quiritis* [illegible] vox quiritantium, & auxilium populi implorantium. P[illegible] XXV. 1.

Porro, num quis est [illegible], Quirites,
At [illegible].

Tertull. adv. Valentin. c. 14. *Inclamaverit in eam, quasi porro Quirites.* Apul. Met. VIII. p. 263. *[illegible] meis oculis tolerantibus, porro Quirites, præclare gestivi.* Turneb. Adv. XIII. 22. Brisson. de Form. VIII. p. 718. Scioppr. Verisim. I. 16. & in Priapeja. Voss. Lex. Etymol. in Quiritare.

PORTA eſt janua urbis, aut arcis, quæ intra muros fixa. Cum olim urbem novam conderent, aratro urbis futuræ ſpatium deſignabant: ubi vero introitus, & exitus futurus erat, aratrum a deſignatore portabatur. Cato in Fragmentis: *Qui urbem novam condit, tauro, & vacca aret: ubi araverit, murum faciat: ubi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat, & portam vocet.* Plutarch. in Romul. p. 23. E. *Conditor aratro æneum vomerem adjungit: junctisque bobus mare & femina, ipſe circum lineamenta profundum inducit ſulcum. Ubi portam deſignare viſum eſt, vomere exempto, atque aratro ſublato, ſpatium relinquunt.* Voſſ. Lex. Etymol. *Portæ* ſanctæ erant. V. ſupr. in *Lex Romilia de portis.* ſed non ſacræ. Et male in plerisque juris exemplaribus ſcripta eſt lex Hermogeniani l. 2. ff. ne quid in loco ſacro: *In muris, itemque portis, & aliis ſacris locis aliquid facere quo damnum urbi detur, non permittitur.* Pandectæ Florent. legunt: *& aliis publicis locis.* Prudentes Etruſcæ diſciplinæ ajunt apud Servium in ſchedis, apud conditores Etruſcarum urbium non putare urbes juſtas eſſe, in quibus tres portæ non eſſent dedicatæ, & votivæ. Illas ideo quodammodo divini juris eſſe dicit Cajus, tum propter dedicationem, tum propter ſimulacrorum ſanctitatem, quæ in portis urbium collocabantur, quæque tranſeuntes ritu quodam religionis ſalutabant. Lucret. I. 318.

—— tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.

Manu enim ſimulacra tangebant, vel expanſa, vel ſupina, dum ne digiti per eam inter ſeſe eſſent implexi, quod genus adorationis *ad os manum admovere* vocat Iero Putcanus: erantque *portæ* [illegible], & templa deorum. Guther. de vet. jur. pont. III. 6. & 10. *Donat. de Urb. Rom.* I. 4. *Laurent. var. ſacr. gentil. c.* 8. *Turneb. Adv.* XVIII. 6. XXV. 1. Antiquitus moris erat, ut deorum idola ad urbium *portas* collocarent. Deinde loco horum Imperatorum, & Principum ſtatuæ ad *portas* ponebantur. Xiphil. LXXVI. p. 866. B. *Tamen in ſtatuam patris, Severi, quæ ad eam portam conſtituta erat, quâ exercitum erat e ſuis lucis, quæque pedibus in viam, quâ ibatur, cernit.* Unde certe originem traxit illud, quod *portis* urbium & arcium inſignia Principum addantur, ad quem pertinent. *Nicol. de Sigl. vet.* c. 32. §. 5. Olim ferro tegebantur, ne ſubjecto igne ab hoſtibus exurerentur, ut docet Veget. IV. 4. Claud. de Bell. Get. II. 215.

Ferrataque Getis ultro ſe pandere portæ.

Appian. de Bell. civ. IV. p. 634. *Quum nec portam ferratam aperire ...* Vid. in Ammian. XXI. 12.

Porta inter aggeres, ut illam veteres appellarunt, ut plurimum ea creditur, quæ ab altera caſtrorum prætorianorum parte conſtructa videtur: ſed perquam levibus, ne dicam, nullis argumentis. Voculæ enim *inter aggeres* ſatis clare indicant, non eam in medio aggere Servii Tullii fuiſſe, verum inter hunc, & illum Tarquinii Superbi: unde aut illa S. Laurentii fuit, aut inter illam & portam majorem alia, quam Querquetulanam fuiſſe tradunt nonnulli, & in Viminali fuiſſe collocant. V. infr. in *Porta Querquetulana.* Illam obſtructam Sabiuſam fuiſſe exiſtimaverim; in quo ſi ſcopum non attingo, certe haud multum aberro: ſiquidem vel ab hac, vel non procul inde, via Valeria ibatur in Sabinos. Niſi potius Collatina ipſa fuerit, quam omnes illic fuiſſe credidere, ubi nunc Pinciana eſt, ſed male: non modo, quia veteres Servii muri eo non pervenere: verum etiam, quia via Collatina, ut ex Frontino colligo, proxime campum dictum Salonium tranſibat, ubi magna illa aquæ virginis ſcaturigo; & ubi Collatinam olim fuiſſe Cluverius demonſtrat. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 11.

Porta Agrætis. V. illam infr. in *Porta Catularia*, & *Viminalis.*

Porta Agonenſis antiquitus dicta Collatinam proxime ſequitur. Feſtus: *Agonia, ſacrificia, quæ fiebant in monte; hinc Romæ mons Quirinalis Agonius, & Collina porta Agonenſis.* Poſt Quirinalis eſt dicta. Feſtus: *Quirinalis porta eſt dicta, ſive quod ea in collem Quirinalem itur, ſive quod proxime eam eſt Quirini ſacellum.* Deinde Collina, a collibus Quirinali, Viminali, & Eſquilino: vel ab Urbis tribu, & regione; in qua ſita erat, quæ Collina dicebatur, longo tempore appellata eſt. Liv. V. 41. *Ingreſſi Urbem, patente Collina porta, in forum perveniunt.* Ovid. Faſt. IV. 871.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ.

Poſterioribus temporibus a via, cui impoſita erat, Salaria appellari cœpta. In illa viam Salariam deſiiſſe ſcribit Tacit. Hiſt. III. 82. 4. *Tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat.* Strab. V. p. 158. *Rerum ſcriptor Fabius auctor eſt, Romanos tum primum divitiarum cenſus accepiſſe, quum Sabinorum potiti ſunt gentis; per ipſos via Salaria, in quam apud Heretum Sabinorum vicum ſupra Tiberim jacentem Nomentana incidit, non magnæ longitudinis ſtrata eſt, ex eadem Collina porta inchoans.* Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 243. C. Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 8. Donat. de Urb. Rom. I. 19. Aring. Rom. Subterr. IV. 28. I. Nardin. Rom. Vet. I. 9. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 4. Bergier. de viis milit. III. Sect. 23. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 9. Blond. Inſtaur. Rom. I. §. 9. Godelev. in Liv. II. 11. Eadem *Salutaris ab æde Salutis, quæ ei proxima fuit*, ut ait Feſtus *Donat. l. l. Claude de Salutat. c. 9.* Ego Salutarem a Collina diverſam fuiſſe puto. Nam primum ille de via Salaria agit, & porta Collina: tum vero poſt de porta Salutari, tanquam alia, & ab illa altera diverſa. *Nardin. l. l.*

Porta Aſinaria, ut multi putant, olim Cœlimontana, quæ probabiliter aſſeritur ea quæ hodie S. Johannis dicitur. Per hanc Beliſarium Neapoli venientem Urbem intraſſe ſcribit Procop. de bell. Goth. I. Meminit & Anaſtaſ. in Silverio papa *Venit ad portam Aſinariam*, inquit, *juxta Lateranos, & civitatem intravit.* Unde & Aſinariam dictam Fulvii opinio eſt, quod per eam intrarent e Neapolitano regno ad Urbem venientes aſinarii. Verum quod ad Procopium via tum temporis Neapoli venientibus maxime trita, atque uſurpata erat Appia, & poſt Appiam Latina. Sed & idem Procopius refert, Beliſarium, relicta Appia ad ſiniſtram, veniſſe via Latina. *Portæ* Aſinariæ magnum argumentum eſt via Aſinaria, de qua Feſtus, collocans eam inter Ardeatinam & Latinam. V. illum infr. in *Retrices.* Ejus cum iis, quæ ex Procopio citavi, conveniunt. At verba nimis quam manifeſta ſunt, & clara Anaſtaſii *juxta Lateranos*, quæ quam ſtrictiſſime accipienda cenſeo: neque *portam* S. Johannis eſſe Aſinariam, ſed hanc minorem illam, quæ paullo ulterius obſtructa conſpicitur, ubi Urbis muri diſpari a toto reliquo mœnium ambitu facie arcuati ſunt, & inſtar palatii feneſtras habent: ſic ut veteris palatii Lateranenſis eſſe poſſint reliquiæ. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* I. §. 8. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 250 *B. Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 24. §. 5. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 14. *Godelev. in Liv.* II. 11. Ex Feſti verbis quid elicitum reſcio. Fuiſſe hoc ordine ſtratas vias, ut primo Latina, deinde Aſinaria, poſtea Ardeatina eſſet? Id vero negant Antiquarii, qui inter Ardeatinam & Aſinariam mediam Appiam, & Laurentinam conſtituunt. *Portam* Aſinariam fuiſſe prope Latinam, cum via prope eſſet. Atqui prope Latinam *portam* fuit Capena. Nam de Gabiuſa, quæ ſupra Latinam erat, hic ſermo eſſe non poteſt. Quid ergo ſtatuendum? Nihil equidem certi. Sed tamen in his locis fuiſſe Aſinariam viam & *portam.* Via quidem diverſa ab Appia & Latina fuit: ſed in alterutram illarum incidens, tendensque ad *portam* ſive Capenam, ſive Latinam, ſuum etiam nomen alterutri tribuebat. Fulvius in cauſa nominis afferenda ridiculus magis, quam eruditus. Ego honeſtius deducerem ab hortis Aſinianis, qui erant in regione Piſcinæ publicæ, ut refert P. Victor: aut aliquo Romano Aſinio, vel Pollione, vel Gallo, qui ſub Auguſto fuerunt conſules, auctore, vel inſtauratore. *Donat. de Urb.*

Urb. Rom. I. 21. Hanc Cœlimontanam fuisse illud etiam confirmat, quod mons ipse nullam aliam, præter hanc, *portam* habet. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 8. *Panvin. ibid. D. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 36.

Porta Aurelia sine dubio pone D. Petri Montorii ædem fuit, hodie S. Pancratii dicta, Procopio Pancratiana; ubi veterem viam Aureliam incepisse certo constat. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 8. *portam* pontis Hadriani, & non Aurelianam, sed Æliam appellatam censet: quam qui Aurelianam dictam suspicari possit, utpote ab eo Imperatore cæteris adjectam; cujus postea vocis pars truncata, variatave sit ab errante, vel historico, vel descriptore librario. Verum pontem illum non alium, quam ad molem Hadriani transitum habuisse, tantum non certo affirmari potest: omnemque tollit dubitationem instrumentum donationis a Carolo M. D. Petro factæ, allatum a Francisco Maria Torrigios in historia B. V. quæ est in Ecclesia Monachorum S. Sixti, & Dominici de monte Bagnanapoli, Aureliam illam *portam* esse S. Spiritus confirmans: *Concedimus etiam in ipsa supradicta Ecclesia in circuitu ipsius totum prædium, ubi sita esse videtur, integrum cum terminis a primo latere porticu majore pergente juxta Vaticanum usque ad S. Agathæ, quæ dicitur in lardario, venientem ad murum civitatis Leoninæ usque in ipsa Ecclesia S. Salvatoris, videlicet de ipsa munitione quatuor turres; a secundo latere monumentum, qui stat supra sepulcrum Marci fratris Aurelii. A tertio latere forma Trajana usque in porta Aurelia. Et a quarto latere descendente de prædicto monumento usque ad alveum fluminis, locum, qui dicitur Septemventus.* . . . Ubi per monumentum illud Marci fratris Aurelii præter ipsam *portam* via quoque Aurelia confirmatur, quæ etiam nunc recta per Burgum S. Petri vadit, & inde pergere necesse habuit, ut cum altera illa S. Pancratii jungeretur. Aurelia igitur *porta* triumphalis fuit, in qua initium viæ Aureliæ. Est, qui non viam Aureliam, sed aliam quandam a *porta* S. Pancratii inchoasse scribat, quæ paullo post cum Aurelia conjungebatur. Quæ opinio, licet ei cum C. Magni instrumento conveniat, non tamen cum vetere cœmeterio concordat, quod illic loci fuit, ubi nunc est ecclesia S. Pancratii, extra *portam* S. Calepodii dictam, ubi Sixtus papa, & Julius senator sepulti: quos in via Aurelia conditos acta martyrum testantur. Sed quod maxime urget, via Aurelia jam ævo Ciceronis exstitit, qui Phil. XII. 9. inquit, *Tres sunt viæ ad Mutinam, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.* Quod si igitur hæc a M. Aurelio Imperatore, fratreque ejus, nomen accepit, seu quod refecerint eam, ut fieri potuit, seu quod in ea monumentum habuerint, quo pacto Cicero id tot ante eos natos annis divinare potuerit, non video. Sed nodus hic solvitur, quia duplex fuit via Aurelia, vetus, & nova. Altera nova appellata de M. Aurelii sepulcro ab eodem Aurelio facta videtur, aut certe ab ejus fratre Aurelio, aliove istius familiæ, quæ a *porta* triumphali, quæ erat ad S. Spiritus, incipiens, rectaque ad mare pergens, necessario cum illa vetere conjungi, unirique debuit. Hæc in initio etiam Regalis dicta fuit: quod nomen forte ab Imperatore M. Aurelio habuit, auctore ejus, vel etiam amplificatore. Æquum igitur fuit, ut *porta* dein super eum pontem ab Aureliano in novis ejus mœnibus facta Aurelia appellaretur: triumphalis autem a via triumphali, quæ illic incipiebat, quanquam tum nec via Aurelia a ponte Ælio, ac mole Hadriani incepit; nec *porta* Aurelia supra illum pontem fuit. Verum præterquam quod & pons Ælius solus ad Hadriani molem aditum dederit, ad quam nullus alius fuit, quantum e Procopio colligere est; idem ille historicus de *porta* Aurelia loquens eandem supra pontem S. Spiritus collocat. *Nardin. Rom. Vet.* I. 10. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 16. *n.* 3. *Donat. de Urbe Roma* I. 17. *Aring. Rom. Subterr.* II. 11. 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 20. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 25. *Godelev. in Liv.* II. 11. Hanc a Pancratiana tamen diversam fuisse multi contendunt *Aring. Rom. Subterr.* II. 11. §. 1. & 2. *Marlian. l. l. Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 28. §. 1.

Porta Capena post Latinam parvo intervallo se ostendit. Solin. c. 1. *Italus Rex ex Sicilia cum Syracusanis ad Janum venit, ac ejus consilio, auxilioque civitatem juxta Albam condidit Capenam nomine, & ab ea postmodum Capena porta est appellata.* Asconius etiam scribit, *extra hanc portam lucum, & ædem Camœnarum fuisse.* Propterea que *portam* Camœnam a nonnullis fuisse appellatam. Nunc a proximo templo S. Sebastiani dicitur, quam olim Capenam fuisse hac confirmari ratione potest. Eam enim in via Appia fuisse ostendit Frontinus his verbis: *Appius censor viam Appiam a porta Capena usque Capuam munivit.* Quum autem via, in qua Septizonium Severi ædes exstat, tendens ad portam S. Sebastiani, via Appia a Spartiano & Julio Capitolino vocetur, non est quod dubitare possimus, *portam*, quæ nunc in via Appia exstat, fuisse Capenam, quæ apud poetas, & historicos celeberrima est. Liv. IV. 3. 71.

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ.

Madidam vocat Juvenalis supr. in *Lucus.* Vel quia inter cæteras *portas* esset demisso loco. Hoc confirmare videtur Cicer. Orat. I. 7. *Romæ, & maxime Appia, ad Martis mira proluvies, Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ, magna vis aquæ usque ad piscinam publicam.* Vel propter aquæductus prope ipsam derivati formam. Hanc sententiam innuit Mart. III. 47. 1.

Capena grandi porta qua pluit gutta.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 8. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 252. A. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 4. Donat. de Urb. Rom. I. 21. Grang. in Juvenalem. Bergier. de viis milit. II. Sect. 33. §. 3. III. Sect. 25. §. 6. Boissard. Topogr. Urb. Tom. I. p. 32. Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 17. Blond. Instaur. Rom. I. §. 17. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 13. Godelev. in Liv. II. 11.

Porta Carmentalis a Romulo inter cætera exstructa est. Nam si a Tatio facta fuisset, absque consensu, auctoritateque Romuli fieri non potuisset, a quo murorum illa prolatio præcipue dependebat. *Nardin. Rom. Vet.* I. 2. Fuit ad ima Capitolini montis versus Tiberim, ubi nunc forum Montanara est. Hujus sunt multa indicia. Dionys. I. p. 25. *Carmentæ, sicut aliis localibus, & genius aras erectas vidi: Carmentæ quidem sub Capitolio juxta portam Carmentalem.* Solin. c. 1. *Pars autem Capitolini montis infima habitaculum Carmentæ fuit: ubi Carmentis nunc fanum est, a qua Carmentali portæ nomen datum est.* Idem ostendit, quod extra eandem *portam* erat forum olitorium. Asconius. V. illum supr. in *Forum olitorium.* Ejus situm ostendit etiam Plutarch. in Camill. p. 141. F. ubi ait: Capta a Gallis Urbe, obsessoque Capitolio, ut in arcem evaderet Pontius Cominius *nudus, secundo flumine incubans cortici tranavit ad Urbem, & conjiciens hostem vigilare ex ignibus, ac strepitu, ivit ad Carmentalem portam, quæ majorem habebat quietem*, & *juxta illam maxime arduus Capitolii collis assurgit, & saxum undique multum, & asperum natura factum est.* Donat. de Urb. Rom. I. 9. Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 3. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 233. B. Kipping. Antiq. Roman. I. 4. §. 3. Godelev. in Liv. II. 11. Nec solum nostra, sed nec Titi Livii ætate ullam *portæ* usum habuit. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 20. Hoc pugnat cum Liv. XXVII. 37. Verba ejus invenies infr. in *Templum Apollinis.* Igitur cum extra *portam*, extra Urbem erant. Pugnat cum Ovid. Fast. II. 201.

Carmentis portæ dextra est via proxima Jano;
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.
Illa fama refert Fabios exisse trecentos;
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.

Liv. II. 49. *Infelici via a dextro Jano portæ Carmentalis profecti.* Festus in Scelerata: *Porta Carmentalis quæ dicitur quod ei proximum Carmentæ sacellum fuit, appellatur a quibusdam scelerata, quia per eam sex & trecenti Fabii cum clientium millibus quinque egressi adversus Etruscos, ad amnem*

Cremeram omnes sunt interfecti: qua ex causa factum est, ut ea porta intrare, egredive omen habeatur. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 1. §. 7. Donat. Godelev. & Marlian. l. l. Scalig. in Festum. Blond. Instaur. Rom. 1. §. 6. Ab aliis Tarpeja, & Vejentina solet appellari. *Panvin. ibid. E.*

Porta Catularia proxima fuit Carmentali, sub radicibus montis Quirinalis sita. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 1. §. 7.* Hæc Nomentana fuit. Patet hoc ex Ovid. Fast. IV. 905. Hinc Festus. V. utramque supr. in *Cinarium.* Eandem hodie S. Agnetis nuncupant, ab æde illi sacra extra pomœrium, & portam, quod Pius IV. Pontifex refecit. *Donat. de Urb. Rom. 1. 19. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 264. B.* Non sequitur hinc, Ovidio Romam redeunti flaminem occurrisse ad hanc *portam*; quum ipse aliud quæsitæ viæ compendium ad ædes suas, Romæ jam proximus, videri possit, quæ sub Capitolio fuere, ut docet ipse Trist. III. 29.

—— & adhuc Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere Lari.

Non erat [illegible] magni momenti, ut Aniene transito dextrorsum de via in campum Martium deflecteret, atque ita *porta* Catularia [illegible], quæ [illegible] colle hortulorum est, Urbem [illegible]. Hoc si [illegible] supposuerimus, [illegible] veteri Suetonii Augusto interpretis, quæ paradoxa, & æquivoca semper existimata est, plana jam videbitur, & omnino [illegible]: *Porta triumphalis media fuisse videtur inter portam Flumentanam, & Catularia.* [illegible] ad Tiberim sub Capitolio [illegible] Catularia ad campum Martium fuisse sub Quirinali: [illegible] triumphalem inter has mediam fuisse. *Nardin. Rom. Vet. 1. 9.*

Porta Cœlimontana. V. illam supr. in *Asinaria.*

Porta Collatina est proxima [illegible] post Flumentanam; cui a Collatia oppido nomen inditum est. Festus: *Collatia [illegible] oppidum prope Romam, eo quod opes aliarum civitatum ibi fuerint collatæ, a qua porta Romæ Collatina dicta est.* Mœnibus a Collina *porta* ampliatis eisdem est addita: vel [illegible] Flumentanam eo, ubi nunc est, [illegible], [illegible] appellari a proximo [illegible]. *Marlian. Topogr. Urb. Rom. 1. 8. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 4. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 242. D.* [illegible], *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 1. §. 8. Donat. de Urb. Rom. 1. 19. Bergier. de viis milit. III. Sect. 23. §. 1. Fabric. Descr. Urb. Rom. 1. 8. Blond. Instaur. Rom. 1. §. 8. Godelev. in Liv. II. 11.* V. illam in *Pinciana.*

Porta Collina. V. illam supr. in *Agonensis.*

Porta [illegible], Gabiusæ, [illegible] proxima fuit. Hoc posset multis veterum scriptorum auctoritatibus demonstrari. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 247. Bergier. de viis milit. III. Sect. 24. §. 1. Godelev. in Liv. II. [illegible]* Magna agitata quæstio inter antiquarios, an porta S. Laurentii olim Esquilina fuerit. Quidam affirmant, [illegible]; alii Nevie [illegible], Esquilina nomen attribuunt. [illegible] auctoritas [illegible], Dionysii, Strabonis, ut Esquilinam appellem: [illegible] priscorum invenio [illegible]. *Donat. de Urb. Rom. 1. 19. Marlian. Topogr. Urb. Rom. 1. 8. Blond. Instaur. Rom. 1. §. 10. & 12.* Sed non procul absuit a Tiburtina. V. etiam infr. in *Porta Tiburtina.* Alii [illegible] propemodum usui, quam educendis ad supplicia [illegible]; ac proinde tanquam supervacanea obstructa fuit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 1. §. 7.* Etiam Taurina ab insculpto tauri capite, & Libitinensis, puto, dicta est, quod per eam cadavera [illegible] Esquilinum commune plebis sepulchrum efferebantur. *Donat. & Blond. l. l.* Antiquissimo [illegible] Metia. Id [illegible], quod idem de Metia scribat Plautus, quod de Esquilina Horatius, nec dissentit [illegible] Tacit. Annal. II. 32. 5. qui ait [illegible] *extra portam Esquilinam* de nocentibus supplicium [illegible] Cas. II. 6. 2.

[illegible] ardentem te extra portam Metiam
Credo [illegible].

Horat. Epod. V. 99.

Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.

In quem locum annotavit Porphyrio, *in regione aggeris extra portam Esquilinam solita fuisse pauperum corpora vel comburi, vel projici.* Combusta fuisse indicat Plautus, projecta Horatius. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 4. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 249. C. Guther. de jur. man. 1. 19. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.*

Porta Fenestralis, sive Fenestrella Romæ fuit appellata. *An quia Servius Rex cum secundissima fortuna rem habuisse creditus est, quum per fenestram ad eam penetraret, an hoc fabulosum, illud autem verum: Tarquinio Prisco Romæ regnante, cum is a pastoribus esset occisus, Tanaquil ejus uxor, mulier sane prudens, & fortis, per fenestram populum allocuta, multitudini persuasisse dicitur, ut Servium Regem declararet.* Plutarch. Problem. 35. Ovid. Fast. VI. 569.

Lux eadem Fortuna tua est, auctorque locusque,
Sed superjectis quis latet iste togis?
Servius est, jam constat enim, sed causa latendi
Discrepat: & dubium me quoque mentis habet.
Tum dea furtivos timide profitetur amores,
Cœlestemque homini concubuisse pudet.
Arsit enim magna correpta cupidine Regis,
Cæcaque in hoc uno non fuit illa viro:
Nocte domum parva solita est intrare fenestra,
Unde Fenestralis nomina porta tenet.

Hanc non Urbis, sed palatii fuisse crediderim. Urbs enim Servii Tullii Regis tempore latius se extendebat, quam ubi *porta* Fenestralis fuisse describitur. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 265. B. Godelev. in Liv. II. 11.* Ego aliter sentio, quandoquidem ita ejus meminerunt Ovidius & Plutarchus. Non quisquam eam *portam* Urbis Romuleæ fuisse dicat: nam sub Servio demum ultimum super septem colles prolati muri sunt: & hæc in iis *porta* fuit; neque a Varrone inter inutiles intra pomœrium numerata. Veritas responsionum Plutarchi ad hoc problema in eo consistit; quod Servius fortunam sibi ab ea fenestra advenisse professus, e qua Tanaquil ad populum verba faciens Tarquinii mortem dissimulaverat, in aliqua novarum, quas post in prolatione mœnium ædificavit, *portarum* Fortunæ posuerit simulacrum, sive in pictura, sive in marmore, quæ ipsi per fenestram intraret: hunc autem thalamum fortunæ dictum. Hinc fabula orta. Fortunam noctu in amplexum Regis isse per istam fenestram: & inde *portæ* isti nomen Fenestralis, sive Fenestrellæ: quam vel in Viminali, vel in Quirinali fuisse suspicor, vel potius in Esquilino: hi enim tres colles Urbi ab eo Rege sunt adjuncti. *Nardin. Rom. Vet. 1. 9.*

Porta Ferentina. Hujus meminit Plutarch. in Romul. p. 32. F. *Expiationibus civitates expurgavit, quas adhuc etiam Ferentinam ad portam observari tradunt.* Strab. V. p. 164. *in via Latina Ferentinum urbem* fuisse asserit. Hinc crediderim, Ferentinam *portam*, quam Plutarchus, esse Latinam. Et Ferentinam appellatam existimo, quod ea iter esset ad Ferentinos Hernicorum populos. *Marlian. Topogr. Urb. Rom. 1. 8. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. III. p. 251. A. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 4. Donat. de Urb. Rom. 1. 21. Bergier. de viis milit. III. Sect. 15. §. 1.*

Porta Figulensis. V. illam infr. in *Viminalis.*

Porta Flumentana incipienti a Tiberi occurrit primo. Ab antiquis Flumentana dicta est, quod Tiberis partem ea fluxisse affirmant, ut ait Festus. Erat que, ut opinor, in valle inter Capitolium, & Quirinalem, quæ olim angustior, postea ad ædificationem fori Trajani, egesta terra, laxior fuit. Liv. XXXV. 9. *Tiberis loca plana Urbis inundavit, circa portam Flumentanam etiam collapsa quædam ruinis sunt.* Meminit & Cicer. Attic. VII. 3. *Cur, cum portam Flumentanam Cœlius occuparit, ego Puteolos non faciam meos?* Vario deinde murorum ambitu, varios nacta loco-

locorum ſitus eadem via, quæ recta tendit ad Capitolium, ævo adhuc noſtro inde receſſit, ubi ævo Beliſarii erat. De ea enim Procop. de bell. Goth. I. *Nec portam Flaminiam Gothi tentarunt, ut loco præcipiti ſitam, atque adeo ut adiri non facile queat.* Quare credibile eſt, tunc in proximo colle, poſt cœnobium Auguſtinianorum locatam fuiſſe, quo & pons Milvius recta videtur ſpectare. Nunc in planitiem traducta, egregia lapidum ſtructura, Doricis columnis, epiſtyliisque ſingulari Pii IV. pontificis maximi munificentia exornata eſt. Cur mutato nomine Populi dicatur, cauſam quidam eſſe putant, quod propinquo Mauſoleo Auguſti proceras populos adſitas habuit, quibus illud ſepulcrum ad ædem nunc S. Rocchi conditum inumbrabatur. Vel ergo ab iis arboribus, vel quia eas operi circumjectas ſylvas in uſum populi Auguſtus publicavit: aut verius, quia propinqua ædes B. Virginis populi dicitur, a populo Romano, Paſchale II. pontifice primum exſtructa cognomentum ſumpſit. Eadem fortaſſe Ratumena eſt, niſi hæc Carmentalis olim Flaminiæ propinqua. Nam actis apud Vejos ludis, *maximum*, ut ait Plin. VIII. 42. *augurium fuit, in Capitolium perveniſſe ab Vejis, cum palma, & effuſo Ratumena, qui ibi vicerat, unde poſtea nomen portæ eſt.* Expeditiſſimus quidem hac *porta* ingreſſus illi fuit, qui ludicro quadrigarum certamine vicerat in Etruria, & ab equis in Urbem raptus intra muros excuſſus eſt. Plutarch. in Poplic. p. 104. A. de eodem & Ratumena: *Juxta Capitolium, ad portam, quam nunc Ratumenam vocant, effuderunt eum.* Quæres, cur ego *portam* Flumentanam inter Quirinalem, & Capitolium antiquitus poſitam fuiſſe cenſuerim potius, quam prope flumen, ubi ſtatuunt alii, & propinquam ſibi Tiberis illa fluens demonſtraverit. Reſpondeo, hac de re me diu ſuſpenſum dubitaſſe; id enim indicat allata ratio. Sed ſpatium illud inter Quirinalem, & Capitolium utrinque olim modica acclivitate conjunctum, cujus partem Corvorum macellum hodie nuncupant, & mittens ad initium fori Romani, neceſſario obſtrui mœnibus debuit: igitur & media *porta* fieri pervium. Hæc autem quæ alia eſſe potuit, niſi Flumentana? Carmentalis enim erat ex alia parte. Imo & Tiberis eidem illapſus id demonſtrat. Non enim mirum fuit, illum fluxiſſe Carmentali tam propinqua, ſed hanc longius ſejunctam cum adjunctis ædibus inundaſſe, ut poſtea recedens merito Flumentanæ nomen illi reliquerit. *Donat. de Urb. Rom.* I. 19. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 7. *Blond. Rom. Inſtaur.* I. §. 7. Flaminiæ ſucceſſiſſe dici non poteſt: verum potius muris mutatis, pro multis aliis, quæ antea in Quirinali erant, hanc eſſe ſubſtitutam: quam, quod in via Flaminia eſſet, inde quoque nomen habuiſſe, neceſſe eſt. *Nardin. Rom. Vet.* I. 10.

Porta Flumentana vicina fuit Tiberi, quam flumine afflictam tradit Livius. V. illum ſupr. in *Porta Flaminia.* Feſtus: *Porta Flumentana ſic appellata, quod Tiberis partem ea fluxiſſe affirmarent.* Non erat eo loco, quo noſtra ætate *porta* populi: alioqui Martius campus intra pomœrium fuiſſet clauſus, quod dicere abſurdum eſt. Erat igitur ad Tiberis ripam, circa loca ubi nunc ſunt ædes Farneſiorum, vel haud longe a campo Floræ, ad Tiberis ripam, e regione murorum, quos Ancus Rex in Janiculo crexerat. Unde Liv. XXXV. 21. *Tiberis infeſtiore, quam prius, impetu illatus Urbi, duos pontes, ædificia multa, maxime circa portam Flumentanam evertit.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 8. Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 7. Godelev. in Liv. II. 11. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 234. B. Nardin. Rom. Vet. I. 9. Ad latus fuit Carmentalis, non tamen ſuperflua, quod per eam, ob Fabiorum interitum ſceleratam dictam, exire ominoſum erat. Tum, quod nec alia in vicinia *porta* erat, qua in campum Martium exiri commodius poſſet. *Nardin. l. l.*

Porta Fontinalis dicta eſt a fontibus. Feſtus. V. illum ſupr. in *Fontinalia.* Extant magnæ molis muri, ſcate trium adhuc fontium receptacula, ſub monte, qui aureus dicitur, ipſi portæ proximo, & haud longe ad Vaticani mœnia per tinente. Liv. XXXV. 10. *Ædiles alteram porticum ad portam Fontinalem ad Martis aram, qua in campos iter eſſet, perduxere.* Dici autem ſubtus Janum eam *portam*, quod Janiculo, vel monti, vel regioni ſubjaceat minus quam cæteræ noſtræ ætatis corrupte a toleret, eſt abſurdum. Quod vero hæc ſola poſſit eſſe Fontinalis, inde certum habemus, quod nulla eſt *porta* alia, qua in campos Vaticani iter eſſe poſſit: præſertim cum nullum tunc temporis alium ad Tiberim pontem, quam ſublicium Roma haberet. *Blond. Rom. Inſtaur.* I. 27. Hanc quidam eandem ac Capenam eſſe dixerunt. Sed Liv. I. 26: III. 22. de Capena: de Fontinali vero l. l. ita loquitur, ut diverſas eſſe oporteat. Nunc Septimiana dicitur, & ab Imperatore L. Septimio Severo appellata eſt. Ait enim Spartian. c. 19. thermas ipſum extruxiſſe in Janiculo *ad portam nominis ſui.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 8. Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 258. B. Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 21. Caſaub. ad Spartianum. Godelev. in Liv. II. 11. Qui Capenam Fontinalem eſſe volunt, *in campos* apud Livium exponunt, ubi pugnabant trigemini. Sed probabilior eſt ratio, ut de Vaticanis intelligamus, ex eo quod Plin. XXXV. 12. ſcribit *Vitellium CC. ſeſtertiis condidiſſe patinam, cujus facienda fornax in campis exædificata erat.* Videmusque in Vaticanis etiam nunc fornaces, multamque argillam ad fictilia conficienda aptam, quod eſſe non conſtat in campis tergeminorum. Præterea crebrior mentio eſt de Vaticanis. Plin. XXXVI. 5. *Praxiteles Jovem fecit eburneum in Metelli æde, qua campus petitur.* Cicer. Attic. XIII. 33. *Campum Vaticanum fieri quaſi Martium campum.* Marlian. Panvin. l. l. Horum interpretatio non ſatisfacit. Nam apud Livium etiam *campum* legitur; qua ſola voce ſignificatur *campus* Martius, in qua ara Martis fuit, qui quod in duos divideretur, majorem, & minorem, plurali numero *campi* de hoc potius, quam de aliis accipiendi ſunt. Quis autem neget, Livium huncce ea voce deſignaſſe, atque ea propter Fontinalem eam *portam* eſſe, qua ad campum Martium exibatur. Hoc ſtatuo ex Liv. XL. 45. *Comitiis confectis, ut traditum antiquitus eſt, cenſores in campo ad aram Martis ſellis curulibus conſederunt.* Et ex lege antiqua Numæ, apud Feſtum in Opima: *Secunda ſpolia in Martis aram in campo ſolitaurilia utra voluerit cædito.* Nec Cicero *factum eſſe campum Vaticanum, quaſi Martium* dicit, ſed *fieri:* quod incœptum ſucceſſu caruit. Campi autem, in quibus patina Vitellii conflata, diverſi ſunt ab his campis, in quibus tantum lateres & tegulæ coquebantur. Nam ſubtiliora e creta opera, ut nunc, ita & olim alibi fiebant; ſicut e teſtaceo videre eſt: illa vero his adhuc pulcriora, e terra Samia, e qua patina illa fuiſſe facta videtur, locum præſtantiorem, commodioremque exigebant. Ergo in campum Martium per *portam* iter fuit Fontinalem: ad quam ea propter extructa porticus; nomenque ei inditum ab fonte aliquo, qui ad *portam* illam forte fuit: vel a feſto, quod extra illam in honorem deæ fontium celebratum. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. *Donat. de Urb. Rom.* I. 21.

Porta Frumentaria. Hujus meminit Varr. de re ruſt. III. 2. *Nam quod extra Urbem eſt ædificium, nihilo magis ideo eſt villa, quam eorum ædificia, qui habitant extra portam Frumentariam.* Niſi forte hic locus corruptus eſt: ſiquidem in quibusdam libris *Flumentanam* legitur. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9.

Porta Gabina, ſive Gabiuſa, noſtro ſeculo S. Laurentii appellatur. Occurrit poſt Cœlimontanam in angulo murorum, ſub Cœliolo, nunc clauſa: per illam ingreditur rivus hodie Appii dictus. Dicta eſt, quod iter aperiret in Gabios, cujus oppidi jam diu demoliti loco Gallicanum, quod hodie vocant, ſucceſſit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 8. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 246. *F. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 12. *Donat. de Urb. Rom.* I. 21. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 27. §. 12. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 34. *Godelev. in Liv.* II. 11. Hanc quoque Metrodii fuiſſe appellatam dicunt, quam S. Gregorius Epiſt. IX. 38. Metroni vocat. *Per Metroni portam exeuntes, ut eos in Latinam, vel Appiam*

viam

viam ſequerentur. Donat. & Fabric. l. l. Blond. Inſtaur. Rom. I. §. 10. V. etiam infr. in *Porta major.*

Porta Janiculenſis aperitur in cacumine Janiculi. Eſt Aurelia antiqua, hodie S. Pancratii. *Borrich. Antiq. Urb. Fac.* I. § 8. *Bergier. de viis munt.* III. *Sect.* 27. §. 5. Quo nomine apud antiquos vocaretur, hactenus non inveni. Et ego a Janiculo, quum aliud nomen non habeam, Janiculenſem vocatam fuiſſe exiſtimo. Non fuit Aurelia, ut fere omnes veteres antiquarii affirmarunt. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 257. *E. Nardin. Rom. Vet.* I. 9. *Godelev. in Liv.* II. II.

Porta Janualis *fuit ſub radicibus collis Viminalis.* Macrob. Sat. I. 9. Quod ſi verum eſt, confirmat ea, quæ de parte Quirinalis urbis pomœrio a Tatio comprehenſa Dionyſius, & Strabo tradunt. Atque ita muris a monte Bagnampoli verſus ædem S. Agathæ tendentibus in fundo eſſe potuit: unde montis Viminalis exſurgunt radices. Verum, præterquam quod illa fabuloſa de aquis e Jani templo verſus illam *portam* ſubita eruptione in auxilium Romuli, qui ibi a Sabinis premebatur, exundantibus narratio etiam *portæ* ipſius fidem elevat, licet ab Ovid. Faſt. I. & Serv. Æneid. I. affirmetur, tota illa Macrobii aſſertio a Varr. IV. Janualem *portam* deſcribente confutatur, & in fumos abit. *Tertia*, inquit ille, *Janualis dicta a Jano, & ideo ibi poſitum Jani ſignum, & ejus inſtitutum a Numa Pompilio, ut ſcribit in Annalibus L. Piſo, ut ſit clauſa ſemper, niſi cum bellum ſit.* Fuit templum hocce Jani in foro, mutatumque tempore Procopii, uti illud deſcribit Goth. II. in ædiculam æneam. Unde liquet ædiculam illam tum temporis, non aliquam Romæ urbis *portam*, tempore pacis cluſam fuiſſe: verum primis temporibus Jani templum *portam* fuiſſe: & in inſula, cum Servius Tullius Romanæ urbis pomœrium protuleriet, in honorem venerationemque ſigni a Romulo, & Tatio ibidem Jano dedicati relictum, atque inde nomen accepiſſe: poſtea vero ſublata illa *porta* ſacellum Jano factum, in quo cultus fuit, ritusque ille a Numa inſtitutus tempore pacis illud claudendi perpetuo deinceps obſervatus, retentusque. Ni forte ipſe Numa Urbem ampliando, dilatandoque muros, portam illam ad uſque radices montis Viminalis, ut ex Macrobio vidimus, protulerit, & priſtinam illam in ædiculam converterit, aut vicino Jano ædiculam exſtruxerit: quæ ſententia mihi non aliena a vero videtur. *Nardin. Rom. vet.* IV. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 3. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 232. *D. Donat. de Urb. Rom.* I. 4. *Godelev. in Liv.* II II.

Porta S. Johannis. V. illam ſupr. in *Porta Aſinaria.* & infr. in *Latina.*

Porta Julia, vel Viridaria, ſubjecta palatio pontificis. Hæc in campos ducit. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 4.

Porta Labicana. V. illam infr. in *Porta major.*

Porta Latina. Ejus via Latina ſilicibus ſtrata, & S. Johannis Apoſtoli ſacellum, evidens ſunt argumentum. Eadem & Ferentina nonnullis creditur. V. ſupr. in *Porta Ferentina.* Sed litandum veritati eſt. Indebantur *portis* nomina vel a proximis, vel a celebratis maxime, & frequentioribus locis. Ferentinum vero caſtellum exigui, aut nullius potius nominis erat, Romaque multo remotius, quam vel Anagnia, vel Compitum, vel Roboraria, quæ in via Latina fuere. Mea fert opinio, *portam* Ferentinam illam S. Johannis eſſe, aut aliam vicinam, nomenque nactam ab celebri illo nemore, ſeu templo Ferentini, quo teſte Liv. I. 51. ut & Dionyſ. IV. p. 247. generalis totius Latii populorum conventus erat, in cujus aquis Turnus Herdonius dolo Tarquinii Superbi ſubmerſus eſt. Hoc templum, aquiſque prope antrum Ferratum, & Marinum Cluverius docet, multiſque probat argumentis. Eadem & piacularis appellata a piaculis, quæ ibi fiebant. Feſtus: *Piacularis porta Romæ dicta propter aliqua piacula, quæ ibidem fiebant.* Liquet hoc clariſſime ex verbis Plutarchi allatis ſupr. in *Porta Ferentina.* Neque tamen ideo negaverim, *portæ* Latinæ fuiſſe nomina earum, quæ in hoc tractu fuiſſe memorantur, ut Næviæ, Raudusculæ, vel aliud aliquod, & Latinæ nomen prius viæ proprium fuiſſe. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. *Godelev. in Liv.* II. II. Manifeſta ſui adhuc prodit indicia, ſed nunc ob viciniam Capenæ obſerata torpet. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* I. §. 8. Nulla ejus mentio ante Aureliani tempora reperitur. Quicunque enim ex recentioribus, vetera narrantes, hujus *portæ* tempore, quo nondum extabat, meminerunt per prolepſim, & ut locum verum, tunc extra *portam* Capenam via Latina, immutata jam, eo quo ſcripſerant, ævo, loci facie, evidentius explicarent, per prolepſim, inquam, locuti ſunt. *Fabrett. de Aquæduct. Diſſert.* I. *Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1697. *B.*

Porta Lavernalis ubi fuerit, incertum eſt. *Faunus Antiq. Roman.* I. 24. Capenam olim ſequebatur. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* I. §. 8. In reliqua Aventini parte uſque ad Trigeminam, uni tantum locus eſt, quoniam præruptus loci ſitus a jam in ea parte *portam* nullam fuiſſe perſuadet, niſi in magna illa convexitate, quæ prope *portam* S. Paulli Aventinum in duos colles dividit. Hic erit locus ſecundum Varronis ordinem ultimæ ex tribus ejus *portis*, nempe Lavernali. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. Dicta eſt *ab ara Lavernæ, quod ibi ara ejus deæ fuerit.* Varr. de Ling. Lat. V. 34. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 265. *A. Donat. de Urb. Rom.* I. 21.

Porta Laurentii. V. illam ſupr. in *Porta inter aggeres, Eſquilina & Gabina*, & infr. in *Major & Tiburtina.*

Porta Libera. V. illam infr. in *Porta Saturnia.*

Porta Libitinenſis. Ejus meminit Lamprid. in Commod. c. 16. *Galea ejus bis per portam Libitinenſem elata eſt.* Hæc a Libitina dicta fuit, quod per eam cadavera mortuorum ad ſepulcrum efferrentur. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 265. *A. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 21. *de Proph. Roman. rit. c.* 26. *Bellon. de Oper. Antiq. præſtant.* I. 16. *Godelev. in Liv.* II. II. Et ideo Eſquilinam fuiſſe credo. *Donat. de Urb. Rom.* I. 21. Ego, quod Libitina funeribus præerat, omnique funebri apparatui, ac inſtrumento, nihil illi cum Eſquilina commune fuiſſe exiſtimaverim. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. Fuit in amphitheatro, & per illam efferebantur gladiatores, & beſtiarii occiſi. *Lipſ. Saturn.* II. 22. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom* IX. *Præfat.* * * 4.

Porta major quæ nunc appellatur, Nævia fuiſſe creditur, ab ædificii magnificentia, propter ductum aquæ Claudiæ, cujus ibi veſtigia apparent. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 8. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 37. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 13. *Biond. Inſtaur. Rom.* I. §. 10. Et ex pugnæ argumento, quam ibi decertatam refert Liv. II. II. P. Valerius conſul, *ut eliceret prædatores, edicit ſuis, poſtero die frequentes porta Eſquilina, quæ averſiſſima ab hoſte erat, expellerent pecus. . . . Inde T. Herminium cum modicis copiis ad ſecundum lapidem Gabina via occultum conſidere jubet: Sp. Lartium, cum expedita juventute ad portam Collinam ſtare, donec hoſtis prætereat: deinde ſe objicere, ne ſit ad flumen reditus. Conſulum alter T. Lucretius porta Nævia cum aliquot manipulis militum egreſſus. Ipſe Valerius Cœlio monte cohortes delectas educit: hique primi apparuere hoſti. Herminius, ubi tumultum ſenſit, concurrit ex inſidiis: verſiſque in Lucretium Etruſcis, terga cædit; dextra lævaque, hinc a porta Collina, illinc ab Nævia redditus clamor.* Sed ex hoc loco manifeſtiſſime contrarium evincitur. Par enim ferme ſpatium ad armenta, & inſeſſum ab Herminio locum, a *porta* Collina, & Nævia fuiſſe videtur, ad quas Largius, & Lucretius ſtabant: ad hos autem e monte Cœlio, quaſi de medio loco, tendebat conſul Valerius. Unde ſequitur, Næviam ultra illam S. Johannis fuiſſe. Næviam vero proximam *portæ* Latinæ fuiſſe infra oſtendam. Interim hoc velim obſervetur, ſi Herminius in via Gabina in inſidiis delituerit, ad quem recta conſul de monte Cœlio deſcenderit, viam, portamque Gabinam, ſive Gabiuſam non fuiſſe eo loci, ubi nunc illa S. Laurentii conſpicitur. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. Longiſſimo intervallo diſtat a regione piſcinæ publicæ, ubi erat Nævia, & hæc eſſe non poteſt. Eſquilinam fuiſſe, vel

Esquilinæ potius locum tenere aperte his verbis indicat Strab. v. p. 163. *Porro in unum cadit Labicana, a porta quidem Esquilina incipiens, a qua & Prænestina, a sinistra vero & hanc, & Esquilinum omittens campum, ultra 120 stadia pergit.* Quum autem Labico, vetusto sane oppido, ceterum disjecto, & in sublimi sito, propinquat, & hoc, & Tusculum relinquit, a dextra. Videant igitur hi, qui *portam* S. Laurentii Esquilinam faciunt, an Labicana, & Prænestina via, Gabina simul & Tiburtina ea uni *porta* incipiant: quum aperte constet a *porta* majore duas nunc exire vias, quarum altera Labicos, altera Præneste recta deducit. Quo fit, ut hanc pro indubitato potius Esquilinam olim fuisse credam. Confirmat Cicero, qui Esquilinam, & Cœlimontanam *portas* propinquas fuisse demonstrat, quum ait in Pison. c. 23. *Quum ego Cœlimontana porta introisse dixissem, respondisse me homini ea Esquilina introisse homo promptissimus lacessit.* Major itaque Esquilina dicitur, forte ab ædificii magnificentia, cui supposita est, id est, aquæ Claudiæ castellum. Hancque ibi locatam fuisse a Belisario crediderim eo tempore, quo Urbis muros a Gothis disjectos restituit, atque e proximo loco ibidem translatam: neque enim mihi verisimile videtur, veteres *portam* Urbis aquæductuum formis, vel castello subjecisse. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 248. *B.* 249. *E. Aring. Rom. Subterr.* IV. 8. §. 1. *Godelev. in Liv.* II. 11. Non fuit Esquilina, neque illa S. Laurentii. Septem enim stadiorum intervallum, quod inter Collinam, & Esquilinam intercessisse tradit Dionys. IX. p. 624. ad S. Laurentii nimis longum est, ad majorem nimis breve. Adhæc in Esquilino campo Tiburtinam, & Esquilinam fuisse Strabo refert. Quod si ergo in ea Tiburtina fuit, quam S. Laurentii esse dico in *porta Tiburtina*, major illic esse non potuit, quod hic campus eousque non pertigerit. Tandem Esquilinam ante Tiberium nulli ferme alteri rei, quam educendis ad supplicium damnatis inservisse, qui extra illam morti dabantur: quo usu postea obsoleto, ut patet e Tacit. Annal. II. 32. 5. velut superflua, teste Strabone, occlusa est. Erat igitur loco minus frequenti, & minus commodo. At S. Laurentii *porta* semper propter Tiburtinam necessaria fuit, in quam per eam exibatur, & propter illam, quæ e Romæ meditullio ad clivum S. Luciæ in Silice, duos montes Esquiliarum Cispium & Oppium dividentem pergens, in eadem *porta* desinebat. Neque minus necessaria fuit *porta* major, ad quam e foro via recta ad S. Clementis, & SS. Petri & Marcellini fuit, estque etiamnunc, Lavicana multis dicta, qua Gabios, & Præneste commodissime, & olim, & nunc exitur. Erat igitur Esquilina inter hasce duas, eo loco, ubi etiam nunc intervallum illud agnosci potest. Quænam igitur *porta* major fuerit, etiamnunc in obscuro est. *Portam* fuisse certissimum est, licet Marlianus arcum fuisse triumphalem velit. Ego Gabiutam, vel Labienam fuisse crediderim. Nam Gabii primum in ea via fuere, quæ Præneste ducebat: unde vel Gabinia vetus, ulterius postea extensa, Prænestina dicta fuit; quam & nunc ab ea *porta* incipere videmus: aut & hæc, & illa in principio sui fuere vicinissimæ. Hic & magnificus ille Tarquinii Superbi fuit agger: quem in ea urbis fuisse parte, quæ Gabios respiceret, docet Dionys. IV. p. 253. quod mihi argumento est, aut hanc Gabinam veterum esse, aut certe ab ea non admodum longe remotam. Nec desunt argumenta, ut Labicana existimetur. Duas ait Strab. v. p. 163. vias, Prænestinam, & Labicanam e *porta* Esquilina processisse. At Labicanam sibi singularem *portam* habuisse certum est e Plin. XXXVI. 5. Gabios autem iri via Prænestina ut Dionysius. Sequitur igitur, Labicanam proxime Esquilinam fuisse: quæ cum obturaretur, per hanc eadem commoditate in illas vias duas exitum patuisse; sicuti nunc etiam Prænestina hinc inchoatur. Ita clausa fuit Esquilina, forte, quod longo usu cognitum esset, commodiorem e Labicana Labicum, & Præneste exitum esse. Quin & accidere potuit, ut illa clausa hæc Esquilinæ nomine a pluribus appellata sit: quum de Aniene novo dicat Frontin. I. *Rectus vero ductus secundum spem veterem veniens intra portam Esquilinam.* Nardin. & Aring. l. l. Donat. de Urb. Rom. I. 19

Porta Metia aliquando Esquilina fuit dicta. V. supr. in *Porta Esquilina*. Verum Cleostrata illa Plauti non ita inops erat: tum & extra alias *portas* mortuorum cadavera exurere, magis quam extra hanc, familiare erat, ubi illa tantum in puticulis abjiciebantur. Liquet hoc clarius ex eodem Plaut. Pseud. I. 3. 97.

Extra portam Metiam currendum est prius.
Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis.

Nardin. Rom. Vet. I. 9. Godelev. in Liv. II. 11.

Porta Minutia *appellata est, eo quod proxima esset sacello Minutii. Minutia porta Romæ est dicta, ab ara Minutii, quem deum putabant.* Festus. Quænam, vel ubi fuerit, ignoramus. *Donat. de Urb. Rom.* I. 21. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 358. *B. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 264. *B. Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 24.

Porta Mugionia *Romæ dicta est a Mugio quodam, qui eidem tuendæ præfuit.* Festus. Hanc non procul a via nova versus Aventinum fuisse tenuit Solinus. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 264. *C. Godelev. in Liv.* II. 11.

Porta Nævia inter portam Capenam & Tiberim fuisse dicitur. De ea loquens ait Varr. de Ling. Lat. IV. 34. *Sequitur porta Nævia, quod in nemoribus Næviis. Nævius enim loca, ubi ea sic dicta, incoluit.* Hanc omnes superioris ætatis antiquarii inepte nimium majorem nunc esse dixerunt. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 264. *E. Godelev. in Liv.* II. 11. Ejus præter Livium laudatum supr. in *Porta major* Victor quoque meminit, de piscina publica agens, quæ in regione octava erat, fuisse illic vicum dicens *portæ* Raudusculæ, & alterum *portæ* Næviæ. Panvinius ex Varrone colligit, has tres, Næviam, Raudusculam, & Lavernensem ultimas circuitus Romanæ Urbis ab eo latere *portas* fuisse. Verum si Nævia, & Rauduscula, in regione piscinæ fuerunt, quæ illic ad radices Aventini desinebat, ultra eas radices neutram harum portarum fuisse certum est. Quod ad Varronem attinet, si ille in fragmento isto ultimas istius lateris *portas* memorat, ubi, quæso, Capena & Trigemina fuere? Equidem existimo, cum Varro de *portis* scriberet, duas earum fecisse classes, sicut & postea fecit Procopius: & a præcipuis, maximeque claris initio facto, in minorum descriptione desiisse: quarum e numero tres supra dictæ fuere: atque ideo quinque illic *portas* fuisse concludo, ad radices nempe Cœlii, & Aventini, Latinam, Asinariam, Næviam, Capenam, & Raudusculam: nisi forte plura uni *portæ* tributa fuerint nomina; quod mihi perquam verosimile videtur. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9.

Porta Navalis fuit trans Tiberim, quæ & portuensis, nunc *porta* Ripæ, vel Vinaria, quod extra eam vina externa, maxime tamen Campana, & Tusca vendantur. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 12. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 19. V. illam & infr. in *Porta Trigemina.* & *Portuensis.*

Porta Nomentana. V. illam infr. in *Porta Viminalis.*

Porta Ostiensis. V. illam infr. in *Porta Trigemina.*

Porta Pancratii. V. illam sup. in *Porta Aurelia*, & *Janiculensis.*

Porta Pandana. V. illam infr. in *Porta Saturnia.*

Porta Paulli. V. illam infr. in *Porta Trigemina.*

Porta Pertusa, vel S. Peregrini, in dorso Vaticani, non longe a stabulis Palatinis. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 4.

Porta Pia. V. illam infr. in *Porta Viminalis.*

Porta Piacularis. V. illam supr. in *Porta Latina.*

Porta Pinciana ab omnibus antiquariis creditur eadem esse quæ Collatina. V. supr. in *Porta Collatina.* Sed male: non modo, quia Servii veteres muri eo non pervenere; verum etiam, quia via Collatina, ut ex Frontino colligo, proxime campum, dictum Salonium, transibat, ubi

magna illa aquæ virginis est scaturigo. Ut rem compendifaciam, Collatina in Esquilino fuit, Pincia in Pincio. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. & 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* I. §. 9. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 56.

Porta Populi. V. illam supr. in *Porta Flaminia.*

Porta Portuensis fuit in ambitu Transtiberino; ad portum Ostiensem deducebat, ubi mari refecti ab Honorio & Arcadio. Antiquitus navalis dicta fuit a proxima navium statione. Festus: *Navalis porta a vicinia navalium dicta.* Ante Claudii tempora, qui hunc portum excitavit, quo nomine vocaretur, non inveni. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 257. *D. Donat. de Urb. Rom.* I. 21. *Cluver. Ant. Ital.* III. 2. 29. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 27. §. 2. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 24. *Godelev. in Liv.* II. II.

Porta Posterula, vel *porta* Turrionis ducebat ad scholam Saxonum & Longobardorum, prope campum sanctum. *Fabric. Descr. c.* 4.

Porta Prænestina. V. illam supr. in *Porta major.*

Porta Querquetulana. De illa Plin. XVI. 10. *Sylvarum certe distinguebantur insignibus, Fagutali Jovi etiam nunc ubi lucus fageus fuit, porta Querquetulana, colle in quem vimina petebantur.* Si igitur in Viminali colle extat viminum sylva, a qua collis est denominatus, necesse fuit hanc portam in Viminali fuisse. In quo Varro Querquetulanum sacellum, P. vero Victor ac Sex. Rufus lucum Fagutalem ponunt. Quare etiam *portam* Querquetulanam eam olim fuisse, quæ nunc clausa est, crediderim, prope castrum prætorium, vel non longe ab eo. Quamvis me non lateat, Tacit. Ann. IV. 65. I. scribere *montem Cœlium Querquetulanum* prius vocatum fuisse. Utcunque autem sit, Varroni, Plinio, P. Victori, & Sex. Rufo magis credendum est, qui eam in Viminali fuisse, vel innuunt, vel aperte demonstrant. Hanc eandem existimo, cum ea, quam Festus Querquetulariam appellat. *Querquetularia*, inquit, *porta Romæ dicta est, quod querquetum intra muros Urbis juxta se habuerit. Querquetulanæ reputantur nymphæ, præsidentes querqueto virescenti, quod genus sylvæ indicat fuisse intra portam, quæ ab eo dicta sit Querquetularia.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 263. E. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 45. Godelev. in Liv. II. II. Schott. Urb. Rom. Descript. p. 431. Sic ego etiam infero, Varroni, Plinio, P. Victori, & Rufo credendum est, sed non magis quam Tacito. Non enim diversa sentiunt. Pliniani loci longe alia interpretatio est. Sane *Fagutali Jovi* texto errum, aut *Jove* legendum est, & sensus patet. Hoc est enim unum e sylvarum insignibus, Fagutalis Jupiter, ubi lucus fageus fuit. Tum pergit: *porta Querquetulana*, hoc est aliud insigne, ubi lucus fuit querceus. Pergit: *colle, in quem vimina petebantur:* tertium sylvarum insigne, collis Viminalis nomine a luco viminum, quæ ex eo petebantur. Hæc est germana ejus loci interpretatio: ubi *porta Querquetulana* interpunctione distinguetur a sequentibus verbis. Sic autem Plinius consentit cum Tacito. Nam hæc *porta* relinquetur in colle Querquetulano, id est, Cœlio. Victor, & Rufus lucum Fagutalem in quinta regione Esquilina collocant. Hoc nihil ad nos. Varro prope Esquilias, non in Viminali, quod ait Panvinius, ut legenti patet, constituit Querquetulanum sacellum. Hoc favet nobis. Nam Cœlius est finitimus Esquiliis, in quo sylva e quercubus, Querquetulana *porta*, & sacellum fuit. *Donat. de Urb. Rom.* I. 21. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9: IV. 2.

Porta Quirinalis. V. illam supr. in *Porta Agonensis.*

Porta Ratumena ubi fuerit, incertum est. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 24. Ut putat Donatus. V. illum supr. in *Porta Flaminia*, est Carmentalis. Verum Plutarchus ab illo laudatus, quod nemini hactenus animadversum, Ratumenam inter illas prius Capitolii *portas* numerat: *Impetu raptum; atque asportatum*, loquitur illic de Vejente isto auriga, qui ab equis suis Vejis Romam raptus fuit, *usque ad Capitolium; ibi hominem juxta portam dejecerunt, quam Ratumenam nunc vocant.* Nardin. Rom. Vet. I. 9. Godelev. in Liv. II. II. V. Festum infr. in *Quadrigæ.*

Porta Raudufcula ubi fuerit, incertum est. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 24. sequebatur Næviam. Varr. de Ling. Lat. IV. 34. postquam dixit de *porta* Nævia, subdit: *Deinde porta Rauduſculana, quod ærata fuit, & æs raudus dictum.* Quæ quum Næviam sequebatur, fortasse Esquilina, nunc S. Laurentii, etiam Raudufcula dicebatur. *Donat. de Urb. Rom.* I. 9. De hac *porta* mentionem etiam facit Val. Max. V. 6. 3. *Dignam pietatem, quæ quod ad solidam gloriam attinet, septem Regibus præferatur, cujus testandæ rei gratia capitis effigies ærea, qua excesserat, portæ inclusa est, dictaque Rauduſculana, quod olim raudera æra dicebantur.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Romen. Græv. Tom. III. p. 264. E. Nardin. Rom. Vet. I. 9. Godelev. in Liv. II. II.

Porta Romanula, sive Romana, erat altera palatii. *Quæ*, ut ait Varr. de Ling. Lat. IV. 34. *dicta est ab Roma, quæ habet gradus in navalia ad Volupiæ sacellum.* Festus: *Porta Romana instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatus est: appellata autem Romana a Sabinis præcipue, quod eo proximus aditus erat Romam.* In altero latere Palatini collis sita fuit, contra Aventinum, circi maximi vallem spectans. Quod conjicitur ex Varronis verbis: *Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulcrum Accæ, qui locus extra Urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula.* Velabrum enim prope Circum Maximum fuit. Quamquam Festus videtur refragari, qui hac *porta* iter aperit in Sabinos. *Donat. de Urb. Rom.* I. 4. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 232. *B. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 3. *Godelev. in Liv.* II. II.

Porta Salaria } V. illas supr. in *Porta Agonensis.*
Porta Salutaris }

Porta Sanavivaria fuit in amphitheatro, sic dicta, quod per illam qui vivi illo certamine fuerant, & periculis defuncti exibant. Istius nomen discimus ex passione S. S. Perpetuæ, & Felicitatis: *Et cœpi*, inquit Perpetua, *ire cum gloria ad portam Sanavivariam.* Sic enim bene correxerunt pro *Sanavivaria.* Inferius: *Et ambæ pariter steterunt, & populi duritia devicta revocatæ sunt ad portam Sanavivariam.* In MS. est ad portam *Sanevivariam.* Hæc Libitinensi erat adversa, per quam ex amphitheatro ibatur in forum. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* * * 4.

Porta Sangualis dicitur *proxima ædibus Anci.* Festus: in summa sacra via. Alii Sanginalem ab æde Sangi nominant: cujus sacellum in septima regione viæ latæ propinquum *portæ* Collatinæ numeratur a P. Victore. Vel Sangualis a Sanco, vel Sango dicta est, quem eundem faciunt cum deo Fidio, & Sancto. Nam cum hic ædem haberet in Quirinali, ubi *porta* Collina est, verisimile est, hanc etiam fuisse Sangualem. *Donat. de Urb. Rom.* I. 21. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 264. *D. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 6. *Godelev. in Liv.* II. II.

Porta Saturnia ad ædem fuit Saturni sub Capitolio. Varr. de Ling. Lat. IV. 7. *Ejus vestigia nunc manent, quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Junius scribit ibi, quam nunc vocant Pandanam.* De hac Festus: *Pandana porta dicta est Romæ, quod semper pateret.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 3. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 266. E. Donat. de Urb. Rom. I. 4. Blond. Instaur. Rom. I. §. 6. Godelev. in Liv. II. II. Non alibi quam in Velabro fuit sita. *Marlian. l. l.* Sed hoc a vero diversissimum est: siquidem primi Urbis Romuleæ muri eousque non pertingebant: secundi vero *portam* aliam tam vicinam Carmentali habere non potuerunt. Neque item Velabrum in Capitolio fuit, ubi quondam urbem Saturniam conditam diximus. Sed nec ad eum montem præter Carmentalem, & Janualem alteri *portæ* locus esse potuit. Quare illa mihi, cum nusquam ei locus fuerit, non Urbis, sed arcis aliqua Capitolinæ *porta* fuisse videtur. Capitolium, & muris cinctum, & *portis* suis instructum constat. Quod si autem *porta* hæc ante Varronis tempora dicta fuit Saturnia,

nia, id eſt, montis Saturni, certe una ex illius eſſe *portis* debuit, per quam ad aſylum fuit exitus. Quod ſi verum eſt, certum vera me dixiſſe illud argumentum eſt: quibus & addiderim Solin. c. 2. *Item & montem Capitolinum Saturnium nominarunt; caſtelli quoque, quod excitaverant, portam Saturniam appellaverunt, quæ poſtea Pandana vocata eſt.* Nardin. Rom. Vet. I. 3. *Liberam* novi ſcriptores fortaſſe dixere, *quod liberum aditum in Urbem jugiter præberet.* Marlian. l. l.

Porta Scelerata. V. illam ſupr. in *Porta Carmentalis.*

Porta S. Sebaſtiani. V. illam ſupr. in *Porta Capena.*

Porta Septimiana. V. illam ſupr. in *Porta Fontinalis.*

Porta S. Spiritus fuit infra Janiculum, eundo ad Septimianam, a templo vicino nomen habens, circa quam olim *porta* triumphalis fuit. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 9.*

Porta Stercoraria inter Urbis *portas* numeranda non eſt, cum clauſtri clivi Capitolini *porta* fuerit, angiporti nimirum, in quem immunditiæ, e templo Veſtæ ſtato quodam anni die egeſtæ, deferri ſolebant. Feſtus: *Stercus ex æde Veſtæ* 18. *Kal. Jul. defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoraria.* Nardin. Rom. Vet. I. 9: v. 11. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 3. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 267. B. Hennin. ad Bergier. de viis milit. III. Sect. 20. §. 9. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 3. Godelev. in Liv. II. 11.

Porta Taurina. V. illam ſupr. in *Porta Eſquilina* & infr. in *Tiburtina.*

Porta Tiburtina hodie S. Laurentii vocatur. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* I. §. 7. Hanc Fulvius vult extructam, poſtquam Eſquilina in aquæductu obſtructa fuit. Appellat eam & Taurinam a tauri capite, quod in faſtigio arcus viſitur: verum cum tale nomen nuſquam reperiatur, neque item ædificatam eam poſt clauſam Eſquilinam conſtet, ſatis mihi fallaci uſus videtur conjectura in ea, quam de ingenti veterum *portarum* habemus numero, certitudine, illiusque, quæ recta hinc Tibur ducebat, viæ. Siquidem ædes D. Laurentii, ad quam recta via ex hac *porta* pergitur, in via erat Tiburtina; in qua eam a Conſtantino ſtructam Anaſtaſ. in Silveſt. memorat: *Eodem tempore*, inquit, *Conſtantinus Auguſtus fecit baſilicam B. Laurentio martyri in Tiburtina in agro Verano.* Marlianus contra ea hanc aut Eſquilinam autumat, aut propius ad Nomentanam ſitam fuiſſe, perſuaſus verbis Liv. XXVI. 10. *Porta Capena cum exercitu Romam ingreſſus media Urbe per Carinas Eſquilias contendit. Inde egreſſus inter Eſquilinam Collinamque poſuit caſtra.* Unde colligit tranſitum Flacci a *porta* S. Sebaſtiani per Carinas ad illam ducere S. Laurentii: & ex ultimis verbis *inter Eſquilinam Collinamque* exiguum inter illas duas intervallum fuiſſe argumentatur. At mihi Eſquilinam eam non fuiſſe apertum ſatis videtur, liquidumque. Primo namque Eſquilina Strabonis tempore clauſa fuit: hæc autem cludi nequiit, quod ea in viam Tiburtinam exiretur. Dein ſi ab Eſquilina viæ duæ Labicum, & Præneſte ducebant, uti Strabo aſſerit, non ea eſſe potuit, qua via Tiburtina incipiebat; verum magis verſus *portam* majorem, & huic proxima, ſita eſſe debuit. Campum vero Eſquilinum inter *portam* S. Laurentii, & *portam* majorem fuiſſe, docui ſupr. in *Campus Eſquilinus*; & in hoc campo fuiſſe Tiburtinam, atque Eſquilinam Strabo indicat. Quare ſatius eſt ita exiſtimare, Tiburtinam magis ad ſiniſtram fuiſſe Tibur verſus; alteram magis ad dextram, qua Præneſte ibatur. Quod & aggeris a Servio exſtructi longitudo confirmat, quam Dionyſius inter Collinam, & Eſquilinam in ſeptem ſtadia porrectam ſcribit. Hoc ſpatium a villa Mandoſia per viam, quæ ſub veteri aggere pone Carthuſianorum cœnobium, ac villam Perettam eſt, ultra *portam* ſeſe S. Laurentii extendit. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9.

Porta Trigemina ultima intra Tiberim, vocatur aliquando Oſtienſis, quod Oſtiam verſus: aliquando S. Paulli, quod ad celeberrimam ejus baſilicam ducat. Trigemina cur ſit prius dicta, nondum reperi. Liv. XXXV. 10. *Ædiles porticum extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adjecto, fecerunt.* c. 41. *Porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt.* Lignarios autem, qui ad Tiberim eſſent, commode apud eam, quæ nunc eſt, S. Paulli, vel Oſtienſis dicitur, *portam* fuiſſe locatos veriſimile judicamus. Nec ſtare poteſt, quod volunt aliqui, volunt Donat. de Urb. Rom. I. 21. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 256. F. Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 8. Bergier. de viis milit. III. Sect. 26. §. 3. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 15. Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 18. Godelev. in Liv. II. 11. Schott. Itiner. Ital. p. 387. eam *portam* a trigeminis fratribus Horatii, qui Curiatios ante Albam ceciderint, dictam: quod hi fratres, qua exiverint *porta*, mentio nulla fit a Livio, qui eos forte in caſtris fuiſſe dicit: & tertium, qui fuerat ſuperſtes, *porta Capena* rediiſſe auctor eſt I. 26. Trigeminam fuiſſe eam, quæ nunc S. Paulli dicitur, oſtendit Frontin. de Aquæduct. I. dum aquæ Appiæ finem deſcribit his verbis: *Ductus ejus habet longitudinem uſque ad Salinas, qui locus eſt ad portam Trigeminam.* Salinæ autem ſub Aventino ad Tiberim fuerunt. *Blond. Inſtaur. Rom.* I. §. 19. *Panciroll. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 367. *D.* Horatiorum tempore nóndum exſtructa fuit: imo nec mœnia ultra Palatinum, & Capitolinum montes prolata. Cœlius enim poſt adjunctos patria everſa Albanos Urbi additus eſt. Veteres equidem ſtructuras, atque ædificia complura ſæpe nomen habuiſſe comperio, cujus origo nulla poſſit divinatione conjici. Hæc vero, non Portuenſis, vetus Navalis fuit, de qua Feſtus: *Navalis*, ait, *porta*, *item navalis regio*, *videtur*, *utraque ab Navalium vicinia appellata fuiſſe.* Niſi forte Navalis, & Lavernalis eadem eſt. Navalia namque, non, ut nunc, in Tranſtiberina ripa fuere, ſed in altera, quæ Aventino ſubjecta, ut docui ſupr. in *Navalia.* Quare quidam nimis quam audacter *portam* Navalem vanum eſſe recentiorum ſomnium ſcribit. Trigeminæ ſitum accuratum deſcribit Frontinus loco modo laudato. Aquæductus, de quo Frontinus, Fulvius & Marlianus ſuo etiam tempore veſtigia ruinarum in proximis vineis ſuperfuiſſe teſtantur: quas vineas alias eſſe nullas arbitror, quam quæ inter ſcholam Græcam ſunt, & montem Aventinum: in quarum una Fulvius cavernas exſtare antiquarum ſalinarum refert: unde *portam* hanc in extremis anguſtiis fuiſſe colligitur, aperteque Fulvius pronuntiat, ad quas Tiberis ab Aventino diſcedens vineis ſpatium relinquit ſub ædem S. Mariæ Aventinæ. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* I. §. 8. *Fabrett. de Aquaduct. Diſſert.* III. *Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1762. *E.* Antiquiſſima ex opere lateritio adhuc hodie fere integra cernitur ad Aventini radices prope Tiberim, ad vineas, quæ Trajani thermis adjacent. *Schott. l. l.*

Porta Trigonia ſpectabat Aventinum in muro Romuli. Credibile eſt Horatios hac egreſſos, adeoque poſteros ſimilitudine Trigoniæ, & Trigeminæ deceptos nomina diſtincta confudiſſe. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* I. §. 8. *Nardin. Rom. Vet.* I. 3. *Godelev. in Liv.* II. 11.

Porta Triumphalis, quin fuerit in Urbe, nemo dubitat. Ejus meminerunt Cicer. in Piſon. c. 23. *Aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne triumphali.* Suet. Aug. c. 101. n. 3. *Inter alia complura cenſuerunt quidam funus triumphali porta ducendum.* Joſeph. de Bell. Jud. VII. 24. *Ipſe*, Veſpaſianus, *ad portam recedit, quæ ab eo, quod per illam ſemper ducuntur triumphi, nomen accepit.* Solum ad uſum triumphorum patuit, aliis temporibus clauſa, & obſerata. Cicer. l. l. *Triumphalis porta Macedonicis ſemper conſulibus ante te patuit.* Innuit & hoc religio inferendi cadaver Auguſti per hanc *portam.* Si enim illa ſemper patente, quilibet alius vel civis, vel jumentum ingredi poterat, quæ tandem religio vetabat inferre mortuum Auguſtum, quæ aliarum *portarum* aditum non prohibebat? Leves equidem conjecturæ. Sed *porta* ſolis triumphis patens eorum dignitatem augebat: ideoque vix numeratur ab antiquis, quod raro eſſet in uſu, & poſtea ſeneſcente cum imperio omnino deſiit. Sunt qui Capenam faciunt, ut Pompon. Læt in Dioclet. *Inferebantur*, inquit, *fere*

omnes triumphi via Appia, porta Capena. Quod & Fulvius ſcripſit. *Donat. de Urb. Rom.* 1. 22. *Caſal de Urb. ac Imper. Rom. ſplend. part.* 2. *c.* 1. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* 1. 22. *Blond. Inſtaur. Rom.* 1. §. 41. *Triumph. Rom.* x *p.* 212. *G. Nicol. de Triumph. c.* 13. §. 4. Hanc vetuſtiſſimis temporibus triumphalem fuiſſe non nego. Extra eam celeberrimum illud templum Martis fuit, ubi antiquitus ſenatus dari legatis hoſtium ſolitus: queis Urbem intrare licitum non erat; ſi fides Fulvio habenda eſt: & vero ſimiliter illis quoque, qui triumphaturi eſſent. Cujus rei non exiguum argumentum eſt, quod illic Victor aliquem e ſenaculis tradit. Ex hoc templo, ſive, ut alii volunt, e templo Honoris, turmæ equitum Romanorum, olivis capita innexorum, in ſpeciem triumphi adornata pompa donorum, quæ meruerant, militarium Idibus quotannis Juliis, per loca Urbis celeberrima ad Capitolium tendebant, in memoriam ingentis olim de Latinis reportatæ auxilio Caſtorum victoriæ. Atqui hæc pompæ imago erat pompæ triumphalis, ducebaturque a *porta* triumphali in Urbem. Indicium ejus certiſſimum puto arcus illos veteres fuiſſe, quorum ad *portam* Capenam meminit Juven. Sat. III. 11.

Subſtitit ad veteres arcus, portamque Capenam.

Quippe qui olim primis temporibus extra vias triumphales non erigebantur. Poſtea vero, cum campus Martius frequentari, ornarique cœpit, ibidemque in æde Bellonæ, aut circo Flaminio, conſulibus triumphum petentibus, legatiſque hoſtium ſenatus dari ſolitus eſt, credo *portam* triumphalem unam ex his fuiſſe, per quas in campum Martium exitus erat, haud procul a circo Flaminio remotam. Id indicant auctore, qui Imperatores triumphaturos, in via Flaminia conſtituunt. Mart. x. 6. 5. de reditu Trajani:

Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta feneſtra nuru?
Quam mora dulces, longusque a Cæſare pulvis
Totaque Flaminia Roma videnda via?

Claud. de reditu Stiliconis xxII. 397.

Quæ tunc Flaminiam ſtipabant millia vulgi?

Unde facile mihi perſuaderi patiar, non Flumentanam illam fuiſſe, ut Donatus exiſtimat, verum potius illam, quæ ad Macellum Corvorum, a multis, ſed male Ratumena habita. Nomen viæ latæ, quæ ante illam erat, indicio eſſe videtur, latiorem eam quam cæteras fuiſſe: & qui in ea via fuere arcus, videntur convenire. Ex hac *porta* brevis in viam ſacram tranſitus erat: & inde inter Palatinum, & Cœlium, per circum maximum, per Velabrum, & per forum aſcenſus in Capitolium. Nec aliud ſonant verba veteris Suetonii interpretis allata ſupr. in *Porta Catularia.* Potuitque ea, ut viæ latæ, & amplæ oppoſita, latior & ipſa fuiſſe, quam cæteræ; quum per eam curru triumphali ab elephantis tracto Pompejus & Alexander Severus intraverint, teſtibus Plin. VIII. 2. & Lamprid. c. 57. qui quaternos currui adjunctos fuiſſe elephantos tradit. *Pedes quidem Palatium conſcendit, & currus triumphalis retro a quatuor elephantis tractus eſt.* Verumtamen Alexandrum non eodem curru Urbem ingreſſum nemo ſanæ mentis negaverit. Et anguſtior fuerit *porta* Pompeji tempore, quod addit Plinius, Alexandri tempore dilatari potuit. Nihil tamen affirmo. Tandem poſtquam Aurelianus muros ſecundum Tiberim ducendo portarum aliquam, quæ ſub Capitolio erant, ad pontem triumphalem tranſtulit, non alterius ad tranſitum uſus fuit, quam triumphalis: & hinc præter ipſam *portam* ponti etiam, & viæ, & campo triumphali nomen obtigiſſe dicerem, niſi jam ante Aurelianum viæ triumphalis in inſcriptione quadam exſtaret mentio. *Nardin. Rom. Vet.* 1. 10. *Donat. l. l. Nicol. ibid.* §. 1. *Godelev. in Liv.* II. 11. Hanc in ulteriore ripa Tiberis ad Spiritum S. in Saxia multis locare conantur *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* 1. 8. *Blond. Inſtaur. Rom.* 1. §. 41. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 258. *E.* . . . *p.* 260. *C. p.* 265. *E.* . . . Sed illos multo pluribus refutant *Donat. & Nardin. l. l.*

Porta Viminalis Collinæ ſuccedit, ejuſdem cum monte, in cujus extremo ſita, nominis, a quo & nomen ſortita eſt. Feſtus: *Viminalis, & porta, & collis appellabantur, quod ibi viminum ſylva fuiſſe videtur, ubi eſt & ara Jovi Vimineo conſecrata.* Hanc Regum tempore in aggere Tarquinii fuiſſe prodit Strabo. *In aggere medio tertia erat porta, ejuſdem nominis cum colle Viminali.* Tertiam dicit, quod Flumentana & Collina erant illa priores. Huic *porta* nunc S. Agnetis, a proxima ejus divæ æde nomen eſt. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 245. *F. Donat. de Urb. Rom.* 1. 19. *Schott. Urb. Rom. Deſcr. p.* 431. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* 1. 8. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 23. § 9. *Blond. Inſtaur. Rom.* 1. §. 10. *Godelev. in Liv.* II. 11. Sunt, qui velint *portam* Piam, eamque Nomentanam, quæ via recta Nomentum, hodie Lamentara ducit, & Figulenſem a figulis forte, qui extra illam ſuas habebant officinas, Viminalem nuncupatam eſſe. Sed qua id faciant inducti ratione, non video. Etenim mons hic inter duas ſuſpenſus valles conſpicitur, quarum altera ſulci inſtar vallem Perettam dividit, altera ad S. Bernardi deſinit, continebatque olim inter Quirinalem, & Viminalem thermas Diocletiani inferiores. Quare Nomentanam in Quirinali non fuiſſe, ne dubitandum quidem eſt. Quod ſi vero ara Jovis Viminei colli nomen dedit, in quo poſita erat, non potuit tamen iſti *portæ* dare, quæ extra illum collem fuit. Tandem Strab. v. p. 162. Viminalem inter Collinam, & Eſquilinam in medio collocans, multum illam ab hac ſejungit; quippe quæ a Collina, non niſi unico remota ſtadio cernitur, ab Eſquilina vero plus quinque; adeoque magis verſus Viminalem ſita, quæ erat in ipſo meditullio: unde & ad caſtra prætoria exeundum erat neceſſario, quippe quæ in extremo illo monte erant extra mœnia. Tum vero & in valle, quæ inter Quirinalem & Viminalem exitum dabat, priuſquam Aurelianus muros proferret, aut etiam Diocletianus illic thermas ædificaret, alia etiam *porta* fuerit, neceſſe eſt, cum vallis hæc tam commoda ad exitum muris tota cludi non potuerit. Ad hæc paullo ultra veterem Nomentanam, ubi caſtrorum prætoriorum clivus incipit, clauſa quædam ad latus videtur, quæ valli huic exactiſſime reſpondens opinionem meam mirifice confirmat. *Nardin. Rom. Vet.* 1. 9.

Portæ caſtrorum, quæ plerumque quadrata fuerunt forma, videntur fuiſſe quatuor. Liv. XL. 27. *Ad quatuor portas exercitum inſtruxit, ut ſigno dato ſimul ex omnibus partibus eruptionem facerent.* nominatque deinceps, *portam* extraordinariam, dextram principalem, ſiniſtram principalem, quæſtoriam. *Extraordinaria porta juſſit erumpere* quod in Livio ſcribitur, falſum eſt. Emenda *ordinaria.* Et hæc eadem cum prætoria, Livio hic ſic dicta, quia legitimum & ordinarium ea erumpere in hoſtem. Sed ſi hic juſtus numerus, quid fiet prætoriæ, quid decumanæ, & quintanæ? Prætoriam dixi eandem eſſe, quæ ordinaria. Quæſtoriam cenſeo eandem cum decumana. Quintanam dico eſſe nullam. Feſtus ſolus eam adſtruit: *Quintana appellabatur porta in caſtris poſt prætorium, ubi rerum utenſilium forum ſuit*, & ego deſtruo, reponoque: *Quintana appellabatur pars in caſtris*, vel ſimpliciter, *appellabatur in caſtris:* nam *portæ* nomen additum a Paullo, non a Feſto. Quintanam certe *portam* non fuiſſe, ſed partem certam caſtrorum ubi res venales, patet clare ex Liv. XLI. 2. *Prætorio dejecto, direptiſque quæ ibi fuerunt, ad quæſtorium forum, quintanamque hoſtes pervenerunt.* Lege ſequentia, videbis quintanam eſſe in mediis caſtris. Hyginus manuſcriptus: *In quæſtorio maxime legati hoſtium, & obſides, & ſi qua præda facta fuerit, in quæſtione ponitur. Lateribus ejuſdem tendere debet ad viam quintanam centuria ſtatorum, ut poſticum prætorii tueantur.* Iſidor. XV. 2. *Quintana pars plateæ quinta eſt, qua carpentum progredi poteſt.* Via igitur. Plane idem adſignificat Suet. Ner. c. 26. n. 4. *Quintana domi conſtituta, ubi partæ, & ad licitationem dividendæ, ſegerim divendendæ pretium aſſumeretur.* Non aliud ergo quam via latior in uſum fori: a metatione agrorum invento nomine, ut in porta decumana. *Lipſ. in Tacit. Ann.* 1. 66.

1. 66. *de Milit. Roman.* v. 5. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* v. *p.* 119. *Mod. in Liv.* xl. 27. *Stewech. in Veget.* i. 23. *Turneb. Adv.* xxx. 24. *Alexand. Genial.* i. 12. *Laurent. Polym.* iv. *Synopſ.* 3. *Priſc. in Suetonium.* Ita olim: nec inferior ætas valde mutavit, niſi quod minores quasdam *portulas* interſtruxit. Leo Imperator: *Ambitus foſſati portas quatuor majores, & publicas habere debet, portulas autem parvas præterea complures.* Joſeph. de Bell. Judaic. iii. 3. *majores grandes fuiſſe oſtendit: ad introitus jumentorum faciles, & ad excurſus, ſi opus ſit, latas.* Nec minus quam vias patuiſſe cenſeo, id eſt, pedes quinquaginta. Fores, & januæ etiam iis impoſitæ, ad ferandum, ac referandum. De caſtris Trojanorum Virg. Æneid. ix. 724.

Portam, vi multa, converſo cardine torquet,
Obnixus latis humeris.

Hirt. de Bell. Gall. viii. 9. *Portis fores, altioresque turres imponit.* Ubi & turres in *portis* ad defenſionem notis. *Lipſ. de Milit. Rom.* v. *Dial.* 5. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* v. *p.* 119.

Porta Decumana erat prætoriæ e diametro oppoſita, & remota ab hoſte. Tacit. Annal. i. 66. 1. *Cuncti ruebant ad portas, quarum decumana maxime petebatur, averſa hoſti, & fugientibus tutior.* Eadem eſt quæſtoria. Ratio. Quæſtorium prætorio proxime ſubjectum. Ut ergo ab illo *porta* antepoſita prætoria: quidni a quæſtorio pariter quæſtoria dicta. Nam decumanam recto rigore, loquar cum gromatico, quæſtorio cenſeo reſpondiſſe ex narratione Liv. x 32. & Hygini. V. illos infr. in *Quæſtorium.* Et tamen ſi quis miſcere quæſtoriam cum dextra principali maluerit, aut ſiniſtra: non pertendam ego. *Lipſ. in Tacit. Ann.* i. 66. 1. *de Milit. Rom.* v. *Dial.* 5. *Patric. Rei milit. Rom. p.* ix. *ſect.* 43. *Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1084. *A. Stewech. in Veget.* i. 23. *Valtrin. de Re milit. Rom.* iv. 5. *Thyſ. Rom. Illuſt.* v. *p.* 119. Inſerviebat illuc educendo fures, ac nebulones, qui ſcelera perpetraſſent, atque per caſtra furati eſſent, quando ad ſupplicium traherentur. Veget. i. 23. *Decumana porta, quæ appellatur, poſt prætorium eſt, per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam.* Lipſ. de Milit. Rom. v. dial. 5. Choul Caſtram. vet. Rom. p. 62. Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p. 1084. B. Poitell. de Republ. Athen. c. 10. Stewech. in Veget. i. 23.

Porta prætoria, ſive ordinaria, directe tentorium prætoris reſpiciebat, & ſemper erat verſus orientem, aut hoſtes. Ratio hæc erat, quod, ſi forte conclamaretur ad arma, aut in certamen deſcenderent, ut ordines, cohortes, turmæ, & ſigniferi, facile inde exilire poſſent ſine tumultu. Solebat, inquam, plerumque obverti hoſti, ut decumana averti. Hyginus non vulgatus. *Ut regiones caſtris ſubjacent, porta prætoria ſemper hoſtem ſpectare debet.* Veget. i. 23. *Porta prætoria aut orientem ſpectat, aut illum locum, qui ad hoſtes pertinet, aut illam partem, ad quam exercitus eſt iturus, intra quam primæ centuriæ tendunt, & dracones, ac ſigna conſtituunt.* Lipſ. in Tacit. Ann. i. 66. 1. de Milit. Rom. v. dial. 5. Choul Caſtram. vet. Rom. p. 62. Patric. Rei milit. Rom. p. ix. ſect. 43. Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p. 1152. D. Valtrin. de Re milit. Rom. iv. 5. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 119.

Portæ principales principiis reſpondent. Verius ſcribi, & appellari principiales. Nec principales, id eſt, principes, & primariæ vere dici poſſunt. Ita principiale a principio uſurpat Lucret. v. 247.

Principiale aliquod tempus, clademque futuram.

ii. 423.

Haud ſine principiali aliquo lævore creata eſt.

E quibus ad diſcrimen altera dextra, altera læva. Limitem, quem poſui, ſcindebant e transverſo, ſpatio utrimque pari. De dextra Liv. xl. 27. *Ad dextram principalem haſtatos legionis primæ inſtruxit.* iv. 19. *Fabius Vibulanus corona primum vallum defendit: intentos deinde hoſtes in vallum egreſſos dextra principali cum triariis repente invadit.* De læva Liv. ix. 27. *Tertia legio adverſus principalem ſiniſtram portam inſtructa eſt.* Lipſ. in Tacit. Ann. i. 66. 1. de Milit. Rom. v. dial. 5. Patric. Rei milit. Rom. p. ix. ſect. 43. Valtrin. de Re milit. Rom. iv. 5. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 119. Per illas armati principiliores, quos principes nominabant, ac centuriones exibant, tanquam per *portam* ſecretam: & ſi res illud requireret, inde emittebantur cohortes, armatique, ut exercitui ſuccurrerent caſu neceſſitatis: atque via præcipua, quæ ad dictam *portam* tendebat, etiam via principalis nominabatur. *Choul Caſtram. vet. Rom. p.* 62.

Portæ in circo. V. illas ſupr. in *Oſtia.*

PORTICATIO verbo diminutivo recte vocatur *porticus* ambulatoria anguſtior circum ſepulcra. Verbalia enim quæ a nominibus finguntur continent diminutionem. Macer. l. 37. ff. de relig. & ſumt. fun. *Si ampium quis ædificari tectum juſſerit, velut in circum porticationes.* Guther. de Jur. man. ii, 30.

PORTICUS fuerunt inter cetera Urbis ædificia, quæ vel ædibus ſacris, vel illuſtrium virorum domibus, vel publicis ædificiis annexæ, aut neceſſitatis, aut ornamenti, voluptatiſque gratia fiebant. Paterc. ii. 1. 1. poſt bellum Punicum a Scipione confectum, *in ſomnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium converſa civitas, tum Scipio Naſica in Capitolio porticus, tum quæ fuere circumdatæ duabus ædibus Metellus, ſuperioris Pauli; tum in circo Cn. Octavius multo amœniſſimam moliti ſunt: publicamque magnificentiam ſecuta privata luxuria eſt.* Nomina acceperunt, aut a deorum templis, ut Concordiæ, Quirini, Herculis: aut ab auctoribus, ut Pompeji, Octavia, Livia, item Naſicæ, Metelli: aut ab ædificii qualitate, ut curva, milliaria, ſtadiata, porphyretica, Corinthia: aut ab hominum actionibus, ut margaritaria apud Victorem, argentaria apud Vitruvium: aut a picturis, ut Iſidis, Europæ, Argonautarum: aut a locis adjunctis ut *porticus* amphitheatri, circi, ſeptorum, campi Martii. In illis interdum res ſeriæ agebantur, ut cum in iis haberetur ſenatus, cum jus diceretur, cum publica acta notarentur, cum legati gentium externarum exciperentur, cum ſponſalia fierent. Interdum in iis lucri cauſa conſiſtebant, qui res pretioſas, gemmas ſcilicet, tabulas, ſigna, toreumata, aulæa venderent. Plerumque animi cauſa, æſtivis præſertim caloribus, ad captandam umbram ibidem inambulabant. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 13. Oborto etiam in theatris nimbo in *porticus* ſeſe recipiebant. Vitruv. v. 9. V. illum infr. in *Porticus Pompeji.* Pollet. For. Rom. i. 2. Recitatores quoque in *porticu* magnarum ædium divitis alicujus ſcripta ſua committere ſolebant. Juven. Sat. i. 12.

Frontonis platani, convulſaque marmora clamant,
Semper & aſſiduo ruptæ lectore columnæ.

Luxus hic Romam commigravit e Græcia. Athenis illæ frequentiſſimæ, & magnificis picturis exculte. Ibi celebrata tot auctorum ſcriptis *porticus* nominata Pœcile. Fuerunt & aliæ Athenis, ut Jovis Eleutherii, & ceteræ. Neque vero eodem modo tantum Romanæ compactæ, quo Græcæ, ſed iisdem ſignis, & inde petitis tabulis exornatæ. Omitto *porticum* Pompeji, Octaviæ, & cæteras innumeras, nonne in Philippi porticu Herculis imago, & Helena Zeuxidis manu celebrata extitit? nonne Auguſti in palatio Numidico marmore per ſymmetriam extructa, in qua Belidum imagines 50. quæ maritos necaverant, ſitæ erant. Ovid. Triſt. iii. 1. 61. V. illum infr. in *Porticus Apollinis.* Id ædificii genus hominibus mollitie, & luxu enervatis perquam gratiſſimum fuit: per *porticus* enim vel ſella a ſervis, vel eſſedo a jumentis ferebantur: quod exercitium Latini geſtationem dixere. Forma erat rotunda. Plin. Epiſt. v. 6. 17. *Ambit hunc ambulatio, preſſis varieque tonſis viridibus; incluſa ab iis geſtatio in modum circi, quæ buxum multiformem, & recentes manu arbuſculas circuit.* Marmoreis columnis erant exſtructæ. Senec. Epiſt. 115. V. illum ſupr. in *Domus.* Et pavimentatæ. Cicer. Fratr. i. 14. *Propterea quod ſummam dignitatem pavimentatas porticus habebat.* pro dom. c. 44. *Porticus cum conclavibus pavimentata.* Kobierzyck. de Luxu Roman. ii. 8. Statuæ in his

alterne inter columnas statuebantur. De *porticu* Apollinis Palatini Prop. II. 23. 3. & Ovid. Trist. III. 1. 61. laudandi infr. in *Porticus Apollinis Palatini*. De *porticu* Augusti Suet. c. 31. n. 8. *Statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.* In *porticus* Augustææ altero latere omnes Latini Reges a capite, & principe Ænea fuerunt, in altero Romani Reges, aut duces clari a Romulo ipso. Ovid. Fast. V. 563.

Hinc videt Ænean oneratum pondere sacro,
Et tot Juleæ nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem.

Figrel. de Stat. Illust. Rom. c. 5. Lips. Admir. III. 7. Tomas. de Donar. c. 4. Pitisc. in Suetonium. Aream fori claudebant, concameratione duplici, nixæ columnis, aut pilis Tiburtini lapidis, aut epistyliis ex eodem lapide ornabantur, quod ante an. U. C. 661. nulla in publico stetit columna e marmore. Tarquinius Rex v. has fecit, & tabernas adjunxit. Liv. I. 35. *Ab eodem Rege*, Tarquinio, *circa forum porticus, tabernæque factæ.* Plutarch. in Galb. p. 1065. B. *Ibi multitudo discurrit, non fuga se diffundens, sed porticus, & edita fori, sicut theatrum, occupans.* Ex iis populus ludos spectabat, ut ex Plutarch. l. l. colligitur, exstructis sub dio tabulatis & subselliis. *Donat. de Urb. Rom.* II. 20. In Capitolio fuerunt magnificentissimæ. Virg. Æneid. VIII. 655. V. illum supr. in *Anser*. Liv. XLI. 27. Q. Fulvius Flaccus, & A. Postumius Albinus censores an. 529. *clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, & porticum ab æde Saturni in Capitolium.* Alterius *porticus* in Capitolio supra meminit Paterculus a P. Scipione item censore fabricatæ anno circiter U. C. 594. secundum Fastos Capitolinos. In ea Scipionis *porticu* videtur turma statuarum equestrium a Q. Metello Scipione posita. Tacit. Hist. III. 71. 3. *Porticus antiquas in latere clivi Capitolini* agnovit, *dextera subeuntibus:* quas ad Nasicam victorem multi referunt, ego a censoribus Q. Fulvio Flacco, & Postumio ejus collega constructas malim. *Ricq. de Capitol. c.* 34. In his a triumphante post sacrificia, & ceremonias in templo peractas, depositamque lauream in sinu Jovis, dabatur publicum epulum senatoribus, & principibus viris. Quo moris erat & consules vocare: deinde rogare, ut venire supersederent, ne quis eo die majoris in convivio eodem esset imperii, quam triumphator. *Donat. de Urb. Rom.* II. 6.

Porticus absidata legitur pro apsidata apud Rufum, & Victorem, quod est idem. Fuit in regione Urbis IV. quæ templum Pacis. Apsis est arcus; ita Dio appellat arcus, qui triumphales Romæ visuntur, & duo in Subalpinis. Itaque interpretor hanc absidatam fuisse, quæ instar arcuum erecta res gestas alicujus Principis marmore sculptas exhibebat. Alias enim pro re memoranda non poneretur, quod fornicata esset, quales alias plures fuisse credendum est. A quo sit facta, difficile est invenire. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 336. *C. Donat. de Urb. Rom.* III. 6.

Porticus Æmilia fuit extra portam Trigeminam. Livius. V. illum supr. in *Navalia*. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13. Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Bellor. Fragm. vestig. vet. Rom. tab. 16. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 3. Pigh. Annal. Rom. II. p. 273. & 277.

Porticus Agrippæ fuit ante ædem Panthei. Horat. Epist. I. 6. 26.

—— cum bene notum
Porticus Agrippæ, & via te conspexerit Appî.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13. Torrent. in Horatium. Horatius de Panthei *porticu* est intelligendus, quod hic locus præ aliis omnibus maxime frequentaretur ob campi Martii viciniam. *Dacer. in Horatium.* Cui ego assentiri nequeo; quippe ea *porticus* ambulationibus apta non videtur, ut quæ fuerit pro vestibulo, & pronao templi, atque sedecim tantum columnis fulta, quarum tredecim superesse testatur Marlian. Rittratto di Rom. antic. p. 249. Mihi placet de porticu Argonautarum esse intelligendum. *Masson. Horat. Vit. p.* 213.

Porticus amphitheatri fuit triplex: in exteriore parte aditus nunc cernuntur XXXIII. in media XXXVI. in intima LXXII. Sed tota illa mole consumpta, atque maxima ex parte collapsa; de universa structura judicare nemo nisi artifex potest. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13.

Porticus Antonini Pii fuit juxta ædem S. Stephani de Truglio, de qua undecim marmoreæ columnæ striatæ, magnæ, & pulcræ extant. In ea nunc ædificata domus, in qua pueri orphani nutriuntur. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 53.

Porticus Apollinis Palatini fuit ante celeberrimum illud templum ab Augusto post Actiacam victoriam conditum, in Palatino, circum maximum versus, auro, & columnis Numidicis, statuisque, & picturis variis ornata. Prop. II. 23. 1.

Quæris, cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus, a magno Cæsare aperta fuit.
Tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis,
Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulcrior ipso,
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circumsteterant armenta Myronis,
Quatuor artificis vivida signa boves.

Ovid. Trist. III. 1. 59.

Inde timore pari gradibus sublimia celsis,
Ducor ad intonsi candida templa dei.
Signa peregrinis ubi stant alterna columnis
Belides, & stricto barbarus ense pater.
Quæque viri docto veteres fecere, novique
Pectore, lecturis inspicienda patent.

Dicit poeta, *signa alterna stetisse*, quia in una parte fuerunt filiarum Danai effigies, & e regione sub dio totidem equestres filiorum Ægypti, ut inquit vetus interpres Persii. Hujus nulla extant vestigia. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 19. *Donat. de Urb. Rom.* III. 2.

Porticus Argonautarum, de qua Horatius supra laudatus. In illa solebat otiosa Romanorum turba deambulare. Docet Mart. III. 20. 11.

Dic Musa quid agat Canius meus Rufus?
An spatia lentus carpit Argonautarum?

Masson. Horat. vit. p. 213. Septis fuit propinquior. Hanc propter vicinitatem Septis ipsis includere videtur Mart. II. 14. 5.

Si nihil Europa fecit, tum Septa petuntur;
Si quid Phyllirides præstet & Æsonides.

Chiron & Jason: ille filius Phylliræ, hic Æsonis, Argonautæ pictura referebantur in *porticu*, ex qua desumptum nomen. Neptuni *porticum* vocat Dio LIII. p. 515. A. *Agrippa eodem tempore propriis sumptibus exornavit Urbem, & porticum Neptuni propter victorias navales extruxit, & Argonautarum pictura decoravit.* Donat. de Urb. Rom. III. 17. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 361. E. Nardin. Rom. Vet. VI. 9. Masson. ibid. p. 214. Mense Decembri Saturnalibus, quibus xenia mittebantur, mercibus ita referta fuit, ut Jason, aliique nautæ laterent, ob casas candidas, id est, pergulas institorias, in quibus mercatores grandia sua crystallina, murrhinaque vasa vendebant. Juven. Sat. VI. 153.

Mense quidem brumæ, cum jam mercator Iason
Clausus, & armatis obstat casa candida nautis...

Masson. l. l.

Porticus Balbi fuit contigua ejus theatro, circa illum locum, qui nunc Apothecarum nomen habet. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13.

Porticus Boni Eventus in utroque campo Martio fuit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 6.

Porticus Q. Catuli fuit in Palatio. Hanc ille post Cimbricam victoriam erigendam curavit in area eversæ domus Fulvii Flacci, qui cum C. Graccho occisus est. Postea prolapsam consules ex Scto restituendam locarunt. Et quan-

quanquam ad tectum pæne perducta, dejecta iterum a Clod.o, refecta tamen, & perfecta aliquando est. *Donat. de Urb. Rom.* III. 3. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. V. & supr. in *Domus Q. Ciceronis.*

Porticus Circi maximi fuit triplex, sed ita, ut ex triplici structura una circularis fieret: binæ exteriores ambulantibus patuerunt liberæ, altera officinis, & tabernis opificum, & institorum occupata fuit. Circi ingentia rudera sunt, *porticus* nullæ extant reliquiæ. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13.

Porticus Claudia fuit ultra viam Sacram, theatrum versus. Merula hanc & Liviam eandem esse auguratur. Martialis a Tito, & Domitiano fratribus significat Claudiam restitutam. Nam postquam de amphitheatro Titi, & thermis ejusdem locutus est, addit de Spectac. II. 9.

Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Ad eam quondam terminabatur domus aurea Neronis. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. Quoniam in tertia regione fuit, absque dubio in declivitate Esquiliarum fuit inter ædem S. Andreæ in Portugallo, & hodiernam Suburram, in confinio regionis quartæ. Nam templum Concordiæ huic vicinum in quarta fuit. Locum exacte demonstrare velle, operam ludere est. Quod si ea a Nerone diruta, vel saltem aureæ domui conjuncta, aut si revera *porticus* fuit, cujus ita modo meminit Martialis, ideo appellata Claudia, quod eam Nero, Claudius & ipse dictus, post incendium restituerit (ut nonnullis visum) dicendum foret, retro templum Pacis illam fuisse. Verum ego magis illis assentior, qui *porticum* Claudiam a Livia diversam statuunt: quod hæc ab omnibus semper Livia appelletur: & nomen illud Claudii Neroni hic aliquo modo duriuscule tribuatur: eaque propter verum ejus situm indicare nequeo. *Nardin. Rom. Vet.* III 9.

Porticus Concordiæ fuit sub Capitolio forum versus, e qua octo adhuc columnæ altissimæ extant, brevi inter se spatio disjunctæ. Hanc pæne integram se vidisse scribit Poggius, & fuisse columnas ad calcis usum suo tempore disjectas: id quod non raro fit in Urbe, in præclaris, & maximis ædificiis antiquis. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13.

Porticus Constantini fuit in regione viæ latæ. Rufus & Victor. *Donat. de Urb. Rom.* III. 17. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 348. *D.*

Porticus Corinthia. V. illam infr. in *Porticus Cn. Octavii.*

Porticus Europæ fuit sita in dextro latere Martii campi. Europæ fabula ibi depicta. De illa Mart. II. 14. 1.

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties non videt esse domi.
Currit ad Europen, & te Paulline, tuosque
Laudat Achilleos, & sine fine pedes:
Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur.

Hanc laudibus evehens cum Pompeji, Quirini, & Argonautarum, quæ nunquam hominibus otiosis carebant, comparat *porticibus* Mart. XI. 1. 9.

Vicini pete porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem
Pompejus, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis Carinæ.

Objecta fuit soli occidenti sub Citorio monte, aut saltem in vicinia ejus. Mart. III. 20. 11.

An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatve liber acribus curis.

I. 14. 15.

Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit
Si quis ibi serum carpat amicus iter.

Donat. de Urb. Rom. III. 17. Nardin. Rom. Vet. VI. 6. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13.

Porticus Fabaria fuit in regione Urbis decima tertia. Sub illa faba vendebatur. *Panirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 373. *A.* Corrupte apud Victorem Fabraria pro Faberia legitur. Faberii autem multa apud Ciceronem mentio. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13.

Porticus Faustinæ, uxoris Antonini forum Romanum, & montem Palatinum prospexit. In ea extructum templum S. Laurentii in Miranda. Ex ea decem columnæ reliquæ, forum versus sex utroque ex latere binæ. In epistyliis extat inscriptio. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 16.

Porticus Gallieni in Campo Martio ad pontem Milvium fuit extensa, dicta πεντάστιχος, propter quinque ordines; quorum primus ex pilis, reliqui quatuor ex columnis fuerunt. Dicta etiam Flaminia propter viæ vicinitatem. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. Treb. Poll. Gallien. c. 18. *Porticum Flaminiam usque ad pontem Milvium & ipse paraverat ducere, ita ut tetrastiche fieret, ut autem alii dicunt, pentastiche: ita ut primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis, secundus, & tertius, & deinceps διὰ τεσσάρων columnarum.* Sed destinaverat, & consilium irritum fuit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 10.

Porticus Gordiani in Campo Martio sub colle fuit. Capitol. c. 32. *Instituerat porticum in Campo Martio sub colle pedum mille, ita ut ab altera parte æque pedum mille porticus fieret, atque inter eas pateret spatium pedum quingentorum: cujus spatii hinc, atque inde viridaria essent lauro, myrto, & buxo frequentata: medium vero lithostrotum brevibus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille; quod esset deambulatorium, ita ut in capite basilica esset pedum quingentorum.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13. Hujus sibi visa vestigia sub colle Hortulorum, juxta naumachiam, refert Marlianus. Sequitur vero in Capitolino: *Cogitaverat præterea cum Misitheo, ut post basilicam thermas æstivas sui nominis faceret, ita ut hyemales in principio porticus poneret, & suo usui essent, vel viridaria, vel porticus. Sed hæc omnia nunc privatorum, & possessionibus, & hortis, & ædificiis occupata sunt.* Quod si igitur ætate Capitolini cuncta illa ædificiis, hortis, & vineis privatorum fuerunt occupata, quomodo, quæso, ante seculum vestigia eorundem superesse potuerunt? Tum voces *instituerat*, & *cogitaverat*, non rem factam, sed mente agitatam indicant. Dein & in campo Martio Capitolinus, non autem sub colle Hortulorum institutam *porticum* dicit: qui quidem campus stricte sumptus longe inde abfuit; latiore vero significatione eousque extendi potuit. Fortean & *sub colle* situm inter collem Jordani, & Tiberim expresserit. Sed hæc, ut cætera, incerta sunt. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 10. *Donat. de Urb. Rom.* III. 17.

Porticus Gratiani in campo fuit Martio. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* II. §. 6.

Porticus hecatonstylos. V. illam supr. in *Hecatonstylon.*

Porticus Herculis fuit in aditu circi Flaminii, quam æde illa instaurata Martius Philippus Augusti vitricus fecit. Unde *Philippi porticus* dicitur a Mart. V. 51. 12.

Vites, censeo, porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, peristi.

Herculis ædem cum hac *porticu* jungit Victor. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. V. & infr. in *Porticus Philippi.*

Porticus Jovis Ultoris, postea ab æde *porticus* Panthei, ab auctore *porticus* Agrippæ dicta. V. supr. in *Porticus Agrippæ.* Reliquæ sunt ex ea columnæ ingentes octodecim, pilæ duodecim, ita distributæ, ut primus ordo habeat columnas octo, inter quas aditus ad templi ipsius fores: post quem deinceps alii ordines duo, in singulis columnæ quatuor, quæ inæqualibus primi ordinis primæ scilicet, & tertiæ respondent. Proximi ordinis tres, pilas ternas habentes, longius inter se quam columnæ distant. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13.

Porticus Isidis a pictura fuit dicta, ut curva a forma; quæ fuit in hortis Commodianis. Nam Commodus Imperator cum Pescennio Nigro, qui postea ad imperium aspiravit, in ea depictus fuit, quasi præses sacrorum Isidis,

dis. Non solum autem pictura, sed & musivo opere insignis fuit. Spartian. Pescenn. c. 6. *Hunc*, Pescennium, *in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13.

Porticus Julii fuit prope arcum Fabianum in foro. Hujus mentionem inveni apud Persii interpretem, & Victorem. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13.*

Porticus Libertatis fuit in Palatino. Hanc, domo Ciceronis excisa fecit Clodius. Sed eadem paullo post est sublata. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13. Donat. de Urb. Rom.* III. 3.

Porticus Liviæ ibi fuisse creditur, ubi antea domus Cæsaris fuit; ac postea Julia ingentes ædes exstruxit, quas Augustus demolitus est, reposuitque ibidem *porticum*, quam de uxoris nomine Liviam appellavit. Ovidius. V. illum supr. in *Domus Cæsaris.* Hanc a Nerone dirutam ferunt, quo latius domum suam auream extenderet: sed a Domitiano restitutam. Addidit illi Livia templum Concordiæ: ac tandem Vespasianus illic, ut ajunt, templum Pacis. Quod si verum est, non video, quomodo *porticus* illa ætate Plinii, non avunculi modo, sed & nepotis extare potuerit. Extitisse autem liquet Epist. I. 5. 9. [illegible] *mus in porticum Liviæ.* Tum nec Domitianus illam restituere potuit, nisi templum Pacis [illegible] ædificatum demolitum sit. Tandem Rufus & Victor eam in tertia recensent regione, cum templum Pacis in quarta fuerit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9. *Donat. de Urb. Rom.* II. 21. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13. Pancirol. Desc. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 334. *E. Marlian. Topogr. Urb.* [illegible] *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 5. §. 2. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 77. *Bend. Instaur. Rom.* III. §. 61. Fuit diversa a *porticu* Claudia. V. supr. in *Porticus Claudia.*

Porticus Marcelli. V. illam infr. in *Porticus Octaviæ.*

Porticus Margaritaria dicta fuit, quod in ea margaritæ, gemmæ, & mercimonia pretiosa, ut in sigillaribus vendita fuerint. In regione VIII. Octavii quæ forum Romanum, a Victore collocatur. *Nardin. Rom. Vet.* V. 9. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 356 *F.*

Porticus Meleagrica fuit denominata a pictura Meleagri [illegible]. In Victore legitur: *Porticus Argonautarum, & Meleagri.* Sed utrum hic locus vitio vacet, quam tot aliis corrupta ea sit, haud liquido dixerim. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 10.

Porticus Mercurii fuit inter circum Flaminium & Tiberim, semidiruta, ante templum S. Angeli in piscina. Hanc & Severum, & Antoninum dicunt, ab Imperatoribus, qui restituerunt, aut ornarunt. Sub ea nunc pisces, & ferinæ carnes venduntur. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13.*

Porticus Metelli fuit ad finem circi Flaminii, ut ex Varronis, & Vitruvii scriptis conjunctis colligi potest. De hac Paterculus. V. illum supr. in *Porticus.* Plin XXXIV. 6. *Sedes huic posita in Metelli publica porticu.* Conspiciuntur hodie inter S. Nicolaum de Funariis, & S. Mariam de Sole circum Flaminium versus multæ marmoreæ columnæ: sed hujus, an alterius *porticus* sint, nondum liquet. *Fabric. Descr. Urb Rom. c.* 13.

Porticus Milliarensis erat in hortis Sallustianis, exornata ab Aureliano, qui secessu illorum hortorum delectabatur. Vopisc. c. 49. *Milliarensem porticum in hortis Sallustii ornavit, in qua quotidie, & se, & equos fatigabat, quamvis esset non bonæ valetudinis.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 345. E. Donat. de Urb. Rom. III. 5.

Porticus Minutia vetus, & Minutia Frumentaria. Has *porticus* fuisse liquet ex Paterc. II. 8. 3. *Per eadem tempora clarus ejus Minutii, qui porticus, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, ex Scordiscis triumphus fuit.* De alterutra harum potius, quam de porta Minutia loqui mihi videtur Lamprid. in Commod. c. 16. *Herculis signum æneum sudavit in Minutia per plures dies.* Ubi sitæ fuerint, ignoratur. In campo Martio fuisse verisimile est. Quod si qua situs ratio in recensione a Victore & Rufo habita fuit, quum utramque eodem spatio ad templum Vulcani in circo Flaminio collocent, haud procul ab eo circo abfuisse probabile est: certi tamen nihil affirmari potest. Frumentariam vero aut nomen debere, aut frequentatam fuisse frumentariis, Imperatorum exploratoribus, vix putem. Plus nobis in re obscura lucis suppeditat Apul. de Mund. p. 750. *Aius ad Minutiam frumentatum venit.* Unde Lips. Elect. I. 8. infert singulis illic mensibus tesseras in populum divisas frumentarias, quis e publicis horreis, quæ in quavis erant regione, frumentum peteret, quod leviore Respublica pretio distribuebat; quodve Imperatores populo pro congiario donabant. Hanc Minutius fortasse hunc in usum struxit, memoriæque Minutii illius de majoribus suis consecravit, quem populus Romanus ob liberalem frumenti distributionem statua donavit. V. infr. in *Statua. Nardin. Rom. Vet.* VI. 10. *Donat. de Urb. Rom.* III. 17. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 133.

Porticus Neptuni adjuncta fuit *porticus* Septorum, ante ejus ædem. Illam Agrippa posuit. Dio LIII. p. 515. A. V. illum supr. in *Porticus Argonautarum.* Donat. de Urb. Rom. III. 17. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13.

Porticus Neronis intra ipsius domum æneo colosso triplex fuit. Suet. c. 31. n. 5. *Vestibuli tanta fuit laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13. Quas Suetonius videtur appellasse a mille passuum longitudine, & prolixitate milliariis. *Beroal. & Egnat. in Suetonium.* Verum ne tota quidem Neronis domus a Palatio Esquilias usque eam longitudinem habuit. Quare mille pedum fuisse dicamus. Sic enim metiebantur veteres. Horat. Od. II. 15. 14.

— nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.

Si quis tamen mille passuum intelligi *porticus* illas malit, non equidem repugnabo. Qualem a Cæsare cogitatam fuisse in campo Martio indicat Cicer. Attic. IV. 16. *Itaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur.* Torrent. in Suetonium. Certe nimium detraxit, qui pro passibus pedes subjecit: passus enim quinque pedes sunt. Nec video, cur Romani, qui decempeda, seu decempedali calamo ædificia metiebantur, eadem calamo quinquepedali, qui est passus, metiri non potuerint. Cæterum aliquis dicere posset, *porticum* utrimque habuisse mille columnas, & passus; tanto enim intervallo triplici ordine columnæ potuere disponi, ut mille passuum circuitus undique efficeretur. Capitolin. in Gordian. jun. c. 32. *basilicas centenarias* appellavit, centum fortasse columnis fultas, & passibus dimensas. *Donat. de Urb. Rom.* III. 5. Non sunt dictæ, quod in mille passus porrigerentur, aut mille columnis fulcirentur, sed ob singularem earum longitudinem, quemadmodum alia quæd in Aureliani milliarensis dicitur a Vopisco. V. illam supr. in *Porticus milliarensis.* Quippe quam Aurelianus non luxus, aut ostentationis impulsu fecerat; sed usus, in quo se & equos fatigaret. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Gronov. de Pecun. Vet.* I. 3.

Porticus Nervæ fuit in ipsius foro cum columnis excelsis, partim rotundis, partim quadratis, quarum adhuc relictæ sunt aliquæ, olim laminis ex orichalco tecta. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13.

Porticus Numitia fuit in foro Romano circa Rostra, & ædem Veneris Genetricis. In hac Antonius Lupercus auream coronam Cæsari imposuit. Cicer. Philip. II. 34. Videndum, num Numitia eadem sit cum ea, quam Minutiam supra Vellejus appellavit. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13.

Porticus Octaviæ fuit extra portam Carmentalem, ubi regio nona inchoabat, ad sinistram; quam Augustus sub sororis nomine dedicavit. Suet. c. 29. n. 11. *Fecit basilicam nomine sororis Octaviæ.* Festus: *Octaviæ porticus duæ appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia soror Augusti fecit.* Nardin. Rom. Vet. VI. 2. Pigh.

Annal.

Annal. Rom. II. p. 368. Huic theatro contigua fuit. De illa Ovid. Trist. III. I. 69.

Altera templa peto, vicino juncta theatro.

Art. I. 69.

Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus.

Per *munera nati* Marcelli theatrum intelligitur: & eandem *porticum Marcelli* nominat Florus. Vestigia ejus inter S. Nicolaum in carcere, & S. Mariam in *porticu*: ubi locus in ruinis eminentior. Quin ipse vidi ibidem effodi lapides Tiburtinos, & marmorea ingentium columnarum fragmenta. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. *Masson Ovid. vit. p.* 101. Ubi nunc illa Ecclesia Mariæ sita est, domum olim S. Gallæ fuisse ajunt, quæ viri consularis conjux, & Symmachi a Theodorico Rege capite plexi filia fuit. Id ipsum & in veteri libro MSC legitur, qui ea in ecclesia servatur. *Nardin. l. l. Bellor. Fragm. vestig. vet. Rom. tab.* II. Non minus molitione, quam ornamentis insignis fuit. Perampla, & nobilis, quadrata structura. Rationibus Ionicis exstructa. Indicant hoc columnæ plurimæ cum Ionicis capitellis, quæ non solum mediam navem Ecclesiæ S. Mariæ in *porticu* sustinent; sed etiam domos aliquot prope eandem fulciunt. Marmorea ornamenta modo expressit Ovidius. Statuas, & picturas denarrat Plin. XXXIV. 6: XXXVI. 5. *Donat. de Urb. Rom.* I. 22: III. 17. *Bellor. & Nardin. l. l.*

Porticus Octavii a pictura Persei, a structura Corinthia est appellata. Eam Cn. Octavius de Perse Macedoniæ Rege triumphum agens ex manubiis condidit, & res suas ... depictas ... Plin. XXXIV. 3. *Ingenio & a Cn. Octavio, qui de Perseo Rege navalem triumphum egit, factam porticum duplicem ad circum Flaminium, quæ Corinthia sit appellata a capitulis æreis columnarum.* Unde ... habetur a Paterculo laudato supr. in *Porticus*, qui tradit *in circo* fuisse. Et, ne relinquatur in dubio, de quo loquatur, Plinius expressit *Flaminium.* Extant vestigia inter ædem S. Nicolai de Chalcinis, & turrim Argentinam, columnæ semiobrutæ cum capitellis Corinthiis. Duplex columnarum ordo fuit, auctoribus Plinio & Victore. Ab Augusto, cum esset incendio deformata, in formam meliorem reducta est, quod ex Verrio tradit Pompejus. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. *Pancirol. Descr. Urb Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 357. *C. Donat. de Urb. Rom.* I. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 25. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 368.

Porticus Palatii. Earum plurium meminit Capitol. in Pertin. c. II. *Supervenerunt Pertinaci, quum ille aulicum famulitium ordinaret, inneque porticus Palatii usque ad locum, qui appellatur Sicilia, & Jovis cœnatio. Hoc cognito Pertinax Lætum præfectum prætorii ad eos misit. Sed ille declinans ... per porticus egressus, operto capite, domum se recepit.* Non in vestibulo tantum, sed plurimas plures ... in tam vastæ laxitatis ædificio, pro certo ... est, cum, ut conclavibus undique lumen suppeteret, impluviis permultis opus esset, quorum nullum ... non porticibus adornatum fuit. Ex Capitolino discimus, *porticus* in exteriore parte, id est, vestibulo fuisse; quas transivere milites usque ad locum Siciliam dictum, ubi Cœnatio Jovis fuit: qui locus forte impluvium fuit, cui Cœnatio illa respondet, trans vestibulum. Ibidem & aliæ fuerant, quas milites intrarunt, diversæ ab illis, per quas Lætus se domum recepisse dicitur: non secus ac Constantinopoli palatium Ottomannicum ad veterem speciem factum plures areas, seu impluvia, itemque vestibula habet, se invicem subsequentia. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13. *Donat. de Urb. Rom.* III. 2.

Porticus Panthei. V. illam supr. in *Porticus Jovis Ultoris.*

Porticus Paulli prope forum Romanum fuit constituta. Dio LIII. p. 538. A. *Paulli porticus incendio absumpta est, ignisque ab ea ad Vestæ usque grassatus, ita ut sacra a Vestalibus in palatium sint translata. Hæc postea porticus verbo quidem ab Æmilio, qui ab eo, qui primus hanc fecerat, genus suum trahebat, re autem ab Augusto, & Paulli amicis refecta est.* Forte aliquis pro *porticu* intelliget basilicam Æmilii Paulli, quamvis Græce sit στοὰ ὁ Παύλειος. *Donat. de Urb. Rom.* III. 6.

Porticus Persei. V. illam supr. in *Porticus Octavii.*

Porticus Philippi circo Flaminio, & Capitolio propinquior fuit. Marcius enim Philippus prope ædem Herculis ingentem, nobilemque extruxit, non illam quidem tanquam templi pronaum, sed civium commoditati, decorique Urbis erectam. Victor posuit in regione nona, ut Corinthiam Cn. Octavii. Quod certo argumento est Philippi *porticum* a templo Herculis fuisse omnino sejunctam, contra quam aliqui sentiunt. Si enim templi pronaum esset, non censeretur tanquam ædificium a templo secretum, & proprio Philippi nomine, ut videre est in cæteris templis, quæ scilicet nulla facta mentione *porticus*, solum ipsa numerantur. Martialis. V. illum supr. in *Porticus Herculis.* Qui innuit statuam Herculis in *porticu* collocatam. Hæc fortasse est illa *porticus*, quam eo loci sitam lineavit Serlius Rom. Ant. III. productæque peramplo spatio a foro nunc Judæorum, usque ad novam ædem S. Caroli ichnographiam, & orthographiam descripsit. Vulgus enim illum locum Caccabarium nuncupat, ut videatur ab Hercule Musarum, qui prope aderat, deduci posse. *Donat. de Urb. Rom.* III. 17. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 3. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 358. *A.*

Porticus Polæ fuit vicina Septis Agrippinis, quippe campi Agrippæ ornamentum. Dio LV. p. 553. D. *Sed porticus, quæ erat in campo, quam ædificabat Pola ejus, Agrippæ, soror, quæ cursus equorum ornabat, nondum fuit perfecta.* Nardin. Rom. Vet. IV. 10.

Porticus Pompeji fuit clarissima prope ejus theatrum, a tergo nimirum scenæ theatri, cujus curva pars campum Floræ attingebat, ut adhuc indicat flexura ædium Ursinorum. Vitruv. V. 9. *Post scenam porticus sunt constituendæ, uti cum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat populus quo se recipiat ex theatro; choragiaque laxamentum habeant ad chorum parandum, uti sunt porticus Pompejanæ.* Appian. Bel. civ. II. p. 500. *Spectacula tunc quidem in Pompeji theatro agitabantur: senatus in proximis ædibus convocabatur. Brutus interim in porticu, quæ ante theatrum erat sita, exigentibus ab eo veluti prætor jus administrabat.* Donat. de Urb. Rom. III. 8. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 25. Blond. Instaur. Rom. §. 110. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 4. Cingebatur platanis. Prop. II. 23. 45.

Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis.
Et creber pariter platanis surgentibus ordo.

Mart. III. 19. I. V. illum supr. in *Platanon.* Erat centum columnarum. Et inde Hecatonstylon vocabatur. V. supr. in *Hecatonstylon.* Donat. ibid. c. 17. Turneb. in Cicer. de Fato p. 61. Loci pulcritudinem augebat in æstate frigus, fontis structura, & aquarum copia. Prop. II. 23. 48.

Flumina sopito quæque Marone cadunt.
Et leviter lymphis tota crepitantibus Urbe,
Cum subito Triton ore recondit aquam.

In aquæductu, qua saliebat aqua, fuit statua Maronis, sive ille poeta fuerit, sive Maro Homericus, eo habitu posita, ut susurro ejus aquæ sopitus videretur. Credibilius omnino tamen est, in aquæductu statuam fuisse prisci illius Maronis, optimi vinitoris, comitis expeditionum Osiridis, quem ætate provectum, ut Diodorus scribit, in Thracia reliquerit, Maroneæque conditorem monumenta antiqua produnt, atque argumentum non inelegans inscitumque fuerit, vitigeni potus optimum cultorem, pæneque inventorem pro vino hominibus aquas ministrasse. Cum autem quadam in Urbis parte Triton magnam aquæ copiam ore profundens epistomiis versis aquam recondiderat, & fundere destiterat, illa mutato, flexoque cursu magno impetu crepitans ad *porticum* Pompeji tendebat per tubos, qua sopiti erat statua

tua Maronis, & tanta cadebat mole, ut cum leviter in reliqua Urbe aqua ſuſurraret, illic flumen videretur juſtum eſſe. *Turneb. Adv.* VII. 26. De Tritone, etſi non diſplicet expoſitio, contraria tamen interpretatione dicerem, eum non alibi, ſed in ipſo fonte Pompejæ *porticus* fuiſſe, magnam vim aquæ, fluminis inſtar, effundentem: quæ recondita, & intercepta, ad alios in Urbe ſalientes fontes occultas per fiſtulas commearet. Decorem addebant in luco poſita ferarum marmorea ſimulacra, de quibus Martialis modo laudatus. Parietes ornabantur picturis, & auro intextis periſtromatis. Tabulam Antiphili, quæ *Cadmum, & Europen* referebat, *in Pompeji porticu* ſtatuit Plin. XXXV. 10. *Polygnoti tabula eſt in porticu Pompeji, quæ ante curiam ejus fuerat: in qua dubitatur, aſcendentem cum clypeo pinxerit, an deſcendentem.* Plin. XXXV. 9. *Pauſias fecit & grandes tabulas, ſicut ſpectatam in Pompeji porticibus boum immolationem. Alexander quoque in Pompeji porticibus præcellens, & Calypſo ſedens.* Plin. XXXV. 11. De veſtibus aureis Propertius ſupra laudatus. *Donat. l. l.*

Porticus Porphyretica videtur fuiſſe juxta Concordiæ ædem, in qua ſæpiſſime ſenatus habebatur: nam prope ædem tripli as *porticus* fundamenta ſuperioribus annis effoſſa conſtat. Ejus meminit Vopiſc. in Prob. c. 2. *Uſus etiam ex regeſtis porticus Porphyreticæ, actis etiam ſenatus, ac populi.* Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c. 13.

Porticus Quirini vel conjuncta, vel vicina fuit, ut antiquarii volunt, Quirini templo in monte Quirinali. Meminit illius Mart. XI. I. 9.

Vicini pete porticum Quirini.
Turbam non habet otioſiorem
Pompejus, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis Carinæ.

Unde colligere mihi poſſe videor, non conjunctam templo fuiſſe, verum ab ea ſeparatam, in qua velut in Pompeji, Europæ, & Argonautarum *porticu* vulgus otiari ſolebat. Sed nec in colle illam, ubi templum fuit, verum potius in valle fuiſſe credideram Quirini, unde & nomen habuiſſe puto. Hanc vallem celebrem fuiſſe, ac negotiis frequentem innuit Juven. Sat. II. 132.

— *officium cras*
Primo ſole mihi peragendum in valle Quirini,
Quæ cauſa officii, quid quæris? nubit amicus.

Nardin. Rom. Vet. IV. 6. Qui hanc in valle Quirini cum collocat, & non potius in colle, parum juvatur illo Juvenalis. Quis enim credat inſignes illas nuptias, ubi vir nubit, in publica *porticu* celebratas, & non potius in loco obſcuriori vallis ædilem metuente? *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 8. §. 3.

Porticus Scipionis Naſicæ fuit ab æde Saturni extenſa ad Capitolinum, quam inter magnificas enumeravit Paterc. ſupr. in *Porticus*. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 13.

Porticus Severi. V. illam ſupr. in *Porticus Mercurii*. Ubi fuerit, incertum eſt. De ea Spartian. Sever. c. 21. *Extat ſane Romæ Severi porticus, geſta ejus exprimens, a filio, quantum plurimi docent, ſtructa.* Carac. c. 9. *Reliquit & porticum patris nomine, quæ geſta illius contineret, & triumphos, & bella.* Donat. de Urb. Rom. III. 17.

Porticus Sylvani. De hac antiquum epigramma, quod Romæ legitur:

SYLVANO. SANCTO. L. VALLIS. SO
LO. PORTICUM. EX. VOTO. FECIT.
DEDICAVIT. K. APRILIB. PISONE.
ET. BOLANO. COSS.

De templo autem Sylvani ſub Viminali, an de alio ædificio, cui fuerit *porticus* adjuncta, intelligatur, incertum eſt. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 13.

Porticus etiam extat juxta ædem D. Stephani de Trullo, cujus principium, & finis non apparet, columnæ tamen marmoreæ ingentes, numero undecim ſtantes, ita diſpoſitæ cernuntur, ut ex his, aliisque ejusdem generis nuper a tergo harum effoſſis, *porticum* quadratam fuiſſe dubium non ſit: ſiquidem ſub ipſis columnis locus eſt ampliſſimus concameratus, in modum cellæ vinariæ: ut falſum eſſe conſtet, quod aliqui dicunt, ibi fuiſſe templum Antonini, vel Martis. *Marlian. Topog. Urb. Rom.* V. 4.

Porticus Trajani ejusdem foro adjecta fuit, cui columnarum altitudine nulla ullius ætatis in Urbe par fuit. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 13. *Donat. de Urb. Rom.* III. 17.

Porticus Vipſania a Vipſanio, poſtea Marco Agrippa conditore. Tacit. Hiſt. I. 31. 2. *Miſſus & Celſus Marius ad electos Illyrici exercitus Vipſania in porticu tendentes.* Mart. IV. 18. I.

Qua vicina fluit Vipſania porta columnis,
Et madet aſſiduo lubricus imbre lapis,
In jugulum pueri, qui roſcida templa ſubibat,
Decidit hiberno prægravis unda gelu.

Quibus verſibus puto indicari vicinum fontem aquæ Virginis, quæ e ductu arcuato, tum patenti tanquam porta e marmore ſtructa effundebatur. Nam interpretes aut mira, aut nihil dicunt, ut aliquis neſcio quo ſaltu refugiat ad portam Capenam, duobus circiter milliaribus diſtantem. Aſſiduus quidem imber, & ſereno cœlo fieri non poterat, niſi ex aqua ductili: hæc autem cum pleno e fontis ore non tota efflueret, etiam ex alto ſiphonibus diviſa, defluebat, depluebatque multiplici ſtillicidio. Quod cum hiberno frigore congelaſſet, pendens ſtiria decidit *in jugulum pueri*. An ædem Neptuni intelligit, aquarum præſidis, ideoque propinquam fontis aquis pluvialibus? Hæc a me probabiliter prolata ſunt: cæterum conſtantius refragari audeo auctoribus, qui ajunt lauretum, quo ex cœnaculo domus ſpectabat Martialis, non *porticui* Vipſaniæ Argonautarum, ſed Panthei Agrippæ adſitam fuiſſe. Domus enim Martialis Hortorum intercollem, & Quirinalem poſita, qui locus *ad caput domorum* dicitur, proſpectum habuit in vicinam *porticum* Argonautarum, ad fontem aquæ Virginis, & *porticus* lauretum: in *porticum* autem Panthei non item, tanto intervallo ſejunctam, & interpoſitis ædificiis ab aſpectu ſemotam. Neque ibi fuiſſe lauros quisquam veterum ſcripſit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 17. Ego vero portam eam arcum aliquem aquæductus Virginis fuiſſe arbitror, qui viæ nobis inter Minervam, & ædem S. Ignatii conſtitutæ neceſſario portæ ſpeciem, & uſum præbuit. Quemadmodum vero plerumque ſolet fieri in operibus vetuſtate rimas agentibus, præſertim continua aquæ affluentia madentibus, ſtillatitia illa aqua gelu concreta, decidensque, puero necem attulit. Hanc, quod *porticui* vicina eſſet, Martialis *columnis Vipſanis* proximas dixit; non ea mente tamen, ut per eam porta Capena longe inde remota intelligeretur, uti nonnullos nimis inepte feciſſe video. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 9.

Porticus ſuperiores, e quibus tenuiores ſpectabant, pars eſt ſuprema, ſive ſummus fornix theatri. Tangit Calpurn. Ecl. VII. 47.

— *en illita porticus auro*
Certatim radiat.

Hanc ſupremam partem ἀψῖδα θεάτρȣ dicit Dio LXI. p. 697. D. Nec male: quia *porticus* illæ, ut videtur, arcuato opere tectæ. Certe tectæ. Vitruv. V. 7. *Tectum porticus, quod futurum eſt in ſumma gradatione.* Ideoque non vane ſuſpicer vocatas cameras a Tertull. de Spectac. c. 20. *Deus etiam extra cameras, & gradus, & apulias oculos habet.* Lipſ. de Amphith. c. 13. Thyſ. de Amphith. p. 205. Junius in Tertullianum.

PORTISCULUS in portu modos dabat remigibus. Cato in diſſuaſione de rege Attalo, & vectigalibus Aſiæ apud Feſtum: *C. Licinio prætore remiges ſcripti cives Romani ſub portiſculum ſub flagrum conſcripti veniere paſſim.* Non. II. 637. *Portiſculus proprie eſt hortator remigum, qui eandem, malo quandam perticam tenet, quæ portiſculus dicitur, qua excurſum, & exhortamenta moderatur.* Vocabatur etiam *pauſarius*, & *hortator remigum*. V. ſupr. ſuis locis. *Voſſ. Lex. Etymol. Scalig. in Feſtum. Scheffer. de Milit. nav.* III. 1.

III. 1. *Heinf. in Sil. Ital. p.* 404. *Kipping. Differt. de Exped. marit.* §. 1.

Portisculus vocabatur etiam pertica, qua hortator, quia vox non ſemper exaudiri poteſt in hominum frequentia, remorumque pulſu, remiges admonebat. Feſtus: *Portisculus eſt, qui in portu modum dat claſſi: id autem eſt malleus.* Nonius laudatus ſupr. in *Portisculus.* Et apud illum Plaut. Aſin. III. I. 15.

Ad loquendum, & ad tacendum tute habeas portisculum.

Ennius Annal. VIII.

Parerent, expectarent, portisculus signum
Cum dare cœpiſſet.

Voſſ. Lex. Etymol. Car. Emend. I. 10. Douz. Plaut. Quæſt. I. 6. Scheffer. de Milit. nav. III. I.

PORTITOR nuncupabatur, qui portorium, genus vectigalis exigebat. Aſconius. V. illum ſupr. in *Manceps.* Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 262. E. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 4. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13. In eo Aſconium errare credimus, cum *portitores* non ipſi publicani, vel mancipes, quos ibi deſcribit, ſed eorum miniſtri erant, qui operas ipſis in portubus præſtabant. Cicer. Attic. x. 10. Eos deſcribit Non. I. 65. *Portitores ſunt telonarii, portum obſidentes, omnia ſciſcitantes, ut ex eo vectigal acciperent.* Et illorum mores, & curioſam indagationem Plaut. Men. I. 2. 6.

Rogitas quo eam? quam rem agam? quid negotii geram?
Quid petam? quid feram? quid foris egerim?
Portitorem domum duxi, ita omnem mihi
Rem neceſſe loqui eſt, quicquid egi, atque ago.

Eos a publicanis aperte diſtinguit Donat. Phorm. I. 2. 100. & dicit *portitores eſſe more veterum magiſtros tributorum, id eſt, publicanos, qui operam in portu dabant, inferendarum rerum, & efferendarum vectigal exigentes.* Burmann. Diſſert. de Vectigal. c. 9. Blond. Triumph. Rom. .. p. 109. B. Pius Annot. poſt. c. 48. Broukh. in Prop. v. II. 7. Beroal. in Apul. Metam. VI. p. 708. Voſſ. Lex. Etymol.

Portitor dicebatur is, qui, trajicit, tranſportat, ſubvectat nave. Senec. de Benef. VI 18. *Plato, cum flumen nave tranſiſſet, nec ab illo quidquam portitor exegiſſet.* Virg. Æneid. VI. 298. V. illum ſupr. in *Charon.* Albinov. ad Liv. p. 357.

Fata manent omnes, omnes expectat avarus
Portitor.

Laz. Comm. Rep. Rom. II. 13. Pius Annot. poſt. c. 63. Lipſ. in Senecam. Cerda in Virgilium. Voſſ. Lex. Etymol.

Portitor etiam vocatur, qui mercede pacta tranſportat, quæ quis ... Vettius Valens Fragm. aſtrolog. *Quia terra illi adſcribitur, facit agricolas, & ruſticos, fabros & mercenarios, laboros & portitores.* Barth. Adv. v. 4. in Claud. Epigram 47. 18. Ita *literarum portitor.* Iſidor VI. 8. *Portitores earum tabellarios vocaverunt.* Caſſiod. Var. x. 3. *Harum portitorem ad excellentiæ veſtræ cenſuimus dirigendum.* Sidon. Epiſt. VI. 3. *Commendamus apicum portitorem. Præcepti portitor* l. unic. C. Th. ſi certum petatur de chirogr. *Frumenti portitor* l. 1. C. ne quid oner. publ. impon. *Ciborum portitor* Prudent. Periſteph. v. 406. Pii itaque qui arbitratu. Annot. poſt. c. 163. licet quosdam iſtæ ... adſtipulatores habeat, hoc nomen ævo Sidonii ... cum, ſententia faceſſat. *Savar. in Sidon. Epiſt.* VI. 4. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 12. *Gronov. Obſerv.* III. 20. *Broukh. in Prop.* IV. II. 7. *Beroal. in Apul. Metam.* VI. *p.* 708.

PORTORIUM fuit vectigal, quod capiebatur ex rerum venalium importatione, & exportatione. Huic proprie videtur vectigalis nomen competere, cum colligatur ex mercium invectione, & revectione. *Voſſ. Lex. Etymol. Sigon. de Ant. jur prov.* I. 1. *civ. Rom.* I. 16. *Buleng. de Vectig. c.* 6. *Lipſ. de Magn. Rom.* II. 1. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 15. *Thyſ. de Magn. Rom* II. *p.* 252. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 3. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 5. *Laurent. de Rebuſp. c.* 3. *de Prand. c.* 17. Tempus, quo primum exerceri cœpit, certum definiri non poteſt. Et certe primis Urbis temporibus, quibus nulla, vel rara cum externis gentibus Romanis intercedebant commercia, incognitum fuit. Nullos etiam cum portus haberet Reſpublica, qui mercibus recipiendis paterent, exigi non potuit. Et an Ancus Marcius, qui primum Romanis portum patefecit Oſtiæ, ſimul vectigal mercibus impoſuerit, dubium eſt. Sub Regibus tamen invaluiſſe colligi poteſt ex Plutarch. in Poplic. p. 103. A. qui inter commoda, quæ Valerius exactis Regibus populo reddidit, etiam narrat ſublata ab eo vectigalia. Quod idem aſſerit p. 294. & apertius Liv. II. 9. V. illos ſupr. in *Plebs.* Deinde creſcentibus imperii limitibus, cum eſſet opus majori pecunia ab bellis gerendi, rurſus reſtituta fuerunt *portoria.* Sic Liv. XL. 51. prodit M. Æmilium Lepidum, & M. Fulvium Nobiliorem, *portoria, & multa vectigalia inſtituiſſe,* quibus poſtea *nova portoria* addidit Gracchus, auctore Paterc. II. 6. & ſubinde, redactis multis populis in ditionem, *portoria,* quæ apud illos gentes exigi non ſolebant, vel nova etiam Romani exercuerunt. Sic narrat Liv. XXXII. 7. *Cenſores P. Cornelium Scipionem Africanum, & P. Ælium Pætum portoria venalium Capuæ, Puteolisque, item Caſtrorum portorium, quo in loco nunc oppidum eſt, fruendum locaſſe.* Omnia deinde Italiæ *portoria* lege perniacioſiſſima ſuſtulit Cæcilius Metellus. Dio XXXVII. 53. B. *Cum vectigalia Urbem, & reliquam Italiam vehementer affligebant, lex, quæ ea tollebat, omnibus gratiſſima erat:* non vero accepta e at patribus, & optimatibus, qui, teſte Dione, infeſti Metello, ejus nomen legi detrahere volebant, & aliud adhibere: quod quidem effectum non eſſe ſcribit, ſed eo ſolum apparuiſſe, patres ne beneficia quidem grata habere, quæ a malis, & ſeditioſis civibus dantur. Graviter id etiam indignatur Cicer. Attic. II. 16. *Agro Campano diviſo, portoriis ſublatis, quod vectigal ſupereſt domeſticum, præter viceſimam?* Et ad Frat. I. 1. cauſam tollendi *portoriorum,* quam innuit Dion, ſcribit fuiſſe, non ipſius *portorii* onus, ſed *portitorum injurias, de quibus cives querebantur.* Ita jam omnibus ſuis ſubſidiis Reſpublica nudata, agris diviſis, ſcriptura abolita, *portoriis* ſublatis, ſolis provinciarum vectigalibus ſuſtentabatur, donec in manus Cæſaris, & Imperatorum ſubſequentium venerat, qui paullatim ea vectigalia reduxerunt, vel nova iis ſubſtituerunt. *Portoria rerum peregrinarum reſtituit* Cæſar teſte Suet. c. 43. n. 4. Nec Auguſtus illud compendium neglexiſſe credi poteſt, cum ille, ut prodit Dion XLVII. p. 336. B. *vectigalia partim prius abrogata renovaverit, partim nova excogitata inſtituerit.* Deinde de iis omnibus, ut & cæteris vectigalibus, tollendis deliberaſſe Neronem ſcribit Tacit. Ann l. XIII. 50. 2 & ſolis tributis contentum voluiſſe imperii vires ſuſtinere, ſed *impetum ejus attinuere ſenatores, diſſolutionem imperii docendo, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtineretur, diminuerentur: quippe ſublatis portoriis, tributorum etiam abolitionem expoſtulaturam plebem.* Et hoc modo ſervata *portoria* ab ſequentibus omnibus Imperatoribus magna cum cura exercita fuere, qui ea vel pro liberalitate contraxerunt, vel pro avaritia auxerunt. *Buleng. & Burmann. l. l. Sigon. de jur. civ. Rom.* I. 16. Quænam quantitas antiquis ſub Republica temporibus hujus vectigalis definita ſit, difficulter dici poteſt, cum auctores, qui de *portorio* loquuntur, quantum eo nomine exigebatur, reticeant: nec per omnes provincias, & in omnibus portubus, eadem quantitate ſolutum fuiſſe credibile ſit, ſed vel ſecundum leges, quas quisque portus habebat, vel ſecundum legem cenſoriam, in locationibus impoſitam, diverſe conſtitutam eſſe. In Sicilia portu vigeſima eſt exacta. V. infr. in *Vigeſima.* Poſt Rempublicam a Cæſaribus oppreſſam frequentior mentio, & clariora indicia, ex quibus ad quem modum exercebatur hoc vectigal, colligere licet, exſtant. Ordinarie enim quadrageſimam mercium, quæ importabantur, partem exa-

ctam,

ctam, & solutam fuisse legimus. V. infr. in Quadragesima. Burmann. l. l.

Portorium, sive vectigal in pontibus pro transitu etiam exigebatur. *Pontaticum* dicebatur, τέλος ἐν γεφύρᾳ. Senec. de Const. l. p. c. 14. *Nec tali habitur* [illegible] *impendere, ut limen transeat, cogitans & in pontibus quibusdam vectigal pro transitu dari.* Hoc expresse *portorium* vocat [illegible] ff. locat. ubi dicitur *redemptor portorii* [illegible] Lips. de Magn. Rom. II. 1. Buleng. de Vectig. c. 6. Laurent. de Rebusp. c. 3. Casal. de Urb. ac [illegible] Rom. splend. p. 1. c. 3. Thys. de Magn. Rom. II. p. 252. [illegible] de aerar. pop. Rom. c. 3. Burmann. Diss. de Vectig. c. 5. In via & itinere quoque pendebatur. Ejus meatio fit l. 21. ff. de donat. int. vir. & uxor. ubi quæritur, *an uxor locupletior censeatur facta esse, si maritus vectigal pro ea, quod in itinere præstari solet, solverit.* Hoc etiam *portorium* vocat Suet. Vit. c. 14. n. 2. *Fœneratorum, & stipulatorum, publicanorumque, qui unquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix ulli pepercit.* Hæc in pontibus, & viis exacta sublata fuisse a Pertinace. Herodian. II. 4. *Vectigalia quoque omnia, sub tyrannide ad contrahendas pecunias excogitata in fluminum ripis* [illegible] *remisit, & in* [illegible]. Sed leges Ictorum, quas citamus, post Pertinacem adhuc, horum meationem faciunt. Nec credibile est Pertinacem ita ærarium labefactasse, ut omnia *portoria*, etiam quæ in portubus exigebantur, sustulerit: quare cum tantum in gratiam a Pertinace populo esse [illegible], quæ superiores tyranni, & avari Imperatores maxime auxerant, contraxerit, & ea quantitate, qua olim exigebantur, cogi præceperit. Hoc vectigal etiam [illegible] pro cadavere, quod nonnisi permissu maximi pontificis, vel jussu Principis, transferri in aliam, quam ubi defunctus obierat, vel temporariæ sepulturæ erat commissum, locum licebat. [illegible] quæ est l. ult. C. de relig. & sumpt. fun. [illegible] *vectigal ab aliqua persona* [illegible]. Guther. de Jur. man. III. 10. [illegible] l. l.

PORTUNALIA [illegible] *cui eo die ædes in portu* [illegible]. Var. de Ling. Lat. v. [illegible] divinum faciunt [illegible] Rom. Ant. L. [illegible] IV. 12. [illegible] Kalend. Septembris, [illegible] septimus, eratque nefastus primo. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom.* [illegible] *de Græcor. & Roman. magistr.* III. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2813. [illegible] *p.* 16[illegible]. *D. Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 225. *Sccam. ad Fast. Kalend. Roman. c.* 14.

PORTUS [illegible], *quo importantur merces, & exportantur: eaque nihilominus statio est conclusa, atque munita*, [illegible]. Ulpian. l. 59. ff. de verb. signif. *Panc*[illegible] *Notit.* [illegible] *occid. c.* 8. Quo modo differat a stationibus V. infr. in *Stationes*.

Portus Anconitanus celeberrimus est, cum natura, ac promontorii situ, tum opere, atque arte veterum, clausus, atque adeo tutus, ut inter primos, atque pulcerrimos orbis terrarum adhuc celebretur: quamvis horum, atque superiorum temporum supina negligentia, turpique avaritia, quibusdam in locis oppleatur. Extant adhuc magna ex parte marmorea septa, quibus undique vestitus fuit: item suis interstitiis columnæ, ad quas naves alligabantur. Gradus item peramplі, per quos ad aquas descenditur, nec non onera, ac merces extrahi e navibus, evehique in terram solent. Habuisse spatiosas porticus multis columnis innixas, cognoscimus ex nummis antiquis in honorem Trajani excusis, in quibus *portus* ejusdem forma effigiata visitur, & qualis olim fuerit, cum Neptuni signo arundine coronati in undis ante fauces decumbentis juxta delphinum cum navis gubernaculo in dextra. Apparent catenæ duplices, quibus fauces occludebantur, & in ipso *portu* quinqueremes prætoria, celoces, triremes, phaseli, aliæque naves multæ. Hæc Eychovius testis oculatus in Deliciis Italicis. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 49. §. 7.

Portus Ariminensis ex marmore quadrato majore ab Augusto est constructus. Videntur antiqui *portus* vestigia, qui modicis quidem nunc navigiis aptus, & arenis oppletus est: sed quam splendidus, & amplus olim fuerit, cognosces per structuram magnificentissimi templi D. Francisci, quod ex marmoribus antiqui *portus* Ariminensis Sigismundus Malatesta ejus urbis princeps quondam exstruxit. *Scott. Itiner.* I. *p.* 328. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 49. §. 7.

Portus Bononiensis fuit in veterum Morinorum regione. Inde erat brevissimus & commodissimus trajectus in Britannias. Fuit ille, quem Julius Cæsar, cum iterum transjiceret in eam insulam, appellat Ictium, vel Itium de Bell. Gall. v. 2. *Omnes ad portum Itium convenire jussit: quo ex portu commodissimum in Britanniam trajectum esse cognoverat, circiter millium passuum triginta a continenti.* Ex hoc enim ipso *portu* primum quoque transjecit, unde ait IV. 21. *Ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde brevissimus erat in Britanniam trajectus. Huc naves undique ex finitimis regionibus, & quam superiore æstate ad Veneticum bellum fecerat, classem jubet convenire.* Est hic ille ipse, quem Itinerarium p. 105. pro transitu maritimi itineris in Britannias collocat: nam auctores posteriores eum dixerunt Gessoriacum, qui idem est atque olim Itius, nunc Bononiæ. Sed & Tabulæ Peuting. segm. 1. aperte hoc confirmat his verbis: *Gessoriaco, quod nunc Bononia.* Cur autem Ortel. Thes. Geogr. aliique de hoc *portu* scribentes noluerint tabulæ itinerariæ auctori fidem habere, illud plane assequi, aut perspicere non possum; siquidem hic auctor majorem fidem meretur, quam vulgo sibi persuadent. Ad hunc ipsum terminum Antoninus finem facit viarum publicarum per Gallias: cujus testimonium magis fidem meretur, cum ab aliis confirmetur, qui ajunt, ex *portu* Gessoriaco esse trajectum in Britannias ex Galliis. Claudii expeditionem Britannicam narrans Suetonius ait Claud. c. 17. n. 3. *A Massilia Gessoriacum usque pedestri itinere confecto, inde transmisit.* Demonstratur quoque testimonio Plinii, ubi Europæ universæ mensuram persequitur, IV. 23. *Est autem ipsius Italiæ* XII. XX. *M. ad Alpes. unde per Lugdunum ad portum Morinorum Britannicum, qua videtur mensuram agere Polybius*, XI. M. LXVIII. Quibus haud obscure significat, unum tantum in Morinis fuisse *portum*, ex quo in Britannias trajectus: nam si plures, aut duo saltem fuissent, Gessoriacus, & Itius, proprio nomine haud dubie alterutrum indicasset, quem ex duobus intelligeret. Situm etiam indicat Ammian. XX. 9. *Quoniam, quum hæc ita procederent, timebatur Lupicinus, licet absens, agensque etiam tum apud Britannos, homo superbæ mentis, ac turgidus; eratque suspicio, quod si hæc trans mare didicisset, novarum rerum materias excitaret: notarius Bononiam mittitur, observaturus sollicite, ne quisquam fretum Oceani transire permitteretur.* Et præter hunc Olympiod. Histor. Honorii senioris, & Theodosii, Honoriique junioris de Constantino tyranno loquens: *Relictis Britannis, trajecit cum suis ad Bononiam, quod maritimum est, ac primum in Gallorum finibus oppidum.* Quo ex loco satis perspicitur, Caletum oppidum tum temporis extitisse nullum, cum nec Julii Cæsaris ævo, nec diu post, Morini illas habuerint urbes, ut testatur Dio XXXIX p. 11[illegible] B. *Neque enim urbes, seu oppida habent, sed in tuguriis habitant.* Unde & ejus ævo, ac sub Vespasiano, ejusque filiis, Tito & Domitiano Gessoriacum non habet nomen Urbis, sed tantum pagi, quod vicum notabat. Hinc Plin. IV. 17. *Deinde Menapii, Morini, Oromansaci juncti pago, qui Gessoriacus vocatur.* Ubi pagus non significat regionem, quia gentis, & regionis nomen Morini præcesserat. Confirmat sententiam nostram, ubi comparationem facit inter primordium Imperii Romani, & summum ejus fastigium, Flor. I. 11. *Idem tunc Fregellæ, quod Gessoriacum.* Locum scilicet cum loco, oppidum Italiæ cum pago, seu vico Morinorum, non regionem cum regione comparat. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 43. §. 2-- [illegible]

Cluver

Cluver. Germ. Ant. II. 28. *Introd. in Geogr.* II. 11. *Loens. Misc.* V. 25. *Velser. Fragm. tab. ant. p.* 741. *Pitisc. in Suetonium.* V. etiam Dissertationem de *portu* Iccio *Gulielmi Somneri*, qui contra Jacobum Chiffletium, Mardicum Flandriæ *portum*, inter Dunkirkam, Gravelingamque positum, esse *portum*, Iccium asserentem dum disputat, priorum sententiam amplectitur, & defendit: Septem quoque diversas de *portu* Iccio sententias denarrat p. 3.

Portus Brundisinus inter priores notæ *portus* maxime celebratur. Strab. VI. p. 195. *Inprimis etiam Brundisii portus sua excellentia præstat: multi enim ore uno portus includuntur, qui nulla fluctuum agitatione turbantur, cum interni sinus excipiant, ut forma ipsa cervi cornibus simillima sit, unde & nomen sit inditum. Locus enim cum Urbe cervino capiti maxime est comparandus: nam lingua Messapiorum Brundisium cervi caput nominatur.* Ionio mari alluitur, & a Tarentino diurno itinere distat. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 49. §. 3.

Portus Julius est effectus ab Augusto, qui, quia in Juliam familiam adoptatus est, Julius dicitur. Virg. Georg. II. 163. *Julia unda* vocatur.

Julia qua ponto longe sonat unda refuso.

De illo Suet. Aug. c. 16. n. 1. *Portum Julium apud Bajas, immisso in Lucrinum, & Avernum lacum mari effecit.* Serv. in Virg. l. l. C. Julio Cæsari adscribit. Is scilicet cœpit, Augusti auspiciis Agrippa perfecit. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 26. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 10. *Hemmin. in Bergier. de viis milit.* IV. §. 48. *Sect.* 8. *Pitisc. in Suetonium.*

Portus Lunensis ab urbe Tusciæ extrema versus Alpes Luna ad mare Tyrrhenum sita cognominatur. De ejus excellentia Strab. V. p. 153. *Tuscorum Luna quidem civitas, & portus est. Græci autem & portum, & urbem Σελήνης, id est, Lunæ appellant. Urbs quidem haud sane magna: maximus vero, & pulcerrimus portus est, multos intra se portus amplectens, magnæ profunditatis universos, usque adeo, ut omnium, qui maris teneant imperium, facile fieret receptaculum, tam late patentis pelagi multos per annos. Celsis vero montibus portus ipse circumcluditur, qui prospectum longe pelagi præbeant. Nam & Sardiniæ, & magna utriusque littoris pars cernitur.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. 49. §. 4.

Portus Misenensis est ad radices montis, aut promontorii Miseni. Cæs. Augustus eum fieri, aut verius per generum suum Agrippam refici curavit. Est totus ille maris sinus, qui instar lunæ corniculatæ inter Misenum, & Bajas patet incurvus, & inflexus, ab Averno separatur aggere longo stadia octo, & lato tantum, quantum sufficit transeunti currui. Strab. V. p. 169. *Lucrinus sinus usque Bajas latitudinem pandit, qui ex exteriore pelago, per aggerem longitudinis stadiorum octo, latitudinis autem unius orbitæ arcetur. Illum autem ab Hercule, traducendarum Geryonis boum causa aggeratum fuisse perhibent, quem cum pedibus perambulari, propter fluctus ingruentes, per hyemes superne vix possent, Agrippa exornatum melius construxit.* Factum id ea ipsa tempestate, qua Augustus adversus Pompeji liberos in Sicilia bellum gerebat, constituto legato, duce, & præfecto classis suæ M. Vipsanio Agrippa. Est loco capacissimo, & maxime classi opportuno, propter vicinos maris sinus triplices, ab altero Miseni latere inter Bajas, atque Puteolos ingruentes, Bajanum videlicet, Lucrinum, & Avernum lacus, *quædam maris otia*, ut dicuntur a Flor. I. 16. 4. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 49. §. 5.

Portus Ostiensis omnium est maximus, & præ cæteris admirandus: Ostiam Ancus Marcius Romanorum Rex *in ipso maris, fluminisque*, Tiberis, *confinio, coloniam posuit: jam tum videlicet præsagiens animo, futurum, ut totius mundi opes, & commeatus illo, veluti maritimo Urbis hospitio reciperentur*, ut utar verbis Flor. I. 4. 2. Inde ab ostio Tiberis Ostia est appellata. Est autem *Ostia urbis Romanæ navale* teste Strabon. V. p. 160. licet octo leucis Francicis Roma abfuerit, & Strabonis ætate ut ait ibid. p. 160. fuerit *importuosa propter limum, quem Tiberis multis refertus amnibus aggregat. Non parvo igitur discrimine agitata salo stant in ancoris navigia. Attamen vincit utilitas, nempe ministrantium copia scapharum, quibus eximuntur, & imponuntur onera, impigreque efficit navigandi* [illegible] *flumen attingant. Sunt & ex parte levata oneribus, quæ amnem intrant, naviga, & penes Romam* [illegible] *ta*, quæ leucæ sunt Francicæ tredecim cum dimidia, *adversa producuntur aqua.* Julius Cæsar sua ætate his incommodis, & rerum longo tædio remedium adferre volens, & sæpius destinavit Ostiæ *portum* facere. Sed destinata *propter difficultatem*, aut sumptuum, aut operis omisit. Suet. Claud. c. 20. n. 2. Claudius Imperator opus aggressus est felici successu. Suet. ibid. n. 6. *Portum Ostiæ extruxit, circumducto dextra, sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam salo mole objecta.* [illegible] *fundaret, navem ante demersit,* [illegible] *Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis* [illegible] *turrim in exemplum Alexandrini Phari,* [illegible] *cursum navigia dirigerent.* & multo talia [illegible] p. 65. C. Trajanus deinde amplificavit, ex ipso *portus* profundo ducens nova brachia versus continentem, [illegible] muro ex quadratis lapidibus constructo ampl[illegible]. V[illegible] ejus operis, ut Lychnius testis oculatus refert in Deliciis Italicis, apparent etiam hodie, & fundamentorum reliquiæ super mare eminentes conspiciuntur.... Addit idem, hoc opus inter maxime admiranda fuisse, quæ unquam Romani perfecerint: Lazarum Bonamicum dicere solitum: omnes Christianorum Principes non posse talem portum extruere. Et postea addit, quod nec operis hujus magnificentia, nec dignitas obstiterit, quominus Gregorius pontifex maximus, quotus fuerit ejus nominis, non addit, eundem destruxerit, & demolitus sit propter metum Saracenorum, ne esset ad illorum eruptiones propugnaculum. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 49. §. 8--11. *Surita in Anton. Itiner. p.* 458. *Merul. Cosmog.* II. 4. 21. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 9. *Sitzman. in Rutil.* I. 155. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* XI. *p.* 909. *F. Ferret. Mus. Lapid.* III. *memor.* 8.

Portus Puteolanus fuit totius maris inferi celeberrimus, maxime annona, & mercibus Alexandrinis ex Ægypto eo convectis. Facilius, & promptius fieri potuit, quam usquam alibi terrarum, propter copiam pulveris Puteolani, quem indigenæ rapillum vulgo vocant. Illius hæc est proprietas, ut sub aqua facile solidescat, instar elaborati operis e gypso, ut proxime lapides ipsos æquet duritia. Strab. V. p. 169. *Quas ad res*, cothones, sive *portus* Puteolanos, *commodissime conducit* [illegible] *quæ, calcis quam simillima, compactæ validissimum conglutinantur in modum. Unde commixta* [illegible] *tur in pelagus, littoraque* [illegible]; *sic onerariæ ingentes naves jactis ibi conquiescunt ancoris.* Plin. XXXV. 13. [illegible] *maris fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis,* [illegible] *Cumano miscentur cæmento.* Fuerunt olim Puteolis inter ingentis *portus*, cujus pilæ ex pulvere Puteolano fabricatæ erant. Ex iis adhucque XIII. extant [illegible] magnitudine: suntque circum oppido, qua occidentem [illegible], ad Lucrinum lacum versus protenditur. Murus superne iis per arcus incumbit, veluti pons; in quem populus ad spectandas naves procurrere poterat. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 2. 27. *Leand. Descr. Ital. p.* 270. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 48. §. 8.

Portus Ravennas continuis fere trium oppidorum ædificiis, semicirculari forma, olim locupletissime decorabatur: nunc vero vix ulla vinea tui *portus*, aut ædificiorum veterum vestigia, præter quasdam ædes sacras, & religiosorum cœnobia: sed omnis illa plaga maris, atque stagnorum inundationibus cœno, atque arenis oppleta est. Augustum amplissimo *portu* Ravennam nobilitasse, Suetonius, Dio, Appianus, & alii historici memoriæ prodiderunt, ubi & classem ad tutelam superi, vel Hadriatici maris constituit: adjicitque in superiore *portus*, ac faucium cornu, e regione Ravennæ celebrem [illegible]rum: quæ in oppidi formam ædificata, [illegible]

[illegible] claſſis Ravennæ poſteriore ſeculo nuncupari cœp[illegible]. Hiſt. Prodr. p. 25[illegible]. Schott. Itiner. I. p. 228. Berger. de [illegible] IV. Sect. 39. §. 6.

Portus Tarentinus Ionio mari alluitur. Eſt quidem ſpatioſus, & amplus, ſed non adeo tutus; nam *non omnino* [illegible] *caret, cum ſeſe pandit, & interius* [illegible] *quædam continet.* Strab. VI. p. 195. *Berger. de* [illegible] IV. *Sect.* 49. §. 3.

POS.

POSCA eſt zythus antiquorum, ut oxycratum, quod [illegible], eſt acetum aqua temperatum. *Bellon. Obſerv.* II. 18. Contra communem opinionem: ſiquidem zythum erat potio ex hordeo parata. Dioſcor. II. 79. & [illegible]. *Poſca* inter adſtringentia adnumeratur. Cel. II. 30. *Contra adſtringunt minutæ aves, merulæ, pal*[illegible] *poſca decocta eſt* Plin. XXX 7. [illegible] *atque e vino potius: palumbus ferus ex poſca decoctus.* Quæ nemo de zytho dicta crederet. *Poſcam* enim ob aceti vim adſtringendi facultatem habere [illegible] nos docet experientia, ut in ſanguinis ſputo, ſimilibusque malis quotidie videmus. Militibus erat potus [illegible]. Hi acetum ſecum portabant. Vulcat. Gallic. Avid. Caſſ. c. 5. *Et præter lardum, ac buccellatum, atque acetum, militem in expeditione portare prohibuit.* Spartian. Peſcen. c. 10. *Idem juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos.* Unde alimento caſtrenſi [illegible] Spartian. Adrian. c. 10. *Cibis etiam caſtrenſibus in propatulo libenter utens, hoc eſt, larido, caſeo, & poſca.* Agricolæ etiam & meſſores in æſtuoſis regionibus [illegible]: cui ſi addas oleum & panem, [illegible] & [illegible] agentibus ſub æſtu ſolis. Ruth. c. 2. n. 14. *Accede, ut comedas ex hoc cibo, & intingas bucceam tuam in acetum iſtud.* [illegible] Galbæ apud Suet. c. 12. n. 2. *Nonn. de Re cibar.* IV. 15. *Meibom. de Cerev.* c. 13. *Brod. Miſc.* IV. 11. *Vega de Art. med.* I. 2. *Mercur. Var. Lect.* III. 22. *Rhodigin. Ant. Lect.* XXX. 25. *Rhod. in* [illegible] *Conv.* I. 21. *Græv. & Pitiſc.* [illegible] *Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1299. *F. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv.* p. 5[illegible]. *Palmer. Spicil.* VII. *p.* [illegible]. *Popma* [illegible] *fund.* c. 2. [illegible] *Pol.* [illegible] IV. [illegible] 3.

[illegible]NIUM erat locus *poſt* [illegible] ſubductus aſpectui [illegible]. Lucret. IV. 1179.

[illegible] poſcenia celant.

Poſce[illegible] omnia, quæ [illegible], dum ſe faciant, & ornant [illegible] intus [illegible], remotis arbitris, nec ad[illegible]. *Turneb. Adv.* XXVII. 35.

POSSESSIONIS [illegible] ſunt tres. V. illas [illegible] in [illegible]. Bonorum *poſſeſſionem* dare eſt juriſdictionis, ſive imperii mixti l. imperium ff. de juriſd. omn. jud. Dat eam prætor in Urbe, præſes in provincia, non duumviri l. ea quæ ff. ad municipalem. V. ſupr. in *Bonorum.*

POSTES ſunt, quibus januæ utrinque fulciuntur. Alter eorum fores ſuſtinet cardinibus affixas; alter ſeram recipit, & regulam, cum oſtium clauditur. Ut plurimum erant lignei, interdum tamen ærei. Marmoreorum meminit Sulpit. Luperc. Epigramm.

Quod tua mille domus ſolidas habet alta columnas,
Quod tua marmoreo janua poſte nitet.

Sagittar. de Jan. vet. c. 6. §. 2. & 5. Stat. Sylv. I. 3. 35.

— an Mauros undique poſtes?
A[illegible] *lucentia marmora venæ*
M[illegible]*?*

[illegible] interdum. Hieron. Epiſt. ad Marcell. *Ut viſitantibus reddamus vices, ad ſuperbas fores pergimus inter* [illegible] *monſtrorum, poſtes ingredimur deauratos.* Meurſ. de Lux. Roman. c. 12. Templorum ſunt ſacri, in quibus ſpolia, vel arma poſt multas palmas conſecrantur. Virg. Æneid. VII. 183.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures.

Sil. Ital. I. 617.

In foribus ſacris, primoque in limine templi
Captivi currus, belli decus, armaque rapta
Pugnantum ducibus, ſævæque in Marte ſecures,
Perfoſſi clypei, & ſervantia tela cruorem
Clauſtraque portarum pendent.

Val. Flacc. III. [illegible]5.

Et nunc ille jubas, captivaque poſtibus ora
Impoſuit.

Guther. de jur. pontif. III. 9. Cerda in Virgilium, Alard. in Flaccum. *Poſte* caput tundebant ad deorum iram placandam. Tib. I. 5. 42.

Et miſerum ſancto tundere poſte caput.

Turneb. Adv. XII. 5. Brouk. in Tibullum. Et *poſtibus* dabant oſcula. Virg. Æneid. II. 490.

Amplexæque tenent poſtes, & oſcula figunt.

Val. Max. II. 10. 2. *Prædonum duces Scipionem Africanum in Liternina villa ſe tenentem ſpectaturi, poſtes januæ tanquam religioſiſſimam aram, ſanctumque templum venerabantur.* Kemp. de Oſcul. Diſſert. VII. §. 23. Lomej. Gen. Dier. Dec. I. Diſſert. X. p. 345. Cerda in Virgilium. Turneb. Adv. XII. 5. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 13. Lana tangebat, & adipe ungebat nova nupta. V. ſupr. in *Nupta.* Ornabant parentes floribus magna feſtivitate, & coronas ſuſpendebant in lætitiæ ſignum, cum liberos ſuſcepiſſent. V. ſupr. in *Pater.* Manu tenebat, qui ædem dedicabat. V. infr. in *Templum.* Spoliis hoſtium exornabant. V. infr. in *Spolia.*

POSTICA quænam dicatur cœli pars. V. ſupr. in *Antica.*

Poſticæ etiam ſunt portæ amphitheatri, per quas feræ intromittebantur in arenam. Ammian. XXVIII. 1. *Ut faciunt amphitheatrales feræ, diffractis tandem ſolutæ poſticis.* Acta martyrii Tarachi, Probi, & Andronici. *Quæ, leæna, magno rugitu poſticam aggreditur, & tranſiit. Clamat populus timens magna voce: aperiatur, & ſic poſtica deſtructa eſt.* Valeſ. in Ammianum.

POSTICUM, ſeu *poſtica*, eſt illud oſtium, quod eſt in *poſtica* ædium parte, ſicut anticum, quod ab anteriore. Gloſſ. Philox: *Poſtica*, παράθυρα κατόπιν τȣ̃ οἴκȣ. Et *poſticum*, παράθυρα, παραθύριον. Neque ſolum dicitur de janua *poſtica*, ſed etiam particulam quandam ædificii, quæ poſt ædes erat, deſignat. Plaut. Trin. I. 2. 157.

— ubi nunc adoleſcens habet?
Poſticulum hoc recepit, cum ædes vendidit.

Quem locum laudat Gell. XVII. 6. ubi Plauti verba ſic interpretatur: *Cum ædes vendidit, particulam quandam, quæ poſt ædes erat, non vendidit, ſed retinuit.* Titin. apud Non. III. 158. *Atque duo poſtica, quæ loco mercede.* Pe. *poſticum* ſolebant accedere, & recedere, qui clam volebant intrare domum, aut exire, & ſic fallere. Plaut. Stich. III. 1. 41.

Potius quam in dividiam veniam, eſt etiam hic oſtium
Aliud poſticum noſtrarum harunce ædium,
Ea ibo obſonatum, eadem referam obſonium
Per hortum.

Horat. Epiſt. I. 5. 30.

Tu, quotus eſſe velis, reſcribe, & rebus omiſſis
Atria ſervantem poſtico falle clientem.

Vult enim occultum diſcedere per *poſticum*, non per januam, ne, qui ſervant ibi, notare poſſint. Suet. Claud. c. 18. n. 3. *Arctiore annona ob aſſiduas ſterilitates detentus quondam medio foro a turba, conviciiſque, ac ſimul fragminibus panis ita inſtratus,* malim *infeſtatus*, *ut ægre, nec niſi poſtico evadere in palatium valuerit.* *Poſticam partem* vocat Suet. Oth. c. 6. n. 4. *Proripuit ſe poſtica parte Palatii ad conſtitutum.* *Averſam partem domus* Tacit. Hiſt. II. 51. 1. *Verginius per averſam domus partem furtim digreſſus.* Senec. de Brev. vit. c. 14. *obſcuros ædium aditus.* Sagittar. de jan. vet. c. 5. §. 1. 4. 5. 6.

Poſticum Palatii *eſt dicta ea regio Urbis, quam Romulus obſer-*

obversam posuit, ea parte, in qua plurimum erat agri Romani ad mare versus, & qua mollissime adibatur Urbs: cum Etruscorum agrum a Romano Tiberis discluderet: cætera vicinæ civitates colles aliquot haberet oppositos. Festus. Perperam vulgo legitur *Pellusculum Palatii.* Ab aruspicibus inditum nomen est, qui cardinem vocarent eam lineam, quæ decumanam ad angulos secaret rectos, *posticam* dixere illam cardinis partem, quæ a centro designationis meridiem spectaret. *Posticum* itaque Palatii, seu *post ea* linea ea erat, quæ a foro Romano Ostiam versus tendit. *Voss. de Magnit. Rom. vet. c.* 13.

POSTILENA, quæ vox apud solum Plaut. Cas. I. 36. occurrit:

Ita te aggerunda aqua curvum faciam probe,
Ut postilena possit ex te fieri.

lorum crassum, sicut explicat Lambinus, significare non potest. Nullum enim lorum natura sua curvum. Flecti quidem in utramque partem potest, at per se curvum non est. At *postilena*, etiam priusquam *postilena* fiat, debet esse curva, ut *postilena* possit fieri. Dicit enim Plautus *te curvum faciam*, non ut *sis*, sed ut *ex te postilena possit fieri.* Quare melius, qui lignum incurvum interpretantur, quod mox ipse facit Lambinus. Nihil eo ligno hodieque vulgatius in jumentis clitellariis, mulis maxime. Lignum est tres circiter digitos latum, unum vero crassum, figura literæ Π Græcorum non absimili, nisi quod obtusiores, rotundioresque habeat angulos. Ejus extrema duo capita firmantur ad clitellas, cætera muli nates ambiunt sub cauda, unde in Lexico Argentoratensi ὑπουρίς, id est, *subcaudale* dicitur. Illud lignum *postilena*, neque usum habet ullum in iis animalibus, quæ adjuncta vehiculis. Nec videre possum causam, quare vestem de cauda dependentem maluerit explicare Voss. Lex. Etymol. Talem enim de cauda dependentem vestem nemo veterum prodit, nec in ullis monumentis, aut imaginibus antiquis potest observari. *Scheffer. de Re vehic.* I. 11. *Hugo de Milit. equest.* I. 4.

POSTLIMINIUM est, quo restituuntur in omnia pristina, qui ex hostium potestate in urbem, vel ad suos redibant. Paullus Diaconus: *Postliminio receptus dicitur is, qui extra limina, hoc est, terminos provinciæ captus fuerat, rursus ad propria revertitur.* Justin. Instit. I. 12. *Dictum est postliminium a limine, & post: unde eum, qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum recte dicimus. Nam sicut limina in domo finem quendam faciunt: sic & imperii finem esse limen veteres voluerunt. Ab eo postliminium dictum est, quod ad idem limen revertebatur, quod amiserat. Sed & qui captus, victis hostibus recuperatur, postliminio redisse existimatur.* Festus: *Postliminio receptum Gallus Ælius in libro primo significationum, quæ ad jus pertinent, ait esse eum, qui liber, ex qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit eo jure quod constitutum est de postliminiis. Item qui servus a nobis in hostium potestatem pervenit, postea ad nos redit in ejus potestatem, cujus antea fuerat, jure postliminii. Equi, & muli, & navis eadem ratio est. Postliminium receptum iis, quæ servi: quæ genera rerum ad nos postliminio redeunt, eadem genera rerum a nobis ad hostes redire possunt. Cum populis liberis, & cum fœderatis, & cum Regibus postliminium est nobis ita, uti cum hostibus, quæ nationes in opinione nostra sunt, cum his. . . .* Hoc tamen jus ad eos non pertinebat, qui hostibus reditum jurejurando promisissent. Nam tum *postliminium* justum non erat. Gell. VII. 18. *Tum octo ex iis, postliminium justum non esse sibi, responderunt: quoniam dejurio vincti forent, statimque, ut jurati erant, ad Hannibalem profecti sunt.* Solet tum de quovis reditu accipi, tum etiam ad alia transferri. Hieron. in vit. Malch. monach. *Ego interim longo postliminio hæreditarius possessor.* Præf. in Jonam. *Tanto post tempore, quasi quodam postliminio a Jona interpretandi sumens principium.* Apul. Met. I. p. 33. *Quo audito, statim arrepta dextra, postliminio in forum Cupedinis reducens.* IX. p. 289. *Barbarus postliminio domum regressus.* Rutil. I. 213.

Cujus Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc postliminium pacis amore docet.
Leges restituit, libertatemque reducit,
Et servos famulis non sinit esse suis.

Sagittar. de Jan. vet. c. 8. §. 24. 25. 26. 29. Fab. Semestr II. 13. Voss. Lex. Etymol. Cujac Observ. XI. 23. Auctor Misc. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. c. 26. Barth. in Rutilium. Beroald. & Florid. in Apulejum. Ex Atheniensium fontibus derivatur, ut pleraque Romanorum alia: eodem jure apud Romanos erant, qui *postliminio* ab hostibus revertebantur, quo apud Athenienses ii, qui δευτερόποτμοι, & ὑστερόποτμοι dicebantur. Romani nolebant eum, cui tanquam mortuo justa funerum facta erant, reducem *limen* insistere, quia funestari eo putabant tam *limen* utrumque, & superum, & inferum, si a mortuo calcaretur, quam & hominem ipsum. Nam & mortui in *limine* collocabantur, quod Græcis dicitur πρόθεσις νεκρῦ. Iccirco tecto perforato in ædes admittebatur, ne ominosum esset illi per januam ingredi, per quam tanquam elatus erat. Quod enim illi justa facta erant, ob id tanquam elatus fingebatur. Athenienses eos, quibus absentibus funus factum erat, non prius ædes ingredi patiebantur, quam per sinum laxæ stolæ mulier cum demitteret, tanquam denuo renasci videretur. Unde δευτερόποτμοι, hoc est, δευτερογενεῖς. Πότμος enim fatum nascentis. Inde factum, ut quos mortuos putaverant, aut quos nunquam redituros sperabant, cum reverterentur, ex orco eos rediisse dicerent. Artemidorus. Ad hunc morem allusit Apul. Met. XI. p. 381. *Confestim familiares, ac vernulæ, quique mihi proximo nexu sanguinis cohærebant, luctu deposito, quem de meæ mortis falso nuntio susceperant, repentino lætati gaudio, varie quisque munerabundi, ad meum festinans illico divinum, reducemque ab inferis conspectum.* Scalig in Festum.

POSTOMIS non fuit capistrum, quod lorum fuit, sed *dicebatur ferrum, quod ad cohibendum equorum tenaciam naribus, vel morsui imponitur, Græce ἀπὸ τοῦ στόματος.* Lucill. XV.

Trulleus postomis huic ingens de naribus pendet.

Non. I. 84. Douza observat, versum illum reperiri scriptum aliter in Lexico quodam veteri, & ad hunc modum:

Postomides huic de naribus ingentes pendent.

Si *postomides* plures pendent de unius naribus, qui significare possint capistra? Nemo enim plura ea uni equo imponit. Neque tamen in eorum sum sententia, qui exponunt circulum ferreum dentatum naribus equorum ferocientium imponi solitum, quem camum vocamus. Illum nemo unquam fecit pendentem de naribus, sicut manifeste hic de *postomide* Lucilius testatur. Significat vero instrumentum, quo utuntur mulomedici, fabrique nostri, quando urunt, secantque equos. Ferrum duplex est, ac longiusculum, ab uno capite ansatum, ut aperiri, claudique possit, crebris dentibus intus asperum, quod in superiori equi labro fixum verissime dependet. Germani eine premse appellare consueverunt. Juvat Nonius, qui ajebat non solum naribus, sed etiam *morsui* imponi. Hoc enim in nullum instrumentum aliud magis convenit. *Scheffer. de Re Vehic.* I. 13.

POSTPRINCIPIA. V. illa infr. in *Triarii.*

POSTSIGNANI. V. illos supr. in *Antesignani.*

POSTVERTA dea. V. illam infr. in *Prorsa.*

POSTULARE *est desiderium suum in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Prætor autem quosdam in totum prohibuit postulare; quibusdam pro se permisit; quibusdam & per se, & pro certis personis: prohibuit infames; procuratores autem, & defensores, & qui aliena negotia mandato domini administrarent, & actionem intendere, & suscipere passus est.* Ulpian. l. 1. §. 2. ff. de postul. Itaque in edicto hæc erant: *Cujus nomine quis actionem sibi dari postulaverit, is eum boni viri arbitratu defendat. Procuratorem ad litem suscipiendam datum, pro quo consentiente judicatum solvi dominus exposuit,*

jus, judicium coram accipere. Qui lege, plebiscito, S.C.to, edicto, decreto, nisi pro certis personis postulare prohibentur, hi pro alio, quam pro quo licent, in jure apud me ne postulent, nempe, parente, patrono, patrona, liberis, parentibusque patroni, & patronæ, ... fratre, sorore, uxore, socero, genero, ..., vitrico, noverca, privigno, privigna, pupillo, pupilla, furioso, furiosa, fatuo, fatua. Sigon. de Judic. I. 20. II. 9. Brisson. de Form. v. p. 402. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 2. Pollet. Hist. Rom. IV. 8. Ut in privato judicio adversario in jus vocato postulabatur a prætore, ut sibi liceret actionem intendere, sic in publico postulabatur, ut sibi liceret nomen deferre. Cicer. Fam. VIII. 6. *... quod inter postulationem, & nominis delationem uxor a Dolabella discessit.* Senec. Lud. de morte Claud. p. 859. *Ducit eum ad tribunal Æaci. Is lege Cornelia, quæ de sicariis lata est, quærebat: postulat nomen ejus recipi.* Postulatio fiebat non solum præsente, sed etiam absente illo, in quem fiebat. Ostendit Cicer. ad Fratr. III. I. 5. cum Gabinium, postquam accessisset ad Urbem, necdum ingressum, a Lentulo *de majestate postulatum* memorat. Et idem. VIII. 6. *Appius a Dolabella reus factus, sanequam non ea, qua existimaveram, invidia: neque enim stulte Appius, qui simulatque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in Urbem, triumphique postulationem abjecerat.* Sigon. ibid. II. 9. Illis vacare dicitur, qui libellos, supplices audit, & negotia, ut vulgus expedit. Plin. Epist. VII. 33. 4. *Senec. o cum exploratis consules postulationibus vacaturos, convenit me: & qua concordia, inquit, injunctam nobis accusationem exsequuti sumus, hac adeamus consules, petamusque, ne bona dissipari sinant, quorum esse in custodia debent.* Bud. in Pandect. p. 88. A. Pollet. For. Rom. IV. 8. Cellar. in Hamm.

POSTULATIO olim in ceremoniis locum habebat. Arnob. IV. p. 148. *In ceremoniis vestris, rebusque divinis postulationibus locus est.* Consistebat in precibus pro avertendo malo. Decernebatur ob ostenta, & portenta, vel si quid in sacris prætermissum, aut omissum. Cicer. de Arusp. resp. c. 10. *Exauditus in agro propinquo, & suburbano est strepitus quidam reconditus, & horribilis fremitus armorum: de eo re scriptum est, postulationes decretas esse Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri, diis cœlestibus.* c. 14. *Movet me etiam in hac caritate annonæ, sterilitate agrorum, inopia frugum, religio Telluris: & eo magis, quod eodem ostento Telluri postulatio deberi dicitur.* Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 217. Rhodig. Ant. Lect. x. 19. Turneb. Adv. XI. 20. Guther. de vet. jur. pontif. IV. 15. de jur. man. II. 14. Saubert. de Sacrif. c. 3. Elmenhorst. & Herald. in Arnobium.

POSTULIO erat distincta a *postulatione*, quia *postulatio* fiebat diis superis, *postulio* inferis, cum hominem aliquem peterent, qui in devove etur. De hac jocus Plauti, apud quem cum servus Tranio Theuropidi seni capitales ædes falso fingeret, quod in illis hospes necasset hospitem, ab illarumque foribus abigeret senem, ne filium opprimeret cum amica convivantem, clamitabat servus, eum, qui has ædes tetigisset, piaculum committere, vel suo capite expiandum Most. II. 2. 73.

Scelestæ hæ sunt ædes, impia habitatio,
Quæ hic monstra fiunt, anno vix possem eloqui.

Cumque illum vocaret senex, servus ille nequam n. 83.

—— *non me appellabis, si sapis.*
Nihil ego commerui, neque istas percussi fores
THEUR. *Quæso quid ægre est? quæ res te agitat Tranio?*
TR. —— *an quæso tu appellaveras?*
Ita me dii amabunt mortuum illum credidi
Expostulare, quia percussisses fores.

Guther. de Vet. jur. pont. IV. 15. Non ideo, sed quia *postulio* sit illud ipsum, quod ad expiandos deos præstabatur, sive hostia, sive donum, sive simile quid; *postulatio* vero consisteret in precibus pro avertendo malo. Videmus hoc ex Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *A Proculio relatum, in eo loco, ubi tunc lacus Curtius, dehisse terram, & ex S.C.to ad haruspices relatum, esse responsum, deum manium postulionem postulare, id est, civem fortissimum eodem mitti.* Liv. v. II. 6. explicat, deos quæsitos expoposcisse id, *quo plurimum populus Romanus posset.* Hoc ergo illud *postulio*, illud ipsum, quod dii piaculi loco *postulabant*. Struv. Antiq. Rom. c. 4. p. 217. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 17.

POSTUMUS vocabatur, ut existimat Plutarchus in Coriolano, & Sylla, cui post patris mortem nasci contigit, a *post* & *humus* composito vocabulo, quasi post humatum patrem natus. Ego vero, quum antiquorum scribendi rationem animadvertissem, qui *Postumium*, sive *Postumum* absque media aspiratione *H* scribere consueverunt, non ab humato patre, sed a *postea* deduci *Postumum* existimavi, quasi, postea quam pater mortuus, natus. Est autem hæc derivatio, *postea, postimus, postimius*, ut *major*, *maximus*: deinde antiquorum more *I* in *V* verso *postumus*, *postumius*, ut etiam *maxumus* aliquando scriptum invenitur. Quidam *Postumium*, sive *Postumum*, Plutarchi sententiam secuti, ab *humo* dictum putant, quia antiqui *umum* sine *H* aspiratione scriberent, inde *Postumus*. Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Tom. II. p. 2031. C. Voss. de Anal. II. 25. Dausquej. Orthogr. II. p. 247. Perizon. in Sanct. Minerv. I. II. Cujac. Observ. III. 4. Turneb. Adv. x. 23. Gronov. in Gell. II. 16. Canter. Nov. Lect. II. 20. Savar. in Sidon. III. 12. Par. Lex. Crit. Pronomen hoc nostro tempore omnes fere codices depravatum habent, in quibus *Postumius* pro *Postumo* scriptum est, quum *Postumius* nomen familiæ sit a *Postumo* prænomine. *Panvin. l. l.* Hoc prænomine Cominiorum, & Æbutiorum gentes usæ sunt. *Postumi* enim Cominius & Æbutius consules in Fastis memorantur. *Postumus* etiam Cominius invenitur apud Liv. II. 18. *Insequens annus Postumum Cominium, & T. Lartium consules habuit.* Nec minus Mimesiorum. Lapis apud Gruter. p. 188. n. I.

POST. MIMESIUS. C. F.
SARDUS. TR. MIL.
Q. ÆD. PL. TR.
LEGATUS. TI. CÆSARIS. . . .

Pro cognomine tamen usurpatum, & quidem frequentissime, conjicere licet. Sic in Fastis, ne huc referam omnes, quibus *Postumi* cognomen fuit ad an. U. C. 759. collega M. Aimilii L. F. Lepidi legitur C. Nibius C. F. *Postumus*. Ciceronem orasse pro C. Rabirio *Postumo*; atque Fam. VII. 8. meminisse T. Furfanii *Postumi*, familiaris sui, omnibus planum est. Imo Glandorpius cognominum indice præter istos observavit *Postumi* cognomen fuisse commune Acciis, Cejoniis, Juniis, Liviis, Pontiis, Sejis. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 909. *F. Panvin. l. l.*

POT.

POTENTIA urbs. V. illam supr. in *Pollentia*.

POTESTAS præsidum in provinciis erat facultas cognoscendi. Pacis temporibus congruebat. Versabatur potissimum in jurisdictione. Hyemem illi dicabant. Cicer. Attic. v. 14. *Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum: æstivos menses reliquos rei militari dare, hibernos jurisdictioni.* Fam. II. 13. *Mihi erat in animo, quoniam jurisdictionem confeceram, proficisci in Ciliciam nonis Maji; & cum primum æstiva attigissem, militaremque rem collocassem, decedere.* Cognitio prætoria una domestica fuit, altera popularis. V. utramque supr. in *Cognitio*. Ut autem hanc *potestatem* exercere commode possent, institutum erat, ut præses, posteaquam in provinciam venerat, in aliquam civitatem, aut in plures ex iis, in quibus conventus agi solebat, conventus, sive forum in certam diem indiceret, eoque provinciales homines evocaret: atque ita aut uno in oppido plures conventus; aut in singulis agebat, atque omnes percurrebat. V. supr. in *Conventus*. Jam vero in uno oppido plures, aut in singulis singulos actos docet Cice-

Cicero; qui cum per annum in Cilicia fuiſſet, primum fere in ſingulis conventibus ſe jus dixiſſe, deinde Laodiceæ quinque conventus egiſſe ſcripſit. Nam in provinciam accedens ita ſcribit Attic. v. 20. *Laodiceam prid. Kal. Sext. venimus: ibi morati triduum perilluſtres fuimus: dein Apameæ quinque dies, Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconii decem fuimus: nihil ea juriſdictione æquabilius.* Poſt cum foro Tarſi in Cilicia peracto, in Aſiam ad ſecundos conventus agendos rediret, ita ſcribit Attic. v. 21. *Ego, æſtivis confectis, Q. Fratrem hibernis, & Ciliciæ præfeci. Ipſe in Aſiam profectus ſum Tarſo nonis Januarii; non mehercule dici poteſt, qua admiratione Ciliciæ civitatum, maximeque Tarſenſium. Poſtquam vero Taurum ingreſſus ſum, mirifica expectatio Aſiæ noſtrarum diœceſium, quæ ſex menſibus imperii mei nullas meas acceperat literas. Idibus Februariis, quo die has literas dedi, forum inſtitueram agere Laodiceæ Cybiraticum, & Apamenſe ex Idibus Martiis, ibidem Synnadenſe, Pamphilium, Iſauricum.* Ex his apparet, ipſum primo Laodiceæ, Apameæ, Synnadis, Philomeli, & Iconii ſigillatim conventus egiſſe, (unde queſtus eſt etiam cum Appio deceſſore ſuo, iiſdem diebus Appium conventum Tarſi egiſſe, quibus ipſe ſuum Apameæ, Synnadis, & Philomeli peregerit) poſt autem harum quinque diœceſium conventum in uno oppido egiſſe Laodiceæ. Frequentius tamen ſingulos a prætore perluſtratos fuiſſe exiſtimo, atque id quoque fuiſſe ad provinciæ rationes accommodatius. Hirt. de Bell. Gall. VIII. 46. V. illum ſupr. in *Conventus*. Cicer. Verr. V. 11. *Nullum oppidum in Sicilia fuit ex iis oppidis, in quibus prætores conſiſtere, & conventum agere ſolent, quo in oppido non Verri delecta ad libidinem mulier eſſet.* Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5.

Poteſtas patria. V. illam ſupr. in *Jus patrium*.

POTINA dea præſes fuit potus infantum. V. illam ſupr. in *Edulia*.

POTIO a convivis, priusquam diſcumberent, poſcebatur. Petron. c. 31. *Itaque potionem popoſci. Allata eſt tum guſtatio valde lauta.* Terent. Phorm. II. 2. 18. V. illum infr. in *Præbibere*. Palmer. Spicil. VII. p. 724. Tribus viri moderati erant contenti. Plin. XXVIII. 6. *Numerum quaternionum Demetrius condito volumine, & quare quaterni cyathi, ſextariive non eſſent potandi.* Petron. c. 96. *Quod amica ſe non dimiſiſſet tribus niſi potionibus ex lege ſiccatis.* Suet. Aug. c. 77. n. 2. *Non amplius ter bibere eum ſolitum ſuper cœnam in caſtris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit.* Erat lex convivalis. Ejus meminit Auſon. Idyll. XI. 1. ſupr. in *Bibere*. Buleng. de Conviv. III. 16. Beroald. & Pitiſc. in Suetonium. Wouwer. Gonſal. & Erhard. in Petronium.

Potio murrhata, eadem quæ murrhina, qualis fuerit, valde dubitatur. Mercur. Var. Lect. V. 1. de illa diſputans Julii Scaligeri, & Adriani Junii multum diſcrepantes opiniones primum recitat, & refutat: deinde quid ipſe ſentit afferens, dicit ſe exiſtimare fuiſſe artificialem quandam *potionem*, quæ veterum tempeſtate vulgatiſſima fuerit, a poſteris autem intermiſſa, ut vix ejus remanſerit nomen. Sumit autem nomen a murrha lapide pretioſo odoris præſtantia commendabili, & colorum varietate inſigni naſcente in occidente apud Parthos, & præcipue in Carmania, crediturque eſſe humor ſolis calore ſub terra condenſatus. V. ſupr. in *Murra*. Moreſt. Pom. Feral. VI. 6. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. I. p. 9. Feſtus. V. illum ſupr. in *Libatio in funere*. Urſin. ad leg. & Sctu Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1365. E. Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 42. Meurſ. de Funer. c. 28. Moreſt. l. l.

POTITII fuerunt ſacerdotes Herculis. V. illos ſupr. in *Pinarii*.

POTITUS olim Valeriorum cognomen fuit. Hoc autem in ejusdem gentis prænomen etiam ſub Auguſto tranſiit: eoque ut auctor eſt Dio XLIX. Valerius quidam Meſſalla uſus eſt vir conſularis, *Potitus* Valerius Meſſalla appellatus. *Panvin. de Nomin. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2031. *E.*

POTUA erat dea, quæ *potus* præerat. Arnob. III. p. 115. *Potua ſanctiſſima potui procurat.* Putean. Reliq. Conv. priſc. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 261. C.

POTUS calidus / *Potus* frigidus } V. utrumque ſupr. in *Aqua*.

Potus militaris fuit aqua. V. ſupr. in *Aqua*.

Potus nauticus fuit aqua. Liv. XXIX. 25. *C. Lelius Romanæ claſſis præfectus a gubernatoribus quærit, ſi aquam hominibus jumentisque in totidem dies, quot frumentum impoſuiſſent. Illique reſpondent, aquam dierum quinque & quadraginta in navibus eſſe.* Obſerva, gubernatorum hanc fuiſſe curam, verum ita, ut ſi deficeret, eam importarent non ipſi, verum remiges. Hirt. de Bell. Afric. c. 7. *Remiges interim, qui aquatum e navibus exierant, ſubito equites Mauri adorti ſunt.* de Bell. Alex. c. 10. *Quum ad eum locum acceſſiſſet, qui appellatur Cherroneſus, aquandique cauſa remiges in terram expoſuiſſet, nonnulli ſunt intercepti.* Habuerunt & vinum in navibus. Liv. XXXVII. 29. *Egrediuntur milites, nauteque ad commeatus, & vinum maxime dividendum in naves.* Calypſo navi Ulyſſi apud Homer. Od. Ε.

Impoſuit utrem dea vini nigri alterum,
Alterum aquæ magnum.

Videtur autem Imperatoris potius, & trierarchi hic fuiſſe *potus*, quam nautarum reliquorum. Et hinc forte Cato apud Plin. XIV. 13. *non aliud ſe vinum bibiſſe, quam remiges*, id eſt, contra vulgarem modum feciſſe dicit. In defectu aquæ ex pellibus, quibus tegebantur naves, excipiebant rorem. Cæſ. de Bell. civ. III. 15. *Accidit, ut difficilioribus uſi tempeſtatibus, ex pellibus, quibus erant tectæ naves, nocturnum excipere rorem cogerentur.* Dicebatur, ut opinor, hoc genus nautea. Non. I. 25. *Nautea eſt aqua de coriis.* Ariſtoteles tali occaſione etiam ex ipſo mari aquam putat haberi poſſe, demiſſo vaſe cereo. Ælian. Hiſt. Anim. IX. 64. *Ariſtoteles potabilem in omni mari aquam eſſe, id experimento docet: nam ſi quis concavum,* inquit, *e cera vas tenui opere finxerit, atque in mare demiſerit inane, alicunde appenſum, ut aquam tranſmittere queat die, ac nocte una, dulci atque potabili humore repletur.* Scheffer. de Milit. nav. IV. 1.

PRÆ.

PRÆBIBERE, ſive propinare, προπίνειν ſolebat ex ritu convivali archiſympoſiarcha, ſive dominus convivii, & mox alii ſubſequebantur, quaſi ille præſcriberet convivis bibendi legem. Terent. Phorm. II. 2. 18.

Prior bibas, prior decumbas.

Apul. Met. X. p. 334. *Heus ait, puer lautum diligenter ecce illum aureum cantharum mulſo contempera, & affer paraſito meo: ſimul, quod ei præbiberim, commoneto.* Dido cum *præbibiſſet*, & ſummo tenus ore poculum attigiſſet,

Tum Bitiæ dedit increpitans.

apud Virg. Æneid. I. 742. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 10.

PRÆCANTATRIX eſt mulier, quæ *cantionibus* utitur, id eſt, carminibus, & incantamentis, quibus plurimum ſuperſtitioſi veteres tribuebant. Plaut. Mil. Glor. III. 1. 97.

—— da quod dem Quinquatribus
Præcantatrici.

Turneb. Adv. II. 29.

PRÆCENTIO vocatur prodroma vox cantoris, præludium. Cicer. de Aruſp. reſp. c. 10. *Te appello Lentule, tui ſacerdotii ſunt præcentio.* . . . . Gell. I. 11. *Præcentione tranquilla, & delectabili.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 2. Ex Cicerone videmus pontificem maximum in circenſi pompa, ut & in ſacris omnibus publicis *præcinuiſſe*, & hymnorum cantus inchoaſſe, qui in honorem deorum ſacerdotibus canebantur. *Guther. de jure vet. pontif.* I. 11. Qui fallitur. Nam Lentulus ille, quem alloquitur Cicero, non fuit pontifex maximus, ſed augur, ut videtur *Græv. Theſ. Antiq. Rom. Tom.* V. *Prolegom.* * * 3. In tibiarum cantu idem erat ac in poeſi prologus, & proœ-

mium, quod est initium sermonis, quemadmodum indicat Aristot. Rhet. III. Et indicat illud idem Plato Cratylo. *Ut canere pracentionem nomi Minervæ.* Barthol. de Tib. c. 9.

PRÆCENTOR vocatur, qui cantum moderatur. Apul. de Mund. p. 749. *Quod est in triremi gubernator, in curru rector, præcentor in choris.* Ita in carminibus, quæ a pueris, puellisque seculari sacro canebantur, *præcentor* erat. Horat. Od. IV. 6. 31.

Virginum prima, puerique claris
Patribus orti.

n. 35.

Lesbium servate pedem, meique
Carminis ictum.

Et n. 41.

Nupta jam dices: ego diis amicum,
Seculo festas referente luces
Reddidi carmen docilis modorum
Vatis Horati.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2.

PRÆCIÆ *dicebantur, qui a flaminibus præmittebantur* in genere, *ut denuntiarent opificibus, manus abstinerent ab opere, ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur.* Festus: *Præciæ* est præclamare. *Stuck. de Sacrif. p. 120. Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 630. Scalig. in Festum.*

PRÆCINCTI dicti veteribus generaliter omnes, qui gnaviter, prompte, & expedite aliquod opus aggressuri essent. V. supr. in *Cingulum* & *Accincti.*

PRÆCINCTIONES dicuntur in theatris graduum superiorum ab inferioribus divisiones. Vitruvius aliquoties nominat; sed, ut in re tunc clara, describit nobis parum clare. III. 5. *Præcinctiones ad altitudines theatrorum pro rata parte faciendæ videntur, neque altiores, quam quanta præcinctionis itineris sit latitudo.* Et: *Gradationes scalarum contra quadratorum angulos dirigantur, ad primam præcinctionem.* Videntur autem sive ad vomitoria, & ipsos aditus; sive in discriminibus orchestræ, equestrium, popularium gradus quosdam latiores, altiore que struxisse, qui reliquos minores velut *præcingerent*, & complecterentur. Unde & nomen. Torellus certe observat in illo Veronensi, gradum esse circa medium, qui duos pedes, & uncias sex altus: cum reliqui tantum pedem, & uncias duas. Atque ea profecto *præcinctio*: etsi Vitruvius, & res ipsa plures suadent una. Balteus, & diazoma Græcanica voce dicitur. V. supr. in *Balteus.* Lips. de Amphith. c. 13. Bald. Lex. Vitruv. Buleng. de Theatr. I. 17. Thys. de Amphit. I. p. 203.

PRÆCIPITATIO erat inter necis genera. Fiebat de robore. Val. Max. VI. 3. 1. *Quin etiam familiares eorum,* Gracchorum, *ne quis Reipublicæ inimicis amicus esse vellet, de robore præcipitati sunt.* Liv. XXXVIII. 59. *Ut in carcere vir clarissimus inter fures, & latrones includatur, & in robore, ac tenebris expiret.* jussu triumviri capitalis. Val. Max. V. 4. 7. *Mulierem damnatam prætor triumviro necandam in carcere tradidit.* Prægressa verberatione. Gell. X. 18. *Decemviri servos manifesti furti prehensos verberibus affici, & de saxo præcipitari jusserunt.* Sigon. de Judic. III. 16.

PRÆCIPUUM est vocabulum ICtorum. Sidon. Epist. VI. 12. *Illud deberi tibi quodam, ut ICti dicunt, præcipui titulo.* Papin. l. 75. ff. de legat. & fideic 11. *Pro parte hæres institutus, cui præceptiones erant relictæ, post diem legatorum cedentem, ante aditam hæreditatem, vita decessit, partem hæreditatis ad cohæredes substitutos pertinere placuit: præceptionum putem portiones, quæ pro parte hæredum constiterunt, ad hæredes ejus transmittit.* Scævol. ibid. l. 88. *Quæ marito hæres extiterat, ita testamento cavit: Mævi & Semproni filii dulcissimi præcipitote omne, quicquid ex hæredibus, bonisve Titii domini mei, patris vestri, ad me pervenit mortis ejus tempore.* De *præcipuo* Donat. Æneid. V. 249. *Quod præter communionem singulis proprio nomine deputatur, ut fit sæpe in testamentis, cum aliquo per præceptionem singulorum hæredum censuerit esse testator.* Inde dictum, quod ante communionem capitur. Festus: *Præcipuum, quod ante capitur. Præceptionis* formula erat: *præcipito, sumito, tibique habeto.* Exprimebatur his notis: *P. S. T. Q. H.* Ut docent in notis juris Magno, & in notis literarum Petrus Diaconus. Quod Galbæ, tametsi hæres scriptus non esset, primo, ac veluti summo inter legatarios loco relictum a Livia fuerat, vocat Suet. c. 5. n. 3. *HS quingenties, cum præcipuum inter legatarios habuisset.* . . . . Turneb. Adv. V. 2. Savar. in Sidonium. Barth. Adv. XXIX. 5. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

PRÆCLAMITATORES *dicebantur, qui flaminibus Diali, Martiali, Quirinali antecedentes clamant feriis publicis, ut homines abstineant se opere, quia his opus facientem videre religiosum est.* Festus. De quo more sic Serv. Georg. I. 268. *Sunt aliqua, quæ si festis diebus fiant, ferias polluant: quapropter & pontifices sacrificaturi præmittere calatores suos solent, ut sicubi viderint opifices adsidentes, opus suum prohibeant: ne pro negotio suo, & ipsorum oculos, & ceremonias deum attaminent.* Scalig. in Festum. Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 630. Brisson. de Form. I. p. 118. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 2. Broukh. in Tibull. II. 1. 9.

PRÆCLAVIUM, *pars vestis, quæ ante clavum texitur. Afran. Homine:*

Tertium diem præclavium unum texere.

Fratr.

Mea nutrix surge, si vis, profer purpuram,
Præclavium, contextus.

Non. I. 326. Nimirum secutus est simpliciter verbi compositionem, quasi manu ducentem ad illam notionem: *præ* est ante. *Præclavium* igitur, quod *ante clavum.* Egregium interpretem. Ego *præclavium* veteres prætextam purpuram vocasse non dubito. Ita ipse Afranius Nonio laudatus. Græci παράσημον dicunt, quod Latinis verbo verbum est *præclavium*: nam *clavus* est σημεῖον. Ut autem παρυφὴν prætextam verterunt, sic *præclavium* παράσημον. Gloss. auctor: Παρυφὴ, *prætexta, præclava, hoc præclavium.* Nam & *prætexere clavis* dicebant. Festus. V. illum inf. in *Ricinium.* Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 46. Nonii tamen sententia aperte affirmatur Afranii verbis, si pro *contextus* legamus *contextum est.* Nihil enim clarius. Mulier illa apud Afranium imperat nutrici suæ, ut purpuram adferat, quia *præclavium* jam *contextum est.* Nec quicquam adjuvat Salmasium Glossarium Cyrilli. Non enim ibi prætexta denotat purpuram, quæ vestium oris prætexitur; sed simpliciter aliquid, quod *præ*, id est, ante textum est. *Ruben. de Re vest. I. 2.*

PRÆCO erat minister publicus, cujus ministerio Romani utebantur I. in Auctionibus. Per *præconem* enim venisse olim ea, quæ tam publice, quam privatim venibant, non est ignotum. Hoc certe modo mancipia, jumenta, merces, agros, loca, ædificia, privatis vendentibus venisse demonstratur hisce. Herod. I. 12. 8. *Cleander erat quidam, Phryx genere, ex ea nota hominum, qui publice per præconem veneunt.* Apul. Met. VIII. p. 254. *Refectis jumentorum corporibus, quo vendibiliores videremur, ad mercatum producimur: magnaque voce præconis, pretia singulis nuntiantis, equi, atque alii asini opulentis emptoribus præstinantur.* Horat. Art. Poet. n. 419.

Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas.

Mart. I. 86.

Venderet excultos colles cum præco facetus,
Atque suburbani jugera pulcra soli.

Et hæc dicebantur *præconi subjici.* Cicer. Attic. XII. 40. *De hortis Scapulanis hoc videtur effici posse, aliud tua gratia, aliud nostra, ut præconi subjiciantur.* Brisson. de Form. VI. p. 509. Pollet. For. Rom. V. 13. Kipping. Antiq. Rom. II. 4. §. 4. Schill Nomencl. Philol. p. 936. Vendebat e lapide. V. illum supr. in *Lapis.* II. in Comitiis. Centurias, & classes ad ferendum suffragium vocabant. Dionys. X. p. 643. *Postquam dies comitiorum venit, & præco primam classem vocavit.* Gruch. de Comit. Rom. I. 3. Panvin. de Civit. Rom. c. 53. Deinde post descripta singularum centuriarum suffragia, quæ illarum esset sententia, magna voce pronuntiabant. Cicer. Verr. V. 15. *Tu cum prætor ...*

nuntia...

nuntiatus es, non ipsa præconis voce excitatus es, qui te toties seniorum, juniorumque centuriis illo honore affici pronuntiavit. pro Mil. c. 35. *Meminit etiam sibi vocem præconis modo defuisse, quam minime desideravit: populi vero cunctis suffragiis, quod unum cupierit, se consulem declaratum.* Gell. XII. 8. *Postea populus Romanus eos*, Æmilium Lepidum, & Fulvium Flaccum, *simul censores facit. Atque illi ubi voce præconis renuntiati sunt.* Ex Gellio, & Cicer. pro Mil. concludi potest, non modo singularum centuriarum, ut quæque suffragium dixisset, sententiam a *præconibus* pronuntiari solitam, quemadmodum ex superiori loco intelligitur, sed etiam post lata omnia suffragia, rursum quid populus universus jussisset, voce *præconis* declarari. *Gruch. ibid.* I. 3: II. 4. *Panvin. & Kippin. l. l. Brisson. ibid. p.* 134. III. in funeribus. Exequias qui irent, evocabant. Formula, qua utebantur ex Varr. de Ling. Lat. VI. 3. & Festo in Quiris vulgaris jam est: *Ollus Quiris letho datus est, ad exequias, quibus est commodum ire, jam tempus est, ollus ex ædibus effertur.* Quod quidem diversis temporibus, uno, eodemque momento peractum est. I. funus indicebatur, *ollus Quiris letho datus est.* Quod non in omni funere factum, sed indictivo solum. II. exequiarum tempus significabatur. *Exequias, quibus est commodum ire, jam tempus est.* III. cum cadaver efferretur, *præco* iterum: *Exequias quibus est commodum ire, jam tempus est, ollus ex ædibus effertur.* V. & supr. in *Funus*. Guther. de jur. man. I. 18. IV. in judiciis. *Apud veteres & judices, & rei, & accusatores, & defensores citabantur a præcone prætoris.* Ascon. in Cicer. p. 69. Justin. novell. 122. seu §. jubemus in auth. de litig. *Jubemus ordinarios judices non solum voce præconis, sed & propositis edictis absentem vocare in judicium, quia vox præconis paucis innotescit.* Suet. Tib. c. 11. n. 9. *Citatum pro tribunali voce præconis conviciatorem rapi jussit in carcerem.* Mart. IV. 5. 3.

Qui nec leno potes, nec comessator haberi,
Nec pavidos tristi voce citare reos.

Cicer. Verr. II. 40. *Citatus accusator M. Pacilius, nescio quo casu, non respondit, non affuit.* Quintil. Instit. VI. 4. *In publicis certe judiciis vox illa præconis, præter patronos, ipsum qui egerit, citat.* Quos ut citet *præco*, *cum proconsule & ipse tribunal ascendit, & ipse togatus illic videtur; & quidem perdiu stat, aut ambulat, aut plerumque contentissime clamitat. cum vero ipse proconsul moderata voce, raro, & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit. Quippe præconis vox garruli ministerium est; proconsulis autem tabella sententia est.* Brisson. ibid. p. 470. Pancirol. Notit. imper. orient. c. 11. Poller. ibid. IV. 6. & 12: V. 13. Fab. Semestr. II. 16. Pith. Adv. I. 15. Ravard. Protribun. c. 2. V. in ludis. Sollenni more ad ludos seculares vocabant. Suet. Claud. c. 21. n. 4. *Quare vox præconis irrisa est invitantis more sollenni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset.* Herod. III. 8. 18. *Siquidem Urbe tota, atque Italia præcones itabant convocatum omnes ad ludos, quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodum forent.* Brisson. ibid. VIII. p. 720. Silentium indicebant. Senec. Epist. 78. *Nec tibi cum prædicationi nominis nostri silentium faciens.* Plaut. Pœn. prol. n. 11.

Exsurge præco, fac populo audientiam.

Xiphil. LXIX. p. 790. C. *Cum olim quadam per vim, & superbe in ludo armorum peterent, nihil eis distribuit: imo vero jussit illud Domitiani pronuntiari, silete: quod verbum minime prolatum est; nam præco manum continuo sustulit, ita eo signo quod fieri solet, eos quiescere fecit, atque tacere: quare, inquit, non opus est, ut ex præcepto sileant, qui jam tacuere, hoc enim vult Princeps. Neque tamen ideo est iratus pretorii, imo vero majore in honore habuit, quod gravitatem mandati non exposuisset.* Pollut. ibid. V. 13. Brisson. ibid. p. 722. Illorum, quando populo facere audientiam jubebant, acclamatio sollennis erat hæc, ἀκούετε λαοί. Unde manavit arguta faceti illius dicti Stratonici citharœdi, qui quum apud Mylassa urbem Cariæ parum populosam peregrinaretur, conspicatus multa templa, raros homines, medio in foro exclamavit præconum ritu, ἀκούετε ναοί, *audite fana.* Jun. Anim. V. 20. Laurent. de Præcon. c. 1. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7. Populo significabant, quid mox agendum esset in scena. Synes. de Provid. II. *Oportet aliquem antequam ludi committantur prodire, qui populo renunciet, quid jam spectaturus sit.* Spectatoribus nocte faces in theatro accendebant, & abeuntibus e theatro præluxebant. Xiphilinus in Tiberio scribit, Sejanum per 500. pueros calvos abeuntibus e theatro faces prætulisse. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7.* Eos, qui victores fuissent, renuntiabant. Id quod meridiano tempore fieri solitum. Hoc conjici potest ex Philostr. vit. Apollon. VI. ubi ait, athletas in porticu expectare μεσημβρινὸν κήρυγμα, *meridianum præconium*: nempe cum omne matutinum tempus usque ad meridiem certaminibus consumptum esset. Horum voce victores proclamabantur, ne quis se ipse victorem proclamaret. Nam reperti interdum, qui hoc incivuliter, & contra legem ausi sunt. Cujus rei tr[...] fuit Timotheus quidam, qui se ipse victorem impudenter renuntiavit his verbis: *Beatus fuisti Timothee, quod præco dixit: Vincit Timotheus Milesius Carones ἰωνοκάμπτας.* Et illi coronabantur, sed adhibito aliorum ministerio. Cicer. Fam. V. 12. *Verecundiores esse præcones ludorum gymnicorum, qui, cum cæteris coronas imposuerant victoribus, eorumque nomina magna voce pronuntiarunt, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne sua voce ipsi se victores prædicent.* Paschal. de Coron. VI. 12. Buleng. de Circo c. 24. VI. In rebus amissis. Has investigabant, & conquirebant. Plaut. Merc. III. 4. 78.

Certum est præconum jam jubere quantum est conducier,
Qui illam investigent, qui inveniant: post ad prætorem illico
Ibo, orabo, ut conquisitores mihi det in vicis omnibus.

Petron. c. 57. *Intrat stabulum præco cum servo publico, aliaque sane modica frequentia, facemque fumosam magis, quam lucidam quassans, hæc proclamavit: puer in balneo paullo ante aberravit, annorum circa sedecim, crispus, mollis, formosus, nomine Giton. Si quis eum reddere, aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille.* Brisson. ibid. p. 721. Wouwer. & Gonsal. in Petronium. VII. In suppliciis. Moris erat sub *præconis* elogio, seu *præcone* caussam condemnationis superdicente de damnatis pœnas exigi. Alexand. Severus, ut est proditum a Lamprid. c. 51. *per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Idem Imperator, ut legitur apud eundem c. 36. Turinum fumi venditorem *fumo apposito, quem ex stipulis, atque humidis lignis fieri jusserat, necavit, præcone dicente, fumo punitur, qui vendidit fumum.* Simili modo narrat Ambros. Serm. 90. judicem Agnem virginem spoliari, & nudam ad lupanar duci jussisse, suo voce *præconis* dicentis: *Agnem sacrilegam virginem, diis blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datum.* Ravard. Var. V. 7. Brisson. ibid. V. p. 483. Fab. ibid. c. 6. Sed & ipse *præco* apud Romanos olim jussu magistratuum lictores in suppliciis exigendis lege agere jubebat. Itaque, ubi de Fulvii consulis Romani animadversione in Campanos senatores, capta Capua Liv. XXVI. 15. *Præconi imperavit, ut lictorem lege agere juberet*, id est, ut ex officio suo ageret, & sententiam in damnatos exequeretur. *Ita de iis quoque*, ut addit, *qui Calibus erant, sumptum supplicium.* Et, ubi de Taurea Jubellio securi percussio jussu Fulvii c. 16. *Sub hæc dicta, jussu proconsulis præconem pronuntiasse: Lictor, viro forti adde virgas, & in eum lege primum age.* Brisson. & Fab. l. l. Si quemquam e medio sublatum volebant, cædis mercedem, quam vulgo dicimus *taglia*, aut vivi capitis, proclamabant. Unde verbum ἐπικηρύττειν, id est, per *præconem* pronuntiare, pecuniam dandam interfectori. *Quoad licitari hostium capita dixit* Curt. IV. 1. 12. *Laurent. l. l.*

PRÆCONINUS fuit dictus L. Ælius Stilo, quod *præco* fuerit. Plin. XXXIII. 1. *Vulgo purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones, sicut patrem L. Ælii Stilonis, Præconini ob id cognominati.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.

PRÆCURSORES olim fuere velites, sive antesignani, quod ante signa *præcurrerent*. Salmas. de Re milit. Rom. c. 13. V. illos supr. in *Antesignani*.

PRÆDA & manubiæ differunt. V. supr. in *Manubiæ*. Omnis erat publica populi Romani, & pecuniæ bello captæ ratio erat reddenda, & ad ærarium referenda. Gell. IV. 18. *Pœtilii quidam tribuni plebis a Marco Catone inimico Scipionis comparati in eum, atque immissi desiderabant in senatu instantissime, ut pecuniæ Antiochenæ, prædæque, quæ in eo bello capta erat, rationem redderet. Fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo imperatori in ea provincia legatus. Ibi Scipio exsurgit; & prolato e sinu togæ libro, rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ, omnisque prædæ. Illi tum ut palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. Sed enim id jam non faciam, inquit, nec meipse afficiam contumelia: eumque librum statim coram discidit suis manibus, & concerpsit: ægre passus, quod cui salus imperii, ac Reipublicæ accepta ferri deberet, rationem pecuniæ prædatitiæ posceretur.* Et legis hac de re latæ meminit Decius Coriolani accusator apud Dionys. VII. p. 467. ubi dicit, *esse apud Romanos legem, quæ spolia, & prædam hostilem, etiam, quam sua virtute consequantur, publicam jubeat esse; nec militem solum, aut privatos quicquam in hæc juris habere, sed ne ipsum quidem Imperatorem: quæstorem eam divendere, & pecuniam referre in ærarium. Quam legem nemo unquam ab Urbe condita solverit, sed nec culpaverit, Martio excepto.* Interim ejus dispensandæ arbitrium aliquod Imperatoribus concessum: ita tamen, ut quod ante diximus, rationem actus sui populo deberent. Et illud, quod accusatorie dicit Decius legem hanc a nemine unquam temeratam fuisse, ab omni historia refelli videtur, & redargui. Nam etiam prisca Republica Imperatores partem *prædæ* militibus dedere, interdum & universam. Nonne jam olim Suessa capta Tarquinius Superbus mancipia, cæteramque omnem *prædam*, aurum, argentumque, decimis, quas in fabricam templi seposuit, exceptis divisit militibus? Nonne Menenius, & Posthumius, Sabinis victis, partem *prædæ* militibus, partem reddiderunt populo, ut reciperet, quantum in bello contribuisset? Nonne L. Æmilius, Etruscis devictis omnes manubias militi divisit? Nonne L. Cornelius, ipsum in his exemplis testem advoco Dionysium, cætera *præda* in publicum redacta, militi tamen vestes, & cibaria, & ejusmodi reliquit emolumenta alia? Nonne Servilius, expugnatis hostilibus castris, omnia militi concessit? Servilio, fateor, denegatur a senatu triumphus, ideo quod omnia ex libidine militi dilargitus, nihil intulisset in ærarium captivæ pecuniæ. Inde tamen effici non potest, plane nihil in *prædam* juris Imperatoribus. Invaluit hic adeo mos, ut, hoste victo, fere militi aliquid *prædæ* nomine daretur; interdum etiam pro aliis laboribus fortiter sustentatis. Cæs. de Bell. Gall. VII. 89. *Ex reliquis captivis toto exercitu capita singula prædæ nomine distribuit.* Hirt. ibid. VIII. 4. *Cæsar militibus pro tanto labore, ac patientia, qui brumalibus diebus, itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis, studiosissime permanserant in labore, ducenos sestertios centurionibus, duo millia nummûm, prædæ nomine condonanda pollicetur.* Ac quamvis permissum esset Imperatoribus facere, quemadmodum e fide sua, & e Republica ducerent, tamen veteri Republica boni viri id inprimis egerunt, ut ex pecunia prædatitia stipendium annuum præstarent; deinde, ut aliquid militi *prædæ* nomine darent; tertio, ut etiam aliquid in ærarium inferrent. Ambitiosissimus quisque militaribus commodis plusculum indulsit: gloriæ vero, & prisci severitati dediti in ærarium pleraque intulerunt. Quantum ad ipsos Imperatores attinet, partem aliquam *prædæ* in suum sæpe usum convertisse, quæ sunt hominum ingenia, non est ambigendum: sed non tam concesso jure, quam malo more, favore populi, & laurea bene parta obumbrantibus crimen peculatus. Quæ militi concedebatur, raro admodum diripienda dabatur. Permisere id quidem Imperatores interdum in arduis rebus, ut augerent alacritatem, & imitationem animorum. Gaudet enim miles, & incenditur spe inani, & cum fortunæ res permissa est, ingentes divitias, & tantum non aureos montes sibi pollicetur. In æquali partitione nemo metuit, ne fraudetur parte sua; verum non nisi mediocrem, non nisi tenuem & miseram *prædam* exspectat. At cum cujusque, quod manu ceperit, fore scit, blanditur sibi magna spe; & quod aliquando uni atque alteri raro fortunæ munere contigit, sibi quisque prædestinat. Sed quum ita incitati animi milites vix retineri queant, quin simul obstantia perruperint, ferroque submoverint hostilem turbam, ad diripiendum alius alio, disciplinæ immemores, dilabantur, eaque confusione, conversa sæpissime sorte, a victoribus victi, perculsi, & magna castigati clade, luant avaritiæ pœnam, Romani in universum hanc rationem minime probaverunt, tanquam disciplinæ inimicam, & ancipitem. Raro admodum, & extra ordinem id usurparunt, & ea plerumque lege, ne cui, nisi pugna finita, & dato signo, ad *prædam* discurrere liceret. Cæterum vulgo, & ex lege omnia ad tribunos retulerunt, qui non tantum iis, qui prælio interfuerant, sed & qui castris præsidio relicti, quique in statione positi, aut alio missi; imo etiam iis, queis morbus causa absentiæ, summa fide æqualiter partiebantur. *Schel. in Polyb. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1132. *E.* . . . *Grot. de Bell. & pac. jur.* III. 6. §. 14--23. *Valtrin. de Re milit.* VI. 2. *Stewech. in Veget.* II. 7. *Sigon. de Ant. jur. civ.* I. 15. *Lips. de Milit. Roman.* V. *dial.* 15. *Thes. Rom. Illustr.* V. *p.* 142. Militibus dividendæ ratio duplex fuit: aut enim eam inter se sortiri jubebantur. De hac consuetudine Vopisc. in Prob. c. 8. *Quum de prædato repertus esset equus, qui quantum captivi loquebantur, centum ad diem milliaria currere diceretur, ita ut per dies octo, vel decem continuaret, & omnes crederent Probum tale animal sibimet servaturum, jam primum dixit: fugitivo militi potius quam forti hic equus convenit. Deinde in urnam militares jussit nomen suum mittere, ut aliquis eum sorte ductus acciperet. Et quum essent in exercitu quidam nomine Probi alii quatuor milites, casu evenit, ut primum emergeret, cui Probo nomen existeret, quum ipsius Probi ducis nomen missum non esset. Sed quum quatuor illi milites inter se contenderent, ac sortem quisque sibi defenderet, jussit iterum agitari urnam: sed & iterum Probi nomen emersit.* . . . Aut ubi per quæstorem vendita esset, V. infr. in *Quæstores urbani*. pecunia, quæ redacta esset, viritim dividebatur. Liv. XXXV. I. *Præda omnis ante Urbem exposita est: potestasque dominis suas res cognoscendi facta: cetera Quæstori vendenda data est: quod inde refectum est, militi divisum.* Valtrin. & Stewech. l. l. Quid equiti, quid pediti ex illa sit datum V. supr. in *Pecunia*. Qui *prædam* ab hostibus captam surripuerat, in quadruplum damnabatur. Modest. l. 14. ff. ad leg. Jul. pecul. *Is, qui prædam ab hostibus captam surripuit peculatus tenetur, & in quadruplum damnatur.* Cicer. Verr. IV. 41. *Est peculatus, quod publice populi Romani signum de præda hostium captum, positum Imperatoris nostri nomine, non dubitavit auferre.* Fab. Semest. II. 3. Manut. de Legib. c. 14. Maurit. de Sortit. c. 19. §. 3. c. 33. §. 1.

PRÆDIA sunt domus, agri. V. supr. in *Bonapredia*. Singula, & urbana, & rustica in censu deferebant singuli patresfamilias. Tantam vim habuit census fortunarum. Cicer. pro Flacc. c. 32. *Illud quæro, sintne ista prædia censui censendo? subsignari apud ærarium, apud censorem possint? in qua denique tribu ista prædia censuisti.* Gell. VII. 11. *Tu in uno scorto majorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti.* Ulpian. l. 4. ff. de censib. *Forma censuali cavetur, ut agri sic in censum referantur: nomen fundi cujusque, & in qua civitate, & in quo pago sit, & quos duos vicinos proximos habeat, & arvum, quod in decem annos proximos satum erit, quot jugerum esse videatur: vinea quot vites habeat: olivetum quot jugerum, & quot arbores habeat.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 14. Publica civitatis decuriones administrabant, & illorum redituum tertiam partem in mœnia urbis, & balnea instauranda impendebant l. ne splendidissimæ II. C. de oper. publ. reliquos in alendos professores, & alios usus publicos erogabant. Per curatores locabant, sine decreto alienare non poterant. l. I. C. de præd. dec. fin. decr.

decr. non alien. *Panciroll. de Magistr. munic. c.* 4. & 6. Tributa pendere negligentia tanquam jure pignoris Principi obligata vendebantur. Papin. l. cum possessor. §. fin. de censs. *Pro pecunia tributi, quod sua die non est redditum, quo minus prædium jure pignoris distrahatur, oblata moratoria cautio non admittitur: & licet debitor caveat se soluturum, non ob id retardatur prædii venditio.* Panciroll. ibid. c. 10.

Prædia Tamiaca nuncupabantur, ad impensas in domo Principis faciendas destinata toto tit. C. de præd. Tamiac. Hæc latifundia ob amplitudinem proprium habuere rationalem, & proprium administratorem, qui comes, ac procurator divinæ domus vocabatur. *Panciroll. Notit. imp. occid. c.* 41. *Orient. c.* 61. *Buleng. de Vectig. c.* 73. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 4.

PRÆDIATOR non est juris ad *prædes*, & *prædia* pertinentis peritus. Et vox *prædiatores* omnino expungenda est ex Cicer. pro Balb. c. 20. Ubi ille: Etenim *Q. Scævola ille augur, cum de jure prædiatorio consuleretur, homo juris peritissimus consultores suos nonnunquam ad Furium, & Cascellium prædiatores rejiciebat.* Quem locum cum Valerius Maximus exscriberet VIII. 12. 1. *prædiatores* non nominavit eos Ictos, ad quos Scævola consultores suos de jure *prædiatorio* remittebat. *Q. Scævola*, inquit, *legum clarissimus, & certissimus vates, quotiescunque de jure prædiatorio consulebatur, ad Furium, & Cassellium consultores rejiciebat.* Nec video, cur *prædiatores* nominari debuerint juris *prædiatorii* periti. Sed est *prædiator*, id est, ὑποθηκῶν emptor, quas obligaverant *prædiati*, qui prædia publico obligata, & proscripta, vel bona *prædiatorum* emebant. Gloss. Philox: *Prædiator*, ὠνητὴς ὑπαρχόντων. Sic *præmiator*, qui præmium petit, & aufert. Hinc & pro prædone nocturno *nocturnus præmiator* veteri Comico, qui, ut ait Tibull. I. 2. 26. *rapta præmia veste petit.* Et de illis titulum fecerat Cajus in libro ad edictum prætoris urbani, ut videre est l. 54. ff. de jur. dot. *Salmas. de Mod. usur. c.* 16. *Turneb. Adv.* XX. 30. *Gronov. de Cent. usur.* §. 17.

PRÆDIATUS dicitur publico obligatus, sive suo nomine datis *prædiis*, sive alieno tanquam *præs*, cujus & bona erant fiducitaria Reipublicæ. Gloss. Philox. *Prædiatus*, ὑπὲρ φόρυ δήμῳ ἐκδεδομέν@. Ita scribendum. Nam vulgo perperam legitur, *prædiator*, & δήμω. *Pro vectigali, vel tributo obligatus populo.* Inde *prædiatoria lex*, & *prædiatorium jus*, quod erat de *prædiatis*, id est, publico obligatis. Nec vero redemptores publici *prædiati* tantum dicti, sed & qui a publico ærario, vel Republica pecuniam mutuati erant, *prædiis*, vel *prædibus* datis. Suet. Claud. c. 9. n. 5. *Postremo etiam sestertium octogies pro introitu novi sacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut cum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis penderet sub edicto præfectorum.* Ærarii publici præfecti pecuniam ad ærarium pertinentem privatis mutuam sub usuris solebant dare. Eam summam sestertium octogies, quam impenderat Claudius pro introitu sacerdotii, ab ærario sumserat mutuam *prædiis* datis, hoc est, possessionibus hypothecæ titulo obligatis. Quam cum non posset dissolvere, & fidem liberare, *lege prædiatoria*, quæ *prædiati* bona, si non solveret, vendi jubebat, *pependisse venalis* dicitur, id est, bona ejus in tabella proscripta publice pependisse. *Salmas. de Mod usur. c.* 16.

PRÆDIOLUM Julii Paulli fuit in agro Vaticano. Gell. XIX. 7. *In agro Vaticano Julius Paullus poeta, vir bonus, & rerum, literarumque veterum impense doctus prædiolum tenue possidebat: Eo sæpe nos ad se vocabat, & olusculis, pomisque satis comiter, copioseque invitabat.* Nardin. Rom. vet. VII. 13. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 21. Aring. Rom. Subterr. II. 3. 13.

PRÆDIUM Martialis fuit extra portam Salariam. Ipse X. 58. 10.

Dura suburbani dum jugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, lares.

Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 8. §. 5. V. infr. in *Suburbanum.*

Prædium Symmachi in via Appia fuit, non admodum amplum, sed egregiis ædibus exornatum. Sic ipse Epist. II. 79. *Suburbanum prædium, quod viæ Appiæ adjacet, incolebam: cum mihi literas tuas in hoc missas esse dixerunt. Nosti rura, quæ loquimur, ubi magnas ædes in angustis finibus collocavi.* Nardin. Rom. Vet. III. 3.

PRÆESSE dicebantur, qui juri dicundo *præerant*, actionesque & judicia dabant. Pompon. l. 2. §. deinde ff. de orig. jur. *Ex quibus constituebatur, quis quoque anno præesset privatis.* Et, *Augescente civitate, & qui præerant, genera agendi composuerunt.* Et ita accipitur apud Cicer. de Orat. I. 10. in eo Crassi sermone, qui ut ab homine juris perito ex medio foro petitis verbis contexitur: *Multisque præessem*, inquit, *qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent.* Quod ita accipio, ut philosophorum artem cum juris civilis scientia non esse conferendam, æquandamque sentiens, de ea re si controversia incidat, multis se judicia constitutarum significet, qui actione, vel interdicto cum iis congredi non dubitent. *Brisson. Ant. Select.* I. 20.

PRÆFARI, id est deos precari, antequam verba in senatu, vel concione facerent, solebant veteres. Virg. Æneid. XI. 301.

Præfatus divos, solio Rex infit ab alto.

Qui apud Christianos religiosissimi sunt, facere hoc hodieque solent. Nec hoc de antiquis illis exordiis interpretandum, quibus orationes auspicabantur veteres oratores: *Deos immortales judices precor, deasque omnes:* sed de precatione, antequam concionarentur, aut in senatu loquerentur, quam facere solebant. Id potest colligi ex ea concione, in qua Gracchus occisus est, de qua sic scribit Cornif. ad Herenn. IV. 55. *Cum Gracchus deos inciperet precari, cursim isti impetum faciunt.* Turneb. Adv. XIV. 15. Cerda in Virgilium. Guther. de jur. man. I. 27.

Præfari, aut interfari ut posset, etsi suo ordine senatores censerent, liberum cuilibet fuit petere a consule. Liv. III. 39. *Proditum memoriæ est, Potitum post relationem Appii Claudii, priusquam sententiæ rogarentur, postulando ut de Republica liceret dicere, prohibentibus minaciter decemviris, proditurum se ad plebem denuntiantem, tumultum excivisse.* Zamosc. de Senat. Rom. II. 10.

PRÆFECTIANI in *præfecti* prætorio officio non sunt, ut putat Cujac. ad Novell. 119. dicti ejus adsessores. Sunt enim *præfecturæ* officiales, sive ministri, inter quos assessores nusquam numerantur. Hi Icti perquam celebres fuerunt. V. illos supr. in *Adsessores. Præfectiani* autem magistratui præsto sunt l. 5. §. missus ff. ut in possess. leg. *Missus in possessionem si non admittatur, habet interdictum propositum: aut per valorem, aut per officialem præfecti.* Imo & ipsis assessoribus, ut mandata eorum exequantur, ideoque amplissimæ *sedis officium* vocantur, & *sacris mandatis exequuntur.* l. 1. C. de collat. donat. Officium enim pro ministris, & apparitoribus accipitur l. 1. C. de bon. vac. atque inter apparitores locantur l. 2. C. de apparit. præf. præt. & qui annonariæ functionis executioni operam dabant. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 4. Quibus ab intestato sine successore morientibus præfecti prætorio arca succedebant l. 3. C. de apparit. præf. præt. lib. 12. Magna commoda accipiebant: nam a provinciis annonas, id est, cibaria habere consueverant: pro quibus postea pecunia a Principe quandoque DCC. & plurium aureorum est constituta l. annonam C. de erog. milit. annon. præterea pro ingressu litis ternos, quaternosve, aut plures aureos pro locorum consuetudine, aut privilegio personarum a litigantibus exigebant l. pen. §. pen. & ult. ff. de legat. III. l. omnes §. executoribus C. de Episc. & cler. pro his citandis, pro actis scribendis, edendis, recitandis, instrumentis exhibendis, ac denique pro singulis actibus totidem, aut plures aureos, minusve pro hominum conditione, locorumve usu percipiebant: similiter, cum sententias exequebantur, & pignora capiebant, & vendebant, mercedem seu sportulas accipiebant l. 1. C. de sportul. ubi vero sine scriptis res agebatur, aureum tantum executor consequebatur l. in sacris C. de prox. sacr. scrin. l. ult. C. de

princ. agen. in reb. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 9.

PRÆFECTURÆ erant oppida Italiæ, in quibus qui habitabant, nec suis legibus, ut municipes, vivebant, nec ullos de suo corpore magistratus creare poterant, ut coloni; sed a magistratibus Roma missis regebantur, iis legibus, quas Romanus magistratus dixisset. qui quoniam *præfectus* vocabatur, idcirco *præfecturæ* dicebantur. De his Festus: *Præfecturæ hæ appellantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum respublica, neque tamen magistratus suos habebant. In quas legibus præfecti mittebantur, qui jus dicerent. Quarum genera fuere duo; alterum, in quas solebant ire præfecti decem populi suffragio creati, & erant hæc oppida: Capua, Cumæ, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteoli, Acerræ, Suessula, Atella, Calatia. Alterum, in quas prætor urbanus quotannis in eas præfectos ex legibus mittebat, ut Fundi, Formiæ, Cære, Venafrum, Allifæ, Privernum, Anagnia, Frusino, Reate, Saturnia, Nursia, Arpinum, & alia complura.* Illarum conditio itaque præ illa coloniarum & municipiorum erat durior, & deterior. Quod si enim urbes, aut ingratæ Romanis, aut iniquæ, & perfidæ fuissent; mox, ut armis in ditionem erant redactæ, in *præfecturæ* formam, quæ vix erat melior *provinciæ* forma, simul redigebantur. Quemadmodum enim populis in provinciæ formam redactis leges priores, atque consueti magistratus a Romanis victoribus abolebantur, atque illis provincialibus secundum leges Romanas deinceps vivere coactis mittebantur Roma proconsules, & proprætores; ita idem fiebat in urbibus, quæ singillatim in *præfecturæ* formam redigebantur: in has enim mittebantur juri dicundo, non prætores, sed simpliciter qui *præfecti* dicebantur. Earum mentio fit apud Cicer. pro Sext. n 14. *Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura.* Paterc. II. 44. 4. *Ita Capuam vi enim multa civium eo deducta, & jus ab his restitutum post annos circiter 152. quam bello Punico ab Romanis Capua in formam præfecturæ redacta erat.* Nempe, ut auctor est Liv. XXVI. 16 cum, quod ad Hannibalem defecisset, senatui *habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatum, nec plebis concilium, nec magistratus esse: sine publico consilio, sine imperio multitudinem, nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore: præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missuros.* Panvin. Imp. Rom. c. 10. Bergier. de viis milit IV. Sect. 8. §. 4. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 17. A. p. 21. A. Robortell. de Provinc. Rom. Thes. Græv. ibid. Tom. III. p (1.) C. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. I. p. 14. Turneb. Adv. I. 11. Cujac. Observ. XI. 24. Goltz. Ital. p. 205. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 6 Hotman Antiq. Roman. II. 16. Kipping Dissert. de Victor. §. 2. Erat tamen quædam earum Respublica, quæ illas civitatis nomine non omnino indignas præstabat: præter enim *præfectos* Roma missos juri dicundo, creabant permissu populi Romani & ipsi earum *præfecturarum* incolæ, qui publicæ alicui curationi præessent: ut ædiles, veluti scabinos nostrates, & quæstores, qui pecuniæ publicæ curam gererent, & publica urbis loca tuta tecta, viis munitas, annonam tuerentur *præfecturæ*. Bergier. l. l. Factæ sunt aut ex coloniis & municipiis, aut ex *præfecturis* in colonias, & municipia redactæ. Talis Capua, ut jam dictum. Sed quum post legem Juliam æquatis omnibus suffragiis civitas Italiæ omni data fuisset, municipiorum, coloniarum, & *præfecturarum* jura obliterata sunt, nominaque hæc confundi cœpta: & colonia pro municipio, & municipium pro colonia, & *præfectura* aliquando accepta sunt. *Panvin. ibid. c.* 13. In *præfecturas* tempore Notitiæ legiones dividebantur, quæ ex mille, aut quingentis capitibus constabant, ut inquit Constant. Porphyrog. de them. Anatol. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 27. & 71.

PRÆFECTUS ærarii cum octo viris ærarii curam habebant, & tabularum relati & expensi custodes erant, In antiquis inscriptionibus fit mentio,

P. CORNELIO. LENTULO
SCIPIONI. COS. PRÆFECTO
ÆRARI. LEGATO.

Item:

C. POPILLIO. C. F. QUIR. CARO
PEDONI. COS. VII. VIRO
EPULON. PRÆF. ÆRARI.

& a Vopisc. Aurelian. c. 12. *Valerianus Augustus Ælio Xifidio præfecto ærarii.* Panvin. de Civit. Rom. c. 63. Laz. Comment. Reip. Rom. II. 14. Olim prætores fuerant ærarii. Claudius his remotis an. 799. quæstores substituit. Suet. c. 24. n. 5. *Collegio quæstorum curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore prætores, aut utique tunc prætura functi sustinuerant.* Hi durarunt sub Nerone. Ab eo mutati sunt in *præfectos*. Tacit. Annal. XIII. 28. 6. Unde Domitiani & Trajani principatu nomen quæstorum abolitum, & successerunt *præfecti* ærarii. Plin. Epist. X. 20. I. *Indulgentia vestra me promovit ad præfecturam ærarii Saturni.* IV. 12. 3. *Parva, sed tamen quæstio. Hæredes scribæ sibi, præfecti ærario populoque vindicabant.* Paull. l. edicto §. idem ff. de jur. fisc. *Ex eo, quod redactum esset a præfectis ærario, partem dimidiam ferat.* Reines. ad Rupert. Epist. 50. Inscript. Class. II. n. 26. Gronov. de Pecun. vet. IV. 3. Panciroll Notit. dignit. imp. orient. c. 74. Chiment. de hon. bisell. c. 7. Brisson. Ant. Select. III. 19. Lips. in Tacitum. Schill Nomencl. Philol. p. 937.

Præfectus alarum olim apud Romanos erat sociis, quod tribunus militum civibus: & erat in auxiliis, quod tribunus in legione. Unde distincte Cæs. de Bell. Gall. I. 39. *Hic primum ortus est a tribunis militum* legionariorum, ac *præfectis* auxiliarium, *reliquisque.* Cicer. pro Marc. c. 2. *Nihil ibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit.* Ubi centurio ad cohortem, *præfectus* ad turmam pertinent. Dignitas horum tanta illa ætate, ut vel tribunis legionum præferrentur. Suet. Aug. c. 38. n. 2. *Militiam auspicantibus non tribunatum modo legionis, sed & præfecturas dedit alarum.* Ostendit ordo ipse gradum hunc potiorem. Mutavit locum horum Claudius Cæsar, quando *equestres militias ita ordinavit, ut post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret.* Suet. c. 25. n. 1. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1082. *A. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 141. Sicut legiones ante auxilia, ita tribuni ante *præfectos* erant. Hinc primo tribuni, deinde *præfecti* nominantur a Cæsare loco jam laudato. Et tribunatum ut altiorem dignitatem post alam, hoc est, *præfecturam* alæ, post inferiorem dedit Claudius. Et Plin. Epist. X. 19. I. primo tribunum, ut honoratiorem, deinde *præfectum* nominat. Quæ cum ita sint, in Suetonii Augusto transpositione peccasse librarios, & rescribendum puto: *Militiam auspicantibus non præfecturas modo alarum, sed & tribunatum legionum dedit.* Neque enim aliquid mutatum in ea re pro ratione temporum crediderim temere. *Buchner. ad Thesaur. Fabri in Præfectus.*

Præfectus annonæ vocabatur magistratus, qui, cum populus Romanus pluribus negotiis occupatus, *annonæ* commodo intentus esse non posset, proprius ejus rei gratia est creatus. *Panciroi. Notit. dignit. imp. orient. c.* 26. Præcipua enim Romanorum cura erat, ne plebs fame laboraret, cui etiam ad eam sibi conciliandam frumentum quandoque vilius dederunt, atque etiam donarunt. *Pancirol. ibid. imp. occident. c.* 4. non ordinarius sub Republica, sed angustis temporibus, cum Urbs fame premeretur, extra ordinem creabatur, ut frumentum per provincias, & vicinas gentes advehi curaret. Sic apud Liv. IV. 12. in summa fame *L. Minucius præfectus annonæ creatus est.* Postea ampliori cum potestate hic magistratus in Pompejum collatus est, & *omnis potestas rei frumentariæ toto orbe in quinquennium ei data est.* Cicer. ad Attic. IV. 1. Deinde ad exemplum Pompeji ipse Augustus *præfecturam* annonæ suscepit, qui tamen, ne ipse molestia muneris defungeretur, singulis annis binos ex prætoriis constituit, qui frumentum populo dividerent, ut narrat Dion LIV. p. 521. B. Et hi sunt,

ſunt, quos *curatores populo dividundi* vocat Suet. c. 37. n. 1. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 8. *Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 6: Schill Nomencl. Philol. p.* 398. Auguſtum cum rei frumentariæ penuria plebs premeretur, annonæ *præfecturam* ſibi oblatam recepit, & unum ex ordine equeſtri annonæ *præfectum* elegit. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid c.* 4. Qui unde hoc aſſerat, neſcio, cum ipſe manifeſte ad Dionis locum reſpiciat, ex quo aliter diſcere potuiſſet. Non videtur vero Auguſtus diu *præfecturam* hanc retinuiſſe, ſed in alium tranſtuliſſe. Hinc in initio imperii Tiberii memoratur Turranius *præfectus annonæ* apud Tacit. Annal. I. 7. 2. qui ab eodem Annal. XI. 31. 1. dicitur *rei frumentariæ præfectus.* Et ex illo tempore ordinaria poteſtas, & dignitas fuit. *Burmann. l. l. Lipſ. Elect.* I. 8. Urbanum hoc munus in imperii Romani Notitia primo loco inter reliquos Reipublicæ adminiſtratores, ac magiſtratus *præfecti* Urbis imperio ſubjectos recenſetur. *Vir ſpectabilis præfectus annonæ* vocatur in inſcriptione hac: HIC REQUIESCIT IN PACE SABINUS US PRÆF. ANN. Hujus muneris formula habetur apud Caſſiod. Var. VI. 18. *Stuck. Antiq. Conviv.* I. 34. *Tiraquel. ad Alex. Gen. dier.* VI. 20. *Roſin. Antiq. Roman.* VII. 38. & ad illum *Dempſterus. Læt. de Magiſtr. Roman. c.* 9. *Flocc. de Poteſt. Roman.* II. 15. *Aring. Rom. Subterr.* III. 3. 8. *Pancirol. & Burmann. l. l.* Aliquod imperium habuit. Etſi enim antea magiſtratus non eſſet l. 2. hæc omnia ff. de orig. jur. poſtea tamen aucta ejus auctoritate, in negotiatores annonæ, tritici, hordei, vel ſimilium jus dixit l. 8. ff. quod cum eo qui in alien. pot. *Is ſervus etiam negotiatoribus hordei ſolebat pro emptore ſuſcipere debitum, & ſolvere. Cum fugiſſet ſervus, & is, cui delegatus fuerat dare pretium hordei, conveniret dominum nomine inſtitorio. Negabat ſe eo nomine conveniri poſſe, quia non in eam rem præpoſitus fuiſſet. Cum autem & alia quædam geſſiſſe, & horrea conduxiſſe, & multis ſolviſſe idem ſervus probaretur: præfectus annonæ contra dominum dederat ſententiam.* Scævol. l. ult. §. Titius ff. de pign. action. *Culleos cum Sejus in horreo haberet, miſſus ex officio annonæ centurio, culleos ad annonam ſuſtulit, ac poſtea inſtantia creditoris recuperati ſunt.* Pancirol. de Magiſtr. munic. c. 12. Frumentum inter plebem gratuito, aut admodum vili pretio diſtribuebat. Suet. Aug. c. 41. n. 6. *Frumentum in annonæ difficultatibus ſæpe leviſſimo, interdum nullo pretio, viritim admenſus eſt.* Oleum eo modo plebi ab hoc *præfecto* vendebatur l. 1. C. de menſ. olear. Vini præterea, carnis, & ſalis curam *præfectus* annonæ habebat, & ne immodico pretio obſonia venderentur, proſpiciebat l. 1. C. Th. de pret. piſc. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 4. Tempore Boethii, cujus conſulatus anno Domini 522. contigit, ejus dignitas parum admodum in pretio fuit, quippe quæ circa ea tempora jam viluiſſet: unde Boeth. de Conſol. phil. III. *Si quis quondam populi curaſſet annonam, magnus habebatur, nunc præfectura quid abjectius?* Lipſ. & Aring. l. l.

Præfectus aurariarum vocabatur, ut vult Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13. qui aurifodinis præerat, & illos recenſet viros, prout in variis provinciis aurum effodiebatur. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 18. illum procuratorem nominat: & aurariam, non aurifodinam, ſed tributi genus cenſet, a Conſtantino inſtitutum: cui lubens aſſentio; fuit enim auraria collatio quædam negotiatoribus indicta, ut conſtat ex C. Th. XIII. tit. de luſtral. collat. vel penſitatio ex l. 2. C. de feud. patrim. II. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom* XI. *p.* 915. *A.*

Præfectus caſtrorum in ſingulis fuit legionibus. In exercitu Vari tres *præfectos* caſtrorum nominat Paterc. II. 119. 3. L. Eggium, & Cejonium. 120. 4. L. Cæditium. Et Tacit. Annal. XIV. 37. 5. *Pœnius Poſtumus præfectus caſtrorum ſecundæ legionis.* Ejus munus explicat Veget. II. 10. *Erat etiam caſtrorum præfectus, licet inferior dignitate, occupatus tamen non mediocribus cauſis: ad quem caſtrorum poſitio, valli, & foſſæ deſtinatio,* melius *æſtimatio pertinebat. Tabernacula, vel caſæ militum, cum impedimentis omnibus, nutu ipſius curabantur. Præterea ægri contubernales, & medici, a quibus curabantur, expenſæ etiam ad ejus induſtriam pertinebant. Vehicula, ſagitarii,* melius *ſagmarii, nec non etiam ferramenta, quibus materies ſecatur, vel cæditur, quibus aperiuntur foſſæ circa ſitum valli, & aquæ ductus. Item ligna, vel ſtramina, arietes, onagri, baliſtæ, cæteraque genera tormentorum, ne deeſſent aliquando, procurabat. Is poſt longam, probatamque militiam peritiſſimus omnium legebatur, ut recte doceret alios, quod ipſe cum laude feciſſet.* Idem quoque itineribus militum, & impedimentis, quæ inter eundum milites ferrent, videtur præfuiſſe. Ad eundem vigiliæ caſtrorum, & opera militaria ſpectarunt. Tacit. Annal. I. 20. 3. *Præcipua in Aufidienum Rufum præfectum caſtrorum ira, quem dereptum vehiculo ſarcinis gravant, aguntque in primo agmine, per ludibrium rogitantes, an tam immenſa onera, tam longa itinera libenter ferret: quippe Rufus diu manipularis miles, dein centurio, mox caſtris præfectus antiquam, duramque militiam revocabat, vetus operis, & laboris: & eo immitior, quia toleraverat.* Hiſt. II. 29. 3. *Alphenus Varus præfectus caſtrorum, deflagrante paullatim ſeditione, addit conſilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omiſſo tubæ ſono, quo miles ad belli munia cietur.* Valtrin. de Re milit. Roman. III. 10. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 6. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 6. Læt. de Magiſtr. Roman. c. 13. Lipſ. Excurſ. in Tacit. Annal. I. H. Schill Nomencl. Philol. p. 939.

Præfectus Claſſium Romanarum primus, ut poſtea quoque obſervatum eſt, fuit cuſtos potius, quam dux, & præſes magis oræ maritimæ, quam claſſium bellicarum imperator. Habuerunt duumviros Romani. Ad rem gerendam neminem ante conſules reperimus; & ex iis Cajum, vel, ut melius in Faſtis legitur, Cornelium Scipionem an. 493. primum Romani animum ad hanc militiam adjecerunt, & claſſi contra Carthaginenſes mittendæ ex conſulibus alterum Cornelium præeſſe, aſſerunt. Sub Auguſto peculiare, ac perpetuum unius eſſe cœpit hoc imperium, ex quo, uti reliquas, ſic quoque hanc militiæ partem in ſe traxit. Nam poſtquam duas Miſenatium, & Ravennatium conſtituiſſet claſſes, utrique ſuum dedit Imperatorem, eumque *præfectum claſſis* nuncupavit. Innuit Veget. IV. 32. *Liburnas, quæ in Campania ſtabant, præfectus claſſis Miſenatium præerat: eas vero, quæ in Ionio mari locatæ fuerant, præfectus claſſis Miſenatium retinebat.* Et hinc Suidas: Πραίφεκτος, ναύαρχος. Tacit. Hiſt. III. 12. 2. *Lucilius Baſſus claſſis Ravennatis præfectus.* Quanquam non illo demum tempore inventum, ſed jam ante uſitatum fuerit hoc nomen: Pompejusque videatur eſſe, qui id primus atque titulum accepit, cum ejus poteſtati a S. P. Q. R. cuncta maria committerentur. Nummus argenteus, in cujus uno latere MAG. PIUS. IMP. ITER. in altero PRÆF. CLASS. ET. ORÆ. MARIT. Prius ii tantum ita vocabantur, qui a majore magiſtratu, qui auſpicium habebat, claſſi fuerunt præpoſiti. Sic apud Liv. XXVI. 40. C. Cælius *Præfectus claſſis* dicitur, qui tamen ſub auſpiciis Scipionis militabat. Nec aliter a Cæſ. de Bell. Gall. III. 14. hoc nomen uſurpatur, cum de Bruto: *Non ſatis Bruto, qui claſſi præerat, conſtabat, quid ageret.* Virtutes iſtiuſmodi *præfecti,* quem hodie Admiralium appellant, his verbis comprehendit Leo in Tacticis: *Rei navalis peritia pollere te oportet, & aëris, ventorum flatus pernoſcere, per ſtellarum apparentium motum, & aſtrorum ſigna. Tempeſtatum etiam mutationem perfecte cognoſcas, ut ſi perfectus iis in rebus fueris, tutus, & ſecurus ab omnibus maris tempeſtatibus conſerveris.* Græcis ſummus claſſis imperator, nominabatur στόλαρχος, frequentius στρατηγός. Exacto anno domum redire, claſſemque ſucceſſori tradere cogebatur, niſi cum imperium ei extra ordinem eſſet prorogatum. *Scheffer. de Milit. nav.* IV. 5. *Spanhem. Diſſert. de præſt. numiſ.* VI. *p.* 558. *Panvin. Imp. Rom. c.* 16.

Præfectus cohortis vocabatur in legione, qui cohorti præerat. *Panvin. de Imper. Roman. c.* 16. Male. *Præfecti* erant cohortium ſocialium, & auxiliarium, qui proprie *præfecti* appellabantur, in legione vero nullus *præfectus* erat. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* I. *præfat* * * * * 3.

Præ-

Præfectus dendrophororum dicebatur, qui cædendorum lignorum ad palos faciendos curam habebat. *Panvin. Imp. Rom. c.* 16. In castris nulli dendrophori, sed ad urbana pertinent munera, & collegia. Hinc in inscriptionibus conjunguntur toties dendrophori, centonarii, fabri. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom.* I. *præfat.* * * * * 4.

Præfectus fabrum dicebatur, qui ferramentorum curam habebat. *Panvin. Imp. Rom. c.* 16. Præerat artificibus, qui castra sequebantur: quales fabri lignarii, ferrarii, carpentarii: illius cura fuit facilem operam provocare, ac præbere castris & urbibus expugnandis necessariam. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 6. *Læt. de Magistrat. Roman. c.* 14. *Schill Nomencl. Philol. p.* 939.

Præfectus familiæ dicebatur, qui agmen comitum, quibus comitatæ incedebant matronæ, in ordinem cogebat, qui insignem virgam in manu dextra gestabat. Ammian. XIV. 6. *Quo comitatu matronæ complures, opertis capitibus, & basternis, per latera civitatis cuncta discurrunt. Utque præliorum periti rectores primo catervas densas opponunt, & fortes, deinde leves armaturas, post jaculatores, ultimasque subsidiales acies, si fors adegerit, juvaturas, ita præpositis familiæ urbanæ suspense digerentes atque sollicite, quos insignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut tessera data castrensi, juxta vehiculi frontem omne incedit textrinum, huic atratum coquinæ adjungitur ministerium, deinde totum promiscue servitium, cum otiosis plebejis de vicinitate conjunctis, postrema multitudo spadonum, a senibus in pueros desinens.* Meurs. de Luxu Roman. c. 6.

Præfectus feriarum Latinarum habendarum legebatur ex patriciorum numero. Qui an senatum habere potuerit, ambigitur, & varias hac de re sententias refert Gell. XIV. 8. *Præfectum Urbi Latinarum causa relictum senatum habere posse Junius negat, quoniam ne senator quidem sit; neque jus habeat sententiæ dicendæ, quum ex ea ætate præfectus fiat, quæ non sit senatoria. M. autem Varro Epist. Quæst.* IV. *& Atejus Capito Conject.* 259. *jus esse præfecto senatus habendi dicunt: deque ea re assensum esse Capitonem Tuberoni contra sententiam Junii refert. Nam & tribunis, inquit, plebis senatus habendi jus erat, quamquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 915. D.

Præfectus juri dicundo etiam legitur. In quibusdam vero municipiis IIIIviri j. d. dicebant, ad quos quandoque Alexander Imperator rescripsit l. unic. C. de solut. & lib. deb. civitat. Et in vetusto saxo Bergomi legitur: C. CORNELIO. C. F. VOT. MUNICIANO. PRÆF. COH. PRIM. DAMASC. TRIB. MIL. LEG. III. AUG. PRÆF. FAB. CURATORI. REIP. OTESIMORUM. IIII. VIR. I. D. PONTIFICI FLAMINI DIVI CLAUDII BERGOMI PATRONO PLEBS URBANA. *Pancirol. de Magistr. munic. c.* 8. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 8. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 916. *C.*

Præfectus prætorio dicebatur, qui militibus iis præerat, quos Imperatores ad sui corporis custodiam adsciverant. Hoc institutum fluxit primum ab Augusto. Dion LV. p. 555. A. *Prætorianorum quoque militum duos præfectos tum primum instituit.* Qui illos instituit ex equestri ordine, ex Mæcenatis consilio. Dion LII. p. 480. B. *Proinde ex equitibus duos quosdam præstantissimos prætorianis tuis militibus præficies. Nam uni id committere, periculo, multis vero, turbis non caret. Duo igitur hi prætorianorum præfecti sint, ut si alter eorum aliquid accidere corpori suo sentiat, tu tamen custode non careas.* Primis temporibus *modica* fuit, ut loquar cum Tacit. Annal. IV. 2. 1. ac mere militaris, & ideo mandabatur hominibus modicis, obscuris, ex ordine tantum, ut dixi, equestri oriundis, imo sæpe ex municipiis, qualis erat Sejani pater, homo Vulsiniensis: cum e contrario *præfectura* Urbis daretur jam inde ab initio viris senatoriis præcipuæ nobilitatis & dignitatis. At vero quia plerique post Augustum Imperatores in truculentissimos descivere tyrannos, & proinde salus eorum, ac securitas unice esset sita in voluntate, ac fide militum prætorianorum, inter hos autem quam plurimum possent *præfecti* ipsorum, idcirco non aliis hanc *præfecturam* committere audebant illi Imperatores, quam quibus maximam haberent fidem. Jam quibus in tanti momenti negotio præcipuam habebant fidem, iis eandem tribuebant quoque in aliis ad se, & dominationem suam pertinentibus. Unde factum denique ut *præfecti* prætoriis cohortibus semper deinceps adfuerint Imperatori suo, curarint, & administrarint omnia ad aulam pertinentia, imo ad totam Urbem: quemadmodum de Sejano ait Tacit. Annal. VI. 8. 3. primo collegam patri datum tantum *regendis patriis cohortibus*, at *mox Urbis, & militiæ munia simul obiisse.* Atque hinc illud *præfecti* munus postea habitum quasi proximum, vel *alterum ab Augusto imperio*, ut loquitur Vict. de Cæs. c. 9. n. 12. imo cujus dignitati nihil deesset, præter honorem purpuræ, seu quæ esset βασιλεια ἀπόρφυρ☉, ut Eunapius, & a qua denique non liceret provocare, ut Ictus ff. de Offic. P. P. & potestas tanta, quæ non *multum abfuerit a principatu, siquidem ipse Imperator fidei se ejus credit.* Herod. v. 1. 3. Et de qua Cassiod. Var. VI. 3. *Perizon. de prætor. Dissert.* I. §. 37: II. §. 43. *Huber de prætor.* §. 1. *Scalig. Epist.* II. 184. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 1--4. *Faber Semestr.* I. 1. 2. *Kemp. de Oscul. Dissert.* IX. §. 24. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 16. § 4--7. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1063. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 2. *Pollet. For. Rom.* I. 4. *Hotoman. de Magistr. Roman.* I. *Thes. Græv. ibid. p.* 1874. *A. Panvin. de civit. Rom. c.* 64. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 5. *occid. c.* 1. *&* 2. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 6. *Læt. de Magistr. Roman. c.* 8. *Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 85. *D. Flocc. de Potest. Roman.* II. 23. *Schil. Nomencl. Philol. p.* 937. *Volaterr. Comm. Reip. Rom.* XXIX. *p.* 1103. *E.* Fuisse eodem gradu, quo hodie sunt Proreges dicit *Scalig. l. l.* Insignia erant gladius. V. supr. in *Gladius.* An etiam carpentum. V. supr. in *Carpentum.*

Præfectus remigum dicitur, qui nautis, ac remigibus imperabat. Tacit. Annal. XIII. 30. 2. *Clodius Quirinalis, quod præfectus remigum qui Ravennæ haberentur, velut infimam nationum, Italiam luxuria, sævitiaque afflictavisset, veneno damnationem antevertit.* Apud Liv. XXIV. 41. opinor, est *præfectus socium;* vel *sociorum* navalium videlicet, qui & ipsi remiges fuere: *Mille delectorum militum navibus longis mittit ad ostium fluminis cum præfecto socium Nævio Crispo.* Scheffer. de Milit. naval. IV. 5.

Præfectus turmæ legitur in Flor. I. 18. *Frentana turmæ præfectus Obsidius.* Et Hirt. de Bell. Hispan. c. 26. *Cæsar ob virtutem turmæ Cassianæ donavit millia* XIII. *& præfecto torques aureos duos.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1082. C.

Præfectus vectigalium sequitur. Hujus meminit Tacit. Annal. XV. 18. 3. *Treis deinde consulares, L. Pisonem, Ducennium Geminum, Pomponium Paullinum vectigalibus publicis præposuit, cum insectatione priorum principum, qui gravitate sumptuum justos reditus anteissent: se annuum sexcenties sestertium Reipublicæ largiri.* Ex quibus apparet, *præfectos* vectigalium fuisse, quales nostra ætate commissarii sunt a fisco deputati. *Laz. Comm. Reip. Rom.* II. 13.

Præfectus vehiculorum fuit, non qui publici cursus, sed qui vehiculorum castrorum curam habuit. Inscriptio Messanæ in Sicilia apud Gruter. p. 373. n. 4.

L. BÆBIUS. L. F. PRÆF. FABR.
PRÆF. COHOR. IIII. RÆTORUM
PRÆF. VEHICULORUM.

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 14. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 6. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 916. *A.*

Præfectus vigilum est institutus ab Augusto: nam cum *septem cohortes opportunis locis constituisset, ut binas regiones Urbis unaquæque cohors tribueretur, præposuit eis tribunos, & super omnes spectabilem virum, qui præfectus vigilum appellaretur. Is cognoscebat de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus: nisi si qua tam atrox, tamque famosa persona est, ut præfecto Urbi remittatur. Et*

quia

quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fustibus castigat eos, qui negligentius ignem habuerunt: aut severa interlocutione comminatus fustium castigationem remittit. Item per totam noctem vigilare debebat, & coerrare calciatus cum hamis, & dolabris, & curare omnes inquilinos admonendos, ne negligentia aliqua incendii casus oriatur: præterea aquam unusquisque inquilinus in cœnaculo habeat. Hæc ex lege 3 ff. de offic. præf. vig. Dio LV. p. 566. C. *Cum per id tempus multa in Urbe incendio periissent, libertini generis hominum septem cohortes incendiis prohibendis delegit, eisque equitem unum præfecit eo consilio, ut perexiguo tempore illorum opera uteretur. Verum cum experiundo cognovisset, præsidium & dignitatem summam, & maxime necessariam esse, retinuit. Suntque vigiles nocturnæ quodammodo excubiæ insuanet, non ex libertinis tantum, verum etiam ex aliis conscripti, qui muros in Urbe præsunt, mercedemque de publico accipiunt.* Suetonius. V. illum supr. in *Incendia.* De illis fuse Cassiod. Var. VII. 7. *Hotomann. de Magistr. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1874. *E. Pancirol. Notit. dign. imp. occid. c.* 5. *Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 329. *B. Ursat. de Not. Rom. Thes. Grev. Tom.* XI. *p.* 916. *A. Alex. Gen* III. 15. *Volaterr. Comment. Urb. Rom.* XXIX. *p.* 1103. *E. Pompon. Læt. de Magistr. Rom. c.* 10. *Flocc. de Potest. Rom.* II. 25. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 6. *Zimmerman Floril. Philol. p.* 641. *Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 85. *C.* Dio hoc refert ad a. U. C. 759. Idem Paullus tradit de officio *præfecti vigilum.* Appiano tamen quid fiet, qui in triumviratu periit, & instituisse vult eos jam in Sicilia victo Pompejo, esset, trecentis pæne ante Dionis traditionem annis. Sibi enim C. *in posterum* Cæsare ad turbas & latrocinia in Urbe atque Italia comprimenda ferunt Bell. civil. V. p. 746. & addit: *atque ex eo tempore ajunt manasse nocturnam vigilum mo em formam.* Bene, *ajunt:* nam si tu Appiane, nimis erras. *Lips. in Tacit. Histor.* III. *n.* 75.

Præfectus Urbis Romæ ab Augusto restitutus potius quam inventus est. *Nam*, ut Tacit. Annal. VI. II. 1. *antea profectis domo Regibus, ac mox magistratibus, ne Urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui jus redderet, ac subitis mederetur: feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impositos: dein consules mandabant, duratque simulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur qui consulare munus usurpet. Cæterum Augustus bellis civilibus Cilnium Mæcenatem equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præposuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit e consularibus qui coerceret servitia, & quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat. Primusque Messala Corvinus eam potestatem, & paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius, quamquam provecta ætate, egregie toleravit. Dein Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est.* Augustus instituit ex Mæcenatis consilio. Dio LII. p. 478. A. *Præfectus etiam Urbis ex primariis viris quidam creandus est, qui omnes magistratus, quos geri ante hunc convenit gesserit; non ut per absentiam consulum Rempublicam administret, sed ut cum reliquis in rebus Urbi præsit, tum causas quoque eas, in quibus ab omnibus indicatis magistratibus appellare licet, itemque capitales, iis exceptis, quas post dicam, in Urbe, ac extra eam adjudicet.* μέχρι πεντήκοντα, καὶ ἑξακοσίων σαδίων quod ille pro centum passuum millibus posuit, ut patet l. 1. §. 4. ff. de offic. præf. urb. ubi has partes ab Ulpiano ipsius procurationi attributas video. Ut servorum de dominis querelas, vicissimque horum in illos criminationes audiret. Ut patronis de libertis ingratis querentibus jus diceret. Ut de tutorum, curatorumve criminibus cognosceret. Ut numulariorum, argentariorumque fraudes coerceret. Ut carnis curam gereret. Ut quietem in populo procuraret, & illicita coerceret. Ut spectaculorum disciplinæ præesset. Denique quicquid non modo intra Urbem, verum etiam intra centesimum ab Urbe lapidem commissum esset, animadverteret: sicut & Urbe, & Italia interdicendi potestatem haberet, itemque in insulam deportandi l. 6. ff. de interd. & releg. l. rel capitalis §. constat ff. de pœn. Plures res, quas videlicet, si quis gravioré supplicio plectendus erat, ei magistratus illi remittebant l. nam salutem & l. ult. de offic. præf. vig. *Pancirol. Notit. dign. imp. occid. c.* 3. *Hotomann. de Magistr. Roman.* 1. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1872. *D. Tholos. Synt. jur.* III. 47. 35. *Strauch. ad Tit. de Off. præf. Urb. Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 6. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 16. *Flocc. de Potest. Roman.* II. 6. *Læt. de Magistr. Roman. c.* 7. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1103. *C. Blond. Triumph. Rom.* IV *p.* 85. *C. Alex. ab Alex. c.* 16. §. 4. . . . *Goral. in Alb. nov. Eleg.* II. 28. *Lipen. de Stren. c.* 2. *et.* 3 §. 22. Urbis, est & alius Latinarum idem feriis. Omnibus enim magistratibus Latinis in Albanum montem proficiscentibus, ne Urbs sine magistratu foret, is ut petentibus jus diceret præerat, *præfectus Urbi* introductus est, simulacro quasi quodam, & magis solius ceremonis, quæ fieri ab initio consueverant, tum ab Urbe in provincias proficiscentibus belli gerendi causa. Dio XLIX. VIII. p. 554. Strabo. v. p. 158. *Iovi communi sacra faciunt ... Romani cum Latinis ... Urbique ad earum tempus feriarum præficitur aliquis celebrium juvenum.* Ebner. ad tit. de Orig. jur. p. 175. Bud. in Pandect. p. 42. G.

PRÆFERICULUM *vas æneum sine ansa appellatur, patens summum ut pelvis, quo thus & ... in sacrariis Opis Consivæ.* Festus. Cujus descriptioni plane concordant ... antiquis numismatibus, & toreumatibus, quæ ... illud repræsentant, ut videre est ex pulcerrimo zophoro ad ædes Capitolini delineato. In illo vinum, aliusque liquor infundebatur. Occurrit fere in nummis Imperatorum, Cæsarumque ... pontificatus memoriam signatum. *Chamber ... tab.* III. *Sal. de Sacr. p.* 159. *... vet. Rom. ... p.* 251. *Saubert. de Sacr. c.* 11. *... c.* 10. *p.* 496. *Vaillant. Numism.* I. *p.* 41. *Casal. de prof. Rom. rit. c.* 15. *de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 3. *c.* 1. *Saccus Myrothec.* II. 43. *Blond. Triumph. Rom.* I. 15. *C. Nonn. in Goltz. Numism. Jul. Cæsar. p.* 32. Nisi forte velimus dicere, fuisse lucernam instar cymbæ potoriæ, seu nucis amygdalinæ: in qua ellychnium in medio statui posset: cum utraque extremitate sit angusta, in acutum tantisper desinens: cujus medium latius sese aperit. Quod de instituto sacrificiorum Hierosolymitanorum loquens explicuit Apul. Met. XI. p. 272. *Quorum primus lucernam præmicante claro porrigebat lumine, non nostris consimile, quæ vespertinas illuminant epulas: sed aureum cymbium in medio sui patore flammulam suscitans largiorem.* Et enim prædictæ cymbæ, seu lucernæ optime quadrare videtur definitio *præfericuli*, de quo modo Festus. *Casal. l. l.*

PRÆFICÆ dicebantur mulieres, quæ pretio conductæ ad tibias funebres canebant lamentabile, & inconditum carmen ad deplorandum, ac collaudandum mortuum apprime accommodatum. Festus: *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris plangendi modum.* Lucil. Sat. XXII.

— *mercede quæ*
Conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo & capillos scindunt, & clamant magis.

Kirchman. de Funer. II. 6. Morest. Pomp. Feral. II. 29. Gutherius de jur. man. I. 14. Chausse de tesser. tab. X. Panvin. de Civit. Rom. c. 44. Argol. ad Panvin. de Lud. circ. II. 2. Aring. Rom. Subt. I. 18. §. 14. Brisson. de Form. VIII. p. 748. Jun. de Com. c. 5. Schegk. præmess. 9. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 17. Meurs. de Funer. c. 18. de Tib. c. 14. Barthol. de Tib. II. 15. Salmuth. de Reb. deperd. & inv. p. 728. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 26. Feith. Antiq. Rom. I. 13. Gronov. Marmor. bas. coloss. Tiber. c. 14. Clasen. Theol. gentil. I. 10. 20. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 12. & Faes in illum. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 5. Blond. Triumph. Rom. II. p. 39. G. Rævard. ad Leg. tab. XII. c. 15. Schill Nomencl. Philol. p. 940.

PRÆFISCINE, & *præfiscini*, voce ista peculiari fascinationibus veteres occurrebant. Significabat, ut Sosip. Charis. Instit. II. p. 189. Edit. Putsch. *sine fascino*. Græci hoc ἀβασκάντως dicunt. Ac plane qui se supra modum laudabant, *fascini* amoliendi, & avertendi caussa hanc vocem præfari solebant. Eamque Leonida præconio, quod de se ipso facit, ut abesset dicto invidia, simul & *fascinatio* abesset, præmittit apud Plaut. Asin. II. 4. 84.

> *Præfiscini hoc nunc dixerim, nemo etiam me accusavit*
> *Merito meo; neque me Athenis est alter hodie quisquam*
> *Cui credi recte æque putent.*

De seipso Apul. Flor. I. p. 806. *Gratum esse populo, placere ordini, probari magistratibus, & principibus: id præfiscine dixerim, jam quodammodo mihi obtigit.* A laude enim periculum quoddam *fascini*. Tertull. de virg. veland. c. 15. *Nam est aliquid etiam apud ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis, & gloriæ eventum.* Titinn. Setin. apud Charis. II. l. *Paula mea, amabo, pol tu ad laudem addito præfiscine, ne puella fascinetur.* Brisson. de Form. VIII. p. 738. Fortun. Liceti. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 274. B. Alsar. de Fascin. Thes. Græv. ibid. p. 898. C. Turneb. Adv. XXII. II. XXVII. 23. Schell Nomencl. Philol. p. 941. Laurent. de Sponsal. c. I.

PRÆGUSTATOR vocabatur servus, qui cibos, potumque Principum *prægustat*. Tacit. Annal. XIII. 16. 2. *Mos habebatur, principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci, in adspectu propinquorum, propria et parciore mensa. Illic epulante Britannico, quia cibus, potusque ejus delectus ex ministris gustu explorabat.* . . . Athen. IV. p. 171. C. *Quem Romani nunc vocant prægustatorem, olim Græci prætentatorem nominaverunt.* Regum vita, quia plurium insidiis obnoxia, non solum ipsis Regibus, sed etiam illis subjectis curæ esse debet: & ideo ab omni antiquitate moris fuit, *prægustatores* ut essent, qui regios cibos, & potus explorarent. Quod traditum maxime a Persis. Xenoph. Cyropæd. I. p. 10. C. *Pocillatores Regum postquam deferunt phialam Principi, haurientes cyatho ex ea in manum dextram effusum sorbent.* Mos liberæ Republicæ ignotus Romanis, qui inde cœpit ab Augusto. Docet hoc lapis Romanus:

GENIO
C. FIL. HERODIAN.
PRÆGUSTATOR.
DIVI. AUGUSTI.
IDEM. POSTEA VILLICUS. IN
HORTIS. SALLUSTIANIS
DECESSIT. NONIS. AUGUSTIS
M. COCCEJO NERVA COSS.
C. VIBIO. RUFINO

Prægustatorum tamen opera necati Reges, & Principes. Alexander apud Curt. X. 10. n. 14. *Veneno necatum esse credidere plerique: filium Antipatri inter ministros, Jollam nomine patris jussu dedisse.* Claudius Imperator apud Suet. c. 44. n. 4. *Quidam tradunt, epulanti in arce cum sacerdotibus per Halotum spadonem prægustatorem.* . . . Pignor. de Serv. p. 125. Popm. de Oper. serv. p. 110. Baluz. in Lactant. de mort. persecut. p. 30. Lips. in Tacitum. Buleng. de Conviv. IV. 5. Meurs. Exerc. Crit. II. 3. Stuck. Ant. Conviv. II. 21. Casal. de Conviv. c. I. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 30. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. VI. p. 230. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 344. Brisson. de Regn. Pers. I. p. 66. Pitisc. in Suetonium. Schell Nomencl. Philol. p. 942.

PRÆIRE votum apud veteres fuit idem, quod solemni formula dictando votum præferre. Disertim id tradit Plin. XXVIII. 2. *Vidimus certis precationibus obsecrasse summos magistratus. Et ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusque alium custodem dari, qui attendat, alium vero præponi, qui favere linguis jubeat.* Suet. Claud. c. 22. n. 2. *Obsecrationem ipse jure max. pont. commonito pro Rostris populo, præiret.* Curt. IV. 13. 15. *Aristander in candida veste verbenas manu præferens, capite velato præibat preces Regi.* Tomas. de Donar. c. I. Brisson. de Form. I. p. 61. Saubert. de Sacrif. c. 13. Pitisc. in Suetonium, & Curtium.

PRÆJURATIONES *facere dicuntur ii, qui ante alios conceptis verbis jurant, post quos in eadem verba jurantes tantummodo dicunt, idem in me.* Festus. Exemplum habet Liv. II. 45. ubi post centurionis juramentum omnis exercitus in se quisque jurat: *Centurio erat M. Flavolejus, inter primores pugnæ flagitator. Victor, inquit, M. Fabi, revertar ex acie. Si fallat, Jovem patrem, Gradivumque Martem, aliosque iratos invocat deos. Idem deinceps omnis exercitus in se quisque jurat.* Struv. Ant. Rom. c. 7. p. 321. Turneb. Adv. III. 10. Schott. Observ. III. 9. Broid. Coroll. ad Pellet. For. Rom. IV. 14. Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1173. C. 1176. A. Hansen. de Jurejur. vet. c. 23. Thys. Rom. Illustr. I. p. 49.

In PRÆLIIS quatuor communia sunt consideranda, & comparanda: vires, locus, ordo, cohortatio. Horum ratio a Cæsare diligenter est habita. Suet. Cæs. c. 58. n. I. *In obeundis expeditionibus dubium, cautiorne, an audentior fuerit.* Ego vero ex ipsius rebus gestis fortissimum quidem, sed partibus infinitis prudentiorem statuere possum. Vires igitur, quæ satis essent ad victoriam, semper habuit. Itaque, si quando majores hostium vires fuerunt, pugna abstinuit. Sic cum prope trecenta Belgarum millia uno tempore armata essent, & castra a millibus passuum minus duobus contra ipsius castra posuissent, Cæsar quamvis octo plenas legiones haberet, tamen primo propter multitudinem hostium, & propter eximiam opinionem virtutis, prælio supersedere statuit. *Vercingetorix*, ut est de Bell. Gall. VII. 65. *octoginta millia peditum, quindecim equitum habebat. Cæsar quamvis decem legiones haberet, tamen quod hostes equitatu superiores esse intelligebat, dimicare noluit.* Locum æquum & commodum, imo superiorem Cæsar optavit: ventum etiam, & solem congruentem doctores addiderunt. Cæsar apud Hirt. de Bell. Alex. c. 74. contra Pharnacem Ponti Regem castra editissimo colle fecerat, cum spatio non amplius mille passuum intercisa vallis castra hostis divideret. Itaque cum interposita tanta locorum iniquitate Pharnace Cæsarem esset aggressus, celerrime superatus est, ut Cæsar hostis primum inanem ostentationem, quam putabat, irriserit: postea vero incredibilem temeritatem sit admiratus, & eo loci productam aciem, quem in locum nemo sanus hostis subiturus esset. At vero Cæsar longe aliter. Bellovaci apud Hirt. de Bell. Gall. VIII. 9. & 14. *locum castris excelsum impedita circumdatum palude delegerant, & cum Cæsar instructa acie contra staret, copias instruunt pro castris, nec loco superiore decedunt. Cæsar tametsi dimicare optaverat, tamen admiratus tantam multitudinem hostium, valle intermissa, magis in altitudinem depressa, quam late patente, castra castris hostium confert. Deinde cum, pontibus palude constrata, legiones traduxisset, aciem constituit eo loco, unde tormento missa tela in hostium cuneos conjici possent. Barbari, confisi loci natura, quum dimicare non recusarent, si forte Romani collem subire conarentur, in acie permanserunt. Quorum pertinacia cognita* Cæsar *prælio* abstineret, *eo loco castra metatur.* Et si natura ipsa superiorem situ locum denegaret, arte efficiebat, ut contra Belgas de Bell. Gall. II. 8. V. illum. Ordo in triplici acie hastatorum, principum, triariorum proponitur a Livio. V. illum supr. in *Acies*. Cohortatio est reliqua, cujus lex a Cæsare Pharsalico *prælio* laudata, & celebrata est. Cæs. de Bell. civ. III. 92. *Est quædam*, ait, *animi incitatio, atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur: hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent.* Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent: quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimaverunt. Hanc militiæ legem usurpavit Cicer. Phil. IV. 5. cum ad Quirites ita loquitur. *Faciam, ut Imperatores instructa acie solent, quanquam paratissimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur: sic ego vos ardentes, & erectos ad libertatem recuperandam adhortabor.* V. supr. in *Adlocutio*. Ra-

mu-

mus de M. Fr. Jul. Cæs. part. III. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p. 1562. D. In rei bene gestæ memoriam antiquitus, quemadmodum & nostra ætate, tertii, minique feliciter exacta templorum parietibus penicillo, vel scalpro effingebantur. Cujusmodi tabula victoriæ Asiaticæ a L. Scipione in Capitolio posita; itemque Ajax & Medea, quibus publice Cæsar dictator auctoritatem fecit, teste Plin. xxxv. 4. qui addit: *Super omnes D. Augustus in foro suo celeberrima in parte posuit tabulas duas, quæ belli pictam faciem habent, & triumphum. Idem Castores, ac victoriam posuit, & quas dicemus sub artificum mentione in templo Cæsaris patris.* Tomas. de Donar. c. 7.

PRÆLUDERE dicebantur gladiatores. Cicer. de Orat. II. 78. *Sed si illo ipso gladiatorio vitæ* L. *vili certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quæ non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur ... Prælusio* autem in hastis, rudibus, armis. De hastis Cicer. ibid. c. 80. *Atque ejusmodi illa prolusio esse debet, non ut Samnitium, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur.* c. 78. *Et ait, cum brachium concalfecerit, tum se solere pugnare neque attendit, eos ipsos*, gladiatores, *unde hoc simile ducat, illas primas hastas ita jactare leniter, ut & venustati maxime* [illegible] *viribus.* Hos *pilarios*, & *ventilatores* appellat Quintil. x. 7. *qui ea quæ emiserant ita librabant, ut venire in manus viderentur, quaque juberentur decurrere.* De rudibus Lamon. Rhet. in ea quæ de instaur. Mamm. *Neque enim tanta me, aut negligentia, aut confidentia tenet, ut ignorem, quanta sit inter hanc aciem fori, & nostra illa secreta studiorum exercitia diversitas. Ibi armantur ingenia, hic præliantur: ibi prælusio, hic pugna committitur: hic plerumque velut sudibus & saxis*, L. *rudibus & hastis, illic semper telis splendentibus dimicatur.* Ovid. de Art. III. 515.

> *Sic ubi prælusit, rudibus puer ille relictis*
> *Spicula de pharetra promit acuta sua.*

Appellabant hæc tela lusoria. Senec. Epist. 117. *Remove ista lusoria arma, decretoriis opus est.* Et pugna exercitoria. Tertull. de Pœnit. c. 12. *Quis scenalis tales non magni* [illegible] *inæstimabiles foci* [illegible] *quadam, & exercitoria pugna* [illegible] De armis. Nam parmas, aut clypeos in altum jaciebant, recipiebantque cum venustate. Mart. IX. 39 I.

> *Summa licet velox Agathine pericula ludas,*
> *Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.*
> *Nolentem sequitur, tenuesque reversa per auras*
> *Vel pede, vel tergo, crine, vel ungue sedet.*
> [illegible] *velis, cum feceris omnia, sola*
> [illegible] *artes, arte opus est, ut tibi parma cadat.*

Nec parmas solum, sed & hastas: fortasse & gladios. Id proprie ventilare vocabant. *Lips. Saturn.* II. 19. *Casal. de* [illegible] *Imper. Rom.* [illegible] *splend. part. 2. c. 4.* [illegible] *de Gladiat. p.* 231. [illegible] *in Claud. de Laud. Stilich.* II. 337. *Stat. Præf. p. 5. Delrio in Senec. Herc. Fur. n.* 223.

PRÆMIA si tolluntur, & debita virtuti merces denegatur, languescit in civibus industria, & extinguitur animorum illa vis, atque alacritas, quam etiam in iis, qui obscuris parentibus nati sunt, proposita merces facile solet excitare. Quocirca Reipublicæ rationibus consultum est egregie, quod bene merentibus, si peregrini essent, civitas: si cives, ordo in civitate amplissimus *præmii* loco datus est. *Manut. de Senat. Rom. c.* 1. *August. de Legib. c.* 4. Etiam unicum, & solidum militiæ Romanæ fuerunt fundamentum pœnæ & *præmia*. His enim institutis fiebat, ut milites obsequio, armaturæ, & suis quisque ordinibus assueficerent, animique illorum ad audaciam, & patientiam erudirentur: quibus duabus virtutibus omnia, etiam difficillima quæque, & molestiæ, laborisque plenissima feliciter tandem superarant Romani. Hinc mirum non est, multas gentes, licet numero, robore corporis, potentia, astutia, imo audacia quoque superiores, sed quarum disciplina destituta esset duobus fundamentis dictis, metu nempe pœnæ, & spe *præmii*: unde velut a fonte, reliqua instituta militaria in-

ter Romanos prominabant, tot prœliis ab iis fuisse superatas. *Patric. Rei milit. Rom. p.* XII. *f.* 14. Militibus distributa V. supr. in *Milites*.

Præmia accusatoribus in crimine ambitus ex lege Calpurnia videntur fuisse. I. ut si ipsi ambitus damnati essent, aliorumque eodem in genere culpam demonstrassent, in integrum restituerentur. Id apparet, ut alia omittamus exempla, ex oratione pro Cluentio, quam post Calpurniam legem habitam esse ex eo constat, quod præter Ciceronem causam egit. II. Quod si accusator magistratum designatum in judicium vocasset, ejusque culpam judicibus probasset: reus magistratum amittebat, accusator ejus locum assequebatur, si modo ei per ætatem, & per leges magistratum illum capere liceret. Suspicari licet hoc e Syllæ, Autroniique recentissimo exemplo, quibus de ambitu, cum designati consules essent, damnatis, successores eorum Torquatus, & Cotta, facti sunt: nisi, quod ego verius existimo, consules ex lege *præmio* [illegible] intelligere [illegible] Torquatum & Cottam, sed, qui comitiis post Syllæ, & Autronii damnationem renuntiati [illegible] III. quod accusatori lege datum, hoc quidem in [illegible] est tribus permutatio, si modo ea, in qua [illegible] censebatur, melior esset, quam accusatoris. Hoc declarant verba Cic. pro Balb. c. 25. *Objectum est etiam, quod in tribum Clustuminam pervenerit: quod hic assecutus est lege de ambitu præmio.* Quod si nullum ex eo *præmium* [illegible] percipere [illegible] hoc est, neque suum ipsius a [illegible] neque [illegible] honoratus [illegible] neque illum, [illegible] re-[illegible] quia [illegible] tribu [illegible] præmium [illegible] pœnæ [illegible] id [illegible] ex eo [illegible] quod A [illegible] Cic. p. 205. [illegible] *inquit*, [illegible] *Torquatum*, [illegible] *damnatus est*: [illegible] *accusator ejus fuit Ap. Claudius*. [illegible] *cum ei lege præmium daretur, negavit.* Non enim est ut intelligi possit, *præmium* illa lege datum, aut ipsius absolutionem, nec enim recusasset: aut Milonis magistratum, qui designatus non erat: aut permutationem tribus, cum is [illegible] tribu [illegible] nobilissima censeretur. Reliquum igitur fortasse pecunia fuit, quam accipere dignitatis non erat: itaque Appius, patricia familia natus, Appii, viri consularis, & augustalis filius negavit. *Manut. de Legib. c.* 21. *&* 23. Qui *præmii honorisque causa* [illegible] *tribunos*, fustuario puniebantur. Polyb. VI. 35. Qui hæc non iterat, cum fustibus subjectum jam dixerit, qui falsum dixisset testimonium. Hoc enim tamen cum militari hoc delicto minime est comprehendum: in illo contempta religio, perjurium, & impietas, in hoc tantum mendacium, prava ambitio, & vana gloria, fustuario tamen a Romanis veræ, & infucatæ virtutis cultoribus punita. Ratio fuit, quod in militia varia, & multa præmia virtuti posita fuerunt: ad quæ ne indigni aspirarent, & decus hoc pollurent, tanta fuit pœna. Eo magis hoc factum, quod nudi pro ea in præmium cupiunt. Exemplum in Livio, qui narrat Scipionem sua fortuna pariter, & militum virtute cepisse Novam Carthaginem. Coronam muralem proposuisse ei, qui primus murum ascendisset: judicasse [illegible] *qui* [illegible] *eo duceret dono.* Et, cum *duo profiterentur*, *Q. Trebellius centurio legionis quartæ, & Sext. Digitius socius navalis*, magno certamine rem esse gestam. Scipionem, ut litem decideret, *tres recuperatores dedisse, qui* [illegible] *judicarent, uter prior in oppidum transcendisset.* Id vero cum non remedium, sed augmentum motus esset, a Lælio monitum sic pronuntiasse: *Se satis compertum habere, Q. Trebellium, & Sext. Digitium pariter in murum escendisse: seque eos ambos virtutis causa coronis muralibus donare.* Liv. XXVI. 49. *Lips. de Milit. Roman.* V. *Dial.* 18. *Sichterman. de Pœn. militar. c.* 4.

Præmia, licet minora, dabantur tamen, in ludis circensibus, nec sine honore recedebant aurigæ, si [illegible] ac strenue se gessissent, quamvis secundæ, aut tertiæ fuissent. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 11. Majora

Sss 2

jora vero erant, quæ non ex secundis partibus, aut tertiis, aut ex occupationibus, aut successionibus acquirebantur, sed ex justa victoria. Utrumque explicat Sidon. Carm. XXIII. 425.

Hic mox præcipiti æquus Imperator
Palmis serica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari.
Victis ac jubens suis pudendis,
Villis versicoloribus trapetas.

Sil. Ital. XVI. 446.

Par donum, Eoo argento cælata bipennis
Omnibus, ac variis distincta cætera honore.
Primus equum volucrem Massyli munera Regis
Haud spernenda tulit; tulit huic virtute secundus
E Tyria, quæ multa jacet, duo pocula præda.
Tertius inde honor, & postremo munere Atlantis
Quamvis perfracto senior subsederat axe,
Amyclæum donat victor, miratus & ævum
Et fortem casus, famulus florente juventa
Huic datur.

Argol. ibid. c. 14. Varia in curuli certamine fuere distributa, prout editori, videlicet, expediebat olim, & Romanorum tempore, si Cæsares ludos exhibuissent, aut volentibus aliter. Heroum tempore proponebantur equi, mulieres, tripodes, vasa argentea, scuta, cassides, & similia. Homer. Iliad. XXIII. 262.

Aurigis posuit præsignia munera Achilles,
[illegible] dabat [illegible] juventa,
Atque duo tripodes, auratis auribus ambo.

Sil. Ital. XVI. 558.

Hanc primus galeam, hic acies terrebat Iberas
Hasdrubal, hunc ensem, cui proxima gloria cursu
Accipiet, cæso pater hunc detraxit Hyempsæ.
[illegible]

Virg. Æn. V. 109.

Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio, sacri tripodes, viridesque coronæ,
Et palmæ pretium victoribus.

Herculem primum dicunt dedisse, nam oleastro Elidis [illegible] pro præmio in certaminibus [illegible]. Schol. Pind. Olymp. I. Romæ ludis circensibus victoribus equis alii equi *præmio* dabantur. Capitol. in L. Vero c. 6. *Libros equi [illegible] cœpere equi, aurei, vel præmia postulari.* At [illegible] dividebantur. Senec. Epist. 74. *Nos quoque existimamus omnia, quorum præmia [illegible] nec palma est, nec tamen præconi nominis nostri silentium faciens; sed virtus, & firmitas animi.* Argol. ibid. c. 16. Dabantur & ludis gladiatoriis. August. de Civit. Dei III. 14. *Pugnant etiam gladiatores, vincunt & ipsi: habet præmia laudis & illa crudelitas.* Et quidem I. Palma. Suet. Cal. c. 32. n. 7. *Mirmillonem confossum ferrea sica, ac more victorum cum palma discucurrit.* Cicer. pro Rosc. c. 6. *Alter plurimarum palmarum vetus, ac nobilis gladiator habetur.* Lamprid. de Comm. c. 12. *Tantum palmarum gladiatoriarum confecerat, ut mille contingeret.* Datæ sunt primum *palmæ* victoribus L. Postumio Megello, & M. Atilio Regulo consulibus, sive an. 459. Ita de illis Liv. X. 47. *Lustrum conditum eo anno est a P. Cornelio Arvina, C. Marcio Rutilo censoribus. Eodem anno coronati ob res bello bene gestas ludos Romanos spectaverant, palmæque tum primum, translato e Græcia more, victoribus datæ.* II. Pecunia. Suet. Claud. c. 21. n. 10. *Nec allo spectaculi genere communior, aut remissior erat: adeo ut oblatos victoribus aureos, prolataque sinistra manu, pariter cum vulgo, voce, digitisque numeraret.* Juven. Sat. VII. 243.

Accipe victori populus quod postulat aurum.

Sed & ultra legitima *præmia* corollaria adjiciebantur, exemplo a scena. Suet. Aug. c. 45. n. 4. *Corollaria, & præmia alienis quoque muneribus, & ludis, & grandia, & crebra de suo offerebat.* Lipf. Saturn. II. 23. Panvin. de Lud. Circens. I. 16. Buleng. de Circo c. 54. Fab. Semest. II. 21. Pitisc. in Suetonii Caligulam.

Præmia fuerunt quoque sollennia victoriæ. Cæsis, fugatisque hostibus milites, qui fortiter pugnaverant, ab Imperatore pro concione laudabantur, & viritim donativum accipiebant, videlicet portionem a præda illa, quæ bello acquisita erat, & in Urbem adducta. Volones, qui e servis, aut dedititiis adsciscebantur, libertate donabant. Cives, sociosque armillis, aureisque phaleris, monilibus, torquibus, eosque inprimis, qui ordines ducebant, aut facinore insigni eventum præliorum secundum adjuverant. Gregarii milites aurum, argentumque capiebant. Neque illud tantum, verum etiam coronas, easque varias. V. hæc singula suis locis. *Kipping. Dissert. de Victor.* §. 3. *Ram. de Milit. Jul. Cæsar. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1548. *A.*

PRÆNESTE fuit oppidum Latii, jure Latii Romanis fœdere obstrictum. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 14. Colonia Latina, deducta, ut opinor, a Sulla dictatore. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 21. *E.* Hac civitate nulla Sullæ causæ fuit infestior, nulli Sulla ipse acerbior. Obsideri diu se ab eo passi sunt *Prænestini.* Itaque *Præneste* capto, & C. Mario adolescente, qui oppidum tenuerat, jam extincto, *quinque illa millia Prænestinorum*, quod prodidit Valer. IX. 2. 1. *extra mœnia municipii evocata*, acerbissima morte multavit. *Quatuor millia, & septingentos diræ proscriptionis edicto jugulatos in tabulas publicas retulit.* Agrum eorum divisit, atque oppido, quantum augurari conjectura possum, colonos adscripsit. De agro Cicer. Agrar. II. 28. *Coement præterea: nam si dicent, per legem id non licere, ne per Corneliam quidem licet: at videmus agrum Prænestinum a paucis possideri.* De colonis idem Catil. I. 3. *Quid cum te Præneste Kal. ipsis Novembr. occupaturum nocturno impetu confideres, sensistine illam coloniam meo jussu esse munitam?* Sigon. ibid. III. 4.

PRÆNOMEN, quod Græci πρώνυμον dicunt, ut tradit Diomed. I. p. 307. est, quod *nominibus* gentilitiis *præponitur*, quo fratres, aut gentiles, qui sunt ejusdem familiæ, inter se distinguerentur, inventum. Exempli gratia. Is qui primus auctor gentis Valeriæ fuit, Volususque appellatus est, tres, aut quatuor filios tulit, qui quum omnes Valesii, id est, Voluso nati vocarentur, aliquod præterea aliud *nomen*, quo inter se distingui possent, inveniendum fuit, quo ornarentur. Quare ejus gentis aliquot *nomina* aut de novo excogitavit, aut ab aliis usurpata accepit, quibus singulos filios differentiæ causa affecit, quæ a variis eventibus deducta erant: puta, primum liberorum, quod fortasse mane natus esset, Manium vocavit Valesium; alterum, quod prima luce, Lucium; tertium, quod secus Tiberim, Tiberium: & sic in reliquis observavit. Quæ quum *nominibus* gentilitiis *præponerentur*, *prænomina* dici cœpta sunt. Hæc si originem spectare voluerimus, secundum locum obtinent; *nomina* enim gentilitia primum in usu fuerunt, post *prænomina*: si usum, primum, quum gentilitiis præponantur. Varr. de Ling. Lat. VIII. 38. *In prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilitia, ut a numero Prima, Secunda, Tertia, & Quarta; in viris, ut Quinctus, Sextus, Decimus. Sic ab aliis rebus, quum essent duo Terentii, aut plures, discernendi causa, ut aliquid singulare haberent, notabant: fortasse ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius esset, qui luci Lucius, qui post patris mortem Postumus.* Panvin. de Nomin. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2020. B. Unde inventum sit *nomina* duplicare, aut triplicare V. supr. in *Nomen*. Ad viros tantum pertinuisse, & *prænominibus* feminas usas esse, nisi aliquando vetustissimis temporibus, negant *Panvin. ibid. p.* 2047. *D. Castal. Disput. adv. femin. prænom. assert. Misc. Ital. Erud. Tom.* [illegible] *p.* 122--146. affirmant, & adversariorum rationes refutare conantur *Sigon. Emend.* II. 35. & *P. Serv. Miscell. c.* 5. Sed singuli dissertationibus adeo fusis, ut Te benevole lector ad fontes ipsos ablegare, quam in has chartas quicquam ex illis derivare satius esse duxerim. Ego vero controversiam illam commode componi posse crediderim, ut largiamur vetustis temporibus, *prænomina* mulieribus usurpata,

para, quod Varro, & auctor libri Valerio tributi tradidere, paullatim in desuetudinem abiisse, donec postea sequiori ævo eorum usus nonnunquam fuerit repetitus. Nec enim aliter conciliari possunt tot vetusta lapidum, aut numorum testimonia, quibus nisi possunt uti iusque sententiæ patroni. *Spanhem. Differt. de præst. numism.* VI. *p.* 509. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VI. *c.* I. Multæ etiam mulierum *prænomina* usurpaverunt, & quæ jam exoleta erant, restituerunt. Legi in vetustis epigrammatibus L. Peduceam, M' Aciliam, M'. F. Faustinam, & Proculam Juliam. Proculus enim Juliorum *prænomen* fuit. Et ut in viris *prænomina* aliquando *nominibus* gentilitiis postponebantur, ut Attius Tullius, Attius Nævius, Manlius Capitolinus, Octavius Mettius, ita etiam in feminis factitatum: legimus enim Primam Valeriam, & Salviam Primam, & Quartam Hostiliam, & Liviam Quartam, & Quinctam Noniam, & Noniam Quinctulam. *Panvin. ibid. p.* 2049. *C.* Sub Imperatoribus, quum Romana civitas [illegible] provinciis daretur, hi qui civitatem Romanam consequebantur, vel Imperatoris *prænomen* & *nomen*, vel ejus, aut eorum, quorum præcipue subsidio civitatem impetrassent, *nomina* ferebant. Verum quum Antoninus Caracalla Imperator edidisset constitutionem, quæ Digest. I. [illegible] tit. de stat. homin. refertur, qua omnes eos, qui in orbe Romano essent, cives esse voluit: tum [illegible] *nomina* [illegible], aut [illegible] familiarum, quæ jam defecerant: aut nova excogitata, vetere vocandi consuetudine, quæ ad ea usque tempora, primum certe vitiata, perduraverat, paullatim postea [illegible]. *Panvin. ibid. p.* 2037. *B.* Patris habuit plerumque filiorum primus; sequentes vero, si plures filii essent, vel avi, vel patruorum, vel familiæ propria tulisse satis constat. *Panvin. ibid. p.* 2035. *D. Spanhem. ibid. p.* 511. *Barthol. de puerp. p.* 154. Pueris nulla fuerunt ante virilem togam; sed lustrico die *nomina* gentilitia tantum imponebantur. Adnotandus est locus Suetonii, qui huc spectat, Ner. c. 6. n. 4. *Ejusdem futuræ infelicitatis signum evidens die lustrico exstitit: nam C. Cæsar, rogante sorore, ut infanti, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium patruum [illegible] dare.* Ergo lustrico die est appellatus infans Claudius. Ecce, ut non addebatur *prænomen*. Nam, ut diximus, quo die virilis toga dabatur, assumebant *prænomina*, ut tradit Valerius. *Robort. de cognom. & appellat. Impp. [illegible] Erud. Ital. Tom.* I. *p.* 654. Et ego crederem, pueros *prænominibus* caruisse, familiæque *nomina*, & *cognomina* [illegible], ut Julios Cæsares, & Tullios Cicerones. Quod enim Valerius de *prænominum* imponendorum ratione refert, [illegible] factum erat Ciceronis epistolas percurrenti, [illegible] togam semper Cicerones pueri dicuntur, [illegible] Marcus filius, Quintus filius. Unde ipse Cicer. Epist. [illegible]. *Habuit*, inquit, *prænomen nescio quid nobilitatis, & dignitatis.* Panvin. ibid. p. 2035. A. Utrique Valerius imposuit. Sed supposititium illud Valerii opusculum de *prænomine*, sive decimi libri Valerii per Cajum Titium Probum epitomen de *prænomine* cum Aldo Manutio, & plerisque doctis viris adulterinam, & falsam esse [illegible]. Scribunt Plutarchus, Festus, & Macrobius [illegible] supr. in *Dies lustricus*: infantibus lustrico die *nomina* esse imposita. Sed *nomen* in iis locis non pro gentilitio, & familiæ, sed pro quacunque appellatione usurpatur. Errat Robortellus, cum apud Suetonium *nomen* pro gentilitio sumit, & eo gravius errat, quo longius ab historiæ fide discedit, & familias confundit. Infantem enim ex gente Domitia Claudium appellatum esse affirmat: atque adeo lectoribus probare conatur, non addi pueris *prænomina*, sed *nomina* gentilitia, consuetum esse. Dixerat quidem Caligula, se Claudii *nomen* dare, sed per jocum, & aspernante Agrippina, ut est apud Suetonium. Verum, esto, datum sit Domitio Ahenobarbo *nomen* Claudii, qui Tiberius Claudius Drusi filius dicebatur, Claudii *nomen*, id est, *nomen* proprium, quod & *prænomen* vocabatur, quo a reliquis ex gente Claudia distinguebatur, ut esset puero *prænomen* Tiberius. Nonne [illegible] dicere, eum, qui natus sit ex Domitia gente, sine ulla adoptione, uno eodemque tempore, tum Domitiæ, tum Claudiæ gentis exstitisse? Panvinius, qui celerrime percurrisse Ciceronis Epistolas, & ante togam datam Ciceronibus pueris *prænomina* apposita esse non observasse videtur, alteri Quincto *prænomen* fuisse didicisset, si divertisset, aut paullum commoratus fuisset ad Epistolam ad Att. c. V. 20. *Ego, cum Laodiceam venero, Quincto sororis tuæ filio, togam puram jubeor dare.* Et VI. I. *Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercentur. Quincto togam puram Liberalibus cogitabam dare.* Imo post togam datam Ciceronem suum sine *M. prænomine* appellat ad Attic. IX. *Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi.* Gentilitia, inquiunt Robortellus & Panvinius, nomina lustrico die imponebantur. O rem ridiculam, ei, qui genti suæ *nomen* ex matris utero ferebat, id ipsum *nomen* imponi. Sed, quæso, qui fieri poterat, ut ex gente Julia, & Tullia, Julius, & Tullius non nasceretur? aut, si plures anniculi, bimi, trimi, quadrimi ab uno patre suscepti essent, omnibusque ante togam unum *nomen* gentilitium inditum esset, Juliorum videlicet, aut Tulliorum, qui fieri poterat, ut sine ulla proprii *nominis* appellatione discerni, distinguique inter se possent. Etiam lapides docent, minores septennes anni *prænominibus* affectos fuisse. Apud Delphinios:

TI. CLAUDI. EURYTI. VIXIT. ANNIS. VI
MENSIBUS. VIII. DIEBUS. III.
FECIT. CLAUDIA. EXTRACTA
MATER. FILIO. BENEMERENTI. ET. SIBI.
POSTERISQ. SUIS.

Vides, puero intra pubertatem extincto *prænomen* Tiberio fuisse. Ibidem:

L. THORIO
EUTYCHE
V. A. I. M. VI. D. XII.

Infanti alterum annum agenti Lucio *prænomen* fuit. *Castal. de puer. prænom. Misc. Ital. Erud. Tom.* I. *p.* 89. *Sigon. Emend.* II. *in Robort. c.* 18. *&* 25. Alia singulis, alia binis, alia ternis, alia vero pluribus, vel omnibus literis describebantur. Undecim singulis. Et hæc erant: A. AULUS. C. CAJUS. K. CÆSO. D. DECIMUS. L. LUCIUS. M'. MANIUS. M. MARCUS. N. NUMERIUS. P. PUBLIUS. Q. QUINCTUS, T. TITUS. ut A. Sempronius. C. Marius, K. Duilius. D. Junius. L. Papirius. M'. Valerius. M. Claudius. N. Fabius. P. Mucius. Q. Curtius. T. Virginius. Binis sex: AP. APPIUS. CN. CNÆUS. SP. SPURIUS. TI. TIBERIUS. OP. OPITER. ST. STATIUS. ut AP. Claudius. CN. Pompejus. SP. Postumius. TI. Sempronius. OP. Virginius. ST. Cæcilius. Ternis quatuor: MAM. MAMERCUS. SEX. SEXTUS. SER. SERVIUS. TUL. TULLIUS. ut MAM. *Æmilius.* SEX. Furius. SER. Sulpicius. TUL. Hostilius. Reliqua aut integra, aut pluribus literis scribentis arbitrio exarabantur. *Panvin. ibid. p.* 2023. *C. Sigon. de Nom. Rom. c.* 3. Quædam semel tantum usurpata reperiuntur, ut hæc tredecim: Ancus, Cossus, Egerius, Drusus, Julius, Lar, Mamurius, Nero, Romulus, Remus, Paullus, Potitus, Volusus. Quædam etsi raro admodum iis uti mos fuerit, plures tamen iis usi sunt, ut hæc quindecim: Agrippa, Denter, Faustus, Arruns, Hostius, Numa, Opiter, Postumus, Proculus, Tullus, Sertor, Statius, Vibius, Volero, Vopiscus. Eorum, quæ minus usurpari solita sunt, quædam cum ante *cognomina* essent, post longum temporis intervallum *prænominis* officio functa sunt, ut hæc sex: Cossus, Drusus, Julus, Nero, Paullus, Volusus, & Potitus. Quædam suapte natura, & cum primum inventa fuere, *prænomina* esse cœperunt, ut reliqua. Quorum etiam quædam pro *cognominibus* aliquando usurpata sunt, ut hæc sex. Agrippa, Denter, Faustus, Proculus, Postumus, & Tullus: quædam *prænominis* loco semper functa. *Panvin. ibid. p.* 2022. *F.* Unica

ut plurimum notata litera, cum sequenti nomine, maxime si a vocali incipiat, coaluit. Ita etiamnum legimus Catinium pro C. Atinio in Plinio, Cælium & Cæcilium pro C. Acilio in Gellio & Macrobio, Metellum pro M. Atejo in Festo. Ita Agellium fecerunt ipsi eruditi ex A. Gellio, Tampium ex denariis T. Ampii, Atilium Cimbrum Tristanus ex A. Tilio Cimbro. *Perizon. Anim. hist. c. 10. Reines. Inscript. Cl. I. n. 6. Malv. Marm. Felsin. Sect.* VIII. *c.* 5. Salutabant Reipublicæ tempore litera, qui aliquem honorifice, ut liberum, aut ingenuum appellabant. Horat. Sat. II. 5. 32.

> *Quinte puta, aut Publi, gaudent prænomine molles*
> *Auriculæ.*

Turneb. Adv. II. 19.

PRÆFORIGA. V. illum supr. in *Perorica.*

PRÆPETES proprie dicuntur *aves ab auguribus, quæ aut opportune prævolant, aut idoneas sedes capiunt.* Higin. apud Gell. VI. 6. Serv. ad Æneid. III. 361. *Certa avium genera ab auguribus appellantur, quæ pennis, vel volatu omina posse facere, quæ si fuerint prospera, præpetes; si adversa, inferæ dicuntur. Præpetes sunt, quæ secundo auspicio ante eum volant, qui auspicatur. Volatu augurium faciunt, cum sint prospera. Aut superiora tenent, & præpetes vocantur; aut inferiora, & dicuntur inferæ. Præpetes ideo, quia omnes aves prope petunt volando.* Voss. Lex. Etymol. & de Idolol. III. 98. Brisson. de Form. I. p. 122. Buleng. de Aug. & ausp. c. 4. Urbst. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 891. D. Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 262. Laurent. var. sacr. gentil. c. I. Blond. Triumph. Rom. I. p. 26. F. Columna in Ennii Annal. I. p. 25.

Præpetes loci appellabantur auguribus idonei, & felices, quia tales capiunt aves *præpetes.* Ennius Annal. XII.

> *Præpetibus hilares sese pulchrisque locis dant.*

Hinc loca, quæ, cum ex locis in quibus periculum metuebat in loca tutiora pervenerat Dædalus, ejus *pennas præpetes* dixit Virg. Æneid. VI. 14.

> *Dædalus, ut fama est, fugiens Minoia regna*
> *Præpetibus pennis ausus se credere cælo.*

Gell. VI. 6. Voss. Lex. Etymol.

PRÆPOSITUS est nomen commune omnibus, qui operibus, vel personis præsunt. *Urst. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 916. *C. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 22.

Præpositus argenti potorii dicebatur, qui argenteæ supellectilis curam habebat. Lapis vetus apud Gruter. p. 582. n. 7.

GEMELLO. AUG LIB. PRÆPOSITO
ARGENTI. POTORI.

p. 543. n. 3.

L. JUL. A. POCULENTO. ARGENT
VASCULARIO

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 16.

Præpositus auri escarii dicebatur, qui aureæ supellectilis curam habebat. Lapis vetus apud Gruter. p. 582. n. 9.

M. ULPIO. ERIDANO. AUG. L.
AB. AURO. ESCARIO. PRÆPOSITO

n. 5.

PHILETÆRO. AUG. LIB
AB. AURO. GEMMATO.

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 16.

Præpositus bastagæ appellabatur, qui præerat evectionibus mobilium Principis, translationibus n. vestium, aliarumque rerum mobilium, ut argenti, supellectilis Principis. Sic illum vocat Notit. Dignit. imp. orient. in Comit. sacr. largit. *Bergier. de vus milit.* IV. *Sect.* 26. §. 2. *Pancirol. Notit. c.* 75. Erant *præpositi* hi sequentes. I. *Præpositus* bastagæ primæ orientalis, & quartæ. Hæ transvectiones erant specierum, quæ ex oriente quater quolibet anno navibus advehebantur, ut lana, sericum, byssus, purpura, & forte frumentum ex Alexandria, saccarum, cinnamomum. . . . quæ recensentur a Marcian. l. ult. §. spec. ff. de Publ. Is primam & quartam transvectionem curabat, sed verendum, ne delendum sit *quartæ.* Nam alius infra legitur quartæ orientalis bastagæ præfuisse. II. curam habebat secundæ, & tertiæ bastagæ, seu transvectionis orientalis, id est, rerum ex oriente transvehendarum. Hic etiam superfluum verbum tertiæ, cui infra alius datur. III. erat *præpositus* bastagæ tertiæ orientalis. IV. fuit præpositus quartæ orientalis. Hæc vitio librariorum bis repetitur, sicut & tertia. Itaque quælibet suum habebat *præpositum.* Occidentales tendebant in occidentem, & Gallicanæ appellantur. *Præpositus* bastagæ primæ Gallicanorum, & quartæ. Hic erat præfectus transvehendis rebus ex Galliis, aut per Gallias. Sed cum quarta nominetur, oportuit esse secundam & tertiam quæ hic reticentur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 40. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 22.

Præpositus barbaricariorum. V. illos supr. in *Barbaricarii.* Tres illorum, qui in tribus locis occidentis, in oriente enim non inveniuntur, pro principe vasa, & arma elaborabant, erant sub comite largitionum. I. Arelatensium. II. Remensium. III. Triberorum. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 39. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 22.

Præpositus a crystallinis dicebatur, qui crystallinorum vasorum curam habebat. Lapis vetus apud Gruter. p. 474. n. 4.

TRICLINIARCHAM. PRÆPOSITUM
A. FIBLIS, PRÆPOSITUM. A. CRISTAL-
LINIS

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 29.

Præpositus cubiculi idem est ac thalami custos. Hinc Eusebius, qui *præpositus cubiculi* Constantini vocatur ab Ammian. XIV. 11. *thalami custos* dicitur ab eodem XX. 1. 4. *Eusebium super his, cui erat Constantiani thalami cura commissa, ... & ... vere posse letali: quem ... Imperatori pane clausum, ... Augusta, ... monetque ut castigatus ... tanquam e rupe gradum egit excelsa.* Ejus dignitas est primaria, quod ei semper aures Imperatoris patent. Philo de Legat. ad Cajum. Hic nobis esset *Grand Chambellan.* Et æquata ab Honorio, & Theodosio Principibus, & adæquata urbanæ, & prætorianæ præfecturæ, atque etiam magisteriæ potestati, ut nulla sit inter eos post depositas administrationes discretio. Quod in Macrobii honorem promulgatum est, qui primus *præpositorum* cubiculi inter Illustres annumeratus est l. 1. C. Th. de præpos. sacr. cubic. Magna tamen ejus ante Macrobii dignitatem, magna auctoritas. Cleander Phryx, qui sub hasta venierit, cum Imperatoris Commodi servitio traditus esset, *eo honoris, atque auctoritatis provectus est, ut & corporis custodiam, & cubiculi curam, & præfecturam militum solus obtineret tantæque ejus fuerunt divitiæ, ut luxus eum ... temeritatem instigaret.* Quod de illo Herod. I. 12. 8. τῦ θαλάμȣ ἐξȣσίαν Politianus vertit *cubiculi curam.* Et recte. Nam *præfectus* cubiculi, κατακοιμιςὴς Philoni, quod in cubiculo proximo Principis obdormiret. Quod supremum honoris fastigium est Herod. I. 13. 12. qui Eclectum post Cleandrum cubiculi custodem narrat, τὸν τȣ̃ θαλάμȣ προεςῶτα I. 16. 12. τȣ̃ θαλάμȣ βασιλικȣ̃ φύλακα vocat. III. 12. 2. Omnibus cubiculariis præerat, nullam tamen in eos jurisdictionem obtinebat, quia non alium cognoscunt judicem quam magistrum officiorum l. 3. C. de præpos. sacr. cubic. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 29. Gaudebat pluribus privilegiis. Immunis erat a solvendo tyronum, vel equorum pretio, quo provinciæ onerabantur, vicenos, & tricenos solidos pro equo solventes l. 1. C. Th. qui a præbit. tyron. Deinde neque ipse, neque cubicularii angariis, aut præstandorum veredorum, recipiendorumve hospitum onere arctabatur l. 2. C. eod. tit. Ab omnibus denique sordidis præstationibus ipse, & ejus uxor erat immunis l. 15. & 18. C. Th. de extraord.

ord. & ſord. mun. ſcilicet a piſtrinis, aut excoquendo pane, calceve, exhibendis operis a paraveredorum præſtatione, impenſi ad publicas ædes, pontes, viaſve reparandas facienda, & ſimilibus d. l. 15. & 18. Neſcio, an Macrobius ſit is, qui Scipionis ſomnium interpretatus, Saturnalia celebravit, & Illuſtris cognominatur. Temporibus Palæologorum capitium Phrygiatum geſtabat, pallium purpureum, tunicam ex cocco, & auro Phrygiatam in anteriori parte cum imagine Imperatoris ſtantis, in poſteriore vero throno inſidentis: ſceptrum quoque ligneum, cujus primus nodus erat aureus, alii auro argentoque convoluti: quemadmodum Sophotatus Curopalata in Officinis Palatinis deſcribit. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 61.*

Præpoſitus curſorum dicebatur, qui præerat curſoribus. Inſcriptio Romæ apud Gruter. p. 600. n. 15.

SEP. AUG. LIB. ZIBI
PRÆPO. CURSORUM.

Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14.

Præpoſitus fiblæ dicebatur, qui curam habebat fiblarum, id eſt, fibularum veſtis ornatoriæ. Fibla per ſyncopen a Græco φίβλη. Gloſſ. vet. *Fibula*, φιβλίον. Lapis vetus. V. illum ſupr. in *Præpoſitus a cryſtallinis.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 29.

Præpoſitus laborum dicebatur, qui vexillum Salvatoris tuebatur, & humeris portabat. Erant quinquaginta numero, robore, ac pietate præſtantes. Euſeb. de Vit. Conſtant. II. 8. *Itaque lectis ex protectorum numero, quotquot corporis viribus, & animi fortitudine, ac veræ religionis inſtitutis præſtare videbantur, unum hoc munus impoſuit, ut ſigni hujus aſſidue curam gererent. Erant omnes quinquaginta viri: quorum nullum aliud erat officium, quam circumſtare, & protectione ſua cuſtodire ſignum: quod ſinguli humeris ſuis alternatim geſtabant.* Clariſſimi dignitate decem primis æquiparantur l. 1. C. Th. de præpoſ. lab. *Qui præpoſiti laborum noſtro judicio promoventur, clariſſimi ſint inter allectos viros, ut ex conſularibus habeantur. Nam & immunitate digni ſunt, quos noſtri lateris comitatus illuſtrat.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 90. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 15.

Præpoſitus lætis quis fuerit, ex reſcripto Imperatorum Arcadii, & Honorii intelligimus. Hi inquiunt l. 9. C. Th. de cenſit. inſpect. & peræquat. *Quoniam ex multis gentibus ſequentes Romanam felicitatem, ſe ad noſtrum imperium contulerunt, quibus terræ læticæ adminiſtrandæ ſunt; nullus ex his agris aliquid, niſi ex noſtra annotatione mereatur. Et quoniam aliquanti amplius quam meruerant, occuparunt aut colluſione principalium, vel defenſorum; inſpector idoneus dirigatur, qui ea revocet.* En lætica terra, & lætis, id eſt, agris publicis *præpoſiti.* Nam λαιτῶν, ait Heſychius, δημοσίων τόπων. Et lætis *præpoſitos* peræquatores, & inſpectores credo: qui ſi incurrant culpam negligentiæ, aut gratiæ, non ſolum honorum jacturam, ſed etiam annorum multam ſubeunt l. 6. C. de cenſ. & cenſit. *Guther. de Offic. dom. Aug. III. 22.*

Præpoſitus largitionum Romanarum in Notitia præteritur. De illo extat reſcriptum Imperatorum Valentiniani & Gratiani ad Probum præfectum prætorio orientis l. 10. C. Th. de Veteran. *Si quis præpoſitus fuerit aut fabricæ, aut claſſis, aut lætis, identidem ſi præpoſitus Romanarum largitionum, vel cohortis geſſerit tribunatum, aut quicunque his adminiſtrantibus, ad quas non niſi cum certis fidejuſſoribus ſinguli quique veniunt, forte præfuerit.* *Præpoſitus* Romanarum largitionum eſt *præpoſitus* S. L. Romæ. Etenim Roma urbs ſacra dicta. *Guther. de Offic. dom. Aug. III. 22.*

Præpoſitus limitum dicebatur, qui præerat limitibus. Erant octo. I. Columnitenſis, forte ab aliquibus columnis, vel a loco ita appellatus. Hic limes cum latius ſe extenderet, alium ſub comite Africæ *præpoſitum* habuit. II. Videnſis. Hic limes in longum protenſus, illum & ipſe ſub comite Africæ *præpoſitum* habuit, ubi Bidenſis pro Videnſis appellatur, forte ab aliquo ejus nominis oppido ita vocatus. Vetuſtus codex habet Indenſis. III. Interioris, Oceanum verſus. IV. Fortenſis, quem milites Fortenſes cognominati tuebantur. V. Muticitani, quod nomen non invenio. Codex membraneus Ortelii, & alter vetuſtus habent Mauricitani, ut puto rectius. VI. Audienſis in Mauritania Cæſarienſi. Audum promontorium V. ſupr. in *Audum.* VII. Caput Cellenſis, forte ubi Celaniam ponit Ptolemæus, ut pro Celanienſi dictum ſit Celenſis. Et alius *præpoſitus* ſub comite Africæ hunc limitem longius ſe extendentem tuebatur. VIII. Auguſtenſis. Forte hic limes a tertia legione Auguſta denominatus eſt, quam Dion LV. in tres diviſam memorat, ſcilicet Gallicam, quæ in Phœnicia; Cyrenaicam, quæ in Arabia; & in Auguſtam, quæ in Numidia degebat: & inde in Mauritaniam eſt tranſlata. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 77.*

Præpoſitus provinciarum dicebatur comes, aut dux, qui provinciarum limites tuebatur. Singulis oppidis unus præficiebatur. Valentin. ad Severum magiſtrum militum l. 1. C. de div. offic. *Si P. P. ſignificaverit ratiociniis publicis obnoxium, ad præpoſituram caſtri, aut limitum tranſiſſe retractus adſignetur officio ratiocinii.* Leo A. ad Johannem magiſtrum officiorum l. 8. C. eod. *Limitaneos, caſtrorumque præpoſitos tantummodo ex judicibus tui culminis ſententia correptos, nec alius ſubjacere judicibus præcipimus.* Diocletianus ad Pompejanum P. P. l. quamvis 19. C. ad l. Jul. de adult. *Non putavimus præpoſitum ab excubiis limitis revocandum.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 140.

Præpoſitus theſaurorum erat magiſtratus in provinciis, inde dictus, quia omnis pecunia, quæ per totas provincias colligebatur, ab exactoribus vectigalium, ſtatim ut exactio celebrata fuerat, debebat transferri in aliquem locum provinciæ, qui Theſaurus dicebatur. l. 1. C. de Canon. largition. titul. cui *præpoſitus* eam deinde comiti S. L. tranſmittebat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 75: Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 8.*

PRÆROGATIVA centuria. V. illam ſupr. in *Centuria.*

Prærogativa militiæ. De illa Symmach. Epiſt. VII. 95. *Sed adjicienda eſt ei prærogativa militiæ, ut beneficio electionis utatur. His quippe tantum munia rei veteri divalia conſtituta voluerunt, quos caſtrenſis honor illuminat. Si igitur ei hoc inſigne detuleris, quod annonarum, & evectionum cumulet adjectio, prono curſu in conſulares legetur.* Veget. I. 21. *Ideo primipili centurio, poſtquam in orbem omnes cohortes per diverſas adminiſtraverit ſcholas, in prima cohorte ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda conſequitur: ſicut primicerius in officio præfectorum prætorio ad honeſtum, quaſtuoſumque militiæ pervenit gradum.* Guther. de Offic. dom. Aug. I. 14.

PRÆROGATIVARII dicuntur Caſſiod. Var. XI. 27. veterani, qui honoris protectorum candidati, ab eo, quod *veteranis prærogativa debetur, ut illis protectorum dignitas tanquam pretium longi laboris accedat,* ut Symm. Epiſt. III. 67. *Guther. de Offic. dom. Aug. II. 15.*

PRÆS & vas quomodo differant, docet Auſon. Eidyll. XII. 100

Quis ſubit in pœnam capitali judicio? vas.
Quis cum lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.

Voſſ. Lex. Etymol. Sigon. de Judic. III. 7. Beroal. Annot. c. 96. Diſtinctio illa, licet illam conſignaverit Auſonius, quod ille in capitali judicio, hic in privato, ac pecuniario acciperetur, non eſt vera. *Prædes* antiquitus appellati, quos publicum accipiebat fidejuſſores. Varr. de Ling. Lat. V. 7. *Sponſor, & præs, & vas, neque iidem, neque res a quibus ii, ſed diſſimiles. Itaque præs, qui a magiſtratu interrogatus, in publicum ut præſtet: a quo & cum reſpondet, dicitur præs.* *Prædem* igitur & vadem non alio diſtinguit, quam quod ille publico, iſte privato ſponſor dari ſolitus. In Varrone *in publicum præſtare* Latinum non eſt. L. *fidem publico ut præſtet.* Ita en. Varr. ibid. IV. 4. *Prædia dicta, item ut prædes, a præſtando, quod per ea pignori data publici mancupes fidem præſtent:* Vel, *in publicum*

ut præs sit. Ita Festus: *Præs est is qui populo se obligat, interrogatusque a magistratu, si præs sit, ille respondet, præs.* Præs est idem quod idoneus, & locuples. Compositum est ex *præ*, vel *pro*, & *as*, ὁ ἔγχαλκος, ὁ ἀξιόχρεως. Tales præcipue eligebantur, qui in publicum spondebant. Inde *præs prædis* declinatur pro *præs præsis*, ut hæ duæ literæ invicem permutantur. Ideo interrogabatur, qui se sponsorem exhibebat in publica re pro ejus mancipe, an esset *præs*, id est, idoneus. Et respondebat, *præs*. Ab eo *præditus*, qui instructus est pluribus bonis & opibus. Et *præditus* in Gloss. Philox. κεχορηγημένος, pro divite ponitur, & opulento apud Apul. Flor. p. 787. *Ipse tu e vestigio, bene præditus.* *Prædiatus*, quod vulgo legitur, aliud est. V. supr. in *Prædiatus*. Et, quia *præs* locuples, & idoneus fidejussor, qui publico fidem præstare posset, *prædia* dicebantur ipsa bona, quæ pignori populo dabantur a redemptoribus publicorum operum, vel etiam a publicanis. Non enim illi tantum fidejussores dabant, qui *prædes* appellati, sed etiam pignora, quæ similiter *prædia* dicta, hoc est, ἀξιόχρεα, ut *prædes* sunt homines ἀξιόχρεοι. Quia autem res immobiles magis sunt idoneæ ad fidem præstandam, quam mobiles, idcirco & ἔγγαια κτήματα, id est, res soli, *prædiorum* nomine sunt nuncupata. Unica dictione sunt *bonaprædia*, id est, *prædium* bona. V. supr. in *Bonaprædia*. Hinc *prædibus*, & *prædiis cavere* est fidejussoribus, & pignoribus, sive hypothecis. Cicer. Verr. I. 54. *Prædibus, & prædiis populo cautum est.* c. 55. *At erat probatio tua. Ne parum locuples esset? At erat, & esset amplius, si velles populo cautum prædibus, & prædiis.* In veteri inscriptione Neapolitana redemptor *prædes* dare, & *prædia* subsignare, id est, supponere, vel hypothecæ dare jubetur: LEX. PARIETI. FACIUNDO. IN. AREA. QUÆ. EST. ANTE. ÆDEM. SERAPIS. TRANS. VIAM. QUI. REDEMERIT. PRÆDES. DATO. PRÆDIAQUE. SUBSIGNATO. DUUMVIRUM. ARBITRATU. *Salmas. de modo usur. c. 16. Brisson. de Form.* VI. p. 523.

PRÆSAGIUM est communitas omine. Omne enim animal, quod præsagit, quod olfacit res est, dicitur *præsagire*, hoc est, futura ante sentire. *Niphus de Augur.* I. 1.

PRÆSALTOR vocabatur magister, & moderator, qui in ludis ... Vet. gloss. *Præsaltor*, ὁ ἐν ταῖς ἱεραῖς προορχούμενος. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 2.

PRÆSCRIPTIO est exceptio, qua reus agentem repellit. Senec. Epist. 48. *Quantum potes ergo, mi Lucili, reduc te ab istis exceptionibus, & præscriptionibus philosophorum.* Lips. in Senecam. Gronov. de Centes. n. 68. Illis enim rei interdum *præscribebant*, eaque *præscriptione* summovebant l. 1. §. accusationem ff. ad Sc. Turpil. Atque ita marito jure mariti accusanti illa *præscriptio* objiciebatur, *si legem prodidisse diceretur ob hoc, quod adgressus accusationem adulterii destitisset* l. 2. §. 1. ff. ad l. Jul. de adulter. Sic & l. prævaricationis ff. de prævaricator. *Si reus,* ait Ulpianus, *accusatori publico judicio ideo præscribat, quod dicat se eodem crimine ab alio accusatum, & absolutum. Præscriptiones* autem, quæ solebant objici adulterii accusationibus, ante solebant tractari, quam quis inter reos reciperetur l. si maritus. §. præscriptiones. ff. ad l. Jul. de adulter. Quintil. Declam. 349. *Præscribis tamen, ne agam, id est, ne nomen tuum deferam, ne te legibus obligem* 250. *Nunc præscribendi tempus abiit. Tum enim præscribere debuisti, si poteras, cum delatus es: & in hoc ipsum præscribere, ne deferret. Neque enim ulla præscriptio inchoata judicia pergere vetat, si inchoari aliquando prohibet.* Brisson. de Form. V. p. 471.

Præscriptio annorum triginta prodest cuilibet possessori, etiamsi ab initio res vi possessa sit: nec obest rei vitium, nisi forte specialiter derogetur privilegio principis. Auctor istius est Theodosius. *Cujac. Observ.* X. 12. XVIII. 26. & 27.

PRÆSENTALIS dicebatur curiosus unus cursus publici ex agentibus, qui prospiciebat, ne quis sine jussu Principis equis publicis curreret, neve evectionibus, ultra statutum tempus, vel modum uteretur l. 2. C. de curs. Hic degebat Constantinopoli, & ideo *præsentalis* vocabatur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 72. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 17. §. 11. *Præsentalis*, vel in *præsenti* dicebatur generatim, qui in comitatu Principis *præsens* erat, ubicunque is esset, sive Constantinopoli, sive Romæ, sive Mediolani, sive alibi l. 1. C. Th. de domest. & protect. l. 4. C. eod. Evagrio IV. 2. παραστάσιμοι. Nempe ibi, & vel maxime, curiosum oportuit esse cursus publici, ubi, & unde cursus publicus bonam partem initium ducebat, propter frequentiam, non tantum ad Principem commeantium, verum & inde proficiscentium, *Principe jubente festinantium in necessarium obsequium*, ut habet l. 2. C. Th. de curiosis. Et quia ibi videlicet maxime videndum erat, ne quis citra evectionem, vel supra modum concessum usurparet cursum publicum, male Constantinopolim *Præsentalis* relegatur, cum & alter *Præsentalis* magistro officiorum occidentis fuerit, ut tradit Notitia. *Hennin. in Bergierium. Gutber. de Offic. dom. Aug.* II. 5.

In PRÆSENTI militum magistri duo exemplo duorum P. P. initio creati sunt, ut si unus nova moliretur, alter obstaret. Hi non simul, sed divisis inter se copiis militibus imperabant. l. nemo C. de re milit. Hanc utramque militiam in *præsenti* Leo A. vocat l. ult. C. de divers. offic. quia in comitatu Principis degebant. Sic magistratus qui sunt in Urbe ICtus Arcadius in *præsenti* esse dixit l. ob carmen de testibus: *Non tantum*, inquit, *privati, sed & magistratus, si sunt in præsenti, testimonium dicunt.* Vocabantur & *præsentes* d. l. nemo C. de re milit. Arcadius & Honorius inquiunt: *Nemo miles ex his, qui præsentes animo obsequio nostræ clementiæ deputati sunt, & qui hac in esse urbe præsente comitatu sunt concessi, ad aliena obsequia sine nutu principali accedere audeat.* De his Tacit. Hist. IV. 18. 3. *Lupercus legionarios e præsentibus, Ubios e proximis, Trevirorum equites, haud longe agentes, raptim transmisit.* Hinc prætorium, in quo hi magistri militum controversias, aut delicta cognoscebant *præsentum* vocat Justinian. Novell. 22. Ex his domestici, qui semper Principem comitabantur, quandoque *præsentales* nominabantur l. restituendæ C. de adv. divers. judic. l. ult. C. de domest. & protect. Hos *maximos ordines* appellat Niceph. XVII. 1. Olim *stipatores*, seu *prætoriani* nuncupabantur. Herod. V. 4. 16. *A Macrino corporis custodes, ac stipatores, quos prætorianos vocant, fortiter stantes, reliquum omnem exercitum soli sustinebant: videlicet proceri homines, atque ex omni numero delecti.* His duplum stipendium ejus, quod aliis dabatur, a senatu olim fuit decretum. Dion LIII. p. 503. B. Binos enim denarios diurnos accipiebant, cum alii nec unum quidem haberent. Tacit. Annal. I. 17. 4. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 32.

PRÆSICIÆ extorum partes. V. illas infr. in *Prosiciæ*.

PRÆSIDES provinciarum dici cœperunt post divisionem provinciarum ab Augusto factam. Sic enim provincias divisit, ut aliæ Cæsaris, aliæ populi dicerentur. Cæsaris, quæ *validiores erant, & quas annuis magistratuum imperiis regi, nec facile, nec tutum erat.* Has ipse suscepit, in easque rectores mittere instituit viros, ut ait Strab. XVII. p. 578. tum consulares, tum prætorios, tum etiam equites. Quos & ille generali nomine διοικητάς, & Macer l. 1. ff. de offic. præsid. *præsides* appellat: *Præsidis nomen generale est: eoque & proconsules, & legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licet senatores sint, præsides appellantur.* Ubi tamen senatores non sint cum negatione legendum videtur: ut equites significaret, de quibus hoc ipsum Strabo testatus est. *Hotoman. de Magistr. Roman.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1875. *F. Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* II. *p.* 282. *August. de Legib. in Lex Julia ambitus.* Clarissimi vocabantur provincias administrantes, qui erant consulares, correctores, & *præsides*. Inter illos primi erant consulares provinciarum rectores, qui non intelliguntur consulari dignitate functi, sed infulis consularibus ornati. Hos primum ab Augusto inventos fuisse puto.

puto. Cum enim provincias cum populo divideret, hujus proconsulares fecit, suas vero proprætorias; sed in Italia, inquit Dion LIII. p. 504. E. prætoris, & consulis nomen servavit, provinciis vero præfectis nomina dedit, quæ illorum loco esse significant, id est, proconsules, & proprætores appellavit. Pars ergo eorum, qui in Italia jus dicebant, consulares sunt vocati, quod nomen primum in Italia introductum, postea in provincias est extensum. De hoc sentire existimo Suetonium, qui Augustum legato consulari successorem, ut rudi & indocto dedisse scribit c. 88. n. 3. cujus manu ixi pro ipsi scriptum animadvertit. Idem ait Tib. c. 41. n. 1. Tiberium in Capream insulam regressum, provinciarum præsides non mutasse, & Hispaniam, Syriamque per aliquot annos sine consularibus legatis fuisse. Sub Claudio Aulus Plautius consularis legatus Britanniam administravit. Suet. Vesp. c. 4. n. 4. Talem habuit Hispania. Tacit. Hist. II. 97. 3. *Neque ex Hispaniis properabatur, nullo tum ibi consulari.* Syria. Tacit. Agric. c. 40. n. 1. *Syriam provinciam Agricolæ destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis.* Suet. Vesp. 4. n. 9. *Cæso præposito legatum insuper Syriæ suppetias ferentem fugaverunt.* Cappadocia. Suet. Vesp. c. 8. n. 10. *Cappadociæ consularem rectorem imposuit pro equite Romano.* Britannia. Tacit. Agric. c. 8. n. 2. *Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerealem accepit.* Suet. Vesp. c. 4. n. 2. *Vectem insulam Britanniæ proximam in deditionem redegit, Auli Plautii consularis legati ductu.* Buleng. de Imper. Roman. IV. 36. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 156. Quibus refragatur Spartianus qui *quatuor consulares per omnem Italiam ab Adriano constitutos* tradit c. 22. Ante Augusti tempora provinciæ consulares, ut probat Ciceronis oratio de provinciis consularibus, quæ post Augustum durarunt, & a consularibus regebantur, quos ab his posterioribus consularibus omnino differre certissimum est. Zenonis constitutionem sequor, qui inter clarissimos provinciarum *præsides* primo loco, deinde consulares, & post hos correctores numerat. Legitur & constitutio alia, quæ dubitationem affert l. 13. C. Th. de accusat. in qua *præsides*, correctores, consulares, vicarii, proconsules leguntur, & honoratiores videntur, quibus posterior locus est adsignatus. Consulares etiam a *præsidibus* non solum nomine, sed & dignitatis insignibus distinctos notamus l. 1. C. Th. de consular. & præsid. Nam consulares habent fasces, *præsides* vexilla: quod dubitationem non tollit. Vexilla *præsidialia* leguntur in martyrol. 31. Julii. Nobiliora sunt insignia, quæ *præsidibus* præferebantur, cum in publicum prodirent, illaque vultum Principis habebant l. 4. C. de injur. *Præsides* etiam fasces habuisse nemo negabit, qui duumviros, qui sine potestate sunt, fascibus ornatos intelliget. *Præsidum* & consularium indiscretas dignitates credere malim, & *præsides*, ut antiquiores, primo loco ponere, qui ab Imperatoribus amici vocantur l. 4. C. de jur. & fact. ignor. quique fuere Cæsaris legati l. 20. ff. de Offic. præs. & præfecti provinciæ dicti l. 2. ff. ad leg. Jul. de sicar. Hos etiam *provinciæ Imperatores* nominatos putat Berther. Pithag. 1. 9. & confirmat verbis Petron. c. 71. *Imperator provinciæ latrones crucibus jussit affigi.* Gather. de offic. dom. Aug. 1. 5. Cujac. Observ. XX. 37. V. tamen supr. in *Consularis.* Initio prætores mittebantur, ceu *præsides* cum imperio in provincias, ut ibi jus, & leges dicerent provincialibus, & urgente necessitate, bella auspiciis S. P. Q. R. gererent; unde aucta provinciarum accessione crevit & prætorum numerus. At rebus dubiis, belloque difficiliore exorto, mittebantur consules, qui ab initio hujus dignitatis institutæ fuerunt summi duces, & Imperatores exercituum Romanorum. Quod si intra annum magistratus sui bellum non patrassent, anno finito, & prorogato magistratu appellabantur proprætores & proconsules. Hi autem magistratus bini proprie, ceu *præsides* cum imperio, provinciæ præerant, unde etiam hi consulares, illi prætorii salutantur. Erant autem ut prætores a consulibus, ita proprætores a proconsulibus, & nomine, & dignitate, & dignitatis insignibus separati. Consules, & prætores, cum in provinciis in publicum prodirent, duodecim ante se habebant lictores, qui præferebant fasces & secures, uti olim Regibus Romæ. At prætores, & proprætores, ut consulibus & proconsulibus erant inferiores dignitate, ita & dignitatis insignibus; sex enim tantum habebant lictores cum totidem fascibus, & securibus. V. supr. in *Fasces.* Hi prætores ante Augusti imperium sub nomine *præsidum* mittebantur in provincias. Augustus vero per partes omnium provincias nova ratione divisit; alias enim proconsulares, alias prætorias, alias *præsidiales* fecit. *Præsidiales* sibi servavit, in quas ipse mitteret *præsides*; senatui concessit proconsulares, populo prætorias. Tandem cum Imperatores plane sustulissent comitia, prætoriæ æque ac proconsulares ad tempus senatui sunt permissæ. Factum id videtur sub Tiberio, de cujus temporibus Tacit. Annal. 1. 15. 1. *Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt. Nam ad eam diem etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis tribuum [illegible]* P. [illegible] ibid. Sect. 29. §. 1. Sigon. l. l. Quot [illegible] differentiæ intercesserint V. infr. in *Proconsules.* Singuli in provinciam ibant duplici officio instructi: alterum dicebatur potestas, alterum imperium. V. supr. in *Potestas* & *Imperium.* Quo instructi [illegible] non sine numeroso comitatu. V. illum supr. in *Magistratus provinciales.* Antequam ad iter se accingerent, subsidia, sive ornamenta provinciarum, quæ quidem dari, atque [illegible], augeri, atque minui pro arbitrio poterant, a senatu novo, & quidem post legem curiatam latam Scto nanciscebantur. In his fuerunt latitudo provinciæ, magnitudo exercitus, stipendium in milites, viaticum in legatos, & cohortem, comitatus, & cætera generis ejusdem. Quæ quoniam non omnibus eadem amplitudine, numeroque concessa sunt, propterea cum ea decernebat senatus, dicebatur ornare tum provincias. Suet. Jul. c. 18. n. 1. *Ex prætura ulteriorem sortitus Hispaniam neque more, neque jure, antequam provinciæ ornarentur, profectus est.* Cicer. ad Attic. III. 24. *Antea cum ad me scripsi eris consulum provincias ornatas esse.* tum *præsides* ipsos. Cicer. ad Fratr. II. 3. *Referebatur de provinciis quæstorum, & de ornandis prætoribus.* Livius. V. illum supr. in *Magistratus provinciales.* Sigon. ibid. c. 1. Bergier. l. l. Pitisc. in Suetonium. Antequam exirent, in Capitolium venientes ibi sollennia pro Republica vota nuncupabant, atque inde paludamento, lictoribus, insignibusque imperii cæteris assumptis, recta ad portam Urbis ibant. V. utrumque supr. in *Paludamentum.* Ad portam salutabantur. Festus: *Prætor ad portam nunc salutatur is, qui in provinciam proprætore, aut proconsule exit: cujus rei morem ait fuisse Cincius in libro de consulum potestate talem. Albanos rerum potitos usque ad Tullum Regem: Alba deinde diruta usque ad P. Decium Murem consulem populos Latinos ad caput Ferentinæ, quod est sub monte Albano, consulere solitos, & imperium communi consilio administrare: Itaque quo anno Romanos Imperatores ad exercitum mittere oporteret, jussu nominis Latini, complures nostros in Capitolio a sole oriente auspiciis operam dare solitos. Ubi aves addixissent, militem illum, qui a communi Latio missus esset, illum quem aves addixerant, prætorem salutare solitum, qui eam provinciam obtineret prætoris nomine.* Inde aut continuo amicis officii causa aliquanto viæ spatio prosequentibus; ac bene ominantibus, in provinciam iter ingrediebantur: aut, si quid negotii in Urbe haberent, ad Urbem per aliquot dies, aut menses manebant, quod cum imperio in Urbe esse non possent. Asconius. V. illum supr. in *Ad.* Ubi iter in provinciam jam erant ingressi, moris fuit, ut *præsides*, quibus succedebant, de adventu suo facerent certiores; scilicet, ut cum eis congredientes possent de statu provinciæ cognoscere. Atque hoc relatum lege Cornelia existimo, cum verba Ciceronis Appium, cui in provinciam succedebat, de itinere suo admonentis intueor: *Ut habere*, inquit, *rationem possis, quo loco me salva lege Cornelia convenias, in provinciam veni prid. Kal. Sext.* Ulpian. l. 4. §. 3. ff. de Offic. proconf. *Antequam proconsul fines provinciæ decretæ sibi ingressus sit, edictum debet de adventu suo mittere, continens commendatio-*

nem aliquam sui, si qua ei familiaritas sit cum provincialibus, vel conjunctio, & maxime excusans, ne privatim, vel publice occurrant ei: esse enim congruens, ut unusquisque in sua patria exciperet. Recte autem, & ordine faciet, si edictum decessori suo miserit, significetque, quo die sit ingressurus: plerumque enim incerta hæc, & inopinata turbant, & actus impediunt. Quo vero die in provinciam accedebant, eodem provincialis muneris, imperiique initium capiebant. Unde Cicero tam sæpe diem pridie Kalend. Sex. usurpat, quo die in provinciam venisset, & sibi ex SCto decedendum esset. *Sigon. ibid. c. 4.* Exercitum Romanum ex legionibus, & auxiliis sociorum confectum aut ex SCto novum in Urbe conscripserunt, aut veterem a decessoribus in provincias acceperunt, acceptum lustraverunt: & concione apud eum habita, ad tempus nimirum accommodata, si qua corrigenda in eo, aut immutanda visa sunt, proposito edicto, emendarunt, & immutarunt. Ita Cn. Manlius apud Liv. XXXVIII. 12. *Vere primo Ephesum consul venit: acceptisque copiis a L. Scipione, & exercitu lustrato, concionem apud milites habuit.* Et L. Paullus bello Persico, prout ipse in concione Romæ dixit: *Quinto die Delphis Apollini pro me, exercitibus, & classibus vestris sacrificavi. Delphis quinto die in castra perveni: ubi exercitu accepto mutavi quædam, quæ magna impedimenta victoriæ erant.* Sigon. de jur. ant. prov. II. 6. Rationes pecuniæ confectas apud duas civitates, antequam provincia decedebant, relinquebant. Hoc C. Julius in primo consulatu sancivit. Cicer. Fam. V. 20 *Illud certe factum est, quod lex jubebat, ut apud duas civitates Laodicensem, & Apamensem, quoniam ita necesse erat, rationes confectas, & consolidatas deponeremus.* Sigon. de Ant. jur. provinc. II. 9. Tenebantur eas etiam referre, ubi Urbem introierant. Ante legem quidem Juliam liberior referendi ratio fuit: lege autem Julia cautum est, ut rationes, quas in provincia apud duas civitates reliquissent, eas statim atque Urbem inissent, ad ærarium totidem verbis referrent. Hoc tamen non prætorum proprium, sed quæstorum commune fuit. Rationum ante legem Juliam relatarum Verris prætura & quæstura testes erunt. De his Cicer. Verr. I. 38. *Rationes ad ærarium, antequam Dolabella condemnatus est, non audet referre: impetrat a senatu, ut dies sibi prorogaretur, quod tabulas suas ab accusatoribus Dolabellæ obsignatas diceret: proinde quasi exscribendi potestatem non haberet. Solus est hic, qui nunquam rationes ad ærarium referat. Audistis quæstoriam rationem tribus versiculis relatam: legationis non, nisi condemnato, & ejecto eo, qui posset reprehendere: nunc denique præturæ, quam ex SCto statim referre debuit, usque ad hoc tempus non retulit. Quæstorem se in senatum expectare dixit: perinde quasi non, ut quæstor sine prætore posset rationem referre (ut tu Hortensi, ut omnes) eodem modo sine quæstore prætor. Dixit, idem Dolabellam impetrasse.* Qualis post legem Juliam rationum referendarum ratio fuerit, Pisonis, Ciceronis, & Bibuli proconsulatus ostendunt. De Pisone Cicer. in Pison. c. 25. *Rationes ad ærarium retuli continuo, sicut tua lex jubebat: neque alia ulla in re legi tuæ parui.* De se ad Rufum quæstorem suum Fam. V. 20. *Existimes velim, si rationum referendarum jus vetus, & antiquissimos maneret, me relaturum rationes, nisi tecum pro conjunctione nostræ necessitudinis contulissem, confecissemque, non fuisse. Quod igitur fecissem ad Urbem, si consuetudo pristina maneret, id quando lege Julia relinquere rationes in provincia necesse erat, easdemque totidem verbis referre ad ærarium, feci in provincia.* De Bibulo ad Caninium quæstorem Bibuli Fam. II. 17. *De rationibus referendis, non erat incommodum te nullam referre, quam tibi scribis a Bibulo fieri potestatem. Sed id mihi vix videris per legem Juliam facere posse: quam Bibulus certa quadam ratione non servat; tibi magnopere servandam censeo.* Sigon. ibid. II. II. Bud. in Pandect. p. 81. A. 179. B. Valtrin. de Milit. Roman. VII. 18. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 4.

PRÆSIDIUM proprie non notat locum munitum, sed milites *præsidiarios*, qui locum munitum propugnant. Quandoque generatim notat, quicquid aliquam rem tuetur, ac conservat. At in Itinerario, ut dicam verbis Varron. de Ling. Lat. IV. 16. est dictum, *quia extra castra præsidebant* milites *in loco aliquo, quo tutior regio esset* ab incursione hostili, aut rebus novis, aut subitis. Talium locorum bina erant genera: quædam a Romanis dedita opera erant munita, & exstructa, nec differebant a castellis ulla ratione: unde castella, custodias, & *præsidia* non distinguit Flor. IV. 12. ubi ait: *In tutelam provinciarum* Drusus *præsidia, atque custodias ubique disposuit per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit.* Eadem castella innuit Eumen. Rhet. in Orat. pro schol. instaur. inter paneg. vet. ed. H. Steph. 1591. p. 280. cum quærit: *Nam quid ego alarum, & cohortium castra percenseam, toto Rheni, & Istri, & Euphratis limite restituta?* Ex quibus geminis testimoniis porro colligi potest, hæc castella, sive *præsidia*, a Romanis de industria exstructa fuisse vulgo ad ripas majorum fluviorum, qui imperii Romani limites erant, quales Rhenus, Danubius, Euphrates. Quædam erant loca munita, non quidem de industria, sed tamen ingenio situs, & opportunitate loci apta ad recipiendos milites *præsidiarios.* Tale erat in Ægypto oppidum Hydreuma vetus, sive Troglodyticum, ubi *præsidium excubabat*, ut narrat Plin. VI. 23. Ab hoc, illove genere horum *præsidiorum* quædam loca in Itinerario habent cognomen *præsidii*, ut p. 7. *Ballene, præsidium. Tamaricetum, præsidium.* Quandoque & simpliciter, ut p. 18. 95. 96. 97. Cæterum opportunitas horum locorum, villarum, vicorum, castrorum, castellorum, *præsidiorum* induxit eos, qui vias muniebant, & faciebant publicas, ut eas deducerent de industria, & dedita opera per hæc loca, ut pro re, & necessitate nata tanto commodius illis uterentur, ut & propter milites, qui ibi erant *præsidio*. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 6. §. 7. & 8. Laz. Comm. Reip. Rom. I. 2.

PRÆSTIGIATORES Ennio dicuntur impudentes arioli, Græcis ἀγύρται, ὀχλαγωγοὶ, πτωχοὶ, μηχανοποιοὶ, μάγοι, ψηφοκλέπται, ψηφοπαῖκται, ψηφολόγοι, περιοδευταὶ, ψευδοτεχνῖται, θαυματοποιοὶ, ἠπεροπευταὶ, θυμιοτρόποι. Horum ars erat sensus deludere, ac inde sibi a circulis pecuniam corrodere. Isidor. VIII. 9. *Præstigium vero prius Mercurius dicitur invenisse, dictum, quod præstringat aciem oculorum.* Senec. Epist. 45. *Sic ipsa sine noxa decipiunt, quomodo præstigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* Varr. de Ling. Lat. IV. 18. *Similis causa, quæ ab scientia vocantur aliqua, ut præstigiator.* . . . Iidem pilarii a pilis, quibus ludos faciunt, & saccularii dicti sunt in codice, quod videlicet pilas, ova, & similia e sacculis extraherent, quos ut vacuos antea excusserant. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 14.

PRÆSTITES Lares. V. illos supr. in *Lares.*

PRÆSUL Latinis sæpe generaliter omnem προεστῶτα notat, proprie princeps Saliorum dicitur, ὁ ἐξάρχων τοῦ ὀρχεῖσθαι. Capitol. Anton. Philos. c. 4. *Fuit inde sacerdotio, & præsul, & vates, & magister: & multos inauguravit, atque exauguravit.* Casaub. in Capitolinum. Glossæ vet. vocant *prosaltorem. Prosaltor*, ὁ ἐν τοῖς ἱεροῖς προορχούμενος. Quem perperam mutarunt in *præsultorem*; nam *prosaltorem* legisse vocabularii auctorem patet ex serie literarum: *prosaltor, prosapies, prosa pexa tunica.* Sic enim *prosaltor*, ut proludo, & proludium. *Saltus* est ὄρχησις: unde *saltus dotes* Manilio, & *saltor* ὀρχηστὴς σαλίτωρ Dionys. II. p. 130. & *prosaltor*, προορχούμενος. *Salmas. in Capitolinum.* In Onom. vet. exponitur χοροστάτης, chorum enim sistit, & saltare facit, eumque dirigit in saltando. Dabat itaque Saliorum choro saliendi modum. Quod Græcis dicitur ἀνάσσειν χοροστασίας. Sic in versu penultimo statuæ Regillæ conjugis Herodis Attici:

> Ἤλαχεν Ἠλυσίῃσι χοροστασίῃσιν ἀνάσσειν.
> *Ipsa etenim Elysias moderatur diva choreas.*

Præterea in glossario *præsultor* exponitur κορυφαῖος. Recte, quia *præsultor* Saliorum fuit κορυφαῖος τῶν χορευτῶν, *princeps*, sive *primarius* saltantium, quem Aur. Vict. de vir. Illust. c. 3. n. 1. *Saliorum primum* vocat. *Gutberl. de Saliis*

Salis c. 8. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 618. Turneb. Adv. xix. 10. *Salmaſ. in Capitolinum. Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* 1. * *. * * *Kipping. Antiq. Roman.* 1. 12. §. 7.

PRÆTENTURÆ ſunt præſidia militum, quæ pro caſtris ſecuritatis cauſa collocantur: ſunt enim dictæ a *prætendendo*, id eſt, ante tendendo, tanquam quædam caſtra antetendentia. Ammian. xiv. 3. *Et quia Aleppo? imiæ tractus omnes crebro inquietari ſueti, prætenturis, & ſtationibus ſervabantur agrariis. Prætendere*, & *prætendi* proprie dicitur de his, quæ ad frontem objecta ſunt, καὶ προβεβλημένα. Hac voce mirum in modum delectatus eſt Ambroſius. Utitur illa Epiſt. 26. ad Gratianum Auguſtum. *Noctu ac die in tuis caſtris cura, & ſenſu locatus, ... excubias prætendebam.* 82. *Stat autem ſpeculator providus, pervigil cuſtos, qui prætendit in caſtris.* Valeſ. in Ammianum. Turneb. Adv. iv. 4. Salmaſ. in Solin. p. 294. a. D. Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p. 3048. B. Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 15. Barth. Adv. xlvii. 1. Stewech. in Veget. 1. 3. Valtrin. de re mil. Rom. iv. 6. Cerda Adv. c. 106. §. 13. Quomodo differant a Stationibus V. infr. in *Stationes agrariæ.*

PRÆTEXTA, ut nonnulli putant, fuit toga, quæ ad talos uſque produceretur, dicta, quod in ea purpura *prætexeretur*. Alii hoc nomine purpuream quandam faſciam valde latam intelligunt, quæ tamen multipliciter plicata in anguſtum contraheretur, atque ita ſupra alia veſtimenta nunc ab humeris, nunc a pectore in faſciæ modum circumduceretur, nunc ejus capita utrimque ab humeris in pectus demitterentur: cujus generis amicula Romæ pleriſque antiquorum ſtatuis inducta conſpicias. Et in Veneta nobilitate qui togati incedunt, eo omnes amiculi genere utuntur, eo excepto, quod purpura apud eos in uſu non eſt, ſed ex nigro panno plurimum. *Pier. Hierogl.* xl. 40. Fuit toga, non tota purpurea: purpureum enim, præter limbum, extremam veſtem ambientem, nihil habuit. Quod ſi tota purpurea fuiſſet, non dixiſſet Liv. xxxiv. 7. *Liberi noſtri prætextis purpura togis utentur.* Sed cujus ora, & circuitus purpura *prætextus* erat. Περιπόρφυρος vocatur Plutarch. Rom. p. 33. E. *Senem ducunt per forum in Capitolium in prætexta*, ἐν περιπορφύρῳ. Ut enim apud Polluc. vii. 13. περίλευκον dicitur veſtis ex purpura, vel alio colore, in circuitu album intextum habens: ſic περιπόρφυρος veſtis ἐξ ἄλλου χρώματος, ἐν τῷ περιδρόμῳ ἔχουσα πορφύραν ἐνυφασμένην, & cujus limbus erat purpureus. Quod vult etiam Macrob. Sat. 1. 6. *Putant, Tarquinium Priſcum inſtituiſſe, ut patricii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur.* Græci quoque omnes περιπόρφυρον appellantes, limbum ſolum, non totam veſtem purpurei coloris fuiſſe ſatis oſtendunt. Hic tamen objicitur, quod ait Plin. xxxiv. 9. *Cyprio æri ſi addatur plumbum, colos purpuræ fit in ſtatuarum prætextis.* Verum, cur de tota veſte intelligatur, non video: poterit enim artifex, cum ex ære ſtatuam faceret, ſeparatim in limbo *prætextarum* purpuram imitari. Si, quis cum legerit verſum Stat. Sylv. v. 2. 66.

> *Nec ſaltem teneris oſtrum puerile lacertis*
> *Exuit.*

oſtrum dicat pro tota purpurea prætexta uſurpatum: reſpondebitur, togam quidem puerilem, id eſt, prætextam indicari, cujus in limbo oſtrum, id eſt, purpura cernebatur, non tamen hoc dici, totam prætextam purpuream fuiſſe. *Manut. Quæſ. Epiſt.* iii. 1. *Bayſ. de Re veſt. c.* 10. *Ruben. de Re veſt.* 1. 1. *Ferrar de Re veſt.* ii. 1. *Revard. de Div. reg. jur.* ii. *Caroli Antiq. Roman.* iv. 12. *Kipping. Antiq. Roman.* iv. 5. 3. *Maſſon. Ovid. vit. p.* 34. *Apud Etruſcos originem invenit.* Plin. viii. 48. Lucill. Sat. 1.

> *Prætextæ, ac tunicæ Lydorum opus ſordidum omne.*

Flor. 1. 5. 6. *Inde*, a Tuſcis, *prætexta*. Quod & ſentire videtur Strab. v. p. 152. *Ajunt & triumphales, & conſulares, ac omnium fere magiſtratuum ex Tarquiniis huc delata.* Bayſ. & Ferrar. l. l. Auguſt. de Leg. in lege Julia. Hac uſi ſunt 1. magiſtratus omnes tam Romæ, quam in coloniis, & municipiis, imo & collegiorum, ac vicorum magiſtri. Liv. xxxiv. 7. *Purpura viri utemur: prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis; liberi noſtri prætextis purpura togis utentur: magiſtratibus in coloniis, municipiisque, hic Romæ infimo generi magiſtris vicorum togæ prætextæ habendæ jus permittimus; nec ut id vivi ſolum habeant inſigne, ſed etiam ut eo cremantur.* Et quidem ædiles. Dion xxxvi. p. 864. B. *Antequam legeretur ſenatorem illum civium περιπόρφυρον ἱμάτιον habuiſſe, tunc omnes in Marcellum oculos conjecimus: is enim tum ædilis fuerat.* De ædilitate Appii Claudii Cicer. ad Fratr. ii. 12. *Togam jam ejus prætextam, quam erat adeptus Cæſare conſule, magno riſu hominum cavillatus. Quod nolit, inquam, renovare honores eoſdem, quominus togam prætextam interpolet quotannis, decernendum nihil cenſeo.* Ferrar. ibid. c. 2. Briſſon. Ant. Select. iii. 15. Cenſores, qui erant veluti in apice, & culmine dignitatis conſtituti. Athen. xiv. p. 660. C. *Apud Romanos & cenſores, maximus vero is magiſtratus eſt, prætextam induti, coronaque redimiti, ... mactabant.* Bayſ. l. l. Sed ego illis prætextam ... dico, ... ubi mortuorum ornamenta narrat, & illa ipſa perſequitur, quæ viventes habuerant, conſulibus, & prætoribus togam purpura circumdatam, id eſt, prætextam; cenſoribus vero non prætextam tribuit Polyb. vi. 51. V. illum ſupr. in *Imago*. Manut. l. l. Ferrar. ibid. c. 4. Conſules. Conſilio Bruti *prætexta candida conſuli relicta prenſa erat.* Dionyſ. iv. p. 268. Unde Cicer. poſt redit. in Senat. c. 5. *L. Lamiam, equitem Romanum, præſtanti dignitate hominem, & ſaluti meæ pro familiaritate, Reipublicæ pro fortunis ſuis amiciſſimum, conſul imperioſus Urbe exire juſſit: & cum vos veſtem mutandam cenſuiſſetis cunctique mutaſſetis, atque idem omnes boni jam ante feciſſent; ille unguentis oblitus, cum toga prætexta, quam omnes prætores, ædileſque tum abjecerant, irriſit ſqualorem veſtrum.* . . . Nec contenti fuere ſub Principibus conſules toga *prætexta* ſimplici, ſed, ut ſolet, magis ad ſuperbiam prolabente tempore, etiam togam ſibi ſumpſere pictam, antea triumphantibus ſolis conceſſam. Lamprid. in Alex. Sev. c. 40. V. illum infr. in *Toga palmata*. Bayſ. & Manut. l. l. Faber ad tit. ii. de Orig. jur. p. 180. Lycklama de Magiſtrat. c. 7. Dictatores, qui intra Urbem non in alia veſte, quam *prætexta* fuere. Sulla depoſita dictatura, & ejus inſigni toga *prætexta*, togæ communi, id eſt, puræ ſe reddidit. Senec. de Clem. 1. 12. *Deſcenderit licet dictatura ſua, & ſe togæ reddiderit.* Quod de ſe Cæſar ait apud Lucan. vii. 267.

> *Ipſe ego privatæ cupidus me reddere vitæ,*
> *Plebejaque toga modicum componere civem.*

Ferrar. ibid. c. 3. Duumviri. Liv. xxxiv. 7. V. illum modo laudatum. *Panciroll. de Magiſtr. municip. c.* 8. Præfecti prætorio. Sejano eam dat Dion lviii. p. 628. A. *Quem ante περιπορφύρῳ ἱματίῳ ornaverant, ad ſupplicium duxerunt.* De eodem Juven. x. 99.

> *Hujus, qui trahitur, prætextam ſumere mavis?*
> *An Fidenarum, Gabiorumque eſſe poteſtas.*

Ferrar. l. l. Prætores, qui illam Kalend. Januar. in Capitolio, ſollennibus votis nuncupatis, una cum cæteris inſignibus accipiebant. Appian. de Bell. civ. ii. p. 504. *Cinna prætor ingreſſus in medium prætextam exuit, quaſi contemnens a tyranno datam.* De prætura Cæſaris Suet. c. 16. n. 2. *Ac nihilominus permanere in magiſtratu, ac jus dicere auſus, ut comperit paratos, qui vi, ac per arma prohiberent, dimiſſis lictoribus, abjectaque prætexta domum clam refugit.* Briſſon. Ant. Select. iii. 15. Sigon. de Judic. 1. 7. Bayſ. & Ferrar. l. l. Pitiſc. in Suetonium. Eam deponebant, antequam damnationis ſententiam pronuntiarent, quia triſtem ſententiam in veſte lætitiam præferente ferri non decebat. Val. Max. ix. 12. 7. *C. Licinius Macer repetundarum reus, cum M. Ciceronem,* qui tum prætor erat, & *id judicium cogebat, prætextam ponentem vidiſſet, miſit ad eum.* . . . Pollet. For. Rom. iii. 6. Sigon. ibid. p. 22. Bud. in Pandect. p. 253. B. Laz. Comm. Reip. Rom. ii. 3. Manut. Ferrar. & Pitiſc. l. l. Et perverſam inducebant, id eſt, partem illius floridiorem, ac nitidiorem introrſus

ſus ad ſe vertebant; mœroris ſignificandi gratia. Senec. de Ira I. 15. *Etſi perverſa induenda magiſtratui veſtis.* Et hoc erat ſignum imminentis damnationis. *Muret. in Senecam. Laurent. de Rebuſp. c. 6. Kipping. Antiq. Roman.* IV. 5. 4. Hæreo, an aſſentiar Mureto, etſi acute, ad vocem aſpicienti, & adhærenti. Sed puto ſimplicius, veriusque, prætorem, & qui judicio præſidebat, jam ſententiam laturum, poſuiſſe *prætextam*: & in tunica ſententiam tuliſſe, vel etiam in alia toga, ſordida, & pullata. Et ſane *perverſus* non eſt *inverſus* ſimpliciter, ſed male, & præpoſtere verſus, immutatus. Itaque *perverſa veſtis*, indecora, aliena magiſtratui: qualis eſt ſervilis, aut funeſta. *Lipſ. in Senecam.* Quaſi fuerit aliqua toga ſervilis, aut *perverſa veſtis* aliud ſignificare poſſit quam *inverſam*: Sed Lipſius, cum poteſt, libenter obloquitur Mureto. *Ferrar. l. l.* Reg. 5. Romulum ipſum *prætexta* uſum eſſe ſcribit Plutarch. in Romul. p. 3[illegible]. A. *Induebatur tunica purpurea, & geſtabat togam prætextam.* Negat, & eam primo Tullum Hoſtilium geſſiſſe affirmat Plin. IX. 39. V. illum ſup. in *Curuli ſella.* Ferrar. & Bayf. l. l. Senatores. Unus eſt locus Ciceronis, quem cum legerem, adductus ſum in hanc opinionem; ſic tamen, ut affirmare non audeam. Eſt Philipp. II. 43. *Neſcis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? te autem ipſum ad populum tuliſſe, ut quintus præterea dies Cæſari tribueretur? cur non ſumus prætextati? cur honorem Cæſaris, tua lege datum, deſeri patimur?* Cum dixit: *cur non ſumus prætextati?* dixiſſe autem videtur de toto ſenatu: ſiquidem in ſenatu loquebatur. Id autem ſignificavit: cur quintum ludorum Romanorum diem attributum Cæſari tua lege *prætextati* non celebramus, ut et reliquos quatuor? Quod ſi ita eſt: conſiderandum, an reliquis quoque publicis ludis ordini ſenatorio *prætextam* ferre licuerit: fortaſſe enim proprium hoc fuerit [illegible] Romanorum. Nam ſi commune omnium ludorum fuiſſet, Pompejo Magno, ex Mithridatico bello revertenti, honoris cauſa tributum non eſſet, ut iis ſcenicis ludis *prætexta* uteretur. *Manut. l. l.* Non fuiſſe ſenatorum propriam ſatis oſtendit, quod, ut Dio, [illegible] in luctu depoſita *prætexta*, in veſte ſenatoria manſerit. Quidam ergo exiſtimant, id dixiſſe Ciceronem, quia augur erat, cumque etiam Antonius eodem ſacerdotio præditus eſſet, habuiſſe tunc jus *prætextæ*. Quod ut verum ſit, ita opus eſſet oſtendere, augures non niſi ludis jus *prætextæ* habuiſſe, cum tamen eos perpetuo geſtaſſe *prætextam* cum reliquis ſacerdotibus credi poſſit. Itaque puto, Antonium, cum legem ferret de addendo die quatuor diebus ludorum, tuliſſe etiam ad populum, ut in majorem Cæſaris honorem ſenatus *prætextatus* ſpectaret. Vel certe, quod credit Manutius, forte hoc proprium fuit ludorum Romanorum, ut *prætextati* ſenatores ſpectarent: nam reliquis ludis non licuiſſe inde conjicit, quod Pompejo Magno ex Mithridatico bello revertenti honoris cauſa tributum fuerit, ut ſcenicis ludis *prætexta* uteretur. Unde id acceperit, neſcio. Dio hoc non habet, ſed decretum fuiſſe, ut in omnibus feſtis lauream geſtaret, *in iisque omnibus paludamentum ferret, veſtem autem triumphalem in equeſtribus certaminibus indueret.* Στολὴν ἀρχικὴν rectius *prætextam* vertens, nam, cum de habitu urbano loquatur, ςολὴ ἀρχικὴ eſt toga *prætexta*. Paterc. II. 40. 4. *Abſente Cn. Pompejo T. Ampius, & T. Labienus tribuni plebis legem tulerunt, ut is ludis circenſibus corona aurea, & omni cultu triumphantium uteretur, ſcenicis autem prætexta.* Non fuiſſe *prætextam* ſenatorum indicat Dion LI. p. 459. C. cum ait, inter reliquos honores Auguſto decretos fuiſſe, ut ſenatores Actiacæ victoriæ ſocii *prætextati cum eo triumpharent.* Senatores tamen *prætextatos* fuiſſe videtur indicare Prop. IV. 1. 11.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu
Pellitos habuit ruſtica corda patres.

Sed a parte nobiliori totum ſenatum *prætextatum* appellavit, quod in eo magiſtratus omnes *prætextati*: ſive quod eſt ſimplicius, ſenatores *prætextati* dici poterant, quorum tunica latis clavis purpureis *prætexta* erat, quanquam proprie hæc vox de toga uſurparetur. *Ferrar. ibid. c. 4. & Anal. c.* 28. Tribuni plebis non uſi ſunt. Plutarchus enim Quæſt. Rom. 80. ubi tribunum plebis magiſtratum eſſe negat, hoc utitur argumento, quod *prætextam* non habuerit. *Manut. l. l. Ruben. de Re veſt.* I. 8. Cicero tamen pro Cluent. c. 40. tribunitiam *prætextam* innuiſſe videtur, cum de Quintio tribuno plebis ait: *Facite, ut non ſolum mores ejus, & arrogantiam, ſed etiam vultum, atque amictum, atque illam uſque ad talos demiſſam purpuram recordemini.* Manutius togam purpuream intelligit, ſed quis unquam tribunis talem togam adſcripſit? Alii de tunica intelligi volunt, quod nempe tunicæ ſenatorum fuerint purpureæ. Hoc falſum eſt. V. infra in *Senator.* De *prætexta* omnino capiendum eſſe Ciceronem docet Quintil. V. 13. *Alia*, inquit, *reſpondendi patronis ratio, & aliquando tamen eorum non oratio modo, ſed vita etiam, vultus, denique inceſſus, habitus recte incuſari ſolet: ut adverſus Quintium Cicero, non hæc ſolum, ſed ipſam etiam prætextam demiſſam ad talos inſectatus eſt.* Malumus ergo Romano homini, & antiquiori, tribunos *prætextatos*, quam Græco, & non ſemel aliquid humani paſſo, credere. Neque tamen Cicero ideo Quintium reprehendit, quod *prætexta* talari uteretur, nam omnes ea ætate togæ talares fuerunt: ſed quod cum alii paullo ſupra imam togæ oram purpuram circumtectam geſtarent, ſuperbus ille, & latiorem, & talos ipſos perfundentem induerit. Nec dubie tribunitiam *prætextam* intellexit Appian. de Bell. civ. IV. 643. cum *ſacram veſtem* appellat. Ubi Caſſius in oratione ad milites ait: *Tribunis a Cæſare ſacrum magiſtratum, & ſacram veſtem ademptam fuiſſe.* Nam paullo infra veſtem proconſulum, id eſt, *prætextam* appellat ſacram purpuram. Ut alibi Cæſaris pontificis maximi veſtem ſacram appellat, quæ *prætexta* fuit. *Ferrar. l. l.* II. Mulieres nonis Caprotinis. Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificant: & ſub caprifico faciunt, & e caprifico adhibent virgam: ob hoc toga prætexta data eis.* Manut. l. l. III. Puellæ, donec nuberent. Cicer. Verr. I. 40. *Eripies pupillæ togam prætextam.* Hinc *prætextatæ* dicuntur. Catull. LXI. 181. V. illum ſupr. in *Nupta.* Apud illum enim & *prætextatæ* legitur. Prop. IV. 12. 33.

Mox ubi jam facibus ceſſit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Feſtus: *Nubentibus, depoſitis prætextis, a multitudine puerorum obſcœna clamabantur.* Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 2. Boſſ. de Toga c. 11. Rævard. de Div. reg. jur. 11. Ferrar. ibid. c. 1. Manut. l. l. IV. Pueri. Cicer. Verr. I. 58. *Neque te tam commovebat, quod cum toga prætexta, quam quod ſine bulla venerat.* Phil. II. 18. *Teneſne memoria, prætextatum te decoxiſſe? ſumpſiſti virilem, quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti?* Manut. & Laz. l. l. Salmuth in Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 294. Robortell. de Grad. hon. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. (43.) A. Boſſ. l. l. Originem deſcribit Macrob. Saturn. I. 6. *Prætextam illo ſeculo,* Tulli Hoſtilii, *pueriles non uſurpabat ætas: erat enim honoris habitus. Sed poſtea Tarquinius Demarati exſulis Corinthii filius Priſcus de Sabinis egit triumphum, quo bello filium ſuum annos quatuordecim natum, quod hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudavit, & prætexta donavit, inſigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis, & honoris. Hinc deductus mos, ut prætexta in uſum puerorum nobilium uſurparetur; ad omen, & concilianda vota virtutis ei ſimilis, cui primis in annis ceſſerat.* Panciroll. ibid. p. 291. Laz. l. l. Eam quando depoſuerint V. infr. in *Toga virilis.* V. Sacerdotes. *Prætextas* purpura togas ſacris adhibitas indicat Plin. IX. 36. cum ait: *Purpura diis placandis advocatur.* Tacit. Annal. II. 14. 1. *Vidit ſe operatum, & ſanguine ſacro reſperſa prætexta pulcriorem aliam manibus aviæ Auguſtæ accepiſſe.* Ubi tamen Germanicus *prætextatus* non tantum, quia augur, ſed ut exercitus Imperator, & proconſulari poteſtate. Quare non recte Lipſ. ad Tacitum notat, *prætextæ* uſum in ſacris fuiſſe, ita tamen,

men, ut fuerit tantum sacerdotum. Nam consules, prætores, alii magistratus, cum sacra facerent, erant in *prætexta*, licet non essent sacerdotes. Verba Lamprid. Alex. Sev. c. 40. *Accepit etiam prætextam cum sacra faceret, sed loco pontificis maximi, non Imperatoris.* Nam cum scripsisset, Alexandrum adeo civili ingenio fuisse, ut licet Imperator *prætextam*, & pictam togam nunquam sumeret, nisi cum esset consul, subdit, adhibitam quidem ab eo *prætextam* in sacris, cum non esset consul, sed tunc non tanquam Imperatorem, sed ut pontificem maximum *prætextatum* fuisse. Quod si idem, cum esset consul, sacrificasset, jure magistratus prætextatus fuisset, etiam citra pontificatum maximum. *Ferrar. ibid. c. 2. Manut. & Laz. l. l.* Et in illis Augures. De Lentulo Spintheris filio augure creato Cicer. pro Sext. c. 69. *Cui superior annus idem & virilem patris, & prætextam populi judicio dedit.* ad Attic. II. 9. Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ *vestiant.* Ferrar. ibid. c. 2. Manut. l. l. Decemviri. Liv. XXVII. 37. V. illum supr. in *Juno Regina.* Pontifices maximi. v. Lampridium modo laudatum. *Manut. l. l.* VI. Triumphantes. *Prætexta* non omni tempore inter vestes fuit triumphales. Tacit. Annal. XII. 41. 3. *Et ludicro Circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque præsumeret.* Plutarch. in Mar. p. 412. E. *Peracto triumpho indixit senatum Marius in Capitolium, atque sive sui oblitus, sive fortuna elatus, adfuit triumphalium veste. Mox vero senatum id ægre ferre sentiens abiit, assumptaque statim prætexta reversus est.* Bayf. l. l. Interdum tamen etiam triumphantibus tribuitur. Val. Max. V. 5. 1. *Itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit, alterum dedit: triumphique prætextam hujus excepit, illius tradidit.* VII. 1. 1. *Speciosissimi triumphi prætextam largita sua indulgentia Metello Macedonico.* Pollet. For. Rom. III. 6. Bud. in Pandect. p. 252 Mod. in Liv. XXXI. 11. *Prætextæ* triumphalis mentio fit etiam apud Suet. Tib. c. 17. n. 6. *Triumphum ipse distulit, mæsta civitate clade Variana. Nihilominus Urbem prætextatus, & laurea coronatus intravit.* Sic intelligitur Cicer. ad Attic. VI. 1. *Magnus prætextatus illo die fuit.* pro Mur. c. 5. *Cum sedere in equis triumphantium prætextati potissimum filii soleant.* Equidem si divinare licet, fuisse pallii genus existimo, cum lata fimbria anterius *prætexti*, & gemmiferi, quo indutos in veteribus numismatibus inclinantis imperii Augustos observavimus, Valentinianum, Theodosium, Honorium, Arcadium, Zenonem, Leonem & Anastasium: haud multum diversæ figuræ ab his mantellis, sive cappis, quibus & hodie Augusti inaugurantur. *Laz. l. l.* Adde Salmas. ad Vopisci Aurel. p. 57.

PRÆTEXTATUS *cognomentum inditum est Papirio puero, ob tacendi, loquendique in prætexta ætate prudentiam, qui cum parente suo in curia fuerat, ut tunc mos erat senatoribus in curiam cum prætextatis filiis introire. Hic, cum mater compressius, & violentius quæreret, quidnam in senatu egissent patres, lepidi, atque festivi mendacii consilium cepit, & actum in senatu dixit, utrum videretur utilius, magisque e Republica esse, unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset.* Macrob. Saturn. I. 6. *Manut. de Senat. Rom. c. 1. Sigon. de Nomin. Rom. c. 5. Bayf. de Re Vest. c. 10. Bellor. Descr. sepulc. Nason. c. 5.*

PRÆTEXTUM dicitur ornamentum, vel insigne. Senec. Epist. 71. *Sed Cn. Pompejus amittet exercitum: sed illud præclarum Reipublicæ prætextum, optimates uno prælio profligabantur.* Ubi *prætextum Reipublicæ* est ornamentum Reipublicæ. *Prætexta* enim sunt ornaturæ vestium. Sic *prætextum honoris* pro insignibus magistratuum dixit Val. Max. VII. 3. *Quid illa necessitate miserius, quæ magistratum populi Romani, abjecto honoris prætexto, alienigenæ religionis obscuratum insignibus per Urbem jussit incedere.* *Prætextum honoris* dixit, quod in eadem re Græci τῆς ἀρχῆς πρόσχημα. *Prætextum triumphi* pro triumphi insignibus VII. 1. *Consulatus decus, imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextum sortita est.* hoc est, πρόσχημα τοῦ καλλίςου θριάμβου. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 46.*

PRÆTORES Regibus exactis fuerunt dicti consules. V. supr. in *Consules*. *Prætor* significat generatim eum, qui *præest*. Unde apud Gruter. Inscript. p. 318. n. 7. *prætor sacris Vulcani.* & p. 385. n. 1. *prætor Tiburtium.* Eandem sententiam firmat, quod Romani non videntur vocem hanc primi ex muneris ratione fabricati, sed, ut pleraque alia, ita hoc quoque nomen exemplo Latii populorum muneri indidisse. Nam plerosque horum hoc nomine suos vocasse imperatores e multis Livii locis cognoscimus. Imo Etruriæ quoque populos sic eos appellasse docuit Spartian. Adrian. c. 19. *In Etruria præturam Imperator egit.* Voss. Lex. Etymol. Collegæ consulis appellabantur, quoniam iisdem auspiciis creabantur. Liv. VII. 1. *Prætorem collegam consulibus, atque iisdem auspiciis creatum.* Gell. XIII. 15. *Ideo quod collegæ non sunt censores consulum, aut prætorum; prætores consulum sunt. His verbis colligans esse prætorem consuli docet Messala, quod eodem auspicio creantur.* Lips. de Magistr. Rom. c. 10. Sigon. in Livium. Omnium primus creatus est Sp. Furius M. F. Camillus anno ab U. C. 398. Liv. VII. 1. *Annus hic erit insignis novis duobus magistratibus, prætura, & curuli ædilitate. Hos sibi patricii quæsivere honores, pro concesso plebi altero consulatu. Plebes consulatum L. Sextio, cujus lege partus erat, dedit. Patres præturam Sp. Furio M. filio Camillo, ædilitatem Cn. Quintio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni, suarum gentium viris ceperunt.* Suidas in Prætor. *Furium Camillum Camilli dictatoris filium primum prætorem fuisse* scribit. *Panvin. in Fast. I. p. 107. Pigh. Annal. Rom. I. p. 262. Lycklama de Magistrat. c. 6.* Deinde hic honos plebi etiam communicatus est an. ab U. C. 417. & primus e plebe creatus est Q. Publilius Philo. Liv. VIII. 15. *Eodem anno Q. Publilius Philo prætor primum de plebe, adversante Sulpicio consule, qui negabat, rationem ejus se habiturum, est factus.* Panvin. & Lycklama l. l. Siccama de judic. centumv. I. 22 Pigh. ibid. p. 324. Consilium judicum cogebat, & propterea judex quæstionis, sive quæsitor vocabatur. *Bud. in Pandect. p. 36. D. 67. B. Manut. de Legib. Roman. c. 27. Hotman. Antiq. Roman.* II. 13. Qui errant: nec idem erat quæsitor, qui *prætor*. In judicio enim Cluentii *prætor* Q. Naso, quæsitor Q. Voconius: Oppianici *prætor* C. Verres, quæsitor, sive judex quæstionis fuit C. Junius. Nec est, quod ullus objiciat mihi Ascon. in Cicer. p. 190. ubi Domitium vocat quæsitorem semper, item & Torquatum. Nam *prætoris* loco sedebat tunc consul solus, cum vacaret magistratibus Respublica ob seditionem. Et idem per suam legem suffragio populi creari quæsitorem voluit ex consularibus viris Domitium. Tamen me offendit, quod ibidem *tribunal Domitii* vocat, cum tamen *prætor* pro tribunali sedere soleret, non quæsitor. Responde: cum Pompejus consul abesset, Domitium functum officio quæsitoris & *prætoris*. Nam Pompejus quo die exercebatur judicium illud, sedebat ad ærarium non longe a foro, ubi sedebant judices. Ascon. 83. Sed in hoc judicio Clodiano præter consuetudinem fuit, ut quæsitor a populo crearetur. *Robortell. de judic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* (15.) *C. Cerda in Virg. Æneid.* VI. 432. V. supr. in *Judex quæstionis*. Differebat a judice privato. V. supr. in *Judex privatus*. Sui copiam pro tribunali faciebat diebus judiciariis, seu sessionalibus, illorumque postulatoriis vacabat. V. Ulpianum supr. in *Dies postulatorii*. Siccam. de Judic. Centumv. II. 1. Summo mane in comitium, sive forum veniebat, atque in tribunali sella posita assidebat, & accenso, ut horam tertiam populo circumstanti inclamaret, imperabat. Varr. de Ling. Lat. V. illum supr. in *Accensus*. Mart. IV. 8. 2.

Exercet raucos tertia causidicos.

Tertia inclamata tum per accensum populum rogabat, num quis esset, qui apud se lege agere vellet, id est, qui jus posceret. Hoc præcepto audito accedebant, qui lege agere volebant. *Sigon. de judic.* I. 9. Illis I. aut exercebat consilium, id est, cum decemviris quinque senatoribus, totidemque equitibus Romanis in consilium adhibitis, de causis cognoscebat. Ulpian. l. 2. ff. de Offic. ejus cui

mand. jurisd. *Mandata jurisdictione a præſide conſilium non poteſt exercere is, cui mandatur.* II. aut præbebat conſilium, id eſt, cum minori manumittere volenti, & aliis omnibus, qui quid ſine conſilii ſententia prohibebantur facere, quique in integrum deſiderabant reſtitui, conſilium præbebat l. 4. §. 7. ff. de manumiſſ. vind. *Minor annis viginti lege Ælia Sentia manumittere ſine conſilio prohibetur.* III. aut indicebat conventum, hoc eſt, quæſtionem inter partes, non ſimplicis facti, ſed controverſi juris recludebat. Senec. de Benef. III. 7. *De quibusdam etiam imperitus judex dimittere tabellam poteſt, ubi feciſſe, aut non feciſſe probandum eſt, ubi prolatis cautionibus controverſia tollitur, ubi inter diſputantes ratio jus dicit. Ubi vero animi conjectura capienda eſt, ubi id de quo ſola ſapientia diſcernit, in controverſiam incidit, non poteſt ad hæc ſumi judex ex ordine ſelectorum, quem cenſus in album, & equeſtris hæreditas miſit.* Quæ recte ita interpretatur Rævard. Protrib. c. 11. in judiciis privatis, quæ facti ſolam inquiſitionem continent, judicem privatum dari poſſe; in iis vero, in quibus quid jure, vel injuria factum ſit, quærendum eſt, non poſſe judicem dari, ſed ſolenni conventu dirimi debere. *Siccam. l. l.* Aut ipſe judicabat, aut alterum judicare jubebat. V. ſupr. in *Juriſdictio.* Ejus juriſdictio fuit incluſa tribus verbis: *do, dico, addico.* Sigon. ibid. I. 7. Pro arbitrio judicem, aut recuperatores, aut centumviros, ſi poſtularentur, dabat, aut non dabat, prout in edicto propoſuerit. Unde Plaut. Bacch. II. 3. 36.

> *Poſtquam quidem prætor recuperatores dedit,*
> *Damnatus demum, vi coactus reddidit*
> *Ducentos, & mille Philippûm.*

Si dedit, dedit eos, qui ſalva lege dari potuerunt. Paull. ff. de Judic. Sed V. illum ſupr. in *Judex.* Dedit etiam in ea verba, quibus erant poſtulati. Hæc vero fuit formula quædam ab ipſis interti ne actionis, & conceptione ſponſionis accepta, & quidem hoc modo. *Eſto judex, & ſi paret, rem ita eſſe pronuntia.* Unde Feſtus: *Paret, quod eſt in formulis, ac ſui non gemino R. ſcribi, ut feret paret, quod eſt, invenitur.* Sigon. ibid. I. 24. Noodt de Juriſdict. & imper. c. 8. Judicibus tabellas dabat, &, ut ſententias ferrent, in conſilium mittebat. Cicer. pro Flacc. c. 39. *Cum tabella vobis, judices, dabitur, non de Flacco ſolum dabitur.* Aſcon. in Cicer. p. 77. *Mittere judices in conſilium eſt dimittere judices ad ſententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis orator dixerit, dixi.* & p. 65. Sed V. ſupr. in *Dixerunt.* Mittere autem & dimittere in conſilium judices erat jubere illos ad urnas ire, atque in eas tabellas ſententiam continentes conjicere. V Aſconium modo laudatum. *Sigon. de Judic. II. 22.* Illos inter Siculos lege Rupilia ſortito dabat inter illos, qui non eſſent ejuſdem civitatis. Cicer. Verr. II. 13. V. illam ſupr. in *Lex Rupilia.* Judicabat de majeſtate, perduellione excepto, de repetundis, de crimine inter ſicarios, de ambitu: non vero de vi, ut publica, ſic & privata; ſed judices dabat. Nam exiſtunt quædam controverſiæ de vi, quæ conſiſtunt in jure civili, ut ea pro Cæcina: in qua non *prætor*, ſed recuperatores, qui a prætore Urbis dabantur judices, judicarunt. Ergo de vi publica modo *prætor*, cui ea quæſtio obtigiſſet (is autem nec urbanus, nec peregrinus erat, ſed unus e reliquis ſex) modo judices a prætore dati cognoſcebant: dabat autem eos vel urbanus, ſi cauſa eſſet in jure civili, & ageretur inter cives, ut ea pro Cæcina: vel peregrinus, ſi ageretur inter peregrinos: vel unus de reliquis ſex, ſi cognitio a jure civili non penderet. De privata vero nunquam *prætor*, ſemper judices a prætore dati cognoſcebant, prætore autem vel peregrino, ſi res eſſet inter peregrinos: vel urbano, ſi civem civis in judicium vocaret, & in jure civili poſita cauſa eſſet; vel uno de reliquis, ſi de jure civili nulla eſſet conſideratio. *Manut. de Legib. c. 19. & 23.* Reo interdum gratificabatur. Liv. XLII. 22. *M. Popillius apud C. Licinium prætorem bis cauſam dixit: tertio prætor precibus victus Idibus Martiis juſſit adeſſe reum: quo die novi magiſtratus inituri erant honorem; ne diceret jus qui privatus futurus eſſet.* Sigon. l. l. Iniquus ſæpe exceptionem addere nolebat: qua de cauſa tribuni plebis appellari poterant. Cicer. Acad. Quæſt. IV. 30. *Poſtulat, ut excipiantur hæc inexplicabilia: tribunum aliquem cenſeo adeant, a me iſtam exceptionem nunquam impetrabunt.* Sigon. ibid. I. 24. Reum aut abſolutum, aut condemnatum referebat in tabulas. Cicer. Fam. VIII. 8. *Latis in conſilium eiſdem illos, qui lites æſtimarant, judices: cum æquo numero ſententiæ fuiſſent, Lateranenſis prætor leges ignorans pronuntiavit, quid ſinguli ordines judicaſſent: & ad extremum, ut ſolet, ait: referam. Poſtquam diſceſſit, & pro abſoluto Servilius haberi cœptus, legiſque unum & centeſimum caput legit, in quo ita erat: Quod eorum major pars judicavit, id jus ratumque eſto, in tabulas abſolutum non retulit, ordinum judicia perſcripſit.* Condemnatum pronuntiaturus prætextam ponebat. V. ſupr. in *Prætexta.* Tabellis, quæ in urnas conjiciebantur promiſcue, diremptis, ut numerus abſolventium, condemnantium, & amplantium judicum conciperetur, poſtquam judicum cognovit judicium, tum id pronuntiabat. Cicer. in Piſon. c. 40. *An ego expectem, dum de te quinque & ſeptuaginta tabellæ diribeantur, de quo jam pridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum judicaverunt?* ad Frat. III. 4. *Cato diremptis tabellis de circulo ſe ſubduxit.* Sigon. l. l. Inſignia, quibus ornabatur, fuerunt I. prætexta. V. illam ſupr. in *Prætexta.* II. ſella curulis, qua in publico, & privato loco ſedendi cauſa utebatur. De publico nemo dubitat. De privato cognoſcitur ex Val. Max. II. 5. 2. qui C. Flavium ædilem curulem, cum ad amicum ægrotum viſendum veniſſet, ſcribit ſellam curulem, quam ſecum habebat, inſediſſe in loco privato. III. Haſta, quæ inſigne fuit juriſdictionis. Quod apparet ex eo, quod cenſores quoque ea ſunt uſi, & cum vectigalia publica locarent, eam poſuerunt. Fuit itaque haſta ejus inſigne ad juriſdictionem, ut IV. gladius ad quæſtionem ſignificandam. Cyprian. Epiſt. 11. *Sævit invicem diſcordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit inſanum: haſta illic, & gladius, & carnifex præſto eſt.* Hinc Ulpian. ff. de poſtul. *Prætor utriſque luminibus orbatum pro aliis poſtulare prohibebat, quia inſignia magiſtratus videre & revereri non poterat.* Sigon. ibid. I. 7. Pollet. For. Rom. III. 6. V. Lictores, Suet. Jul. c. 16. n. 2. *Ac nihilominus permanere in magiſtratu, & jus dicere auſus, ut comperit paratos, qui vi, ac per arma prohiberent, dimiſſis lictoribus, domum clam refugit.* Qui duo ſaltem præcedebant prætorem, urbanum, & peregrinum. Docet nos hunc numerum plebiſcitum a M. Plætorio tribuno plebis latum apud Cenſor. de Die nat. c. 24. *Prætor urbanus qui nunc eſt, quique poſthac fiat, duo lictores apud ſe habeto.* Jocus Epidici apud Plaut. I. 1. 26.

> *At unum a prætura tua abeſt. . . .*
> *Lictores duo.*

Cicer. Agrar. II. 34. *Anteibant lictores non cum bacillis, ſed ut hic prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus.* Laz. Comm. Rom. Reip. II. 4. Lipſ. Epiſt. Cent. I. 5. Lycklama. Pollet. Sigon. & Broid. l. l. Taubm. in Plautum. Pitiſc. in Suetonium. Sex præceſſiſſe dicunt Appianus & Plutarchus laudati ſupr. in *Conſul.* Sed hoc referendum ad *Prætores* provinciales. De Verre Siciliæ prætore Cicer. Verr. V. 54. *Sex lictores circumſiſtunt valentiſſimi, & ad pulſandos, verberandosque homines exercitatiſſimi.* Eberlin. apud Taubm. Broid. Lipſ. & Lycklama l. l. Pigh. ibid. p. 266. VI. Scribæ, & accenſi. Uſus illorum, ut in tabulas actiones referrent: horum, ut citarent, & horam eſſe tertiam, aut meridiem admonerent. *Sigon. l. l.* Locus, in quo fuit jus dictum, fuit I. ſuperior, qui tribunal in comitio, atque in tribunali ſella curulis. De comitio Gell. XX. 1. *Inter eos dies trinis nundinis ad prætorem in comitium producebantur.* De tribunali, & ſella curuli Cicer. de Orat. I. 37. *Nobis in tribunali Q. Pompeji prætoris urbani ſedentibus.* Tacit. Annal. I. 75. 1. *Tiberius aſſidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret.* Siccam. ibid. I. 3. Sigon. l. l. II. inferior, & planus. V. illum ſupr. in *e Plano.* Moris tamen erat, ut quia poſt *prætorem* per regiones, vicosque

Urbis

Urbis ambulantem ſella veheretur, ut cum adeſſent, qui *prætoris* opera indigebant, in plano loco ſtatueretur, ut ita non ſtans, ſed ſedens *prætor* in tanta populi multitudine jus redderet. Suis ſumptibus edebant ludos. V. ſupr. in *Ludus.* Frequentius ſacra Bonæ deæ curabant. V. ſupr. in *Bona dea.* Juriſdictionem exercebant. V. ſupr. in *Jurisdictio.* Ferias vero compitales, quas, ut eſt apud Macrob. Sat. I. 4. indicebat, ubi indixerit, licet ignoretur, non tamen difficilis eſt conjectura, loco id elatiore eſſe factum Eſquiliarum, qui planitiei illi amphitheatri immineret, cui foro Veſpaſiani nomen, quæque media Urbe erat, & emporium rerum venalium. Huic autem editiori loco nomen datum *Praturæ præſentiſſimæ.* Vox enim *præturæ* hic non munus denotat *prætorium*; ſed ædificium *prætorum* proprium. Nec epitheton *præſentiſſimæ* adeo mirum videri debet, aut ſingulare, quum *prætura* a *præeſſe* dicta ſit apud Ciceronem: & *præſens* alias dicitur, quod *præeſt*, & *præſentiſſimum*, quod maxime *præeſt.* Unde ſequitur, *Praturam præſentiſſimam* ædificium aliquod fuiſſe uſibus *prætoris* maximi, qui urbanus fuit, deſtinatum. Forte ibidem & album fuit, in quo *prætor* urbanus in initio magiſtratus ſui edictum proponere ſolebat, ſecundum quod eo anno jus dicturus eſſet: & ſecundum quod a *prætore* quoque peregrino jus dici ſolebat, qui aliud edictum nullum proponebat. Album illud e gypſo muro inducto factum Suidas refert in voce Λεύκωμα. Tandem, quod & maxime probabile videtur, quum ultimis imperii Romani temporibus omnis *prætoris* urbani poteſtas, ac juriſdictio ad ſola ſpectacula reducta eſſet, cætera omni ejus auctoritate ad præfectos prætorio tranſlata: & ſola *prætorum* cura eſſet, ut e diverſis Symmachi liquet epiſtolis, feras e longinquis procurare regionibus in uſum amphitheatri, equoſque ad ludos circenſes; *Prætura præſentiſſima* ad majus amphitheatrum ille locus eſſe potuit, in quo *prætor* cum ædilibus, & quæſtoribus de ſpectaculis deliberabat: vel ubi tempori, loci, modi, cæteraque ad ſpectacula, ludoſque pertinentia indicabantur, aut ubi de iiſdem, deque eorum præparationibus, ac celebrationibus natæ lites diſceptabantur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 10. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 5. §. 4. Quæ erant cognitionis, ea poſtulationum die petenda erant: quo ſi non poſſent expediri, a *prætore* differebantur in diem cognitionis: dein pro tribunali ſuo quæque ordine cognoſcebantur, & terminabantur, auctore Serv. Æneid. II. 102. qui ita ſcribit: *In ordine dicebantur cauſæ propter multitudinem, vel tumultum feſtinantium, quum eſſet annus litium.* Juvenalis.

Exſpectandus erit, qui lites inchoat annus.

Hoc, præterquam ſi humanitas vellet, quod Seneca obſervat, ut *prætor* ab hoc ordine recederet, & longe venientem extra ordinem expediret: id enim indigitat Epiſt. 106. cum infit. *Dubitavi, utrum differrem te, an, donec ſuus iſti rei veniret locus, jus tibi extra ordinem dicerem. Humanius viſum eſt, tam longe venientem non detinere.* Huc reſpicit Sidon. Epiſt. IV. 6. *Si perſpicis a vero non diſcrepare querimoniam, tribue, quæſo, convincenti reformationem, peregrino celeritatem.* Sic in peregrino, & longe veniente. Idem in milite obſervat Juven. Sat. XVI. 35--50. *Noodt de Jurisdict. & imper.* I. 10. Quomodo pro tribunali conſederit & decreverit. V. ſupr. in *Conſilium.* Dies, quibus jus dixit, vocabantur faſti, qui illis jus fari, id eſt, dici poterat. V. illos ſupr. in *Dies faſti.* Quoto ætatis anno quis *præturam* petere potuerit V. ſupr. in *Ætas prætoria.*

Prætor Cerealis Duo enim Cereales a Julio Cæſare ſunt additi. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 56. Mihi crede, nullos unquam Romæ fuiſſe *prætores* Cereales, ſed ædiles Cereales. Locum Pomponii de Orig. jur. §. 32. male intellexit, cum ſcribit: *C. Julius Cæſares duos prætores, & duos ædiles, qui frumento præeſſent, & a Cerere Cereales conſtituit.* Nam Cereales non *prætores*, ſed tantum ædiles ſpectat. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * *

Prætor Conſtantinianus, a Conſtantino, Byzantium ſede imperii tranſlata, datus, & appellatus eſt. Hunc viginti millia follium, & quadraginta argenti libras inſumere juſſit. l. 5. C. Th. de prætor. Hic eſt *prætor* Conſtantinianus, qui alienantibus prædia minoribus decretum interponebat l. ult. C. de præd. minor. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 30.

Prætor fideicommiſſarius. V. illum ſupr. in *Fideicommiſſarius.*

Prætor fiſcalis ab Imperatore Nerva creatus eſt, *qui inter fiſcum, & privatos jus diceret*, ut ſcribit Pompon. l. 2. §. 32. ff. de orig. jur. *Hotoman. de Magiſtr. Roman.* I. *Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1879. *B.*

Prætor Flavius etiam a Conſtantino nuncupatus eſt. Hunc in ludos, & theatra viginti quinque millia follium, & libras argenti quinquaginta ad oblectandum populum impendere voluit: quæ ſumma eſt plus minus noſtrorum D. aureorum. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 30.

Prætor maximus ab initio dictator fuit dictus. Docet hoc Liv. VII. 3. *Ea religione adductus ſenatus dictatorem clavi figendi cauſa dici juſſit. Dictus L. Manlius Imperioſus, L. Pinarium magiſtrum equitum dixit. Lex vetuſta eſt priſcis literis, verbisque ſcripta, ut qui prætor maximus ſit, idibus Septembribus clavum pangat.* Panvin. Faſt. I. p. 70. Lipſ. de Magiſtrat. Roman. c. 17. Pigh. Annal. Roman. I. p. 83.

Prætor peregrinus, ut ſcribit Pompon. l. 2. §. 28. ff. de orig. jur. *eſt creatus propter magnam peregrinorum turbam, ut inter eos jus diceret: cum urbanus utriſque ſatisfacere non poſſet.* Eum reperio in Liv. Epit. XIX. an. 510. primum creatum fuiſſe, & peregrinum dictum, quod inter cives, & peregrinos jus diceret. Urbana juriſdictio ei, quæ inter cives, & peregrinos eſt, opponitur apud Liv. XXII. 35.. *Romæ juri dicundo urbana ſors Pomponio; inter cives Romanos, & peregrinos P. Furio Philo evenit.* Honoratiorem urbanam peregrina fuiſſe non obſcure ſignificant, Appian. de Bell. civ. II. p. 498. ubi ſcribit, Brutum & Caſſium *prætores* deſignatos inter ſe contendiſſe, uter juris inter cives dicundi provinciam obtineret. & Dion XLII. p. 195. B. ubi narrat *prætorem* Cæcilium indigne tuliſſe, quod Cæſar provinciam urbanam collegæ Trebonio dediſſet. Differentias inter utrumque reperio. I. quod, ut modo diximus, ſoli cives Romani agere apud urbanum poterant, peregrini non poterant. II. quod apud illum lege agebatur, apud hunc autem nequaquam. Itaque, ut eſt in Orat. pro Flacc. c. 21. cum Græcus homo *Heraclides a C. Plotio ſenatore mancipia quædam petiiſſet, & fore videret, ut judex ſumptus ſententiam ſecundum reum diceret, & ab eo judice abiit, & quod judicium lege non erat, cauſam totam reliquit.* Quod cum ita ſit, ſequitur cives Romanos neque ſuos liberos emancipare, neque alienos adoptare, neque ſuos ſervos manumittere, neque in jure cedere, neque bonorum poſſeſſionem, tutoremve civi Romano impuberi poſtulare apud eum potuiſſe: denique, ut rem uno verbo complectar, legis actionem eum non habuiſſe. Falſum eſt, quod quidam ſcribunt, eum de pecuniis repetundis quæſiiſſe. Nam locus Aſcon. in Cicer. p. 145. quo ſolo argumento nituntur, longe alio pertinet. Scribit enim Antonium, cum magiſtratum adhuc nullum obtinuiſſet, ſed *equitum turmas de Syllano exercitu nactus eſſet, Græcos ſpoliaſſe: ideoque ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter Græcos dicebat, a Græcis in jus eductum eſſe.* Non igitur repetundarum judicium illud erat, ſed injuriarum potius: quæ cum atrociores eſſent, dignæ viſæ ſunt, de quibus *prætor* ipſe inter cives, & peregrinos homines Græcos cognoſceret. III. quod *prætor* urbanus edictum in albo proponebat, quibus de rebus jus anno ſuo dicturus eſſet: cum alter nuſquam, quod ſciam, legatur propoſuiſſe: ſed, ut opinor, ex urbano edicto jus dicebat. *Hotoman. de Magiſtr. Roman.* I. *Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1877. *D. Sigon. de Judic.* I. 7. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1100. *A. Blond. Triumph. Rom.* III. *p.* 17. *B. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 263. *Lat. de Magiſtrat. Roman.* I. 24. *Flocc. de Poteſt. Roman.* II. 19. *Prevot. de Magiſtrat. Roman. c.* 7. *Lycklama de Magiſtrat. c.* 6. Cæteroquin tamen eodem jure, ſeu poteſtate erat uterque,

quæ, adeo ut peregrinus rescindere, & abolere aliquando posset, quod urbanus constituerat. Cicer. Verr. I. 46. *Et cum edictum totum eorum arbitratu, quamdiu fuit designatus, componeret, qui ab isto jus ad utilitatem nundinarentur: tum vero in magistratu contra illud edictum suum sine ulla religione decernebat.* *Itaque L. Piso*, qui ad id tempus erat *prætor* peregrinus, *multos codices implevit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter, atque ut edixerat, decrevisset. Quod vos oblitos esse non arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto prætore solitus sit convenire, quem iste collegam nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro, sed eo leviores istius injuriæ videbantur, quod erat in æquitate, prudentiaque Pisonis paratissimum perfugium: quo sine labore, sine molestia, sine impensa, etiam sine patrono homines uterentur.* Hoc etiam fine M. Cælius Rufus sellam suam apposuit Trebonii sellæ. Cæs. de Bell. civ. III. 20. *Iisdem temporibus Romæ M. Cælius Rufus prætor, causa debitorum suscepta, initio magistratus tribunal suum juxta C. Trebonii prætoris urbani sellam collocavit, & si quis appellasset de æstimatione, & de solutionibus, quæ per arbitrum fierent, ut Cæsar præsens constituerat, fore auxilio pollicebatur.* Lycklama l. l.

Prætor primus solebat vocari, qui primo loco populi suffragio factus renuntiabatur: quomodo creatum se non uno loco testatur Cicero, honori suo idipsum adscribens. Uti consul primus. V. illum supr. in *Consul*. Pigh. Annal. Rom. I. p. 264.

Prætor provincialis creatus est circa annum 519. Sicilia & Sardinia captis, atque in provinciarum formam redactis, quemadmodum Solin. c. XXI. & Liv. Epit. XX. prodiderunt. Sed Pompon. l. 2. ff. de orig. jur. *Capta Sardinia*, inquit, *mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi provincia, totidem prætores, quot provinciæ in ditionem venerant, creati sunt.* Hotoman. de Magistr. Roman. I. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1877. C. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 28. §. 2. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Lycklama de Magistrat. c. 6. Lips. de Magistrat. Roman. c. 10. Post autem moris fuit, ut cum armis tutandæ provinciæ viderentur, eo statim & consules, & *prætores* inito magistratu mitterentur. Tandem etiam institutum est, ut qui consulatu, aut *prætura* abiissent, eo cum summo imperio proficiscerentur: illique proconsules, sive proprætores appellarentur. *Hotoman. l. l.* Provincias vero sorte inter se dividebant Liv. XXXIII. 28. *Prætores provincias sortiti C. Fabricius Luscinus urbanam, C. Atinius Labeo peregrinam, C. Manlius Volso Siciliam, Appius Claudius Nero Hispaniam citeriorem, M. Porcius Lecca Pisas, P. Manlius in Hispaniam citeriorem adjutor consuli datur.* Panciroll. & Hotoman. l. l. Pigh. Annal. Rom. I. p. 267. Quo tempore magistratu abierint, significat Cicer. Verr. II. 6. *Qui simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romæ, & ad Urbem, antequam proficisceretur, quærere ipse secum, & cogitare cum suis cœpit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset.* Hotoman. l. l. Siccam. de Centumv. judic. I. 12.

Prætor triumphalis a Constantino institutus, & dictus est, a victoriis, quas sæpius obtinuerat Imperator. Hunc quindecim millia follium, & triginta argenti libras erogare præcepit. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 30.*

Prætor tutelaris primus a M. Antonino Philosopho est creatus. Capitolin. c. 10. *Prætorem tutelarem primus fecit, quum antea tutores a consularibus poscerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur.* Fuit dictus *prætor* tutelaris, quia Urbis tutelam habebat, sicut tutelares dii nuncupantur, qui oppida tuentur. Penes illum fuit tutelæ cognitio, & tutorum datio. Hoc ex l. 1. C. de tutor. vel curat. cognoscitur, & ex l. 2. C. quando mulier tutelæ officio fungatur his verbis: *Adito prætore, qui impertiendis tutoribus præsidet.* De *prætore* tutelari mentio est in inscript. Romæ, ad columnam Antonini:

L. AURELIO. VAL. PROCULO
AUGURI
PONTIFICI. MAJORI
QUINDECIMVIRO. SACRIS. FACIUNDIS
PONTIFICI. FLAVIALI
PRÆTORI. TUTELARI. . . :

*Castal. Var. Lect. c. 21. Hotoman. de Magistr. Rom. I. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1879. C. August. de Legib. ad Leg. Jul. de tutor. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 391. A. Lycklama de Magistrat. c. 6. Græv. ibid. Proleg. * * 4. Lips. de Magistrat. Roman. c. 10. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 87. D.*

Prætor urbanus primitus solus est creatus, qui civibus jus diceret, & inde urbanus dictus. Dictus est etiam major, sive maximus. Festus: *Prætorem majorem, inquit L. Cæsar, putat dici urbanum: cæteros minores.* Maximum prætorem dici *putant alii eum, qui ætatis maximæ; pro collegio quidem augurum decretum est, quod in salutis augurio prætores majores, & minores appellentur, non ad ætatem, sed ad vim imperii pertinere.* Liv. VII. 3. V. illum supr. in *Clavus annalis*. Creabatur comitiis centuriatis. Antequam jus diceret, proponebat album, de quo supr. in *Prætor*. Hoc inito magistratu, habita concione, & juratus in leges faciebat. Cicer. de Fin. II. 22. *Quid enim mereris velis jam, cum magistratum inieris, & in concionem ascenderis (est enim tibi edicendum, quæ sis observaturus in jure dicendo, & fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de majoribus tuis, & de teipso dices more majorum) quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse.* Juris dicundi munus tribus continebatur verbis. V. illa supr. in *Do*. Absente consule consulare sustinebat munus. Cicer. Fam. X. 12. *Placuit nobis, ut statim ad Cornutum prætorem Urbis literas deferrem, qui quod consules aberant, consulare munus sustinebat more majorum.* Collegii consulis dicebatur. V. supr. in *Prætor*. Judiciis centumviralibus præerat postremis temporibus. Plin. Epist. V. 21. 5. *Hæc facto Nepotis commotus prætor, qui centumviralibus præsidet.* Val. Max. VII. 7. 5. *Egregia quoque C. Calpurnii Pisonis prætoris urbani constitutio. Cum enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adolescentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset, bonorum adolescentis possessionem ei dedit, hæredesque lege agere passus non est.* n. 7. *Multo Q. Metellus prætorem urbanum severiorem egit, quam Orestes gesserat, qui Vetilio lenoni bonorum Juventii possessionem secundum tabulas testamenti non dedit.* Quod si in prætoris urbani potestate fuit querelam inofficiosi testamenti, bonorumque possessionem dare, vel negare, quæ apud centumviros petebantur, certe probabile est centumvirali judicio præfuisse. *Siccam. de centumv. judic. I. 12. Hotoman. de Magist. Roman. I. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1876. D. Bud. in Pandect. p. 66. Ir. Prevot. de Magistr. Roman. c. 7. Pigh. Annal. Rom. I. p. 263. Blond. Rom. Triumph. III. p. 57. B. Volaterr. Comment. Urban. XXX. p. 1100. A. Flacc. de Potest. Roman. II. 19. Lætus de Magistr. Roman. I. 24.* Etenim in Italicis municipiis jurisdictionem exercuit. Testis est Ulpian. l. 4. §. 3. de damn. inf. Est etiam auctor Gell. X. 3. *majores populi Romani magistratus non ea solum quæ jurisdictionis erant, in municipiis Italicis facere potuisse, sed etiam quæ erant imperii.* Quod ipsum ad edictum I. videtur Paulus quoque tradidisse, & simul definivisse, quid urbis, quid item Romæ appellatione contineatur l. 2. de verb. signif. Eodem enim scripsit Paull. l. 26. ad municipal. *Magistratibus municipalibus non permitti in integrum restituere, aut in possessionem mittere rei, vel dotis servandæ, vel etiam servandorum legatorum causa.* Et idcirco a præside in provinciis, aut si vicinum urbi Romæ esset municipium, a *prætore* cognita causa in possessionem mitti solet non a magistratu municipali l. 4. §. 7. eod. tit. tum quod ea, quæ magis imperii sunt quam jurisdictionis municipalis magistratus facere non potuit l. 26. d. & l. 4. de jurisd. tum etiam quod in possessionem missio sollennem requirat causæ pro tribunali cognitionem, sive decretum l. 4. §. 2. de damn. infect. Quo fit, ut & *prætoris* requireret præsentiam. *Ubicunque* enim *sollennis causæ cognitio non est, ibi prætor desideratur.* Et sic ad edictum l. scripsit Paullus. *Ravard. de Div. reg. jur. CV. Turneb. in Cicer. de Leg.*

Leg. III. *p.* 181. Cogebatur in Urbe manere, neque durante magistratu plus quam decem dies abesse poterat. Hoc equidem colligo ex Cicer. Phil. II. 13. ubi M. Brutum, qui *prætor* urbanus tum erat, M. Antonio consule referente, legibus dicit solutum fuisse, si ab Urbe plus quam decem dies abfuisset. *Pigh. l. l.* Primus fuit Camillus, creatus an. 388. Liv. VII. 1. *Annus hic fuit insignis novi hominis consulatu, insignis novis duobus magistratibus, prætura, & curuli ædilitate. Hos sibi patricii quæsivere honores pro concesso plebi altero consulatu: patres præturam Sp. Furio M. F. Camillo dederunt.* Sigon. de Centumv. judic. I. 12.

PRÆTORIA cognatio. V. illam supr. in *Cognatio.*

PRÆTORIANI faciunt dicti milites, qui ad *prætorium*, & ad aulam pertinebant, unde etiam aulici dicti sunt & *prætoriani*. Plutarch. in Galba, ut aulam & *prætorium* custodirent. *Huber. Comm.* II. *de Prætor. c.* 9. Falsum est, *prætorianos* milites proprie, ut aulam Cæsarum custodirent, fuisse institutos, & ex ea ita nominatos. Nam si maxime a vocabulo *prætorium* nomen accepissent, debuissent vel sic non ab aula Augusti in Urbe, sed a castrensi ejus tabernaculo id accepisse. Nec enim in Urbe jam degens, Republica ordinata, eos milites instituit, ut palatium custodirent: sed ex castris, & bellis civilibus, quum Rempublicam constituere vellet, secum eos in Urbem induxit, ut se in illis maxime initiis firmandæ monarchiæ tuerentur. Porro plures unius ducis *prætorias* cohortes (quum in libera Republica singuli duces habuissent singulas, sicut patet ex prælio Mutinensi) non primus, aut solus Augustus, sed triumviri sibi jam videntur instituisse, quum oppressissent Rempublicam, Cassiumque, ac Brutum vicissent, quia multum illi eminere statim volebant super reliquos exercituum duces. Patet id ex Appian. de Bell. civil. V. p. 672. *Dimiserunt* Antonius & Octavianus post prælium Philippense, *ex militia illos, qui justum tempus militaverant, præter octo millia hominum, quos rogantes, ut sibi diutius liceret sub iis militare, receperunt, ac descripserunt in prætorias cohortes*, ἐς στρατηγίδας τάξεις. Observa numerum, & tempus, & disce jam extra Romam, antequam unus rerum potiretur Augustus, habuisse triumviros στρατηγίδας τάξεις, & magno numero *prætorianos* milites. Etiam Octavia Augusti soror dicitur apud Plutarch. in Anton. adduxisse ad eum ex Italia *duo millia selectorum militum in supplementum prætoriarum cohortium*, εἰς στρατηγικὰς σπείρας. Hos ergo Augustus vel statim post oppressam Rempublicam, & victas Pompejanæ factionis reliquias a triumviris, vel quum jam solus rerum potiretur in Urbem ipsam induxit. Potuerant quidem a palatio custodiendo, æque ac alii aulici, appellari per significationis analogiam palatini, atque ita etiam a *prætorio prætoriani*, sicuti a Plutarcho dicuntur ab aula aulici; sed tum usus, tum historia illarum cohortium, & militum, ut qui jam fuerant penes Augustum, antequam in Urbe essent, & denique analogia derivationum aliter se rem habuisse declarant. Nam sicut Germaniciani dicebantur Germanicarum cohortium, seu Germanici exercitus. Suet. Tib. c. 25. n. 3. Urbaniciani urbanarum cohortium. Spartian. Get. c. 6. imo sicut omnium legionum milites hac forma a nomine suæ legionis appellabantur: sic & *prætoriani*, ut erant proprie *prætoriarum* cohortium milites, ita ab illis *prætoriis* cohortibus nomen suum acceperant. Cohors autem *prætoria* neutiquam a *prætorio*, sed *a prætore, a quo non discedebat*, fuit dicta, teste Festo. Atque hinc Joseph. Ἀλώσ. VI *prætorianos* vocat *lectos homines, qui sunt circa prætorem*, ἐκλεκτοὺς περὶ τὸν στρατηγόν. Imo Suet. Aug. c. 49. n. 3. ut urbanarum cohortium milites *in Urbis custodiam*, sic *prætoriarum*, non in *prætorii*, aut palatii, sed *in sui custodiam* ab Augusto *allectos* ait. Analogia derivationum apud Latinos etiam huic sententiæ repugnat, quippe quæ a nominibus locorum in terminationem puram exeuntium format adjectiva in INUS desinentia, a nominibus vero hominum in IANUS. Sic enim a Palatio, Capitolio, Esquiliis, Palatinus, Capitolinus, Esquilinus: a Dyrrachio, Spoletio, Lanuvio, Aretio, Alexandria. . . . Dyrrachini, Spoletini, Lanuvini, Aretini, Alexandrini. . . . Quin si eam terminationem non ita commode ferret vocabulum, aut si κακοφωνία quædam ex eadem syllaba bis repetenda in isthac forma esset metuenda, maluere tunc Romani ad longe aliam potius, quam in illam & IANUS decurrere, ut proinde a Bononia, Tarquiniis, Lavinio, Iconio.... quoniam κακόφωνον erat Bononini. . . . non tamen dixerunt Bononiani, sed potius Bononienses, Tarquinienses, Lavinienses, Iconienses. . . . Contra vero, quæ ab aliis hominibus, aut cœtu hominum formata, terminationem & IANUS in illis rejectam passim prætulerunt, veluti a magistratibus, *Præfectiani*, apparitores præfecti prætorio in Codice; a gentibus, seu familiis, *Æmiliani*, *Octaviani*, qui ex Æmilia, vel Octavia gente adoptati: a tribubus, quæ erant postremis temporibus simpliciter partes quædam civium Romanorum, *Fabiani*, homines tribus Fabiæ apud Aug. c. 40. n. 4. Sed imprimis hæc appellationis forma in militibus invaluit, & omnem obtinuit usum, adeo ut quicunque ea insigniuntur, semper vel a duce suo, vel ab aliquo militum corpore traxisse eam reperiantur. Sic *Cæsariani*, & *Pompejani* a ducibus suis. Sic omnium legionum milites vix unquam aliter, quam *Primani*, *Decumani*, *Vicesimani*, *Martiani*, hoc est, milites primæ, decimæ, vicesimæ, Martiæ legionis. Sic *Urbaniciani*, *Illyriciani*, *Germaniciani*, milites Urbani, Illyrici, Germanici exercitus. Ad hunc ergo modum etiam *Prætoriani* dicti sunt haud dubie, vel a *prætoriis cohortibus*, vel a *prætorio*, corpus militum *prætorianorum* significante. Pertinebant unice ad Imperatores, sive intra, sive extra aulam essent. Et quia Imperatorum habitatio erat aula, debuerunt, ut Imperatores custodirent, ad aulam excubias, & stationem agere, unde οἱ περὶ τὴν αὐλὴν στρατιῶται appellantur a Zosim. II. 9. & *stipatores ipsius imperii* apud Herod. II. 14. 10. *stipatores, qui custodiunt, & tuentur Cæsarum imperium* apud eund. VIII. 7. 20. *Perizon. Respons. ad Huber.* II. 9. & 13. In novem cohortes divisi ab Augusto, flos militum, robore, stirpe, domo eximii, nec capti nisi ex *Etruria, Umbria, vetere Latio, & coloniis antiquitus Romanis*, quod notavit Tacit. Annal. IV. 6. 5. Gloriabantur igitur hoc sanguine: & ideo Otho illis blandiens, & in concione alloquens: *Italiæ*, inquit apud Tacit. Hist. I. 84. 5. *alumni, & Romana vere juventus.* Nam legionibus aliis, exteri jam, & civitate donati, crebri miscebantur. Novem divisi fuisse: idque aperte Tacit. Annal. l. l. at decem scribit Dio LV. p. 565. A: Ita enim: *Custodes corporis Augusti*, prætoriani, *decem mille erant, atque ii in decem partes*, sive cohortes, *divisi.* Hæc dissonant: & fallitur Dio? An pro suo ævo dicit? Illud potest: hoc vix potest: quia ejus ævo (vixit sub Alexandro Severo, & prioribus) jam plures denis illis erant. Sub Vitellio *sedecim prætoriæ cohortes sunt scriptæ, queis singula millia inessent* teste Tacit. Hist. II. 93. 3. *Lips. de Magn. Rom.* I. 4. *Thys. de Magn. Rom.* I. *p.* 242. Quos Cæsar in custodiam, vel carcerem dabat, vinciebant, & custodiebant: imo omnia ad custodiam, & cædem istiusmodi reorum pertinentia peragebant. Hinc horum militum præfecto mandatum legimus apud Tacit. Annal. VI. 23. 4. *extractum custodia juvenem, Drusum, populo ducem imponeret, si arma a Sejano tentarentur.* Et Trajanus apud Plin. Epist. X. 65. 2. jubet ex provincia Plinii *ad præfectos prætorii sui mitti vinctum* hominem, ut illorum cura a militibus *prætorianis* servaretur. Notabile prorsus in hanc rem est exemplum Regis Agrippæ apud Joseph. XVIII. 8. ubi præfectus prætorio Macro ex custodia ad Imperatorem adducit quendam δέσμιον. Dein ipse Rex Agrippa ab eodem vincitur, & ab eodem præficiuntur custodiæ illius centurio, & milites, sed rogatu Antoniæ faciles, & humani. Porro servabatur Agrippa vinctus in Urbe ipsis in castris prætoriis; nam mortuo Tiberio literæ a Cajo Romam missæ dicuntur ad Pisonem præfectum Urbis, ut ipse, absente quippe adhuc Macrone prætorii præfecto, Agrippam transferret ἐκ τοῦ στρατοπέδου, hoc est, *ex castris prætoriis* scilicet, siquidem nulla alia erant Romæ, in domum, in qua habitaverat, antequam in vincula daretur.

retur. Atque ideo, ubi detectam refert Tacitus Pisonianam conjurationem, utramque ibi paginam faciunt milites, qui non alii sunt, aut esse possunt, quam *Prætoriani* Annal. xv. 55. 2. *Acciri reum jussit. Is raptus per milites.* Sed & cognitioni, ac quæstionibus tormentorum præerant præfecti prætorio, & tribuni, sicuti cædem ipsam exsequebantur centuriones cum globo militum, ut ex illa historia cuivis liquere potest. Ita & Paullus missus ex provincia Cæsaris Romam, non ad senatum, aut magistratus urbanos, sed ad Cæsarem, & proinde traditus cum aliis præfecto prætorii, & ab hoc catena alligatus militi *prætoriano*, necessario multum negotii, & consuetudinis, cum *prætorio*, seu *prætorianis* militibus habuit ad vinculorum suorum rationem iis declarandam. Phil. 1. 13. *Perizon. de Prætor. diss.* 1. §. 36: 11. §. 47. 48.

PRÆTORIUM propria, & prima significatione significat tabernaculum castrense, in quo Imperator tendebat: idque adeo, ut etiam quibuscunque magistratibus summo imperio instructis tribuatur, imo & exteris Regibus. Curt. v. 10. 12. *Nabarzanes cum Bactrianis militibus in vestibulo aderat prætorii*, quod erat in castris Darii Codomanni Regis Persarum. Justin. 11. 11. 15. *Sexcenti viri castra quingentorum millium irrumpunt, statimque Regis prætorium petunt.* Ratio: *prætores* dicebantur tum Romani exercitus Imperatores. Ascon. in Cicer. p. 80. *Veteres omnem magistratum, cui pareret exercitus, prætorem appellaverunt. Unde & prætorium tabernaculum ejus dicitur:* tum aliarum gentium duces. Nep. Alcib. c. 8. n. 1. *Cum apud Ægos flumen Philocles prætor Atheniensium classem constituissent suam: neque longe abesset Lysander prætor Lacedæmoniorum.* Hinc quicquid ab Imperatore denominare voluerunt, id vocabulis a *prætore* formatis expresserunt. Veluti *prætoria navis* est, in qua vehitur classi præfectus: *prætoria cohors*, quæ semper in prælio versabatur circa ducem, ejusque salutem unice tuebatur. *Perizon. de Prætor. diss.* 1. §. 9. *&* 14. *Pollet. Hist. For. Rom.* 1. 4. *Voss. Lex. Etymol. in Prætor. Alciat. in l.* 198. *de verb. signif. Spanhem. in Julian. Orat.* 1. *p.* 213. *a. Hugo de Milit. equest.* 111. 4. *Laurent. Polym.* iv. *Synops.* 3. *Lips. de Milit. Rom.* v. *dial.* 2. *Thys. Rom. Illustr.* v. *p.* 107. *Pitisc. in Curtium.* Area ampla erat, justum quadratum, cujus latera singula pedum ducentenûm. Grandis, & capax hæc metatio: ac par illi quatuor manipulorum, sive hominum quadringentorum octoginta. Et opus erat tanta I. quia ipse *prætor* pro se laxius paullo agere, & tendere debuit, quam caput aliquod e vulgo. II. quia ministri, aut comites illi plures, quos juxta se habebat. Inter ministros, lictores erant primo, & peculiares deinde servi ad varios ejus usus. Inter comites, honestiores multi amicitiæ causa, aut militiæ sponte eum secuti. Hi e contubernio prætoris, aut contubernales ejus dicebantur, quoniam eadem ista pedatura tendebant. V. supr. in *Contubernalis.* III. laxitate illi opus ad mulos & jumenta, quæ plura habebat, itemque ad supellectilem & vasa. Forma ejus fuisse videtur rotunda ex Varr. de Ling. Lat. iv. 32. *In cavædio si locus nullus relictus sub divo qui esset, testudo dicebatur, a testudinis similitudine: ut est in prætorio in castris.* Significat testudinea forma id fuisse, pæne in rotundum. Hac causa fortasse Josephus modo laudatus cum templo componit, quod templa plerumque rotunda: aut etiam, quod eminebat in mediis castris, ut in urbe aliqua templum. An quia & religio ibi, & pars sacrorum? certe augurale fuit, ubi sacrificare, & auspicari Imperator solet. Tacitus. V. illum in *Ara auguralis*, & *Augurale.* Tota igitur area, sive pedatura *prætorii* erat quaternum jugerum, seu potius versuum. *Versum autem dicunt centum pedes quoquoversus quadratum.* Lips. & Thys. l. l. Fuit in medio castrorum. Joseph. de Bell. Jud. 111. 3. *Intus castra vici spatiis interpositis diriment, mediaque rectorum tabernacula collocant, & inter hæc prætorium divum templo simulimum.* Quod si descriptionem Polyb. vi. 30. sequamur, secus se habet. Sed dicendum est, fieri potuisse, ut intra illud temporis spatium, quod inter Polybii, & Vespatiani ætatem intercessit, hac in re variatum sit. Videtur tamen Josephus cum Polybio conciliari posse, quoniam hic quoque *prætorium* in medio latititudinis locat, & pœne etiam in medio longitudinis, utpote non plus 250. pedes ab eo remotum. Turbat hic Livius, ubi ingressum Istrorum in castra Romana ad lacum Timavum describit. Ejus verba descripsimus supr. in *Portæ castrorum.* In illis *quæstorium forum, quintanamque* dubium movent. Significare enim videntur, quæstorium fuisse in quintana, vel proxime eam, ibidemque Istros paratas epulas invenisse. Quintana vero, secundum Polybium, erat via, quæ versus frontem castrorum quintos ordines excipiebat, omnesque alias vias decussabat. Ad quod dubium respondendum est, quintanam, quam hic Livius vocat, non esse viam illam, de qua Polybius loquitur, sed aream rerum venalium, *prætorio* proximam, quæ dicebatur quintana, a loco aliquo, qui in ea erat, ubi præda hastæ subjici, & distribui solebat. Conjectura nititur Suetonii loco supr. in *Portæ castrorum* laudato. Ubi quintana significat locum illum, quem Nero domi suæ destinaverat auctioni rerum illarum, quas ipse noctu circa vicos vagans effractis tabernis surripuerat. *Patric. Rei milit. Rom. p.* 9. *s.* 43. *Castrorum parte, quæ ad prospiciendum & dandum mandata erat commodissima* poni solitum scribit Polyb. vi. 25. Ex qua nimirum totus exercitus prospici, & voluntas Imperatoris omnibus facile innotescere posset. Significare ergo vult Polybius, locum istum præ aliis editum esse debuisse, quoniam situs ejusmodi efficit, non solum, ut alii omnes oculis ducis subjiciantur, & ab eodem vel per vexillum, vel cornua, & tubas celerrime mandata omnibus dari possint; sed etiam ut ipse Imperator undique conspiciatur, ejusque imperia, quocunque modo data, ab omnibus absque ulla mora accipiantur. Ob hanc causam igitur, cum Imperator militibus significare vellet, ut se ad pugnam pararent, non alio opus erat signo, quam vexillo rubri coloris juxta *prætorium* erecto, quod in loco humiliore, vel æquo positum, non potuisset ab omnibus conspici, præcipue vero ab iis, qui in extrema castrorum parte locati erant. Ad Imperatorem istud præcipue commodum inde redundabat, quod locus ille editus, utpote ventorum flatibus magis expositus, aerem salubriorem, & a gravi fœtore, qui vel ex sordibus exercitus, vel ex alia quadam causa nasci poterat, immunem haberet. Præterea faciebat hoc ad augendam majestatem Imperatoris, habere sedem in loco aliquo excelso, in quem cuncti oculos converterent. In eo igitur loco, quem ita elegerant, vexillum aliquod erigebant, ut omnibus constaret, ibi *prætorium* positum iri. Secundum illius enim normam, & mensuram tota castrorum metatio fiebat, adeo ut, exercitu in eum inducto locum, militum quisque sciret, in qua parte castrorum, & quam longe a vexillo, post quem, & in qua via (ordo enim iste semel receptus nunquam mutabatur) consistere deberet, & proinde haud secus ac si in urbem patriam ingressi essent, absque ulla confusione in suam quisque locum se conferebant. Vexillo in loco prætorii posito, spatium quadratum circa illud metiebantur, ita ut latera omnia ab eo centum pedes distarent. Dimensio ergo ista totum illud spatium perfecte quadratum efficiebat, cujus singula latera centum continebat pedes; tota vero area quatuor plethra implebat. Et hæc faciebant perfectum quadratum, cujus singula latera erant pedum ducentenum, tota vero area quadragies mille pedum quadratorum, passuum vero octies mille. Spatium hoc amplissimum sane erat, utpote quod homines quadringentos perquam commode capere poterat, quatuor passibus quadratis in singulos descriptis. Hoc ita fuerit divisum, ut non solum duci, sed etiam ejus scribis, lictoribus, & comitibus quibusdam interioris admissionis, veluti filiis, cognatis, & amicis, nec non servis reliquis vilioribus, lixis puta, calonibus, iisque qui sarcinarum, armorum, & stabuli curam gerebant suus esset assignatus locus. Refert enim Dionys. ix. p. 563. in prætorio C. Manlii culinam igne cœlesti conflagrasse, & ex ejus equis pretiosissimum fulmine percussum, omniaque arma corrupta fuisse. *Patric. ibid. p.* 9. *s.* 1. *Lips. & Thys. l. l. Rut-*

gers

gerf. Var. Lect. III. 20. *Salmaſ. Exerc. Plinian. p.* 472. *a. F.* In illud ad Imperatorem conveniebant minores duces, legati, præfecti alarum, fabrum. . . . tribuni militum tanquam conſilium Imperatoris, ad deliberandum de re bellica. Probamus hoc duobus exemplis, Romano: Quum Rex ultimus Macedonum Perſeus captus jam eſſet, & in caſtra Romanorum duceretur, L. Æmilius Paullus Imperator conſilium advocavit, in eoque literas id nuntiantes recitavit. Dein *Q. Ælium Tuberonem obviam Regi miſit. Cæteros manere in prætorio frequentes juſſit,* ut tradit Liv. XLV. 7. Mox, ut ibidem, Rege jam intrante caſtra, *lictores miſit, qui ſubmovendo iter Regi ad prætorium facerent,* ubi *adverſus advocatos in conſilium* Regem *conſidere juſſit.* Græco ex Nepot. Eumen. c. 7. n. 1. Ille *invidiam verens, ſi potius ipſe alienigena ſummi imperii potiretur, quam alii Macedonum, in principiis nomine Alexandri ſtatuit tabernaculum,* hoc eſt, *prætorium, eoque omnes quotidie convenire juſſit, ut ibi de ſummis rebus conſilia caperentur.* Perizon. ibid. §. 16. Coram hoc Imperatoris conſilio, & proinde vel in *prætorio*, vel potius in tribunali poſito ante *prætorium* diſceptabantur lites, cognoſcebantur, judicabanturque cauſæ militum, & delicta. Auct. ad Herenn. I. 14. de pœnæ deprecatione locutus: *Ergo in judicium non venit: at in ſenatum, aut ante Imperatorem in conſilium,* ubi vocula *&* adulterina eſt, *talis cauſa poteſt venire.* Certe idem II. 17 de eadem re prorſus ſenatum & conſilium nominat: Hæc cauſa judicialis fieri non poteſt, ut in primo libro oſtendimus: *ſed quod poteſt vel ad ſenatum, vel ad conſilium* Imperatoris *venire, non viſa eſt ſuperſedenda.* Judicia etiam criminum capitalium exercebantur, repræſentabantur, atque exſecutioni mandabantur. Perizon. ibid. §. 20. V. ſupr. in *Pœna.*

Prætorium dicebatur ædes habitationi & manſioni deſtinatæ præſidum, qui pacatæ provinciæ præerant, & proinde non in caſtris, ſed in urbe habitabant: quoniam earum ædium in provinciis eadem prorſus erat ratio, quæ tabernaculi iſtius in caſtris. Verres *prætor* Siciliæ habitabat in Urbe Syracuſana in ædibus regiis, quæ fuerant Hieronis, æque propterea appellantur ſimpliciter *prætorium* apud Cicer. Verr. IV. 28. *Antiochus imperat ſuis, ut id in prætorium deferrent,* hoc eſt, ad Verrem, & ejus domicilium. Nam Verres paullo ante rogaſſe dicitur Antiochum, *ut id ad ſe mitteret.* Sic πραιτώριον ædificium illud, quod Pilatus Hieroſolymis inhabitabat, appellatur in Scriptura ſacra. Marc. c. 15. n. 16. tradit Chriſtum abductum a militibus ἔσω τῆς αὐλῆς, *intra aulam,* addens, ὅ ἐστι πραιτώριον, *quod eſt prætorium* præſidum Romanorum. Johannes vero c. 18. n. 28. 33. prolixius paullo refert, Chriſtum a Judæis ductum εἰς τὸ πραιτώριον, ſed cum Judæi illud intrare nollent, veriti, ne pollucrentur, idcirco Pilatum *ad eos exiiſſe,* dein iterum *intraviſſe prætorium,* & vocaviſſe Chriſtum, ut ejus cauſam cognoſceret, tum denuo exiiſſe ad Judæos, & dixiſſe, *nullam ſe cauſam mortis in Chriſto invenire:* ſed quum illi urgerent accuſationem ſuam, Pilatum *rurſus rediiſſe in prætorium,* & poſtquam paulliſper iterum collocutus eſſet cum Chriſto, eduxiſſe eum, conſcendiſſe tribunal, & ſic judicium peregiſſe, ac Chriſtum adjudicaſſe morti. Liquet ex his, *prætorium* hocce Pilati fuiſſe amplum in urbe domicilium, quod proinde *aula* a Marco dicitur, fuiſſe Pilatum in illo *prætorio*, cauſam Chriſti in eo a Pilato fuiſſe cognitam, ac denique tribunali extra *prætorium* poſito judicium peractum: omnia eadem, quæ in caſtrenſi *prætorio* fieri ſolebant. Sed & ſicuti in caſtris ad *prætorium* tendebat *prætoria* cohors, & excubabant vigiles, ſic & in hoc Pilati *prætorio* videtur omnino locus fuiſſe peculiaris, militum excubiis, & ſtationi deſtinatus. Nam poſtquam Pilatus Chriſtum tradiderat ſupplicio crucis afficiendum, milites eum abduxiſſe *in aulam, in prætorium* dicuntur, atque ibi protervia militari inſultaſſe damnato verberibus, & contumeliis, uſque dum conveniret omnis cohors, quæ convocata erat ad ſupplicium peragendum. Erat ergo pars cohortis jam ante in *prætorio*, quæ ſecundum vices ſuas ſtationem ibi agebat, & proinde locum haud dubie in illo *prætorio* ſtationi ſuæ opportunum, & proprium habebat. Et Regis aula, quæ in Urbe aliqua fuit, poſtea à provincialibus imperio Romano ſubjectis videtur hoc modo appellata. Sic Cæſareæ in Judæa Paullus ad Felicem abductus, dicitur ab eo datus in cuſtodiam in *prætorium Herodis* Act. c. 23. n. 35. Nempe habitaverat antea in ea urbe Rex Herodes, eademque ſpecies fuerat olim & apparatus regiæ aulæ, quæ poſtea erat *prætoriæ* aulæ, ſeu *prætorii* in provinciis. *Perizon. de Prætor. Diſſ.* I. §. 30. 31. *Stewech. in Veget.* III. 8.

Prætorium vocatur cœtus hominum in *prætorium* convenientium, ſeu illud Imperatoris conſilium, quod in *prætorio* haberi ſolitum. Hinc paſſim apud Livium *adhiberi* dicitur *prætorium*, hoc eſt, qui in *prætorio* Imperatori publici negotii cauſa aderant XXX. 5. *P. Scipio advocato conſilio, edicere exploratoribus juſſis, quæ comperta afferrent, poſtremo quæ ipſe pararet in proximam noctem, proponit. Tribunis edicit, ut ubi prætorio dimiſſo ſigna concinuiſſent, extemplo educerent caſtris legiones.* Et ſicuti *prætorium* erat in principiis, & proinde etiam *ad principia Imperatoris alicujus convenire* perhibentur duces alii, ut fit apud Nepotem, ita & non modo *prætorii*, ſed & *principiorum dimiſſorum* phraſis apud Latinos ſcriptores eodem modo, & ratione formata occurrit. Frontin. II. 5. 30. *Tempus elegit, quo miſſa principia quietem omnibus caſtrenſibus dabant, prætoriumque ſecretius præſtabant.* *Miſſa* erant *principia*, quum, qui in *principiis*, & ad *prætorium*, ſive litium cauſa, ſive ut deſideria ſua exponerent ducibus, ſive ut imperata acciperent, verſabantur magno numero, & omnis ordinis milites, ſigno dato in ſua quiſque tentoria abire juſſi erant. *Perizon. de Prætor. diſſ.* I. §. 17: II. 8. *Lipſ. de Milit. Rom.* V. *Dial.* 2. *Voſſ. Lex. Etymol. Valtrin. de Re milit. Rom.* IV. 6. *Pollet. For. Rom.* I. 4.

Prætorium denotabat in ipſa Urbe militum *prætorianorum* in unis caſtris ad Urbem tendentium multitudinem ſane quam magnam, ſive prætorias cohortes. Suet. Ner. c. 9. n. 5. *Antium coloniam deduxit, adſcriptis veteranis e prætorio.* id eſt, e corpore *prætorianarum* cohortium. c. 47. n. 2. *Tribunos, centurionesque prætorii de fugæ ſocietate tentavit.* Tacit. Hiſt. IV. 46. 9. *Militiam* prætorianam, ut n. 1. *& ſtipendia orant. Preces erant, ſed quibus contradici non poſſet. Igitur in prætorium accepti.* In nullo enim horum ſignificat locum in Urbe Roma juri dicendo proprium, qui appellaretur *prætorium*. Neque *prætor* urbanus jus dicebat in ſuis ædibus, ſed publice in foro, ubi proinde tribunalia erant ſemper poſita, & ſubſellia judiciorum, ſicuti patet ex Suet. Jul. c. 84. n. 6. Nec palatium Imperatoris. Nam & in illis ipſis provinciis, ex quibus vocabulum *prætorii* ortum, etiam poſterioribus temporibus diſtinctæ, & diverſi generis fuerunt ædes, palatium, quod dicebatur quæ in quaque civitate erat domus deſtinata, & ſervabatur Principi cum ſuo comitatu iter per eam facienti, & *prætorium*, quod inhabitabant præſides, vel judices civitatum. Patet id ex titulo C. Th. ne quis in palatiis maneat. Conſideratis l. 2. ab Arcadio, & collegis profectam: *Ordinarii judices in remotis ab aggere publico civitatibus, ſi prætoria non ſint, metu legis adempto, quæ de palatiis lata eſt, in ædibus, etiamſi palatii nomine nuncupentur, commanendi habeant facultatem.* Ex conſtitutione Imperatoris Leonis, per quam licuit præſidi provinciæ habitare in palatio, quod antea non licuerat per legem ab Arcadio. . . . memoratam: *Ubi autem & palatium eſt, & prætorium, palatium quidem habitationi præſidis, prætorium autem ſuſcipiendis ſpeciebus publicis horreorum vice deputetur* l. 14. C. de offic. rector. provinc. Si vero in provinciis palatia Imperatorum manſioni eorum, ſi forte eo advenirent, deſtinata, neutiquam appellabantur *prætoria*, provinciali cæteroqui vocabulo, quanto minus in ipſa Urbe, ubi non Imperator erat, aut dicebatur *prætor*, ſed alius magiſtratus proprie ſic dictus, & proprie juri dicundo præfectus? Quin imo, qui cohortibus *prætoriis* præerat, in lingua Latina perpetuo *præfectus prætorii*, vel *prætorio* appellabatur. Plin. præfat. de Tito Veſpaſiani filio, *Præfectus prætorio ejus*, n. Veſpaſiani. Nam hæ co-

hostes erant *prætoriæ* Cæsarum, ad Cæsarum corpus, ac salutem tuendam juxta Urbem locatæ, & in Urbe per vices stationum ad eorundem palatium excubantes. Et ita Paullus Phil. c. I. n. 13. Ejus enim temporibus receptus fuit omnino hoc sensu usus istius vocabuli. Sed & ipsa Paulli locutio magis designare videtur proxime multitudinem aliquam hominum, quam locum, aut ædificium, dum ait non modo ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, *inter omnes prætorianos milites*, sed & καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι, *inter*, vel *apud alios omnes homines*. Inprimis hic notandum, quod Paullus erat *vinctus Cæsaris*, cujus tribunal appellaverat. Quapropter missus ex provincia sub custodia militari Romam, traditus fuit una cum aliis *præfecto prætorii*, στρατοπεδάρχῃ Act. c. 28. n. 16. Et qui erant vincti Cæsaris, a *prætorianis* vinciebantur, & custodiebantur. V. supr. in *Prætoriani*. Perizon. de Prætor. diss. I. §. 33. . . 36. Nec exspectanda est auctoritas alicujus scriptoris, qui diserte dicat: *prætorium sunt prætoriæ cohortes*. Nihil frequentius in linguis Latina & Græca, quam, ut nomina, quæ appellantur substantiva, vel etiam adjectiva frequenti usu in substantivorum naturam quasi redacta accipiantur, ut dicitur, collective, pro numero, & multitudine hominum. Sic *familia* pro multitudine famulorum, *servitium* pro corpore, seu toto genere servorum, *officium* pro ipsis officialibus, ut postea dixere, seu ministris alicujus magistratus crebro occurrit. Jam *consilium* pro iis omnibus poni, qui sunt alicui a consilio, & in consilio, seu pro ipsis consiliariis, vel pueris notum. *Auditorium*, ejusdem prorsus formæ vocabulum, denotare frequenter ipsos auditores, eorumque cœtum, seu corpus, jam docuit Valla Eleg. I. 6. Στρατιωτικὸν pro militibus, qui aliquo in loco congregati sunt, seu corpore militum, quod [illegible]; Δορυφορικὸν pro ipsis prætorianis militibus apud Græcos ponitur. Quidni etiam *prætorium* priscis scriptoribus fuerit adhibitum ad designandum cœtum *prætorianorum*. Perizon. ibid. diss. II. §. 8. 9. Qui etiam Suetonii & Taciti loca modo laudata ab Haberi explicationibus eleganter vindicat §. 11... 14.

Prætorium appellabatur etiam villa sumptuosissima, atque ædificium extra Urbem, in qua dominus ipse, rusticatum quum venerat, manere solebat, per quandam significationis similitudinem, quia longe super rusticorum tuguria, & casas eminebat, quemadmodum in castris amplitudine, splendore, & magnificentia longe eminebat præ aliis ipsius Imperatoris tabernaculum. Suet. Aug. c. 72. n. 6. *Ampla, & operosa prætoria gravabatur*. Tib. c. 39 n. 2. *Paucos post dies juxta Terracinam in prætorio, cui speluncæ nomen erat, incœnante eo. . . .* Hoc villam vocat Tacit. Annal. IV. 59. 2. *Vescebatur in villa, cui vocabulum Speluncæ*. Modestin. l. 34. §. 3. ff. de legat. & fideic. II. *Gajus Seius cum domum non haberet, & in prætorio uxoris suæ se transtulisset, quasdam res de domo sua in eodem prætorio transtulit*. Ponebantur fere in amœnis littorum. Stat. Sylv. I. 3. 25.

Alternas servant prætoria ripas.

Auson. Eidyll. X. 286.

Alternas cernunt prætoria ripas.

Unde illud l. 13. §. ult. ff. de injur. *Ante prætorium alienum piscari*. Ornabant illa veteres. Symm. Epist. VI. 67. *Petieram superioribus scriptis, ut Puteolani prætorii mei latus, quo imus ad balneas, dispositione clivi mollioris ornares*. Ornamentorum meminit Suet. Tit. c. 8. n. 12. *Cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus & templis destinavit*. Et quidem luxu insano. Docet hoc suo exemplo M. Scaurus apud Plin. XXXVI. 15. *Sed & reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis, quæ superfuerant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur ad HS. millies*. Perizon. de Prætor. diss. I. §. 15. Resp. ad Haber. c. 7. Bud. in Pandect. p. 166. B. Alciat. ad l. 198. de verb. signif. Freher. in Ausonium. Beroald. in Prop. IV. 1. Rader. in Mart. X. 79. Bernart. & Barth. in Statium. Marcil. in Suetonii Titum. Donat. & Pitisc. in Suetonii Augustum & Titum. Pollet. For. Rom. I. 4. Voss. Lex. Etymol. Salmas. in Lamprid. Heliogab. c. 23. Et illa pars villæ, quam proprie dominus sibi destinaverat, lautius haud dubie semper excultam in prædiis hominum non adeo opulentorum, quod fiebat, si omnes rustici cum domino habitarent in eadem unius tecti villa. Hinc Pallad. de re rust. I. 8. ubi agit de ædificio, quod *pro agri merito, & pro fortuna domini institui* jubet; *Ipsius autem*, inquit, *prætorii situs sit loco aliquatenus erectiore, & sicciore, quam cetera*. Etiam, quamvis, ut reor, rarius, præcipuum conclave urbanarum ædium, licet ædificia urbana, etiam lautissima, & amplissima, nunquam appellentur *prætoria*. Sic certe apud Petron. c. 30. ædes Trimalcionis describentem *dispensator in prætorio aureos numerans* memoratur. *Perizon. de Prætor. diss.* I. §. 15. Imo locus, vel mansio domini, seu præfecti navis in singulis navibus. Glossæ: *Prætoria, domunculæ in navi*. Wouwer. in Petron. p. 410. Perizon. l. l.

PRÆTURA plebejis etiam hominibus est impertita, cum numerus *prætorum* auctus esset, ne cujus magistratus particeps plebs non esset. Antea patriciis tantum hominibus deferebatur: de *prætura* nulla plebis vox, nulla querela exaudiebatur: credo ob eam causam, quia, cum unus *prætor* crearetur, eum ipsum locum appetere impudentiæ videretur. *Manut. de Legib. Rom. c. 5.* Petendæ annus erat quadragesimus. V. supr. in *Ætas prætoria*. Ejus olim magna potestas, postea inane nomen, & senatorii census gravis sarcina, cum omnis ejus potestas ad sola spectacula redacta esset. V. supr. in *Prætor*. Buleng. de Theatr. I. 10.

Prætura præsentissima. V. illam supr. in *Prætor*.

PRÆVARICARI est non recta, sed oblique incedere. Plin. XVIII. 19. *Arator, nisi incurvus, prævaricatur*, quod est, non rectum sulcum agit. Ut enim rectum sulcum dirigat, debet arator incurvus esse. Glossæ: *Prævaricat*, διασκελίζει. Imo διασκελλίζει, id est, a recta via deducit. Nam σκελλὸς est strambus, & tortus. Glossæ: *Grappus*, σκελλός. Et verbum σκελλίζειν, obliquare, deflectere. Festus: *prævaricatores a prævaricando sunt vocati*. Ergo *varicare* simplex idem est, quod ingredi, & ambulare. Sed forte διασκελίζειν reponendum in veteri glossario, quod est crura in diversum pandere, & idem cum *varicare*. Sed, ut *prævarus* est, qui valde est varus, & *prægrandis*, valde grandis, ita *prævaricat*, qui ultra modum varicat. Certe *varus* ille est, *varicatque*, qui pedes recte non ponit, sed ad exteriorem partem eos detorquet. Ergo *prævaricat*, qui præter modum id facit. Inde *prævaricare* in officio suo dicuntur, qui non recte ambulant, ut sunt illi patroni, qui clientum suorum causam adversariis tradunt. *Salmas. Exercit. Plin. p. 663. b. G. Harduin. in Plinium. Voss. Lex. Etymol. in Varus.* Et *prævaricator* est is, quicunque ex fide injunctum, receptumque officium non implet, sed perfunctorie, adhibita fraude, doloque *varius* titubat, aut in alteram magis incumbit partem, a qua recedere deberet. Ulpian. l. 4. §. 5. ff. de his qui not. inf. *Prævaricator est, quasi varicator est, qui diversam partem adjuvat, prodita causa sua. Quod Labeo a varia certatione tractum ait: nam qui prævaricatur, ex utraque parte consistit*. Cicer. de Partit. c. 36. *Defensor testatur consuetudinem sermonis, verbique vim ex contrario reperiet quasi ex vero accusatore: cui contrarium nomen est prævaricatoris: ex consequentibus, quod ea lucra de accusatore soleat dare judici: ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrariis causis quasi varie positus esse videatur*. Plin. Epist. I. 20. 2. *Alioqui prævaricatio est transire dicenda; prævaricatio est etiam cursim & breviter attingere quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda*. III. 9. 30. *Est lege cautum, ut reus ante peragatur, tunc de prævaricatore quæratur, quia optime ex accusatione ipsa accusatoris fides æstimatur*. Sigon. de Judic. II. 25. Pollet. For. Rom. IV. 3. Barth. Adv. XXXVIII. 14. Gronov. de Centes. §. 76. Nann. Misc. IX. 4. Cujac. Observ. IX. 40.

PRÆVENTORES appellabantur milites, qui hostes *præveniebant*, & eos turbabant, vel ante ipsos locum castris

castris opportunum præoccupabant. Ammian. XVIII. 9. *Tricesimanique, Decimanique fortenses, superventores, & præventores, cum Æmiliano jam comite, quos tyrones, tum autem novellos, hortante adhuc memorato protectore erupisse Singara, Persasque fusos in Somnum retulimus trucidasse quam plures.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 152.

PRAGMATICARII a *pragmaticis* valde differunt. Hi enim *apud Græcos infimi homines, mercedula adducti ministros se præbebant in judiciis oratoribus, ii, qui apud illos πραγματικοὶ vocantur.* Cicer. de Orat. I. 45. & 59. *Itaque illi disertissimi homines ministros habent in causis juris peritos, cum ipsi sint peritissimi, & qui pragmatici vocantur. Pragmatici* ab advocatis distinguuntur l. moris §. nonnunquam. ff. de pœnis. Et in foro hodie jurisperitis omnibus præstant. At *pragmaticarii* in sacris Principis scriniis versantur l. 7. C. de divers. rescr. Πραγματεία Hesychio σύγγραμμα βίβλων, *librorum conscriptio.* Budæo opus est, quod commentatione animi componitur. At eo *pragmaticariis*, quorum ingeniis *pragmaticæ* annotationes, sanctiones, atque cognitionum, arcana committuntur l. 12. C. de vectig. & commiss. l. 8. de prox. sacr. scrin. Olim forum Romanum *pragmaticis* non utebatur, postea uti cœpit. Meminit Juven. Sat. VII. 123.

— si contigit aureus unus:
Inde cadunt partes ex fœdere pragmaticorum.

Bud. in Pandect. p. 241. II. p. 242. K. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 7. Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Antiq. Lect. XXV. 22. Herald. & Rader. in Mart. XII. 73 6. Grang. in Juve. idem.

PRANDEBANT Romani ex disciplina militari accincti, & stantes. Encolpius, cum ad ulciscendam injuriam, sibi a Gitone factam se accingeret apud Petron. c. 42. *Hæc locutus, gladio latus cingor: &, ne, infirmitas militiam perderet, largioribus cibis excito vires: mox in publicum prosilio.* Quod quia durum, & adstricti moris erat, pœnæ loco interdum imperatum, ne unquam aliter cibum caperent. Liv. XXIV. 16. *Citatosque singulos jurejurando adigat, nisi quos morbus causa erit, non aliter quam stantes, cibum potumque, quoad stipendia facerent, capturos.* Rebus etiam asperis, & difficilibus idem fecerunt. Quintil. Milit. Mar. *Cum alii vallum, fossasque, scutis innixi, cingant, cibum ipsum stantes capiant, tribunus inter scorta volutabitur?* Stantes igitur *prandebant*, vel ambulantes, præsertim in itinere. Frontin. Strateg. IV. 3. § 11. *Masinissam meridie ante tabernaculum stantem, vel ambulantem capere solitum cibos legimus.* n. 9. *Æmilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem accepto pane vesci solitum.* Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1240. E. Duce in propatulo. Spartian. Pescenn. c. 11. *Idem in omni expeditione ante omnes militarem cibum sumpsit, ante papilionem. Ante omnes*, id est, in propatulo, in conspectu omnium, cunctis videntibus. Valer. Max. II. 5. 5 *Erat etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo, humanitatis simul, & continentiæ certissima index. Nam maximis viris prandere, & cœnare in propatulo verecundiæ non erat: nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent.* Macrob. Sat. II. 13. *Imperari cœpit, ut patentibus januis prandaretur, & cœnitaretur.* Res profecto perquam popularis, & in vulgus castrense longe gratissima, convivium publicum, quod non luxu, gulæque irritamentis paucos vocatos, sed frugalitatis, & continentiæ exemplo, omnes juvit. *Schel. ibid. F. Buleng. de Conviv.* I. 5.

PRANDII quandoquidem nunquam, cœnæ vero semper sit mentio, controversum non parum est, utrum veteres bis singulis diebus cibum, nec ne sumpserint. Affirmative tandem concludendum est; cum Cicer. Tusc. Quæst. V. Platonem, cum in Italiam venisset, admiratum dicat, quod Itali bis die manducarent. Et celebris est Alexandri Magni sententia, qua modicum *prandium* cœnæ dixit opsonium. *Pancirol. de reb. deperd. & inv.* p. 495. Quidem fallum latere subdubitare sunt visi, cum priscorum *prandium* in controversiam verterint, quos trifariam, & quadrifariam in die esitasse legimus; in jentaculo, in *prandio*, in cœna, in comessatione: quamvis homines liberaliter educati ad summum bis in die cibum sumpserint, in cœna, & in *prandio*. Hoc gustum dixere, & puerorum potius, æstate, tenuissimum, & eorum, qui multum laborant. Quare *prandium* rarum, idque parum. Senec. Epist. 87. *De prandio nihil detrahi potest, paratum fuit non magis hora; nusquam sine caricis, nusquam sine pugillaribus. Illæ, si panem habeo, pro pulmentario sunt; si non pro pane, mihi quotidie annum novum faciunt.* Laurent. de Conviv. vet. c. 5. Baccius de Conviv. Ant. I. 1. Ferrar. Elect. II. 23. *Prandium* veteribus in usu fuisse multis scriptorum testimoniis confirmari potest: nos paucis contenti erimus. Plaut. Amph. I. 1. 98.

Hoc adeo commemini magis, quia illo die impransus fui.

n. 154.

Apage, non placet me hoc noctis esse: cœnavi modo.

Capt. III. 1. 19.

Quo imus, una, inquam, ad prandium? atque illi tacent.

n. 21.

Ubi cœnamus? inquam: atque illi abnuunt.

Bacch. I. 1. 46.

Quid? si apud te veniat de subito prandium, aut potatio
Forte, aut cœna.

Cicer. Verr. I. 19. *Quid ego istius prandia, & cœnas commemorem?* Varr. de Re rust. II. 10 *Cibus eorum debet esse interdiu separatim, vespertinus in cœna.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 167. Beroal. in Serv. §. 24. Stuck. Antiq. Conviv. I. 11. Manut. Quæst. Epist. I. 4. IV. 17. Mercur. Var. Lect. IV. 17. Ferrar. l. l. Communis opinio est, Romanos levem tantum cibum in *prandio* sumpsisse, sed copiosius cœnasse. Horat. Sat. I. 6. 127.

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare.

Senec. Epist. 84. *Panis deinde siccus, & sine mensa prandium, post quod non sunt lavandæ manus.* Certum tamen est, plerosque etiam consuevisse olim etiam liberalius *prandere*, ut nunc moris est. Opifices, & urbanæ operæ non possunt absque copiosiore cibo subsistere. Dissipatur enim nativus calor assiduo labore, qui cibo frequentiori restaurandus: quamobrem pauci erant, qui unica refectione contenti vivebant, quales erant, qui forensibus, aulicisque negotiis distracti, aut literarum studiis impense deditii; qui cibo pressi sentiebant se minus idoneos ad obeunda sua munia. Alias antiquissimis temporibus factitatum, auctor est Plaut. Men. II. 2. 1.

Bene obsonavi, atque ex mea sententia
Bonum anteponam prandium pransoribus.

Suet. Claud. c. 33. n. 2. *Cognoscens quondam in Augusti foro, ictusque nidore prandii, quod in proxima Martis æde Saliis apponebatur, deserto tribunali adscendit ad sacerdotes, unaque discubuit.* Nonn. de Re cibar. I. 4. & 30. Laurent. l. l. Non levi difficultate implicita sunt verba Festi: *Prandium ex Græco est dictum: nam meridianum cibum cœnam vocabant. Et, cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc prandium.* Etenim, sive ad Græcos rem referamus, sive ad priscos Latinos, cœnam vespertino tempore fuisse reperiemus. De cœna a Tauro philosopho sibi Athenis exstructa Gell. XVII. 8. *Philosophus Taurus accipiebat nos Athenis cœna plerumque ad id diei, ubi jam vesperaverat: id enim est tempus ibi cœnandi frequens.* Et hoc idem tempus Romæ fuit constitutum. Lamprid. Alex. Sev. c. 30. *Egressus balneas multum lactis, & panis sumebat, ova, deinde mulsum: atque his refectus aliquando prandium inibat, aliquando cibum usque ad cœnam differebat.* Isidor. XX. 2. *Est autem cœna vespertinus cibus.* Nec tantum hi, quibus ætate major Festus de multo antiquiori ætate potuit loqui. Sed etiam Cicero, cui cœna fuit vespertina: ad Attic. IX. 7. *Cœnantibus nobis, & noctu quidem Statius a te epistolam perbrevem attulit.* de Invent. II. 4. *Cum in eandem tabernam devertissent, simul cœnare, & in eodem loco somnum capere voluerunt.* Clarius ad Fam. I. 2. *Hæc controversia usque ad*

noctem ducta, senatus est dimissus: & ego eo die casu apud Pompejum cœnavi. Terent. Adelph. I. I. I.

Storax, non rediit hac nocte a cœna Æschinus.

Plaut. Stich. IV. I. 28.

Quam mox cocta est cœna? impransus ego sum.

Hac auctorum contentione, & dissidio diu incertus hæsitavi. Ab his angustiis me eripuit Athen. I. 10. apud quem scriptum animadverti, δεῖπνον non absimili modo, ac cœnam apud Festum a Græcis usurpari: *Aliquando & ἄριστον, & δεῖπνον idem significatus est. Nam de matutino cibo prandium* Homerus, *dixit*. Idem tamen II. 8. δεῖπνον ex Alexis sententia cœnam significare scribit. Athenæo assentitur Erotianus in Onomast. Δόρπος, *vespertini temporis, ab hasta deponenda dicti: quod enim nos ἄριστον, hoc est, prandium appellamus, veteres δεῖπνον, id est cœnam vocant.* Jam vero si Græci, quibus πολυωνυμία opulentissima est, in re cibaria, veluti ad paupertatem redacti, uno, eodemque nomine *prandium* quandoque & cœnam expresserunt, mirum nemini videri debet, si Latini, qui eorundem inopia, si cum Græcis conferantur, laborant, eodem & ipsi vocabulo *prandium*, cœnamque significarunt. Quo vero tempore prisci Latini hac verborum inopia premerentur, vix, me judice, assequi quisquam potest. Id definite tamen (ut Festum undique tueamur) illud mihi videor jure affirmare posse, antequam scilicet Græcorum vocabulorum agmen trajice et in Latium: antequam Latini elegantiæ, splendorique sermonis addicti accuratius graecissarent. Cum enim primum nomen *prandii* Romam e Græcia migravit, cœnæ nomen, quod meridianam cibum tunc significabat, abiit in vespertinum. *P. Serv. Miscell. c.* 10. Hora *prandii* apud veteres quæ fuerit, intelligi potest ex verbis Suet. Cal. c. 58. n. I. *Nono Kal. Februar. hora quasi septima, cunctatus an ad prandium surgeret, marcescente adhuc stomacho pridiani cibi onere.* Claud. c. 34. n. 6. *Bestiariis, meridianisque adeo delectabatur ut a prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie dimisso ad prandium populo persideret.* Ursin. ibid. p. 198.

Prandium adventitium erat, quod peregre advenientibus præbebatur. Plaut. Amph. II. 2. 33.

Quia domi daturus nemo est prandium advenientibus.

Laurent. de Conviv. vet. c. 5.

Prandium caninum *dicitur abstemium, in quo nihil vini potatur, quoniam canis vino caret.* Gell. XIII. 30. *Buleng. de Conviv.* I. III. III. *prolus. Faber Semestr.* I. II.

Prandium passerinum dici videtur scitissime pro minutis frustulis. Itaque quod frustulatim, & minutatim dissipatur, veluti passeribus objiciendis sit, *passerinum prandium* dici potest: ut a Pomponio:

Et te objectes frustatim passerinum prandium.

Turneb. Adv. XXIX. 23.

PRATA Flaminia fuerunt ea loca, in quibus circus Flaminius postea exstructus est. Liv. III. 54. & 63. V. utrumque locum supr. in *Circus Flaminius*. Panvin. de Lud. Circens. I. 18. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 357. D. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 13.

Prata Mucia, sive agri illud jugerum, quod Romani Mucio Scævolæ inde dicto, in præmium virtutis dedere, postquam Porsenam aggressus est, in Transtiberina fuit regione. Liv. II. 13. *Patres C. Mucio virtutis causa trans Tiberim agrum dono dedere, quæ postea sunt Mucia prata appellata.* Dionys. V. p. 302. *Mucio, qui paratus fuerat pro patria mortem oppetere, quod visus esset fuisse finiendi belli causa præcipua, donarunt ex publico agrum trans Tiberim, quantum posset circumarare uno die: qui nostro quoque tempore vocatur prata Mucia.* Qua vero in parte trans Tiberim fuerit, utrum ad Janiculi radices, an Vaticani, an & alibi, nusquam legitur; conjicere autem locum velle res inanis operæ est. Hoc saltem liquet ex nomine, quod tempore Livii, & Dionysii, id est, sub Tiberio obtinuit, agrum hunc in *prata* conversum, neque ædificiis, aliave re occupatum fuisse; adeoque & extra portam forte Portuensem, ubi pro pratis Naumachia fuit, & horti; tum & planities inter montem & Tiberim non adeo magna: certe non longe ab culta illic ædificiis parte Urbis remotum facile crediderim. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 13. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 19. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* II. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 8. *Cluver. Ital. Antiq.* III. 2. §. 34.

Prata Quintia, a Quintio Cincinnato dicta, fuerunt e regione Navalium trans Tiberim. Liv. III. 26. *L. Quintius trans Tiberim, contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt, quatuor jugerum colebat agrum, quæ prata Quintia vocatur.* Non autem ea dicenda *prata Quintia*, quæ hodie vulgari appellatione *prata* jacent inter molem Adriani, & pontem Milvium, tantoque intervallo a ponte olim sublicio, ubi navalia, distant. Nuncupat hæc Procopius *Neronia prata*. Quintia certe non sunt. Neque enim navalia fuerunt in campo Martio, qui campis illis est objectus, etsi non omnibus, & ultra, ad pontem usque Milvium protensis. Quo modo enim, si ibi fuissent, intersepto pontibus fluvio, onerariæ, magnæque naves prælatis malis, velisque diffusæ eo deduci potuissent? Livius laudatus supr. in *Navalia*. Erat ergo ad Aventinum, & prima Urbis mœnia navale, quo commodus esset trajectus a mari, ut hodieque Tiberinus ille tractus navibus opportunam stationem præbet. Porro ager ille quatuor jugerum, seu *prata* Quintia, ubi horti sunt ad ædem D. Francisci trans Tiberim fuere. Neque negotium facessit Plin. XVIII. 3. *Cincinnato aranti quatuor sua jugera in Vaticano.* Ut enim Vaticani montes a ponte Milvio ad Janiculum pertinent, ita & campi. Qui enim trans Tiberim intra illos montes jacent, Vaticani sunt. *Donat. de Urb. Rom.* III. 13. Qui ex parte Vaticanum campum omne illud spatium appellatum vult, quod trans Tiberim usque ad Vejentium agrum pertingebat. Marlianus vero Topogr. Urb. V. 22. Fulvius, aliique eo jiciunt, *prata*, quæ hodieque in Vaticano extra portam Castelli, e regione Ripettæ, *pratorum* nomen obtinent, Quintia fuisse. Hanc opinionum diversitatem attentius considerans, situmque locorum cum Plinii, & Livii verbis accurate conferens, non possum non in Fulvii, & vetustiorum sententiam pedibus ire. Nam, ut id omittam, quod & de *pratis* Muciis a me allatum est, naumachiam illic ætate Livii fuisse, & hortos, adeoque *prata* ibidem Quintia esse nequivisse, Livius non indiscretum, sed exactissime locum indicans ait, *contra eum ipsum locum, ibi nunc navalia sunt:* tum & ager Quintii juxta Donatum ad latus fuisset mœnium civitatis; quem tamen Livius longius videtur removere. Nam si tam prope fuisset, fieri nequit, quin Quintius nonnihil de tumultu illo, & clamoribus in Urbe propter obsessum cum exercitu consulem, pavoremque civium inaudisset. Attamen Livius admirantem Quintium inducit, rogitantemque, *satisne salva essent omnia.* Deinde si Quintius ad *ripam* agrum suum coluit, facile cum legatis certa via se in Urbem potuit per pontem sublicium, sic ut naviculam ingredi ne esse non habuerit, nec iter suum in Urbem contendentis ejus, ex casuque remorari. Livius: *Navis Quintio publice parata fuit; transvectumque tres obviam egressi filii excipiunt: inde alii propinqui, atque amici: tum patrum major pars. Ea frequentia stipatus antecedentibus lictoribus deductus est domum.* Quæ omnia spatium satis amplum intercessisse indicant non modo inter agrum, sed & exscensum Quintii, & Urbem, sic ut ei cuncta mirifice loco *Ripetta* objecto conveniant. Navi enim, ut in campum Martium transiretur, opus erat, quum illic locorum nec pons Ælius tum temporis esset, nec triumphalis, nec Janiculensis; multo minus Palatinus: circumire vero tantum loci usque ad sublicium nimis quam tardum erat. Præterea campi Martii amplitudo, occursus filiorum, deinde propinquorum, amicorumque, atque item patrum senatus perquam commodi fuit, & opportuna. Nihilominus aliorum sententia plus habere veri videtur, hoc innitens argumento; quod Livius non simpliciter dicat, campum Martium contra navalia fuisse, verum *contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt:* quibus verbis

bis liquido ſignificatur, navalia illic ævo Livii fuiſſe, non autem tempore eo, quo Quintius vixit. Nihilominus negari nequit, navalia non modo Quintii tempore, ſed & ſub ipſis Regibus, in planitie teſtacei fuiſſe, poſtquam ab Anco Martio pons ſublicius factus fuit. Adhæc ad Urbem jam grandem, & frequentiſſimam, magnam navibus commeatuum, merciumque copiam devectam fuiſſe certo certius eſt. Quin & Dionyſ. III. p. 183. ubi conſtructionem portus Oſtienſis ab Anco factam exponit, expreſſe dicit, eo factum conſilio, ut navium majorum onera illic expoſita minoribus deinde Romam uſque per flumen Tiberinum ſubveherentur. Neque vero navalia propius Urbem fuiſſe inde liquet, quod pons obſtaret ſublicius tranſitum denegans. Verum duplicia fuerunt, uti nunc, ita & olim, Romæ navalia: altera, quæ flumen ſubeuntibus e mari dicata fuere; altera, quæ deſcendentibus e Sabinis inſervierunt. Illa ſub Aventino, non procul a teſtacei planitie: hæc autem, cum nullus in flumine adhuc alius pons eſſet, niſi ſublicius, non longe ab hoc ponte ad Marmoratam, & eccleſiam rotundam S. Stephani, loco Urbis frequentiſſimo, & commodiſſimo. Cæterum poſtea cum pontium cum tempore numerus creſceret, quibus appulſus iſthuc loci impediebatur, ſuperius aliquanto retrahenda navalia fuere: atque ita memoria Livii, obſtante ponte triumphali, inter hunc pontem & eccleſiam S. Rocchi in campo Martio, exercitiis juventutis cum temporis celebratiſſimo, locus illis aſſignatus fuit. Confirmatur hoc abunde a Tacito, qui Annal. III. 9. 2. Silanum refert Narnia cum Plancina uxore ſecundo flumine Romam deſcendentem ad tumulum Cæſarum appuliſſe, id eſt, ad Mauſoleum Auguſti, quod eo loci fuit, ubi nunc S. Rochi ædes eſt. Sic ut hinc ſatis liqueat, olim quoque non ſecus atque hodie illic exſcenſus factos. Ergo contra ea navalia, quæ non Quintii, ſed Livii ævo illic fuere, id eſt, in grandi illa planitia ad molem Adriani *prata* ſua Quintius habuit, Quintia ab illo denominata, & a Plinio recte in Vaticano collocata, ſed ſtricte ſumpto: ſiquidem hic de vicis, ac non de regionibus agitur, aut provinciis. *Nardin. Rom. vet.* VII. 13. V. etiam ſi placet *Cluver. Ital. Ant.* III. 2. §. 33. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 3.

PRE.

PRECANTIUM mos fuit antiquitus, ut jacentes ſupplicarent. Prop. III. 15. 1.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris:
Da mihi pacato vela ſecunda pater.

Senec. Oed. I. I. 71.

Affuſus aris ſupplices tendo manus
Matura poſcens fata. . . . .

Prudent. Periſteph. X. 151.

Jam ſi ſub aris ad ſigillorum pedes
Jaceatis, intra ſectilem quercum ſiti,
Quid eſſe vobis æſtimem projectius?

Hanc rem deridiculo habuit, & vaniſſimam eſſe confitetur his verſibus Lucret. V. 1197.

Nec pietas ulla eſt velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras:
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Ante deûm delubra. . . . .

Accuſat enim graviter tanquam humiles & abjectos, qui ſcilicet contra naturæ ſuæ rationem, ad veneranda terrena, ſe proſternunt. *Quæ profecto* numina, inquit Lactant. II. 3. *ſi caſſa ſunt, non oportet ſublimes, & excelſos animos advocari, atque in terram premi, ſed nihil aliud quam cœleſtia cogitare.* Berthald. de Ara c. 15. n. 1. Briſſon. de Form. I. p. 40. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 12. Ut aras tangerent. Macrob. Sat. III. 2. *Litare ſola non poteſt oratio, niſi & is qui deos precatur, etiam manibus aram apprehendat. Hæc illo verſu poeta Æneid.* IV. 219.

Talibus orantem dictis, araſque tenentem
Audiit omnipotens.

Nonne eo additum credideris, non quia orabat tantum, ſed quia & aras tenebat auditum? nec non cum ait VI. 124.

Talibus orabat dictis, araſque tenebat.

XII. 201.

Tango aras, medioſque ignes, & numina teſtor.

Serv. in Æneid. IV. 219. *Neceſſe erat anſas a ſacrificantibus teneri: quod niſi facerent, grata diis ſacrificatio non eſſet.* Briſſon. & Kipping. l. l. Guther. de vet. jur. Pontif. IV. 2. Cerda in Æneid. VI. 124. Ut ad orientem ſe verterent. Hygin. de Limitibus: *Antiqui architecti in occidentem templa recte ſpectare ſcripſerunt. Poſtea placuit omnem religionem eo convertere, ex qua parte cœli terra illuminabatur.* Templa ita ſtructa etiam ſcribit Iſidor. XV. 4. *ut qui conſuleret, ac deprecaretur, rectum adſpiceret orientem.* Pacat. Paneg. ad Theodoſium: *Nam ut divinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora convertimus, a qua lucis exordium eſt.* Lipſ. in Tacit. Hiſtor. III. n. 34. Ut manus in cœlum extenderent. V. ſupr. in *manus.* Ut oculos ad ſidera ferrent. Virg. Æneid. II. 688.

At pater Anchiſes oculos ad ſidera lætus
Extulit.

Struv. Ant Rom. c. 3. p. 207.

PRECATIO a *precibus* differt, & magis ſollennis erat apud Romanos. *Precationes* enim dicebantur de omnibus *precibus* ſacerdotum, atque magiſtratuum publicis, quæ ſollenni more fierent. Qua ratione *ſollennis comitiorum precatio* dicitur Cicer. pro Mur. c. 1. quæ comitiis præmittitur. Augurum quoque erat *precatio publica* apud Cicer. de Div. II. 20. Et vota dicuntur *precationes fauſtæ* Tacit. Annal. IV. 9. 1. Ita *precationem, & ſacrificationem* conjungit Cicer. de Nat. deor. II. 27. easque *in ea dea, quæ eſt cuſtos rerum intimarum*, in Veſta ſcilicet, *deſinere* dicit. *Struv. Ant. Rom. c.* 4. *p.* 213. *Guther. de Vet. jur. pont.* IV. 14.

Precatio maxima *erat, cum plures deos quam in cæteris partibus augurioram precatur, eventuſque rei bonæ poſcitur, ut in melius juvet, quod his verbis oſtenditur:*

Eſto nunc ſol teſtis, & hæc mihi terra precanti.

Serv. in Æneid. XII. 176. *Struv. Ant. Rom. c.* 4. *p.* 214.

PRECES auſpicabantur ſemper a Jano. V. ſupr. in *Janus.* Illas non ſemper propalam effundebant, ſed taciti ſæpe in templis deis *adlegabant*, ut loquitur Apul. de deo Socrat. p. 762. Cauſam reddit Senec. de Benef. II. 1. *Vota homines parcius facerent, ſi palam facienda eſſent: adeo etiam deos, quibus honeſtiſſime ſupplicamus, tacite malumus, & intra noſmet ipſos precari.* Struv. Ant. Rom. c. 3. p. 211.

PREHENSIO eſt jus rapiendi aliquem in jus, privatis conceſſum apud Græcos in certis caſibus, & cauſis, vel criminibus. Græcis ἀπαγωγή. Harpocration: Ἀπαγωγὴ *eſt ſpecies actionis. Habet nomen* ἀπὸ τοῦ ἀπάγειν, & ἀπάγεσθαι, *dictum a maleficis, qui ad undecimviros abducebantur.* Non eſt tamen actionis, ſive δίκης, ſed illud jus, quod dixi, rapiendi aliquem in jus. Inde ἀπαγωγὰς Suidas exponit αἰχμαλωσίας, id eſt *captiones*, ſive *prehenſiones.* Gloſſæ: *prendit*, ἀπάγει, συλλαμβάνει. Jure antiquo populi Romani tribuni plebis *prehenſionem* habebant, id eſt, ἀπαγωγὴν, non vocationem. Poterant enim ipſi venire, & *prendi* aliquem jubere, id eſt, ἀπάγειν, ſed vocandi abſentem jus non habebant. Jure illo *prenſionis* hæc tria continebantur, *prendere, tenere, abducere.* Iſtud tertium abducere eſt proprie Græcorum ἀπάγειν. Quod ultimum eſt in *prenſione.* Neque enim aliquis abducere aliquem in jus poteſt, niſi *prendendi*, & capiendi habeat poteſtatem. *Salmaſ. de mod. uſur. c.* 17. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 20.

PRELUM eſt trabs, qua uva, oliva, aliudve premitur. Serv. Georg. II. 242. *Prela trabes ſunt, quibus uva jam calcata premitur.* Vitruv. VI. 9. *Ipſum autem torcular, ſi non cochleis torquetur, ſed vectibus, & prelo premitur, ne minus longum pedes quadraginta ſtatuatur.* Plin. XIII. 12. *Premuntur deinde prelis, & ſiccantur ſole plagulæ, atque inter ſe junguntur.* Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv. VII. 25.

Pre-

Prelum supervacaneum otiosum superest, nihil agens, & cessans: quod si temperatum deficiat, aut vitium agat, operosum esse possit, & in vicem succedere. Cato de Re rust. c. 12. *In torcularium vasis prela supervacanea tria.* Turneb. Adv. VIII. 6.

Prelum temperatum vocatur, quod aptum est, & accommodatum ad torquendum & premendum. Cato de Re rust. c. 12. *In torcularium vasis prela temperata quinque.* Turneb. Adv. VIII. 6.

Prelum vestimentis etiam splendorem addit. Mart. II. 46. 3. V. illum supr. in *Lacerna.* Claud. Epithal. Pallad. & Celerin. n. 101.

> —— *prelisque solutæ*
> *Mira Dionææ sumit velamina telæ.*

Pressorium videtur vocare Ammian. XXVIII. 4. *Deinde cum a Silvani lavacro, vel Mammeæ aquis ventitant sospitalibus, ut quisquam eorum egressus tenuissimis se terserat linteis, solutis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat.* Barth. Adv. XXXII. 7. & in Claudianum. Vales. in Ammianum.

PREMA *erat dea mater, ut virgo subacta, ne se commoveat, comprimatur.* Augustin. de Civit. Dei VI. 9. *Tomas. de Donar. c. 13. Gyrald. Synt. deor. I. p. 48. A. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 158. Stuck. de Sacrif. p. 46. Laurent. de Sponsal. c. I. Meurs. de Puerp. c. I. Blond. Triumph. Rom I. II. E.*

PRETIUM nuptiale appellatur tit. 12. leg. Burgund. & erat centum solidorum ex Saxonum legibus, ut cap. 6. docet. Tam etiam Burgundiones, quam Saxones uxores suas a parentibus, vel tutoribus earum emisse observavi: idque ex capite, seu titulo 14 & 34. earum legum, quas Gundobaldus Rex Burgundionibus scripsit: & ex tit. 6. 9. & 17. legum Saxonicarum patet. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1020. *B.*

PRI.

PRIAPUS fingitur filius Bacchi & Veneris. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 737. *E. Gyrald. Synt. deor.* VIII. *p.* 290. *G. Chausse de mutin. simulac. tab.* I. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 3. §. 7. Ego devenio in hanc cogitationem, quod ex Στροφαίῳ Græcorum Mercurio natus sit. Nam sicut is εἰς ἀποτροπὴν τῶν κλεπτῶν præ foribus ædium positus, ita hic ad abigendos fures in ipso horti aditu locabatur. *Sagittar. de jan. vet. c.* 34. §. 7. Natus de Lampsaco Hellesponti civitate. Serv. Georg. IV. 111. *Priapus fuit de Lampsaco civitate Hellesponti, de qua pulsus propter virilis membri magnitudinem, post in numerum deorum receptus, meruit numen esse hortorum.* Voss. de Idolol. II. 7. Aleand. & Gyrald. l. l. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 13. Hortis præesse credebatur propter eorum fœcunditatem, quia nunquam sunt horti sine aliquibus fructibus, eaque de causa in illis ponebatur Ithyphallus. Colum. X. 26. V. illum supr. in *Horti.* Virg. Ecl. VII. 34.

> —— *custos es pauperis horti.*

Et ab illis fures abigere, nec non aves fugare. Virg. Georg. IV. 110.

> *Et custos furum, atque avium, cum falce saligna*
> *Hellespontiaci servet tutela Priapi.*

Horat. Sat. I. 8. 1.

> *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,*
> *Cum faber incertus, scamnum, faceretne Priapum,*
> *Maluit esse deum: deus inde ego, furum aviumque*
> *Maxima formido: nam fures dextra coercet,*
> *Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus:*
> *Ast importunas volucres in vertice arundo*
> *Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.*

Et ut magis terreret, falcem illi in manus dederunt. Tib. I. I. 21. V. illum supr. in *Horti.* Virgilius modo laudatus. Lactant. II. 4. *Fures tam stulti sunt, ut Priapi tentiginem timeant? cum aves ipsæ, quas terrore falcis, aut inguinis abi-gi existimant, simulacris fabrefactis, id est, hominum plane simulis, insideant, nidificent, inquinent.* Plura Phurnut. de Nat. deor. c. 27. Inprimis a pastoribus honore afficiebatur. *Suidas.* Varias veteres Romani utensilibus induxerunt figuras, & in lautitiis ad festivitatem ab obscœnis non temperaverunt. Inde Juven. Sat. II. 95. V. illum supr. in *Pocula.* Fœdissimam consuetudinem egregie taxavit Plin. Proœm. XXXIII. *In poculis libidines cælare juvit, ac per obscœnitates bibere.* Rhod. de Acia c. 5. Grang. & Britann. in Juvenalem. Ejus mentulam meretrices coronabant. V. supr. in *Meretrices.* Broukhus. in Tibull. I. 4. 8. Rosin. Antiq. Roman. II. 20. & ad illum Demsterus. Sagittar. Gyrald. Aleand. l. l. Ferret. Mus. Lapid. I. memor. 12. Casal. de Prof. Rom. ritib. c. 12. Selden. de diis Syr. II. 5.

PRIMATES militabant in sacris scriniis. In his *primates*, priores, proceres, & primores dicebantur in capite constituti. Hi quindecim in scriniis militabant. l. 7. C. de proxim. sacr. scrin. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 7.

PRIMICERIUS dicebatur, primus qui notabatur in tabula cerata, hoc est, albo, sive catalogo munere aliquo fungentium. Ita etiam *secundicerius*, & *tertiocerius* dicuntur in notitia utriusque imperii. Suidæ dicitur πρῶτος τῆς τάξεως, id est, *qui in quocunque ordine primum locum obtinet.* Alciat. Annot. ad tres post. libr. Cod. p. 112. C. Chiflet. Anast. Childer. c. 9. Rhodig. Ant. Lect. XII. 6. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 64. Voss. Lex. Etymol. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 9. Sub postremis Imperatoribus μέγας κύριος est nominatus, teste Gregora VII. Ἀντὶ μεγάλου πριμικηρίου μέγαν κύριον ὀνομάζουσι νῦν. Quæ lectio recta est. Nam cum Bœotiæ, Thebarumque princeps hæreditariam hanc dignitatem a Constantino Magno accepisset, successu temporis non μέγαν κήριον, sed μέγαν κύριον vocaverunt, *magnum dominum.* Qui pro κυρίῳ emendant κήριον, veram lectionem immutant, & auctoris sensum perturbant. Nam verborum contrarietatem tollunt, quæ ex hac dictione ἀντὶ tollitur: κύριος enim opponitur κηρίῳ. *Guther. & Voss. l. l. Buleng. de Imp. Rom.* VIII. 13.

Primicerius cubiculi sacri erat præfectus cubiculariorum, qui idem ac *præpositus* cubiculi. V. illum supr. in *Præpositus.*

Primicerius fabricæ vocabatur primus illorum quinque, qui exemplo scriniorum eminebant in collegio, quod singulæ habebant fabricæ, de quibus §. 1. in authen. de armis, & ampliora sequentibus stipendia consequebantur, & gradatim proximi in locum succedentium decedebant. Vocatur hoc nomine l. 2. C. de fabricens. *Tribunum fabricarum primicerium* appellat Marcell. XV. 5. *Ad tribunum miserat fabricæ Cremonensis. Primicerii* facti post biennium a fabricandi laboribus immunes, tanquam protectores ad salutandum Principem, seu exosculandum sacram purpuram admittebantur d. l. 2. Valentinianus A. *Primicerium*, inquit, *fabricæ post biennium non solum vacatione; verum etiam honore donari præcipimus: ita ut inter protectores, ejusdem fabricæ, per biennium, adoraturus æternitatem nostram suo quisque tempore dirigatur.* Intelligit autem, ut *primicerius* cum protectoribus corporis Principis ad eum salutandum admittatur, non fabricæ protectores. Delenda enim sunt illa verba: *ejusdem fabricæ.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 67. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 12. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 21. §. 5.

Primicerius lampadariorum triennio tantum ea dignitate fungebatur, ut & sequentes illum gradum possent adipisci. Novell. Th. tit. 34. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 66.

Primicerius notariorum inter spectabiles in Notitia tertio loco ponitur. Sub ejus cura est notitia omnium dignitatum, & administrationum tam civilium, quam militarium. Hic scholas, & numeros tractabat, & in schola notariorum, quæ præclarum collegium, & sacratum vocatur l. 15. tit. 1. lib. 6. C. Th. *primicerius*, qui πρωτονοτάριος Codino, primum, & principem locum obtinet.

net. Illi laterculus major, ſeu commentarius Principis commiſſus erat. *Buleng. de Imp. Rom.* I. 14: IV. 4. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 9. Protonotarius, id eſt, primus notariorum vocatur etiam a Socrat. VII. 23. biennio manebat in officio, cui ſuccedebat adjutor, ſeu *ſecundocerius*, huic *tertiocerius*, tum *quartocerius*, qui ſecundum, tertium, & quartum in laterculo locum obtinebant l. 1. & 2. C. de primicer. Etiam jura a Principibus condita in ſenatu recitabat, ut ex lege Theodoſii conſtat lib. 6. tit. 1. l. oblationem in C. Th. *Data VI. Kalend. M. recitata in ſenatu per Theodoſium primicerium notariorum DD. NN. THEOD. XII. & VALENTIN. II. A. A COSS.* Officio functus ſenatoria, & magiſtri officiorum dignitate honeſtabatur l. 2. C. de primicer. Caſſiodor. in formul. notar. Proconſulique æquabatur. l. placet C. Th. de primicer. Huic hodie comparari poteſt magnus Venetæ reipubl. Cancellarius. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 93. occid. c.* 43. Munus deſcribit Claud. Epithal. Pallad. & Celerin. n. 81.

— cognomina ſumpſit
Plena ducum genitor paulatim vectus ad altum,
Princeps militiæ, qua non illuſtrior extat
Altera, cunctorum tabulas aſſignat honorum,
Regnorum tractat numeros, cuneosque recenſet,
Sparſas imperii vires conſtringit in unum
Depoſitum, quæ Sarmaticis cuſtodia ripis.

Buleng. ibid. IV. 4.

Primicerius in officio præfectorum prætorio erat illorum princeps, & caput officii, qui omnibus imperat, & quid agendum ſit ubique diſponit. Veget. II. 21. *In prima cohorte ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda conſequitur, ſicut primicerius in officio præfectorum prætorio ad honeſtum, quæſtuoſumque militiæ pervenit finem.* V. & infr. in *Princeps.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 10. Alciat. Annot. in tres poſt. cod. libr. p. 112. C.

Primicerius protectorum is eſt, qui princeps eſt in ſchola protectorum: cujus ſit mentio l. 9. C. Th. de domeſt. & prot. Ex *primicerio* protectorum ad tribunatum perveniri mos erat. Imperator l. 11. C. *Primicerius poſt acceptum tribunatum inter eos dignitate potiatur, qui ducatum agere meruerunt.* Ammian. XVIII. 3. *Inter quos etiam Valentinus, ex primicerio protectorum tribunus.* Valeſ. in Ammianum.

Primicerius ſcrinii largitionum privatarum pecuniarum, quas Princeps amicis donabat, rationes ſeniori curabat, & ſtipendiorum, quæ miniſtris, vel familiæ Principis, vel Auguſtæ pendebantur, ſiquidem largitiones pro remuneratione, & ſtipendiis accipiebantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 89.

PRIMIPILARIS dicitur *primipili* officio functus. Sic Julius Agrippa patruus major Juliæ Mammeæ Auguſtæ a Scævola *primipilaris* nominabatur l. pater. §. Julius Agrippa de leg. III. & alii plures l. pedicalis §. quidam ff. de aur. & arg. leg. l. ult. §. patrimoniorum. ff. de mun. & honor. *Panciroll. Notit. dignit imp. orient. c.* 21. *Lipſ. de Milit. Rom.* II. 8. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* II. *p.* 61. Etiamſi omnia ſtipendia nondum confeciſſent, quia tamen *primum pilum* geſſerint, habebantur pro emeritis, & equitibus dignitate æquabantur: itaque quoties in gratiam Imperatorum, & ſpe præmiorum militiam iterum ſumerent, non jam merebant in legionibus, ſed ſeparata quædam cum ceteris evocatis manus erant, quæ fere circa Imperatorem verſabatur, donec ad eundem *primipili*, aut majorem alium honorem promoverentur. Itaque & in caſtris in pedatura cohortium prætoriarum collocantur proxima Imperatori. *Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1058. *A.*

PRIMIPILUS, ſive *primopilus* fuit centurio primus inter decem centuriones triariorum. Liv. VII. 41. *Id propter Q. Salonium poſtulatum eſt ab conjuratis: qui alternis prope annis, & tribunus militum, & primus centurio erat, quem nunc primipilum appellant.* VIII. 8. *Duo primipili ex utraque acie inter triarios erant.* Val. Max. I. 6. *Aquilarum altera vix convelli a primipilo potuit.* Obedicbant illi ſexaginta centuriæ, id eſt, tota legio. Dionyſ. IX. p. 567. *M. Flavolejus, in una legionum illuſtri ornatus imperio; cujus ductum & juſſa ſexaginta centuriæ cum ſuis manipulis ſequi lex jubet; quos duces Romani vernacula lingua primipilos nominant.* *Præerat aquilæ,* ut docet Veget. II. 8. Cujus poteſtatis ea ratio fuit: quia, cum eſſent in legione tria militum genera, denis ſingula centurionibus inſtituta, haſtati, principes, triarii, & ceteris omnibus triarii ætate, uſu, fortitudine præſtarent; eo fiebat, ut primus centurio triariorum non modo reliquis novem triariorum centurionibus, verùm etiam reliquis haſtatorum, & principum centurionibus imperare poſſet. Verum id perquam raro factum opinor, quippe cum in præliis ſeparatim ſinguli ordines, haſtati, principes, triarii, pugnarent: quod ſi & haſtati, & principes loco moti, fuſique ab hoſtibus fuiſſent, tunc triarii, fugientibus exceptis, renovata pugna, hoſtes invadebant, eosque haſtati, & principes, modo victi ſequebantur: ita, permiſtis ordinibus, unum eſſe oportebat, cujus voluntati, & imperio milites omnes parerent; is autem primus centurio, id eſt, *primipilus* fuit, qui cum aquilæ præeſſet, & inter centuriones triariorum primum locum obtineret, jure omnibus reliquorum quoque ordinum centurionibus imperabat. Quod declarat quoque Plin. XXII. 6. *Primum pilum capeſſens ſub Catulo, excluſam ab hoc legionem ſuam hortatus, tribunum ſuum dubitantem per caſtra hoſtium erumpere, interfecit, legionemque eduxit.* Docet enim, eum, qui *primum pilum* duceret, primum locum in legione poſt tribunum militum obtinere ſolitum. Ceteris centurionibus honorati eum fuiſſe ait Liv. XLII. 32. *Cum tribuni militum centuriones, ſed primum quemque, citarent; tres & viginti centuriones, qui primos pilos duxerant, citati tribunos plebis appellarunt.* Quemadmodum autem *primipili* primum locum inter omnes ſuæ legionis centuriones obtinebant: ſic primæ legionis *primipili* honore præſtabant omnibus ceterarum legionum *primipilis.* Propterea Sp. Liguſtino, qui antea quater *primum pilum* duxerat, *primus pilus in legione prima, virtutis cauſa, eſt aſſignatus.* Liv. XLII. 35. *Manut. Quæſ. Epiſt.* II. 3. *Steuech. in Vegetium. Lipſ. de Milit. Rom.* II. 8. *Sigon. de jur. prov.* II. 2. *Valtrin. de Re milit. Roman.* III. 11. *Alex. Gen. dier.* I. 5. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 911. *B. Alciat. Annot. in tres poſt. libr. Cod. p.* 117. *A. Coraſ. Miſc. Jur. civ.* V. 4. *Voſſ. Lex. Etymol. Patric. Rei milit. Rom. p.* 4. *ſ.* 6. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* II. *p.* 61.

Primipilus militaris annonæ exhibitor, a *primipili* centurione nomen ſortitus eſt. Miniſterium grave in re vectigali, & tributaria ſuſtinuit: Non tamen manu pugnavit, non ordinem duxit, nec aliter rem militarem attigit, quam quod militibus annonam diſtribueret l. 1. C. de condict. ex lege: *Si te ex primipilo debitorem conſtitutum fiſci, ac patrimonium tuum exhauſtum præſes provinciæ comperit, ut ad ſolutionis ſecuritatem ſolum fundi tui pecuniæ ſubſidium ſupereſſe videatur, commonebat debitorem tuum, ſi tamen ipſe ſit ſolvendo, ut ante definitum tempus debita repræſentet, ut fiſco, cujus ob neceſſitates publicas cauſam potiorem eſſe oportet, debita pecunia exſolvatur.* Theod. Hermopolit. lib. IX. tit. 9. *Si publicum dederit alicui primipilum, quæ eſt annona primis militibus ſpeculatoribus eroganda, & is qui accepit annonam in privatos uſus conſumpſerit.* Unde apparet *primipilum* hoc loco non ordinem primi centurionis, ſed annonam ſignificare. *Exhibitionem, paſtum, peſtionem primipili* vocat Imperator C. Th. de Cohortal. Explicat hoc Conſtantius l. 6. C. Th de Cohortal. *Primipilaribus, qui ad paſcendos milites ad limitem deſtinantur, gravia ſuſtinentibus detrimenta credidimus eſſe conſulendum, ita ut ſpecies a primipilaribus præſtentur, nec in nummum aureum redigantur, actis apud rectorem provinciæ conficiendis, per quæ deſignabitur: quatenus ſpecierum modus in uſum alimoniæ militaris a primipilaribus præbeatur.* *Præfecti prætorio præceptis, & publicis utilitatibus erat in perpetuum obnoxius* l. 27. C. de Epiſc. & cleric. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 31. *Alciat. An-*

not. in tres post. libr. Cod. p. 117. *A. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 20.

PRIMISCRINIUS dicebatur quasi *primus*, hoc est, magister *scriniorum*, qui & *primicerius scriniorum* dicitur. *Voss. Lex. Etymol.*

Primiscrinius canonum habebat curam pensionum, quæ pro prædiis per Ponticam, & Asianam diœcesin, & in Mesopotamia, Osrhœnaque a Principe per longum tempus conductis, vel in emphyteusin acceptis solvebantur. Hæc pensio, cum esset certa, canon vocabatur l. 9. 10. & pen. C. de fund patrimon. & saltuens. qui plerumque in auro, quandoque frumento, vino, aut oleo pendebatur. Unde auraria, & frumentaria pensio vocatur a Constant. l. 2. C. de fund. patrim. Harum rationes in hoc scrinio notabantur, quantum exactum, quantum ex his impensum, quantum ad comitem missum esset. Frumentum, & aliæ species singulis quatuor mensibus præstabantur, aurum toto anno, prout erat commodum, solvebatur l. 3. C. Th. de collat. fund. patrim. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 89.

Primiscrinius numerarius est dictus, qui præcipuum scrinium administrabat, in quo rationes vectigalium, & numerorum l. 3. C. de apparit. præf. prætor. l. scriniarii C. de testam. mil. In officio vicarii Romæ *primiscrinii* dicti numerarii, ad quorum curam spectabat præter alia munera, exigere millenos denarios in Campanis, Lucanis, Bruttiis pro lardo debito populo Romano: quod munus pertinebat pariter ad *primiscrinium* præfecti l. ult. C. de suariis. *Buleng. de Imp. Rom.* IV. 13. Hos adjutores, & subadjuvas commentariensis & officii esse puto, qui delinquentes carceri mancipatos observabant. Qui etiam hi, & in aliorum magistratuum officiis *primiscrinii* dicuntur, in magistri militum per orientem officio adjutores vocentur, & ita etiam in jure nominari videntur l. 3. C. de appar. P. P. Adjutoris quoque subadjuvas Justinianus officium præfecti prætorio explicans, *primiscrinios* appellat l. 2. §. in scrin. primiscrin. C. de offic. præf. præt. Afr. *In scrinio*, inquit, *primiscrinii*, *quod* est subadjuvæ, hominibus 10. a noræ 14. capitationes 12. Hi *primiscrinii numerarii fiunt*, inquit Notitia, quoniam numerum delinquentium, varietatem delictorum, clausorum ordines, ætatem, sexum, & nomina condemnatorum, & absolutorum scribebant: quod etsi onus esset commentariensis l. pen. vel ult. de cust. reor. etiam adjutori incumbebat, quod præsertim Notitiæ tempore observari potuit. Non ergo intelligo *primiscrinios* numerarios factos fuisse, quia si aderant numerarii, ipsi frustra eum locum tenuissent: sed interpretor eos in delinquentium, & criminum rationibus, & aliis hujusmodi annotandis numerariorum officio functos fuisse. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 41.

Primiscrinius securitatum pecuniarum solutarum chirographa servabat. Quid illæ sint. V. infr. in *Securitas*. In hoc scrinio reponebantur securitates, seu apochæ illorum; qui a rationalibus pecuniam accepissent, vel illis solvissent, & eorum, qui bona publicata a fisco emissent. Hujus scrinii, & securitatum ad Æneam comitem rerum privatarum scribens meminit Zeno l. 2. §. ult. C. de quadrienn. præscr. *Jubemus*, inquit, *quotiens competens scrinium gestis intervenientibus distractarum rerum pretia sese deposuerit suscepisse: minime post hujusmodi solutæ pecuniæ depositionem emptores quasi non numeratis pecuniis molestari.* Vult his securitatibus ita fidem haberi oporteri, ac si gesta intervenissent, id est, apud acta factæ fuissent. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 89.

PRIMITIÆ, *ἀπαρχαὶ*, pertinebant ad precationes. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 19. Illas Deo afferre omnium ritum tam apud Hebræos, quam alias gentes, est antiquissimus. Hunc a Caino, & Abele institutum esse legimus. Illorum enim alter agrorum, & fructuum, alter ovium, pinguedinumque Deo obtulit *primitias*. Deus ipse exegit illas, fructuum terræ Exod. c. 23. n. 19. c. 24. n. 26. Deut. c. 18. n. 4. messis Lev. c. 23. n. 10. cujusque massæ Num. c. 15. n. 20. olei, musti, & frumenti Num. c. 18. n. 12. 13. Idem monet Salomon Prov. c. 3. n. 9. *Honora Jehovam de substantia tua, & de præcipuo proventus tui.* Et antiquos hunc ritum recepisse docet vetus Comm. Horat. Sat. II. 5. 14. *Ante deos*, inquit, *hoc est, antequam primitias laribus offeras, mitte munera diviti, quasi sit sibi ipsis diis venerabilior: nam veteribus ipsa consuetudo, ut rerum primitiæ diis laribus ponerentur.* Romanorum religionem commendans ritum hunc indicat Plin. XVIII. 2. *Ac ne degustabant quidem novas fruges, aut vina; antequam sacerdotes primitias libassent.* Et Hyperboreos Apollini *primitias* frugum misisse refert IV. 12. *Nec licet dubitare de gente ea, cum tot auctores prodant, frugum primitias solitos Delon mittere Apollini.* De illis Porphyr. de Abstin. anim. II. §. 5. *Vetus sacrificandi consuetudo fuit per placentarum, & fructuum oblationes: unde voces θυσίαι primitiæ ex odoriferis plantis, & fructibus: θυηλὴ arcula, in qua illæ primitiæ asservantur. . . .* Tomas. de Donar. c. 4. Almelov. Antiq. p. 115. Guther. de Vet. jur. pont. IV. 16.

PRIMUS quid quisque fecisset, solebant Romani diligenter annotare. Senec. de Brev. vit. c. 13. *His diebus audivi quendam sapientem referentem, quæ primus quisque ex Romanis ducibus fecisset. Primus navali prælio Duilius vicit. Primus Curius Dentatus in triumpho duxit elephantos. Primus Romanis persuasit navem conscendere Claudius, Caudex ob hoc ipsum appellatus. Valerius Corvinus primus Messanam vicit, & primus ex familia Valeriorum, urbis captæ in se translato nomine Messalla dictus est. Primus L. Sulla in circo leones solutos dedit. Primus Pompejus in circo elephantorum duodeviginti pugnam edidit.* Atque hinc in ipsis Capitolinis magistratuum fastis C. Licinio *primum e plebe* magistrum equitum, L. Sextio *primum e plebe* consulem fuisse, Q. Publilio Philoni *primum proconsulem* triumphasse adscribitur. De quo postremo etiam Liv. VIII. 26. *Duo singularia hæc ei viro primum contigere, prorogatio imperii, non ante in ullo facta, & acto honore triumphus.* Imo de his omnibus conjunctim in orat. P. Decii X. 8. *L. Sextius primus de plebe consul est factus. C. Licinius Stolo primus magister equitum. C. Marcius Rutilus primus & dictator, & censor. Q. Publilius Philo primus prætor.* Perizon. Animadv. Hist. c. 8.

Primus pilus fuit centurionatus, quem ordinem *primipilus* ducebat. Liv. VIII. 8. *Sub signis quindecim ordines locabantur: ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat: earum unamquamque primum pilum vocabant.* Suet. Cal. c. 44. n. 2. *Nonnullis centurionibus ante paucissimos dies quam essent consummaturi, primos pilos ademit.* Cæs. de Bell. civ. III. 91. 1. *Erat Crastinus evocatus in exercitu Cæsaris, qui superiore anno apud eum primum pilum in legione decima duxerat.* Manut. Quæst. Epist. II. 3. Voss. Lex. Etymol. Stewech. in Veget. II. 7.

PRINCEPS electus non tantum a barbaris, Gallis, Gothis, Francis scuto imponebatur, & in altum tollebatur; sed etiam posteriori ævo a Romanis. Ammian. XX. 4. de Juliano a Gallicanis militibus *principe* renuntiato: *Impositus scuto pedestri, & sublatius eminens, nullo silente, Augustus renuntiatus, jubebatur diadema proferre.* Zonaras in Justiniano: *Ipsum scuto impositum sublatum, Imperatorem proclamarunt.* Apud Græcos idem mos obtinuit inter sollennia Principatus. De Theodoro Ducæ filio Niceph. Gregor. III. 1. *Dictus postea Imperator est a volentibus subditis, sedens in clypeo juxta morem in hac re receptum.* In exceptis Georgii Pachymerii II. *Imperatorio clypeo insidet is, qui imperio destinatur.* Pith. Advers. Subcel. II. 6. Lips. in Tacit. Histor. IV. n. 31. Schill Nomencl. Philol. p. 1026. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 10. legibus est solutus, hoc est, ut explicat Dion LIII. p. 509. A. *omni legis necessitate liberatus, nec iis, quæ scripta sunt, subjectus.* Omnis enim agendi licentia ei datur. Quod non ad omnes leges porrigi ipsi *Principes* consentiunt, sed ad eam multitudinem, & infinitam varietatem legum novarum, quæ dissensione ordinum, & adipiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque prava, per vim, aut gratiam latæ erant. Nam *corrupt*

Rep

Republica plurimæ leges; ut queritur Tacit. Annal. III. 27. 5. Quales ſunt Papia Poppæa, lex viceſimæ hæreditatum, & aliæ hujuſmodi, quæ *Principem* non ligant. Hinc cum Ulpian. l. princeps ff. de legib. ſcripſit, *Principem* legibus ſolutum eſſe, de lege Papia Poppæa intellexit. Nam ſumpta eſt ex XIII. ad Juliam & Papiam, ad quam viginti libros ſcripſit. At *leges naturales etiam contra Principem valent, omniſque illegitima exceptio rejicitur.* Baſilic. II. 6. 1. Nec ſi regnante Tarquinio ulla ſcripta lex eſſet de ſtupro; ideirco non contra legem illam ſempiternam Tarquinius vim Lucretiæ afferre potuit. Etenim *probra quædam*, ut ait Ulpian. l. 42. ff. de verb. ſignif. *natura turpia ſunt, quædam civiliter, & quaſi more civitatis. Utputa furtum, adulterium natura turpe eſt.* Lex ergo, quæ eſt ratio ſumma a natura inſita, quæ jubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria, nullo jure tolli poteſt: quia, ut ait Cicer. de Legib. II. 4. *legis vis non modo ſenior eſt quam ætas populorum & civitatum; ſed æqualis illius cœlum & terras tenentis & regnantis Dei.* Quapropter cum *Princeps* lex vera ſit, & recta ratio ſummi Dei; digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe *Principem* profiteri, quia de auctoritate legis illius pendet auctoritas, & re vera *majus imperio eſt, ſubmittere legibus principatum.* Guther. de Offic dom. Aug. I. 31. Auguſt. de Legib. c. 18. Cujac. Obſerv. XV. 30. Magiſtratus non eſt, ſi Tiberio credimus apud Tacit. Annal. III. 53. 3. *Non ædilis, aut prætoris, aut conſulis partes ſuſtineo; majus aliquid, & celſius a Principe poſtulatur.* Sed tamen Adrianus *in Etruria præturam Imperator egit. Per Latina oppida dictator, & ædilis, & duumvir fuit. Apud Neapolim demarchus, in patria ſua quinquennalis: & item Adriæ quinquennalis, quaſi in alia patria, & Athenis archon fuit.* Nos magiſtratum magiſtratuum dicemus, cum judex ſit, edicat, & decernat. In eo tamen judicium *Principis* differt a magiſtratus judicio, quod magiſtratus legibus adſtrictus illarum juſſu exſequitur: at quod Imperator cognoſcens decrevit, vel per epiſtolam conſtituit, & ſubſcriptionem ſtatuit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, lex eſt l. 1. ff. de conſtit. Princip. *Guther. ibid. c. 20.* In Urbe habebat duodecim faſces, etſi magiſtratum ordinarium non gereret. V. ſupr. in *Faſces.* Sedebat medius inter conſules. Tiberius apud Suet. c. 17. n. 6. *Poſitum in ſeptis tribunal ſenatu adſtante conſcendit, ac medius inter duos conſules cum Auguſto ſimul ſedit.* Claudius apud eund. c. 23. n. 6. *De majore negotio acturus in curia medius inter conſulum ſellas tribunitio ſubſellio ſedebat.* Caligula apud Dion. LIX. p. 649. A. *Pro tribunali in ſella inter conſules ſedens.* Vitellius apud Tacit. Hiſt. II. 59. 5. *Vitellius Valentem, & Cæcinam pro concione laudatos curuli ſuæ circumpoſuit.* Chiment. de Hon. biſell. c. 15. Tiraquell. de jur. primig. præſ. n. 117. Moderationis, & æqualitatis laude non erubeſcebat minus digniori loco ſedere, ut cum honorem haberet præcipue conſulibus, & antiquæ Reipublicæ imaginem retineret. Hoc multo magis factum, cum *Princeps* conſul non eſſet: præſidebat enim tunc ſenatui conſul. Verum neque eo tantum fine, neque perpetua lege id factum. Tiberius quo rebus agendis foret intentior: judicii, juſtitiæque fidem promptius ſpecularetur, ac litigantium poſtulatis vindex, & inſpector adeſſet, non ſemper pro tribunali, atque honeſtiſſimo loco, qui erat in forma ſemirotunda medius, aſſidebat, verum in *cornu tribunalis*, ut Tacit. Annal. I. 75. 1. quod expreſſit Suet. c. 33. n. 2. *miſtim, vel ex adverſo parte primori.* Claudius, ubi medius conſulum ſedens aliquid de Republica ageret, in ſuum locum redibat, conſulibusque curules ponebantur. Dio LX. p. 675. C. *Poſt hæc tum ipſe ad conſuetum locum redibat, tum illis,* conſulibus, *curules ponebantur.* Chiment. ibid. c. 16. Caſaub. in Suetonium. Ludos ſpectabat e ſuggeſtu in orcheſtra. Origo rei a Julio Cæſare, quem Suet. c. 76. n. 2. inter alios honores, quos nimios recepit, admiſiſſe ait *ſuggeſtum in orcheſtra.* Et ſecuti Principes id tenuere. Nero apud Suet. c. 12. n. 7. *Icarus primo ſtatim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipſumque cruore reſperſit. Nam perraro præſidere: cæterùm accubans primum parvis foraminibus, deinde toto podio aperto ſpectare conſueverat.* Ex quo facile colligas ſuggeſtum illum tectum & inædificatum fuiſſe, ad modici cubiculi formam, cui proprium etiam ſuum podium, quod oſtiis quibusdam, ſive feneſtris, arenam verſus aperiretur. Morem illum illuſtrat, dum commendat Trajanum, quia civiliter ſuſtulit, Plin. Paneg. c. 51. n. 3. *Digna populo victore gentium ſedes, viſenda cum cætera ſpecie, tum quod æquatus plebis, ac principis locus. Siquidem per omne ſpatium una facies: nec magis proprius ſpectandi Cæſaris ſuggeſtus, quam propria quæ ſpectat. Licebit ergo civibus tuis invicem contueri: dabitur non cubiculum Principis, ſed ipſum cernere in publico, in populo ſedentem.* Lipſ. de Amphith. c. 11. Buleng. de Imp. Rom. II. 29. de circo c. 35. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium. Argol. in Panvin. de lud. Circenſ. II. 16. Dicebatur adorari. V. ſupr. in *Imperator.* In nomen ejus jurabatur. Suet. Claud. c. 10. n. 7. *Armatos pro concione jurare in nomen ſuum paſſus eſt.* Ammian. XXI. 5. *Juſſi univerſi in ejus nomen jurare ſollenniter, gladiis cervicibus ſuis admotis ſub execrationibus diris, verbis juravere conceptis, omnes pro eo caſus, quoad vitam profuderint, perlaturos.* Hanſen. de jurejur. vet. c. 17. Lipen. de Stren. c. 2. art. 2. §. 25. Pitiſc. in Suetonium. A militibus: ut in acta ejus a ſenatu, & civibus. Primi triumviri Kal. Januar. & ipſi jurarunt, & alios adegerunt ſe rata habituros acta Julii. Dio XLVII. p. 337. D. *Kalendis novi anni & ipſi triumviri jurarunt, & alios jurare coegerunt, omnia acta Julii rata ſe habituros: quod & uſurpatur in omnibus qui tenent imperium, aut tenuerunt, niſi forte infamia, ignominiaque publice notati ſunt.* Id accidit ſub annum Urbis 712. Factum idem vivo Auguſto. Tacit. Annal. XVI. 22. 6. *Ejusdem animi eſt, Poppæam divam non credere, cujus in acta D. Auguſti & D. Julii non jurare.* XIII. 11. 1. *Claudio Nerone, L. Antiſtio Coſ. cum in acta Principum jurarent magiſtratus, in ſua acta collegam Antiſtium jurare prohibuit.* Hanſen. & Lipen. l. l. Lipſ. Excurſ. in Tacit. Annal. XVI. A. Pro ſalute ejus vota ſuſcipiebantur, & ſolvebantur. V. infr. in *Votum publicum.* Tum abſenti, tum vita defuncto ſedes ponebatur in argumentum honoris, majeſtatis ſimulacrum, præſentiæ imitamentum, jucunditatemque, ac ſolatium memoriæ. Quaſi equidem *Principes* ſuo nomine, ac cœleſti vultu nusquam non deſint, ut providentiam commodent, impertiantque auxilium tuendæ Reipublicæ. Julio Cæſari. Suet. Jul. c. 76. n. 2. *Sedem auream in curia, & pro tribunali.* Dion XLIV. p. 243. C. *Jam in theatra etiam ſellam ejus auream inferri juſſerunt.* M. Marcello. Dion LIII. p. 517. D. *Auguſtus juſſit, ut ludis Romanis effigies Marcelli aurea, aureaque corona, & ſella curulis in theatrum inferretur, mediaque inter præfectos iis ludis magiſtratus collocaretur.* Pertinaci. Xiphil. LXXIV. p. 841. A. *Juſſit, ut ei tres ſellæ aureæ in reliqua theatra perferrentur.* Germanico etiam decretæ ejuſmodi ſedes curules per trina, ut opinor, theatra inter ſacerdotum Auguſtalium ſedes, & coronæ in iis e quercu, ob cives ſcilicet ſervatos. Tacit. Annal. II. 83. 1. *Ut nomen ejus Saliari carmine caneretur, ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis, ſuperque eas quernæ coronæ ſtatuerentur.* Primum veſtigium ejus ritus odorari videor in verbis Liv. II. 31. *Dictator triumphans Urbem invehitur. Super ſolitos honores locus in circo ipſi, poſterisque ad ſpectaculum datus: ſella in eo loco curulis poſita.* Lipſ. in Tacitum. Chimentell. de Hon. biſell. c. 14. Moris etiam erat, ut novus *princeps* de honoribus defuncti relationem ſtatim faceret. Capitol. Maxim. & Balbin. c. 4. *Prima igitur relatio Principum fuit, ut duo Gordiani divi appellarentur.* Et ideo Spartian. Did. Julian. c. 4. *De ipſo Pertinace neque male, neque bene quicquam egit: quod graviſſimum plurimis viſum eſt.* Caſaub. in Capitolinum & Spartianum. Ejus orationes in æs incidebantur, & Kalendis Januariis recitabantur. Dio LX. p. 671. C. *Cum legerent in ſenatu orationes quasdam Auguſti & Tiberii ex decreto, ita ut ad veſperam ſenatus detineretur, legentes Claudius inhibuit: dicens ſufficere, quod ea in columnis inciſa eſſent.* Plin. Paneg. c. 75. n. 2. *Acclamationes noſtras neque interciperet oblivio P. C.*

in publica acta mittendas, & incidendas in ære censuistis. Ante orationes Principum tantum ejusmodi genere monumentorum mandari æternitati solebant. Lipſ. in Tacit. Annal. XIII. n. 11. Panciroll. Notit. Dign. Imp. orient. c. 73. V. & illas ſupr. in *Oratio.* Ejus vultu ſignabantur nummi. V. ſupr. in *Nummus.* Populum peccantem, aut exorbitantem alloquebatur per libellum, & coercebat. Tacit. Annal. III. 6. 1. *Gnarum id Tiberio fuit: utque premeret vulgi sermones, monuit edicto.* Eo reſpicit metaphora ſcita Senec. Epiſt. 95. *Præcepta sapientiæ, quæ affectus nostros velut edicto coercent & obligant.* Lipſ. in Tacitum.

Princeps juventutis dici eſt ſolitus filius, & alii adoleſcentes adhuc conſanguinei Imperatoris. Nomen enim *principis juventutis* libera Republica concedebatur nobiliſſimis equeſtris ordinis adoleſcentibus, qui ætatis defectu a capeſſendis magiſtratibus excludebantur, & inter equites cenſebantur, quouſque annum vigeſimum octavum ingreſſi, quæſturæ candidati ad comitia deſcendentes, primum magiſtratum obtinebant. Hinc factum eſt, ut equeſter ordo juventutis nomine deſignaretur, quamvis plurimi in illo conſeneſcerent. Val. Max. II. 2. 9. *Equestris ordinis juventus omnibus annis bis Urbem spectaculo sui sub magnis ductoribus celebrabat.* Hinc Liv. XLII. 61. *Equites enim illis principes juventutis.* Tacit. Annal. I. 3. 3. *Genitos Agrippa Cajum & Lucium, nondum posita puerili prætexta principes juventutis appellari.* Tunc enim titulus hic inventus eſt, cum ordo equeſtris, quo Auguſto blandiretur, Cajum Cæſarem *principem juventutis*, id eſt, equitum appellavit, & ſecundum ab Auguſto in Romano orbe *principem* deſignavit. Auguſtus enim, ut de illo Tacit. Annal. I. 3. 3. *cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub imperium accepit.* Ita Cajum alloquitur Ovid. Art. Am. I. 194.

Tale rudimentum tanto sub nomine debes
Nunc juvenum princeps, deinde future senum.

Principis enim ſenatus titulum Cajo, utpote futuro Auguſti ſucceſſori auguratur, cum jam eſſet *princeps* juvenum, id eſt, equitum. *Spanhem. Dissert. de præst. numism.* VIII. *p.* 664. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* II. *c.* 3. *Lips. in Tacit. Annal.* I. *n.* 22. *Buleng. de Imp. Rom.* V. 8. *Vander Muelen de Ort. & inter. imp. Rom. p.* 164. *Robortell. de Cognom. & Appellat. Imperat. Misc. Erud. Ital.* I. *p.* 652. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 902. *E. Turneb. Adv.* XXV. 17.

Princeps officii dicebatur tam in officiis palatinis, quam præſidum, & rectorum provinciarum. Unus erat proprie. Multum intererat inter principem officii, & officiorum. Hic dicebatur magiſter officiorum. Vetuſta inſcriptio: FL. EUGENIO. V. C. EXPRÆFECTO. PRÆTORIO. CONSULI. ORDINARIO. DESIGNATO. MAGISTRO. OFFICIORUM. OMNIUM. Corripp. IV.

—— mandante magistro
Omnis sacrorum vis adfuit officiorum.

Et *princeps officiorum* in antiquo ſaxo: NERITO. DIVI. CLAUDI. PRINCIPIS. OFFICI. IMPER. id eſt, *principis officiorum.* Et omnia officia ſub ſe habebat. Ille unius officii *princeps*, & primus erat, nec magiſter audiebat. Diſtinguit illos Lamprid. Alex. Sev. c. 32. *Injuriam nulli fecit, nec magistris, aut principibus officiorum.* Salmaſ. in Lampridium, & Capitol. Anton. Philoſ. c. 8. Guther. de offic. dom. Aug. II. 15.

Princeps peregrinorum tribuno par erat. Hunc poteſtatem habuiſſe credo in peregrinos multæ dicendæ, pignoris capiendi, & fuſtibus cædendi. Hoc enim jus fuit tribunorum in cives Romanos, præfectorum in ſocios. Hanc conjecturam facio ex lege Marciani l. milites §. irreverens ff. de re milit. Aperte quidem ille: *Irreverens miles non tantum a tribuno, vel centurione, sed etiam a principe coercendus est.* Hic *principem* primæ legionis intelligi perſpicuum eſt. *Guther. de jur. man.* I. 7. V. & infr. in *Principatus.*

Princeps in officio præfectorum prætorio appellatur exemplo *principis* primæ cohortis, qui præerat centum quinquaginta militibus. Hunc accenſo legionis comparat Aſcon. in Cicer. p. 90. *Accensus est nomen ordinis, ac promotionis in militia, nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. Hæc enim nomina de legionaria militia sumpta sunt.* Exemplo ergo *principis* legionis, prope omnia, quæ in judiciis ordinanda ſunt, ad hunc pertinent. Veget. II. 8. *Ab hoc princeps in officio nomen habuit, quia & ipse omnia, quæ ab officialibus agenda erant, ordinabat: illi enim sine ipso nihil exsequebantur. Nullus in carcerem detrudi, nullus advocatus introduci ipso inscio potest.* Gratian. l. 1. C. de princip. agent. in reb. *Agentes in rebus post palmam laboris emeriti principatus honore muneramus, atque ideo officiales, tam ad necessitates publicas, quam privatas, non nisi principe mittantur auctore, nullarum sine ipso cuiquam mandetur exhibitio personarum.* Hic ergo litigantes ad præfectum citari jubebit, omnia judiciorum acta exſequebatur l. 1. & 2. eod. tit. Symmach. Epiſt. I. 22. *Cum ad ejus ædes princeps officii commeasset, & obstinatam hominis contumaciam non posset inflectere, inanem syngrapham reportavit.* Et: *Hoc ubi princeps officii comperit, paucis comitatus excurrit, retinet Felicem celebri urbis loco, nec tamen eripit: deinde a principibus utriusque officii perducitur.* Judicium actori dictabat, & libellum reo edendum componebat. Marcian. l. ult. de ſep. *Qui judicium dictaverint heredi, separationem, quasi hereditarii, possunt impetrare, quia ex necessitate hoc fecerunt, scilicet cum essent officiales, vel hujus principis ministri.* Sed præcipua exigendorum tributorum illi cura incumbebat, ut refert Caſſiod. XI. in delegatoria principis. Multa conſequebatur commoda. Omnium ſportularum, quæ a litigantibus ſolvebantur, particeps erat l. ult. C. de re milit. & de princ. agen. in reb. ipſe cum litigabat, leviores ſportulas ſolvebat d. l. C. de princ. agen. in reb. Majus etiam ſtipendium percipiebat. In officio enim P. P. Africæ ſex annonas, id eſt, alimenta pro totidem perſonis, & quatuor capita, id eſt, pabula pro totidem equis capiebat. Pro ſingulis vero annonis quinos ſolidos, pro ſingulis capitibus quaternos taxavit Juſtin. l. 1. C. de offic. præf. præt. Afric. *Panciról. Notit, dignit. imp. orient.* c. 10.

Princeps primus vocabatur primus ordo inter *principes*; ſic ſecundus, tertius, uſque ad decimum. Unde illud Cicer. Epiſt. ad Brut. 8. *C. Nascennius, Cretensi bello, Metello imperatore, octavum principem duxit.* Tranſibant autem centuriones, virtutis gratia, ab inferiore ordine ad altiorem; ut a decimo haſtato ad nonum; a nono ad octavum; & ſic, uſque ad primum: a primo vero haſtato non ad decimum *principem*, ſed ad primum; nec deinde a primo *principe* ad decimum triarium, ſed ad primum, qui priſcis temporibus vocabatur primus centurio, poſterioribus primipilus. V. Livium ſupr. in *Primipilus.* Hanc mihi conjecturam de centurione primi haſtati ad ordinem primum *principem* traducto affert Livius, apud quem Sp. Liguſtinus ita loquitur XLII. 34. *Hic me imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret. Tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum, qui adversus Ætolos, & Antiochum Regem est missus: a Man. Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus.* De centurione autem primi *principis* ad ordinem primipili traducto Veget. II. 8. *Vetus consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoveretur centurio primi pili.* Manut. Quæſ. Epiſt. II. 3.

Princeps ſenatus erat, qui primus legebatur. Poſt *principem* vero ſenatus, diſcrimine graduum, & ætatum ſervata, cæteri ſenatores & ſcribebantur, & recitabantur. Hoc datum eſt ex Liv. XXVIII. 11. *Lectus a Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Maximus consul: inde alius lectus senatus.* De reliquis ſenatoribus colligo ex Cicer. pro Dom. c. 32. ubi L. Cottam hominem cenſorium in ſenatu juratum dixiſſe refert, ſe, *si censor tum esset, cum ego, inquit, aberam, me meo loco*, id eſt, inter conſulares, *senatorem recitaturum fuisse.* Item ex Gell. III. 18. cum ait hoc modo: *Quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias.* Atque hinc perſpici poteſt, quem annales

nales populi Romani, & monumenta vetuſtatis *principem* ſenatus appellent; veriſſimumque illud eſſe, honoris hoc genus iis tantum deferri ſolitum, qui auctoritate, & amplitudine rerum geſtarum maxime excellebant. Nam dignitate *princeps* ſenatus omnes magiſtratus anteibat, etſi nec imperium, nec poteſtatem haberet. Cujus rei auctorem, & præceptorem habeo Zonaram. Cæterum Liv. I. I. narrat eum, qui ex cenſoriis vetuſtiſſimus eſſet, ſenatus *principem* legi ſolitum: *Cornelius*, inquit, *morem traditum a patribus ſequendum ajebat, ut qui primus cenſor ex iis, qui viverent, fuiſſet, eum principem legerent. Is T. Manlius Torquatus erat. Neque tamen hanc conſuetudinem ſecutus eſt Sempronius, ſed, cum diu certatum eſſet verbis, ſuo arbitrio fecit principem in ſenatu Q. Fabium Maximum conſulem.* Addit Liv. XLIX. *niſi ſenatu motus eſſet, uno vivo, alium in locum ejus nunquam lectum.* Itaque videmus eundem pluribus luſtris ſenatus *principem* fuiſſe. Nam, ut alios præteream, memorat in Bruto Cicero M. Lepidum a ſextis cenſoribus *principem* ſenatus recitatum. Facit quoque mentionem ſortitionis inter cenſores Liv. XXVII. 11. *Sempronius*, inquit, *cui dii ſortem legendi dediſſent, ei jus liberum eoſdem dediſſe deos ajebat.* Zamoſc. de Senat. Rom. 1. 4. Manut. de Senat. Rom. c. 2. Guther de Offic. dom. Aug. I. 42: II. 5. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 4. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 84. G. Horum catalogum exhibet *Panvin. Faſt.* V. *p.* 336.

PRINCIPALES civitatum, & curialium dicuntur, qui modum tributi definiebant, alioſque onerabant, alios levabant. Symm. Epiſt. IX. 10. *Principalibus, & tabulariis liberum eſt, alios a diſpendio vindicare, aliis indebitum munus imponere.* Buleng. de Vectig. c. 12.

Principales quinam dicti fuerint inter decuriones V. infr. in *Summates.*

Principalis eſt præcipuus, & princeps. *Pici Martii principales in auguriis* ſunt. Plin. X. 18. Hinc & ad *principes* refertur Reipublicæ, ut *principalia opera* apud Paterc. II. 124. 3. Ad ſolos deinde Cæſares, ut *principales opes, principalis domus.* . . . In re militari, qui ſcriptoribus prioris ævi *principes* caſtrorum, legionis, alæ, centuriæ, turmæ, item primores juvenum, & duplicarii, hi ſub Cæſaribus *principales*, ut jam olim in caſtris porta & via appellabantur. Veget. II. 7. *Principalium militum, &, ut proprio vocabulo utar, principum nomina, & dignitates ſecundum præſentes matriculas indicabo.* Opponuntur gregalibus, ut immunibus munifices. Vegetius: *Principales, qui privilegiis muniuntur, munifices, qui munus facere coguntur.* Tacit. Hiſt. I. 57. 4. *Nec principes modo coloniarum, aut caſtrorum, quibus præſentia ex affluenti, & parta victoria magnæ ſpes; ſed manipuli quoque, & gregarius miles, viatica ſua, & balteos, phalerasque, inſignia armorum argento decora, loco pecuniæ tradebant.* Schel. in Hygin. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1059. C.

PRINCIPATUS officium viris clariſſimis in rebus agentibus dabatur, & tantæ erat dignitatis, ut poſt *principatum* in ampliſſimo ordine illi inter allectos conſulares haberentur l. 5. C. Th. de agent. in reb. Tribunatus civibus, præfectura ſociis, *Principatus* exteris patuit. Tribuni lege curiata, vel a conſule, aut imperatore militibus dati. In præfecturas, & *principatus* nullum jus populus Romanus habuit, quod exercitus ducibus relictum eſt. Præfecturas igitur in ſocios, *principatus* in peregrinos auxiliares contulit conſul, aut is, qui exercitui præeſſet. *Guther. de jur. man.* I. 7.

PRINCIPES, *qui a principio gladiis pugnabant, & poſt commutata re militari, minus illuſtres ſumuntur.* Varr. de Ling. Lat. IV. 16. qui indicare videtur, aut haſtatos olim gladiis non pugnaſſe, id eſt, levis armaturæ fuiſſe milites: (leves enim procurſabant tantum, eminusque in hoſtem jaculabantur, irrita deinde velitatione, pugna, ſi inſtaret hoſtis, in intervalla manipulorum recipiebantur; ad manus raro veniebant, neque collato pede in hoſtem pugnabant) aut certe *principes* in prima acie, ante haſtatos, ſolitos collocari: non enim dici potuiſſent *principes*, quod a *principio* gladiis pugnarent, ſi jam ante eos alia acies erat iiſdem armis, teliſque inſtructa, neque minus ad propiorem pugnam habilis. Neque enim ullo modo aſſentiri poſſum viro celeberrimo, in hoc loco, a *principio* interpretanti *olim in antiqua militia:* quomodo dixit Tacit. Annal. I. 1. 1. *Reges a principio Romam habuiſſe.* Ridiculum enim ſit, dictos ideo *principes*, quod olim gladiis pugnaverint: quaſi prima inſtitutione, cum acceperint nomen, id inde acceperint, quod jam olim aliqud fecerint, cum nondum in rerum natura eſſent. Nec poſtea inde accepiſſe nomen hoc, quod olim aliquid fecerint, ſimile eſt veri. Quæ enim hæc ratio ſit, dici ideo *principes*? Sic quidem nullus antiquus ordo ſit, cui non merito conveniat nomen *principum:* aliquid enim in prima ſua inſtitutione feciſſe neceſſe eſt. Sed hæ nugæ ſunt. *Principes* Varro dictos vult, quod primi eſſent, qui gladiis pugnarent: primi enim *principes* ſunt. Ac hoc quidem perſpicuum eſt: obſcurius, quod ſequitur. Dubium enim eſt, an minus illuſtres poſtea ſumpti, qui *principes* eſſent: an qui a principio gladiis pugnarent. Illud putat Salmaſ. de Re milit. Rom. c. 1. & ad Marianam refert militiæ mutationem; nec tamen ullo exemplo probat, in Mariana, aut illa, quæ ſub Imperatoribus fuit militia, minus illuſtres fuiſſe, qui *principes* dicerentur. *Principes* enim, & *principales* milites, tum præcipui dicebantur: nec alio ſenſu accipi uſquam videas, ex quo a ſignificatione antiqua, qua deſignabatur medius inter haſtatos, & triarios ordo, receſſum. Varronis autem ætate vocabula illa, *principum*, haſtatorum, triariorum manipulis manebant. Quare ſi de mutatione Marii intelligendus eſt Varro, non aliter intelligendus eſt, quam antea in *principes* lectos τὺς ἀκμαιοτάτυς ταῖς ἡλικίαις; poſtea diſcrimen illud ſublatum eſſe. Ego malim cum Lipſ. de Milit. Rom. II. Dial. 1. intelligere, commutata jam olim militia Serviana, haſtatos, id eſt, juvenes pubeſcentes, & proinde minus illuſtres, in locum *principum* ſubſtitutos, qui primi pugnarent gladiis: cum antea ex Servii inſtituto ditiſſimi quique in prima acie eſſent: & pedibus in ejus irem ſententiam, ſi quidem apud Varronem eſſet *ſumebantur*, vel *ſumpti.* Ac neſcio, anne ita fuerit: offendit enim aliquo modo, *poſt commutata militia ſumuntur.* Dixiſſet enim potius, opinor, *nunc commutata.* . . . imo, cum in veteri codice ſit, *minus illuſtres ſunt:* omnino mihi perſuadeo, ſcripſiſſe Varronem: *poſt, commutata militia, minus illuſtres ſumpti.* Quicquid ſit, veterem illam inſtitutionem, qua *principes* primi gladiis pugnabant, & haſtati haſtis, vel a Servio, vel a Tarquinio, vel utique libertatis principio, commutatam eſſe neceſſe eſt. Primos enim gravis armaturæ jam antiqua Republica haſtatos fuiſſe, ſecundos *principes* inter omnes ſatis conſtat. Ac jam, bello Latino, hunc ordinem obtinuiſſe, ubi haſtas palam attribuit triariis, auctor eſt Liv. VIII. 8. *Triarii ſub vexillis conſidebant, ſiniſtro crure porrecto, ſcuta innixa humeris, haſtas ſubrecta cuſpide in terra fixas, ut haud ſecus quam vallo ſepta inhorreret acies, tenentes.* c. 10. de pilanis Latinorum: *qui aliquandiu pugna atroci quum & ſemet ipſi fatigaſſent, & haſtas aut præfregiſſent, aut hebetaſſent.* & triariis Romanorum: *clamore ſublato principia Latinorum perturbant, haſtisque ora fodientes primo robore virorum cæſo, per alios manipulos, velut inermes, prope intacti evaſere.* Quod ſi jam tum, priſco ordine turbato, haſtati a principio gladiis pugnabant, ut antea principes: pilanique haſtis, qui antea pilis; quid eſt, quod de ætate Polybii, aliorumque tanto propiori addubitemus? Quod ſi haſta triariorum fuit, pilum haſtatorum, & pilum *principum* telum eſt. Haſta enim, & pilum ſunt, quæ gravis armaturæ militibus adſcribuntur, non alia. In cenſu Serviano δόρατα attribuit primis claſſibus Dionyſ. IV. p. 221. Liv. I. 43. haſtas; pilum vero non uno loco, & ſigillatim XXVII. dat haſtatis, quos, ait, *pila in elephantos conjeciſſe. Pilum* proprium Romanorum telum eſt. V. ſupr. in *Pilum.* Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1272. E.

PRINCIPIA erant locus in caſtris poſt prætorium, & quæſtorium nobiliſſimus, nempe in quo legati, tribuni militum, ac primorum maxime ordinum ductores non ali-

ter,

ter, ac Imperator in prætorio, quæstor in quæstorio tendebant, ac jus dicebant. Plutarch. in Galb. c. 17. verbatim convertens, *archaa*, sive *initia* dixit; cum additione, *quæ Romani principia appellant.* Cicer. Epist. ad Brutum. *Spes libertatis nusquam in castrorum vestrorum principiis est.* Cur non tota castra nominat? cur hæc ex mie? quia in *principiis*, aut juxta illa tribuni, præfecti, honestissimi decurionum, & centurionum: quibus scilicet cura major, & amor Reipublicæ, ac libertatis, quam militari vulgo. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 6. *Gronov. Obs.* IV. 10. *Lips. de Milit. Rom.* V. 4. *Bernegg. ad Justin.* XI. 6. 6. *Sichterman. Dissert. de Pan. milit. c.* 11. *Laurent. Polym.* IV. *Symps.* 3. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 114. Sollennis locus concionum militarium. Declarat hoc Tacit. Annal. I. 67. ubi ait ducem milites consternatos, & fugam ex castris parantes, cum ex terrore revocasset, *contractos in principia, jussosque dicta cum silentio accipere, temporis, ac necessitatis monuisse*, sequente breviter orationis, quam dixerat ad eos, in *principia* contractos, argumento. *Perizon. Dissert.* I *de prætor.* §. 22. Dicebantur mitti. V. supr. in *Prætorium signif.* III. Duobus manipulis, principum & hastatorum, quos ad locum hunc celeberrimum, & sacerrimum ordinabant tribuni, curæ erat, ut *principia* hæc versa, & tersa essent. Nam quia frequenti itu, & attritu necessum erat pulverem, aut lutum fieri (ibi enim sermones, & conventus in totum diem, atque etiam judicia, & si quid aliud publice agendum) jusserunt indies viam hanc adspergi, & mundari. Polyb. VI. 31. Illud, cum pulvis; hoc, cum lutum. Sordes humanas extra castra, & vallum fecerunt, cum liceret, id est, de die: si nocte urgerentur, in tentoriis, & vasis, ac calones, aut ipsi asportarunt. Quid si etiam, ut Turcæ hodie, in fossis quibusdam hæc excreverint, iisque terra repletis, alias subinde novas foderint? Id potuit. Faciunt simile in extis, aliisque rejectamentis carnium, & ea defodiunt, atque humo operiunt contra fœtores. *Lips. ibid. dial.* 8. *Thys. ibid. p.* 124. In illis milites perperam agentes ante oculos tribunorum, centurionum, militum, & excubitorum ignominia afficiebantur. Frontin. IV. 1. 29. *Sylla cohortem, & centuriones, quorum stationem hostis perruperat, galeatos & discinctos perstare in principiis jussit.* §. 30. *Domitius Corbulo in Armenia Æmilio Rufo præfecto equitum, quia hostibus cesserat, & parum instructam aciem habebat, vestimenta per lictorem scidit: eidemque ut erat fœdato habitu, perstare in principiis, donec mitterentur, imperavit.* Augustus *pro delictorum genere*, excepto si quis stationem deseruerat, *variis ignominiis milites affecit, jussitque eos stare per totum diem ante prætorium, id est, in principiis, interdum tunicatos, discinctosque, nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes.* Cuper. Obs. V. IV. 19. Faber Semestr. II. 8. Perizon. Dissert. de Prætor. §. 29. Imo sanguinem mittebant, & plerasque pœnas dabant. Frontin. §. 17. *M. Cato memoriæ tradidit, in furto comprehensis inter commilitones dextras esse præcisas, aut si lenius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem missum.* Suet. Oth. c. 1. n. 5. *Ausus est milites quosdam capite punire, & quidem ante principia, se coram.* Lips. in Tacit. Annal. XV. 11. 14. de Milit. Rom. V. 18. Sanguinis missio ignominiarum numero censebatur. Gell. X. 8. *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animadversio, jubere ignominiæ causa militi venam solvi, & sanguinem dimitti.* Sed capitis punitio, cruci affixio, vel aliæ pœnæ, quibus milites morti dabantur, extra castra sumptæ, & non in *principiis*. In illis enim erant signa, & aquilæ, castrorum dii. Germanicus apud Tacit. Annal. II. 17. 2. cum videret octo aquilas petere, & *intrare silvas, exclamat: irent, sequerentur Romanas aves, propria Romanorum numina.* Artabanus transgressus Euphratem apud Suet. Cal. c. 14. n. 5. *aquilas, & signa Romana adoravit.* Quin & per aquilas, non secus ac per deos jurabant. Liv. XXVI 48. *Stare hinc legionarios milites, hinc classicos per omnes deos paratos jurare magis quæ velint, quam quæ sciant vera esse, & obstringere perjurio non se solum, suumque caput, sed signa militaria, & aquilas, sacramentique religionem.* Hi vero occisorum sanguine commaculati fuissent. Tacit. Annal. I. 39. 5. *Ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris, sanguine suo altaria deum commaculavisset.* Unde & Calvisii Sabini uxorem carpit, ac veluti sacrilegii ream facit Hist. I. 48 4. quæ *in ipsis principiis stuprum ausa.* Crimen erat adulteram esse, sed majus *in ipsis principiis*, id est, loco sacro, deorum quasi in conspectu hoc dedecus committere. Suetonius Othonem carpit, non laudat, nimiamque severitatem traducit, & vituperat. *Capite* enim *milites punire* magnum, & severum; sed majus, factum fuisse *ante principia, se coram.* Qui que non ignorant vim particularum, *& quidem*, mihi, spero, assentientur; simulque perspicient Othonem male audisse, quod ne quidem reveritus fuerit sanctum locum, in quo aquilæ, & signa, id est, dii militares, suppliciis fœdare. *Cuper. l. l.* Vulgarium hominum, seu gregalium militum pœnæ ex vulgaribus delictis ablegabantur extra vallum. Senec. de Ira I. 16. V. illum supr. in *Decollatio.* Veget. I. 23. V. illum supr. in *Porta decumana.* Tacit. Annal. I. 29. 6. *Alii, corpora extra vallum abjecta ostentui.* Lips. in Tacitum. Perizon. ibid. §. 27. At olim omnino intra vallum, *in principiis*, pro concione, sedente in tribunali Imperatore, exigebantur: immo & postea, si quando sollenne supplicium, & exemplo statuendo conducibile, sumeretur. Ergo quum Q. Fabius Rullianus magister equitum absente dictatore L. Papirio, & contra ejus edictum pugnasset, dictator redux in castra confestim milites *classico ad concionem advocasse* legitur apud Liv. VIII. 32. tum magistrum equitum citavisse *ad tribunal* suum, denique jussisse eum ibidem *vestibus spoliari, & secures* in eum *expediri.* Facta hæc itaque eo loco, ubi in concionem exercitus vocabatur, & tribunal Imperatoris erat positum: hoc autem erat *in principiis.* Clarius designatur idem castrorum locus in historia supplicii sumendi apud Liv. IX. 16. Nimirum idem ille L. Papirius Prænestinarum cohortium præfectum, quia segnius ex subsidiis suos in primam aciem subduxerat, volens *ultimi supplicii metu perfundere.* Quocirca *inambulans ante tabernaculum vocari* eum, & porro *lictorem secures expedire jussit*, adeo ut exanimis jam staret Prænestinus ille, tanquam ibidem loci statim securi feriendus. Facta hæc certe ante prætorium in *principiis.* Nam prætorium omnino intelligitur, quando in castris ita simpliciter, & κατ' ἐξοχὴν tabernaculi, & Imperatoris, sive summi Ducis fit mentio. Porro autem, ut magis terreret hominem, debuit utique sollennia suppliciorum observare, & inprimis captare locum ei rei proprium: qui proinde fuerit in *principiis* ante prætorium, necesse est. Sed nihil apertius verbis Senecæ Contr. IV. 25. Agitur isthic de flagitio L. Quinctii Flaminini, qui in gratiam meretricis in triclinio prætorii inter epulas damnatum aliquem occiderat. In quo crimine accusando quum urgeretur maxime circumstantia loci & temporis, patroni omnia egerunt, ut illam evaderent, & in meliorem partem interpretarentur: id quod fecerunt, conquirentes ex illa ipsa circumstantia quædam, quæ reprehensione & culpa vacarent. Audiamus jam verba, quæ sunt Triarii. *Occisus est, qui? damnatus. ubi? in prætorio. quo tempore? est enim aliquod tempus, quo nocens perire non debeat.* Sciendum omnino, dici hæc ab eo, qui causam Flaminini agebat, & proinde omnia justa, legitima, sollennia, quæ in circumstantia facti reperiri ulla specie poterant, opponi accusatoribus. *Damnatum* occidi justum, & sollenne habetur. Nullum etiam *tempus* esse alienum a supplicio nocentis sumendo dicitur. Quod ad *locum*, non tam generali responso defungitur Triarius, sed certum commemorat, qui proinde neutiquam a pœnis etiam capitalibus alienus debuit esse. Cæteroquin enim generali item responso eludi debuisset hæc interrogatio & invidia a *loco* petita. Manifestum itaque hinc, sollennem fuisse Romanorum suppliciis locum, prætorium, seu *in principiis* ante prætorium. Nam quod in prætorio hic dicitur, condonandum rhetori, qui aliter servata historiæ fide, loqui non poterat, & eo tamen ipso, quod apud, vel ante prætorium supplicia sumi solerent, invidiam ex circum-

cumſtantia loci petitam evadere conabatur. *Perizon. ibid.* §. 27. Dii caſtrenſes, aquilæ, & ſigna militaria, non adeo ſane abhorrere debuerunt ab omni cæde, etiam quæ ſecundum judicum ſententiam, atque ita jure fieret, ut propter ſupplicia in caſtrorum *principiis* ſumi nefas foret, quum utique in aciem ſemper, & prælium efferrentur, ubi multa ſane patrabatur cædes tum hoſtium, tum civium. *Perizon ibid.* §. 22. At Suetonium ipſum decurre obſecro, mi lector, & vides, quod ille epiphonema huic facto ſubjiciat: *quo facto*, inquit n. 6. *ſicut gloriam auxit, ita gratiam minuit.* Nempe *gratiam minuit* apud Principem, *gloriam auxit* apud omnes alios. Quo modo ergo *male audivit* hoc nomine, aut quæ in his ineſt facti reprehenſio? Nam quod Suetonius ait: *auſus eſt capite punire, & quidem ante principia*, ejus rei non alia eſt cauſa, quam quod hoc facto ſibi gratiam apud Principem neceſſario minuere debuerit, quum capite puniret illos milites, *quamvis*, ut addit Sueton. n. 5. *ob id ipſum promotos in ampliorem gradum a Claudio ſciret.* Ergo non temere, *auſus eſt*, ait auctor, *capite punire*, quoniam eo ſupplicio offenſurus eſſet ſine ullo dubio Principem. Eodemque jure, & ratione ſubjungit, & *quidem ante principia ſe coram.* Potuiſſet enim eosdem clam interemiſſe, vel etiam centurioni mandaſſe curam ſupplicii extra vallum peragendi. Ille vero punivit eos præſens, ſuamque auctoritatem huic ſupplicio præbens, in loco caſtrorum conſpectiſſimo, & frequentiſſimo, ubi maxime ſollennia ſupplicia ſumebantur; atque ita certius adhuc incidere debuit in offenſam *Principis*, quandoquidem res, tali modo geſta, ignorari a *Principe* non potuit, nec ipſe auctoritatem ejus ſupplicii apud illum defugere. Neutiquam ergo iſtis Suetonii verbis, eorumque ἐμφάσει ſignificatur quædam loci ſanctimonia, quæ licet revera fuerit quidem in *principiis* caſtrorum, neutiquam tamen inde excluſit ſupplicia. Sed neque Taciti illis ſignificatur talis quædam loci ſanctimonia. Nam & hujus locutionis ratio non aliunde eſt petenda, quam a multitudine hominum, quæ iſtic, ut in foro caſtrenſi, ſemper erat. Hinc apud Liv. XXVIII. 25. tribuni militum miſſi, ut revocarent ad officium ſeditioſos, leguntur *primo circumiviſſe tentoria, dein in principiis, prætorioque, ubi ſermones inter ſe ſerentium circulos vidiſſent, alloquuti.* Immo inde factum, ut illi qui militari quadam ignominia erant notandi, ſtare iſtic per totum diem cogerentur. Exempla jam attulimus ex Suetonio & Frontino. Quæ, obſecro, iſtius rei reddetur ratio, niſi quod, tum locus ille erat deſtinatus exigendis omne genus pœnis, tum homines illi ſtabant iſtic in conſpectu totius exercitus, & ſic illa ignominiæ nota erat omnibus conſpicua: id quod quærebatur, quodque etiam probat fuiſſe iſtic hominum maximam ſemper multitudinem. Sed & ad hanc rationem referri poteſt, quod Flor. III. 10. valde item ἐμφατικῶς: *Itaque tantus gentis novæ terror in caſtris, ut teſtamenta paſſim etiam in principiis ſcriberentur.* Quo ſignificatur, vel quod ab ipſis præfectis, tribunis. . . . . qui in *principiis* juxta prætorium tendebant, teſtamenta fuerint ſcripta: vel quod alii quoque, iſto terrore occupati, non veriti fuerint, etiam in conſpectu ipſius Imperatoris, reliquorumque ducum, ac totius exercitus edere ſui terroris certiſſima ſigna, condendo teſtamentum, tanquam mox morituri. Quum itaque ſummæ impudentiæ indicium eſſet, ſi quæ mulier in conſpectiſſimo caſtrorum loco, ubi interdiu frequentia erat omnis generis militum, noctu vigilum, & excubitorum, ſtuprum committeret, nonne juſta ſatis cauſa fuit dicendi, illam auſam fuiſſe ſtuprum in ipſis *principiis*, ubi nulla itaque alia, quæ aliquid verecundiæ, & pudoris haberet, id fuiſſet auſura? *Perizon. ibid.* §. 28. & 29. *Sichterman. l. l.*

Principes dicebantur principales milites, qui privilegiis muniti erant. Ammian. XV. 5. *Senſim cum principiorum verticibus ſecretius collocutus. Principiorum vertices* ſunt tribuni, centuriones, ordinarii, draconarii, & ſimiles. Veget. III. 2. *Principiorum, tribunorumque & ipſius comitis.* c. 8. *Singulæ centuriæ, dividentibus campidoctoribus, & principiis, accipiunt pedaturas.* Gronov. Obſ. IV. 10. Valeſ. in Ammianum. Stewech. in Veget. I. 20. Salmaſ. de Re milit. Rom. c. 5.

Principia dicebantur frons aciei, ubi ſigna in hoſtem promovebantur, & duces, principesque laceſſendi, & committendi prælii conſiſtebant: ut in caſtris, ubi prætorium, & ſigna fixa erant, & interdum magna parte præcipui duces imperia exſpectabant. Liv. II. 65. *Quanquam ceſſere magis quam pulſi hoſtes ſunt, quia ab tergo erant clivi, in quos poſt principia integris ordinibus tutus receptus fuit.* Frontem aciei ſignificat fuiſſe turbatam, quique ibi pugnabant: qui ſecundum eam locati erant, eos ſalvis ordinibus pedem retuliſſe. Siſenn. Hiſt. III. *Poſt principia paullatim recedunt, atque inde cum paucis fugæ ſe mandant,* hoc eſt, ex illo loco, ubi complexus armorum, & diſcrimen erat, lentim referunt pedem; cumque conſtitiſſent, unde tuto terga liceret dare aliis etiam tum propugnantibus, necdum omnibus *principiis* turbatis, ſtratisve, matura fuga ſibi conſuluere. Liv. III. 22. *Trium populorum tres ſeparatim acies circa vallum hoſtium inſtruxit. Ipſe erat medius cum legionibus Romanis. Equites, quæ cuique parti poſt principia collocat. Ita triſariam adortus caſtra circumvenit.* Quod nihil aliud eſt, quam ab tergo aciei, quæ oppugnabat: caſtra enim adoriebantur munita, ubi nullus equitis uſus: at poſtea, ut refert Livius, *effuſe fugientes eques, cui ſuperare vallum haud facile fuerat, quum ad id ſpectator pugnæ adſtitiſſet, libero campo adeptus, parte victoriæ fruitur, territos cædendo.* Quid proprie hic equites facerent inter principes, & triarios medii? niſi ſimul aſtati principesque oppugnabant. Conſtitere igitur poſt aciem, quæ prima oppugnabat, partim, ut victoriam persequerentur, ſi ea eveniſſet; partim, ut repulſos, ſi contra eveniſſet, reciperent, hoſtesque erumpere prohiberent. Liv. VIII. 10. V. illum ſupr. in *Principes.* Apud quem *in principiis Latinorum*, ut ex ſuperiore narratione conſtat, ipſi jam illorum triarii erant. Igitur perperam Valtrin. de Re milit. Rom. V. 2. hic quoque *principia* interpretatur locum medium in acie, ubi principes eſſent. Senec. de vit. beat. c. 14. *Prima virtus ſit, hæc ferat ſigna: at qui voluptati tradidere principia, utroque caruere.* Ad aciem reſpicit, quia dicit, *ferat ſigna:* feruntur enim non in caſtris, ubi fixa ſunt, ſed vel in itinere, vel in acie: *principia* igitur, unde inferuntur ſigna, hoc eſt, in fronte aciei. Sic & Tacit. Hiſt. II. 43. 2. *Primani, ſtratis una & viceſimanorum principiis, aquilam abſtulere*, hoc eſt, non principibus, ſed principibus ordinum, ſed primis ordinibus: nam omnis reliqua legio ſalva fuit, & hoc dolore commota mox repulit primanos interfecto legato, & plurima ſigna, vexillaque ex hoſtibus rapuit. Lipſius lib. IV. ad hunc locum, nam & prima acies, ait, alibi *principia* dicta; & ſunt qui ipſos *principes*, hoc eſt, mediam ſic appellent. Vidit verum: ſed in rem non ſatis inquiſivit, atque ideo ambiguus fuit. Ego, qui ex veteribus ſic *principes* appellarint; in hunc diem quæro: certe quotieſcunque de acie loquentes *principia* nuncupant, quod meminerim, prima ſigna, primos ordines, frontem aciei intelligunt. Hinc igitur proprie *poſt principia* eſſe dicuntur, qui poſt illam partem aciei ſtant, quæ omne diſcrimen excipit: itaque tuti ſunt, propugnatores habent, loco ſibi caverunt. Ita Terent. Eun. IV. 7. 11. uſurpatur:

Hic ero poſt principia: inde omnibus ſignum dabo.

Gronov. Obſ. IV. 10. Salmaſ. de Re milit. Rom. c. 6. Paullatim factum nomen loci poſt partem, quæ manum conſerit, *poſtprincipia.* Denique generatim ad omnia, quæ ſecundum quarumcunque rerum *principia* ſubſequuntur, tranſlatum. Plaut. Perſ. IV. 1. 3.

Ut quisque rem accurat ſuam, ſic ei procedunt poſtprincipia.

Varr. de re ruſt. III. 4. *A poſtprincipiis, & ut in caſtris:* explicatque eſſe, *ab his temporibus potius, quam a ſuperioribus.* Et apud Gell. XVI. 18. *Diſciplinarum utilitatem, vel voluptatem in poſtprincipiis exſpectare.* Scalig. in Varronem. Gronov. l. l. Taubman. in Plautum.

PRISTIS, *genus navigii a forma priſtium marinarum, qua*

quæ longi corporis sunt, sed angusti. *Claud. Rer. Rom.* xii. *Quinque pristes, navigium ea forma a marina bellua dictum est.* Non. xiii. 13. Pro navi etiam ponitur apud Liv. xliv. 28. *Adjectæ ad hunc numerum quinque pristes erant.* Jun. Anim. ii. 13. Pro cognomento indito triremi posuisse videtur Virg. Æneid. v. 116.

Velocem Mnestheus agit acri remige pristin.

Subdit enim:

Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi:
Ingentemque Gyam ingenti mole Chimæram
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt: terno consurgunt ordine remi.

Neque enim fuisset æqua, & par contentio, si pristis illa paucioribus, aut pluribus remis acta fuisset, quam Chimæra, cui Gyas præerat. Utitur & Polyb. xvii. 1. *Philippus habens quindecim lembos, & unicam pristin.* Solebant autem cognomenta indere navibus, & etiam ad proram affingere. Lucian. Navig. p. 493. *E regione aqua proportione prora exstructa erat, in longum producta, habens utrinque Isin deam, quæ cognomentum navi dederat.* Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 597. F. Cerda in Virgilium. Gorall. in Albinov. Fragment. p. 174.

PRIVATI dicti omnes extra Principem, licet summis magistratibus admoti, cum Romana res ad unum est delata. Tacit. Annal. ii. 31. 3. *Ut identidem interrogaret, an ipse imperii potens, an Silius privatus esset?* id est, num nondum factus esset Imperator. Suet. Aug. c. 28. n. 2. *Reputans se privatum non sine periculo fore.* Tacit. Hist. i. 49. 6. *Major privato visus est, dum privatus fuit, & omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.* Hinc Mæcenati Horat. Od. iii. 8. 25.

Negligens ne qua populus laboret
Parce privatus nimium cavere.

id est, ne nimis saluti urbis, atque adeo imperii sis intentus, parce tanta semper cura providere, ne quid detrimenti capiat populus Romanus negligens suæ salutis, otio, ludis, & desidiæ deditus, cum non sis Imperator, & cura imperii ad te non pertineat, sed ad Augustum. Et quia consulatus secundus est & proximus principatui honor, ideo *summum fastigium privati hominis* appellatur a Plin. Epist. ii. 1. 2. Nec adscendere quisquam altius poterat, & esse *privatus*. Cuper. in Lactant de mort. persecut. c. 18. Spanhem. de præst. numism. Dissert. viii. p. 739. Buchner. in Plinium. Pitisc. in Suetonium. Opponuntur militantibus. Lamprid. Alex. Sev. c. 58. *Sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus, & militibus donavit, ita ut eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent.* Ambros. in pass. Agnet. *Coronatur civitas tota: fit lætitia militantibus, atque privatis.* Etiam *privatus* militi opponitur a Paullino natali quarto Felicis: ubi de Hermia Felicis fratre loquitur, quem ait Cæsari militasse, Christo *privatum* egisse, id est, non militasse. *Gronov. in Senec. de Vit. beat. c. 2. Buchner. l. l. Casaub. in Lampridium.* Et tunc significant paganos, vel qui militiæ nomen non dederunt. Docuit me hoc Lactantius hoc eodem capite: *probis moribus, & comitate singulari, a militibus amaretur, a privatis & optaretur.* Cuper. l. l. Conferebant, si quid in auro, aut argento haberent, ut pompæ matris deûm præiret. Herodian. i. 10. §. 11. *Initio veris, singulis annis, die dicta Romani matri deûm pompam ducunt, & ante pompam ex æquo ab omnibus omnia opum argumenta feruntur.* Buleng. de Circo c. 38.

PRIVATUM Adriani a Victore *privata*, scilicet domus, vocatur, & in duodecima Urbis regione collocatur. Dicta, quia illa nondum Imperator habitavit. Capitol. in M. Antonin. Philos. c. 5. *Jussus in Adriani privatam domum migrare, invitus de maternis hortis recessit.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 370. E.

PRIVIGNUS *est uxoris meæ filius ex alio viro natus, & liberi mei, quos ex alia uxore habeo, uxori meæ sunt privigni.* Modestin. l. 4. §. 6. ff. de gradib. *Hotomann. de Rit. matrimon. c. 10.*

PRIVILEGIUM *non est generale jussum, neque de universis civibus, sed de singulis conceptum: neque de imperio Cn. Pompeji, neque de reditu M. Ciceronis, neque de cæde P. Clodii quæstio, neque alia id genus populi, plebisve jussa leges vocari possunt, sed privilegia vocari debent: quia veteres priva dixerunt, quæ nos singula dicimus: quo verbo usus est Lucill. Sat. 1.*

— abdomina thynni
Advenientibus priva dabo, cephalæaque carne.

Gell. x. 20. Mar. Victorin. Art. Gramm. i. p. 2466. Edit. Putsch. *Credo quod ignoretis nomen privilegium quod dicitur, lex enim privilegii in unum hominum est dicta.* Et recte, nec enim aliud est *privilegium*, quam *priva lex*, ut docet Cicer. de Leg. iii. 19. *In privos homines leges ferri noluerunt: id est enim privilegium.* Bud. in Pandect. p. 48. C. Gifan. Collect. Lucret. in Privus. Voss. Lex. Etymol. August. ad Leg. xii. tab. §. 1. de Leg. c. 3. Ræ-vard. ad Leg. xii. tab. c. 2. Cujac. Observ. xi. 8. Rittersh. ad Leg. xii. tab. Class. ii. c. 2. Hotman. Antiq. Roman. iii. 2. p. 399. Blond. Triumph. Rom. iv. p. 89. C.

PRO.

PRO *frugibus facere* dicebantur, qui pro illis sacrificabant. Macrob. Sat. iii. 2. *Ideo huic deæ pro frugibus fieri sacra dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur.* Festus: *Ambarvalis hostia est, quæ rei divinæ causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt.* Virg. Ecl. iii. 77.

Cum faciam vitula pro frugibus: ipse venito.

Brisson. de Form. i. p. 18.

Pro populo fieri dicebatur in sacris Bonæ deæ. Cicer. de Arusp. resp. c. 17. & ad Attic. i. 11. V. supr. in *Damum.* Brisson. de Form. i. p. 19.

PROBA vocabatur specimen, Græce *δεῖγμα*, quæ Imperatori offerri solebat annonam militarem *probanti.* Dicta est pro probatione, ut nota pro notatione, missa pro missione, & multa similia. Vulgo appellamus *une épreuve, un essay.* Ammian. xxi. 16. V. illum supr. in *Frumentum.* Vales. in Ammianum. Petav. in Themist. Orat. x. p. 614.

PROBACTOR. V. illum infr. in *Provocator.*

PROBARI dicebantur hostiæ. Plin. viii. 45. *Quamobrem probatio victimarum in vitulo, ut articulum suffraginis contingat, breviore non litant.* Tertull. Apologetico: *Ut mirer, cum hostiæ probentur penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cur præcordia potius victimarum, quam ipsorum sacrificantium examinentur.* Quomodo *probarentur*, priusquam aris admoverentur, explicat Lucian. de sacrif. p. 368. *Jam vero quum immolant, coronatam pecudem, quæ multo ante, sit ne ad sacra legitima, explorarunt, ne quam ex his mactent, quas vetat religio, ad aram adducunt.* Erat & alia ante aras victimarum *probatio*, cujus in schedis meminit Serv. Æneid. xii. 173. *Fruges salsas*, ait, *& ferro, quibus rebus & cultri aspergebantur & victimæ. Erant autem istæ probationes, utrum esset animal aptum sacrificio oblatum. Etiam cultrum a fronte usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant. Et hoc est, quod ait:*

— & tempora ferro
Summa notant pecudum.

Et ix. 627.

Quoties victima luctabatur, ostendebat se improbari.

Brisson. de Form. i. 14.

PROBATIO equorum, *probat. equor.* in tabula veteri sæpius legitur. Nos Itali *provare i cavalli.* *Probare* boves dixit Varr. de Re rust. i. 20. *De omnibus quadrupedibus prima est probatio, qui idonei sunt boves.* Metaphorice Cicer. Topic. 19. *Ingeniosos, opulentos, & ætatis spatio probatos dignos, quibus credatur, putant.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. i. 12.

PROBATORIÆ dicebantur literæ, ſeu inſtrumenta, tanquam ſymbola, quæ pro gradu, & officio petentium dabantur; modo ex ſcrinio memoriæ, interdum ex ſcrinio ſacrarum literarum, vel ex ſcrinio ſacrorum libellorum. Neque in palatina tantum militia hæ uſui, verum etiam in caſtrenſi, ut apparet ex conſtitutione Zenonis l. neminem C. de re milit. qua conſtitutione etiam illud cavebatur, eas non magiſtrorum militum, aut ducum, ut antea fieri ſolebat, ſed ipſius Principis manu ſubſignari debere. Ipſæ quoque *probatoriæ* codicibus illis, qui in ſcriniis ſingulis aſſervabantur, inſeri ſolebant l. 3. C. de agentib. in reb. *Sicurecn. in Vegæt.* II. 19. *Cerd. Adv. c.* 169. *n.* 7. *Pancıroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 8.

PROBOLIUM eſt venabulum, aut contus. Heſychius: *Probolium eſt ſpecies haſtæ, qua venatores utuntur in apris capiendis.* Philoſtr. in Συοθήρᾳ: *Ferunt cum venatoribus muli, & muliones compedes, & retia, & venabula,* προβόλια. . . . *Buleng. de venat. circ. c.* 28.

PROCARE dicebatur a'te litigatorum, qui nominatim petebat judicem. Eſt enim *procare* poſcere. Utuntur hac formula: *Si alium procas, nive eum procas.* Feſtus in procum: *Procare eſt poſcere, ut cum in judice collocando dicitur: ſi alium procas, nive eum procas, hoc eſt, poſcis.* Pollet. For. Rom. v. 5. Briſſon. de Form. v. p. 368. Sigon. de Judic. I. 23.

PROCEDERE dicebatur præfectus prætorio orientis, egrediens cum inſignibus in publicum; ſicut & Imperator, quando prælato igne cum pompa exibat: nam in actis Antonini legitur, cum ipſe ſalutatus eſſet, & *proceſſiſſet*, oblatus eſt ei Julianus Licinius. Hinc Licinius Ruffinus, ad proceſſus, inquit l. 1. C. de ſenten. paſſ. & reſt. viri uxor ei donare poteſt, id eſt, ad parandam pompam in *procedendo*. Hæ magiſtratuum, & conſulum *proceſſiones* l. 41. nam & Imperator de don. int. vir. & ux. etiam a Juſtiniano, & Græcis πρόοδοι appellantur l. de his 41. §. ſin autem C. de Epiſc. & cler. & novel. 105. §. 1. ſeu authen. de conſ. *Panciroll. Notit. dign. imper. orient. c.* 22.

PROCELLA erat ſignum cladis. Appian. Parthic. p. 138. *Craſſo per pontem exercitum traducenti obſtrepebant immaniter multa tonitrua mixtis fulminibus in oculos militum fulgurantibus, ventus quoque procelloſus in pontem incubuit, & bonam ejus partem perfregit. Locus caſtris deſignatus bis de cœlo tactus eſt.* Mithrid. p. 231. *Procella, quantam nemo fuiſſe meminerat, tabernacula utriusque exercitus dejecit, & jumenta, equosque abripuit, & homines aliquot præcipites tulit.* Buleng. de Prodig. c. 29.

PROCASTRIA erant ædificia ante caſtra, adnexi hybernis, aut ſtativis, ut eo reciperentur lixæ, advenæ, mercatores, & qui caſtra ſequebantur, quibus non licebat ſe miſcere militibus, præterquam hoſte ingruente. Feſtus nutat in hac voce explicanda. Morem hunc caſtrenſem notat Tacit. Hiſt. IV. 22. 1. *Suburbia longæ pacis opera, haud procul caſtris in modum municipii exſtructa.* Pro hac conſuetudine, cum Germanos equites ſubito ad caſtra advolaſſe ſcribit, Cæſar de Bell. Gall. VI. 36. *Nec prius ſunt viſi, quam caſtris appropinquarent, uſque eo, ut qui ſub vallo tenderent mercatores, recipiendi ſui non haberent facultatem.* Manifeſto enim dat intelligi, lixas, id eſt, mercatores, & id genus ſub caſtris tetendiſſe, non in caſtris, & receptum denique in ea habuiſſe hoſte inſtante. *Lipſ. de Milit. Roman.* v. *dial.* 1. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* v. *p.* 106. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 3. Gloſſæ: *Procaſtria,* οἰκήματα πρὸ παρεμβολῆς. *Procaſtria,* οἱ πρὸ παρεμβολῶν τόποι. *Scalig. in Feſtum. Dreſem. in Iſcan. de Bell. Trojan.* I. 484.

ΠΡΟΚΙΝΔΥΝΕΥΟΝΤΕΣ abſolute nominantur velites, quia cum primi hoſtem laceſſerent, præ cæteris, & ante cæteros periclitabantur. Polyb. XVII. *Lævo ipſe cornu cum velitibus ferociter in hoſtes invectus eſt. Ipſi vero* προκινδυνεύοντες, *velites, qui primi ſolent prælium capeſſentes periculo pro reliqua acie objectari, ubi legionariorum præſidio ſe firmatos viderunt, converſi protinus acriter hoſtes adoriebantur.* Ita locus ille vertendus eſt, in quo Latine vertendo vir ſummus nihil vidit. Τοὺς προκινδυνεύοντας vertit *antecſores.* Atqui quos εὐζώνους appellavit in ſuperioribus, paullo poſt προκινδυνεύοντας appellavit. Qui proprium velitum, primi enim prælıabantur. *Salmaſ. de Re milit. Rom. c.* 4.

PROCONSULES dicebantur magiſtratus, qui mittebantur in provincias conſulares, quæ ſingulorum annorum *conſulibus* aſſignabantur. *Proconſulum* dignitas erat major quam proprætorum, qui erant magiſtratus, qui mittebantur in provincias prætorias, quæ ſingulorum annorum prætoribus decernebantur: quanquam ſummum eſſet utriusque imperium in provinciis. Quod vel inde apparet, quod non modo majorem exercitum, plures faſces haberent *proconſules*, ſed etiam reliqua ornamenta conſularia. Proprætores vero minorem exercitum habebant, & faſces pauciores, prætoriaque tantum inſignia præ ſe ferebant. *Gruch. de Comit. Roman.* II. 2. *Pel̃er. de vits milit.* IV. *Sect.* 28. §. 6. *Heroman. de Magiſtrat. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1810. *A. Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 1. Differunt tamen inter *proconſules*, & legatos I. quod illi in populi provincias miſſi, quæ fere inermes: hi in Cæſaris, quæ copiis inſtructæ. II. quod illorum annua tantum adminiſtratio. Tacit. Annal. III. 58. 4. *Quanto facilius ſe abfuturum ad unius anni proconſulare imperium.* Apul. Florid. p. 781. *Quid nobis cum iſtis proconſulum vicibus? quid cum annis brevibus, & feſtinantibus menſibus?* horum longior, contractiorve, ut Cæſari viſum. Dio LIII. p. 505. A. *A ſe deſignatis hoc etiam tribuit, ut plus quam annum eſſent cum imperio, quatenus videlicet ipſe ſtatuiſſet.* III. Illi ſorte miſſi. Eoque Suet. Aug. c. 47. n. 1. *Ceteras provincias proconſulibus ſortito permiſit.* Tacit. Annal. III. 32. 2. *Eoque etiam Africæ ſorte depellendum inſuſavit:* hi Cæſaris delectu. Stat. Sylv. I. 4. 92.

— cum tanti lectu rectoris habenas
Galliæ fortuna non admirante ſubiſti.

IV. Illi ſtatim ab Urbe imperii ſigna ſumebant, puta lictores, faſces, nec deponebant, niſi ingreſſi iterum Urbem: hi non antequam provinciam attigerint, & in ipſa provincia deponebant. Dio LIII. p. 504. C. 505. B. V. Illi pacato habitu, & gladio non accincti fuerunt. Hinc intellige Stat. Sylv. V. 2. 57.

Mille urbes Aſiæ ſortito rexerit anno,
Imperium mulcente toga.

hi paludamentum geſtarunt, & gladium, ut quibus jus eſſet in milites animadvertendi. Dio ibid. p. 505. A. VI. Illi ſex lictoribus, faſcibusque utebantur: hi, qui conſulatum nondum geſſiſſent, quinque duntaxat. Dio ibid. C. *Ut lictores utrisque tot, quot in Urbe permiſſum legibus habere, adeſſent.* VII. Illis tres legati fuere, huic unus. *Lipſ. Excurſ. ad Tacit. Annal.* I. *M. Laurent. de Rebuſpubl. c.* 3. *Robortell. de Provinc. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* (10.) *C.* Vetus adminiſtrandarum provinciarum ratio jam inde ante tempora belli Punici II. fuit, ut conſules, prætoresque ſtatim initio magiſtratu ſortirentur, aut inter ſe compararent provincias, quas ſenatus nominaſſet. Ut autem ſorte evenerat provinciæ, ita in ſuas quisque provincias proficiſcebantur, in quibus annum ſui magiſtratus peragebant. Eoque finito, anni ſequentis magiſtratus ſuccedebant. Qua ratione fiebat, ut provincialibus magiſtratibus creandis non opus eſſet comitiis, ſi iſta ordinaria ratio obſervari ſemper potuiſſet. Verum bellis undique urgentibus ſæpe ſufficere non videbatur. Unde fiebat, ut extra ordinem mandari provinciam oporteret: ob idque ad populum ferri, ut eum deſignaret, quem vellet in provinciam mitti. Multis modis poterat evenire, ut extra ordinem hic aliquid eveniret. Uno ſi finito annuo imperio continuandus magiſtratus videretur. *Gruch. l. l. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 108. *Panvin. Faſt.* I. *p.* 118. *Maurit. de Sortit. c.* 31. §. 1. Initium hujus rei cœpit, cum Q. Publilius Philo poſt conſulatum provinciam obtinuit: itaque is primus *proconſule*, ſive *proconſul* appellatus eſt an. 427. Liv. VIII. 23. *Jam Publilius inter Palæpolim, Neapolimque loco opportuno*

capto, diremerat hostibus societatem mutui auxilii: qua, ut quæque locus premeretur, inter se usi fuerant. Itaque quum & comitiorum dies instaret, & Publilium imminentem hostem muris avocari ab spe capiendæ indies urbis haud e Republica esset; actum cum tribunis est, ad populum ferrent, ut cum Publilius Philo consulatu abiisset, proconsule rem gereret, quoad debellatum cum Græcis esset. Augustin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VII. p. 1275. E. Prevot. de Magistr. Roman. c. 15. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Panvin. & Gruch. l. l. Ex Livii loco simul intelligi potest, tributis comitiis creatum hunc *proconsulem*. Nam si tribunorum plebis rogatione factum est, centuriata esse non potuerunt. Quæ ratio in prorogando provincialibus magistratibus imperio postea ad multam ætatem observata est. Apud Livium enim passim reperitur de prorogando imperio ad populum latum esse. Quod id tributis comitiis fieret, ex Livio demonstrari potest. Legitur apud illum XXIX. 13. *De Hispaniæ imperio, quod in eam provinciam duos proconsules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes tribus eosdem L. Cornelium Lentulum, & L. Manlium Acidinum proconsules, sicut priore anno tenuissent, obtinere eas provincias jusserunt.* XXX. 27. *Consules jussi cum tribunis plebis agere, ut, si iis videretur, populum rogarent, quem vellet in Africa bellum gerere. Omnes tribus P. Scipionem jusserunt.* Semel tantum reperimus P. Scipionem comitiis centuriatis factum *proconsulem*. Id quod propter magnitudinem diligendi, tum extraordinaria cura Imperatoris a senatu decretum, potius existimo, quam quod iis comitiis opus esset. Alio modo extra ordinem fieri aliquid dicebatur, si extra sortem nominatim provincia aliqua cuipiam decerneretur. Tum enim si collega pati nollet beneficio sortis se excludi, populus rogari solebat, ut designaret, quem vellet eam provinciam obtinere. Necesse enim erat, si extra sortem provincia alicui daretur, populum, cujus summa erat potestas, de ea re consuli. Liv. X. 24. *Q. inde Fabius quintum, & P. Decius quartum consulatum ineunt, non gloria magis rerum, quæ ingens erat, quam concordia inter se clari. Quæ ne perpetua esset, ordinum magis, quam ipsorum inter se certamen intervenisse reor: patriciis tendentibus, ut Fabius Etruriam extra ordinem provinciam haberet: plebejis auctoribus Decio, ut ad sortem revocaret. Fuit certe contentio in senatu; & postquam ibi Fabius plus poterat, revocata res ad populum est in concione. . . . Fabius nihil aliud precatus populum, quam ut prius quam intro vocarentur ad suffragium tribus, Appii Claudii prætoris allatas ex Etruria literas audirent, comitio abiit: nec minore populi consensu, quam senatus, provincia Etruria extra sortem Fabio decreta est.* Et ex hoc loco sequitur, comitia non fuisse centuriata, quia habita in comitio: imo nec centuriata, nec curiata etiam, quia tribus introvocatas dicit. Gruch. l. l. Non opus vero erat populum consuli, si collegæ inter se comparassent provincias, ut sorte opus non esset. Liv. XLIII. 12. *Principio insequentis anni cum consules novi de provinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam, & Macedoniam, aut sortiri placuit.* XLV. 17. *Moniti deinde consules a patribus, ut quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret; primo quoque tempore provincias aut compararent inter se, aut sortirentur.* Gruch. l. l. Brisson. de Form. II. p. 264. Manut. de Legib. c. 10. Sigon. de ant. jur. prov. II. 1. Hotman. Antiq. Roman. II. 14. Panvin. ibid. p. 119. Postremis temporibus consules fere totum annum sui consulatus solebant in Urbe consumere, nec fere in provincias proficiscebantur, nisi ad finem anni, præsertim, si nullum esset in provincia bellum, quod ad maturandum urgeret. Qua ratione fiebat, ut cum anno consulatus continuarent & alterum annum *proconsulatus*. Nec sicut prioribus temporibus terminato anno consulatus rogandus erat populus de prorogando imperio, sed, absque ulla rogatione, propter decretum senatus habebant in provincia imperium, finito etiam anno sui consulatus. Erat etiam hoc commune omnibus provinciarum magistratibus, ut tam diu obtinerent imperium, quamdiu successor non mittebatur, siquidem in provincia esse vellent peracto tempore SCti: nec singulis annis ferendum erat ad populum de prorogando imperio, sicut prioribus temporibus fieri solebat: sed semel obtentum imperium eo usque retinebatur, dum successor mitteretur. Id ut ita esset, cavebatur lege Cornelia. Hujus meminit Cicer. Famil. I. 9. Eam indicat Cicero fuisse, ut quam primum Urbe egressus est is, cui provincia decreta esset, imperium haberet, quoad in Urbem repedasset. Ex quibus perspicuum est, per legem Corneliam effectum esse, ut quod superioribus temporibus extraordinarium erat, ob idque populi auctoritatem intervenire desiderabat, ordinarium fieret, ut jam rogatione de prorogando imperio opus non esset, si successor non mitteretur. Nec repugnat his rogatio Treboniana, qua latum est ad populum, ut Cæsari imperium in Gallia in aliud quinquennium prorogaretur. Hac enim volebat Trebonius, Pompejo & Crasso auctoribus, senatui potestatem de ea provincia decernendi tollere, ut ne liceret ante quinquennium successorem mittere. Nam, si successorem misisset senatus, omnino ei decedendum fuisset. Lege enim Cornelia triginta tantum dies concedebantur magistratui ad decedendum, postquam successorem in provinciam ingressum sciebat, ut docet Cicer. Famil. III. 6. *Gruch. l. l.* Utebantur jurisdictione non propria, sed duntaxat delegata. Cæterum prorogatis imperii finibus, cum bellorum administrandorum cura major habenda videretur, constitutum fuit, ut quo quoque anno consules fuissent, sequenti *proconsules* remanerent, & provincias cum imperio sortirentur, jurisdictione propria iis concessa. Non poterant autem sua potestate, nisi in sua provincia, uti, poterant tamen extra provinciam ea procurare, ac peragere, quæ ad voluntariam, ut ajunt, jurisdictionem pertinent, id est, judicii contentionem nullam habebant: qualia sunt, servos manumittere, si quis vellet apud ipsos manumitti, filios adoptare, & similia. Quæ controversa, & contentiosa erant intra provinciæ limites continebantur. Est apud ICtos lib. I. ff. tit. inscript. de Offic. procons. ubi leges jubent, *proconsulem* a rerum emptionibus, præterquam quæ ad victum quotidianum pertinent, abstinere. Vetant præterea dona capere præter obsonia quædam, servata tamen in accipiendo modestia, ut quod in proverbio est, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, *nec omnia, nec passim, nec ab omnibus* accipiant: nam inhumanum est a nemine accipere, passim vilissimum, omnia avarissimum. Nefas his fuit graviores causas, & quæ diligentiore quadam animadversione indigerent, summatim pertractare, & definire. Leviores autem poterant, liberos, ut parentibus, & patronis parerent, summaria animadversione cogere, & qui non parerent, fustium castigatione absque judicio, & fori strepitu coercere. Non habentibus advocatum ob adversarii potentiam ultro exhibere. Iisdem legibus traditur *proconsules* merum imperium, ut vocant, id est, gladii jus, & potestatem in facinorosos habuisse. Quæ fuerint *proconsulis* partes in provincia, & quomodo is præclare se gerere debeat, amplissime docet Cicer. ad Fratr. I. *Prevot. l. l.*

PROCUBITORES *dicuntur fere velites, qui noctu custodiæ causa ante castra excubant, cum castra hostium in propinquo sunt, ut M. Cato in eo, quem de re militari scripsit.* Festus. *Stewech. in Veget.* III. 8. Velitibus exteriorem castrorum custodiam, in qua salus omnis exercitus sita est, demandatam fuisse scribit Polyb. VI. 33. *At laterum exteriorum custodiam velites agunt, qui propter vallum totum de die in excubiis manent.* Sed non addit, vigilias ubi posuerint, ne hoc quidem, intra, an extra castra, ut Lipsio videtur. Cato apud Festum eos extra castra ponere videtur. Sed puto Catonem scripsisse, *procubitores dici, quod pro castris excubent.* Eo enim nos ducit vocabulum. At hoc ambiguæ significationis est. Interdum idem denotat, quod ante munimenta sub castris, interdum idem quod in ipsis munimentis. Postrema notione accipitur apud Cæsar. de Bell. Gall. VII. 24. *Instituto Cæsaris duæ semper legiones pro castris excubabant.* Et Senec. Epist. 36. ubi

ubi militem etiam gravis armaturæ pro vallo in vigiliis collocat: *Ut, si necesse fuerit, stans etiam aliquando saucius pro vallo pervigilet.* Quintil. Milit. Marian. *Romano militi, pro vallo excubanti, meretriciam obscœnæ ubi tunc patientiæ aliquis imperavit?* Sic pro munimentis est in ipsis, & circa ipsa munimenta. Tacit. Annal. II. 15. 5. *Postquam crebras pro munimentis cohortes, & nihil remissum sensere.* Non itaque quod nos moveat locus Festi, quo minus τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν de vallo, ut fere apud Polybium, accipiamus, præsertim, cum dicat πληρῶσι, *implent*, crebris scilicet vigiliis, & stationibus, quod haud ita facile fit sub castris: immensa enim multitudo requiritur. Præterea cum munimentorum custodiam, quæ nullis umquam in castris omittitur, nec potuit sine periculo omitti, nulli alii generi attribuat, quis dubitare potest, quin his demandatam velit? Non dicit Polybius, quinta velitum pars fuerit: tantum crebris vigiliis eos ambitum pæne explevisse. Sic Cæs. de Bell. civ. I. 21. *Ipse iis operibus, quæ facere instituerat, non certis spatiis intermissis, ut erat superiorum dierum consuetudo, sed perpetuis vigiliis, stationibusque, ut contingant inter se, omnemque munitionem expleant.* In portis autem castrorum decem velitum excubias, id est, quadraginta milites ponit, ac ita omnem exteriorem custodiam committit velitibus. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p.* 1184. *E.*

PROCULEJUS cognomen fuit Cominiorum, neque inter gentium Romanarum nomina, sed cognomina collocandum. *Spanhem. Dissert. de Præst. numism.* VI. *p.* 563.

PROCULUS cum prisco tempore Virginiorum, & Geganiorum prænomen fuisset, postea cognomen fuit Plautiorum. Valer. x. *Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt, ut Proculus. . . .* Panvin. de Nom. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 2031. F. Sigon. de Nom. Roman. c. 3. Vaillant Numism. I. p. 31. & 77. Malvas. Marm. Felsin. Sect. v. c. 3. C. *Proculus*, quem P. F. P. N. appellat M. Verrius, primus fuit Plautiorum, consul an. ab. U. C. 395. cum C. Fabio Augusto, Idibus Maji triumphum egit de Hernicis, biennio post magister equitum fuit C. Marcio Rutilo primo plebejo dictatore rei gerundæ causa. *August. de Fam. Rom. in Plautia.*

PROCUMBERE post omnes ceremonias solebant adorantes. Suet. Vit. c. 2. n. 10. *Reversus ex Syria C. Cæsarem non aliter adire ausus est, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens.* Liv. XXX. 16. *Qui ubi in castra Romana, & prætorium pervenerunt, more adorantium, accepto, credo, ritu ex ea regione, ex qua oriundi erant, procubuerunt.* Quare post illas *procubuerint*, docet Plutarch. Num. p. 70. A. *Considere ab adoratione omen esse dictitant ratarum precum, & felicitatis in posterum durabilis. Ajunt etiam hanc requiem dispertitionem esse negotiorum, quasi actionibus explicatis prioribus considcant coram diis, ut auspicentur ab iisdem alias. Nec vero impedit quicquam, quin hoc cum superioribus congruat, assuefaciente nos legislatore, ne parem deum occupati, vel in transcursu, velut properantes poscamus, sed ubi vacat, & otium est.* Brisson. de Form. I. p. 38. Pitisc. in Suetonium.

PROCURARE fulmen quid fuerit V. supr. in *Fulmen.* monstra V. supr. in *Monstrum.* somnium V. infr. in *Somnium.*

PROCURATOR ærarii majoris, vocabatur præfectus, ad quem cura ærarii pertinebat. Lamprid. Anton. Diadum. c. 4. *Die qua natus est, pater ejus purpuras tum forte procurator ærarii majoris inspexit.* Majus ærarium vocabatur sacrum, cujus præfectus aurum, argentum, quod ex provinciarum tributis cogebatur, vestes omnes, species publicas, quicquid denique sanctiori principis ærario inferretur, curabat. Sub eo præfecti baphiorum, textrinorum, magistri lineæ vestis, magistri privatæ, murileguli, gynæciarii. Hunc his versibus describit Stat. Sylv. III. 3. 86.

—— jam creditur uni
Sanctarum digestus opum, partaque per omnes
Divitiæ populos, magnique impendia mundi.
Quicquid ab auriferis ejectat Iberia fossis,
Dalmatico quod monte nitet, quod messibus Afris
Verritur, æstiferi quicquid terit area Nili,
Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi,
Et Lacedæmonii pecuaria culta Galæsi,
Perspicuæque nives, Massylaque robora, & Indi
Dentis honos: uni parent commissa ministro,
Quæ Boreas, quæque Eurus atrox, quæ nubilus Auster
Invehit.

Per *sanctas* illas *opes* quid aliud possumus intelligere, quam thesaurus, ut dicebatur, vel sacrum ærarium? Cujus dispositio, digestioque, *sanctarum opum* dicitur, quis alius quam ærarii sacri procurator? Fallit longe, qui dispensatorem dictum putat. Servi dispensatores non solum in domo Augusta, sed in privatorum etiam domibus. Et dispensatores etiam non unius generis fuere in domo Augusta. Idem omnino ejusdem officium fuit posteriorum Imperatorum ævo, sed nomen mutatum: nam pro ærario sacro largitiones sacras dixerunt, & præfectum ærarii sacri comitem sacrarum largitionum. *Salmas. in Lampridium.*

Procurator Africæ vocabatur, qui fundos patrimoniales Principis, quos plurimos habebant, in Africa curabat. Ita Proculum appellat Constantin. l. 1. C. de collat. fund. patrim. & emphyteut. Res Africæ *procurator* præfectus patrimonialium est dictus; Gildonis enim amplum patrimonium, aliaque Principis latifundia administrabat, & comitis titulo honestatus, officium instar comitis rerum privatarum habebat. Hic etiam prædia, quæ alendis militibus non erant addicta, vendebat, vel locabat, aut in emphyteusim dabat l. 1. & seq. C. de fund. rei priv. & pretium comiti rerum privatarum repræsentabat. Tanti vero erant hi præfecti, ut in indice præfecti Italiæ pars diœceseos Africæ his bonis præsidibus æquati. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 65.

Procurator aurariarum. Hæ in Dacia plures, & divites fuerunt, Abrugbania, Zalathnia, & Keresbania inprimis: de iis celebria sunt oppida. Et hac de causa Bessos & Dacos *callidos aurilegulos* appellat Paullin. l. 4. C. de metallar. Inscriptio:

J. O. M
T. AURELIUS
DIOCLES
PROC
U. S. L
IMP. AUGUSTUS
COSS

Subprocuratorem aurarium nominat lapis 4. IV. Alba-Julianus, olim Apulensis in eadem Dacia sub dispositione comitis metallorum per Illyricum. *Reines. Inscript. Class.* I. *n.* 6.

Procurator baphiorum, id est, officinarum, in quibus lana, aut sericum murice tinguntur. Qui erat in Phœnicia Tyri degebat. Euseb. Hist. Eccl. VII 32. scribit Dorotheum eunuchum, qui postea Antiochiæ presbyter fuit, purpuræ apud Tyrum tingendæ præfuisse. Hujus præcipuum erat officium curare, ut recte sericum, aut lana tingeretur, mox scite in fila redacta texeretur l. lotas C. de murileg. l. temperent C. de vestib. holober. neque enim ex folliculis aqua calida immersis serici fili eo tempore in rhombum evolvebantur, sed depexi folliculi in metaxam redigebantur, mox nebantur: & ideo metaxam a nemate serico distinguit Martian. l. ult. §. species de public. Id & poeta significat Georg. II. 121.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Satisdare debebat, se fideliter officio functurum d. l. privatæ C. de murileg. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 75. *Buleng. de Imp. Rom.* II. 5. Novem hi sub comite largitionum occidentis erant I. baphii Tarentini Calabriæ. II. baphii Salonitani Dalmatiæ. III. baphii Cissensis Venetiæ, & Histriæ. Exercebatur per totam fere Venetiam, & Histriam: unde Cissensis loci nomen esse non

poteſt. Lego Ciſterſis. Genus eſt tincturæ, florem ciſti roſaceum, vel puniceum imitans, auctore Plinio, & Dioſcoride. Rhodinum jura appellant l. 3. C. de veſtib. holober. IV. baphii Syracuſani Siciliæ. V. baphiorum omnium per Africam, quæ plura erant, ſed eorum loca reticentur. VI. baphii Girbitani provinciæ Tripolitanæ. VII. baphii inſularum Balearium in Hiſpania, nunc Majorca & Minorca appellantur. VIII. baphii Telonenſis Galliarum. Lego Toloneſis, a Tolona prope Maſſiliam ad littus maris. IX. baphii Narbonenſis in Galliis. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occident. c. 38.*

Procurator bibliothecæ inter libertos, in familia Augusta, numerabatur, penes quem erat bibliothecæ cura. Quod ex libertorum numero eſſet, indicat antiquus lapis. p. 5)) 5.

TI. CLAUDIO. AUG. L.
SCIRTI. PROC. BYBL.
VETTIA. TYCHE
SCRIPTI

Vitalit. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. *p.* 819. *D.*

Procurator Cæſaris, qui & *procurator* Principis l. abeſſe ff. ex quib. cauſ. major. & *procurator* Imperatoris dicitur l. fin. ff. de jur. fiſc. eodem munere in provinciis, quo præfecti ærarii in Urbe, fungebantur. Cognoſcunt enim inter eos inter fiſcum & privatum. Illos primus miſit Auguſtus in provincias, alios ex equitibus, ex libertis alios, qui publicos reditus colligerent, & mandata ejus exequerentur. Dio LIII. p. 506. B. *Procuratores, ut enim appellamus eos, qui publicos reditus colligunt, eroganique in omnes provincias, tam quas, quam populi, Cæſar mittit, quosdam ex equitibus, quosdam e libertis.* Sed ante Augustum fuerunt *procuratores* Syriæ, & capta Hieroſolyma Pompejus Herodis Aſcalonitæ filium *procuratorem* Palæſtinæ præfecerat. Παλαιςίνης ἐπίτροπον quem Joſeph. de Bell. Judaic. II. 9. ἡγεμόνα Συρίας vocat, qui in partem administrationis provinciæ veniebat. Alii in provincias ab Auguſto inſtituti, ſolam rerum fiſcalium adminiſtrationem ſine juriſdictione habuerunt: uſque dum auctore Claudio data eſt illis juriſdictio in cauſis fiſcalibus, ut pecuniariis inter fiſcum, & privatos. *Precario* hoc *exegit* Claudius a ſenatu, *ut quæ procuratores ſui ſtatuerent in judicando, rata eſſent.* Suet. c. 12. n. 2. Cui aſſentitur Tacit. Annal. XII. 60. 1. *Eodem anno*, inquit ille, *audita vox Principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Ac ne fortuito prolapſus videretur, ſenatus quoque conſulto cautum plenius, quam antea, & uberius.* Non ſolum quæ judicata ſunt, ſed *quæ geſta a procuratore Cæſaris, ſic ab eo comprobantur, atque ſi a Cæſare geſta eſſent.* l. 1. ff. de offic. proc. Cæſ. Quare eorum manus *procurationes ampliſſimas* dixit Suet. Galb. c. 15. n. 4. quas Imperatores ſuis familiaribus, aut viris receptæ auctoritatis mandare ſolebant. *Gutler. de Offic. dom. Aug.* III. 33. *Lipſ. in Tacitum & ad eundem librum Excurſ. B. Hotom in. de Magiſtrat. Roman.* I. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p* 1879. *D. Briſſon. Ant. Select.* III. 18. *Flocc. de Poteſt. Rom.* II. 26. *Lat. de Magiſtrat. Roman* I. 25. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 19. *Burmann. Diſſert. de Vectig. pop. Rom. c.* 8. Differebant a rationalibus, quia etiam Rempublicam, ſed rationales ſolam rem privatam tractabant, rationesque pecuniæ principalis. *Lipſ. in Tacit. Annal.* XII. *Excurſ. B.* Qui lapſus eſt in eo. Nam *procuratores* rationales interpretatur Lamprid. Alex. Sev. c. 45. *Et quia de publicanis diſpoſitionibus mentio contigit: ubi aliquos voluiſſet, vel rectores provinciarum, vel præpoſitos facere, vel procuratores, id eſt, rationales, ordinare.* Ad quem notat Caſaubonus, *procuratores* principum a poſteriori ætate rationales dictos: quod nullo auctore probari poteſt. Imo ætas poſterior huic opinioni refragatur. Nam rationalem a *procuratore* ſeparat poſterioris ævi ſcriptor Capitol. Maximin. c. 14. *Erat fiſci procurator in Libya, qui omnes Maximini ſtudio ſpoliaverat. Hic per ruſticanam plebem, deinde & quosdam milites interemptus eſt, per eos, qui rationalem in honorem Maximini defendebant.* Qui cum fiſci *procuratorem* a rationali ſeparat, de rationali, ſeu *procuratore* privatæ rationis loquitur, vel patrimonii ſacri, qui alius eſt a *procuratore* Cæſaris & rationali, qui in libris Baſilicῶν καθολικὸς dicitur. Sic rationalis patrimonii, qui per Africam conſtitutus eſt, alius eſt a rationali fiſci: ut magiſter privatæ rei alius a *procuratore* Cæſaris. Nam *procurator* Cæſaris, vel rationalis juriſdictionem habuit: at rationales privatæ rei, vel patrimonii reditus, & poſſeſſiones ex fiſci patrimonio curabant l. 2. C. Th. de jur. fiſc. Sæpe tamen juris auctores, & Imperatores ipſi promiſcue Cæſaris, & fiſci appellationibus utuntur. Ut res privatæ etiam patrimoniorum dicuntur, & rationales privatæ rei cum rationalibus patrimonii confunduntur: cum tamen *procuratores* Cæſaris, vel rationales de cauſis fiſci judicarent. At rationalis, qui patrimonii fundos tractabat, & a colonis, & emphyteuticariis canonem, & penſiones exigebat: ut *procurator* privatæ rei Principis rei familiari impoſitus erat, ut loquitur Tacit. Annal. XIII. Judicis partes ſuſtinebat, & maximam poteſtatem exercebat in provinciales, quos pro arbitrio facultatibus privare poterat. Tacit. Agric. c. 15. §. 2. Querebantur Britanni in provinciam redacti, *ſingulos ſibi olim Reges fuiſſe, nunc binos imponi; e quibus legatus in ſanguinem, procurator in bona ſæviret.* Recte, *in bona*, cum in ſanguinem non poſſet. Nam merum imperium non habuit, niſi in partem adminiſtrationis provinciæ veniſſet. Calliſtr. l. 3. ff. de offic. procur. Cæſ. *Curatores Cæſaris jus deportandi non habent, quia hujus pœnæ conſtituendæ jus non habent. Si tamen quaſi tumultuoſum, vel injurioſum adverſus colonos Cæſaris prohibuerint in prædia Cæſariana accedere, abſtinere debebit.* Huic non adverſatur l. x. Conſtantini l. 1. C. de cuſt. reor. *Reo exhibito ſtatim quæſtionem fieri decere, ut noxius puniatur, innocens abſolvatur.* In enim eſt ſub titulo de cuſtodia reorum, in quo nihil de pœna. Deinde quæſtionem fieri jubet Conſtantinus, quod eſt de reorum crimine quæri: quod *procurator* potuit in cauſa fiſci: ſed poſt interrogationem eos remittere vinctos debet ad magiſtratum, qui provinciæ præeſt, ſi graviora eorum crimina eſſent: ita tamen, ut præſes, vel proconſul ſtatuat de pœna rei; *procuratori* de bonis ejus integra cognitio ſervetur. *Gutler. & Briſſon. l. l.* Etiam qui in provinciis partibus præſidum fungebantur, in antiquis inſcriptionibus *procuratores*, & *præſides* vocantur. Fragmentum Romæ p. 493. n. 6.

PRÆF. CLASS. BRIT. ET. MOESIC.
PROC. ET. PRÆSES. ALPIUM

& *prolegati.* Inſcriptio p. 376. n. 6.

Q. CAICILIO. CISIACO
PROCUR. AUGUSTOR. ET. PROLEG
PROVINCIAI. RAITIAI. ET. VINDELIC.

Animadverto primum Judæam *procuratoribus* traditam, qui vicem præſidis gererent. Primus *procurator* Judææ fuit Sabinus ſub Auguſto, Σαβῖνος ἐπίτροπος Καίσαρος. Joſeph. Ant. Jud. XVII. 12. Sabino ſucceſſit Coponius, huic Annius Rufus, ſub quo Auguſtus fato functus eſt. A Tiberio miſſus Valerius Gratus, quem Ἰουδαίοις ἐπάρχοντα vocat Joſeph. Ant. Jud. VIII. 3. quod præſidis vices exerceret. Et inde colligo Gratum *procurationem* Cæſaris vice præſidis primum peregiſſe. Grato Pontius Pilatus ſucceſſor miſſus eſt. Hic ἐπίτροπος appellatur a Joſeph. de Bell. Jud. II. 8. & poſtea c. 9. ἡγεμὼν Συρίας. Hoc abſente licebat ſummo pontifici cum concilio lege agere, & animadvertere, ſi quis impietatis reus factus eſſet. Joſeph. XX. 8. *Mortuo Feſto Cæſar Albinum præſidem in Judæam miſit. Ananus ſummus pontifex, Albino adhuc agente in itinere, concilium judicum advocat, tempus opportunum ſe nactum ratus, ſtatuitque coram eo fratrem Jeſu Chriſti Jacobum nomine, & una quosdam alios reos impietatis peractos, lapidandos tradidit.* Hinc illud Pilati de Chriſto Domino ad Judæos Joh. c. 18. n. 31. *Accipite vos eum, & ſecundum legem veſtram judicate eum.* Cui Judæi: *nobis non licet interficere quenquam.* Quod ſcilicet præſes eſſet Pilatus;

latus; quodque non violatæ legis solum, sed majestatis Christum accusarent, quia se Regem dixit. *Guther. ibid.* III. 24. *Velser. Rer. Aug. Vind.* II. *p.* 208.

Procurator canonum ab epistolis. Hunc & præfectus Urbi habuit. Nam fuit canon sacratissimæ Urbis l. 35. C. Th. de canon. frum. qui canon urbicarius l. 3. C. Th. eod. Quid proprie canon. V. supr. in *Canon.* Hæc vero epistolarum cura, seu *procuratio* multas provincias complectebatur: ut inscriptio P. Viiii probat. Ab hac epistolarum cura *epistolarii* dicti canonum exactores. Salvian. de Gubern. Dei v. *Veniunt plerumque novi nuntii, novi epistolarii a summis sublimitatibus missi, qui commendantur illustribus paucis ad exitia plurimorum.* Recte dixit *a sublimitatibus missos.* Nam & a præfectis prætorio, & a comite privatarum, qui canonicarios dirigebant, mittebantur. Differebant *procuratores* ab epistolis ab epistolarum magistris. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 4.

Procurator choragii majoris, sive summi occurrit in inscriptionibus. Romæ p. 42. 4.

HERCULI. SYLVANO. EX. VOTO.
TROPHIMIANUS. AUG. LIB. PROC
SUMM. CHORAGI

Gruter. in Lampridium, Guther. de Offic. dom. Aug. III. 35.

Procurator dromi erat etiam. Quem ego credo ejus loci *procurationem* gessisse, ubi equos suos Veneti, aut alia factio exercere solebant. Dromus enim locum significat, ut in hippodromo: estque plane hippodromus, ut in illa epigrapha: PROCURATORI DROMI FACTIONIS. VENETÆ. *Turneb. Adv.* XI. 12.

Procurator ducenarius dicebatur a ducenis sestertiis, quæ stipendii nomine accipiebat. Hoc institutum est, cum, ut mutato veteri more salaria certa in provincias euntibus darentur, institueret Augustus. Dio LIII. p. 506. D. *Procuratoribus a numero pecuniarum, quæ illis datæ, nomen factum est.* Suet. Claud. c. 24. n. 1. *Ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit.* Apul. Met. VII. p. 210. *Nam procuratorem Principis ducenaria perfunctum fueram aggressus.* Inscript. vet. Antiq. Hispan. II. ITEM. PRO. AUG. PROV. BÆTI. AD. DUCEN. ACCIPIENDA. id est, *procuratori Augusti provinciæ Bæticæ ad ducena accipienda.* Idem est ac si dixisset, *procuratori ducenario.* Sic enim plerumque accipiebant ducena, centena, non adjectis sestertiis. *Reines. Inscript. Class.* VIII. *n.* 39. *Salmas. in Capitol. Pertin. c.* 2. *Florid. in Apulejum. Buleng. de Imp. Rom.* VI. 50. *Casaub. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.* Sic Pertinax, qui *ad ducenûm H. S. stipendium translatus in Daciam dicitur*, apud Capitol. c. 2. *procurator* Daciæ factus intelligi debet. Magno igitur in errore versantur, qui aliquos ducenariæ *procuratores* fuisse sibi persuaserunt, & ducenariæ exactionem accipiunt, quæ eadem fuerit cum ducentesima. Quod satis mirari non possum. Sic sane pars eadem esset cum toto. Nam ducenarius secundum vim verbi non alius potest esse, quam qui ducena exigit, vel colligit. At ducentesima quota pars sit ducentorum nemo ignorat. Morior cum lego *procuratorem ducenariæ* ex Apulejo citari, quasi aliquis ducenariæ *procurator* fuerit, aut quasi ducenaria aliqua exactio fuerit. Atqui *ducenariæ procuratorem* non nominat Apulejus, sed *procuratorem Principis ducenaria perfunctum dignitate.* At *ducenaria dignitas* ejus est, qui ducena stipendii nomine accipiebat. *Salmas. l. l.*

Procurator ab ephemeride Principis dicitur in veteri lapide p. 474. §. 4.

THEOPRÆPON. AUG. LIB
PROC. D. N. M. AUREL. SEVERI. ALEXANDRI. AUG. PROVINC. ACHAIÆ. ET. EPIRI. ET. THESSALIÆ. RAT. PURPURÆ. PROC. AB. EPHEMERIDE. PROC. A. MANDATIS. PROC. ET. AD. PRÆDIA. GALLICANA. PROC. SALTUS. DOMITIANI.

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 35.

Procurator linificiorum differebat a magistro lineæ vestis, qui linum ipsum pecti, mundari, excoquique, & in vestes converti faciebat. Hic rude linum procurabat, & potius linteæ, non lineæ vestis magister est appellandus. Qui hanc artem exercebant, ab ea neque ipsi, neque uxores, neque liberi poterant eximi: conditionales enim erant. Quot hi essent, non exprimitur. In occidente duo erant: unus Viennæ in Galliis, alius Ravennæ in Italia. *Pancirol. Not. dign. imp. orient. c.* 75. *Buleng. de Imperat. Rom.* II. 5.

Procurator ludorum fuit inter dignitates. Tacit. Annal. XI. 35. 6. *Sulpicius Rufus ludi procurator.* XIII. 22. 1. *Cura ludorum, qui a Cæsare parabantur, Arruntio Stellæ permittitur.* De publico *procuratore* ludi magni inscriptio vetus:

TI. CLAUDIO. ILO. PRÆFECTO.
CLASSIS. PRÆTOR. MISENI. PUB.
PROC. LUDI. MAGNI.

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 35.

Procurator ludi familiæ gladiatorum Cæsaris. De illius *procurationis* curatore inscriptio:

L. BOVIUS. L. F. CUR. PROCUR. LUDI
FAMIL. GLAD. CÆSARIS
ALEXANDREÆ. AD. ÆGYPTUM

Hic curator *procurationis* dicitur, id est, stationis Alexandriæ ad Ægyptum. Variæ enim per provincias gladiatorum hujusmodi stationes fuerunt. Inscriptio:

L. DIDIO. MARINO. V. E. PROC. AUG. N. PROVINC. APAB. PROC. FAM. GLAD. PER. GALLIAS. BRET. HISPANIAS. GERMAN. ET. TRATIAM. PROC. MINUCIÆ. PROC. ALIMENTORUM. PER. TRANSPADUM. PROC. VECTIGALIORUM. POP. R. QUÆ. SUNT. CITRA. PADUM. PROC. FAM. GLAD. PER. ASIAM. HY. GALAT. CAPPADOC. LYCIAM. PAMPHIL. CILIC. CIPRUM. PONTUM. PELAG.

Hinc *gladiatores fiscales* Capitol. Gordian. III. c. 33. Atque hæc forte causa fuit, cur Nero *edixerit, ne quis magistratus, aut procurator, qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum, aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 35.

Procurator ludi matutini is erat, qui operam dabat arenæ, cum homines cum bestiis depugnatum committerentur: id quod horis matutinis fieri solebat. Tabula e metallo Corinthio reperta Fundis:

L. AUTRONIUS. L. F. POM
VAGONIUS. PROSPER
SCRIBA. COLLEG. ARVAL
PROCURATOR. LU
DI. MATUTINI. III. VIR. MON
FIDEI. CONCORD. P.

Reines. Inscript. Class. I. *n.* 157.

Procurator metallorum dicebatur, qui præficiebatur delinquentibus damnatis ad effodienda metalla. Hi ex decurionum numero in provinciis, ubi fodiebantur, creabantur l. 4. C. de metall. Horum munus erat prospicere, ut effossores debitum vectigal fisco solverent, qui octo scrupulos auri pendebant in balluca, id est, in auro rudi, prout eximebatur, non purgato. Græci χρυσάμμους appellant l. 1. C. de metall. Comes metallorum illis præerat. Ita Valentinianus Crescomum appellat l. 2. C. eod. Sed omnibus comes sacrarum largitionum imperabat, ad quem hi proventus deferebantur, ut ex toto tit. C. de metall. constat. *Pancirol. de Magistrat. municip. c.* 16. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 8. Ad tempus præficiebantur, quod ante quam exactum esset, ad aliam dignitatem non evehebantur l. 4. C. de metall. *Buleng. de Vectig. c.* 22.

Procurator Minuciæ in 4. CCCCII. & *curator* Miniciæ in Romanis 6. LVI: 1. CCLXXXI: 1. CCCCVII: 7. CCCCLIX. voca-

batur, qui curabat, ut ex Minucia publicum frumentum tribulibus distribueretur. *Reinej. Inscript. Claſſ.* VI. *n.* 123. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 35. V. & supr. in *Porticus Minucia.*

Procurator monetæ post imperii divisionem primum dictus eſt. Hinc Notitia *procuratores* monetæ in occidente recenſet ſex, Siſciæ, Aquilejæ, Romæ, Lugduni, Arelate, Treviris: quibus addendæ Londinum, Narbo & Sirmium, tot enim locis moneta AUG. cudebatur. Inſcript. Rom. in monte Aventino:

P. PETRONIO. M. F
QUIR. HONORATO
PRÆF. COH. I. RÆTICÆ
TRIB. MIL. LEG. I. MINERVIÆ
P. F. PRÆF. ALÆ. AUG. P. F. XXII
PROC. MONET. PROC. XX. HER
PROC. PROV. BELG. ET. DUARUM
GERMANIARUM. PROC. A. RATION....

Reineſ. Inſcript. Claſſ. VI. *n.* 123. *Panciro1. Notit. dignit. imp. occid. c.* 36. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 24. §. 3 Ubi monetæ, & quot eſſent monetariæ officinæ non apparet. *Procuratores* hos appellat etiam Marcellin. XXVIII. 1. *Pars forte procurator monetæ eſſe jus eſt.* Pancirol. ibid. imp. orient. c. 75. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19.

Procurator rei privatæ, & proprii patrimonii Principis, præter alios *procuratorem* etiam fuit. Hoc nos docet Ulpian. l. cum ſervus §. ult. ff. de legat. 1. *Sed & prædia Cæſaris, quæ in formam patrimonii redacta ſub procuratore patrimonii habentur....* Meminit hujus Capitol. Macrin. c. 7. *Mortem Antonini ſenatus gratanter accepit, & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum ſperans, primum in patricios allegit, novum hominem & qui paullo ante procurator privatæ rei fuiſſet.* Hunc primum a Severo poſt Clodium Albinum victum inſtitutum eſſe auctor eſt Spartian. c. 12. *Tuncque primum privatarum rerum procuratio conſtituta eſt.* Briſſon. Antiq. Select. III. 20. Buleng. de Imp. Rom. III. 20. Nulli igitur ante Severum rei privatæ *procuratores*? Imo ab Auguſti temporibus, & res, & nomen ipſum fuit cognitum. De nomine primum videamus: poſtea de re ipſa, vel officio. Ἴδιος λόγος vocabatur, ad verbum eſt privata ratio, vel rationis privatæ *procurator*, vel rei privatæ rationalis. Eleganter vero ἴδιος λόγος, privata ratio, pro rationali rei privatæ. Sic *ratio patrimonii* in veteri ſaxo pro patrimonii rationali: SUPERPOSITO. MEDICORUM. EX. RATIONE. PATRIMONII. id eſt, qui ratio fuit patrimonii. Ut ex conſule qui conſul fuit. Sic curam prætorii dicebant, & curam palatii, pro curatore prætorii, & palatii. Treb. Poll. in Claud. c. 14. *Curam prætorii unum.* Ovid. Heroid. I. 104.

Tertius immundæ cura fidelis haræ.

Sic ratio pro rationalis. Hinc ἴδιος λόγος Straboni pro λογιστής. Rationis privatæ diſpenſator dicitur in veteri inſcriptione: LUPERCUS. DISP. RATIONIS. PRIVATÆ. De officio videamus. Strab. XVII. munus ἰδίου λόγου hoc fuiſſe narrat, *bona caduca, ut fiſco Cæſaris annectantur, curabat.* Quod aliud, rogo te Spartiane, fuit officium ejus, qui *procurator* rei privatæ dictus eſt etiam poſteriorum Imperatorum ævo? Caſſiod. in form. comit. rer. privat. *Canonicarios dirigis poſſeſſores, admones, & cum aliis judicibus non modica jura partiris: caduca bona non ſinis eſſe vacantia: ita quod uſurpatio potuit invadere, tu fiſcum noſtrum facis juſtis compendiis obtinere.* *Procurator* ille rei privatæ, vel comes, ut poſteriorum principum ævo dictus eſt, ſub ſe habuit rationales, & magiſtros rei privatæ, qui in ſingulis provinciis rem Principis privatam curabant. Hinc rationalis Ægypti, rationalis Africæ, & reliqua provinciarum rationales, quos ἰδίους λόγους vocat Strabo. *Salmas. in Spartianum.*

Procurator tibicinum occurrit nobis in veteri inſcriptione:

DIANÆ. LUCINÆ. INVICTÆ
CN. POMPEJUS. CN. LIB. BARBUS
PROCURAT. TIBICIN. ROM

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 35.

Procurator vicesimæ hæreditatum olim in omnibus provinciis fuit, unde magnus fiſco reditus proveniebat, & pluribus in marmoribus legitur procurator XX. H. id eſt, *procurator vicesimæ hæreditatum.* Aliquando hi *procuratores hæreditatum* vocabantur, ad quos Antoninus Caracalla ſcribit l. 1. C. de uſur. rei judic. ut uſuras harum hæreditatum debitas exigant. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 75.

Procurator voluntarius eſt amicus voluntarius, negotiorum geſtor. Cicer. de Clar. c. 4. *Fortaſſe ego a te hujus voluntarius procurator petam.* In auctoribus certe noſtris *procuratoris* nomen commune eſt geſtoris & mandatarii, & amicus plerumque geſtor, quod ex officio amicitiæ hic contractus proficiſcatur l. ſi negotium de reb. auct. jud. poſſ. Paullus quoque in Sententiis: *Voluntarius procurator, qui ſe alienis negotiis offert, rem ratam dominum habiturum cavere debet.* Et Ulpian. l. prætor. §. præſtat ff. de reb. auct. jud. poſſ. creditorem miſſum in poſſeſſionem, qui fructus prædiorum vendit, aut locat; quia geſtori comparantur, ait *voluntarium negotium gerere*, id eſt, voluntarium *procuratorem* eſſe: nec tamen is eo nomine tenebitur actione negotiorum geſtorum l. creditore § ult. ff. eod. ſed id factum, quia, ut ſubjicit d. §. præſtat, ſuum potius, quam voluntarium negotium gerit. *Cujac. Obſerv.* X. 25.

PROCUS. Illorum copia erat gloria puellarum. Puella apud Theocr. Idyll. XXVII. 22.

Multi meas nuptias ambierunt, ſed nullus animo meo placuit.

de Meduſa Ovid. Met. IV. 794.

Multorumque fuit ſpes invidioſa procorum.

de Proſerpina Claud. Rapt. I. 133.

Perſonat aula procis.

Et hæc revera non paucos habuit. Jul. Firmic. de Error. prof. relig. c. 11. *Unicam Cereris filiam, quam Græci Περσεφόνην, noſtri immutato ſermone Proſerpinam dicunt, ad conjugale conſortium plures petebant.* Barth. in Claudianum.

PRODICTATOR propter conſulum abſentiam nonnunquam creatus eſt. Liv. XXII. 8. *Itaque ad remedium jam diu deſideratum, nec adhibitum, dictatorem dicendum, civitas confugit: & quia conſul aberat, a quo uno dici poſſe videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuntium, aut literas mitti: nec dictatorem populus creare poterat: quod nunquam ante eam diem factum erat, prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum.* Hotoman. de Magiſtrat. I. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1883. B. Panvin. in Faſt. I. p. 70. & 137.

PRODIGIATORES dicebantur *aruſpices, prodigiorum interpretes.* Feſtus. *Buleng. de Sortib. c.* 5.

PRODIGIUM dicitur, quod & natura fiat, & ſæpe eveniat, ſemper tamen mali quicquam præſagiat, ut apud Homer. Iliad. XXI. nam ubi Ulyſſes nullo negotio arcum præter omnium procorum opinionem intendiſſet, quo eos confecturus erat, Jupiter maximo fragore intonuit, quod *prodigium* Ulyſſis conatus adverſum procos non irritos fore, ut poſtea eventus docuit, portendebat. Præterea Græcis certantibus Jupiter totam noctem toſſans calamitatis *prodigium* dedit: & cum utraque acies, Græcorum, & Trojanorum in procinctu ſtaret, Jupiter, prævidens magnam Græcorum cladem, ſanguinem pluit, apud Homer. Iliad. II. *Niphus de Augur.* I. 1. Capiebatur ex arboribus, anguibus, animalibus, bove, ariete, capris, porco, cantibus & vocibus nocturnis, carnibus & ſanguine humanis, eluvionibus, elementis, cœlo, terra, igni, monſtris, nuntiis, petris, ſimulacris deorum, ſudore manante, vexillis & equis, unguento vel oleo. V. ſingula ſuis locis. Romæ, licet nuntiarentur, non ſuſcipiebantur, ſi vel privato loco, vel in peregrino facta eſſent. Liv.

XLIII.

xliii. 13. *Non ſum neſcius, ab eadem negligentia, qua nihil portendere deos vulgo nunc credant, neque nuntiari admodum nulla prodigia in publicum, neque in annales referri. Ceterum & mihi vetuſtas res ſcribenti neſcio quo pacto antiquus fit animus, & quædam religio tenet, quæ illi prudentiſſimi viri publice ſuſcipienda cenſuerint, ea pro dignis habere, quæ in annales meos referam. . . . Duo non ſuſcepta prodigia ſunt: alterum, quod in privato loco factum eſſet: palmam enatam impluvio ſuo T. Marcius Figulus nuntiabat; alterum, quod in loco peregrino: Fregellis in domo L. Atrei haſta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arſiſſe, ita ut nihil ejus amburet ignis, dicebatur.* Quod tamen perpetuum non fuiſſe ex eodem facile cognoſces. Romæ enim ſæpe expiata *prodigia*, quæ vel Cumis, vel alibi in Italia facta eſſent. Duumviri ex libris Sibyllinis illa interpretabantur, & pericula denuntiabant. Liv. iii. 10. *Inter alia prodigia & carne pluit: quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuiſſe fertur: quod intercidit, ſparſum ita jacuiſſe per aliquot dies, ut nihil odor mutaret. Libri per duumviros ſacrorum aditi: pericula a conventu alienigenarum prædicta, ne qui in loca ſumma urbis impetus, cædesque inde fierent: inter cætera monitum, ut ſeditionibus abſtineretur.* ii. 42. *Prodigia cœleſtia oſtentantia minas, motique ira numinis cauſam nullam aliam vates canebant publice, privatimque, nunc extis, nunc per aves conſulti, quam haud rite ſacra fieri.* Buleng. de Prodig. c. 1. Ut plurimum a pontificibus, vel illorum decreto ab aliis procurabantur. Livius mox laudandus. Quod ſenatus aliquando jubebat, ſicut pontifices cenſuiſſent. *Prodigiorum* procuratio hæc a piacularibus ſacris multum differebat, quæ eadem per pontifices fieri ſolebant: ut *prodigia* & piacula diverſa ſunt. Nam illa deorum iram minabantur: piacula commiſſa erant, propter quæ expiatio debebatur. *Prodigia* putabant quicquid contra, vel præter naturam accidiſſet: ut ſi porcus ore humano genitus, ſi ſigna ſanguine ſudaſſent, ſi pueri nati ſine oculis, ſi lapidibus pluiſſet, vel quid aliud accidiſſet hujuſmodi, quod deorum portenderet minas. At piacula ſunt, ſi ludi non recte facti, ſi Veſtalis inceſta, ſacrilegium factum, & cætera hujus generis commiſſa. In *prodigiorum* procuratione editi a collegio pontificum dii, quibus ſacrificaretur. *Guther. de vet. jur. pont.* i. 21. Si quæ nuntiata eſſent, antequam proficiſceretur Imperator, procurabantur. Liv. xxxvii. 3. *Priusquam conſules in provincias proficiſcerentur, prodigia per pontifices procurari placuit.* xxiv. 44. *Conſules priusquam ab Urbe moverent, prodigia procurarunt, quæ nuntiata erant.* xxxiii. 26. *Priusquam prætores ad bellum prope novum proficiſcerentur, aut ipſi conſules ab Urbe moverent, procurare, ut aſſolet, prodigia, quæ nuntiabantur, juſſi.* Valtrin. de Re milit. Rom. iv. 2.

PRODIGO, & everſori, qui neque modum, neque finem faciebat expenſarum prætor a propinquis, & agnatis rogatus bonis interdicebat. Val. Max. viii. 6. 1. *C. Licinius, cognomine Hoplomachus a prætore poſtulavit, ut patri ſuo bonis, tanquam ea diſſipanti, interdiceretur.* iii. 5. 2. *Et L. Pompejus prætor urbanus paternis bonis interdixit: neque in tanta civitate, qui illud decretum reprehenderet, inventus eſt.* Cicer. Senect. c. 7. *Ut quemadmodum noſtro more male rem gerentibus patris bonis interdici ſolet.* Interdicebatur in hunc modum: *Quando tu tua bona paterna, avitaque nequitia tua diſperdis, liberosque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico.* Hoc indicat etiam Horat. Sat. ii. 3. 217.

— interdicto huic omne adimat jus
Prætor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.

Briſſon. de Form. v. p. 411.

PRODUCERE verbum eſt nuptiale, eorum qui honoris gratia ſponſos ſponſasque ad nuptialem domum thalamumve deducebant & comitabantur. Petron. c. 25. *Producta eſt puella ſatis bella.* Claud. Paneg. in Honor. conſul. iii. 155.

— ſociaque nurum produxit ab aula.

Stat. Sylv. i. 2. 11.

Ipſa manu nuptam genitrix Æneïa duxit
Lumine demiſſam. . . .

Producebatur plerumque per publicum nova nupta. Plaut. Caſ. iv. 3. 1.

Age tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo.

Apud Græcos etiam a pronubis præeuntibus. Lucian. Dial. marin. 15. *Præterea Tritonum genus, & ſi quid aliud marinorum aſpectu formidabile non eſt, omnia circum puellam choreas agebant. Nam & ipſe quidem Neptunus conſcenſo curru, & quaſi pronubus incedens, una cum Amphitrite lætus præibat, viam natanti fratri aperiens.* In ipſum usque thalamum. Lucian. ibid. 5. *Thetis & Peleus conceſſerant intro in thalamum ab Amphitrite ac Neptuno deducti.* Barth. in Claudianum, & Adv. xxviii. 4.

Produci eſt foras in publicum prodire, & ut Cicer. Verr. i. 47. plenius, *in populi proſpectum.* Suet. Aug. c. 43. n. 4. *In circo aurigas, curſoresque, & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobiliſſima juventute produxit.* Ner. c. 4. 3. *Præturæ, conſulatusque honore equites Romanos, matronasque ad agendum mimum produxit in ſcenam.* Hinc *producti* dicuntur ſcenici, qui ludorum cauſa in theatrum, & qui artis ludicræ cauſa in ſcenam prodeunt. Quintil. iii. 6. *Qui ſe in hortis prætori oſtenderat, neque erat productus, ſedit in quatuordecim ordinibus.* Faber Semeſt. i. 20. Pitiſc. in Suet. Auguſtum.

PROFANI, id eſt, nondum ſacris initiati arcebantur, adituque ſacrorum prohibebantur. Virg. Æneid. vi. 258.

— procul, o procul eſte profani,
Conclamat vates, totoque abſiſtite luco.

Ad quem locum Servius a Fabricio editus hoc e Græcorum fontibus manaſſe notat, & laudans auctorem Callimachum, ex eo hoc hemiſtichium adfert:

— — ἑκὰς, ἑκὰς ἔςε βέβηλοι.

Auctoritatem tamen defugiunt, quotquot exſtant, ſalvique ad hanc uſque ætatem pervenerunt Callimachi verſus, in quibus hæc verba deprehendiſſe mihi non videor. Invenio quidem ſcriptum in hymn. Apoll. n. 2.

— — ἑκὰς, ἑκὰς ὅςις ἀλιτρός.

Eodem vero principio Epiphanius ſophiſta uſus eſt in Bacchi hymno. Sozom. Hiſt. Eccleſ. vi. 25. *Cum Epiphanius in ipſo exordio carminis, quod in laudem Bacchi recitabat, ſicut moris eſt, iis, qui ejuſmodi hymnos publice recitant, cunctos prophanos homines, nec ſacris illis initiatos,* τοὺς ἀμυήτους, καὶ βεβήλους *foras abire juſſiſſet. . . .* Ovid. Met. vii. 255.

Hinc procul Æſonidem, procul hinc jubet ire miniſtros:
Et monet arcanis oculos removere profanos.

Horat. Od. iii. 1. 1.

Odi profanum vulgus, & arceo.

Briſſon. de Form. i. p. 2. Meurſ. Eleuſin. c. 19. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 5. Saubert. de Sacrif. c. 12. Crinit. de Honeſt. diſcipl. vi. 3. Robortell. Annot. i. 3. Cerda in Virgilium. Faes in Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 1. Stuck. de Sacrif. p. 15. Herald. in Arnob. ii. p. 78. Caroli Antiq. Roman. i. 12. Kipping. Antiq. Roman. i. 11. §. 15.

PROFECTIONIS ſignum quomodo exercitui fuerit datum V. infr. in *Signum.*

PROFESSORES in municipiis decuriones certo illis ſalario præſtituto conducebant, neque in hoc præſes provinciæ interveniebat, ſed curiales ipſi, quos morum probitate, & artis peritia ſpectatos cognoviſſent, eligebant, & quandoque immunitate promiſſa invitabant l. nec intra §. & l. ſeq. C. de prof. & med. Quælibet enim civitas deſtinatam *profeſſoribus* liberalium artium pecuniam habebat, quam Juſtinianus Imperator, cum ei ad plurima templorum ædificia pecunia non ſufficeret, omnibus urbibus ademit, unde diſciplinis homines deſtituti rudes permanſerunt, ut in eo Zonaras ſcribit. Minores civitates non niſi ternos docentes habebant, majores quatuor

qui

qui utramque doctrinam docerent, maximæ rhetores, aut grammaticos quinque tenebant l. si duas §. 1. & seq. de excus. tut. l. 1. de decret. ab ordin. fac. His centena sestertia Vespasianus constituit, ut in eo auctor est Suetonius, quæ summa bis mille & quingentos nostros aureos efficit. Civitates rhetoribus annonas 24. grammaticis 12. & quandoque plus solvebant: & fiscus, ubi civitates redditibus carebant, e suo docentes conducebat. Valens & Gratianus l. 11. C. Th. de prof. & med. *Oratoribus*, inquiunt, 24. *annonarum e fisco emolumenta donentur, grammaticis Latino, vel Græco 12. annonarum deductior paullo numerus ex more præstetur. Triberorum clarissimæ civitati uberius aliquid putavimus deferendum: Rhetori ut 30. item 20. grammatico Latino, & Græco 12. præbeantur annonæ.* Constantinus Eumonio ut Augustoduni profiteretur, sexcenta millia nummum præstitit. Efficit ea summa sex millia aureorum. Hoc salarium professori decreto ordinis constituebatur toto tit. ff. de decr. ab ord. fac. Legum vero professores alibi, quam Romæ in Capitolio, aut Constantinopoli, & Beryti docere non poterant procem. ff. §. hæc autem tria l. unic. C. de stud. lib. Urb. Rom. *Panciroll. de Magistrat. munic. c. 4. Laurent. de Professor. c. 1.*

PROFITERI indicium criminis dicebantur, qui dicebant se velle indicare eos, qui criminis essent affines. Tacit. Annal. vi. 3. 6. *Et summum supplicium decernebatur, ni professus esset indicium.* Suet. Dom. c. 17. n. 2. *Professus conspirationis indicium, & ob hoc admissus. Deferre indicium* dicit Curt. v. 11. 7. *Bessus Patronem stimulante conscientia indicium detulisse credebat.* Pollet. For. Rom. iv. 7. Pitisc. in Suetonium.

Profiteri merces debebant negotiatores, ne publicani, quibus omnes vectigal debebant, fraudarentur. Nec tantum res vectigali obnoxias, sed etiam immunes debebant *profiteri* mercatores l. 16. §. 3. ff. de public. ubi & ulla alia mancipia, quæ immunia fuerunt, *profiteri* debere negotiatores dicuntur. *Professio* mercium a publicanis scribebatur in tabulis, unde & scripturæ nomen in portorii tractatione sæpe occurrit. Hinc merces, quas *profiteri* omiserant, inscriptas dicit Lucill. xxvii.

> *Facit idem quod illi, qui inscriptum e portu*
> *Exportant clanculum, ne portorium dent.*

Pœna omissæ *professionis* erat, quod res caderet in commissum. V. supr. in *Commissum.* Satisfaciebant vero mercatores *profitendo*, etsi vectigal ipsum non solverent: tunc enim fidem de pretio censebatur habuisse publicanus d. l. 16. §. 12. Etsi vero *profess.* quam maxime essent merces suas negotiatores non licebat eis navi efferri, antequam vectigal portorii solutum esset. Plaut. Trin. iv. 4. 15.

> *Jubeto Sangarionem, quæ imperaverim*
> *Curare, ut efferantur, & tu ito simul,*
> *Solutum est portitori jam portorium.*

Burman. Dissert. de Vectig. c. 5. Turneb. Adv. x. 6. Buleng. de Vectig. c. 11.

Profiteri pecudum, quas in pascura publica immittere vellent, numerum debebant pastores. Hunc publicanus in tabulis suis annotabat, & scribebat, ex qua scriptura postea ratio inter pastorem, & publicanum conficiebatur. Et inde ager, sive pascuum ipsum dicitur *ager scripturarius.* Festus. V. illum supr. in *Ager.* Burman. Dissert. de Vectig. c. 4. Buleng. de Vectig. c. 11. Quicunque vero pecudes, quas non erat *professus*, vel etiam plures, quam publicano annotandas dederat, pavisset, in legem censoriam incidebat Varr. de Re rust. ii. 1. *Ad publicanum profitentur, ne si inscriptum pecus paverint, lege censoria committant. Inscriptum pecus* dicit Varro, quod pascebatur in saltibus publicis, nec in ratione publicani scriptum erat: & merces modo inscriptæ, quas in portu mercator, aut institor non est *professus.* Turneb. Adv. x. 6. Burman. l. l. Quod ideo notari debet, quia video multos viros doctos inscriptas pecudes interpretari eas, quæ in tabulas publicanorum relatæ, & annotatæ sunt. *Burman. l. l.* Non licuit autem scripturario pecudem ob scripturam accipere. Plaut. Truc. 1. 2. 42.

> *Nam adversum legem a me ob meam scripturam pecudem accepit.*

Buleng. l. l. Hunc puto errare. Omissæ enim *professionis* pœna videtur fuisse, ut inscriptæ pecudes caderent in commissum, & publicanus eas sibi fraudato vectigali vindicaret. Nec locus Plauti illud innuit, quod vult Bulengerus: imo vero, si modo totum, & integrum illum apposuisset, plane contrarium ex eo doctus fuisset: nam non ideo contra legem ibi commiserat publicanus, quod pecudem pro commisso caperet, sed quod & pecus retineret, & simul as, sive pecuniam pro scriptura debitam exigeret: accipiendo enim pecuniam poterat videri de pœna transegisse, & eam remisisse. *Burman. l. l.*

Profiteri puerorum, quos sustulerant, nomina apud acta debebant patres. V. supr. in *Liberi.*

PROGRAMMA vocabatur edictum, quo, quæ pro communi & publica utilitate, ac salute constituebantur, divulgabantur, & in omnium notitiam perferebantur. Novell. 11. de invasor. ad Auxent. P. V. *Unde inlustris magnificentia tua hanc, qua præcepti superioris vacuatur incautior definitio, programmatis lectione vulgabit, ut agnosci ab omnibus possit.* l. de palatin. ad Maxim. præf. præt. *Inlustris, & præcelsa magnificentia tua edictalem legem, & functionibus publicis jugiter profuturam programmate suo in cunctorum provincialium jubebit ire notitiam.* Brisson. de Form. iii. p. 320.

Programma venalibus ædibus, quo significabatur, qua ex causa venales essent, quam ad diem vendundæ forent, & sub qua conditione, in publico proponebatur, præter titulum, sive tabellam, quæ affixa illis indicabat esse venales. Hoc inscribi dicebantur, illo proscribi. Nam proscriptum, quod in publico propositum est scripto, ut ab omnibus legi posset. Hinc proscriptio pro ipsa publicatione bonorum, quæ sunt proscripta. Quicquid in foro, vel in loco alio publico legendum omnibus proponitur, id proscribi dicitur. Hinc l. 10. ff. de Institor. *De quo palam proscriptum fuerit, ne cum eo contrahatur.* Salmas. de mod. usur. c. 15.

PROJECTORIA. V. illa infr. in *Protectoria.*

PROLETARII *sunt appellati, qui in plebe Romana tenuissimi, pauperrimique erant, neque amplius quam mille quingentum æris in censum deferebant. Qui vero nullo, aut perquam parvo ære censebantur, capite censi vocabantur: extremus autem census capite censorum æris fuit trecenti septuaginta quinque. Sed quoniam res, pecuniaque familiaris obsidis vicem, pignorisque esse apud Rempublicam videbatur; amorisque in patriam fides quædam in ea, firmamentumque erat, neque proletarii, neque capite censi milites, nisi in tumultu maximo, scribebantur; quia familia, pecuniaque his, aut tenuis, aut nulla esset. Proletariorum tamen ordo honestior aliquanto, & re, & nomine, quam capite censorum fuit: nam & asperis Reipublicæ temporibus, quum juventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur, armaque iis sumptu publico præbebantur: & non capitis censione, sed prosperiore vocabulo a munere, officioque prolis edendæ appellati sunt: quod, quum re familiari parva minus possent Rempublicam juvare, subolis tantum gignendæ copia civitatem frequentarent.* Gell. xvi. 10. Ex iis verbis intelligi potest, in tabulis censoriis seorsum descriptos fuisse *proletarios* a capite censis, quasi ordinis diversi essent, ut sæpe alii in militiam legerentur, cum alii relinquerentur. Sed tamen ex hac diversitate ne factas fuisse duas centurias credam, eo adducor, quod ætatis distinctione video reliquarum classium centurias factas, non hujusmodi quadam diversitate, qualis erat inter capite censos, & *proletarios.* Ego ita potius existimo, una modo centuria semper contentam fuisse sextam classem, quæ tamen nullo propemodum numero haberetur. *Gruch. de comit. 1. 4. Panvin. de Civit. Rom. c. 52. Augustin. ad Leg.* xii. *tab.* §. 4. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. 1. p. 37. A. Bud. in Pandect. p. 133. I. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 4. Stewech. in Veget.*

Veget. III. 8. *Ravard. ad Leg.* XII. *tab. c.* 19. *Ouzel. in Gellium. Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* III. *p.* 3. *c.* 5. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* I. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 476. *D. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 46.

PROLOGUS est veluti præfatio quædam fabulæ, in quo solo præter argumentum aliquid ad populum, vel ex poetæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex actoris commodo loqui licet. Vel sic: *prologus* est antecedens veram fabulæ compositionem elocutio. Inter *prologum*, & *prologium* hoc interesse voluerunt, quod *prologus* est, ubi aut poeta excusatur, aut fabula commendatur: *prologium* autem est, cum argumentum tantum defertur, vel, ut ait Donatus, *cum tantum de argumento deducitur.* Sane *prologium*, ut ait Festus, & *proloquium* ab antiquis dicebatur. Illud tamen etiam scire oportet, Græcos nostro more *prologos* non habuisse. *Gyrald. de Poet. hist. Dial.* VII. *p.* 332. *B. Casal. de Tragœd. c.* I.

PROLUDERE dicebantur, qui ad serium prælium sese comparabant, & imitabantur speciem justi conflictus: ut solent, qui pilam ludunt, semel atque iterum animi gratia se exercere, ne, si lusum auspicarentur, a seria pugna statim membra nimia contentione, & repentina haberent sese pejus, & ineptius. Est enim periculosa metamorphosis subita, & vehemens a summa quiete in aciem laborem. Itaque descendendum paullisper in certamen, non irrumpendum temere. Virg. Georg. III. 232. V. illum supr. in *Judicium prolusorium.* Et ita *prolusio* vocatur etiam rhetoribus, & prodromos, ut reliquæ transitionum species in rhetoricis. Plin. Epist. IV. 9. 23. *Habebis interim epistolam meam, ut prodromon: exspectabis orationem plenam, onustamque.* Pollet. For. Rom. IV. 2.

PROLUGERE *dicuntur, qui solito diutius lugent.* Festus. Constitutum fuit tempus, ultra quod *lugere* non permitterentur, sed hoc non semper obtinuit, permissumque est pietati maxime matrum, ut filios diutius lugerent, affectui suo satisfacientes. Cicer. Fam. IX. 20. *Patriam eluxi jam & gravius, & diutius, quam mater unicum filium.* Senec. ad Marc. c. 26. *Cur in domo nostra diutissime lugetur, qui felicissime moritur.* Nonnullæ feminæ, si quos maxime caros amisissent, nunquam luctum deponebant. Senec. ad Helv. c. 16. *Nosti quasdam, quæ, amissis filiis, imposita lugubria nunquam amiserunt.* Tacit. Annal. XIII. 32. 3. *Longa huic Pomponiæ ætas, & continua tristitia fuit. Nam post Juliam Drusi filiam dolo Messalinæ interfectam, per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo nisi mœsto egit.* Meurs. de Funer. c. 45. Kirchman. de Funer. IV. 10.

PROMAGISTER libellorum vix forte alibi reperitur, quam in veteri lapide, qui extat Romæ:

. . . .
FER ETRUM. FIERI. PLACET. JU-
BENTIUS. CELSUS. PROMAGISTER.
SUBSCRIPSI.

Est ita vocatus, ut proprætor, proquæstor, qui prætoris, aut quæstoris vices agebant. Sic *promagister* vice libellorum *magistri* functus est, cum ille abesset a Principis comitatu. *Guther. de offic. dom. Aug.* I. 35. *Ravard. de Div. reg. jur.* LXXI.

Promagister scriniorum dicebatur proximus sacrorum scriniorum, qui *magistri*, si abesset, aut valetudine impeditus suo officio fungi non posset, vices agebat. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 7.

Promagister societatis vocabatur, qui *magistri* rationes societatis conficientis per provincias, vicem gerebat. Cicer. Attic. XI. 10. *Terentius meus necessarius magnas operas in portu, & scriptura promagistro dedit.* Burman. Dissert. de Vectig. c. 9.

Promagister vigesimæ hæreditatum vocabatur, qui vices *magistri* gerebat. Inscriptio:

C. JUNIO. C. F. QUIR. FLAVIANO
PROC. A. RATIONIBUS. PROC
PROVINCIARUM. LUGDUNENSIS. ET
AQUITANICÆ. PROC. HÆREDITAT
PROMAGISTRO. XX. HÆREDITATIUM

Promagistrum hic interpretor *supprocuratorem.* Etenim procuratores *magistri* vocati. Atque hanc interpretationem juvat inscriptio hæc alia:

D. M. S.
ÆLIÆ. AGRIPPINÆ. CONJUGI
KARISSIMÆ. HYPATICUS. AUGG. LIBE.
SUPPROC. XX.

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 35.

PROMERCALE dicitur, quod paterfamilias præter usui suo necessaria habet venale. Suet. Jul. c. 54. n. 3. *Ternisque millibus nummûm in libras promercale per Italiam, provinciasque divenderet.* Gell. IV. 1. *Quæ promercalia, & usuraria in locis iisdem essent.* Pius Annot. post. c. 94. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 10. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 17. Pitisc. in Suetonium.

PROMISSA puella. V. illam infr. in *Puella.*

PROMITTERE vadimonium. V. illud infr. in *Vadimonium.*

PROMOTI equites quinam dicti fuerint V. supr. in *Equites.*

PROMOTIO equiti fiebat ad altiorem magistratum ob fortiter facta. *Hugo. de Mil. Equest.* V. 1.

PROMULSIDARIUM sive *promulsidare* non fuit vas, recipiendæ gustationi aptum, & gustatoriis continendis: non huic usui paratum apud veteres erat, ut aliquid esculenti, aut potulenti contineret, ut omnes voluerunt eruditi: sed ut alia vasa, & lances sustineret, nempe *promulsides.* Sic *promulsides* vasa erant, quibus sustinendis *promulsidarium* dicatum, dictumque. Ulpian. l. Etsi non clavi §. 10. ff. de aur. & arg. leg. *Sed si cui vasa sint legata, non solum ea continentur, quæ aliquid in se recipiant edendi bibendique causa paratum: sed & quæ aliquid sustineant, & ideo scutellas, vel promulsidaria contineri. Repositoria quoque continebuntur.* Petron. c. 31. *Ceterum in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras: tegebant asellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis inscriptum erat, & argenti pondus. Promulsidare* dixit, quod aliis *promulsidarium.* Vides apud Petronium nihil bibendi, edendique causa paratum continere, sed vasa tantum sustinere, *asellum* nempe *Corinthium cum bisaccio olivarum, & lances duas, quæ asellum tegebant.* Lances illæ argenteæ, quæ asellum Corinthium tegebant, *promulsides* omnino dici debuere: nam in asello mulsum reponebatur, quod in antecœna, & gustatione sumebant. Idem Petron. c. 24. *Hoc belle cras in promulside libidinis nostræ militabit: hodie enim post asellum diaria non sumo.* Ubi asellus & *promulsis* pro eodem. Nam asellus vas erat, ut dixi, recipiendo mulso paratum. Lances, quæ vas illud tegebant, *promulsides* dictæ, non obscura etymi ratione. Nam *promulsis* proprie mulsi, vel vasis mulsarii operculum, non vas ipsum mulsarium. *Salmas. in Tertull. pall. p.* 437. *Gonsal. in Petron. c.* 31.

PROMULSIS vocabatur antecœna, ideo videlicet quod daretur ante *mulsum.* Nam antiqui in conviviis non temere primam sitim nisi *mulso* sedabant. Quod ipsum principio cœnæ vel confectum apponi moris fuit, vel ejus loco separatim vinum & mel, ut conviva quisque pro arbitrio id temperans *mulsum* sibi conficeret. Horat. Sat. II. 4. 24.

Aufidius forti miscebat mella Falerno,
Mendose: quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet, leni præcordia mulso
Prolueris melius.

Lips. Ant. Lect. III. p. 147. Turneb. Adv. XXVIII. 25. Stuck. Ant. Conviv. III. 1. Bayf. de vascul. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 689. B. Buleng. de Conviv. II. 3. Laurent. de Prand. c. 6. Salmuth in Pancіroll. de Reb. deperd. & inv. p. 536. Schul Nomencl. Philol. p. 308. Qui omnes errant: nam omnis auctorum antiqui-

tas semper hoc verbi pro vase aut lance usurpavit, nusquam de gustu, aut antecœnio dixit. Huic rei fidem facit vox *promulsidarium.* Si *promulsis* pro gustu sumeretur, aut antecœna apud Latinos, *promulsidarium* itaque vas esset, recipiendæ gustationi aptum. Huic vero usui p[illegible]tum non fuit apud veteres. V. supr. in *Promulsidarium* Salmal. in Tertull. pall. p. 437. Hinc neutiquam colligere est, quod *promulsis* recentiorio pro vase usurpetur, aut lance, nec pro gustu, aut antecœna minime [illegible] possit. Et Salmasius suomet gladio jugulatur, [illegible] verbis Petron. c. 24. laudatis supr. in *Promulsidarium.* [illegible] enim adimit sententiæ leporem, asellum cum *promulside* confundens, quod, si diis placet, nunc in *promulsidari* artificiosi valde convivatoris asellum quoque vide. Plura testimonia obvia erunt cuique, ex quibus ipsum [illegible] constat manifesto. Aperte *promulsidem* pro [illegible] Cicer. Fam. IX. 16. *Neque est, quod [illegible] per jocum aliquid, quam totam jugulat. So-[illegible]* 20. *At quem [illegible]? non eum, quem tu es solitus promulside conficere. [illegible] ad ovum [illegible].* Gonsal. in Petron. c. 31 [illegible] de Conviv. I. 3.

PROMUS condus. V. illum supr. in *Condus.*

PRONUBÆ dicebantur feminæ, quæ ad nuptias conciliandas adhibebantur. Ovid. Heroid. VI. 43.

Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Juno
A[illegible].

Hæ debebant esse univiræ, & spectatæ pudicitiæ. Tertull. Exhort. ad Castit. c. 13. *[illegible] apud Ethnicos in summo honore est, ut & virginibus legitime nubentibus uni-[illegible].* [illegible] Lutand. s. Boi [illegible] nubentes nuptias contrahentes, e[illegible] *pronubarum*, aut [illegible] viri [illegible], aut unius uxoris viri essent. A secundis enim nuptiis plerique abhorrebant. Festus: *Pronubæ adhibebantur nuptiis, quæ semel nupserant, matrimonii perpetuitatem auspicantes.* Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 2. [illegible] Quæst. Rom. 26. Casal. de Prof. Roman. rit. c. 22. Stubert. de Sacrif. c. 8. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1049. C. Mader. de Coron. Thes. Græv. ibid. p. 1429. D. Sponsam manu ducebant. Stat. Sylv. I. 2. 11.

Ipsa manu nuptam genitrix Æneia ducit
Lumine demissam, & dulci probitate rubentem,
Ip[illegible] p[illegible]at.

Claud. Cons. I. Honor. III. 155.

P[illegible], quas [illegible] tuo Regina levavit
Conj[illegible] [illegible] produxit ab aula.

Barth. Adv. XXVIII. 4. In lecto collocabant. V. supr. in *N[illegible].*

Pronubus in nuptiis adhibebatur. V. infr. in *Proxeneta.*

PROPIGNEUM dicebatur præfurnium, sive suffocatorium, ut cum vellent minuere ignem, ad *propnigeum* prunas deferrent. De ipso Vitruv. V. 10. *Suspensuræ caldariorum [illegible] sunt facienda, uti primum sesquipedalibus tegulis solum sternatur inclinatum ad hypocausim, uti pila cum mittatur, non possit intro resistere, sed rursus redeat ad præfurnium.* Panvin. de Lud. Circens. II. 1. & Argolus in illum.

PROPINARE, Græce προπίνειν, est alteri pro se dare bibere, antequam bis bibat. Athen. XI. p. 498. C. Κυρίως γάρ ἐστι τοῦτο προπίνειν τὸ ἑτέρῳ πρὸ ἑαυτοῦ δοῦναι πιεῖν. Mos is enim erat inter potandum, ut convivæ prægustatum poculum alter alteri porrigeret. Homer. Iliad. IX. 224.

Implensque vino poculum, Achillem excepit.

Athen. X. p. 434. A. *Alexander igitur poculum, quod duos congios capiebat, Proteæ id præbibit.* Juven. Sat. V. 127.

—— quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula?

Suet. Tiber. c. 42. n. 5. *Ignotissimum quæsturæ candidatum nobilissimis anteposuit ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram.* *Præbibere* dixit Apul. Met. X. p. 334. *Heus, aut, puer, lautum diligenter ecce illum aureum cantharum mulso contempera, & offer parasito meo: simul, quod ei præbiberim, commoneto.* Laurent. de Prand. c. 20. Stuck. Antiq. Conviv. III. 10. Ursin. Append ad Ciaccon. de Triclin. p. 329. Bacc. de Conviv. IV. 1. Feith Antiq. Homer. III. 5. Bourdelot. in Heliodor. III. p. 69. Britann. in Juvenalem, Beroald. in Apulejum, Pitisc. in Suetonium. Illud autem intererat inter Græcos & Latinos, quod Græci poteram solum offerebant, & nominabant, cui poculum essent tradituri: Latini vinum infusum propinabant. Hinc pro tradere *propinare* usurpatum auctoribus. *Grang. in Juvenalem.*

PROPIOR *sobrino*, qui & *propius sobrino*, & *propior sobrinus* appellatur, is dicitur, qui propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ filius est, quasi qui uno gradu citerior est quam sobrinus: atque idem ipse patri ejus, de cujus cognatione quæritur, consobrinus est, quintoque numeratur gradu. l. 2. in fin. l. 2. l. ult. §. quinto gradu. ff. de gradib. & apud Paull. lib. sent. 4. tit. 11. & Justin. §. quinto gradu Instit. de gradib. Ex quo intelligitur, *propiorem sobrino* cum eo tantum conferri, qui patruelis, amitini, ac generaliter consobrini filius est: ut, quem ego *propiorem sobrino* nomino, is me consobrini sui filium appellet. Similiterque Paull. d. l. ult. §. sexto gradu dilucide scribit, patrui majoris filium patri ejus, de cujus cognatione quæritur, esse *propiorem sobrino.* Et, patrem ejus, de quo quæritur, pronepoti proavi esse *propiorem sobrino.* Item §. seq. patrui maximi filium, qui septimo gradu est, avo ejus, de cujus cognatione quæritur, *propiorem sobrino* appellat: & paullo post patrui majoris nepotem avo ejus, de cujus cognatione quæritur, *propiorem sobrino.* Itaque apud Festum mendose sic legitur: *Propius sobrino mihi est consobrini mei filius.* Proinde quasi nomen hoc reciprocetur, sicut sobrini, aut consobrini appellatio: ut, quemadmodum propatrui filius Titio est *propior sobrino*, ita vicissim Titius illi *propior sobrino* sit. In quo vitium est apertissimum. Nam, cum *propior sobrino* sic dicatur, qui sobrino citerior est, ut jam diximus; satis constat, consobrini nepotem sobrinum non esse. Præterea Cajus, Paullus, Imperator, iterumque Paullus consobrini filium a *propiore sobrino* semper accurate distinguunt, eosque in computandis quinti gradus personis separatim enumerant, ut ea nomina confundi sine temeritate non possint. *Hotoman. de Rit. nupt. c. 9.*

PROPITIARE numen dicebantur, qui illud placabant, *propitium* reddebant. Curt. IV. 7. 24. *Carmen quoddam canentes, quo propitiari Jovem credunt.* Suet. Oth. c. 7. n. 5. *Per omnia piaculorum genera manes Galbæ propitiare tentavit.* Plaut. Pœn. IV. 2. 126.

—— ubi hostiis
Herus nequivit propitiare Venerem.

Gell. VII. 3. *Conciliandos eos, ac propitiandos.* Plin. XXIX. 4. *Propitiatis adoratione diis.* Ad verbum quod attinet, male novum esse dicit Mosell. in Gell. edit. Basil. 1526. Nam in Colon. 1541. hæc omissa sunt. *Pitisc. in Curtium. Stuck. de Sacrif. p. 224.*

PROPOLA, pro quo legendum *propola.* Et est *propola*, qui merces *propalam*, velut *ante palum*, aut *de palo* vendentes habet, & vendit. *Palus* enim multis in locis rerum venalium index ante domum erigi solet. Quam vocem in *propolam* depravarunt: cum apud Græcos, quorum vocabulum videri volunt, hæc vox proxenetam significet, venditionisque conciliatorem, ut scribit Pollux VII. 2. Cicer. in Pison. c. 27. V. illum supr. in *Convivium sordidum.* Sic in bonis libris lego. Integra remanet hodieque apud Varr. de Re rust. III. 14. *Denique ipsæ exruminantes ad propalam vitam diu producunt*, id est, apud *propalam.* Ipso syllabæ modulo vocabulum Latinum esse indicat Lucill. Sat. V. apud Non. II. 661.

Ut cum primitiis ficos propala recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

Turneb.

Turneb. Adv. I. I. Junius Nomencl. c. 60. Gruter. & Lambin. in Ciceronem. Cerda Adv. c. 41. p. 323. Qui sic male legunt. Est ex Græco προπώλης. Sed Latini significationem immutarunt, ut in aliis quibusdam. Latinis *propola* est, qui res minori pretio emptas majori postea divendit. At Græcis sic vocatur, qui aliter dicitur προπράτωρ, hoc est, pararius, sive proxeneta emptoris: nempe qui emptori conciliat venditorem. Etiam dispar quantitas primæ syllabæ apud Latinos, ac Græcos. Nam primam in *propola* modo produxit Lucilius. Nempe Romani, quo viderentur vox plane Latina, suum, quam Græcorum, quantitatem sequi maluerunt. Et cum Latini *pro* extra compositionem semper producant, quamquam acceperint a Græcis, quibus πρὸ breve est: quid mirum, si iidem in compositione sæpe etiam producant, ubi vox tota sit a Græcis. Eadem enim ratio totius, & partium. Ita & *propino*, & *prologus*, quamquam plane Græca sint, interdum primam corripiunt, more Græcorum, interdum producunt, more Latinorum. Quid igitur mirum, si in *propola* primam producat Lucilius. *V. J. Voss. Etymol. Schott. Nodor. Ciceron.* I. 3. *Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p.* 231. *Spanhem. in Julian. Orat.* I. *p.* 142. *Lampe de Cymbal.* II. 21. *Ferrar. de re vest.* I. 3. 21. *Rhodig. Ant. Lect.* XIV. 6. *Zimmerman. Floril. Philol. p.* 651.

PROPRÆTORES quinam fuerint magistratus, & quodnam fuerit discrimen inter illos & proconsules V. supr. in *Proconsules*.

PROPTER *viam fiebat sacrificium, proficiscendi gratia, Herculi, aut Sanco, qui scilicet idem est deus.* Festus. Apud Romanos enim moris fuit ut peregrinationis ergo, & sacrificia, & cœnæ fimul fierent. Macrob. Sat. II. 2. *Sacrificium apud veteres fuit, quod vocabatur propter viam. In eo mos erat, ut si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc Catonis jocus est. Nam Q. Albidium quendam, qui sua bona comedisset, & novissime domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset, propter viam fecisse dicebat: quod comesse non potuerit, id combussisse.* In Macrobio legitur *protervia.* Blond. Triumph. Rom. I. p. 18. E. Et nos apud illum ex Festo & Plauto legimus *propter viam.* De illo etiam Plaut. Rud. I. 2. 61.

SC. *Ut mea est opinio,*
Propter viam illi sunt vocati ad prandium.

Turneb. Adv. IX. 4. Stuck. Ant. Conviv. I. 29. de Sacrific. p. 197. August. & Scalig. in Festum. Taubman. in Plautum. Pontan. in Macrobium. Donius de utraque pan. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VI. p. 1153. F. Brisson. de Form. I. p. 18. Struv. Ant. Rom. c. 2. p. 124. c. 10. p. 489. *Proterviam* legit etiam Alex. Gen. dier. III. 12. Et *protervia* facit mentionem Auson. Edyll. X. 172.

Capripedes agitat cum læta Protervia Panes.

Tiraquel. in Alexandrum. Schill Nomencl. Philol. p. 961. Miror & Alexandrum, & Tiraquellum *Proterviam* legere, & non *propter viam* duabus vocibus. Ausonii *protervia* huc nihil pertinet. *Coler. in Alexandrum.*

PROPUGNACULA *in navibus dicuntur loca altiora quasi muri: unde milites fortes propugnant, aut manu, aut telis.* Scholiast. Horat. Epod. I. 1.

Ibis Liburnis inter alta navium
Amice propugnacula.

De his Veget. IV. 44. *In majoribus Liburnis propugnacula, turresque constituunt, ut tanquam de muro, ita de excelsioribus tabulatis facilius vulnerent, & perimant inimicos.* Flor. II. 2. *Commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis.* Scheffer. de milit. nav. II. 5. Stewech. in Vegetium.

PRO QUÆSTORE dicebatur, qui *quæstore* aut mortuo, aut de provincia, non expectato successore, decedente munere quæstorio, ab illo, penes quem summum erat provinciæ imperium, proconsule, aut proprætore, præficiebatur. Cicer. Verrin. I. 15. *Ita me idem iste, quem Cn. Dolabella postea Malleolo occiso pro quæstore habuit.* c. 36. *C. Malleolo quæstore Cn. Dolabella occiso duas sibi hæreditates venisse arbitratus est: unam quæstoriæ procurationis; nam a Dolabella statim pro quæstore ejus est electus.* Gruch. de Comit. Rom. II. 2. August. de Proquæst. Thes. Ant. q. Roman. Græv. Tom. VII. p. 1277. A. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 3. Et alios quosdam *proquæstores* in consulari exercitu fuisse præter eum, qui suffragiis populi creatus revera *quæstor* esset consulis, ex iis intelligi posse existimo, quæ ex rationibus a Verre *quæstore* relatis citantur a Cicer. Verrin. I. 14. *Dedi stipendio, frumento, legatis, proquæstoribus, cohorti prætoriæ H. S. mille sexcenta triginta quinque millia.* Ex his enim verbis apparet fuisse in eo Cn. Carbonis consulis exercitu quosdam *proquæstores*, quibus perinde, ut legatis, de publico daretur pecunia ab eo, qui revera *quæstor* esset. Verres enim *quæstor* erat, cui data erat attributa pecunia: ex qua se dicit Verres hanc summam numerasse. Verum ut neque hi, neque illi *proquæstores* a populo creabantur: sed vel a magistratibus tantum deligebantur, vel a senatu in ornandis consulum provinciis, quo magistratuum delecti comites dabantur, ut quod erant legati in proconsulari, & proprætorio munere, hoc essent in *quæstoria* procuratione hi *proquæstores*: ita procuratione tantum, & munere *quæstores* erant; magistratus vero, & ornamenta imperii penes eos tantum, qui a populo *quæstores* essent creati. *Gruch. l. l.*

PRORA, Græce πρῶρα, aliis & μέτωπον appellatur. Schol. Thucyd. II. Τὸ μέτωπον τῆς νεὼς, καὶ πρῶρα ἐστί. Est autem *frons* Latine, ideo fortasse, quod vel cujusque rei pars anterior sic appellari possit, vel revera nonnunquam frontem, vel effigiem animalium prætulerit. Extitere naves apud veteres duplici cum *prora*, quas Minervam primam commentatam esse dicitur. Hygin. Fab. 277. *Minerva navem biproram Danao ædificavit, in qua Ægyptum fratrem profugit.* 168. *Tunc primum dicitur Minerva navem fecisse biproram, in qua Danaus profugeret.* Meminit & Athen. V. p. 204. Δίπρωρος δὲ ἐγεγόνει καὶ δίπρυμνος. De Philopatoris navi loquitur. Quarum forma earum fuerit, fingitur facilius, quam scitur, cum omnino rara sit, nec ullibi, quod sciam, in antiquis monumentis exposita. Barth. Adv. X. 20. non a duabus *proris*, sed a firmitate anius alteræ subtextæ navim ita dici existimat. *Scheffer. de Milit. Nav.* I. 6. *Gyrald. de Navig.* c. 11. Si brevis sit, & pæne ad perpendiculum assurgat, ita ut recta, & adversa fronte excipiat æquor, tarde, & pigre omnino movebitur navis. Longa vero, & oblique imminens mari, celeriorem faciet progressum: & quidem notandum, quanto fuerit longior, tanto velocius ferri navigium. *Voss. de Trirem. construct. p.* 730. *C.* Trojanis temporibus depingebatur. Homer. Odyss. I. 125.

Neque enim Cyclopibus ad manus naves sunt miniatæ.

Meminit hujus picturæ velut antiquissimæ Plin. XXXIII. 7. *Auctoritatem colori fuisse non miror. Jam enim Trojanis temporibus rubrica in honore erat Homero teste, qui naves ea commendat.* Non rubro tantum, sed & κυανῷ, hoc est, flavo, similis colore ad hoc utebantur. Quo coloris genere, quas Homer. Odyss. Γ. 299. κυανοπρῴρας nominat, fuerunt pictæ. Ovid. Met. XIV. 554.

— antennæ brachia fiunt,
Cæruleus, ut fuerat, color est.

Postea hic color in exploratoriis præcipue retentus est. Veget. IV. 37. *Ne exploratoriæ naves candore prodantur, colore Veneto, qui marinis est fluctibus similis, cera, qua ungere solent naves, inficitur.* Habebant & tertium colorem, candidum. Plin. l. l. *Est & color tertius e candidis terræ. Fuit & terra per se in Theodoti fundo inventa Smyrnæ, qua veteres ad navium picturas utebantur: nunc omnis ex plumbo, &* ... Quarta quoque ratio accessit, quam encaustum, sive κηρογραφίαν appellarunt. Plin. XXXV. 11. *Tertium genus encaustices accessit, resolutis igni ceris penicillo utendi, quæ pictura in navibus, nec sole, nec sale, ventisque corrumpitur.* Ovid. Fast. IV. 275.

— picta coloribus ustis
Cælestum matrem concava puppis habet.

Zzz 2 Scheffer.

Scheffer. ibid. II. 6. Potter. Archæol. Græc. III. 15.

PRORETA, qui πρωρέτης, & πρωρεὺς dicitur, gubernatori dignitate eſt proximus, & minor quaſi quidam gubernator. Ariſtoph. Equit. I. 5. 305.

Remigem oportet ante eſſe, quam clavum tenere,
Poſtea vero proretam agere,
Tum demum pro ſeipſo gubernare.

Hic ſtatim ſubditur *proreta* gubernatori, unde ſub imperio ipſius fuiſſe intelligitur. Suidas: *Gubernator imperat gubernatori.* Officium ipſius fuit, ut gubernatori veniret in laboram partem, & ad imperium ipſius regeret clavum. Xenoph. Memorab. V. p. 842. D. *Proreta dicitur gubernatoris adjutor.* Pollux I. 9. 10. *Qui ad gubernacula ſedet, gubernator dicitur, gubernatoris autem vices agere proreta eſt.* Hinc intelligitur, quid Pollux in animo habuerit cum ſcribit: *regere clavum, dirigere, & gubernare navim ad proretam pertinet.* Non enim perpetuum ipſius ſignificavit officium, nam ſic fuiſſet gubernator, ſed quod ad tempus, & ex juſſu ipſius obibat. Plutarch. Reip. gerend. præcep. p. 812. B. *Gubernatores alia ſuis ipſi peragunt manibus, alia inſtrumentis, & manibus aliorum eminus ipſi ſedentes verſant, utunturque proretis, & celeuſtis, quos nonnunquam in puppim evocant, & gubernaculum tradunt.* Niſi quis exiſtimat, τὸ κυβερνᾶν in laxiore ſenſu poſitum, qualemcunque navis directionem, non quæ fit tantum gubernaculis ſignificare. Et tunc de alio ipſius, & frequentiore officio accipiendus eſſet locus, quo ſedere in prora debebat, ibique primum aucupari ventos. Ariſtoph. ibid. n. 302.

Oportet proretam poſtea agere, & obſervare ventos.

Et de hoc accipiendus Etymologus, cum inquit: *proretæ officium, prævidere tempeſtates.* Deinde, ne impingeretur navis, explorare promontoria, item rupes, ſcopulos, & alia occurrentia in mari. Theodoret. Orat. VII. de Provid. *Proretam ſcopulos, ſyrtes, & ſaxa obſervare, & gubernatori oſtendere.* Ovid. Met. III. 617.

Hoc Lybis, hoc flavus proræ tutela Melanthus,
Hoc probat Alcimedon.

Tutelam proræ nominat, quod curam ejus haberet. Hinc patet, cur Lynceum *proretam* fecerit Hygin. Fab. 14. *Proreta navis inquit* Argus *Lynceus Aphareti filius, qui multum videbat.* nimirum, quia in longinquum proſpicere, & promontoria, portus, ac ſimilia diu ante providere poterat. Etiam flectere navim a *prora* ſolebat. Plaut. Rud. IV. 3. 74.

— TR. *At ego hinc offlectam navim, ne quo abeas, mane.*
GR. *Si tu proreta iſti navi es, ego gubernator ero.*
Mitte rudentem ſceleſte.

Et ob hanc cauſam neſcio quis apud Ovid. Met. III. 634.

Pone metum, Proteus & quos contingere portus
Ede velis, dixit, terræ ſiſtere petitæ.

Quod ſi non feciſſet, ſi non flexiſſet, quando neceſſitas poſtularet, & vel ſuæ, vel alienæ navi damnum ex concurſu forte eſſet illatum, ejus nomine fiebat reus. Sic intelligenda lex 10. Baſilic. LIII. *Si navis navim in profundum egerit, gubernator, vel proreta accuſatur.* Exemplum eſt apud Appian. de Bell. Mitrid. p. 187. *In certamine navem Regis ſuos hortantis Chia ſocia per tumultum impacta concuſſit, quod ille non diſſimulans, poſtea gubernatorem & proretam ſupplicio affecit.* Aſſignabat porro remigum cuique ſuum locum, eoſque diſponebat. Athen. XV. de Phæaco Theſei *proreta.*

Phæacus Muſarum remiges in tranſtra mittit.

Ad poſtremum rerum omnium, armamentorum, inſtrumentorumque navalium curam habebat accuratam, thecas etiam inſpiciebat, ne, cum uſus, vel neceſſitas exigeret, unde quæque promi poſſent, ignoraret. Xenoph. l. l. *Proretam ita cujuſque loci gnarum reperi, ut vel abſens dicere poſſit, uti ſingula ſita eſſent, & quam eſſent multa, non minus atque is, qui literas novit, quot in Socratis nomine literæ ſint, dicere poſſit, atque ubi ſingulæ ſint collocandæ. Eundem vidi per otium omnia luſtrantem, quibus utendum in navi eſſet. Quum hanc ejus inſpectionem miratus eſſem, quærebam quid ageret? reſpondit ille: inſpicio, mi hoſpes, ſi forte quid accidat, quo pacto ſita ſunt omnia in navi, ac numquid abſit, vel inconcinne collocatum ſit.* Scheffer. de Milit. nav. IV. 6. Turneb. Adv. XXVIII. 43. Gyrald. de Navig. c. 19. Potter. Archæol. Græc. III. 19. Dretem. in Iſcan. de Bell. Trojan. I. 193.

PROROGATOR vocabatur diſpenſator. Caſſiod. Var. X. 28. *Arcarios prorogatores tritici, vini, & caſei. . . . qui ad urbem Romanam, vel ad manſionem pertinent Ravennatem.* Chryſol. Serm. 26. *Diſpenſator divini verbi, & cæleſtis divinæ prorogator.* 23. *Eſt conſuetudinis, eſt animi felicis, ut adſcitus quis eſt ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus liberaliter prorogare.* Pignor. de Serv. p. 308. Stewech. in Veget. IV. 7.

PRORSA dicitur oratio, quæ ſoluta eſt. *Proſam* qui dicunt, facere imperite exiſtimo. *Prorſum* antiqui rectum appellarunt. Inde *prorſi limites* apud Feſtum. Et hoc vocabulum in hunc ſenſum reperi apud Senec. Troad. I. 10.

Et qui renatum prorſus adſpiciens diem
Tepidum rubenti Tigrin immiſcet freto.

Prorſum, ut dixi, rectum eſt. Iccirco ſolutam orationem *prorſam* nominarunt; quod eſſent in ea voces recto fere ordine, & ut naturæ ferret impetus, collocatæ: contraque verſum dixerunt, in quo eſſet orationis genus, ut Cicero loquitur, verſum atque mutatum. *Muret. in vitam Terentii p. 2. Calcagn. Quæſt. Epiſt. I. 24.* Ut retrorſus dicitur, qui retro fert pedem, εἰς τὸ ὄπισθεν πορευτικός: ita contra *prorſus*, πορευτικὸς εἰς τὸ πρόσθεν. Unde oratio *prorſa* verſæ oppoſita: nam qui verſus ſcribunt, abſoluto uno verſu etiam minimo, & qui lineæ partem parvam occupet, retro tamen veſtigia legere coguntur, ut alium verſum inchoent: in ſoluta oratione contra, quamvis latiſſime pateat materia, in qua cogitationes noſtras exaramus, nihil vetat porro pergere ad extremam uſque longitudinem *Caſaub. in Lamprid. Alex. Sev. c. 59.* Sed hi falluntur. Utrumque enim probum, & Latinum eſt. Antiquius *proſa*. Veteres illi Latini concurſum *R.* cum *S* fugiebant: itaque *R* exterebant. Quare *ruſum* potius quam *rurſum*: *ſuſum*, quam *ſurſum*: *aſſum*, quam *arſum*: *proſum*, quam *prorſum* dicebant. Afran. Emancip. apud Feſtum in Remeare:

Vetuit me ſine mercede proſum Paccius
Remeare in ludum.

Ennius:

Proſus ruſus reciprocat fluctus feram.

Salluſt. Catil. p. 21. *Proſus multæ facetiæ, multuſque lepos inerat.* Jugurth. p. 81. *Proſus intentus cuncta parare.* Scalig. Conject. in Varr. p. 64. Auſon. Lect. I. 14. Voſſ. Lex. Etymol. Oiſel. in Gell. XVI. 16. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 277. b. C. Palmer. Spicil. X. p. 772. Taubman. in Plaut. Curc. V. 2. 5. Malvaſ. Marm. Felſin. Sect. 9. c. 9.

Prorſa, ſive *proſa* dea exiſtimabatur præeſſe illis, quæ rectum, ac legitimum partum ederent: ut poſtverta, cum præpoſtere partus edebatur. Gell. XVI. 16. *Eſſe pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos, ſurſum pedibus elatis; non ut hominis natura eſt, ſed ut arboris: nam pedes, cruraque, arboris appellat ramos; caput, ſtirpem, atque caudicem. Quando igitur,* inquit, *contra naturam forte converſi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri ſolent: ægriuſque tunc mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratia aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una poſtverta nominata eſt, proſa altera, a recti, perverſique partus, & poteſtate, & nomine.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 50. A. Barthol. de puerper. p. 16. Tomaſ. de Donar. c. 14. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 154. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XXII. 9. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. A. Oiſel. in Gellium. Meurſ. de Puerp. c. I. Laurent. de Natalit. c. I. Perion. de Græcor. & Roman. magiſtrat. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2808. B.

PROSCENIUM fuit locus patens, & liber in fronte *scenæ*, in quem exibant actores, & histrioniam agebant. Plaut. Amph. prol. n. 91.

> *Etiam histriones anno in proscenio hic*
> *Jovem invocarunt.*

Virg. Georg. II. 380.

> — *caper omnibus aris*
> *Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi.*

Ex hoc loco Principes interdum ludos spectabant. Suet. Ner. c. 12. n. 1. *Hos ludos spectavit e proscenii fastigio.* Buleng. de Theat. I. 26. Turneb. Adv. XXVIII. 35. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 8. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 87. Gentil. Parerg. I. 8. Voss. Lex. Etymol. Gyrald. Hist. poet. dial. VI. p. 334 B. Baldus Lex. Vitruv. Cerda Adv. c. 51. n. 7. & in Virgilium. Philand. in Vitruv. V. 6.

PROSCRIBERE rem venalem aliquam dicebatur, qui illam in publico affixo, ad pilam, aut columnam libello, vel tabella proponebat, sive id faceret auctoritate magistratus, sive sua. In illa & res, & rei pretium *perscriptum erat.* Unde venales pendere dicebantur, quorum bona ad istam rationem *proscripta* erant. V. supr. in *Pendet.* Plin. Epist. VII. 27. 6. *Deserta inde, & damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta: proscribebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere vellet.* II. 1. *Miraris, quod Hermes libertus meus hæreditarios agros, quos ego jusseram proscribi. . . .* Buchner. in Plin. VII. 1. Schill Nomencl. Phil. I. p. 959. Pignus *proscribere* sine auctoritate judicis, non solvente post trinam denuntiationem debitore, poterat creditor. At bona debitoris, qui iis cesserat, vel qui decesserat, cum solvendo non esset, auctoritate judicis venum ibant, & prius *proscribi* edicto solebant. *Salmas. de Mod. usur. c. 15. Pollet. For. Rom. v. 2.* V. & supr. in *Programma.*

PROSCRIPTIONIS tabulam primus excogitavit L. Sylla Fufidio primipilari auctore, cum victis Marianis Urbem esset ingressus, & cives cædendi finis nullus fieret. Tulit de illa legem. V. illam supr. in *Lex Cornelia de proscriptione.* August. de Legib. in Cornelia.

Proscriptio bonorum debitoris latitantis ita, ut nullam secum agendi potestatem faceret, postquam prætor, cum de domo extrahi non posset, cujus auxilium actor imploraverat, eum edicto evocari jusserat, & evocationem secundam, si primæ non paruisset, decernens in bona petitorem miserat, & si evocatione tertia ad su defensionem non venisset, altero decreto bona ejus possideri, *proscribi*, ac distrahi jusserat, postquam bona per triginta dies possessa essent, & qui creditores se esse dicebant, si plures essent, prætorem iterum adiissent, & petiissent, ut sibi liceret unum ex corpore suo constituere, qui debitoris bona auctioni subjiceret, quem magistrum vocabant, fiebat in celeberrimis urbis locis, ita: *Ille debitor noster in ejusmodi causa est, ut bona ejus divenire debeant: nos creditores patrimonium ejus distrahimus: quicunque emere volet, adesto.* Sigon. de Judic. I. 18.

PROSECTA dicebantur exta, quorum pars aræ superimponebatur. Varr. de Ling. Lat. IX. 22. *Injicia, ab eo quod injecta caro, ut in carmine Saliorum est, quod in extis nunc dicitur prosectum.* Stat. Theb. V. 641.

> — *ubi averso dederat prosecta Tonanti,*
> *Et caput iratis rediens quassabat ab extis.*

Et ibi Lactantius: *Prosecta dicuntur exta, cum redduntur insecta. Verbo sacrificantium usus est. Particulæ enim minutæ membrorum omnium prosecta dicuntur in sacris, quæ inferuntur aris.* Lucan. VI. 708.

> — *si pectora plena*
> *Sæpe dedi, lavi calido prosecta cerebro.*

Non. III. 173. *Prosecta, exta, quæ aris dantur ex fibris pecuaum dissecta.* Et exta *prosecare* dicebantur, qui illa aris imponebant. Suet. Aug. c. 1. n. 2. *Cum forte Marti rem divinam faceret, nuntiata repente hostis incursione, semicruda exta rapta foco prosecuit.* Liv. V. 21. *Qui ejus hostiæ exta prosecuisset, ei victoriam dari.* Brisson. de Form. I. p. 24. Saubert. de Sacrif. c. 20. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 528. D. Noris. Cenot. Pisan. III. p. 395. Turneb. Adv. XV. 7. Stuck. de Sacrif. p. 195. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 477. Bernart. in Stat. Theb. V. 641.

PROSECUTORES auri publici vocabantur, qui exactam ad locum thesaurorum pecuniam comitabantur: quod nonnisi jussione comitis largitionum *prosecutoria* dicta facere poterant. l. 1. C. de auri publ. prosecutor. *Auri prosecutores partim nulla præmissa, ut adsolet, prosecutoria aurum præsumunt prosequi, partim diutius retentant, quod statim fuerat adsignandum. Ideoque censemus, ne quis absque præcepto viri illustris comitis sacrarum largitionum vel coquendum aurum sumat, vel capiat deinceps retinendum.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 75. Buleng. de Vectig. c. 23. Hennin in Bergier. de viis milit. IV. Sect. 15. §. 7.

PROSEDÆ vocabantur meretrices, quoniam ante lupanaria, & fornices sedebant, veluti specimine apposito, quo licitatores invitarent. Plaut. Pœn. I. 2. 54. ubi Adelphasium meretrix cætera suæ artis viliora capita vocat hoc nomine:

> *Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias,*
> *Miseras, cœno delibutas, servilicolas, sordida?*
> *Quæ tibi oleant stabulum, statumque, sellam, & sessibulum merum.*

Paullus ex Festo: *Prosedas meretrices Plautus appellat, quod ante stabula sedeant.* Chiment. de Hon. bisell. c. 24. Barth. Adv. XL. 7. Laurent. de Adulter. c. 3. Almelov. Antiq. p. 36.

PROSEQUI funus dicuntur amici, qui corpus, quod effertur, sequuntur. Senec. Epist. 30. *Bassus noster videbatur mihi prosequi se, & componere: & vivere tanquam superstes, & sapienter ferre desiderium sui.* Petron. c. 71. *Hæc cum virum extulisset, non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum corpus in conspectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam prosecuta est defunctum.* Apul. Met. VIII. p. 238. *Funus toto feralem pompam prosequente populo, deducitur ad sepulturam.* Huic voci respondent Græca προπέμπειν, παραπέμπειν, & ἐκπέμπειν, *Herald. Adv. c. 6. Kirchman. de Funer. II. 10. Gonsal. in Petronium.*

PROSERPINA in lucem edita est a Cerere a Jove in tauri forma delusa. Arnob. V. p. 170. *Quondam Diespiter, cum in Cererem suam matrem libidinibus improbis, atque inconcessis cupiditatibus æstuaret, nam genitrix hæc Jovis regionis ejus ab accolis traditur, neque tamen auderet id, quod procaci appetitione conceperat, apertissima vi petere, ingeniosas comminiscitur captiones, quibus nihil tale metuentem castitate imminueret genitricem: fit ex deo taurus. . . . Arietem nobilem bene grandibus cum testiculis deligit, exsecat hos ipse, & lanato exuit ex folliculi tegmine. Accedit mœrens, & summissus ad matrem, & tanquam ipse sententia condemnasset se sua, in gremium projicit, & jacit hos ejus. Virilitate pignoris visa sumit animum mitiorem, & concepti fetus revocatur ad curam, parit mensem post decimum luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium consequens modo Liberam, modo Proserpinam nuncupavit.* Gyrald. Synt. deor. VI. p. 204. A. Eam in Ennensium nemore, qui locus, cum quod in media insula est, tum quod perpetuo floreat, & fertilissimus sit, umbilicus Siciliæ nuncupatur, a Plutone raptam fingunt poetæ. *Pighius in anni part. mythol. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 1197. E.* Raptam amplexus est Pluto in curru, quem quatuor nigri equi, in cursum, laxatis habenis, effusi traxerunt. *Proserpina* lamentans vociferata est, vultu averso, capillis sparsis, & brachiis ad cœlum protensis, ut habitum ejus describit Claud. de Rapt. Proserp. II. 247.

> *Interea volucri fertur Proserpina curru*
> *Cæsariem afflata noto, planctuque lacertos*
> *Verberat & questus ad nubila fundit inanes.*

Bellor. Descr. sepulcr. Nason. t. b. XII. Cum marito divisum in animas mortuorum invocat imperium. Hinc deos infernales simul invocans, ita inquit Virg. Æneid. VI. 264.

Dii, quibus imperium animarum.

Et Æneas ingressurus infernum, utrique numini, ad imitationem Ulyssis Homerici, sacrificat, ut ea sibi propitia reddat. [illegible] in vitam humanam clarius his verbis designat Tibull. III. 5. 5.

[illegible] Persephone nigram denuntiat horam.

[illegible] & mortis arbitra, quoniam [illegible] Juno Lucina, [illegible] Juno inferna, utpote quæ [illegible] morientibus [illegible]. Imperii hujus consors [illegible] his verbis, ut fingit Claud. ibid. II. 300.

Sub tua purpurei venient vestigia Reges
Deposito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors æquat. Tu damnatura nocentes,
[illegible]

[illegible] ibid. Fab. VIII. Ei porca vovebatur. Mart. [illegible] 47. 5.

[illegible] votis hac se tibi virgine porca
[illegible]

Et, cum ipsa sit sterilis, vacca sterilis. Virg. Æneid. VI. 251.

—— sterilemque tibi Proserpina vaccam.

Prudent. in Symmach. I. 357.

Rapta ad tartarei thalamum Proserpina Regis:
[illegible]
[illegible]

Tomas. de Donar. c. 16. Stuck. de Sacrif. p. 67. Feith. Antiq. Hom. I. 9.

PRO[illegible] V. [illegible] supr. in *Porri[illegible]*.

PRO[illegible]MURIUM [illegible] *in commentario [illegible], locum proximum muro.* Festus. *Nardin. Rom. vet.* I. 5.

PROSTIBULA sive *prostibulum* dicebatur meretrix, quæ ante stabulum sedebat. [illegible]: *[illegible] meretrices [illegible] quæstus gratia: [illegible], quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibulæ.* [illegible] Alm[illegible] Antiq. p. 36. Magis placet dici, quæ ante diversorium stabat. De hac statione sunt veterum loca. Horat. Sat. I. 2. 30.

—— [illegible] in olenti fornice stantem.

Senec. Controv. 2. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti: stetisti puella in lupanari.* Voss. Lex Etymol. Wouwer. [illegible] p. 336. Ut in theatro, sic & in circo fuerunt. Vetus poeta:

Deliciæ populi, magno notissima circo
[illegible]

[illegible] Heliogab. c. 26. *Omnes de theatro, de circo, de [illegible] meretrices collegit.* Buleng. de Circo c. 56. Laurent. de Adulter. c. 3. V. supr. in [illegible].

PROTECTORES domestici sunt dicti equites, & pedites, & ipsi palatini, prætorianique dicti, a Gordiano juniore instituti: quos posteriores principes Græci [illegible] vocaverunt, inquit Cedrenus. Horum munus fuit corpus Imperatoris *protegere*. De his Procop. Ἀνεκδ. *Sunt & alii in palatio longe præstantiores, quoniam majus ipsis stipendium solvi consuevit, ac digniore militiæ nomine honestantur. [illegible] & protectores vocantur, & a cura rerum bellicarum [illegible]. In palatio enim consistere solent, ut [illegible] personæ operam præstet.* Qui erant præsentes, semper principem palatio exeuntem comitabantur, [illegible]. Quod etsi nomen satis indicat, clarius tamen explicat Honor. A. l. devotissimis C. Th. de domest. & protect. *Devotissimos protectores, qui [illegible] non solum [illegible] corporis [illegible] protegendi [illegible] patimur, [illegible] protectorum nomen [illegible], inglorios esse non patimur, sed ut devotissimis nuper protectoribus domesticis, ita his quoque honorem congruum condonamus, ut præter primicerium, decem eorum clarissimatus dignitate fruantur.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 90. Guther. de offic. dom. Aug. II. 15. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 13. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 920. F. Vales. in Ammian. XIV. 7. Columb. in Lactant. de Mort. persecut. c. 19. Zimmerman. Floril. Philol. p. 652.

Protectores cursus publici videbant, si quid ultra mensuram redæ, angariæ, aut veredo imponeretur l. 1. C. Th. de curs. publ. *Guther. de Offic. comit. August.* II. 15.

Protectores ducenarii cæteros & ipsos *protectores* prætorianos regebant, & apud præfectum prætorio comitis *protectorum*, qui comes illustrium, vices gerebant, & omnibus *protectoribus* imperabant. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 15.

PROTECTORIA non sunt veluti sepulcrorum supercilia, suggrundæve arcendis stillicidiis inventæ, sed latius extenduntur, quæ ex Pausania quidam περιοικοδομας. Melius *projectoria* dixisset, quæ & stillicidia, & porticus, & quæcunque extra *sepulcrum* projiciuntur, complectuntur. In indice pandect. Florent. titulus est de damno infecto, & projectionibus, & suggrundis: qui in libris nostris est de damno infecto, de suggrundis, vel protectionibus. *Protectorium*, seu *projectorium* sepulcri monumento circumdatur, cum illud sepulcrum circumdet. Nam *projectorium* ad porticationes, tabernas, dictis porrigitur. Macer. l. funeris. §. munimentum. *Itaque si amplius quid ædificare testator jusserit, veluti in circum porticationes, eos sumptus funeris causa non esse.* Guther. de jur. man. II. 30.

PROTELUM, & *protelo ducere* quid sit, docet apud Non. IV. 349. Lucil. Sat. XII.

Hunc juga mulorum protelo ducere centum
Non possunt.

Centum juga sunt centum paria, quorum quodlibet ad suum, propriumque jugum est firmatum. Hæc centum paria *protelo* ducunt quidpiam, quando ducunt constituta longa serie. Hoc enim *protelo* significat. Quemadmodum res ipsæ, quando ita longa serie constituuntur, Latinis *protelare* dicitur. Unde Nonius l. l. *Protelare, rursus adjungere* id est, adjuncto jam uni jugo jugum aliud adjungere, & huic rursum aliud. Quod factum aliquando, donec essent centum, indicat Lucillius, qui numerus jugorum, nisi aliis antea collocatis, intelligi non potest. Habemus itaque vehicula vetustissimis temporibus sic juncta, ut, si plura boum, aut equorum essent paria, alia antecederent, alia sequerentur, serie continua, interjuncto inter singula temone, qui, quia se mutuo excipiebant longo ordine, idcirco ab Isidoro *perpetui* sunt dicti. Eandemque rationem videmus servatam postea quoque in vehiculis onerariis, sive boves ea ducerent, sive muli, sive equi. Pertinet huc enim locus etiam alius Lucill. Sat. VI. ubi ait:

Quem neque Lucani oriundi montibus tauri
Ducere protelo validis cervicibus possent.

Nam & hic *protelo* ducunt tauri, quando longa serie alii post alios junguntur. *Scheffer. de Re vehic.* I. 12. Simplicius, verius que videtur, si dicamus *protelum* esse, non funem, sed jugatorum boum perpetuum impulsum, continuamque protractionem: ut *protelo ducere* nihil sit aliud, quam non strigare, sed continuatim, & uno tenore, ac ducta aratrum, aliave onera pertrahere. Quia vero non una est impellendi ratio, cum aliter impellant ea, quæ incitant, ac trahunt: aliter, quæ inimice fugant: hinc fieri putant, ut *protelum* interdum ponatur pro incitamento, sive causa impellente: interdum pro eo, quod vel mole, vel vi corporis, vel imperio, dictisque, vel simili modo propellit. Priori modo accipi ait Nonius a Varrone in Cato, sive de lib. educ. *Delectatio protelo ad discendum.* Sed adsentio Salmasio, qui divisim *pro telo* legit, ut telum sit adjumentum. Ita Cicer. de Amic. c. 17. *Nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium.* Sed *protelo* nunquam sic accipitur. At pro uno, & continuo impulsu utitur Lucret. IV. 191.

Et

Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.

Et *protelare* dixit similiter Turpil. Lemn. apud Non. l. 1.

Propter peccatum pauxillum indignissime
Patria protelatum esse saevitia patris.

Item Hist. IV. *Duae cohortes de subsidio procedunt, atque equites protelant.* Et Terent. Phorm. 1. 4. 35.

Ne te iratus suis saevidicis dictis protelet.

Scalig. Conject. p. 250. legit apud Varr. de Re rust. III. 16. *Hic sonus harum fugae existimatur esse protelum*, hoc est, hujusmodi imaginibus apes longe *protelantur* in fugam. *Diem protelare* Ulpian. de damn. inf. dicit pro protrahere, sive producere. Et *litem protelare* l. properandum pro differre. Quia vero *protelum* proprie est perpetuus, continuusque impulsus, hinc fit, ut adverbialiter quoque *protelo* dicatur pro continuo, in continenti. Catull. LVI. 6.

— *hunc ego, si placet Dianae,*
Protelo rigida mea cecidi.

Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 943. a. A. Gifan. Collect. Lucret. Turneb. Adv. XXIV. 42. Scalig. in Catal. p. 240. & Conject. l. l. Dacer. in Festum.

PROTERVIA an sacrificium fuerit dictum. V. supr. in *Propter viam.*

ΠΡΩΤΕΙΣ, & μητροπόλεως distinctae erant quandoque in eadem provincia appellationes. Ita Tarsus non metropolis solum Ciliciae ab antiquo, sed prima gentis dicitur. Dio Prus. Orat. XXXIV. p. 415. *Vobis, viri Tarsenses, obtigit, ut primi sitis in hac gente, non solum quod maximam omnium in Cilicia inhabitatis civitatem, & metropolim ab initio; verum etiam quod secundum Caesarem super omnes optime habuistis erga vos affectum.* Qui & alibi observat in Bithynia metropoleos nomen Nicomediae proprium, primae vero, seu πρώτης, commune illi cum Nicaea extitisse. Unde etiam Nicomedienses in antiquis nummis utrumque sibi jus tribuunt, in quibus non solum *metropolis prima Bithyniae Nicomedia* dicitur; sed etiam *metropolis neocoros, & prima Ponti, & Bithyniae.* Nicaeenses vero in praeclaro Domitiani nummo apud Tristanum T. I. p. 334. ac in thesauris Gallorum Regis, ubi eum vidimus, *Nicaenses primi provinciae.* Ut omittam ortas olim graves de illo gentis primatu, seu περὶ πρωτείων inter nobiliores Asiae proconsularis urbes, Ephesum, Pergamum, Smyrnam dissensiones, quas tangit Dio Orat. XXXIV. p. 427. data vero opera Aristid. Orat. de concord. p. 302. Quo primatu non intelligi, juxta Tristan. T. III. p. 18. & Harduin. de Num. ort. III. p. 167. & 346. fori praerogativam, seu quod vicina oppida eo disceptare foro tenerentur; sed primatum sacrorum apud eos aedium, seu in publicorum sacrorum, festorumque, vel agonum communium solemnibus, viderunt jam marmorum Oxoniensium enarratores in Not. p. 68. Docet hoc Philostr. de vit. sophist. II. p. 538. in disceptatione Asiaticarum illarum urbium, jure sacrorum coram Imperatore Marco instituta: *De templorum, eorumque juribus contendebat Smyrna, Polemone patrono ab eo designato:* dein, lecta Polemonis fato tum functi, quam pro Smyrnaeorum jure scripserat, oratione, Imperatorem secundum illam orationem decrevisse: *tum recessit Smyrna, primatum adepta.* Spanhem. ad Constit. Anton. Imper. Exercit. II. §. 15.

PROTHYRUM Latini appellarunt, quod Graeci diathyrum. Pompon. l. 245. de divers. reg. jur. *Labeo ait, prothyrum, quod in aedibus interdum fieri solet, non esse aedium.* Ea sunt repagula e ferro, lapide, vel qua alia re utrimque depacta, arcendis a vestibulo aedium vehiculis, & equis. Hoc ipsum *velamen* dixit Papin. l. quaesitum ff. de instr. vel instrum. leg. *Sicut prothyron domus si velamen est, instrumento domus continetur.* Lips. Epist. Quaest. II. 7.

PROTRIUMVIR monetalis vocabatur, qui mortuo, aut absente *triumviro* monetali, in ejus locum sufficiebatur. Liquet hoc ex denario, in quo C. MARIUS PRO III. VIR. describitur, additis triumvirorum Reipublicae constituendae capitibus. *Spanhem. de praest. numism. Dissert.* VI. *p.* 554.

PROVINCIA est regio armis a populo Romano devicta, aut quomodocunque in potestatem adducta, quam magistratui suo administrandam subjecerat. Festus: *Provinciae appellantur, quod populus Romanus eas provicit, hoc est, ante vicit.* Quanquam *pro* hic non tam *ante*, quam *procul*, sive *foris* significat. *Voss. Lex. Etymol. Robertell. de Provinc. Thes. Ant. Rom. Graev. Tom.* III. *p.* (1.) *C. Hotman. Antiq. Roman.* II. 14. *Pitisc. Antiq. Rom.* I. *p.* 108. *Laurent. de Rebuspubl. c.* 3. Nos eam sic definiemus, regionem, quae jus *provinciale* consecuta sit. Etenim jus ipsum, singulis regionibus a populo Romano concessum, illud est potissimum, quo regio a regione distinguitur. Jus autem *provinciale*, quod alio nomine *formula provinciae* nuncupatur, ut etiam jus Latii, atque Italicum ex legibus percussi cum populo Romano foederis emanavit. Itaque, ut foederis leges aequiores, iniquioresque fuerunt, sic diversa foederum genera intulerunt. Quoniam autem leges, quae *provinciis* datae sunt, iniquiores sunt quam quae Latio, atque Italiae, propterea *provinciae* jus etiam deterius, quam Latium, atque Italia, sunt adeptae. Nam Italia vectigalis facta est illa quidem, sed tamen in universum libertate donata: *provinciae* vero non solum vectigalibus, sed etiam servitute multatae sunt, quippe quae legibus suis, ac magistratibus jus dicentibus spoliatae sint. Id vero argumento est, quod *provincia* nulla fuit, quae non Romanum praetorem, ac quaestorem habuerit: illum, qui jus diceret; hunc qui vectigalia procuraret. Unde scite illud scriptum est apud Strab. XVII. p. 577. *Universae regionis, quae Romanis pareret, unam Regibus subjectam fuisse; alteram ab ipsis possessam, in eamque provinciam dictam praetores cum quaestoribus missos.* Ex quo intelligi potest, universam *provinciae* rationem fuisse; ut vectigalis esset, ac populi Romani magistratui obediret. *Sigon. de Ant. jur. provinc.* I. 1. *Panciroll. Notit. dignit. imp. c.* 99. Redigere enim in *provinciae* formam nihil erat aliud, nisi leges domesticas adimere, & Romanas dare: ac praetorem, qui quotannis *provinciam* ex legibus datis administraret, instituere. Neque sola tributi impositio provinciam efficit, cum id multis sit etiam Italicis, & exteris imperatum, qui tamen in *provinciae* formam non sunt relati; sed legum domesticarum, & patriae libertatis ademptio, & praetoris, qui eos regat, institutio. Regit autem ita, ut & jus in conventibus dicat, & imperium belli gerendi causa habeat. Liv. Epit. XLV. *Macedonia in provinciae formam redacta est.* XCIII. *Nicomedes, Bithyniae Rex, moriens populum Romanum fecit haeredem, regnumque ejus in provinciae formam redactum est.* Paterc. II. 38. 1. *Haud absurdum videtur propositi operis regulae, paucis percurrere, quae cujusque ductu gens, ac natio redacta in formulam sit provinciae.* Sigon. l. l. & de Ant. jur. Ital. I. 26. Robortell. ibid. p. (2.) B. Boecler. in Paterculum. Kipping. Dissert. de Victor. §. 2. Erat itaque procul Italia posita regio. Donat. in Terent. Phorm. I. 2. 22. *Atque ex bello longe ab Italia regiones provinciae dictae sunt, a pro, vel procul, & vincendo.* Et res Italiae provincialibus opponuntur l. 1. ff. de colleg. & corp. *Quod non tantum in Urbe, sed & in Italia, & in provinciis locum habere divus quoque Severus rescripsit.* Gutber. de Offic. dom. Aug. I. 6. Et illarum constituendarum consuetudo populo Romano recens admodum fuit: neque enim nisi post devictam Italiam, atque adeo post Carthaginienses superatos bello Punico I. id est, post annum ab U. C. quingentesimum *provincia* ulla est instituta. Haec tandem primum in Sicilia confecta est. Testatur hoc Zonaras, cum scribit: *Q. Lutatium Cercopem consulem in Sicilia praeterea omnia cum Catulo composuisse, ac Siciliae arma ademisse; atque ita Siciliam a Romanis, excepto Hieronis regno, servitute multatam.* Primam hanc omnium provinciam a populo Romano esse factam profitetur Cicer. Verrin. II. 1. *Sicilia omnium nationum exterarum princeps se ad amicitiam, fidemque populi Romani applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata: prima docuit majores nostros ...*

ſtros, quam præclarum eſſet exteris gentibus imperare. Sigon. de Ant. jur. provinc. I. 3. Laurent. l. l. Ut plurimum fluminibus, montibusque terminabantur. Pelagius pontifex Epiſt. I. eam vult eſſe *provinciam*, quæ undecim, vel decem minimum civitates habet: tot enim regnum conſtituunt c. ſcitote 6. qu. 3. *Scitote*, inquit *certam provinciam eſſe, quæ habet decem, ſeu undecim civitates, & unum Regem.* Juſtin. Novell. 28. quoque de moderatore Hellenoponti abſonum eſſe dicit, ut Hellenopontus octo, & Polemoniacus quinque tantum civitates habeat, quæ ſimul junctæ ſunt tredecim urbes, & vix unam conſtituant provinciam. Quare unicum ipſe utriusque Ponti moderatorem crevit. *Pancıroll. l. l.* Illas comparabant inter ſe, aut ſortiebantur, in illas ituri. V. ſupr. in *Proconſules.* Et ſenatus, dum dabat, dicebatur ornare. V. ſupr. in *Præſides.* Libera enim Republica in *provinciam* ituro ex ærario decernebatur ſumptus ad mulos, ad tabernacula, ad omne aliud militiæ inſtrumentum. V. ſupr. in *Magiſtratus provinciales.* Auguſtus diviſit in eas quæ populi eſſent, & in eas quæ Cæſaris dicerentur. Populo pacatas, & longe ab hoſtibus remotas reliquit, in quas proconſules atque prætores mitteret. Impacatas, & hoſtibus vicinas ſibi, quia per Imperatorem bella adminiſtrari oportebat. In eis itaque legatos ſuos, procuratores, & præſides mittebat. Suet. Aug. c. 47. n. 1. *Provincias validiores, & quas annuis magiſtratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipſe ſuſcepit: ceteras proconſulibus ſortito permiſit.* Strab. XVII. p. 577. *Sibi quidem, quæcunque militum præſidio eſſent tenenda, quales ſunt regiones barbaræ, & gentibus nondum ſubactis finitimæ, ſteriles quidem, & cultui ægre parentes, quare inopia cæterarum rerum penuria impulſi, & copia munitionum freti jugum detrectarent. Populo autem reliquam, quæ pacata, & ſine armis ſub imperio facile retineretur.* Dio LIII. p. 503. C. *Potentiores provincias, ut fallaces, & periculoſas, & vel hoſtes accolas habentes, vel per ſe magna, & nova molimina valentes ſibi retinuit. Id faciebat ſub hac ſpecie, ut ſenatus optimis imperii partibus tuto perfrueretur, ipſe laboribus, & periculis objectus eſſet: at revera ſub hoc prætextu inermis, & imbellis eſſet, & ipſe ſolus arma & milites haberet.* Auguſt. de Legib. in Julia ambitus. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 43. Robortell. ibid. p. (9.) A. Pitiſc. in Suetonium. Commutarunt tamen Imperatores pro arbitrio. Sueton. l. l. Et *tamen nonnullas commutavit interdum* Dion ibid. LIII. p. 504: LIV. p. 523. B. *Poſtea Cyprum, & Galliam Narbonenſem populo reddidit, & ipſe Dalmatiam recepit: quæ permutatio in aliis gentibus poſtea facta eſt.* Spanhem. de Præſt. numiſm. Diſſert. VI. p. 568. Pitiſc. in Suetonium. Populi quæ erant, nonnullæ conſulares, nonnullæ prætoriæ dicebantur. Sed ne quis erret, neutrum perpetuum fuit. Non enim hæc, aut illa provincia ſemper, aut conſularis, aut prætoria: ſed ita nomen mutabant, ut varie modo a conſularibus, modo a prætoribus adminiſtrabantur. Hanc poteſtatem habebat ſenatus, ut quos vellet, in quas vellet mitteret adminiſtratione annua. Hoc lege Sempronia C. Gracchi tribuni plebis ſancitum erat. Cæſari tamen Galliæ in quinquennium, contra legem Gracchi, & lege Vatinia tribunitia, V. illam ſupr. in *Lex*, & S.Cto mandatæ ſunt: poſteaque in alterum quinquennium lege Trebonia item tribunitia. V. & illam ſupr. in *Lex.* Pompejo Magno, & Craſſo II. coſſ. confirmatæ. Decerni autem ſolitas lege Gracchi non a populo, ſed a ſenatu *provincias*, demonſtrat in P. Clodium invehens Cicero pro domo. V. illum ſupr. in *Lex Sempronia.* Erat igitur eadem *provincia* ex voluntate ſenatus modo conſularis, modo prætoria. Itaque Macedoniam, ut hæc exempli cauſa nominetur, Cn. Dolabella, C. Curio, M. Lucullus, L. Torquatus, C. Antonius, omnes conſulares, adminiſtrarunt: tum Cn. Octavius prætorius, pater Auguſti naturalis: rurſus conſularis L. Piſo, & Piſone revocato, Q. Ancharius prætorius. Et idem patet in cæteris. Quo autem anno SCtum illud Cœlius miſit ad Cicer. Fam. VIII. 8. in quo hæc ſunt: *Senatui placere, in Ciliciam provinciam, inque IIX. reliquas prætorias mitti*, regebantur IIX. *provinciæ*, quæ in eo SCto prætoriæ vocantur, a magiſtratibus IIX. prætoriis, Sicilia, Sardinia, Ionia, Aſia, Macedonia, Bithynia, Creta, Mauritania. Cum Sardinia vero Corſica ſimul fuit, cum Bithynia Pontus. Conſulares eo anno fuerunt quatuor. Duas Gallias, Illyricum, & Dalmatiam, omnes uno provinciæ nomine comprehenſas unus C. Cæſar regebat: duas Hiſpanias item unus Cn. Pompejus per legatos abſens adminiſtrabat: Syriæ M. Bibulus: Ciliciæ M. Cicero præerat. *Manut. de Legib. c.* 10. *Sigon. de Ant. jure provinc.* II. 1. *Panvin. Faſt.* I. *p.* 120. C. Cæſar, ut ſcribit Cicer. Phil. I. 8. legem tulerat, *ne prætoriæ plus quam annum, ne conſulares plus quam biennium obtinerentur. Qua lege nulla melior, utilior, & optima in Republica ſæpius flagitata*, ſed eam M. Antonius ſuſtulit. *Auguſt. de Legib. in Julia majeſtatis. Manut. l. l. Sigon. de Ant. jur. provinc.* II. 1. V. etiam ſupr. in *Lex.* Hac aliquid de Sempronia lege detraxit, quæ annuas ambas ſanxerat *provincias.* Sed illi ipſe non paruit, quippe qui *provincias* ſine ſorte pro arbitrio, judicioque mandarit, ut Ser. Sulpicio Achajam, M. Bruto Galliam citeriorem, Decimo ulteriorem. Deinde vero occiſo Cæſare, M. Antonius in conſulatu ferri a tribunis plebis paſſus eſt, ut conſulares *provinciæ* ſexennio obtinerentur, qua lege Juliam legem ipſam funditus ſuſtulit, ut Cicero ei in maledictis objecit: *Quæ lex ſæpius flagitata*, inquit, *quam ne prætoriæ provinciæ plus quam annum, quam biennium conſulares, obtinerentur? hac lege ſublata videnturne vobis Cæſaris acta ſervari?* Et alibi: *Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra acta Cæſaris: ille biennii, iſti ſexennii.* Sigon. l. l. Fere ſenatoribus, raro equitibus mandabantur. V. infr. in *Senator.* Plura V. ſupr. in *Præſides, Prætores & Proconſules.*

Provinciæ frumentariæ dicebantur, quæ & frumenti feraces, & magnum ejus numerum populo Romano ſuppeditabant. Præcipuæ fuere Sicilia, Africa, Sardinia, Hiſpania, Bœotia, Macedonia, Cherſoneſus, Aſia, Syria, Ægyptus: e quibus omnibus, ſi Ægyptum excipias ab Auguſto *provinciam* factam, cum ſtante Republica, tum vero etiam collapſa frumentum Romam advectum eſt, aut publicum ex vectigalibus, aut S. C. coemptum, aut privatum a mercatoribus, quod interdum fiſcus emebat. Cicer. ad Attic. IX. 9. *Omnis hæc claſſis Alexandria, Colchis, Tyro, Sidone, Arado, Cypro, Pamphylia, Lycia, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbo, Smyrna, Mileto, Coo, ad intercludendos commeatus Italiæ, & ad occupandas frumentarias provincias comparatur.* Cicero trium meminit: Siciliæ, Africæ, Sardiniæ pro Man. c. 12. *Qui nondum tempeſtivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit, inde Sardiniam cum claſſe venit: atque hæc tria frumentaria ſubſidia Reipublicæ firmiſſimis præſidiis, claſſibusque munivit.* Africæ & Sardiniæ Varr. de Re ruſt. II. 1. *Igitur, quod nunc intra murum fere patresfamiliæ correpſerunt, & manus movere maluerunt in theatro, ac circo, quam in ſegetibus, & vinetis: frumentum locamus, qui nobis advehat, qui ſaturi fiamus ex Africa & Sardinia.* Qui tacet Ægyptum, quia tunc nondum in *provinciam* redacta. At tributaria illa facta ab Auguſto unicum fuit ſubſidium habitum annonæ. Plin. Paneg. c. 31. n. 2. *Percrebuerat antiquitus urbem noſtram niſi opibus Ægypti ali, ſuſtentarique non poſſe: ſuperbiebat ventoſa, & inſolens natio, quod victorem quidem populum, paſceret tamen, quodque in ſuo flumine, in ſuis manibus, vel abundantia noſtra, vel fames eſſet. Refudimus Nilo copias ſuas: recepit frumenta quæ miſerat, deportataſque meſſes revexit. Diſcat igitur Ægyptus, credatque experimento, non alimenta ſe nobis, ſed tributa præſtare.* Tacit. Annal. XII. 43. 4. *At hercule olim ex Italiæ regionibus longinquas in provincias commeatus portabant: nec nunc infecunditate laboratur: ſed Africam potius, & Ægyptum exercemus, navibusque & caſibus vita populi Romani permiſſa eſt.* Lipſ. Elect. I. 8. Contaren. de Frument. Roman. largit. c. 10. Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 3. Mod. in Liv. II. 9. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 5. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Rom. VII. 38.

Provinciæ ſuburbanæ vocabantur *provinciæ* Italiæ, quas ſuburbia Romæ pertingebant. Valens A. l. 13. C. Th. de

de accuf. *Referant*, ait, *de fuburbaris provinciis* [illegible] *ad præfecturam* [illegible] *urbanæ.* Pancirolli. Notit. dignit. imp. occid. c. 3.

PROVOCATIO a centumviris non erat ad alios magiftratus, quin magnificum, & populare quodammodo erat confilium: & quemadmodum nec a confiftorio Principis, qui populi vicem tenet, ita neque a centumviris, qui auctoritate populi judicabant, appellare jus erat. Suet. Vefp. c. 10. n. 2. *Sine* [illegible], *per quos rapta bello re-ftituerentur: quique judicia centumviralia, quibus* [illegible] *dis vix* [illegible] *a* [illegible] *tribuitur, extra ordinem judicarent, redigerentque ad breviffimum numerum.* Quod Vefpafianum non modo [illegible], ut illi centumviri eas caufas extra ordinem judicarent, quod ordinarius cognitionum dies dudum a centumviris nullus effet habitus, ut interpretatur Rævardus; verum magis quod infinitæ caufæ ad judicium centumvirale pertinerent, quæ cum folorum centumvirorum effent, atque illi multitudine eorum obruerentur, forte quosdam electos, qui eas dijudicarent, a [illegible] fol. [illegible] centumvirorum fententias [illegible]: ex Suet. Dom. c. 8. n. 1. *Plerumque* [illegible] *pro tribunali extra ordinem ambitiofas centumvirorum fententias refcidit.* A reliquis [illegible] tis ad [illegible], etiamfi ex auctoritate Principis, licet nominatim de [illegible], dati fuerint, ipfi magiftratus appellari poterant l. 3. ff. quis, & a quo appell. *Secam ac centum* [illegible] l. 1. 6. Magiftratum fine provocatione creare non licebat. Liv. III. 55. *Aliam* [illegible] *legem confularem de provocatione, unicum præfidium libertatis, decemvirali poteftate everfam,* [illegible] *fed etiam* [illegible] *novam legem.* [illegible] *quis ullum magiftratum fine provocatione crearet: qui creaffet, eum jus fasque effet occidi,* [illegible] *capitalis noxæ haberetur.* Hujus legis a Dionyfio mentio non fit: fed exactis Regibus, a P. Valerio Poplicola latam effe fcribit, *ut provocare ad populum liceret.* Vide illum [illegible] in *Lex Valeria de provocatione.* Namque, ut fcribit Liv. x. 9. *ter ab eadem familia poft Reges exactos de provocatione latum eft.* Pompon. l. 2. § exactis. ff. de orig. jur. quoque fcribit, exactis Regibus confules duos effe conftitutos, penes quos fummum jus uti effet lege rogatum eft: fed ne per omnia regiam poteftatem fibi vindicarent, lege lata factum effe, ut ab eis provocatio effet. Interdum tamen neceffitatibus Reipublicæ coacti, dictatores in fex menfes crearunt, a quibus neque provocandi jus effet, & [illegible] dicta eft. Sed [illegible] cxx. annis ante L. Syllam intermiffa fuit. Quadringentis vero annis, & eo amplius, a primo dictatore, ipfe Sylla fe dictatorem creari juffit in tempus, non certum, ut antea, fed [illegible]: quem fecutus C. Cæfar dictaturam perpetuam [illegible]. [illegible] M. Antonius conful Scto fuftulit, ut Cicero [illegible] Anton. [illegible]. Sed ad Imperatores ventum eft, qui Rempublicam fine provocatione rexerunt. [illegible] *de Legib.* in *H* [illegible]. *Pollet. For. Rom* v. 16. Vires fuas extendebat intra Urbem, & extra ufque ad primum lapidem, id eft, ut nunc loquimur, intra Urbem, & [illegible]. Liv. III. 20. *Igitur tribuni, ut impediendæ rei nulla fpes erat, de proferendo exercitu agere, eo magis quod* [illegible] *augures juffos adeffe ad Regillum lacum fama* [illegible]: [illegible] *ubi aufpicato cum populo agi poffet: ut quicquid Romæ vi tribunicia rogatum effet, id comitiis ibi abrogaretur. Omnes id juffuros, quod confules vellent. Neque enim provocationem effe longius ab Urbe mille paffuum: & tribunos, fi eo veniant in alia turba Quiritium, fubjectos fore confulari imperio.* Legimus tamen a provincialibus prætoribus ad tribunos appellatum. Plutarch. Cæfar. p. 708. E. teftis eft P. Antonium, cum caufam diceret in Macedonia, accufantibus Græcis, Marco Lucullo prætore, [illegible] provocaffe Romam. In Urbe etiam iidem appellabantur, ut intercederent, ne dies, [illegible] actio [illegible], atque [illegible] effent oppreffis. Tacit. Annal. XIV. 48. 2. *tum primum ea lex revocata credebatur, quæ haud perinde* [illegible], *quam Imperatori gloriam quæfivit, ut condemnatus a fenatu interceffione tribunitia morti eximeretur.* Liv. III. 56. *Quod fi indicta caufa in vincula du-*

catur, iterum fe tribunos provocare appellare. Qui hoc loco *tribunitium auxilium & provocationem* [illegible] *Libertatis* [illegible] *ac vocat.* Hanc provocationem a plebe ad tribunos fuftulit Sylla, quam Pompejus iterum lege lata reftituit. *Tacit. l. l.* A pontifice maximo quoties mulcta alicui dicta eft, toties *provocatum* ad populum [illegible], [illegible] gia [illegible] comitiis [illegible]. De capitis judiciis dubitatum. Lex Valeria de provocatione in civibus capitis judiciis locum habuit. Lex Porcia, a P. Porcio lata, provocationem firmavit, ut ex [illegible] notavimus. An lege [illegible] Vestalium judiciis fervata fint, ut a pontificum collegio damnatæ provocare ad [illegible] poffent, & virgines eo pœna [illegible], quæ fupra diximus, colligi poteft, quod de jure virginum pontificum [illegible] judicium. [illegible] & Veftales [illegible] maximo virgines ob negligentiam caftas, & [illegible] ftupratores virginis in [illegible], certi & explorati juris eft. Pœna virginum Veftalium, quæ inceftum commififfent, cum lege regia effet conftituta, & [illegible] dati pontifices, quorum apud frequens collegium Veftalium caufa peragebatur, jus provocationis cohibuit, cum regia lex a populo effet approbata. Tribunorum tamen poteftas fuit tanta, ut a Veftalium abfolutione provocare ad populum poffent, cum illæ non poffent. *S. Peducæus tribunus plebis criminatus eft L. Metellum pontificem maximum, totumque collegium pontificum, male judicaffe de inceftu virginum Veftalium, quod unam modo Æmiliam damnaverat,* [illegible] *abfolverat duas, Marciam & Liciniam, populus L. C* [illegible] *creavit, qui de eifdem* [illegible] *quæreret:* [illegible], *& præterea complures alias, nimia etiam, ut exiftimatio eft, afperitate ufus damnavit.* Afcon. in Cic. p. 198. *Guther.* [illegible] *Pont.* II. 10. *Provocare* fponfione, & facramento dicebatur, qui petebat, quia interrogabat, *fpondefne quingentos?* item facramento rogare, quærere, & ftipulari ob eandem caufam. Ille vero unde petebatur, dicebatur contendere ex *provocatione*, contendere facramento, & reftipulari. V. fupr. in *Contendere.* Sigon. de Judic. I. 21. Pœnam quandam antiquis temporibus injufte *provocantibus* inflictam oftendit Paull. Sentent. V. tit. 35. his verbis: *Ne liberum quis, & folutum haberet arbitrium retractandæ, & revocandæ fententiæ, & pœnæ, & tempora appellationibus præftituta funt. Quod nifi jufte appellaverint, tempora ad* [illegible] *in pœna appellationis* [illegible] *præftituta funt.* De ea pœna caveri fidejufforibus folitum fequentia ejusdem auctoris verba indicant, quæ ita habent: *In caufa appellationis tam unus, quam plures fidejuffores, fi idonei funt, dari poffunt. Sufficit etiam per unum idoneum follemnitatis* [illegible] *confitui.* Eaque forte cautio eft, quam de provocatione exercendi olim dari folitam Diocletianus fuftulit l. eos §. ult. C. de appellat. Id ipfum vero, quo de agimus, probat perfpicue Tacit. Annal. XIV. 28. 2. his verbis: *Auxit que*, de Nerone loquitur, *patrum honorem, ftatuendo, ut qui a privatis judicibus ad fenatum procaviffent, ejufdem pecuniæ periculum facerent, cujus hi qui Imperatorem appellarent. Nam antea* [illegible], [illegible] *pœna fuerat.* Diocletiani quoque jam citata conftitutio, ne temere omnibus, ac paffim provocandi facultas præbeatur, eum, qui malam litem fuerit profecutus, a judice pœna adfici præcipit. *Briffon Ant. felect.* II. 18.

PROXENETÆ funt mediatores, conciliatores, & interceffores inter venditorem & emptorem. Ulpian. l. 2. ff. de proxenet. *Si proxeneta intervenerit faciendi nominis, ut nofter folent: videamus, an poffit quafi mandator teneri, & non puto teneri, quia hic monftrat magis nomen, quam mandat, tametfi laudat nomen.* Senec. Epift. 119. *Æs alienum facias oportet: fed nolo per interceſſorem mutueris, nolo proxeneta nomen tuum jactet.* Rhodig. Ant. Lect. XI. 10. Briffon. de Form. VI. p. 538. Urfat. de Not. Roman. Thef. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 921. C. Rævard. de Div. reg. juris c. 47. Lipf. in Sen. [illegible]. Cujac. Obferv. XI. 18. Bud. in Comment. Ling. Græc. p. 137. Schill Nomencl. Philol. p. 963. Etiam nuptiis ut interpretes, & internuntii [illegible]. Quum enim nuptias adeundi mos defiiffet, qui auxilia peterent, hi *pro onera*

veteris

[illegible] *ipso nomine usurparunt.* Ut li[illegible] ex Val. Max. II. I. I. Qui igitur ad hanc [illegible], Latinis pronubi, καταχρ[illegible] auspices di[illegible], & feliciter omine in[illegible]. Quod de ca[illegible] glossario, nuper in publicum edito, *auspices, pronubi,* παράνυμφοι. *Hotoman.* [illegible]

PR[illegible] erat in officio consiliis, & [illegible]. Ammian. XXII. 7. *Allapso* [illegible] *Nostræ* [illegible] *proximum,* [illegible] *adverat, ut sciebat.* Guther. de Offic. dom. A[ug.] III. 7.

[illegible] epistolarum, sive *proximus* ab epistolis dicebatur [illegible], & princeps in [illegible] epistolarum. Inscriptio [illegible]:

BASSO. AUG. LIB. PROX.
A[B]. EPISTUL. GRÆCIS.
PROC. TRACTUS. CARTHAGINIENSIS

Ubi quidem & *proximus* ab epistolis, & procurator etiam [illegible] tractus Carthaginiensis. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 7. [illegible] *Lamprid. Alex. Sever.* c. 31. *Vopisc. Car.* c. 8. *Pollion. Gallien.* c. 17.

Prox[illegible], cui & adjutor, qui dicebatur adjutor [illegible]. Vetus lapis:

T. FLAVIO. PALATINO. AUG. LIB
PROXIM. RATIONAL. ET. A. COMMENTARIIS
PROVI[N]C[IA]E. GRÆCÆ

Salm[illegible] *Lamprid. Alex. Sever.* c. 31. *Guther. de Off. dom. Aug.* III. [illegible]

Proximus scriniorum dicebatur, qui secundum a magistro locum, ac dignitatem in scriniis tenebat, & qui [illegible] promagister vocabatur. [illegible] *Dom.* [illegible] 6. & 7. *Pancirol.* [illegible] I. 11. C. Th. dicitur esse in capite [illegible] *tantum* [illegible] *proximatum.* [illegible] in scriniis l. 10. C. Th. de prox. scrin. *Ad similitudinem* [illegible] *adornantur.* Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c. 31.

PSA.

PSALTERIUM proprie est genus organi musici, melius sonans quam cithara, [&] similitudinem habet cithara[illegible] *sursum.* Hieron. [illegible] clypei [illegible]. [illegible] 33. 2. *In psalterio decem chordarum psallite illi.* 92. 4. *In psalterio decachordo, cum cantico in cithara.* [illegible] p. 2[illegible]9. *Deum mater cum tympanis: cum tibiis, & psalteriis Musæ.* Buleng. de Theatr. II. 44. Chrysost. in Protheoriis ad Psalmos ita describit: *Psalterium unum est instrumentorum, quæ fidibus tenduntur, sed erectum, cujus sonus altrinsecus e superiore parte redditur. Habet autem decem verticula, quæ in jugo ipsius vertuntur,* [illegible] *dextra plectrum* [illegible], *læva autem secus chordis oberrans, per intervalla, digitosque frequenter transponens, vel gravem, vel acutum, mistumve sonum* [illegible]. Augustinus scribit habuisse *superiore in parte sonorum lignum,* [illegible] *tympanum, cui nervorum series incumbebat,* [illegible] *sonum redderet, quod lignum in cithara inferius* [illegible]. Hinc [illegible] statuere liceat esse harpam nostram: [illegible] pluribus nostra [illegible] sit chordis. *Junius Nomencl.* [illegible] 49. *Voss. Lex. Etymol.*

Psalterium quoque vocatur famosi carminis genus. Paull. Sentent. V. tit. 4. *Psalteria* autem dixisse arbitror, quia [illegible] in ludis scenicis canerentur ad *psalterium.* [illegible]

Neque [illegible] *psalteria,*
[illegible] *Græcia* [illegible],
Quæ fabul[illegible] *collocant exordia.*

Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Theatr. II. 44.

PSALTRIÆ erant mulierculæ, quæ olim adhibebantur [in] conviviis. Plutarch. Sympos. II. 10. *Imo hoc ipsum convivas ad communionem omnium rerum provocat, quod & communi utimur sermone, & cantu psaltriæ oblectantis, aut tibicine ex æquo fruimur.* Schol. Juven. Sat. XI. *Psaltria,* [illegible] *usque adeo, ut ne* [illegible] *vitæ philosophi abstinerent.* Macrob. Sat. II. I. *Quia sub* [illegible] *supercilio non defuit, qui psaltriam intromitti peteret,* [illegible] *mollior canora dulcedine,* [illegible] *illecebris philosophantes.* Romam [illegible] fuit post Asiam debellatam. Liv. XXXIX. 6. V. illum [illegible] Buleng. de Theatr. II. 10. Conviv. III. 30. [illegible] II. 6. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 184. [illegible] Nomencl. Philol. p. 964. Theodosius an. Christi 385. Arcadio, & [illegible] coss. sustulit *psaltrias,* [illegible] *quibus mores civium corrumpebantur.* l. 10. C. Th. de Scenic. Aurel. Vict. Epit. c. 48. n. 10. *Prohibuit lege ministeria lasciva, psaltriasque comessationibus adhiberi.* Lipen. de Stren. c. 2. tert. æt. §. 10. Schilt. l. l. II. Funeribus apud Christianos loco [illegible]. Meminit Justin. Novell. 59. Corripp. de exseq. Justin. Imp. III.

Omnis in exsequiis sexus convenit & ætas.
[illegible] *miracula* [illegible]?
Hinc Levitarum [illegible],
[illegible] *vox æthera pulsat.*

Vict. Uticens. de persec. Vandal. in Africa: *Quis vero* [illegible] *silentio ad sepulcrum perduci?* Hoc autem fine *psalmos,* hymnosque cantabant, ut gratias Deo agerent, quod eum, [illegible] vita excedit, jam a laboribus liberaverit, quod me[illegible] mortis exemptum apud se habeat, imm[illegible] coron[illegible]. Hymni enim & *psalmodiæ* [illegible] lætantium. Docet hoc Chrysost. Homil. ad Hebr. IV. *Kirchman. de Funer.* II. 6. *Morestell. Pomp. Feral.* II. 29.

PSE.

PSECADES, ψεκάδες, Græco nomine appellabantur, quæ adhibitæ olim de[illegible] matronarum crinibus [illegible]. Has Veneri [illegible] docuit me saxum vetus [illegible] traductum in porticum cœnobii S. Felicis prope V[illegible]:

VENERI
SACRUM
CASSIA. L. L. PSECHAS

[illegible] venustatis deæ forsan acum crinalem, pectines, speculum, ceteraque sui ministerii suspenderat. *Tomas. de Don.* [illegible] c. 38. Extat apud Juven. Sat. VI. 489.

Componit crinem laceratis ipsa capillis
[illegible] *Psecas infelix, nudisque mamillis.*
[illegible] *quare cincinnus?* [illegible]
Continuo flexi crimen, facinusque capilli.
Quid Psecas admisit.

Et Ovid. Met. III. 71.

Excipiunt laticem Nyphæque, Hyaleque, Rhanisque,
Et Psecas, & Phiale, funduntque capacibus urnis.

ψεκάζειν, ψακάζειν, stillare, irrorare, inspergere. *Psecas* igitur ancilla ornatrix, comtrix, quæ sciret, ut loquitur Ovid. de Medicam. fac. n. 19.

— *positu variare capillos.*

Et, ut idem Amor. I. 7. 68.

Ponere compositas in statione comas.

Schol. Juven. l. l. ψεκάζειν *Græce dicunt, quando minutum, sive rarum pluit. Ornatrices igitur componentes, rarum ac parvum aquæ* [illegible] *mittere, ac velut* ψεκάζειν. Reines. Inscr. Class. I. n. 89. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.

Roman. v. 35. Proverbium: *Psecas, aut ros.* V. apud *Erasm. Adag. p. 55. a.*

PSEPHISMATA sunt rogationes, & leges populares, quæ plebiscita, id est, decreta, & placita populi dicuntur. Cicer. pro Flacc. c. 6. *Sic sunt expressa ista præclara, quæ recitantur psephismata, non sententiis, sed auctoritatibus declarata.* Brod. Cotoll. ad Pollet. For. Rom. IV. 9. Pancirol. de Magistrat. munic. c. 26.

PSEUDODIPTEROS ædes est, quæ simplicem habet ordinem columnarum, ad differentiam dipteri ædis, quæ duplicibus alis, & columnationibus ambieoatur: & sic *pseudodipteros* est *dipteron* mentiens. Vitruv. III. 2. hoc Hermogenis architecti inventum laudat: is enim, interiore columnatione sublata, laxiorem circa cellam ambulationem fecit, & sumptus tantum, aspectum non imminuit: *Eas symmetrias constituit Hermogenes, qui etiam primus octastylon, pseudodipterive rationem invenit. Ex dipteri enim ædis symmetria sustulit interiores ordines columnarum triginta quatuor, eaque ratione sumptus, operisque compendia fecit. Is in medio ambulationi laxamentum egregie circa cellam fecit, de aspectu nihil imminuit, sed sine desiderio supervacuorum conservavit auctoritatem totius operis distributione.* Bellor. Fragm. vet. vest. Romæ tab. I.

PSEUDOTHYRON, ψευδόθυρον, sive, quod rectius puto, *pseudothyrion*, est latens janua, & quæ a prætereuntibus non animadvertitur. Cicer. Verr. II. 20. *Ea pecunia quemadmodum ad istum per pseudothyrum revertantur, tabulis vobis, & testibus planum faciam.* Describit Virg. Æneid. II. 453.

Limen erat, cæcæque fores, & pervius usus
Tectorum inter se Priami.

Nann. Miscell. VII. 11. Cerda in Virgilium.

PSI.

PSILÆ sunt tapetes, vestesque stragulæ, non villosæ. Lucil. Sat. I. I.

Psilæ, atque amphitapæ, villis ingentibus molles.

Vocantur uno vocabulo juncto *psilotapides*. Hesych. Ψιλοτάπιδες αἱ κατὰ μέναι ὑποστρώματα καλά. *Turneb. Adv.* XXVIII. 20. *Ferrar. de Re vest.* II. I. 10. *Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20.*

PSILOCITHARISTA dicitur, qui solo, nudoque *citharæ* cantu psallit, sua ipsi voce non accinens, nec in choro canens. Athen. VIII. p. 352. C. *Stratonicum Atheniensem scribit* Phanias peripateticus, *existimari primum omnium nudis citharæ sonis multas fides adjecisse.* Suet. Dom. c. 4. n. 10. V. illum supr. in *Odeum.* Turneb. Adv. XX. 16. Leopard. Emend. XII. 3. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.

PSILOTHRUM est medicamentum deglubatorium, & depilatorium, quo pilosa loca ad tempus levia, ac glabra reddebantur. Mart. III. 74. I. V. illum supr. in *Dropax.* Lamprid. Heliog. c. 31. *In balneis semper cum mulieribus fuit, ita ut eas ipse psilothro curaret; ipse quoque barbam psilothro accurans.* Herald. in Martialem. Jun. de Coma c. 2. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 4.

PSY.

PSYCHROLUTA dicebatur, qui in balneis frigida magis Laconum more delectabatur, quam calida. Senec. Epist. 53. *Sed memor artificii mei veteris, mitto me in mare, quemadmodum psychrolutam decet.* 83. *Ille tantus psychrolutes, qui Kalendis Januariis in Euripum saltabam.* Ferrar. de Re vest. II. I. 8. Beroal. Append. Annot. c. 71.

PSYLLORUM *gens in Africa fuit, a Psyllo Rege dicta. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ut cujus odore sopirent eas.* Plin. VII. 2. De illis Dio LI. p. 453. B. *Psylli mares viri sunt, neque enim femella nascitur psylla, qui possunt omnium serpentum venena ex hominibus nondum mortuis exsugere, neque ipsi morsis a serpentibus incommodum ullum accidit. Nasci autem ex se psyllos, natos que ut serpentibus statim objiciendo, aut fasciis eorum in serpentes conjectis probant: nam serpentes neque lædere infantem possunt, & vestibus ejus impositis torpore corripiuntur.* Hos secum traxit Cato minor in Africam iter faciens. Plutarch. p. 787. A. *Currus insuper, & Psyllos appellatos trahebat secum, qui se per immanibus medentur, venenum ore exsugentes, ipsasque incantationibus hebetant, & sopiunt serpentes.* Cleopatræ admovit Augustus, *qui venenum, ac virus exsugerent: quod perisse morsu aspidis putabatur.* Suet. c. 17. n. 10. Dion. l. l. De *Psyllis* tamen Cels. V. 27. 3. *Psylli non habent scientiam præcipuam, sed audaciam usu ipso confirmatam, quæ vulnera exsugnat: namque venenum serpentis non in gustu, sed in vulnere nocet: ergo quisquis exemplum Psylli secutus, id vulnus exsuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 14. Salmas. Exerc. Plin. p. 246. b. B. Voss. de Idolol. IV. 61. Turneb. Adv. XVI. 6. Bochart. Hieroz. II. 3. 6. Rhodig. Ant. Lect. IV. 23. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 245.

PUB.

PUBERES olim ipso facto, etiamsi generare nondum possent, declarabantur masculi ab anno decimo quarto. Solebant enim masculis ad annum usque decimum quartum comæ nutriri. V. infr. in *Pueri.* Tantum censebantur. *Puberum* enim capita in singulis censibus priorum temporum referendis censa scribit Dionysius. Quos ille vocat ἐν ἥβῃ, nos *puberes* vertimus. Censu quinto, qui factus est anno secundo ab exactis Regibus *puberum ad centum triginta millia censa* scribit V. p. 293. *Sexto reperta sunt centum & quinquaginta millia puberum, & septingenti insuper* ibid. p. 338. A censu feminas omnes, & servos, & mercatores, & opifices excludit IX. p. 583. *Civium tum, qui puberes essent, supra centum decem millia erant, ut proximo censu compertum fuerat; mulierum autem, & puerorum, servorumque, & mercatorum, & sordidas artes exercentium triplo plus, quam turbæ civilis.* Nomine autem *puberum* tam juniores, quam seniores esse comprehensos ostendit V. p. 338. *T. Largius dictator egit censum, quo inventa sunt Romanorum, qui in pubertate essent constituti amplius centum & quinquaginta millia, & septingenti. Itaque cum eos, qui militari ætate essent, a senioribus secrevisset, atque centuriasset, peditum, & equitum quatuor partes fecit.* Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 14.

PUBERTAS hodie ex annorum spatio, olim ex habitu quoque corporis definiebatur. Anni in masculis a decimo quarto, in feminis a duodecimo numerantur: citius in feminis scilicet, quod in iisdem calor naturalis, qui generationis causa est, prius complementum suum habeat, sive effectum: cujus rationem inquirens, primo calori muliebri, deinde frigiditati tribuit Macrob. Sat. VII. 7. Sed ex habitu quoque corporis definitam olim *pubertatem* scribit Tribonianus clare Instit. T. quib. mod. tut. finit. *Pubertatem autem veteres quidem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant.* Sed cur in masculis? num igitur feminæ ex habitu corporis non dignoscebantur? imperitiam Triboniani video, si ita senserit: imo errorem manifestum, ni sic senserit. Nam ut distinguat, & habitum corporis in feminis ad honestam aliquam indagationem, in masculis ad inspectionem nudam, & obscœnam habitudinis corporis (sicut refert Inst. eod.) referat, merum figmentum est, contra mores, & locutionem priscam. Contra mores, Romanos dico, (de Græcis enim ambigo) quos sanctiores fuisse scio, quam ut hanc turpitudinem palam exercuerint. Ad oculos castos provoco. Quid in pectione ista fœdius? quid inverecundius? puer detectus, aut potius exutus inspicitur, judex inspicit, eamque corporis partem, quam natura ipsa tegendam suggerit, & velandam. Judex inspicit; sed quid si lippus, aut oculis æger cernere nequeat? manum demittit in sinum, & pertractans vasculum puerile, judicat de *pubertate*? O fœdum figmentum! haud curia, sed fornice: haud judice, sed lenone dignum. Originem video. Platonem Tribonianus audierat convenientem ætatem ad nuptias per judicem nudos omnino mares, nudasque pube tenus feminas inspicientem definire. Hinc cum in Ictorum libris habitum corporis legeret, continuo

ad inspectionem illam Platonis referebat contra modum [illegible] quendam Romanum, qui [illegible] corporis [illegible], & universi corporis quandam dispositionem vocant. Suet. Jul. c. 44. n. 6. *Talia agentem, atque meditantem [illegible] : de quo [illegible], ea quæ ad [illegible] pertineant, non alienum erit [illegible].* Cicer. pro Cæl. c. 24. *Q. Metellus, cum floreret integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribus, ereptus est civitati.* Servius clarissime ad Æneid. VII. 52.

Sola domum, & tantas servabat filia sedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Non est, inquit, *iteratio, sed secundum jus locutus est, in [illegible] ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas probatur.* [illegible] habitum corporis ad feminam refert, quæ tamen ipsa a judice non conspiciebatur nuda. Ultra arguo. Habitus corporis, ex quo ait Servius, [illegible] [illegible], γενικῶς enim loquitur, inhærentem illam inspectionem significat; vel non significat. Si non, [illegible]: si significat, in feminis [illegible] admittenda [illegible] [illegible]: quod ipse Tribonianus, Imperatoris sui nomine [illegible], expresse [illegible] l. l. *Nostra majestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans, bene [illegible], quod in feminis etiam antiquis impudicum esse [illegible], inspectionem [illegible] corporis, hoc etiam [illegible] extendere.* Petron. Relig. conviv. præf. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 268. B. Rævard. Var. IV. 10. Mag. Miscell. I. 2. Hotoman. de Barba §. 2.

PUBLICANI [illegible] dicti generali nomine omnes, qui [illegible] reditus [illegible], ita appellati, quia [illegible]. Ulpian. l. 1. ff. de publican. *Publicani sunt, qui publico fruuntur, nam inde nomen habent, sive fisco vectigal pendant, vel tributum consequantur, & omnes, [illegible] publicani.* l. 15. ff. de verb. signif. *Eum, qui vectigal populi Romani [illegible] habet, publicanum appellamus. [illegible] publica*, malim [illegible] in [illegible] populi Romani pertinet. *Civitates enim privatorum loco sunt.* *Publicum* omne illud, [illegible] Reipublicæ [illegible], & reditum habet, significat: [illegible] pro vectigali [illegible]. Suet. Vesp. c. 1. n. 4. *Publicum quadragesimæ in Asia [illegible]*, hoc est, vectigal. Valer. Max. VI. 6. *Dum Asiaticum publicum exigerent [illegible] per [illegible] haberet.* Cicer. pro Rab. Post. c. [illegible]. *Magnas partes habuit publicorum.* Buleng. de Vectig. c. 5. Gronov. Obs. IV 23. Lips. in Tacit. Annal. XIII. 1. Blond. Triumph. Rom. V. p. 107. D. Burmann. Dissert. de [illegible]. Pitisc. in Suet. Jul. c. 20. n. 7. Hi non [illegible], & [illegible] genus hominum, sed ex ordine equestri. Cicer. pro Planc. c. 9. *Adjungam etiam, si vis, id [illegible], patrem publicanum, qui ordo [illegible], quis negat? flos enim equitum [illegible], ornamentum civitatis, firmamentum Reipublicæ publicanorum ordine continetur.* pro Dom. c. 28. *Proximus est equester ordo: omnes omnium publicanorum societates [illegible] decreta fecerunt.* Appian. de Bell. civ. II. p. 4[illegible]5. *[illegible] quam quæstu ex [illegible] publicis, quæ reamere a populo solutus.* Nec solum Reipublicæ temporibus, sed & sub prioribus Imperatoribus equites perseveraverunt in conducendis vectigalibus. Tacit. Annal. IV. 6. *Frumenta, & pecuniæ vectigales, cætera publicorum fructuum, societatibus equitum Romanorum agitabantur.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 4. Pitisc. in Suet. Aug. c. 24. n. 3. Blond. & Burmann. l. l. Non tamen omnes equites *publicani* erant. Argumento est, quod de equite Attico extat Nep. XXV. 2. 4. *Ad hastam [illegible] non accessit, nullius rei neque præs, neque manceps factus est.* Et apud Varr. de Re rust. I. 2. *Offendi ibi C. Agrium, & P. Agrasium publicanum.* *Publica* vectigalia populi Romani quæstus sui causa conducebant in foro a censoribus, quorum arbitrio hoc a senatu mandatum erat muneris, certa se obligantes pecunia, quam quæstoribus [illegible]: unde Cicer. Agrar. I. 3. *Censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi Romani, non licet.* De [illegible] conductione Liv. XXXIX. 44. *Censores vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt: quas [illegible] cum senatus precibus, & lacrymis publicanorum victus [illegible], & de integro locari jussisset, censoribus edicto summotis ab hasta, qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem [illegible] pretiis locaverunt.* Inprimis in conducendis provinciarum vectigalibus erant occupati: quæ [illegible] Italia, ex agris, & pascuis, & portubus publicis exigebantur. Cicer. pro Font. c. 16. *Omnes illius provinciæ publicani, agricolæ, pecuarii, cæteri negotiatores Fonteium defendunt.* Redimebant & præterea alia quoque multa, quæ ultro tributa dicta sunt. Liv. XXIII. 48. *Prodeundum in concionem Fulvio prætori esse, indicandasque populo publicas necessitates, exhortandosque, qui redempturis auxissent patrimonia, ut Reipublicæ, ex qua crevissent, ad tempus commodarent, conducerentque ex lege præbenda, quæ ad exercitum Hispaniensem opus essent, ut cum pecunia in ærario esset, iis primum solveretur. Hæc prætor in concione edixit, qua die vestimenta, frumentum, Hispaniensi exercitui præbenda, quæque alia opus essent navalibus sociis, esset locaturus. Ubi ea dies venit, ad conducendum tres societates aderant hominum undeviginti: quorum duo postulata fuere; unum, ne militia eo triennio publicani essent, alterum, ut quæ in naves imposuissent, ab hostium, tempestatisque vi tuta publico periculo essent, utroque impetrato conduxerunt.* Liv. XXXIX. 44. *Opera facienda ex pecunia in eam rem decreta, lacus sternendos lapide, detergendasque, qua opus esset, cloacas in Aventino, & aliis partibus, qua nondum erant, faciendas locaverunt.* Vocat autem *ultro tributa* sumptus operum publicorum, quorum locationem quinto quoque anno a censoribus factam scribit Varr. de Ling. Lat. V. 2. V. illum supr. in *Lustrum*. Quæ vero Livius cum Varrone *ultro tributa* dixerunt, ea ἐργολαβείας, id est, *operum redempturas* vocavit Plutarch. Cat. Maj. p. 347. A. *Sigon. l. l.* Cum civitatibus, & cum privatis pactiones conficiebant. Cicer. Fam. XIII 65. *Cum P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat. . . . Ejus summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cum civitatibus reliquis conficiat.* Attic. V 13. *Quod in nostra provincia confeciſsent pactiones publicanorum.* Merces scrutabantur. Quintil. Declam. 359. *Præter instrumenta itineris omnes res [illegible] publicano debeant: publicano scrutari liceat. Quod quis professus non fuerit, perdat.* Brisson. de Form. VI. p. 521.

PUBLICARI dicebantur, qui proscribebantur. Lamprid. Alex. Sev. c. 34. *Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehenderat, publicari jussit.* Tertull. de Fuga c. 9. *Publicaris, bonum tibi est; qui enim non publicatur in hominibus, publicatur in Deo.* Suet. Claud. c. 25. n. 3. *Libertinos, qui se pro equitibus Romanis agerent, publicavit.* Rævard. Var. V. 18. Pitisc. in Suetonium.

PUBLIPOR quasi *Publii puer* vocabatur. V. supr. in *Marcipor*.

PUBLIUS, cum P. prænominis locum obtineat, prænomen fuit illorum, qui prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent, ut [illegible] de Nominum ratione. Pompejus ejus, qui [illegible] natus [illegible], prænomen esse existimat. Alii [illegible] ex pube tractum volunt. Ab hoc prænomine *[illegible]* gens [illegible]. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2032. A. Sigon. de Nom. Rom. c. 2. Ursat. de Not. Rom. Thes. Græv. ibid. Tom. XI. p. 891. A.* Hoc licet fuerit vulgatissimum, aliquando tamen, & gentilitii nominis, inde & cognominis loco fuisse saxa indicant. Gentilitii nominis exemplum est in monumento p. 738. n. 8.

D. M.
L. PUBLICI. FELICIS
L. PUBLIUS. FAUSTUS
FILIUS. PATRI. J. M. B. M.

At pro cognomine usurpatum *Publii* prænomen. Patet in saxo p. 1146. n. 12.

D. M.
POLITICI
PUBLII
POSUERUNT

CAL-

CALLISTRAT
FRATER. ET
VICTORIA. COJUX
B. M.

Urſat. l. l.

PUD.

PUDENDA virilia Liberi patris in ejus honorem celebrantur in Italiæ compitis in ejus ſacris tanta turpitudinis licentia, palam exſultante nequitia, ut per dies illos feſtos ploſtellis per agros potius, mox & in Urbem vectarentur. Lavinii integer menſis Libero dicabatur. His diebus unusquisque ſpurciſſimis utebatur verbis, donec per forum id membrum tranſveheretur. Cui, inſpectantibus omnibus matremfamilias honeſtiſſimam coronam neceſſe erat imponere. Sic deus is propitiabatur ad ſeminum eventus, ſic ab agris faſcinatio averruncabatur. Unde, opinor, turpi membro impoſitum nomen [illegible], quod præſtabit, ut faſcinum diceretur. Legitur hæc hiſtoria apud Varronem. *Rhodig. Ant. Lect.* IV. 6. *Alſar. de Invidia Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 895. *A.*

PUDICITIA eſt dea culta ab antiquis, cujus Romæ ædes fuit in foro boario, & hæc *patricia* vocata eſt: altera *plebeja*, cujus ædicula in vico longo, a Virginia poſita. Liv. X. 23. *Inſignem ſupplicationem fecit certamen in ſacello Pudicitiæ patriciæ, quæ in foro boario eſt ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum. Virginiam Auli filiam, patriciam plebejo nuptam Volumnio conſuli, matronæ, quia e patribus enupſiſſet, ſacris arcuerant. Brevis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarſit: quum ſe Virginia, & patriciam, & pudicam in patriciæ Pudicitiæ templum ingreſſam, & uni nuptam, ad quem virgo deducta ſit; nec ſe viri, honorumve ejus, ac rerum geſtarum pœnitere, vero gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. In vico Longo, ubi habitabat, ex parte ædium, quod ſatis eſſet loci modico ſacello excluſit, aramque ibi poſuit: & convocatis plebejis matronis, conqueſta injuriam patriciarum, hanc ego aram,* inquit, *Pudicitiæ plebejæ dedico: vosque hortor, ut quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas ſit: detisque operam, ut hæc ara quam illa ſi quid poteſt, ſanctius, & a caſtioribus coli dicatur. Eodem ferme ritu & hæc ara, quo illa antiquior, culta eſt; ut nulli niſi ſpectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta fuiſſet, jus ſacrificandi haberet.* Prop. II. 5. 17.

Templa pudicitiæ quid opus ſtatuiſſe puellis,
Si cuivis nuptæ qualibet eſſe licet.

Gyrald. Synt. deor. I. p. 35. B. Struv. Ant. Rom. I. p. 144. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 8. Lomej. de Luſtrat. c. 30. Voſſ. de Idolol. VIII. 13. Roſin. Ant. Rom. II. 18. *Pudicitiam* alteri proſtraviſſe in toga olim ante legem Scantiniam capitale non fuit: fuit tamen in caſtris. Occaſio ad id crimen patrandum militibus facilis, & magna dabatur, eo quod multi adoleſcentes in ipſo vigore formæ, ſub annum decimum ſeptimum in caſtris verſarentur. Mirum igitur nulli videri debet, quod fuſtuario, rigidiſſimo ſupplicio, in tanti criminis reos leges inſurrexerint: & Marius tribunum militum a milite, quem non verbis modo, ſed & imperio tentaverat, interfectum, addita hac exprobratione, *virum me ſcuto*, jure cæſum pronuntiaverit, laudibusque militem cumulatum dimiſerit apud Valer. Max. VI. I. §. 12. Plutarch. in Mario p. 413. B. *Lipſ. de Milit. Rom.* IV. *dial.* 18. *Sichterman de Pœn. milit. c.* 3.

PUE.

PUELLA dicebatur ſperata, dicta, pacta, ſponſa. Arnob. IV. p. 140. *Habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas.* Non. V. 69. *Inter ſperatam, dictam, pactam, & ſponſam hoc intereſt: quod virgo, priusquam petatur, ſperata dicitur.* Plaut. *Amph.* II. 2. 44.

Amphytruo uxorem ſalutat lætus ſperatam ſuam.

Deinde promiſſa, vel pacta, vel ſponſa dici poteſt. Virg. Æneid. XI. 678.

Cui pater, & conjux, quondam tua dicta relinquor.

X. 79.

--- *& gremiis abducere pactas.*

Titinn. Divort.

Cui exacta ætate ſponſa ſit deſponſa.

Qui hanc differentiam abſurdiſſime ſic explanat. Uxorem jam gravidam, & ad pariendum vicinam, ſponſam *ſperatam* dici putat, inepte & ridicule. Nam *ſperatam ſuam* Amphytruo dicit, pro eam, quam totam ex animo ſuam eſſe ſperat. Virgilium autem de hac retorquet, quaſi *dictam* pro ſponſam uſurpaſſet, cum ordo, & ſenſus hic ſit: *dicta quondam tua uxor.* Hotoman. de Sponſal. c. 3. Herald. in Arnobium. *Sperata* dicebantur, ut & ſeratæ dicuntur nuptæ. Quod in Aſtraba ſignificaſſe Plautum retulit Varr. de Ling. Lat. V. 7.

Sequor hercle quidem: nam libenter te, mea ſperata, conſequor.

Afran. Fratr. apud Non. II. 810. *Curre, & nuntia venire, & mecum ſperatam adducere videat puellam.* Quum conventa eſſet conditio, ut eſt apud Feſtum, id eſt, inter ſe conveniſſent, pacta quædam nuda intervenire ſolebant; & puella non jam *ſperata*, ſed *pacta* dicebatur l. 2. C. de ſponſ. l. l. ſi cum ante C. de donat. ante nupt. Virgilius modo laudatus. Inde etiam Lavinia *pacta* Turno dicebatur. Liv. I. 2. *Cui pacta Lavinia ante adventum Æneæ fuerat.* Tum demum ſponſalia fiebant, incipiebatque *ſponſa* nuncupari. Florent. I. 3. Sponſ. *Unde & ponſi, ſponſæque appellatio nata eſt.* Hotoman. de vet. rit. nupt. c. I. Salmaſ. de Mod. uſur. c. 16. Franc. Hotoman. de Sponſal. c. 3. Dicebatur etiam conjugata. Horat. Od. III. 14. 10.

—— *puellæ*
Jam virum expertæ male ominatis
Parcite verbis.

Et ita capienda hæc vox Sat. I. 2. 72.

—— *magno patre nata puella eſt.*

Cum de ſtola velatis, ſive matronis ſermo ſit. Et hoc ſuadet epitaphium vetus Miellæ in adulterio cæſæ, & a ſuibus poſt ſepulturam erutæ.

Quæque Miella fui, nomen ſum nacta Suillæ,
Diſce puella tuo fida manere toro.

Barth. Adv. XXV. 14: XXXVIII. 6. Voſſ. Lex. Etymol. in *Puer.* Viripotentes donabantur zonis. Unde minores ætate etiam ἀμίτρους appellabant. Callim. Hymn. in Dianam n. 13.

Da mihi ſexaginta tripudiis ſocias Oceaninas,
Omnes novem annos natas, omnes adhuc puellas
Diſcinctas, ſive nondum virginea zona ornatas.

Barth. ibid. IV. 9. Spanhem. in Callimachum. Miniſtrabant menſis in ſumptuoſis epulis. Themiſt. Orat. II. p. 56. *In lectulo tapetibus, ac purpura conſtrato recumbens, ac Siculam ſibi menſam apponens, puella aliqua Corinthia, aut puero Lydo miniſtrantibus, bibat abunde, & genio indulgeat.* Virg. Æneid. I. 707.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.

Apul. Met. II. p. 53. *Fercula copioſa, puellæ ſcitulæ miniſtrantes.* Buleng. de Imperat. Rom. II. 33. de Conviv. IV. 7. Ciaccon. de Triclin. p. 68. Tomaſ. de Teſſer. hoſpit. c. 18. Colv. in Apulejum. Cerda in Virgilium. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 5. Caroli Antiq. Roman. IV. 8. Pitiſc. in Suet. Tib. c. 42. n. 4. Interdum nudæ. Apud Suet. Tib. c. 42. n. 4. *Seſtio Gallo libidinoſo, ac prodigo ſeni cœnam ea lege condixit* Tiberius Cæſar, *ut nudis puellis miniſtrantibus cœnaretur.* Hunc præminiſtrandi morem etiam Babyloniis mulieribus in uſu fuiſſe teſtatur Curt. V. I. 38. *Feminarum convivia ineuntium in principio modeſtus eſt habitus: dein ſumma quæque amicula exuunt, paullatim-*

que pudorem profanant : ad ultimum, ima corporum velamenta projiciunt. Nec meretricum hoc dedecus eſt, ſed matronarum, virginumque: apud quas comitas eſt vulgati corporis vilitas. Salmath in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 169. Et in illis canebant. V. infr. in *Pueri*. Pilas cum pupis, & ſtrophiolis Veneri dicabant. Varr. Seſquiul.

> —— *Veneri*
>
> *Marinas pilas, reticula, ac ſtrophiola.*

Quæ tamen verba alio modo leguntur apud Non. xiv. 8. *Suſpendit laribus marinas molles pilas, reticula, ac ſtrophia.* Pupas etiam, ſigillaria, ſive imaguncúlas ab illis fauſto futuri matrimonii auſpicio oblatas ſatis indicat Perſ. Sat. ii. 69.

> *Dicite pontifices, in ſacris quid facit aurum?*
> *Nempe hoc, quod Veneri donatæ a virgine pupæ.*

Tomaſ. de Donar. c. 12. Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. i. 20. Chauſſe de deor. ſimul. tab. 27. Laurent. de Adulter. c. 3. Provectioris ætatis Dianæ zonam dicabant, ut procum invenirent, quemadmodum Callirrhœ apud Agath. Scholiſt. viii. 11. Qualiter etiam refe ente Pauſania Trœzeniorum zonam Palladi Apaturiæ conſecrabant, ſicut crines Hippolyto. Forſan etiam, ut conjugium eſſet fœcundum. Quin ſe ipſas Fortunæ Virili offerebant Romanæ, ut ſi qua nævus corpori inſideret, numinis benignitate viri notitiam effugeret. Ovid. Faſt. iv. 147.

> *Accipit ille locus poſito vela mine cunctas,*
> *Et vitium nudi corporis omne videt.*
> *Ut tegat hoc, celetque viros Fortuna virilis,*
> *Præſtat hoc, & parvo thure rogata facit.*

Tomaſ. l. l. Quæ Veneri militabant, corollas languidas demtas ſuo capiti deo ſlici i in muri as dabant: ut milites exauctorati arma ſacra ad Martis, gladiatores rude donati ad Herculis ponebant. Argumento ſunt verſus Plaut. Aſin. iv. 1. 58.

> *Tum ſi coronas, ſerta, unguenta juſſerit*
> *Ancillam ferre ſuam Veneri, aut Cupidini,*
> *Tunc ſervus ſervet Veneri eas det, an viro.*

Lipſ. Antiq. Lect. iii. p. 158. Erat etiam olim moris, ut cum patre triumphante veherentur in curru non ſolum pueri, ſed & puellæ. V. infr. in *Triumphantes.*

PUERI *appellatio tres ſignificationes habet: unam, cum omnes ſervos pueros appellaremus: alteram, cum puerum contrario nomine puellæ diceremus: tertiam, cum ætatem puerilem demonſtraremus.* Paull. l. 204. ff. de verb. ſign. Servos *pueros* dicit etiam Cicer. Attic. i. 12. *Puer feſtivus anagnoſtes noſter Sositheus deceſſerat, meque plus quam ſervi mors debere videbatur, commoverat.* Huc referenda ſervilia nomina *Marcipor, Caipor, Lucipor, Publipor.* V. ſupr. in *Marcipor.* Pignor. de Serv. p. 43. V. ſſ. Lex. Etymol. Olim non radebantur, ſed comam alebant ſignum impubertatis. Perſ. Sat. iii. 54.

> —— *quibus indetonſa juventus*
> *Invigilat ſiliquis, & grandi paſta polenta.*

Ecce *indetonſam* vocat *juventutem*: haud dubie impuberes. Mart. vi. 52. 1.

> *Hic jacet in tumulo raptus puerilibus annis*
> *Pantagathus, domini cura, dolorque ſui.*
> *Vix tangente vagos ferro reſecare capillos*
> *Doctus, & hirſutas excoluiſſe genas.*

Unde capillati dicuntur. Petron. c. 27. *Videmus ſenem calvum tunica veſtitum ruſſea inter pueros capillatos ludentem pila.* Mart. iii. 58. 30.

> *Et pædagogo non jubente, laſcivi*
> *Parere gaudent villico capillati.*

Putean. Reliq. conviv. praſc. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. xii. p. 267. D. Rævard. Var. iv. 10. Demſter. Paralip. in Roſin. Antiq. Roman. v. 29. Capillos errare patiebantur vento agitante mobiles, vel in cirros torquebant. Horat. Od. iii. 20.

> *Fertur & leni recreare vento*
> *Sparſum odoratis humerum capillis.*

iv. 10. 3.

> *Et quæ nunc humeris volitant, deciderint comæ.*

Demſter. l. l. In conviviis cantabant. Varr. apud Non. ii. 70. *In conviviis pueri modeſte ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & aſſa voce, & cum tibicine.* Gell. xix. 9. ſcribens de Juliano rhetore, qui ab adoleſcente quodam ad cœnam invitatus *deſideravit exhiberi, quos habere eum adoleſcentem ſciebat, ſcitiſſimos utriuſque ſexus, qui canerent voce, qui pſallerent. At poſteaquam introducti pueri, puellæque ſunt, jucundum in modum Ἀνακρεόντεια pleraque & Σάπφικα, & poetarum quoque recentium ἐλεγεῖα, quædam ἐρωτικὰ cecinerunt.* Putean. ibid. p. 260. C. Caroli Antiq. Roman. iv. 8. Kipping. Antiq. Roman. iv. 3. 11. Et miniſtrabant. Senec. Epiſt. 47. *Cum ad cœnandum diſcubuimus, alius e famulis ſputa detergit, alius reliquias temulentorum ſubditus colligit, alius pretioſas aves ſcindit, pectus, & clunes certis ductibus circumferens eruditam manum in fruſta excutit, alius vini miniſter in muliebrem modum ornatus cum ætate luctatur.* Juven. Sat. v. 60.

> —— *neſcit tot millibus emptus*
> *Pauperibus miſcere puer.*

Cicer. Fin. ii. 8. *Adſint, etiam formoſi pueri, qui miniſtrent.* Hinc diſcas, cur Horatius de comeſſatione, aut compotatione loquens, paſſim compellat *puerum*, ut Od. i. 38. 1.

> *Perſicos odi, puer, apparatus.*

Et alibi frequenter. *Putean. ibid. E. Buleng. de Conviv.* iv. 7. *Caroli & Kipping. l. l.* Illorum officia quænam fuerint V. ſupr. in *Miniſtri.* Salibus, garrulitate, & prurientis linguæ laſcivia dominos oblectabant. V. ſupr. in *Alexandrini.* Nonnunquam etiam inter ſe pugnandi cauſa committebantur. Senec. de Brev. vit. c. 12. *Qui in ceromate (nam, proh facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) ſpectator puerorum rixantium ſedet.* Græcia luxuriæ magiſtra e tranſmarinis oris hæc in Tiberim devexit. Quis enim ignorat ibi palam epheborum certamina, luctaſque? Inde traxit originem Romana luxuria, quæ rixantium puerorum paria dominorum oculis objiciebat. Eam ob cauſam Glauciam, *puerum* Melioris laude dignum cenſuit Stat. Sylv. ii. 1. 110.

> *Sive catenatis curvatus membra palæſtris*
> *Stares, Amyclæa conceptum matre putares:*
> *Oebaliden illo præceps mutaret Apollo,*
> *Alcides penſaret Hylam.*

Ad edendas in ſcena operas evocabantur. Fecit id Caligula. Suet. c. 58. n. 2. *Cum in crypta, per quam tranſeundum erat, pueri nobiles ex Aſia, ad edendas in ſcena operas, evocati præpararentur.* Kobierzyck. ibid. c. 4. Poſita prætexta virilem togam ſumpturi Laribus bullas dabant. V. ſupr. in *Bulla.* Ad faces, & cereos efferebantur. ſupr. in *Cereus.* Non comburebantur, ſed condebantur. Juven. Sat. xv. 138.

> *Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ*
> *Virginis occurrit, vel terra clauditur infans*
> *Et minor igne rogi.*

Plin. vii. 16. *Hominem prius, quam genito dente, cremari, mos gentium non eſt.* Plutarch. Epiſt. ſolat. ad uxor. *Pueris defunctis neque inferias dant, neque alia ſollennia uſurpant.* Lipſ. l. l. Kirchman. de Funer. i. 3. Ante maturam ætatem defunctorum corpora, neque noctu, neque circa meridiem efferebantur, ſed primo diluculo, oriente ſole, necdum ignitos radios emittente. Homer. Odyſſ. E. 121.

> *Auroræ digitis roſeis eſt raptus Orion.*

Euſtathius: *Videtur autem & illius ante diem vita erepta, dicunt enim, quod pueri hujuſmodi, ſimul atque dies illuxit, tumulo conſecrabant ii, ad quos ea res pertinet, quaſi intolerandum eſſet ſolem hujuſmodi malum intueri. Quare dicunt illos diem rapuiſſe.* Heraclides Ponticus: *Itaque generoſo quopiam, & formoſo juvene mortuo, matutinam funeris illius elationem diei raptum appellabant, tanquam non exſpiraſ-*

ſet,

fet, sed amoris desiderio raptus esset. Guther. l. I. Prænomen [illegible]. V. supr. in *P[illegible].* Quinam patrimi, & matrimi V. supr. in *Patrimes.*

Pueri, puellæve alimentariæ dicebantur tenuiores, quibus cum alendis, tum erudiendis certa redditus [illegible] vel ex ærario, fisove, vel e privatorum domis, & legatis: idque partim misericordiæ causa, partim in honorem, & cultum Augustorum, vel Augustarum; [illegible] sexus discrimine, & ut illorum nomen pueri, harum puellæ [illegible]. De pecun. [illegible] leg. F. l. [illegible]. *Divi Severus, & Antoninus rescripserunt, pecuniam relictam ad al[illegible] nominibus collocetur pecunia, ad curam suam revocaturum præsidem [illegible]* de legat. I. [illegible] *omnia [illegible] in distrib[illegible] sive in opus, sive in alimenta, vel in eruditionem puerorum, sive quid aliud.* De puellis Capitol. in Anton. Pio c. 8. & M. Anton. Phil. c. 26. V. utrumque [illegible] in *Sacerdos.* De pueris, & puellis conjunctim Paull. de leg. t. I. *Civitatibus legari potest [illegible] quod ad honorem, ornatumque civitatis pertinet. Ad ornatum: puta quod ad instruendum forum, theatrum, stadium legatum fuerit. Ad honorem: puta quod ad munus edendum, venationemve, ludos scenicos, ludos circenses relictum fuerit: hoc amplius, quod in alimenta ætatis puta infirmæ (senioribus, vel pueris, puellisque) relictum fuerit; ad honorem civitatis pertinere respondetur.* Spartian. Adrian. c. 7. *Pueris, ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, [illegible] liberalitatis adjecit.* Lamprid. in Alex. Sev. c. 57. *Puellas, & pueros quemadmodum Antoninus Faustinianas [illegible], & Mammæanos instituit.* Rubens [illegible] II. 26. Salmas. in Capitol. M. Anton. Philos. c. 7. Van Dale Dissert. I. c. II.

Pue[illegible] [illegible] quomodo [illegible] fuerint apud amatores, V. supr. in *Fem[illegible].*

PUERPERA censebatur pia, & pudica. I. si gemellos peperisset. Plaut. Amphit. v. I. 33.

— BRO. *Ego faciam, tu idem [illegible] prædices*
Amphitruo [illegible], [illegible] esse uxorem tuam ut scias.
[illegible], itaque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium [illegible] pepe[illegible] filios.
AMP. *[illegible], geminos?* BRO. *Geminos.* AMP. *Dii me servent.* BRO. *Sine me dicere,*
Ut scias tibi, tuæque uxori deos esse omnes propitios.

Quid clarius? Tacit. Annal. II. 84. I. *Soror Germanici Livia, nupta [illegible], duos virilis sexus simul enixa est, quod rarum, lætumque modicis penatibus.* II. si sine dolore, & facilis partus esset. Plaut. ibid. n. 46.

- - - *uxorem tuam*
Neque gementem, neque plorantem nostrum quisquam audivimus:
Ita pro[illegible] sine dolore peperit.

Theocr. Idyll. XVII. [illegible].

Adstitit hæc illi facilis, sensumque doloris
O[illegible] exemit [illegible].

III. si similem marito prolem edidisset. Horat. Od. IV. 5. 23.

Laudantur simili prole puerperæ.

Senec. Hercul. Fur. n. 1015.

- - - *Parce jam conjux precor,*
Agnosce Megaram; natus hic vultus tuos,
Habitusque reddit.

Quintil. Declam. XVIII. *Quæ pudicitiæ prima fiducia est, edidit partum, quem maritus agnosceret: non timuit, ne stupra, [illegible] vultus, [illegible] agnosceret.* Hanc matronæ pudicitiæ certissimum testimonium esse docent Mart. VI. 27. 3.

[illegible], quæ [illegible] imagine vultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.

& Catull. LXI. 221.

Sit suo similis patri
[illegible] facile insciis
Noscitur ab omnibus,

Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore.

Nam parentibus dissimiles illegitimi censebantur. Phocyl. n. 166.

Non similes natos lectus generat adulter.

Huc [illegible] Julia Aug. filia, *quæ cum [illegible]* [illegible] Macrob. Sat. II. 5. Et qui [illegible] liberi, dicebant [illegible] patri similes eos. Sic illa apud [illegible] Chat. c. 6. *Et ad cœnam vocatus, convivii dominum jubet vocari liberos suos, [illegible] quæ [illegible] similes fuerint.* Meurs. de Puerp. c. 2. Coras. Misc. jur. civ. II. 22. Rigalt. in Artemid. p. 15. Del Rio in Senec. [illegible] Hercul. Leo [illegible] c. 14. Grav. Lect. Hesiod. c. 5. Rader. in Martialem. Cerda in Virg. Ecl. IV. 17. Æneid. IV. 329. Tres dii *puerperæ* adhibebantur adversus Silvanum. Hi erant Intercidona, Pilumnus, Deverra. V. illos supr. in *Pilumnus.* A partu lavabatur. V. supr. in *Abluebant.* A partu primo zonam Dianæ suspendebant, quæ & Λυσίζωνη ex ea re cognominata. V. supr. in *Diana.* Munera quinto die mittebant consanguinei. Auct. proverb. in descript. Amphidrom. *Et munera mittunt consanguinei, ut plurimum polypos, ac sepias.* Scilicet, quia horum usus in convivio. Plaut. Truc. II. 4. 69.

PH. *Quin diis sacrificare hodie pro puero volo,*
Quinto die quod fieri oportet. DI. *Censeo.*
PH. *Non [illegible] aliquod mihi dare munusculum?*

Æschyl. Eumen. n. 7. *natale donum* vocat. Terent. Phorm. I. I. 12.

— *porro autem Geta*
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.

Meurs. ibid. c. 6.

PUG.

PUGIL, tametsi omnes generaliter gladiatores, qui in arena pugnabant, dici: tamen proprie, qui cæstibus certabant, hoc peculiari nomine significabantur. Id quod eluitur ex Cicer. Tusc. Quæst. II. 17. *Pugiles cæstibus contusi, ne ingemiscunt quidem.* Brut. c. 69. *Pugiles [illegible], etiamsi pugnos, & plagas Olympiarum cupidi ferre possunt, solem tamen sæpe ferre non possunt.* Tales fuerant Virgilianl, Dares & Entellus, quos luculento carmine describit Virg. Æneid. V. 362. . . . *Lax. Comment. Reip. Rom.* X. 13. *Panvin. de Lud. Circens.* II. I. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 205. b. A. Inter *pugiles*, & luctatores quiddam interfuit Philinus explicans, hoc addit apud Plutarch. Symp. II. 4. *Pugilibus ne [illegible] quidem cupientibus arbitri certaminum permittunt, ut se mutuo complectantur: solos luctatores videmus manus complexibus sese detinere, & concertationis majorem partem varie miscentis, atque constringendis [illegible] corporibus peragi.* *Pugilum* cruenta erant spectacula, non itidem luctatorum, cæterorumque agonistarum. Itaque reprehensus ideo Constantius Imperator ab Ammian. XIV. 7. quod pugilis spectandi esset avidior, atque adeo crudelior. *Erat autem diritatis ejus hoc quoque indicium,* inquit, *nec obscurum, nec latens, quod ludicris cruentis delectabatur, & in circo sex, vel septem aliquoties vetitis certaminibus pugilum se vicissim occidentium, perfusorumque sanguine, specie ut lucratus ingentia lætabatur.* Adeo quidem illa cruenta, ut icti cæstibus pugiles, si non animam in ipsa pugna efflarent, aut ægrerent, confractis certe ossibus, aut luxatis præter deformatum vulneribus vultum debiles efficerentur sæpe, *ac mutili.* Faber Agonist. I. 7. Ex illis quidam sponte, virtutis, & honoris ergo, huic se artificio dedebant, alii ex libito ad populi voluptatem, summque pœnam damnatione judicum fuerunt mancipati. *Faber ibid.* III. II. Ex illorum arte fuit, ut ventilarent aliquamdiu nec statim ferirent, ut docet Eustath. Iliad. d. p. 1324. Quod per eos integros dies ut posset facere Melinalem

lanathum *pugilem* exercitatione obtinuisse scribit Dio Chrysost. Melanc. I. p. 2. f. 96. cum aut ferire, aut ictus excipere nequaquam esse ex virtute, quod si fecerit, qui laborem ferendo non cederent, ipse diceret, sed diu re per aliquod tempus: neque tangi onere manuum, aut spiritu defici, aut cestu, atque ardore solis debilitari generosi esse omnino existimaret. Fuit & ex arte *pugilatoria*, ut non modo sublatis manibus adversus antagonistam *pugil* consisteret, verum etiam cruribus pedibus fixis, oculorum aciem recta in ipsum intenderet, atque ferret: quamobrem Amycus Pollucem *pugilatu* provocans ista pronuntiat apud Theocr. Eidyll. XXII. 65.

Unus contra unum manus attolle, adversum virum consistens
Pedibus autem pedibus figens crus, oculos vero rectos
Pugnae intendas, veniat ne pugno arti.

Et Apollon. II. 45. ... simul, ubi de jactatis in aerem, aut protensis in ventilando manibus a Polluce, sic canit:

— is ergo manus jactat,
Tentaturus, an pristina illae agilitate moveantur.

subjicit statim de Amyco antagonista firmum obtuente:

At non item probavit Amycus, sed longule stans
Silentio cum ipso contrectabat oculis, cui palpitabat
Animus sanguinem e pectoribus expergendi avido.

Fuit & illud dexteritatis, ut capto pugnae loco adversarii oculos pugil, quod posset, ad solis radios; suum ipse tergum illis obverteret. Theocr. ibid. n. 83.

Ibi magna ipsis labor animo ... fuit,
Uter prius ... acciperet lumen solis:
Sed solertia virum ingentem antevertisti, o Pollux:
Feriebatur vero solis radiis totus Amyci vultus.

Et hoc ex arte *pugilatoria* a Capaneo *pugile*, ipsiusque adversario Alcidamante est observatum. Stat. Theb. VI. 750.

Fulmineas alte suspensi corpora plantis
Erexere manus, tuto procul ora recessu
Armorum in speculis, aditusque ad vulnera clausi.

Ut sese permensi oculis, & uterque priorem
Speravere locum.

Ductor hic differt animum, metuensque futuri
Cunctatur, viresque ... ac ... necenat
Promptus, incautusque sui, ruit omnis, & ambas
Congeminat sine lege manus, atque irrita frendit
Insurgens, seque ipse premit: sed providus astu
Et patria vigilante Lacon, hos rejicit ictus,
Hos cavet.

Faber ibid. I. 14. Pinguedini comparandae operam dabat. Terent. Eun. II. 3. 23.

Si qua est habitior paulo, pugilem esse ajunt.

Quod agebat, ut gravius percutere valeret, & plagas illatas minus sentiret: est enim experientia, & ratione compertum, obesos minus ex carnibus injurias sentire. *Mercur. Gymnast.* II. 9. Victor palma coronabatur. Tertull. adv. Gnost. c. 6. *Pyctes ipse non queritur, dolere se non vult; corona premit vulnera; palma sanguinem obscurat; plus victoriarum est, quam injuriarum.* Paschal. de Coron. VI. 20. Et quod cantabat aliis antistabat praemiis, sicut alii victores, scriptis encomiis celebrabatur. Quintil. X. II. *Cum pugili coronato carmen, quale componi victoribus solet, mercede pacta Simonides scripsisset, abnegata ei pecuniae pars est.* Paschal. ibid. c. 23.

PUGILATORIA, πυγμική a Graecis vocata, ante Trojanorum tempora fuit in usu, ut testantur Plinius, & ante eum Homerus. Et hanc continuo *pugilatum* luctae, & cursui idcirco praeponere observat Plutarch. Symp. II. 5. quoniam hoc exercitationis genus prius illis originem accepit, sicuti quoque videtur innuere Lucret. V. 1282.

Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt.

Minus caeteris hanc rem intellexerunt illi, qui pugnam cestuum, & *pugilatum* idem penitus extitisse voluerunt. Ex auctorum tamen scriptis conjectura consequi possumus, in hac exercitatione homines nudos concertare consuevisse, pugnisque strictis, vel nudis, vel aenea, vel lapidea sphaera plenis, unde σφαιρομαχεῖν, vel loris, laminisve circumceptis sese invicem percutere, modo caput, modo dorsum, modo brachia petentes, neque unquam sese mutuo complectentes: in qua pugna superabat, qui vel adversarium *pugnorum* ictibus in terram prosterneret, vel gravius, & damnosius feriebat. Non desunt tamen, qui & calcibus hujusmodi pugnam factitatam tradant, & ob id apud Senec. Epist. 80. non σφαιρομαχίαν, sed σφυρομαχίαν legendum putant. Quod etiam victoriae signum esset ipsius adversarii confessio ore, vel alio aliquo gestu facta, qui negaret, plane expers rerum esset. *Mercur. Gymnast.* II. 9.

PUGILLARES sunt tabellae cera illitae, in quibus pungendo stylo impresso scribebatur. Materia vulgaris erat buxus, pretiosior citrum, ebur. *Pugillares* citrei apud Mart. XIV. 3.

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Lybici nobile dentis opus.

Stilichonis consulis *pugillares* ex elephanti dentibus fuisse indicat Claud. in Stilicon. consul. II. n. 347.

Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inscripti rutilum caelato consule nomen
Per proceres & vulgus eant.

Ovid. Amor. I. 12. 7.

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellae:
Tuque negaturis cera referta notis.
Quam puto de longae collectam flore cicutae,
Melle sub infami Corsica misit apis.
At, tanquam minio penitus medicata rubebas;
Ille color vere sanguinolentus erat.

Etiam ex membranis. Mart. XIV. 5. V. illum supr. in *Cera.* Πίνακες dicuntur Homer. Iliad. VII. 169.

Scribens in tabella, πίνακι, plicata exitialia multa.

Unde *pugillarium usum fuisse etiam ante Trojana tempora inveniri apud Homerum* dicit Plin. XIII. II. Usus erat scribere, mutare, delere, notare. Plin. Epist. I. 6. I. *Erant in proximo non venabula aut lancea, sed stylus & pugillares. Meditabar aliquid, enotabamque, ut si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem.* Ovid. Met. IX. 520.

Et meditata manu componit verba trementi:
Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.
Incipit; & dubitat: scribit, damnatque tabellas:
Et notat; & delet: mutat, culpatque, probatque:
Inque vicem sumptas ponit, positasque resumit.
Quid velit, ignorat: quicquid factura videtur,
Displicet: in vultu est audacia mista pudori.
Scripta soror fuerat: visum est delere sororem,
Verbaque correctis incidere talia ceris.

Chiflet. Anast. Childer. Reg. c. 13. Chausse de Tesser. tab. IX. Manut. Quaest. Epist. II. I. Barth. Adv. III. 7. Hugo de Prim. scrib. orig. c. 10. Donat. Dilucid. in Suet. Jul. c. 81. Guiland. Papyr. membr. IV. §. I. I--14. Salmas. de Mod. usur. c. 10. Long. de Annul. p. 61. Pignor. de Serv. p. 220. Schill Nomencl. Philol. p. 966. Zimmerman. Floril. Philol. p. 192. Pitisc. in Suet. Aug. c. 39. n. 2.

PUGIO *teli genus.* Gell. XVI. 25. breve. Non. XVIII. 9. *Pugio gladius brevis.* Sallust. *Hist.* III. *Oppius, postquam orans nihil proficiebat timide veste tectum pugionem expedire conatus. . .* Gestabatur in latere. Paterc. II. 43. 2. *Cum exuisset vestem, abjeceratque pugionem ad femur.* Suet. Vit. c. 15. n. 7. *Tunc solutum a latere pugionem. . . quasi in aede Concordiae positurus, abscessit.* Aliquando pendebat a cervicibus. Suetonius in Galba mox laudandus. Quod & nos in veterum Francorum quibusdam veteribus statuis vidi-

vidimus. *Dorleans in Tacit. p.* 110. *Cerda Alv. c.* 125. *n.* 36. Erat insigne imperatoriæ potestatis, & majestatis. Galba, *ut occisum Neronem, cunctosque in sua verba jurasse cognovit, posita legati, suscepit Cæsaris appellationem: iterque ingressus est paludatus, ac dependente a cervicibus pugione ante pectus.* Suet. c. 11. n. 2. Gladium pro summo imperio dicit Senec. de Clem. 1. 11. *Nullum te toto orbe stillicidium cruoris humani fudisse, eo majus, mirabiliusque, quod nulli unquam citius gladius commissus est.* Ita *Imperator consalutatus Vitellius, in prima gratulatione porrectum sibi, Julii olim dicti Julii tenuit gladium.* Suet. c. 8. n. 2. Et *gladium* a Vespasiani exercitu Romæ oppressus, *velut imperium depositurus, consulibus, & aliis circumstantibus prabuit.* Xiphil. LXV. p. 741. B. *Salmas. in Lamprid. Commod. c.* 6. *Faber Semest.* 1. 3. *Bulenger de Imperat. Rom.* 11. 16. *Torrent. & Pitisc in Suetonii Galbam.* Hunc Imperatores præfecto prætorio committebant. Philostr. de Basso præfecto prætorio Marci: Τὸ ξίφ☉ πεπισευμέν☉. Et hinc Lamprid. Commod. c. 6. *Tunc primum tres præfecti prætorio fuere, inter quos libertinus, qui a pugione appellatus est.* Salmas. & Dorleans l. l. Dabatur etiam tribunis, & centurionibus. Mart. XIV. 32.

> *Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris,*
> *Arma tribunitium cingere digna latus.*

Tacit. Hist. 1. 43. 2. *Centurio stricto pugione occurrens.* Quod a Judæis. Nam 2. Chron. c. 23. n. 9. *Jojada sacerdos dedit centurionibus lanceas, clypeos, & peltas Regis David, quas consecraverat in domo Domini: constituitque omnem populum tenentium pugiones a parte templi dextra. . . .* id est, centuriones, & tribunos, & prætorianos milites. *Dorleans l. l.*

PUGNA Aliensis. V. illam infr. in *Roma.* A *pugna* redeuntes manus lavabant. V. supr. in *Abluebant.*

Pugna in circo hominum ingenuorum ad instar verorum bellorum more vetusto dari solebat. Liv. XLIV. 9. *Juvenes quidam Romani, ludicro circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta bestiis omnium gentium circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera: nec semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horæ tempus utrumque curriculum complebat. Inter cætera sexageni ferme juvenes, interdum plures ab apparatoribus ludi armati inducebantur. Horum inductio in parte simulacrum decurrentis exercitus erat: ex parte excellentioris exercitii, quam militaris artis, propiorque gladiatorium armorum usum.* V. reliqua in *Testudo.* Quem morem Cæsar dictator tertio consulatu suo repetiit. Dion XLIII. p. 225. D. *Viros alios Cæsar singularibus certaminibus, ut Romanæ erat consuetudinis, commisit: alios plures simul in circo, equites equitibus, peditibusque pedites, aliosque promiscue æquali utrinque numero: erant enim quadraginta viri, qui ab elephantis pugnarent.* Suet. Jul. c. 39. n. 7. *Venationes circensibus editæ per dies quinque, ac novissime pugna divisa in duas acies: quingentis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commissis.* Panvin. de Lud. circens. 11. 10.

Pugna in gymnasio non aliud fuit, quam exercitatio quædam, in qua duo ut plurimum inter se dimicabant, vel ut ad bellicas pugnas incundas, & fortitudinem, & peritiam compararent: vel ut in ludis, amphitheatris, atque aliis publicis certaminibus, spectaculisque coronas victoriæ consequerentur, populumque oblectarent: vel ut optimum corporis habitum, atque sanitatem ipsam acquirerent, tuerenturque. *Mercur. Gymnast.* III. 4.

PUL.

PULLARIUS quis fuerit dictus, docet Cicer. de Divin. II. 34. *Attulit in cavea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius.* Auguria enim ex *pullis*, quos in eum finem alebant, & illos qui custodiebant, *pullarium* vocabant, capiebant veteres. *Pullarius* in auspicium mitti dicebatur, ut loquitur Liv. X. 40. cum *pullis* offam objicere jubebatur, observaturus, quo modo illam devorarent. *Necesse enim erat*, ut Cicero docet, *cum pascerentur, aliquid ex ore cadere, & terram pavire.* Hoc *terripavium primo, post terripudium dictum est, jam tripudium dicitur.* Tunc vero *pulli tripudium fecisse* dicebantur *solistimum.* Cicer. ibid. c. 8. sic dictum, quod *ex offa objecta quid in solidum caderet.* Cicer. de Divin. 1. 15. Et sic *optimum significabatur augurium.* Serv. Æneid VI. 119. Quod auspicanti nuntiabat *pullarius.* Cicer. Div. II. 34. *Cum offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiant.* Et is, qui auspicabatur, nuntio hoc accepto, rem gerendam aggrediebatur. Liv. IX. 14. *Auspicia secunda esse, Tarentini, pullarius nuntiat. Litatum præterea est egregie. Auctoribus diis, ut videtis, ad rem gerendam proficiscimur.* Illam *admittere*, id est, jubere, sive permittere dicebantur *pulli.* Obseq. c. 125. *C. Cornelius augur Patavii eo die, cum aves admitterent, proclamavit rem geri, & vincere Cæsarem.* Et inde *admissivæ aves* dicebantur. Festus. V. illam supr. in *Aves.* Si *non pascerent pulli, pullarius diem prælii committendi differebat.* Cicer. de Divin. 1. 35. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 44. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* 11. 2. *Brisson. de Form.* 1. *p.* 124. *Van Dale de Divinat. idolol. c.* 1. *Blond. Triumph. Rom.* 1. *p.* 26. *G. Laz. Comment. Reip. Rom.* III. 12. *Struv. Ant. Rom. c.* 6. *p.* 265. *Pitisc. in Suet. Tib. c.* 2. *n.* 7. *Schill. Nomencl. Philol. p.* 967.

PULLATI dicebantur Romani a *pullo* vestis colore. Suet. Aug. c. 40. n. 10. *Visa quondam pullatorum turba, dedit negotium ædilibus, ne quem paterentur in foro, aut circo, nisi positis lacernis togatum consistere.* Hunc colorem ferme viliores amabant. Hinc *pullatum circulum* Quintil. II. 12. de populi minuti concione; quod de pænulis dicti interpretari maluerunt, cum *pullatos lacernatos* dixerit Suetonius: & frequentior per illa tempora lacernarum usus, quam pænularum: etsi non ignorem hoc vestimentum confundi. Ut ut sit, idem populus minutus, & *pullatus*, & *tunicatus* dicitur. Si autem *pullatus* a lacernis, vel pænulis dicebatur, quomodo idem tunicatus; nisi eandem rem lacernam, & pænulam cum tunica facere velimus, quod video doctis viris in mentem venisse. Sed hoc minime ferendum est, & opinio de pænula, quod eadem cum tunica, auctori suo displicuit. Rectius ergo dixerunt, tunicatem dici de vilissima plebis parte, quæ nempe sola tunica incedebat, sine ulla lacerna, vel pænula, ut apud nos etiam vilissimi sine pallio incedunt. Quod ut verum est, ita illud negari non potest, hunc populum tunicatum non potuisse dici *pullatum*, ut passim a scriptoribus appellatur. Nam tunicas fuisse albas non est dubitandum. Ergo albatus fuerit popellus, non *pullatus.* Et tamen majorem populi partem sellularios opifices, vilissimeque mercis institores tunicatos incessisse credibile est. Huic difficultati solvendæ duo sunt, quæ nunc succurrunt. Alterum est, tunicas vilissimorum hominum, licet albæ initio fuerint, tamen longo usu tantum sordium contraxisse, ut *pullæ* viderentur, & hinc *pullatam turbam* dictam. Sane utrumque conjunxit Plin. Epist. VII. 17. *Nonne cum surgis ad agendum, tum maxime tibi ipsi diffidis? cum commutata non dico plurima, sed omnia cupis, utique, si latior scena, & corona diffusior. Nam illos quoque sordidos, pullatosque reveremur.* Alterum est, quod quemadmodum in locum togarum, quæ albæ, alterius coloris vestes, & maxime *pullæ* successerunt, ita & fieri potuisse, ut plebs minuta pro tunicis albis alium colorem usurpare cœperit, *pullum* nempe ad instar lacernarum, vel pænularum, & ideo *pullatam* dictam esse. *Ferrar. de Re vest.* 1. 1. 33: 3. 24: II. 2. 8.

PULMENTUM fiebat rusticis ex halece, olea caduca, & aceto. Cato de Re rust. c. 58. *Pulmentarium familiæ: oleæ caducæ quamplurimum condito. Postea oleas tempestivas, unde minimum olei fieri poterit, eas condito, halecem & acetum dato.* Buleng. de Conviv. II. 25: IV. 18.

PULMO ut in dextra parte sederet, ut florens, ac vividus esset, inprimis videbant veteres. Senec. Oedip. II. 366.

> *Mutatus ordo est: sede nil propria jacet;*
> *Sed acta retro cuncta. Non animæ capax*
> *In parte dextra pulmo sanguineus jacet.*

Buleng. de Sortib. c. 7.

PULPITUM in proscenio locus erat inferior scena, altior orchestra. Vitruv. v. 6. *Ex his trigonis, cujus latus fuerit proximum scenæ, ea regione, quæ præcidit curvaturam circinationis, ibi finiatur scenæ frons, & ab eo loco per centrum parallelos linea ducatur, quæ disjungat proscenii pulpitum, & orchestræ regionem, & ejus pulpiti altitudo sit ne plus pedum quinque, uti qui in orchestra sederint, spectare possint omnium agentium gestus.* Gloss. Cyrill. *Pulpitum*, βάσις ξύλινον, θυμέλη, σανίδωμα ἐπίπεδον, πόδωμα, λόγιον τὸ ἐ θεάτρε. Eo prodibant actores, & histrioniam agebant. Plin. Epist. IV 25. 4. *Inde ista ludibria, scena, & pulpito digna.* Suet. Calig. c. 54. n. 6. *Tres consulares secunda vigilia in palatium accitos super pulpitum collocavit.* Buleng. de Theat. I. 26. Bald. Lex. Vitruv. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 87. Pitisc. in Suetonium.

Pulpitum fuit etiam locus recitantium & differentium, non declamantium. Illud non fuit fixum, verum mobile. Potuit apponi, & removeri. Suet. de Gramm. c. 4. n. 7. *Repeto, quendam, Principem nomine, nonnullis diebus mane disserere, post meridiem remoto pulpito declamare solitum.* Isidor. XV. 4. *Pulpitum, quod in eo lector, vel psalmista positus in publico conspici possit, quo liberius audiatur.* Juven. Sat. VII. 93.

Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

Scheffer. de Re vehic. II. 3. Pollet. For. Rom. I. 5. Pitisc. in Suetonium.

PULS *æque ignota fuit Græciæ, quam Italiæ polenta.* Plin. XVII. 7. Parabatur ex farre, polenta ex hordeo mediocriter frixo. *Pulte* vescebantur Romani, priusquam panis coquendi ratio innotuerat. Plin. XVIII. 8. *Pulte autem, non pane, vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde et pulmentaria hodieque dicuntur: & Ennius antiquissimus vates, obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat.* Val. Max. II. 5. *Erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus, quam panis esset.* Etiam in castris Ammian. XXV. 2. Cui, Imperatori Juliano, *non cupediæ ciborum ex regio more, sed sub columellis tabernaculi parcius cœnaturo, pultis portio parabatur exigua, etiam munifici fastidienda gregario.* Putean. de Stipend. milit. c. 8. Lips. de Milit. Rom. V. 16. Nonn. de Re cibar. I. 5. Gladiatoribus quoque cibus erat. Hos *pulte, & ptisana nutriri optime* testis est Galen. de aliment. facult. I. 19. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 1. Tandem in epulis feralibus apponebatur. Arnob. VII. p. 242. *Nam pulticulæ, thura cum carnibus rapacium alimenta sunt ignium, & parentalibus conjunctissima mortuorum.* Tertul. Confess. VI. 2. *Cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solet, pultes, & panem, & merum attulisset.* Kirchman. de Funer. IV. 7.

Puls fritilla dicebatur, quæ fiebat ex farre, quod quandoque tostum, quandoque frixum erat. Plin. XVIII. 18. *Prisca sacra, atque natalium pulte fritilla conficiuntur.* Taffin. de Lud. secul. c. 13. §. 8.

Puls punica dicitur, quia Pœni *pultiphagi* fuerunt. Cato de Re rust. c. 86. *Pultem punicam sic coquito. Libram alicæ in aquam indito, facito, ut bene madeat. Id infundito in alveum purum, eo casei recentis P. III. mellis P. S. ovum unum, omnia una permisceto bene. Ita insipito in aulam novam.* Plaut. Most. III. 2. 143.

Non enim hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus.

Pœn. prolog. n. 53.

Carchedonius vocatur hæc comœdia,
Latine Plautus patruus pultiphagonides.

Plautum enim de Pœno, non de Romano intelligo. *Putean. de Stipend. milit. c.* 8. Rectius quam Turneb. Adv. XIX. 12. Lips. de Milit. Rom. V. 16. Guilielm. & Lambin. in Plautum, Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 316. Buleng. de Conviv. IV. 18. Nonn. de Re cibar. I. 5. Raittesh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 11. Merull. in Leg. XII. tab. c. 18. Dum enim ostendere vult postes ædium hasce, ait non esse factos a Pœno fabro: non enim hiascerent commissuræ, si Pœnus faber eas conjunxisset. Et ita per pultiphagum comica licentia intelligit Pœnum. Ut eundem in Pœnulo. Latine enim Plautus inscripsit Pœnolum. Ergo pultiphagus Carchedonius, seu Pœnus. Pœnos pultiphagos, ut Plautino vocabulo utar, fuisse argumento est *puls punica* jam memorata. *Scalig. Conject. in Varr. p. 241. Licet. de Quæs. per Epist. Miscell. Ital. Erud. Tom. II. p. 174.*

PULTARIUM, sive *pultarius* fuit vasculum ore angusto, & amplo, capacique ventre. Recipiebat cucurbitulas sanguinarias, & earum usum, si ærea & cornea instrumenta deessent, præbebat. Cels. II. 11. *Pultarius oris compressioris ei rei commode aptatur.* Plin. VII. 53. *Is cum convivium haberet, edita cœna calidam potionem in pultario poposcit.* Colum XII. 43. *Uvæ dependentes a matre in pultarios condi debebunt.* Ampullæ, & amphoræ uti formam, sic & usum interdum præbuere. Reddebat enim imbutum *pulte*, & odore farris gratum saporem, & potantibus vinum dulcius videbatur. Mart. XIII. 8.

Imbue plebejas Clusinis pultibus ollas,
Ut satur in vacuis dulcia musta bibas.

Scriver. in Mart. II. 85. Grapald. de Part. dom. II. 3. 26.

PULVERATICUM dicebatur tum de pecunia, quæ pro labore, & *pulvere* agri mensoribus dabatur, tum de exactione, quæ a præsidibus singulas provinciæ civitates obeuntibus exigebatur. Leo & Majoranus l. 1. de indulg. reliq. Novell. Major. tit. 1. ita sanxerunt, ut *strenarum Kalendarum, ac pulveratici nomine nihil petatur.* Cujac. Observ. IV. 18. Lipen. de Stren. c. 2. ætat. 3. §. 36. Guther. de offic. dom. Aug. I. 44. Voss. Lex. Etymol. in Pulvis. Meurs. Auct. Philol. c. 28.

PULVERATIO est fossio vineæ, quæ fit sereno cœlo in sicca tellure, ad excitandum *pulverem*, quo uvas facilius a sole coqui putabant. Colum. IV. 28. de vineis agens: *Tum & crebras fossionibus implere: nam fit uberior pulverationibus.* Virg. Georg. II. 418.

Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus.

Ubi Servius: *Hoc genus culturæ pulverationem vocant proprie: quo imminutæ glebæ ad vites applicantur.* Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Ant. Lect. VII. 30. Salmas. Exercit. Plin. p. 363. b. B.

PULVILLI pauperum in circo fiebant e foliis palustris arundinis decussis, concerptis, concisis, & minutis straminibus. Mart. XIV. 160. V. illum infr. in *Tomentum.* Beatiorum ex lana, quam Leuconicam, vel Lingonicam dixere. Mart. XIV. 159.

Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ?
Vellera Leuconicis accipe rasa sagis.

Tum sellis, tum scamnis, aut subselliis imponebantur, obducebantur, alligabantur. Miror, apud gentem in omne luxus, ac deliciarum genus effusissimam, tam sero fuisse, aut cognitum, aut permissum necessarium pæne commodum publice sedendi in *pulvillo*. Non sordentem loquor plebeculam, aut viles proletarios, sed florem civitatis eximium, & meliorem partem, ut Symmachus vocat, generis humani Senatores, quibus ante Caligulam nuda assamenta parabantur ad sessionem; etsi tam multis aliis insignibus, atque ornamentis ad id tempus senatorius ordo exsplendesceret. Diu ante in Græco theatro adhibitos fuisse patet apud Theophrastum in Charactere adulatoris. Plurimum scortei erant, & corio operti: σκύτιον, & δερμάτινον vocat Erotianus. *Chimentell. de Honor. bisell. c.* 28.

PULVINAR, & *pulvinus* differunt, quia *pulvinus* sit, quo in sedendo utimur: *pulvinar*, quod dormituri capiti supponimus. *Voss. Lex. Etymol.*

Pulvinar in circo locus fuit, e quo pompa in circum allata procederet: veluti enim in *pulvinaribus* templorum dii ibi constituebantur, donec pompa procederet: locumque tanquam παστοφορίαν dixeris, ut loquitur Clem. Constit. II. 61. quem locum *secretarium* Paullinus nuncupat:

His

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua
Ponitur alma sacri pompa ministra foci.

Nostri *sacristiam* vocant. *Pulvinar* ab Augusto factum testis lapis est Ancyranus. *Pulvinar ad circum maximum.* Ex *pulvinari* quandoque spectare solitus fuit Augustus. Suet. c. 45. n. 1. *Ipse Circenses spectabat interdum e pulvinari, & quidem cum conjuge, ac liberis sedens.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 15.

Pulvinar deorum erat, quod super lectos stratos in templis ad simulacra numinum sublevanda ponebatur. *Lomat. Dilucid. in Suet. Cæs. c. 76.* Quasi vero illorum capiti duntaxat in lectos supponeretur. Sed errat. Nam cum eorum extra lectos sterent, pedibus eorum suppositum fuisse constat ex antiquis statuis. Erat, ut ait Serv. Georg. III. 533. *lectulus, in quo deorum simulacra reclinabantur.* Acron in Horat. Od. I. 37. 3. tradit, fuisse *lectulum, in quo stabant numina, ut eminentiora viderentur.* Erant enim tabulata in formam *pulvillorum* facta, ut etiamnum videmus in statuis antiquis, & nostrorum sanctorum simulacris, ex antiquorum imitatione. *Rasin. de Lud. secul. c. 15. n. 6. Reines. Inscript. Class. XI. n. 79. Struv. Ant. Rom. c. 11. p. 516. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 21. Nicol. de Triumph. c. 4. §. 2. Voss. Lex. Etymol.* August. de Civit. Dei III. 17. *pulvinar* & lectisternium idem esse docuit. Alex. Gen. III. 27. *Pulvinaria apparatus lecti deorum sunt.* Sed quantum lecticæ a *pulvinaribus* distent, nemo ignorat. Et lectisternium aliud esse a *pulvinari* cognoscitur ex Livio supr. laudato in *Lectisternium*, ubi de primo lectisternio Romæ parato verba facit; sed ne verbum quidem de *pulvinari.* Sed explicandi sunt, ut velint esse eadem, si conjunctim cum lectisternio sumantur, quia sunt partes: non vero si divisim, quoniam partes a toto distinguuntur. *Donat. & Tafin. l. l. Gutber. de vet. jur. pont. III. 9.* Templum quod dicebatur etiam *deorum pulvinar* appellabatur. Cicer. Tusc. Quæst. IV. 2. *Deorum pulvinaribus, & epulis magistratuum fides præcinunt.* Ita *pulvinar* interpretatur Horat. Od. I. 37. 2.

— nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus sodales.

Ut autem rei divinæ causa, sic dapibus deorum, & *pulvinaribus* deorum adhibebant fides, imitati, ut opinor, veterem poetam, apud quem Jovi epulanti Apollo fidibus canit. *Turneb. Adv. VII. 17. Stuck. Ant. Conv. I. 33.* Interdum quoque pro templo ponitur. Serv. Georg. III. 533. *Nam ita & pulvinaria pro templis ponimus.* Voss. & Guther. l. l.

Pulvinar Solis fuit juxta ædem Quirini: ut discimus ex Quintil. I. 5. qui veteris inscriptionis illic meminit, in qua *vesperug* legebatur. *Ut in pulvinari*, inquit, *Solis, qui colitur juxta ædem Quirini, vesperug, quod vesperuginem accipimus.* Forte, tum ibi horologium solare fuerit, additum vel etiam aliquod cum *pulvinari*, id est, loco, ubi *pulvinar* collocatum, ut nomine *pulvinaris* denotatum fuit. *Nardin. Rom. Vet. IV. 6.*

PULVINUS triclinaris addebatur stragulis, & illis cœnantes innitebantur. Mart. III. 82. 6.

Cubitis trudit hinc, & inde convivas,
Effultus ostro, sericisque pulvinis.

Hujusmodi *pulvinos* Lamprid. Heliogab. c. 19. vocat *culcitas subalares.* Fiebant e pluma delicata. Apul. Met. X. p. 336. *Quatuor eunuchi confestim pulvillis plurimis ventose tumentibus, pluma delicata; terrestre nobis cubitum præstruunt; sed & stragula veste, auro, ac murice Tyrio depicta probe substernunt: ac desuper brevibus admodum, sed satis copiosis pulvillis, aliis nimis modicis, queis maxillas, & cervices delicatæ mulieres suffulcire consueverunt, superstruunt.* Athen. IV. p. 142. *Apponit lectos quosdam supermagnos, tanta impensa, & tam egregia varietate elaboratos, ut vocatis ad cœnam hospitibus, quibus cubito innixi pulvinis cuncti vivebant: & qui antea in toro contracto, ipso in nudo cubili per aut. verant, tum in lectis accumbentes, ne semel quidem pulvinaribus cubitum fulcirent.* Ciaccon. de Triclin. p. 18. Ursin. Append. p. 224. Casaub. in Lampridium. Cassl. de Prof. Rom. II. c. 25. de Urb. ac Imper. Rom. splendore III. c. 19. Baccius de Conviv. I. 11. Bayf. de Vascul. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 704. F. Disponebantur quatuor locis, qui in lecto assignari solebant pro discumbentium gradu, & dignitate. Illis convivæ invicem dispargebantur alter ab altero. Senec. de Ira III. 37. *Minus honorato loco positus irasci cœpisti convivatori, vocatori, ipsi, qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? honestiorem te, aut turpiorem potest facere pulvinum?* Ursin. ibid. p. 222.

Pulvini vocantur agricolationibus porcæ, eminentia sive terra elata inter duos sulcos. Plin. XIX. 4. *Areis ac lingulis, easque resupinis pulvinis, &c.* Voss. Lex. Etymol. Bald. Lex. Vitruv.

Pulvinus vocatur etiam in machinis ... quæ fluctibus venientibus, ... & banci, sive scamni nomine vulgo appellatur. Etiam dorsum dicebatur. Serv. Æneid. X. 303. *Dorsum est durior arena, quæ venientibus fluctibus ... densatur, & in modum ... Hic a nautis pulvinus vocatur.* Voss. Lex. Etymol. Philand. in Vitruv. V. 12. Bald. Lex. Vitruv.

Pulvinus vocatur *machina; qua naves deducuntur, & subducuntur in portum.* Isidor. XIX. 2. Unde illud Plaut. Cas. III. 2. 27.

Ut subducam navem rursus in pulvinarium.

Quod tamen non desunt viri docti, qui a *pulvino* a cnæ deductum putent. *Pareus ... Vit ... v. 12. Bald. Lex. Vitruv. Ouzel. in Minut. Felic. p. 24. Scheff. de Milit. nav. III. 3.* Hos etiam *palangas* vocaverunt. V. supr. in *Palanga.*

Pulvinus erat etiam saccus, cui plumæ inferciebantur. Eo utebantur in lecticis. Cicer. Verr. V. 11. *Lectica octophoro ferebatur, in qua erat pulvinus perlucidus, rosa fartus.* Ex more vulgi farciebatur plumis. Juven. Sat. I. 158.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis.

Ubi Schol. *Pensilibus plumis: lectica plumis strata.* Sed notat Cicero homines delicatulos pro plumis rosas etiam adhibuisse in lecticis. De *pulvino* etiam Senec. ad Marc. c. 16. *Equestri insidens statuæ in sacra via celeberrimo Urbis loco Clœlia, exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus, in ea illos sic Urbe incedere, in qua etiam feminas equo donavimus.* Lips. Elect. I. 19. Scheffer. de Re vehicul. II. 5.

PULVIS exoriens erat signum adventantis hostis. Veget. III. 5. *Item mutum, & commune majus est, quoties proficiscente turba excitatus pulvis ad similitudinem nubium surgit, hostiumque prodit adventum.* Liv. XXX. *Deinde incessu tot hominum, equorumque pulvis, signum propinquantium hostium fuit.* IX. 33. Ex multum enim in pugna motu, & equorum cursu pulveris caligo oritur, quam *pulveris nebulam* dixit Lucret. V. 253.

— turba pulvis vi
Pulveris exhalat nebulam.

Virg. Æneid. VIII. 592.

Stant pavidæ in muris matres, oculisque sequuntur
Pulveream nubem.

Pulverem hoc pacto excitatum manifestum, & certum appropinquantis exercitus nuntium esse ait Æschyl. septem contra Thebas n. 80.

Confiunt huc multus populus equestris præcursor,
Pulvis æthereus me docet apparens,
Mutus, manifestus, verus nuntius.

Virg. Æneid. IX. 33.

Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caicus;
Quis globus o cives caligine volvitur atra?
Hostis adest.

Columna in Ennii Annal. VIII. p. 80. Cerda in Virgilium.

lium. Stewech. in Vegetium. *Pulvere* dentes detergebant veteres. Apul. Apol. p. 408.

Misi, ut petisti, mundicinas dentium,
Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum.

Plin. Valer. I. 36. *Dentifrigium pulverem de lana succida in linteo ligabis, & pones in testa.* Barth. Adv. II. 14. *Pulveris* jactus imaginarium sepulturam facit. Et simplicissimam sepulturæ genus erat, quod injecta terra, vel *pulvere*, vel arena fiebat; idque sine piaculo ab eo, qui in cadaver insepultum incideret, omitti haud posse credebatur. Hinc porca præcidanea Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo justa non fecisset, hoc est, glebam non objecisset. Hanc sepulturam poscit Archytas apud Horat. Od I. 28. 35.

Quamquam festinas, non est mora longa, licebit
Injecto ter pulvere curras.

Palinurus apud Virg. Æneid. VI. 365.

—— aut tu mihi terram
Injice, namque potes.

Petron. c. 74. *Præteriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit.* Guther. de jur. man. II. 18. Torrent. in Horatium, Gonsal. in Petronium. Fluxit hic mos a Græcis. Ælian. Var. hist. V. 14. *Lex Attica fuit, ut qui in cadaver insepultum hominis inciderit, saltem ei terram injiceret.* Requirebatur etiam a properante. Quintil. Declam. V. *Insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulumcumque veneretur aggestu.* Horatius modo laudatus. Si non exerceretur, erat genus piaculi. Schol. Sophocl. *Qui mortuum cernerent insepultum, neque pulverem spargerent, videbantur esse exsecrabiles.* Horat. ibid. n. 34.

Teque piacula nulla resolvent.

Illa injectio ter debebat repeti. Horatius supr. productus. Acron in illum: *In sacris hoc genus sepulturæ tradebatur, ut si non obrueretur, manu plena ter jacta terra, cadaveri pro sepultura esset.* Terra debebat esse soluta, non in glebam formata. Eustathius: *Non glebæ jaciuntur mortuis, sed chus, hoc est, terra soluta.* Homer. Iliad. VI. 464.

Sed me mortuum soluta terra operiat.

Pulvis etiam aridus in glebam formari nequit. Unde signatissime Horat. ibid. n. 23.

At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus, & capiti inhumato
Particulam dare.

Cerda in Virgilium. Turneb. Adv. XVI. 22. Carol. Animadv. in Curt. c. 15. Kirchman. de Funer. III. 21. Columna in Ennium p. 261. Corpora unge e cum in luctam proditum essent: &, ne plane tactu ita forent incontigua, aut attineri impotentia; *pulvere* inspersio tenuissimo dumo facere de glaberrimis asperiora athletarum mos erat. Mart. VII. 31. 9.

Vara nec injecto ceromate brachia tendis,
Non harpasta vagus pulverulenta rapis.

De injectione ab hostili manu fieri saeta Ovid. Met. IX. 35. V. illum supr. in *Conisterium.* Eum morem, ut hostem hostis eo *pulvere* spargeret, alludunt poetæ: cum in taurorum efferorum descriptione ajunt, eos jacta, sive sparsa arena ad pugnam proludere. Virg. Georg. III. 232. V. illum supr. in *Judicium prolusorium.* Hoc ipsi universum quoque corpus, & humeros, & pectora, ut nimirum stringi possent, sibi inspergebant. Heliod. Æthiop. X. *Barth. ibid.* LVII. 16. Ex remotis regionibus adferebatur. De illo Suet. Ner. c. 45. 2. *Forte accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse.* Plin. XXXV. 13. *Non multum a pulvere Puteolano distat arena e Nilo, tenuissima sui parte, non ad sustinenda maria, fluctusque frangendos, sed ad debellanda corpora palæstræ studiis.* Inde certe Patrobio, Neronis Principis liberto advehebatur. *Pinsc. in Suetonium.* Exercitationes, quæ cum *pulvere* fiunt, præterquam quod frigidiora conservant corpora, efficiunt quoque, ne sudor ita faciliter effluat, neve illa tantopere defatigentur. Habet namque ex sententia Galen. de tuend. valet. II. 12. emplasticam vim, refrigeratoriam, ac repercussoriam: ut non temere is præceperit, juvenes temperatos, dum in calidioribus locis exercentur, *pulvere* uti: qui, si pinguis sit, corpus exercitatum minime extenuat: sin autem asper, instar pumicosi: vel acer, qualis nitrosus, existat, exercitationes eo peractæ mirum in modum extenuant. *Mercur. Gymnast.* V. 2.

Pulvis in balneis. V. illum supr. in *Conisterium*, & infr. in *Unctio.*

Pulvis in gemmis differt a punctis. Plin. XXXVII. 9. *Cyanos dividitur in mares, & feminas. Inest ei aliquando & aureus pulvis, non qualis in sapphiris. In sapphiris enim aurum punctis collucet cæruleis.* Pulvis enim grana sunt minutiora, spissius, densiusque, & quasi continuatim sparsa in modum *pulveris*, qualia in cyano apparent. Puncta sunt guttæ, rarius, ac distinctius notatæ, & quasi stellæ interspersæ. Hinc stellatæ gemmæ aureis guttis, sive punctis. Ita erat sapphirus, χρυσοστιγής. *Salmas. Exercit. Plin.* p. 143. a. E.

Pulvis Puteolanus dicitur, quod in Puteolanis collibus nascitur, *mersusque protinus fit lapis, unus inexpugnabilis undis, & fortior quotidie, utique si Cumano misceatur cæmento.* Plin. XXXV. 13. Vitruv. II. 6. *Est etiam genus pulveris, quod efficit naturaliter res admirandas. Nascitur in regionibus Bajanis, & in agris municipiorum, quæ sunt circa Vesuvium montem, quod commixtum cum calce, & cæmento, non modo ceteris ædificiis præstat firmitates, sed etiam moles, quæ construuntur in mari, sub aqua solidescunt.* Senec. Nat. Quæst. III. 20. *Puteolanus pulvis, si aquam attigit, saxum est.* Philand. in Vitruvium. Bergier. de viis milit. II. Sect. 19. §. 6. Pæne sicuti videmus albaria nostra opera e gypso paullo post solidescere, ut prope lapides ipsos æquent. Unde etiam ex illo fiunt Lutetiæ Parisiorum, & alibi ædificiorum pavimenta, tam plano pede, quam contignata, quæ nobis optime exhibent extremam pavimentorum superficiem formæ terrenæ. *Bergier. l. l.*

PUM.

PUMEX est lapis aridùs, & spongiosus, ac cavernulis refertus. *Bibulum lapidem* vocat Virg. Georg. II. 348. Sæpe fit ab exustione lapidum: ut circa Vesuvium, & Ætnam. Etiam in littoribus plerisque reperitur: unde veteres putarunt e maris spuma nasci. *Voss. de Idolol.* VI. 16. *Pumice* libros expolire, ac levigare olim mos erat. Catull. XXII. 1.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum.

Plin. XXXVI. 21. *Sed & ii pumices, qui sunt in usu corporum levigandorum feminis, jam quidem & viris, atque, ut ait Catullus, libris.* Voss. ibid. c. 34. Lex. Etymol. in Volumina. Pontan. in Ovid. Trist. I. 1. 9. Illo libros levigabant, ne scabrities manum scribentis, aut oculum legentis offenderet. Unde ad librum suum Mart. VIII. 72. 1.

Nondum murice cultus, asperoque
Morsu pumicis aridi politus.

Quod fere descripsit e Catullo laudato. Horat. Epist. I. 20. 2.

Scilicet, ut prostes Sosiorum pumice mundus.

Mart. I. 67. 10.

Sed pumicata fronte si quis est nondum
Nec umbilicis cultus, atque membrana.

Ubi indicat, non solum chartam, sed & librorum involucra membranacea, quæ frontes sunt, *pumicibus* fuisse levigata. Quod innuit etiam Ovid. Trist. I. 1. 11.

Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes,
Hirsutus sparsis ut videare comis.

Catull. XXII. 7.

Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.

Hugo de prim. scrib. orig. c. 35.

PUMICARE est *pumice* polire. Lucill. Sat. VII.

Scabor, subvellor, desquamor, pumicor, ornor.

Hinc *pumicator*, qui in Gloss. vet. exponitur σμηκτης, & *politor*. Ab eodem *pumicati* Plin. Epist. II. 11. 23. qui corpus *pumice* levigarent. *Voss. Lex. Etymol.* Hispani totum corpus urina lavabant, dentesque fricabant. Cantabris, aliisque qui confinales illis, hoc tribuit Strabo. III. p. 113 *Quippe qui urina in cisternis inveterata lavantur, eaque cum ipsi, tum eorum uxores dentes tergant: quod Cantabros facere, & eorum confines ajunt.* Celtiberis adtribuit Catull. XXXIX. 17.

Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque russam defricare gingivam.

Pumicare apud Catullum videtur legisse Apul. Apol. p. 409. *Quem multo aequius erat, spurcissimo ritu Iberorum, ut ait Catullus,*

— sua sibi urina
Dentem, atque russam pumicare gingivam.

Turneb. Adv. XXI. 27. Merul. Cosmogr. II. 2. 8. Demster. Paral. p. ad Antiq. Rom. Rosin. V. 36. Casaub. in Strabonem. *Pumicari*, id est *pumice* levigari enervatis effeminatisque nemo nescit solenne, gratumque, & frequentissimum fuisse. Ovid. de Art. Am. I. 506.

Nec tua mordaci pumice crura teras.

Plin. XXXVI. 21. *Pumices levigandis corporibus olim mulieribus in usu, nunc & viris.* Juven. Sat. VIII. 16.

Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum....

Ubi Scholiastes: *Catina oppidum Siciliae, usque ad probra dissolutum notatur. ut Bibaculus:*

Osce senex, Catineque puer, Cumana meretrix.

Demster. ibid. I. 14. Grang. in Juvenalem.

PUN.

PUNCTA vocabantur exigui aquae ducendae moduli, qui olim *punctis* distribuebantur ex publico. Et dicebatur *a punctis* olim qui hoc munus habebat aquarius aquae *puncta* privatis tribuere. Frontin. de Aquaeduct. II. p. 1663. A. *Etiam ille aquariorum tollendus est reditus quem vocant puncta. Longa, ac diversa sunt spatia, per quae fistulae tota meant Urbe latentes sub silice. Has comperi per eum, qui appellabatur a punctis, passim convulneratas omnibus in transitu negotiatoribus praebere peculiaribus fistulis aquam: quo efficiebatur, ut exiguus modus ad usus publicos perveniret.* Quam vocant, inquit, *punctum*, id est, punctionem. Et legendum: *convulneratas fistulis in transitu petitoribus.* Petitores sunt, qui ab aquariis in usum privatam aquam petebant. *Graev. Thes. Ant. Rom. Tom. IV. Praefat.* * * *

Puncta in genimis quid fuerint V. supr. in *Pulvis*.

Puncta vocabantur notae, sive stigmata, quibus milites solebant signari. Veget. II. 5. *Nam punctis in cute punctis milites scripti.* Quae quid sibi velint, non capio. Libri etiam variant. In aliis legitur *pictis*, in aliis *puniceis*, in aliis *patenis*. Quod ipsum etiam in membranis; sed ab adulterina manu factum, ut apparet, ex *victuris*: quae mihi genuina lectio est, confirmata codice M. & duobus Susii, in quibus scribebatur: *Nam victuris in cute punctis.* *Victuris* dixit quasi permansuris. Ita phrasi, qua vivere leges, actiones, lites, & easdem vitam accipere dicunt ab Imperatoribus in Cod. Justin. Milites *punctis* notari solitos video Accursium non ignorasse Instit. de testam. milit. Et ipse Veget. I. 8. *Sed non statim punctis signorum inscribendus est tyro delectus.* Notabantur, ut docet Aetius, punctis in manibus militum. Idemque in fabricensibus fieri solitum. Ostendit hoc Imperatorum Arcadii, & Honorii constitutio l. 3. C. de fabricens. V. illam supr. in *Fabricensis*. Stewech. in Veget. II. 5. Turneb. Adv. XXIV. 12. Cujac. ad dict. constit. Guther. de offic. dom. Aug. III. 12.

Puncta vocabantur etiam suffragia tribuum in comitiis. Et *puncta tulisse*, qui tribuum suffragiis creati erant magistratus. Cicer. pro Planc. c. 22. *Nam per te puellas es placens te tribus habere de Velina, quam per eam tribu puncta tuleris.* Vetus commentator Horat. Sat. II. 2. 49. V. illum supr. in *Ciconia*. Huc pertinet illud Horat. de Art. poet. n. 343.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Brisson. de Form. I. p. 137. Hugo de prim. scrib. orig. c. 24. Manut. de Comit. Roman. c. 15. Demster Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. VI. p. 404. o. Veteres suffragia, ac sententias per tabulas ferebant: unde lex tabularia dicta est, qui illius, cui quisque astipularetur, candidatorum, aut competitorum nomini *punctum*, vulgo voces vocamus, adscribebat. *Manut. in Horatium.*

Puncta in talorum lusu numerorum vicem obtinebant. Mart. XIV. 17.

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto.

Luxurius in epigrammate de tabulista:

Ludit cum multis Vatanas, sed ludere nescit,
Et putat imperio currere puncta suo.

Vetus aliud epigramma de tabula nondum editum:

Adversis punctis dictum se nemo fatetur.
Vulnera plus crescunt punctis, quam bella sagittis.

Graecis τρῆμα dicitur, & κύβος. Et hinc τρηματίζειν apud Dores *punctis ludere*. Pollux IX. 7. *Apud Dores hoc ludo ludentes τρηματίζεσθαι dicuntur, & τρηματίζειν ipsum opus.* Dicebatur hoc proprie de illo genere aleae, quo in singula *puncta* certam pecuniae summam constituebant, & in medium conferebant, isque eam auferebat universam, qui multitudine *punctorum* superasset. Auson. Profess. I. 29.

Narrantem fido per singula puncta recursu
Quae data per longas, quae revocata moras.

Hoc est *in punctum ludere*, ut loquitur Suet. Ner. c. 30. n. 7. *Quadragenis in punctum HS aleam lusit.* id est, in singula *puncta* deposuit decem millia Philippaeorum, ut quoties alter *punctis* superasset, toties decem millia tolleret, aut amitteret, si minus altero jecisset. *Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Senftleb. de Alea c. 7. n. 10. Souter. Palam. I. 28. Gronov. de Pecun. vet. III. 15. Volaterr. Comm. Urban. XXIX. 12. Rader. in Mart. XIV. 12.*

Punctis creberrimis utebantur non ad cruciandum tantummodo, sed & ad ingerendam necem; cujusmodi supplicium excogitatum est a C. Caligula severissimo Principe; de quo Suet. c. 33. n. 1. *Non temere in quemquam, nisi crebris, & minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo, notoque jam praecepto: ita feri, ut se mori sentiant.* Qui & Vitellium apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatum scribit c. 17. n. 2. *Lawrent. de Rebusp. c. 7.*

PUNCTI divina manu dicebantur illi, quorum literis Imperator, qui notis subscribebat, subscripserat. Anastas. l. 4. C. de advoc. divers. judic. *Jubemus viros clarissimos inter spectabiles sacri nostri consistorii comites divinae nostrae serenitatis manu puncti consequi solatia.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 107.

PUP.

PUPA est imago parva puellaris. Non. II. 675. Varro. *Itaque brevi tempore magna pars in desiderium puparum, & sigillorum veniebat.* Hieron. ad Gaudentium: *Atque ut voce tinnula ista meditetur, proponantur ei crustula, mulsa praemia, & quicquid gustu suave est, quod vernat in floribus, quod rutilat in gemmis, quod blanditur in pupis, acceptura festinet.* Graecis dicitur πλαγγὼν. *Herald. Adv. I. 8. Jun. de Pictur. II. 8. Tomas. de Donar. c. 12. Voss. Lex. Etymol. in Pupulus. Schill Nomencl. Philol. p. 967.* Has nupturae Veneri offerebant. V. supr. in *Puella*.

PUPIA lex. V. illam supr. in *Lex*.

PUPPIS est pars posterior navis. Πρύμναν Graeci; & illorum poetae οὐρὰν appellaverunt ab animalium cauda. Vi-

detur curva magis hæc pars fuisse quam prora. Hinc Ovid. Met. xi. 465.

—— stantemque in puppe recurva.

Magis etiam alta, & conspecta. Virg. Æneid. x. 261.

Stans celsa in puppi.

Igitur & gubernator in eo locum suum habebat, & Imperator [illegible] sub tabernaculo, quod σκηνὴ dicitur. P. lex. I. 93. *[illegible] σκηνὴ, vocatur Imperatori, [illegible] buxeo.* Arrian. Exped. Alex. vi. *[illegible] navis, quæ Regem vehebat, castris appropinquavit, tentorium e navis suæ puppi auferri jussit, ut ab [illegible] conspiceretur.* Latinis alias dicitur. V. supr. in *D[illegible]*. Erat in illa parte tutela [illegible] vocata. V. supr. in *C[illegible]*. Hæc pars [illegible] est sancta & inviolabilis, adeo ut [illegible] contigerint. Liv. xxx. 36. de Carthag. [illegible] oratoris. *Cum ad puppim prætoriæ navis accessissent, velamenta supplicum porrexerunt, orantes [illegible] fidem Scipionis.* Germanicus hinc *venerandam puppim* dicit. Id & autoritate, dignitateque cæteris [illegible]. Cicer. Fam. xii. 25. *Quamobrem, mi Quinte, [illegible].* Schefer. de Milit. nav. i. 6. [illegible] c. 11. Summam Liburnicarum puppes gemmis [illegible] Caligula apud Suet. c. 37. n. 3. auro, & ebore distinxerat Nero apud Tacit. Annal. xv. 37. 2. [illegible] ii. 6. Solebat stare in littore. Virg. Æneid. iii. 277.

—— stant littore puppes.

Germanicus, ut eum Grotius emendavit, in Phænom.

[illegible] libera cursu,
[illegible] remos,
Aversamque ratem votis damnatus ad oram
[illegible].

De Argo nave loquitur, ejusque ob hanc ipsam puppim [illegible]. *Puppim* igitur, quando iter faciendum erat, impellebant in mare. Et hoc Græcis est τὴν πρύμναν κινεῖν, *puppim movere*. Val. Flacc. i. 184.

At [illegible] Minyæ, montisque frequentes
Puppem humeris subeunt, & tento poplite proni
Decurrunt.

Schefer. ibid. iii. 3. Initio cursus velleribus niveis, festa fronde, verbenis, sertis in deorum honorem ornabant. Tutelas enim, & deos in *puppe* navis consecrabant, ut ea quodammodo tanquam sacrarium esset, vel sacellum. Virg. Æneid. iv. 418.

Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Turneb. Adv. xix. 2: xxvi. 5. Kipping. Dissert. de Expedit. marit. c. 2. Cerda in Virgilium.

PUR.

PURGAMENTA vocantur homines, quos Græci per summam contumeliam καθάρματα solent vocare. Curt. vi. 5. 8. *Et cætera militum [illegible] purgamenta, quæ proprius [illegible], maximorumque exercituum ducibus a Rege præferebantur.* x. 2. 7. *Omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam urbis suæ, tunc etiam exsilii admitterent.* Quo quo modo ad victimam in urbis laborantis *purgamen* duxerint, docet Tzetz. Chil. v. 23: viii. 239. Ut *purgamenta* vocantur sordes, quæ ejiciuntur foras ex ædibus, sic homines urbe ejiciendi in exsilium, *purgamenta* vocantur. Et forte Diogenes, quum clamasset aliquando; heus homines, convenissentque plurimi, baculo illos agebat, dicens: homines, non *purgamenta* vocavi. Laert. vi. p. 3[illegible]. *Turneb. Adv.* xxvii. 16. *Gebhard. Crepund.* iii. 25. *Bud. in Pandect. p.* 239. *Casaub. in Athen.* vi. 16. *Wouwer. in Petron. p.* 478. *Erhard. in Petron. p.* 752. *Popm. & Pitisc. in Curtium.*

PURGATIONES tres adhibebantur in sacris fere omnibus veterum; nam vel flamma, vel sulphure *purgabantur*, vel aqua abluebantur. Ovid. Met. vii. 261.

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure purgat.

Hæc aqua lustralis dicta in circumstantes ad expianda leviora crimina spargebatur, sicut etiamnum mos est apud Christianos, qui ad purgandas leviores animæ sordes aqua benedicta frequenter in sacris utuntur. Illa ferebatur in vasculo huic simili, quod extat in museo Bellorii, & quale observatur in tabula vii. columnæ Trajanæ notis ejusdem illustratæ pulcherrimum exhibente sacrificium, ubi sacrorum quidam minister vas aquæ lustralis dextra tenet. *Chausse de Insign. pont. max. tab.* iv. *Tassin. de Lud. secul. c.* 5. *n.* 3. *Guther. de jur. man.* ii. 7. V. & infr. in *Sulphur*.

PURPURÆ *appellatione omnis generis purpuram contineri* putat Ulpian. l. si cui lana §. 13. ff. de legat. iii. *sed coccum non contineri. Itaque buccinum, & conchylium continebitur.* In vulgatis legitur *fucinum & janthinum*. Et in horum interpretatione mirandum in modum hallucinatur Accursius, quum ex Plinio constet buccinum & conchylium inter *purpuræ* genera adnumerari. *Bayf. de Re vest. c.* 3. *Guther. de Offic. dom. Aug.* iii. 21. *Laurent. de Re vest. c.* 6. Hodie negotiatoribus ignota est: etiamsi Damasci in usu esse quidam affirmant; sed pretium antiquis pretiis non respondet. Mirum tamen videtur, quum in Carteja Bæticæ provinciæ olim murices, & *purpuras* nobiles fuisse constet. Strab. iii. *In Carteja ajunt buccinas, & murices decem cotylorum capaces.* In Sardinia quoque fuisse constat ex proverbio: *Tinctura Sardonica pro rubra, & purpurea.* Romæ semper fuisse *purpuræ* usum testatur Plin. ix. 39. V. illum supr. in *Clavus latus.* Erat insigne Romanorum magistratuum: quod affirmat & Mart. x. 10. 12.

Divisit nostras purpura vestra togas.

Et ponitur pro magistratibus ab eodem viii. 8. 5.

Purpura te felix, te colit omnis honos.

Plin. x. 21. *Ut plane dignæ aliis tantum honoris tribuat Romana purpura*, id est, Romani magistratus. *Bayf. l. l. Bud. de Asse* ii. *p.* 188. 189. *Feith Antiq. Homer.* ii. 4. *Harduin. in Plinium.* *Purpuræ* violaceæ pretium in libras denariis centum. Plin. ix. 39. *Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit: me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat*, id est, decem aureis solatis. Subdit Plinius: *Successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi*, id est, mille juliis, vel centum aureis solidis. *Pelagiæ*, id est, *purpuræ* genus, *in libras quinquagenos nummos, & buccini centenos* ponit ibid. c. 40. id est, quinquaginta solidos, & centenos. Nummum pro solido nostro accipio ex Budæo. *Bayf. l. l. Braun. de Vest. sacerd. Hebr.* ii. 24. 6. Colore differt a coccino. V. supr. in *Color coccineus*. Differt etiam a conchylio. V. supr. in *Conchylium*. Ante imperium Cæsarum matronæ cum multo auro sunt usæ. Serv. Æneid. iii. *Cato ait deposita veste purpurea, feminas usas cærulea cum lugerent.* Val. Max. ii. 1. 5. *Cæterum, ut non tristis earum & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis & auro abundanti, & multa purpura usæ sunt.* Et pretiosum hunc amictum ab illis secundi ordinis mulieribus abdicat Ovid. Art. Am. iii. 169.

Quid de veste loquar? nec vos, segmenta, requiro,
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Sub Imperatoribus vero jam inde a Julio Cæsare *purpuræ* usus est privatis interdictus. Nam his primus, referente Suet. c. 43. n. 5. *Lecticarum usum, & conchyliatæ vestis, & margaritarum, nisi certis personis, & ætatibus, perque certos dies ademit.* Quibus verbis non penitus usum *purpuræ* ademisse Julium videmus, sed modum ejus usurpandæ statuisse, ex personarum dignitate, & ætatum qualitate, & per certos dies. At Nero prorsus sustulit, & interdixit usum amethystini, & Tyrii coloris. Suet. c. 32. n. 6. *Quin etiam inter canendum animadversam matronam e spectaculis vetita purpura cultam demonstrasse procuratoribus suis creditur, detractamque illico non veste modo, sed & bonis exuit.* Et id postea sub aliis deinceps Imperatoribus tenuisse usque ad Aurelianum videtur: quem permisisse scribit Vopisc. c. 46. *ut blatteas tunicas matronæ haberent.* Et matronarum vestes *purpureas* sub illo fuisse patet ex verbis

verbis c. 29. *Meministis in templo Jovis Optimi Maximi Capitolini pallium breve purpureum lanestre, ad quod quum matronæ, atque ipse Aurelianus jungerent purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur cæteræ divini comparatione fulgoris.* Notandum est *purpuras* Vopiscum dicere, quas modo *blatteas* dixit: blattam enim dixerunt recentiores, quam *purpuram* vetustiores. *Salmas. in Vopisc. Aurel. c.* 46. *Ruben. de Re vest.* I. 8. *Cujac. Observ.* XII. 24. Omnem *purpuræ* usum, ipsis etiam matronis, interdictum fuisse a Nerone ad Aurelianum, qui iis demum permiserit, non inferunt verba Suetonii: sed tantum præstantissimæ speciem, Tyriam, nempe, seu Serranam a Romanis dictam, tanquam solis Imperatorum, domusque Augustæ usibus destinatam. Dicit enim: *Et quum interdixisset usum amethystini, ac Tyrii coloris.* Hinc non *purpura* in genere; sed *vetita purpura*, ea nempe quæ præcesserat, *Tyrii coloris*, *cultam* dicit Suetonius *matronam* illam, cui eandem detrahi jussit Nero. Nec etiam Vopisci verba; sed quod illius coloris, *purpuram*, quæ blatta dicebatur, iisque erat interdicta, gestare concesserit Aurelianus: quam vocem de exquisito *purpuræ* genere a Vopisco dici, licet id redarguat Salmasius, vere monuit Casaubonus. Imo id ipsum adstruit, quod ex glossis de grumo sanguinis observavit Salmas. supr. in *Blatta*, ac inde de *purpura*, quod sanguinei foret coloris, appellata. Neque enim is cujusvis *purpuræ*, sed præstantissimæ, & quidem Tyriæ, color, uti de ea dicitur a Plinio laudato supr. in *Blatta*. Ita blattam Tyriam pro eximia, & decantata illius loci *purpura* commendat Sidon. carm. II. 48. Imo prout de *purpura*, quæ instar Tyriæ e conchyliis apud Hydruntum in Italia, ad regium indumentum, ac inde *sacri*, ac *a loco*, *di muricis* nomine fu..lem appellata, a Theodorico Rege dicitur apud Cassiod. Var. I. 2. *obscuritas rubens, nigredo sanguinea, regnantem discernit*; mox de eadem *purpura*, *cum blatta, quam nostro cubiculo dare in aliis annis consuevistis, venire festinet*; mox, *Eoa Tyrus est hydra Italica.* Spanhem. in Julian. Orat. I. p. 306. Fuit inter sacra donaria Capitolii. Hujus rei clarum est testimonium in Vopisc. Aurel. c. 29. modo laudato. *Rycq. de Capitol. c.* 32. Inferiori ævo vestis *purpurea*, id est, toga, ac paludamentum Imperatorum fuit. Id videtur ortum a Gallieno, de quo Trebell. c. 16. *Cum chlamyde purpurea, gemmatisque fibulis, & aureis Romæ visus est, ubi semper togati principes videbantur.* Nisi velimus intelligere, Gallienum notatum, quod chlamyde uteretur, cum alii Principes toga. Ex eo tempore *purpura* pro principatus symbolo a scriptoribus passim accipitur. Hinc *sumere purpuram* pro sumere imperium. Pollio de Ballista c. 18. *Multi & sumpsisse illum purpuram, ut Romano more imperaret.* Ita enim legendum, non *& Romano more imperasse.* Ferrar. de vest. I. 2. 9. Spanhem. ibid. p. 210. Salmas. in Pollionem. Hinc in tumultuariis Imperatorum creationibus, cum ad manum non esset, qui humeros eorum advelarent, quibus imperium deferebant, legimus a militibus aliquando sublatam de vexillis, ut apud Capitol.° Gordian. c. 8. *Sublata de vexillis purpura Imperatores eos dicemus.* Ammian. XV. 5. *Cultu purpureo a draconum, & vexillorum insignibus ad tempus abstracto, ad culmen imperiale surrexit.* aut direptam a simulacris deorum. Pollio de Celso c. 29. *Celsum Imperatorem appellarunt peplo deæ cœlestis ornatum.* Vopisc. Saturn. c. 9. *Deposita purpura ex simulacro Veneris, cyclade uxoria militibus circumstantibus amictus, & adoratus est.* Prob. c. 10. *Appellatus est Imperator, ornatus etiam pallio purpureo, quod de statua templi ablatum est.* Salmas. & Ferrar. l. l. Casaub. in Gordianum. Petav. & Spanhem. in Julian. Orat. I. p. 48. C. lin. 7. Vales. in Ammianum. Denique inde imperatoria *purpura summa* dicta est. Lamprid. Alex. Sev. c. 51. *Ulpianum sæpe a militum ira objectu purpuræ summæ defendit.* Malumus enim *purpuram summam*, imperatoriam interpretari: quam quod Casaubonus de *purpura*, quæ in summi, sive extrema veste fuit prætexta. Quasi solo limbo, ac falcia extremi *purpurea* defensus fuerit Ulpianus, & non totius vestis *purpureæ* imperatoriæ objectu, quæ propterea summa dicta est. Quod si de prætexta intelligatur, dura locutio est, dura interpretatio. *Ferrar. l. l.* Hanc ut soli Principi, ejusque domui dedicatam, contexere, vendere, aut gestare, idque non sine læsæ majestatis crimine vetitam, lege, quæ extat in utroque codice de purpuræ nundinis prohibendis, ac præterea l. 3. & 4. dict. tit. de vest. holob. Accedit. l. 1. C. Quæ res venire non possunt, ubi dicitur: *Fucandæ, atque distrahendæ purpuræ. . . . facultatem nullus possit habere privatus. Sin autem aliquis supra dicti muricis vellus vendiderit, fortunarum suarum & capitis sciat se subiturum esse discrimen.* Unde de *ministris fucandæ purpuræ tortis* sub Constantio, a quibus nempe alios in usus, quam Principis id factum, agit Ammian. XIV. 9. *Et Nero præclusit cunctos negotiatores, cum interdixisset usum amethystini, ac Tyrii coloris, summisissetque, qui nundinarum die pauculas uncias venderet.* Suet. c. 32. n. 5. *Spanhem. ibid. p.* 210. Romæ honestiores in *purpura* elatos legimus. Quod generaliter Liv. XXXIV. 7. V. illum supr. in *Prætexta*. Et hæc causa est, cur M. Antonius, postquam *M. Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidisset, quo honoratius cremaretur, injici ei paludamentum suum jusserit*, teste Val. Max. V. I. II. τὴν ἀρίστην φοινικίδα Appian. Bell. civil. IV. p. 668. Nec Romæ solum, sed & Lacedæmone. Plutarch. Instit. Lacon. p. 238. D. *Ne quid una cum cadaveribus sepelirent, mandavit, præter puniceam vestem, & olivæ folia, in quibus æquo omnes cadavera ipsa componerent.* Distinguit tamen Ælian. Var. hist. VI. 6. & vult eos solos, quorum virtus inter cæteros enituerat, injecta illis chlamyde purpurea sepultos esse, τὰς τελέως ἀριστεύσαντας φοινικίδος αὐτοῖς ἐπιβληθείσης, ἐνδόξως ταφῆναι. *Kirchman. de Funer.* I. 10. In luctu deponebant matronæ. Dionys. IX. p. 586. & Liv. XXXIV. 7. V. illos supr. in *Aurum*. *Purpuram* adorare quid sit V. supr. in *Adorare*.

Purpura Alexandrina. V. illam infr. in *Probiana*.

Purpura dibapha Græcis vocabatur, quæ Latinis bis tincta. Plin. IX. 39. *Dibapha tunc, Cicerone consule, dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pæne commodiores purpuræ tinguntur.* Hoc *bis murice inquinatum vellus vocat* Mart. IV. 4. 6. De ea Horat. Epod. XII. 21.

> *Muricibus Tyrus iteratæ vellera lanæ*
> *Cui properabantur.*

Epod. II. 16.

> — *te bis Afro*
> *Murice tinctæ*
> *Vestiunt lanæ.*

Hinc argutus Ciceronis locus, quo per dibapham magistratum intelligit, Fam. II. 16. *Curius noster dibaphum cogitat, sed eum infector moratur.* Attic. II. 9. *Proinde isti licet faciant quos volent consules, tribunos plebis, denique etiam Vatinii strumam sacerdotis διβάφῳ vestiant.* Kobierzyck. de Lux. Rom. I. 8. Braun. de vest. sacerd. Hebr. I. 14. 6.

Purpura Girbitana a Girba insula, quæ Meninx veteribus dicta fuit. Pollio Claud. c. 14. *Albam subsericam unam cum purpura Girbitana.* In cosmographia Æthici Girbe numeratur inter insulas oceani meridiani. In ea nobilissimum baphium, cujus mentio in Notitia imperii, ubi Girbitanum baphium non semel memoratur. Inde *purpura* Girbitana. *Salmas. in Pollionem.*

Purpura Laconica *fiebat ex conchyliis, quæ ferunt maritima Laconicæ.* Pausan. Lacon. p. 104. Plin. IX. 36. *Præcipuus hic Asiæ, in Meninge Africæ, & Getulo littore Oceani, in Laconica Europæ.* Horat. Od. II. 18. 7.

> *Nec Laconicas mihi*
> *Trahunt honestæ purpuras clientæ.*

Meurs. Misc. Lacon. II. 19. Kobierzyck. de Lux. Rom. Rom. I. 8. Torrent. in Horatium.

Purpura plebeja, quæ vocatur a Cicer. pro Sext. c. 8. *Vestitus asper e nostra hac purpura plebeja, ac pæne fusca*, non fuerit multo præstantior nostro colore rubro, quem hodie crappe dicimus, ex herbis, & certis quibusdam radicibus, quarum satis dives est Zelandia; aut plurimum in-

ſtar

ftur coccinei iftius coloris, quem cramoifi, Belgice **karmesijn**, & quem a scarlatto distinguarts, cum fit obfcurior, & magis fufcus. *Braun. de Vestit. Sacerd. Hebr.* I. 14. 4. Hanc *plebejam, & pæne fuſcam* appellat Cicero, quod ea ipfe cum vulgo fenatorum, & equitum uteba-tur, cujus libra centum denariis veniebat, cum Tyria non nisi a potentioribus, ac delicatioribus emeretur, & quidem vix mille denariis. Plutarchus tradit Catonem *purpura* fufca ufum, cum videret faturo rubore ardentem effe tunc in pretio. Omnem autem *purpuram* violaceam fuiffe, præcipue plebejam illam, quam gerere malebat Cato, ut doctiffimi etiam viri ftatuunt, non poffum a me impetrare ut credam, cum toties dicatur rubra, & a violacea, & amethiftina diftinguatur: nec noverim nigricantem rofam, aut fanguinem concretum, qui fit violaceus afpectu, *nigricans* quidem *eſt aſpectu*, ut ait Plin. IX. 39. fed violaceam nusquam legi. *Ferrar. de Re veſt.* I. 3. 10.

Purpura Probiana vocatur a Lamprid. Alex. Sev. c. 40. *Purpuræ clariſſimæ non ad uſum ſuum, ſed ad matronarum, ſi quæ aut poſſent, aut vellent, certe ad vendendum graviſſimus exactor fuit: ita ut Alexandrina purpura hodieque dicatur, quæ vulgo Probiana dicitur, idcirco quod Aurelius Probus baphiis præpoſitus id genus muricis reperiſſet.* Cafaubonus legit *dicebatur*, quafi hic fenfus Lampridii effet, *purpuram* clariffimam Probianam vulgo fuiffe dictam ante tempora Alexandri, a quodam Aurelio Probo baphiorum præpofito, qui hoc genus muricis reperiffet: deinde ab Alexandro Alexandrinam appellatam, quod graviffimus clariffimæ *purpuræ* fuiffet exactor. Sed hoc non vult Lampridius, cujus hæc mens eft: clariffimæ *purpuræ* genus Probianum vulgo fua ætate appellatum ab inventore quodam Probo, Alexandrinam etiam fuiffe dictam de nomine Alexandri, quod clariffimam *purpuram* folitus effet exigere. Clara omnis *purpura* generali appellatione dicebatur Alexandrina, quod claræ *purpuræ* graviffimus, & faftidiofus exactor olim extitiffet Alexander. Hinc & illud etiam *purpuræ* longe clariffimum ab Aurelio Probo repertum, & vulgo Probianum ab eodem dictum, Alexandrinum etiam dicebatur: quod erat generale nomen omnium clariffimarum *purpurarum* jam inde ab hoc Alexandro. Et hoc nomen de clariffima *purpura* etiam ætate fua ufurpatum fcribit Lampridius, cum fpecies quædam muricis vulgo Probiani dicti ita etiam appellaretur. *Salmaſ. in Lampridium. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 21. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 75.

Purpura ftlataria dicitur Juven. Sat. VII. 134.

Spondet enim Tyrio ſtlataria purpura filo.

Eft veftis *purpurea*, velut piratica, & latrocinans, cujus fplendore fpectantur, & falluntur venditores, divitem cenfentes, qui eam geftat: vel potius fallax, & deceptrix, & irridens exponetur, quod eo veftimento homines decipiantur. Stlatarias enim in antiquo lexico exponitur ἐργόμαχος. Stlata navis erat piratica. V. infr. in *Stlata. Turneb. Adv.* XIX. 32. *Grang. in Juvenalem.* Vetus interpres *illecebroſam* explicat: reliqua ideo corrupta funt, ut fruftra fit huc afferre. Nefcio tamen quid de navi ponit ex Ennio:

Et melior navis, quam quæ ſtlataria portat.

Papias: *Stlata genus navigii, a latitudine dictum: inde ſtlataria purpura dicitur, id eſt, marina, vel navis piratica.* Quæ Turnebi conjecturam vocant. Interpretes pro lato clavo accipiunt, quod veteres Fefto, & Quintiliano auctoribus ftlatum pro lato, ftlitem pro lite dicerent. Quod fi verum, nulli tunc caufidici in pretio, nifi qui & fenatores, quibusque lati clavi jus. Nifi malimus de lacernis caufidicorum interpretari: n. 135.

— *purpura vendit*
Cauſidicum, vendunt amethyſtina.

Nam lacernas in caufis agendis adhibitas, teftatur idem Sat. XVI. 45.

— *jam facundo ponente lacernas*
Cæditio.

Improbum autem illum colorem etiam in lacernis a ditioribus ufurpatum nemo nefcit. Nifi rectius fit dicere, magnam etiam equitum partem per ea tempora latum clavum ufurpaffe. *Ferrar. de Re veſt.* I. 3. 12.

Purpura Tyria, vera, & genuina rubra folo murice tingebatur. Ideo murice dicitur rubere. Ovid. Art. Am. III. 168.

Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Mart. v. 24. 5. V. illum fupr. in *Murex.* Clarius Plin. XXII. 2. *Nec quærit in profundis murices,* poftquam dixerat, *tranſalpinam Galliam herbis Tyrium, atque conchylium tingere.* Addo hunc colorem plerumque *Tyrium* dici, & *Tyriam purpuram, & ruborem Tyrium, & Tyrium muricem.* Virg. Georg. III. 307.

— *quamvis Mileſia magno*
Vellera mutentur Tyrios incocta colores.

Tibull. II. 6. 39.

Illi ſelectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Stat. Sylv. III. 2. 139.

Qua pretioſa Tyros rubeat, qua purpura ſucco
Sidonis iterata vadis.

Vocatur Sidonia quoque ob vicinitatem loci. Senec. Herc. Oet. II. 663.

Nec Sidonia mollis aheno
Repetita bibit lana ruborem.

Sed & Sarrana dicitur. Hinc *Sarrano oſtro dormire* apud Virg. Georg. II. 506. Et tunica Jovis *Sarrana* dicta Juven. Sat. X. 38. Ubi Scholiaftes: *Tunicam Jovis palmatam dixit Tyria purpura infectam.* Et Servius ad Virgilium: *Sarrano oſtro, id eſt, Tyria purpura: quæ enim nunc Tyros dicitur, olim Sarra vocabatur.* Braun. de Veft. Hebr. facerd. I. 14. 5. Qua occafione fit inventa, docent Pollux I. 4. *Tyrii ferunt Herculem captum amore nymphæ indigenæ. Tyro vero nomen erat nymphæ. Sectabatur autem Herculem canis, antiquo more, quo dominum canes uſque etiam ad concionem comitabantur. Quare canis hic Herculeus per ſcopulum adrepentem purpuram conſpicatus, ipſius prominentem caruncuiam mordicus arripuit, & pro cibo uſus eſt, cruorque labra canis colore puniceo infecit. Ut vero heros rediit ad puellam, illa conſpicata labra canis inſueta tinctura infecta, negavit ſibi quidquam poſthac cum illo fore, niſi ad ſe afferret veſtem canis illius labris ſplendidiorem. Sic itaque Hercules animante inventa, collectoque cruore, munus puellæ detulit, primus, ut Tyrii dictitant, inventor Punicæ tincturæ.* Nonnus Dionyf. XL. 295.

Et Tyriæ conſpexit tincta veſtimenta concha
Purpureas ſcintillas ejaculantia maris
Ubi canis in mari laborans in littore comedens
Intus laventem fuccis maxillis divinum piſcem
Niveas purpurabat genas ſanguine conchæ
Labia cruentans humido igne.

Nazianz. Adv. Julian. Orat. III. *Quid? annon eam,* purpuram, *Tyriis objicies, a quibus paſtoralis ille canis prodiit; qui exeſo murice, labiisque cruore perfuſis, paſtori florem indicavit.* Politian. Mifc. c. 12. Bayf. de Re veft. c. 3. Braun. de veft. Sacerd. Hebr. I. 14. 5. Drefem. in Ifcan. de bell. Trojan. I. 357. Pitifc. in Suet. Cal. c. 17. n. 5.

PURPUREO fuit cognomen alicui fortaffe, quod effet fplendidus & pulcer. Sic commentator antiquus ad Horat. Od. II. 5. 12. *Purpureo,* inquit, *pulcro: nam purpureum pro pulcro ſæpe ponitur.* Sic Servius ad Virg. Æneid. I. 595. *Purpureum, pulcrum.* Urfat. de Not. Rom. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 926. A.

PUT.

PUTEAL recte effe *putei* operculum interpretatur Pompon. l. 13. §. ult. l. 14. 15. ff. de act. empt. quod gloffæ περιστόμιον. Id etiam figillis veteres folebant exornare. Indicat Cicer. Attic. I. 8. *Tibi mando putealia ſigillata duo.* Cujac. Obferv. XI. 2.

Puteal Scribonii Libonis ad arcum Fabianum fuisse dicitur. Porphyr. in Horat. Epist. I. 19. 8. *Puteal autem Libonis, sedes prætoris fuit prope arcum Fabianum, dictumque, quod a Libone illic primum tribunal, & subsellia locata sint.* Utrum autem tribunal fuerit, Acro dubium facit in Sat. II. 6. 35. *Puteal locus Romæ, ad quem veniebant fœneratores; alii dicunt, in quo tribunal olim esse prætoris.* Festus ab his in diversum abit: *Scribonianum appellatur ante atria tribunal, quod fecit Scribonius, cui negotium datum fuerat a senatu, ut conquireret sacella attacta: isque illud procuravit; quia in eo loco attactum fulgure sacellum fuit. Quod ignoraretur autem, ubi esset, ut quidam, fulgur conditum, quod cum scitur, nefas est integi: semper foramine ibi aperto cœlum patet.* Acronem, & Dionysium, qui III. p. 204. miraculo cotis Navii exposito addit: *Nec multum ab ea statua Navii, dicitur esse eadem cautis, & novacula sub ara terræ sub terraneo: dicitur quæ a Romanis locus iste Puteal.* In hac sententiarum diversitate cui accedendum? tribunal fuisse, in quo lites disceptarentur, videtur indicare Ovid. Rem. Amor. II. 561. V. illum supr. in *Fœneratores.* Melius, & apertius Horat. Epist. I. 19. 8.

— forum, Putealque Libonis
Mandabo siccis.

Verum principatu Augusti, quo Horatius, & Ovidius vixere, lites sub dio disceptatas in eo tribunali, quum jam plures basilicæ, & plura fora essent ea de causa facta, nonnihil tamen rem dubiam facere videtur, quanquam verum est, sub Regibus, & in prisca Republica jus illic, aut non longe saltem a *Puteali* dici solitum: imo & ab Imperatoribus nonnunquam, ut e Dione constat. Quare *Puteal* alia de causa contructum esse potest, sive quod locus fulmine tactus esset, ut Festus ait: sive servandæ cotis Navii gratia, ut Dionysius tradit. Locum vero fuisse, quo fœneratores convenirent, sicut & cætera loca vicina, quæ Acronis expositio est, omnino verum, & certum est. Atque ita nobis ab Ovidio, & Horatio quoque describitur. Exprimitur effigies ejus ad instar altaris in duobus nummis antiquis Libonis, & Lepidi, quos Augustin. Dial. IV. exhibuit. Quare non adeo absurdum fuerit affirmare, litibus eam jurejurando dirimendis inserviisse, & vadimoniis sistendis; quum ii, qui jusjurandum præstarent, altare prehendere soliti fuerint. Hanc autem aram procul a tribunali abfuisse vix crediderim: adeo ut si *Puteal* ara non fuerit, certe ei proximum fuerit, conjunctumve: præsertim cum Acro, & Porphyrius in Horat. Sat. I. 6. 120. dicant: *ad statuam Marsyæ vadimonium sistebatur.* Hæc autem ei vicina fuit. Statuamus itaque, *Puteal* Libonis, *aram* jurisjurandi, & vetus *tribunal*, si diversa inter se fuere, saltem vicina fuisse, conjunctave, & proxima gradibus Comitii, ut e casu Navii a Livio enarrato, & Dionysio liquere puto. Hi vero gradus in medio latere Comitii fuere, ut verisimile videtur, vel non nihil propius curiam, adeoque non adeo longe ab arcu Fabiano remoti, ut tribunal inter hunc, & illos medium, & utrisque vicinum dici potuerit. *Nardin. Vet. Rom.* IV. 7. *Sigon. de Judic.* I. 28. *Siccam. de centumvir. judic.* II. 2. *Donat. de Urb. Rom.* II. 12. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 4. *Lipen. de Stren. c.* 4. §. 37. *Guther. de jur. man.* I. 4. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 4. *Struv. Ant. Rom. c.* 6. *p.* 294. *Buleng. de Terr. mot. c.* 11. *Putean. de jurejur. judic. Thes. Antiq. Rom. Grev. Tom.* V. *p.* 898. *B. Rhodig. Ant. Lect.* X. 17. *Schott. Observ.* V. I. *Scopp. Conject.* I. 2. *Chimentell. de Hon. bisell. c.* 17. *Laurent. de juram. c* 4. *Ricard. Var.* V. 8. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 15. *Laurent. de Rebuspubl. c.* 4. *Zimmerman. Floril. Philol. p.* 662. *Scalig. in Festum.* Sed *Libonis puteal* a *puteali*, in quo cos, & novacula Navii defossa, longe diversum fuisse fusissime docet *Salmas. Exerc. Plin. p.* 801. 802. 803. 804.

PUTEUS aquæ salientis, qui etiam dicebatur *puteus vivarii*, quia ibi apud antiquos animalia includerentur, fuit in campo Viminali: quo vivarii nomine etiam nunc campus ille ab incolis appellatur, extantque velati ferarum latibula hominum opera exstructa. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 21. In *puteum* condi apud Romanos genus pœnæ vernaculæ fuit. V. supr. in *Cocus.*

PUTICULÆ, ut stat in essere Varro, vel, ut alii, *Puticuli*, erant loca publica pauperum, & vilium mancipiorum funeribus destinata. Acro in Horatium: *A puteis fossis ad sepelienda cadavera pauperum locus dictus est Puticuli.* Erant hæc non procul ab Urbe extra portam Esquilinam. Auctor Var. de Ling. Lat. IV. 5. *Extra oppida a puteis Puticulæ, quod ibi in puteis obruebantur homines. Nisi potius, ut Ælius scribit, Puticulæ, quod putiscebant ibi cadavera projecta: qui locus publicus ultra Esquilias.* Magis signate Festus: *Puticulos, antiquissimum genus sepulturæ, appellatos, quod ibi in puteis sepelirentur homines. Qualis fuerit locus, quo nunc cadavera projici solent extra portam Esquilinam: quæ quod ibi putescerent, nomen esse factum Puticuli.* Cum vero vicinitas locorum *Puticulorum* Urbi esset insalubris, Augustus Cæsar aliquot jugera de publico isto, & communi plebejorum loco concessit Mæcenati, qui hortos ibi colere cœpit. Horat. Sat. I. 8. 6.

Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis:
Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti:
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque,
Aggere in aprico spatiari: quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

Kirchmann. de Funer. II. 24. Donat. de Urb. Rom. I. 13. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 19. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c 7. §. 3. Guther. de jur. man. I. 19: II. 36. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 4. Meibom. Mæcen. c. 28. §. 14. Cuper. in Lactant. de Mort. Persecut. c. 39. Morest. Pomp. Feral. V. 5. Rhodig. Ant. Lect. X. 17. Turneb. Adv. V. 16. Faber Semestr. II. 8. Almelov. Antiq. Addend. p. 197. Meurs. de Funer. c. 42. Quensteed. de Sepult. c. 8. Borremans. Var. Lect. c. 14. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 9. & Faes in illum. V. tamen Nardinum supr. in *Campus Esquilinus.*

PYR.

PYRA appellabatur strues illa lignorum, ad comburendum cadaver parata. Scholiastes Eurip. Hecub. *Pyra est ignis sub mortuo incensus. Et locus, in quo ignis accenditur.* Servius quidem inter *pyram* & rogum discrimen aliquod constituit, & post illum Meurs. de Funer. c. 25. quod nondum accensa, *pyra* diceretur, cum accendebatur, rogus. Sed illud a Latinæ linguæ auctoribus non observari, notum est vel mediocriter eruditis. Quid? quod idem ille ipsus a sese hac eadem in re seorsim sentit. Nam sic ait ad Æneid. III. *Apparatus mortuorum funus dici solet, exstructio lignorum rogus, subjectio ignis pyra, crematio cadaveris bustum, locus ustrina, operis constructio sepulcrum, nomen inscriptum monumentum.* Aliter vero ad Æneid. XI. 185. *Pyra est lignorum congeries, rogus, cum jam ardere cœperit, dicitur: bustum vero jam exustum vocatur.* Quæ loca manifesto inter se pugnare qui non videt, cum Thamyra oportet esse cæciorem. *Kirchman. de Funer.* III. I. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* I. *c.* 13. Hujus rei testem habemus Virg. Æneid. XI. 203.

Nec minus & miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras.

VI. 214.

Principio pinguem tædis, & robore secto
Ingentem struxere pyram.

II. 177.

Haud mora, festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus.

Quid his vult? Nihil aliud quam *pyram* congestis arbori-

bus struere, ad corpus Miseni ibidem tanquam in ara comburendum. Et quia hoc quoddam genus sepulturæ erat, etsi postea conderentur cineres, ipsam *pyram aram sepulcri* vocat. *Morestell. Pomp. Feral.* VI. 1. Leges XII. tabularum volebant pedes sexaginta abesse ab ædibus alienis, nisi earum dominus consensisset: idque ad vitandum incendium. Cicer. de Legib. II. 24. *Rogum, bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adjici ædes alienas invito domino: incendium veretur acerbum.* Non enim sine periculo esse eventus docuit, quippe funere P. Clodii curia incensa, & conflagravit basis statuæ Attii Navii, quæ ante eam, & ambusta basilica Porcia. Testes Dio XL. p. 143. C. Plin. XXXIV. 5. Ascon. in Cicer. p. 198. *Meurs. l. l.* Componebatur ex lignis, quæ ignem facile conciperent, & nutrirent. Horum aliquot meminit Virg. Æneid. IV. 504.

At Regina pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tædis, atque ilice secta.

VI. 180.

Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex,
Fraxineæque trabes: cuneis & fissile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.

Circumdabat universam cupressus, ut fœtorem cadaverum jucunditate sui odoris comprimeret. Serv. Æneid. VI. 215. *Varro dicit pyras ideo cupresso circumdari solitas propter gravem ustrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumstantis corona: quæ tamdiu stabat respondens fletibus præficæ, hoc est, planctuum principis, quamdiu consumpto cadavere, & collectis cineribus dicebat novissimum verbum ilicet, quod ire licet significat.* Virgilii locus hic est:

Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt.

Meurs. & Kirchman. l. l. Nicol. de Luct. Græc. c. 13. §. 3. 4. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 9. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 715. Illa primo erant rudia, & impolita: deinde poliri ea, & asciari cœpta: donec leges XII. tabularum iterum prohibuerunt. Cicer. de Legib. II. 23. *Hoc plus ne facito. Rogum ascia ne polito.* Meurs. & Kirchman. l. l. Ineptia enim, vel stultitia est, tantum curæ, laboris, & sumptus impendere lignis mox comburendis, tamque pretiosum facere cinerem. Male tamen servata fuit apud Romanos ista lex. Non tantum enim asciati fuerunt, & politi rogi, sed etiam picti, ut apparet ex Plin. XXXV. 7. Ita ille: *Quoniam & pericula expingimus, ne quis miretur & rogos pingi.* Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. 1. c. 5. Postea adeo viluerunt, ut vix populari rogo sint adhibita. Stat. Theb. XII. 61.

—— nec robora vilem
Struxerunt de more rogum, nec bellicus agger
Curribus, & clypeis, Grajorumque omnibus armis
Sternitur.

Lucan. VIII. 736.

Da vilem Magno plebeji funeris arcam,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes:
Robora non desint misero, nec sordidus ustor.

Ac subsellia integra cremari pro iis cœpta, & quicquid tale. Suet. Jul. c. 84. n. 6. *Virgulta arida, & cum subselliis tribunalia, quicquid præterea ad donum aderat, congessit.* Dio XL. p. 143. C. *Id,* corpus Clodii, *sublatum ad curiam honeste collocatum tulerunt, idque, rogo ex subselliis constructo, cum ipsa curia cremaverunt.* Meurs. l. l. Construebatur in aræ modum. Serv. Æneid. VI. 177. *Pyram dicit, quæ in modum aræ construi solebat. Nam & sequitur:*

Congerere arboribus, cœloque educere certant.

Et aram, quæ ante sepulcrum fieri consuevit, intelligere non possumus: ut stant manibus aræ: cum nondum sit facta funeratio, quæ præcedit sepulcrum. Ovid. Trist. III. 13. 21.

Funeris ara mihi ferali cincta cupresso
Convenit, & structis flamma parata rogis.

Faciebant quadrangulam, & lateribus æque latis. Herodian. IV. 2. 12. *Qua latissime campus patet, suggestus quadam specie quadrangula, lateribus æquis, astruitur, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam.* Pertinacis *forma triangulari, & instar turris factam* fuisse scribit Xiphil. LXXIV. p. 841. E. *Meurs. Kirchman. Nicol. Kipping. l. l.* Quatuor quasi erant tabulata, in quorum interiore stramina erant posita, quæ incensa facile flammam conciperent: in proximo flores, in tertio thura, reliquaque aromata, in quarto vestes pretiosissimæ ex auro, argento, bysso, & purpura. Stat. Theb. VI. 56.

—— ima virent agresti stramine culta,
Proxima gramineis operosior area sertis,
Et picturatus morituris floribus agger.
Tertius assurgens Arabum strue tollitur ordo
Eous complexus opes, incanaque glebis
Thura, & ab antiquo durantia cinnama Belo;
Summa crepant auro.

Paullatim vero superiora decrescebant, & erant minora, ad instar phari. Herodian. ibid. n. 14. *Supra vero alterum minusculum quidem positum est, sed forma, & ornatu persimile, portis, januisque patentibus. Tertiumque item, & quartum semper superiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium brevissimum, perveniatur.* Tota picta erat. Plin. XXXV. 7. *Et pericula expingimus, ne quis miretur & rogos pingi.* Herodian. ibid. n. 13. *Id quidem interius totum est aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro stragulis, atque eboreis signis, variisque picturis exornatum.* Erant certi gradus in illa. Virg. Æneid. IV. 685.

—— gradus evaserat altos
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat.

Meurs. l. l. Fiebant pro qualitate personarum modo altiores, modo humiliores. Nam tenuiorum, & pauperum erant humiles, & parvæ. Lucan. VIII. 743.

Sic fatus, parvos juvenis procul aspicit ignes,
Corpus vile suis, nullo custode cremantes.

Contra ditiorum, & clarorum virorum sublimes, ac superbæ. Virg. Æneid. VI. 215. modo laudatus. Ita Siccio mortuo πυρὰν ὑπερμεγέθη exstructam testis Dionys. XI. p. 709. Et Viriathum ἐπὶ ὑψηλοτάτης πυρᾶς combustum memorat Appian. de Bell. Hispan. p. 296. *Kirchman. & Nicol. l. l. Morestell. ibid. c. 2.* Incendebatur a mortuo sanguine proximis. Xiphil. l. l. *Conjecere in eum dona militaria, ii, qui tum habebant: filii ignem accenderunt.* Appian. Bell. civil. I. p. 379. *Judacilius cum amicis epulatus, post prolixam compotationem venenum hausit: quo facto decubuit, hortatus amicos ut faces subderent.* Augusti centuriones incenderunt ex Scto. Dio LVI. p. 598. B. Pertinacis consules. Xiphil. l. l. Incendebant vero vultu, & capitibus aversis. Virg. Æneid. VI. 224. V. illum infr. in *Thus.* Et causa erat, ut id officium necessitatis esse ostenderent, non voluntatis, Servio monente. *Kirchman. ibid. c. 2. Meurs. ibid. c. 26. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 12. Schill Nomencl. Philol. p. 971.* Aversa facie recte pingit eos Lips. Sat. I. p. 34. nam quod facie conversa delineat Laurent. Antiq. Roman. II. 12. id errorem, aut potius negligentiam arguit. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 9. *Fac. in Gyraldum. Morestell. ibid.* c. 12. Incensa optabant, qui circa illam stabant, ventos, ut spirarent, & flammam ardentiorem suscitarent, alerentque, & ita cadaver rogo impositum facilius, citiusque absumeretur. Prop. IV. 7. 31.

Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti.

Herodian. IV. 8. 12. *Dein imposito in medium, mactatisque omne genus animalibus subjecit ignem, phialamque manu tenens, vinumque libans, ventos precatur.* Sed id prius ex Græca superstitione. Homer. Iliad. XXIII. 193.

Tunc rursus alia cogitavit pedibus valens divus Achilles,
Stans seorsim a pyra, duos orabat ventos,
Boream, & zephyrum, & promittebat sacrificia pretiosa:
Multa etiam libans aureo calice, supplicabat
Ut venirent, ut citissime igne comburerent cadaver,
Lignumque festinarent ardere.

Kirch-

Kirchman. ibid. Nicol. §. 5. Realin. Annot. c. 10. Casal. de Proph. Roman. rit. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 9. Moresteil. Pomp. Feral. VII. 1. Guther. de jur. man. I. 26. Meurs. & Schill l. l. Quandoque etiam, si multa essent cadavera cremenda, puta grassante pestilentia, aut magna aliqua strage edita, ut citius arderent, denis virorum corporibus unum muliebre addebant. Macrob. Sat. VII, 7. *Si quando usu veniret, ut plura corpora simul incenderentur, solitos fuisse funerum ministros denis virorum corporibus singula muliebria adjicere, & unius adjutu, quasi natura flammei, & ideo celeriter ardentis, cætera flagrabant.* Symmachus tamen apud Macrobium dicto loco contra Horum, cujus ista verba erant, disputans, pinguedini adscribit, non calori: *Quod*, inquiens, *muliebre corpus juvabat ardentes viros, non caloris erat, sed pinguis carnis & oleo similioris.* Meurs. & Kirchman. l. l. Funere in *pyram* collocato omnes qui exsequias venerant, sollenni ritu ter ambire solebant. V. supr. in *Decursio*, & munera in illam conjiciebant. V. supr. in *Munus.* Nec non & vestes tum demortui, tum suas qui illum amaverant. V. infr. in *Vestes.* Et præter vestes arma, quibus in vita usus fuerat. V. supr. in *Arma.* Imo & aromata, & odores. V. supr. in *Odores.* Et quia ea veterum fuit superstitio, ut putarint animas defunctorum sanguine delectari, ideo antiquissimis temporibus varia pecudum, & animalium genera ad rogum mactari, in eumque conjici solebant: ac præsertim ea, quæ defunctis carissima fuisse constabat. Unde Sophocl. Antig. p. 246. sub persona Creontis jubet:

Ut Eteoclem, qui pro urbe pugnans
Interiit, rem fortiter gerens, sepeliant
Et omnia simul obruant,
Quæ claris adducuntur mortuis.

Homer. Iliad. XXIII. 166.

Multas autem pingues oves, & errabundas camuras boves
Ante pyram excoriarunt, & disposuerunt. Exque omnibus
Adipem accipiens, obtexit cadaver magnanimus Achilles
Ad pedes a capite, circumque excoriata corpora congregavit.
Imposuitque mellis, & olei amphoras
Ad feretrum inclinans. Quatuor autem procera cervice equos
Festinanter injecit pyræ graviter suspirans.
Novem huic Regi mensarii canes erant,
Et quidem ex his injecit pyræ duos jugulans.

Virg. Æneid. XI. 197.

Multa boum circa mactantur corpora morti:
Setigerosque sues, raptas ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

Sic in *pyras* puerorum interdum aviculas, & canes, quibus in vita delectabantur, conjiciebant. Plin. Epist. IV. 2. V. illum supr. in *Aves*, & *Canes.* Alex. Genial. III. 7. & ad illum Tiraquellus. Kirchman. ibid. c. 4. Meurs. Gyrald. & Faes in illum l. l. Moresteil Pomp. Feral. VII. 4. & Nicol. ibid. §. 6. Imo vivi quoque homines, puta captivi, vel servi ad rogum illustrium virorum mactabantur. V. infr. in *Sanguis.* Combusto cadavere vino exstinguere solebant Romani, ut ossa colligerent. Virg. Æneid. V. I. 226.

Postquam collapsi cineres, ac flamma quievit,
Reliquias vino, ac bibulam lavere favillam.

Stat. Sylv. II. 6. 90.

— nec quod tibi Setia canos
Restinxit cineres.

In funere Patrocli Homer. Iliad. XXIII. 237.

Primum quidem rogum exstinguit, nigro vino
Omnem, quantum occupavit ignis robur.

Smyrnæus in descriptione exsequiarum Achillis v. 651.

Cæterum ubi grande corpus Ajacis ignis funestus consumpsisset,
Tandem rogum vino restinxerunt.

Bernart. in Statium. Kirchman. ibid. c. 7. Nicol. ibid. §. 7. Hic ritus inferioris ævi. Nam antiqua Numæ lex: *Vino rogum ne respergito.* V. illam supr. in *Lex.* Lex exstimo vino dum vixit murrato respergi vetuisse decemviros, eosque hanc Numæ legem in suas tabulas non retulisse. *Murrina potione usos antiquos indicio est, quod etiam nunc ædiles per supplicationes diis addunt ad pulvinaria.* Festus. *Revard in Leg.* XII. *tab. c.* 15. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 734. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 1. *p.* 393. D. Potionem murratam V. supr. in *Potio.* *Pyras*, sive rogos alibi defunctis, & usto jam cadavere, nihilominus struebant, & accendebant, quasi verum ibi funus, & cadaver esset. Tacit Annal. III. 2. 2. de funere Germanici: *Atque ubi colonias transgrederentur, pro opibus loci vestem, odores, aliaque funerum sollennia cremabant.* Senec. Consol. ad Marc. c. 3. de Druso Germanici patre; qui in Germania obierat, & reliquiæ item relatæ. *Mater longo itinere reliquias Drusi sui prosecuta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi toties illum amitteret.* Ait per *omnem Italiam*: in coloniis nempe, & municipiis; qua transibant. *Lips. in Tacitum & Senecam.*

PYRAMIDES differebant a meta, differebant ab obeliscis. Differebant a meta circi; quæ & quasi quædam *pyramis* erat, a perampla enim & lata basi incipiens in acutum apicem desinebat. Sed *pyramis* tribus, aut etiam quatuor lateribus constabat: meta in orbem surgebat, tendebatque tanquam turbo inversus in acumen. *Barg. de obelisc. Thes. Græv. ibid. p.* 1908. C. Et ab obeliscis, quibus dignatione, & veneratione fuerunt inferiores. V. supr. in *Obeliscus.* Erant, inquit Solin. c. 32. *turres in Ægypto, fastigiatæ, ultra celsitudinem omnem, quæ fieri manu possit.* Ammian. XXII. 15. *Pyramides ad miracula septem provectæ, quarum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus docet, ultra omnem omnino altitudinem, quæ humana manu confici potest, erectæ sunt turres ab imo latissimæ in summitates acutissimas desinentes.* Nicol. de Sepulcr. vet. II. 1. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 181. & Salmuth in illum. Faes in Gyrald. de var. sepel. rit. c. 2. Menag. in Diog. Laert. I. 27. A quibus sint factæ, inter scriptores non constat. Plin. XXXVI. 12. *Inter omnes eos non constat, a quibus factæ sint, justissimo casu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus.* Diodor. I. p. 41. B. *De pyramidibus nullus omnino, nec apud indigenas, nec inter scriptores, est consensus. Alii a Regibus supra memoratis, alii ab aliis eductas memorant. Maximam scilicet Armæi, secundam Amasis, tertiam Inaronis opus esse. Hanc nonnulli Rhodopidos meretricis sepulcrum esse dicunt, cujus amore capti nomarchæ quidam, communi ad opus sumptu, demerendæ ejus gratia, perfecerint.* Strab. XVII. p. 556. *Hanc mulierem Sappho poetria Doricham vocat, & fratris sui Charaxi amicam, cum is Lesbium vinum negotiator Naucratim portaret. Alii eam Rhodopem nominant, atque fabulam quandam narrant: Ea dum lavaretur, aquilam alterum e calceis e manu ancillæ correptum Memphim deportasse: & in sublimo supra Regis verticem jura dantis evolantem, calceum in hujus gremium demisisse: Regem calcei concinnitate, & rei novitate permotum per totam regionem dimisisse ad inquirendam eam, quæ hujusmodi calceum gestaret: eam in Urbe Naucratitarum inventam, atque adductam, Regis uxorem factam, & post mortem hac sepultura affectam fuisse.* Allat. in Philon. Byzant. de sept. orb. mirac. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2654. B. Gloriam enim apud posteros nunquam interituram, ut ipsi opinabantur, affectabant, &, si mavis, æmulabantur: qua dum junior seniorem animo, atque operibus vincere nitebatur, in stolidissimas moles tantarum opum vim erogabant: nec animo improbi amplectebantur, etsi non tam cito, ruitura tandem, uti jam usu comprobatum videmus, excelsa isthæc fastigia, unaque cum iis generosam conditoris famam, & nominis, quam sibi pollicebantur, immo talitatem inviolatam, edaci temporis haustu in oblivionem submergendam. Prop. III. I. 57.

Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elei cœlum imitata domus.

Nec Mausolei dives fortuna sepulcri,
Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.

Allat. ibid. p. 2655. B. Bellon. de Oper. Ant. præstant. 1. 3. Mod. de Lud. & spectac. 1. 40. Wendel. Admir. Nili c. 26. n. 6. Funcc. de Nilo Disput. 11. c. 2. §. 4. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 181. Ferr. er. Mus. Lapid. 1. Memor. 39. Nicol. ibid. §. 2. Panciroll. & Salmuth l. l. Joseph. Ant. Jud. 11. 5. asserit Hebræos ab Ægyptiis Regibus in exædificandis *pyramidibus* occupari, & defatigari solitos fuisse. Sed id juxta Eusebii calculum verum esse non potest. Mosem enim natum fuisse ostendit ante conditam Memphim; Memphiticorum vero Regum fuerant inventum, annis ferme centum, & is annum cum ageret octogesimum, Hebræos ab Ægyptiorum servitute liberavit, aliquot annis scilicet antequam Memphis conderetur. Sin autem Eusebium in subducendo temporum calculo deceptum esse statuemus, & recentiorum calculum veriorem esse existimaverimus, nihil erit cur de Josephi fide dubitemus: quando ex eo calculo Memphim conditam esse constat, quo tempore Jacobus Josephi pater in Ægyptum descendit, multis scilicet annis ante Mosem natum. Quanquam oblitus non sum, Diodorum dicere, nonnullos esse, qui *Pyramides* affirment annos ter mille quadringentos & amplius ante Augusti ætatem, quo imperante ipse historiam scripsit, fuisse exædificatas. Id quod si verum esset, duæ res in primis absurdæ consequerentur. Una, *pyramides* multis ætatibus ante diluvium fuisse, hoc est, ante mortem Noæ annis ∞DCCCCLV. moritur enim Noas, si Eusebium sequimur, anno mundi ∞∞∞DCCLIII. si alios ∞DCVI. Ut utrumvis fuerit, necesse sit non modo multis ante diluvium annis *pyramides* fuisse, sed etiam, si recentiorum calculum probamus, tum fuisse, cum Adamus annum ætatis agebat suæ DCLII. Vixit enim annos DCCCCXXX. Altera, quod Reges in Ægypto nulli cum essent, ædificatæ fuissent: & tamen constat circa Memphim eorum Regum sepulcra esse: quibus regnantibus nulli omnino Hebræi in Ægypto relicti fuerant: omnes enim multo ante in libertatem una cum Mose ipsorum duce se asseruerant. Quare longe probabilius est, quod eodem in loco idem Diodorus ex sua opinione ponit, *pyramides* scilicet substructas fuisse annis ante ætatem suam mille: ante Urbem scilicet conditam CCXLVI. post captam vero Trojam CLXXVIII. post Memphim conditam CCCCXL. vel DCCXLV. *Barg. ibid. p.* 1912. *A. Faes in Gyra. l. & Marsham. Can. Chronic. ad Secul.* III. *p.* 48. Ego certe Josepho, Israelitarum tempore factas censenti, accesserim. Verum certum est, Israelitas in Ægypto in maximam excrevisse multitudinem, quæ tandem aliquot millibus sexcenta millia virorum, plusquam viginti annos natorum, illic excessit. Certum porro, illos ad opus ædificationis adhibitos, ac durissime in eo afflictos, per annos quam plurimos supra seculum ex vulgari sententia, vel per tria plus minus secula secundum verba Exodi. Quid vero tanto temporis intervallo tot millia hominum perfecerint, non reperimus, nisi munitionem duarum, vel trium urbium, quæ ab iis intra paucissimos annos facillime perfici potuit. Debuerunt enim aliud quid maximæ molis, laboris, temporis, præstitisse, quodque conveniens esset aliquot centenis millibus hominum longissimo & continuo tempore ad opus adactis. Nihil autem majus & operosius in Ægypti historia invenimus exstructione *Pyramidum.* Nec Reges antiqui militibus perpetuis nondum instructi, quum nondum adstricta adeo & valida essent illorum imperia, ausi fuissent tot millia civium, quæ supra trecenta fuisse traduntur, ad inutile opus per continuos viginti annos adigere, ad quod Israelitæ Ægyptiis jam subjecti nullo negotio compelli poterant. Notanda quoque est operis ratio, quam nobis dedit Plin. l. l. *Pyramides,* ait, *Regum pecuniæ otiosa* (an *odiosa*?) *ac stulta ostentatio, quippe quum faciendi eas causa a plerisque tradatur, ne pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs otiosa esset.* Prior ratio est ineptissima. Nam quare pecuniam successoribus non relinquerent? Neque etiam opus erat tanta mole ad æmulos arcendos. Posterior est probabilis, imo sacræ historiæ conveniens, modo per plebem intelligamus Israelitas Ægyptiis subjectos, & ab iis pro mancipiis, & plebe vilissima habitos. Nam diserte traditur a Mose Exod. 1. 10. Ægyptios afflixisse opere faciundo Israelitas, ne *eveniret, ut tempore belli se jungerent hostibus; vel in otio rebellarent contra ipsos.* Et v. 8... objicitur illis, quod *desides* sint, atque ideo *postulent abire ex Ægypto ad sacrum Deo suo in desertis faciendum,* & ea de causa, quia hoc postulabant, *gravior ab illis opera* exigitur n. 9. h. e. curatur, *ne plebs illa esset otiosa.* Confirmat me, quod addit Plinius: *vestigia complurium inchoatarum exstare.* Abruptum enim subito opus, ad quod maxima multitudo hominum simul fuerit adhibita. Nam quæ alia potest dari ratio *complurium* ita simul *inchoatarum,* & omissarum? Optime autem hoc convenit in Israelitas, qui ex medio opere abducti, tot *pyramidas* inchoatas reliquerunt, & imperfectas, quas Ægyptii, tanta dein clade affecti, seu magnam partem in mari rubro exstincti, perficere dein nec voluerunt, nec potuerunt. *Perizon. Ægypt. Orig. & temp. antiq. invest. c.* 21. Quare sint factæ, inquiramus. Nazianzenus ipse non videtur respuere opinionem eorum, qui in Ægypto celebriores a Josepho Hebræo exædificatas putant, ut frumenti conditoria essent: & nomen rei consentire dicit, quod πυρὸν triticum vocant. Stephan. in Πυραμίδες. *Vocatæ fuerant* ἀπὸ τῶν πυρῶν *a tritico illic a Rege congregato.* Etymologici auctor. *Pyramides rursus dicuntur horrea regia ad frumentum recipiendum.* Illas vulgus adhuc Granaria Pharaonis vocat. *Pier. Hierogl.* XXXIX. 38. *Voss. Lex. Etymol.* Cui sententiæ vix est, ut tuto quis possit subscribere. Nam, ut scribit Plin. XXXV. 12. vel unam ex celebrioribus *annis viginti trecenta sexaginta hominum millia construxisse produntur. Tres aliæ factæ annis septuaginta octo & mensibus quatuor.* Atqui prævisa a Josepho, & mox subsecuta illa fertilitas, septennio duntaxat duravit: ut verisimile non sit, tam angusto temporis spatio tantas illas moles, quarum unius saltem exædificatio, ab ipso fuisse erectas. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 190. *Marsham. Canon Chronic. ad Secul.* III. *p.* 48. *Barg. ibid.* 1912. *A.* Sed quid implicat dicere tritici conservandi causa non sine maxima omnium admiratione ad illam tantum altitudinem, qua triticum conservarent, necessitati, periculoque imminenti peropportunas: quas septennii spatio infinitorum hominum labore in tantam molem excrevisse verisimile est: & tandem recepti beneficii non immemores, post difficillima tempora, hortatu, imperioque Josephi ad ultimam usque metam fuisse exstructas: quin, quas Josephus ipse non absolverat, a Regibus successoribus absolutas. *Allat. ibid. D.* Sed neque ulla rei ejus vestigia apud antiquiores scriptores occurrunt, neque ipsæ ullam ejus consilii, aut usus, aut horrei speciem nobis præbent. *Perizon. l. l.* Rationes itaque alias dat Plinius mox laudatus. Ea certe causa, quam tradit Plinius, omnino mihi levissima videtur: nam cum multæ earum visantur, non potest dici *a plebe otiosa* sine ratione factas fuisse, quas omnes ex Arabicis lapidicinis constructas constat, quod ipse etiam fatetur: *Pyramis amplissima,* inquit, *ex Arabicis lapidicinis constat.* Bellon. l. l. Sepulturæ gratia potius factæ videntur. Diodor. 1. p. 40. D. *Has licet sepulturæ suæ destinassent Reges: accidit tamen, ut neuter ibi sepeliretur.* Testatur & Statius *pyramides* ad sepeliendos Principes excogitatas fuisse. Sylv. v. 3. 47.

Atque utinam fortuna dares mihi manibus aras,
Par templis opus, aeriamque educere molem,
Cyclopum scopulos ultra, atque audacia saxa
Pyramidum, & magno tumulum prætexere luco!

Idem tradit Ennodius Ticinensis Episcopus epigramm. 135. Cujus lemma est de sepulcro Majoriani Imperatoris:

Cum perstat gravior, bustum fortuna petitum
Contulit exuviis, Majoriane, tuis.

Nunc

Nunc indignis pyramidum, ſors, proſpice moles
Vilia principibus linque ſepulcra tuis.

Et hæc ſententia non eſt abſurda, quandoquidem ex erudita antiquitate conſtat, paſſis temporibus defunctorum mentis pretioſa monumenta, quæ virtutis teſtimonium perhiberent, relicta eſſe. De columnis etiam ſepulcralibus loquitur Serv. Æneid. v. *Columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur ad oſtendendum eorum columen.* Hujus moris etiam meminit Iſidor. xv. 11. *Apud majores potentes, aut ſub montibus, aut in montibus ſepeliebantur: unde tractum eſt, ut ſupra cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.* Claſen. Theol. Gent. 3. 13. §. 2. Tomaſ. de Donar. c. 12. Petzon. Bellon. & Allat. l. l. Falconer. de Pyram. C. Ceſtii Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. iv. p. 1464. C. Barg. de Obeliſc. Theſ. Græv. ibid. p. 1911. D. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. 1. 17. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. v. 39. Illarum dignitatem, & ſplendorem fuſius deſcribit *Kircher. Turr. Bab.* II. *Sect.* 3. *c.* 1.

Pyramis C. Ceſtii poſita fuit in ipſis mœnibus planiciei amplioris illius, quæ ſubjecta ab utroque latere colli Aventino ſiniſtrorſum Tiberi alluitur. Ex quadratis conſtat marmoribus, decreſcente paullatim, & in acumen deſinente ſtructura. C. Ceſtio condita eſt, ex eorum collegio, qui quod epulare ſacrificium in ludis facerent, epulones dicti. Duplex in ea titulus. Alter, qua occidentem ſpectat, ſic inſcripta bipedalibus literis:

C. CESTIUS. L. F. POB. EPULO. PR. TR. PL VII. VIR. EPULONUM.

Altera parte, qua orientem ſpectat, ſic, ſed multo minoribus literis:

OPUS. ABSOLUTUM. EX. TESTAMENTO. DIEBUS. CCCXXX ARBITRATU PONTI. P. F. CLAMELÆ. HÆREDIS. ET. PONTHI. L

Donat. de Urb. Rom. III. 13. *Falconer. Diſſert. de Pyram. C. Ceſtii Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1464.... *Ferret. Muſ. Lapid.* 1. *memor.* 39. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 16. *Schott. Itiner. Ital. p.* 388. Opus unum e magnificentiſſimis priſcæ vetuſtatis, eo magis admirandum, quod privati quondam civis, ſed quod cum publicis, præſtantiſſimisque merito poſſit comparari, & ſi quod aliud antiquitatum Romanarum cognoſcendi cupidis longe gratiſſimum. Hoc ruinam minitans reſtituit Alexander VII. pontifex maximus an. 1663. & ſoliditati, firmitatique, qua nunc eniteſcit, reddidit. Detergenda, & exhaurienda, cum hoc conſilium captum eſſet, undiquaque terra fuit, ut ad operis crepidinem perveniretur, quod cum aliquanta *pyramidis* parte alicubi ad XXII. palmorum altitudinem aggeſtione terræ, ruderumque abſcondebatur. Quod dum fit, reperta hic illic ſparſim jacentia columnarum fragmenta operis ſtriati, quæ compoſitæ ad latus *pyramidis* occidentale ſupra ſat rudibus ex lapide Tiburtino ibidem repertis crepidinibus erectæ ſunt: inventæ & baſes, itemque elegantis operis capitula. Eodem tempore duæ etiam baſes quadratæ e marmore repertæ ſunt, ſuper una quarum pes adhuc viſitur æreus, unde totius altitudo ſtatuæ colligi poteſt, quam XIV. vel XV. fuiſſe palmorum exiſtimo. Poſitam hanc C. Ceſtio ex inſcriptione liquet, quæ in utraque baſi eadem eſt: unde & duas eidem fuiſſe poſitas ſtatuas conſequitur, præſertim cum ille mos antiquis haud inuſitatus fuerit. Hanc ego utramque baſin ſuſtinendis C. Ceſtii ſtatuis dicatam, ſitam olim fuiſſe arbitror in utroque orientalis hujuſce *pyramidis* lateris angulo, qua viam Oſtienſem proſpexit, ſuper crepidinibus ex eodem lapide Tiburtino, ex quo fuere illæ, quæ oppoſitis columnis ſubjectæ. *Pyramidis* crepido e Tiburtino lapide ſubſtrata eſt trium palmorum, & dodrantis altitudine: opus ſuſtinens, quod CLXV. palmos cum beſſe altum in quadrum ad CXXX. palmos protenditur, lapidibus undique marmoreis candidiſſimis obtectum, ſeſquipalmi craſſitie, reliquus ab omni latere paries XXXVI. palmos craſſus eſt. Quo ſtatim ſupra crepidinis planiciem conclave continet XXVI. palmos longum, latum XVIII. altum XIX. Fornix ejus, ſeu concameratio ex eo genere eſt, quod a vaſis vinariis nomen habet: tota non ſecus ac parietes, niſi qua temporis injuria corrupta fuit, ſubtiliſſimo incruſtata plaſmate, ea, ni fallor, ratione, quam Vitruv. VII. 6. in incruſtandis parietibus adhibendam præcipit, qui picturis adornandi ſunt: nimirum ut contuſis in minutiſſimum pulverem marmorum ramentis, cribratisque perdiligenter, parietes eo primum, qui groſſior eſt, obducantur, dein ordine illis, qui ſubtiliores, purioresque, aptis ad id inſtrumentis ooliuntur. In eodem conclavi diſtinctis, ut ita dicam, quadris depictæ mulierum viſuntur effigies, item vaſorum, & ornamentorum, cujuſmodi in cavernis, & ſpecubus pingi, ſculpive ſolent. *Falconer. ibid. p.* 1462. *F.*

Pyramis in Vaticano in via hodierna erecta inter Hadriani molem, & baſilicam D. Petri prope S. Mariæ Tranſportinæ ædem quæ memoratur, ab Alexandro VI. diruta eſt, ſive ut viam illam in rectum dirigeret, ſive ut molem Hadriani hoc obſtaculo liberaret, quod totam militum cohortem poſt ſe latitantem poſſet obtegere. Ingentem fuiſſe referunt, Ceſtianæ non abſimilem ad montem Teſtaceum poſitæ, verum multo ea majorem: cujus exteriori marmore Donnus I. atrium D. Petri conſtravit. Exiſtimatur id Scipionis Africani ſepulcrum fuiſſe ex his Acron. Horat. Schol. in Epod. IX. 25. *Cum Afri adverſus Romanos denuo rebellarent, conſulto oraculo reſponſum eſt, ut ſepulcrum Scipioni fieret, quod Carthaginem reſpiceret. Tunc levati cineres ejus ſunt in pyramide in Vaticano conſtituta, & humati in ſepulcro ejus in portu Carthaginem reſpiciente.* Sed fides ejus parum certa habetur: ſiquidem Cicer. Tuſc. Quæſt. 1. 7. & Liv. XXXVIII. 56. Scipionis ſepulcrum in Via Appia collocant: in quo tres fuiſſe ſtatuas memorant, Africani nempe majoris, minoris, & Ennii poetæ. Verum reſponderi queat, licet Africani majoris illic ſtatua fuerit, aliud tamen ejusdem peculiare Linterni fuiſſe ſepulcrum: atque ita & minoris Africani ibidem ſtatuam fuiſſe, tametſi in Vaticano peculiarem *pyramidem* habuerit. Dein Cicero in via Appia ſepulcrum familiæ Scipionum extitiſſe tradit, quod poſt utriusque illic Africani mortem conditum videri poſſit: cui exornandæ tres illæ, quas recenſuimus, ſtatuæ illatæ ſunt. Sed & hæc, ut cætera dubia, quisque ſuo arbitrio dijudicet. *Pyramidis* hujus effigiem in portis æneis D. Petri ab Eugenio IV. factis hodieque videre eſt. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 13. *Falconer. Diſſert. de Pyram. C. Ceſtii Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1464. *C. Aring. Rom. Subterr.* II. 3. 18: 5. 6. *Demontioſ. libro, qui inſcribitur Gallus Romæ hoſpes part.* 1. *p.* 7. *Bergier. de viis militar.* II. *Sect.* 36. §. 14.

PYRGUS & fritillum differebant. *Pyrgus* erat turris lignea in modum modii facta, quæ in parte alveoli hærebat, in ſummo aperta, & gradus intus exciſos habens, in imo vero foramen, quo teſſeræ effundebantur in tabulam. At fritillum erat pyxis, quæ manu tenebatur, & movebatur cum teſſeris, quæ inde in *pyrgum* mittebantur, ut per ſcamillos intus exciſos crebro ſubſultantes in tabulam demum exciderent. Horat. Sat. II. 7. 17.

Mitteret in pyrgum talos.

Sidon. Epiſt. v. 17. *Aleatores ad pyrgum vocabat.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 50. b. B. in Vopiſc. Procul. c. 13. Pollet. For. Rom. v. 7. Turneb. Adv. XXVII. 3. Quem V. & ſupr. in *Fritillum*.

PYRHOPOECILOS eſt dictus lapis, qui punctis quibusdam ignei coloris diſtinctus, ac variis undique interlucebat. Eum poſtea Syeniten nominarunt, quod ex iis montibus, qui Æthiopiam attingunt, atque a Syene Thebaidos non longe abſunt, exſcindebatur. Ex illo obeliſcos faciebant. Plin. XXXVI. 8. *Circa Syenen Thebaidis Syenites, quem ante pyrhopœcilon vocabant. Trabes ex eo fecere Reges quodam certamine obeliſcos vocantes, Solis numini conſecratos.* Barg. de Obeliſc. Theſ. Ant. Rom. Græv.

Tom. IV. p. 1907. C. Panvin. de Lud. Circenf. I. 17.

PYRRICHA fuit faltatio pedeftris armata, χορεία ἐν τοῖς ὅπλοις, ut dicitur Julian. Orat. I. p. 11. A. ἐνόπλιος ὄρχησις, ut Euftath. ad Homer. Odyff. p. 746. Illam celebrat Plato de Leg. VII. p. 897. *Pyrricha eft, quæ motiones corporis imitatur, ictus, jactusque acclinantis, & vitabundi, omnifariamque cedentis, in altum etiam fubfilientis, & fefe fubsidendo poplite demittentis. Rurfus contrarios his motus, eos qui in habitus corporis actuofos feruntur, quales ejus funt, qui fagittarum, mifiliumque jactationes effingere motu corporis, plagarumque, & petitionum multiplicium imitamenta affequi, implereque contendit, quibus teli, plagæque vitantur.* Dionyf. VII. p. 476. *Id genus exercitii apud Græcos olim cum primis erat celebre, armata faltatio, quæ vocatur pyrricha: five ea Minervæ inventum eft; quæ poft deletos Titanas in victoriali lætitia fertur prima cum armis faltavisse, choreamque duxisse: five prius etiam inftitutum a Curetibus, dum Jovem, quem nutriebant, mulcerent armorum fonitu, rythmicoque membrorum motu.* Suet. Jul. c. 39. n. 3. *Pyrricham faltaverunt Afiæ, Bithyniæque principum liberi.* Rhodig. Ant. Lect. XV. 4. Meurf. de Orcheft. p. 63. Mifcell. Lacon. II. 12. de Lud. Græcor. Thef. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 989. A. de Saltat. Thef. Gronov. Tom. VIII. p. 1280. B. Petav. & Spanhem. in Julianum. Stuck. Ant. Conviv. III. 21. Buleng. de Theatr. I. 51. de Lud. Vet. c. 55. Vignol. Differt. de Columm. Anton. Pii c. 9. Mod. de Lud. Vet. II. 23. Demfter. Paralip. ad Rofin. Antiq. Romm. V. 25. Perizon. in Ælian. III. 8. Salmaf. in Solin. p. 119. Bud. in Pandect. p. 241. Tiraquel. in Alex. Gen. VI. 19. Faber Agon. I. 15. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 12. Scalig. Poet. I. 18. Mercur. Gymnaft. II. 6. Panvin. de Lud. Circenf. II. 2. Ferrar. Mar. Lapid. II. Memor. 42: III. 42. Stewech. in Veget. I. 19. Pitifc. in Suetonium.

PYRUM vulgo appellabatur locus, ubi in regione feptima Martialis moratur. Hoc ipfe indicat I. 118. 5.

> *Non eft, quod puerum, Luperce, vexes:*
> *Longum eft, fi velit ad pyrum venire.*
> *Et fcalis habito tribus fed altis.*

Nardin. Rom. vet. IV. 9.

PYT.

PYTHAULES fuit e numero tibicinum, diciturque qui ludis Pythiis tibia canit. Horat. de Art. Poet. n 414.

> —— *qui Pythia cantat*
> *Tibicen, didicit prius, extimuitque magiftrum.*

Hygin. fab. 273. *His quoque unus pythaulæ, qui Pythia cantaverunt.* Sunt, qui fcribant *pithaules*, qui ex eo dicerentur, quod tibiæ genus, quo *pithaules* utitur, πίθον referr. Πίθος fignificat dolium, & αὐλεῖν tibiam. Sed veteres, qui *pythaulem* fcribunt per Y. Nec a *Pythiis*, a quibus effet *pythiaules*, fed a *Pythone* deducimus. Delphi prius Πυθὼ vocabantur, & inde πυθαύλης, qui canerer αὐλοῖς πυθικοῖς, ut eos vocat Pollux IV. 11, 3. hoc eft, qualibus Πυθοῖ, five *Delphis pæana*, five *Pythia* folent cantare. *Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv* XI. 25. *Buleng. de Theat.* II. 30. *Pithaules* ore admoto in dolium canebat, confufamque, fed quodam ordine delectabilem vocem eliciebat. Seneca tantum, quod fciam, meminit Nat. Quæft. VI. 19. *Quomodo cum in dolio cantatur, vox illa per totum cum quadam discuffione difcurrit.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenf. II. 3. *Pythaulas* etiam fcriptum habet Palatinus liber, apud Vopifc. Carin. 19. Atque ita paffim, ac femper hoc nomen, ubicunque ejus mentio occurrit in veterum libris, reperitur fcriptum, *pythaules*, inquam, non *pithaules*. Quæ fcriptura vel unice facit ad eorum opinionem confutandam, qui *pithaules* dicendum cenfent, & ἀπὸ τῶν πίθων hanc vocem deducunt: quafi ulli unquam cogniti fuerint doliares, aut doliis cantantes tibicines. Profecto de hoc tibicinum genere, qui doliis cantarent, validum apud antiquos filentium. Ex Seneca quis mihi probare poterit aliquos olim fuiffe doliorum cantores? ubi mentio tibiarum apud illum eo loci? nemone canere poteft in dolio fine tibiis? fane & cantare aliquem affa voce, & loqui etiam poffe in dolio dubitet nemo. Non de tibicine igitur, fed de eo, qui fimpliciter in dolio cantat, ore fuper os dolii pofito, accipiendum apud Senecam. Narrat enim ibi, & oftendit ex fententia Metrodori Chii, quæ caufa terræ motus faciat. Sic enim ajebat Metrodorus, vaftas fub terra fpeluncas habere aerem fuum: aerem illum, fimul ac alio fuperne incidente percuffus effet, agitari folere, haud aliter quam inania dolia indito clamore fonant. Si quis enim in dolio cantet, per totum vocem illam, cum quadam difcuffione percurrere confueviffe, ac refonare, & quamvis leviter motam tumultuari tamen intus, & cum bombo circuire. *Salmaf. in Vopifcum.* Ego tamen de *pithaula*, modulationes, & frequentamenta, quum infpiratam de cado ligneo, aut eburneo concepiffet animam, per fiftulam vocalem, foraminibus in ea difpofitis, diftinguente interpretor Prop. IV. 6. 7.

> —— *carmenque recentibus aris*
> *Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.*

Afcaules vero; quem Latini utricularium dicimus, pæne idem facit, fed cum aliqua differentia: nam inftigans ventum conceptum exanimat utrem, ac veluti exprimit cubito: ut in Copa n. 4.

> *Ad cubitum raucos excutiens calamos.*

Scalig. in Catal. p 118. Sed ille magno errore confudit πίθους & κάδους, cados & dolia. Præter formæ differitatem, cados ex ligno, dolia, hoc eft, πίθους, fictilia fuiffe ignorat nemo. Nec videre me fateor, quis ufus potuerit effe hujufcemodi ingentium, ac fictilium vaforum, qualia fuiffe dolia liquet, ad canendum tibiis. Graviffime etiam in eo peccat, quum *pithaulem* aut omnino eundem effe cum afcaule, aut parum differre putat: quafi parum intereffet ἀσκὸν inter & πίθον, dolium & utrem. Sed quum nulli unquam fuerint *pithaulæ* a doliis nuncupati, & nulla unquam extet eorum apud veteres mentio, fruftra quis ab afcaulis eos fuiffe diverfos fatagat monftrare. Nec Maronis, five incerti potius auctoris verfus de utriculario, five afcaula eft capiendus, fed nulla non ratio evincit de crotaliftria eum effe intelligendum. *Salmaf. l. l.* Ego adducor magis, ut *pithaules* fcriptum putem πειθαύλης, a cantus dulcedine, & fuadela, quæ πειθὼ dicitur. *Lenf. Mifcell.* III. 27.

PYTHIA fuerunt ludi inftituti in honorem Apollinis. Diomedes rediens e Troja inftituiffe dicitur, quod fævitiam ejus tempeftatis effugiffet, qua cæteri Græci conflictati fuerant. Paufan. Corinth. p. 75. Vel ipfe Apollo propter occifum enormis magnitudinis ferpentem. Ovid. Met. I. 441.

> *Hunc*, Pythonem, *deus arcitenens, & nunquam talibus armis*
> *Ante nifi in damis, capreisque fugacibus ufus*
> *Mille gravem telis exhaufta pæne pharetra*
> *Perdidit effufo per vulnera nigra veneno.*
> *Neve operis famam poffet delere vetuftas,*
> *Inftituit facros celebri certamine ludos,*
> *Pythia perdomitæ ferpentis nomine dictos.*

Pafchal. de Coron. VI. 25. Gyrald. Synt. deor. VII. p. 229. F. Sardus de Rit. gent. III. 23. Potter. Archæol. II. 23. Claicn. Theol. gentil. I. 6. 4. Etfi Olympia præferebantur, propterea quod fupremo deorum numini effent attributa, *Pythia* tamen vetuftate anteibant, quippe ab Hercule Olympia inftituta; Hercule vero antiquior fuit Apollo, & ludos, quos ipfe dicarit, Herculis ludis vetuftiores arbitrari par eft. Eorum originem ad hunc modum prodidit Clearchus Solenfis Ariftotelis difcipulus Proverb. I. Latona ex Eubœæ Chalcide Apollinem Dianamque reportabat Delphos. Ad *Pythonis* fpeluncam admotis veftigiis, ab eo improvifo pæne oppreffi, nifi puello mater animos addidiffet, ut fagittis, quas habebat, peftem illam occuparet. Acclamatio fuit, ἵε παῖ, ἵε παῖ, unde nomen ei factum ajunt, certis fyllabis additis, παιὰν, παιὼν, παιηών. Narrant etiam lapidem a Latona intentatum: alii

dicunt

dicunt Apollini porrectum, antequam animadvertiſſet illum cum telis eſſe. Eum poſtea lapidem in Delphis repoſitum ſub æneæ Latonæ ſigni pedibus. Strabo ex Ephori hiſtoria *Pythonem* latronem fuiſſe tetrum, ac cruentum, qui infeſtis itineribus infeſtam faceret provinciam, quapropter Draconis cognomen inditum a maleficio. Tanta peſte ſoluti Delphi pro libertate recepti ludos quaſi beneficiarios celebrandos curavere. Quos ludos, auctis poſtea rebus, auctos ab Amphictionybus ſub Eurylocho, addito equeſtri ſimul, atque gymnico certamine, victori præmium corona. *Scalig. Poet.* I. 23. De illis multa *Faber Agon.* II. 23. *Paſchal. & Potter. l. l.*

PYX.

PYXIS in teſſerarum ludo vocabatur turricula illa, qua teſſeræ in tabulam fundebantur. Hanc vocem nobis ſuggeſſerant Gothofredus, & Cujacius ad tit. C. de aleat. adducto exemplo Juven. Sat. XIII. 25.

— partos gladio, vel pyxide nummos.

Pyxide, id eſt, fritillo, vel alea. E buxo fabrefactus erat initiaus, ſed non ſemper; conſtat enim quoque corneum fuiſſe. Schol. Juven. XIV. 5. V. illum ſupr. in *Fritillus.* Senteleb. de Alea vet. XI. § 23.

Pyxis nautica, magnetis virtute ad polum ſeſe convertens, navigantibus utiliſſima, Johannis Gojæ Amalphenſis inventum eſt. Unde Anton. Panormitanus:

Prima dedit nautis uſum magnetis Amalphis.

idque circa annum Chriſti 1300. Flavium Giram alii. Alex. Sardus de Rer. invent. II. 8. eum Flavium Campanum vocant, ſed prius nomen tantæ rei inventori communiter tribuitur. Imo Goropius Becanus Cimbris, vel Teutonibus inventum hoc tribuere maluit: qua de re Abrahamus Ortelius Geographica tabula VI. *Voſſ. de Art. & ſcient. nat. & conſtit.* III. 48. §. 5. *Gyrald. de Re naut.* c. I. Arbitror verſoriam nauticum eſſe inſtrumentum, haud ferme huic *pyxidicula magnetis* abſimile apud Plaut. Mercat. V. 2. 34.

Hic ſecundus ventus nunc eſt; cape modo verſoriam.

Trin. IV. 3. 19.

Quin tu quod periit, periiſſe ducis? cape verſoriam.

Lemn. de Occult. natur. mirac. III. 4. Qui fallitur. Hæc enim res Romanis & Græcis plane fuit ignota. *V. ſ. l. l.* Nec ego eos ferre poſſum, qui verſoriam recentem hanc *pyxidiculam* nauticultorium atavorum memoria inventam explicant. Eſt enim funis, quo velum vertitur. Confirmat meam ſententiam, quod a Plauto ſcriptum eſt Epid. I. I. 47.

Utcunque in alto ventus eſt, exin velum vertitur.

Turneb. Adv. XX. 4.

QUA.



UADRA vocatur menſa, quia menſæ primum fiebant *quadratæ*. Virg. Æneid. VII. 115.

Et violare manu, maliſque audacibus orbem
Fatalis cruſti, patulis nec parcere quadris.

Ciaccon. de Triclin. p. 25. Peſſime, quia de *quadris* panum eſt accipiendum, ut & illud Juven. Sat. V. 2.

Ut bona ſumma putes aliena vivere quadra.

Buleng. de Conviv. I. 38. Quod panis in *quadras* fuerit diſſectus, patet ex Moret. n. 49.

Et notat impreſſis æquo diſcrimine quadris.

Horat. Epiſt. I. 17. 49.

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

Mart. IX. 92. 18.

Secta plurima quadra de placenta.

Quare & Romani eos panes vocabant *quadratos*. Athen. III. p. 114. *Idem blomilios panes dici ſcribit inciſuris diviſos, quos quadratos appellant Romani.* Scalig. in Moretum. Caſaub. in Athenæum. Cerda in Virgilium. Torrent. in Horatium. Du Freſne Gloſſar. Ferrar. Elect. II. 17. Grang. in Juvenalem. Schell Nomencl. Philol. p. 972. Dabant autem *quadram* unicuique, ut colligitur ex Horat. l. l. & eo alludente Juven. l. l. In veteri gloſſario perperam legitur: *Quadra*, τόπ☉. l. τέμ☉. Quare *quadram findere* dixit Horatius, & ſcindere Mart. III. 12. 1.

Unguentum fateor bonum dediſti
Convivis here: ſed nihil ſcidiſti.

Scalig. & Grang. l. l. Forte menſarium inſtrumentum, cui vel ſtanneo, vel argenteo, aut etiam ligneo confectæ dapes imponuntur. *Quadra* enim forma ant quitus fiebant illa, hodie vero ut plurimum rotunda. Olim etiam ex pane ad eum uſum aptato fieri ſolebant. Ut apud Virgilium modo laudatum. Hoc etiam ſignificat Martialis ſuperpoſita placentæ parte e cœna miſſam VI. 75. 1.

Cum mittis turdumque mihi, quadramve placentæ.

& XII. 32. 18.

Nec quadra deerat caſei Toloſatis.

Torrent. l. l. Baldus Lex. Vitruv. Bacc. de Conviv. vet. IV. p. 155.

Quadræ dicuntur regalæ illæ duæ, quibus ſcotia in architectura clauditur. Vitruv. III. 3. *Dempta plintho reliquum dividatur in partes quatuor, ſitque ſuperior torus quartæ reliquæ: tres æqualiter dividantur, & una ſit inferior torus, altera pars cum ſuis quadris ſcotia.* Illud tamen notat Philander, in Ionica ſpira *quadram* ſcotiæ ſuperiorem a Vitruvio ſupercilium dici, inferiorem vero ſimpliciter *quadram*. Barbarus vero *quadras* appellat annulos ipſos, quibus ad apophygim columnæ ſcapi cinguntur. *Quadras* ejuſmodi noſtri fere *liſtellos* dicunt. De *quadris* Vitruv. l. l. *Sin autem circa ædem ex tribus lateribus podium faciendum erit, ad id conſtituatur, uti quadræ, ſpiræ, trunci, lyſis ad ipſum ſtylobatam, qui erit ſub columnis, & ſpiris conveniat.* Hoc loci pro *quadra* plinthum ſtylobatæ, ut recte Philander, & Barbarus interpretantur, intellexit: quam quidem partem imam noſtri *zoccolum* appellant, vel *dadum*. Tranſlatitium eſt hoc nomen in architectura. Ita enim dictæ ſunt, quod ſimiles ſint *quadris*, quarum uſum in menſa eſſe jam diximus. *Baldus Lex. Vitruv.*

Quadræ dicuntur teſſeræ in teſſerarum ludo. In optimo meo gloſſario *teſſera*, *quadra* exponitur. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 35.

QUADRAGESIMA fuit portorium, quod publicanis pendebatur. Quintil. Declam. 359. *Præter inſtrumenta itineris omnes res quadrageſimam publicano debeant.* Suet. Veſp. c. I. n. 4. *Publicum quadrageſimæ in Aſia egit.* Abolita fuit ſub Nerone. Tacit. Annal. XIII. 51. 3. *Manet tamen abolitio quadrageſimæ, quinquageſimæque, & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.* Lipſ. in Tacitum. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 949. A. Beroal. Annot. c. 90. Buleng. de Vectig. c. 42. Franckenſtein de Ærat. pop. Rom. c. 8. Principum, qui ad breve tempus regnarunt, facta negligentius ab hiſtoricis, etiam diligentiſſimis prodi memoriæ ſolent. Nam quia ordinationes, ab iis profectæ, cum ſuis auctoribus ut plurimum finiuntur, quod non manſit diu, pro eo habetur, ac ſi ne fuiſſet quidem unquam. *Quadrageſimam* remiſit Galba; ſed quis e ſcriptoribus rerum Galbæ fecit mentionem ab eo remiſſæ? Eam exactionem Neronem ſuſtuliſſe modo dixit Tacitus, qui & addit illa Neronis decreta, *brevi ſervata, dein fruſtra habita.* Galbam vero revocaſſe abolitionem *quadrageſimæ*, docemur invicto argumento nummi veteris, qui ex S. C. to ad tradendam poſteris beneficii ejus memoriam, & honorem Galbæ fuit percuſſus. Quod igitur ſcribit Tacitus manſiſſe adhuc ætate ſua abolitionem *quadrageſimæ* per Neronem factam,

ctam, non ita intelligendum est, quasi post Neronis constitutionem perpetuo & constanter ejus viguisset observatio: sed quod Galbæ imperium, & breve, & obscurum: hoc ignoravit Tacitus, aut dissimulavit. *Casaub. in Suet. Galb. c. 15. & Cujac. l. l.* Tales præterea duo occurrunt nummi ejusdem Galbæ, unus cum viro ferente spolia, & inscriptione: XXXX REMISSA S. C. Alter rarior cum arcu cum inscriptione: QUADRAGESIMA REMISSA. Adeoque omissa omni Galbæ mentione male abolitionem a Nerone repetit Tacitus. *Spanhem. de Numm. præst. Dissert.* IX. *p.* 773. *Quadragesima* non fuit rerum venalium, sed litium, sive summarum, de quibus litigaretur, ut scribit Suet. Calig. c. 40. n. 4. *Pro litibus, atque judiciis ubicunque conceptis exigebatur quadragesima summæ, de qua litigaretur.* Cæterarum rerum venalium vectigal centesima fuit, inde post bella civilia ab Augusto institutum, sicut & quinquagesimam scribit Tacit. Annal. I. 78. 2. *Cujac. Observ* VI. 28. *Pancirol. Var.* III. 31. A. Caligula mutata fuit alia ab hac; temporaria duntaxat, & quæ in imperio illius periit. *Lips. l. l.* Clare etiam Tacitus de abolitione vectigalium, quæ paullo ante *portoria* illi dicebantur, & coercitis sub Nerone, qui eadem exigere consueverant, publicanis; ut non alia sit ibi *quadragesima*, quam ea de qua agunt Quintilianus, aut Suetonius; & quo modo apud Euseb. Hist. Eccles. v. 18. legis *publicanum quadragesimæ tabularium*. Cujacium refellit insuper vetus inscriptio: QUINCTIO AUG. TABULARIUS XXXX GALLIARUM, ut vice de *tabulario quadragesimæ* eandem interpretatur Reinesius. Egregie hunc & lapidem, & sensum illustrat, in quo XXXX pro *quadragesimæ* portorio eadem ratione sumitur. Hanc a Galba remissam [illegible] itemque [illegible] Symm. Epist. v. 62. [illegible] *portoriorum, quæ* [illegible] *non recte peteretur a* [illegible]. Alioquin *Galbæ remissam a Galba quadragesimam* [illegible] talis dicuntur apud Tacit. Hist. I. 51. 5. Imo Galbæ remittenti *quadragesimam* præiverat jam olim, sed nondum latens, Caius, qui auctore Suet. c. 16. n. 9. *centesimam auctionum Italiæ remisit*, vel, ut habet ejusdem Cæsaris nummus, quem descripsit Occo p. 105. cum notis R. CC. seu *remissa ducentesima*, quam nempe pro centesima minuendo oneri invexerat Tiberius. *Spanhem. l. l.* Cujacii tamen opinio inde probabilis videtur primo, quod post Neronis tempora nusquam fiat mentio *quadragesimæ* litium ab ullo auctore, unde eam a Nerone sublatam esse facile credi potest: *quadragesimæ* portoriorum vero frequens usque ad Symmachi tempora memoria reperiatur: nec, si abolita fuerit a Nerone, a quo restituta sit a viris doctis docetur: accedunt sub Galba cusi nummi, qualem unum adduxit Casaubonus, quibus *quadragesima* remissa a Galba docetur, qui certe remitteret, dum illo aliquo vectigali, jam a præcedente Imperatore sublatum: neque Tacitus gravissimus, & qui omnia ex annalibus, & diurnis actis diligenter conquisivit, scriptoris fides deveniret hæc [illegible] potuerit ignorare, ad quem referenda esset abolitio tam celebris vectigalis portorii, luculentissimi Reip. hujus subsidii: præcipue cum eo loco referat Scta & edicta, quæ cum ille non poterant. Deinde, si attentius totus locus consideretur, manifeste, portoria non fuisse sublata a Nerone, patebit: dicit enim Tacitus *dubitasse Neronem, an omnia vectigalia*, quibus portoria proprie intelliguntur, *omitti juberet, idque pulcerrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum ejus attentum a senatoribus, qui docebant, dissolvi eo pacto imperium, cum omnia ita provisa essent, ut ratio quæstuum, & necessitas erogationum inter se congruerent.* Aperte senatores, hoc dissuadentes, respiciunt ad commentarios, sive rationarium, quod Augustus de viribus imperii confecerat, & quo omnes reditus, & erogationes inter se comparata erant, hocque ad successores transmiserat, qui secundum illud imperii vires semper exigebant. Docebant ergo senatores Neronem, si portoria tolleret, quæ magnam redituum partem constituebant, dissolvi vires imperii, & rationem, & ordinem moveri, si ordinaria commoda auferret: suadebant potius, si liberalitate aliqua vellet homines sibi devincire, aboleret vectigal, quod extra ordinem erat inductum, & quod in rationarium imperii non relatum, nihil incommodi afferret ærario, vel fisco, si tolleretur, cum rationes impensarum ad hoc vectigal non essent comparatæ: commodum itaque visum fuit Neroni abolere *quadragesimam* litium, quam non in usus imperii, sed ad sustinendos nepotinos sumptus Caligula cum reliquis novis vectigalibus introduxerat. Firma, & stabilita itaque est Cujacii sententia, portoria, vel *quadragesimam* a Nerone abolitam non esse. Imo nec a Galba esse abrogatam credo, quod ex nummis frustra eliciunt: non enim tam pingue erat Galbæ beneficium, ut omnino tolleret hoc vectigal, solum de *remissa quadragesima* loquuntur nummi. Jam vero notissimus est ille Imperatorum mos, ut aliquando civitatibus, vel provinciis, bello, aut aliis calamitatibus afflictis vectigal aliquod remitterent, quo earum miserias levarent, aliis in quosdam annos immunitates a vectigali darent, manente tamen, & non abolito vectigali. Sic Suetonius supr. productus narrat Caligulam *centesimam auctionum Italiæ*, non reliquis provinciis *remisisse*, de qua etiam remissione nummi extant: non inde tamen recte concluditur ducentesimam ab eo sublatam. Recte ergo omnia se habebunt, si nummos de temporario aliquo beneficio, quo Galba auspicia imperii sui commendaret, interpretemur, non de abolitione vectigalis, cum illud longe post ea tempora superfuerit, nec unquam restitutum ab aliquo Imperatore legatur. Deinde etiam Galbæ munificentia de remissione reliquorum potest accip.; nam & eo munere beabant aliquando provincias Imperatores, ut illis multorum annorum reliqua ex vectigalibus condonarent. Sic de Hadriano scribit Spartian. c. 7. *Præterea etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro divi Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur, accensis.* Nec novum est, interpretes remissionem hanc reliquorum pro vectigalis ipsius abolitione accepisse. V. infr. in *Vigesima hæreditatum*. Burman. Dissert. de Vectig. c. 5.

QUADRANS est quarta pars assis, hoc est tres unciæ, unde prius triuncis vocabatur. Plin. XXXIII. 3. *Quadrans antea triuncis vocabatur a tribus unciis.* Eadem de causa dicitur teruncius; sed hoc discrimen inter *quadrantem*, & teruncium, quod ille æreus, hic argenteus esset. Materia igitur, non pretio differunt. *Voss. Lex. Etymol. Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1516. *F. Snell. de Re numm. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1558. *E. Hotman. Antiq. Roman.* IV. I. II: 2. II. Fuit præmium balneatoris. Horat. Sat. I. 3. 137.

—— dum tu quadrante lavatum
Rex ibis.

Qui vituperat eum principem, qui ut unus de multis *quadrante* lavaretur. Juven. Sat. VI. 446.

Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.

Hinc Cicer. pro Cœl. c. 26. *Nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori.* Et Senec. Epist. 86. *rem quadrantariam* dixit pro balneo. *At olim & pauca erant balnea, nec ullo cultu exornata. Cur enim ornaretur res quadrantaria, & in usum, non in oblectamenta reperta?* Voss. Lex. Etymol. Stuck. Ant. Conviv. I. 35. Baccius de Therm. vet. c. 12. Mercur. de Art. Gymn. I. 10. Rhodig. Ant. Lect. XVIII. 16. Casal. de Prof. Rom. III. c. 24. Ferrar. de Re vest. I. 3. 6. Gyrald Ænigm. 22. Hotman. l. l. Ursin. Append. ad Ciacon. de Triclin. p. 159. Malvas. Marm. Felsin. III. 4. Pueri, qui balneas ingrediebantur publicas ante decimum quartum annum, nihil solverunt. Juven. Sat. II. 152.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Ubi vet. Schol. *Infantes, quia pueri non dant balneaticum.* Baccius, Mercur. Ferrar. l. l. Etiam feminas gratis lavisse, si nihil aliud, unus Juvenalis locus satis ostenderet: cum inter ea, quæ virorum tantum esse ait, *lavari quadrante* ponit. Gloss. vet. *Quadrante lavari, sicut vir balneari.* Aliæ: *Quadrante, virorum pretium, feminæ vero*

gratis

grius. Mercurialis balnei pretium in immensum auxit, cum ex uno centum quadrantes fecit: ait enim conqueri Martialem, quod sibi balnea tanti constarent x. 70. 13.

> *Balnea post decimam lasso, centumque petantur*
> *Quadrantes.*

Quasi Martialis ibi de pretio balnei loquatur, & non de sportula, quæ centum *quadrantes* lassis clientibus post balneas loco rectæ dabat. *Ferrar. & Hotman. l. l.* Mulieres etiam balneatori mercedem solvisse videtur indicare Cicer. l. l. Et Clodia Metelli Celeris uxor, soror P. Clodii *quadrantaria* dicta est, ut testatur Fab. viii. 6. de tropis, quo loco de allegoria tractat. Non quod artem balneariam exercens *quadrantem*, ut tum usus erat, ab his exigeret, qui lavarent, ut perhibent nonnulli, quos Tallia in errorem perpulerunt; sed, quod vili pretio balneatori sui copiam faceret. *Brod. Miscell.* iii. 24. *Polet For. Rom.* iv. 2. *Manut. in Ciceronem. Rhodig. & Stuck. l. l.* Sed ut lascivia perdita fuerit, omnique probro respersa, & in mediastini, ac balneatoris amplexus ruerit, id tamen fecisse ad redimendum *quadrantem*, potentem alioqui, & auri largam in amatores fac... nemo sanus credident. Vix hoc de lupis diobolariis, & meretricum mendicabulis credatur. Quid ergo? *Quadrantariam* Clodiam dictam notum ex Plutarch. Cicer. p. 875. C. quod ex ejus amatoribus quidam perfacetus quadrantes argenteorum loco in loculos miserat. Hæc igitur *quadrantis* mercede *quadrantaria* facta erat, & sic balneatori familiaris quæstus, ac mercimonii similitudine. Ille *quadrantem* a viris pro balneo exigebat, hæc *quadrante* merces suas permutabat: ille *quadrantarius*, hæc *quadrantaria*: & ex quæstus communione, mercedisque similitudine familiaritas. *Ferrar. l. l. Loens. Miscell.* ix. 21. *Victor. in Ciceronem.*

Quadrans plumbeus. Hos dixit Mart. x. 84. 3.

> *Anteambulones, & togatulos inter*
> *Centum merebor plumbeos die toto.*

An dicendum, olim *quadrantes*, ac alios fortasse nummos exigui pretii ex solido plumbo cudi solere? Sane confirmari hoc videtur loco Mart. i. 100. 11.

> *Et convivia sumptuosiora,*
> *Toto quæ semel apparas in anno,*
> *Nigræ sordibus explices monetæ,*
> *Et septem veteres tui sodales*
> *Constemus tibi plumbea selibra.*

Quam prius *nigram* dixerat *monetam*, hanc postea *plumbeam* appellat. *Plumbei nummi* in jocis etiam meminit Plaut. Cas. ii. 3. 40.

> *Cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus.*

Trin. iv. 2. 120.

> *Cui, si capitis res siet, nummum numquam credam plumbeum.*

An potius dicendum, nummos eo plumbeos dici, quia plumbo admixto conflarentur? an vero per contemptum ita vocari, cum essent ærei? *Voss. Lex. Etymol. Hotman. Antiq. Roman.* iv. 1. 11. V. etiam supr. in *Moneta.*

Quadrans ratitus dictus est, quia erat merces transvectionis. Varr. de Ling. Lat iv. 7. *Merces dicitur a merendo, & ære. Hinc vectura, quas solvebant hi, qui ratibus transibant, quadrans. Ex eo Lucilius scripsit, quadrantis ratiti.* Sed de hoc loco Lucilii aliter sensit Plin. xxxiii. 3. *Nota æris*, hoc est, assis, *fuit ex altera parte Janus geminus: ex altera parte rostrum navis: in triente vero, & quadrante rates.* Et Festus: *Ratitum quadrantem Tarquinius* non Superbus Rex, ut scribit ad Festum Scaliger; sed *Tarquitius* Grammaticus, ut Farnesiano exemplari confirmatur, *in libro, quem inscripsit de . . . & Oppius*, forte *Opilius Aurelius dictum putant, quod in eo, & triente ratis fuerit effigies, ut navis in asse: a qua quidem re appellatum quoque ratitum dicunt.* Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. xx. 30. Dalechamp. in Plinium. Dacer. in Festum. Douza in Lucill. p. 13.

Quadrans vocabatur sportula, quam tenuiores a dominis avaris accipiebant. Mart. iii. 7. 1.

> *Centum miselli jam valete quadrantes,*
> *Anteambulonis congiarium lassi,*
> *Quos dividebat balneator elixus*
> *Regis superbi, Neronis, sportulæ recesserunt.*

x. 70. 13. V. supr. in *Quadrans.* Stuck. Ant. Conviv. i. 35. Ferrar. de Re Vest. i. 3. 6.

Quadrans etiam erat mensura liquidorum. Continebat tres cyathos. Mart. ix. 95. 1.

> *Addere quid cessas, puer, immortale Falernum*
> *Quadrantem duplica de seniore cado.*
> *Nunc mihi dic, quis erit, cui te Calocisse, deorum*
> *Sex jubeo cyathos fundere? Cæsar erit.*

Notandum, quod *duplicem* appellavit *quadrantem*, poculum, qui sex cyathorum esset, quia tot literæ in Cæsaris nomine, quem summum deum appellat, reperiuntur. *Pætus de Rom. & Græc. pond.* iii. *Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 1643. *C.*

QUADRANTAL *vocabant antiqui, quam ex Græco* ἀμφορὰν *dicunt, quod vini pedis quadrati octo & quadraginta capit sextarios. Plaut. Circ.* i. 2. 14.

> PH. *Sunt hæc anus.* PH. *Quantillum sitit?* PH. *modica est,*
> *Capit quadrantal.*

Et Cato contra Oppium: Vinum redemisti, prædia pro vini quadrantalibus sexaginta in publicum dedisti, vinum non dedisti. Festus: Erat figura cubica: unde Onomasticon: *Quadrantal*, κύβος. In gloss. Philox. legas: *Quadrantal*, κεράμιον. At in Cyrill. gloss. est κεράμιον, *orcium, amphora.* Nempe, quia *quadrantal* idem est quod amphora, ut testatur Festus. V. supr. in *Amphora.* Voss. Lex. Etymol. Bud. de Ass. v. p. 603. Pætus de Rom. & Græc. mens. iii. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 1628. C. Salmas. Exerc. Plin. p. 163. B. Alciat. de verb. sign. p. 230. a. Turneb. Adv. xvi. 14. Barth. Adv. xliii. 3. Popm. de Instrum. fund. c. 17. Agricol. de Mens. Roman. i. p. 5. Jovi eundem in Capitolio, ne violare liceret, consecraverunt. Mos enim fuit antiquorum, ut & hodie quoque Romæ est, mensuras in loco publico, ex marmore, vel ære confectas conservari, & custodiri, ut inde, quoties res exigeret, & de legitima mensura dubitaretur, veritas peti posset, de qua re Fannius:

> *Pes longo spatio, latoque notatur in anglo,*
> *Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex,*
> *Quatuor ex quadris medium cingatur inane:*
> *Amphora fit cubus: quam ne violare liceret*
> *Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.*

Pætus l. l. Testatur etiam antiquæ mensuræ inscriptio a doctis publicata in hæc verba: IMP. CÆSARE. VESPAS. VI. COS. T. CÆS. AUG. F. III. I. MENSURÆ. EXACTÆ. IN. CAPITOLIO. Erant aliis majores. Capitol. Maxim. c. 4. *Bibisse autem illum, Maximinum Imperatorem, sæpe in die vini Capitolinam amphoram constat.* Casaub. in Capitolinum. Ego justam, & suæ plane mensuræ interpretor. *Calcagn. de Tal. & tesser.* c. 2.

QUADRANTALIA vocabantur tesseræ, non a numero laterum, horum enim sex sunt, sed quod omnia latera *quadraturam*, vel quatuor angulos nobis exhibeant. Græcis κύβοι. Gell. i. 20. *Qualia sunt pulvilla undique, quæ κύβους illi, nos quadrantalia dicimus: κύβος enim est figura ex omni latere quadrata: quales sunt, inquit M. Varro, tesseræ, quibus in alveolo luditur: ex quo ipsæ quoque appellatæ κύβοι. Senftleb. de Alea vet. c. 7. §. 5. Calcagn. de Tal. & tesser. c. 2.*

QUADRATARIUS dicitur lapidicida, sive marmorarius, qui marmora ad amussim quadrat, & expolit. Sidon. iii. 12. *Sed vide, ut vitium non faciat in marmore lapidicida: quod factum sive ab industria, seu per incuriam, mihi magis quam quadratario lividus lector adscribet.* In sacris quoque libris in iv. Coronat. vita sic legitur: *Dum*

Diocletianus omnes metallicos congregaret: invenit Claudium, Castorium, Symphorianum, & Nicostratum, mirificos in arte quadrataria. Alciat. in III. post. libr. Cod. p. 104. C. Prætermiss. I. p. 122. B. Pancirol. de Corpor. artif. §. 8 Rhodig. Ant. Lect. XVIII. 15. Savar. in Sidonium. Du Fresne Glossar.

QUADRATUM dicitur scienter in numeris, figura, corpore. Numerus *quadratus* est ex seipso in seipsum resultans, ut quater quatuor sedecim constituunt: etiam quaternitas ipsa numerus est perfectus, vi enim in se numerum complectitur denarium, ultra quem proprie non est numerus: nam reliqui, ultra qui dicuntur numeri, priorum sunt replicationes. Continet autem denarium hoc modo, quia habet quatuor, tria, duo, unum, quæ simul colligata denarium manifesto conficiunt. Figura item *quadrata* perfecta est, continetur enim quatuor lineis æqualibus, quatuor quoque æquales habet angulos. Corpus *quadratum* perfectum etiam intelligitur, ut est cubus: habet enim sex superficies *quadratas* æquales, quarum unaquæque quatuor habeat lineas, & quatuor angulos, & quomodocunque jaceat, semper rectus stat, eodem se modo habens, quia portiones omnes æquales sunt. Consimiliter vir bonus, ac felix semper se eodem habet modo, & virtutum, quibus insignis est, potestate retinet in omnibus æqualitatem quandam. Est igitur felix numerus *quadratus*, quoniam ut partes *quadrati* numeri similes sunt, ac æquales: sic & viri boni operationes in quacunque re, ac fortuna semper erunt similes, & mediocritatem illam virtutis semper servantes. Et ut numerus quaternarius continet in se omnem vim, & perfectionem numeri, eodem modo vir bonus, & felix complectitur virtutis perfectiones omnes, quibus bene, & recte utitur in quacunque forma. Est item felix, ut *quadrata* figura, & ut *quadratum*, quod lineis constat quatuor æqualibus, totidemque rectis angulis: neque enim vir bonus varius est, nec mutari a fortuna valet, sed æqualis semper est, & rectus. Est etiam ut cubus, quia in quacunque fortuna inflexus perseverat: unde consequens fit, ut a vituperatione sejungatur, nec omnino quid faciat indecorum, sed generose, ac constanter se in quolibet fortunæ statu habeat. De illo Aristot. Rhetor III. II. *Jam dico ante oculos ea ponere, quæcunque agentia significant, ut bonum virum dicere esse quadratum, translatio est.* Rhodig. Ant. Lect. XVIII. 14. Pigh. Themid. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 1165. C.

QUADRIENNIA post singula redditur sibi natura rerum, & quodammodo intercalaris est. De ventis, atque tempestatibus Eudoxus apud Plin. II. 47. *Omnium redire easdem vices, quadriennio exacto, non ventorum modo, verum & reliquarum tempestatum magna ex parte. Et esse principium lustri ejus semper intercalari anno, caniculæ ortu.* De vitis fœcunditate quaternis vindemiis exploranda Columell. III. 6. *Ubi plurimis velut emeritis annorum stipendiis, fides surculi constitit, nihil dubitandum est de fœcunditate: nec tamen ultra quadriennium talis extendatur inquisitio.* Patean. de Bissext. c. 18.

QUADRIGAS, *etiamsi currus unus equorum quatuor junctorum agmen unum sit, plurativo semper numero dicendas, in libris, quos ad M. Ciceronem de Analogia conscripsit, putat Cæsar: quoniam quatuor simul juncti equi vocantur quadrigæ: neque debet prorsus appellatio equorum plurium includi in singularis numeri unitatem. Quod unum ergo rarissimum videbatur, invenimus quadrigam numero singulari dictam in libro Satyrarum M. Varronis, qui inscriptus est Exdemetricus.* Gell. XIX. 8. Et nos apud Grat. Cyneg. n. 228.

Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat.

Plin. VII. 21. *Myrmecides quidam in eodem genere inclaruit: a quo quadriga ... quam musca integeret alis, fabricata.* XXXIV. 8. *Lexi quadrigulam tenuit translatam Præneste.* XXXVI. 5. *Myrmecides, cujus quadrigam cum agitatore cooperuit alis musca.* Suet. Vitell. c. 17. n. 2. *Alterum femur subdebile impulsu olim quadrigæ, cum auriganti Cajo ministratorem exhiberet.* Ulpian. l. 10. §. 8. ff. quib. mod. ususfruct. *Quadrigæ usu legato.* l. 21. §. 14. ff. de ædilit. edict. *Simili modo, & si triga venierit, redhibenda erit tota: & si quadriga, redhibeatur.* l. 29. ff. de verb. oblig. *Itemque quadrigæ, aut lecticariorum stipulatio una est.* Cassiod. Var. III. 51. *Quadriga solis imitatione reperta est.* Hygin. fab 61. *Cum sedens quadrigam faces ardentes in populum mitteret.* 250. *Salmoneus, qui fulmina in quadriga sedens imitabatur, cum quadriga fulmine ictus.* Errat itaque Scioppius, dum de Styl. hist. p. 46. hæc scribit: *Hujus notæ vox est quadriga, pro curru quatuor equis juncto, apud plebejum scriptorem Hyginum, qui dicit in quadriga sedere, cum Cæsar, Cicero, Livius, & alii quadrigas dicunt, quatuor equos junctos significantes, & inde quadrigarum currus apud eosdem.* *Hæc* enim, ut exempla allata docent, *confundit auctoritas.* Serv. Æneid. II. 272. *Pitisc. in Suetonium.* Erichthonium habere auctorem arbitrantur Plin. VII. 56. *Quadrigas junxit primum Erichthonius.* Virg. Georg. III. 113.

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Jungere equos.

Vixit hic Mosis circiter temporibus, aut paullo post: fuit enim Danao æqualis, cujus ætas incidit in Josuæ initia. Sed ad hæc usque tempora incognitas fuisse non persuadetur, cum habuerint vehicula diversorum generum, etiam bellica, & militaria, saltem Ægyptii. Quare probo, quod habet Euseb. in Chronic. *Erichthonius primus quadrigam junxit in Græcia, erat quippe apud alias nationes.* Eusebius alio loco diversum secutus auctorem, hoc inventum tribuit Trochilo. Verba sunt ad n. 447. *Trochilus fertur primus junxisse quadrigam.* Unde liquet, quid de fabula hac statui oporteat: Erichthonium videlicet *quadrigas* invenisse Athenis, & adhibuisse primum ad ludos sacros, Trochilum paullo post publicasse, atque usurpasse Argis. Ut hoc quidem sensu recte Eratosthenes de Erichthonio tradiderit apud Hygin. Astron. II. 13. *Cum vidisset eum Jupiter primum inter homines equos quadrigis junxisse, admiratus est ingenium hominis ad solis inventa accessisse, quod is princeps quadrigis inter deos est usus.* Saltem ante Erichthonium solem invenisse *quadrigas*, atque usurpasse ostendit. Quo respexit Comment. Germanici, dum ait: *Erichthonius primus currus homines equis junctis docuit similes quadrigæ solis facere.* Scheffer. de Re vehic. I. 2. Cerdi in Virgilium. Buleng. de Circo c. 4. & 21. Hugo de Milit. Equest. I. 6. Forma fuit ea ipsa, quæ bigarum, trigarumque, nisi quod adjunctos haberent equos quatuor, e quibus duo fuere jugales, duo funales, illi in medio, hi utrinque a lateribus. Et ideo Eustath. Odyss. N. n. 505. equos illos dixit esse *quatuor una conjunctos.* Neque ratio, qua in eis vehebantur, alia, quam qua in ceteris. Nam & in his stare solebant. Plin. VIII. 42. *Claudii Cæsaris sæcularium ludorum circensibus excusso in carceribus auriga, albati equi palmam occupavere, opposita effundentes omnia, quæ contra æmulos debuissent peritissimo auriga insistente, facientes.* Dicit aperte *aurigas instituisse.* Fuit autem hoc genus, de quo loquitur, *quadrigæ.* De eodem Solin. c. 46. *Ingenia equorum Claudii Cæsaris circenses probarunt, quum effuso rectore quadriga cursu æmulos non minus astu, quam velocitate præverterent.* Scheffer. ibid. II. 13. Illarum usus fuit in ludis, sive Græcos spectemus, sive Latinos. Dionys. VII. p. 479. *Primum certamen in circo erat quadrigarum, & bigarum, & equorum non jugatorum cursus, sicut apud Græcos olim in Olympiadibus usque ad hæc præsentia tempora.* Vides apud Græcos usum *quadrigarum* in ludis sollennibus, cumque frequentissimum. Ideo & primo loco eas posuit. De *quadrigarum* usu in ludis circensibus apud Romanos Ovid. Amor. III. 2. 65.

Maxima jam vacuo præco spectacula circo
Quadrijuges æquo carcere misit equos.

Scheff. l. l. Paschal. de Coron. VI. 15. Videtur etiam antiquis temporibus fuisse ad bella. Colligo ex Homero, apud quem Hector equos suos ad prælium adhortatur, & quatuor nominat Iliad. Θ. 185.

Xanthe, & tu Podarge, & Æthon, Lampeque nobilis.

Sane

Sane quoniam in ludis usurpatæ etiam ante Homerum, locum vero simulachra bello tum, ideo vix potest dubitari. Et hæc de usu ad spectacula & bella. Præter hunc habuerunt proprium, apud Græcos quidem, quod ingrederentur eis victores ludorum Olympicorum, apud Romanos vero triumphantes. De victoribus Olympicis Vitruv. IX. proœm. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores, ita magnos honores constituerunt, uti cum revertuntur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia, & in patrias invehantur.* Schef. l. l. Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p. 172. b. De triumphantibus Romanis V. supr. in *Currus triumphalis.* Circenses mittebantur a magistratu, statimque prosilientes e carceribus spatia corripiebant, tanta interdum cursus celeritate, & contentione, ut habenas non adirent. Id apparet ex eo, quod scribit Ennius apud Cicer. de Divin. 1. 48. V. illum sup. in *Carceres.* Liv. VIII. 40. *Quia L. Plautius prætor gravi morbo forte implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret.* Turneb. Adv. XXV. 2.

Quadrigæ albæ sunt Jovis, quæ celer imo per cœlum ferri curriculo censebantur. Plaut. Asin. II. 2. 13.

Nunquam pol indipiscet quadrigis albis poplea.

Movet me, ut sic interpretarer, ipse Plaut. Amphit. I. I. 294.

Quadrigas si inscendas Jovis, nunquam effugies infortunium.

Scripsit etiam Horat. Od. I. 12. 58.

Tu gravi curru quaties Olympum.

Et curru per aerem invehi Jovem credebant, cum tonabat, aut fulgurabat. Horat. Od. I. 34. 5.

— namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

Ad currum autem Jovis censebant equos nivali candore junctos esse. Suet. Aug. c. 94. n. 9. *Videre visus est filium, mortali specie ampliorem, cum fulmine, & sceptro.... super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus.* Unde taxatur Camilli triumphus apud Liv. v. 23. V. illum supr. in *Equi.* Turneb. Adv. XXIV. 31. Rycq. de Capitol. c. 15.

Quadrigæ ex argilla primis temporibus a Vejente quodam fictæ, inter externa templi Capitolini ornamenta numerantur, fastigio illius erant impositæ. Ita Festus in Ratumena: *Ratumena porta a nomine ejus appellata est, qui ludicro certamine quadrigis victor Etrusci generis Vejis consternatis equis excussus Romæ periit: qui equi feruntur non ante constitisse, quam pervenirent in Capitolium, conspectumque fictilium quadrigarum, quæ erant in fastigio Jovis templi, quas faciendas locaverant Romani Vejenti cuidam artis figulinæ prudenti, quæ bello sunt receptæ, quia in fornace adeo creverant, ut eximi nequirent: idque prodigium portendere videbatur, in qua civitate eæ fuissent, omnium eam futuram potentissimam.* Fusius hæc prosequitur Plutarch. in Poplic. p. 103. F. & nota et Plin. XXVIII. 2. infr. in *Sorte.* Hæ, nisi jam ante forsitan a Sylla, in Capitolii restitutione, e marmore, aut potius, ut Donatus existimat, ex ære refectæ sunt. Ego jam multo ante ex ære factas e pecunia damnatorum fœneratorum mulctati invenio in Liv. x. 23. *Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis multatis, ex eo quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Jovis, Jovemque in culmine cum quadrigis posuerunt.* Nardin. Rom. Vet. v. 15. Buleng. de Prodig. c. 10.

Quadrigæ falcatæ. V. illas supr. in *Currus falcatus.*

Quadriga summa dicebatur, quæ spinæ circi, & metis propior esset: ima, quæ remotior ad podium, & gradus magis pertineret. In veteri lapide: *C. Appulejus Diocles summa quadriga agitavit annis* XXIV. Buleng. de Circ. c. 44. Panvin. de Lud. Circens. I. 14.

Quadrigis raptari & discerpi olim erat supplicii genus. Liv. I. 28. *Tum Tullus: Metti Fuffeti, inquit: ut paullo ante animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti, ita jam corpus passim distrahendum dabis. Exinde, duabus admotum quadrigis, in currus earum distentum illigat Mettum: deinde in diversum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, qua inhæserant vinculis membra, portantes.* Plutarch. Parall. 14. *Tullus Hostilius Romanorum Rex bellum gessit contra Albanos: quorum Rex erat Metius Fufetius, ac prælium sæpius distulit. Semel victo eo Albani se ad convivia dederunt: quos Tullus vino captos adortus, Regem eorum duabus pullis equinis alligatum discerpsit. Alexarchus quarto Italicorum.* Hanc historiam dederant etiam Dionys. Antiq. Roman. III. p. 171. Gell. N. A. XX. 1. Virg. Æneid. VIII. 642. Hor. I. 3. 8. Ovid. Trist. I. 3. 75. Claud. de Bell Gildon. n. 253. Hoc supplicii genus invenit Hercules. Plutarch. Parall. 13. *Pyræchmes Euboensium Rex bellum in Bœotos gessit. Hunc Hercules etiam num adolescens vicit, pullisque equis alligatum in duas partes discerpsit, insepultumque abjecit.* Godelev. in Livium. Zimmermann. Floril. Philol. p. 664. Oisel. in Gellium. Pontan. in Virgilium. Invenio parem ferme locum in Sophocl. Electr. n. 866.

Etiamne in incitatis certaminibus,
Quemadmodum ille miser,
Sectilibus tractibus discerpantur.

Est & in vita Theclæ apud Metaphrasten simillimum. *Theclam itaque exutam, mediam inter tauros pedibus alligant, deinde ferrum igne candens eorum genitalibus subjiciunt, ut animalia infestata, & ad naturæ insitam feritatem irritata Theclam circus discerpant atque interimant.* Ab hac ea nisi cima non distant supplicia illa, quibus absumpti sæpe fortissimi Christi athletæ, alligati duobus arborum ramulis contra naturam inflexis, ut mox dissilientes quodque corporis partem abriperet. Quod supplicii genus multo ante in Persis hæsit, narratque in Alexandro p. 690. B. Plutarchus, ita absumptum Bessum, qui Darium necaverat. *Cerda in Virgilium.*

QUADRIGARII appellantur a *quadrigis.* Suet. Ner. c. 16. n. 3. *Vetiti quadrigariorum lusus, quibus inveterata licentia passim vagantibus, fallere, ac furari per jocum jus erat.* Ubi tamen *quadrigarii* non sunt illi tantum, qui agebant *quadrigas* in circensi ludicro, sed in universum omnes, currus quoscunque in circo agentes. Ita Festus: *Factio, & factiosus initio honesta vocabula erant, unde adhuc factiones histrionum, & quadrigariorum dicuntur.* *Quadrigarii* sunt agitatores circenses cujuscunque generis. Gloss. vet. *Quadrigarius*, ἁρματηλάτης, ἱππηλάτης, ἡνίοχος. Atque ita fere semper invenias, propter dignitatem, & frequentiam *quadrigarum.* Scheffer. de Re vehic. II. 13. Buleng. de Circ. c. 44.

QUADRIGATI dicebantur nummi, quia *quadrigarum* nota erant insigniti. V. illos supr. in *Nummus.*

QUADRIJUGES dicebantur equi quatuor, juxta se continua serie conjuncti, non ante se uni & omni. Quod cognoscimus ex curru solis, de quo sic Ovid. Met. II. 168.

— tritumque relinquunt
Quadrijuges spatium, nec, quo prius ordine, currunt.

Certe nemo fuit unquam, qui non equos in hoc curru faceret æquali fronte incedentes. Itaque & *quadrigas* appellarunt. Tertull. de Spectac. c. 9. *Quadrigas soli sacraverunt.* Nempe & *quadrigæ*, velut *quadrijuges*, aut *quadrijugæ.* Fronto apud Gell. XIX. 8. *Quadrigæ semper, etsi multijugæ non sunt, multitudinis tamen teneantur numero, quoniam quatuor simul equi juncti quadrigæ, quasi quadrijugæ, vocantur.* Dicit, non esse *multijuges*, id est, multa habere imposita sibi juga vehiculoria, habere tamen simul junctos equos, id est, *pares, & ejusdem jugi*, sicut Festus loquitur in *juges*, vel quod idem est, jugatos inter sese, ac conjunctos. Quomodo intelligendus quoque Isidor. XVIII. 36. *Quadrigæ, & bigæ, trigæ, & sejugæ ab equorum numero, & jugo dictæ.* Vult a *jugo* dictas, non quod *jugum* unum habeant, sed quod inter se *jugentur*

Hoc enim proprie *jugare*, a quo differt *jungere*. *Jugantur* enim animalia, cum vel sub unum mittuntur *jugum*, vel æquali fronte, velut sub *jugo* uno, constituuntur. *Junguntur* autem, quando quovis modo firmantur ad vehiculum. *Schefer. de Re vehic.* I. 12.

QUADRIPORTICUS est atrium *quatuor porticibus* circumdatum, ante ædium sacrarum vestibula. Græcis τετράστυλον. Fortunatus IX. de atrio ædis sacræ:

Altior impluvium, quadrataque porticus ambit.

Paullin. Nat. IX.

Ecce vides istam, qua janua prima receptat,
Porticus obscuro fuerat prius obruta tecto,
Nunc eadem nova pigmentis, & culmine crevit.
Ast ubi consèptum quadrato tegmine, circa
Vestibulum medio referatur in æthera campo,
Hortulus ante fuit.

Et

Sed rursum redeamus in atria, conspice rursum
Impositas longis duplicato tegmine cellas
Porticibus.

Du Fresne Glossar.

QUADRIREMIS dicitur navis, quæ quadruplices habet *remorum* ordines. *Scheffer. de Re nav.* II. 2. *de var. nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 778. *D. Meibom. de Fabr. trirem. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 570. *C.* Græce τετήρης. Polyb. I. *Quodam autem loco, in quo erant brevia, resedit agger, idque multo militum labore: in quem quadriremis, τετρήρης, nocte excurrens impegit.* Illam *invenit Aristoteles Carthaginensis.* Plin. VII. 56. *Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p.* 574. *D. Scheffer. ibid.* I. 3. Statuo fuisse navigium, longum circiter pedes CXXV. latum pedes XIII. habens sedilia cujusque ordinis XXX. in universum remiges CCXL. Interscalmium facio pedum III. & dodrantis. Quum duo medio transtra haberet, iisdem, quibus sedilia lateralia, intervallis distantia; planum est, navis tabulatum extantiam habuisse, ita ut supra zygitas ad dimidium pedem altitudo ejus augeretur, & reliquum spatii ad latus, pedum duûm semis latitudine, supra remiges laterales, fororum usum obtineret. *Meibom. ibid. p.* 584. *C.*

QUADRIVIUM, *ubi quatuor viæ conveniunt.* Papias. *Barth. Adv.* XLV. 19. V. & supr. in *Compitum.* In illis impudicissimæ meretrices prostabant. Catull. LVIII. I.

Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se, atque suos amavit omnes:
Nunc in quadriviis, & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Almelov. Antiq. p. 38.

Quadrivium dicuntur etiam *quatuor artes, id est, arithmetica, geometria, musica, astronomia, quia se ad invicem complectuntur, ut non bene unam noverit, qui alias non noverit, orbatusque videatur uno oculo.* Papias. *Barth. Adv.* XLV. 19. *Du Fresne Glossar.*

QUADRUPLATORES *erant delatores criminum publicorum: in qua re quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, assequebantur. Alii dicunt: quadruplatores esse eorum reorum accusatores, qui convicti quadrupli damnari soleant: ut aleæ, aut pecuniæ gravioribus usuris fœneratæ, quam pro consuetudine, aut ejusmodi aliorum criminum.* Ascon. in Cicer. p. 26. & 116. Tacit. Annal. IV. 20. 2. *Contra Manius Lepidus quartam accusatoribus secundum necessitudinem legis concessit.* Plaut. Pers. I. 2. 10.

Neque quadruplari me volo: neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona:
Neque illi, qui faciunt, mihi placent.

Turneb. Adv. III. 9. Coras. Miscell. II. 24. 10. Bud. in Pandect. p. 188. H. 201. B. Voss. Lex. Etymol. Pollet. & Broid. For. Rom. IV. 2. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. IX. 31.

QUADRUSSIS uno vocabulo dicebantur quatuor asses: fuit nummus æreus communi signo percussus. Plutarch. in Mario p. 427. E. *Tinnius*, L. Titinnius, *Fanniam in matrimonio habuit. Ea divortio facto dotem repetebat, quam pergrandem habuerat. Hic adulterium ei objiciebat. Marius Consul* VI. *judex erat. Causa utrinque acta, cognitum est, & Fanniam impudice vixisse: & Titinnium, cum illam talem nosset, dotis lucrandi causa nihilominus duxisse, diuque illam in matrimonio habuisse. Marius postquam utrumque increpuit, virum dotem jussit reddere: mulierem autem infamiæ damnatam quatuor assibus damnavit.* Æs quaternum vocat Mart. XII. 77. I.

Amphora vigessis, modius datur ære quaterno.

Hotman. Antiq. Roman. IV. I. 13.

QUÆRERE est quod informare vulgo a nostris dicitur, & legibus vindicare. Cicer. pro Mil. c. 6. *Tulit de cæde, quæ in via Appia facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit. Quid ergo tulit? Nempe ut quæreretur. Quid porro quærendum est? factumne sit: at constat. A quo? at patet.* Bud. in Pandect. p. 36. C. Unde rem *quæsitam* dicebant, cum ad vindictam criminis aliquid statuebatur de reis, aut ut ad tormenta servorum iretur pro crimine comperiendo, ut Cicer. pro Clu. c. 65. *Quid? Romæ quæsitum de istis hominibus non erat? illane tandem mulier jam non morbo, sed scelere furiosa, cum quæstionem habuisset Romæ, cum de virorum honestissimorum sententia constitutum esset, satis quæsitum videri: eadem de re triennio post in filii caput quæstionem habere conata est?* id est, non repetendos esse servos ad quæstionem. Plin. Epist. II. 11. 3. *Respondit Fronto Catius, deprecatusque est, ne quid ultra repetundarum legem quæreretur, omniaque actionis suæ vela vir movendarum lacrymarum peritissimus, quodam velut vento miserationis implevit. Magna contentio, magni utrinque clamores: aliis cognitionem senatus lege conclusam, aliis liberam, solutamque dicentibus: quantumque admisisset reus, tantum vindicandum.* Quærere hoc loco pro judicium exercere Plinius accepit: & quod dicit *conclusam senatus cognitionem*, hunc habet intellectum, adstrictam uno judicio repetundarum: quia ab initio SCtum fuerat in eam sententiam, ut Prisco reo lege repetundarum quæstio haberetur, cum tamen Priscus immanitate criminum majorem pœnam meritus esset. Non licebat autem hominem delatum pluribus reum fieri apud prætorem, & judices: sed senatus legibus erat solutus, ut auctor est Quintil. III. 12. Paull. de Accusation. *Senatus censuit, ne quis ob idem crimen pluribus legibus fieret reus.* Bud. ibid. p. 226. G.

QUÆSITOR non idem erat qui prætor. V. supr. in *Prætores.* Hi, quos populus creasset, solebant præesse publicis judiciis ante constitutas quæstiones perpetuas. *Gruch. de Comit. Rom.* I. 2. Omnia ejus prudentia regebantur. Cicer. ad Herenn. IV. 35. *Accusatoris officium est inferre crimina, defensoris diluere, testis dicere quæ scierit, quæsitoris unumquemque eorum in officio continere.* Interim dum causa agebatur, & dimittere judices, & invitos retinere pro potestate habuit. Cicer. Brut. c. 54. *Intelligens dicendi existimator videt judicem oscitantem, loquentem cum altero, mittentem ad horas, quæsitorem ut dimittat rogantem.* de Orat. I. 26. *Adolescentulus sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simul ac me fractum metu videret.* pro Mur. c. 20. de *quæsitore* peculatus: *Cogendi judices inviti, retinendi contra voluntatem.* Custodiebat etiam urnas in tribunali paratas, sive ad sortes ducendas, sive ad sententias judicum, quæ in tabellis scriptæ erant, recipiendas. Cicer. in Vatin. c. 14. *Quæro ex te, num quis reus in tribunal sui quæsitoris ascenderit, eumque vi deturbarit, subsellia dissiparit, urnas dejecerit, eas denique omnes res in judicio disturbando commiserit, quarum rerum causa judicia sunt constituta?* Itaque huc alludens dixit Virg. Æneid. VI. 432.

Quæsitor Minos urnam movet: ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque & crimina discit.

Sigon. de Judic. II. 21. Illorum, sive ordinarii, sive extraordinarii essent, quanquam potestas ab ea lege, qua creati erant, tota manavit, tamen omnium in his rebus collocata fuit, ut in foro, atque in tribunali, & in sella

curuli

curuli sedentes, judice quæstionis operam, fidemque navante, gladio posito, judicium exercerent, cum eis judicibus, qui eis obvenissent, sedentibus in suis subselliis, scribis vero, accensis, præconibus, lictoribus, aliisve apparitoribus assistentibus. Cicer. pro Clu. c. 53. *Quid sibi illi scribæ? quid lictores? quid cæteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt?* Brut. c 84. *Volo hoc oratori contingat, ut, cum auditum sit, eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribæ sint in dando, & cedendo loco.* Sigon. ibid. & 4. Siccam. de Judic. centumvir. I. 5. Hotman. Antiq. Roman. II. 13.

Quæsitores parricidii quinam fuerint V. supr. in *Judicium publicum magistratuum.* Unde Festus: *Quæstores parricidii appellantur, qui de rebus capitalibus quærunt.* Horum memoria apud Liv. IV. 51. de M. Cornelio Cosso, & L. Furio Medullino coss. an. 340. *Scitum factum, ut de quæstione Postumianæ cædis tribuni plebis primo quoque tempore ad plebem ferrent: plebesque præficeret quæstioni, quem vellet: a plebe consensu populi consulibus negotium mandatur.* An. 566. XXXVIII. 54. *Petillii tribuni plebis rogationem ad plebem tulerunt: velitis, jubeatis, ut quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab Rege Antiocho, quod æs publicum relatum non est, uti de ea Ser. Sulpicius prætor urbanus ad senatum referat, quem eam rem senatus velit quærere, de iis, qui prætores nunc sunt: omnes tribus, uti rogassent, jusserunt: Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petillii quærere vellent, Q. Terentium Culleonem patres jusserunt. Ad hunc reus L. Scipio factus: & recepta nomina legatorum ejus, & quæstoris. Damnato Scipione & nullo vestigio pecuniæ regiæ in bonis ejus invento, invidia vertit in prætorem, & consilium ejus, & accusatores.* Atque in hunc quidem modum usque ad an. 604. *quæstiones* publicæ exercitæ sunt, ut quotiescumque res posceret, aut consules, aut dictator, aut prætor SCto, aut lege *quærere* juberetur. Anno autem ipso 604. perpetuæ *quæstiones* esse, ac proprium *quæsitorem* habere cœperunt. *Legem enim L. Piso tribunus* plebis tulit, qua *quæstionem* repetundarum perpetuam fecit, ut scribit Cicer. in Brut. c. 26. *Hoc*, Carbone, *forum tenente plura judicia fieri cœperunt: nam & quæstiones perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt, quæ nullæ ante fuerant. L. enim Piso tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Censorino & Manlio coss. tulit.* Ii vero anno eo, quo dixi, consules fuerunt. Quid *quæstio* perpetua. V. infr. in *Quæstio.* Sigon. de Judic. II. 4. Pollet. For. Rom. III. 7. Hotoman. de Magistr. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1884. E. Pigh. Annal. Rom. I. p. 71. & 268. Panvin. Fast. I. p. 66. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1106. D. Comitiis tributis creabantur. Hoc vel inde intelligi potest, quod sæpe habentibus comitia tribunis plebis *quæsitores* creati sunt: quibus jus non erat habendi comitia centuriata. Hinc lex Mamilia apud Sallustium, lex Varia apud Asconium, quibus decernebantur certis quibusdam criminibus *quæstiones*: ad quas exercendas ipsi legum latores simul populum rogabant, ut *quæsitores* designaret. Jam vero minores hos magistratus fuisse nemo negat: unde tributis comitiis creari consequitur. *Gruch. de Comit. Rom.* II. 2.

QUÆSTIO fuit judicium publicum. Eversa Republica est appellata merum imperium: sunt enim tria magistratuum imperia celebrata, merum, non merum, & mistum. V. supr. in *Imperium.* Hæc *quæstio*, sive hoc merum imperium, publicive judicii cognitio, aut exercitio alteri mandari non potuit: nisi fortasse eadem lex, quæ de *quæstione* erat lata, *quæstionem* illam transmitti licuisse sanciverit. Atque hoc est, quod scripsit Papin. ff. de officio ejus. *Quæcunque specialiter lege, vel SCto tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur: quæ vero jure magistratus competunt, mandari possunt: & ideo videntur errare magistratus, qui cum publici judicii habeant exercitionem lege, vel SCto delegatam, veluti legis Juliæ de adulteriis, & si quæ sunt alia similes, jurisdictionem suam mandant. Hujus rei fortissimum argumentum, quod lege Julia de vi nominatim cavetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare: non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse cœperit, cum alias jurisdictio etiam a præsente mandetur. Et si a familia dominus occisus esse dicetur, cognitionem prætor, quam ex SCto habet, mandare non poterit. Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur: verius est enim more majorum jurisdictionem quidem transferri, sed merum imperium quod lege datur, non posse transire: quare nemo dixit, animadversionem legatum proconsulis habere mandata jurisdictione.* Sigon. de Judic. II. 4. de Antiq. jur. provinc. II. 5.

Quæstio perpetua facta intelligitur, cum prætori in singulos annos mandatur. Mandatur vero, cum hæc verba in lege de aliquo vindicando crimine lata ponuntur: *De ea re prætoris quæstio esto.* Item: *Prætor, qui ex hac lege quæret, facito ut.* Quando cœperit esse V. supr. in *Quæstores parricidii.* Post *quæstionem* de repetundis, de qua illic Cicero, *quæstio* inde de peculatu, de majestate, & de ambitu perpetua facta est. *Sigon. de Judic.* II. 4. *Pollet. For. Rom.* III. 7. *Siccam. de Judic. centumv.* I. 5. *Robortell. de Judic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. p. (15.) *B. Hotman. Antiq. Roman.* II. 13. *Pigh. Annal. Rom.* I. p. 268. II. p. 467. Si vero novum crimen, & inauditum, ita ut de eo legibus cautum non esset, deferebatur, nova lege lata *quæstio* constituebatur, ut in causa Milonis nova lege *quæstionem* exercuerunt Pompejus & Cn. Domitius. Item in aliis omnino novis maleficiis. Cicer. Phil. II. 9. *Quid enim attinebat nova lege quæri de eo, quod hominem occidisset, cum esset legibus quæstio constituta?* Pollet. l. l. Panvin. in Fastor. I. p. 108. Lycklam. de Magistrat. c. 7.

QUÆSTORES ærarii quomodo differant a tribunis ærarii V. infr. in *Tribuni.*

Quæstores candidati dicebantur, qui libris, hoc est, epistolis, sive orationibus principis in senatu legendis præerant. Ulpian. l. I. ff. de officio quæst. *Non omnes quæstores provincias sortiebantur, verum excepti erant candidati Principis.* Lamprid. Alex. c. 43. *Quæstores candidatos ex sua pecunia jussit munera populo dare, sed ut post quæsturam præturas acciperent, & inde provincias regerent.* Quibus ex verbis suspicor candidatos ea re dictos esse, quod hic ingressus erat, & quasi primordium gerendorum honorum, & sententiæ in senatu dicendæ, quemadmodum scribit Ulpian. l. l. Principum orationes in senatu recitabat. Suet. Aug. c. 65. n. 7. *De filia absens, ac libello per quæstorem recitato, notum senatui fecit.* Tit. c. 6. n. 4. *Recepta ad se prope omnium officiorum cura, cum patris nomine, & ipse epistolas dictaret, & edicta conscriberet, orationesque in senatu recitaret etiam quæstoris vice.* Hinc Principis ore dicebantur loqui. Rutil. Itin. I. 172.

Primævus meruit Principis ore loqui,

Sidon. Carm. I. 26.

Aut Phœbi, aut vestro qui solet ore loqui:
Qui licet æterna sit vobis quæstor in aula.

Hotoman. de Magistr. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 1886. C. Turneb. Adv. V. 11. Pollet. For. Rom. I. 4. Brisson. Antiq. I. 17. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c 73. Gentil. Orig. p. 219. Lipf. de Magistrat. Roman. c. 16. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 30. Broff. ad Cassiod. Var. VI. 5. Juret. in Symmachum. Sitzmann. & Barth. in Rutilium. Pitisc. in Suetonii Augustum. Leges etiam dictabat, & preces, ut addit Notitia imperii. Aucta est ejus dignitas a Constantino, cæterisque post eum Principibus. Nam *quæstura dignitas, & gloria literarum* vocatur apud Cassiod. Var. I. 12. & *pontificium literati honoris*: quod literatis, jurisque peritis tantum daretur, Symmach. Epist. III. 15. Quare Symmach. Epist. I. 17. ad Ausonium: *Quæstor es, memini: concilii regalis particeps, scio: precum arbiter, legum conditor, recognosco: adde hæc alia mille rerum.* Sed & ab Imperatoribus *quæstor justitiæ custos* Novell. Valentin. de homic. cas. fact. *armarium legum* a Cassiod. Var. VI. 5. *vox legum* a Cassiod. Var. VIII. 13. appellatur. *Guther. l. l.* Constitutionibus subscribebat. Statuit Justinian. Novell. 53. &

53 & 114. *ut divinæ* [illegible] *subscriptionem haberent gloriosi quæstoris: aut* [illegible] *aliter* [illegible] *reciperentur, quæ* [illegible] *fuerint* [illegible]. Ita enim habet Novell. 112. *Præsenti lege decernimus, nullam divinam jussionem, neque per* [illegible] *quæstoris* [illegible], *neque per alium* [illegible], *aut agentes, aut* [illegible] *personam, cuicunque judici* [illegible] *a quolibet* [illegible] *cognitore*, [illegible] *quæstoris* [illegible] *non fuerit, qua continetur, & inter quos, & ad quem judicem, vel per quam fuerit* [illegible] *personam.* Subscribebant vero his verbis: *quæstor legi*, vel *quæstor subscripsi*, ut apparet ex Justinian. Novell. 22. In Novellis etiam Theod. & Valentin. de homic. ca. fa. t. post dictum & [illegible] additur *subscripsi*. Brisson. de Form. III. p. 326. Guther. l. l.

Quæstores palatii sub Constantino cœperunt. Magna dato eps fuit dignitas: eique dictanda leges, & decreta condere, petitionibus subscribere, responsa reddere: & omnino [illegible] quædam, ac legum custos, ac præses fuit: quod nomen hodie in *cancellarium* mutatum vere dixeris. De hoc Zosim. v. 32. *Secundum his & Salvius;* [illegible] *Principi videretur.* *Quæstorem a Constantini temporibus appellarunt.* Symmach. Epist. I. 17. *Quæstor es, memini: consilii regalis particeps, scio* [illegible] *arbiter,* [illegible] *rerum.* Ejus [illegible] a *quæstore* Principis, qui candidatus Principis appellatus. *Lyc. de Magistrat. Roman.* c. 16.

Quæstores provinciales erant, qui una cum proconsulibus, aut proprætoribus in provincias exibant, cum pecuniam sibi ex ærario a senatu attributam, & a tribunis ærarii adnumeratam accepissent: unde stipendio, frumento, legatis, proquæstoribus, cohorti prætoriæ suppeditabant: Ascon. in Cicer. p. 29. *Prima,* [illegible] *quæstorem* [illegible] *in provincia curam gerere* [illegible] *publica* [illegible] *sequenda.* Hotomann. de Magistr. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. II. p. 1805. B. Siccam. de Centumv. judic. I. II. Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 46. Ouzel. in Gell. XIII. 13. Bergier. de viis milit. IV. 25 §. 10. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 74. Prevot de Magistrat. Roman. c. 14. Blond. Triumph. Rom. II. p. 58 H. Sardus de Moribus gent. II. 16. *Quæstor* alter fuit provinciæ magistratus. Neque enim eo jure in provincia versatus est, quo legatus: ille enim potestatem a prætore, hic a populo accepit; ille eam, quæ fuit prætoris, hic legem a prætoria separatam nactus est; ille apud prætorem assidebat, hic sibi locum obtinuit. In singulis enim provinciis singuli quæstores mittebantur, præterquam in Siciliam: quæ cum duplex fuisset provincia, vetus, & nova, duos etiam habuit *quæstores*: unum, qui Lilybæi curabat, alterum, qui Syracusis. Legebantur eo modo, quo præsides: nam cum legitimus in annum quæstorum numerus populi suffragiis esset creatus, jubebat [illegible], ut provincias in sortem conjicerent: provinciæ vero duæ [illegible], certum, quæ ærario populi Romani præerant; reliquæ fere *provinciales*, eorum, qui ut dixi, cum consulibus, aut prætoribus in provincias irent. Cicer. ad Q. Fratr. II. 3. *Reliebatur de provinc.* quæstorum. I. I. *Quæstorem habes non tuo judicio delectum, sed eum, quem sors dedit.* Quemadmodum autem præsides non semper provincias ex Scto sorte, sed aliquando lege obtinuerunt, sic eas non semper *quæstores* ex Scto sortiti sunt, sed aut Scto, aut lege aliqua extra ordinem nominatim adepti sunt. Atque hoc docuit Liv. XXX. cum Scipionem Lælii *quæstoris* extra sortem ex Scto usum opera in Africa scribit. Cic. Attic. VI. 6. *Pompejus Q. Cassium quæstorem, me forte delegit, Cæsar Antonium* [illegible] *Cœlium forte* [illegible]*?* Separata quoque fuit ejus, ac præsidis potestas: nam præses privatas, ac publicas controversias, quæ aut jure civili, aut a legibus proficiscebantur, dijudicavit; *quæstor* vero propria administratione pecuniam, prædamque publicam curavit, ac tabulas publicas confecit. Scribis, & lictoribus erat insignitus; [illegible], ad conficiendas tabulas publicas, lictoribus ad majestatem magistratus tuendam. Cicer. Verr. III. 78. *Nuper, Hortensi, quæstor fuisti: quid tui scribæ fecerint, tu potes dicere: ego de meis hoc dico, cum in eadem ista Sicilia pro frumento civitatibus pecuniam solverem, mecum duos scribas haberem, non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nullum nummum cuiquam esse deductum.* II. 4. *Quæstores utriusque provinciæ, qui isto prætore fuerant, cum fascibus mihi præsto fuerunt.* pro Planc. c. 41. *Planeus quæstor, simul ac Dyrrhachium me tetigisse audivit, statim ad me lictoribus dimissis, insignibus abjectis, veste mutata profectus est, ac Thessalonicam me, in quæstoriumque perduxit.* Sigon. de Jur. provinc. II. 3. Valtrin. de Re milit. III. 10. Magna intercesse necessitudo semper credebatur *quæstori* cum suo præside. Cicer. Divin. c. 19. *Sic a majoribus nostris accepimus, prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere: nullam neque justiorem, neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri, quam conjunctionem sortis, quam provinciæ, quam officii, quam publici muneris societatem: quamobrem si jure eum posses accusare; tamen, cum is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses.* Famil. XIII. 10. *Cum ad te tuus quæstor M. Varro proficisceretur, commendatione egere non putabam; satis enim commendatum eum tibi arbitrabar ab ipso more majorum, qui hanc quæsturæ conjunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse.* Pigh. Annal. Rom. I. p. 267. Sigon. Valtrin. Bergier. Prevot. l. l. Etiam vide. [illegible] jurisdictionem exercuisse. Suet. Jul. c. 7. n. 1. *Quæstori ulterior Hispania obvenit, ubi cum mandato prætoris jure dicundo conventus circumiret.* Cicer. Divin. c. 17. *Quæstor ad se Agonidem vocari jubet, judicium dat statim.* Siccam. & Valtrin. l. l. Etiam rei totius frumentariæ administrationem illis commiserunt prætores. Cicer. Verr. I. 14. *Tibi Cn. Carbo consul quando improbus esse cœpit? postea quam tibi pecuniam; rem frumentariam, rationes omnes suas, exercitumque commisit.* c. 38. *Pro quæstore quomodo iste. . . . Phrygiamque totam frumento imperando, æstimandoque afflixerit, non est necesse demonstrare. Scitote his nominibus, cum ille civitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque* [illegible] *sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret, his nominibus solis, Cn. Dolabellæ HS ad tricies litem esse æstimatam. Quæ omnia ejus voluntate Dolabellæ fiebant, per istum tamen omnia gerebantur.* Et se *quæstorem* frumenti Romam mittendi curam habuisse profitetur pro Planc. c. 26. *Non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quæsturam, aut graviorem, aut clariorem fuisse: frumenti in summa caritate maximum numerum miseram negotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus etiam visus sum in omni officio diligentissimus.* Sigon. ibid. c. 8. Et non tantum illam; sed etiam armorum publicorum, & signorum, quæ Romæ in ærario servari solebant, custodiam. Testatur Liv. III. 70. *Hæc omnia adeo mature perfecta accepimus, ut signa eo ipso die a quæstoribus ex ærario prompta, delataque in campum quarta diei hora mota ex campo sint.* Patet ex hoc loco signa in ærario olim asservata, & a *quæstoribus* inde deprompta, & in Campum Martium, ubi delectus legionum habebatur, delata fuisse. Idem VII. 23. *Cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire armatos juniores jussisset, signa eodem quæstores ex ærario deferre.* Qui locus docet, quæstores nonnisi armata jam legione signa distribuisse, usque distributis exercitum loco moveri cœpisse. *Patric. de Re milit. Roman. p. 6. f. 5. Lycklama de Magistrat. c. 3.* Prædam ab hostibus captam consules, seu dictatores, qui erant exercituum imperatores, illis tradebant, ut venderent, & hastæ publicæ submitterent, pecuniam ex venditione redundantem in publicas tabulas referrent: imo & multam ab aliis magistratibus dictam. Prædam acceperunt. Cicer. Fam. II. 17. *Rationes mei quæstoris, nec verum fuit me tibi mittere, nec tamen erant confectæ. . . . De præda mea præter quæstores urbanos, id est, populum Romanum, terruncium nec attigit.* Vendiderunt. Liv. IV. 53. *Præda ex Æquorum populationibus, quod omnia in locum tutum congesta erant, fuit aliquantum. Vendendum sub hasta consul in ærarium redigere quæstores jussit.* Dionys. X. p. 643. *Ubi quidquid auri, argenti, æris, pecuniarumque inventum est, in ærarium referri jussit, & captivos cum reliqua præda sub hasta vendi a quæstoribus.* Lycklama l. l. Leeuwen de Orig. jur.

jur. p. 36. Imperio caruerunt, & auspiciis præsidis, & imperio ab eo accepto rem gesserunt. Cæs. de Bell. Gall. VI. 6. *Cæsar partitis copiis cum Fabio legato, & Crasso quæstore, hostes adiit tripartito.* Hirt. VIII. 2. *Cæsar Antonium quæstorem præfecit hibernis.* Sigon. ibid. c. 8. Ut non semper cum suis prætoribus in provinciam perrexerunt, sic neque semper cum iis, verum sæpe aut ante, aut post eos decesserunt. C. quidem Gracchus per triennium in Sardinia *quæstor* Orestis proconsulis fuit, L. Lucullus L. Murænæ in Asia per multos annos. Eundem etiam Gracchum non exspectato successore decessisse invenio, atque hoc idem postea Cæsarem fecisse in Hispania. Fuit etiam, qui, quia sibi successum non esset in provincia, ultra tempus annuum remanserit, ut Antistius, de quo Cicer. Fam. XIII. 29. *T. Antistius cum forte quæstor provinciam Macedoniam obtineret, neque ei successum esset, Pompejus cum exercitu in eam provinciam venit.* Ex quo intelligi potest, quam varia quoque, & inconstans decessionis *quæstoriæ* ratio, atque observatio fuerit. *Sigon. ibid. c. 9.* Reversi sententiam dicebant in senatu, reddita tamen prius ratione administratæ provinciæ: postea lege Julia cautum, ut relinquerent confectas & consolidatas in provincia apud duas civitates, easdemque totidem verbis in Urbem referrent ad ærarium, & inter triginta dies deferrent illos, quibus rationes retulissent. *Pighius & Sardus l. l.* V. supr. in *Præsides.*

Quæstores urbanos inter, & provinciales hanc differentiam reperio. I. quod illi *neque lictores, neque viatores habebant; cum neque vocationem, neque prehensionem haberent:* uti scribit Gell. XIII. 13. Hi vero & lictores, & togam prætextam habebant. Cicer. pro Planc. c. 41. V. illum supr. in *Quæstores provinciales.* II. quod urbani jus non dicebant, provinciales autem jure dicundo conventus circumibant, & quæcunque commissa populo Romano essent, exquirebant, deque iis judices, ac recuperatores dabant, quemadmodum videmus in divinatione Q. Cæcilium Verris *quæstorem* in Agonidem judicium dedisse. V. Suetonium, & Ciceronem supr. in *Quæstores provinciales.* Hotoman. de Magistr. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 1884. C. Lycklama de Magistrat. c. 3. Quando instituti sint, docent Tacit. Annal. XI. 22. 4. *Quæstores Regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex curiata ostendit ab L. Bruto repetita. Mansitque consulibus potestas eligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret, creatique primum Valerius Potitus, Æmilius Mamercus 63. anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis duo additi, qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus stipendiaria jam Italia, & accedentibus provinciarum vectigalibus. Post lege Syllæ viginti creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat. Et quanquam equites judicia recuperavissent, quæstura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellæ venundaretur.* Ulpian. l. 1. ff. de Offic. quæst. *Origo quæstoribus creandis antiquissima est, & pene ante omnes magistratus. Gracchanus denique Junius VII. de Potestatibus, etiam ipsum Romulum, & Numam Pompilium binos quæstores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent, refert. Sed sicuti dubium est, an Romulo, & Numa regnantibus quæstor fuerit, ita Tullo Hostilio Rege quæstores fuisse certum est. Sane crebrior apud veteres opinio est, Tullum Hostilium primum in Rempublicam induxisse quæstores. Et a genere quærendi quæstores initio dictos, & Junius, & Trebatius, & Fenestella scribunt.* Tacit. Annal. XIII. 28. 6. *Deinceps curam tabularum publicarum a quæstoribus ad præfectos transtulit, varie habita, ac sæpe immutata ejus rei forma. Nam Augustus permisit senatui deligere præfectos. Deinde ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero prætorum, qui præessent: neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæstores imposuit, usque ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. Sed deerat robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero præfectura perfunctos, & experientia probatos delegit.* Hotomann. ibid. p. 1883. C. Siccam. de Centumv. judic. I. 11. Pigh. Annal. Roman. Tom. I. p. 70. & 160. Panvin. in Faster. I. p. 65. Prevot. de Magistr. Roman. c. 14. Gutherr. de Offic. dom. Aug. III. 32. Laz Comm. Reip. Rom. II. 14. Faber Semestr. I. 22. Sardus de Morib. gent. II. 26. Buleng. de Imper. Rom. III. 15. Ouzel. in Gell. XIII. 13. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 74. Lycklam. de Magistrat. c. 3. Flocc. de Potest. Roman. II. 3. Læt. de Magistr. Roman. c. 17. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1108. B. Blond. Triumph. Rom. III. p. 52. G. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 13. Tantæ fuerunt auctoritatis, ut Imperatores redeuntes ab expeditione non prius triumphum adipiscerentur, quam apud ipsos jurarent vere scriptum fuisse ad senatum de hostium occisorum, & civium amissorum numero. *Prevot. & Ouzel. l. l.* Legatos etiam exterarum gentium, qui Romam venerant, excipiebant, deducebant, iis hospitium curabant. Val. Max. V. 1. 1. *Senatus cum ad gratulandum sibi Prusiam Bithyniæ Regem Perse devicto venire audisset, obviam illi P. Cornelium Scipionem quæstorem misit. censuitque ut domus ei Romæ quam optima conduceretur, & copiæ non solum ipsi, sed etiam comitibus ejus publice præberentur.* Et de Ptolemæo Ægypti Rege, qui Romam venerat, *senatum arcessito juvene, quam potuit, accurata excusatione usus est, quod nec quæstorem more majorum obviam misisset, nec publico eum hospitio excepisset.* Eorum, cum ægrotarent, curam gerebant, mortuosque publico sumptu sepeliebant. Val. Max. V. 1. 1. *Consularis clementia in Perse usus est: nam cum Alba, in qua custodiæ causa relegatus erat, decessisset, quæstorem misit, qui eum publico funere efferret.* Lycklama & Laz. l. l. Franckenstein ibid. c. 16. Senatusconsulta decreto Augusti asservabant, quod ante munus fuerat ædilium & tribunorum. Dio LIV. p. 546. C. *Quæstoribus etiam, quæ unoquoque tempore fierent, Acta adservanda tradita: quum tribuni plebis, ac ædiles, quibus antea id negotium datum fuerat, per apparitores hoc suos egissent, atque inde error, & confusio incidisset.* Lycklama, Hotomann. Franckenstein & Ouzel. l. l. Vias sternebant. Suet. Claud. c. 24. n. 4. *Collegio quæstorum pro stratura viarum gladiatorium munus injunxit.* Bergier. de viis milit. I. 3. p. 8. Gladiatores exhibebant. Tacit. Annal. XI. 22. 2. *Iisdem consulibus P. Dolabella censuit, spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum, pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur.* Tertull. de Spectac. c. 12. *Transiit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viventium, quæsturas dico....* Suet. Domit. c. 4. n. 3. *Quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo postulandi.* Et loco modo laudato. *Lips. Saturn. I. 9. & in Tacitum. Pitisc. in Suetonii Claudium.* Statuarum publice decretarum pactum pretium persolvebant ei, cui locatæ essent. Inde est, quod in Scto de statua Ser. Sulpicii apud Cicer. Phil. IX. 7. senatui placuit, ut *consules, alter, ambove, quæstoribus imperarent, statuam locare, quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori attribuendam, solvendamque curarent.* Illorum enim officium erat pecuniam publicam ex usu Reipublicæ publice, vel privatim erogare. Hinc & illæ in titulis formulæ: STATUAM. PECUNIA. PUBLICA. PONENDAM. CENSUIT. ET. LOCARI. SUMPTU. PUBLICO. PLACUIT. *Ferrel. de Stat. Roman. c. 22. Pigh. Annal. Rom. I. p. 71. Lycklama & Lips. l. l.* Primis temporibus a consulibus legebantur. Tacitus modo laudatus. Non est autem dubium, quin ante tributa comitia curiatis comitiis crearentur, eodem modo quo tribuni, ædilesque plebis ante legem publicam. At postquam curiata comitia cœperunt velut auspiciorum causa in Urbe retineri, ut Cicero in Rullum scribit, certe tributis comitiis, velut cæteri minores magistratus, creati sunt. Cicer. Famil. VII. 30. *In campo certe non fuisti hora secunda, cum comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset: quo mortuo nuntiato sella sublata est. Ille autem qui tributis comitiis auspicatus esset, centuriata habuit.* Magistratus minimi erant, ideoque comitiis tributis creati. Ascon. in Cicer. p. 29. *Quæstoris prima erat senatoris administra-*

tio,

tio, *post quæsturam ædilitas, deinde tribunatus plebis, post prætura, & demum consulatus peti solebant.* Atque adeo inter minores magistratus erant, ut neque vocationem, neque prehensionem haberent, atque ad prætorem in jus vocari poterant. Gell. XIII. 13. Quod ipsum confirmat Ascon. in Cicer. p. 34. *Sunt ... triumvirorum, tribunorum, quæstorum, & ... minora judicia exercentium, qui non in ... curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis consident.* Quibus ex verbis manifestum est, *quæstores* quoque inter jurisdictionem non habuerint, quod nullis probari video, etsi nondum liqueat, tamen de minoribus causis, a majore magistratu ad ipsos delatis, judicium habuisse, quemadmodum illis, qui in provincias mittebantur, a præside nonnunquam jurisdictio mandabatur. V. supr. in *Quæstores provinciales.* Illis, quum *quæstores* ab ... si non omnibus, saltem quibusdam, aut ... urbanis duobus (illud enim affirmare non possum), judicii centumviralis potestas cogendi data fuit, sed, quo anno, nondum invenire potui; illud tamen credibile est, decemviris primum illam potestatem obtinentibus, ademptam fuisse, propter frequentissima prætoris consilia, quibus ... cogebantur, tamen illis restituta, & ... ademta est an. 725. Cæsare V. S. Apuleio Sexti filio coss. Suet. Aug. c. 36. ubi narrat Augustum auctorem fuisse, *ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent.* Sigon. & Panvin. l. l. *Quæstores* etiam ærarii vocabantur: neque satis constat, an urbani *quæstores*, & ærarii varii, ac distincti, nisi sola appellatione, fuerint: tamen constat multa & varia munera ... , pro quibus ... die Gallia nostra habet præfectos ratiociniorum, id est, magistros computorum, & receptores multarum, divisa & distincta munera: nam apud Romanos ratio longe alia fuit ærarii administrandi, propterea quod pecunia publica uno in loco recondebatur, quam tribuni ærarii, quum opus erat, promebant, quos jam diximus non satis constare, an alii quam *quæstores* urbani forent, an vero iidem, sed appellatione diversa: placet tamen nonnullis fuisse diversos, & *quæstores* accepti, & expensi rationem in tabulas referre: tribunos vero pecuniam ipsam attrectare, &, cum opus erat, expromere. Fortasse tutius fuerit sentire, iisdem personis diversa munera concessa diversas appellationes peperisse. *Prevot. ibid. p.* 138.

QUÆSTORIA porta. V. illam supr. in *Porta.*

QUÆSTORIUM dicebatur tabernaculum *quæstoris.* Liv. X. 32. *Ab tergo castrorum decumana porta impetus factus: itaque captum quæstorium, quæstorque ibi L. Opimius Pansa occisus.* Bud. in Pandect. p. 80. E. Polyb. VI. 28. illud ad alteram portam principalem ponit. *At qui pone tribunorum tentoria locus jacet, & ex utraque parte prætorio adjacet, ejus una pars foro destinatur, altera quæstori, ejusque apparatui.* Hæc talia sunt, ut sine calumnia nihil illis obtendi ... . Descendo tamen illuc, ut olim, & veteri ævo ... e regione decumanæ, via media quintana: ante Polybii ævum ... , & visum transferri in prætorii latus, ... esset. Nescio annon huc Hygini nota faciat: *Quæstorium, inquit, dicitur, quod aliquando ibi quæstores pedaturam acceperint, quod est supra prætorium in rigore portæ, quæ a cohortibus decimis ibi tendentibus decumana est appellata.* Occurrit etiam testimonium Liv. XLI. 2. e quo ... satis longule ante Polybii ætatem pro ejus situ falsi.. *Prætorio dejecto, direptis quæ ibi fuerunt, ad quæstorium, forum, quintanamque hostes pervenerunt.* Apparet ad prætorium, & forum tunc adsitum fuisse, ut verba hæc præferunt. *Lips. de Milit. Rom.* v. *dial.* 3. *Laurent. Pomp.* IV. *Synops.* 3. Quæ ego non laborabo refellere, ut nulli veterum auctoritate fulta, imo ut illis ipsis auctoritatibus, quas adducit, satis refutata. Quis enim disertius dixit Hygino, *quæstorium* etiam illa ætate fuisse *supra prætorium in rigore portæ decumanæ.* Quis magis illi contrarius quam Livius? A prætorio ad quintanam, ab hac ad *quæstorium* itur, & plane eodem ordine, quo in castris Hyginianis hæc sunt disposita, ut inter duas legiones medias esse dubium non sit. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1165. *A.* Ego puto in medio fuisse foro, & circa id quatuor fuisse promptuaria, sive horrea, in quibus res ad usum belli necessariæ, quæ curæ *quæstoris* commissæ erant, asservabantur. Primum in illo um erat armamentarium; secundum promptuarium machinarum bellicarum; tertium, in quo condita erat annona, sive frumenta, & legumina, quæ militibus distribuebantur, & denique vestiarium militarium. *Patric. de Re milit. Rom. part.* 9. *sect.* 43.

Quæstorium appellabatur etiam a *quæstoribus* statio, sive locus in provinciis, in quo separatim tributa exigebantur, & vectigalia, & pecuniæ fiscalis rationes tractabantur. Cicer. pro Planc. c. 41. *O reliquos omnes dies, noctesque eas, quibus iste a me non recedens, Thessalonicam me, in quæstoriumque perduxit.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 75.

QUÆSTURA erat primus magistratus urbanus. V. Asconium supr. in *Quæstores urbani.* Ejus petendæ annus an fuerit certus. V. supr. in *Ætas.* Extra Urbem honoribus vix accensebatur. Arcad. l. 18. §. 2. *Quæstura in aliqua civitate inter honores non habeatur.* Chimentel. de Honor. bisell. c. 6.

QUALUS, seu *qualum* fuit nomen multi usus; nam & *quala* fatoria, & *qualum* panis, *qualos* vindemiatorios, exceptoriosque legimus: vimineos præterea, & salignos. Sunt, qui olitori, qui agricolæ, qui lanificis tribuant. *Pignor. de Serv. p.* 567.

Quala sataria sunt, quibus ad serendum opus est, id est, ad sementem. Cato de Re rust. c. 11. *Cribulas ameriinas viginti, quala sataria septem.* Turneb. Adv. VII. 23. Popma de Instrum. fund. c. 8. Voss. Lex. Etymol.

Quali sunt vasa viminea, quæ supponebant gallinis, in quibus ova earum excipiebant. Colum. VIII. 3. *Etiam in iis ipsis locis ita crassos parietes ædificare conveniat, ut excisa per ordinem gallinarum cubilia recipiant: in quibus aut ova edantur, aut excludantur pulli. Hoc enim & salubrius, & elegantius est, quam illud, quod quidam faciunt, ut, palis in parietem vehementer actis, vimineos qualos superimponant. Sive autem parietibus, ita, ut diximus, cavatis, aut qualis vimineis, præponenda erunt vestibula, per quæ matrices ad cubilia, vel pariendi, vel incubandi causa perveniant.* Gronov. Mus. Alexandr. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2747. F.

Quali sunt vasa viminea, vel juncea, vel spartea, per quæ vinum liquatur, & defluit calcatis uvis. Virg. Georg. II. 241.

> —— *tu spissos vimine qualos*
> *Colaque prelorum fumosis deripe tectis.*

Isidor. XX. 14. *Qualus corbis prelorum, per quem mustum fluit.* Popma de Instrum. fund. c. 11. Voss. Lex. Etymol.

Quali sunt vasa viminea, in quibus sua pensa habent mulieres. Horat. Od. III. 12. 4.

> *Tibi qualum Cythereæ puer ales ...*
> *Tuas telas, operosæque Minervæ*
> *Studium aufert.*

Torrent. in Horatium.

Quali vindemiatorii, & exceptorii sunt corbes vimineæ, in quibus uvæ feruntur, ut in canistro. Ulpian. l. 8. ff. de instruct. & instrum. leg. *Fructus cogendi gratia instrumenta parata sunt: quemadmodum quali vindemiatorii, exceptoriique, in quibus uvæ comportantur.* Popma de Instrum. fund. c. 11.

QUANDO *Rex comitiavit fas.* Ovidius dubius, an Regisfugium, vel sacrificium denotarent, cecinit Fast. V. 727.

> *Quatuor inde notis locus est, quibus ordine lectis*
> *Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest.*

Verum sacrificium indicare constat, cum ita scripserit Varr. de Ling. Lat. V. 4. *Dies, qui vocatur sic, quando Rex comitiavit fas, dictus ab eo, quod eo die Rex sacrificulus dicat ad comitium.* Ideo Festus: *Quando Rex comitiavit fas,*

in [illegible] , [illegible] , quando Rex sacrificulus dicere ex [illegible] in comitium [illegible]. De Rege isto Plutarch. Quæst. Rom 63. *Rom [illegible] manu ejectis, [illegible] pro [illegible], neque [illegible] gerere eum, neque cum populo agere [illegible]; ut [illegible] facit [illegible] in [illegible] dicere [illegible].* Sane, *a majoribus tradito ritu, ante comitium, Rex sacrorum, postquam rem divinam fecit, fuga sese inde e foro proripuit.* Dies iste celebrabatur a Romanis, non tantum nono Kalendas Aprilis, qui vigesimus quartus Martii, sed & nono Kalendas Junii, qui vigesimus quartus Maji, ut ex Kalendariis patet. [illegible] *Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* XI. *p.* 937. *B. Scalig. in Festum.*

QUARTA, [illegible] pars est [illegible], [illegible] ex [illegible] quinque, aut quinque & semis, juxta mensurarum qualitatem. *[illegible] de Pond. Rom. & G[illegible] Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* XI. *p* 1658. *D.*

QUARTARIUS est sextarii pars quarta, teste Volusio Mætiano: *Quadrantal, quod nunc [illegible] vocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios octo & quadraginta, heminas sex & nonaginta, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos septuaginta sex.* De illo Columell. XII. 5. *[illegible] cum quartario mellis aceto diluito.* Liv. V. 47. *Manlius primum ob virtutem laudatus, donatusque non a tribunis solum militum, sed consensu etiam militari, cui universi selibras farris, & quartarios vini ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt.* Nec vero de alia mensura, quam de sextarii quarta parte intelligi potest, si ad farris selibram, & ad [illegible] [illegible], quæ tunc Romani premebantur, spectemus. De eodem Plin. XVIII. 3. *Dona amplissima Imperatorum, ac fortium civium; quantum quis uno die plurimum circumaravisset, item quartarii farris, aut heminæ conferente populo.* quo in loco animadvertendum est, Plinium *farris quartarium* dixisse, & Livium *vini*, de utroque forsan facto sentientes. Cæterum, quod Cato de Re rust. c. 102. de convolvulo loquens, *quartarii & tertiarii* meminit, sic dicens: *[illegible] amurcæ [illegible] tertiarium, & sulphuris quartarium:* id Plin. XVII. 28. non mensuræ, sed portionis esse intellexit, de eodem convolvulo, & Catonis remedio loquens, quum *tertiam,* & *quartam* aliquot intellexit respectu amurcæ, jam ad mellis crassitudinem decoctæ: quia Cato id spectavit, ut mixtum tam crassum, quam viscum fieret, ut ex eo vitis circum caput, & sub brachiis lini possit: nimis enim crassum fieret, & durum, si portio hæc ad crudæ amurcæ quantitatem responderet. Hæc autem *quartarii* mensura, servata ratione prædicta, pondus unciarum quinque aquæ, vel vini continebit. *Pætus de Pond. Rom. & Græc. mens. Thes. Antiq. Rom. Græc. Tom.* XI. *p.* 1640. *E. Barth. Adv.* V. 5: VII. 8. *Bud. de Asse* V. *p.* 612. *[illegible] de mens. Rom. [illegible]* I. *p.* [illegible] *&* 21.

Quartarius appellabatur mulo mercenarius, quod quartam partem quæstus caperet. Lucilius apud Festum:

Porro homines nequam, malus ut quartarius, cippos
Collisere omnes.

Ita lego hunc versum, non *colligere.* Notum enim est cippos sepulcrorum olim secundum vias publicas fuisse. Itaque facile *colidebantur* a mulis sagmariis, cum ea præterirent. *Scalig. ad Festum. Rhodig. Ant. Lect.* XVIII 15.

QUASILLARIA erat ancilla texturæ [illegible], & pensi [illegible]. Petron. c. 92. *Nec contenta mulier tam gravi injuria mea, convocat omnes quasillarias, familiaeque sordidissimam partem, ac me conspui jubet.* Romæ olim:

MUSA. QUASILL
VIX. ANN. XXX
CRATINUS. LANIPEND
DE. SUO

Pignor. de Serv. p. 420. Turpil. apud Non. I. 8.

— *hoc quidem, ignorare*
[illegible] soleas, vel habere [illegible]
Servum, si forte quasillarias [illegible].

Ita legendum pro:

— *[illegible]*
Se [illegible] si forte [illegible].

Fuisse enim videtur servorum [illegible] quærente [illegible], qui cum injuriam factam verbis [illegible], cum conservos accepisset; [illegible], inquit, [illegible], [illegible] & [illegible] minus [illegible] servum [illegible], [illegible] [illegible] servum [illegible], [illegible] ipsa [illegible] quasillaria sit? *Quasillariæ* [illegible] familiæ pars erant. *Palmer. Spicil.* V. *p.* 774. *[illegible].*

QUASILLUM, sive *quasillus* est vas vimineum, cujus etiam usus in lanificio. Tibull. IV. 10. 3.

Si [illegible] cura togæ potior, pressumque quasillo
Scortum, quam Servi filia Sulpitia.

Qui [illegible] significet [illegible], & [illegible] [illegible], [illegible]. Quæ enim [illegible] extremam [illegible] paupertatem meretrices, & mulieres, lanam demum faciebant, & illa se Minervæ exhibebant. *[illegible] Adv.* XVI. 19. *[illegible] Epist.* 22. Quod [illegible] mihi aliter videtur. Significat enim famulam & servam, quibus inter [illegible] illud erat præcipuum, ut lanam, & pensum facerent. Tibull. I. 3. 87.

At [illegible] gravibus [illegible] assidua puella
Paulatim somno fessa remittat opus.

Atque id certe [illegible] vidabit, qui attentius consideraverit. Indignatur enim Sulpicia, non tam nobilis, & illustris viri filia prælatam a Cerintho servam, & ancillam *pressam quasillo*, & herili penso affixam. Animadverti autem, [illegible], [illegible], si quid ancillæ [illegible], [illegible] pensi imponere, quod [illegible] solveret, vapularet. Ex qua sententia [illegible] IV. 7. 37.

Et graviora rependit [illegible] quasillis,
Garrula [illegible].

Lips. Var. Lect. I. 21.

QUATUORDECIM ἐξοχαστικῶς dicebantur ordines, sive gradus in theatro. Petron. c. 126. *Domina mea [illegible] ab orchestra quatuordecim transilit.* Cicer. Famil. X. 32. *[illegible] summo [illegible] aureo in quatuordecim sessum deduxit.* Suet. Jul. c. 39. n. 4. *Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit: donatusque quingentis sestertiis, & anulo aureo, sessum in quatuordecim e scena per orchestram transiit.* Erant sedilia equestris ordinis, a numero appellata, orchestræ proxima. Mart. V. 20. 2.

Bis septena tibi non sunt subsellia tanti.

Juven. XIV. 324.

— *[illegible] summam*
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.

Lips. de Amphith. c. 14. Ch[illegible] [illegible] c. 34. Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin. V. 23. O[illegible] n Senec. de Benef. III. 9. Hugo de Milit. Eques. V. I. Thys. de Amphith. p. 205. M[illegible] [illegible] in Suetonium. V. & supr. in *Equestria.*

QUATUORVIRI [illegible], vel [illegible] pontificum dicebantur, qui asservabant sacram pecuniam. [illegible] pontificum ærarium [illegible], eamque [illegible] maxime erogabant. Nemausi:

Q. SOLONO. Q. F. VOL
SEVERINO
EX. V. DECURIIS. EQUO
PUBLICO. ⸸. LUPERCO
IIII. VIR. AB. ÆRAR
PONTIFIC

Guther. de jur. pont f. II. 12.

Quatuorviri juri dicundo fuerunt constituti. Quod deprehendo ex saxo isto p. 373. 5.

C. BEBIO. C. F. GAL. LUPULO IIII.
VIR. AED. IIII. J. D. Q. VIR. QUINQ.
PLEBS. URBANA. EX. ÆRE. COLLA
TO. L. D. D. D.

Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. *p.* 767. *C. Turneb. Adv.* XI. 10. Etiam Pistorii *quatuorviri* juri dicundo præfuerunt. Monet hoc inscriptio ibi reperta, quæ in magna aula palatii legitur:

L. BOEBIO B. F
VEL
IIII. VIR. J. D. PISTOR

Chimentel. de Hon. bisell. c. 4. Nuncupabantur juri dicundo, quod de tota politia cognoscerent, & rationes apud eos, exclusis judicibus extraordinariis, redderentur a collegiis. *Reines. Epist. ad Rupert.* 31.

Quatuorviri viarum curandarum, quibus injuncta fuit cura viarum, post ædiles sunt instituti. De horum institutione Pompon. l. 2. §. 16. ff. de orig. jur. *Eodem tempore &* constituti *sunt* IV*viri, qui curam viarum gererent.* Tempus si quæras institutionis, idem ait fuisse *brevi post institutum pratorem peregrinum*, id est, circa an. 610. Videntur hi fuisse, quos Varro appellat *Viocuros, a viarum cura.* Verum cum non sufficerent Urbi, suburbiis, locisque maxime vicinis, adjecti sunt duo, ut in un versum VI. essent: quorum duo curabant vias Urbis extra pomœrium, ad ambitum, & introitus. Colligimus id ex Dion. LIV. p. 540. B. ubi loquitur de magistratibus quibusdam Romanis, qui antea sex & viginti erant, sed qui Augusti ævo ex Scto ad vicenarium redacti sunt numerum, unde & XXviri fuerunt dicti. Illo ergo loco ait, quod ex his XX*viris tres ad capitalia sunt ordinati, alii tres numismati cudendo præsint, quatuor vias urbanas curent: decem judiciis iis, quæ ad centumviros sorte deferuntur, præficiantur.* Causas deinde subnectit, propter quas sic int reducti: *Duo enim*, ait, *ii, qui vias extra Urbem curabant, & quatuor, qui in Campaniam mittebantur, tunc abrogati erant.* Neque enim abrogari potuissent duo isti, qui vias extra Urbem curabant, nisi prius fuissent instituti. Rarior est mentio horum IVvirorum, qui vias urbanas curabant, in historia Romana: at frequentior in lapidibus, & inscriptionibus antiquis, ex quibus constat, hos IVviros viguisse Romæ annos admodum 360. cum floruerit hæc dignitas ad tempora usque Hadriani, qui Imperator factus est an. U. C. 871. ut videre licet ex sequenti inscriptione:

IMP. CÆSARI. DIVI
TRAJANI. PARTHICI
FIL. DIVI. NERVÆ NEP
TRAJANO. HADRIANO
AUG. PONTIF. MAX. TRIB
POTEST. COS. II. P. P
IIII. VIR. VIAR
Q. TAMUDIUS. Q. F. PALAT
GRAJUS. VIENNA
L. AURELIUS. L. F. OUF
TYRANNUS. INTERAMN
NAHAR. TI. JULIUS. TI. F. STEL
VERECUNDIANUS. BONONIA
Q. TAMUDIUS. SEX. F. ARRIUS
REATE. FAC. CUR

Non fuerunt e vulgo; cum ex inscriptionibus antiquis constet plurimis, fuisse, qui sub Imperatoribus non fuerint dedignati hanc provinciam post gestos summos in Republica honores. Sic senatus auctore Imperatore Trajano triumphalia ornamenta decrevit, statuamque pecunia publica ponendam censuit, nescio cui, viro summo, qui fuerat prætor, tribunus plebis, quæstor, cui pro cumulo accedit, quod fuerit IV*vir viarum curandarum*, quod apparet ex hoc Scto:

. . . .
. . . .
IIII. VIRO. VIARUM. CURANDARUM. HUIC. SENATUS. AUCTORE. IMP TRAJANO. AUG. GERMANICO. DACICO TRIUMPHALIA. ORNAMENT DECREVIT. STATUAMQUE. PECUNIA. PUBL. PONEN. CENSUIT

Bergier. de viis milit. I. *Sect.* 3. §. 9--12. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 769. *C. Pancirol. de Magistr. Municip. c.* 19. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 235. *F. Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 87. *B. Lips. Excurs. in Tacit. Annal.* III. *E.*

Quatuorviri in municipiis non sunt obscuri, sunt enim Ciceronis memoria, & literis consecrati. Attic. X. 13. Antonius consul *evocavit literis e municipiis denos, & quatuorviri venerunt ad villam ejus mane.* pro Clu. c. 8. *Oppianicus per Syllæ vim, atque victoriam Larinum cum armatis advolavit. Quatuorviros, quos municipes fecerant, sustulit; se a Sylla, & alios praterea tres factos dixit.* Famil. XIII. 76. *Vehementer vos*, quatuorviros, *etiam atque etiam rogo, ut honoris mei causa liberalissime C. Valgium Hippianum tractetis, remque cum eo conficiatis, ut quam possessionem habet in agro Fregellano, a vobis emptam, eam liberam, & immunem habere possit.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 8.

QUE.

QUERCUS pastoribus sacra fuit Romæ in Capitolio. Liv. I. 10. *Spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id apte ferculo, gerens, in Capitolium adscendit: ibique ea quum ad quercum pastoribus sacram deposuisset. . . .* Tomas. de Donar. c. 3. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 2. Val. Max. II. 8. 7. *Cæterum ad quercum pronæ manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est; quæ postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphant.* V. etiam Dionem & Ovidium supr. in *Laurus.* Tacta dicebatur esse signum vel famis, vel dissipandi, amittendive patrimonii, quod queritur Melibœus apud Virg. Ecl. I. 17.

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Pier. Valer. de Fulmin. signific. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 601. B.

QUERELA inofficiosi testamenti est imploratio officii judicis, lege Glicia introducta, qua quis accusat scriptum testamentum validum, quia in eo se contra officium pietatis, & sine justa causa exhæredatum dicit, petitque illud, ut injustum, rescindi, certo tempore, modoque circumscripta. *Querelam* vocarunt duabus potissimum de causis. Primo, quod proprie non sit actio, cum non persequatur jus agentis, nec accusatio, quod non persequatur pœnam, sed simpliciter conqueritur, se inique exhæredatum, petitque testamentum rescindi. Deinde, quod nudum actionis nomen non satis esset efficax ad infirmandum testamentum, quod, nisi probata patris iniquitate, fieri non poterat. Accusationis vero verbum acerbius erat, quam pietas, & reverentia ferret, cum patrem quoque accusare non liceret, ut legibus constitutum est. Quamobrem ita temperarunt, ut neque molliorem appellationem, quam pro judicii gravitate: neque acerbiorem, quam ipsa parentum pietas exigit, accommodarent. Implorabant itaque opem centumvirorum non aliqua actione, sed tantum querela miserationis, ut illi testamentum contra meritum factum rescinderent, eoque facto illis injuste exhæredatis bona restituerent. Introducta est lege Glicia. V. illam supr. in *Lex.* Accusant illud tanquam inofficiosum, inhumanum, & contra officium pietatis scriptum, eo colore, quasi testator tempore facti testamenti non fuerit sanæ mentis, sed furiosus. V. Marcianum & Scævolam infr. in *Testamentum inofficiosum.* Sine justa causa, & contra merita se exhæredatum. Marcell. l. 3. d. t. *Inofficiosum testamentum dicere, hoc est allegare, quare exhæredari, vel præteriri non debuerit: quod plerumque accidit, cum falsò parentes instimulati liberos suos, vel exhæredant, vel prætereunt.* Et l. 5. *Hujus autem verbi de inofficioso vis illa, ut dixi, est docere, se immerentem, & ideo indigne præteritum, vel etiam exhæredatione summotum.* Qua forma filius exhæredatus exclamat apud Quintil. Declam. 125. *Quo meo merito pater me exhæredavit?* Si vero justam

justam ob causam exhæredatus sit, *querela* non competit, siquidem jure civili, filii in potestate positi exhæredari, cæteri præteriri possent. Validam accusat, quia si jure civili non esset validum, non opus erat ad odiosum hoc, & extraordinarium auxilium confugere, sed eo ipso, quod jure non sit validum, ad hæreditatem admitteretur. Injustum rescindi petit. Rescisso enim testamento, is, qui de inofficioso agit, hæres est, & totum testamentum corruit. Ulpian. l. 8. §. 16. d. t. *Si ex causa de inofficioso cognoverit judex, & pronuntiaverit contra testamentum, nec fuerit provocatum, ipso jure rescissum est, & suus heres erit secundum quem judicatum est, & bonorum possessor, si hoc se contendit: & libertates ipso jure non valent, nec legata debentur:* quod posterius corrigitur l. 17. Priscis temporibus intra biennium necesse erat *querelam* inofficiosi testamenti instituere, alioquin is, qui bona ex testamento possidebat, ea usucepisse dicebatur. Plin. Epist. v. 1. §. 10. *Scis te non subscripsisse mecum, & jam biennium transisse, omniaque me usucepisse.* Postea vero ad quinquennium extensum est. l. 34. C. de inoffic. testam. *Vel quinquennio tacuit, scilicet post aditam hereditatem.* Si quadrans bonorum testamento sit relicta, cessat omnino *querela*. l. 8. §. 8. ff. de inoffic. testam. Plin. l. l. §. 9. *Ibi ego: si mater, inquam, te ex parte quarta scripsisset heredem, num queri posses? Quid si heredem quidem instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, ut non amplius apud te quam quarta remaneret?* Siccam. de Centumv. judic. II. 6. Quadrantis origo ad D. Marcum philosophum referenda est. Nam Niceph. Hist. Eccles. III. 31. laudat Marci legem, ut *liberis præteritis, & nihil e judicio parentum accipientibus quadrans hereditatis debeatur.* Hanc, nisi me fefellit Latinus interpres, male ab ipso etiam Nicephoro expositum puto. Ego hanc fuisse credo D. Marci legem, ut liberis præteritis, vel exhæredatis parentes omnimodo quartam legitimæ portionis relinquant. Quod si fecerint, rescindi testamentum querela inofficiosi non potest: quippe cum ex pacto liberis parentes χάριν ἔχειν dixerit Novella XVIII. Justinianus: atque adeo nec sint liberi ἀχαριστούμενοι, nec ingrata, vel inofficiosa testamenta. Cum enim liberi præteriti, vel exhæredati a parentibus debitam non retulisse gratiam dicantur, & quæ inofficiosa testamenta nominamus, ingrata quoque appellare possumus, ut Suet. Cal. c. 38. n. 5. *Testamenta primipilarium ut ingrata rescidit.* Cujac. Observ. III. 8. Sæpissime, & frequentius instituebatur apud centumviros, ut ex toto titulo Pandectarum de inofficioso testamento manifestum est, & comprobatur l. ult. C. de lib. præt. multisque aliis locis apud Ciceronem, Quintilianum, Plinium, & Senecam, idque eam ob causam, quod sit juris extraordinarii. Nam cum olim jure civili parentibus liceret filios suos in potestate positos absque ulla causa exhæredare, cæteros vero præterire: nec ullum remedium, vel civili, vel jure prætorio relictum erat, quo ad bona inhumani patris testamento ejus sollenniter facto, & subsistente pervenirent, deque ea re tandem maximæ *querelæ* ad populum ferrentur, populus Romanus, ad quem suprema erat provocatio, per centumviros, qui erant legitimus populi Romani conventus, extra ordinem jussit subvenire, *non enim consentiendum erat parentibus, qui injuriam adversus liberos suos testamento inducunt* l. 4. ff. de inoffic. testam. Cujus æquitatem considerantes consules, prætores, atque ipsi etiam Principes, adeo suis legibus, edictis, & decretis confirmarunt hanc *querelam*, ut tandem in ordinariam jurisdictionem abierit. *Siccam. ibid.* c. 5.

QUERQUETULANA porta. V. illam supr. in *Porta*.

Querquetulanus mons. V. illum supr. in *Mons Cœlius*.

QUI.

QUIES *appellata dea est, quæ faceret quietum. Illam, cum enim haberet extra portam Collinam, publice suscipere noluerunt.* August. de Civit. Dei IV. 16. Via Lavicana fanum habuisse extra portam Esquilinam scribit Liv. IV. 41. *Quum hæc agerentur, jam consul via Lavicana ad fanum Quietis erat.* Causam, ob quam *Quieti* sacra publice non solebant fieri, Augustinus adfert geminam, quarum una est, quia populus Romanus esset inquies. Num hoc voluit, fuisse amantiorem belli, quam pacis? Utcunque est, censeo eo sacra publice fuisse neglecta, quia segnium videretur, amare *quietem* magis, quam laborem: tum etiam quod *quies* propria sit mortuorum, unde *quietis* pro defunctis apud Virg. Æneid. IV. 379.

Scilicet is superis labor est: ea cura quietos
Sollicitat.

Et Orcus est dictus *Quietalis*, quia omnibus adfert *quietem*, ut constat ex Festo. Notum est illud Ovid. Amor. II. 9.

Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Sed verisimile est, eos, qui *Quietem* inter numina retulerunt, illam potius causam spectasse, qua honeste gravia diffunduntur negotia, ut sic vita prorogetur, & edulcetur. De qua luculente Senec. de Tranq. animi c. 15. *Voss. de Idolol.* III. 19. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 51. *D. Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 141. *Lipen. de Stren. c.* I. §. 4.

QUIESCERENT ut bene, vel placide, mortuis precabantur veteres. Tib. II. 7. 12.

Sic bene sub tenera parva quiescat humo.

II. 4. 49.

Et bene discedens dicet, placideque quiescat.

Tacit. Agric. c. 46. n. 1. *Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur animæ, placide quiescas.* Et in pace. Valentin. Novell. de Sepulcr. *Pax sepultis.* Et Valerius Probus has notas H. R. I. P. interpretatur: *Hic requiescit in pace.* Kirchmann. de Funer. III. 9. Brisson. de Form. I. p. 88. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 9. Cerda in Æneid. IX. 445.

QUIETORIUM vocatur sepulcrum. Lapis apud Gruter. p. 810. n. 2.

M. AURELIUS. MUTIUS. NOLANUS
ANN. NAT. LXVI. FATUM
COMMUNE
PRÆVENIENS. QUIETORIUM
HOC. SIBI. VIVENS. PARAVIT

Aliis *requietorium*. V. infr. in *Requietorium*. Guther. de jur. man. II. 20.

QUINARIA erat mensura aquæ inter unciam, & digitum. Frontinus. V. illam supr. in *Aqua Tepula*. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 385. A.

QUINCTUS cognomen est, ab ordine nascendi ortum. V. supr. in *Decimus*.

QUINCUNX, quinque cyathi. Mart. II. 1. 9.

Te conviva leget mixto quincunce, sed ante
Incipiat positus quam tepuisse calix.

Agric. de Mens. Roman. I. p. 21.

QUINDECIMVIRI sacris faciundis, cum antea duumviri, & decemviri fuissent, V. illos suis locis, a Sylla dictatore facti sunt. Quod hac ratione ostendi potest. Ciceronis ætate erant *quindecimviri* sacris faciundis, qui adhuc erant decemviri eo anno, quo Capitolium arsit, paulo ante Syllæ dictatoris tempus L. Scipione, & C. Norbano coss. an. 671. Relinquitur ergo, ut hæc *quindecimvirorum* institutio a Sylla facta esse credatur, præsertim quum aliis sacerdotum collegiis legatur adjecisse aliquot sacerdotes, ut auguribus & pontificibus. Fuisse vero Ciceronis ætate *quindecimviros*, potest intelligi ex Cicer. Fam. VIII. 4. in qua Cœlius ad Ciceronem scribit, populi suffragiis *P. Dolabellam factum esse Quindecimvirum.* Suet. Cæs. c. 79. n. 3. *Proximo autem senatu percrebruit fama, L. Cottam quindecimvirum sententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a Rege non posse vinci, Cæsar Rex appellaretur.* Quod vero

decemviri facrorum adhuc effent eo anno, quo Capitolium crematum eft, intelligitur ex Dionyf. IV p. 260. qui ait *libros Sibyllinos, qui adhuc a decemviris fervabantur, incendio Capitolii* [illegible], quod anno ante Syllæ dictaturam conflagravit. *Panvin. de Civit. Rom. c. 35. Struv. Synt. Rom. c. 12. p. 60*[illegible]. *Alex. Gen* III. 16. *Schmid. de Sibyll. D. 2. §f.* [illegible] *de Sacerdot. c. 2. Rofin. Ant. Rom.* III. 24. [illegible] Syllæ [illegible] Syllæ [illegible] fe *decemviros* [illegible] ad *quindecim* [illegible] affirmat Serv. Æneid. VI. 73. Sic enim fcribit: *Sane fciendum eft, duos libros* [illegible], *deinde decem, inde quindecim, ufque ad tempora Syllana. Poft crevit numerus: nam* [illegible] *vocabulum* [illegible] a quo [illegible] alii [illegible] decemviros ante Syllana tempora [illegible] [illegible] accessio virorum quinque [illegible] a plebe, fi velimus credere [illegible]. Lact. de [illegible] c. 13. *Duumviri a Tarquinio Superbo* [illegible] *libros Sibyllinos: de* [illegible] *ex* [illegible] *patriciis creati decem, & inde quindecim, qui libros infpicerent: fic a* [illegible] *ad* [illegible] *& quindecimviros* [illegible]. Confirmatur ex eo, quod fub Syllæ tempora ad *quindecimviros* [illegible] a Julio Cæsare, ut refert Dio XLIII. p. 20[illegible]. B. [illegible] *ad annum infequentem defignavit, & numerum eorum, qui* [illegible] *fupra præfcriptum a legibus,* [illegible] *nam & pontificum, & augurum, & quindecimvirorum collegium,* [illegible] *collega,* [illegible]. Taffin. de Lud. fecul. c. 5. [illegible] Annal. Rom. I. p. 54. Ad illorum [illegible] cura ludorum fecularium. Monitis [illegible], quorum intererat, de ludorum fecularium tempore [illegible] munus illorum exigebat, eo tempore appetente etiam populum ad ludos præparabant, luftralia populo diftribuendo, quibus expiaretur. Zofimus. [illegible] fupr. in *Luftralia*. Tacit. Annal. XI. II. 3. [illegible], Domitianus, *quoque* [illegible] *ludos feculares, itaque intentius affui facerdotio quindecimvirali præditus, ac tum prætor:* [illegible] *quod non jactantia refero, fed quia collegio quindecimvirorum antiquitus ea cura, &* [illegible] *potiffimum exequebantur officia ceremoniarum.* Horat. carm. fecul. n. 69.

> *Quæque Aventinum tenet, Algidumque,*
> *Quindecim Diana preces virorum*
> *Curet.*

Taffin. ibid. c. 6. Patin. Famil. Rom. p. 176. 235. Panvin. de Lud. fecul. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 10[illegible]. F. Et librorum Sibyllinorum, quos ex Scto adibant, &, quæ legiffent, fenatui renuntiabant, & omnia, quæ Sibyllinorum carminum juffa facienda erant, [illegible]. Cic. de Divin I. 2. *Furoris divinationem Sibyllinis maxime verfibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos e civitate effe voluerunt,* Lactant. I. 6. *Harum* [illegible] *Sibyllarum carmina, & feruntur, & habentur, præterquam Cumææ, cujus libri occuluntur, nec eos ab ullo, nifi a quindecimviris, infpici fas habent.* Thyf. in Gell. I. 12. Argol. in Panvin. de Lud. circenf. II. 2. Panvin & Struv. l. l. Et ludorum Apollinarium. Fuiffe Apollinis facerdotes adeo certum eft, ut & infigne facerdotii, tripodis inftar, domi haberent. Unde intelligendum illud Valer. Flacc. I. 5.

> —— *fi Cymææ mihi confcia vatis*
> *Stat cafta cortina domo.*

Significat enim, fe *quindecimvirum* effe, & Phœbum ita fibi propitium optat, ut ipfe domi cortinam ejus religiofe [illegible] habeat. Serv. Æneid. III. 332. *Hinc ergo* [illegible] *inter facrata Apollinis receptum: cujus rei veftigium eft, quod hodieque quindecimvirorum cortinis* [illegible] *in fummo honore ponitur: & pridie quam facrificium faciunt, velut fymbolum, delphinus circumfertur, ob hoc fcilicet, quia quindecimviri librorum Sibyllinorum funt antiftites: Sibylla autem Apollinis vates, & delphinus Apollini facer eft.* Gronov. de Pec. Vet. IV. II. Vocantur pontifices a Vopifc. Aurel. c. 20. *Agite igitur, & caftimonia pontificum, ceremoniifque folemnibus juvate Principem neceffitate publica laborantem. Infpiciantur libri.* An, quod facris faciundis præeffent, & fic quafi quidam erant pontifices? non id verifimile arbitror. Illud verifimilius, quod multi ex *quindecimviris* iidem & pontifices erant. Teftes infcriptiones:

> PETRONIUS. APOLLODORUS. V. C
> PONTIFEX. MAJOR. XV. VIR. SAC. FAC.

Item:

> LUCIO. AUR. AVIAN. SYMMACHO. V. C
> PONTIFICI. MAJ. XV. VIRO. SAC. FAC

Item:

> M. MÆCIO. MUMMIO. FURIO. BALBURIO
> CÆCILIANO. PLACIDO. C. V
> PONTIFICI. MAJORI. AUGURI. PU
> BLICO. P. R. QUIRITIUM. QUINDECIM
> VIRO. SACRIS. FACIUNDIS. CORREC

Salmaf. in Vopifcum. Cuper. in Lactant. de Mort. perfecut. c. 44 Maxentius *vocatis quibufdam fenatoribus, libros Sibyllinos infpici jubet.* Lactant. l. l. Quæ quomodo conciliari poffint, vix video, nifi dicamus vel libros Sibyllinos etiam confultos fuiffe ab illis, quos Imperator eligebat, vel hos fenatores etiam fuiffe *quindecimviros*, quomodo allocutio Ulpii Syllani apud Vopifcum etiam fuadere videtur, pontifices illos ex fenatorum numero fuiffe. *Cuper. l. l.* Puri, fanctique, veftitu facerdotali, laureati in templum Capitolinum, in quo adfervabantur libri, adfcendebant, & libros fatales evolvebant. Tradit hoc Ulpius Syllanus apud Vopifc. l. l. c. 19. *Agite igitur, pontifices, qua puri, qua mundi, qua fancti, qua veftitu animifque facris commodi, templum adfcendite, fubfellia laureata conftituite, veteranis manibus libros evolvite, fata Reipublicæ, quæ funt æterna, perquirite.* Arnob. IV. p. 151. *Sedent in fpectaculis quindecimviri laureati.* Struv. l. l. Laureati autem, quia cum ludos variis coronati fpectarent, fane *quindecimviros*, qui Sibyllinas fortes tractabant, lauro coronari erat æquiffimum. *Herald. in Arnobium.* Porro ex eo epiftolæ Cœlii loco, quem citavi, colligi poteft, populi fuffragiis facerdotes hujus collegii aliquando creatos, idque per legem Domitiam. Nam quod a collegis ante eam legem cooptarentur, paffim in Livii hiftoria legitur, ubi de fuffectis in demortuorum locum facerdotibus loquitur. *Panvin. de Civit. Rom. c. 35.* Sacerdotium hoc manfit ufque ad Theodofii tempora, quibus cum cæteris veteris fuperftitionis facris abrogatum eft. *Panvin. Cuper. & Struv. l. l.*

QUINQUAGESIMA fuit portorium pro fervis, & mercibus quæ importarentur. Symmach. Epift. v. 60. *Quod res ordinis noftri nunquam fervarum* [illegible] *portorium contulerunt. Nunc a fratre meo Cynegio V. C. quæftoris candidato quinquagefimæ vectigal exigitur, quod folos in forum negotiatores, utpote quæftus* [illegible], *oportet agnofcere.* Hujus meminit Tacit. Annal. XIII. 31. 3. *Vectigal quoque quintæ & vigefimæ venalium mancipiorum remiffum.* Buleng. de Vectig. c. 43. & 60. V. tamen inf. in *Vectigal rerum venalium.*

QUINQUATRIA, five *quinquatrus* funt qui idem volunt effe feftum Romanorum, quod Panathenæa Græcorum. Itaque eft apud Charif. I. p. 20. *Quinquatrus*, Παναθήναια. Et auctores, qui res Romanas Græce fcribunt, *quinquatrus* vocant Παναθήναια. Dionyf. II. p. 129. *Feftum eorum incidit circa Panathenæa, in menfe dicto Martio.* Xiphil. LXVII. p. 759. A. *Panathenæa fplendide celebravit.* Athen. III. p. 98. B. *Quum celebraretur feftum Panathenæorum, propter quod nec* [illegible], *dixit,* [illegible] *dies virginis Minervæ.* Et vicifim Παναθήναια quinquatrus vertit Plin. XXXV. 11. *Simus* [illegible] *juvenem requiefcentem in officina fullonis quinquatrus celebrantem.* Meurf. Panathen. c. 4. Minervæ celebrabantur XIV. Kalend. April. Dicebantur, *quod quinque ab Idibus dierum numerus fit, & atrus nihil fignificet.* Gell. II. 21. Varr. de Ling. Lat.

Lat. v. 3. *Quinquatrus hic dies unus a nominis errore observatur, proinde ut sint quinque, dictus ab Tusculanis post diem sextum idus similiter vocatur sexatrus, & post diem septimum septimatrus, sic hic quod erat post diem quintum idus, quinquatrus.* Festus: *Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum, qui fere his celebrantur: qui scilicet errant, tam Hercule, quam qui triduo Saturnalia, & totidem diebus compitalia, nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. Forma autem vocabuli ejus, exemplo multorum populorum Italicorum enuntiata est, quod post diem quintum est is dies festus: ut apud Tusculanos triatrus, & sexatrus, & septematrus, & Faliscos decimatrus. Minervæ autem dicatum eum diem existimant, quod eo die ædis ejus in Aventino consecrata est.* Charisius tamen I. p. 61. *quinque artis idem* appellavit. Et de his quinque diebus Ovid. Fast. III. 809.

Una dies media est, & fiunt sacra Minervæ,
Nominaque a junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro,
Causa quod est illa nata Minerva die.
Altera, tresque super strata celebrantur arena.
Ensibus exertis bellica læta dea est.

Quod discrimen ut componatur, dicendum, primis temporibus unicum tantum diem festum fuisse, & dictum *quinquatrus*: postea vero in plures prolatum, eosque dictos *quinquatres*, & *quinquatria*. Sic Panathenæa, quæ, ut diximus, sunt Romanorum *quinquatria*, initio uno tantum die, deinde pluribus celebrata. *Dacer. in Festum. Thys. in Gellium. Hospin. de Orig. Fest. p. 134. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 401. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 940. C. Putean. Reliq. conv. prisc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 270. C. Donat. de Urb. Rom. III. 12. Meurs. ibid. c. 5. Volaterr. Rer. Urban. XXIX. p. 1087. D.* Eo tempore publica erant oratorum & poetarum certamina. Xiphil. LXVII. p. 759. A. *Minervam præcipue ex omnibus diis coluit Domitianus, atque ob eam causam quinquatria magnifice celebravit: in quibus certamina poetarum, oratorum, gladiatorumque quotannis fere exhibebat in Albano.* Suet. Domit. c. 4. n. 12. *Celebrabat & in Albano quotannis quinquatria Minervæ, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes, & scenicos ludos, superque oratorum, ac poetarum certamina.* Juven. Sat. X. 114.

Eloquium, ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis quinquatribus optat.

Thys. l. l. Pitisc. in Suetonium. Et munusculum, sive stipem, primo suo ad magistrum ingressu, dabant discipuli. V. supr. in *Minerval.* Hi dies erant læti pueris. Horat. Epist. II. 2. 197.

—— puer ut festis Quinquatribus olim,
Exiguo, gratoque fruaris tempore raptim.

Symmach. Epist. V. 83. *Nempe Minervæ ubi sollenne de scholis notum est, ut fere memores sumus etiam procedente ætate puerilium feriarum. Ad eum diem convivium tibi paramus.* Et viris, quibus ludi, & spectacula gladiatorum, Ovidius modo laudatus. Etiam moris fuit, ut dies ii jucunde, hilariterque traducerentur. Augustus apud Sueton. c. 71. n. 6. *Nos, mi Tiberi, Quinquatrus, satis jucunde egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Lips. in Tacit. Annal. XIV. n. 7. Erant autem aliæ majores, de quibus hactenus, aliæ minusculæ. *Hæ a similitudine majorum dictæ idus Juniæ, quod tibicines tum feriati per urbem vagabantur, & ad ædem Minervæ conveniebant.* Varr. l. l. Minores vocat Ovid. Fast. VI. 651.

Et jam quinquatrus jubeor narrare minores.
Nunc ades o cœptis, flava Minerva, meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in urbe?
Quid sibi personæ, quid stola longa volunt.

Festus: *Minusculæ quinquatrus appellabantur idus Juniæ; quod is dies festus erat tibicinum, qui Minervam colebant.* Censor. de die nat. c. 12. *Non tibicinibus, per quos numina placantur, esset permissum, aut ludos publice facere, ac vesci in Capitolio, aut quinquatribus minusculis, id est, idibus Juniis, Urbem vestitu, quo vellent, personatis, temulentisque pervagari.* Barthol. de Tib. Vet. III. 1. Struv. ibid. p. 404. Dacer. in Festum. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 11. Mariscott. de Pers. & larv. c. 3. Pigh. Annal. Rom. I. p. 365. Meurs. ibid. c. 7. Volaterr. l. l.

QUINQUATRIA *et porticus quinque ambulacrorum*. Glossæ Fausti Romani. Ovid. Amor. I. 8. 65.

Nec te decipiant veteris quinquatria ceræ:
Tolle tuos tecum, pauper amator, avos.

Barth. Adv. X. 27.

QUINQUENNALIA & lustra etsi multis eadem fuisse existimentur, tamen differebant non minus quam apud Græcos Panathenæa & Olympiades: cum in utrisque quinque annorum spatium intermedium esset. Quippe in lustris sola Tauritia celebrabantur: in quinquennalibus musicorum erat certamen, & plene omnia fiebant quæ apud Græcos in olympiadibus. Hos ludos Augustus ad similitudinem Actiacorum reformavit, ac pluribus ceremoniis locupletavit. Suet. c. 18. n. 3. *Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosque illic quinquennales constituit.* c. 59. n. 4. *Provinciarum pleræque super templa & aras, ludos quoque quinquennales pene oppidatim constituerunt.* Confunduntur tamen passim, & lustrum pro *quinquennalibus* accipitur, & contra: adeo ut *quinquennalia* a temporis spatio dicantur ludi, cum suis ceremoniis: lustrum vero a delectus, & lustratione civium Romæ habita. Unde est illud Stat. Sylv. II. 2. 6.

Huc me post patrii latum quinquennia lustri.

Itaque qui Romanis *quinquennales* dicebantur, Græcis multo antea erant cogniti, & Olympici partim, partim Panathenæi a Minerva, quam Ἀθήνην dicunt, vocabantur. *Mod. de Lud. vet. II. 25. Beger. Numism. Ephes. tab. 2. Putean. Olymp. c. 7.*

QUINQUENNALIS erat magistratus coloniarum. Eligebantur isti etiam & duo, & quatuor habito respectu magnitudinis, & parvitatis coloniæ. Dicebantur *quinquennales*, quia per *quinquennium* magistratum istum regebant. *Panvin. Ant. Veron. II. 12. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. XI. p. 537. D.* Et ideo *quinquennales* in marmoribus vocantur, in quibus sæpissime legitur II. VIR. J. D. id est, *duumvir juri dicendo*, ut Tergesti: L. VALERIO. PAPIRIO. PAPINIANO. VII. VIR. J. D. Q. Q. PRÆF. ET. TERGESTE. FLAM. HADR. PONT. AUGUR. COLLEG. FABRUM. PATRONO. MERENTI. L. Papirius duumvir *quinquennalis*, id est, integro *quinquennio* judicasse, & flamen, seu sacerdos Hadriani fuisse significatur. Idem Corinthi observasse fuisse tradit Apul. X. p. 335. *Thyasus oriundus patria Corintho gradatim permensis honoribus quinquennali magistratui fuerat destinatus, & ut splendori capessendorum responderet fascium, munus gladiatorium triduani spectaculi pollicitus latius munificentiam suam protendebat.* Pancirol. de Magistr. munic. c. 8. Parum caute *quinquennales* censores cum summis duumviris confundit vir eruditus. Distinguit clare C. Hedii lapis. II. VIR. II. VIR. QUINQ. Rursus alii a quatuorviris. En C. Vesidieni ille, IIIIVIR. JUR. DIC. IIIIVIR. QUINQ. A. Quintili alter, IIIIVIR. JURE. DIC. IIIIVIR. QUINQ. & quos præterea recensere longum: in quibus *quinquennales* tum duumviros, tum quatuorviros observo. Præcipuæ erant dignitatis. Monuit Apulejus. Qui & summum honorem fuisse diserte confirmat Apol. p. 444. *In qua colonia patrem habui loco principe duumviralem, cunctis honoribus perfunctum. Cujus ego locum in ea republica exinde ut participare curiam cœpi, nequaquam degener, pari spero honore, & existimatione tueor.* Talis fuisse traditur a Spartian. c. 19. Hadrianus *in patria sua quinquennalis: & item Hadriæ quinquennalis, quasi in alia patria.* Neminem vero nactos, quod Romanorum more per *quinquennium* magistratum gesserint, non video cur dubitemus: cum præsertim coloniarum lustra ex lapidibus alii dudum observaverint. Sed

 [illegible]

accedit conjecturæ pondus a Constantini lege, qua medicis, & professoribus immunitatem tribuit l. 1. tit. 13. C. *Si quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, a magistratibus, vel quinquennalibus exactus.* Magistratuum nomine summos, id est, IIviros, neque hoc nomine pens: *quinquennalium* conferes, ad quos census ratione & tuitio pertineat, omnino communitatis cognitio, & tuitio pertineat, omnino complectitur. *Velser. Rer. August. Vindel.* v. *p.* 272. *Spanhem. Dissert.* VII. *de Præst. numism. p.* 645. *Chimentell. de Honor. bisell. c.* 5. *Salmas. ad Spartianum.* Non desunt, qui eosdem faciant cum defensoribus, l. 1. p. 62. & ad l. 7. ejusdem Cod. de profess. & medic. *Chimentel. l. l.*

QUINQUEPRIMI sunt quinque viri, qui in municipio principem in senatu locum habebant. Cicer. Verr. III. 28. *Quinqueviri vocati istius evocantur.* c. 31. *qua de re Agyrinenses, & quinqueprimi.* Quorum erat maxima in municipio dignitas, quique magistratus gesserant, *primi*, ut Ulpian. l. 1. ff. de albo docet, scribebantur. Muneribus autem quibusdam & functionibus obn xii cont. *Turneb. Adv.* VIII. 22. *Chimentell. de Honor. bis.el. c.* 37. *Brit in Pandect. p.* 270. *C. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 24.

QUINQUEREMIS ubique dicitur Ciceroni, & optimis quibusque auctoribus. *Penteremem* vocabulo semi-Græco semique Latino vocat Hirt. de Bell. Alex. c. 47. V. illum supr. in *Dicrota.* de Bell. Afric. c. 62. *Penteremes duas, vacuas a defensoribus, nullo repugnante, cepit.* Πεντήρης a Græcis dicitur. Appian Bell. Mithrid. p. 187. *Quum autem ipsorum quinqueremis, πεντήρης, ab hostibus capta esset.* Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 576. D. *Quinqueremem Nesichthon Salaminius invenit.* Plin. VII. 56. Aliter Diodor. XIV. p. 419. B. *Dionysius, cum accepisset Corinthios triremes primum ædificasse, in deducta illinc urbe structuram navium amplificandam esse censuit. Triremes igitur, & quinqueremes cum seipsis primus ejusmodi structuram commentus, ædificare cœpit.* Et paullo clarius p. 418. D. *Triremes, ac quinqueremes nondum ad id tempus cognita quinquereme.* Scheffer. de Milit. nav. l. 3. Polyb. 1. 20. auctor est Romanos centum & viginti navium classe contra Carthaginenses ædificata mare in eum usque diem intentatum ingressos esse L. Valerio, T. Octacilio coss. Sed in illius classis apparatu perquam difficilem fuisse *quinqueremium* ædificationem. Ipsos tamen Romanos, qua erant animi magnitudine, & excellentia, centum *quinqueremes* in prædicta classe quoquo modo ædificasse. Cumque paullo post una Carthaginensium *quinqueremis* in potestatem Romanorum casu pervenisset, eam exemplar ejus generis præbuisse, ejusque instar omnem classem suam Romanos instituisse. *Stewech. in Veget.* IV. 37. Erat navigium dicrotum, quod tres remorum versus, seu ordines ad latus habebat, duos autem in transtris. *Meibom. Fabric. trirem. restit. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 570. *D.* Lubet primum quærere, quæ sit causa, quod tres versus, seu ordines habere *quinqueremis* debuerit ad latus, & non duos tantum, sicut quadriremis. Nam de quadriremi ipse: *quod duos versus remigum habet ad latus navigii, & totidem in jugis, vocatur quadriremis.* Cur ergo non & *quinqueremis*, quod versus duos ad latus, tres in jugis? Non poterit afferre verbum unicum scriptoris veteris, quo sententiam suam probet? Intelligo tamen, quid ipsum huc impulerit, nempe si fecisset remiges in jugis tres, infimus eorum factus esset thalamita, qui tamen secundum Meibomium non in jugo sedem habere, sed ad latus debet. Primum enim ei locum habet in latere thranita, sequitur post zygita in jugo, tum tertius, & ipse in latere, sicut thranita, deinde quartus zygita in jugo, postremo thalamita in latere. Si zygitas fecisset tres, aut duos eorum, aut omnes jungere inter sese debuisset, nullo intercedente remige laterali, quod est contra sententiam, & descriptionem ejus, quando semper post lateralem unum collocat unum jugarium remigem; aut tertium in infimo collocare loco, id est, ex zygita facere thalamitam, quod apparebat esse absurdum. Non ergo hæc sententia, quæ tres laterales tribuit *quinqueremi*, & zygitas tantum duos, veterum auctoritate nititur, sed opinione, quam de hisce navibus sibi ipse, suoque ingenio Meibomius firmavit. Jam, ut concedamus ei, esse in ista navi versus laterales tres, quæ quæso erunt nomina remigum in eis? Zygitæ secundum ipsum sedent in jugis, nec ad latera navis pertinent; thranitæ sunt in summo, thalamitæ in imo. Quodnam erit nomen eorum, qui in versu laterali tertio sunt constituti? Idem dubium occurrit in navigiis plurium ordinum. Frustra dicet, thalamitis, an thranitis posse associari. Quisquis enim non ad thalamum, aut thranos sedet, nomine thalamitæ, aut thranitæ nequit compellari. At eorum nemo, qui infra zygitam primum remigat, sedet ad thranos, nemo igitur thranitis potest dici. Nemo eorum, qui supra zygitam ultimum remigat, sedet ad thalamum, nemo igitur potest dici thalamitis. Plura autem remigum apud veteres vocabula non leguntur. Patet idem ex Hesychio. Nam, Θαλάμιος, ait, ὁ ἔσχατος: ὁ δὲ ἀνώτατος, θρανίτης. Debet esse ἔσχατος, & ἀνώτατος, id est, *infimus*, & *summus*, ut quis sit vel thalamita, vel thranita, non quoquo modo sedere in alto, vel humili, ut plures fingi thranitarum, thalamitarumve ordines non possint. *Opel de Fabric. trirem. Meibom. Thes. Græv. ibid. p.* 695. *E.* Vetustis temporibus fuerunt admodum usitatæ, cum plerisque aliis maris mediterranei accolis, tum præsertim Romanis, ac Carthaginensibus. Polyb. 1. 26. *quinqueremem habuisse* scribit *remiges trecentos*, & inde est planum, triginta quoque ordinis cujusque sedilia fuisse. *Quinqueremem* igitur statuo longam fuisse circiter pedes centum quinquaginta, latam pedes quindecim semis. Interscalmium pono trium cubitorum, seu pedum quatuor semis: unde locus remigum in longitudinem patuisset pedes centum triginta quinque. *Meibom. ibid. p.* 584. *E.* Triremi tardiorem fuisse opinantur viri doctissimi ex Liv. XXVIII. 30. *Adherbal conjuratis in quinqueremem impositis, præmissaque ea, quia tardior quam triremis erat, ipse cum octo triremibus modico intervallo sequitur.* Tardior enim erat propter pondus. Subdit enim: *Quinqueremis Romana, seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, quum facilius regeretur, duas triremes suppressit.* Sed Cæs. de Bell. civ. II. 6. omnem dubitationem tollere videtur his verbis: *Conspicatæque naves triremes duæ navem Decii Bruti*, quæ erat hexeris Lucan. III. 535.

Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur.

quæ ex insigni facile agnosci poterat, duabus ex partibus sese in eam incitaverant: sed tantum re provisa, Brutus celeritate navis enisus est, ut parvo momento antecederet. Vides illam hexerem celeritate antevertisse illas triremes: quod & similiter de *quinqueremi* facile credere est. *Bayf. ibid. p.* 597. *D.*

QUINQUERTIONES appellati sunt a Latinis, qui πένταθλον vicissent. Vox hæc *ars* prima sua origine robur, ac fortitudinem designavit. Græca enim omnia, ἄρης, ἀρετὴ, ἐνάρετος. *Scalig. Poet.* 1. 22. Festus: *Livius Andronicus quoque ipsos athletas sic nominat: quinquertiones præco in medium vocat.* Voss. Lex. Etymol. Mercur. Gymnast. I. 14. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 30. Bud. in Pandect. p. 96. D. *Quinquertionis* laus quidem fuit maxima, tamen singulas ejus victorias, si pensiculate æstimentur, minime adæquarunt eas, quæ singulorum athletarum propriæ erant. Nam singularis athleta, idemque victor summum laudis adipiscebatur, velut is qui esset ὕπακρος, in summo, & callentissimus eorum omnium, quæ ad suum certamen pertinerent, sive ea esset lucta, sive pugilatus, sive aliud. *Quinquertio* quidem omnium victor erat: sed minus videbatur in eo elaborasse, ut singuli exercitii genera sciret, sed omnia mediocriter attigisse. Et hoc notandum, *quinquertioni* antagonistam fuisse, non singularem athletam, sed utique alium *quinquertionem.* Et hic est sensus Platon. Amor. Ubi confertur is, qui vere sit philosophus cum illo, qui hanc aut illam artem profitetur. *Intelligo, qualem philosophum dicas. Videris*

enim

enim dicere ejuſmodi, quâles in certamine ſunt quinquertiones reſpectu curſorum, vel certatorum. Etenim illi his cedunt in illorum certaminibus. Aliorum autem athletarum ratione primi ſunt, & vincunt eos. Ac ſi dicat, illi in ſingulis accipiunt τὰ πρωτεῖα, *prima præmia*: iſti in ſingulis τὰ δευτερεῖα, *ſecunda*, cæterum, qui cæteris aliqua re præſtabant, illi metaphorice dicebantur πένταθλοι. Hujus generis fuit Democritus Abderites, qui, auctore Suida, quod omni artium, & doctrinæ genere eſſet excultus, hoc nomine fuit honeſtatus. Nec tamen *quinquertio* functus his omnibus, quæ dixi, omnia quæ ad victoriæ decus pertinent, peregerat. Nam quo virtus ejus eſſet exploratior, ei neceſſe fuit infligere tres ictus antagoniſtæ ſuo, nempe in pugillatu. Et hoc illud eſt, quod vocabant ἀποτριάξαι, ſive ἀποτριάσαι, τοῦτ' ἐςὶ τρεῖς πληγὰς δοῦναι, ut ait Heſychius, & in *pentathlo vincere*, ut Pollux III. 30. *Paſchal. de Coron.* VI. 23.

QUINQUERTIUM Græcis dicebatur πένταθλον. Feſtus. *Quinquertium Græci vocant πένταθλον, quo die quinque genera artium ludo exercebantur.* Erat certamen gymnicum, quod conſtat quinque certaminibus, curſu, lucta, pugilatu, ſaltu, jaculo. Feſtus: *Pentathlum antiqui quinquertium dixerunt: id autem genus exercitationis ex his quinque artibus conſtat, jactu diſci, curſu, ſaltu, jaculatione, luctatione.* Quæ in unum verſum conjecit Simonides Anthol. I. I. 8.

Saltum, curſum, diſcum, jaculum, luctam.

Paſchal. de Coron. VI. 23. Voſſ. Lex. Etymol. & de Quat. art. popul. c. 3. §. 76. Potter. Archæol. Græc. II. 21. Demſter. Paral. ad Antiq. Roman. Roſin. V. I. Volaterr. Rer. Urban. XXIX. p. 1090. F. Strauch. Olympic. agon. §. 14. Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. II. I. Rhodig. Antiq. Lect. XIII. 30. Bud. in Pandect. p. 96. D. Mercur. Gymnaſt. I. 14. Quando inſtitutum ſit V. ſupr. in *Lucta*. Diverſum fuit a pancratio. V. ſupr. in *Pancratiaſtes* Primus in illo vicit Lampis. V. ſupr. in *Lucta*. Præmium fuit corona, hoc eſt ſummum omnium præmiorum. Pollux III. 30. 7. *Porro qui certamine vicit, coronam ſuſtulit, palmæ ramum præripuit, aut palmam accepit, coronatus eſt.* Palmam, nempe ſymbolum victoriæ. Præconis voce renuntiabatur, & celebrabatur. Dein corona redimiebatur. Et hoc totum vocabant ςεφανηφορίαν. Quanti fuerit, hinc licet æſtimare, quod Athenienſis Callippus ab adverſariis *quinquertii* coronam pretio avertiſſe convictus, ingenti pecunia multatus eſt, ex qua videlicet Jovi erecta fuerunt ſex ſigna. Enimvero Pindar. Olymp. XIII. 41. docet, nihil tam arduum, neque tam rarum fuiſſe, quam obtinere victoriam *quinquertii*, quæ conjuncta cum victoria ſtadii ante Xenophontem data ſit mortalium nemini.

— una cum quinquertio
Stadii vincens curſum. Non
Conſecutus eſt hæc vir
Mortalis unquam aliquis prius.

Itaque, ut *quinquertionis* victoria ſi non cæteris victoriis præſtitit, at certe paucis inferior fuit: ita veriſimile eſt, hanc coronam in ſummo pretio fuiſſe, certe nulli dignitate ceſſiſſe, veluti illam, quæ, ut omnes victorias, ita omnes coronas una repræſentabat. Niſi forte exiſtimare libeat, *quinquertionem* omnibus coronis donatum fuiſſe. Id quod & genus victoriæ videtur poſtulare, idemque licet ſuſpicari e verbis Plutarchi de Arato loquentis, qui quoque fuit *quinquertio: adeo ut & quinquertium decertaverit, & coronas adeptus ſit, nempe unicuique victoriæ debitas.* Sed mihi quidem uſque adhuc res non eſt ſatis liquida. *Paſchal. ibid. c.* 24.

QUINQUEVIRI agrarii vocabantur, qui agris dividendis præerant. Liv. VI. 21. *Ad quam militiam quo paratior plebes eſſet, quinqueviros Pomptino agro dividendo creaverunt.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2.

Quinqueviri menſarii fuerunt magiſtratus extra ordinem, P. Valerio & Martio II. coſſ. creati, ad liberandum ære alieno populum. Liv. VII. 21. *Novi conſules fœnebrem rem, quæ diſtinere unanimos videbatur, levare aggreſſi; ſolutionem alieni æris in publicam curam verterunt, quinqueviris creatis, quos menſarios ab diſpenſatione pecuniæ appellarunt.* Panvin. de Civit. Rom. c. 58. Gruch. de Comit. Roman. II. 2. Pigh. Annal. Rom. I. p. 290. V. illos ſupr. in *Menſarii*.

Quinqueviri muris, & turribus reficiendis etiam erant. Liv. XXV. 7. *Comitia deinde a prætore urbano de ſenatus ſententia, plebiſque ſcitu ſunt habita: quibus creati ſunt quinqueviri muris, turribuſque reficiendis.* Gruch. de Comit. Roman. II. 2. Laz. Comment. Reip. Rom. III. 5. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 86. E.

Quinqueviri vigilum vigilias curabant. Liv. XXXIX. 14. *Ædiles plebis videre, ne qua ſacra in operto fierent: triumviris capitalibus mandatum eſt, ut vigilias diſponerent per Urbem, ſervarentque ne qui nocturni cœtus fierent, utque ab incendiis caveretur, adjutores triumviris quinqueviri, ut cis Tiberim ſuæ quiſque regionis ædificiis præeſſent.* Laz. Comment. Reip. Rom. III. 5. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1104. D.

QUINTA pars fructuum ex agris conductis exigebatur ab illis, qui conduxerant. Appian. de Bell. Civil. I. p. 353. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 16. *Buleng. de Vectig. c.* 34. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 2. V. ſupr. in *Plantatis*.

QUINTANA fuit certa pars caſtrorum, ubi res venales. V. ſupr. in *Porta caſtrorum*.

QUINTIA gens. V. illam ſupr. in *Gens*.

Quintia prata. V. illa ſupr. in *Prata*.

QUINTILIA gens. V. illam ſupr. in *Gens*.

QUINTILIS menſis, licet addito Januario, & Februario ſeptimus eſſet, nomen tamen retinuit, inque tutela Jovis erat. Sed poſtea in honorem Julii Cæſaris Julius appellatus eſt. V. ſupr. in *Julius*.

QUINTIPOR vocabatur *Quinti* ſervus. V. illum ſupr. in *Marcipor*.

QUIRINA tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

QUIRINALIA erant feriæ *Quirini*. V. illa ſupr. in *Feriæ ſtultorum*.

QUIRINALIS mons dictus eſt etiam Agonius, ſive Agonalis. V. ſupr. in *Agonius*, & Collinus forte a vicina porta Collina, vel a ſex collibus, qui in ejus ſummitate cernebantur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 22. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 47. Caballinus, a duabus ſtatuis marmoreis Alexandri Magni Regis Macedonum, equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Conſtantinus Imperator Romam tranſtulit, atque in medio thermarum a ſe in *Quirinali* extructarum collocavit, quarum altera Phidiæ, altera Praxitelis manu factæ ſunt, ut titulus indicat. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græc. Tom.* III. *p.* 274. *E. Fabric. l. l. Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 8. *Schott. Itiner. p.* 174. Alexandrum Magnum Bucephali domitorem a Phidia expreſſum pernegandum eſt. De Praxitele ambigi poteſt, ſed de hoc etiam negandum. Nam Plin. XXXIV. 8. *Floruit Phidias Olympiade* 83. *circiter trecenteſimo noſtræ Urbis anno.* Quem Euſebius in Chronico tradit floruiſſe Olympiade 85. Alexander autem, eodem Euſebio referente, natus eſt Olympiade 106. Octuaginta quatuor poſt annos, juxta Plinium nonaginta duos. Idem patet ex Plutarch. Pericl. p. 159. E. qui ait Periclem in ædificando uſum præſertim fuiſſe opera Phidiæ, tanquam architecti, & magiſtri. Pericles autem obiit Olympiade 87. ut ait Euſebius, ſeptuageſimo ſexto anno ante natum Alexandrum. Praxiteles, referente Plin. l. l. floruit Olympiade 104. octo annos ante natum Alexandrum. Is vero, ut colligitur ex Plutarcho, aliiſque, ſaltem quindecim annorum fuit, cum Bucephalum domuit. Anni ergo viginti tres additi homini præſtanti jam & claro in arte, eum in ætate jam affecta conſtituunt. Neque cauſæ quidquam in promptu erat, cur domito ſtatim equo, Alexandro nondum Regi, & vivente patre, coloſſeæ ſtatuæ ponerentur, præſertim ab opifice, qui alibi artem exercebat. Quid? ſi Plinius cum florere Praxitelem dixit, non

ejus

ejus media vitæ spatia, sed postrema signavit? Scripsit l. l. *Centesima quarta decima Olympiade Lysippus fuit, & cum eo Alexander Magnus.* Qua videlicet Alexander obiit. Sic etiam Olympias 104. si ultimi Praxiteli fuit, confitendum, Praxitelem ante obitum Alexandri mortuum fuisse. Harum igitur statuarum sculptores Phidias, & Praxiteles fuere, sed Alexandrum non figurarunt. Translatæ sunt a Sixto V. ad aream contra pontificii palatii vestibulum, sua utraque basi juxta sali, prisisque titulis restitutis, *opus Phidiæ, opus Praxitelis.* Quando, aut unde advectæ fuerint in Urbem, ante Constantinum, an illo jubente, dici probabiliter non potest. Credibile est tamen ejus ætate, ut [illegible] operibus Urbem excoleret, & suas thermas ornaret. *Donat. l. l. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 8. §. 4.* & Salutaris, a Salutis vicino templo, testibus Varrone & Festo. *Nardin. ibid. 1. 9. n. 2. Donat. l. l.* Species ejus oblonga est, & ad instar cubiti inflexa: ortus a columna Trajana, ubi clivus est, mons Bagnanapoli appellatur, [illegible] per hortos Colonnenses sese extendens usque ad palatium pontificis maximi planitiei Urbis superimminet, veterique campo Martio, dehinc versus septemtriones, & palatium Barberinum, ac monasterium S. Susannæ reflexus, villam Mandosiam attingit, ac demum [illegible] vergens Salarem, obvium sibi habet collem hortorum. Alterum ejus latus a monte Bagnanapoli, usque ad S. Caji, & Bernardi, semper juxta Viminalem procedit, velut ex opposito, quicum ad S. Bernardi videtur conjungi: facile tamen divisio, quæ olim fuit, ibidem observari potest, quippe quæ nimis adhuc evidens sit, & conspicua. Via namque a quatuor fontibus ad S. Mariam majorem descendens, quæ haud procul a quatuor depressior, mox rursus attollitur, manifestum ejus indicium præbet, quod ante complanationem Paulli V. prærupta declivitate sua multo etiam erat notabilius. Deinde qui pone S. Caji hodieque nonnullas portæ aggestu terræ semisepultas ad animum revocarit, ipsamque S. Bernardi ecclesiam depressiorem observaverit, sic ut non modo ad eam descendendum sit, verum ex ipsa ædificii nimis plani symmetria deprehendi statim possit, pavimentum ejus vetus multo olim fuisse humilius: contra ei qui solum cum in hortis Barberinis, tum in monasterio S. Susannæ, & ultra ferme usque ad portam piam, mœniumque flexum multo editiora esse consideraverit, non poterit non fateri, *Quirinalem* collem Foro, quod nunc dicitur termi orum, seu thermarum potius, superimminuisse. *Nardin. ibid. 11. 2. Donat. Fabric. Panvin. l. l.* Urbi a Romulo, & Tatio adjunctum esse scribunt Dionys. 11. p. 113. & Strab. v. p. 162. Veruntamen certior, & potior est mihi Livii, & Taciti auctoritas: nam & immane montis illius spatium rem reddit omnino incredibilem. Attamen Solinus quoque c. 2. *Numam in colle primum Quirinali, deinde propter ædem Vestæ habitasse* tradit, ac si jam Numæ tempore mons hic Urbis mœnibus inclusus fuerit. Unde forsan verum esse potest, partem Quirinalis extremo Romuli, Tatiique regno, quod & Dionysius indicare videtur, ab affluente continuo accolarum multitudine occupatam fuisse, infessamque domiciliis; eaque veluti suburbia partim ab his, partim ab ipso Numa, muro cincta. Sunt tamen alii, qui Servio Tullio id ipsum tribuunt. Quæ sententiarum varietas me judice ex eo orta, quod Urbs sensim increverit, & sub hoc Rege mons tanquam suburbium habitari cœptus, sub alio muris postea circumdatus fuerit. Ad hunc modum, ut jam dixi, sub Tatio fortean pars *Quirinalis* coli cœpta, quam forte postea Numa muris cinxit; neque enim id toti ab eo monti factum verosimile est: reliquum quod superfuit, facile ab Tullio addi potuit. *Nardin. ibid.* 1. 2. *& 4. Panvin. ibid. p. 219. A.*

Quirinalis porta. V. illam supr. in *Porta.*

QUIRINUS, ut nonnulli volunt, Mars est. Serv. Æneid. 1. 296. *Is Mars, cum sævit, Gradivus: cum tranquillus est, Quirinus dicitur.* Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 345. A. Argol. in Panvin. de Lud. circens. 1. 18. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. fig. 14. Ut vero alii, Romulus, qui a morte cœpit *Quirinus* appellari. Sicut enim hodiernis pontificibus cum novo imperio nomen quoque novum assumitur: ita olim in deorum numerum relatis alia sæpe, & sanctiora nomina attributa legimus. Hinc Io post fata transiit in Isidem, Melicerta in Portumnum, Æneas in Jovem indigetem, Romulus in *Quirinum.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 8. n. 2. Ego nomen Romuli in *Quirini* idcirco crediderim commutatum, quod persuasum fuerit antiquis, aliam hominum linguam esse, aliam deorum. Quippe indignum cœlo, & diis videbatur, vocabuli humana usurpare. Sic Homerus, omnis veterum sapientiæ consultus, fluvium ab hominibus Scamandrum dictum, a diis Xanthum, avem ab hominibus cymindin, a diis chalcidem statuit appellari. *Boxhorn. Quæst. Rom. 20. Rhodig. Ant. Lect.* XI. 19. Mortuo Romulo, inque deos relato, prævalentibus Sabinis id nomen ei datum, quod Curitus habuerat deus tutelaris: indeque & ipse *Curinus* vocatus. Forte vetus ille Cures oppidum considerat. Utcunque est, postquam Sabini e Curibus Romam migrarunt; placuit, ut deus Romæ tutelaris non alio vocaretur nomine, quam illo oppidi, unde venerant. *Voss. de Idolol.* I. 12. Forte a *curi*, sive *quiri*, id est, hasta, quam gestabat: vel a Curibus, id est, Sabinis, quos domuit. Ita enim Ovid. Fast. II. 475.

Proxima lux vacua est: at tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.
Sive quod hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra deus.
Sive suum Regi nomen posuere Quirites:
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

n. 505.

—— prohibe lugere Quirites,
Nec violent lacrymis numina nostra suis,
Thura ferant, placentque novum pia turba Quirinum,
Et patrias artes, militiamque colant.

Julian. Cæsar. p. 307. B. Edit. Lips. *Illuc,* in cœlum, *fertur Quirinus concessisse post Herculem: siquidem ipsum hoc nomine, famæ, quæ de ejus divinitate percrebruit, parentes appellare fas est.* Borrich. Pancirol. l. l. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 940. F. August. de Famil. in Julia. Rhodig. Ant. Lect. XI. 19. Ortel. Deor. & dear. cap. 11. fig. 37. Scopp. Collect. c. 18. Kircher. vet. & nov. Lat. p. 223. Coraf. Misc. VII. 31. n. 5. 6. Kipping. Ant. Rom. 1. 3. §. 5. Columna in Ennii Annal. 1. p. 43. Voss. Lex. Etymol. in Quiritare. Sed si ita est, cur ante mortem vocatus est *Quirinus* a Virg. Æneid. 1. 296.

—— Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt.

Ratio constat Virgilio; Jupiter enim vaticinans voces has in sinum Veneris de Ænea suo sollicitæ effundit, ut cui fatorum consilio ignotum esse nequierit, Romulum olim gubernaturum, & *Quirinum* ab obitu appellandum. *Borrich. l. l.*

QUIRITARE est *Quirites ciere.* Diomed. 1. p. 377. Edit. Putsch. Differt a jubilare. Varr. de Ling. Lat. v. 7. *Verum horum quiritare, jubilare. Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat. . . . Ut quiritare urbanorum, sic jubilare rusticorum.* Liv. XXXIX. 8. *Quod præ ululatibus, tympanorumque, & cymbalorum strepitu nulla vox quiritantium inter stupra, & cædes exaudiri poterat.* Voss. Lex. Etymol. Brisson. de Form. VIII. p. 718. Bud. de Asse II. p. 243. in Pandect. p. 102. A. Rævard. in Leg. XII. tab. c. 3. de Div. reg. jur. CIX. *Quiritantium* vox fuit, *porro Quirites.* V. illam supr. in *Porro.*

QUIRITES proprie, qui *Cures* incolebant Sabinorum oppidum, in quo regnabat Tatius: ut Romani, qui cum Romulo Romam tenebant. Verum post fœdus ictum inter Romulum & Tatium, pro eodem populo habiti Romani & *Quirites.* Liv. 1. 13. *Ita geminata Urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati.* Voss. Lex. Etymol. in Quiritare. Ferret. Mus. Lapid. v. memor. 9. *Quiritium* fossa. V. illam supr. in *Fossa.* Jus. V. illud supr. in *Jus.*

Qui-

Quirites etiam appellabantur cives urbani, pagani, non milites. Militum nomen erat honorificentius quam *quiritium*, cum *quirites* plebeji etiam ignobiles, qui nullam Reipublicæ operam navaverunt, possint esse. *Quiritis* nomen vitam privatam, militis ornamentum non mediocre designat. Ita seditiosos coercuerunt illos *quirites* appellando: Julius Cæsar apud Suet. c. 70. *Decumanos missionem, & præmia flagitantes una voce,* *qua quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit, & flexit, ut ei milites esse [illegible] responderint.* Plutarch. Cæs. p. [illegible]. A. *[illegible] castigavit milites: quod pro militibus quirites appellaverit.* Et Alex. Sever. apud Lamprid. c. 53. *[illegible] omnes hodie una voce quirites dimittam, & incertum, an quirites; non enim digni estis, qui vel unius plebis sitis, si jus Romanum non [illegible]?* [illegible] Animadv. pol. c. 157. Turneb. Adv. xxiv. 13. Faber Semestr. I. 17. Bud. in Pand. [illegible] p. 256. J. Stew. [illegible] in Veget. II. 3. Stichtenman de Pœn. militar. c. 13. Lips. in Suetonium.

R.

R recte litera canina vocatur. Pers. Sat. I. 109.

> — *sonat hic de nave canina*
> *Litera.*

Literam enim *R* canes melius quam homines ipsi proferunt. Laudatur Lucilii de litera *R* ille versus Sat. I.

> *Irritata canis quam homo quam plurimus dicat.*

Qui [illegible] legitur in commentariis Donati Adelph. II. 4. 18.

> *Irritata canis quod homo quam plurima dictat.*

In [illegible] propter canis dictam. Et verbo irritare scite usus est Ulpianus, cum inquit l. item Mela §. 5. ad l. Aquiliam: *[illegible] eo, qui canem irritaverit.* Gentil. Parerg. I. 13. [illegible] de V[illegible] c. 20. Salmas. Exercit. Plin. p. 409. b. B. Schill Nom. ad. Philol. p. 978. Illam invenit Appius Claudius. Pompon. l. 2. §. 35. ff. de Orig. jur. civ. *Appius Claudius Centumanus R literam invenit: ut pro [illegible] [illegible] [illegible].* Et ita in XII Tab. erat *casmen, minose, majose, fusiosus,* & similia, pro carmen, minore, majore, furiosus, teste Festo. Sed an [illegible], & Remum [illegible] Somalum, & Semum [illegible] Nam Romani quidam, [illegible], qui neverunt, nec antiquum fuisse Urbis nomen adseveraverint. *Gentil. l. l. Alex. Gen. dier.* I. 9. *Faber Semestr.* I. 9. *[illegible] l. l.* Et antiqui libri apponebant ad locum, cui aliquid deesset ad [illegible] integritatem, quod requiri deberet, & investigari: tamquam *requirere* significat, aut *requirendum*. [illegible] notatur in veteribus libris, R. Illud in omnibus [illegible] exemplaribus libris comparet apud Plin. IX. 17. *[illegible] Celer [illegible], hoc [illegible], Cajo Principe [illegible] mercatus R. VIII. mullum.* Illud R ex ora libri in contextum irrepsit. Cum enim ita in libris locus ille mendose conceptus esset, *mercatus* VIII. *mullum*, aliquis studiosus in margine adscripserat hanc notam R. qua significabat, & monebat requirendum esse, quid vellet ille numerus VIII. quomodo, aut de quo genere nummorum intelligendus esset: nomen enim nummi, ut sæpe [illegible]. *Salmas. [illegible] ad P[illegible] p. 452.* In medio, [illegible] [illegible] & [illegible] in [illegible] V. supr. in P [illegible] Et [illegible] *S[illegible]* in inscriptionibus [illegible] [illegible] Romæ familiari [illegible] in [illegible] fæminis, [illegible] quandam [illegible], ut ita dicam, & [illegible] *[illegible]* pro *[illegible]*, *scenete* pro *scendere*, *sciaurato* pro *sciagurato*, *propio* pro *proprio*. Sic apud antiquos *f[illegible]* pro *frango*, *tago* pro *tango*, *pago* pro *pango*, & similibus. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* IX. *c.* 3. *Palmer. Spic.* [illegible] *p.* 771.

R & D. invicem permutabantur. V. supr. in *D.*

R & L. invicem permutabantur. V. supr. in *L.*

R & N in promiscuo habebant veteres. Sic pro *condonio* dixerunt *cordonium*, non enim a corde: & pro *contumione* *conturnionem*; non enim ne id quoque a corde, ut vult Varr. de Ling. Lat. VI. 2. Est enim contumio, ἐπαντισμός. Sic pro *condus cordus*. Varr. de Re rust. II. 3. *Accipe a me cum Homerico Melanthio cordo.* Plura & ejusmodi passim apud veteres annotabis, ut *genimen*, *germen*. Scalig. Conject. p. 218. Taubman. in Pœnul. I. 2. 86.

R & P. invicem permutabantur. V. supr. in *P.*

R aliquando in S mutabatur. *Papisii* enim & *Fusii* iidem erant qui *Papirii* & *Furii*: & *bonos* pro *honore*, *odos* pro *odore* apud Plautum ponuntur: & *Lases* pro *Laribus* dictum notavit Varr. de Ling. Lat. V. Cujus generis etiam sunt *liberum* pro *[illegible]*, *quæsere* pro *quærere* apud Festum: Etiam Plutarch. Quæst. Rom. 31. Τὸν τάλαρον τάλασον ὀνομάζουσι. Xylandr. in Plutarchum. Salmas. Exerc. Plin. p. 81. a. C. [illegible] Epist. 55.

R R erat sollemnis nota actuum apud veteres, qua *rationes relatas* significabant. Festus: *R. duobus in compluribus orationibus, cum de actis dicitur, etiam præscribi solet, id est, rationum relatarum, quibus tabulis docentur judices, quæ publice data, atque accepta sint.* Dacer. in Festum. Sigon. de Judic. II. 16.

RAB.

RABULA *appellatur causidicus, pugnaciter loquens.* Verrius apud Festum in Rava. *Dictus est, quem nunc advocatum, vel causarum patronum dicimus.* Cicer. de Orat. *Non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum, & perfectissimum quærimus.* Inde & Sallustius: *Canina, ut ait Appius, facundia exercebatur.* Voss. Lex. Etymol. Ad ravim usque in foro, tanquam in foco laurus virens, crepitant, alternis jurgiis conviciantur, rixantur, latrant tenso jecore, sonitum verborum inanem, nulli sententia, nulla sententia crocitant. *Latratores* vocat Quintil. XII. 9. *Super omnia perit illa, quæ plurimum oratori, & auctoritatis, & fidei affert, modestia, si a viro bono in rabulam, latratoremque convertitur.* Cicer. de Orat. III. 34. *At non hunc, Periclem, clamator aliquis ad clepsydram docuerat latrare, sed, ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras, vir summus in maxima rerum scientia.* Latrare, quod est Cynicum, significantissime exprimit rixarum prælia, coitiones conviciorum, taliones dicteriorum, quibus tanquam assiduis latratibus tribunalia exercentur. Cicer. Divin. c. 15. *In dicendo quid possit numquam satis attendi, in clamando video eum esse bene robustum, & exercitatum.* Ubi officiis distinxit *rabulam*, & oratorem, quod hujus sit dicere, id est, magna graviter, mediocria temperate, humilia subtiliter, & pro decoro eloqui: illius clamare, non ad judicis animum, sed ad stomachum litigatoris, ut dicit Fabius. Hujus levitas tantum ignominiæ foro inussit, quantum eadem attulit decoris oratorum auctoritatis. Illi enim debemus rem forensem ad tantam humilitatem e summo fastigio honorum dejectam, qui tantum abest ab oratore, quantum sycophantæ, & leguleji a jurisperitis, sophistæ a philosophis, litteratores a literatis, veteratores a veteranis, loquentia ab eloquentia. Neque insulse omnino disjunget *rabulam* ab oratore, si quis antiphrastικῶς definit eum esse virum malum, dicendi imperitum: ut Herennius Senecio dicebat de M. Regulo apud Plin. Epist. IV. 7. 5. *Polet. For. Rom.* II. 9.

RAD.

RADIUS est baculus rectus modiolo infixus, & inde procedens ad absides, Græci illos vocant κνῆμας. Pollux I. 10. 10. *In [illegible] baculi dicuntur cnemæ.* Hesychius: *Cnemæ infixa ligna in modiolum rotæ, radii, rotarum*

baculi. Et κερκίδας, ut ex Hesychii verbis discimus. Numerus eorum antiquissimus in rotis quaternarius fuisse videtur. Ixionis profecto rotam talem facit Pindar. Pyth. Od. II. n. 73. Quamquam Scholiastes factum putet, ut respondeat *radiorum* numerus membris rotæ illigatis, id est, radiis duobus, & duobus cruribus. Vulgo enim habuisse plures, nempe sex. *Cnemæ, sive radii est rotæ baculus, procedens a modiolo ad orbem. Vulgares autem rotæ hominum habent radios sex. Deorum vero decoris quadam excellentia ab Homero dicuntur octoradiatæ.* Homeri locus, quem [illegible], legitur Iliad. v. 722.

> *Hebe [illegible] circa [illegible] velociter posuit rotundas rotas*
> *Æreas, octo radios habentes, circa axem ferreum.*

De his Eustathius: *Octacnema, octo cum baculis propter majorem [illegible]. Cnemæ namque hic baculi, qui ab interiori modiolo usque ad circumferentiam exteriorem procedunt, [illegible], ut animalia sustentantia ea, quæ ipsis incumbunt.* Putat Eustathius, numerum hunc *radiorum* [illegible] habitum firmitatis causa. Et profecto, quo [illegible] *radii* sunt plures, hoc ut firmior sit, necesse est. Verum tamen neque [illegible] hoc attendisse, sed potius numerum absidum. His enim vix [illegible] poterant pauciores *radii* [illegible]. [illegible] itaque absides in rota plures sunt, [illegible] plures. Plures autem absides in rota majore, quam in parva. Jam cum olim rotis uterentur parvis, atque tribus, ut opinor, cum absidibus, sex *radii* [illegible] poterant. Dii autem cum rotas haberent majores, quippe quorum omnia humanis esse [illegible] & [illegible], & sic absides in iis quatuor, *radii* simul requirerent octo. Quinimo cum dei de rota [illegible] absides haberent quatuor, manifestum illis numerus iste *radiorum* octo videtur. Duodecim ipsis *radios* videtur [illegible] Sidon. XXII. 410.

> *[illegible] rotas, quater [illegible] terni*
> *[illegible], repleta [illegible]*
> *Inter [illegible].*

Agit ibi de [illegible] curulis, & quadrigis, quæ Augusti [illegible] cum *radiis* octo habuerunt. Non igitur [illegible], [illegible] post illum numeram, & infirmiores rotas illas factas, atque adeo duodecim hos *radios* [illegible] expendendos esse. Potius existimo ad [illegible]. Atque hinc est ab his *radiis* rotas [illegible] esse. Pollux: *Sunt vehicula, [illegible] non sunt radiata.* Varr. de Re rust. [illegible] *rotam radiatam.* Græci ipsas σκυταλωτὸς, & ῥαβδωτὸς appellaverunt. Auctor Etymologici: Σκυταλωτὸς τροχὸς, ῥαβδωτὸς. *Scheffer. de Re vehic.* I. 6.

Radii dicuntur [illegible] fulminis, quia fulmen Jovis trisulcum [illegible]. Virg. Æneid. VIII. 429.

> *Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ.*

Turneb. Adv. VII. 29.

Radius vocatur hostorium, sive instrumentum, quo mensuras *radimus*, & dejecto cumulo coæquamus. Unde proverbium, *sine radio cumulare*, seu absque hostorio: quod est affluenter, & ultra mensuram congerere. Plautus:

> *Dii deæque omnes, tantam nobis lætitiam,*
> *Totque gaudia sine radio cumuletis.*

Rhodig. Ant. Lect. x. 4. Grapald. de Part. dom. II. II. §. 21.

Radius est imago lucis, seu species producta a corpore lucido, quæ quidem non discriminatim, sed continuato [illegible]: at nostrorum imbecillitati oculorum distinctis inter se [illegible], acuminatisque apicibus exilire videtur: propterea acutos nominat solis *radios* Phædra apud Ovid. Heroid. IV. 159.

> *[illegible] solem [illegible] acutis,*
> *Purpureo [illegible] qui movet axe diem.*

Arnob. VI. p. 198. *Ecce, si aliquis vobis nescientibus, & [illegible], & calidus ex foribus suis solem tollat, & in Mercurii transferat sedem: Mercurium rursus arripiat, & in solis faciat commigrare delubrum (uterque enim a vobis glaber, atque ore compingitur levi) deque huic radios, solis capiti petasunculum superponat, quibus modis internoscere poteritis, utrumne sol iste sit, an ille Mercurius; quum habitus vobis deos, non oris soleat proprietas indicare?* Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 708. B. Voss. Lex. Etymol.

Radius insigne erat, quod statuis deorum addebatur. Lucan. VII. 458.

> *Fulminibus manes, radiis ornabit, & astris.*

ad significandam n. divinitatem. Plin. Paneg. c. 52. n. 1. *Horum unum si præstitisset alius, illi jam dudum radiatum caput, & media inter deos sedes auro staret, aut ebore.* Mart. I. 71. 5. sive Domitiani equestrem statuam, sive solis colossum, Neronis capite dejecto, soli rursus a Vespasiano redditum intelligas:

> *Inde sacro veneranda petes palatia clivo,*
> *Plurima qua summi fulget imago ducis,*
> *Ne te detineat miri radiata colossi,*
> *Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.*

Figrel. de Stat. illustr. Roman. c. 32.

Radius vocatur instrumentum textorium, quo innectuntur telæ. Virg. Æneid. IX. 476.

> *Excussi manibus radii, revolutaque pensa.*

Claud. de Rapt. Proserp. III. 159.

> *—— tamen oscula telæ*
> *Figit, & abrumpit mutas in fila querelas,*
> *Attritosque manu radios, projectaque pensa.*

Homer. Iliad. x. 448.

> *Hujus concussa sunt membra: humi autem ei excidit radius.*

Cerda in Virgilium. Voss. Lex. Etymol. Braun. de Vest. Sacerd. Hebr. I. 16.

Radius dicta est oliva a forma longiuscula. Cato de Re rust. c. 6. *Oleam conditivam, radium majorem.* Virg. Georg. II. 85.

> *Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ,*
> *Orchites, & radii, & amara pausia bacca.*

Buleng. de Conviv. II. 40. Voss. Lex. Etymol. Cerda in Virgilium.

Radius vocatur os brachii superius ab humero ad cubitum. Cels. VIII. 1. *Radius, quem κερκίδα Græci appellant, superior, brevior que, & primo tenuior, rotundo, & leniter cavo capite exiguum humeri tuberculum recipit.* c. 11. *Modo, quæ juncta sunt inter se, dehiscunt: ut in brachio radius a cubito.* Voss. Lex. Etymol.

Radius vocatur virga, seu peculiare mathematicis demonstrationibus instrumentum. Virg. Ecl. III. 50.

> *In medio duo signa, Conon: & quis fuit alter,*
> *Descripsit totum radio qui gentibus orbem.*

Æneid. VI. 849.

> *—— cælique meatus*
> *Describent radio, & surgentia sidera dicent.*

Ea *virga philosophorum* appellabatur. Serv. ad priorem locum: *Radio, id est, virga philosophorum, qua geometræ lineas indicant. Inventa autem hæc est ars tempore, quo Nilus plus æquo crescens confudit terminos possessionum, ad quos renovandos adhibiti sunt philosophi, qui lineis diviserunt agros. Inde geometria dicitur, cum non tantum terræ, sed & maris, & cæli, & aeris spatia metiri consueverat.* Turneb. Adv. XXIX. 3. Cerda in Virgilium. Sed quid ille *radius*, quo lineas in abaco ductas indicant geometræ, facit ad spatia cæli metanda? An orbem hic terrarum accepit, & de geometra locum intellexit? Non videtur, quum statim subdiderit: *significat autem aut Aratum, aut Ptolemæum, aut Eudoxum.* Nugæ de Ptolemæo, qui tanto posterior fuit Virgilio. Virga quoque, sive *radio* circuli in sphæra solida, quam κρικωτὴν dixerunt, indicantur. Capella de Astronomia: *Et cum dicto prospicio quandam feminam luculentum radium dextra, altera sphæram solidam gestantem.*

Verum

Verum *radius*, sive virga, vel bacillum, quo circulos in sphæra solida ostendunt mathematici, intervallis, ac magnitudinibus siderum signandis non valet. *Totum orbem* poeta de cœlo dixit, ut Æneid. III. 512.

Necdum orbem medium nox horis acta subibat.

id est, cœlum medium. Et *medium cœli orbem* Æneid. VIII. 97.

Sol medium cœli conscenderat igneus orbem.

Archimedes *totum orbem radio descripsit*, qui totum cœlum descripsit, qui descriptus *radio* possit indicari. Nec enim hic *radius* dioptricum organum, sed *radius* mathematicus. Cicer. Tuscul. v. 23. *Ex eadem urbe humilem homunculum a pulvere, & radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedem.* Hæc cœli descriptio ad parapegmatum disciplinam est referenda. Quod *ambire orbem* Virgilius, *metari cælum* dicit Ovid. Fast. I. 309.

Nos quoque sub ducibus cœlum metabimur istis,
Ponemusque suos ad sua signa dies.

Μετρεῖν πόλον Leon Philosophus:

Πρόκλος μὲν ἐν γῇ, καὶ Θεῶν μετρεῖ πόλον.

Qui terram metabantur, etiam metiebantur, & mensores, metatoresque iidem. *Salmas. Exerc. Plin. p. 579. b. C.*

RAL.

RALLA est stimulus ferratus, quo vomer *raditur*, detergetur, & inhærente terra liberatur, atque purgatur. Plin. XVIII. 19. *Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus rallo.* In veteri Parmensi est *rulla*. Popm. de Instr. fund. c. 8. Turneb. XXIV. 1, Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 294. a. C.

Ralla est *vestis, quæ vulgo rasilis dicitur.* Isidor. XVIII. 23. Qui non audiendus est, dum a *radendo* deducere videtur. Rectius Non. XIV. 14. *Ralla, vestis dicta a raritate.* A *rarus* enim *rarulus*, *rallus*. Itaque *spissam rallæ*, sive vesti *raræ* opponit Plaut. Epid. II. 2. 46.

Tunicam rallam, tunicam spissam, linteum cæsitium.

Voss. Lex. Etymol. Ferrar. de Re vest. I. 2. II: 3. 19. Scalig. in Catalect. p. 61. Faber Semest. I. 16. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 31.

RAM.

RAMENTUM, sive, ut Plautus, *ramenta* dicitur, quod humi cadit, cum lima, aut scobina, similive instrumento aliquid atteritur. Sic *plumbi ramenta* apud Cælium Aurelianum, & similia passim. Veteres cum magnam haberent curam flaventium capillorum, usi sunt in eam rem medicamentis variis. Sed inspersio ramentorum auree in frequentiore usu fuit posita. Inventum est vetustissimum, ac si Josepho credere libet, Rex quoque Salomo eo usus in ornandis aulicis ministris, vel satellitibus suis. In mentione enim eorum juvenum, quos ait currus Salomonis solitos conscendere scribit Ant. Jud. VIII. 2. *His accus aaueb... equites, flos juventutis, procera statura, promissoque capillitio conspicui, & tunicis e Sarrana purpura induti: ad hæc ramentis auri capillum quotidie spargebant, ut ad solarium radiorum contactum fulgor a capitibus eorum reflecteretur.* Capitol. Ver. c. 10. *Dicitur sane tantam habuisse curam flaventium capillorum, ut capiti auri ramenta respergeret, quo magis coma illuminata flavesceret.* Casaub. in Capitolinum. Alex. Gen. dier. V. 18.

Ramentum navis vocabantur pix, cera, resina, quibus naves inungebantur. V. supr. in *Naves.*

RAMNENSES Albani erant, qui ad tria millia peditum, equites trecentos cum Romulo Romam condiderunt. Dionys. l. II. p. 78. *Ceterum numerus colonorum multorum, minimus a principio, ad parvum redactus est, tria millia peditum, trecentos equites.* Sigon. de Jur. civ. Rom. I. I. Pigh. Annal. I. p. 15. V. & supr. in *Luceres.*

RAMI arborum olim coronabantur. Apul. Apol. p. 497. *Negant vidisse se, qui sucre, unum saltem in finibus ejus, aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.* Plin. XII. 1. *Hæc omnia fuerunt numinum templa; priscoque ritu, simplicia rura, etiam nunc deo præcellentem arborem dicant,* quæ pro deorum immortalium templis haberentur. Quod videns Arnobius exclamat I. p. 22. *Venerabar, o cæcitas, nuper picturatas veternosis in arboribus tænias, si quando conspexeram lubricatum lapidem ex olivi unguine ordinatum. Tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente de trunco.* Acute *lapidem* dicit *ordinatum.* Ex Isaeco enim videmus super calentes reliquias lapides collocatos, credo ordinatos illos, &. ordinarios: ut ordinaria structura dicitur, quæ media est inter eam, quæ fit ex quadrato lapide, & quæ ex informi cæmento. *Guther. de Vet. jur. pont. III. 5.*

Ramus oleæ insigne erat pacis. Petron. c. 68. *Data ergo, acceptaque patrio more fide,* Tryphæna pacem inter pugnaturos factura *protendit ramum oleæ a tutela navigii raptum.* Sil. Ital. XIII 68.

—— *tum pignora pacis*
Prætendit dextra ramum canentis olivæ.

Barth. Adv. XXXV. 21.

RAN.

RANA in annulorum sculptura usurpari solebat. Plin. XXXVII. 1. *Quin etiam Mæcenatis rana per collationem pecuniarum in magno terrore erat.* Kirchman. de Annul. c. 13.

RAP.

RAPINA erat furtum quidem, sed impudenter, & vi factum. Itaque *rapinæ* & privatum, & publicum constitui judicium potuit. Pœna proposita fuit tripli. *Sigon. de Judic. I. 5.* Quomodo differat a damno injuria dato V. supr. in *Damnum.*

RAPTIM ludere dicebant, cum cadentes pilæ e pulvere *rapiuntur*, & postquam solum percussere, & saltu assurrexere, revocantur, quod Lucanus dicit *pilam revocare cadentem* Paneg. ad Pison. n. 183. *Turneb. Adv.* VII. 4. *Erhard. Symb. Petron. p. 592. Ramirez. Hypomn. in Mart.* IV. 19. 7. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 4. 1. *Caroli Antiq. Roman.* IV. 9. V. Nonium Exodio supr. in *Datatim.*

RAS.

RASA, vel *Rasis* est urbs, quam in Mesopotamia collocat Ptolemæus. Olim *Rages* est dicta in sacris literis, ubi Tobias decem talenta argenti Gabaelo mutuo dedit, & Tobiam filium eo ad recipiendam pecuniam misit. Tob. 3. & 9. etsi dicatur esse in Media. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 149.*

RASSIA, & *Servia*, seu *Segeria* dicitur nunc Dardania provincia Mœsiæ superiori contigua. V. illam supr. in *Dardania.*

RASTELLUM, sive *rastellus* est instrumentum fœnisiciæ ligneum, quo fœnum exsiccatum, & arefactum contrahitur in acervos, & deinde in metas constituitur, stipulæque de pratis, quas fœnisecces præterierunt, eraduntur. Varr. de Ling. Lat. IV. 31. *Rastelli, serræ leves: itaque homo in pratis per fœnisicia eo festucas corradit:* de Re rust. I. 49. *Tum de pratis stipulam rastellis eradi, atque addere fœnisiciæ cumulum. Quo facto siciliendа prata, id est, falcibus consectanda, quæ fœnisecces præterierunt.* Popm. de Instrum. fundi c. 10. Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 9.

Rastellum est etiam instrumentum fossorium, quo terra effoditur. Suet. Ner. c. 19. n. 3. *Tuba signo dato, primus rastello humum effodit.* Voss. Lex. Etymol. in Rastrum. Salmas. Exercit. Plin. p. 414. b. C. Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 9.

RASTRUM est instrumentum fossorium Græcis, quorum

quorum grammatici vertunt σκαπάνην, & σκαφίον. Gloſſæ: *Raſtrus*, σκαφίον. *Raſter*, δίκελλα. Et hoc aliter lego. Nec poteſt negari ſic poetas uti, imo Plinium, & alios. Et inde *raſtellum* apud Suetonium. Sed proprie *raſtri* uſus erat in occanda, poliendaque terra. Græce dicitur βωλοκόπος, unde βωλοκοπεῖν, *occare*, ſeu, ut loquitur Virg. Georg. I. 94. *glebas frangere*. Varr. de Ling. Lat. IV. 23. *Raſtri, quibus dentatis penitus eradunt terram, atque eruunt.* Ubi dentes tribuit *raſtris*. Ut & Ennius:

Raſtros dentifabres capſit agri poliendi.

Et Cato de Re ruſt. c. 11. *Raſtros quadridentes duos.* Nempe & *raſtri* erant bidentes, qui ἁπλῶς bidentes. Quadridentibus ſunt vero uſi, quia quo plures haberent dentes, eo aptiores erant ad occandum, hoc eſt, ad glebas frangendas. *Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 365. a. F.*

RASURA. V. illam infr. in *Tonſura*.

RAT.

RATARIÆ appellantur Gell. x. 25. utres, fœno, paleisque repleti, quibus ad trajicienda flumina in neceſſitate utebantur. Quanquam certam genus ad ſimilitudinem *ratium* factum ſub hoc vocabulo intellectum velit Iſidor. XIX. 1. *Ad ratis ſimilitudinem fabricatæ naves, ratariæ dictæ.* Scheffer. de Re naval. I. 3.

RATES *vocantur tigna inter ſe colligata, quæ per aquam aguntur: quo quidem vocabulo interdum etiam naves vocantur ipſæ. Afranius in Epiſtola: Vento perculſam ratem. Item eodem nomine ſignificarunt etiam remos. Attius in Neoptolemo: Atque ego repercutio ratibus mare. Et alio loco: Et jam propellunt cærulum rates ſolum.* Feſtus. Qui *rates* remos ait appellatos propter ſimilitudinem. Nam remi ſuper aquam ſublati a remigibus eam ſpeciem referant. Propterea & ταρσοὶ a Græcis non ſolum, *rates*, ſeu σχεδίαι, ſed & remi ipſi dicuntur. Gloſſæ: *Ratis*, ταρσός. Idem prope innuere videtur Varro de Ling. Lat. IV. 2. Sed cum locus non ſolum corruptus, ſed mancus ſit, reſtituemus, & ſupplebimus ex fragmentis Servianis, quæ ſunt penes Danielem: *Ratis dicta navis longa propter remos, quod hi ſupra aquam ſublati dextra, & ſiniſtra rates efficere videntur. Rates enim, ubi plures mali, vel trabes ſunt juncti; aqua ducuntur.* Scaliger in Feſtum. Primis temporibus obſervatum, ne aſſeres, & trabes, quibus rudi quodam vinculo inter ſe connexis navigabant, ſolverentur, utque magnitudine ſua ſtantes ſuperne, vel ſedentes caperent. Iſidor. XIX. 1. *Rates primum, & antiquiſſimum genus navigii, e rudibus lignis, aſſeribusque conſertum.* Max. Tyr. Diſſert. 40. *Solebant primi homines e levi materia ratem ſubitariam contexere, quam firma tignorum compages inter ſe committeret.* Utebantur hiſce antiquiſſimi populorum, Phœnices, Æthiopes, Gerrhæi. Teſtes Plin. VII. 56. & Strab. XVI. p. 527. qui Gerrhæos ex Ariſtobulo *frequenter ratibus in Babyloniam mercatum ire refert. Ratibus* ex Italia in Siciliam primo mari placido Siculi tranſivere, ut teſtatur Thucyd. VI. Ligures occupaverunt inſulam Corſicam, ſi fides eſt Salluſtio, cujus verba ex Hiſt. II. ſervavit Iſidor. XIV. 6. Nec ad tranſmigrationes ſolum, & mercaturas, ſed & bella uſurpabant. Unde Cicer. Verr. V. 2. *Obſtitiſti, ne ex Italia tranſire in Siciliam fugitivorum copiæ poſſent: ubi? quando? qua ex parte? cum aut navibus, aut ratibus conarentur accedere. Rates* navibus conjungit, quia in illarum defectu iſtas adhibebant. Flor. IV. 2. *Miſſæ quoque a Baſilio in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat.* Aſt alterum confirmat Strab. ibid. p. 534. *Inſulæ ante Nabatæam regionem ſitæ ab hominibus tenentur, qui olim quieti, poſtea ratibus deprædari cœperunt eos, qui ex Ægypto navigabant.* Flor. III. 8. *Baleares aſcendere inconditas rates, & præternavigantes ſubinde inopinato impetu terrere conſueverunt.* Scheffer. de Milit. nav. I. 3. Gyrald. de Navig. c. 18. Kipping. Diſſert. de Expedit. marit. c. 3.

RATIARIA eſt oppidum Myſiæ ſuperioris. *Rhetiaria* apud Ptolemæum. *Retiaria* legitur in jure l. 8. C. commun. de ſucceſſ. l. 21. C. de pignor. Diocletianus ibi quandoque jura condidit. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 71. & 155.*

RATIARIUS dicitur, vel nauta *rates* deducens, vel artifex eas fabricans. *Ratiarii* ſuperiores dicebantur, qui in ſuperiori parte Rhodani habitabant. Inſcriptio aræ Genevæ in Rhodano repertæ an. 1678.

DEO. SILVA
NO. PRO. SALU
TE. RATIARIOR.
SUPERIOR. A
MICOR. SUOR.
BASIM. SANCT.
M. ARRIUS. CIVIS. HEL. *Helvetius*
V. S. L. M.

Spon. Miſc. Erud. Antiq. Sect. VI. p. 231. Bud. in Pandect. p. 134. I. Zimmerman. Floril. Philol. p. 678. Nemo miretur, in his montoſis, nemoroſiſque locis Helvetios attingentibus Silvanum cultum fuiſſe; is enim in Gruteriana inſcriptione dendrophorus cognominatur, quaſi ligna miniſtrans. Baſin ſanctam eam nuncupat Marcus Arrius, eo quod ſtatuæ hujus numinis ferendæ deſtinata eſſet. *Spon. & Zimmerman. l. l.*

RATIO in re militari profecto eſt, quæ Romanos diſtinguit a barbara multitudine; *ratio*, qua una nationes omnes vicerunt, quam tanquam proprium ſui generis bonum, imitati ſuperbiam Græcorum, cum aliis raro communicant. Tacit. Germ. c. 30. n. 3. *Multum, ut inter Germanos, rationis & ſolertiæ, præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, plus reponere in duce, quam in exercitu.* Ubi malim: *nec niſi ratione, & diſciplina*, id eſt, per *rationem* & diſciplinam, beneficio *rationis*, & diſciplinæ, ut ſupra: *multum rationis, & ſolertiæ.* Conjuncta autem *ratio*, & diſciplina ſolent poni in laudibus egregiorum ducum. Cicer. Verr. V. 10. *Non ad Q. Maximi ſapientiam, neque ad illius ſuperioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad hujus, qui poſtea fuit ſingulare exemplum, neque ad Paulli rationem, atque diſciplinam, neque ad C. Marii vim, & virtutem, ſed ad aliud genus Imperatorum eſt referendum.* Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1108. A.

Ratio conſtare dicitur, quando accepta, & expenſa congruunt: quando accepta non ſuperant impenſas, & reliqua. Plin. Epiſt. II. 4. 4. *Sed temperanda in aliis, in te vero ratio facile conſtabit, etiamſi modum exceſſeris.* IX. 2. 5. *Quamvis ſcias illis conſtare rationem.* Paneg. c. 38. n. 4. *Augeo Principis munus, quum oſtendo, liberalitati ejus ineſſe rationem: ambitio enim, & jactantia, & effuſio, & quidvis potius, quam liberalitas exiſtimanda eſt, cui ratio non conſtat.* Sermo a ratiociniis petitus eſt. Nam cum redduntur, & excutiuntur *rationes*, in ſingula æra, ac titulos inquiritur: quod ſi accepta, atque expenſa recte congruerint, *conſtare ratio* dicitur. Nam ſi res ſecus habet, tum quaſi labat, ac corruit. *Buchner. in Plin. Epiſt. X. 20. Lipſ. in Tacit. Annal. I. n. 44. Turneb. Adv. III. 3. Muret. Var. Lect. XI. 3. Bud. in Pandect. p. 258. I. Valla Elegant. V. 18.*

Ratio haberi, & nomina eorum accipi ab eo, qui comitiis præerat, dicebatur, quorum petitio juſta, & legitima videbatur: ut e contrario eorum, qui repellebantur, & quos, etiamſi populi ſuffragiis crearentur, ſe non renuntiaturum teſtabatur, nomina non accipi, nec eorum *ratio* haberi. Liv. XXVII. 6. *Itaque ſi ſuum nomen Dictator acciperet, ſe comitiis interceſſuros: ſi aliorum, præterquam ipſius, ratio haberetur, comitiis ſe moram non facere.* IV. 7. *Principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio ſui, quam quibus ut indigni præterirentur.* Briſſon. de Form. II. p. 136. Bud. in Pandect. p. 74. D. Abſentis non poterat. Cæſ. de Bell. civ. III. 82. 5. *Magnaque inter*

ros in concilio fuit controversia: oporteretne L. Hirri, quod is e Pompejo ad Parthos missus esset, proximis comitiis absentis rationem haberi. Suet. Cæs. c. 18. n. 3. *Sed cum edictis am comitiis ratio ejus haberi non posset, nisi privatus introisset Urbem.* c. 28. n. 1. *Et ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompejus postea abrogasset.* Brisson. l. l. Pitisc. in Suetonium.

Ratio iniri dicitur, dum invenitur modus alicujus rei æstimandæ. Terent. Heaut. IV. 2. 7.

Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda est mihi.

Bud. in Pandect. p. 119. E.

Rationes dispungere dicuntur, qui computum, ut nostri dicunt, examinant. Ulpian. l. cognoscere ff. de verb. sign. *Dispungere est conferre accepta & expensa.* l. si statu libera ff. de stat. lib. *Percontandas, atque examinandas rationes, & dispungendas, & dispungendas.* Ut expungere, qui ultimam manum calculo, & *dispunctioni* imponunt. Hermogen. ICtus: *Reipublicæ rationes subscriptæ, & expunctæ adversus eum quidem qui administraverit. . .'*. Expungere enim est punctis circumdare, & tollere, & quasi rem jam confectam eximere codice: ut expunctus miles dicitur, qui e numeris exemptus est. V. supr. in *Expuncti.* Bud. in Pandect. p. 179. C. Purgari dicuntur, quando deciduntur, & amputantur vacantia, & non necessaria, ut etiam obstantia, accepti & expensi collatione facta. Papin. l. liberto §. qui aliena ff. de neg. gest. *Qui aliena negotia gerit, usuras præstare cogitur, ejus scilicet pecuniæ, quæ purgatis necessariis sumptibus superest.* Suet. Calig. c. 29. §. 5. *Decimo quoque die numerum puniendorum ex custodia subscribens, rationem se purgare dicebat.* Cujac. Obse.v. XI. 9 Wouwer. Polymath. c. 7. §. 5. Beroal. & Pitisc. in Suetonium.

Rationes privatas etiam sibi quisque scribebat, in quas reditus possessionum, mercedes, & pensiones prædiorum referebat. Papin. l. præd. §. Titio ff. de legat. III. *Inspiciendum an literis, & rationibus appellatione Sejanorum, Gabiniana quoque contineantur, & utriusque possessionis confusi reditus titulo Sejanorum accepto lati essent.* §. balneas. *Mercedes ejus inter cæteras meritoriorum domos rationibus accepto ferebantur.* Iisdem æs tam suum, quam alienum quisque paterfamilias complectebatur. Ulpian. l. si peculium. §. an & quod ff. de pecul. leg. *Cum Cn. Domitius filiæ suæ peculium, quod ejus esset, legasset: & annuum, quod ei solitus erat dare, biennio non dedisset, sed in rationibus suis retulisset, filiæ se debere quinquaginta.* l. Titi filii. *An peculio prælegato, & centum aurei, & usura eorum deberentur: cum rationibus breviarius in ære alieno, & sortem, & usuras inter cæteros creditores complexus sit.* Servorum etiam nomina in illis scribebant l. Titia ff de manum. testam. *Titia servis quibusdam, & ancillis nominatim directas libertates dedit.* deinde ita scripsit; *Et pedisequas omnes, quarum nomina in rationibus meis scripta sunt, liberas esse volo.* Moris & olim fuit, ut tradit Ascon. in Cicer. p. 86. *unumquemque domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere, ex quo appareret, quid quisque de reditibus suis, quid de arte, fœnore, lucrove seposuisset quoque die, & quid item sumtus damnive fecisset. Sed postquam obsignandis literis reorum ex suis quisque tabulis damnari cœpit, ad nostram memoriam tota hæc vetus consuetudo cessavit.* Brisson. de Form. VI. p. 540. Etiam singulos sumptus sub suis titulis adscribebant. Suet. Vesp. c. 22. n. 5. *Expugnatus a quadam quasi amore sui deperiret, cum perductæ pro concubitu sestertia quadringenta donasset: admonente dispensatore, quemadmodum summam rationibus vellet referri, Vespasiano, inquit, adamato.* Jul. c. 47. n. 2. *Et cujus ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri.* Bud. in Pandect. p. 179. B. Pitisc. in Suet. Julium.

Rationes mensæ inter solleanes pecuniæ datæ, numeratæque probationes recensentur a Gell. XIV. 2. *Is tamen cum suis multis patronis clamitabat, probari apud me debere pecuniam datam consuetis modis, expensi latione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione.* Fuerunt genera credendæ pecuniæ, neque testibus interpositis, neque ulla interveniente scriptura chirographaria, aut syngrapharia. Qui pecuniam, quam ibant creditum, ex arca sua non numerabant, sed per argentarium, sive trapezitam, ex mensa eam dare dicebantur, vel ex mensæ scriptura. Trapezita, qui eorum nomine eam numerabat, in *rationes* suas referebat, se nomine τοῦ δεῖνος τῷ δεῖνι tantam pecuniam numerasse. Qui sic pecuniam crediderat, si debitor eam inficiaretur sibi datam, numeratamve, *rationibus* mensæ id factum docebatur. *Salmas. de Mod. usur. c. 11. Ouzel. & Prousl in Gellium.*

RATIOCINATOR erat servus, cui *ratiocinium* in familia obtigerat. Dicebatur etiam *a rationibus.* V. illum supr. in *A.*

RATIONALIS ævo posteriore appellabatur, qui olim dicebatur procurator Cæsaris, procurator nimirum fisci, & patrimonii ejus. Lamprid. Alex. Sev. c. 45. V. illum supr. in *Procurator Cæsaris.* Capitol. Clod. Albin. c. 2. *Super hac ad procuratores meos misi literas, quas ipse signatas accipies signo Amazoniæ, &, cum opus fuerit, rationalibus dabis.* Pignor. de Serv. p. 335. Casaub. in Lampridium. Aring. Rom. Subterr. III. 3. 14. Columb. in Lactant. de Mort. persecut. c. 7.

Rationalis rerum privatarum Principis bona publicata, aut alia ratione ad fiscum pertinentia hoc ordine accipiebat. In primis ea tenens citabatur, qui intra triginta dies venisset, audiebatur, cum primicerio officii rerum privatarum, fiscique patronis solidos quatuor solvisset; nemine vero intra hoc tempus comparente, bona occupabat, salvo tamen jure possidentis, ut veniens adhuc audiretur l. ult. Græca C. de delator. Comes prius bona se fisco inferre scribebat: deinde *rationalis* in provincia ea singula describebat, & rebus Cæsaris aggregabat: hæc incorporatio vocabatur: postremo titulos, seu inscriptiones id significantes, vel insignia Principis prædiis imponebat. Ad Florent. com. rer. priv. l. si quando C. de bon. vacant: *Si quando alicujus publicatione, aut ratione juris, aliquid rei nostræ addendum est, rite, atque sollenniter per comitem rerum privatarum, deinde per rationales in singulis quibusque provinciis commorantes incorporatio impleatur, & diligens stylus sigillatim omnia adscribat: tituli vero, quorum adjectione prædia nostris sunt consecranda substantiis, non nisi publica testificatione proponantur.* Denique causis fisci civiles dirimebat. Constant. d. l, ad fiscum C. ubi caus. fiscal. *Ad fiscum pertinentes causas rationalis decidat.* Præsens tamen fisci advocatus esse debebat l. ult. C. de advoc. fisci. Criminales causas hominum, & colonorum domus Augustæ rector provinciæ coram *rationali* tractabat l. cum aliquid C. ubi caus. fiscal. Cum jus redderet, officium, id est, apparitores, & exceptores habebat, qui acta litigantium scribebant, quod *rationale* vocabatur officium l. in fiscal. C. de exac. trib. l. officiales rationales C. de episc. & cleric. Alius chartas, id est, fiscales rationes tractabat. Gratian. l. penult. C. ubi caus. fiscal. *Nullum ex officio rationalis, qui exactioni, vel chartis inserviat, in aliud judicium adduci oportet, id est, a nemine ejus officiales, quam a rationali sunt judicandi* Huic annonæ ex Principis ærario in pecunia solvebantur, l. 5. C. de annon. & capitat. Prædia templorum tuebatur. Gratian. A. l. 4. C. de fund. rei priv. *Universi*, inquit, *fundi templorum ad rationalium rei privatæ solicitudinem, curamque templorum pertineant: atque ab his anniversariis solutionibus postulatis, peculiari, ut semper fuit, studio defendantur.* Sed loquitur, credo, de reditibus templorum deorum gentilium, qui jam a Principibus Christianis in fiscum fuerunt delata. *Pancirol. Notit. Dign. imper. orient. c. 88. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 26. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. V. 28. Vales. in Ammian. XV. 5.*

Rationalis saltuum curabat pascua Imperatorum. Sic vocatur in inscriptionibus. In aliis *procurator saltus Domitiani.* l. 1. C. de fund. & salt. rei domin. *Si quis ovium, vel equarum greges in saltus rei dominicæ alienus immiserit, fisco illico vindicentur. Quod si venalis procuratorum conniventia,*

ut id deinceps tentetur, admiserit: eos gravissimo jubemus supplicio subjacere. Burman. Differt. de Vectig. c. 8.

Rationalis summæ [illegible] alius est ab iis, qui *ratiocinatores* appellantur. Ii enim [illegible] dijudicabant Novell. 128. 7. quo sensu *ratiocinator tabernæ* ab Ulpiano dicitur l. [illegible] §. si plures ff. de tribus action. qui *tabernæ rationes* tractat, λογιστικὲς, & *rationalia*, λογικά. Gloss. vet. *Ratiocinator*, λογιστὴς. Est [illegible] Ammian. xv. 5. A summæ rei procuratoribus [illegible] non est. Illius enim [illegible] amplissimum. *Rationalis* summæ [illegible] Suet. Vitel. c. 2. [illegible] vii. 13. ὁ μεγίσε πράγματος προσατεύων. Inscriptio apud Gruter. p. [illegible] n 6.

PIISSIMO. AC. FORTISSIMO. FUNDATORI
PACIS. LIBERTATIS. AUCTORI
D. N. F. VAL. CONSTANTINO
NOBILISSIMO. CÆSARI. VAL HONORATUS.

Hinc virum quidam sacrarum remunerationum procuratorem interpretantur, qui nullus est: sed *rationalis* fuit summæ rei, qui & procurator summæ rei dicitur, nobis [illegible] *rationalis* summæ rei καθολικὸς, *rationalis* summarum κεφαλαίων. Gothofr. ad C. Th. tom. Aug. III. 18. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 34.*

Rationalis [illegible] Ægypti mittebatur in Ægyptum, ut bona caduca, vel alio modo ad fiscum devoluta inquireret, ἴδιος λόγος, id est, *privata ratio*, appellatus, quemadmodum refert Strab. xvii. Nullam ab initio jurisdictionem habuit, sed postea dignitate auctus, & comes, [illegible] ad [illegible] Plin. xii. 18. [illegible] Strabonem [illegible] Ægyptus dabat. Itaque [illegible] *rationalem* [illegible] honestatum, *summarum Ægypti* vocarunt: ita pecuniæ quantitatem appellabant l. scire debemus ff. de verb. oblig. l. in fraudem §. fiscalibus ff. de jure fisci. Constantin. l. 7. ubi cons. fiscal. summæ rei *rationalem* [illegible] vocat: quandoque absolute *rationalis* dicitur l. 2. C. de mod. mult. l. 2. C. de mancip. & colon. l. universi C. de fund. rei priv. l. placuit C. de collat. fun. patrim. aut procurator Lampridio & Capitolino. V. illos supr. in *Rationalis*. Illi [illegible] vestibus [illegible] Ammian. xxii. 4. [illegible] *Imperatoris capillum* [illegible] *quo viso Julianus obstupuit, Ego, inquit, non rationalem jussi, sed tonsorem acciri.* Alexander illos sæpius mutabat. Lamprid. c. 46. *Alexander Imperator rationales cito mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret: eosque, nisi boni essent,* [illegible] *malum necessarium vocans.* In occidente undecim *rationales* diversarum provinciarum erant instituti. In oriente hic solus nominatur, cum tamen eos multos esse oportuerit. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 75.*

Rationalis vinorum appellabatur *tribunus fori vinarii*, ut dicitur Symm. Epist. x. 35. *De tribunatu fori vinarii nuper orta contentio.* Ex Tuscia, Campania, & Piceno ut carnes præsertim suillæ, fructus, & alia ad annonam spectantia Romam perferebantur, ita & vinum ad usum populi vehebatur. Itaque Alexander Imperator, auctore Lamprid. c. 33. prout omnium artium, ita & vinariorum corpus, seu collegium instituit, qui hanc negotiationem vini in Urbem vehendi exercerent. Id in proprio foro venibat, quod vinarium vocabatur. Sed hoc forum in descriptione Urbis omittitur. *Rationalis* hic invecti Romam vini quantitatem, & ex ejus vectigali, quod [illegible] erat, exactam pecuniam scribebat l. 4. C. Th. de suar. & pecua. Notabat & *rationes* vinorum, quæ vectoribus calcis, pro formis aquæductuum Romæ reparandis, & sartis templorum tectis habendis l. 3. C. Th. de calce cocto, dabantur. Non tamen negotiatoribus prohibere poterat, ne quibus mensuris, quove pretio vellent, vina venderent. Papirius Justus l. Imperatores C. de contra empt. *Quibus,* inquit, *mensuris, aut pretiis negotiatores vina comparent, in contrahentium est potestate.* Ad Victorem *rationalem* urbis Romæ Constantinus scribit l. 14. C. Th. de appell. quem res fiscales ibi tractasse dicit, & ab hoc diversum fuisse puto. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 10. Burman. Dissert. de vectig. c. 5.*

RATIONARIUM imperii erat libellus, qui imperii *rationes* complectebatur. Suet. Aug. c. 28. n. 1. *Magistratibus, ac senatu domum accitis rationarium imperii tradidit.* V. illud supr. in *Breviarium*.

RATUM *facere* erant verba auguralia. Cicer. de Divin. I. 39. *Cui augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum?* II. 38. *Cur autem aliis a dextra, aliis a læva avium est avibus, ut ratum auspicium facere possint?* Eoque allusisse Chæream in Caligulæ cæde non dubito. Nam cum *Sullanus, submota per conscios centuriones turba, signum, more militiæ, a Cajo petiisset, Cajusque Jovem daret, exclamasse Chærea fertur: accipe ratum.* Suet. c. 58. n. 5. *Brisson. de Form. I. p. 121. Buleng. de Augur. c. 9.*

RATUMENA porta. V. illam supr. in *Porta*.

RAU.

RAUDUSCULa porta. V. illam supr. in *Porta*.

RAV.

RAVENNA urbs antiquissima, & nobilissima. Condita fuit a Sabinis, si credimus Plin. III. 15. a Thessalis, si Strab. v. p. 148. Hæc olim tantæ fuit potentiæ, ut cum Romana Republica diu dimicare sit ausa, donec ab Augusto colonia deducta fuerit. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 565. C.* Zosim. v. 27. *Ravenna metropolis est Flaminiæ, prisca sane civitas, colonia Thessalorum, Rhene dicta, quod eam aquæ ab omni parte circumfluant, non autem propterea, velut Olympiodorus ille Thebanus ait, quod Remus, Romuli frater, hujus urbis conditor fuerit. Hoc enim Quadrato relinquere debuerat, qui de hac urbe in historia Marci Principis id commemorat.* Jornand. de Reb. Get. c. 29. eam ad ostia Eridani amœnissimum portum habuisse scribit, 250. naves tutissima statione continentem: [illegible] & speciosissimos hortos est [illegible] Urbs ipsa trigemina tribus etiam nominibus appellabatur: prima *Ravenna*, ultima Classis, media Cæsarea, inter urbem & mare plena mollitie, arenaque munita, & vectationibus apta. *Pancirol. Not. imp. occid. c. 37. Cluver. Ital. Ant. I. 28. §. 27. Merul. Cosmog. II. 4. 33. Leand. Ital. p. 467.*

RAVENNATIUM classis. V. illam supr. in *Classis*.

RAVILLÆ dicuntur *ravis oculis.* Festus. Unde Cassius Longinus *Ravilla*. Sigon. de Nom. Rom. c. 5.

REA.

REATUS dicitur status *reorum*. Vox Ciceroni, & aliis antiquis inusitata, primum a M. Messala conficta est. Quintil. VIII. 3. *Quæ vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, & quædam in usu perquam recentia, ut Messala primus reatum dixit.* Ea tamen usus est etiam Mart. II. 24. 1.

Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum,
Squalidus hærebo, pallidiorque reo.

Et Modestin. l. si diutino ff. de pœn. *Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus ejus pœna sublevanda erit,* id est, pœna ejus temperanda nonnihil, qui diu fuit in *reatu*, hoc est, in cultu solito *reorum*, in conspicua, & miseranda illa calamitate, in qua *rei* olim erant. In *reatu* erat, hoc est, inter *reos* relatus: quod tum fiebat, quando judex rejectis exceptionibus dilatoriis, declinatoriisque pronuntiabat, ad ulteriora procedendum. Post hujus

[illegible]usmodi enim interlocutionem, quæ vim cujusdam litis contestationis haberet, qui accusatus erat, incipiebat in reatu esse, hoc est, statu, & conditione, in qua rei erant, antequam vel absolventur, vel condemnentur. *Reorum* autem olim certum statum fuisse, testatur vel Plin. Epist. VII. 27. 14. *Reus, ait ille, m[illegible] submittere capillum.* Et Gell. III. 4. *Eumque, quum esset reus, neque barbam desisse radi, neque non candida veste uti, neque [illegible] cultu [illegible] reorum.* Qui hæc in P. Scipione Africano [illegible] notat. *Salmuth ad Panciról. de Reb. deperd. & invent. p. 376. Bud. in Pandect. p. 212. A. 249. E. Pollet. For. Rom.* III. 13. Ductus hic mos a Judæis ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Græcos, a Græcis ad Romanos. Hoc fusius docet *Bourdel. ad Heliod. Æthiop. I. p. 21.*

REC.

RECENSUS erat examen, & disquisitio brevis in eos, qui jure, aut injuria publicum frumentum capiebant. Dio XLIII. p. 224. D. Suet. Jul. c. 41. n. 6. *Recensum populi nec ex more, nec ex loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit.* Hunc egit Cæsar, quia, ut addit Dio, frumentantium numerus non legitime, sed eo modo, quo in seditionibus fieri solet, excreverat. *Lips. Elect. I. 27. Mod. in Liv. II. 9. [illegible] in Suetonium.*

RECENTATUM quid fuerit. V. infr. in *Vinum.*

RECEPTOR dicitur, qui sponsor Reipublicæ, vel Principi factus pro iis, qui pecuniam publicam [illegible] sunt. Græcis ἀνάδοχοι. Glossæ: *Prædes*, ἀνάδοχοι, ἔγγυοι. Item, *Prædes*, ἀνάδοχοι, ἔγγυοι. *Bud. in Pandect. p. 30. Salmas. de Mod. usur. c. 16.* V. supr. in *Pecunia recepta.*

RECIDERE in caput suum precabatur ea, quæ alii evenire optaverat, si cui imprudenti maledictum excidisset, quod alterius animum offendisset: aut, si quid cui imprecatus esset, cujus sibi gratiam fieri, veniamque postulabat. Tibull. I. 2. 11.

Et mala [illegible] sibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo.

Senec. de Benef. III. 27. *Rufus, vir ordinis senatorii, inter cœnam optaverat, ne Cæsar Augustus salvus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat. Ut primum diluxit, servus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixisset: hortatur, ut Cæsarem occupet, atque ipse se deferat. Usus consilio, descendenti Cæsari occurrit: & cum malam mentem habuisse se pridie jurasset, id ut in se, & in filios suos recideret, optavit: & Cæsarem, ut ignosceret sibi, rediretque in gratiam secum, rogavit.* IV. 31. *Mamercus Scaurus Pollioni [illegible] jacenti obscœno verbo usus, [illegible] erat se [illegible] id quod pati malebat: & cum Pollionis attractionem [illegible] frontem: quicquid, inquit, mali dixi, mihi, & capiti meo.* Brisson. de Form. I. p. 113. Muret. Var. Lect. XII. 4. Lips. & Gruter. in Senecam. Broukh. in Tibullum.

RECINIUM. V. illud infr. in *Ricinium.*

RECIPERE dicuntur, qui quid approbant. Quintil. VIII. 6. *Quod genus orationes non modo ornat, sed etiam quotidiani sermonis usus recepit.* Inde *receptum* dicitur, quod a plerisque prudentium approbatum est. Quintil. I. 3. *Cædi discipulos, quanquam & receptum sit, & Chrysippus non improbet, minime velim.* XI. 3. *Ave[illegible] o[illegible] aemo[illegible] aliquid, receptum magis puto, quam oratori decorum.* Bud. in Pandect. p. 99. E.

Recipere ferrum dicebantur gladiatores, qui jugulum ultro præbebant, qui membra non contrahebant, nec manum opponebant. Cicer. pro Sext. c. 37. *Ipsum vero quid accusas? num desiit gladius? num repugnavit? num, ut gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit?* Tusc. Quæst. II. 17. *Quis mediocris gladiator non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis cum decubuisset, ferrum jussus recipere, collum contraxit?* Senec. de Tranquil. c. 11. *Fortuna illa, quæ ludos sibi facit; quo, inquit, te reservem, malum, & trepidum animal? eo magis convulneraberis, & confodieris, quia nescis præbere jugulum. At tu & vives diutius, & morieris expeditius, qui ferrum, non [illegible], nec manibus [illegible], sed [illegible] recipis.* Lips. Saturn. II. 22.

Recipere manus injectionem est retinere facultatem reprehendendæ rei alienatæ, vel ut certa lege mancipii venditionem alienator posset in prædium alienatum, [illegible] factum, aut non factum fuerit, rursus [illegible] redire, & in possessionem suam ipse mittere, hoc est, [illegible] potestatem [illegible], ut nostri loquuntur: ut [illegible] in aliena [illegible] horum, quæ aut [illegible] usu dicuntur, aut [illegible] imposito emunt [illegible]. *Bud. in Pandect. p. 91. C.*

Recipere [illegible] V. infr. in *Reus.*

RECITARE [illegible], qui clara voce de scripto legebant. *Recitare* enim legere est. Plin. Epist. III. 15. 3. *[illegible], quæ mihi [illegible] recitant: si non [illegible]* Hinc Suet. Jul. c. 83. n. 1. *Testamentum [illegible] recitatum.* Plin. Epist. II. 19. *[illegible] ut orationem [illegible] recitem.* Ex scripto certa e Liv. XXIII. 11. *Q. Fabius Pictor [illegible] Romam rediit, [illegible]* Bud. in Pandect. p. 61. G. Pitisc. in Suetonium. In usu habebant poetæ, aliique eruditi, ut, si quem librum composuerant, antequam ederetur, vel amicis convocatis, vel publice promiscuis auditoribus prælegerent, eorumque censura, saltem ex signis, vultuque observata, [illegible]tur. Plin. Epist. I. 13. 1. *[illegible] poetarum [illegible].* Toto mense *[illegible] nullus fere [illegible], quo non [illegible]* VIII. 12. 1. *Recitaturus est Titinius Capito; quem ego [illegible], nescio magis [illegible], an [illegible]. Do[illegible] [illegible] præbet.* Cellar. in Plin. Epist. I. 13. 1. [illegible] For. Rom. II. 12. Panciról. de Reb. deperd. & inv. p. 272. Voss. de Imitat. c. 7. §. 4. *Recitantium* auditorium erat in Athenæo, quod fuit in Capitolio. Ubi fuisse credibile, & in illo poetas, & oratores sua scripta recitare solitos esse V. supr. in *Athenæum*, & in *Ludi Capitolini.* [illegible] in palatio. Plin. Epist. I. 13. 3. *At hercule memoria parentum Claudium Cæsarem ferunt, cum in palatio spatiaretur, audissetque clamorem, causam requisisse: cumque dictum esset, recitare Nonianum, [illegible] recitanti venisse.* Pollet. l. l. Quæ mutatio si diligenter investigetur, reperiemus Asinium Pollionem primum publice recitandi sub Augusto extitisse inventorem, auctoremque. Sic Seneca rhetor in procem. controv. *Pollio Asinius . . . primus omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit.* Hinc autem id ipsum in bibliotheca, a se in atrio Libertatis publicata, an [illegible] vero [illegible] est: nisi id potius in [illegible] Augusti etiam in palatio fecit, quam [illegible], ubi tempore Claudii recitari solitum jam diximus. *Nardin. Rom. Vet.* V. 13. V. omnino [illegible] infr. in *Templum Apollinis.* [illegible] in [illegible] locatum in ædibus privatis. Quintil. de caus. corr. eloq. c. 10. n. 6. *Domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit.* Senec. Suasor. VI. *[illegible] Hunc [illegible] [illegible]*, nimirum poema de [illegible] proscriptione, *recitaturus in domo Messalæ Corvini, Pollionem Asinium advocaverat.* Juven. Sat. VII. 39.

— S[illegible] fama
Sacrensius recites, [illegible] commodat ædes.

Plin. Epist. VIII. 12. 1. modo laudatus. *Rader. ad Mart.* X. 70. [illegible] c. 7. §. 11. *Marcil. in Pers. Sat.* I. 29. *Major. Horat. [illegible] p. 163. & 174. Lips. Epist. ad Belg.* II. 48. Illarumque porticibus. V. supr. in *Porticus.* Imo in balneis. Petron. c. 91. *[illegible] Eumolpo; nam in balneo carmen recitabat.* Horat. Sat. I. 4. 73.

Non recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus;
Non ubivis, coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes.

Ita poetam insectatur Mart. III. 44. 10.

Et lanti legis, & legis sedenti:
In thermas fugio, sonas ad aures.

Illo enim omnes confluebant, tam patricii, quam plebeji lite-

literati, ubi omnia ad amussim, & Aristarchica censura examinata, probata aut improbata, vel ad judicium eruendum, vel ad aures delinendas, vel ad horas fallendas, vel ad populi auram captandam. *Laurent. de Meau. & baia. c. 3. Gonsal. in Petronium. Torrent. in Horatium. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* I. 14. Recitaturi multum laborabant, ut esset auditorum concursus maximus. Amicos igitur & notos fere omnes advocabant, & variis modis invitabant. Per libellos, & codicillos. Auct. de caus. corr. eloq. c. 5. n. 5. *Bassus, cum toto anno unum librum excudit, & elucubravit, rogare ultro, & ambire cogitur, ut sint qui dignentur audire: & nec id quidem gratis; nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit.* Plin. Epist. III. 18. 4. *Cum nec more vetere vel publice, quod hunc ad eum quem auditus recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos, sed si commodum esset, & si valde vacaret, admonui, sæpissimis insuper tempestatibus per biduum convenerunt.* Per nuntios. Philostr. in Adriano: *Simul atque in scena visus erat auscultandi cupiditate, nuncius concitato cursu ipsius ad jungebatur, atque equester ordo, atque in Athenæi auditorium currens convolabat.* Plin. Epist. I. 13. 2. *Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendi fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari jubent, an jam recitator intraverit.* Interdum ipsi investigabant. Themist. Orat. XV. *Verum insuper & theatra cogit, ac laudari se patitur, & acclamatores ibit.* Auctor de caus. corr. eloq. l. l. Synes. in Dione: *Me liberum sinit, neque instat præfiniti temporis angustia, cum neque coram tam inepto judice ad dicendum accingar, neque in theatrum longe foro iniquius sim ingressurus; pulsatis etiam passim foribus, atque urbanis ... jucundissimis quodammodo ... compellere.* Casaub. in Pers. p. 59. Ferrar. de Acclam. III. 5. Voss. ibid. §. 14. Lips. Epist. ad Belg. II. 48. Elegantiæ studebant. Mos enim quasi fuit, ut recitaturi prodirent, pexa coma, atque barba, & candidati: nihil denique omitterent, quod aliquam ipsis gratiam, & commendationem posset conciliare. Jure hunc morem rideat Pers. Sat. I. 15.

> *Scilicet hæc populo, pexusque togaque recenti,*
> *Et natalitia tandem cum sardonyche albus,*
> *Sede leges celsa.*

Arrian. in Epictet. III. 23. *Hæc ut fiat, mille oportet collocare subsellia, & advocare auditores, & te eleganti tunica, aut pallio in pulvinum adscendere, & describere, quomodo mortuus est Achilles.* Synes. in Dione p. 55. *Hic & luxus fuit ante præscriptum diem, & ad eum adfuit, veste, ac cultu corporis, gestuque superbo, ac insolenti; ut & elegans esset spectaculum, & considentibus in theatro arrideret, atque inde gauderet.* Voss. de Imitat. c. 7. §. 15. Casaub. in Persium. *Recitabant* vero sedentes, ut dicebant stantes. Plin. Epist. VI. 6. 6. *Dicentis adfuit, sedente ascultat, assidet recitanti.* Pers. l. l. In foro sedebant tantum judices, dicentes stabant: itaque illa etiam, qui prosecuti ipsos eo erant honoris causa. In auditorio vero non auditores modo per subsellia, sed ipsi recitantes in sellis, & cathedris consedebant, & iis proximi, ut Plinius indicat, amici, & familiares. *Buchner. & Cellar. in Plinium. Casaub. & Voss. l. l. Actiones*, ut monet Plin. Epist. II. 10. 2. *quæ recitantur, impetum omnem caloremque, ac prope nomen suum perdunt.* n. 4. *Recitantium vero præcipua pronuntiationis adjumenta, oculi, manus præpediuntur: quo minus mirum est, si auditorum intentio languescit, nullis extrinsecus, aut blandimentis capta, aut aculeis excitata.* Hanc consuetudinem revocarunt ad nostra secula nonnulli viri, maxime Professores, ut declamationes suas publicas in sollemnibus prælectionum auspiciis ex scripto non memoriter pronuntiarent, sed ex libro lectas recitarent. Quod cum faciunt, ingenue se extemporales non esse fatentur, aut maleficium infelicis memoriæ accusant publice, & condemnant. *Pollet. l. l.* Virgilius etiam *recitavit* tres libros Æneidos suæ Augusto, secundum, quartum, & sextum, tanta cum gratia, ut quidam ex auditoribus exclamaret: *optare se illi os surripere.* Sed sextum maxime ob Octaviam Augusti sororem, Marcelli matrem, qui periit anno decimo octavo, valetudine correptus. Hæc igitur Octavia, cum *recitationi* interesset, & Virgilius ad carmina illa venisset circa finem sexti libri, quæ Marcelli luctum describunt, defecisse illa dicitur, cum ad illud ventum est:

> *Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,*
> *Tu Marcellus eris.*

Ægre autem refocillata Octavia, silentium Virgilio imperasse fertur, & deni sestertia pro singulis versibus dari jussisse: qui numero sunt unus & viginti. Serv. Æneid. VI. 861. Quod si verum, Virgilius paucis versibus supra quinque millia nummum meruit. *Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 272. & ad eum Salmuth p. 276.* Insuper poetas, sophistas, alios quoque qui prodierant, post *recitationem* excipiebant. V. infr. in *Sedes* ... Hæc publica *recitatio*. Utebantur etiam vulgo: ut Ovid. Trist. IV. 10. 57.

> *Carmina cum primum populo juvenilia legi.*

Ipse Domitianus Princeps, cum studium poetices adsimularet, *recitavit etiam publice*, ut scripsit Suet. c. 2. n. 4. Sed & Claudius Imperator *historiam in adolescentia, hortante T. Livio, scribere aggressus, frequenti auditorio commisit.* Suet. c. 41. n. 2. *Recitantes* ipsi Principes audiebant. Ita Augustus apud Suet. c. 89. n. 7. *Recitantes & benigne & patienter audiit: nec tantum carmina & historias, sed & orationes & dialogos.* Orationes raro solebant legi, plurimum carmina & historiæ. Patet hoc ex Suetonii de Augusto hac nota. Hoc etiam ostendit, & damnat Plin. Epist. VII. 17. 2. *Quo magis miror, quod scribis fuisse quosdam qui reprehenderent, quod orationes omnino recitarem: nisi quod has solas non putent emendandas. A quibus libenter exquisierim, cur concedant (si concedant tamen) historiam debere recitari, quæ non ostentationi, sed fidei veritatique componitur: cur tragœdiam, quæ non auditorium, sed scenam & actores: cur lyrica, quæ non lectorem, sed chorum & lyram poscunt.* Poemata autem ob suavitatem *recitata* & audita crebrius erant: idque Julio mense maxime, vel Augusto. Plin. Epist. VIII. 21. 2. *Julio mense, quo maxime lites interquiescunt, positis ante lectos cathedris, amicos collocavi.* Et addit, se versus suos *recitasse*. Juvenalis autem quasi ex more notat Sat. III. 9.

> *—— & Augusto recitantes mense poetas.*

At Plinius iterum Aprilem, ut sollennem, ingerit Epist. I. 13. 1. V. illum supra laudatum. An quia prævenerint, & graves exspectare Julium vel Augustum? An toto anno licebat & solebat? Usus profecto magnus in ea fuit. Ac vere Theophrastus: *Recitationes parturit emendationes:* quod scitum & breve dictum eidem tribuit Laertius. Optima autem ratio, qua Plinius se usum esse scribit Epist. VII. 17. 7. *Nullum emendandi genus omitto: ac primum quæ scripsi, mecum ipse pertracto; deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado adnotanda; notasque eorum, si dubito, cum uno rursus aut altero pensito, novissime pluribus recito.* Lips. l. l.

RECUPERATORES dicti fuerunt, qui de rebus privatis recipiendis, reddendisque cognoscebant. Festus: *Reciperatio, ut ait Gallus Ælius, est, cum inter populum, & Reges, nationesque, & civitates peregrinas lex convenit, quomodo per reciperatores reddantur res, recipianturque, resque privatas inter se persequantur.* Horum mentio est apud Liv. XXVI. 48. *Scipio tres recuperatores cum se daturum pronuntiasset, qui cognita causa, testibusque auditis judicarent, uter prior in oppidum transcendisset; C. Lælio, & M. Sempronio advocatis partis utriusque, P. Cornelium Caudinum de medio adjecit: eosque tres recuperatores considere, & causam cognoscere jussit.* Postea etiam judices a prætore post judicium constitutum dati ita appellari cœpti sunt. Liv. XLIII. 2. *L. Canulejo prætori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret.* Videntur judicasse, cum super facto ipso incidit quæstio. Livius modo laudatus. Et an facta esset injuria. Gell. XX. 1. *Prætores postea hanc adolescere, & relinqui censuerunt: injuriisque æstimandis recuperatores se daturos edixerunt.*

V. &

V. & ſupr. in *Do*, *dico*, *addico*. Sigon. de Judic. I. 22. Coraſ. Miſc. jur. III. 18. Laz. Comment. Reip. Rom. III. 16. Salmaſ. de mod. uſur. c. 17. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. IX. 12. Godelev. in Livium. Ouzel. in Gellium. Torrent. & Pitiſc. in Suet. Neron. c. 17. n. 3. Pollet. For. Rom. III. 15. & ad illum Broidæus. Bud. in Pandect. p. 269. B. *Commiſſarii* Latine dici poſſint, a quo non video, cur multi ſuperſtitioſe abhorreant, tanquam parum Latino, nam ſi mandare idem quod credere, deponere, committere, cur magis recipitur mandatarius, quam commiſſarius? Aut cur magis hoc vitatur, quam fideicommiſſarius, cum plura etiam ſint in jure vocabula per eandem analogiæ formam facta, legatarius, donatarius, commodatarius, depoſitarius, & alia: uti dataria ſalus, & manifeſtarius fur apud Plautum. *Pollet. l. l.* Dabantur ex conventu, & foro illo, id eſt, ex iis civibus Romanis, ſociisve, qui in iis oppidis, quæ ad id forum convenirent, verſarentur. Itaque inter cætera hoc quoque crimini vertit Cicero Verri, quod non de conventu, ſed de cohorte ſua dediſſet. Unde manarunt iſta Verr. III. 60. *Scandilius poſtulat de conventu recuperatores. Tum iſte, Verres, negat, ſe de exiſtimatione ſua cuiquam, niſi ſuis, commiſſurum.* c. 59. *Inſtat Scandilius poſcere recuperatores. Tum iſte recuperatores dicit ſe de cohorte ſua daturum.* c. 11. *De conventu nullum unquam judicem, nec recuperatorem dedit: iniquos decumanis eſſe ajebat omnes.* Sigon. de Ant. jur. provinc. II. 5. De ſponſionibus in edictum factis tantum cognoſcebant, cum eorum poteſtas illigata eſſet contractæ ſponſioni, in cujus verba dabantur. Cicer. Verr. III. 28. *Quærebant, quæ in verba recuperatores daret. Reſpondebat, ſi pareret adverſus edictum feciſſe.* Itaque nec actiones dabant, neque in jus vocabant, aut alias libere merum exercebant imperium. *Pollet. ibid.* III. 2. Non in univerſam actionem dabantur, ſed in eam partem, quæ media eſt inter litis conteſtationem, & ſententiæ executionem, quæ ſolius eſt jurisdictionis, reliqua imperii ſunt, & ad legis actionem pertinent. Conſtituto itaque judicio, & lite conteſtata per ſponſionem depoſitæ pecuniæ, tum demum prætor *recuperatoribus* litem delegabat, ſed in eam formam tantum, in quam lis erat conteſtata, ut eatenus pronuntiarent. Et ita eorum non fuit libera jurisdictio, ſed ſine imperio nuda, atque in formula delegationis, ſeu commiſſionis, quæ vel libello concipiebatur, vel viva voce nuncupabatur, utebatur prætor verbis litem conteſtantium, hoc modo in cauſa Cæcinæ: *Ebutius edicto unde vi tenetur?* Ebutius reſpondeat, *non tenetur.* Hic lis conſtituitur, & diſceptatio eſt, vel judicatio rhetorum, an teneatur. Tum prætor jubebat Cæcinam facere ſponſionem: *Ni adverſus edictum prætoris* vis facta eſſet, præibatque *recuperatoribus* quaſi ſententiam dictando. *Ita: Ni adverſus edictum, unde vis facta ſit, abſolvatur Ebutius.* Et fere negative concipiebatur, aliquando etiam affirmative: *Si adverſus edictum vis facta ſit, condemnetur.* Utrocunque modo concepiſſet, cognitionem iis verbis adſtrictam delegabat, ut tantum pronuntiarent ſic, vel non. Cicer. Verr. V. 54. *Jubet hominem Lilybeum vadimonium Venerio ſuo ſervo promittere, promittit. Lilybæum venitur, cogere eum cœpit, cum ageret nemo, nemo poſtularet. HS duobus millibus ſponſionem facere cum lictore ſuo, ni furtis quæſtum feceris. Recuperatores de cohorte ſua dicit ſe daturum.* Illorum collegium non fuit certum, ut judicum, & centumvirorum, ſed extra ordinem dabat prætor, quos volebat. Fit hoc manifeſtum ex Verrinis. Et Plin. Epiſt. III. 20. 9. *Nam ut in recuperatoriis judiciis, ſic nos in his comitiis, quaſi repente apprehenſi, ſinceri judices fuimus.* Significat nihil tale cogitantes adhiberi in *recuperatoriis*. Pollet. ibid. III. 15.

RED.

REDAMPTRUARE *dicitur in Saliorum exultationibus, cum præſul amptruavit, quod eſt, motus edidit, & referuntur invicem iidem motus.* Lucilius:

Præſul ut amptruat, inde & vulgu' redamptruat olli.

Pacuvius:

— *promerendæ gratiæ*
Simul cum videam Graios nihil mediocriter
Redamptruare, opibusque ſummis perſequi.

Feſtus. *Amptruare* eſt circumvolvere, ut cum circum olla circummovetur. Hoc vero Salii faciebant, quando præſuli ſaltando reſpondebant. *Scalig. & Dacer. in Feſtum. Buleng. de Theatr. I. 37. Gutberleth de Saliis p. 151. Turneb. Adv.* XVII. 8: XXV. 18.

REDDERE dicebantur interdum qui quid dabant. Celſ. I. 94. de verb. ſignif. *Verbum reddendi quamquam ſignificatum habet retro reddendi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem.* Suet. Dom. c. 4. n. 12. *Collegium inſtituerat, ex quo ſorte ducti magiſterio fungerentur, redderentque eximias venationes, & ludos.* Terent. Andr. III. 1. 20.

Hoccine me ſi imperatum in veris nuptiis
Adortus eſſet, quos mihi ludos redderet.

Muret. Var. Lect. XVII. 14. Gronov. Obſ. IV. 13. Salmaſ. de mod. uſur. c. 16. Pitiſc. in Suetonium.

Reddi dicebantur exta. Virg. Georg. II. 194.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Ubi Servius: *Proprio ſacerdotum verbo uſus eſt: reddi enim exta dicebantur, cum probata, & elixa aræ ſuperponebantur.* Stat. Theb. IV. 466.

Semineces fibras, & adhuc ſpirantia reddit
Viſcera.

Ubi Lactantius: *Reddit, imponit aris.* Suet. Aug. c. 1. n. 3. *Decretum publicum extabat, quo cavebatur, ut in poſterum quoque ſimili modo Marti exta redderentur.* Briſſon. de Form. I. p. 27. Guther. de vet. jur. pontif. IV. 2. Salmaſ. Exerc. Plin p. 91. a. C. Pitiſc. in Suetonium. Hoc inde videtur natum, quod exiſtimabant ea, quæ ab hominibus diis dari, ſive donari, offerri, conſecrarique ſolebant, non tam dari proprie quam *reddi*, quippe cum ea prius a diis acceperint, illorum ſint dona, atque munera, illis accepta ſint referenda. *Stuck. de Sacrif. p.* 196.

Reddi dicuntur flumina, quæ emergunt poſtquam aliquantiſper latuerunt. Hoc verum de Marſya. Oritur ex monte, iterum conditur: deinde emergit, ac *redditur*, paullo poſt iterum conditur, ubi in Mæandrum cadit. Plin. V. 29. *Marſyas ibi redditur ortus, ac paulo mox conditus.* Max. Tyr. Diſſert. 38. *Qui cum ad montem proceſſit uſque, ad poſteriorem urbis partem ſe ſubducit, rurſusque ex urbe oritur.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 581. E.

REDEMPTORES *proprie, atque antiqua conſuetudine dicebantur, qui cum quid publice faciendum, aut præbendum conduxerant, effecerantque; tum demque pecunias accipiebant: nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At ii nunc dicuntur redemptores, qui quid conduxerunt præbendum, utendumque.* Feſtus. Gloſſ. vet. *Redemptor*, ἐργολάβος, ἐκλήμπτωρ. Aliæ: ἐκλήμπτωρ, *conductor, exceptor.* Vetus formula de ædificiis: NE. RECENTIORE. TRIMA ARENA. UTERETUR. REDEMPTOR. *Keuchen. in Frontin. de Aquæduct.* 11. *Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1656. *E. Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 18. *Laz. Comment. Reip. Rom* III. 16. *Grapald. de Part. dom.* I. 1. *Revard. Var.* V. 4.

REDHIBERE *eſt facere, ut rurſus habeat venditor, quod habuerit, & quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio eſt appellata, quaſi redditio.* Ulpian. l. reducere ff. de ædil. ed. Hoc ad ſignificationem vocabuli recte, ad originem non plane. Ita enim *redhibere* dictum eſt, ut redamare, redintegrare, quaſi *re habere*, interjecta litera *d.* ut ſolet. Hoc ſenſu ſemel uſurpatum reperi apud Plaut. Merc. II. 3. 83.

Quid ſi igitur reddatur illi, unde empta eſt. D. Minime gentium.
C. *Dixit ſe redhibere, ſi non placeat.*

id eſt, rehabere. Lege enim quod ſi nolit §. 20. interdum venire mancipia ſolebant, ut, niſi placuerint, intra præfinitum tempus redhiberentur. Ita capiendus Claud. in Eutrop. I. 35.

Nudatus quoties, medicum dum conſulit emptor,
Ne qua per occultum lateat jactura dolorem,
Omnes pœnituit pretii, venumque redibat.

Nam niſi conveniſſet, niſi placuerit: non poterat *redhiberi* ne intra 30 quidem dies, quod tempus iis datur, qui occultum morbum videre non potuerunt, quod dici non poteſt, cum medicus conſultus fuerit. Itaque medico multo minus *redhibitio* competit. Atque ita Plato in legibus ſuis de mancipii *redhibitione* cavit prudenter, & merito. *Gentil. Orig. p.* 281. *Menag. Amœn. jur. civil. c.* 39.

REDIMERE ab ærario non licuit ſenatori, præter illa, quæ nominatim erant excepta. Aſcon. in Cicer. orat. pro Cornel. *Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem ſenatori habere licet per legem.* Zanoſc. de Senat. Rom. I. 16.

REDIMICULUM quid ſit, docet Iſidor. XIX. 33. *Redimiculum eſt, quod ſuccinctorium, ſive bracile nuncupamus, quod deſcendens per cervicem, & a lateribus colli diviſum, utrarumque alarum ſinus ambit, atque hinc inde ſuccingit, ut constringens latitudinem veſtis ad corpus contrahat. Hoc vulgo bracile, quaſi brachiale, vocant, quamvis nunc non brachiorum, ſed renum ſit cingulum.* In gloſſis exponuntur *redimicula* ἀναδέματα. Virg. Æneid. IX. 616. V. illum ſupr. in *Mitra*. Voſſ. I ex. Etymol. Salmaſ. in Tertull. pall. p. 117. Cerda in Virgilium.

REDITUS imperii Romani ſciri nequeunt. Ante Pompejum cenſus Romanæ reipublicæ fuit quinquagies decies centenum millium, interpretor aureorum. Pompejus vero, ut auctor eſt Plutarchus, eum auxit, ut eſſet octuagies decies centenum millium, ſcilicet aureorum. De his enim intelligendum puto, non ſeſtertiis, quia hæc modica ſumma fuiſſet, & plerumque Græci de pecunia loquentes, ſi aliud non addebant, aureos intelligebant, quos numiſmata appellabant. Romani de ſeſtertiis parvis intelligebant. Colegiſſet ſummam *reditus* populi Romani poſt Pompejum, ut vulgus Italicum vocat, LXXXV. milliones auri. *His*, inquit Eutrop. VI. 17. *C. Julius Cæſar ex Gallis quadringenties centena millia ſeſtertium addidit:* quæ ſumma quadringenta aureorum millia efficeret, ponendo centum ſeſtertios pro aureo, ut vult Budæus. Panvinius vero in Imp. Rom. de ejus vect. computat, *reditus* imperii Romani ante bellum Mithridaticum ſex millionum auri fuiſſe. Pompejum IV. aliis adjectis feciſſe, ut X. milliones, & CC. millia aureorum. Adjunctis poſtea Gallis, & Ægypto aucta ſunt vectigalia ad XV milliones. In quo eum decipi puto. Plutarchus enim in M. Antonio paullo poſt principium XXV. myriadas drachmarum Romanis decies ſeſtertium appellari dicit: unde quinque millia myriadum, quas Romani ante bellum Mithridaticum capiebant, duos milliones non exceſſiſſent: & ita hanc ſummam in Nerone Xiphilinus interpretatur, quæ modica tanto imperio fuiſſet. Dion quoque XXV. drachmas pro centum ſeſtertiis, ſeu aureo ubique ponit. Quare Plutarchum de aureis, non drachmis intellexiſſe veriſimilius eſt. Ægyptus, Britannia, Meſopotamia, Dacia, aliæque provinciæ poſtea Romano imperio adjectæ cenſum auxerunt: ſed aureorum numerus ſciri nequit: certe centum milliones videtur exceſſiſſe, cum ex ſola Ægypto quindecim noſtros milliones Romani perciperent. Strab. XVII. Budæus ipſe de Aſſe III. & IV. vult Plutarchum loqui de drachmis, qui eſſet exiguus tanto imperio *reditus*. Certe Veſpaſianus Cæſar *profeſſus eſt*, ut refert Suet. c. 16. n. 6. *quadringenties millies opus eſſe, ut Respublica ſtare poſſet.* Colligit hæc ſumma XL. ut vocant, auri milliones, qui quotannis in imperium impendebantur, faciunt ex noſtris aureis LX. milliones, ponendo mille ſeſtertios pro aureo, ut Paulus, & Juſtinianus computant l. Mævia in princ. ſol. matr. ſed noſtram Inſtit. de ſucceſ. lib. Secundum Budæum aſcenderent ad quadraginta millia aureorum. Pro *quadringenties quadragies* legendum. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 74. *Lipſ. de Magnit. Rom.* II. 3. *Bergier. de viis milit.* I. 13.

REF.

REFECTOR pectinarum legitur Aſtæ in inſcriptione hac:

T. VALERIUS. L. F
PLACIDUS
REFECTOR. PECTINARUM
CORNELIAM.

Pectinæ forte erant pectines, quibus fullones utebantur ex erinaceis ſpinis, quæ ſæpius *refici* debebant. *Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect.* VI. *p.* 231.

REFERENDARII vocabantur, qui ſcriniorum diſpoſitionem tractabant. Hi ſupplicum deſideria, aut judicum conſultationes Principi inſinuabant, & reſponſa data conſulentibus mittebant. Procop. in Ἀνεκδότ. *Referendarii erant, qui preces ſupplicum referebant Principi.* Legitur apud Theodoſium l. 2. C. de offic. ejus qui vic. alter. jud. vel præ, mandata, ſive juſſa Principum Theodoſii, & Valent. A. A. miſſa Antiocho, cæteriſque præfectis prætorio per *referendarium*. Procop. de Bell. Perſ. II. hujuſmodi *relationis* exemplum adfert. *Theodorus*, inquit, *cum lues magna Conſtantinopoli pervagaretur, & curatorum penuria multi magis, quam morbo perirent; huic curæ a Juſtiniano delegatur. Is enim reſponſionibus imperatoriis præerat, continuo ei preces ſupplicantium nuntians. Referendarium Latini hoc munus appellant.* Hi antea pauci erant, poſtmodum a Juſtiniano uſque ad numerum octodecim excreſcere permiſſi, demum ad octo ſunt redacti. Novel. X. ſeu authent. de referendariis: *Nos*, inquit, *ut multis opitularemur, per referendarios ſingulorum petitiones diſcentes plures fecimus, quam antea eſſe conſuerant, qui multos nobis introducentes ſupplicantes, multis etiam petitionibus ſunt uſi.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 98. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 8. Lomej. de Biblioth. c. 13. Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 36. Carin. c. 16.

REFERRE in cenſum. V. hoc ſupr. in *Cenſus*.

Referri dicebantur debita. Cicer. pro Roſc. c. 1. *Sic improbum eſt non referre quod debeas.* Scheffer. Diſſert. de Nov. tab. c. 1.

REFRIVA faba. V. illam ſupr. in *Faba*.

REG.

REGALIA, quam *regaliam* numero ſingulari vulgo nunc appellamus, plurali numero in antiquis monumentis vocitari ubique video. Dicenda ſunt, cum jus illud utendi fruendi ſignificare volumus, quod Rex in bonis, & patrimoniis noſtratium pontificum habet, interim dum alter in locum demortui ſubſtituitur, & admittitur, & jurejurando in verba Principis adigitur, quod nunc ſacramentum fidelitatis appellamus. Quod jus *regaliorum* maximum olim fuiſſe, ac quod magnopere fiſcum adjuvare poſſet, ex antiquis monumentis apparet. Quod autem hodie hoc nomine vocatur, non tam inſtar eſt antiqui, quam veſtigium, quaſique quoddam monumentum. *Bud. in Pandect. p.* 77. *H.*

REGERENDARIUS in præfecti officio reperiebatur, quem dubitandum non eſt a libellis fuiſſe, ut ſæpe Notitia indicat, quem in officio ducum orientis *ſubſcribendarium* appellat. Libellis enim ſupplicibus præfecto porrectis ſubſcribebat. *Regerendarius* dicebatur, quod ea ſcripta *regereret*, ſeu in codicem referret: a *regerere*, quod eſt loco ſubtracti aliud reponere. Jabolen. l. cum uſumfructum ff. quib. mod. uſusfruct. amitt. *Nec ſi ſumma terra ſublata ex meo fundo, & alia regeſta eſſet, idcirco meum ſolum eſſe deſinit.* Unde *regiſtrum* vocatur codex, in quem ſcripta referuntur, ut *regiſtrum D. Gregorii*. Idem apud magiſtrum militum orientis *ſcriniarius* vocatur. A Theodoſio l. præcipimus §. ult. C. de appellation. ab aliis *a libellis*. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 18. Curſum publicum regebat. Gloſſæ baſilicæ: Ῥεγενδάριοι οἱ τὸν δημόσιον δρόμον ἰθύνοντες. De quibus Caſſiod. Var. XI 29. *H...*

29. *Habet suam gloriam, qui pensatis excubiis ad militarem noscitur pervenire fortunam. Hoc est, quod regendarium cum feliciter obtinere censemus, ut spe futuri provectus, avidius prætorianis possit inhærere laboribus.* Frustra a Theodosio *libellensem* vocatum Pancirolus tradit, & ab eius a libellis. Nam Theodosius cum de epistolaribus, & a libellis loquitur, nihil usquam de præfecti prætorio officiis cogitavit, qui in scrinio libellorum septem homines habuit l. 1. C. de offic. præf. præt. Afric. & aliquidam esset *regendarium* in cursu publico occupatum ad libellos excipiendos remittere. Ille enim evectiones *regerebat*, id est, in librum, seu *regestum* referebat. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 15.

REGIA vocatur βασίλειον, urbs, in qua Rex plurimum degebat. Solin. c. 25. *Cæsariensi colonia Cæsarea inest, a D. Claudio deducta, Bocchi prius regia.* Plin. v. 2. *Oppidum Jol Jubæ regia.* Mel. I. 6. *Jol ad mare aliquando ignobilis: nunc quia Jubæ regia fuit: & quod Cæsarea vocatur, illustris.* Zamam Syphacis *regiam* vocat Strab. XVII p. 570. τῦ Σύφακος βασίλειον. *Salmas. Exerc. P. n. p. 337. n. E. Perizon. Curt. vindic. p.* 85.

Regia, βασίλεια vocatur palatium Imperatorum. Hoc cœptum tempestate Augusti Cæsaris. Dio LIII. p 507. B. *Regia*, βασίλεια, *vocatur palatium, non quod ita aliquando decretum sit, sed quod in Palatino Cæsar habitabat, ibique prætorium ejus erat.* Rhodig. Ant. Lect. VIII. 1.

Regia vocatur etiam Regis tentorium, sive locus in quo Rex moratur. Ita ex persona Mucii Scævolæ ad Porsenam, qui erat in castris, quum obsideret Romam, Liv. II. 12. *Proinde in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo, ferrum hostemque in vestibulo habeas regiæ.* Curt. IX. 5. 30. *Toto eo die, ac nocte, quæ sequuta est, armatus exercitus regiam obsedit.* In quo hoc, ut ἄκυρον notat Cleric. Art. Crit. p. 3. s. 3. c 8. §. 11. & vult subaudiri domum. Sed non semper domus intelligitur. *Regia* enim Alexandri erat, ubicunque Alexander moras agebat, sive in stativis castris, sive in tabernaculo ubicunque exstructo, sive in oppidis, tanto magis, quia nullam utique in Asia certum habebat *regiæ* locum, vel sedem perpetuam. Potest intelligi aula, quæ est ubicunque Rex est, vel sedes. Sed neque opus, ut intellecti substantivi tanta isthic habeatur ratio: quum talia adjectiva per continuum fere ellipsin substantivi sui acceperint ipsa paullatim substantivi speciem, & usum: atque ideo, æque ac vera substantiva, varia recipiant epitheta, ut cum dicitur, *regia dives, regia prior.* . . . Perizon. Curt. vindic. p. 87.

Regia Numæ a Victore in octava regione Urbis ponitur. Servius in schedis Fuldensibus accurate situm indicat. *Quis ignorat, regiam, ubi Numa habitaverit, in radicibus Palatii, finibusque Romani fori esse?* Gutberleth. de Saliis p. 79. Vestæ templo fuit contigua. Plutarch. in Num. p. 69. *Ædificavit juxta ædem Vestæ regiam, in qua plurimum temporis transegit, res divinas agens, aut instruens sacerdotes, aut cum iis de religione tempus transigens.* De eadem Horat. Od. I. 2. 13.

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Vestæ.

Ubi Scholiastes: *Regiam dicit Numæ Pompilii, qui ad Vestæ suam habuit regiam.* Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 580. Marlian Topogr. Urb. Rom. II. 11. Lips. de Vestal. c. 4. Nardin. Rom. Vet. III. 12. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 6. §. 1. Gutberleth. ibid. p. 170. Donat. de Urb. Rom. II. 12. Fabricius Antiq. Urb. Rom. II. 9. Postea cessit in atrium Vestæ. Ovid. Fast. VI. 263.

Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ,
Tunc erat intonsi regia magna Numæ.

Unde & *atrium regium* appellatum est. Liv. XXVI. 27. *Comprehensa postea privata ædificia, neque enim tunc basilica erant, comprehensæ lautomiæ, forumque piscatorium, & atrium regium; ædes Vestæ vix defensa est tredecim maxime servorum opera.* Quare quæ proprie *regia* dicta est, diversa ab hac fuit, ut hinc liquet. Sed si *regia* Numæ ab atrio diversum non fuit ædificium, *Regia Numæ, & atrium Vestæ* a Victore distinctum recenseri non potuere. Ego vero alterum ad alterius explicationem velut synonymon additum hic existimem, scriptumque uno versu, *Regia Numæ atrium Vestæ*; ita ut indicare eo scriptor voluerit, quæ *regia* prius Numæ dicta fuisset, post *atrium Vestæ* appellatam: nisi quis forte illud ultimum glossema a homine aliquo allatum existimare velit. *Nardin. ibid* v. 5. *Borrich. l. l.* Certe atrium illi fuit adjunctum, etsi Ovidius videtur confundere. Nempe & ille locus pars *regiæ* erat, non ipsa illa tota. *Lips. l. l.*

Regia Pompeji ipso mortuo dicta est ejus domus, ut illi erant tempore, admodum magnifica, quam addiderat famosissimo theatro, cujus fuit quasi appendix. Suet. Aug. c. 31. n. 10. *Pompeji statuam contra theatri ejus regiam marmoreo Jano superposuit.* Casaub. in Suetonium. V. supr. in *Domus Pompeji.* Quem non puto *regiam* demum theatro adjunctam interpretari. Non enim fuit ædificium aliquod ab eo distinctum, atque separatum. Verum ipsius theatri pars. Aulæ enim *regiæ* in scenæ medio cum valvis, & apertionibus, per quas actores ibant in scenam, meminit Vitruv. v. 7. *Ipsæ autem scenæ suas habent rationes explicatas: ita uti mediæ valvæ ornatus habeant aulæ regiæ dextra, ac sinistra hospitalia.* Ad quem D. Barbarus: *Valvæ mediæ, quæ medio cuneo e quinque scenæ attributis respondent, ab ornamentis, & amplitudine, quam habent, regiæ dicebantur.* Et *regiam theatri* de Marcelli theatro scribens vocat Ascon. in Cicer. p. 176. *In hujus domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ, quæ nunc esse in regia Marcelli theatri dicuntur.* Nardin. Rom. Vet. VI. 3. Donat. de Urb. Rom. III. 8. Belior. Fragm. Vestig. Vet. Rom. Tab. 15.

Regia pontificum erat ad templum Faustinæ. In illa sacra a *Rege* sacrificulo peragebantur, & reliqui pontifices a pontifice maximo sacrorum causa convocabantur. Festus: *Regia dicta, vel quod sacrorum causa tanquam in fanum a pontifice convocati in eam convenirent, aut quod in ea sacra a Rege sacrificulo erant solita usurpari.* Convocari illuc pontifices solitos confirmat Plin. Epist. II. 4. *Pontifex maximus jure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocavit.* Mense Octobri in eam caput equi deferebatur in honorem Martis in campo Martio immolati. V. supr. in *Equus October.* Et flamini a singulis mensibus in ea sacra facere consueverat. Macrob. Sat. I. 16. *Ait enim nundinas Jovis ferias fuisse: siquidem flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem soleat immolare.* Nardin. Rom. Vet. III. 12. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 6. n. 1. Fuit prisca Numæ *regia.* Movet me, ut hoc arbitrer, Suet. Jul. c 46. n. 1. *Habitavit post pontificatum maximum in Sacra via, domo publica.* Et Dio LIV. p. 541. A. *Sed cum omnino publicam domum pontificem inhabitare necesse esset, suarum ædium partem publicavit, & Regis sacerdotum domum virginibus Vestalibus, cum iis esset contigua, donavit.* Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 580. Gutberleth. de Saliis p. 170. Magna inter utrumque differentia est. Erat enim *regia* Numæ juxta templum Vestæ, & Castorum ædem, in parte fori occidentali ad ingressum viæ novæ. Hæc non in foro fuit; sed in Sacræ viæ parte, a foro distincta. Illa a Numa nomen tulit, quia *regia* ejus fuit, ac postea in atrium Vestæ cessit. Hæc unde nomen acceperit, supra e Festo vidimus: nec cultui Vestæ, sed Martis erat dicata ministerio: & in illa lancea stabat Mars appellata. Plutarch. in Romul. p. 33. E. *Adhæc lanceam in regia positam Martem vocari.* Forsan & *regia* hæc templum Martis Quirini fuit, quod intra Urbem fuisse ait Serv. Æneid. I. 296. *Nardin. & Borrich. l. l.*

Regia Servii Tullii ubi fuerit, discimus e Festo laudato infr. in *Vicus patricius.* Rufus autem & Victor eam non in tertia collocant regione, sed in quinta: consequitur illam non in Oppio fuisse, sed in Cispio, supra templum S. Laurentii in fonte, non admodum procul ab

ædibus, hortisque Paulli Sfortiæ. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3.

REGIANA Ptolemæo nominatur, & ponitur oppidum secundum Danubium in Mœsia inferiore. Forte illud est, quod *Regiam* appellat Procop. de Ædif. Justinian. *Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. p.* 154.

REGIFUGIUM erat dies festus, qui notatur in Fastis VI. Kal. Mart. Dictus vel quod eo die Tarquinius Roma fugerit, vel a fuga Regis sacrorum e foro, vel comitio, post sacrificium peractum. Prioris sententiæ sunt Ovid. Fast. II. 685.

Nunc dicenda mihi Regis fuga: traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense dies.

Et Auson. Ecl. de Fer. Rom. n. 13.

Nec Regifugium pulsis ex Urbe tyrannis
Lætum [illegible] fas reticere dicam.

Posterioris Plutarch. Quæst. Rom. 62. *Sane a majoribus tradito ritu ante comitium Rex sacrorum, postquam rem divinam fecit, fugit atque inde e foro proripit.* De illo Festus: *Regifugium dies notatur in Fastis VI. Kal. Mart. ut ait Verrius, ita dictus, quod eo die Rex Tarquinius Roma fugerit, quod falsum esse arguit Cincius in libro Fastorum, & Trebatius de feriis, qui Saliares virgines, & Salios adesse aiunt Regi sacrorum, cum facit sacrificium in Comitio, quo facto ille fugit: quod verum cognoverit esse, qui legerit fastis dies tales, quales notantur sic.* Q. REX. C. F. V. supr. in *Quando.* Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 440. Petav. Kalend. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 137. B. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 913. F. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 493. G. Panvin. in Fast. p. 56. Scalig. & Dacer. in Festo.

REGILLA est tunica, quæ sursum versus texebatur. Festus: *Regillis tunicis albis, & reticulis, utrisque rectis, textis sursum versum a stantibus.* Et *rectæ appellantur vestimenta virilia, quæ a stantibus, & in altitudinem texuntur.* Isidor. XIX. 22. *Recta dicitur vestis, quam sursum versum, stantesque texunt.* Plaut. Epid. II. 2. 39.

Quid erat induta? an regillam induculam?

Non. XIV. 13. *Regilla, vestis diminutive a regia dicta, ut & basilica.* Sed quænam vestis illa *regia* Romæ, aut cujus formæ? Nam quod Lambinus eandem cum trabea facit, qua Reges, & Reginæ utebantur, nullus veterum trabeam feminis adscripsit; & qui poterat, cum toga esset, eaque tantum meretricum. Hic autem Plautum etiam meretricum habitum perstringere certum est. *Regillæ* meminit Varro Papia Papæ apud Non. l. l.

Collum procerum fictum levi marmore
Regillam tunicam definitur purpura.

Si tamen locus ille mendo vacat. Certe Latinitas non constat. Sed *regilla* haud dubie tunica, quæ & recta, quod, ut monuit Festus, *sursum versum a stantibus texeretur.* Ferrar. de Re Vest. I. 3. 20. Voss. Lex. Etymol. Braun. de Vest. Sacerd. Hebr. I. 16. 16. Purpura distinguebatur. Colligitur ex Varronis loco laudato, sed corrupto, & ex quo nemo bonum sensum elicere poterit: unde existimo legendum esse:

Regilla tunica purpura diffinditur.

id est, *regilla* tunica purpurea clavis purpureis distinguitur, sive intersecatur. Erat autem alba, & recta. Ita Festus laudatus. Viriles nequaquam erant apertæ circa latera, & fibulis adstrictæ, sed consutæ, & *ῥαφαῖς συνειλημμέναι. Ruben. de Re Vest.* I. 9. Erant etiam albæ, & purpura distinctæ. Sed non fuit illa communis matronarum tunica. Pergit enim Festus: *Pridie nuptiarum virgines indutæ cubitum ibant, ominis causa, ut etiam in togis virilibus dandis observari solet.* Non igitur semper, sed ea tantum die, id est, pridie nuptiarum, boni ominis causa, induebantur, sicut ephebi, die togæ virilis, sive tyrocinii, eas sumebant. Idem Festus: *Recta vestimenta, quæ patres liberis suis conficienda curant, ominis causa.* Communes matronarum tunicæ totæ purpureæ. Quod fuerint rotundæ, & clausæ, non ex duabus plagulis consutæ, ut communes, id inauditum est, & nemo veterum prodidit: certe id non dissimulasset Festus, & alii, qui tantum earum telam a stantibus in altum textam memorarunt. Quod si fuissent & ipsæ inconsutiles, tum illud artificium non Palæstinis modo, sed Judæis omnibus, & Romanis fuisset cognitum, nec tantopere viris doctis laborandum fuisset, ut indicarent, qualis tunica Domini inconsutilis, si talis Romanorum tyronum *recta*, & sponsarum *regilla* fuissent. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 13. Sursum versum vero, sive in altitudinem texere, est quod Græci dicunt, ἄνω ὑφαίνειν. Hoc quid sit optime quidem, sed digressionibus longioribus, quæ contractiore breviores fieri non possent, & nobis non licet esse tam prolixis, explicant *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 46. *Casaub. Exercit. Baron.* XVI. 84. *Braun. ibid.* §. 16. & 17.

REGILLENSIS cognomen est Claudiorum. Horum aliqui Crassini etiam dicuntur. *Regillenses*, & Crassinos novem invenio obtinuisse dictaturas tres, decemviratus legibus scribendis tres, trium, hos duos, consulatus sex, tribunatus militares consulari potestate duos. Illorum I. fuit Clausus quidam Sabinus, qui ex *Regillis* Romam venit cum ita magna multitudine propinquorum, & clientium, ut ex eis Claudia tribus aucta fuerit, & nomen acceperit, vel, ut quidam arbitrantur, cæteris addita fuerit. Clausum appellatum fuisse asserunt, cum inter patricios adscriptus fuit, *Appium Claudium Regillensem* anno Urbis 249. Hunc videtur Verrius Flaccus Marcum Claudium appellare, cum eum avum esse asserat Appii decemviri. Hic consul fuit post annos novem cum P. Servilio Prisco. II. fuit hujus filius, ejusdem cum patre nominis, consul cum T. Quinctio Capitolino Barbato an. 282. III. fuit C. *Regillensis* alter filius, consul post undecim annos cum P. Valerio P. F. Poplicola II. qui in eo magistratu occisus est. IV. fuit Appius Claudius Crassinus, qui AP. F. M. N. a Verrio appellatur, quem alii Appii nepotem, de quo initio locuti sumus, tradiderunt. Fuit consul cum T. Genucio Augurino an. 302. sed abdicarunt, ut iidem cum aliis decemviri legum scribendarum causa crearentur. V. fuit Appius Crassinus *Regillensis* AP. F. AP. N. superioris, ut creditur, filius, qui tribunus militum consulari potestate fuit cum L. Sergio Fidenate II. Sp. Nautio Rutilo, & Sex. Julio Julo an. 329. VI. fuit P. Crassinus *Regillensis*, hujus filius, tribunus militum cum aliis quinque patriciis an. 350. VII. fuit Appius Claudius eisdem cognominibus usus, dictator primus ex hac familia rei gerundæ causa an. 391. Primus ex eadem triumphavit de Hernicis. Consul fuit post quatuordecim annos cum L. Furio Camillo, & in magistratu mortuus est. VIII. fuit C. Crassinus *Regillensis*, quem quidam bis dictatorem asseverant, & AP. F. P. N. Cæcique patrem. Prior dictatura an. 405. comitiorum habendorum causa, posterior rei gerundæ causa an. 416 in qua magister equitum fuit C. Claudius Hortator, quem patricium, aut plebeium fuisse affirmare non possumus. IX. Appius Claudius Crassinus Rufus AP. F. C. N. a quibusdam appellatur Appii Cæci filius, is qui consul fuit cum P. Sempronio Sopho an. 485. Cum apud Suet. Tib. c. 3. n. 1. inveniam Appium Cæcum duos filios habuisse P. Pulcrum, & Ti. Neronem, ex quibus duæ familiæ, Pulcrorum, & Neronum ortæ sint: cumque aliis placeat, Cæcum ipsum ex *Regillensibus* ortum fuisse, de Appio Cæco, tanquam communi pariete, in quem tres hæ familiæ tigna sua immiserint, separatim agendum videtur. Verrius Flaccus in censura, & consulatu aperte Ap. Claudium C. F. AP. N. Cæcum appellat. Censuram constituit an. 441. collegam in ea adscribit C. Plautium, qui in eo honore Venox appellatus est. Lustrum fecisse ait vigesimum sextum. Consulatus collega L. Volumnius Flamma Violens an. 446. cum quo iterum post undecim annos consulatum gessit. Dictator fuit, sed quo anno incertum est: quidam divinando in an. 466. retulerunt. In veteri titulo hi magistratus enumerantur. *Appius Claudius C. F. Cæcus, censor, consul bis, dictator, interrex ter, prætor bis,*

bis, ædilis curulis bis, quæstor, tribunus militum ter. August. de Famil. Roman. in Claudia.

Regillensis dictus est etiam A. Postumius dictator, quod ad lacum *Regillum* cum Latinis bene pugnaverit: quod cognomen posteri ejus etiam tulerunt. *Sigon. de Nom. Roman. c. 5.*

REGILLUM tegmen capitis. V. illud supr. in *Calyptra.*

REGIO major pars in Urbe appellabatur. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 282. *F. Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 6. §. 2. In *regiones* tres Urbem primus Romulus divisit, ut Dionys. II. p. 82. & Liv. I. 14. Illas *tribus* Dionysius, *centurias equitum* Livius, quod ex singulis iis tribubus centum equites scripti essent, *partes* Varro de Ling. Lat. IV. 9. vocant. *Ager Romanus primum divisus in partes tres, a quo tribus appellata, Tatiensium, Ramnensium, Lucerum.* Rursus tribus Ascon. in Cicer. p. 72. *Tribus principio tres fuerunt: Titienses, Ramnenses, Luceres.* In quatuor, civitate aucta, Servius Rex secundus divisit. Quas non, ut Romulus ab auctore, vel gentis origine, sive a tribubus, sed a locis, quos colebant, nominavit. In primam conjecit omnes, qui montem Cœlium, & circum vicina loca plana habitarent, quam Suburanam appellavit. Secunda dicta est Exquilina, hæc Exquilias continebat. Tertia duos colles comprehendebat, Quirinalem videlicet & Viminalem, a quibus Collina appellata est. Quarta sola complectebatur fere totum id spatium, quod ante quæ tres sub Romulo; continebat enim Palatium, forum, & Capitolium: dictaque Palatina a palatio ipso tanquam primo colle, in quo Urbs condita esset. In quatuordecim Augustus totius divisit. Suet. Aug. c. 30. n. 1. *Spatium Urbis in regiones, vicosque divisit.* Plin. III. 5. *Ipsa autem dividitur in regiones quatuordecim* Tacit. Annal. XV. 40 4. *In regiones quatuordecim Roma dividitur, quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenus dejectæ, septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera, & semiusta.* Has brevissime descripserunt P. Victor, & S. Rufus, viri consulares. *Panvin. ibid. p.* 280. *C. Pancirol. Thes. Græv ibid. p.* 321. *B. Fabric. Descr Urb. Rom. c.* 6. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 22. Hodie, ut recentiora cum antiquis conjungam, totidem numero sunt, sed & nominibus, & distributione diversa: *Regio* Montium, Trivii, Columnæ, Campi Martii, Pontis, Parionis, Arenulæ, Eustachii, Pineæ, Angeli, Campitelli, Ripæ, Transtiberina, Burgi. *Fabric. l. l.*

Regio I. denominata est a porta proxima Capena. Omnia loca, quæ tunc circa eam portam erant tam in Urbe, quam extra, usque ad basilicam S. Sebastiani obtinebat. Ab oriente habuit Cœlimontanam, ab occidente Aventinum, ab aquilone piscinam publicam, a meridie circum, viam Appiam, & suburbia. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 283. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 323. *A. Nardin. Rom. Vet.* III. 1. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 13. Continet ædem Honoris, & Virtutis, Camœnas, & lacum Promethei, balneum Torquati, & Vespasiani, thermas Severianas, & Commodianas, aream Apollinis, & Gali, vicum vitrarium, aream panariam, mutatorium Cæsaris, balneum Bolani, & Mamertini, aream Carsuræ, balneum Abascanti, & Antiochiani, ædem Martis, & Minervæ, & Tempestatis, flumen Almonis, arcum D. Veri Parthici, & D. Trajani, & Drusi. Vici 10. ædiculæ 10. vicomagistri 48. curatores 2. insulæ tria millia 250. horrea 13. balneæ 86. lacus 82. pistrina 20. Continet pedes duodecim millia 219. *Pancirol. ibid. p.* 317. *A. Nardin. l. l. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 3. *n.* 1. *Merul. Cosmog.* II. 4. 22. Exacti hujus *regionis* limites vix, ac difficulter indicari possunt, cum illic hodie nil nisi vineæ, & prata cernantur. Veruntamen, qui restat, situs aliquam nobis lucem præbere queat. A porta S. Sebastiani, seu potius S. Cæsarii inchoanda, terminari videri possit ultra S. Sebastiani, ubi circus iste est, quatenus collis ille desinit, aliusque capitis bubuli incipit: quod ad latera vero inclusus eodem colle videtur pertexisse, exclusa hinc parte vallis Caffarellæ, quæ olim hortis occupabatur, ut nunc pratis: inde planitie, quæ est versus S. Paulli. *Nardin. l. l.*

Regio II. Cœlimontana appellata, quod tota ferme Cœlio monte contineretur. Intra mœnia a porta a dextris erat. Continet templum Claudii, macellum magnum, lupanarios, antrum Cyclopis, cohortes vigilum, castra peregrina, caput Africæ, arborem sanctam, domum Philippi, & Vectilianam, ludum matutinum, & Gallicum, spoliarium, samarium, armamentarium, micam auream. Vici 7. ædiculæ 7. vicomagistri 48. curatores 2. insulæ tria millia 600. domus 127. horrea 17. balnea 32. lacus 42. pistrina 12. Continet pedes duodecim millia 200. *Nardin. Rom. Vet.* III. 5. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 31. *B. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 4. *n.* 1. *Merul. Cosmog.* II. 4. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 13. Fuit vel conjuncta, vel saltem vicina primæ: & quamquam in certo non sit, an mœnibus tota Urbis olim Cœlio inclusa fuerit, nihil minus, quin eam vetustissima Urbis mœnia in ea sui parte Latinam portam vel in ea regione fuit, vel ei vicinissima. Ab hac limitem illius *regionis* secundum muros ad S. Johannis portam, & aliquanto etiam ulterius pertendisse necessario sequitur, ubi intra Urbis ambitum Cælius cum colle S. crucis in Hierusalem continuus regionem hanc a quinta dividebant. Alterum ejus latus boreale quod attinet, via, quæ a porta majore recta ducit ad SS. Petri, & Marcellini, & S. Clementis, credita fuisse vetus Labicana, ab tertia illam *regione* separabat; sicut & hodieque colles illos duos disjungit. Verum quicquid in prono collis fuit, ad hanc *regionem* pertinuit: siquidem veterem illic Suburram fuisse supponemus. Non tamen versus amphitheatrum Titi ultra? ut saltem non multum ultra S. Clementis procurrebat, cum caput Suburræ, quod isthic fuit, & Ceroliensis, nec non ipsum illud amphitheatrum partes tertiæ fecerit *regionis*. Unde viam illam, qua nunc in Cælium ad Navicellam itur, eandem esse verisimile est, qua olim per Tabernulam ascendebatur in Cælium. Finiebatur illa planitie *regionis* tertiæ, & tramitem Cælii secata sub ædes SS. Johannis, & Paulli in rupes illas flectebatur: sic ut ad angulum ejus accedens rursus ad sinistram regyret versus S. Gregorii. Hic omne illud spatium, quod inter Cælium, & Palatinum montem fuit intermedium, quintæ *regionis* fuit; ut esset alias nimis angusto colligo, quem usque hoc ipsa ibi fecisset. Ab æde porro S. Gregorii ad mœnia usque Cœlimontana *regio* una cum ipso monte proxime portam Latinam progressa fuit: planitiem enim a piscina publica fuisse occupatam extra controversiam est *Nardin. l. l.*

Regio III. fuit Cœlimontanæ conjuncta, in ea Exquiliarum parte, quæ latus australe respicit, aliis vocata Isis, & Moneta, aliis Isis, & Serapis. Continet Monetam, amphitheatrum, quod capit loca octoginta septem millia, ludum matutinum, & Dacicum, domum Brutti, præsentissimum choragium, lacum Promethei, olim quæstorum, & sepultorum, thermas Trajani, & Titianas, porticum Liviæ, castra Misenatium. Vici 12. ædiculæ 12. magistri 49. curatores 2. Insulæ duo millia septingentæ quinquaginta septem, domus sexaginta, horrea 14. balnea octoginta, lacus 65. pistrina 16. Continet pedes duodecim millia trecentos quinquaginta. *Nardin. Rom. Vet.* III. 8. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 3. *n.* 1. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 317. *C. Merul. Cosmogr.* II. 4. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 13. Ambitus magna ex parte Cœlimontanæ conterminus, ab colle scilicet S. crucis usque ad prærupta Cœlii, quæ sub vinea sunt SS. Johannis & Paulli, jam supra expositus est. Hinc dextrorsum flectens incluso amphitheatro Titi, & exclusa meta sudante, hortisque S. Mariæ novæ, & Piis, quæ quintæ fuere *regionis*, pertigit procul dubio ad radices usque Exquiliarum, quibuscum a S. Andreæ in Portugallo usque ad hodiernam Suburram, & clivum S. Luciæ in silice, & S. Martini montibus, secedens, quicquid antiquorum ædificiorum inter istas collesque fuit, complectebatur. Hoc in tergum ad ortum tendens, excluso arcu S. Viti, sed ædem S. Martini in Ma-

rulana complexus, recta finitimum ibat in angulo septentrionali Cœlii: cujus certa satis argumenta sunt horti Mæcenatis, qui ad S. Martini in montibus, & ædem S. Viti in macello pertingebant: quæ duo loca quintæ *regioni* attribuuntur: unde & ad S. Matthæi in Merulana, quæ ecclesia hujus *regionis* est *Nardin. l. l.*

Regio IV. appellata Sacra via, seu templum Pacis. Ejus initium erat ad illas Exquilinarum partis ima, ubi *regio* Isis, & Serapis finiebat, id est, proxime hortos pos. Continet porticum absidatam, aream Vulcani, aureum buccinum, Apollinem sandaliarium, Telluris templum, horrea chartarea, tigillum sororium, colossum altum pedes centum duo semis, qui habet in capite radios numero septem, singulos pedum viginti duorum semis: metam sudantem, templum Romæ, & Veneris, ædem Jovis Statoris, viam sacram, basilicam Constantinianam, templum Faustinæ, basilicam Pauli, forum transitorium, suburram, balneum Daphnidis. Vici octo. ædiculæ totidem, vicomagistri 48. curatores duo, insulæ duo millia septingentæ quinquaginta septem, domus octoginta octo, horrea decem & octo, balnea 75. lacus 83. pistrina 12. Continet pedes tredecim millia. *Nardin. Rom. Vet.* III. I. *Pancirol. Desc. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 318. *D. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. *n.* I. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 13. Incipiebat olim a meta sudante; ac inter amphitheatrum Titi, & hortos S. Mariæ novæ imas Exquilias adscendebat; ubi *regionis* tertiæ terminum fuisse diximus. Inde inter hortos prope, & ædem S. Andreæ in Portugallo per illius planitiei tramitem usque ad hodiernam pergebat Suburram. Hinc autem facto flexu, eandem ambiens planitiem, primum usque Viminali ad usque B. M. V. de montibus, atque ulterius adhuc usque ad S. Mariæ in campo Carleo porrigebatur. Inde rursus ad sinistram se retorquens, non procul ab ea via, quæ hodieque dicta recta procurrens visitur, ab juntiusper pergebat, donec in dextram conversa inter ædes S. Hadriani & S. Laurentii in Miranda in conspectum fori prodiret: ubi sacram viam Sacram intrabat; qua mox derelicta ad ædem S. Mariæ Liberatricis tendebat: & inde rursus recta linea versus arcum Titi semet extendens ad metam sudantem revertebatur. *Nardin. l. l.*

Regio V. erat conjuncta quartæ. Licet Exquilina fuerit, præter Exquiliarum partem, quæ extra tertiam erat *regionem*, montem quoque complectebatur Viminalem: sic ut quarta ad hodiernam suburram pertingens ad sinistram haberet collem Viminalem, & ultra hunc Cispium, qui pars erat Exquilin. Continet lacum Orphei, macellum Liviani, nympheum D. Alexandri, cohortes duas vigilum, Herculem Sylvanum, hortos Pallantianos, amphitheatrum castrense, campum Viminalem sub aggere. Minervam medicam, Isidem patriciam. Vici 15. ædiculæ 15. vicomagistri 48. curatores duo, insulæ tria millia octingentæ quinquaginta, domus 180. horrea 22. balnea 75. lacus 64. pistrina 15. Continet pedes quindecim millia 600. *Nardin. Rom. Vet.* IV. I. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. *n.* I. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 318. *B. Merul. Cosmogr.* II. 4. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 13. Initium trans S. Johannis Lateranensis ædem ad muros Urbis statuimus, ubi Cœlimontana desinebat, cujus & confinia sequebatur, ac deinde Isidis, & Serapidis recta via quasi retro ædem S. Matthæi, usque ad S. Martini in montibus: unde per viam declivem S. Luciæ in silice in hodiernam Suburram descendebat; inde porro ad S. Mariæ in montibus: post autem ad dextram flectens recta via, quæ a S. Vitalis templo ad thermas ducebat Diocletianas, iis ad sinistram relictis, aggerem Servii Tullii attingebat, ac mœnia Urbis; extra quæ in sinistram abiens cum iisdem ad portam tendebat Salariam. *Nardin. l. l.*

Regio VI. Alta semita appellata in Quirinali, quatenus Viminalis, & Quirinalis vicini sibi invicem fuerunt, catenus quintæ *regioni* conjuncta fuit, cum Viminalis totus Exquilinæ fuerit. Continet templum Salutis & Serapidis, templum Floræ, Capitolium antiquum, statuam Mamurii plumbeam, ædem Quirini, malum Punicum, hortos Sallustianos, gentem Flaviam, thermas Diocletianas, & Constantianas, decem tabernas, gallinas albas, aream Candidæ, cohortes tres vigilum. Vici 17. ædiculæ 17. vicomagistri 18. curatores 2. Insulæ tria millia quadringentæ, domus centum quadraginta sex, horrea 17. balnea 85. lacus 72. pistrina 16. Continet pedes quindecim millia 700. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 5. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Tom.* III. *p.* 318. *C. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 8. *n.* I. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 13. Progrediebatur una cum radicibus Quirinalis a reliquiis fori Nervæ sub Palatio familiæ olim comitum, hodie Gallis, versus ædem B. V. in montibus, inde vero versus ædem S. Vitalis vallem complexa, ecclesiæ illi objectam. Tum ad thermas Diocletianas, quas eidem implectebatur, & super thermas cum ipsis mœnibus ad sinistram flectens ad portam pertinebat Collinam. Inde aliquantum cum muris descendebat, donec intra ambitum suum partem Pincii includeret; quem collem deinde transiens, rectaque ad aream Grimaniam tendens, eandemque amplexa, ad sinistram vergebat, & cum muris hortorum Papalium se conjungebat. Hinc ad ipsum Papale perveniens palatium, ipsiusque collis gyrum secuta, per hortos Columnenses ad columnam Trajanam, & inde ad forum Nervæ revertebatur. *Nardin. l. l.*

Regio VII. cui viæ latæ nomen, radicibus, sive imis Quirinalis subjacebat. Continet lacum Ganymedis, cohortes septem vigilum, arcum novum, nympheam Jovis, ædiculam caprariam, campum Agrippæ, templum Solis, & castra, porticum Gypsiani, & Constantini, templa duo novæ spei, & fortunæ, equum Tyridatis Regis Armeniorum, forum suarium, hortos Largianos, mansuetos, lapidem pertusum. Vici 15. ædiculæ 15. vicomagistri 62. curatores duo, insulæ tria millia octingentæ quinque, domus 130. horrea 25. balnea 75. lacus 76. pistrina 15. Continet pedes quindecim millia septingentos. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 8. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 9 *n.* I. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 318. *D. Merul. Cosmogr.* II. 4. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 13. A planitie areæ Grimanæ, ubi circus Floræ fuit, inchoasse constat. Hinc inter viam B. V. Constantinopolitanæ, quæ in declivitate est collis hortulorum, & hodiernos hortorum Papalium muros, qui ad ima Quirinalis sunt, ad fontem Trevium descendebat. Inde rursus secundum veteres muros Quirinalis inter hortos, & palatium Columnensium ad ædem B. V. Lauretanæ, & macellum Corvorum, usque ad ima Capitolii perveniebat: sub cujus substructionibus retrorsum flectens, atque sinu quasi suo viam latam complexa, ad ecclesiam Jesu tendebat, inter collegium Romanum, & ædem Minervæ: unde regressa versus fontem Trevium ad angulum collis hortulorum pergebat, prope cloacam Bufali, inde vero juxta radices collis ad aream Grimanam revertebatur. *Nardin. l. l.*

Regio VIII. cui nomen foro Romano, a meridie confinis erat summæ, & imæ viæ latæ. Cæteris omnibus illustrior fuit, utpote quæ ipsius veluti cor Urbis celeberrima, ac frequentissima Romæ ædificia ambitu suo complexa est. Continet Rostra, genium populi Romani aureum, & equum Constantini, senatulum, atrium Minervæ, forum Cæsaris, Augusti, Nervæ, Trajani, templum D. Trajani, & columnam coclidem altam pedes 128. semis, cohortes sex vigilum, basilicam argentariam, templum Concordiæ, umbilicum Romæ, templum Saturni, & Vespasiani, Capitolium, milliarium aureum Juliæ, templum Castorum, Vestæ, horrea Germaniciana & Agrippinæ, aquam cernentem quatuor Scauros sub æde, atrium Caci, vicum jugarium, unguentarium, Græcostasin, porticum margaritariam, elephantum herbarium. Vici triginta quatuor, ædiculæ 29. vicomagistri 46. curatores duo. Insulæ tria millia octingentæ octoginta. domus 130. horrea 18. balnea 85. lacus 120. pistrina 20. Continet pedes tresdecim millia 67. *Nardin. Rom. Vet.* V. I. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 10. *n.* I. *Pancirol. Descr.*

Urb.

Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. *p.* 319. *A. Hennin. ad Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 7. §. 6. *Merul. Cosmog.* II. 4. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 13. Limites cum *regione* primum quarta communes superius ad ædem S. Mariæ Liberatricis inchoasse diximus: ubi viam statuimus, quæ versus extremum tendens Palatinum, inter comitium, & Volcanale, adversus ædem S. Laurentii in Miranda viam Sacram intrabat: in cujus viæ Sacræ altero latere inter eandem S. Laurentii ædem, & templum S. Hadriani alia via exibat, quæ a foro ad Pantanos ducebat; atque inde flexa ad sinistram in eam se ingerebat, quæ nunc ad ædem S. Mariæ in campo Carleo procedit: aut certe in aliam ab illa non multum diversam: qua via locus transibat, in quo nunc illa ædes condita est: rectaque peragendo secundum montem Bagnanapoli, ubi ad sextæ confinia accedebat, exitum inveniebat, ubi hodie est area columnæ Trajanæ: inde vero cum veteribus Urbis muris conjuncta, flexaque sinistrorsum, confinia septimæ sequebatur *regionis*, ubi nunc macellum Corvorum est; tum vero cum ipsis mœnibus Capitolium conscendens ad dextram, paullo inferius tamen, nonam sibi confinem habebat. Hinc rursus descendens in planitiem, ad forum montanarium, juxta limites undecimæ, recta versus ædem procurrebat S. Anastasiæ: ac tandem illic ad sinistram reflexa per Palatini declivia, decimam stringens *regionem*, ad ædem S. Mariæ Liberatricis revertebatur. *Nardin. l. l.*

Regio IX. circi Flaminii nomine insignita fuit, conjuncta viæ latæ, illam ad occidentem habens, octavæ contermina versus meridiem sub monte Capitolino: & inde inter *regiones* nonum locum obtinuit. Fuit ampla, & splendidis ædificiis illustris, quorum ingens numerus in campo Martio, & in pratis Flaminiis fuit. Continet stabula numero IV. factionum, ædes Herculis, porticum Philippi, minutias duas, veterem, & frumentariam, cryptam Balbi, theatra quatuor, inprimis Balbi, quod capit loca triginta millia 85. campum Martium, trigarium, ciconias nixas, pantheum, basilicam Matidii, & Martiani, templum D. Antonini, & columnam cochlidem altam pedes 275. semis, Adrianium, thermas Alexandrinas, & Agrippinas, porticum Argonautarum, & Meleagri, Isium, & Serapeum, insulam Feliculæ. Vici 35. ædiculæ 35. vicomagistri 48. curatores 2. Insulæ duo millia septingentæ 74. domus 140. horrea 22. balnea 63. lacus 63. pistrina 20. Continet pedes triginta duo millia D. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 1. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 319. *C. Merul. Cosmogr.* II. 4. 22. Fuit tota extra Urbem, primum communes cum septima viæ latæ limites habuit, juxta radices Pincii ab area Grimania usque ad cloacam tendens Bubali, ubi collis Pincius in angulum desinit. Inde ad fontem Trevium, & aream Sciarram, ad D. Ignatii ecclesiam pergens, cum ductu, seu canali aquæ virginis inter collegium Romanum, & Minervam flexu facto, exiguo ab ecclesia Jesu intervallo ad Capitolium se porrigebat: sub cujus rupibus versus turrim speculorum usque ad aream montanariam, & veterem portam Carmentalem pergens, mœnia vetera versus Tiberim eundo relinquebat, nempe ubi nunc Sabelliorum palatium est, versus ædem S. Angeli in Piscario, hanc excludens, ut & pontem quatuor capitum, & partem vici Judaici. Dehinc secundum flumen ad sinistram sese distendens usque ad portam Flaminiam, fortean & ulterius, ad dextram vero Pincium, qua maxime in altitudinem assurgit, partem areæ Grimaniæ declivem findens, ad eandem portam Flaminiam desinebat. *Nardin. l. l.*

Regio X. cui nomen Palatium, non est conjuncta cum præcedente circi Flaminii *regione*, sed interjecta secunda Cœlii ad dextrum Exquiliarum, qua transitus ad nonam circi Flaminii factus, cæteris ambitur, mediam Urbis partem exiguo ambitu occupans, ubi prima Romuli Roma fuit: eo cæteris celebrior, quia palatium Augustale continuit. Continet casam Romuli, ædem matris deûm, & Apollinis Rhamnusii, Pentapylon, domum Augustianam, & Tiberianam, ædem Jovis Victoris, domum Dionis, curiam veterem, Fortunam respicientem, Septizonium D. Severi, Victoriam Germanicianam, Lupercal. Vici 20. ædiculæ 20. vicomagistri 48. curatores duo. Insulæ duo millia 643. domus 88. horrea 48. balnea 14. lacus 89. pistrina 20. Continet pedes undecim millia sexcentos. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 11. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 319. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 22. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 12. *n.* 1. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 13. Quadrata montis Palatini figura eandem quoque *regioni* nomen dedit, cujus quatuor latera totidem *regionibus* confinia sunt. In primo via illa, quæ per arcum Titi hodie que ab æde S. Mariæ Liberatricis ad metam sudantem vadit, communes cum quarta limites habet, uti superius diximus. In secundo illa, quam retro eandem ecclesiam esse diximus, versus ædem S. Anastasiæ tendens octavæ contermina est. Tertii lateris respectu undecimæ objecta est, recta haec a valle circulorum monte diviso. Ultimo denique, & quarto via recta, quæ a valle circulorum ad ædem S. Gregorii, & inde ad arcum pergit Constantini, a secunda *regione* dispescitur. *Nardin. l. l.*

Regio XI. circi maximi contigua fuit lateri Palatini montis. Adæquavit longitudinem ejusdem montis. Capit loci quadringenta quinque millia, continet duodecim portas, templum Mercurii, ædem Ditis patris, Cererem, portam trigeminam, Apollinem cœlispicem, Herculem olivarium, Velabrum, arcum D. Constantini. Vici 18. ædiculæ 19. vicomagistri 19. curatores duo, insulæ duo millia sexcenta, domus 89. horrea 16. balnea 15. lacus 20. pistrina 15. Continet pedes undecim millia quingentos. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 1. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 119. *E. Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 13. *n.* 1. *Merul. Cosmog.* II. 4. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 13. Ambitus adeo disjunctus, diductusque fuit, ut literæ Pythagoricæ *y* effigiem præbuerit: principium enim illius extra portam Flumentanam inter palatium Sabelliorum, & flumen Tiberis collocatur, unde ad angulum Aventini pergens, ubi schola Græca est, in duos secabatur ramos, quorum sinister vallem, cui hodie Circorum est nomen, complectebatur, inter Palatinum, & Aventinum, ad S. Georgii ædem desinentem, in capite illius viæ, quæ a Circorum valle ad portam S. Paulli ducens Aventinum in duo juga distinguit. Dexter in angusta planitie inter Aventinum, & Tiberim usque sub ædem prioralem equitum Melitensium pertingebat, ubi portam diximus fuisse trigeminam. *Nardin. l. l.*

Regio XII. cui Piscinæ publicæ nomen, non modo *regioni* circi maximi, sed ipsi quoque circo contigua fuit, totum illud spatium continens, quod inter circum maximum est, & thermas Antonianas. Continet aream radicariam, viam novam, Fortunam mammosam, Isidem Athenodoriam, ædem Bonæ deæ subsaxanæ, signum Delphini, thermas Antonianas, septem domos Parthorum, campum lanatarium, domum Chilonis, cohortes quatuor vigilum, domum Cornificii, privatam Hadriani. Vici 14. ædiculæ 17. vicomagistri 48. curatores duo, insulæ duo millia quadringentæ octuaginta septem, domus 114. horrea 17. balnea 63. lacus 81. pistrina 20. Continet pedes duodecim millia. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 5. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 14. *n.* 1. *Merul. Cosmog.* II. 4. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 13. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 320. *A.* Limites radicibus collium Cœlii, & Aventini, quum in ea valle sita sit inter utrumque interjecta, terminantur. Longitudo ejus a circo maximo porrigitur usque ad thermas Antonianas, quas complectebatur. Ambitu quidem exigua fuit, veruntamen frequens incolis; quandoquidem in tam angusto circuitu ingens insularum, domuumque numerus adnotatur. *Nardin. l. l.*

Regio XIII. Aventinus appellata, duabus præcedentibus superinstat; siquidem montis Aventini longitudo planitiei isti prætexitur, in qua Piscina publica, & Circus maximus uno quasi filo longitudinis sita fuere. Continet templum Dianæ, & Minervæ, Nymphæa tria, ther-

thermas Varianas, & Decianas, doliolum, mappam auream, platanones, horrea Galbæ, porticum fabariam, scholam Callii, forum pistorum. Vici 17. ædiculæ 17. vicomagistri 48. curatores duo, insulæ duo millia quadringentæ octoginta septem, domus 130. horrea 25. balnea 64. lacus 85. pistrini 20. Continet pedes ducenta novem millia. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 7. *Merul. Cosmog.* II. 4. 22. *Pancirol. Descr. Urb. Rom Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 320. *B. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15 *n.* 1. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 13. Confinia primo mons ipse constituit, cujus angulus prominet retro scholam Græcam: ad sinistram vero valli Circensi imminet e regione Palatini, deinde & alteri valli Piscinæ publicæ contra Cœlium, retro thermas Antonianas, usque ad Urbis mœnia. Ad dextram ab eodem angulo retro scholam Græcam viæ imminet, quæ ad Tiberim est, quam *regioni* undecimæ adjudicavimus, usque sub ecclesiam prioratus Romani equitum Melitensium. Sub qua, ubi salis albi officinæ fuere, planitiesque laxare se'e incipit, *regio* de monte descendit, & intercedente vetere Urbis muro, portaque trigemina, ab undecima *regione* dirimitur, donec ad Tiberim pertingat, cujus ripam secuta, montemque complexa testaceum, in eadem ripa cum muris hodiernis conjungitur, qui bus eam deinde ad portam S. Paulli tendit, & Aventino deinde monte ad portam S. Sebastiani, in qua desinit. *Nardin. l. l.*

Regio XIV. Transtiberina nominata, dividitur a cæteris interlabente flumine; unde & recte ultimum locum obtinet. Continet Gajanum, Vaticanum, Frygianum, naumachias 5. hortos Domitios, balneum Ampelidis, & Prisci, & Dianæ, molinas, Janiculum, statuam Valerianam, cohortes septem vigilum, caput Gorgonis, templum Fortis fortunæ, aream Septimianam, Herculem cubantem, campum Brytianum, & Codetanum, hortos Getæ, castra lecticariorum. Vici 78. ædiculæ 78. vicomagistri 48. curatores tres. Insulæ quatuor millia, quadringentæ quinque, domus 150. horrea 22. balnea 86. lacus 180. pistrina 23. Continet pedes triginta millia quadringentos octoginta octo. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 10. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 22. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. *n.* 1. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 320. *C. Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 13. Limites describere operæ pretium non videtur, quod eam Tiberis a cæteris disterminet. Amplitudo ejus non se intra mœnia Urbis Transtiberina continuit, sed non nihil extra portam portuensem, multo vero magis extra Septimianam evagata est usque ad magnam Vaticani vallem, ejusque prata, exadversum Augusti Mausoleum, ubi nunc Ripetta est. *Nardin. l. l.*

Regiones suburbicariæ vocantur Picenum & Tuscia. Honor. & Theod. l. 12. C. Th. de indulg. debit. *Picenum, & Tusciam suburbicarias regiones septimam tributorum jubemus agnoscere.* Valentin. l. 9. C. Th. de annon. & tribut. etiam suburbicarium nominat Picenum. Tusciam & Picenum quoque suburbicarias ecclesias nuncupat, ut puto, Rufin. Histor. I. 6. Forte quod deficientibus urbicariis *regionibus* annonam Urbi subministrarent. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 41.

Regiones urbicariæ appellantur, quæ certam annonam ad Urbem conferebant, & videntur in Africa fuisse. Constant. l. 9. C. Th. de extraord. seu sordid. mun. *Non per Italiam tantum, sed etiam per urbicarias regiones & Siciliam patrimonialium fundorum vires servandas esse perspeximus.* Gratian. l. 1. C. Th. si per obreptio. *Sinceritas tua id ipsum per omnem Italiam, tum etiam per urbicarias, Africanasque regiones, ac per omne Illyricum præclara oraculi hujus auctoritate firmavit.* Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 41.

REGIUM Lepidi est oppidum in via Æmilia. Videtur dictum a M. Æmilii Lepidi nomine *Forum Lepidi* V. illud supr. in *Forum.* cum is anno Urbis 565. cum Flaminio Nepote consulatum gereret. Quando vero, aut qua occasione cognomen *Regium* acceperit, plane incertum est. Promiscue id usurparunt veteres, vel simpliciter *Regium*, vel cum cognomine *Regium Lepidum.* Posterioribus temporibus adeo crevit, uti dignitate, ac titulo civitatis, Parmæ, atque Mutinæ, reliquisque hinc præcipuis urbibus æquaretur. Rezo, & Regio nunc vocatur. *Cluver. Ital. Ant.* I. 28. 4. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 863. *C.*

REGULA in circo vocabatur alba linea Romæ, quæ *non longe ab ostiis in utrumque podium producebatur, ut quadrigis progredientibus inde certamen oriretur.* Cassiod. Var. III. 51. *Faber Agonist.* II. 7. V. supr. in *Linea.*

Regulæ in statuis sunt omnes illæ ornamentorum partes, quæ planæ sunt, & circumcurrunt, margini similes, vel, quod verisimilius, verucula, quibus mediantibus προτομαί, vel statuæ lateribus, & postico theatrum, ne nutarent, aut proruerent, aut detrahi, refingi, eximive possent, adpangi solebant. Romæ in vinea ad thermas Antoninianas effossa a pastinatoribus tabula:

NUMINI DOMUS AUGUSTÆ ET
SANCTI SILVANI SALUTARIS SA-
CRUM IMP. CÆS. NERVÆ TRAJA-
NI OPTIMI PRINC. GERM. DAC.
IMAGINES ARGENT. PARASTATI-
CAS CUM SUIS ORNAMENTIS ET
REGULIS ET BASIBUS. ET CONCA-
MERATIONE FERREA C. JULIUS
NYMPHIUS. DEC. ANNALIS SUA PE-
CUNIA PONENDAS CURAVIT DO-
NUMQUE DEDIT. . . .

Reines. Inscript. Class. I. *n.* 105.

Regulæ in torcularibus sunt tabellæ ligneæ oblongæ, quibus ut in fiscis imposita bacca prelo subjicitur, & exprimitur. Ulpian. tit. locati 69. *Quod si regulis olea prematur, & prelum, & succulam, & regulas, & tympanum, & trochleas, quibus relevatur prelum, dominum præstare oportere.* Colum. XII. 50. *Et aut regulis, si consuetudo erat regionis, aut certe novis fiscinis sampsa exprimi.* Popm. Instrum. fundi c. 12.

REGULUS fuit cognomen Atiliorum plebejorum. *Reguli* sex consulatus obtinuerunt novem, censuram unam, triumphos tres. I. M. Atilius M. F. Consul fuit cum M. Valerio Corvo IV. an. 418. II. M. Atilius M. F. M. N. Hujus filius esse creditur. Consul fuit an. 459. cum L. Postumio Megello II. Triumphavit de Volsonibus & Samnitibus v. Kalend. April. III. M. Atilius, M. F. Lucii, vel Auli nepos, princeps ille familiæ. Verrius in hoc est inconstans. Hunc bis consulem, & triumphalem Cicero appellat, qui captus a Carthaginiensibus, & missus ab eis, ut captivi redimerentur, aut permutarentur, suasit senatui, ut neutrum faceret, & ad certam mortem, atque cruciatus in Africam reversus est. Primum consulatum gesserat cum L. Julio Libone, & ambo consules de Sallentinis triumpharunt VIII. Kal. Febr. an. 486. In secundo consulatu est suffectus Q. Cædicio in eo magistratu mortuo, cujus collega fuerat L. Manlius Vulso Longus, undecimo anno post priorem consulatum: in quo insignem victoriam sæpius in Sicilia, & Africa de Pœnis reportaverat. IV. C. Atilius M. F. M. N. illius, ut creditur, filius, quem etiam Serranum appellant, qui consul fuit anno proximo ante superioris secundum consulatum, cum CN. Cornelio Blasione II. navalemque egit de Pœnis triumphum in consulatu. Iterum consul fuit an. 503. cum L. Manlio Vulsone Longo II. V. M. Atilius M. F. M. N. superioris fortasse frater, consul fuit cum P. Valerio Flacco an. 526. Iterum consul suffectus C. Flaminio ab Hannibale occiso anno secundo belli Punici secundi, post alterum consulatum anno decimo. Eorum collega fuit CN. Servilius Geminus. Censor triennio post cum P. Furio Philo, qui in hoc honore mortuus est. *Regulus* abdicavit. VI. C. Atilius M. F. M. N. quem superioris filium fuisse arbitror. Hic consul fuit an. 528. qui primus fuit belli Gallici Cisalpini, cum L. Aimilio Papo. *August. de Famil. Roman. in Atilia.*

REJ.

REJECTUS architectis idem est quod projectus, projectura, seu projectio, idemque omnino, quod protectum, suggrunda, ἐκθέτης, ἐξώστης, seu mœnianum. Hygin. Astron. Poet. III. 36. *Hæc sub rejectu habet quinque stellas.* Voss. de Trirem. construct. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 721. D. Scheffer. de Milit. nav. Addend. p. 327.

REJI *Apollinares* fuerunt in Aquitania, memorati tabulis Peutingeri: *Rejis Apolinaris*, hoc est, *Rejis Apollinaribus*, a cultu, ut videtur, Apollinis. Et Plin. III. 4. ut e codice Vaticano a Sirmond. in Sidon. Epist. VII. 13. is locus emendatus est (legit nempe *Albece Rejorum Apollinarium*, pro eo, quod vulgo est *Alebecceriorum*. Etiam Sidon. carm. XVI. 78.

Præterea quod me pridem Rejos venientem.

Inscriptio apud Gruter. p. 468. 6: 428. 9. *Pont. Col. Rejor. Apollinar.* hoc est, *pontificem coloniæ Rejorum Apollinarium. Reji* absolute, aliis *Rejenses*, & *Regienses*, & *Regium*, hodie *Riez*: urbs concilio circa annum Christi 439. ibi habito, & Maximo, ac Fausto episcopis clara. *Guther. de Vet. jur. pont.* I. I. §. 2. *Harduin. in Plinium.*

REL.

RELATIO appellabatur expositio, quam Principi faciebant referendarii l. 2. & 3. C. de legib. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 98. Judicum *relationibus* Cæsares rescribebant, unde dictæ sunt *relationes* in jure nostro, quarum forma describitur in titulo de *relationibus*. Quæ *relationes* etiam dicuntur consultationes apud Ulpian. l. 1. ff. de appellat. ut mirum mihi videatur, divisos esse in codice nostro titulos de appellationibus, & *relationibus*, cum in ff. confusi sint, & commixti. *Pollet. For. Rom.* III. 2. Egredi *relationem* in senatu aliquando concessum fuit, & quod in commune conduceret, loco sententiæ proferri, etsi nisi illud nihil ad ejus dici *relationem* pertineret. Id clarum fit ex verbis Tiberii, preces Hortali superbius accipientis apud Tacit. Annal. II. 38. 2. *Nec sane ideo a majoribus concessum est egredi aliquando relationem, & quod in commune conducat, loco sententiæ proferre, ut privata negotia, res familiares nostras hic augeamus.* Hinc Plin. Epist. IX. 13. 7. *Ubi cœpi crimen attingere, reum destinare, undique mihi reclamari: Alius; sciamus quis sit, de quo extra ordinem referas: alius; quis est ante relationem reus? alius; salvi simus, qui supersumus.* n. 9. *Novissime consul; Secunde, sententiæ loco dices, si quid volueris. Permiseris, inquam, quod usque adhuc omnibus permisisti.* Tacit. Annal. XIII. 49. 2. *Ut ceteri patres, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemque in ea postulare.* Et Annal. XIV. 43. 1. *Ex quibus C. Cassius sententiæ loco in hunc modum disseruit.* Gronov. Observ. I. 22. Zamosc. de Senat. II. 9. Lerar. Elect. I. 10. Catan. & Buchner. in Plinium. *Relationis* jus solorum fuit consulum. Polyb. VI. 10. *Iidem de iis, quæ deliberanda incumbunt, referendi jus habent: ipsique universam decretorum senatus rationem gubernant.* Et ipse Imperator, si consul non esset, *relationis* jus, nisi a consulibus datum, non habebat. Quod Augusto fuisse datum memoriæ prodidit Dio LIII. p. 518. E. *Eapropter senatus decrevit, ut tribunus perpetuus esset, & referre posset de una aliqua re, de qua visum ei esset, quoties senatus haberetur, licet consul non esset.* Postea ampliato Principum honore, inventa sunt ad similitudinem decreti hujus jura secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ *relationis*, hoc est, ut quoque in senatu possent de duabus, tribus, quatuor, quinque rebus, quas vellent cunque, etiam non consules, facere *relationem*. Casaub. in Suet. Jul. c. 20. n. 4. Lips. in Tacit. Annal. XV. n. 24. Euleng. de Imper. Roman. I. 15. Ferrar. Elect. I. 10.

RELEGATIO est exterminatio, cum quis exire fines patriæ jubetur. *Bud. in Pandect. p.* 249. *G.* Ii enim qui *relegabantur*, excedere jubebantur. Ulpian. l. 1. §. 1. ff. de effractor. *Honestiores autem ordine ad tempus moveri, vel fines patriæ jubere excedere.* Edicti in Domitiani, quo philosophos Urbe pepulit, ita Sulpitiæ poetriæ carmine signatur:

Et studia, & sapiens hominum nomenque, genusque,
Omnia abire foras, atque Urbe excedere jussit.

Et hoc erat summovere Urbe, atque Italia. Suet. Ner. c. 39. n. 8. *Histrionem, & philosophum Nero nihil amplius quam Urbe Italiaque summovit.* Plin. Epist. III. 11. 2. *Equidem quum essent philosophi ab Urbe summoti.* Unde Ovid. Pont. III. 4. 41.

Nec mea scripta legis, qui sum summotus ad Istrum.

Qui *relegabantur*, dies excedendi a præsidibus dari solebat. *Moris enim erat ita pronuntiari: Illum provincia illa, insulisque eis relego: excedereque debebit intra illum diem.* ut scribit Ulpian. l. relegatorum §. his qui relegantur ff. de interdict. & releg. Suet. Vitel. c. 14. n. 6. *Quo jubebat intra Kalendas Octobris Urbe, Italiaque mathematici excederent.* Val. Max. I. 3. §. 2. *C. Cornelius Hispalus. . . . edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex Urbe, atque Italia jussit.* Ovid. Trist. I. 3. 50.

Ultima sed jussæ nox erat illa fugæ.

Qui significat, diebus, intra quos excedere jussus erat, lapsis, illam fuisse ultimam noctem, ultra quam Romæ morari ei non licebat. *Relegationis* sententia ab Imperatore proferebatur in hæc verba: *Metrodorum, cum hostem fugientem sciens susceperit, in insulam deportari: Philoctetem, quod occultari eum non ignorans diu dissimulaverit, in insulam relegari placet.* Paull. l. Metrodorum ff. de pœnis. *Relegatorum* plane duo genera erant. Quidam in insulam *relegabantur*: quibusdam vero simpliciter, vel Urbe, & Italia, vel provinciis interdicebatur, non etiam insula adsignabatur. l. relegatorum ff. de interdict. & releg. Cajus l. ejus qui §. 1. ff. qui testam. fac. poss. *Sed relegati in insulam, & quibus terra Italica, & sua provincia interdicitur, testamenti faciendi jus retinent.* *Relegari* autem in insulam vel ad tempus, vel in perpetuum quis poterat d. l. relegatorum §. hæc est & l. relegatus ff. de interd. & releg. Interdum bonis ademptis, interdum sine bonorum ademptione *relegabantur* l. 1. ff. quando appell. sit. *Relegatis* quidem neque bona, neque partem adimi debuisse, rescriptis quibusdam cavebatur. Ulpian. d. l. relegatorum §. hæc est, scribit reprehensas fuisse sententias eorum, qui ad tempus *relegatis* bona, vel partem bonorum ademissent: sic tamen, ut non infirmarentur sententiæ, quæ ita prolatæ essent. Ac *relegationis* absque bonorum ademptione exstat exemplum apud Arrian. in Epictet. I. 1. *Cum se exercuisset, quidam eum accersit, & damnatum esse refert. Num capitis, inquit, an exilio? Exilio. De bonis quid? non adempta sunt.* In perpetuum autem *relegatis* potuisse quem sententia bonorum partem adimere scribit Martian. l. relegati ff. de interdicto. Et ita quidam *adempta bonorum parte dimidia relegatus* proponitur l. in ratione §. cum quidam ff. ad l. Falcid. Et l. si quis aliquid §. si quis instrumentum, *adempta parte bonorum in perpetuum relegandos* scribitur. Contra salvis bonis *relegatum* se scribit Ovid. Trist. V. 3. 55.

Ira quidem moderata tua est; vitamque dedisti:
Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abest.
Nec mea concessa est aliis fortuna: nec exsul
Edicti verbis nominor ipse tui.

V. 11. 15.

Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit;
Quæ merui vitio perdere cuncta meo.

Relegare ita demum præsides provinciæ poterant, si sub se insulam haberent, id est, ad ejus provinciæ, quam administrabant, formam pertinentem. Tunc enim eam specialiter insulam adsignare, in eamque *relegare* illis licebat. Sin vero non haberent, pronuntiabant quidem, *in insulam se relegare*: scribebant autem Imperatori, *ut ipse insulam* ad-

ei mandet. Interim, quoad Imperator insulam adsignasset, multi tamen relegatum tradebant. *Brisson. de Form.* v. p. 484. *Heiman. Antiq. Roman.* v. p. 760. G. Proprie dicta servile supplicium esse non potest. Duriora enim, & acerbiora supplicia in servos constitui solent: non molliora, cujusmodi est *relegatio*. Et cum *relegatus* retineat civitatem, potestatem patriam, bona, testamenti factionem; quis non videt, hæc in servum convenire non posse. Quod etiam, si fingamus servum *relegari* posse, id est, alio amandari, & Urbe, provinciave prohiberi, beneficium illud fuerit, non pœna, amovere eum ab oculis domini, eique fugiendi necessitatem imponere, quod servi sæpius, quam domini voluntate, furtim sponte faciant: & pœnæ loco esset quodam libertatis donari. Itaque si ista servili animo proposita fuisset *relegatio*, nihil ardentius cupidius facturos fuisse omnes servos, quam ut in eam pœnam quam primum inciderent. Neque opus fuisset accusatore, ipsi ultro detulissent, atque indicassent, vehementerque recusassent, si quis ipsos defendere, & tam optandam conditionem impedire voluisset. Huic tamen sententiæ videtur adversari l. 2. ff. qui, & a quib. man. lib. non fiunt. ubi ita legimus: *Servo competere libertas non potest, si relegatus morietur in Urbe.* Quid hoc tam apertius, quam ibi *relegati* servi mentionem fieri? Obstat & l. 2. C. de sepulcr. violat. Cujus hæc verba sunt: *Si servus in sepulcris demoliendis fuerit deprehensus. Si id sine domini scientia faciat, metallo abdicatur. Sin vero domini auctoritate, vel jussione urgetur, relegatione plectatur.* Ad legem priorem ita respondeo. *Relegatis* dies plerumque aliquot ad componendas res suas dabatur, præfiniebaturque dies certus, intra quem excedere deberent, quod si per contumaciam in Urbe manerent, neque sententiæ paruissent, *relegatio* in deportationem mutabatur l. 4. ff. de pœnis. Deportatorum autem bona fisco, ut notum est, applicabantur. Hoc igitur dicit lex: si quis *relegatus* in Urbe per contumaciam mortuus sit, ac deinde servo suo libertatem dederit, eam dationem non valere, neque competere libertatem servo, qui jam una cæteris bonis fiscalis effectus est. Deportatus enim manum mittere non potest l. 2. de interd. & releg. & deport. Ad posteriorem æque facilis est responsio. Non enim legendum est: *si servus*, ut vulgo: sed, *si quis*, ut in codice Theod. Quod si quis dicat, mutatione hac nihil effici: cum domini mentio, quæ statim sequitur, aperte ostendat, de servo agi. Respondeo, non ejus, qui sepulcrum demolitus est, dominum, sed dominum sepulcri accipi debere. Neque me movet, quod Græci hoc aliter interpretantur: quos ipsos sæpe libri, & magno judicio adhibito legendos scio. *Muret. Observ. jur.* c. 2.

RELIGIO est, *quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam, ceremoniamque affert.* Cicer. de Invent. II. 53. Romani erant solliciti, ut rite & [illegible], & curarentur sacra. Nihil enim magis *urguere* deos putabant, quam *neglectas ceremonias, intermissumve sollenne.* Liv. v. 17. Maxime, ut patrio, seu apud Romanos recepto more, suo quæque ritu sacra fierent, curabant, cum hoc non observato, si *externi ritus fuerint* introducti, *nihil æque dissolvendæ religionis* esse putarent. Liv. XXXIX. 16. *Struv. Ant. R. m.* c. 2. p. 191 *Guther. de Jur. man.* III. 1. *Strauch. de Sacrif.* p. 1. § 2. De *religione* edocebant pontifices, de rebus divinis, & sacris. Cicer. pro dom. c. 12. *Quis est enim aut tam arrogans, quam de religione, de rebus divinis, sacris, ceremoniis pontificum collegium docere conari.* *Deos edebant, quibus sacrificaretur.* Liv. XXX. 2. *Editi a collegio pontificum dii, quibus sacrificaretur.* Quid, & apud quas aras mactaretur. Macrob. Sat. III. 10. *Ecce pontifex tuus quid apud quas aras mactetur, ignorat.* Struv. ibid. c. 12. p. 583. Et Cicer. de Arusp. resp. c. 7. *Religionis explanatio vel ab uno pontifice perito recte fieri potest.* Rideo hujus ævi criticum prurientem, qui nobis Ciceronis lectionem ita exhibuit, ut legendam credit, *religionis expiatio*, non *explanatio*. Quam bene judicent viri docti, quos ille secutum se profitetur. Ego certe receptam scripturam, quæ vera, & germana est, loco non movendam puto. Gloss. vet. *Explanat*, σαφηνίζει. *Explanatio* ergo est σαφήνεια, vel teste ipso Cicer. de Offic. I. 28. *Altera in ratione, quæ docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumque.* Guther. de vet. jur. pont. I. 19. Omnis veterum Romanorum in sacra, & auspicia dispertita est. Sacris pontifices, auspiciis augures præsunt. Tertium adjunctum est, si quid prædictionis causa, ex portentis, & monstris Sibyllæ interpretes, aruspicesque monuerunt. *Guther. ibid.* c. 3. Res sacræ, aut sollenni *religionis* vinculo obligatæ, quæ temeratæ essent, aut violatæ, lædi dicebantur. Tacit. Annal. III. 24. 3. Augustus *culpam inter viros, ac feminas vulgatam gravi nomine læsarum religionum, ac violatæ majestatis appellavit.* Guther. de Jur. man. III. 6.

Religio etiam metus conscientiæ, ut vulgo dicimus. Hinc *religione* aliquem obstringere veteres dicebant pro conscientiæ metum incutere. Cicer. Phil. II. 33. *Obstrinxisti populum Romanum religione.* de Arusp. resp. c. 6. *Quæ tanta religio est, qua non in nostris dubitationibus, atque in maximis superstitionibus unius P. Servilii, ac M. Luculli responso, ac verbo liberemur*, id est, ut nunc loquimur, conscientiæ scrupulus. Inde *in religionem vertere* est interpretari id diis non placere, ut pro urbe Roma capienda confligerent, vel ut Roma urbs armis oppugnaretur. Liv. XXVI. 11. *Instructis utrimque exercitibus in ejus pugnæ casum, in qua urbs Roma victori præmium esset; imber ingens grandine mixtus ita utramque aciem turbavit, ut vix armis retentis in castra sese receperint: nullius rei minore quam hostium metu. Et postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit: ubi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. In religionem ea res apud Pœnos versa est.* *Religione exsolvere* est hujusmodi scrupulum adimere. Liv. IX. 7. *Dedamur per feciales nudi, vinctique, exsolvamus religione populum, si qua obligavimus; ne quid divini, humanive obstet, quo minus justum, piumque de integro ineatur bellum.* c. 9. *Nam quod deditione nostra negant exsolvi religione populum, id istos magis ne dedantur, quam quia ita se res habeant, dicere, quis adeo juris fecialium expers est, qui ignoret?* Bud. in Pandect. p. 181. C. Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 225.

RELIGIOSI *dicti sunt, qui omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, ex relegendo.* Cicer. de Nat. deor. II. 28. Ego hoc addo amplius, *religiosum* accipi quinque modis: nam hoc nomen convenire & loco, in quo pie colatur, ut delubro: & rei, quæ colitur, ut signo: & homini, qui colat: & tempori, unde dies *religiosi*, quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere: & actioni, unde *religiosum* dicimus, in ædem Bonæ deæ virum introire, adversus auspicia legem ad populum ferre, die nefasto apud prætorem agere. *Religiosum* autem, si de loco, aut re inanimata dicatur, interdum idem est quod sacrum, interdum diversum. Idem, ut *altaria religiosissima* apud Cicer. pro Planc. c. 35. quæ dici eadem posse sacra nemo dubitaverit, qui legerit illud de Divin. II. 32. *Ara Ajo loquenti consecrata est.* pro Dom. c. 53. *Licinia, virgo Vestalis, aram, & ædiculam sub saxo sacro dedicavit.* Præterea sacræ ædes, eædem sunt *religiosæ*: itaque Festus: *Religiosum, ac sacrum est, ut templa omnia, atque ædes, quæ etiam sacratæ dicuntur.* Diversum esse probatur exemplo sepulcrorum: quæ *religiosa* dici possunt, sacra non possunt. Id intelliget qui sacrum, quo modo a nobis infra definietur, animadverterit. Sacrum enim alicui deo dedicatum, sepulcrum non item. Sacrum, si attingitur a profanis, violatur, sepulcrum non item. Sacrum publicam *religionem* obtinet, sepulcrum privatam. Dixit enim Cicer. de Leg. II. 23. *Cum multa in eo loco sepulcra fuissent, ubi dedicata est ædes Honoris extra portam Collinam, exarata sunt.* Statuit enim collegium, locum publicum, non potuisse privata *religione* obtineri. Et fortasse non esset absurda definitio: *Religiosum, si publicam habet religionem, sacrum est: si privatam, non est.* Nam & loca, in quibus sacra privata fierent, sacra non vocari Festus dicit, opinor, quia publica *religione* carent. Illustramus hæc auctoritate Ælii

Galli,

Galli, de quo sic Festus: *Inter sacrum, & sanctum, & religiosum differentias bellissime refert. Sacrum ædificium, consecratum deo. Sanctum murum, qui sit circum oppidum. Religiosum sepulcrum, ubi mortuus sepultus, aut humatus sit, satis constare ait. Sed ita portione quadam, & temporibus eadem videri posse. Siquidem quod sacrum est, idem lege, aut instituto majorum sanctum esse putant, ut violari id, sine pœna non possit. Idem religiosum quoque esse, quoniam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat, quod si faciat, adversus deorum voluntatem videatur facere. Similiter de muro, & sepulcro debere observari, ut eadem, & sacra, & sancta, & religiosa sint, sed eo modo, quo supra expositum est, cum de sacro diximus.* Ita religiosum & sanctum modo eadem sunt, modo differunt. Eadem sunt, ut in templis, quæ non solum religiosa, verum etiam sancta licet appellari: nam si dii sancti, sancta quoque templa, quæ domus deorum putantur. Itaque dixit Cicer. pro Sext. c. 25. ... *in templo, sanctissima in causa, sancti, imo numquam ...* Differunt in deorum appellatione. Dii enim sancti dicuntur, non religiosi. At eorum signa religiosa nuncupantur. Vere: sed signa deos referunt, dii non sunt: itaque religiosa vocari possunt, quia sacra: dii religiosi vocari non possunt, quia sacri non vocantur. Diximus autem supra, quæ sacra, eadem religiosa dici, non contra, quicquid sacrum, idem religiosum. Festi quoque verba allata de muro, & sepulcro interesse aliquid inter sanctum, & religiosum demonstrant. Sanctum enim potius dici murum, quam religiosum, & religiosum sepulcrum potius, quam sanctum. Adversari videtur Cicero, qui sepulcris sanctitatem tribuit Phil. IX. 6. *Majores quidem nostri statuas multis decreverunt, sepulcra paucis: sed statuæ intereunt tempestate, vi, vetustate: sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est.* Hanc dubitationem sustulit Festus, qui dixit, etsi sacrum, & sanctum, & religiosum differant inter se, portione tamen quadam, & temporibus eadem videri posse. Hanc igitur ob causam Cicero sanctitatem sepulcris assignavit, non quia sancta revera sint, sed quod esse videantur, similitudine quadam religionis: sicuti homines quoque similitudine quadam divinæ bonitatis appellantur sancti, non quia sancti vere sint. Religiosum, & sacrosanctum diversa esse dico. Nam tribuni plebis sacrosancti, nec tamen ideo sequitur, ut religiosi: itemque religiosi homines, non ideo sacrosancti. Loca vero religiosa, non eadem sacrosancta: nec quæ sacrosancta, eadem religiosa, quanquam sacra potius, quam sacrosancta dicuntur. Loca, etsi Cicer. Catil. II. 8. *sacrosanctas possessiones* dixit, non proprie, sed similitudine hominum, quibus sacrosanctis inferri vis, & injuria non potest. *Manut. Quæs. Epist.* II. 10. *Kirchman. de Fun. Rom.* III. 21.

RELIQUA in Hadriani nummo, cujus inscriptio: RELIQUA VETERA HS. NOVIES MILL. ABOLITA, sunt publica, & fiscalia debita tam civium Romanorum, quam residua provinciarum ex præteritis vectigalibus, aut tributis: quanquam in commemoratione hujus rei ea distinguit Spartian. Hadrian. c. 7. *Ad colligendam gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in Urbe, atque Italia, in provinciis vero etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro divi Trajani, quo magis securitas roboraretur, incensis.* Quæ postrema vulgo reliqua, reliqua publica, *reliqua tributaria, reliqua ex fiscalibus titulis, reliquationes* etiam passim vocantur in libris veterum Ictorum, & constitutionibus Cæsarum; sicut alias quoque Paullo l. 9. §. 2. ff. de publ. & vect. *reliquationes vectigalium.* Unde Eusebius etiam ex versione Hieronymi, in mentione hujus facti: *Reliqua tributorum Urbis relaxat, chartis publice incensis.* Græcis dicta similiter non λοιπάδες solum, & λοιπογραφίαι, sed etiam λείψανα scutae, quæ, contraquam censet Casaub. ad Spartian. l. l. *Vetera* dicuntur, ut apud Tacitum, *vetera provinciarum onera*, & notantur apud Suet. Aug. c. 32. n. 3. hoc est, præteriti temporis, sicut ea vocantur Ictis, ut *præteriti temporis reliqua* a Papinio l. 7. ff. de public. & *præteriti temporis reliquationes* in Justinian. Novel. 163. ac nonnunquam *præterita*, ut de *præteritis condonatis* in eadem: *reliqua debita a præterito circulo indictionis* Novel. 147. c. 1. Ita *superiorum omnium temporum reliqua* in constitutione Theodosii. Et ceteris distinguitur Hadriani indulgentia ab ea quorundam Cæsarum, qua non vetera, vel præterita, sed futura tributa sunt de remissa leguntur. *Aliena* dicuntur, quod diligenter notata fuerint debitorum syngraphæ, sicut deinde ædes, quæ abolitas dixit Tacit. Annal. II. 49. 1. aut Poeta, *aliena carmina flammis*, imo in simili facto Honorius juxta res eidem constitutiones in C. Th. l. 6. de indulg. deb. *chartis abolitis, quibus debita publica continentur.* l. 3. *Atque ut ipsa memoria reliquorum intercidat, chartas omnes. . . undique in medium congestas palam flammis jubemus aboleri.* Alioquin remissa, aut condonata dicta vulgo, ac sequiori ævo relaxata, cum in constitutione Honorii laudata: *privatæ quoque rei debita similiter relaxamus*, tum Eusebio in Chronico loco paullo ante allegato, ac similiter Cassiod. Var. III. 32. *fiscalia tributa relaxasse.* Quæ liberalitates cæterorum vulgo *indulgentiæ* illi ante omnes faciebant, licet *relaxatio* de futuris, juxta Justinian. Novell. 163. Hinc etiam haud ignoti tituli *de indulgentiis reliquorum*, aut *de indulgentia tributariorum reliquorum.* Similes vero, cum temporarias, tum perpetuas largitiones Cæsarum in condonandis residuis tributorum, aut vectigalium, vel abolenda eorum parte commendant sæpe auctores, ut in Augusto, Aurelio, M. Aureliano Dio, Aristides, Capitolinus, Vopiscus; in Antonino Pio Fasti Siculi, in Juliano Ammianus, & ipsemet Epist. 47. ac Misopogone; in Valente Ammian. XXXI. 14. cui traditur *in adaugendis reliquorum debitis non molestus*; ac denique in Gratiano Ausonius. Imo, si Procopium audimus, id non jam ab uno, sed a singulis Cæsaribus; neque semel, sed aliquoties fieri solitum, ut reliqua condonarent. Ita ille Arcan. Hist. c. 30. *Primo quidem solitum erat ab antiquo, unumquemque e Romanis Cæsaribus, non semel, sed sæpius publicorum debitorum reliqua,* τῶν δημοσίων ὀφλημάτων λείψανα, *omnibus, qui erant in ditione populi Romani remittere*; & ratione addita, ne perpetuo in his angustiis versarentur, aut quæstorum reliqua exigentium molestiæ essent obnoxii. *Spanhem. de Præst. numism. Dissert.* IX. *p.* 812. *Salmas. in Spartianum. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p.* 46.

RELIQUIÆ dicuntur ossa defunctorum, quæ non consumpserat flamma. Extat Romæ lapis:

D. M
RELIQUIÆ. CORPORIS
M. TARQUINI. CRISPI
FRONTONIS. C. L. III. VIRI. CAP

Ferret. Mus. Lapid. IV. *memor.* 50. *Morest. Pomp. Feral.* VIII. 1. Cadavere in cineres soluto, flammaque quiescente, vino, & lacte perfundebantur. V. supr. in *Pyra.* Quomodo illas veteres collegerint, V. supr. in *Ossilegium.* Collectas, & vino perspersas in monumentum condebant. Dionys. VIII. p. 528. *Deinde collectas reliquias in eodem loco humarunt, tumulo excelso super eas multorum manu congesto, monumentoque magnifico imposito.* Suet. Aug. c. 101. n. 9. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, ac in Mausoleo condiderunt.* Hoc sensu frequens est vox *componendi.* V. supr. in *Componere* Kirchman. l. l. Interdum tum ferebantur, quod permissu pontificum fieri debuit. *Transferre reliquias, funus commovere* dixit Varr. apud Non. II. 703. *Funere familiari commoto, avito, ac patrito more precabamur.* In inscriptionibus *trajectæ* leguntur. Romæ apud Gruter. p. 578. n. 1.

RELIQUIÆ. TRAJECTÆ. III. NON. FEBR.
EX. PERMISSU. COLLEGII. PONTIFICUM
PIACULO. FACTO.

De jussu, vel indulgentia Principis. Romæ apud Gruter. p. 594. n. 1.

D. M.
M. ULPIO. AUG. LIB.
HERMÆ.
PROC. AURARIARUM

CUJUS. RELIQUIÆ. EX
INDULGENTIA. AUG. N
ROMAN. LATÆ. SUNT.

Solebat, si a Principe peteretur, *reliquiarum* translatio, libello dato impetrari. Exemplum apud Gruter. p. 407. n. 1. CUM. ANTE. HOS. DIES. CONJUGEM. ET. FILIUM. AMISERIM. ET. PRESSUS. NECESSITATE. CORPORA. EORUM. FICTILI. SARCOPHAGO. COMMENDAVERIM. DONIQUIES. LOCUS. QUEM. EMERAM. ÆDIFICARETUR. VIA. FLAMINIA. INTER. MILIAR. II. ET. III. EUNTIBUS. AB. URBE. PARTE. LÆVA. CUSTODIA. MONUMENTI. FLA. THYMELES. A. MESOLO. M. SELI. ORCILI. ROGO. DOMINE. PERMITTAS. MIHI. IN. EODEM. LOCO. IN. MARMOREO. SARCOPHAGO. QUEM. MIHI. MODO. COMPARAVI. EA. CORPORA. COLLIGERE. UT. QUANDONE. EGO. ESSE. DESIERO. PARITER. CUM. EIS. PONAR. *Lolliæ Paullinæ cineres reportari, sepulcrumque instrui permisit* Nero. Quod ut pontifex maximus fecit. Tacit. Annal. XIV. 12. 6. Ut cæteri ab illo principes. Plin. Epist. X. 73. *Petentibus quibusdam, ut reliquias suorum, aut propter injuriam vetustatis, aut propter fluminum incursum, aliaque his similia, quæcunque secundum exemplum proconsulum transferre permitterem: quia sciebam in Urbe nostra ex ejusmodi causa collegium pontificum adiri solere: te, domine, maximum pontificem consulendum putavi, quid observare me velis.* Epist. 74. *Durum est injungere necessitatem provincialibus pontificum adeundorum, si reliquias suorum, propter aliquas justas causas, transferre ex loco in alium locum velint. . . .* Guther. de vet. jur. pont. II. 9. Kirchmann. de Funer. III. 25.

Reliquias cœnæ servis, & ministris veteres solebant dare. Plutarch. Quæst. Rom. 63. *Aut ergo famulos aliquid habet humanitatis mos iste, qui sic quodammodo videntur a dominis ad societatem mensæ admitti.* Suet. Galb. c. 22. n. 2. *Inter cœnam vero usque eo abundantem, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet, spargique ad pedes stantibus.* Senec. Epist. 187. *Marcellinum admonuit non esse inhumanum, quemadmodum cœna peracta reliquiæ circumstantibus dividuntur, sic peracta vita aliquid porrigi his, qui totius vitæ ministri fuissent.* Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 381. Stuck. Ant. Conviv. II. 22. Mercur. Gymnast. I. 11. Buleng. de Conviv. II. 2. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

REM.

REMANCIPATIO vocabatur dissolutio matrimonii coemptione facti. Mulier enim coemptione in matrimonio contrahendo in manum mariti tradebatur. Huc spectat illud Terent. Andr. I. 5. 62.

Hanc mihi in manum dat.

Igitur quæ coemptione in contrahendo matrimonio mulier mariti in manum tradebatur, eadem illa in dissolvendo *remancipabatur*, hoc est, manu ab eo reddebatur, in cujus manum convenerat. Festus: *Remancipatam Gallus Ælius esse ait, quæ mancipata sit ab eo, cui in manum convenerit.* Rævard. in Leg. XII. tab. c. 21. Rosin. Antiq. Roman. V. 38. Schill Nomencl. Philol. p. 434.

REMIGANDI artificium potissimum in hac re consistit, ut simul, & eodem tempore impellantur remi. Virg. Æneid. III. 560.

Eripite o socii, paribusque insurgite remis.

Lucan. III. 525.

—— paribusque lacertis
Cæsaris hinc puppes, hinc Grajo remige classis
Tollitur.

Sane, nisi hoc observetur, fieri necesse est, ut se mutuo impediant uno sese reclinante, surgente altero. Xenoph. Oeconom. p. 841. E. *Cur remiges sibi invicem minime sunt molesti? an quod ordine sedent, ordine remis incumbunt, ordine se in humeros attollunt, & reclinant.* Sed & eo hæc res pertinet, ne inæqualiter impulsa navis, modo in hoc, modo in diversum latus deflectat. Sicut piratæ illi *huc atque illuc a recto cursu deferebantur, quod injussu non æqualibus intervallis remigabant* apud Heliodor. Æthiop II. Græcis totum hoc artificium ἀντήσσεσθαι dicitur, notante Hesychio, quoniam *æqualiter, nec in alteram, aut in alteram partem navis sic impellitur.* Scheffer. de Milit. nav. III. 2.

REMIGES sunt, qui remis naves trahunt. Virg. Georg. I. 201. V. illum supr. in *Lembus*. Laz. Comm. Reip. Rom. VI. 6. Bud. in Pandect. p. 106. A. In usum remigationis libertini adhibebantur. Liv. XXXVI. 2. *M. Junio negotium datum est, ut in classem socios navales libertinos legeret.* XL. 16. *Duumviros conjunes creare jussi, per quos naves sociis civibus Romanis, qui servitutem servissent, compleretur, ingenui tantum in iis præessent.* Et hi, sicuti milites, scribebantur. Liv. XXXVII. 2. *L. Æmilius, cui provincia maritima erat, viginti naves longas, & socios navales a M. Junio prætore superioris anni accipere jussus, & scribere ipse mille navales socios.* XLII. 27. *Socios navales libertini ordinis in viginti & quinque naves, ex civibus Romanis C. Licinius prætor scribere jussus.* Jurabant & hi in verba consulis, ut milites, & exercitus terrester. Sic accipio verba Liv. XXII. 11. *Consul Ostiam proficisci jussus, navibus quæ ad urbem Romam, aut Ostiæ essent, completis milite, ac navalibus sociis, persequi hostium classem, ac littora Italiæ tutari. Magna vis hominum conscripta erat. Libertini etiam, quibus liberi essent, & ætas militaris, in verba juraverant. Ex hoc urbano exercitu qui minores quinque & triginta annis erant, in naves impositi.* At postea, gravioribus Reipublicæ temporibus, cum pecunia non esset in ærario, qua civibus stipendia darent, & alias Respublica virorum multitudine exhausta esset, Romani servos in hoc munus imperarunt privatis. Idque primum bello Punico secundo institutum est. Liv. XXIV. 11. *Factum Sctum, ut qui L. Æmilio, C. Flaminio censoribus millibus æris quinquaginta ipse, aut pater ejus census fuisset, usque ad centum millia, aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum cum sex mensium stipendio daret: qui supra centum millia usque ad trecenta millia, tres nautas cum stipendio annuo: qui supra trecenta millia usque ad decies æris, quinque nautas: qui supra decies, septem: senatores octo nautas cum annuo stipendio darent. Ex hoc edicto dati nautæ, armati, instructique ab dominis, cum triginta dierum coctis cibariis naves conscenderunt. Et tum primum est factum, ut classis Romana sociis navalibus privata impensa paratis compleretur.* Et hæc consuetudo videtur mansisse, maxime sub Cæsaribus. Suetonius tamen auctor est, Augustum manumisisse prius, & tum demum fecisse *remiges.* c. 16. n. 1. *Viginti servorum millibus manumissis, & ad remum datis.* Ultimis temporibus vix alii, quam servi, ad hoc munus adhibiti. Unde Theodericus Rex apud Cassiodorum: *Si is, qui nobis necessarius existimatur, servus fuerit alienus, aut conducat, eum classibus serviturum, aut si hoc ipse magis elegerit, accepto pretio rationabili cedat sui jura dominii.* Et hodie vel captivi, hoc est, mancipia ad remum dantur, vel scelerati, & facinorosi hoc munus, velut pœnam, & supplicium subire coguntur. Quod ne priscis quidem plane ignotum fuit. Val. Max. IX. 15. 3. de quodam, qui se fecit filium Octaviæ: *Sed cum plenis impudentiæ velis ad summum audaciæ gradum fertur, imperio Augusti remo publicæ triremis affixus est.* In sociorum classe habebant a sociis. Cicer. Verr. V. 17. *Superiorum prætorum ea consuetudo fuit, ut civitatibus certus numerus nautarum imperaretur.* pro Flacc. c. 13. *Eo ipso tempore, cum L. Flaccus in Asia remiges imperabat.* Liv. XLII. 27. *Socios navales in quinque & viginti naves parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret.* Ostendunt hæc loca, apud Romanos prætores peregrinos sicut milites, sic & *remiges* sociis civitatibus, ac populis imperare consuevisse. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 5. *Brod. Miscell.* II. 30. Quærat aliquis, an singuli suos habuerint remos, num plures potius ad unicum agendum fuerint constituti. Sunt, qui

qui ad nostram galearum formam antiquarum triremium, & quadriremium structuram metiuntur. Notum in his nostris vulgo quinque *remiges* ad quemque remum sedere. Quare & in illis totidem, vel plures etiam, ut in majoribus, cuique remo assignant. Et modo quinque, modo quindecim, modo quadraginta *remiges*, eosque non imbecilles, sed robustos, memorisque vigentes ad remos singulos attribuunt. Verum hæc non poterant probari. Nec quenquam scio ex veteribus, cujus testimoniis fulciantur. Certum est, nec a quoquam dubitatum, *remiges* in minoribus navigiis singulos, vel unum remum, si navis esset ex celocium genere, vel duos simul, si ex amphericarum, habuisse. Idem constat & de actuariis. Nam scholia Thucydidis de triacontoro, quæ remos habuit triginta: *triacontoros, quæ a triginta viris impellitur.* Etiam de longis ambigi non potest, cum Etymologus de pentecontoro, quem quinquaginta remos habuisse demonstratum est: *pentecontorus, navis est, quæ habet quinquaginta remiges.* Et Homerus Philoctetæ navibus, quas omnes eruditi pentecontoros fuisse testantur, non amplius quam quinquaginta *remiges* attribuit. Nec in postremo genere rem aliter se habuisse puto. Quinqueremem certe remos quadringentos habuisse nos docet Silius. At eandem *quadringentorum remigum* opera incedere dicit Plin. XXXII. 1. Unde non plures *remiges*, quam remos habuisse, manifestum est. Jam si hoc in quinquereme fuit, quid de quadrireme, aut trireme, vel bireme existimandum? Quid? quod qui in supremo versu remigabant, amplius stipendium acciperent, quam qui in imis. Idque ideo, quia longioribus, & gravioribus remis, quam cæteri, utebantur. At si non singuli, sed plures simul unum remum agitarunt, quæ quæso causa fuisset, cur plus acciperent mercedis, quam ii, quorum pro se quisque unum solum concitabat. Labor certe horum si non major, æqualis saltem fuit. Itaque in cunctis navibus unumquemque remigem unum, eumque proprium remum habuisse credendum est. *Scheffer. ibid. c.* 3. Primis temporibus simul fuerunt milites. V. infr. in *Zygita* & supr. in *Nauta*. Strictis vestibus, & ferme linteis fuerunt induti. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 585. *B.* Quod unde hauserit, non patet. Pridem enim constat, apud veteres fuisse nudos fere, atque ita eos monumenta quoque prisca exhibent. Quod si vestem habuere, erat ea ex ulva palustri, pelle, aut pilis caprinis, minime vero ex lino. *Opel. de Fabric. trirem. Meibom. Thes. Græv. ibid. p.* 700. *A. Scheffer. ibid. c.* 7. Per quotidiana exercitia omnis generis armorum usum antea edocebantur. Testis Cæs. de Bell. Gall. III. 9. Ubi ipse *remiges ex provincia jubet institui.* Et Dio XLVIII. p. 387. C. qui Augustum navibus parandis, *colligendis, exercendisque remigibus* totum annum cum sequenti consumpsisse scribit. Atque ita diu ante C. Luctatius c. 5. *quotidie remiges ea tentare, & in iis se exercere jussit, quæ suis inceptis conducerent.* Dum primæ naves ædificarentur, ad *remigium* suos exercuere hoc modo: Subselliis in arena per ordines dispositis, *remiges* insidentes, ad vocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes una protendere brachia, ac reducere, remosque per arenam movere docebantur. Ad illius vocem simul omnes incipiebant, simul desinebant. Inde perfectis jam navigiis verum in undis periculum fecerunt. Polyb. I. 21. Hinc Hieron. in vita Malchi: *Qui navali prælio dimicaturi sunt, ante in portu, & in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, aptant; ut per tabulata militem, ut non pendente gradu, & labante vestigio stare firmiter consuescat, & quod in simulacro pugnæ didicerit, in vero certamine non perhorrescat.* Scheffer. ibid. III. 2. Stewech. in Veget. IV. 43. In unius ordinis navigio *remigis* unius fuit melior conditio, quam alterius, propter inæqualitatem remorum. Et hæc causa, quare loca sua caperent per sortem, nempe ne quis sibi factam posset conqueri injuriam. Quod non magis factum in plurium ordinum navibus, quam unius, exemplum Argo navis est, & de ea Flacci, Apolloniique testimonium certissimum. Præterea in omni navi, etiam unius, simplicissimique ordinis fuerunt primi *remiges*, fuerunt ultimi, quorum illi magis, hi minus honorati. Nihil ergo mirum, si de eo loco inter se certaverint interdum, idque Herodotus ζυγομαχέειν putarit esse dictum. *Opel. Thes. Græv. ibid. p.* 701. *C.* Recumbebant, id est, reclinabant se, postquam cecidissent in transtra, & remum admovebant pectori. Hoc est, quod ait Lucan. III. 542.

Atque in transtra cadunt, & remis pectora pulsant.

Itemque Ennius:

Pone recumbite, vestraque pectora pellite tonsis;
Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas.

Ob hanc causam pectore tolli æquora dixit Val. Flacc. III. 472.

Inde alii increpitant, atque æquora pectore tollunt.

Scheffer. l. l. Illorum ordines V. supr. in *Ordo.*

REMORES *in auspicio aves dicuntur, quæ acturum aliquid remorari compellunt.* Festus. *Buleng. de Augur. c.* 3. *Lauren. Var. sacr. gentil. c.* 1. *Brisson. de Form.* 1. *p.* 123.

REMULCARE est navim fune quodam trahere, illo modo, qui est hodie usitatus in Batavia, cum per fossas navigatur, & apud nos, quando flumine adverso eundum est. Sisenn. Hist. II. apud Non. I. 282. *Si quæ celeriter solvi poterat, in altum remulcare trahit.* Scheffer. de Milit. nav. II. 5. Quod Latinis est, *remulco trahere*, id Græci dicunt ῥυμουλκεῖν. Strab. V. p. 161. *Appia fossa noctu maxime navigatur, ut qui navim vesperi intrant, mane egressi Appia via pergant, sed interdiu a mulis remulcatur, ῥυμουλκεῖται δι' ἡμιόνων. Voss. Lex. Etymol. Scheffer. l. l.*

REMULCUS est parva navis, sive scapha, qua grandior navis trahitur. Festus: *Remulco est, cum scaphæ remis magna navis trahitur.* Plaut. Bacch. II. 3. 54.

Interea e portu nostra navis solvitur,
Ubi portu exiimus, homines remulco sequi:
Neque aves, neque venti citius.

id est, neque aves citius volant, neque venti rapidius flant, quam nos sequebantur *remulco* homines. *Dolet. apud Sabin. Lect. subcis.* I. 3. Si *remulcus* scaphæ genus esset, cum nulla sit major navis, quæ non pluribus naviculis, sive scaphis trahatur, non *remulco*, sed *remulcis* naves trahi dicerentur. Festi verba Doleto non prosunt. Si Festus, ut opinatur, *remulcum* navem esse tradit, non *remulcum* illam, sed *remulconem* appellabimus. Tum ea navis non semper dicetur *remulco*, sed tantum, cum magnam navem trahit. Vellem tam stupidus, indoctusque non esses Dolete: quandoquidem Festi verba ita prolata cognosceres, ut *remulco*, subaudis trahi, vel duci navis diceretur, *cum scaphæ remis magna navis trahitur.* Nec Plauti locus ejus sententiam adjuvat. Ejus enim testimonium alio modo se habet, ita senem alloquente Chrysalo servo n. 43.

Postquam aurum abstulimus, in navim conscendimus,
Domum cupientes: forte ut assedi in stega,
Dum circumspecto, atque ego tum lembum conspicor.

Non hic locus *remulcum*, sed lembum genus navigii esse ostendit, quo illi vehebantur, quos Chrysalus herili filio aurum auferre voluisse confingit. Et Nicobulus subdit n. 47.

Perii hercle, lembus ille mihi lædit latus.

Et rursus Chrysalus n. 52.

Is lembus nostræ navi insidias dabat.

Remulco itaque *sequi* apud Plautum est, *remulco trahere*, ut dicimus: nempe, ut qui in lembo erant, non minus studiose, properanterque remigio operam darent, quam qui quassatam ratem remigio trahunt. *Sabin. l. l.* Est potius *funis, quo deligata navis trahitur vice remi: de quo Valgius:*

Hic mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis sistit in hospitiis.

ut Isidor. XIX. 4. qui addit, *vice remi*, nempe in ea nave, quæ trahitur, non de illa, quæ trahit; nisi plane id genus intellexit, cujus meminit Varr. Marcip. apud Non. VI. 15.

vi. 15. *Hic in ambitio navem conscendimus palustrem, quam nauticis equis, mox per viam conducunt loro.* De *remulco* Liv. xxv. 50. *Marcellus navem oneratiam cum armatis remulco quinqueremis trahi jussit.* Scheffer. de Milit. nav. ii. 25. Gyrald. de Navig. c. 15. Voss. Lex. Etymol. Hinc *remulco trahere* Latinum est, & usurpatum a Liv. xxxvii. 24. *Contemplatus Eudamus hostes clausas, mutilatasque naves aperte naves remulco trahentes.* Cæs. de Bell. civ. ii. 23. *Hunc secutus M. Rufus quæstor navibus duodecim, quas præsidio onerariis navibus Curio ex Sicilia eduxerat, postquam in littore navem conspexit, hanc remulco abstraxit.* Bayf. de Re Nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 596. B. Mihi erat hasta uncato ferro, quo navis grandior e minore scapha attrahebatur. Manet adhuc hodie in usu nautarum. *Laz. Comm. Reip. Rom.* vi. 7. Videat ille, quo pacto hanc suam hastam defendat. Neque enim ullibi *remulcum* hoc significatu invenimus. *Scheffer. l. l.*

REMURIA *dicitur locus in summo Aventino, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus.* Festus. Plutarch. Romul. p. 22. E. *Atque tum Remus munitiorem de Aventino partem, quod ab eo est Remonium dictum, nunc Rignarium vocatur.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom iii. p. 277. F. Donat. de Urb. Rom. iii. 13. Nardin. Rom. Vet. vii. 8. Salmas. Exerc. Plin. p. 11. a. E. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. i. p. 15. Fabricius Antiq. Urb. Rom. iii. 1. Schott. Itiner. Ital. p. 306.

Remuria, postea *Lemuria* dictus est dies festus mense Majo, quo occiso *Remo* parentabant, ejusque umbram placabant. Ovid. Fast. v. 479 V. illum supr. in *Lemures*. Scalig. Poet. iii. 100. Alex. Gen. iv. 20. & ad illum Tiraquell. Laurent. de Sponsal. c. 1. Dempster. Paralip. ad Antiq. Rosin. ii.

REMURIUS Fuit dictus Aventinus a *Remo* Romuli fratre. Hunc Romulus non intra pomœrium habitare, sed fratrem foris voluit usque ad Hadrianum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iv. 3. *Fabric. Descr. Urb. Rom.* c. 3. Qui sic nostro hoc dicunt. Partem, non totum montem id nominis accepisse dixit Plutarch. supr. in *Remuria*. Dixit etiam Festus: *Remuria item in Aventino dicta, namque Aventinum, in quo habitaret, elegisse Remum dicunt. Unde vocatur in agro Remuriam locum in summo Aventino, ubi de Urbe condenda fuerat auspicatus, alias Remorium quondam eum locum appellatum fuisse.* Pars ea piscinæ publicæ imminens Cœlio opposita fuit. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 8.

REMUS fuit frater Romuli. V. illum infr. in *Romulus*.

Remus, ut ait Itinerarium, est metropolis *Remorum*, sive *Remensium*, qui sunt juxta Sequanam fluvium in Belgica secunda. Eodem jure quædam a Valentiniano A. condita sunt l. 1. C. de can. frument. Urb. Rom. l. 1. C. Th. de postlim. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid.* c. 32.

Remus est pertica longior, in latitudinem quandam desinens, qua navis vel impellitur, vel stabilitur. Poetæ *tonsas* appellarunt, quod & Isidorus firmat, sed in ejus codice lacuna est. Quid enim volunt ista xix. 2. *Remi a removendis, & decutiendis fluctibus dicti, sicut tonsores a tondendis & decutiendis capitis.* Quomodo, ut tonsores, ita remi dicuntur? Scribendum utique: *Remi a removendis, & tonsæ a tondendis, & decutiendis fluctibus, sicut tonsores a tondendis, & decutiendis capitis.* Scriba imperitus illud *tondendis, & decutiendis* bis positum esse videbat, itaque alterum, ut supervacuum, omiserat. Etiam dixere *palmulas*. V. supr. in *Palmula*. Græci κώπας, ab auctoribus opinor, Copas enim eas invenisse ferunt. *Scheffer. de Milit. nav.* ii. 5. *Gyrald. de Navig.* c. 13. *Bayf. de Re navali. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* xi. *p.* 619. *E.* Nunquam leguntur facti e ligno quernò, præcipuè propter ejus gravitatem. Et absurdum maxime videtur, cum ob levitatem, ad alvum navis inde ædificandum adsumeretur abies, *remos*, quos levissimos merito facere studebant, non ex ea factos putare, sed ex quercu, cujus lignum & gravius est, & labore flectitur, quod *remigio* incommodum est. Theophrastus non semel laudat remos abiegnos. Hesychius: *Abietibus, remis: quia ex abiegnis lignis fiunt remi.* Catull. lxiv. 7.

Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.

Et lxx. interpretes Ezech. c. 23. n. 6. quod communis interpretatio de quercu interpretatur, de abiete vertunt. In Pharo enim insula celeberrimæ legis translationi cum incumberent, ex habitante ibi nautico genere inquisiverint de lignis, quibus ad præcipuas longarum navium partes naupegi uterentur. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* xii. *p.* 647. *F.* De priore ipsorum usu, quem diximus, notum est. Posteriorem ostendit Appian. Bell. civ. v. p. 728. *Naves neque remis sistebantur, neque ancoris.* Fiebat hoc *remis* in aquam demissis. Thucyd. ii. p. 164 B. *naves demissis remis cursum inhibuere.* Liv. xxxvi. 44. *Demittere in aquam remos ab utroque latere remiges stabiliendæ causa navis jussit.* Intelligitur hinc locus Dion. l. p. 438. D. ubi ait: *Quum ne sic quidem vel ad pugnam exirent, vel recederent, sed eodem loco manerent, ordinesque magis & magis densarent, hæsitans Cæsar remigibus, ut remos demitterent, jussit, ac paullulum cunctatus est.* Nimirum classis stabiliendæ causa fieri hoc a *remigibus* voluit. Cæterum latitudinem ipsorum Græci πλάταν nominant, eratque apud veteres ære inducta, si Servio fidem habemus. *Prora*, inquit ad Virg. v. *ærata est, & palmulæ remorum æratæ erant.* Credo, ut aut longius durarent in aquis, aut vim fluctuum majore impetu, ac robore evincerent. *Scheffer. l. l.* Nonnunquam erant quoque argento, vel auro inducti. *Scheffer. ibid. c.* 6. Ea parte qua sedebant remiges servata eidem proportione crassitudo *remi* in diametro minimum debuit esse unciarum quindecim, sive pedis unius & quadrantis. Ne tamen tantæ molis noceret enormitas, quoque magis idonei essent in adducendo, & intorquendo, notandum multum ab hac mensura auferendum, siquidem plumbum manubriis additum habuisse testatur Athenæus, & hac ratione reddi tum æquilibrium, & factos tractabiles. *Voss. de Trirem. & Liburn. construct. Thes. Grav. ibid. p.* 711. *E.* Plumbum intusum habuere, quo propter pondus facilius moverentur. Athen. v. *Hi remi, quia manubriis additum habebant plumbum, & introrsum versus transtra graviores erant, faciles in remigii usum erant.* Minora navigia non raro in uno tantum latere habuerunt *remos*, majora vero semper in utroque. E quibus hos vocabant dextros, illos autem sinistros. Hinc Ovid. Met. iii. 597.

Forte petens Delon, Chiæ telluris ad oras
Applicor, & dextris adducor littora remis.

ix. 703.

Linquit Iapygiam, lævisque Amphrysia remis
Saxa fugit.

Alligabantur apud priscos loris ad scalmos, hoc est, paxillos quosdam, quos singuli habebant proprios. Vitruv. x. 8. *Etiam remi circa scalmos strophis religati.* Livius Andronicus apud Isidor. xix. 4. *Tum remos jussit religare struppis.* Curtio hæc res *aptare remos* dicitur ix. 9. 12. *Hi*, ait, *dum confident, remos aptari prohibebant.* Scheffer. ibid. ii. 5. Utebantur illis veteres, quando mare tranquillum, nullique spirarent venti. Heliod. Æthiop. v. *Postquam mare factum est tranquillum, necessitas remos advocabat.* Max. Tyr. Dissert. v. *Non velles imitari agiles rectores, qui interdum etiamsi nautæ non sint, remos, si magna sit tranquillitas, in manus sumere solent.* Hoc est, quod intellexit Cicer. ad Attic. xvi. 6. *Ego adhuc magis commode, quam strenue navigavi; remis enim magnam partem, prodromi nulli.* II. Cum venti in adversum flarent. Pomponius Sabinus: *Cum ventus contra spirat, vela colliguntur, & remis navigatur.* Itaque ex more ille apud Lucan. ix. 148.

Præcipitate rates e sicco littore nautæ,
Classis in adversos erumpat remige ventos.

Et tali casu apud Flaccum ii. 15.

— *redeuntia vento*
Vela legunt, remis inſurgitur.

Græci hanc navigationem δεύτερον πλοῦν vocare ſolent. Suidas: Δεύτερος πλοῦς, *altera navigatio eſt, cum, vehementer vento flante, remis navigatur.* III. Quoties portum ſubituri erant. Donat. Æneid. v. 15. *Nullus nauta plenis velis venit ad oram, ſed cum adhuc in alto eſt, deponit vela, & navigium ad littus remigando perducit.* Scheffer. ibid I. 4. *Remis* inhiberi dicebantur, qui ſenſim retrocedebant. V. ſupr. in *Inhibere.* Inſurgere vero qui cum ſunt elevandi, paullum ſurgunt. V. ſupr. in *Inſurgere.* Cum appuliſſent, alligabantur. Stat. Theb. v 332.

Omnique gnata illi trabibus de more revinctis,
Emicuit abrupto quatiunt nova littora ſaltu.

Suſpendere remos dixit Ammian. xvii. *Decurrere ſolentur per flumen adeo tacite, ut etiam remi ſuſpenderentur.* Alligabantur autem non porrecti in aquam, ſed ad latera, credo ne frangerentur, ſi forte navigii vento, fluctibuſve agitata ſeſe mutuo verberarent. Ovid. Met. xi. 25.

Obvertit lateri pendentes navita remos.

Scheffer. ibid. III. 4.

REN.

RENES & inguina veteres adjudicarunt Veneri. *Alex. Gen.* II. 19. *Junius Anim.* IV. 12. Liboræ tribuerunt Ægyptii. *Nyph. de Aug.* I. 21. 15. In conſuetudine pro lumbis uſurpamus: ſed & antiquos ſic locutos reperimus, ut Auſonium, & eo antiquiorem Nemeſian. Cyneget. n. 112.

Renibus ampla ſatis validis, diductaque coxis.

Turneb. Adv. v. 6.

RENIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

RENUNTIABANT conſules ſenatui rite ſacrificatum, vel, rem divinam, precationemque rite factam. Liv. XLII. 30. *Conſules quo die magiſtratum inierunt, ex Sc̃to cum circa omnia fana, in quibus lectiſternium majorem partem anni eſſe ſolet, majoribus hoſtiis immolaſſent, inde preces ſuas acceptas ab diis immortalibus ominati, ſenatui rite ſacrificatum, precationemque de bello factam renuntiarunt.* Sin minus, minime litaſſe. Liv. XLI. 15. *Cum conſules, pluribus hoſtiis cæſis, minime litaſſe, renuntiaſſent, ſenatus majoribus hoſtiis uſque ad litationem ſacrificari juſſit.* Briſſon. de Formul. II. p. 203.

Renuntiabantur, qui ſuffragiis populi creabantur, magiſtratus. Cicer. pro leg. Man. c. I. *Nam cum propter dilationem comitiorum ter prætor primus centuriis cunctis renuntiatus ſum.* Gell. VI. 9. *Eumque primæ tribus ædilem curulem renuntiaverunt.* Atque adeo præco eos, qui plura ſuffragia tulerant, conſules, vel prætores, vel cenſores *renuntiabat.* Cicer. Agrar. II. 2. *Itaque me non extremæ tribus ſuffragiorum, ſed primi illi veſtri concurſus, neque ſingulares voces præconum, ſed una voce univerſus populus Romanus conſulem declaravit.* Gell. XII. 8. *Poſtea populus Romanus eos ſimul cenſores facit. Atque illi ubi voce præconis renuntiati ſunt.* Quinetiam ipſamet conſulum, qui comitia habebant, voce conſules, aut prætores deſignati *renuntiabantur.* Cicer. pro Mur. c. I. *Illo die, quo auſpicato comitiis centuriatis L. Murænam conſulem renuntiavi.* De C. Piſone conſule Val. Max. III. 8. 3. *Pro roſtris, ait, Piſo collocatus, cum hinc atque illinc eum ambiiſſent, & an Palicanum ſuffragiis populi creatum conſulem renuntiaturus eſſet, interrogaretur, primo reſpondit, non exiſtimare ſe tantis tenebris offuſam eſſe Rempublicam, ut huc indignitatis veniretur: deinde cum perſeveranter inhærent, ac dicerent: age, ſi ventum fuerit, non renuntiabo, inquit.* Briſſon. de Formul. II. p. 134.

REP.

REPAGULA *ſunt ligna, quibus oſtia in tranſverſum firmantur.* Gloſſæ MS. in Prudentium. *Elmenhorſt. in Indic. Apul.* Hæc clariora ſunt, quam ſequentia Feſti: *Repagula ſunt, ut Verrius ait, quæ patefaciendi gratia ita figuntur, ut ex contrario, quæ oppanguntur; quæ poetæ interdum repagines appellant.* Græci vocant interdum καλυπτῆρες. Gloſſæ: *Repagula*, καλυπτῆρες. Heſychius: Ἀντήριος, σήμων, καὶ ὁ κατὰν προσκείμενος τῇ θύρᾳ, ὃν ἔνιοι καλυπτῆρα φασί. Quod nonnulli ita interpretantur; quod ἀντήριος ſit *ſtamen, & regula, quæ a tergo oſtii poſita ipſum apertum retrorſum repellat, & claudat.* Gloſſæ Cyrilli: κόραξ σιδηροῦς θύρας, *uncinus, repagulum.* Item: *Repagulum*, κόραξ, κλῆθρον, μήτρα θύρας, μάνδαλον. *Repagula* ex abiete laudat Plin. XVI. 42. *Firmiſſima ad rectum abies. Eadem valvarum repagulis, & ad quæcunque libeat inteſtinâ opera aptiſſima.* Sagittar. de Jan. vet. c. 12. §. 1. 3. 5. Grapald. de Part. dom. I. I. §. 5. Voſſ. Lex. Etymol.

Repagula vocantur in ſtabulis & palearis ea ligna, quibus detinentur equi, ne libere excurrant. Ovid. Met. II. 153.

Interea volucres Pyroeis, Eous, & Æthon,
Solis equi, quartuſque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibuſque repagula pulſant.

Sagittar. de Jan. vet. c. 12. §. 6.

Repagula vocantur in theatris ferreæ regulæ verſatiles, ex quibus caveæ illæ, in quibus feræ detinebantur. Ammian. XIX. 6. *Utque detentæ in caveis beſtiæ, tetro pædore acerbius efferatæ, evadendi ſpe repagulis verſatilibus illiduntur.* Ideo autem verſatilia fiebant cavearum *repagula*, ut vertendo beſtias adſilientes excuterent. Totum etiam podium in circuitu *repagulis* hujuſmodi verſatilibus erat munitum ad excutiendum ſubita vertigine ferarum impetum, & adſultum. *Rutulos* hæc *repagula* vocat Calpurnius. V. infr. in *Rutulus.* Salmaſ. in Vopiſc. Prob. c. 19. Exerc. Plin. p. 167. a. B.

Repagula tranſtra etiam erant oſtiis oppoſita, quibus equi frenabantur in ipſis carceribus. Interpres Ariſtoph. Equit. IV. I. 9. V. illum ſupr. in Βαλβίς. Ante fores fuerunt, priuſque laxari oportuit, quam ad oſtia veniretur: nec enim tabulata oſtiorum ad terram complanabantur, ut egredientes equi ea calcarent, quod nonnullos velle audio, ſed cardinibus reſerabantur. Ideo Lucanus mox laudandus *repagula laxare* dicit, non complanare, & Ariſtophanis interpres l. l. vocat κείμενον ἐγκαρσίως ξύλον. Manil. v. 76.

Ut cum laxato fugerunt cardine clauſtra.

Lucan. I. 293.

— *quantum clamore juvatur*
Eleus ſonipes, quamvis jam carcere clauſo
Immineat foribus, pronuſque repagula laxet.

In Græcia tamen videntur alicubi tabulata ad terram complanata eſſe, ut ſtadium pateret. Lucian. de Calumn. p. 413. indicat, ὕσπληγγα καταπεσοῦσαν vocans. Nec tamen *repagula* ferociores equos a foribus ita dividebant, ut fronte, & pede fores non ferirent. Ovid. Triſt. v. 9. 29.

Utque fores nondum reſerati carceris acer
Nunc pede, nunc ipſa fronte laceſſit equus.

Dum enim ſortitio fieret, equi carceribus clauſi fremebant ad *repagula*, ait Sidon. XXIII. 330.

Illi ad clauſtra fremunt, repaguliſque
Incumbunt ſimul, ac per obſeratas
Transfumant tabulas, & ante curſum
Campus flatibus occupatur abſens,
Impellunt, trepidant, trahunt, repugnant,
Ardeſcunt, ſaliunt, timent, timentur,
Nec greſſum cohibent, ſed inquieto
Duratum pede ſtipitem flagellant.

Obſeratas tabulas vocat oſtia, clauſtra, repagula: & *duratum ſtipitem* tranſtra tranſverſa oppoſita oſtiis. *Buleng. de Circo c. 12. Caſſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 3. Salmaſ. Exercit. Plin. p. 649. A. Toll. in Lactantium.*

REPETERE erat verbum arenæ. Ita appellabant geminare ictum. Lactantius: *Percuſſos jacenteſque repeti jubent.* Quintilianus. V. illum laudatum ſupr. in *Manus.* Inde natum in Caligulæ cæde ſymbolum, de quo Suet.

c. 58. n. 6. *Jacentem, contractisque membris clamitantem servire, ceteri vulneribus triginta confecerunt. Nam fontem erat omnium, refert.* Lipf. Saturn. II. 20. Thyf. de Gladiat. p. 233.

REPETUNDÆ scilicet pecuniæ, ut plenius Cicer. pro Clu. c. 53. *Clames, te lege repetundarum pecuniarum non teneri*, fuerunt quas sive socii, sive cives privati a magistratibus, aut judicibus, aut publicis curatoribus in judicio *repetierunt*, quas illi aut in provincia, aut in Urbe, aut ob jus dicendum, aut ob judicandum, aut ob aliud aliquid publice curandum cepissent. Quod genus furti cum exprimere vellent, *pecuniam ablatam, captam, coactam, conciliatam, aversam* dixerunt: quas voces cum Cicero in accusatione Verris *repetundarum* rei, tum legum veterum fragmenta celebrant. At *repetundarum* quidem quæstio primum constituta videtur sociorum, & provinciarum causa adversus prætores, quæstores, legatos, ceterosque, qui in provinciis cum imperio, aut potestate versarentur; deinde ad urbanos etiam magistratus, judices, curatoresque translata, qui aliquid pecuniæ a privatis cepissent. Video enim legem *repetundarum* vocari *socialem* a Cicer. Divin. Verr. c. 5. *Civibus cum sint ereptæ pecuniæ, civili fere actione, & privato jure repetuntur. Hæc lex socialis est.* In hoc crimen primus legem tulit L. Calpurnius Piso Frugi. Cicer. Brut. c. 27. *C. Carbone forum tenente plura judicia fieri cœperunt: nam & quæstiones perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt; quæ ante nullæ fuerunt. L. enim Piso tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis tulit Censorino, & Manilio consulibus.* Fuerunt hi consules an. 604. Cicer. de Offic. II. 21. *Caput in omni procuratione negotii, & muneris publici, ut avaritiæ tollatur etiam minima suspicio: nondum hoc malum in Rempublicam invasit; nondum enim centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla cum antea fuisset: at vero postea tot leges, & proximæ quæque duriores, tot rei, tot damnati, tantum subsidium legibus, judiciisque expilatio, direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non virtute nostra valeamus.* Hunc vero librum scripsit Cicero an. 709. Verba legis sunt: *Quei. quibus. in. provinceis. magistratus. populi. Romani. eorumve comites. contra. legem pecunias. cepissent. quidve. commisissent. earum. injuriarum. ergo. Romæ. quiritari. judicioque. quæsito. sua. repetere. provinciales possent.* Sigon. de Jud. II. 27. Pigh. Annal. Roman. Tom. II. p. 447. Pitisc. in Suet. Jul. c. 4. n. 1. Cum nullis adhuc legibus hoc crimen vindicatum esset, hæc causa privata fuit, & extra ordinem ex Scto a *recuperatoribus* cognita est: ut an. 583. quemadmodum narrat Liv. XLIII. 2. V. illum supr. in *Recuperatores*. Sigon. l. l. Populi, qui *repetebant* pecuniam, ne spoliatos se per legatos querebantur, patronos quoque nominandi potestatem postulabant. Liv. XLIII. 2. *L. Canulejo prætori negotium datum est, ut Hispanis patronos, quos vellent, sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est S. Ctum, jussique nominare patronos, quatuor nominavere.* Itaque in legibus de pecuniis *repetundis* præcipue sancitum est de patronis dandis, & repetundis. Sigon. ibid. c. 9. Prioribus temporibus capitale non fuit: postea cum avaritia magistratuum haud paullo latius manare jam in provinciis cœpisset, visum est, ut acrioribus remediis obviam iretur: itaque, lege lata, capitale crimen factum est. Utrumque probatur exemplis. L. Lentulum, de *repetundis* damnatum, postea cum L. Marcio Censorino censorem esse factum tradit Val. Max. VI. 9. 10 quo patet damnatione jus Romæ manendi ademptum illi non esse, siquidem censuram deinde sit assecutus, quam gessit an. 606. Idem confirmant, quæ scripta sunt ad Herenn. I. 11. *Lex vetat eum, qui de repetundis damnatus sit, in concione, orationem habere. Augur quidam, damnatus de repetundis, in demortui locum qui petat, nominavit.* Veteris enim legis, non ejus, quæ postremis Reipublicæ temporibus lata esset, exemplum videtur attulisse; cum de Offic. II. 21. ita loquatur Cicero: *Proximæ quæque leges de repetundis duriores.* Hæc mansisse Romæ primis illis temporibus, qui jam de *repetundis* damnati essent. Capitale crimen fuisse, eoque damnatos exulasse, interdictis aqua & igni, A. Gabinii, & C. Verris exemplo cognoscitur. Quod si quis objecerit, non eos lege exulasse, sed quia, cum solvendo non essent, aut omnino cum nollent solvere, voluntarium in exilium profecti sint, adjungemus de C. Catone: quem & esse damnatum *repetundis* Cicer. Verr. IV. 10. & Vellej. II. 8. 1. tradunt, & exulasse Tarracone ex oratione pro Balb. c. 11. perspicuum fit: cum tamen æstimata ei lis esset tantummodo HS. XVIII. millibus: ut exulasse videatur, non, quod fortasse posset aliquis de Gabinio, & Verre suspicari, ne solveret quod æstimatum erat, quod minimum fane pecuniæ fuit: sed quia legi, quæ *repetundarum* damnatis aqua & igni interdiceret, parere cogeretur. Est etiam apud Vellej. II. 13. 2. P. Rutilii exemplum, *repetundarum* lege damnati, quem exulasse & Cicer. in oratione pro Balb. c. 11. & Liv. Epit. LXX. declarat. Asconii testimonio nihil certius, nihil illustrius. Is, ubi explanat illud Ciceronis in Verrem: *Avaritiæ supplicio communi*, subjungit: *æstimatione litis, & exilio*: satis manifeste exilium cum pecuniaria pœna in *repetundarum* crimine conjungens. Actionem fuisse in hoc crimine adversus hæredes, nisi si res in senatu, ut ICti loquebantur, pervenissent, cum ex ipsis cognoscitur ICtis, tum his verbis ind. at Val. Max. IX. 12. 7. *C. Licinius Macer, vir prætorius, repetundarum reus. . . . misit ad eum*, Ciceronem, *qui se non damnatum, sed reum periisse, nec sua bona hastæ posse subjici: ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu, pœnam morte præcurrit: qua cognita re, Cicero de eo nihil pronuntiavit.* Matut. de Leg. c. 22. Lipf. in Tacit. Annal. XIV. n. 82. Leges in hoc crimen latæ sunt Acilia, Calpurnia, Cornelia, Julia, Junia, Servilia. V. illas supr. in *Lex*.

REPLICATIO adversus inficiatorem reum exceptione sese summi juris tuentem actori interdum, re ita exigente, & æquitate dictante dabatur. l. nam postea quam §. si minor ff. de jurejurando: *Si minor viginti quinque annis detulerit, & hoc ipso captum se dicat, adversus exceptionem jurisjurandi replicari debebit, ut Pomponius ait: ego autem puto, hanc replicationem non semper esse dandam: sed plerumque ipsum prætorem debere cognoscere, an captus sit....* Particula *at*, frequentius vocula ista *aut* consuevit concipi. l. si quis rem ff. de except. rei judic. *Adversus exceptionem, si non ejus sit res, replicatione hac adjuvabitur, at si res judicata non sit.* l. consilio §. cum dementis. *Et is exceptione rei judicatæ inter se, & curatorem utatur, hæredibus replicatio dandа erit: aut si is qui egit satisdederat.* l. si mulier. §. item si. *Exceptio quidem opponitur ei de re empta, & tradita: sed replicabitur a muliere, aut si ea venditio contra Sctum facta sit.* Brisson. de Formul. v. p. 406. Bud. in Pr. dect. p. 32 A. Pollet. For. Rom. IV. 8.

REPOSITORIUM dicebatur, in quo *reponebatur* mensa, quod fortasse trapezophoron dicitur. *Reponere* enim collocare est. Cicer. Verr. IV. 3. V. illum supr. in *Canephoræ*. Qui *reposita* dixit, hoc est, ut ego interpretor, collocata: & inde *repositoria* dicta, quibus vel mensæ, vel obsonia collocarentur. Plin. XXXIII. 11. *Jam vero & mensas repositoriis imponimus, & ad sustinenda obsonia interradimus latera, mensarum* intellige. Et subdit: *Cornelius Nepos tradit ante Syllæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuisse argentea. Repositoriis argentum addi sua memoria cœptum Fenestella dicit, qui obiit novissimo Tiberii Cæsaris principatu: sed & testudinea tum in usum venisse. Ante se autem paullo lignea rotunda, solida, nec multo majora quam mensas fuisse. Se quidem puero quadrata, & compacta, aut acere operta, aut cedro cœpisse. Mox additum argentum in angulos, lineasque per commissuras.* Quum vero Plinius *solida* dicat *repositoria*, damnantur inscitiæ ii, qui pro loculis, & reconditoriis interpretati sunt: quos in præsentia nominare non est necesse. *Bayf. de Vascul. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 688. D. Stuck. Ant. Conviv. II. 16. Buleng. de Conviv. I. 37. Dalechamp. in Plinium.* Qui acceperunt *repositorium* pro tripode, quo sustineatur mensa. Plinius non probat hanc sententiam. Est enim sine dubio vitiosa ea lectio. Sermo ibi est de vasis argenteis, ad quæ profecto nihil ista verba. Quare nihil dubito

dubito emendanda esse, ac legenda esse in hunc modum: *Jam vero & in mensas repositoriis imponimus.* Vas. intellige argentea, de quibus ante loquebatur. Sensus optimus, & mutatio nulla, tantum revocat *r in* ex sequenti voce, cujus prima litera totidem constans lineolis absorpserat. Dicit *imponi* vasa illa argentea *in mensas*, & quidem cum *repositoriis*, in quibus scilicet dispositae erant plena cibis. Atque ita esse evisse docet ipse XVIII. 35. quando ait: *Vasa, quibus esculentum additur, sudorem repositoriis relinquentia, diras tempestates praenuntiant.* Vocat *vasa* [illegible] *esculentis*, [illegible] *repositoriis*, quod non ntel gitur, nisi fuerint super illa imposita. Quapropter *repositoria*, in quibus vasa cibaria *reponebantur*, ut cum eis inferrentur mensae, unde alia voce quoque *fercula* vocata. Docet hoc evidenter locus Petronii, in quo quod ante *ferculum*, [illegible] post *repositorium* vocatur c. 35. [illegible] *plane non pro expectatione magnum. Novitas tamen omnium convertit oculos. Repositorium* [illegible] *in orbe* [illegible] [illegible] Schesser. de Re vehic. II. 3. [illegible] Et [illegible] tabula illa, qua [illegible] vasa exstruebantur, sive ipsae strata apponebant patinae, hoc est, lances cum obsoniis. [illegible] usui illud destinatum, est quoque videre apud Athen. IV. p. 129. [illegible] *Post* [illegible] *in repositorio conlocata argenteo, assis piscibus omne genus congestis plena apposita est.* Illud mensa adferebatur a duobus, vel pluribus servis, [illegible] *reponebatur.* Sic etiam aufe[illegible], ut alteri [illegible] locum relinqueret. Indicat hoc Petron. c. 36. *Ad symphoniam IV. tripudiantes procurrerunt, superioremque partem repositorii abstulerunt: quo facto* [illegible] *scilicet in altero ferculo altilia & sumina, leporemque.* . . . Gonsal. in Petronium. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 288. Bacc. de Conviv. II. 9. Interdum itaque dapes, & obsonia sine lancibus in illis collocabantur, & praestabant usum patinarum. Indicat Plin. X. 50. *Postea culinarum artes, ut clunes spectentur, ut dividantur in tergora, & a pede uno dilatata, reposito* [illegible]. Et [illegible] *obsonia* [illegible] loco [illegible] laudato. [illegible] Petron. c. 35. & 36. supr. productus. [illegible] enim patinarum, & lancium vicem: aut instar magnae patinae, & quidem duplicis, scilicet cum fundo, id est, inferiore parte concava, & superiore, sive operimento. Quae egregie faciunt ad Plinii locum, nulli intellectum, explicandum. Siquidem cum ait: *jam vero & mensas repositoriis imponimus*, pro mensa intelligit partem superiorem, sive *repositorii* operculum. Cum enim ante Plinii [illegible], & simplicia, sive unius fundi *repositoria* [illegible] grandium patinarum: postea coepere addi operimenta, & quidem argentea, atque in iis obsonia disponi, quae ut aptius sustinerentur, neque labi inde possent, interradi lima coeperunt: *nec interest, quam plurimum limae perdiderit*, ita enim in veteri codice habetur. Cum ergo argenteorum vasorum luxum Plinius castigasset, adjecit, ex eodem argento *repositoriorum* mensas, id est, opercula fieri coepta, quae obsoniis mensae vicem praestarent, nempe siccis, & assis, cum jurulenta in fundo natarent. Mensam autem *repositorii* integumentum ideo appellat, quia Delphici tripodis, sive cortinae operimenta pariter *mensae* dicebantur, & Delphicae. Pollux X. 23. notat cujuscunque tripodis operculum vocari circum, & ὅλμον, quoniam & Delphici tripodis integumentum holmus vocatur, cui insidet vates. Ad cujus similitudinem mensas omnes, praecipue abacos, etiam ICti Delphicas appellarunt. Procop. Vandal. I. *Delphicam Romani vocant: nam quo loco Imperatores mensae accumbunt, tripus stabat, cui pocula imponebantur, quod Delphis primo in usu fuerit.* Vel simpliciter mensam dicebant, quidquid cibis subjiciebatur. V. supr. in *Mensa*. Aliquando tamen etiam patinas, & lances in *repositorio* collocatas docet Plin. XVIII. 35. *Nec non & in conviviis, mensisque nostris, quibus esculentum additur, sudorem repositoriis linquentia diras tempestates praenuntiant.* Ita in promulsidario, quod & gustatorium dicebatur, sive promulsidis *repositorium*, asellum, id est, vas cum vino mulso, lancesque etiam, & alia vasa, quae & promulsides, apposita ostendit Petronius. *Ferrar. Elect.* II. 18. *Repositor*: quid simile est hodie mensarum tabula in mensis praesertim agrotantium, quadrata, vel sexangula forma, eburneis quandoque, vel argenteis angulis, quibus imponimus, vel tollimus dapes. *Bacc. l. l.* Testudineis laminis vestiebatur. Docuit hoc Plinius supra laudatus. Qui etiam luxuriae auctorem prodidit IX. 11. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque, & repositoria iis vestire Carvilius Pollio instituit.* Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 7. Ferrar. l. l.

REPOTIA vocabantur, *quia postridie nuptias apud novum maritum cenabatur, & quasi reficiebatur potatio.* Pacuv. in Iliona:

Dum [illegible] marima pedagogandum accipit
Repotialis liber.

Fest. : apud quem sic legendum pro apportalis monet Scaliger. Horat. Sat. II. 2. 60.

Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret.

Sumptibus, qui in ea fierent, modum statuit lex Julia. V. illam supr. in *Lex*. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Graev. Tom. VIII. p. 1050. B. Augtist. de Legib. in Julia sumptuaria. Cujac. Observ. XVI. 39. Turneb. Adv. III. 6. Laurent. de Sponsal. & nupt. c. 1. de Natalit. c. 3. Thys. in Gell. II. 24. Stuck. Ant. Conviv. I. 24. Casaub. in Athen. III. 15. Scalig. Poet. III. 100. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 2. Alex. Gen. II. 5. Caroli Antiq. Roman. IV. 3. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 3. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 162. G. Schill Nomencl. Philol. p. 934. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 37.

Repotia etiam appellabantur liberis natis; & cum maritis nova quotannis prope soboles nascatur, ut renovanda sit epulatio, idcirco ea convivia *repotia* appellata. Huic interpretationi Pacuvii exemplum non repugnat. Nec vero Avidieni personae convenit nuptiale convivium. Et, nisi me fallit augurium, dicere voluit Acro Grammaticus in Horatium παιδοτρόφια Graece vocari, velut sublatis, & susceptis liberis, & parentibus eos alere decernentibus. Nam in Graecorum potestate erat liberos exponere, nec alere. Ut autem ita interpreter mihi persuadet Ausonius sic scribens Epist. IX. 50.

Conjugioque dapes, aut sacra repotia patrum.

Ecce eorum epulas dicit, qui susceptis liberis facti sunt parentes. *Turneb. Adv.* III 6. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 16. *Laurent. de Natalit.* c. 3. *Mercer. in Alex. Gen.* II. 5. *Schill Nomencl. Philol. p.* 934.

REPUDIUM vocabatur renuntiatio sponsaliorum. Formula ejus erat: *conditione tua non utar.* Cajus. V. illam supr. in *Divortium*. Hotoman. de Sponsal. c. 4. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 9. Laurent. de Sponsal. c. 2. Quod si fieret, multabatur is, qui causam praebuerat. Si sponsa, arrhas in duplum reddere debebat. Si sponsus, non repetebat l. pen. C. de sponsal. Antiquitus in id, quod intererat, condemnationem fieri retulit Gell. IV. 4. *Si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur; qui stipulabatur, ex sponsu agebat: judices cognoscebant: judex, quamobrem data, acceptave non esset uxor, quaerebat; si nihil justae causae videbatur, litem pecunia aestimabat: quantique interfuerat eam uxorem accipi, aut dari, eum qui spoponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat.* Quod si neuter praebuisset causam dissolvendorum sponsaliorum, cessabat hujusmodi poena, ut, si mors intervenisset l. 3. C. de sponsal. aut aliud impedimentum l. 5. C. eod. tit. nisi osculum intervenisset. Sponsalitias enim largitates in partem tunc tantum sponsus repetebat l. si a sponso. C. de donat. ante nupt. Cujus juris ratio est singularis mulierum favor, quae, saepissime spe futuri conjugii, solitae suae verecundiae tantillum terminos egressae, aliquid de sua pudicitia delibasse videntur. *Hotomann. de Vet. rit. nupt. c.* 12.

REQ.

REQUIETORIUM vocabatur sepulcrum. Inscriptio vetus:

> P. SCANTIUS. PHILETUS. FECIT. SIBI. ET. SCANTIÆ. NICE. LIB. REQUIETORIUM.

Et alia:

> REQUIETORIUM. AMICI. BENE. FACERE. SEMPER. STUDIOSUS.

Cui voci respondet *ἀναπαύσιον* apud Lycoph. n. 583. Nam in sepulcris *quiescere* corpora existimantur. Unde ex veteri quodam poeta Cicer. Tusc. Quæst. I. 44.

Neque sepulcrum quo recipiat, habeat, portum corporis:
Ubi remissa humana vita corpus requiescat a malis.

Hinc *sepulcrorum patrum quietem* dicit Cassiod. Var. VI. 8. *Kirchman. de Funer. Roman.* III. 10. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 713. *A. Guther. de Jur. man.* II. 26. *Quensteed. de Sepult. c.* 10.

RES.

RES boni ominis gratia positæ, eæ videntur esse, quas in fossam vocatam *mundum* conjiciebant. Plutarchus: *In eam primitias detulerunt omnium, quibus de more ut bonis, natura utebantur ut necessaria. Postrema ex qua quisque advenerat regione, ejus terræ portiunculam colatam eo conjecerunt, & commiscuerunt.* Festus. V. illum in *Roma quadrata.* Donat. de Urb. Rom. I. 2.

Res dictæ sunt esse vel in patrimonio nostro, vel extra patrimonium. In patrimonio fuerunt *res* privatæ, nempe quæ abalienari pro arbitrio potuerunt. Extra patrimonium res sacræ, religiosæ, sanctæ, & publicæ. Sacræ dictæ, quæ per pontifices consecratæ deo sunt, ut aræ, templa, domus. Religiosæ, loca, in quæ illati mortui fuerant. Sanctæ, quæ ut inviolatæ essent, pœna proposita cautum erat, veluti muri, & portæ urbis. Publicæ, quæ omnium hominum, ac gentium communes sunt, ut aer, mare, littus; aut omnium alicujus civitatis civium, ut fora, basilicæ, theatra. Item *res* aliæ corpus habuerunt, aliæ corpore caruerunt. Habuere, quæ sub sensum ceciderunt, ut fundus, & domus; caruere, quæ animo tantum comprehendi potuerunt, ut hæreditas, obligatio, servitus. Item aliæ fuerunt mancipi, aliæ nec mancipi. V. supr. in *Mancipi.* Acquiri vero aut singulis voluerunt, aut universis: singulas aut jure gentium, aut jure quiritium: jure gentium, ut occupatione, captivitate, accessione, rei effectione, traditione, & servitute; jure quiritium, ut mancipatione, usucapione, in jure cessione. V. singula suis locis. *Res* porro per universitatem acquiri voluerant quinque modis: hæreditate, fideicommisso, bonorum possessione, arrogatione, & bonorum emptione. V. & illa singula suis locis. *Sigon. de Judic.* I. 4.

Res prolatæ dicuntur vacationes, & forenses induciæ, quibus in foro feriantur homines, ut sunt, messium, ludorum, & vindemiarum tempora, quando halcedonia sunt apud forum, ut loquitur Plaut. Prol. n. 26. Quod idem suo persona parasiti Ergasili eleganter explicat Capt. I. I. 10.

Ubi res prolatæ sunt, quum rus homines eunt,
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi cum caletur, cochleæ in occulto latent:
Suo sibi succo vivunt, ros si non cadit.
Item parasiti rebus prolatis latent,
In occulto miseri victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines, quos liguriant,
Prolatis rebus parasiti venatici
Sumus.

Rerum prolatarum meminerunt Cicer. Attic. VII. 12. *Nec enim rerum prolatio, nec senatus, magistratuumque discessus, nec ærarium clausum tardavit.* Senec. de Brev. vit. c. 7. *Diripitur ille toto foro patronus, & magno concursu omnia, ultra quam audiri potest, complet. Quando, inquit, res proferentur?* Tacit. Annal. II. 35. I. *Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Cn. Pisonis, & Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere.* Brod. Coroll. ad Pollet. For. Rom. IV. 15. Pith. Adv. Subcess. II. 24. Cujac. Observ. VII. 16. Et quemadmodum feriis res prolatæ, ita feriis exactis *res* redisse dicuntur. Plaut. ibid. n. 18.

Sumus, quando res redierunt, molossici.

Siccam. de Judic. centumv. II. I. Pith. l. l. Et agi. Plin. Epist. IV. 29. I. *Eja tu, cum proxime res agentur, quoquo modo ad judicandum veni.* Suet. Aug. c. 32. n. 9. *Et ut solita ante Novembri, ac Decembri mense res omitterentur.* Hinc apud Suet. ibid. n. 6. *Triginta amplius dies actis rerum accommodavit*, id est, diebus juridicis, quibus scilicet, ut loquuntur pragmatici, cum litigantium causæ rumque cognitiones expediuntur. Plin. Epist. IX. 25. 3. quoque ad nunc modum. *Nunc me rerum actus modice, sed tamen distringit.* Nec enim hæc phrasis Suetonio peculiaris, ut perperam putat Pollet. ibid. I. 8. *Casaub. in Theoph. Charact. c.* 6. *Chiment. de Honor. Bisell. c.* 32. *Pitisc. in Suetonium.*

RESCRIBERE argentum est per mensæ scripturam reddere. Terent. Phorm. V. 7. 29.

Argentum rursum jube rescribi Phormio.

Ubi Donatus: *Rescribi, reddi, seu per mensæ scripturam dari. Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit scriptura, rescribere dicebant pro renumerare.* Horat. Sat. II. 3. 76.

Dictantis quod tu nunquam rescribere possis.

Turneb. Adv. IV. 13. Pith. Adv. Subcess. I. 13. Brisson. de Formul. V. p. 536. Bud. in Pandect. p. 177. B. Schill Nomencl. Philol p. 985.

Rescribere auctor dicebatur opus suum, qui illud emendandi causa recognoscebat, & *rescribendo* melius faciebat. Suet. Jul. c. 56. n. 6. *Existimat rescripturum, & correcturum fuisse.* Plin. Epist. VII. 9. 5. *Petentis & quæ dixeris post oblivionem retractare, multa retinere, plura transire; alia interscribere, alia rescribere.* Hoc Græcis est ἀντιβάλλειν. Hesychius: Ἀντιβάλλειν, διορθοῦν, ἐπιστρέφειν. Glossæ: Ἀντιβάλλειν, *recognoscere.* Et ἀντιγράφειν. Glossæ: Ἀντιγραφεὺς, *dictator, rescriptor:* ἀντιγραφὴ, *rescriptum.* Salmas. in Vopisc. Caram c. 8. Pitisc. in Suetonium.

Rescribere dicebantur Principes ad libellos sibi oblatos. Callistr. l. 3. §. I. ff. de offic. procur. Cæs. *Idque divus Pius Julio rescripsit.* §. 2. *Idque Imperatores nostri Severus, & Antoninus ad libellum Hormiæ rescripserunt.* Suet. Aug. c. 45. n. 3. *Inter spectandum epistolis, libellisque legendis, aut rescribendis vacabat.* Brisson. de Form. III. p. 292. Guther. de vet. jur. pont. II. 7. Rævard. de Div. reg. jur. LXXI. Pitisc. in Suetonium.

RESCRIPTA Principum diversa sunt. Nam alia vim legis obtinent, alia jus non faciunt, alia sunt personalia, alia generalia, quædam perpetua, quædam ad certum tempus. Ex his omnibus *rescriptis* libri Codicis, & Pandectæ nostri referti sunt, quæ maximam Romani juris partem constituunt. Quæ *legem, aut jus faciunt, perennia sunt, si modo tempus, intra quod allegari debent, non sit comprehensum.* l. 2. C. de divers. rescript. Privatis non patebat aditus ad Principem in offerendis precibus quibuscunque, nisi per libellos. V. supr. in *Libelli. Rescripta* ad libellos certam formam, modumque non habent: sed pro rerum varietate varia fuerunt. In juris quæstionibus secundum responsum Ictorum Imperatores rescribebant. Ita Alexander l. 4. C. de contrah. & committ. stipul. *Secundum responsum Domitii Ulpiani præfecti annonæ Iurisconsulti amici mei.* l. 17. ff. de quæstion. *Papiniano placuit, extraneo accusante, servos in adulterii quæstione contra dominum interrogari. Quod D. Marcus, ac postea Maximus Princeps judicantes secuti sunt.* Maximum Principem Papinianus intelligit Septimium Severum. Decreta *rescripta* superiorum Principum

pum a sequentibus alio *rescripto* firmari receptum est, aut infirmari. Hadrianus Imperator, si mancipium ea lege venisset, ne alterius servitutem pateretur quam emptoris: ut post mortem ejus libertate moraretur: constituit, si mancipia manumissa non sint, libera non esse. At M. Antoninus ex lege libertatis in vendendo, sine manumissione libera esse voluit. Sic in arbitrio Principis fuit alterius *rescripta*, & constitutiones rejicere, vel servare. Sic Alexander Hadriani *rescriptum* observandum *rescripsit*: ut *pueri ad octavum decimum annum alerentur* l. Mela ff. de aliment. vel cibar. leg. Sed pleraque *rescripta* usu recepta etiam, & servata. Ulpian. l. Fulcinius. §. Item videmus. Nervæ sententiam refert, & deinde *rescriptum* Hadriani: *Et hoc*, inquit, *jure utimur*. Hinc Antoninum Augustum *rectissime rescripsisse* tradit idem Ulpian. l. aut damnum §. fin. ff. de pœn. Nec facile invenies in Pandectarum libris, *rescripta*, quæ magni, & prudenti ratione non nitantur: quæ plerumque in codice ipsi rationi non sunt semper consentanea. Quare non injuria statuerat Opilius Macrinus omnia *rescripta* veterum principum tollere, ut jure, non *rescriptis* ageretur. Capitol. c 13. *Nefas enim dicebat leges videri Commodi, & Caracalli, & hominum imperitorum. L. imperatorum voluntates, quum Trajanus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta præferrentur, quæ ad gratiam composita viderentur.* Guther de Offic. dom. Aug. I. 34. Non tantum Latina, sed & Græca lingua concipiebantur. Exempla Græcorum aliquot in Pandectis habemus: veluti Pii l. 1. §. 1. ff. de appellat. Hadriani, atque Antonini Pii apud Justin. Mart. Apol. II. pro Christianis, & l. 37. & 38. ff. de judic. Divorum fratrum, & Helvii Pertinacis l. 5. §. demonstratur: & §. licet ff. de jur. immunit. Exemplum etiam *rescripti* Julii Cæsaris Græce conceptum exstat apud Joseph. Ant. Judaic. XIV. 18. *Brisson. de Form.* III. *p.* 305. Imperialia minutis literis, & encauto muriceo consignabantur. Quod & Constantinopolitanos Imperatores servasse testatur Constantinus Manasses in Annalibus his verbis: *Nam si quis ei chartam offerret, rubris in ea literis nomen Imperatorium subscribebat.* Et: *Hanc chartam fratri offert, rogat, hanc scripturam literis Imperatoriis munire, ac subsignare velit. Imperator precibus sororis annuit, mox calamum prehendit manu, & exaratis purpurei coloris literis chartam confirmat.* Et: *Nam Romani consiliis obtemperans Imperatoris literas rubrica subscriptas ad exercitum mittit.* l. 6. C. de Divers. rescript. *Sacri affatus non alio vultu penitus, aut colore, nisi purpurea tantummodo inscriptione lustrentur: scilicet, ut cocti muricis, & triti conchylii ardore fingentur. Eaque tantummodo fas sit proferri, vel dici rescripta in quibuscunque judiciis, quæ in chartis, sive membranis subnotatio nostræ subscriptionis impresserit.* Brisson. ibid. p. 326. Guther. ibid. c. 35. In scriniis asservabantur. Plin. Epist. X. 71. 3. *Quæ ideo tibi non misi, quia & parum emendata, & quædam non certæ fidei videbantur, & quia vera, & emendata in scriniis tuis esse credebam.* Brisson. ibid. p. 312. In illorum fine dies, consul, & locus addebantur. Hoc patet ex subscriptionibus *rescriptorum*, quæ in codicem suum Justinianus retulit. Patet ex l. 2. §. 47. ff. ad SCtum Tertull. *Invenimus rescriptum ab Imperatore nostro Antonino Augusto, & divo patre ejus Mammiæ Maximinæ, pridie Idas Apriles, Pl...ano iterum consule.* Quin etiam, altero consule deficiente, ignotum futuri consulis nomen apponebatur his verbis: *Et qui fuerit nuntiatus.* Cujus formulæ testimonia habemus in ll. 4. & 5. C. de his qui ad eccles. confug. Multa tamen extant sine die, & consul. in codice Justiniani. Quin etiam August. Collat. 3. d. contr. Donat. auctor est, cum Donatistæ Imperiales literas calumniari conarentur, eo quod sine consule fuissent recitatæ, cognitorem interlocutum esse: *evidentissimis legibus definitum esse, imperialia constituta, etiamsi consules non legerentur, in dubium non vocari.* Et: *Etiamsi consul desit, non impedire imperialis constituti veritatem.* Brisson. ibid. p. 312. Guther. ibid. c. 36.

RESECRARE dicebantur, qui religione aliquem solvebant. V. supr. in *Obsecro*.

RESIGNARE antiqui posuerunt pro rescribere. Festus. V. illum supr. in ... Qui hæc addit: *Cato de ...lis: ne figerentur, nisi quæ de hostibus capta essent: sed tum ubi in loco sunt, revertantur re... ...* Hæc nos reperimus in fragmentis Servii, qui est penes Danielem nostrum. Qui etiam aliud profert ex eodem Catone, oratione in Lucium Furium: *De aqua quod ... ad ...linatores ærarios, cui cura vectigalium, resignat.* Scalig. in Festum. Guther. de jur. man. I. 12. Valtrin de Re milit. VI. 8.

RESPERSIO sumptuosa cadaverum. V. illam supr. in *Pyra*.

RESPONDERE dicebantur, qui voce præconis citati comparebant. Gell. XI. 1. *Marcus Terentius quando citatus non respondit.* Phædr. IV. 17. 7.

Canes citati non respondent.

Pollet. For. Rom. IV. 7. Rittersh. in Phædrum.

Respondere dicebatur debitor, cum dicebat se solvere quod debebat. Cicer. ad Attic. XVI. 2. *Fit sæpe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus.* Turneb. Adv. IX. 22.

Respondere dicebatur defensor, sive is qui clienti in judicio aderat. Cicer. Verr. II. 40. *Citatus accusator, Marcus Pacilius, nescio quo casu, non respondit, non affuit,* οὐκ ἀνήντηκεν εἰς τὴν κυρίαν, hoc est, defecisse cum pronuntiatum est, ut nunc loquimur. *Respondere* accusationi dicuntur patroni causæ defensores. *Bud. in Pandect. p.* 216. *E.*

Respondere dicebantur ICti. Pompon. l. 2. §. & ut obiter ff. de orig. jur. *Et ut obiter sciamus, ante tempora Augusti publice respondendi jus non a principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant, neque responsa utique signata dabant, sed plerumque judicibus ipsi scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant. Primus divus Augustus, ut major auctoritas haberetur, constituit, ut ex ejus auctoritate responderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Et ideo optimus princeps Hadrianus, cum ab eo viri prætorii peterent, ut sibi liceret respondere, rescripsit eis, hoc non peti, sed præstari solere: & ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se populo ad respondendum se præpararet.* Alex. Gen. dier. VI. 23. Suet. Calig. c. 34. n. 6. *De juris quoque consultis; quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus sæpe jactavit, se mehercle effecturum, ne quid respondere possent præter eum.* De hoc loco digladiantur, & erroris se invicem insimulant *Beroald. & Sabell. ad illum, Bud. in Pandect. p. 8. Barth. Adv.* XXIII. 10. *Petit. Miscell.* I. 8. *Rutgers. Var. Lect.* III. 5. & 6. *Cujac. Observ.* VII. 9. *Ravard. Conject.* II. 10. *Dorleans in Tacit. p.* 705. *Menag. Amœn. jur. civil. c.* 20.

RESPONSA appellabantur, quæ edebant, ac pronuntiabant haruspices, qui consuli, & consulti *respondere* dicebantur. Virg. Georg. III. 492.

Nec responsa potest consultus reddere vates.

id est, haruspex. Liv. XXXIX. 16. *Hæc vos religione innumerabilia decreta pontificum, SCta, haruspicum denique responsa liberant.* XLII. 20. *In suspensa civitate ad exspectationem novi belli, nocturna tempestate columna rostrata in Capitolio bello Punico priore posita, tota ad imum fulmine discussa est. Ea res prodigii loco habita, ad senatum relata est. Patres ad haruspices referre jusserunt. Hi in bonum versurum id prodigium, prolationemque finium, & interitum perduellium portendi responderunt; quod ex hostibus spolia fuissent ea rostra, quæ tempestas disjecisset.* Brisson. de Form. I. p. 125.

Responsa tempore posteriorum Principum, tam eorum, quam præfectorum, mandata dicebantur. Procop. de Bell. Vandal. I. *Belisarius quendam ex his, qui equo celeriter invecti regia perferunt responsa, quosque veredarios appellant, cepit.* Zosim. I. 62. *Erat quidam in aula nomine Eros ab Imperatore ad efferenda foras responsa destinatus.* Hinc *ad responsum* vocabantur, qui ad milites destinabantur, ut magistrorum jussa exsequerentur l. ult. C. de re milit. Novell. 24. 4: 25. 1: 26. 1: 28. 5. Hic quoque *aurum ad responsum* dicitur, quod destinatum est ad perferenda in provincias per veredos mandata Principis. Potest etiam hic aurum

 intel-

inte ligi, quod ad *responsum* pro annonis dabatur, id est, *responsalibus*, quia præfectis militum ad exercitus mittebantur, ut eorum injurias audirent, & magistrorum jussa exsequerentur d. l. ult. erant enim eorum velut vicarii. Sic Justinianus edict. 8. §. 1. vicarium Ponticæ prius abolitum ita restituit, ut militibus præesset, & eos tanquam vices magistrorum gerens, etiam ipsis inconsultis puniret, & apud illos locum magistrorum ad *responsum* teneret per quos milites compescerentur, & in officio continerentur. Eodem modo Gregorius narrat se ad *responsum* servivisse Constantinopoli pro pontifice Romano, & ipse factus summus pontifex *responsales* Constantinopoli apud Imperatorem habuit. Græci *apocrisiarios* vocant, vulgo *nuntii* dicuntur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 81.

Responsa prudentum, qui *jus publice respondebant*, ut loquitur Plin. Epist. vi. 15. 3. maximæ fuerunt auctoritatis. Illis enim temporibus illi *non signabant, sed plerumque judicibus ipsi scribebant, aut testabantur qui illos consulebant*, ut dixit Pompon. supr. in *Respondere*. A judicibus enim consultos prudentes docet l. 3. §. ff. de minor. l. 2. ff. de pact. dotal. Postea invaluit, ut signata darentur. Quo respexit Senec. de Ben. viii. 16. his verbis: *Si tamen quid sentiam quæris, & vis signari responsum.* Ab ipsis Imperatoribus in rescriptis suis citabantur, ut apparet ex l. 2. C. de contrah. empt. l. 3. C. de acquir. possess. l. 3. C. ad exhib. l. 6. C. de nupt. l. 11. C. de quæstion. l. 11. C. ad leg. Cornel. de fals. l. 16. C. de fideicom. *Brisson. de Form.* iii. *p.* 336.

RESPUBLICA permittebatur consulibus, cum decernebatur, ut viderent, ne quid *Respublica* detrimenti caperet. Cicer. Catil. i. 2. *Simili SCto C. Mario & L. Valerio coss. permissa est Respublica.* V. supr. in *Formula SCti. In*... causa abesse quamim visi fuerint. V. supr. in ...

RESTIM ducere, de quo Terent. Adelph. iv. 7. 34.

Tu inter eas restim ductans saltabis.

est lusus natus ab eo fune, quo introductus equus durius in Trojam est, cum nexis manibus fune chorum ducunt saltantes. De illo fune Virg. Æneid. ii. 238.

— circum pueri, innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.

Hoc a quibusdam dicitur, sed ego puto, manu consertos choros puellorum puellarumque cantantes *restim* ducere existimare. Simul etiam, quia iste connexus manuum lascivus, ac petulans adimit discretionem conditionis, dignitatis, ætatis inter meretricem, novam nuptam, & senem. *Donat. in Terentium. Meurs. Orchest. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* viii. *p.* 1266. *C. Brod. Misc.* i. 29. *Galeot. Marti. de Promisc. doctr. c.* 14. Potior est sententia eorum, qui referendum putant ad illud saltationis genus, quod Græcis κόρδαξ, de quo multa Meursius. *Lindenbr. & Patr. in Terentium. Buleng. de Theatr.* i. 51. *Torrent. in Horat. Sat.* i. 10. 48. V. tamen differentes de hoc lusu *Scalig. Conject. in Varr. p.* 63. *& Gronov. Thes. Antiq. Græcar. Tom.* viii. *Præfat.* * *vers.*

RESTITUERE est verbum juris, quod importabat *possessorem facere, & fructus reddere, causamque omnem præstare.* Cajus l. 22. ff. de verb. signif. *Restitutio* a Principe impetrari debuit, & decerni. Inscriptio Romæ in domo Gentilis Delphini:

IMP. CÆSAR
VESPASIANUS. AUG
PONT. MAX. CENSOR
LOCUM. VINIÆ. PUBLICÆ
OCCUPATUM. A. PRIVATIS
PER. COLLEGIUM. PONTIFICUM
RESTITUIT

Quomodo Princeps per collegium pontificum locum vineæ publicæ *restituerit*, hoc est, pontificibus auctoribus, jure nostro civili non satis notum. Latent illa omnia crassis occultata, & circumfusa tenebris, ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quæ omnia videre, & assequi possit. *Guther. de vet. jur. pontif.* ii. 4.

RESTITUTIO in integrum appellabatur judicium, quod judicio causæ perfecto sequebatur pro reo qui litem perdiderat. Fuit hujusmodi. Quoniam fieri poterat, ut aliquis in actione, vel recusanda, vel accipienda multis modis lapsus esset, post sententiam semel latam dabatur damnato potestas litis retractandæ, atque ea dicebatur *restitutio in integrum.* Ulpian. l. 1. ff. de in integr. restit. *Utilitas hujus tituli non eget commendatione, ipsa enim se ostendit. Nam sub hoc titulo prætor plurifariam hominibus vel lapsis, vel circumscriptis subvenit: sive metu, sive calliditate, sive ætate, sive absentia inciderunt in captionem.* Sive, ut addit Paull. §. 2. *per status mutationem, aut justum errorem.* Itaque in edicto fuit. *Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo.* Ubi notat Ulpianus: idem olim ita dici consuevisse: *Quod vi, metusve causa: sed postea detractam esse vis mentionem, ideo quia quodcunque vi atroci fit, id metu quoque fieri videtur.* Sigon. de Judic. i. 30. Senec. Epist. 48. *Quid enim aliud agitis, cum eum, quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidisse videatur; sed quemadmodum illum prætor, sic hos in integrum philosophia restituit.* Minori quidem viginti quinque annis, qui plus petendo causa cecidisset, *in integrum restitutionis* auxilium indultum, majori etiam ob justum errorem subventum fuisse tradit Justinian. iv. 6. §. 34. *Si quis agens in intentione sua plus complexus fuerit, quam ad eum pertineat: a causa cadebat, id est, rem amittebat: nec facile in integrum restituebatur a prætore, nisi minor erat viginti quinque annis. Huic enim, sicut in aliis causis causa cognita succurrebatur, si lapsus juventute fuerat: ita & in hac causa succurri solitum erat. Sane si tam magna causa justi erroris interveniebat, ut etiam constantissimus quisque labi posset, etiam majori viginti quinque annis succurrebatur, veluti, si quis totum legatum petierit, post deinde prolati fuerint codicilli, quibus aut pars legati adempta sit, aut quibusdam aliis legata data sint, quæ efficiebant, ut plus petiisse videretur petitor, quam dodrantem, atque ideo lege Falcidia legata minuebantur.* Etiam Claudius Cæsar fertur iis, *qui apud privatos judices plus petendo formula cecidissent, actiones restituisse*, ut scribit Suet. c. 14. n. 6. *Brisson. de Form.* v. *p.* 386. Quandoque a Principe petebatur, & impetrabatur a damnatis, qui sententiam passi erant. Ulpian. l. 1. §. 6. ff. de postulando: *De qua autem restitutione prætor loquitur: utrum de ea, quæ a Principe, vel a senatu, Pomponius quærit, & putat, de ea restitutione sensum, quam Princeps, vel senatus indulsit.* Id fiebat verba: *restituo* l. 1. C. de sentent. pass. & restit. *Oblatus est ei*, Imperatori Antonino, *Julianus Licinianus ab Opilio Ulpiano tunc legato in insulam deportatus: tunc Antoninus Augustus dixit: restituo te in integrum provinciæ tuæ, & adjecit: ut autem scias, quid sit in integrum restituere, honoribus, & ordini tuo, & omnibus ceteris te restituo.* Brisson. ibid. p. 489.

RET.

RETENTIONIS jus, quod habet locator, qui res ab inquilino invectas, & illatas pro pensionibus non solutis retinet, tacitum quodammodo pignus est, quod æque tenetur a creditore, ac si esset ad hoc expresse traditum. Mart. xii. 32. 2.

Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi,
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor.

Salmas. de mod. usur. c. 13.

RETENTURA est pars castrorum tertia, & postrema, a via quintana ad tergum castrorum. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1082. *E. Salmas. Exerc. Plin. p.* 295. *a. E.* Hyginus minimum equitatus in illa ponit, quo cum castra movenda, aut educendus est exercitus, eques inter primos educi posset. *Schel. ibid. p.* 1108. *E.* Ex Hygini numeris: qui retendit xiii. dc. xl. id est, tredecim millia sexcenti quadraginta, in illa ponuntur

nuntur cohortes equitatæ milliariæ duæ, quingenariæ quatuor, quæ computantur in unum ad quinque millia quadringentos quadraginta homines. Adde cohortes peditatas milliarias tres, tria hominum millia; totidem quingenarias, mille quingentos homines; adhoc Palmyrenos quingentos, Getas nongentos, Dacos septingentos, Britones quingentos, Cantabros septingentos, centurias statorum duas, quæ quia duplam peditaturam recipiunt, ad homines quadringentos computantur: e unt justissime tredecim millia sexcenti quadraginta. *Schel. ibid. p. 1097. E.*

RETIARIUS *ab armaturæ genere, in gladiatorio ludo contra alterum pugnantem occulte ferebat rete, quod jaculum appelatur,* (vellem scripsisset brevius, & verius, *ferebat rete jaculum*) *ut adversarium cuspide insistentem operiret, implicitumque viribus superaret: quæ armatura pugnabat Neptuno tridentis causa.* Isidor. XVIII 54. Origo, & exemplum ejus armaturæ non dubie a Pittaco, qui inter sapientes. Ita enim ille ex provocatione cum Phrynone pugnavit. Strab. XIII. p. 413. *Postea vero ad singularem pugnam a Phrynone provocatus, cum piscatoria schema in eum pugnavit: & retejaculo quidem hominem circumvolvit, tridente vero & pugione impulit, occiditque.* Festus: *Hoc genus pugnæ videtur institutum a Pittaco uno ex septem sapientibus, qui adversus Phrynonem dimicaturus propter controversias finium, quæ erant inter Atticos, & Mytilenæos rete occulto lato impedivit Phrynonem.* Ita enim erat edoctus, factusque, ut arte quadam collectum, suspensumque dextra manu *rete* in adversarii caput jaceret, &, si errasset, effuse fugeret, donec forte iterum *rete* collegisset. Nuda facie pugnabat, solus ex gladiatoribus. Huc aptanda sevitia Claudii, de qua Suet. c. 34. n. 4. *Quocumque gladiatorio munere, vel suo, vel alieno, etiam forte prolapsos jugulari jubebat, maxime retiarios, ut exspirantium facies videret.* Inermis, & sine sola tunica. Suet. Calig. c. 30. n. 8. *Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes.* Spongia erat tegmen pectoris. Tertull. de Spectac. c. 25. *Poterit de misericordia moveri defixus in morsus ursorum, & spongias retiariorum.* Tridens, sive fuscina pro gladio. Cum cura, & velut ex professo hæc ejus arma, dùm Gracchum quendam ex prima nobilitate, qui in arena *retiarius* pugnavit, tangit Juven. Sat. VIII. 199.

— & illud

Dedecus urbis habe: nec myrmillonis in armis
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina,
Damnat enim tales habitus, & damnat, & odit.
Nec galea frontem abscondit: movet ecce tridentem,
Postquam vibrata pendentia retia dextra
Nequicquam effudit: nudum ad spectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoscendus arena.
Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat, & longo jactetur spira galero.

Gladio etiam usum semel legitur apud Val. Max. I. 7. 8. *Cum gladiatorium munus Syracusis ederetur, inter quietem Aterius Rufus quidam retiarii se manu confodi vidit: idque postero die in spectaculo consessoribus narravit. Incidit deinde, ut proximo ab equite loco retiarius cum myrmillone introduceretur: cujus cum faciem vidisset, idem dixit ab illo retiario se trucidari putasse, protinusque inde discedere voluit. Illi sermone suo metu discusso causam exitii misero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulso myrmillone, & abjecto, dum jacentem ferire conatur, trajectum gladio Aterium interemit.* Sed quis scit an gladius non venerit in locum tridentis? cujusmodi menda plurima sublata mihi Valerius debet. Rem certe vide: quomodo gladius illi, si in sinistra tridens, in dextra *rete*? Nisi forte ad latus succinctus ille, non ad pugnæ usum, sed cædis: id est, quo prostratum, abjectumque adversarium jugulasset. Quod eo magis illibitur, quia Pittaco ξιφίδιον etiam tribuit Strabo. *Lips. Saturn. II. 8. Pius Annot. post. c. 88. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 13. Menag. in Diog. Laert. I. §. 74. Voss. Lex. Etymol. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Thys. de Gladiat. p. 225. Laurent. Polymath. IV. 9. Pitisc. in Suetonii Caligulam.*

RETICULUM est capitis tegumentum muliebre, quod capillum continet. Varr. de Ling. Lat. IV. 29. *Et quod capillum contineret, dictum reticulum.* Non. XIV. 32. *Reticulum tegmen capitis muliebre. Varr. Sesquiul. Suspendit Laribus Marinis molles pilas, reticula, ac strophia.* Quomodo usus quoque Juven. Sat. II. 96.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Voss. Lex. Etymol. Casaub. in Athen. XV. 8. Jun. de Com. c. 7. Grang. in Juvenalem. Rhod. de Acia c. 5. Cuper. Observ. IV. 9. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 8.

Reticulum vocabatur vas illud, quo venales panes ad mercatum deferebantur. Theophrasto, aliisque Græcis γυργάθος. Panaria enim veterum, & Græcorum, & Romanorum *reticulato* opere solebant fieri. Horat. Sat. I. I. 46.

— ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehat humero.

Juven. Sat. XII. 60.

Mox cum reticulis, & pane, & ventre lagenæ...

Casaub. in Athen. IV. 8. Britann. in Juvenalem.

Reticulus vocatur campagus a Gallieno Imperatore apud Trebell. Pollion. c. 16. *Quum campagos reticulos appellaret.* Erant enim intercisi, ut æstivi calcei hodieque sunt multifores. Sic nobiliorum apud Græcos calcei erant πολυσχιδεῖς: ex eaque re vocabantur σχισαί, & λεπτοσχιδεῖς: nihil autem *reticulato* operi similius calceis istis intercisis. Poterat & alia afferri ratio hujus appellationis, quod pars campagi superior, quam Aristoteles χιτῶνα τοῦ ὑποδήματος nominat, e loris decussatim implicatis esset contexta. *Casaub in Trebellium Pollionem. Balduin. de Calceo c. 18.*

RETRICES sunt rivuli extra Urbem, unde aqua derivatur irrigandorum hortorum, & pratorum gratia. Festus: *Retricibus cum ait Cato in ea, quam scripsit, cum edissertavit Fulvii Nobilioris censuram, significat aquam, quæ est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum, & tertium, qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam, atque Asinariam usque ad Latinam.* Sed in his verbis apparent monstra. Viam namque Ardeatinam ad dextram viæ Appiæ fuisse constat, inter hanc & Ostiensem: Latina vero ab altero Appiæ latere fuit, nempe sinistro: sic ut Appia inter hasce media proxime hortos a Festo memoratos transierit, & eam, qua illi irrigabantur, aquam. Unde igitur factum, ut & Cato, & Festus Asinariæ, & non Appiæ multo illa celebrioris, notiori que mentionem fecerint? Adhæc portam Asinariam superius ad S. Johannis Lateranensis fuisse diximus: unde viam Asinariam processisse qui negari queat, non video. Quomodo igitur ea inter Latinam & Ardeatinam esse unquam potuit, inter quas sola Appia fuit? Hunc nodum non aliter solvi posse censeo, quam locis iisdem accurate consideratis præsupponendo, faciendoque, Catonem, & Festum non de viis agere, quæ recta linea sibi invicem adjunctæ procurrunt, verum quæ vel in initio, vel in fine se contingunt. Quod ut ad oculum demonstremus, sciendum, in conspectu portulæ, quam Asinariam esse diximus, sub vetere Lateranensi palatio vallem occurrere angustam, sed longiorem, quæ inter eminentias semper ferme plana ad viam Latinam pertingit, eamque transiens eodem loci, unde Latina descendit, atque iterum assurgit, prata tandem intret Caffarellæ. Hinc forte loca pascua in Cœlium montem semet extenderunt, & via, ac porta, ab asinis solis usurpatæ, dictæ fuerunt Asinariæ. Cæterum viam Ardeatinam multi intra Urbem incepisse credunt, & ante ædem S. Balbinæ per portam quandam Aventini inter Ostiensem, & Capenam exitum habuisse, in errorem hunc verbis male intellectis inducti Anastasii, qui D. Marcum Papam ecclesiam illius divæ construxisse refert in via Ardeatina. Verum non animadverterunt illi, ecclesiam illam, una cum cœmeterio suo, in qua D. Marcus postea sepultus est, ab eodem Anastasio dici extra Urbem

tante : quod & cœmeterium, quod illic fuit, adſtruere videtur. Eccleſia igitur S. Balbinæ a S. Marco in via Ardeatina ædificata, diverſa fuit ab ea, quæ nunc intra mœnia eſt. Viæ porro Ardeatinæ multa martyrum acta meminere, in quibus cœmeterium S. Calixti, ubi hodie eccleſia S. Sebaſtiani eſt, nunc in via Ardeatina, nunc in Appia fuiſſe legitur : quod mihi certum indicium videtur, viam Ardeatinam non procul a S. Sebaſtiani ab Appia fuiſſe ſeparatam, ſicut hodieque ab illa alia quædam diſcedit, quæ a S. Sebaſtiani ad S. Paulli ducit : quem viæ ramum veriſimile eſt interſecantem viam Appiam, pergentem inde a ſiniſtris ad pagum, qui iſthic erat, ſub S. Urbani æde intraſſe in magnam illam vallem ; indeque forte ulterius vallem totam permeantem in commodum viatorum in ipſam viam Latinam pertendiſſe. His ita ſtatutis, Ardeatinam viam ad S. Sebaſtiani ab Appia divertiſſe, inter ſecundum, & tertium veterem lapidem exiſtimandum eſt eo, quo Feſtus dicit, modo : hortos vero ab aqua illa irrigatos non potuiſſe alibi eſſe, quam in planitie Caffarellæ ad viam Appiam, & initium viæ Ardeatinæ illi ſubjectæ : in cujus extremitate ad ima colliculorum, qui in ſummitate vallis inter Latinam, & Caput bubulum conſpiciuntur, aqua fluvii Almonis (forſan & aliæ nonnullæ ſcaturigines) ibidem tum collecta (ſicut & hodieque e valle eadem, multo nunc quam olim citius, & expletius habente ſolum, profluit) marginibusque incluſa, irrigandis hortis illic exiſtentibus inſerviebat, dicta eapropter *inter lapidem eſſe ſecundum, & tertium, ſupra viam Ardeatinam.* Hinc & *infra viam Ardeatinam* irrigati dicuntur horti vallis illius, qui fuere ſub initium *viæ Ardeatinæ, & ſub viam Aſinariam :* ſubjungiturque *uſque ad Latinam :* quia vallis minor lateralis, per quam via Aſinaria tranſibat (cujus ſitus hodieque plane conſpicuus eſt, & ipſi hortos habere debuit), ſimiliter aquæ iſtius irrigationibus, donec ab interſecante via Latina impediretur, finireturque. *Nardin. Rom. vet.* III. 3.

REV.

REVOCARE dicebantur, qui provocationem non recuſabant, ſed eam recipiebant, & paratos ſe oſtendebant laceſſenti, viciſſimque provocabant. Varr. Sexag. apud Non. II. 750. *Qui nos provocare cum audeant, nos illos revocare timemus.* Eodem modo *revocari* accipiendum eſſe cenſeo apud Cicer. pro Mur. c. 12. *Unde tu me, inquit, ex jure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te revoco.* Turneb. Adv. XXVIII. 13.

REU.

REUS eſt, quicunque in judicium venit, & cujus *res*, ſive cauſa in foro agitur, ſive nocens, ſive innocens ſit, & actor, & is, qui convenitur. Cicer. de Orat. II. 43. *Reos appello, non eos modo, qui arguuntur, ſed omnes, quorum de re diſceptatur : ſic enim olim loquebantur.* Ælius Gallus libro ſecundo ſignificationum verborum, quæ ad jus pertinent, apud Feſtum: *Reus eſt, qui cum altero litem conteſtatam habet, ſive is egit, ſive cum eo actum eſt.* Voſſ. Inſtit. orat. III. 2. 3. Lex. Etymol. Pollet. For. Rom. II. 1: IV. 6. Barth. Adv. VII. 18. Et ideo in lege decemvirorum, qua cautum erat, ut ſi *reus* cum actore pepigiſſet, id ratum foret, lego : *Reei. ubei. pagont. ratom. eſit.* pro *Rem. ubi. pagunt, oratione. pagunt.* Et in oratione M. Catonis pro Turio apud Gell. XIV. 2. *Atque ego a majoribus memoria ſic accepi, ſi qui quid alter ab altero peterent, ſi ambo pares eſſent, ſive boni, ſive mali eſſent, quod duo rei geſſiſſent:* pro *quod duo res geſſiſſent.* Rutgerſ. Var. Lect. v. 16. *Reus nunc dicitur, qui cauſam dicit : & item, qui quid promiſit, ſpopondit ve, ac debet : ut reus ſtipulando, eſt idem qui ſtipulatur : reus promittendo ; eſt qui ſuo nomine alteri pro altero quid promiſit.* Feſtus. *Reus* reſpectu actionis dicitur, collatus ad patronum cliens, ante ingreſſum litis conſultor. Hinc *reus locuples* pro inſtructo omni genere defenſionum, & quaſi invicto. Tacit. de Orat. c. 5. n. 2. *Si poetica accuſatur, non alium video reum locupletiorem*, id eſt, paratiorem ad reſpondendum. De Baſſo loquitur. *Uſitatum tamen eſt reos eſſe*, qui pro capite cauſam dicunt. *Pollet. l. l.* Statim ac comprehenſus erat, ædes ejus obſignabantur, quo chartæ omnes in judicio proferri poſſent, ex quibus documentum judici ſuppeteret. Ammian. XXIX. 2. *Immittebantur confeſtim, qui ſignatis domibus inter ſcrutinia ſupellectilis, pœnis additi. . . .* Obſignabantur appoſitis fiſcalibus titulis. Sic *fundus fiſcalis tituli proſcriptione ſignatus* dicitur l. 3. C. Th. de aquæductu. In martyrologio Norkeri IV. Kal. Septemb. *Romæ Sabinæ Mart. quæ paſſa eſt Hadriano imperante ſub præfecto Urbis Epidio, omneſque ejus facultates domini, vel publicis titulis adſignantur.* Hi tituli nihil aliud erant quam tabulæ inſcriptæ cum velis, ſeu cortinis purpureis. Agath. v. Græci hoc dicunt ἀποσημαίνεσθαι apud Xenoph. Rer. Græc. II. p. 473. A. & ἀποσφραγίζεσθαι apud Stob. Serm. 237. & Athanaſ. Apol. de fuga. Quod ſi ſententia judicis erat abſolutus, refixis titulis rem ſuam recuperabat: ſin erat condemnatus, fiſco applicabantur. *Vaeſ. in Ammianum. Rei* nomen accuſator, qui criminis alicujus *reum* facere volebat, deferebat, & poſtulabat, ut judex quæſtionis illud reciperet. Cicer. Verr. II. 38. *Palam de ſella, ac tribunali pronuntiat, ſi quis abſentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, ſe ejus nomen recepturum : & ſimul, ut ad cauſam accederet, nomenque deferret, Agathinum novum affinem, atque hoſpitem cœpit hortari. . . . Hic tum repente Pacilius quidam, homo egens, ac levis accedit : ait, ſi liceret, nomen abſentis deferre ſe velle. Iſte vero & licere, & fieri ſolere, & ſe recepturum : itaque defertur.* Briſſon. de Form. v. p. 467. Sigon. de Judic. II. 10. Cujac. Obſerv. XX. 21. Schill Nomencl. Philol. p. 986. Poſt delatum nomen jubebatur, ut certo die adeſſet. Cicer. in Vatin. c. 14. *Quæro, poſtulatuſne ſis lege Licinia & Junia? edixeritne C. Memmius prætor ex ea lege, ut adeſſes die trigeſimo?* Verr. II. 38. Poſt Sthenii delatum nomen Verres *ſtatim edicit, ut Kalend. Decembr. Sthenius adeſſet Syracuſis.* Tacit. Annal. II. 79. 2. *Marſus Vibius nuntiavit Piſoni, Romam ad dicendam cauſam veniret. Ille eludens reſpondit, adfuturum, ubi prætor, qui de veneficiis quæreret, reo atque accuſatoribus diem prædixiſſet.* Briſſon. ibid. p. 469. Citabatur autem e tribunali voce præconis. Mart. v. 5. 3.

Qui nec leno potes, nec comeſſator haberi,
Nec pavidos triſti voce citare reos.

Suet. Tib. c. 11. n. 8. *Citatumque pro tribunali voce præconis, conviciatorem rapi juſſit in carcerem.* Et hinc *citatus reus* dicitur Papinian. l. 10. ff. de public. judic. *Nec per triduum ſingulos dies ter citatus reus damnetur.* Briſſon. ibid. p. 470. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 17. Rævard. Protrib. c. 2. Savar. in Sidon. Epiſt. I. 7. Pitiſc. in Suetonium. Pollet. l. l. Et accuſator in roſtra aſcendebat, ut ex roſtris *reum* citaret. Liv. XXXVIII. 51. *Ubi dies venit, tribuni in roſtris prima luce conſederunt : citatus reus magno agmine amicorum, clientiumque per mediam concionem ad roſtra ſubiit. . . . Ut ſcribæ, viatoreſque relinquerent : nec cum iis præter ſervilem comitatum, & præconem, qui reum ex roſtris citabat, quiſquam eſſet.* Potuit autem major, aut par magiſtratus intercedere, ne citaretur, & ſi abſens fuit, potuit excuſari. Quod ſi citatus, neque excuſatus non affuiſſet, pro arbitrio magiſtratus potuit ei pœna irrogari. Varro. *M. Terentio, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei unam ovem multam dico.* Aſcon. Cicer. p. 172. *Q. Varius tribunus plebis belli concitati crimine adeſſe apud ſe Scaurum juſſit. Ille per viatorem arceſſitus, proceſſit in forum.* Sigon. de Judic. III. 8. Quod ſi per præconem ex roſtris citatus ab accuſatore non affuiſſet, in arcem, & ante fores per cornicinem evocabatur. Scriptum hoc eſt, licet obſcure, apud Varr. de Ling. Lat. v. 9. *Indicat commentarium vetus anquiſitionis M. Sergii Manii filii quæſtoris, qui capitis anquiſivit Trogum, in quo ſic eſt : Auſpicio orando ſede in templo auſpicii, dum aut ad prætorem, aut ad conſulem mittas auſpicium petitum cum eat, præco reum vocet ad ſe, & cum de mœris vocet : præconi id impe-

imperare oratet, cornicinem ad privati januam, & in arcem mittat, ubi canat classicum T. Trogo, & comitia edicat e rostris: argentarii tabernas occludant, patres censeant, exquiras, & adesse jubeas. . . . Qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemptum habent, uti curent eo die, quo [illegible] *in arce classicum canat, tum circumque* [illegible] *hujusce rei. Quod in T. Trogo* [illegible] *ut in campo prima luce adsit.* Plutarch. in Gracchis: *Moris est Romanis, si quis capitis anquisitus non* [illegible] *summo mane ad fores ejus* [illegible] *neque* [illegible] *de eo judices sententiam ferre.* Inde, si ne ita quidem adfuisset reus, exilium ei [illegible] aut si exilii causa solum vertisset, ei judicium [illegible] exilium [illegible]. Liv. xxv. 4. *Postumius vadibus datis* [illegible] *Tribuni vocaverunt plebem, quae ita sciunt: si M. Postumius ante Kal. Majas non prodiisset, citatusque eo die non respondisset, neque excusatus esset, videri eum in exilio esse.* xxvi. 3. *Priusquam dies comitiorum aderat, Cn. Fulvius Tarquinios* [illegible] *abiit: id ei justum exilium esse plebs scivit.* Rævard. Conject. i. 19. Sigon. ibid. iii. 14. Si non a [illegible], absens damnabatur. Ascon. ibid. p. 205. *Alio postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum absens damnatus est.* Sigon. ibid. ii. ii. Ubi primum adesse jussus, deinde secunda actione citatus affuit, tum vero accusari est coeptus. Cicer. pro dom. c. 18. *Hic cum* [illegible] *ubi crimen est? ubi accusator? ubi testes? quid* [illegible] *neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus, ac eius caput, liberos,* [illegible] Accusatio vero triplex fuit: siquidem intermissis diebus ter est habita. Accusator crimen certum afferebat, idque testibus, & argumentis probabat. Cicero modo laudatus. Et de testibus locus est insignis, ubi se accusaturum Verrem ad populum de majestate minatur Cicer. Verr. i. 5. *Mihi credite, arctioribus ad populum laqueis tenebitur: credet iis equitibus Romanus populus Romanus, qui ad vos antea producti testes, ipsis inspectantibus ab isto civem Romanum sublatum esse in crucem dixerunt. Credent omnes quinque & triginta tribus M. Annio,* [illegible] *civem Romanum securi percussum dixit.* Sigon. ibid. iii. 9. Quot modis evocaretur, V. supr. in *Evocatio.* Si reus non latitaret, sed agendi secum actori facultatem faceret, solebat postulationem die in jus sequi adversarium. Antequam in jus ventum esset, reo actionem edere actor non solebat cogi. Potest hoc probari ex Plaut. Pers. iv. 9. 8.

> *Age, ambula in jus leno.* D. *Quid me in jus vocas?*
> SA. *Illic dicam apud praetorem: sed ego in jus voco.*

Omnis alioquin copiam actionis describendæ reo, antequam in jus veniret, actor nonnunquam faceret, *ut pronde rei celebera et, utrum cedere, an contendere ulri debet, & si contendendum putaret, veniret instructus, cognita actione, qua conveniretur* l. 1. ff. de edendo. Hanc editionis rationem eleganter expressit Terent. Adelph. ii. 1. 41.

> *Nunc vide, utrum vis argentum accipere, an causam meditari tuam.*
> *Delibera hoc, dum ego redeo leno.*

Novar. Schediasm. iii. 13. Rævard. Protribun. c. 4. Quot horas illi concesserit judicii praeses V. supr. in *Hora.* Hi rebus actis vestem mutavit. Togam enim albam deposita atram induit, & barbam, capillumque promisit, squalloremque contraxit, ut scilicet eo habitu sui fugitiores conciliaret, inimicos permulceret, & judices temperaret. Liv. vi. 20. *Approbantibus cunctis, diem Manlio dicunt. Quod ubi est factum, primo commota plebs est, utique postquam sordidatum reum viderunt: nec cum eo non modo patrum quenquam, sed ne cognatos quidem, aut affines, postremo ne fratres quidem A. & T. Manlios: quod ad eum diem nunquam usu venisset, ut in tanto discrimine non & proximi vestem mutarent.* Justin. xxxvi. 4. 2. *Post hanc felicitatem violentius rabiem, qualidam vestem sumit, barbam capillumque in modum reorum summittit.* Hinc Tertull. de Anim. c. 39. *caput reatus vovere* est comam ino e reorum promittere.

Et *detrahere sordes* apud Senec. de Benef. ii. 35: iv. 12. est reum liberare. *Sigon. ibid.* ii. 10. *Cujac. Observ.* vi. 5. *Farner. Rer. quot. l.* iv. 5. *Bernegg. in Justinum.* [illegible] *in Senecam. Rævard.* [illegible] iii. 6. Atram, seu pullam togam induebant tantum in luctu, sed in reatu obsoletam, & sordidam sumebant: unde sordes pro reatu, & sordidati pro reis saepius leguntur. Alia vero erat sordida & obsoleta, alia toga pulla seu atra. *Graev. Thes. Antiq. Rom.* [illegible] ii. *Praefat.* * * * * * 4. *vers.* V. & supr. in *Reatus.* Accusatus apud senatum sedebat sub patrono. In utraque ad populum provocatione super eundem collocatus stabat obsecraturus, ut eo periculo liberaretur. Senec. Contr. iii. 17. *Impius es, ingratus, & audeo dicere, parricida, resque forum; hic sub Cicerone assedisti: nec pice rostra; hic super Ciceronem stetisti.* Laurent. de Rebus [illegible] c. 5. Patronos conquirebat. Sed ait Ascon. in Cicer. p. 171. ante bellum civile Caesaris raro quemquam pluribus quam quatuor patronis esse usum: at post bella civilia, ante legem Juliam ad duodenos patronos esse perventum. Defensorum idem p. 20. quatuor genera facit, quorum patronum eum vocat, qui orator esset, & voce causam orandam susciperet, & sese accusatori opponeret. *Sigon. l. l.* Et praeter hos laudatores adhibuit. Hi fuere aut cives summa auctoritate viri, qui in periculo capitis vitam *rei* in judicio laudarunt; aut municipes *rei*, quos municipia suo publicò nomine ejus officii causa Romam miserunt; aut homines provinciales, quos singulæ provinciarum civitates ab eo administratæ cum publica laudatione ad sublevandum *rei* periculum miserunt. Hi minimum decem dati dicuntur. Cicer. Verr. v. 22. *Quis est vestrum, judices, qui non intelligat, ut in judiciis, qui* [illegible] *laudatores dare non potest, honestius est ei, nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere.* [illegible] aliquando defensioni praeposita est, [illegible] in causa certa, [illegible] etiam ipsam est defensionem subsecuta. Praecessit, ut pro Flacco. Sic enim defendens Flaccum inquit Cicer. c. 15. *Idem laudationem, quam nos ab Atheniensibus Flacco datam* [illegible] Intercessit [illegible] Cluentio. [illegible] *ut non solum testimonium, sed* [illegible] *rerum etiam curam animi, ac dolorem: qua dum laudatio recitatur, vos quaeso, qui eam* [illegible] Post defensionem, ut de Scauro Ascon. in Cicer. p. 157. *Laudaverunt Scaurum consulares novem, inter quos Pompejus* [illegible] *Cornelius Sylla,* [illegible] *cum lacrymis locutus, non minus audientes permovit, quam Scaurus ipse permoverat.* Sigon. ibid. ii. 19. [illegible] ii. 4. Fidejussores dicebantur illum sistere. V. infr. in *Sistere.* Et ipse in judicio stare. V. infr. in *Stare.* Causam dicebat, atque accusationi respondebat, aut ipse, aut patronus permissa accusatoris [illegible] defendebat, atque inde agebat. Ex quo memorabile illud in Caesare praetore, de quo Cic. ad Attic. ii. 24. *Caesar, qui olim, praetor cum esset, Q. Catulum ex inferiore loco jusserat dicere, Vettium in rostra produxit.* Sigon. ibid. iii. 12. Patroni defensionem aggrediebantur eo die, qui esset ex lege a praetore concessus, ut pro Cluent. c. 21. *Citatur reus, agitur causa: paucis verbis accusat* [illegible] *ut de re judicata Cannutius. Incipit respondere Cepasius,* Ut accusatores crimina inferenda, sic patroni diluenda partes [illegible] susceperunt: & quoniam tres erant defensionis status, aut factum negare, aut nomen facti, aut jure factum [illegible] probare; si, quod firmius videbatur, factum negarent, firme testes non dabant, sed orationem [illegible] qui aut testes, [illegible] aut qui pro [illegible] refutabant. Ascon. in Cicer. p. 78. [illegible] *dari solent: ergo nihil profecto a parte defensoris* [illegible] *cit pro defensore? oratio solet:* [illegible] *non* [illegible] *tacente accusatore.* Cic. in [illegible] pro Font. c. 1. V. illum sup. in *Defensio.* Sigon. ibid. ii. 18. Quod si quis prehenderetur, & in carcerem, aut vincula duci [illegible] Liv. ix. 34. *Hac tamque cum dixisset,* [illegible] *censorem* [illegible] *& in vincula duci jussit.* xxv. 4. *Cons. [illegible] Carvilius trib. plebis,*

plebis, omissa multæ certatione, rei capitalis diem Postumio dixerunt: ac ni vades daret, prehendi a viatore, atque in carcerem duci jusserunt. Capitis interdum ex vinculis dicebat. Liv. xxix. 19. *Pleminium legatum vinctum Romam deportari placere, & ex vinculis causam dicere.* Suet. Ner. c. 36. n. 5. *Conjurati e vinculis triplicium catenarum dixere causam.* Brisson. de Form. v. p. 471. Dixi interdum. Nec enim custodiendorum *reorum* una eademque ratio erat; sed vel in carcerem recipiebantur, vel militibus tradebantur, vel fidejussoribus, vel sibi ipsis committebantur. V. supr. in *Custodia.* Interea vero dum hæc ad *rei* exitium parabantur, multa auxilia reus sibi quærere poterat, quorum unum a magistratibus, alterum a populo, tertium a lege, quartum ab ipso accusatore petitum est. A magistratu tum petitum est, si tribuni plebis aut collegæ intercederent, aut alium magistratum interpellarent, ne *reum* citaret, ne in carcerem duceret, ne accusaret, ne pœnam irrogaret, ne concilium ei judicio haberet, aut si ei diem ad comitia, & judicii prodixissent. Hæc enim omnia facere pro arbitratu potuerant. Liv. xxxviii. 52. *Tribuni plebis appellati ita decreverunt: si morbi causa excusaretur, sibi placere, accipi eam causam, diemque a collega produci. Gracchus tribunus plebis decrevit, se Scipionem absentem accusari non passurum, & si affuerit, & se appellet, auxilio ei futurum, ne causam dicat.* Decretum Gracchi, cujus meminit Livius, est apud Gell. vii. 19. hoc modo: *P. Scipio Africanus postulavit pro L. Scipione Asiatico fratre, cum contra leges, contraque morem majorum tribunus plebis hominibus ... per vim in forum vocatis, nullo de eo tulerit, multamque nullo exemplo irrogaverit, prædesque eum ob eam rem dare cogat, aut, si non det, in vincula duci jubeat, ut eum a collegæ vi prohibeamus. Et, quod contra collegæ postulavit, ne sibi intercedamus, quominus suapte potestate uti liceat, de ea re nostrum sententia omnium est data: Si L. Cornelius Scipio Asiaticus collegæ arbitratu prædes dabit collegæ, ne eum in vincula ducat, intercedo. Cum autem Aulus ... tribunus plebis L. Scipionem prædes non dantem prehendi, & in carcerem duci jussisset, tum Gracchum ita decrevisse: cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans hostium duces in carcerem conjectaverit, alienum videri esse a dignitate populi Romani in eum locum Imperatorem populi Romani duci, in quem locum ab eo conjecti sunt duces hostium: itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum a collegæ vi prohibeo.* Populare auxilium significavit Cicero, cum dixit, pro Dom. c. 17. *multas res ad placandum, atque ad misericordiam esse concessas exorabilem populum, facilem pro salute supplicationem fuisse.* Significat autem humiles *reorum* preces, atque cognatorum, amicorumque pro iis supplicationes, & prensationes. Etenim cum ipsi diebus illis detrita veste sordidati, ac barba, & capillo promisso prensarent populum, tum nobiles etiam, qui idem pro se facerent, habuerunt. V. Livium supra laudatum & in *Reatus.* Auxilium, quod a lege prolatum est, fuit duplex: auspicia, & excusatio. Unde Cicero dixit pro Dom. c. 17. *Si qua res diem judicii aut auspiciis, aut excusatione sustulisset, totam causam, judiciumque sublatum esse.* Quod auspiciis inquit judicium discussum esse, comprobatur exemplo P. Clodii, qui, ut inquit Val. Max. viii. 4. *objectus populo cum effugere debitam, quamvis non posset, subito coorti imbris beneficio tutus fuit a damnatione: Discussa quæstione, aliam velut diis interpellantibus, de integro instaurari non placuit.* Liv. xl. 42. *De multa certatum ad populum. Cum plures jam tribus intro vocatæ dicto esse audientem pontifici duumvirum juberent, multamque remitti, si magistratu se abdicasset, vitium de cœlo, quod comitia turbaret, intervenit.* Excusationis ratio fuit hujusmodi. Citato reo licuit non adesse, si excusaretur. Excusatio fuit aut morbi, aut exsilii voluntarii, aut funeris curandi. Morbi, ut in P. Scipione, de quo Liv. xxxviii. 52. *P. Scipio die longiori prodicta in Liternum concessit.... certo consilio, ne ad causam dicendam adesset. Major animus, & natura erat, ac majori fortunæ adsuetus, quam ut reus esse sciret, & submittere se in humilitatem causam dicentium. Ubi dies venit, citarique absens est cœptus, L. Scipio morbum causam esse cur abesset, excusabat: quam excusationem quum tribuni, qui diem dixerant, non acciperent, tribuni plebis appellati ab L. Scipione ita decreverunt, si morbi causa excusaretur, sibique placere accipi eam causam, diemque a collegis prodici. Gracchus cum vetuisset, nomen suum decreto collegarum adscribi, ita decrevit: Quum L. Scipio excuset, morbum esse causam fratri, satis id sibi videri, se P. Scipionem, priusquam Romam redisset, accusari non passurum.* Exsilii, ut Cæsoni Quinctio, de quo Liv. iii. 13. *Judicii die cum excusaretur solum vertisse exsilii causa, nihilominus Virginio comitia habente collegæ appellati dimisere concilium.* Funeris, ut Cicero pro Rabir. perduell. reo c. 3. *Cum ad judicii moram familiaris funeris excusatio quæreretur.* Quartum ab accusatore quæsitum est. Id autem fuit, quoties accusator accepta excusatione, aliave de causa, aut diem produxit, aut omnino incœpto destitit. Cicer. Fratr. ii. 3. *Ante diem tertium Nonas Milo affuit: ei Pompejus advocatus venit. Dixit Marcellus a me rogatus: honeste discessimus: producta dies est in quartum Idus Februar. Ante diem octavum Idus Februar. Milo affuit: dixit Pompejus, sive voluit: nam, ut surrexit, operæ Clodianæ clamorem sustulerunt: idque ei perpetua oratione contigit, non modo, ut acclamatione, sed ut convicio, & maledictis impediretur: qui ut peroravit, surrexit Clodius. Ei tantus clamor a nostris, ut neque mente, neque lingua, neque ore consisteret. Res in posteram diem est dilata. Clodius in Quirinalia prodixit diem.* Formula dimittendi *rei* fuit: *non moror.* Liv. iv. 42. *Tum Hortensius, non vobis liberi, inquit, plebs Romana, ordinatos tribunos, nos. C. Sempronium nihil moror.* Sigon. ibid. iii. 13. Dum judices sententiam ferrent, ad pedes eorum se projiciebat. Ascon. in Cicer. p. 178. *Ad genua judicum, cum sententiæ ferrentur, bifariam se diviserunt, qui pro eo rogabant.* Val. Max. viii. 1. 6. *Per id tempus, quo tristes de Pisone sententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit: cumque prostratus humi pedes judicum oscularetur, os suum cœno replevit.* Sigon. ibid. ii. 22. Fuit moris, ut, si condemnatum pronuntiaturus esset prætor, prætextam poneret. V. supr. in *Prætexta.* Formula pronuntiandæ condemnationis, aut absolutionis quænam fuerit. V. infr. in *Videtur.* Absolutum, aut condemnatum prætor referebat in tabulas. Cicer. Famil. viii. 8 V. illum supr. in *Prætores.* Sigon. ibid. ii. 22. Condemnatum duæ res sequebantur, æstimatio litis, & animadversio. V. supr. suis locis. Dicebatur duci, quum vel in jus, vel in carcerem, vel ad supplicium abriperetur. Plin. Epist. x. 97. 3. *Supplicium minatus: perseverantes duci jussi.* Flor. iii. 21. 28. *Ut obsides jure belli, & modo morte damnati duci jubentur.* Integra phrasis legitur apud Suet. Tib. c. 57. n. 3. *Scurram duci ad supplicium imperavit.* Cicer. Catil. i. 1. *Ad mortem te, Catilina, duci jam pridem oportebat.* Et Græcis ἀπάγεσθαι. Moschopulus: Ἀπάγεται κυρίως ἐπὶ αἰχμαλωσίας, ἢ ἐπὶ καταδίκων: οἷον, ἀπάγεται τὸν ἐπὶ θάνατον. *Herald. Adv.* i. 11. *Nann. Misc.* ix. 8. *Salmas. de Mod. usur. c.* 17. *Cellar. in Plinium. Pitisc. in Curt.* viii. 7. 15. E *reorum* numero dicebatur eripi, cum tabula pendula, in qua *reorum* elenchus, refigitur. Cicer. Verr. iv. 19. *Condemnare Diodorum non audet, absentem de reis eximit.* Suet. Aug. c. 56. n. 13. *Unum omnino e reorum numero, ac ne eum quidem, nisi precibus, eripuit.* Pollet. For. Rom. iv. 7. Pitisc. in Suet. Aug. c. 32. n. 5. Ejus nomen abolere quid sit V. supr. in *Abolere.* Absolutus radebatur, antequam Capitolium adscenderet. Mart. ii. 74. 3.

Ad alta tonsum templa cum reum misit.

Tomas. de Donar. c. 11. Laurent. l. l. Absolutus sinistrum pedem Regi, aut Imperatori gratias agens osculabatur. Senec. de Benef. ii. 12. *Cæsar dedit vitam Pompilio Penno, si dat, qui non aufert, deinde absoluto, & agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem.* Laurent. l. l. Si de *reo* supremum esset in provinciis supplicium sumendum, centurio cum suis speculatoribus ad locum supplicii *reum* perducebat, nec ante decedebat, quam præsidis sententia mandata foret executioni. Pont. Diac. in vita Cypriani martyris: *Et cum exiret prætorii fores, ibat comes militum turba, & ne quid in passione deesset, centuriones, & tribuni*

tribuni latus texerant. Marc. c. 15. n 16. *Milites Chriſto extra prætorium educto, totam cohortem convocant, eumque purpura induunt, & poſtquam ei illuſerunt, ſpoliantes eum purpura, ipſiusque veſtibus induentes, crucifigendum ad locum Golgotha educunt.* Et quia Matthæus centurionis meminit, qui D. Jeſum ſervâbat, ex eo probabiliter conjectari licet, id prorſus eſſe vero conſentaneum, quod de centurione, & ſpeculatoribus dixi, eamque cohortem, cujus meminit Marcus, ex ſpeculatoribus, & optionibus conſtitiſſe. Quinam ſpeculatores V. infr. in *Speculator.* Moris etiam erat, ut *rei* damnati, & affecti ſupremo ſupplicio veſtimenta inter ſe carnifices dividerent. Hunc morem docent nos ſinguli Evangeliſtæ. Ajunt enim, milites quatuor, poſtquam D. Jeſum cruci affixerant, & ejus veſtimenta cepiſſe, & ex iis quatuor partes feciſſe ſingulis militibus unam. Nec alio referendum quod Diaconus ait: Cyprianum martyrem ad locum ſupplicii perductum ſe birro exſpoliaſſe, & tradidiſſe carnificibus. Eaque omnia, quæ pannicularia dicuntur, ſibi jure ſuo hujusmodi milites olim uſurpaſſe auctor eſt Ulpian. l. 6. de bon. damnat. *Ravard. Conject.* III. 14.

REX.

REX inter magiſtratus ordinarios, primis temporibus, apud Romanos principem tenuit locum. Tacit. Annal. I. I. 1. *Urbem Romam a principio Reges habuere.* Auſpicato creabatur. V. ſupr. in *Magiſtratus.* Horum imperio tantæ Reipublicæ, non ſolum utili, verum etiam prope neceſſario Urbs annis 244. paruit Quid enim futurum fuit, ſi illa paſtorum, convenarumque congregata multitudo, transfuga ex ſuis populis, ſub tutela inviolati templi, ſoluta regum metu, agitari cœpta eſſet tribuniciis procellis, & in aliena urbe cum patribus civili contentione decertare, priusquam pignora conjugum, ac liberorum, caritasque ipſius ſoli, cui longo tempore adſueſcitur, animos eorum conſociaſſet? diſſipatæ res nondum adultæ diſcordia forent, quas tranquilla *regii* imperii moderatio fovit, eoque nutriendo poſtremo perduxit, ut bonam frugem libertatis, maturis jam viribus ferre poſſent. *Panvin. de Civit. Rom. c.* I. *in Faſtor.* I. *p.* 40. *Roſin. Ant. Rom.* VII. 3. In *Regum* creatione hic mos, teſte Dionyſ. IV. p. 242. fuit obſervatus. *Defuncto Rege populus ſenatui deferebat poteſtatem conſtituendæ, ad quam placeret, formam, Reipublicæ. Senatus Interreges creabat. Illi virum eligebant optimum, quem, ſive ex indigenis eſſet, ſive ex civibus, ſive ex peregrinis Regem conſtituerunt. Si ergo electum ab eis Regem ſenatus probaſſet, populusque approbaſſet, & auſpicia confirmaſſent, aſſumebat is imperium. Quod ſi horum trium aliquid deeſſet, alter nominabatur: & poſt hunc tertius, niſi in ſecundum utrinde hominum pariter, & deorum ſuffragia conſenſiſſent.* Pigh. Annal. Rom. I. p. 28. Roſin. l. l. Munia, narrante Dionyſ. II. p. 87. eximia fuerunt hæc: *Primum, ut ſacrificiorum, & reliquorum ſacrorum penes eum eſſet principatus, per eumque gereretur, quicquid ad placandos deos attinet. Deinde, ut legum, ac conſuetudinum patriarum haberet cuſtodiam: omnisque juris, quod vel natura dictat, vel pacta, & tabulæ ſanciunt, curam ageret. Utque de graviſſimis delictis ipſe decerneret, leviora permitteret ſenatoribus, providendo interim, ne quid in judiciis peccaretur. Utque ſenatum cogeret, populum in concionem convocaret, primus ſententiam diceret, quod pluribus placuiſſet, ratum haberet.* Panvin. ibid. c. 3. Roſin. l. l. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 20. Inſignia, quibus præ cæteris internoſci, & a reliquo populo diſcerni poſſent, fuerunt toga purpurea, ſella curulis, corona aurea, ſceptrum eburneum, lictores. V. ſingula ſuis locis. Arbitrium ſenatorum legendorum penes illos fuit. Primus omnium ſenatum Romulus inſtituit. Liv. I. 8. *Quum jam virium haud pœniteret, conſilium deinde viribus parat: centum creat ſenatores.* Poſtea vero & Romulus, & cæteri *Reges*, auctore Sexto Pompejo, ſibi legebant, ſublegebantque ſenatum. Feſti verba adſcribo: *Præteriti ſenatores quondam in opprobrio non erant: ut enim Reges ſibi legebant, ſublegebantque quos in conſilio publico haberent.* . . . Zamoſc. de Senat. Roman. I. 3. Tam apud Græcos, quam apud Romanos etiam ſacerdotes fuerunt. V. infr. in *Sacerdos.* Non en Regum fuit Romanis inviſum. Liv. XXVII. 19. *Circumfuſa deinde multitudo Hiſpanorum, & ante deditorum, & pridie captorum, Regem eum ingenti conſenſu appellavit. Tum Scipio, ſilentio per præconem facto, ſibi maximum nomen Imperatoris eſſe dixit, quo ſe milites ſui compellaſſent. Regium nomen, alibi magnum, Romæ intolerabile eſſe. Regalem animum in ſe eſſe: ſi id in hominis ingenio ampliſſimum ducerent, tacite judicarent; vocis uſurpatione abſtinerent.* Alex. Gen. I. 28. & ad illum Tiraquellus. Caſaub. in Spartian. Adrian. c. 11. *Reges*, quos ſenatus eo nomine appellaſſet, ſummo ſe honore, & maximo beneficio affectos cenſebant: nec magnificentius, vel præclarius quicquam illis accedere poterat. Cicer. pro Dejot. c 3. *Rex quem ſenatus hoc nomine honorificentiſſimis ſæpe decretis appellaverit.* de Haruſp. reſp. c. 13. *Atque hunc tamen Dejotarum, ſæpe a ſenatu regali nomine dignum exiſtimatum, clariſſimorum imperatorum teſtimoniis ornatum, tu etiam Regem appellari, cum Brogitaro jubes. Sed alter eſt Rex judicio ſenatus, per nos: pecuniæ Brogitarus, per te appellatus.* Cæſar de Bell. Gall. I. 35. *Quoniam tanto ſuo, populique Romani beneficio affectus, quum in conſulatu ſuo Rex atque amicus a ſenatu appellatus eſſet, hanc ſibi, populoque Romano gratiam referret, ut in colloquium venire invitus gravaretur* Ariovistus. Proinde Cæſar ſua, ſenatusque beneficia in Arioviſtum hæc commemoravit c. 43. *Quod Rex appellatus eſſet a ſenatu, quod amicus, quod munera ampliſſima miſſa.* Briſſon. de Form. II. p. 252.

Rex cognomen fuit Marciorum. Hoc ex alia occaſione non videtur produſſe, quam quod iſta familia ſe ab Anco Marcio *Rege* natam jactitaret: quemadmodum ex oratione C. Cæſaris dictatoris funebri, quam quæſtor in amitæ ſuæ Juliæ exequiis habuit, clare cognoſcimus: ex qua Suet. c. 6. n. 1. quædam recitat verba publice tunc notata propter nimiam ejus jactantiam, & tyrannicam ſpiritum, *regiam* & divinam ſtirpem ſibi jam tum adſcribentis: *Amitæ*, inquit, *meæ Juliæ maternum genus ab Regibus ortum. Nam ab Anco Marcio Marcii ſunt Reges: quo nomine fuit mater.* Q. Marcium, qui tribunus plebis fuit an. 552. primum cognomine *Regis* inſignitum reperio. *Pigh. Annal. Roman.* II. *p.* 238. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. Duos *Reges* conſulares invenio, & alterum triumphalem. Prior Q. Marcius Q. F. Q. N. conſul fuit cum M. Catone Liciniano an. 635. Proconſule anno proximo triumphum egit de Liguribus Stoeneis III. Non. Decembr. Alter Q. *Rex*, ſuperioris, ut creditur, fratris filius conſul fuit an. 685. majoreque parte anni ſolus conſulatum geſſit, propterea quod cum L. Metellus collega initio anni mortuus fuiſſet, & eum, qui ei ſuffectus fuerat, antequam iniret, mortuum fuiſſe audirent, religioni habitum eſt *Regi* collegam creare. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Marcii.*

Rex convivii dicebatur, qui modum cœnæ præſcribebat. Sidon. Epiſt. IX. 13. *Dum rex convivii circa ordinandum moras nectit oxygarum.* Macrob. Sat. I. 7. *Hic video excepto rege convivii tot nos eſſe, quot ſunt Muſæ.* Vocabatur etiam *rex* menſæ. Macrob. II. 1. *Nam ipſe rex menſæ, nec in moribus Socrate minor, & in Republica philoſopho efficacior.* . . . Creabatur ſortito, jactu ſcilicet Veneris. Horatius. V. illum ſupr. in *Arbiter.* Interdum ſine ſorte a convivatore dicebatur. Laert. VIII. 64. *Miniſter ſenatus fuit rex convivii a convivatore conſtitutus, qui accuſatus eſt ab Empedocle tyrannidis, cum eum juſſiſſet bibere, aut ni biberet, vinum in ejus caput effundi.* Interdum, quibus corona eſſet impoſita, *reges* fiebant. Plutarch. Sympoſ. I. 4. *Crato, & Theo quodam in convivio mentionem intulerunt de magiſtro compotationis, cenſueruntque me, ut qui coronam gererem, non debere negligere conſuetudinem jam fere omnino evoleſcentem de eo, qui præeſſet convivio, ſed eam in uſum revocare.* Buleng. de Conviv. I. 40. Barth. Adv. LIV. 16. V. & ſupr. in *Arbiter.*

Rex vocabatur ſacerdos Nemorenſis. Ovid. de Art. amand. I. 259.

Ecce suburbanæ templum Nemorale Dianæ,
Partaque per gladios regna nocente manu.

Fast. III. 271.

Regna teneat, fortesque manu, pedibusque fugaces,
Et perit exemplo postmodo quisque suo.

Val. Flacc. II. 305.

—— & soli non mitis Aricia regi.

Suet. Calig. c. 35. n. 7. V. illam supr. in *Diana Aricina.* Nemus in Aricino agro Romani appellabant lacum Dianæ sacrum. Strab. v. p. 165. *Dianæ quod vocant nemus in sinistra parte viæ est, qua Aricia adscenditur.* Gyrald. Synt. deor. XII. p. 369. Taffin. de Lud. secul. c. 8. Struv. Ant. Rom. c. 11. p. 500. Pitisc. in Suetonium.

Rex sacrorum, sive sacrificulus exactis *Regibus* est institutus, & per pontifices, ac augures designatus, ut eorundem loco sacra publica faceret, & sacrificiis præesset, ab alio omni munere immunis. Dionys. IV. p. 269. V. p. 278. *Sed quoniam Reges multorum, magnorumque bonorum Reipublicæ auctores extitisse videbantur, propterea, ut quantisper Urbs staret, regii imperii nomen conservaretur, jusserunt ut pontifices, & augures designarent unum e senioribus quam maxime idoneum, qui præter cultus divini curam nulli alii præesset muneri. Is ab omnibus militaribus, & civilibus muneribus immunis vocabatur rex sacrorum. Primus hunc honorem Romæ accepit Manius Papirius vir patricius, quietis amantissimus.* Pontifici tamen maximo subjectus erat. Liv. II. 2. *Id sacerdotium pontifici subjecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret.* Antequam inauguraretur, prius magistratu, si quem haberet, se abdicabat. Liv. XL. 42. V. illum supr. in *Comitia calata.* Uxor ejus dicebatur *regina*, quæ & ipsa quædam sacrorum munia obibat. Macrob. Sat. I. 15. *Etiam regina sacrorum porcam, vel agnam in regia Junoni immolat.* Hinc extat lapis apud Gruter. p. 1087. n. 8. REX. SACRORUM. AUGUR. CUM. MANLIA. L. F. FADILLA. REGINA. SACRORUM. Mansit hoc sacerdotium usque ad Theodosii senioris tempora, quibus cum reliquis sacris abrogatum est. *Panvin. de Civit. Rom. c. 36. Fast. 1. p. 65. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 595. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Thys. in Gell.* X. 15. *Oizel. in Gell.* XV. 26. *Alex. Gen.* III. 27. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p. 477. G. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 2. Van Dale Dissert.* II. *c. 3. & 3. Flocc. de Potest. Roman.* I. 11. *Lat. de Sacerdot c. 11. Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p. 1104. E. Schul Nomencl. Philol. p. 988.*

RHA.

RHAPSODUS quis fuerit V. supr. in *Magodus.*

RHE.

RHEA, quæ & *Ilia*, & *Sylvia* dicta, filia fuit Numitoris. V. illam supr. in *Ilia.*

RHEDA, vel, ut alii malunt sine spiritu, *reda* est vocabulum apud Gallos ortum. Quintil. I. 5. *Plurima Gallica valuerunt, ut rheda, ac petoritum, quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur.* Voss. de vit. serm. I. 2. Lex. Etymol. Scheffer. de Re vehic. II. 30. Bud. in Pandect. p. 231. H. Erat currus duarum rotarum. *Coras. Misc. jur. civ.* III. 20. §. 10. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 201. *A.* Fuit vehiculum cum rotis, numero quatuor. Clare Isidor. XX. 12. *Rheda genus vehiculi, quatuor rotarum.* Atque ob hanc causam opponitur birotæ l. 8. C. Th. de curs. publ. *Statuimus rhedæ mille pondo tantum superponi, birotæ ducenta.* Si non fuit birota, quadrirota fuerit, necesse erit, cum vehiculum unius rotæ plures libras, quam duarum, portare nequiverit. *Scheffer. l. l. Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 10. §. 7. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 6. Tectum an habuerit, ignoro, vix opinor tamen, quia fere inter oneraria vehicula. Et quæ in *rheda* feruntur conspici possunt apud Mart. III. 47. 6. Nam quod habet Suidas, de aliis, non proprie sic dictis, vehiculis accipiendum est. Verba ejus: *Erdium, illustre vehiculum, tectum.* Hic ἔρδιον nihil aliud quam ῥέδιον, per transmutationem factum, id est, *rheda.* Sed aliud genus intelligitur, ut carpentum, vel carucha. Ita enim & *rheda* vertitur. Quod enim Juven. Sat. VIII. 147. est *carpentum* veteri ejus scholiastæ est *rheda.* Nisi plane volumus apud Suidam emendare ἅρμα ἀσκέπαστον, ut sit sententia: *Erdium, perspicuum vehiculum, non tectum.* Quod puto esse verissimum. Ei adjunctæ mulæ fuerunt. Sulpic. Sever. dial. I. ubi cum virtute B. Martini factum ostendisset, quod jumenta in *rheda* fiscali nequirent progredi, subdit: *Consurgunt deinde omnes pariter in verbera. Consumit Gallicas mularum pœna mastigias.* l. 8. C. Th. de curs. publ. *Octo mulæ jungantur ad rhedam.* Pro mulabus tamen adhibebant quoque equos. Cicer. Attic. VI. 1. *Vedius mihi obviam cum duobus essedis, & rheda equis juncta.* Auson. Epist. VII. 18.

Quot habet junctos Vasatica rheda caballos.

Numerus ejusmodi animalium in *rhedis* privatorum sine dubio fuit arbitrarius. At in cursu publico modo habuerant octo, modo decem, pro diversitate anni. l. 8. C. Th. de curs. publ. *Octo mulæ jungantur ad rhedam æstivo videlicet tempore, hyemali decem.* Nempe hybernali tempore difficilius trahuntur vehicula propter frigus, quo conspissatur axungia, & congelatum lutum, nivesve, quibus rotæ impediuntur. Bini atque bina jungebantur longa serie. Sulpicius modo laudatus: *Deinde funibus implicatis, protentos illos, quibus misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt.* Dicit animalium eorum ordines fuisse *protentos*, quo id manifeste ostenditur, quod dixi. Videlicet non æqua fronte, verum longa serie ambulasse. Fuit illa series non singulorum, sed duorum, quod colligitur ex eo, quia Sulpicius nominat *contigua de latere* Martini aliqua, quæ intelligi non possunt, nisi comparatione quidam cum non contiguis, qualia erunt juncta singulis a parte altera. Usus fuit vel privatus, vel publicus: uterque pertinebat, vel ad onera, vel ad itinera. De itineribus privatorum Cicer. pro Mil. c. 10. *Obviam fit ei Clodius in equo, nulla rheda, sine uxore, quod nunquam fere; cum hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda.* Quibus verbis intelligimus, fuisse hoc vehiculum non viris modo usitatum, sed & mulieribus. De viris firmat idem Phil. II. 24. ubi ait: *Vehebatur in essedo tribunus plebis, sequebatur rheda cum lenonibus.* Habuerunt autem ideo, quia crebro genere hoc utebantur, non privatim modo suas, sed & publice locandas aliis, qui vellent conducere, quas propterea vocarunt *meritorias.* Suet. Jul. c. 57. n. 2. *Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus meritoria rheda.* Non vehendis hominibus solummodo, verum etiam oneribus adhibebantur. Et hic fuit alter usus *rhedarum.* Suet. Calig. c. 39. n. 1. *Quicquid instrumenti veteris aulæ erat, ab Urbe repetiit, comprehensis ad deportandum meritoriis vehiculis.* Juven. Sat. III. 10.

Sed tum tota domus rheda componitur una.

Et Bassus ea vexit omnis generis onera ad Urbem apud Mart. III. 47. 6.

—— plena Bassus ibat in rheda,
Omnes beati copias trahens ruris.
Illic videres frutice mobili caules,
Et utrumque porrum, sessilesque lactucas,
Pigroque ventri non inutiles betas.
Illic coronam pinguibus gravem turdis,
Leporemque læsum Gallici canis dente,
Nondumque victa lacteum faba porcum.

Rhedis itinera fiebant publice quoque, præsertim celeriora. Hinc in cursu publico crebra mentio *rhedarum*; sicuti ex Codice utroque liquet, ipsaque *rheda cursualis* dicta l. 9. C. Theod. de legatis. Utebantur ab initio ii, qui perferre literas, ad Imperatorem ex provinciis deberent, eratque primum hoc institutum ab Augusto. Suet. c. 49. n. 7.

n. 7. *Quo celerius, ac ſub manum annunciari, cognoſcique poſſet, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. Commodius id viſum eſt, ut qui a loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, ſi quid res exigeret, poſſent.* Antea cum diſpoſiti eſſent curſores, alteri alteri ſuas dabant literas porro ferendas, ſic per curſores multos tandem perveniebant ad Auguſtum. At diſpoſitis vehiculis ille ipſe, qui primus literas acceperat, pervenire ad Auguſtum poterat, & coram ſermone quoque proferre, quæ vellet Auguſtus volebat. Inſtituerat hæc vehicula Auguſtus prætorii a privatis, quos ad id compellerent magiſtratus municipales. Plutarchus. V. illum ſupr. in *Diplomata.* Docet illic magiſtratibus hoc fuiſſe injunctum, ut darent deductores. Προπομπὰς τῶν γραμματηφόρων ipſe vocat, & intelligit municipes, qui vehicula præbere cogebantur. Hos ait datos a magiſtratibus interventu diplomatis. V. ſupr. in *Diplomata.* Pertinebant poſtea etiam ad alios. Ea vehebantur milites apud Sulpic. Sever. II. 4. *Per aggerem publicum plena militantibus viris fiſcalis rheda veniebat.* Alibi, & qui mittuntur a provincialibus ad negotia quædam apud Principem expedienda, iis utendi poteſtatem habent. Sic l. 9. C. Th. de legatis: *Si integra diœceſis unum, vel duos elegerit, quibus deſideria cuncta committat, rhedæ curſualis hiſdem tribuatur evectio.* Neque dubium, quin ad magiſtratus quoque, cæteroſque omnes, qui haberent jus utendi curſus publici, ſpectarint. Quo in curſu tamen non homines ſolummodo, verum onera quoque, ſarcinæque rhedis portabantur, quæ ad fiſcum pertinebant. l. 48. C. Th. de curſ. publ. *Linea, vel amictoria, quibus haƈtenus onerari rhedæ ſolebant, nec ulterius rhedis, ſed angariis, vel navibus dirigantur. Reliquæ vero à licatæ veſtes, ſed & linteamen amictorium, noſtrorum uſibus neceſſariorum, rhedis, ſed mille librarum ponderatione mittantur.* Vides onera in *rhedis*, præſertim lineas, amictoria, & veſtes delicatas. Neque hæc ſolum iis portabantur, verum aurum quoque, & argentum largitionum. Eadem lex a principio: *Si aurum ſacrarum largitionum vel argentum ad comitatum noſtrum deſtinatur, una rheda quingentis auri libris, mille vero argenti, ſi vero privatarum, auri trecentis, quingentis vero argenti libris oneratur.* Scheffer. l. l.

Rheda fiſcalis. V. illam ſupr. in *Curſus publicus.*

RHEDARIUS dicitur vehicularius fabricator, qui hoc genus vehiculi fabricaret, quod appellatur *rheda.* Capitol. Maxim. & Balb. c. 5. *Maximo pater fuit Maximus, unus e plebe, rhedarius vehicularius fabricator.* Salmaſ. & Caſaub. in Capitolinum. Voſſ. de vit. ſerm. I. 2.

Rhedarius vocatur, qui hoc genus vehiculi, quod appellatur *rheda*, ducit. Cicer. pro Mil. c. 10. *Adverſi rhedarium occidunt.* Victor. Var. Lect. XXXVII. I. Pigner. de Serv. p. 429.

RHENONES *ſunt velamina humerorum, & pectoris uſque ad umbilicum, atque intortis villis adeo hiſpida, ut imbres reſpuant: quos vulgo reptos vocant, eo quod longitudo villorum quaſi reptat: de quibus Saluſtius. Germani intectum rhenonibus corpus tegunt.* Iſidor. XIX. 23. Et Serv. Georg. III. 383. *Rhenones veſtes de pellibus.* Cæſ. de Bell. Gall. VI. 21. *Pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda.* Sidon. Epiſt. IV. 20. *Balteis ſupercurrentibus ſtrinxerant clauſa bullatis latera rhenonibus.* Carrio Antiq. Lect. III. 2. Voſſ. Lex. Etymol. & de vit. ſerm. I. 2. Stuck. de Sacrif. p. 181. Mag. Miſcell. III. 7. Savar. in Sidonium. Brant. in Cæſarem. Schill Nomencl. Philol. p. 984.

RHENUS eſt fluvius Germaniæ cantatiſſimus. Ex Rhœtia originem capere ſcripſere quidam. Claud. Bell. Get. n. 330.

Imminet Hercyniæ confinis Rhætia ſylvæ,
Quæ ſe Danubii jactat, Rhenique parentem.

Salmaſ. Exerc. Plin. p. 131. a. C. Ferret. Muſ. Lapid. III. memor. 41. Parrhaſ. in Claudianum Theſ. Crit. Tom. I. p. 8–5. Germaniam a Gallia dividens. Dio XXXIX. p. 113. E. *Rhenus ex Alpibus Germaniæ, paullo ſupra Rhætos oritur, inde verſus occidentem profluens, ad ſiniſtram Galliam ejuſque incolas, ad dextram Germanos abſcindit, tandemque in oceanum exit.* Bellus de Pat. templ. augur. c. 5. § 3. Ferret. l. l.

RHI.

RHINOCEROS *eſt animal, quod magnitudine, ac robore cum elephanto comparandum, ſed minus procerum. Tergus ei duriſſimum, colorque buxeus. In ſummitate narium cornu geſtat, forma repandum, & durities ferrum exæquans.* Diodor. III. 35. Dio LI. p. 460. P. Camerar. Hiſt. ſubciſ. I. 25. Bartol. de Unic. c. 20. Unicum an geminum cornu habeat, inter ſe diſputant *Pier. Hieroglyph.* II. 22. *Scalig. Exerc. Exerc.* 205. *Bochart. Hieroz.* I. 3. 26. *Spanhem de Præſt. numiſm.* III. p. 136. *Pitiſc. ibid.* c. 21. Ludis *rhinocerota* exhibuerunt Romanis: Pompejus. Plin. VIII. 20. *Iiſdem ludis*, Pompeji Magni, *& rhinoceros, unius in nare cornu, qualis ſæpe viſus. Alter hic genitus hoſtis elephanto: cornu ad ſaxa limato præparat ſe pugnæ, in dimicatione alvum maxime petens, quam ſcit eſſe molliorem. Longitudo ei par; crura multo breviora, color buxeus.* Auguſtus. Suet. c. 43. n. 11. *Solebat citra ſpectaculorum dies extra ordinem quolibet loco publicare, ſi quando quid inviſitatum, dignumque cognitu advectum eſſet, ut rhinocerotem apud ſepta.* Hinc Dio LI. p. 460. A. *Multæ feræ, ac animantia, & inter hæc rhinoceros, & equus fluviatilis tunc primum Romæ & viſi, & occiſi ſunt.* Panvin. Lud. Circenſ. II. 3. Spanhem. ibid. p. 138. Pitiſc. in Suetonium.

Rhinoceros vocabatur συνεκδοχικῶς vaſculum corneum e naſo *rhinocerotis* factum oleo ſe ungendo in balneis. Illo potentiores utebantur. Juven. Sat. VII. 130.

— *magno cum rhinocerote lavari*
Qui ſolet.

Mart. XIV. 52.

Geſtavit modo fronte me juvencus,
Verum rhinocerota me putabis.

Caſal. de Therm. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. I. p. 640. E. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 18. Stuck. de Conv. II. 25. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 149. Grapald. de Part. dom. II. 4. 17.

RHINTHONICA fabula a mimo dicta fuit, quæ Φλυακογραφία etiam dicebatur. Ea propior, ac ſimilior fuit Atellanæ, *Rhinthonica* autem eſt ἱλαροτραγῳδία, vel ἱλαρῳδία. Et quid aliud eſt σατυρικὸν δρᾶμα, quam ἱλαροτραγῳδία? Hujus auctor *Rinthon* Tarentinus. Unde apparet hoc genus in majore Græcia viguiſſe, atque inde Oſcorum Atellanæ, ſimiles *Rhinthonicis.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 77. a. G. Gyrald. de Poet. Hiſt. Dial. VII. p. 400. B. Cuper Obſerv. I. 10. Ferret. Muſ. Lapid. III. memor. 42.

RHO.

RHODUS erat omnium totius Aſiæ inſularum metropolis opulentiſſima, inquit Jornandes, ubi plurimum præſes morabatur: Roſas nummis imprimebant, cum inſcriptione ΡΟΔΙΩΝ, infra legitur ΑΡΙΣΤΟΚΡΙΤΟϹ, qui fuit primus eorum magiſtratus. Literæ Δ ſpeciem præ ſe fert, ait Conſtantinus Porphyrogeneta, triangulari videlicet figura. Dorienſium colonia eſt, qui ex Peloponeſo Argivis & Lacedæmoniis ab Hercule genus ducunt, Eam triquetro ordine a Lyndo, Jalyſſo, & Camiro inſulis cingi dicit Homerus in catalogo navium. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient.* c. 103. Illi *libertatem ſæpe ademptam, aut firmatam, prout bellis externis* incolæ *meruerant, aut domi ſeditione meruerant, ob pœnitentiam veterum delictorum reddidit* Claudius. Suet. c. 25. n. 11. Tacit. Annal. XII. 58. 3. noviſſime ademit Veſpaſianus. Sextus Rufus in Breviario: *Rhodus, & inſulæ primum liberæ agebant: poſtea in conſuetudinem parendi, Romanis clementer provocantibus, pervenerunt: & ſub Veſpaſiano inſularum provincia facta eſt.* Suet. Veſp. c. 8. n. 9. *Rhodum, libertate adempta, in pro-*

… formam redegit. Panvin. Imp. Rom. c. 18. Pancirol. l. l. Pitisc. in Suetonium.

RHOETIA, ut Stephanus, & Ptolemæus referunt, ipsa est in Alpibus, quæ Galliam Cisalpinam a Germanis dividunt, ab occasu montem Adulam, fontesque Danubii habet, ab oriente Lycum flumen, quod Danubium influit, *Rhætiamque* a Vindelicia separat: ad septemtrionem Danubio, ad meridiem Alpibus dividitur: Et hæc *Rhætia* prima, seu superior vocatur. Ultra Lycum usque ad Oenum fluvium orientem versus, & Vindeliciam, *Rhætia* secunda, seu inferior, est dicta. Hodie hunc tractum Sueviam nominant: hujus metropolis fuit Augusta Vindelicorum, ubi pecunia Principis a procuratore thesaurorum Augustæ Vindelicensis *Rhætiæ* secundæ nuncupato servabatur. *Pancirol. Notit. dign. imp. occid. c. 60. & 82. Laz. Comment. Reip. Rom.* XII. 2. 1. *Sigon. de Antiq. jur. Ital.* III. 6. Ab Augusto perdomita est. Strab. IV. p. 141. *Supra Comum ad Alpium crepidinem sunt Rhæti, & Vennones, alii ex parte Lepontii, & Tridentini, & Stoni, & alii multi parvi populi Italiam tenentes, qui prioribus temporibus latrocinia exercebant, & inopia laborabant: nunc vero deleti sunt, alii vero omnino mansuefacti, ut cum antea transitus per eorum montes pauci, & difficiles essent, nunc ex multis locis, & tuti ab iis sint, & faciles: quorum causa una est custodia; addidit enim Cæsar Augustus ad tollendos latrones viarum custodes, quantum potuit.* Sigon. l. l. Strab. ibid. p. 142. *Horum omnium crebris incursionibus finem imposuit Tiberius & ejus frater Drusus una æstate: & jam annus agitur tertius supra trigesimum, ex quo quiescentes tributum legitime pendunt.* Dio LIV. p. 536. D. ait *Rhætos* subactos fuisse an. 739. Horat. Od. IV. 14. 33. cantans Tiberii ac Drusi de *Rhætis* victorias, annum eleganter designans, hunc Augustum alloquitur:

> *Te copias, te consilium, & tuos*
> *Præbente divos: nam tibi quo die*
> *Portus Alexandrea supplex*
> *Et vacuam patefecit aulam:*
> *Fortuna lustro prospera tertio*
> *Belli secundos reddidit exitus,*
> *Laudemque, & optatum peractis*
> *Imperiis decus arrogavit.*

Baron. in Apparatu n. 103. scribit ibi numerari a poeta tempus a nece Cæsaris dictatoris an. 710. ad captam Alexandriam an. 724. Verum tria illa lustra ab occupata Alexandria Horatio numerantur, dum tertio postea lustro insignem Augusto victoriam Neronum virtute partam testatur. Augustus an. 724. Alexandriam victor occupavit, & quidem mense Sextili ex Oros. VI. 19. & Macrob. Sat. I. 12. ex SCto, quod ibi recitat. Victoriam de *Rhætis* obtinuit eadem die tribus lustris exactis, nempe an. 739. ut plane Dio testabatur. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* II. *p.* 237.

RHOMBUS, ut Euclides in principio suæ Geometriæ, & illum secutus Cassiodorus docent, est figura, quæ quidem æquilatera sit, at rectiangula, seu directangula, ut appellat Martianus Capella, minime. Hinc Indiam *rhombo* similem tradidit Dionys. Perieg. n. 1128. Græca sic vertit Remmius Fannius:

> *Nunc, age, te fluvios, montes, formamque docebo*
> *Ipsius terræ, populos, gentesque beatas:*
> *Marginibus ternis tellus hæc clauditur omnis,*
> *Obliquatque latus per cunctas linea partes.*

Sed non expressit illud ἀλιγκίη εἴδει ῥόμβȣ. id est, *similis figuræ rhombi*. Tum illud prave: *marginibus ternis*, cum Græce sit, πισύρεσσιν ἐπὶ πλευρῇσιν, id est, *per quatuor latera*. Geometræ sæpe aut formis Geometricis, aut aliis rebus terrarum facies assimilant, ita nunc Indiam *rhombo*. Solidus *rhombus*, qui non solum superficiem, sed profunditatem quam habet, sic definitur Archimedi libro de sphæra, & cylindro: *Rhombum autem solidum voco, ubi duo coni in eadem basi constantes vertices habent utrinque sitos plano basis, ita ut axes eorum sint in directo sibi invicem conjuncti, figuram ex utrisque conis compositam.* Rhomboides autem schema est, ut præfati ajunt, quod in contrarium collocatum, lineas quidem oppositas, atque angulos habet æquales. Id autem nec rectis angulis, nec æquis lateribus continetur. Vel, ut Martianus, item quæ ex adverso sibi latera æqualia, & contrarios angulos sibi invicem æquales habet, & neque omnia latera sibi invicem æqualia, neque angulos directos habet, & dicitur ῥομβοειδής. Et Eustath. in Dionysium: *Indicat quod tibi rhombus sit Geometricum quadrangulum forma diametros habens non juxta formam X. se intersecantes, ut Geographus, Strabo, inquit: rhombus est quadrangulum coæquilaterum, haud rectangulum tamen, sed duos habens acutos, reliquos vero obtusos, qui acutis ex adverso siti sint: ut in hoc schemate (Strabo Indiam ῥομβοειδῆ vocat) tali inquiunt forma est gerrhum, scutum nimirum quadrangulum haud rectis angulis. Et lignea cavedia, in qua vivæ aves feruntur, vulgo clobium appellatum; compactum subalternis positura secundum naturam, & situm laterum, quod formam rhombi perficit. Et talis quidem rhombi est figura.* Loens. Miscell. Epiphill. VII. 23. Manut. de Laud. vit. rust. Miscell. Ital. Tom. III. p. 453. Rhodig. Ant. Lect. IX. 22.

Rhombus vocatur instrumentum incantatorium, sive magicum, quo maleficæ mulieres utuntur. Eustath. in Dionys. Perieg. n. 1128. *Est etiam rhombus maleficorum trochus, sive rota Theocrito, qui incantationibus magicis afficitur, dum vertitur.* Theocriti carmen, quod innuit Eustathius, hoc est Eidyll. II. 30.

> *Ut impellitur hic rhombus æneus, sic præ amore*
> *Ille impellatur usque ad nostras fores.*

Ubi Scholia χάλκεον τρόχον vocant, id est, *æneum turbinem*. Ad hoc allusit Mart. XII. 57. 17.

> *Cum secta Colcho luna vapulat rhombo.*

Prop. II. 21. 35.

> *Deficiunt magico torti sub carmine rhombi.*

III. 4. 26.

> *Stammea rhombi ducitur ille rota.*

Loens. Miscell. Epiphill. VII. 23. Passerat. in Propert. p. 365. Kipping. Ant. Roman. I. 2. §. 8. Voss. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom. I. 6. §. 15. Rader. in Mart. IX. 22. 9. Hartung. Memor. III. 2. 10.

Rhombus vocatur instrumentum muliebre, quo vertendo mulieres nent. Hesychius: *Rhombus, exiguum lignum, quod agitatur funiculo.* Loens. Miscell. Epiphill. VII. 23. Voss. Lex. Etymol. Passerat. in Propert. p. 365. Rader. in Mart. XIII. 76. Grapald. de Part. dom. II. 5. §. 3.

Rhombus vocatur instrumentum puerile. Eustath. in Dionys. Perieg. n. 1128. *Turbo, quem circumagunt funiculis, & percutientes impellunt. Hinc rhombus dictus.* Loens. Miscell. Epiphill. VII. 23.

Rhombus vocatur piscis planus & latus. Mart. XIII. 81.

> *Quamvis lata gerat patella rhombum,*
> *Rhombus latior est tamen patella.*

Namque cum sit quadrilateræ, hoc est, *rhomboides*, figuræ, jure latior potuit esse patella. *Manut. de Laud. vit. rust. Miscell. Ital.* III. *p.* 453. *Bruyer. de Re cibar.* XIX. 25. Juvenalis etiam festive ludit in *rhombum* inusitatæ magnitudinis, qui Domitiani seculo Anconæ captus fuit Sat. IV. 37.

> *Cum jam semianimem laceraret Flavius orbem*
> *Ultimus, & calvo serviret Roma Neroni,*
> *Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi*
> *Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,*
> *Implevitque sinus.*

Quem refert adeo ingentis formæ fuisse, ut necesse fuerit novum fornacem exstruere conficiendæ patinæ, ut integer *rhombus* Principis mensæ inferri posset: unde egregium hoc SCtum, monstro illo dignum natum fingit n. 134.

> — *sed ex hoc*
> *Tempore jam, Cæsar, figuli tua castra sequantur.*

Nonn. de Re cibar. III. 26. Non ultimum locum popinales

nales deliciæ olim *rhombo* dabant. Unde inter præcipuas lautorum lautitias jure illum recenset Horat. Sat. I. 2. 115.

> —— *fastidis omnia præter*
> *Pavonem, & rhombum.*

Pro delicato cibo enumerat Pers. Sat. VI. 23.

> *Nec rhombos ideo libertis ponere lautus.*

Nec immerito quidem, habet enim carnem candidam, & succulentam, quæ & palato non ingrata est: atque affatim, salubriterque alit. In Adriatico mari laudatissimus erat. Ovid. Halieut. n. 125.

> —— *& Adriatico mirandus littore rhombus.*

Optimos Ravennæ esse scribit Plin. IX. 54. Atticos Clem. Alex. in Pædag. II. 1. Sero Romanorum mensis est adhibitus. Liquet hoc ex Horat. Sat. II. 2. 48.

> —— *quid? tum rhombos minus æquor alebat?*
> *Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,*
> *Donec vos auctor docuit prætorius.*

Quidam hunc Sempronium, alii Rutilium Rufum nominant. *Nann. & Bruyer. l. l. Loens. Misc. Epiphyll.* VII. 23. *Barth. Adv.* XXXIX. 2: XLIV. 27. *Buleng. de Conviv.* II. 27. *Grapald. de Part. dom.* I. 6. §. 15. *Rhodig. Antiq. Lect.* IX. 12.

RHY.

RHYTHMUS *est ordo melodicus consentaneæ harmoniæ, concentus vocant. Pater est metri, a quo differt, ut genus a specie.* Suidas. Et metrum partem *rhythmi* dicit Aristot. de Poet. c. 4. *Rhythmus in aliis perbreve, & tardum exprimitur, in sermone qui profertur per longum, & breve, qui sermo solus metrum dicitur.* Spectatur in iis maxime, qui manibus, aut pedibus plaudunt, quoties cita, aut tarda pedum elatione inter se respondent, & proportionem habent, unde per metaphoram syllabarum contextus, quem sumimus ad metra facienda pedes vocati sunt. Et in tibiis, & aliis ejusmodi *rhythmus* dicitur, quæ est dimensio temporis, in quo motio fit. Etenim digiti foramina quædam tibiarum diutius claudunt, quædam breviori tempore, & ita sonos alios longiores, alios breviores faciunt: & foraminum alia majora sunt, alia minora, alia propiora lingulæ, sive epiglottidi, alia remotiora sunt: quæ angustiora, latioribus acutiora sunt. Ideo mulierum, & puerorum voces acutiores. Latiora sonum graviorem efficiunt, sic propiora remotioribus, quorum proportione harmonica fit melos: *rhythmus* vero per tardiorem, aut velociorem sonum. Denique metrum *rhythmi* pars est, pedibus, & numeris constans, qui versus, & carmen dicitur. *Buleng. de Theat.* I. 3. Est duplex: tum in syllabis, tanquam in partibus propter pedes: tum in pedibus propter versus. Quem sic definio: commensus pedum inter se pro rei designatæ modo. Alia namque symmetria est, si ita sit: *Musa mihi causas memora*; & alia ita: *Musa mihi memora causas.* Sic in pedibus, alius alius est responsus syllabarum: ut in exemplis, pecus, pecu. Iccirco nonnullis visum est idem esse metrum, & *rhythmum.* Verum equidem aliter censeo. Metrum enim sine mensura laxior est: quippe est quantitatis in materia. *Rhythmus* autem compositior est, & adstrictior, nempe qualitatis in dispositione: translatis enim verbis, mensura versus non mutata, *rhythmus* mutabitur. Itaque nobis Latine *rhythmum* concinnitatem appellare cum venia liceat: quam non a cinno, ut vulgo omnes utuntur: sed a concinendo. Quare quemadmodum Varro audiendus sit, perspiciendum est, qui μέτρον & ῥυθμὸν hoc distare scripsit, quo regulam & materiam. Neutram enim materia est, sed in materia & μέτρον quidem regula est: ῥυθμὸς autem etiam modus regulæ. Sicut apud Geometram regula rectam lineam ducemus: at eam sumptam architectus præponet, apponet, transponet, eriget, deprimet, circulo, semicirculo, ovali accommodabit. Erit igitur mensura præscriptio tractus, *rhythmus* autem præscriptionis temperamentum. *Scalig. Poet.* II. 2. *Salmas. in Vopisc. Aurelian.* c. 6.

RHYTIUM, Græcis iisdem ῥυτὸν, aut ῥύτιον, poculi genus referens cornu. Mart. II. 35. 1.

> *Cum sint crura tibi, simulant quæ cornua lunæ,*
> *In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.*

Voss. Lex. Etymol. Latius fuit ab imo, angustius ad summ. Athen. XI. p. 497 B. *Rhyta cornua antea vocavant fuit. Videtur id vas quod primus Regis Ptolemæi Philadelphi jussu confectum, ad ornamentum statuum Arsinoes excogitatum fuisse. In dextra manu gestat, omnibus temporariis fructibus plenum, innuente opifice, cornu quam Amalthea cornu, id esse opulentius, & fortunatius.* *Theoph. de temulent.* *scribit heroibus solis tribui.* *Doroth. Sidon. tradit, rhyta esse cornibus similia, verum pertusa, e quibus subinde modo inferiorem angustius reddentibus una parte bibunt, dictaque talia fuisse* ἀπὸ τῆς ῥύσεως, *ab humoris fluxu.* Buleng. de Conviv. IV. 10. & 17. Muson. de Lux. Græcor. c. 2.

RIC.

RICA quid sit, ne inter veteres convenit. Non. XIV. 15. *Rica est, quod nunc sudarium dicimus.* Festus hoc pacto: *Rica est vestimentum quadratum, fimbriatum purpureum, quo flaminicæ pro palliolo, mitrave utebantur, ut Verrius existimat. Titinnius: rica ex lana succida alba vel luteis. Alii dicunt pallium esse triplex, quod conficiunt virgines ingenuæ patrimæ matrimæ, quod cæruleo colore infectum lavetur aqua pura. Alii, quo flaminica cingat pileum.* Et paullo post: *Ricæ, & riculæ vocantur parva ricinia, ut palliola, ad usum capitis facta. Granius quidem ait esse muliebre cingulum capitis, quo pro vitta flaminica uteretur.* Si recte Granius, id quod adfert, est verisimilius, quam quod Varr. de Ling. Lat. IV. 29. *Rica a ritu, quod Romano ritu sacrificium feminæ cum faciunt, capita velant. Unde itidem tamen videmus, capitis esse velamentum.* Uti ex isto Turpilii Veliterna apud Non. l. l. *Interea adspexit virginem instratam in capite riculam indutam ostrinum.* Et hoc Cælatis Germanici de Erigone:

> —— *& ore*
> *Velato, tristique genus abscondita rica.*

Ut recte Scalig. Conject. in Varr. p. 182. pro, quod est in vulgatis, *ripa*. Qui ibidem monet, *ricam* proprie esse virgineum flammeum. Quod etiam docent Salmas. in Vopisc. Aurel. c. 45. Laurent. de Sponsal. c. 1. Sed quia *tristem* dicit *ricam* Germanicus, cognoscere est aliud esse *ricam*, aliud flammeum. *Voss. Lex. Etymol. Augustin. ad Leg.* XII. *tab.* §. 44. *Ferrar. de Re Vest.* III. 20. *Braun. de Vest. Sacerd. Hebr.* II. 4. §. 25. *Stuck. de Sacrif.* p. 103.

RICINENSES populi Helviæ Ricinæ, coloniæ olim in Piceno claræ; de qua Pompej. Compagnon. in Regia Picena. *Urstt. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv.* *Tom.* XI. *p.* 947. *F.*

RICINIUM, sive *recinium* quid fuerit, veteres ignoraverunt: ne ipse quidem Festus intellexit, qui modo pallium fuisse, modo togam dicit; sed quo fieri potuit, ut idem pallium rotundum sit & quadratum. Verba Festi sunt: *Recinium omne vestimentum quadratum: ii, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam; qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo: unde reciniati mimi planipedes.* Toga rotunda, pallium quadratum. Neque audiendi sunt, qui flammeum cum *ricinio* confundunt. Nam flammeum velum fuit amiciendo capiti, quod perpetuo a flaminica gestatum, boni ominis causa, ad nuptias translatum est, ut idem testatur. Hoc pallium, illud palliolum, quæ distincta fuere. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. 4. *Anal.* c. 9. Commune mulierum pallium fuisse viri docti colligunt ex Servio ad Æneid. I. 286. *Bene inquit gentem, ait ille, quia & sexus omnis, & conditio toga utebatur: togas autem etiam habuisse feminas cycladum, & recinii usus ostendit. Recinius autem dicitur, quod post tergum rejicitur, quod vulgo mavorte dicunt.* Sed hoc miror. Nam

non fuisse commune mulierum pallium docere eos poterat Nonius, cujus verba ipsi attulerunt. Is xiv. 33. *ricinium* modo palliolum breve appellat, modo pallium, quo mulieres in adversis rebus, & luctibus induebantur. *Ricinium, quod nunc* [illegible]*, palliolum femineum breve. Varr.* ταφῇ Μενίππου. *Nihilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ricinio palliolum simplex. Idem de vit. pop. Rom.* 1. *Ex quo mulieres in rebus adversis, ac luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem, ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.* Nihil igitur hic opus distinctione, aut correctione. nam si palliolum in pallium mutetur, perit sententia Nonii, qui *ricinium* palliolum esse dicit, idque Varronis auctoritate confirmat. Non ergo commune pallium fuit. Imo ætate Festi, quid ei vox significaret, non plane constabat. V. ejus verba modo laudata. In veteri Festi codice est *vir toga.* Unde *virilem togam* quidam fecere, male; nec rectius, qui *vel togam* repetierunt. Hoc enim modo idem esset pallium, & toga, quadratum & rotundum. Neque attinet dicere, ideo quadratum, quia apertum: togam autem, quia ut toga rejiceretur, alioquin omnia pallia, quæ rejici in humerum poterunt, togæ etiam dici potuissent. Sed non constant, quid esset proprie *ricinium*, & propterea alii quadratum [illegible] dixere, alii rotundum: qui duodecim [illegible] pallium quadratum explicarunt: contra alii togam muliebrem. Quare legendum: alii *togam, qua mulieres utebantur.* Nec displicet Lipsii Epist. Quæst. 1. 7. conjectura, qui *Ver.* legit, id est, *Verrius Flaccus togam esse vult.* In hac opinione fuit Servius, *ricinium* facit togam, vel togæ simile, nam ex eo, & ex cycladum, quæ rotundæ erant, usu a mulieribus togas olim gestatas contendit. Quod si *ricinium* commune pallium fuisset, frustra ex usu pallii togæ usum demonstrasset. Fuerit tamen *ricinium* idem cum palliolo, & capitis integumento, dummodo *ricinium* commune pallium mulierum non fuerit, quod nempe stolæ injiciebatur. *Ferrar. de Re Vest.* 1. 1. 25. De *riciniis* Cicer. de Leg. 11. 23. *Jam cetera in* XII. *de minuendo sumptu translata sunt de Solonis fere legibus. Extenuato igitur sumptu tribus riciniis, & clavis purpureis, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.* Sed hoc non omnes capiunt, ne quidem Rævard. ad leg. XII. tab. c. 15. Accipiunt enim vulgo quasi lex vetet non plures quam tres feminas *riciniis* indutas in funere esse. Errant. Doceo primum ex Varrone, cujus fragmentum est III. de vit. pop. Rom. *Ut dum supra terram essent, riciniis lugerent: funere ipso, ut pullis palliis amictæ.* Ecce, *riciniorum* usus in luctu quidem, non tamen in ipso funere, ut Varro ait, sed pallia. Male igitur *ricinia* ad funus transferunt. Ratio enim talis legis inepta. Si enim propinquæ *riciniis* indutæ: quid fiet, si plures tribus sint? & quidem eodem gradu ut si filiæ: an tres tantum *riciniis* induentur? Alia mens x. virorum fuit, ut equidem sentio. Solonis lex funeris erat, quæ legitur apud Plutarch. Solon. p. 90. C. Οὐκ ἔασεν συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν. Hoc vertisse Romanos Solones puto *tria ricinia:* hoc sensu, ne plus quam tres vestes cum mortuo aut conderentur, aut urerentur. Scimus morem hac in re veterum. V. illum infr. in *Vestes.* Festi locus supra allatus qui juvare illorum mentem videbatur, non juvat, si recte distinxeris, & legeris: *Ricinium omne vestimentum quadratum ii, qui duodecim interpretati sunt, esse dixerunt. Vir. togam qua mulieres prætextam clavo purpureo,* id est, *Verrius togam.* Ita corrigo, cum vetus scriptura sit: *vir toga qua.* Sæpe iste abbreviator Verrii sententias cum aliorum componit: quod & hic. *Lips. Epist. Quæst.* 1. 7. Neque dubitandum mihi videtur, quin *ricinium* de aliquo vestitus genere accipiendum sit; quicquid contra ea Turnebus, Junius, aliique viri pereruditi afferant; præcipue Guther. de Jur. man. 1. 16. qui quidem, me judice non satis justa de causa veteres XII. tabularum interpretes reprehendit, quod *ricinium* genus esse vestis existimarint; quod ipse panni, velive genus fuisse asserit, quo matronæ in luctu usæ sint. Verum defendit illos sat validis argumentis Jacobus Gothofredus, itemque Lipsius modo laudatus: qui non modo veterem a Virgilio infr. in *Vestes* producendo adfert, quem forte legislatores respexere: verum etiam ipsius se Festi tuetur auctoritate, a Gutherio, aliisque, ad confirmandam sententiam suam adducti, illamque perquam ingeniose corrigit. Sic ut totius hujus loci sensus sit, *ricinium* secundum veteres XII. tabularum interpretes quodvis esse vestimentum quadratum: verum secundum Verrium togam muliebrem clavo purpureo prætextam. Quemadmodum *rica* & *ricinium* ex Festi locis in *rica* & *ricinium* allatis quoad formam, atque usum diversa, sed quoad materiam non dissimilia fuerunt, quum ambo ex lana succida alba texi consueverint, ita non video, quare Gutherius, quum in XII. tribus *riciniis* legatur, legem illic non de quodam vestimenti genere loqui velit, sed de panno, velove, quod mulieres capite gestarint, ac si illic *tribus ricis*, seu *riculis*, & non *tribus riciniis* legeretur. Quin & Varronis verba ex lib. 1. de vit. pop. Rom. supr. adducta, si simpliciter, & ut oportet, accipiantur, *ricinium* vestem aliquam nigram potius significant, quam pro delicatis, & sumptuosis in luctu matronæ sumpserint. Atque ita Lipsii confirmatur opinio, decemvirorum animi sententiam non fuisse interdicere, ne matronæ plusquam tribus vestibus nigris ad funus accederent, ut alii illi, quos supra memoravi, credidere, sed ne pluribus istiusmodi vestibus in funere cremarentur, aut cum defuncto sepelirentur, *ricinium* existimantis non lugubrem vestem esse, sed ad ornatum factam, ac tum quidem temporis pretiosam, magnique æstimatam, adeoque in ipsa lege suo nomine expressam. *Falconer. Dissert. de pyram. C. Cestii Epul. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1480. *B.* V. etiam *Kirchman. de Funer. Rom.* III. 5. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 9. *Ursin. ad Leg. & Sala Thes. Ant. Rom. Græv. Tom* II. *p.* 1364. *C. August. ad Leg.* XII. *tab.* §. 44. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* 1. *c.* 4. *Hotman. Antiq. Rom.* III. 1. *p.* 358.

RID.

RIDICA, quæ & *rudeca* dicitur in lapide sepulcrali invento in area arcis S. Andreæ a Briorto, vocabatur pedamentum palandis viteis, quo recto hæ stant, longitudine hominis. Varr. de Re rust. 1. 8. *Pedamentum robustum, quod optimum solet afferri in vineam e quercu, ac junipero, vocatur ridica.* Colum. XI. 2. *Ridicas querneas, sive oleaginas findere.* Sed Plin. XVII. 22. *Pedamenta optima, quæ diximus, aut ridicæ robore, oleaque, aut si non sint, pali e junipero, cupresso, laburno, sambuco.* Idem nomen cum *rudis*; *rudis* autem baculus impolitus. *Reines. Inscript. Class.* VI. *n.* 112. *Tiraquell. in Alex.* III. 10. *Voss. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p.* 112. *H. Rhodig. Ant. Lect.* VIII. 4.

RIDICULI vocabantur genus mimorum. Demosth. Olynth. II. p. 17. Et ad illum Ulpianus. V. illos supra in *Gelasiani.* In *ridiculo* comœdiam versari ait Aristot. Poet. c. 5. *Ridiculum*, inquit, *est peccatum, & turpitudo doloris expers, & innoxia, veluti ridicula persona turpe aliquid, & distortum habens sine dolore.* *Ridiculi* Græcis dicuntur γελοιάζειν, παρῳδεῖν, σκώπτειν Julian. Cæsar. *Non enim ita natura comparatus sum, ut commode dicta jaciam, ridicula fundam, parodiis utar.* Latini vocant dictiosos, mordaces, urbicos, urbicarios, urbanos, Apollinis parasitos, scurras, joculatores, copreas. *Buleng. de Theatr.* 1. 42. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 7. *de Tragœd. c.* 2.

RIG.

RIGOR est in agro, quod inter duo signa in modum lineæ conspicere erat. Signum aut capiebatur longinquo conspectus oblatum, vel arbor, vel saxum, vel tale aliquid eminens: aut manu ponebatur. Quod Heroni similiter τὸ λαμβανόμενον σημεῖον. Inter ejusmodi signa quod *rectum* prospiciebatur, *rigor* dicebatur. Nempe ob rectitudinem. Frontin. Expos. form. p. 31. *Rigor est quicquid inter duo signa, vel in modum lineæ, rectum perspicitur.* Aggen.

gen. in Frontin. de Limit. agror. p. 46. *Limes ergo est, quodcunque in agro opera manuum factum est ad observationem finium, rigor vero suæ rectitudinis naturalis nomen accepit.* Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 480. a. A. Cujac. Observ. x. 2. Ideoque *termini sine rigore* apud Cajum & Theodosium sunt sine rectitudine, ordinati scilicet ad modum agri, qui flexuosa linea continetur. Ordinantur autem *rigores* per mensorem in agro, linea ad ejus similitudinem scribitur in tabula, vel forma. Inde etiam *linea* pro *rigore*. Var. auct. de Limit. p. 254. *Sequentibus lineis fossatos, quos Augusteos appellamus.* Frontin. de Colon. p. 117. *Termini ad recturas linearum monstrantur.* Improprium ergo est, quod Var. auct. de limit. p. 271. *collis rigorem* dicunt. Non enim colles ad lineam diriguntur. Valet igitur ibi *collis ductus, incessus.* Coes. Ind. rei agrar.

RIS.

RISCUS est cista pelle tecta, vel e vimine, aut juncis facta, qua mulieres lintea sua corpori abstergendo idonea concluderent ac conservarent. Pollux x. 31. ῥίσκῳ voce pro cista vestiaria Antiphanem usum testatur. Terent. Eun. iv. 6. 16.

PY. *Ubi sita est.* TH. *In risco.*

Ubi Donatus: *In risco: cista pelle contecta: nomen Phrygium.* Et ita Ulpian. l. 25. §. 10. ff. de aur. arg. *Et si quæ similia dici possunt: veluti lavatio, riscus.* In glossis exponitur κιβωτὸς μεγάλη. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 170. b. F. Parrhas. Epist. 59. Menag. in Diog. Laert. v. §. 72.*

Riscus etiam dicebatur locus concavus in pariete, qui fenestella claudebatur, ac cistæ vicem præstabat in servandis linteis, & aliis, quæ imponebantur. Non. ii. 736. *Riscus, loca in parietibus angusta.* Qui etiam Terentium laudat. *Voss. Lex. Etymol. Parrhas. Epist.* 59.

RIT.

RITUS *est mos, vel consuetudo in administrandis sacrificiis.* Festus. Hinc quod *rite* fit, id rectum, ac ratum in nostris libris. Alexand. l. 3. C. de interd. matrim. *Cum rite contractum matrimonium ex post facto vitiare non potuerit.* Guther. de Jur. pontif. i. 12. *Ritus*, aut res Romanorum scriptis publicis qui mandaret, vix quisquam a condituia Urbis usque ad Livium Andronicum, per intervallum 514. fere annorum, inventus est. Docet hoc Cicer. Brut. c 18. *Atque hic Livius, qui primus fabulam C. Clodio Cæci filio, & M. Tuditano coss. docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius; post Romam autem conditam quarto decimo & quingentesimo.* Horat. Epist. ii. 1. 61.

—— habet hos, numeratque poetas,
Ad nostrum tempus, Livi scriptoris ab ævo.

In quo quidem temporis intervallo fuisse permultos doctos suspicari magis phrasi Ciceroniana, quam intelligere possumus, cum nulla penitus eorum extent in literis monumenta, præter orationem Cæci, & quasdam mortuorum laudationes apud Hadrian. Cardinal. præf. de Serm. Lat. Hinc Sallust. de Bell. Catil. p. 8. *Populo Romano nunquam scriptorum copia fuit, quia prudentissimus quisque maxime negotiosus erat. Optimus quisque facere, quam dicere, & sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare, malebat.* Lipen. de Stren. c. 2. æt. prim. §. 17.

RIV.

RIVALES appellabantur, qui per eundem *rivum* aquam ducebant, inter quos de aquæ usu sæpe contentio incidebat. Ulpian. l. 1. §. si inter. ff. de aqua cotid. *Si inter rivales, id est, qui per eundem rivum ducunt, sit contentio de aquæ usu.* Gell. xiii. 1. *Negotium, quod ei forte de aquæductu cum rivalibus apud judicem est.* Menag. Amœn. jur. civil. c. 39. Brisson. de Form. vi. p. 552. Voss. Lex. Etymol. in Rivus.

Rivales exponuntur etiam ἀντεραςαὶ in gloss. Philox. ita dicti quasi *in unum amorem derivantes*, ut interpretatur Non. i. 137. At Donatus arbitratur esse translitionem a bestiis. Ita enim scribit in Eun. v. 8. 42. *Rivales dicuntur æmuli de mulieribus, facta translatione nominis a feris bestiis: quæ sitientes cum ex eodem rivulo haustum petunt, in prælium contra se invicem concitantur.* Sed simplicius, veriusque est, *rivales* dici, quia ut agricolæ *rivum* habentes communem, de usu aquæ, ut de aquæ ductu, & aliis, sæpius contendunt: ita hi certent de eadem amasia. *Voss. Lex. Etymol. in Rivus. Gentil. Orig. p. 312. Barth. Adv. v. 8. Turneb. Adv.* xxvii. 23. *Menag. Amœn. jur. civil. c.* 39.

RIVUS *est locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrat.* Ulpian. l. 2. ff. de rivis. Festus. *Rivus vulgo appellatur tenuis fluor aquæ, non ope, consiliove factus, verum naturali suo impetu. Sed ii rivi dicuntur, qui manu facti sunt, sive super terram fossa, sive super specu, cujus vocabuli origo ex Græco pendet.* Hac posteriori significatione prætor, & Ulpianus usurpant: priori vulgus, qua etiam Ausonius poeta in prosa oratione *ingenuam aquam* dixit, imitatus opinor Lucret. i. 231. qui *ingenuos fontes*, hoc est, naturali impetu fluentes, quod eleganter dixit Ulpian. l. 1. §. quæsitum ff. de aqua cot. *Si aqua influxerit ipsa sibi, me non ducente, ipsa sibi*, αὐτόματον. Gentil. Orig. p. 311. Voss. Lex. Etxmol. *Rivum* primo *qualibet ducere solebat: posteaquam ductus erat, transferre non licebat* l. si cui simpl. ff. de servitut. *Is plane qui aquæ ducendæ jus habebat, vel fistulam in rivo ponere, vel aliud quodlibet facere poterat, dummodo ne fundum domino, aut aquagium-rivalibus deterius faceret.* l. hoc jure. §. is qui ff. de aqua cot. *Rivos* autem reficere, tegere, substruere, sarcire, purgare aquæ ducendæ causa licebat, item advehere, apportareque ea, quæ ad eandem rem opus erant. l. 1. ff. de rivis. Quin & ubi *rivo* aquam ducere cui permissum erat, *tacita hæc jura sequebantur; ut reficere rivum liceret, ut adire qua proximus posset is, fabrique sui:* item *ut spatium ei rei relinqueret dominus fundi, quo dextera, & sinistra ad rivum adiret, & quo terram, limum, lapidem, arenam, calcem jacere possit* l. refectionis ff. commun. præd. *Brisson. de Form.* vi. *p.* 551.

Rivus Appiæ *sub Cœlio monte & Aventino auctus emergit, infra clivum Publicii Alsi, & inde eductus est in naumachiam.* Frontinus. Hodie per portam Gabiusam ingreditur fluvius, qui fertur per vallem inter Cœlium & Cœliolum: inde per viam Appiam in radicibus Aventini, sub eo clivo, quo ad S. Sabinam ascensus est, influit in Tiberim. A Mariano oppido aqua Mariana dicitur. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 15.

Rivus Herculaneus intrabat Anienem novum. Frontin. de aquæduct. i. *Jungitur ei rivus Herculaneus oriens eadem via ad milliarium* 43. *e regione fontium Claudiæ trans flumen, viamque, natura purissimus; sed mixtus gratiam splendoris sui amittit.* Nardin. Rom. Vet. viii. p. 1454. A.

ROB.

ROBIGALIA *dies festus septimo Kalendas Majas, quo Robigo deo suo, quem putabant rubiginem avertere, sacrificabant.* Festus. *Robigalia dicta a Robigo: secundum segetes huic deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes.* Varr. de Ling. Lat. v. 3. Illa Numa instituit. Plin. xviii. 29. *Robigalia Numa constituit anno regni sui undecimo, quæ nunc aguntur ad septimum Kalendas Maji, quoniam tunc fere segetes robigo occupat. Hoc tempus Varro determinat sole tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio. Sed vera causa est, quod post dies undeviginti ab æquinoctio verno, per id quatriduum, varia gentium observatione, in quartum Kal. Maji canis occidit, sidus & per se vehemens, & cui præoccidere caniculam necesse sit.* Hoc sacrum ove, & cane peragebatur, quorum exta cum thure, & vino deo offerebantur. Ovid. Fast. iv. 901.

Sex ubi, quæ restant, luces Aprilis habebit;
In medio cursu tempora veris erunt.
Et frustra pecudem quæres Athamantidos Helles,
Signaque dant imbres, exoriturque canis.

Reliqua V. supr. in *Canarium.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. xi. p. 946. D. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 10. Buleng. de Circo c. 9. Salmas. Exerc. Plin. p. 307. F. 308. b. F. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 495. B. Alex. Gen. vi. 8. Hospinian. de Fest. Ethnic. p. 157. Bud. Annot. in Pa dect. p. 171. E. Stuck. de Sacrif. p. 35. Struv. Ant. Rom. i. 9. p. 430. Lomej. de Lustrat. c. 23. Brisson. de Form. i. p. 57. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. i. 2. Voss. Lex. Etymol. de Idolol. v. 47. Thys. in Gell. xii. 12. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 24. Blond. Triumph. Rom. ii. p. 38. F. Petav. in Julian. Orat. v. p. 91. edit. Lips. Stewech. in Arnob. ii. p. 76.

ROBIGO vocatur vitium segetis, quo spicæ fiunt marcidæ, & in fœtidum pulverem steriles. Virg. Georg. i. 150.

Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset robigo.

Hanc *cœleste fungum, vinearumque malum* vocat Plin. xviii. 17. Qui de ejus causa xviii. 28. *Plerique dixere, rorem inustum sole acri, frugibus robiginis causam esse, & carbunculi vitibus. Quod ex parte falsum arbitror, omnemque uredinem frigore tantum constare, sole innoxio.* Hospinian. de Fest. Ethnic. p. 157. Thys. in Gell. xii. 12. Voss. Lex. Etymol. in Ruber. Stewech. in Arnob. ii. p. 76.

ROBIGUS erat unus ex diis duodecim, qui maxime ab agricolis colebantur. Eum colebant, non ut prodesset, quemadmodum Ceres, Liber, Jupiter, ac Bonus eventus; sed ne obesset, neve frumenta, & arbores corrumpat robigine. Varr. de Re Rust. i. 2. *Robigo propitio robigo frumenta atque arbores non corrumpit.* Eleganti carmine *Robiginem* deam precatur, & invocat Ovid. Fast. iv. 911.... 932. *Hospinian. de Fest. Ethnic. p. 157. Brisson. de Form. i. p. 56. Voss. Lex. Etymol. Gyrald. Synt. deor. i. p. 19. A. Struv. Ant. Rom. i. p. 149. Borrich. Ant. Urb. fac. c 10. §. 8. Voss. de Idolol.* v. 47. *Ortel. Cap. Deor. & dear.* ii. 40. *Blond. Triumph. Rom.* i. *p.* 12. *H. Stewech. in Arnob.* ii. *p.* 76.

ROBORARIUM appellatur septum, in quo vivæ feræ pascuntur. Gell. ii. 20. *Quod apud Scipionem omnium ætatis suæ purissime locutum legimus roboraria, aliquot Romæ doctos viros dicere audivi id significare, quod nos vivaria dicimus: quod genus septorum vidimus in Italia locis plerisque. Verba ex oratione ejus contra Claudium Asellum quinta hæc sunt: Ubi agros optime cultos, & villas expolitissimas vidisset, in his regionibus excelsissimo locorum murum statuere ajebat: inde corrigere viam, aliis per vineas medias, aliis per roborarium, atque piscinam, aliis per villam.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. ii. 6. Buleng. de venat. circi c. 3. Stuck. Ant. Conviv. ii. 10. Grapald. de part. dom. i. 7. §. 1. Voss. Lex. Etymol. in Robur.

ROBUR & saxum duo diversa fuerunt. Saxum fuit præruptum montis Capitolini, *robur* pars carceris. Malefici non tantum de rupe Tarpeja præcipitati fuere, sed & de *robore*, prout delicta fuere scilicet, aut personæ, aut tempora, aut occasiones. Diversa fuisse e variis liquet tormentis, quæ recenset Lucret. iii. 1029.

Carcer, & horribilis de saxo jactus deorum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tæda.

Festus: *Robur in carcere dicitur is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur.* Primo suo significatu laxiore denotat arcas, sive angusta e ligno conclavia, quibus rei includebantur. Val. Max. vi. 3. 1. *Quin & familiares eorum, ne quis Reipublicæ inimicis amicus esse vellet, de robore præcipitati sunt.* Ubi quidem, contra quam Festus, non *quo*, sed *de robore* præcipitati rei leguntur. Sed *robur* hic de arcis ex *robore* ligneis explicandum est, quibus rei includi soliti, ne quis cum illis colloqueretur, quas *robustum carcerem* vocat Plaut. Curcul. v. 3. 14. quod ex *robore* factus esset. Ex his autem arcis sæpe & malefici ad præcipitium protracti, & per apertum cameræ foramen in inferius cavum dejecti sunt. Secundo strictiore profundiorem, depressumque humi locum illum arcis inferum, hiatuque structæ cameræ patentem, quo damnati, oneratique vinculis & ferro præcipites agebantur, ut vel iis collum obstringeretur, frangerenturque cervices, vel fame, alioque teterrimo genere tormenti necarentur. Liv. xxxiv. 43. *Q. Pleminius, qui propter multa in deos, hominesque scelera Locris admissa in carcerem conjectus fuerat, comparaverat homines, qui pluribus simul locis urbis nocte incendia facerent, ut in consternata nocturno tumultu civitate refringi carcer posset. Ea res indicio conscriorum palam facta, delataque ad senatum est. Pleminius in inferiorem demissus carcerem est, necatusque.* Donat. de Urb. Rom. ii. 19. Nardin. Rom. Vet. v. 11. Turneb. Adv. xxiii. 21. Sigon. de Judic. iii. 16. Lips. in Tacit. Annal. iv. 29. Lambin. in Plautum. Oliver. in Valerium Maximum. Brod. Miscell. ii. 10. Pollet. For. Rom. v. 10. Rhodig. Ant. Lect. xvii. 8. Beroal. Annot. Append. c. 10. Voss. Lex. Etymol. Quod cum mihi valde probetur, quippe eximie carceri, seu ædiculæ S. Petri in carcere conveniens, observandum & illic locum puto e saxis totum concameratum, ut a Sallustio describitur. In medio ejus foramen est, per quod rei demittebantur, aut damnati in inferiorem locum dejiciebantur, siquidem ad descensum nulli illic olim gradus erant: nam qui nunc sunt, ad commodiorem devotioni deditorum descensum a Christianis facti sunt. Hunc inferiorem carcerem *Tullianum* appellatum cognosco e Varrone de Ling. Lat. iv. 32. V. illum supr. in *Latomiæ.* Item ex Sallustio, qui de Bell. Catil. p. 50. *Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, ubi paullulum adscenderis ad lævam, circiter duodecim pedes humi depressus: eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus vincta: sed incultu, tenebris, odore fœda, atque terribilis ejus facies.* Nec tantum *Tullianum*, sed & *Tullianum robur* dictum ex iisdem liquet, qui vocem *Tullianum* non substantive, sed adjective neutro genere usurparunt. Calpurn. Flacc. Declam. iv. *Videt carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem, lucis umbram recipientem. In hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt.* Quibus concinunt illa Apul. Apol. p. 530. *O mirum commentum! o subtilitas digna carcere & robore!* Quod igitur Festus *ea præcipitatos maleficos* dicat; Serv. Æneid. vi. 573. *post quæstionem in Tullianum ad ultimum supplicium missos.* Livius de Pleminio, *in inferiorem carcerem demissus est, necatusque:* vix nisi de præcipitatis per illum, quem dixi, hiatum exponi potest. Huc dejectum Jugurtham, nec occisum fuisse, sed fame interiisse, Plutarch. in Mario p. 412. C. *Cui post triumphum in carcerem dejecto quidam vestimentum violenter laceraverunt; alii vero, dum inaures vi auferre decertarent, auriculam una dilacerarunt. Detrusus autem nudus in barathrum perturbatione plenus obtrectans: Hercules, inquit, quam frigidum vestrum est balneum. Sed hunc sex dies colluctantem cum fame, & usque ad ultimam horam desiderio vitæ suspensum condigna pœna suis crudelitatibus confecit.* De reis in *robore* interimi solitis Liv. xxxviii. 59. *Ut in carcerem inter fures nocturnos, & latrones vir clarissimus includatur, & in robore, & tenebris exspiret: dein nudus ante carcerem projiciatur.* Non igitur ullum amplius dubium esse debet, nec hæsitandum, quin in Tullianum conjectos credamus reos, ibique exstinctos, loco sane a Tarpeja rupe diversissimo. Quod si tamen Valerii pertinaciter defendatur sententia, minime mirum videri debet, vocem *roboris* varie acceptam. Possim & hoc addere, Valerium forte eo vocabulo hiatum illum intellexisse, de quo in inferiorem carcerem præcipitati malefici fuere, adeoque partem pro toto sumpsisse, quæ notabilis foret, fortean & *robur* appellata, ob arcam e *robore*, aut rubro saxo factam. *Nardin. l. l.*

ROG.

ROGA vocabatur, sed a posterioribus, stipendium militum. Apud Græcos etiam & ῥόγα, & ῥογάτορες, & ῥογεύειν, & ῥογάλια leguntur. Latine expredit scriptor histor. miscell. XVII. *Jussit Imperator* Mauricius *pratori, ut tertiam portionem roga in auro Romanis acciperet, & tertiam in armis, & aliam tertiam in vestimentis diversis.* XVIII. *Erant autem juxta positorum quidam, qui accipiebant ab Imperatoribus rogas pauxillas, ad custodiendum stoma eremi.* Et: *Eodem tempore venit spado quidam, daturus militum rogas.* Et: *Cumque venissent Arabes secundum consuetudinem accepturi rogas suas.* Etiam pro missilibus XVII. ubi de Tiberio II. *Duxit Anastasiam uxorem suam, & coronavit eam Augustam, & jactavit rogam multam.* Sic & Suidas munificentiam quamcunque Principum, sive liberalitatem interpretatur: Ῥόγα ἡ τῶν βασιλέων εὐσέβεια καὶ ἡ φιλοτιμία. Ab hoc vocabulo etiam hodie Hispani *ruegas* dicunt. In glossis Isidori: *Roga, eleemosyna.* Putean. de Stipend. Milit. c. 2. Du Fresne Glossar.

ROGARE emptum dicebatur emptor. In contrahendo & obligando solebant uti *rogationibus.* Julian. l. 41. ff. de contrah. empt. *Cum ab eo qui fundum alii obligatum habebat, quidam sic emptum rogasset, ut esset is sibi emptor, si eum liberasset.* Plaut. Capt. I. 2. 76.

HEG. *Age sis roga.* PAR. *Emin' tu?*

Brisson. de Form. VI. p. 491. Taubman. in Plautum.

ROGATIO vocabatur lex, quia *rogante* magistratu ferebatur. Flor. III. 17. 9. *Sic per vim latæ, jussæque leges: sed pretium rogationis statim socii flagitavere.* A lege differre *rogationem* veteres nonnulli existimarunt. Qua de re Festi verba: *Rogatio est, cum populus consulitur de uno, pluribusve hominibus, quod non ad omnes pertineat; & de una, pluribusve rebus, de quibus, non omnibus sanciatur. Nam quod in omnes homines, resve populus scivit, lex appellatur. Itaque Gallus Ælius ait, inter legem & rogationem hoc interest: rogatio est genus legis, quæ lex non continuo ea rogatio non potest non esse lex: si modo justis comitiis rogata est.* Gell. X. 20. satis suse significat, Atejum Capitonem idem sensisse. V. illum. *Manut. de Comit. Roman. c. 15. August. de Legib. c. 13. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 89. C.* Festus *rogationem* appellat, quod privilegium Cicero; eam legem, qua de uno, pluribusve hominibus; aut de una, pluribusve rebus constitutum est. Legis itaque genus esse, id est, speciem quandam, intelligemus; & ut Ælius Gallus dicebat, *non omnis lex rogatio est: omnis tamen rogatio justis comitiis rogata lex est.* Hæc est Festi sententia. In verbis autem est nonnihil mendosum. Namque ante verba illa *non potest non esse* deest, ut arbitror, verbum *rogatio.* Sed quinquam hæc sit Festi opinio, mihi *rogationis* verbum latius patere videtur, & omnes leges, de quibus ad populum feratur, comprehendere. Leges vero latæ sunt, cum eas populus accepit, antea promulgatæ dicuntur, cum trinundino die sunt propositæ; *rogatio* vero fit, cum *rogantur* tribus, *velitis jubeatis ita fieri:* si uti *rogatæ* responderint, tum lex est. Ex verbis tamen Capitonis relatis a Gell. X. 20. & Gelliana interpretatione suspicor aliquos fuisse, quibus hujusmodi privilegia leges non viderentur; ideo credendum esse eis nomen generalis illius *rogationis* dedisse, conservato legis nomine generalibus legibus, quæ ad omnes homines, omnesque res pertinerent. *Augustin. ad Festum. de Legib. c. 3. Manut. de Legib. c. 31.*

ROGATORES in comitiis centuriatis dicebantur, qui cistam deferebant, in quam tabellas suffragii populus conjiciebat. Fuisse in comitiis, qui tabellas populo darent, non autem ipsum populum domo adferre ad comitia solitum, potest intelligi ex Cicer. ad Attic. I. 14. *Piso consul lator rogationis, idem erat dissuasor: operæ Clodianæ pontes occuparant: tabellæ ministrabantur: ita ut nulla daretur, uti rogas.* Ex his verbis satis apparet fuisse quosdam, qui tabellas populo ministrarent. Extat tamen locus apud Suet. Cæs. c. 80. n. 5. ubi ait: *Post remotos Cæsetium & Marullum tribunos, reperta sunt proximis comitiis complura suffragia, consules eos declarantium.* Ex quo loco intelligi potest, quosdam interdum alias tabellas in cistam conjicere solitos, quam quæ ministrabantur: quas necesse erat domo secum adferre. Verum id in Cæsaris invidiam factum constat. Et ut etiam tabellarum ratio non habebatur, ita raro eveniebat. Porro fuisse præter eum, qui habebat comitia, alios *rogatores,* qui id agerent quod diximus, potest intelligi ex Cicer. orat. post red. in sen. c. 11. *Quando illa dignitate rogatores vidistis?* in Pison. c. 40. *Hic certe video, quid indicant tabulæ publicæ, vos rogatores fuisse.* Siquidem præter P. b. Lentulum, a quo habebantur comitia, fuisse alios *rogatores* ex senatu principes viros deferre scribitur. Item ex Cicer. de Divin. II. 35. ubi ita scribit: *At eruspices divini, quos cum Tib. Gracchus propter mortem repentinam ejus, qui in prærogativa referendi subito concidisset, in senatum introduxisset, non justum rogatorem fuisse dixerunt. Primum vide ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuisset: is enim erat mortuus.* Ex eo loco planum est, præter Tib. Gracchum, a quo illa comitia habebantur, fuisse & alium quendam centuriæ *rogatorem,* quem *primum rogatorem* appellat de Nat. deor. II. 4. Ac si tempus inspicias, quo id factum est, videbis multo tempore id fuisse, antequam in comitiis suffragium tum a populo cœptum esset: quo tempore diribitoribus non opus erat, sed eo solum, qui *rogaret* suæ centuriæ sententias, quas postea referret. De hoc *rogatore* intelligi debet Cicer. de Orat. II. 64. *Ex eo tum hoc genus unum est, quod ajunt, Maluginensem illum M. Scipionem, cum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem.* Qui igitur colligebant centuriatim suffragia prius voce, postea tabellis, ii *rogatores* appellabantur. Qui vero habebat comitia, universum populum *rogabat,* antequam in suffragium mitteret, *rogator* comitiorum dicebatur. *Grucch. de Comit. I. 3. Turneb. Adv. XXI. 15. Panvin. de Civ. Rom. c. 53. & 69. Hotman. Antiq. Roman. II. 12. Maurit. de Sortu. c. 12. §. 7. Schill Nomencl. Philol. p. 990.* Tribuum vero *rogatores* non fuerunt alii præter *rogatorem* comitiorum. Potest hoc hac ratione confirmari. Qui cistam deferebat colligendis per tribus suffragiis, *rogator* dicebatur. Atqui ex multis locis apertum est, cistam deferre solitum cum ipsum, qui habebat tributa comitia. De Saturnino legem ferente Cicer. ad Herenn. I. 12. *Saturninus ferre cœpit, collegæ intercedere. Ille nihilominus cistellam detulit.* De Nat. deor. I. 38. *Ut igitur Tiberium Gracchum cum videor concionantem in Capitolio videre, de M. Octavio sitellam deferentem.* Hi loci satis ostendunt, *rogatorem* comitiorum eundem fuisse, qui per singulas tribus tabellas suffragii colligeret. Unde etiam colligo interpretationem Suet. Jul. c. 80. n. 8. ubi ait: *Qui primum cunctati, utrumne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem partibus divisi e ponte dejicerent.* De tributis comitiis illum intelligi vel hinc perspici potest, quod magistratus, qui centuriata comitia habebat, fuit solitus manere in tribunali; Suetonius vero cum dicit, conjuratos excogitasse Cæsarem e ponte dejicere, manifesto demonstrat, vocandis tribubus in ponte, ac non in tribunali Cæsarem stare solitum. Ex quo consequitur, tributis comitiis eum, qui habebat comitia, non in tribunali consedisse, sed in ponte consistere solitum, ubi vocatarum tribuum tabellas colligeret. Quod si ita sit, necessario sequitur, his comitiis non alium fuisse *rogatorem,* quam eum ipsum magistratum, a quo habebantur comitia. *Grucch. ibid. II. 4.*

ROGUS. V. illum supr. in *Pyra.*

ROM.

ROMA gentium domina, & per excellentiam Urbs dicta, tanquam dea summo cultu ab antiquis est culta, templaque habuit tam apud Romanos, quam apud exteros. Liv. XLIII. 5. *Alabandenses templum Urbis Romæ se fecisse commemoraverunt* in senatu, *ludosque anniversarios ei divæ instituisse.* Cæsar Octavianus templum Urbi Romæ Ephesi, & Nicææ clarissimis Asiæ, & Bithyniæ civitatibus

tibus fieri permisit, ut narrat Dio LI. p. 458. A. Et sic in Græcis veteribus nummis ΘΕΑ ΡΩΜΗ sæpius inscribitur. In ipsa quoque Urbe plura ei templa ædificata sunt, inter quæ superbissimum illud fuit ab Antonino Pio erectum, cujus occurrit typus in nummis ejusdem Imperatoris cum epigraphe, ROMÆ ÆTERNÆ. Repræsentatur hæc dea cum galea cristata, nudam habens mammam dextram, heroinæ instar. Et ita describitur a Corippo de laudib. Justin. I.

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exserto & nudam gestantem pectore mammam,
Altricem imperii, libertatisque parentem.

Cicer. Catil. IV. 6. *Romam* vocat *lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium.* Immortalitatis nomen ei tribuit Tibull. II. 5. 23.

Romulus æternæ nondum formaverat Urbis
Mœnia.

Mart. XII. 8. 1.

Terrarum dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Isidor. VIII. 6. *Roma sola Urbs, cætera oppida.* Sed non soli auctores profani Urbem *Romam* his sublimibus titulis decorarunt; ipsam etiam audiamus Hieronymum contra Jovinian. II. de illa sic loquentem: *Urbs potens, Urbs orbis domina, Urbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum, Roma, aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis juxta Hebræos.* La Chausse Deor. simul. tab. 1. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 10. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 45. Keuchen. in Frontin. de Aquæ duct. II. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1654. Castal. de Templ. Pac. Thes. Græv. ibid. p. 1855. A. Lips. de Magnit. Roman. I. 2. Zimmerman. Floril. Philol. p. 685. Thys. de Magnit. Roman. I. p. 238. Falconer. Not. ad Inscript. athlet. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2306. Græci unica tantum appellatione, quæ quidem omnium instar esset, eam ornasse fuerunt contenti. Vix enim alio nomine Urbem *Romam* in eorum monimentis appellatam reperias, quam ΒΑΣΙΛΙΔΟΣ, aut, quod idem est, ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΗΣ ΠΟΛΕΩΣ, hoc est, *Reginæ*, atque, ut cum Horatio loquar Od. IV. 3. 13. *urbium principis.* Quo allusum etiam videtur magnifica illa inscriptione, quam Proæresii statuæ appositam narrat Eunap. in ejus vita p. 123. *Regina Roma, regi eloquentiæ.* In geminis quoque Puteolanis marmoribus stationariorum ΕΝ ΤΗ ΒΑΣΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ mentio habetur. Et ita Rutil. Itiner. I. 47.

Exaudi Regina tui pulcerrima mundi
Inter sidereos Roma recepta polos.
Exaudi genitrix hominum, genitrixque deorum:
Non procul a cœlo per tua templa sumus.

Falconer. l. l. Neronis Claudii nummus *Romam* præfert armis insidentem, dextraque coronam porrigentem, civibus fortasse, aut viris fortibus. Vespasiani unus quidem armatam ostendit, dextra victoriam alatam cum corolla tenentem, sinistra hastam: alter vero septem insidentem collibus, manuque parazonium, qui pugio est sine cuspide, tenet, ad pedes Tiberis fluvius est. Flamines etiam, & sacerdotes tanquam singularis quædam dea adepta est. Testis est inscriptio illa Lugdunensis in Gallia in basi:

SERVILIO
MARCINO
ARVERNO
C. SERVILII
DOMITI. FILIO
SACERDOTI. AD
TEMPLUM. ROMÆ
ET AUGUSTORUM
TRES. PROVINCIÆ
GALLIÆ

Ortel. l. l. Triplex *Romæ* urbi nomen fuisse proditur: unum hoc, quod diximus, pervulgatum: alterum, quod arcanum fuit, unde Amaryllida suam, quæ amorem proprie significat, in bucolicon carmen poeta detorsit: tertium sacrificiis debitum, de quo vocabulum Floralibus impositum, quod anthusam Græce Philadelphus interpretatur homo doctus, a quo hæc accepimus. Hoc tu Latine, vel Florentem vertas, vel aptius Floram fortasse, aut Florentiam. *Politian. Epist.* I. 2. In quo ego hoc non admodum probo, quod Amaryllida ab amore deductum putet, quasi Latinum sit nomen. Ego, quia & apud Theocritum puella ejus nominis reperitur, & quia personæ bucolicæ fere omnes Græcæ, Græcam originationem potius requirendam arbitror: & in ejus etymologia latere aliquid quod cum rebus rusticis sit cognatum. Ἀμάρη certe incile significat, per quod aqua ad irrigationem vel horti, vel alterius generis agri derivatur. Id si admittas, forma diminutiva inde Amaryllis declinata videtur. Fabius Pictor tradit, Argeum campum, qui septem montibus includitur in speciem arcus usque ad Tiberim, quæ instar cordæ eum præcingit, inundationibus fluvii inhabitabilem fuisse. Sed Vertumno sacris factis aquas in alveum revertisse, arbitrorque ab incilibus, quibus palus siccata est, *Romam* Amaryllida esse dictam. *Nann. Miscell.* VI. 1. Conditæ *Romæ* decus plerique veterum scriptorum Romulo tribuere: quanquam cum e Dionysio Halicarnasseo, tum ex aliis quam pluribus, Euandrum Arcadem diu ante Romulum partem Urbis, collem scilicet Palatinum, imperio tenuisse constat. Quin & ab eodem Græcum Ῥώμης nomen Urbi inditum fama fert; quæ Latinis Valentia est. V. infr. in *Valentia.* Nec desunt scriptores Græci, qui eam a *Roma* quadam, incertum Græca, an Trojana; serva, an comite, cognata, an uxore Æneæ; vel a Romo, vel a *Romulo*, Æneæ, Jovisve, aut Ulyssis, aut Itali filio, diu ante *Romulum* Albanum conditam dicunt. Sunt & qui Capitolinum montem multis ante Æneæ in Italiam adventum annis a Saturno habitatum asseverent, non secus ac a Jano Janiculum. Verum de his, in tanta, ac tam densa antiquitatis nube, atque obscuritate, certi quid, ac liquidi pronuntiare omnino anceps fuerit, atque temerarium. Conditam tamen, aut saltem habitatam fuisse ab Euandro dubitare vix licet: quoniam autem *Romulo* conditæ *Romæ* gloria a plerisque vindicata fuit, ab Euandro Urbem primum conditam, post desertam, deinde a *Romulo* restitutam, quæque prius Palatii nomen obtinebat, *Romam* ab eodem nuncupatam, vero quam maxime simile est. *Nardin. Rom. Vet.* I. 1. *Panvin. in Fast.* I. *p.* 12. 13. 14. *Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 210. *C. Goltz. Ital. p.* 228. *Faunus Antiq. Roman.* I. 1. *Columna in Ennii Annal.* I. *p.* 20. *Cluver. Ital. Ant.* III. 2. 8. *Leand. Descript. Ital. p.* 165. Quo anno condita fuerit, diversæ sunt opiniones. Timæus Siculus, nescio qua ductus ratione, Urbem ipsam a *Romulo* ædificatam retulit eodem fere tempore, quo a Tyriis Carthago in Africa, octavo & trigesimo anno ante primam olympiadem. L. Cincius vir senatorius anno quarto duodecimæ olympiadis. Q. Fabius Pictor rerum Romanarum gravissimus, & antiquissimus scriptor anno primo octavæ olympiadis. Polybius Megalopolitanus, & Diodorus Siculus olympiadis septimæ anno secundo. Apollodorus, Q. Lutatius Catulus, C. Cornelius Nepos, Eratosthenes, M. Porcius Cato, Dionysius Halicarnasseus, & Theophilus Antiochenus olympiadis septimæ anno primo. M. Verrius Flaccus auctor Capitolinarum tabularum, T. Livius, C. Julius Solinus, Clemens Alexandrinus, & alii olympiadis sextæ anno quarto. L. Taruntius Firmanus, M. Terentius Varro, T. Pomponius Atticus, M. Tullius Cicero, Augustus Cæsar, C. Vellejus Paterculus, T. Claudius Cæsar Augustus, C. Plinius Secundus, Plutarchus Chæroneus, Domitianus Cæsar Augustus, C. Cornelius Tacitus, Cassius Dio, A. Gellius, L. Septimius Severus Augustus, Censorinus, M. Julius Philippus Augustus, Eusebius Pamphili Cæsariensis, Eutropius, Paullus Diaconus Longobardus, & post C. Cæsaris dictatoris tempora communis populi Romani sententia, quam nos quoque sequimur olympiadis sextæ anno tertio con-

conditam Urbem volunt. Illud autem notandum, me annorum olympicorum initium a solstitio æstivo circa Kalendas Julias ordiri. Qua ratione fit, ut quum dicitur Urbem tertio, vel quarto anno sextæ, aut primo, vel secundo septimæ olympiadum conditam, id intelligi debeat circa finem illius anni olympici, hoc est, xi. Kal. Maji. Anni enim sequentis principium proximo solstitio futurum erat. Primumque Urbis conditæ annum, si tertio sextæ olympiadis constructam asseveraverimus, concurrere fere totum cum quarto ejusdem sextæ olympiadis anno, duobus mensibus, & aliquot diebus exceptis, qui sunt extremi anni olympici tertii ejusdem olympiadis, in quo ædificatam Urbem credimus: sic quoque dicendum de cæteris annis olympicis, quibus Urbs condita secundum scriptorum varias opiniones dicitur. *Panvin. in Fast.* I. *p.* 15--23. *Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 215. *D. Leand. ibid. p.* 168. *Scalig. de Emend. temp.* v. *p.* 386. *Petav. de vet. ann. Roman. c.* 50. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 11. Locus Urbis a Romulo conditæ fuit collis Palatinus, ubi nunc horti Farnesiani, ut sine controversia auctores. Dubium tamen, an Romulus aliquid aliud præter Palatium ædificarit, vel pomœrio incluserit. Nam Tacit. Annal. XII. 24. 3. *Capitolium*, inquit, *non a Romulo, sed a T. Tatio additum Urbi credidere.* Sed Dionys. II. p. 104. ante Sabinum bellum ait Capitolium & Aventinum a Romulo fuisse munitum. Livius, quamvis scripserit I. 7. *Romulus Palatinum primum, in quo ipse erat educatus, munit*, tamen c. 8. *crescebat*, inquit, *interim Urbs munitionibus, alia atque alia appetendo loca.* Idem c. 11. memorat, Capitolium ante Sabinum bellum factum fuisse arcem Romanorum: *Spurius Tarpejus*, inquit, *Romanæ præerat arci*, mœnibus utique munitæ. Addit enim: *Hujus filia Tarpeja aquam forte tum sacris extra mœnia petitum iverat.* Eadem flagrante bello sic loquitur apud Prop. IV. 4. 35.

Romani montes, & montibus addita Roma.

Strab. v. p. 162. *Prisci namque Capitolium, & Palatium, collemque Quirinalem sic muniere muris, ut venientibus abunde exterius facilis foret ascensus; adeo ut T. Tatius primo adveniens incursu locorum potitus sit.* Cato Orig. p. 142. *Romulus cum Palatio etiam Esquilinum tenuit.* Fab. Pict. II. *Forum Romanum ædificavit, & post bellum Sabinum fœdere icto Romulus Urbis agros divisit in partes tres æquis collibus. Sabinis & Tatio Capitolium, & Quirinalis: Romulo sequentes, Esquilinus & Palatinus, in quo Roma: Galerito, & Luceribus Thuscis Cœliolus obvenerunt.* Et, ut constaret de habitatione loqui, subjecit: *Aventinum Romulus passus est habitare.* Sex igitur colles incolis frequentes fuere ante obitum Romuli: Forum, & Arx, & alia loca teste Livio, & Strabone. De foro Prop. IV. 4. 12.

Stabant Romano pila Sabina foro.

Postremo Val. Max. II. 2. 9. *His avus Numitor eo loco, ubi educati erant, Urbem condere permiserat, sub monte Palatino.* Tam varia, & incerta est in auctoribus antiquitas. *Donat. de Urb. Rom.* I. 3. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 210. Quadratam designavit, atque ædificavit Romulus. Cato jam laudatus. *Romulus cum Palatio, in quo quadratam Romam condidit.* Festus: *Quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur locus, ubi reposita sunt, quæ solent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi, quod saxo munitus est initio in speciem quadratam. Ejus loci Ennius meminit, cum ait:*

Et quis exstiterat Romæ regnare quadratæ?

Plutarch. Rom. p. 22. E. Ῥώμην τετράγωνον vocavit, id est, *quadrangulam*, qualem Crinit. de Honest. discipl. IV. 9. a Julio Solino c. I. significatam existimat, dum ille *ad æquilibrium positam* fuisse scriptum reliquit. Fab. Pict. II. V. illum supr. in *Olympus.* & Dionysius bis infra laudandus. *Mag. Miscell.* III. 13. His Plutarch. p. 23. D. videtur adversari. V. & illum supr. in *Olympus.* Qui tamen clarius verteretur: *Inde Urbem, tanquam circulum centro circumscripserunt*, circumdederunt, & quasi circum centrum, quod aliud erat ab olympo, ædificarent. Apud Plutarchum *quadrata Roma* non Urbem, sed aliud quid significat, ut etiam apud Festum. Et P. Victor in regione x. palatii enumerat *Romam quadratam.* Plutarchus ergo *Romam quadratam* a Romulo factam, Festi lapidem intelligit. Quid enim aliud significat: *Romam quadratam fecit, atque eo in loco Urbem condere voluit?* Cum vero de Urbis ædificatione loquitur, orbicularem illi figuram attribuit. *Roma* igitur *quadrata* pro centro est Urbis designandæ: olympus, unde incipiebat designari. Quod si *quadratam Romam* Fabius & Cato describunt, quadripartitam, & quadriurbem intelligunt. Sic enim & Ennius interpretatur. Certe Fabius *Romam* primo tetrapolim, tum quadratam appellat, quatuor videlicet diversis locis constantem in Palatino monte constitutis: nempe *Roma* oppidulo versus Esquilias antiquiore, quam esset Romulus: exstructa Vellia versus Cœlium: Germalia fundata versus circum maximum, quo germanos Romulum & Remum Tiberis detulit in alveolo expositos: Romano foro ædificato, quod aliqua sui parte spectaret Esquilias. Ex quibus quatuor tetrapolis *Roma*, & quadripartita est, rotundæ tamen, & obliquæ figuræ. Qui ita sentiat, non audiet Solinum, aut Dionysium; nisi Dionysius idem quod Plutarchus quadrangulam intelligat. Solini locus non caret tenebris. Quid enim est? *Roma incipit a sylva, quæ est in area Apollinis, & ad supercilium scalarum Caci.* Sylva enim in Palatino, scalæ ad rupes Aventini fuerunt, qua imminet Tiberi; cum urbs Romuli fuerit in solo Palatino. *Dicta est Roma quadrata, quod ad æquilibrium foret posita*; dicta, non facta. *Posita* autem ad æquilibrium, si, ut notat Crinit. de Honest. Discipl. IV. 9. V. illum supr. in *Æquilibrium.* significat construi ad æqualem regulam, & æqua ratione absolvi, rectius orbiculatæ structuræ accommodatior, cujus partes æqualiter distant a medio. *Donat. ibid. c.* 2. Quod ad Dionysium attinet, nullo pacto sententia ejus interpretatione aliqua a vero sensu detorqueri debet: siquidem duobus locis *Romæ quadratæ* mentionem facit; nempe I. p. 75. ubi ait: Romulum, priusquam sulcum duceret, *ad radicem collis quadratam Urbis figuram descripsisse*: tum dein II. p. 158. ubi *Vestæ templum extra Urbem fuisse, quæ quadrata dicebatur, & a Romulo muro cincta fuerat*, refert. Solinus autem, quum *ad æquilibrium eam positam* dicit, non ponderis æquilibrium, sed figuræ adhibitum vult: quod tam in quadrata, & æquali laterum, quam circulari figura locum obtinet. Ad Ennium quod attinet, quamquam a Festo expositus est, non tamen de structura paucorum palmorum, quæ vix aviculæ sufficeret, nedum regi, loqui existimandus est. Verba Plutarchi, qui tamen auctor longe est infra auctoritatem Dionysii, de qualicunque potius accipienda sunt orbe, seu circuitu, quo civitas inclusa fuit, sive is quadratus esset, sive alterius figuræ; & hic circuitus orbis dictus est, uti Varro & Plutarchus volunt, quia isthic sulcus non, ut in campis, uno directoque procedit ductu, sed, prout loci situs fert, inflexus, varias efficit circumferentiæ figuras, quæ hic ob Palatini montis situm quadrangularem, cujusmodi etiam nunc conspicitur, quadrata fuit. Cætera vero Plutarchi verba: *Romulus eum locum, quem quadratam Romam vocant, condendæ Urbi deligere volebat*; quis aliter de Palatino monte accipiat, quum Remus Aventinum sibi delegisset? Cæterum, sive quadrata murorum, sive circularis figura fuerit, parum refert, nec in eo salus posita est reipublicæ literariæ. *Nardin. Rom. vet.* I. 2. *Urbem tres portas habentem Romulus reliquit: aut, ut plurimis tradentibus credamus, quatuor.* Plin. III. 5. Earum nec nomina, nec locum ponit. Plura tamen in Varrone, Festo, aliisque leguntur, ut Mugonia, Trigonia, Pandana, Romana, Romanula, Libera, Carmentalis, Janualis. Et plura singulas habuisse creditur. Qui tres tantum a Romulo relictas fuisse ferunt; eas Carmentalem, Romanam, & Pandanam appellarunt. Qui vero quatuor portas Urbis reliquisse volunt, quartam, Janualem nuncupatam fuisse dicunt. *Marlian. Topogr. Urb.* I. 3. Ego tres fuisse existimo, Mu-

crotis a mugitu, quam Verrius Flaccus Trigoniam dixit, a tribus angulis cognominatam: altera fuit, nomine Romanula: tertia forum versus Janualis appellata fuit. *Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p. 231. F.* Quarta est Carmentalis ad radices Capitolii, & forum nunc Montanarium, fortasse Janualis etiam dicta: ut tres tantum portæ essent. *Donat. ibid. c. 4.* Fulvius tres alias opinatur, Mugonium, quam Verrio trigoniam appellari putat, cumque fuisse ad radices palatii, inter forum, & ficum Ruminalem. Hanc primam a Romulo positam existimat, inductus in hanc sententiam hisce Ovid. Trist. III. I. 31.

Inde petens dextram, porta est, ait, ista palati:
Hic Stator. hic primum condita Roma loco est.

At Ovidius de porta illa vetere palatii agit, neque eam Trigoniam nominat. Pandanam, quam & Liberam dictam, & Romanulam putat. Et Carmentalem. Orta mihi omnis hæc opinionum diversitas videtur ex eo, quod primam urbem quadratam, in solo Palatino monte conditam, non ab ea distinxerint, quæ, accedente cum suis ad Romanos Tatio, addito Capitolio ampliata est: adeoque nec utriusque portas. Plures autem una porta in quadrata *Roma* a Romulo ædificatas fuisse verosimile est: quarum una usum deinde alicujus ex his tribus præbuerit; aliæ cum ipsis destructæ muris fuerint, aut inutiles relictæ. *Nardin. ibid. c. 3.* V. singulas supr. in *Porta*. *Roma* atque *Urbs* unum & idem significare videntur, sed tamen duo inter se sunt diversa. Urbs enim quicquid mœnibus continetur, & aratro, sive urbo definitum est, comprehendit, ut scripsit Pompon. l. 239. §. 6. ff. de verb. signif. *Roma* vero continentia quoque ædificia complectitur, ut in plurimis ejusdem tituli legibus statuitur, nempe l. 2. *Urbis appellatio muris: Romæ autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet.* l. 87. *Ut Alfenus ait, Urbs est Roma, quæ muro cingeretur. Roma est etiam, qua continentia ædificia essent: nam Romam non muro tenus existimari ex consuetudine quotidiana posse intelligi: cum diceremus Romam nos ire, etiam si extra Urbem habitaremus.* l. 139. *Ædificia Romæ fieri etiam ea videntur, quæ in continentibus Romæ ædificiis sunt.* l. 147. *Qui in continentibus Urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur.* Hæc Ovidius intellexit suburbia adjuncta mœnibus, aut certe mœnia palmari hyperbole amplificavit de Pont. II. I. 23.

Quæque capit vastis immensum mœnibus orbem,
Hospitiis Romam vix habuisse locum.

Quæ quousque se extenderint, definiunt, sed non eisdem spatiis *Lips. de Magnit. Rom. III. 3. Donat. de Urb. Rom. I. 16. Fabrett. de Aquæduct. Dissert. III. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 1761. B. Voss. de Magnit. Rom. Vet. c. 5.* Et illis similis de *Roma* ipsa mœnibus, & pomœrio conclusa, ejusque magnitudine fusius inter se disputant *Lips. ibid. c. 2. Donat. ibid. c. 17. 18. 19. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 1. Voss. ibid. c. 1--4.* Si Paullo Orosio, viro integerrimo, & Procopio historiæ scriptori vel in primis gravi, qui Gothis Italiam obtinentibus floruit, credi oportet, quinquies omnino contigit, ut ea Urbs ab his nationibus intra centum & triginta sex annos per vim occuparetur, ab Alarico, a Genserico, a Ricimere, a Totila, qui bis eam & cepit, & diripuit: trecentis autem & sexaginta annis post eas calamitates ab Arnulfo Germanorum Rege obsessa est, & capta, sed tamen, quod ad publicorum ædificiorum, & substructionum ruinas pertinet, nihil omnino incommodi passa est. *Barg. de Ædif. Urb. Rom. evers. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1875. E. Panvin. de Imper. Roman. c. 28. Donat. ibid. c. 28. Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 2.* Quod ad duas primas ætates pertinet, nempe ad captam Urbem a Gallis, tum usque ad bella civilia Syllæ Mariique quadraginta annos ante Augustum consulem, præsens civitatis forma non modo cum veteri conferenda, sed illi etiam anteferenda est. Decus, & pulcritudinem Urbis tria præsertim efficiunt: Luxus, & instructio victuum: sublimitas, ornatus, & amplitudo ædificiorum: situs, sive in planitiem æqualiter extensus, sive curvatus in collem, aut in summo editus, & apricus: ad austrum ne, an boream: ortum solis, an occasum vergens. Situ vincimus non modo ad ædificandum aptiore, sed salubriore ad vivendum. Situs enim veteris Urbis, testificatione Strab. V. p. 162. urgente necessitate, ne hostis ex arduo mœnibus incumberet, paullatim septem in montes excurrit. Quibus comprehensis magna tectorum, ac cœli inæqualitas coorta est: quod præcelsa in montibus ædificia solem, ventorumque flatus libere acciperent, domus vero ab his opacatæ in subjectis, angustisque vallibus gravem, ac nebulosum aerem, nec solis calore extenuatum includerent, unde spiritus impurus, & noxius duceretur. Jam vero in peramplam, & apertam planitiem civitas descendit; ut quæ de campi Martii amœnitate, ac magnitudine Strabo, Dionysius, aliique auctores prædicarunt, in suam dignitatem, commodumque converterit. Eadem, Tiberi interfluente, ab occasu, Vaticanisque montibus; a meridie Capitolio, Palatio, Aventino; ab ortu Quirinali, & Hortorum colle latissime inclusa, atque his velut munitionibus adversus austri, euri, africi, aliorumque ventorum nocentes impetus circumsepta, aquilonaribus tamen flatibus plana exponitur, ut humidam hyemis gravitatem tempestive resolvat: aut hibernos tepores, quibus abundat, modica cœli tenuitate, quam arcticus, ac purus efficit spiritus, salubriores reddit, nec raro æstatis immodicos depellat ardores. Quamvis enim non modo aquilonem, & boream, sed etiam austrum, africumque Roma excipiat; hos tamen quasi per canales, & anfractus recipit objectu collium, illos accipit aperta, & obvia, cum antiquitus in septem collibus, austrinis & africis flatibus ultro obversa maxime quateretur. Quo fit, ut pestilentes annos, qui veterem Romam frequenter exhauriebant, numerare non possimus. Ad vias venio, quarum plurimæ latæ, ac rectæ antiquas multum excedunt. Prisci enim suam rectam habuere in Campo Martio, herbis duntaxat obsito, non ædificiis. Cæteræ flexuosæ, & angustæ, ipsis dominantibus Romanis, vendentium adhuc pilis, & cadurcis impeditæ. Quod vitium Neronianus ignis postea decoxit. Ædificiorum usque ad annum Urbis 662. rarus decor, & cultus, cum nullæ in publico erant columnæ marmoreæ; & pro Crassi magnifica domo, in qua videlicet sex loti, patulæ arbores, quatuor columnæ Hymettii marmoris (hæc enim præsertim commendantur ornamenta) Domitius censor, quamvis ad sugillandum inimicum, sextertium millies promitteret, id est, aureorum vicies quinquies centena millia, sive duos milliones, & dimidium. Quamvis autem in fine secundæ ætatis multum decoris, splendorisque domibus adjectum sit; tamen non dubito, quin recentes pontificis maximi, purpuratorum patrum, nobilissimorumque principum ædes, & laxitate, ac structura, columnis marmoreis, pilis Tiburtinis, marmoreis incrustationibus, inauratis laquearibus, pictis cameris, aulæis opere Belgico, Phrygio, Damascenoque peristromatis, ac reliquo argenti aurique lautissimo instrumento illius ætatis ædibus pares sint, atque ex his aliquot illis etiam superiores. Nam de templis quid dicam? quæ illis non magna, & fere altitudine columnarum, quibus epistylia ad imponendas trabeationes nitebantur, definita: columnæ Albanæ, vel Tiburtinæ, vel pilæ lateritiæ in speciem columnarum tectorio expolitæ: nullæ marmorum crustæ: nulla ad exquisitiorem cultum segmentato, levigatoque lapide cælata sacella: raræ inibi picturæ, nisi quas exercituum Imperatores translatis e Græcia tabulis sero invehere cœperunt. Cætera ex auro, argento, gemmisque ornamenta, si Capitolium excipias, ante Augustum omnino rara. Anno Urbis 581. Q. Fulvius Flaccus censor, ut ait Liv. XLII. 3. *ædem Fortunæ equestris faciebat enixo studio, ne ullum Romæ amplius, aut magnificentius templum esset. Magnum ornamentum se templo ratus adjecturum, si tegulæ marmoreæ essent, profectus in Bruttios, ædem Junonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit.* Sed quod tandem illud ornamentum erat, cum ædes Fortunæ esset Romæ omnium amplissima, & magnificentissima? At nostro-

nostrorum templorum, omitto primum laxitatem, & amplitudinem, frontes Tiburtini candidique lapidis compage admirabili machinatorum artificio solidantur: tholi, & hemisphæria non solum eductis parietibus effulta, sed ex altissimis arcubus, ac velut in aere pendentibus in cœlum sublata. Quot deinde ad aras, aut lucentes e marmore, aut ex ære, aureis solidisque lamellis vestitæ, ac fulgentes columnæ? quot in adjunctis sacellis commissorum marmorum versicolores maculæ? quæ miracula picturarum? quis decor marmorati operis? quis inauratorum lacunarium, & concamerationum sigillatarum splendor? quæ musivi emblematis dignitas? quis ornatus pavimentorum, quæ seu tessellis vermiculata, seu laminibus crustata segmentis pretiosissimos lapides, ophites, alabastrites, Lacedæmonios, viles tanquam glebas, pedibus proculcandos subjiciunt? quantam in aris argenti tam? quanta vis auri, ac gemmarum? quam pretiosa vestium supellex? quanta denique pulcerrima operis, atque ornatus species, ac majestas? Multa præterea in Urbe sunt, quæ oculos, animosque devinciunt exterorum, horti amœnissimi, obelisci, columnæ, fontes, pontesque, alia denique, quæ prioribus seculis *Roma* vel non vidit, vel minus laudanda spectavit. Hactenus utramque *Romam* contulimus. Augusto jam Principe, tribusque ætatibus usque ad Gothicum excidium cedendum omnino est; cum ***acervata universitate victus est terrarum orbis***, ut ait Plin. XXXVI. 15. Quanquam & nunc viis compluribus rectis, longis, latisque *Roma* nostra sit pulcrior veteri ante Neronem; & præclara quædam principum palatia, ac divum templa non inferiora priscis domibus, ac delubris etiam [illegible] fateatur esse: Vaticanam vero basilicam cuicunque hujus, & consequentium temporum molibus jure opponat. Deinceps postrema ætate nunquam pulcrior quam ævo nostro refloruit. His tamen ætatibus adhuc spectandum se offert, quo recens *Roma* præcelluit, ex ipsa veteri suscepto argumento. Hæc enim ad milites prætorianos retulit Otho Cæsar referente Tacit. Hist. I. 84. 7. ***Quid? vos pulcerrimam hanc Urbem domibus, & tectis, & congestu lapidum stare creditis? Muta ista, & inanima intercidere, & reparari promiscue possunt. Æternitas rerum, & pax gentium, & mea cum vestra salus incolumitate senatus firmatur. Hunc auspicato a parente, & conditore Urbis nostræ institutum, & a Regibus usque ad Principes continuum, & immortalem, sicut a majoribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus Principes nascuntur.*** Quæ si ad collegium eminentissimorum patrum transferantur, & pontifices maximos, qui vicariam Christi domini potestatem gerentes ex amplissimo ordine deligi solent, quis fateri non audeat, Urbem tanto senatu, patribus, ac religionum principe memo[illegible] talem priori justius antecelendam? *Donat. ibid. c. 29.* A Nerone est incensa. Euseb. Chronic. p. 161. *Nero, ut similitudinem Trojæ ardentis inspiceret, plurimam partem Romanæ urbis incendit.* Suet. c. 38. n. 2. *Quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis, flexurisque vicorum incendit Urbem tam palam, ut plerique consulares cubicularios ejus cum stuppa, tædaque in prædiis suis deprehensos non attigerint.* Oros. VII. 7. ***Urbis Romæ incendium voluptatis suæ spectaculum fecit.*** Xiphil. LXII. p. 708. B. ***Paucos enim homines, quasi ebrii essent, aut alia maleficia facerent, clam in varias partes Urbis dimisit. Hi primo unum, & alterum locum, plurave, alibi alia, succenderunt.*** Dubitat Tacit. Annal. XV. 38. 1. *Sequitur clades, forte, an dolo Principis, **incertum: nam utrumque auctores prodidere.*** Pitisc. in Suetonium. Id tempus confert Tacit. ibid. n. 33. §. 1. in consulatum C. Lecani & M. Licini. Erat annus Julianus 109. cycli lunaris 8. Christi 64. Incendii diem apponit n. 41. §. 3. ***Fuere qui annotarent, 14. Kalend. Sextil. principium incendii hujus ortum.*** Sed quæ scribit, mendo laborant, aut a librario, aut, quod magis puto, ab ipso Tacito. Omnes enim veteres, non 14. sed 16. Kalend. Sextil. hoc contigisse scribunt. *Scalig. de Emend. tempor. V. p. 471.* Certa investigatio ejus diei a clade Aliensi capi potest, & debet: quam certum est anteriorem fuisse, & factis perpetuis traditam, & signatam: ideo pro & vulgo notum. Cicer. ad Attic. IX. 5. *Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Aliensis pugnæ, quam Urbis captæ; **quod hoc malum ex illo: itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.*** Quis igitur ille? [illegible] ipso tradit Liv. VI. 1. *Diem ad 15. Kalend. Sextil.* [illegible] *clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii cæsi, quo deinde ad Aliam cum exitio Urbis fœde pugnatum.* Eundem ad [illegible] Tacit. Hist. II. 91. 1. de Vitellio, quem [illegible] *sto omnis ceremoniis* [illegible] *15. Kal. Aug.* [illegible] *de antiquitus infausto Cremeræ, Aliæque* [illegible]. Ergo eo anno in ea pugna ille dies: [illegible] autem Urbis captæ & incensæ. Quod item tradit Liv. V. 41. *Ingressi,* inquit, *postero die Urbem patente Collina porta.* Hæc ita vera, quis non videt 14. Kalend. Augusti eundem fuisse? & recte ita hic in Tacito scriptum. At [illegible] tasse dissentiunt. Minime. Imo Gell. V. 17. refert [illegible] Verrio Flacco, cum causam quæreret, cur dies postridie [illegible] Romanis habiti? refert, inquiens: *Q. Sulpicium tribunum* ***militum, adversus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse: exercitum post diem tertium ejus diei Urbem a Gallis occupatam esse.*** Quibus verbis si hæc sententia est, ut velit tres dies medios, & quo [illegible] pugnatum; profecto cum Livio sentit, ac Tacito, & pugnæ dies erit decimus quintus Kalendarum. Sed hoc autem ex ipso Livio dixeris, in quo pariter scriptum VI. 1, ***Quod postridie Idus non litasset Sulpicius, & post diem tertium*** *objectus hosti exercitus Romanus esset.* At si quis aliter, & velit, *post diem tertium* significare ipsum diem tertium, tum certe fateor, 16. Kalendas diem pugnæ fuisse: quando ita Victor de Vir. Illustr. c. 23. n. 7. ***Romam petierunt,*** *& exercitum Romanum apud Aliam fluvium ceciderunt, die 16. Kalend. Augusti.* Sed vel sic ipse incendii dies sit 15. non hercules 16. Itaque nihil video, quod virum illum tegat, nisi forte Macrobius, qui Sat. I. 16. describens Agelliana illa, ut solet, adsciscere videtur, *die postero,* quam Sulpicius male sacrificasset, pugnatum fuisse. Sed hoc sane falsum, & improvide a Macrobio scriptum. Sicut item a Plutarcho Quæst. Roman. 25. *Quod post Quintiles Idus, quas nunc Julias vocant, educentes tribuni copias, ad Aliam flumen victi sunt a Gallis.* Indefinite, aut falso ita dictum: quo argumento? certo, quod Livium ejus rei auctorem dat; nam ita ille ibi: *ut plurimi arbitrantur, & Livius in historia scribit.* Ille vero hoc non, sed contra palam scripsit, ut jam ostendi. Et quocunque tempore certas, 14. Kalendarum incendium erit. imo 13. (tanto longius a 16.) si Plutarcho & Polybio credam. Ille in Camillo, iste II. scribunt, non *postero,* ut Livius, sed *tertio demque die a pugna Gallos* [illegible]. Et consentit etiam, aut certe distinguit, & conciliat Johannes Zonaras: qui *postera quidem die* [illegible] *ad Urbem* vult; *sed cum portas apertas viderent, substitisse, insidias veritos, & tertia denique die ingressos.* Itaque nihil erro in Tacito. Sentit cum Livio, & priscis. *Lips. Excurs. in Tacit. Annal. XV. A.* Excellunt etiam bellicis artibus hodie præcipue architectura, sculptura, pictura. Architecturæ præstantiam declarant templa, & palatia ibidem magnifica. Sculpturam & picturam ut varia, ita potissimum horti, & lararia optimatum. Inter templa vel [illegible] quatuor: Vaticanum, Lateranense, D. Mariæ majoris, & S. crucis Ierosolymitanæ; & suburbana tria, D. Pauli, D. Sebastiani, D. Laurentii. In palatiis, præter tria pontificis, Vaticanum, Quirinale, Lateranense, numerantur plura speciosa, Farnesiorum, Mediceum, Borghesii, Pamphilii, Matthæorum, Barberinorum, Innocentii, Mazarini, Montalti, Spadæ, Cajetani, Pallavicini, Lancelotti, Maximi, Chisii, Aldrobandini, Salviati. . . . In hortis excellunt Belvedere Pontificius, hortus Mediceæ familiæ, Cyriaci Matthæi, Al. Farnesii, Borghesii, Justiniani, Pamphilii, Montalti. In statuaria sæpe sunt exempla quædam ex antiquitate hactenus immutabilia, Laocoon in Belvedere, Hercules, & taurus Farnesii, lupa antiqua in Capitolio, equi duo Quirinales. . . . sed maria sunt in statuis, & picturis, si quis ultra velit ex-

currere. Ex antiquitate restant, præter infinita non ignobilia rudera, Pantheon, columna Trajani, & Antonini, obelisci plures, sepulcrum Cestii, amphitheatrum Titi, theatrum Marcelli, moles Hadriani, arcus triumphalis Titi, Al. Severi, Constantini. Non addo nunc tot fontium artificia, tot prisca numismata, tot excellentia MSS. tot collegia, bibliothecas, hecatonstylon Alex. Septimii, alia, ut desinam in illo Horat. Epist. I. II. 4.

Cunctane præ campo, & Tiberino flumine sordent?

Borrich. ibid. p. 1623. A. Ingentia tamen ædificia, civium domus, immanes substructiones corruerunt. Unde nam hoc factum sit, difficillimum est conjectura assequi, & quasi divinare. Ad privatorum domos, & ædificii quod pertinet, incendiis fortuitis, quod non semel in Urbe Roma evenisse legimus, & de industria oblatis, cum orta seditione inter se cives pugnant, absumi potuerunt. Præterea vel morbo, vel bello, sublatis familiis, vel ad inopiam redactis, cum reliqui essent nulli, a quibus inhabitarentur, mirum videri non debet, si vel vetustate, vel situ corruptæ subsederint. Quid quod cives ipsi partim Pontificibus, partim Imperatoribus faventes, cum se mutuis cædibus, & vastationibus ulciscerentur, & infensissime persequerentur, necessario sequebatur, ut eversis domibus Urbis aspectum miserabilem redderent. Neque ineptus existimari quis posset, qui bonam, magnamque ædificiorum partem terræ motibus conquassatam, & eversam fuisse contendat. Qui quamvis multa prostraverint, circum certe maximum, & thermas, & theatra non ulla vi tempestatum, sed hominum opera fuisse diruta cognoscimus: quando neque ulla conquassationum indicia, quæ a terræ motu relinqui consueverunt, in theatris perspiciuntur: & in thermis, ab Antonino Caracalla, vel a Diocletiano exædificatis, parietes saxo ad inferiorem sui partem a fabris exciso, & comminuto concidisse sic patet, ut qui ab hominibus eversos esse negaverit, jure optimo odiose obstinatus haberi, & possit, & debeat. Externæ nationes in has substructiones non sævierunt. Culpam eversarum illarum in ipsum populum Romanum non conferemus. Hic enim tanta Urbis suæ ornamenta, & decora nunquam sustulisset. Plerique censuerunt, Gregorium pontificem tantarum demolitionum auctorem, & suasorem fuisse. Et recte, licet alii hoc negent. Is enim Christianæ pietatis amore sic flagrabat, ut tum demum verum se patriæ amatorem esse crederet, cum e civium omnium animis gentilium deorum memoriam exstirpasset, inque eorum locum Christi Liberatoris nostri cultum introduxisset. An ille, ut antiqui operis signa retinerentur, permittere debuit, ut exuta Christiana pietate homines se ad impietatem, & gentilium ritus referrent? neque enim ignoramus, hoc ipsum ante Gregorium sæpe fuisse a Romanis tentatum, cum multi essent, qui Rempublicam in tot, tantasque calamitates incidisse dicerent, quod abjecto deorum cultu, Christi cultum, ac religionem suscepissent. Id quod auctoribus Augustino, Lactantio, Arnobio, Orosio, Prudentio, cæteris ita constat, ut putidum sit in re tam clara testimoniis uti. Etenim usque adeo altas gentilitatis error in animis hominum radices egerat, eas ut exstirpare, ac revellere patres, & pontifices nonnisi difficillime possent. Quare non modo non reprehendendi, sed etiam magnopere laudandi sunt, si ipsi deorum simulacra, vel comminuenda, vel demolienda curaverunt: quæ suo ipsorum aspectu in hominibus impiæ superstitionis cultum quotidie renovabant, & Christianæ pietatis igniculos, si qui a patribus accensi fuerant, exstinguebant. Fuisse autem bonam, magnamque partem deorum signa, quæ eversa sunt, inde intelligimus, quod publice nullis fere statuæ decerni consueverant, nisi iis, qui propter præclara in Rempublicam merita eo honore non indigni esse crederentur: privatim autem qui aut domi, aut in sepulcris, aut in hortis sibi, vel suis statuerent, haud sane multos, nisi ex nobilitate, qui hujusmodi honorem sibi ambitiosissime expetebant, exstitisse, ex eo conjicere possumus, quod quæ hodie humi obrutæ reperiuntur, omnes ferme vel Veneres, vel Apollines, vel Joves, vel Mercurii, vel Bacchi, vel Satyri, vel aliud quippiam hujusmodi sunt, quod aut ad eam superstitionem, aut ad aliquam gentilitatis fabulam pertineret. Ut mirum videri non debeat, si in demoliendis, evertendisque hujusmodi signis, quæ plurima erant, ea quoque humi dejecta sunt, quæ præstantibus virtute viris posita fuerant. Nam si ad delendum ex hominum memoria deorum cultum in impietatis monimenta sæviendum erat, difficillimum profecto fuit cavere, ne una cum hujusmodi simulacris illustrium virorum statuæ dejicerentur: quarum tamen ingentem numerum a Genserico Vandalorum Rege, ut in Africam, & a Constante Constantini, & Gregoriæ filio, ut in Siciliam aveherentur, sublatum fuisse legimus: quarum illæ in mari Africo, hæ in freto Siculo adversis tempestatibus demersæ sunt. Illæ etiam, quæ in Adriani mole, & plurimæ, & pulcerrimæ spectabantur, quo tempore Vitiges Gothorum Rex Romam obsidebat, in fragmenta ab obsessis diffractæ sunt, & in obsessorum, oppugnatorumque capita devolutæ. *Barg. ibid. p.* 1884. *B.* Subterranea, quam vocant, non est id, quod rerum ignari vulgo existimant. Persuasum enim est multis, tempore, quo ab Imperatoribus Romanis in Christianos sævitum est, sacrum hoc, & afflictum genus in subterraneis ædium suarum cellis vitam occulte transegisse; inde actis ad domos aliorum Christianorum secretis cuniculis aliis, atque aliis paullatim convenisse, & sacra sua in arcanis hisce obscuræ telluris peregisse compitis: adeoque invalescente in Urbe domina Christianorum numero Romam tot cuniculis suffossam, veluti pensilem, seculis aliquot durasse, veneficis illis percussoribus ethnicis ignaris, sub pedibus suis cœtum calcari, qui vota faceret vero Deo, cum in Urbe splendide viventes Vejovi thura offerrent. Cæterum, initio non dissimulandum, *Romam* jam olim pensilem dici potuisse, non tamen, quod Christianorum artibus, cuniculisque subtus concamerata hiaret, sed ob infinitum prope cloacarum subterranearum, & numerum, & spectatam mihi non sine horrore amplitudinem. Verum Christianorum illi cuniculi maximam partem, si excipias cryptam Neapolitanam in vico patricio, item puteos in domo Pudentis, item ad thermas Novatianas, Titianasque occultos labyrinthos, in suburbiis erant, ab oppidanis muris procul remoti, ut perlustrantibus hodieque liquido apparet. Nec in suburbiis tantum, sed & in agro Romano ab Urbe remotius hinc inde tumultuario opere discurrunt. Ex quo efficitur, ut eo propendeam, specuum horum plures ab ethnicis, quam Christianis excavatos fuisse, nec occultandis hominibus servisse initio, sed rubram ex ipsis per architectorum ministeria egestam arenam, ædificiorum necessariam ruderationi. V. supr. in *Crypta arenaria.* Quid quod *Romæ* in plurimis hodieque palatiorum antiquorum ruderibus terra conspiciatur, simillima illi, quæ ex cryptis Laurentii, Sebastiani, Pancratii, aliisque eruitur, argumento haud dubio, ex scrobibus suburbanis, quæ etiamnum talem subministrant, haustam eam esse. Similes cuniculi extra urbem Parisiorum spectantur plurimi, ex quibus saxa, & argillam quotidie eruit operariorum sudor. Nec dissimiles illi ad Bathonium urbem Angliæ, & Turonium Galliæ conspexisse me recordor. Trajecto ad Mosam imminet mons, totus ad ædificiorum saxa perfossus, amplioribus longe cavernis intus dehiscens, quam Neapolitana illa crypta, quam Pausilypum vocant. In dorso tamen gestat cœnobium Franciscanorum, & agros frumento, atque vineis consitos. Illos cuniculos cum pertransirem, ad milliare Italicum variis anfractibus errantes, mirari desii multitudinem cryptarum Romanarum, cum Trajecto, mediocri oppido, conservando tanti montis viscera notarem ægre sufficere. Igitur nihil credibilius, quam cuniculos hos Quiritium magnam partem a promiscua operariorum Romanorum plebe in profundum actos esse, & quidem diu ante Christianum nomen orbi auditum; sed Christianos, ut aperta declinarent pericula, opportunitate eorundem usos, se in iis subinde abdi-

abdidiſſe, & adjeciſſe deinde alios, atque alios in iis ductus, ut in illis, & tutius ſacris ſuis operarentur, & mortui ſecurius quieſcerent; ſicut conſtat, agreſtes Trajectini agri totum aliquando Hiſpanorum exercitum declinaſſe in montis illius ſpelæis occultatos; & Spartacum in mæandris Veſuvii cum multis legionibus gladiatorum delituiſſe. Sed ne id quidem prætereundum, adeo anguſtos quandoque in cryptis *Romæ* ſubterraneæ inveniri ductus, ut vix trimo puerulo concedant tranſitum, nedum totis Chriſtianorum cœtibus huc illuc permeaturis. Neque vero id ullo pacto veriſimile, ſuburbiorum Romanorum cuniculos ethnicis Romæ habitatoribus ignotos fuiſſe: ubi enim tantam egeſtæ materiæ molem, quæ vel Pomptinas impleret paludes, relinquerent Chriſtiani, inſciis urbanis? quot Chriſtiani a ſacris ſuis quotannis ad ethnicam religionem deſciſcebant, cryptarum ejuſmodi conſcii? Diſerte Plin. Epiſt. x. 97. 6. *Alii*, inquit, *ab indice nominati eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negaverunt: fuiſſe quidem, ſed deſiiſſe; quidam ante triennium, quidam ante plures annos, nonnemo etiam ante viginti quinque. Omnes & imaginem tuam, deorumque ſimulacra venerati ſunt; ii & Chriſto maledixerunt.* Quin & Imperator Claudius Chriſtianos ad effodiendas in cryptis viæ Salariæ arenas damnavit edicto, ſi verus apud Caniſium Metellus Tergeſenſis. *Borrich. ibid. p.* 1548. *E. Donat. ibid. c.* 25. Incolarum numerum in univerſum quatuor milliones ponit *Lipſ. l. l.* quatuordecim vero *Voſſ. l. l.*

Roma quadrata, quam Victor cæteris decimæ regionis notabilibus annumerat, ab illa Romuli urbe quadrata diverſa eſt: alias enim tota hæc intra eum locum regio concluderetur. Quid autem fuerit, exponit Feſtus. V. illum ſupr. in *Roma*. ubi Magius, ſed perperam, dixit eandem eſſe ac Romuli quadratam urbem. Erat inſtar conchyis, aut ciſternæ muro circumdatæ in quadrum: quo loco omnia condendæ Urbis inſtrumenta, aratrum, ligones. . . . ex antiqua Etruſcorum diſciplina ob augurium proſperum aſſervari ſolebant. Credo ego hunc locum ſtructum poſt conditam Urbem, ne adhibita tum inſtrumenta prophanis in poſterum uſibus adhiberentur: quemadmodum priuſquam conderetur, olympus factus eſt. V. illum ſupra. Donatus ſupr. in *Roma* centrum illi montis Palatini aſſignat: quod & ipſe ſequerer, niſi me Solini verba veteris urbis terminum prope aream templi Apollinis ſtatuentis, ante quod *Roma* quadrata ſita erat, ab ea ſententia revocarent. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 12.

ROMANA porta. V. illam ſupr. in *Porta*.

ROMANDIOLA etiam vocata eſt Galliæ togatæ pars Flaminia, ab Æſi ad Rubiconem. V. illam ſupr. in *Gallia togata*.

ROMANI a Græcis originem duxerunt. Hoc veteres *Romanorum* rerum ſcriptores, Catones, Piſones, Gellii, & qui eorum maxime inſiſtit veſtigiis Dionyſius Halicarnaſſeus, auctor in primis bonus, & locuples multis rationibus probare conantur. Principio igitur Aborigines, relicta Peloponneſo, Latium occuparunt. V. ſupr. in *Aborigines*. Sic Pelasgi ex Theſſalia, Euander ex Arcadia, Hercules ex Peloponneſo in Latium migrarunt, cujus rei teſtis eſt Dionyſ. i. p. 24. Exciſa deinde, & funditus a Græcis everſa Troja, quum Æneas profugus magna clientium manu, in Libyam primo, mox in Italiam trajeciſſet, Latinoque Rege mortuo regnum occupaſſet, tranſlatum ad Phryges imperium eſt, excluſa Aboriginum gente, idque poſteris proditum, ad Romulum uſque, quem auctorem nominis, & Urbis conditorem *Romani* nuncupant, pervenit. Hæc prima, & antiquiſſima *Romanorum* origo eſt. Nam & Arcades antiquiſſimi Italiæ populi, & Phryges Trojani belli reliquiæ cum Romulo in Urbem migrarunt. *Strein. de Gent. & famil. Roman. Præfat. p.* 1. *Ferrar. de Orig. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* iii. *p.* (8.) *A.* Non ſemper eandem ſcribendi rationem habuerunt, longe aliam Duilii ætate, quam ea qua marmora inciſa ſunt Capitolina. Hoc ex Cicerone, Varrone, Feſto, Quintiliano manifeſtum. V. ſupr. in *B. & D. permutantur*. Ciaccon. Colum. Roſtrat. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. iv. p. 1813. F. Ætas *Romanorum* prima, nullis adhuc erudita magiſtris, cum ſcriptores nondum ullos haberet, quorum exempla ſectaretur, in primis quodammodo linguæ ſuæ elementis balbutiebat. Poſtea ſecuta eſt artis diſciplina, & elegantiſſimorum auctorum imitatio, quæ illud in linguam perpolivit, brevique ad eam perfectionis dignitatem perduxit, quæ florente Republica viguit, ſtetitque quamdiu *Romana* res ſtetit. Tum exinde cum imperio ipſo ſenſim defecit: & quod in ædificiis, cæteriſque rebus accidere ſolet, per eoſdem gradus, & incrementa, quibus adoleverat, revocata, priſtinam rurſus ad infantiam, balbutiemque redacta eſt. *Explan. Ant. inſcript. qua Scipion. elog. exprim. Theſ. Græv. ibid. p.* 1838. *D.* Ante primum bellum Punicum nullam prorſus rei maritimæ operam dabant: terreſtria bella finitimorum magno ardore, atque inde ſua gerebantur. Primus C. Duilius conſul navalem de Siculis, & claſſe Punica egit triumphum. V. ſupr. in *Duilius*. Auguſt. de Legib. in Decia. *Romanorum* antiquitates ſingulas V. ſuis locis.

ROMANIA a Latinis, & Ῥωμανία a Græcis ſcriptoribus Conſtantini ætate, ac infra eam, non orientale ſolum imperium; ſed ipſe Romanus orbis, ſeu in genere *Romanum* imperium. Arguit locus de ea Epiphan. Hæreſ. 79. p. 728. *Quod univerſam propemodum Romaniam, ac præſertim orientales illius partes corriperet.* *Romania* nempe ibi non orientalis duntaxat regio, ſeu Aſiatica, ut ſæpe apud alios auctores illius, aut proximi & inferioris ævi; ſed *Romanum* ſolum in genere, ſeu qua late patebat *Romanum* imperium. Quo modo eodem ſenſu præter alios *Romania* ab Oroſ. vii. 43. dicitur, ubi de Ataulpho Gothorum Rege ait: *eum in primis ardenter inhiaſſe, ut, obliterato Romano nomine, Romanum omne ſolum, Gothorum imperium; & faceret, & vocaret, eſſetque Gothia, quod Romania fuiſſet.* Spanhem. Exercit. ad Conſtit. Anton. Imper. ii. § 10. Caſaub. in Lamprid. Alex Sever. c. 58. Barth. Adverſ. ii. 4.

ROMANITAS dicebatur de *Romanis* inſtitutis, quæ omnibus populis ſalutem tunc adferre credebantur. Tertull. de Pall. c. 4. *Quid nunc, id eſt, Romanitas omni ſalus?* Spanhem. Exercit. ad Conſtit. Anton. Imper. ii. §. 10.

ROMANULA porta. V. illam ſupr. in *Porta*.

ROMILIA tribus. V. illam inf. in *Tribus*.

ROMPHÆA, Græce ῥομφαῖα, & *rumphea*, penultima correpta apud Val. Flacc. vi. 98.

Æquaque, nec ferro brevior nec rhomphæa ligno.

Qui veterum ſecutus eſt auctoritatem. Nam *rumpia* legitur apud Gell. x. 25. ubi *genus teli*, ut addit Gellius, *Thraciæ nationis: poſitum vel hoc vocabulum in Q. Ennii Annalium quarto decimo.* Neque negat Iſidor. xviii. 6. ubi ille: *Framea gladius eſt ex utraque parte acutus, quem vulgo ſpatham vocant. Ipſa eſt romphæa.* Cluver. Germ. Ant. i. 44. Voſſ. Lex. Etymol. & de vit. ſerm. i. 3. Columna in Ennii Annal. xiv. p. 107. Grapald. de Part. dom. ii. 10. §. 11. Thyſ. in Gellium. Alard. in Flaccum. Brod. Miſcell. x. 20.

ROMULUS & *Remus*, feruntur nati ex Marte, & Ilia. Proca enim Albanorum Rege, quum filiis Numitori, & Amulio hæreditatem in duas partes partitus eſſet, defuncto Amulius, major enim natu erat, regnum Latinorum ſortitus eſt, & opibus paternis fretus, fratrique inertia imperium invaſit, & per annos duos, & quadraginta obtinuit. Addenſque ſceleri ſcelus, ſtirpem fratris virilem interemit, ejuſque filiam per ſpeciem honoris Veſtalem legit. V. ſupr. in *Ilia*. Ego *Romulum* ipſum militis cujuſpiam filium fuiſſe credo, & quia milites ſub Marte eſſe exiſtimantur, inde eo *Romuli* pater Mars dictus eſt. Cæterum quiſquis ille fuerit, certum eſt ipſam virginitatis amiſſæ pœnas dediſſe, filioſque in amnem mergi juſſos. Quos prope Tiberis ripam expoſitos regiorum armentorum paſtor Fauſtulus invenit, atque ad uxorem ſuam Accam Laurentiam nutriendos detulit. Hæc vulgato corpore inter paſtores lupa vocata fuit. V. ſupr. in *Lupa & Lupanar.*

Lupanar. Et hinc fabulæ de lupa *Romuli*, & Remi nutrice initium ortum creditur. Hæc breviſſime, & elegantiſſime Ovid. Faſt. III. 45.

Sylvia fit mater: Veſtæ ſimulacra feruntur
Virgineas oculis oppoſuiſſe manus.
Ara deæ certe tremuit pariente miniſtra;
Et ſubiit cineres territa flamma ſuos.
Hæc ubi cognovit contemptor Amulius æqui:
(Nam raptas fratri victor habebat opes.)
Amne jubet mergi geminos: ſcelus unda refugit,
In ſicca pueri deſtituuntur humo.
Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino,
Et picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibos.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. I. Parvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 213. D. Auguſtin. de Famil. Rom. in Sylvia. Nardin. Rom. Vet. I. 2. Adulti inter paſtores, ob quotidiana certamina, vires, & pernicitatem auxere. Igitur quum latrones a rapina præda m[illegible] arcerent, Remus ex improviſo ab eis captus, Regi Amulio offertur, criminique ei datum, quod greges Numitoris infeſtare ſolitus eſſet. Tunc a Rege in ulteriorem Numitori traditur puniendus, qui robore, & regia juvenis adoleſcentia permotus, in ſuſpicionem expoſiti nepotis adducitur; & quum cum nunc lineamentorum [illegible] ſimilitudo, nunc expoſiti tempus anxium teneret, Fauſtulus cum *Romulo* ſupervenit, a quo cognita juvenum origine, validaque inter ipſos conjuratione facta, Amulium obtruncant. Quo cæſo, & in regnum reſtituto Numitore, ſequenti ejus recuperati anno, poſt Trojam captam 432. *Romulum*, *Remumque* cupido cepit, in iis locis, ubi expoſiti, & educati fuerant, urbem condere, maxima vicinorum Albanorum, Græcorum, paſtorum, & [illegible] multitudine ad eos in dies confluente. Quod ubi ex ſententia ceſſiſſet, ne aliqua de principatu inter fratres contentio ſuborîretur, jurejurando conveniunt, ut is urbi præeſſet, eique nomen imponeret, cui in augurio plures aves apparuiſſent: ſex prius viſæ Remo in Aventino auguranti vultures: ſed paullo poſt duodecim apparuere *Romulo* in Palatino auguria captanti: quum utraque multitudo augurium ex ſua parte traheret, utraque Regem ſuum conſalutavit; tempore illi præcepti augurii, hi numero avium majore regnum trahentes. Tunc poſt altercationem ad fœdum, ut ſolet, certamen verſi, ibi in turba Remus ictus concidit. Licet vulgatior fama ſit, Remum ideo extinctum, quod novos contra fratris edictum tranſilire muros auſus fuiſſet. Quare ſolus imperio potitus *Romulus*; conditaque Urbs conditoris ſuperſtitis nomine appellata eſt. *Romam* autem, & non *Romulam* idcirco Urbem *Romulus* nominavit, ut ampliore vocabuli ſignificatu proſperiora patriæ ſuæ ominaretur. *Panvin. ib. l. p. 214. B. Marlian. l. l.* In illo temperatum fuit ingenium, quale ſcilicet naſcentis Urbis initia poſtulabant, tum ad rem bellicam, tum ad religionem accommodatum. *Manut. de Legib. c. 2.* Ubi habitaverit, V. ſupr. in *Caſa Romuli.* Primus Romanorum Rex, centum ſenatores publici conſilii cauſa conſtituit. De Cæninenſibus, Antemnatibus, Camerinis, Fidenatibus, & Vejentibus triumphavit, opimaque ſpolia Acrone Cæninenſium Rege interfecto Jovi Feretrio primus ſuſpendit. Regnavit an. 37. m. 2. d. 18. Nonis Quintilibus ad Capreæ paludem deſiit apparere. Plutarch. in Romulo, Strab. V. p. 158. Dionyſ. II. p. 77--118. Liv. I. 4--16. Oroſ. II. 4. Juſtin. XLIII. 2. Eutrop. I. I. *Strein. de Gent. & fam. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VII. p. 1077. Goltz. de Orig. pop. Rom. p. 270. Panvin. Faſt. I. p. 40.*

ROR.

RORARII inveniuntur apud Liv. VIII. 8. *Secundum vexillum ducebat rorarios.* c. 9 *Rorarii procurrebant inter antepilanos.* A quibus locis ſi diſcedas, nuſquam, nec apud Livium, nec alium quemquam auctorem illorum nomen invenitur. *Patric. Res mil. Rom. part. IV. ſect. 7.* In levi armatura non parum diverſa fuit militia vetus a nova. *Rorarii* primo & accenſi dicebantur, & primis ferme, atque antiquiſſimis temporibus his nominibus appellatam levem armaturam habuerunt legiones, & acies Romanæ. Alii *rorarii* fuere ab accenſis, & notandum eſt, quid diſcriminis inter eos fuerit, cum utrique leves eſſent, & ex eorum genere, quos Græci ψιλὰς appellant. *Rorarios* honeſtiorem gradum habuiſſe, quam accenſos ſignificat Livius, cum prius nominet *rorarios*, deinde accenſos. Nam in poſtrema acie cum poſt triarios utrumque hoc genus locari ſolitum ſcripſerit, & *primum vexillum* noviſſimæ aciei *triariis* dederit, ſtatim addit: *ſecundum vexillum*, nempe ducebat, *rorarios minoris roboris ætate factisque: tertium accenſos, minimæ fiduciæ manum: eo & in poſtremam aciem rejiciebantur.* Ergo accenſi minus digni, & honeſti gradus quam *rorarii.* In ipſa pugna *rorariorum* meminit, qui *inter antepilanos*, id eſt, inter haſtatos, & principes *procurrebant, addebantque iis vires*, non item accenſorum. Quinam igitur accenſi, & quod eorum in exercitu munus, vel miniſterium? Varr. de Ling. Lat. VI. 3. ubi *rorarios* ſimul, & accenſos in verſu hoc Plautino; qui in Frivolaria legitur:

Qui rorarii eſtis? en ſunt; ubi ſunt accenſi?

qui fuerint, explicat, ex Catone oſtendit, accenſos miniſtratores eſſe. *Accenſos*, inquit, *miniſtratores Cato eſſe ſcribit. Poteſt id ab arbitrio: nam inde ad arbitrium ejus, cujus miniſter.* *Rorarios* autem *dictos a rore* ait, *qui bellum committebant ante, ideo quod ante rorat quam pluit.* Ex quibus liquet, *rorarios* pugnaſſe in acie Romana ante reliqua ſigna procurrendo in hoſtes, non accenſos, qui miniſtri erant tribunorum, ſi forte & centurionum, imo etiam conſulum, vel prætorum. V. ſupr. in *Accenſus.* Miles aliquis Thraſonides apud Plautum levem ſuam armaturam requirebat, ut ad prælium eam inſtrueret, ut facit Thraſo apud Terent. Eun. IV. 7. 5.

Tu Simalio in ſiniſtrum cornu, tu Syriſce in dexterum,
Cedo alios: ubi centurio eſt, Sanga, & manipulus furum?

Varro autem dum illum verſum interpretatur, perperam ex ſuæ ætatis uſu, & more de miniſtratoribus conſulum accipit. Miniſtri illi conſulum, prætorum, tribunorum, decurionum, & centurionum nec pugnabant in acie, nec ſub vexillo ordinabantur, ut de accenſis, quos cum *rorariis* junxit, Livius narrat. Horum manus in exercitu fuit peculiaris, ut ex eo Livii loco apparet, & ex Plauto, quæ proprium ſignum ſequebatur. Puto veram eſſe ſententiam Verrii, ſive Feſti tradentis eos ſic fuiſſe appellatos, quod ſupplendis legionibus adſcribebantur: unde & *Adſcriptitii* dicebantur. V. ſupr. in *Adſcriptitii milites.* Minoris in militia meriti, ac dignitatis cenſebantur, quam *rorarii*, quia lapidibus tantum & fundis præliarentur, cum *rorarii* haſtis, & jaculis pugnarent. Unde apud Ennium: *Spargit rorarius haſtas.* Feſtus: *Rorarios milites vocabant, qui levi armatura primi prælium committebant, quod ut ante imbrem fere rorare ſolet, ſic illi ante gravem armaturam quod prodibant, rorarii dicti.* Salmaſ. de Re milit. Roman. c. 14. Patric. l. l. Lipſ. de Milit. Roman. IV. dial. 2. & Analect. p. 287. Stewech. ad Veget. I. 20. Valtrin. de Re milit. Roman. III. 3. Voſſ. Lex. Etymol. in Ros. Alex. Gen. dier. VI. 22. & ad illum Tiraquellus. Laurent. Polym. IV. Synopſ. II. §. II.

ROS.

ROSA eſt flos vernus. Prop. III. 3. 43.

Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna ſemper habere roſa.

Eſtque adeo ſpecimen veris. Prudent. Cathem. Præfat. n. 26.

Quam multas hyemes volverit, & roſas
Pratis poſt glaciem reddiderit, nix capitis probat.

Quæ res ſcilicet eſt tam vulgaris, tamque trita, ut Cicero hinc occaſionem captarit illudendi ſocordiæ Verris, qui

qui nihil neque sciret, neque saperet supra vulgum. *Cum autem*, inquit Verr. v. 10. *ver esse cœperat, cui initium iste non a favonio, neque ab aliquo astro notabat; sed cum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur.* Paschal. de Coron. III. 5. Erat in tutela Veneris, propter usum rei Venereæ, cujus videtur esse symbolum. Et ideo amatores plerumque hoc munere colunt dominas. De Polyphemo amatore Galateæ Theocrit. Eidyll. XI. 10.

Amavit vero non rosis, aut pomis, aut cicinnis.

ac si dicat, ut solent cæteri amatores. De tali quoque corona verisimile est loqui Propertium, cum lusitans cum sua domina coronam ei imponebat I. 3. 21.

Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
Ponebamque tuis Cynthia temporibus.

Cum Bacchum amor inebriasset, venit ad Ariadnen redimitus corona rosacea apud Philostratum in Imaginibus. Unde & Veneri coronam e *rosis* plectit Mart. Capell. I. *Hunc rosis decussatim vinculatis sertatis contexto.* Et Venus propriis creditur gaudere *rosis*, id est, natis in horto suo. Himer. μελ. ἐκλ. *Cupidines plexis coronis, quas e Veneris hortis, cum volunt, decerpunt, porticum omnem incendunt.* Paschal. ibid. c. 6. Coronamentum fuit Gratiarum. Anacreon:

Vide, ut ineunte vere
Charites rosis abundant.

Ut enim Gratia ea est, quæ sine ulla arte est, ita *rosa*, nullo extrinsecus arcessito lenocinio, sed per se ipsa placet. Prop. IV. 9. 12.

Et facilis spargi munda sine arte rosa.

Paschal. ibid. c. 7. & Musarum. Elegantissime adversus imperitam mulierem cecinit Sappho apud Plutarch. Sympos. II. 1.

Mortua jacebis,
Neque particeps eris rosarum ex Pieria.

Thaliam corona *rosea* donat Stat. Sylv. II. 1. 115.

—— crinemque decorum
Fregisset rosea lasciva Thalia corona.

Victor. Var. Lect. XIV. 18. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 26. Paschal. l. l. Barth. in Statium. *Rosarum* in conviviis usus fuit frequentissimus. Horat. Od. I. 36. 15.

Neu desint epulis rosæ.

Adstringit enim, *& reprimit odore suo ea, quibus caput gravatur.* Plutarch. Sympos. II. 1. *Rosarum qui emittuntur odores, cum sint modice frigidi, gravedines capitis comprimunt, & coercent.* Clem. Alex. Pædag. II. 8. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 16. Illis triclinia, & lectos accubitorios spargebant. Athen. IV. p. 148. B. *Die post quarto talenti sumptu convehendas rosis curavit* Cleopatra, *& ad altitudinem cubiti consterni pavimentum curavit retium sinuosis maculis.* Lamprid. Heliogab. c. 19. *Stravit & triclinia de rosa, & lectos.* Vopisc. Carin. c. 17. *Rosis Mediolanensibus & triclinia, & cubicula stravit.* Delicatiores illas demptis cauliculis in lectos spargebant, ne vel aliqua læderetur ipsarum teneritas. Spartian. Æl. Ver. c. 5. *Lectum eminentibus quatuor anacliteriis fecerat, minuto reticulo undique inclusum, eumque foliis rosæ, quibus demptum esset alveum* (ita lego pro album) *replebat, jacensque cum concubinis, velamine de liliis facto, se tegebat.* Barth. Adv. LVIII. 86. Ursin. de Triclin. p. 267. Et ipsas mensis. Spartian. l. l. *Mensas de rosis fecit.* Hoc nihil aliud est, quam *rosas* in mensas spargere, & mensas *rosis* sternere, & operire, ita ut toti de *rosis* facta videatur. Et hinc poetæ. Ovid. Fast. V. 335.

Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,
Et latet injecta splendida mensa rosa.

n. 359.

Annuit, & motis flores cecidere capillis,
Decidere in mensas ut rosa missa solet.

Salmas. in Spartianum. Paschal. ibid. c. 5. Stuck. l. l. Coronis ex illis plexis implicabant capita Anacreon Od. XIV.

Sed curo delibutam
Unguento habere barbam.
Sed implicare curo
Meos rosis capillos.

Od. IV.

Rosam amoribus dicatam
Sociemus ad Lyæum,
Foliis rosam decoram
Capiti revincientes,
Calices jocemur inter.

Horat. Od. II. II. 13. V. illam supr. in *Coronati*. Mart. V. 66. 1.

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni:
Tu super æstivas, Alcine, funde nives.
Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.

Ovidius, & Propertius modo laudati. *Paschal. & Stuck. l. l.* Hinc dicebantur *esse in rosa*. Horat. Od. I. 5. 1.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus
Grato Pyrrha sub antro.

potare in rosa. De M. Regulo loquens Cicer. de Fin. II. 20. *Clamat virtus beatiorem fuisse, quam potantem in rosa Thorium.* Paschal. ibid. c. 6. *jacere in rosa.* Senec. Epist. 36. *Nemo discit, ut, si necesse fuerit, æquo animo in rosa jaceat.* Et *dormire in rosa.* Albinov. in obit. Mœcen. n. 93.

Sic est, victor amet, victor spatietur in umbra,
Victor odorata dormiat inque rosa.

Pulvinos enim, & culcitellas *rosis* farciebant. Cicer. Verr. V. 11. V. illum supr. in *Pulvinus*. Senec. de Ira II. 25. *Sæpius questus est, quod foliis rosæ duplicatis incubuisset.* Spartianus modo laudatus. Apud quem ego vulgatum tueor, & lego: *quibus demptum esset album.* Intellige interiorem partem cum apicibus luteis, quæ alio nomine flos. Hæc non ita mollis, aut rubicunda, sicut folia extremi ambitus, ac proprie calyx vocabatur. Quibus demptus ille flos, mox *purgatas* appellat. *Chimentel. de Hon. bisell. c.* 28. *Gronov. in Senec. de Vit. beat. c.* 11. Tandem sepulcra spargebantur. V. infr. in *Sepulcrum*.

ROSARIA vocabantur unguenta, vel, quia præcipue ex *rosis* fiebant, vel quia odoratissima erant. Suet. Ner. c. 27. n. 5. *Indicebat & familiaribus cœnas, quorum alteri pluris aliquanto constiterunt rosaria.* Advehebantur ex Syria Romam. Vocantur *unguenta exotica*, hoc est, ex longinquis deportata regionibus Plaut. Most. I. 1. 41.

Non omnes possunt olere unguenta exotica.

Talia sunt ea, de quibus Spartian. in Æl. Ver. c. 5. *Unctus odoribus Persicis.* Turrig. ad Inscript. Urs. tog. Thes. Ant. Rom Græv. Tom. XII. p. 400. Potius lugitio coronarum e mero *rosæ* folio sutilium. Harum enim, ante inventas mitellas, in conviviis apud veteres multus fuit usus. Plin. XXI. 3. *Summaque auctoritas pactilibus coronæ, uti Saliorum sacris invenimus sollennes cœnas. Transiere deinde ad rosaria: eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi e mero folio: sutilibus mox petitis ab India, aut ultra Indos. Laudatissimum quippe habetur e nardi folio eas dari, aut veste serica versicolori unguentis madidas.* Salmas. Exerc. Plin. p. 392. b. E.

ROSATUM fiebat ex melle, vino, & foliis *rosæ* ad bibendum. *Buleng. de Conviv.* II. 51. *Hummelberg. in Apicium mox laudandum.* Quomodo veteres fecerint, docet Apic. de Re coquin. I. 4. *Rosatum sic facies: folia rosarum albo imi folii prius forcipe sublato inseris, quas ut sutiles facias in vino quamplurimas infundes, sic ut septem diebus in vino macerentur. Post septimum diem rosas de vino tollito, & alias sutiles recentes similiter infundas.* L. *Folia rosarum albo imi toilis.* *Tollis* est tuberculus, quo folia *rosarum* natura sua continentur, intus albis veluti filis plenus, quem Apicius suadet abjicere. *Barth. Adv.* XXXIV. 18.

ROSCIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

Roscia lex. V. illam supr. in *Lex.*

ROSTRA quid fuerint, aperit Liv. VIII. 14. ubi de navibus de Antiatibus captis agit: *Rostrisque earum suggestum in Foro exstructum adornari placuit, Rostraque id templum appellatum.* Item Plin. XVI. 4. *Antea Rostra navium tribunali præfixa Fori decus erant.* Non est autem, ut quis sibi e voce *templi* a Livio usurpati magnum aliquod ædificium animo fingat, uti fecit Blondus Rom. triumph. I. p. 19. D. Templa enim antiquis dicta loca sacra, & auguario capta. Hoc autem nil nisi tribunal fuit, pulpitumque ad instar basis columnæ, cui sella imposita. Liquet hoc ex illius effigie, quæ in duorum nummorum veterum aversa parte conspicitur apud Augustin. Dial. II. & IV. In illius templi, seu *rostrorum* anteriore parte affixa, ut apud Plinium est, *rostra* navium Antiatium cernuntur. Fuere in medio Foro. Appianus hoc testatur. Hic enim Bell. civil. I. p. 408. Syllam refert caput Marii junioris *Rostris* affigi jussisse in medio Foro. Id ipsum videtur significare Dionys. I. p. 74. ubi de capite Faustuli agit posito *in præclaro Fori Romani loco pro Rostris super leonem lapideum.* Hoc in loco, veluti celeberrimo, & aptissimo totius civitatis, causæ, seu controversiæ agi solitæ publicæ, reique accusari, & defendi, itemque verba fieri ad populum de rebus gravissimis ad Rempublicam pertinentibus. Ibidem & laudationes defunctorum funerales factæ, &, ut in loco maxime conspicuo, omniumque oculis exposito, capita proscriptorum exposita fuere. Quid medium Forum fuerit, non ita plane expeditum est. Nam Fori exactissimum medium, id est, centrum, non ita commodus concionantibus locus erat: nam quod a tergo verba facientium, & retro *Rostra* superfuisset loci, id parti anteriori, qua populus ad audiendum consistere debebat, defuisset. Unde aptissimus suggesti, seu *rostrorum* situs in media Fori longitudine, sed in altero latitudinis latere, sive initio fuit: quemadmodum certe colligitur e Varrone, qui *Rostra* non in centro Fori, verum ante curiam collocat de Ling. Lat. IV. 32. *Ante hanc*, inquit, *Rostra.* Melius ex Ascon. in Cicer. p. 195. *Erant tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad comitium, prope junta curiæ.* Sic ut in eo latere, ubi comitium erat, & curia, ante hujus, vel illius limina in medio Foro fuerint. Hinc situm ejus facile invenire est, prout longitudo Fori a nobis descripta est; quippe cujus medium suo æde D. Mariæ Liberatricis fuerit, non adeo procul a lacu Curtio, quem & ipsum in medio Foro fuisse diximus. *Rostris* ita constitutis, orator in iis, vultu ad Capitolium & Forum converso, verba faciebat. Erant duplicia: vetera, & nova. Ita, quem laudavimus, Asconius. Ea, de quibus hactenus locutus sum, *vetera Rostra* fuerunt. Probari id potest, cum ex allatis Varronis, aliorumque verbis, curiæque, & comitii vicinia, tum & ex ipso eorum situ. *Vetera* namque, teste Dion. XLIII. p. 238. B. a Cæsare translata sunt in alium locum: *Suggestum*, inquit ille, *quod in medio Foro tunc erat, translatum fuit ad locum, ubi nunc conspicitur, repositæque Syllæ, & Pompeji imagines.* Fuit ille sub palatio Augustali, quod in palatino angulo Fori australi imminebat. Ita investigando reperiemus e Claud. Honor. Conf. VI. 42.

Attollens apicem subjectis regia Rostris.

Clarius e Suet. Aug. c. 101. n. 7. *Bifariam laudatus est, pro æde D. Julii a Tiberio, & pro Rostris sub veteribus a Druso Tiberii filio*: vel, ut alii, forsan rectius corrigunt, *pro Rostris veteribus.* Nova hic *Rostra* Suetonius *pro æde D. Julii* fuisse indicat: quod & confirmat Dio LVI. p. 592. A. ubi de eisdem agit laudationibus Augusti funebribus: *Posita autem lectica supra suggestum, unde orabatur, ex eo Drusus legit quiddam: sed ex aliis Rostris Juliis nuncupatis Tiberius publice oravit ex decreto.* Sic & extremo LV. refert, deposito ante ædem Juliam corpore Octaviæ contecto Augustum orationem funebrem illic habuisse: quod in iisdem *Rostris*, novis, & Juliis appellatis, factum esse statuendum puto. Ædes vero Julii Cæsaris in Palatino fuit ad angulum Fori australem; unde haud procul *Rostra* nova abfuisse dicendum est. Commentum hoc ego Cæsaris politicum fuisse existimo, quo populi auctoritatem sensim imminueret, *Rostra* ex honestissimo loco, commodissimoque, in alium minus conspicuum, minusque amplum transferentis, ubi laudationibus defunctorum inserviebant, negotiisve aliis istiusmodi. Consules illic, cum auspicarentur, ac deponerent magistratum, verba ad populum facere solitos ex Paneg. Plin. c. 65. n. 3. *Jam toties procedere in Rostra, inaccessumque illum superbiæ principem locum tenere, hic suscipere, hic ponere magistratus.* In Rufo *Rostris* adjunctus conspicitur numerus II. quod & in Victore recentiore factum, ne non ei concors videretur. At qua de causa non video, si *Rostra* geminata non fuerint: sed, ut apud Dionem est, translata tantum, & ab ætate usque Dionis saltem & Asconii, adeoque & Victoris, & Rufi, nulla alia *Rostra* nisi nova extiterint. Statuam equestrem præter Cæsarem, & Pompejum Cæsari quoque Augusto in *Rostris* positam refert Paterc. II. 61. 3. *Eum*, inquit de Augusto, *senatus honoratum equestri statua, quæ hodieque in Rostris posita, ætatem ejus scriptura indicat: qui honor non alii per 300. annos, quam Pompejo, & C. Cæsari contigerat.* Verum cunctæ statuæ tam pedestres, quam equestres pro *Rostris* positæ leguntur. Cicer. pro Dejot. c. 12. *Nullus locus est ad statuam quidem Rostris clarior.* Plin. XXXIV. 6. *Senatus statuam* C. Octavio in legatione interfecto *poni jussit quam oculatissimo loco in Rostris.* Albinov. Eleg. I. 269.

Stabis & in Rostris tituli speciosus honore.

Has omnes in eo latere Fori positas fuisse existimandum est, in quo *Rostra* fuere. *Nardin. Rom. Vet.* V. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. *n.* 2. *Donat. de Urb. Rom.* II. 18. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 6. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 351. *C. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 7. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 762. *C. Gruch. de Comit.* II. 5. *Manut. de Legib. c.* 35. *Alex. Genial.* I. 16. *Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 593. *B. Voss. Lex. Etymol. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 28. *Lips. de Magnit. Roman.* III. 8. *Thys. de Magnit. Rom.* III. *p.* 298. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 12. *Goral. in Albinovanum.*

Rostra, Græcis ἔμβολα, inter arma, quæ ad prælium navale requiruntur, sunt præcipua. Trojanis temporibus adhuc incognita fuere: unde nec Homero memorantur. Meminit ipsorum Cæs. de Bell. Gall. III. 14. *Rostro noceri non posse cognoverat.* Metaphrastes ibi ἀκρωτήρια interpretatur. Sed perperam. Confundit enim ornamenta navium cum armis. Idem & factum in Glossis: Ἔμβολον ἐπὶ νεώς. *Hæc rostra, singularia non habet.* Falso. Confunduntur locus Romæ, *Rostra* dictus, qui in singulari non usurpatur, & arma navium, de quibus Græca loquuntur. Melius aliud Glossarium: Νεῶν ῥάμφη, ἤγουν ἔμβολοι, *Rostra singulare non habet.* Ista Pisæus princeps reperit. Plin. VII. 57. *Rostra navibus Pisæus addidit.* Fuit is ipse, quem *Tyrrhenum* nominat hoc capite. Nobilis pirata, qui circa Sylvii Latini tempora Italiæ imperavit, si Manethon, & Annius Viterbiensis fidem aliquam merentur. Manethon sic scribit. *Pisæus Thuscus pirata imperat Italiæ annis* 52. Non dissentit a Plinio, quando Thuscum appellat. Nam & ipse Plin. III. 5. Tyrrhenos a sacrifico ritu, lingua Græcorum, Thuscos scribit esse cognominatos. Dicebantur ob similitudinem, usumque, quia & mare iis primum finditur, & naves hostiles petuntur. Paschal. de Coron. X. 5. existimat etiam *cornua* vocata, quia apud Æschylum legit νῆες κερωτυπούμεναι, item alibi εὐκέρωοι. Verum falso; nec enim de *rostris*, sed antennis ita dictis, ibi sermo est. Fuerunt autem ἔμβολοι, seu *rostra* in navibus, trabes prominentiores ære munitæ. Hinc Græcis χαλκώματα νεῶν, ut est apud Diodor. XX. & naves χαλκέμβολαι. Petron. c. 30. *In postibus triclinii fasces erant cum securibus fixi, quorum imam partem, quasi embolum navis æneum, finiebat.* Interdum ferro muniebantur, loco æris. Vitruv. X. 21. *Is aries habuerat de ferro*

ferro duro rostrum, ita ut naves longæ solent. Plin. xxxii. 1. *Heu vanitas humana, cum rostra illa ære, ferroque ad ictus armata semipedalis inhibere possit pisciculus.* Hinc *ferramenta navium* apud Sallust. Hist. iii. *Qui*, inquit, *enare conati fuerant, icti sæpe ferramentis navium, postremo periere.* Locus eorum in prora. Suidas: *Rostrum æneum firmum circa proram.* Proprie ad carinam. Pollux i. 9. *Ejus*, carinæ, *juxta proram terminus est, quod proembolum vocatur, quod autem sub ea parte, rostrum dicitur.* Fuerunt ergo juxta aquam, imo in ipsa aqua, quando navis incedebat. Virg. Æneid. v. 142.

— totumque dehiscit
Convulsum remis, rostrisque stridentibus æquor.

Lucan. iii. 700.

— nam murmure vasto
Impulsum rostris sonuit mare.

Sil. Ital. xiv. 356.

Ambibat centum late Sidonia velis
Classis subsidio, & scindebat cærula rostris.

Nempe, ut sic gravius hostiles naves vulnerarent, aqua succedente per rimam. Quemadmodum ab Attalo est factum apud Polyb. xvi. 2. *Attalus cum octere congressus primo statim impetu cum extrinsecus ictu infra eam partem, quæ extabat ex aqua, navem vulnerasset, tandem eam demersit.* Primis tamen temporibus minus depressa fuere. Nam qui alias Scyronem Sil. Ital. xiv. 482. percussum *rostro*, media tamen sui parte extra aquas extasse diceret? in hæc verba:

Transfigitur valida medius, dum se allevat, alni
Cuspide Marmarides Scyron, pars subnatat undæ
Membrorum, pars extat aquis, totumque per æquor
Portatur rigido miserandum immortua rostro.

Ut ut sit, hanc *rostrorum* rationem Aristo Corinthius princeps immutasse, depressioraque ea fecisse videtur. Ita enim de eo Diodor xiii. p. 336. A. *Aristone gubernatore navis Corinthio suadente, ut proras navium breviores facerent, & depressiores, Syracusani consilio obtemperant: quod magno in conflictibus, deinde ad victoriam ipsis emolumento fuit. Atticæ enim triremes infirmioribus erant proris, & elatis, quo fiebat, ut rostris suis nil nisi eminentes super mare navium partes vulnerarent, nec magno hostem detrimento afficerent. At naves Syracusiorum firmis instructæ proris, ac depressis, uno sæpe ictu hostium triremes supprimebant.* Non singula tantum *rostra*, sed & plura quædam naves habuere. Apud Athen. v. p. 204. A. Philopatoris est navis, septem embolis, sive *rostris* armata. Δεκεμβόλης est apud Æschylum. Hinc C. Balb. in Arg.

— volat immissis cava pinus habenis,
Infinditque solum, & spumas vorat ære tridenti.

Triquetra ut plurimum fuerunt, ac in capite acuminata. Suidas in Κυματόμος. *Ædificium in pontibus triangulare, quod ab anteriore parte acumen habet, trianguli figuræ simile, quod machinarum fabri vocant κυματόμον, hoc est, fluctus secans. Navis longæ rostro simile.* Docent hoc quoque prisca marmora, & monumenta Romæ reperta. Bellicis tantum, & militaribus navibus imponebantur. Idcirco quod Vatinius etiam minoribus navigiis imposuit, ut insolitum notatur ab Hirt. de Bell. Alex. c. 44. Verba hæc sunt. *Vatinius, quum paucas in portu naves longas haberet, navibus actuariis, quarum numerus satis erat magnus, magnitudine quanquam non satis justa ad præliandum, rostra imposuit.* Scheffer. de Milit. nav. ii. 5. Stewech. in Veget. iv. 45. Gyrald. de Navig. c. 11. Voss. Lex. Etymol. Thalamegorum etiam ex auro, & argento fiebant. Appian. Præfat. *Thalamegi auratis puppibus, rostrisque, quos ad ostentationem in bello Reges ipsi conscendebant.* Respexit, ut opinor, ad hanc rem Senec. Epist. 75. quando ait: *Non illa navis bona est, cui argenteum, aut aureum est rostrum.* Scheffer. ibid. c. 6.

Rostra, id est, spolia marina suspensa fuerunt in ædibus triumphalium. Virg. Æneid. vii. 183.

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Cicer. Phil. ii. 28. *An tu illa in vestibulo rostra, & hostium spolia cum adspexisti, domum tuam te introire putas?* Pompeji enim domum ille, Antonius, possidebat, in qua hæc insignia purgati maris. Ipsa illa est, quam intelligit Capitol. in Gordian. c. 3. V. illum infr. in *Sylva, quæ genus venationis.* Nam Gordiani ex Antoniis, & habuere a M. illo Antonio. Nacta autem nomen a *rostris*, quæ etiam tunc exstitisse si dicam, quid mirum? *Lips. de Magn. Roman. v. dial. 17. Thys. Rom. Illustr. v. p. 149.*

ROT.

ROTÆ sunt orbes, circulive, qui axem, & vehiculum cum axe sustinent, motuque suo, ac circumvolutione promovent ad ulteriora. Forma, sunt rotundæ. *Rotam* sane pro rotundo usurpari pridem annotarunt viri docti, unde *rota solis* ejus circulus. *Rotas* a Latinis aliquando dici orbitas ignoro, an Asconio credendum. Verba ejus extant in Ciceronem: *Orbita, & rota ipsa intelligitur, & vestigium rotæ in molli solo.* Sic accipiunt nonnulli Virg. Georg. iii. 293.

— juvat ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli divertitur orbita clivo.

Et videtur juvare Servius, quando illa sic exponit: *Dispono ire per eam viam, per quam nullus ante egit orbitam suam.* Nam *egit orbitam* potest accipi pro egit *rotam*, egit vehiculum. Sed inclino magis pro eo, ut *agere orbitam* existimem sic dici, sicut agere fossam, vel agere cuniculos, pro ducere, imprimere, infodere. Sic locus ille Virgilii nihil huc pertinebit. Neque alibi recordor orbitam hoc sensu legi. Græcis vulgo est τροχὸς. Philox: *Rota*, τροχὸς. Homero quoque κύκλος. Pausanias apud Eustathium: *Homerus rotam totam vocat cyclum.* Est & ἄμπυξ *rota* apud Græcos Hesychio teste. Fuerunt apud veteres omnes non ejusdem generis, aliæ simpliciores, elaboratiores aliæ. Simpliciores erant factæ simplicibus ex tabulis, neque radios habebant ullos. Latini tympana vocabant. V. infr. in *Tympanum.* Elaboratiores non ex solidis fuere tabulis, sed habuerunt radios, quas ad differentiam tympanorum Probus nominavit radiatas. *Scheffer. de Re vehic. i. 6.* Illarum stridor terret leones. Senec. de Ira ii. 12. *Curriculi motus, rotarumque versata facies leones redigit in caveam.* Plin. viii. 16. *Atque hoc tale tam sævum animal rotarum orbes circumacti, currusque inanes, & gallinaceorum cristæ, cantusque etiam magis terrent, sed maxime ignes.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. ii. 5. Buleng. de Venat. circi c. 23. Lips. in Senecam. *Rotas* etiam in obsessores murum conscendentes demittebant obsessi. Veget. iv. 8. *Maxima saxa pondere, formaque volubili in propugnaculis digeruntur, ut demissa per præceps, non solum obruant subeuntes, sed etiam machinamenta confringant. Rotæ quoque de lignis viridibus ingentissimæ fabricantur.* Dio lvi. p. 580. D. & Hero c. 1. V. illos supr. in *Dolia*, Lips. Poliorc. v. dial. 4. Thys. de Oppugn. urb. v. p. 190. Quasdam marmoreas catapultis opponebant. Diodor. xvii. p. 584. D. *Tyrii contra catapultica tela rotas appararunt, crebris intervallis, aut septis distinctas. Has per machinam quandam in orbem volvebant, & alia telorum frangebant, alia avertebant, omnia resolvebant.* p. 586. A. *Tyrii ante muros rotas marmoreas constituerunt: quas organis quibusdam gyrantes, incidentia catapultica tela frangebant, aut ad latus avertentes, inefficaces reddebant ictus.* Lips. ibid. dial. 9. Thys. ibid. p. 195.

Rota aquaria est instrumentum, quo aqua de puteo, aut flumine trahitur, ac tollitur, vel etiam far molitur. Plin. xviii. 11. *Rotis etiam, quas aqua verset obiter, & molat.* Popma de Instrum. fundi c. 19. Plin. xix. 4. *Hortos villæ jungendos non est dubium, riguosque maxime habendos, si contingat, præfluo amne: si minus e puteo rota, orga-*

rum pneumaticis, vel tollenonum hausta. Apud quem rota non est τροχαλία, de qua Pollux x. 6. sed ea est machina, quam cum tympano describit x. 9. Eo capite tympanum quidem prius nominat, deinde & *rotam*. Altius aquam tollebat *rota* quam tympanum. *Ita supposito*, inquit, *laterculo, habente unum eumdem canalem, & haustus sine ingenio, & alveus ad temperandum præbetur aquæ mensura.* Inter tympanum, & *rotam* plaustrorum hæc erat differentia, quod tympana ex solidis tabulis erant contexta, *rotæ* ex radiis. Virg. Georg. ii. 444.

Quæ radiis tricere rotas, aut tympana plaustris.

Ubi male Servius *tympana* interpretatur tecta vehiculorum. Melius Junius Philargyrii notat poetam *tympana* appellasse *rotas* ex solidis tabulis factas. *Salmas. Exerc. Plin. p. 415. b. G. Schefer. de Re vehic.* i. 6. Ad eam similitudinem *rotæ*, ac tympana, haustoriæ machinæ, quæ versabantur hominibus calcantibus. His aqua e puteis extrahebatur, aut aliis affundenda, aut rigandis hortis, aut ad alios quoscunque usus. Aliæ erant *rotæ*, quibus ad eosdem usus aquæ e fluminibus hauriebantur. Non ab hominibus calcantibus versabantur, sed ab ipsius fluminis impulsu affixas circa earum frontes pinnas percutientis. Harum meminit Lucret. v. 517.

Ut fluvios versare rotas, atque haustra videmus.

Qui vocat haustra modiolos *rotis* illis affixos, quibus aqua hauriebatur, ac fundebatur. Vitruv. x. 10. *Circa earum frontes adfiguntur pinnæ, quæ cum percutiuntur ab impetu fluminis, cogunt progredientes versari rotam: & ita modiolis aquam haurientes, & in summam referentes, sine operarum calcatura, ipsius fluminis impulsu versata, præstant quod opus est ad usum.* Modioli illi quia in *rota* haurientes, & in summum referentes haustra sunt Lucretii. Diversæ ab his molendinorum *rotæ*, licet simili ratione factæ, similiter quoque versentur. Sed earum meminisse non potuit Lucretius, nondum quippe tunc erant inventæ. Circa Augusti tempora, aut paullo ante ex Antipatri carmine nondum edito docuit nos ad Lamprid. Heliogab. c. 24. Earum mentionem habet Vitruv. l. l. *Eadem ratione*, inquit, *etiam versantur hydraulæ.* Ὑδραλέτας Græci vocant. *Salmas. Exercit. Plin. p. 415. b. E. Cujac. Observ.* iii. 28. Erat eadem quoque quoddam supplicii genus. Lampridius loco modo laudato. *Parasitos ad rotam aquariam ligabat, & cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat: eosque Ixionios amicos vocavit.* Pith. Adv. Subc. ii. 16.

Rota erat instrumentum, in quo distento corpore homines torquebantur. Dicitur a Græcis *instrumentum hominibus excruciandis inventum, corpora excruciandorum distendens.* Suidas. Apud Græcos jam olim in usu. Apul. Met. iii. p. 79. *Nec mora, cum ritu Græciensi ignis, & rota, tum omne genus flagrorum inferuntur.* x. p. 326. *Nec rota, vel equuleus, more Græcorum, tormentis ejus apparata jam deerant.* Hanc Pantelemonem sine damno pertulisse scribit Niceph. Hist. Eccles. vii. 14. *Intolerabilibus cruciatibus fortiter restitit: depugnavit enim cum rota membra comminuente.* Cujac. Observ. iii. 28. Turneb. Adv. iv. 3: vii. 16. Jun. Animadv. iii. 12. Brod. Miscell. ii. 10. Herald. in Arnob. ii. p. 82. Tiraquell. & Coler. in Alex. Gen. iii. 5. Erat in alto loco. Signat hoc Cicer. Tusc. v. 9. cum ait: *in rotam beatam vitam non escendere.* Pind. Pyth. ii. 41. ἐν πετρόεντι τροχῷ, qui his verbis intelligit locum præruptum, altum, saxosum. Et clare μετέωρος dicitur Ixion Philost. Apollon. vii. Cruciandi hac machina illigabantur radiis ipsis. Virg. Æneid. vi. 616.

—— radiisque rotarum
Districti pendent.

Interpres Pindari: δεδεμένος τῷ τροχῷ. Plutarch. de Garrul. p. 509. C. *Relinquentes miserum tonsorem illigatum rotæ.* Joseph. de Maccab. c. 9. *Rota postmodum affigitur.* Illa illigatio ita fiebat in radiis, ut esset axi proxima. Tertull. Apolog. c. 50. *Licet nunc semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur.* Qui *semaxios* vocat, quia ad medium axem essent ligati. Corpus inde necessario magis flectendum, quod non sine summo cruciatu. Josephus: *In gyrum circuli porrectus.* Et quidem funibus. Josephus: *Quem solido fune lacertis retrorsum congyratis tortor versat.* In illa ad cruciatum inerant tria: I. Nocens ita illigabatur, ut innecteretur radiis, qui cruciatus summus, cum miserum corpus, ut ita aptaretur, deberet necessario frangi, exossari, exvertebrari. Josephus: *Ligari, & innecti rotæ jubetur.* II. Corpus tendebatur, quantum poterat. Plutarchus: *Adducta est rota, distentus homo.* Josephus: *Tendentibus corpus radiis.* Et: *Nec tendi magis poterat.* Inde Græcis quo modo dicatur, jam nos Suidas docuit. Quæ Suidæ verba etiam jungit Philo in opere, quod Deus sit immutabilis: ἐπὶ τροχοῦ κατατείνουσι, καὶ βασανίζουσι. Hanc Virgilius expressit verbo *districti*. III. Non corpus tantum, id est, ipse truncus, ligabatur, sed etiam manus & pedes. Eurip. Phœniss. n. 1192.

Manus vero & pedes, ut rota Ixionis
Volvebantur.

Interpres Pindari jam laudatus: *Vinxit Jupiter rotæ manus, pedesque Ixionis.* Et quidem partes istæ primæ omnium expositæ lacerationi. Josephus: *Cum jam cruoris nimia defusionis vacuitate defectus, orbatus manibus & pedibus. . . .* Ad carnificinam quod attinet. Corpus I. pendebat misero quodam spectaculo. Josephus: *Partes, & frusta corporis horrendissimo pependere adspectu.* Claud. de Rapt. Proserp. ii. 335.

Non rota suspensum præceps Ixiona torquet.

II. Pendens rotabatur in gyrum. Nazianz. Orat. contr. Julian. ii. p. 132. B. loquens de Ixione: τροχῷ συγκυκλούμενος. Philostr. l. l. Μετέωρος ἐπὶ τροχοῦ κνάμπτοιτο. Hinc Græca vox τροχίζεσθαι. Et quidem velocissime. Tibull. i. 3. 74.

Versantur celeri noxia membra rota.

Senec. Herc. Fur. iii. 750.

Rapitur volucri tortus Ixion rota.

Ab hac volubilitate interpres Pindari *rotam* vocat ἀειδίνητον. Innuit Pindarus, rotam non in unam solum partem verti solitam, sed ita artificiatam, ut jam in unam partem versaretur, jam conversim in aliam mutato motu. Dicit enim *Ixiona in omnem partem rota volutatum.* III. In ista conversione circumactæ machinæ effundebantur viscera, ac membra omnia miserum in modum divellebantur. Pindar. ibid. n. 1190.

Membra alia ab aliis dissiciebantur, tanquam si mitterentur e funda.

Josephus: *Solutis hinc inde visceribus, venisque distentis.* Stat. Theb. viii. 50.

—— Ixiona frango
Verticibus.

Carnificinæ comites. I. Pedibus illigati hominis appendebatur saxum, quo corpus mole illa magis premeretur. Josephus. *Mole pedibus appensa.* II. Non fiebat sine igne. Apulejus jam laudatus. Euripides alludens ad *rotam* n. 1193.

Ignitum in terram cadit cadaver.

Apud Tertullianum *sarmentitii* modo sunt dicti Christiani non certe alia ratione, quam a sarmentis congestis ad cremationem, cum erant in *rota*. Rationem, cur ignis illis subjiceretur, hanc subjicit Josephus: *Praeparatur incendium, &, ut erat affixus rotæ, igni in catasta objicitur, atque ita tendentibus corpus radiis, & contrahentibus flammis, costis deinde patentibus laterum vitalia rumpuntur.* III. Flagellatio. Aristoph. Εἰρην. Edit. Aurelian. p. 653.

In rota trahatur flagellandus.

Ubi Schol. *Servi nequam alligati rotæ, tracti, & verberati cum ingenti laceratione.* Apul. Met. x. p. 326. *Obfirmatus mira præsumptione, nullis verberibus, ac ne ipsi quidem succubuit igni.* iii. p. 79. modo laudatus. iv. Mutilatio membrorum. Hujus rei exempla suppeditat Josephus.

phus. Nam Judæ quarto fratri *eripitur cultro lingua*: & de primo ait: *Inter percunctandum, ut brutum animal excoriatur, lingua extrahitur, sartagini ipse injicitur.* Cerda in Virgilium. Schildi Nomencl. Philol. p. 991. Josephum Latine reddidit Erasmus. At in Josephi verbis nihil occurrit de ponderibus, tantum membra singula dicuntur extenta, & articulos omnes e loco suo emotos, ipse damnatus postremo conjectus περὶ τὸν τροχόν. Fuerit itaque machina sic structa, ut nocens ab una parte religatus incumberet orbi bene lato, eoque circumacto tenderetur: & non super radios. Græcorum scholias verus hic est: *Ita deinde substraxerunt ignem, excitaruntque, rotam prius intendentes. Rota vero undique maculabatur sanguine, prunarum autem cumulus rore humorum destillantium exstinguebatur, & circa machinæ axes affluebant carnes.* Nihil hic de radiis *rotæ*, sed de axe, cui incidebant carnes corporis lacerati, quod impositum fuit orbi. Sed nec quæ de igni habentur, satis intellexit Erasmus. Putavit in eum una cum *rota* facile conjectum damnatum. At Josephus prunas ait substratas, ut alligatus *rotæ* non tenderetur solum, sed & torreretur. Atque sic receptum fuit in hoc genere, ideo ignis fere una cum *rota* nominata. Apulejus jam bis laudatus. *Scheffer. de Re Vehic.* I. 18. Tormentum hoc Germanorum fere peculiare censetur: ita tamen ut ejus meminerit Aristoph. Plut. IV. 3. 26.

Ἐπὶ δὲ τροχοῦ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλούμενον
Εἰπεῖν ἃ πεπανούργηκας.

Rhodig. Antiq. Lect. X. V. Falsum hoc. Non agit de *rota* Germanorum Aristophanes, verum ea, quam vocavit Græcienem Apulejus. *Scheffer. & Brod. l. l.* Qui fieri posset, ut homo fractis, contusisque tibiarum, femorum, brachiorumque ossibus in *rotam* conscenderit? In Germanica sontes, jam datis pœnis, non plus doloris sustinent, quam si humi strati jacerent. *Brod. l. l.* Noxii alligabantur *rotis*, ut radiis rotarum convulsi, lenta quidem morte, sed maximo cruciatu, illic perimerentur. *Carol. Gerhard. in Aristoph. Plut. p.* 88. *C. Rhodig. l. l.* Neutrum horum verum. Radios non fuisse alligatos, sed orbi lato fuisse impositos jam probavimus. Nec perimebantur *rota* veteri Græciensi, sed torquebantur. Veritatis enim exprimendæ causa, non perimendi sontis est inventa. Docet ipse Aristophanes allatus. Ejus sententia est clarissima: *super rotam*, ait, *te incurvatum hic oportet proloqui, quæ feceris prava.* Ita torquetur apud Plutarchum supra productam, qui cladem Atheniensium in tonstrina narraverat, ut rei a se nuntiatæ proderet auctorem. Ita fuerunt, qui Phocionem censuerunt *rota* torquendum ad edendos conjurationis socios, priusquam ad ultimum supplicium duceretur apud eundem in vita Phocionis p. 758. A. *Scheffer. l. l.*

Rota quoque est supplicium dirissimi exempli apud Germanos nimis quam usitatum, quo in latrones viarum insessores animadvertunt, *rotarum* radiis incussis membra diffringendo, quodque lentæ mortis ludibrio, si quod aliud, vel maxime infame est. Illud, an veteribus etiam inter exquisita pœnarum genera fuerit cognitum, quæstio in convivio inciderat. Ejus rei cognitio quum ad me esset rejecta, respondi illico, videri mihi atrocissimi hujus tormenti genus apud Ammianum Palatinæ historiæ scriptorem exstare, postulatoque codice locum ostendi ex XXI. 12. ubi sic ait: *Romulus post eum & Sabostius currus axi vincti, fuere dispicati, ut proni in studia senis: alii rotarum pœna consumpti sunt.* Certe, quantum ego pervideo, non subolet mihi alterius supplicii mentionem fieri, quam ejus, de quo nota controversia est: duorum enim simul meminit acerbissimorum suppliciorum: unius quod Metii exemplo quadrigis in diversa nitentibus corpus passim distrahit, quod iste *dispicare* vocat: alterius vero, quod incussu *rotæ* diffractis cruribus, cæterisque artubus, diutissimo cruciatu, prorogatam mortis lentitudinem adfert, quod ipse *rotarum pœnam consumi* vocat. Nonnulli crurifragium, quasi σκελοκάταξιν Græce dicas, appellitant. Hujus, similisque supplicii exemplum in Mario juniore factum legitur apud Jul. Firmic. I. *Præterea*, inquit ille, *uno, minori jubet Mario ... crura : deinde deje... ad ... humerum tenus absoluta, ceciderunt: tertio amputata lingua necem reliquit in faucibus. ad postremum, omni corporis parte mutilata, oculi eguntur. & vix anima tantis vulneribus erogata est, cum hinc inde membris fluentibus mortuum ... carpe ...* Jun. Animad. I. 12. Hoc e Germania in Galliam est translatum, & Franciscus Rex an. 1535 in grassatores instituit supplicium illud, ut fractis memoris seminimes in altum elatis, *rotæ* supini imponerentur. *Cujac. Observ.* III. 28. *Du Fresne Glossar. Brod. Miscell.* II. 10.

Rotæ & hodie in molis sunt præcipua instrumenta molendi, tam externæ, quam centrales internæ; sic inter se connexæ, ut se instar organi horologici mutuo impellant: siquidem *rotarum* externarum concavi orbis impetu impellentis, ac subterlabentis aquæ circumagitati, vel etiam alæ molendinorum τῶν πνευματικῶν in extremis suis velis vento incitatæ cylindrum medium, *rotas* intrinsecas, ac machinarum labyrinthum, nec non molares ipsos continuo motu rursus quatiunt, rotant, & circumvolvunt; item pistilla præferrata, ut lapsu graviore ruant, vel etiam prægrandes malleos, serras, fistulas, folles ingentes, . . . pro varietate molendinorum, & machinarum in actum sublevant & tollunt. *Hering. de Molend. q.* 4. §. 69.

ROTUNDARE numeros, aliosque populariter, & extra subtilem disputationem, vel detractis, vel adjectis aliquibus *rotundatis* enuntiare solebant Romani. Varr. de Re Rust. II. 1. *Si, inquam, numerus non est ad amussim, ut non est, cum dicimus mille naves isse ad Trojam, centumviralee esse judicium Romæ.* Ascon. in Cicer. p. 157. *Possit aliquis credere, lapsum memoria Ciceronem, qui dicat quadraginta annos ante se consulem factum esse Senatusconsultum adversus L. Apulejum Saturninum tribunum plebis. cum triginta sex anni a C. Mario, & L. Valerio Flacco consulibus numerentur. Sed hic non subtilis computatio annorum facta est, verum summatim tempus comprehensum est; & perinde accipiendum, ac si dixerit, prope quadraginta annis. Hæc enim consuetudo est ipsius Ciceronis. Itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu, cum octavus decimus dies esset, posteaquam factum Senatusconsultum, ut viderent consules, ne quid Respublica detrimenti caperet, dixit: vigesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis.* Sic centurias, decurias, tribus dicebant, in quarum aliis infra, aliis longe supra tam brevem numerum homines continebantur. *Gronov. de Pecun. Vet.* II. 6.

RUB.

RUBIA lex. V. illam supr. in *Lex.*
RUBIGALIA. V. illa supr. in *Robigalia.*
RUBIGO. V. illam supr. in *Robigo.*
RUBIGUS. V. illum supr. in *Robigus.*

RUBITELLA dimidia pars est *rubli*, constans ex scortiis decem, vel undecim, juxta mensuræ qualitatem. Forma est oblonga, palis leviter frumento impletur fere ad summum, mensuraque ipsa ter ab utroque capite extollitur, & humi percutitur, ut frumentum calcetur, dein iterum impletur, regulaque ducta, quod supra mensuram est, quoad fieri potest, raditur, & super excedens excluditur. *Pætus de Rom. & Græc. mens. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1624. *D. p.* 1656. *F.* 1658. *D.*

RUBIUM est certa mensura agri, constans, quantum ad agrorum mensuram attinet ex petiis septem. In agri quantitate consideratum, constat ex stajolis decem in latitudine, in longitudine ex stajolis mille centum viginti: quæ summæ inter se multiplicatæ summam quadratorum stajolorum undecim millium ducentorum constituant: sive, si eam mensuram ad cannas redigere volueris, constabit *rubium* ex cannis quadratis tribus millibus septingentis tribus: & sic ex petiis septem, sive numeres septies stajolos mille sexcentos, sive septies cannas quingentas viginti novem multiplicaveris. Qua ex supputatione

ne junctis his, quæ de jugero dixi liquido apparet, quam turpiter quidam ex noſtris decepti ſunt, qui cupientes *rublum* in Latinam vocem transferre, pro *rublo jugerum* ſcriptis tradiderunt: cum jugerum ne ſeptimam quidem *rubli* partem contingat: capit enim *rublum* jugera ſeptem, & jugeri ſeptuncem, ſcripuli duo, & ſemiſſem ſcrupuli. Petiæ autem & *rubla* metiri conſueverunt ab agrimenſoribus catenula longitudinis ſtajolorum decem, habente ſtajolos ſuis annulis pendentibus diſtinctos: hæc enim neque rore contrahitur, neque ſole relaxatur, ut in funiculis evenit, quem *rublum* in tabulis in quartis quatuor, & quartam, in ſcortia pariter quatuor, & ſic in ſcortia ſedecim dividunt: quamvis *rublum* in menſura aridorum ex ſcortiis pluribus conſtet. Libet quoque animadvertere, quod menſura tritici *rubli* unius cribrati, & purgati in prima ſementi menſuram terræ mediocris bonitatis, unius *rubli* catenæ (nam ſic a catena, qua terram metiuntur, terræ *rublum* appellant) ſerendo implere ſolet. Dixi autem in prima ſementi, quia in ſecunda, & tertia, eo quia propter tempeſtates, & pluvias, ac frigora non nihil ſeminis emoritur, plus ſeminis, & in pingui terra minus, tale etiam Colum. II. 9. requiritur. *Pætus de Rom. & Græc. menſ.* II. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1624. *B.*

Rublum in menſura aridorum conſideratum, eſt menſura potius intellectu percepta, quam quod per ſe appareat, propter illius magnitudinem, quæ manibus a metientibus facile tractari non poſſet: quod tamen ex duobus apparentibus *rublitellis* conſtituitur: quarum *rublitellarum* tam frumenti, hordei, aliarumque frugum, quam etiam calcis, & ſalis, quæ inter ſe differunt, ſchemata, & menſuræ, marmoribus inſculptæ, in palatio Capitolino, ut reliquæ, conſervantur. Hoc autem *rublum*, frumenti ſcilicet, & frugum, conſtat ex *rublitellis*, ut dixi, duabus, quartis quatuor, ſcortiis vero viginti, aut duobus & viginti, juxta menſurarum qualitatem, hoc modo. *Rublitella*, aut quarta, quarum oblonga eſt forma, palis leviter frumento impletur fere ad ſummum, menſuraque ipſa ter ab utroque capite extollitur, & humi percutitur, ut frumentum calcetur, dein iterum impletur, regula que ducta, quod ſupra menſuram eſt, quoad fieri poteſt, raditur, & ſuper excedens excluditur: & hæc menſura ſcortiorum eſt viginti, appellaturque *campi Floræ menſura*, quia in eo foro advectum maxime ab advenis frumentum populo venditur, in quo ut plurimum non *rubuellis*, ſed quartis frumentum admetiuntur: in horreis vero, ac inter mercatores, & furnarios (nam furnarii eo in foro, ut pauperibus conſultum ſit, emere prohibentur) frumentum *rublitella* alio modo menſuratur: palæ namque ligneæ admodum patulæ, frumento plenæ, in altum a bajulis, quantum fieri poteſt, ſublevantur, ac derepente certo etiam ictu ſubducuntur, ut frumentum ex alto cadens ictu in *rublitellam* calcetur, idque a duobus altrinſecus fit: quam menſuram *palam battutam*, quaſi *percuſſam* dixeris, appellant; quo more ſcortia creſcunt, ut ſint viginti duo, aut etiam plura, prout regula radula propius ad *rublitellæ* fauces admovetur, vel extollitur, quod pro frumenti caritate, aut vilitate, diligentius, aut negligentius animadvertitur: ſi quidem in caritate avarius radula, ſive radius ducitur, ut minus, quam fieri poteſt, venditori concedatur. Cujus autem ponderis ſit frumenti *rublum*, vix eſt ut ſtatui poſſit: cum ex diverſis annorum qualitatibus pondus variet: in communi tamen menſura, quam *palæ battutæ* appellari dixi, librarum pondo ſexcentarum eſſe ſtatuitur. Quod tamen perpetuum non eſt: nam, dum hæc ſcriberem, etſi frumentum non ultra ſexuplum reddidiſſet, quia tamen rubiginis calamitate hoc anno caruimus, pondo ſexcentarum ſeptuaginta librarum, etiam ducta regula raduli, quoad fieri poſſet, pro majore parte frumenti *rublum* appenſum extitit: & tamen tribus abhinc præteritis annis, quia rubigo infeſta fuit, vix frumenti *rublum* inventum fuit, quod quingentarum viginti librarum pondus æquaret. *Rublum* iſtud putaverunt quidam e noſtris a menſuris, quibus intervalla metimur, id eſt, a palmo, ut a pede quadrantal, conſtitutum fuiſſe, aſſerentes *rublum* ex quadratis palmis quinque & viginti conſtitui, quia putaverunt cannam quadratam, quæ mille palmorum eſt, *rublis* quadraginta repleri: qua ratione palmi quinque & viginti quadrati *rublum* conſtituerent. Sed ex fide dignorum relatu, qui hoc diligenter examinarunt, canna quadrata quinque & quadraginta *rublorum* ejus menſuræ, quæ campi Floræ appellatur, capax eſt. Qua ratione *rublum* ex palmis duobus & viginti, & fere quarta parte alterius palmi conſtare dignoſcitur: ideoque non veriſimiliter ex palmo fabricatum fuiſſe credi debet, cum ſi ita factum eſſet, aliquo pari, aut ſaltem completo numero abſque palmorum fragmentis fabricatum extitiſſet. Memini me ſupra dixiſſe, *rublum* terræ menſuræ catenæ *rublum* unum tritici purgati, & cribrati, ejus ſcilicet menſuræ, quam *palam battutam* appellant, in mediocri terra & prima ſementi expoſcere: & alibi *rublum* terræ ex jugeris ſeptem, & jugeri ſeptunce, ſcripulis duobus, & ſemiſſe ſcripuli conſtitui. Ut igitur ſcirem, ſpiſſius ne, an rarius hodie, quam Columellæ temporibus, ſemen in agris jaciamus, calculum inire libuit, & exinde noſtri temporis ſcortium cum antiquo ſextario examinavi, invenique ſcortium ſextariis quatuor, & viginti repleri: quo fieri cognovi (ea ratione retenta, ut *rublum* ſeminis menſuræ *palæ battutæ* ex ſcortiis duobus & viginti conſtet) *rublum* tritici quingentos viginti octo ſextarios capere, & ſic modios, qui ex ſextariis ſexdecim ſinguli conſtant, tres & triginta. Cum autem aſſerat Colum. XII. 9. jugerum agri mediocris terræ, in prima autumnali ſementi, modios tritici quinque expoſcere, *rublumque* terræ, ut prædixi, ex jugeris ſeptem, & ſemis, & eo amplius conſtet, evenit, ut, ſecundum Columellæ rationem, modii ſeptem & triginta, & modii ſemis, & eo amplius tritici in terræ *rublo* requirantur: & tamen his noſtris temporibus in *rublo* terræ tres & triginta modii jaciuntur. Ex qua ſupputatione colligitur, Columellæ temporibus tritici ſemen ſpiſſius, quam hodie, ſpargi conſuevisse. *Pætus de Rom. & Græc. menſ.* IV. *Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1656. *E.*

RUBRIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

RUBRICA eſt terræ ſpecies. Vitruv. VII. 7. *Rubricæ copioſæ multis locis eximuntur, ſed optimæ paucis, uti Ponto, Sinope, & Ægypto, in Hiſpania Balearibus.* Noſtrates, quod fecere item veteres materiarii, ad ligna filo dirigenda utuntur. Colum. de Arbor. c. 17. *Omnes arbuſculas, priuſquam transferantur, rubrica notare convenit.* Voſſ. Lex. Etymol. in Ruber. Bald. Lex. Vitruv. De Icto Maſurio Sabino ſcribit Perſ. Sat. V. 89.

Excepto, ſi quid Maſuri rubrica notavit.

Etſi ICtorum officium conſumebatur potiſſimum in jure civili, & privato enucleando: tamen iidem jus publicum in legum ſanctionibus poſitum explicabant, quod *rubricæ* nomine hic intelligendum videtur eſſe. Nam quamvis ICti hodie ob miniata capita ſui juris *rubricas* in ore habeant in quocunque jure, tam privato, quam publico: tamen veteres in publico, legitimoque *rubricas* poſuiſſe videntur: ut majeſtas legibus accreſceret, capitibus earum ſinopide, aut cinabari notatis, & inſignitis, & ſanguineum quiddam, & cruentum fortaſſe etiam minantibus. Itaque ſcriptum eſt a Prudent. contr. Symm. II. 460.

— dicant, cur condita ſit lex
Bis ſex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & inevitabile mergunt.

Quintil. XII. 3. quoque *rubricas* intelligit, non de jure prætorio, ſed de XII. tabulis, non tamen tantum, ubi criminibus minantur pœnas, cum credibile ſit omnia earum capita minio picta fuiſſe. Verba ejus ſunt: *Quorum alii ſe ad album, ac rubricas tranſtulerunt: & formularii, ac, ut Cicero ait, leguleji quidam eſſe maluerunt.* Ecce hic *album* pro prætorio jure dixit, *rubricas* pro jure civili,

quod

quod XII. tabulis continebatur: ut & *formularios* ad prætorias retulit formulas, *legulejos* ad XII. tabularum leges *Turneb. Adv.* IV. 5. *Borremanſ. Var. Lect. c.* 4. *Salmuth ad Pancirol. de Reb. inv. & perd. p.* 280. Forte etiam diſtinctionis facilioris cauſa, qua memoriæ commode juvatur, & inveniendi, quæ annotavimus, facultas probatur. Innuit hoc Juven. Sat. XIV. 192.

— perlege rubras
Majorum leges.

Tholoſan. opt. Icti prælud. II. 23. II. Corſus Indagat. jur. II. 2. Hinc ortum duxit illud: *Non intelligitur nigrum, niſi legatur rubrum.* Neceſſe eſt enim, ut legis titulus prius teneatur, quam ipſa lex intelligi poſſit. *Borremanſ. l. l.* Nec legum tantum principia, & titulos *rubrica* notabant, ſed omnium quæ ſcribebant ἐς κάλλ☉. Sidon. Epiſt. VII. 13. *Jure vobis in hoc opere primæ titulorum rubricæ, prima officia ſermonum dedicarentur.* Caſaub. in Perſium. Grang. in Juvenalem.

RUD.

RUDENTES appellantur funes, quibus antenna ſuſtollitur, vel demittitur cum velis. Hieron. adv. Jovin. I. *Rudentibus vela ſuſtollam.* *Funes chalatorii* ſunt Veget. IV. 46. *Quod contis longioribus inditum, chalatorios funes, quibus antenna ſuſpenditur, repente præcidit.* Et dicuntur a Græco χαλᾶν, quod eſt laxare, & demittere. Turneb. Adv. XXIV. 25. & Stewech. in Vegetium errant, quando pro opiferis accipiunt. Græci ἐπιτόνες nominant. Niſi potius ἐπίτον☉ is funis, quo circa mediam religatur. Suidas: *Epitonus, lorum, quo antenna religatur ad malum.* Scheffer. de Milit. nav. II. 5. Gyrald. de Navig. c. 15.

RUDERATIO materia pavimentis apta, conſtans ex teſtis contuſis, calce, & arena; quæ quidem ſtatumini, quod ex craſſioribus, rudioribusque lapidibus conſtat, ſuperponitur, & fiſtuca, aut pavicula tunditur, confirmatur, coæquatur, complanatur. Ita Vitruv. in inſcriptione VII. 1. *De ruderatione commode facienda.* Bergier. de viis milit. II. Sect. 13. §. 6. Bald. Lex. Vitruv.

RUDIARII dicebantur gladiatores veterani, emeriti, & *rude* donati. Priſcian. VII. p. 767. *Gladiatores rude donati ceſſabant a gladiatura.* Suet. Tiber. c. 7. n. 2. *Munus gladiatorium dedit, rudiariis quoque quibusdam revocatis auctoramento centum millium.* Ex quo pronum colligere, non depugnaſſe ultra *rudiarios*, niſi pretio, aut ſponte inductos. Ritum hunc aperit Horat. Epiſt. I. I. 2.

Spectatum ſatis, & donatum jam rude, quæris
Mæcenas iterum antiquo me includere ludo
Non eadem eſt ætas, non mens.

Inde *gladiatores veteres ad rudem compellere* apud Cicer. Epiſt. ad Octavium eſt illos, qui jam miſſionem artis obtinuerant, ad pugnandum, non gladio, aliove ferro ſecante, & pungente, ſed *rudibus* cogere. *Lipſ. Saturn.* II. 23. *Turneb. Adv.* XXV. 17. *Donat. & Puiſc. in Suetonium, Torrent. in Horatium. Voſſ. Lex. Etymol. Thyſ. de Gladiat. p.* 236. *Laurent. Polym.* IV. 9. *Demſter. Antiq. Roman.* V. 24.

Rudiarii etiam dicuntur, *qui nova ſaga poliunt.* Feſtus in rodus. Nempe, quia ſaga nova ſunt *rudia*, & impolita. *Voſſ. Lex. Etymol.*

RUDICULA & *rudis* eſt inſtrumentum coquinarium ferreum, vel aheneum, vel ligneum, qua verſant in aheno elixa, aut ſpumam detrahunt. Cato de Re ruſt. c. 96. *Amurcam igni leni coquito, rudicula agitato crebro.* Plin. XXXIV. 18. *Verſatum rudibus ferreis, aut ferulaceis.* Popma de Inſtrum. fundi c. 19.

RUDIS erat gladius e ligno quo certabant gladiatores. Suidas loco Dionis, qui poſt meridiem Commodi exercitia cum gladiatoribus denarrans LXXII. p. 826. B. *Exercebatur, & in uſu habebat armaturam ſecutoris dictam: clypeum dextra, gladium ligneum ſiniſtra præferens.* Ait enim clare ξίφ☉ ξύλινον, ad batuendum ſcilicet, non pugnandum. Itaque *baculos* eos appellat Trebell. Poll. in Gallien. c. 8. *Pugiles baculis, non veritate pugilantes.* Ita enim ego emendem, cum vulgo ſit *faculis*: ex quo alii *ſacculis*, me judice, haud apte. Vulgo aliter judicant, & ſatis habent dixiſſe, *rudem* baculum fuiſſe. Fuit pro modo cujusque armaturæ: Threci incurvus, ſecutori rectus, retiario dentatus: fortaſſe etiam e ferro; ſed tamen hebes. Duplex etiam fuit: laniſtarum, & tyronum, ſive exercentium. Laniſtæ, qua ſecerni, cognoſcique potuit, e ferula fuit, & ferula nominatur a priſcis. Dio LXXII. p. 826. C. *Pugnabat cum eo laniſta quiſpiam, vel etiam gladiator, ferulam habens.* Diſcriminat aperte. Commodo velut diſcipulo gladium ligneum tribuit: magiſtro ferulam. Seneca ab hoc more ludit in Satyra Menippæa: *Eum proximo munere, inter novos auctorates, ferulis vapulare placet.* Nam novi auctorati, novitii gladiatores; quos *rude*, ferulaque ſua aberrantes laniſta cædebat, velut legitimus magiſter. Nam hæc res a literario ludo. De hac ferulacea *rude* Chariſ. I. p. 115. *Rudis, ſive ſcipio, quem laniſta liberandis gladiatoribus gerit.* Gloſſæ: *Rudis*, ῥάβδ☉ ἡ τῶν ἐπιςατῶν μονομάχων. At *rudis* ad gymnaſia, diverſa ab hac, & gladii forma; fortaſſe etiam ponderoſior, graviorque. Suggerit apud Senec. præfat. controv. IV. Latro Portius: *Non eſt utilis exercitatio, niſi quæ operi ſimillima eſt illi ad quod exercet: itaque ſolet durior eſſe vero certamine. Gladiatores gravioribus armis diſcunt, quam pugnant: diutius illos magiſter armatos, quam adverſarius ſuſtinet.* Lipſ. Saturn. I. 15. Hanc indulgebant gladiatoribus veteranis, quaſi magiſterii ſignum: aut etiam novis, in novo, aliquo, aut ſtrenuo facto. Idque populo imperante. Quintil. Decl. 302. *Quidam, ut patrem ſepeliret, ſe auctoravit: ſed die muneris productus, ſub titulo cauſæ, rudem poſtulante populo accepit.* Hanc gladiator, ſi tamen vera & germana Acronis in Horatium nota, *ſtans ad crepidinem circi ſub circulo amphitheatri a populo petere, & impetrare ſolebat.* Dabat eam, ut videtur, editor, vel laniſta etiam ipſe. Calpurn. Declam. 50. in themate: *Redemit eum laniſta, & rudem ei in arena dedit.* Sed tamen, ut dixi, populi arbitrio, aut poſtulatione. Ejus effectus, liberatio ab arena. Quod tamen diſtincte intelligendum, aliter atque aliter pro conditione gladiatorum. Quidam enim liberi erant, ſive auctorati, qui arenæ operam pretio locabant. Ii donati *rude*, redibant in veterem prorſus libertatem, nullo ultra vinculo ſervitutis. Exemplum in Opilio Macrino, de quo Capitol. c. 4. *Plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuiſſe dixerunt: &, accepta rudi, ad Africam iſſe, venatorem primo, poſt etiam tabellionem fuiſſe, deinde advocatum fiſci.* Alii e gladiatoribus, conditione ſervi. Hi donati *rude*, non libertatem accipiebant, ſed vacationem duntaxat a pugna. Laniſtæ deinceps, prove laniſtis erant, doctores tyronum, & batuebant, non pugnabant. Ideo *tuta rudis* dicta Ovid. Amor. II. 9. 22.

Tutaque depoſito poſcitur enſe rudis.

Quod ſi libertatem etiam impetrarent, mos erat, ut pilearentur, id eſt, pilei impoſitione, exemplo ſcilicet reliquorum ſervorum liberi judicarentur. Itaque *rudem* a pileo bene ſejunxit Tertull. de Spectac. c. 21. *Et qui inſigniori cuique homicidæ leonem poſcit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat.* Quæ tamen præmia ne temere conferrentur, cautum eſt quid in noxiis damnatisque ſervaretur. Tempus *rudi*, tempus pileo præſcriptum. Quod e ſolo fragmento Ulpiani, vulgato a Pithoeo nobis innotuit. *Eſt autem differentia*, inquit, *inter eos, qui ad gladium, & eos, qui ad ludum damnantur. Nam ad gladium damnati confeſtim conſumuntur, vel certe intra annum debent conſumi. Enimvero qui in ludum damnantur, non utique conſumuntur, ſed etiam pileari, & rudem accipere poſſunt poſt intervallum. Siquidem poſt quinquennium pileari: poſt triennium autem rudem induere iis permittitur.* Ubi vel ex intervallo temporis vides pileum *rude* meliorem. *Lipſ. ibid.* II. 23. *Turneb. Adv.* XVI. 8. *Fab. Semeſt.* II. II. *Agoniſt.* I. 22. *Donat. in Suet. Tiber. c.* 7. *n.* 2. *Caſal.*

de

de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Thys. de Gladiat. p. 235. Laurent. Polym. IV 9. Blond. Triumph. Rom. II. p. 41. B. Hinc ad Herculis sacra suspendebant gladiatores emeriti. V. supr. in *Gladiator*.

RUDUS ruris æque dicitur, ac *rudus ruderis*. Significat plura cæmenta, aut lapides contusos, & cum calce permixtos. Isidor. XVI. 3. *Rudos artifices appellant lapides contusos, & calci admixtos, quos in pavimentis faciendis superfundunt: unde & rudera dicuntur. Rudera*, ait Barbarus ad Vitruv. VII. 1. *sunt lapides contusi, calce admixti, qui pavimentis faciendis substernuntur: unde ruderare est hujus modi opus substernere, quod Veneti dicunt sgrossare, terrazzare*. Hæc materia si fieret ex lapidibus recentibus contusis, & tunc primum ad opus aliquod usurpatis, dicebatur *rudus novum*: ad hujus tres partes unam calcis admiscebant. At si hæc materia ex demolitis, & dirutis structuris veniret, quam in nostra Campania appellamus *le calcinacci*, quæque jam antea fuisset adhibita, dicebatur *rudus redivivum*, ad cujus partes quinque duas calcis admiscebant. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 13. §. 6. *Bald. Lex. Vitruv. in Ruderatio.*

RUF.

RUFINUS fuit cognomen Corneliorum. *Rufini* duos habuerunt dictatorios, alterum bis consularem, & triumphalem. Nam P. Cornelius *Rufinus* dictator rei gerundæ causa dictus an. 419. M. Antonium magistrum equitum dixit; sed ambo vitio creati abdicarunt. Alter ejusdem nominis, superioris filius fortasse, consul fuit cum M. Curio Dentato an. 463. Ambo consules de Samnitibus triumpharunt. Iterum consul post annos tredecim cum C. Junio Bubulco II. Dictator anno proximo, sive quo alio: res enim obscura est. Hic tamen fortissimus, ornatissimusque vir a C. Fabricio, & Q. Æmilio Papo censoribus senatu motus est, quod decem argenti facti pondo haberet. Eundem fuisse jocus ille ejusdem Fabricii in eum dictus ostendit apud Cicer. de Orat. II. 66. cum is gratias ageret, quod eum consulem fecisset bello præsertim magno & gravi; *malui*, inquit, *compilari, quam venire. non est, quod gratias agas.* Ab hoc ortus est L. Cornelius Sulla, qui sextus ab illo dicitur fuisse. Cognomen mutasse majores dicuntur ob libros Sibyllinos, quibus interpretandis unus majorum præfuit, decemvir sacris faciundis. Ab eo munere Sibylla, vel Sibulla, postea Sylla, vel Sulla dictus est. Macrob. Sat. I. 17. Quamvis aliqui, quod flavo, corporeque capillo fuerit, ita appellatum asserant. P. Cornelius is dicebatur, flamenque dialis fuit, ut apud Gell. XX. 6. *L. Sullam libro rerum gestarum secundo* scripsisse invenio. *Augustin. & Strein. de Famil. in Cornelia. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 263.

RUFUS fuit cognomen Minuciorum. Illorum I. fuit Marcus ille Minucius, qui consul an. 532. cum Q. Scipione Asina, & quarto postea anno magister equitum fuit Q. Fabio Maximo Verrucosso II. dictatori, qui cum victorem Hannibalem cunctando coercuisset, eam cunctationem milites ignaviam, & socordiam appellantes a populo Romano obtinuerant, ut Minucio cum dictatore æquaretur imperium. Sed cum id in perniciem cessisset, nisi Minuciani a Fabianis fuissent summo periculo liberati, iterum se omnes dictatori subjecerunt. II. fuit Q. Minucius C. F. C. N. *Rufus* a Verrio dictus. Is consul an. 556. cum C. Cornelio Cethego triumphum egit de Liguribus, & Bojis in monte Albano. Prætor Bruttios provinciam ante triennium obtinuit. Et M. *Rufus* prætor peregrinis jus dixit anno consulatus Q. *Rufi*. III. Q. *Rufus*, quem aliqui M. appellant, consul fuit cum Sp. Postumio Albino anno secundo belli Jugurthini, hoc est, Urbis 643. Triumphum egit anno proximo de Scordiscis, & Triballis. *Augustin. de Famil. in Minucia. Glandorp. Onomast. Roman p.* 606.

Rufus fuit cognomen Pompejorum. Illorum I. fuit Q. Pompejus, quem quidam *Rufum*, alii *Aufidum*, alii *A. F.* appellant, obscuris parentibus natus, tibicinem patrem ei exprobrabant inimici, consulatum adversus conatum Africani minoris, qui C. Lælio amico suffragabatur, adeptus est cum Cn. Cornelio Scipione an. 612. In Hispania victis Thermistinis, sive Termantinis cum eisdem & Numantinis iniquum fœdus iniit. Censor fuit cum Q. Metello Macedonico an. 622. Lustrum fecerunt anno tunc primum censores plebeji nonum & quinquagesimum. Multum dicendo potuit, & inimicitias cum clarissimis viris Cæpionibus & Metellis gessit. Ejus orationes, ut plenas prudentiæ laudat Cicero. II. Q. Pompejus Q. F. *Rufus*, illius consularis, & censorii filius, qui consul fuit cum L. Cornelio Sulla an. 665. Quod tamen nobis incertum: certum vero ejus filium Q. *Rufum* duxisse Corneliam L. Sullæ alterius consulis filiam, ex qua Q. *Rufum*, & Pompejam C. Cæsaris C. F. uxorem suscepit. Sed gener Sullæ eodem anno a C. Mario, & ipse *Rufus* consul ab exercitu Cn. Pompeji Strabonis, quem invito senatu obtinebat, in sacrificio occisus est. *Augustin. Ursin. & Strein. de Famil. Roman. in Pompeja. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 697.

Rufus etiam fuit cognomen Pomponiorum. In illis nominatur Q. Pomponius *Rufus*, qui avus esse potuit Q. Pomponii *Rufi*, de quo extat mentio in ænea tabula ita inscripta:

IMP. CÆSAR. DIVI. VESPASIANI. F
DOMITIANUS. AUGUSTUS. GER-
MANICUS. PONTIFEX. MAXIMUS
TRIBUNIC. POTEST. XII. IMP. XXII
COS. XVI. CENSOR. PERPETUUS. P
P. PEDITIBUS. ET. EQUITIBUS. QUI
MILITANT. IN. COHORTE. III. AL-
PINORUM. ET. IN. VIII. VOLUNTA-
RIORUM. CIVIUM. ROMANORUM
QUI. PEREGRINÆ. CONDICIONIS
PROBATI. ERANT. SUNT. IN. DEL-
MATIA. SUB. Q. POMPONIO. RUFO.
QUI. QUINA. ET. VICENA. STIPEN-
DIA. AUT. PLURA. MERUERUNT.

Ab hoc autem Q. Pomponio, qui in veteri inscriptione nominatur, genus duxisse potest C. Pomponius *Rufus*, qui consul describitur cum C. Pompejo Feroce in antiquo lapide, qui Romæ extat hujusmodi:

LIBERO. PATRI
SANCTO. SACR
SEX. CÆLIUS
PRIMITIVUS. ET
PUBLICIA. ANTULLA
VOTO. SUSCEPTO
D. D.

In lateribus caper erectus vitem rodit: a tergo incisum est:

DEDICAVERUNT
IDIB. OCTOBR
CN. POMPEJO. FEROCE
LICINIANO. COS
C. POMPONIO. RUFO.

Ursin. de Famil. Roman. in Pomponia, Glandorp. Onomast. Roman. p. 704.

RUG.

RUGÆ in vestibus aliæ casu fiunt, quæ ex ipsa vestis redundantia variis modis complicata nascuntur, inconditæ & inordinatæ: aliæ arte constant, quæ ex industria struuntur ad aliquem vesti ornatum conciliandum. Στολίδας hac Græci vocant, quas in fine tunicarum certo modo, atque ordine invicem nexas vinculum retinebat: unde στολιδωτοὶ χιτῶνες, qui *rugis* hujusmodi, & plicis striabantur. Pollux VII. 13. *Sit & quædam plicata tunica. Plicæ autem sunt tunicarum complicationes, quæ in harum fimbriis de industria colligando formantur, maxime in tunicis lineis. Strictæ tunicæ* dicuntur in vulgari versione

Biblio-

Bibliorum. Hujusmodi vestium *rugas*, quæ in strias deducebantur, & ordinabantur, σωλῆνας, hoc est, tubulos Græci vocaverant. Hinc *dependula contabulatio* in veste Isiacis apud Apul. Met. XI. p. 361. Unde σωληνωταὶ στολαὶ apud Cedrenum. *Canaliculatas*, aut *striglatas stolas* liceat vertendo appellare. In columnis striatis strigles vel striglæ, & canaliculi vocabantur. striarum ὑποχαὶ sive cavi, ut striæ ipsæ ἐξοχαὶ, & partes, quæ eminebant. Hinc striglatum, & striatum pro eodem. Glossæ veteres; *striata*, ξυσρωτά: *striglata*, ξυστρωτά. Nam in striglibus, quæ & striglæ dicebantur, canaliculi erant, quibus sudor defluebat. Glossæ Servii: *strigles*, ψυκτρίον. Talibus igitur *rugis*, non forte, sed industria factis, togæ veterum ante & retro multiplici contabulatione struebantur, & ordinabantur. Harum omnium centrum umbonem, vel umbilicum vocarunt, quo omnes, quasi nodo quodam, constringebantur. De illis Tertull. de Pall. c. 5. *Adeo nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totumque contracti umbonis figmentum custodibus forcipibus assignet.* Salmas. in Tertull. p. 368.

RUL.

RULLA est instrumentum rusticum. V. illud supr. in *Ralla*.

RUM.

RUMA vocatur mamma. Glossæ: Θηλὴ, *mamma, papilla, ruma, mamilla.* Festus in Ruminalis: *Mamma rumis dicitur: unde & rustici hœdos subrumos appellant, qui adhuc sub mammis habentur.* Plin. XV. 18. V. illam supr. in *Ficus Ruminalis*. Plutarch. Quæst. Rom. 56. V. illum infr. in *Rumina*. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 12. Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 214. C. Voss. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom. I. 4. §. 5. Palmer. Spicil. VI. p. 716.

RUMENTUM *in auguralibus significare videtur interruptio, abruptiove, dum verba ancilibus movendis prait, si interim avis canerit, tum æque atque auspicio, augurio rumentum estod.* Festus. Ego puto legendum: *Rumentum in auguralibus significare videtur abruptionem: dum verberat ancilorum ærimen, avis canerit interea, id eo augurio rumentum esto.* Et aperte id ex libris auguralibus carmen est. Ærimen est æs. Morem hunc æra in Saliaribus quatiendi tangebat Nigid. XVIII.

Itaque ex ære in Saliaribus Altanus tintinat.

Canerit pro cecinerit. Etiam Sallustius dixit *canuere* pro cecinere. *Scalig. in Festum. Ursin. in Kalend. Rustic. Farnes. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 23. *A.*

RUMINA, vel *Rumia* erat dea illius antiquorum superstitionis, quæ mammis, quis infantes sugebant, præerat. August. de Civit. Dei IV. 11. *In diva Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam.* Varro Cato, sive de lib. educ. apud Non. II. 756. *Hisce Manibus lacte fit, non vino: Cuninæ propter cunas, Ruminæ propter rumam; id est, prisco vocabulo, mammam, a quo subrumi etiam nunc dicuntur agni.* Plutarch. Quæst. Rom. 56. V. illum supr. in *Lac.* Turneb. Adv. XV. 3. Tomas. de Donar. c. 10. & 26. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. E. Buleng. de Conviv. III. 1. Bartholin. de Puerp. p. 115. Gyrald. Synt. 1. p. 48. E. XVII. p. 551. C. Struv. Ant. Roman. I. p. 155. Alex. Gen. III. 12. & ad illum Tiraquellus. Stuck. de Sacrif. p. 44. Voss. Lex. Etymol. Meurs. de Puerp. c. 5. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10.

RUMON dictus est Tiberis a veteribus. Virg. Æneid. VIII. 62.

— ego sum pleno, quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem
Cœruleus Tibris.

Ubi Servius: *Radentem, imminuentem. Nam hoc est Tiberini fluminis proprium, adeo ut ab antiquis Rumon dictus sit, quasi ripas ruminans, & exedens: in* [illegible] *batur.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. [illegible] De [illegible] Urb. Rom. c. 15. Panvin. de [illegible] Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1068. B. Alex. Gen. [illegible] 26. & ad illum Tiraquellus.

RUMINALIS arbor. V. illam supr. in *Ficus*.

RUN.

RUNCARI quid sit, Varronis expositor declaravit, qui ad id verbum de Re rust. I. 30. *Segetes runcari* hanc notam posuit, quæ deinde a librariis est recepta in textum, *herbam e segetibus expurgari.* Colum. XI. 2. *Seminaria, quæ sunt ante facta, runcari, & adhuc commode fodiri possunt.* Ursin. ad Kalend. Rust. Farnes. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 24. C. Salmas. ad Tertull. de Pall. p. 166. Cum grandiores segetes esse cœperint, articulumque, quem nos nodum vocamus, habuerint, nec possunt ea de causa amplius sarriri, tunc *runcantur*, id est, manibus agricolarum inde inutiles herbæ evelluntur. In fastis antiquis, qui e lapide vetusto descripti sunt, legitur mense Majo: *Segetes runcantur.* Plin. XVIII. 21. *Runcatio, cum seges in articulo est,* [illegible] *herbis, frugum radicem vindicat, segetemque discernit a cespite. Runcare* Græce βοτανίζειν dicitur, & runcatio βοτανισμός. Plin. XVIII. 18. *Postea pauci runcant, quod botanismon vocant.* Et ὑποτίλλειν. Ita Theodorus vertit locum Theophr. II. de iis quæ oriuntur e terra: in quo auctor usus fuerat hoc suo verbo. Differit autem illic de cultu vitium: quas, cum incipiunt nigrescere botryones, tradit quosdam affirmare non esse tangendas: quod operam nullam agricolæ requirunt, nisi tum, cum totæ nigræ redditæ fuerint: etsi non desunt, qui ne tum quidem velint eas ullo pacto colendas, tantumque posse eo tempore evelli herbam. Verba ultima Græci scriptoris sunt: πλὴν ὅσον ὑποτίλαι τὴν βοτάνην. Theodorus inquit, cum hoc exprimeret: *nisi quod runcandum sit.* Victor. Var. Lect. XXXVI. 8. Bud. in Pandect. p. 168. H. Voss. Lex. Etymol. in Runcina.

RUNCATOR vocatur, qui inutiles herbas manu sua evellit. Colum. II. 13. *Tritici modii quatuor, vel quinque bubulcorum operas occupant quatuor, runcatoris unam.* Pignor. de Serv. p. 516. Popm. de Instrum. fund. c. 3.

RUNCINA erat dea, cui cura erat *runcandi*. Augustin. de Civit. Dei IV. 8. *Præfecerunt ergo cum runcantur, id est, a terra auferuntur, deam Runcinam.* Voss. Lex. Etymol. de Idolol. V. 47. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 151. Gyrald. Synt. deor. c. 1. p. 41. E. Stuck. de Sacrif. p. 35. Blond. Triump. Rom. I. p. 12. H.

Runcina est major serra, qua fabri materiarii secant arborum [illegible] subjectis canteriis, qui a rusticis fere nominantur caballi, quia ipsos equos, ut notum est, canterios vocamus. Unde Plautus verbum *deruncinare* usurpat, quasi pro dissipare, & dissecare. *Hermolaus in Glossem. Plin. Turneb. Adv.* XIV. [illegible] VII. 4. Sed hi falluntur. Est enim instrumentum, quo ligna aspera levigantur. Indicat hoc Plin. XVI. 42. *Firmissima ad tectum abies. Eadem valvarum repagulis, & ad intestina opera aptissima, sive Græco, sive Campano, sive Siculo fabricæ artis genere spectabilis, ramentorum crinibus pampinato semper orbe sese volvens ad incitatos runcinarum rapus.* Et Arnob. VI. p. 200. *Simulacra ista, quæ vos terrent, runcinarum levigata de planis.* Quare & deruncinare non est dolare, sed radere: ut cum Plaut. Capt. III. 4. 108. ait:

Ego deruncinatus, deartuatus sum miser.

Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XX. 28.

RUP.

RUPES Tarpeja infimis monstratur hodieque in australi vertice montis Capitolini, vasta & confragosa, cujus tanta erat altitudo, ut etiam secure aspicientibus horrenda esset. Illam describit eleganter Seneca mox laudandus.

dus. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 10. §. 9. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 13. *Sichterman. de Pœn. milit. c.* 7. *Rycq. de Capitol. c.* 3. Centum gradibus adibatur. Tacit. Hiſt. III. 71. 4. *Tum diverſos Capitolii aditus invadunt, juxta lucum aſyli, & qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur.* Ubi hi *centum gradus* ad *rupem Tarpejam* deſcendentes fuerint, de quibus inter eruditos diſceptatur, facile inveniemus, inventa primum ipſa *rupe*. *Rupes Tarpeja*, ſeu *ſaxum Tarpejum*, ſive *ſaxum Carmentæ*, his enim nominibus inſignitur, ea pars montis Capitolini dicta eſt, quæ naturali præcipitio portæ Carmentali, & areæ Montanaræ imminebat: unde capitis damnatos præcipitari ſolitos conſtat. Deſcribit eam clariſſime Plutarch. in Camill. p. 141. E. & Liv. v. 46. ubi animoſum Pontii Cominii facinus exſequitur, qui, *qua proximum fuit a ripa per præruptum, eoque neglectum hoſtium cuſtodia ſaxum, in Capitolium evadit.* Hujus ſaxi hodie, nec vola, nec veſtigium, quod ajunt, ſupereſt. Hinc conſiderata *rupe* centum gradus, qui poſtea illic facti ſunt, ſine dubio nullis flexibus, & gyris, ſerpentinum in morem ad faſtigium *rupis* duxere: nam ſic multum laboris in excidendis prærupti ſaxi obſtantibus eminentiis exhauſtum fuiſſet, verum recto tramite, nonnunquam tamen rotundiore, prout ipſum ferebat ſaxum, ſuperata *rupes* eſt. Unde quod ſummitas ejus, ſeu faſtigium ad aream Montanaram ad perpendiculum aſſurrexerit, medio circiter foro initium aſcenſus fuiſſe conſequitur, ubi ædes fuit Concordiæ. Quare nemini mirum videri debet, uti Donato de Urb. Rom. II. 5. viſum eſt, de iiſdem centum gradibus, & non de aliis, locutum Ovid. Faſt. I. 637.

> *Candida te niveo poſuit lux proxima templo,*
> *Qua fert ſublimes alta Moneta gradus.*
> *Nunc bene proſpicies Latiam Concordia turbam.*

Donatus hic exiſtimat ædem Concordiæ ab Ovidio deſcriptam in principio graduum Monetæ, non illud antiquum a Camillo inter Capitolium & Forum dedicatum eſſe templum, verum aliud a Tiberio conditum in arce Tarpeja non procul a Junone Moneta, de qua dicit loqui Suet. Tib. c. 20. n. 4. *Dedicavit & Concordiæ ædem: itemque Caſtoris & Pollucis.* . . . Dion. LVI. p. 586. B. *Fanum Concordiæ ſibi parari juſſit, ut ſuo id & Druſi nomine inſcriberet.* Quoniam vero verſus hi Ovidiani de veteri Camilli æde a Tiberio reſtituta agere videntur n. 641.

> *Furius antiquam populi ſuperator Etruſci*
> *Voverat, & voti ſolverat ille fidem,*
> *Cauſa, quod a patribus ſumptis ſeceſſerat armis*
> *Vulgus, & ipſa ſuas Roma timebat opes.*
> *Cauſa recens melior; ſparſos Germania crines*
> *Porrigit auſpiciis, dux venerande, tuis.* . . .

Hoc ipſe ita interpretatur: uti Camillus veterem Concordiæ ædem ob ſeceſſionem plebis conſtruxerat, ita Tiberium aliam voviſſe ob pacatam Germaniam, de qua nunc ſermo eſt. Interpretatio hæc, fateor, ingenioſa eſt, verum minus apta, nec ſatis verbis Ovidii conveniens. Poeta namque a Furio ædem dedicatam narrat n. 641. Tum rationem addit n. 643. tandem ſubjicit n. 645. Aperte hic recentiorem cauſam adfert, & meliorem reſtitutæ ædis in pulcriorem ſpeciem: cujus ita die eo feſtum canebat:

> *Qua fert ſublimes alta Moneta gradus.*

Quo verſu maniſeſtiſſime ædem Furii Camilli denotat. Verum magis adhuc id patet ex n. 639. Ubi ædem iſtam Foro imminere indicat, & non in arce muris clauſa exiſtere, unde nullus in multitudinem forenſem foret proſpectus. Adde quod in arce ædes Concordiæ ante a M. & C. Attiliis duumviris dedicata fuerit, quam L. Manlius prætor voverat. Liv. XXII. 33. *In religionem venit ædem Concordiæ, quam per ſeditionem militarem biennio ante L. Manlius prætor in Gallia voviſſet, locatam ad id tempus non eſſe. Itaque duumviri ad eam rem creati ædem in arce faciendam locaverunt.* XXVI. 23. *In æde Concordiæ Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta, decuſſaque ad Victorias, quæ in arce fixæ erant, hæſit.* Quæ de eadem, de qua antea, æde accipienda nemo non videt. Jam vero in eadem arce poſtea ſtructam eſſe a Tiberio ædem novam Concordiæ, non modo nuſquam legitur; verum, ne ejuſdem numinis templorum numerus temere augeatur, abſque aliquo certo argumento, nec dicendum quidem, aut aſſerendum mihi videtur. Interim ſufficiat nobis, Ovidium reſtitutam a Tiberio Concordiæ ædem, non illam in arce, ſed hanc Camilli, inter Capitolium, & Forum indicaſſe. Quæ quidem ſententia eo probabilior eſt, quod ob recepta Vari ſigna a Germanis Tiberio arcus ad illud ipſum Concordiæ templum erectus fuerit, quod ipſe ob pacatos Germanos inſtauraverat. Adhæc Donatus & illis Ciceronis utitur pro dom c. 38. *Ergo M. Manlii domum everſam duobus lucis conveſtitam videtis.* Hoſce duos lucos Intermontium eſſe dicit aſyli, ubi nunc ſtatua equeſtris eſt M. Aurelii: cujus quoniam humilior ſitus culmini arcis, in quo templum Monetæ fuit, non reſpondet: templum quidem in ſumma *rupe* fuiſſe dicit, verum prope Intermontium, nempe ad palatium hodiernum Conſervatorum: ubi vero duo iſti luci fuerunt, illic gradus incepiſſe. At quæ illa locutionis Tullianæ ratio fuiſſet, domum eam *duobus lucis conveſtitam* dicentis, ſolummodo ea de cauſa, quod graduum illic prope eos initium eſſet, qui non magno inde intervallo finirentur. Verum, quod huic ſententiæ ejus plane refutandæ ſufficit, non poterat templum Monetæ ad Intermontium eſſe, quia ex voto Camilli factum fuit in loco, in quo domus Manlii fuerat, ad ſaxum Carmentæ. *Luci* vero illi *duo domum illam conveſtientes* multo aptius de luco exponi ipſius Monetæ poſſunt, qui pro more templo conjunctus fuit: atque iterum de altero alicujus alterius numinis contigui luco, cujuſmodi lucum Bellonæ illic fuiſſe accepimus, vel potius Concordiæ ædes, a L. Manlio ex voto dedicata, in arce inter duos lucos poſita fuit. Quare audacter pronuntiare auſim, centum gradibus ad *rupem Tarpejam* aſcenſum, & per gradus, ſecundum Ovidium, ab æde Concordiæ itum ad templum Monetæ: quia vero templum Monetæ in *rupe* Tarpeja erat, per eoſdem centum gradus & ad *rupem*, & ad templum Monetæ aſcenſum. Adde, quod e planitie in ſummam *rupem* centum gradus non ſuffeciſſent; quemadmodum nec hodie, licet in tantam altitudinem ruinis ædium exaggerato ſolo, vix centum viginti gradus in aſcenſum ad templum aræ cœli ſufficiant. Ergo non in infima Fori planitie initium graduum ſtatuendum eſt, verum in editiore aliqua ejus parte, ubi & ſubſtructiones erant inchoatæ: adeoque veriſimillime poſt templum Concordiæ, quod elatiore Fori parte eminebat. Res perquam abſurda Donato videtur, exiſtimare, cum templum Monetæ XXIV. poſt ſubſtructiones illas annis ſtructum ſit, eaſdem ſubſtructiones, ut gradibus templi locum facerent, interſciſſas fuiſſe, munitionemque arcis per graduum interruptionem debilitatam, corruptamque. Verum quis nobis tum demum gradus iſtos factos dicet, & non ante templum exſtructos? quis in uſum templi Monetæ? Quoniam vero illi iidem centum eſſe a Donato conceduntur, quod prius incredibile videbatur, jam ſit manifeſtum, conſequiturque centum gradus ſimul cum ipſis ſubſtructionibus fuiſſe ædificatos, ad muniendum eo magis illud arcis latus, quum in his præcipitii obſervata ſit difficultas, adeoque difficilior hinc in arcem, quam ex aliis partibus aſcenſus fuerit: ſic ut jure merito velut anguſtæ, artæque munimentorum ſcalæ exiſtimari debeant. Et hinc illum præ cæteris Vitelliani difficillimum aſcenſum eſſe experiundo didicere. Hi vero gradus ideo etiam gradus Monetæ dicti ſunt, quod hujus deæ templum ad eorum extremum poſitum eſſet. Porro Donatus gradus hoſce centum non continuos fuiſſe cenſet, verum interſtitia fuiſſe ad conſiſtendum, recipiendamque animam: uti nunc in illis D. Petri, & aræ cœli factum eſt. Quæ ſententia, ut verum fatear, perquam mihi probabilis ſemper viſa eſt. *Nardin. Rom. Vet.* V. 11. Huc veteres Romani ſontes, & criminis damnatos ducebant, & de illa præcipitabant.

bant. Primi mortalium Hebræi nocentes ex alto deturbaverunt: Jehu Jezabelem feminam impiam 2 Reg. c. 9. n. 33. Amazia filiorum Seir captiva decem millia 2 Chronic. c. 25. n. 12. Plura in Græcorum annalibus exempla. Ita Astyanax Hectoris ab Ulysse, Theseus a Lycomede, Daphitas sophistes ab Attalo Rege, Æsopus fabulator a Delphensibus, & Aristodemus quidam Paterculus a Cenfurino Ægestanorum tyranno e sublimi deturbati. E vorum etiam sanctio fuit teste Pausan. Eliac. 1. p. 153. *de Typæo saxo feminas eas dejiciendi, quæ ad Olympia penetrassent; aut Alpheum amnem diebus nefastis transmisissent.* Morem dicerem cum primis legum tabulis e Græcia Romam advectum, nisi obstaret auctoritas Festi, qui L. Tarpejum a Romulo sic punitum tradidit; aut etiam Dionys. VIII. p. 546. qui Sp. Cassium consulem circa an. 268. *majestatis damnatum, & a quæstoribus saxo dejectum* scribit, *vulgari tum apud Romanos supplicio:* multis scilicet ante leges e Græcia allatas annis, ut quas Decemviri an. 303. primum Romæ promulgarint. Ad antiquissimum hoc supplicii genus spectare videtur illud Plaut. Trin. II. 1. 30.

--- qui in amorem
Præcipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat.

& istud Lucret. III. 1028.

--- scelerisque luella
Carcer, & horribilis de saxo jactu' deorsum.

Vere horribilis Romæ, & e loco horribili: quem egregie describit Senec. Controv. 1. 3. *Stat moles abscissa in profundum, frequentibus exasperata saxis, quæ aut elidant corpus, aut de integro gravius impellant: inhorrent scopulis enascentibus latera, & immensæ altitudinis triste aspectus; electus potissimum locus, ne damnati sæpius dejiciantur.* Nec abludit illa Siliana verbis Annibalis II. 33.

Tarpejos iterum scopulos, præruptaque saxa
Scandatis licet, & celsam migretis in arcem.

Cujus profunditatem ut hodie minuisse aliquid fatear crebris ædificiorum ruinis plana Urbis sensim attollentibus; tamen si quis curioso oculo, quod sæpe ipsemet feci, totam rupem consideraverit; fateatur necesse est, ne nunc quidem impulso homini ruinam inde nisi letalem futuram. Hoc supplicii genere plectebantur tam servi, quam liberi. Ita habetur in XII. *Servos. manifesto. furto. prehensos. verberibus. afficito. &. e. saxo. præcipitato.* &, *Falsus. testis. saxo. Tarpejo. dejicitur.* Gell. XX. 1. *An putas Favorine, si non illa etiam ex XII. tabulis de testimoniis falsis pœna abolevisset: & si nunc quoque, ut antea, qui falsum testimonium dixisse convictus esset, de saxo Tarpejo dejiceretur.* Unde mirum est quid Appiano in mentem venerit, qui Bell. civ. III. *liberis tantum hominibus* tale supplicii genus putat esse constitutum. Ex omni sontium genere maxime hic sistebantur perduellionis & læsæ majestatis rei. Unde Mamert. in Pa. eg. Juliani de suis loquens: *Mutto veteres, qui saxo præcipites dati.* Talis fuit Sp. ille Cassius, cujus mentionem jam fecimus, e Capitolio dejectus: & M. ille Manlius, a servato Capitolio Capitolinus dictus, cui *locus idem & eximiæ gloriæ monumentum, & pœnæ ultimæ fuit.* Liv. VI. 20. Sext. Licinius, Ælius Saturninus, aliique. Proditores Cicer. Rhet. IV. 8. *Vestor vos animus amantissimus Reipublicæ facile edocet, ut eum qui fortunas omnium voluerit prodere, præcipitem deturbetis ex ea civitate, quam ipse spurcissimorum hostium dominatu nefario voluerit obruere.* Senec. de Ira 1. 16. *Et cum Tarpejo proditorem; hostemve publicum imponam.* Facti hujus notissimum exemplum in servo P. Sulpicii tribuni plebis apud Oros. V. 19. & Plutarch. Sylla p. 457. E. quem cum Syllana proscriptione dominum in villa latitantem magistratibus indicasset, *quod hostem indicaverat, manumitti: quod vero dominum prodiderat, de saxo Tarpejo dejici consules decreverunt.* Transfugæ. Liv. XXIV. *Recepti perfugæ* Samnites 360. *quos cum Romam misisset consul* Q. Fabius Maximus, *virgis in comitio cæsi, ac de saxo dejecti.* Obsides fugitivi. Liv. XXV. 7. *Obsides Tarentini* a Philea Tarentino, *primis tenebris, æditus corruptis, deducti in comitio, virgisque approbante populo cæsi, de saxo dejiciuntur.* Incestuosi. Tacit. Annal. VI. 19. 1. *Post quos Sex. Marius Hispaniarum ditissimus defertur incestasse filiam, & saxo Tarpejo dejicitur.* Eoque facere videtur nobilis illa apud Senec. 1. 7. controversia sub themate: *Incesta de saxo:* in qua virgo Vestalis incesti damnata & de saxo præcipitata evasisse fingitur, mire quæ disertissimorum rhetorum coloribus exagitatur. Viri nos negligentes. Liv. V. 47. *Q. Sulpicius tribunus plebis vigilem, in quem Gallica Capitolii ascendentes culpam conferebant, approbantibus cunctis de saxo dejecit.* Videtur inde in usu Romæ permansisse, ut homines nequam, aut flagitiosi *deturbati saxo* vocarentur. Apparet ex fragmento Nævii apud Festum in Quisquiliæ:

Abi deturbate saxo, homo non quisquiliæ.

Hoc supplicium post leges Porciam & Valeriam frequentari desiit Romæ, ac paullatim obsolevit: adeo ut *nemo possit quem ita damnari, ut de saxo præcipitetur,* responderit l. ult. ff. de Pœn. *Faber Semest.* 1. 18. *Rycq. ibid.* c. 4. *Sichterman. l. l. Kipping. Antiq. Roman.* II. 7. §. 6.

RUS.

RUSTIA gens. V. illam supr. in *Gen.*

RUSTICI, a quibus ludi scenici profecti sunt, per dies festos in honorem deorum cum ad tibias sine arte saltarent, & ab ortu in occasum, ab occasu in ortum ultro citroque in chori formam moverentur, incondita carmina canebant, aut in pratis bene poti, & fecibus inuncti in utres insiliebant, ludosque cernui sibi faciebant. Sic enim Varr. de vit. pop. Rom. 1. Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibique cernuabant. A quo ille versus vetus est in carmine:

Sibi pastores ludos faciunt cernui Consualia.

Virg. Georg. II. 381.

Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Thesidæ posuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saliere per utres.

Idem minio vultus obliti choros ducere instituerunt. Tib. II. 1. 55. V. supr. in *Minium.* Imo & certis pedibus omnium primi cantilenas suas adstrinxerunt, alternisque canentes per eam ludorum licentiam fescennina dicta jacere cœperunt. Tib. ibid. n. 51.

Agricola assiduo primum lassatus aratro,
Cantavit certo rustica verba pede.

Horat. Epist. II. 1. 145.

Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus incomptis opprobria rustica fudit.

Hæc verba præmiserat n. 140.

Agricolæ prisci fortes, parvoque beati
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus & ipsum animum.

Sive in compito ludi fierent, sive in pratis. Calpurn. Bucol. IV. 125.

Ut quoque turba suo plaudat signata magistro,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

In Attica res primum usurpata, auctore Virgilio, & ab agris in urbem traducta. Cassiod. Var. IV. 51. *Cum agricultores feriatis diebus sacra diversis numinibus per lucos, vicosque celebrarent, Athenienses primum agreste principium in urbanum spectaculum collegerunt, theatrum Græco vocabulo visorum nominantes, quod eminus a stantibus turba conveniens sine aliquo impedimento videatur.* Buleng. de Theatr. 1. 1. Dormientes non excitantur tubæ sono, ut milites. Hoc inter commoda illorum ponit Horat. Epod. II. 5.

Nec excitatur classico miles truci.

Neque prætermisit Cicero; sed id inter Jurisperitos, & militares viros etiam interesse dixit. Sulpicium enim cum Muræna comparans, *Te,* inquit pro Mur. c. 9. *gallorum; illum buccinarum cantus exsuscitat.* Sed & ante eos quidam vetus poeta Græcus id dixerat, *eos qui in pace dormirent, non tubarum clangore, sed gallinaceorum cantu a somno excitari.*

tari. Ejus verba hæc leguntur apud Plutarch. in Nicia p. 529. A. *Muret. Var. Lect.* xvi. 18. Meliores ſunt milites quam urbani. V. ſupr. in *Milites.*

RUT.

RUTA, *cæſa*, quæ neque ædium, neque fundi eſſent, a venditore ſere recipiebantur. Ulpian. l. fundi. §. ſi ruta ff. de action. empt. *Si ruta & cæſa excipiantur.* Cicer. Topic. c. 26. *Feci, quod ſæpe liberales venditores ſolent, ut cum ædes, fundumve vendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen ut pati emptori, quod ornandi cauſa apte, & loco poſitum eſſe videatur.* Partit. c. 31. *Aut cum ex lege prædii quæritur quæ ſint ruta cæſa.* de Orat. II. 55. *Sed docet te, cum ædes paternas venderes, ne in rutis quidem, & cæſis ſolium paternum recepiſſe.* Briſſon. de Formul. vi. p. 500. Bud. in Pandect. p. 163. I. Beroal. Annot. c. 62. Broid. Coroll. ad Polcet. Fer. Rom. I. 6. Menag. Amœn. jur. civil. c. 39.

RUTABULUM eſt inſtrumentum, cujus uſus piſtoribus in proruendo igni, panis coquendi gratia. Feſtus: *Rutabulum a promendo igne vocatum, quo panes coquuntur.* Voſſ. Lex. Etymol. Popm. de Inſtrum. fundi c. 19. Turneb. Adv. vii. 22. Grapald. de Part. dom. II. 4. §. 27. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. xxiii. 13. Hering. de Molend. q. 4. §. 67.

RUTELLUM, licet diminutivæ ſit formæ, eſt diverſum a *rutro.* Nam lignum eſt, quo cumulus menſuræ deruitur. Lucill. apud Non. I. 66. V. illum ſupr. in *Frumentarius.* Salmaſ. Exerc. Plin. p. 365. b. A.

RUTILUS fuit cognomen Marciorum. Illorum I. fuit C. Marcius L. F. C. N. *Rutilus*, qui in primo conſulatu, quem cum Cn. Manlio Imperioſo II. geſſit an. 396. de Privernatibus triumphavit Kal. Jan. & anno proximo de Tuſcis pridie Nonas Maji dictator. Quarto poſtea anno iterum conſul fuit cum P. Valerio Potito Poplicola. Anno vertente cenſor cum Cn. Manlio Imperioſo, luſtrum fecerunt ſecundum & vigeſimum. Tertium conſul fuit an. 409. cum T. Manlio Torquato II. & cum Q. Servilio Ahala quartum conſul, uno anno interjecto honoribus vacuo. II. C. Rutilus, hujus filius, qui cum Q. Fabio Maximo Rulliano iterum an. 443. conſul fuit. Cenſuram priorem geſſit poſt annos ſedecim cum P. Cornelio Arvina, luſtrum fecerunt trigeſimum. Iterum cenſor poſt annos novem & viginti, hoc eſt an. 488. cum Cn. Cornelio Blaſione, luſtrumque fecerunt quintum & trigeſimum. Tunc Cenſorini nomen accepit, quod poſteris quoque acceſſit. V. ſupr. in *Cenſorinus.* III. L. Marcius C. F. C. N. Cenſorinus Manii Manilii in conſulatu collega anno belli Punici tertii primo, hoc eſt, anno Urbis 604. biennio poſt cenſor fuit cum L. Cornelio Lentulo Lupo, luſtrum fecerunt ſextum & quinquageſimum. Hunc nepotem, aut pronepotem ſuperioris fuiſſe credimus. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Marcia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 583.

RUTRUM ligneum in ima parte cavum & patens, quo terra, arenave corruitur in cumulum, aut calx, vel lutum ſubigitur, aut fruges conjiciuntur in modium. *Popm. de Inſtrum. fundi c.* 8. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 1. *Turneb. Adv.* viii. 6. Varr. de Ling. Lat. iv. 31. *Rutrum, ut ruitrum, a ruendo.* Apud quem ſignificat, quod Græce κρώπιον. Varr. apud Non. I. 66. *Rutro caput diſplanavit.* Imitatus eſt Pherecydem, qui dixerat de Codro apud Polluc. x. 29. τῷ κρωπίῳ παίσας ἀπέκτεινε. *Scalig. Conject. p.* 58. Qui male. Nam Pherecydes ibi Codrum inducit ruſtici habitu lignatum euntis. Pollux: *quod ad ſarmentorum collectionem exiverit ruſtico habitu ne agnoſceretur.* Κρώπιον eſt ſecuris, vel falx potius lignaria. Heſychius interpretatur κρώπιον δρέπανον, & alibi κρόπιον ἀξίνην δίςομον. At *rutrum* eſt σκάφιον, vel σκαπάνη. Hinc *rutra* a raſtris ſecernit Cato, quæ perperam hodie confunduntur. Pompon. apud Non. l. l.

Sarculum hinc illo profectus, illinc rediiſti rutrum.

Elegans verſiculus de homine ἀπροκόπῳ, & cui res retro currunt. Cum hinc profectus es, ſegetes tuæ jam in herba erant, & ſarculum ſpectabant: cum illinc rediiſti, ad *rutrum* tibi res rediit, & ad carceres revocatus es, cum prope metam jam eſſes. Nam *rutro* terram vertere primum eſt: tum ſementem jacere, deinde occare, poſtea ſarrire. *Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 365. *a. F. Voſſ. Lex. Etymol.* Feſtus: *Rutrum tenentis juvenis eſt effigies in Capitolio ephebi more Græcorum arenam ruentis exercitationis gratia: quod ſignum Pompejus Bithynicus ex Bithynia ſupellectilis regiæ Romam deportavit.* Hoc genus exercitationis Græcorum ephebcrum videtur reſpicere Theocr. Eidyll. iv. 10.

Et abit hac ligonem ferens, atque viginti hinc oves.

Ubi Schol. *Scapane ligo, ſive liſgarium, ſive rutrum, quod Attici amen dicunt. His enim utebantur athletæ pro exercitio rutro fodientes ad firmandum robur.* Exiſtimo hoc exercitationis genus præludium fuiſſe graviorum certaminum, propter quæ victores coronabantur. *Herub. Lect. Theocrit. c.* 3. *Dacer. in Feſtum. Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* xxiii. 13. Sed Feſtus de athletis, aut in gymnaſio ſe exercentibus diſerte non loquitur, & ephebcrum duntaxat, moriſque Græcorum mentionem facit. Et, ſi hoc eſſet, quod ex Scholiaſte Theocriti afferunt, non uſque adeo alienum ab athletis laborem, aut opus, τὸ σκάπτειν Galenus Græci moris vetuſti profecto non ignarus eſſe duxiſſet: quem tamen hoc προτρεπτικῷ λόγῳ πρὸς τὰς τέχνας fol. 5. lin. 6. ſcribere nemo inficias iturus eſt mihi: quo loco athleticum robur tum ad cæteras res omnes inutile, atque incommodum eſſe ſignificat, tum etiam operi ruſtico faciendo, quod foſſores, atque meſſores aſſolent. Amen ut vaſis quoque nomen fuiſſe apud veteres memoria repeto; ſic & ſcapanes vocabulum Theocriticum de vaſe paſtoritio quopiam, quo excipi lac ſoleret, interpretari malim. *Faber Agoniſt.* II. 8. Etiam *rutrum* portabant Romani pedites in bellum profecturi. V. ſupr. in *Milites.*

Rutrum erat præterea hoſtorium, quod Græce ῥοχανον, hoc eſt lignum id, quo in modio acervum diradebant, & adæquabant. *Ruere* enim eſt modio cumulum adæquare. Cicer. Attic. xvi. 11. *De laudibus Dolabellæ deruam cumulum.* Voſſ. Lex. Etymol. Scalig. Conject. in Varr. p. 58. Salmaſ. in Vopiſc. Prob. c. 19. Lucill. Satyr. ejuſmodi inſtrumentum vocat *rutellum.* V. illum ſupr. in *Frumentarius* & in *Rutellum.* Non ſatis memini, an apud veterum quemquam de hoſtorio legerim. *Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* xxiii. 13.

RUTULUS vocatur caveæ repagulum verſatile. Calpurn. Bucol. vii. 48.

— nec non ubi finis arenæ
Proxima, marmoreo peragit ſpectacula muro,
Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis,
Et coit in rutulum tereti qui lubricus axe
Impoſitos ſubita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras.

Sic cardinem caveæ *rutulum*, vel *rutlum* vocatum eſſe oſtendit optimus auctor gloſſarum, qui ita ſcribit: *rutulus*, ςροφεὺς γαλεάγρας, καὶ ἀποψήκτιον. Vulgo *ruplus* legitur mendoſe, *rutlus* autem pro *rutulus*: ut circlus pro circulus, vitlus pro vitulus. P. & t ſæpe invicem permutantur. Quod autem auctor ille pervetus gloſſarii *ruplum* etiam interpretatus eſt ἀποψήκτιον, hoc nobis ad veram lectionem divinandam præivit, quæ eſt *rutlus*, nam ἀποψήκτιον ſignificat regulam ligneam, qua cumulum menſuræ frumentarii ruebant, vel deruebant, & exæquabant. Latini veteres *rutrum*, & *rutellum* dixerunt. Ἀποψήκτιον autem ἀπὸ τοῦ ἀποψήχειν, quod deradere, & explanare ſignificat: hinc ψηκτὸς, modius raſus exponitur in gloſſis. *Ruter*, & *rutrum* dicebatur, ut arater, & aratrum. A *ruter* diminutiva *rutulus*, & *rutellus*. Hinc *rutlus* in gloſſis pro *rutulus*. Et *rutlus* eſt ἀποψήκτιον. Ad ſimilitudinem autem earum regularum, quibus modii radebantur, repagula quoque verſatilia, & cardines cavearum *rutlos*, vel *rutulos* appellarunt. *Salmaſ. in Vopiſc. Prob. c.* 19. *Exerc. Plin. p.* 167. *a. B.*

S.

S finale interceptum, more veteris scripturæ, præferunt antiqui denarii, in quibus occurrunt *Albinu*, *Liciniu*, *Nasidiu*, & præterea in nummo coloniæ Romanæ in Sicilia *Assoru* pro *Albinius*, *Licinius*, *Nasidius*, *Assorus*. Spanhem. Dissert. II. de Præst. numism. p. 80. Interdum vocibus præponitur, *stlatam* enim pro *latam*, *stlocum* pro *locum*, *stlitem* pro *litem*, *stritavum* pro *tritavum*, & *strenam* per μετάθεσιν, & πρόσθεσιν pro *ternam* dixerunt veteres. *Lipen. de Stren. c.* I. §. I. Imo, quia detrahendi vim habet, Græcis vocibus, ut illarum significationem minuat, adjicitur. Καρπὸς significat cavum manus, sive volam. Hinc Ἔυκαρποι sive *Carpi* dicti sunt, qui nullum in ea detrimentum passi fuerunt. Utriusque cognominis exempla in inscriptionibus inveniuntur:

L. SILIUS. CARPUS
M. FABIUS. CARPUS
L. CORNELIUS. CARPUS
&
D. M
CN. POMPEJO. EUCARPO
CN. POMPEJUS. ZMARAGDUS
PATRONO. OPTIMO

Et *Scarpi* cognomen Papiriæ gentis ductum est a Græca illa voce, quod qui primus illo usus est, aliqua in ea manus parte, quæ καρπὸς dicitur, vel a natura, vel a fortuna labem acceperit. *Ursin. de Famil. Roman. in Pinaria.* Ante literas M. aut N interseritur. Festus: *Dusmosum locum apud Livium* Andronicum *significat dumosum locum: antiqui enim interserebant S literam, & dicebant cosmittere pro committere, & Casmenæ pro Camenæ.* Item: *Pæsnas pro pennas antiqui dicebant, & Pœsnis pro Pœnis.* In columna rostrata *Septemresmosque*, *Quinresmosque*, *Triresmosque* pro *septemremosque*, *quinremosque*, *triremosque*. Ciaccon. in Column. rostrat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1826. D. Habet silentii notam, quando taciturnitatem impetrare cupientes lingua sonum ejusmodi, velut sibilum, efformamus: quæ & ab hoc ipso Græce sigma creditur appellata, παρὰ τὸ σίζειν. Veteres tamen Latini S. & T. simul agglutinantes effingebant *ST* syllabam, quæ sola sine vocali compacta videtur, ut inquit Verrius. Cujus verba subtexo: *Inventi sunt, qui & sine vocali putant posse syllabam fieri. Nam animadvertimus apud Comicos, S. & T. pariter scriptas literas, ut apud Terent. Phorm.* V. I. 15.

> —— SO. *Quid? non obsecro es,*
> *Quem semper te esse dictitasti?* CH. *st.* SO. *Quid? has metuis fores?*

Hoc S & T pariter renuntiat silentium. Plaut. Pseud. II. 2. 5.

> —— PS. *St, tace, tace,*
> *Meus hic est homo, ni omnes dii atque homines deserunt.*

Idem Pœn. III. 2. 32.

> CO. *St! tace.* AD. *Quid est?* CO. *Fores hæ fecerunt magnum flagitium modo.*

Rhodig. Art. Lect. XII. 18. Pius Annot. post. c. 4. Palmer. Spic. X. p. 781. XV. p. 885. Ursat. de Not. Rom Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 950. D. 969. B. Pier. Hierogl. XXXVI. 13. Januis illices, ut sic dixerim, Inscriptiones addebant, & foribus tricliniorum, & cœnaculorum eam appingebant, ut ea nota silentium indiceretur convivis, cum multa inter bibendum soleant hoenus effutiri. *Rhodig. l. l. Schill Nomencl. Philol.* p. 993. Verum hos autumem falsos, siquidem Sophrona & Chremes, cum locus bene examinetur, non erant in ædibus, sed quasi in platea, adeoque id de foribus triclinii non poterat prædicari. Secundo non dixit, *quid has metuis fores?* respiciens ad inscriptas literas, quid inde namque mali? verum e contrario ad homines intus degentes, qui eorum poterant audire sermones: ideo enim præmiserat n. 14.

> *Concede huc a foribus paullulum istorsum sodes Sophrona.*

quasi diceret, huc accede paullulum, ne januarum nos audiant custodes, & causam recessus reddens subjungit n. 16.

> *Conclusam hic habeo uxorem sævam.*

Quid? si concedamus hæc ita se habere, unde igitur *st* sint, quid velint, quid indicent hæ literæ non exponunt. Mihi autem, si conjecturæ locus est, videntur hæ literæ S. T. inscriptæ fuisse foribus, ut in monumentis V. S. atque ut in notis juridicis, *sine testibus*, *vel sententia*, *vel statutum*, ita hic, *sed tace*, vel *sit tacite*, vel *silentium tene*, quomodo Poetæ passim loquuntur, ut Ovid. Met. I. 206.

> —— *tenuere silentia cuncti.*

indicasse. Quod non tam ad sermones convivales referri velim, quam ad deos liminares, & januis affixos, quos silentio venerationis causa transibant. Cum vero literæ majusculæ, & punctis disjunctæ primo scriberentur, postea inscitia librariorum, sublatis punctis, in unam quasi syllabam coaluerunt. Erant itaque antiqui adeo superstitiosi, ut, quum januas diis consecratas haberent, eas silentio transirent, ne numina violare viderentur. Ritum hunc nuspiam hactenus, quod equidem sciam, legi, quam apud Porphyr. de antr. nymph. p. 266. Edit. Cantabrig. 1655. *Ideoque nec ad alias fores quocunque demum tempore loqui fas erat: quasi sacræ sint fores. Atque eam ob causam Pythagorei, & Ægyptiorum sapientes prohibebant, ne quis fores, vel portas transiens loqueretur: deum universi principium silentio venerantes.* Almelov. Conject. p. 152.

S, si sequatur nomina propria, servam, vel servum denotabat, exempli causa AUG. N. S. *Augusti nostri servus*, & similia. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 949. *F.*

S & C subinde commutabantur. Inde *Gennciu Genusii*, *Volusci Volusii*, *Centii Sentii*, *Cicero Cæsaris*. Reines. Inscript. Class. I. n. 75. V. & supr. in *C.*

S & G literæ figura, & pronuntiatione cognatæ commutabantur. Hinc *Magirnum* pro *Masurio*, *Maginio* dederunt descriptores. *Reines. Inscript. C.* ſſ. II. *n.* 24.

S in veteri Romanorum scriptura vicem *R* occupavit, ut narrant veteres grammatici: unde *Valesii*, *Fusii*, aliique id genus olim dicti, qui *Valerii*, & *Veturii* postea nuncupati. *Spanhem. Dissert.* II. *de Præst. numism. p.* 60. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 81. *a. C. Palmer. Spicil.* XI. *p.* 798. *Leon. de Manum. serv.* I. 4. §. 22. *Gutberleth. de Saliis c.* & 25. 21.

S & X sæpe confudit posterior librariorum natio, & *luxu* pro *lusu*, aliaque id genus non semel in optimis auctoribus obtrusit. Ita in nummo familiæ Sestiæ *Sextius*, & lapidibus *milex*, *tigrix* exhibentur. *Spanhem. Dissert.* II. *de Præst. numism. p.* 79. *Palmer. Spicil.* XIV. *p.* 861.

S literam in media voce, vel in fine, literam X scribentes eidem subjecerunt viri docti. Ita *paxs* in quatuor nummis æreis Galbæ, Vitellii, Vespasiani, & Domitiani exhibetur: sicut in lapidibus *Cappadoxs*, *felixs*. Eandem quoque jam ante suppeditaverant antiqui denarii apud Ursinum, inscripti *Axsius*, *Alexsandrea*, & *maxsumus* non solum in gente Egnatia, sed etiam in denario gentis Juliæ. *Spanhem. Dissert.* II. *de Præst. numism. p.* 78. *Malvas. Marm. Felsin.* III. 4. Hinc in vetustis inscriptionibus Gruteriani thesauri p. 204. *dixerunt.* 203. *colonias deduxsit* 202. *exsigaturve*, & *faxsit*, ac *maxsume.* 205. 509. 510. 512. *proxsumeis.* 449. *dexsplis* legitur. Et quæ quidem fuerunt Scta ante ævum Augusteum, ac Cicero-

nis tempore in æneis tabulis relata, ut publicus ejus prioris ætatis character habendus videatur. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* IV. *p.* 448.

SS pro Z ponebant, ut hilarissat. Isidor. Orig. I. 4. Sic quoque *pytissare* duobus SS apud Terent. Heaut. III. I. 48. reperitur, ubi Faernus notat in Bembino codice modo unum *S* extare, male; cum Græcis scribatur per *Z pytizo*, ut Antea ad Terentium observat. Sic veteres Latini scribebant *crotalisso*, *malacisso*, pro quibus postea adoptato Z dicebant *crotalizo*, *malacizo*. Cassiod. de Orthogr. p. 2286 *Z in antiquis libris non scripta est, modo non: sed pro illa duæ SS ponebantur, ut crotalizo, crotalisso, malacizo, malacisso, & his similia.* Gutberleth. de Saliis c. 26.

SAB.

SABAJA, sive *sabajum* fuit Illyriorum, sive Illyrum ex frumento potus, a quo Valens Imperator aliquando Sabajarius per injuriam vocabatur. Ammian. XXVI. 8. *Vicensis Nicomediam pergit. Exinde profectus, oppugnationi Chalcedonis magnis viribus insistebat: cujus e muris probra in eum jaciebantur, & injuriose compellabatur ut Sabajarius. Est autem sabaja ex hordeo, vel frumento in liquorem conversis paupertinus in Illyrico potus.* Hieron. in Esaj. IV. 19. *Zythum, quod genus est potionis ex frugibus aquaque confectum, & vulgo in Dalmatiæ, Pannoniæque provinciis gentili, barbaroque sermone appellatur sabajum.* Meibom. de Cerevis. vet. c. II. §. 1... 4. Junius Anim. II. 12. Lindenbr. & Vales. in Ammianum. Dubito annon sit idem potus cum parabia Pæonum, de qua ex Hecatæo in Εὐρώπης περιόδῳ Athen. X. p. 447. D. [illegible]: *Pæones brytum bibunt ex hordeo factum, & parabiam ex milio, & conyza.* Pæones enim, & Illyrii una, eademque gens est. [illegible] III. 9. Sunt [illegible], & commendati inter Illyrios Pæones: conveniunt in eo & brytus, & parabia, quod potus sint frumentacei. Quum tamen tum Ammianus, tum Hieronymus *sabajum* potum dicant esse ex hordeo; Hecatæus vero parabiam diserte a bryto, potumque ex hordeo separet, & potum ex milio, & conyza faciat, uterque potus prorsus unus, idemque esse non potest. Quia vero Illyrios inter Celtas, atque ac Hispani, Galli, & Germani recensentur; Hieronymus etiam *sabajum* nomen barbarum esse [illegible] viri docti id autumant esse a vetere, & communi illarum gentium lingua Celtica, propiusque accedere ad nostram *saufen*, quod est potare. Atque iidem porro Celticum hoc nostram deducunt ex Hebræo *saba*, ingurgitavit se, mero se obruit. Hinc porro Σαβὸς Bacchus apud Thraces, & Phryges: & Σάβοι Bacchi sacerdotes, ut notant Plutarch. Sympos. Probl. V. Harpocration & Hesychius in Lexicis. Hinc itidem est σαβάζειν, idem quod εὐάζειν, βακχάζειν, *furere, bacchari*, ut [illegible], & Sabazius, vel Bacchus ipse, vel Bacchi filius. V. supr. in *Bacchus*. Atque ab his tandem *sabaja*, & nostrum *saufen*. Puto etiam Romanis Celticum hoc nomen non fuisse prorsus incognitum. Juvenalis certe sacerdoti Bonæ deæ, mulieri bibaculæ, nomen dat *Saufejæ* Sat. IX. 116. ubi de servis ait, quod soliti sint libentius dominorum secreta prodere, quam

—— surrepti potare Falerni
Pro populo faciens quantum Saufeja bibebat.

Et quis scit, unde, & ex qua occasione nomen Saufejorum apud Romanos originem traxerit. *Meibom. ibid.* §. 5.... 15.

SABARIA, sive, ut alii scribunt, *Savaria* est oppidum inter Danubium, & Savum flumen. Ibi Constantinus, & Valentinianus aliquot jura scripserunt l. 6. C. Th. de pet. & ultr. dat. l. 15. C. Th. de suscep. & arcar. l. 3. C. Th. de auro coco. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 35. Metropolis superioris Pannoniæ. Ibi provinciæ thesaurus sub præposito thesaurorum *Sabariensium* servabatur. *Panciroll. ibid. c.* 62.

SABATE est lacus Etruriæ non longe a Roma. V. infr. in *Tribus Sabatina*, & supr. in *Aqua Sabatina*.

SABATINA aqua. V. illam supr. in *Aqua*.

Sabatina tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

SABAZIA fuit festum Jovis *Sabazii*: cujus sacris qui initiarentur, iis anguis in sinum immissus per partes inferiores rursum eximebatur. Clem Alexandr. Protrept. p. 11. B. *Miscetur rursus postquam genuisset ille Jupiter Proserpinæ, suæ filiæ, post matrem Cererem. Obliviscens prioris facinoris pater, & corruptor puellæ Jupiter; miscetur que mutatus in draconem, qualis erat deprehensus. Igitur Sabaziorum mysteriorum symbolum initiatis est deus in sinu. Ille autem draco est, traductus per sinum eorum qui consummantur, argumentum incontinentiæ Jovis.* Arnob. V. p. 171. *Ipsa novissime sacra, & ritus initiationis ipsius, quibus Sabazius nomen est, testimonio esse poterunt veritati: in quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus, atque imis.* Alii Bacchi festum putant, *Sabazii* nuncupati, cui pater Caprius fuerit. Cicer. de Nat. deor. III. 23. *Dionysos multos habemus... tertium Caprio patre, eumque Regem Asiæ præfuisse dicunt: cui Sabazia sunt instituta.* In patre variat Diodor. III. p. 148. C. *Dicunt ex Jove, & Proserpina natum esse Bacchum, ab nonnullis nominatum Sabazium; cujus & originem, & sacrificia, & honores nocturnos, absconditosque inducunt propter pudorem ex concubitu exortum.* Meurs. Græc. Feriat. in Σαβάζια. Ortel. Deor. & dear. cap. II. fig. 31. Jonston. de Fest. Græc. I. I. §. 13. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. II. II.

SABAZIUS Bacchus. V. illum supr. in *Bacchus*.

Sabazius Jupiter. V. illum supr. in *Jupiter*.

SABBATA tricesima vocat Horat. Sat. I. 9. 69.

—— sed meliori
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata.

Videntur significare neomeniam, quæ feriæ tricesimo quoque die mensis initio repetunt. Nam Judæorum menses triginta dierum erant, ut menses Atheniensium: ac *sabbatum* pro festo die hic ponitur, ob *sabbati* cultum: & neomeniæ *tricesima sabbata* dicuntur ad discrimen *sabbati* septimi. *Turneb. Adv.* XV. 18. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 33. *Torrent. in Horatium.*

SABINI sunt habiti coloni Lacedæmoniorum. Plutarch. Romul. p. 26. D. *Sabinorum magna gens quidem, & bello bona erat, sed vicatim habitabant sine mœnibus. Nam, quum coloni essent Lacedæmoniorum, merito ingentes animos, & intrepidos gerebant.* Dionys. II. p. 113. *Quin & alia in Sabinorum historiis domesticis extat narratio, Laconicam eo venisse coloniam, quo tempore Lycurgus, tutor sui nepotis Eunomi, Spartanis leges condidit: quarum severitatem pertæsos quosdam, secessione a cæteris facta, urbem prorsus deseruisse: deinde enavigato longo maris tractu, qualiscunque terræ desiderio, votum diis fecisse, quocunque terrarum primum appellerent, id posthac fore sibi domicilium: cumque delati essent ad Pometinos Italiæ campos, agrum, quo primum appulerant, vocasse Feroniam: horum quosdam ex eo loco profectos, sedes cum Sabinis conjunxisse: ideoque multa apud eos esse instituta Laconica, præcipue quantum ad belli studia, frugalitatem, vitæque omnibus in rebus duritiem attinet.* Voss. de Idolol. I. 12. Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom. 30. Meurs. Miscell. Lacon. I. 7. Originem traxerunt a Sancto, sive Sango; nomen a Sabo. Sil. Ital. VIII. 421.

—— & læti pars Sanctum voce canebant
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant
Sabe tuas, qui de proprio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Cato de Origin. *Nomen est impositum ex Sabo divi Sagni, forte Sancti, aut Sangi gentilis filio.* Mod. Lect. novant. Epist. 48. Barth. Adv. XXI. 15. Regionem describit Strab. V. p. 151. *Sabinorum regio interjecta Latinis, & Umbris, ad eosdem & ipsa usque montes extenditur: magis tamen accedit ad Apennini eas partes, quæ sunt vicinæ Vestinis, Pelignis, ac Marsis.* p. 157. *Sabini angustam incolunt regionem, in longum ad* CIↃ *stadia porrectam a Tiberi, & Nomento oppido usque ad Vestinos. Urbes habent paucas, easque continentibus bellis attritas, Amiternum, Reate, cui vicinum oppidum est*

Interocrea, & aquæ frigidæ ad Cotiſcolias quas bibunt, & iis inſidentes morbis medentur. Sunt & Foruli Sabinorum, ſaxa ad rebellionem quam habitationem aptiora. Cures nunc viculus eſt, quondam urbs inſignis, ex qua orti ſunt Titus Tatius, & Numa Pompilius Romæ regno potiti. Præterea Trebula, Eretum, & alia id genus domicilia, pagis potius, quam urbibus annumeranda. Tota Sabinorum regio egregie ferax eſt olearum, ac vitium, multumque fert glandis, ac pecori producendo opportuna eſt, præſertim vero Reatini muli laudantur mirum in modum. Antiquiſſima gens eſt Sabinorum indigenarum nimirum: ab his ſunt Picentini, & Samnites: ab his Lucani, ab his Brutii. Vetuſtatem eorum licet ſumere pro argumento fortitudinis, ac virtutis eorum, qua freti ad hoc uſque tempus perdurarunt. Fabius hiſtoriæ ſcriptor inquit tum demum Romanos ſenſiſſe divitias, cum eam gentem ſibi ſubjeciſſent. Strata eſt per Sabinos via Salaria non longa, in quam Nomentana incidit apud Eretum Sabinorum vicum ſupra Tiberim, ab eadem porta incipiens Collina. Amiternum, Eretum, Mutueſcas, Nomentum, Caſperiam, Forulos, Roſeam agrum, Velinum lacum, Tetricum, & Severum montes, flumen Himellam nominat, & gentis vetuſtatem indicat Virg. Æneid. vii. 706.... 714. Probitatis fama florere, ut eis omnia tuto committi poſſe viderentur. Cicer. Fam. xv. 20. *Oratorem meum tuo Sabino commendavi. Natio me hominis impulit, ut ei recte putarem: niſi forte candidatorum licentia hic quoque uſus, hoc ſubito cognomen arripuit, & ſi modeſtus ejus vultus, ſermoque conſtans, habere quiddam a Curibus videbatur.* Nec alibi religio magis culta. Plin. iii. 12. *Sabini, ut quidam exiſtimavere, a religione & cultu deorum Sevini appellati.* Nec diſciplina exercita. Liv. i. 18. *Suopte ingenio*, de Numa loquitur, *temperatum animum virtutibus fuiſſe opinor magis, inſtructumque non tam peregrinis artibus, quam diſciplina tetrica, ac triſti veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* Ad hanc laudem accedit militiæ gloria. Itaque Virg. Georg. ii. 167.

Hæc genus acre virum, Marſos, pubemque Sabellam
Extulit.

Cicer. pro Ligar. c. 11. *Poſſum fortiſſimos viros, Sabinos tibi probatiſſimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiæ ac robur Reipublicæ proponere.* Et a Livio acerrima *Sabinorum* cum Romanis bella, varia fortuna, exponuntur. *Manut. Quæſ. Epiſt.* i. 1. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* i. 18. Agro *Sabino* cognito, dicendum eſt de fœderibus eorum. Ut autem *Sabini* cum Romanis primi armorum contentione decertarunt, ſic primi etiam ſe cum iis fœdere obſtrinxerunt. Nam Cruſtumerium, Antemnæ, & Cænina in regione *Sabinorum* fuerunt, ſed bellum ſeorſum a reliquis *Sabinis*, quorum principes Curenſes, & Rex eorum T. Tatius fuit, Romulo Regi fecerunt, ut raptas repeterent virgines, & acceptam in Urbe per ſpeciem amicitiæ ulciſcerentur injuriam. Narrat Plutarch. in Romul. p. 26. E. Romulo *Sabinos* ad ſocietatem vocante Acronem Cæninenſium Regem, reliquis cunctantibus, arma moviſſe: eo victo Antemnates, & Cruſtuminos, dum alii ſe compararent, facta conſpiratione, adverſus Romanos exercitum adduxiſſe, quos cum reliqui *Sabini* fuſos, ſuperatosque moleſte ferrent, T. Tatium Curenſium Regem Imperatorem delegiſſe. Atque hos quidem poſteà, reconciliatis inter pugnandum animis, ac fœdere icto, in amicitiam, & in civitatem a Romulo eſſe ſuſceptos conſtat. Tullus inde Hoſtilius cum *Sabinis* bellum ſuſcepit, cum utrinque injuriæ factæ, ac res nequicquam eſſent repetitæ. Qui haud parum memores, ſuarum virium partem ab T. Tatio Rege Romam fuiſſe tranſlatam, ad Vejentes cum confugiſſent, ad ſylvam malitioſam acie congreſſi profligantur. Id quod prodidit memoriæ Liv. i. 30. Deinde eosdem ab Anco Marcio Rege, cum a populationibus bellum exortum eſſet, victos tradit Dionyſ. iii. p. 180. L. etiam Tarquinium Priſcum Regem Urbem muro lapideo circumdare parantem bellum *Sabinum* avocavit, cum adeo ſubita ea res fuiſſet, ut prius Anienen tranſirent, quam obviam ire, ac prohibere exercitus Romanus poſſet. Iis trans Anienem fugatis Rex in agrum populabundus incurſat. Iterumque ibi fuſi, perditis jam prope rebus, pacem petiere. *Collatia, & quicquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademptum.* Sic Liv. i. 38. At Dionyſ. iii. p. 187. nullo Collatiæ verbo facto *Sabinos* ſex annorum inducias impetraſſe ait: poſt autem in eos iterum eſſe bellatum, ac ſingulos populos oppidorum deditione facta fœdere eodem, quo Etruſcos, a Rege in amicitiam, & ſocietatem eſſe aſcitos. Quin etiam eosdem Tarquinio Superbo regnante multis prælüs devictos, legatis de pace miſſis, trucem in poſterum pactis, eam impetraviſſe ſcribit Dionyſ. iv. p. 250. Animadverto etiam anno poſt Reges exactos quinto, M. Valerio, P. Poſtumio coſſ. *Sabinos* aliquot, cum Romanas opes bello Etruſco Porſenæ acciſas rati, in agrum Romanum impetum feciſſent, acie pulſos, victosque eſſe, conſulem utrumque triumphaſſe. Ita Dionyſ. v. p. 305. Poſtero anno P. Valerio iv. T. Lucretio coſſ. Iidem ſoluta eſſe fœdera, quæ cum Superbo Rege poſtremum percuſſerant, arbitrati, quod ille exactus imperio eſſet, communi conſenſu; habito omnium civitatum concilio bellum gravius intulerunt: cumque a Sexto Tarquinio Superbi filio impulſi Fidenas & Cameriam a Romanis abalienaſſent, iterum a Romanis ſunt cæſi: conſules ambo triumpharunt: Fidenis in auctores defectionis animadverſum: ager ademptus, atque iis, qui in prælium miſſi ſunt, datus. Dionyſ. ibid. p. 307. Tertio anno iterum in *Sabinos* dimicatum. Agrippa Menenius coſ. triumphans, P. Poſtumius, quod minus proſpere rem geſſiſſet, primus ovans Urbem ingreſſus eſt. Dionyſ. ibid. p. 310. Quarto anno Sp. Caſſius coſ. cum iis non longe a Curibus congreſſus ad decem millia, & trecentos cecidit, ad tria millia cepit: qua clade compulſi ad conſulem, atque inde ad ſenatum legatos de pace miſerunt: quam nonniſi frumento, & ſtipendio in milites, & decem agri jugeribus datis impetrare potuerunt. Opiter autem Virginius exercitu ad Cameriam adducto receptam evertit defectionis auctoribus interfectis, & reliquis venundatis. Dionyſ. ibid. p. 315. Qui eos Appio item Claudio & P. Servilio coſſ. cum moviſſent, victos prodit, & ſequenti anno A. Virginio, T. Vetuſio coſſ. cum ſe cum Æquis, & Volſcis junxiſſent, a M. Valerio Maximo dictatore eſſe ſubactos. P. inde Valerio, C. Nautio coſſ. motus eorum quidam, ſed parum memorabiles fuerunt. Quin etiam aliquot poſt annos L. Valerio, Ti. Æmilio coſſ. cum iis pugnatum eſt. Numicio autem & Virginio coſſ. cum ad portas Urbis populantes inceſſiſſent, plus cladium, quam intulerant, acceperunt. Et cum P. Quinctio, Q. Servilio coſſ. Cruſtuminos campos citato agmine tranſgreſſi, cædes, & incendium circa Anienem flumen feciſſent, porta quoque Collina, mœnibusque pulſi, ingentes tamen prædas hominum, pecorumque egere: quos Servilius coſ. infeſto exercitu inſecutus, cum ipſum agmen adipiſci locis æquis nequiret, populationem adeo effuſe fecit, ut nihil bello intactum relinqueret, multiplicique capta præda rediret. Poſt autem cum anno 303. in agrum Romanum incurriſſent, ſequentibus coſſ. M. Horatio, & P. Valerio pœnas dederunt. Neque eos poſteà moviſſe invenio, niſi anno 373. quo acciſas eorum opes eſſe a M. Curio Dentato coſ. præter cæteros memoriæ prodidit Florus, cum ita ſcripſit i. 15. 1. *Populus Romanus a Latinis aggreſſus eſt gentem Sabinorum, qui immemores factæ ſub T. Tatio affinitatis, quodam contagio belli, ſe Latinis adjunxerant: ſed Curio Dentato coſ. omnem eum tractum, quem Nar ambit, fontesque Velini, Adriatico tenus mari igne ferroque vaſtavit. Qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in poteſtatem, ut in utro plus eſſet, ne ipſe quidem exiſtimare poſſet, qui vicerat.* Vellej. i. 14. 6. addit, eodem anno *Sabinis ſine ſuffragio civitatem datam*, poſt autem Sempronio, Claudioque coſſ. ſuffragium etiam eſſe permiſſum. Et Cicero cum Balbum de civitate, quæ in dubium vocabatur, defenderet, univerſis ſæpe gentes, ut Sabinorum, & Hernicorum, in civitatem eſſe aſcitas dixit. Itaque Liv. xxviii. 45. bello Punico ii. inter alios

ſocios

focios populi Romani, *qui multis sunt nobiles, Novanos, Camertes, Nucerinos, & Amiternos, Salmonamque a suo nominant.* Bello certe Marsico pro Romanis contra Italicos, civitatis jura postulantes, stetere ant. Romanorum victoriæ testimonio sunt Forum Decii, & Forum novum, quæ in *Sabinis* a Plin. III. 12. memorantur. *Sigon. l. l. Panvin. Imper. Rom. c.* 3. Ubi in Urbe habitaverint V. infr. in *Vicus Cyprius.*

Sabinus fuit cognomen gentis Titurie. In nummis argenteis istius gentis *Sabini* cognomen est familiare, ad indicandam ipsius gentis ex *Sabinis* originem. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI *p.* 913. *B. Malvas. Marm. Fels.* IV. 16. *Glandorp. Onomast. Roman. p.* 843.

SAPHUSA porta. V. illam supr. in *Porta.*

SALORA est oppidum Hispaniæ Bæticæ in Vandalia ad Marianam urbem. Nunc Cantete teste Morali cum Mariana ex antiqua tabula ænea. Cujus populi *Salorenses* ex eadem tabula. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 952. *A.*

SABULO, five *fabulum* quid fit, & quomodo differat ab arena V. supr. in *Arena.* Tria *fabuli* genera pro colore diverso facit Plin. XVII. 4. *Sabulum album in Ticinensi, multisque in locis nigrum, itemque rubrum, etiam pingui terræ permixtum inutile.* Sabuli usus multiplex, quorum unum indicat Varr. ταφ. Men. apud Non. II. 766. *Non vides in magnis peristyliis, qui cryptas domi non habent, sabulum jacere a pariete aut cryptis, ut ambulare possint.* Voss. Lex. Etymol. Masculi meminit Vitruv. VIII. 7. *Sabulone masculo, arenaque, & carbunculo certiores.* Est vero asper, rubens, minus flavus, subfuscus: quamquam de hoc video etiam plurimum addubitari, quod II. 3. *sabulonem masculum* inter ceteras genera recenseat, unde ducendi sint lateres, atque id propter cavitatem, ut esse potius *sabulonem masculum* terræ genus & arenæ, id est, minoris solidioris quam sit terra. Certe paullo ante dixit *sabulosam fœminam*, ad differentiam, ut apparet, masculi. *Barb. in Vitruvium.* Barbarus Plinii dictum examinat, & partim dicta ejus approbat, partim arguit; negat enim asperum ducendis lateribus utilem, teste Plin. XXXV. 14. Qui cum Vitruvio sentiens ait, non esse lateres ex *fabulo* fingendos, sed vel, si jam ex *fabulo*, ex masculo certe. His attexit, se solidum *sabulonem* vidisse ex Flavi flumine, non asperum, sed pinguem, rotunda forma, a qua forte, ut mascula thura dici, sic masculum appellari potuisse, eo quod testes rotunditate referat. Ego vel arbitror masculum dici *sabulonem*, qui pinguedine aliqua mixtus est, nec prorsus asper, & infæcundus, sed tractabilis, &, ut ita dicam, cretaceus, & cereus. Nostrates *sabulone* ejusmodi in lateribus fictendis commode utuntur. In ædificiis autem ad temperandam calcem fossitiam adhibent subflavum, & friabilem, quem ego masculo opponerem. Est autem non inutilis, sed tardius succeffit, & fluviali arena est inferior. *Baldus Lex. Vitruv.*

Sabulo, five *fabulum* est genus organi musici, five illud sit psalterium, sive cithara, sive quid simile, quod fidibus tenderetur, & plectro pulsaretur. Memini enim me legere apud Apul. Florid. p. 791. *Dextera pulsantis gestu suo fabulum cithara admovet.* Et Macrob. Sat. II. 1. *Hæc nobis sit iterata lætitia, & docta cavillatio, vicem planipedis, & sabulonis impudica, & prætextata verba jacientis, ac pudorem, ac modestiam versus imitata.* Scalig. Conject. Varron. p. 121. Buleng. de Theatr. II. 22. Apuleji locus omnino corruptus videtur: & apud illum pro *suo fabulum*, *fuscubulum*, seu *pulsabulum* legi debet. Nec *sibulonis* voce pro eo, qui musico quodam utatur instrumento, usus est Macrobius. *Voss. Lex. Etymol. Colv. in Apulejum.*

SABURRA est vilior arena, pondere suo naves firmans, & ad rectam mensuram onerans. Liv. XXXVII. 14. *Se in animo habuisse onerarias ducere multa saburra oneratas.* Græcis ἀσφάλισμα πλοίου, sicut est in glossis, ab ἀσφαλίζεσθαι, *munire, tutari*, quia ponderis æqualitate firmum, ac tutum facit navigium. Locus ejus in carina. Pomponius Sabinus: *Ventres navigiorum saburra, id est, arena repleutur.* Scheffer. de Milit. nav. II. 5. Voss. Lex. Etymol. Græci eam ἕρμα vocant. Hesychius: Ἕρμα, τὸ τὴν ναῦν πεισμα στηρίζον. Festus: *Herma a Græcis ponitur pro firmamento. Unde etiam Mercurii nomen inventoris, ut putabant, firmæ orationis addunt.* Etiam κεφαλὶς dicebatur, & κέφαλοι, teste Hesychio. Lycoph. n. 618. ἑρματίτην πέτρον vocat, quia erant ut plurimum lapides. Aliquando tamen etiam saccos habebant sabulo repletos, quibus in aquam demissis, naves a vi ventorum, impetuque fluctuum defendebant. *Meurs. in Lycophronem. Potter. Archæol. Græc.* III. 16.

SAC.

SACCARE est *sacco* percolare, ut loquitur Colum. XII. 17. de aceto ficulneo faciendo præcipiens: *Postea in junceis fiscellis, vel sparteis saccis percolant.* Hoc ideo in vino faciebant, ut suavius, leniusque efficeretur, ne grave capiti esset. Inde *sacco vini vires frangere* dicebantur. Plin. XIV. 22. *Quinimo, ut plus capiamus, sacco frangimus vires.* Cicer. de Fin. II. 8. *Quibus vinum defusum e pleno sit œnophoro, ut ait Lucilius, cui nihil dum jam erit vix, & sacculus abstulerit.* Ipso verbo usus est Mart. II. 40. 5. infr. in *Vinum.* Ubi non est legendum *siccentur.* Nam siccare pocula dicitur de strenuis potationibus. Apud Martialem autem præcipitur a medicis *saccari*, & lino colari Cæcubum, atque Opimianum Tongillo ægro. Nam vina *saccata* minus nocent, ut defæcata, & domita. *Scriver. in Martialem. Turneb. Adv.* XVII. 18: XXIII. 25. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 540. *Voss. Lex. Etymol. Barth. Adv.* L. 4. *Torrent. in Horat. Od.* I. 11. 6. *Colv. in Apulej. p.* 124.

SACCARIAM facere legitur apud Apul. Met. I. p. 15. *Operulas etiam, quis adhuc vegetus saccariam faciens merebam.* Sed lego apud ICtos Digest. XVI. *Sagariam negotiationem* nuncupari a nomine sagorum, quando scilicet saga, & id genus vestimenta mercamur, ut in distrahendo lucrum faciamus. Ille itaque eleganter dicitur *facere sagariam*, qui exercet hoc genus mercimonii; unde existimo apud Apulejum legendum esse *sagariam* ab hujusmodi negotiatione. Quod si *saccariam* legis, significabit mercaturam *saccorum*, & ita accipitur pro negotiatione viliori. *Beroal. Annot. c.* 73. Gothofr. ad l. unic. C. Th. de saccar. recte legendum censuit *saccariam facere*, quia ille, qui *saccariam* ibi facere narratur, *vegetus* dicitur, quod epitheton maxime *saccario* convenit, qui expedite, & celeriter merces transferre debet, hincque puto in glossis gerulum verti ἀνευτὴν, id est, fertitantem, & colligitur hoc ex Horat. Epist. II. 2. 72.

Festinat calidus mulis gerulisque redemptor.

Burman. Dissert. de Vectig. c. 12. Zimmerman. Floril. Philol. p. 691. Hinc & Ammonius Plotini magister, quem Suidas diserte σακκοφόρον prius fuisse ait in Πλωτίνῳ, *Saccas* dictus fuisse videtur apud Ammian. XXII. 16. *Et Saccas Ammonius Plotini magister.* Vales. in Ammianum & Zimmerman. l. l.

SACCARII portus Romæ dicebantur sub posterioribus Cæsaribus constitutum corpus aliquod, & collegium gerulorum, qui erant constituti ad portandas merces ex portu in horrea, neque licebat cuiquam, per alios, imo ne per suos quidem, merces, vel onera transferre in horrea, constituta pœna quintæ partis ejus speciei, quæ per alios portata erat, fisco vindicanda l. unic. C. Th. de saccar. port. Rom. Horum meminit & Paull. l. 40. §. 3. de contrah. empt. *Si quid ex sacco saccarii cecidit.* Burman. Dissert. de Vectig. c. 12. Zimmerman. Floril. Philol. p. 692. *Frugis & olei bajulos* hos vocat Symmach. Epist. X. 27. Quin & cadente Latinitate *saccus* ipse *saccarium* dictum in instrumento plenariæ securitatis anno Justiniani 38. His similes erant πρανικοὶ, quos μισθοῦ νομίζοντας τὰ ὤνια ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς interpretantur Hesychius & Suidas. Hodie alicubi in Gallia *saccas* vocant vespillones. Hi

saccarii

saccarii nostri sunt quos crocheteurs vocant. *Zimmerman. l. l.*

Saccarius etiam dicitur *saccorum* confector. Gloss. Cyrill. *Saccarius*, σακκοπλόκος. *Burman. Dissert. de Vectig. c. 12. Zimmerman. Floril. Philol. p. 692.*

SACCULARII sunt, *qui vetitas artes in sacculo exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt.* Ulpian. l. saccularii. ff. de extraord. crimin. Subducere est elicere pecuniam ad se arte, vel qua alia ratione illicita. Subtrahere est manu auferre. Unde Ulpianus illos dicit *plus quam fures puniendos esse.* Ejusmodi præstigias Synesius in Epistolis Euthalii cujusdam describit, quem & βαλλάντα, id est, *saccularium* vocat, qui cum in multa solvenda unum *sacculum* ostentasset, in quo aurei nummi erant, & alium huic simillimum occultaret, in quo ærei; numerata pecunia aurea, & suo reddita *sacculo*, mox clam alterum pro altero supposuit, & tradidit. *Popm. de Oper. serv. p. 54. Turneb. Adv.* IX. 17. *Voss. Lex. Etymol. Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 14. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 20. *Bayf. de Vascul. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p. 696. B. Cujac. Observ.* X. 27. *Menag. Amœn. jur. civil. c. 39.*

Saccularii etiam dicuntur, qui publicam involant pecuniam. Ascon. in Cicer. p. 149. *Equester ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam steterat, multasque pecunias abstulerant, ex quo saccularii erant appellati.* Voss. Lex. Etymol Menag. Amœn. jur. civil. c. 39.

SACCULUS est repositorium nummorum. Ulpian. l. sed etsi quid ff. de usufructu: *Si vero simul in sacculo solvit, nihil fecit accipientis.* Juven. Sat. XIV. 138.

Interea pleno cum turget sacculus ore.

Glossæ: *Sacculus*, βαλάντιον, βαλαντίδιον. Bayf. de Vascul. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 696. A. Hennin. in Bergier. de viis milit. IV. 15. 7.

SACCUS erat, per quem vina transmissa olim purgabantur, & defæcabantur. Plutarch. Sympos. VI. 7. *Quid ergo absurdi habet res, quod vini etiam fæculentas partes, aceris, aut furfuris in morem, colando expurgamus?* Colum. IX. 15. *Saccus, inversæ metæ similis, qualis est quo vinum liquatur.* Mart. XII. 61. 3.

Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco.

Eleganter Senec. Epist. 77. *Nihil interest, centum per vesicam tuam, an mille amphoræ transeant.* Idem Epist. 85. *O hominem calamitosum! nescit vivere: non saccata aqua lavabatur, sed sæpe turbida; & cum plueret vehementius, pæne lutulenta.* Ita legendum. Quid enim sibi vult *pacata aqua?* quod in vulgatis. Et liber scriptus meus, *siccata aqua.* Invehitur in sumptus immodicos, quibus suo ævo lavabatur, balneaque P. Scipionis simpliciter, nullisque expensis extructa laudat maxime. Taxat vero molles, & delicatos quosdam, qui etiam aqua per *saccum* percolata, purgataque in balneis sese lavabant. *Colv. in Apulej. p. 124. Voss. Lex. Etymol. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 539.* Ejus pictura conspicitur in opere Inscriptionum Gruter. p. 818. n. 5. Sed alia quam metæ inversæ ibi forma. Instrumentum nempe eadem qua supra capacitate, sed paullo rotundius infra desinens: diversumque a manica Hippocratis, quæ vulgo in officinis pharmacopæorum ita appellatur, & vere meta inversa dici potest. *Scriver. in Mart.* VIII. 45.

Sacci quoque erant, quibus utebantur arena repletis ad sistendas naves. Observandum autem horum usum non fuisse, nisi vel in aliarum defectu, vel in locis arenosis, ubi aliæ cohærere nequibant. Hinc Iphicrates apud Polyæn. III. 9. 38. cum in locum ἀλίμενον cum classe sua venisset, nec inveniret, quo pacto naves sisteret, trierarchis suis præcepit, *ut quilibet saccos arena repletos demitteret in aquam;* atque ita naves, velut ancoris, stabilivit. Et Leo Imperator jubet de Appar. Bellic. c. 20. n. 190. *Quando*, ait, *ad loca arenosa, & minime portuosa classem tuam tempore navalis prælii applicaturus es, saccos multos arena complebis, & funibus eos, quot satis esse videbuntur, ex unaquaque trireme propendere facias, quasi ferreæ ancoræ essent.* Scheffer. de Milit. nav. II. 5. Casaub. in Polyænum.

SACELLUM *est, ut inquit C. Trebatius de religion.* II. *locus parvus deo sacratus cum ara.* Gell. VI. 12. Festus: *Sacella dicuntur loca diis sacrata sine tecto.* Hospinian. de Orig. templ. III. 2. Buleng. de Templ. Ethnic. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 51. E. Saubert. de Sacrif. c. 14. Nardin. Rom. Vet. III. 12. Guther. de vet. jur. pontif. II. 3. Voss. Lex. Etymol. in Sacer. Struv. Ant. Rom. c. 11. p. 510. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c. 2. Non erant in domo cujusquam, sed populo patebant & censorum erat curare, ut non essent in domo cujusquam, sed populo paterent. Liv. XL. 51. *Complura sacella publica, quæ occupata a privatis; publicaque sacra ut essent, paterentque populo, curarunt* M. Æmilius Lepidus & M. Fulvius censores. Et M. Cœlius, ut ostenderet Appium censorem officio suo deesse, petiit ab eo, ne *sacellum* in domo privata relinqueret: cujus rei cura Appii, qui censor erat, esse debuerat: ut scribit Cicer. Famil. VIII. 12. *Hospinian. l. l.* Coronabantur, & floribus exornabantur. Prop. IV. 3. 57.

Flore sacella tego, verbenis compita velo.

Berthald. de Ara c. 3. §. 7. Paschal. de Coron. IV. 18. Talia, a quorum ingressu muliebris sexus arcetur, ne quid paganismo deredat, adhuc Romæ sunt in S. Petro Vaticano, in S. Johanne Laterano, in S. Cruce in Hierusalem, in S. Praxedi, in lavacro Constantini, & locis fortasse pluribus. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9.*

Sacellum antiquum rotundæ structuræ, vulgo templum Bacchi creditum, vicinum est extra portam hodie Piam via Nomentana illustri templo B. Agneti consecratum. In hoc cum opera quæd in musiva resplendeant, & præcipue nobilis ille marmoris leucostícti Thebaici, hodie Porphyretici dicti, sarcophagus Bacchica quædam schemata ostendat, sepulcrum Bacchi otiosi quidam spectatores antiquitatis solent nominare. Verum insculptæ sarcophago figuræ, Cupido alatus uvas corbe ferens, item tres alati Cupidines nudis pedibus uvarum cumulum calcantes, cum suppositis vini receptaculis, aries, pavones alis plaudentes, vir barbatus cum feminis aliquot, non tantum vindemiam repræsentant, sed talia quoque sepulcris olim Christianorum insculpta diserte monstrat Bosius in Roma subterranea. Rectius proinde *sacrarium* hoc rotundum baptisterium Constantiæ, Constantini sororis initio fuisse æstimatur Anastasio, & postea ejusdem sepulcrum, ut ex Marcellino colligi videtur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 8.*

Sacellum Cacæ, quæ soror Caci fuit, fuit ad speluncam Caci. Hæc, ut ait Lactant. I. 20. *Herculi indicium fecit de furto boum, divinitatem consecuta, quia prodidit fratrem.* Serv. Æneid. VIII. 190. *Hunc soror sua ejusdem nominis prodidit; unde etiam sacellum meruit, in quo ei per Virgines Vestæ sacrificabatur.* Hoc ad alterutrum speluncæ aditum positum, uti incertum, ita non inverisimile est. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

Sacellum Dianæ antiquissimum, quod Dianæ dedicatum fuisse credibile est, non longe fuit ab Ecclesia S. Mariæ in montibus. Caput fuit vici scelerati, ubi Tullius ab immissis a Tarquinio *percussoribus occisus concidit, atque a scelerata filia conculcatus fuit haud procul a fonte, quantum colligere licet, qui hodie ad latus ecclesiæ est.* Nardin. Rom. Vet. III. 15. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 4. §. 3. Donat. de Urb. Rom. III. 12.

Sacellum Diti erexerunt Pelasgi, cum sedibus suis pulsi diversas terras pererrassent, & post plurimos errores Latium appulissent, & in lacu Cutiliensi enatam insulam deprehendissent. *Ferrar. Dissert. de Lucern. sepulcral. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p. 997. B.*

Sacellum Fortunæ parvæ erexit Servius Tullius, quasi docens attendendum esse, ne ea, quæ accidunt, tanquam parva contemnamus. Auctor est Plutarch. Quæst. Rom. 73. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 15.

Sacellum Herculis fuit in Capitolio, minoris tamen

ut opinor, famæ, quam quæ a magnificentia laudari debuit. *Rycq. de Capit. Rom. c.* 43.

Sacellum Herculis Cuſtodis ponit Sextus Rufus in circo Flaminio. Herculis illius Cuſtodis meminit Ovid. Faſt. vi. 209.

Altera pars circi cuſtode ſub Hercule tuta eſt.

Buleng. de Circo c. 5.

Sacellum Herculis Victoris extabat prope Forum boarium, quo neque canibus, neque muſcis aditus patebat. Plin. x. 29. *Romæ in ædem Herculis in Foro boario nec muſcæ, nec canes intrant.* Solin. c. 1. *Hoc ſacellum Herculi in Foro boario eſt, in quo argumenta, & convivii, & majeſtatis ejus remanent. Nam divinitus illo neque canibus, neque muſcis ingreſſus eſt. Etenim cum viſcerationem ſacricolis daret, Myjagrum deum dicitur imprecatus; clavam vero in aditu reliquiſſe, cujus olfactu refugerunt canes: id uſque nunc durat.* Ferret. Muſ. Lapid. i. memor. 10. Harduin. in Plinium. Donat. de Urb. Rom. ii. 25. Adhuc extare quidam voluit, rotundi ambitus inter ripam Tiberis, templumque Virginis cognomento in Coſmedin, titulo S. Stephani decoratum. Sed illud Pomponius Lætus Matutæ attribuit, & ex eo Marlianus, in alia ejuſdem Fori parte Herculis *ſacellum* conſtituens, poſtea dirutum a Sixto iv. pontifice maximo inibi invento æneo Hercule, qui viſitur in ædibus Capitolinis. *Donat. ibid.*

Sacellum Jani fuit in medio Foro ex adverſo Capitolii. Tradit hoc Procop. de Bell. Goth. i. *Erat ſacellum totum ex ære conſtitutum, quadrata quadam dimenſione, tantæque amplitudinis, quanta integri Jani ſtatua poterat ænea quinquepedalis capi: capite duntaxat bifrons: portæ utrinque æneæ, quæ pacis tempore claudebantur: inſtante autem bello aperiebantur: vocabaturque Janus Geminus.* Fuit autem prope equum Domitiani. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iii. 2.

Sacellum Jovis Conſervatoris fuit in Regione xi. quæ circus Maximus. Victor. V. ſupr. in *Ara Jovis conſervatoris.*

Sacellum Jovis Fagutalis ſtatuitur a Victore in quinta Urbis regione, non in decima, ut habet Roſin. Antiq. Roman. ii. 5. *Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect.* iii. *p.* 71. V. ſupr. in *Fagutal.*

Sacellum Larium erat vicinum arcui Titi, ut videre eſt apud Solin. c. 2. ubi Ancus Martius habitaſſe dicitur *in ſumma via ſacra, ubi ædes Larium eſt.* Non me fugit tamen, aliud quoque *ſacellum* Larum a Varrone inter Velabrum, & viam novam memorari: ſed hoc ſat longe ultra forum erat, adeoque extra muros Romuli, ſi verum eſt, paludem olim fuiſſe, ubi poſt via nova, & *ſacellum* fuit. *Nardin. Rom. Vet.* i. 2.

Sacellum Maniæ deæ fuit in regione Urbis decima quarta, quæ trans Tiberim. Victor. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 11.

Sacellum Minucii fuit in regione Urbis nona, quæ Circus Flaminius, ad portam Minuciam. Feſtus. V. illum ſupr. in *Porta Minucia.* Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 358. B.

Sacellum Murciæ Veneris *erat ſub monte Aventino, qui antea Murcus vocabatur.* Feſtus. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 13. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iv. 1. V. etiam ſupr. in *Aventinus.*

Sacellum Næniæ deæ fuit extra portam Viminalem. Feſtus: *Neniæ deæ ſacellum ultra portam Viminalem fuerat dedicatum: nunc tantum habet ædiculam.* Quare ſuper thermas Diocletianas illud fuiſſe apparet, verſus Caſtra prætoria. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 4. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 7. §. 7. *Donat. de Urb. Rom.* i. 19. *Guther. de Jur. man.* i. 22. *Moreſtell. Pomp. Feral.* ii. 15. *Stuck. de Sacrif. p.* 48. *Gyrald. Synt. deor.* i. *p.* 50. *Ferret. Muſ. Lapid.* ii. *Memor.* 1.

Sacellum Priapi fuit in hortis Mæcenatis, ab illo extructum & dedicatum. Liquet ex Horat. Sat. i. 8. 6.

Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis conſidere in hortis.

Sciopp. Conlect. de Priap. p. 9. Gyrald. Dial. de Poet. iv. p. 206. D. Meibom. Mæcen. c. 28. §. 17. Poetæ, qui ad Mæcenatem ſuum quotidie viſebant, verſiculos aliquot jocoſos in *ſacelli* parietibus notarunt. Priap. c. 1. n. 9.

Ergo quidquid id eſt, quod otioſus
Templi parietibus tui notavi. . . .

c. 49. n. 1.

Tu quicunque vides circa tectoria noſtra
Non nimium caſti carmina plena joci.

Et hos Priapejorum nomine in unum collegit libellum, & evulgavit, qui carmen ad lectorem præpoſuit. *Gyrald. & Sciopp. l. l. & c.* 49. *n.* 1. *Meibom. ibid.* §. 18. *Pius Annot. poſt. c.* 41, & 153.

Sacellum Pudicitiæ patriciæ fuit vicinum ædi Herculis. Liv. x. 23. V. illum ſupr. in *Pudicitia.* Nardin. Rom. Vet. v. 10. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 6. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 15. Sigon. de Jur. civ. Roman. i. 8. Voſſ. de Idolol. viii. 13. Struv. Antiq. Rom. c. 11. p. 527. Roſin. Antiq. Rom. ii. 18. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. i. p. 15. Faunus Antiq. Urb. Rom. iii. 8.

Sacellum Pudicitiæ plebejæ *eſt in vico Longo, quod cum Virginia patricii generis femina convivio facto inter plebem....* Feſtus. Cujus verbis addi poteſt, quod ſcribit Liv. x. 23. laudatus ſupr. in *Pudicitia.* Auguſtin. & Dacer. ad Feſtum. Voſſ. de Idolol. viii. 13. Roſin. Antiq. Rom. ii. 18. Gyrald. Synt. deor. i. p. 35. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. i. p. 15.

Sacellum Querquetulanum ubi fuerit poſitum V. ſupr. in *Lucus Larium,* & *Lucus Querquetulanus.*

Sacellum Quirini fuit in monte Quirinali. Feſtus. V. illum ſupr. in *Porta Agonenſis.* Donat. de Urb. Rom. iii. 15. Hujus meminit Martialis laudatus ſupr. in *Prædium Martialis.* Extrane murum fuerit, an intra, non ſatis liquet: id liquet ex Feſto laudato ſupr. in *Porta Agonenſis,* fuiſſe vicinum portæ Collinæ, quæ & Quirinalis dicta, & Agonenſis, hodie Salaria. *Borrich. Antiq. Urb. Fac.* 8. §. 5.

Sacellum Sangi V. ſupr. in *Ædes.*

Sacellum Streniæ fuit extrema ſacra via, in hortis extremis S. Mariæ Novæ, ſeu potius extra illos, in ſiniſtra ejus parte verſus Exquilias, e regione ædis Larium. Varr. de Ling. Lat. iv. 8. *Quod hinc oritur caput Sacræ viæ ab Streniæ ſacello.* Inſcriptio antiqua:

. . . .

TOTA. SACRA. VIA
EX. ÆDIBUS. USQUE. AD. CARINAS.
ET. SACELLUM. STRENIÆ.

Nardin. Rom. Vet. iii. 12. *Reineſ. Inſcript. Claſ.* ii. *n.* 84. *Lipen. de Stren. c.* 1. §. 4.

Sacellum Viriplacæ fuit in Palatino. Val. Max. ii. 1. 6. V. illum infr. in *Viriplaca.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. ii. 21. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 3. Mag. Miſcell. ii. 15. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 22. Laurent. de Sponſal. c. 2.

Sacellum Volupiæ videtur fuiſſe ædicula rotunda ad pontem Sublicium, ſive Æmilium, de quo Varro laudatus ſupr. in *Porta Romanula.* Nardin. Rom. Vet. iii. 3. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 3.

SACENA fuit dolabra pontificalis. V. illam infr. in *Scena.*

SACER *homo eſt is, quem populus judicavit ob maleficium; neque fas eſt eum immolari, ſed qui occidit, parricidii non damnatur; nam lege tribunitia prima cavetur: ſi quis eum, qui eo plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricida ne ſit: ex quo quivis homo malus, atque improbus ſacer appellari ſolet.* Feſtus. Macrob. Sat. iii. 7. *Hoc loco non alienum videtur de conditione eorum hominum referre, quos leges ſacros eſſe certis diis jubent. Quia non ignoro quibuſdam mirum videri, quod cum cætera ſacra violari nefas ſit, hominem ſacrum jus fuerit occidi.* Briſſon. de Form. ii. p. 140. Manut. de Legib. Rom. c. 5. Quæſ. Epiſt. ii. 10. Sigon. de Ant. jur. civ.

Rom. I. 6. Bud. in Pandect. p. 239. Voss. Instit. Orator. IV. 8. 3.

Sacer mons. V. illum supr. in *Mons.*

SACERDOS: Ejus opera utebantur gentiles in peragendis sacris. Munus inter alia est, & in eo consistit, ut sacra peragant, eorumque habeant curam. Multa fuerunt *sacerdotum* genera descripta a Lucan. I. 595.

> *Pontifices, sacri quibus est permissa potestas,*
> *Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,*
> *Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,*
> *Trojanam soli cui fas vidisse Minervam....*

Clasen. Theol. Gentil. III. I. I. Sched. de Diis German. II. p. 235. Cœperunt cum ipsis diis. Romulus quippe binos ex singulis curiis legit, quos, eorúmque uxores *sacerdotio* fungi voluit. Dionys. II. p. 92. Romulus *lege sanxit, ut e singulis curiis legerentur bini annum egressi quinquagesimum, qui virtute, ac genere praecellerent caeteros, opesque haberent sufficientes, & integro essent corpore. Quoniam autem quædam sacra per mulieres fieri oportebat, quædam etiam per pueros patrimos, matrimosque, ut his quoque, quantum posset, consuleret, voluit sacerdotum uxores cum suis maritis fungi sacerdotio: & si qua orgia viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis, in ejusque ministerii partem debitam venire etiam illorum liberos.* Numa Pompilius & alios instituit. Dionys. p. 124. Numa *diis, quibus nulli dum honores tributi essent, multa etiam templa, & aras erexit, attributo suo cuique numini festo, & institutis, qui sacra curarent, sacerdotibus.* Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 555. Manut. de Legib. c. 2. Primis temporibus soli erant patricii: quod cum graviter ferrent plebeji, per tribunos tandem eo res fuit redacta, ut & *sacerdotio*, paucis exceptis, cum plebe communicarentur. Liv. X. 6. *Tribuni plebis Q. & Cn. Ogulnii, undique criminandorum patrum apud plebem occasionibus quæsitis, postquam alia frustra tentata erant, eam actionem susceperunt, qua non infimam plebem accenderent, sed ipsa capita plebis, consulares, triumphalesque plebejos, quorum honoribus nihil, præter sacerdotia, quæ nondum promiscua erant, deesset. Rogationem ergo promulgarunt, ut, cum quatuor augures, quatuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum; quatuor pontifices, quinque augures de plebe omnes adlegerentur.* Cooptabantur a collegio ab ipsis Numæ temporibus. Dionys. II. p. 133. V. illum supr. in *Pontifex.* Et Liv. XI. 42. *Pontifex in locum ejus a collegio cooptatus est Q. Fulvius Flaccus.* Post Q. Maximo Scipione, & L. Mancino Coss. C. Licinius Crassus tribunus plebis legem jussit, qua cooptatio collegiorum ad populi beneficium transferebatur, quam tamen, ut auctor ipse est apud Cicer. de Amicit. c. 25. dissuasit Lælius. Post hunc Cn. Domitius Ahenobarbus hoc jus a collegiis ad populum transtulit, ut innuit Suetonius laudatus supr. in *Pontifex.* Et rem ipsam exponit Cicero ibidem & infr. in *Sortitiones* productus. Diversa erant jura populi, & collegiorum. Populus eligebat, collegia electos a populo cooptabant. Sylla postea, rerum potitus, hanc quoque Domitiam sustulit, restituitque collegiis arbitrium creandorum *sacerdotum*, testante id Ascon. in Cicer. p. 19. Hac abrogata T. Atius Labienus tribunus plebis Domitiam reduxit, quo ipso quoque factum, ut C. Cæsar, nondum prætorius, viris consularibus præferretur, & in locum Q. Metelli Pii pontifex crearetur: Dio XXXVII. p. 46. D. M. Antonius post necem Cæsaris, ut ad M. Æmilium Lepidum pontificatum maximum transferret, *sacerdotium* a populo ad pontifices iterum transtulit. Dio XLIV. p. 269. A. Ita jus cooptandi *sacerdotes* quater fuit immutatum; a C. Domitio, Sylla, Labieno, & Antonio. Imo vice quinta Pansa consule a populo iterum surrogati sunt *sacerdotes.* Ita enim Cicer. Epist. ad Brutum 5. *Pansa vivo celeriora omnia putabamus, statim enim sibi collegam subrogasset: deinde ante prætoria sacerdotum comitia fuissent, notum autem alias comitia semper dici de populo.* Imo constat ex Dion. XLVI. p. 317. leges Antonii a Pansa fuisse abrogatas, quod & ex Cicer. Phil. XIII. 13. patet, acta Antonii fuisse rescissa, inter quæ & hæc erat de *sacerdotiis.* Imperatores demum, abrogatis legibus prioribus, jus eligendi *sacerdotes* ad se rapiebant. Senatus enim teste Dion. LI. p. 457. C. inter alia Augusto quoque concessit, *ut sacerdotes, quotcumque vellet, neglecto etiam antiquitus recepto numero, constitueret, quod quidem ab eo receptum, deinceps in infinitum excrevit.* Struv. ibid. p. 556. Manut. l. l. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 9. Non licebat cooptari *sacerdotem*, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. Cicer. Fam. III. 10 *Quid illa tandem populi.... aut omni sacerdoti collegium? in quo non modo amicitiam violari apud majores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus.* Absens lege Domitia fieri poterat. Cicer. Epist. ad Brut. 5 *Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo. Existimo omnino absentium rationem haberi sacerdotum comitiis posse: nam etiam factum est antea. C. Marius, cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quo minus id postea liceret, ulla lex sanxit. Est etiam in lege Julia, quæ lex est de sacerdotiis proxima, his verbis: qui petit, cujusve ratio haberetur, aperte indicat, posse rationem haberi etiam non præsentis.* Struv. ibid. p. 559. Manut. de Legib. c. 2. Lex etiam prisca prohibebat, ne duo quidem ex una gente idem *sacerdotium* haberent. In cujus tamen fraudem *L. Cornelius Spinther Cornelium Spintherem filium suum, cum inter augures referri cuperet, in quorum collegium Cornelius Faustus Syllæ filius jam adscriptus, in Manlii Torquati gentem adoptandum dedit.* Dio XXXIX. p. 99. B. Et nepotes Augusti Cajus, & Lucius Cæsares: inter hos Cajus pontifex, Lucius augur fuit. Docent hoc inscriptiones antiquæ apud Gruter. p. 234.

C. CÆSARI. AUGUSTI. F.
PONTIFICI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. JUVENTUTIS.
L. CÆSARI. AUGUSTI. F
AUGURI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. JUVENTUTIS

Struv. ibid. p. 559. futuri *sacerdotes* dicebantur *nominari.* Cicer. Phil. II. 2. *Quo tempore me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompejus, & Q. Hortensius nominaverunt, neque enim licebat a pluribus nominari.* V. supr. in *Nominatio. Designari.* Lapis priscus apud Gruter. p. 217. n. 1. SACRATA. DOMUS. AUGUSTO. M. CLODIUS. PONT. DESIG. Inde & Julius Cæsar dicitur *flamen dialis destinatus* apud Suet. c. I. n. I. *Cooptari.* Cicer. Brut. c. I. *Cooptatum me ab eo in collegium recordabor.* Liv. XL. 42. *P. Manlius triumvir epulo cooptatus est.* V. & supr. in *Nominatio. Capi.* Gell. I. 12. *Plerique capi virginem solam debere arbitrantur; sed flamines quoque diales, item pontifices, & augures capi dicebantur. L. Sylla rer. gest. II. ita scripsit: P. Cornelius est flamen dialis captus. M. Cato de Lusitanis, quum Ser. Galbam accusavit; Ego me nunc volo jus pontificium optime scire: jam ne ea causa pontifex capiar? Si volo augurium optime tenere, ecquis me ob eam rem augurem capiat?* Dicebantur capi, quia manu prehensi a pontifice maximo, quasi hostes, capti abducebantur. *Spanhem. de Præst. Numism. Dissert.* VIII. p. 671. *Struv. ibid.* p. 560. Capti inaugurabantur. V. supr. in *Inaugurari.* Certo die præfinito, quem ipsi sumebant. V. supr. in *Inauguratio.* Inaugurati opiparam parabant cœnam, aditialem *sacerdotii* dictam. V. illam supr. in *Adjicialis.* Toga prætexta utebantur. V. illam supr. in *Pontifex.* Capitis ornamenta erant apex, corona, tutulus, galerus. V. illa singula suis locis. Aliquando calceati, aliquando discalceati sacrificabant. Dialis sacerdos, & Flaviales crepidati erant: eodem scilicet habitu, quo Domitianus, amicti. Suet. Domit. c. 4. n. 11. *Certamini præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga Germanica, capite gestans coronam auream cum effigie Jovis, ac Junonis, Mi-*

nervæque: assidentibus Diali sacerdote, & collegio Flaviaлium pari habitu. Calceamenta alba, quæ phæcasia vocabant, gestabant Atheniensium, & Alexandrinorum *sacerdotes.* V. supr. in *Phæcasia.* Plurimos *sacerdotes*, & sacrificantes reperies in nummis antiquis calceatos, ut in Heliogabali, Antonini Pii, aliorum. Sæpissime discalceati operabantur. Herculis *sacerdotem* nudis pedibus introducit Silius Italicus. Sic enim de toto illius vestitu III. 23.

— nec discolor ulli
Ante aras cultus, velatur corpora lino,
Et Pelusiaco præfulget stamine vertex.
Discinctis mos thura dare, atque e lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clavo.
Pes nudus, tonsæque comæ, castumque cubile,
Irrestincta focis servant altaria flammæ.

Virgines Vestales nudis pedibus sacrificasse patet ex Flor. I. 13. Et matronas Romanas ædes Vestæ deæ adiisse tradit Ovid. Fast. VI. 397. V. illos supr. in *Nudipedalia.* Braun. de vestit. Sacerd. Hebr. I. 3. 11. & 12. Byn. de Calc. Hebræor. II. 3. 1. Illorum dignitas erat maxima, & potestas amplissima. V. Dionysium, & Ciceronem supr. in *Pontifex.* Carpento Capitolium illis ingredi antiquitas concessum. V. supr. in *Carpentum.* Quos cum alias carpentis vectos arbitror, tum præsertim, cum in Capitolium deducerent sacra nemini conspicienda. *Scheffer. de Re vehic.* II. 17. *Struv. ibid. p.* 562. *Saubert. de Sacrif. c.* 12. Inter honores non minimus erat, ut essent perpetui. Dionys. II. p. 92. *His non ad certum tempus, sed in omnem vitam hunc honorem concessit.* Perpetuos vero duorum generum fuisse arbitror. Alios, quibus *sacerdotium* viventibus adimi non possit, qui proprie perpetui *sacerdotes*, καὶ διὰ βίε. Alii sunt, quibus *sacerdotium* quidem auferri potest; dicti tamen perpetui, quod assidui essent in sacrorum cura. Ita *perpetuos senatores* appellat Cicer. orat. post redit. in senat. qui tamen senatu moveri potuerunt. Lapsus est certe Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 19. cum asserit *sacerdotium* omnium proprium fuisse, ut essent perpetui. Nam Plutarch. Quæst. Roman. 77. hoc jus auguribus competere tradit, ut ne damnati quidem *sacerdotio* spoliarentur, reliquis in exilium actis easdem negat. *Quid causæ est, quod cum alios sacerdotes in locum damnatorum, atque solum vertere jusserunt, sacerdotioque privatorum sacerdotum sufficiant: soli auguri, etiamsi summorum flagitiorum compertus habeatur, non abrogant sacerdotium quamdiu vivit?* Idem Plin. Epist. IV. 8. 1. *Sacerdotium priscum, & religiosum, hoc quoque sacrum plane, & insigne est, quod non adimitur viventi.* Fuerunt & alia *sacerdotia*, quæ viventibus non eriperentur. M. Lepidus pontifex maximus in summa rerum perturbatione exemplo nobis est. Et Regi sacrorum hic honos fuit, ut esset perpetuus, ὁ τιμὴν ταύτην διὰ βίε ἔχων. Dionys. IV. p. 269. Cæteri *sacerdotes* alia ratione dicti perpetui, quod illorum ministerium publice semper usui esset. Quales sunt flamines, qui in Inscriptionibus dicuntur perpetui, ut *flamen perpetuus Pacis Juliæ, Victoriæ, Felicitatis: Flaminica Augusti perpetua*, ab eo quod juge illorum officium esset, non quod illorum *sacerdotium* διὰ βίε fuerit. V. supr. in *Flamen.* Guther. de vet. jur. pontif. I. 6. Lucernam, & laurum sibi præferebant. V. supr. in *Lucernæ sacrificales.* Imo etiam singulare *sacerdotum* erat privilegium, vacatio a militia, & oneribus personæ inhærentibus. Cicer. Acad. Quæst. IV. 38. *Cum sacerdotes deorum vacationem habeant.* Dionys. l. l. *Immunibus propter ætatem a militia, & propter privilegium exemptis ab urbanis molestiis.* Ita a muneribus quoque aliis publicis in coloniis habebant vacationem, nisi volentes, uti patet ex inscriptione quæ est Neapoli apud Gruter. p. 434. n. 6.

VERATIO. A. F. PAL. SEVERIANO.
EQUIT. ROM. REIP. TEGIANENSIUM. ADLECTO. IN. ORDIN. DECURION. CIVI. AMANTISSIMO.
QUI. CUM. PRIVILEGIO. SACERDOTI. CÆNINENSIS. MUNITUS. POTUISSET. AB. HONORIB. ET. MUNERIB. FACILE. EXCUSARI. PRÆPOSITO. AMORE. PATRIÆ. ET. HONOREM. ÆDILITAT. LAUDABILITER. ADMINISTRAVIT. ET. DIEM. FELICISSIMUM. III. ID. JAN. NATALIS. DEI. PATRI. N. VENATIONE. PASS. DENIS. BESTIS. ET. IIII. FERIS. DENT. ET. IIII. PARIBUS. FERRO. DIMICANTIB. CETEROQ. HONESTISSIM. APPARATU. LARGITER. EXIBUIT. . . . .

Sed vacatio illa tandem, quæ insigne *sacerdotii* ducebatur Symmach. Epist. X. 54. *Ut vittæ earum capitis decus faciunt, insigne ducitur sacrificii vacare muneribus*, ab extraordinariis tantum liberavit. Quare & ab iis quæ extra ordinem præstanda, immunes fuisse dicit Papinian. l. 6. ff. de vacat. & excus. mun. *Hi, qui muneris publici vacationem habent, ad ea, quæ extra ordinem imperantur, compelli non solent.* Non vero ab his, quæ ordinaria. Quare tempore belli Macedonici, ut narrat Liv. XXXIII. 43. *Q. Fabio Labeoni, & Aurelio quæstoribus urbanis magnum certamen fuit cum omnibus sacerdotibus de collatione stipendiorum militarium. Pecunia opus erat, quod ultimam pensionem pecuniæ in bellum collatæ persolvere placuerat privatis. Quæstores ab auguribus, pontificibus, quod stipendium per bellum non contulissent, petebant: ab sacerdotibus tribuni nequicquam appellati, omniumque annorum, per quos non dederant, exactum est.* Struv. ibid. p. 562. Stewech. in Veget. III. 3. Guther. de vet. jur. Pontif. I. 28. Juret. in Symmach. Epist. IV. 62. & Lips. supr. in *Militia.* In provinciis cogebantur ludos populo dare, atque horum exhibitio patrimonii munus fuit l. 8. C. de muner. patrim. *Sacerdotii munera tantum patrimonii esse non ambigitur.* Imperator Alexander l. 1. C. de peric. success. parent. *Si de proprio suo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromisit, ideoque etiam sacerdotem te creari impetravit; onus erogationis commune omnium hæredum ejus esse, præses provinciæ non ignorabit?* Quapropter *in Asia sacerdotium provinciæ suscipere non coguntur numero liberorum quinque subnixi, quod optimus, maximusque Princeps noster Severus Augustus decrevit, ac postea in cæteris provinciis servandum esse constituit.* Ita Papinian. l. 8. ff. de vacat. & excus. muner. Ne, ut credo, immodicis ludorum sumptibus illi vexarentur. *Ut nullus in provinciis, nisi sponte, sacerdotium iterare cogebatur.* Hermogenian. l. sponte ff. de vacat. muner. & honor. *Guther. ibid.* III. 20. *Juret. in Symm. Epist.* IV. 62. *Lips. Saturn.* II. 9. *Buleng. de Vectigal. c.* 69. Interdum erat ipse Rex. Hoc de Rege Romulo scribit Cicer. de Divin. I. 2. *Hujus urbis parens Romulus, non solum auspicato Urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Deinde auguribus & reliqui Reges usi: & exactis Regibus, nihil publice sine auspiciis nec domi, nec militiæ gerebatur.* Dionys. II. p. 87. V. illum supr. in *Rex.* Et ita Anium Deli insulæ Regem, *sacerdotemque* inducit Virg. Æneid. III. 80.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique sacerdos.

Panvin. de Civit. Rom. c. 15. Guther. de vet. jur. pontif. I. 4. Cerda in Virgilium. Spanhem. ibid. p. 691. & postea Imperator. Dio LIII. p. 508. C. *Ex eo autem quod omnibus sacerdotiis inaugurati sunt Imperatores, & quod alios in pleraque illa collegia adsciscunt: semperque unus eorum, ubi duo, vel tres simul imperant, summum pontificatum gerit, continuo fit, ut omnium religionum, & sacrorum domini evadant.* Adjecti etiam nonnunquam sunt *sacerdotes* ex Secto *supra*

ſupra numerum. V. illos infr. in *Supra numerum.* Spanhem. ibid. p. 670. Guther. ibid. c. 9. Robortell. de Magiſtrat. Impp. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. (42.) A. Nihil etiam obſtabat haud inſueto temporibus noſtris more, quominus unus apud gentiles pluribus *ſacerdotiis* ornaretur. Unde Julian. Epiſt. 21. Callixenum quendam declarat inſignitum duplici *ſacerdotio* Cereris & matris deum. Id vero apud Romanos jam olim receptum, quanquam rarius quondam, & pro eximio honore habitum, ut quis in duo collegia cooptaretur. Liv. XXX. 26. *Augur in locum ejus,* Q. Fabii Maximi, *inauguratus Q. Fabius Maximus filius: in ejusdem locum pontifex, nam duo ſacerdotia habuit, Ser. Sulpicius Galba.* Succeſſu temporis, neque ſolum in domo Auguſta, unus in plura collegia adlectus: unde & Galba ante imperium *ſacerdotium triplex accepiſſe* c. 8. n. 1. & Vitellius *ſacerdotiis ampliſſimis auctus* c. 5. n. 1. a Suetonio dicuntur: & *M. Agrippæ, ac Statilio Tauro non obſtitit novitas generis, quo minus ad complura eveherentur ſacerdotia* apud Vellej. II. 127. 1. Inde illa exclamatio apud Senec. de Ira III. 31. *Cooptatus in collegium ſum, cur in unum?* In quodam etiam Neronis Imperatoris nummo impreſſa *ſacerdotiorum* inſignia, patera, tripus, ſimpulum, lituus deſignant multiplicia ejus *ſacerdotia.* Hi tituli, & honores Auguſtis, vel eorum liberis, & ſucceſſoribus ab ampliſſimo ordine ex Scto conferebantur, maxime ubi iidem erant extra ordinem, ſeu ſupra numerum, aut alioqui nondum per leges capax ejuſmodi honorum ætas foret. Ita Marcum Pius *in collegia ſacerdotum jubente ſenatu* recepit. Et Neronis nummo additur ex EX S. C. Liberæ Reipublicæ temporibus facta etiam nonnunquam ætatis gratia in cooptandis *ſacerdotibus,* ſicut inter Neronis majores *Cn. Domitius Ænobarbus oppido adoleſcens ſacerdos lectus* legitur apud Liv. XLIII. 28. & Cæſar *flamen dialis* annorum ſeptemdecim *deſtinatus* apud Suet. c. 1. n. 1. Et Marcus *octavo ætatis anno in Saliorum collegium relatus eſt.* Quod tamen rariſſime factum olim innuit Liv. XXIX. 38. *Augur Tib. Sempronius Gracchus admodum adoleſcens. quod tunc perrarum in mandandis ſacerdotiis erat.* Spanhem. ibid. p. 672. Robortell. de Grad. honor. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. (46.) A. Etiam Imperatoribus conſecratis, & in deorum numerum adſcriptis inſtituebantur, qui ſacra in memoriam cujusque peragerent, & cœleſti religione tanquam deum colerent. Hinc noti paſſim in hiſtoria, & lapidibus flamines, ac ſodales Quirinales, Auguſtales, Claudiales, Flavii, Trajanales, Hadrianales, Antoniniani, & aliorum divorum. V. ſupr. in *Flamen,* & infr. in *Sodales.* Illorum collegia ſumma erant quatuor. V. ſupr. in *Collegium.* Nec ſolum viri ad *ſacerdotalia* horum cœlitum adſcribebantur, ſed interdum etiam feminæ. Marmor: P. POSTHUMÆ. P. F. PAULLÆ. SACERD. D. JULI. AUGUST. Item in Hiſpaniis: LUCR. L. F. CAMPANA. FLAM. PERP. DOMUS. AUG. hoc eſt. *Lucretia L. filia flaminica perpetua domus Auguſti.* Exemplum hujus rei a Livia, quæ miro exemplo *ſacerdos* ſui viri, & quidem ex decreto ſenatus, Dio LVI. p. 600. A. *Tunc vero conſecrantes Auguſtum ſodales ei, & ſacra inſtituerunt, & ſacerdotem Liviam.* Vellej. II. 75. 3. *Livia, Romanorum eminentiſſima, quam poſtea conjugem Auguſti vidimus, quam tranſgreſſi ad deos ſacerdotem.* Ovid. de Pont. IV. 9. 105.

Nec pietas ignota mea eſt, videt hoſpita tellus
In noſtra ſacrum Cæſaris eſſe domo.
Stant pariter natusque pius, conjunxque ſacerdos
Numina jam facto non leviora deo.

Natus pius Tiberius eſt, *conjunx ſacerdos* Livia. Sic Agrippinam fuiſſe Claudii *ſacerdotem* indicat Tacit. Annal. XIII. 2. 5. *Decreti & a ſenatu* Agrippinæ *duo lictores, flaminium Claudiale,* hoc eſt, ut eſſet flaminica Claudii. Hujus generis fuerunt etiam puellæ iſtæ alimentariæ, quas in honorem Fauſtinæ uxoris ſuæ inſtituit Antoninus Pius, easque Fauſtinianas appellavit. Capitol. Anton. Philoſ. c. 26. *Novas puellas Fauſtinianas in honorem uxoris mortuæ inſtituit.* Itemque puellæ iſtæ Mammæanæ, quas in honorem, ac memoriam matris ſuæ Mammææ inſtituit Alexander Severus teſte Lamprid. c. 57. *Puellas quemadmodum Antoninus Fauſtinianas inſtituerat, Mammæanas inſtituit.* Lipſ. in Tacit. Annal. 1. Excurſ. C. Kirchman. de Funer. IV. 14. Berthald. de Arâ c. 30. c. 6. Spanhem. ibid. VII. p. 609. Manſerunt ſub primis Imperatoribus Chriſtianis, cum ſuo Diocletiano *ſacerdotum* collegia adhuc memoret Arnob. IV. p. 151. *Sedent in ſpectaculis publicis ſacerdotum omnium collegia.* . . . a Theodoſio autem omnia *ſacerdotibus* ſalaria adimebantur, & privilegia abolebantur, & expulſi utriusque ſexus *ſacerdotes.* Zoſim. V. 38. *Quo tempore Theodoſius major Romam venit, & contemptum ſacri cultus in animis omnium excitavit, publicum ſumptum ad ſacrificia ſe ſuppeditaturum negavit: expellebantur utriusque ſexus ſacerdotes, & fana deſtituta ſacrificiis omnibus jacebant.* Id quod dein Arcadius, atque Honorius confirmarunt l. 14. C. Th. de pagan. ſacrif. & templ. *Struv. ibid. p. 565.*

Sacerdos deæ Syriæ ſummus erat purpuratus, & aurea tiara utebatur. Lucian. de dea Syr. Tom. II. p. 679. *Sacerdotes ipſis multi eliguntur: quorum alii quidem hoſtias mactant, alii autem libamenta ferunt: rurſus alii flammiferi vocantur, & alii aræ miniſtri. Veſtis autem tota candida eſt, & pileum in capite geſtant. Summus autem ſacerdos alius, ac novus unoquoque anno ſubrogatur; ſolusque hic purpuream veſtem gerit, & tiara aurea redimitur.* Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. 11. Tintinnabulo uti conſuevit, Lucianus: *Ante Syriæ deæ templum phalli duo miræ altitudinis fuerunt ſtatuti: in hos ſacerdos ex ſolitus arte conſcendere, qua Syri palmas altiores, nimirum ſune caudici advoluto,* duplicem hunc eſſe oportuit, ut dum in altero pedes ejus, qui conſcendere vellet, conſiſterent, alter altius promoveretur, *ac paullatim ad ſuperiores partes protracto. Cum vero ad ſummas phalli partes pervenit, orat, ſacra facit, ac inclamat, atque interim tintinnabulo ſonum edit, ut verbis tinnitus ſociaretur.* Æs namque in ſacris non modicam vim habere exiſtimabat antiquitas. Sunt præterea qui putent, deæ ejusdem *ſacerdotes,* qui ſtipem non modicam paſſim emendicantes, ſive potius corradentes colligerent, tintinnabula uſurpaſſe; viſiturque inter antiquorum ſtatuas, Romæ opinor, *ſacerdos* hujuſmodi cum pera, & tintinnabulo. More non abſimili apud Italos noſtros, qui Divi Antonii fratres nuncupantur, paſſim eleemoſynas colligentes, ſtatim atque in pagos, & vicinias pervenerint, tintinnabula movent, quod tinnitus religionem quandam præ ſe ferat: etenim Divum Antonium cum tintinnabulo appingi videmus: & eos, qui aliquid daturi ſint, arceſſat. *Mag. de Tintinn. c. 7.*

Sacerdos Iſidis linea veſte prope peculiariter utebatur. Herod. II. p. 116. *Linea ferunt veſtimenta, ſemper recens abluta, huic rei præcipue vacantes.* Appian. Bell. civ. IV. p. 616. *Voluſius in ædilitate proſcriptus amicum habebat Iſiacum, a quo linteam ſtolam talarem ſumpſit.* Suet. Oth. c. 12. n. 5. *Sacra etiam Iſidis ſæpe in lintea, religioſaque veſte propalam celebraſſe.* Hac Deliam tegi vult Tiball. I. 3. 30.

Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.

Et a poetis perpetuo epitheto liniger cognominatur. Sic Ovid. Met. I. 747.

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.

Mart. XII. 29. 19.

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba.

Juven. Sat. VI. 533.

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.

Quare his uſi fuerint, docet Plutarch. de Iſid. & Oſir. p. 352. *Sunt qui dicunt ſacerdotes linum gerere, ob colorem, quem flos lini habet ſimilem nitori ætheris mundum ambientis. Vera autem horum cauſa eſt. Quod purum tangi a non puro eſt nefas: atque nullum excrementum alimenti, nullum recrementum caſtum, purumve eſt: cæterum ex excrementis na-*

 ſcun-

ſumur lana, villi crines, ungues, atque germinant. Linum porro e terra naſcitur immortali, & vestem exhibet tenuem, ac puram, & eſt apta omnibus anni temporibus, minimeque pediculos gignit. Voſſ. de Idolol. ix. 12. Braun. de Veſtit. Sacerd. Hebr. i. 6. §. 9. Saubert. de Sacrif. c. 11. Lomej. de Luſtrat. c. 34. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 26. Broukh. in Tibullum. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 702. a. B. Dausquej. in Sil. Ital. iii. 24. Stuck. de Sacrif. p. 120. Lambec. in Kalend. vet. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 111. B. Kipping. Antiq. Roman. i. 5. §. 2. Torrent. in Suet. Domit. c. 1. Pitiſc. in Suetonium. Bis in die laudes *Iſidi* debebant dicere. Tibull. i. 3. 31.

Bisque die reſoluta comas tibi dicere laudes
Inſignis turba debeat in Pharia.

Hoc grammatici non animadverterant. Sciendum prima hora templum aperire ſolitos, idque apertio vocabatur, deinde ſalutabant deam, quod ſalutationem & excitationem vocabant. Poſt totam diem ſtipem emendicabant: inde ad octavam redibant, deam componebant, templum claudebant. Hoc igitur eſt *bis die* deæ *laudes dicere*, & mane quum ſalutatur dea: & hora octava, quum templum clauditur. De apertione templi Apul. Met. xi. p. 383. *Rebus jam rite conſummatis, inchoatæ lucis ſalutationibus religioſi primam nuntiantes horam perſtrepunt.* p. 386. *Rite ſollemni apertionis celebrato miniſterio, ac matutino peracto ſacrificio.* Arnob. vii. p. 237. *Quid ſibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad tibiam vocibus? obdormiſcunt enim ſuperi, remeare ut ad vigilias debeant? Quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant, auſpicabili ſalutatione mandatis?* Ubi plane habes de prima hora, & ſalutatione, & excitatione deæ, de apertione templi, de laudibus deæ ad tibiam cantatis, quod hic dicit Tibullus. De hora octava Martialis mox laudandus. *Scalig. & Kipping. l. l. Briſſon. de Form. i. p. 34. Elmenhorſt. in Arnobium.* Totum corpus, ut Herodotus in Euterpe auctor eſt, ſolebant eradere, & tertio quoque die tondere, ne pilorum ſordibus inter ſacrificandum piaculum committeretur, neve inter deorum cultum quisquam pediculorum, aut alterius excrementiciæ ſordis ipſos pollueret. Unde Lactant. i. 21. *deglabrato corpore ſua pectora tundere* dicit. Eodem ſenſu ſacrificulorum iſtam turbam *cohortem pilatam* vocat Mart. x. 48. 1.

Nuntiat octavam Phariæ ſua turba juvencæ,
Et pilata redit jamque, ſubitque cohors.

Intelligit poeta *cohortem pilatam*, hoc eſt, calvam, vel glabram, cui omnes undique pili erant exſtirpati. *Salmuth ibid. p. 27. Kipping. l. l. Scalig. in Tibull. p. 133. Scriver. in Martialem.*

SACERDOTIUM vocemus omnes curationes eorum, qui res ſacras, & divinas tractant. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 19. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 1.*

SACIDAVA eſt oppidum, quod citra ripam Danubii in Myſia inferiore collocat Ptolemæus. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 152.*

SACRAMENTUM dicitur *ea pecunia, quæ in judicium venit in litibus. Qui petebat, & qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quingentos æris ad pontificem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium. Qui judicio vicerat, ſuum ſacramentum a ſacro auferebat, victi ad ærarium redibat.* Varr. de Ling. Lat. iv. 36. Plenius hoc declarat Feſtus: *Sacramentum æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur, ſive eo quis interrogatur, ſive contendit. Id in aliis quinquaginta aſſium eſt, in aliis quingentorum inter eos, qui in judicio inter ſe contenderent. Qua de re lege L. Papirii tribuni plebis ſanctum eſt his verbis: Quicunque prætor poſthac factus erit, qui inter cives jus dicet, treſviros capitales populum rogato, atque treſviri capitales, quicunque poſthac facti erunt, ſacramenta exigunto, judicantoque, eodemque jure ſunto, uti ex legibus, plebeiſque ſcitis, exigere, judicare, eſſeque oportet. Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum eſt, quod & propter ærarii inopiam, & ſacrorum publicorum multitudinem conſumebatur in rebus divinis.* Qui petere vult, id eſt, qui litem facit, ut Fortunatianus JCtus loquitur, ante omnia ſponſione provocat adverſarium, unde petitur: ſi contendit, ex provocatione ſpondet, rurſusque reſtipulatur a petitore, qui etiam vicisſim reſpondere cogitur. Eugraph. in Terent. Adelph. ii. 1. 11. *Quemadmodum ſponſio ante judicium fieri ſolet, ita hic dixit jusjurandum dari quod. . .* Hujus *ſponſionis pignus legitimum eſt ſacramentum*, ut Iſidor. v. 24. Quamvis autem hujuſmodi ſtipulationes, ſponſioneſque mutuæ ſint: proprie tamen qui provocat primum, *ſacramento* rogare, petere, vel quærere dicitur: qui provocatur, *ſacramento* contendere, quod ex eventu judicii juſtum, injuſtumve dicitur, & pronuntiatur. Cicer. pro Dom. c. 29. *Si decemviri ſacramentum in libertatem injuſtum judicaſſent.* pro Cæcin. c. 33. *Cum Cotta decemviris religionem injeciſſet, non poſſe ſacramentum noſtrum juſtum judicari.* Arnob. iv. p. 138. *Quis quæſitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter perſonas hujuſmodi, aut vindicias juſtas dare, aut ſacramenta cogatur pronuntiare non juſta?* Sponſione facta, pignus utrimque deponitur, tum a provocante petitur judex, quo dato, ſumptove, nam ejus ut plurimum optio, electiove fuit, judicium agitatur. Aſconius: *Cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, petebant judicem.* Loquitur autem de crimine repetundarum. Itaque in capitalibus etiam cauſis *ſacramento* locus eſſe non immerito videatur. Et vero deponitur ex lege Papiria juſſu triumvirorum capitalium, & ab eis exigitur. Quod ego tamen in omnibus cauſis perpetuum fuiſſe non facile crediderim. Apud Pontificem dependi, deponique ſolitum docuit Varro. Et vero in rebus divinis, ſacriſque victi pignus expendi ſolitum Feſti verba oſtendunt. Quo pertinere aliquis non immerito arbitretur illud Plaut. Rud. v. 3. 21.

Tun' meo pontifex perjurio es?

Nam alioquin cenſoriis animadverſionibus vindicari ſolitum perjurium Cicero auctor eſt. Sane & in veteribus legum ſanctionibus legimus ſcriptum: *Si quis contra faceret, inferret pœnæ nomine arcæ pontificum:* Et alibi: *Dare damna eſto ærario populi Romani, & collegio pontificum.* Ut autem *ſacramenti* ſummam L. & D. aſſibus proſecutum, de quibus contendebatur, modo ſtatuamus, non dubito tamen, quin ſponſiones majore, minoreve ſumma, ſive legum taxatione, ſive contendentium arbitrio fierent. Ex Ciceronis quidem verbis datur intelligi, cum pecunia certa petebatur, ſolitam fieri ex lege tertia parte ſponſionem. Nam cum dixiſſet pro Comœd. c. 4. *Pecunia tibi debebatur certa, quæ nunc petitur per judicem, in qua legitimæ partis ſponſio facta eſt*, ſubjicit: *pecunia petita eſt certa, cum tertia parte ſponſio facta eſt.* Idem Verr. iii. 58. *facta eſt ſponſio IISV.* Pro modo litis ſponſiones hujuſmodi fieri ſolitas Menæchmi verba indicant apud Plaut. Men. iv. 2. 24.

—— conditiones
Tetuli tortas, confragoſas: aut plus,
Aut minus, quam opus erat multo, dixeram
Controverſiam, ut ſponſio fieret.
Quid ille? quid? prædem dedit.

Sic igitur *ſacramentum* pignus eſt publicum ſponſionis, & ad ærarium redit. Sponſione ipſa aliæ pœnæ legitimæ comprehendi poſſunt, ut tertiæ partis. . . . Hæ non ſunt pignora ſponſionis. Nec enim deponuntur. Et licet interdum deponi poſſint, & vero id expeditiſſimum eſſe dicatur, ne quis in captionem verborum incidat, privata tamen ſunt pignora, quibus victoris indemnitati conſulitur, non publica, quæ ſacris impenduntur. *Sacramentum* utrimque ſemper deponitur. Sponſionis pœnas, utrimque ſemper promitti nolim ſcribere, cum & de decima parte initio litis ſolum auctorem repromittere ſolitum videam. Illud ad extremum addatur, quod ad *ſacramentum* pertinet, has notas apud Valerium Probum. Q. N. T. S. Q. P. tam recte ſic exponi: *Quando negas, te ſacramento quingenario provoco*, quam ſic, *te ſacramento quinquagenario*, & utrique *ſacramenti* legitimæ taxationi convenire.

venire. Cujus exemplo & in jure prætorio videmus pecuniarias actiones alias in L. alias in D. aureos statui solitas. *Pith. Adv.* I. 18. *Augustin. de Legib. in Papiria. Ursin. ad leg. & Scta ad legem Papiriam. Sigon. de Judic.* I. 21. *Struv. Ant. Roman. c.* 10. *p.* 462. *Voss. Lex. Etymol. Laurent. var. sacr. gentil. c.* 6. *Stephan. de Jurisdict. vet. Græc. c.* 4. *Petit. Comment. ad Leg. Attic.* V. 2. *Guther. de vet. jur. pontif.* IV. 21. *Hansen. de Jurejur. vet. c.* 12. *Ravard. Var.* V. 10. *Protribun. c.* 10. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 16. *G. Poller. For. Rom.* IV. 10. *Salmas. de mod. usur. c.* 11. *Long. de Annul. c.* 11. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* VII. 31.

Sacramentum ἀσφαλέας, id est, ut vetus Græco-Latinum glossarium interpretatur, *cautionis, tuitionis, præsidii*, præstabatur ab iis, qui securitatis causa quem in tutelam suam accipiebant. Exemplum in Appian. de Bell. civ. II. p. 519. ubi Cæsar Julius, inimicorum insidias, & conspirationes veritus, populi se credidit Romani præsidio, hac locutione: *Juramus Cæsarem, ejusque corpus servaturos, quantum in nobis situm erit: quicunque vel ejus vitæ insidiaturus erit, vel contra ipsius caput coitionem fecerit, vel ei opem, auxiliumque non tulerit, sacer, & devotus esto.* Ejusmodi *sacramenta* Principibus Romanis præstita fuisse narrat quoque Gunterus de Gest. Frider. VII.

Tunc proceres, clarique viri, turbæque minoris
Ambitiosa manus, studio devota fideli
Sacramenta dabunt, cunctas servanda per urbes:
Principis Ausonii jus, famam, corpus, honorem;
Nec se læsuros, & si quis lædere tentet
Usque vel ad mortem, tota vel morte reniti.

Sic Principi, cujus corpus publico *sacramento* vallatum est, qui insidias struxisset, hostis vocabatur publicus l. omnes. l. Heraclianus C. Th. de pœnis. *Hansen. de Jurejur. vet. c.* 7.

Sacramentum militi in exercitu agenti adeo fuit necessarium, ut citra illud ne hostem quidem ferire liceret. Cato apud Plutarch. Quæst. Rom 39. ejus meminit, dum quærit: *qua causa fiat, quod qui sacramento militari non tenerentur: etiamsi alias in castris, exercituque versarentur, non tamen haberent jus interficiendi, aut vulnerandi hostis?* Cicer. de Offic. I. 11. *Cato ad Pompilium scribit, ut si filium pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret sacramento: quia priore amisso, jure cum hostibus pugnare non poterat.* Imo & ab eo fonte derivatum est, ut militia quoddam genus consueverint appellare *sacramentum*. Glossarium vetus: *Sacramentum*, ὅρκος στρατιωτικὸς: στρατεία, *militia, sacramentum.* Isidor. IX. 3. *Tyrones dicuntur fortes pueri, quod ad militiam delegantur*, repono *deliguntur, atque armis gerendis habiles existunt; hi enim non ex sola professione nativitatis, sed ex aspectu, & valetudine corporis existimantur*, lego *æstimantur, unde & tyrones dicti, quique antequam sacramento probati sint, milites non sunt.* Serv. Æneid. II. 157: VII. 616: VIII. I. V. illum supr. in *Militia*. Eratque hoc solum legitimum militiæ genus, quo qui militaturi erant, ab ipsis ducibus delectu habito conscribebantur. Quod quomodo factum fuerit, tradit Polyb. VI. 19. *Peracto delectu, tribuni militum suæ quisque legionis eos, qui fuerant conscripti, congregant, atque unum ex omnibus eligentes maxime idoneum sacramento adigunt; fore omnino, ut pareat imperio ducum, & quicquid ab iis fuerit jussus pro viribus præstet.* Ubi quod de *sacramento* militari dicit, quale id fuerit, nemo exponit, nisi quod sancte, atque religiose id a militibus observatum, eoque illos jussos fuisse ducem sequi, quocunque duceret, scribant auctores. Sic enim Dionys. XI. p. 723. *Hortantibus multis sacra movere signa, neque tutum, neque sanctum existimantibus omnibus ducem relinquere, ob sacramentum militare, quod maxime omnium servant Romani. Jubet enim militantes sequi ducem, quocunque ducat: lexque ducibus potestatem dedit occidendi non parentes, relinquentesque signa indemnatos, & indicta causa.* Et primum quidem milites *sacramento* tantum a tribunis rogabantur, non jurejurando ad militiam adigebantur: ipsi autem inter se conjurabant, se fugæ, atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros. Postea vero L. Æmilio Paullo II. Terentio Varrone coss. an. 538. jurejurando milites fieri cœpere. Liv. XXII. 38. *Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, jurejurando a tribunis militum adacti, jussu consulum conventuros, neque injussu abituros. Nam ad eam diem nihil præter sacramentum erat: & ubi ad decuriatum, aut centuriatum convenissent, sua voluntate, ipsi inter se equites decuriati, pedites centuriati conjurabant, sese fugæ, ac formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut civis servandi causa. Id ex voluntario inter ipsos fœdere a tribunis ad legitimam jurisjurandi actionem translatum.* Hinc Festus: *Sacramento dicitur, quod, jurisjurandi sacratione interposita, actum est; unde quis sacramento dicitur interrogari, quia jusjurandum interponitur.* Et Veget. II. 5. *Milites jurare solent. Et ideo militiæ sacramenta dicuntur.* Formulam ex Cincii de re militari V. prodidit Gell. XVI. 4. *In magistratu C. Lælii C. F. consulis, L. Cornelii P. F. consulis in exercitu, decemque millia passuum prope, furtum non facies, dolo malo solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos. Extra hastam, hastile, ligna, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi inveneris, sustulerisve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium C. F. consulem, Luciumve Cornelium P. F. consulem, sive ad quem eorum jus erit, proferas: aut profitebere in triduo proximo, quicquid inveneris, sustulerisve dolo malo, aut domino suo, cujum id censebis esse, reddes. Uti quod recte factum esse voles.* Prodiderunt etiam Dionysius, & Livius modo laudati. Sub Principibus fuit etiam alia, cum nomen Principis juramento inserere, & per majestatem imperatoriam jurare cœperunt. Tacit. Hist. IV. 31. 3. de veteranis in juramenti præstatione cunctantibus: *Et cum cætera jurisjurandi verba conciperent, Vespasiani nomen hæsitantes, aut levi murmure, & plerumque silentio transmittebant.* Arrian. in Epictet. I. 14. *Enim vero par erat vos esse Deo obstrictos jurejurando, quemadmodum milites sunt Cæsari: at illi mercede accepta jurant rebus omnibus se præposituros salutem Cæsaris.* Et iterum alia sub Principibus Christianis, cum per Deum, & per Christum, & per Spiritum Sanctum jurare cœperunt. Veget. II. 5. *Jurant per Deum, & per Christum, & per Spiritum sanctum, & per majestatem imperatoriam, quæ secundum Deum generi humano diligenda est, & colenda. Nam Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti, & corporali deo fidelis est præstanda devotio, & impendendus pervigil famulatus. Deo enim vel privatus, vel militans servit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore. Jurant autem milites, omnia se strenue facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romana Republica.* Præstabatur in castris, illorumque principiis apud signa, imo in ipso, ni fallor, prætorio. Quod ut suspicer, solus inducit Tacit. Hist. IV. 46. 9. *Spernunt oblatos sibi agros, & stipendia orant. Preces erant, sed quibus contradici non posset. Igitur in prætorium recipiuntur.* Sed posteriore *sacramento*. Nam prius statim a conscriptione. Istud ad disciplinam modo pertinuit, illud ad militiam ipsam. Prius Polybius exprimit laudatus, qui dixit: *finita conscriptione sacramento adigunt.* Jurarunt non singillatim, quod tamen Polybius non oscitanter adnotat: *reliqui omnes adjurant singuli prodeuntes;* dixeret enim palam, & signanter, *unum & maxime idoneum electum*, qui singula juramenti verba conceperit: nisi præivisse unum velit, alios secutos deinde hoc saltem dixisse: jurare se idem. V. supr. in *Præjuratio*. Aliter tamen in Livio: nam ille post seditionem Hispaniensem ad Sucronem XXVIII. 29. *Cum milites nominatim apud tribunos militum in verba P. Scipionis jurant.* De tribunis idem est, quod Polybius. Sed milites nominatim citatos facit, & jurasse. Potest tamen flecti ad hanc sententiam, ut singuli citati, & progressi juraverint in ea, quæ unus aliquis præisset. Si hic alter factum est, noviter esto, & majori vinculo ob priorem fidem in seditione violatam. Tale aliquid in Appian. bell. Mithrid. p. 210. lego a Fimbria tentatum, cujus milites

cum

cum ad Syllam ſpectarent, ipſe ſubornatis quibusdam novo religionis ſacramenti adſtringere voluit. *Clamantibus Venetis oportere nominatim citare ad juramentum, ipſe quosdam ex beneficiariis ſuis citabat.* Ecce hic nominatim vocandi erant, eodem illo fine. Ergo viritim jurarunt plurimum, neſcio an ſemper. Dixeris, quod per centurias etiam. Ita enim Cæſ. de Bell. civ. 1. 76. *Centuriatim producti milites idem jurant. Sed potuit in centuriis etiam eſſe, & mox viritim conjuratio.* Excuſationes in hac re plurimas V. ſupr. in *Delectus*. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. x. 3. Lipſ. de Milit. Rom. 1. dial. 6. Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p. 1167. C. Hanſen. de Jurejur. vet. c. 22. & 23. Stewech. in Vegetium, Ouzel. in Gellium. Valtrin. de Re milit. Rom. 11. 7. Sichterman. Diſſert. de Pœn. milit. c. 3. Laurent. Polym. iv. Synopſ. 1. §. 4. Caroli Antiq. Roman. iii. 4. Thyſ. Rom. Illuſtr. 1. p. 49. Kipping. Antiq. Roman. iv. 1. §. 4.

Sacramentum ſodalicii juris eſt formula, ſeu pactio, in qua ſe obligant ſodales, vel collegiati. Juſtin. xx. 4. 14. *Sed trecenti ex juvenibus, cum ſodalicii jure ſacramento quodam nexi ſeparatam a cæteris civibus vitam exercerent, quaſi cœtum clandeſtinæ conjurationis haberent, civitatem in ſe converterunt.* Facit poteſtatem lex ſodalibus pactionem ſibi, quam velint, ferendi, dum ne quid ex publica lege corrumpant. l. 4. ff. de coll. eg. & corpor. *Pactionibus ſe componere* vocat lex unica C. de monopol. Sic Plin. Epiſt. x. 97. de Chriſtianis ad Trajanum refert *eos ſe ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent.* Non enim proprie jurejurando ſe adſtringebant, ſed de lege Dei admoniti quisque, & ſibi, & cæteris, mutuo ſuos in hac vitæ regula recipiebant. Hoc erat illud *ſodalicii juris ſacramentum*; illud vinculum, quo continebantur ſocietates illorum, qui coierant. Nexi *ſacramento juris ſodalicii* dicuntur, qui ſub certis legibus, pactisque coierunt, collegium inſtituerunt. *Gronov. Obſerv.* iv. 16.

SACRARIUM erat in ædibus privatorum. Differebat a larario, quod hoc Laribus, illud peculiari alicui deo *ſacratum*. Videmus id ex Cicerone, qui *ſacrarium* Bonæ deæ in fundo T. Sextii Galli commemorat pro Mil. c. 31. *Niſi forte etiam hoc caſu factum eſſe dicemus, ut ante ipſum ſacrarium Bonæ deæ, quod eſt in fundo T. Sextii Galli, cum prælium commiſiſſet, primum illud vulnus acciperet.* Et aliud in ædibus Heji Verr. iv. 2. *Erat apud Hejum ſacrarium magna cum dignitate in ædibus, a majoribus traditum, perantiquum, in quo ſigna pulcerrima quatuor, ſummo artificio, ſumma nobilitate.* Auguſti quoque *ſacrarium*, ubi imago ejus a Julia uxore quondam, tunc ſacerdote colebatur, memorat Suet. Tib. c. 51. n. 2. Ita *ſacraria* numinum, de quibus inſcriptio mox laudanda in *Sacrarium Principis*. Struv. Ant. Rom. c. 11. p. 311.

Sacrarium erat etiam *locus, in quo ſacra reponuntur: quod etiam in ædificio privato eſſe poteſt.* Ulpian. l. ſacra §. illud notandum eſt. ff. de Rer. diviſ. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 15. *Saubert. de Sacrif.* c. 14. *Gutberleth. de Saliis* c. 16. Aſſervabantur in loco illo inſtrumenta, effigiesque ſacræ, ut Palladium, Penates, & alia hujusmodi, quod & adytum, & in æde Veſtæ penum dicere poſſumus. Unde *Penatium deorum ſacraria* dicuntur eorum penetralia, μυχοὶ, ἐνδόδατα in gloſſis vet. *Guther. de vet. jur. pontif.* iii. 9. *Laurent. Var. ſacr. gentil.* c. 5.

Sacrarium Fidei fuit in Urbis regione prima, quæ porta Capena. Liv. 1. 21. *Lucus erat, quem medium ex opaco ſpecu fons perennis rigabat aqua, quo quia ſe perſæpe Numa ſine arbitris velut ad congreſſum deæ inferebat, Camœnis eum lucum ſacravit, quod earum ibi concilia cum conjuge ſua Egeria eſſent, & ſoli Fidei ſollenne inſtituit. Ad id ſacrarium flamines bigis curru arcuato vehi juſſit, manuque dextra ad digitos uſque involuta rem divinam facere, ſignificantes Fidem tutandam, ſedemque etiam in dextris ſacratam eſſe.* Liquet locum, ſeu ſpecum, quo Numa ſolus itare conſueverat, remotiorem ab Urbe fuiſſe: ſiquidem ſacerdotes eo curru vehebantur, ut *Fidei* ſacra facerent. Verba vero, *ad id ſacrarium*, ſuſpicionem movere queant *ſacrarium* illud in eo luco fuiſſe templum, quod a Numa Fidei exſtructum ſcribit Dionyſ. ii. p. 134. *Hæc cogitans, primus omnium hominum Fidei publicæ templum ſacravit, aſſignatis ex ærario ſacrificiis.* Quanquam ego alibi fuiſſe veriſimilius arbitror, ſive in Palatino, ſive in Capitolino. Sed hac de re liberam cuique exiſtimationem relinquo; cum, quid conjici poſſit, indicaſſe ſufficiat. *Nardin. Rom. vet.* iii. 3. *Gyrald. Synt. deor.* 1. p. 29. D.

Sacrarium Martis Gradivi fuit locus in ipſius templo, in quo ancilia ſervabantur. Serv. Æneid. vii. 603. *Moris fuerat indicto bello in Martis ſacrario ancilia commovere.* Gaberleth. de Saliis c. 16.

Sacrarium Principis pro interiore ejus conſilio uſurpatur. De hac Arcadii Icti verba ſunt de legatis, qui ad *ſacrarium* Principis mittuntur. De quibus Imperatores reſcripſerunt: *ut quæcunque civitas ad ſacrarium noſtrum voluerit ordinare, libera ei tribuatur facultas.* Illud ſecretum δικαστήριον, intima conclavia, in quo judicum ſecretarii fuere. Atque ut privata fuerunt, ſic *ſacraria* illis publica, vel privata. De publico Tacit. Annal. ii. 41. 1. *Sacrarium genti Juliæ, effigiesque divo Auguſto apud Bovillas dicata.* Quod cæteri Imperatores conſecuti ſunt cum ludis in *ſacrarii* dedicatione. Elegans inſcriptio Romæ reperta eſt nuper, qua *ſacrariorum* cura ab ipſis Imperatoribus recepta:

IMP. CÆSAR. DIVI. NERVÆ. F. NERVA. TRAJANUS. OPTIMUS. AUG. GERMANICUS. DACICUS. PONTIF. MAX. TRIBUNIC. POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI. SACRARIA. NUMINUM. VETUSTATE. DILAPSA. A. SOLO. RESTITUIT.

Privata unusquisque domi ſibi habebat. *Guther. de vet. jur. Pontif.* iii. 9.

SACRATI dicebantur alicui deo, qui illius myſteria ſumebant. Auguſt. de Civit. Dei ii. 26. *Perhibentur tamen in adytis ſuis ſecretisque penetralibus dare quædam bona præcepta de moribus quibusdam, velut electis ſacratis ſuis.* Id eſt, μεμυημένοις. Vides velut electos appellari deorum gentium ad inſtar veri Dei electorum, qui ſacramentis, & myſteriis eorum initiati ſunt, ut electi ſint Chriſti fideles propter ſacramenta *conſecrati* vero ejus cultui. Sic & milites militiæ velut ſacrati ſunt, qui ſacramentum acceperunt, vel, ut loquebantur veteres, ſacramento dixere. *Salmaſ. de Transſubſtant.* p. 261. *Zimmerman. Floril. Philol.* p. 693.

SACRIFICARE differt a litare. V. ſupr. in *litare*. Qui *ſacrificabant*, dicebantur facere aliquid. Hinc *pro frugibus facere* dixit Virg. Ecl. iii. 77. & *Propter viam*. V. ſupr. in *Propter viam*. Eſt munera Deo offerre, vel vovere, aut petere ab eo. Breviter, officium eſt quod rei divinæ faciendæ cauſa impenditur. *Moreſtell. Philomuſ.* v. *dial.* 5. Funere pollutis non erat fas. Serv. Æneid. xi. 2. *Conſuetudo Romana fuit, ut polluti funere minime ſacrificarent. Si tamen contingeret, ut uno, eodemque tempore funeſtaretur quis, & cogeretur operam dare ſacrificiis, elaborabat, ut ante ſacra efficeret, quam funus agnoſceret. Unde etiam Horatius Pulvillus in Capitolii dedicatione, cum ab inimicis ejus filius nuntiaretur exſtinctus: ut quidam putant, falſo: ut alii, pro vero, ait: cadaver ſit: nec voluit funus agnoſcere, donec templa dedicaret.* Kirchman. de Funer. ii. 21. *Sacrificaturus* in omnibus *ſacrificiis* rite celebrandis, antequam diis immolaret, aut rem divinam faceret, quibusdam ſe ſacris præparabat; unde Græcis verbum frequens ἐξοργιάζειν, quod nihil aliud, quam ad cultum ſacrorum ſe expiare. Hæc præparatio quaſi ad ſacra deſcribitur lege eleganti, quam *ſacrificaturis* præſcribit Cicer. de Leg. ii. 8. *Ad divos caſte adeunto, pietatem adhibento, opes amovento, qui ſecus faxſit, Deus ipſe vindex erit.* Eo pertinebant 1. corpus abluere. *Sacrificaturos* corpus abluere ſolitos fuiſſe V. ſupr. in *Abluebant*. Fiebat hæc lavatio vivo flumine. Liv. 1. 45. *Bos in Sabinis nata cuidam patrifamiliæ*

familia dicitur, miranda magnitudine, ac specie. Habita, ut erat, res prodigii loco est. & cecinere vates, cujus civitatis eam civis Dianæ immolasset, ibi fore imperium, idque carmen pervenerat ad antistitem fani Dianæ. Sabinus bovem Romam actam deducit ad fanum Dianæ. Ibi antistes Romanus Sabinum ita alloquitur. Quidnam tu hospes paras? inquit, inceste sacrificium Dianæ facere? quin tu ante vivo perfunderis flumine? Infima valle præfluit Tiberis. Servius ad Virg. Æneid. II. 619. *vivum flumen* exponit *semper fluens & naturale. Vivam lympham* appellat Val. Flacc. III. 422. *Vivum rorem* Ovid. Fast. IV. 778. Hinc apud veteres scriptores *pure lavari.* Docebunt hoc nos Tibullus, & Livius mox laudandi. Hanc lotionem externam ridet Arnob. VII. p. 222. *Mactatumque hoc illis, quorum templa quum adire disponitis, ab omni vos labe puros, lautos, castissimosque præstatis.* II a Venere abstinere. Tib. I. 3. 25.

Quidve pie dum sacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro secubuisse toro.

Liv. XXXIX. 9. *Decem dierum castimonia opus esse, decimo die cœnatum, deinde pure lautam in sacrarium deducturam.* Unde hesterna Venere inquinatos a sacris arcebant. Tibull. II. 1. 11.

Vos quoque abesse procul jubeo: discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Merul. de Sacrif. c. 2. §. 2. 3. Brisson. de Form. I. p. 5. Herald. in Arnobium. Feith Antiq. Homer. I. 10. Clasen. Theol. gentil. III. 5. §. 2. Vel post Venerem se purificare. V. supr. in *Abluebant.* Ejus habitus erat linteus, & candidus. Tibull. I. 3. 29.

Ut mea votivas persolvens Delia laudes,
Ante sacras lino tecta fores sedeat.

Ovid. Trist. III. 13. 13.

Scilicet exspectas solitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris vestis ut alba meis?

Amor. III. 13. 17.

More patrum sanctæ velatæ vestibus albis.

Lamprid. Alex. Sev. c. 60. *Quum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit, & albam ejus vestem, cum qua constiterat, cruentavit.* Ab hoc vestitu *candidatus* vocabatur. Plaut. Rud. I. 5. 11.

Æquius vos erat candidatas venire, hostiatasque.

Sumpta hac denominatione a petituris magistratum, qui absque interiore tunica in comitia candida operti veste descendebant, ut eo habitu ad supplicandum humiliores accederent, seu albo colore innocuos se ostenderent. *Saubert. de Sacrif. c. 11. Casaub. in Pers. II. 39. Exercit. in Baron. c. 16. sect. 73. Clasen. Theol. gentil.* III. 5. §. 3. Et purus. Festus: *Pura vestimenta sacerdotes ad sacrificium habebant, id est, non obsita, non fulgurata, non funesta, non maculam habentia.* Serv. Æneid. XII. 169. *Pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacrificaturi: ut neque funesta sit, neque fulgurata, neque maculam habeat ex homine mortuo. Est autem purpurea & linea. Purpura maris vicem ad piandum præbet. Linum vero fluminis, quia cum vere primum in oriente flumen inundasset, linum natum Plinius Secundus dicit. Ideo magistratus sacrificaturi togam prætextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant.* De pura *sacrificantium* veste Tibull. I. 11. 27.

Hunc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus & ipse caput.

Virg. Æneid. XII. 169.

— *puraque in veste sacerdos*
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit.

Lomej. de Lustrat. c. 34. Kipping. Ant. Rom. I. 11. 20. Brisson. ibid. p. 6. Merul. ibid. c. 2. Cerda in Virgilium. Alex. Gen. dier. IV. 17. Erat coronatus. V. supr. in *Corona sacerdotalis.* Vittatus. V. infr. in *Vitta.* infulatus. V. supr. in *Infula.* Comitatus choro puerorum, canentium laudes deorum, & secum ducebat fistulatores, & citharistas: nam rarissime *sacrificia* perficiebantur absque musices cantu. Ad orientem versus, quippe matutinum tempus *sacrificiis* idoneum astimarunt, cum deos tunc assidere templis, & matutinis salutationibus adesse opinio foret. *Choul. Relig. vet. Roman. p. 219. Alex. l. l.* Aram manu apprehendebat. Virg. Æneid. IV. 219.

Talibus orantem dictis, arasque tenentem
Audiit omnipotens.

Ubi Servius: *Necesse erat ansas a sacrificantibus teneri: quod nisi facerent, grata diis sacrificatio non esset.* VI. 124.

Talibus orabat dictis, arasque tenebat.

Horat. Od. III. 23. 17.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit aversos penates
Farre pio, & saliente mica.

Hinc Macrob. Sat. III. 2. *Multifariam legimus, quod litare sola non possit oratio, nisi & is, qui deos precatur, etiam aram manibus apprehendat. Inde Varr. Divin. V. dicit aras primum ansas dictas; quod esset necessarium a sacrificantibus eas teneri: ansis autem teneri solere vasa quis dubitet?* Alex. l. l. & ad illum Tiraquellus. Brisson. ibid. p. 40. Merul. l. l. Cerda in Virg. Æneid. IV. 219. Saubert. ibid. c. 13.

SACRIFICIUM est *hostiæ donum Deo exhibitum.* Ita definivit Plato, ut legitur apud Marsilium Ficinum in Speusippum Platonis discipulum. Isidor. VII. 19. *Est victima, & quæcunque in ara cremantur, seu ponuntur.* Morest. Philomus. V. dial. 5. Merul. de Sacrif. c. 1. §. 4. Guther. de vet. jur. pontif. IV. 2. In mente stabilito Deum esse, eumque omnipotentem, malorum eversorem, bonorum largitorem, *sacrificia* ab hominum genere, quamvis diverso modo, tamen aliquo, exhibita fuisse omni seculo dubitandum non est. *Morestell. l. l.* Theologi gentium in summa veræ religionis cæcitate tribus de causis deis *sacrificandum* esse existimarunt. I. ut veneremur eos, tanquam nobis superiores. II. ut gratias referamus pro beneficiis ab iis acceptis. III. ut ab ipsis necessaria petamus, & illi mala, atque omnia vitæ incommoda propellant. *Merul. ibid. §. 2. Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 510. *F.* Initio ex frugibus constabat. Ovid. Fast. I. 337.

Ante deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Atque hoc fuisse ex Numæ instituto antiquitas apud Romanos testatur. Plutarch. p. 65. C. *C. Hostiæ ejus respondent plane Pythagoricis. Erant enim sine sanguine, & plerumque farina, libatione, rebusque vilissimis constabant.* Cecrops etiam vetustissimus Atheniensium Rex nihil sacrificavit animatum, sed liba tantum patria obtulit. Pausan. Arcad. p. 237. *Ille, Cecrops, quum primus Jovem cognomine supremum appellasset, nihil vita præditum ei immolandum duxit, sed liba tantum patria, pelanos etiamnum Attici vocant, ut ad aram porricerentur, sanxit.* Feith Antiq. Homer. I. 8. Clasen. Theol. gentil. III. 3. Merul. ibid. §. 2. Tomas. de Donar. c. 4. Gyrald. l. l. Serius utique apud nationes invaluit mactatio animalium; quippe quæ religioni ducebant sanguinis effusionem. Unde ῥέζειν καὶ ἔρδειν *dicti, qui primi victimas diis mactarunt, quasi magnum aliquod patrassent.* Plutarchus. *Feith & Clasen. l. l.* In iis delectus summus est habitus, ut essent quam optima, & perfectissima. V. infr. in *Victima.* Res divinas, & sacra fecerunt Romani bellum aggressuri. Liv. XXXVI. 1. *Publium Cornelium Cn. filium Scipionem, & Manium Acilium Glabrionem coss. inito magistratu patres priusquam de provinciis agerent, res divinas facere majoribus hostiis jusserunt in omnibus fanis, in quibus lectisternium majorem partem anni fieri solet: precarique quod senatus de novo bello in animo haberet, ut ea res senatui populoque Romano bene, ac feliciter eveniret. Ea omnia sacrificia læta fuerunt: primisque hostiis perlitatum est: & ita aruspices responderunt, eo bello terminos populi Romani prorogari: victoriam, ac triumphum ostendi.* Valtrin. de Re milit. Roman. I. 5. Tomas. de Donar. c. 26. Ste-

wech. in Veget. I. 6. Pecore bubulo primo *sacrificatum* creditur. Porphyr. de non necand. animal. II. refert Athenis primo bovem fuisse cæsum a Diomo, cum Dypolia sacra Jovi Polyæo faceret, idque fortuito, quod bos placentam sacris destinatam absumpsisset, in cujus rei memoriam sacra instituta, quæ Βεφόνια hinc dicta. Prometheum vero primum bovem occidisse refert Plin. VII. 56. Alii tamen Thalo: unde & nomen illi a Græcis inditum. V. supr. in *Porca*. Peracto conveniebant sacerdotes, & nonnulli eorum qui interfuerant, & ad epulas se convertebant: & raro, aut nunquam *sacrificium* sine epulo, ad quod victimarum carnes adhibebantur. Polyæn. II. *Ob faustum nuntium victimas cecidit, e quibus partes misit ad amicos.* Xenoph 'Αναβ. I. *Agesilaus sacrificavit ob bonum nuntium, & milites jussit epulari.* Hinc Ovid. Fast. II. 655.

Spargitur & cæso communis terminus agno,
Nec queritur, lactens quum sibi porca datur:
Conveniunt, celebrantque dapes vicinia simplex:
Et cantant laudes Termine sancte tuas.

Merul. ibid. c. 5. §. 3. Buleng. de Conviv. I. 16.

Sacrificium abstemium erat, quod more Græcorum faciebat sacrificula Cereris, cujus templum in Palatio ab Arcadibus factum erat. Dionys. I. p. 26. V. illum infr. in *Templum*. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2.

Sacrificium ambarvale. V. illud supr. in *Ambarvalia*.

Sacrificium Apollini debebat fieri in ludis secularibus, ita monente Sibylla:

— *& Phœbus Apollo*
Qui & Sol vocatur, paria recipiat
Sacrificia, Latonæ filius.

Hoc observatum fuisse Apollinem, & Dianam alloquens ostendit Horat. carm. secul. n. 49.

Quæque vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisæ, Venerisque sanguis.

Taffin. de Lud. secul. c. 10. §. 8.

Sacrificium canarium. V. illud supr. in *Canarium*.

Sacrificium Demetriacum, sive Bonæ deæ, nullo spectante mare e populo præbebatur, atque ita ἀντιφραστικῶς. De hoc Juven. Sat. VI. 336.

— *sed omnes*
Noverunt Mauri, atque Indi, quæ psaltria penem
Majorem, quam sint duo Cæsaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura jubetur,
Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2.

Sacrificium Ilithyis a Sibylla injunctum fuit anno seculari his versibus:

Tum Ilithyas, sive Lucinas *placanto*
Puerperas hostiis, ut fas est.

Sic visum est c. 2. corrigere Opsopæi versionem, qui de unica Lucina accipit, & vertit, quia Græca sundent in plurali vertere *Ilithyas puerperas*. Plures *Ilithyas* cum Sibylla agnoscunt Hesychius, qui Ilithyas interdum deas significare ait, interdum dolores. Phurnut. c. 34. ideo plures Ilithyas esse ait, eo quod sint varii animantium partus. Per Ilithyas intelligi possunt deæ, quibus aræ a Romanis exstructæ, & sacra facta ad pariendi discrimina evitandas, de quibus ex Varrone Gell. XVI. 16. *Quando infantes contra naturam forte conversi in pedes sunt, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægriusque tunc mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratia aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentalibus: quarum altera Postverta nominata est, Prosa altera, a recti, perversique partus potestate, & nomine.* Ilithyiam unam varii agnoscunt Latini, & eam puerperis auxilium ferre arbitrantur, atque pro Diana sumunt. Hinc sub Ilithyæ nomine Dianam invocat Horat. carm. secul. n. 13.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya, tuere matres.
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

Ovid. Met. IX. 283.

— *faveant tibi numina saltem,*
Corripiantque moras, tunc cum matura vocabis
Propositam timidis parientibus Ilithyam.

Ex his patet, cur Sibylla vocet *Ilithyas puerperas*, nempe eo, quod puerperis adsint. Hinc apud Orpheum hymno I. qui est in Prothyræam n. 10. eam solam parturientes invocare dicuntur. Item apud Callim. hymn. in Dian. n. 23. Ilithyas dicit præfectas parturientibus a Parcis, ut vertit Natalis Comes IV. I.

— *hisce levare*
Vix bene me natum Parcæ statuere labores,
Quod me cum pareret, vel me gestaret in alvo
Mater non unquam doluit, sine læta labore
Deposuit quod ventris onus.

Taffin. de Lud secul. c. 10. §. 4. Gyrald. Synt. deor. XII. p. 364. B. Voss. de Idolol. II. 21. Turneb. Adv. XX. 30. Barthol. de Puerp. p. 25. 26. Kipping. Antiq. Roman. I. I. 16.

Sacrificium Jovis dum præscribit Sibylla, mandat illi sacrificari boves candidos, idque de die. Verba sunt:

Candidi vero tauri Jovis ad aram ducantur
De die, non de nocte.

Ex quo erroris arguitur Natalis Comes, dum Mythol. I. 17. asserit, nefas fuisse Jovi taurum immolare, inductus in errorem, ut arbitror, ab Attejo Capitone, qui idem asserit: aut Labeone I. 78. affirmante, non immolari taurum, nisi Neptuno, Apollini, & Marti. Error iste deprehenditur non solum hoc ex Sibyllæ carmine, sed etiam Virg. Æneid. IX. 627. quo loco Ascanius Jovi hæc vota facit:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem.

Item ex Senec. Med. I. 59.

Primus sceptriferis colla tonantibus
Taurus celsa ferat tergore candido.

Illos præcipit offerendos omnino candidos; quia ita ex oraculo Apollinis faciendum erat.

Tres autem terrestribus, tres vero cœlestibus diis:
Candida cœlestibus, terrestria similia colori
Terræ, trifariam hostias occidens.

Cur autem præcipiat hæc *sacrificia* immolari de die, rationem subjicit:

— *diis namque cœlestibus*
Diurnus est victimarum modus.

Idem asserit Callixenus Rhodius de Alexandria his verbis: *Diis autem cœlestibus auroræ tempore sub exortum solis sacrificamus.* Taffin. de Lud. secul. c. 10. §. 6.

Sacrificium Junonis *sacrificio* Jovis succedere, eique candidam vaccam mactari vult Sibylla:

Eadem ratione, hoc est, de die
Mactentur juvencæ: vacca corpus purum Junonis
A te capiat templum.

Moris fuisse Junoni candidam vaccam immolari testatur Virg. Æneid. IV. 59.

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ,
Ipsa tenens dextra pateram pulcerrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Senec. Med. I. 61.

Lucinam nivei femina corporis
Intentata jugo placet.

Taffin. de Lud. secul. c. 10. §. 7.

Sacrificium nuptiale etiam Romanis usitatum fuit. Sponsa enim domum viri ingressa, tota dies nuptiarum in *sacrificiis*, conviviis, & saltationibus transigebatur. Nec aliter faustum, felixque matrimonium putabant Romani, nisi more sollenni antea libassent. Erant multa & varia,

nos præcipua enumerabimus. Primum itaque teſte Varr. de Re ruſt. II. 4. porca immolabatur, quaſi eo *ſacrificio*, diis teſtibus, fœdus matrimonii bene ceſſurum, & inviolabile futurum promitterent conjuges. *Nam & mulieres*, inquit Varro, *maxime nutrices, naturam qua feminæ ſint, in virginibus appellant porcam, & Græci χοῖρον, ſignificantes, eſſe dignam nuptiarum.* Itaque in ambiguo χοίρυ vocabulo, cum pro porcis juvencis ſublatis puellæ veſtibus, oſtenſo pudendo ludit Megareus, cum ait apud Ariſtoph. Veſp. III. 3. 24.

Annon porca hæc fiet, & quidem Græcorum lege.

Nam porca δέλφαξ dicebatur, inquit Schol ast. Ariſtoph. Acharn. p. 407. *Qui apud vos nunc appellantur delphaces, dico ego parvos porcos.* Et Athen. IX. p. 375. A. *Feminæ ſues ſic proprie dicuntur, quæ habent uteros. Sic vocantur valvæ, unde & derivatur ἀδελφὸς, frater uterinus.* Inde etiam Heſychius δελφάκιον pudendum muliebre eſſe ait. Quod, cum nondum pæne adolevit, ſed eſt adhuc tenerum, & delicatum, eſt tamen ὡραῖον γάμυ, *maturum nuptiis*, χοῖρον appellant; ſignificantes, puellas eſſe dignas nuptiarum, licet nondum uteros, δελφύας, habeant, nec corpore ſint bene compactæ. Quod Euſtath. in Homer. Odyſſ. ξ. p. 522. latius explicat. Ideo autem porca immolabatur, quod nullum animal adeo libidini deditum. Euſtath. in Homer. Iliad. T. p. 1250. *Porca eſt valdè cupida Veneris: unde & κάπραινα dicitur mulier cupida concubitus. Proprie καπρᾶν dicitur de porca, quæ appetit porcum.* A. p. 423. *Unde & mulier libidinoſa dicitur καπρῶσα, ut oſtendunt veteres. Propterea & Veneri ſacrificant ſues, maxime apud Argivos. Apud quos etiam feſtivitas Veneris ὑςήρια, hoc eſt, ſuilla dicitur.* Ea item ratione fieri id *ſacrificium* declarat Varro. V. illum ſupr. in *Sacrificium.* Addo, fortaſſe porcam immolari initio nuptiarum, ut in ſuſcipiendis liberis adeo fœcunda eſſet nupta, ut ſcropha, quæ porcos triginta pepererat. Virg. Æneid. VIII. 53.

— ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa.

Hinc enim grundiles lares ſunt dicti. V. illos ſupr. in *Lares.* Junoni etiam ſacrificabatur, cum cingulo nova nupta præcingebatur. Unde Juno dicta Cinxia. V. illam ſupr. in *Juno.* Dianæ etiam *ſacrificaſſe* virgines, eique zonam dedicaſſe refert Suidas: quod primum parturientibus attribuit Græcus commentarius Argon. I. Deo item Mutino, aut, ſi mavis, Mutino *ſacrificabant.* V. ſupr. in *Mutinus.* Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 29.

Sacrificium in Parcarum honorem tempore ludorum ſecularium fuit præceptum:

— deinde tu offeres
Sacrificia omnigeneribus Parcis oves, & capras
Furvas.

Conjungo epithetum κυανέας cum ſuperioribus vocibus, & per illud intelligo Parcis offerri debuiſſe etiam furvas hoſtias, agnos & capras: nam etſi proprie ea vox cæruleum colorem ſignificet, tamen quia color cæruleus, cum denſus eſt, in nigrum degenerat, ideo pro nigro quandoque ponitur ea vox. Et Euſtathius in Homerum eam ſubinde ita exponit. *Taffin. de Lud. ſecul. c. 10. §. 3.*

Sacrificium Plutoni & Proſerpinæ anno ludorum ſecularium in carmine Sibyllino jubebatur faciendum. V. illud ſupr. in *Ara Plutonis & Proſerpinæ*, & *Ludis ſecularibus.*

Sacrificium præcidaneum vocabatur, quia ante novam frugem Cereri præcidanea porca mactabatur. *Guther. de vet. jur. pontif. IV. 3.* V. illud ſupr. in *Porca præcidanea*, & *Hoſtia præcidanea.*

Sacrificium propter viam. V. illud ſupr. in *Propter viam.*

Sacrificium ſuccidaneum. V. illud ſupr. in *Hoſtia ſuccidanea.*

Sacrificium Telluri mandat Sibylla verſu, quem vertit Polit. Miſcell. c. 58.

Terra ſuem ferat, & ſcropham ſibi fertilis atram.

Porcam Telluri mactari ſolitam ſcribunt Arnob. VII. p. 227. *Telluri matri ſcrofa faciens immolatur & fœta.* Macrob. Sat. I. 12. *Sus prægnans mactatur, quæ eſt hoſtia propria terræ.* Ovid. Faſt. I. 671.

Placentur matres frugum Tellusque Ceresque
Farre ſuo, gravidæ viſceribusque ſuis.

Nigram etiam agnam offerri quandoque Tellari cecinit Homer. Iliad. III. 103.

Cæterum offerte agnos, alterum album, alteram autem nigram
Telluri & Soli.

Romanos etiam menſe Aprili eidem Terræ obtuliſſe fordam bovem teſtatur Kalendarium vetus die, qui Fordicidia dicebatur, & Ovid. Faſt. IV. 629.

Tertia poſt Veneris cum lux ſurrexerit Idus,
Pontifices, forda ſacra litate bove.
Forda ferens bos eſt, fœcundaque dicta ferendo,
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.
Nunc gravidum pecus eſt, gravida eſt quoque ſemine terra,
Telluri plenæ victima plena datur.

Taffin. de Lud. ſecul. c. 10. §. 5.

SACRILEGI videntur vocandi illegitimi, quorum vel pater, vel mater, dum eos concepit, ſacris erant initiati: nam cum *ſacrilegium* late dicatur rei ſacræ violatio, notum eſt eo, omnes, qui ſe divino cultui dediderunt, ita continentiæ, & caſtitati ſervandæ jam eſſe adſtrictos, ut qui poſt id libidinibus quandoque obtemperarit, is ſtatim ab officio receſſiſſe, & ſuſceptos ſacros ordines inquinaſſe videatur C. nullum C. de his 28. diſt. ca Maximian. 81. diſt. prout etiam quandoque ſignificavit Abb. c. ut clericorum num. 6. de vit. & hon. cleric. Alii tamen inceſtum eum dicunt. Gloſſ. Bart. Bald. l. 2. in fin. C. de epiſc. & cler. Alii adulterium malunt; Gloſſ. c. per venerab. qui fil. legit. ver. adulterin. & ibi Abb. n. 32. Quidam ſpurios potius hujuſmodi filios dici cenſuerunt. Bald. l. ſi quis inceſti C. de inceſt. nupt. ita ut ex doctorum ſententiis hoc ſatis incertum videatur. *Palæot. de Noth. & ſpur. c. 16. §. 13. Heuter. de Lib. homin. nativit. c. 7. §. 3.*

Sacrilegus, an fur ſit, qui pecuniam in æde ſacra depoſitam abſtulit, controverſia fuit. Sed definita eſt conſtitutione Severi & Antonini l. 5. ad l. Jul. pecul. furti actione teneri eum, non *ſacrilegii* ait. Dantur tamen rationes, quibus adducamur ad exiſtimandum *ſacrilegii* crimen eſſe, aut certe gravius *ſacrilegio* crimen I. quia eo fit injuria & privatis, & diis privatorum pecuniæ cuſtodibus, utique ſemper futuris inſidiis, niſi ab ea ſubripienda majore ſupplicio fures coerceantur. Ratio hæc in ea declamatione, inſcribitur ὁ ἀυτονομάζων, a Sopatro traditur. II. quod, cum locus ſacer præſtantior ſit pecunia, par ſit pecuniam loci conditionem ſequi. III. quod non debeamus privatam pecuniam a ſacra ſeparare, cum ingrediens templum eo animo fuerit fur, ut ſive ſacra eſſet, ſive privata, quam inveniret, eam auferret. Et ideo ſcripſit Saturn. l. aut facta §. locus de pœn. locum facere, ut idem vel furtum, vel *ſacrilegium* ſit, ſcilicet exiſtimans furtum a *ſacrilegio* ſeparari ex loco, non ex re, quæ aufertur: ac conſequenter, ſi qua res loco ſacro moveatur, *ſacrilegium* eſſe, ſi profano furtum. *Cujac Obſerv.* XIII. 19.

* SACRIMA *appellabatur muſtum, quod Libero ſacrificabant pro vineis, & vaſis, & ipſo vino conſervandis.* Feſtus. Gloſſæ: *Sacrima*, ἀπαρχὴ γλεύκυς. *Laurent. Sacr. var. gentil. c. 18. Scalig. in Feſtum. Briſſon. de Form. I. p. 27.*

SACRIPORTUS etiam *Sacriporticus* Ruſo dicitur, quem Victor nuperus, uti ſolet, hic quoque ſecutus eſt. Verum rectius *Sacriportum* legi, ut apud genuinum Victorem eſt, docet Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Quartæ regionis Palatium; huic Germalum, & Velias conjunxerunt: & in hac regione Sacriportus eſt; & in ea ſic ſcriptum, Germalenſis quinticepſos apud ædem Romuli. Velienſis ſexticepſos in Velia apud ædem deum penatium.* Unde ſcintilla nobis allucet conjecturæ, *Sacriportum* arcum quendam Jani fuiſſe, aut quod aliud ædificium, in quo duo Argeorum iſta

tribus scripta legebantur sacraria. Quare quum *Sacriportus* in regione quarta fuerit, tribuque Palatina, inter viam Sacram fuisse necesse est, & vicum Sandaliarium; ac fortassis ille arcus Jani fuit, qui ad Lupercale, Volcanale, & comitium repertus fuit: quod quadrivium cum locus esset celeberrimus, & frequentissimus istius collis, non potuit non esse aptissimus, in quo primum sacraria, deinde & Fasti consulares æri incisi publice proponerentur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Borrich. Antiq. Urb. Fac.* c. 6. §. 7.

SACROSANCTUM habebatur, quod per populum, plebemve sancitum erat. Cicer. pro Balb. c. 14. & 16. *Sacrosanctum nihil esse potest, nisi quod populus, plebsve sanxisset: deinde sanctiones sacrandæ sunt, aut genere ipso, aut obtestatione, & consecratione legis, aut pœna, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur.* Festus: *Sacrosanctum dicebatur, quod jurejurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte pœnas penderet. cujus generis sunt tribuni plebis, ædilesque ejusdem ordinis: quod affirmat M. Cato in ea, quam scripsit, ædilis plebis sacrosanctos esse.* Augustin. de Legib. in Regia. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 6. Manut. Quæs. Epist. II. 10. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 39. Brisson. de Form. II. p. 138. Struv. Antiq. Rom. c. 4. p. 221. Dacer. in Festum.

SACRUM differt a sacro commendato. Ita distinguit Cicer. de Leg. II. 9. *Sacrum, sacrove commendatum qui clepserit, rapseritque, parricida esto.* Illud, quicquid diis dicabatur, dicebant; hoc vero securitatis gratia in templis reponebatur, quod & nunc multis fit in fanis ait idem. Confirmat id Herodian. I. 14. *Ditissimum erat inter omnia templa, in quo quilibet ea, quæ haberet, ob securitatem reposuerat.* Struv. Antiq. Rom. c. 11. p. 551. Est omne, quod alicui deo dicatur, non a privatis, sed publico civitatis instituto. Itaque locus, ubi *sacra* privata fierent, *sacrum* non videri Festus ait: cum ea tamen vocentur *sacra*, quæ in eo loco fiunt: *sacra* vero dicitur ædes, ara; *sacer* lucus, mons; *sacrum* saxum, signum: quorum ad consecrationem civitas consensit. Illo violato non ab hominibus, sed a diis pœna impendet. Et si a profanis attingitur, violatum creditur. Interdum idem est quod religiosum, interdum ab illo differt. V. supr. in *Religiosi.* Manut. Quæst. Epist. II. 10. Saubert. de Sacrif. c. I.

Sacrum, religionem, & sollenne conjungit Cicer. de Arusp. resp. c 5. *De religionibus, sacris, & ceremoniis est concionatus P. C. Clodius: P. inquam Clodius sacra, & religiones negligi, violari, pollui questus est.* Conveniebant in communi *sacrorum* jure apud Romanos. *Sacra* quidem dicebantur ipsa sollennia, quæ diis fiebant, festa, & sacrificia, quæ deorum cultui destinata. *Sacrorum* ritus communi vocabulo olim dicebant ceremonias, divinitatis autem cultum religionem. Romani erant solliciti, ut *sacra* rite, & inirentur, & curarentur. Nihil enim magis *arguere deos* putabant *quam neglectas ceremonias, intermissumve sollenne.* Liv. v. 17. Maxime ut *patrio*, seu apud Romanos recepto more, *suo quæque ritu sacra fierent*, curabant, cum hoc non observato, *si externi ritus fuerint introducti, nihil æque dissolvendæ religioni* esse putarent. Quare in veteri jure pontificio scriptum: *Separatim nemo habessit deos, neve novos: sed ne advenas, nisi publice ascitos, privatim colunto.* Cicer. de Leg. II. 8. De *sacris*, & *sacrorum* ceremoniis edicebat collegium pontificum, cum Numa statim ac crearet pontificem, *eidem sacra omnia exscripta, exsignataque attribuit.* Liv. I. 20. *Struv. Antiq. Rom.* c. 2. p. 190.

Sacrum anniversarium, sive annuum vocabatur sollenne, quod certis temporibus, annisque fieri solebat. Virg. Æneid. VIII. 173.

Interea sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, & jam nunc sociorum assuescite mensis.

Ubi Servius ea nominat anniversaria, quum inquit: *Anniversaria sacrificia ideo non differuntur, quia nec iterari possunt: nam Kalendaria, si qua ratione fuerunt dilata, possunt repeti, nec piacula eorum intermissione committuntur.* Et ad Æneid. II. 202.

Sollennes taurum ingentes mactabat ad aras.

Sollennes aras, inquit, *anniversario sacrificio religiosas.* Merul. de Sacrif. c. I. §. 5. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 483. E. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4.

Sacrum coracicum vocabatur ab eo, quod ὑπηρετοῦντας κόρακας vocabant. Illorum mentio apud Ambrosium, & veteres inscriptiones. *Salmas. in Lamprid. Commod.* c. 9. Inscriptio:

D. D. N. N. VALENTE. V. ET. VALENTINIANO. JUNIORE. PRIMUM. AUGG. CONS. VI. IDUS. APRIL. AUR. VICTOR. AUGENTIUS. V. C. PP. FILIO. SUO. ÆMILIANO. CORYFONI. OLYMPIO. C. P. ANNO. TRICESIMO. CONSECRATIONIS. SUÆ. TRADIDIT. CORACICA.

Guther. de Vet. jur. pontif. I. 25.

Sacrum commune vocabatur, quo omnibus diis communiter *sacrificabatur.* Dicebatur alias pandiculare. Festus. V. illum supr. in *Dies pandiculares.* Struv. Antiq. Rom. c. 9. p. 381. Merul. de Sacrif. c. I. §. 5. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 4.

Sacrum curionium vocabatur, quod curiales ejusdem curiæ faciebant, curione maximo *sacra* curante, quo magna lætitia una epulabantur. Ita Cicer. de Orat. I. 7. *Tanta esset in homine jucunditas, & tantus in jocando lepos, ut dies inter eos curiæ fuisse videretur, convivium Tusculani.* Struv. Antiq. Rom. c. 9. p. 381. Laurent. var. sacr. gentil. c. I. & 14. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 4 Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 8. Stuck. Antiq. Conviv. I. 31.

Sacrum depulsorium vocabatur, quod diis depellentibus, & mala averruncantibus fiebat. Ammian. XXV. 2. *Numinibus per sacra depulsoria supplicans.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 26. A.

Sacrum domesticum vocabatur, quod domi natum, non aliunde, ab aliis gentibus, vel populis petitum. Erat vel manifestum, vel seclusum. V. infr. suis locis. *Merul. de Sacrif.* c. I. §. 5. *Laurent. var. sacr. gentil.* c. 14.

Sacrum familiare, vel gentilitium erat sacrificium privatum singularum familiarum, vel gentium proprium. De his ita Macrob. Sat. I. 16. *Sunt præterea feriæ propriæ familiarum, ut Claudiæ familiæ, vel Æmiliæ, seu Juliæ, sive Corneliæ; & si quas ferias proprias quæque familia ex usu domesticæ celebritatis observat: sunt singulorum, ut natalium, fulgurum, ut susceptione, item funerum, & expiationum.* Gentilitia sacrificia dicebantur. Cicer. de Arusp. resp. c. 15. *Multi sunt etiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilitia illo ipso in sacello, stato loco, anniversaria factitarint.* Et sacra. Liv. v. 52. *Quam par vestrum factum est, quod in obsidione nuper in egregio adolescente C. Fabio conspectum est, cum inter Gallica tela degressus ex arce sollenne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit? an gentilitia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra, & Romanos deos etiam in pace deseri placet?* Hæc patresfamilias pro arbitratu suo, privata religione, sibi constituebant. Quare ut qui emancipabantur a patre, iidem a *sacris* etiam patris dimittebantur: sic qui adoptabantur, *sacris* iis, quæ pater adoptivus colebat, obstringebantur: quemadmodum in priscorum Ictorum commentariis scriptum est; unde dixit Val. Max. VII. 7. 2. *M. Anci filius in Suffenatis familiam, & sacra transierat.* Cicer. de Leg. II. 9. ita pontificio jure constituta ait, ut ad quem pecunia, ad eundem etiam *sacrorum* obligatio perveniret: omnino etiam diligentissime esse animadversum ne interirent, sed *familiis deinceps proderentur:* quod ipse etiam in lege sanxit II. 9. *Sacra privata perpetua manento.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 8. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Class. I. cap. I. Burmann. Differt. de Vectig. c. 11. Guther. de vet. jur. pontif. II. 5. Calcagn. de verb. & rer. signif. p. 352. Siccam. in Fast. Kalend. Roman.

Roman. c. 4. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 25. Antiq. Roman. II. 5. III. 1. p. 382. A.

Sacrum incertioris temporis dicebatur manifeſtum, quod celebrari ſolebat feriis publicis quidem, ſed conceptivis, & imperativis. Conceptione enim erant Latinæ, Sementinæ, Compitalia, Paganalia, & ſimilia, quæ ſingulis annis incertiore tempore concipiebantur, ideoque *ſacra*, quæ his feriis celebrabantur, merito etiam incertioris temporis dicenda: ut & illa, quæ fiebant feriis imperativis, quæ ſcilicet, occaſione flagitante, indicebantur ob victoriam, natalem diem filii Imperatoris, & ſimilia. *Merul. de Sacrif. c.* 1. §. 7.

Sacrum manifeſtum vocabatur, quod palam, & cum omnium civium ſcitu fiebat, eratque duplicis generis, vel ſtatum, vel incertioris temporis. *Merul. de Sacrif. c.* 1. §. 5.

Sacrum montanum vocabatur, quod ſeptem Urbis montes incolentes celebrabant. *Siccam. In Faſt. Kalend. Roman. c.* 4. V. infr. in *Septimontium.*

Sacrum municipale vocabatur, *quod ante Urbem conditam colebatur.* Paulus. Male. Non enim municipale *ſacrum* eſt *ſacrum* urbis Romæ, ſed municipiorum. *Auguſtin. ad Feſtum.* Recte Feſtus: *Municipalia ſacra erant, quæ ab initio habuerunt*, municipes, *ante civitatem Romanam acceptam, quæ obſervare eos voluerunt pontifices, & eo more facere, quo adſuerant antiquitus.* Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 4. Guther. de vet. jur. pontif. IV. 1.

Sacrum novemdiale. V. illud ſupr. in *Feriæ novemdiales.*

Sacrum nyctelium antiquitus erat, quod nuptiarum tempore noctu celebrabatur. Hoc tamen populus Romanus, inquit Serv. Æneid. IV. excluſit, cauſa turpitudinis. Ea fortaſſe erant, quæ enumerantur ab Auguſt. de Civ. Dei VI. 9. Illorum quatuor extra cubiculum, omnibus adſtantibus, peragi ſolebant, ſcilicet I. Jugatino, ut mas, & femina conjungerentur. II. Domiduco, ut ſponſa domum ſine læſione duceretur. III. Domicio, ut ſponſi in domo libenter eſſet. IV. Manturnæ, ut cum viro libenter ſponſa maneret. Quinque in cubiculo ſecreto, ne paranymphis quidem præſentibus, colebantur: dea I. Virginenſis, ut libenter ſupponeretur. II. Prema, ut ſubacta ſe non male moveret, & recte comprimeretur. III. Pertunda, ut ſponſus concuteret, & penetraret. IV. Venus, ut utrique creandæ prolis fervor adeſſet. V. Priapus, ut viri vena virilius inſurgeret: ſupra cujus ingens ſimulacrum, in ſublimi loco poſitum, ſponſa, priusquam cubitum iret, ſedere jubebatur, ut illius virtutem jam tum in ſe reciperet. Et hi jugales dii dicebantur. Symm. Epiſt. III. 24. *Cum tibi comperi jugales deos matremfamilias copulaſſe.* Hotomann. vet. rit. nupt. c. 30.

Sacrum paganale. V. illud ſupr. in *Paganalia.*

Sacrum patratum in ſacris Mithriacis dicebatur, quia ἱεροφάντας ſacros patres appellabant. Hieron. Epiſt. ad Lætam: *Ante paucos annos propinquus veſter Gracchus, nobilitatem patriciam ſonans nomine, quum præfecturam gereret urbanam, nonne ſpecum Mithræ, & omnia portentuoſa ſimulacra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perſes, Helios, Bromius, Pater initiantur, ſubvertit, fregit, exuſſit.* Pater igitur in illis ſacris hierophanta. Eunap. Maxim. p. 75. *Simul atque enim hæc fatidico ore ille, cum pater eſſet Mithriacæ religionis, prædixerat.* Salmaſ. in Lamprid. Commod. c. 9. Cerda Adverſ. c. 54. §. 14.

Sacrum peregrinum deſcribit Feſtus: *Peregrina ſacra appellantur, quæ aut evocatis diis in oppugnandis urbibus Romam ſunt collata, aut quæ ob quaſdam religiones per pacem ſunt petita, ut ex Phrygia Matris magnæ, ex Græcia Cereris, Epidauro Æſculapii, quæ coluntur eorum more, a quibus ſunt accepta.* Peregrina hæc erant *ſacra*, quæ licet peregrino more colerentur, apud Romanos tamen erant recepta. Per peregrinos autem deos hic intelligimus eos, qui publice quidem a Romanis non recepti, a privatis tamen quibusdam fuere culti. Illorum memoria in nummis, atque inſcriptionibus Romanis non infrequens occurrit. Per privatos, ut diximus, quosdam horum cultus primum Romam irrepſit, qui ſana hiſce privata auctoritate exſtruxerunt, quæ tamen ſenatus demoliri juſſit, narrante Dion. XL. p. 142. E. *Eorum divorum*, Serapidis & Iſidis, *fana, quæ privatim nonnulli exſtruxerant, ſenatus demoliri juſſit, quod eos non magnopere inter numina numerabat.* Reſtituta per aruſpices iterum dejecta. Dio XLII. p. 196. E. *Circumacto eo anno, apes in Capitolio juxta Herculis ſtatuam ſedem occupavere, quum Iſiaci ſacra facerent. Itaque aruſpices iterum omnia templa Iſidis, Serapidisque demoliri juſſerunt.* Tandem ſub Auguſto denuo decreta. Dio XLVII. p. 336. A. *Hæc eo anno geſſerunt, ac præterea templum Serapidi Iſidique decreverunt.* Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 183. Guther. de vet. jur. pontif. IV. 1. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 483. D. Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 4.

Sacrum populare dicebatur publicum, quia pro populo publice fiebat. Deſcribit Feſtus: *Popularia ſacra ſunt, ut ait Labeo, quæ omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa ſunt, ut Fornacalia, Palilia, Laralia, Porca præcidanea.* Ubi quid velint verba, *porca præcidanea*, non ſatis mihi liquet. Dicebatur etiam Damium. V. etiam ſupr. in *Damium.* quod pro populo fiebat, pro quo quum maxime fieret *ſacrum* Bonæ deæ, illud κατ᾽ ἐξοχὴν Damium, id eſt, publicum nuncupatum. Fiebat hoc in operto, erat tamen publicum, & populare. In operto fiebat, quod feminis tantum intereſſe liceret. *Merul. de Sacrif. c.* 1. §. 5. *Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 381. *Guther. de vet. jur. pontif.* IV. 1. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 483. *C.*

Sacrum prætextatum vocabatur, quod peragebatur, quo infirmitas pueritiæ ſacra fieret, ac venerabilis. Quo ſenſu accipiendum eſt, quod in declamatione, cui titulus eſt Novitius prætextatus, ſic ſcribit Quintilianus: *Ego vobis allego etiam ipſum illud ſacrum prætextatum, quo ſacerdotes velantur, quo magiſtratus, quo infirmitatem pueritiæ ſacram facimus, ac venerabilem.* Ravard. de Div. reg. jur. II.

Sacrum privatum nuncupabatur, *quod pro ſingulis hominibus, familiis, gentibus fiebat.* Feſtus in voce Publica. Dicebatur & proprium. Innuit Feſtus, quum inquit: *Privatæ feriæ vocantur ſacrorum propriorum, ut Natales, Operationes, Denicales.* Erant enim *ſacra* hæc familiaria, & gentilitia. V. ſupr. in *Sacrum familiare.* His popularia opponuntur. *Merul. de Sacrif. c.* 1. §. 6. *Lomej. de Luſtrat. c.* 30. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 8. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 483. *E. Siccam. in Faſt. Kalend. Rom. c.* 4.

Sacrum publicum *vocabatur, quod publico ſumptu pro populo fiebat, quodque pro montibus, pagis, curiis, & ſacellis.* Feſtus. Dicebatur etiam annuum, ſollenne, ſtatum. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 483. *C. Merul. de Sacrif. c.* 1. §. 5. *Sigon. Ant. jur. civ. Rom.* I. 8. *Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 381. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 6.

Sacrum ſcluſum vocabatur *quod Græci myſterium vocabant.* Feſtus. Cicero & Livius *initiationes* nominant. Plin. X. 56. ſacra *opertanea.* Merul. de Sacrif. c. 1. §. 8. *Sacrorum* curioſos rimatores numen ipſum ſæpe punivit. Tib. I. 7. 24.

Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe meis.

Ex opinione veterum, qui excæcari credebant, quicunque myſtica deorum ſacra, & quaſi religionum arcana oculis prophanis temere uſurpaſſent. Cicer. de Aruſp. reſp. c. 18. *Quam iſte idcirco Bonam dicit, quod in tanto ſibi ſcelere ignoverit. Non ignovit, mihi crede, non: niſi forte tibi ignotum putas, quod te judices emiſerunt excuſſum, & exhauſtum: ſuo judicio abſolutum, omnium, condemnatum: aut quod oculos, ut opinio illius religionis eſt, non perdidiſti. Quis enim ante te ſacra illa vir ſciens viderat, ut quiſquam pœnam, quæ ſequeretur illud ſcelus, ſcire poſſet? An tibi luminis obeſſet cæcitas plus, quam libidinis?* Bchot. Apophor. II. 9. Douſ. Præcid. I. 15. Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 15. Paſſerat. in Tibullum.

Sacrum ſollenne *dicebatur, quod certis temporibus, annisque fieri ſolet.* Feſtus. Vocabatur etiam ſtatum. *Merul. de Sacrif. c.* 1. §. 5. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 483. *D.* Sollennia tamen gentis non potuere rite fieri, niſi propriis & ſuis locis, nec enim alia cauſa fuit Fabio tantum adeundi diſcri-

discrimen. Flor. I. 13. 16. *Et stato quodam die per medias hostium custodias Fabium pontificem ab arce dimisit; qui solenne sacrum in Quirinali monte conficeret.* Liv. v. 52. *Sacrificiis sollennibus non dies magis stati, quam loca sunt, in quibus fiant.* Censorinus apud Appian. de Bell. Pun. p. 52. ad Carthaginenses: *Manebunt immota sepulcra, & licebit ea parentandi causa invisere, sacris etiam operari, quotiescunque libuerit, eo accedere.* Imo tanta religione colebantur, ut etiam milites excusarent, si prædicta die non adfuissent. Cincius Alimentus apud Gell. XVI. 4. *Sacrificium anniversarium* (inter legitimas absentiæ causas est) *quod recte fieri non posset, nisi ipsius eo die ibi sit.* Exemplum ejus rei est in Liv. XLIII. 11. *Hæc ex Sexto Digitio tribuno militum, qui sacrificii causa Romam venerat, sunt audita.* Hæc in Indice Floriano non Grævius, cujus ille non est, licet illum Floro suo adjecerit, & ideo ejus esse putaverit Zimmerman. Flor. l. Philol. p. 694. sed *Freinshemius.*

Sacrum statum nuncupabatur manifestum, quod certis diebus fiebat, feriis scilicet stativis, ut Agonalibus, Carmentalibus, Lupercalibus, Quirinalibus, & similibus, quæ in veteri Kalendario Romano notantur ad singulos menses. Festus: *Stata sacrificia sunt, quæ certis diebus fieri debent. Cato in ea, quam scribit de L. Veturio, de sacrificio commisso, cum ei equum ademit, quod in te fuit, sacra stata, sollennia, sancta deseruisti.* Vocabatur etiam sollenne, & annuum. *Merul. de Sacrif. c. 1. §. 5. Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p. 483. D.*

Sacrum triennale fiebat Baccho. Hoc tacite innuit Oppianus. V. illum supr. in *Bacchus.* Censebatur ille montium deus: quare colebatur potissimum autumni tempore. Unde Poeta:

Tertia succedit Bacchi variabilis ætas,
Sentit adesse novos rustica turba deos.

Tomas. de Donar, c. 27.

SAG.

SAGARIAM facere. V. supr. in *Saccariam facere.*

SAGARIUS vocatur negotiator a *sago* militari, & bellico indumento. Onomasticon: *Sagarius, χιτωνοπώλης, qui saga vendit. Mercator sagarius, & Negotiator sagarius* in Inscript. apud Gruter. p. 605. n. 2.

HIC. SITI. SUNT
L. ARLENUS. L. L
DEMETRIUS. NAT.
CILIX. NEGOT. SA
GARIUS. HELINUS

Et

L. ARLENUS. L. L
ARTEMIDORUS. NAT
PAPHLAGO. MERCATOR
SAGARIUS. LIBERTI

Et *negotiatio sagaria* l. 5. Procuratoris §. 15. ff. de tribut. act. & l. cum duobus §. 4. ff. pro socio. *Reines. Inscript. Class.* X. *n. 9. Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p. 226. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 23.

SAGATIO est dicta veteribus lascivia, qua *sago* impositos in sublime jactare consueverunt. Glossæ: *Sagatio, παλμός.* Suet. Oth. c. 2. n. 3. *Ferebatur & vagari noctibus solitus, & invalidum quemque obviorum, vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare.* Mart. I. 3. 8.

Ibis ab excusso missus in astra sago.

Mercur. Gymnast. III. 3. Ferrar. de Re vest. II. 3. 7. Pancirol. Notit. dignit. Imp. orient. c. 96. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 9. Bud. in Pandect. p. 140. Rader. in Martialem. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.

SAGENA est genus retis, quo pisces è nassa auferuntur, aut retis sinus, unde exire nequeunt. Manil. v. 674.

At cum cæruleo stetit ipsa simillima ponto
Squammigerum nubes, terræque immobilis hæret,
Excipitur vasta circumvallata sagena.

Græci similiter σαγήνην vocant. Glossæ Cyrill. Σαγήνη, *verriculum.* Galli vocant *seinne*, voce sine dubio corrupta ex Latino illo, aut Græco. *Voss. Lex. Etymol. Jun. Nomencl. c. 72. Taubman. in Plaut. Trin.* III. 2. 96.

SAGESTRE V. infr. in *Segestre.*

SAGINA proprie est cibus, quo opima redduntur animalia. Varr. de Re rust. III. 10. *Hi sunt de genere, de fœtura, de pullis, de ovis, de sagina.* Plin. IX. 56. *Quin & saginam earum commentus est sapa & farre, aliisque generibus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent.* Grang. in Juvenalem. Laxiori significatione vocatur quivis cibus, quodvis pabulum. Solin. c. 23. *Conchæ concipiunt, gravidæque fiunt, & de saginæ qualitate reddunt habitus unionum.* Nemelian. Cyneg. n. 166.

—— tunc consuetam retinere saginam
Profuerit.

Ubi de cibo canum venaticorum sermo est. Is non potest proprie dici *sagina*, cum non hoc agatur, ut canes isti fiant pingues. Juven. Sat. IX. 67.

—— propera stomachum laxare saginis.

Voss. Lex. Etymol.

Sagina est etiam locus, in quo animalia, pisces, feræ, alia, *saginantur*, & ad victum reservantur, quod aliter vivarium dicitur. Plaut. Most. I. 3. 78.

—— dies, noctesque estur,
Bibitur, neque quisquam parsimoniam adhibet: sagina plane est.

q. d. hæ ædes sunt quædam velut vivaria, in quibus *saginantur* homines. Trin. III. 2. 96.

Aut aliquem apud Regem in saginam herus se conjecerit meus.

Ut nimirum dicat servus, herum suum ex inopia parasitum futurum, seque apud hominem aliquem lautum probe *saginaturum.* Sciopp. Lect. Suspect. v. 9.

Sagina dicuntur ipsa animalia, quæ in *sagina*, vel vivario pascuntur: sicut multa talia apud Latinos scriptores. Plaut. Most. I. 1. 62.

Este, effercite vos, saginam cædite.

id est, boves, oves, aliaque id genus animalia in *saginam* data assidue mactate. *Sciopp. Lect. Suspect.* v. 9.

SAGINATIO *arida* athletarum dicitur Tertull. de Pall. c. 4. Quam dum ξηραλοιφὴν interpretatur, errat vir maximus. Est enim ξηροφαγία, quæ athletarum propria erat. *Saginare* autem proprie de athletis. Curt. IX. 7. 16. Dioxippum pugilem *saginati corporis belluam* vocat. Tertull. Adv. Psychic. c. 9. *Saginentur pugiles, & pyctæ Olympici. illis ambitio corporis, quibus & vires necessariæ: & tamen illi quoque xerophagiis invalescunt.* sic Græcis σιτίζειν, nam σιτίζω est *sagino.* Laert. VIII. 13. *Pythagoram quendam aliptem primum fuisse athletas enutrire, σιτίσαι.* Frustra autem ille magister, qui ad hunc locum novas nobis, & inauditas procudit differentias, ac distinctiones, ξηροφαγίας, ἀναγκοφαγίας, ξηροαναγκοφαγίας, & κρεαναγκοφαγίας, quæ vocabula ipse finxit absurdissime: eorundem quippe est ξηροφαγία, quorum ἀναγκοφαγία, & κρεωφαγία etiam, postquam carnibus *saginari* cœpti sunt athletæ. Tertullianus modo laudatus. Falluntur itaque, qui ξηροφαγίαν athletarum illo tantum tempore dictam putant, quo ficus aridas esitabant: quod facere desierunt, exinde ut Pythagoras, nescio quis, veterem ἄσκησιν διὰ ξηρῶν ἰσχάδων sustulit, & pugiles ad carnium esum transtulit. At Tertulliani temporibus non amplius ficus aridæ ad *saginationem* athletarum sumebantur, & tamen aridam *saginationem*, & ξηροφαγίαν de athletis sui temporis usurpat; nam carnibus *saginabantur* ex instituto Pythagoræ aliptæ cujusdam. Jamblichus in vita Pythagoræ philosophi de illo alipta cognomine. Dicta igitur ξηροφαγία de athletis etiam tum cum carnibus uti cœperunt: quod etiam pulpam tantum siccam, & aridam, nullis scitamentis, & jurulentis eblanditam ederent, ξηροφαγία victus eorum appellatus est: ξηρὰν τροφὴν, & στερρὰν Lucianus vocat: aridum victum pro tenui, & minime uncto dicebant. Cicer.

pro

pro Rosc. Amer. c. 27. *In rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida, incultaque vita istiusmodi maleficia gigni non solere.* Carne ut plurimum bubula, & suilla vescebantur. V. supr. in *Athleta.* De muliere pugile Mart. vi. 67. 12.

Et coliphia sexdecim comedit.

V. & supr. in *Coliphium.* Salmas in Tertull. p. 261. Mercur. de Art. Gymnast. I. 15. Fab. Agon. III. 3. & 7.

SAGITTÆ nescio an ab antiquo Romanis. Ego quidem vix legere memini in historia veteri, & Livius, aut Dionysius, ubi classes armant, *sagittas* nusquam dedere. Nec Polybius, cujus nec graves, nec leves his utuntur. Dionysius semel, aut iterum nominavit, sed incogitantia, aut casu: at, ubi opus maxime fuit, non fecit. Etiam Veget. I. 16. ubi scribit: *Quantum utilitatis boni sagittarii in prœliis habeant, & Cato in libris de disciplina militari evidenter ostendit, & Claudius pluribus jaculatoribus institutis, atque perdoctis, hostem, cui prius impar fuerit, superavit.* Vegetius quidem ingerit, veterum rerum parum firmiter sciens: nec peccem, si testem hunc abjiciam, aut spernam. In isto loco *sagittarios* cum laudarum it, Claudium adducit, qui jaculatores instituit. Et bellus est argumentator, dum a *sagittis* ad jacula transit. Claudius ille, sive collega ejus, ad Capuam nonnisi velites instituerunt, quos, & id bene, jaculatores appellat. Grande autem discrimen: ac subvereor, ne idem in Catone sit, & ille nonnisi tales aliquos, qui eminus mittunt, & jaculantur, laudaverit, Vegetius trahat etiam ad *sagittas*. Haud abnuo, fuisse post Punicum bellum II. crebe rrime in Romanis castris, sed apud auxiliares, non cives. In hoc numero maxime Cretenses, quos & excelluisse hac peritia certum est: & quidam originem primam ad eos trahunt. Diodor. v. p. 235. D. *Apollinem reperisse arcum, & indigenas Cretenses docuisse sagittariam.* Isidor. XVIII. 8. *Sagittis primum Cretenses usi sunt.* Aliter Plin. VII. 56. *Arcum, & sagittam Scythen Jovis filium, alii sagittas Persen Persei filium invenisse dicunt.* Isti omnes ad populos, qui ea arte clari oculos retulerunt. Beccanus libens suffragium Scythis donat, quod nostrate lingua *sagittare* etiamnunc est **schieten**: & pro veteri pronuntiatione? Græcanici ipsi *sagittam* hodie **schutters**. Scythæ igitur inventores, & celebratur arcus Scythicus, cujus forma expressa Athen. x. Nam ibi pastor, cum nomen ΘΗΣΕΥΣ vellet exprimere, & singulas rebus, aut imagini cuipiam assimilare, ait: *Sed tertia arcui Scythico similis erat.* Et est sane vetus Græcorum sigma tali omnino forma. Valerius Flaccus idem ostendit, cum Tanaim, qui in Mæotim erumpit, cum arcu Scythico componit IV. 726.

Aut hac Europam curvis anfractibus urget,
Hac Asiam, Scythicum jaciens sinuatus in arcum.

Sed & Parthi hoc tali arcu usi: & exstant nummi M. Antonii, in quibus sic expressus. Claudian. de Laud. Stilich. I. 65.

Quis Stilicone prior ferro penetrare leones
Cominus, aut longe virga transfigere tigres?

Lips. Poliorc. IV. dial. 6. Potter. Archæol. Græc. III. 4. Laurent Polym. IV. Synops. 11. §. 9. Thys. de Oppugn. Urb. IV. p. 187. Illas certo jaciendi industria magna fuit habita, & Imperatorio fastigio digna. Claud. in Honor. consul. IV. n. 527.

—— quam felix arcus, certique petitor. . . .
Vulneris, & jussum mentiri nescius ictum.

Cato apud Curt. VIII. 5. 41. *Aves non ab alio melius quam a Catone posse prohiberi. . . . Namque adeo certo ictu destinata feriebat, ut aves quoque exciperet.* Domitianus apud Suet. c. 19. n. 5. *In pueri procul stantis, prælentisque pro scopo dispansam dexteræ manus palmam sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent.* Commodus apud Herodian. I. 15. 3. *Manus illi ita certa esse dicebatur, ut quodcunque destinaret, jaculo, sagittave contingeret.* Barth. in Claudianum. Pitisc. in Curtium & Suetonium.

SAGITTARIUS etiam vocatur, qui *sagittas* dolat. Patern. l. ult. ff. de jur. immunit: *Arcuarii, tabarii, sagittarii.* Stewech. in Veget. II. 10: III. 6.

SAGMA differt a sella: nam *sagma* proprie est, quod jumentis onera bajulantibus imponitur: sella equorum est, vel aliorum animalium, quibus homo vehitur. Veget. Rei veter. II. 59. *Exceptis his, qui deputati sunt circo, reliquum mulorum, equorum, asinorumque genus, subsellis, aut sagmis solo tergo præstat officium. . . . Tunc sagmarum, vel sellarum mensura conveniens, & apta qualitas debet adhiberi. Sagma est σάγμα,* vel σαγή, quod jumento imponitur, ut mollius vehat, & sine noxa sua: & inde *sagmarius* equus. *Salmas. in Lamprid. Heliogab. c. 4.* Qui frustra *sagmarium* equum deducit a σάγμα, vel σαγή, quod jumentis onera bajulantibus imponitur, sicut ipse explicuit. Σάγμα enim tale pertinebat non ad ea, quibus equitandi causa insident, sed ad illa, quæ gestare solent onera. Et quo pacto insedisset *sagmæ* istius hujusmodi honestior matrona, de qua Lampridius, Romæ præsertim, ubi omnia splendidiora. Adde, quod ætate illa major fuit mollities earum, quam ut vehi possent super clitellas. Postremo sellæ, aut strata pertinebant ad homines, non *sagmæ*, non clitellæ. Et ita distinxit ipse. Igitur convenientius, ut derivemus a *sagma*, quæ a *sago* est, ut significetur in decreto Heliogabali equus, qui fit stratus *sago*, coque pretiosiori, quomodo & Veri equus coopertus fuit *sagis* fuco tinctis apud Capitol. Ver. c. 6. Hoc enim ex dignitate fuit matronarum Romanarum. *Scheffer. de Re vehic.* II. 2.

SAGMINA quæ fuerint, docet Marcianus. V. illum supr. in *Caduceus.* Et addit, legatos a *sagminibus* hisce finctos appellari. Sed Festus docet, *sagmina* potius dici a sanctus. Verba ejus sunt: *Sagmina vocantur verbenæ, id est, herbæ puræ, quia ex loco sancto arcebantur a consule, prætoreve legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumque indicendum.* Liv. I. 24. *Fecialis Regem Tullum ita rogavit: jubesne me, Rex, cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? jubente Rege: Sagmina, inquit, te Rex posco. Rex ait, puram tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit.* Voss. Lex. Etymol. Mag. Miscell. IV. 8. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 655. Bud. in Pandect. p. 52. A. Stuck. de Sacrif. p. 4. & 119. Valtrin. de Re milit. Roman. VI. 11. Crinit. de Honest. Discipl. VII. 3.

SAGOCHLAMYS fuit vestis novum genus compositum ex *sago* Romano, sive Gallico, & *chlamyde* Græcanica. Utrumque indumentum fuit militare. Interdum enim ex duplici genere vestium unum conficiebant, quod utriusque figuram participaret. Treb. Poll. in Claud. c. 14. *Sagochlamydes annuas duas.* Sic *chlamydem manicatam* nominat c. 17. Et ita etiam leges *tunicas paludatas* in Vopisc. Bonos. c. 15. *Casaub. in Trebellium.* Non diversum fuisse videtur genus illud vestis, quod σαγομάντιον Græci recentiores vocarunt: nam μαντίον pro *chlamyde* dixerunt. Glossæ: *Paludamentum*, χλαμύς, μαντίον. Quod fuit rotundum ut *chlamys*, non quadratum, vel quod angulum ut *sagum*. Salmas. in Trebell um. Si ergo *sagochlamys* ex *sago* & *chlamyde* composita, quod discrimen inter utramque vestem fuit? Quidam existimant inter *sagum*, & *chlamydem* eandem differentiam fuisse, quæ inter chlænam, & *chlamydem*, quas Grammatici Græci figura diversas tradiderunt, quod chlæna quadratum pallium esset, *chlamys* autem in inferiore parte committeretur. Sed nonnisi *chlamys* Macedonica, ut iidem tradunt, clausa erat in infima ora; & Romanorum, & reliquarum gentium *chlamydes* totæ apertæ, ut vetera monumenta demonstrant. Sed esto, fuerint *chlamydes* omnes in inferiori parte commissæ. Velim mihi dicerent, quæ forma *sagochlamydis*. Si tota clausa, nihil ex *sago* habuerit, quod apertum: si solum in parte inferiori, tantum *chlamys* fuerit. Ita res magis implicatur, & obscura fit. Fortasse igitur *sagochlamys* ex vulgari *chlamyde*, & *sago* Gallico composita fuit, ita ut ad instar tunicæ, ut de Gallorum *sago* dicemus, indueretur, & manicas haberet: cæterum

ad

ad latera hinc inde pendulas alas ad inſtar *chlamydis* haberet. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 3. 11.

SAGULUM fuit *ſagum* brevius. Tacit. Germ. c. 6. n. 3. *Nudi, aut ſagulo leves.* Virg. Æneid. VIII. 660. laudandus in *Sagum.* Bayſ. de Re veſt. c. 15. Ferrar. de Re Veſt. II. 3. 8. Conſules, vel prætores, qui ex Urbe in caſtra, vel provinciam proficiſcebantur, non prætextis, ſed purpureis *ſagulis* utebantur. Hirt. de Bell. Afric. c. 57. *Nam quum Scipio ſagulo purpureo ante Regis adventum uti ſolitus eſſet, dicitur Juba cum eo egiſſe, non oportere illum eodem uti veſtitu, atque ipſe uteretur. Itaque factum eſt, ut Scipio ad album ſeſe veſtitum tranſferret.* Fab. Semeſtr. II 10. Erat inter munera, quæ Regibus decernebantur a ſenatu Romano. Liv. XXX. 17. *Munera, quæ legati ferrent Regi* Maſiniſſæ, *decreverunt: ſagula purpurea duo cum fibulis aureis ſingulis.* Briſſon. de Form. II. p. 235.

SAGUM fuit veſtimentum apertum, & infibulatum, quodque reliquis veſtimentis ſuperinduceretur. Sil. Ital. XVII. 531.

— humeris imponit honorem
Fulgentis ſaguli.

Cæſ. de Bell. civ. I. 75. *Siniſtras ſagis involvunt.* Apertum fuiſſe patet, quod eo extento homines per ludibrium in ſublime jactabantur. Suet. Oth. c. 2. n. 3. Mart. I. 3. 8. V. illos ſupr. in *Sagatio.* Ferrar. de Re Veſt. I. I. 3: II. 3. 8. Quod fibulis haberet docet Varro apud Nonium III. 201. *Cum neque aptam mollis humeris fibulam ſagus ferret.* Valtrin. de Re milit. Rom. III. 13. Ferrar. de Re Veſt. II. 3. 7. Ad talos uſque demiſſum. Treb. Poll. Trigint. tyran. c. 23. *Hujus inſigne eſt, quod convivio diſcumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum ſagis juſſit, hyeme gravibus, æſtate pertenuibus.* Quod, niſi ſaga longa eſſent, fieri non potuit. *Valtrin. l. l.* Qui non eſt audiendus. Hoc enim ſolum indicat *ſaga* fuiſſe tunicis longiora, non autem talaria. Nam cum tunicæ militum breviores eſſent, & fere tantum ad genua pertingerent, cum paganorum ad medium crus deſcenderent, cum jacerent milites in lectulis tricliniaribus, periculum erat ob brevitatem tunicarum, ne ea renudarentur, quæ melius eſt tegi: itaque juſſit Saturninus diſcumbere cum *ſagis*, quibus inferiora velarentur. *Ferrar. ibid.* II. 3. 8. Veſtis fuit militaris. Acron & Porphyrion ad Horat. Epod. IX. 28. *Sagati* enim dicuntur, qui in comitatu Cæſaris. Suet. Jul. c. 48. n. 1. *Convivatum aſſidue per provincias duobus tricliniis, uno quo ſagati accumberent.* Illa tamen omnes milites, non tam gregales, & manipulares, quam ordinum duces, centuriones, & tribuni utebantur. Suet. Vit. c. 11. n. 1. *Urbem ad claſſicum introiit paludatus, ferroque ſuccinctus inter ſigna, atque vexilla, ſagulatis comitibus.* De centurionibus Suet. Aug. c. 26. n. 3. *Cum quidem cunctante ſenatu Cornelius centurio princeps legationis, rejecto ſagulo oſtendens gladii capulum, non dubitaſſet in curia dicere: hic faciet, ſi vos non feceritis.* De tribunis Liv. VII. 34. *Hæc omnia tribunus ſagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium habitu ductis, perluſtravit.* Inde toties lectum: *ad ſaga ire*, in rebus turbidis: quaſi omnes tunc milites pro re nata. Lamprid. Alex. Sev. c. 54. *Depoſitis armis, depoſitis etiam ſagulis militaribus, omnes non ad caſtra, ſed ad diverſoria iverunt*, quaſi non ultra nempe milites. *Ferrar. ibid.* II. 3. 7. *Ruben. Elect.* II. 12. *Bayſ. de Re Veſt. c.* 15. *Turneb. Adv.* II. 27. In magno tamen rei diſcrimine poſitis togis ſumpta in Urbe *ſaga.* Liv. Epit. 72. *Italico bello populus ſaga ſumpſit.* 73. *Ob eam victoriam Romæ ſaga poſita ſunt.* Paterc. II. 16. 4. *Tam varia, atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum ad ſaga iretur, diuque in eo habitu maneretur.* Ferrar. ibid. II. 3. 3. & 7. Materia fuit lana, ſed majoris, minoriſve pretii. *Saga* gregalium; & manipularium militum craſſiora, ac viliora fuere ipſa lanæ ignobilitate: at centurionum, ac tribunorum majoris pretii, ac nobilioris texturæ. Livius modo laudatus. Horum pexa ſcilicet & mollior, horum hirta, ac villoſa, interdum longo uſu detrita. Et apud Plutarchum Philopœmen tali indutus chlamyde pro ſervo habitus eſt. Hinc pro veſte viliori, ac craſſiori, quam lacernis purpureis potentiorum opponit Mart. VI. II. 7.

Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia veſtit:
Vis te purpureum, Marce, ſagatus amem?

Ubi pingue, craſſumque *ſagum*, quod ferme in Gallia conficiebatur, Tyriis lacernis opponitur. Senec. Epiſt. 18. *Interponas aliquot dies, quibus contentus minimo, ac viliſſimo cibo, dura, atque horrida veſte dicas tibi. . . . Grabatus ille verus ſit, & ſagum, & panis durus, ac ſordidus.* Ferrar. ibid. II. 3. 12. Laz. Comm. Reip. Roman. VIII. 9. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. X. p. 713. Ex ſerico facta Caligulæ, & Commodi V. ſupr. in *Chlamys.* & ibidem illorum colorem.

Sagum Gallicum venit ad Romanos. *Torrent. in Suet. Cæſ. c.* 48. Qui fallitur; nam *ſagum* Gallicum, quantum conjectura aſſequi poſſum, a Romano diverſum. Hoc apertum, & fibulatum: at Gallicum ad inſtar tunicæ, & quidem manicatum, qualia noſtra *ſaga* ſunt, & *Saji* appellantur. Tacit. Hiſt. II. 20. 2. *Ornatum ipſius,* Cæcinæ, *municipia, & coloniæ in ſuperbiam trahebant, quod verſicolore ſagulo, braccas tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur.* Si Romanum *ſagum* id fuiſſet, hoc eſt, Imperatorium paludamentum, non fuiſſet mirum, aut inſolens, ſi Romano militari habitu municipia, & togatos homines adiiſſet. Sed totus cultus ducis Gallicus fuit: braccæ, ſive femoralia & *ſagum* manicatum. Eandem rem narrat Plutarch. Oth. p. 1069. D. *Cæcina neque voce, neque habitu civilis, ſed odioſus, & extraneus: qui corpore ingens Gallico more bracis, & manicis indutus ſigniferos, & præfectos Romanos alloquebatur.* Manicæ fuerunt *ſagi*, nam in tunica infames, ac probroſæ fuerunt. Fibulatum etiam fuiſſe quidem exiſtimant viri docti ex Polyæn. VIII. 16. 2. *Veſtimento uterentur ſago Gallico, & prius ipſe ſago pullo amictus.* Sed, ut diximus, fuit manicatum, & ad inſtar tuniculæ, & nullus in eo fibulæ uſus, quæ ad veſtes ſtringendas, ne humeris defluerent, inventa eſt. Et apud Polyænum ſiſyra non tam fuerit commune Gallorum *ſagum*, quam chlæna, veſtiſque villoſa, & fere ex pellibus caprarum confecta, quæ cum eſſet aperta, & reliquis veſtimentis ſuperinduceretur, opus fibula erat, quæ illam necteret in humeris, & colligaret. Et ita veteribus Grammaticis deſcribitur. Quicquid ſit, etiamſi more tunicæ indueretur, cum ad pectus apertum eſſet, fortaſſe opus ei fibula, qua clauderetur. Nam de Gallis Diodor. V. p. 213. A. *Saga etiam virgata, per hyemem denſa, per æſtatem tenuiora, crebriſque teſſellis florum inſtar diſtincta, fibulis ſubnectunt.* Cæterum Iſidor. XIX. 24. ait *ſagum* Gallicum nomen eſſe: dictum autem *ſagum* quadrum, eo quod apud eos primum quadratum, ſive quadruplex fuerit. Unde hæc acceperit haud ſcio: nuſquam enim apud veteres *ſagi* hujus quadri, aut quadruplicis mentio. Nam quod *ſagum* cum diploide confundit, id eſt, cum pallio Græcanico, illudque Horat. Epiſt. I. 17. 25.

Contra quem duplici panno patientia velat.

de *ſago*, & veſte militari interpretatur, ſolens vaticinatur. *Ferrar. de Re veſt.* II. 3. 9. Intexta purpura diſtinctum. Virg. Æneid. VIII. 659.

Aurea cæſaries illis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis.

Ubi Servius *auream veſtem* barbam interpretatur, & *ſagula virgata, quæ habebant in virgarum morem deductas vias. Et bene,* inquit, *alluſit ad Gallicam linguam, per quam virga purpura dicitur. Virgatis ergo, acſi diceret purpuratis, quæ ſagula virgata etiam trabeata dicta ſunt.* Treb. Poll. in Gallien. c. 6. *Perdita Gallia arriſiſſe, ac dixiſſe perhibetur, non ſine trabeatis ſagis tuta Reſpublica eſt?* Ut enim togæ a tranſverſis purpuræ diſcurrentis lineis, ſive trabibus trabeæ dictæ ſunt, ſic a virgis purpureis trabeata Gallorum *ſaga.* Turnebus tamen Adv. II. 14. ſimpliciter virgatum ῥαβδωτὸν intelligit, quod virgas quaſdam in longum, aut latum varia ſerie, ac colore porrectas haberet, ut in con-

charum

charum genere sunt virgulatæ, id est, ῥαβδωταί. Eadem scutulata fuisse docet Scaliger. V. illum infr. in *Vestes scutulatæ.* Ferrar. ibid. II. 3. 16. Sched. de Diis German. II. 8.

Sagum Germanicum describit Tacit. Germ. c. 17. n. I. *Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum.* Hoc argento fuit variegatum. Herod. IV. 7. §. 5. *Sæpe etiam Romano cultu deposito vestem Germanicam induebat, atque in eorum sagulis argento variegatis conspiciebatur.* Ferrar. de Re vest. II. 3. 10.

Sagum Hispanicum. Ejus meminit Val. Max. III. 2. 21. *Nec erubuit gladium et suum, & sagulum utroque exercitu spectante tradere.* V. I. 7. *Puerum Hispano sagulo donatum ad Massanissam remisit.* Strab. III. p. 107. *Nigro omnes utuntur vestitu, plerumque in sagis degunt.* Appian. Hispanicis: *Utuntur duplicibus vestimentis crassis, chlamydum vice, & infibulantes, ea saga appellant.* Sed qualis esset ille Ibericus infibulandi ritus, sicut quomodo hæc *saga* a chlamyde communi differrent, haud facile dixerim. Nisi illa duplicia, & utramque partem corporis tegentia, ac crassa: hæc levior, & humeros fere operiens. *Ferrar. de Re vest.* II. 3. 10.

SAL.

SAL multis gentibus seculo Trojano fuit incognitum. Homer. Odyss. V. 121.

Donec ad illos perveneris, qui non sciunt mare
Viri, neque sale conditum cibum comedunt.

Ubi Eustathius: *Ut indicet extremam rusticitatem hominum illorum, qui nullo modo sal noverunt, neque marinum, neque fossile.* Sallust. Bell. Jugurth. p. 137. *Numidæ plerumque lacte, & ferina carne vescebantur, & neque salem, neque alia gulæ irritamenta quærebant.* Brod. Miscell. VI. 3. Lauremb. Græc. Ant. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IV. p. 17. B. Mirum hoc. Aliter Romani; horum enim milites, ut auctor est Appian. de Bell. Hispan. in obsidione Enderacienſi magno numero sunt exstincti, quod multa cervina, & leporina carne sine *sale* elixa vescerentur, & inde ventris profluvio laborarent. Idem de Bell. Illyr. p. 763. prodidit Salassos *salis* inopia ductos, quo maxime indigebant, Romanis se dedidisse. Ideoque perspicientes *salis* usum perquam necessarium, gravissimam pœnam interminati sunt his, qui hostibus eum venderent. Hinc est apud ICtum Paullum l. cotem ff. de public. *Cotem ferro subigendo necessariam hostibus quoque venumdari: ut ferrum, & frumentum, & sales, non sine periculo capitis licet.* Stewech. in Veget. IV. 11. Nec mirum. Est enim *aliorum condimentorum condimentum, & suavitatem conciliat.* Plutarch. Symp. V. 8. Vita etiam nostra citra *salis* usum nulla esset, adeoque necessarius, ut non solum absque illo cibi omnes essent insipidi, sed etiam prorsus corrumperentur, & putrescerent. Sed lubet audire Plin. XXXI. 7. *Conditur etiam odoribus additis, & pulmentarii vicem implet, excitans aviditatem, invitansque in omnibus cibis, ut sit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta. Ita est in mandendo quæsitus garo. Quin & pecudes, armentaque, & jumenta sale maxime sollicitantur ad pastum, multo largiore lacte, multoque gratiore etiam in caseo dote. Ergo hercule vita humanior sine sale nequit degere: ideoque necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque; nam ita sales appellantur, omnisque vitæ lepos, & summa hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo constat.* Obsonii etiam vice veteres *sale* fuerunt usi: ideoque communi Phano colebantur olim Neptunus & Ceres, ut auctor est Plutarch. Sympos. IV. 4. quod ille *salem*, Ceres panem dedissent. Plin. l. l. *Varro pulmentarii vice usos veteres* auctor est, esitasse enim salem cum pane & caseo, ut proverbio apparet. Horat. Sat. II. 2. 17.

—— cum sale panis
Latrantem stomachum bene condiet.

Sed tenuiorum tantum hic cibus erat. Pers. Sat. V. 138.

Vare regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages.

Nonn. de Re cibar. I. 48. Laurent. de Prand. & cœn. vet. Tom. II. c. 11. Hoc vendere licuit privatis ante tempora libertatis, sed cum eorum avaritia *impenso pretio veniret, exactis Regibus, vendendi salis arbitrium, in publicum omne sumptum, ademptum privatis.* Liv. II. 9. neque stante Republica iterum vendendi facultas cum privatis communicata esse videtur. Cum vero sæpius, & in jure, & apud auctores mentio fiat *salinarum* privatarum, viri docti putant, vendendi quidem facultatem, non vero fabricandi *salinas* privatis esse ablatam: & debuisse *sal*, quod in *salinis* privatis conficiebatur, vendi fisco, vel mancipibus *salinarum* publicarum, idque ab Honorio & Arcadio constitutum legimus l. 11. C. de vectigal. cui potest adjungi l. 3. C. Th. de metallar. ubi fisco datur jus πρωτοπραξίας auri, quod in privatorum fodinis reperitur. Non tamen puto absolute ita vendendi *salis* copiam privatis ademptam, nam l. 32. §. 3. ff. de usu & usufr. leg. ICtus loquitur de *salinarum* ususfructu legato, quæ privatorum necessario erant, & in quibus non minimus modus *salis* venalis erat. *Burmann. Dissert. de Vectig. c. 6.* Præceptum est Pythagoræ, *salem apponito*, quod Græce dicitur, τὸν ἅλα παρατίθεσθαι. Hoc plerique omnes præcepisse volunt, amicitiam dirimendam non esse. *Sal* enim a putrefactione omnia conservat, & ex purissimis, liquidissimisque rebus constat, aqua scilicet, & mari. Huic nonnihil congruit proverbium illud, quod est: *salem, & mensam ne præterito*: nam *sale*, & mensa amicitia sancitur: unde & nostri reverentiam mensæ pro quadam amicitiæ lege dicere consuevere, & Juvenalis, & Claudianus, & longe ante hos Euripides in Hecuba, & Theocritus in Hyla. Sane & *sal* amicitiæ symbolum est, unde & hospitibus ante alios cibos apposuisse antiquos legimus, quo amicitiæ firmitas significabatur: vel quia conservat, & perdurat *sal* plerarumque rerum corpora, vel quia ut ex aquis multis, & fusilibus *sal* cogitur, & in solidum quid, & unum coalescit: ita ex diverso convenientes animi conjunguntur. *Gyrald. in Pythag. Symbol.* 16. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 27. *de Sacrif. p.* 146. *Rhodig. Ant. Lect.* XII. 1. *Pier. Hierogl.* XXXI. 10. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 59. *Choul. Relig. vet. Roman. p.* 251. *Laurent. ibid. c.* 8. & 11. *Tomas. de Tesser. hospit. c.* 13. *Sale* aspersos infantes fasciis obvolvi præcipit Galenus. Et Avicenna inquit: Festinandum, ut infantium corpuscula perluantur aqua, in qua colliquatus sit *sal*, ut occallescat umbilicus, atque item cutis: ita tamen, ut non contingantur nares & os. Cur vero sic faciendum adstruamus, ratio est, quoniam mox editum infantem omnia infestant. Quo nomine semel bisque *sale* abluere persalubre est, præsertim si exuberet sordibus, & nimio plus sese promat humectatio. Confestim vero ab iis tepidiore confovendus aqua. Adjicit Galenus, *salis* potestate cuti callum induci sic, ut densior, solidiorque iis, quæ intus sunt, partibus reddatur. *Rhodig. Ant. Lect.* VI. 2. *Laurent. l. l. Bartholin. de Puerp. p.* 63. In condiendis mortuis, & putredine abigenda utebantur veteres. Plin. XXXI. 9. *Salis natura est per se ignea, & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens, corpora vero astringens, siccans, alligans: defuncta etiam a putrescendo vindicans, ut durent ita per secula.* Eunap. Ædes. p. 65. *Ii condita, & salita eorum capita, qui ob scelerum multitudinem a judicibus extremo supplicio fuerant affecti, pro divis ostentabant.* Kirchman. de Funer. I. 8. Laurent. l. l. In defunctorum apponebatur epulis, & inter luctus proximi indicia numerabatur. Hinc malo omini Crasso fuit, cum ad Parthicum bellum proficisceretur, quod cum primum in ripa ulteriore cibaria militibus dividerentur, *salem* præbuerint, quod habebatur lugubre, & ideo mortuis apponi consuetum. Plutarchus in Crasso. *Kirchman. ibid.* IV. 7. *Guther. de Jur. man.* II. 12. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 26. *Rhodig. Ant. Lect.* VI. 2. Maxima ejus auctoritas fuit in sacrificiis, quæ ipse Legislator æternus non nisi cum *sale* peragi voluit Levit. c. 2. n. 13. *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies: nec auferes sal fœderis tui de sacrificio tuo: in omni oblatione sal offeres.* Et apud Ethnicos quoque nulla sacra sine *sale* conficiebantur. Stat. Sylv. I. 4. 130.

> — *sed sæpe deis hos inter honores*
> *Cespes, & exiguo placuerunt farra salino.*

V. supr. in *Mola salsa.* Salmuth ibid. p. 58. Guther. ibid. I. 4. Nonn. de Re cibar. I. 48. Gyrald. ibid. p. 157. C. Stuck. ibid. I. 30. & de Sacrif. p. 82. Ejus effusio in mensa mali, & infausti ominis loco habetur plerisque. Et illum qui casu aliquo fortuito *salinum* in mensa evertit, *salque* effundit, bellum habiturum, hoc est, rixam, jurgium, atque contentionem aliquam subiturum esse vulgo dictitant. *Stuck. & Nonn. l. l. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c.* 11.

SALACIO fuit olim oppidum Lusitaniæ, nunc pagus, cui nomen *Alcazar de Sal.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 871. D.

SALARIA porta. V. illam supr. in *Porta Agonensis.*

Salaria via. V. illam infr. in *Via.*

SALARIUS pagus. V. illam supr. in *Pagus.*

SALARIUM proprie significabat tribunorum militarium, & ducum annonam: forte, quod nihil victui magis necessarium quam *sal:* vel quod *salaria* percipientes, inde se alerent. Græci plurimum vertunt σιτηρέσια, & ὀψώνια. Sed latius postea hoc vocabulum patuit, ut non solum de annona, sed etiam de commodis, & stipendio militum usurparetur. Gloss. Philox. *Salarium*, ὀψώνιον, παροχὴ, συνήθεια, ἁλωτικόν. Plin. XXXI. 7. *Honoribus etiam militiæque interponitur, salariis inde dictis.* Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XVIII. 20. Putean. de Stipend. milit. c. 2. Hotoman. de Magistr. Roman. I. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1881. C. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 61. Salmas. in Capitol. Clod. Albin. c. 10. Lamprid. Heliogab. c. 26. Schill Nomencl. Philol. p. 1007.

Salarium etiam dicebantur argentum, vestes, ministeria, quæ de publico accipiebant præsides. Treb. Poll. in Claud. c 15. *Sane scias tantum ei a nobis decretum salarii, quantum habet Ægypti præfectura: tantum vestium quantum Africano proconsulatui detulimus: tantum argenti quantum accipit curator Illyrici: tantum ministeriorum quantum nos ipsi nobis per singulas decernimus civitates.* Olim publice locabantur præbenda rectoribus provinciarum, & erant mancipes, qui redimerent quæcunque illis essent exhibenda necessaria per totum tempus administrationis. Redemptores, qui hæc magistratibus præbebant, dicebantur parochi a παρέχειν, *præbere.* Et in glossis *salarium* vertitur παροχή. Inter hæc erat etiam præstatio *salis.* Horat. Sat. I. 5. 45. V. supr. in *Parochus.* Sustulit hunc morem Augustus. Suet. Aug. c. 36. n. 1. *Auctor fuit, ut proconsulibus ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur.* Sub posterioribus vero Imperatoribus non *salarium* tantum datum est provinciarum præsidibus ex instituto Augusti, sed etiam argentum, vestes, muli, equi, ministerium, & reliqua necessaria. Lamprid. Alex. c. 42. *Ita ut præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos.* Salmas. in Lampridium, Burmann. Dissert. de Vectig. c. 6.

SALASSI, & ipsa gens Inalpina, Taurinis, atque Ideonni regno contermini fuere, vallem, quam Duria efficit flumen, incolentes. Olim conterminos habuere ab occidente Ideonni regnum, & Centrones: ab septemtrionibus Veragros: ab oriente fuere Lepontii: ab meridie infra Eporædiam oppidum habuere in dextra Duriæ ripa Taurinos, in læva Libicios Gallos. *Cluver. Ital. Ant.* I. 13. 1. *Leand. Descript. Ital. p.* 704. Adversus *Salassos* primus, ut opinor, exercitum adduxit Appius Claudius Pulcher consul an. 610. Oros. V. 4. *Appio Claudio, Q. Cæcilio Metello consulibus, Appius Claudius adversus Salassos Gallos congressus, & victus, decem millia militum perdidit. Reparata pugna quinque millia hostium occidit.* Unde an. 633. Mario VI. & Flacco coss. Eporædiam ad cohibendas *Salassorum* hostium incursiones colonia est deducta. *Salassos*, & illorum bella describit Strab. IV. p. 141. *Salassorum magna regio est in profunda valle, cum undique locum montes cingant. Habet aurifodinas, quas obtinebant Salassi, tum cum res eorum florebant, ut eo eorum quoque locorum aditum tenerent: quæ causa bella inter eos etiam sæpe accendit. Rerum autem potitis Romanis, & aurificium, & agrum amiserunt: montium autem juga tenentes aquam publicanis, qui aurificium exercerent, venumdabant, & cum iis sæpe lucri cupiditate contendebant, ut nunquam Romanis prætoribus, qui eo mitterentur, causæ belli deessent. Postremo partim bellis attriti, partim conciliati opes tamen magnas habebant, & multa damna latrociniis inferebant iis, qui per suos montes iter facerent. Quippe a quibus D. Brutus Mutina fugiens data virium drachma sese redemerit. Messalla etiam, cum prope illos hybernaret, mercedem lignorum persolvit, quæ partim ad naves, partim ad hastas conficiendas rapuerat. Postremo Cæsar Augustus eos funditus sustulit, & universos sub corona venditos in Eporediam coloniam translatos: ibi autem brevi resistere potuerunt, donec gens ipsa exstincta est. Aliorum igitur capitum sex & triginta millia censa sunt; qui ætate militari essent, octo millia: omnes Terentius Varro prætor sub hasta vendidit: tribus millibus Romanorum Augustus oppidum Augustam constituit, quo in loco Varro castra prætoria habuerat: & nunc finitima regio usque ad summa montium juga pacata est.* Quæ confirmat Dio XLIX. p. 412. A. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* III. 6. *Cluver. & Leand. l. l.* Ad *Salassos* tractum, qui Pedamontanus hac tempestate nominatur, rejicit *Merul. Ant. Gall. Cisalp.* I. 2.

SALGAMA dixerunt veteres conditanea ad victum: ut puta mala struthea, cydonia, melimela, pyra, fici, nuces, oleæ. Colum. XII. 4. *Hæc vasa dedita opera fieri oportet patenti ore, & usque ad imum æqualia, nec in modum doliorum formata, ut, exemptis ad usum salgamis, quicquid superest, æquali pondere usque ad fundum deprimatur, cum ea res innoxia penora conservet, ubi non innatent, sed semper sint jure submersa.* X. 112.

> *Tempore non alio vili quoque salgama merce*
> *Capparis, & tristes inulæ, ferulæque minaces*
> *Plantantur.*

Rhodig. Ant. Lect. XXX. 10. Popm. Instrum. fundi c. 18. Salmas. Exerc. Plin. p. 333. b. E. 898. b. C. Du Fresne Glossar. Hoc nomen postea traductum est a militibus ad rerum ad victum necessariarum præbitiones, quas ab hospitibus suis exigebant. Lex 3. C. Th. de *salgamo* hospitibus non præbendo: *Nemo militans a suo hospite salgami aliquid postulet, id est, ne lignum, aut oleum, culcitave poscantur.* Du Fresne & Rhodig. l. l.

SALGAMARIUS dicebatur, qui *salgama* condiebat, & vendebat. Colum. XII. 54. *Deinde, sicut consueverunt salgamarii, decussatim ferramento lunato incidito.* c. 44. *C. Matius edidit libros tres, quos inscripsit nominibus coci, & cetarii, & salgamarii. Illi propositum fuit urbanas mensas, & lauta convivia instruere.* Gloss. Græco-Lat. Παντοπώλης, *seplasiarius, salgamarius.* Romæ etiam fuerunt castra *salgamariorum.* V. illa supr. in *Castra. Salgamentarius* nominatur Salvian. adv. avarit. IV. 149. *Si mutuum a te quippiam propola, aut salgamentarius postularet.* Du Fresne Glossar. Rhodig. Ant. Lect. XXX. 10.

SALIÆ virgines in regia sacrificium faciebant cum pontifice paludatæ. Festus: *Salias virgines Cincius ait esse conductitias, quæ ad Salios adhibebantur cum apicibus paludatæ, quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.* Ferrar. Anal. de Re vest. c. 39. Guther. de vet. jur. pontif. II. 13. Panvin. de Civit. Rom. c. 31. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 620. Ruben. de Re vest. II. 8. Græv. Præfat. ad Ant. Rom. Tom. I. * * * * Gutberleth. de Saliis c. 28. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 2. & cum *Saliis* Regi sacrorum sacrificanti in comitio adsistebant. Festus in Regifugium. *Quod falsum esse arguit Cincius l. Cincius in libro Fastorum, & Tullius de feriis, qui Saliares virgines & Salios adesse dicunt Regi sacrorum, cum facit sacrificium in comitio.* Gutberleth. l. l.

SALICTARIUS est, qui *salictum* curat, & ex eo materiam *salignam* parat, vel texendis corbibus, canistris, &

& ciſtellis, vel viti pedandæ, jugandæque. Cato de Re ruſt. c. 11. *Vinea centenum jugerum ſalictarium unum.* Turneb. Adv. VII. 23. Popm. de Inſtrum. fund. c. 3. Sunt enim *ſalicum* duo genera: aliæ viminales, ſupellectili villaticæ texendæ: aliæ perticales vineis jugandis, vel ſoboli plantandæ: vel denique ſepimentis uſum præbent. Unde Cato in æſtimatione prædiorum tertium locum tribuit *ſalicto*, præponitque olivetis, agris frumentariis, & pratis. *Popm. l. l.*

SALIENTES optimis auctoribus ſunt aquarum fontes, & ſcaturigines, quæ tubulis emittuntur, & fiſtulis. Plin. XXXVI. 14. *Agrippa in ædilitate ſua, adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis, atque emendatis, lacus ſeptingentos fecit: præterea ſalientes centum quinque.* Vitruv. VIII. 7. *Ita in medio ponentur fiſtulæ in omnes lacus, & ſalientes.* Vocantur etiam ſilani, & tullii. Inepte quidam hallucinantur, qui *ſalientes* de figuris exponunt, & ornamentis, quæ ad tubulos adhibebantur. Alii tubuli ſunt, alia ornamenta tubulorum. *Keuchen. in Frontin. de Aquæd. 1. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1639. C. Philand. in Vitruvium. Cujac. Obſer. XI. 2.*

SALII *erant ſaltatores, & laudatores armatorum deorum. Horum ſollennitas erat menſe Martio, quæ ſumptu agitur publico multos dies, quibus ducunt choreas per urbem, & in forum, & Capitolium, & in multos alios privatos, publicosque locos, tunicas varii coloris, æneis ſuccincti baltheis, togasque annectentes fibulis circum diſtinctas purpura, ſubtegmine puniceo, quas trabeas vocant; & quos apices vocant capitibus imponentes, pileos altos in ſpeciem coni eductos. Accincti omnes erant gladiis, ac dextris lanceam, aut virgam, aut quid tale tenent, læva ancilia.* Dionyſ. II. p. 129. Inſtituti ſunt non ab Arcade Salio, nec a Saone Samothrace. Feſtus, Plutarch. Num. p. 68. E. *Salios a ſaliendo, & ſaltando dictos eſſe, quamvis dubitari non debeat, tamen Polemon ait Arcadem quendam fuiſſe nomine Salium, quem Æneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui juvenes Italicos ἐνόπλιον ſaltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace cum Ænea deos penates qui Lavinium tranſtulerit, Saliare genus ſaltandi inſtituiſſe, a quo appellatos Salios, quibus per omnes dies, ubicumque manent, quia amplæ ponuntur cœnæ, ſi quæ aliæ magnæ ſunt, Saliares appellantur.* Sed a Numa Pompilio. Plutarch. l. l. *Anciliorum cuſtodes, & miniſtros Salios inſtituit* Numa. Liv. I. 20. *Salios duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegumen: cœleſtiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre, ac per Urbem ire canentes carmina cum tripudiis, ſollennique ſaltatu juſſit.* Flor. I. 2. Numa *pontifices, augures, Salios, cæteraque ſacerdotia deſcripſit.* Turneb. Adv. XIII. 8. in ea tamen verſatur opinione, *Saliorum* auctorem fuiſſe *Salium* Arcadem, eumque, inſtitutis ab Euandro Herculi ad aram maximam ſacris, adjeciſſe *Saliorum* choros ante Urbem conditam, Urbe autem condita eos choros a Numa eſſe tranſlatos ad Gradivum Martem Romanæ gentis auctorem. Bianchini in hiſtoria univerſali p. 289. vult, Romanos ex Arcadia ab Euandro, ejusque ſociis hos ſacerdotes accepiſſe: & Fabius Pictor apud Dionyſium *Salios* a Græcis originem ducere affirmat, ad imitationem Pyrrichæ ſaltationis, vel Curetum. Credo equidem, Romanos ritus quosdam apud Græcos in iſtis ſaltationibus uſitatos ad *Salios* ſuos tranſtuliſſe, cum Græci ipſiſſimos *Salios* non habuerint. Minuc. Fel. p. 237. *Et tamen ante eos*, Romanos, *Deo diſpenſante, diu regna tenuerunt Græci, cum Salios non haberent.* Tertull. Apolog. c. 26. *Regnaverunt Ægyptii ante Salios.* Numa itaque *Salios* ſaltantes primum Romæ inſtituit, cum antea in aliis Italiæ civitatibus tantum noti eſſent. Sic de Tuſculanis, quod *habuerint Salios ante Romanos*, teſtatur Serv. Æneid. VIII. 285. *Gutberleth. de Saliis c. 1. & 3. Cuper. Obſerv. IV. 1. Caſal. de Urb. ac Imper. Rom. ſplend. part. 3. c. 2. Coraſ. Miſcell. jurid. I. 10. 10. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. c. 31. Pigh Annal. Rom. I. p. 30. Claſen. Theol. gentil. III. 1. 14. Flocc. de Poteſt. Roman. I. 7. Læt. de Sacerdot. c. 8. Kipping. Antiq. Roman. I. 12. 7. Merul. de Sacerdot. c. 2. §. 11.* Fuerunt inſtituti in honorem Herculis, & Martis. Serv. l. l. *Sunt Salii Herculis & Martis, quoniam Chaldæi ſtellam Martis Herculem dicunt, quos Varro ſequitur* in Satyra nimirum Menippea, in qua Herculem eundem eſſe atque Martem probavit teſte Macrob. Sat. III. 12. Imo antiquiſſimi videntur fuiſſe ſacerdotes Herculis, donec Numa illos Marti conſecravit. Sed poſterioribus temporibus ſolius Martis fuerunt. Lucian. de Saltat. I. 793. edit. Græv. *Præter hæc æquum eſt, ut neque Romanæ ſaltationis obliviſcamur, quam Romanorum nobiliſſimi quique Marti deorum bellicoſiſſimo, qui Salii vocantur, quod eſt ſacerdotii nomen, graviſſimam & religioſiſſimam exercent.* Hinc appellatur quidam *Salius Martialis* in lapide inter Felſinea marmora p. 372. Mars hic Gradivi nomen habuit. Livius ſupra laudatus. V. illum ſupr. in *Mars.* Gutberleth. ibid. c. 4. In *Saliorum* collegium juvenes patricii tantum inaugurabantur, non a populo, ſed magiſtro collegii. V. illum ſupr. in *Magiſter.* Quos *decore conſpicuos* II. p. 129. & *genere nobiles* III. p. 173. vocat Dionyſius, *Romanorum nobiliſſimos* jam nuncupavit Lucianus, & *lectam juventutem patriciam* Lucan. IX. 465. Et in uxores nobilium & patriciorum, quæ ex adulteris ignobilibus liberos producebant futuros *Salios*, quoniam credebantur eſſe filii maritorum nobilium, vehementer inſurgit Juven. Sat. VI. 602.

> *Tranſeo ſuppoſitos, & gaudia, votaque ſæpe*
> *Ad ſpurcos decepta lacus, atque inde petitos*
> *Pontifices Salios, Scaurorum nomina falſo*
> *Corpore laturos.*

Cicer. pro dom. c. 14. ironice: *Ita populus Romanus brevi tempore, neque Regem ſacrorum, neque flamines, nec Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos ſacerdotes.* Ideo Cicero ait, populum Romanum non habiturum *Salios*, & alios ſacerdotes, ſi omnes patricii a plebejis adoptarentur, ſic enim nulli *Salii* creari poſſent, quoniam e patriciis eſſe deberent. Præter εὐγένειαν requirebatur, ut eſſent patrimes, & matrimes teſtante Dionyſ. II. p. 130. V. illos ſupr. in *Patrimes.* Imperator Antoninus Philoſophus *octavo ætatis anno in Saliorum collegium* eſt relatus apud Capitol. c. 4. nec tamen quo ætatis anno ad ſacerdotium admitterentur, diſerte demonſtrare poſſum. Hoc enim ipſi privilegio quodam conceſſum eſſe credo. *Gutberleth. ibid. c. 9.* Inter veſtes occurrit *tunica verſicolor*, ut illam nominat Dionyſ. II. p. 129. *tunicam pictam* Livius ſupr. laudatus, *tunicam purpuream* Plutarch. Num p. 68. F. Super hanc ſe cingebant æreo balteo. Dionyſius: *Super tunicas verſicolores æreis balteis cincti.* Plutarchus: *Balteis latis æneis ſuccincti.* Hinc *æneum pectori tegumen ſuper tunicam* ob latitudinem illum vocat Livius. *Gutberleth. ibid. c. 10.* Trabea, ſive toga, ut videtur, apud Dionyſium: *Togisque purpura prætextis, & fibula adſtrictis induti.* Sed hic ſolus veterum togam *Saliis* adſcribit. Apud me potior eſt auctoritas Livii, qui ſolas *tunicas pictas* in *Saliis* agnoſcit ſupra laudatus. Nec aliud quam *puniceas tunicas* modo agnovit Plutarchus. Præter tantorum virorum auctoritatem ratio ipſa vincere videtur, ſine toga *Salios* fuiſſe, nihil enim magis incommodum ſaltanti, quam veſtimentum fuſum, ac talare. *Ferrar. de Re veſt. I. 16. Caſal. l. l.* Si tamen a Dionyſii parte ſtare velimus, dicendum eſſet, *Salios* togas fibula contraxiſſe, ne ſcilicet illis ſaltantibus impedimento eſſent; itaque ἐμπεπορπημένοι τὰς τηβέννας apud Dionyſium vertenda ſunt, ſuccincti ritu Gabino, ut optime conjecit Ferrarius, habetque hac in re ſuffragantem artificem gemmæ 152. tom. 1. collectionis Auguſtinianæ, in qua *Salii* toga ſtricta, & ſuccincta ſunt induti. Cæterum Dionyſius τηβέννας *togas* easdem facit cum *trabeis*, ut excerpta gloſſarum: *τήβεννα, toga, τήβεννος, toga, trabea.* Inter *Saliorum* veſtes trabeas etiam referre videtur Virg. Æneid. VII. 187. Ubi Picum Regem habitu *Saliorum* veſtitum deſcribens canit:

> — *parvaque ſedebat*
> *Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat.*

Parva enim trabea ſtricta, & ſuccincta eſt, qualem *Salii* in gemma Auguſtini habent. *Gutberleth. ibid. c. 10.* Capitis

tis tegumenta, quibus *Salii* erant tecti, erant apex, sive in coni formam fastigiatus pileus. Dionys. II. p. 129. *Gestant capitibus, quos vocant apices, fastigiatos in coni formam pileos, Græci appellant κυρβασίας.* V. illum supr. in *Apex.* Hinc Minuc. Fel. p. 223. illos describit pileatos, quia hos pileos Romani nominabant apices. Et ob hanc causam dici quoque possent tutulati. V. infr. in *Tutulus.* Galea ænea apud Plutarcham. Et galeis *Salii* incedunt tecti in Admirand. Roman. antiquit. vestig. a Bellorio editis p. 42. *Gutberleth. ibid. c.* 11. Erant custodes ancilium. V. illa supr. in *Ancile.* Per Urbem saltabant. V. infr. in *Saltatio.* Tempore festi carmina canebant, & illa axamenta vocabant. V. illa supr. in *Axamenta.* Mos fuit, ut Saliari in carmine cantarentur, quos eximio aliquo honore cupiebant affectos. Ita in illo cecinerunt Mamurium Veturium anciliorum fabrum, qui volente Festo in Mamurii *præmio loco petierat, ut suum nomen inter carmina Salii canerent.* Et Ovid. Fast. III. 389.

> *Tum sic Mamurius: merces mihi gloria detur,*
> *Nominaque extremo carmine nostra sonent.*
> *Inde sacerdotes operi promissa vetusto*
> *Præmia persolvunt, Mamuriumque canunt.*

Extremum hoc *carmen* inciderit in ultimum festi diem, sive Mamuralia, quo die laudes Mamurii recitabant. Carmen enim Saliare videtur in varias partes fuisse divisum, & partes singulis diebus cantari solebant, non vero uno die totum carmen. *Cuper. Observ.* IV. 2. *Kirchman. de Funer.* IV. 14. *Gutberleth. ibid. c.* 20. *Panvin. l. l.* Maniam matrem Larum, & Luciam Volumniam. Varr. de Ling. Lat. VIII. 38. V. illum supr. in *Mania.* Gutberleth. & Kirchman. l. l. Janum. Macrob. Sat. I. 9. *Saliorum quoque carminibus antiquissimus deorum deus canitur.* Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Divum exta cante, divum deo supplice cante.* Qui hunc versum in *Saliari carmine* scriptum esse dicit. Hic *deorum deus* Janus est, quem *Salii* in carmine *Ianes* pronuntiabant. Imo & *Eanus* audiebat. Tertull. Apolog. c. 10. *Saturnus exceptus ab Iano, vel, ut Salii volunt, Eano.* Hinc & ipsi *Salii* dicti *Ianes*, vel *Eani.* Voss. Instit. Orat. IV. I. 7. Gutberleth. l. l. Verbis subobscuris Lucetium Jovem, aliosque deos, excepta Venere, quam in carminibus *Saliorum* nominare nefas erat. De Lucetio Jove testatur Macrob. Sat. II. 15. *Jovem accipiamus lucis auctorem, unde & Lucetium Salii in carmine canunt.* Hunc Alex. Gen. dier. I. 26. *Lucretium* male vocat. De Venere confirmat Macrob. Sat. I. 12. *Ne in carminibus Saliorum Veneris ulla, ut cæterorum cœlestium, laus celebretur.* Gutberleth. l. l. Et post aliquot secula Imperatores, ut & illorum memoriam sempiternæ gloriæ mandarent. Unde inter insolitos honores Augusto adhuc imperanti a senatu decretos refert Dio LI. p. 457. C. *ut in hymnos* Saliares *juxta deos immortales adscriberetur.* Idem honos Germanico Cæsari defuncto tributus est. Tacit. Annal. II. 83. I. *Honores, ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique, ut nomen ejus Saliari carmine caneretur.* Et Antoninus Philosophus filio Vero septenni defuncto decrevit, *ut Saliari carmini nomen ejus insereretur.* Casaub. in Athen. VI. 14. Spanhem. præfat. ad Callimach. p. 2. Lips. in Tacitum, Kirchman. & Gutberleth. l. l. Carminum *Saliarium* fragmenta κατ' ἀλφάβητον producit, & explicat *Gutberleth. ibid. c.* 21.... 26. Postquam per totam Urbem ancilia circumtulerant, & ad Martis sacrarium redierant, in Martis æde, ut largius epularentur, parabant cœnam, lautam, copiosam, opiparam, magnificam. V. illam supr. in *Cœna.* Illarum saltationem V. infr. in *Saltatio.*

Salii Albani a Tarquinio fuerunt instituti. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman.* I. 9. Qui unde hoc didicerit, non liquet. Promo hos e tabula marmorea in Gruteri Inscript. p. 318. n. 1.

L. ANTESTIUS. CN. F. HOR
SARCULO. SALIUS. ALBANUS....

n. 2.

L. ANTISTIUS. CN. F. HOR. SARCULO
ANTISTIA. SALIUS. ALBANUS

Quam ob causam cognominati sint *Albani*, in veteribus monumentis, quod quidem scio, non proditur. Quod si statuamus, illos sic denominatos, quoniam sacrarium in Albano monte habuerunt, ut Palatini, & Collini a montibus Palatino, & Collino? *Gutberleth. de Saliis c.* 7. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 620.

Salii Antoniniani possunt cognominari, qui Antonino Caracallæ post mortem constituti sunt. Spartian. c. 11. *Habet templum, habet Salios, habet sodales Antoninianos.* Gutberleth. de Saliis c. 7.

Salii Collini a Tullo Hostilio instituti a Collino monte nomen habuerunt. Dionys. II. p. 129. *Agonales a nonnullis dicuntur Collini Salii, quorum sacrarium est in Collino tumulo, post Numam a Rege Hostilio instituti fuerunt, sicut bello Sabino voverat.* III. p. 173. de Tullo Hostilio narrat, illum sublatis ad cœlum manibus diis votum fecisse, si eo die Sabinos vinceret, *se duplicaturum Saliorum numerum.* Dion tamen in Excerptis Constantini Porphyrogenetæ p. 569. refert, Tullum Hostilium instituisse Salios Collinos, cum pestis Romæ grassaretur, & ille ægrotaret. *Deos magnopere contemnebat, donec sæviente per Urbem peste ipse quoque morbo implicitus est. Tum enim & cæteros deos præcipua cura coluit, & Salios, quos Collinos vocant, addidit.* In diversas partes abit Servius Danielis ad Æneid. VIII. 285. ubi hæc leguntur: *Duo sunt genera Saliorum, sicut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini & Quirinales a Numa instituti, ab Hostilio vero Pavorii, & Pallorii.* Credo hunc Servii locum esse depravatum, nam dicit: *duo sunt genera Saliorum*, cum tamen quatuor genera diversis cognominibus recenset. Substituo igitur pro & voculam *vel*; & puto illum scripsisse *Collini, vel Quirinales*, & *Pavorii, vel Pallorii.* Sic etenim *duo Saliorum genera* habemus. Quos Servius *Quirinales* vocat, sunt Dionys. l. l. *Agonales.* Varr. de Ling. Lat. V. §. 3. *Agonenses. In libris*, inquit, *Saliorum, quorum cognomen Agonensium.* Ratio est, quia mons *Quirinalis* appellabatur quoque *Agonalis*, sive *Agonus.* V. supr. in *Agonius.* De *Salio* Quirinali Stat. Sylv. V. 2. 129.

> — *humeris quatere arma Quirinus*
> *Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo*
> *Nubigenas clypeos, intactaque cædibus arma.*

Cum vero Dionysius *Salios Collinos* eosdem facit cum *Agonalibus*, & Servii *Quirinales* sunt Varronis *Agonenses*, sive Dionysii *Agonales*, sine dubio *Collini*, & *Quirinales Salii* non diversi fuere, quia *Collinus* mons etiam *Quirinalis* denominatus fuit. Errat quoque in eo Servius, quod Numam *Collinorum Saliorum* institutorem describat, cum juxta Livium, & Dionysium Tullus Hostilius eos instituerit. *Gutberleth. de Saliis c.* 6. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Ouzel. in Minuc. Felic. p.* 223. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 617. *Scalig. in Festum in Salios. Cuper. Observ.* IV. 1. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 12. 7.

Salius Hadrianalis occurrit apud Gruterum in ara marmorea p. 1029. n. 6.

T. SEXTIUS. T. F. VOL. . . .
M. VIBIUS. OUF. . . .
SECUNDUS. LUO. . . .
VESTINUS. . . .
AFRICANI. CON. . . .
FILIUS. SALIV. . . .
HADRIANALIS

Scalig. in Indic. Gruterian. Struv. Ant. Rom. c. 12. *p.* 620. Sed non credo hunc hic latere, quoniam præter literam S videntur deesse post vocem SALIV. . . . puto igitur lacunam hoc modo supplendam. SALIUS. SOD. id est. *Salius sodalis Hadrianalis.* Spatium enim lacunæ, & vestigia punctorum has literas admittunt, & sic scribitur τὸ *sodalis* in inscriptione infr. in *Sodales.* Gutberleth. de Saliis c. 7.

Salius Herculanus Augustalis etiam occurrit apud Gruterum in Inscript. p. 1097. n. 7.

P. MU-

P. MUMMIO. P. F. GAL. SI
SENNÆ. RUTILIANO
COS. AUGURI. PROCOS
PROVINC. ASIÆ. LEGATO. AUG
PR. PR. MOESIÆ. SUPERIORIS
PRÆF. ALIMENT. PER. ÆMILIAM
PRÆF. ÆR. SATURNI. LEG. VI
VICTRIC. PRÆTORI. TR. PL. QUÆST
TRIB. LEG. V. MACED. XVIRO
STLITIB. JUDIC. PATRONO. MUNICIPII
CUR. FANI HV. SALIO
HERCULANUS. AUGUSTALIS
L. D. S. C.

Scalig. in Indicib. Gruter. Hunc tamen ego ex hac inscriptione neutiquam perspicere possum. Verissimum est, τὸ *Salio* cum vocabulis *Herculanus Augustalis* conjungi non posse, nisi legamus dandi casu *Herculano Augustali*, quod Scaliger sine dubio fecit, quoniam in indice ista verba conjunxit. At non credo, voces has *Salio* adjungendas esse: quoniam liquet, inscriptionem loqui de *Herculanio Augustali*, qui P. Mummio hunc lapidem posuit. Hanc conjecturam juvat idem lapis, prout habetur in Kircher. Lat. vet. ac nov. ubi legitur πληθυντικῶς *Herculanii Augustales.* Hi sacerdotes Herculis Tiburtini erant & noti e Tiburtinis inscriptionibus. Sic apud Guther. de vet. jur. pontif. I. 5. in marmore lego:

C. SEXTILIUS
V. V. TIBURTIUM
LIB. EPHEBUS
HERCULANIUS
AUGUSTALIS

Gutberleth. de Saliis c. 7.

Salii Palatini videntur esse antiquissimi, utpote a Numa instituti. Horum sacra in monte erant Palatino. Dionys. II. p. 129. *Salios ipse Numa e patriciis delegit, juvenes decore conspicuos, duodecim numero: qui sacra in palatio celebrant, & Palatini cognominantur.* Hoc Saliorum cognomen reperitur in antiquis marmoribus, quorum primum apud Gruterum. V. illum supr. in *Mansiones.* Alterum apud Reines. Inscr. Class. 6. n. 19.

L. CÆSONIO. L. F. QUIRINA. ORCINIO. RUFINO MANLIO. BASSO. CLARISSIMO. VIRO. SALIO. PALATINO PONTIFICI. MAJORI. PRÆTORI. QUÆSTORI. CÆSONIUS. HEDULUS. PROC. PATRIS

Gutberleth. de Saliis c. 5. Ouzel. in Minuc. Fel. p. 223. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 617. Cuper. Observ. IV. 1. Kipping. Antiq. Roman. I. 12. 7. Merul. de Sacerdot. c. 2. §. 11.

Salii Pavorii & Pallorii tantum leguntur apud Servium. V. illum supr. in *Salii Collini.*. Forsan habuerunt cognomen a Pavore & Pallore, de quibus supr. in *Pavor.* Sed hi apud alios plane ignoti sunt. *Gutberleth. de Saliis c. 6. Donat. de Urb. Rom. III. 15. Cuper. Observ. IV. 1. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2.*

Salii Quirinales. V. illos supr. in *Salii Collini.*

SALINÆ est locus, ubi *sal* coquitur. Cicer. Manil. c. 6. *Cum publicani familias maximas, quas in salinis habent, magno periculo se habere arbitrentur.* Ancus Marcius primus apud Romanos *salinas* instituit circa Hostiam urbem. Liv. I. 33. *In ore Tiberis Hostia urbe condita, salinæ circa factæ.* Plin. XXXI. 7. *Ancus Marcius Rex salis modia sex millia in congiario dedit populo, & salinas primus instituit.* Aliæ fuere in ipsa etiam Urbe Roma, postea plures *salinæ* adjectis provinciis fuere. Fuerunt vero vel publici, vel privati juris. Publici erant illæ, quæ ad Reipublicæ, & postea ad Imperatorum patrimonium spectabant, ut illæ Anci Marcii, & plures. Hinc vectigalis, & mancipum *salinarum*, qui Imperatorum *salinas* exercerent, sæpe fit mentio l. 59. §. 1. ff. de hæred. instit. l. 17. §. 1. de V. S. l. 11. C. de Vectig. In has damnati aliquando detrudebantur, eodem modo ut in metalla. Ordinaria vero hæc erat noxiarum feminarum pœna. l. 6. ff. de captiv. & post. *Mulier in opus salinarum ob maleficium data. . . .* l. 8. §. 8. ff. de pœnis. *In ministerium metallicorum feminæ in perpetuum, vel ad tempus damnari solent: simili modo & in salinas.* Privatarum etiam mentio fit l. 4. §. 1. de reb. eor. qui sub tut. l. 22. §. 3. de usu & usufr. leg. Primum vectigal *sali* impositum apud Romanos est M. Livio, & C. Claudio censoribus. Liv. XXIX. 37 *Novum vectigal ex salaria annona statuerunt M. Livius, & C. Claudius censores.* Quantum vectigal hoc fuerit, nusquam, quod equidem sciam, indicatur. Sub Imperatoribus eandem hujus vectigalis quantitatem, quæ metallorum erat, nimirum decimam fuisse vult Pancirol. Var. Lect. III. 31. Quod an verum sit, nostrum non est definire. *Burmann. Dissert. de Vectig. c. 6.* Ab Anco Marcio est institutum, & exactis Regibus sublatum, auctore Plinio modo laudato & Livio supr. in *Sal* producto: tum restitutum, ut docet Livius verbis modo allatis. Deinde sublatum videtur libera civitate. Cicer. ad Attic. II. 16. *Et eo magis, quod portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam?* *Salinarum* quidem meminit Cicero supra laudatus. Sed pro *salinis* ad eum locum *salictis* Hotomannus, & *sylvis* Turneb. Adv. I. 5. legunt. *Buleng. de Vectigal. c. 21. Blond. Triumph. Rom. V. p. 109. B.* Censores dicti non restituerunt abolitum vectigal: quod putat Buleng. c. 16. Clare enim *novum*, id est, ante id tempus incognitum, & inauditum appellat id Livius. *Cuper. Monum. Antiq. p. 230. Burman. l. l.* Et hoc cum reliquis sublatum esse ex Cicerone an erui possit, dubito. Cum ibi de vectigalibus sublatis, quæ pro portoriis in Italia solvebantur, tantum sermo est, non de illis, quæ ex *Salinis* solvebantur. De publicanis scripturæ Ciceronem interpretari, licet menti Ciceronis convenire posset, male tamen docent, in Italia tantum, non vero in provinciis fuisse exactum. Clara enim, & manifesta sunt apud plurimos auctores testimonia de *salinis* in provinciis Romanæ ditionis. Sic in Macedonia *salem* fuisse patet ex decreto senatus, quo Macedonibus *vetabatur uti sale invecto* apud Liv. XLV. 29. Agrigentini *salis* meminit Solin. c. 5. Neque verosimile est Romanos, cum Syriam subegissent, vectigal *salis*; quod ante a Regibus ibi exercebatur, neglexisse. De vectigali *salis*, quod Judæi solvebant Syriæ Regi insignis locus est I Maccab. c. 10. n. 29. ubi Demetrius dicitur hoc Judæis remisisse. Sub Imperatoribus minus dubitationis superest: nam cum Cappadocia in provinciæ formam esset redacta, credibile est, ex ea provincia, quæ *salis* erat abundans apud Plin. l. l maxime ærarium eorum *salis* vectigal locupletasse: & aperte ex l. 4. §. 7. ff. de censib. colligitur, ibi agi de *salinis* in provinciis, cum toto illo titulo de jure Italico, sive immunitate civitatum, & coloniarum extra Italiam sermo sit. *Burmann. l. l.*

Salinæ fuit ædificium, in quo *sal* e navibus exponebatur, & asservabatur, quod a portu Tiberis adverso flumine subvehebatur: quæ exoneratio sine dubio trans pontem sublicium, post Æmilium dictum, fieri solita, cujus ad ripam hodieque pilæ quædam aspiciuntur. Liv. IV. 47. *Romæ fœdum incendium per duas noctes, ac diem unum tenuit: solo æquata omnia inter Salinas, ac portam Carmentalem.* Inter Scholam Græcam, & portam Trigeminam fuisse indicat Frontinus supr. in *Porta Trigemina* laudatus. Solin. c. 1. *Cacus habitavit locum, ubi Salinæ nomen, ubi Trigemina porta.* Incepisse ad hodiernas *Salinas* idem ductus aquæ Appiæ demonstrat, qui ad collis partem retro Scholam Græcam pervenit. Quin & hodie in extremis illis angustiis inter Aventinum & Tiberim, ubi porta Trigemina fuit, *sal* album fit. Fulvius vero, & Marlianus in proximis vineis veterum *Salinarum* adhuc quædam exstare vestigia tradunt: additque Fulvius, cavernas etiam ibidem ea de causa factas conspici: quæ vineæ ab ipsis denotatæ non procul a *salis* albi possunt officina abesse. Attamen regionem hanc undecimam ultra portam Trigeminam pervenisse ut credam, in animum inducere non possum. Eaque propter *Salinas* veteres inter portam Tri-

geminam, & *Salinas* hodiernas collocandas exiſtimo: quæ anguſto illi inter Aventinum & Tiberim tractui nomen *Salinarum* impertivere, in quo vicus deſinebat Publicius, quem non longe a Foro ſub colle Palatino principium habuiſſe dicam infr. in *Vicus Publicius*, atque inde inter Forum Boarium, & Circum proceſſiſſe. Liquet hoc ex Frontin. de Aquæd. I. *Incipit diſtribui vetus Anio vico Publicio ad portam Trigeminam, qui locus Salinæ appellatur.* Nardin. Rom. Vet. VII. 3. Blond. Inſtaur. Rom. III. §. 69.

SALINATOR dicebatur miniſter præfecturæ *ſalinariæ*. SALINATORES CIVITATIS MENAPIORUM occurrunt apud Gruter. Inſcript. p. 1096. n. 4. Forte apud Menapios, & Morinos vectigali *ſalis* præerant, & *Vitalis miles ſalibus præfectus* fuerit is, qui curam habuit *ſalis* inter milites dividendi in hac inſcriptione:

L. O. M. CONSER
VATORI TERTI
NIUS VITALIS
MIL. LEG. XXX. V. V. SA
LIB. PRÆF. PRO. SE
ET. SUIS. V. S. L. M
VI. KAL. MAJAS
LUPO. ET. MAXIMA. COS

Hujus moris memoria ſervatur in l. 17. lib. 8. tit. 4. C. Th. *Cuper. Monum. Antiq. p.* 230.

Salinator fuit dictus M. Livius, qui cum C. Claudio in cenſura novum vectigal ex ſalaria annona ſtatuit. Livius. V. illum ſupr. in *Salina.* qui ibi dictis addit *Id vectigal commentum alterum ex cenſoribus ſatis credebant, populo iratum, quod iniquo judicio quondam damnatus eſſet: & in pretio ſalis maxime oneratas tribus, quarum opera damnatus erat, credebant: inde Salinatori Livio inditum cognomen.* Urſat. de Not Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 837. A. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Illorum primus M. Livius M. F. M. N. magiſter decemvir ſacris faciendis fuit cum Manio Æmilio Manii filio ludis ſecularibus tertiis an. 517. ex Verrio Flacco. Idem, aut alius ejusdem nominis patre, & avo ortus, ſimili etiam prænomine appellatis, conſul fuit cum L. Aimilio Paullo an. 534. qui proximus fuit ante ſecundum bellum Punicum. Ambo conſules de Illyricis triumphum egerunt. Peculatus accuſatus ob invidiam multa ei irrogata eſt omnium tribuum, una excepta Mæcia, ſuffragio. Iterum conſul poſt duodecim annos urgente Hannibale creatus cum C. Claudio Nerone, cum quo inimicitias geſſerat, eas Reipublicæ cauſa depoſuit. Maximamque rem ambo geſſere victo Aſdrubale, & Pœnis, de quibus triumphum iterum *Salinator*, in cujus provincia res geſta fuit, egit. Eodem anno dictator comitiorum cauſa a collega dictus eſt. Triennio poſt cenſores ambo fuerunt, qui cum equitum centurias recognoſcerent, in quibus adhuc ambo certe ſoliti fuerant, in Pollia tribu *Salinator* a collega equum vendere juſſus eſt, quod olim populi judicio fuiſſet damnatus. At is omnes tribus, una excepta Mæcia, ærarias reliquit, quod magna inconſtantia in ſe uſæ fuerint, quem & damnaverint, & iterum conſulem, atque cenſorem fecerint. De collega queſtus eſt, quod non ſincera fide cum eo in gratiam redierit, & quod falſum in ſe teſtimonium dixiſſet. Ob quas cauſas eum vendere equum juſſit. *Salinatoris* cognomen in cenſura inveniſſe Livius exiſtimat vectigali novo ex ſalaria negotiatione inducto. Sed aliis antiquum cognomen fuiſſe videtur. Poſt hunc C. *Salinator* M. F. M. N. ſuperioris, ut arbitror, filius conſul fuit cum M. Valerio Meſſalla an. 565. Ante conſulatum an. 14. prætor Brutios provinciam obtinuit, hujus, ut arbitror, patruus eodem prænomine; at hic idem triennio ante prætor claſſem provinciam ſortitus eſt. *Auguſtin. & Strein. de Famil. Roman. in Livia. Glandorp. Onom. Roman. p.* 542.

SALINUM erat vas, cui *ſal* ad menſæ, & ſacrificiorum uſum apponebatur. Et profanam ſine *ſalino* menſam eſſe veterum opinio fuit. Arnob. II. p. 91. *Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu.* Hinc *menſa ſacra* apud veteres. Senec. de Ira I. 2. *Alium inter ſacra menſæ ira percuſſit.* Quin & *ſalinum* inter vaſa ſacra. Horat. Od. II. 16. 14.

Splendet in menſa tenui ſalinum.

Ubi interpres vetus: *Salinum proprie eſt patella, in qua dis primitias cum ſale offerebant.* Liv. XXVI. 36. *Ut ſalinum, patellamque deorum cauſa habeant.* Val. Max. IV. 4. 3. *Uterque*, Fabricius & Æmilius, *patellam deorum, & ſalinum habuit.* Lipſ. Saturn. I. 2. Caſal. de Conviv. vet. c. I. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 19. Torrent. & Zurck in Horatium. Schill Nomencl. Philol. p. 1009. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 11. Saubert. de Sacriſ. c. 17. Struv. Ant. Roman. c. 11. p. 532. Scalig. in Feſtum in Menſa. Herald. in Arnobium. Turneb. Adv. X. 22. Stuck. Ant. Conviv. I. 30. Horatius tamen potiſſimum tenuem, & parcum, pauperemque victum ſignificat hominum pro obſonio *ſalem* lingentium, quod pauperes olim faciebant: ut apud Perſ. Sat. V. 138.

Varro reguſtatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages.

Turneb. & Stuck. l. l. Erat etiam in Delfica. Illud argenteum fuiſſe, aut e meliori materia quis dubitet? Vetus Scholiaſtes ad Horatium laudatum: *Salinum poſuit pro fictili vaſe menſæ pauperis.* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10. Figuli in menſa non ponebant. Cauſam prodit Feſtus: *Salinum cum ſale in menſa ponere figulis religioni habetur, quod quondam in Eſquilina regione figulo, cum fornax plena vaſorum coqueretur, atque ille proxime eam convivatus, ſuper modum potus ſomno eſſet oppreſſus cum convivis ſuis, præteriens quidam petulans oſtio patente ex menſa ſalinum conjecerit in fornacem, atque ita incendio excitato, figulus cum ſuis concrematus eſt.* Laurent. l. l. Dacer. in Feſtum. Everſum mali erat ominis. V. ſupr. in *Sal.*

SALISATORES dicebantur divinatores e palpitationibus. Auguſtin. de Nat. dæmon. *Salitores*, legerem lubenter *ſaliſatores*, quia *ſalitores*, & *ſaliſatores* diverſi ſunt: & ita Iſidor. VIII. 9. eadem fere habet verba, quæ Auguſtinus, legit: *vocati ſunt, qui dum eis membrorum quæcunque partes ſalierint, aliquid exinde proſperum, aut triſte ſignificari prædicunt.* Hinc in veteribus gloſſis: *Saliſatio*, παλμός. Veteres enim ſuperſtitioni maxime adhærentes credebant, ſi quoddam corporis membrum ſponte ſubſiliſſet, ejuſmodi palpitationibus, aut boni aliquid, aut mali portendi, quamobrem Auguſtin. de Doctrin. Chriſtian. II. *His adjungantur millia inaniſſimarum obſervationum, ſi membrum aliquod ſalierit.* Melampus in Hierogrammatis: *Unguis minimi digiti ſi ſalit, aut verminat, malum patieris: pollex ſiniſtræ manus ſi ſalit, veterem perniciem inſtare ſignificat.* V. ſingula membra ſuis locis. *Gutberleth. de Saliis c. 2. Lomej. de Luſtrat. c. 12. Buleng. de Omin. c. 2. Scalig. Lect. Auſon. I. 16. Muret. Var. Lect. IX. 6. Zimmerman. Floril. Philol. p.* 694.

SALISUBSULUS vocabatur Salius. Catull. XVII. 6.

In quo vel Saliſubſuli ſacra ſuſcipiunto.

Et recte, quia ipſe Mars *Saliſubſulus.* Pacuvius:

Pro imperio ſic Saliſubſulus veſtro excubet.

Quod procul dubio eſt ex fine prologi cujusdam. *Scalig. l. l.* Et Muretus hic Martem *Saliſubſulum* vocari dicit. Sed iſte verſiculus nusquam alibi exſtat: nec Pacuvium, ſed Muretum habet auctorem. Scripſit Catullus:

In quo vel Salii ipſulis ſacra ſuſcipiunto.

Quid illæ ſint, docet Feſtus: *Subſiles ſunt, quas aliter ipſiles vocant, lamellæ neceſſariæ ſacris, quæ ad rem divinam conferre dicuntur maxime ſpecie virorum & mulierum.* Dicuntur etiam *Ipſulices.* Feſtus: *Ipſulices bracteæ in virilem, muliebremque ſpeciem expreſſæ.* Pontifices itaque, & Salii in ponte ſublicio ſaltantes ſacris ſuis adhibuerunt iſtiuſmodi bracteas, ſive lamellas, in quibus expreſſæ eſſent deorum, heroumque imagines, quemadmodum apud Athenienſes in peplo Minervæ. Θεῶν ἐκτυπώματα & δεί-

κηλα

κηλα vocat & illum ritum apud Theſſalos in ponte Penei fluminis obtinuiſſe, & inde ad Romanos tranſlatum eſſe docet Zoſim. iv. 36. Catullus itaque coloniæ ſuæ optat pontem tam firmum, quam ſit pons ſublicius Romæ, in quo *Salii ſubſulis*, vel *ſubſilibus* ſuis ſacra poſſint celebrare. *Voſſ. in Catullum, Gutberleth. de Saliis c.* 18.

SALITIO in equum ligneum a Romanis eſt diſtricte exacta. V. ſupr. in *Equi-lignei.*

SALITORES dicebantur *ſaltatores omnes cæteri, qui crebro ſaltatu choreas agitabant, nomine a Saliis deducto.* Dionyſ. ii. p. 130. *Gutberleth. de Saliis c.* 2.

SALLUSTRICUM ab hortis videlicet *Salluſtii* nuncupabatur ſpatium, quod eſt inter portam Collinam & ædem S. Suſannæ. Hodie *Salluſtiam* vulgo appellant. *Donat. de Urb. Rom.* i. 17. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iv. 23.

SALMA in liquidorum menſuris, ita a noſtris municipalibus juribus appellata, eſt ſupra barilem. Si vini ſit, taxatur congitellarum quatuor & viginti: ſi muſti, ſex & viginti, illis duobus additis propter defæcationem, ut arbitror, & id, quod in deferbuendo amittitur. *Pætus de Roman. & Græcor. menſur.* iv. *Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 651. *D.*

in SALO ſtare, vel eſſe, vel commorari dicebantur naves, cum ancoræ jactæ erant procul a portu. Hirt. Bell. Afric. c. 62. *Reliqua claſſis in ſalo ſtabat. Naves onerarias, quæ longius a portu in ſalo ſtabant, incendit.* c. 63. *In ſalo in ancoris ea nocte commoratus.* Græci hoc dicunt ἀποσαλεύειν. *Bayſ. de Re nav. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* xi. *p.* 622. *F. Dolet. de Re nav. Theſ. Gronov. ibid. p.* 674. *E. Scheffer. de Milit. nav.* iii. 4.

SALONA eſt urbs ad mare Adriaticum, ab Aſinio Pollione, imperante Auguſto, expugnata, ubi depoſito imperio Diocletianus in hortis a ſe conſitis conſenuit. Eutrop. ix. 28. *Pancirol. Notit. dignit. imper. occid. c.* 35. Metropolis fuit Dalmatiæ, alio nomine *Spalatum* dicitur. *Pancirol. ibid. c.* 63.

SALPISTA, σαλπιγτὴς, tubicen. Gloſſæ Latino-Græc. *Tubicines,* σαλπιγταί. Vopiſc. in Carin. c. 19. *Centum ſalpiſtas uno crepitu concinentes.* Du Freſne Gloſſar. Brod. Miſcell. ii. 13. Argol. in Panvin de Lud. Circenſ. ii. 3. Stewech. in Veget. iii. 5. Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv. xxviii. 6.

SALSAMENTA dicuntur, quæ *ſale* ad diuturnum uſum condiuntur. Græce τὰ τάριχα. Terent. Adelph. iii. 3. 26.

> — *ſalſamenta hæc, Stephanio,*
> *Fac macerentur probe.*

Ubi Donatus: *Salſamenta ſunt, aut ſalſi piſces, aut laridum.* Plutarch. Sympoſ. i. 9. *Ut quod ſalſamentum,* τάριχος, *ſi rigetur aqua marina, fit dulcius.* Pitiſc. in Suet. Horat. n. 1. Olim non ſolum in uſu, ſed etiam in ſummis deliciis fuerunt, adeo ut tum Græci, tum Romani ad inſaniam pæne horum cupidine exarſerint. Suidas *ſumptuoſa obſonia* dicit *ſalſamenta.* Athenienſium tantum in conquirendis *ſaſamentis* fuit ſtudium, ut filios Chrærephili *ſalſamentarii*, ob egregia ſcilicet patris in Rempublicam beneficia, civitate donarint, ut Alexis auctor eſt apud Athen. iii. p. 119. Nec minus Romani *ſalſamentis* addicti fuerunt, quod pretia docent, quibus externa præcipue dividebantur. Ex Polybio refert Athenæus, Catonis in curia quiritantis vocem exauditam fuiſſe, quod Romæ nonnulli *trecentis drachmis teſtam Pontici ſalſamenti emerent.* Sacrificiis etiam adhibita fuiſſe comperio. Ferunt enim Phaſelitas quotannis Cylabræ heroi *ſalſamentis* ſacrificaſſe. Ex piſcibus diverſis ſolebant parari. *Nonn. de Re cibar.* iii. 42. Una cum oleribus in promulſide apponebantur. Sic Athenæus refert Diphnoſophiſtas cœnam fuiſſe auſpicatos ab oræo *ſalſamento.* Galen. in conſil. pro puer. epilept. *Et prius aſſumet quippiam ex his, quæ alvum movent, vel olus, vel ſalſamentum. . . .* Mart. xi. 53. 7.

> *Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo*
> *Utilis, & porris fila reſecta ſuis.*
> *Mox vetus, & tenui major cordyla lacerto,*
> *Sed quam cum rutæ frondibus ova tegunt.*

Cordyla, ut hoc obiter attingam, thynni eſt ſpecies, atque inter *ſalſamenta*, non ſecus ac lacerti numerabantur. Debent primum macerari, alias omnino ingrata evadunt. Quod ne Plautum fugit in Pœn. i. 2. 32.

> *Soror cogita, amabo, item nos perhiberi,*
> *Quaſi ſalſa muriatica eſſe autumantur,*
> *Sine omni lepore uſque & ſine ſuavitate,*
> *Niſi multa aqua uſque, & diu macerantur,*
> *Olent, ſalſa ſunt, tangere ut non velis.*

Nonn. ibid. c. 43.

SALSAMENTARII qui Latinis appellantur, eos Græci ταριχοπώλας, & ταριχεμπόρυς vocant. Cicer. ad Herenn. iv. 54. V. illum ſupr. in *Cnotus.* Solebant *ſalſamentarii* ſe cubito emungere. Suet. Horat. vit. n. 2. Laert. iv. 46. Plutarch. Sympoſ. ii. 1. V. & illos ſupr. in *Cubitus.* Brod. Miſc. vi. 8. Buleng. de Conv. iv. 1. Pitiſc. in Suetonium.

SALTATIO eſt motus compoſitus, numeroſus, cum geſtu effingens rem, aut perſonam, vel quam canit; vel quam tacet. Latini non habuere propriam vocem, ſed communem hujus legibus adſtrinxere. Nam *ſalire* eſt movere in ſublime, vel tanquam medium, vel tanquam metam. Ejus frequentativum *ſalitare*, unde conciſum *ſaltare.* Græca origo verbi ἅλλεσθαι. Eum motum rudem inter paſtores primum fuiſſe credere par eſt: quem cum certis legibus & variaſſent, & compoſuiſſent, ὄρχησιν privato nomine vocavere. Latini rudem illum veterem *ſaltum ſaltationem* cum appellaſſent: non habuere verbum ſeparatum, ſicut Græci ὀρχεῖσθαι, ab eo, quod fuerat ἅλλεσθαι. Quare apud Salluſt. de Bell. Catil. p. 21. audiens, *pſallere & ſaltare quam neceſſe eſt probæ mulieri*, nequeas tam diſtincte intelligere, atque ſi Græce dicas ὀρχεῖσθαι. *Scalig. Poet.* i. 18. *Mercur. Gymnaſt.* ii. 6. Quis primus *ſaltationem* hominibus demonſtraverit, ſatis compertum non habetur, niſi quod Theophraſtus apud Athen. i. p. 22. C. refert, Androna Cataneum tibicinem primum, cum tibia luderet, motiones, atque numeros corpore effeciſſe, indeque veteres σικελίζειν *ſaltare* dixiſſe; poſt illum Cleophantus Thebanus, & Æſchylus multas *ſaltatoriæ* figuras invenerunt, quas βαλλισμὺς Sicula voce appellatas Epicharmi auctoritate inſinuat Athenæus: Unde & hodie apud multas Italiæ nationes balli nomen adhuc perdurat. Fuit tantæ exiſtimationis, atque honoris apud antiquiores, ut Apollinem *ſaltatorem* vocarent, quemadmodum Pindarus:

> *Saltator rex ſplendoris, pharetrateque Apollo.*

Illa quandoque ad tibiarum, vel lyræ, vel alterius inſtrumenti ſonitum, vel ad cantum, vel abſque alia re peragebatur. *Mercur. l. l.* Cum antiqui in certaminibus, atque venationibus pedum exercitationibus fere ſemper ſtuderent, manibusque movendis nullam curam adhiberent, veriſimile fit, ut prius *ſaltatoria* partes inferiores duntaxat exercens inventa ſit, deinceps χειρονομία, quæ ordinatas manuum motiones edocebat, ei adjuncta ſit, ut una cum cæteris prædictis motionibus manuum connexionem, conſertionem, compectinationem, diſtentionem, complexum, alternationem *ſaltatores* peragerent: atque ita univerſa *ſaltatio* ex motibus tam manuum, quam pedum ad repræſentandas res formatis conflata ſit. Quod autem *ſaltantes* præcipue brachia moverent, ſignificavit Ovid. Art. ii. 305.

> *Brachia ſaltantis, vocem mirare canentis.*

i. 595.

> *Si vox eſt, canta: ſi mollia brachia, ſalta.*

Mercur. & Scalig. l. l. Finis primarius quidem hujus eſt imitatio, nihilominus alios etiam fines eam habuiſſe comperio: nam ad theatra, & ad ludos voluptatis gratia, nec non ob religionem quandam ad ſacrificia in uſu fuiſſe præter Platonem, atque Plutarchum teſtatur Galenus. Et ad quærendam corporis fortitudinem, militaremque peritiam

tum eadem *saltatione* majores nostri sunt usi. Docet hoc Plato de Legib. VII. Cinædos maxime omnium *saltandi* arti operam navasse significat Plautus: apud quem Periplectomenes senex sic ait Mil. Glor. III. 1. 74.

> *Tum ad saltandum non cinædus malacus æque est atque ego.*

Quanquam cinædos dictos a veteribus saltatores ipsos, atque pantomimos, *ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα* doceat Non. I. 15. auctoritate Lucill. Sat. II. scribentis:

> *Stulte saltatum te intervenisse cinædos.*

& Plaut. Stich. V. 5. 19.

> *Lepidam, insuavem cantionem aliquam occipito cinædicam.*

quam explicat Nonius: id est, *quæ ad saltandum movere possit.* Poetæ similiter omnes non modo histriones motus figuratos edocebant; verum & ipsi quandoque *saltabant*; nam Thespias, Pratinas, Cratinus, Phrynicus, poetæ omnes idcirco *saltatores* nuncupabantur, quia non modo propria dramata inter *saltantes* choros repræsentabant, verum etiam extra propria poemata volentes omnes *saltare* edocebant. Pueri quoque & mulieres omnium frequentissime in *saltationibus* versabantur. Post illos etiam *saltationi* operam navabant, quibuscunque valetudinis, & roboris gratia vel a medicis, vel a gymnastis illud agere præceptum erat. Loca, in quibus peragerentur, primo, dum nondum excultæ forent, fuerunt vici, & plateæ publicæ; deinde, cum majorem dignitatem, atque ornamentum recepissent, ad convivia, nuptias, theatra sunt translatæ. *Mercur. ibid. c. 7.* In conviviis invenio, & quidem cum cymbalis. Prop. IV. 9. 11. V. illum supr. in *Crotalistria.* Cicer. in Pison. c. 10. *Quis te illis diebus sobrium, quis agentem aliquid, quod esset libero dignum, quis denique in publico vidit? cum collegæ tui domus cantu, & cymbalis personaret? cumque ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ votum pertimescebat.* Clem. Alex. Pædag. II. 4. Ubi agit de conviviis ejus temporis. *Sui autem in tibiis & psalteriis, choris & saltationibus, & plausibus Ægyptiorum, & dissolutis ejusmodi otiis studiose versentur, immodesti, insolentes, valdeque a bona disciplina alieni invaserint, utpote quos cymbala, & tympana circumstrepant. Revera enim mihi, ut videtur, ejusmodi convivium est ebrietatis theatrum.* In nuptiis cum eisdem. Mart. Capell. de Nupt. Philol. & Mercur. II. *Quæ quidem virginem postquam lumine replevere, Musis admixtæ etiam gesticulationes consonas, & hymenæa dulcre tripudia. Sed ecce magno tympani crepitu, crotalorum,* rectius *cymbalorum universa dissultant, eousque, ut Musarum cantus aliquando bombis tympani obscurior redderetur: & cum sonitu introfertur lectica intersimcta sideribus, cui ritu mystico crepitus præcinebant, qua mos fuerat nubentes deis in cœlestis thalami venire consortia.* Lampe de Cymbal. III. 13. In theatris fuerunt usurpatæ; tragica, quæ dicitur ἐμμέλεια; comica, quæ cordax; satyrica, quæ sicinnis: armatæ quoque pyrriche & telesias a Pyrrhico & Telesia repertoribus. *Buleng. de Theatr. I. 51.* Et in ipsis religionibus. Cur illas sacris immiscuerint, causam affert Serv. Ecl. V. 73. *Ideo in religionibus saltabant majores, quia nullam corporis partem esse voluerunt, quæ non sentiret religionem: nam cantus ad animum, saltus ad mobilitatem corporis pertinet.* Taffin. de Lud. secul. c. 17. §. 5.

Saltatio armata vocatur pyrricha. V. illam supr. in *Pyrricha.*

Saltatio bellicrepa *dicebatur, quando cum armis saltabant: quod a Romulo institutum est, ne simile pateretur, quod fecerat ipse, cum a ludis Sabinorum virgines rapuit.* Festus. Isidor. in glossis. *Bellicrepa, saltatio,* ut in excerptis addit Pithœus, *quoddam genus ludorum cum armatis.* Buleng. de Circo c. 38. Dacer. in Festum. Alex. Gen. VI. 19. Almelov. in Isidorum. Nostri nunc *mattacinni* vocant, tanquam furore agitentur, & insania. Ματτάζων, ματαιοφρόνων, μάταιος, vanus est, desipiens: nos *matto.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 2.

Saltatio Ionica fuit mollis, ac parum virilis. *Ferrar. de Re vest.* II. 4. 23. Iones præ cæteris Asiaticis voluptate, ac mollitie infames fuere. Qua de re non pauca Athen. XII. p. 528. D. Peculiari gentis vitio choreis præcipue, ac *saltatiunculis* addicti. Horat. Od. III. 6. 21.

> *Motus doceri gaudet Ionicos*
> *Matura virgo.*

Max. Tyr. Dissert. 19. propria quædam nationum studia ubi enumerat: *Crotoniata oleastrum amat Olympiacam, navali victoria Atheniensis delectatur, Spartiata pedestri, venatione Cres, Sybarita luxu, Thebanus tibiis afficitur, Ionicus choris.* Ita de lascivo quodam *saltationis* motu Plaut. Stich. V. 7. 1.

> *Qui Ionicus*, saltator, *aut cinædicus, qui hoc tale facere possiet?*

Torrent. ad Horatium.

Saltatio Italica erat conflata e comica, sive cordace, tragica, sive emmeleia, & satyrica, sive sicinnide, atque illa quidem propter hyporchema longe hilarior, id est, ob gesticulationem corporis recte ipsi accommoditam, quam Pyladis, quæ operosa, fastuosa, & movendis affectibus idonea. Plutarch. Sympos. VII. 8. *A saltatione Pyladeam removeo, tumidam scilicet, & affectuum plenam, multasque requirentem personas. Quod si tamen locus est Socraticis istis saltationis laudibus, Bathylleam admitto pedestrem, & cordaci affinem, Echoni, aut Pani alicui, aut Satyro cum amore comessanti saltando respondentem.* Faber Paral. ad Agonist. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2252. A. Buleng. de Theat. I. 51.

Saltatio Laconica dicitur, quæ apud Laconas usitata erat. Stephan. in Λακεδαίμων: *Est etiam saltatio Laconica: ut dicam, cum de Mantinea agam.* Quintil. I. 11. *Nam Lacedæmonios quidem etiam saltationem quandam, tanquam ad bella quoque utilem, habuisse inter exercitationes accepimus.* Meurs. Miscel. Lacon. II. 12. Nec verebantur apud illos publice *saltare*, tum pueri, tum virgines, statis quibusdam diebus, & sollennibus, idque nudi. Plutarch. Lycurg. p. 47. F. *Remotis deliciis, umbratili vita, mollitiaque omni feminea assuefecit juxta puellas, atque adultos nudos in publico versari, certisque sollennibus saltare, & cantare, assistentibus, atque spectantibus juvenibus.* Qualis hæc vulgaris fuerit, describit Lucian. Dial. de Saltat. p. 789. Tom. I. Edit. Græv. Ejus hæc est sententia. Ait ibi *saltationem* traditam Lacedæmoniis a Castore, & Polluce, quam exercere καρυατίζειν vocabant a Caryis Laconicæ urbe, atque inde omnia cum carminibus agere solitos. Deinde usum ejus tum fuisse ait, quum ephebi inter se colluctati paullum jam quievissent. Nam in *saltationem* certamen finiebant, tanquam ita inimicitias, & æmulationem ex certamine ortam depossituri. In medio locatus erat, qui tibiam incinebat, & pedibus plodebat. Pueri, & virgines omnigenas figuras corporis agilitate exprimebant, ad rhythmum, seu numerum ingredientes. Erant autem duo quasi genera *saltationum*, fortean in una chorea, quorum unum quodque suas habebat cantilenas, quas tibiis accinebant. Unum quod magis militare, & lentius erat, habens σχήματα πολεμικὰ, quæ lenta, & cauta erant. Is erat ὅρμος dictus, quasi segmentum. Constabat hormus ex adolescentibus, & virginibus alternatim in chorea incedentibus, tanquam ita inter se sectis, ac divisis. Adolescens chorum duxit juveniliter *saltans*, uti postea in prælio facturus erat. Sequebatur puella modeste, & decenter, quæ femineam *saltationem* docta erat. Perinde ac si conjuncta foret in hormo fortitudo juvenum cum modestia muliebri. Atque erat his ita *saltantibus* sua cantilena. Altera species erat, quæ post exercebatur, & *saltabatur*, habens σχήματα φορευτικὰ, quæ interpretor celeriora, & magis *saltatoria*, quod in hac quasi posteriore parte motus incitatior, ut ex carmine patet. Nam habebat hæc *saltatio* carmen, quasi præceptum *saltandi*: *procul* ajunt *o pueri, promovete pedem, & saltate melius.* Dicebatur hæc cantilena Veneris, & Cupidinum, tanquam ii una cum ipsis *saltarent.* Erant enim hæc φορευτικὰ σχήματα

ματα Dionyſo, & Veneri grata. Spectavit *ſaltatio* Lacedæmoniorum ad exercitationis militaris uſum. Teſtatur hoc Quintilianus modo laudatus. *Crag. de Republ. Lacedem.* III. 9. 3. *Faber Paralip. ad Agoniſt. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2251. *A. Meurſ. l. l.*

Saltatio pantomimica fuit illuſtris, & grata, quam licet Suidas ſub Auguſto natam velit, multo tamen ante fuiſſe conſtat, cum Ariſtot. Poet. I. I. dixerit ipſo rhythmo ſine vocum, & cantus modulatione res geſtas *ſaltatores* imitari: *Saltatores ipſo geſtu, ſine concentu, & harmonia imitantur: quia per geſtus, & motus imitantur, & mores, & affectus, & actiones.* Emicuit ars ſub Auguſto, Bathyllo, & Pylade ducibus, quos Paris, Hylas, & Caramallus ſecuti ſunt. *Pylades*, ait Senec. Controv. III. in comœdia, & Bathyllus in tragœdia *ſaltationem* venuſte peregerunt. Fuit tumens affectibus, & planctu plena. Athen. I. c. 17. Bathylli *ſaltationem* ſatyricam expreſſit Horat. Epiſt. II. 2. 124.

> *Ludentis ſpeciem dabit, & torquebitur, ut qui*
> *Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa movetur.*

Pyladis *ſaltationem* ſignificat Artemid. I. 78. *Regias perſonas imitatur, & multos habet, qui ſubſerviant, ſaltator.* Caſal. de Trag. & com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 7. Faber Paralip. ad Agoniſt. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2250. C. Salmaſ. in Vopiſc. Carinum c. 19. Buleng. de Theatr. I. 51. V. etiam ſupr. in *Pantomimus.*

Saltatio phallica *in honorem Bacchi dicta eſt.* Pollux IV. 14. Ithyphalli hederaceo quodam integumento adoperti, denſiſque floribus, ac hedera ornati, coronaſque geſtantes ebrios referebant. Illorum munus erat, ut phallum geſtantes carmen quoddam obſcœnum, quod nomen ipſum deſignat, in theatris proferrent. Forte hoc idem fuit. *Maniſcott. de Perſon. c.* 2. Suidas narrat, veteres pudendum virile ficulneum poſtea ex pellibus rubris feciſſe, hocque ſibi circumponentes, & in cervicibus, & in mediis femoribus *ſaltaſſe* honorem Baccho tribuentes in Bacchanalibus. *Buleng. de Theatr.* I. 50.

Saltatio Saliorum depingitur a Senec. Epiſt. 15. *Sunt exercitationes, & faciles & breves, quæ corpus & ſine mora laxent, & tempori parcant: cujus præcipua ratio habenda eſt. Curſus, & cum aliquo pondere manus motæ, & ſaltus, vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, qui in longum mittit, vel ille, ut ita dicam, ſaliaris, vel, ut contumelioſius dicam, fullonius.* Seneca *ſaltum* ſaliarem eundem facit cum fullonio, hoc eſt, cum eo motu, quo fullones in conciliandis veſtimentis utuntur, qui fiebat ſublatis pedibus, & alternantibus, identidem repetitis. Hinc Plutarch. in Numa p. 69. A. his verbis *ſaltum* deſcribit: *Movebantur eleganter celeriter, atque confertim orbes implicantes, & evolventes, multumque in eo roboris, & agilitatis oſtendentes.* Ad tibiam peragebatur, & per vices, aliquando enim omnes, aliquando quidam ex iis *ſaltabant.* Dionyſ. II. p. 130. *Ad tibiam rythmico motu in armis ſeſe motant, nunc ſimul, nunc per vices. Per Urbem iviſſe cum tripudiis, ſollennique ſaltatu* dicunt Plutarch. in Num. p. 68. & Liv. I. 20. & nullam peculiarium locorum mentionem faciunt. At Dionyſ. II. p. 129. quædam loca deſignat. Dicit enim *per Urbem choreas duxiſſe uſque in forum & Capitolium, aliaque loca multa tam privata, quam publica.* Inter alia *ſaltabant* quoque in comitio, quemadmodum ſcribit Varr. de Ling. Lat. IV. 15. *Salii a ſaltando, quod facere in comitio in ſacris quotannis, & ſolent, & debent.* Gutberleth de Saliis c. 18. In armiluſtrio etiam ſaltaſſe Salios, & hinc armiluſtrium fuiſſe dictum putat Donatus, ſed deceptus eſt a Varrone perperam intellecto. V. ſupr. in *Armiluſtrium.*

SALTATRICES in conviviis pro oblectandis convivis ad tibiam *ſaltabant*, quemadmodum cuivis Xenophontis Convivium pervolventi abunde conſtat. *Buleng. de Conviv.* III. 30. Nudæ fluctuantibus lumbis, ac criſpantibus obſcœno motu pruriginem ſpectantibus conciliabant. Macrob. Sat. II. I. *Quia ſub illorum ſupercilio non defuit, qui pſaltriam intromitti peteret, ut puella ex induſtria ſupra naturam melior, canora dulcedine, & ſaltationis lubrico exerceat illecebris philoſophantes.* Ambroſ. de Cain. & Abel. *Saltatrices tonſæ, & criſpantes comam.* Buleng. de Conviv. III. 30. Lampe de Cymbal. II. 20. *Saltatricum* quanta fuerit copia, docet Ammian. XIV. 6. *Quum peregrini, ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam, pellerentur ab urbe præcipites, ſectatoribus diſciplinarum liberalium impendio paucis, ſine ulla ratione extruſis, tenerentur mimarum aſſeclæ veri, quive id ſimularunt ad tempus, & tria millia ſaltatricum ne interpellata quidem.* Nec hæc tantum fuerant Ammiani ævo luxu, & vitiis corruptiſſimo, ſed & Horatius hanc ætatis etiam ſuæ labem magnopere inſectatus eſt. V. illum ſupr. in *Saltatio Ionica.* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 12. Veterum tamen convivia non admittebant illas. Perſicum invitans ad modeſtam, & frugi cœnulam, procul has lautiorum nugas a ſe abfuturas dicit Juven. Sat. XI. 162.

> *Forſitan expectas, ut Gaditana canoro*
> *Incipiat prurire choro, plauſuque probatæ*
> *Ad terram tremulo deſcendant clune puellæ,*
> *Irritamentum Veneris languentis, & acres*
> *Divitis urticæ.*

Kobierzyck. ibid. c. 11.

SALTU in equos inſcendebant veteres. V. ſupr. in *Equus.*

SALTUARIUS vocatur cuſtos *ſaltuum*, ſive fructuum conſervandorum gratia paratus ſit, ſive finium tutandorum cauſa. Alfen. l. 60. §. 3. ff. de legat. III. *Saltuarium tuendi, & cuſtodiendi fundi cauſa, magis quam colendi paratum eſſe.* Nam deſiderant tam villæ, quam agri cuſtodiam: illæ, ne quid vicini aut agri, aut fructuum occupent; hi, ne quid cæterarum rerum, quæ in villa continentur. Unde *dominus proprietatis etiam invito uſufructuario, vel uſuario fundum, vel ædes per ſaltuarium, vel inſularium cuſtodire poteſt. intereſt enim fines prædii tueri.* Pompon. l. 16. §. 1. de uſu, & habitat. Nomen etiam hodie retinent ruſtici noſtrates. Hujuſmodi munere functus eſt Aſaph cuſtos *ſaltus* Regis apud Nehem. c. 2. n. 8. & Tyrrhus ille Virgilianus Æneid. VII. 485.

> *— Tyrrhusque pater, cui regia parent*
> *Armenta, & late cuſtodia credita campi.*

Ubi notat Servius, *ſaltuarium* deſcribi. *Popma de Oper. ſerv. p.* 99. *de Inſtrum. fundi c.* 3. *Pignor. de Serv. p.* 569. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 18. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 4. *Feith. Ant. Homer.* IV. 1.

SALTUS veteres *nominarunt ab uſu agros, quos non colebant propter ſylvas, aut id genus, ubi pecus poſſit paſci, & poſſidebant. Græci τὰ ἄλσεα, καὶ νομὰς, noſtri nemora.* Varr. de Ling. Lat. IV. 4. Feſtus: *Saltum Gallus libro ſecundo ſignificationum, quæ ad jus pertinent, ita definit: Saltus eſt, ubi ſylva, & paſtiones ſunt, quarum cauſa caſæ quoque. Si qua particula in eo ſaltu paſtorum, aut cuſtodum cauſa aratur, ea res non peremit nomen ſaltui, non magis quam fundi, qui eſt in agro culto, & ejus cauſa habet ædificium, ſi qua particula in ea habet ſylvam.* Virg. Georg. IV. 324.

> *In ſaltus utrumque gregem, atque in paſcua mittes.*

Pignor. de Serv. p. 569. Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 4. Dacer. in Feſtum.

Saltus, *ἅλμα* a Græcis gymnaſticis vocatus, curſui non parum aſſimilatur, nempe qui, ſicut curſus eſt continuatus *ſaltus*, ita ipſe ſit intercisus curſus. *Mercur. Gymnaſt.* II. 11. Differt a *ſaltatione*, cum opus alterius ὀρχεῖσθαι, alterius ἅλλεσθαι, & a Platone, & a Galeno, & a reliquis probatis auctoribus dicatur. Et eſt motus ferme continuus in ſublime, vel tanquam medium, vel tanquam metam, nullis certis legibus, neque imitationibus terminatus, cum *ſaltatio* legibus, numeris, & imitationibus utatur. *Scalig. Poet.* I. 18. *Mercur. l. l.* Ejus utilitas in militia. Veget. I. 9. *Ad ſaltum etiam exercendus eſt miles, quo vel foſſæ tranſiliuntur, vel impediens aliqua altitudo ſuperatur: ut cum ejuſmodi difficultates evenerunt,*

rint, possit sine labore transire. De Scipione Sil. Ital. VIII. 553.

--- transcendere saltu
Murales fossas.

Lipf. de Milit. Rom. v. dial. 14. Mercur. l. l. Thyf. Rom. Illustr. v. p. 140. Strauch. Olympic. agon. §. 11. In athletica locum habuit. Pindarici interpretes inter ludos in pentathlo contentos *saltum* fecerunt primum hoc versiculo:

Saltus, tum discus, tum lucta, & jacula, cursus.

Hoc etiam testatur Aristoteles, qui in libro de communi animalium gressu scriptum reliquit c. 3. pentathlos athletas halteribus utraque manu comprehensis majorem & concitatiorem *saltum* edere, quam non comprehensis: quod post ipsum Theophrastus in libro περὶ κόπων plane confirmavit. *Mercur. l. l.*

Saltus Lunæ vocatur diei in anno lunari dissimulatio. Singuli enim cycli reliquis in exitu habebant epactas quinque, quæ collectæ in fine sextæ tessaradecaeteridos sextum in eadem embolimum mensem constituebant. At dies, qui numerabantur in singulis sex cyclis minoribus 5106. sexies ducti, erant 30636. qui addito mense sexto embolimo dierum 30. ex quinque epactis, quas dixi, collectæ evadebant 30666. ita ut sex diebus solarem periodum excederent. Huic excessui obviam iverunt, statuta in singulis sex minoribus cyclis unius diei exæresi, unde sex diebus expunctis, quælibet tessaradecaeteris remanebat conflata ex diebus 5105. cum epactis quinque, atque ea ratione totius lunaris cycli dies erant 30660. parique numero cum diebus cycli solaris, demptis bissextilibus, decurrebant. Cenf. Vet. ... II. 52. V. illum supr. in *Dies exempti.* Alexandrina Ecclesia in celebri enneadecaeteride, sive cyclo annorum XIX. unum quoque diem per exæresim adhibebat. Nam anni Juliani XIX. sine bissextilibus ferunt dies 6935. Anni totidem lunares sine fragmentis horarum octo ac minutorum, nempe politici, ac civiles, quorum duodecim erant simplices, ac septem embolimi, dabant dies 6936. Hinc in cyclo decemnovennali unius diei exæresi facta, id est, uno mense ex his pleno, in cavum demutato, solis, lunæque rationes in eo cyclo pares evadebant. Hanc diei dissimulationem, ut diximus, *saltum lunæ* vulgo appellarunt. Quod Alexandrini semel in cyclo decennovennali faciebant, hoc auctores cycli annorum 84. sexies in eodem, videlicet in qualibet dodecaeteride, sive duodecimo quoque anno præstabant, ut indicavi in primo cyclo integro in fastis anonymi p. 338. & 339. illis vocibus *saltus lunæ*, vel compendiariis notis *S. L.* Itaque in cyclo anonymi fit unius diei exæresis annis 12. 24. 36. 48. 60. & 72. quod patet ex ætate lunæ in proximis primis insequentis anni Kalendis, quæ epactas non undeno, ut alias, sed duodeno numero auctas trahit. In fastis anonymi annus XII. cycli prodit Kal. Januar. lunam II. unde adjecto, ut computistæ veteres loquuntur, regulari Kalendarum, annus ille lunaris cœpit die 31. Decembris, exiit die 18. alterius Decembris; cum annus XIII. cycli habeat epactas 13. quæ cum regulari dant lunam XIV. in Kalendis Januarii. Cum vero a die 31. Decembris ad 18. alterius Decembris inclusive colligantur dies 353. patet eum annum unius diei exæresim subire, seu in eodem *saltum Lunæ* factum. Hac methodo cæteri anni, sive simplices, sive embolimi una die mutilati facile cognoscuntur. Beda in Ephemeridum libello pone diem 25. Novembris scribit: *Saltus Lunæ secundum aliquos.* Eo *saltu Lunæ*, seu diei dissimulatione, mensis qui juxta alternatum plenorum, ac cavorum ordinem plenus erat, cavus evadebat, ita ut junctim tres lunares menses cavi decurrerent. Postremus anni mensis semper erat cavus; ac proinde in penultimo a quibusdam, teste Beda, fiebat *saltus lunæ*, ut *si verbo tenus*, ut ait Cyrillus, *fuerit luna quinta, alia die non dicatur sexta, sed septima*, quæ ipsa exæresis *legitimus saltus* eidem dicitur, quod luna, unum diem transiliens saltat ad septimam. Hinc neomenia mensis primi lunaris in superiorem diem ascendens, in Kal. Januar. epactas duodeno numero auctas refert; ut patet in cyclo anonymi in Kalendis, quæ annos 12. 24. 36. ... consequuntur. Hunc *saltum* Lunæ irrident astronomi Stoeflerus p. o. pof. 34. lit. RR. Paullus Episcopus Forosemproniensis Paullinæ IX. aliique, quem tamen a vetustissimis Græcorum adhibitum Cicero l. l. testatur. *Noris. Dissert. ad Fast. consul. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 368. *A.*

SALVE fuit formula salutationis matutinæ. Dio LXIX. p. 796. A. *Et salutavit illum, non verbo salve, quæ matutina est salutatio, sed vale, quæ vespertina est, usus.* Suet. Galb. c. 4. n. 9. V. illum infra in *Salutatio.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 583. B. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 22. Claude de Salutat. c. 7.

Salve, & vale compositis solebant inclamare. Virg. Æneid. XI. 97.

--- salve æternum mihi maxime Palla,
Æternumque vale.

Ubi Servius: *Varro in libris Logistoricis dicit: Ideo mortuis salve & vale dici: non quod aut valere, aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus, eos nusquam visuri. Hinc etiam ortum est, ut maledicti significationem interdum vale obtineat, ut Terentius:*

Valeant, qui inter nos discidium volunt.

hoc est, ita a nobis recedant, ut nunquam ad nostrum revertantur affectum. Ergo cum mortuo dicitur vale, non etymologia consideranda est, sed consuetudo, quod nullis vale dicimus, nisi a quibus recedimus. Quod imitatus est Stat. Sylv. III. 3. 208.

Salve supremum genitor mitissime patrum,
Æternumque vale.

Kirchman. de Funer. III. 9. Guther. de Jur. manium I. 9. Claude de Salutat. vet. c. 9. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 10.

SALVIA }
SALVIDIENA } gens. V. illas supr. in *Gens.*

SALUS eadem est atque Hygiæa. Ferebatur Æsculapii filia, amboque rogabantur, ut morbos depellerent, & adesse vellent ægrotantibus. Terent. Hec. III. 2. 2.

Male metuo, ne Philumenæ magis morbus aggravescat
Quod te Æsculapi, & te, Salus, ne quid sit hujus oro.

Dextra gerebat pateram, cui cibus impositus est, læva serpentem. Patera, sive quod *salus* medicamentis acquiratur, sive quod sola deorum ope & adipiscatur, & conservetur. Serpens huic tribuitur, tum quia revalescentes renovantur, ut serpentes, & quasi senectutem exuunt, tum quia serpenti multa insunt remedia *saluti* & acquirendæ, & conservandæ opportuna. *La Chausse de Deor. simul. tab.* 18. *Struv. Antiq. Rom. c.* 1. *p.* 130. *Landus in vet. numism. Rom. Mis. Explic. Misc. Ital. Tom.* 1. *p.* 343. *Laurent. var. sacr. gentil. c.* 13. *Ortel. Deor. & dear. cap.* II. 57. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* I. 13.

SALUTARE deos dicebantur, qui illos adorabant. Plaut. Stich. IV. 1. 29.

Deos salutatum modo intro devortor domum.

Lucret. I. 317.

--- tum portas propter ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu, præterque meantum.

Turneb. Adv. XXV. 1. Stantes. Mart. XII. 78. 1.

Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues.

Brisson. de Form. I. p. 35. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 199. Caput operientes, sive velantes quasi velo. Plutarch. Quæst. Rom. c. 10. *Cur deos velato capite adorant.* Fulgent. ad Chalcid. Grammat. *Numa Pompilius dicit tutulum esse pileum, quo sacerdotes caput velabant, cum ad sacrificium accessissent.* V. supr. in *Caput.* In orbem se circumverter-

vertentes. V. supr. in *Circumvertere.* Et procumbentes. V. supr. in *Procumbere.*

SALUTARIS collis. V. illum supr. in *Collis.*

Salutaris porta. V. illam supr. in *Porta.*

SALUTATIO publica vocabatur *officium*, & *officium salutationis.* V. supr. in *Officium.* Ejus hora fuit antelucana. Juven. Sat. III. 126.

Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod
Pauperis hic meritum? si curet nocte togatus
Currere, cum prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem jubeat dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam, aut Modiam collega salutet?

v. 19.

— habet Trebius, propter quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere; sollicitus, ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem,
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri serraca Bootæ.

Sallust. Catil. p. 22. *C. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus, & cum eo L. Varguntejus senator, constituere ea nocte paullo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad Ciceronem.* Atque inde *expertes somni* dicebantur *salutatores.* Senec. Herc. Fur. n. 164.

Turbine magno, spes sollicitæ
Urbibus errant, trepidique metus;
Ille superbos aditus regum
Durasque fores, expers somni colit.

Formula sollennis erat ave. V. illam supr. in *Ave.* Locus, ubi peragebatur, status & sollennis potentiorum fuit atrium. Senec. de Benef. VI. 34. *Amicum vocas, cujus disponitur salutatio? aut potest hujus tibi patere fides, qui per fores maligne apertas non intrat, sed illabitur? Huic pervenire usque ad distringendam libertatem licet, cujus vulgare & publicum verbum & promiscuum ignotis, ave, non nisi suo ordine emittitur? Ad quemcunque itaque istorum veneris, quorum salutatio urbem concutit, scito etiam si animadverteris obsessos ingenti frequentia vicos, & commeantium in utramque partem catervis itinera compressa, tamen te venire in locum hominibus plenum, amicis vacuum. In pectore amicus, non in atrio quæritur.* de Brevit. vit. c. 14. *Quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt.* Tenuiorum vestibulum. Gell. XVI. 5. *Qui domos amplas antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus & viam medius esset: in eo loco qui dominum ejus domus salutatum venerant, consistebant.* Donat. ad Virg. Æneid. VI. 273. *Feralem Ditis domum, ecce quale observabat officium in primo vestibulo.* Pignor. de Serv. p. 251--255. Bernart. in Stat. Theb. I. p. 17. Claude de Salutat. vet. c. 7. Cubiculorum *salutatoriorum* meminit etiam Plin. XV. 11. *Omnia jam & virorum salutatoriis cubiculis inclusa, simulacris noctium conscius inclusa.* Cubicula hæc sic vocantur, quia in illis divitem e dormitorio suo prodeuntem communis amicus *salutabat.* Dalechamp. ad Plinium. Nec tantum in Urbe, sed & foris in castris fiebat. Milites summo mane suos centuriones *salutatum* veniebant, *salutati* centuriones simul cum militibus tribunos *salutatum* ibant, & tandem tribuni cum cæteris summum Imperatorem. Polyb. VI. 32. *Equites vero & centuriones cum prima luce veniunt ad tentoria tribunorum, tribuni ad consulis:* veniunt, inquam, per speciem officii, ut *salutent*, & deducant. Joseph. Excid. III. *Mane, & sub auroram milites quidem singuli ad centuriones, ad tribunos porro isti conveniunt salutaturi: cum quibus ad ducem primarium omnes deinde ordinum ductores.* Lips. de Milit. Rom. V. dial. 10. Claude l. l. Privata potentioribus exhibebatur a domesticis. Prudent. Περὶ στεφ. XI. 189.

Mane salutatum concurritur, omnis adorat
Pubes, eunt, redeunt solis adusque obitum.

Et hinc *matutinæ salutationes* dicuntur Apul. Met. XI. p. 392. & Senec. Epist. 95. V. illos supr. in *Deus.* Lips. in Senecam. Florid. in Apulejum. Claude de Salutat. vet. c. 8. Hanc innuit Suet. Vesp. c. 4. n. 7. *Prohibitus non contubernio modo, sed & publica salutatione.* Ejus modus erat, ut domestici dominum mane quidem *salvere*, vesperi vero *valere* juberent. Suet. Galb. c. 4. n. 9. *Quanquam nondum ætate constanti veterem civitatis, exoletumque morem, ac tantum in domo sua hærentem obstinatissime retinuit; ut liberti, servique bis die frequentes adessent, & mane salvere, vesperi valere sibi singuli dicerent.* Neque tantum viri, sed etiam feminæ Romæ hoc modo *salutabantur.* De Agrippina Tacit. Annal. XIII. 18. 6. *Ac ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque transfert in eam, quæ Antoniæ fuerat.* De Albina, & Modia Juvenalis modo laudatus. *Gronov. Obs. II. 24. Claude l. l.*

SALUTATORES differebant a deductoribus. *Salutatores* enim uno *salutato* alium, & rursus alium *salutatum* ibant. Deductores uni tantum patrono serviebant, foras prodeuntem, si pedibus iret, comitabantur ante sellam, si ea portaretur, ambulabant: & inde anteambulones vocabantur. V. illos supr. in *Anteambulones.* Aperte hos distinguit Q. Cicer. de Petit. consul. c. 9. *Hujus autem rei tres partes sunt: una salutatorum cum domum veniunt, altera deductorum, tertia assectatorum. . . . Jam deductorum officium, quo majus est quam salutatorum, hoc gratius tibi esse significato, atque ostendito, & quoad ejus fieri poterit, certis temporibus descendito.* Sagittar. de Jan. vet. c. 8. §. 6. Sigon. de Judic. II. 30. Claude de Salutat. vet. c. 7. Antequam *salutatum* irent, togam induebant. V. infr. in *Toga.* Illa induti patronorum ædes petebant, pro illis sæpe expectabant, donec admitterentur. Arrian. in Epict. IV. 1. *Loco senis divitis observato philosophum, circa hujus fores conspicitor.* Senec. de Benef. VI. 33. *Est proprium superbiæ, magno æstimare introitum, ac tactum sui liminis, & pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas.* Sæpissime a servis convivis excipiebantur. Lucian. Nigrino: *Qui a servis exclusi foribus, canes, & adulatores, & id genus alia, audire sustinent.* Inde *per fores maligne*, id est, ægre, & fastidiose a superbo ostiario *apertas non intrare, sed illabi* dicuntur a Senec. de Ben. VI. 34. V. illum supr. in *Salutatio.* Illosque, ut facilius ab illis admitterentur festo die munusculis suis solebant delenire. Juven. Sat. III. 188.

— præstare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia servis.

Ubi Schol. *Cultis, bene vestitis, quippe festo die suo servis donare cogimur, ut admittamur ad salutationem dominorum.* Et pecuniam aliquam numerare. Juven. Sat. III. 183.

— quid te moror? omnia Romæ
Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes.

Claude l. l. Maximæ id sibi laudis loco reputabant, qui primus ad *salutandum* venisset patronum, quapropter properabant, & neglecto etiam corporis cultu ad januam accedebant. Senec. de Brev. vit. c. 14. *Isti qui per officia discursant, qui se, aliosque inquietant, cum bene insanierint, cum omnium limina quotidie perambulaverint; nec ullas apertas fores præterierint, cum per diversas domos meritoriam salutationem circumtulerint.* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 2. Nobiliores osculo excipiebantur ab iis, quos *salutabant.* Suet. Oth. c. 6. n. 3. *Mane Galbam salutavit, utque consueverat, osculo exceptus.* Mart. XII. 26. 1.

Sexaginta teras cum limina mane senator,
Esse tibi videor desidiosus eques:
Quod non a prima discurram luce per urbem,
Et referam lassus basia mille domum.

Pitisc. in Suetonium, Claude l. l. Tenuiores pro illo officio sportulas in limine accipiebant, sed ab illis, qui liberaliores dici & haberi volebant, excipiebantur convivio. V. infr. in *Sportula.* Sportulam sibi conciliare etiam nobiliores conabantur. V. & hoc infr. in *Sportula.* Tales *salutatores mercenarios* vocat Colum. Præfat. 1. *An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum, somnumque regis sui rumoribus inaugurantis.* Claude l. l. Nobiliores præterea, cum provinciam, consulatum, vel aliud munus obirent, ad conciliandum

sibi potentiorum favorem & gratiam, illos ibant *salutatum*. Q. Cicer. de petit. consul. c. 11. V. illum supr. in *Amici*. In illos invehitur Arrian. in Epictet. III. 26. *Cum ergo aliquem videris alteri obnoxium, aut præter animi sui sententiam adulantem, audacter & illum liberum esse negato. Non tantum si propter cœnam id faciat, sed etiam si ob provinciam, ob consulatum; sed illos quidem minutos servos appella, qui propter minutas res ista faciunt; istos vero, ut digni sunt, magnos servos.* Sigon. l. l.

SALUTIGERULI dicebantur servi, qui jussu dominæ hunc illum *salutabant*. Plaut. Aul. III. 5. 24.

Nulla ergo dicat: equidem dotem ad te attuli
Majorem multo, quam tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem equum est, purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedissequas,
Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar.

Erantque nuntii & renuntii. Juven. Sat. XIV. 28.

Ut non ter decies respiret: conscia matri
Virgo fuit, ceras nunc hac dictante pusillas
Implet, & ad mœchum dat eisdem ferre cinædis.

Ita *salutigeri* dæmones appellantur ab Apulejo de deo Socrat. p. 574. *Hos Græco nomine δαίμονας nominant, inter terricolas, cœlicolasque vectores, hinc precum, inde donorum: qui ultro citroque portant, hinc petitiones, inde suppetias: ceu quidam utriusque interpretes, & salutigeri.* Popma de Oper. serv. p. 85. Pignor. de Serv. p. 428. Florid. in Apulejum.

SALUTIO vocitatus est Cornelius Scipio per similitudinem alterius, cujus vis fuit tanta, ut etiam cognomina sæpe inversa sint. Invenit ergo cognomen a *Salutione* mimo, cui corpore, corporeaque similitudine, imo moribus abjectis, & mimicis similis vivebat. Plin. VII. 12. *Ejusdem familiæ Scipioni post eum cognomen Salutio mimus dedit.* Suet. Cæs. c. 59. n. 4. *Ad eludenda vaticinationes, quibus felix, & invictum in ea provincia fataliter Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quendam ex Corneliorum gente, cui ad opprobrium vitæ Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit.* Pius Annot. poster. c. 185. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.

SAM.

SAMARIA fuit metropolis Palæstinæ secundæ, postea ab Herode Rege appellata *Sebaste*, id est, Augusta. Hæc regio inter Galilæam, & Judæam sita a Josepho *Samaritis*, ab aliis secunda Palæstina vocatur. *Pancirol. Notit. dign. imp. orient. c. 107. & 112. Salmas. Exercit. Plin. p. 407. a. C.*

SAMARIUM est locus, in quo ulmi semina feruntur. *Samara* enim *est ulmi semen*, inquit Plin. XVI. 17. Unde *samarium* potest videri locus, ubi hæc semina sunt sata. V. infr. in *Spoliarium*. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 330. E.

SAMBUCA *in musicis species est symphoniarum. Est enim genus ligni fragilis, unde & tibiæ componuntur.* Isidor. III. 20. *Bartholin. de Tib. I. 4. Barth. Adv. LV. 9.* Non est tibia, neque fistula, ut tradunt imperiti Grammatici, sed instrumentum musicum triangulum. Athen. XIV. p. 635. A. *Magadis priscum est instrumentum, seroque admodum ejus mutata est fabrica una cum nomine, & vocata est a posteris sambuca.* Pers. Sat. V. 95.

Sambucam citius caloni aptaveris alto.

Porphyrio: *Sambuca est triangulum instrumentum, quod ex inæqualibus longitudine, sicut & crassitudine nervis efficitur.* Buleng. de Theatr. II. 47. Brod. Miscell. IV. 30. Pius Annot. post. II. 3. Voss. Lex. Etymol. Baldus Lex. Vitruv. Pignor. de Serv. p. 160. Vulgo ob aliquam formæ similitudinem vocamus *harpam*, quasi ἅρπην, quod proprie notat *ensem falcatum*. Voss. l. l. Turneb. Adv. XX. 1.

Sambuca est etiam instrumentum poliorceticon. Festus: *Sambuca machina quoque, qua urbs expugnatur, similiter vocatur. Nam ut in organo chordæ, sic in machina intenduntur funes.* Veget. IV. 21. *Sambuca dicitur a similitudine citharæ. Nam ut in cithara chordæ sunt, ita in trabe, quæ juxta turrim ponitur, funes sunt, qui pontem de superiore parte trochleis laxant, ut adscendat. L. descendat ad murum, statimque de turri exeunt bellatores, & per eum transeuntes mœnia urbis invadunt.* Valtrin. de Re milit. Roman. V. 6. Stewech. in Vegetium. Hæc bonus Vegetius, hic & alibi solutus, & negligens, & parum ad genium antiquum. Habebant enim illas in navibus, inprimis ad oppugnationem utiles, & in creberrimo apud veteres usu, ut testatur Athenæus MSC bibliothecæ nostræ in περὶ μηχανημάτων, ubi ita ait: *Navium autem machinæ, quas sambucas appellant, non opus habent descriptione, quia omnibus sunt notæ.* Et quia *navium machinas* vocat, apparet has intelligere Vitruvium, cum vocat X. 19. *marinas machinas, quæ, L. queis per navim aditus habere possunt.* Et aliter de illa Heron, qui ad maritimas civitates admovet, & navibus imponit c. 25. In pluribus autem verbis summatim ita format, ut *duabus navibus, junctis firmiter, tigna imponantur: & super ea, aut inter ea, pons struatur: alias firmus & stabilis, si super; alias, qui attolli, & deprimi per funes possit, si inter tigna.* Fusius illam describit Polyb. VIII. 5. *Lips. Poliorc. I. Dial. 6. Scheffer. de Milit. nav. III. 7. Stewech. in Vegetium. Thys. de Oppugn. urb. I. p. 159.*

SAMBUCÆ Spartian. Hadrian. c. 26. *In convivio sambucas exhibuit. Sambucinæ* Plaut. Stich. II. 2. 57.

Sambucinas advexit secum forma eximia.

Sambucistriæ Liv. XXXIX. 6. Sed V. illum supr. in *Cocus*. Sunt musicariæ mulieres, quæ instrumento illo musico sciunt ludere. *Salmas. in Spartianum. Buleng. de Theat. II. 47.*

SAMIÆ vocabantur placentæ veteribus nobilitatæ. Tertull. adv. Marcion. III. 5. *Non tamen ut de glebis credas te unquam placentas, & samias coacturum.* Græci vero Σάμιος πλακοῦς. Athen. XIV. p. 644. C. *Excellere Samias placentas Sopater inquit.* Salmas. in Vopisc. Aurel. c. 7. Jun. in Tertullianum. Casaub. in Athenæum.

SAMIARII fuerunt, qui creta *Samia* arma, ferramenta, spicula prætorianorum, & satellitum Imperatoris ad nitorem tergebant, fricabantque, atque exasperabant gladiorum, & jaculorum aciem, & cuspides. Hoc sensu reperimus *ferramenta samiata* apud Vopisc. Aurel. c. 7. Leo Imperator de Appar. bell. c. 3. n. 50. *Samiatores, id est, qui omnes acies ferreas exacuunt.* Glossarium: Ἀκονητὴς, *samiarius, acutiator.* Iterum: *samiator*, ἀκονητὴς. *Turneb. Adv.* XXVII. 21. *Stewech. in Veget.* II. 14. *Crinit. de Honest. Discipl.* XXII. 10. Non. IV. 434. *Samium est acutum: unde & samiare dicimus acuere, quod in Samo hoc genus artis polleat. Lucill. Sat.* VIII.

Testam sumit homo Samiam.

qua sibi præcidit, scilicet, id quo vir erat. *Testa Samia* est testa acuta, qua sibi demessuit virilitatem: ut *acuta silice illa pondera sibi devolvisse* Attin scripsit Catull. LXIII. 5. Sed non vidit ineptus, & futilis auctor *Samiam testam* apud Lucillium dici, quæ ex Samia terra erat facta, ut Samium catinum, & Samiæ cupedines ex eadem Samia terra factæ. Testa autem utebantur Galli ad virum sibi demetendum, quam Samiam ἐπιθετικῶς vocavit Lucillius de loci nomine, ubi optimæ fiebant testæ. Nollem Scalig. Auson. Lect. II. 12. adeo ἀκρίτως fidem Nonii secutum esse, ut sola ejus auctoritate nixus Samium pro acuto acciperet in Auson. Epist. IV. 48.

Anticipesque tuum Samii Lucumonis acumen.

Versum hunc minima mutatione ita debere emendari res ipsa clamat:

Scillite decies non si purgeris aceto,
Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen.

id est, & tuo acumine anticipes, & antistes Samii Lucumonis ingenii acumen. Quis autem Samius Lucumo nisi Pythagoras, quem τὸν Σάμιον absolute vocant plerumque

scripto-

ſcriptores, & Σάμιον σοφόν. Fefellit hæc res Nonium: qui enim videbat ſua ætate *ſamiare* dici pro acuere, & legebat Samiam teſtam apud Lucillium, qua ſibi ille, neſcio quis, teſticulos præcidiſſe dicebatur, putavit, quoniam ad eum uſum adhiberetur, acutam eſſe oportere, & ſic Samiam acutam expoſuit, & addit etiam hanc rationem: *quod in Samo hoc genus artis polleat.* Sane & in Naxo, & in Armenia, & in Cypro, niſi fallor, optimæ cotes naſcuntur, non propterea tamen Cyprium, aut Naxium acutum dixeris. Sed nec, ſi *ſamiare* eſt acuere, *Samia* cos erit acuta, quæ acutum reddit. Sciendum eſt igitur, *ſamiare* eſſe dictum a Samia cote. Non rarum eſt enim, aut novum, ut adjectiva rerum pro ipſis ſubſtantivis uſurpentur: ut *Samia* abſolute pro cote Samia: a qua *ſamiare*, acuere. Sic *Samias* ſine adjectione placentas Samias modo dixit Tertullianus. Sic igitur *ſamia* eſt ἀκόνη. Atque inde *ſamiare*, ἀκονᾷν, *acutiare* etiam dicebant, & *acutiatores* ἀκονηταί. Gloſſæ jam laudatæ. Unde *ſamiarium* a ſamia, ut cotiarium a cote dictum. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 7.

SAMNITES populi fuerunt, quorum regio *Samnium* appellata, in longitudinem plus patens quam latitudinem; habuit a ſeptentrione Frentanos & Apulos, a meridie Campanos & Lucanos, ab occaſu Auſones & Pelignos, ab oriente item Apulos cum Lucanis. Ferociſſimam inter omnes Italicas *Samnitum* gentem fuiſſe ex eo intelligi poteſt, quod cum eis per annos octoginta quotidianis prope armis eſt dimicatum. Quocirca Flor. I, 16. §. 7. *Samnites invaſit populus Romanus, gentem, ſi opulentiam quæras, aureis & argenteis armis diſcolore veſte uſque ad ambitum armatam; ſi inſidiarum fallaciam, ſaltibus fere, & montium fraude graſſantem; ſi rabiem ac furorem, ſacratis legibus, humanisque hoſtiis in exitium Urbis agitatam; ſi pertinaciam, ſexies rupto fœdere, cladibusque ipſis animoſiorem.* De illorum pugnis, & cladibus hæc accepimus. Narrat Liv. VII.... X. M. Fabio, M. Popillio Coſſ. an. 339. *Samnites* petentes primum fœdere in amicitiam eſſe acceptos. Anno vero 410. populum Romanum cum eis bellum iniiſſe, ut Campanos dedititios ſuos adverſus eorum arma defenderet: pugnatum eſſe a M. Valerio coſ. in Campania ad Gaurum montem, ab A. Cornelio collega ejus in *Samnio* ad Saticulam, iterumque a Valerio ad Sueſſulam: hoſtibus ubique pulſis, cæſisque biennio poſt fœdus cum eis eſſe percuſſum. Poſt cum an. 425. defeciſſent, quia Fregellas Volſcis ademptas in agro ſuo populus Romanus coloniam collocaſſet, ſequentes coſſ. C. Pœtelium, & L. Papirium, indicto bello, tria eorum oppida in poteſtatem redegiſſe, Allifas, Callifas, & Rufrium, aliumque præterea agrum longe, lateque vaſtaſſe: inde a L. Papirio dictatore ſubactos pacem petiiſſe, ac pactos, ut ſingula veſtimenta militibus, & annuum ſtipendium darent, cum ad ſenatum, ad quem rejecti erant, veniſſent, infecta pace, inducias retuliſſe. Poſtero anno ſive ab A. Cornelio Arvina dictatore, ſive a coſſ. Q. Fabio, & L. Fulvio (utrumque enim tradit) victos, cum defectionis auctores dediſſent, non tamen pacem impetrare potuiſſe. Et ita ad arma converſos Ti. Veturium, & Sp. Poſtumium, qui ſecuti ſunt, coſſ. ſub jugum ad Caudium miſſos ad turpe fœdus feriendum compuliſſe: quo ſequenti anno ipſorum deditione coſſ. infirmato, bello vehementius a Romanis, L. Papirio conſule duce, renovato, eosdem ad Luceriam in Apulia victos, & ſub jugum miſſos eſſe. Inde Satrico, quod ad eos defecerat, capto, ipſos a Papirio prælio deletos, petentibus fœdus negatum, inducias biennii datas. Poſt an. 435. Sp. Nautio, L. Æmilio coſſ. L. Æmilium dictatorem Saticulam oppugnare adortum illis cauſam rebellandi dediſſe. Fuſos in caſtra ſpe abjecta Saticulæ tuendæ Pliſtiam ſocios Romanorum circumſediſſe. Sequenti anno Q. Fabium dictatorem Saticulam proditione, *Samnites* Pliſtiam vi cepiſſe. Inde traducto Soram exercitu, quæ colonia Romana ad *Samnites* defecerat, cum *Samnitibus* ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum. Soram cum inſequentes coſſ. M. Pœtelius, C. Sulpicius cepiſſent, & ſupplicium de defectionis auctoribus ſumpſiſſent, cum *Samnitibus*, qui in Campaniam Capuæ Romanis adimendæ cauſa venerant, depugnaſſe: eo prælio ad triginta millia cæſa, aut capta, reliquos Beneventum profugiſſe. Inde *Samnitum* clades multæ. Nam & coſſ. Q. Fabius per Soranum, P. Decius per Sidicinum agrum in *Samnium* legionibus ductis, eos ad Tifernum ceciderunt, & cum Apulis auxilio occurrentibus Decius ſe ad Maleventum objeciſſet, *Samnium* vaſtarunt: Cimetram, Murgantiam, & Romuleam ceperunt, Ferentinam validiſſime oppugnarunt: deinde cum iidem reparato exercitu per fines Veſcinos in Campaniam, Falernamque agrum tranſcendentes ingentes prædas feciſſent, atque eos L. Volumnius coſ. ex Etruria in Calenum agrum profectus, præda onuſtos ad Vulturnum flumen ſedere audiſſet, prælio cecidit, ac prædam eripuit. Inde ſequentes coſſ. Q. Fabius, & P. Decius cum *Samnitibus*, Gallis, & Umbris, qui arma conſociaverant, pugnarunt in agro Sentinate Umbriæ, quo prælio nobiliſſima victoria Decii devotione eſt parta. *Samnitium* agmen cum per Pelignos fugeret, circumventum eſt a Pelignis: ex millibus quinque ad mille cæſi. L. Volumnius procoſ. *Samnitium* exercitum in Tifernum montem compulſum fundit, fugatque. Pugnatum eſt etiam proſpere in agro Stellate ab Ap. Claudio coſ. & L. Volumnio procoſ. Sequenti anno *Samnites* cum M. Atilio coſ. non infeliciter congreſſi, cum non modo caſtra inde proferre, ſed ne pabulari quidem Romanos paterentur, & retro in pacatum Soranum agrum populabundi irent, L. Poſtumius collega Atilii exercitu Soram ducto, inde in *Samnium* ad caſtra collegæ perrexit, ac Miloniam, & Ferentinum cepit. Atilius ad Luceriam in Apulia vario eventu pugnavit. *Samnites* Interamnum coloniam, quæ via Latina eſt, occupare conati urbem non tenuerunt, agros depopulati cum retro redirent, in victorem delapſi hoſtem ab Luceria redeuntem, cæduntur. Poſtero anno *Samnitum* exercitus lege ſacrata coactus ad Aquiloniam conſedit: Sp. Carvilius coſ. Amiternum vi cepit: Papirius Duroniam expugnavit. Inde pervagati *Samnium* maxime depopulato Atinate agro, Carvilius ad Cominium, Papirius ad Aquiloniam, ubi ſumma rei *Samnitium* erat, pervenit: utrobique res bene geſta: oppidum captum, direptum, ac concrematum eſt. Poſt Carvilius Veliam, Palumbinum, & Herculaneum cepit. Papirius Cepinum expugnavit, exercitumque in agrum Veſcinum, quia ea regio infeſta ab Samnitibus erat, hibernatum duxit. Atque hæc quidem Livius. Quum autem Q. Fabius Gurges, qui coſ. eſt ſubſecutus, ab iis ſuſus, fugatusque ſumma apud omnes infamia flagraret, patris Q. Fabii Rulliani, qui legatus ei datus eſt, conſilio uſus tam proſpere procoſ. geſſit, atque hoſtes, Zonara & Oroſio teſtibus, ſub jugum miſit. Cum *Samnitibus* autem debellatum a P. Cornelio Rufino, & M. Curio coſſ. qui ſecuti ſunt, invenio, & cum iis petentibus fœdus quartum eſſe percuſſum: inde per annos undecim otium ab iis fuiſſe; anno vero 470. P. Dolabella, & Cn. Domitio coſſ. eosdem cum Gallis, & Lucanis, & Etruſcis arma rurſus cepiſſe, atque de iis L. Æmilium Barbulam procoſ. triumphaſſe. Neque vero his ſolum, ſed poſt etiam Pyrrho Regi in Italiam venienti *Samnites* ſe adjunxerunt; quo factum eſt, ut de iis C. Fabricius coſ. triumphum nobiliſſimum egerit. Poſt cum Pyrrhus Italia ceſſiſſet, C. Junius & P. Cornelius Rufinus coſſ. in *Samnium* legiones duxerunt, agrisque vaſtatis caſtella quædam ceperunt: cumque hoſtes in montem compulſos adoriri ſtatuiſſent, detrimentis quibusdam acceptis, populatione contenti fuerunt. Inde aliis ducibus continenter eſt bellatum: ſiquidem de iis & Q. Fabius Gurges procoſ. iterum triumphavit, & poſt etiam M. Curius & L. Lentulus: a quo *Samnitium* etiam oppidum captum eſſe prodidit Plinius: & poſt etiam C. Claudius Canina, & qui bello diuturno finem impoſuerunt, Sp. Carvilius, & L. Papirius Curſor. Itaque per eosdem Samniticum bellum eſt confectum, per quos etiam Tarentinum. Victis autem Tarentinis, & *Samnites*, quæ populo Romano placuerunt, conditiones pacis acceperunt.

runt. Pacis autem conditiones, ut multa alia vetustate obsoleta, nobis parum compertæ sunt. *Sigon. de Jur. Ital.* I. 20. *Panvin. de Imp. Rom. c.* 3. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 7. 3. *Leand. Descr. Ital. p.* 405... 411. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 54.

Samnites fuerunt gladiatores. Horum nomen ante Ciceronem celebre, sub Imperatoribus videtur desisse, & abiisse in Hoplomachum. Res, armaque eadem. *Samnitium* sane memoriam post Augustum non reperi. Antea sæpe. Lucill. apud Non. IV. 425.

Eserninus fuit, Flaccorum munere, quidam
Samnis spurcus homo.

Plin. VII. 20. *Tritanum in gladiatorio ludo, Samnitium armatura celebrem, filiumque ejus militem M. Pompeji, & rectos, & transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos in brachiis, etiam in manibus auctor est Varro.* Solin. c. I. *Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis annotavit Tritanum gladiatorem natura, ornatura* legit Salmas. p. 26. b. A. *armatura* Lipsius mox laudandus. *Samnitem fuisse.* Et apud Ciceronem, Horatium, aliosque *Samnites* crebri. Dicti sunt, quod *Samnitum* populorum armatura uterentur, non quod essent origine, & patria *Samnites*, nec quod ullam naturalem aptitudinem *Samnites* haberent ad gladiatoriam. Originem tradit Liv. IX. 40. *Campani odio Samnitium gladiatores eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.* Ex quibus verbis etiam armatura eorum non ignota: nempe illa ipsa, quam in *Samnitibus* describit Liv. IX. 40. *Samnites præter cæteros apparatus, ut acies sua fulgeret novis armorum insignibus fecerunt. Duo exercitus erant: scuta alterius auro, alterius argento calaverunt. Forma erat scuti, summum latius, qua pectus, atque humeri teguntur, fastigio æquali: ad imum cuneatior, mobilitatis causa: spongia pectori tegumentum, & sinistrum crus ocrea tectum: galeæ cristatæ.* Lips. Sat. II. II. Turneb. Adv. XXV. 10. Salmas. Exercit. Plin. p. 26. a. E. Parrhas. Epist. 60. Jac. Bonon. Annot. c. 18. Faber Semestr. II. 10. Laurent. Polym. IV. 9. Thys. de Gladiat. p. 226.

SAMPHORÆ dicebantur equi, qui Σὰν armo inustum ferebant: quia, ut Hesychius Σ. Σὰν dixerunt. V. Hesychium & Scholiast. Aristoph. in Nub. p. 130. *Scalig. in Euseb. p.* 108. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 627. *a. Bulenger. de Equis c.* 9. *Pitisc. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 12. *Rhodig. Antiq. Lect.* VII. 31. *Bochart. Hieroz.* I. 2. 8. *Hopping. de Jur. insign. p.* 717. *Pier. Hierogl.* XLII. 52. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 49. §. 3. 4. 5.

SAN.

SANATES quinam fuerint dicti docet Paullus in Epitome: *Sanates dicti sunt, qui supra, infraque Romam habitaverant, quod nomen his fuerit, quia cum defecissent a Romanis, brevi post redierunt in amicitiam quasi sanata mente. Itaque in duodecim cautum est, ut idem juris Sanatibus, quod Forctibus, id est, bonis, & qui nunquam defecerant a Romanis.* Quæ Festus adjecit, in hanc sententiam concipienda sunt: *Sulpitius autem Sanates & Opilius ajunt dici inferioris loci gentes, ut Tiburtes, & alios, qui cum populo Tiburtino habitarent in agro Tiburti, id est, omnes peregrinos, inferiorisque loci. Itaque scriptum esse in* XII. *Nexo, solutoque Forcti Sanatique idem jus esto, id est, bono Romano: idem & peregrino, qui inferiore loco est. Sunt, qui intelligant colonias, quæ sunt deductæ in priscos Latinos a Tarquinio Prisco, quas integerit secundum mare infra Romam in civitates Latinorum, eosque Sanates, propterea quod præter opinionem eos pacavisset, sanavisseque, & cum eis pacisci potuisset, nominavit, ut auctores sunt Cincius* II. *de offic. Icti, M. Valerius Messala in* XII. *explanatione. Idem tamen in eo libro, quem de dictis involute inscribit, Forctis & Sanatis ait duas gentes finitimas mari, de quibus legem hanc inscriptam esse videri, uti duæ maritimæ gentis eodem tum P. R. haberentur jure. Neque alios quam Forctes & Sanates legem hanc significare existimat hoc intellectu. Multi sunt, quibus id, quod pluribus placuit, displiceat, & aliter in* XII. *Sanati, Forcti interpretentur, hoc est, sanati, insani.* Propemodum ea videtur Festi sententia esse. *Scalig. in Festum. Ouzel. in Gel.* XVI. 10. *August. in Leg.* XII. *tab.* §. 53. *Ursin. ad leg. & Scta Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1361. *C. Sigon. de Ant. jure Ital.* I. I. *Ravard. in Leg.* XII. *tab. c.* 28. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* II. *c.* 15. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 2. *p.* 407. *D.*

SANCIRE *proprie est sanctum aliquid, id est, consecratum facere fuso sanguine hostiæ.* Serv. in Æneid. XII. 200. *Guther. de vet. jur. pontif.* III. I. Frigidiuscule, ut aliquando solet, Servius. Est potius aliquid facere inviolabile, unde leges, & fœdera *sanciri* dicuntur, quia violari ea nefas est. Justinian. Instit. II. I. 12. *Sanctæ quoque res, veluti muri, & portæ civitatis quodammodo divini juris sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes, quibus pœnas constituimus in eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus.* Voss. Instit. Orat. V. 6. I. Alciat. Parerg. II. 4. Gebhard. Crepund. III. 27. August. de Leg. in Regia. Saubert. de Sacrif. c. I.

SANCTI exhibentur in picturis, & statuis capitibus umbella radiante opertis, ac veluti scuto fulgenti contectis. *Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. sect.* 18. Quodnam sit illud capitis *sanctorum* tectorium V. supr. in Μήνισκος. Illorum reliquiæ altaribus supponebantur. V. supr. in *Altare.*

SANCTIMONIALES, sive sacræ virgines purpura distinctas vestes portabant. Hieron. Epist. ad Eustoch. 22. *Purpura tantum in veste tenuis, & laxius, ut crines decidant, ligatum caput, soccus vilior, ut per humeros hyacinthina maforta volitans, succinctæ manica brachiis adhærentes, & solutis genibus fractus incessus: hæc apud illos tota virginitas.* Ruben. de Re vest. I. 18.

SANCTIO appellatur extrema pars legis. Hanc in ærea tabula legis regiæ de imperio Vespasiani incisam agnoscimus; in qua hæc verba scripta sunt:

SANCTIO.

SI QUIS HUJUSCE LEGIS ERGO ADVERSUS LEGES ROGATIONES PLEBISVE SCITA SENATUSVE CONSULTA FECIT FECERIT SIVE QUOD EUM EX LEGE ROGATIONE PLEBISVE SCITO. S VE C FACERE OPORTEBIT NON FECERIT HUJUS LEGIS ERGO ID EI NE FRAUDI ESTO NEVE QUID OB EAM REM POPULO DARE DEBETO NEVE CUI DE EA RE ACTIO NEVE JUDICATIO ESTO NEVE QUIS DE EA RE APUD SE AGI SINITO. De *sanctione* Papinian. l. sanctio ff. de pœnis: *Sanctio legum, quæ novissime certam pœnam irrogat his qui præceptis legis non obtemperaverint, ad eas species pertinere non videtur, quibus ipsa lege pœna specialiter addita est.* Ulpian. l. sacra §. proprie ff. de pœnis. *Proprie dicimus sancta, quæ neque sacra, neque profana sunt: sed sanctione quadam confirmata, ut leges sanctæ sunt: sanctione enim quadam sunt subnixæ: & interdum in sanctionibus adjicitur, ut, qui ibi aliquid commisit, capite puniatur.* Justinianus supr. in *Sancire.* Cicero pro Balbo supr. in *Sacrosanctum.* Augustin. de Legib. c. 6. & in Regia.

SANCTUM quid sit V. supr. in *Sanctio.* Quomodo differat a religioso V. supr. in *Religiosum.*

SANDALARIUS dicebatur qui *sandalia* conficiebat. Inscript. in via Appia:

GENIO
VIARUM
L. LUTATIUS. L. L. PAC
CIUS. SANDALARIUS
S. P. D.

Reines. Inscript. Class. I. *n.* 299. *Pignor. de Serv. p.* 360.

SANDALIARIUS Apollo. V. illum supr. in *Apollo.*

SANDALIGERULI, & *sandaligerulæ* vocabantur servi, & ancillæ, dominorum, & dominarum *sandalia* custodientes, & servantes. Mart. VIII. 59. II. V. illum infr. in *Solea.* Plaut. Trin. II. I. 22.

Vesti-

Vestiplicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandaligerulæ.

Hinc explicari possunt Davidis verba Psalm. 60. v. 10. *Super Edom projiciam calceum meum.* q. d. tanquam vilibus servis calceos projiciam Edomæis, ut eos gestent, quod servorum est ministerium. Et Johannis Baptistæ dictum, dum se Christo comparat Matth. c. 3. n. 9. dicens: *cujus non sum dignus, ut calceum portem.* Iidem enim qui calceos solvebant, eosdem extensos auferebant, & curabant. *Byn. de Calc. Hebr.* II. 8. II. *Balduin. de Calc. c.* II. *Pignor. de Serv. p.* 423. *Popm. de Oper. serv. p.* 86. *Turneb. Adv.* XXIX. 8.

SANDALIUM differt a crepida. V. supr. in *Crepida.* Fuit calceamentum muliebre. Hesychius: Σανδάλιον, γυναικεῖον ὑπόδημα. Lucian. de Conscrib. Histor. p. 609. de Hercule jam mancipato. *Et vapulantem ab Omphale sandalio.* Et mira festivitate Terent. Eun. v. 7. 4.

Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.

Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XXX. 38. Balduin. de Calc. c. 12. Loens. Misc. I. 9. pulcrum, elegans, atque elaboratum. Unde Judith ad Holofernem profectura, ut illius historiæ monumenta testantur c. 10. n. 3. inter alia, quibus ipsa nativæ pulcritudini decus, atque elegantiam conciliavit, *sandalia pedibus suis induit.* Quæ quam apta, quam polita, quam elegantia, pretiosisque adornata essent, hinc æstimare licet, quod, ut habetur c. 16. n. 11. *sandalia ejus rapuerunt oculos ejus.* Balduin. l. l. Byn. de Calc. Hebr. I. 3. 25. Feminarum divitum, ac lautarum. Illo pristinæ heroides, & præpotentes ante Athenienses civitatis potentiam, & luxum utebantur. Ælian. Var. hist. I. 18. *Annon plurimæ mulieres luxuria diffluxerunt. coronam enim sublimem capiti imposuerunt, pedes vero sandaliis calceabant.* Cephisodorus comicus in Trophonio: *Sandalia tenuium incisurarum, quibus superapposita erant aurea ornamenta: nunc ut ancilla habeo peribarida.* Quæ nempe ante sumptuoso genere calceamenti uti fuerat, postea tanquam ancillam quandam se dicit inducere peribaridas: ancillarum vero proprium calceamentum hoc erat. *Victor. Var. Lect.* XIV. 15. *Dempster. Paral. ad Rosin. Antiq.* II. 7. *Loens. l. l.* Viris, usque non ita cultus, aut elegantiæ, quam antiquam mulieres, studiosis usurpatus. Nam Hieron. lib. v. Com. 20. in Esajam ad verba illa: *vade, & solve calceamenta tua de pedibus tuis*, calceamenta, *sandalia*, & caligas pro eodem accipit: *Depellit*, inquit, *quæ significantur sandalia, calceamenta, caligas.* Pro virili calceamento sumit Herod. II. p. 137. ex Perseo loquens: *Ejus sandalium, quod gestabat, inventum bicubitali magnitudine.* Illorum usum concessit discipulis D. Jesus Marc. c. 6. n. 9. *Præcepit, ut calcearentur sandaliis.* Atque ea gestasse Petrum discimus ex verbis Angeli, qui e carcere, quo detinebatur, eum educturus, jubet *inducere sandalia.* Actor. c. 12. n. 3. *Loens. & Balduin. l. l. Byn. ibid.* I. I. 10. Forma si quæritur, non est res expedita. Interdum pro soleis usurpantur, quæ inferiores tantum plantas ab itinerum offendiculis defendebant. Quid & *sandalia* vocantur soleæ, quibus jam Capucini patres utuntur Apostolorum imitatione. Illos *sandaliis* ejusmodi usos esse, satis ex eo liquet, quod cum Christus Dominus apud Luc. c. 10. n. 4. prohibuisset Apostolis, *ne calceamenta portarent*; quibus nimirum pedes omnino tegerentur, iisdem nihilominus apud Marc. c. 6. n. 9. *sandaliorum* usum permittit, utpote quæ superiorem pedum partem relinquerent nudam, inferiore tantum planta adversus spinas, & tribulos munita. Nihilominus alias *sandaliis*, quemadmodum & calceis sua fuisse pedum integumenta multis ostenditur. Quid enim *sandalia* colore infici, vel etiam auro induci profuit? ut quid id elegantium tenuibus incisuris distpungi, vel gemmis, aliisque id genus ornamentis instrui potuerunt, si simplices tantum soleæ? Et tamen iis insignita variis in locis *sandalia* videre est. Clem. Alex. Pædag. II. 11. *Valedicendum est inanibus aureorum sandaliorum artificiis.* Lucian. Amor. p. 902. *Huc accedunt & variis coloribus tincta sandalia.* Et in dialogis aurea diis *sandalia* tribuit. Rursusque aurea illa dicit, quæ ex Pataris urbe Lyciæ in Græciam asportabantur. Si vero tenuiter incisa quærantur, egregium illorum ex Cephisodori comici Trophonio locum supra retulimus. Ibi enim λεπτοσχιδῶν nomine calcei veniunt intelligendi, tenuibus incisuris ad ornatum, & elegantiam insigniti, qui alias perforati, sive fenestrati dicuntur, Gallice *decoupez*, ou *dechiquetez.* Adjecta iis porro *sandaliorum* ornamenta probantur ex Clemente jam laudato, qui sic habet: *Vere enim turpia sunt ista sandalia, in quibus sunt aurei veluti dracones.* Habet igitur *sandaliorum* nomen suum in eo cum cothurnis affinitatem, quod, quemadmodum illi utrivis pedi, sive dextro, sive sinistro apti dicuntur; ita *sandalia* calceis, qui pedes omnino contegunt, & soleis, quæ imas tantum plantas muniunt, significandis; quin etiam mulieribus, & viris diversimode calceandis usurpata fuisse satis intelligimus. Ego tandem existimo, primitus *sandalia* Græcis ea fuisse quæ Romanis soleæ. Ita ut elegantiora mulierum essent propria, minus elegantia viris etiam interdum usurparentur. Deinde temporum decursu factum, ut quæ primum aperta superne fuerant, tandem adjectis integumentis fuerint calceorum ad instar operta: nihiloque minus servatam *sandaliorum* appellationem; ex eo forte, quod pro calcei Romani discrimine ad mediam tibiam eorum integumenta non protenderentur, neque in acutam alte reflexum desinerent. Mulieres illa ad elegantiam, & delicias comparata, & in quibus auro, gemmisque pretiose ornandis illarum mira erat ambitio, non promiscue cum ceteris calceamentis deponebant, sed servis, aut ancillis servanda dabant, idque in thecis, quas σανδαλοθήκας Menander appellavit. V. supr. in *Sandaligeruli.* Balduin. l. l. Ruben. de Re vest. II. I. Nigron. de Calig. c. 2. n. 25. Raro iis, nisi intra ædes, utebantur. Hinc factum, ut olim in nuptiis adhibiti sint, tanquam οἰκουρίας, sive domus custodiæ symbola, ut docet Plutarch. Quæst. Roman. *Balduin. l. l.* Docet hoc Plutarch. q. 30. *Cur in Sanci templo statua priscis temporibus est posita cum sandaliis, & fuso: quæ domi actæ vitæ, industriæque sunt signa.* Ut proprie fuerit id calceamenti genus, quod nos vulgo **muilen** nominamus. *Boxhorn. in Plutarchum.* Pontifices Romani ab eo scilicet tempore, quo se quam maxime cœperunt extollere, etiam in cultu, & externo splendore voluerunt esse insignes, ac pro soleis illas Apostolicis, rudibus illis, ut credere par est, & impolitis, pedibus induere *sandalia* rubea cœperunt. V. supr. in *Calceus.* Byn. ibid. I. 2. 14. Balduin. ibid. c. 4. 12. & 28. Nigron. l. l. Illis ob leves etiam offensas juvenes stultos pulsabant meretrices. V. infr. in *Solea.*

SANDAPILONES, sive *sandapilarii* vocabantur non *sandapilarum* fabri, sed bajuli. Illi in Glossis: *Sandapilo*, νεκροβάστης. Hi Sidon. Epist. II. 8. *Hanc tamen, si quis haud incassum honor cadaveribus imponitur, non vespillonum, sandapilariorumque ministeria ominosa tumulavere.* Kirchman. de Funer. Roman. II. 8. Ferret. Mus. Lapid. I. 26. Bud. in Pandect. p. 137. C. Voss. Lex. Etymol.

SANDAPILA *feretrum erat pauperiorum.* Fulgent. Expos. Ant. serm. c. I. Suet. Domit. c. 7. n. 6. V. illos supr. in *Cadaver.* Schol. Juvenalis ad satyram mox laudandam. *Sandapilarum lectorum, in quibus gladiatores mortui de amphitheatro ejiciuntur.* Verum *sandapilæ* lecti non erant, sed arcæ ligneæ, σοροὶ Græcis dictæ. Forte *loculorum* scripserat. *Muncker. ad Fulgent. Expos. serm. Ant.* §. I. *Zimmerman. Floril. Philol. p.* 698. Compingebatur ex paucis tabulis, & una cum cadavere eadem ustrina comburebatur. Juven. Sat. VIII. 175.

Inter carnifices, & fabros sandapilarum.

Kirchman. de Funer. Roman. II. 9. Meurs. de Funer. c. 20. Rævard. de div. reg. jur. I. 3. 8. Morestell. Pomp. Feral. II. 8. 2. Salmas. Exerc. Plin. p. 838. a. G. Turneb. Adv. XXX. 30. Laz. Comm. Reip. Rom III. 18. Pitisc. in Suetonium. Nicol. de Luct. Græc. c. 7. §. 6. de Sepulcr. Hebræor. c. 2. §. 5. Ramirez. Hypomnem. in Martial. p. 287. Voss. Lex. Etymol. Dilher. Disp. Phil. Tom. I. p. 54.

p. 54. Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 10. & Faes in illum. Gejer. de Luct. Hebræor. c. 5. Blond. Triumph. Rom. II. p. 39. B. Savar. ad Sidon. II. 8. Claſen. Theol. gentil. I. 10. 24.

SANGUALIS porta. V. illam ſupr. in *Porta.*

SANGUIS manans inter prodigia. Dio XLVI. p. 313 A. ante prælium ad Mutinam *ſimulacrum Minervæ, quod Mutinæ colitur, ſanguinem, & poſtea lac emiſit.* Apul. Met. IX. p. 302. *Longe majus oſtentum, & quod merito omnes perhorreſcerent, exoritur. Sub ipſa enim menſa, quæ reliquias prandii gerebat, terra dehiſcente imitus, largiſſimus emicuit fons ſanguinis: hinc reſultantes uberrimæ guttæ menſam cruore perſpergunt.* Curt. IV. 2. 13. *Sed quum fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, impoſitum eſſet, admotiſque follibus ignem flatu accenderent, ſanguinis rivi ſub ipſis flammis exſtitiſſe dicuntur: idque omen in Macedonum metum verterunt Tyrii. Apud Macedonas quoque, quum forte panem quidam militum frangeret, manantis ſanguinis guttas notaverunt: territoque Rege Ariſtander peritiſſimus vatum reſpondit: ſi extrinſecus cruor fluxiſſet, Macedonibus id triſte futurum: contra, quum ab interiore parte manaverit, urbi, quam obſidere deſtinaſſent, exitium portendere.* Buleng. de Prodig. c. 12. Humanus ad ſepulcra mortuorum fundebatur placandis illorum manibus. Tertullianus. V. illum ſupr. in *Munus.* Inde duodecim juvenes mactatos in funere Patrocli ſcribit Homer. Iliad. XXI. 27.

Vivos ex fluvio duodecim delegit juvenes,
Pœnam Patrocli Menœtiadæ mortui.

Et octo in funere Pallantis Virg. Æneid. X. 518.

Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.

Reſpexit eo Cicer. pro Flacc. c. 38. *Quam poteſtis P. Lentulo, qui vos in complexu liberorum, conjugumque veſtrarum trucidatos incendio patriæ ſepelire conatus eſt, mactare victimam graviorem, quam ſi L. Flacci ſanguine illius nefarium in vos odium ſaturaveritis?* Cerda in Virgilium. Nicol. de Luct. Græcor. c. 14. §. 5. Kirchman. de Funer. III. 1. 2. Vino permiſtus ſceleratis fœderibus ſanciendis adhibebatur. Tacit. Annal. XII. 47. 3. *Mos eſt Regibus, quoties in ſocietatem coeant, implicare dexteras, pollicesque inter ſe vincire, nodoque præſtringere. Mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.* Flor. IV. 1. 6. *Additum eſt pignus conjurationis, ſanguis humanus: quem circumlatum pateris bibere: ſummum nefas, niſi amplius eſſet, propter quod biberunt.* Tertull. Apolog. c. 9. *Nec ubi relatum ſit, diffuſum brachiis ſanguinem, ex alterutro deguſtatum, nationes quaſdam fœderi comparaſſe. Neſcio quid & ſub Catilina deguſtatum eſt.* Lipſ. in Tacitum, Bernegg. in Florum, Schott. Obſ. III. 10. *Sanguinis* dies. V. illam ſupr. in *Dies. ſanguinis* in ducenda uxore. V. ſupr. in *Gradus.* miſſio veteribus fuit inter militares animadverſiones. V. ſupr. in *Milites.*

SANGUS, *Sancus,* ſive *Sanctus.* V. illum ſupr. in *Hercules.*

SANNA eſt genus irriſionis, quod Hieronymus ait fieri ab occipitio, ore diſtorto, & anteriorum dentium oſtentatione. Sit proprie oratio, cum mordacitate aliquem rideas. Speciatim ei accommodatur irriſioni, quæ fit ore diſtorto. Vetus interpres Perſ. Sat. I. 58. *Sanna dicitur os diſtortum cum vultu, quod facimus, cum alios deridemus. Inde ſanniones dicti, qui non rectum vultum habeant. Grimacias* vulgo dicimus. *Caſaub. in Perſium. Voſſ. Lex. Etymol. Ferrar. de Acclam.* II. 19. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* II. 2. *Rhodig. Ant. Lect.* XIV. 22. *Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 337. *Caſal. de Trag. & com. c.* 2. *Turneb. in joc. Cicer. p.* 27.

SANNIONES *dicuntur a ſannis, qui ſunt in dictis fatui, & in motibus obſcœni, quos μωροὺς vocant Græci. Cicer. de Orat.* II. *Quid enim poteſt eſſe tam ridiculum, quam ſannio eſt? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipſo.* Non. I. 302. Cicer. Fam. IX. 16. *Salis enim ſatis eſt, ſannionum parum.* Voſſ. Lex. Etymol. in Sanna. Caſal. de Trag. & com. c. 2. de Urb. ac Imper. Romani ſplend. part. 2. c. 7. Turneb. in joc. Cicer. p. 27. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 6. Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. II. 2. Buleng. de Theat. I. 44. Bud. in Pandect. p. 183. A. Salmaſ. in Tertull. p. 337.

SANQUINIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

SAP.

SAPA vocatur muſtum uſque ad tertiam partem menſuræ decoctum. Plin. XIV. 9. *Syræum, quod alii ἕψημα, noſtri ſapam appellant, ingenii, non naturæ eſt, muſto uſque ad tertiam partem menſuræ decoctum.* Ad dimidiam partem coqui dicit Non. XVII. 14. *Sapa, quod nunc mellaceum dicimus, muſtum ad mediam partem decoctum. Varr. de vit. pop. Rom.* I. *Sapam appellabant, quod de muſto ad mediam partem decoxerant.* Moreſtell. de Fer. Roman. Dial. 9. Nonn. de Re cibar. IV. 13. Buleng. de Conviv. III. 18. Voſſ. Lex. Etymol. Beroal. in Serv. §. 54. Meibom. de Cerev. vet. c. 9.

SAPIENTIS cognomen invenit C. Lælius; quia cum Tiberii partes adverſus optimates tueri cœpiſſet, diſcordiam civitatis metuens, ab incœpto deſtitit. Plutarch. in Gracch. p. 827. D. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5.

SAPINIA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

SAR.

SARABARA eſt veſtis Medica, ſeu Babylonica, ad genua pertingens, pro eo quod eſt *ſarballa* Chaldæis Dan. c. 3. n. 21. & alibi, quaſi dicas, quam viri principes veſtiunt, paludamentum. Heſychius: Σαράβαρα, τὰ περὶ τὰς κνημίδας ἐνδύματα. Tertull. de Pall. c. 4. *Habes ex iſto fomite æſtuantem Magnum Regem, ſola gloria minorem, vicerat Medicam gentem, & victus eſt Medica veſte: triumphalem cataphractam amolitus, in captiva ſarabara deceſſit.* Junius & Salmaſ. in Tertullianum, Voſſ. Lexic. Etymol. Du Freſne Gloſſar. Turneb. Adv. VII. 20. Briſſon. de Regn. Perſ. I. p. 42. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 6.

SARAPIS. V. illum infr. in *Serapis.*

SARCINATOR, & *ſarcinatrix* dicitur, qui, vel quæ *ſarcinas* ſarcit, *quod plurimum veſtium ſumat.* Lucill. ſarcinator, ſutor. Lucill. XXVIII. *Sarcinatorem eſſe ſummum, ſuere centonem optime.* Non. I. 276: II. 818. *Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect.* VI. *p.* 233. Quaſi vero non etiam una veſtis, veſtiſque pars *ſarciatur.* Sunt vero qui *ſarciendis* veſtimentis addicti. Male etiam cum ſutore confundit Nonius. Nam licet *ſarcire* ſit ſuere, ut indicat Lucillius: ſutoris vox tamen proprie de eo qui calceos ſuit. *Ferrar. de Re veſt.* I. 3. 21. *Urſat. de Not. Roman. Antiq. Rom. Tom.* XI. *p.* 953. *D.*

SARCOPHAGUS vocatur arca, Græce πύελος. Juven. Sat. X. 171.

Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit.

Loquitur de Alexandro Babylone mortuo. Nam Græci, qui corpora defunctorum non cremabant, condere ea ſoliti erant πυέλοις ex lapide plurimum factis, cui natura eſt corpora cito abſumere. Talis fuit Aſſius lapis, qui effodiebatur in Aſia regione Troadis, vel Myſiæ, nempe circa Aſſum civitatem. Græci σαρκόφαγον propterea nuncuparant. Plin. XXXVI. 17. *In Aſſo,* ſcribe *Aſſia, Troadis ſarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur. Corpora defunctorum condita in eo, abſumi conſtat intra quadrageſimum diem. Mutianus ſpecula quoque, & ſtrigiles, & veſtes, & calceamenta illata omnia,* lege *mortuis: lapidea fieri auctor eſt.* Stephanus: in Ἄσσος. *Alexander Cornelius in libro, quem conſcripſit de nominibus locorum, quæ apud Alcmanem inveniuntur, Mitylenæorum coloniam in Myſia inquit eſſe Aſſum, ubi ſarcophagus lapis naſcitur.* Urbem hanc Myſiæ Troadi aſſignat Strab. XIII. p. 420. Quanquam autem *ſarcophagi* primo ex Aſſio lapide,

postea tamen dicti omnes mortuorum loculi, etsi ex alia fierent materie. *Salmas. Exerc. Pan. p. 847. a. D. Voss. Lex. Etymol. Kirchman. de Funer. Roman.* III. 10. *Nicol. de Luct. Græc. c. 7. §. 6. Morestel. Pomp. Feral.* VIII. 11. *Guther. de jur. man.* II. 20. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *memor.* 42. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VII. *c.* 1. *Bartholin. de Puerper. p.* 168. *Cujac. Observ.* XI. 21. *Gyrald. de Var. sepel. rit. c.* 9. *& Faes in illum.*

SARCULUM est instrumentum rusticum purgandis hortis, segetibus, & herbis. Horat. Od. I. I. 11.

> *Gaudentem patrios findere sarculo*
> *Agros.*

Plaut. Truc. II. 2. 21.

> ST. *Tene tangam? ita me amiotu sarculum.*

Sarrire enim est herbas inutiles inter segetem succrescentes *sarculo* evellere. Plin. XVIII. 21. *Sarculatio induratam hiberno rigore soli tristitiam laxat temporibus vernis, novosque soles admittit. Qui sarriet, caveat, ne frumenti radices suffodiat. Triticum, hordeum, semen, fabam bis sarrire melius.* Erat primum post enatas fruges. Fiebat, cum seges esset in herba. *Voss. Lex. Etymol. Popm. de Instrum. fundi c.* 8. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 512. *b. C.*

SARDARICINA aqua. V. illam supr. in *Aqua.*

SARDINIA est insula inter Italiam, & Africam interjecta. Hanc Carthaginenses an. 515. a Romanis accusati, quod naves mercatorum suorum dispoliassent, jampridem bello a se partam, impetrandæ pacis causa, nam bello Africæ domestico vexabantur, Romanis tradiderant. Sed an. 519. T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo coss. Carthaginenses, quum bellum reparare tentarent, *Sardos* ad bellum impulerunt. Ideo, cum illis auctoribus rebellassent, missus contra eos T. Manlius ipsos devicit, de iisque triumphavit. Eutrop. III. 13. *Is, Asdrubal, a Tito Manlio proconsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, vivus est captus, occisa cum eo duodecim millia, capti mille quingenti.* Liv. XXIII. 40. *Duodecim millia hostium cæsa, Sardorum simul, Pœnorumque ferme tria millia, & septingenti capti, & signa militaria septem & viginti. Ante omnia claram, & memorabilem pugnam fecit Asdrubal imperator captus, & Hanno, & Mago nobiles Carthaginenses.* Paterc. II. 38. 2. *Sardinia inter primum, & secundum bellum Punicum, ductu T. Manlii consulis, certum recepit imperii jugum.* Non omnino tamen a T. Manlio subjectam fuisse indicant sequentes triumphi. Nam anno sequenti Sp. Carvilius Maximus, & biennio post M. Pomponius Matho coss. de *Sardis* triumpharunt, ut ex tabulis Capitolinis constat. Quum autem M. Pomponii ultimus actus sit de *Sardis* hoc tempore triumphus, profecto *Sardi* ipsi a Pomponio cos. pacati videntur an. 521. *Panvin. Imper. Roman. c.* 14. *Sigon. de Ant. jur. provinc.* I. 4. *Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. c.* 99. *occid. c.* 52. *&* 55.

SARDIS fuit urbs Lydiæ. Plin. V. 29. *Lydia celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis, & ex eo profluente Pactolo, eodemque Chrysorrhoa, ac fonte Tarne.* Stephanus: *Sardis, urbs Lydiæ.* Metropolis fuit Lydiæ insignis sub Crœso Rege. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 124. *Hennin. in Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 44. §. 14. *Pined. in Stephanum.*

SARISSA *hasta Macedonica.* Festus. Liv. XXXVII. 42. *Ibi simul perturbati ordines, & impeditus incursu suorum usus prælongarum hastarum, sarissas vocant Macedones; intulere signa Romanæ legiones, & pila inter turbatos conjecere.* Curt. IX. 7. 19. *Macedo justa arma sumpserat; æreum clypeum, hastam, quam sarissam vocant, læva tenens, dextra lanceam.* Pollux I. 10. vocat σάρισσαν Μακεδονικὴν, & δόρυ μακρὸν παρὰ Μακεδόσι Suidas. Erat longissimi. Et *longissimi conti* dicuntur Modest. de vocab. milit. p. 373. & ex illo Veget. III. 24. *Clibanarii sarissas, hoc est, longissimos contos in elephantos dirigebant.* De illarum longitudine Ælian. Tactic. c. 14. *Sarissarum longitudo e veteri, & primario instituto sedecim erat cubitorum, at ex rei veritate quatuordecim: Ab his autem in protensione duos cubitos aufert intercapedo, quæ est inter utramque manum, ut reliqui duodecim cubiti pro corporibus promineant.* Leo Imperator Tactic. [illegible] *Erant Romanis & alia exoniles hastæ* [illegible] *quamque, quas nunc usus noster non requirit.* [illegible] no. Stat. Theb. VII. 269.

> *Fraxineas vibrant Macetum de more sarissas.*

Usum jam descripserunt Modestus & Vegetius. [illegible] interpretatio Lactant. in *Statium.* sed *hastam* rectius [illegible] a nobis [illegible]. Turpiter etiam Valtur. de Re milit. X. 3. lapsus est, explicans Curtium, dum contra veram habentium, omniumque illorum scriptorum testimonia, censuit clypeum æreum fuisse *sarissam.* Licet sui non memor *hastam* esse Macedonicam admittat X. 4. *Arcer. in Ælian. Tact. p.* 150. *Demster. Paral. in Rosin. Antiq.* X. 10. *Croph. Antiq. Maced.* III. 4. *Tiraquel. in Alex. Gen. dies* VI. 22. *Stewech. in Vegetium. Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 18. *Barth. Adv.* II. 16. *Brod. Misc.* III. 16. *Choul Castram. Roman. p.* 10. *Freinsh. in Curt.* VII. 4. 36.

SARMIZEGETHUSA fuit urbs Daciæ, regia Decebali, quam, hac provincia in potestatem populi Romani devoluta, coloniam Trajanus deduxit. Juris hanc fuisse Italici tradit Ulpian. I. de censib. & jura docent l. I. ff. de censib. his verbis: *Inclyta quoque Zernensium colonia, a divo Trajano deducta, juris Italici est: Zarmizegethusa quoque ejusdem juris est.* Pandectæ Florentinæ habent *Indicia Zernensium.* Ubi *in Dacia* legendum monet Pancirolus; ita ut locus hoc pacto sit restituendus: *In Dacia quoque Zernensium colonia.* . . . quod traditur a Zamosc. Anal. Antiq. Daciæ c. 4. *Zarmizegethusam* Alteram Juliam nunc vocatam scribit Occo in Trajani nummis. Sed huic refragari videntur Zamosc. ibid. c. 7. qui Alteram Juliam Apulum fuisse observat. Et Laz. Comment. Reip. Rom. XII. sect. 2. c. 1. qui nunc ab incolis coloniam illam Varhel, sive Gradiscum dictam scribit. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Tom.* XI. *p.* 666. *D.*

SARPICULÆ olim vocabantur falces, quibus vites putabantur, & arbores. Festus: *Sarpta vinea putata, id est, pura facta. Virgulæ enim relictæ impedimento vitibus solent esse, quæ ideo abscinduntur: inde etiam sarmenta scriptores dici putant, sarpere enim antiqui pro purgare dicebant. Sarpias* hodieque vocamus, cujus ὑποκοριστικὸν *sarpiculæ.* Postea, ut sollenne fuit Latinis A. in I. mutare, *serpiculæ*, & *sirpiculæ* dictæ sunt pro *sarpiculis.* Salmas. Exerc. Plin. p. 414. E. August. ad Leg. XII. tab. §. 42. Ursin. ad Leg. & Scta Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1339. A.

SARRACA fuit tunicæ barbaræ genus. Bonifacius Comes in literis ad Augustinum de Castino apud Augustinum in appendice Epist. Tom. X. *Sufficit pro funere victi tanta dejectio: adoravit sarracum clavus, timuit senator barbarum caput, tremuit militem dux.* Anastasius in Benedicto: *Sarracam de holovero cum chrysoclavo.* Ruben. de Re vest. I. 12.

Sarracum dixit Cicero. Quintil. VIII. 3. *An cum dicit in Pisonem Cicero, cum tibi tota cognatio in sarraco advehatur.* Cur. Fortunat. Rhetor. III. *Sunt quædam verba, quæ quamvis obsoleta sint, illis melius expeditur oratio, ut M. Tullius & sarracum, & [illegible], & [illegible] dicere non tempe duxit.* *Serraca* est apud Sidon. Epist. IV. 18. *Nullæ graves sarcinæ ad prædium ex oppido ductæ, nulla serraca, nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.* Quin & genus quidam mutant, quodque vulgo neutraliter, id feminine efferunt. Gloss. Philox. *Sarraca,* ἅμαξα. Et gloss. MS. Savaronis: Ἅμαξα, *serraca, sarracum.* Plaustris non absimile videtur fuisse. Quod colligitur ex eo, quia Græcis ἅμαξα, quod plaustrum denotat. Et deinde quia quæ Latini loco uno vocant *sarraca*, alio reddunt plaustra. Ammian. XXXI. 2. *Carne, & copia victitant lactis, plaustris supersidentes. Cumque ad gramina venerint in orbiculatam figuram locatis sarracis ferino ritu vescuntur.* Hic quæ primo loco plaustra sunt, alio dicuntur *sarraca.* Neque tamen plaustra omnino fuere. Nam distinguit Vitruv. X. I. *Portationesque eorum non essent, nisi plaustrorum, aut sarracorum per terram inventæ essent machinationes.* Et

tanquam diverſa leguntur apud Juven. Sat. III. 254.

> — *modo longa coruſcat*
> *Sarraco veniente abies, atque altera pinum*
> *Plauſtra vehunt.*

Idem voluit Siſenna Hiſtor. IV. *Conſtruunt carros, & ſarraca crebra diſponunt.* Rotis inceſſit quatuor. Conjicio ex eo, quia ſidus cœleſte, quod plauſtrum vulgo dicitur, *ſarracum* nuncupatur a Juvenale: ejus namque ſtellæ quatuor, quadrata figura diſpoſitæ, referunt quatuor rotas. Verſus Juven. Sat. V. 23. V. illum ſupr. in *Salutatio.* Ad quem comment. vet. *Sarraca, plauſtra ſeptemtrionis.* Niſi quatuor rotis inceſſiſſet, tantæ molis, longitudiniſque onera ſuſtinere non potuiſſet, quanta geſtaſſe Juvenalis docet l. l. Uſus *ſarracorum* idem pæne, qui plauſtrorum, pertinuitque vel ad pacem, vel ad bellum. In pace onera eis vehebant. Sidon. l. l. Oppidum, quod Sidonius vocat, eſt Arverna Galliæ. Unde patet Gallicum fuiſſe vehiculum: quomodo & *ſarracum Gallicum* dicitur Hieron. in Eſaj. 66. *Reducentur filii Iſrael ſarraco Gallico.* Neque Gallis ſolum fuerunt uſitata, verum in ipſam urbem Romam tranſlata ſunt, ubi tigna ingentia, integræque arbores in eis deportata ex agris. Ita teſtatur Juven. l. l. Qui dicit *longa*, unde liquet, integram propemodum fuiſſe, atque propter ipſam eam longitudinem vehiculum exegiſſe quatuor rotarum. Oleum, vinumque imponi eis conſuevisse, & ex uno loco in alium deferri dixit Vitruv. l. l. Si enim abſque plauſtris, *ſarraciſve* non haberi potuerunt portationes olei, & vitium fructus, ſequitur hæc talia *ſarracis* fuiſſe portata. Serviebant quoque vehendis interdum hominibus. Colligo hoc ex verbis Ciceronis Quintiliano ſupra laudatis. Dicebat Cicero, totam Piſonis cognationem advectam ei in *ſarraco*, quod non potuiſſet, niſi aliquando ita factum eſſet. Quintilianus hoc verbum *ſordidum* appellat, quod *ſarraci* uſus eſſet hominum non elegantiorum, ſed agreſtium, quodque vocabulum hoc eſſet peregrinum, atque barbarum. Etiam defunctis, qui illo efferebantur. Capitol. Anton. Philoſ. c. 13. *Tanta autem peſtilentia fuit, ut vehiculis cadavera ſint exportata, ſarraciſque.* Verum hoc alias inuſitatum fuit, cum de more, ut ad hunc locum Caſaubonus, honeſtiores in lecticis efferrentur, pauperes populari ſaltem ſandapila. Illud quoque ſingulare, quod propter multitudinem funerum vehicula honeſtiora quoque non ſufficerent, ſed ad *ſarracas* plane veniendum eſſet, inſtarque ſtipitum, lignorumque cadavera efferri deberent. In bello pertinebant ad geſtandas ſarcinas militares, præſertim apud gentes barbaras, ut Alanos, de quibus Ammian. l. l. Agit enim illic de gente hac Scythica, neque uno ſubſiſtente loco, ſed cum uxoribus, liberiſque, ac pecore ſuo errante, ſemper ad arma parata, & velut bellum perpetuum agitante cum omnibus. Hanc ait inſtar civitatis ambulatoriæ facere cum *ſarracis* ſuis, quibus quocunque venerint, multitudinem ſuam, velut mœnibus circumdat in orbem. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 31. *Ligor. de Vehic.* c. 25. *Coraſ. Miſcell. jur.* II. 20. §. 4. *Salmaſ. in Capitolinum. Savar. in Sidonium.* V. & infr. in *Soracum.*

SARRIRE quid ſit V. ſupr. in *Sarculum.*

SARRITOR vocatur ruſticus, qui *ſarculo* hortos, ſegetes, vineas purgat. Varr. de Re Ruſt. I. 29. *Nonnulli poſtea, qui ſegetes non tam latas habent, id genus prædii per ſarritores occare ſolent.* Columella. V. illum ſupr. in *Occator.* Pignor. de Serv. p. 516. Popm. de Inſtrum. fundi c. 3.

SARSINA fuit urbs Galliæ togatæ in Æmilia, intra Apennini montis radices ſita, nunc pæne inculta, vicuſque parvus, Accii Plauti comici civis ejuſdem nomine ſolummodo inſignis, ferèque ingenti terræ motu menſe Martio an. 1661. omnino everſa. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 600. *A.*

SARTA *tecta* Græcis oratoribus, & aliis dictum ἐπισκευαί: at gloſſ. ὑποῤῥαφαί, quia & *ſarcire* eſt ῥάπτειν. In locatione operum publicorum, quæ fiebat lege cenſoria, certum eſt additum fuiſſe: *porticum ſartam tectam produit.* Scalig. in ſequentia Feſti: *Sarte ponebant pro integre: ob quam cauſam opera publica, quæ locantur, ut integra præſtentur, ſarta tecta vocantur: etenim ſarcire eſt integrum facere.* *Sarta tecta* exigebant cenſores. Liv. XLII. 3. *Cenſorem moribus regendis creatum, cui ſarta tecta exigere ſacris publicis, & loca tuenda more majorum traditum eſſet.* De Graccho, & Claudio cenſoribus Liv. XLV. 15. *Petentibus, ut ex inſtituto ad ſarta tecta exigenda, & ad opera, quæ locaſſent, probanda, anni, & bimenſis tempus prorogaretur.* Briſſon. de Form. VI. p. 518. Bud. in Pandect. p. 110. G. Turneb. Adv. XVI. 22. Ravard. de Div. reg. jur. LXI.

SARTAGO eſt vas patens. Vulgo ab uſu dicitur frixorium ad cibaria frigenda, vel oleo, vel butyro. Græce τήγανον, quod in hoc aut oleum, aut butyrum, aut lardum liquefiat. *Willich. de Art. Magir. c.* 4. In illa friguntur carnes, & alia pleraque. *Reſinæ terebinthinæ in ſartagine referventi frictæ* meminit Plin. XVI. 11. Uſurpat hanc vocem quoque Perſ. I. 80.

> — *quæriſne unde hæc ſartago loquendi?*

Voſſ. Lex. Etymol. Quæ illi eſt miſtura probatarum, & damnatarum dictionum in oratione. Alluſum videtur ad panes ταγηνίας, qui conficiebant e variarum rerum miſcella, farinæ, adipis, mellis, ſeſami, caſei, & ſimilium. *Caſaub. in Perſium. Voſſ. l. l.*

SAT.

SATICOLA fuit eodem tractu cum Trebula & Sueſſula ſub Tifatis monte; qui terminus erat ab hac parte inter Campaniam & Samnium. Situs ejus maxime quadrat in oppidum, quod vulgo nunc dicitur Caſerta, in edito colle poſitum, medio itinere inter Capuæ, Sueſſulaque ruinas dextrorſum, ex adverſo Trebulæ. *Cluver. Ital. Ant.* IV. 5. 19. De coloniæ deductione apud Livium nihil ſcriptum invenio: cum tamen *Saticulanorum* colonorum meminerit XXVII. 12. Ex Feſtinis commentariis apparet, *Saticulam* deductam eſſe a triumviris M. Valerio Corvo, Junio Scæva, P. Fulvio Longo ex S. C. K. Jan. L. Papirio Curſore V. C. Junio Bubulco iterum conſulibus an. 441. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5. *Cluver. l. l.*

SATISDATIO poſtulabatur hoc modo. Antequam petitor cauſam redderet, cur vindicaret, poſtulabat a poſſeſſore, ut *ſatisdaret*, ſe nihil deterius in poſſeſſione facturum. *Satisdabat* autem poſſeſſor, aut litem amittebat. Paull. ff. de petit. hæred. *Quoties hæreditas petitur, ſatisdatio jure deſideratur, & ſi ſatisdatio non detur, in petitorem hæreditas transfertur.* Aſcon. in Cicer. p. 100. *Prædes dicuntur ſatisdatores locupletes pro re, de qua apud judicem lis eſt, ne interea qui tenet, diffidens cauſæ ſuæ poſſeſſionem deteriorem faciat, tecta diſſipet, excidat arbores, & culta deſerat.* Sigon. de Judic. I. 21. *Satisdationes* dato inde, acceptoque judicio præſtitæ ſunt, vel ab ipſis litigatoribus, vel ab eorum procuratoribus. Fuerunt vero *ſatisdationes* duæ, *judicatum ſolvi, & rem ratam haberi:* quorum alterum ad actorem, alterum ad procuratorem pertinebat. Ac ſi actio eſſet in perſonam debitoris, procuratores ſoli *ſatisdabant:* actorum quidem de rato; reorum vero, judicatum ſolvi. Itaque in edicto fuit: *Cujus nomine quis actionem dari ſibi poſtulaverit, ei, quo nomine agit, id ratum habere eum, ad quem ea res pertineret, boni viri arbitratu ſatisdet.* Cicer. Attic. XVI. 15. *Poſſumus, ut ſponſores appellentur, procuratorem introducere: neque enim illi litem conteſtabuntur: quo facto non ſum neſcius, ſponſores liberari: ſed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod ſatisdato debeat, procuratores ejus non diſſolvere.* pro Quint. c. 8. *A Cn. Dolabella prætore poſtulat, ut ſibi Quintius judicatum ſolvi ſatisdet ex formula.* Sigon. ibid. c. 27. Hotman. de Lite ordin. c. 6. *Satisdatione* data diminutio hæreditatis concedebatur, cum poſſeſſor ejus, qui petitori *ſatisdediſſet*, interim loco domini haberetur, ex libero in fin. ff. de quæſtionibus: quanquam & licet talis *ſatisdatio* data non eſſet, ſed ſolum cautio; cauſa tamen cognita, diminutionem ſe conceſſurum

prætor

prætor edixerat, ut in l. Divus ff. de hæred. petit. scribitur. *Brisson. de Form.* v. *p.* 394.

SATISFACTIONIS olim erat mos hic sollennis. Jurabant se agnoscere, quod indigno injuriam intulissent, & eo res vindicabat lætum ab infamia. V. illum supr. in *Injuria.*

SATRICENA gens. V. illam supr. in *Gens.*

SATURA dicebatur lanx variis frugum, pomorum, vel similium generibus referta. Porphyrio in Horatium: *Lanx plena diversis frugibus in templum Cereris infertur, quæ saturæ nomine appellatur.* Diomed. III. p. 483. *Lanx referta variis, multisque primitiis in sacro apud priscos diis inferebatur: cujus generis lancium & Virgilius in Georgicis meminit, cum hoc modo dicit:*

Lancibus & pandis fumantia reddamus exta.

&

— lancesque, & liba feremus.

Voss. Lex. Etymol. Gentil. Parerg. II. 28. Saubert. de Sacrif. c. 24. Pius Annot. p. 101. c. 2. Crispin. in Sallust. p. 85. Buleng. de Theat. I. 9. Casaub. de Rom. satyr. II. 4. Schott. Obs. v. Philolog. I. 2.

Satura vocabatur *genus farciminis multis rebus refertum.* *Varro Plautin. Quæst.* II. *Satura est, ubi uva passa, & polenta, & nuclei pinei ex mulso consparsi.* *Alii addunt alii de malo Punico grana.* Diomed. III. p. 483. *Voss. Lex. Etymol. Instit. Poet.* III. 10. I. *Gentil. Parerg.* II. 28. *Augustin. de Legib. in Sacra. Crispin. in Sallust. p.* 85. *Buleng. de Theat.* I. 9. *Casaub. de Rom. satyr.* II. 4. *Schott. Obs. v. Philol.* I. 2.

Satura etiam vocabatur poematis genus e vario metrorum genere compositum, ab illa *saturæ* significatione, qua, quod variarum est, confusumque, sic dicitur. Diomed. III. p. 483. *Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satura vocabatur, quale scripserunt Pacuvius & Ennius.* Enniana *satura* non diversis solum metris, sed etiam argumentis constabat. At Varro non tantum vario, & metro, & argumento, *saturam* condidit; sed etiam prosam miscebat carmini. Has *saturas* a Menippo, philosopho Cynico, quem imitatus, Menippeas dixit Gell. II. 18. *Servus Menippus fuit, cujus libros M. Varro in saturis æmulatus est: quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas.* Eas prosa quoque, non diverso solum metro, fuisse exaratas indicat Quintil. X. I. *Alterum illud est, & prius saturæ genus, quod non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro.* Nam si non solum carmine constitit, prosa etiam scriptum fuisse consequitur. *Voss. Instit. Poet.* III. 10. I.

per *Saturam* ritu antiqui proverbii, pro re confusa, ac mista scribit Justinian. in proœm. de rat. disc. jur. *Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur, non secundum edicti perpetui ordinationem; sed passim, & quasi per saturam collectum, & utile cum inutilibus mixtum.* Et pro eo, quod nondum nate, & nullo recto instituto, sed more quodam sententiis, & lucratis *sapit* Const. de Lat. lib. toll. *Cum dedititii liberti jam sublati sint, ea propter imperfecti Latini nominis libertas incertis vestigiis titubat, & quasi incerta per saturam adhuc remanet.* Quomodo dixit Sallust. de Bell. Jug. p. 85. *Postero die quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur,* id est, passim, & nullo ordine, ut more majorum, &, ut poeta quidam loquitur, seminatim ntac inde exquisitis sententiis. *Gentil. Parerg.* II. 28 *Crispin. in Sallustium. Turneb. Adv.* XXVI. 34. *Voss. Instit. Poet.* III. 19. *Schott. Observ. Philol.* I. 4.

SATURNALIA erant feriæ *Saturni.* Festus mox laudandus. Instituta fuere an. 257. Liv. II. 21. *Consulibus A. Sempronio, & M. Minutio ædes Saturno dedicata: Saturnalia institutus festus dies.* Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 18. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq Rom. Græv. Tom. XI. p. 953. L. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 5. Volaterr. Rer. Urban. XXIX. p. 1086. B. Celebrabantur 16. Kalend. Januar. Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriæ ejus.* Festus: *Saturno dies festus celebratur mense Decembri, quod illo ædis ejus dedicata.* Fuerunt multo ante Romam conditam in Italia; quin etiam in Græcia celebrati. Macrob. Sat. I. 7. tres ubi de illorum origine sententias retulisset: *Ex his causis, quæ de origine hujus festi relatæ sunt, apparet, Saturnalia vetustiora esse urbe Romana: adeo ut ante Romam in Græcia hoc sollemne cœptum L. Accius referat in annalibus suis his versibus:*

Maxima pars Grajum Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis
Eumque diem celebrant per agros, urbesque fere omnes
Exercent epulis læti: famulosque procurant
Quisque suos: nostrique itidem, & mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Merul. de Sacrif. c. 20. §. 3. Hospin. de Fest. Ethn. p. 227. Mod. de Lud. vet. II. 28. Stuck. Antiq. Conviv. I. 33. Popma in Caton. p. 177. Lips. de Saturn. I. 2. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 9. His cessabat senatus, neque convocari poterant patres, neque judicia ulla peragi. Suet. Aug. c. 32. n. 9. *Ut Kalendis Novembris, ac Decembri mense res omitterentur.* Senec. Epist. 18. *Tanquam quidquam inter Saturnalia intersit, & dies rerum agendarum.* Et ob id nec causidici in forum ventitabant. Mart. VII. 27.

Sic fora mirentur, sic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.
Otia dum medius præstat tibi parva December,
Excipe, sed certa quos legis aure, jocos,

Feriæ etiam studiorum, & clausæ scholæ. Plin. Epist. VIII. 7. *Neque ut magistro magister, neque ut discipulo discipulus, sic enim scribis, sed ut discipulo magister: nam tu magister, ego contra, atque ideo tu in scholam revocas, ego Saturnalia extendo, librum misisti.* Mart. V. 86. I.

Jam tristis nucibus puer relictis,
Clamoso revocatur a magistro,
Et blando male proditus fritillo,
Arcana modo raptus a popina,
Ædilem rogat udus aleator
Saturnalia transiere tota.

Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. II. 4. Crebra agitabant veteres Romani convivia, & sibi invicem cum alia munera, quæ *Saturnalitia* dicebantur, tum etiam cereos, eam ob causam, quod *Saturnum* luminibus colerent, vel ut significarent, hoc principe se tenebrosa vita quasi ad lucem, & bonarum artium scientiam editos esse. De illis Plin. Epist. IV. 9. *Multis enim, atque etiam Principi dixerat, sola se munuscula duntaxat natali suo, aut Saturnalibus accepisse, & plerisque misisse.* Mart. V. 18. I.

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappæ,
Gracilesque ligulæ, cereique, chartæque,
Et acuta senibus testa cum Damascenis
Præter libellos vernulas nihil misi.

v. 86. 6.

Saturnalia transiere tota,
Nec munuscula, parva, nec minora
Misisti mihi, Galla, quæ solebas.
Sane sic abeat meus December.
Scis certe puto vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas,
Tunc reddam tibi, Galla; quod dedisti.

Suet. Aug. c. 75. n. 2. *Saturnalibus modo munera dividebat, vestem, & aurum, & argentum: modo nummos omnis notæ, etiam veteres regios, ac peregrinos, interdum nihil præter cilicia, & spongias, & rutabula, & forcipes. . . .* Lips. Saturn. I. 16. Merul. Stuck. Kipping. Hospin. & Mod. l. l. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p. 747. Pitisc. in Suetonium. Pileis utebantur in signum libertatis. Mart. XI. 6. I.

Unctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso
Permittis, puto, pileata Roma.

XIV. I. I.

Synthesibus dum gaudet eques, dominusque senatus,
Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem:
Nec timet ædilem moto spectare fritillo. . .

Et peculiari veste induebantur. Mart. VI. 24. 1. V. illum infr. in *Synthesis*. Patet hoc etiam ex carmine modo laudato. *Merul. l. l. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 355. *Ferrar. de Re Vest.* I. I. 31. *Io Saturnalia* clamabatur. V. supr. in *Io*. Interdum dicebant: *bona Saturnalia*. Arrian. in Epictet. I. 29. *Pueris, cum appetunt, Saturnalia clamatur, & dicitur: bona Saturnalia*. Mart. XIV. 70. I.

Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus.

Brisson. de Form. VIII. p. 720. Rader. in Martialem. Lips. de Saturn. I. 2. Servos conviviis liberalibus, & opiparis domini accipiebant, iisque ministrabant. Macrob. Sat. I. 7. *Saturnalibus tota servis licentia permittitur*. Solin. c. 3. V. illum supr. in *Matronalia*. Justin. XLIII. I. 4. V. illum infr. in *Saturnus*. Accias vetus tragicus supra laudatus. *Hospin. Stuck. Casal. Kipping. Demster. & Merul. l. l. Rhodig. Ant. Lect.* XIII. 23. *Bellum sumere nefas habitum: pœnas a nocente exigere piaculare est*. Macrob. Sat. I. 8. *Hospin. Mod. Merul. l. l. Gyrald. Synt. deor.* IV. *p.* 136. *E. Stuck. Ant. Conv.* I. 33. *Fab. Semest.* II. 10. *Valtrin. de Re milit. Roman.* I. 7. De dierum numero Macrob. I. 10. *Apud majores nostros Saturnalia die uno finiebantur; qui erat ad quartum decimum Kalendas Januarias; sed postquam C. Cæsar huic mensi duos addidit dies, sextodecimo cœpta celebrari: ea re factum est, ut, cum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, nonnullique a C. Cæsare inserto die, & alii vetere more celebrarent, plures dies Saturnalia nominarentur: licet & apud veteres opinio fuerit septem diebus peragi Saturnalia: si opinio vocanda est quæ idoneis auctoribus firmatur. Novius Atellanarum scriptor.*

Olim exspectata veniunt septem Saturnalia.

Mummius quoque inquit:

—— nostri majores veluti bene
Multa instituere, sic hoc optime; frigore
Fecere summo dies septem Saturnalia.

Sed Mallius ait eos, qui se Saturni nomine, & religione defenderant, per triduum festos instituisse dies, & Saturnalia vocavisse: unde & Augustus hujus rei, inquit, opinionem secutus in legibus judiciariis triduo servari ferias jussit. Certa itaque de tribus diebus, de quarto incerta dicam. Nam illum quis addiderit, non lectum mihi, & credo, nunc non scriptum. Quintum addidit Caligula. Suet. c. 17. n. 6. *Ut lætitiam publicam in perpetuum augeret, diem adjecit Saturnalibus, appellavitque Juvenalem.* Dio LIX. p. 644. B. *Saturnalia per dies quinque celebrari jussit.* Et post Caji cædem abolitum restituit Claudius. Dio LX. p. 682. C. *Saturnalibus quintum diem, a Cajo institutum, posteaque omissum restituit.* In universum *Saturnalium* dies legitimi quinque. Cicero quidem Attic. V. 20. diu ante Julianam correctionem *tertia Saturnalia* nominat. *Mancipia veniebant*, inquit, *Saturnalibus tertiis.* Et Mallius *per triduum festos institutos dies esse* modo dixit. Sed *tertia Saturnalia* nominat Cicero, quia hilaritas triduana, non feriæ, non sacrum. Festus: *Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum, qui scilicet errant, tam hercules quam qui triduo Saturnalia. Nam his omnibus singulis diebus fiunt sacra.* Septem etiam dies *Saturnalium* ponit, non quinque, Mart. XIV. 72. 2.

Saturni septem venerat ante dies.

Et Poetæ alii. Sed ipsa *Saturnalia* constabant diebus quinque: at Sigillaria, quæ subsequebantur, binis. Quæ festivitas, quia non abhorrens a lætitia priori, illique conveniens erat: factum ut confuse numerati *Saturnales* septem. At in re aliud fuit. Itaque ille ipse Martialis, ubi veritatis diligentior, nominat *Saturnalia* modo quinque. IV. 89. 2.

Et jam Saturni quinque fuere dies.

Et XIV. 79. 2.

Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

Anteriori quidem ævo multis ante Cæsarem annis septem recensentur. Tot recensuerunt Novius & Mummius a Macrobio supra laudati. Sed ad prius illud tectorium confugiendum, lætitiæ fuisse dies plures, non festi. *Lips. Saturn.* I. 3. & 4. *Hospin. Gyrald. Valtrin. & Casal. l. l.* Illis Rex creabatur. Tacit. Annal. XIII. 15. 2. *Festis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra regnum lusu sortientium, evenerat ea sors Neroni.* Lucian. Saturn. p. 609. Tom. II. Edit. Amstel. *Vides quantum bonum sit Regem inter omnes eligi, si viceris talo. Cum neque quisquam tibi ridiculi quid imperet: & tu imperare aliis possis: huic, ut turpe aliquid de seipso vociferetur: illi, ut saltet nudus, utque sublata in humeros tibicina ter domum circumeat.* Arrian. in Epictet. I. 25. *Saturnalium diebus Rex eligitur. Lubet enim ludere hunc lusum. Is imperat: tu bibe, tu misce, tu expelle, tu abi, tu veni. Pareo, ne mea causa solvatur ludus.* Lips. in Tacit. n. 39.

SATURNIA fuit dicta urbs a *Saturno* in monte *Saturnio*, qui postea Capitolinus, olim posita. Varro de Ling. Lat. IV. 7. *Antiquum oppidum in hoc,* monte Saturnio, *fuisse Saturniam scribitur.* Virg. Æneid. VIII. 357. V. illum supr. in *Janiculum*. Arnob. I. p. 20. *Saturniæ civitatis Saturnus auctor.* Donat. de Urb. Rom. II. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. I. §. 2. Lipen. de Stren. c. 4. §. 19. Rycq. de Capitol. c. 2. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. I. Non desunt tamen testes etiam ἀξιόπιστοι, qui comitatum Herculis ab Hispania redeuntis, cum eum locum attigissent, castellum illud ædificasse, & in honorem ejus numinis sic appellasse scribunt, quod antiquitus pulsum a Jove suis sedibus consedisse isthic *Saturnum* crederent. Dionys. II. p. 77. Quanquam portam modo ejus castelli in honorem *Saturni Saturniam* appellatam malit Solinus. V. illum supr. in *Porta*. Aurel. Vict. de orig. gent. Rom. c. 3. n. I. *arcem Saturniam* amat dicere: sed minus accurate: nam in imo monte istud sive oppidulum, sive castellum fuit arbitratu Sexti Pompeji: *Saturnii*, inquit, *dicebantur, qui castrum in imo clivo Capitolino incolebant: ubi ara dicata ei deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eum supplicant apertis capitibus.* Rycq. l. l.

Saturnia nominata etiam universa Italia a *Saturno*. Festus: *Saturnia Italia vocabatur, quod in tutela Saturni esse existimatur.* Justin. XLIII. I. 5. *Italia a Regis nomine Saturnia appellata est.* Dionys. I. p. 27. *Quin & universa ora, quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic deo, & a cultoribus Saturnia vocatur, ut licet videre in Sibyllinis carminibus, & aliis oraculis a diis redditis.* Rycq. de Capitol. c. 2. Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Antiq. Roman. I. p. 4. D. Varr. de Ling. Lat. IV. 7. & apud illum Ennio a monte *Saturnio* Italiæ appellationem deductam: unde Ennianum illud:

—— Saturnus illi
Nomen erat, de quo late Saturnia terra.

Rycq. l. l.

Saturnia porta. V. illam supr. in *Porta*.

SATURNIUS vocatur versus jambicus trimeter hypercatalecticus, hoc est, unica syllaba senarii legem superans, quem ab Hipponactis virulenti poetæ notissima maledicentia Hipponacteum quoque dictum ex Servii commentario liquet. Terentianus Maurus originem huic versui Græcam adstruxit, quum vetustas, ut inquit, crediderit *Saturnium* vocandum, tanquam Italis repertum, neque tamen ille hoc probat. Festus *Saturnios* appellatos ait versus antiquissimos, quibus Faunus fata hominibus cecinisse videtur, quo genere versuum etiam Nævius poeta bellum Punicum perscripserit. Ego quid hac in re certi dicam non habeo, nisi quod putem *Saturnii* nomenclaturam referendam esse acceptam diritati, ac malitiæ ejus dei: quippe quum doceri possit, minarum plenum, & contumeliosum fuisse hoc genus versuum, iratisque congruum. Testatum hoc facit auctor jam dictus de metris, quum ait:

Et Nævio poetæ sic ferunt Metellos

Cum

Cum sæpe læderentur, esse comminatos,
Dabunt malum Metelli Nævio poetæ.

Idem docet Ascon. in Cicer. p. 54. *Antiquum Nævii est:*

Fato Metelli Romæ fiunt consules.

Cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui & Saturnius dicitur:

Dabunt malum Metelli Nævio poetæ.

Meminit & Varr. de Ling. Lat. VI. 3. ubi ait: *Ita ut Faunus & Fauna sint in his versibus, quos vocant Saturnios.* Jun. Anim. I. 11. Buleng. de Theatr. I. 9. Brisson. de Form. I. 106: IV. 353. Rhodig. Ant. Lect. XXV. 13. Turneb. Adv. XXVI. 24. Scalig. Poet. II. 24. Columna in Ennii Annal. I. p. 8.

SATURNIUS est dictus mons Capitolinus. Justin. XLIII. 1. 5. *Mons, in quo habitabat* Saturnus, *est appellatus Saturnius: in quo nunc, veluti a Jove pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est.* Rycq. de Capitol. c. 2. Donat. de Urb. Rom. II. 1. Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. (8.) A.

SATURNUS Cœli, & Vestæ, sive Terræ filius. Ennius: *Quem Cœlus genuit.* Lactant. I. 11. *Non possum putare Saturnum deum esse summum; quod video esse aliquid antiquius, cœlum scilicet, atque terram. Saturnus, si ex his natus est, ut putatur, quem ad modum potest deus esse principalis, qui aliis ortum suum debet.* Gyrald. Synt. deor. IV. p. 133. G. Ortel. Deor. & dear. cap. I. fig. 1. Kipping. Antiq. Roman. I. 2. §. 2. Rarissime in monumentis veterum apparet; alias pingebatur homo senex & canus, barba prolixa, incurvo corpore, capite aperto, tristis & pallidus cum falce adunca. Alberic. de Deor. imag. fab. I. Macrob. Sat. I. 7. De quo Virg. Æneid. VIII. 179.

Vitisator curvam servans sub imagine falcem
Saturnusque senex.

Dextra serpentis portabat imaginem, qui caudam propriam dentibus commordebat. Altera vero, scilicet sinistra filium parvulum ad os applicabat, & eum devorare videbatur. Albric. l. l. Compeditis quandoque pedibus fingebatur, *Saturnalibus* solvebantur. Macrob. I. 8. *Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & solvi ad diem sibi festum, id est, mense Decembri.* Successor fuit Jani in regno, *Rex tantæ justitiæ, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit: sed omnia communia, & indivisa omnibus fuerint, velut unum cunctis patrimonium esset. Ob cujus exempli memoriam cautum est, ut Saturnalibus exæquato omnium jure passim in conviviis servi cum dominis recumbant.* Justin. XLIII. 1. 3. Officium ejus describit Cicer. de Nat. deor. II. 25. *Saturnum esse voluerunt, qui cursum, & conversionem spatiorum, ac temporum contineret, qui deus Græce id ipsum nomen habet: Κρόνος enim dicitur, qui est idem χρόνος, id est, spatium temporis.* Aureæ ætatis, veritatis, fideique illum patrem faciebant. Ideo eum sic compellat Mart. XII. 63. 1.

Antiqui Rex magne poli, mundique prioris,
Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat.

Virg. Æneid. VIII. 324.

Aureaque, ut perhibent, illo sub Rege fuere
Secula; sic placida populos in pace regebat.

Regni ejus tempora felicissima feruntur, cum propter rerum copiam, tum etiam quod nondum quisquam servitio, vel libertate discriminabatur, ut inquit Macrob. I. 7. Hinc quotannis per *Saturnalia* singulari cultu cum venerabantur in memoriam seculi aurei, ut modo Justinus: extra illud tempus vix colebatur. Culturæ alias hortorum præsidere dicebatur, ex eo vitisator dictus. Arnob. III. p. 117. *Quem Cœlo esse editum patre, magnorum & esse procreatorem deorum, vitisatorem, falciferum, vetustas edidit prisca. Et custos ruris, ramorum luxuriantium tonsor.* De illo Macrob. l. l. *Huic deo insertiones surculorum, pomorumque educationes, & omnium ejuscemodi fertilium tribuunt disciplinas. Tunc Romani etiam Sterculium vocabant, quod primus stercore fœcunditatem agris comparaverit.* Struv. Ant. Rom. c. I. p. 108. Gyral. & Ortel. l. l. Non fuit inter superos, sed inferos deos. Plutarch. in καταγραφῇ κεφαλαίων. *Romani Saturnum putant deum esse subterraneum.* Itaque in tartaro cum collocat Prometheus apud Æschyl. n. 219.

Me consulente in tartari recessibus
Habet latebra antiquitus satum Cronum,
Ejusque comites.

Et in catalogo deorum duodecim majorum omisit Ennius. V. illum supr. in *Dii consentes.* non facturus, si inter cœlites fuisset. Credo eam opinionem valuisse, quia triste *Saturni* sidus, & maleficum: quale ingenium deorum inferorum. Inde est nænia Græcorum: Κρόνιον ὄμμα. *Saturnius oculus:* Inde superstitio; *Saturni* diem viæ non faustum. Tibull. I. 3. 17.

Aut ego sum causatus aves, aut omina dira,
Saturni aut sacrum me tenuisse diem.

Cruento, aut sanguineo deo gladiatores Romani dicarunt. V. illos supr. in *Gladiator.* Quo traho etiam cultum sacerdotum ejus a reliquo vulgo secretum. Nam pallio coccineo mystæ *Saturni* velabantur. Tertull. de Testim. anim. c. 2. *Atque id plerumque facit & vitta Cereris redimita, & pallio Saturni coccinata.* de Pall. c. 4. *Cum latioris purpuræ ambitio, & galatici ruboris superjectio Saturnum commendat.* Coccineus enim color sanguinis, & cædium est. *Lips. Saturn. I. 5. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 3. Rosin. Antiq. Roman. II. 4. & ad illum Demsterus.*

SATYRA *a comœdia sumpsit exordium: Hæc ejusmodi fuit, ut in ea quamvis duro, & veluti agresti joco, de vitiis civium, tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. Quod genus comœdiæ multis obfuit poetis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in pejus, ac deformasse genus stylo carminis: quod primo Lucilius novo conscripsit modo, ut poesin inde faceret, id est, unius carminis plures libros.* Euanth. de Trag. & com. p. 2. *Buleng. de Theat.* I. 2. Falluntur, qui putant esse Latinam totam. A Græcis enim & inchoata est, & perfecta, a Latinis deinde accepta, atque extra scenam exculta. Tribus modis *satyrarum* species agnoscuntur. A generibus carminum, a characteribus, a ratione poematis. *Scalig. Poet.* I. 12. *Gyrald. de Poet. dial.* VI. *p.* 323. *E.* Diomed. III. p. 482. 488. duo genera *satyrarum* facit, quorum alterum Latinum mordax, alterum Græcanicum ridiculum a tragicis repertum ad detergendam mœstitiam ex rebus tragicis conceptam. Ille igitur ait *satyram esse carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum, & ad carpenda hominum vitia archææ comœdiæ charactere compositum, quale scripserunt Lucilius, & Horatius, & Persius. Sed olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satyra vocabatur, quale dixerunt Pacuvius & Ennius. Satyra est apud Græcos fabula, in qua item poetæ tragici non Reges, aut heroas, sed satyros induxerunt, ludendi causa, jocandique simul, ut spectator inter res tragicas, seriasque satyrorum quoque lusibus, & jocis delectaretur, ut & Horatius sensit his versibus:*

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes satyros nudavit, & asper
Incolumi gravitate jocum tentavit, eo quod
Illecebris erat, & grata novitate morandus
Spectator.

Buleng. ibid. c. 9. Florid. Sabin. Lect. Subces. I. 15. *Satyricam* fabulam primus exhibuit Pratinas Phliasius. Suidas: *Pratinas, Pyrrhonidæ, vel Encomii filius, Phliasius, poeta tragicus, qui primus scripsit Satyros: & fabulas quidem docuit quinquaginta, e quibus satyricæ fuerunt triginta duæ.* Cratinum in hac re pro Pratina non solum manifesto, verum etiam absurdo errore corrupta lectio nominat apud veteres Horatii interpretes. Addit Suidas, certasse Pratinam fabulis a se compositis cum Æschylo. Uterque vero vixit circa Olympiadem septuagesimam, ut ex Eusebii Chronicis liquet. Alii Thespidi, & Æschylo inventionem *satyræ* tribuunt. *Casaub. de Satyr. poes.* I. 5.

Voss. de Instit. Poet. II. 19. §. 6. Quomodo differat satyra Græca a Latina Atellana V. supr. in Atellanæ.

Satyra, sive Fauni apud auctorem in statua ex ære est capitis auribus, & erectis in fronte cornibus insignis, cincta est pelle animalis per ungues ante pectus adstricta in ne satyrorum, bacchantium, nebridum, aliorumque Liberi patris sequacium, qui solent se vestire variis caprorum, cervorum, leonum, & tigrium pellibus juxta descriptionem Claud. de Raptu Proserp. I. 16.

—— lenisque simul procedit Iacchus
Crinali florens hedera, quem Parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues.

Lib. Cl. de Deor. simulac. Tab. 5.

SATYRI ex superiore parte homines, nisi quod cornuti capite essent, ex altera parte capri. De illis Plin. VII. 2. *Sunt & satyri in subsolanis Indorum montibus, Cartadulorum dicitur regio, pernicissimum animal: tum quadrupedes, tum recte currentes humana effigie, propter velocitatem, nisi senes, aut ægri, non capiuntur.* Plutarch. Syll. p. 468. D. *Prope Dyrrachium est Apollonia, & in vicino Nymphæum, sacer locus, qui ex virenti valle, & pratis ignis venis dispersis perpetuo manantis eructat. Ibi stratum somno satyrum, qualem plastæ, & pictores adumbrant, ferunt captum. Adductum ad Syllam, per multos multos interpretes quinam esset: quam vocem tandem ediderit, non quidem humanam, vel claram, sed asperam omnino ex hinnitu equi, & hirci balatu confusam, obstupuisse Syllam, & monstrum aversatum.* Hieron. in vita Paulli: *Nec mora, inter saxosam convallem haud grandem homunculum videt aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Isto itaque hoc Antonius spectaculo, scutum fidei, & loricam spei, ut bonus præliator, arripuit: nihilominus, memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides, offerebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & quis esset, interrogans, hoc ab eo responsum accepit: mortalis ego sum, & unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas faunos, satyrosque, & incubos vocans colit. Legatione fungor gregis mei: precamur, ut pro nobis communem Deum deprecêris, quem pro salute mundi venisse cognovimus. Nec dum verba compleverat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc, ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moveat, sub Rege Constantino, universo mundo teste defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit, & postea cadaver exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est.* Et Pausan. Attic. p. 21. *Narravit mihi Euphemus Carse, cum in Italiam navigaret, ventorum impetu. In Oceani extremis oris desertæ sunt insulæ multæ, quæ ab hominibus agrestibus incoluntur. Insulæ a nautis satyrorum appellantur. Incolæ sunt rufi, caudas in imo dorso habentes, non multo equinis minores. Hi cum primum eorum adventum sensissent, e vestigio nulla edita voce accurrerunt, ac mulieribus, quæ in navi erant, manus injecere. Demum nautæ trepidi mulierem barbaram exposuerunt, in quam satyri non tantum a natura viris exposita, sed omni corporis parte libidinem exercuerunt.* Florid. Sabin. Lect. Subces. II. 6. Pius Annot. poster. c. 1 5. Rhodig. Ant. Lect. XIX. 25. *Satyristarum chori*, ut narrat Dionys. VII. p. 477. *armatos choros Romæ in pompa sequebantur, sicinnem referentes Grecanicam. E quibus qui Silenos repræsentabant, amicti erant tunicis villosis, quas quidam appellant scorteas, amiculisque consertis ex omni florum genere: qui vero satyrorum speciem induerant, hircinis se pellibus incinxerant, horrentesque in capite gerebant setas, & alia his similia. Hi serios motus ludicra imitatione magis in risum detorquebant.* Buleng. de Circo c. 38. de Theat. I. 9.

SATYRICA signa. V. illa infr. in *Signa*.

SATYROS quatuor cernens equa a Rufo, & Victore collocatur in octava Urbis regione. Marmoreæ erant effigies, vel æneæ. Hi sunt forte quatuor *satyri*, quorum auctor ignoratur a Plin. XXXVI. 5. *Multa*, inquit, *in eadem schola sine auctoribus placent. Satyri quatuor, ex quibus unus Liberum patrem palla velatum Veneri præfert. Alter Liberam similiter. Tertius ploratum infantis cohibet. Quartus cratere alterius sitim sedat.* Panciroll. Descript. Urbis Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 356. C. Scriver. in Mart. X. 99.

SAU.

SAUFEIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

SAVIA est inter *Savam*, & Dravum flumina, nunc Croatia, eademque olim Riparensis dicta, quia ad ripam Danubii, & inter ipsa flumina est sita. Aliqui existimant, ubi nunc est Servia, & Bossina *Saviam* fuisse, quod ego non affirmo. *Panciroll. Notit. dignit. imper. occid. c. 61. & 79.*

SAVUS fluvius oritur in Carnicis Alpibus, & in Danubium se exonerat. *Panciroll. Notit. dignit. imper. occid. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VII. p. 1786. D.*

SAX.

SAXA appellabantur aræ. Virg. Æneid. I. 113.

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras.

Claud. de Sexto consulatu Honorii n. 502.

Qua mons ante patens vivo se perforat arcu,
Admittitque viam sectæ per viscera rupis,
Exsuperans delubra Jovis, saxoque minantes
Apenninigenis cultas pastoribus aras.

Lucan. VIII. 789.

—— tum ne levis aura retectos
Auferret cineres, saxo compressit arenam:
Nautaque ne bustum religato fune moveret,
Inscripsit sacrum semusto stipite nomen:
Hic situs est Magnus, placet hoc fortuna sepulcrum
Dicere Pompeji.

n. 861.

—— augustius aris
Victoris Libyco pulsatur ab æquore saxum.
Tarpejis qui sæpe deis sua thura negarunt,
Inclusum Tusco venerantur cæspite fulmen.

Loquitur Lucanus de Cnei Pompeji tumulo, vili certe, & tanto Imperatore indigno, quem a Cordo quodam excitatum fingit, addito saxo, & titulo, quo Pompeji sepultura nosceretur. Ejus sensus est, *saxum* hoc, quod Pompeji semiustulatis cineribus impositum est a Cordo, augustius esse & sacratius quam templa, statuæ, & aræ, quas populus Romanus Cæsari victori consecravit. *Saxa* illa appellantur aræ, aut quod ea quasi in aræ similitudinem, ac formam aquis extent: aut quod iis, tanquam aris usi sint Romani, & Carthaginenses ad fœdus sanciendum. *Berthald. de Ara. c. 14. § 4. & 5. Cerda in Virgilium. Bergier. de viis milit. II. Sect. 4. §. 8.*

Saxa rubra fuit locus appellatus in via Flaminia. Cicer. Phil. II. 31. *Cum hora dies decima fere ad saxa rubra venisset.* Liv. II. 49. *Ita fusi retro ad saxa rubra, ibi castra habebant, pacem supplices petunt.* Tacit. Hist. III. 79. I. *Antonius per Flaminiam ad saxa rubra, multo jam noctis, serum auxilium venit.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 239. D. Cluver. Ital. Ant. II. 3. 38. Aring. Rom. Subterr. IV. 38. 5.

Saxum Carmentæ dictum est Tarpejæ rupis ea pars, quæ ad Tiberim vergens recta ad D. Mariæ templum respondet. *Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 3.*

Saxum & silex indifferenter nominantur præduri lapides in opere viarum, fere ac si idem notarent. Sic Stat. Sylv. IV. 3. I.

Quis duri silicis, gravisque ferri
Immanis sonus, æquori propinquum
Saxosa latus Appia replevit.

At quem hic *silicem* vocat, vocat *saxum* n. 51.

Hi ferro scopulos, trabesque cædunt,
Illi saxa ligant.

Pro-

Proprie tamen si velimus loqui, ea inter *saxum*, & *silicem* intercedit differentia, ut hic speciatim magis, illud magis generatim significet. Nam *saxum* proprie rupem petram lapidis, qualiscunque ille sit, qui in visceribus terræ nascitur per magnam, amplamque molem rigens. Atqui in [illegible] [illegible] differt a lapide, si credimus Isidor. lib. de Differentiis: *Inter saxa, & lapides differentia est.* [illegible] *notissima; nam lapis, & aura, &* [illegible]. Nihilo tamen minus & illi lapides, qui [illegible] structuras fuit exc[illegible], quas nos vernacule *pierres de taille* vocamus, *saxi* nomine veniunt, licet sint [illegible] lapidicinis mollis. Patet hoc ex Vitruv. II. 7. [illegible] *mollia sunt, hanc habent utilitatem, quod ex his saxa cum sint exempta, in opere facillime tractantur.... Cum ædificandum venerit, ante biennium ea saxa non hyeme, sed æstate eximantur, & jacentia permaneant in locis patentibus.* Bergier. de viis milit. II. Sect. 4. §. 6. & 7.

Saxum manale. V. illud. supr. in *Lapis.*

Saxum sepulcrale brevius fuit, plerumque aut supra tumulum, aut in cippis erectum. Lapis in Piceno apud Gruter. p. 493. n. 9.

P. F. . . . . A. PRIMOPILO
SPECTATÆ. VIRTUTIS
EQUESTRIS. ORDINIS. V.
PATRIBUS. ET. PLEBI. GRATO
OB. GRATAM. ADOLESCENTIS. INDOLEM
BENE. MERITAM. SAXUM. DEDIT.

Hoc *saxum* nomen solum ut plurimum continebat. Prop. II. 1. 82.

Et breve in exiguo marmore nomen ero.

Guther. de Jure man. II. 24.

Saxum Tarpejum. V. illud supr. in *Rupes*. Ἁπλῶς hoc dixere *saxum*. Virg. Æneid. VIII. 350.

--- *jam tum sylvam, saxumque tremebant.*

Horat. Sat. I. 6. 38.

--- *Dionysi filius audes*
Dejicere e saxo cives.

Et eadem ἀπλότητι *Tarpejum*. Senec. de Ira I. 16. *Cum Tarpejo proditorem, hostemve publicum imponam.* Rycq. de Capitol. c. 3.

SCA.

SCABELLUM, vel *scabellus* sedentium pedibus subditur. Vox est a scamno deducta. Quintil. I. 4. *Nec miretur, cur e scamno fiat scabellum.* Panchetta nobis, & predell[illegible]. Interpretes sacræ paginæ Psalm 110. n. 1. ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου, *scabellum pedum tuorum.* Sic ὑποπόδιον Θεοῦ *scabella* Dei vocitat olim templi teste Suida. Sic terra *scabellum Dei* vocatur, sive ὑποπόδιον Matth. c. 5. n. 35. Ennius solum, aut *solium* cum *scamnis* conjunxit apud Cicer. de Divin. I. 48.

Auspicio regni stabilita scamna solumque.

Scamna dixit etiam Ovid. Art. I. 162.

Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.

Quæ paullum fuisse cavata apparent, ut pedes firmius, & commodius insisterent. *Chiment. de Honor. bisell. c.* 29. *Grunt. de Honest. Discipl.* II. 3.

Scabellum, sive *scabillum* erat solea ferrea, vel lignea ex parte anteriore ita fissa, ut motu pedum concuteretur, quod instar *scabellorum* esset, & pedibus subjiceretur, ut *scabellum*. Statii interpres ad Theb. VII. 170. *Buxa, tibia vel scabillum, quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt.* Hinc *scabillorum crepitus* apud Arnob. VII. p. 237. *Quid efficiunt crepitus scabillorum? ut cum eos audierint numina, honorifice secum existiment actum. Crepitus scabillorum* sunt ποδῶν ψόφοι, *scabella*, ποδοκτύπια, vel ποδοψόφια: quemadmodum pantomimis saltantibus *scabillorum crepitum* fieri solitum docet Suet. Cal. c. 54. n. 6. *Saltabat nonnunquam etiam noctu; & quondam tres consulares secunda vigilia in palatium accitos super pulpitum collocavit: deinde repente magno tibiarum, & scabillorum crepitu, cum palla, tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit.* [illegible] diendi Scalig. in Copam p. 255. Casaub. in Suetonium, & Buleng. de Theat. II. 19. qui *scabilla* [illegible] testarum crepitu accipiunt. [illegible] I. I. qui hanc vocem non magis Latinam [illegible] [illegible] sambuca, nablia, & alia plura quæ omnia [illegible] instrumentorum musicorum nomina. Ego enim Latinam esse contendo; nusquam enim in alia lingua, nisi Latina, liceat hujus vocis aut originem reperire, aut mentionem. A Latino *scamnum* diminutiva sunt, & *scabellus* & *scabellum*: & *scamillus*, & *scamellum.* Instrumentum igitur erat, in modum *scabelli* ex ligno factum, vel *scabellum* erat revera, hoc est, ὑποπόδιον, quod pede feriebatur cum lignea, aut ferrea solea, ut major ederetur crepitus. Hoc crepitaculi genus, & in sacris, & in theatris fere semper cum symphoniis, tibiis, cymbalis, aliisque crotalorum generibus jungebatur. Sic *scabella* accipienda apud Cicer. pro Cœl. c. 27. *Mimi ergo est jam exitus, non fabulæ: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabella concrepant.* Augustin. de Music. IV. *Quæro ex te, utrum possint copulari ii pedes, quos copulari oportet, perpetuum quendam numerum creare, ubi nullus finis appareat: veluti cum symphoniaci scabella, & cymbala pedibus feriantur, certis quidem numeris, & hisque sibi cum aurium voluptate junguntur, sed tamen tenore perpetuo: ita ut, si tibias non audias, nullo modo ibi notare possis, quousque procurrat connexio pedum, & unde rursus ad caput redeatur.* Salmas. ad Vopisc. Carin. c. 19. Chimentell. de Honor. bisell. c. 29. Lampe de Cymbal. I. 22. Langius apud Suetonium legebat *scamillorum*, ut ea sint, quæ nos [illegible] idiomate Schalmeyen vocamus. Quod [illegible] esse ostendit vetus inscriptio Spoletii: DIS. SYRIIS. M. SEPTIMIO. M. F. HOR. SEPTIMIANO EQUO PUB. C. ALBICIUS C. L. RESTITUTUS IIIIVIR. I. D. PRÆF. FABR. ROMÆ DEC. IIII. SCAMILLAR. OPERÆ. VETERES. A; SCÆNA. PATRONO. OB. MERITA. EJUS. L.•D. D. D. *Torrent. in Suetonium.* Horum opinio facile refellitur. Et Salmasium refutat Statii interpres, quem allegat, qui exponit Statii *buxa inspirata* tibiam, *vel scabillum, quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt.* Si enim vera *scabilla* erant, quomodo erant inspirata? Ego puto veram *scabillorum* formam videri in statua marmorea, quæ exstat apud magnum Etruriæ ducem Florentiæ. Ubi videmus musicum, *scabillum* pedibus sonantem, & cymbala manibus quatientem. Ita *cymbala*, & *scabilla* modo conjunxit Augustinus. *Ruben. de Re vest.* II. 17. *Barthol. de Tib. Vet.* III. 4.

SCABINI, quos vulgo vocamus *Eschevins*, videntur orti ab ædilibus. Vox descendit a veteri vocabulo Franco-Germanico, quod judicem, aut inspectorem significat. Glossar. in Capitul. Caroli M. Nam nostri *Scabini* in multis referunt ædiles curules veteris Romæ, cum propter administrationem annonæ, opificiorum, artiumque viliorum, tum & straturæ viarum urbanarum, quæ tria sunt fere instituta circa ædilitias actiones. *Bergier. de viis milit.* I. *Sect.* 3. §. 7 *Fresne Gloss. ir.*

SCACCHIÆ ludus diversus est ab eo quem latrunculorum veteres dicebant. Patet hoc ex Ovid. Trist. II. 478.

Cum medius gemino calculus hoste perit,
Nec tuto fugiens incomitatus erit.

Art. III. 358.

Unus cum gemino calculus hoste perit,
Bellatorque suo prensus cum compare bellet
Æmulus, & cœptum sæpe recurrat opus.

Nam neque comite opus ubique habent nostræ ætatis latrunculi, sive milites; neque statim capiuntur, etiamsi qui singuli inter geminos diversæ partis deprehenduntur. Et quod hic de rege, & regina, qui nostri temporis fuere, Bartholomæus Merula meminit, de eo nullus veterum mentionem fecit. *Micyll. in Ovidium de Tristibus.* Et ego, ut

ut diverſos ſentiam, facit, quod veterum nemo ita effingit, ut ejus exemplum ullum agnoſcatur. Quippe in *Scacchiæ* ludo quatuor, & ſexaginta regiones ſunt novem lineis incluſæ: ſedecim autem ſcapi utrinque militant. Quæ omnia in calculis, ſive latrunculis diverſa ſunt: nam & lineæ quinque ſedecim quadris, ſeu regiones, ſeu urbes malis appellare, implentur. *Calcagn. de Calcul. p. 298. Rader. in Mart.* VII 60. 8. Hi quidem exiſtimant latrunculorum ludum alium, & diverſum eſſe ab eo, quem hodie in Europa frequentiſſime uſurpamus, in tabula luſoria ſexaginta quatuor areolis diſtincta, novem lineis ex utraque parte ſe mutuo interſecantibus, in quibus duo ſcapi nomen regum præferunt, duo alii reginarum, quatuor equitum, quatuor ſatellitum, quatuor centurionum, ſeu elephantorum turrigerorum, ſedecim denique minores peditum, ut elegantiſſime deſcripſit Hieron. Vida Cremonenſis libello, cui titulus: *Scacchia ludus.* Sed falſam eſſe eorum opinionem palam eſt, cum etiamnum hodie latrones illi colore diſpares ſedecim, totidemque colores, latronum, militum, regum nomina habeant. Vopiſc. Procul. c. 13. imperatoris appellationem in hoc ludo dicit: *Nam cum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipſe decies imperator exiſſet.* & turmis inſtructi, hoſtili quadam in ſpecie procedant, & ſimulata acie congrediuntur, & ſtatione unicuique calculo præſcripta, hoſtem appetant, ſibi, quantum licet, caveant. Tunc vero victi cenſentur, cum regi nullus patet effugii locus, unde & ludo nomen; nam Hebræis *ſchach* eſt vallavit, & *mat*, vel *mot* mortuus eſt, ut & periculum regi, & mors intentetur. Georg. Synt. XXXIX. 4. Sed nemo melius inter priſcos expreſſit auctore poematii in Piſon. n. 178.

Te ſi forte juvat ſtudiorum pondere feſſum
Non languere tamen, luſuque movere per artem,
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella;
Ut niveus nigros, ſic & niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce ceſſit
Calculus, aut non periturus perdidit hoſtem?
Mille modis acies tua dimicat, ille petentem
Dum fugit, ipſe rapit, longo venit ille receſſu,
Qui ſtetit in ſpeculis, hic ſe committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hoſtem.
Ancipites ſubit ille moras, ſimilisque ligato
Obligat ipſe duos, hic ad majora movetur,
Ut citus, & fracta prorumpat in agmina mandra,
Clauſaque dejecto populetur mœnia vallo.
Interea ſectis, quamvis acerrima ſurgant
Prælia, militibus: plena tamen ipſe phalange,
Aut etiam pauco ſpoliata milite vincis
Et tibi captiva reſonat manus utraque turba.

Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. v. 1. Souter. de Aleat. 1. 8. Senftleb. de Alea vet. c. 14. §. 3. Meurſ. Gloſſar. Græco-Barb. p. 220. de Lud. Græcor. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 959. E. 984. C. Nec habent adverſum, quod tantopere nobis objiciant, vel quibus noſtris poſſeat eſſe contraria. Lineas enim quod attinet, etiam ſi numero non pares invicem fuerint; idem tamen in utroque ludo progrediendi tenor, idem ordo, iidem calculi diſcolores, eadem loca, eadem collocatio calculis ſibi contraria, eadem calculorum amiſſio, vel interemptio, & in ſumma ſimilis ubique ad præſcriptum ludendi, & procedendi ratio. Mycilli objectum debile eſt, ſi enim *ſcacos* noſtros aſpicimus, quid magis illis eſt noxium, quam eoſdem ſolos, & ab aliis deſertos in aciem prodire? quid facilius, quam ut unus calculus ſecurior, ac minus providus duobus ſibi contrariis circumdatus interimatur? qua de re norint illi, qui in hac palæſtra imperium obtinent. Nec in hoc quoque moderno ſolum noſtro ludo regiæ perſonæ hodie fuerunt additæ, ſed olim quoque in latrunculorum ludo adhibitæ: ut patet ex iis, quæ produximus ſupr. in *Calculi.* Hoc autem facile illis concedo, auctiorem noſtris temporibus, & fortaſſe etiam elegantiorem redditum fuiſſe ludum antiquum latrunculorum per noſtrum ludum *ſcaccorum.* Quid enim frequentius, quam inventis aliquid addere, præſertim in ejuſmodi ludicris, & otioſorum hominum negotiis, ubi plerumque ingenioſi ſunt illi, qui otioſi ſunt nimis. *Senftleb. ibid.* §. 3.

SCÆVA fuit cognomen Juniorum. Conſul fuit I. D. Junius Brutus *Scæva* cum L. Furio Camillo an. 428. Equitum magiſter fuit ante quatuordecim annos Q. Publilio Philoni dictatori rei gerundæ cauſa. II. D. Junius Brutus *Scæva* cum Q. Fabio Maximo Gurgite an. 461. Hunc ſuperioris filium fuiſſe probabile eſt. *Auguſt. de Famil. Roman. in Junia.*

Scæva, Græce σκαιὰ, ſiniſtra. Hæc Romanis in auſpiciis erant meliora, Græcis pejora. Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *Vel obſcænum ab eo, quod pueris turpicula res in collo quædam ſuſpenditur, ne quid obſit, bonæ ſcævæ cauſa: inde Scævola appellatus. Ea dicta ab ſcæva, id eſt, ſiniſtra: quod quæ ſiniſtra ſunt, bona auſpicia exiſtimantur. A quo dicuntur comitia, aliudve, quod ſit ave ſiniſtra, ſcæva. Id a Græco eſt, quod hi ſiniſtram vocant σκαιάν: quare quod dixi ſcævum, bonum omen eſt.* Feſtus: *Scævam vulgus quidem & in bona, & in mala re vocat, cum ajunt bonam, & malam ſcævam: at ſcriptores in mala ponere conſueverunt, ut apud Græcos invenitur poſitum pro ſiniſtro.* Voſſ. Lex. Etymol. Auguſtin. de Famil. Roman. in Junia. Baldus Lex. Vitruv.

SCÆVULA deminutionis cauſa dicitur, ut ſportula, & animula, a *ſcæva*, quod Græca origine ſiniſtram ſignificat. Quod vero *O* litera pro *V* poſteri in eo nomine ſunt uſi, mirandum non eſt, tum propter earum literarum in multis aliis facilem permutationem. V. ſupr. in *O*. tum propter uſum ejus vocalis poſt digamma, quæ raro ab eruditioribus veteribus retinebatur, ſed in *O* mutabatur. Sed antiquius eſſe arbitror *Scævulæ* uſum, ut *Poplicolæ & epiſtulæ*, quorum alterum in *Publicolam* mutatum eſt: alterum licet, ut origine Græcum, *O* litera ſcribendum eſſet, non niſi poſt Juſtiniani tempora eam literam accepit. *Auguſtin. de Famil. Roman. in Mucia.* Conſul I. P. Mucius Q. F. P. N. *Scævola* triumphum egit de Liguribus an. 578. Ejus collega fuit M. Aimilius Lepidus in ſecundo conſulatu. II. Publii frater germanus Q. *Scævula* proximo anno poſt fratris conſulatum fuit cum Sp. Poſtumio Albino Paullulo. Prætores ambo fratres eodem anno fuerunt an. 574. Publius urbanus fuit, & quæſtionem de veneficiis exercuit. Quintus Siciliam obtinuit. III. P. *Scævula* P. F. maximus vir, & juris peritiſſimus tribunus plebis an. 612. adverſus L. Tubulum, qui prætor quæſtionem de ſicariis anno proximo exercuerat, & pecunias accepiſſe dicebatur, rogationem pertulit, qua Cn. Scipioni coſ. ea quæſtio deferebatur. Sed Tubulus in exilium profectus eſt. Prætor fuit quinquennio poſt, & conſul an. 620. cum L. Calpurnio Piſone Frugi. In conſulatu Ti. Gracchi tribuni plebis conatus non ſolum non repreſſit, verum etiam adjuviſſe cum fratre germano P. Licinio Craſſo Muciano Icto, & anno proximo pontifice maximo creato dictus eſt. IV. Q. Mucius Q. F. cum L. Metello Dalmatico an. 636. Cicero illum augurem vocavit. Hunc etiam Ictum fuiſſe accepimus: quamvis a Pomponio omiſſus ſit, cujus hiſtoria minus vera, & plena eſt. V. Q. Mucius P. F. *Scævula* an. 658. cum L. Licinio Craſſo auguris genero, cum quo alios magiſtratus geſſit excepto tribunatu plebis, in quo *Scævula* Craſſo ſucceſſit. Hunc pontificem, aut pontificem maximum, ut ab augure diſtinguant, appellant. Hic paternam diſciplinam exornavit, majoreſque progreſſus in ea fecit: cujus hodie extant aliquot capita in Digeſtis ex libro Definitionum. Provinciam Aſiam novem menſes prætor, ut arbitror, rexit, ea juſtitiæ, æquitatis, & integritatis, ac diligentiæ fama; ut exemplum provinciarum rectoribus reliquerit, ejuſque edicta Aſiatica in alias provincias transferrentur: & feſtos dies ſingulis annis deinceps ageret Aſia, quæ *Mucia* dicerentur, ut tanti viri memoriam quotannis renovarent. Pontifex maximus

mus fuit an. 664. triennio post in funere C. Marii septies consulis, C. Fimbriæ perditissimi civis jussu vulnus accepit, ab eodem paullo post accusatus est: quadriennio post ante Vestæ templum occisus est L. Licinii Damasippi prætoris, qui Marianarum partium erat, auctoritate. Hic non solum JCtus, sed etiam orator habitus est non contemnendus. *Augustin. & Strein. de famil. Roman. in Mucia. Glandorp. Onomast. Rom. p. 616.*

SCALÆ annulariæ Romano in foro fuerunt. Quod genus ædificii fuerint, aut cui rei inservierint, vel unde nomen acceperint, pariterque ignoratur. Harum mentio extat apud unum Suet. Aug. c. 72. n. 2. *Habitavit primo juxta Romanum forum supra scalas annularias.* Nardin. Rom. Vet. v. 16. Eruditiores tamen pro ingenio suo eas ita nuncupatas augurantur ab annulariis officinis, vel a propendentibus annulis. Aliorum conjectatio est sic eas dici, quæ in cochleæ formam effingantur, & orbiculata figura rotundentur. Tale *scalarum* genus cochlium vocatur. Ejus meminit Strab. xvii. p. 547. *Est etiam Panium altum opus manu conditum, forma turbinata, in quod per cochlium adscenditur.* Rhodig. Ant. Lect. vi. 12. Beroal. & Pitisc. in Suetonium.

Scalæ Caci a nonnullis in Aventino ad portam trigeminam ponuntur, ubi ejus speluncam fuisse ferunt. Has ego decimæ regioni vindicandas puto ad radices montis. Meminit earum Solin. c. 1. *Roma quadrata incipit a sylva, quæ est in area Apollinis, & ad supercilium scalarum Caci. Habet terminum, ubi tugurium fuit Faustuli.* Hic de prima Roma agi, in qua Romulus & Faustulus habitarunt, Palatino terminata, certum est. Sed unde hic *Caci scalæ?* quis hoc nobis indicabit? Forsan illis a pictura aliqua, vel sculptura vicina nomen impositum, aut qua alia de causa nobis ignota. Utrum vero *ad gradus pulcri littoris*, de quibus Plutarch supr. in *Casa Romuli*, referendæ sint, nec affirmo, nec nego: siquidem una Romæ quadratæ extremitas *Caci scalis* a Solino terminatur: altera vero ad tugurium Faustuli statuitur, quod si eodem, quo regia Romuli, loco, id est, prope *gradus pulcri littoris* fuerit, certe *Caci scalæ* ab his diversæ fuerint necesse est. At si regia Romuli, & tugurium Faustuli distincta inter se fuerint, & a se invicem remota, ubi *scalæ Caci* fuerint, incertamen est, quia aliud eas fuisse, quam *gradus pulcri littoris* dici potest. Et hos quidem Aventinum versus ad cornum Romuli fuisse liquet: illæ, ubi fuerint, ignoratur. Cæterum de corna Romuli, & *scalis* hæc leguntur apud Lutat. Schol. in Ovid. Met. xv. *Romulus Martis & Iliæ filius, cum venaretur, ex monte Aventino persequens aprum fugientem jaculum jecit, quod cum protinus in colle Palatino hæserit, loco ejus montis scala facta, ...* Quare non adeo absurda sit conjectura, *scalas* hasce *pulcri littoris* fuisse *appellatas, quum in Tiberim spectarint.* Nardin. Rom. Vet. vi. 12. vii. 8.

Scalæ Gemoniæ. V. illas supr. in *Gemoniæ.*

Scalæ murales dici possent, quia in muris conscendendis veteres illis utebantur. Harum inventio refertur ad Capaneum, qui Thebas sic invadere conatus: sed a Jove, & fulmine repulsus. Veget. iv. 21. *Hoc facto, scalis appositis occupant civitatem. Sed qui scalis nituntur, frequenter periculum sustinent, exemplo Capanei, a quo primum hæc scalarum oppugnatio perhibetur inventa: qui tanta vi occisus est a Thebanis, ut extinctus fulmine diceretur.* In istis parandis dogma, & præceptum commune est Polyb. ix. 18. *ut si murus decem pedum fuerit, altitudo scalarum largiter sit duodecim.* Tum etiam ut *absistentia scalarum infra a muro sit quasi dimidia, ad ipsas scalas respiciendo:* id est, ut in dicto jam numero pedes circiter sex remotæ sint a pede muri. Hoc mihi videtur dicere, etsi verbis satis implicitis: quæ equidem dabo, & lectorum meditationi relinquam: *Descensum, & inclinationem scalarum, ad conscendentium mensurationem, oportet dimidium scalarum esse: ut nec longius abscedentes, in multitudine adscendentium frangi faciles sint; nec item rectæ magis appositæ lapsiles sint ascendentibus.* Illarum quædam erant compactiles, id est, quæ aut pluribus partibus constabant, & plicari, rursumque explicari poterant; aut ipsi gradus removeri, & recondi quasi in vaginam, stipite cedente. Appianus in Ibericis κλίμακας πτυκτὰς sive plicatiles vocat hujus modi tales: & Plutarchus in Arato διαλυτὰς, solubiles: quas Aratum apparasse ait, cum de Sicyonis arce invadenda cogitaret, & recondidisse in agris quibusdam, theci quæ rusticis, quas achanas dicebant. Nempe transferri hujusmodi istæ sine suspicione poterant, & minore etiam molestia: atque is finis. Fuere præterea coriaceæ, itemque reticulatæ, aut stuppeæ, de quibus scriptum in Herone c. 2. Et illas ait *esse instar utrium, consutas e corio, & inflandas fuco, aut adipe circa suturas, ut ea sporent: easque erigi ad murum spiritu inflatas, & dare ascensum. Reticulatas* autem format *e stuppeis funibus, instar retis contextas: ad quarum summitates hamos adjici, ut murorum pinnis apprehendant.* Sed & in eodem *scalas nauticas* quas aliquot es lego, annon has esse dicam? quia id genus *scalis* fere nituntur. Palam ita appellat, ubi de ariete c. 11. & iterum de turribus c. 13. *Diadem turres mobiles, & terebram, & scalas nauticas reperisse.* Vitruvius in ea ipsa re incerti & laxi sermonis est: & *machinam ascendentem* vertit x. 19. quam Athenæus dixerat τὴν ἐπιβάθραν. In fine etiam capitis: *De accessu, qui ἐπιβάθρα dicitur:* an non melius *ascensu?* nam *machinam ascendentem* prædixit. Quod autem eæ *scalæ nauticæ* Heroni stuppeæ sint: liquet vel ex imaginibus ejus, quas deformat. Sunt & aliæ, quas ipse *spectatores* vocat, basi accuratiori instructæ ita, ut erigi possint, & attolli: & in supremis iis aliquis constitui, qui spectet quid in urbe agatur. Is enim earum finis, & inde *spectatorum* nomen. Agit de iis toto c. 12. Denique in eodem & *scalæ* sunt rotis impositæ, iisque procedentes, quibus supremis pons adhæret, qui e propinquo injicitur in muros c. 19. *Lips. Poliorc. 1. Dial. 6: 11. 4. Stewech. in Vegetium. Potter. Archæol. Græc* iii. 10. *Thys. de Oppugn. urb. 1 p. 158.*

Scala sancta, qua Christus dominus in prætorio Pilati fertur descendisse, digniori loco ante sacellum S. Laurentii, seu sancti sanctorum a Sixto v. pontifice Romano posita, novisque *scalis*, & clatratis porticibus cincta est. *Donat. de Urb. Rom.* iv. 12.

Scalæ quoque appellabantur cœnacula. Sic enim accipiendum illud Justin. Novell. 159. ubi legitur *legatum Hierio fuisse suburbium cum omnibus prætoriis, & omnibus scalis.* Per *scalas* cœnacula intelligi docet vel ipse Juven. Sat. vii. 117.

— *quo tibi lapsi*
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.

Habitabant enim causidici, & oratores in cœnaculis propter paupertatem, ut ipse ibi conqueritur. *Salmuth. in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 556. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman* 1. 16.

SCALARE erat ædificium sepulcro adstructum. Inscriptio:

P. ÆLIUS. CHRESTUS
ET. CORNELIA. PAULA
HOC SCALARE. ADPLICITUM. HUIC
SEPULCRO. . . .

Cui usui fuerint applicita sepulcris non est notum. Videtur autem monumentis ideo adstrui consuevisse, ut ex reliqua, quæ hisce tam munimenti, quam ornamenti causa adjungi solent, projectoria, maceriæ, emporia, arcus, diætæ, horti, tabernæ, cœnacula. . . . *Reines. Inscript. Class.* vii. *n.* 16. Ego putavi tale quid nonnunquam appositum fuisse, ut, cum monumenta aliquando altiora forent erecta, homines myopes, & brevioris staturæ possent ejus ope inscriptiones melius respicere, & legere. Quod antiquos binas ob rationes solitos fuisse docet Cicer. de Fin. v. 2. *Modo etiam paullum*, inquit, *ad dextram de via declinavi, ut ad Periclis sepulcrum accederem, quanquam id quidem infinitum est in hac urbe: quacunque enim ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus. Tum Piso; Atqui Cicero, inquit, ista studia, si ad imitandos summos viros spectant, ingeniosorum sunt; sin tantummodo ad*

indicia veteris memoriæ cognoscendæ, curiosorum. Almelov. Antiq. profan. sacrar. p 58.

Scalaria erant viæ in theatris, per quas ascendebant inter cuneos, & descendebant. Altitudo enim graduum, supra quos sedebant, tanta erat, ut per medium divisa, & secta duos *scalariorum* gradus efficeret, & hoc commodioris ascensus gratia; gradus siquidem sessionum ita erant elati, ut per illos non sine difficultate esset ascensus, & descensus inter præcinctiones. Vitruv. v. 6. *Supra autem alternis itineribus superiores cunei meais dirigantur; hi autem qui sunt in imo, & dirigunt scalaria, erunt numero septem.* Lips. de Amphith. c. 13. Reines. Inscript. Class. vii. n. 16. Baldus Lex. Vitruv.

SCALIATICUM vocabatur portorium, quod pro statione navium solutum. Moschopulus: *Ormus pars portus, in qua rates tractæ ligantur, vulgo scalas vocant.* Buleng. de Vectig. c. 86.

SCALMUS, σκαλμὸς, est paxillus, sive lignum teres, cui nautæ remos loro quodam alligant ad navigandum, ut firmius navigent. Etymologicum: *Tropoteres sunt lora in navibus, quibus remi ad scalmos ligantur.* Vitruv. x. 8. *Etiam remi circa scalmos strophis religati.* Cicer. de Orat. I. 38. *Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit.* ad Attic. xvi. 3. V. illum supr. in *Naves actuariæ. Aptare remos* dicitur hæc res Curt. ix. 9. 12. *Hi dum consident, remos aptari prohibebat.* Scheffer. de Milit. nav. ii. 5. Gyrald. de Navig. c. 11. Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 612. E. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 686. E. Bud. in Pandect. p. 166. A. Calcagn de Re naut. c. 13. Kipping. Differt. de Exped. marit. §. 1.

Scalmus per synechdochen partis pro toto, vocatur cymba. Cicer. de Offic. iii. 14. *Video ipse mature, scalmum nullum video.* de Clar. orat. c. 52. *At vero & contra Crassus ab adolescente delicato, qui quum in littore ambulans scalmum reperisset.* Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. xi. p. 612. F.

SCALPERE, & *sculpere* ejusdem sunt significationis, ut γλάφω, & γλύφω Græcis, unde habent originem. Æoles trajectionibus gaudebant: γύλφω & γάλφω dicebant, sigma etiam addebant tam ipsi quam Siculi: σγύλφω & σγάλφω formabant: atque inde *sculpo*, & *scalpo*. Hesychius: γλάψαι, κοιλᾶναι, γλύψαι, βαθῦναι. Inde *scalptores*, & *sculptores* lapidum, qui & cavitores, & cavitarii. Gloss. opt. *Scalpit*, γλύφει, κολάπτει. Aliæ glossæ: *scalptura*, γλυφή. Differunt itaque, non natura, origine, ac significatione, sed fortasse usu. Frequentius enim *scalpere* invenitur pro cavare, & *sculpere* pro cælare sigillis eminentibus: ut *scalptores* gemmarum sunt cavatores: at *sculptores* marmoris sunt οἱ γλυφεῖς, qui sigilla sculpunt. Auctores tamen hæc sæpe confundunt, & *scalpturam sculpturamque* indifferenter usurpant. *Salmas. Exercit. Plin. p. 33. b. C. 736. a. E. 774. b. F. Voss. Lex. Etymol.*

SCAMBUS est ex Græcorum σκαμβὸς. Hesychius: Σκαμβὸς, στρεβλὸς. Suidas: Σκαμβὴ, διεστραμμένη. Suet. Oth. c. 12. n. 2. *Fuisse traditur male pedatus, scambusque.* Qui intelligit vatiam, sive valgum, qui pedes in rectis, & parallelis lineis non ponit, sed introrsum convertit. *Salmas. Exerc. Plin. p. 663. b. D. Turneb. Adv.* v. 1. *Voss. Lex. Etymol. Pitisc. in Suetonium.*

SCAMMA in circo, sive stadio dicebatur locus, in quo athletæ certabant. Cæl. Aurelian. Morbor. Chron. ii. 1. §. 57. *Ordinat præterea idem* Asclepiades *in arenæ spatio, quod appellant scamma, deambulationem, atque transcensum lignorum.* Ephrem sub initium libri de luctamine spirituali: *Semper ergo perfectissime athletæ, sine aliquo motu, & cum summa alacritate inveniuntur in scammate. Timidi autem, & imbecilles, antequam incipiant decertare, defugiunt, & propter mollitiem, desidiamque immensam nullo prorsus modo in scammate desudare contendunt. Scamma est autem, fratres dilectissimi, medius locus, in quo athletæ luctantur.* In veteri glossario exponitur σκάμμα, *fossus*, vel potius *fossa*. Ita autem locus certaminis dicebatur, sive quia fossæ leviter depressæ speciem ferebat: sive quod apud Græcos fossa solebat cingi, ut apud Romanos euripo. *Scammatis* voce usus est etiam Tertull ad Martyr. c. 3. *Itaque epistates vester Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem a liberiore conditione separare.* Faber Agonist. ii. 1. 2. & 7. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Circo c. 21. Barth. Adv. xxxv. 25. Van Dale Differt. viii. c. 4. Almelov. Lexic. Cælian.

SCAMNUM idem quod subsellium, vel quia alta forent, scansione ut opus esset; vel quia per ea scanderemus in lectos, aut sellas, locaque editiora. Varr. de Ling. Lat. iv. 35. *Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum: in altiorem scamnum: duplicata scansio gradus dicitur.* Varroni igitur *scabellum* erit *scamnum* humilius, per diminutionem *scamni* conflata voce: *scamnum* vero altius, & altioribus admotum. Cum Varrone facit Isidor. xx. 11. *Scamna sunt, quæ altioribus lectis apponuntur.* Ex quibus colligere est *scamna*, aut *scabella* dicta, quod illinc in lectum, aut sellam scandamus, quam ut ipsa sint scansionis terminus, præque altitudine scandi oporteat; nam & sessioni inserviunt. *Chiment. de Honor. bisell. c. 21. Voss. Lex. Etymol.*

Scamnum in agris. V. illud infr. in *Striga.*

Scamnum in castris dicitur pedatura legatorum, & tribunorum. Hyginus de Limitibus: *Omnem mensuræ hujus quadraturam dimidio longiorem, quam latiorem facere debemus, & quod in latitudinem longius fuerit, scamnum appellare, quod in longitudinem striga.* Frontinus: *Quicquid secundum hanc conditionem in longitudinem est delimatum, per strigas appellatur: quicquid per latitudinem, per scamna.* Quanquam si ideo *scamnum*, quod per latitudinem castrorum delimata, quodque in latitudinem castrorum longior, cæteræ quoque prætenturæ pedaturæ eodem excurrentes *scamna* dici debeant: at hæ strigæ dicuntur & hemistrigia. Usus igitur castrensis fecisse hoc videtur, ut primæ hæ ad viam principalem areæ, quia & transversa per castra currunt, & non servant communem strigarum latitudinem, *scamna* appellentur: at illæ sequentes, quamvis eodem excurrant, quia tamen strigarum rationem servant, strigarum quoque servent vocabulum. *Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1072. *F.* Tribunorum *scamnum* post legatorum *scamnum* in longitudine castrorum collocatur: liquet id ex computatione longitudinis prætenturæ, in qua duobus *scamnis* assignantur pedes centum viginti, singulis sexaginta. *Schel. ibid. p.* 1075. *D.*

Scamna amicabilia. V. illa supr. in *Amicabilia.*

SCANDULÆ sunt tabellæ ligneæ, quibus pro tegulis domus contegebantur. Plin. xvi. 10. *Scandula contectam fuisse Romam ad Pyrrhi usque bellum annis* 470. *Cornelius Nepos auctor est.* Vidi hujusmodi tabellis domos tectas in Gallia. Alia super aliam imponitur, & alia super aliam squamarum more gradatim videtur ascendere. Vitruv. ii. 1. *Scandulis robusteis, aut stramentis.* Barbar. in Vitruvium. Donat. de Urb. Rom. i. 25.

SCANDULARII dicuntur, qui *scandulas* tecta tegentes fabricant. Patern. l. 6. ff. de jur. immun. *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit: ut sunt scandularii.* Pancirol. de Corpor. artif. §. 35. Bud. in Pandect. p. 272. A.

SCANSILIA appellantur subsellia, præsertim si plures sint gradus. Isidor. xx. 11. *Scansilia gradus sunt, ubi honorati in sedibus hærent.* Ante illum Varro laudatus in *scamnum*. Chiment. de Honor. subsell. c. 29.

SCAPHA est navicula ex uno ligno excavata. Heliod. Æthiop. i. 3. *Ascendit in scapham, ipse cum Thermute, & tertio, qui remigis munere fungebatur, nec enim plures capiebant navigia ista fluviatilia, ex unico ligno, & trunco agrestius excavata.* Idem Xenoph. vi. *Postera die monoxyla adducunt, quibus singulis terni homines continebantur.* Ergo cum admiratione Plin. xvi. 41. *Germaniæ prædones singulis arboribus navigant, quarum quædam & triginta homines vehunt.*

bam. Scheffer. de Milit. nav. I. 3. de variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 575. B. Gyrald. de Navig. I. 18. Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 601. E. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 677. B. Blond. Triumph. Rom. VI. p. 144. G. Thys. in Gell. X. 25. Sociabatur longis navibus. Cæs. de Bel. Gall. IV. 26. *Quod cum animadvertisset Cæsar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia compleri jussit.* Loquitur de scaphis, speculatoriisve, tanquam non multum inter se diversis. Religatæ erant funiculo ad longarum puppes. Cicer. de Invent. II. 51. *Postea ipsos tempestas vehementius jactare cœpit, usque adeo, ut dominus navis, cum idem gubernator esset, in scapham confugeret, & inde funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat, navim, quoad posset, moderaretur.* Hinc Petron. c. 62. *Quin potius ad temeritatem confugimus, & per funem lapsi descendimus in scapham, præcisoque vinculo reliqua fortunæ committimus.* Et quia trahebantur fune, ideo ἐφόλκια a Græcis dicta. Vulgo erant coriacea. Glossæ Novi Testamenti. *Scapha, sive catascopus est navicula levis ex vimine facta, quæ contecta crudo corio genus navigii præbet.* Hæc causa est, quare a Græcis ῥινωτήρια appellabantur, παρὰ τῶν ῥινῶν, a pellibus. Pollux I. 9. 3. *Interius porro utrimque scapha est, quam & rhinoteriam vocant.* Dicit illam Pollux fuisse in ipsa navi, quia scaphas istiusmodi in navibus ipsis habebant ad fortuitos quosque casus. Imo illas ipsas, quas funiculo religatas trahebant post se, quando nullus earum esset usus in mari, recipiebant in navim. Hinc Actor. c. 27. n. 17. legimus ἄραντες τὴν σκάφην, quod recte Heinsius de subducta in navim *scapha* interpretatur. Nam n. 30. sequitur χαλάσαντες τὴν σκάφην, quia e navi rursum in mare demittebant. Et quoniam in navi erat, inter instrumenta navis numeranda, ex sententia Labeonis l. ult. ff. de fund. instr. Quam sine ratione conantur evertere Paullus, Pomponius, & Icti alii. Nam quod ajunt, instrumentum ideo non videri, quoniam & ipsa fuit navis, tanti non putandum, cum & homo hominis sit instrumentum, ut ex Aristotele scimus: & quoties majori jungebatur, non sua, sed majoris causa adhiberi solebat. Itaque & lex Rhodia inter instrumenta navis enumerat §. 2. istis verbis: *Si quis autem instrumenta navis, aut eorum aliquid, quod in navi habetur, furatus fuerit, ut rudentes, carabos. . . Carabus*, ut Isidor. in Glossis, *est parva scapha.* §. 11. *An videlicet omne instrumentum navis plene habeat, malum, validas antennas, vela, segestria, ancoras, diversos funes canabinos, carabos instructos, idonea gubernacula.* Scheff. ibid. II. 2. Adhibebatur in ultimo periculo. Horat. Od. III. 29. 62.

Tunc me biremis præsidio scaphæ
Tutum per Ægæos tumultus
Aura feret.

Quod sperarunt nautæ Paulli Apostoli, ut est Actor. c. 27. n. 30. & contigit gubernatori apud Cicer. l. l. *Scheffer. Addend. p. 323.*

SCAPHITA vocabatur *scaphæ* moderator. Hoc vocabulum sibi formavit Demetrius Phalereus. Ejus munus docuerit nemo melius Petronio c. 62. *Miror tibi non succurrisse, unum nautam stationis perpetuæ interdiu noctuque jacere in scapha; nec posse inde custodem nisi aut cæde expelli, aut præcipitari viribus.* Scilicet, si quid forte nuntiandum prætervehentibus, si quid aliud agendum fuit in mari, id hic faciebat. Propterea *scapham catascopum* interpretatur glossarium Novi Testamenti supr. in *Scapha* laudatum. *Scheffer. de Milit. nav. II. 3. Gyrald. de Navig. c. 18. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 3.*

SCAPHIUM erat poculum oblongioris figuræ, laterumque in *scaphæ* similitudinem flexorum. Plaut. Perf. I. 3. 44.

Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium.

Bacch. I. 2. 37. V. illum infr. in *Synthesis*. Habet aliquam similitudinem ejus formæ cum galeæ figura, ut pro ea indui posse videatur. *Turneb. Adv. II. 30. Bald. Lex. Vitruv. Buleng. de Conviv. IV. 17. Voss. Lex. Etymol.*

Scaphium vocabatur vas gnomonicum, in quo gnomonis ictus ostendebat solstitium, & æquinoctium, quod & πόλος appellabatur. Forte & forma idem erat horologiorum, quæ σκάφια dicebantur. Nam πόλος & σκάφιον, quantum ad formam, idem. Martian. Capella VI. *Scaphia dicuntur rotunda ex ære vasa, quæ horarum ductus styli in medio fundo sui proceritate discriminant, qui stylus gnomon appellatur, cujus umbræ prolixitas æquinoctio centri sui æstimatione dimensa, vicies quater complicata, circuli duplicis modum reddit.* Eadem igitur forma σκαφίς & πόλος. Utrumque hemisphærii instar reddebat. Sed utrum in concavo *scaphii* stylus ponebatur, an in parte protuberante? Ex Martiano colligi potest in concavæ partis medio erigi solitum gnomonem. *Salmas. Exerc. Plin. p. 448. b. F. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 3. Baldus Lex. Vitruv.*

Scaphium vocabatur tonsuræ genus, quando cæsaries ad ipsam usque cutem calvam ambientem succiditur. Hujus non est absurda ratio: quod ubi totum cranium tondetur, piscatoriæ *scaphæ* inversæ formam delineat, cujus uti proræ puppisque eminentiores exstent, ita latera hinc inde subsident depressa, quod in temporibus videre est: qua occasione & ipsum caput σκάφιον nominat Aristophanes. Docent hoc commentaria Aristoph. p. 579. E. *Hortus, sive cepus, ante frontem decorari: scaphium vero cute tenus.* Carmen ipsum est:

Σὺ κοψίχῳ γε σκάφιον ἀποτετιλμένῳ.
Tu merulam refers plumis verticis nudatam.

Junius de Coma c. 6. Turneb. Adv. II. 30.

Scaphium vocabatur vas sordidum, seu matula, in qua mejunt feminæ. Papias: *Scaphium vas ad turpes usus aptum, id est, ad requisita naturæ.* Cœl. Aurelian. Morb. Chronic. IV. 3. §. 50. *Humilius e lecto scaphio posito ad egestionem produci faciendam.* Huic interpretationi favet Ulpian. l. 27. §. 5. ff. de auro. arg. leg. *Argento legato, non puto, ventris causa habita scaphia contineri.* Ex auro, vel argento etiam fieri solita ostendit Mart. I. 38.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro.
Bassa, bibis vitro, carius ergo cacas.

Voss. Lex. Etymol. Almeloveen Lexic. Cælian. Etiam Juven. Sat. VI. 264.

Et ride, positis scaphium cum sumitur armis.

Turneb. Adv. II. 30. Bald. Lex. Vitruv. Horum commentum mihi non placet. Et *scaphium* apud Juvenalem credo simpliciter sumi pro capitis muliebris ornamento, quod & nos dicimus *escophion*. Tunc enim risui locus, cum positis armis videmus sumere vestimenta muliebria, quas antea viros credebamus. *Grang. in Juvenalem.*

SCAPTIA fuit oppidum in Latio. Plin. III. 5. *In prima regione præterea fuere, in Latio clara oppida, Scaptia....* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 3.

Scaptia tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

SCAPUS est in charta, quem hodie manum papyri vocamus. Nam ita etiam vulgo apud nos fieri solet in his chartis, quæ ex linteis concerptis, & contusis, & in forma positis parantur. Plagulas, ubi siccatæ sunt, plures in unum volumen compingere consueverunt artifices, & in unum *scapum* componere. Plures viceris quinis in uno *scapo* non ponuntur. Ita accipiendam esse hanc plagularum inter se junctionem testis est Plin. XIII. 12. *Atque inter se plagulæ junguntur, a proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas: nunquam plures scapo quam vicenæ.* Plagulæ vicenæ, hoc est, ut nunc loquimur, folia vicena, sic inter se junctæ *scapum* efficiebant. Hodie vicenas quinas in *scapo* ponunt. *Scapus* origine Græcum verbum est. Σκῆπος, idem quod σκήπων, & σκηπάνιον baculum, vel fustem, & ramum proprie significant. Σκῆπος igitur, & Dorice σκᾶπος: unde Latinum *scapus*. Hesychius: Σκᾶπος, κλάδος, scilicet pro σκῆπος. *Scapus* quoque Latinis idem proprie significat, quod Græcis σκᾶπος. *Scapus* enim est fustis, vel baculus. Hinc diminutivum *scapulus*, & *scapellus*, & verbum *scapellare* apud recentioris Latinitatis auctores, pro fustibus conci-

dere, & batuere. Isidor. Gloss. *Scapulum, fustis longus.* Glossæ: *Scapellat*, καταχίζει, κατακνίζει. Inde nostrum Galicum *chapler*. Hæc propria vocis *scapus* significatio est, & origo, quæ mox & multas alias habere cœpit per similitudinem notiones. Nam & *scapus* columnæ dictus est Vitruv. III. 2. *scapus* scalarum Vitruv. IX. 2. portarum Vitruv. IV. 6. candelabri Plin. XXXIV. 3. In herbis caulis rectus in columnæ modum Plin. XVIII. 10. Colum. IX. 4. Ab eadem similitudine chartas plures in unum volumen complicatas, & convolutas *scapum* Latini appellarunt, quod baculi crassi rotundi similitudinem præ se ferrent. Ob eandem rationem *scapi* etiam appellati sunt radii textorii licio involuti. Lucret. V. 1352.

Insilia, & fusi, radii, scapique sonantes.

Glossæ: *Scapi*, γερδιακοὶ κανόνες, καὶ χαρτῶν τόμοι. *Salmas. in Vopisc. Firm. c. 3. Voss. Lex. Etymol. Bald. Lex. Vitruv.*

SCARUS piscis *principalis hodie.* Plin. XXXII. 11. Sapore commendatur. Horat. Sat. II. 2. 19.

— non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quære
Sudando: pinguem vitus, albumque, nec ostrea,
Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.

Romanis ignotus fuit. Petron. c. 53.

— ultimis ab oris
Attractus scarus.

Ab Octavio præfecto classis in Italiam translatus. Macrob. Sat. II. 12. *Octavius præfectus classis sciens scarum adeo Italicis littoribus ignotum, ut nec nomen Latinum ejus piscis habeamus, incredibilem scarorum multitudinem vivariis navibus huc advectam, inter Ostiam, & Campaniæ littus in mare sparsit.* Gulosis gratus. Petron. c. 79.

Ingeniosa gula est: Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam vivus perducitur.

Ejus præcipue viscera laudantur. Mart XIII. 84.

Hic scarus, æquoreis qui venit obesus ab undis,
Visceribus bonus est, cætera vile sapit.

Buleng. de Conviv. II. 25. & 27. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 12. Nonn. de Esu. pisc. c. 22. Re cibar. III. 22. Torrent. in Horatium. Baccius de Conviv. Ant. IV. p. 162. Bruyer. de Re cibar. XIX. 5.

SCATINIA lex. V. illam supr. in *Lex.*

SCAURUS fuit cognomen Æmiliorum. Unum reperio insignem virum M. Æmilium M. F. L. N. qui consul cum M. Cæcilio Q. F. Metello an. 728. De Galleis Karneis triumphavit. Censor post sex annos fuit cum M. Livio C. F. M. Aimiliani Nepote Druso, qui in eo honore mortuus est, & *Scaurus* abdicavit more majorum: ante tamen viam Æmiliam stravit, pontemque refecit Æmilium. *Augustin. de Famil. Roman. in Æmilia.*

SCE.

SCELERATA porta. V. illam supr. in *Porta.*

Sceleratus campus. V. illum supr. in *Campus.*

SCELLA vocatur Germanis tintinnabulum minutum, quod appendi animalibus, quandoque ad ostia solet, quandoque etiam ad convocandos sono, quos intersit congregari. Eam vocem a Germanis mutuati postremis temporibus scriptores Latinitati intulerunt. Petrus Mauritius Venerabilis statut: Cluniacens. can. 25. *Statutum est, ut loco famulorum, qui mane vociferando fratres in infirmaria jacentes, inhoneste ad missam vocare solebant, scilla ad hoc in sublimi infirmariæ loco suspensa pulsetur.* Barth. Adv. LV. 10. Almelov. Conject. c. 54.

SCENA erat antiquis umbraculum, ex arborum frondibus umbræ causa a rusticis constitutum, id quod σκηνὴ significat, ubi festis diebus convenientes, diversa ludorum, & jocorum genera exercebant: id quod & hodie in pagis multis in locis servari videmus. Hac de re Cassiod. Var. IV. 51. *Frons theatri scena dicitur, ab umbra luci densissima, ubi a pastoribus, inchoante verno tempore, diversis sonis carmina canebantur. Ibi actus musicus, & prudentissimi seculi dicta floruerunt.* Gyrald. de Poet. VI. p. 333. C. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 8. Ferret. Mus. Lapid. III. memor. 42. Scalig. Poet. I. 21. Si itaque vocis proprietatem spectes, denotat tabernaculum, tentorium, vel quod in castris, aliisve locis, ex frondibus, culmis, pellibus, mattis, tabulisve fit, temporarium domicilium. Hinc festum, quod a ramis Hebræi succoth dicunt, nostri tabernacula, Græci schenopegiam appellarunt. Hoc vocabulum per antonomasiam tractum est ad eam theatri partem, quæ e theatri ipsius regione inter duo ejus cornua extenditur. *Baldus Lex. Vitruv. Buleng. de Theat. I. 18. Gentil. de Actor. & spectat. fab. c. 17. Mod. de Lud. vet.* II. 29. Vitruv. V. 8. *Genera scenarum sunt tria: unum, quod dicitur tragicum, alterum comicum, tertium satyricum. Horum ornatus sunt inter se dissimiles, disparique ratione; quod tragicæ deformantur columnis, fastigiis, & signis, reliquisque regalibus rebus; comicæ autem ædificiorum privatorum, & menianorum habent speciem, perfectusque fenestris dispositos imitatione communium ædificiorum rationibus; satyricæ vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis.* Ad hoc ultimum allusisse videtur Virg. Æneid. I. 166.

Hinc, atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cælum scopuli; quorum sub vertice late
Æquora tuta silent; tum sylvis scena coruscis
Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra.

De prima, & rudi *scenarum* specie Ovid. de Art. amand. I. 105.

Illic, quas tulerant nemorosa palatia, frondes
Simpliciter positæ; scena sine arte fuit.

De provecta vero jam, & magnifice exstructa Virg. ibid. n. 432.

— immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.

Baldus, Gyrald. Rhodig. Ferret. Buleng. l. l. Casal. de Trag. c. I. Serv. Georg. III. 24. *Scena autem quæ fiebat, aut versilis erat, aut ductilis. Versilis tunc erat, cum subito tota machinis quibusdam convertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat. Ductilis tunc, cum tractis tabulatis hac atque illac species picturæ nudabatur interior. Unde perite utrumque tetigit, dicens:*

Vel scena ut versis discedat frontibus.

singula singulis complectens sermonibus. Quod Varro, & Suetonius commemorant. Buleng. ibid. c. 19. Gyrald. l. l. Animadverte Vitruvium in descriptione *scenæ* non semper distinguere ea, quæ Romanæ *scenæ* erant, a Græcanica *scena*, sed interdum utraque confundere. *Scena* est altior populo, pulpitum orchestra. Extenditur *scena* inter duo theatri cornua, cum orchestra interjecta sit inter cuneos, & *scenam. Buleng. l. l.* Ornatus fuit varius: auro enim, argento, columnis, signis, centauris, epistyliis, & cæteris ejus generis rebus ornabatur. Valer. Max. II. 4. 6. *Religionem ludorum crescentibus opibus secuta est lautitia. Muræna scenam argenteam dedit. Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam primus spectantium consessum velorum umbraculis texit. C. Pulcer varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam. Quam totam argento C. Antonius, auro Petrejus, ebore Q. Catulus prætexuit. Versatilem fecerunt Luculli. Argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornavit. Translatum ante Phœniceis indutum tunicis M. Scaurus exquisito genere vestis cultum induxit.* De Pulcro Plin. XXXV. 4. *Habuit & scena ludis Claudii Pulcri magnam admirationem picturæ, cum ad tegularum similitudinem corvi decepti imagine advolarent.* Mira in illa signorum erat varietas. Temporario theatro ædilitate M. Scauri tria millia signorum fusilium in *scena* fuere, trecentæ sexaginta columnæ marmoreæ ad *scenam* vix uno mense futuræ, marmoreos parietes *scena* habuit. L. Plin. XXXIV. 7: XXXVI. 2. 5. 6. & 15. M. Scauri, qui Syllæ gener fuit, theatro *scena* triplex fuit 360. columnarum. Ima pars *scenæ* e marmore, me-

dia

da e vitro, summæ tabulis inauratis columnæ, imo duodequadraginta pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero. Reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis, quæ superfluebant, quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremarentur ad sexcentium millies. Pro miraculo insign. quatuor modicas ex onyche columnas in theatro suo C. Balbus posuit. Nos ampliores triginta vidimus in *scena*, quam Callistus Cæsaris Claudii libertorum potentissimus exædificaverat. *Buleng. ibid. c.* 20. *Ferrett. l. l. Voss. de Instrum. poet.* II. 10. §. 10. Portæ fuerunt tres: dextra, sinistra, media. V. illas supr. in *Machina*. Aræ fuerunt duæ. V. illas supr. in *Ara*.

Scena vocabatur etiam actus pars, in qua duæ, plures-ve personæ colloquuntur. Ejus initium est aliquando ab omnium ingressu, aliquando ab unius tantum, qui deinde alium quempiam invenit e *scena* superiore: finitur autem abitu interdum omnium, nonnunquam unius tantum. Adeo ut, si tres fuerint, duo reliqui sequentem constituant *scenam*. Nomen invenit ex eo, quod alia atque alia facies subinde apparet ex ædiculis, quæ olim quum e ramis, ac frondibus conficerentur, ita sunt ab umbris, & tabernaculis appellatæ. *Scalig. Poet.* I. 9.

SCENICI appellabantur tragici, & comici actores, quia in *scena* suas præstabant actiones. Suet. Tib. c. 34. n. 1. *Mercedibus scenicorum recisis.* Et *scenici artifices.* Suet. Cæs. c. 84. n. 6. *Scenici artifices vestem injecere flammæ. Scena* enim *proprie histrionum erat.* Pollux IV. 19. 2. *Rhodig. Antiq. Lect.* VIII. 8. *Pitisc. in Suet. Augustum.* Locabant operas suas, & erant infames. Ulpian. l. 2. §. 5. ff. de his qui not. infam. *Ait prætor: qui in scenam prodierit, infamis est. Scena est, ut Labeo definit, quæ ludorum faciendorum causa quolibet loco, ubi quis consistat, moveaturque spectaculum sui præbiturus, posita sit in publico, privatove, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittantur: eos enim qui quæstus causa in certamina descendunt, & omnes propter præmium in scenam prodeuntes famosos esse Pegasus & Nerva filius responderunt.* Nepos Præfat. §. 5. *In scenam prodire, & populo esse spectaculo nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini, quæ omnia apud nos,* Romanos, *partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur.* Auson. Lud. Sapient. prolog. n. 6.

Nobis pudendum, non & Atticis quoque,
Quibus theatrum curiæ præbet vicem.

Cicero apud August. de Civit. Dei II. 13. *Romani quamvis jam superstitione noxia premerentur, ut illos deos colerent, quos videbant sibi voluisse scenicas turpitudines consecrari, suæ tamen dignitatis memores, ac pudoris, actores talium fabularum nequaquam honoraverunt more Græcorum, sed sicut apud Ciceronem Scipio loquitur: cum artem ludicram, scenamque totam in probro ducerent, genus hominum id non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu amoveri notatione censoria voluerunt.* Buleng. de venat. circi c. 38. de Theatr. I. 49. Stewech. in Veget. II. 24. Donat. in Tacit. Ann. I. 15. Petit. Comm. ad Leg. Attic. p. 75. Buchner. in Nepotem. Casal. de Trag. c. 2. Fabric. de Lud. scenic. II. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 1722. C. Thys. Collat. Attic. & Roman. leg. Thes. Gronov. Tom. V. p. 1376. D. Voss. de Institut. poet. II. 10. §. 12. Hinc senatu movebantur, qui in *scenam* prodibant senatores. *Sponte enim famosi judicii notam subibant juvenes utriusque ordinis, quo minus in opera scenæ, arenæque edenda SCto tenerentur* apud Suet. Tib. c. 35. n. 3. id est, subornabant sibi accusatores, ut per judicium infamia notati, impune scenæ, & arenæ operam edere possent, senatoriam enim dignitatem amittere condemnati maluerunt, quam in *scena* non agere, aut pugnare. *Manut. de Senat. Rom.* c. 3. *Zamosc. de Senat. Rom.* I. 11. *Faber. Semest.* II. 12. *Agonist.* I. 3. *Pitisc. in Suet. Tiberium.* Baculum in manu habebant. V. supr. in *Baculus*. In ludis Capitolinis de sententia judicum coronis donabantur. Varr. de Ling. Lat. IV. 36. V. illum supr. in *Corollarium*. Unde Domitianus *instituit Capitolino Jovi certamen triplex, musicum, equestre, gymnicum, & aliquanto plurium, quam nunc est, coronarum.* Suet. c. 4. n. 9. Unde στεφανῖται dicuntur. Demosth. Orat. in Leptin. p. 562. B. *Maxima a vobis omni ævo in eos contulistis, qui ludis gymnicis coronarum victores essent.* Ubi Ulpian. p. 596. *Ludos intelligit epodicos, in quibus cantu certatur. Certaminum enim alia coronis, alia argento donantur.* Buleng. de Theatr. I. 59. Voss. de Instit. Rhet. II. 10. §. 14. Imitat. Poet. c. 11. §. 6. Pitisc. in Suet. Claud. c. 11. n. 8.

SCEPTRUM, σκῆπτρον, fuit antiquitus insigne regni. Cicer. pro Sext. c. 26. *Sedens cum purpura, & sceptro, & insignibus illis regiis.* Βασιλικὴν ῥάβδον, *regiam virgam,* seu *baculum* interpretatur Etymologicus. *Feith Antiq. Homer.* II. 4. *Barth. Adv.* XXIII. 2. *Turneb. Adv.* XXII. 12. *Rhodig. Ant. Lect.* VII. 29. Antiquissimorum Regum erat hasta. V. supr. in *Hasta*. Hoc Reges in manus sumebant, quoties publico aliquo munere erant functuri. Sic Nestor Odyss. III. 412. mane egressus domo consedit præ foribus σκῆπτρον ἔχων, circumstantibus undique natis, uxore, aliisque, cum sollenne Palladi sacrificium esset oblaturus. Potissimum hoc usi Reges, cum jus dicerent, tanquam justitiæ, ac veritatis insigni, ut ejus erectio sacramenti obtinuerit vim. Aristot. Polit. III. 14. *Judicabant de controversiis, & hoc faciebant alii jurejurando præstito, alii sine jurejurando: erat autem illis jusjurandum per sceptri elevationem.* Cujus rei exemplum Iliad X. 321.

Verum age, mihi sceptrum attolle, & mihi jura.

Ab hoc ritu poeta scribit Odyss. XI. 568. Minoem inferorum judicem;

Aureum sceptrum gestantem, leges ferentem mortuis.

Ita & Virg. Æneid. VII. 246.

Hoc Priami gestamen erat, cum jura vocatis
More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras.

Feith l. l. Per *sceptrum* veteres jurarunt. V. supr. in *Hasta*. Quare fœderibus adhibitum fuerit, docet Serv. Æneid. XII. 206. *Ut autem sceptra adhibeantur ad fœdera, hæc ratio est, quia majores semper simulacra Jovis adhibebant: quod cum tædiosum esset, præcipue quando fiebant fœdera cum longe positis gentibus, inventum est, ut sceptrum tenentes, quasi imaginem simulacri redderent Jovis. Sceptrum enim ipsius est imperium. Unde nunc tenet sceptrum Latinus, non quasi Rex, sed quasi pater patratus.* Valtrin. de re milit. Roman. VI. 11. Cerda in Virgil. l. l. *Sceptrum* etiam consules gerebant. Vetus epigramma:

Consulibus sceptrum, mensis decus, arma tablistis.

V. etiam infr. in *Scipio*. Duces etiam olim cum *sceptris* curiam ingrediebantur. Servius: *Apud majores duces cum sceptris ingrediebantur curiam, postea cœperunt tantum ex consulibus sceptra gestare, & signum erat eos consulares esse.* Salmas. in Trebell. trig. tyrann. c. 25.

SCH.

SCHEDA proprie dicebatur singularis plagula, ex scapo chartarum revulsa, cui committebant quicquid subita, & tumultuaria scriptione commentati essent, quod emendatum postea in mundiorem chartam regerebatur. Isidor. VI. 14. *Scheda est, quod adhuc emendatur, & necdum in libris redactum est.* Græce quoque σχέδιον, & σχεδάριον. *Salmas. in Vopisc. Firm. c.* 3. *Hugo de prim. scrib. orig. c.* 21. *Voss. Lex. Etymol. Vitell. contr. Merul. c.* 3. *Guiland. Papyr. membr.* III. §. 44. *H. Barbar. in Plin.* XIII. 11.

SCHEDIA erat *genus navigii inconditi, trabibus tantum inter se connexis facti, quo mercimonia circumferunt.* Festus. Lucilius:

Qui schedium facit inconditum, & inelaboratum.

Max. Tyr. Dissert. XL. *Solebant primi homines e levi materia ratem subitariam,* σχεδίαν τινὰ φαύλην, *contexere, quam firma tignorum compages inter se committeret.* Scheffer. de Milit. nav. I. 3. Gyrald. de Navig. c. 18. Bud. in Pan-

dect. p. 134. H. Salmas. Exerc. Plin. p. 338. a. F. Guiland. Papyr. memb. III. §. 47.

SCHEDIUM dicitur extemporaneum, id est, quicquid inelaboratum, quicquid temere factum est, nec satis confectum. Festus: *Unde mala poemata schedia appellantur. Apulejus a schedium schedicum facit inconditum, & inelaboratum.* *Schedicus* ita usurpat Apul. Florid. p. 826. *In isto schedico, & incondito experimini, an idem sim repentinus, qui præparatus.* Petron. c. 4. *Sed ne me putes improbasse schedium Lucillianæ humilitatis, quod sentio, & ipse carmine effingam.* Bud. in Pandect. p. 134. I. Gyrald. de Navig. c. 18. Voss. Lex. Etymol. Gonsal. in Petronium. Rhodig. Ant. Lect. XXVI. 29. Guiland. Papyr. membr. III. §. 45. H. Barbar. in Plin. XIII. 11.

SCHOENICOLÆ vocabantur meretrices, quia olebant schœnum, hoc est, unguentum vile e *schœno* factum. Festus: *Schœnicolas Plautus videtur appellare meretrices propter usum unguenti schœni, quod est pessimi generis, itaque ait:*

Diobolares, schœnicolæ, miraculæ,
Cum extritis talis, cum crotilis crusculis.

Schœno delibutas idem dicit Pœn. I. 2. 55.

Miseras, schœno delibutas.

Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XXIII. 18. Rhodig. Ant. Lect. XIV. 6. Augustin. & Scalig. in Festum. Gentil. de Actor. & spectat. fab. c. 17.

SCHOENOBATES vocatur funambulus. Juven. Sat. III. 77.

Augur, schœnobates, medicus, magus.

Funerepus dicitur Apul. Flor. p. 811. Transtulit eleganter Cœlius apud Cicer. Fam. VIII. 1. *Ego qui scirem Q. Pompejum Baulis schœnobaticam facere, & usque eo, ut ego misererer ejus esuriei, non sum commotus.* *Schœnobaticam facere* dixit Pompejum, quod iis premeretur angustiis rei familiaris, ut illi pedes, quod funambuli solent, diducere non liceat. *Pignor. de Serv. p.* 354.

SCHOENOS, seu quasi ita dicas funiculus, duos continet parasangas: habet ergo stadia sexaginta. Plinius quinque illi milliaria tribuit, hoc est stadia quadraginta. Herodotus vero milliaria septem cum dimidio, sive stadia sexaginta: quæ est distantia inter Emaum & Hierusalem auctore Luca c. 24. n. 13. *Ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta abs Hierusalem nomine Emaus.* Jacobus autem Zyeglerus cosmographus terræ sanctæ *schœnon* vult esse quatuor milliarium, quantum est milliare Germanicum mediocre. *Cenal. de Ponder. & mensur. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1485. *F. Bud. in Pandect. p.* 126. *D. Hennin. in Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 11. §. 1.

SCHOLA, σχολὴ, quia otio opus iis, qui volunt studiis vacare. Auson. Eidyll. IV. 6.

—— Grajo schola nomine dicta est,
Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis.

Huc pertinet & illud Virg. Georg. IV. 564.

—— studiis florentem ignobilis oti.

Ideo & ludus dicitur, quia studia sunt animi liberalis ludus. De *scholæ*, & ludi vocabulis ita Festus: *Scholæ dictæ sunt, non ab otio, ac vacatione omni; sed quod cæteris rebus omissis vacare liberalibus studiis pueri debent; ut etiam ludi appellantur, in quibus minime luditur, ne tristi aliquo nomine fugiant pueri fungi suo munere.* Voss. Lex. Etymol. Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. III. p. 334. D. Erant & publicæ, & privatæ. Publicas appello publica auctoritate constitutas. Privatas, quas sibi quisque privatim pro voluntate deligebat. Publicæ Romæ quidem fuere Athenæum, Capitolium, & pergulæ magistrales; alibi autem gymnasia. Privatæ vero domesticæ plerumque ædes, theatra tamen interdum, interdum templa, nonnunquam basilicæ, curia aliquando, sæpe commodatæ, seu conductæ divitum aulæ. *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* III. 1.

Schola significatione maxime propria, quæque & hodie maxime viget, ac recepta est, locus est in quo ars aliqua publice docebatur. Cassiod. Var. IX. 21. *Doctores eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut scholarum magistris deputata summa videatur imminui.* Plin. Epist. III. 3. *Jam conspicuendus rhetor Latinus, cujus scholæ severitas, pudor, inprimis castitas constet.* Mart. I. 120.

Versus scribere me parum severos,
Nec quos perlegat in schola magister,
Corneli quereris.

Nardin. Rom. Vet. III. 10. Cresoll. Theat. Rhet. IV. 4.

Schola vocatur etiam opportunum tempus, quo virtuti vacatur. Memorat hoc Suidas. Hoc sensu videtur accepisse Cicer. Tusc. Quæst. I. 4. *Dierum*, inquit, *quinque scholas, ut Græci appellant, in totidem libros contuli.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 64.

Schola vocatur ordo aliquis, sive turma, sive corpus militare aliquod, ab aliis turmis, aut similibus distinctum ordinibus. Veget. II. 21. *In orbem quendam per diversas cohortes, & diversas scholas promoventur.* Et, *Primipili centurio, postquam in orbem omnes cohortes per diversas administraverit scholas, in prima cohorte ad hanc pervenit palmam.* Hoc sensu accipiendæ sunt undecim *scholæ* militum, de quibus Imperator Justinian. l. ult. C. de locato agit: *Milites nos appellamus eos tam qui sub excelsis magistris militum tolerare noscuntur militiam, quam qui in undecim devotissimis scholis taxati sunt.* Nardin. Rom. Vet. III. 10. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 64. Descript. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 334. B. Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1056. B. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14: III. 10. Reines. Inscript. Class. VII. n. 45.

Schola vocatur locus, seu domus, domesticorum corporibus, seu ordinibus destinata. Imperatores l. 1. C. de Annon. civil. *Ideoque nihil ex his scholarum nomine vindicetur.* Corripp. de Laudib. Justin. min. IV.

Protinus officii summam tutantibus aulam
Ordinibus propriis, & prisco more notatis
Per scholas, turmasque vocant.

Nec aliter forsan accipiendæ multæ in Rufo & Victore *scholæ* domesticorum scutariorum, & similium. Sic *schola* quæstorum, & capulatorum in regione tertia est locus, ubi quæstores, & capulatores, oleum annuum, aut menstruum, quod populo ab Imperatoribus donari solebat, dimetiri, & in populum distribuere solebant. Fuit vel unum atrium, ubi capulatores illud metiebantur, & quæstores eorum, qui acciperent, habebant rationem: aut, si duo fuerint, saltem conjuncta fuerunt. Erant igitur illæ *scholæ* loca, seu atria, in quæ quæstores, & capulatores stato tempore convenire solebant, uti etiam nunc corpora artificum solent. *Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 334. *B. Nardin. Rom. Vet.* III. 10. *Rhodig. Ant. Lect.* XXX. 20. *Vales. in Ammian.* XIV. 7.

Schola Cassii collocatur a Victore in regione Urbis decima tertia. Cum vero plures fuerint Cassii, de quo hic intelligatur, difficile est discernere. Hic forte est, qui etiam viam Cassiam stravit. *Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 373. *A.* Ejus nusquam, quod sciam, extat mentio. De hac tamen P. Merula accipiendam putat illam inscriptionem, quæ in porta exteriore S. Alexii visitur:

IN. HONOREM. DOMUS. AUGUSTI.
CLAUDIUS. SECUNDUS. COACTOR.
CUM. TI. CLAUDIO. TI. F. QUIR.
SECUNDO. F. VIATORIBUS III. VIR.
ET. IIII. VIR. SCHOLAM. CUM. STATUIS: ET. IMAGINIBUS. ORNAMENTISQ. OMNIBUS. SUA. IMPENSA.
FECIT.

Sed hic de *schola* a Tiberio Claudio exstructa agitur: quæ nihil ad Cassium attinet. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 9.

Schola Xantha legitur apud Rufum & Victorem in descriptione Urbis. Illam A. Fabius Xanthus curator scribis, librariis, & præconibus ædilium curulium refecit, signisque, & marmoribus ornavit de sua pecunia. Inscriptio inventa in interiori epistylio porticus in so i Romani capite ad radices Capitolii prius obruta, & ante paucos annos retecta:

C. AVILIUS. LICINIUS. TROSIUS. CURATOR. SCHOLAM. DE. SUO. FECIT. BEBRIX. AUG. L. DRUSIANUS. A. FABIUS. XANTHUS. CUR. SCRIBIS. LIBRARIIS. ET. PRÆCONIBUS. AD. CUR. SCHOLAM. AB. INCHOATO. REFECERUNT. MARMORIBUS. ORNAVERUNT. VICTORIAM. AUGUSTAM. ET. SEDES. ÆNEAS. ET. CÆTERA. ORNAMENTA. DE. SUA. PECUNIA. FECERUNT.

Vales. in Ammian. XIV. 7.

Schola etiam locus, qui appellabatur, erat in balneis, ut constat ex Vitruv. V. 10. *Quanta longitudo fuerit, tertia dempta, latitudo sit, præter scholam labri, & alvei. Scholas labrorum ita fieri oportet spatiosas, ut cum priores occupaverint loca, circumspectantes reliqui recte stare possint.* Videtur porticus fuisse circa labrum. Ac satis versimile est nomen ex eo esse, quod isthic otiose consisterent, atque, ut Vitruvius loquitur, de hoc ipso loco agens, *circumspectantes starent.* Voss. Lex. Etymol. Mercur. de Art. gymnast. I. 10. Reines. Inscript. Class. VII. n. 15. Baldus Lex. Vitruv. Mihi pars est labri, sive alvei, id est, lapideæ structæve fossæ balnearum, ubi posteriores occupato a prioribus labro, alveove præstolabantur, & spectantes stabant. *Philand. in Vitruvium. Rhodig. Antiq. Lect.* XXX. 20. *Vales. in Ammian.* XIV. 7.

Schola in porticibus fuit locus, & statio quædam instar literarii ludi, in quem philosophi, & reliquis doctrinis exculti homines convenire solebant, ut publicis disputationibus, & colloquiis exercerentur. Plin. XXXV. 10. *Qui sunt in schola in Octaviæ porticibus.* Dalechamp. & Harduin. in Plinium. Reines. Inscript. Class. VII. n. 15. Ferret. Mus. Lapid. II. Mem. 41. Rhodig. Ant. Lect. XXX. 20. Baldus Lex. Vitruv. Philand. in Vitruv. V. 10.

Scholæ bestiariorum. V. illas supr. in *Bestiarii.* Potius fuerunt tota collegia eorum, qui præsunt bestiis, ad quas damnantur rei majestatis minutæ, aut facto, aut verbo. Hi enim aut immergebantur Tiberi, aut addicebantur bestiis. *Junius in Tertullianum.*

SCHOLARES dicuntur milites, qui in *scholis* Palatinis, id est, quæ ad Palatii custodiam deputatæ erant, militabant l. I. C. Th. quia præbitione tyronum, & in Codice Justiniani non semel. Procopius in Anecdotis, & Agathias lib. ult. σχολαρίους appellant, eosque ter mille ac quingentos fuisse, & ampliora cæteris militibus accepisse stipendia testantur. *Vales. ad Ammian.* XIX. 7. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 14. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient.* c. 90. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 8. *Faber Paralip. ad Agonist. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2270. *E.*

SCHOLASTICUS vocabatur tyro, qui primis institutis eruditur, & *schola* locus erat, in quo literarum tyrocinia, vel aliarum rerum exhibentur primordia. In veteri lapide Ursi Togati. V. illum supr. in *Pilicrepus.* Ferret. Mus. Lapid. II. Membr. 41.

Scholastici sæpius sunt dicti recitatores, declamatores, politique, ac splendidi oratores. Quæ omnia ex Cicerone, Seneca, Suetonio, Quintiliano, Plinio, Hieronymo, Augustino, & aliis notiora sunt, quam ut probationis egeant. *Ferrar. de Acclam. & plaus.* III. 1. *Turneb. Adv.* II. 7. *Cresoll. Theatr. Rhet.* III. 2. Hi consueverunt invitare studiose, qui audirent, & acclamarent, eosque prece, & pretio redimere. Acclamationis variæ erant formulæ. V. supr. in *Acclamatum est.* Post dictionem, seu recitationem osculis quandoque ab auditoribus excipiebantur. Apud Eunapium de Sophista Proæresio in ejus

vita in hanc rem sic scriptum videas: *Tum vero*, finita nimirum oratione, *neque leges suas servare proconsul, neque coronæ auditorum summi magistratus metu revereri potuit; nam cuncti, qui aderant, circumambiendo Sophistæ pectus, velut simulacrum alicujus dei, alii pedes, alii manus deosculabantur supplices.* Plinius ipse Calpurnium Pisonem, finita de amoribus recitatione, osculo excepit. Rem ipse narrat ad Spurinnam scribens Epist. V. 17. *Recitatione finita multum ac diu exosculatus adolescentem, qui est acerrimus stimulus monendi, laudibus incitavi, pergeret qua cœpisset.* Ferrar. ibid. c. 23. Voss. de Imitat. c. 7. §. 5. Chimentell. de Honor. bisell. c. 23. Et honorifica pompa domum ex auditorio reducebantur. Discimus hoc ex Luciano in Zeuxide, apud quem ita legimus: *Habita nuper in consessu vestro oratione, domum me conferebam. Permulti autem ex iis, qui orationi interfuerant, me accesserunt: itaque accedentes, porrectu dextra me consalutabant. multo autem itinere comitatu suo me deducentes.* . . . Eunapio in Proæresii vita: *Proconsul cum omni satellitio, sive copiis suis comitatum e theatro*, de Proæresio loquitur, *honorifice deduxit.* Et Gell. XV. 1. *Declamaverat Antonius Julianus rhetor nimium quam delectabiliter, & feliciter. Nos ergo familiares ejus, circumfusi undique, eum prosequebamur domum.* Ouzel. in Gellium. Ferrar. l. l. Si displicuissent, infaustis, ac contumeliosis acclamationibus onerabantur. In panegyrica prima Imperatoris Juliani oratione, de Græcis oratoribus agentis legimus, eos interdum illam ob caussam pallidos, ac trementes e suggesto descendisse, quod inter dicendum audiens populus identidem *tumultuaretur*, ac *reclamaret.* Liban. Epist. LII. *dicentis reclamare* hoc idem appellat: *clamoribus exagitare* Gregor. Nazianz. Orat. IV. Miros etiam risus in auditoribus, non sine magno dicentis contumelia excitavit acclamatio illa, quam in Cestium emisit Seneca in procem. Controv. III. *Memini*, inquit ille, *me intrare scholas, cum recitaturus esset in Milonem Cestius: ex consuetudine sua miratus dicebat; si Thrax essem, Fusius essem; si pantomimus essem, Batyllus essem; si equus, Melissio. Non continui bilem, exclamavi, & si cloaca esses, magna esses. Risus omnium ingens. Scholastici intueri me, quis essem, qui tam crassas cervices haberem. Cestius Ciceroni responsurus, mihi quid responderet, non invenit.* Sibilis excipiebantur, & explodebantur. Cicer. Parad. III. V. illum supr. in *Histrio.* pro Rosc. Com. c. 11. *Quod nuper in Erote Comœdo usu venit, qui posteaquam e scena non modo sibilis, sed etiam convicio explodebatur.* Suet. Aug. c. 45. n. 11. *Pyladem Urbe, atque Italia summovit, quod spectatorem, a quo exsibilabatur, demonstrasset digito* Ferrar. ibid. II. 16. Voss. de Instit. Poet. II. 10. §. 5. Scalig. Poet. I. 21. Pitisc. in Suetonium. Et lapidibus aliquando appetebantur. Petron. c. 50. V. illum supr. in *Poeta.*

SCI.

SCIADIUM quid in theatris. V. illud inf. in *Umbella.*

SCIAMACHIA est pugna umbratilis. Ad *sciamachiam* pertinere tantum pugillatum, & palæstram dicit Favorinus in σκιομαχεῖν. *Argol. in Panvin. de Lud. circens.* II. 1.

SCIATHER, σκιαθήρας, vel σκιοθήρας, ut σκιαμαχία, vel σκιομαχία. Sic σκιαθηρικὸν, & σκιοθηρικόν. Est vero *sciathericon* quasi umbratile horologium, quo nimirum, ex umbris cognoscimus horas. Plin. II. 76. V. illum supr. in *Gnomon.* Sed non tam antiqua videntur horologia *sciotherica.* Sane Aristophanis tempore, qui tanto post vixit, needum nota erant, ut scholiastes ejus annotavit. Atque aliter si esset, aliquis Græcorum meminisset horarum ex tot ejus seculi ac proximi scriptoribus, qui supersunt. Pollux tamen suspicatur IX. 5. Aristophani polum esse, quod junioribus horologium. Quod si verum est, dicere oporteat, fuisse quidem horologia, at non ita vulgo nota, sed solis mathematicis, & astrologis. Aut hoc verum est, aut etiam Pollux fuerit deceptus. Apte Vitruv. I. 6. *Collocetur aneus gnomon, indagator umbræ, qui*

Græce

Græce σκιαθήρας dicitur. Voss. Lex. Etymol. Bald. Lex. Vitruv. Salmas. Exerc. Plin. p. 446. a. B. & 455. b. B. Pollet. For. Rom. I. 2. Bud. Annot. in Pandect. p. 161. G. Rhodig. Ant. Lect. XII. 9. *Sciothera* illa, in quibus gnomonem erexit, & Lacedæmone primus ostendit Anaximander, non horas indicasse, sed æquinoctia tantum & solstitia designasse diserte testantur Laert. II. 1. *Primus autem gnomonem invenit, & Lacedæmone in sciotheris statuit, ut auctor est Phavorinus in omnigena historia, solstitia, & æquinoctia indicantem.* Euseb. Præpar. Evang. X. 14. *Hic*, Anaximander, *primus gnomones construxit, ad dignoscendas conversiones solis, & tempora, & anni tempestates, & æquinoctia.* Salmas. l. l. Kuster. in Suidam in v. ἡλιοτρόπιον.

SCIMPODIUM, σκιμπόδιον erat lectulus discubitorius, quod unum tantum hominem capiebat. Hesychius: *Σκιμπόδιον, κλινίδιον est lectulus, in quo unus cubat.* Eustath. in Homer. Iliad Π. p. 1102. *Σκίμπους, lectus vilis & humilis, terram attingens.* Scholiastes Aristoph. p. 138. *Σκίμποδα Attici dicunt lectulum, sive grabatum: proprie claudum grabatum. Nam σκιμπάζειν veteribus est χωλαίνειν, id est, claudicare.* In illo Romani jacebant corpore lasso, aut debilitato. Gell. XIX. 10. *Memini me quondam & Celsinum Julianum in Nuntiatum ad Frontonem Cornelium, pedes tunc graviter ægrum, ire & visere: atque ibi, qui introducti sumus, offendimus eum cubantem in scimpodio Græciensi.* Qui scimpodium Græce appellat, quod in Græcia frequens fuit. *Crinit. de Honest. Discipl. II. 7. Lips. Elect. I. 19. Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 25. *Buleng. de Conviv.* I. 31. *Chimentel. de Honor. bisell. c. 23. Bacc. de vin. & conv. v. Ant.* IV. *p.* 137. *Oizel. in Gellium. Petav. in Themist. Orat.* IX. *p.* 599. *Salmas. ... Nomencl. Pl. l.l. p.* 1019. Construebatur in modum lecti pensilis: & ipso per urbes, & per vias, tam viri, quam mulieres gestabantur, ut demonstrat Dio IX. p. 665. B. tradens *Augustum, ac Tiberium in scimpodio quandoque vehi solitos, cujusmodi mulieres tempore suo gestabantur.* Et LXXVI. p. 867. C. Ubi Severus, dum Britanniam obiret, *scimpodio undique obtecto fertur.* Qualis hujus instrumenti figura extiterit, haud satis constat: putandum est tamen illam fuisse ita fabricatam, ut lectum plerumque parvum caperet, ita vinctum, ut pendere videretur, in quo si non penitus, saltem ex aliqua parte, qui ferebantur, jacebant: & undique, ne ab aeris injuriis læderentur, cooperiri poterant. Hoc intellexisse, cum Crispinum quemdam notavit, meo judicio videtur intellexisse Juven. Sat. I. 159. V. illum supr. in *Pulvinus.* Mercur. de Art. gymnast. III. 12.

SCIPIO *est cognominatus Cornelius, qui cognominem patrem luminibus carentem pro baculo regebat, & nomen ex cognomine posteris dedit.* Macrob. Saturn. I. 6. *Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 837. *C.* Undecim invenio ante Africanum consecutos fuisse pontificatum maximum, dictaturam unam, triumphos tres, censuram unam, consulatus novem, tribunatus consulari potestate duos, magisteria equitum tria. I. fuit P. Cornelius an. 357. magister equitum M. Furio Camillo dictatori rei gerundæ causa, a quo Veji sunt capti, & qui de Vejis triumphavit. Anno proximo tribunus militum factus, & iterum continuato in alterum annum magistratu. Interrex biennio post fuit. II. fuit Publius *Scipio*, hujus filius, primus ædilis curulis an. 388. magister equitum L. Furio M. F. Camillo dictatori comitiorum causa an. 403. III. L. *Scipio*, ejus fortasse frater, fuit eodem anno cos. cum M. Popillio Lænate III. magister etiam equitum fuerat Ap. Claudio Crassino Regillensi dictatori rei gerundæ causa an. 391. IV. fuit P. *Scipio* Scapula pontifex maximus an. 421. quadriennio post cos. cum C. Plautio Proculo. V. fuit P. *Scipio* Barbatus, qui dictator fuit comitiorum causa, magistrum equitum dixit P. Decium Murem an. 467. biennio post pontifex maximus. VI. L. *Scipio* fuit cos. an. 455. cum Cn. Fulvio Max. Centumalo. Hunc Cn. F. quidam fuisse suspicantur. VII. Cn. Cornelius, L. F. Cn. N. *Scipio* Asina cos. fuit cum C. Duilio anno quinto primi belli Punici, hoc est, Urbis an. 493. Iterum cos. post sex annos cum A. Atilio Calatino II. anno proximo triumphum egit proconsul de Pœnis X. Kal. April. Quorum omnium Verrius in fastis testis est. Censor fuit cum eodem C. Duilio an. 495. lustrum sextum, & trigesimum fecerunt. VIII. P. *Scipio* Asina, hujus filius, fuit consul cum M. Minucio Rufo an. 532. & triumphum egit de Istris. Asinæ cognomen cur primo in hac familia hæserit. V. supr. in *Asina.* IX. fuit L. *Scipio* L. F. Cn. N. superioris patruus, consul anno proximo post Asinæ, & Duilii consulatum, teste Verrio. Cujus collega fuit C. Aquilius Florus. Triumphum egit de Pœnis, Sardinia, & Corsica V. Id. Mart. Hic Africani avus fuit, cujus filii duo fuerunt Cn. *Scipio* Calvus pater Nasicæ, & P. *Scipio* pater Africani & Asiatici. Cn. Calvus fuit consul cum M. Marcello, qui opima tulit an. 531. P. *Scipio* consul fuit quadriennio post cum Ti. Sempronio Longo anno primo belli Punici II. Ambo fratres in Hispania occisi sunt proconsules. Ventum est ad P. Cornelium *Scipionem* Africanum. Sed V. illum supr. in *Africanus.* Augustin. & Strein. de Famil. in Cornelia. Glandorp. Onomast. Rom. p. 236.

Scipio eburneus, aquilam sustinens, fuit inter insignia consularis potestatis apud Romanos. Sed aliter fuisse apud veteres, aliter sub mediis Imperatoribus observo. Veteres enim consules *scipionem* tantum gestabant triumphi die. Dionys. V. p. 314. *Nec sceptrum gestat eburneum, ut triumphantes.* Hinc triumphanti tantum tribuit Juven. Sat. X. 43.

Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno.

Vetus interpres: *Virgæ, quam consules portant, quam supra aquilas faciunt.* At recentiores quotidie gestabant, & cum *scipione* curiam ingrediebantur. Dionys. III. p. 195. *Principatus insignia, quibus suos Reges ornare consueverant, coronam auream, sellam eburneam, & sceptrum in summitate habens aquilam. . . . afferentes.* Et consulibus designatis statim *scipionem* deputabat senatus. Valerianus apud Vopisc. in Aurelian. c. 13. *Nam te consulem hodie designo, scripturus ad senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator*, ut addit Vopiscus, *non solet dare, sed a senatu, quando fit consul, accipere.* Quo loco docemur, *scipionem* illum cum fascibus consulibus, cum cætera insignia dignitatis conferrent Imperatores, neminem largiri, & conferre potuisse, præter senatum Romanum. Hujus moris intellectu etiam explicandus est Claud. de Laud. Stilich. II. 362. cum consulatum ingredienti Stilichoni sceptrum istud eburneum in manus ab ipsa Roma traditum ait:

Talibus invitat donis, dextraque regendum
Diva simul commisit ebur.

Nec consules tantum, sed consulares etiam *scipionem* gestabant: quod erat insigne, eos fuisse consules, & esse consulares. Servius Æneid. XI. 238. *Primus inter sceptriferos: namque apud majores omnes duces cum sceptris ingrediebantur curiam: postea cœperunt tantum ex consulibus sceptra gestare, & signum erat eos consulares esse.* Ammian. XXIX. *Horret animus reminisci, quo institio humilitatis tuæ rerum apices visebantur, & præcipue consulares post scipiones, & trabeas.* Salmas. in Vopiscum, Barth. Adv. LI. 6. Petav. in Themist. Orat. XI. p. 628. Faber ad tit. II. de Orig. jur. p. 186. Vignol. Dissert. de Colum. Anton. Pii c. 8. Lycklam. de Magistrat. c. 7. Lips. de Magistrat. Roman. c. 8. Kipping. Antiq. Roman. II. 3. §. 6. Buleng. de Triumph. c. 31. Demster. Antiq. Rom. V. 29. Reines. Epist. ad Rupert. 23. Dabatur etiam Regibus sociis, & amicis inter dona & munera, quæ illis Romani mittere solebant. Dionys. III. p. 196. *Quemadmodum & nunc Romani sceptra, & diademata mittunt Regibus, quando eis confirmant potestatem regiam.* Liv. XXX. 15. *Ibi Masinissam primum Regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat.* Tacit. Annal. IV. 26. 4. *Cognitis Ptolemæi per id bellum studiis, repetitus ex vetusto mos, missusque e senatoribus, qui scipionem eburneum, togam pictam,*

pictam, antiqua patrum munera daret, Regemque & ſocium atque amicum appellaret. Briſſon. de Form. II. p. 234.

SCISCENDI verbum locum habuit in ſuffragiis rogandis. Feſtus explicans quæ eſſet centuria *in qua ſcitur*, addit hæc: *Nam ſciſcito ſignificat ſententiam dicito, ac ſuffragium ferto. Unde & ſcita plebis.* Briſſon. de Form. II. p. 133. Plebs enim *ſciſcere* dicebatur, hoc eſt, ſtatuere, decernere. Unde *plebiſcitum.* Bud. in Pandect. p. 22. B. V. ſup. in *Plebiſcitum.*

SCISCIANA eſt metropolis Saviæ, ubi provinciæ theſaurus reponebatur, cui præerat præpoſitus theſaurorum *Siſcianorum* Saviæ nuncupatus. Hic etiam procurator monetæ *Sciſſianæ* ſub comite largitionum monetam percuti curabat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 62.

SCISSOR vocabatur miniſter, qui cibum ſcindebat, & ſciſſum præminiſtrabat. Petron. c. 36. V. illum ſupr. in *Cibus.* Senec. de Beat. vit. c. 17. *Quare ars eſt apud te margiare, nec temere, &, ut libet, collocatur argentum, ſed perite ſtruitur, & eſt aliquis ſcindendi obſonii magiſter?* Pignor. de Serv. p. 120. Popm. de Oper. ſerv. p. 118. Lipſ. Saturn. III. 2. Buleng. de Conviv. II. 2. Iſta acceptione verbo *ſecare* uſi ſunt veteres. Juven. Sat. v. 123.

—— nec minimo ſane diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.

XI. 135.

—— aut ideo pejor gallina ſecatur.

Gonſal. in Petronium.

SCO.

SCOBE ad temulentorum reliquias colligendas utebantur miniſtri tricliniares. Juven. Sat. XIV. 64.

Ergo miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici,
Ne perfuſa luto ſit porticus: & tamen uno
Semodio ſcobis hæc emendat ſervulus unus.

Julius Baſſus apud Senec. contr. IX. *Inter temulentas reliquias ſumptuoſiſſimæ cœnæ, & faſtidioſos ſub ebrietate cibos, modo exciſum caput humanum fertur inter purgamenta, & jactus cœnantium, & ſparſam in convivio ſcobem, humanus ſanguis everritur.* Pignor. de Serv. p. 199. Stuck. Antiq. Conviv. II. 14.

SCOLION erat carmen convivale, inter pocula concini ſolitum, quod, ut tradit Orus grammaticus, a temulentis, quibus ſenſuum organa turbata ſunt, & oblique ſe quodammodo habent, cantari ſoleat. Suidas vero, aliique e contrario, quod ſimplex, ac facile ſit, minimeque ambagioſum, quippe quum fuerit paucis verſibus contexta cantilena. Aliter Heſychius: *Scolion canticum eſt convivale, non propter modum carminis, quia flexuoſus eſſet, ſed quia non omnes canebant ejuſmodi cantica, ſed ſoli docti.* Dicæarchus de Muſica: *Triplex odarum genus fuit: unum quod omnes pariter uno concentu, alterum quod viritim ſinguli per ordinem canebant, & tertium hoc, quod a peritiſſimo, & ingenioſiſſimo quoque, & ut res in ordine cadebat, ſuccinebatur, unde & nomen.* Ariſtoxenus, & Phyllis muſicus prodidere, ut narrat interpres Ariſtoph. Ran. p. 237. *in nuptiis, diſpoſitis variis circa menſam unam lectis, accumbentes convivas myrteis per vices redimitos ſertis, ſententias, amatoriaſque cantilenas cantillare ſolere: & canendi vices ob lectorum poſitum obliquo modo peractas fuiſſe.* Proxime ad rem videtur accedere interpres Ariſtophanis ipſe: *Vetus,* inquit, *mos fuit convivas canere, ordine ſequentes eum qui deſierat: qui namque ea tum auſpicabatur, laurum myrtumque manu tenens, Simonidis, Steſichorive odas cantabat, quamdiu lubitum erat: deinde pro arbitrio ſuo, cuicunque placitum illi erat, tradebat, non ſecundum accumbentium ordinem: itaque ille deinceps cantilabat: qui rurſus tertio, cui viſum erat, canendi vices tradebat: inde factum eſt, ut ob implexum ordinem ſcolia dicerentur carmina, quæ ex improviſo, & recitare, & fidibus canere quilibet ſolitus eſſet.* Ego, ut in caput rem conferam, ita teneo, quum olim in conviviis poſt cœnam lyra circumferri fuerit ſolita, vel Quintiliano hoc atteſtante, ad quam fidibus canebatur, lyram illam obliquo, & ſinuoſo circuitu in menſa obambulante conſuevisse autumo ut ἐνάλλαξ, hoc eſt, pectinatim quodammodo, non ἐφεξῆς, id eſt, ſeriatim, & per ordinem accubitus, convivis tradita fuerit, atque inde carmina illa, quæ ad lyram canebantur, *ſcoliorum* appellationem meruiſſe. *Jun. Anim.* III. 7. *Buleng. de Conviv.* III. 33. *de Theat.* II. 10. *Scalig. Poet.* I. 42. *Gyrald. de Poet. dial.* I. p. 43. *D. Stuck. Antiq. Conviv.* III. 20. *Rhodig. Antiq. Lect.* XII. 15. *Voſ. Lex. Etymol. Laurent. de Profeſſ. c.* 4. *de Conviv. vet. c.* 14. *Van Dale Diſſert.* VII. *c.* 3.

SCOMBER. Illi ſuus honos erat inter ſalſamenta. Plin. IX. 15. *Scombri Hiſpaniæ cetarias replent.* Maxima enim copia Hiſpaniæ littoribus capiebatur. Præſertim in Herculis inſula, quæ inde *Scombraria* appellata eſt. Strab. III. p. 109. *Dehinc Herculis inſula eſt, quam a ſcombrorum multitudine Scombrariam vocant.* Romæ etiam in uſu fuiſſe oſtendit Plaut. Capt. IV. 2. 71.

Horæum, ſcombrum, & trigonum.

Catull. XCIII. 6.

At Voluſi annales, apuam porgentur ad ipſam,
Et laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas.

hoc eſt, ceſſura folia in tectorium ſalſamentorum. *Nonn. de Eſu piſc. c.* 29. *Re cibar.* III. 42.

SCOPARIUS lavandis, & ſtercorandis latrinis adhiberi ſolebat. Ejus miniſterium erat, ut *ſcopis* deverreret pavimenta ſordentia. *Scopas* Græci κόρημα nominant ἀπὸ τοῦ κορεῖν, quod *ſcopare*, ornareque indicat. Unde illud apud Ariſtoph. Εἰρήν. n. 59. μὴ κόρει τὴν Ἑλλάδα, *ne ſcopes Græciam*, id eſt, *ne in deſolationem redigas.* Sic enim loquebantur antiquiores Græci, ubi imprecatione acrius uti vellent. De his Ulpian. l. 8. ff. de inſtrum. leg. *Quibusdam in regionibus accedunt inſtrumento, ſi villa cultior eſt, atrienſes, ſcoparii.* Nam cum de cultiore villa agitur, recte atrienſibus junguntur *ſcoparii.* Et atrienſis *ſcoparium*, in quem atrienſi erat imperium, ſic alloquitur apud Plaut. Aſin. II. 4. 18.

Juſſin' ſceleſte ab janua hoc ſtercus hinc auferri?
Juſſin' columnis dejicier operas aranearum?
Juſſin' in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris?
Dormitis interea domi; atque herus in hara, haud ædibus habitat.

Stich. II. 2. 23.

Munditias volo fieri: ferte huc ſcopas, ſimulque arundinem,
Ut operam omnem aranearum perdam, & texturam improbam,
Dejiciamque earum omnes telas.

Popm. de Oper. ſervor. p. 138. Pignor. de Serv. p. 195. Stuck. Antiq. conviv. II. 14. Cujac. Obſerv. X. 34. Alex. Gen. III. 25. Hering. de Molend. q. 4. §. 55.

SCOPELISMUS, σκοπελισμὸς. De hoc Ulpian. l. 9. ff. de Extraord. crimin. *In provincia Arabia σκοπελισμὸν, id eſt, lapidum poſitionem, crimen appellant: cujus rei admiſſum tale eſt. Plerique inimicorum ſolent prædium inimici σκοπελίζειν, id eſt, lapides ponere indicio futuros, quod ſi quis eum agrum coluiſſet, malo letho periturus eſſet inſidiis eorum, qui ſcopulos poſuiſſent: quæ res tantum timorem habet, ut nemo ad eum agrum accedere audeat, crudelitatem timens eorum, qui ſcopeliſmum fecerunt: Hanc rem præſides exſequi ſolent graviter uſque ad pœnam capitis, quia & ipſa res mortem comminatur.* Præſidis præcipua cura erat, ut *ſcopeliſmum* prohiberet. *Panciroll. Notit. dignitat. imp. occid. c.* 117.

SCOPIA, & *ſcops* ſaltatio habuit quandam cervicis circumductionem ſimilem avi *ſcopi*, quæ obſtupeſcens ad homines ſaltantes capitur. *Buleng. de Theat.* I. 51.

SCOPULUS vocatur, ſi moles ſaxeæ e viſceribus terræ ita emineant, ut nudæ videantur, & acceſſum admittant. *Bergier. de viis militar.* II. *Sect.* 4. §. 8.

SCORDISCARIUS Hieronymo vocatur, qui *ſcor-*

dſca conficit. *Scordiſcum* vero, vel *ſcortiſcon* eſt ἐφίππιον, pellis nempe, qua equi *inſternuntur*. Gloſſæ opt. *Scordiſcus*, ἐφίππιον. Gloſſar. Græco-Latinum: ἐφίππιον, *ſcordiſcale*. Veget. de Re Veter. III. 60. *Quod ſi dorſum ſedentis injuria tumere jam cœperit; in recenti ſtatim mallonem ceparum, id eſt calamos ſiccos, unde faſces dependent, in aquam ferventiſſimam mittes: & aliquandiu maceratum calidum ſuper tumorem impones, faſcia conſtringes* vel *cordiſcum*, L. *ſcordiſcum*, *ſuperimpones*. Salmaſ. in Capitol. Verum c. 6. Turneb. Adv. XXIV. 3.

SCORPIO fuit militare tormentum, quod a catapulta diverſum fuiſſe non opinor, quia Vitruv. X. 15. catapultæ, *ſcorpioniſque* eandem rationem dicit eſſe: forte *ſcorpio* minores mittebat ſagittas. *Valtrin. de Re milit. Rom.* V. 6. A catapultis disjungit tamen Hirt. de bell. Afric. c. 31. *Cæſar in caſtris ſcorpionum, catapultarum magnam vim habet.* Et a balliſtis c. 46. *Balliſtis, ſcorpionibusque crebris ante frontem caſtrorum collocatis.* Senec. Nat. Quæſt. II. 16. *Nam balliſtæ quoque & ſcorpiones tela cum ſono expellunt.* Ad utriſque Liv. XXVI. 47. *Captus & apparatus ingens belli, catapultæ maximæ formæ centum viginti, minores ducentæ octoginta & una: balliſtæ majores viginti tres, minores quinquaginta duæ: ſcorpionum majorum minorumque, & armorum, telorumque ingens numerus.* Deſcribit Tertull. Scorpiac. c. 1. *Bellicam machinam, & retractu tela vegetantem de ſcorpio nominant. Id ſpiculum & fiſtula eſt, patula tenuitate in vulnus & virus, qua figit, effundit.* Significat clare, & mucronem, & ad eum canaliculum fuiſſe, qui infunderet venenum. Alii non dicunt. Sed de eo ita Veget. IV. 22. *Scorpiones dicebantur, quas nunc manubaliſtas vocant: ideo ſic nuncupati, quod parvis ſubtilibusque ſpiculis inferant mortem.* Adeo parva fuiſſe ſpicula, præſertim in majoribus, haud dicam, cum legam in Cæſ. de Bell. Gall. VII. 25. *Quidam ante oppidi portam Gallus ſcorpione ab latere dextro trajectus.* Hirt. de Bell. Afric. c. 29. *Scorpione accuratius miſſo, atque eorum decurione percuſſo, & ad decumanam defixo.* Cum *trajici* iis homines, cum *defigi* dicant: certe non nimis ii puſilli. Immanes fuiſſe certum ex Vitruv. X. 1. cum machinam ab organo diſtinguit. *Machinas pluribus operibus*, ſ. *operis ait effectus habere, ut balliſtas, aut torcularium prela. Organa autem unius opere*, ſ. *operæ prudenti tactu perficere quod propoſitum eſt, uti ſcorpionis, & aniſocyclorum verſationes.* Ergo vir unus dirigebat, & utebatur. *Lipſ. Poliorc.* III. *Dial.* 4. *Voſſ. Lex. Etymol. Stewech. in Vegetium. Baldus Lex. Vitruv. Turneb. Adv.* XV. 1. *Thyſ. de Oppugn. Urb.* III. *p.* 178.

Scorpio flagellum fuit acutiſſimum, e ferreis nimirum unculis, quibus lora armata erant, ut eo facilius corpus torquendum dilacerarent. Iſidorus. *Virga, ſi nodoſa eſt, vel aculeata, ſcorpio rectiſſimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur.* 1 Reg. c. 12. n. 11. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem vos cædam ſcorpionibus.* Vita vetus Baſſi Epiſcopi: *Quapropter in eculeo levatis fuſtibus, & ſcorpionibus, præſidis juſſu, diutiſſime cæſus eſt.* Barth. Adv. XLVIII. 17. Laurent. de Rebuſp. c. 7. Voſſ. Lex. Etymol.

Scorpiones vocabantur termini in pluribus locis, & intervallis facti, ad inſtar acervorum lapideorum, quales erant ſub hermis, aut ſtatuis Mercurialibus. Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 4. *Hi*, agri, *finiuntur terminis, & arboribus notatis, & antemiſſis, & ſuperciliis, & vepribus, & viis, & rivis, & foſſis. In quibusdam regionibus palos pro terminis obſervant: alii iliceos, alii oleagineos, alii vero juniperos. Alii congeries lapidum pro terminis obſervant, & ſcorpiones appellant.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. 43. §. 9. Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. V. p. 723. B. Scalig. in Ætn. p. 93. Voſſ. Lex. Etymol. Sic vocantur, quia in metam deſinunt. Σκορπίος enim Græcis dicitur etiam quicquid in metam, & conum faſtigiatum eſt, ut tutulus crinium in pueris ita vocabatur. *Scalig. Voſſ. & Aleand. l. l. Hennin. in Bergierum.*

SCORTEA appellatur veſtis ex corio & pellibus facta. Pellem enim antiqui *ſcortum* dicebant. Unde auctore Feſto meretrices *ſcorta* fuerunt appellatæ, *quia ut pelliculæ ſubiguntur.* Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *Etiam nunc dicimus ſcortea ea, quæ ex corio, & pellibus ſunt facta. Inde in aliquot ſacris, ac ſacellis ſcriptum habemus. Ne quid ſcorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adſit. In Atellanis licet animadvertere, ruſticos dicere, ſe adduxiſſe pro ſcorto pelliculam.* Quo reſpiciens ita canit Ovid. Faſt. I, 629.

Scortea non illi fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata deos.

Aliquis harum veſtium uſus in ingenuis fuit, tempore pluviæ, ut *ſcorteæ* penulæ apud Romanos. Hinc Mart. XIV. 130.

Ingrediare viam cœlo licet uſque ſereno,
Ad ſubitas nuſquam ſcortea deſit aquas.

Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 332. Ferrar. de Re veſt. II. 4. 21. Panvin. de Lud. Circenſ. II. 2. Balduin. de Calc. c. 27. Barth. Adv. XXI. 3.

SCORTIUM eſt menſura rotunda, quod quoad fieri poteſt, cumulatur, & ita cumulata menſuræ rubli, rubitellæ, & quartæ, quarum ſuperficies raduntur, reſpondet, licet non in omnibus recte: longa enim differentia eſt cumuli inter milium, quod labitur, & hordeum, aut ſiliginem, vel ſimilia, quæ non ita de facili labuntur, tamen & male ſervatur. Dividitur *ſcortium* in *ſemiſcortia* duo, quartucia, id eſt, *ſcortii* quartas 4. & ſemiquartucia 8. quæ omnes menſuræ inſtar *ſcortii*, rotundam formam habent, & cumulantur. *Pætus de Menſur. Roman. & Græc.* IV. *Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1658. *D.*

SCR.

SCRIBÆ fuerunt diverſi a notariis, ut nimirum etiam literæ a notis. Notis enim excipiebantur, quatenus illæ pro elementis ipſis non ſumuntur tamen, literis deſcribebatur quod legendum erat. Paull. c. 40. de teſtam. milit. *L. Titius miles notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictavit, & antequam literis perſcriberetur, vita defunctus eſt.* Quibus indicatur notarios eos fuiſſe perhibitos, qui exciperent characteribus quibusdam notis, & quotidie augeri conſuetis, quæ dictare, aut ſcribere volebant patroni, aut domini. *Scribas* autem, qui poſtmodum de notis in literas ſcripta redigerent, ut omnibus nota eſſe poſſent. Et hæc de miniſteriis talibus intra familias privatas. *Barth. Adv.* L. 1. Erant porro Reipublicæ, aut magiſtratibus *ſcribæ* publici. Illorum munus, & officium, ut rationes publicas in tabellas referrent, leges, & acta in commentarios redigerent. Feſtus: *Scribæ nunc dicuntur librarii, qui rationes publicas ſcribunt in tabulis.* Munus hoc vocatur *ſcribatus* l. ſi adſcribatur C. de appellat. Exercitium, *ſcriptum facere*, quod eſt *ſcribæ* munus exercere, *ſcribam* eſſe. Liv. IX. 46. *Invenio in quibusdam annalibus, quum appareret ædilibus, fierique ſe pro tribu ædilem videret* C. Flavius: *neque accipi nomen, quod ſcriptum faceret; tabulam poſuiſſe, & juraſſe, ſe ſcriptum non facturum: quem aliquanto antea deſiiſſe ſcriptum facere arguit Macer Licinius.* Gell. VI. 9. V. illum ſupr. in *Comitia ædilitia*. Ordo olim vilis. Nep. Eumen. I. 5. *Habuit eum ad manum ſcribæ loco: quod multo apud Grajos honorificentius eſt, quam apud Romanos: nam apud nos revera, ſicut ſunt, mercenarii ſcribæ exiſtimantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognitus, quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſſe participem.* Mox cœpit honeſtus haberi. Cicer. Verr. III. 79. *Ordo eſt honeſtus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratuum committuntur.* Tandem etiam adeo excrevit, ut fuerit in decurias deſcriptus, ordinis videlicet ſui ſervandi gratia, in civitate plena populo & variis poteſtatibus parente. Cicer. Verr. III. 79. *Noli hos*, ſcribas, *colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum donis, ac de ſcenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine exploſorum in ſecundum ordinem civitatis ſe veniſſe dicunt.* Suet. Claud. c. 1. n. 6. *Corpus ejus per municipiorum, coloniarumque primores, ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis ad Urbem devectum eſt.* Hugo de prima ſcrib. orig. c. 32. Pollet.

Fcr. Rom. v. 12. Ferrar. de Orig. Roman. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. (14.) Popm. de Oper. ferv. p. 9. Pignor. de Serv. p. 220. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 36: II. 13. Meibom. Mæcen. c. I. §. 10. Sigon. de Judic. I. 7. Reinef. Infcript. Claff. VI. n. 85. Valtrin. de Re milit. Roman. III. 10. Kipping. Antiq. Roman. II. 4. §. 1. Pitifc. in Suet. Claudium & Horatium.

Scriba ædilitius. Solebant fibi *fcribæ* ea adfcribere elogia, quibus magiftratibus *fcribæ* fuiffent. Indicio eft vetus titulus: CAPITONI SCRIBÆ ÆDILITIO. *Turneb. Adv.* XI. 10. *Reinef. Infcript. Claff.* XI. *n.* 17: VI. *n.* 85. *Torrent. in Suet. Vefpaf. c.* 3. *Maffon. Horat. vit. c.* 76.

Scriba cenfualis erat, apud quem teftamenta aperiebantur, publicabantur, feu actis infcrebantur l. 18. C. de teftam. *Teftamenta omnia, cæteraque, quæ apud officium cenfuale publicari folent, in eodem loco referventur.* Quod gratuito fiebat, fi hæreditas centum aureos non excedebat. l. 23. *Neve in hæreditate, cujus fumma centum aureorum pretium non excedit, mercedis quippiam, aut fumptuum, cenfum adminiftrantes, aut cenfualis apparitio fuper intimandis iisdem elogiis audeant adfequi.* Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 9.

Scriba cubicularius eft, quem vocamus fecretaire de la chambre. Infcriptio apud Gruter. p. 575. n. 7.

JANUARIUS DOMITIANI CÆSARIS
L. SCRIB. CUB. CONTUBERNALI.
OPTIMÆ FECIT.

Hi apud Romanos plurimum libertini erant. Unde in hac infcriptione Januarius uxorem libertam vocat, quia illam in fervitute duxerat. Aliquando tamen ingenui erant. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 21: III. 29. *Urfat. de Not. Roman. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 955. *D.*

Scriba epiftolaris vocabatur, qui epiftolaribus inferviebat. Infcriptio apud Gruter. p. 577. n. 8.

TI. CLAUDIUS. ALCIBIADES MAG.
A. BIBLIOTHECA LATINA APOLLI-
NIS ITEM. SCRIBA. AB. EPISTULIS.
LAT.

Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 21.

Scriba libellenfis vocabatur, qui libellenfibus inferviebat. Infcriptio apud Gruter. p. 582. n. 1.

TI. CLAUDIO. TI. AUGUSTI. LIB.
ARRIO CLAUDIANO. SCRIB. LIBEL

Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 21.

Scriba navalis vocabatur, *qui in nave apparebat, inter aliud genus fcribarum minimæ dignationis habebatur, quod periculis quoque ejus minifterium effet objectum.* Plaut. in Fragment.

Non ego te novi, navalis fcriba, columbar impudens?

Feftus. Scaliger ad hunc locum: *Navalis fcriba* dictum, tam propter *fcribam*, quam propter navalis, quia & nautæ, & id genus hominum male audit. Navalis fcriba eft etiam convicium apud Homer. Odyff. Θ. 163.

Vecturæque memor, & fpeculator eft viaticorum.

Ubi Scholiaftes poetæ: φόρτυ μνήμων *dicitur, qui curam gerit onerum, vel mercium in navi, quique cuncta memoriæ caufa notat, quæ neceffaria.* Λογιςὰς vocatos effe obfervo, quia, credo, rerum omnium rationes tenere, reddereque cogebantur. Puto mentionem *fcribæ* iftiufmodi extare in antiquo lapide apud Gruter. p. 564. n. 7. quamquam is non navis unius, fed totius claffis *fcriba* fuiffe videatur. Lapis hic eft:

D. M.
M. VALERIO
M. F. CLAUD. CO
LONO. LIBURN
VARVAR. SCRIB. CL
PR. RAVEN. VIXIT. ANN. L.
MIL. ANN. XXVI.

Scheffer. de Milit. nav. IV. 7. *Guther. de vet. jur. pont.* II. 13. *Torrent. in Suet. Vefpaf. c.* 3.

Scriba prætorius vocabatur, quia prætori apparebat. Infcriptio Jaderæ:

C. MODIUS. S. C. R
PR. VERRONA
ANN. XX

Verfu primo literæ fingulariæ in voculam colligendæ funt: eritque ifte Modius Scriba Prætorius. *Reinef. Infcript. Claff.* VI. n. 69. *Maffon Horat. vit. p.* 76.

Scriba quæftorius erat inferior ordine, quam ædilitius, aut prætorius. Et huic elogium hoc adfcribebatur, cujus magiftratus *fcriba* effet: SULPICIANO SCRIBÆ QUÆSTORIO. *Turneb. Adv.* XI. 10. *Marcil. in Suet. Vefpaf. c.* 3. *Reinef. Infcript. Claff.* XI. *n.* 16. & 120. In infimo fenatorum gradu fuerunt quæftores quibus illi apparebant. Plinius tamen XXVI. 1. loquitur de *Perufino equite Romano quæftorio fcriba*, qui *in Afia apparuit.* Maffon Horat. vit. p. 77. Et hunc legebat quæftor. Liv. XL. 29. *Et erat familiaris ufus, quod fcribam cum quæftor Q. Petilius in decuriam legerat.* Turneb. Adv. XXX. 24.

Scriba quindecimviralis. Infcriptio Romæ:

D. JULIO. CÆS. AUG
URBIS. ET ORBIS. HERO
POSTHUMUS. XV. VIR
SCRIBA. SENATUI
EDIDI
QUÆ. TEMPLI SACRUM
CONDIDIT
UNICO. B. M

In illa Pofthumius *quindecimviralis fcriba* exponendus eft. Quindecemviris S. F. commiffa erat cura librorum Sibyllinorum; eos e Scto adibant, cum confulendi effent, & quid juberent, renuntiabant fenatui, peragebantque omnia, quæ juffu carminum facienda effent. Huic negotio expediundo *fcribas* non minus quam cæteri magiftratus legebant, vel conducebant: ex eorum quindecimviralium *fcribarum* numero cenfeam fuiffe iftum Pofthumium. *Reinef. Infcript.* III. 1.

SCRIBERE eft vocem, aut vocis partes ob oculos ponere per literas. *Hugo de prim. fcrib. orig. c.* 1. Quis *fcribendi* artificium primus invenerit. V. fupr. in *Litera.* Veteres *fcribendo* majufculis duntaxat utebantur characteribus, ut videre eft in marmoribus, & nummis: in quibus minufculæ literæ reperiuntur nunquam. Sed hæ tamen poftea celerius *fcribendi* gratia fuerunt adinventæ. *Scribebant* etiam veteres, non quidem foliis diffectis, & in quaterniones, quos dicimus, confertis: fed in altera tantum paginarum facie, perpetuo ad extremum ufque folium ductu: illasque paginas inftar fpiræ convolutas complicabant. Notat etiam Suet. Jul. c. 56. n. 9. illum non quidem ut confules & duces Romanos tranfverfa charta fcriptas ad fenatum mififfe epiftolas, de quo modo jam diximus; fed illas *ad paginas, & formam memorialis libelli convertiffe*, feu ad inftar noftratis cujusdam libelli, quo utimur, complicaffe. Qui tenuioris erant fortunæ, folia *fcribendo* invertebant. *Varie enim fe affectum* ait Cicero Fam. XVI. 4. Tyronis fui literis, *valde priore pagina perturbatum, paullum altera recreatum.* In altero ut plurimum tantum chartæ latere, raro in utroque fcribebant veteres, nifi in palimpfeftis & deletitiis, ut poftea in mundum redigerent. Patet ex Mart. IV. 87. 11.

Inverfa pueris arande charta.

Adeoque in adverfa tantum chartæ facie; vel propter chartæ vitium. Tradit enim Plin. XIII. 12. *de charta augufta, nimiam ejus tenuitatem non fuffeciffe calamis: ad hoc tranfmittentem literas lituræ metum attuliffe adverfis*, id eft, iis, quæ in adverfa parte effent exarata: vel ut e regione adjicere, quæ opus forent, liceret. Averfa enim pagina folii prioris, & adverfa fequentis contra fe pofitæ facilem & unum quafi intuitum exhibent eorum, quæ utrobique fcripta funt. Cum igitur in averfa quoque chartæ pagina

 fcribe-

ſcriberetur, hoc genus librorum, Græco nomine, opiſtographos appellarunt, quaſi duas in tergo ſcriptos. *Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 269. & ad illum Salmuth p. 283. Savar. in Sidon. II. 9. Cellar. in Plin. Epiſt.* III. 5. 17. V. & ſupr. in *Opiſthographa.* Prima materia, in qua *ſcripſerunt*, fuere ſaxa, & lateres. Joſeph. Ant. Jud. I. 4. *Seth imitatores ſui ſuos habuit, qui facientes columnas duas, alteram ex lateribus, alteram ex lapidibus; in ambabus, quæ invenerant, conſcripſerunt: ut, ſi conſtructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens præberet hominibus ſcripta cognoſcere.* Romani hunc morem ſunt amplexi; unde tot paſſim viſuntur antiqua marmora, cippi, ſtelæ, literis inſcripta, ad memoriam æternam rerum geſtarum. Horat. Od. IV. 8. 13.

Inciſa notis marmora publicis.

Hugo ibid. c. 10. Salmaſ. de Mod. uſur. c. 17. Lapidibus ſucceſſere arborum folia, a quibus nos hodieque membranas, & chartas folia, Græci φύλλα, appellamus. Plin. XIII. II. & Iſidor. VI. 12. V. illos ſupr. in *Palma.* Flores. Ovid. Faſt. V. 223.

Prima Therapnæo feci de ſanguine florem,
Et manet in folio ſcripta querela ſuo.

Virg. Ecl. III. 106.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores.

Ovid. Met. X. 215.

Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, & Hya
Flos habet inſcriptum, funeſtaque litera ducta eſt.

Arborumque libri, hoc eſt tunicæ interioris corticis. Plin. l. l. *In foliis primo ſcriptitatum; deinde quarundam arborum libris.* Ulpian. l. librorum ff. de legat. III. arborum hujuſmodi tres ſpecies enumerat, tiliam, philyram, & papyrum. Et, quia magis ferunt ætatem, tabellæ ligneæ. V. illas infr. in *Tabella.* Plumbea volumina. V. illa infr. in *Volumen.* Et lintea. V. illa ſupr. in *Libri.* Hugo ibid. c. 10. Inſtrumentum, quo primum ſcripſerunt veteres, fuit ſtylus. V. illum infr. in *Stylus.* Sed ejus uſus exolevit, poſtquam inventus eſt calamus. V. illum ſupr. in *Calamus.* Hugo ibid. c. 9. *Scribendo* adfuiſſe dicebantur, qui ad *ſcribenda* SCta, quæ libera Republica fiebant, adhibebantur, & quorum nomina primis illorum verſibus poni ſolebant. Teſtatur hoc SCtum Græcum, inciſum in tabula ænea Romæ his verbis: ΓΡΑΦΟΜΕΝΩ ΠΑΡΗΣΑΝ. Et aliud apud Joſeph. Ant. Jud. XIV. 16. in quo eſt: ΓΡΑΦΟΜΕΝΩ ΤΩ ΔΟΓΜΑΤΙ ΠΑΡΗΣΑΝ. Cicer. Fam. XII. 28. *Quanquam erat nobis dictum, te exiſtimare alium SCto, quod contra dignitatem tuam fieret, ſcribendo jam jam adfuiſſe, qui omnino conſulibus illis nunquam affuit ſcribendo.* XV. 6. *Res ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis fuiſſe jucundum, quod ſcribendo adfuiſti. Hæc enim SCta non ignoro ab amiciſſimis ejus, cujus de honore agitur, ſcribi ſolere.* Lamprid. Heliog. c. 4. *Deinde ubi primum diem ſenatus habuit, matrem ſuam in ſenatum rogari juſſit. Quæ quum veniſſet vocata ad conſulum ſubſellia, ſcribendo adfuit, id eſt, SCti conficiendi teſtis.* Briſſon. de Form. II. p. 192. Caſaub. in Lampridium. *Scribendo* aderant non omnes plane, qui ſententiam SCti probaverant, ſed ii potiſſimum, qui præter cæteros ita decerni concupierant, qui SCti auctoritates dicebantur: non tam, quod ii maxime auctores fuiſſent, ut ita ſtatueretur, quam quod in eo SCti poſita eſſet auctoritas, ſi per claros viros *ſcriptum* videretur. Video etiam M. Catonem, cum ſua ſententia ſupplicationem Ciceroni non decreviſſet; tamen, cum plures eam decreviſſent, *ſcribendo* adfuiſſe. Quod autem non omnes, qui pro SCto ſenſerant, *ſcribendo* adfuiſſe dixi, non eſt cur in dubium vocari poſſit. Extat enim in Cœlii epiſtola apud Cicer. Fam. VIII. 8. integra SCti formula: quæ perpaucos adfuiſſe *ſcribendo* ſignificat, cum tamen in decernendo plurimi conſenſiſſent. Illud conſiderandum, cur in hoc ipſo, quod Cœlius recitat, SCto bis eorum nomina, qui *ſcribendo* adfuerunt, poſita ſint. Nam, ſi ſemel tantum in ſingulis SCtis *adſcribebantur*, cur in hoc bis? ſin, quot erant in SCto capita, toties *adſcribi* ſolebant: cur in hoc, in quo quatuor ſunt capita, non quater potius, quam bis? Quod ſi quis, non quatuor eſſe SCti capita, ſed quatuor SCta contenderit: hæreoit tamen nihilominus, magis etiam aliquanto: nam ad quatuor SCta quater *adſcribi* ſenatorum nomina debuiſſe multo etiam veriſimilius eſt, quam ad quatuor SCti partes. Verum de uno SCto ſe loqui his verbis docet Cœlius: *SCtum, quod tibi miſi factum eſt: & huic SCto interceſſit Cœlius*, quæ cum iterum tertioque ſubjungit, non plura SCta ſignificat, ſed plures ejuſdem SCti partes. Non expedio me, cur non aut quater *adſcriptæ* ſint auctoritates, ut ad quatuor SCti capita, aut ſemel tantum, ut ad unum SCtum: quiddam tamen, ut accipiatur, dicam: licet opinui, & ante SCtum, & poſt ſenatorum nomina fuiſſe *perſcripta*, cum quidem SCtum erat: nam cum intercedebatur, non erat SCtum, ſed auctoritas ſenatus dicebatur. Quod ſi ita eſt: jure hic ad eam SCti partem, cui interceſſit nemo, quæque vere SCtum fuit, auctoritates appoſitæ ſunt, & in principio, & in extremo: ad illas autem partes, quæ SCti nomine caruerunt, propterea quod iis interceſſum eſt, nullæ *adſcriptæ* ſunt auctoritates. *Manut. de Senat. Rom. c.* 10. Non ſuper menſis, aut pluteis, ſed ſuper femore collocata charta ſcribebant veteres. V. ſupr. in *Lectica lucubratoria.*

Scribere dicam quid ſit V. ſupr. in *Dica.*

Scribere diem quid ſit V. ſupr. in *Dies.*

Scribere nummos quid ſit V. ſupr. in *Nummus.*

SCRIBI dicebantur credita. Cicer. pro Roſc. *Quemadmodum turpe eſt ſcribi quod non debeatur.* Vet. ſchol. Horat. Sat. III. 2. *Scribere juris verbum eſt pro mutuum ſumere.* Scheffer. Diſſert. de Nov. Tab. c. 1.

SCRIBLITA eſt genus edulii. Notum ex Caton. de Re ruſt. c. 79. *Scriblitam ſic facito: in balteo tractes caſeo, ad eundem modum facito, uti placentam ſine melle. Scriblita* vocatur Plaut. Pœn. prol. n. 43.

Nunc dum ſcriblitæ æſtuant, occurrite.

Turneb. Adv. XXIII. 10. Buleng. de Conviv. IV. 18. Pomp. Inſtrum. fundi c. 20 Barth. Adv. XXXV. 4. Latini videntur appellaſſe nomine formato ex Græca voce ϛρεπτὸς, quæ apud Athenienſes placentæ genus deſignat. Harpocration. Στρεπτοὶ, *genus placentæ.* Nempe quia funium varie flexorum inſtar fuit contortum. *Scheffer. de Antiq. torq. c.* 1. Literæ, & figuræ, quod & hodie fit, a dulciario illi imprimebantur. Itali vocant tortam. Coquebatur in forma ænea, & diutiſſime fervebat, ut niſi poſt longum intervallum digitos admitteret, paullulum frigidefacta. *Scriver. in Martialem mox laudandum.* Apponebatur in ſecundis menſis. Mart. III. 17. 1.

Circumlata diu menſis ſcriblita ſecundis.

Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 506.

SCRIBLITARIUS vocatur, qui *ſcriblitas* facit. Afranius. V. illum ſupr. in *Lucunculi.*

SCRIBONIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

SCRINIA ſunt plutei, armaria, loculi, in quibus acta Principum, libelli, commentarii, & literaria monumenta aſſervantur. Plin. VII. 25. *Illa ſunt vera, & incomparabilis invicti animi ſublimitas, captis apud Pharſalum Pompeji Magni ſcriniis epiſtolarum: iterumque apud Thapſum Scipionis, ea optima cremaſſe fide, atque non legiſſe.* Epiſt. X. 71. 3. *Vera, & emendata in ſcriniis tuis eſſe credebam.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 76. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 3. Bud. in Pandect. p. 87. G. Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Imper. Rom. IV. 12. Anna Dacer. in Aurel. Vict. de Cæſar. c. 20. n. 34. Quædam erant ſtataria, in regia, vel alibi condita, in quibus monumenta antiqua, ad imperium, regnumve pertinentia, &, ut ita dicam, inſtrumentum imperii, regnive aſſervatur: qualia ſunt Pariſiis in receſſu editiore ſacelli palatini. Quædam erant viatoria, quæ in comitatu principali circumferuntur, in quibus libelli ſupplices Principi a poſtulantibus porrecti conduntur, quoad ſubſcribantur, id eſt, quoad Principi vacet libellis, & poſtulantibus operam dare,

dare, libelliſque reſponſitare. *Bud. l. l.* Decem erant numero 1. canonum. 2. tabulariorum. 3. numerariorum, 4. aureæ miſſæ. 5. auri ad reſponſum, 6. veſtiarii ſacri. 7. ſcrinii ab argento. 8. annularenſis, vel milliarenſis. 9. a pecuniis. 10. exceptorum. Quibus addi poteſt, qui a Notitia, & in oriente, & in occidente omittitur, *ſcrinium* mittendariorum. Fuerant & alia *ſcrinia* quatuor; memoriæ, epiſtolarum, libellorum, diſpoſitionum. *Panciroll. ibid. c.* 76--87. *Guther. Bud. Buleng. l. l.* Sigillis obſignabantur. Mart. I. 67. 5.

Secreta quære carmina, & rudes curas,
Quas novit unus, ſcrinioque ſignatas
Cuſtodit ipſe virginis pater chartæ.

Longus de Annal. c. 11.

Scrinium etiam fuit unguentorum, & rerum, quæ in deliciis habentur. Plin. VII. 29. *Alexander Magnus inter ſpolia Darii Perſarum Regis unguentorum ſcrinio capto, quod erat auro gemmiſque, ac margaritis pretioſum, varios ejus uſus amicis demonſtrantibus, imo, hercule, inquit librorum Homeri cuſtodiæ detur.* Bud. in Pandect. p. 87. G.

SCRINIARIUS *eſt magiſter ſcriniorum, vel memorialis ſcriniorum.* Vet. gloſſar. Suidas: *Scriniarius, chartularius præfecti, qui tollit, ac ſuſcipit ſcrinium.* Voſſ. Lex. Etymol. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 955. F. Buleng. de Imper. Rom. IV. 12. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 76. Aring. Rom. Subterr. III. 3. 15. Lapis Romæ in conventu fratr. S. Sebaſt.

LUPERIÆ
FEMINÆ
CASTISSIMÆ. PIISS.
M. LUPERIUS. M. F.
OUF. MERULANUS
SCRINIARIUS
CONJUGI. FIDELISSI
MÆ. FECIT. ET. SIBI. ET.
LIBER.

Reineſ. Inſcript. Claſſ. XI. *n.* 102. *Guther. de Offic dom. Aug.* III. 7.

SCRIPTA duodecim *biſſena puncta* vocat Mart. XIV. 17.

Hic mihi biſſeno numeratur teſſera puncto.

Et hinc luſus *duodecim ſcriptorum*, cujus mentionem facit Cicero in Hortenſio, prout illum laudat Non. II. 781. *Itaque tibi concedo, quod in duodecim ſcriptis ſolemus, ut calculum reducas, ſi te alicujus dati pœnitet.* Vox hæc occurrit etiam apud Quintil. XI. 2. *An vero Scævola in luſu duodecim ſcruporum, L. ſcriptorum, cum prior calculum promoviſſet, eſſetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet, recordatus, rediit ad eum, quicum luſerat, iſque ita factum eſſe confeſſus eſt.* Victor. Var. Lect. V. 13. Souter. de Alea I. 16. Senftleb. de Alea c. 11. n. 12. Barthol. Merula in Ovid. de Art. amand. III. 363. ait conſtitiſſe ex duodecim calculis; ſed errat, cum deberet dicere, illum conſtitiſſe ex duodecim lineis, ſcilicet ab utraque parte ludentium. Ut autem ad ſententiam Nonii ipſa *ſcriptorum* vox rara, antiqua, & obſoleta ſuo etiam tempore jamdudum erat: ita procul dubio & ipſum ludendi genus ſequioribus Romanorum ſeculis paullatim obſolevit. *Senftleb. l. l.* In tabula luſoria, ut olim apud veteres, ſic hodie apud nos, duplex præcipue ludus ludebatur: calculorum, quos & latrunculos, & latrones dicebant: & teſſerarum, quem & tabulæ luſum appellabant, & tabulam, & aleam, & duodecim *ſcriptorum* ludum, ſi credimus Salmaſ. in Vopiſc. Procul. c. 12. Alterum tabulæ latus, in quo teſſeris, calculiſque ludebatur, lineis duodecim diſtinctum, deſcriptumque erat, in quibus calculi varie diſponebantur, prout teſſeræ cecidiſſent. Quare alea hic, & arti pariter, fortunæque locus, ars cum fortuna certabat: fortuna ex teſſerarum jactu pendebat, ars in calculorum diſpoſitione tota poſita erat. Latruncularia vero tabula non habebat aleam, ſed ſolam artem, & ingenium. Lineas illas Latini *ſcripta* vocabant, Græci γραμμὰς, vel γράμματα. Sic *ſcripta*, & *ſcriptula* iidem Latini dixerunt in ponderibus, quæ Græci γράμματα. Γράμμα, ſive *ſcriptulum* tertiam drachmæ partem conſtituebat, hoc eſt, duos obolos. Dictum autem Græcis γράμμα, & Latinis *ſcriptulum*, quod duabus lineis *ſcriberetur*, notareturque ad hunc modum ⊐. Ita etiam *ſcripta*, & *ſcriptula* dicebantur in tabula lineæ, in quibus calculi collocabantur. Hinc ludus tabulæ, & duodecim *ſcriptorum* plane idem. Nam tabulæ pars, quæ teſſeris ſerviebat, duodecim *ſcriptis* erat notata, ad luſum, & uſum calculorum. Ovid. de Art. Amand. III. 363.

Eſt genus in totidem tenui ratione redactum
Scriptula, quot menſes lubricus annus habet.

Vetus epigramma de tabula:

Diſcolor ancipiti ſub jactu calculus aſtat,
Decertantque ſimul candidus atque rubens:
Et quamvis parili ſcriptorum tramite currant,
Is capiet palmam, quem bona fata juvant.

Scriptorum tramitem vocat *ſcripta* illa, ſive lineas, per quas calculi currebant. Ὁδὸν Agathias in epigrammate de tabula Zenonis de hoc eodem luſu. *Vias* etiam Iſidor. XVIII. 64. *Sed & ipſas vias ſenariis locis diſtinctas, propter ætates hominum argumentantur.* Atque hæc eſt eadem Palamediaca tabula, duodecim caſſis, ſive capſis diſtincta. *Souter. l. l.*

SCRIPTULUM erat vigeſima quarta unciæ pars, duos in ſe recipiebat obolos. Soſip. Cariſ. I. 81. *Scriptulum, quod nunc vulgus ſine p ſcribit, Varro in Plautorino dixit. Idem* III. *Annali: Nummum argenteum conflatum primo a Servio Tullio dicunt: is quatuor ſcriptulis major fuit quam nunc eſt.* Voſſ. Lex. Etymol. Victor. Var. Lect. V. 13. Cenal. de Pond. ac menſ. rat. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1448. A. Salmaſ. de Mod. uſur. c. 6.

SCRIPTURA proprie, & vulgo appellabatur vectigal, quod publicum, quibus paſcua fuerunt locata, accipiebant e paſtionibus. Appellatur ita, quia paſtores numerum pecudum, quas in publica paſcua immittere vellent, profiteri debebant; & publicani in tabulis ſuis annotabant, & ſcribebant, ex qua *ſcriptura* poſtea ratio inter paſtorem, & publicanum conſtituebatur. Inde ager, ſive paſcuum ipſum dicebatur *ager ſcripturarius.* Feſtus. V. illum ſupr. in *Ager.* De *ſcriptura* Cicer. pro Manil. c. 6. *Ita neque ex portu, neque ex decimis, neque ex ſcriptura vectigal conſervari poteſt.* pro Flacc. c. 8. *Mirandum eſt homines eos, quibus odio ſunt noſtræ ſecures; nomen acerbum; ſcriptura, decimæ, portorium, mors; libenter arripere facultatem lædendi.* Lipſ. de Magnit. Rom. II. 1. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 16: II. 4. Cuper. in Lactant. de mort. perſecut. c. 23. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 17. Bulenger. de Vectig. c. 11. Bergier. de viis milit. I. Sect. 12. §. 4. Turneb. Adv. I. 5. Bud. in Pandect. p. 175. G. Rhodig. Ant. Lect. XIX. 16. Hotman. Antiq. Roman. II. 15. Laurent. de Rebuſp. c. 3. Thyſ. de Magnit. Roman. I. p. 252. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 3. Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 4. Qui profeſſi non eſſent, in legem cenſoriam incidebant. V. ſupr. in *Profiteri.*

SCROBS eſt fovea, vel puteus intra terram manu factus, ad vineas, vel arbores conſerendas, vel ad metalla, & quæcunque alia fodienda. Colum. de Re ruſt. IV. 1. *Verior cauſa eſt depreſſius paſtinandi, quoniam jugata vineta melius conſurgunt altioribus demiſſa ſcrobibus.* Pitiſc. in Suetonium mox laudandum. *Scrobium* mentio aliquoties fit in ſuppliciis, ſive quia ſoliti puniendum in *ſcrobe* collocare, quo ſecurius ferirent; ſive quia depoſituri in ea cadaver. Tale aliquid e Suet. Ner. c. 49. n. 1. *Ut quamprimum ſe impendentibus contumeliis eriperet, ſcrobem coram fieri imperavit, dimenſus ad corporis ſui modulum. Vix enim eſt, ut ejuſmodi damnati combuſti fuerint, aut juſta eis facta.* Tacit. Annal. I. 61. 6. *Quot patibula captivis, quæ ſcrobes?* XV. 67. 4. *Pœna Flavii Vejano Nigro tribuno mandatur. Is*

proximo in agro scrobem effodi jussit: quem Flavius, ut humilem, & angustum increpans: ne hoc quidem, inquit, ex disciplina. Lips. in Tacit. Annal. I. n. 214. Valtrin. de Re mil. Rom. VI. 8. Casaub. in Suetonium. Quod in *scrobe* statuerentur, queis cervix præcidenda, nullum de hoc more vestigium, quod sciam, apud scriptores exstat: nec scio, quomodo in fovea securior ictus esse possit. Quod vero cadaver in ea defoderetur, quia cremari nefas, repugnare videtur Tacit. Annal. VI. 29. 2. *Et quia damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur, eorum qui de se statuebant* i. non exspectabant carnificem, *humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi.* Ex quo apparet, corpora supplicio affecta non fuisse humata: cum etiam constet, vel ad Gemonias tracta, vel ad puticulos abjecta. Fortasse igitur hoc militiæ honori datum, ut damnatorum corpora tumularentur: cum paganorum insepulta abjicerentur, vel puticulis traderentur. Verum in clade Variana alia res fuit. Ibi enim Tacitus non de suppliciis Romani moris loquitur, sed quæ Germani Romanis militibus irrogarunt. *Quot patibula captivis?* Id supplicium Romæ servile fuit. Quare puto, non aliam fuisse *scrobis* pœnam, quam cum vivi defoderentur, aut injecta crate necarentur. V. supr. in *Crates.* Ferrar. Elect. II. 7. Guther. de Jur. man. I. 19. Græv. in Suetonium.

SCROFA *cognominatus est Tremellius eventu tali. I. Tremellius cum familia, atque liberis in villa erat: servi ejus, cum de vicino scropha erraret, surreptam conficiunt. Vicinus advocatis custodibus omnia circumvenit, ne qua efferri possit; isque ad dominum appellat restitui sibi pecudem. Tremellius, qui ex villico rem comperisset, scrofæ cadaver sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat: quæstionem vicino permittit: cum ventum est ad cubiculum, verba jurationis concipit, nullam in villa sua esse scropham, nisi istam, inquit, quæ in centonibus jacet, lectum monstrat. Ea facetissima juratio Tremellio cognomen Scrophæ dedit.* Macrob. Saturn. I. 6. Aliter Varr. de Re rust. II. 4. *Avus meus primum appellatus est Scrofa, qui quæstor cum esset Licinio Nervæ prætori in Macedonia provincia relictus, qui præesset exercitui, dum prætor rediret: hostes arbitrati occasionem se habere victoriæ, impressionem facere cœperunt in castra. Avus cum cohortaretur milites, ut arma caperent, atque exirent contra, dixit celeriter se illos, ut scrofa porcos, disjecturum: id quod fecit: nam eo prælio hostes ita fudit, ac fugavit, ut cognomen invenerit, ut diceretur Scrofa.* Buleng. de Conviv. II. 24. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.

SCRUTA, Græcis, γρύτη, & γρυτάρια dicuntur vasa futilia, & frivola, antiquitate deteriora facta: ut vestes detritæ, calceamenta marcida, & id genus quisquiliæ. Gloss. Philox. & Cyrill. *Scruta*, γρύτη. S. Apponitur more Æolum, qui dicunt σμῦς pro μῦς: σμικρὸς pro μικρός. *Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv.* V. 13. *Rhodig. Ant. Lect.* XIX. 16. *Thys. in Gell.* III. 14.

SCRUTARI dicuntur, qui quædam *scruta*, frivolaque usui accommodata e ruderibus, aut locis, in quæ veteramenta rejiciuntur, eruebant. Firmant hanc sententiam Glossæ Cyrilli: ubi est, *Scrutatur*, γρυτεύει, ἐρευνᾷ. *Voss. Lex. Etymol.*

SCRUTARIUS dicitur, qui *scruta* vendit. Lucill. apud Gell. III. 14.

> *Quidni? & scruta quidem ut vendat scrutarius laudat,*
> *Præfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.*

Gloss. Cyrill. *Scrutarius*, γρυτοπώλης. Hinc *scrutariam facere* apud Apul. IV. p. 110. quod exponas licet ex Horat. Epist. I. 7. 65.

> *Vilia vendentem tunicato scruta popello.*

& erit *scrutarii* quæstum exercere, ac *scruta* vendere, nisi malis cum Torrentio, aliisque interpretari *scruta* per pauperum cœnacula suffurari. *Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv.* V. 13. *Torrent. in Horatium. Rhodig. Ant. Lect.* XIX. 16. *Pignor. de Serv. p.* 286.

SCRUTATORES dicebantur servi, qui salutatores, qui ad principem salutandi causa veniebant, *scrutabantur*, & excutiebant, ne telum, aliudve armorum genus absconditum gestarent. Illos in aula primus instituit Claudius. Suet. c. 35. n. 2. *Reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos.* Hic mos Romæ ab hoc Claudio ad Vespasianum. Suet. Vesp. c. 12. n. 6. *Consuetudinem salutantes scrutandi, manente adhuc bello civili, omiserat.* Popma de Oper. serv. p. 123. Pitisc. in Suet. Claudium. Claude de Salutat. vet. c. 7.

SCU.

SCULCÆ & *sculcati* dicebantur recentioribus pro exculcis, & exculcatoribus. Ita spansum pro exspanso, sposita pro expositione apud Anianum. Græci recentiores Τακτικῶν scriptores σκύλκας & σκυλάτωρας appellant, & pro exploratoribus eam vocem usurpant. Quod inde est, quia levibus militibus ad explorandum utebantur, & ad hoc sæpe præmitti, & procurrere solebant, cum equitibus, ut constat ex Joseph. Ἁλωσ. III. 8. Inde verbum σκυλκεύειν pro explorare. Pro excubitoribus etiam hos *sculcatores* posuere, quia hoc munus etiam fuit velitum excubias ante castra agere circa vallum, ut apud Polybium legimus. *Salmas. de Re milit. Roman. c.* 19. *in Trebell. Gallien. c.* 11. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1186. *A.*

SCULCATORIA dicebantur navigia τὰ κατασκοπικὰ apud Cassiod. Var. II. 20. Sic enim ex scriptis codicibus ibi legendum: *Atque ideo præsenti decernimus jussione, ut quantas in Ravennati urbe sculcatorias potueris reperire, frumentis fiscalibus oneratas ad nos usque perducas.* Excubitorias etiam liceat exponere, quatenus utrumque munus sustinuere naves, ut iidem milites levis armaturæ, tam excubitores, quam exploratores fuerunt. *Salmas. de Re milit. Roman. c.* 19.

SCULNA vocabatur sequester, & arbiter. Gloss. Philox. & Cyrill. *Sculna*, συνθηκοφύλαξ. Quasi qui custodiat συνθήκας, id est, pacta, & conventa, de quibus utraque pars convenerit; ut facere solet etiam sequester. In glossis Isidori exponitur *sculna sponsus*, id est, *sponsor*, nempe qui Græcis μεσεγγυήτης, Latinis *sculna*, & sequester. Voce *sculna* pro sequestro usus Macrob. Sat. II. 13. *Cleopatra uxor, quæ vinci a Romanis nec luxuria dignaretur, sponsione provocavit insumere se posse in unam cœnam sestertium centies: id mirum Antonio visum, nec moratus sponsione contendit digna, sculna Munatio Planco, qui tam honesti certaminis arbiter electus est.* Gell. XX. 11. *P. Lavinius scripsit: sculnam vulgo dici quasi seculnam: quem qui elegantius, inquit, loquuntur, sequestrem appellant. Utrumque vocabulum a sequendo factum est: quod ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. Sculna scriptum est in Logistorico M. Varronis, qui inscribitur Cacus.* Ouzel. in Gellium, Voss. Lex. Etymol. Pith. Adv. Subc. I. 18. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom. V. 8. Salmas. de Mod. usur. c. 16. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 186.

SCULPERE quid sit V. supr. in *Scalpere.* *Sculpendi* ars ævo Aureliani multum de pristina amisit pulcritudine, & præstantia, vergentibus jam in barbariem temporibus, ut ex utroque arcu Severi, item Gallieni, aliisque operibus, ac monumentis antiquis, Aureliani ætatem sæpe præcedentibus, clarissime liquet. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6.

SCULPONEÆ erant calceamenta servorum & ancillarum. Cato de Re rust. c. 60. V. illum supr. in *Calceus.* Fuerint ex solido ligno exsculpti excavati calcei. Illis amatoris senis os cæditur apud Plaut. Cas. II. 8. 59.

> —— *qui quæso potius quam sculponeas,*
> *Quibus batuatur tibi os, senex nequissime.*

Voss. Lex. Etymol. Victor. Var. Lect. XI. 8. Turneb. Adv. VI. 23. Fruter. Verís. I. 11. Loon. de Manum. serv. IV. 3. 5.

SCULPTORES ligni, qui in ligno imagines hominum, & brutorum effingunt. In codice Theodosiano hi sim-

ſimpliciter *ſculptores* nominantur. *Pancirol. de Corp. artif.* §. 10. Si quis velit noſſe nomina, & nobilitatem operum, & artificum veterum in marmore, quorum operum plurima Romam tranſlata diverſis temporibus, huic Urbi paſſim in viis ejus militaribus, & locis publicis ſplendorem addiderunt, legat Plin. XXXI. 4. & 5. *Bergier. de viis milit.* v. *Sect.* 13. §. 6. ..

SCULPTURA eſt antiquiſſima. Cum Dipœnus & Scyllis in Creta florerent hac arte; *jam fuerant in Chio inſula Melas ſculptor, dein filius ejus Micciades, ac deinde nepos Anthermus Chius: cujus filius Bubalus, & Anthermus clariſſimi in ea ſcientia fuere, Hipponactis Poëtæ ætate, quem certum eſt* LX. *Olympiade fuiſſe. Quod ſi quis horum familiam ad proavum uſque retroagat, inveniet artis ejus originem cum Olympiadum origine cœpiſſe*, computante Plin. XXXVI. 5. ubi paullo poſt ſubjecit: *Non omittendum, hanc artem tanto vetuſtiorem fuiſſe, quam picturam, aut ſtatuariam, quarum utraque cum Phidia cœpit* LXXXIII. *Olympiade.* Hos Plinii calculos ſi ſequamur, *ſculptura* præceſſit Romam conditam annis XXIV. & fuerit, ante picturam, & ſtatuariam inventas, CCCXCVI. annis. *Bergier. de viis milit.* v. *Sect.* 13. §. 2. Materia communis erat lignum, ebur, cera, lapis, marmor, & ſimilia, quæ ſcalprum, cælumve admittunt. Principio Urbis conditæ, cum adhuc paupertas eſſet, ad ipſa deorum ſimulacra uſurpabatur argilla, lignum. Poſtea etiam marmor & ebur. V. infr. in *Simulacrum.* Nihil in hac arte difficilius, quam hominem perfectiſſimum animal ad vivum coloribus exprimere, ſive in plana ſuperficie, ſive in exſtanti: quare prius vultum creta deſignant, mox archetypum faciunt; & quum omnia fecerint, vix aſſequuntur quod volunt. Michael Angelus *ſculpendi*, & pingendi arte nobilis, fatebatur *ſculpturam* pictura longe difficiliorem, itaque longe plura nativis coloribus pinxit, quam ſculpſit. Statuariam difficiliorem faciunt diverſi aſpectus ſtatuæ pleni anaglyphi. Plana pictura non exigit tot aſpectus. Deinde *ſculptura* legem dicit proportionibus, & ſymmetriis, ſeu menſuris architecturæ, quæ ſumuntur e corpore humano. Ideoque nemo architectus nobilis eſſe poteſt, qui *ſculpturæ*, & ſtatuariæ non ſit peritus. *Buleng. de Sculptur.* II. 7. Quomodo a cælatura differat V. ſupr. in *Cælatura.*

SCURRÆ dicebantur, qui jocularibus dictis menſas ditiorum aucupabantur. Gallienus menſam ſecundam *ſcurrarum*, & mimorum ſemper habuerat, ait Victor. *Buleng. de Conviv.* III. 31. Quia ſcenatici homines dicteria fundebant ad riſum ſpectatoribus tollendum, propterea factum eſt, ut mimi *ſcurræ* vocarentur. Juven. Sat. VIII. 139.

> *—— mimum agit ille*
> *Urbani qualem facundus ſcurra Catulli.*

Prudent. Περὶ ϛεφ. II. 320.

> *Dum ſcurra ſaltas fabulam.*

Catull. XXII. 12.

> *Hoc quid putemus eſſe? qui modo ſcurra....*

Scalig. in Catullum. Voſſ. Lex. Etymol. Exſequiis interdum ſolebant adhiberi. Suet. Veſp. c. 19. n. 6. V. illum ſupr. in *Mimus.* Tib. c. 57. n. 3. *Scurram, qui, prætereunte funere, elato mortuo mandarat, ut nuntiaret Auguſto. . . .* Kirchman. de Funer. II. 7. Moreſtell. Pomp. Feral. II. 18. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonium.

Scurræ dicebantur homines urbani, non ruſtici, ſed elegantes. Plaut. Moſt. I. 1. 14.

> *Tu urbanus vero ſcurra, deliciæ populi.*
> *Rus mihi objectas.*

Epid. I. 1. 13.

> —— TH. *Scurra es.* EP. *Scio*
> *Te eſſe quidem hominem militarem.*

Scurra hic urbanus eſt, non militaris. Trucul. I. 2. 165.

> *Quam urbani aſſidui cives, quos ſcurras vocant.*

Videntur autem ſic appellati fuiſſe, qui aſſidue in Urbe eſſent, nunquam in agris: quo ſine cura fortaſſe, & opere omni eſſent. *Turneb. Adv.* XIX. 13. *Voſſ. Lex. Etymol. Douz. Centur.* II. 13.

SCUTALE videtur eſſe habena fundæ. Liv. XXXVIII. 29. V. illum ſupr. in *Funda Achaica.* Quid enim ea verba volunt, *non ſimplicis habenæ eſſe, ſed ſcutali triplici?* Fallor, aut pro habena habet, ac miſcet; an ideo, quia pars ea fundæ, cui lapis imponitur, quaſi *ſcuti* formam palam refert? Ergo *ſcutale*, quod ab ea dependet: fortaſſe, quod ipſa *ſcuta* loris revincire ſolent, quæ ὀχέας Græci vocant. *Lipſ. Poliorc.* IV. *Dial.* 3. *Turneb. Adv.* XIV. 11.

SCUTARIA erat fabrica, in qua *ſcuta*, & arma protegendi corporis gratia fabricabantur. V. ſupr. in *Fabrica.*

SCUTARIUS dicebatur *ſcutorum* fabricator. Plaut. Epid. I. 1. 35.

> *Id videndum eſt, ut materies ſuppetat ſcutariis.*

In Romana militia multiplicium erant armorum artifices; inter quos *ſcutarii* quoque adnumerantur a Veget. II. 11. *Habebant fabricas ſcutarias, loricarias, arcuarias, in quibus ſagittæ, miſſilia, caſſides, omniaque armorum genera tornabantur.* Aring. Rom. Subterran. III. 3. 10.

Scutarius dicebatur etiam miles, qui Principem comitabatur. Zoſim. III. 29. *Recedentibus duobus ordinibus, qui Principem ſtipare ſolebant, ac ſcutarii dicuntur: ſcutis* enim potiſſimum utentes, totum etiam corpus armis tegebant. *Scutatos* fuiſſe pedites dictos armis tectos auctor eſt Veget. I. 20. *Pedites autem ſcutati.* A Conſtantino videntur inſtituti. *Pancirol. Notit. Dignit. Imper. orient c.* 64. *Valeſ. in Ammian.* XIV. 7. *Columb. in Lactant. de Mort. perſecut. c.* 19.

SCUTATI dicebantur equites, qui præter lanceas *ſcuta* gerebant. Ælian. Tactic. c. 2. *Horum alii ſcuta habent, vocanturque ſcutati,* θυρεοφόροι. *Pancirol. Notit. dignit. Imper. orient. c.* 33. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 31.

Scutatus, qui & coronatus, regni Franciæ Gallicæ moneta aurea. *Solaris* eſt dictus a *ſolid*, non a *ſole.* Quod mihi omnino probatur, qui videam poſt Romanos Francis ſolidorum pro aureis mentionem frequentiſſe uſurpatam. Ita Gregorius I. *pontifex* epiſtola quadam ad Dynamium Gallicorum *ſolidorum* meminit: & alia ad Fantinum, ubi CL. *ſolidorum grave nomen habetur*: & Candido ad regendum eccleſiæ patrimonium in Galliam miſſo mandat, *ut ſolidos Galliarum, qui in Italia expendat in alimenta, & veſtes pauperum.* Manſit igitur in his nomen *Eſcu Sol* apud Franco-Gallos, quamvis non neſciam etiam ſemiargenteos illos minores *Souls* apud eos dici, ut ducatos etiam Hungaricos legimus *ſolidos regales* dictos c. ult. de Rer. permut. Et in Gallicis illis ab omni antiquitate video inſculptum illud, quod adhuc uſurpari videmus: CHRS. VINCIT. CHRS. REGNAT. plane ad imitationem Græcorum illius: IHC. XPC. NIKA. *Freher. de Re monet. Germ. imp.* II. 3. Singulorum *ſcutatorum* pondus non debet excedere ſexaginta tria grana, & circiter quinque nonas unius grani partes, nec deſcendere infra ſexaginta tria grana, & circiter quintam grani partem. *Savot. de Numm. Antiq.* III. 21.

SCUTELLA erat vas menſarium, a circinata *ſcuti* modo rotunditate. Cicer. Tuſc. Quæſt. III. 19. *Demus huic ſcutellam dulciculæ potionis.* Bacc. de vin. ac conviv. ant. IV. p. 155. Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 712. E.

SCUTICA in uſu erat apud Sophiſtas, & illa excipiebantur grandiores pueri. Julianum Imperatorem alloquitur Liban. in Legat. *Si Sophiſta*, inquit, *eſſes, & tuorum diſcipulorum aliquis ignave, & nequiter ageret, num permitteres? nequaquam; ſed induceretur ſcutica. Scuticæ habenas* de Hercule puerorum more caſtigato dixit Ovid. Heroid. IX. 81.

> *Crederis infelix ſcuticæ tremefactus habenis*
> *Ante pedes dominæ pertimuiſſe minas.*

Hieron. adv. Rufinum: *Nec tibi, ut dicis, ferulas adhibeo, neque Athenogeronta meum ſcutica, & plagis literas docere contendo.* Pœna non levis fuit. Lucian. in Somnio

de

de se fatetur, *scutica cæsum vibices in corpore retinuisse.* Ejus acerbitas liquidius intelligetur, si quid fuerit cogitemus. Schol. Juven. Sat. VI. 480. *Scutica est lorum latum, corium non confectum.* Generatim βυρσίνη, *scuticam loream* vocat Aristoph. Equit. I. 1. 59. Sed non e quocunque fiebat corio, verum e durissimo, & ad doloris sensum inurendum opportuno. Eam in rem canina pellis adhibebatur. Aristoph. Equit. I. 3. 55.

> Κυνακυπήσω σȣ τὸ νῶτον.
> *Tibi dolabo terga flagris.*

hoc est, ut interpres Græcus: κυνείῳ δὲ δέρματι παίσω. Reddit rationem: ἐςὶ γὰρ τραχύτατον. *Canina pelle te cædam; nam est asperrima.* Fiebat & e corio bubulo. Lego apud eundem comicum Acharn. III. 1. 6. ἱμάντας ἐκ λεπρῶν, supple βοῶν, quorum δέρματα ἰσχυρὰ εἶναι ait Scholiastes. Hinc *scutica taurea* dicitur Juven. Sat. VI. 480. *Cresoll. Theatr. Rhet.* V. 6. Nonnunquam ex anguillæ corio. Plin. IX. 23. *Anguillis tergus crassius: eoque verberari solitos tradit Verrius prætextatos & ob id multam his dicit non institutam.* Isidor. V. 27. *Anguilla est, qua in scholis coercentur pueri, quæ vulgo scutica dicitur.* Faber Semestr. II. 6. Cresoll. l. l.

SCUTRA est vas æneum. Gloss. Philox. *Scutra*, χαλκίον. Plaut. Pers. I. 3. 7.

> *Commisce mulsum, struthea, colutheaque appara*
> *Bene ut in scutris concaleant.*

Cæcil. Hymnide: *Quæ narrare inepti est scutras ferventis.* Voss. Lex. Etymol. Popma de Instrum. fundi c. 19. Salmas. in Capitol. Ver. c. 6. Vopisc. Carin. c. 20.

SCUTRISCUM est patella a rotunditate scutiformi dicta. Ejus meminit Cato de Re rust. c. 10. *Scutriscum, matellam.* Popma de Instrum. fundi c. 19. Voss. Lex. Etymol. Salmas. in Capitol. Ver. c. 6.

SCUTULA si est a *scutra*, & hæc a χύτρα, id est, olla, quod est verisimile, *scutulæ* rotundæ fuerunt, ut ollæ. Tales etiam apud nos rotundæ lances appellantur, *scutelle*, & omnes clearie patinæ ferme rotundæ sunt. *Ferrar. de Re vest. Anal. c. 31. Voss. Lex. Etymol. in Scutum. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20.*

Scutula in arboribus est pars corticis *scutulari* figura, quam in iis eximere inoculationis gratia, quo ejus in locum inseratur par cortex ex arbore alia, præcipit Colum. V. 11. Plin. XVII. 16. *Amputatis omnibus ramis, ne succum avocent, nitidissima in parte, quaque præcipua cernatur hilaritas, exempta scutula, ita ne descendat ultra ferrum, cortici imprimitur ex alia cortex par, cum sui generis mamma, sic compage densata, ut cicatrici locus non sit, & statim fiat unitas, non humorem, non afflatum recipiens; nihilominus tamen & luto munire, & vinculo melius. Hoc genus repertum non ita pridem volunt, qui novis moribus favent.* Est vero is Columella. *Sed id etiam apud Græcos veteres invenitur, & apud Caton. c. 42.* Voss. Lex. Etymol. in Scutum.

Scutula in vestibus quid fuerit, V. infr. in *Vestes scutulatæ.*

SCUTUM differt a clypeo, & separant, quicunque signate, ac proprie locuti. Livius. V. illum supr. in *Clypeus.* Idem I. 43. *Primæ classi dicit imperatum esse clypeum cum galea, ocreis, lorica: secundæ scutum pro clypeo, & præter loricam omnia eadem.* Hoc sic expressit Dionys. IV. p. 221. Ἀντὶ τῶν ἀσπίδων ἀνέδωκε θυρεούς. Quare falli necesse Junium, qui in Nomencl. c. 72. *scutum* ἀσπίδα, clypeum θυρεὸν vertit: & dicit *scutum* fuisse rotundum, & clypeum oblongum. Discrimen quidem est a forma, sed non quam ponit Junius: nam *scutum* erat oblongum. Virg. Æneid. VIII. 662.

> —— *scutis protecti corpora longis.*

Et Græci idcirco θύρας dixere, nempe quod, ut monet Eustath. Odyss. p. 351. referret similitudinem θύρας, sive forium, quæ longiores erant quam latiores. Unde Plutarch. in Æmil. ut magnitudinem indicet, θυρεοὺς ποδήρεις, *scuta ad pedes demissa* vocat. Et Liv. XLIV. 33. scribit milites *capite super scuti margine posito sopitos stetisse.* Et, ut Nicetas Choniates refert, *Eustratio in singulare certamen descendenti scutum est datum* ἀνδρομήκες; hoc est, *hominis longitudinem æquans.* Clypeus erat rotundus, unde εὐκύκλους ἀσπίδας vocat Homer. Iliad. N. 75. Ξ. 428. V. supr. in *Clypeus.* Discrimen etiam est a materia. *Scutum* erat ex ligno, & ex pluribus, minutisque tabellis junctum. Varr. de Ling. Lat. IV. 24. *Scutum minute confectum tabellis.* Ammian. XXI. 2. *Cum apud Parisios adhuc Cæsar Julianus quatiens scutum variis motibus exerceretur in campo axiculis, quibus orbis* (scutum) *erat compaginatus, in vanum excussis, ansa remanserat sola.* Ostendit pluribus lignis & axiculis constitisse. Atque hæc ex certis arboribus, quas designat Plin. XVI. 40. *Frigidissima quæcunque aquatica, lentissima autem, & ideo scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, clauditque suum vulnus, & ob id contumacius transmittunt ferrum. In quo genere sunt ficus, salix, tilia, betula, sambucus, populus utraque. Levissima autem ex his ficus & salix, ideoque utilissimæ.* Salix inter levissimas censetur, atque etiam utililissimas. Et ideo Græci salicem dixerunt pro ipso *scuto.* Hesychius: *Salices scuta, quia primitus ex hac materia sunt facta.* Eurip. Cycl. n. 7.

> *Enceladum clypeo in medio percutiens, hasta*
> *Interfeci.* Ἰτέαν ϑένων.

Et interdum ex vimine. Theocr. Eidyll. XVI. 79.

> *Brachia vimineis scutis pressi, atque gravati.*

Qualia gerræ vocabantur. V. supr. in *Gerræ.* Et crudo corio tegebantur. Ammian. XXIV. 2. *Objectis scutis vimine firmissimo textis, & crudorum tergorum densitate vestitis validissime resistebant.* Sed clypeus ex ære. V. supr. in *Clypeus. Erant etiam scuta equitum, ut clypei peditum. Virg. Æneid.* IX. 370. *Scutati omnes: non clypeati.* Servius. Est vero operæ pretium Latine loquentem audire Polyb. VI. 21. *Secundis ætate, & quos hastatos dicunt, mandabant ferre omnia arma. Sunt ea more Romano, scutum primo, cujus latitudo est in gibba superficie pedum duorum & semis, longitudo pedum quatuor. Majus vero etiam palmo præterea excedit. Est ex duplici tabulatione, taurino glutino cum linteo compactum: dehinc bubulo corio tegitur exteriorem superficiem. Habet in curvatura circa superam, inferamque partem ferreum munimentum, quo & contra ictus ensium defenditur, & contra inclinationes, aut depositiones in terram. Aptatur illi & ferreus umbo, qui vehementes ictus avertit lapidum, & sarissarum, & universi violenti cujusque teli.* Lips. de Milit. Rom. III. 2. Voss. Lex. Etymol. de Vit. serm. I. 30. Manut. Quæs. Epist. III. 6. Turneb. Adv. II. 27. Lyd. de Re milit. III. 5. Valtrin. de Re milit. Rom. III. 12. Cerda in Virgilium. Patric. Rei Rom. milit. part. V. sect. 3. & 4. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 606. Stewech. in Veget. II. 15. Croph. Ant. Maced. III. 4. Caroli Antiq. Roman. III. 7. Thys. Rom. Illustr. III. p. 72. & 73. Kipping. Antiq. Roman. III. 3. 1. A Sammitibus postea tertium quoddam genus *scuti* assumpse unt Romani, quod in marmoribus occurrit, parte superiore quadratum, & inferiore ovatum. Tale describit Liv. IX. 40. *Forma erat scuti: summum latius, qua pectus, atque humeri teguntur, fastigio æquali: ad imum cuneatior, mobilitatis causa.* Patric. ibid. sect. 3. Aliud erat imbricatum, quod undique æquali latitudine, & velut januæ formam habet, sed incurvæ: & sectum canalem, aut imbricem refert. *Thys. ibid. p.* 73. Origo *scutorum* a Regibus, imo a primo ipso Rege Romulo. Exemplum a Sabinis, item Liguribus, quorum tamen *scuta* a Romanis differunt; teguntur enim Ligures *scuto* longo, ad Gallicum modum facto. *Thys. ibid. p.* 74. *Scutum*, pila, galeam deponebant in contubernio, vel, ut Hyginus, proxime tentoria, saguloque tecti per castra ibant. Hinc in repentinis tumultibus milites sine *scutis*, & justis armis deprehensos non raro legimus. Tacit. Hist. V. 22. 5. *Romani vulneribus exciti quærunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia torta veste, & strictis mucronibus.* Liv. XXV. 16. *Inter hæc dicta paludamento circa lævum brachium intorto; nam ne scuta quidem extulerant secum*

tum, in hostes impetum fecit. Gracchus. Pacuv. apud Varr. de Ling. Lat. iv. 1. & Non. ii. 145. *Chlamyde clupeat brachium.* Tradit & Cæs. de Bell. civ. i. 75. milites suos, qui colloquii causa ad Afranii castra transierant, quod *scuta* non portassent, *dextras in repentino periculo sagis involvisse, atque ita gladiis districtis se a cetratis, & equitibus Afranii defendisse.* Nam veteres, ubi casu, aut necessitate in pugnam vocatis *scuta* deessent, sago, pallio, vel toga circa brachium in modum *scuti* intorta, sese defendebant. Encolpius apud Petron. c. 40. *Idem & egò ex altera parte feci, & intorto circa brachium pallio, composui ad præliandum gradum.* Depositi autem in contubernio arma ex antiqua disciplina ne capere quidem injussu ducum fas erat, adeo omnia lege, & ordine gerebantur. Inde Vejentium, & Etruscorum illud apud Liv. ii. 45. M. Fabio, & Cn. Manlio coss. militem intra castra continentibus. *Impune se insultaturos*, non credi militi arma. Et mox dato juratis pugnæ signo Livius: *Arma capiunt, eunt in pugna irarum, speique pleni, nunc jubent Hetruscos probra jacere, nunc armatis sibi quisque lingua promptum hostem offerri. Nunc*, inquit, *armatis sibi*, quia antequam datum pugnæ signum, armati *scuto*, galea, pilis non fuerant. In castris prætoriis in pacato armamentario etiam clausa legimus. Gladium, & hærentia corpori tegmina non nisi de nocte deponebant. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1030. *C.* Ansa una, an duæ fuerint in *scuto* grandiore. V. supr. in *Ansa.* Varias formas, aut colores *scutis* addebant, sive ad insigne, ut cognoscibiles essent, sive ad decorem. Strab. xiv. *insignia*, seu *notas* appellat. Ad Cares rei originem refert Herod. i. p. 78. C. *Cares sunt, qui ostenderunt signa scutis imponere.* Romanos vetustos ita cultos fuisse negat Prop. iv. 11. 21.

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo,
Præbebant cæsi baltea lenta boves.

Non vult pro temporis sui luxu pyropo *scuta* ornata, sive lapide ipso, sive potius colore rutilo, & flammante. Talis enim in fulmine, quod crebrum valde, & quasi de more, in Romanis *scutis.* Sed tamen ante de Tatio Rege Sabino idem scripserat iv. 4. 20.

Pictaque per flavas arma levare jubas.

Et *scutum* intelligit: in quo jam olim imagines agnoscit etiam Juven. Sat. xi. 107.

Pendentesque deos perituro ostenderet hosti.

Romulum & Remum de lupa *pendentes*, ut *ostenderet*, nempe admoto *scuto.* Etiam majorum facta expressa. De Scævola quodam Sil. Ital. viii. 385.

Scævola, cui dira cælatur laudis honora
Effigie clypeus.

Aut imagines eorum. De Scipione Africano idem xvii. 401.

Terribilem ostentans clypeum, quo patris & una
Cælarat patrui spirantes prælia dira
Effig[illegible]

Sed & proprias fortasse laudes, & facta cælabant. De singulari congressu insignium duorum militum Hirt. de Bello Hispan. c. 25. *Cum ad dimicandum in planitiem se contulissent, scutorumque laudis insignibus præfulgens opus cælatum.* Lips. Anal. ad Milit. Rom. p. 277. Salmuth ibid. p. 607. Thys. l. l. Solebant etiam Romani quædam nomina iis inscribere: primo imperatorum, sub quibus merebant: deinde centurionum: atque ideo & sua, ne forte, repositis in uno loco armis (quod Tacitus fieri solitum scribit in prætorio castro) fraus, aut error contingeret in recipiendis. Cum igitur talia insignia, & indicia in *scutis*, non mirum, quod tam curiose, & caute habita, & contra nimbos, pulverem, talesque injurias tecta thecis, & repositoriis quibusdam coriaceis: sed ante aciem, sive in castris, degebant. *Thys. ibid. p.* 75. Fuit olim tantæ dignationis habitum, ut qui id alienasset, non tantum grave commisisse crimen, sed & desertori similis judicaretur. l. qui commeatus §. arma ff. de Re milit. *Salmuth ibid. p.* 608. *Stewech. ibid.* ii. 14.

SCY.

SCYPHUS, σκύφος fuit vas peramplum, genus potorii vasis. Horat. Epod. ix. 133.

Capaciores huc affer puer scyphos.

Macrob. Sat. v. 21. *Scyphus Herculis poculum est, ita ut Liberi patris cantharus.* De hoc in Herculis sacrificio meminit Virg. Æneid. viii. 277.

Velavitque comas, foliisque innexa pependit,
Et sacer implevit dextram scyphus.

Manupretium fuit ingens. Plin. xxxiii. 11. *C. Crassus orator duos scyphos Mentoris artificis manu cœlatos sestertiis C.* c. 12. *Zopyrus, qui Areopagitas, & judicium Orestis in duobus scyphis H. S. in libras pondo* xii. *æstimatis.* Bacc. de vin. & conv. Antiq. iv. p. 169. Muson. Philos. de Lux. Græc. ii. 2. Bays. de Vascul. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. ix. p. 760. B. Cerda in Virgilium. Bruyer. de Re cibar. iii. 9.

SCYTHIA, quam alii *Scythicam* vocant, per oram Ponti Euxini a flumine Phanysso ad Istrum septentrionem versus extenditur. Hæc dicta est *Scythia*, quia *Scythæ* Aroteres totum eum tractum tenuerunt, ut ait Plin. iv. 11. *Pancirol. Notit. dignit. Imp. orient. c.* 135.

SEB.

SEBASTEA fuit metropolis Armeniæ secundæ. *Sebastea*, id est, Augusta. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 132.

SEBASTOPOLIS idem est, quod Augusta civitas. Polemoniaci ponti castrum quondam fuisse Justin. Nov. 28. refert. Postea mutata provinciarum forma Armeniæ secundæ urbem fuisse memorat Nov. 31. Stephanus olim *Dioscuriam* appellatam esse scribit, a Castore & Polluce, qui Dioscuri, id est, Jovis filii dicebantur, & simul cum Iasone Pontum sunt ingressi. Procop. de Ædif. Justin. antea castellum cum præsidio fuisse dicit, quod Justinianus muro circumdatum inexpugnabile, & ædificiis exornatum urbem pulcritudine, & magnitudine insignem fecit. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 151.

SEC.

SECESPITA *est culter ferreus, oblongus, manubrio rotundo, eburneo, solido, vincto ad capulum auro, argentoque, fixus clavis æneis, ære Cyprio, quo flamines, flaminicæ virgines, pontificesque ad sacrificia utuntur.* Festus. Suet. Tib. c. 25. n. 8. *Sacrificanti pro secespita plumbeum cultrum subjiciendum curavit.* Sigon. Emend. ii. 34. de Nomin. Roman. c. 5. La Chausse de Insign. pontif. tab. 7. Saubert. de Sacrif. c. 17. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 497. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 10. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 525. G. Landus in vet. num. Rom. misc. explic. Miscel. Ital. i. p. 357. Nonn. in Goltz. Jul. Cæsar. Nomism. p. 47. Blond. Triumph. Rom. i. p. 15. C. Pitisc. in Suetonium.

SECIUM erat, *quod secespita secabatur, libum, seu placenta, quæ solebat necessariis sacrificiis adhiberi.* Festus. Guther. de vet. jur. pontif. iv. 2.

SECRETARII dicebantur scribæ. Procop. de Bell. Vandal. i. *Domesticum Romani arcanorum socium appellant, is hodie secretarius vocatur. Cancellarii* etiam dicti sunt. V. illos supr. in *Cancellarius.* Pollet. For. Rom. v. 12. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 9. Voss. de Vit. sermon. iii. 48.

SECRETARIUM dicebatur conclave, vel locus, ubi reorum causa a judicibus expendebatur, ac tandem statuebatur, qualis de tribunali pronuntianda esset sententia l. ult. C. de Offic. div. jud. & l. ult. C. ubi senatus vel clariss. Hic locus sæpius velo separabatur a tribunali: ad quod tribunal præses se conferebat, pronuntiaturus, quid interius de judicum sententia foret decretum. *Voss. de Vit. sermon.* iii. 48. *Pith. Adv.* ii. 12. *Pollet. For. Rom.* v. 12.

12. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 100. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 7. *Kirchman. de Annul. c.* 9. *Valeſ. in Ammian.* XV. 7. *Columb. in Lactant. de Mort. perſecut. c.* 15. Fuit olim, ubi nunc S. Martinæ ædes eſt. Docet hoc vetus inſcriptio, quæ affixa muro inventa, rurſusque detecta, cum ante aliquammultos annos martyris illius corpus effoderetur, apud Gruterum exſtat:

SALVIS. D. D. HONORIO. & THEODOSIO. VICTORIOSISSIMIS. PRINCIPIBUS. SECRETARIUM. AMPLISSIMI. SENATUS. QUOD. VIR. INLUSTRIS. FLAVIANUS. INSTITUERAT. ET. FATALIS. IGNIS. ABSUMPSIT. FLAVIUS. ANNIUS. EUCHARIUS. EPIPHANIUS. V. C. PRÆF. URB. VICE. SACRA. JUD. REPARAVIT. ET. AD. PRISTINAM. FACIEM. REDUXIT.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 3. *Buleng. de Imperat. Rom.* III. 9. *Nardin. Rom. Vet.* V. 8. Hunc locum Demſter. Paral. ad Antiq. Roman. Roſin. VI. p. 483. b. cum *ſecretario* populi confundit, cum nomen *ſenatus* manifeſto præferat, cujus acta a populi actis diverſa. *Lomej. de Biblioth. c.* 6.

SECTILIA Latine τὰ λιθόστρωτα vocat, & a teſſellatis diſtinguit Suet. Jul. c. 46. n. 3. *In expeditionibus teſſellata, & ſectilia pavimenta circumtuliſſe.* Ubi *ſectilia* ſunt lithoſtrota *ſectilibus* cruſtis pavita. Grammatici apud Homer. Odyſſ. ψ. 46. τὸ κραταίπεδον interpretantur λιθόστρωτον ἢ ψηφολογητὸν ἔδαφος. Ergo diverſum lithoſtrotum a teſſellato. Aperte etiam diſtinguit Vitruv. VII. 1. *Supra nucleum, ad regulam, & libellam exacta, pavimenta ſtruantur, ſive ſectilibus, ſeu teſſeris.* *Sectilia* in varias figuras *ſectæ* lapidum cruſtæ, quibus inducebatur pavimentum. Has figuras in *ſectilibus* uſitatas memorat idem *ſcutulas*, ſive rhombos, *trigona, quadrata, & favos*, id eſt, hexagona. E ligno etiam hodie his figuris fiunt *ſectilia* pavimenta. Sed & ex latere coctili. Lithoſtrota in pavimento, ac ſolo manſere, teſſellata ad cameras tranſlata, & muſivi operis nomine appellata ſunt. V. laudatos auctores ſupr. ad *Lithoſtrota*.

SECTIO vocabatur actus vendendi, & emendi proſcriptorum bona: quæ averſione, & una pertica empta, *ſectione*, & gradatim diſtrahebantur. Cicer. Phil. II. 26. *Exſpectantibus omnibus, quiſnam eſſet tam impius, tam demens, tam diis, hominibusque hoſtis, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere, inventus eſt nemo præter Antonium, præſertim cum tot eſſent circa haſtam illam, qui alia omnia auderent.* Hinc & ipſa bona, quæ ſub haſta vendebantur, *ſectio* vocantur. Cæſ. de Bell. Gall. II. 33. *Refractis portis, atque intromiſſis militibus noſtris, ſectionem ejus oppidi univerſam Cæſar vendidit.* Bud. in Pandect. p. 201. D. Palmer. Spicil. IV. p. 676. Ræward. Var. II. 7.

SECTORES *ſunt dicti, qui ſpem lucri ſui ſecuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur, proque illis pecunias penſitabant ſingulis: ac poſtea pro compendio ſuo ſingulas quaſque res pecunia populo venditabant.* Aſcon. in Cicer. p. 84. & 88. Flor. II. 6. 48. *Voluit Annibal contra fiduciam imitari: ſubjecitque argentarias Urbis tabernas: nec ſector inventus eſt.* Salmaſ. de Mod. uſur. c. 18. Beroald. Annot. c. 82. Bud. in Pandect. p. 201. D. Ræward. Var. II. 7. Pollet. For. Rom. IV. 2. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 579. C. Sigon. de Judic. II. 24. Barth. Adv. V. 4. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 104. H.

SECULUM pro certo annorum ambitu uſurpari ſolet. Hoc in ea ſignificatione optime definivit Tertull. Apolog. c. 26. his verbis: *Videte, ne ille, qui regna diſpenſat, cujus eſt, & orbis qui regnatur, & homo ipſe qui regnat; ne ille vices dominationum ipſis temporibus in ſeculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit, & ſeculum corpus temporum fecit.* Sic enim *ſeculum corpus temporum* dicit pro multis temporis partibus, quomodo multi libri juris in unum volumen redacti, & multa jura variorum Imperatorum, aliorumque magiſtratuum vocatur *corpus juris civilis.* Quomodo Cajus antiquus Ictus Latinus *collegiorum corpus* multa collegia lib. III. ff. tit. 4. l. quod cujuſcunque. *Collegia*, inquit, *Romæ certa ſunt, quorum corpus SCtis, atque conſtitutionibus Principalibus confirmatum eſt: veluti piſtorum, & quorundam aliorum, & naviculariorum, qui & in provinciis ſunt.* Sic etiam definiri poteſt dies corpus horarum, hebdomada corpus ſeptem dierum, menſis corpus aliquot hebdomadarum, annus corpus aliquot menſium, *ſeculum* corpus plurium luſtrorum, aut certe annorum. Quot annos præciſe complectatur, controvertunt auctores. Quam controverſiam ut de *ſeculo* Romano decidam, divido *ſeculum* cum Cenſor. de Die nat. c. 17. in naturale & civile. *Taffin. de Lud. ſecul.* I. 1. §. 2.

Seculum naturale appellatur ex eo, quod a natura ipſa conſtitutum eſt. Cenſor. de Die nat. c. 17. *Seculum eſt ſpatium vitæ humanæ longiſſimum, partu, & morte definitum. Quare qui annos triginta ſeculum putarunt, multum videntur erraſſe. Hoc enim tempus γενεὰν vocari Heraclitus auctor eſt, quia orbis ætatis in eo ſit ſpatio: orbem autem vocant ætatis, dum natura humana a ſementi ad ſementim revertitur. Hoc quidem γενεᾶς tempus alii aliter definierunt. Herodicus annos quinque & viginti ſcribit dici γενεάν. Zenon triginta. Seculum autem quid ſit, uſque adhuc arbitror ad ſubtile examinatum non eſſe. Poetæ quidem multa incredibilia ſcripſerunt, nec minus hiſtorici Græci; quamvis eos a vero non par fuit recedere, ut Herodotus: apud quem legimus, Arganthonium Tarteſſiorum Regem centum & quinquaginta annorum fuiſſe: ut Ephorus, qui tradit, Arcadas dicere, apud ſe Reges antiquos aliquot ad trecentos vixiſſe annos. Verum hæc, ut fabuloſa prætereo. Sed inter ipſos aſtrologos, qui in ſtellarum, ſignorumque ratione verum ſcrutantur, nequaquam etiam convenit. Epigenes in centum duodecim annis longiſſimam vitam conſtituit: Beroſus autem in centum ſedecim: alii ad centum viginti annos produci poſſe, quidam etiam ultra crediderunt. Fuerunt, qui non idem putarent ubique obſervandum, ſed varie per diverſas regiones, prout in ſingulis ſit cœli ad circuli finitorem inclinatio, quod vocatur κλίμα. Sed licet veritas in obſcuro lateat, tamen in unaquaque civitate quæ ſint naturalia ſecula, rituales Etruſcorum libri videntur docere: in quis ſcriptum eſſe fertur, initia ſic poni ſeculorum, quo die urbes, atque civitates conſtituerentur: de his, qui eo die nati eſſent, eum, qui diutiſſime vixiſſet, die mortis ſuæ primi ſeculi modulum finire: eoque die qui eſſent reliqui in civitate, de his rurſum ejus mortem, qui longiſſimam ætatem egiſſet, finem eſſe ſeculi ſecundi: ſic deinceps tempus reliquorum terminari: ſed ea, quod ignorarent homines, portenta mitti divinitus, quibus admonerentur, unumquodque ſeculum eſſe finitum.* Taffin. de Lud ſecul. I. 1. §. 3. Panvin. de Lud. ſecul. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1074. C. Gyrald. de Ann. & menſ. Oper. Tom. II. p. 751. A.

Seculum civile civitatis Romanæ eſt tempus, quod civium Romanorum voluntate fuit conſtitutum, ut eo nomine ſignificaretur. Hoc annos centum & decem comprehendere aliqui volunt. Hi ſequuntur commentaria quindecimvirorum, de quibus Cenſor. de Die nat. c. 17. ubi refert illos cenſuiſſe ludos *ſeculares* decimo centeſimoque anno repetitos, atque id ipſum obſervandum teſtari edicta Octavii Auguſti, ideoque ita canere Horat. carm. ſecul. n. 21.

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos
Ter die clara, totidemque grata
Nocte frequentes.

Sequuntur, ut exiſtimant, oracula Sibyllina, in quibus ſic habetur:

Sed cum longiſſimum venerit tempus hominibus
Vitæ, ad annorum centum decem circulum meant.

Hanc ſententiam amplexi ſunt Panvin. de Lud. ſecul. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1075. C. Sigon. Emend. I. 6. Pigh. Annal. Rom. Tom. II. p. 76. Scalig. de Emend. Temp. II. p. 182. Salian. Annal. Vet. Teſt. ad an. mundi 3708. U. C. 407. & Comment. Horat. Porphyrio, Lambinus, Torrentius, Chabotius, Marſilius,

filius, alii. Verum hæc nititur fraude quindecimvirorum, qui cum in munere curandorum ludorum *secularium* socordes fuissent, ut ad multos annos eos negligi paterentur ultra tempus legitimum, quo edi debuissent, ut constat ex Suet. Aug. c. 31. n. 4. Claud. c. 21. n. 3. ut suam negligentiam occultarent, Octavio Augusto persuaserunt, ad *seculum* centum ac decem annos requiri, atque eo commento freti, illi ostenderunt, nullo tempore legitimo ludos *seculares* omissos fuisse, sed eo ipso, quo de ea re Octavius inquirebat, tempore eorum edendorum legitimum annum appetiisse. Patet hoc ex verbis Zosim. II. 4. *Eodem sacrificio*, quod tempore ludorum *secularium* fieri erat solitum, *ad tempus neglecto, cum rursus adversi quidam casus accidissent, Octavianus Augustus ludos renovavit, factos illos quidem ante L. Censorino, & M. Manlio Puelio coss. tunc autem L. Censorino, & C. Sabino, cum Atejus Capito leges ludorum exposuisset, ac tempus, quo rem sacram fieri, atque edi spectacula oporteret, quindecimviri, ad quos oraculorum Sibyllinorum custodia pertinet, investigassent.* Horatius Augusti tempore, atque ejus jussu, carmen *seculare* condidit; atque in eodem errore, quo ipse Augustus, versatus est. Et lectio conformis sententiæ Horatii, & vetustissimis illius carminis exemplaribus omnino retinenda est: neque audiendi Vives in Augustin. de Civit. Dei III. 18. & Robort. Annot. I. 10. qui legendum contendunt, *ut denos*, ut ostendant inter ludos *seculares* centum duntaxat annos intercessisse. Sibyllinum carmen fuit a quindecimviris corruptum, ut per illud suæ opinioni probabilitatem arcesserent, atque Augustum suam negligentiam celarent. Hoc illis fuit facillimum, cum ipsi Sibyllina carmina asservarent. V. supr. in *Quindecimviri*. Suspicor itaque ante Augusti tempora illum *Sibyllinum* versum Græcum ita scriptum fuisse:

--- εἰς ἐτέων ἑκατοςὸν κύκλον ὁδεύων.

Atque quindecimviros vocem ἑκατοςὸν, quæ *centesimum* significat, mutasse in ἑκατὸν δέκα, quæ significat *centum & decem*. Sed alii asserunt, ad *seculi* spatium annos tantum centum requiri. Et hæc sententia probatur auctoritate scriptorum vetustissimorum, qui pluribus *seculis* hoc ita tradiderunt, antequam suum commentum adornarent quindecimviri; nimirum sub tempora Augusti Cæsaris, quo tempore etiam suos commentarios scripserunt, quibus tantopere nituntur adversarii. Inter hos primum locum vendicat Valerius Antias, quem subinde citat Livius, & alii antiqui. Hanc ejus fuisse sententiam tradit Censorinus: *Ita institutum esse, ut centesimo quoque anno ludi isti fierent, cum Antias, aliique historici auctores sunt....* Idem sensit Varr. de Scenic. orig. I. laudatus supr. in *Ludi seculares*. Et de Ling. Lat. v. 2. *Seculum spatium centum annorum vocarunt.* Iisdem subscribit Piso historicus apud Censorinum: *Nostri majores, quod naturale seculum quantum esset, exploratum non habebant, civile ad certum annorum modulum centum statuerunt. testis est Piso, in cujus annali scriptum est sic: Roma condita an.* DVII. *seculum accepit.* Tuetur eandem sententiam T. Liv. lib. CXXXVI. referente Censorino. Ejus verba sunt: *Eodem anno ludos seculares Cæsar ingenti apparatu fecit: quos centesimo quoque anno, is enim terminus seculi, fieri mos est.* Ipse Censorinus: *Quoniam civile Romanorum seculum centum annis transigitur.* Festus: *Ludi apud Romanos post centum annos fiebant, quia seculum in centum annos extendi existimant.* Claud. de consul. Honor. VI. 388.

— jam flavescentia centum
Messibus æstivæ detondent Gargara falces,
Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus secula consul.

August. de Civit. Dei III. 18. *Instaurati sunt ex auctoritate librorum Sibyllinorum ludi seculares, quorum celebritas inter centum annos fuerat instituta.* Accedunt recentiores Joh. de Sacrobosco Computi Eccles. part. II. Herwart. in nov. chronol. c. 220. Vives in Augustinum. Volaterr. XXIX. p. 1093. G. Muret. Var. XV. 8. Beroald. in Suet. Domit. c. 4. Alex. Gen. dier. v. 26. Fabric. Paduan. in Caten. temp. annul. 40. Tirin. Chron. sacr. c. 32. Benzon. de Anno sancto III. 5. Donat Dilucid p. 994. Brisson. de Form. VIII. p. 720. Farnab. in Martial. Epist. I. Vinet. in Ausonii griphum. Pulmann. in Horat. Od. IV. 6. Petav. de Doctrin. temp. II. 76. *Taffin. de Ann. secul. p. 1. c. 1. §. 4. 5.*

ut SECUNDARENT, deos orabant veteres. Virg. Æneid. III. 36.

Rite secundarent visus, omenque levarent.

VII. 259.

Tandem letus ait: dii nostra incepta secundent.

Brisson. de Form. I. p. 66.

SECUNDARIUS dicebatur secundarum partium histrio. Plin. VII. 12. *Sicut Spinther secundarius, tertiariusque Pamphilus.* Cicer. de Clar. c. 69. *Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarius.* Turneb. Adv. I. 10. Ferrar. de Re Vest. II. I. 17. Palmer. Spicil. v. p. 695.

SECUNDAS agere. V. supr. in *Actor*.

SECUNDICERIUS. V. illum supr. in *Primicerius*.

SECURES inferebantur fascibus. Plutarch. Quæst. Rom. c. 81. *Jam cum vitiorum alia sint sanabilia, alia insanabilia: virgis corrigebantur qui emendari poterant, securibus amputabantur immedicabiles.* Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 462. *Securium* inventam Vetuloniæ Etruriæ Urbi adscribit Silius. V. illum supr. in *Fasces*. Inde traductæ Romam cum fascibus. Non hæserunt Romæ; P. enim Valerius Poplicola, invidiæ consulum minuendæ, primus demsit fascibus *secures*, quasi ne nimius ille terror deliberet aliquid de populi libertate. Ex eo tempore exsules urbe Roma *secures*: jus tantum suum in bello, & extra Urbem. Dionys. v. p. 292. *Et, ut firmius populo persuaderet, se publicæ libertatis studiosum esse, ademit secures fascibus: moremque post se reliquit consulibus, qui usque ad mea tempora perduravit, ut tantum extra Urbem securibus utantur, intra mœnia contenti solis fascium insigniis.* Liv. XXIV. 9. *Lictores ad eum accedere consul jussit, & quia in Urbem non inierat, protinus in campum, Martium, profectus, admonuit cum securibus sibi fasces præferri.* Excipio ab hoc more dictatorem, quotiens sine provocatione creatus. Illi enim prælatæ *secures* etiam in Urbe. Dionys. v. p. 338. *Deinde potestatis vim ostendere volens, quanta sit, ad terrorem magis quam ad usum, lictores jussit cum fascibus secures sibi per Urbem præferre; renovato more, qui Regibus quidem usitatus, sed a consulibus intermissus fuit, dum Poplicola primus consul novi magistratus invidiam minuere voluit.* Liv. II. 18. *Creato dictatore primum Romæ, postquam præferri secures viderunt, magnus plebem metus incessit.* Lips. Elect. I. 23. August. de Legib. in Julia. Illas iterum in fasces relatas V. supr. in *Consul*.

Securis in bello etiam missilis erat; etsi cominus pugnasse ea non nego. De illa Sidon. Carm. v. 247.

Excussisse citas vastum per inane bipennes
Et plagæ præscisse locum, clypeosque rotare
Ludus.

Hoc ille de Scythis. Et de Sigimere juvene regio, ejusque comitibus Epist. IV. 20. *Lanceis uncatis, securibusque missilibus dextræ refertæ.* Procopius de Francis: *Gestant ensem, clypeum, & securim, cujus ferrum crassum est, & utrimque acutum. Hanc Franci securim in primo ipso congressu jacere in hostem consueverunt eo impetu, ut scuta perfringant, & ipsos simul interimant.* Lips. Poliorcet. IV. Dial. 4. Thys. de Oppugn. urb. IV. p. 186. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 9. Etiam ad lignandum secum habebant Romani pedites. V. supr. in *Milites*. In sacris instrumentum erat, quo victimæ percutiebantur. Horat. Od. III. 23. 11.

Aut crescit Albanis in hortis
Victima, pontificum secures
Cervice tinget.

Ovid. Trist. IV. 2. 5.

Candidaque adducta collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tingat humum.

Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 497. Saubert. de Sacrif. c. 17. Choul. de Relig. vet. Rom. p. 254. Stuck. de Sacrif. II. p. 165. Brisson. de Form. I. p. 17. Rhodig. Ant. Lect. IV. 2. Nonn. in Goltz. Jul. Cæs. Nomism. p. 47.

SECURITATES sunt apochæ, quibus creditores debitam sibi pecuniam solutam fuisse confitentur. Honor. l. 1. C. de apoch. publ. *Sed & aurum quod ex hujusmodi contributione redigitur, ita debet susceptori aurario consignari, ut securitatibus nomen inferentes, dies, consul, mensis, causa, & summa comprehendatur.* Intelligit chirographum, quod suscipiens aurum conscribit, & solventi pro ejus cautione tradit. Id etiam declarat Cassiod. Var. XI. *Merito testimonium solutionis securitas dicitur.* V. & supr. in *Promissiones securitatum.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 89. de Magistr. munic. c. 10. Omnium etiam, qui e publico, aut aula aliquid annui habebant stipendii, aut reditus, *securitates*, hoc est, chirographis, aut sigillis principum, curiarum, aut magistratuum, sive & collegiorum, aut municipiorum, munitas literas apud scribas publicos fuisse custoditas. Instrumenta ipsa geminis exemplaribus scribebantur: alterum, quod nostris quoque moribus fit, tradebatur custodiendum collegio, seu officio scriniarum publicorum: alterum ab auctoribus, aut conventoribus asservabatur. Cassiod. Var. XII. 21. *Scribarum officium securitas solet esse cunctorum: quoniam jus omnium ejus sollicitudine custoditur: alios enim depopulantur incendia, alios mala furtiva surreptio, nonnullis negligentia perit quod diligens auctor acquirit. Sed de fide publica celerrime reparatur quicquid a privatis amittitur. Armarium ejus fortuna cunctorum est, & merito refugium omnium dicitur, ubi universorum securitas invenitur.* Barth. Adv. L. 1.

SECUTOR est proprie assecla, comes, ἀκόλουθος. Ita leg. *secutorem* Cæsaris, muneris, & operæ nomen. Neapoli in marmore:

TAURO. SECUTO
RI. CÆSARIS

Et fortem sic dicti milites, qui ex instituto prisco tribunos comitabantur, velut loco apparitorum. Sic Paullin. Nolan. Epist. ad militem: *In militia seculari socius, & secutor contubernii tui fuit.* Neapoli in marmore Romæ ad columnam Antonini:

M. ANTONI. M. F. FAB. PHOEBI
MIL. COH. XV. URB. PERENNI
STIPENDIOR. IIII. SECUTOR
TRIBUNI

Et alibi:

M. SIL. ROMULIANUS
MIL. COH. VIII. PR. VICTORIS
SECUTOR. TRIB

Lips. Sat. II. 7.

Secutor vocabatur gladiator, qui plerumque cum retiario committebatur. Horum inter gladiatorum nomina mentio multa. Suet. Cal. c. 30 n. 8. *Retiarii tunicati quinque numero sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant.* Juven. Sat. VIII. 210.

— *cum Graccho jussus pugnare secutor.*

Lapis Veronæ:

ÆDONI. SECUTORI. PUGN. VIII.

Talis describitur Commodus Imperator a Dion. LXXII. p. 826. *Inde a prandio gladiatorum certamen subibat, in quo exercendo utebatur ejus armatura, qui secutor dicebatur, clypeum dextra, gladium ligneum tenens sinistra.* Qui suæ imagini adscripserit hunc, quem addit Dio p. 828. B. titulum: *Primus secutorum, qui solus sinistra manu vicit hominum, ut opinor, duodecim millia.* Illi massam plumbeam tribuit Isidor. XVIII. 55. *quæ adversarii jaculum impediret, ut antequam ille feriret rete, ille superaret.* Sed de massa plumbea nihil mihi lectum. Gladium Prud. contr. Symmach. II. 1100.

Altius impresso dum palpitat ense secutor.

Clypeum adjunxit Dio, quem inserit ejus dextræ: non quia id alii *secutores*, sed quia Commodus gloriabatur, jactabitque esse scæva. Idem & galeam: quæ communis gladiatoribus plerisque. *Secutores* eosdem quos myrmillones esse scribit vir disertus in Epist. ad Atticum. Vellem ratione aliqua id docuisset, aut exemplo. *Lips. Sat.* II. 7. *Salmas. in Lamprid. Commod. c.* 15. *Pius Annot. post. c.* 88. *Casal. de Urb. ac Roman. imper. splend. part.* 2. *c.* 4. *Thys. de Gladiat. p.* 224. *Laurent. Polymath.* IV. 9. *Lyd. Agon. sacr. c.* 21. *Turneb. Adv.* XXV. 17. V. & infr. in *Stantes.*

SED.

SEDENTES vescebantur feminæ, liberi, servi. V. singulos suis locis.

SEDERE solebant veteres non modo in auguriis captandis, ut Plutarchus docet in vita Marcelli. & Serv. Æneid. IX. 4. verum etiam in deorum adoratione, votis faciundis, aliisque sacris ritibus, ac ceremoniis. Testis est August. de Civit. Dei VII. & Macrob. Sat. I. 10. assidentibus ad Opis, quam Romani Terram esse existimabant, vota concepta. Liquet & e Prop. II. 21. 45. ubi Jovi amicam tum morbo correptam, recuperata ejus beneficio pristini valetudine, gratam & memorem futuram spondet, atque:

Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit.

ut & e Tibull. II. 7. 15.

Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo.

Ritus originem explicat Plutarch. Num. p. 70. A. ubi inter cætera ab hoc Rege ad imitationem instituta Pythagoricorum etiam illud numerat, *in adoratione adsidere*, addita hac ratione: *sedere in adorando omen, ac augurium esse dictitant, confirmatarum simul precum, & perpetuitatis omnium bonorum.* Hinc in illos, qui suo ævo veterum gentilium ritum in Christianismo observabant, & *sedentes* adorabant, acerbe invehitur Tertull. de Orat. c. 12. *Porro cum perinde faciant nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur.* Neque mihi multum a vero discessura illa videtur conjectura, effictas eadem de causa maximam dearum partem *sedentes*, ut in nummis antiquis, præsertim in illis, quos vel turbata, vel recuperata Imperatorum suppeditavit valetudo, expressa in iisdem salute dea cum ara, & patera in manu. *Falconer. Dissert. de Pyram. C. Cest. Epul. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1470. *F. Brisson. de Form.* I. *p.* 38. *Lomej. de Lustrat. c.* 33. *Bernart. in Stat. Theb.* XII. 540. *Scalig. in Propertium. Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 10. solebant parentantes. V. infr. in *Sedes.*

SEDES vocatur metropolis, in qua præfectus prætorio solebat morari. Moveor hac ratione, quod Justinianus præfecti prætorii Africæ *sedem* jussit esse Carthaginem. C. l. 1. de præf. præt. Afric. *Sancimus, ut Africa propriam habeat præfecturam: cujus sedem jubemus esse Carthaginem.* Sic fuit præfecti prætorii orientis *sedes* Antiochia, *in qua*, ut prodit Strab. XVI. p. 516. *qui regioni imperabant, regiam habebant.* Thessalonica Illyrici caput *sedes* fuit præfecti Illyrici, præfecti Italiæ Mediolanum, præfecti Galliarum Treveri. Berther. Pithan. I. 8. *Gutber. de Offic. dom. Aug.* II. 16.

Sedes vocatur sepulcrum, sive tumulus. Ammian. XXII. 11. *Id metuens, ne collectis supremis sedes illis exstruerentur, ut reliquis.* Sidon. Epist. II. 8. *Perpetuis sedibus dormienti similior illata est.* Vetus marmoris cujusdam fragmentum: HANC. SEDEM. SIBI. VIVI POSUERUNT. Sic *Apostolorum sedes* invenitur l. pen. C. Theod. de sepulcr. viol. Virg. Æneid. VI. 328.

— *quam sedibus ossa quierunt.*

Kirchman. de Funer. Rom. III. 10. Savar. in Sidonium. Demster. Paral. ad Antiq. Rosin. III. 33. Ferret. Mus. Lapid. I. mem. 30. Quensteed. de Sepulcr. vet. c. 9. Hoc dimanavit a consuetudine, qua parentantes, & lugubria peragentes officia *sedere* solebant. Virg. Æneid. IX. 3.

--- *luco*

— luco tum forte parentis
Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.

Mart. II. 41. 18.

Te mœſtæ decet aſſidere matri,
Lugentique virum, piumque fratrem.

Prop. III. 14. 23.

Adferet huc unguenta mihi, ſertisque ſepulcrum
Ornabit, cuſtos ad mea buſta ſedens.

Dempſter. l. l.

Sedes vocatur ſtatio militum. Veget. III. 4. *Qui in ſedibus otioſe, delicateque vixerunt, armorum exercitia declinant. . . . Ita exercitati & eruditi in ſedibus milites, ſive illi legionarii, ſive auxiliares, ſive equites fuerint, ad expeditionem in diverſis convenient locis, æmulatione virtutis prælium magis habent optare, quam otium.* In *ſedibus* ergo, & in expeditione opponuntur. *Sedes* nos diceremus *guarniſoni*, quæ citra expeditionum neceſſitatem, & periculum. In hac ſignificatione Juſtin. l. fin. C. de reſtit. mil. & l. fin. C. quib. non objic. long. temp. præſcript. *Sanxit Imperator his ſolis, qui in expeditionibus occupati ſunt, tempora ad in integrum reſtitutionem opitulari. Sed illos temporibus privilegio non juvari, per quæ citra expeditionis neceſſitatem in aliis locis, vel in ſuis ſedibus degunt.* Hinc *ſedes patricia* dicitur illa ſtatio militum, quibus patricius imperabat, in inſcriptione veteri, quæ refertur a Sirmond. ad Sidon. Epiſt. I. 9.

FL. CELERINUS. V. C. SCRINIARIUS
INL. PATRICIÆ. SEDIS. DEP. ID.
NOVEMB. D. N. FL. VALENTINIANO
AUG. VII. ET. AVIENO. V. C. COSS.

Sedes ducum militarium recenſentur ab ipſo Juſtin. l. 2. C. De off. præf. præt. Afric. *Dux militum Tripolitanæ provinciæ in Leptimagenſi civitate ſedes interim habeat: dux vero Byzacenæ in Capſa, & altera Lepte civitatibus interim ſedeat.* Guther. de offic. dom. Aug. II. 19.

Sedes ſtercoraria vocabatur, in qua collocabatur pontifex Romanus, cum primum ſollenni conſecratione ad gubernacula Eccleſiaſtici gregis admoveretur. Ut hominem igitur ſe eſſe recordaretur, nec in altiſſimo illo dignitatis omnium maximæ faſtigio inſoleſceret, ſuperbumque ſpiraret, inſuſurrabant illi, cum ab ea *ſede* conſurgeret, illud e ſacris literis: *ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Stephaneſc. Cardin. Cerem. Rom. I. 2. 3.

— & ſedes capiens de ſtercore nomen
In platea eſt circa templum deſpecta parumper.

Qui quod in foro Lateranenſi eam collocat, ſua reſpicit tempora, hoc eſt, Bonifacii VIII. cujus inaugurationem deſcribit. Hodie viſitur non unica, ſed duæ in periſtylio, ſive clauſtro, ut vocant, ejuſdem baſilicæ: utraque perforata e marmore leucoſticto, ſive porphyrite. Cæterum neutram reperio ipſarum vere fuiſſe eam, quam ſtercorariam dixere; ſed aliam ſolidam e marmore candido nulla ſedilis apertura. Multum confert diſtinguere has *ſedes*. Quæ enim duæ viſuntur porphyreticæ, perperam vocantur ſtercorariæ; neque *perſedenti* in illis pontifici inſuſurrabant *ſuſcitat de pulvere. . . .* Ut in alia, quæ vere ſtercoraria appellabatur. At in his duabus perforatis accipiebat claves, & ferulam, ſpargebatque quandam pecuniam. Atque hoc pacto abunde ſatis diſſlatur illud ægræ calumniæ ſomnium de Johanna Papiſſa, & pontificis attrectatione: quoniam vera *ſedes* ſtercoraria nullum habuit foramen. Sicut & alterum ruit putidum commentum de admonitione, qua ſe pontifex hominem eſſe meminerit humanis neceſſitatibus ſubjectum, dum ſellæ quaſi familiaricæ incumberet. Duæ itaque ſellæ ſunt Porphyreticæ, quæ adhuc perdurant, eæque perforatæ. At una fuit præter iſtas ſtercoraria, nec pertuſa e marmore candido. Affine eſt credere morem illum inaugurandi ſummum pontificem trino illo *ſedium* ritu, cum primum in Galliam receſſit Romani culminis ſtatio: quoniam illic neque *ſedes* aderat peculiaris, nec ſtata ſupellex ceremoniarum: ac poſtquam ad limina ſua redierunt pontifices, jam diu ea religione ſe ſolverant non utendo per annos amplius 70. *Chimentell. de Honor. biſell. c.* 20. Hanc fabulam, ſive veram, ſive fictam e Reformatis, ut digna eſt, denarrarunt diſputatione publica *Samuel Mareſius*, integro volumine *Egbertus Grim*, & *Fridericus Spanhemius*.

Sedes autem toties memoratæ apud hiſtoricos non de ſolido auro ſemper intelliguntur, quaſi totæ ex eo, & ὁλόχρυσαι, ſed vel inauratæ, ac diſtinctæ, principiisque metalli bracteis opertæ: eo tamen pacto vocantur; ſic cervical, pulvinar, veſtem auream, quæ texta, ſive evocata, nitens auro foret. Græcis κατάχρυσος, διάχρυσος, ἐπίχρυσος. Non negarim quandoque potuiſſe e ſolido auro conflari apud Reges, præſertim Perſas, aut Barbaros. Nonnunquam id Romanis factum conſentirem. Aureæ ſellæ meminit Cicer. Phil. II. 34. *Sedebat in roſtris collega tuus, amictus toga purpurea, in ſella aurea, coronatus.* de Divin. I. 52. Cæſar, *cum immolaret illo die, quo primum in aurea ſella ſedit. . . .* Chimentel. de Honor. biſell. c. 14.

Sedes Theſſalicæ, Θετταλικοὶ δίφροι. De illis Critias poeta apud Athen. I. 22.

Theſſalicusque thronus membris molliſſima ſedes.

Delicioſas prorſus agnoſcit, ac ſeſſore dignum Epicureo? Quid? ſi Apollo ipſe commendavit oraculo, ac Pythiæ voce elegantem, ornatamque reſpondit? Pollux VII. 26. *Pulcerrima ſedes Theſſalica: quare & Pythia inquit, o Theſſala ſedes ornata.* Cum igitur ab elegantia, tum a commoditate laudatur hæc *ſedes*: quod ſtructuræ ratione, ut opinor, materiæque artificio aptiſſimam, delicioſiſſimamque inſidenti quietem præberet. Quadrupedem fuiſſe ſubjicit Pollux: *Sella Theſſalica quadrupeda.* Meminit & Hippocr. lib. de articulis; cujus verba luxati brachii curationem ſpectant. Inter cætera inſtrumenta, quorum præſidio artus in ſedem ſuam redeant, *ſedem* Theſſalicam ægris proponit, *ſi recens ſit exarticulatio.* Jubet igitur *ſuper magna ſede Theſſalica vim adhiberi.* Quod *magnam* appellat, conjicimus earum alias fuiſſe majores, minores alias, retento eodem ſchemate. Ac ſi quis advertat totam legem, ſeriemque curationis in Hippocrate, uſumque inſtrumenti, deprehendet *ſellæ* Theſſalicæ formaturam fuiſſe id genus, ut ſua mole, ac pondere bene conſiſtat: alto itidem anaclinterio, aut fulcro, ubi æger commode reclinare poſſit, & denominatum brachium impreſſione facta ſanare. Quare & quadrupedes facit eaſdem Pollux. Galenus exponit quamcunque *ſedem*, *quoddam veluti reclinatorium habentem*, quod nos *con la ſpalliera.* Erotiano *quæcunque ſedes anacliſmum, ſeu reclinatorium habens Theſſalica veteribus dicitur.* Appellata eſt a Theſſalis, qui primum invenerint, peculiari quadam figuratione, ac ſtructura, procera maxime ſtatura, & apposito ad reclinandum dorſum adminiculo. Niſi potius a colore Theſſalico, ſive purpureo, unde nomen illi primitus inditum; ſive lignum, ſive corium eo colore imbueretur. *Chimentel. de Honor. biſell. c.* 27.

SEDECULA, quam διφρίσκον appellat Pollux X. 11. dicitur Cicer. Attic. IV. 9. *Maloque in tua illa ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis, ſedere, quam in iſtorum ſella curuli.* Feminis erat in uſu frequentiori: non modo ut verecundius quieſcerent, ſed aptius quoque ad penſa domeſtica colo, acu, ſtamine exſequenda. V. & infr. in *Seliquaſtrum*, & *Sella muliebris.* Chimentell. de Honor. biſell. c. 24.

SEDILE ferme pro viliori genere. Paullus ex Feſto: *Sediculum, ſedile.* Sic Martini ſellam tripodem Sulpic. III. 20. vocat *ſedile ligneum.* Nos proverbii loco *far da ſedile* pro quavis poſtremiſſima obſequii, ac ſervitii demiſſione. *Sedile* autem proprie ea pars, quam *ſede* premimus: quomodo in Actis D. Marci vocatur, quæ Valeſ. ad Euſeb. Hiſt. Eccl. VII. 19. profert: *In cujus cathedræ ſedili*, planitie ſcilicet illa lignea, omni exuta fulcrorum;

pedum ornatu, aut instrumento. Hygino *quadratum* Poet. Astron. III. 9. *In quadrato, in quo sella deformatur.* A figura nempe *sellis*, quod formam quadratam, aut τετράπλευρον. *Ea* ... velamentum vocarem, si lignea sit *sedes*, item mensam, & pluteum. Nil mirum igitur, si *sedilis*, aut *scabelli* nomen dedere arctis, ac minutis *sedibus*, nullove, aut exiguo ornatu. Hinc altum, illinc humilius *sedile* prefertur Cels. VIII. 10. *Homo collocatur alto sedili, medicus autem humiliori adversus.* Etsi nomen *sedilis* universæ *sedi*, cæterisque etiam *sedium liberaliorum generibus convenire potest.* Chimentel. de Honor. subsell. c. 24. *Sedilia* dixerim lapidea, aut marmorea libentius; sive ex opere structili fuerint, quæ nostri *muricciuoli*. Plinius elegantissimam suam in Tuscis villam describens Epist. V. 6. 40. *Sunt locis pluribus disposita sedilia e marmore.* Chimentel. ibid. c. 21. Circum lectos erant posita. Spartian. Adrian. c. 23. *Quod in sedili regio juxta lectum posito sedisset.* Ut multis diximus in comment. de lect. & vest. Hoting. Casaub. in Spartianum. *Chimentel. ibid. c. 26.* Honoratiorum in circo tomento Leuconico in mollitiem farta, phoejorum linogrostide, gnaphalio, junco, & cæsis arundinum comis, ut ex Martiale, Suetonio, aliisque intelligitur. Ita Mart. XIV. 160. V. illum supr. in *Tomentum.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 2. Remigum in biremibus aut tabulæ sunt, lateri navigii adfixæ, ea magnitudine, ut unus homo commode in ea sedeat; aut etiam transtra, seu juga, per transversum totius navigii posita. *Meibom. Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 570. *C.* 579. *E.* Fiebant ex abiete, propter levitatem, aut pinu. Theophrastus e tilia fuisse dicit: quamvis ex quercu facta minus loci possiderent. Si tamen dignum sensibus discrimen in tabulæ crassitie fuit attendendum. *Sedilis*, ut & transtri longitudinem voco, quæ per transversum, seu latitudinem navis consideratur; latitudinem, quæ secundum navis longitudinem. Pono longum fuisse *sedile* in triremi pedes II. latum pedem unum & quadrantem: transtrum in triremi longum fuisse pono pedes VII. latum ut *sedile*. Ligni assulam digitos duos altam, *sedili*, transtroque, in latitudinis versus nates extremitate, adfixam puto, ne natibus ultra *sedilis* legitimam mensuram remex evagaretur, & inferiori remigi, post ipsum sedenti, locum angustiorem faceret. *Meibom. ibid. p.* 580. *A.* Assula illa est plane commentitia, & nulla. V. supr. in *Assula*. Etiam disputatio de *sedilibus*, quam alta esse debuerint, ut remiges in illis commode possent sedere, otiosa est; nec enim sederunt tam libere, nec tam porrectis pedibus, ut ipse opinatur. Etymol. magn. Κληΐδες αἱ τῶν ἐρεσσόντων καθέδραι: παρὰ τὴν κλάσιν τῶν γονάτων, ὣ ποιοῦνται οἱ καθεζόμενοι ἔνθεν καὶ ὀκλαδίαι, οἱ ταπεινοὶ δίφροι. Non disputo de vocis etymologia: illud ostendo tantum, non sedisse tam commode remiges, ut vult Meibomius. Hoc confirmat & Eustath. in Iliad. B. p. 131. Ἔστι μὲν γὰρ κληῒς ἡ ναυτικὴ καθέδρα παρὰ τὸ κλῶ, ἔνθα κλᾶται τὸ σῶμα συγκαμφθέν. Dicit in *sedilibus* hisce frangi quodammodo corpus, quia curvum, inflexumque semper esse cogatur. *Opel. de Fabric. trirem. Meibom. Thes. Græv. ibid. p.* 699. *E.* Mari non erant parallela, sed ad legem fere tabulatorum navis depressiora prope scalmos, elevatiora vero in media fuere navi, ita ut qui in eodem jugo, medio essent propinqui foro, integro cubito eminerent, supra eos qui scalmis essent vicini. *Voss. de Trirem. construct. Thes. Græv. ibid. p.* 716. *B.*

Sedile in palo arrectario crucis. V. illud infr. in *Staticulum.*

SEG.

SEGETEM *alienam ne pellexeris* lex est, quam Servius laudat ex XII. tabulis. V. illam supr. in *Fruges.* Sarriebantur mense Februario. Kalend. Rustic. Farnes. Colum. XI. 2. *Eodemque mense ante Kal. Febr. sarriendæ segetes autumnales.* Runcabantur mense Majo. Kalend. idem. *Ursin. in Kalend. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 21. *F.* 24. *B.*

SEGESTRIA erant pelles nauticæ, quæ δέρῥεις dicuntur Græce. Festus: *Δέῤῥις Græci appellant pelles nauticas, quas nos vocamus segestria.* Varr. de Ling. Lat. IV. 35. *Quod fere stramenta erant e segete, segestria appellant, ut etiam nunc in castris.* De vit. pop. Rom. apud Non. I. 35. *Hoc, quod injicitur, toral dicitur: lecticam qua involvebant, segestria appellabant.* Gyrald. de Navig. c. 16. Schel. in Hygin. Thes. A. t. Rom. Græv. Tom. X. p. 1627. D. in Polyb. p. 1236. E. Valtrin. de Re milit. I. 4. Guiland. Papyr. Membr. XVI. §. 6. Erat teges, quæ e segetibus fiebat, ut Varro docuit. Postea ex pellibus factam esse testatur Plautus apud Porphyrionem. Certe σίγαστρον pelles significat. In itinere faciendo cum lecti olim essent circumferendi, ut beatioribus gestabantur culcitæ, vel pro culcitis tapetes, ita horum usum pauperibus præbebant *segestria.* Quæ propterea inter viæ instrumenta refert Lucilius:

Pænula, si quæris, canterius, servus, segestre.

Plutarch. Crass. p. 544. E. *Quippe non facile dixeris, egentior ad illum venerit, an apud eum factus sit. Solus enim ex amicis peregrinantem semper comitans tegetem, σίγαστρον, accipiebat, quam reposcebatur reversus.* Hoc *involutus in extremis spatiis subsidium decurrebat* Augustus apud Suet. c. 83. n. I. *Scalig. Conject. in Varr. p.* 66. *Voss. Lex. Etymol. Pollet. For. Rom.* I. 6. *Pitisc. in Suetonium.* Nec lecticarum solum, sed aliarum quoque rerum sunt involucra. Plin. XIII. 12. *Nam emporetica inutilis scribendo, involucris chartarum, segestriumque in mercibus usum præbet, ideo a mercatoribus cognominata.* Voss. l. l.

SEGETIA, sive *Segesta* dea frumentis supra terram præerat. Plin. XVIII. 2. V. illum supr. in *Columna Mæssia.* Macrob. Sat. I. 16. *Apud veteres quisque qui nominasset Salutem, Semoniam, Sejam, Segetiam, Tutulinam, ferias servabat.* August. de Civit. Dei IV. 8. *Nec saltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui segetes semel commendarint; sed sata frumenta quamdiu sub terra essent, præpositam voluerunt habere deam Sejam. Cum vero jam super terram essent, & segetem facerent, deam Segetiam præposuerunt.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Panvin. de Lud. Circens. I. 17. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. H. Gyrald. Synt. deor. I. p. 40. F. Tomas. de Donar. c. 26. Voss. de Idolol. II. 61. Turneb. Adv. XX. 36. Stuck. de Sacrif. p. 35. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 29. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 150.

SEGMENTUM erat fascia, seu instita, seu virga purpurea, & aurea, quæ vesti ad ornamentum insuebatur. Juven. Sat. II. 124.

Segmenta, & longos habitus, & flammea sumit.

Ubi Schol. *Segmenta, fimbriarum, L. fimbriatas, sive vittatas vestes.* VI. 89.

Et segmentatis dormisset parvula cunis.

Ubi Schol. *Segmenta dicis vittam pendentem de vestibus, intextam auro. Segmenta* cum veste purpurea recte conjungit Ovid. de Art. Amand. III. 169.

Quid de veste loquar? nec vos, segmenta, requiro.

Solis matronis concessum erat. Val. Max. II. I. 5. *Ceterum, ut non tristis earum, feminarum, & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura usæ sunt.* V. 2. I. *Permisit quoque his purpurea veste, & aureis uti segmentis.* Ferrar. de Re vest. I. 3. 17. Anal. c. 2. & 22. Monile fuisse volunt Serv. Æneid. I. 658. *Monile, ornamentum gutturis, quod & segmentum dicunt: ut Juvenalis segmenta, & longos habitus. Licet segmentatas vestes dicamus, ut ipse* VI. 89. Et Isidor. XIX. 31. *Nonnulli hoc & segmentum dicunt, ut Juvenalis, segmenta: licet & segmentatas vestes dicamus, ut ipse* VI. 89. Ita emendandus est Isidorus. At vero Juvenali non est monile, si Scholiastem ejus audimus, sed vestis in collo fimbriis ornata. V. illum modo laudatum. Qui duplex genus *segmentorum* innuit, alterum dependens in vittis, alterum in fimbriis. Illud non existimo esse aliud, quam quod hodieque Hi-

ſpanis eſt in uſu, & apud nos in pueris retinetur. Tæniæ ſunt tres quatuorve digitos latæ, pendentes ab utroque humero, quos flugel/ id eſt, alas noſtro idiomate appellant. Alterum, quod velut extremum in veſte ambibat collum, latum, in altitudinem circum circa erectum, ornatumque auro, cujuſmodi adhuc majorum temporibus in crebro uſu fuit, antequam ex veſte linea collaria fierent, ut ex imaginibus, & picturis cognoſcimus. Nec hodie penitus deſiit, præſertim apud ruſticos alicubi, qui in togis ſuis, aut induſiis ſervarunt. Idque *ſegmentum* olim dictum videtur, non quia circuli forma, ut putabat Galeott. de Homine I. ſed quia aureis quibusdam lineis diſtinctum, ac quaſi interſectum erat. Galeottus ita: *Segmentum hac notione ornatiorem torquem ſignificat, quia collum circumit. Nam ſegmentum circulus eſt.* Plin. VI. 33. *Plura autem ſunt hæc ſegmenta mundi.* Bis peccat. I. quod *ſegmentum* putavit dictum, quia collum circumit. II. quia Plinii *ſegmentum* credidit ſignare circulum. Nam & alias id eſt, quod reſciſſum eſt ab alio, & apud Plinium ſic uſurpatur, quia circulis quibusdam mundus, ſive cœlum in imaginarias dividitur, & ſecatur quaſi partes. Quare hactenus *ſegmentum* proprie torques non eſt, niſi quatenus alterum ejus genus ambit collum, & ſimilitudinem nonnullam habet cum circulo. *Scheffer. de Antiq. torquib. c.* 1.

Segmenta erant etiam in pavimentis teſſeræ minores, quia in minores particulas *ſectæ* ad convenientem proportionem operis conſerendi, & coagmentandi. Hinc & ipſa opera illa dicuntur *ſegmentata*, quæ noſtra vernacula vocat *ouvrages, de marqueterie.* Differentia horum I. ratione figuræ: quæ ſpectabatur aut in pavimenti jam conſerti ipſa ſuperficie, aut in *ſegmentorum* ſigillatim lateribus, & circumſcriptione. Superficies pavimenti aut plana, & æqualis erat, aut inſculpta: illa nominantur pavimenta pura; hæc variis figuris inciſa, & velut expreſſa, vocantur ſcalpturata, vel cœlata. Quod ad *ſegmentorum* figuram ratione laterum, & circumſcriptionis propriæ attinet, illa erant, vel rotunda, ad parvuli ſcuti fere formam, unde & ſcutulata audiunt: vel triangula, quæ plerumque trigona: vel quadrangula, quæ quadrata: vel ſexangula, quæ favi, quos apes conſtanter faciunt ſexangulos ſex laterum, appellantur. Potuerunt & alius figuræ, ut pentagona, heptagona, octagona fuiſſe, ſed Vitruvius ſolum meminit quatuor priorum figurarum, tanquam uſitatiorum in operibus *ſegmentatis* VII. I. *Cum ea exſtructa fuerint, & faſtigia exſtructiones habuerint, ita fricentur, ut ſi ſectilia ſint, nullibi gradus in ſcutulis, aut trigonis, aut quadratis, aut favis exſtent: ſed coagmentorum compoſitio planam habeat inter ſe directionem.* II. ratione coloris. *Segmentorum* colores alii erant nativi, ſeu ab ipſa natura: alii ab arte, ſive picti. Nativi tot ſunt, quot ſunt diverſæ colorum ſpecies marmoris, jaſpidis, porphyritis, aliorumve lapidum rariorum, & exquiſitorum, qui ad hæc opera adſumuntur. Hi lapides, ſive marmoreæ, ſive alterius naturæ, erant vel colore ſimplici, uti marmor album, & nigrum, vel undulato, vel vermiculato, vel maculoſo, vel variegato maculis, venis, undulis, nubeculis, punctis, guttis, aliisque modis, quos omnes enarrare vix licet, cum per naturæ luſum pro diverſitate materiarum valde varientur, ut diſcere licet ex Plin. XXXVI. 5. 6. 7. & Dioſcorid. de mater. med. V. 142. . . . Hæc primo in uſum venerunt circa tempora Catonis, ſpecitim quæ ex marmore Numidico fiebant: a quibus totum opus *pavimentum Pœnicum* cognominabatur. Feſtus: V. illum ſupr. in *Pavimentum.* Super pictos vel inducebatur vernigo quædam, ſive litura, quæ illos præſtaret adverſus aeris, temporum, aliasque externas injurias illæſos, & durabiles, vel color illis ope ignis inurebatur, & inducebatur, veluti cruſta vitrea ſimilis noſtris encauſtis, quæ *eſmaux* vocamus, exhibens, & oſtentans varias figuras. Inventi hujus tempora ad Claudii Imperatoris principatum refert Plin. XXXIV. 1. *Jam quidem & auro, nec tantum, ut parietes toti operiantur; verum interraſo marmore, vermiculatis ad effigies rerum, & animalium cruſtis. Non placent jam abaci, nec ſpatia montis in cubiculo delitentia; cœpimus & lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum.* Ex his *ſegmentis* pictis proprie conſtant opera *muſiva, muſæa,* vel *muſaica,* & vernacule nobis *a la moſaique* dicta; ad differentiam operis *ſegmentati*, quod ex *ſegmentis* fiebat non arte pictis, ſed ſui coloris nativi, nobis *en marqueterie.* Bergier. de viis milit. II. Sect. 21. §. 3... 6. Grapald. de Partib. dom. II. 1.

SEJ.

SEJA dea. V. illam ſupr. in *Segetia.*

ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑ vocabatur χρεωκοπία ſeu ἄφεσις χρεῶν, vel τῶν δανείων. Quæ voces cum duriores ad rem perſuadendam avaris præcipue, pertinacioribusque fœneratoribus, Solon primus extitit, qui ſingulari aliquo ſophiſmate, ut inquit Plutarch. p. 86. D. novas tabulas, aut χρεωκοπίαν, σεισάχθειαν appellavit, *rem per ſe moleſtam, & ingratam utili, & humaniore vocabulo obvelans.* Et de Republ. ger. p. 807. D. *Cum in animum induxiſſet æris alieni diminutionem, & ſeiſachtiæ, ſic novæ tabulæ mitiori voce ab oneribus excutiendis dictæ appellabantur, in Republica inſtitutionem. . . .* Nihil ſcilicet humanius, nihil in communi vita uſitatius, minusve culpabile, quam ſe illi oneri ſubtrahere, ſub quo, niſi te ſubtrahas, neceſſe eſt ſuccumbas. Hoc autem σεισαχθείας nomen apud Græcos ſignificat, & dicitur quaſi τῆς ἀχθείας σεῖσμα, hoc eſt, *oneris excuſſio*, accommodatum novis tabulis, quia beneficio earum ære alieno, tanquam ponderis immenſi onere, oppreſſi iterum ſe erigunt, ac reficiuntur. *Scheffer. Agripp. Liberat. c. 1. Rabir. de Haſtar. & auction. orig. Theſ. Antiq. Roman. Græv Tom.* III. *p.* (28.) *C. Poſtell. de Republ. Athen. c.* 1. *Thyſ. de Republ. Athen. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* V. *p.* 1364. *B. Sigon. de Republ. Athen.* I. 5. *Meurſ. Solon. c.* 12. *Emmius vet. Græc.* III. *Theſ. Gronov.* IV. *p.* 439. *A. Rhodig. Ant. Lect.* XII. 20. Hæc etiam dici conſueverat, antequam Solon ſuam illam de liberandis tam corporibus, quam poſſeſſionibus introduxiſſet. Eam more Ægyptiorum inſtituiſſe recte, & vere dictum Diodoro, quia nullis in Græcia populis hic mos fuit, niſi Athenienſibus, poſtquam eum Solon ex Ægypto tranſtulit. At Ægyptiis fuit ex lege Bocchoridis, qui *uſuras de facultatibus duntaxat obæratorum exigere, ſed corpus in nexum ducere nullo modo concedebat, bona illorum arbitratus eſſe, qui vel labore compararent, vel per donationem a poſſeſſore legitimo accepiſſent. Sed corpora civitatibus deberi.* Diodor. I. p. 50. C. qui addit: *Videtur & hanc legem Athenis invexiſſe Solon ſiſachthia, quam excuſſionem onerum, id eſt, uſurarum moderationem vertas, nomine ab ipſo vocitatam, qua cives univerſi ab ære alieno in corporis nexum credito, liberavit.* Salmaſ. de Mod. uſur. c. 17. Magi Miſcell. I. 8.

SEL.

SELECTI dicebantur turma, & cohors quædam delecta conſulum, ex quo fonte equites prætoriani, & ſingulares deinde originem videntur traxiſſe. Polyb. VI. 28. *Selecti ex equitibus extraordinariis.* Lipſ. de Milit. Rom. V. Dial. 3. & Patric. Rei Rom. milit. p. 9. f. 16. ἀπόλεκτοι vertunt *ablecti.* Sed illud hac ſignificatione Latinum non arbitror. *Selectos* recte vertas, quia ἀπόλεκτος, quamvis interdum idem quod ἐκλεκτὸς, tamen non raro, qui accuratiori cura, & ſecundo quodam delectu ex *electorum* corpore *ſelectus* eſt. Sic *apolecti* concilium apud Ætolos. V. ſupr. in *Apolecti.* Sic Latini dicunt *ſelectos judices, ſelectaque corpora patres* apud Ovidium Faſt. V. 71. *Schel. in Polybium Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1160. *A.*

Selecti etiam vocabantur, qui ex præſcripto legis Pompejæ maximum cenſum in albo centuriarum a cenſoribus deſcripto habebant, ut fortaſſe id vocabuli fuerit in lege Pompeja conceptum, & puto apud Aſcon. in Cicer. p. 167. pro *electis ſelectos* legendum. Sunt ergo *ſelecti*, qui ad judicandum eliguntur equites ex maximo cenſu: neque

que enim adhuc ordo equestris natus erat, neque ei certus in censu modus constitutus per Augustum, quod veteres tituli satis demonstrant, *Senatus populusque Romanus*, ubi nulla equitum mentio, sed omnino duo ordines erant, patricius & plebejus. *Polet. For. Rom.* III. 9.

SELIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

SELIBRA est semis *libræ*. Varr. de Re rust. IV. 36. *Se valet dimidium, ut in selibra.* Colum. XII. 20. *Quorum singulorum selibræ satisfacient.* Pætus de Rom. & Græc. pond. v. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1262. B. Agricol. de Pond. Rom. IV. p. 97.

SELIQUASTRUM, *siliquastrum*, aut *solliquastrum* vocabatur sedile muliebre. Festus: *Seliquastra sedilia antiqui generis appellantur: d litera in l conversa, ut etiam in sella factum est, & subsellio, & solio, quæ non minus à sedendo dicta sunt.* Arnob. II. p. 59. enumerans supellectilem: *pelluvium, siliquastrum, trulla.* Hygin. Astron. Poet. II. 10. *Pro quo facto inter sidera sedens in siliquastro constituta est.* III. 9. *Cassiepeja sedens in siliquastro collocata est.* Non erat tam ornatæ structuræ, aut artificiosi operis sedes. Festus *antiqui generis sedile* appellavit. Sic enim antiqua dixerunt, quæ rudia magis, ac simplicia: ad usum, ac necessitatem, non ad luxum, aut munditiem inutilem. Qua similitudine Tacit. Annal. XVI. 5. *Qui remotis e municipiis, severam adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam....* qui nondum scilicet viderant luxuriosas illius opes, ac infami illic voluptatum, ac theatrorum certamini, de quibus ibi Tacitus. Ut *sedilia antiqui generis*, ita *lectos archaicos* dixit Horatius. V. illos supr. in *Lecti.* Quod non penitus desita, aut antiquata fuerint, ostendit l. 4. ff. de Supell. legat. *Rhedæ, & seliquastra*, ita legendum, non *sedentaria, supellectili annumerari solent.* Vocamus enim *antiqui generis* etiam ea, quorum usus adhuc durat, sed ut dem nostremus formam, & fabricationem. Mulierum ergo sellæ: & tales fuisse non adopertas, quarum domi usus, non foris, putavit Casaub. ad Suet. Oth. c. 6. n. 6. Nostrates dixerimus vulgares, ac minores, ubi fœminæ lanipendio, & acui operantur. In *seliquastro* impositam locavit Cassiepejam Hyginus. Nisi mihi res cum poetis, aut mythologis foret, genere licentioso, quibus Judæus credat Apella; abunde esset, quod *seliquastrum* supra omnes bisellii honores dignissimam sedem reputarem, quando illic Reginam incumbentem tot siderum satellitio undequaque stipatam collocarunt. Contra autem commune, & cuique parabile id sedile statuimus. Formaturam, & schema *seliquastri* hujus Cassiepeji varie pro lubitu exhibent artifices in mappa cœlesti; domesticum, ut apparet, & muliebrem ad usum. Arabibus proinde astronomis *mulier seliquastri* appellatur Cassiepeja. Productio hæc in aster nescio quam extenuandi, aut despiciendi vim habuit, ut recalvaster, surdaster, parasitaster.... Sic plantas depretiat, aut sylvaticas facit, ut pinaster, oleaster. . . . Quid, si vilitatem, aut contemptum ita ducant a sellis *seliquastra*? quomodo serperastra, vel alia id genus. *Chimentell. de Honor. Bisell. c.* 10. *Voss. Lex. Etymol. Casaub. in Suetonium.*

SELLA fuit instrumentum quoddam, quo divites, senes, & qui ambulare non poterant, per urbes, & in itineribus a servis vehebantur, quoque medici gymnastici ad exercendos valetudinis gratia, tam sanos, quam infirmos non raro utebantur. Narrat Galen. de tuend. valet. VI. 4. Antiochum medicum jam octuagenarium, & in vivendo solertissimum, si quando longius ire vellet, modo *sella*, modo vehiculo gestari solitum. Narrat similiter Plin. Epist. III 5. 15. avunculum suum *Romæ sella vehi solitum, ne cœli asperitas ullum studii tempus eriperet.* Mercur. de Art. Gymn. III. 11. Scheffer. de Re vehic. II. 4. Bud. in Pandect. p. 115. E. Differt a cathedra. Cœl. Aurelian. I. 5. *Levem, & delectabilem adhibeat gestationem, ut fertoria sella, vel cathedra.* II. 1. *Gestatione corpus movemus pro virium modo fertoria sella, vel cathedra.* Qui illas tanquam res distinctas ponit. Quæ harum tamen inter se diversitas exstiterit, haud liquet. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 4. Ego puto Aurelianum a cathedra *sellam* fertoriam distinguere, quasi fertoria sit communis, & vulgaris; cathedra honestior, ac instructior. *Chimentel. de Honor. bisell. c.* 24. Sed hæc nuda est suspicio, nec in Aureliani verbis quidquam allatis, quibus queat confirmari. *Scheff. l. l.* Potius conjecerim, *sellas* communes fuisse utrique sexui. De viris Juven. Sat. VII. 141.

Respicit hoc primum qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, post te sit sella, togati
Ante pedes.

Mart. IX. 23 10.

Et mea sit culto sella cliente frequens.

De feminis Tacit. Annal. XIV. 4. 4. *Agrippinam, auditis insidiis gestamine sellæ Bajas pervectam.* Juven. Sat. I. 124.

Ostendens vacuam, & clausam pro conjuge sellam.

Cathedra pertinuit tantum ad mulieres. V. supr. in *Cathedra.* Lips. Elect. I. 19. Scheffer. l. l. Differt a lectica. V. supr. in *Lectica.* Ad formam quod attinet, credo ita compactam fuisse, ut apta esset ad sedendum. Colligo ex voce: & quia non lectus in *sella*, sed tantum cervical, ad caput scilicet reclinandum. Juven. Sat. VI. 352.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

Ut id genus gestatorii videatur non absimile illi, quod hodie in usu virorum principum, quoties molliter, & sine successu ferri volunt. Faciunt aliquid ad descriptionem *sellæ* verba Lamprid. Elagab. c. 4. *Facta sunt Scta ridicula de legibus matronalibus, quæ quo vestitu incederent, quæ cui cederent: quæ pilento, quæ equo sagmario veheretur, quæ sella veheretur, & utrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata.* Lips. l. l. Habebant *sellæ* sua ornamenta, quædam pretiosiora, quædam minus pretiosa. *Pelicea* opinione mea inducta fuit pellibus, hoc est, coriis, & fuit maxime vulgaris. Nisi quis existimet, habuisse pellibus proprie sic dictis, hoc est, hirtis, & villosis coriis obductas. Pellis enim proprie, ut est detracta pecori, seu animali, cum pilis, lanis, villis; cum corium, cui ea sunt adempta coriarii, alutariive opera. Isidor. XI. 1. *Pellis mox detracta, subacta jam corium dicitur. Ossea* contecta, vel inducta ossibus. Vocabulum enim significat vel ex ossibus integre constructum, vel sic exterius appositis vestitum, ut mere osseam videatur. Ita osseum ex osse mero est constructum apud Colum. XII. 45. *Ut ea dividant osseo cultro, & semina eximant.* Apud T. Quintium Attam in Satyra:

Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus osseo.

At hoc fieri vix potuisse videtur in *sella*, quoniam esset major, quam ut ex ossibus construeretur. Quare osseam accipimus respectu exterioris faciei, quæ inducta, vestitaque ossibus fuit. *Eborata* distincta ebore, ornatus gratia. Quomodo sunt eborata vehicula apud Plaut. Aul. II. 1. 46.

Clamores, imperia, eborata vehicula, pallas, purpuram
Nihil moror, quæ in servitutem sumptibus redigunt viros.

Eborata sunt vehicula hæc feminarum, & illa libenter acciperem de *sellis* quoque, cum & ipsæ sint vehicula, & si alia, ebore ornari consueverint. Eboratum enim vere, proprieque quod ortum ebore. Sosip. Claris. Instit. Gramm. I. p. 57. *Eboratum est extrinsecus ebore ornatum. Argentata* ornata & exculta argento. Sic apud Liv. IX. 40. *argentati milites* sunt *argento cælati*, quorum arma sunt cælata argento, sive quæ habent stellas, rosas, lunulas, & alia id genus ex argento exterius apposita. Verba Livii sunt. *Tunicæ auratis militibus versicolores, argentatis linteæ candidæ. . . . docti a ducibus erant, horridum militem esse debere, non cælatum auro, argentoque.* Scheffer. l. l. *Bracteata* non imaginibus solummodo, & icunculis, vel sigillis oppositis decorata, sed tota metallo tecta, bracteis ex auro obducta. Sidon. Epist. VIII. 8. *Licet tu eboratas curules, & gestatorias bracteatas recolas.* Quæ idcirco & aurea vocatur. Claud. Honor. Cons. IV. 583.

Por-

Portatur juvenum cervicibus aurea sedes.

Scheffer. l. l. Savar. in Sidonium. Quo veherentur mollius, cervical fere habebant ad caput, mulieres præcipue. Juvenalis modo laudatus. Cervical enim pertinebat ad fulciendas cervices. Scholiastes in Juvenalem. *Cervical, pulvinar, super quod caput inclinet.* Quibus verbis simul discimus, mulieres præsertim in his *sellis* sedisse non erectas plane, sed nonnihil tergo, & cervicibus, seu capite reclinato in pulvinar. Digniores, ac potentiores *sella* utebantur laxa. Senec. de Const. c. 14. *Quid refert, quam laxam habeat sellam.* Itaque non unus semper, solusque in *sella*, licet frequentissimum hoc esset, aliquando enim & duo, si audimus Lipsium. Hic ad Tacit. Annal. xi. 33. 3. *In eodem gestamine sedem poscit, sumitque.* Quæ auctor de Narcisso. *In eodem gestamine, id est, gestatoria sella, quæ a Claudio dea illa in urbem vehebatur.* Apparet, in uno *gestamine plures sellas fuisse, ut hic vides in Narcisso, qui eodem gestamine sellam poscit, sumitque.* In quibus non intelligo, quid velit *sellæ plures in eodem gestamine.* Nam si gestamen ipsum *sella*, quomodo in una *sella sellæ* plures? Sed nec *sellam* poscit Narcissus, quod ait Lipsius, sed *sedem.* Differunt plurimum inter se *sella* & *sedes.* *Sella* tota, & integra est fabrica, *sedes* una illa tabula, cui insident, quamque occupant, qui *sella* utuntur. *Sedile* quoque appellatur. V. supr. in *Sedile.* Sicut *sedile* pars *sellæ*, ita & *sedes.* Quare qui in *sella* poscit *sedem* cum alio, non *sellam* aliam in ea poscit, verum locum, ubi queat sedere. Sedes, quod *gestamen sellam* explicat, non caret omni dubitatione. Sermo enim ibi non est de Narcisso tantum, atque Claudio, id est, duobus in eodem gestamine; verum L. Vitellio quoque, & P. Largo, id est, quatuor. Sed in *sella* una quatuor consedisse non est verisimile, quoniam ejus structura altior quam longior. Quare mallem Tacitum accipere de vehiculo cum rotis; nam lecticam cogitare prohibet, quoniam in ea jacebant, Narcissus vero *poscit sedem.* Neque obstat vox *gestaminis*, quoniam *gestari* dicuntur etiam, qui utuntur vehiculis. Mart. I. 13. 7.

— *cum mole sub ipsa*
Gestatus bijugis Regulus esset equis.

Bijugi enim *equi* sunt bigæ, quibus Regulus gestatus dicitur. Et *gestatio* de vehiculo usurpatur Aureliano supra laudato. Etiam Cels. II. 15. *Genera gestationum plura, acrior vehiculo.* *Sellarum* ergo genus aliquod laxius factum videtur, non ideo, ut geri simul in eadem *sella* possent duo; sed ut, qui gerebatur, spatium haberet amplius, & hoc ipso majorem, potentiorem, gloriosioremque sese exhiberet. At quorum fortuna exilior, ii *sella* utebantur arctiore. Talis opinor, quam *sellulam* appellat, & Vitellio clam fugienti tribuit Tacit. Hist. III. 85. §. 1. *Vitellius, capta Urbe, per aversam palatii partem, Aventinum in domum uxoris sellula defertur.* Dicit, defertur, unde patet agere de *sella* gestatoria, quam vocat *sellulam*, quia fuit vulgaris, ut facilius lateret, ac minuta. Harum usus fuit I. ut qui pedibus valerent minus, ope illarum adjuti, possent iter facere. Tacit. Hist. I. 35. §. 2. *Nemo scire, & omnes affirmare, donec inopia veri, & consensu errantium victus, sumpto thorace Galba, irruenti turbæ, neque ætate, neque corpore sistens, sella levaretur.* Hic Galba debilior ætate imponitur *sellæ*, ac in castra rapitur. II. Accessit ambitio, & fastus, quo pedibus ambulare noluerunt, sed *sellis* vehi. Hoc Cæciliano exprobrat Mart. IV. 51. 1.

Cum tibi non essent sex millia Cæciliane,
Ingenti late vectus es hexaphoro.

III. Spectabat ad dignationem. Huc respexit Juvenalis supra laudatus. Agit enim de patronis causarum, quos non absurde colligas, usos esse istis *sellis* existimationis, & auctoritatis gratia IV. In illis solebant legere. Plin. Epist. III. 5. 16. *Qua ex causa, ut ne ullum ipsi studii tempus eriperetur, Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cur ambularem, poteras, inquit, has horas non perdere.* Dicit, non ipsum modo usum *sella*, quo posset, dum negotiorum causa de loco uno fertur in alium per Urbem, librum legere; sed eo nepotem suum animasse, ne, si ambularet, horas eas nihil agendo perderet. V. Delicatiores in eis dormiebant. De Galla maritus apud Juven. Sat. I. 126.

Noli vexare, quiescit.

Proferre caput eam dispensator, seu distributor sportulæ voluerat. Sed quia *sella* erat vacua, fingit maritus eam intus dormire, sicut nempe crebro fiebant. VI. In viis, & itineribus etiam extra Urbem adhibebant. Suet. Oth. c. 6. n. 6. *Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit.* Tacit. Ann. l. XIV. 4. §. 4. *Satis constitit, extitisse proditorem, & Agrippinam, auditis insidiis, gestamine sellæ Bajas pervectam.* Latentes latebant. Suet. Ner. c. 26. n. 7. *Interdum et lectica sella clam delatus in theatrum.* Vitell. c. 16. n. 3. *Continuo abstrusus gestatoria sella, Aventinum, & paternam domum clam petiit, ut inde in Campaniam fugeret.* VII. Per gestationem in *sellis* hisce exercebant corpus gratia valetudinis vel conservandæ, de quibus Senec. de Brev. vit. c. 12. *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se, & lectica huc illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt.* Licet enim per mollitiem, ac voluptatem gestarentur *sellis*, videri tamen volebant causa valetudinis per exercitationem servandæ istoc facere. Vel reparandæ: quo spectant, quæ ex Cœlio a nobis allata sunt in superioribus. Scheffer. l. l. VIII. Sontes, vel quacunque de causa tormentis afficiendi illis includebantur, & ad supplicium rapiebantur. Ammian. XXIX. 2. *Quibus incantamentis in judicio recitatis, ubi non lex, non ratio, non æquitas veritatem a mendaciis dirimebat, indefensi bonis ablatis, nullo contacti delicto promiscue juvenes, aliique membris omnibus capti ad supplicia sellis gestatoriis ducebantur.* Tacit. Annal. XV. 57. 2. V. illum infr. in *Sella arquata.* Pignor. de Serv. p. 278. Chimentel. l. l. Nulla toto loco isto tormentorum mentio. Imo contra ne quidem instituta quæstio dicitur, cum *veritatem æquitas a mendacio non dirimeret, indefensique rei ducerentur.* *Capti membris omnibus* aliud significant, constrictos nempe vinculis, sicuti solebat, de quibus supplicium erat sumendum. Unde vetus formula: I. *lictor, colliga manus.* Quare magis consentaneum, ut credamus, ductos *sellis*, ne adspectu suo commovere quenquam possent. Tacitus dicit Epicharin *sella* inclusam fuisse, quia *insistere nequibat.* Sed & alterum attendi potuit, cum ad illud quævis obvia suffecisset cathedra, hæc vero *sella* clausa fuerit. Hoc intelligitur ex eo, quia sibi ipsi, dum ad cruciatus gestatur, vitam ad imit laqueo. Nec enim hoc potuisset, si gestantes potuissent observare. Sed & hoc demonstrat *sellæ arcus.* V. illum infr. in *Sella arquata.* Scheffer. l. l. Duabus *sellis* qui dixerunt, quasi ad bisellii usum, ac formam retulerunt. Scopticus tegitur sensus, sedetque acumen in hisce verbis, quibus lubricam nonnullius fidem, & mobilis animi inconstantiam carpebant. Exprobratum id Ciceroni a Laberio, de quo Macrob. Sat. II. 3. *Cicero ait prætereunti Laberio, & sedile quærenti, recepissem te, nisi anguste sederem, simul & illum respuens, & in novum senatum jocatus, cujus numerum Cæsar supra fas auxerat, nec impune. Respondit enim Laberius: mirum si anguste sedes, qui soles duabus sellis sedere; exprobrata levitate Ciceroni, qua immerito optimus civis male audiebat.* Repetitque III. 7. ubi dicterii vim exponit, *objiciens tanto viro lubricum fidei.* Ante illum Senec. Declam. VII. 18. *Laberius ad Ciceronem remisit: atqui soles duabus sellis sedere. Quia Cicero male audiebat, tanquam nec Pompejo certus amicus, nec Cæsari, sed utrique adulator.* Qui igitur bisellio insidet, facili transitu, si lubeat, a dextra in sinistram migrat, aut contra remigrat sellam, nunc uni, nunc alteri imminens parti. Quo pacto homines sublestæ fidei, & versatilis animi, qua vocat spes, blanditur lucrum, aut occasio invitat, ita ex usu versoriam regunt, ac temporibus insidiando, nunc uni, nunc alteri vento rudentes laxant; undeque stat fortuna, illic adhærescunt; quod viro consulari, ac diserto objecerunt. Et quoniam hoc scommate ii præcipue asperguntur,

tur, qui una, eodemque tempore duabus rerum agendarum opportunitatibus mobilem, atque obnoxiam fidem oppignorant, perbelle hoc dictum a bisellii forma petitur, ubi insessor duabus eodem tempore incumbit *sedibus*, cum tamen unicam videatur tenere. Sed *duabus sellis* etiam ille *sedet*, qui quam commodiorem sibi putat, eam disjuncto, & tempore, & loco, subinde obtinet, relicta, ac mutata priori; quod ad partium sequelam in Republica dein transtulere. Nisi malimus ad morem veterum referre, cum pedibus in sententiam discedentes, alio *sessum* ibant, atque eo pacto prodebant quid elegerent: Vernaculum illud, *tenere il piede in due staffe*, quadantenus est affine, de homine occasionum segni, qui sibi unam, atque alteram prospexerit; ut si forte prima exciderit, secundam arripiat: quomodo pes innixus duobus suppedaneis, si unum eluditur, alteri insistit. Posset quoque metaphora duci a cursu equestri, cum quis ex uno in alium equum currendo se trajiciebat; ea enim erat desultoris ars in equum πέρωρον velociter transilire, ac mox in priorem *sellam* resilire. Periculosum autem est rem habere cum equis currentibus, quos nudos tunc fuisse puto, ac sine *sella*. Omnino igitur tutius erit a consessu, & concione deducere, quod tum Seneca, tum Macrobius diserte narrant. *Chimentell. de Honor. bisell. c. 9.*

Sella arquata ob structuræ, figurationis, aut compagis speciem fuit appellata, quoniam in arcum sinuabitur. Arquus scribebant veteres pro arcus. Unde Arnob. I. p. 20. *Arquitentes Diana & Apollo.* Sic arquatus morbus. V. illum supra in *Morbus*. Arnob. II. p. 59. de rustica loquens supellectile: *Quid arquata si sellula.* Inter viles omnino reponit, qualium etiamnum hodie quasdam apud nostros videre est ligneas, & obsoletas avorum reliquias, nullo, aut parvo cultu. Etsi curvatura illa, ac sinus satis commode sessorem excipit, & complectitur: tribus innixas pedibus ferme observamus. Talisne fuerit, an non, ignoro, quam pariter sellulam, & rusticanam, imo servilem vocat Sulpic. Sever. II. I. *Sedebat autem Martinus in sellula rusticana, ut est in usibus servulorum, quas nos rustici Galli tripetias.* . . . *Sellæ* arquatæ meminisse Tacit. Annal. XV. 57. 2. scribit Pignor. de Serv. p. 281. Sed vere nulla apud Tacitum mentio *sedis* cum hoc nomine arquatæ. Id modo legitur de Epichari liberta: *Postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur, gestamine sellæ (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinclo fasciæ, quam pectore detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit cervicem, & corporis pondere connisa, tenuem jam spiritum expressit.* Memorat *arcum sellæ*, sed non necessario *sella* erat arquata; forte enim summa reclinatorii pars, quæ capiti sedentis imminet, in arcum, sive apsidem curvabatur, ornatus, ac decoris causa, ut nonnullas veterum observare est: atque huic arcui, cum fasciam alligasset Epicharis, propenduli corporis gravitate spiritum interclusit. Caterum non inepte possem arquatas vocare *sellas*, quarum anaclinterium, vel pluteus continuo assurgens tabulato in arcum sinuatur, ac desinit; ac plurimum Episcopales sedes ita deformantur. Sed quoniam arquatas Arnobii, aut tripetias Sulpicii, rusticanas, ac serviles fuisse monuimus: quid causæ est, cur reclinando dorso eminentem illis pluteum appingamus? In priscis tamen monumentis quasdam deprehendimus ita figuratas; sed molliori curvamine sensim flexas in arcus portionem, vario etiam ludentis fabri ingenio, signis, columellis, parastatis, triglyphis eleganter ornatas. *Chimentel. de Honor. bisell. c. 24.* Arcus ille non fuit reclinatorii pars in apsidem curvata, sed sustinebat tectum superne in sella operta, clausaque. Ideo ei tanquam supra caput extanti fasciam, laqueumque indit Epicharis: ideo pondere corporis connititur, deorsum nempe, hoc enim vult pondus, non antrorsum, quod Chimentellus putavit. *Scheffer. de Re vehic. II. 4.*

Sella balnearis. De illa Paull. Sent. III. 7. *Mundo muliebri legato ea cedunt. . . . item sella balnearis.* Qui & eodem titulo inter instrumenta balneatoria ponit scamna, & hypopodia, quæ sunt suppedanea, & cum scamnis merito conjunguntur. Hinc mentio tot *sellarum* in balneis publicis, sive thermis. *Mille sexcentas e marmore* ad usum lavantium paratas tradit Olympiod. in Excerpt. de thermis Antonini loquens. De privato balneo Sidon. II. 2. *Tot posset recipere sellas.* Inter has quædam pertusæ, quales vocat Cato de Re rust. c. 156. Aperturam mox describet Cassiodorus. Ea apertura, aut cavitas in duplicem usum: sive, ut aqua sedenti infusa perfugium habeat paratius unde effluat: sive, ut illic ascendens vapor haurientem foveat sessorem. Cassiod. Var. II. 39. *Juxta caput fontis, Aponi, scintillosi quendam sibi meatum provida natura formavit. Hinc desuper sella composita, quæ humanis necessitatibus in absidis speciem perforatur, ægros suscepit interno humore aestuentes: ubi dum fessi nimio languore consederint, vaporis illius delectatione recreati. Vaporarium* nostri seculi medicis dicitur. *Chimentel. de Honor. bisell. c. 25. Pignor. de Serv. p. 279. Rhod. ad Scribon. Larg. c. 93.* Datur & alia *sellæ* balnearis species, nisi mavis reclinatorium, aut fulcrum appellare, ubi quidam aut innixus, aut sedens strigilim patitur mediastini sordes destringentis, cutemque scabentis quam valentissime. Ea est apud Boissard. p. 2. ubi de thermis ex marmore Julii Roscii cum inscriptione *Genio lavacrorum Metelli.* Observare est hic substratam vestem, qua corpus detergatur; aut ne incumbens elabatur scabro, ut apparet, aut rudi impositum stragulo; aut potius quo strigmenta eo recipiantur ad sedis munditiem. *Chimentel. l. l.*

Sella castrensis. V. illam infr. in *Sella Imperatoria.*

Sella curulis *in curru erat, supra quam considebant magistratus.* Gell. III. 18. Unde videmus, sedisse non in curru, verum in *sella* currui imposita, & esse illam ipsam, quæ aliis curulis dicebatur. Etiam cognoscimus, non fuisse fixam in curru, verum potuisse demi. Solebant enim *sella* ista magistratus uti, cum dicendum jus esset, vel quid aliud honoratioris negotii conficiendum. V. infr. in *Tribunal.* Isidor. XI. 20. non insedisse ait eis *sellis*, verum habuisse post se vectos. Verba ejus sunt: *Sellæ, quæ post eos vehebantur, quibus sedentes jura dicere solebant, a curru currules sellæ sunt nominatæ.* At quo pacto vectæ post eos? Et si vectæ post, cur dictæ curules? Ergo nugatur. *Scheffer. de Re vehic.* II. 16. Tusciæ, sive Hetruriæ est inventum. Et e Vetulonii oppido, hodie Viterbio primum advecta in Urbem est curulis, si fides Silio Ital. VIII. 487. Qui de ea sic loquitur civitate:

Hac altas eboris decoravit honore curules.

Chimentel. de Honor. bisell. c 11. Ab Hetruscis sumpsisse Tarquinium Priscum scribit Flor. I. 5. 6. *Duodecim Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde curules.* Sed sive in universum dicas ab Hetruscis sumptas, sive nominatim a Vite biensibus, populo Hetruriæ, a Curibus Sabinis derivari negabis, quod voluit Lips. de Magistr. c. 12. *Scheffer. l. l.* Materia olim ex ebore. Horat. Epist. I. 6. 53.

Quilibet hic fasces dabit, eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur.

diuque tenuit. Eam ob causam Dionysius ubique vocat ἐλεφάντινον δίφρον. Et passim scriptores de ebore curuli. Eboratam Vopiscus in Aureliano. Proprium Romanorum agnoscit hoc ebur Athen. V. p. 193. F. ubi de Antiocho Epiphane; qui nonnunquam sedebat *in sella eburnea more Romanorum.* Chimentel. & Lips. l. l. Dorleans ad Tacit. p. 309. b. Lycklama de Magistrat. c. 5. Formam ostendunt marmora. Fuit alta, cælata, & sculpta, & signis ornata. Ovid. Pont. IV. 5. 18.

Conspicuum signis cum petit altus ebur.

IV. 9. 27.

Signa quoque in sella nossem formata curuli;
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

Lycklama. Dorleans. Lips. & Scheffer. l. l. Fab. ad tit. II. de orig. jur. p. 175. Incurvis pedibus. Glossæ, quæ ita habent. *Curulis sella*, ἀγκυλόπους, θρόνος βασιλικός. Plutarch. in Mar. p. 408. A. *Altera a sellis curulibus, quæ incurvis erant pedibus, ex quibus munia magistratus explicabant;*

bant, nomen traxit. In medio connexi sese sibi invicem erant, ita tamen ut inflecti possent. Uno verbo erant pedibus suis, similes sellulis, quas hodiernæ mulieres minibus, ad templa per plateas profecturæ, secum gerunt. *Lycklama & Lips. l. l.* Casaub. in Aug. c. 43. describit in hunc modum: ***Sella curulis quatuor lignis, pluribusve constabat incurvis, in modum fere literæ S. productæ, & minus curvatæ ab utraque parte. Hæc funibus ita compacta erat, ut aperiri, claudique posset. In aperta sedebatur super loris, & linteis.*** Mart. ii. 57. 6. V. illum supr. in *Lectica*. Locus Martialis ad curulem *sellam* nihil facit, de vulgari namque loquitur, & gestatoria. Itaque de loris linteisque needum penitus alentior. Super corio, aut pelle potius sedebant. Ita videntur ostendere nummi veteres apud Ursinum, aliosque, in quibus *sella* ista est proposita. E quibus simul liquet, quæ lignorum quatuor Casaubono memoratorum fuerit ratio. Conjungebantur duo in medio, ut referrent speciem literæ X. & iterum alia duo. Ita *sella* quatuor sustinebatur pedibus in modum pedis leonini, vel alterius animalis deformatis. In quo curulis differt a communi. Nam in hac pedes erant recti, in illa decussatim juncti. *Scheffer. & Chimentel. l. l.* Erat quoque plana, nec habebat surgens a tergo tabulatum, in quod reclinari posset, Græcis ἀνάκλιθρον vocatum, ut nummi docent, in quo differebat a soliis, hemicyclis, & id genus. *Scheffer. l. l.* Carent fulcro retinendæ opinor vetustatis gratia, quoniam simplicissima ea sedes priscorum; vel quia plerumque in tribunali, aut suggesto locabantur, parieti, vel tabulato admota: unde humeris itidem fulcrum, & innixus caperetur; vel quoniam tandem curulem secum gestantes magistratus quocumque ponebant, ac reponebant; commodius autem, si nulla sarcina, & adjectio reclinatorii sedem onerasset. *Chimentel. ibid.* c. 30. Quod autem dicunt, dicit hoc etiam Lips. l. l. nuncupatam esse altam, non quod *sella* ipsa altissima, sed quod adjuncti plures gradus, id vix credo recte dici. Habet equidem ita Cassiod. Var. vi. 1. *Sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende.* Verum non necesse est, ut gradus illos hic intelligamus veros. Nusquam enim tales in *sellis* curulibus leguntur, nusquam cernuntur in earum imaginibus, quotquot exhibent vel nummi veteres, vel monumenta. Potius videntur intelligendi gradus munerum, honorumque inferiorum, per quos ascenditur ad consulatum. Unde quoque jam enisum gradus illos Cassiodorus ait consulatus candidatum. Aut si veri gradus hic signantur, mallem accipere de gradibus tribunalis, in quo curulis *sella* collocari solebat. V. infr. in *Tribunal*. Prior tamen explicatio mihi verior videtur. Quod ex eo etiam colligitur, quia *sellæ* huic assignat magnitudinem eximiam, quæ, si speciem respicias, non fuit major, quam *sellarum* aliarum. Ut proinde magnitudo non structuræ, operisve, sed dignationis debeat intelligi. *Scheffer. l. l.* Si quis sciscitetur, utrum eadem fuerit facies *sellæ* curulis tam anterior, quam posterior, sicut in subsellio; nihil ut referret, qua fronte statuatur; esset quod in curuli diversitatem aliquam suspicarer ex Suet. Galb. c. 18. n. 7. ubi inter alia, quæ imperium Galbæ, vitamque amittendi dedere omen, refert historicus fuisse, *in senatu curulem perverse locatam*, quod nobis esset *a rovescio*. Alius ergo curulis aspectus in antica, alius in postica esse potuit. Nisi *perverse* intelligamus, quasi latera *sellæ* exposita fuerint, ubi frons, aut aditus obverti debeat. Notavi in l. 1. ff. de postul. *Publium Cæcum Asprenatis Nonii patrem aversa sella a Bruto destitutum, cum vellet postulare.* Sed eam partium, ante, aut secus disparem formam imagines non præferunt. Illud duntaxat quandoque observare est, præsertim in nummis, ligna posticæ partis paullo altius extare, ac promptiorem *sellam* in anterius reddere. *Chimentel. ibid.* c. 11. In ludis, ac theatris, absentibus etiam, aut mortuis positæ coronabantur. Nep. viii. 7. 2. *Sellam auream cum sceptro, ac diademate.* Tacit. Ann. ii. 83. 1. *Sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque eas coronæ querceæ statuerentur.* Chimentel. c. 14. & 31. Spanhem. de Præst. numism. D. Hort. vi. p. 584. Sedebant in illis consules, & præto[illegible], & a[illegible]. Liv. vii. 1. *A[illegible] nis, quia pro [illegible]* prætorem, & duos ædiles, [illegible] *jam consules sedes nobilitas [illegible]*. Hanc *sellam cum [illegible]* testis Lupus in oratione [illegible] apud D. [illegible] iv. p. 265. Et apud eundem [illegible] v. p. 313. M[illegible] post victos S[illegible] nos *regiæ curulis sellæ* [illegible] inveniatur. L. Torquati patri hanc sellam [illegible]. Cicer. pro Syll. c. 29. *Sed iste tuus pater etiam in [illegible] priore periculo sit, tamen humanitate adductus [illegible] communis sellæ curulis, atque ornamentis suis, & [illegible].* It Græcinus consul creatus apud Ovid. de Pont. iv. 9. 27.

Signa quoque in sella nossem formata curuli.

Lycklam. de Magistrat. c. 7. [illegible] Antiq. select. iii. 15. Chimentel. c. 12. Scheffer. l. l. C[illegible] meminit Suet. Claud. c. 23. n. 6. *De majore negotio acturus in curia medius inter consulum [illegible] tribunitio subsellio sedebat.* Cicer. Fam. vii. 30. V. illum supr. in *C[illegible]*. In *sella* curuli etiam prætorem jus dixisse docuit Ulpian. l. [illegible] de postul. modo laudatus. Quintil. vi. 3. *Marcus Cælius prætor cum sellam ejus curulem consul Isauricus fregisset, alia[illegible] posuit.* Val. Max. iii. 5. 1. *Quamquam quid interfuit, utrum repulsam, an sic adeptam præturam domum referret? quam cum propinqui ab eo pollui animadverterent, id egerunt, ne aut sellam ponere, aut jus dicere auderet.* Ædiles quoque curules eadem *sella* [illegible], & nomen ipsum, & Flavii historia docet [illegible] Liv. ix. 46. Gell. vi. 9. *Cn. Flavius ædilis sellam curulem jussit sibi afferri, eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset: utque ii omnes [illegible] viderent sese in sella curuli [illegible].* Briffon. l. l. Chimentel. ibid. c. 12. Delata quoque domum est a magistratibus tanquam necessaria supellex, non modo ad usum, & opportunitatem juris dicendi; sed forte ad memoriam honoris, commendationemque posteritatis, etiam exacto magistratu. Liv. v. 41. *Qui eorum curules gesserant magistratus; ut in fortunæ pristinæ, honorumque, aut virtutum insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est thensas ducentibus, triumphantibusque, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere.* Val. Max. iii. 2. 7. *Defuncti honoribus, apertis januis, in curulibus sellis, cum insignibus magistratuum, quos gesserant, sacerdotiorumque, quæ erant adepti, consederunt, ut & ipsi in occasu suo splendorem, & ornamenta vitæ præteritæ retinerent, & plebem ad fortius sustinendos casus suo vigore provocarent.* Eandem, dum procederent, portari jubebant, siquæ opus fuisset ex inopinato dicendi juris causa utebantur. v. §. 2. Instit. quibus manumitti: ubi de consule manumittente, cum in balneum iret, aut theatrum. Si domi, aut privatim a curuli *sella* minime abscedebant magistratuum compotes, multo id minus in conspectu populi, & ad publica officia, in quibus, aut promendæ justitiæ auctoritas, aut patrii honoris vindicanda majestas. Si ad exercitus ibant, aut in provincias, secum habuisse curulem nullus dubito. Hinc mentio *sellæ* castrensis: hinc militaris, aut Imperatoriæ, seu strategicæ. V. illam infr. in *Sella Imperatoria*. Chimentel. ibid. c. 12. & Scheffer. l. l. Etiam sacerdotes. Liv. xxvii. 8. *Vetustum jus sacerdotii repetebat: datum id cum toga prætexta, & sella curuli, & flaminio.* i. 20. *Numa flaminem Jovi assiduum creavit: insignique eum veste, & curuli regia sella adornavit.* Tacit. Annal. ii. 83. 1. *Sedes curules sacerdotum Augustalium locis statuerentur.* Chimentel. l. l. Guther. de jur. Pontif. i. 28. Munerum editoribus inter ludos, & sollennia datam *sellam* curulem fuisse opinarer, etiamsi privati essent: de magistratibus quis dubitet? Omnino ad podium tribunalis ponebatur. Suet. Aug. c. 44. n. 7. *Virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & contra prætoris tribunal.* Editorem vocat *prætorem*, quia prætores plerumque ludos exhibebant. Tribunal datur editori, a tribunali nunquam *sella*, & quidem curulis in Urbe sejungitur. Stat *sella* quidem sine tribunali; hoc autem haud sine ea. Cic. Verr. ii. 38. *Palam de sella, ac tribunali pronuntiat.* Mart. xi. 99. 17.

Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et e curuli jura gentibus reddas.

Etiam dictatori eſt uſurpata, quippe ille magiſtratus omnium in ſe poteſtatem involvebat. Feſtus: *Sellæ curulis locus in circo datus eſt Valerio dictatori, poſterisque ejus honoris cauſa, ut proxime ſacellum Murciæ ſpectarent, unde aſpiciebant ſpectacula magiſtratus.* Et pontifici maximo. V. ejus *ſellam* ſupr. in *Pontifex maximus.* Ipſi Regi. V. ejus *ſellam* infr. in *Sella regia.* Chimentel. l. l. Lipſ. in Amphit. c. 11. Ex *ſellis* curulibus quoſdam ſpectaſſe ludos reperio. Suet. Aug. c. 43. n. 13. *Commiſſione ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, evenit, ut laxatis ſellæ curulis compagibus caderet ſupinus.* De dictatore Feſtus modo laudatus. *Lipſ. de Amphith. c. 11. Buleng. de Circ. c. 37. Dorleans in Tacit. p. 783. A. Pitiſc. in Suetonium.* Et, cum adulatio evaluiſſet, non ſolum vivis, ſed etiam abſentibus, & mortuis dabatur in ſpectaculis locus, memoriæ conſervandæ. Loci præbiti indicium *ſella* erat. Liv. 11. 31. *Dictator* Valerius *triumphans in Urbem invehitur. Super ſolitos honores locus in circo ipſi, poſterisque ad ſpectaculum datus: ſella in eo loco curuli poſita.* Dio xliv. p. 243. B. *In theatra etiam ſellam ejus,* Julii Cæſaris, *auream inferri, atque in circum etiam introduci a multitudine juſſerunt.* De M. Marcello defuncto Dio liii. p. 517. D. *Marcelli & imaginem auream, & coronam auream, & ſellam curulem Romanis ludis in theatrum inferri juſſit, & mediam illam poni inter ſedes editorum.* Et Germanico jam mortuo *ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis* in theatris ſtatuuntur apud Tacit. Annal. 11. 83. 1. *Lipſ. in Tacit. n. 211. Spanhem. de Præſt. numiſm. Diſſert. vi. p. 584. Chimentel. ibid. c. 14. & 36. Kirchman. de Funer. iv. 9. Nonn. in Goltz. Jul. Cæſar. numiſm. p. 49.* Mos ille repetitus videtur ex uſu veteris Reipublicæ, quo in illuſtrium funeribus majorum effigies cum auro radiante toga eburneis *ſellis* impoſitæ, ut me docuit Polybius. Nec id apud Romanos ſolum, ſed apud Græcos etiam, & barbaros uſitatum videas in iis, quæ in Alexandri funere obſervat Curt. x. 6. 4. *Tunc Perdiccas regia ſella in conſpectum vulgi data, in qua diadema, veſtisque Alexandri cum armis erant; annulum ſibi pridie traditum a Rege in eadem ſede poſuit.* Spanhem. ibid. p. 585. Præcipuum locum ſibi vindicabat inter dona, quæ vulgo ad amicos, & ſocios Reges mittebantur. Liv. xlii. 14. *Eumeni omnes honores habiti, donaque quam ampliſſima data, cum ſella curuli, atque eburneo ſcipione.* Polyb. Excerpt. 121. *Remiſit dona, quæ inter ipſos,* Romanos, *pro maximis habentur, ſcipionem, & ſellam curulem.* V. etiam ſupr. in *Scipio eburneus.* Spanhem. ibid. Diſſert. v. p. 440. Briſſon. de Formul. ii. p. 234.

Sella equeſtris altiuſcula, & e ferro, lignoque compaginata, non eſt pervetus, non tamen novitia: & fortaſſe Sidonii Apollinaris ævo. Inducunt ejus verba Epiſt. iii. 3. *Alii ſanguine, ac ſpumis pinguia lupata ſuſcipiunt, alii ſellarum equeſtrium madefacta ſudoribus fulcra reſupinant.* Nam & *ſellas* nominat, & *reſupinata fulcra*, utrumque pro hodiernis. Quid quod in columna Trajani, in qua multa imago rerum veterum, forma quædam noſtræ huic conſimilis. *Lipſ. de Milit. Rom.* iii. *dial.* 7. *Savaro in Sidonium. Hugo de Milit. Equeſt.* 1. 4. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* iii. *p.* 85. Ejus loco equis pelles inſternebant priſci Romani. V. ſupr. in *Equus.*

Sella familiarica eſt inſtrumentum oneri ventris excipiendo accommoda, familiæ præſertim. Varr. de Re ruſt. 1. 13. *In eoque quidam ſellas familiaricas ponunt.* Rhodig. Ant. Lect. xxvi. 21. *Sella* ſimpliciter. Marcellus Empiricus: *Per vomitum & ſellas.* Idem ponit *ſedere* pro niti. Unde verbum *adſellare*, ἀφοδεύειν creberrimum apud Veget. de Re veterinaria, ut iii. *Stercus durum adſellat.* Et *deinde ſale, & melle mixtis in anum infundes, ut adſellandi augeat voluntatem.* 1. *Si poſt clyſterem, vel potionem, multum ſtercoris adſellatus ediderit.* Scalig. Conject. in Varr. p. 198. Rhod. Lex. Scribon. Chimentel. de Honor. biſell. c. 26. *Patroclina* dicitur Mart. xii. 78. 9.

Sellis ante pereſt Patroclinas.

Patroclus χέσας, id eſt, *cacator*, vocatur apud Ariſtophanem. *Rhod. Lex. Scribon. Chimentel. l. l. Turneb. Adv.* xxx. 26. Martialis eas ad ima Capitolii collocat n. 3.

Æthon in Capitolio pepedit.

n. 8.

Cum vult in Capitolium venire.

Has ego de numero 144. latrinarum publicarum fuiſſe exiſtimo, quas Victor libro extremo recenſet. Nomen iis Patroclianarum forſan a tabella Patrocli alicujus, vel a ſervo iſtius nominis aliquo, qui earum curam geſſit. *Nardin. Rom. Vet.* v. 11.

Sella geſtatoria eſt inter illas, quæ proferri ſolebant etiam in publicum. Cautionis fortaſſe gratia ſic dicta ad diſcrimen ſedentariæ. Suet. Ner. c. 26. n. 7. *Interdiu quoque clam geſtatoria ſella delatus in theatrum.* Vitel. c. 16. n. 3. *Continuo abſtruſus geſtatoria ſella.* *Portatoria* vocatur Cœl. Aurelian. Morbor. Chronic. 1. 1. *Ante cibum præterea adhibenda erit geſtatio, portatoria ſcilicet ſella, ſine vehementi motu. Fertoria* 1. 5. *Levem, & delectabilem adhibeat geſtationem, ut fertoria ſella. Fertorium* in neutro 1. 1. *Adhibenda igitur vectatio pro viribus ægrotantis fertorio, vel ſella procurata.* Chimentel. de Honor. biſell. c. 24. Lipſ. Elect. 1. 19. Epiſt. Miſc. 2. Scheffer. de Re vehic. 11. 4. & 18. Barth. Adv. xli. 25. Pitiſc. in Suetonii Neronem.

Sella Imperatoria, quia Imperator idem ac dux exercitus, & rei bellicæ ſummus antiſtes. Στρατηγικὸς vocatur Dionyſ. viii. p. 554. quaſi prætoria, ſive Imperatoria; eſt enim ϛρατηγὸς quicunque præfectus, aut princeps; etſi proprie in exercitu. Eadem & ἡγεμονικὸς a ducatu, & ἀρχικὸς ab imperio. *Caſtrenſem* quoque reperio, cujus meminit Suet. Galb. c. 18. n. 7. *Adoptionis die neque milites allocuturo caſtrenſem ſellam de more poſitam pro tribunali, oblitis miniſtris, & in ſenatu curulem perverſe collocatam.* Hanc a curuli diſtincto nomine demonſtrat Suetonius, quaſi a curuli differret. Sed id magis eſt, ut locum, non formam in hiſce *ſellis* diverſam declarare velit. Utramque puto curuli ſpecie fuiſſe: ſed caſtrenſis magis expedita, ac veluti in procinctu, more militum. Oſtendunt nummi, & probant hiſtoriæ. De Vitellio apud exercitum Tacit. Hiſt. ii. 59. 5. *Valentem, & Cæcinnam pro concione laudatos curuli ſuæ circumpoſuit.* Serv. Æneid. xi. 332. *Romanorum Imperatorum inſigne fuit ſella curulis.* Tacit. Annal. xv. 29. 5. *Medio tribunali ſedem curulem, & ſedes effigiem Neronis ſuſtinebat.* Apud Armenos abſenti Neroni id poſitum fuerat. Deleta Republica, atque urgente dominatu Imperator fuit, qui Princeps: cujus *ſella* operoſior; cultuque aucto, paullatim ex ebore in aurum, ac pretioſum quidvis refecta. Curulis tamen plurimum, aut non admodum diverſa, niſi qua luxus, luſusque artificis ornatu, ſumptuque novam faciem appinxiſſet. Hinc δίφρος βασίλειος, & θρόνος: reſpicientes thronum, aut ſolium, in quo ſedes: ſed & θρόνος Heſychio, ἀνάκλιτος δίφρος, *ſedes cum anaclinterio.* Vocat & *quadrupedem*, & *ſedem ſacram, atque exornatam.* Neque minus Latinis *ſedes Regia.* V. infr. in *Sella regia.* Ubicunque Imperator, ferme ibi ſedes, ac thronus, ſive in palatio, ſive alibi, publiceque, aut intra lares. Apud Romanos initium a Cæſare, cui Romana gens jam prolapſa ad ſervitium, & antiquæ indolis immemor ampliora humano faſtigio illi decrevit. Dio xliv. p. 243. A. *His additum eſt, ut ſella aurata uteretur.* Suet. c. 76. n. 2. *Decerni ſibi paſſus eſt ſedem auream in curia, & pro tribunali.* Cicer. Phil. ii. 85. *Sedebat in Roſtris collega tuus in ſella aurea.* Prout quoque ingenium Principis, aut ſeculi intemperies provocabat, varia prorſus in iis elaborandis cura, atque ars. Tapetes inſuper, pulvilli, ſtromata picta, auro limbata, paragaudis, inſtitis, gemmis ſumptuoſa, ſigilla, ac toreumata; ſi quod ebur, ſciſſile, aut anaglypticum; lapidum teſſellæ; auri, argentique laminæ, cruſtæ, ſegmenta, aut bractearum ſubtilis litura. *Chimentel. de Honor. biſell. c.* 13. *Buleng. de Imperat. Roman.* ii. 29. Peculiaris in *ſella* Imperatoria ſanctitas ſtetit, & illam non licebat, niſi impietatis crimine privatim occupare. Xiphil. lxxiv.

ɪ xxiv. p. 840. E. *Adhuc ephebus in sella Imperatoria per imprudentiam sedit* Severus. Spartian. c. 1. *Severus sedit & in sella Imperatoria temere a ministris posita, ignarus quod non liceret.* Adrian. c. 23. V. illam supr. in *Scala.* Ubi *sedile regium* vocat, quod in Severo *sellam Imperatoriam.* Torrent. in Suet. Galb. c. 18. Casaub. in Spartiani Adrianum, & Severum, Chimentel. l. l.

Sella meretricum non clausa fuit, & tecta matronarum consuetudine, sed aperta. Quod significare arbitror Juven. Sat. III. 135. ubi de Chione meretrice. V. Juvenalem supr. in *Lectica.* *Ducere* enim *de alta sella* non opinor aliud significare, quam de *sella*, in qua aperta plane, patenteque circumgestata præbebat se inspiciendam per vias publicas, ad congressum invitatam abducere. Quin enim & *sellis* circumferri sese meretrices voluerint, eo minus dubitare possim, quia usæ etiam lecticis inveniuntur. *Scheffer. de Re vehic.* II. 4. *Altam sellam* licet interpretari de illa, qua meretrix, cui nomen Chione, *alte* vehebatur per urbem. Sed magis placet *sellam* dicere, ubi amasios maneret. Vocat fortean *altam*, ut lupam demonstret non tam curti assis, aut vulgaris indicaturæ: ita exponerem, nec abhorret sensus, & junctura sermonis. *Chimentel. de Honor. bisell. c.* 24. Sed qui explicari possit *alta* propter magnum pretium, cum Chione caris illis, atque dulcibus opponatur. Præcedit nempe apud Juven. n. 132.

—— alter enim, quantum in legione tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ,
Ut semel, atque iterum super illam palpitet.

His adulteris magno pretio comparandis opponit Chionem, scortum pretii minoris, ut vulgatum, & in *sella* per plateas ostentare, mercesque venalitias proponere solitum. Dura etiam loquendi ratio est, si *sellam altam* usurpatam pro meretricula ingentis pretii diceremus. Sed nec *alta sella* proprie superba est, quod Lubinus putabat, verum revera exstructa, & ædificata in *altum.* Scilicet, ut dixi, quoniam in ea sedebant, idcirco extrui *altius* necesse erat. Videturque in *sellis* æstimatum, si essent *altæ*, tantoque habitum splendidiorem quamlibet, quanto *altior* existeret: tantoque vulgatiorem, quanto esset humilior, aut depressior. Quo respectu quoque potest fieri, ut *altam sellam* cum epitheto Juvenalis dixerit, intellexeritque non vulgarem, sed splendidiorem, qua se circumferri Chione juvenum alliciendorum gratia voluerit. *Scheffer. l. l.*

Sella muliebris fuit discreta a virili. Satis mihi auctor Suet. Oth. c. 6. n. 6. *Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit.* Senec. de Benef. I. 9. *Rusticus, inhumanus, & malevolus est, si quis conjugem in sella prostare vetuit, & admissis spectatoribus vehi undique perspicuam.* Ubi carpi vides in feminis *sellam* apertam, quia velamenta scilicet magis ad sexus illius pudorem. Idem alibi: *Non quam magistratus fiunt: quam in patente sella circumlatam per urbem populus ab omni parte æque ac maritus inspexerit.* Patens ergo *sella* virorum magis: tecta feminarum. *Lipf. Elect.* I. 19. *Gruter. in Senecam.* Quæ differentia inter utramque fuerit, ego nihil certi ad hunc diem reperi. Structuram non oportet multum fuisse diversam, quia idem utrique nomen; quia viri quoque interdum vecti *sellis* muliebribus. Ornatus quoque tam distinctus vix esse potuit, quod tamen aliquibus video placere. An putamus sedem in his molliorem, quoniam conveniebat feminis; & est *mollis cathedra* apud Juven. Sat. VI. 90.

Cujus apud molles minima est jactura cathedras.

Et illa cum feminarum *sella* est eadem. Nam quod mollem dictam censet Turnebus propter pulvinaria, eo non possum probare, quia hæc in *sella* omni fuisse videntur. Feminarum vero mollis ideo, quia sedebant non in tabulis, sed corio duplici, farcto tomento, loris binis, pluribusve substratis suspenso, sicut hodieque solet, mollioris sessionis gratia. Sunt qui feminarum quoque putant clausam fuisse, non & virorum. Ac profecto legimus & apud Juven. Sat. I. 124.

Ostendens vacuam, & clausam pro conjuge sellam.

At quando dicunt, idem Græcis δίφρον κατάστεγον appellatum, hanc suam sententiam evertunt. Δίφρος enim κατάστεγος Claudiani est inventi, quod scriptum ipsi ex Dione, non in usus muliebrium, sed virorum. De Claudio ita habet Dio l. LX. p. 665 C. Δίφρῳ καταστέγῳ primus Romanorum usus est. Κατάστεγον vero puto denotare clausum, & opertum, verum superne tantum tectum. Pollux I. 8. 5. *Quod capiti obtenditur, fastigium, tectum, culmen, subtegulaneum: unde & ...* ὑπόστεγον, καὶ κατάστεγον. Ostendit vero ... dictum apud Græcos, quod esset non a lateribus, sed supra caput, indeque κατάστεγον nuncupatum. At feminarum revera fuerunt clausæ, hoc est, opertæ etiam a lateribus. Ideo in eis secrete haberi vel in publico dixit Tertull. de Pall. c. 4. *Ipsis quoque ... & sellis, queis in publico quoque domestice, ac secrete habebantur, ejeravere,* id est, ita vectæ, tanquam domi essent, ac a turba omni separatæ. Et undique tectas eas fuisse oportet. Igitur distributor apud Juven. Sat. I. 124. licet *sellam* videat, de sedente in ea conjuge illius, qui petit sportulam, non est certus, sed *proferre* ipsam *caput* petit. Postquam enim maritus, simulans videlicet, licet vacua esset *sella*, conjugem in ea sedere, ad distributorem:

Galla mea est, citius dimitte.

tum distributor;

Profer Galla caput.

Quibus verbis simul existimo constare, *sellas* illas non fuisse clausas latis specularibus, ac vitris, sic enim vel per vitra conspici potuisset, nec prolatione capitis fuisset opus; verum velis, linteis, coriisve, sicut hodieque receptum nobis in vulgaribus vehiculis. Poterant tamen vela illa, coriave removeri, quod necesse fuit, ut proferret caput, imo sic convolvi, ut sella videretur nuda, plane sicut hodie fit in vehiculis. Hoc, ubi de subsignatoris falsi cathedra, quæ eadem est cum *sella* muliebri, voluit Juven. Sat. I. 64.

—— fertur
Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra.

Hinc atque inde, nam superne quidem tecta erat, in utroque latere habebat vela, convolutaque, ac suspensa. Hoc enim proprie *hinc* & *inde.* Addit tamen *pæne*, credo, quod a fronte saltem obducta illi vela manerent. Feminarum ergo *sellæ* vulgo fuerunt clausæ undique atque coriis, nisi quod per foramen exiguum diem fortassis admitterent. Virorum vero superne tantum tectæ, de cætero patentes. Neque alia fortassis causa est, cur Otho *sella* muliebri usus fuerit. Contra ea Galba projectus e *sella.* Tacit. Hist. I. 41. *Juxta Curtium lacum trepidatione ferentium Galba projectus e sella, ac provolutus est.* Si *sella* Galbæ fuisset clausa, sicut muliebris esse solebat, projici, ac provolvi nequivisset. Nam projicitur, quod ad anteriora jacitur: provolvitur, quod ad interiora volvitur. Hoc non potuisset fieri obstante *sella* claustro, & objectis parietibus in *sella* Galbæ. Sed si talis *sella* virorum, quid ita Suet. Aug. c. 53. n. 4. *Extra consulatum sæpe adaperta sella per publicum incessit.* Num *adoperta* hic est clausa? Atqui talis feminarum fuit, non virorum. An δίφρος κατάστεγος exponi debet? At hæc demum a Claudio inventa. Hoc dubium ut solvat Lipf. Elect. I. 19. putat *adaperta* legendum, & ait, *quasi sella quædam usus Augustus, sed aperta, non tecta.* Casaubonus probat hanc emendationem, verum *adapertam* non *apertam* explicat, sed *aliqua ex parte apertam.* *Nam*, ait, *adaperire est* ὑπανοίγειν. Sed quæ *aliqua ex parte* tantum est *aperta*, ea aliqua ex parte non aperta, ut perinde sit, sive *adoperta* legas, sive *adaperta.* Nam & *adopertum* ratione simili, quod parte quapiam opertum. Quare m lo *apertam* hic intelligere non ex parte, sed per omnia. Quomodo Plin. XXXII. 9. *Jus trahitur alvum, & vesicam exinanire, interanea adstringere, omnia adaperire* Sed quæ hæc *adaperta*, vel *aperta sella*? num quæ aperta ex parte? jam quid est

aperta ex parte? quæ pars illa? Num, quod ait Lipſius, quæ non tecta? quæ vero eſt non tecta? num quæ non clauſa? ita enim Lipſius intellexiſſe videtur. Mihi ea eſt, quæ non κατάςεγ☉, id eſt, tantum ſuperne nullum habebat. Nempe mea opinione triplex ſella fuit. I. nec ſuperne, nec a lateribus operimento clauſa, ſed aperta tota, nihil differens a ſellis cæteris, niſi quod aſſeribus immiſſis poſſet geſtari: talis Auguſtea. II. quæ ſuperne tecto fuit munita, de extero aperta & ipſa: talis Claudii, & poſt eum communiter virorum. III. undiquaque cooperta, & clauſa: talis feminarum. Auguſtea vero aperta fuit, quia nihil habuit operimenti. Certe ex non idem. Quo reſpectu & Antyllum credo de his ſellis geſtatoriis prodidiſſe, quod ſint aliæ apertæ, aliæ coopertæ. Sic enim ex eo Mercur. Gymnaſt. III. II. *Sellam duplicem facere video Antyllum, alteram, in qua gestabantur, alteram, in qua ſedebant, quæ vel cooperiebatur, vel aperta relinquebatur.* Sed ſi modo clauſa ſella ſola clauſa undique, quid ita prodatur de Plinio, quod ſella tum Romæ vehi ſolerent hybernis menſibus, ne impediretur in legendo, & ſcribendo a cœli inclementia. Nec enim convenire, niſi clauſæ undiquaque, videtur, ut excluderet frigus. Plin. Epiſt. III. 5. 15. *In itinere quaſi ſolutus cæteris curis huic uni, ſtudio literarum, vacabat. Ad latus notarius cum pugillaribus, & libro, cujus manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem aſperitas ullum ſtudii tempus eriperet: qua ex cauſa Romæ quoque ſella vehebatur.* Videtur dicere, vectam ſella ſuum avunculum, ut ne cœli quidem aſperitas eriperet ei ſtudii tempus, atque ſic neceſſe eſſe, ut muniretur contra illam aſperitatem crederetur. Verum ego locum aliter opinor explicandum, videlicet de ſola Plinii diligentia nullo habito ad aſperitatem cœli reſpectu. Vectum ſella, non propter cœli aſperitatem, ſed ne ullum ſibi ſtudii tempus eriperetur, quod nempe fuiſſet ereptum, ſi ambulaſſet peditus, quia legere tum haud licuiſſet. *Scheffer. de Re vehic.* II. 4.

Sella nuptialis erat, qua novæ nuptæ in maritam domum transvehebantur. Meminit Heſychius in Κλιντ, vocatque νυμφικὴν καθέδραν, *nuptialem ſellam*, quam in curru locatam ἐπὶ τῆς ἁμάξης monet. Sic Poll. X x. 7. *Clinis appellatur, quod curribus inſternitur, cum ſponſas tranſvehebant, ubi ſponſa inter parochum, & ſponſum ſedet.* Feſtus: *In pelle lanata nova nupta conſidere ſolet, vel propter morem vetuſtum.* . . . Danielis Serv. Æneid. IV. 38. *Sellas duas jugatas ovilla pelle ſuperinjecta poni ejus ovis, quæ hoſtia fuiſſet: & ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione flamen, & flaminica reſiderent.* Chimentel. de Honor. biſell. c. 25. & 31.

Sella obſtetricaria eſt, qua in partu mulieres utuntur. *Puerpera ſella* dici poſſet, quomodo *verba puerpera* ἐπιθέτως dixit Ovid. Metam. x. 511. Græci vocant δίφρυς λοχαίυς, & λοχειαίυς. Suidas: *Puerperæ ſellæ, quibus in partu mulieres utuntur.* Otioſum eſt mihi verbum ὀψὲ in contextu Græco; niſi ſero tandem fuiſſe inventas, atque adhibitas, olim incognitas ſentiat Suidas. An forte innuitur alias ſellas uſas fuiſſe prægnantium uterum gerentes, aut parturientes, ne motu, aut ſucceſſu ventre laborarent: alias ὀψὲ ultimo, ac tandem in ipſo enitendi, aut partionis actu, quas λοχειαίυς dixere? Ante Suidam Artemid. v. 73. *Viſa eſt ſibi mulier quædam, quæ filios ſibi gigni optabat, ſellas videre obſtetricarias, quibus mulieres in puerperio utuntur.* Quanquam hæc verba, opinor, a manu gloſſographi in textum irrepſiſſe; cum enim δίφρυς λοχειαίυς nominaverit Artemidorus, oneirocopum, non grammaticum agens, quid erat, cur ſubjiceret, *quibus utuntur feminæ in pariendo?* An credimus generali nomine fuiſſe appellatas λοχαίυς ſellas quaſcunque, ubi inter ſedendum, atque jacendum recumbimus, atque adeo non ſoli puerperarum uſui deſtinatas? Opinationi meæ favet Heſychius, qui a reclinando, atque incumbendo vocitatas monet, quoniam in iis puerpera reclinis jaceret, λοχαί☉, κλινόμεν☉, ut λοχαί☉ δίφρ☉, quoniam ibi λοχεύεσαι reclinantur. Ut non omnino ita apud Artemidorum audita ſit ea verbi explicatio, ne quis eas ſellas de aliis, quam de puerperarum accipiat. Antiquam illarum figuram ſaltim apud orientales adnotare eſt, dum rotæ figuli aſſimilant. Quare Hebræis האבנים, *haobnaim* appellantur Exod. c. 1. n. 16. Eam autem totam ex duobus lapidibus, veluti molaribus, ac rotundis compingebant, quorum ſuperior, ac minor moveretur in gyrum, inferior ac major immotus conſiſteret. Eſt autem haobnaim rota figuli, cujus mentio Jerem. c. 18. n. 3. Omnino conſule Lexic. Chald. Buxtorf. p. 2319. & 2561. Sed ille tamen oblatam ſalebram minime ſubmovet. Eriselottus vero, quem Florentiæ immorantem per hos æſtivos dies conſului, docuit me I. *Sellam* eam puerperam Hebræorum non a lapidis voce, ſive *aben*, ſed potius ab altera notiſſima *ben*, hoc eſt, filio deduci: quadrat autem id parturientium ſeſſioni, & loco Exodi aptiſſime. II. *Sellam* exponi poſſe utrobique tam in Exodo, quam in Jeremia, illic parturientium, hic figulorum, omni rotæ ſimilitudine ſepoſita: ac retento etiam communi etymo, figuram illam plicatilem fuiſſe, quod Chaldaicus monet Interpres. III. *Sellam* fuiſſe ea forma, qua ſtercorariæ, & balneares, ut a noſtratibus, ac vulgaribus utero ſe levantium non diſſideant. *Chimentell. de Honor. biſell. c. 25. Almelov. Antiq. p. 89.*

Sella Patrocliana familiaris dicitur. V. illam ſupr. in *Sella Familiaris*

Sella plicatilis, aut flexilis dici poteſt, quæ omnium (ut ita dicam) eſt horarum, & locorum. Græci ὀκλαδίαν vocant. Haud abſimilis, quam viri principes in agrum, aut venationem egredientes, ſecum geſtari jubent, ut quicunque libuerint, illis conſiderent: prompto adverſus laſſitudinem adjumento, commodiorique haud exiguo præſidio, dum momentaneus, & ſubitarius ſuggeſtus momento apparatur. Parva, ac levis ſarcina, plerumque tripes, ac figura triquetra, ſimplici obtenſo corio, aut loramento in ſe complicata, & concluſa a quovis facile geritur. *Sellam* Romanis divitibus in comitatu ponit Juven. VII. 142. V. illum ſupr. in *Sella*. Mart. II. 57. 5.

> *Quem grex togatus ſequitur, & capillatus,*
> *Recensque ſella.*

Suet. Dom. c. 2. n. 2. V. illum ſupr. in *Lectica*. De Athenienſibus teſtatur Athen. XII. p. 512. C. *Complicatiles ipſis ſellas ferebant pueri, ne ubivis, ac temere ſederent.* Heſychius, qui illinc hauſit, diſertius monet, eas a famulis fuiſſe geſtatas, cum viri potentes, ac divites in forum, aut concionem itarent. *Plicatilis ſella humilis, quam famuli geſtant exeuntibus in fora dominis.* Chimentel. de Honor. biſell. c. 26.

Sella podagrica ad levamen podagricorum compingitur: laxiore illa, & molli undecunque farto, ut diſtorti artus, & carnifices pedes inoffenſi conquieſcant. Appoſito ſuppedaneo, ſubjunctiſque rotulis, in quamcunque partem verſatilis, ab ipſo manibus pedibuſque capto ſeſſore, quaſi αὐτομάτως facile impellatur. Pervellem, ut aliquis hanc veteribus deſcriptam, aut memoratam indicaret: cujus hodie tam validus, tam creber uſus, in magna debacchantis luxus, fluentiſque deliciis vitæ opimitate. Nolim diſceptare, num infrequens magis fuerit apud antiquos podagra: num ea feminæ tentatæ fuerint, vel ipſo ævo Hippocratis; qua de re Senec. Epiſt. 95. Noſtris temporibus potentium, ac divitum epidemia eſt. *Chimentel. de Honor. biſell. c. 26.*

Sella Portatoria eadem quæ geſtatoria. V. illam ſupr. in *Sella Geſtatoria*.

Sella procurata dicitur Cœlio Aureliano ſupr. in *Sella geſtatoria*. Eſt ad vectationem commode inſtructa, atque omnibus rebus neceſſariis curata. *Barth. Adv.* XLI. 25. Quod ut non abnuerim, ita nil prohibeor procuratam, exponere promptam, proviſam, curatam. Sic nos *procurata, proviſta.* . . . Non pauca ſunt in eo auctore, quæ noſtris reſpondent: nec ignobile illinc gloſſarium excerpere liceat, tum ad Latiaris, tum ad Italici ſermonis lucem. *Chimentel. de Honor. biſell. c. 24.* Conſtructio

structio est luxata, & quod Cælius de vectatione, quam *sella* procurari voluit, inconcinne de *sella* enuntiatum esse suspicari poteris. *Vectatio sella procurata* i. e. facta, instituta, peracta in *sella*. Procurare hoc sensu familiarissimum scriptoribus cadente Latinitate. *Suis procurata* i. e. excitata apud Theod. 1. 2. c. 32. C. 3. *Lethargicis vigiliæ procurandæ sunt.* C. 13. *Procuravit vitæ periculum* i. e. creavit. Quibus locis procurandi verbo simplex actio insinuatur, non aliquo peculiari apparatu; neque igitur *sella* procurata erit peculiariter ad vectationem instructa, cum quævis simplex, & nuda ei sufficiat, pro paralyticis, quorum partes ad motum ineptæ sunt, peculiarem *sellam* cum obliquis anconibus, quibus innitentes sese levare conentur, & vehiculum fabricare docet l. 2. c. 1. sed ea nihil ad cephalalgicos. Fateor in utramque partem perplexam orationem scriptoris alioqui nubili disseri posse; sed posteriora tamen proxima vero videri queant. *Reines. Var. Lect.* III. 17.

Sella regia, qua curuli usus est Rex Romanus. Unde Macrob. Sat. 1. 6. *Tullus Hostilius Hosti filius Rex Romanorum tertium debellatis Hetruscis sellam curulem, lictoresque, & togam pictam, atque prætextam, quæ insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus, ut Romæ haberentur, instituit.* Neque alia, opinor, causa *sella regia* est dicta Liv. 1. 20. V. illum supr. in *Sella curulis.* Nempe *sella* hæc insigne Regis. Virg. Æneid. XI. 334.

Et sellam regni, trabeamque insignia nostri.

Scheffer. de Re vehic. II. 16. Chimentel. de Honor. bisell. c. 13.

Sella tonsoria peculiaris fuit structuræ, & satis tunc cognitæ. Cæl. Aurel. II. 1. *Consilium dabimus, ut sella tonsoria sedeant ægrotantes, quæ sit obliquis anconibus fabricata, quibus incumbentes sese levare nitantur.* *Ancones* quid sint, V. supr. in *Ancones.* Jubet autem Aurelianus, ut hæc *sella* tonsoria, in qua collocantur paralysi affecti, obliquos, non rectos habeat ancones. Crediderim itaque figuratam sic fuisse hanc *sellam*, ut fulcrum, aut pluteus, in quem dorso incumbimus, non assurgeret supra caput sessoris, ne opus impediretur illius, quo tondente gravis juveni barba resonat. Eamque ob rem humilis foret *sella*, ut opportunior ejusdem imperio subjiceretur. Obliqui autem ancones ii sunt, qui non ad angulum normalem sunt infixi, & hærentes, sed a summo pluteo sensim in pronum devergentes acutum constituunt. Laquippe figuratio aptissima, ut sedentes ægroti innitantur, atque incumbant toto brachio: quod pariter a natura ita factum est, ut ab humeris in recline flectatur. Id autem non contingeret, si ancones recta secarent impacti pluteo, vel arrectariis *sellæ* tigillis. Haud absimiles, opinor, nostræ sedes plicatiles antiquioris consuetudinis, quibus latior zona pro fulcro humerorum, nec supra cervices sedentium productior. Ancones vero, uti dicebamus, in summo crassiores paullatim gracilescunt, ac descendunt, molliter in medio sinuosi, iterumque paullo extantes resima extremitate: sic enim radius, ulna, manus quam aptissime incumbunt. *Chimentel. de Honor. bisell. c.* 25. *Pignor. de Serv. p.* 279.

SELLARIA dicitur vel lupanar, vel meretrix ipsa. Schol. Juven. Sat. III. 136. *Deducere sella: inde sellariæ dicuntur. Unam meretricum a sella sua abducere conductam cunctaris, cum alii adulteri emant.* Chimentel. de Honor. bisell. c. 24. *Sellariam* hic accipio non lupanar, & locum *sellis* meretricum consitum, sed meretricem, sic a *sella* nuncupatam. *Scheffer. de Re vehic.* II. 4. V. etiam infr. in *Sellarii.*

SELLARIUS vocabatur servus, qui *sellam* portabat. Lecticarii quidem communi nomine dicebantur tam ad *sellam* homines, quam ad lecticam. Et erat hoc in frequentiore usu, quia vox *sellarii* ambigua, & de equis poterat intelligi, scortisve, non tamen solum, semperque usurpatum. Saltem in Glossario antiquo legas: Δίφρος, *sella*: διφροφόρος, *sellarius*. Scheffer. de Re vehic. II. 4.

Sellarii viri, & *sellariæ* feminæ dicebantur, quæ sese mutuo inibant in *sellario*, loco a Tiberio excogitato, ubi sese constuprabant mutuo in *sellis*. Tacit. Annal. VI. 1. §. 6. *Tunc primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum, & spintriarum, ex fœditate loci, & multiplici patientia.* Hoc de viris accipit Lipsius. Nam sic ibi notat de Turneb. Adv. v. 1. & Suet. Tib. c. 43. n. 1. *Nec tamen satis explicant, cur sellarii dicti a fœditate loci.* Ergo Lipsii judicio non solum feminæ *sellariæ*, sed & *sellarii* viri; juvaturque a Suetonio, qui in *sellariis* Tiberii memorat non *puellarum* modo, sed & *exoletorum greges*, itemque *monstrosi concubitus repertores.* Dicit autem Tacitus, *sellariorum* vocem ante Tiberium fuisse incognitam, neque tum usurpatam de aliis, quam qui in *sella* tali, qualem dixi, merebant. Ut sic possit dubitari de interpretis antiqui apud Juvenalem explicatione. Nam si *sellariam* intellexit proprie ita dictam, ea accipi de Chione non potest, quippe quam de *sella* Juvenalis putavit deducendam. Si vulgarem meretriculam, in *sella* expectantem ante lupanar amasios, non apparet, cur *sellam* eam Juvenalis tam signanter appellavit altam. *Scheffer. de Re vehic.* II. 4.

Sellarii, *sellarum* confectores. *Panvin. de Lud. Circens.* 1. 16. Fateor me qui sint *sellarii*, quæ *sellæ* in circo, nescire. Nam si cogitem *sellas* in Mœnianis fuisse tantum senatoribus expositas juxta illud Juven. Sat. IX. 143. laudatum supr. in *Lecticarii.* Atque ipsarum ministratores fuisse dictos *sellarios*; vereor, ne nimis parum rem probem. Si de *sellis*, quæ in foris circi esse intelligam, pulvillos ex tomento, quibus sedisse spectatores, jam dixi, extrudam. Fateor, juxta Polluc. 1. 10. §. 10. est *sella pars currus*; sed nequaquam in curru circensi, ubi, ut vides, insistunt aurigæ, non sedent, neque *sellæ* spatium in eo est ullum. Fortasse stragularii, *sellarii*, *sellæ* siquidem stragula. *Argol. in Panvinum.*

SELLISTERNIUM erit sedium, aut *sellarium* stratura, munusque, aut ratio eas sternendi. Gloss. Cyril. *Sellisternium*, σελλάστρωσις. Festus, etsi parum lucide, ut sæpe solet: *Solla sternere dicuntur, qui sellisternium habent. . . .* Paullus epitomator: *Solia sternere dicuntur, qui sollisternium habent:* nullo discrimine, quam quod *solia* legit, & *sollisternium*, non *sellisternium.* Non omnibus permissum est *solia*, aut *sellas sternere.* Monent hoc verba e Festo allata: quasi equidem honoris, aut cultus indicio certis personis, non omnibus jus illud permissum fuerit *solia insternendi*, aut instratis *soliis*, vel *sellis* utendi: quod qui habuerint, ii *sellisternium* habere dicebantur. Cuipiam e magistratibus, aut sacerdotibus ea cura demandata, id munus injunctum, aut jus tandem permissum *sellas*, vel *solla* diis *sternendi*: quod qui præstarent, ii *sellisternia* habere dicuntur. Et hoc certo loco, ac tempore factum fuisse credimus, ex lege scilicet, & observatione, quam ignoramus penitus. Quemadmodum vero statuæ, ac simulacra numinum in lectisterniis reclinabantur; nihil prohibet, quin aliquando *sellis* iis, aut *solia* instrata apparerentur ex præscripto religionis. Sicuti namque suos Romana gens colebat deos, ebrios, iracundos, libidinosos, morbis & pathematis obnoxios: ita oportebat hominum instar eos nunc sedere, nunc recumbere. Val. Max. II. 1. §. 2. *Nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Cæterum viris quoque principibus, civibusque egregie de Republica meritis *sellas*, aut *solia* apparatius instrata fuisse honoris gratia, certo loco, aut tempore, ut illic dum viverent, vel vita functi, & absentes in suis imaginibus conquiescerent, nil inducor opinari. Quod quoniam extra ordinem, publicave auctoritate tribui potuit; ideo habere eos *sollisternium* quis non autumet, quibus permissum id fuerit, *soliumque sternere* iidem dicantur? De hoc adornandæ sedis more, ubi simulacra Principum ponerentur imitatione *sellisternii* deorum Tacit. Annal. XI. 29. 5. *Medio tribunal sedem curulem, & sedes effigiem Neronis sustinebat. Ad quam progressus Tiridates cæsis ex more victimis sublatum capite diadema pedibus subjecit.* Dio in Eclogis: *Sed solium altum erectum fuit, ibique imagines Neronis statutæ.* Profert Lipsius, & monet, tale suggestum fuisse etiam Ro-

mæ

mæ in caſtris prætoriis ex eodem Tacit. Hiſt. I. 36. I. *In ſuggeſtu, in quo paullo ante aurea Galbæ ſtatua fuerat, medium inter ſigna Othonem collocant.* Aut *ſelliſternium* tandem eos habere dicamus, quicunque honoris ergo, & ob meritorum præſtantiam, eo jure, ac poteſtate gauderent, ut ſibi *ſellæ inſternerentur*; quomodo etiam hodie differentiæ nota in conſeſſibus ſunt, quibus ſtragulæ veſtes ſuppiciantur, ſunt qui careant. Eſt namque *ſelliſternium* ſuo verbo merus ille, putusque *ſternendi ſedem* actus, aut facultas. Dicam tandem planius. *Selliſternium* pro ipſa ſede conſtrata accipi poſſe; atque adeo *ſelliſternium* habet, qui *ſella* utitur ſtragulis ſplendida, quod non omnibus videtur permiſſum. *Chimentel. de Honor. biſell. c.* 31.

SEM.

SEMBELLA fuit nummulus argenteus, dimidiam *libellæ* partem pretio, & pondere adæquans, communi nota ſignatus. Varr. de Ling. Lat. IV. 36. *Sembella, quod ſit libellæ dimidium, quod ſemis aſſis.* Hotman. Antiq. Roman. IV. 2. 11. Gronov. de Pecun. vet. III. 7. Sell. de Re numm. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 1558. C. Agric. de Pond. & temperat. monet. II. p. 279.

SEMICINCTIUM erat linteum, ſive inſtita latior, dimidiam *cincti* ſpeciem referens, quale hodie eſt mulierum, & operariorum, quod in anteriore parte *præcingitur*, *grembiale*, & *ſcheggiale* Italis dicitur a gremio, & coxis, & *traverſa*. Mart. XIV. 153. cujus lemma eſt *Semicinctium*:

Det tunicam dives: ego te præcingere poſſum:
Eſſem ſi locuples, munus utrumque darem.

Inventum eſt itaque, ut eo ſe *præcingerent*, vel cum lavarent in balneo, aut gymnaſtæ operam darent, vel cum miniſtrarent. *Præcinctos* miniſtraſſe notum ex Suet. Calig. c. 26. n. 2. *Quosdam, ſummis honoribus functos cœnanti, modo ad pluteum, modo ad pedes ſtare ſuccinctos linteo paſſus eſt, inſtar miniſtrorum.* Caſaub. in Vopiſc. Aurelian. c. 48. Ferrar. Anal. de Re veſt. c. 16. & 44. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. ſect. 17. Taubman. in Plaut. Aul. III. 5. 42.

SEMICUPIUM dictum eſt vulgo veteribus noſtris ſimplex tina: in cujus videlicet margine æger circumpalliatus nudus inſidebat, ſuppoſitaque patina ænea incoctis, vel aliquo ejus generis pulvere prunis conſperſo: vel quod paratu facillimum habemus, & utile, laminis ferreis igne candentibus ſuppoſitis, & aceto conſperſis ad ſudationes. Hoc remedii genere uſum legimus Alex. Trallian. I. 16. *Baccius de Therm. c.* 18.

SEMIOBOLUS, quem nonnulli *felinum* vocant, ſeptem grana continet. *Cenal. de Pond. ac menſ. rat. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1994. *F. Agric. de Pond. Græc.* V. *p.* 114.

SEMIPLOTIA dicebantur dimidiatæ ſoleæ, non a *plotis* pedibus, aut quo planius pedes ponerentur, ſed a *plotis* ſandaliis, quæ Græce βλαύτια: nam *plotia* ſunt βλαύτια, & *ſemiplotia*, ἡμιβλαύτια. *Salmaſ. in Tertull. de Pal. p.* 221.

SEMIS fuit nummulus æreus, pretio, & pondere dimidiam aſſarii partem exæquans, Jani, ac navis nota inſignitus. Varr. de Ling. Lat. IV. 36. *Semis, quod ſemias, id eſt, dimidium aſſis.* de Re ruſt. III. 7. *Antequam ædifices rure columbarium, magnum condiſcas in Urbe lucrum, aſſe ſemiſſem condere in loculis.* Nonnulli emendant: *ex aſſe ſemiſſem*, præpoſtere. Nam hæc eſt quaſi uſura *ſemis*. Cicer. Fam. V. 10. *Simius, non ſemiſſis homo, contra me arma tulit.* Tertull. Apolog. c. 50. *Licet nunc ſarmentitios, & ſemiſſios appelletis, quia ad ſtipitem dimidii aſſis revincti ſarmentorum ambitu exurimur.* Hotman. Antiq. Roman. IV. 11. Gronov. de Pecun. vet. III. 10: IV. 17. Freher. de Re monet. I. 1. Agric. de Pond. & temperat. monet. II. p. 293.

SEMISSES aureorum ab Alexandro Severo inſtituti ſunt, ut pro denis aureis *ſemiſſes* aurei penderentur, unde conſentaneum eſt vectigalis modum definitum, & certam pecuniæ genus præſtationi vectigalium deſtinatum. Lamprid. Alex. Sever. c. 39. *Tunc primum ſemiſſes aureorum formati ſunt.* Buleng. de Vectigal. c. 76. PanciroI. Notit. dignit. imp. orient. c. 74. & 75. Lipen. de Stren. c. 3. §. 61. Caſaub. & Salmaſ. in Lampridium.

SEMIZONARII dicuntur, qui *zonas* minus dimidio latas, quam juſta *zona* eſt, faciunt, ut ſemicinctia dicuntur. Plaut. Aulul. III. 5. 42.

Strophiarii adſtant, adſtant ſemizonarii.

Turneb. Adv. XIV. 5. Sed cum *zona* eſſet faſcia, qua tunica cingeretur, aliquid minus, & brevius fuerit *ſemizona* neceſſe eſt: non ergo eadem cum ſemicinctio, quod partem hominis anteriorem a cingulo, & lumbis ad pedes uſque præcingebat. Itaque, *ſemizonarii* ſimpliciter *ſemizonarum* confectores: quanquam haud ſcio, cur qui *zonas* conficerent, iidem non & *ſemizonas* darent. *Ferrar. de Re veſt.* I. 3. 21.

SEMODIUS eſt pars dimidia *modii*, ſexta amphoræ: in quo eſt tertia amphoræ diviſio, dictus, quia *ſemis* eſt *modius*. Se enim pro *ſemis* antiqui in his frequenter uſurpaverunt. Varro. V. illum in *Semuncia*. De *ſemodio* Cato de Re Ruſt. c. 163. *Salis Romanienſis moliti in ſingulas ſemodius.* Varr. de Re ruſt. III. 8. *In centenos vicenos turtures fere ſemodium aridi tritici.* Pætus de Roman. & Græc. menſ. III. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1631. D. Agric. de Menſ. Roman. I. p. 33.

SEMONES dii. V. illos ſupr. in *Deus*.

SEMPER AUGUSTUS eſt hodieque inter Imperatorios titulos. Hunc poſterioribus temporibus originem duxiſſe nemini ignotum eſt. Et licet apud Dionem occurrat ὁ ἀεὶ ὕπατος, teſte Caſaubono ad Strabonem, tamen hoc commune habet cum Latina loquendi ratione; resque certiſſima eſt ſimiles dicendi, laudandi Impp. formas tarde enatas eſſe. Probus in nummis vocatur VICTORIOSUS SEMPER, Conſtantius SEMPER VICTOR, Maxentius PERPETUUS SEMPER AUGUSTUS in inſcriptione apud Gualterum, Maximianus, & Conſtantius SEMPER HERCULEI IMPERATORES in Panegyrico, Juſtinianus in procœmio codicis ὁ ἀεὶ Σεβαςός. Nec dubium, quin ita loqui primum cœperint circa tempora Diocletiani, & Maximiani, de quibus extat inſcriptio apud Gruter. p. 279. IMPP. CÆS. VALERIO. DIOCLETIANO. ET. AURELIO. VALERIO. MAXIMIANO. PIISS. FELIC. SEMPER. AUGG. adeo ut aſſentiri nequaquam poſſim Conſtantino Candio, qui nummum, cui hæc inditur inſcriptio: CÆSAR. IMP. PONT. TR. P. P. P. ET. SEMPER. AUGUSTUS. VIR. ad Auguſtum refert. Et extremis temporibus magna inter SEMPER AUGUSTUM erat differentia. Ita enim vocabatur Imperator, alterum vero epithetum dabatur Romanorum Regi. Liber de pace Conſtantii compoſita inter Fridericum Imperatorem, & filium ejus Henricum: *In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis Fridericus divina favente clementia, Romanorum Imperator SEMPER AUGUSTUS, & filius ejus Henricus, ſextus Romanorum Rex, AUGUSTUS.* Cuper. Monum. Antiq. p. 249. Boſius de Pontif. max. Imper. Roman. c. 5. §. 5. Gronov. Marmor. baſ. coloſſ. Tiber. erect. c. 7. Ex his patet eorum error, qui illud SEMPER AUGUSTUS a gloſſatoribus juris Juſtinianei excogitatum, nec facile ante Friderici I. Imperatoris, & Hadriani IV. PP. ævum inveniri exſtimant. *Boſius l. l.* Titulus ille non ominabatur incrementa imperii, ſed, ut illi loquebantur, æternitatem, & perpetuitatem in imperio: & nunquam futuros privatos. Auct. Paneg. ordine quinti incertus: *O cæleſtem, Imperator æterne, pietatem tuam, quæ totum illum animum ſemper invictum ſola vicit.* Hunc enim pœnituerat, ideoque redierat ad armillum. Et rurſus: *Maximiano Imperatori æterno Conſtantinus Imperator novus plus cœpit eſſe quam filius.* Eodem pertinent Inſcriptiones 161. *Æterni. Imperatores. Diocletianus. &. Maximianus. Auguſti. &. perpetui.* 284. *Æ-*

tivo. Principi. D. N. Flavio. Claudio. Juliano. ubique. veneran lo. semper Augusto. His videtur repugnare lapis Britannicus 272. 9. *Ob. honorem. Philippi. Imperatoris. nobilissi semper. Augusti. & Philippi. Cæsaris. nobilissimi.* Et alius, quem a Donio se accepisse scribit Rupert. Epist. 61. *Divo. Claudio. Gothico. Maximo. Pio. Felici. Victori. ac. triumph. semper. Augusto.* Sed uterque titulus, quod in altero satis demonstrat vocabulum *Divo*, fixus est post mortem illorum Principum ea ætate, qua hæc formula obtinebat, inque usum venerat. Et qui Claudium sic ornaverant, Fl. Valerio Constantio Chloro, qui per filiam Claudii nepos erat, teste Eutropio, aut alicui posterorum ejus placere voluerant: qui Philippos, Licinio; nam Licinius a Philippis trahere genus videri cupiebat, ut monuit Capitol. Gordian. III. extr. *Gronov. l. l.*

SEN.

SENACULUM vocabatur locus, in quo *senatus* cogebatur. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Senaculum supra Græcostasin, ubi ædes Concordiæ, & basilica Opimia. Senaculum vocatum, ubi senatus, aut seniores consisterent: dictum, ut γερουσία apud Græcos.* Festus: *Senacula tria fuisse Romæ, in quibus senatus haberi sit solitus, memoriæ prodidit Nicostratus in libro, qui inscribitur de senatu habendo: unum ubi nunc est ædes Concordiæ, inter Capitolium & forum, in quo solebant magistratus, ut dicit Titinnius, cum senioribus deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in Urbem admittere nolebant, senatus dabatur.* Etiam senatus dabatur triumphum petentibus, quum iis antea cum exercitu Urbem intrare non liceret. Senec. de Benef. V. 15. *Qui ne triumphaturi quidem introire Urbem injussu senatus deberent, quibusque exercitum victorem reducentibus curia extra muros præberetur.* Hotoman. de Senat. II. 4. Nardin. Rom. Vet. III. 2. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 351. F. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 10. Manut. de Senat. Rom. c. 4. Blond. Instaur. Rom. II. §. 65.

Senaculum mulierum in Quirinali fecit Heliogabalus. Lamprid. c. 4. *Fecit & in colle Quirinali senaculum, id est, mulierum, in quo ante fuerat conventus matronarum, sollemnibus duntaxat diebus.* In hortis columnensibus marmorei ædificii pars extrigebat, vulgo Mæsa, jam diruta Sunt, qui partem templi Solis pronuntiant, quod ab Aureliano, auctore Vopisc. c. 5. exstructum est ad eam formam, quam viderat in oriente; quod vestibus, & opibus in triumpho vectis instruxit. Quod si adititium illud partem *senaculi*, seu curiæ fuisse dicerem, quum Heliogabalus a Lampridio dicitur exstruxisse mulieribus, quarum conventibus avia ipsius Mæsa nomine, & mater Soæmis præsederint? Quod duplici conjectura eliciur. Alteram præbet nomen. Mæsa enim dicebatur, ut avia Heliogabali. Alteram ipsius ædificii forma. Serlius enim architectus sic eam nobis lineavit, ut domicilii plane figuram descripserit, frequentibus scalis, quod postulabat ædificii situs in clivo, aulis, peristylis, & porticibus. Palladius autem nobilis item architectus præter alias ædificii partes in templi quoque formam descripsit amplissimi, magnisque columnationibus insignis. Eodem fortasse loco fuit etiam Solis templum: cujus quæ particula supererat, magnis lapidibus compactus paries nuperrime dirutus est, & ingentes columnarum spiræ sub terra inventæ. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Vignol. Dissert. de Column. Anton. Pii c. 1. Blond. Triumph. Rom.* III. *p.* 82. *A.* Ego opinor templi Salutis residuum hujus *senaculi* fuisse, eique a Mæsa avia Heliogabali, principe isti *senatus* appellationem Torre Mæsa adhæsisse, uti eam nostra memoria nuncupatam Blondus, aliique affirmant. Sane, licet ea denominatio durius cula sit, *senaculi* huic magis convenire, quam templo Solis, ostendum est. Verum nec Heliogabali seculum, quanquam Aureliano cultius, istiusmodi sculpturæ tulit elegantiam. Neque item qua parte Quirinalis situm *senaculum* fuerit, quisquam novit: quare magis in templum Salutis, quam in *senaculum* veri cadit similitudo. Verum ego in Lampridii verbis non alicujus novi ædificii structuram, verum potius jam structi in *senaculum* mulierum conversionem animadverto: quod jam antea matronarum conventui inservierat: ita ut nihil, aut parum in hoc ædificio Heliogabalus mutarit. Sed hic novum nascitur dubium: nimirum quos conventus ibi festis, ac sollennibus diebus matronæ habuerint? nam festum Bonæ deæ, Matronalia, Matralia, aliaque plura alibi celebrabantur. Credo ego præcipuum isthuc conventum matronarum fuisse, ut in pompa sollenni divinis honoribus cultum circumferrent phallum, qui ad templum Veneris Erycinæ extra urbem sollenni solebat, atque eius sinu deponi: quo ritu obscœno, lascivoque, quod ingenio suo maxime conveniret, Heliogabalus hoc festum istud mulierum *senaculum* ibidem constituendi animum arripuit. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 8. §. 3.

SENATOR erat civis Romanus. Cicer. de Orat. I. 40. C. *Mancinum, cum domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset, P. Rutilius M. filius tribunus plebis senatu jussit educi, quod eum civem negaret esse, quia memoria sic esset proditum, quem pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium.* Zamosc. de Senat. Rom. I. 2. Per legitimum magistratus ejus lectionem, cui munus istud incumbebat, in summo ordine constitutus. Pro variis vero Reipublicæ temporibus, diversi Romæ *senatores* legerunt. Penes Reges, quia Roma suo illorum imperio ineuntem illam quasi ætatem exegit, initio legendorum *senatorum* arbitrium erat. Dionys. II. p. 85. *Romulus, his constitutis, statuit continuo sibi senatores cooptare, virosque centum ex patriciis legit, quibuscum Rempublicam administraret.* Liv. I. 8. *Quum jam virium haud pœniteret, consilium deinde viribus parat: centum creat senatores.* Postea & cæteri Reges sibi legebant, sublegebantque *senatores*, & pulsis Regibus consules, & tribuni militum consulares. Festus: *Præteriti senatores quondam in opprobrio non erant. Ut enim Reges sibi legebant, sublegebantque quos in consilio publico haberent: ita post exactos eos consules, & tribuni militum consulari potestate conjunctissimos sibi quosque patriciorum, & deinde plebejorum legebant.* Subsecutis temporibus, & quando Respublica florebat maxime, hoc jus lectionis habuerunt censores. Liv. Epit. XVIII. *M. Sempronius Sophus, Valerius Maximus censores cum senatum legerent, tredecim senatu moverunt.* XL. 46. Metellum hoc modo facit adhortantem ad concordiam M. Æmilium Lepidum, & M. Fulvium Nobiliorem censores: *Quos conjunxit suffragiis suis populus Romanus, hac etiam reconciliatione gratiæ conjungi a nobis sinatis. Uno animo, uno consilio legatis senatum.* Cicer. pro Dom. c. 31. *Ubi cavisti, ne meo me loco censor in senatum legeret?* Festus nominat quidem Ovinium quendam legem, qua lectionem *senatus* censoribus commissam esse ait. V. illam supr. in *Lex. & Censor.* Extra ordinem dictator legit *senatores*. Liv. XXIII. 22. *Dictatorem, qui censor ante fuisset, vetustissimusque ex eis, qui viverent, censoriis esset, creari placuit, qui senatum legeret; acciri que C. Terentium consulem ad dictatorem dicendum jusserunt. Qui quum ex Apulia redisset; nocte proxima, ut mos erat, M. Fabium Buteonem ex Sctō sine magistro equitum dictatorem in sex menses dixit. . . . Ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione in senatum lectis, extemplo se magistratu abdicavit, privatusque de Rostris descendit.* Sigon. de Ant. Jur. civ. Rom. II. 2. Zamosc. ibid. c. 3. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 7. Lips. de Magnit. Roman. IV. 2. Thys. de Magnit. Romin. IV. p. 311. Numerus idem *senatorum* non semper fuit, nec certus est. Dionysius, qui bis a Romulo *senatum* lectum scribit: primum ex Albanis, quos socios condendæ Urbis habuit, lectos centum ait II. p. 85. deinde ex Sabinis, quos fœdere cum Sabinis icto in civitatem assumpsit, alteros centum, ut omnino essent ducenti II. p. 111. Priscum inde Regem alios centum allegisse, factosque esse trecentos III. p. 199.

postremo Brutum consulem primum Valerii collegam, cum numerum a Tarquinio Superbo cædibus, & expulsionibus imminutum explevisse v. p. 287. Festus; *Qui patres, quique conscripti vocati sunt in curiam, quo tempore Regibus Urbe expulsis, P. Valerius consul propter inopiam patriciorum ex plebe allegit in numerum senatorum centum & sexaginta quatuor, ut expleret numerum trecentorum.* Hunc numerum permultos post annos esse invenio observatum. Sunt tamen, qui a C. Graccho tribuno plebis allectis ex equestri ordine trecentis sexcentos lege primum factos volebant, quod & apud Plutarchum est, & in Epitoma Liviana. Quam ego legem, aut a populo non rogatam, aut haud ita multo post abrogatam esse inde ducor ad suspicandum, quod eandem post a M. Livio Druso tribuno plebis relatam invenio apud Appianum. Is enim, quod Gracchus ante tentasse dicitur, ut judicia inter *senatores*, equitesque communicaret, legem tulisse fertur, ut ad trecentos, qui tum erant, *senatores* trecenti ex equitibus adscriberentur, atque ex sexcentis, ex quibus universus *senatus* esset, judicum decuriæ legerentur. Verum & hanc legem una cum cæteris legibus Drusi Philippo cos. referente, uno Sc̃to sublatam, satis certum est. Inde duas *senatus* lectiones invenio, unam Sylla & Rufo coss. factam, alteram Sylla dictatore. Utriusque meminit Appianus. Prioris ita, ut in *senatum* tum maxime propter infrequentiam contemnendam trecentos ex optimatibus ipsos legisse consules dicat: quam tamen ego a censoribus, qui tum erant, Cassio & Catulo, non a consulibus factam esse existimo. Posterioris ita, ut *senatum* exhaustum trecentis præstantibus equestris ordinis lectis dato tribubus de singulis suffragio ipsum dictatorem supplevisse subjiciat. Quanquam autem certum Syllani *senatus* numerum afferre nullum possum, tamen supra quadringentos ab eo lectos videor posse affirmare. Siquidem Cicer. ad Attic. I. 14. quam Messalla, & Pisone coss. scripsit, inquit: *Homines ad* xv. *Curioni nullum S. Ctum fieri censuerunt: facile ex altera parte* cccc. *affuerunt.* Auctus est inde atque ad nongentos a Cæsare dictatore *senatus*. Dio XLIII. p. 237. B. *Adscripsit etiam complures in senatum, nullo in discrimine ponens, sive quis miles esset, sive libertinus: adeo ut summa senatorum* DCCCC. *fieret.* Et post necem Cæsaris a triumviris Reipublicæ constituendæ indignissima turba repletus. Dio LII. p. 494. A. *Multi equites, & pedites præter dignitatem bellis civilibus senatores erant, ita ut ad millenarium numerus senatorum pervenisset.* Suet. Aug. c. 35. n. 1. *Senatorum affluentem numerum deformi, & inconditu turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam, & præmium allecti, quos Orcinos vulgo vocabat) ad modum pristinum, & splendorem redegit.* Quem numerum diminuit Augustus, & ad DC. tantum redegit. Dio LV. p. 530. A. *Statuerat quidem exemplo, & instituto majorum* CCC. *tantum senatores legere, & præclare agi cum civitate existimabat, si tot in ea dignos ordine amplissimo reperiret.* DC. *tamen recitavit, quod invidiam, & offensionem timeret, si plures, quam legisset, senatu moveret.* Zamosc. ibid. c. 18. Sigon. l. l. Panvin. in Fast. I. p. 43. Hotoman. de Senat. c. 7. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 4. Lips. & Thys. l. l. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 81. C. Hac ratione, & modo a Romulo lecti sunt: *Centum viros ex patriciis ita secrevit; unum ex omnibus præstantissimum ipse declaravit, quem voluit præesse rebus urbanis, si quando ad bellum proficisceretur. Deinde jussit singulas tribus tres viros ætate, prudentia, & genere præcipuos seligere. Post hos novem singulas curias jussit deinde tres viros e patriciis maxime idoneos deligere. Adjectis ad illos novem his nonaginta, quos curiæ crearant, & illo præfecto, quem ipse antea decreverat, centum senatorum numerum explevit.* Dionys. II. p. 85. Quomodo ab aliis Regibus & consulibus, jam nos docuit Festus. His videtur adversari Cicer. pro Sext. c. 65. cum inquit: *Majores nostri, cum Regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, ut consilium Reipublicæ præponerent sempiternum: deligerentur autem in id consilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium industriæ pateret.* Quod incommodum cupienti mihi vitare nulla occurrit vitatio, nisi, aut idem a Cicerone bis dictum interpretemur, nempe liberata regio dominatu Republica, ex toto corpore civitatis, nullo ordinum discrimine, *senatores* lectos; aut habuisse jus consules credamus eos, quos vellent, nominandi, qui quidem *senatores* essent, si eos populus suis suffragiis approbasset. Censores singulis lustris totum *senatorium* ordinem diligenter examinabant, & in demortuorum locum, vel eorum, quos moverant, novos sublegebant. Senatum a Fulvio & Æmilio biduo lectum ait Liv. XL. 53. *Biduo, quo senatum legerunt censores, Q. Fulvius consul profectus in Ligures.* Expleto *senatorum* legitimo numero & omnium nominibus in tabulas relatis, suo quemque loco jubebant recitare. Liv. XXIX. 37. *Dum hæc consules diversis regionibus agunt, censores interim Romæ M. Livius & C. Claudius senatum recitaverunt.* XXIII. 23. *Transcribi tantum, recitarique eos jusserunt.* Video autem Buteonis dictatoris *senatum* in foro recitatum. Ita enim Liv. XXIII. 13. supra laudatus. Ex eo suspicari quis possit, hoc semper eo loco fieri solitum. Sed inter cætera vetustate incognita hoc quoque in incerto pono. *Zamosc. ibid. c.* 4. In *senatoribus* legendis habita est ratio I. Famæ. Improbos enim ne haberet, sanxit quidem populus Romanus. Sed tamen non paucos passus, atque expertus est. Sanctionis sententia est in Cluentiana c. 42. *Ut hominibus turpi judicio damnatis in perpetuum, neque ullum ad honorem, neque in curiam aditus esset. Turpi judicio* nominat *damnatos*, ut qui de alea, de falso convicti sunt, aut furti, aut alterius hujusmodi facinoris macula famam suam contaminarunt, & violarunt. Item illa *summæ existimationis judicia* habita Cicer. pro Q. Rosc. c. 6. *fiduciæ, tutelæ, societatis.* Cætera petenda sunt ex Ictorum commentariis capite de his, qui notantur infamia. Huc denique referenda erunt & illa, quæ de criminibus, ob quæ *senatorium* nomen perderetur, dicemus inferius. *Zamosc. c.* 5. II. Generis, quod tribus modis spectatum invenio. I. ut solum patricii. II. ut quando jam patebat curia plebejis, ingenuo saltem, non libertino sanguine procreati legerentur. III. quod a Syllæ dominatione ad Cæsaris dictaturam custoditum est, ne proscriptorum filii cooptarentur. Patricios ab initio tantum in *senatum* lectos jam monuit Festus. Qui plebejis ad publicum consilium aperuerit viam. V. supr. in *Plebeji.* Libertinorum filiis aditum in curiam non fuisse V. supr. in *Libertini.* Proscriptorum liberi ab initio Urbis ad bellum Marsicum altissimi civitatis gradus poterant esse participes. Narrat enim Dionys. VIII. p. 547. supplicio sumpto de Cassio mentionem quoque ejus filiorum illatam, sed iniquum visum sævire in prolem innocentem. *Inde*, ait, *consuetudo a Romanis ad nostram usque ætatem est servata, ne liberi plecterentur, quorum patres damnati essent etiam ob gravissimum crimen, ut ob affectatam dominationem, aut parricidium, aut proditionem. Sed nostra memoria fuere, qui post Marsicum bellum, contra morem ab antiquis traditum, proscriptorum a Sylla filios, quoad rerum potiebantur, magistratuum petendorum jure privarent, iisque aditum ad senatorium ordinem intercluderent. Quod exemplo sane apud homines invidioso fecerunt, vindictaque immortalium deorum digno. At certe procedente tempore pœnas justas divino numini scelerum vindici dederunt. Ex tanto enim fastigio honorum in maximas dejecti sunt calamitates, atque ex illis familiis solæ supersunt feminæ. Consuetudo vero illa antiqua revocata est, & retenta.* Zamosc. ibid. c. 6. Sigon. l. l. III. Ordinis. Fuisse hoc moris Isidorus nescio de quo vetere auctore accepit, ut quamvis *senatoria* origine esset aliquis, tamen ad legitimos annos eques esset, deinde vero *senatorium* ordinem intraret. Equester enim ordo quasi gradus ad *senatorium* erat. Idcirco Perseus Macedoniæ Rex apud Liv. XLII. 61. equites Romanos appellat *principes juventutis, & seminarium senatus. Inde*, inquit, *lectos in patrum numerum consules, inde Imperatores creant.* Multis post annis eversa Republica idem Alexandrum Severum Imperatorem dixisse narrat Lamprid. c. 19. Ejus hæc sunt verba: *Nunquam libertinos in equestrem locum redegit, a senat*

asserens senatorum seminarium equestrem locum esse. Ita, quod omnes sciunt, Brutus, primoribus equestris gradus lectis, senatum explevit. Festus quoque. V. illum supr. in *Adlecti.* Hoc autem modo rationem equitum habitam intelligere oportet, ut qui erant ex infimo ordine, & e plebe, non omnino excluderentur; sed rarius, & ægrius admitterentur. Nam etsi non parum momenti in publico equo positum fuit, industriæ tamen omnium civium, ac virtuti, auctore Cicerone in Sextiana, in summum ordinem, ac gravissimum consilium aditus patebat. Atque sanctione veteri, institutoque censores ex omni ordine optimum quemque legisse Festus tradit. *Zamosc ibid. c. 7. Hotman. Antiq. Roman.* II. 10. IV. Ætatis. Non quavis ætate in *senatum* Romanum cooptari licuisse, satis demonstrant illa verba Cicer. pro leg. Manil. c. 21. *Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a senatorio gradu ætas longe abesset, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea administrandum?* Tacit. Annal. xv. 28. 4. *Vivianus Annius gener Corbulonis, nondum senatoria ætate....* Et hæc Plutarch. Pompej. p. 625. E. *Sylla triumphum petenti Pompejo obstitit. Etenim invidiosum ei honorem hunc fore dicebat, si triumpharet pæne imberbis, & cui propter ætatem aditus in senatum non pateret.* Legis hujus annalis vestigium extat quoque apud Dionys. vi. p. 392. Nam hoc modo Cassium & Postumium consules facit loquentes: *Lege, quam feremus de ætate senatoria, coercebimus istam juvenum intemperiem.* Quæ hæc ætas fuerit, video ab omnibus, qui hanc attigerunt quæstionem, dubitari. Mihi ad tam ambiguam quæstionem visum est non eodem modo respondere. Nam multi tradunt, *senatores* illos primos senes, & ætate grandes fuisse. Quod indicat Sallust. Catil. p. 6. *Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, Reipublicæ consultabant.* Cicer. Caton. c. 6. *In agris tunc erant senatores, id est, senes.* Ovid. Fast. v. 63.

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros.

Flor. I. I. 15. *Consilium Reipublicæ penes senes esset, qui ex auctoritate patres, ob ætatem senatus vocabantur.* Plutarch. an seni sit Resp. ger. p. 789. E. *Et Romanorum senatus in hunc usque diem a senio nomen gerit.* A quibus etsi non dissentit Dionysius, tamen & aliam adfert causam II. p. 86. *Is consessus*, inquit, *verbo pro verbo Græce expresso, γερουσίαν, hoc est, senatum significat, & nunc quoque eodem nomine a Romanis vocatur. An vero propter senectutem eorum, qui lecti erant, an propter virtutem hoc nomen invenerit, nihil affirmare ausim. Ab antiquis enim, & qui natu grandes, & qui boni viri essent, γέροντες, id est, senes nominabantur.* Etiam patres ab ætate nominati sunt *senatores.* Aurel. Vict. de vir. illustr. c. 2. n. 11. *Centum senatores ab ætate patres appellavit.* Sallust. Catil. p. 6. *Hi vel ætate, vel curæ similitudine patres appellabantur.* Idem de utroque vocabulo Festus: *Senatores a senectute dici satis constat, quos initio Romulus legit centum, quorum consilio Rempublicam administrabat. Itaque etiam patres appellati sunt.* Hoc tamen institutum non multo post est immutatum. Annus tamen ætatis senatoriæ ab antiquis, quos habemus, auctoribus literis non est proditus. Panvin. in Fast. I. p. 45. scribit, quando cautum est, ut *senatorum* filii cum patribus in curiam, quod illis ante licuit, ne introirent, nisi unus Papirius, qui Prætextatus appellatus est, eodem quoque tempore SCtum factum, ne cui minori xxv. annis in curiam aditus pateret. Et producit Plutarchum in Pompejo. Sed ego, in eo, quo dicit, libro id scriptum non reperio. Itaque assentior Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 2. qui annum *senatorium* eum, qui sequeretur quæsturam, fuisse suspicatur. Et conjecturam suam tuetur auctoritate Valer. Max. II. 2. §. 1. *Q. Fabius P. Crasso in itinere narravit, quod in curia erat actum, memor eum triennio ante quæstorem factum, ignarusque nondum a censoribus in ordinem senatorum allectum.* Cicer. Phil. v. 17. qui de Octaviani præmiis ita censet. *C. Cæsarem C. F. pontificem senatorem esse, sententiamque loco prætorio dicere, ejusque rationem, quæcunque appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore quæstor fuisset.* Scrupulus me tamen torquet, quod neminem, nisi census esset in senioribus, *senatorem* fuisse videntur ostendere verba Festi modo laudati. Pergit enim: *Et nunc, cum senatores adesse jubentur, additur, quibusque in senatu sententiam dicere licet: quia ii, qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum ceperunt, in senatu sententiam dicunt, sed non vocantur senatores ante, quam in senioribus sunt censi.* Sed nondum aliud quidquam de senioribus, aut junioribus apud bonum aliquem scriptorem reperi. Et nescio an intelligat juniores annis sex & quadraginta, quæ ætas in delectu spectata est. Quod falsum esse multis exemplis convincitur. Neque hoc me sententia movebit, quo minus credam ex quæstura statim aditum patuisse in *senatum.* Sed quanquam xxvii. anno quæstura geri potuit, vix tamen eam quisquam hac ætate habuit; vel si habuisset, raro in sequentem annum lustrum incidebat, propterea que nescio an quisquam ante xxx. annum lectus sit. Ex quo apparet, non multum discrepare a lege, quam de *senatu* cooptando Halesinis C. Claudius, & Bithynis Cn. Pompejus dedit, ne quis xxx. annis minor in *senatu* esset. Nam hoc sancitum ad exemplum Romanæ Reipublicæ facile crediderim. Et licet credere, cum intelligamus ex Plinii ad Trajanum epistolis, cæteris in rebus omnibus, quod ad *senatum*, magistratusque attinet, a Pompejo disciplinam Bithyniorum Romanis adstrictam legibus. *Zamosc. ibid. c. 8. Hotman. l. l.* Definit illam Dio LII. p. 477. C. *Allegere oportet in senatum natos annos viginti quinque.* Lipsf. de Magistrat. Roman. c. 6. V. Magistratus. Per magistratuum enim gradus ad amplissimum, & altissimum civitatis ordinem omnes fere pervenerunt. Cujus præcepti principem, & auctorem habeo Livium, qui narrat XXII. 49. in pugna Cannensi 80. *senatores, aut qui eos magistratus gessissent, unde in senatum legi deberent.* Et Dionem, qui ait LIV. p. 540. B. *Scitum fuisse quoddam factum, ut viginti viri ex equitibus crearentur. Quorum deinde*, inquit, *nullus in senatum est allectus, nisi qui etiam alium magistratum gessisset, ex quo in senatum legi jus esset.* Zamosc. ibid. c. 9. Hotman. & Sigon. l. l. VI. Census. Hunc in *senatu* legendo spectatum esse certum est. Ascon. Cicer. Verr. p. 52. *Moris erat, cum aliquis civis Romanus ostendendus esset, ut significaretur, aut a prænomine suo, aut a nomine, aut a cognomine, aut a tribu, in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, ut si esset senator, equesve Romanus.* Senec. Declam. II. *Senatorium gradum census adscendere facit.* Unde Arnob. v. p. 132. *Quis ad extremum deam pecuniam esse credat, quam velut maximum numen vestræ indicant literæ donare annulos aureos, loca in ludis, atque in spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus.* Multi tamen negant census rationem habitam stante Republica, quod ita scriptum legerint a Plin. xiv. Proœm. *Posteris laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit. Postquam senator censu legi cœptus.... pessum ire vitæ pretia.* Sed certe Asconius respexit illud tempus, quo Cicero accusabat Verrem. Laudatur autem census in *senatore*, ne splendor amplissimi ordinis rei familiaris angustiis obscuretur. *Zamosc. ibid. c. 10. Hotman. & Sigon. l. l.* Quantus fuerit census *senatorius*, V. supr. in *Census.* VII. Quæstus. Turpem enim, & sordidum qui fecisset, in *senatum* legi non poterat. Lex enim lata est an. 535. Ti. Sempronio, P. Cornelio coss. ut scribit Liv. xxi. 61. *Ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis visum ad fructus ex agris vectandos: quæstum omnem patribus indecorum esse visum.* Quo spectans Cicer. Verr. v. 18. dixit: *Noli metuere Hortensi, ne quæram, qui licuerit navem ædificare senatori....* Hoc Romæ observatum, ne sordibus illiberalis quæstus majestas ordinis amplissimi pollueretur. Ut si quis egestatem lenocinio sustentasset, aut vocem in lucrum contulisset, aut aruspicinam fecisset, aut ludicram artem exercuisset. August. de Civit. Dei I. 13. *Romani hominibus scenicis nec plebejam tribum, quanto minus senatoriam curiam dehonestari sinunt.* Cicer. Famil. vi. 18. *Quæsivi a Balbo per* sodi-

codicillos, quid esset in lege: rescripsit, eos, qui facerent praconium, vetare esse in decurionibus; qui fecissent, non vetari. . . . neque enim erat ferendum, cum, qui hodie aruspicinam facerent, in senatum Roma legerentur: eos, qui aliquando praconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere. Quod ad lenones attinet, non est ita res obscura, ut testimonium desideret. *Zamosc. ibid. c.* 11. *Sigon l. l.* Non omnes tamen, qui in *senatum* veniebant, fuerunt *senatores*, verum ii duntaxat *senatores* appellabantur, qui a censoribus, aut ab iis, qui jus *senatus* legendi haberent, lecti essent; alii enim fuerunt *senatores*, alii eo gradu, ut in *senatu* sententiæ dicendæ jus haberent. Hi vero erant, qui magistratibus functi in *senatum* venire, & sententiam dicere poterant, *senatores* tamen a censoribus lecti non erant. De illis Gellius. V. illum infr. in *Senatores pedarii*. Edicti, de quo illic Gellius, meminit etiam Liv. XXIII. 32. *Consules*, inquit, *edixerunt, quoties senatum vocassent, uti senatores, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, ad portam Capenam convenirent.* Sigon. & Hotman l. l. *Senatorum* munus maximum, ac potissimum erat de Republica cum magistratibus consultare. Neque hoc in *senatu* solum, verum etiam in ducum, potestatumve, ut vocat Plinius, consiliis. In quibus præcipuas partes *senatorum* fuisse, non obscure significare videtur Sallust Jugurth. p. 114. *Metellus propere cunctos senatorii ordinis ex hybernis arcessiri jubet: eorum, & aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more majorum, ex consilii decreto, per legatos Jugurthæ imperat, argenti pondo ducenta millia.* Cætera investiganti occurrunt I. judicia. V. supr. in *Equites* II. Legationes ad exteras nationes, quia ad illas publici populi Romani nuntii cum mandatis ex solo ordine senatorio mittebantur. Testem habemus Liv. IV. 52. *Solitudinem*, inquit ille, *in civitate ægra experti consules sunt: cum in legationes non plus binis senatoribus invenientes, coacti sunt binos equites adjicere.* De ultimis Reipublicæ temporibus nulla, quod sciam, extat veterum auctoritas: neque aliquo exemplo hoc obeundarum legationum munus communicatum cum aliis ordinibus probari potest. Nam Servium non arbitror esse antiquitatis auctorem satis idoneum, qui, cum Æneid. VII. 153. Æneam ex omni ordine ad Latinum oratores delegisse fingit, expressam ab eo veterem dimittendarum legationum rationem, quæ ad suam usque ætatem permanarit, interpretatur. Feciales certe constat non fuisse *senatores*. V. supr. in *Feciales*. Jam vero cum senatorio ordine magistratus colligati, atque vinculo quodam constricti erant. Docet hoc Cicer. pro Clu. c. 56. *Senatorem hoc queri non posse, quod ea conditione honores petere cœpisset, quodque permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, provinciæ.* De provinciis etiam sunt hæc apud Flor. III. 13. 3. *Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax, quam ut senatu regente provincias, ordinis equestris auctoritas saltem judiciorum regno niteretur.* Fere enim provinciæ, & imperia *senatoribus* mandabantur, vel iis, qui jure magistratuum in *senatum* venerant. Raro equitibus, & nescio an alicui stante Republica præter Pompejum, quem, cum XXIII. annum vix excessisset, a Sylla adversus Carbonem, & Perpernam cum imperio missum constat. Hinc Cicer. pro leg. Manil. c. 21. jam laudatus. Cæterum narrat Dio LIII. p. 504. B. Augustum aliis provinciis *senatores* præfecisse, Ægypto autem equites, quod eam gentem haberet suspectam, ne novis rebus studeret. *Zamosc. ibid. c.* 15. Legum, ac judiciorum onera *senatoribus* imposita fuerunt. I. Indicium, cujus etsi annus tanto temporis intervallo exoleverit, vetustissimum tamen esse haud invitus crediderim. His, qui proditionis, majestatis, vel alterius id genus facinoris latebras detexissent, si ejus consciii reperirentur. Solis *senatoribus* indicium profiteri, salvis legibus, nunquam licuit. Ascon. in Cicer. p. 30. *Senatoria persona non potest indicium profiteri salvis legibus.* II. Senatori non licere Italia egredi, nisi jus haberet legationis liberæ. Quod institutum quando in Rempublicam sit inductum, ignoratur. Non licuisse, tecte quidem, ita tamen, ut facile possimus imaginem antiqui moris cognoscere, scribit Cicer. Attic. VIII. 15. *Quod videris non dubitare, si consules transeant, quid nos facere oporteat; certe transeunt: vel quomodo nunc est, transierunt. Sed memento præter Appium neminem esse fere, qui jus non habeat transeundi. Nam aut cum imperio sunt, ut Pompejus, ut Scipio, Fannius, Voconius, Sestius, ipsi consules; quibus more majorum concessum est vel omnes adire provincias, aut legati sunt eorum.* Ergo hi tantum transeundi mare potestatem habebant, & præter hos nemo. Nominatim dicit Dio. *Jussit, ut senatores omnes, omnesque se magistratus sequerentur, proposito SCto, quo impunitatem ejus demigrationis ostendebat.* Post hoc contra morem majorum *senatores* per gentes, post omnes provincias volitabant, donec intercessit Augusti decretum, cujus memoria extat apud Dion. LII. p. 494. C. *Ne quis senator, nisi id ipse permisisset, Italiæ fines excederet.* Ante occasum autem Reipublicæ dabantur legationes liberæ. V. illas supr. in *Legatio libera*. Illi vero olim senatum, postea Principem adibant, &, exposita peregrinationis causa justa commeatum petebant, & impetrabant. Suet. Claud. c. 23. n. 7. *Commeatus a senatu peti solitos beneficii sui fecit.* Ner. c. 35. n. 16. *Seneca sæpe commeatum petenti, bonisque cedenti persancte juravit.* Plin. Epist. X. 24. 4. *Ut hoc facere quam maturissime possim, indulge commeatum.* Unde *Rabirio Postumo, sine commeatu Ptolemæum Alexandriam crediti servandi causa secuto, majestatis crimen apud judices motum fuisse* scribit Suet. Claud. c. 16. n. 7. *Ravard. de Divers. reg. jur.* CXI.. III. Census. Qui non tantum ad consequendum, verum etiam ad tuendum *senatorium* gradum requirebatur. Cicer. Famil. XIII. 5. *C. Curtius habet in Volaterrano possessionem: hoc autem tempore Cæsar eum in senatum legit, quem ordinem ille, ista possessione amissa, vix tueri potest.* Tacit. Annal. II. 48. 3. *Cæterum, ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos, & ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Syllam, Q. Vitellium movit senatu, aut sponte cedere passus est.* IV. Redemptio, qua nihil *senatori*, præter illa, quæ erant nominatim excepta, redimere ab ærario licebat. Ascon. in Cicer. pro Corn. *Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licet per legem.* V. Ambitus pœna. Hanc gravissimam *senatoribus* irrogavit Cicero. Tulit enim in consulatu, ut *senatoribus* ambitus damnatis aqua & igni ad decem annos interdiceretur. Cicer. pro Mur. c. 23. *Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non deerat: erat enim severissime scripta Calpurnia: gestus est mos, & voluntati, & dignitati tuæ. Sed tota illa lex accusationem tuam, si haberes nocentem reum, fortasse armasset; petitioni vero refragata est: pœna gravior in plebem tua voce efflagitata est: commoti animi tenuiorum: exilium in nostrum ordinem: concessit senatus postulationi tuæ, sed non libenter duriorem fortunæ communi conditionem te auctore constituit.* VI. Munitio viarum. Triumviri enim Reipublicæ constituendæ instituerant, ut senatores vias suis munirent sumptibus. Dio XLVII. *Senatores* scribit *vias suis sumptibus munire coactos.* Sed LIII. p 511. D. *Cæteræ deinde viæ munita, sive publico, neque enim senatores libenter impensas faciebant, sive ipsius Augusti sumptu.* VII. Connubium, quo ducere non poterant libertinam. V. supr. in *Ingenui*. nec eam, quæ, vel cujus parentes ludicram artem fecerant. V. supr. in *Matrimonium*. VIII. Munus gladiatorium, quo ne quis *senator, vel senatoris* filius depugnaret, edixerat Augustus. Devicto enim Pompejo *senatores* ad gladiatorias operas, quæ semper habitæ sunt turpissimæ, & inhonestissimæ, faciles se præbere cœperant. Retinendæ igitur priscæ consuetudinis causa Claudio, & Norbano coss. Augustus ita edixit. Tandem etiam cavit, Marcello, & Aruntio coss. ne & illi, qui nepotes senatorum, scenicum, gladiatoriumque artificium attingere auderent. Dio LIV. p. 522. B. *Zamosc. ibid. c.* 16. Ornamenta, & commoda hujus amplitudinis erant I. Locus ludis in consessu theatrali honestissimus. Plutarch. Flamin. p. 380. A. *Romæ ludis cum senatus, ut erat moris,*

moris, honeſtiſſimo loco conſediſſet. Cicer. pro Clu. c. 47. *Lentulus Popillium, quod erat libertini filius, in ſenatum non legit, locum quidem ſenatorium ludis, & cætera ornamenta reliquit.* Spectabant autem *ſenatores* in cavea, qui locus ſcenæ proximus, & idcirco commodiſſimus erat. Atque hæc quidem cauſa fecit, ut caneret Juven. Sat. III. 177.

Æquales illic habitus, ſimileſque videbis
Orcheſtram, & populum.

Quando *ſenatorum* loca in theatro ſecreta ſint. V. ſupr. in *Locus.* In circo *ſenatus* promiſcue ſpectavit, donec Claudius Imperator *circo maximo, marmoreis carceribus, auratiſque metis exculto, propria ſenatoribus conſtituit loca promiſcue ſpectare ſolitis,* ut ſcribit Suet. c. 21. n. 6. Qui ait *promiſcue:* magis vere proprieque, vagæ. Eam Suetonii mentem eſſe libens Dioni concedo rem eam cum cura explicanti LX. p. 66. E. *Spectabant quidem ante in illo* (de circo prædixit) *ſeparatim, & per ſe ſinguli ordines, ſenatorum, equitum & plebis, ex quo primum id inſtitutum fuit: non tamen certi loci ſingulis ordinibus aſſignati fuerunt. At tunc ſecrevit Claudius ſenatoribus eas ſedes, quas nunc quoque obtinent: fecitque ipſis poteſtatem, ſi vellent, alio quocumque loco in vulgari veſte ſpectandi.* Dionis ultima non ſunt negligenda. Nam etiam poſt loca diviſa, promiſcue licuit ſpectare *ſenatoribus,* ſed in veſte, ut ait, privata, Unde Cornelius Tacitus, etſi *ſenator,* in equeſtribus ſpectavit apud Plin. Epiſt. IX. 23. 2. *Narrabat Tacitus, ſedisse ſe Circenſibus proximum equiti Romano.* Lipſ. in Tacit. Annal. XV. n. 47. Chiment. Biſell. c. 12. Fab. Semeſtr. II. 6. Mercer. ad Alex. Gen. V. 16. Maſſon. Ovid. vit. p. 69. Caſaub. in Suetonium, Buchner. & Cellar. in Plinium. II. Jus epularum publicarum. Suet. Aug. c. 35. n. 1. *Quoſdam ad excuſandi ſe verecundiam compulit: ſervavitque etiam excuſantibus inſigne veſtis, & ſpectandi in orcheſtra, epulandique publice jus.* Dio LV. p. 554. C. *Deinde ſacerdotium Cajo, utque illi in ſenatum venire, & ludos inter ſenatores ſpectare, publicaſque inire epulas liceret, decrevit.* Zamoſc. ibid. I. 17. Epulari quomodo ſoliti ſint *ſenatores,* docet Sidon. Epiſt. II. 9. *Prandebamus breviter, copioſe, ſenatorium in morem, quo inſitum, inſtitutumque multas epulas paucis paropſidibus apponi: quamvis convivium per edulia, nunc aſſa, nunc juruIenta variaretur.* Epulabantur ante Jovis cellam in Capitolio. Gell. XII. 8. *Cum ſollenni die Jovi libaretur, atque ob id ſacrificium ſenatus in Capitolio epularetur.* Dio XLVIII. p. 389. B. *Ludis quoque Romanis nullum ſenatorem in Capitolio epulatum eſſe, quod more receptum erat, in prodigium tractum fuit.* Faber Semeſt. I. 6. Buleng. de Conviv. I. 7. Savar. in Sidonium, Pitiſc. in Suetonium. III. Veſtitus, quo a plebe, & equitibus *ſenatores* fuiſſe diſtinctos, documento eſt illud, quod Dio XXXVIII. p. 68. A. Ciceronem, cum de ejus exilio legem ferret Clodius, *ſenatoria veſte abjecta, equitis habitum* aſſumpſiſſe ſcribit. Hoc autem inſigne erat tunica lati clavi. Suetonium habeo teſtem. Hic enim de Gallis in *ſenatum* a Cæſare lectis illa vulgo decantata dicit c. 80. n. 3.

Galli bracas depoſuerunt, latum clavum ſumpſerunt.

Et Aug. c. 94. n. 17. cum Auguſto *ſumenti virilem togam, tunica lati clavi reſuta ex utraque parte ad pedes decidiſſet, fuiſſe qui interpretarentur, non aliud ſignificari; quam quod is ordo, cujus inſigne id eſſet, quandoque ei ſubjiceretur.* Nempe ordo *ſenatorius.* Poſtremis temporibus Auguſtus intulit, ut *ſenatorum* quoque *filii protinus latum clavum induerent* apud Aug. c. 38. n. 2. Quære tamen a Suetonio, quomodo Auguſto ſumenti virilem togam, cum adhuc in *ſenatum* lectus non eſſet, ad pedes deciderit. An quod ea pueri, ut & prætexta, ornarentur? Falſa autem opinio illorum mentes occupavit, qui genus hoc tunicæ nomen inveniſſe credunt, vel a retinaculis, ut ita dicam, quibus pars veſtis alteri conjuncta retinetur; vel quod hæc tunicæ forma latior cæteris eſſet. Si quis quærat, quando hoc inductum ſit inſtitutum, haud difficile erit reſpondere. V. tunicam lati clavi ſupr. in *Clavus.* Zamoſc. ibid. c. 17. Hotman. l. l. Latum hunc clavum in luctu deponebant. Dio XL. p. 142. B. *Senatoriam veſtem deponentes, & in veſte equeſtri ſenatum tanquam in magno luctu convocantes.* Cicer. poſt red. in ſenat. c. 5. *Conſul, cum vos veſtem mutandam cenſuiſſetis, cunctique mutaviſſetis, unguentis obitus, cum toga prætexta, quam omnes prætores, ædileſque tum abjecerant, irriſit ſqualorem veſtrum.* Fab. Semeſtr. II. 10. Ferrar. de Re Veſt. I. I. 27. Ruben. de Re Veſt. I. 6. IV. Calceus diverſus a reliquorum civium calceis. Diverſum fuiſſe teſtatur Cicer. Phil. XIII. 13. V. illum ſupr. in *Calceus lunatus.* Quales autem *ſenatorum* fuerint calcei, ingenue me neſcire fateor. Neque, ut ſciam, valde laboro. Omnes ajunt hos fuiſſe lunatos. Id ſecus eſt, ſi audias Zonar. II. *Plebeji,* inquit, *cum olim pluribus rebus deteriore conditione eſſent quam patricii, procedente tempore, interregno, & ſacerdotiis quibuſdam exceptis, pari cum illis jus obtinuerunt, neque præter calceos quidquam diverſum ab illis habuerunt. Nam patricii in Urbe geſtabant calceos adornatos corrigiarum inflexione, & forma literæ C. ut a centum Romuli ſenatoribus originem trahere viderentur.* Iſidor. XIX. 34. *calceos lunatos patricios* nominat. Servius laudatus ſupr. in *Calceus lunatus.* nugatur. Caligas an portaverint V. ſupr. in *Caliga.* Et an perones V. ſupr. in *Pero.* Superſunt præmia, & ornamenta, quæ *ſenatorum* quidem, ſed non omnium erant. *Senatores* in honoribus petendis verſabantur. Nunc vero, quanta ex gradibus magiſtratuum extiterit inter eos diſſimilitudo, conſiderare oportet. A magiſtratibus, quos ultimo loco geſſiſſent, qui ex ſupremo ordine erant, alii quæſtorii, quidam tribunicii, multi ædilicii, nonnulli prætorii, conſulares, & cenſorii nominabantur: ac ut quiſque maximo perfunctus erat magiſtratu, ita dignitate ſupremus habebatur. Servavit eos gradus Cicero in recenſendis illis, qui a Pompeji partibus ſteterant Philip. XIII. 13. *Hoc igitur fretus ſenatu Pompejanum ſenatum deſpicit, in quo decem fuimus conſulares.* Quos ubi enumeravit, ſubjungit c. 14. *Qui vero prætorii? qui ædilicii? qui tribunicii? qui quæſtorii?* Notat hoc diſcrimen Mæcenas, in oratione apud Dion. LII. p. 487. B. in qua, ut *ſenatui* cognitionem de *ſenatorum* criminibus permitteret, ſuadens Auguſto, addit non eſſe ferendum, ut ſententiam dicant inferiores dignitate de iis, qui majore eſſent perfuncti magiſtratu, verbi gratia de ædiliciis quæſtorii, aut de prætoriis ædilicii. Ac cenſorius quidem gradus hoc juris antiquitus habuit, quod ex eo tantum *princeps ſenatus* legebatur. Conſulares vero ſoli in luctu civitatis togis utebantur. Cicer. Philip. VIII. 11. *Equidem P. C. quanquam hoc honore uſi togati ſolent eſſe, cum eſt in ſagis civitas: ſtatui tamen a vobis, cæteriſque civibus in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione populi Romani non differre veſtitu. Non enim ita gerimus nos hoc bello conſulares, ut æquo animo populus Romanus viſurus ſit honoris noſtri inſignia.* Et quanquam poſt conſulatum cenſura gerebatur, principes tamen ſententiarum conſulares vocat Livius. Credo quod cenſorii raro venirent in *ſenatum,* cum ætatis fere omnes haberent vacationem. Prætoriis autem licebat uti prætexta toga feſtis diebus. Senec. Declam. I. *Prætorio uti licet prætexta toga, feſtis & ſollennibus diebus, numquid neceſſe eſt.* Plutarch. Cat. min. p. 778. D. *Senatus frequens, præter alios honores, Catoni præturam extraordinariam decrevit, utque ludos toga prætexta purpurea ſpectaret.* Quæ autem tribuimus ornamenta inferioribus *ſenatoribus* pro magiſtratuum geſtorum amplitudine, ea omnia obtinuerunt illi, qui majorem habuiſſent magiſtratum. Demonſtravimus prætorios prætexta diebus feſtis eſſe uſos: quo honore carebant tribunicii, & quæſtorii. Conſulares tamen ejus erant participes, ut licet animadvertere in Cicer. Philip. II. 41. V. illum ſupr. in *Prætexta.* Præterea invenio rationem quandam, etiam non capto magiſtratu majore, conſequendorum alicujus honeſtioris gradus ornamentorum, ſi quis *ſenatorem,* qui non eſſet deſignatus, & alium magiſtratum ante cepiſſet, de ambitu damnaſſet. Cicer. pro Balb. c. 57. V. illum infr. p. 737. A. Potuit item ſuperior gradus Scto extra ordinem dari. Illis vero ſolis, qui in legatio-

nibus operam suam Reipublicæ navabant, antiquis temporibus dabantur annuli aurei. Plin. XXXIII. 1. *Longo tempore ne senatum quidem Romanum habuisse annulos aureos manifestum est.* Sed hi post equites a plebe distinguere cœperunt. V. supr. in *Annulus aureus.* Zamosc. l. l. Pænulas sub Hadriano etiam a *senatoribus* gestatas fuisse quidam tradiderunt ex Gell. XIII. 21. *T. Castricius rhetoricæ disciplinæ doctor a D. Hadriano ob mores, & literas spectatus, cum me præsente discipulos quosdam suos senatores vidisset die feriato tunicis, & lacernis indutos, & gallicis calceatos: equidem, inquit, maluissem vos togatos esse. Pigitum est, cinctos saltem esse, & penulatos?* Quæ si vera sunt, quomodo multis post annis, ut tradit Lamprid. c. 27. primus Alexander Severus *senatoribus* concessit, ut *frigoris causa pænulis uterentur, cum id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviæ fuisset.* Deinde quis alius auctor pænulas lacernis honestiores facit? Castricius *senatores* non reprehendit, quod essent lacernis induti; nec hoc vult Gellius: qua enim fronte id poterat, cum inde ab Augusti ævo in promiscuo usu essent, sive superinduerentur togis, sive tantum tunicis? Præterea fatetur ipse Castricius *hujuscemodi vestitum de multo jam usu ignoscibilem esse*, lacernas nempe: Non hoc ergo reprehendebat. Sed quod cum lacernis gallicis essent calceati, cum calceos gestare debuissent. Subjicit enim: *Sed si hic vester hujusmodi vestitus de multo jam usu ignoscibilis est, soleatos tamen vos populi Romani senatores per vias Urbis ingredi nequaquam decorum est, non hercle vobis minus, quam illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine objectavit.* Antonium intelligit. Ita cum togæ gestari desiissent, & in earum locum successere lacernæ, calceos nihilominus retentos apparet ex hoc loco, quod indecorum videretur ita nudis pedibus incedere per Urbem: deinde quod calcei *senatorum* lunati essent, id insigne in soleis spectari non poterat. Reprehendit igitur *senatores*, quod contra morem, & decus magni ordinis pro calceis gallicis gestarent. Quod gallicæ soleæ essent, idem ostendit laudatus supr. in *Gallicæ*, & infr. in *Solea.* Dicit tamen Castricius: *pigitum est cinctos saltem esse, & pænulatos.* Quasi honestius pænularum gestamen esset, quam lacernarum, contra veterum scriptorum fidem. Non est hæc Castricii sententia. Sed quando mallent gallicis, quam calceis uti, rectius, atque honestius ipsos facturos fuisse, si etiam cincti, & pænulati essent. Nam cum pænula vestis viatoria esset, & soleæ cum ea gestarentur, non cum lacernis, aut toga, magis decorum futurum fuisse dixit, si pænulati incessissent, quasi iter paullo post facturi. Ideo autem cinctos dixit, non solum quia omnes iter facturi præcipue in equo altius cincti, sed cum tunicæ *senatorum*, sive laticlaviæ sub toga, & lacerna non cingerentur, iter facturi, præcipue equo necesse haberent longiores tunicas cingulo suspendere: & ideo cincturam cum pænula conjunxit, non quod pænula cingeretur. Non igitur ante Alexandri ætatem *senatores* intra Urbem nisi pluviæ causa pænulati. *Ferrar. de Re vest.* II. 2. 3. *Salmas. in Lampridium, Ouzel. in Gellium.* Illa in funere Cæsarum & muneribus gladiatoriis, quæ mortui Principis causa edebantur, utebantur. Lamprid. in Commod. c. 16. *Contra consuetudinem pænulatos jussit senatores, non togatos ad munus convenire, quod funeribus solebat, ipse in pullis vestimentis præsidens.* Dio LXXII. p. 827. D. *His perfectis rebus magnum nobis solatium dedit, quod cum esset rursus gladiatorum more pugnaturus, nos, senatores, equestri veste, & lacernis indutos venire jussit in theatrum. Quo habitu nunquam ante theatrum ingredi consueveramus, nisi Princeps e vita decessisset.* Ferrar. ibid. c. 4. Salmas. in Lampridium. Caligas sumpserunt sub Imperatoribus. V. supr. in *Caliga.* Sub Imperatoribus posterioris ævi togas suas cinctu Gabino portabant. Cassiod. VI. 14. *Sic nos virtutum jucundissimas laudes in cinctum Gabinum desideramus mutuare.* Ruben. ibid. I. 22. Hoc Cassiodori verba non indicant. Editiones *in cinctum Gajum* exhibent. Deinde etsi cum Rubenio legamus *in cinctum Gabinum*, Cassiodorus a nobiliori parte *senatum* intellexit, in quo consules & prætores, qui honorum auspicio, & statis diebus Gabino cinctu notabiles. *Ferrar. ibid. c.* 28. Prætextane, & quando fuerint usi V. supr. in *Prætexta.* Chlamydum usum *senatoribus* interdicunt in Urbe Gratian. Valentin. & Theodos. XIV. 10. de habitu quo uti oportet intra Urbem l. 1. C. Th. *Sine exceptione temporis, matutini duntaxat, intra mœnia constitutus, nullus senatorum habitum sibi vindicet militarem, sed chlamydis terrore deposito, quieta colobiorum, ac pænularum induat vestimenta. Cum autem vel conventus ordinis candidati cœperit agitari, vel negotium ejus sub publica judicis sessione cognosci, togatum eundem interesse mandamus.* Non tamen nego *senatoribus*, qui in comitatu Imperatoris extra Urbem erant, chlamydum usum concessum fuisse. *Ruben. de Re vest.* I. 12. An synthesis fuerit gestamen ordinis senatorii, V. infr. in *Synthesis.* V. Lictores, si non lege, veteri tamen consuetudine, & instituto majorum dabantur in provincia. Hoc colligo ex Cicer. Fam. XII. 21. *Cajus Anicius negotiorum suorum causa legatus est in Africam legatione libera. Dignitatem ejus tibi commendo: idque a te peto, quod ipse in provincia facere sum solitus, non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem acceperam, & cognoveram a summis viris factitatum.* Cum rogati sententiam dicere vellent, assurgebant, & stantes dicebant. Cicer. Attic. I. 14. *Locutus ita est in senatu, ut omnia illius consulta γενικῶς laudaret: mihique ut assedit, dixit se putare, satis abs se etiam de istis rebus responsum.* Stantes non modo ea de re, de qua relatum fuisset, verum etiam quacunque de re volebant, & quamdiu volebant, dicendi potestatem habebant. Tacit. Annal. II. 33. 1. *Decretum, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis serica viros fœdaret. Excessit Fronto, ac postulavit modum argento, supellectili, familiæ. Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e Republica crederent, loco sententiæ promere.* XIII. 49. 2. *Quin de bello, aut pace, de vectigalibus, & legibus, quibusque alia Romana continentur, suaderet, dissuaderetve? Licere patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent, expromere, relationemque in ea postulare.* Gell. IV. 10. *Cato quæ consulebatur, quoniam non e Republica videbatur, perfici nolebat. Ejus rei gratia ducendæ longa oratione utebatur, eximebatque diem. Erat enim jus senatori, ut sententiam rogatus, diceret ante quicquid vellet alius rei, & quoad vellet.* . . . Hotoman. de Senat. I. 5. Et sedentes adsentiebantur. V. supr. in *Adsedisse.* A qua ætate non cogerentur in *senatum* venire Seneca duobus locis constituit. I. Declam. 1. *Senator post sexagesimum quintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur.* II. De brev. vit. c. 20. *Lex a sexagesimo anno senatorem non citat.* Hotoman. ibid. c. 6. Zamosc. ibid. II. 4. An *sexagesimo quinto*, ut in Seneca patre. Et mihi mature nimis *senator* mitti videtur in ævo, quod prudentiæ maxime factum. *Lips. in Senecam.* Convocabantur I. voce præconis, cum aliquid incidisset, de quo propere, & sine mora consulendi essent patres, neque operæ videretur id in aliud tempus differre negotium. Liv. III. 38. *Postquam audita vox in foro est præconis, patres in curiam ad decemviros vocantis, velut nova res mirabundam plebem convertit.* Appian. de Bell. civil. I. p. 365. *Opimius armatos in Capitolio prima luce collocat, senatum per præcones convocat.* II. edicto a consulibus, vel alio magistratu proposito. Cicer. ad Brutum Epist. 6. *Cum tribuni plebis edixissent, senatus adesset a. d.* XIII. *Kal. Januar. haberentque in animo de præsidio consulum designatorum referre, quanquam statueram in senatum ante Kal. Jan. non venire, tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi ita haberi senatum, ut de tuis divinis meritis sileretur.* Philipp. III. 8. *Cum tot edicta proposuisset Antonius, edixit, ut adesset senatus frequens a. d.* VIII. *Kal. Decembr. eo die ipso non affuit. At quomodo edixit? hæc sunt, ut opinor, verba in extremo: Si quis non affuerit, hunc omnes existimare poterunt, & interitus mei, & perditissimorum consiliorum auctorem fuisse.* Erat autem edicti formula quædam, sollennibus quasi verbis concepta, cujus est illa apud Livium, Festum, & Gellium clausula: *Senatores, quibusque in senatu sententiam dicere licet.* At ab initio statim post magistratus annuos institutos, teste Livio, citabantur hoc modo: *Qui patres,*

quique

quique conscripti essent. Bello Punico II. consules ita edixerunt, ut docet Liv. XXIII. sed supr. jam laudatus. III. Opera viatorum. Cicer. Cat. maj. c. 16. *In agris tum erant senatores. A villa in senatum arcessebantur. ex quo qui eos arcessebant, viatores nominati sunt.* Plin. XVIII. 3. *Tales tum etiam viatores erant: quod ipsum nomen inditum est subinde ex agris senatum, ducesque arcessentibus.* IV. I. Senatusconsulto, in quo severissimis majorum institutis animadversionem praebebant: nec expectabant, ut edicto convocarentur, si hi inde catus promptus in curiam veniebant. ambigue laudis civem existimantes, qui debitis Reipublicæ officiis non sua sponte, sed jussus fungeretur. Val. Max. II. 2. 6. V. Suffimento, quo conveniendi signum ætate Augusti dari est cœptum. Dio LIV. p. 541. I. V. illum infr. in *Senatus.* Zamosc. l. l. Manut. ibid. c. 6. In *senatu* sellis curulibus sedebant. Cicero in gratiarum actione pro Marcello *consessum* appellat *senatum.* Et in Epistolis ad Appium Pulchrum *longum subsellium*, propterea quod judicum subsellia breviora essent. *Zamosc. ibid.* II. 8. Sedebant vero hoc ordine. Primi majores magistratus, consules, prætores: quod si censores essent in senatu (non enim censura perpetuus magistratus fuit, sed quarto quoque anno ad censendam civitatem creabatur) infra prætores, proxime tamen sedisse crediderim: infra, quia Messalla libro de auspiciis, cum majores magistratus nominat, consules primum, deinde prætores, tertio loco censores constituit: proxime, quia, cum inter majores magistratus censura fuerit, supra minores magistratus sedisse censores nemo dubitaverit. Sedebant deinde minores magistratus, ædiles curules, ædiles plebis, quæstores: tum qui magistratus gesserant, ordinatim, consulares, prætorii, ædilicii, quæstorii: de his autem singulis ordinibus, ut quisque magistratum primus gesserat. Invenio etiam, inter prætorios sedisse, non qui præturam gessisset, sed qui prætorium hominem accusasset eo crimine, quo damnatus ordinem senatorium amisisset: locum enim damnati consequebatur. De quo sic Cicer. in orat. pro Balbo c. 57. *Objectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit: quod hic assecutus ex legis de ambitu præmio, minus invidiose, quam qui legem præmiis prætoriam sententiam, & prætextam togam consequuntur.* Significat enim Cicero, loco prætorio sedisse, & sententiam dixisse, qui prætorium hominem in judicio convicisset: neque hoc solum; sed qui designatum magistratum judiciis nocentem probasset, cum, eo magistratu damnato, prætextam togam, id est, magistratum illum, quem is, qui damnatus esset, initurus erat, præmii loco accepisse: posuit enim prætextam pro magistratu, quia prætexta toga magistratus utebantur. *Manut. de Senat. Roman. c.* 9. Multa *senatori*, qui quum in senatum venire deberet, non adesset. De illa disputat Varro apud Gell. XIV. 7. Ea de re rogat hanc legem Cicer. de Leg. III. 4. *Senatori, qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto.* Causam vocat excusationem justam, & legitimam, ut I. ætatis. V. modo dicta. II. Judiciorum. Illis enim, qui judiciis operam navabant, excusationis venia dabatur. Propterea Augustus, cum certos dies, quibus *senatus* haberetur, constituisset, cavit, ne iis diebus jus dicere, vel aliud id genus publicum negotium, quod *senatores* impedire posset, quo minus in *senatum* venirent, attingere fas esset. Dio LV. p. 549. E. Et in SCto illo in epistol. Cœlii apud Cicer. Fam. VIII. 8. additum est, *ut eos, qui in ccc. judicibus essent, quando consules de provinciis referrent, sex adducere liceret.* Sallust. Orat. ad Cæsar. de Rep. ordin. p. 223. *His tempestatibus alii judiciis publicis, alii privatis suis, atque amicorum negotiis implicati, haud sane Reipublicæ consiliis adfuerunt.* III. Funeris familiaris. Illi, qui hujus procuratione impediti aberant, non multabantur. Cicer. pro C. Rabir. c. 3. *Quid est tam verisimile, quam cariorem huic sororis maritum, quam sororis filium fuisse? atque ita cariorem, ut alter vita crudelissime privaretur, cum alteri ad prolationem judicii biduum quæreretur.* IV. Morbi. Hujus excusatione utitur Cicer. Philipp. I. 5. *An ea res agebatur, ut etiam ægrotos deferri oporteret? Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam causam etiam Appium illum, & cæcum, & senem delatum esse memoriæ proditum est. De supplicationibus referebatur; quo in genere senatores deesse non solent: coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur, gratia: quod idem fit, cum de triumpho refertur. Ita sine cura consules sunt, ut pene liberum sit senatori non adesse. Qui cum mihi mos notus esset, cumque de via languerem, & mihimet displicerem, misi pro amicitia qui hoc ei diceret.* De quo fonte & illud manavit: *Nec erit justior P. C. in senatum non veniendi morbi causa, quam mortis.* Ex superiore intelligitur etiam, qua pœna *senatores*, qui erant in culpa, afficerentur. Multa enim illis dicebatur, & antequam hæc solveretur, pignora capiebantur. V. supr. in *Pignus.* Cæterum summam, quam penderent *senatores*, si Reipublicæ consiliis nollent adesse, legibus credo fuisse præfinitam. Etenim Dio prodidit Augustum, cum unus omnia teneret, has multas ampliasse. Multabantur vero non solum si abessent, verum etiam si venissent tardius. *Zamosc. l. l. Senatu* movebantur, & ordinis amplissimi dignitatem amittebant I. quos senatus removendos censuisset. A senatu L. Sulpicium consulari familia, summoque ingenio virum, ob libidinosæ luxuriæ notam, loco motum L. Porcius Latro literis tradidit. II. de turpi crimine aliquo, aut de ambitu convicti. Colligo hoc ex oratione pro Flacc. c. 18. *Lysanias adeptus est ordinem senatorium; sed cum Rempublicam nimium complecteretur, peculatus damnatus, & bona, & nomen senatorium amisit.* At de Temnensi *senatore*, non de Romano loquitur? Certe. Non tamen est, cur valde hoc incommodum pertimescam. Etenim patet ex iis, quæ de lectione diximus, Romæ idem cautum fuisse. Quin de re etiam Zonaras: *Post constitutum est, ut qui semel in senatum lectus esset, per omnem ætatem permaneret, nisi aut turpi judicio damnaretur, aut ob vitæ dedecora pelleretur.* Cæterum de ambitu leges tulerunt C. Calius Longinus, & C. Calpurnius Piso. V. illas supr. in *Lex.* III. Censoria animadversione notati. V. illos supr. in *Censoris notatio.* Zamosc. ibid. I. 19. Manut. ibid. c. 3.

Senatores adlecti. V. illos supr. in *Adlecti.*

Senatores conscripti. V. illos supr. in *Patres conscripti.*

Senatores honorarii erant, non officio, sed nomine. Tales nonnulli vocant Cassiodorum. De patre utriusque Romæ *senatore* Honorario Auson. Edyll. II. 5.

Curia me duplex, & uterque senatus habebat
Muneris exsortem, nomine participem.

Borremans. Var. Lect. c. 2.

Senatores orcini, qui neminem vivum suæ dignitatis auctorem ciere poterant, sed Cæsarem solum jam in orco demissum. Suet. Aug. c. 35. n. 1. V. illum supr. in *Senator.* Plutarch. Anton. p. 922. D. *Quandoquidem ubi arguebantur, ad mortui commentarios confugiebant.* Allusit vulgus ad libertos orcinos. V. illos supr. in *Liberti.* Χαρωνίτας vocat Plutarch. ibid. C. *Unde omnes hos Romani per ludibrium Charonitas appellabant.* Victor. Var. Lect. XVI. 16. Zamosc. de Senat. Roman. I. 13. Pitisc. in Suetonium.

Senatores pedarii erant, qui in alienam pedibus sæpe irent, raro, & nisi postulata a consule potestate, quia nunquam rogabantur, stantes sententiam dicerent, nec jure tenerentur, aut fruerentur senatorio. Apparet hoc ex verbis M. Varronis apud Gell. III. 18. *Marcus Varro in satyra Menippea, quæ Ἱππόκυων inscripta est, equites quosdam dicit pedarios appellatos: videturque eos significare, qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores quidem non erant, sed quia honoribus populi usi erant, in senatum veniebant, & sententiæ jus habebant. Nam & curulibus magistratibus functi, qui nondum a censoribus in senatum lecti, senatores non erant: &, quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias: sed quas principes dixerant, in eas discedebant.* De illis Cicer. Attic. I. 20. *Et raptim in eam sententiam pedarii concurrerunt.* Et, *Est illud SCtum summa pedariorum voluntate, nullius nostrum voluntate factum.* Negat Gellius *appellatos esse, qui sententiam in senatu non verbis dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent:* quod dicit

non

non paucos opinari, si quidem *quum SCtum fiebat per discessionem, tum universi senatores sententiam pedibus ferebant.* Addit quoque, *etiam hanc vocabuli istius rationem dici, quam Gabius Bassus in commentariis suis scriptam reliquit. Senatores enim dicit in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi: in quo curru sella esset, supra quam considerent; quæ ob eam causam curulis appellaretur: sed eos senatores, qui magistratum curulem nondum ceperant, pedibus itavisse in curiam: propterea senatores nondum majoribus honoribus functos pedarios nominatos.* Zamosc. de Senat. Roman. I. 9. Prevot. de Magistr. Roman. c. 4. Panvin. in Fast. I. p. 44. Manut. de Senat. Roman. c. 6. Hotman. Antiq. Roman. II. 10. Christ. de Hostest. Discipl. XV. 7. Voss. Lex. Etymol. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 83. B. Rosin. Antiq. Roman. VII. 5. Non pedarios, sed pedaneos esse dicendos monet Gellius sup. in *Pedaneus.*

SENATUS fuit *senatorum*, & eorum, qui jus sententiæ haberent, conventus, coactus ab eo, cujus hoc potestati commissum erat, ad consilium capiendum de Republica more, & instituto majorum. Cicer. de Senect. c. 6. *Quæ si non essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent senatum.* Neque enim conventus quilibet *senatorum senatus* dicebatur. Unde Cicer. Fam. IV. I. *Atque ipse antea scripseram, te prius ita in senatum, sive potius in conventum senatorum esse venturum.* Liv. IV. 6. *Consules, cum per senatum intercedentibus tribunis nihil agi posset, consilia principum domi habebant.* Zamosc. de Senat. Rom. II. I. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 3. c. I. Illum primus instituit Romulus, Livius & Dionysius. V. illos supr. in *Senator.* In *senatum* venire licuit *senatoribus*, quod constat, e. c. ... Seneca duobus locis. V. illum supr. in *Senator.* Deinde magistratibus omnibus ad quæstorem usque. Plutarch. in Cat. min. p. 767. C. *Cato quasi r ... in senatum, quoties haberetur, semper ... , verens, ne quid per gratiam iis, qui ærario aliquid deberent, remitteretur, aut ex vectigalibus erogaretur. Tribunis plebis*, ut literis prodidit Val. Max. II. 2. 7. priscis temporibus *intrare curiam non licebat, ante valvas positis subselliis decreta patrum attentissima cura examinabant: ut si qua ex iis improbassent, rata esse non sinerent.* Addit Zonaras, post & in curiam, & ad *senatus* dignitatem admissos esse. Præfectus Urbi sententiæ dicendæ jus non habuit. Ita quidem Junius apud Gellium XIV. 8. *Præfectum Urbi Latinarum causa relictum, senatum habere posse Junius negat, quoniam ne senator quidem sit, neque jus habeat sententiæ dicendæ, quum ex ea ætate præfectus fiat, quæ non sit senatoria.* Præter hos omnibus, qui honores gesserant, aditus in curiam dabatur. Flaminum jus difficilem habuit quæstionem, de eoque magnis est contentionibus actum Fabio V. Flacco IV. coss. Liv. XXVII. 9. *Consensu famæ elatus ad justam sui fiduciam C. Flaccus flamen dialis rem intermissam per multos annos, ob indignitatem flaminum priorum repetivit, ut in senatum introiret. Ingressum eum curiam cum L. Licinius prætor inde eduxisset, tribunos plebis appellavit flamen. Vetustum jus sacerdotii repetebat, datum id cum toga prætexta, & sella curuli & flaminio. Prætor non exoletis vetustate annalium exemplis stare jus, sed recentissimæ cujusque consuetudinis usu volebat, nec patrum, nec avorum memoria dialem quemquam id jus usurpasse. Tribuni rem inertia flaminum obliteratam ipsis, non sacerdotio damno fuisse, cum æquum censuissent, ne ipso quidem contra tendente prætore, magno assensu patrum plebisque flaminem in senatum introduxerunt.* Pontifices, augures, & alii quovis sacerdotio præditi cives, nisi quem habuissent magistratum, aut a sacerdotibus lecti essent, non veniebant in *senatum.* Cicer. Attic. IV. 2. *Kal. Octob. habetur senatus frequens. adhibentur omnes pontifices, qui erant senatores.* Olim etiam *mos fuit senatoribus Romæ in curiam cum prætextatis filiis introire.* Sed ob intemperiem matris Papirii, & aliarum mulierum, quam denarrat ex M. Catone in oratione, qua usus est ad milites contra Galbam Gell. I. 23. factum est, *ut senatusconsultum fecerint, uti posthac pueri cum patribus in curiam ne introirent.* Zamosc. ibid. c. 2. Convocare nemo privatus potuit. Docet hoc Liv. III. 38. *Senatum in diem posterum indicunt, qui aliquando spe ipsorum frequentior convenit, quo facto proditam a patribus plebs libertatem rata, quod iis, qui jam magistratu abiissent, privatisque jus abesset, tanquam jure cogentibus, senatus paruisset.* Et, ubi de *senatu* a Cæsare, quem privatum facit, Lucan. III. 103.

—— Phœbea palatia complet
Turba patrum, nullo cogendi jure senatus,
E latebris educta suis.

Sed tantum magistratus, primis 244. annis Reges & Interreges. Nota est Servii querela apud Liv. I. 48. *Quid hoc*, inquit, *Tarquini rei est? qua tu audacia me vivo vocare ausus es patres?* Nisi quis suspicetur licuisse præfectis Urbi, penes quos summum imperium, cum Reges abessent, Romæ fuit. Pulsis Regibus, ut ex Varrone docet. Gell. XIV. 7. *more majorum senatum habebant Dictator, Consul, Prætores, Tribuni plebis, Interrex, Præfectus Urbi; neque alii præter hos, nisi extraordinario jure Tribuni militares, qui pro consulibus fuissent, item Decemviri, quibus imperium consulare tum esset, item IIIviri Reipublicæ constituendæ causa creati.* Et, quod a Varrone prætermissum miror, Magister equitum. Liv. VIII. 33. *Magister equitum clam ex castris Romam profugit: &, patre auctore M. Fabio, vocato extemplo senatu. . . . .* Qui *quoties usu venisset, ut omnes eodem tempore Romæ essent, tum quo supra ordine scripti erant, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum senatus cogendi jus fuit:* quod ex Varrone addit Gellius. Itaque non nisi absente consule prætor senatum habebat. Cicer. Fam. X. 12. *Placuit nobis, ut statim ad Cornutum prætorem urbanum literas deferremus, qui quod consules aberant, consulare munus sustinebat, more majorum. Senatus est continuo convocatus.* Consulum vero fere æqualis, & par plane potestas, facileque alter intercedere poterat, si eo invito collega aliquid ageret, effici, concludique posse ex eo videtur, *senatum* nunquam nisi utriusque consensu habitum. Appian. de Bell. civ. II. p. 433. *Patres vero, cum in domum Bibuli convenirent sæpius, ibique inter se consultarent: neque enim senatus haberi poterat sine voluntate & auctoritate utriusque consulis, nihil adversus vim Cæsaris proficiebant.* Collega vero non intercedente, & ab uno *senatum* cogi potuisse non uno loco in annalibus, & veterum monumentis notavi. Translato ad decemviros imperio, *unus ex iis cum fascibus, & imperio fuit, quoties res postularent, senatum convocavit, & regimen totius magistratus obtinuit.* Tribunos autem militares, si omnes adessent, eodemque modo & triumviros credibile est communi edicto patres citare solitos. Cæsar primo in Urbem adventu *senatum* per Curionem & Antonium tribunos plebis convocavit. Dio XLI. p. 160. C. Post dictatura decennalis, tribunitia potestas perpetua illi est tributa, & ad extremum usque vitæ magistratus prope continuos gessit, eorumque jure *senatum* convocavit. Augusto vero, teste Dion. LIV. p. 522. C. honos hic, in Marcelli, & Aruntii consulatu, decretus est novo modo, hoc est, ut, etiamsi nullum magistratum haberet, *senatum* cogere posset. Quo exemplo insequentes Imperatores id juris sibi usurparunt. *Zamosc ibid. c. 3. Manut. de Senat. Roman. c. 6. Prevot. de Magistr. Roman. c. 4. Ouzel. in Gellium. Panvin. Fast. I. p. 45.* Quo modo, & sub qua pœna fuerit convocatus V. supr. in *Senator.* Non habebatur nisi legitimo loco, qui non fuit privatus, nec omnis publicus, sed tantum templum. Gell. XIV. 7. *Varro Epist. Quæst. IV. docuit, & confirmavit, nisi in loco per augures constituto, quod templum appellaretur, SCtum factum esset, justum id non fuisse. Propterea & in curia Hostilia, & in Pompeja, & post in Julia, quum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta, ut in iis SCta more majorum justa fieri possent.* Unde Cicer. pro Mil. c. 33. *curiam templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici* appellat. Hinc Lamprid. Alex. Sev. c. 6. *Cum senatus frequens in curiam, hoc est, ædem Concordiæ, templumque inauguratum convenisset.* Maxime illæ etiam celebrantur annalium monumentis propter consilia ædes; Jovis Statoris,

ris, Jovis in Capitolio, Fidei, Tellaris, Vulcani, Virtutis, Apollinis, & Bellonæ. Si quis templi vim definiens diceret, genus ejus universam ædem alicujus dei esse diceret, næ ille in Latinorum consuetudine observanda haud plurimus fuisse videretur. Jam id patet ex eo, quod de atrio Vestæ dicitur. Et hoc amplius, quod campus etiam, modo sit per augures constitutus, templum est. Propterea bello Hannibalis Flaccus castra inter portam Esquilinam Collinamque cum posuisset, consules eo, ut inquit Livius, *senatusque* convenerunt, & ibi de Republica consultarunt. Propert. IV. I. 14.

Centum illi in prato sæpe senatus erat.

Præterea fuerunt quædam nullius dei religione obstricta templa, sed tanquam sedes ab universo populo uni senatorio concessæ ordini, ut curia Calabra, Curia Hostilia, & alia ad portam Capenam, item Pompeja, Julia, Octavia. Olim tria tantum fuerunt senacula, in quibus *senatus* cogebatur. V. supr. in *Senaculum.* Zamosc. ibid. c. 6. Manut. de Senat. Rom. c. 4. Hotman. de Senat. Rom. c. 4. Prevot. & Ouzel. l. l. Lege cautum fuit, ne diebus comitialibus haberetur. Cicer. Fratr. II. 2. *Consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat.* Nisi si rei magnitudo ferret, ut sine mora referendum ad senatum esset: tunc enim dierum comitialium ratio non habebatur. Hoc tamen semel factum esse legimus, ut in Scto, de quo Cœlius apud Cicer. Fam. VIII. 8. ait in Scto illo additum, *ut de provinciis consularibus per dies comitiales consules senatum haberent.* Manut. ibid. c. 5. Adjungo his & ipsi Cæs. de Bell. Civil. I. 5. *Quæ ex die consiliatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali, de imperio Cæsaris, & de amplissimis viris tribunis plebis gravissime in senatu, acerbissimeque decernitur.* Cicer. ad Fratr. II. 13. *Comitialibus diebus, qui sequuntur Quirinalia, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum.* Mihi tamen id dico non placere. Et ut non placeat, adducit me *senatoriæ* consuetudinis diligens in veterum libris observatio. Notavi in Ciceronis orationibus in Antonium dies, quibus est *senatus* habitus, XIII. Kal. Oct. IV. & VIII. Kal. Dec. XIII. Kal. Jan. & in Catil. I. XII. Kal. Novemb. tum in literis ad Lentulum XVI. Kal. Febr. & in Cælii ad Ciceronem XI. Kal. Sext. & apud Cæsarem VII. Id. Jan. & alios sexcentos, qui litera *C.* in antiquo marmore signantur. Deinde moveor dierum, quibus magistratus cum populo agendi potestatem habebant, multitudine. In illo enim lapide numero ad ducentos. Itaque existimo comitiales dies a Cicerone, Cælio, & Cæsare appellari, non quibus comitia haberi possent, sed quibus haberentur. Ita definit Festus dies comitiales, cum in comitio conveniebant. Ergo, verbi gratia, si indicta essent comitia ad III. Non. Mart. quo die legem ferre, aut magistratus creare licuit, non poterat ad eam diem, ut *senatus* adesset, consul edicere, ne *senatores* vel a petitione, vel suffragiis avocarentur. Ferebant enim suffragia etiam tributis comitiis. Varr. de Re rust. III. 2. *Comitiis ædilitiis, cum sole caldo, ego, & Q. Axius senator tribulis, suffragium tulissemus.* Verum, si non essent comitia die illo, quo haberi poterant, nihil vetabat, quo minus cives amplissimi *senatorio* munere fungerentur. Itaque, si res incidisset gravior, quæ *senatus* desideraret cognitionem, comitia ex Scto differebantur. Cicer. pro Mur. c. 25. *His rebus auditis, meministis fieri SCtum referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus.* Imo eodem die statim post comitia patres sæpe in curiam vocabantur. Liv. XXXVIII. 53. *Senatus deinde concilio plebis dimisso haberi est cœptus.* XXXIX 39. *Consul dimissis comitiis senatum vocavit: censuerunt frequentes ad populum cum Flacco agendum.* Hanc interpretationem admittunt loci laudati. Nam etsi comitia, aut concilium aliquod plebis statim post XVI. Kal. Febr. quo illa acta esse in senatu Cicero ad Fratrem narrat, de Rege Alexandrino ad Lentulum scribens, nullibi reperio: tamen ne id credam, nihil omnino intercedit. Ut vero in Cœlii epistola legimus, *senatus* decrevit Reipublicæ tempora flagitare, ut ex Kal. Mart. posthabitis omnibus aliis rebus, de provinciis consularibus referretur. Sed cum lex esset, *ut diebus comitialibus, si agere vellent magistratus cum populo, supersederetur a publico consilio*, ne hoc modo mora in aliquo afferretur, quo minus de provinciis consularibus patres consuli possent, adjectum est in Scto, extra ordinem comitialibus diebus *senatus* potius, & publici consilii, quam comitiorum rationem oportere haberi. Diebus duobus, quorum meminit Cæsar, cum populo actum nemo negabit, cum c. 3. reperiatur scriptum. *Completur urbs. Ad jus comitiorum tribunos plebis C. Curio evocat.* Sententiam legis Pupiæ, & tempus adhuc invenire non potui. Et hæc est causa difficultatis in illo Ciceronis loco. Explicatur ita a nonnullis: *Tulit Pupius, ne senatus a XVI. Kal. Febr. ad usque Kal. Febr. haberetur, ne nisi perfectis, aut rejectis legationibus aliis de rebus senatus haberetur.* Verum hoc de legationibus non lege Pupia, sed Gabinia sanctum fuit, ut intelligitur ex verbis Ciceronis supra allatis. Illa enim de lege Pupia. Sequitur de Gabinia. *Et quod,* inquit, *Gabinia sanctum sit, etiam cogi usque ad Kal. Mart. legatis senatum quotidie dari.* Et quamquam Fam. I. 4. non nominat legem Gabiniam, distincte tamen dixit: *Senatus haberi ante Kal. Febr. per legem Pupiam, id quod scis, non potest. Neque mense Febr. toto, nisi perfectis, aut rejectis legationibus* per legem Gabiniam scilicet. Cum vero dixerit, Appium interpretari se non facturum contra legem Pupiam, *si diebus comitialibus, qui sequuntur Quirinalia, senatum habeat*, manifestum est decipi eos, qui de extremo tantum Januario mense Pupium sanxisse credant. Quirinalia enim sacra, Festo, & marmore antiquo testibus, Februario mense, non Januario fiebant. Crederem lege hac cautum fuisse ut diebus comitialibus ratio haberetur comitiorum potius, quam patrum consilii, ac maxime, si aliquibus magistratibus civitas careret. Nam scribit Q. Fratri, Appium, consulem ex interregno creatum, detrudere comitia prætoria in mensem Martium conari. At Philippo, & Marcellino coss. quo anno illa ad Lentulum epistola est missa, comitia turbulenta Clodii ædilis mense Januario fuisse constat. Scivit autem post ædiles Lentulus, & quæstores, & alios non paucos magistratus minores, more, institutoque majorum creari debere. Atris, & religiosis diebus patres posse consuli, negat, ut quidam putat, Dio XLV. p. 278. B. his verbis: *A. Hirtio, C. Pansa coss. Kal. Jan. senatu convocato per dies perpetuos tres actitaverunt. Nam eo, quod impendebat, bello, prodigiisque plurimis, & admirabilibus perterriti, ne religiosis quidem diebus de iis rebus, quæ ad salutem, & incolumitatem pertinerent, consilia intermittebant.* Quæ religio non solum erat XV. Kal. Sext. verum postridie & Idus, & Nonas, & Kalendas omnes. An id verum esse possit, nescio. Cicer. Attic. I. 14. *Perfectum a nobis est, ut frequentissimo senatu, & libentissimo uteremur, multaque a me de ordinum dignitate, & concordia dicta sunt Kal. Dec. & postridie.* Et IV. 2. cum scripsisset *senatum* Kal. Oct. fuisse frequentem, paucis interjectis adjicit hæc: *Postridie SCtum factum est, quod ad te misi.* Q. demum Fratri nuntiat II. quod Idibus Maji & postridie fuerat dictum, de agro Campano in *senatu* actum iri, non esse actum. Festi dies licet *senatui* habendo essent legitimi, tamen non ita sæpe iis supremum consilium initum. Cicer. Frat. II. 1. *Senatus fuit frequentior, quam putabamus esse posse mense Decembri, sub dies festos.* Idus vero, Nonas, Kalendas sollennes *senatus* dies fuisse puto, quod sæpe in annalibus nominentur, maxime autem insignes Kal. Jan. & antea Id. Mart. atque alios quosvis, quibus consules ex instituto morum magistratum inibant. Itaque Liv. XXVI. refert M. Marcellum, cum Id. Mart. consulatum iniisset, *senatum* eo die moris tantum causa habuisse, professum nihil se absente collega, neque de Republica, neque de provinciis acturum. Et pompam illam describens canit Ovid. de Pont. IV. 4. 35.

Curia te excipiet, patresque ex more vocati
Intendent aures ad tua verba suas.

Zamoſc. ibid. c. 7. Ouzel. in Gell. xiv. 7. Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 2. Ad tempus quoque ſpectat, quanquam ſæpe ad ſolis occaſum *ſenatus* retineretur, non tamen poſt ejus occaſum retineri potuiſſe. Gell. xiv. 5. *Hæc deinceps dicit* Varro, *SCtum ante exortum, aut poſt occaſum ſolem factum ratum non fuiſſe.* Poſt horam decimam nihil novi referri potuiſſe docet Senec. de Tranq. c. 14. *Majores*, inquit, *noſtri novam relationem poſt horam decimam fieri vetabant.* Hinc eſt, quod Cicer. Phil. iii. 10. Antonio conſuli objicit de SCto veſpertino hiſce verbis: *Quam miſera fuga? quam fœda, quam turpis? Præclara tamen SCta illa ipſa die veſpertina.* Zamoſc. Pævot. Manut. Ouzel. l. l. Neque hic obſtat, quod legamus apud Dionyſ. ix. p. 620. an. 290. SCtum noctu factum eſſe. Illud enim non ex conſuetudine, ſed ex neceſſitate fuit, quia res tum urgebat, & procraſtinandi locus non erat, cum per equites literis nuntiatum eſſet Sp. Furium conſulem cum exercitu ab Æquis, & Volſcis obſideri. Quibus circa mediam noctem acceptis, collega Poſtumius patres per aliquot præcones domibus excitos in curiam convocavit: factumque eſt SCtum antequam clara illuxiſſet dies, T. Quintium ter conſulatu functum cum robore peditum equitumque proconſulari poteſtate ornatum recta in hoſtem pergere: alterum conſulem A. Poſtumium contractis cæteris copiis, quæ tam cito cogi non poterant, cum primum fieri poſſet, illum ſubſequi. *Ouzel. l. l.* Magiſtratus, qui *ſenatum* habiturus eſſet, immolabat hoſtiam, & auſpicabatur, teſte Varrone. Quod etiam in hanc ferme ſententiam ſcriptum eſt ab Appian. de Bell. civ. ii. p. 501. *Eſt mos magiſtratibus in curiam ingreſſuris prius uti aruſpicina, ac rurſum in Cæſaris victima cor, vel, ut alii dicunt, caput extorum non eſt inventum.* Ultimis temporibus, cum in Rempublicam invaſiſſet, Auguſtus decrevit, ut & *ſenatores* thure, ac mero ſupplicarent illi deo, in cujus templo *ſenatus* habebatur. Dio liv. p. 541. E. Auguſtus *juſſit, ut ſenatores, quoties in curiam convenire vellent, ſuffitum adolerent, partim ut ſe religioſe gererent, partim ut ſignum conveniendi daretur.* Suet. Aug. c. 35. n. 4. *Quo lecti, probatique, & religioſius, & minore moleſtia ſenatoria munera fungerentur, ſanxit, ut prius quam conſideret quisque, thure, ac mero ſupplicaret apud aram ejus dei, in cujus templo coiretur.* Referebatur in *ſenatu*, primum de divinis rebus, ſecundo loco de humanis. Referebat autem is, qui *ſenatum* habebat, ſive is eſſet conſul, ſive alius magiſtratus. Habebat autem *ſenatum* primo magiſtratus menſe, id eſt, Januario, e duobus conſulibus is, qui priori loco creatus erat conſul. Ejus enim faſces erant primo menſe. Itaque Liv. ix. 7. *Valerius Corvinus Interrex conſules creavit Q. Publilium Philonem & Papirium Curſorem iterum: qui cum eo die, quo creati ſunt, magiſtratum iniiſſent, ſollennibusque ſanctis perfectis, de pace Caudina retuliſſent. Publilius, penes quem faſces erant, dic Spuri Poſtumi, inquit.* Ergo & *ſenatum* habebat primo menſe, & referebat, & ſententias rogabat is conſul, cujus eo menſe faſces erant: quod ſi, qui *ſenatum* habebat, is referre nollet, quod ſæpe uſu venit, tum tribuni plebis referebant, &, cum retuliſſent, etiam ſententias rogabant. Cicer. pro Sext. c. 32. *Princeps P. Lentulus, conſul deſignatus, auctoritate & ſententia ſua, conſulibus Piſone & Gabinio repugnantibus cauſam ſuſcepit, tribunisque plebis octo de me referentibus, præſtantiſſimam de me ſententiam dixit.* Et Fam. x. 16. *Flagitare ſenatus inſtitit Cornutum, ut referret ſtatim de tuis literis*, erat autem hic prætor, & abſentibus conſulibus ſenatum convocaverat. *Ille ſe conſiderare ait velle: cum ei magnum convicium fieret cuncto a ſenatu, quinque tribuni plebis retulerunt.* Patet etiam hoc ex Cicer. Fam. i. 2. in qua etiam illud cognoſcitur: ſi quando de eadem re & conſul, & tribunus plebis retuliſſent, moris fuiſſe, ut ante tribunum plebis diſceſſionem conſul faceret, id eſt, de eo quod retuliſſet, per diſceſſionem ſenatorum judicium fieri juberet: non enim, etſi de eadem re, tamen idem referebant; ſatis enim unius relatio fuiſſet, ſi in utriusque relatione nihil eſſet, quod differret: ſed referebant de eadem re non eodem modo; ut in ea epiſtola manifeſtum eſt, Lupum tribunum plebis retuliſſe, ut Pompejus Ptolemæum in regnum reduceret, cum conſules retuliſſent, utrum reducendus eſſet, & ſi reducendus eſſet, a quo. De rebus diverſis diverſos magiſtratus eodem die retuliſſe legimus Phil. vii. 1. Sic enim in ea ſcriptum eſt. *De Appia via, & de Moneta conſul, de Lupercis tribunus plebis refert.* Notandum & illud: cum de utroque conſule referente, aut de tribunis plebis, aut prætoribus pluribus legitur, non revera omnes retuliſſe, ſed referendi partes unum ſuſtinuiſſe, reliquos collegæ relationem comprobaſſe. Itaque Phil. iii. tribunos plebis ait de præſidio conſulum, & ſenatus retuliſſe: in iv. 6. vero, de eadem relatione verba faciens: *Hodierno*, inquit, *die primum referente Marco hoc Servilio, collegisque ejus, ad ſpem libertatis exarſimus.* Unum Servilium populo nominat, principem relationis: cum in tertia, quam habuit in ſenatu, bis de tribunis plebis referentibus communiter meminerit. *Manut. de Senat. Rom. c. 7. Bud. in Pandect. p. 22. B. Zamoſc. de Senat. Rom.* ii. 9. Ad *ſenatum* referebant, non ſolum ii, qui habebant *ſenatum*, verum & alii magiſtratus. Cicer. Phil. vii. 1. *Parvis de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulimur patres conſcripti de via Appia, & de Moneta, conſul, de Lupercis tribunus plebis refert.* Pro Seſt. c. 12. L. Mummium tribunum plebis conſule Gabinio nolente, tempore ſuo graviſſimo, ad *ſenatum* retuliſſe, cumque ſenatus frequens pro ſalute ipſius mutandam veſtem cenſuiſſet, Gabinium exanimatum evolaſſe ex *ſenatu* dicit. Plutarchus ita narrat de Antonio tribuno plebis: *Cum Cæſaris literas recitari in ſenatu Pompejani non ſinerent, ipſe (nam magiſtratus jure poterat) eas recitavit.* Quanquam enim literas privatim miſſas, ſi id ad Reipublicæ commodum pertineret, privatis licuit in *ſenatu* recitare; illas tamen, quæ publice mittebantur, nemo, niſi qui referendi poteſtatem haberet, potuit. Conceſſum itaque fuit tribunis plebis ad illorum relationem aliquid addere, & de eo, quod in rem videretur, patres conſulere. Prætores etiam ad *ſenatum* referebant, quando major poteſtas non vetabat. Liv. xlii. 22. *Cajus Licinius prætor conſuluit ſenatum, quem quærere ex rogatione vellent. Patres ipſum eum quærere juſſerunt. Tum demum in provinciam conſules profecti ſunt.* Cicero in orat. pro leg. Man. quam ſuaſit prætor c. 19. *De quo legando ſpero conſules ad ſenatum relaturos: qui ſi dubitabunt, aut gravabuntur, ego me profiteor relaturum.* Unde & ſanxit de Leg. iii. 4. *Cum populo, patribusque agendi jus eſto prætori.* Et magiſtri equitum, ut ſcribit Cicer. l. l. Nec non cenſores. Liv. xxxviii. 28. *Cenſores Flamininus & Marcellus, Campani ubi cenſerentur, ſenatum conſuluerunt, decretumque uti Romæ cenſerentur.* Zamoſc. & Manut. l. l. Poteſtas, quia non una perpetuo, ſed varia, ac multum inter ſe diverſa Reipublicæ Romanæ forma extitit, non fuit eadem. Romulus *ſenatus* hoc juris, & honoris tribuit, ut literis prodidit Dionyſ. ii. p. 87. ut quibus de rebus ipſe, vel cæteri retuliſſent Reges, de iis *ſenatus* cognoſceret, & ſententias diceret, ac quod videretur pluribus, id ratum eſſet. Hinc de Tarquinio Superbo Liv. i. 49. *Hic Regum primus traditum a patribus morem de omnibus ſenatum conſulendi ſolvit: domeſticis conſiliis Rempublicam adminiſtravit: bellum, pacem, fœdera, ſocietates per ſe ipſe, cum quibus voluit, injuſſu populi, ac ſenatus fecit.* Ac etſi populo legum jubendarum, magiſtratuum creandorum, & belli, pacisque decernendæ a Romulo permiſſa poteſtas eſſet, neceſſarium tamen fuit, ut populi juſſum ſenatus judicium, & auctoritas confirmaret. Dionyſ. l. l. *Plebi tria hæc commiſit, magiſtratus creare, leges ſancire, de bello, ſi Rex permiſiſſet, decernere: non tamen abſolutam in his populo eſſe poteſtatem voluit, niſi & ſenatus in iisdem acceſſiſſet auctoritas.* Liv. i. 17. *Decreverunt, ut cum populus Regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres auctores fierent.* Idem ſtatus, eademque temperatio civitatis prope erat liberata Republica regio dominatu. Sed poſtquam patricii, ex quibus *ſenatus* conſtabat, in plebem ſævire cœperunt, Aventinum ſacrum montem multitudo armata inſedit, tribunos ſibi creavit, qui auctoritatem ſenatus oppugna-

pugnabant; eamque diminuendo potentiam suam augebant: & procedente tempore non solum omne jus *senatus* fregerunt, ac debilitarunt. Ab eo igitur tempore, quo *senatus* non omnia solus potuit, mansit tamen penes illum I. cura ærarii. Polyb. vi. 11. *Senatus totius ærarii fuit dominus: vectigalia omnia in ejus fuerunt potestate, & ejusdem arbitratu omnes fiebant impensæ; nec quæstores sine auctoritate senatus præter ea, quæ consules jussissent, vel minimum in rem ullam facere poterant: gravissimæ impensæ, quam censores in quinquennales lustri apparatus in farta tecta locorum publicorum faciunt, præsunt, & a senatu auctoritas illa, & facultas censoribus conceditur, & permitti solebat.* Et ita Cicer. in Vatin. c. 15. *Ærarii dispensationem penes senatum semper ita fuisse, ut nunquam a populo sit appetita.* Unde rogatio apud Liv. xxxviii. 54. V. illum supr. in *Quæstores parricidii*. Et publicam calamitate, & infortunio pressi ad *senatum* semper confugerunt. Cicer. Attic. i. 17. *Asiani, qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, ac, ut induceretur locatio, postularunt.* II. Cognitio criminum publicorum Italiæ. Polyb. l. l. *Maleficia, ac crimina per Italiam commissa, de quibus publicum judicium constitui oportebat, ut proditionis, conjurationis, veneficii, cædis, atque insidiarum, ad senatum sunt relata: hoc amplius, si quis privatus, aut urbs aliquid controversiæ dirimendum haberet, aut objurgatione dignum faceret, cui committeret, si alicui auxilium ferendum esset.* Hoc ex nullo alio scriptore potui reperire. Hoc memini historiarum monumentis proditum ab Appian. de Bell. civ. i. p. 363. lege judiciaria accepta C. Gracchum dixisse, *se penitus nervos senatoria ordinis incidisse*, idque vere ab eo usurpatum rem ipsam postea comprobasse. Nam cum equitibus potestatem permisisset, ut de civibus Italicis, & senatoribus ipsis judicarent, ac multam, exsilium, ignominiam irrogarent; eos quasi constituisse dominos, *senatum* vero illis subjecisse visus est. Quare videndum est, utrum hoc potius ad ordinem amplissimum, quam ad senatus consilium sit referendum. *Zamosc. l. l.* III. Legati ad exteras nationes mittendi. Polyb. l. l. *Extra Italiam si ad aliquos legatio erat mittenda, aut ad aliquid decidendum, aut ad fœdus faciendum, aut ad cohortandum, aut ad imperandum, aut ad res repetendas, & ad bellum indicendum.* Cicer. in Vatin. c. 15. V. illum supr. in *Legatus*. IV. Legationes excipiendæ, & audiendæ. Si quando Reges, aut legati venire nuntiarentur, primo quid vellent, ab exploratoribus cognoscebatur, postea ad eos egrediebantur magistratus minores. Nominatim quæstoribus munus hoc defert Liv. xlv. 13. *Masgabæ Regis Massanissæ filio Puteolis navem egresso præsto fuit L. Manlius quæstor.* Quod si essent legati hostium, in Urbem non admittebantur, sed iis & hospitium, & *senatus* extra Urbem dabatur. V. supr. in *Legati hostium*. Sociorum vero, & amicorum Regum, aut populorum non excludebantur; sed introducebantur. V. supr. in *Legati exterarum gentium*. V. Provinciæ decernendæ. V. supr. in *Præsides, Proconsules, Provincia*. VI. Supplicatio, Imperatoris appellatio, Triumphus decernenda. V. singula suis locis. VII. Leges, quarum centuriatarum, ante suffragium initum, patres auctores fiebant. Hanc legem Philo dictator tulit, ut diminueret, non ut augeret supremi ordinis potestatem. Liv. viii. 12. V. illum supr. in *Lex Publilia*. Quo loco indicare videtur Livius, tum primum antiquum jus *senatus* confirmandarum, vel repudiandarum legum solutum. Quanquam si verba Dionysii tum ix. p. 598. ubi de comitiis tributis loquitur, tum aliis locis plurimis attendas, hunc morem ante Philonis dictaturam statues. *Nihil*, inquit, *centuriatis comitiis ferebatur, nisi prius senatus auctor esset; tributis vero institutis, inter alia extorserunt tribuni plebis, ut deinceps cum populo sine senatus auctoritate*, quod ille προβούλευμα vocat, *agere possent.* Constat itaque in legibus tributis *senatus* cognitionem, & auctoritatem haud fuisse necessariam. Habuit quidem civitas Romana quosdam tribunos viros moderatos, qui ex Sᶜto tulerint, neque potestate tuendæ libertatis causa data ad licentiam pestilentem abusi sint. Liv. iv. 49. *Tentatum a L. Sextio tribuno plebis, ut rogationem ferret, qua Volas coloni mitterentur; per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus, passuros se perferri ostenderunt, discussum est.* In curiatis autem legibus *senatus* auctoritas requirebatur. Liv. vi. 41. *Nec centuriatis, nec curiatis comitiis patres auctores fiant.* Invenio in Appian. de Bell. civ. i. p. 386. Publilium hanc legem, temporibus illis, quibus sibi tantum licentiæ furens plebejorum magistratuum petulantia sumpserat, non observatam. Appianus loquitur de Sylla, & Pompejo coss. *Primum vetus institutum Reipublicæ, sed quod jam dudum in desuetudinem abierat, renovabant, atque censebant, nihil posthac ad populum oportere ferri, quod ante a senatu decretum non esset. Deinde postulabant, ut comitia centuriata, ex commentariis Servii, non tributa haberentur: arbitrabantur enim his duabus rationibus, & si patres ante auctores fierent, & suffragia pauperibus, atque in iis audacissimo cuique adimerentur, rebus a vi ad consilium revolutis, defore seditionum materiam.* VIII. Jus totam Rempublicam gravi tempore permittendi consulibus, ut delectum haberent, bellum gererent, de sociorum, civiumque vita sine populi jussu statuerent. Hoc vero est clarum, & testimoniis omnium notum. IX. Religio. Tertull. Apolog. c. 5. *Vetus erat decretum, ne qui deus ab Imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus, ut M. Aimilius de deo suo Alburno.* Nunquam carmen Sibyllinum, nisi *senatus* decrevisset, evulgabatur. Dio xxxix. p. 118. D. *Decretum est, ut Sibyllina carmina pronuntiarentur.* Adhæc maxima pars juris divini amplissimi ordinis fidei, potestati, voluntati permissa erat. Hinc in *senatus* disciplina cautum fuisse ex Varronis scriptis, apud Gell. xiv. 7. & multis exemplis antiquis cognovimus, *ne prius de rebus humanis, quam de religione, ad senatum referretur.* Si vero, quæ *senatus* cognosceret, animo complecti voluerimus omnia, curiam interpretem legum, religionum, & ceremoniarum præsidem, magistratuum custodem, civitatis magistram; gentium aram, atque perfugium fuisse inveniemus; ab hac socii ornamenta expectabant, hujus vigilantia, & prudentia Urbem, imperium, populumque vacuum metu reddebat: denique summum consilium omnia statuebat, præter illud, quod *populi judicium*, ut docet Liv. iv. 7. & eas rogationes, quas populus accepisset, nunquam rescinderet, nisi illis quattuor modis jam ab aliis ante nos explicatis, & quod de civibus injussu populi nihil agere posset, auctore Liv. xxvi. Præterea antiquo jure nemo legibus, nisi per populum, solvebatur. Sed postea etiam *senatus* id sibi usurpavit, quemadmodum testatur Ascon. in Cicer. p. 122. Cornelius *promulgavit legem, qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis, nisi per populum, legibus solveretur: quod antiquo quoque jure erat cautum. Itaque in omnibus Sᶜtis, quibus tum aliquem legibus solvi placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paullatim erat ferri desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in Sᶜto de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa Sᶜta per pauculos admodum fiebant.* Non tamen magistratus creavit, non leges jussit, nec de bello, aut pace statuit; etsi de iis rebus sæpe consultaret. Excipio item a *senatus* cognitione jurisdictionem, & illa, quibus magistratus, & sacerdotes publici præerant. *Zamosc. ibid. c.* 15.... 21. *Hotoman. ibid. c.* 2. Dimittebatur in hæc verba: *P. C. nemo vos tenet.* Cicer. Frat. ii. 1. *Tum ille se negavit senatum tenere.* Aut in hæc: *Nihil vos moror P. C.* Capitol. Anton. Philos. c. 10. V. illum supr. in *Comitia*. Zamosc. ibid. c. 11. Brisson. de Form. ii. p. 191. Aut in hæc: *Si vobis videbitur, discedite Quirites.* Liv. ii. 56. *Consul Appius negare, jus esse tribuno in quemquam, nisi in plebejum. Non enim populi, sed plebis eum magistratum esse: nec illum ipsum pro imperio submovere posse more majorum: quia ita dicatur; si vobis videtur, discedite Quirites.* Cicer. Catil. iii. 12. *Vos, Quirites, quoniam jam nox est, veneramini illum Jovem, custodem hujus urbis, ac vestrum: atque in tecta vestra discedite.* Brisson. l. l. Potestas tamen par, aut major retinere potuit. Nam cum dixisset Lupus tribunus ple-

bis

bis ſe non tenere ſenatum, *ſurrexit*, ut narrat Cicer. l. l. *Racilius* collega ejus, *& de judiciis referre cœpit.* Quod qua ratione factum eſſet non video, niſi Racilio retinere ſenatum pro poteſtate tribunicia, dimittente Lupo, licuiſſet. *Zamoſc. l. l.* In Republica ſummus hic ordo promiſcue cunctis, vel patricia, vel plebeja familia natis datus eſt: nobileſque ſimul omnes, ſive patricii, ſive plebeji generis, modo ſenatorii eſſent ordinis, appellati. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. 1. p. 4. F.* Hoc ego pernego. *Senatoria* dignitas non nobilitabat apud Romanos, ſed jus prodendi imaginem. Jus vero hoc non habebant ſenatores, ſed ii ſoli, qui curulem geſſerant magiſtratum. Ideoque qui primi ex ſua familia ad has dignitates tollebantur a turba mobilium quiritium, dicebantur homines novi, ut Cicero, non qui *ſenatores* tantum erant, & altius adſcendere non poterant. Unde Cicer. Verr. v. 14. ſe ædilem deſignatum adeptum eſſe *antiquiorem in ſenatu ſententiæ dicendæ locum, ſellam curulem, jus imaginis ad memoriam, poſteritatemque prodendæ.* Mentionem quidem *imaginum ſenatoriarum* facit Suet. Aug. c. 4. n. 3. *Balbus paterna ſtirpe Aricinus multis in familia ſenatoriis imaginibus.* Sed non proprie hac voce ibi uſus eſt, ſed quadam abuſione vocis, & ἀκυρολογίᾳ, qua nihil aliud ſignificavit, quam multos illum habuiſſe in ſua familia *ſenatores*, nullos vero ædiles curules, aut prætores, aut conſules. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom. 1. Præfat.* * * * 2. *Tigrell. de Stat. Roman. c. 11. Pitiſc. in Suetonium.* Ratio in *ſenatu* aſſentiendi, voce aut ſigno: ſigno dupliciter, pedibus aut manu. Pedum uſus in diſceſſione. V. ſupr. in *Diſceſſio.* Manus etiam in ſeſſione, aut ſtatione, cum ea porrecta ſignificarent talem ſententiam ſe approbare. Vopiſc. Aurel. c. 20. *Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in ſententiam euntibus, plerisque verbo conſentientibus conditum eſt ſenatuſconſultum.* Senec. Epiſt. 8. *Non videor tibi plus prodeſſe, quam ſi in ſenatu candidato vocem & manum commodarem?* Tacit. Hiſtor. IV. 4. 4. *Cæteri vultu manuque aſſentiebantur.* Hanc notam ad exercitum transfert Iſidor. 1. *Mos eſt militaris, ut quoties conſentiat exercitus, quia voce non poteſt, manu promittat.* Lipſ. in Tacit. n. 7. *Senatus* princeps quis fuerit V. ſupr. in *Princeps.*

Senatus edictus, vel indictus erat, qui ob negotia incidentia repente indicebatur. Suet. Jul. c. 80. n. 7. *Poſtquam ſenatus Idibus Martiis in Pompeji curiam edictus eſt, facinori tempus, & locum prætulerunt.* Σύγκλητος dicebatur Athenienſibus. Suidas: *Si repente nova de cauſa fieret eccleſia, illa vocabatur convocata concio.* Bud. in Pandect. p. 56. H. Lambec. in Kalendar. vet. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 104. E. Hotoman. de Senat. c. 5. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 4. Pitiſc. in Suetonium. V. & ſupr. in *Senator.*

Senatus legitimus vocabatur, qui vel lege, vel more certis ſemper diebus habebatur. Suet. Aug. c. 35. n. 4. *Sanxit, ne plus quam bis in menſe legitimus ſenatus ageretur, Kalendis & Idibus.* Spartian. Adrian. c. 8. *Senatui legitimo, quum in Urbe, vel juxta Urbem eſſet, ſemper interfuit.* Capitol. Gordian. c. 11. *Non legitimo, ſed indicto ſenatus die coſ. jam domi conventus cum prætoribus, ædilibus, & tribunis plebis venit in curiam.* Legitimi *ſenatus* multa mentio eſt in veteri Kalendario Romano, quod ſub Conſtantio, Conſtantini M. filio editum videtur, circa annum Chriſti vulgarem 354. Fixi dies, quibus ea, qua id ſcriptum eſt, ætate *ſenatus legitimus* ageretur, fuerunt hi.

JANUARIUS

Kal. Januar.

SENATUS. LEGITIMUS.

v. Id.

SENATUS. LEGITIMUS.

x. Kal. Febr.

SENATUS. LEGITIMUS.

FEBRUARIUS

III. Non.

SENATUS. LEGITIMUS.

Idib.

SENATUS. LEGITIMUS.

Decrant in MSC quatuor menſes, Martius, Aprilis, Majus, Junius. Reliquorum legitimi *ſenatus* dies iſti ſunt:

JULIUS

Kal. Jul.

SENATUS. LEGITIMUS.

XVI. Kal. Aug.

LUDI. SENAT. LEGIT.

AUGUSTUS

III. Non.

SENATUS. LEGITIMUS.

XVIII. Kal. Sept.

SENATUS. LEGITIMUS.

SEPTEMBER

Kal. Sept.

SENATUS. LEGITIMUS.

Idib.

LUDI. SENATUS. LEGITIMUS.

OCTOBER

v. Non.

SEN. LEGIT. DIES. ÆGYPT.

NOVEMBER

Pr. Idus.

SENATUS. LEGITIMUS.

DECEMBER

III. Non.

SENATUS. LEGITIMUS.

Idib.

SENATUS. LEGITIMUS.

Boxhorn. & Caſaub. in Suetonium. Lambec. in Kalendar. vet. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. *p. 104. D. Bud. in Pandect. p. 56. H. Hotoman. de Senat. c. 5. Prevot. de Magiſtr. Roman. c. 4. Panvin. Faſt. 1. p. 45.* Hæc *ſenatus* diſtinctio non videtur antiqua. Primus enim Auguſtus inſtituit, teſte Dion. LV. p. 549. E. *Auguſtus porro edixit, ut certis diebus ſenatus ageretur: de quibus quum antehac nihil eſſet definitum, ideoque multi abeſſent, ſingulis menſibus dies certos habendi ſenatus conſtituit, ad quos neceſſario omnes ii, quos leges in ſenatum venire jubent, adeſſent.* Et de hoc Auguſti decreto Suet. l. l. Quo loco legitimum *ſenatum* admoneo opponi non indicto, ſed Octobris, Septembriſque menſis *ſenatui*, & *ſemeſtri ſenatulo.* Pergit enim Suetonius: *Neve Septembri, Octobrive menſe ullos adeſſe alios neceſſe eſſet, quam ſorte ductos, per quorum numerum decreta confici poſſent: ſibi inſtituit conſilia ſortiri ſemeſtria, cum quibus de negotiis ad frequentem ſenatum referendis ante tractaret.* Hæc enim conſilia nova erant, nullis legibus, nullo exemplo majorum introducta. *Zamoſc. de Senat. Rom.* II. 7.

Senatus Conſtantinopolitanus plerumque ſedebat in eo loco, qui *Septimus* vocabatur. Niceph. Calliſt. Hiſt. Eccleſ. XIV. 58. *Poſtquam ille*, Martianus, *quod Auguſta* Pulcheria Theodoſii ſoror, *volebat, peregit, patriarcha Antitolio, & univerſo ſenatu convocatis ad Septimum, ſtatim eum Imperatorem creavit.* Unde plura in *Septimi* conſiſtorio jura recitata dicuntur, ut l. pen. C. de ſacroſanct. eccleſ. l. 19. C. de jur. delict. l. ſancimus. C. de donat. l. 30. C. de fideicom. Sed vitio librariorum pro *ſeptimi* ſæpe *ſepties* eſt ſcriptum. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 25.*

SENATUSCONSULTUM *a decreto ſenatus Ælius Gallus ſic diſtinguit, ut id dicat particulam eſſe quandam ſenatuſconſulti, ut cum provincia alicui decernitur, quod tamen ipſum ſenatuſconſulti eſt.* Feſtus. Ego exiſtimo equidem

in

in uno *ſenatuſconſulto* multa interdum fuiſſe capita, & unumquodque caput decreti nomine appellatum, neque ſolum decreti, ſed etiam conſulti: ut in illo *ſenatuſconſulto*, de quo Cœlius apud Cicer. Fam. VIII. 8. Sed hanc tamen diſtinctionem in hiſtoriis, aut omnino in ullo libro nondum obſervavi: neminem enim video ita locutum, ut diceret, *in illo ſenatuſconſulti decreto.* Quin pro ipſo *ſenatuſconſulto* decretum ſæpiſſime uſurpatum invenio. Neque ratio repugnat. Nihil enim eſt aliud *ſenatuſconſultum*, niſi id, quod ſenatus decernit. Itaque & decretum, & *ſenatuſconſultum* de eadem re vocat Cicer. pro Sext. *Quis*, inquit, *unquam conſul ſenatum ipſius decretis parere prohibuit?* in Piſon. c. 8. *Omitto illud, conſulem edicere, ut ſenatus ſenatuſconſulto ne obtemperet.* Eſt tamen hæc differentia: quod, etſi pro *ſenatuſconſulto*, non tamen pro quovis *ſenatuſconſulto* ponitur decretum; ſed pro eo tantum, quod aut unius hominis cauſa factum ſit: aut, ſi ad plures pertineat, minime tamen ad univerſam rempublicam ſpectet: &, ut *ſenatuſconſultum* ſæpius de communi, quam de re privata dicitur; ſic decretum ſæpius de re privata, quam de communi, vel potius de communi nunquam, ſemper de privata. Nunquam enim invenias, *ſenatus* decretum de ambitu factum eſſe, aut de judiciis, aut de creditis pecuniis, quæ generatim ad omnes pertinent, ſed *ſenatuſconſultum*: decretum autem vel de uno tantum dici videas. Cicer. poſt red. in ſen. c. 1. *Immenſum quiddam eſt, atque infinitum, quod huic ordini debemus, a quo ſæpe magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati.* Vel de duobus. Suet. Jul. c. 16. n. 1. *Metellus tribunus plebis, & prætor Cæſar adminiſtratione Reipublicæ ſubmovenitur.* Vel ita de pluribus, ut particulare ſit, ut de Buthrotia civitate Cicer. Attic. XVI. 18. *Decreta conſulum de Cæſaris actis.* Erant enim Cæſaris acta beneficia aut in hunc, & illum hominem collata, aut in hanc, & illam civitatem. Et ibidem paullo poſt: *Decretum conſules ſecundum Buthrotios fecerunt.* Fiebat utrumque per diſceſſionem ſenatorum: & quod pluribus viſum fuerat, id aut *ſenatuſconſultum*, aut decretum dicebatur, diverſo nomine, non quod diverſe fierent, ſed quod diverſa res eſſet, cujus cauſa fieret, cum *ſenatuſconſultum* modo de publica, modo etiam de privata, decretum de publica nunquam, ſed de privata ſemper fieret. Differunt etiam in hoc, quod, quemadmodum *ſenatuſconſultum*, ſi res, de qua fit, ſpectatur, latius eſt quam decretum, ſic ſi a quibus fiat, conſideratur, anguſtius quodammodo videtur quam decretum. Fit enim a *ſenatu* tantum *ſenatuſconſultum*: at decretum & a ſenatu, & ab alio ordine, neque ſolum a paucis, ſed etiam ab uno: a ſenatu, ut patet ex orat. poſt red. in ſen. laudata: ab alio ordine, ut apud Cicer. Attic. IX. 18. *Cæſar volet augurum decretum facere.* pro Sext. Roſc. c. 9. *Decurionum decretum fit, ut decem primi ad Syllam proficiſcantur.* *Pontificum decreta* ſæpe legimus: ab uno. Cicer. Phil. I. 1. *Ne qua tabula poſt Idus Martias ullius decreti Cæſaris, aut beneficii figeretur.* *Decretum prætoris* millies invenimus. Et apud Ictos: *Imperatoris decretum*, *Principis decretum*, *judicis decretum.* A *ſenatus* auctoritate quomodo differat, paullo poſt dicetur. *Manut. de Senat. Rom. c.* 10. Unum ſub Romulo, quo, quia *ſenatus* ab illo eſt inſtitutus, regnante multa facta fuerint, ſed quorum exempla deſideramus, ponit Dionyſ. II. p. 110. quod factum eſt in hanc ſententiam, ut Sabinæ mulieres ad gentiles ſuos, Urbem obſidentes, reconciliationis cauſa proficiſcerentur. Poſt Romuli obitum primum fuit de creandis Interregibus: alterum, quo patres decreverunt, ut, cum populus Regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres auctores fierent: tertium, quo regnum Numæ Pompilio patres detulerunt. Alia deinde, ut res tulit. Fiebat hoc modo. Conſul, aut is, qui cum inſignibus imperii, & lictoribus erat, convocato *ſenatu*, cum, qua de cauſa convocaſſet, retuliſſet, ſententias rogabat: dictis ſententiis eam, quam ipſe magis e Republica ducebat, primam pronuntiabat: tum, ut ſenatus judicaret, his verbis utebatur: *Qui hoc ſentitis, illuc tranſite, qui alia omnia, in hanc partem.* V. ſupr. in *Alia omnia.* Quæ verba cum pronuntiaſſet, & in alterutram partem primus diſceſſionem feciſſet, ipſi deinde, quam quiſque partem probabat, in eam tranſibant: deinde numerabantur, & ex numero voluntas *ſenatus* apparebat. Si frequentiores *ſenatores* ſententiam a conſule pronuntiatam comprobaſſent, in eam *ſenatuſconſultum* ſcribebatur: ſin minus, aut abjiciebatur omnino res, aut in aliud tempus rejiciebatur. Sæpe enim accidit, ut quod frequenti *ſenatu* rejectum fuerat, atque improbatum, id interjecto tempore ſuſceptum comprobaretur. Interdum etiam, non rogatis, neque dictis ſententiis, tantummodo per diſceſſionem fiebat: tumque ſenatores pedibus ferre ſententiam dicebantur. V. ſupr. in *Pes.* Et appellabatur *ſenatuſconſultum per diſceſſionem.* V. ſupr. in *Diſceſſio.* Illud autem, quod fiebat auditis, diſputatiſque *ſenatorum* ſententiis, etſi & ipſum diſceſſione *ſenatorum* fiebat, tamen ſimpliciter *ſenatuſconſultum* dicebatur. Gell. XIV. 7. recitat Baſſi verba, quæ id, de quo nunc agimus, ſatis aperte declarant: *pedibus*, inquit, *ſenatores omnes ſententiam ferebant, cum ſenatuſconſultum per diſceſſionem fiebat:* cum ſcilicet exquiſitæ ſingulorum ſententiæ non eſſent. Quo & illud Cicer. Phil. III. 9. *Effugere feſtinans, ſenatuſconſultum de ſupplicatione per diſceſſionem fecit, cum id factum antea eſſet nunquam:* ob eam cauſam, quia moris erat: ut in ſupplicatione decernenda ſententiæ rogarentur a conſule. Suet. Tib. c. 31. n. 4. *Cum ſenatuſconſultum per diſceſſionem forte fieret, tranſeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, ſecutus eſt nemo.* Dixit *per diſceſſionem*, ut diſtingueret a *ſenatuſconſulto*, quod exquiſitis ſingulorum ſententiis fiebat: quodque *ſenatuſconſultum* unico verbo dicebatur. Quam loquendi formulam non videtur agnoviſſe Gell. XIV. 7. qui putat Tuberonem a Varrone diſſentire, quia Varro dixerat: *ſenatuſconſultum duobus modis fieri, aut per diſceſſionem, ſi conſentiretur: aut, ſi res dubia eſſet, per ſingulorum ſententias exquiſitas. Tubero autem, nullum ſenatuſconſultum fieri poſſe non diſceſſione facta; quia in omnibus ſenatuſconſultis, etiam in iis, quæ per relationem fierent, diſceſſio eſſet neceſſaria.* In quo neuter erravit a vero: neque, ut putat Gellius, ſententiæ Varronis repugnat id, quod ſcribit Tubero. Non enim dixit Varro, alia *ſenatuſconſulta* per diſceſſionem ſine ſententiis fieri ſolita, alia per ſententias ſine diſceſſione: ſed hoc ſignificavit, alia per diſceſſionem quidem omiſſis ſententiis, alia vero ſententiis exquiſitis per diſceſſionem tamen facta. Et cum dixit, *per ſingulorum ſententias exquiſitas*; ideo non addit per diſceſſionem, quia nullum *ſenatuſconſultum* ſine diſceſſione fieri poſſe notiſſimum erat: itaque omiſit, ut ſupervacaneum. *Manut. de Senat. Rom. c.* 10. *Zamoſc. de Senat. Rom.* II. 11. *Briſſon. de Form. p.* 183. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 9. *Hotoman. de Senat. c.* 8. *Gall. Sibyll. orac. p.* 680. *B. Panvin. Faſt.* I. *p.* 45. Interdum, ſi ſententia res contineret duas, quarum una placeret, altera diſpliceret, antequam inciperent pedibus ire, patrum aliquis poſtulabat dividi ſententiam. V. ſupr. in *Dividere.* Impedimentorum, quæ impediebant ſummam *ſenatus* voluntatem, quo minus *ſenatuſconſultum* fieret, I. eſt interceſſio. De qua legem hanc rogat Cicer. de Legib. III. 3. *Ni poteſtas par, majorve prohibeſſit, ſenatuſconſulta perſcripta ſervanto.* Gell. XIV. 7. V. illum ſupr. in *Intercedere.* Ex qua rogatione, non tam ad effigiem moderati civitatis ſtatus, quam ad hiſtoriæ fidem lata, patet, rationem impediendi edita voce, *veto*, non ut aliis quaſdam ſenatorum quoque, ſed magiſtratuum ſolum fuiſſe, nec quorumvis magiſtratuum, verum majorum tantum. Hoc vero nomine & tribunos plebis nunc comprehendo, quos etſi minores vocent, maximam tamen poteſtatem habuerunt, & intercedendi jus ſummum. II. Mora, quam, licet non vetarent, afferebant: veluti, cum Serranus noctem ſibi ad deliberandum poſtulavit, quando de revocando Cicerone ab exilio agebatur. III. Cum dies tolleretur: hoc eſt, cum quis ad uſque ſolis occaſum orationem producebat, quo tempore *ſenatuſconſultum* fieri non poterat. Quo in genere magnus fuit Cato. IV. Religio,

quæ offerebatur magistratui *senatum* habenti, nimium, initum non satis auspicato operam dedisse. Nam, si hoc collegium augurum comprobasset, differebatur res in posterum. V. Si *senatus* esset nullo edicto legitimo coactus. VI. Dies non senatorius. VII. Locus non auspicatus. *Zamosc. l. l. Hotoman. ibid. c.* 9. Quibus adhuc nonnulla addit Festus supr. in *Numera senatum*. Sed his non tam *senatus* consilium tardabatur, quam magistratuum artes cludebantur. Si quis autem *senatusconsulto* intercessisset, aut moram attulisset, id quod patres decreverant, vocabatur *senatus auctoritas*, ut docet Dio LV. p. 550. B. Unde Servilius Ahala apud Liv. IV. 57. *si quis intercedat senatusconsulto, auctoritate se fore contentum* dixit. *Zamosc. & Manut. l. l. Dempster. Paral. ad Antiq. Rosin.* VII. 5. Fiebat, ut non sanioris, sed majoris partis probaretur consensus, neque quam prudentes, sed quam multi idem censuissent, intererat. Hoc est, quod *numerari sententias, non ponderari* dixit Plin. Epist. II. 12. 5. Diserte Symmach. Epist. IV. 27. *Lex curiæ est, ut majoris numeri antistet auctoritas*. Confirmabatur, si omnes inclamassent, geminassentque hanc vocem *omnes*. Quæ dictio unanimem consensum exprimebat, neque quemquam esse, qui reluctaretur. Vopisc. Tacit. c. 7. V. illum supr. in *Omnes omnes*. Scribebant scribæ. Hoc genus hominum in *senatus consultorum* tabulis mandandis versatum fuisse significat Dionys. XI. p. 703. ubi scribarum, qui *senatui* apparebant, mentionem facit. Legi etiam, qui intelligerent Ciceronem scribæ alicujus nomen posuisse, cum ita ait Attic. XII. 21. *Tantum rogat, ut senatusconsultum corrigas. Hoc quidem etiam feci et Ranio, si admonitus essem.* At in magnis difficultatibus, & perturbationibus, si interesset Reipublicæ, ne *senatus* decretum evulgaretur, vel, ut summa prudentia, & fide omnia literarum notis ad posteri temporis memoriam consignarentur, *senatores* quique consuetudine scribendi, integritate, memoria, scientia præstantissimi scribarum officio, & munere fungebantur. Ita indicii conjurationis facinorosorum, & perditorum civium, cujus dux, & auctor fuit Catilina, non solum, ut est in Orat. pro Syll. c. 14. perscribunt in *senatu* ex inferioribus gradibus tres sapientissimi, & altissimis mentibus præditi *senatores*, verum etiam prætor populi Romani. Sic, ut dixi, *senatusconsulta*, quæ a nonnullis *tacita* appellantur, scribi solita a *senatoribus* observavi. Capitol. Gordian. c. 12. V. illum infr. in *Senatusconsultum tacitum*. In scribendo ponebant primum tempus, & locum, in quo *senatus* decrevisset; deinde nomina eorum, qui scribendo affuissent, recitabant; tum relationem, cum nomine magistratus, paucis verbis perstringebant; atque his omnibus ultimo loco *senatusconsultum* subjiciebant. *Zamosc. ibid.* II. 12. Scribendo affuerunt non omnes plane, qui sententiam *senatusconsulti* probaverant, sed ii potissimum, qui præter cæteros ita decerni concupierant. Adscribebantur ut testes *senatusconsulti* faciendi. Qua ratione in libro constitutionum nostrarum, legibus a quolibet Rege, *senatu* censente, & legatorum equestris ordinis collegio consciscente, perlatis, nomina eorum, qui præcipui ei concilio interfuere, apposita videmus. Si quis auctoritatis momenta desiderat, ita interpretatur genus hoc loquendi Lamprid. Heliogab. c. 4. *Ubi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatum rogari jussit. Quæ cum venisset vocata ad consulum subsellia, scribendo affuit, id est, senatusconsulti conficiendi testis.* Horum testium nomina *senatusconsulti auctoritates* nominantur a Cœlio apud Cicer. Fam. VIII. 8. non tam, quod illi maxime auctores fuissent, ut ita statueretur, quam, quod in eo *senatusconsulti* posita esset auctoritas, si per claros viros scriptum videretur. *Manut. & Zamosc. l. l. Hotomann. ibid. c.* 8. Moris autem fuisse videtur, ut ad consulis pedes id fieret. Lampridius modo laudatus. *Hotomann. l. l.* Honoris causa, si quid consulibus senatus mandaret, addebatur, *si eis videatur*. V. supr. in *Formula Scti*. Quoniam autem *senatusconsulto* intercedere tribuni poterant, propterea etiam moris erat, ut illa clausula adderetur: *Si quis huic senatusconsulto intercesserit, senatui placere, auctoritatem perscribi, & de ea re ad senatum, populumque referri.* Deinde, si quis intercessisset, addebatur: *Huic senatusconsulto intercessit C. Cœlius, C. Pansa tribunus plebis.* Ac tum quidem non *senatusconsultum*, sed *auctoritas perscripta* dicebatur. Docet hoc Dio LV. p. 550. B. *Quod si forte usu venerit, ut non tam multi, quam opus erat, convenirent, senatus quidem habebatur, decretumque perscribebatur, non tamen quasi ratum effectum habebat: sed erat auctoritas, ut senatus sententia nota, ac testata esset. Tale enim quiddam vis hujus verbi declarat, quod uno verbo Græce exprimi non potest. Quod idem etiam observatum est, si quando in loco aliquo non legitimo, aut die non idoneo, aut non legitimo edicto, sed ambitiose senatus coactus esset, aut tribuni plebis nonnulli intercessissent. Tum enim senatusconsultum fieri non poterat: quod tamen placuisset, testari reliqui volebant.* Et Cicer. Fam. I. 2. *De his rebus senatus auctoritas gravissima intercesserat: cum Cato, & Caninius intercessissent, tamen est perscripta.* Hotomann. l. l. Zamosc. ibid. c. 11. Manut. in Epist. ad Fam. I. 2. & de Senat. Rom. c. 10. Brisson. de Form. II. p. 192. Veteribus *T.* litera subscribi solebat, eaque nota significabat, ita tribunos plebis quoque censuisse. V. infr. in *Tribuni plebis*. Ubi factum esset, jussu magistratus recitabatur. Dionys. XI. p. 703. *Quibus dictis mandavit scribæ, ut recitaret senatusconsultum.* In recitando fere nominis ejus, in cujus sententiam itum erat, interponebatur honorifica commemoratio. Cicer. Attic. IV. 1. *Factum est senatusconsultum in meam sententiam, ut cum Pompejo ageretur, ut eam rem susciperet, lexque ferretur: quo senatusconsulto recitato, cum concio, more hoc insulso, & novo, plausum meo nomine recitando dedisset, habui concionem.* Zamosc. ibid. c. 11. Hotoman. ibid. c. 8. Scripta usque ad consules L. Valerium, M. Horatium arbitrio consulum supprimebantur, & vitiabantur: ab his consulibus, ut ad ædem Cereris deferrentur, est institutum. Liv. III. 56. *Institutum etiam ab iisdem consulibus, ut senatusconsulta in ædem Cereris ad ædiles plebis deferrentur: quæ ante arbitrio consulum supprimebantur, vitiabanturque.* Hoc munus inter ædiles & tribunos plebis communicat, & ab his, imperante Augusto, translatum ad quæstores ait Dio LIV. p. 546. C. *Quæstoribus etiam, qua unoquoque tempore fierent, senatusconsulta asservanda tradita; quum tribuni plebis, ac ædiles, quibus ante id negotium datum fuerat, per apparitores suos hoc egissent.* Postea ad ærarium sunt translata, ut ibi asservarentur, ubi & leges, & pecuniæ publicæ populi Romani, & pretiosa quæque custodiebantur. Ad ærarium non delata, rata non erant, & pro infectis habebantur. Quod significatione quidem non expressa, nec tamen omnino dubia, ostendit Suet. Aug. c. 94. n. 3. *Senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur: eos, qui gravidas uxores haberent, quod ad se quisque spem traheret, curasse, ne senatusconsultum ad ærarium deferretur.* Tacit. Annal. III. 51. 3. *Igitur factum senatusconsultum, ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur.* Zamosc. ibid. c. 13. Hotoman. ibid. c. 9. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 4. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 4. Rosin. Antiq. Roman. VII. 7. Manut. l. l. Pitisc. in Suetonium. Potestatem dabat I. absolutam ℵ magistratibus pluribus: *Dent operam consules, prætores, tribuni plebis, ne quid Respublica detrimenti capiat.* His verbis maximam potestatem magistratibus sine populo *senatus* dabat: licebat enim eis hoc *senatusconsulto*, *exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios, atque cives: domi, militiaque imperium, atque judicium summum habere: aliter, sine populi jussu, nullius earum rerum consuli jus est.* Ita Sallust. de Bell. Catil. p. 23. Qui de consulibus tantum loquitur, quia fere soli consules in ejusmodi *senatusconsulto* nominabantur, quia tuendæ Reipublicæ cura ad consules, qui cæteris magistratibus anteibant, maxime pertinebat: ubi vero majus periculum instare videbatur, tunc non consules modo, sed & prætores, & tribuni plebis, & illi etiam, qui proconsules ad Urbem essent, nominabantur: ut in eo, quod initio civilis belli a Pompeji studiosis contra Cæsarem factum est. Cæs. de Bell. civ. I. 5. *Decurritur ad illud extremum, atque ultimum senatusconsultum, quo, nisi pæne in*

Urbis

Urbis incendio, atque desperatione omnium salutis; latorum audacia nunquam ante discessum est: dent operam consules, prætores, tribuni plebis, quique proconsules ad Urbem sunt, ne quid detrimenti Respublica capiat. Alteri etiam, non utrique consuli hanc potestatem delatam legimus, ut in Gracchano tumultu, cum decrevit senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid Respublica detrimenti caperet. Hoc non consuetudinis, sed temporis causa factum est: aberat enim alter consul Q. Fabius Maximus. Anno enim, quo C. Gracchus est interfectus, nullam Fabii consulis actionem urbanam narrat Plutarchus, neque Appianus, neque Asconius, neque omnino quisquam: tantum de Opimio meminerunt. ב Uni, cum dictatorem dici *senatus* jubebat. Nam etsi dictatorem non *senatus* ipse creabat: sed is, qui summus erat in Urbe magistratus: tamen quia dictatorem qui dicebat, dicendi potestatem a *senatu* accipiebat, *senatusconsulto* dictatorem fuisse dictam possumus intelligere. Absoluta etiam videtur fuisse, non ad omnia, ut in dictis; sed quod ad eam rem pertinebat, cujus rei facta erant, quæ fuit in illis, quibus leges tollebantur: itaque *multas leges uno senatusconsulto, atque uno versiculo*, ut inquit Cicer. de Leg. II. 6. *puncto temporis sublatas esse* legimus: ut L. Marcio, Sexto Julio coss. eas, quas M. Drusus tribunus plebis tulerat: decretum est enim, contra auspicia esse latas, neque iis populum teneri: & Q. Cæcilio, M. Junio coss. eas omnes, quæ militiæ stipendia minuebant, ideo abrogari placere, quia rem militarem impediebant. Etiam absoluta erat in *senatusconsultis*, quibus hostis aliquis judicabatur. Non enim ii, qui ejusmodi *senatusconsulto* essent condemnati, provocationem ad ullum magistratum, aut ad populum habebant: nec erat, ut *senatus* judicium infirmare possent. Primis duobus horum quatuor absolutam potestatem non ipse sibi *senatus* sumebat, sed alteri dabat: duobus extremis non dabat, sed assumebat, vel assumpta potius utebatur. II. definitam, cujus *senatusconsultum* si cum lege jungebatur, suas quasi vires augebat: & quod in eo fuerat definitum, absolutum fiebat: si legis auxilio carebat, ut sæpe accidit, cum voluntas plebis a *senatus* judicio discreparet, non solum minus habebat ponderis, quam si cum lege conjungeretur, sed minus etiam quam lex. Itaque C. Flaminius tribunus plebis legem agrariam aliquot annis ante secundum bellum Punicum tulit invito *senatu*, neque solum tribuni plebis, sed consules etiam, qui patroni *senatus* habebantur, contra *senatus* voluntatem, sine *senatusconsulto* sæpe leges tulerunt: cujusmodi fuisse illas constat, quas diversis temporibus a tribus Valeriis latas, Publio, Lucio, Marcio, ex Cicerone, Livio, Dionysio, Plutarcho didicimus. Cajus etiam Cæsar, omisso *senatusconsulto*, lege Vatinia Cisalpinam Galliam cum Illyrico administrandam accepit: cum in lege tantum esse positum intelligeret, ut *senatusconsulto* non egeret: quod & *senatus* judicio ita esse declaratum est: qui mox & Comatam illi Galliam attribuit, veritus, ne si ipse negasset, populus & hanc daret. In accipienda provincia legem anteposuerunt *senatusconsulto*, quia exeuntibus in provincias imperium tantum *senatusconsulto* dabatur, lege autem simul cum imperio sumptus. *Manut. l. l.* Quod semel *senatui* visum esset probabile, eo standum erat. Apud Liv. IV. 26. cum nollent consules *ex senatusconsulto dictatorem dicere, tribuni plebis pro collegio pronuntiant, placere consules senatui dicto audientes esse: si adversus consensum amplissimi ordinis ultra tendant, in vincula se duci eos jussuros.* Neque a quoquam magistratu *senatusconsultum* immutari potuit, sed ab ipso *senatu* inducebatur, quoties conversis rebus, ac commutata tempestate, usus eum, quem laudasset, cursum evidenter arguebat. Cicer. pro Dom. c. 4. *Cæptum est referri de inducendo senatusconsulto: ab universo senatu reclamatum est.* Attic. I. 17. *Inducendi senatusconsulti maturitas nondum est; quod neque sunt qui querantur, & multi partim malevolentia, partim opinione æquitatis delectantur.* Cæsarum ætate, comitiorum jure, teste Tacit. Annal. I. 15. 1. ad *senatum* translato a Tiberio, *senatusconsulta* perpetuarum, & æternarum legum vim habebant, ut ex Pomponio Icto constat. Verum ante jus jubendarum legum populo vi ademptum uno tantum anno magistratus ea, quæ censuerat *senatus*, alligabant. Dionys. IX. p. 595. *Consules negabant senatusconsultum de divisione agrorum in suo magistratu factum, sed in Cassii, Virginiique: neque, ut leges, senatus decreta æterna, sed annua tantum esse dicebant.* Zamosc. ibid. c. 14. Manut. l. l.

Senatusconsultum tacitum dicebatur, quando nec scribæ *senatus* consilio apparebant, nec pedarii *senatores* in curiam admittebantur. Capitol. Gordian. c. 12. *Hunc morem apud veteres necessitates publicæ repererunt, ut si forte aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare consilia, vel aliqua constituere, quæ non prius oporteret dici quam effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanare, senatusconsultum tacitum fieret: ita ut non scribæ, non servi publici, non censuales illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium, scribarumque complerent, ne quid forte proderetur.* Quo factum est, ut *Q. Fabius Maximus vehementer a consulibus sit objurgatus, quod per imprudentiam, de tertio Punico bello indicendo, quod secreto in curia erat actum, P. Crasso, rus petens, domum revertenti in itinere narravit, memor eum triennio ante quæstorem factum, ignarusque nondum a censoribus in ordinem senatorium allectum.* Val. Max. II. 2. 1. At cætera adeo non occulta erant, ut omnes prope cives *senatusconsultorum* libros domi suæ quisque haberent, donec intercessit Augusti decretum, quo, Suet. c. 36. n. 1. auctore, vetuit, *ne senatus acta publicarentur.* Zamosc. de Senat. Rom. II. 12. Pollet. For. Rom. V. 10. Hotoman. de Senat. c. 9. Haud dubie describitur ab Herodian. VII. 10. 5. Habemus enim apud illum locum, ubi factum, &, ut videtur, ubi solitum fieri: de quo tamen nihil Capitolinus. Habemus & modum faciendi *senatusconsulti* taciti, sed verbo indicatum. Ejus verba sunt: *Convenerunt non quidem in curiam, quo antea consueverant: sed in templum Capitolini Jovis, quod in arce summa præcipuæ venerationis Romani habent: ibi clausis foribus soli, quasi teste, & confessore, atque adeo rerum omnium inspectore deo, selectis....* Casaub. in Capitolinum.

Senatusconsultum Æmilianum de fideicommissariis libertatibus factum est Æmilio Junio, & Julio Severo coss. Ut si quis ex his, qui fideicommissam libertatem ex quacunque causa deberent servo, qui mortis tempore ejus qui rogavit non fuerit, isque adesse negabitur, prætor cognoscat. Et, si in ea causa esse videbitur, ut si præsens esset, manumittere cogi deberet, id ita esse pronuntiet. Cumque ita esse pronuntiasset, idem juris sit, quod esset, si ita ut ex fideicommisso manumitti deberet, manumissus esset. l. si eum servum. §. si quis ff. de fideicomm. libert. *Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Antonianum de hastis Martiis in regia Martis factum est M. Antonio, A. Postumio coss. an. 553. *Quod C. Julius L. F. pontifex nuntiavit, in sacraria in regia hastas Martias movisse, de ea re ita censuerunt: ut M. Antonius cos. hostiis majoribus Jovi, & Marti procuraret: quod cæteris diis, quibus videretur, placandis uti procurasset, satis habendum censuerunt. Si quid succidaneis opus esset, Robigus accederet.* Gell. IV. 6. *Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Apronianum de fideicommissariis hæreditatibus factum est M. & L. Antoninis Imperatoribus, Aproniano, Paullo coss. an. 923. Ut omnibus civitatibus, quæ sub imperio populi Romani sunt, restitui deberet, & posset fideicommissa hæreditas. Sed & actiones ex Trebelliano transferrentur. Quin & municipes ad eas admitterentur, ita tamen, ut his, quibus restitueretur hæreditas, auctorem eligerent, & ad agendum, & ad excipiendum actiones. l. omnibus ff. ad Trebellianum. *Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Calvitianum de nuptiis quinquagenarii: *Ut si major quinquagenaria minori sexagenario nupserit, nihil ea res ad capiendas hæreditates, & legatas dotes pertineat. Itaque mortua muliere dos caduca erit.* Ulpian. Instit. c. 16. *Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Carbonianum de statu liberorum: *Ut si*

si cui controversia fiat, an inter liberos sit, & impubes sit, causa cognita perinde bonorum possessio detur, ac si nulla de ea re controversia esset: & judicium in pubertatis tempus differtur l. 1. & par. ff. de Carbon. edict. *Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Claudianum de muliere servo alieno conjuncta: *Ut ea mulier, quæ se alieno servo junxerat, domino servi cum bonis omnibus addiceretur.* l. 1. C. de sen. Claud. toll. Ubi Justin. ait, *denuntiationibus sententia judicum opus fuisse.* Ulpianus autem Instit. c. 11. *Maxima capitis diminutio*, inquit, *dicitur, per quam civitas, & libertas amittitur, veluti cum mulier alterius servo se junxerit denuntiante domino, & ancilla facta fuerit ex senatusconsulto Claudiano.* Quare hoc Claudianum vocetur, satis constituere non possum; nam Claudii Imperatoris nomine sic appellatum dicere nulla ratio est: cum satis constet *senatusconsulta* non ex Imperatorum, sed ex consulum referentium nomine appellata fuisse. Taciti igitur locum considerans, in quo post expositam *senatusconsulti* sententiam scribit, Pallantem, quem Claudii libertum, & apud illum gratia, & auctoritate mirabili præditum fuisse constat, editum, ac nominatum a Claudio repertore hujus relationis, ac propterea prætoria insignia, & centies quinquagies H. S. ei decreta fuisse: venio in opinionem, Claudianum ex illius liberti nomine appellatum esse. Verba Taciti Annal. XII. 53. 2. *Inter quæ refertur ad patres de pœna feminarum, quæ servis conjungerentur, statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsæ, in servitutem sui consensisset, & qui nati essent, pro libertis haberentur. Pallanti, quem repertorem ejus relationis ediderat Cæsar, prætoria insignia, & centies quinquagies sestertium censuit consul designatus Barea Soranus.* His autem verbis scrupulus aliquis injicitur, cum Ulpianus & Justinianus non aliter eam servitutem adiisse tradant, quam si denuntiante domino desistere noluisset. Video autem Suet. Vesp. c. 11. n. 1. scribere: Vespasianus *auctor fuit senatui decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur.* Ut suspicari liceat, quod Claudii tempore institutum erat, id Vespasiani auctoritate absolutum fuisse: & a ICtis hoc totum ei *senatusconsulto* attributum, quod vetustius, & Claudii auctoritate inceptum Claudianum nominarunt. *Torrent. & Marcil. in Suetonium. Augustin. in Senatusconsultum Claudianum. Hotoman. de Senat. c. 9. Palæot. de Noth. & Spur. c. 14. n. 2. Cujac. Observ. XXI. 16. Loon. de Manum. IV. 1. 3.* Nomen *consulti* Claudiani apud ICtos mansit, non a Claudio Pallante, qui quidem repertor; sed a Claudio principe, qui retulit. Interfuit enim in senatu Princeps ejus orationis habendæ causa: & munus forsitan consulare ipse obiit. Nec vero novum est, ut *senatusconsultis* aliud quam referentis consulis nomen tributum sit. V. infr. in *Senatusconsultum Macedonianum.* Faber Semestr. I. 25. Lipf. in Tacitum.

Senatusconsultum Claudianum de nuptiis sexagenarii: *Ut qui major sexagenario minorem quinquagenaria uxorem duxerit, perinde habeatur, ac si minor sexaginta annorum uxorem duxisset.* Ulpian. Instit. c. 21. *Hotoman. de Senat. c. 9. Faber Semestr. I. 25. Augustin. de Sctis Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1329. E.*

Senatusconsultum Claudianum de provinciis consularibus factum est L. Paullo, C. Marcello coss. an. 703. Cicer. Fam. VIII. 8. *Quod M. Marcellus consul verba fecit de provinciis consularibus, de ea re ita censuerunt: ut L. Paullus, C. Marcellus coss. cum magistratum iniissent a. d. Kal. Mart. quæ in suo magistratu futura essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, neve, quid prius ex Kal. Mart. neve quid conjunctim de ea re referretur a coss. utique ejus rei causa per dies comitiales senatum haberent, S. Q. C. facerent.* Hotoman. de Senat. c. 9.

Senatusconsultum Claudianum de quæstione familiæ si quis Tiberio Claudio tribuat, imperite faciat. Adjungitur Sillaniano in rubrica de Syllaniano, & Claudiano. ff. XXIX. tit. 5. Hoc Claudii Neronis Imperatoris tempore factum ipso Cæsare II. & Calpurnio Pisone coss. Ut ex Claudii nomine alii Claudianum, ita ex Neronis nomine Neronianum Julius Paullus in recept. sentent. libris, & Pisonianum ab altero consulum Pisone idem juris auctor in libris ad edictum nominat. *Faber Semestr. I. 25. Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Dasumianum, non Damasianum, nec Dasumajanum, de libertatibus fideicommissariis. Marcian. l. non tantum. §. Senatusconsulto. *Senatusconsulto Dasumiano cautum est, ut, si ex justa causa absit, qui fideicommissam libertatem debet, & hoc pronuntiatum fuerit, perinde libertas competat, atque si, ut oportet, ex causa fideicommissi manumissus esset. Abesse autem is intelligitur, qui a tribunali est. Et quia heredibus tantum cautum erat, adjectum est eodem senatusconsulto, ut quicunque fideicommissam libertatem, ex quacunque causa pronuntiatum fuerit, eum deesse, perinde habeatur, atque si, ut oportet, ex causa fideicommissi manumissus esset.* Augustin. ad Senatusconsultum Dasumianum. Hotoman. de Senat. c. 9.

Senatusconsultum Fannianum de philosophis & rhetoribus factum est C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala coss. an. 592. Videntur circa illa tempora philosophiæ, & rhetoricæ studia magnum Romæ, & in Italia cepisse incrementum per illos mille Achæos exsules, quos senatus e patria accitos post bellum Persei in Urbe, aut per Italiam multos annos detinuit. Non enim dubium in tanta multitudine hominum Græcorum, qui præcipuas in suis urbibus dignitates obtinuerant, plures fuisse doctos literas, & studiis philosophiæ imbutos. Existimamus igitur istos, quum & ignavo otio torperent, & rebus etiam necessariis, ut solent exsules, plurimum carerent, ad philosophiæ studia conversos, multis Romanorum ad simile propositum hortatores extitisse, atque huic *senatusconsulto* occasionem præbuisse. Extat apud Suet. de clar. rhetor. c. 1. n. 2. & Gell. XV. 11. *Cajo Fannio Strabone, Marco Valerio Messala coss. M. Pomponius prætor senatum consuluit. Quod verba sunt de philosophis, & de rhetoribus, de ea re ita censuerunt: ut M. Pomponius prætor animadverteret, curaretque, uti ei e Republica, fideque sua videretur, uti Romæ ne essent.* Casaub. in Suetonium. Ouzel. in Gellium. Pigh. Annal. II. p. 410. Hotoman. de Senat. c. 9.

Senatusconsultum Juncianum factum est Aimilio Junco, & Julio Severo coss. Ulpian. l. 28. §. 4. ff. de fideicom. libert. *Si quis servum non hereditarium rogatus manumittere, latitet, factum est senatusconsultum Æmilio Junco, & Julio Severo coss. in hæc verba: placeret, si quis ex his, qui fideicommissam libertatem ex quacunque causa deberent servo, qui mortis tempore ejus qui rogavit, non fuerit, isque adesse negabitur, prætor cognoscat: & si in ea causa esse videbitur, ut si præsens esset, manumittere cogi deberet: id ita esse pronuntiet, cumque ita pronuntiasset, idem juris erit, quod esset, si ita ut ex fideicommisso manumitti debuisset, manumissus esset.* Marcian. l. 51. §. 8. ibid. *Sed si non hereditarium servum quis rogatus manumittere, sed proprium: ex senatusconsulto Junciano post pronuntiationem pervenit ad libertatem. Emptor quoque ut manumittat, eodem senatusconsulto expressum est, & præsens cohæres perinde manumittat, atque si traditum a cohærede accepisset.* Augustin. ad Senatusconsultum Juncianum.

Senatusconsultum Junianum Rofredo, aliis Numianum, vel Nonianum, vel, ut Placentino placet, Vivianum de collusione detegenda factum est Domitiano imperante, Cæsare, & Appio Junio Sabino coss. an. 839. *Ut qui per domini & servi, aut patroni & liberti collusionem factum probasset, ut vel servus ad libertatem, vel libertus ad ingenuitatem proclamaret, liberque, aut ingenuus pronuntiaretur, is servum quidem potestate, ac dominio suo, liberum autem in patronatu suo haberet.* l. 1. ff. de collus. deteg. l. 2. C. eod. tit. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Numianum.*

Senatusconsultum Junianum de libertatibus fideicommissariis: *Ut si hæres rogatus sit non hereditarium, sed proprium servum manumittere, is servus post pronuntiationem ad libertatem perveniat, sive ex justa causa dominus absit, sive latitet, sive præsens non vult manumittere, sive etiam dominus*

ejus servi emptor sit l. tantum. §. sed si ff. de fideic. libert. *Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Julianum de petitione hæreditatis, distractis rebus hæreditariis, de dolo præterito, & fructibus factum est Hadriani temporibus, Q. Julio Balbo, P. Juventio Celso, T. Aufidio Frontone, Anno Severiano coss. *Ut si antequam partes caducæ ex bonis fisco deberentur, hi qui se heredes existimant, hæreditatem distraxerint, redactæ ex pretio rerum venditarum pecuniæ usuræ exigantur, idemque in similibus causis servetur.* Item: *Ut a quibus hereditas petita fuisset, si adversus eos judicatum esset, ii pretia quæ ad eos rerum ex hereditate venditarum pervenissent, etsi ea ante petitam hæreditatem deperissent, deminutave fuissent, restituere deberent.* Item: *Ut ii qui bona invasissent, cum scirent ad se non pertinere, etiamsi ante litem contestatam fecerint, quo minus possiderent, perinde condemnarentur, quasi possiderent. ii autem qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent. Petita autem fisco hæreditas ex eo tempore existimaretur esse, quo primum scierit quisque eam a se peti, id est, cum primum aut denuntiatum esset ei, aut literis, vel edicto evocatus esset.* Ulpian. l. Item veniunt. ff. de hæred. petit. *Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Largianum de bonis libertorum: *Ut liberi manumissoris non nominatim exheredati facti, extraneis heredibus eorum in bonis libertinorum præponerentur. Veluti, Lælius liberis superstitibus obiit. Thracius ejus libertus testamentum scripsit, sibique extraneos quosdam heredes instituit. Senatus voluit, ut hæc hereditas institutis heredibus adimeretur, liberisque Lælii tribueretur, si modo a patre exheredes facti non essent. Nam si essent, paterno judicio indigni omni emolumento videbantur, quod patris causa undecunque proficisci poterat.* §. ult. de succe. liber. l. 1. & pass. C. de Lat. lib. tol. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Largianum.*

Senatusconsultum Libonianum de falsis factum est, ut opinor, Hadriano Imperatore, L. Nonio, M. Annio Libone coss. an. 850. *Ut pœna legis Corneliæ de falsis teneatur, qui ob instruendam advocationem, testimoniave, pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coierit ad obligationem innocentium, qui sibi, eive, qui in sua potestate est, legatum, fideicommissumve adscripserit in testamento muneris, aut etiam alterius: adimendo id, signatum, perfectumve fuerit: qui heres institutus exheredationem nominatim filii, vel aliarum personarum adscripserit: qui libertatem manu sua ademerit servo testatoris, & maxime, cui a se legati, vel fideicommissa data erant. Ut si servus domini sui jussu testamento, codicillisve libertatem sibi adscripserit, ob eam rem quod ipsius manu adscriptum est, minus liber sit: sed libertas ei ex fideicommissi causa præstetur, si modo post eam scripturam manu sua testator testamento, codicillisve subscripserit.* l. 1. & pass. ff. de falsis. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Libonianum.* Factum est secundo anno Tiberii, ab U. C. 769. C. Statilio Tauro, & C. Scribonio coss. De eo intellexit Ulpianus apud auctorem Mosaicæ collationis, in istis verbis, quæ & sic legenda sunt: *Præterea factum est Sctum Statilio Tauro, & Scribonio Libone coss. quo pœna legis Corneliæ irrogatur ei, qui aliud quam testamentum falsum sciens signaverit, signarive curaverit.* Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 877. Faber Semest. 1. 25. V. etiam de hoc concertantes inter se *Torrent. in Suet. Neron. c. 17. n. 1. & Guther. de Offic. dom. Aug. 1. 32.*

Senatusconsultum Macedonianum dictum est a Macedone quodam, qui, quod materiam peccandi malis hominibus præstaret, causam ei *senatusconsulto* dedit. Ulpian. l. 1. ff. de senatusconsulto Macedoniano: *Verba senatusconsulti Macedoniani hæc sunt: Cum inter cæteras sceleris causas Macedo, quas illi natura administraverat, etiam æs alienum adhibuisset, & sæpe materiam peccandi malis moribus præstaret, qui pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nominibus crederet: placere, ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis ejus, cujus in potestate fuisset, actio petitioque daretur, ut scirent, qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filiifamilias bonum nomen exspectata patris morte fieri.* Fœneratores dare soliti pecunias fœnori filiisfamiliarum, tali stipulatione, ut patre mortuo, & fœnus, & sortem solverent, videlicet cum facti patresfamilias: aut, ut fœnus quidem solverent præsentarium, sive idibus: sortem vero, sive caput patre mortuo. Horat. Sat. 1. 2. 14.

> *Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque*
> *Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget:*
> *Nomina sectatur, modo sumpta veste virili*
> *Sub patribus duris tyronum.*

Et hoc Claudius vetuerat. Tacit. Annal. xi. 13. 3. *Et lege lata, sævitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfamiliarum fœnori darent.* His enim verbis indicatur *senatusconsultum* hoc Macedonianum. Et ante Claudium lege sua Lætorius. Cicer. de Offic. iii. 15. *Atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela duodecim tabulis, & circumscriptio adolescentium lege Lætoria.* Hoc, quia bellis civilibus obliteratum & evanidum, Vespasianus vigori pristino restituit. Suet. c. 11. n. 3. *Ne filiorum familias fœneratoribus exigendi crediti jus unquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem.* Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Macedonianum. Faber Semestr. 1. 25. Brisson. de Form. ii. p. 192. Torrent. Marcil. Pitisc. in Suetonium.

Senatusconsultum Neronianum de simulatis adoptionibus Nerone Imperatore factum est. Tacit. Annal. xv. 19. 1. *Percrebruerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis, aut sorte provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, præturasque, & provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu quos adoptaverant. Qui magna cum invidia senatum adeunt, jus naturæ, labores educandi, adversus fraudem, & artes, & brevitatem adoptionis enumerant; satis pretii esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta, & obvia haberent. Sibi promissa legum diu exspectata, in ludibrium verti, quando quis sine sollicitudine parens, sine luctu orbus, longa patrum vota repente adæquaret. Factum ex eo senatusconsultum, ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne usurpandis quidem hæreditatibus prodesset.* Hotoman. de Senat. c. 9.

Senatusconsultum Orphitianum de maternis hæreditatibus factum est Marco, & Commodo Imperatoribus, Orphitio, & Rufo coss. *Ut filii, & filiæ, quamvis patris in potestate sint, ad bona matris intestatæ ante consanguineos vocentur, sive mater ingenua sit, sive libertina: item sive liberi legitimi sint, sive vulgo quæsiti.* l. 1. & pen. ff. ad Tertyll. & Orphit. *Spurios tamen matri, quæ illustris sit, non succedere, si modo existent ex justis nuptiis procreati* scribit Imperator l. pen. C. eod. tit. Quin & illud intelligendum est ex Imperatorum constitutionibus, *nepotes, & neptes ad aviæ intestatæ successionem admissos, admissasque esse.* l. si defunctus C. Th. de legit. hæred. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Orphitianum.*

Senatusconsultum Pegasianum de quarta fideicommissi retinendi factum est Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso & Pusione coss. *Ut ei, qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur: quam si retinuisset, tum omnes actiones, quæ in heredes, heredibusque dari solent, in eum, eique darentur. Is autem, qui partem hæreditatis ex fideicommisso reciperet, legatarii partiarii loco esset: hæreditatisque tum commoda, tum incommoda inter heredem, & eum cui reliquæ partes essent restitutæ, communicarentur, interpositis stipulationibus ad exemplum partis, & pro parte stipulationum. Sed si hæres scriptus hæreditatem adire recusset, ob id quod dicat sibi eam suspectam esse quasi damnosam, postulatu ejus, cui restituere rogatus esset, jussu prætoris adiret, totamque restitueret, ita ut ei, & in eum, qui recepit hæreditatem, actiones dentur.* Justin. sub. tit. de fideicom. hæred. Ulpian. Instit. c. 25. Paull. Sent. iv. 3. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Pegasianum. Menag. Amœn. jur. civil. c. 17.* De illo Scholiast. Juven. Sat. iv.

— [illegible] *Tetrarchi filius, e cujus Liburna parasitice mo-* [illegible]*, juris studio gloriam memoriæ meruit, ut Libe-* [illegible] *non homo diceretur. Hic functus omni honore, cum* [illegible] *patronus præ*[illegible]*, Dicis curam administravit.* [illegible] *Papirianum non jus, quod jurisperitus fuit.* Obiter observandum, jus Papirianum dixisse Servium [illegible], quomodo jus Papirianum dixit Paullus de verb. sign. l. 144. jus Flavianum ac jus Papirianum Pomponius de orig. jur. l. 2. *Menag. l. l.*

Senatusconsultum Persicianum de nuptiis: *Ut qui intra sexagesimum, vel quæ intra quinquagesimum annum, neque liberos susceperit, neque matrimonium contraxerit, licet ipsis* [illegible]*, perpetuis tamen pœnis* [illegible]*.* Ulpian. Institt. c. 16. *Augustin. ad Senatusconsultum Persicianum. Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Pisonianum de servis obnoxiis vendi*tis: Ut, si servus pœnæ propter necatum dominum obnoxius venisset, quandocunque animadversum in eum esset, venditor pretium præstaret: ne emptori injuriam fecisse videatur senatus.* l. senatusc. de senatusc. Silaniano. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Pisonianum.*

Senatusconsultum Plancianum de liberis agnoscendis, & partu subjecto: *Ut liceat mulieri, parentive, in cujus potestate est, vel ei, cui mandatum ab eis est, si ea se facto divortio prægnantem putet, denuntiare intra dies triginta post divortium commemorandis, ipsi marito, vel parenti, in cujus potestate est, vel etiam domi ejus, si nullius eorum copia est. Et si maritus, cui denuntiatum erit, custodes ad ventrem custodiendum, inspiciendumque non miserit, neque contestato dixerit, eam ex se prægnantem non esse, ut ei quod editum* [illegible] l. 1. ff. de lib. agnosc. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Plancianum.*

Senatusconsultum prætextatum appellamus nos e illud in Papirii prætextati honorem factum: *Ut pueri prætextati* [illegible] *præter unum illum Papirium* [illegible] *Prætextati cognomen honoris gratia imponeretur.* Macrob. Sat. 1. 6. Gell. Noct. Attic. 1. 23. *Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum Rubrianum de fideicommissariis libertatibus factum est temporibus D. Trajani, Rubrio Gallo, & Cælio Hispone coss. an. 859. *Ut si hi, a quibus libertatem præstari oportet, evocati a prætore adesse noluissent, dum hi neque infantes sint, neque furiosi, neque ab hostibus capti, neque hi, quos religio, aut honestior causa, aut calamitas aliqua,* [illegible] *familiaris, aut capitis,* [illegible] *moretur: ac ne pupilli quidem, qui tutorem non habeant, aut eos habeant, quos* [illegible] *causa detinet: si causa cognita prætor pronuntiasset, libertatem his deberi, eodem jure status servaretur, ac si directo manumissi essent.* l. cum vero §. subventum l. filius ff. de fideic. libert. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Rubrianum.*

Senatusconsultum Sabinianum de eo, qui e tribus maribus arrogatus erat: *Ut qui unum e tribus alteri* [illegible] *maribus adoptet, ei non minus quam quadrantem hæreditatis suæ relinqueret.* l. pen. §. quæ autem C. de adopt. & §. sed ea omnia de hæred. quæ ab intest. Videtur etiam ex eodem manasse, quod commemorat Justin. l. ult. C. de decurion. *Ut qui tres mares haberet, si unum ex iis qui decurio esset, in senatum maximum, id est, Romanum, allegendum curaret, ei curiæ liberationem paret.* Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Sabinianum.

Senatusconsultum Silanianum de quæstione familiæ, sub Divo Marco factum esse initio dicere annisus sum, propterea quod l. pen. C. de his quibus ut indign. mentio fit orationis D. Marci pertinentis ad S. C. Silianum. Existimabam enim post orationem D. Marci secutum esse S. C. Silianum, quod certo sciam orationes Principum statim *Sctis* confirmari solitas fuisse: quinimo interdum id etiam in orationibus diserte addi, ut *Scta* eas consequantur, quemadmodum & in edictis. Sed quia l. pen. eam ait orationem factam esse circa *Sctum* Silanianum, facile ab ea me sententia dimoveri sum passus, quandoquidem ex eis verbis apparet evidenter orationem D. Marci prius fuisse *Sctum* Silanianum. Nunc autem verissimum esse arbitror, quod mihi P. Faber indicavit, factum fuisse D. Augusti temporibus Dolabella & Silano coss. Argumentum, quod mihi præbuit ex l. in cognitione ff. de *Scto* Silaniano, est hujusmodi. *Senatusconsultum*, de quo agitur in illa lege, posterius fuit *Scto* Silaniano. Nam eo accusationi, quæ interitu hæredibus propterea quod contra *Sctum* Silanianum ante servorum quæstionem tabulas ejus aperuerunt, qui a familia necatus esse dicitur, quinquennii præscriptio definita est. Id vero factum fuit Augusti temporibus Lepido & Tauro coss. Simile igitur vero est, præcedenti anno, id est, Dolabella & Silano coss. factum esse *Sctum* Silanianum. *Cujac. Observ. 1. 18.* Quibus ideirco assentiri vix possam, quia neque leges, neque *senatusconsulta* ex cognominibus appellabantur: tametsi video & Pisonianum, & Neronianum eodem modo nominari. *Ut de servis ejus, qui domi suæ necatus erit, qui quidem sub eodem tecto fuerint, neque opem ei tulerint, nisi qui impubes fuerint, quæstio habeatur, & convicti summo supplicio afficiantur. Qui vero non sub eodem tecto, sed in eadem regione fuerint, non aliter puniantur, quam si conscii fuerint, ut quod ad causam testamenti pertinens relictum erit ab eo qui occisus esse dicitur, id ne quis sciens dolo malo aperiendum, recitandum, describendumque ante quæstionem de servis habitam curet: qui secus faxit, quod eo testamento ei relictum fuerit, publicetur.* l. 1. 13. 14. ff. ad senatusc. Silian. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Silanianum.*

Senatusconsultum Statilianum, vel Domitianum de quinquennii præscriptione Augusti temporibus factum est Tauro, & Lepido coss. an. 763. *Ut in cognitione testamenti ejus, qui a familia occisus esse dicetur: ante habitam de familia quæstionem aperti quinquennii tempus* [illegible] *constituatur.* l. in cognitione ff. ad senatusc. Silian. *Hotoman. de Senat. c. 9.*

Senatusconsultum summum, sive supremum appellatur, quod summis Reipublicæ temporibus fieri solebat. Hujus formula erat. *Viderent consules, ne quid Respublica detrimenti caperet.* Livius, Sallustius, Cæsar. V. illos supr. in *Senatus.* Hotoman. de Senat. c. 9.

Senatusconsultum Tertullianum de liberorum hæreditatibus matri deferendis D. Pio imperante factum est, Tertullo & Sacerdote coss. *Ut mater ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, ad liberorum intestatorum hæreditatem admittatur, sive juris sui, sive in patris potestate sit, ita tamen, ut si filia familias sit, parentis jussu hæreditatem adeat: deinde, ut filio mortuo, sui: filia mortua liberi præferantur matri: utrovis mortuo pater, non etiam avus: item consanguineus, sive solus sit, sive cum eo soror, eidem præferantur: consanguinea vero sola pariter cum matre succedat.* Instit. III. 3. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Tertullianum.* Tertullus hic consul fuit sub Pio: non sub Hadriano, ut quidam putant; decepti his Justiniani verbis l. l. *Postea autem Scto Tertylliano, quod D. Hadriani temporibus factum est.* Ibi enim Hadrianus est Pius: quam appellationem sortitus est adoptionis jure: ut recte Cujacius & Contius ad hunc locum. Non recte scribitur Tertyllianum. Est enim Latina vox Tertullus. Capitol. in M. Anton. Philos. c. 29. *Menag. Amœn. jur. civil. c. 12.*

Senatusconsultum Trebellianum de actionibus a fideicommissariis in hæredes transferendis factum est temporibus Neronis, octavo Kal. Sept. Annæo Seneca, Trebellio Maximo coss. an. 810. *Ut cum æquissimum esset in omnibus fideicommissariis hæreditatibus, si qua de his bonis judicia penderent, ex his eos subire, in quos jus, fructusque transferretur, potius quam cuique periculosam esse suam fidem, deinceps actiones, quæ in hæredem, hæredibusque dare solent, ea neque in eos, neque his darentur, qui fidei suæ commissum, sicut rogati essent, restituissent: sed his, & in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset, quo magis in reliquum confirmentur supremæ defunctorum voluntates.* Ulpian. l. 2. ff. ad senatusc. Trebell. *Hotoman. de Senat. c. 9. Augustin. ad Senatusconsultum Trebellianum. Brisson. de Form.*

Form. II. *p.* 203. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 32.

Senatusconsultum Turpillianum de accusatoribus desertis factum est Imperatore Nerone C. Silio, M. Turpilliano coss. an. 819. *Ut qui crimen publici judicii detulit, & causa criminis ordinata, id est, inscriptionibus depositis, & fidejussore de exercenda lite præstito, eoque qui accusatur, sub custodia officii facto, non impetrata abolitione ab executione criminis destitit: qui accusatorem summisit, aut instigavit, aut mandavit alicui, & instruxit eum ad accusationem capitalem, dando probationes, allegando accusationes, qui chirographum ob accusandum dedit, pactionemve aliquam interposuit, pœna quinque librarum auri multetur.* l. 1. & pass. C. & ff. ad Turpill. l. 3. fin. ff. de prævaric. *Hotoman. de Senat. c.* 9. *Augustin. ad Senatusconsultum Turpillianum. Pollet. For. Rom.* IV. 3. 4. & 5.

Senatusconsultum Vellejanum de assignatione libertorum factum est Claudianis temporibus Vellejo Ruso, Ostenio Scapula coss. *Si quis duos, pluresve liberos justis nuptiis quæsitos in potestate haberet, de liberto, libertave sua significasset, cujus ex liberis suis eum libertum, eamve libertam esse vellet, is, eave, quandoque is, qui eum, eamve manumisit, inter vivos vel testamento in civitate esse desisset, solus ei patronus, solave patrona esset, perinde atque si ab eo, eave libertatem consecutus, consecutave est. Utique si ex liberis quis in civitate esse desisset, neque ei liberi ulli essent: cæteris ejus liberis qui manumisit, perinde omnia jura serventur, ac si nihil de eo liberto, eave liberta is parens significasset.* l. 1. ff. de assign. libert. *Hotoman. de Senat. c.* 9.

Senatusconsultum Vellejanum de mulierum intercessionibus factum est Marco Silano, & Vellejo Tutore coss. *Ne jus adversus mulieres diceretur, quæ fidejussionibus, & mutui dationibus pro aliis intercessissent: cum eas virilibus officiis fungi, & ejus generis obligationibus obstringi, non sit æquum. Ergo in veterem debitorem, aut in eum, qui pro se constituisset mulierem ream, dabitur: magis enim ille, quam creditor mulierem decepit* l. 1. & 2. ff. ad senatusc. Vellej. *Hotoman. de Senat. c.* 9. *Augustin. ad Senatusconsultum Vellejanum. Brisson. de Form.* II. *p.* 192.

Senatusconsultum Vitrasianum de fideicommissariis libertatibus factum est, ut opinor, Vespasiano imperante, Sulpitio Galba, Vitrasio Pollione coss. *Ut patres servorum, quibus per fideicommissum libertas data est, justo pretio æstimentur, atque ita servus ab his, qui rogati sunt, manumittatur, hi autem, qui eos manumiserunt, pretii nomine perinde fratribus, & cohæredibus suis obligati sint, atque si ob eam rem ex judicati causa cum his agi posset. Nam ante si plures hæredes erant instituti, & inter eos qui fari non poterant, sed non ipse rogatus erat servum manumittere: non oportebat intercidere libertatem ob hoc, quod cohæredibus suis vendere eum infans non posset.* l. cum quasi §. plures ff. de fideicom. libert. *Hotoman. de Senat. c.* 9. *Augustin. ad Senatusconsultum Vitrasianum.*

Senatusconsultum Volusianum de coitione in litem: *Ut qui improbe in alienam litem coeunt, ut quidquid ex condemnatione in rem ipsius redactum fuerit, inter eos communicaretur, lege Julia de vi privata tenerentur.* l. 6. ff. ad leg. Jul. de vi priv. *Hotoman. de Senat. c.* 9. *Augustin. ad Senatusconsultum Volusianum.*

SENES antiquitus omni honoris specie colebantur. Gell. II. 15. *Apud antiquissimos Romanorum neque generi, neque pecuniæ præstantior honos tribui, quam ætati solitus: majoresque natu a minoribus colebantur ad deum prope & parentum vicem: atque in omni loco, inque omni specie honoris priores potioresque habiti: a convivio quoque, ut scriptum est in antiquitatibus, seniores a minoribus domum deducebantur: eumque morem accepisse Romanos a Lacedæmoniis traditum est: apud quos Lycurgi legibus major omnium rerum honos majori ætati habebatur.* Juven. Sat. XIII. 54.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
Plura domi farra, & majoris glandis acervos.

Ovid. Fast. V. 65.

Jura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honos.
Et medius juvenum, non indignantibus ipsis
Ibat, & interior, si comes unus erat.
Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? censuram longa senecta dabat.

Thys. in Gellium. Blond. Triumph. Rom. V. p. 125. D. Priores mensis accumbebant, & surgebant. V. supr. in *Minores.* Militiæ vacationem habebant, excepto Gallico tumultu. Docet hoc Appian. II. & Plutarch. in Camillo. Qua ratione ductus Cicer. Phil. VIII. 1. *gravius esse tumultum, quam bellum intelligi licet: quod bello vacationes valent, tumultu non valent.* Liv. VII. 28. *Quod per magnos tumultus fieri solitum erat, justitio indicto; delectus cum sine vacationibus habitus esset.* VI. 6. *Tertius exercitus ex causariis, senioribusque scribatur.* VI. 10. *Seniores etiam coacti nomina dare, ut urbis custodiam agerent.* Sigon. de Art. jur. civ. Roman. I. 15. Stewech. in Veget. I. 6. Votorum parci fuerunt, ut ferme nulla, vel certe rarissima eorum indicia, quam quod, nec alia de causa factum puto, inter spem, & metum hærentes dubii de oblectamentis vitæ puerorum modo in diem fuerint solliciti; puta quibus facto per exequias silicernio, extremum illud VALE æquis auribus hauriendum erat. Gravioris tamen morbi vim præsentientes Lunæ lectum, & cubiculi tegumenta vovisse auctor est Isidor. Scholast. Epigr. c. 3. c. 1. *Tomas. de Donar. c.* 36. Sexagenarii de ponte dejici dicebantur. V. supr. in *Depontani.*

SENIO erat jactus talorum. Suet. Aug. c. 71. n. 5. *Talis jactatis, ut quisque senionem miserat.* Appellabatur a *senario* numero, vel a sex istis punctis, quæ in talo erant, si tamen erant. Ita enim Fortius, vetus Schol. Pers. II. 48. *In talis senio puncta sex continet.* Communis erat tam tesseris, quam talis. In tesseris enim felicissimus erat jactus, quando nimirum tres *seniones*, id est, ter sex puncta resiliebant, in talis vero non itidem. Licet enim, ut Polyd. II. 13. tradit, sex puncta habuerit, in numero quatuor tantum valebant. Cui etiam adstipulatur Alex. Gen. III. 21. Alii dicunt, duos *seniones* quatuor valuisse. Beroald. ad Suetonium. *Existimant eruditi senionem significare quaternarium, quod scilicet qui jecerat duos seniones, ille quatuor nummos lucrabatur.* Ut ut sit, errasse mihi videtur Rader. Mart. XIII. 6. ubi ait: *Senio in talis tum judicatur casus fortunatissimus, cum tali diversas habent figuras, ut nullus cum altero conveniat.* Hic enim Venereus est jactus, qui expresse secernitur a *senionis* missu, ut patet ex sequentibus Augusti verbis: *in singulos talos denarios singulos conferebat in medium, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.* Interea tamen hic jactus neutiquam semper erat damnosus, sed potius lucrosus, adeo etiam ut *dexter* vocetur a Persio. V. illum supr. in *Orca.* Ubi Casaubonus: *Ut quisquis, talis jactatis, senionem miserat, vincebat, sin canem, vincebatur; ideo senionem ferre dicit Persius, hoc est, lucrum concitare: at canem radere, id est, damno illato rem minuere.* Nec obstat, quod nonnulli ex Augusti loco damnum quoddam huic jactui adscribere conantur, & illum pro ancipiti, id est, & bono, & malo habeant, quod faciunt Alex. l. l. & Beroald. ad Suetonium. Nonnulli hoc idem asserere student ex Martiale laudato V. supr. in *Abacus.* Ut hoc facit Erasmus in adagio: *Chius ad Coum*, ubi dicit: *damnosum fuisse senionem, si cum cane subsiliisset.* Sed certe Martialis κατ' ἐξοχὴν tantum duorum horum jactuum mentionem facit, pro omni talorum, tesserarumque ludo, id est, non ego talis, tesserisque assidens tempus domi contero, sed studiis potius, & scribendis libellis insumo. *Senionem* autem cum cane exiliente, tanquam unum jactum, & hunc ipse item quidem minime gentium intelligit. Casaubonus Augusti ludum pro certa quadam specie ludendi, quæ tam talis, quam tesseris etiam communis erat, & πλειστοβολίνδα juxta Polluc. IX. 7. vocabatur, accipit quando nimirum inter se contendebant, quisnam ludentium plura numero puncta jaceret. Et qui πλειστοβολίνδα ludebant, ut quit ille, *singulis jactibus infelicibus certam pecuniam, prout convenerat,*

in medium conferebant: aliquando in singulos talos singulos nummos, ut hic Augustus ait: aliquando in singulas unitates, quas jactus ostendebat, sive in punctum, ut loquitur Suet. Ner. c. 30. n. 3. singulos nummos. Ego hunc Augusti ludum plane singularem, & regium existimo, quo magnates contra illum receptæ consuetudinis, non tam lucri, quam gloriæ causa ludebant, ideoque nolebant illi participare aliquid accipere, sed potius ad singulos jactus, aliquid addere; & alii cum in communi uti felices, aliquid addere; & [illegible] Venere exiliente & prosiliente, majorem [illegible] pecuniæ accipere. Et, quia rarissime contingebat jactus iste Veneris, ideoque magis magisque [illegible], [illegible] id, quod depositum erat, crescebat, adeo ut collusores Augusti plus quam sæpe tandem deficerent nummis, quos tamen ille vel de suo illis iterum largiebatur, vel quoties propter infelices jactus addere aliquid debebant, jactus istiusmodi illis condonabat, ne scilicet addere quicquam tenerentur. Hoc sequentia Augusti verba declarant, cum inquit: *Nam si quas manus*, seu jactus, *remisi*, id est, condonavi, ne tenerentur addere, *cuique exegissem*, id est, ab unoquoque petiissem, *aut retinuissem quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia.* Κῷος, vel *chous* dictus est ab infalinis [illegible], qui Coi, vel Choi vocabantur. V. supr. in *Cous.* Senftleb. de Alea c. 4. n. 7. Ferrar. Elect. I. 16.

SENIORES in censu quinam, & a quo fuerint dicti, ex Tuberone docet Gell. x. 28. *C. Tubero historiarum primo scripsit Servium Tullium Regem populi Romani, quum illas quinque classes juniorum*, & seniorum, *census faciendi gratia, institueret, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno septimo decimo, quo idoneos jam esse Reipublicæ arbitraretur, milites scripsisse: eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellasse.* Augustin. de Legib. in Sempronii §. 5. Lipf. de Milit. Rom. I. dial. 2. Panvin. de Civ. Rom. c. 52. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 14.

Seniores in senatu Romano, & quia ad hujus exemplar ambitiose componebatur, in municipali, fuerunt præstantiores, graduque super reliquos honestiori. Ita sæpe in lapidibus. *Seniorum* etiam hodie nomen servamus, nobis *Signori*: a *senio* scilicet, auctoritatis instrumento. E *seniorum*, aut præstantiorum numero sunt ii, qui *primi curiæ*, & *primarii curiarum*, & *principales*: ac forte hi, qui judicio Principis, non municipum suffragiis in curiam delecti. Hinc *principalitas*, quæ & *protostasia*, & *prototypia*. Iidem *principes decurionum*, & *decurionum primi*. In universum quoque *summates*, & *primates civitatum* l. 57. C. de decurion. Augustin. Epist. 44. *decuriones*, & *primates civitatis.* Vopisc. Aurel. c. 33. *Palmyreni, qui supererant principes civitatis.* Gloff. πρωτοπολίτης, *princeps*: & πρωτοπολῖται, *proceres.* Istorum numerus erat major, ac minor pro amplitudine curiarum opinor, civiumque, atque indigenarum copia, aut penuria. Erat, ubi *quinqueprimi.* V. illos supr. in *quinqueprimi.* Erat, ubi *decemprimi.* V. illos supr. in *decemprimi.* Reinef. Epist. ad Rupert. 31. Chimentel. de Honor. bisell. c. 27. Barth. Adv. XLVII. 21. Chiflet. Anast. Childer. Reg. c. 7.

SENONES Galli ultra Æsim tenuerunt usque ad Vitim. Hanc regionem primi coluere Liburni, & Siculi, quos expulere Umbri, quos Etrusci. Post *Senones* ex Transalpina profecti Gallia in his locis Tuscis exactis, consederunt. Hoc intellexit Liv. v. 35. cum dixit, *Senones recentissimos advenarum ab Utente flumine usque ad Æsim fines habuisse.* Itaque hæc regio ab iis *Senogallia*, Catone teste, est appellata, in qua floruerunt oppida, Sena, Fanum fortunæ, Pisaurum, & Ariminum. Hi & urbem Romam captam incenderunt, & multa post id tempus adjunctis Tuscis, Umbris, Latinis, & Samnitibus bella vario Marte, & periculosa gesserunt. De his victis post Camillum dictatorem T. Quinctius, C. Sulpicius, C. Pœtelius, M. Popillius, Q. Fabius consules, & plerique alii Romanorum duces triumpharunt. Postremo an. 471. omnes eorum reliquias in Etruria ad lacum Vadimonis P. Cornelius Dolabella delevit, ne quis extaret in ea gente, qui incensam a se Romam urbem gloriaretur. *Ita ut hodie nulla Senonum vestigia supersint.* Flor. I. 13. 19. *Senonibus* cæsis eorum provincia in ditionem Romanam venit, quæ mari, Tuscia, & Umbris, amnibusque Rubicone & Æsi includebatur. Quo tempore etiam Italia, quæ Æsim fluvium non excedebat, ad Rubiconem usque extensa est, *Senonumque* regio, ut inquit Strab. v. p. 149. Umbris attributa. *Panvin. Imp. Rom. c. 3. Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 16. Cluver. Ital. ant. I. 29.*

SENTENTIA ferebatur causa utrinque perorata post meridiem, quodcunque fuerit judicium. Sic enim scriptum erat in lege: *Post meridiem præsenti litem addicito, si ambo præsentes. Sol occasus suprema tempestas esto. Supremam* autem nominat, quia post *supremam* jus dici, aut causa cognosci non poterat. Quod si judices causam non intellexissent, dixerunt, *sibi non liquere.* V. supr. in *N. L.* Si vero in causa nihil obscuritatis habuerunt, *sententiam* tulerunt. *Sententiæ* ferendæ non una omnium judicum, neque in omnibus causis ratio fuit. In nonnullis causis, ut de libertate, & de ventre cognoscendo pronuntiarunt: *sibi videri hominem aut liberum, aut ingenuum, aut servum, aut libertum, aut filium ejus esse, aut non.* Sic enim scribit Ulpian. ff. de liberali causa: *Pronuntiare debebunt judices, servum illius non videri.* Item: *Cum non ingenuus pronuntiatur, sed servus non videri.* In actione injuriarum pronuntiarunt, aut *jure fecisse*, aut *non jure fecisse videri.* Hoc est apud Justinianum titulo de injuriis: *Injuria*, inquit, *est ἀδικία, id est, iniquitas. Itaque cum prætor, vel judex. Non jure, contra quem pronuntiat, injuriam accepisse dicitur.* Hinc nota illa vox est Cincinnati dictatoris, *se, Mælium jure cæsum, pronuntiare.* Scipionis, *sibi Gracchum jure occisum videri.* & Tacit. Annal. XIV. 43. 4. *Pronuntiemus ultro dominum occisum videri.* Hoc cum ita sit, Icti hanc ex verbis Justiniani sententiam adhuc elicere non potuerunt: siquidem *non jure pronuntiare*, interpretantur injustam *sententiam* ferre; locumque corrigunt ita, ut pro *injuriam accepisse* reponant *injuriam fecisse*, hoc sensu: cum judex inique pronuntiat, injuriam ei fecisse dicitur, contra quem pronuntiat: cum potius hic sit: cum judex, *non jure videri fecisse*, pronuntiat contra quem, tum demum qui passus est injuriam, accepisse dicitur, id est, tum demum est injuria, cum judex judicavit, *non jure factum esse.* In causis exhæredationis. Plin. Epist. v. I. 6. *Ego ex consilii sententia; videtur, inquam, Curiane, mater tua justas habuisse causas irascendi tibi.* In aliis causis alterum condemnabant, alterum absolvebant. Dicebant autem aut *condemno*, aut *ille debet*, aut *solve*, aut *redde.* Macer ff. quæ sentent. *Si judex ita pronuntiaverit: cum constet, Titium Sejo ex illa specie quinquaginta, item ex illa viginti quinque debere, idcirco Titium Sejo centum condemno.* Ulpian. ff. de re judicata: *Si is, qui petit, summam expresserit, & judex ait: solve quod petitum est, vel, quantum petitum est, valet sententia.* Absolvendi formula fuit: *secundum illum litem do.* V. illam supr. in *Formula.* In arbitriis præcipua aliqua observatio fuit. Arbitri primum pronuntiabant arbitrum: deinde, nisi reus arbitrio paruisset, sententiam protulerunt, eumque condemnarunt. V. supr. in *Arbiter.* Sigon. de Judic. I. 29. *Sententias* in senatu, si separatim consules retulissent, vel cum his tribuni quoque, aut alii quivis magistratus, credibile est, non omnes, sed eum tantum consulem, qui cum fascibus erat, rogasse. Facio hanc conjecturam ex his verbis Liv. IX. 8. *Consules de pace Caudina retulerunt, & penes quem fasces erant, dic Sp. Postumi, inquit.* At si consules abessent, qui rogaret quæres? Mihi quoque hac de re dubitanti nullum, quo stari possit, indicium in antiquorum libris occurrit. Sed si dicerem urbanum prætorem, prætoribusque absentibus tribunum, quem universum collegium delegisset, nescio an judicarent homines morum disciplinæque Romanæ periti, non omnino ineptam hanc meam responsionem esse. Memini tamen apud Cicer. ad Fratr. II. 1. me legisse, cum Lupus tribunus plebis causam agri Campani perorasset, & senatum se dixis-

ses

set non morari, Racilium de judiciis retulisse, & *sententias* rogasse. *Zamosc. de Senat. Rom.* II. 10. In senatu Princeps non ferebat, sed rogabat modo. Et quemadmodum cum Princeps abesset, consul, penes quem eo mense fasces, postquam ad senatum retulisset, *sententiam* rogabat, ita præsente Principe, & referente, etiam ipsi consules *sententiam* dicebant. Tacit. Annal. III. 17. 8. *Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul (nam referente Cæsare magistratus eo etiam munere fungebantur)* id est, rogante Cæsare, *sententiam* etiam ipsi consules ferebant, ut cæteri senatores, absente Principe rogabant tantum. *Ferrar. Elect.* I. 10. *Ordo rogandi sententias varius fuit: alias primus rogabatur, qui a censoribus princeps in senatum lectus fuerat: alias qui designati consules erant: quidam e consulibus studio, aut necessitudine aliqua adducti, quem iis visum erat, honoris gratia, extra ordinem sententiam primum rogabant: observatum tamen est, quum extra ordinem fieret, ne quis quenquam ex alio, quam ex consulari loco, sententiam primum rogaret. C. Cæsar in consulatu, quem cum M. Bibulo gessit, quatuor solos extra ordinem rogasse sententiam dicitur, ex iis quatuor principem rogabat M. Crassum, sed postquam filiam Cn. Pompejo desponderat, primum cœperat Pompejum rogare.* Gell. IV. 10. Post comitia vero consules designati primi in gradu consulari erant. Cicer. Phil. V. 13. *Qui ordo in sententiis rogandis servari solet, eundem tenebo in viris fortissimis honorandis. A Bruto igitur consule designato more majorum capiamus exordium.* Sallust. Catil. p. 39. *D. Junius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat.* Causam istius instituti hanc reperi ex Appian. Bell. civ. II. *ut cautius, & circumspectius censerent, cum illis exequenda essent omnia, quæ senatus decrevisset.* Ambos autem ante cæteros senatores dicere consuevisse *sententiam* indicat Senec. in Ἀποκολοκ. p 852. quando ait: *Proximus interrogatur sententiam Diespiter, Nicepotæ filius, & ipse designatus consul.* Illorum autem, qui prius renuntiatus esset, priore quoque loco in senatu *sententiam* dixisse inveniet, qui in historiarum monumentis evolvendis paullo attentius versatur. *Zamosc. l. l. Manut. de Senat. c.* 8. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 5. *Bud. in Pandect. p.* 57. *H. Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 4. *Panvin. Fast.* I. *p.* 45. *Noris. Cenot. Pisan.* II. 2. *Turneb. Adv.* III. 4. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 2. *Thys. in Gellium.* Post consulares prætorii, post prætores ædilicii, ac demum tribunicii, ac quæstorii censebant, ut gradus gradui semper præferretur. Sic enim, quod Cicer. Verr. V. 14. dicit per ædilitatem *se assecutum antiquiorem sententiæ dicendæ locum*, rationem habet. Et in Epist. ad Attic. XII. 21. ita est: *Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse, quam omnes ante dixerant, præter Cæsarem: & cum ipsius Cæsaris tam severa fuerit, qui tum prætorio loco dixerit, consulariorum putat leniores fuisse.* Ergo hic prætorii ante ædilicios dicunt. Nam Cato post Cæsarem rogatur; quorum ille tribunus plebis, ut inquit Vellej. II. 35. 3. hic prætor designatus in sequentem annum, auctore Dione, fuit. Senatores pedarii non rogabantur, sed tamen consulis permissu dicere poterant. Qua de re Gellius. V. illum s. pr. in *Senatores pedarii.* Dionys. VII. p. 462. *Ubi seniores dixerunt, ex junioribus Coriolanus, postulata, & impetrata dicendi potestate, adversus plebem hujusmodi orationem habuit.* p. 453. *Solebant consulares, ac potissimum seniores, primi rogari. Juniores vero non rogabantur, aut rogati non dicebant, sed discedebant in seniorum sententias.* Quo spectavit Laberius poeta, cum in mimis *caput sine lingua pedariam sententiam* nominavit apud Gell. III. 18. Causam cur non dicerent, reddit Dionysius: *Quoniam*, inquit, *veterum senatorum sententiis addere aliquid juvenes, & rerum imperitos, aut detrahere velle, impudentiæ summæ videretur.* Utrum autem magistratus rogarentur, nihil habeo quod sequar. Certum est illos habuisse jus *sententiæ*. Sed, cum privatis omnibus præstarent, non existimo rationi consentaneum, eos posteriore loco rogatos. Itaque considerare oportet, an majorum magistratuum referendi potius, quam censendi, partes fuerint; minorum vero partes admonendi, si quid per gratiam contra leges de rebus, quas illorum fidei populus credidisset, homines potentes in senatu molirentur. Itaque Cato quæstor semper in senatum venit, non aliam ob causam Plutarcho teste, quam ut si quid ex vectigalibus detraheretur, aut ex ærario erogaretur, impediret. Etsi vero hoc ordine censerent, tamen cuilibet liberum fuit petere a consule, ut interfari, aut præfari posset. Liv. III. 39. *Proditum memoriæ est, Potitum post relationem Ap. Claudii, priusquam sententiæ rogarentur, postulando ut de Republica liceret dicere, prohibentibus minaciter decemviris, proditurum se ad plebem denuntiantem, tumultum excivisse.* Ita igitur stante Republica Confecto Africano bello decretum Dio tradit, ut Cæsar primus omnium *sententiam* suam exponeret. Et Augustus teste Suet. c. 35. n. 5. *sententias de majore negotio non more, neque ordine, sed, prout libuisset, perrogabat, ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis quam assentiendum esset.* Imperatoribus aliis referentibus consules illi ficti, commenticiique principes *sententiarum* erant. Tacit. Annal. III. 17. 8. *Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul: nam referente Cæsare magistratus eo etiam munere fungebantur.* Zamosc. l. l. Perrogari dicebantur, quando ad unam omnes rogabantur. Liv. XXIX. 19. *Perrogari eo die sententiæ, accensis studiis pro Scipione, & adversus Scipionem non potuere.* Tacit. Hist. IV. 9. 3. *Cum perrogarent sententias consules, Vulcatius tribunus plebis intercessit.* Suetonius modo laudatus. Senatores consulibus, dum eos cohortarentur ad rogandas omnium senatorum *sententias* dixerunt, *perroga.* Hoc in acclamationibus post Commodi cædem factis legimus apud Lamprid. c. 19. *Perroga, perroga, omnes censemus unco trahendum.* Et, *de parricida refer, refer, perroga.* Brisson. de Form. II. p. 184. Rogandarum *sententiarum* formula erat, verbi gratia, *Dic Marce Tulli.* Cicer. Attic. VII. 3. *Illud ipsum quod ais, quid fiet, cum erit dictum: dic Marce Tulli σύντομα, Cn. Pompejo assentio.* 7. *Ἐμπολιτεύομαί σοι jamdudum, & facerem diutius, nisi me lucerna desereret: ad summam, dic Marce Tulli.* Liv. IX. 8. supr. laudatus. *Brisson. ibid p.* 168. Dicendarum ratio, & forma hæc erat. Senatores rogati longis utebantur orationibus, quas aliquando ex scripto recitabant. Capito apud Gell. IV. 10. *Erat senatori jus, ut sententiam rogatus diceret ante quidquid vellet alterius rei, & quoad vellet.* Tacit. Annal. XIII. 49. 2. *De bello, & pace, de vectigalibus, & legibus, quibusque aliis Respublica continetur, suadere, dissuadereve patribus licebat, quando dicendæ sententiæ jus accepissent, & quæ vellent expromere, relationemque in eo postulare.* Scite. Etenim senator egressus relationem, & si rem suasisset, qua vel sola niteretur salus civitatis, tamen de ea SCtum sine relatione nova fieri non potuit. Unde Liv. XI. cum mentio facta esset de pace Carthaginensi, conclamatum ex omni parte curiæ prodit, uti referret P. Ælius prætor. Tacit. Annal. XV. 22. 1. *Magno assensu celebrata sententia, non tamen SCtum perficiunt, abnuentibus consulibus ea de re relatum.* Ubi dixisset quoad vellet, rationemque sui consilii explicasset, *sententiam* orationi fere epilogi vice paucis verbis addebat. Exempla exhibent orationes Ciceronis in senatu habitæ, Sallustiique & aliorum historiæ. Ut uno verbo dicam, id quod relatum erat, aut suadebat, aut dissuadebat, aut, si post alios rogaretur, alteri verbo assentiebatur, aut dividi relationem postulabat. Explicandum hoc loco est, quid esset petere, ut relatio divideretur. Sæpe, ut apparet ex Varronis apud Gellium testimonio, infinite de Republica referebatur. Si igitur relatione illa generali res continerentur ita diversæ, ut non idem de omnibus statuendum senatoribus videretur, postulabant, ut separatim de singulis consulerentur. Liv. VIII. 14. *Camillus de Latinis populis ad senatum retulit. Principes senatus relationem consulis de summa rerum laudare, sed cum aliorum causa alia esset, ita expediri posse consilium dicere, ut pro merito cujusque statueretur, si de singulis nominatim referrent populis.* Senatores dicebant stantes. Quare, cum historici faciunt aliquem in senatu suadentem, eum surrexisse ajunt. Gell. VII. 3. *Sententiæ rogari cœptæ, tum M. Cato exsurgit.* Sic cum assedisse senatorem narrant, significant eum dicendi finem

 fecisse.

fecisse. Sallust. Catil. p. 48. *Postquam Cato assedit, consulares omnes, itemque senatus magna pars, sententiam ejus laudat.* Et quemadmodum stantes censere, sic assentiri sedentes Latini loquuntur. Cicer. Fam. v. 2. *Nulla est a me unquam sententia dicta in fratrem tuum, quotiescunque aliquid est actum, sedens iis assensi, qui mihi lenissime sentire visi sunt.* Aliquando jurati dicebant senatores *sententiam*: ut Lentulo, & Pæto coss. *Patres*, inquit Liv. xxx. 40. *jurati, ita convenerat, censuerunt: uti consules provincias inter se compararent, sortirenturve, uter Italiam, uter classem quinquaginta navium haberet.* Addo etiam illud, senatori, cum esset a consule rogatus, non dicere sententiam suam, aut non probare alterius haud licuisse. Quod indicant hæc Liv. xxviii. 45. *Q. Fulvius postulavit a consule, ut palam in senatu diceret, permitteretne patribus, ut de provinciis decernerent, staturusque eo esset, quod censuissent, an ad populum laturus. Cum Scipio respondisset, se, quod e Republica esset, facturum. Tum Fulvius: non ego ignarus, quid responsurus, facturusve esses, quæsivi: quippe cum præ te feras, tentare magis, quam consulere senatum: & ni provinciam tibi, quam volueris, extemplo decernamus, paratam rogationem habeas. Itaque a vobis tribuni plebis postulo*, inquit, *ut sententiam mihi ideo non dicenti, quod si in meam sententiam discedatur, non sit ratum habiturus consul, auxilio sitis. Inde altercatio orta, consul negabat æquum esse tribunos intercedere, quo minus quisque suo loco senator sententiam diceret.* Nec prætermittendum puto, quod in Cicer. de Orat. iii. 1. notavi, asperitatem, & acrimoniam in dicendo Crassi pignoribus a Philippo consule coerceri: &, quod tradit Gell. iv. 10. Catonem, præfracte obsistentem relationi, & diem eximentem dicendo, a Cæsare consule in carcerem ductum. Perrogatis omnibus *sententiis*, vel si non adesset quisquam, qui aliud dicere vellet, cum tres, aut quatuor, ut semper accidere videmus, controversæ invenirentur, oportuit in aliquam earum SCtum fieri. Fiebat vero in eam, quam plures laudassent. Nam Cornelius Nepos Exempl. v. auctore Gell. vii. 18. memoriæ, & literis tradidit, multis in senatu placuisse, ut ii qui de permutandis captivis, post Cannensem cladem, jurati ab Hannibale missi *redire nollent, datis custodibus ad eum reducerentur; sed eam sententiam numero plurium, quibus id non videretur, superatam.* Diversæ igitur *sententiæ* ordine pronuntiabantur a magistratibus. Cæs. de Bell. civ. 1. 2. *Lentulus consul sententiam Calidii pronuntiaturum se omnino negavit.* Cicer. Fam. 1. 2. *Sententia Bibuli prima pronuntiata est, ut tres legati Regem reducerent; secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres; tertia Volcatii, ut Pompejus reduceret.* In persequendis *sententiis* non tam qui primus suasisset, quam qui verbis luculentioribus, & pluribus rem comprehendisset, consules spectare solitos notavi in Cicer. Attic. xii. Pronuntiatis differentibus opinionibus senatorum in singulas discedebatur, ut quam plures probarent cognosceretur. V. supr. in *Discessio*. Interdum autem, si *sententia* res duas contineret, quarum una placeret, altera displiceret, antequam inciperent pedibus ire, patrum aliquis postulabat dividi *sententiam*. V. supr. in *Dividere*. Sæpenumero nullis *sententiis* dictis, relatione facta, statim fiebat discessio, quod Varro nominat SCtum per discessionem, illud autem per relationem. V. supr. in *Senatusconsultum*. Zamosc. ibid. c. 11. Manut. ibid. c. 9. *Sententiæ* primæ, aut secundæ quis dicatur, fusius inter se disputant *Turneb. Adv.* xxix. 12. *Casaub. & Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 8. *Guther. de Offic. dom. Aug.* 11. 5. De scripto interdum a censentibus dicebantur in senatu. Cicer. Phil. x. 2. *Hoc vero Q. Fusi sine offensione nostræ amicitiæ, sic tecum, ut a te dissentiens senator quæro: ita enim dixisti, & quidem de scripto.* Fam. x. 13. *Id ex ipso SCto poteris cognoscere: ita est enim perscriptum, ut a me de scripto dicta sententia est, quam senatus frequens secutus est summo studio.* Bud. in Pandect. p. 61. F. Et de tabella reorum dicebant prætores, & præsides. V. infr. in *Tabella*. Ita a judice ferebatur antiquitus missis in urnam calculis, ut albis absolveret, nigris damnaret. Quod si fortuna calculi essent æquales, tamen liberabatur reus: cjusque rei causam Aristoteles copiosissime reddit in Problematibus. De calculorum hoc more Ovid. Met. xv. 41. V. illum supr. in *Hercules Saxanus*. Plin. Epist. 1. 2. *Imo, quo magis intendam limam tuam, confitebor & ipsum me, & contubernales ab editione non abhorrere, si modo tu fortasse errori nostro album calculum adjeceris*, id est, si nostrum hunc errorem tuo judicio comprobaris. Huc adscribendum, quod Alcibiades *dicenti cuidam, an judicium de te non credis patriæ, respondit, ne matri quidem. Timerem enim, ne ignara & aberrans a vero, ita tandem nigrum calculum pro candido injiceret.* Ælian. Var. hist. xiii. 38. Plutarch. Apophth. c. 43. *Erasm. Adag. p.* 57. *Maurit. de Sortit. c.* 11. §. 2. *Manut. de dier. vet. rat. apud Rosin. Antiq. Roman.* iv. 9. *Torrent. in Horat. Od.* 1. 36. 10. *Junius Animadv.* 11. 5.

SENTIA dea existimabatur, quæ sententias inspirabat. Conso amicam facit August. de Civit. Dei iv. 11. *Ipse sit & deus Consus præbendo consilia, & dea Sentia sententias inspirando.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 17. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 48. A. Stuck. de Sacrif. p. 44. Struv. Ant. Rom. c. p. 159.

Sentia gens. V. illam supr. in *Gens*.

SENTINA est pars inferior navis, in quam quicquid instillat aquarum, defluit, corruptæque male olent. Cicer. de Senect. c. 6. *Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant: similesque sunt, ut si qui gubernatorem in navigando nihil agere dicunt, cum alii malos scandant, alii sentinam exhauriant.* Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 613. D. Dolet. de Re nav. Thes. Græv. ibid. p. 681. A. Gyrald. de Navig. c. 11. Scheffer. de Milit. nav. 1. 6. Kipping. de Exped. marit. §. 1.

SEP.

SEPELIENDI, & cremandi cadaveris consuetudo olim fuit. V. supr. in *Cadaver*.

SEPINUM est oppidum in Samnio, Romanorum colonia, de qua hæc Frontin. de Colon. p. 107. *Sepinum, oppidum muro ductum, colonia ab Imperatoribus Nerone, & Claudio est deducta. Iter populo debetur pedibus quinquaginta. Ager ejus in Augusteis centuriis est assignatus.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 848. A.

SEPLASIA, vel *seplasium*, quo nomine vocari solent aromata, & simplicia medicamenta, ac unguentorum deliciæ. Plin. xxxiv. 11. *Credunt seplasiæ, omnia fraudibus corrumpenti. Jam quidem facta emplastra, ac collyria mercantur. Tabesque mercium, aut fraus seplasiæ sic quæritur eis.* Ita Plinium emendat Salmas. Exerc. Plin. p. 740. b. D. Auson. Epigr. cxvi. 4.

Ære seplasiæ decipiare, cave.

Val. Max. ix. 1. ext. 1. *Seplasiæ* deliciis contusam, fractamque fuisse Punicam ferociam testatur. *Ac tum demum fracta, & contusa est Punica feritas, cum seplasia ei & Albana castra esse cœperunt.* Beroal. Annot. c. 74. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Conviv. iii. 28.

Seplasia fuit forum Capuæ, in quo hæc unguenta vendebantur. Festus: *Seplasia forum Capuæ, in quo plurimi unguentarii erant: cujus meminit Cicer. in Pison. c.* 11. *Seplasia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum aspexit, Campanum consulem repudiavit.* Ascon. in Cicer. p. 161. *Dictum est in dissuasione legis agrariæ ad populum, plateam esse Capuæ, quæ Seplasia appellatur, in qua unguentarii negotiari sunt soliti.* Beroal. Annot. c. 74. Voss. Lex. Etymol.

SEPLASIARIUS in glossis Philoxeni & Cyrilli exponitur παντοπώλης. Ea voce notatur, qui omnia vendit. Itaque interpretatio glossarum videtur laxior esse quam oportebat. Nam non est, qui ἁπλῶς omnia, sed qui, ut nunc loquimur, species omnes divendit, hoc est, τὰ εἴδη ἀρωματίζοντα, unde aromatorios vocamus. Vendebat enim pigmenta, thura, odores, pharmaca, & id genus varias, minutasque merces, quæcunque pictoribus,

bus, tinctoribus, & unguentariis conducerent. Græci ῥωποπώλην vocarunt. Et ῥωπὸν ejusmodi merces omnes mixtas & minutas appellarunt. Hesychius. Lamprid. Heliog. c. 30. *Pinxit se ut seplasiarium.* Salmas. in Lampridium, & Exercit. Plin. p. 739. a. D. Voss. Lex. Etymol. Beroal. Annot. c. 74. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. vi. p. 232. Buleng. de Conviv. iii. 28. Cujac. Observ. x. 19. Schill Nomencl. Philol. p. 1030.

SEPTA proprie loca sunt quævis munita, & quodam *sepimento* vallata. Varr. de Re Rust. i. 14. *Nunc de septis, quæ tutandi causa fundi, aut partis fiunt, dicam. Earum tutelarum genera* iv. *unum naturale, alterum agreste, tertium militare, quartum fabrile.* Qui & omnia vocat *septa*, quibus animalia includuntur ibid. c. 11. *In villa*, inquit, *ædificanda hoc potissimum, ut intra septa villæ habeas aquam.* Et laudantur ab eo *septa* Fulvii Hirpini & Pompeji, quibus scilicet feræ conclusæ pascebantur. *Beroald. in Serv.* §. 38. *Tiraquel. in Alex. Gen.* ii. 18. *Pitisc. in Suet. Aug.* c. 43. *n.* 1.

Septa etiam *loca sunt in campo Martio, tabulatis inclusa, in quibus stans populus Romanus suffragia ferre consueverat. Sed quoniam hæc septa similia sunt ovilibus, duo hæc invicem pro se ponuntur, ut septa pro ovilibus posuit Virg. Ecl.* i. 34.

Quamvis multa meis exiret victima septis.

Contra Lucanus & Juvenalis. V. illos supr. in *Ovile*. Servius in Virgilium. Qui quod de populo Romano dixit, non dubito, quin ad omnem populi conventum referri possit, sive is esset tributis comitiis, sive centuriatis: non ut omnis populus unico *septo* concluderetur; sed ut tribus, & centuriæ in campo Martio suffragia laturæ suis singulis *septis* discluderentur; nam & loca tabulatis inclusi dicit fuisse numero multitudinis: & cum ovilibus adeo similia fuerint, ut inde sumpto nomine interdum ovilia sint appellata; non dubium est, quin de pluribus *septis* in campo Martio ita sit accipiendum, ut in ovili stabulario plura *septa* scimus esse, alia ad lactentes hædos cum matribus continendos, alia ad prægnantes oves, alia ad reliquas cum arietibus. Segregatas hujusmodi *septis* non tribus modo, verum etiam centurias, colligitur ab exemplis; nam de centuriarum *septis* Liv. xxvi. 22. cum ait: *datum in ovili secreto colloquendi tempus.* Et x. cum centurias primo, deinde aliquanto post tribus, ad suffragium ait introvocatas; quo modo simili de re locutus est Cicero pro C. Cornelio tam tribuum, quam centuriarum *septa* verbum introvocari videtur significare; quo enim introvocarentur in campo Martio? nimirum intra *septa*, ut separatim singulæ suffragium ferrent. Nec magis de centuriarum, quam de tribuum *septis* accepisse videtur Ovid. Fast. i. 53.

Est quoque, quo populum jus est includere septis.

Eadem significat Suet. Aug. c. 43 n. 1. *Ludos fecit non in foro modo, nec in amphitheatro, sed in circo, & in septis.* n. 11. *Publicavit rhinocerotem apud septa.* Sed occurrit illud: si tam tribus, quam centuriæ *septis* invicem distinguebantur, cur dixit Cicer. Attic. iv. 16. *In campo Martio septa tributis comitiis marmorea sumus & tecta facturi?* Cur non potius *comitiis*, quam *tributis comitiis*. Nam si *comitiis* dixisset, id est, de omni populi conventu, id est, tam de tribubus, quam de centuriis, *septo* marmoreo discludendis acciperetur. Cum vero *tributis comitiis* dixerit: non de centuriarum, sed de tribuum *septis* videtur intelligere; non enim centuriatis, sed tributis comitiis tribuni plebis creabantur. Itaque jure dubitatur. Ego, ut tollatur dubitatio, primum pro *tributis* lego *tributis*, sicut in Bessarionis antiquo libro scriptum est. Nam, ut tantummodo eorum comitiorum causa, quæ ad unum magistratum designandum haberentur, *septa marmorea* fierent, absurdum est opinari. Tributis vero comitiis non soli tribuni plebis, sed minores omnes magistratus designabantur. Itaque *septa marmorea* Cæsaris nomine Cicero, & Oppius in campo Martio facere cogitabant, ut populum, quotiescunque tributim in campum conveniret, commode, & honorifice exciperent. Deinde, cum quæritur, cur *comitiis* generali vocabulo non dixerit, respondeo, quia necesse non fuit: quandoquidem quæ *septa* fiunt tribuum recipiendarum causa, ea centuriarum causa fieri non est dubium. Nam quo recipiuntur tribus, multo facilius recipientur centuriæ; frequentior enim in tribubus, quam in centuriis, populus fuit. Dixit igitur, *tributis comitiis*, cum hoc significaret, ad eam frequentiam populi recipiendam, quæ summa est. Tributis autem comitiis summam esse non ignorabat, ideo nominavit *frequentissima comitia*: sic enim amplitudinem *septorum* Attico significabat. Quod si quis plura *septa* centuriis, quam tribubus, necessaria fuisse objiciat, cum plures essent centuriæ, quam tribus, nihil agat: nam xxxv. *septa*, numerum tribuum æquantia, omnibus cxciii. centuriis recipiendis facile sufficerent: cum in uno unius tribus *septo* multæ centuriæ separatum locum capere possent. Ita non plura *septa*, quam xxxv. quot scilicet tribus essent, existimo fuisse. *Manut. de Comit. Roman. c.* 15. *Grucb. de Comit. Roman.* i. 4. *Donat. de Urb. Rom* iii. 16. *Alex. Gen. dier.* ii. 18. *& ad illum Tiraquellus. Panvin. de Lud. Circens.* ii. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 4. *Nonn. in Goltz. Jul. Cæs. Nomism. p.* 45. *Cassiod. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 3. *c.* 6. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 21. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* vi. *p.* 484. *a.* Cæsar voluit exstruere curante M. Tullio: ut dictum supr. ex Attic. iv. 16. Sed opus variis de causis, & postremo exortu belli civilis omissum est. Ea deinde Lepidus ædificavit, perfecit, ornavitque Agrippa. Dio liii. p. 512. B. *Augusto* viii. *Statilio Tauro coss. Agrippa, quia nullam viam sternendam susceperat, septa dedicavit. Septa locus est in campo Martio: Fuit ad habenda tributa comitia Lepidus undiquaque porticibus circumductis ædificaverat, tabulis lapideis, & picturis a se exornatum: Agrippa septa Julia ab Augusto cognominavit.* Plin. xvi. 40. *Fuit memoria nostra & in porticibus septorum a M. Agrippa relicta trabs æque miraculi causa, quæ diribitorio superfuerat.* Donat. l. l. In qua parte campi Martii posita fuerint, non eadem antiquariorum sententia constat. Nardin. Rom. Vet. vi. 6. inter Citorium, ædemque S. Mariæ in Aquiro ea statuit. Blond. Rom. Instaur. ii. 71. in via Flaminia, ubi M. Aurelii columna conspicitur: *Campi Martii*, ait, *de quo infra diffuse dicemus, comitiorum locus ignoratur. Sed quando res postulat, eo in loco dicemus, ubi nunc columna cochlis exstat, quam Antoninum Pium Aurelium posuisse constat.* Donat. de Urb. Rom. i. 22: iii. 16. ab aquæ Virginis, nunc Trivii fonte, ad collem propemodum Hortulorum, juxta ædem S. Andreæ, vulgari cognomento *Delle Fratte* ea producere non dubitavit; hoc argumento suffultus, quod vulgaris ejusmodi vox jam *septis* Latine respondeat: quæ vero sive ab hortorum sepimentis, quibus ea olim pulcerrima campi Martii regio cesserat; sive ab aquæ Virginis ductibus derivata fuisse non dubito: qui aquæductus quoniam ibi prærupti apparebant, *Forma Virginis fracta* nuncupabantur, uti apud anonymum Mabillonianum regiones Urbis describentem legitur. Hæc de *septorum* situ incerta, & varia antiquariorum omnium opinio est. Verum quam ei veterum scriptorum auctoritas refragetur, satis inde apparebit. Varr. de Re Rust. iii. 2. ea non procul a villa publica designat. Quin adeo proxima huic fuisse innuit, ut postquam in illis suffragium ipse tulerat, eo se contulisse referat, tanquam in locum ob nimiam vicinitatem quam maxime commodum, ut amico candidato, qui ædilis erat renuntiandus, officii causa præsto esse posset: *Comitiis*, ait, *ædilitiis cum sole caldo ego, & Q. Axius senator tribulis suffragium tulissemus, & candidato, cui studebamus, vellemus esse præsto, cum domum rediret; Axius mihi, dum diribentur*, inquit, *suffragia, vis potius villæ publicæ utamur umbra?* E quibus cum, suffragiis latis, eo secedere quoquo vellent, in suffragatorum arbitrio fuisse clicitur: manifestus proinde illorum (V. illos supr. in *Citorius*) error evincitur, qui centuriis post suffragia lata, ne cum aliis eadem laturis commixtio aliqua esset, præcipuum, certumque locum, Citorium nempe, lege adsignatum

signatum fuisse scribunt. Hæc tamen villæ publicæ cum *septis* proximitas ex iis, quæ Varro subdit, apertius deducitur. Ibi enim Appium Claudium augurem in subsellius sedentem invenisse scribit, ut consuli, qui in *Septis* tunc præerat, si quid usus poposcisset, præsto itidem esse posset. In hanc sententiam nostram ipse Nardinus nolens descendit, quum loquidem totum id spatii, quod *septis* nos dedimus, *septis* aliis, puta Agrippianis, attribuit; quæ nos cum *septis* campi Martii, de quibus est sermo, eadem omnino habemus. Neque insigne vestigii veteris Romæ fragmentum, ut in eo Bellorius advertit tab. x. nobis quidem [illegible] licet Bellorius ipse locum aliquem ut Nardini, aliorumque ferme trium [illegible], eadem *septa* conjungat, atque a platea S. Marci ad M. Antonini forum, ubi [illegible] columna visitur, continuatis porticibus recte processisse arbitretur: verum ædificia quæ intermedia aderant, id non sivisse videntur ejusdem præcipue M. Aurelii templum, & arcus aquæ Virginis ductus, qui sub colle hortulorum initium habebant, & viam latam a Flaminia dividentes, inde semitam, quæ a Quirinali ad Pantheon ducit, occupabant. Imo quoties ex Donat. iii. 18. & Nardin. iv. 9. tanquam res omnino comperta habeatur, quod iidem aquæ Virginis arcus inter templum S. Ignatii, & Pantheon terminabantur, jam non ultra ex eorundem quoque sententia *septa* processisse fateri oportet: nam ut proditum est a Frontin. Aquæduct. i. ibi *septorum* frons, ubi non longe eorundem arcuum finis erat: *Arcus Virginis*, inquit, *initium habens sub hortis Lucullanis, finiuntur in campo Martio secundum frontem septorum.* Nec quod Lampridius laudatus infr. in *Septa Agrippiana* inferendum mihi videtur, quasi a *septis* campi Martii hæc alia fuissent. Non ignoramus enim universos fere antiquarios ad hunc Lampridii locum, tanquam ad scopulum, offendisse, verbi illius minus longe quidem prospicientes. Campum Martium duplici acceptione apud veteres scriptores acceptum fuisse nec Nardinus inficiatur. Laxiori siquidem *septa* non tantum, sed universam illam planitiem, quæ inter Tiberim, & Capitolium, Quirinalem, & Hortulorum collem ad Milvium pontem usque interjacet, ad Martium campum referebant. Livius, & Dionysius. Laudantur supr. in *Campus Martius.* Sic Jupiter Pompejanus a theatri Pompejani vicinitate cognominatus a P. Victore, ut Nardinus prænotavit, in minore campo locatur: qui tamen in campo Martio ponitur a Plinio. V. illum supr. in *Jupiter Pompejanus.* Gell. iv. 7. iidem campum Tiberinum a C. Tarratia, sive Sufetia virgine Vestali populo Romano donatum, Martium pariter appellat. Strictiori autem sensu tam campus idem Tiberinus, quem cum minori eundem nonnulli faciunt, quam campus Agrippæ, & prata Flaminia, licet campi Martii partes faciant, ab illius nihilominus appellatione, novis postea nominibus accedentibus, ut plurimum excludebantur: atque ea tantum totius campi Martii pars Martius campus vocabatur, quæ adhuc hodie id nomen retinet: utpote quæ nunquam aliis nominibus cessit. Lampridius propterea arctiori hujusmodi significatione usus recte quidem a Martio campo *septa* discrevit: nec quod Agrippiana ea nuncupet, præter adjuncti nominis differentiam aliquam *septorum* pluralitatem inducere potuit. Quod ab ipso factum credimus; vel quia in ea campi Martii parte, quæ Agrippæ ab Augusto dono concessa, illius postea nomen recepit, sita fuerint *septa*; vel quod eadem, postquam Lepidus marmorea fecerat, Agrippa dicaverit. Dio supr. laudatus. Ac ne de *septis* aliis ab eodem exstructis Dionem loqui quis autumet, subdit: *Septa locus est in campo Martio.* .... Præter hæc autem *septa* ab Agrippa dicata quum alia ab eodem funditus exstructa fuisse nec Plinius præsertim, aut Suetonius, vel Dio, qui omnia, ac præcipua illius opera recensent, nos doceant; neque ullus præterea alius ex vetustis scriptoribus sit, qui præter unum Lampridium Agrippiana ea dixerit: quod propterea hæc cum pluribus aliis in nonnulli P. Victoris exemplaria, in quibus descripta etiam leguntur, ex margine irrepserint, nulla mihi est dubitatio.

Septorum autem magnitudo, & extensio, quæ antea, quæve postea fuerit, ex Cicerone conjici quodammodo poterit, qui in suo consulatu ita scribit ad Attic. iv. 16. *Efficiemus*, inquit, *rem gloriosissimam. Nam in campo Martio septa tributis comitiis marmorea sumus, & tecta facturi; eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. Simul adjungetur huic operi villa publica.* Quod opus deinde gravioribus de caussis a Cicerone omissum, mox a Lepido assumptum Agrippa perfecit. *Vignol. Dissert. de Column. Anton. P. i. c. 2.* Quoniam autem hæ porticus amplissimæ fuerunt, spectacula ibi ab Augustis non raro data: Octavio. Suetonius modo laudatus. Caligula. Suet. c. 18. n. 1. *Munera gladiatoria partim in amphitheatro Tauri, partim in septis aliquot edidit.* Donat. Marlian. & Demster. l. l. Argol. in Panvin. de Lud. circens. l. I. Et quotidiana ibi mercium præsertim pretiosarum venditio, ut colligitur ex Mart. ix. 60. 1.

In septis Mamurra diu, multumque vagatus,
Hic ubi Roma suas aurea vexit opes.

Donat. l. l. Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. tab. x. Et deambulationibus destinatæ. Stat. Sylv. iv. 6. 1.

Forte remittentem curas, Phœboque levatum
Pectora, cum patulis tererem vagus otia septis.

Martialis modo laudatus. *Demster. l. l.*

Septa Agrippiana inter ornamenta fuerunt campi Agrippæ. Lamprid. Alex. Sev. c. 26. *Basilicam Alexandrinam instituerat inter campum Martium, & Septa Agrippiana.* Forte hæc fuerint inter Ecclesiam Jesu, & collegium Romanum. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 9. n. 3. Bellor. Fragm. vestig. vet. Rom. tab.* x. V. tamen Vignolium supr. in *Septa.*

Septa Julia vocavit Agrippa loca in Campo Martio, quæ perfecit, & ornavit, ab Augusto. V. Dionem supr. in *Septa.* Utrumque fragmentum nostrum *septorum* faciem ostendit, quorum pilæ æqualibus intervallis, simul invicem, undequaque respondent, ac septem porticus recta tendentes componunt. Andreas Bufalinus hujus ædificii reliquias agnoscit ad Viam latam, in substructionibus ædium Aldrobandinarum; etenim super totidem pilis ex Tiburtino lapide ædes ipsæ constructæ sunt, e fundamentis caput eruentibus, quibus arcus impositos fuisse apparet. Porticus, sive ambitus primus Viæ latæ conterminus patet latitudine palmis 26. & cæteris amplior est, quæ major latitudo etiam in nostro vestigio perspicua est. Porticus ipsas recta processisse a Macello, ut vocant, Corvorum ad forum Antonini, tum ex reliquiis, quæ adhuc supersunt, tum ex aliis effossis in molitione vestibuli, & frontis Ecclesiæ S. Mariæ in Via lata, proximarumque ædium constat. Non adversantur *Septa* ipsa in regione campi Martii, & Citorio proxima, quod ædes Aldrobandinæ pertingant ad Viam latam; nam Agrippa, ut bene advertit Nardin. Rom. Vet. iv. 10. plusquam regia, hoc est, Romana magnificentia, planitiem universam Martio adjectam insignibus operibus, & monumentis exornavit. Pantheon fecit, thermas, hortos, porticum, diribitorium, fontem Aquæ virginis duxit; *Septa* vetera instauravit, ornavitque; & in planitie campo Martio proxima, alterum campum, & altera *Septa* continuavit. Opinamur tamen *Septa* Julia ab Agrippinis non fuisse diversa, semel tantum a Lampridio, V. illum supr. in *Septa Agrippiana*, *Septa* Agrippæ cognominata, quia M. Agrippa ædificavit. *Bellor. Fragm. vestig. vet. Rom. tab.* x.

Septa Trigaria a Rufo, & Victore in regione Urbis nona censentur. *Septorum* locus erat, in quo aut exercebantur, aut venales exponebantur equi, ut ex Plin. xxxvii. 13. intelligitur, dum inter Italiæ bona equos vernaculos laudat, nullis aliarum regionum posthabendos: *Neque equos quidem in Trigariis præferri ullos vernaculis animadverto.* Posset hinc aliquis elicere equorum præstantiam a trigarum curulibus certaminibus: nam Trigaria a trigariis agitatoribus videtur denominata, ac sæpe in area *septorum* ludi ab Augustis data sunt. V. supr. in *Septa.*

pra Bellor. Fragm. Vestig. vet. Rom. tab. x. V. etiam infr. in *Tricorium*.

SEPTEM *arces* vocantur septem colles Urbis Romæ propter sedes regias aliquando in iis constitutas. Virg. Georg. II. 535. Æneid. VI. 774.

Septemque una sibi muro circumdedit arces.

Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 3.

Septem dies, septem notati literis in Romanum kalendarium quoque sunt recepti, quemadmodum & eos hodie usurpamus. Et hebdomas quidem, præcipuum temporis nostri partem, originem a cœlo trahit. Deum ipsum Hebræi respiciunt, qui sex diebus mundi machinam in principio condidit, septimo quievit. Hoc sabbathum est, Dei dies, & feriarum operi destinatum, a Gentibus Saturni appellatione. Ejus loco proximum, sive solis, sed veri Solis, Christiani colimus, & Dominicum appellamus. Si recte calculum ponis, pietatis hæ quædam nobis velut nundinæ, vereque feriæ, & præcipuum feriarum locum obtinent. Romanis igitur vel spreta, vel ignorata dierum hebdomas, sero tandem, & ab Ægyptiis accepta placuit: cum pulcrum jam esset, alienos ritus in Urbem inferre. Scribit Dio XXXVII. suo jam tempore in usu fuisse, & tanquam vernaculam ubique terrarum usurpatam. Vixit Dio Alexandri Severi Imperatoris tempore post an. Christian. Epochæ 222. imperio jam inclinante. Ut serius, & accuratius fuit in historia Romani, ita *septem dierum* ordinem a *septem* deorum stellis sumptum, ratione partim musica, partim horaria explicavit. Occasio a Judæis, qui cum Sabbati sive Saturni die non pugnarent, a Cn. Pompejo, sacram urbem obsidente, sunt expugnati. *Putean. de Nund. Rom. c.* 25.

Septem domus Parthorum. V. illas supr. in *Domus*.

Septem salæ vocantur cisternæ capaces, sive castellum thermarum Titi. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 19. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14. V. supr. in *Domus Titi*.

SEPTEMBER mensis ab ordine, quod *septimus* esset, prius a Romulo dictus, mox in Germanici honorem, qui Drusi privigni Augusti filius fuit, *Germanicus* appellatus: seu, quod magis credo, a Domitiano, qui a Germanis devictis Germanicus dictus est. Namque de hac re loquens ait Suet. Domit. c. 13. n. 8. Sed V. illum supr. in *October*. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 195. C. Junius Thes. Græv. ibid. p. 217. D. Morestell. Philom. II. 11. Hunc mensem senatus in Tiberii Augusti honorem Tiberium appellari voluit, quod tamen ne fieret, ipsemet intercessit. Suet. c. 76. n. 5. *Intercessit, ne mensis September Tiberius vocaretur.* Audio præterea senatum decrevisse hunc mensem Antoninum vocari, verum id Antoninum respuisse. Scio Commodum Imperatorem, cum omnia mensium nomina transmutasset, iisque pro vetustis appellationibus novas de suis cognominibus imposuisset, hunc mensem Herculeum vocasse. Nec ignoro tandem a Tacito Imperatore Tacitum appellatum, quod in eo & natus, & factus esset Imperator. *Morestell. l. l. Panvin. Fast.* I. *p.* 27. Habuit primum ex ordinatione Romuli 30. dies: mox Numa eum ad undetriginta redegit: deinde Cæsar rursus ad triginta revocavit. Nonæ quinto semper die, Idus autem decimo tértio celebratæ fuerunt. *Viola ibid. D.*

SEPTEMVIRI epulones. V. illos supr. in *Epulones*.

SEPTICOLLIS Latinis, ἑπτάλοφος Græcis urbs Roma est appellata. *Septem* enim montes, sive *colles* ambitu latipatente complexa in tantam amplitudinem paullatim excrevit, ut non urbis tantum instar unius, sed tanquam τῆς οἰκουμένης ἐπιτομῆς, imo orbis totius intra mœnia sua collecti haberet. Ovid. Trist. I. 5. 69.

— quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma, deûmque locus.

Claud. de laud. Stilich. II. 135.

Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi.

Virgilius laudatus supr. in *Septem arces*. Cui rei, ut in mystico illo Pythagoræorum *septenario* tantum religionis inesse voluerunt, ut Romam ipsam habitu viraginis effictam in nummis, aliisque monumentis *septeno* vertice residentem effinxerint, & *septimontium* diem festum celebrarint. *Rycq. de Capitol. c.* I. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2.

SEPTIMIANA aqua. V. illam supr. in *Aqua*.

Septimiana porta. V. illam supr. in *Porta*.

SEPTIMILIARIUM, sive *septimum miliarium fuit palatium in suburbiis Constantinopoli, in quo Constantius novum consistorium juri dicundo contraxerat.* l. 30. C. de fideicomm. Novell. 118. Justiniani: *Data septimiliario in novo palatio domini Justiniani P. P. Augusti, imperii ejus anno* 18. Guther. de Offic. dom. Aug I. 36.

SEPTIMONTIUM festum a *septem montibus*, quibus Roma est imposita, suam traxit originem, & mense Decembri Romæ est celebratum. Institutum est, quum ultimus Urbi collis adderetur. Plutarch. Quæst. Rom. 68. *Feriæ istæ institutæ sunt propter adjectum septimum Romæ collem, quo facta est septicollis.* De eo ita Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Dies Septimontium nominatus est ab his septem montibus; in queis Urbs sita est, feriæ non populi, sed montanorum modo, ut paganalibus, quæ sunt alicujus pagi.* Accuratius a Festo exponitur, qui tamen non supra singulos illos montes sacra facta dicit: *Septimontium dies appellatur mense Decembri, qui dicitur in Fastis Agonalia, quod ea die in septem montibus fiunt sacrificia, Palatio, Velia, Fagutali, Subura, Germalo, Cælio, Opio, Cispio.* Et aliquanto superius ex Antistio Labeone. *Septimontio, ut ait Antistius Labeo, hisce montibus feriæ. Palatio, cui sacrificium, quod fit, Palatuar dicitur. Veliæ, cui item sacrificium. Fagutali, Suburæ, Germalo, Oppio, Cælio monti, Cispio monti.* Præter Palatium, Velia, & Germalus partes erant ejusdem Palatini: Fagutalis, & Oppius, ac Cispius Exquilini. Sic ut septem illa sacrificia in tribus solum montibus de illis septem peracta tradantur, nimirum Palatino, Cælio, & Exquiliis: cujus rei ratio nobis incomperta est. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c.* 18. *&* 4. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 497. *F. Scalig. in Festum. Hospinian. de Fest. Ethnic. p.* 226. *Struv. Antiq. Rom. c.* 9. *p.* 381. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 14. *Rycq. de Capitol. c.* I. Eo die Romani, utpote ominatiore, sibi mutuo xeniola, & streñas mussitabant. Tertull. de Idolol. c. 10. *Etiam strenæ captandæ, & Septimontium, & brumæ, & caræ cognationis honorandæ exigantur omnia.* Ubi quam libenter legerim: *Septimontio, & brumæ.* Imperator etiam ipse populo Romano dabat. Suet. Dom. c. 4. *Septimontiali sacro quidem senatui, equitique panaria, plebi sportellas cum obsonio distribuit.* Rycq. & Scalig. l. l. Celebrabatur non urbanatim, tanquam in exculto populo; sed rusticatim, quasi a montanis, paganisque fiebat: credo, ut primigeniæ simplicitatis reminiscerentur. Nisi forte a rusticis ea sollennia desumpta, queis & Montani, seu Montenses dei venerationi erant, & paganalia, haud dissimilia sacra, celebrata. *Rycq. l. l.* Etiam *usu vehiculorum, quæ jumentis traherentur, antiquitus abstinuerunt, idque etiamnum observant antiquitatis studiosi*, ut Plutarch. l. l. nimirum propter multitudinem populi, qui ex universa Italia tunc temporis in Urbem confluebat. Adeo ut tunc vix esse potuerit aliquis vehiculorum usus. Metuebant enim, ne in tam conferta undique accedentium copia impulsu vehiculorum quidam prosternerentur. Hæc simplex, & vera ratio. Nimis anxie hic sollicitus est Plutarchus. *Boxhorn. in Plutarchum.*

SEPTISOLIUM nonnulli vocant *Septizonium* Severi a *septem solariis*; nam inter columnas, quæ a tribus lateribus efficiunt veluti porticum, est breve ædificium, ex saxo quadrato, ab imo ad summum: hoc divisum in *septem* veluti *solaria* etiam nunc videmus, quibus moles ipsa connexa firmior efficitur. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 6. *Philand. in Vitruv.* V. 9. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 31. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 11.

SEPTIZONIUM in initio videtur fuisse ædificium hujusmodi, quod *septem* sibi superimpositos columnarum ordines habuerit: verum numerum illum *septenarium* semper

per in eo obſervatum vix puto: contra ea, datum aliquando id nominis pauciorum ordinum operi nullus dubito: non ſecus ac porticus milliariæ appellatæ non mille paſſus habuerunt longitudinis, vel mille columnas. *Nardin. Rom. vet.* VI. 15. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 4. *Donat. de Urb. Rom.* III. 13. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 14. §. 2. *Pitiſc. in Suet. Tit. c.* 2. *n.* 1.

Septizonium vetus fuit in regione Urbis duodecima. Victor: *regione decima Septizonium vetus, alias Severi.* Error eſt librariorum duplex: unus tranſpoſitionis, cum *Septizonium* vetus in regionem x. tranſtulere, novum in XII. alter, quod vetus, & Severi *Septizonium* pro eodem accepere, cum vetus Titi ævo jam extiterit. Scripſerat Victor: x. *regione urbis Septizonium Severi*: XII. *Septizonium vetus.* Prope illud enim natus eſt Titus. Suet. c. 2. n. 1. *Natus eſt* III. *Kal. Januar. inſigni anno Cajana voce, prope Septizonium.* De illo Ammian. XV. 7. *Diebusque paucis ſecutis, quum itidem plebs excita calore, quo conſuevit, vini cauſando inopiam ad Septizonium conveniſſet, celebrem locum, ubi operis ambitioſi Nymphæum Marcus condidit Imperator.* Nardin. Rom. vet. III. 10: VI. 15. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 14. §. 2. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 6. Donat. de Urb Rom. III. 10. Pigh. Annal. Roman. I. p. 4. Beroal. & Marcil. in Suetonium.

Septizonium novum ſub Palatio a Severo eſt fabricatum. Spartian. c. 19. *Opera publica præcipue ejus extant. Septizonium, & thermæ Severianæ.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 14. §. 2. Pigh. Annal. Roman. I. p. 4. Pitiſc. in Suet. Tit. c. 2. n. 1. Hoc ædificium ad ima referunt Palatini contra ædem S. Gregorii triplici ſuperſtantium ſibi columnarum ordine ante ſeculum conſpectum. Quatuor adhuc alios tribus illis ordinibus columnarum ordines olim fuiſſe impoſitos, ut ita vere *ſeptizonium* dici poſſet, ſunt qui putant. Sed negant hoc Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 6. Philand. in Vitruv. V. 9. Demontioſ. in libro, qui inſcribitur Gallus Romæ hoſpes part. I. p. 23. quia alias ædificium hoc in portentoſam conſurrexiſſet latitudinem. Vide tu ſupr. in *Septizonium.* Nardin. Rom. Vet. VI. 15. Bergier. de viis Milit. II. Sect. 35. §. 18. Fuit Mauſoleum Antoninorum. De ejus ſitu Spartian. in Geta c. 7. *Illatus eſt majorum ſepulcro, hoc eſt, Severi, quod eſt in via Appia euntibus ad portam dextrum, ſpecie Septizonii extructum, quod ſibi ille vivus ornaverat.* Cauſa notabilis eſt, cur iſto loco ſepulcrum ſibi fieri voluerit, quam idem indicat Sever. c. 24. *Quum* Septimius Severus *Septizonium faceret, nihil aliud cogitavit, quam ut ex Africa venientibus ſuum opus occurreret.* Bergier. l. l. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 20. Guther. de Jur. man. II. 21. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 31. Blond. Illuſtr. Rom. III. §. 57. Loco poſteriori non ordinum diminutio ad pyræ, ſeu rogi ſimilitudinem, ſed æqualitas obſervata conſpicitur: nec ulla in his ſpecies ineſt ſepulcri; nec a Severo, ut familiæ conditorium foret, conſtructum videri poteſt. In re etiam tam præclara, ac nobili rectius *ſuum ſepulcrum* dixiſſet, quo ſententia verborum ejus eſſet liquidior, quæ jam ambigua eſt, & obſcura. Cauſa quoque longe alia eſt. Sepulcrum ad condendos cineres extruitur: non autem, ut aliunde in urbem adventantibus ſpectaculo ſit. Pergit Spartianus: *Et niſi abſente eo per præfectum Urbis medium ſimulacrum ejus eſſet locatum, aditum Palatinis ædibus, id eſt, regium atrium, ab ea parte voluiſſe facere perhibetur.* At quæ atrio regio, ſeu aditui ad Palatinas ædes cum ſepulcro convenientia? Longe vero alia ratio eſt ædificii, ſeu ambulacri columnarum ordinibus inſigniti, excultique, tam quod ad uſum, quam quod ad voluptatem oculorum, cujuſmodi hoc fuiſſe videtur. Subnectit porro Spartianus: *Quod poſt Alexander cum vellet facere, ab auſpicibus dicitur prohibitus, cum hoc ſciſcitatus non litaſſet.* Non autem veriſimile eſt, pium illum Principem ſepulcrum violare voluiſſe imperatorium, ut aditum ſibi novum in palatium faceret: quin potius exploraturum antea fuiſſe cœli, deorumque voluntatem; qui in omni re leviore id facere ſolebat. Tandem remotiſſimum a vero videtur, Severum ad ipſum palatium ſibi, ſuisque monumentum erigere voluiſſe ſepulcrale. Priori non agitur de *Septizonio*, quod ad ima Palatini excitatum fuit: ſed de ſepulcro, in via Appia ad portam Capenam a Severo ſibi ſuisque in ſpeciem *Septizonii* facto, & quod tertium nomine tantum, & ſpecie *Septizonium* fuerit: quo fortaſſe ædificii genere delectatus fuit. E comparatione ſimilitudinis infertur diverſitas, non ſecus ac ex ipſo loco, ſituque. Quis autem viam illam inter circum maximum, & arcum Conſtantini Appiam fuiſſe dixit. Tum verba illa, *in via Appia euntibus ad portam dextrum*, viam rectam, abſque ullo, quem illi aſſignant, flexu, indicant, & ſepulcri ſitum non longe a porta remotum. Via vero Appia a Frontino, Statio, Feſto, cæterisque initium habuiſſe dicitur extra portam: poſſit tamen ferri, ut intra Urbem ad circum uſque maximum protendatur: ſed ulterius illam velle proferre, idque variis flexibus, cum Spartianus dicat, *euntibus ad portam*, de iis, qui in media Urbe erant, non tam a vero remotum exiſtimari debet, quam portento proximum. *Nardin. l. l. &* VII. 6. Qui quidem ſic ſuſpicatur ex laudato Spartiano in Geta. Sed illud teſtimonium non ſatis liquido evincit, aliud fuiſſe *Septizonium* in via Appia, aliud ſub Palatino; nam illud, quod erat in via Appia, vel intra, vel extra portam Capenam, putat fruſtra non eſſe idem, quod ſub Palatino; fruſtra putat viam Appiam non etiam fuiſſe intra Urbem: cum omnes viæ magnæ per Italiam ſparſæ terminarentur in Urbe ad milliarium aureum, prope ædem Saturni, ſub Capitolio. Clare Suet. Oth. c. 6. n. 3. *Ut ſe in foro ſub æde Saturni ad milliarium opperirentur.* Plutarch. Galb. p. 1064. B. *Deſcendens per ædes, quæ Tiberii vocantur, gradiebatur in forum, ubi ſtabat columna aurea, in qua inciſæ omnes Italiæ viæ finiunt.* Cur ergo hic multiplicanda ſine auctoritate veterum *Septizonia?* ducebat via Appia a Capena ad Palatinum, & ultra, licet nonnihil incurvato in Urbe, ut fit, itinere. In eo ſpatio ſitum *Septizonium*, quod & ſplendori Urbis inſerviit, & poſtea Antoninorum ſepulcro. Severi *Septizonium* Spartiano non vocatur *Septizonium*, ſed ſepulcrum ſpecie *Septizonii* extructum. Probe quidem; *Septizonium* enim illud Severi non fuiſſe diſtinctum in ſeptem zonas præciſe, ſed tantum in tres, utcunque nomen retinuerit germano ad Titi ædes *Septizonio* commune, oculari teſtes fidem facient: in quibus Marlianus. Et id ipſum teſtatur Philander. V. illos ſupr. laudatos. Ita videmus ſepulcrum Scipionis Africani, quod Eugenius Papa in porta Vaticani templi ænea expreſſit, in quatuor tantum zonas dividi. Occurrit Nardinus; nihil aliud propoſitum fuiſſe Severo, *cum Septizonium faceret, quam ut ex Africa venientibus ſuum opus occurreret.* Agnoſco, ſed ut occurreret tanquam magnificum opus, & illuſtre ſepulcrum. Nec aliud propoſitum fuit Calatinis, Serviliis, Metellis, Scipionibus, de quibus Cicero, in via Appia extra portam Capenam ſepultis, quam ut venientibus ab oriente monumenta ſua occurrerent, & ſuavem geſtorum ſuorum memoriam refricarent. Credibile ergo illud Caſaub. in Spartian. Sever. c. 24. *Antoninorum ſepulcrum, & Severi Septizonium ejusdem Mauſolei partes fuiſſe.* Nec juverit dixiſſe, Severum in Urbe non fuiſſe ſepultum, vetante lege XII. tabularum; cum & Trajanum, & Tubertum, & C. Fabricium & gentem Cinciam, Claudiamque in Urbe ſepultam conſtet; nam quod ad Procopium, non eſt ejus ſemper ſacroſancta auctoritas. *Borrich. l. l.* Ex tanto ædificio noſtro tempore tres tantum reſtant contignationes: quæ longa antiquitate videntur nutare, & ruinam minari. *Schott. Urb. Rom. Deſcript. p.* 407.

SEPTUNX, ſeptem cyathi. Mart. III. 82. 29.

Septunce multo deinde perditus ſtertit.

Agric. de Menſ. Roman. I. p. 21.

SEPULCRETUM eſt locus, ubi multa *ſepulcra* ſunt. Catull. LIX. 1. V. illum ſupr. in *Buſta Gallica.* Nomina in *etum* terminata multitudinis ſenſum plerumque ſuſtinent. *Gyrald. de var. ſepel. ritu c.* 9. *Faes ad illum. Nicol. de Sepulcr. vet. c.* 3. §. 4. *Quenſteed de Sepult. vet. c.* 8.

SEPUL-

SEPULCRUM vocatur *monumentum*, vel *memoria*, Græci μνημεῖον, vel μνῆμα: *conditorium*, vel *conditorium requietorium*, vel *quietorium*. *sedes*, *domus*, *tumulus*, *sarcophagus*. V. singula suis locis. *Kirchman. de Funer. Rom.* III. 10. *Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 9. & *Faes ad illum.* Quomodo differat a monumento. V. sup. in *Monumentum*. Est proprie locus, *ubi corpus*, *vel cineres condita sunt* l. 2. §. sepulcrum ff. de relig. Vel, ut ait Gallus Ælius apud Festum, *in quo mortuus sepultus est*. Basilic. IX. *Sepulcrum est*, *in quo corpus*, *vel reliquiæ positæ*, *non locus sepulturæ destinatus*, *non memoriæ*, *& monumenta*, *quæ sepulcra non sunt*, *nisi quatenus corpus est*. Eleganter Cicer. pro Mil. c. 38. *Mortuis vos a vobis monumenta retinebitis*, *corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini?* Plura monumenta construi poterant: unum sepulcrum fuit: quia una reliquia sepulcra plura efficere non potest l. cum in diversis ff. de relig. *Guther. de jure man.* II. 20. *Bulen. de Oper. Antiq. præf.* I. 16. Vivi plerumque *sepulcra* sibi solebant facere, partim ut haberent certum locum, ubi corpus requiesceret, cum primum mortualis hora advenisset: partim, ut eo ipso nominis sui memoriam ab oblivione vindicarent. Xiphil. LXIX. p. 797. E. *In foro suo columnam maximam collocavit*, *partim sepeliendi sui causa*: *partim ut opus*, *quod ipse fecerat circa forum*, *posteris ostenderet*. Senec. de Brev. vit. c. 20. *Quidam disponunt etiam illa*, *quæ ultra vitam sunt*, *moles magnas sepulcrorum*, *& operum publicorum dedicationes*. Tertull. de Testim. anim. c. 4. *Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet*, *ut vel literatura operibus*, *vel simplici laude morum*, *vel ipsorum sepulcrorum ambitione nomen suum servet?* Hinc illa in antiquis inscriptionibus crebra verba: V. F. id est, *vivus fecit*. V. F. C. id est, *vivus faciendum curavit*. V. H. S. F. M. id est, *vivus hoc sibi fecit monumentum*. V. S. L. M. apud Probum, quæ sic interpretatur: *vivus sibi locum monumenti*. In quibusdam invenitur: SE VIVO FECIT. Et sic ipsimet solebant præsumere officia hæredum, quos negligentius interdum circa hanc rem versari videbant. Unde etiam Virginii Rufi *sepulcrum* post decennium a morte ejus tamen nondum absolutum esse queritur Plin. Epist. VI. 10. 2. *In hac etiam monumentum ejus vidi*, *& vidisse paenituit*. *Est enim adhuc imperfectum*, *nec difficultas operis in causa*: *modicum*, *ac potius exiguum*: *sed inertia ejus*, *cui cura mandata est*. *Subit indignatio cum miseratione*, *post decimum mortis annum reliquias*, *neglectumque cinerem sine titulo*, *sine nomine jacere*, *cujus memoria orbem terrarum gloria pervagetur*. . . . *Tam rara in amicitia fides*, *tam parata oblivio mortuorum*, *ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria exstruere*, *omniaque hæredum officia præsumere*. Quod si multi, brevi tempore absolvere non potuissent, hæredes perficiebant. De Antonio & Cleopatra Suet. Aug. c. 17. n. 11. *Ambobus communem sepulturæ honorem tribuit*, *ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici jussit*. Inscriptio, quæ est in via Ostiensi quarto ab Urbe lapide:

. . . . . . SEPULCRUM. AB. EO.
COEPTUM. CLAUDIÆ. REGILLÆ.
UXORI. ET. ANTIÆ. MARCELLI-
NÆ. FIL. PIETATIS. SUÆ. ERGA.
EUM. TESTIFICANDÆ. GRATIA.
ET. NOMINIS. EJUS. IN. PERPE-
TUUM. CELEBRANDI. PERFECE-
RUNT. AFFINES.

Nec inchoata solum hæredes, vel liberti perficiebant: sed & interdum nova e solo defunctis suo sumptu propter illorum erga se merita ædificabant. Unde hæ in saxis antiquis formulæ: DE. SUO. vel DE. SUA. PECUNIA. B. M. F. Romæ in domo Porciarum:

VENULEJA. P. P. L. PHILEMATIUM.
SIBI. ET. VIRO. SUO. M. PORCIO.
M. L. POLLIONI. SCR. LIBR. ÆD.
CUR. LICT. CUR. DE. SUA. PECU-
NIA. FECIT.

Romæ in hortis Fabiani:

L. CESTIUS. HILARUS. VIXIT. A.
XXXV. APPAIENA. AMABILIS. ET.
Q. MINUCIUS. FAUSTUS. POSUE-
RUNT. DE. SUO.

Non raro testamentis id ipsum facere jubebantur. l. 5. C. de relig. & sumpt. funer. *Mortui voluntatem*, *quam circa monumentum sibi faciendum testamentum expressit*, *& pater*, *& mater ejus hæredes negligere non debent*. l. 36. ff. de acquir. vel omitt. hæred. Papinianus refert, *filium matris tem codicillis ab hærede*, *ut pro se*, *ut sibi*, *parentibusque suis in possessione matris monumentum extrueret*. Et in vetustis lapidibus crebro legimus T. F. I. H. F. C. id est, *testamento. fieri. jussit. hæredes faciundum curaverunt*. Etiam H. E. T. F. id est, *hæredes ex testamento fecerunt*. Quandoque hæredes instituebantur hac conditione, *ut monumentum fecerint*. Ulpian. l. 6. ff. de condit. instit. *Si quis ita institutus sit*: *si monumentum post mortem testatoris in triennio proximo mortis ejus fecisset*. Interdum legata relinquebantur iis, qui monumentum fecissent. Javol. l. 40. ff. de condit. & demonst. *Deinde ita legaverat*: *Lucio*, *Titio*, *Caio*, *ut ad monumentum ædificandum mille hæres meus dato*. Ulpian. l. 10. ff. de reb. dub. *Si fuerit legatum relictum ei*, *qui monumentum fecerit*. Ideo in lapidibus scriptum: EX. CAUSA. LEGATI. *Kirchman. ibid. c.* 11. Solebant etiam testatores interdum sumptus, quos in monumentum suum fieri vellent, nominatim definire. Scævol. l. 32. ff. de Legat. & fideicom. III. *Titius de monumento*, *quod sibi exstrui volebat*, *ita cavit*: *corpus meum uxori meæ volo tradi sepeliendum in fundo illo*, *& monumentum exstrui ad quadringentos aureos*. Inscriptio Romæ ad D. Cæsarii prope portam Sextum:

L. TARQUITIO. L. F.
ETHRUSCO
. SULPITIANO
SCRIBÆ. QUÆSTORIO
EX. TESTAMENTO
DE. HS. XX.

Sæpe factum, ut hæredes pro suo erga defunctum amore, & benevolentia, impensis a testatore præscriptis de suo aliquid adjicerent. Inscriptio Romæ in hortis D. Petri ad vincula:

L. MARCIO. L. L. THEODORO. ET
FRATRI. EJUS. ET
MARTIÆ. L. L. PHILUMINÆ. UXORI
EX. TESTAMENTO. HS. CIↃ (CIↃ)
ARBITRAT.
MARCIÆ. L. L. PHILUMENÆ. UXORIS
RELIQ. PECUNIAM
DE. SUO. ADJECIT

Kirchman. ibid. c. 12. Antiquitus illorum duo fuerunt genera: unum, quod quis sibi duntaxat, vel etiam conjugi suæ faciebat: alterum, quod sibi, familiæ, posterisque suis: & inde singularia, & communia, quæ vel hæreditaria, vel familiaria. V. singula suis locis. *Kirchman. ibid. c.* 13. Illa solebant veteres sepire, & circumvallare ad accessum prohibendum. Macer l. 37. ff. de religios. *Monumentum sepulcri id esse D. Adrianus rescripsit*, *quod monumenti*, *id est*, *causa muniendi ejus loci factum sit*, *in quo corpus impositum sit*. Thucyd. v. p. 350. D. Περιέρξαντες αὐτοῦ τὸ μνημεῖον. Ubi Schol. Περιέρξαντες, ἀντὶ περιφράξαντες. Talia septa vocant Græci περιοικοδομάς. Pausan. Eliac. II. p. 199. *In ulteriore Cladei amnis parte sepulcrum extat Oenomai*, *terræ tumulus lapide circumseptus*, χώματα περιοικοδομημένον. Ælian. Var. Hist. VIII. 16. *Et monumentum ejus*, Solonis, *maceria conseptum est*. Casaub. & Pitisc. in Suet. Ner. c. 33. n. 5. Kirchmann. ibid. c. 17. Tenuiores ex maceria, aut humili aliqua materia. Ulpian. l. æde sacra ff. de contrah. empt. *Intra maceriam sepulcrorum loca pura hortis*, *vel cæteris culturis servata*, *si nihil nominatim venditor exceperit*, *ad emptorem pertinent*. Suet. Ner. c. 33. n. 5. *Bustum ejus*, Britannici, *conspici nisi humili*, *levique materia vetuit*. Vetus inscriptio:

HUIS. MONUMENTI. JUS. QUA. MACERIA CLUSUM. EST. TABERNA. ET. CENACULO HERED. NON. SEQUETUR NEQ. INTRA. MACERIAM. HUMARI QUEMQUAM. LICET

Hæ maceriæ, quæ sepiebant, arcæ vocabantur. V. alias supr. in *Arca.* Meurs. de Funer. c. 41. Quensteed de Sepult. Vet. c. 10. Guther. de jur. man. II. 30. Noris. Cenotaph. Pisan. III. 7. Brisson. Antiq Select. II. 16. Kirchman. Casaub. & Pitisc. l. l. Honestiores lorica partim ex silice, vel saxo, aut e marmore. Suet. Ner. c. 50. n. 3. *In eo monumento solium Porphyretici marmoris superstante Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio.* Virg. Cul. n. 394.

— tumulus formatum crevit in orbem,
Quem circum lapidum levi de marmore formas
Conserit assiduæ curæ memor.

Stat. Syl. v. 1. 230.

— tantas venerabile marmor
Sepit opes.

Meurs. Quensteed. Kirchman. & Casaub. l. l. Bernart. & Cruc. in Statium. Augusti Mausoleum præterea ferrea sepe. Strab. v. p. 163. *In medio autem campo busti ejus ambitus ex albo saxo in orbem cinctus ferrea sepe, intus alnis consitus.* Quensteed. & Kirchman. l. l. Imo illorum alia fuerunt lapidea. De lapideo inscriptio in agro Vaticano

PALÆMON. L. L. L. D. F. GRAMMA. VEICIT. ATQUE. RHET. SIBI. ET. TUBERONIÆ. CONTUBERNALI. FEMINÆ. OBSEQUENTISSIMÆ. ATQ. BENE MERENTI LAPIDEUM. STRUXIT. TUMULUM.

Cajus ICtus l. 7. ff. de religios. *Adversus eum, qui in alterius arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non erit conditus, mortuum intulerit.* Alia fictilia, sive testacea. Plin. XXXV. 12. *Quin & defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluere.* Et in Epistola Liberti ad Ælium Severum: *Cum. corpora. eorum. fictili. sarcophago. commendaverim.* Ovid. Fast. II. 537.

Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, parvaque mica salis.
Jamque mero mollita Ceres, violæque solutæ:
Hæc habeat media testa relicta via.

Alia, ditiorum & honoratiorum, quæ plerumque marmorea. Cicer. Fam. IV. 12. *Posteaque curavimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent.* Tib. III. 2. 22.

Atque in marmorea ponere sicca domo.

Varro in Licinium tonsorem Augusti.

Marmoreo tumulo Licinus jacet: at Cato parvo:
Pompejus nullo: credimus esse deos?

In Epistola Liberti ad Ælium Severum: *Rogo. Domine. permittas. mihi. in. eodem. loco. in. marmóreo. sarcophago. quem. mihi. modo. comparavi. ea. corpora. colligere.* Kirchman. & Quensteed l. l. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 2. & Faes in illum. Nonnulli illis gradus addebant, potentiores nimirum, & ditiores. Erant enim horum plerumque subterranea ædificia, arcuato opere exstructa, pavimentis strata, & in illa tanquam in cellas quasdam per gradus aliquot descendebatur. Id non male colligere est ex Petronio. Hic de matrona Ephesina hunc in modum loquitur c. 71. *Descendit igitur in conditorium.* Nimirum, per gradus ipsi adjunctos: nam sic verbum descendere plerumque adhiberi solet. Prudent. Peristeph. VI. 153.

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
Mersa latebrosis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.

Kirchman. de Funer. III. 15. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 2. & Faes ad illum. Gonsal. in Petronium. Locus, ubi corpus erat vel terræ mandandum, vel igni comburendum erat extra Urbem. Apud Latinos quidem fortean obtinuisse concessero, quod memoriæ prodidit Serv. Æneid. v. 64. *moris fuisse apud majores, ut qui mortuus esset, domum referretur, & in illa sepeliretur.* Et VI. 152. *Apud majores omnes in domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut Lares colerentur in domibus.* Isidorus infr. laudandus. Hinc domus pro *sepulcro.* V. supr. in *Domus.* Dempster. ad Rosin. Antiq. Roman. IV. 7. v. 39. Kirchman. de Funer. Roman. II. 20. At vero Romæ sub ipsis Urbis incunabulis multo ante latas a decemviris leges more quodam receptum fuit, ut extra Urbem sepelirentur vita functi. Probo id exemplo Numæ, quem non in Urbe, sed in Janiculo humatum, præter Livium, Plutarchum, Dionysium, alios, etiam testatur Plin. XIII. 13. qui ex Cassii Heminæ Annal. IV. refert, *Cn. Terentium scribam agrum suum in Janiculo repastinantem offendisse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnavit, situs fuisset.* Atqui Janiculum ab Anco Martio primum Urbi additum extra omnem est controversiam. Sed & Servius Tullius extra Urbem elatus est, ibique sepultus, teste Dionys. IV. p. 243. Hanc consuetudinem aliquoties neglectam legibus redaxerunt decemviri. Sic enim fuit in XII. tabulis apud Cicer. de Legib. II. 23. *Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito.* Senatus consule Duillio circa an. 490. quodam SCto: ut auctor est Serv. Æneid. XI. 206. *Ante etiam in civitatibus homines sepeliebantur. Quod postea Duillio consule senatus prohibuit, & lege cavit, ne quis in Urbe sepeliretur.* Adrianus Imperator rescripto pœnam statuit quadraginta aureorum tam in eos, qui in civitate sepeliunt, quam ipsos magistratus, qui id passi essent: eamque pecuniam fisco inferri, & locum publicari, ac corpus transferri jussit, ut auctor est Ulpian. x. ad edictum. De Antonino Pio Imperatore id ipsum tradit Capitol. c. 12. *Intra urbes sepeliri mortuos vetuit.* Extat & de re eadem lex Diocletiani, & Maximiani Imperatorum C. de relig. & sumpt. fun. *Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi jampridem vetitum est.* Causæ illis fuerunt ad usurpandam hanc consuetudinem. I. divina, quæ cavebat a pollutione sacrorum, quæ contaminatum iri existimabant, si intra Urbis mœnia mortui sepelirentur. Paull. Sent II. 21. *Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis: & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.* Eandem in mente procul dubio habuerunt Imperatores Diocletianus & Maximianus in suo rescripto modo laudato. Erant enim in illa opinione, ut existimarint, quicquid diis superis sacrum esset, id vel solo aspectu, aut contactu rei funestæ contaminari. Ideo flamini diali non licebat locum funestum ingredi, vel mortuum attingere. V. supr. in *Flamen dialis.* Ex eodem ritu, si quando pontifex funestam haberet orationem, velum ante mortuum expandebatur, quod oculos ipsius a funere arceret. V. supr. in *Pontifex maximus:* Et statuæ deorum velabantur, aut transferebantur, si quæ in loco positæ, ubi crebra supplicia, & cædes. V. infr. in *Statuæ.* II. civilis, ne aer putrefieret. Isidor. XIV. 11. *Prius autem quisque in domo sua sepeliebatur. Postea vetitum est legibus, ne fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur.* Eadem combustionem in Urbe prohibebat *propter ignis periculum*, teste Cicer. de Legib. II. 23. Quare factum, ut cum mos ille in funere Clodii insuperhaberetur, isto igne curia flagrarit, & Porcia Basilica ambusta sit. Asconius. V. illum supr. in *Basilica Porcia.* Kirchman. ibid. II. 20. & 21. Morestell. Pomp. Feral. III. 8. & 11. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Class. I. c. 3. Blond. Triumph. Rom. II. p. 40. F. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 2. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 20. Manut. de Legib. c. 16. August. ad Leg. XII. tab. §. 44. Bergier. de viis milit. II. Sect. 34. §. 2. Laurent. de Funer. Antiq. c. 1. Bellon. ibid. c. 11. Crag. de Republ. Lacedæm. III. tab. 1. instit. v. Meurs. ibid. c. 42. Hotman. Antiq. Roman. III. 1. p. 386. F. 387. C. Cerda in Virgilium. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 5. & Faes ad

ad illum. Alex. Gen. Dier. vi. 1. & Tiraquell. ad illam. Quenstedd de Sepult. c. 8. Nicol. de Sepulcr. iii. 13. 6. & 7. Clasen. Theol. gentil. 1. 10. §. 26. Guther. de jur. man. ii. 18. Demster. ibid. v. 39. Et quidem privatus in agris, vel hortis, propter vias publicas. Videre hoc est ex Liv. vi. 36. *Auderentne postulare, ut singuli prope ccc. civium possiderent agros: plebejo homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ, suus pateret ager.* Mart. x. 43. 1.

Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro,
Plus nulli, Phileros, quam tibi reddit ager.

Et Appian. de Bell. civ. 1. p. 355. refert inter causas, cur legem agrariam a Gracchis latam recusarint divites, non postremam fuisse, *quod iniquum esse ducerent, non solum agris se mulctari; sed & sepulcris majorum situs in solo hereditario.* In hortis Lamianis Caligulæ cadaver amoustum, & terra obrutum est. Suet. c. 59. n. 2. *Cadaver ejus clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum, levi cespite obrutum est.* Hadriani in Domitiæ. Capitol. Anton. Pio c. 5. *Sed Adriano apud Bajas mortuo, reliquias ejus Romam pervexit sancte, ac reverenter, atque in hortis Domitiæ collocavit.* Kirchman. ibid. c. 22. Morest. ibid. c. 9. Victor. Var. Lect. xiv. 21. Manut. & Fabric. l. l. Si fundum viæ publicæ proximum haberent mortui, in ea parte, quæ viam spectabat, *sepulcra* condi jubebant, ut viatores mortalitatis admonerentur. Varronem V. supr. in *Monumentum.* Mart. vi. 28. 4.

Hoc sub marmore Glaucias humatus,
Juncto Flaminiæ jacet sepulcro:
Qui fles talia, nil fleas viator.

Fuisse propter vias λεωφόρους, & militares, testatur Porphyr. in Horat. Epod. v. *In aggeribus religiones, & sepulcra erant.* Prop. ii. 1. 85.

Si te forte meo ducet via proxima busto.

Pertinent huc antiquæ inscriptiones, quibus viatores, vel hospites solent compellari: ut, ASPICE. VIATOR. CAVE. VIATOR. *Hotman. & Kirchman. l. l. Morestell. ibid. c. 13. Lips. Admir.* iii. 10. *Gyrald. de var. sepel. rit. c. 5. & Faes in illum.* Viæ *sepulcris* nobiles Romæ potissimum fuerunt Appii. In ea sepultus est Pomponius Atticus. Nep. c. 22. n. 4. *Sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapidem.* Severus Imperator. Spartian. Get. c. 7. V. illum supr. in *Septizonium.* Thessalus medicus. Plin. xxix. 1. *Eadem ætas Neronis principatu ad Thessalum transilivit, delentem cuncta majorum placita, & rabie quadam in omnis ævi medicos perorantem: quali prudentia, ingenioque æstimari vel uno argumento potest, cum monumento suo, quod est Appia via, Iatronicen se inscripserit.* Kirchman. & Fabric. l. l. Nardin. Rom. Vet. iii. 3. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 3. §. 5. Panvin. Descr. Urbis Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 254. E. Faes in Gyraldum l. l. Morestell. ibid. iv. 2. Aurelia. In ea sepultus est Galba Imperator. Suet. c. 20. n. 9. *Sero tandem dispensator Argius, & hoc, & ceterum truncum in privatis ejus hortis Aurelia via sepulturæ dedit.* Eutrop. vii. 16. *Galba sepultus est in hortis suis, qui sunt Aurelia via, non longe ab urbe Roma.* Kirchman. & Fabric. l. l. Morestell. ibid. c. 5. Flaminia. In ea sepultus est Glaucias libertus Melioris. Mart. vi. 28. 4. modo laudatus. Paris pantomimus libertus Neronis. Mart. xi. 14. 1.

Quisquis Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars & gratia, lusus & voluptas...
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

Kirchman. & Fabric. l. l. Morestell. ibid. c. 3. Aring. Rom. Subterr. iv. 38. 6. Panvin. ibid. p. 239. D. Tiraquell. ad Alexandr. iii. 2. Bellor. Sepulcr. Nason. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xii. p. 1031. Gyrald. & Faes l. l. Latina. Nam in hac quoque *sepulcra* fuisse testatur Juven. 1. 169.

— Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

v. 55.

Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ.

In ea sepultus est Domitianus. Suet. c. 17. n. 6. *Cadaver ejus Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funeravit.* Sempronius Tucidanus. Inscriptio: AURELIUS. TUCIDANUS. TOTAM. PECUNIAM. SI. VIA. LAT. OSS. MEIS. RE. MONUMENTUM. SUO. SUMPTU. ÆDIFICAVERIT. ABETO. Gallus Favonius Jocundus, qui filios suos hæredes scripsit HAC. TAMEN. CONDITIONE. UT. AB. URBE. ROMA. HUC. VENIANT. ET. OSSA. MEA. INTRA. QUINQUENNIUM. EXPORTENT. E. LUSITANIA. ET. VIA. LATINA. CONDANT. SEPULCRO. MARMOREO. *Kirchman. Tiraquell. & Fabric. l. l. Morestell. ibidem c. 4. Aring. Rom. Subterr.* iv. 2. 5. *Faes ad Gyrald. de Sepult. c. 5. Panvin. ibid. p. 252. E. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 17. §. 5.* Lavicana. In ea sepultus est Alcimus puer. Mart. 1. 89. 1.

Alcime, quem raptum domino crescentibus annis
Lavicana levi cespite velat humus.

Didius Julianus Imperator. Spartian. c. 8. *Corpus ejus à Severo uxori Manliæ Scantillæ, ac filiæ ad sepulturam est redditum: & in proavi monumento translatum milliario quinto via Lavicana.* Kirchman. & Fabric. l. l. Morestell. ibid. c. 7. Panvin. ibid. p. 250. A. Bergier. de viis milit. iii. Sect. 24. §. 4. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 17. §. 5. Aring. ibid. iv. 8. 3. Laurentina. In ea sepulta est *ancilla Cæsaris Augusti, quæ in agro Laurente quinque pueros pepererat:* nam *non multo post quam peperit, mortuæ monumentum factum jussu Augusti in via Laurentina.* Gell. x. 2. In hac, ut recentiores historici scribunt, ante quingentos annos cadaver effossum est, procera statura, & ingenti vulnere in pectore, quod Pallantis Euandri filii fuisse asserunt. *Kirchman. & Fabric. l. l. Morestell. ibid. c. 6. Panvin. ibid. p. 256. D. Borrich. l. l.* Ostiensis. In ea sepultus est Paullus Apostolus. Prudent. Περὶ στεφ. xii. 45.

Parte alia titulum Paulli via servat Ostiensis.

Kirchman. l. l. Morestell. ibid. c. 9. Prænestina. In ea sepultus est Quintius Atta celeberrimus togatarum scriptor. Euseb. Chron. Olymp. 175. 3. 3. *Titus Quintius Atta scriptor togatarum Romæ moritur: sepultusque via Prænestina ad milliarium secundum.* Bergier. de viis milit. l. l. Kirchman. Faes in Gyraldum. Aring. & Fabric. l. l. Morestell. ibid. c. 8. Salaria. Nam & in hac *sepulcra* fuisse testatur Prudent. contr. Symmach. 1. 402.

Ecce deos manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant: dîs manibus illic
Marmora secta lego, quacunque Latina vetustos
Custodit cineres, densisque Salaria bustis.

In ea sepultus est Licinius, tonsor Augusti, vir iis temporibus ditissimus, ad lapidem secundum. Cornut. in Pers. Sat. ii. 36. *Alii volunt Licinium tonsorem, ac libertum Augusti Cæsaris significari prædivitem: cujus monumentum est pretiosi operis via Salaria prope Urbem, ad lapidem secundum.* Cajus Marius prope Anienis ripas. *Kirchman. & Fabric. l. l. Morestell. ibid. c. 10. Panvin. ibid. p. 244. C. Aring. ibid.* iv. 28. 3. Tiburtina. In ea *sepulcra* veterum Romanorum innumera extitere, quorum ad hunc usque diem vestigia haud numero pauca ibidem visuntur, imo & quam plures temporibus hisce nostris ædiculæ una cum ollis, vasisque cinerariis repertæ sunt: plurima quoque epitaphia, quæ adjacentibus in vineis, veluti profanæ antiquitatis rudera, collocata leguntur. Fuit etiam intra primum lapidem monumentum Pallantis Claudii Cæsaris liberti, cujus titulum arrogantissimum legimus apud Plin. Epist. vii. 29. 2. *Kirchman. & Fabric. l. l. Morestell. ibid. c. 11. Panvin. ibid. p. 247. B. Aring. ibid.* iv. 15. 1. & 2. In collibus, & montibus, vel ad eorum radices. Serv. Æneid. xi. 850. V. illum supr. in *Columnæ sepulcrales.* Firmatur hoc ex Juven. Sat. v. 55. modo laudato. Vi-

detur hic mos ortus ab Ægyptiis, de quorum *sepulcris* Lucan. VIII. 694.

> *Cum tibi sacrato Macedo servetur in antro,*
> *Et Regum cineres extructo monte quiescunt.*

Ad quem ritum respexit Virg. l. 1.

> —— *fuit ingens monte sub alto*
> *Regis Dercenni terreno ex aggere bustum*
> *Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.*

Kirchman. ibid. III. 16. Potter. Archæol. sacr. IV. 7. Cerda in Virgilium. Dempster. l. l. Quod si proprium agrum, vel hortum non haberent, ubi *sepulcrum* extrui posset, locum ab alio sibi pecunia plerumque solebant comparare. Ritum tangit Ulpian. l. 14. ff. de relig. & sumpt. *Sed & quod in locum fuerit erogatum.* Inscriptio:

D. M.
TEGEDIÆ. FORTUNATÆ. ET. L.
CORNELI. FIRMI. VIVI. SIBI. FECE-
RUNT. QUEM. EMERUNT. HS. CXX.

Et

OSSA. L. BACCHII. L. F. HEIC. PO-
SITA. SUNT AD. LOCUM. QUEM
IPSE. VIVUS. EMIT.

Interdum quorundam ea liberalitas, & indulgentia fuit, ut aliis in suo fundo locum assignarint, vel testamento legarint, ubi monumentum pro ipsorum arbitrio conderetur. Ulpian. l. 4. ff. de relig. & sumpt. *Etiamsi in legatum locum mortuus sit illatus ab herede.* Romæ ad D. Mariæ cognominato majoris in Exquiliis:

CÆCIA. C. L. EULIMENE. C. CÆ-
CIO. C. L. PHILARISTO. VIRO. SUO.
ET. SIBI. FECIT D. CORNELIUS.
HILARUS. AMICUS LOCUM. OLLA-
RUM. DUARUM. DEDIT. DONA-
VITQUE.

Nec locum duntaxat, sed & ollas, quibus cineres condebantur, donatas testantur antiqui lapides: Romæ in domo Cæsiæ:

DIOMEDES. TYRANNI
CÆSARIS. SERVI. FRATER
OLLA. DATA. AB
CN. DOMITIO. VERBANO

Et alibi:

AVILIA. HILARA.
OLLA. DONATA. AB. L. PORCIO
LYSIMACHO

Kirchman. ibid. II. 23. *Morestell. ibid.* III. 12. Publicus, tum pauperum, & vilium mancipiorum, quæ Puticulæ dicebantur. V. illas supr. in *Puticuli.* Et alia quædam loca suburbana, quæ Augustum illorum sepulturæ destinasse verisimile est, quæ to tean Culinæ istæ fuerunt, de quibus Aggenus Urbicus. V. illum supr. in *Culina.* Kirchman. ibid. c. 24. Morestell. ibid. v. c. 5. tum illustrium, & præclare de Republica meritorum, Campus Martius. V. supr. in *Campus Martius.* In quem tamen non licebat cuiquam corpus inferre sine publico senatus decreto. Dio XLVIII. p. 390. B. *Non vivus modo Oppius ita gratus plebi fuit, sed defunctum etiam paullo post in campo Martio extulerunt, crematumque ibi humarunt. Quod plebis omne studium erga Oppium indigne ferens senatus, ossa ejus monitu pontificum, tanquam loco sacro non rite posita, inde removit, quamvis, & ante, & post multos eodem loco sepeliverint.* XXXIX. p. 120. B. *Sub idem tempus Pompeji conjux filiolam enixa obut: eamque nonnulli, sive ad hoc a Pompeji Cæsarisque amicis inducti, sive quod rem eis gratam facere vellent, postquam in foro funebri laudatione ornata fuit, in campo Martio sepeliverunt: quamvis Domitio resistente, atque inter alia dicente, non fas esse eam in loco sacro sine decreto sepeliri.* Indicat & Sil. Ital. XIII. 658.

> *Quantos funeribus vestris gens Itala passim*
> *Dat gemitus, tumulus vobis, censente senatu,*
> *Mavortis geminus surgit per gramina campo.*

Et interdum Exquilinus. Colligimus hoc ex Phil. IX. 7. ubi Cicero censet hunc honorem publici *sepulcri* Ser. Sulpitio in legatione populi Romani vita functo tribuendum esse, his verbis: *Cum Ser. Sulpitius, Q. F. Lemonia Rufus ita de Republica meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat, senatum censere, atque e Republica existimare, ædiles curules edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpitii Q. F. Lemonia Rufi funeri mittere: utique locum sepulcro in campo Exquilino C. Pansa consul, seu quo alio in loco videtur, pedes triginta quoquo versus definiet, quo Ser. Sulpitius inferatur. Quod sepulcrum ipsius, liberorum, posterorumque ejus sit: uti quod optimo jure sepulcrum publice datum sit.* Kirchman. ibid. c. 25. Morestell. ibid. c. 3. Plurima tamen in ipsa urbe Roma *sepulcra* extiterunt. Prudent. contr. Symmach. I. 190.

> *Et tot templa deûm Romæ, quot in urbe sepulcra*
> *Heroum numerare licet: quos fabula manes*
> *Nobilitat, noster populus veneratus adorat.*

Quos illa virtutis causa, solutos legibus, consecutos esse scribit Cicer. de Legib. II. 23. *Quid? qui post XII. in Urbe sepulti sunt clari viri? credo, Tite, fuisse aut eos, quibus hoc ante legem virtutis causa tributum est, ut Publicolæ, ut Tuberto, quod eorum posteri tenuerunt: aut eos; si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa, soluti legibus, consecuti sunt.* Etiam in Urbe *sepulcra* habuerunt gentes, Cincia. Festus: *Cincia locus Romæ, ubi Cinciorum monumentum fuit.* Claudia. Suet. Tiber. c. 1. n. 3. *Locum sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit.* Imperatores quoque, qui hostes bello domuissent, vel armis Rempublicam auxissent. Illorum primus fuit Trajanus. Eutrop. VIII. 5. *Solus omnium Imperatorum intra Urbem sepultus est. Ossa ejus collocata in urna aurea in foro, quod ædificavit sibi, columna ibi posita, sunt: cujus altitudo pedes CXLIV. habet.* Et virgines Vestales. Serv. Æneid. XI. 206. *Imperatores, & virgines Vestales, quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulcra. Denique etiam nocentes virgines Vestæ, licet vivæ tamen intra Urbem in campo scelerato obruebantur.* Kirchman. ibid. c. 26. Morestell. ibid. c. 7. Meurs. & Crag. l. l. Crinit. de Honest. Discipl. XXI. 12. Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 5. & Faes ad illum. Saubert. de Sacrif. c. 8. Simulacris antiquitus exornari solebant. Et hoc non tam ex veterum scriptis, quam ex ipsis priscorum monumentorum ruderibus colligere est. Occurrunt hinc inde per Urbem varia. *Ludorum curulium*, quale est ante SS. Cosmum, & Damianum in Foro Romano: & in S. Johanne Laterano, in quo etiam nocentes objiciuntur bestiis, ut in alio quodam ante S. Mariam in Via lata. *Equestrium certaminum*, ut in S. Maria in ara cœli, montis Capitolini. *Pugnarum*, ut in S. Gregorio montis Cœlii. *Venationum*, ut in S. Laurentio in Lucina campi Martii. *Triumphorum*, ut ante S. Laurentium in Panisperna montis Viminalis, & triumphi Venerei in S. Johanne Laterano. *Sacrificiorum*, ut in S. Maria de Strada, inter Octavii porticum, & Capitolium, & in S. Laurentio extra Exquilinam. *Deorum ludentium*, ut Apollinis canentis, & Narcissi jaculantis discum in domo Augustini Maphæi. *Satyrorum* puellæ dormienti insultantium in horto S. Marci. *Amorum equitantium* in domo Columniensium. *Deorum marinorum* in piscium caudas desinentium, & vehentium in iis nymphis tribus in locis, in S. Johanne & Paullo in Cœlio, in hortis S. Sabinæ montis Aventini, ante S. Thomam in regione Harenulæ. *Plutonis* Proserpinam rapientis, in S. Sylvestro prope arcum Domitiani, & ante S. Mariam in Cosmodim prope Velabrum. *Ventorum quatuor* in *sepulcro* domus Cæsiæ. *Laborum Herculis* in domo Sabellorum supra Marcelli theatrum. *Servilium suppliciorum*, in quibus alii pede utroque suspenduntur, aliis cultro secatur collum, aliis brachium saxo impositum alio saxo frangitur, in S. Maria de ara cœli, & ante ædem D. Stephani, de cacabo, in regione Pineæ. In quibusdam

dam exſculpta ſunt ædificia partim januis apertis, quibus dicunt animæ æternitatem ſignificari: cujuſmodi eſt in palatio Capitolino triumvirum: partim clauſis, quibus interitus ejus una cum corpore notatur: tale in domo civis cujuſdam regionis Tranſtiberinæ cernitur e regione pontis Fabricii. Hæc e multis retuliſſe ſat eſt, quæ non ita accipi volo, quaſi cujus tantum rei effigies exp eſſa ſit: ſed alia multa, quæ oratione depingi in hac brevitate nequeunt, ſpectaculi gratia ſunt addita: quod ut intelligatur, duobus exemplis declarabo. In *ſepulcro* ſacrificantium in S. Maria de Strada mulier in bigis, quæ a rhinocerotibus trahuntur, videtur: ipſis animalibus duo juvenes inſident, & animalia a Faunis naſo ducuntur. Præcedit Thaſcus fidicen, & viri nudi, ac mulierculæ, donec ad aram perveniatur, cui fidicen canens adſtat, & inter cætera ludicra Faunus cornibus cum hirco concurrit. Item in altero apud S. Sylveſtrum Pluto quadrigis vectus raptam Proſerpinam amplexu tenet exanimi ſimilem: ſupra quam volitat alatus Cupido, currum præcedit Mercurius alato pileo, & caduceo. In altera parte Ceres bigis invehitur, tractis a ſerpentibus, pinea tæda, quam ſiniſtra geſtat, inveſtigans amiſſam filiam. Inter hæc ab utraque parte comites Proſerpinæ flores collectos geſtant, veſte ultra pubem ſublata. A lateribus Hercules eſt, leonis exuvio indutus, dextra tenens clavam, ſiniſtra anum quandam invadens, cui verbera minitatur. *Fabric. ibid. c.* 20. *Kirchman. ibid.* III. 18. *Moreſtell. ibid.* VIII. 12. *Figrel. de Stat. Roman. c.* 10. *Guther. de Jur. man.* II. 28. *Quenſtedt ibid. c.* 10. *Nicol. de Sepulcr.* II. 15. §. 2. & 3. Hic ritus originem traxit a Græcis. Et hi monumenta ſua ſoliti ſunt ex more diverſis emblematibus, & ſignis, quæ plerumque τὰ ἐπιτηδεύματα, & vitam defuncti denotarent. V. ſupr. in *Emblema.* Hoſtium etiam exuviis & Romani, & Gothi ſepulcra ſua ornabant. Lactant. Theb. XII. 62. *Exuviis hoſtium extruebatur Regibus pyra, quem ritum ſepulturæ hodie quoque barbari ſervare dicuntur, quem ſtrabas dicunt lingua ſua.* Hinc lucem capit Jornand. de Reb. Gothic. *Poſtquam talibus lamentis eſt defletus, ſtravam ſuper tumulum ejus, quam appellant ipſi, ingenti comeſſatione celebrant.* Kirchman. l. l. Moreſtell. ibid. c. 13. Inſcriptiones *ſepulcrorum* adeo erant propriæ, ut vix ſine iis monimenti nomen, vel memoriæ tueri poſſint. V. illas ſupr. in *Inſcriptio.* Excitabantur ſtatuæ defunctorum. V. illas infr. in *Statua.* Columnæ. V. illas ſupr. in *Columna.* Domunculæ, & ædificia. Lapis vetus: M. AURELIUS. ROMANUS. ET. ANTISTIA. CHRESIME. UXOR. EJUS. FECERUNT. SIBI. LIBERTIS. SUIS. POSTERISQUE. EORUM. MONUMENTUM. CUM. ÆDIFICIO. SUPERPOSITO. Petron. c. 71. *Cum interim Imperator provinciæ latronem juſſit crucibus affigi ſecundum illam eandem caſulam, in qua recens cadaver matrona deflebat.* Kirchman. ibid. III. 16. Menſæ. V. illas ſupr. in *Menſa.* Aræ. V. illas ſupr. in *Ara.* Templa. V. illa infr. in *Templum.* Porticus, & palæſtræ. Plutarch. Timol. p. 255. B. *Humatum eſt ejus corpus in foro, ſepulcroque porticus poſtea circumducta, palæſtræque inædificatæ; quæ gymnaſium eſſent juvenum, & Timoleonteum appellarunt.* Meurſ. ibid. c. 41. Arbores, nempe buxi, cupreſſi, & palmites. Pauſan. Corinth. II. p. 57. *Ibique Nemeæ Jovis templum plane inſigne. . . . circa templum cupreſſetum: quo in loco cum nutrix Ophelten in herba poſuiſſet, a dracone peremptum memorant. Eſt ibidem Opheltæ ſepulcrum lapidea maceria incinctum.* Exemplo eſſe poteſt Mauſoleum Auguſti. V. illud ſupra: Mart. I. 89. 3. de Alcimi *ſepulcro*:

Accipe non Pario nutantia pondera ſaxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor.
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
Quæque virent lacrymis roſcida prata meis.
Cum mihi ſupremos Lacheſis perneverit annos,
Non aliter cineres mando jacere meos.

Dolab. de Limit. agror. apud Goeſ. Rei agrar. ſcript. p. 296. *Fines ſepulturarios, ſive cinerarios ſic intelligis, quo vadunt rigores inter poſſeſſiones. Juxta ſepulcrum ſunt buxus.* Gyrald. de var. ſepul. rit. c. 5. & Faes in illum. Meurſ. l. l. Bellon. ibid. c. 17. Has ſerebant, ut creſcentes locum ſepulcri obumbrarent. Prop. II. 10. 31.

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula teſta meos:
Et ſit in exiguo laurus ſuperaddita buſto,
Quæ tegat extincti funeris umbra locum.

Martialis modo laudatus: *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 15. *Ramirez. in Martialem p.* 116. Et quod felicibus manibus perpetuas, & virentes arbores convenire exiſtimabant: ideo enim eligebant buxos, cupreſſus, lauros, quæ nunquam amittunt folia. Quo reſpexit Juven. Sat. VII. 207.

Dii majorum umbris tenuem, & ſine pondere terram
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver. . . .

Ramirez. l. l. Non exiſtimo gentes has cauſis in hoc inſtituto præciſe ſecutas eſſe. Ego potius veram hujus ſanciti gentilis cauſam eſſe arbitror majorem ſanctitatis ſepulcris conciliandi opinionem. Enimvero & ſylvas, & arbores nonnullas gentes ſacras habuiſſe, e veterum monumentis omnino liquet. Ovid. Amor. III. 1. 1.

Stat vetus, & multos incædua ſylva per annos:
Credibile eſt illi numen ineſſe loco.

Plin. XII. 1. *Nec magis auro fulgentia, atque ebore ſimulacra, quam lucos, & in iis ſilentia ipſa adoramus.* Quandoquidem igitur gentes ſanctitatem ſepulcrorum ſartam, tectam, atque integram eſſe volebant, ei egregie conſuli poſſe putabant, ſi arboribus diis ſacris exornarentur. Sic enim fieri poterat, ut rapaces, & malevolæ manus ab eorum violatione ſanctius prohiberentur. Et ab hoc ritu inter alia eſſe puto, quod arbores in cœmeteriis, quercus in primis annoſæ, vel adhuc hodie conſpiciantur. *Faes in Gyraldum l. l.* Coronabantur floribus vagis. V. ſupr. in *Flores.* & in coronas coactis. V. ſupr. in *Corona.* Addebantur cuſtodes. V. ſup. in *Cuſtos.* In illis condebantur mortuorum veſtimenta. Suet. Cal. c. 52. n. 3. *Geſtavit interdum & magni Alexandri thoracem repetitum e conditorio ejus.* Cur. Fortunat. Rhet. I. p. 46. *Commendatam ſibi ab ephebo chlamydem, defuncto eo, in monumento majorum ei poſuit.* Specula, ſtrigiles, & talia. Plin. XXXVI. 17. V. illum ſupr. in *Sarcophagus.* Meurſ. ibid. c. 42. Aurum, pecunia, ſupellex, partim luxus, partim ſecuritatis gratia. Terent. Eun. prol. n. 13 & Plaut Pſeud. I. 4. 19. V. illos ſupr. in *Aurum.* Hujuſmodi *ſepulcris* inſcribi ſolitum: I. M. I. ST. B. ABSC. hoc eſt, *in memoria iſta ſunt bona abſcondita.* Item: in HC. MM. S. P. SN. FN. hoc eſt: *in hoc monumento ſunt pecuniæ ſine fine.* Ut interpretatur P. Diaconus in notis, & poſt illum Manutius. Quanquam malim credere notis iſtis aliud fuiſſe ſignificatum, non hoc quod illi affirmant. Neque enim veroſimile eſt, veteres tanto animi ſtupore fuiſſe præditos, ut quas a furum injuria tutas opes ſtudioſius condidiſſent, eaſdem indice titulo ſtolide eorum cupiditati proderent. *Kirchman. ibid.* III. 14. *Nicol. de Sepulcr.* II. 14. 9. Luminibus frequentabantur a parentantibus. Modeſtin. Digeſt. XL. 4. 44. *Mævia decedens ſervis nomine Sacco, & Eutychiæ, & Hirenæ ſub conditione libertatem reliquit his verbis: Saccus ſervus meus, & Eutychia, & Hirene ancillæ meæ omnes ſub hac conditione liberi ſunto, ut monumento meo alternis menſibus lucernam accendant, & ſollennia mortis peragant.* De nuptiis menſe Februario propter parentalia non celebrandis. Ovid. Faſt. II. 561. V. illum ſupr. in *Februarius.* Suet. Aug. c. 99. n. 2. *Maſgabæ, ante annum defuncti, tumulum cum ex triclinio animadvertiſſet magna turba, multiſque luminibus frequentari.* Mos hic ex Ægypto Romam videtur migraſſe. Herod. II. p. 157. D. *Cui ſingulis diebus omnifarii odores inferuntur, noctibus perpetuo incenſa lucerna adſtat.* Kirchman. de Fun. Rom. II. 3: IV. 4. Mag. Miſc. IV. 19. Faes ad Gyrald. de Sepulc. c. 1. Ferrar. de Ver. lucern. ſepulcr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 1000. D. Lipſ. in Tacit. Annal. III. Excurſ. A. Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert. III. 6. Pitiſc. in Suetonium. Inſtrumenta artis inſculpebantur, & artificem

cem declarabant. V. supr. in *Instrumenta*. Religiosa esse Icti tradiderunt, differentiis inter sacrum, sanctum, & religiosum accurate constitutis. V. illa singula supr. suis locis. Sancta tamen dicit Cicer. de Republ. iv. apud Non. ii. 805. *Sic pontificio jure sanctitudo sepulturæ.* Plut. ix. 6. *Sepulcrorum sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri potest: atque ut cætera extinguuntur, sic sepulcra fiunt sanctiora vetustate.* Sacra Catull. vii. 6.

Et Batti veteris sacrum sepulcrum.

Et Quintil. Declam. x. *Sacratos morte lapides, etiam cineres, & ossa religiose quiescentia fracta sarcofagi unus.* Scrupulum omnem eximit Festus verbis Ælii Galli. V. illa supr. in *Religiosum*. Sed proprie loquendo *sepulcra* religiosa dicebantur. Festus: *Religiosum sepulcrum, ubi mortuus sepultus, aut humatus sit.* Recte: nam antequam corpus esset illatum, locus religiosus non erat: sed illatione tandem fiebat, eaque legitima. Nam, ut est in l. 2. C. de relig. & sumpt. *Invito, vel ignorante te ab alio illatum corpus in puram possessionem tuam, vel lapidem, locum religiosum facere non potest. Sin autem voluntate tua mortuum aliquis in locum tuum intulerit, religiosus hic efficitur.* Atque hæc primo notandum in sepulcrorum religione. Secundo, si diversis in locis membra sepulta sint, quod fieri interdum hodieque solet, non statim omnia illa fiebant religiosa, sed is tantum, *ubi, quod est principale, conditum est, id est, caput, cujus imago fit, inde cognoscimur*, ut loquitur Paull. l. 44. ff. de Relig. & sumpt. Tertio, ut locus fieret religiosus, corpus perpetuæ *sepulturæ* oportuit esse traditum. *Si quis enim eo animo corpus intulerit, quod cogitet inde alio postea transferre, magisque temporis gratia deponere, quam quod ibi sepeliret mortuum, & quasi æterna sede dare destinaverit, in rebus locus profanus*, ut ait Paull. l. 14. ff. eod. Denique non tantum totus ille locus, qui *sepulturæ* destinatus erat, religione tenebatur, sed *quatenus corpus humatum est*, teste Cels. l. 2. ff. eod. Atque ideo, ne religio occuparet totum solum, in quo monumentum erat ædificandum, certum plerumque solebat modus, spatiumque loci religiosi, ut sciretur, quid puri loci relinqueretur. Ejus rei ergo scribebant: *In fronte pedes tot, in agrum pedes tot.* V. supr. in *Fronte*. Incipiebat illa statim a glebæ injectione. V. illam supr. in *Gleba*. Kirchman. ibid. c. 21. Quensteed ibid. c. 12. Meurs. ibid. c. 43. Guther. de Jur. man. iii. 1-4. Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 3. & 8. & Faes in illum. Cavebatur, ne urina contaminaretur. V. infr. in *Urina*. Variis modis violabatur, quorum alii ad monumentum, alii ad corpus ipsum pertinebant. Monumentum violabatur I. demolitione, quam appello, si quis *de sepulcro abstulerit vel saxa, vel marmora, vel columnas, aliamve quamcunque materiam fabricandi gratia*, ut est l. 4. C. de sepulc. viol. *sive de sepulcro lapidem moverit, terram everterit, cespitem evellerit, ornamenta quædam tricliniis, aut porticibus intulerit*, ut ait l. 5. C. eod. *sive statuam e monumento evulserit*, ut loquitur Ulpian. l. 2. ff. eod. Eadem in legibus Solonis apud Cicer. de Legib. ii. 26. *De sepulcris nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis deleat, neve alienum inferat, pœnaque est, si quis bustum, nam id puto appellari τύμβον, aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, dejecerit, fregerit.* Excipiuntur hostium *sepulcra*. Cels. l. 4. ff. de sep. viol. *Sepulcra hostium religiosa nobis non sunt: ideoque lapides inde sublatos in quemlibet usum convertere possumus: nec violati actio competit.* II. Habitatione, *si quis in eo dolo malo habitaverit, ædificiumve aliud quam de sepulcri causa factum sit, habuerit.* Ulpian. l. 3. ff. eod. Recte autem additur: *dolo malo.* Nam alioquin testatores servis, vel libertis interdum legata relinquebant ea conditione, ne a monumento suo recederent. Unde l. 71. ff. de condict. & demonst. *Titio centum relicta sunt ita, ut a monumento non recedat.* Quam tamen conditionem non in ingenuis, sed in libertis tantum locum habere dicit: quod patet ex l. 18. §. 4. ff. de aliment. legat. *Cibaria per fideicommissum dederat, & ita adjecerat: quos libertos meos, ubi corpus meum positum fuerit, ibi eos morari jubeo, ut per absentiam filiarum mearum ad sarcophagum meum memoriam quotannis celebrent.* Etiam alios nonnunquam *sepulcris* pro latibulis, non autem *dolo malo*, usos legimus. Democritus philosophus solitudinis causa *sepulcra* frequentavit, *& in iis noctes, ac dies commoratus est*, ut testatur Lucian. Philosp. p. 349. & Laert. ix. 38. Julius Sabinus *prælus aliquot victus, rus abiit, ibique in sepulcrum subterraneum, quod ipse prius incenderat, ingressus est: cumque constans esset opinio illum interiisse, in eo novem annos cum uxore delituit, ex eaque duos filios sustulit.* Xiphil. lxvi. p. 745. D. Sic Christianos interdum persecutionum temporibus in illis delituisse indicat Chrysost. Hom. xi. ad populum: *Hi quidem*, inquiens, *in monumentis, & sepulcris, hi vero in desertis latitabant. Mulieres teneræ, & delicatæ continua fame contabescebant. Itaque considera, siquid tunc pretiosi sumptus, siqua delitiarum erat delectatio. Sed nunc concupiscentia unquam mulierem in sepulcro latentem, & expectantem ancillulam, ut veniat prandium afferens, & ne forte deprehensa sit, trepidantem, & in timore tanquam in fornace jacentem?* Atque hi omnes absque *dolo malo* in illis habitabant: ideoque edictum hoc ad eos non pertinet: uti forte nec ad scorta, ac diobolares meretrices, quæ frequenter in illis steterunt. V. supr. in *Bustuariæ mœchæ*. III. Illatione illegitima, videlicet, *si quis contra voluntatem testatoris in hæreditarium sepulcrum, quamvis hæres, inferat*, ut ex l. 3. de sepulc. viol. videre est. *Item si quis in alienum sepulcrum mortuum suum, alienumve intulerit*, ut est in sententiis Paulli, quas ex vetustissimo libro Vesontione ad se perlato refert Cujac. Obs. xxi. 13. Quare etiam si quis in fundo empto, in quo *sepulcrum* sit, eo mortuum inferret, *sepulcri* violati reus erat. Nam etsi quidem nominatim nihil esset exceptum, tamen *sepulcrum* emptorem fundi non sequebatur, *si modo in publicum iter transeat* ex l. 54. ff. de action. empt. & vend. Sed sæpius fundi venditor controversiæ cavendæ solebat excipere locum *sepulcri* ad hoc *ut ipse, posterique ejus illo inferrentur.* l. 10. ff. de relig. & sumpt. Atque hic non possum, quin etiam itineris ad *sepulcrum* meminerim. Sed V. illud supr. in *Iter*. IV. Alienatione. Nam ut Gordianus Imperator rescripsit, *res religioni destinatas, quin imo jam religionis effectas, scientes qui contigerint, & emere, & distrahere non dubitaverint, tametsi jure venditio non subsistat, læsæ tamen religionis inciderunt in crimen.* Hinc venditionibus plerumque hæc lex addi solita: *Si quid sacri, vel religiosi, vel publici est, ejus nihil venit*, ut docet l. 22. & 72. ff. de contrah. empt. Et Scto cautum erat, ut ait Ulpian. l. 12. ff. de relig. & sumpt. *ne usus sepulcrorum permutationibus pollueretur, hoc est, ne monumentum veniret, neque obligaretur, distraheretur ve a quoquam*, ut loquitur l. 1. C. de sepulc. viol. & l. 2. & 9. C. de relig. & sumpt. Itemque *ne legarentur*, ut l. 14. C. de legat. Quinimo interdum in ipsis monumentorum titulis alienationem expresse prohibitam legimus, ut in particula hujus lapidis: HOC. AUTEM. MONUMENTUM. CUM. ÆDIFICIO. NEQUE. VENIET. NEQUE. DONABITUR. NEQUE. PIGNORI. OBLIGABITUR. SED. NEC. ULLO. MODO. ALIENABITUR. NE. DE. NOMINE. EXEAT. FAMILIÆ. SUÆ. *Kirchman. ibid. c. 22. Quensteed ibid. c. 12. Guther. ibid. c. 5. Ferret. Mus. Lapid.* iv. *memor.* 49. *Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 4. Brisson. de Form.* vii. *p.* 7[illegible]3. Corpus vero I. Contrectatione. De illa loquitur l. 4. C. de sepulc. viol. jubens decem pondo auri fisco inferre eos, *qui corpora sepulta, aut reliquias contrectaverint.* Quare etiam in veteribus monumentis reficiendis diligens erat cautio adhibenda, ne corpore contingerentur. Diserte Marcian. l. 7. ff. eod. *Corruptum & lapsum monumentum corporibus non contactis licet reficere.* II. Mutilatione, incantatoribus olim, & magis usitata. Nam inter reliqua magicæ disciplinæ capita, etiam hoc erat, quod cadavera mortuorum amputare, & præsegminibus istis inimicos suos defigere solebant. Quintil. Declam. xv. *Facinus, quod dicitur inquietare superos, sidera diris agitare carminibus, tumulos, busta scrutari, & amputatis cadaveribus impias in scelus armare manus, fieri non potest, ut auctorem suum non sentiat*

primo

parva prodat adfectum. Apul. Met. II. p. 33. *Sed oppido formidolosos, & inevitabiles latebras magicae disciplinae. Nam ne mortuorum quidem sepulcra tuta dicuntur: sed & bustis, & rogis reliquiae quaedam, & cadaverum praesegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur.* III. p. 87. *Priusquam apparatu solito instruxit officinam, omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis literatis, & infelicium navium durantibus clavis: defletorum, sepultorum etiam cadaverum expositis multis admodum membris. Hic nares, & digiti, illic carnosi clavi pendentium: alibi trucidatorum servatus cruor.* III. Spoliatione, quae erat, si quis res cum mortuo conditas e monumento clam auferret. Harum rerum cupiditate illecti qui *sepulcra* effodere, & illas clam tollere non verebantur, τυμβωρύχοι dicti sunt. Hesychius: Τυμβωρύχος, λωποδύτης νεκρῶν. Hoc qui facerent, *sepulcri* religionem violabant. Phaedr. I. 27. 3.

> *Humana effodiens ossa, thesaurum canis*
> *Invenit, & violavit quia manes deos,*
> *Injecta est illi divitiarum cupiditas,*
> *Poenas ut sanctae religioni penderet.*

Et apud Quintil. Declam. 369. *sepulcri* violati reus, quod arma sustulisset, ita excipit: *Sed quid sustuli? aurum credo, aut depositam pecuniam? arma.* . . . *Sepulcri* tamen religio non violatur, si pecunia in monumentis abstrusa eruatur ab iis, quibus jus est, modo ne qua cineribus injuria fiat, aut ossa extrahantur. Recte enim Marcian. l. Julia 4. ad leg. Jul. peccul. *Non fit locus religiosus, ubi thesaurus invenitur, nam etsi in monumento inventus fuerit, non quasi religiosus tollitur. Quod enim sepelire quis prohibetur, id religiosum facere non potest. At pecunia sepeliri non potest: ut & mandatis Principum cavetur.* l. 113. salvo ff. de leg. I. *Ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam, veluti vestes, aut si qua alia supervacua, ut in funus impendantur, non valere. Papinianus Resp.* III. *scribit.* Et Ulpian. l. 14. ff. de relig. & sumpt. *Non autem oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud hujusmodi, quod homines simpliciores faciunt.* Et sic Hircanus testibus Joseph. Ant. XIII. 15. & Egesipp. de Excid. urb. Hierosol. I. 1. *reserato Davidis sepulcro, tria millia auri talenta eruit.* Atque hoc jure qui pecuniam e monumento auferret, sacrilegus audiebat. Vetus poeta:

> *Plutoni sacrum munus ne attingite fures.*

Et alibi: *Abite hinc pessimi fures.* Et in C. Th. v. *proximum sacrilegio crimen* dicitur. Appellabantur etiam sacrilegi, qui *sepulcra* violarent. In veteri monumento:

> *Res ea sacra, miser, noli mea tangere fata,*
> *Sacrilegae bustis abstinuere manus.*

IV. Translatione. Perpetuae *sepulturae* tradita vel corpora, vel reliquiae alio transferri non poterant sine *sepulcri* violatione. Marcian. l. 39. ff. de relig. *Divi fratres edicto monuerunt, ne justae sepulturae traditum, id est, terra conditum corpus inquietetur: videtur autem terra conditum, & si in arcula conditum hoc animo sit, ut non alibi transferatur.* Epitaphium An. Crestinae: NE. QUIS. NOS. INQUIETET. EX. ARCA. NOSTRA. NEQUE. AD. ANTE. ALIAM. PONAT. AUT. COMMUTET. Hinc etiam nonnullis monumentis inscripta legimus haec verba: PERPETUAE SECURITATI. Hujusmodi *sepulcra* vocat *aeternam sedem* Paull. l. 4. ff. de religios. Et in quibusdam vetustis lapidibus *domus aeterna*. V. supr. in *Domus*. Hujusmodi *sepulturae* traditum corpus transferre alio non licebat, nisi si justa causa interveniret, ut erat *incursus fluminis*, vel *metus ruinae* l. 1. C. de Religios. & Paull. Sentent. I. Et tum translatio debebat impetrari ab iis, quorum hac de re erat cognitio: puta a magistratu loci d. l. C. *Existimatione rectoris provinciae transferre eas in alium locum poteris.* Vel a Principe l. 2. de cadav. punit. *Nec licet eum inde transferre alicubi, & sepelire inconsulto Principe.* l. 14. C. de Religios. *Nemo humanum corpus ad alium locum sine Augusti affatibus transferat.* Vel a pontifice. Vetus inscriptio: RELIQUIAE. TRAJECTAE. EJUS. III. NONAS. FEBR. EX. PERMISSU. COLLEGII. PONTIFICUM. FACTO. PIACULO. Ad tempus vero alicui loco commendata libere transferebantur. Ulpian. l. 3. ff. de sepulc. viol. *Non perpetuae sepulturae tradita corpora posse transferri, edicto divi Severi continetur.* Diocletian. & Maxim. l. 10. C. de relig. I. *Si nondum perpetuae sepulturae corpus traditum est, translationem ejus facere non prohiberis.* Huc pertinet, quod defuncti, reliquiaeve ejus ex peregrina terra, ubi extremum vitae diem clauserant, in patrium monumentum, vel locum, quem vivus sibi destinaverat, solebant portari. Erat enim hoc, quod hodieque est, plerisque omnibus innatum, ut in gentis suae sepulcro condi optarint. V. supr. in *Patria*. Impetrata translatione, priusquam corpus loco moveretur, *sacrificia sollennia* fuerunt *reddenda*. Paull. Sentent. I. Non in urbes ferebantur. Hinc Sozom. Hist. Eccl. VII. 10. *Per idem tempus Modesti cadaver Antiochiam deportatum est. Per totam viam publicam Imperatoris jussu intra urbes receptum fuit, praeter morem, & institutum Romanorum.* Sed per territoria. l. 3. ff. de sepulc. viol. cit. §. D. Severi mandatum est, *ne corpora detinerentur, aut vexarentur, aut prohiberentur per territoria oppidorum transferri.* Atque hinc intelligimus non vulgare genus honoris fuisse, quo delatus Augusto, *cujus corpus decuriones municipiorum, & coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt noctibus propter anni tempus, cum interdiu in basilica cujusque oppidi, vel in aedium sacrarum maxima reponeretur.* Suet. c. 101. n. 1. D. tamen *Marcus rescripsit, nullam poenam meruisse eos, qui corpus in itinere defuncti per vicos, aut oppidum transvexerint: quamvis talia fieri sine permissu eorum, quibus permittendi jus est, non debeant.* Immunia erant a vectigalibus, dum alio transferebantur. Bibl. IIX. *In nullo quoquam loco vectigal ab aliqua persona pro corporibus ex uno in alium locum transeuntibus praestetur.* Kirchman. ibid. c. 23. 24. 25. Quenstedt l. l. c. 12. Eorum, qui in publica detestatione erant, Libitinae ibus petebantur. V. supr. in *Lapidatio*. Violatorum poena erat mors, relegatio, deportatio ad metallum, pecunia, manus amputatio. Ulpian l. 3. §. 7. ff. eod. *Adversus eos qui cadavera spoliant, praedones, poenae irrogantur: maxime si manu armata aggrediantur: ut si armati more latronum id egerint, etiam capite plectuntur, ut D. Severus rescripsit: si sine armis, usque ad poenam metalli procedant.* Paull. l. 3. §. 11. ff. eod. *Rei sepulcrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint: humiliores quidem fortunae summo supplicio afficiuntur: honestiores in insulam deportantur, aut alias relegantur, aut in metallum damnantur.* Quod Macer l. 9. ff. eod. generatim affirmat, *de sepulcro violato actionem quoque pecuniariam dari*, ad ditiores restringendum est. In illa tamen mire variatum. Ulpian. l. 3. §. 8. ff. eod. eam statuendam ait *ex injuria, quae facta est, item ex lucro ejus, qui violavit: vel ex damno, quod contigit: vel ex temeritate ejus, qui fecit*, hoc est, ex eo quod aequum judici videbitur, dum tamen non minoris reum condemnet judex, quam in aureos centum *sepulcro* violato: vel ducentos *sepulcro* inhabitato, aut inaedificato: quae poena edicto praetoris fuit definita d. l. 3. Constantius Imperator *sepulcri* violatorem XX. *pondo auri fisco inferre* jubet: quam ipsam etiam poenam statuit in *locorum judices, si hoc vindicare neglexerint*, ut est in l. 2. & 4. C. de sepulcr. viol. Idem etiam sancivit, *ut villa, sive domus, aut aedificium quodcunque esset, fisci juribus vindicaretur, in qua domo aliquid reperiretur, quia de sepulcro esset detractum.* Denique Valentinianus media parte bonorum multavit eos, qui ex honestioribus *sepulcrum* violassent: Splendidiores, vel *dignitatibus noti bonorum suorum medietate multati perpetua notentur infamia.* De manuum amputatione auctorem habemus Harmenopulum, qui diserte scribit VI. 5. *Qui mortuos in sepulcris exuunt, illis manus amputentur.* Kirchman. ibid. c. 26. Quenstedt l. l.

Sepulcrum commune appellabatur, quod quis sibi, familiae, & posteris suis fecerat. Cicer. de Offic. I. 17. *Magnum est eadem habere monumenta majorum, iisdem uti sacris, sepulcra habere communia.* Justin. Instit. II. de rer. divis. *In communem locum purum invito socio inferre non licet:*

licet: in commune vero ſepulcrum etiam invitis cæteris licet inferre. Auſon. Epitaph. XXXVII. 1.

Me ſibi, & uxori, & gnatis commune ſepulcrum
Conſtituit ſeras Carus ad exſequias.

Kirchman. de Funer. Roman. III. 13. Quenſteed de Sepult. vet. c. 10. Etiam illud, in quod quidem pluribus inferri jus erat, ſed non niſi in certam, & peculiarem ſuam partem. Solebant enim veteres interdum monumenta in duas, treſve, aut plures partes diſpertire, & cuilibet domino ſuam aſſignare. Videre hoc eſt ex plurimis inſcriptionibus, quarum aliquas hic apponemus.

CURTIA FILIA
Fecit. Sibi. &
Calpurnio. Secundo.
Conjugi. Suo. Kariſſ.
Calpurniæ. Anthidi.
Vernæ. Kariſſ. & Libertis
Libertab. Q. noſtris. Poſteriſque
Eorum. Hoc. Monu. in. Fronte. P. x.
In. Agr. P. xv. cujus. Pars. dimidia
Dexter. Introit.

Romæ in ædibus Atilii Delphinii:

CURTIA C. L. PRIAPIS
Cui. pars. dimidia. hujus
Monument. conceſſa. eſt. ab
C. Mæcenate. Helio. Sibi. &
P. Curtio. Sp. F. Col.
Maximo. Filio. &
T. Julio. Aug. L. Glyconii
Et. ſuis. poſteriſque eorum.

In iisdem ædibus

CURTIA. MU. L.
Europa.
Ex. teſtamento. HS (CIↃ)
M. Popillius. M. L. Sotericus
Sibi. &. Libert. libertab. Poſteriſque. ejus.
Hujus. Monumenti. ſive. ſepulcrum. eſt.
pars. tertia. eſt.

Porro & aliud genus, qualia vel peregrinis, vel in bello cæſis ſtruebantur. Eaque polyandria dicta, vox ipſa indicat. Suidas: *Polyandrion, monumentum, ſepulcrum, ubi ſunt multa virorum corpora ſepulturæ mandata. Quod vulgo vocatur ſepulcrum peregrinis ſepeliendis deſtinatum. Ælianus: Sepultis mortuis fecerunt commune ſepulcrum.* Vetus Inſcriptio:

FORTISS. MIL. V. ET. XIX. LEG.
QUORUM. OPERA. FORTITER VETERA. CASTRA. DEFENSA. SUNT.
POLYANDRION.

Nec vulgaris conſuetudo fuit, qua diligenter veteres cavebant, ut conjuges, amicos, & amaſios, quos fide, & amore inter ſe mutuo inſigni fuiſſe conſtabat, poſt mortem uno eodemque tumulo conderent. Apul. VIII. p. 246. *Tunc propere familiares miſeræ Charites corpus ablutum unita ſepultura ibidem marito perpetuam conjugem reddidere.* Val. Max. IV. 6. 3. *Quem,* M. Plautium, *inter officium ungendi, & oſculandi ſtricto gladio incumbentem amici, ſicut erat, togatum, & calceatum funeri conjugis Oreſtillæ, quæ Tarentum eum proſecuta fuerat, & morbo preſſa deceſſerat, junxerunt: ac deinde ſubjectis facibus utrumque una cremaverunt. Quorum ibi factum ſepulcrum Tarenti etiamnum conſpicitur, quod vocatur* ΤΩΝ ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ. *Kirchman. l. l.*

Sepulcrum familiare erat commune, *quod quis ſibi, familiæque ſuæ conſtituit,* ut ait Cajus l. 5. ff. de religioſ. In hæc cognatis, qui hæredes non inſtituti, nullum inferendi jus fuit. l. 8. C. de religioſ. *Jus familiarium ſepulcrorum ad affines, ſeu proximos cognatos non hæredes conſtitutos minime pertinet.* Illi vero, qui in familia erant, licet hæredes non eſſent, jus inferendi tamen habebant, quemadmodum & hæredes extranei. Utrumque patet ex lege C. 13. eod. *Jus ſepulcri tam hæreditarii, quam familiaris ad extraneos etiam hæredes: familiaris autem ad familiam, etiamſi nullus ex ea hæres ſit, non etiam ad alium quenquam, qui hæres non eſt, pertinere poteſt.* Ex his colligimus libertos etiam in familiaria *ſepulcra* inferri potuiſſe, etiamſi hæredes non fuerint. Libertos enim in patroni familia ſemper numeratos fuiſſe conſtat. Etſi autem, ut ex his apparet, manifeſti fere juris fuit, quibuſnam in quælibet *ſepulcra* inferendi jus fuerit: nihilominus tamen veteres controverſiarum, quæ inde oriri poſſent, tollendarum cauſa, expreſſe ſolebant cavere de perſonis, quas vel inferri in ſuum monumentum, vel ab eo excludi malebant, ut patet ex inſcriptionum antiquarum clauſulis:

SIBI. ET. CONJUGI. ET. LIBERIS.
ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQ. POSTERISQ. EORUM. FECIT.

Et ex illa altera:

HOC. MONUMENTUM HÆREDES
NON SEQUITUR.

Vel aliter:

HOC MONUMENTUM. HÆREDES.
EXTRANEOS. NON. SEQUITUR.

Sæpiſſime enim hæ duæ clauſulæ conjunguntur, & raro unam ſine altera in antiquis lapidibus invenias. Romæ in via Flaminia, quæ ducit ad pontem Mulvium:

DIS. MANIB.
SACR. Q. CORNE
LIUS. HERMA. ET. CAS
SIA. LAIS. FECERUNT
SIBI. ET. SUIS. LIB. LIBERTA
BUS. POSTERISQUE. EORUM
HOC. MONUMENTUM
EXTERNUM. HÆREDEM. NON. SE-
QUITUR.

Interdum etiam ὀνομαστικλήδην in *ſepulcrorum* cippis denotabant eos, & quibus inferendi jus largirentur, & quibus idipſum denegarent. Primi generis teſtimonium eſt in veteri inſcriptione, quæ eſt Capuæ ad D. Vincentii:

M. POMPEJUS. APOLLONIUS. SIBI.
ET. PONTIÆ. HILARÆ. UXORI.
M. POMPEJO. FELICI. LIB. Q. MASURIO. ATTICO. M. POMPEJO. CELERI. LIB. Q. MASURIO. FELICI. M.
POMPEJO. AUCTO. LIB. PACTUMIÆ. CAMPANÆ INFERRI. HOC.
NON. LICET. NISI QUORUM. NOMINA. SCRIPTA. SUNT. ET. QUIBUS. CAVERO M. POMPEJO. ITHACO. POMPEJÆ. URBANÆ. ITHACI.
LIBERT.

Alterius generis teſtimonium habemus apud Suet. Aug. c. 102. n. 6. *Julias, filiam, neptemque, ſi quid his accidiſſet, vetuit ſepulcro ſuo inferri.* Ulpian. l. 12. §. 3. de ſepulcr. viol. *Si quis in hæreditarium ſepulcrum inferat, quamvis hæres, tamen poteſt ſepulcri violati teneri, ſi forte contra voluntatem teſtatoris intulit. Licet enim cavere teſtatori, ne quis eo inferatur.* Huc pertinet, quod dicit idem l. 7. §. 6. ff. eod. *Exhæredatis autem, niſi ſpecialiter teſtator juſto odio commotus eos vetuerit, humanitatis gratia tantum ſepeliri licet.* Unde in Romana inſcriptione hæc verba legimus: CONSECRARUNT. SIBI. ET. C. CÆCILIO. RUPINO. ET. C. CÆCILIO. MATERNO. ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQUE. POSTERISQUE. EORUM. EXCEPTA. SECUNDINA. LIBERTA. IMPIA. ADVERSUS. CÆCILIUM. FELICEM. PATRONUM. *Kirchman. de Funer. Roman.* III. 13. *Quenſteed de Sepult. vet. c.* 10. *Briſſon. de Form.* VII. *p.* 679. *Antiq. Select.* II. 14. *Nicol. de Luct. Græc. c.* 12. *de Sepulcr.* III. 7. 1. *Meurſ. de Funer. c.* 40. *Guther. de jur. man.* III. 9. *Gyrald. de var. ſepel. rit. c.* 9. *& Faes in illum.*

Sepulcrum hæreditarium definimus Cajo, & Ulpiano aucto-

auctoribus ff. de relig. & sumpt. funer. *quod quis sibi, hæredibusque suis constituit, vel quod paterfamilias jure hæreditario acquisivit.* Vocatur alias *sepulcrum majorum.* Quintil. Decl. II. *Miser ego nec ad cadaver accessi, non in sepulcra majorum meis manibus intuli.* *Patrum.* Virg. Æneid. x, 557.

Istic nunc metuende jaces, non te optima mater
Condet humi, patrioque onerabit membra sepulcro.

Terentius laudatus supr. in *Sepulcrum.* *Avitum.* Ovid. Trist. IV. 3. 45.

Et cinis in tumulo positus jacuisset avito.

Metam. XIII. 524.

Condeturque tuum monumentis nomen avitis.

Gentile, & *gentilitium.* Vellej. II. 119. 5. *Caput Vari abscissum, latumque ad Marobodunum, & ab eo missum ad Cæsarem: gentilis tamen tumuli sepultura honoratum est.* Sic *gentili Domitiorum monumento reliquias* Neronis *Ecloge, & Alexandra nutrices cum Acte concubina condiderunt.* Suet. c. 50. n. 2. In hoc hæredes inferendi jus habebant. Ulpian. l. l. *Sed in utroque*, tam eo, quod sibi, hæredibusque suis quis constituit, quam quod hæreditario jure acquisivit, *heredibus quidem, cæterisque successoribus, qualescunque essent, sepeliri licebat, & mortuum inferri, etiamsi ex minima parte hæredes ex testamento, vel ab intestato essent.* Et bonorum possessores, & ii, quibus libertatis conservandæ causa bona addicta fuerint. Ulpian. l. 4. ff. de fideicom. libert. *Is autem, cui bona addicta sunt, bonorum possessori adsimulari debet: secundum hoc & jura sepulcrorum poterit habere.* Imo hoc amplius, ut Paull. l. 41. ad SCtum Trebell. etiam *restituta hæreditate jura sepulcrorum apud hæredem remanent.* Quin imo & apud eum, cui tanquam indigno hæreditas ablata est. Ulpian. l. 33. ff. de religios. *Si quis fuit heres: deinde hereditas ablata sit ei quasi indigno, magis est, ut penes eum jura sepulcrorum remaneant.* Liberis utriusque sexus idem jus erat, etiamsi hæreditate sese abstinerent. Ulpian. l. l. *Liberis cujuscunque sexus, vel gradus, tam filiisfamilias, quam emancipatis idem jus concessum erat, sive heredes existerent, sive sese abstinerent.* Excludebantur liberti. Ulpian. l. l. *Liberti nec sepeliri, nec alios inferre poterant, nisi haredes extitissent patrono.* Kirchman. de Funer. Roman. III. 13. Brisson. Antiq. Lect. II. 14. Meurs. de Funer. c. 40. Quensteed de Sepult. c. 10. Guther. de jur. man. III. 10. Nicol. de Sepulcr. III. 8. 1. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 9. & Faes in illum.

Sepulcrum honorarium. V. supr. in *Cenotaphium.*

Sepulcrum privum, sive singulare appellabatur, quod quis sibi duntaxat, vel etiam conjugi suæ fecerat. Nulli omnino hæredum, vel libertorum patebat. Ideoque pœna plerumque, vel etiam exsecratio districte solita apponi, si quis eo inferretur, ut videre est ex hac inscriptione Hispaniensi:

L. SILO. SABINUS. BELLO. CONT.
VIRIATUM. CONFOSS. MULTITUD.
TELORUM. AD. L. PLAUT. PRÆT.
DELATUS. HUMERIS. MIL. HOC.
SEPULCR. E. PECUNIA. MEA. MI-
HI. FECI. IN. QUO. NEMINEM. VE-
LIM. MECUM. NEC. SERVUM. NEC.
LIBERUM. INFERRI. SI. SECUS.
FIET. VELIM. OSSA. QUORUM-
CUNQ. SEPULCR. MOVERI. SI. PA-
TRIA. LIBERA. ERIT.

Item ex alia:

IN. H. S. LIBERT. SIVE. LIBER. IN-
FERATUR. NEMO. SECUS. QUI. FE-
CERIT. MITEM. ISIDEM. IRATAM.
SENTIAT. ET. SUORUM. OSSA. E-
RUTA. ATQUE. DISPERSA. VI-
DEAT.

Kirchman. de Funer. Roman. III. 13.

Sepulcrum Accæ Laurentiæ fuit in Velabro, ubi Viam novam sibi obviam habuit: quo loco feriæ Laurentinæ celebrabantur. Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in Viam novam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulcrum Accæ.* E quibus verbis, *ut ajunt quidam*, conjicio, non illic Accæ verum, & visibile *sepulcrum* fuisse, verum tantummodo imaginarium. *Nardin. Rom. Vet.* v. 10. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27. *Guther. de Jur. man.* II. 36. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 13.

Sepulcrum Alcimi pueri V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum Alexandri inter vias Latinam & Labicanam in monte Grani nunc dicto. *Fabrett. de Aquæduct.* I. *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1708. *B.*

Sepulcrum ancillæ Augusti quinque liberos uno partu enixæ V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum, Arcus cellæ quod nominatur, est inter Puteolos, & Atellam, ad latus viæ silicibus stratæ, pulcerrimum. Parietes ejus tetragoni, cum laqueari vermiculato: in cujus medio centauri imago puerum vehentis. Loculi ultra sexaginta, medii ampli, fortasse patronorum: laterales contracti, libertorum, libertarumque. In loculis urnæ singulæ, pluresve dispositæ fuerunt, clausæ exterius tabellis marmoreis, in quibus nomina depositorum de more fuerunt adscripta. *Fabric. Descr. Urb. Rom.* c. 20.

Sepulcrum Attæ togatorum scriptoris V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum Aventini Albanorum Regis fuit in monte Aventino. Liv. I. 3. *Aventinus sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanæ urbis, cognomen colli fecit.* Non in summo, sed in imo colle fuisse docet Aur. Vict. de Orig. Gent. Rom. c. 18. n. 5. *Aventinus Silvius finitimis bellum inferentibus in dimicando circumventus, ab hostibus prostratus est, ac sepultus circa radices montis, cui ex se nomen dedit, ut scribit Julius Cæsar* II. Locus vero *sepulcri* ignoratur. *Nardin. Rom. vet.* VII. 9.

Sepulcrum Augusti Cæsaris V. supr. in *Mausoleum.*

Sepulcrum Basili fuit in via Appia prope Urbis mœnia. Ascon. in Cicer. p. 201. *Via Appia est prope Urbem monumentum Basili, qui locus latrociniis fuit perquam infamis.* Ejus meminit Cicer. Attic. VII. 9. *Quas L. Quintius familiaris meus quum ferret, ad bustum Basili vulneratus, & despoliatus est.* Aring. Rom. Subterr. III. 10. 19. Nardin. Rom. vet. III. 3.

Sepulcrum Cæciliæ Crassi fuit in via Appia, Albanum versus, adhuc integrum superest haud procul ab Ecclesia D. Sebastiani, sphærica quadam forma exædificatum; quod vulgo *Caput bovis*, a boum videlicet craniis eidem *sepulcro* insculptis appellatur: ubi ejusmodi inscriptio grandioribus notis exsculpta legitur:

CÆCILIÆ. Q. CÆCILII. F.
METELLÆ. CRASSI.

Fuit hæc Cæcilia Q. Metelli filia, qui ob devictam Cretam Cretici cognomentum ingenti laude promeruit: eademque Crassi illius omnium ditissimi uxor extitit. *Aring. Rom. Subterr.* III. 10. 21. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 27. *Boissard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 15. *Schott. Admir. Urb. Rom. p.* 192. *Descript. Urb. Rom. p.* 453.

Sepulcrum Q. Cæcilii fuit in via Appia. Nep. Attic. c. 22. n. 4. *Sepultus est juxta viam Appiam ad quintum lapidem in monumento Q. Cæcilii avunculi sui.* Aring. Rom. Subterr. III. 10. 19. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 27.

Sepulcrum Cæcilii Statii comici ad Janiculum olim est visum. Euseb. in Chronic. *Statius Cæcilius comœdiarum scriptor clarus habetur. . . . juxta Janiculum sepultus.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. n. 1. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 20. Nardin. Rom. vet. VII. 11.

Sepulcrum Caji Caligulæ V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum Calatini fuit in via Appia. Cicer. Tusc. Quæst. I. 7. *An tu egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros illos putas?* Aring. Rom. Subterr. III. 10. 18. Nardin. Rom vet. III. 3. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.

Tom. III. p. 254. F. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 17. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 3. §. 5.

Sepulcrum C. Cestii septemviri epulonum fuit moles illa, quæ muris Urbis includitur ad portam nunc S. Paulli, quadrata, ad modum ignis in acutum tendens, figura metæ. Hoc ostendit titulus in exteriori, & interiore latere ejus incisus. Ab exteriore tantum latere, & literis longe minoribus subjicitur:

OPUS. ADSOLUTUM. EX. TESTAMENTO. DIEBUS. CCCXXX. ARBITRATU. PONTI. P. F. CLAMELÆ. HÆREDIS. ET. PONTHI. L.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 1. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 229. *A. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 20. *Boissard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 3. Adhuc omnium oculos invitat, ex Pario marmore pyramidis more fastigiatum; convulsum nonnihil pristino nitori restituit Alexander VII. Interior cavitas laxa, ad plura olim cadavera recipienda; parietes pictis candelabris, vasis vinariis, tibiis, mulierum lugentium, & geniorum alatorum imaginibus pulcre illustrati. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 4.

Sepulcrum Ciceronis Desiderius Lignaminæus ante sex annos in Zacyntho insula effossum scribit, apud sacellum S. Mariæ cognomento gratiosæ, cum tali epitaphio: M. TULLI. CICERO. HAVE. ET. TU. TERTIA. ANTONIA. Addit, inventas in eodem urnulas vitreas, in quibus cineres, & amicorum lacrymæ de more fuerint asservatæ: in fundo etiam majoris urnulæ, in ambitu concavi, inscriptum fuisse: AVE. MAR. TUL. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 20.

Sepulcrum Cinciorum in Palatina fuit regione. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 305. *F.* Quem illud huc retulisse puto, quod in Festo de porta Romana legisset: *Romanam portam vulgus appellat, ubi ex epistylio defluit aqua: qui locus ab antiquis appellari solitus est statuæ Ciciæ, quod in eo fuit sepulcrum ejus familiæ: sed porta Romana instituta est a Romulo in infimo clivo Victoriæ.* Sed hinc, si quis modo diligenter animum advertat, contrarium evincitur. Nam si locus statuarum a vulgo porta Romana appellatus fuit, certe re vera porta non fuit. Ea propter Festus addita particula *sed* veram portam Romanam indicat ad clivum Victoriæ. Consequitur igitur statuas illas Cincias non ad infimum clivum Victoriæ fuisse, sed arcum aliquem, seu fornicem aquæductus extra Urbem, ubi *sepulcris* locus: e quo fornice, sive ejus epistylio aliquo, vitium faciente, aqua destillavit. Forsan idem arcus portæ nomine descriptus fuit a Mart. IV. 18. 1.

Quod vicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis.

Nardin. Rom. vet. VI. 15.

Sepulcrum Claudiæ gentis forsan fuit in Capitolio. Suet. Tib. c. 1. §. 3. *Agrum insuper trans Anienem clientibus, locumque sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit.* Nisi forsan extra portam hoc locandum existimes Carmentalem, quippe quam ad radices Capitolii Tiberim spectantes sitam nemo dubitaverit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 9. §. 4.

Sepulcrum Didii Juliani Imperatoris fuit in via Labicana. V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum Domitiani V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum Domitiorum *prospiciebatur e campo Martio impositum colli hortulorum.* Suet. Ner. c. 50. n. 2. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 278. *C. Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 11. *Schott. Urb. Rom. Descr. p.* 444.

Sepulcrum Drusi patris Claudii fuit in campo Martio. Suet. Claud. c. 1. n. 6. *Corpus ad Urbem est devectum, sepultumque in Martio campo.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 7.

Sepulcrum Galbæ Imperatoris V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum Gallieni Imperatoris fuit in via Appia nono ab Urbe lapide. Aurel. Vict. Epit. c. 40. n. 3. *Severus ab Herculio Maximino Romæ ad tres tabernas extinguitur: funusque ejus Gallieni sepulcro infertur: quod ab Urbe abest per Appiam millibus novem.* Aring. Rom. Subterr. III. 10. 20. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 255. A. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 27.

Sepulcrum Germanici fuit in Mausoleo. Tacit. Annal. III. 4. 1. *Dies, quo reliquiæ* Germanici *tumulo Augusti inferebantur.* Nardin. Rom. vet. VI. 6.

Sepulcrum Glauciæ liberti Melioris fuit in via Flaminia. V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum Hadriani Imperatoris V. supr. in *Moles.*

Sepulcrum Helenæ matris Constantini porphyreticum fuit ad januam templi Lateranensis. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 7. §. 8.

Sepulcrum Hirtii & Pansæ fuit in campo Martio. Liv. Epit. 119. *A. Hirtius, qui post victoriam ipsis in hostium castris ceciderat & L. Pansa e vulnere, quod in adverso prælio exceperat, defunctus, in campo Martio sepulti sunt.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 7.

Sepulcrum Horatiæ, unius e Curiatiis sponsæ, quæ ab Horatio fratre suo ibi interfecta est, extitit in via Appia. Liv. I. 26. *Horatiæ sepulcrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato.* Aring. Rom. Subterr. III. 10. §. 20. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 254. F. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 8.

Sepulcrum Honorii Imperatoris. V. illud supr. in *Honorius.*

Sepulcrum Juliæ Cæsaris filiæ V. supr. in *Campus Martius.*

Sepulcrum Licinii, tonsoris Augusti. V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum Ludieni, seu Ludii, fulmine in circo interempti fuit in Janiculo. Festus: *Statua Ludiensis, qui quondam fulmine ictus in circo, sepultus est in Janiculo, cujus ossa postea ex prodigiis, oraculorumque responsis senatus decreto intra Urbem relata, in Volcanali, quod est supra comitium, obruta sunt.* Nardin. Rom. vet. VII. 11.

Sepulcrum Marcelli Augusti sororis nepotis fuit in Mausoleo. Virg. Æneid. VI. 872.

Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ Tiberine videbis
Funera, cum tumulum præterlabere recentem!

Forsitan & primus omnium ex Augusta familia fuit, quantum e vocula *recentem* suspicari licet. Fuerunt, qui perverse hos versus de mole quadam marmorea interpretarentur, quæ prope portam quondam Flaminiam, atque ea propter *sepulcrum* Marcelli appellata fuit: verum quod & a Tiberi aliquanto ea remotior fuerit, & quod vero minus videatur simile, Augustum tam dilectum sibi caput in aliud inferri *sepulcrum*, quam quod sibi, suisque exstruxerat, jussisse, Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 7. & Fulvius sententiam illam repudiarunt. Quibus eo lubentius assentior, quod legam apud Albinov. ad Liviam n. 67.

Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro;
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa tumuli bene janua clausa est:
Perficit officium funeris, ecce, soror.
Ecce, ter ante datis, jactura novissima Drusus,
A magno lacrymas Cæsare quartus habet.
Claudite jam, Parcæ, nimium reserata sepulcra,
Claudite, plus justo nam domus ista patet.

Nardin. Rom. vet. VI. 6.

Sepulcrum Marci Aurelii fuit inter molem Hadriani, & S. Petri basilicam, quantum conjectura assequi licet: unde & Viæ novæ, & portæ Aureliæ nomen. Meminit Spartian. Sever. c. 19. *Illatus sepulcro Marci Antonini, quem ex omnibus Imperatoribus tantum coluit. . . .* Nardin. Rom. vet. VII. 13. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. n. 3.

Sepul-

Sepulcrum Mariæ, Honorii uxoris, filiæque Stiliconis, virginis etiam tum, cum decederet (quod an verum sit. V. supr. in *Honorius.*) in basilica D. Petri inventum L. Faunus memorat an. 1545. in sacello, quod Rex Galliarum illic adornabat. Quum enim terra illic egereretur, arca marmorea illic inventa fuit, in qua cadaver, sed quod jam pessum ierat, exceptis pauculis ossibus, dentibus, & capillis. Reperta & cistula argentea cum multis minutiis pretiosis ad cultum muliebrem pertinentibus, ac vasculis: item alia ex auro, in qua gemmæ, & crystallli, accuratissime ab eodem Fauno recensitæ, & cognitu jucundissimæ. Vix autem mihi persuadere patior, fuisse id olim in ipso D. Petri templo, quod mos ille cadavera in templis sepeliendi tunc temporis necdum cognitus fuerit. Proximum tamen fuisse non negaverim; sicut & illud Honorii: post autem ruinis obtectum, ignoratumque, in recentiore illius templi renovati ampliatione ab Julio II. instituta, ambitu ejus fuisse inclusum. *Nardin. Rom. vet.* VII. 13. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 21.

Sepulcrum Metellorum fuit in via Appia extra portam Capenam. Cicer. Tusc. Quæst. I. 7. V. illum supr. in *Sepulcrum Calatini.* Non imprudenti consilio *sepulcra* ibi constructa: ita enim ab ultro citroque commeantium turba novo quotidie plausu manes eorundem excepti. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 3. §. 5.

Sepulcrum Nasoniorum tabulis XXXV. exhibuit, & explicavit *Bellor. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 1031. . . .

Sepulcrum Neronis haud procul ab æde D. Mariæ de populo positum esse multi opinantur. Fuit vero in colle hortulorum. Ostendit hoc Suet. c. 50. n. 2. *Reliquias Ecgloge & Alexandra nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt: quod prospicitur e campo Martio impositum colli hortulorum.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 26.

Sepulcrum Numæ fuit in Janiculo. Dionys. II. p. 136. *Defunctum luctu publico, & insigni monumento honoravit civitas. Situs est trans Tiberim in Janiculo.* Aurel. Vict. de vir. illust. c. 3. n. 3. *Morbo solutus in Janiculo sepultus est.* Plin. XIII. 13. V. illum supr. in *Charta.* Sub Janiculo Liv. XL. 29. *Eodem anno in agro L. Petillii scribæ sub Janiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ, inventæ sunt, operculis plumbo devinctis. In altera Numam Pompilium, Pomponis filium, Regem Romanorum, sepultum esse: in altera libros Numæ Pompilii esse. Eas arcas cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quæ titulum sepulti Regis habuerat, inanis inventa, sine ullo vestigio corporis humani, aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus absumptis: in altera duo fasces candelis involuti septenos habuere libros, non integros modo, sed recentissima specie: septem libri Latini de jure pontificio erant: septem Græci de disciplina sapientiæ, quæ illius ætatis esse potuit. Adjicit Antias Valerius, Pythagoricos fuisse. Vulgatæ opinioni, qua creditur Pythagoræ auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodat fidem.* Multa hic mihi dubia animum torquent; ac I. quo pacto tam præclari, ejusque Regis monumentum per tot secula ita ignotum esse populo Romano potuerit, ut & ipse situs ejus ignoratus sit. II. qui factum, ut contra morem solitum terra conditus, sepultusque sit: nam casu, seu illapsu terræ temporis injuria, ac vetustate id non factum, sed dedita opera, revincti plumbo lapides arguunt. III. cur trans Tiberim, loco inculto, nec ponte adhuc Urbi juncto, translatum ejus cadaver, terræque mandatum sit. IV. quo pacto intra 535. annorum decursum corpus humanum ita consumi potuerit, ut ne vestigium quidem ejus ossium, imo nec pulvis superfuerit. V. quo pacto libri chartacei, tametsi cedro illiti, & omni cura custoditi, recenti specie esse potuerint. VI. unde chartæ tunc usus, quam Plin. XIII. 2. post Alexandrum M. inventam in Ægypto dicit, annis plusquam trecentis post Numam: & licet inventa jam tum, & in usu fuerit, unde rudi illo, & paupere seculo charta Romam ex Ægypto delata sit, mosque illam cedro illinendi invaluerit. VII. quomodo lingua Græca tam familiaris tum temporis Latio fuerit, etiamsi Numa Pythagoræ discipulus habitus sit, qui tamen multo ante Pythagoram vixit. Hæc, & plura alia forsan me inducerent, ut fraudem, atque imposturam hanc recentioris alicujus hominis fuisse suspicarer, nisi tam antiquos scriptores nimiæ, & inconsultæ damnare credulitatis nefas existimarem. Sed quicquid hujus fuerit, sufficit indicasse, ubi hoc *sepulcrum* fuerit, in ea scilicet Janiculi parte, quam Ancus Martius mœnibus Urbis inclusit. Exactiorem vero situm inter incerta inferimus. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 6. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 20. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 279. *B. Guiland. Papyr. Membr.* XXIII. *n.* 2. . . .

Sepulcrum Pallantis Claudii liberti }
Sepulcrum Pallantis Euandri filii } V. supr. in *Sepulcrum.*
Sepulcrum Paridis pantomimi }

Sepulcrum C. Poblicii ædilis plebis ad macellum Corvorum hodieque extat sub Capitolio, qua parte mons ipse ad forum Trajani vergit. In illo extat sequens epitaphium:

C. POBLICIO. L. F. BIBULO. ÆD. PL.
HONORIS VIRTUTISQUE. CAUSSA.
SENATUS CONSULTO. POPULI-
QUE. JUSSU. LOCUS MONUMEN-
TO. QUO. IPSE. POSTERIQUE EJUS.
INFERRENTUR. PUBLICE. DATUS.
EST.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 2. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 9. §. 4.

Sepulcrum Pomponii Attici. V. supr. in *Sepulcrum.*

Sepulcrum Porsenæ fuit sub urbe Clusio. Plin. XXXVI. 13. *Namque & Italicum* Labyrinthum. . . . V. supr. in *Labyrinthus.* Huic *sepulcro* quantum memoria assequi possum (nam libris omnino, ut patet, destitutus sum) quatuor erant pyramides adstructæ, supremæ pyramidum partes catenis jungebantur, a quibus tintinnabula non pauca propendebant, quæ, cum flarent venti, concussa, sonitum, qui longe pervagaretur, edebant. Hæc non admodum magna fuisse haud ægre crediderim, siquidem maxima, aut saltem mediocria, ventis agitari, aut permoveri nequeunt. Plinius: *Supra id quadratum pyramides stant quinque, quatuor in angulis, in medio una; in imo latæ pedum septuagenûm quinûm, altæ centum quinquagenûm: ita fastigiatæ, ut in summo orbis æneus, & petasus unus omnibus impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata longe sonitus referant, ut Dodone olim factum.* Mag. de Tintinnab. c. 4. & ad illum Sweertius.

Sepulcrum Romuli fuit in regione octava, quæ forum Romanum. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 297. *D.*

Sepulcrum Scipionis Africani Literni fuit post Sinuessam. Liv. XXXVIII. 53. *Scipio vitam Literni egit, sine desiderio Urbis. Morientem rure eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt, monumentumque ibidem ædificari, ne funus sibi in ingrata patria fieret.* XLV. 38. *Satis insuper a vobis in P. Africano: Literni domicilium, & sedem fuisse domitoris Africæ, Literni sepulcrum ostendi.* Strab. V. p. 168. *Prope mare post Sinuessam Liternum oppidum est, ubi prioris Scipionis cognomento Africani sepulcrum jacet: ibi enim extremam consumpsit ætatem.* Epitomator tamen ejus ad XXXVIII. *Scipio Africanus, ne amplius tribunitiis injuriis vexaretur, in voluntarium exilium Liternum concessit: incertum ibi an Romæ defunctus; nam ejus monumentum utrobique fuit.* Acron in Horat. Od. III. 9. in Vaticano extitisse ait: *Devicta Carthagine virtute Scipionis Africani, cum Afri adversus Romam denuo rebellarent, consulto oraculo responsum est, ut sepulcrum Scipioni fieret, quod Carthaginem respiceret. Tunc levati cineres ejus sunt, pyramide in Vaticano constituta, & humati in sepulcro ejus in portu Carthaginem respiciente.* Sed fides ejus parum certa habetur: siquidem Cicer. Tusc. Quæst. I. 7. V. illum supr. in *Sepulcrum Calatini,* in via Appia collocat. Et juxta cum illo Liv. XXXVIII. 56. *Alii*

Romæ, alii Literni, & mortuum, & sepultum: utrobique monumenta ostenduntur, & statuæ. Nam & Literni monumentum, monumentoque statua superimposita fuit: quam tempestate disjectam nuper vidimus ipsi. Et Romæ extra portam Capenam in monumento Scipionum tres statuæ sunt: quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia poetæ Q. Ennii. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 22. & 27. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 255. B. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 20. Cluver. Ant. Ital. IV. 2. 5. Aring. Rom. Subterr. II. 3. 18: III. 10. 18. Nardin. Rom. Vet. VII. 13. Faunus Antiq. Urb. Rom. v. 12. Verum responderi queat, licet Africani majoris statua illic fuerit, aliud tamen ejusdem peculiare Literni fuisse *sepulcrum*: atque ita & minoris Africani ibidem statuam fuisse, tametsi in Vaticano peculiarem habuerit pyramidem. Dein Cicero in via Appii *sepulcrum* familiæ Scipionum extitisse tradit, quod post utriusque illic Africani mortem conditum videri possit: cui exornando tres illæ, quas recensuimus, statuæ illatæ sint. Sed & hæc, ut cætera dubia, quisque suo arbitrio dijudicet. *Nardin. l. l. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 3.

Sepulcrum Sempronii Tuditani V. supr. in *Sepulcrum*.

Sepulcrum Serviliorum fuit in Via Appia. V. illud supr. in *Sepulcrum Calatini*.

Sepulcrum Tatii Regis fuit in monte Aventino. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Inde Lauretum ab eo, quod ibi sepultus est T. Tatius Rex, qui a Laurentibus interfectus est.* Lauretum enim in Aventino. V. supr. in *Lauretum*. Plutarchus Tatium in Armilustro *sepultum* tradit. V. supr. in *Armilustrum*. Nardin. Rom. Vet. VII. 8.

Sepulcrum Severi. V. illud supr. in *Septizonium*.

Sepulcrum Thessali medici V. supr. in *Sepulcrum*.

Sepulcrum corvi avis fuit in via Appia. Plin. x. 43. *Tiberio Principe ex fœtu supra Castorum ædem genitus pullus,* corvus, *in oppositam sutrinam devolavit, etiam religione commendatus officinæ domino. Hunc sive æmulatione vicinitatis manceps proximæ sutrinæ, sive iracundia subita, ut voluit videri, excrementis ejus imposita calceis macula, exanimavit tanta plebei consternatione, ut primo pulsus ex ea religione, mox & interemptus sit, funusque innumeris alitis celebratum exequiis, constratum lectum super æthiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum, ad rogum usque, qui constructus dextra viæ Appiæ ad secundum lapidem, in campo Rediculi appellato fuit.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant Rom. Græv. Tom. III. p. 255. A. Kirchman. de Funer. Rom. Append. c. 6.

Sepulcrum equi Volucris fuit in Vaticano. Capitol. in Vero. V. illum supr. in *Equus*.

SEPULLIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

SEPULTURA est juris gentium, quod apud omnes gentes, vel certe plerasque, hoc est, apud eas, quæ non sunt efferis omnino, & incultis moribus, ut apud barbaras etiam nationes quadamtenus obtineat, non scripti, quod ἔθος vocat, & in bellis etiam ab infensissimis hostibus observari scribit Dio Chrysost. in Orat. περὶ ἔθους. *Tum scriptarum legum nulla in bellis valet: consuetudines autem servantur apud omnes, etiamsi ad extremas inimicitias progrediantur. Quippe ne mortui prohibeantur sepeliri, nusquam scriptum est: nam alioqui circa hoc victores succumbentium parerent mandatis: sed consuetudo est, quæ defunctos facit ea humaniter potiri.* Et Sophocles Antigonen Regi Creonti de sepulto ab ipsa contra ejus præscriptum Polynices cadavere conquerenti, ut cadaverum sepulturam e jure non scripto, ac divino, id est, e jure gentium, ut ipse interpretor, esse doceat, respondentem introducit his verbis Antigon. n. 455.

Non enim mihi Jupiter hoc mandaverat,
Neque socia inferorum deorum vindicta,
Qui leges has hominibus dederant:
Neque posse tantum putavi tua
Edicta, ut non scriptas, & certas deorum
Leges possit mortalis violare.
Non enim nunc & heri, sed semper
Valent: & nullus scit, unde editæ sint.

Isocrates quoque narrat Adrastum Argivorum Regem, cum a Thebanis ad Cadmæam bello superatus esset, & suorum cadavera projecta sepelire per hostes victores non posset, ad Theseum, & Athenienses confugisse, & ab ipsis petiisse, ne consuetudinem veterem, & patrium jus, quo videlicet omnes homines tanquam divino uterentur, dissolvi sinerent. Verba ejus hæc sunt in Panathen. p. 462. *Quis ignorat, aut Bacchanalibus e tragicis auctoribus non audivit, quas Adrastus clades ad Thebas acceperit? Qui Oedipi filium suum generum in regnum restituere conatus, maximas Argivorum copias amisit, & omnes centuriones vidit interemptos, ipse per dedecus servatus. Et quia nec fœdus impetrare, nec cæsos afficere sepultura posset, supplex urbi nostræ factus, Theseo adhuc eam gubernante, oravit, ne tales viros insepultos jacere, aut vetus institutum, & patriam legem apud universos homines receptam abrogari sineret, quæ non mortali prodita ingenio, sed a divina potentia imperata videretur.* Non scriptum hoc jus, sed omnibus scriptis certius innuit Senec. Contr. II. *Affectus nostri in nostra potestate non sunt. Quædam enim jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt. Quamvis filiusfamilias sim, licet mihi & stipem porrigere mendico, & humum cadaveri.* Faber Semest. II. 1. Kirchman. Append. ad libr. de Funer. Roman. c. 3. Quensteed de Sepult. c. 2. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 39. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. II. 1. §. 5. Imo etiam naturæ. Quod hujus sit, Tholosan. in prælud. optim. Icti II. 44. probat auctoritate Dion. Prus. Soph. qui jus *sepulturæ* juris naturalis esse dixerit in orat. de consuetudine, ubi ita: *Nusquam prohibitum est mortuos sepelire, quo enim victores obtemperare vellent jussis illorum qui succubuerunt? at consuetudo est, quæ facit, ut defuncti fruantur hac humanitate.* Neque potui satis mirari alias formicarum pietatem, quæ velut istius juris participes sese inter se *sepeliunt* mortuas, ut & scribit Plin. XI. 30. Quæ vel solæ ad suadendam mortuorum curam sufficiunt. Et divini. Divino enim jure præceptum est corpora defunctorum humi recondenda esse. Ita habet divinum oraculum Gen. c. 3. n. 19. *Terra es, & in terram reverteris.* Eccles. c. 12. n. 7. *Et revertatur pulvis in terram, quemadmodum erat.* Quod si cadavera inhumata relinquerentur, bestiis potius in alimentum cederent, quam in pulverem redigerentur. Hinc multa exempla terræ mandatorum occurrunt in Scriptura Sacra. Quin & ipse Deus morem hunc affirmavit Deut. c. 34. n. 6. ubi servum suum Mosen sepelivisse dicitur in terra Moab, e regione Beth-Peor. Nam quod verba illa ויקבור אותו inter Hebræos Aben Ezra, aliique ad Mosen, quasi seipsum *sepelivisse* diceretur; alii ad Deum quidem, sed ministerio Angelorum utentem referunt, dilutum est. Quippe ad subjectum proximum, nimirum Jehovam, referendum esse & series contextus arguit, & Jud. n. 9. insinuat, tribuens id Michaeli Archangelo, hoc est, Jehovæ Christo, ut evincit παραλληλία textus Zachar. c. 3. n. 2. ubi is, qui cum Sathana disceptavit, eumque Deo imprecandum commisit, vocatur Jehova. *Nicol. ibid.* §. 2. 3. & 4. III. 4. §. 4. *Faes in Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 1. *Sepeliendi* causas tradunt *Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 1. & *Faes ad illum. Nicol. de Sepulcr.* II. 2. Hæc in bellis, ubi leges silent, ab antiquis non est insuperhabita. V. supr. in *Milites*. Denegabatur I. hostibus patriæ, quos appello perduellionis, & læsæ majestatis reos, pacis publicæ perturbatores, proscriptos, & quicquid est hujus farinæ, quorum pœnæ ad exemplum aliorum pertinebant. V. supr. in *Perduellio*. II. suspendiosis, sive cruciariis. V. infr. in *Suspendiosus*. & supr. in *Cruciarius*. III. αὐτόχειρσι, sive qui sibi ipsis manus intulerunt. V. supr. in Αὐτόχειρες. Illam alioquin mortuis denegare grave est facinus. In eos, qui supervacaneam illam asserunt, & nullam de cadaveribus curam gerendam esse pronuntiant, graviter invehitur Lactant. VI. 12. V. illum supr. in *Humatio*. Et pergit: *Quamvis in homine ignoto necessariorum munus implebimus; in quorum locum quia desunt, succedat humanitas; & ubicunque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In quo autem magis justitiæ ratio consistit,*

sistit, quam ut in eo, quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem. Pietatis autem officium hoc exhibetur, ut ait Cicer. Phil. II. *naturæ & humanitati*, id est, naturæ humanæ, cujus quisque vel fidelis, vel ethnicus, quantumvis barbarus, particeps est. *Aring. Rom. Subterr.* I. 3. 2. Et exinde non negabatur hostibus devictis. V. supr. in *Hostis*.

SEQ.

SEQUANI sunt Burgundi, quorum caput est Visontium, vulgo Besancon dictum. Habent a meridie Ararim, ab ortu Helvetios, ob occasu Lugdunenses, a septentrione Germaniam superiorem & montem Juram. IX. oppida secundum itinerarium tenent, metropolim Visontiensem, civitatem equestrium, id est, Noviduno, Eluntiorum, id est, Aventicum, Noidenolex Aventicum, Basiliensium, id est, Basileam, Castrum Vindonisse, Ebrodunense, Argentariense, Rauracense, id est, portum Abuinæ. *Sequanorum* hæc, & Maxima Cæsariensis in Britannia a Clemente Maximo tyranno sunt denominatæ. Fuit Maximus genere Hispanus, & Theodosii Magni commilito, qui copiarum comes in Britannia anno salutis 383. Augustus est appellatus, in Galliasque irrumpens per Andragathium Gratianum A. interfecit: ac consors Imperii cum Valentiniano II. & Theodosio factus, per quinquennium imperavit. Sed cum rupto fœdere Hispaniam, & Africam invasisset, in Italiam quoque irruit, inde in Pannoniam trajiciens a Theodosio profligatus, & occisus est. Autores Prosper, Paulus Diaconus, Sulpicius Severus, & alii. Cum diu igitur in Britannia, & Galliis Maximus imperasset, duas utrobique provincias a se Maximas appellavit. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 67. & 83.

SEQUESTRATIO apud signa apud veteres fuit in usu. Ex donativo enim, quod milites consequebantur, dimidia pars apud signa *sequestrabatur*, ibidemque militibus servabatur, ne a contubernalibus per luxum absumi posset, & inanium rerum comparationem: & ut interim annona publica sustentati, eorum fieret locupletius castrense peculium: scientesque fortunarum suarum partem apud signa sua depositam, de deserendo nihil cogitarent; sed magis diligerent signa, & pro illis in acie fortiter dimicarent, more humani ingenii, ut pro illis habeant maximam curam, in quibus suam vident esse positam substantiam. Denique decem folles, hoc est, decem sacci per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur & saccus undecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet causa. *Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv.* p 596.

SEQUESTRES *erant, apud quos pecunia deponebatur*. Ascon. in Cicer. p. 19. Julian. l. In e esse ff. de acq. n. possess. *Interesse puto, qua mente apud sequestrum deponitur res*. Modest. l. 110. ff. de verb. signif. ad rem controversam tantum refert: *Sequester, aut, dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt, dictus ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur*. Gell. XX. 11. V. illum supr. in *Sculna*. Proxenetæ erant, & artifices nundinationum, quorum sollicitationibus, & operis judices suas quisque tabellas cauponabantur. Cicer. Procem. Verr. c. 12. *Qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes judicii corrumpendi solent esse, quique ad hanc rem, aut potentiam, aut impudentiam professi sunt, abstineant in hoc judicio manus, animosque ab hoc scelere nefario*. Auson. Grat. act. p. 236. *Nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nihil pepigi*. Pro divisore dixit in comitiis, id est, non corrupi quemquam. *Pollet. For. Rom.* V. 9. *Ræward. in Leg.* XII. *tab. c.* 6. *Sigon. de Judic.* II. 30. V. etiam supr. in *Depositum*.

SER.

SERA erat species claustri. Instrumenta ferrea, quæ nos hodie *seras* vocamus, quibus immittendo claves, januas recludimus, & aperimus, longe differebant a veterum *seris*. Illæ enim idem fuisse videntur cum repagulis, & obicibus. Festus: *Seræ, fustes, qui opponuntur foribus*. Idem: *Obices, pessuli, seræ*. Catholicum magnum: *Sera dicitur firmatura ostii, & proprie lignum, quod ex transverso objicitur, & opponitur ostio*. Præterea hoc eo firmare licet, quod istæ, non ut nunc, impagibus ostiorum uncis affixæ ferreis hæserint, sed fuerint exemptiles, & quoties fores aperientur, necesse fuerit removere *seras*. Hinc Varr. de Ling. Lat. VI. 6. *Nec satis reserare ab serra dictum, id est, aperire. Hinc etiam seræ, quibus remotis fores panduntur*. Petron. c. 16. *Sera sua sponte delapsa cecidit, reclusæque subito fores admiserunt intrantem*. Inprimis id clarum est ex Ovid. Amor. I. 6. ubi aliquoties hæc iterat ad janitorem n. 24. 32. 40. 48. 56.

Tempora noctis eunt, excute poste seram.

Prop. IV. 12. 26.

Et jaceat tacita lapsa catena sera.

Atque id inprimis observandum venit, quod *catenæ* circa *seram* meminit: id quod etiam facit Apul. Met. V. p. 149. *Maritum sortita sum, cunctam domum seris, & catenis obditam custodientem*. Huc etiam pertinet, quod legimus *ponere seram* apud Juvenal. Sat. VI. 347. V. supr. in *Custodia cubiculi*. *Opponere seram* apud Ovid. de Art. amand. II. 243.

Si tibi per tutum planumque negabitur ire,
Atque erit opposita janua fulta sera.

Est igitur *opponere seram* idem quod obserare. V. illud supr. in *Obserare*. Sagittar. de Jan. vet. c. 10. §. 3--6. Salmas. Exercit. Plin. p. 650. b. 654. b. Turneb. Adv. XIX. 7.

SERANUS cognomen fuit Atiliæ gentis, plebejæ, a *serendo* id cognominis sortita. Plin. XVIII. 3. *Serentem invenerunt, dati honores, Seranum unde cognomen*. Eodem respiciens dixit Virg. Æneid. VI. 844.

——— *& te sulco Serane serentem.*

Patin. Famil. Rom. p. 42. Ursin. de Famil. Roman. in Atilia. Dalechamp. in Plinium. Cerda in Virgilium. In argenteis tamen denariis, & in antiqua inscriptione, cujus exemplum infr. describimus, itemque apud Obsequent. de Prodigiis. *Saranus* scriptum invenitur pro *Seranus*: quod fortasse ea familia *Sarani* cognominis aliam haberet originem, non autem eam, quæ a *serendo* ducta fuisset. *Patin. & Ursin. l. l. Sarranus* & *Serranus* etiam appellatur, quasi Tyrios, vel Punicos dixeris. Pœnos Sarra oriundos Ennius dixit, hoc est Tyro. Inde Sarranæ tibiæ, Sarranum ostrum. Sic ortos a Regulo captivo, qui apud Pœnos occidi maluit, quam apud suos vivere, *Sarranos* fortasse dixerunt. *Serranorum* gens tres habuit consulares. I. fuit Cajus. V. illum supr. in *Regulus*. II. Aulus, ejus, ut arbitror, nepos, qui consul fuit cum A. Hostilio Mancino an. 593. belli Persici anno secundo. III. Sextus, qui consul fuit an. 617. cum P. Furio Philo. Sunt, qui putent hunc M. F. quod titulus inveniatur cujusdam Sex. Serani M. F. proconsulis. Sed quia incertum est eundem esse, pro certo non accipio. IV. Cajus, qui consul fuit cum Q. Servilio Cœpione an. 647. *Strein. & August. de Famil: Roman. in Atilia*. Inscriptio:

SEX. ATILIUS. M. F. SARANUS. PRO.
COS. EX. S. C. INTER. ATESTINOS.
ET. VEJECETINOS. FINIS. TERMI-
NOSQUE. STATUI. JUSSIT.

Patin. & Ursin. l. l.

SERAPEUM dictum fuit templum *Serapidis*. Amman. XXII. 16. *His accedunt altis sublata fastigiis templa: inter*

inter quæ eminet Serapeum, quod licet vincatur exilitate verborum, atriis tamen columnariis amplissimis, & spirantibus signorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita est exornatum, ut post Capitolium, quo se venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat. Strab. XVII. p. 551. *Canopus habet Serapidis templum religiose cultum, ut etiam nobilissimi viri ei credant, & pro se, vel pro aliis insomnia ibi capiant.* p. 555. *Est in loco valde arenoso, adeo ut a vento colles a ventis exaggerentur.* Gyrald. Synt. deor. VI. p. 199. C. Voss. de Idolol. I. 29. Non licebat intra Urbem Serapei cultu. Dio XL. p. 142. D. *Ac mihi quoque id quidem decretum, quod prioris anni exitu de Serapi, Isideque factum erat, inter prodigia non extremum videtur locum obtinuisse. Eorum deorum fana, quæ privatim nonnulli exstruxerant, senatus demoliri jussit, quod eos non magnopere inter numina numerabant: ubi ea sententia valuit, ut publice jam coli inciperent, extra pomœrium istos collocaverunt.* Unde scortillum, quod, si in Urbe fuisset, pedes eo ire potuisset, deferri lectica petit apud Catull. X. 25.

> *Quæso, inquit mihi, mi Catulle, paullum*
> *Istos: commodo nam volo ad Serapin*
> *Deferri.*

Scalig. in Catullum, Voss. l. l. Postea & in Urbem admissi. In regione Urbis nona ponitur a Victore. Imo plura in Urbe facta sunt *Serapea*. Lamprid. Alex. Sev. c. 26. *Serapium decenter ornavit, additis signis, & deliacis, & omnibus mysticis.* Casaub. in Lampridium, Buleng. de Circo c. 5.

SERAPIS, five *Sarapis* fuit deus Ægyptius. Tacit. Hist. IV. 84. 2. *Motum Serapidis dei, quem dicata superstitionibus gens, ante alios colit.* In Græcia multis in locis cultus, & in primis Athenis. Pausan. Attic. p. 16. *Hinc ad inferiores partes urbis descendentibus Serapidis fanum se ostendit, cujus religionem a Ptolemæo Athenienses acceperunt. Apud Ægyptios celeberrima sunt ejus dei templa, sed omnium clarissimum habent Alexandrini, antiquissimum Memphitici.* Etiam Romæ, in circo Flaminio, nona Urbis regione, ut P. Victor docet, & adhuc nonnulla extant vestigia. Depingitur hac ratione a Macrob. Sat. I. 20. *Calathum ejus capiti affigunt, & simulacro signum tricipitis animantis adjungunt; quod exprimit medio, eodemque maximo capite leonis effigiem: dextra parte caput canis exoritur mansueta specie blandientis: pars vero læva cervicis rapacis lupi capite finitur; easque formas animalium draco connectit volumine suo capite redeunte ad dei dexteram, qua compescitur monstrum.* Ortel. Cap. Deor. & dear. II. fig. 30. La Seine de Homeri Nepenthe IV. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 1414. A. Kipping. Antiq. Roman. I. 5. §. 1. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman I. 13. Hunc aliqui Jovem esse dicebant, alii Nilum, alii Josephum, alii Apin quemdam hominem bovinum, & Regem in Memphide, alii Æsculapium, alii Dionysium, alii Plutonem. Ita Tacit. Hist. IX. 84. 7. Plutarch. de Isid. & Osir. p. 361. D. Euseb. Præpar. Evang. IV. 23: X. 12. August. de Civit. Dei XVIII. 5. Ruffin. Hist. II. 22. Suidas. *Gyrald. Synt. deor. VI. p. 198. & 199. Voss. de Idolol. I. 29. Vives in Augustinum. La Chausse de manib. an. vota refer. tab. XI. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græc. Tom. III. p. 331. F. Donat. de Urb. Rom. I. 22. Tomas. de Donar. c. 35. Cuper. Harpocr. p. 82. & 104. Casal. de Ægypt. ritib. c. 13. Lehman de Serap. §. 10--20.* Medicinæ fuit deus, imo institor. Is revera primus pretio medicinæ artem exercuit, quæ primitus gratuita erat. Varr. Eumenid. apud Non. VII. 104. *Ego medicina a Serapi utor.* Unde auxilium ejus stipe emebatur. Qua de re elegans distichon Varr. Eumenid. apud Non. II. 105.

> *Hospes, quid miras nummo curare Serapin?*
> *Quid? quasi non curet tantidem Aristoteles.*

Huc spectat illud Cicer. de Divin. II. 59. *Quid convenit ægros a conjectore somniorum potius, quam a medico petere medicinam. An Æsculapius, an Serapis potest perscribere per somnum curationem valetudinis?* Turneb. Adv. IV. 8. Tomas. & Kipping. l. l. Hunc in annulis sculptum gestabant veteres. *La Chausse de Bull. Tab. VII.* In ejus templo in Africa positas fuisse cupas, & acetum, sive potius aceratum, quod usurpatur pro urna, vel situla ænea: Alexandriæ quadrigam ferream opera magnetis fuisse suspensam, & Osirin, vel *Sarapin*, promiscue his vocibus utor, tubam, sive tibiam obliquam invenisse monere hic visum fuit: *Cuper. ibid. p. 139. . . 142.* Videsis illum ex Gestis Silvani, Prospero, & Eustathio singula hæc probantem.

SERGIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

Sergia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

Sergius prænomen Galbæ. V. illud infr. in *Servius.*

SERIA est vas fictile oblongum. Terentius. V. illum supr. in *Dolium.* Voss. Lex. Etymol. *Serias* appellare possumus vasa, quæ veluti *sera* clauduntur, ut flascones, & cætera hujusmodi vasa, quæ clausuram habent. *Cenal. de Pond. & mensur. rat. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. XI. p.* 1475. *B.*

SERICUM dicitur a *Seribus*, quos *inter duos amnes Hypanim, & Indum constitutos* scribit Oros. III. 23. Unde fiebat, quia ex interiore Asia petebatur, non æque constabat. Quidam veterum putarunt neri e cortice arboris Indicæ. Hanc fuisse quorundam sententiam auctor est Pausan. in Eliac. B. p. 205. In iis est Strab. XV. p. 477. cum ait: *Tales & serica vestes, bysso ex corticibus quibusdam carminato, & neto. Arborum* esse *fœtum*, etiam sensit Ammian. XXIII. 6. *Agunt*, inquit, *& ipsi quietius Seres, armorum semper, & præliorum expertes. Cœli apud eos jucunda, salubrisque temperies, & abunde sylvæ sublucidæ, a quibus arborum fœtus aquarum aspergininibus crebris velut quædam vellera mollientes, ex lanugine, & liquore admixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtegmina conficiunt sericum ad usus antehac nobilium, nunc etiam minimorum sine ulla discretione.* Alii arboribus depecti agnoscunt; verum non ex arborum natura, sed bombycum opere fieri tradunt. Sic clare Isidor. XIX. 27. *Sericum dictum, quia id Seres primi miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, a quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Græce βόμβυκες nominantur.* In priori sententia fuisse videtur Tertull. de Habit. mulier. c. 1. cum scribit: *Age nunc si ab initio rerum, & Milesii oves tonderent, & Seres arbores nerent.* At Isidoro favet Chrysostomus, qui inquit: *Pulcra sunt vestimenta serica, sed vestium textura.* Difficilius dictu, utros sequatur Maro, cum ait Georg. II. 121.

> *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.*

Aut Seneca, cum scripsit Herc. Oet. II. 666.

> *Quæ Phœbeis subditus curis*
> *Legit eois Ser arboribus.*

Aut Claudianus, cujus illud Prob. & Olybr. n. 179.

> *Stamine, quod molli tondent ae stipite Seres.*

Sed verius sane Isidorus, quam Strabo, vel Ammianus, quam Isidorum eo nomine, quasi male confuderit *bombycinum* cum *serica*, reprehendat Lipsius: V. illum supr. in *Bombycina.* At immerito, quemadmodum ex iis patet, quæ tradit Scalig. Exercit. ad Cardan. 158. n. 9. Ubi inter alia narrat *vidisse se in Calabria neglectos in arboribus vermiculos sine cura, cultuque sericum facere: e quibus detrahunt incolæ.* Addit quoque *ex commentariis navigationum, in Taprobana quoque sericum sine cultu ex arboribus detrahi.* Sed & partim ex Veneti legati narratione, partim ex peregrinationum scriptoribus ostendit, *sericum*, quod hodie a *Seribus* in loca alia demittitur, plane idem esse, ac illud, quo hodie utimur. Imo & Cardanus monuerat ex Indicis navigationibus patuisse, non aliud iis esse *serici* genus, quam nobis. Etiam Dalechamp. ad Plin. XI. 23. scribit se vidisse folia aliquot ex Perside, & Arabia advecta, mori foliis similia, sed paullo angustiora, & longiora, vellere *sericeo* circumvoluta, quod bombyx intus latens neverat, ut omnino *sericum* filum orientale, ac nostrum bombycinum non differant κατ' ὀυσίαν, sed solum accidenti, quod in oriente bombyces id in arborum foliis pro-

producant, nobis vero animalculum id cura maxima sit tuendum, servandumque. Quare nec audiendus is eo est Plinius, aut Beroald. in Stat. Sylv. 1. qui inter alia tradunt, *sericum* apud nos desiisse, nec ejus quicquam præter nomen superesse. Ad Justiniani tempora imperio Romano semina vermiculorum, qui *serica* nent, ignota fuere. Ejus demum temporibus eo perlata, itaque ibi neri a vermiculis, & inde texi *serica* cœpere. Ut constat ex Procop. Gothic. II. *Voss. Lex. Etymol.* V. quoque *Beroald. in Serv.* §. 55. *Brod. Misc.* II. 22. *Bays. de Re vest.* c. 5. & 6. *Salmas. Exercit. Plin.* p. 144. a. C. 209. b. A. 694. b. D. *Vopisc. Aurelian.* c. 45. *Tertull. de Pall.* p. 241. *Ferrar. de Re vest.* I. 19. *Volaterr. Comment. Urban.* XII. p. 411. F. XXVII. p. 1041. A. *Tiraquell. in Leg. Connub.* III. 8. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 27. *Cerda in Virgilium. Delr. in Senec. Hippol.* n. 386. *Cagnat. Var. Obser.* IV. 11. *Mercer. in Tertullianum. Mercur. Var. Lect.* I. 24. *Cisal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. c. 8. *Faber Semestr.* I. 16. *Scalig. Exercit. Exot.* c. 158. §. 9. Primo mulieres solæ *serico* utebantur. Plin. VI. 17. *Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico femina translucear.* Cœperant tamen jam tum viri eo uti: sed lege hoc repressum fuit. Quod accidit an. 769. quo decretum factum, ut ait Tacit. Annal. II. 33. 1. *Ne vestis serica viros fœdaret.* Neque Dionis ævo, qui vixit temporibus Severi Imperatoris hoc concessum fuit, ut constat ex XLIII. p. 226. A. *Sericum est textura barbaricæ luxuriæ, ab iisque ad superfluum luxum mulierum nobilium ad nos quoque pervenit.* Paullatim vero & viri eo uti cœperunt. Unde, qui post eos vixit, Solin. c. 50. *Hoc illud est sericum, in usum publicum damno severitatis admissum: & in quo ostentare potius corpora, quam vestire, primo feminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido.* Voss. l. l. Salmas. Exercit. Plin. p. 209. B. 694. E.

SERMO prætextatus de verbis obscœnis, quia depositis prætextis fiebat. Festus: *Prætextata verba, quod nubentibus depositis prætextis a multitudine puerorum obscœna clamarentur.* Cantabantur obscœna, cum nupturæ puellæ prætextam deponerent, ad demulcendum pudorem nuptialem. Suet. Vesp. c. 22. n. 2. *Erat dicacitatis plurimæ, & sic scurrilis, ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret.* Hotoman. de Vet. rit. nupt. c. 16. Turneb. Adv. XXIV. 36. Voss. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p. 60. H. Ferrar. de Re Vest. I. 2. 1. Crinit. de Honest. discipl. XX. 7. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 2.

Sermo rotatus est oratio conversione conclusa, atque comprehensa ambitu. Juven. Sat. VI. 449.

— & curtum sermone rotato
Torqueat enthymema.

Hoc genus dicendi a Cicerone in Partitionibus versam, ab Aristotele συνεστραμμένον appellatur: quo genere loquendi contorta oratio est, ideoque brevior, quam sponte natura fuit. *Turneb. Adv* III. 18.

SERPERASTRUM vocabatur instrumentum, quo infantes adhuc anniculi ad gressum subriguntur, & ambulando facilius pergunt, ne intorta crura sint, vel inæquali gradu inambulent, ne vaciæ, aut compernes fierent. Varr. de Ling. Lat. VIII. 5. *Si quis in consuetudine ambulandi factus sit vacia, aut compernis: si eum corrigi non concedant, non sequitur, ut illi e faciant, qui pueris in geniculis alligent serperastra.* Crinit. de Honest. Discipl. XVII. 5.

SERRA utebantur Romani pedites ad lignandum. V. supr. in *Milites.* Medios *serra* dissecare supplicium fuit orientalibus familiare. Herod. VII. p. 454. E. & Senec. de Ira III. 17. *At quanto Xerxes facilior? qui Pythio, quinque filiorum patri, unius vacationem petenti, quem vellet, eligere permisit: deinde, quem elegerat, in partes duas distractum ab utroque viæ latere posuit.* Etiam David *populum, qui in Rabba erat, eductum subjecit serræ* 2 Sam. c. 12. n. 31. Et Judæi in Africa rebellantes *Romanos, & Græcos a vertice discidere medios.* Dio LXVIII. p. 786. A. Ita & Syllæ jussu Bæbius in frusta laceratus est. Lucan. II. 119. Flor. III. 21. 26. Et Caligula *multos honesti ordinis medios serra dissecuit.* Suet. c. 27. n. 4. Kipping. Antiq. Roman. II. 7. §. 1. Pitisc. in Suetonium. Est etiam forma aciei bellicæ, cum manipuli modo invadebant, modo resiliebant, & reddebatur dentata quædam forma in modum *serræ*. Festus: *Serra præliari dicitur, cum assidue acceditur, receditur que, neque ullo consistitur tempore.* Cato de Re milit. *Sive forte opus sit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut serra, si adoriare.* Gell. X. 9. *Vocabula sunt militaria, quibus instructa certo modo acies appellari solet, serra. . . .* Frontin. II. 3. 20. *Paulus Æmilius adversus Persen Macedonum Regem triplicem aciem cuneis,* id est, manipulis *instruxit: inter quos subinde velites emisit. Quo genere cum profligari nihil videret, cedere instituit, ut hac simulatione perduceret hostes in confragosa loca.* Lips. de Milit. Rom. IV. 7. Thys. in Gellium, & Rom. Illustr. IV. p. 97.

SERRANUS. V. illum supr. in *Seranus.*

SERRATUS. V. illum supr. in *Nummus.*

SERTA pro coronis sumi in antiquitate frequens est. Plin. XXI. 2. *Cum vero e floribus fierent serta, a serendo appellabantur serviæ.* Seriæ legendum contendit Pammelius. Addo, quod eodem Plinio auctore, *arborum ramis coronari in sacris certaminibus, mos fuit primum.* Eo more si non plane verso, aut saltem usu florum una cum ramis recepto in coronamenta, novæ quodammodo rei nomen novum inditum. Nam coronæ e ramis, floribusque textæ *serta* dici cœpta, sicut inserta, & implexa, nempe a verbis sero sevi, & sero serui: quorum illud significat semino, & planto; hoc admoveo, contexo, compono, ordino. Quippe utriusque verbi supinum est *sertum*, participium *sertus*, unde hæc nostra dictio læta amborum significatibus. Et vero *sertum* dici constat non id modo quod est seminatum, sed & id, quod est admotum, textum, digestum, adunatum, & implexum. Videturque *sertum* opponi soluto, ut apud Apulej. Met. IV. p. 133. *Jamque per plateas commeantem populi frequenter floribus sertis, & solutis adprecantur.* X. 349. *Hinc Gratiæ gratissimæ, inde Horæ pulcerrimæ, quæ jaculis floris serti, & soluti, deam suam propitiantes scite suavissimum conjunxerunt chorum.* Itaque cum horum significatuum nullus non coronam exprimat, nihil mirum, si *sertum* significat coronam, & corollam, id est, circularem textum eorum florum, qui capiti redimiendo aptus est, ac destinatus. Equidem hoc verbum sero serui nihil dubitem derivare a verbo εἴρω τὸ συνάπτω. Certe τὰ συνηρμένα sunt τὰ συνηρμοσμένα ἐν κύκλῳ, *simul aptata in circulo.* Et hoc sensu coronæ dicuntur conseri, & conjungi, seu connecti velut in orbem. Aristid. in Panathen. Ὥσπερ οἱ τὰς στεφάνους συνείροντες, *ut ii, qui coronas connectunt.* Itaque *sertum*, dictio jamdiu placita, & *serviis* obliteratis, recepta usque eo invaluit, ut nunc quidem nullum sit genus coronæ, quod non hoc nomine censeatur. Ovid. Met. IX. 237.

Haud alio vultu, quam si conviva jaceres
Inter plena meri redimitus pocula sertis.

Interdum sumitur pro floribus, e quibus corollæ contexuntur. Virg. Æneid. I. 420.

— ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

Sæpius hac dictione signantur flores commixti, & coacti in speciem coronæ, quas στεφάνους ἰοθαλέας vocat Athen. X. Stat. Sylv. II. 1. 192.

— dum sæpe domi nova serta ligantem
Te videt.

Serta Lethæa dictæ sunt coronæ, quibus conspergi sepulcra mos fuit. Stat. Sylv. V. 3. 285.

Illustremque animam Lethæis spargite sertis.

Serta dictæ etiam sunt coronæ, quibus donabantur victores certaminum quinquennalium. Stat. Sylv. V. 3. 112.

Ille tuis toties præstrinxit tempora sertis,
Cum stata laudato caneret quinquennia versu.

Serta dictæ quoque coronæ triumphales. Ovid. de Trist. II. 167.

Auſoniumque ducem ſolus circumvolet alis:
Ponat & in nitida laurea ſerta coma.

Sertum denique ſignificat inſigne regium, hoc eſt, diadema. De corona Ariadnes Mart. Capell. ii.

Hic quoque Nyſiacis quod ſparſum floribus ardet
Multiplici ambrum redimitur lumine ſertum.

Caput *ſertatum* eſt coronatum, ſeu diadematum apud Capellam v. *Cui galeatus vertex, ac regali caput majeſtate ſertatum.* Gloſſ. Sertat, id eſt, coronat, ςεφανοῖ. Et *ſertum* eſt Ariadnæ corona Tertull. de Cor. milit. c. 7. *Dat Priapo & tænias idem, & Ariadnæ ſertum ex auro, & Indicis gemmis.* Paſchal. de Coron. i. 12.

SERTOR fuit prænomen Æquicolarum, eoque appellatus eſt *Sertor* Reſius, qui primus jus feciale inſtituit. Fuit vero vocitatus, *qui per ſationem natus eſt.* Val. Max. x. De *Sertore* Feſtus: *Sertorem quidam putant dictum a prendendo, quia cum cuiquam adſerat manum, educendi ejus gratia ex ſervitute in libertatem, vocetur adſertor; cum veriſimilius ſit dictum, quod ſereret aliquid, ac potius adſertorem a ſerendo accepiſſe nomen, cum aliquem ſerat, petendo in libertatem eandem, qua ipſe ſit, id eſt, jungat, quia fruges cum ſeruntur, terræ jungit.* Panvin. de Nom. Rom. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. ii. p. 2032. C. Sigon. de Nom. Rom. c. 3.

SERTORII dicti ſunt a *Sertore*, inter quos rei militaris fuit C. *Sertorius* Marianarum partium dux: de quo plura in ejus vita Plutarchus. Hoc prænomine raro admodum antiqui uſi ſunt, & præſertim patricii. *Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. ii. p. 2032. C. Sigon. de Nom. Rom. c. 4.*

SERVÆ *aditu templi Matutæ, quæ Leucothea Græcis eſt, prohibebantur, unam duntaxat matronæ introducebant, & colaphis genas ejus impingebant. Hæ alapæ ſignum erant interdicti. Reliqua narrant fabulas ſecutæ. Ferebatur enim Ino ex æmulatione adverſus maritum, quem ancillam amare ſuſpicabatur, in inſaniam prolapſa filium peremiſſe. Ancillam Ætolam domo, nomine Arpheram fuiſſe tradunt. Ideo Chæroneæ æditimus ante fanum Leucotheæ ſtabat, & accepto flagello exclamabat: ne quis ſervus intraret, ne qua ſerva, ne quis Ætolus, neve ulla Ætola.* Plutarch. Quæſt. Rom. 16.

SERVARE *de cœlo* dicebantur genus augurii, dum attente circumſpiciebant, num qua cœli parte aliquid ſe oſtenderet: ut fulgur, tonitru, vel phænomenon aliquod, ex quo divinationem quandam poſſint capere. *Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 267.* Lutat. Stat. Theb. vi. 935. *Inſervare, attendere auſpicia: & eſt verbum augurum de cœlo ſervantium.* viii. 194 *Inſervare. Proprio eſt uſus augurii verbo quo dum capiunt auguria, dicuntur cœlum ſervare, ut Lucan. v. 395. Nec cœlum ſervare licet.* Cicer. de Divin. ii. 34. *Jam vero de cœlo ſervare non ipſos cenſes ſolitos qui auſpicabantur, nunc imperant pullario.* Arnob. ii. p. 91. *Servatis de cœlo, aut ominis factis obnuntiationibus actiones.* Neſas erat tunc cum populo agi. Cicer. pro Dom. c. 15. *Negant fas eſſe agi cum populo, cum de cœlo ſervatum eſt.* Et: *Te interrogante augures reſponderunt, cum de cœlo ſervatum ſit, cum populo agi non poſſe. Ibi M. Bibulus quærenti ſe de cœlo ſervaſſe reſpondit.* Barth. in Statii Theb. viii. 194. Elmenhorſt. in Arnobium. Buleng. de Augur. c. 9. Manut. de Legib. c. 8. Minori magiſtratui non licebat. Gell. xiii. 14 V. illum ſupr. in *Magiſtratus majores.* Non licuiſſe per leges comitiis *de cœlo ſervare*, & ſi qui *ſervaſſet*, non comitiis habitis, ſed priuſquam haberentur, nuntiare debuiſſe ſcribit Cicer. Philip. ii. 32. *Quiſquam ne divinare poteſt, quid vitii in auſpiciis futurum ſit, niſi qui de cœlo ſervare conſtituit? quod neque licet comitiis per leges, & ſi qui ſervavit, non habitis comitiis, ſed priuſquam habeantur, debet nuntiare.* Briſſon. de Form. ii. p. 134. Ouzel. in Gellium. Differt ab obnuntiare, quod ad impedienda comitia ſatis erat *ſervare de cœlo*, etiamſi non obnuntiaretur: at obnuntiare nemo poterat, niſi prius *de cœlo ſervaſſet.* Quid enim obnuntiaretur? nempe adverſum aliquod ſignum, quod *ſervanti de cœlo* apparuiſſet. Hanc differentiam licet agnoſcere ex Aſcon. Cicer. p. 160. *Legem P. Clodius tulit, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſervaret.* Ex his verbis conſtat, opinor, ei, qui *ſervaret de cœlo*, non neceſſe fuiſſe, ut etiam obnuntiaret. At vero, neminem obnuntiaſſe, niſi jam *de cœlo ſervaſſet*, inde patet, quod, ſublato Clodii lege vetuſto more *ſervandi de cœlo*, ſimul obnuntiandi mos ejuſdem legis ſententia ſublatus eſt. Id Aſconii proxima verba declarant: *Propter quam rogationem aut legem Fuſiam, & Æliam propugnacula, & muros tranquillitatis, atque otii everſam eſſe.* Obnuntiatio enim, qua pernicioſis legibus obſiſtebatur, quam lex Ælia confirmaverat, erat ſublata. Utra igitur, inquiet aliquis, erat certior, ac validior impediendi ratio; cum *ſervaretur de cœlo*, nec obnuntiaretur; an cum obnuntiaretur, poſtquam *de cœlo ſervatum* eſſet? Dicam quod ſentio. Utraque ratio ſatis valuit ad impediendum. Sed, cum prior ſimplex ſit; hoc enim unum conſideramus, *ſervare de cœlo:* poſterior autem duplex; non eſt enim obnuntiare, niſi prius ſit *ſervare de cœlo:* plus, in poſteriore fuiſſe ponderis exiſtimaverim. Non enim dubito, quin majore ſe religione obſtringi populus Romanus putaret, ſi malum ſignum ab eo, qui *de cœlo ſervaſſet*, nuntiaretur, quam ſi *ſervaret* quidem aliquis *de cœlo*, nihil tamen nuntiaret. Poteſt enim aliquis *ſervare de cœlo:* nec tamen, quod mali ominis ſit, ſignum ullum videre. Quod ſi *de cœlo ſervare* tantum fuiſſet, quantum obnuntiare, quorſum obnuntiaretur? quod ſæpiſſime factum legimus. Cur non id unum, quod ſatis eſſet, ageretur? cur, quod non neceſſarium eſſet, adderetur. Exemplo hoc confirmamus. Q. Metellus Nepos conſul, cum habere comitia cuperet ædilibus curulibus creandis; & Marcellinus, qui erat augur, & conſul deſignatus, proſcripſiſſet, *ſe per omnes dies comitiales de cœlo ſervaturum:* comitia tamen habere conatus eſt; & habuiſſet, niſi T. Annius Milo tribunus plebis obnuntiaſſet. *Servante* igitur *de cœlo* Marcellino Metellus comitiis non abſtinuit, obnuntiante Milone abſtinuit. Cicer. Attic. iv. 3. Dubitaverit aliquis, cur Marcellinus, cum impediendis comitiis *de cœlo ſervaret*, non idem obnuntiarit: quam eſſe certiorem impediendi rationem non ignorabat. Cur ipſe *de cœlo ſervavit?* Milo autem obnuntiavit? Non unus Marcellinus utrumque potuit? Sed *ſervavit de cœlo* Marcellinus, quia licebat, ut auguri; non obnuntiavit, quia magiſtratum non gerebat. Nam auguri *de cœlo ſervare* licuit, obnuntiare non licuit: magiſtratibus utrumque licuit. Alterum igitur Marcellinus fecit, quia erat augur; alterum non fecit, quia magiſtratum non gerebat. Milo autem, cum eſſet in magiſtratu, & *ſervavit de cœlo*, & obnuntiavit. Ita Feſtus auguribus ſpectionem ſine nuntiatione fuiſſe ſignificat. Specere vero, unde ſpectio eſt, antiqui dicebant, pro *ſervare de cœlo.* Ejus verba: *Auguribus ſpectio duntaxat, quorum conſilio rem gererent magiſtratus, non ut poſſent impedire nuntiando, quæ tum vidiſſent: ſed iis ſpectio ſine nuntiatione data eſt, ut ipſi auſpicio rem gererent, non, ut alios impedirent nuntiando.* Auguribus igitur hoc unum licuit, ſpecere, hoc eſt, *ſervare de cœlo*; magiſtratibus autem, ut plus quam auguribus, fuiſſe conſtet, hoc eſt, & *ſervare de cœlo*, & obnuntiare. Cicer. Phil. ii. 32. *Hic bonus augur eo ſe ſacerdotio præditum eſſe dixit, ut comitia auſpiciis, vel impedire, vel vitiare poſſet: idque ſe facturum eſſe aſſeveravit. In quo primum incredibilem ſtupiditatem hominis cognoſcite. Quid enim? iſtud, quod te jure ſacerdotii facere poſſe dixiſti, ſi augur non eſſes, & conſul eſſes, minus facere potuiſſes? vide, ne etiam facilius.* Diſputat cum Antonio augure, & conſule: & ait facilius eum jure conſulatus, quam jure auguratus impedire, aut vitiare comitia potuiſſe. Cur facilius? nimirum, quia, cum eſſet conſul, & *ſervare de cœlo* poſſet, & obnuntiare, vel ſi augur non eſſet: quod ſi augur tantum eſſet, *ſervare de cœlo* ei quidem liceret, obnuntiare autem non liceret. Stupidum igitur vocat, qui hoc non intellexerit. Proxima Ciceronis verba præpoſtero ordine ſunt collocata. In libris impreſſis eſt: *Nos enim nuntiationem ſolum habemus: conſules, & reliqui magiſtratus ſpectionem.* Poſtulare videtur ſententia, ut duabus dictionibus loco motis,

motis, & altera in alterius locum translata, ita legatur: *Nos enim spectionem solum habemus: consules, & reliqui magistratus etiam nuntiationem.* Manut. de Comit. Roman. c. 8.

Servarent ut dii, rogabant, & petebant veteres. Plaut. Capt. v. 2. 23.

Serva Jupiter supreme, & me, & meum gnatum mihi.

Virg. Æneid. II. 702.

Dii patrii servate domum, servate nepotem.

Tibull. I. II. 15.

Sed patrii servate lares.

Brisson. de Form. I. p. 76. Cerda in Virgilium.

SERVILIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

Servilia lex. V. illam supr. in *Lex.*

SERVIRE & servum esse differunt. Distinguit illa Quintil. v. 10. *Quod proprium non erit, differens erit: ut aliud est, servum esse, aliud servire: qualis esse in addictis quæstio solet. Serviebant* addicti, non servi erant. Lex de his ita erat concepta: *Addictus, donec pecuniam solverit, serviat.* Πρόσεστω ἕως ἂν χρέως ἀπολύσῃ, δουλευέτω. Non dixit, δοῦλος ἔστω. *Servire* idem quod in servitute esse. Sic in libertate esse, aliud quam esse liberum. Qui pro libero agit, & libertatem usurpat, non est liber, sed in libertate. Sic qui pro servo se gerit, & serviles operas præbet, & servit, & in servitute est, non servus. Talis addictus. *Salmas. de mod. usur. c.* 19.

Servire ædes, fundum interdum quis dicebat in tradendo. Ulpian. l. 6. ff. commun. prædior. *Si quis duas ædes habeat, & alteras tradat: potest legem traditionis dicere, ut vel istæ, quæ non traduntur, servæ sint his, quæ traduntur: vel contra, ut traditæ retentis ædibus serviant. Idem erit & in prædiis rusticis, nam & si quis duos fundos habeat: alium alii potest servum facere tradendo.* Paull. l. 7. ff. eod. *In tradendis unis ædibus ab eo, qui binas habet species, servitus exprimenda est: ne, si generaliter servire edictum erit, aut nihil valeat, quia incertum sit, quæ servitus excepta sit, aut omnis servitus imponi debeat.* Cicer. de Orat. I. 39. *Cum M. Marius Gratidianus ædes Auratæ vendidisset, neque servire quandam earum ædium partem in mancipii lege dixisset.* Brisson. de Form. VI. p. 554.

SERVITUS est primum nata ab iis, qui cum se tueri non possent præ mentis, aut virium infirmitate, potentioribus, & sapientioribus in *servitutem* se dabant. Multi, cum natura sui juris essent, in prudentiorum clientelam ultro venerunt, atque illis suas operas locarunt. Posidonius apud Athen. VI. p. 263. C. *Posidonius Stoicus undecimo libro historiarum scribit: quosdam, & eos non paucos, quia propter imbecillitatem, & tarditatem mentis jus suum tueri nequirent, prudentioribus se ministros tradidisse, ut iis, quæ necessario mente provideri debebant, acceptis, ipsi vicissim reddant suam illis, quam possunt ministrandi operam.* Sic *servi*, quibus anima pro sale data erat, ne putrescerent, dominorum sapientia regebantur, & a periculis præstabantur immunes. Illi corporis instar, domini instar animæ, ac mentis erant. Itaque Græci, quod & Latini Icti imitati sunt, *servos* σώματα, id est, *corpora* vocabant, ut probant Casaub. in Athen. v. 10. Gatak. de Styl. Nov. Testam. c. 10. Borremans. Var. Lect. c. 14. Basil. Magn. de Spir Sanct. c. 20. *Haud reputantes apud homines quidem nullum esse natura servum. Aut enim qui viribus pressi sunt, sub jugum servitutis inducti sunt, veluti in bello capti: aut ob paupertatem in servitutem adacti sunt, velut Ægyptii Pharaoni: aut juxta arcanam quandam, ac sapientem dispensationem, pravorum voce, sapientioribus, ac melioribus in servitutem adacti sunt; sed quam haudquaquam condemnationem, sed beneficium potius duxerit æquus rerum æstimator. Nam qui ob sensus inopiam non habet in sese id quod natura imperat, huic utilius est in alterius esse potestate: ut dum potentioris prudentia gubernatur, similis sit currui, qui aurigam recipit: aut navi, quæ nauclerum habet clavo assidentem.* V. etiam Aristot. Polit. I. 5. *Borremans. l. l. Almel. Var. Lect.* XV. 12. *Casaub. ibid.* VI. 18. Dicta est, quod quis vel in re, vel ex re sua alteri constituit: quæ duplex fuit: personarum, ut ususfructus, usus, habitatio; & rerum, ut *servitutes* prædiorum urbanorum rusticorum: urbanorum, ut tigni immittendi; stillicidii recipiendi, vicinis luminibus non officiendi; rusticorum, velut iter, actus, via, aquæductus, haustus, & ejusmodi alia. *Sigon. de Judic.* I. 4. Personarum vel est privata, quædam publica. Ideoque Plaut. Capt. II. 2. 84.

Sed is privatam servitutem servit illi, an publicam?
HEG. *Privatam medici Menarchi.*

Et Æschin. Orat. in Timarch. p. 268. E. *Est ex ejus loci cœtu homo quidam Pittalacus, servus publicus nostræ urbis.* Ii *servi* late sumpto vocabulo, publici nominantur, qui licet liberati, manuque missi fuerint, ministerium tamen publicum, aut magistratibus, aut sacerdotibus exhibent: qui ex libertinorum corpore plerumque sumebantur. Tacit. Annal. XIII. 27. 2. *Quippe late fusum id corpus. Hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus, & sacerdotibus, cohortes etiam in Urbe conscriptas.* . . . Itaque meo quidem judicio de libertino, qui recte *servus* ex opinione Chrysippi διὰ τὸ τοὺς ἀπελευθέρους μὲν δούλους ἔτι εἶναι ab Athen. VI. p. 267. B. relata, nominatur, accipi debet, quod *servum* publicum, prætorisve, aut, ut Cujacius legit, populi Romani, parte dimidia testamenti faciendi jus olim habuisse Ulpianus in Institutionibus tit. 20. in testam. instit. fragm. §. ult. Hujus *servi* meminit Varr. de Ling. Lat. VII. 41. *Ut nominantur a libertinis orti publici servi Romani, qui manumissi, antequam sub magistratus nomina, qui eos liberare celebrarunt, succedere cœperunt.* Ex recentioribus Capitolinus. V. illum supr. in *Senatusconsultum tacitum.* Faber Semestr. II. 24. Lipf. Elect. II. 22. Rustica olim durior fuit, quam urbana. Horat. Sat. II. 7. 117.

— *ocyus hinc te*
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

Et de homine improbo, ac nequam locutus Juven. Sat. VIII. 179. V. illum supr. in *Ergastulu.* Ratio est: quod olim urbana mancipia minus laboris, demosii plus caperent. Rustica in vinculis, compedibus, ergastulis plerumque opus facerent genus ferratile. Unde Senec. de Ira III. 29. *Si rusticum laborem recusat, aut non fortiter obit, a servitute urbana, & feriata translatus ad durum opus.* Unde Paull. l. servis urbanis ff. de legat. III. *ex cellariis, & ex familiæ libellis* deprehendi posse ait, *quos paterfamilias inter servos urbanos adnumerare sit solitus.* Et dominorum sævitiam in servos notans, carcerem rusticum, non urbanum dixit Juven. XIV. 24. V. illum supr. in *Ergastulum.* Faber ibid. c. 6. Precario concessa non est proprie *servitus*, quia perpetua ejus causa non est, sed pendet ex arbitrio, & voluntate ejus qui concessit: sicut ne proprie *servitus* est, quæ ita constituitur l. 4. ff. de Servit. Precarii rogatio etiam in *servitutibus* prædiorum consistit, ut si me precario rogaveris iter, aut viam per fundum meum, vel ut tectum, aut aream, aut cloacam meam stillicidium projectum, vel tignum immissum haberes l. 3. l. 15. §. precario ff. de precario. Et ita Ulpian. l. si quis sepulcrum ff. de relig. iter ad sepulcrum peti precario, & concedi solere. Sicul. Flacc. p. 9. de condit. agror. *Per agros alienos iter præstari, quæ etiam conveniunt precario, uti servitutem præstent his agris, ad quos necesse habent transmittere pervium.* Cujac. Observ. XXII. 37. In *servitutem* retrahebantur ingrati liberti V. supr. in *Liberti.*

SERVIUS fuit prænomine appellatus, qui, ut scribit Val. Max. x. mortua matre in utero *servatus* esset. Alii ipsum a *servo* derivari dicunt, quod qui primus id prænomen habuit, in *servitute* genitus sit, ut de *Servio* Tullio Rege est proditum. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2032. *B. Sigon. de Nom. Rom. c.* 3. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 950. *A.* Istud prænomen aliquando & gentilitii nominis & cognominis loco fuisse saxa monstrant. Nominis gentilitii exemplum est in saxo apud Gruter. Inscript. p. 104. n. 1.

VICTORIÆ. AUG
L. CORNELIUS. PHOEBUS
L. SERVIUS. QUINTILIUS
SEVIRI. AUG
D. S. P. F. C.

Cognominis in lapide apud Gruter. Inscript. p. 307. n. 7.

DIS. MANIBUS
SACRUM
L. VALERIO. L. FIL
PAPIA
SERVIO. SACERD
JOVI. TONAN
VIX. ANN. LXIIX
L. VALERIUS. L. F.
PAPIA. GRANIUS
FRATRI. SUO. FEC

Ursat. ibid. C.

Servius Galba, non *Sergius* dictus fuit Sulpicius Galba Imperator. Dio LVIII. p. 634. A. *Servius Galba is qui deinde Imperator factus est*, Γάλβας ὁ Σερούϊος. LXIII. p. 725. B. *Vindex quum principatum sibi parare minime studeret, Servio Sulpicio Galbæ imperium detulit.* Sulpicii tum patricii, tum plebeji *Servii* dicebantur. De plebejis Nep. Attic. c. 2. n. 1. *Ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui tribunus plebis interfectus est, non expers fuit illius periculi: namque Anicia Pomponis consobrina nupserat M. Servio fratri Sulpicii.* Audin' P. Sulpicium, & M. *Servium* fratres fuisse. Galbæ etiam Sulpicii patriciæ gentis *Servii* itidem dicebantur. Cicer. Brut. c. 23. ait Lusitanos a *Servio* Galba prætore contra datam fidem interfectos. Is fuit *Servius* Sulpicius Galba consul an. 610. idemque sua ætate Romanorum eloquentissimus, quem ibidem Cicero eximie commendans, ait: *De Servio autem & tu probe dicis.* de quo Brutus proxime locutus: *Tum*, inquit, *de te, & de Servio Sulpicio cogitans esse quandam vobis cum illis similitudinem judico.* Ita Galbam *Serviæ* gentis dicit Otho Imperator, qui mortem sibi illaturus nepotem hisce solatur apud Tacit. Hist. II. 48. 5. *Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quæsitum, post Julios, Claudios, Servios, se primum in familiam novam imperium intulisse.* Plutarch. Galb. p. 1054. A. scribit eundem *amplissima Serviorum domo natum.* Igitur *Servius* gentilitium nomen Sulpicii Galbæ fuit, loco tamen prænominis usurpatum, ac proinde *Sergius* perperam dicitur. Suet. c. 4. n. 2. *Adoptatus a noverca sua, Livii nomen, & Ocellæ cognomen assumpsit, mutato prænomine. Nam & Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit.* Noris. Epist. Consul. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 406. C. August. de Legib. in Scribonia. Sigon. de Nom. Rom. c. 3.

Servius Honoratus fuit grammaticus celebris, & rerum Romanarum non imperitus. Qui illum sub Hadriano floruisse volunt, sunt autem non pauci, egregie falluntur. Nam Constantino M. posteriorem fuisse certissimum est. Scripsit enim in Donatum grammaticum, quem & aliquoties in suis ad Virgilium commentariis laudat. Atque is sub Constantio, & Constante Imperatoribus vixit, fuitque præceptor S. Hieronymi. Sed de ætate *Servii* e Macrobio aperte constat. Et assentior Selden. de Syned. Hebrac. c. 10. p. 341. haud alium fuisse hunc asserenti, quam *Servium* illum, qui in colloquio Macrobiano aliquoties laudatur simul cum Cæcina Albino, cui Artem cum centum metris inscripsit. Argumento est, quod ubi de Virgilianis versibus dubium aliquod oboritur, fere ubique eæ partes *Servio* dantur, ut eos explicet. V. inprimis c. 24. Ubi vix dubitem, ad commentarios ejus in Virgilium alludi. Imo, nisi plane fallor animi, manifeste illi significantur VI. 6. cujus principio sic loquitur is, quem modo dixi, Albinus Cæcina: *Sed nunc dicat volo Servius, quæ in Virgilio notaverit ab ipso figurata, quotidie enim Romanæ indoli enarrando eundem vatem, necesse est habeat hujus annotationis scientiam promptiorem.* Vixerit ergo *Servius* circa Valentiniani Junioris, Theodosii senioris, & Arcadii tempora (iis enim & Prætextatus, in cujus ædibus totum illud colloquium habitum dicitur l. 1. & passim, & Cæcina *Servii* familiaris vixerunt, ut & inscriptionibus antiquis apud Gruter. p. 287. n. 2. p. 1102. n. 2. constat) fortassis & paullo ante, ita ut Gratiani ævum attigerit. Nolim enim idcirco in Honorii, & Theodosii junioris tempora eum cum Seldeno conjicere, quod Macrobius sub illis præpositus sacri cubiculi fuerit. Is enim honor aliquanto provectiori videtur obtigisse, cum credibile sit Saturnaliorum libros paullo juniorem scripsisse. Neque officere debet, quod nonnulli collocutorum Macrobianorum sub illis Imperatoribus vixerunt. Ipse enim sub initium rogat 1. 1. *ne sibi fraudi sit, si uni, aut alteri ex his, quos cœtus coegit, matura ætas posterior seculo Prætextati sit, quod licito fieri, Dialogi Platonis testimonio sint.* Utcunque sit, certum est non alios a *Servio* Imperatores, quam Christianos designari, quorum imperio vixit, suaque exaravit, dum dicit ad Æneid. v. 268. *Sane majorum hac erat consuetudo, ut Rex etiam esset sacerdos, vel pontifex. Unde hodieque Imperatores dicimus pontifices.* Bosius de Pontif. Max. Imperat. Roman. c. 4.

Servius Tullius, quem sextum Romanorum Regem Tullum appellat Plin. XXXII. 27. absque patris, vel avi prænomine a Capitolinis Fastorum auctoribus dicitur: fortasse, quia spurium, & incerto patre natum opinarentur plurimi. De ejus rara, ac prodigiosa nativitate Plinius: *Tarquinio Prisco regnante tradunt repente in foco ejus apparuisse genitale e cinere masculini sexus, eamque quæ consederat ibi, Tanaquilis Reginæ ancillam Ocrisiam captivam consurrexisse gravidam: Ita Servium Tullum natum, qui regno successit. Inde & in regia cubanti puero caput arsisse visum, creditumque Laris familiaris filium.* Quosdam hæc eadem narrare testantur Dionys. IV. p. 207. Plutarch. de Fortun. Roman. Tom. II. p. 323. B. Fabulosa hæc esse dicit Dionys. p. 206. & hanc de ejus nativitate narrat historiam: *Corniculanus quidam in Latio vir regii sanguinis, nomine Tullius, uxorem habuit Ocrisiam, præstanti forma, & pudicitia inter Corniculanas feminam. Is Tullius, cum Corniculum a Romanis caperetur, in pugna interiit. Ocrisiam jam tum prægnantem Tarquinius sibi extra sortem e præda capit, uxorique suæ dono dat, quæ, omni ejus fortuna cognita, paullo post eam manumisit, eique præ cunctis mulieribus maximam semper benevolentiam, & honorem exhibuit. Ex hac Ocrisia etiamnum ancilla natus est puer, cui mater nutritio proprium, & gentilitium nomen imponit Tullium a patre: appellativum vero Servium, de præsenti conditione sumptum, quod in servitute eum peperisset.* Unde *matre serva natum dicunt* Flor. I. 6. 1. Val. Max. I. 6. 1. Festus in Servorum dies: Plutarch. Quæst. Rom. 100. Juven. Sat. VIII. 259. Sed nec his accedit Liv. I. 39. *Hic quacunque de causa tantus illi honos habitus, credere prohibet serva natum eum, parvumque ipsum servisse. Eorum magis sententiæ sum, qui Corniculo capto Servii Tullii, qui princeps in illa urbe fuerat, gravidam viro occiso uxorem, quum inter reliquas captivas cognita esset, ob unicam nobilitatem ab Regina Romana prohibitam ferunt servitio: partum Romæ edidisse in Prisci Tarquinii domo. Inde tanto beneficio, & inter mulieres familiaritatem auctam, & puerum ut in domo a parvo eductum, in caritate, atque honore fuisse: fortunam matris, quod capta patria in hostium manus venerit, ut serva natus crederetur, fecisse.* Pigh. Annal. Roman. Tom. I. p. 45. Bernegg. & Anna Dacer. in Florum. Occiso Tarquinio Rege, sine interregno successit gener; socrus Tanaquilis Reginæ astu an. 176. Hæc enim maritum quidem ægrotum ex vulnere, sed nondum mortuum cum divulgasset, & jubere *Servium* Tullium generum, donec revalesceret, Rempublicam opera vicaria administrare senatui persuasisset. *Servius cum trabea, & lictoribus in publicum prodiit, & per aliquot dies cum jam exspirasset Tarquinius, celata morte, per speciem alienæ fungendæ vicis suas opes firmavit: tum demum palam facto, & comploratione in regia orta, Servius præsidio firmo munitus, primus injussu populi, voluntate patrum*, id est, connivente senatu, *regnavit.* Liv. II. 41. Et cum *interdum jactari voces a juvene Tarquinio audiebat, se injussu populi regnare, conciliata prius voluntate*

plebis,

plebis, agro capto ex hostibus viritim diviso, ausus est ferre ad populum, vellent juberentne se regnare? tantoque consensu, quanto haud quisquam alius ante Rex est declaratus. Liv. II. 46. Populi tamen consensum non statim secuta est patrum auctoritas, quibus suspectus & invisus ob largitiones esse cœperat, ut refert Dionys. IV. p. 213. Regnum cepit quarto anno Olympiadis quinquagesimæ, quo in stadii cursu vicit Epitelides Lacon, principe Athenis Archestratide, ut auctor est Dionys. p. 206. Aliorum tamen, quos sequimur, supputatione erit hic annus Olympiadis dictæ tertius, & Urbis 175. Quæ tum in Republica, tum in militia gesserit, fusius narrant Dionys. p. 218--232. Liv. II. 42--45. Flor. & Eutrop. l. l. *Pigh. ibid. p. 46-- 50. Panvin. Fast. I. p. 51. de Civit. Rom. c. I. Strein. de Famil. Roman. in Tullia gens. Manut. de Civit. Rom. c.* 8. 9. 10. Periit insidiis L. Tarquinii generi. Hic enim est ausus repetere regnum paternum. Prensando itaque minorum gentium patres, admonendo paterni beneficii, juvenesque nobiles donis alliciendo, plurimos in partes suas trahit. Postremo stipatus armatorum agmine in forum irrumpit, & ante curiam in regia sella sedens, patres in curiam acciri per præconem ad Regem Tarquinium jubet. Qua re audita *Servius*, dum ab Exquiliis, trepido nuntio excitus, ad curiam properat, ab ipso Tarquinio gradibus dejectus, ac præ metu domum refugiens, immissis percussoribus, occisus est ad summum Cyprium vicum, cum regnasset annos 44. Hæc latius Liv. II. 47. 48. & Dionys. p. 235--242. *Pigh. ibid. p.* 50.

SERVUS fiebat duplici jure, civili, & gentium. Marcian. l. 5. ff. de stat. hom. *Servi in dominium nostrum rediguntur aut jure civili, aut gentium, si quis se minor viginti annis ad pretium participandum venire passus est. Jure gentium servi nostri sunt, qui ab hostibus capiuntur, aut qui ex ancillis nostris nascuntur.* Pignor. de Serv. p. 4. Ejus evidens signum erat, quod perfossis esset auribus. Hanc notam illi etiam Romani imprimebant. Juven. I. 104.

Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licet ipse negem.

Aurium fenestras vocat, quod *eorum aures subula pertundebantur*, ut vetus scholiastes notat. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. I. §. 3. Illorum vestis fuit diphthera V. supr. in *Diphthera.* Exomis. V. supr. in *Exomis.* Tunica. V. infr. in *Tunica.* Cucullus. V. supr. in *Cucullus.* Lacerna. V. supr. in *Lacerna.* Chlamys. V. supr. in *Chlamys.* Pallium. V. supr. in *Pallium.* Pænula. V. supr. in *Pænula.* Ad rationem demensi cibarii panes quotidie, vel bilibres, vel etiam trilibres *servis* assignabantur. Quod ut statuam, facit inprimis auctoritas Cæl. Aurelian. Acut. III. 2. ubi ita scribit: *Sic denique plurimi impausabiliter tota die, atque nocte cibum sumpsisse veteribus traduntur: namque Asclepiades memorat, Praxagoræ famulum ternos bilibres panes per singulos dies accepisse, quibus comestis, non aliter passione afficeretur, quam si nihil acciperet.* Hic certum est latere canonem quotidianum sub immodica illa quantitate, quæ famuli morbosam esuriem nullo modo levaret. Deinde Catonis, qui c. 57. *compeditis per hyemem panis p.* IV. *ubi vineam fodere cœperint, panis p.* V. dari præcipit, adeo ut urbanis ministeriis panis p. II. vel III. sufficere potuerint, cum neque fodere, aut opus facere necesse haberent: & quoad pulmentaria, & obsonia lautius acciperentur urbani, quam rustici *servi.* Dixi assignari panes quotidie solitos ad rationem demensi, quia demensum variavit aliquando; modo enim IV. modo IV. & S. modo V. modiorum fuit, prout ferebant & annonæ ratio, & dominorum qua splendor, qua sordes. *Pignor. ibid. p.* 312. Agmina *servorum* alebant Romani, & quo plures servos alebant, eo potentiores habebantur. Juven. Sat. III. 140.

Protinus ad censum, de moribus ultima fiet
Quæstio, quot pascit servos.

Apul. Apol. p. 548. *Suasi uxori meæ*, Pudentillæ, *ut filiis ex re familiari sua.... servos haud minus donaret quadringentos.* Ex hoc vero patet, multo plures sibi retinuisse. Unde istud C. Cæcilii Claudii Isidori, qui apud Plin. XXXIII. 10. *testamento edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere quatuor millia servorum centum sedecim.* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 2. Grang. & Britann. in Juvenalem. Illorum officia fuerunt varia, & quo liberaliora, eo majorem servis, qui ea curabant, auctoritatem attulerunt. Cicer. Parad. c. 5. *Alii sunt servi lautiores, alii atrienses.* Et vetus est proverbium: *Servus servo præstat.* Aristot Polit. I. *Quædam ministeria honoratiora, quædam autem magis necessaria, & juxta proverbium: Heroque herus, servoque servus est prior.* Kobierzyck. l. l. Erasm. Adag. p. 188. Ad ædes, & quæ in iis opes servandas adhibebantur custodiæ nocturnæ servorum, quæ adversus vim, aut incendia excubarent. Juven. Sat. XIV. 305.

—— *misera est magni custodia census.*
Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,
Atque ebore, & lata testudine.

Meurs. de Luxu Roman. c. I. Cellæ illorum erant laxæ, & augustæ: & quot servi, tot cellæ. V. illas supr. in *Cella.* Magno interdum emebantur pretio. Plutarch. de Caton. maj. p. 338. E. *Nullum servum pluris emisse, quam mille & quingentis drachmis.* Mille autem quingentæ drachmæ valent sex millia nummum. De *servo* vinitore Colum. III. 3. *Vulgus quidem parvi æris vel de lapide noxium comparari posse putat: sed ego, plurimorum opinioni dissentiens, pretiosum vinitorem inprimis censeo: isque licet emptus, vel potius sestertiis octo milibus.* Plin. X. 29. *Ergo servorum illis pretia sunt, & quidem ampliora, quam quibus olim armigeri parabantur.* Meurs. ibid. c. 16. de Funer. c. 44. Sedebant in subselliis, non accumbebant mensis. Spernebant enim accubitum a servis, quasi luxuriæ ritum illi ordini non decorum. Plaut. Stich. V. 4. 21.

Potius in subselliis cynice accipiemur, quam in lecto.

III. 2. 32.

Haud postulo equidem me in lecto accumbere,
Scis tu me esse imi subsellii virum.

Donat. in vita Terentii: *Jussus ante Cæcilio recitare, ad cœnantem cum venisset, quod erat incomptiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse dicitur.* Lips. in Tacit. Annal. XIII. 16. I. Chimentel. de Honor. bisell. c. 29. Buleng. de Convit. I. 24. Meurs. Auctar. Philol. c. 36. In judicio standi personam non habent. Terent. Phorm. II. I. 62.

Servum hominem causam orare leges non sinunt,
Neque testimonii dictio est.

Lex erat: *Servus homo causam ne orato.* Non enim civis erat, quem unum causam orare leges sinebant. Unde Paull. l. 3. ff. de capit. demin. *Caput servile nullum jus habet, caret nomine, censu, tribu.* De addicto, cujus manumissio erat controversa, Quintil. Declam. 311. *Ante omnia servus hic habet nomen, est in censu, est in tribu: quorum nihil, ut opinor, deprehendi in servo potest.* Pignor. ibid. p. 7. Rævard. de Div. reg. jur. 107. Loon. ibid. I. 4. 2. Testamenta facere non poterant. Inde *quasi testamenta servorum*, quæ jus civile testamenta esse noleoat, vocat Plin. Epist. VIII. 16. I. *Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, & quidem juvenum. Solatium, nequaquam par tanto dolori, solatium tamen, quum permitto servis quoque quasi testamenta facere, eaque, ut legitima, custodio.* Pignor. ibid. p. 8. Catan. & Cellar. in Plinium. A militia arcebantur, & quidem proposita capitali pœna. De *servis* inter tyrones repertis Trajanus Imperator apud Plin. Epist. X. 39. *Lecti si sunt, inquisitor peccavit, si vicarii dati, penes eos culpa est qui dederunt: si ipsi, cum haberent conditionis suæ conscientiam, animadvertendum in illos erit.* Marcian. l. II. ff. de Re milit. *Ab omni militia servi prohibentur: alioqui capite puniuntur.* Et hoc adeo receptum fuit, ut cum ex inopia liberorum capitum Imperatores ad ultimum prope desperatæ Reipublicæ auxilium adigerentur, tunc non legerent in militiam *servos*, nisi liberos factos. Serv. Æneid. IX. 547. *Servos sane nunquam militasse constat, nisi ser-*

vitute deposita, excepto Hannibalis tempore, cum post Cannense prælium in tanta necessitate fuit Urbs, ut ne liberandorum quidem servorum daretur facultas. Ita Cannensi clade exhausta Republica *octo millia juvenum validorum ex servitiis publice empta armaverunt.* Liv. XXII. 57. *Deerat juventus, in sacramentum militiæ liberata servitia.* Flor. II. 6. 23. Qu n. 30. *servos* vocat pudendum auxilium. *Quamvis tunc, o pudor, manu servili pugnaret.* Unde Augusti infortuniis annumeratur *servitiorum delectus juventutis penuria* a Plin. VII. 45. *Pignor. ibid p.* 7 *Loon. ibid.* III. 4. 5. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 711. *Ræuard. ibid.* CLXXV. *Menag. Amœn. jur. civil. c.* 40. *Pitisc. in Suet. Aug. c.* 16. *n.* 2. Mali cruci affigebantur. V. supr. in *Crux.* de saxo præcipitabantur. V. supr. in *Rupes.* Dominium in illos tum summi juris, tum summæ injuriæ erat. Pecudum enim potius quam hominum numero censebantur. Cajus l. 2. ff. ad l. Aquil. *Ut igitur apparet, servis nostris exæquat quadrupedes, quæ pecudum numero sunt.* Senec. Epist. 47. *Alia interim crudelia, & inhumana prætereo, quod nec tanquam hominibus quidem, sed tanquam jumentis abutimur.* Et: *Nolo in ingentem locum me immittere, & de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, & contumeliosissimi sumus.* Ideo recte excepit Cicer. Catil. IV. 8. *Servus est nemo (qui modo tolerabili conditione sit servitutis)* Fuerunt enim, qui intoleranda erant conditione, etiamsi ad legis Æliæ Sentiæ capita Cicero minime respexisset. Cibum enim adurere, mensam evertere, dicto tardius audientem fuisse, cruce, aut flagellis ad minus expiabantur. Plutarch. de Ira cohib. p. 460. A. Dixisses, omnes penitus dominos professos fuisse Stoicam sectam, adeo illis alte insederat, omnia *servorum* peccata æqualia esse. Quo factum est, ut *servi* nuper empti non quærerent, an superstitiosum, vel invidum, sed an iracundum herum nacti essent. Senec. de Ira III. 24. *Quid est, quare ego servi mei hilarius responsum, & contumaciorem vultum, & non pervenientem usque ad me murmurationem, flagellis & compedibus expiem?* Petrus Chrysologus verissimo epiphonemate sententiam concludit Serm. 141. *Quicquid dominus indebite, iracunde, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens, circa servum fecerit, judicium, justitia, lex est: imperantis ira subdito jus est, & ad libitum domini vocem non habet conditio servitutis.* Has serviles delicias tangit Geta Terent. Phorm. II. 1. 18.

— herus si redierit
Molendum usque in pristino, vapulandum, habendæ compedes,
Opus ruri faciundum.

Ubi Donatus: *Facete enumerat servus universa supplicia suæ conditionis, excepta cruce, & furca, quarum pœnam verbis extenuare non potuit.* Et ex horum suppliciorum frequentia honoraria illa manarunt *servorum* epitheta, furciferi, mastigiæ, flagrionis, verberonis, & cruciarii. Non igitur mirandum si *servitutem morti adsimilaverit* Ulpian. l. 18. de cond. & dem. Et olim quidem potestas dominica necem ipsam *servorum* complectebatur. Cajus l. 1. ff. de his, qui sui, vel alien. jur. sunt: *Igitur in potestate sunt servi dominorum, quæ quidem potestas juris gentium est: nam apud omnes peræque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ, necisque potestatem fuisse.* Pignor. ibid. p. 9. Feith Antiq. Homer. II. 20. Hujus sane juris illa fuit vis, ut Hadrianus Imperator apud Spartian. c. 19. *Servos a dominis occidi vetuerit, eosque jusserit damnari per judices, si digni essent.* Quod & Antonino Pio Hadriani successori placuit. Cajus l. 2. ff. eod. *Hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio Romano sunt, licet supra modum, & sine causa legibus cognita, in servos suos sævire: nam ex constitutione D. Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quam qui alienum servum occiderit. Sed & major asperitas dominorum ejusdem Principis constitutione coercetur.* Constantinus autem, sub cujus humano imperio immanitatem olim exuit orbis Romanus, rescripsit l. unic. C. de emend. serv. *Reum homicidii fore, qui servum, barbarorum sævitiam imitatus, in ipsis adegerit cruciatibus vitam relinquere.* Pignor. ibid. p. 12. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 3. Alexand. Genial. III. 20. In nequam ad columnam Meniam triumviri capitales solebant animadvertere. V. supr. in *Columna.* Ad rogum illustrium virorum mactabantur. V. supr. in *Munus.* Venalium e collo pendebat titulus. V. supr. in *Titulus.* Nudis erant pedibus. De Cappadocibus, & Bithynis Romam venum traductis Juven. Sat. VII. 16.

Altera quos nudo traducit Gallia talo.

Unde gypsatis pedibus venisse dicuntur. V. supr. in *Gypsatus.* Illorum aliquis, si calceatis fuissent pedibus, dubio procul calceorum aliquid retulisset. *Loon. ibid.* III. 3. 5. *Balduin. de Calc. c.* 23. *Laurent. de Adult. & meretr. c.* 2. In servitute nudis pedibus non fuerunt. V. supr. in *Calceus.* Vestimenta illis detrahebantur, ne qua vitia corporis laterent. Senec. Epist. 80. *Detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem involutum æstimas? Mangones, quicquid est quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt. Itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: sive crus alligatum, sive brachium aspiceres, nudari juberes, & ipsum tibi corpus ostendi.* Controv. I. 2. *Nuda in littore stetit ad fastidium emptoris, omnes partes corporis, & inspectæ, & contrectatæ sunt. Vultis actionis exitum audire? vendit pirata, emit leno, excipitur nihil.* Suet. Aug. c. 69. n. 2. *Qui matresfamilias, & adultæ ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente.* Unde mercator Pythagoræ illum empturo apud Lucian. Βίων πρᾶσ. p. 373. dicit: *Exue te, nudum enim te videre volo.* Brisson. de Form. VI. p 492. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. V. 24. Rader. in Mart. p. 475. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Venditor debebat promittere de sanitate illorum. Stipulabatur enim emptor, sanum esse: idque stipulanti venditor spondebat. Ulpian. l. 31. ff. de Eviction. *Si ita quis stipulanti spondeat, sanum esse, furem non esse, vespillonem non esse, & cætera.* l. 14. §. 9. ff. de ædil. edict. *Si venditor nominatim exceperit de aliquo morbo, & de cætero sanum esse dixerit.* Varr. de Re rust. II. 10. *De horum emptione solet peculium accedere: aut si excipietur, stipulatio intercedere, sanum eum esse, furtis, noxisque solutum.* Brisson. l. l. Et non esse fures, fugitivos, errones, mendaces, aleatores, ebriosos. Senec. Controv. IV. *Triarius dixit: fugitivum, erronem non esse: si tam malum auctorem habemus, gener noster fugitivus est: relegamus auctoritatis tabulas, furtis, noxaque solutos.* Cicer. Offic. III. 23. *In mancipio vendendo dicendane vitia, non ea, quæ nisi dixeris, redhibebatur mancipium jure civili: sed hæc, mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum.* Varro modo laudatus. Etiam quædam dicebat commendandi causa. Florentin. l. 43. ff. de Contrah. empt. *Ea, quæ commendandi causa in venditionibus dicuntur, si palam appareant, venditorem non obligant: veluti si dicas, servum speciosum: at si dixerit hominem literatum, vel artificem, præstare debet.* Plin. Epist. I. 20. *Credo decentes esse servos, qui sunt empti mihi ex consilio tuo. Superest, ut frugi sint, quod de venalibus melius auribus, quam oculis judicatur.* Cajus l. 18. ff. de ædil. edict. *Si constantem, aut laboriosum, aut curracem, aut vigilacem esse, aut ex frugalitate sua peculium acquirentem affirmaverit.* Brisson. ibid. p. 493. V. supr. in *Edictum ædilium.* Nec semper vitia venalis *servi* cogi solet exprimere, aut præstare venditor. Si enim id facere nollet, pileum illi imponebat; eoque imposito demonstrabatur ejusmodi *servum* venumdari, cujus nomine emptori venditor nihil præstaret. Gell. VII. 4. *Pileatos servos venum solitos ire, quorum nomine venditor nihil præstaret, Cælius Sabinus jurisperitus scriptum reliquit: cujus rei causam esse ait, quod hujusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendendo deberent, ut emptores errare, & capi non possent; neque lex vendundi opperienda esset: sed oculis jam perciperent, quodnam esset mancipiorum genus.* Per *legem vendundi* intelligit ædilitiam stipulationis formulam; *sanum, furtis, noxisque solutum, & non esse fugitivum.* Ræuard. de Auctor. prudent. c. 10. Thys. in Gellium. Ex fuga retracti stigmatibus notabantur. V. supr. in *Inscriptio.* Ad bestias dabantur.

bantur. Gell. v. 14. Ælian. de Anim. VII. 48. V. illos supr. in *Androclus*. Capitol. Opil. Macrin. c. 12. *Servos, qui a domino fugissent, repertos ad gladii ludum deputabat.* Liv. Epit. 51. V. illum infr. in *Transfuga*. Argol. l. l. Buleng. de Venat. circi c. 32. Sed quamvis dura hac & gravi servitute premerentur, tamen quædam animorum relaxatio illis concessa erat; & sine discrimine cum dominis colludere, ac festos dies agere solebant. Senec. Epist. 47. *Instituerunt diem festum, non quo solum cum servis domini vescerentur, sed quo utique honores illis in domo gerere, jus dicere permiserunt, & domum pusillam rempublicam esse judicaverunt.* Festus dies illorum erat Idibus Augusti. V. illum supr. in *Idus Sextiles*. Et Saturnalibus usurariam quandam libertatem assumebant; & ut ipsi dominis toto anno, sic hoc die domini *servis* suis ministrabant. Auson. de Fer. Roman. n. 15.

Vifne Opis ante sacrum, vel Saturnalia dicam;
Festaque servorum, cum famulantur heri.

Sedebant ad dominicam mensam dominis præministrantibus. Athen. XIV. p. 639. B. *Saturnalium diebus mos Romanis prabere servis convivium, sic ut ipsi servorum officia obirent, a Gracis more sumpto.* Unde Attii versus:

Exercent epulas læti, famulosque procurant
Quisque suos.

Commutabant cum dominis vestem. Dio LX. p. 677. E. *Saturnalibus servi habitum herilem sumentes festive agunt.* Ut hac comitate obstricti, in dominos obsequiis paratiores essent, odiaque invicem, offensionesque dimitterent. Nam, ut Hieron. ad Celantiam, *fidelius, & gratius semper obsequium est, quod ab amore, quam quod a metu proficiscitur.* Popm. ibid. p. 179. Lips. Saturn. I. 2. Merul. de Sacrif. c. 20. §. 3. Stuck. Antiq. Conv. I. 33. Mod. de Lud. & Spect. II. 28. In caput domini *servos* torqueri, vel de domino sine quæstione interrogari non posse, fuit juris veteris constitutio. Hoc propter eam, quam dominis præstare debent, reverentiam, aut etiam propter innatum mancipiorum in dominos odium, quorum dicto periculosum videbatur domini salutem committi, more majorum comparatum fuit. Cicer. pro Dejot. c. 1. V. illum supr. in *Equuleus*. Vel constitutum fuit vetere senatusconsulto. Tacit. Annal. II. 30. 5. *Et quia vetere senatusconsulto quæstio in caput domini prohibebatur, callidus, & novi juris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico jubet: scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatusconsulto quæreretur.* In causa tamen fraudati census, læsæque majestatis l. 1. C. de quæstion. & adulterii l. 37. C. de adult. l. 17. ff. de quæstion. propter criminum atrocitatem ab hac regula recessum fuit. Quibus & incestus crimen antiquitus annumerabatur. Cicer. pro Mil. c. 22. *De servis nulla quæstio fit in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Majores nostri in dominum de servo quæri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum, & domini morte ipsa tristius.* De Partit. orator. c. 34. *Dicendum de institutis Atheniensium, Rhodiorumque, doctissimorum hominum, apud quos etiam, id quod acerbissimum est, liberi, civesque torquentur. De nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui cum de servis in dominos quæri noluissent, de incestu tamen, & conjuratione, quæ facta me consule est, quærendum putaverunt.* Itaque cum M. Antonius orator *incesti reus ageretur, in eo judicio servum ejus in quæstione postulatum* esse legimus apud Val. Max. VI. 8. 1. Hinc etiam incestus accusatam Minutiam Vestalem *pontificibus jussam in potestate familiam habere* refert Liv. VIII. 15. quod in hac causa adversus eam quæstio de familia haberi poterat. Sed post legem Juliam, quæ in adulterii causa *servorum* adversus dominos quæstionem introduxit, factum est, nescio quo modo, ut incestus crimen, quod ea lege comprehensum non erat, ex ea quoque legis severitate evolaret. Unde Ulpian. l. 4. ff. de quæstion. *In incesto, ut Papinianus respondit, & est rescriptum, servorum tormenta cessant: quia & lex Julia cessat de adulteriis.* Non aliter igitur hodie in dominorum personam in incestu *servi* torquentur, quam si adulterium incestui conjunctum sit. Marcian. l. 5. eod. *Si quis viduam, vel alii nuptam, cognatam, cum qua nuptias contrahere non potest, corruperit, in insulam deportandus est: quia duplex crimen est: & incestum, quia cognatam violavit contra fas: & adulterium, vel stuprum adjungit: denique hoc casu servi in persona domini torquentur. Sed & in quæstione stupri*, ut Papinian. l. 17. §. 1. ff. eod. *servi adversus dominum non torquentur.* Quinetiam Tacitum Imperatorem, *ut ne in majestatis quidem causa servi in dominorum caput torquerentur*, constituisse scribit Flav. Vopisc. c. 9. Igitur tum demum *servorum* tormenta locum habent, cum in nuptam adulterium esse commissum dicitur. Et ita cum Octaviæ Neronis uxori fictum adulterii cum *servo* commissi crimen objiceretur, *actas ob id de ancillis quæstiones, & vi tormentorum victas quasdam, ut falsa annuerent*, memorat Tacit. Annal. XIV. 60. 3. Torquentur vero I. *servi* ejus, qui, quæve adulterii postulatur, sive proprietatem, sive nudum fructum habeant l. si postulaverit §. de eo ff. de adulteriis. Nam & fructuarii *servi* in *servitute* fuisse videntur, nec tam proprietatis causa ad quæstionem, quam ministerii pertinet. Ergo & si bona fide reo *servus* alienus serviat, interrogari eum posse per quæstionem admittimus. II. is, cui fideicommissaria libertas debetur l. l. quod alias non temere fieri solet: & ita demum, si aliorum quæstionibus oneretur. Tryphon. l. 19. ff. de quæstion. Itaque etsi dominus a familia occisus esse dicatur, *ad ejus, cui fideicommissaria relicta est, tormenta non esse festinandum* D. Pius rescripsit l. 1. §. sed in eo ff. ad Silanian. III. statu liberi. Hos quæstioni postulari posse scribit Paull. l. 8. de quæstion. *Statu liber in adulterio postulari poterit, ut quæstio ex eo habeatur, quod servus heredis est, sed spem suam retinebit.* Brisson. ad leg. Jul. de adult. p. 189. Borremans. Var. Lect. c. 14. Mortui olim fuerunt uncti. Colligimus hoc ex decemvirali prohibitione, de qua Cicer. de Leg. II. 24. *Hæc præterea sunt in legibus de unctura, quibus servilis unctura tollitur.* alioquin enim non fuisset prohibitione opus. *Rittersh. ad leg. XII. tab. Class.* I. *c.* 8. Quæram hac lege unctura tollatur. V. infr. in *Unctura*. Sepeliebantur extra portam Exquilinam in loco, qui Puticulæ dicebatur. V. illum supr. in *Puticulæ*. Postea in alio suburbano, quem Augustus isti usui destinavit, & quem ferunt culinas esse dictum. V. illum supr. in *Culina*. A conservis tamen, qui liberam habebant peculii administrationem, honoratiore plerumque tumulo condebantur. Iis enim & titulos positos inscriptiones docent: Romæ p 612. n. 6. apud Gruterum.

JULIÆ. SP. F
MOPSIDI
FELIX. CÆSARIS
CONTUBERNALI

Item Romæ ibid. n. 7.

LEXIS
FELICI. TI. CÆSARIS
CONSERVO. SUO

Omnium vero communis sepulturæ ratio ea fuit, ut qui *servum* alienum, vel ancillam sepelisset, haberet adversus dominum funerariam actionem l. filiusfamilias. §. qui servum. ff. de relig. Hoc amplius Labeo dicebat l. Julianus. §. præterea. ff. de act. empt. *si quid in funus mortui servi impensum esset, venditorem ex vendito consequi oportere, si modo sine culpa venditoris mortem obiisset.* Atque ita *servorum* sepulcra constituta sunt, ut locus, in quo *servus* sepultus esset, religiosus fieret, sicque Aristoni placuisse refert Ulpian. l. 2. ff. de relig. Quia sepultura ad naturæ jus pertinet, quod jure gentium non facile solet immutari, cujus fictione *servi* nec caput habent, nec matrem, nec ullum jus cognationis: sed mortem omnibus æquam crediderunt. Sapienter Philto apud Plaut. Trin. II. 4. 90.

— nos homunculi
Salillum animæ qui cum extemplo amisimus,
Æque mendicus, atque ille opulentissimus
Censetur, censu ad Acherontem mortuus.

Hi *servi* quidem fortiter in *servitute* facta, post mortem monumentum sibi memorabile futurum speraverunt, ut ille Tyndarus apud Plaut. Capt. III. 5. 26.

At erit factum mortuo memorabile,
Meum herum captivum ex servitute, atque hostibus
Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem;
Meumque potius me caput periculo
Praeoptavisse, quam is periret, ponere.
Qui per virtutem periit, non interit.

Nec mirum, religiosum factum locum; servorum enim etiam deos manes esse credebant, eosque publicis inferiis solebant propitiare. Discimus hoc ex Varr. de Ling. Lat. v. 3. V. illum supr. in *Larentalia.* Deos manes *servorum* receptos esse docet Fortunati vernæ sepulcrum, cujus hic titulus apud Gruter. p. 613. n. 10.

D. M.
FORTUNATO
CÆSARIS. N
VERNÆ
V. A. I. D. XXIIII
NICE
MATER. FECIT

Guther. de Jur. man. II. 36. *Burremans. l. l.* Interdum tamen manumittebantur. V. supr. in *Manumissio.* Manumissi catenas Laribus dedicabant. V. supr. in *Catena.* Ferebant nomen domini, quum servitutem serviebant, ita ut dicerentur Marcipores.... V. supr. in *Marcipor.* Patroni, a quo manumissi essent, libertate donati. Hanc tamen *servorum* appellandi rationem non nisi antiquos observasse tradunt Plinius & Festus laudati supr. in *Marcipor.* Et *hoc genus nominis intercidisse* scribit Quintilianus ibidem laudatus. Nam recentioribus temporibus omnes fere *servi* varia nomina, tum Græca, tum Latina habuerunt, quæ servilia etiam dicebantur, ut Davus, Syrus, Geta, Læneus, Tyro, Laurea, Eutychides, Lemnus, Megas.'... iis a variis eventibus imposita: quorum nonnisi uno uti *servis* mos erat. Unde Varro. *Habent plerique libertini a municipio nomina manumissi, ut a Faventia Faventinus, a Reate Reatinus. Servi* igitur manumissi dominorum prænomina, & nomina ferebant, sua vetusta pro cognominibus usurpabant. Ciceronis liberti duo, alter M. Tullius Tiro, alter M. Tullius Laurea dictus est. Plin. XXXI. 1. Andronicus poeta, quem a M. Livio Salinatore manumissum tradit in Chronicis Eusebius, M. Livius Andronicus vocitatus est. Artemid. Oneirocr. I. 47. *Cognovi quendam, qui quum sibi videretur tria pudenda habere, ex servitute in libertatem vindicatus, pro uno nomine tria cepit, duobus nominibus ab eo, a quo manumissus fuerat, sumptis,* id est, nomine & prænomine. *Panvin. de Nomin. Roman. p. 2046. a. B. Sigon. de Nomin. Roman. c. 3.* Ab illo, qui inter ipsos familiam veluti duceret, nominabantur. Ita a Crescente Crescentianus, a Theamide Theamidianus, ab Euphemo Euphemianus, a Thamyra Thamyrianus, a Celado Celadianus. Imo & a dominorum nominibus aliquando eadem manavit appellatio; ut a Germanico Germanicianus, a Cæsare Cæsarianus, ab Herode Herodianus. Quod enim apud Matth. c. 22. n. 16. vulgata editio habet: *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis,* Euangelium Hebraicum Matthæi a Johanne Tilio Episcopo Briocensi anno 1555. editum ad verbum habet: *miserunt ad eum discipulos cum servis Herodis.* Pignor. ibid. p. 72. Cognomine, quia nec familiam, nec genus habebant, nec enim proprie parentes, nec agnatos, cognatosve habuere, ut ex l. hos accusare 12. §. 4. item nec lex Pompeja ff. de accus. & l. 10. §. 5. ff. de gradib. manifesto liquet, uti non poterant ex l. cum pretium 9. Cod. de liberal. caus. sed solo nomine contenti esse cogebantur, quod pro arbitrio ipsis imponebat patronus; manumissi vero in nomen patroni fere transibant. Dico fere. Nam sæpe prorsus alio, quam patroni nomine, aut cognomine fuerunt appellati. Augustus Maratho & Hygino, libertis suis, non Octavii, sed Julii nomen, Antonio Musæ, ac Vulpio Martiali, nec suum, nec cujusquam agnatorum dedit. Mæcenatis libertus fuit, cui inscriptio vetus C. Junii Thalationis tribuit nomen. Quid vero hoc ad Mæcenatem? *Meibom. Mæcen. c. 3. n. 16.... 19.* Nationes, quæ illos promebant, quædam probæ censebantur, quædam improbæ. Ulpian. l. 31. §. 21. ff. de ædil. edict. *Qui mancipia vendunt, nationem cujusque in venditione pronuntiare debent: plerumque enim natio servi, aut provocat, aut deterret emptorem: idcirco interest nostra scire nationem; præsumptum etenim est, quosdam servos bonos esse, qui a natione sunt non infamata, quosdam malos videri, quia ex natione sunt, quæ magis infamis. Itaque,* ut Varr. de Ling. Lat. VIII. 52. *In hominibus emendis, si natione alter est melior, emimus pluris.* Alexandrini nequitiis, salibus, cantu cæteris antecellebant. Quintil. I. 2. *Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, visu & osculo excipimus.* Asiatici. Juven. Sat. v. 56. V. illum supr. in *Mancipium.* Inter quos nominatim Phryges & Lycii. Juven. Sat. XI. 147.

Non Phryx, aut Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit in magno.

Macrob. Sat. II. 7. *Is Publius natione Syrus, cum puer ad patronum domini esset adductus, promeruit eum non minus salibus, & ingenio, quam forma.* Mœsi. Juvenalis. V. illum supr. in *Lecticarii.* Galli. Clem. Alex. Pædag. III. 4. *Qui lecticas mulierum in altum tollant, & cum impetu bajulent, Galli multi.* Cappadoces. Mart. VI. 77. 4.

Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?

Liburni. Juven. Sat. III. 240.

Dives & ingenti curret super ora Liburno.

Viribus hi valebant, & ad onera, lecticamque parabantur. *Pignor. ibid. p. 66.* Quinam manumitti non potuerint V. infr. in *Vispelliones.* Qui ægri a dominis exponebantur tædio medendi, ex constitutione Claudii sine manumissione liberi fiebant. Suet. c. 25. n. 5. *Cum quidam ægra, & affecta mancipia in insulam Æsculapii tædio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini si convaluissent.* Dio LX. p. 685. C. Zonar. Annal. II. p. 184. *Quia multi servos ægrotantes nulla cura dignabantur, sed domibus ejiciebant, legem tulit, ut, qui ita exturbati ad sanitatem rediissent, liberi essent.* Modest. l. 2. ff. qui sine manum. *Servo, quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex edicto D. Claudii competit libertas.* Loon. de Manum. IV. 1. 2. Pitisc. in Suetonium.

Servus adscriptitius, quem Justinianus ἐναπόγραφον vocat, est dictus, quia prædio, vel terræ alicui perpetuo colendæ sit adscriptus l. 54. §. ult. ff. locati. l. 32. ff. de pignor. & ut inde se movere non possit, & omnia bona dominis prædiorum acquirat l. 6. 18. 22. C. de agricol. censit. & colon. Horum conditio adscriptitia dicitur l. ult. C. de transact. & appellantur modo originarii, modo coloni, nonnunquam agricolæ: qui utcunque conditione liberi esse videri possunt, cum durum illud dominorum jugum, ut alia mancipia, non patiuntur, *servi* tamen existimantur, & eorum sunt numero, partim respectu terræ, cui perpetuo sunt adsignati; partim dominorum consideratione, quorum dominis non secus quam *servi* subjiciuntur. *Qua enim differentia inter servos, & adscriptitios intelligatur, cum uterque in domini sui potestate est positus, & possit servum cum peculio manumittere; & adscriptitium cum terra dominio suo expellere.* l. cum satis C. de agricol. & censit. *Popma de Oper. serv. p. 153. Rhodig. Ant. Lect.* VII. 3. *Alex. Gen.* III. 25.

Servus castellarius. V. illum supr. in *Castellarius.*

Servus comicus vocabatur subitus, qui repente apparet, & tempori præsto. Plaut. Capt. IV. 1. 11.

Nunc certa res est, eodem pacto, ut comici servi solent,
Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.

Pompon. præcon. poster. apud Non. II. 109. *Si sciam quid*

quid velis, quasi servi comici commictilis. Victor. Var. Lect. VIII. 12.

Servus dotalis. V. illum infr. in *Servus receptitius.*

Servus fructuarius vocabatur, in quo usumfructum quis habet, sed alterius est proprietas. Nam & *fructuarii servi in servitute fuisse videntur, nec tam proprietatis causa ad quæstionem, quam ministerii pertinent.* Ulpian. l. 27. §. 8. ad leg. Jul. de adult. *Popm. de Oper. serv. p.* 154.

Servus ordinarius dicebatur, qui aliis servis præpositus erat, & certum aliquod ministerium, officiumve in familia exercebat, aliosque *subservos* habebat. Theophilus τὸν πρῶτον οἰκέτην appellat. *Popm. de Oper. serv. p.* 13. *Brod. Misc.* x. 24. *Kobierzyck de Luxu Roman.* II. 2. *Revard. Var.* v. 20.

Servus peculiaris est proprius, qui adolescentulos, aut puellas sectabatur, & curabat proprio sibi ministerio. Plaut. Capt. v. 3. 5.

Tuus pater peculiarem parvulum puero dedit.

Et proprios servos Cæsaris intelligit Suetonius, qui c. 76. n. 9. *monetæ, & publicis vectigalibus peculiares servos præposuisse eum dicit*, & hoc ipso multorum offensionem contraxisse addit, quod monetæ, cui triumviri monetales præerant, servos suos præfecerat, & vectigalibus pro publicanis, & mancipibus. *Turneb. Adv.* II. 27. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 19. *Popm. de Oper. serv. p.* 41. *Instrum. fundi c.* 5. *Peculiare* proprie est, quod in servorum, aut ancillarum *peculio* est. Ovis *peculiaris* apud Plaut. Asin. III. 1. 36.

Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oves,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.

gallus *peculiaris* apud Plaut. Aul. III. 1. 6.

Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit penissime.

Et *vinum peculiare, quod servi habuerunt*, dicit Ulpian. Dig. XXIII. 6. 9. 3. Pitisc. in Suetonium.

Servus peculiatus dicebatur, qui peculio est instructus. Ulpian. l. 13. §. 4. ff. de act. empt. & vend. *Si ita peculiatus esset, vel eo artificio instructus.* Ita & *libertus peculiatus* apud Apul. Met. x. p. 334. Cui contrarius *expeculiatus* apud Plaut. Pœn. IV. 2. 21. *Popm. de Oper. serv. p.* 43. *Pignor. de Serv. p.* 60.

Servus perennis est, qui perpetuo uni servit domino. Plaut. Pers. III. 3. 16.

Perenniserve, lurco, edax, furax, fugax.

Popm. de Oper. serv. p. 179.

Servus pileatus vocabatur, qui pileo imposito vendebatur, cujus nomine venditor nihil præstabat. Gell. VII. 4. *Pileatos servos venum solitos ire, quorum nomine venditor nihil præstaret, Cælius Sabinus jurisperitus scriptum reliquit: cujus rei causam esse dicit, quod hujusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendundo deberent, ut emptores errare, & capi non possent; neque lex vendundi operienda esset: sed oculis jam perciperent, quodnam esset mancipiorum genus. Sicuti, inquit, antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta veniebant, & idcirco dicebantur sub corona venire: namque ut ea corona signum erat captivorum venalium, ita pileus impositus demonstrabat ejusmodi servos venum dari, quorum nomine emptori venditor nihil præstaret.* Brisson. de Form. VI. p. 494. Popm. de Oper. serv. p. 177. Etiam qui domini funus antecedebat: nam *servi* directo manumissi in testamento pileum statim sumere, ac funus præcedere solebant, ut Justinianus Imperator refert. *Qui domini*, inquit, *funus pileati antecedunt, si hoc ex voluntate fiat vel testatoris, vel heredis, fiant illico cives Romani.* Dionys. IV. p. 228. *Equidem scio quosdam, qui testamento omnes suos servos manumiserunt, ut post mortem boni audirent, & multi lectulos eorum ferales prosequerentur pileati.* Popm. l. l.

Servus pœnæ dicebatur, qui in metallum, & in opus metalli damnabatur. Marcian. l. 17. de pœnis: *Sunt quidam servi pœnæ, ut sunt in metallum dati, & in opus metalli.* Vel qua alia pœna, quæ corporis laborem, & servitutem irrogat. Hermogen. l. 36. ff. eod. *In metallum, sed & in metallicorum ministerium damnati servi efficiuntur, sed pœnæ.* *Servam* etiam pœnæ mulierem factam, quæ vel in opus salinarum, vel in ministerium metallicum damnabatur, tradit Ulpian. l. 8. §. in ministerium. *In ministerium*, inquit, *metallicorum feminæ in perpetuum, vel ad tempus damnari solent, simili modo & in salinas. Et siquidem in perpetuum fuerint damnatæ, quasi servi pœnæ constituuntur.* Popm. de Serv. p. 168.

Servus publicus dicebatur, qui officium, & ministerium publicum sacerdotibus, aut magistratibus, & populo exhibebat. Liv. XXVI. 47. *Opifices ad duo millia hominum erant, eos publicos fore populi Romani edixit Scipio victa nova Carthagine, cum spe propinqua libertatis, si ad ministeria belli enixe operam navassent.* Habebant enim oppida, municipia, societates, & fana *servos* publicos, quos etiam manumittebant, impositis a se nominibus. De publico civitatum Plin. Epist. x. 30. 1. *Utrum per publicos civitatum servos, an per milites adservare custodias debeam.* 31. 2. *Perseveremus in ea consuetudine, quæ isti provinciæ est, ut per publicos servos custodiantur.* De municipali Epist. VII. 18. 2. *Agrum ex meis, longe pluris actori publico mancipavi.* Et Festus: *Municeps, qui in municipio ex servitute liberatus.* Hi ut in municipiis, & civitatibus, ita & in urbe Roma duplicem usum præstabant, & ad judicia, resque forenses, & ad sacra. Liv. IX. 29. *Potitia gens, cujus ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos ministerii publici delegandi causa solemnia ejus sacri docuerat.* Tacit. Hist. I. 43. 3. *Piso in ædem Vestæ pervasit, exceptusque misericordia publici servi, & contubernio ejus abditus.* . . . . Apparuerunt omnibus magistratibus, ut Censoribus: Liv. XLIII. 16. *Censores, signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis, negaverunt se quidquam publici negotii gesturos.* Ædilibus, de quibus Varr. apud Gell. XIII. 13. *Ædiles stipati servis publicis, non modo prehendi non possunt, sed & ultro submovent populum.* Quæstoribus, quos idem tradit, *neque lictorem, habuisse, neque viatorem*: nam & publico ministerio populi Romani fuere lictores, viatores, apparitores. . . . Cicer. Phil. XIII. 12. *Quos Antonius aculeatorum causa loris in convivio cædi jubebat a servis publicis.* Paterc. II. 19. 2. *Injecto in collum loro in carcerem Minturnensium jussu duumviri productus est; ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus, natione Germanus.* *Servos* tamen publicos eos alios fuisse a lictoribus, ostendit Sctum vetus, quod Frontinus adfert de Aquæduct. PLACERE SENATUI, EOS QUI AQUIS PUBLICIS PRÆESSENT, CUM EJUS REI CAUSA EXTRA URBEM ESSENT, LICTORES BINOS, ET SERVOS PUBLICOS TERNOS, ARCHITECTOS SINGULOS, ET SCRIBAS, ET LIBRARIOS, ACCENSOS, PRÆCONESQUE TOTIDEM HABERE, QUOT HABENT II, PER QUOS FRUMENTUM PLEBEI DATUR. *Popm. de Oper. Serv. p.* 5. *Pignor. de Serv. p.* 60. Eorum usus fuit in triumphis. V. infr. in *Triumphantes.*

Servus receptitius *est, ut Cato in suasione legis Voconiæ, qui ob vitium redhibitus est.* Festus: Alex. Gen. dier. III. 25. De illo Gell. XVII. 6. *M. Cato Voconiam legem suadens verbis hisce usus est. Principio vobis mulier magnam dotem attulit: tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non committit: eam pecuniam viro mutuam dat, postea, ubi irata facta est, servum receptitium sectari, atque flagitare virum jubet. Quærebatur, servus receptitius quid esset: libri statim quæsiti, allatique sunt Verrii Flacci de obscuris Catonis. In libro secundo scriptum inventum est, receptitium servum dici nequam, & nulli pretii, qui cum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium, receptusque sit. Propterea, inquit, servus ejusmodi sectari maritum, & flagitare pecuniam jubebatur; ut eo ipso dolor major, & contumelia gravior viro fieret, quod eum servus nihili petendæ pecuniæ causa compellaret. Cum pace autem, cumque venia istorum, si qui sunt, qui Verrii Flacci auctoritate capiuntur, dictum hoc sit. Receptitius enim servus in ea re, quam dicit Cato, aliud omnino*

est, quam Verrius scripsit, atque id cuivis facile intellectu est. Res enim procul dubio sic est: quando mulier marito dotem dabat, tum quæ ex bonis suis retinebat, neque ad virum tramittebat, ea recipere dicebatur: sicut nunc quoque in venditionibus recipi dicuntur, quæ excipiuntur, neque vêneunt: quo verbo quoque usus Plautus est Trin. I. 2. 157.

Posticulum hoc recepit, quum ædis vendidit.

id est, quum ædis vendidit, particulam quandam, quæ post eas ædis erat, non vendidit, sed retinuit. Ipse etiam Cato mulierem demonstrare locupletem volens: mulier, inquit, & magnam dotem dat, & magnam pecuniam recipit: hoc est, & magnam dotem dat, & magnam pecuniam retinet. Ex ea igitur re familiari, quam sibi dote data retinuit, pecuniam viro mutuam dat: eam pecuniam, quam viro forte irata repetere instituit, apponit flagitatorem servum receptitium, hoc est, proprium suum, quem cum pecunia reliqua receperat, neque dederat doti, sed retinuerat: non enim servo mariti imperare hoc mulierem fas erat; sed proprio servo. Et hæc ex Gellio descripsit Non. I. 267. *Popm. de Oper. serv. p.* 151. *Pignor. de Serv. p.* 60. *Hotoman. de vet. rit. nupt. c.* 8. *August. de Legib. in Voconia. Bud. in Pandect. p.* 116. *A. Fruter. Verisi.* II. 7. *Ouzel. in Gellium.* Eandem *dotalem servum* nominant Plaut. Asin. I. 2. 71.

Dotalem servum Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu sit quam tibi.

Et Papinin. l. 21. ff. de manumiss. *Servum dotalem vir, qui solvendo est, constante matrimonio manumittere potest.* Popm. l. l. Douza & Taubman. in Plautum.

Servus vectigalis vocabatur, qui privatum quoddam vectigal domus regiæ exercebat, vendebatque ova, pullicenas, & pipiones, ut ex pecunia, quam reficiebat, aves aleret. Lamprid. Alex. c. 41. *Aviaria instituerat pavonum, fasianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam: & ne eorum pastus gravaret annonam, servos habuit vectigales, qui eos ex ovis, & pullicenis, ac pipionibus alerent.* Buleng. de Vectig. c. 90. Casaub. in Lampridium.

Servus vicarius erat *servi* majoris in familia, qui nimirum serviebat *servo* ordinario, ejusque vices gerebat. Ordinarios sub se vicarios habuisse, iisque velut dominos sic imperasse, ut vicarii cum suis peculiis essent in peculio ordinariorum auctor est Ulpian. l. 17. ff. de pecul. *Si servus meus*, inquit, *ordinarius vicarios habeat; id quod vicarii mihi debent, an deducam ex peculio ordinarii? & Proculus, & Attilicinus existimant, sicut ipsi vicarii sunt in peculio, ita & peculia eorum. Et id quidem, quod mihi dominus eorum, id est, ordinarius servus debet, etiam ex peculio eorum detrahetur: id vero quod ipsi vicarii debent, duntaxat ex ipsorum peculio.* Hæc respicit Mart. II. 18. 7.

Esse sat est servum, jam nolo vicarius esse.

Popm. de Oper. serv. p. 40. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 7. Brod. Miscell. X. 24. Rader. in Martialem. Rævard. Var. V. 20. Barth. Adv. IX. 2. Alex. Gen. III. 25. & ad illum Tiraquellus. Rhodig. Antiq. Lect. XXV. 23. Reinef. Inscript. IX. 39. Peculiarem quoque nuncupatum fuisse refert Scævol. l. 21. ff. de pecul. *Si Sticho manumisso peculium legatum sit, & Titio servus peculiaris: quantum peculio detractum erit ob id quod domino debetur, tantum ei accedere, cui vicarius legatus est, Julianus ait.* Popm. l. l.

SES.

SESAMUM obtinebat olim principem locum inter bellaria. Athen. XIV. p. 649. A. *Clearchus Solensis libro de Scripturis bellaria sic est persecutus: ames, placenta, sesama....* Erat suavissimum, & delicatissimum. Inde blandos, & dulces sermones *sesamum* veteres vocabant. Petron. c. 1. *Audiunt mellitos verborum globulos, & omnia dicta, factaque quasi papavere & sesamo sparsa.* Plaut. Pœn. I. 2. 112.

AG. *Obsecro hercle, ut mulsa loquitur!* MI. *Nihil nisi laterculos,*
Sesamum, papaveremque, triticum, & frictas nuces.

Muret. Var. Lect. XVII. 15. Taubman. in Plautum. Villiomar. in Titium IX. 14. Casaub. in Athen. III. 27. Ita passim seri desiit, ut multis in locis nomen frugis ignoretur. *Willich. de Art. Magir. c.* 12.

SESOPIA *Augurali, & Saliari carmine appellantur, quæ alias Esopia pro sedilibus dicere habemus nunc adhuc in consuetudine.* Festus. S. voci in fronte apponitur, quemadmodum sæpe fit, ut in tritavus, stritavus; cœlum, scœlum, & in pluribus aliis exemplis, quæ congessit Popm. de Usu Ant. locut. c. 4. Hoc vocabulum in Plauto invenit Meurs. Exercit. Critic. I. 4. quando tali modo legit ejus versum Truc. II. 8. 5.

Quo pacto excludis quæso esopiis planius?

Gutberl. de Saliis p. 154. Chimentel. de Honor. bisell. c. 27. Hoc est, ut Plautum explicat Meursius: *quo pacto me planius sedibus ejicias?* Quod si in auguralibus libris, aut saliorum carminibus *sesopia* ea memorata narrantur, fortasse ad usum aliquem sacrum fuere. Ætate Festi, aut potius Verrii, adhuc usurpatam fuisse eam vocem ad sedilia significanda, sed litera minus sibilanti edocemur. Augustin. ad Festum: *Sopia, vel sesopia pro sedilibus, vox, ni fallor, inaudita. Solia potius scriberem.* Ego vero ter minime scriberem. Cur enim monuisset nos Festus de eo verbo tanquam antiqui, aut rari usus, si *solia* legeremus? Cuinam ea vox aut abscondita, aut obsoleta, aut in arcanis sacrorum libris quærenda? *Chimentel. l. l.*

SESQUIALTERUM est terminus notissimus in arithmetica, & musica, nec non in magnitudinibus proportionalibus, ut vocant, significatque totum alicujus rei cum ejusdem dimidio. Sic, verbi gratia, numerus 6. est *sesquialter* ad 4. quoniam numerus senarius continet quaternarium totum, & insuper ejus dimidium, id est, binarium. Pari modo numerus 9. est *sesquialter* ad 6. quoniam & totum senarium, & dimidium ejus, id est, ternarium continet. Eadem proportio est inter 12. & 8. & inter 18. & 12. Eadem ratio est magnitudinum, quoniam baculus 6. pedes longus, est in proportione *sesquialtera* ad baculum 4. pedes longum. Et via trium milliarium est *sesquialtera* ad viam duo tantum milliaria longam, idemque de reliquis rebus dicendum est. Ita Polyb. VI. 30. binis castris junctis circuitum eorum fuisse *sesquialterum*, ἡμιόλιον, ad ambitum castrorum simplicium, sive ambitum castrorum duplicatorum, dimidia parte majorem fuisse ambitu castrorum simplicium. Sed hoc pro diverso considerandi modo verum non est. Si enim id vult Polybius, circuitum duorum castrorum sibi invicem junctorum, habuisse proportionem *sesquialteram* ad circuitum duorum castrorum separatorum; priorem utique circuitum posteriore oportuit dimidio esse majorem. Atqui is multo erat minor, quoniam castra cum jungebantur, perdebant bina illa valli latera, quæ tergum ipsorum claudebant. Id quod non solum ad oculum demonstrari potest, sed etiam ex ipsa ratione satis manifestum est. Apparet hoc etiam ex ipso calculo, quoniam si unumquodque latus duorum castrorum separatorum longum erat pedes 2016. id est, passus 403. sequitur, quatuor latera singulorum fuisse longa passus 1612. qui numero duplicato ad 3224. excrescunt. In binis vero castris junctis, ambo valli latera, quæ fronti obversa sunt, habent passus 806. singula nimirum 403. latus dextrum itidem 806. totidemque latus sinistrum, qui in summam redacti faciunt 2418. minorque proinde hæc est summa quam prior passibus 806. ob bina nimirum illa valli latera, quæ, ut dictum est, castra utraque in conjunctione perdebant. Quod si quis verba Polybii contrario sensu interpretari velit, bina nempe castra separata habuisse circuitum *sesquialterum* ratione castrorum conjunctorum, nec sic rem veram esse deprehendet. Nam passus illi 3224. non continent passus 2418. ut totum, & præterea dimidium, sive 1209. quoniam ambæ hæ summæ collectæ reddunt 3627. qui numerum illum priorem 3224. excedunt passibus 403. Vera autem sunt verba Polybii, si ea sic interpretemur; bina castra conjuncta habuisse ambitum *sesquialterum* ad singula separata. Am-

bitus

bitus enim conjunctorum erat paſſuum 2418. ſingulorum vero ſeparatorum, paſſuum 1612. cujus dimidium ſunt 806. Hi ſi prioribus 1612. addantur, tota ſumma ad 2418. excreſcit. Et hac ſola ratione veritas Polybii conſtabit; quamvis tunc ipſe loquendi modus pro inſolito habendus ſit. *Patric. Rei milit. Roman. p.* IX. *ſ.* 42.

SESQUILIBRA eſt *libra*, & ſemis. Colum. XII. 20. *Item reſinæ terebinthinæ ſeſquilibram.* Pætus de Rom. & Græc. menſ. V. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1662. D.

SESQUIMODIUS eſt *modius*, & ſemis. Varr. de Re Ruſt. I. 7. *Hoc licet conjectura videre in aliquot rebus, ut nuces integras, quas uno modio comprehendere poſſis, quod putamina ſuo loco quaque habeat natura compoſita, cum eaſdem, ſi fregeris, vix ſeſquimodio concipere poſſis.* Pætus de Rom. & Græc. menſ. III. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1630. F.

SESQUIPEDALE eſt longum, & quod ultra menſuram. Horat. Art. poet. n. 97.

Projicit ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Ut ſi quis *pedis* juſti convenientem longitudinem operi inſtituat, mox vero *ſeſquipedem* exinde producat. Sed eſt velut proverbiale quippiam in menſura æquo longiore. Perſ. Sat. I. 57.

Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat.

Barth. Adv. XLI. 5. Nann. in Horatium. Talia ſunt dithyrambica. Huic ideo explicationi non repugnabo, præſertim cum Mart. VII. 13. etſi hoc obſcœnius eſt, dicat:

Mentula cui nondum ſeſquipedalis erat.

Alias apud Horatium intelligerem turgida, inflata, ac prætumida. Nam ab architectis eſſe tranſlationem ſumptam puto, apud quos ſunt tigna *ſeſquipedalia*, materies craſſior. Ita loquitur non raro Vitruvius. *Turneb. Adv.* VII. 19.

SESQUIPLARES, ſive *ſeſquiplarii* dicebantur, qui annonam unam ſemis, nimirum in duo capita, unam equitis, alteram calonis, vel ſervi accipiebant. Inſcript. Romæ in hortis Juſtin.

D. M.
T. AURELIO
SPERATO. EQ. SING.
TURMA. ÆLII
SABINIANI. NATIONE
RÆTO. VIX. A. XXXVII.
MILITAVIT. A. XVIIII.
AURELIUS. QUINTUS
DUPLICARIUS. HÆRES
ET. AURELIUS. AURIANUS
SESQ. SECUNDUS HÆRES
AMICO. OPTIMO. F. C.

Veget. II. 7. *Seſquiplares unam ſemis conſequebantur annonam.* Ita enim eſt in membranis. Ita ἡμιόλιον annonam, vel ſtipendium auctum dimidio vocat Arrian. Tactic. c. 64. *Reineſ. Inſcript. Claſſ.* VIII. *n.* 13. *Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1080. *D. Stewech. in Vegetium.*

SESSORES in curuli certamine. V. illos ſupr. in *Parabatæ.*

SESSORIUM fuit ſitum ad unam de portis Exquiliarum. Meminit ſolus Acro in Horat. Sat. I. 8. *Exquiliæ*, inquit, *dicuntur locus, in quo antea ſepeliebantur corpora extra illam, in qua eſt ſeſſorium.* Porta hæc ſine dubio porta major eſt, ſiquidem altera Acronis occluſa eſt, a qua *ſeſſorium* non longe remotum eſt. Ab hac non longe fuit *palatium ſeſſorianum*, ut dicitur ab Anaſtaſio in Sylveſtro: ſive *baſilica ſeſſoriana*, ut appellatur Bedæ Martyr. I. Hujus palatii nulla alia ſupereſt mentio. Hoc fuerit ſive palatium, ſive eximium aliquod aliud ædificium. Anaſtaſius enim, aliique illius ævi ſcriptores veteres ſubſtructiones, ſive ædificia antiqua palatii appellatione donare ſolent. Sic & ipſe circum Neronis, qui ad S. Petri fuit, palatium vocat: *Sepultus eſt via Aurelia juxta Palatium Neronianum in Vaticano.* Lipſ. ad Tacit. Annal. XV. n. 129. apud Horatii interpretem legit *ſeſſortium.* Sed veriſimilior antiqua mihi lectio videtur, quod illic *ſeſſorianum palatium* fuiſſe legatur: quod, ut eximium illic ædificium fuiſſe credam, mihi perſuadet, cujus intuitu Aurelianus ibidem mœnia in cubiti flexerit curvaturam. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 15.

SESTERTIUM nomine peculiari vocabatur locus ſervilibus pœnis ſepoſitus. Plutarch. Galb. p. 1066. A. *Galbæ caput Patrobii, & Vitellii ſervis donarunt, quod cum acceptum omni contumeliarum & ludibriorum genere afficientes, abjecerunt in locum, ubi occidi ſolent, in quos Cæſar juſſerat animadvertere. Locus Seſtertium dicitur.* Poſſidon. in vita Cypriani: *Et cum perveniſſet in locum, qui dicitur Sextus.* Emendatum jam ab aliis, *ſeſtertius*, *quarto ab Urbe milliari, exſpoliavit ſe birro, & tradidit carnificibus: Dalmaticam vero tradidit diaconis, & ſtetit in linteis exſpectans ſpiculatorem.* De illo Tacit. Annal. XV. 60. 2. *Raptus in locum ſervilibus pœnis ſepoſitum, manu Statii tribuni trucidatur.* Lipſ. in Tacit. l. l. Kirchman. de Funer. Roman. II. 24. Faber Semeſtr. II. 9. Nardin. Rom. Vet. IV. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 3. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 14. Rycq. de Capitol. c. 4. Fuit extra Urbem, errant enim qui de Gemoniis ſuſpicantur, vel nominis argumento. Sic enim dictus, quaſi *ſemitertio* ab Urbe milliari. Ea quidem ratio appellandi recepta Romanis. Ita *Septimum*, palatium ſub U. c. Juſtinian. l. 34. C. de donation. *Decimum*, ſuburbanum Carthaginis Procopio. *Septimum*, Hoſtienſe Symmachi villa Epiſt. VI. 8. *Quartum* Latina apud eundem IX. 6). *Quartum* Pollonis apud Mart. III. 20. 18. Credo fuiſſe extra portam Exquilinam: & odorari videor corruptum nomen ejus vocabuli in commentatore Horatii, uti Cruquius eum edidit: *Exquilinus mons Romæ ex ſeptem montibus. Hinc Exquilina porta Romæ dicitur adſeſſorium, ubi certus erat locus ſepulcrorum ad corpora pauperum, aut ſceleratorum, vilium que comburenda, aut canibus projicienda.* Legerim *ad ſeſtertium.* Lipſ. l. l. Nimium hoc ſpatium duorum millium quingentorum ab Urbe paſſuum, quod Lipſius ponit, videtur, quum campus Exquilinus Urbi propior fuerit. Verum dimenſio forte illius ſpatii non a mœnibus Urbis, ſed a milliario, quæ in foro, columna inſtituta fuit. Ut ut ea res ſe habuerit, ſaltem *Seſtertium* ultra puticulos fuiſſe certum eſt. *Nardin. & Borrich. l. l.* Plutarchus *Seſtertium* appellat, & ejus analogiam defendit Lipſius. Sed Plutarchus morem Græcorum, qui præpoſitionem omiſerunt, ſecutus eſt. Eſt altera appellatio, *ad ſeſtertium.* Ita Horatii commentatorem Cruquianum recte emendavit ipſe Lipſius. Nec dubito quin illa ſit integrior, & magis ex uſu Romano. Intellige milliare, vel lapidem. Quæ veteres interdum omittunt. Tacit. Hiſt. II. 24. 3. *Ad duodecimum a Cremona ferociſſimos auxiliarium componit.* 39. 4. *Promoveri ad quartum a Bedriaco caſtra placuit.* Sæpius addunt. Nepos Attic. c. 22. n. 4. *Sepultus eſt juxta viam Appiam ad quintum lapidem.* Cicer. Brut. c. 14. *Cum plebs prope ripam Anienis ad tertium milliare conſediſſet.* Suet. Aug. c. 94. n. 12. *Ad quartum lapidem Campanæ viæ in nemore prandenti.* Lipſius & Kirchmannus hujus loci meminiſſe volunt auctorem vitæ, quiſquis fuerit, Cypriani. Sed mirabar, qui locus non longo intervallo diſtans porta Exquilina migraverit in viciniam Carthaginis: niſi forſan Apulejana Meroe ſpecimen artis in eo præſtitit: aut, ut mittamus cavillum, putarunt, ſic enim & loquuntur, *ſeſtertium* generali vocabulo ubivis gentium vocari, ubi ſupplicium exigitur. Utcunque autem prope Carthaginem etiam potuerit eſſe *ad ſeſtertium*: tamen cum iſte locus quarto ab urbe milliari fuerit, non potuit hoc ei nomen convenire. Nec erat ſuppliciis noxiorum attributus locus, aut ductus eſt eo Cyprianus damnatus Carthagine, ut ibi potiſſimum lueret, ſed beatiſſimi martyris extrema ſuſcepit, quia proconſul ex occaſione illic diverſabatur. Alia paſſio: *Et in curriculum eum levaverunt, in medioque poſuerunt, & in Sexti perduxerunt, ubi*

tatem Galerius Maximus proconsul bonæ valetudinis recuperandæ gratia secesserat. At mox: *In agrum Sexti perductus est, & ibi se laterno birro exspoliavit.* Fuit igitur vel vicus, vel prædium, aut prætorium, sic appellatum, sive a conditore, vel possessore aliquo *Sexto*, aut *Sextio*, ut in Gallia *Aquæ Sextiæ*, prope Romam *Prata Mucia*, *Prata Quintia*: sive a *sexto* lapide alicujus viæ aliunde quam respectu Carthaginis numerato, in quo positum erat. In ipso prædio, vel vico commorabatur proconsul, & peragebatur judicium: in circumjacente agro supplicium. Anastas. in vit. Nicolai I. *His itaque gestis, serenissimus Imperator inde discessit, & tempore in loco, qui Quintus dicebatur, consedit.* Significat ad quintum, nempe lapidem ab urbe Roma. *Gronov. de Pecun. Vet.* I. 3.

Sestertium est parvum operimentum duorum pedum & semidis, quod tertiam partem corporis, humerorum tenus, tegebat. Suet. Aug. c. 83. n. 1. *In extremis spatiis subsultim decurrebat, sestertio, vel lodicula involutus.* Popm. in Caton. de Re Rust. c. 10. Parvum operimentum e lodicula fuisse suspicari licet. Ut enim pes as dicitur interdum; nam dupondius, qui duos asses valet, apud Colum. IV. 1. duos pedes significat: sic erit *sestertius* duorum assium, & semissis, id est, duorum pedum, & semissis. *Turneb. Adv.* III. 18. *Torrent. ad Suetonium.*

Sestertium rustici dixerunt bipalium, quod est genus ferramenti, agris fodiendis accommodati, quia latum esset duos pedes, & dimidium. Colum. de Arbor. c. 1. *Ipsum autem agrum, quem seminario destinaveris planum & succosum, sat erit bipalio vertere, quod vocant rustici sestertium.* Voss. Lex. Etymol. Gronov. de Pecun. Vet. I. 3.

SESTERTIUS nunquam æreus fuit, sed ab initio statim duos asses, & semissem valuit. *Bud. de Asse* II. *p.* 148. Contra Varro de Ling. Lat. mox laudandus. Ex Varronis verbis intelligitur, alium fuisse apud antiquos, alium Varronis ætate *sestertium*. Veterem enim æreum fuisse: sed post argentum signatum, illius usum obsolevisse. Animadverti tamen posterioribus seculis denuo restitutum æreum *sestertium* fuisse. Nam ex Valeriani epistola edit hæc Vopisc. in Aurelian. c. 12. *Aureliano, cui consulatum detulimus, ob paupertatem, qua ille magnus est, ceteris major, dabis ad editionem Circensium aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in ære HS. quinquies.* Hotman. Antiq. Roman. IV. I. 13. appellatur nummus argenteus quatuor assium, sive quarta pars denarii, qui decem valebat assibus. Causa appellationis est, quod *sestertius* prius valebat duobus assibus & semisse, ut quinarius quinis, denarius denis assibus. Hinc causa paret, cur in veteribus libris pro *sestertius* scribatur *HS*, vel *IIS*. Nam duæ lineolæ asses binos, *S.* semissem notat. Varr. de Ling. Lat. IV. 36. *Sestertius, quod semis tertius. Dupondius enim & semis antiquus sestertius est: & veteris consuetudinis, ut retro æra dicerentur, ita ut semis tertius, semis quartus pronuntiarent.* Vitruv. III. 1. *Denarii quartam partem, quod efficiebatur ex duobus assibus, & tertio semisse, sestertium nostri vocitaverunt.* Voss. Lex. Etymol. Gronov. de Pecun. Vet. I. 3. Bud. de Asse p. 121. 269. Camerar. de Re numm. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 1429. L. Porcius de Re pecun. c. 4. 5. & 11. Snell. de Re numm. Thes. Gronov. ibid. p. 1566. D. August. ad Leg. XII. tab. §. 20. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 75. Chimentel. de Honor. bisell. c. 42. Panvin. Imp. Roman. c. 12. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 451. Sperling. de numm. non cus. c. 33. Lipen. de Stren. c. 3. §. 32. Hotman. ibid. IV. 2. 17. Agricol. de Pond. & Temperat. monet. II. p. 281. Primis renascentium literarum incrementis miræ erant tenebræ circa rem nummariam veterum: fingebantque Sabellicus, Beroaldus, Porcius, Egnatius, Turnebus, *sestertium* neutro genere grandem argenteum nummum: & appellabant alium *sestertium* minorem, & æris, aliud *sestertium* majus argenti duarum librarum, & selibræ. Depulit hanc caliginem Budæus, docuitque *sestertios* fuisse nummos argenteos binis & selibris æris, deinde quatuor assibus æstimatos: *sestertia* vero non nummos, sed ἀθροίσματα mille hujusmodi nummorum *sestertium*, adduxitque in eam sententiam Alciatum, Augustinum, Cenalem, Glareanum, & complures alios; donec Agricola exortus, qui *sestertia* pro tam grandi summa omnia abolevit, nec uti ea voce, nisi poetas, idque pro nummo *sestertio* voluit, regulamque constituit, si nomen numerale casu, numero, genere congruat cum *sestertio*, sive masculini, sive neutrius generis fuerit, nullum alium numerum significari, quam qui profertur, tanquam *decem sestertios*, vel decem *sestertia* dici pro decem nummis: si vero duo nomina, numerale scilicet atque *sestertius*, iisdem casibus non efferantur, sed hoc genitivo plurali, illud quod item plurale est, & neutrius generis, quovis alio, tum τὸ millia, quod a nomine numerali expresso nunquam dissentiat casu, intelligi, ubicunque non sit appositum: sic *sestertium ducenta*, *sestertium dena* apud Ciceronem, *sestertium centum* apud Sallustium legi pro ducentis, denis, centum millibus. Nec caruit suffragatoribus: quippe quem secutus sit pro parte Junius, cui *sestertius*, & *sestertium* poetis, nummus idem, & omni opum vi connixus Hotoman. ibid. IV. 2. 19. . . . 25. propugnans multis argumentis, quæ summo studio, ac diligentia ab sese ait observata, & his regulis definita: I. *sestertium* neutro genere, numero singulari, nusquam, neque apud oratores, neque apud poetas pro pecuniæ summa reperiri: II. *sestertia* veteres, prosa locutos, nunquam dixisse, sed confictum hoc nomen a poetis esse ex genitivo plurali *sestertium* contracto pro *sestertiorum*, tantummodo ut versibus servirent (in quo recedit ab Agricola, quia videbat negari non posse *sestertia* poetis pro mille nummis accipi, nec in versibus ea vox propter legem metri ex libidine corrigebatur) III. ubi aliquot millia *sestertium* enuntianda erant, usum fuisse duplicem loquendi, ut interdum plena oratione dicerent, *quinquaginta sestertium millia*, interdum præcise *quinquaginta sestertium* eodem sensu. Hos exceperunt Ciacconius, & Scaliger, hactenus egregia cura, quod *sestertia* recte a Budæo mille nummis æstimata, vindicatis, quibus illi abutebantur, auctorum locis, evicere: sed ambo tantum detulere Agricolæ adversus Budæum, & Alciatum disputationi, ut rationem, cui insistens ad hanc taxationem Budæus pervenit, repudiarent; Ciacconius totum ad consuetudinem referens, Scaliger inventa ratione nova. Præterea convenit inter omnes, *decies sestertium* idem esse quod *decies centena millia nummum sestertium*, nostrorum viginti quinque millium Philippicum, cujus inventi solida est penes Budæum gloria, nisi delibet eam Porcius, quanquam cætera multis partibus infra Budæum: sed sic quoque utrique sua laus solida est. Sed sitne in brevitate illa dicendi τὸ *sestertium* genitivus pluralis, & intelligendum habeat *centena millia*, quod vulgo: an singulare neutrum, quod Scaligero placuit: sitne enuntiandum semper *sestertium* sine varietate alia, ut Agricola: an nonnunquam, sed ex usu vulgari, ac sine ratione mutetur, sic tamen, ut Latinum sit utrumvis, sive *sestertii millies possessor*, sive *sestertium millies possessor* efferas, ut fere Budæus, ac discite Hotomannus: an denique pro ratione vicinæ vocis semper flectatur, & *millies sestertii possessor* Latinum sit, *millies sestertium possessor* solœcum, ut Scaliger, arbitrati: scio existimationem non esse cujusvis. Etsi enim a plurimis recepta est Scaligeri sententia, non defuit tamen, qui eam palam, ac magna specie oppugnaret. Is est Gaspar Scioppius, sub nomine Pascasii Grosippi, de lingua Latina haudquaquam male meritus:

— ἔν τί γε πικρὸς
Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

præsertim ubi cum Scaligero constitit: tum enim ilicet, & hominem se, & literas tractare, quæ ab humanitate denominantur (nisi tamen hæc quoque perturbatio est aliquid humani) penitus obliviscitur. Itaque eo processit, ut *decies sestertii*, *decies sestertio* pro Latinis agnoscere vocaret ridendum stuporem. Concedit tamen *decies sestertium numeratum* perinde recte dici, atque *decies sestertium*

tum numerata: dummodo alterum accipias per ſyllepſin numeri, alterum ut intelligantur *centena millia.* Gronov. ibid. c. I. Qui diverſas diverſorum de *ſeſtertiis ſententias* hic complexus eſt. Illas fuſius denarrare, & argumenta, quibus ſententiam tum ſuam adſtruere, tum adverſariorum deſtruere ſinguli ſtudent, addere anguſta, qua utimur, charta prohibuit. Plura qui voluerit, curate legat, quæ de re hac nummaria memoriæ prodiderunt, quos laudavimus, ſcriptores. In primis autem *Gronovii de pecunia vetere libros.* Is enim nobile hoc certamen ſummorum virorum, ut Scaliger appellat, ita in illis tentat componere, ut I. quod ſibi verius videtur, inter multa falſi confinia obtineat. II. quæ illud adhuc infamaverunt, & ſuſpectum reddiderunt, reprimat & conciliet. III. eorum, quæ hujus materiæ apud varios auctores dubia pendent, nonnulla exploret, & ad certum, ac liquidum redigat.

SESTIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

SESTIUM promontorium. V. illud ſupr. in *Aræ Seſtianæ.*

SET.

SETIA, vulgo *Sezza*, eſt oppidum Campaniæ, ſitum in montibus. *Montium Setinorum* meminit Juven. Sat. v. 34. Et quia in imo montium jugo, quod juxta Pomptinos campos ad Aſturam uſque protenditur, ſitum eſt: & ab extrema ejus ora tanquam ex crepidine quadam in ſubjectam planitiem deſpicit, *pendulam* vocat Mart. XIII. 112.

Pendula Pomptinos quæ ſpectat Setia campos,
Exigua vetulos miſit ab urbe cados.

Turrig. ad Urſi Togati inſcript. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 401. C. Cluver. Ant. Ital. III. 8. 6. Leand. Deſcript. Ital. p. 212. Anno 377. L. Æmilio, Ser. Sulpicio tribunis militum conſulari poteſtate, ipſis querentibus penuriam hominum, colonia eſt deducta Liv. XXVII. 11. *Triginta tum coloniæ populi Romani erant, ex iis duodecim, cum omnium legationes Romæ eſſent, negaverunt conſulibus eſſe, unde milites, pecuniamque darent. Ea fuere Ardea, Nepet, Sutrium, Circeji, Alba, Carſeoli, Sueſſa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna.* Poſt annum tamen quam Sutrium illam deductam ſcribit Paterculus. V. illum infr. in *Sutrium.* Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 5. Cluver. l. l.

SEV.

SEVERIANA aqua. V. illam ſupr. in *Aqua.*

SEVERUS Alexander. V. illum ſupr. in *Alexander.*

SEVIR dicebatur equitum alæ univerſæ qui præerat. Capitol. Marco c. 6. *Sevirum turmis equitum Romanorum jam conſulem deſignatum creavit.* Et *ſevirum* equitum Romanorum reperimus in antiquis inſcriptionibus: ut in hac: TRIB. MIL. LEG. VII. GEM. FELIC. VI. VIRO. EQUIT. ROM. & in illa: X. VIRO. STLITIB. JUDIC. VI. VIRO. EQUIT. ROM. TURM. Sex enim erant Romanorum equitum decuriæ, Ramnenſes, Tatienſes, Luceres, primi, ſecundique: erant primi Luceres, & ſecundi, ac ſic quoque Tatienſes, & Ramnenſes geminati erant. *Turneb. Adv.* XI. 9. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 33. *Caſaub. in Capitolinum. Spanhem. Diſſert.* VIII. *de Præſt. numiſm. p.* 666.

Seviri in municipiis, coloniis, præfecturis appellabantur magiſtratus. V. illos ſupr. in *Magiſtratus.* cum *ſex* ſ. collegæ curiam adminiſtrabant; ut quatuorviri, cum quatuor: duumviri, cum duo. Cum enim eadem horum omnium inter ſuos eſſet dignitas, munus, & onus, nomina ſaltem iis mutabantur pro diverſitate municipiorum; quæ etſi præſidibus eſſent obnoxia, antiqui tamen moris, cum libera adhuc eſſent, plurimum retinuere, ut modo plurium, modo pauciorum curæ ſubeſſe dignarentur: & interdum hoc, interdum illud ſuis rationibus magis accommodum eſſe ducerent: qua tamen ipſa diverſitate non efficiebatur, ut municipia, & coloniæ adminiſtrationis, quæ in omnibus annua erat, ratione inter ſe diſcreparent. Quemadmodum enim duoviri vel alternis menſibus, vel altera anni parte ad clavum ſedebant; ſic *ſeviri* annum ita partiebantur, ut vel ſinguli duobus menſibus, vel quaternis viciſſim menſibus bini jus dicerent: quod notavit etiam Velſer. Rer. Vindel. v. p. 272. *Reineſ. Epiſt. ad Rupert.* 31.

Seviri Auguſtales. V. illos ſupr. in *Auguſtales.*

SEX.

SEXAGENARII de ponte dejiciebantur. V. ſupr. in *Depontani ſenes.* . . . . minor ſi minorem quinquagenaria duxiſſet, perinde habebatur, ac ſi minor ſexaginta annorum duxiſſet uxorem. V. ſupr. in *SCtum Claudianum.*

SEXTANS erat nummulus duas uncias valens. Plin. XXXIII. 11. *Quod Agrippæ Menenio ſextantes æris in funus contulit, honoris id, neceſſitatiſque propter paupertatem Agrippæ, non largitionis eſſe dixerim.* Bud. de Aſſe v. p. 618. Snell. de Re numm. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 1559. A. Hotman. Antiq. Roman. IV. I. II. Valet noſtro numiſmate tres pitas, duas tertias unius quartæ pitæ, cum duabus tertiis unius vigeſimæ. Capit igitur ſua æſtimatione ſeſquiobolum Pariſinum, & ferme denariolum, demptis paucis minutiis. *Cenal. de Ponder. ac menſur.* ... *Tom.* II. *Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1516. *E.*

Sextans erat poculum, quod duos cyathos capiebat. Mart. XII. 28. 1. V. illum ſupr. in *Deunx.* *Sextante* temperatos, ac valetudinarios, *deunce* intemperatos, & bibaces potaſſe valde eſt veriſimile. Et ita Auguſtus *ſextante* bibit, eamque ſexies tantum in conviviis publicis ori admovit. Suet. c. 77. n. 2. *Non amplius ter bibere eum ſolitum ſuper cœnam in caſtris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit. Poſtea quoties largiſſime ſe invitaret, ſenos ſextantes non exceſſit.* Romani *ſenos ſextantes*, ſive *ſextarium* quaſi legitimam, ac quotidianam virilis potus menſuram ſtatuentes ab eo, quaſi ab aſſe, incipientes, reliqua vocabula ejus partes fecerunt, quomodo & nos pintam virilem menſuram ponentes, ſemiſſem ejus parcis vini deſtinamus, dodrantem continentibus, quadrantem ægrotis, ſeſquipintam bibacibus, in quotidiano quidem convivio. Hinc Auguſtus *ternos ſextantes*, id eſt, dimidiatam aliorum menſuram bibebat: &, cum licentius bibere ſtatuerat, ſextarium *non excedebat*, ac ne excedere quidem poterat citra rejectionem: quippe vir infirma valetudine. *Bud. de Aſſe* v. *p.* 566. *Agric. de Menſ. Rom.* I. *p.* 20. *Stuck. Ant. Conv.* III. 13. *Bacc. de Vin. & conv. Antiq.* IV. *p.* 171. *Brod. Miſcell.* I. 23.

SEXTARIUS habebat duodecim cyathos, id eſt, ſenos ſextantes. Vini menſura, quæ ſobrio in cœnam ſufficeret. Unde Horat. Sat. I. I. 74.

Panis ematur, olus, vini ſextarius.

Et Taciti Imperatoris ſobrietatem laudaturus, *ſextarium* vix illum bibiſſe dicit Vopiſc. c. 11. *Ipſe fuit vitæ parciſſimæ, ita ut ſextarium vini tota die nunquam potaverit, ſæpe intra heminam.* Buleng. de Conviv. III. 17. Bud. de Aſſe v. p. 566. Pætus de Rom. & Græc. menſ. III. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1632. F. Stuck. Ant. Conviv. III. 13. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. I. Agric. de Menſ. Rom. I. p. 20.

SEXTILIS menſis fuit dictus Auguſtus. V. ſupr. in *Auguſtus.*

SEXTO Kalendas, Idus, Nonas dicimus accuſativo caſu pro *ſexto* ante Kalendas, Idus, Nonas. *Moreſtell. Philom.* III. *dial.* v.

SEXTULA fuit nummulus omnium æreorum minutiſſimus, communi, ut opinor, ſigno notatus. *Sexta* fuit unciæ pars, conſtans ex ſcripulis quatuor, qui *ſexies* multiplicati unciam conſtituunt. Varr. de Ling. Lat. IV. 36. *Æris minima pars ſextula, quod ſexta ſit pars unciæ.* Co-

lam. v. 1. de agri unciis loquens: *Pars septuagesima secunda pedes cccc. hoc est, sextula, in qua sunt scripula quatuor.* De hac & sic Fannius.

> —— *drachmæ scripuli si adjectio fiet,*
> *Sextula quæ fertur: nam sex bis uncia constat.*

Pætus de Roman. & Græcor. ponder. v. Thes. Ant. RomAn. Græv. Tom. xi. p. 1663. C. Pancirol. Notit. dign. imp. orient. c. 75. Agric. de Pond. Roman. iv. p. 59. Lipsius. de Stien. c. 3. §. 59. Hotman. Antiq. Roman. iv. 11.

SEXTUS. Prænomen, quod antiqui ut plurimum SEX. noti denotarunt. Origo ab ordine nascendi. Ab illo *Sextios*, & *Sextilios* deductos fuisse eorum etymon declarat. *Panvin. de Nom. Roman. p. 2032. B. Ursin. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman Græv. Tom. xi. p. 950. C.*

Sextus Rufus vir consularis, qui Valentiniani, & Valentis Imperatorum temporibus floruit, multa ingenii sui monumenta reliquit, quæ omnia præter admodum pauca temporum injuria, & barbarorum immanitate omnino periere. Ex his enim supercrest parvus liber, quem de origine, & incrementis imperii Romani ad Valentinianum Augustum condidit, qui excusus est, & vulgo in manibus habetur. Scripsit & aliud opusculum de regionibus urbis Romæ eadem prope modum ratione, qua P. Victor, in quo quum singulas Urbis regiones enumerasset, omnia, quæ in singulis erant memoratu digna, tam publica, quam privata ædificia, brevissime, & accuratissime digessit. Qui libellus & ipse interciderat, atque usque ad nostra tempora tenebris vetustatis oppressus latuerat, quibus literis majusculis venerandæ vetustatis scriptus inventus est. Cæterum nec ille, quanquam exiguus, temporis edacitatem effugere potuit, aliquot enim pagellis truncato, quum pleraque in aliis locis, tum tres quoque extremæ Urbis regiones, id est, Piscina publica, Aventinus, & trans Tiberim integræ desiderentur. Eum tamen, quemadmodum ad manus venit, accurate exscriptum, accuratiusque excusum antiquitatis studiosis legendum trado. Cujus mihi copiam vir integerrimus, & doctissimus, atque de omni literarum genere bene meritus, Antonius Augustinus, domo Cæsarea Augusta, Episcopus Alifanus, & xii. vir stlitibus judicandis, quos Romæ rotæ auditores vocant, quinquennio ante libentissime mihi fecit. *Panvin. Præfat. ad Sextum Rufum Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom* iii. *p. 26.* Qui & singularem de eodem, ut & de Victore commentarium pollicitus est. Sed an illum postea absolverit, haud certo dixerim. Quin potius præmatura nimis, & damnosa reipublicæ literariæ eruditissimi viri morte hunc nobis totum invidisse crediderim, qui undequadragesimo ætatis anno vivis ereptus præclarissimorum ingenii, atque doctrinæ ætate maturiore, magisque exercitata producendorum fructuum maximam cunctis spem fecerit, in ipso adhuc ætatis flore editis tam multis, ac tam eximiis singularis eruditionis monumentis. Rufi vero textus nec ipse a suspicione integer, liberve sit, necesse est: id est, ut auctior sit vetere ipsius Rufi editione, quæ non exstat: unde & ejus auctoritate non temere, verum caute, circumspecteque utendum existimo. *Nardin. Rom. vet. ii. 5.*

SI.

SI & *nisi* erant verba, quibus sponsio inter petitorem, & eum unde petebatur, concipiebatur; sed modo hoc, modo illo pro natura negotii, & rei affirmatione, aut negatione. Nam semper rogabatur contrarium ejus, quod reus dixerat. Quippe rogante reo se esse auctorem, rogabat petitor, ac stipulabatur, *Spondesne quinquaginta, si sis auctor?* Ajente autem fundum suum esse, quin testamentum extet, rogabat ac stipulabatur: *Spondesne quingentos, ni tuus fundus sit, ni testamentum extet.* Reus autem spondebat: *Spondeo quinquaginta, si auctor sim, quingentos, ni meus fundus sit, ni testamentum extet.* Inde rogabat vicissim petitorem, & restipulabatur: *Et tu spondesne quinquaginta, ni auctor sim: si meus fundus sit: si testamentum extet.* Cui ille: *Spondeo, ni auctor sis, si fundus tuus sit, si testamentum extet.* Exempla, unde hæc hausta sunt, perpendamus. Val. Max. ii. 8. 2. *Pertinacius progressa contentione Valerius sponsione Lutatium provocavit: ni suo ductu Punica classis oppressa esset. Nec dubitavit restipulari Lutatius.* Petebat scilicet triumphum Valerius prætor, cum diceret ægrotante Lutatio consule Punicam classem ductu suo oppressam fuisse. Negabat tribuendam esse Lutatius, quia non ductu ejus Punica classis oppressa esset. Tum Valerius: *Spondesne sacramentum, si meo ductu classis oppressa sit?* id est, si probavero, meo ductu classem oppressam? Cui Lutatius: *Spondeo, si tuo ductu classis oppressa fuit.* Inde restipulatus est: *Et tu spondes ne, ni tuo ductu classis oppressa fuit:* id est, si probavero, non tuo ducta classem oppressam? Cui Valerius: *Spondeo, ni meo ductu classis oppressa sit.* Macrob. Saturn. ii. 13. *Cleopatra sponsione provocavit Antonium, insumere se posse in unam cœnam sestertium centies. Nec moratus Antonius sponsione contendit.* Hoc loco dixerat Cleopatra, se in unam cœnam sestertium centies insumere posse. Negavit Antonius, Cleopatra sponsione provocavit eum dicens: *Spondesne sacramentum, si insumpsero?* Inde restipulans Antonius: *Et tu spondesne, nisi insumpseris?* Cui Cleopatra: *Spondeo, ni insumpsero.* Sigon. de Judic. i. 21. Brisson. de Form. v. p. 369.

Si deus, si dea es erant verba sollennia in precibus Romanorum. Vetus evocationis deorum carmen hoc habebat initium apud Macrob. Sat. iii. 9. *Si deus, si dea est, cui populus, civitasque Karthaginensis est in tutela.* Ita etiam Gell. ii. 28. *Eas ferias si quis polluisset, hostiam si deo, si deæ immolabat.* Vel *sive deus, sive dea es.* Arnob. iii. p. 104. *Nam consuestis in precibus, sive tu deus, sive dea dicere: quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum disjunctione ex ipsa declarat.* Eo pertinent verba Lævini, quæ referuntur a Macrob. Sat. iii. 8. *Venerem almam adorans, sive femina, sive mas est, ita ut alma noctiluca est.* Brisson. de Formul. i. p. 54. Turneb. Adv. xv. 14. Struv. Ant. Roman. c. 3. p. 208. Elmenhorst. & Herald. in Arnobium. Kipping. Antiq. Roman. i. 9. §. 10. Carrio Emend. i. 11.

Si fallo sciens erat jurisjurandi formula sollennis. Cicer. Fam. vii. 1. *Deliciæ vero tuæ, noster Æsopus, ejusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret. Is cum jurare cœpisset, vox eum defecit in eo loco, si sciens fallo.* Plin. Paneg. c. 64. n. 3. *Quin etiam sciens præivit jusjurandum: & ille juravit, expressit, explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si sciens fefellisset, deorum iræ consecraret.* Ovid. Fast. v. 685.

> *Sive deum prudens alium, divamve fefelli,*
> *Abstulerint celeres improba verba noti.*

Brisson. de Formul. viii. p. 710. Hansen. de Jurejur. vet. c. 13.

SIB.

SIBILUM appellaverunt veteres sonum, qui ad aliquem, sive in theatro, sive in auditoriis explodendum fiebat, & fistulæ *sibilum* maxime imitabatur. Et *sibilare*, seu *exsibilare* sonitum hujusmodi emittere. *Sibilus* proprie enim, seu *sibulum* dicebatur sonus ille, quem fistula inflata emittebat. Ovid. Met. xiii. 785.

> *Senserunt toti pastoria sibila montes.*

Pastoria sibila, hoc est, sonos, quos pastorum fistula reddebat. Hinc Cicer. Attic. i. 13. *pastoritiam fistulam* pro *sibilo* posuit. Et a M. Capell. ix. *fistula* dicitur *sibilatrix*. Et habent Isidori glossæ: *Fistulor, sibilo.* Græcis etiam σύριγξ *fistula* est, & *sibilus*: ipsumque συρίζειν, seu συρίττειν, *fistula canere*, & *sibilare*. Inde ad explodendum aliquem sonum edere Græci communiter συρίζειν, seu συρίττειν dixere, Pollux κλώζειν, Hesychius χλευάζειν, διαμυλλαίνειν Aristophanes, quod scilicet ore fieret hujusmodi

di sonus, seu sibilus, compressis dentibus, & labris parum diductis. *Ferrar. de Plaus. & acclam.* II. 14.

SIBYLLÆ erant mulieres deo plenæ, quarum pectora, quum divinum numen recepissent, vaticinabantur. Varr. apud Lactant. I. 6. *Omnes feminæ vates Sibyllæ sunt a veteribus nuncupatæ.* Serv. Æneid III. 452. *Sibylla dicitur omnis puella, cujus pectus numen recepit.* Quæ, aut quot, quibus temporibus, aut locis fuerint, magna inter veteres scriptores dissensio est. Alii enim tantum unam, alii duas, alii tres, alii quatuor, alii decem, aut etiam plures *Sibyllas* fuisse dixerunt. Quidam etiam Græcorum conati sunt ex *Sibyllis* facere, quod de Jovibus, Herculibus, Minervisque, & aliis deis fecerunt, qui quum multi fuissent, unum tantum prodidere, ut auctor est M. Varro. Atque de ea varie scribunt, multumque inter se tum de patre, tum de patria discrepant. Alii Apollinis & Lamiæ filiam existimant, alii Aristocratis & Idolis; alii Crinagoræ, alii Theodori. De patria quoque non minus inter se dissident. Nonnulli Erithræam eam fuisse tradunt, quidam Siculam, alii Sardinicam, alii Gergethiam, alii Rhodiam, alii Libycam, alii Leucanam, alii postremo Samiam. Quæ omnia magna ex parte de Erithræa opinati sunt. Quidam etiam eam ante Trojana tempora fuisse, quidam de ipsius Trojæ excidio, Græcisque vaticinatam Ilium periturum, alii vero longe post vixisse scribunt, ita ut cui potissimum credendum, sit ambiguum. Hanc opinionem rejicit Varr. apud Lactant. l. l. M. Capella II. duas tantum fuisse refert, & non plures, *Erophilem Trojanam Marmesi filiam, quam eandem putat esse cum Phrygia, & Cumæa; alteram Symmachiam Hiporensis filiam, quæ Erithre nata, etiam Cumis vaticinata est.* Plin. XXXIV. 5. auctor est Romæ in foro juxta Rostra trium Sibyllarum fuisse statuas cæteris minores: ex his unam Pacuvius Taurus ædilis plebis instituit; duas vero reliquas M. Valerius Messala augur. Quarum nomina refert Solin. l. l. & appellatas scribit Cumanam, Delphicam, Erithream. Ælian. Var. Hist. XII. 35. quatuor fuisse asserit, *Erithræam, Samiam, Ægyptiam, Sardianam.* Addit tamen. *Quidam dicunt, etiam alias sex fuisse, ut universæ sint decem, in quibus fuerit & Cumana & Judæa.* Varr. apud Lactant. l. l. refert *decem numero fuisse; easque omnes enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitaverunt.* Quas non eo ordine, quo a Lactantio digeruntur, qui nec temporis, nec *Sibyllarum* rationem habet, sed ab antiquissimis ad recentiores deveniam. *Panvin. de Sibyll. Misc. Ital. Erud. Tom.* I. *p.* 297. *Vives in August. de Civit. Dei* XVIII. 23. *Petit. de Sibyll.* I. 1. 2. 3. 7. *Schmid. de Sibyll. B.* 5. *Gallæus de Sibyll. orac. p.* 3. . . . 10.

Sibylla Delphica est prima ex *Sibyllis*, quas Varr. apud Lactant. I. 6. inter decem enumerat, & est omnium vetustissima. Delphis fuit nata. Et quidam scribunt, Athenis fuisse vocatam. De ea Chrysippus loquitur in eo libro, quem de Divinatione composuit. Hæc, ut Boethus perhibet, *longe ante Trojana tempora vaticinata est, cujus plerosque versus Homerum operi suo inseruisse plerique tradiderunt* teste Solin. c. 2. *Panvin. de Sibyll. Misc. Ital. Erud. Tom.* I. *p.* 299. *Gyrald. de Poet. Dial.* II. *p.* 109. *C. Vives in August. de Civit. Dei* XVIII. 23. *Schmid. de Sibyll. B.* 8. Eam Diodor. IV. p. 187. C. Daphnen Tiresiæ filiam fuisse refert, quam Argivi, cum Thebas vicissent, Delphos misere votum redditum. Quare prius quam divinandi artem a patre Tiresia edocti fuisset, Delphis manens vaticinandi peritior Apollinis vi facta est, deinque responsa consulentibus edebat: idcirco ante omnes *Sibylla* est ab omnibus vocitata, ut auctor est Varro. Et ab hac omnes mulieres divinandi peritæ, ut quidam tradiderunt, *Sibyllæ* dici cœptæ sunt. *Panvin l. l.*

Sibylla, Erithræa dicta, fuit altera. *Hanc Apollodorus Erithræus affirmat suam fuisse civem, eamque Grajis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram esse Trojam, & Homerum mendacia scripturum.* Varr. apud Lactant. I. 6. Hoc vaticinium extat integrum in libro, qui vulgo circumfertur, & oracula *Sibyllina* octo libris digesta continet, III. Hanc vulgatior opinio est fuisse ante bellum Iliacum. Eusebius in Chronicis eam in primam ætatem urbis Romæ, regnumque Romuli refert. Strab. XIII. p. 343. duas Erithræas *Sibyllas* ponit: hanc priscam, & aliam recentiorem, nomine Athenaim, quam Alexandri temporibus fuisse scribit. Varro Erithræam Babylone natam esse ait, & sese Erithræam appellari maluisse. Hanc Herophilen appellatam scribit Solin. c. 2. & paullo post Trojana tempora floruisse. *Panvin. de Sibyll. Misc. Ital. Erud. Tom.* I. *p.* 299. *Gyrald. de Poet. Dial.* II. *p.* 109. *E.* V. & *Vivem in August. de Civit. Dei* XVIII. 23. *Schmid. de Sibyll. B* 8. *sqq. Salmas. Exerc. Plin. p.* 55. *E.* De hac multa *Petit. de Sibyll.* II. 1. 2. 3.

Sibylla Cumæa fuit, ut existimo, tertia. De hac, ut Varr. apud Lactant. I. 6. Nævius in libris, quos de primo bello Punico scripsit, & L. Piso Censorius in annalibus mentionem faciunt. Hæc in Italia vaticinata est paullo post excidium Iliacum, ut quidam tradunt, quam Italicam multi vocant, ex Cimmerio Campaniæ vicino Cumis oppido oriundam. Sunt qui sentiant, hanc esse ad quam Æneam Ilio profugum divertisse fingit, & Deiphoben appellatam scribit Virg. Æneid. VI. *Panvin. de Sibyll. Misc. Ital. Erud. Tom.* I. *p.* 200. *Vlit. in Grat. Cyneg. n.* 35. *Vives in August. de Civit. Dei* XVIII. 23. *Schmid. de Sibyll. B.* 8. *sqq.*

Sibylla Samia fuit quarta, de qua in antiquis Samiorum annalibus, ut scribit Varr. apud Lactant. I. 6. mentionem fieri Eratosthenes vetustus auctor scripsit. Hujus meminit Ælianus. V. illum supr. in *Sibylla.* Phyto proprio nomine fuit dicta, ut Suidas monet. Hanc Numæ Pompilii temporibus fuisse Olymp. XVI. an. I. scribit Eusebius in Chronicis, Hippomneme Athenis principe, Heriphilemque appellatam. *Panvin. de Sibyll. Misc. Ital. Erud. Tom.* I. *p.* 300. *Gyrald de Poet. Dial.* II. *p.* 111. *B. Vives in August. de Civit. Dei* XVIII. 23. *Schmid. de Sibyll. C.* 2. *sqq.*

Sibylla Cumana fuit quinta, *nomine Amalthea, quæ ab aliis Demophile, vel Herophile nominatur. Hæc ad Regem Tarquinium Priscum libros attulit Sibyllinos.* Varr. apud Lactant. I 6. V. supr. in *Libri Sibyllini.* Hanc *quinquagesima Olympiade rebus Romanis interfuisse, atque etiam post Delphicam, & Erithræam vaticinatam fuisse tradit, ejusque sepulcrum adhuc sua ætate in Sicilia mansisse* refert Solin. c. 2. Eam vero non Heriphilem vocat, hac enim appellatione Erithræam afficit, quam hac Cumana antiquiorem fuisse opinatur. Eusebius vero ad Olymp. XVI. an. I. nec Erithræam, nec Cumanam, sed Samiam Heriphilem vocatam scribit. Cumana autem, si modo verum est, eam fuisse quæ Superbo libros obtulit, vixit Olympiade quinquagesima quinta. *Panvin. de Sibyll. Misc. Ital. Erud. Tom.* I. *p.* 300. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 12. §. 15. *Vlit. in Grat. Cyneg. n.* 35. *Vives in August. de Civit. Dei* XVIII. 23. Sed hanc a Cumæa diversam non fuisse multis probant *Salmas. Exerc. Plin. p.* 52. *b. D. . . . Petit. de Sibyll.* II. 3. *Schmid. de Sibyll. C.* 2. *sqq.*

Sibylla Hellespontiaca fuit sexta, *in agro Trojano nata, vico Marpesso, circa oppidum Gergithium; quam scribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuisse temporibus.* Panvin. de Sibyll. Misc. Ital. Erud. Tom. I. p. 301. Gyrald. de Poet. Dial. II. p. 112. F. Vives in August. de Civit. Dei XVIII. 23. Schmid. de Sibyll. C. 3. sqq. Circa quod oppidum quia nata Gergithia est vocitata. Et ea de causa Gergithii cives eam cum Sphinge in suis monetis effingebant, ut Phlegon Olymp. I. & Stephanus de Urbibus tradunt; quin & ejusdem sepulcrum in Apollinis Gergithii templo conditum fuisse perhibetur. *Gyrald. l. l.*

Sibylla Libyca fuit septima. *Ejus meminit Euripides in Lamiæ prologo.* Varr. apud Lactant. I. 6. Hanc autem ante Olympiadem octuagesimam vaticinatam fuisse ex hoc satis liquet, quod Euripides, qui ea ætate vixit, eam commemorat. *Panvin. de Sibyll. Misc. Ital. Erud. Tom.* I. *p.* 301. *Gyrald. de Poet. Dial.* II. *p.* 109. *C. Perizon. in Ælian. Var. Hist.* XII. 35. *Vives in August. de Civit. Dei* XVIII. 23. *Schmid. de Sibyll. B.* 8.

Sibylla Persica fuit octava. *Ejus mentionem fecit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit.* Varr. apud Lactant.

Lactant. I. 6. Hanc ipſam Chaldæam vocat Juſtin. Mart. in admonitorio ad gentes libro p. 34. E. atque eam ex Babylone profectam, ejus Beroſi, qui tribus libris Chaldaicam ſcripſit hiſtoriam, & Erimanthæ nobilis mulieris filiam fuiſſe tradit. Pauſan. Phocic. p. 328. Babyloniam, & Ægyptiam dictam fuiſſe ſcribit: *Poſt Demo Cumanam Sibyllam in Judicum feminarum numerum conſcripſerunt Hebræi, qui ſupra Palæſtinam ſunt, gentilem ſuam, Sabbem nomine, quam Beroſo patre, matre Erymanthe genitam tradunt: hanc alii Babyloniam, Ægyptiam alii Sibyllam vocant.* Suidas Sambethen vocat. *Sibylla Chaldæa, quæ a nonnullis Hebræa vocata eſt, & Perſica, quæ proprio nomine vocabatur Sambethe.* Quod nomen analogica ratione ab illo *Sabba*, quod negare non debuiſſet Gallæus, eſt formatum, litera *M.* loco prioris *B.* inſerta. Vixiſſe traditur per ea tempora, quibus Noachus: quinimo uni filiorum ipſius Noachi nupſiſſe legimus, arcamque ingreſſam cum aliis alluvionis, & magni cataclyſmi tempore. *Panvin. de Sibyll. Miſc. Ital. Erud. Tom. I. p.* 301. *Perizon. in Ælian. Var. Hiſt.* XII. 35. *Gyrald. de Poet. Dial.* II. *p.* 106. *B. Vives in Auguſt. de Civit. Dei* XVIII. 23. *Schmid. de Sibyll. B.* 6. *ſſ.* Cæterum hæc Sambethe etiam divinis honoribus, ſeu ſacellis, videtur a quibuſdam culta. Certe ad eam referendam, quod legimus in inſcriptione Thyatirena apud Spon. Itiner. Tom. I. p. 398. cujus Latina hæc ſunt: *Fabius Zoſimus cum præparaſſet arcam, poſuit in loco puro ante urbem apud ſacellum Sambethes in Chaldæi ambitu.* Perizon. l. l. Ea, quæ de turri apud Hebræos feruntur, ut Juſtinus & Euſebius produnt, ipſa prædixit, deque linguarum, & ſermonum varietate, nec non de Alexandro multa. De Chriſto vero, & ejus nativitate tam certa vaticinata eſt, quam ſi tunc illa præſens oculis conſpexiſſet, & ea ipſa, quæ prædixit, literis mandavit. *Gyrald. & Panvin. l. l.* Juſtinus hanc ipſam Cumanam etiam appellat, eamque ex Babylone Cumas Italicas profectam tradit, ubi conſulentibus dei juſſu oracula reddebat, ita ut Erithræa, Perſica, & Phrygia *Sibyllæ* Cumææ, & Cumanæ aliquando dictæ ſint. *Panvin. l. l.*

Sibylla Phrygia fuit nona, *quæ vaticinata eſt Amyræ*, ut Varr. apud Lactant. I. 6. Hanc nono loco idcirco poſui, tum quod tempus, quo vixerit, reperire non potui, tum etiam quod Lactantius, & eo longe prior Varro, eam nono loco numeraverunt. De hac M. Capell. II. ſcribit, quam eandem cum Cumæa eſſe arbitratur in agro Trojano natam. *Panvin. de Sibyll. Miſc. Ital. Erud. Tom. I. p.* 302. *Gyrald. de Poet. Dial.* II. *p.* 112. *G. Vives in Auguſt. de Civit. Dei* XVIII. 23. *Schmid. de Sibyll. C.* 3. *ſſ.*

Sibylla Tiburtina fuit decima, *nomine Albunea, quæ Tiburi colitur, ut dea, juxta ripas amnis Anienis: cujus in gurgite ſimulacrum ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu librum; cujus ſacra ſenatus in Capitolium tranſtulit.* Varr. apud Lactant. I. 6. *Panvin. de Sibyll. Miſc. Ital. Erud. Tom. I. p.* 302. *Gyrald. de Poet. dial.* II. *p.* 113. *A. Vives in Auguſt. de Civit. Dei* XVIII. 23. *Schmid. de Sibyll. C.* 3. *ſſ. Turneb. Adv.* XI. 26. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 12. §. 15.

SIC.

SIC fuit vocula in votis, ac precibus frequenter uſurpata. Hujus enim ductu, & auſpicio poſt deos invocatos & preces illis factas poetæ blanditias aliquas addebant, quibus eos demulcerent, & ad preces ſuas exaudiendas, tribuendaque, quæ petebantur, allicerent, delicias eis quodammodo facientes per earum rerum, quas illis gratas eſſe norant, obteſtationem. Tibull. II. 5. 125.

Annue: ſic tibi ſint intonſi Phœbe capilli.
Sic tua perpetuo ſit tibi caſta ſoror.

III. 6. I. V. illum ſupr. in *Hedera*. Mart. IV. 45. 5.

Fac rata vota patris: ſic te tua diligat uxor,
Gaudeat & certa virginitate ſoror.
Perpetuo ſic flore mices: ſic denique non ſint
Tam longæ Bromio, quam tibi Phœbe comæ.

Briſſon. de Formul. I. p. 75. Chiflet. Anaſt. Childer. Reg. c. 19. Cerda in Virg. Ecl. IX. 30.

Sic etiam erat particula, per quam concipiebantur formulæ obteſtandi cum voto, cum ei, quem rogamus, omnia evenire optamus, quæ ipſi exoptatiſſima eſſe ſcimus. Illam Græci per οὕτω concipiebant. Horat. Od. I. 3. I. ad navem Virgilium vecturam:

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida ſidera.
Ventorumque regat pater
Obſtrictis aliis præter Iapyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium.

I. 28. 25.

— ſic, quodcunque minabitur eurus,
Fluctibus Heſperiis, Venuſinæ
Plectantur ſylvæ, te ſoſpite.

Catull. LXIV. 44.

Sic magis, o nuptæ, ſemper concordia veſtras,
Semper amor ſedes incolat aſſiduas.

Vechner. Hellen. II. 13. Lambin. in Horat. I. 3. I. Cerda in Virg. Ecl. IX. 30.

Sic dedero eſt triumphus: atque ita ſolent in comœdia, quibus ſucceſſit. Plaut. Pœn. V. 5. 7.

Sic dedero, ære militari tetigero lenunculum.

Terent. Phorm. V. 9. 38.

Sic dabo: age age, nunc Phormionem, qui volet, laceſſito.

Palmer. Spicil. V. Pareus in Plautum, & Lexic. Plautin.

Sic datur eſt ſermo caſtigantis, & pœnas ſumentis, aut pœnas ſumptas gratulantis. Plaut. Men. IV. 2. 40.

Næ illam mecaſtor fœnerato abſtuliſti: ſic datur.

Pſeud. I. 2. 22.

Quid nunc? doletne? hem! ſic datur, ſi quis herum ſervus ſpernit.

Pareus Lexic. Plaut.

SICA Latinis eſt, quæ harpe Thracum. Joſeph. Ant. XX. 7. *Et hi, qui ſicarii appellati, ſunt enim latrones, tunc ad maximum numerum excreverant, utentes gladiolis, quod ad magnitudinem attinet, inſtar acinacis Perſici incurvis, quales ſicas Romani nominant.* Gloſſæ Cyrill. *Sica*, ἐγχειρίδιον, μάχαιρα, Θρακικὸν ξίφος, ἐπικαμπές. Inde Thraces μαχαιροφόρους vocat Thucyd. II. p. 167. C. *Evocabat montanorum Thracum permultos, ex iis qui ſuis legibus vivunt, & macharis accincti.* Lipſ. Saturn. II. 9. Briſſon. Antiq. Select. II. II. Barth. Adv. LVI. 5. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. X. 10. Pitiſc. in Suet. Jul. c. II. §. 18.

SICARIUS eſt, qui fert *ſicam*, & inde *ſicarii* dicti latrones. V. Joſeph. ſupr. in *Sica*. Tenebantur lege Cornelia. V. illam ſupr. in *Lex*.

SICERA *Hebræo ſermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare poteſt, ſive illa quæ frumento conficitur, ſive pomorum ſucco, aut cum favi decoquuntur in dulcem, & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctiſque frugibus aqua pinguior coloratur.* Hieron. ad Nepotian. Epiſt. Tom. I. 2. Chryſoſt. Tom. I. ad Eſaj. V. p. 1058. edit. Savil. *Siceram hic vocat palmarum ſuccum, quem aſſervant, preſſum & contritum fructum in vini naturam transformantes. Eſt autem illud capiti grave, & ad ebrietatem provocans.* Iſidor. XX. 3. *Sicera eſt omnis potio, quæ extra vinum inebriare poteſt. Cujus licet nomen Hebræum ſit, tamen Latinum ſonat, pro eo quod ex ſucco frumenti, vel pomorum conficiatur, aut palmularum fructus in liquorem exprimantur; coctiſque frugibus aqua pinguior quaſi ſuccus colatur, & ipſa potio ſicera nuncupatur.* Spanhem. Diſſert. IV. de Præſt. numiſm. p. 332. Saubert. de Sacrif. c. 25. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 31. Barthol. de Cruce II. I. Nonn. de re Cibar. IV. 18. Meibom. de Cerev. vet. c. 3. §. 20--25. Voſſ. Lex. Etymol.

SICILIA

SICILIA eſt omnium provinciarum Romanarum prima facta provincia populi Romani ſtatim poſt confectum bellum Punicum I. hac ratione. Pro defenſione *Siculorum* primum cum Pœnis bellum ſuſceptum eſt an. 490. Ap. Claudio & Q. Fulvio coſſ. Quod vario eventu per annos tres, & viginti perductum eſt. Poſtremo A. Poſtumio, C. Lutatio Coſſ. an. 512. Romani reparata claſſe, quam aliquot annis ante naufragio amiſerant, C. Lutatium Coſ. adverſus Pœnos miſerunt. Qui cum claſſe ccc. navium in Siciliam tranſvectus eſt. Huic, quum jam Drepani portum, cæteraſque, quæ circa Lilybæum ſunt, ſtationes in poteſtatem redegiſſet, Hanno claſſis præfectus ad Hamilcarem Pœnorum ducem navigans, cum ccc. & ipſe navibus occurrit, ſummo commiſſo prælio ad Ægates inſulam, res Romana ſuperior fuit. Hanno victus navem avertit, & dux fugæ primus fuit. Aliquanta cum eo pars exercitus ſui Africam petunt, alii Lilybæum confugere. Naves Pœnorum ſubmerſæ quinquaginta, captæ ſeptuaginta, reliquæ Hieronéſum refugerunt. Vivi capti amplius decem millia hominum. Vel, ut tradit Oroſ. IV. 10. Punicæ naves captæ ſunt ſexaginta tres, centum viginti quinque demerſæ, duo & viginti millia hominum capta, cæſa tredecim millia. Romanorum autem tredecim naves ſubmerſæ ſunt. Lutatius deinde ad Erycinam civitatem, quam Pœni tenebant, venit, ibique duo millia Carthaginienſium conſerta pugna interfecit. Ita Polybius, Livius, Florus, Eutropius, & Oroſius. Anno ſequenti Q. Lutatio, & A. Manlio coſſ. victis ad Ægates inſulam Carthaginenſibus, pax his conditionibus data eſt: Pœni Sicilia, & omnibus inſulis, quæ inter Italiam, & Africam ſunt, excedunto. Duo millia & ducenta talenta in annos viginti pendunto, in præſens mille captivos Romanos ſine pretio reddunto. Utriuſque populi ſocii apud utrumque populum tuti ſunto. Alterius ſocios neuter in amicitiam recipito. Neuter in alieno imperio imperato, neve milites conducito. Graves has leges Carthaginenſibus impoſitas Hamilcar Pœnorum Imperator mœrens accepit. Quare Pœni Sicilia, & Sardinia excellere, & ſe vectigales, ac ſtipendiarios fieri paſſi ſunt, anno ejus belli vigeſimo quarto, in quo C. Lutatius pro conſule, & Q. Valerius Falto pro prætore celeberrimos de Pœnis egerunt triumphos. Eodemque anno, bello Punico I. confecto, *Siciliam* primam provinciam populi Romani, regno Hieronis Syracuſani excepto, fecit magna ex parte C. Catulus. Quod Cicer. Verr. II. I. refert, qui *Siciliam, quod omnium exterarum nationum principem ſe ad amicitiam, fidemque populi Romani applicuiſſet, eam primam omnium provinciam appellatam eſſe* prodit. Aliquot vero annis poſt, captis Syracuſis, univerſam in populi Romani poteſtatem redactam M. Claudius Marcellus bello Punico II. aut certe qui ei ſucceſſit, M. Valerius Lævinus provinciam fecit. Nam de Marcello ita Paterc. II. 38. 2. *Primus in Siciliam trajecit exercitum conſul Claudius, & provinciam eam poſt annis ferme duobus & quinquaginta, captis Syracuſis, fecit Claudius Marcellus.* Quamobrem is Papirii Maſonis exemplum ſecutus in monte Albano triumphum de *Siculis* egit, Urbemque ovans ingreſſus eſt an. 513. Debellatum vero in *Sicilia* a Lævino coſ. potius quam a M. Marcello & Cicero in Verrem, & Livius ſignificant. Is an. 544. cum M. Marcello coſ. creatus, occupatis in *Sicilia* Agrigento, & aliis *Siciliæ* oppidis, Pœniſque expulſis omnino *Siciliam* debellavit. *Panvin. Imp. Rom. c. 14. Notit. dignit. imp. occid. c. 52. Sigon. de Ant. jur. prov. I 3. Manut. de Legib. c. 10. Siciliam* juſtis voluminibus deſcripſerunt *Cluverius & Goltzius.*

SICILICUS eſt quarta pars unciæ, conſtans ex drachmis duabus, ſcripulis vero ſex. Fannius n. 20.

Drachmam ſi gemines, aderit, quem dicier audis, Sicilicus.

De *ſicilico* meminit Scribon. compoſ. 145. per notas tamen, his verbis: *Croci pondo ſicilici quinque, apii pondo ſicilici ſex.* Meminit & Plin. XIII. 15. licet ipſe de *ſicilico* unciæ pedalis intellexerit: quarum pedalium unciarum, & ponderalium diviſio in nominibus non differt, de cedrina menſa Tiberii principis: *Menſam quatuor pedes ſextante & ſicilico excedentem.* Meminit & Colum. V. I. *Pars quadrageſima octava pedes ſexcentos, hoc eſt, ſicilicus, in quo ſunt ſcripula ſex.* In pondere autem alias auctoritates me vidiſſe non memini. *Pætus de Rom. & Græc. ponder. v. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1665. A. Bud. de Aſſe p. 18. Voſſ. Lex. Etymol.*

SICINIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

SICINNIS *eſt ſaltatio quædam militaris ſatyrorum concitata.* Heſychius. Suidas: *Sicinnis, ſaltationis genus.* Legitur tamen in Indice Euſtathii apud Homerum: *Sicinnem eſſe comicam ſaltationem a Phrygions ſaltatam in Sabazii Dionyſii honorem.* Panvin. de Lud. Circ. II. I. ad illum Argolus, & ad Argolum Pinellus. Zimmerman. Flor. l. Philol. p. 719. Scalig. Poet. I. 18. Ferret. Muſ. Lapid. III. memor. 42. Gyrald. de Poët. Dial. I. p. 20. C. VII. p. 327. F. Guther. de jur. man. I. 23. Ouzel. in Gell. XX. 3. Buleng. de Circo c. 38. Meurſ. de Saltat. vet. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 1289. E. Faes in Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 8.

SICINNISTÆ dicebantur mimi, qui vitam mortui repræſentarent, & *ſicinnium* ſaltarent. Gell. XX. 3. *Quos ſicinniſtas vulgus dicit, qui rectius locuti ſunt, litera N gemina dixerunt. Sicinnium enim genus veteris ſaltationis fuit. Saltabundi autem canebant, quæ nunc ſtantes canunt. Poſuit hoc verbum L. Accius poeta in Pragmaticis, appellarique ſicinniſtas ait nebuloſo nomine: credo propterea nebuloſo, quod ſicinnium cur diceretur, ei obſcurum eſſet.* Voſſ. Lex. Etymol. Meurſ. de Funer. c. 19. Apud Gellium *ſicinniſtarum* nomen legis eorum, qui ad tumulos modos facerent. Galenus τυμβαύλας vocat. *Scalig. Poet.* I. 18. Ex Gellii tamen verbis de vitæ mortui repræſentatione nihil hauriás. Et Scaligerum decepit, quod hocce caput, cum præcedenti, ubi de ſiticinibus agitur, in vulgatis editionibus conjungi ſoleret. Potius itaque a ſaltationis genere modo dicto, qui nimirum *ſicinnin*, ſive, ut Gellius, *ſicinnium* ſaltarent, atque in eo excellerent. *Ouzel. in Gellium. Schill Nomencl. Philol. p. 1039.*

SICULI barbari, gens indigena, primi omnium Latium, & ea, in quibus poſt Urbs condita fuit, loca tenuerunt. Quæ ante culta, an inculta fuerint, incompertum. Eorum deinde partem primo, poſtea omnia, *Siculis* longo bello victis, atque demum in inſulam Trinacriam, quæ & Sicania dicebatur, exactis, a quibus poſtea *Sicilia* appellata fuit, occuparunt Aborigines. *Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. I. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 207. *A. Ferrar. de Orig. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *(p. 4.) B.*

SICYONIA fuerunt calcei delicatioris cultus, muliebres, & amatorii. Heſychius: *Sicyonia, muliebria calceamenta.* Cicer. de Orat. I. 54. *Si mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer, quamvis eſſent habiles, & apti ad pedes; quia non eſſent viriles.* Mulierum igitur ſic proprii, ut virum iis uti contra decorum eſſet. Eorum delicias oſtendit Virg. Cir. n. 169.

Cognita nec teneris pedibus Sicyonia ſervans.

Quo item ſpectat Lucret. IV. 1118. ubi ſic:

Unguenta, & pulcra in pedibus Sicyonia rident.

Qui vero pulcra, tenериſque pedibus familiaria eſſent, haud difficile conjicere licet ex Apul. Met. VII. p. 212. ubi juvenem muliebri habitu veſtitum deſcribens inter cætera: *Calceis*, inquit, *femininis, albis illis, & tenuibus indutus.* Ubi quidem hæc, de quibus agimus, *Sicyonia* depingit ab ipſorum candore, & tenuitate. Sic enim candor ad pulcritudinem, & tenuitas ad delicias pertinet. Quibus etiam lubet addere, quod elegantiæ ratio ſuadet, diſpunctionibus, inciſuriſque varie, & artificioſe olim fuiſſe. Quod calceorum genus auratis & purpureis antiſtabat teſtimonio Epicteti Enchir. c. 61. *In calceo, ſi ultra pedem progreſſus ſit auratus calceus, deinde interpunctus.* Unde propter inſigne illud interpunctionis artificium,

quo variis distincta figuris erant calceorum istiusmodi obstragula, *multiformem* appellavit *calceum* Tertull. de veland. virgin. c. 12. Ubi de novis nuptis, elegantiarum plus æquo studiosis ita loquitur: *Jam & consilium formæ a speculo petunt, & faciem morosiorem lavacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinsecus jactant, calceum stipant multiformem. . .* Hoc enim *multiformis calcei* nomine interpunctum ab uniformi, & plano distinguit, quo modestiores feminæ utebantur. Cum igitur ita eleganter elaborata, atque adeo pretiosa essent, mirum est cur ea duabus tantum drachmis, id est, septem assibus æstimarit Lucianus, quando scripsit Dial. meret. Dor. & Myrt. *Calceamenta Sicyonia primum duarum drachmarum.* Nisi forte talia significare voluit, quæ longo usu attrita essent, atque disrupta. *Balduin. de Calc. c. 19. Gronov. Epist. ad Ferrar. de Re Vest. I. I. 39. Voss. Lex. Etymol. Taubman. in Virgilium. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin.* V. 36.

SID.

SIDERA adorabant apud veteres, qui navigia intrabant. Petron. c. 59. *Adoratisque sideribus intro navigium.* Barth. Adv. LVII. 10. Inter faventia autem votis navigantium *sidera* maxime erant celebria Castor & Pollux, quos etiam in mediis naufragiis adesse servandis ratibus opinabantur. Id diserte indicat Claud. de Bell. Gildon. n. 219.

> *Sic cum præcipites artem vicere procellæ,*
> *Assiduoque gemens undarum verbere nutat*
> *Descensura ratis, cæca sub nocte vocati*
> *Naufraga Ledæi sustentant vela Lacones.*

Et cum aliis navigantium diis Horatius. V. illum supr. in *Sic.* Quo facit & illud Plutarch. Thes. p. 16. A. quærentis nimirum, cur Tyndaridæ ipsi anaces appellarentur: *Sunt autem, qui dicunt sic nuncupatos propter siderum splendorem, καὶ ἄνω, quod est sursum, sive supra, Athenienses ἀνέκας ajunt.* Veneris etiam *sidus* potuit navigaturienti adorari, quia *sidus Veneris navigationi prosperum* agnoscit Acro: ex illo fortasse ortum, quod notat Varr. Ant. rer. Divin. II. *Æneam Troja profectum Veneris per diem stellam semper vidisse, donec in Laurentem agrum venit, ubi non est amplius visa.* Gonsal. in Petronium. Laurent. de variet. nav. Thes. Antiq. Rom. Gronov. Tom. XI. p. 789. B. Barth. l. l. Noscere debebant navium gubernatores. *Siderum* notitiam Aristot. Anal. I. 10. ἀστρολογίαν ναυτικὴν appellat, & a μαθηματικῇ distinguit. Hanc debuerunt habere I. ut ad ipsorum signa cursum navis dirigerent. Ad *sidera* direxisse navigia docent Theodor. de Provid. Orat. II Virgilius, aliique plurimi. Non tamen illa omnia promiscue observabant, verum ursas, quippe quarum cursus certior, & infallibilior. Lucan. VIII. 172.

> *Signifero quæcunque fluunt labentia cœlo*
> *Nunquam stante polo miseros fallentia nautas*
> *Sidera non sequimur, sed quæ non mergitur undis*
> *Axis inocciduus, gemina clarissimus arcto.*
> *Ille regit puppes.*

Ex duabus autem vulgo respiciebant majorem, Helicem vocatam, præsertim Græci. German. Arat:

> *Dat Grajis Helice cursum majoribus astris.*

Minorem vero Phœnices observabant, postea inventam. Eustath. Iliad. A. p. 91. *Ad alteram minorem, quam Cynosuram vocant, navigare posterius Phœnicum est inventum.* Arrian. de Exped. Alex. VI. p. 429. *Sicut nautis ad ursam, Phœnicibus quidem minorem, cæteris majorem.* Inventa, sive potius observata est minor ab initio ab ipsis Phœnicibus, unde & Phœnice appellata est. V. Hyginum mox laudandum. De Homero, & ursa minore Strab. I. p. 2. *Quapropter non jam imperitiæ culpari debet, ut qui duarum ursarum loco, unicam,* majorem scilicet, *habuerit cognitam, cum probabile non sit, alterius sidus jam tum quoque nomen habuisse, sed apparet ab eo tempore, quo id a Phœnicibus observatum ad dirigendas navigationes usurpatum fuit, ejus sideris notitiam etiam ad Græcos fuisse propagatam.* Et sic intelligendus Plin. VII. 56. *Siderum observationem in navigando Phœnices invenerunt.* Non quidem plures, sed unus aliquis ex iis, Thales nempe. Hygin. Poet. Astron. II. 2. *Incidit compluribus erratio, quibus de causis minor arctos Phœnice appellaretur, & illi qui hanc observant, verius, & diligentius navigare dicantur, & quare si hæc sit certior quam major, non omnes hanc observent. Qui non intelligere videntur, de qua historia sit profecta ratio, ut Phœnice diceretur. Thales enim, qui diligenter de his rebus exquisivit, & hanc primus arcton appellavit, natione fuit Phœnix, ut Herodotus Milesius dicit. Igitur omnes, qui Peloponnesum incolunt, priore utuntur arcto. Phœnices autem, quam a suo inventore acceperunt, observant, & hanc studiosius prospiciendo diligentius navigare existimantur, & vere ab inventoris nomine Phœnicen appellant.* Cur autem Cynosuram potius, quam Helicen Phœnices sequerentur, ostendit Germanicus:

> *Certior est Cynosura tamen sulcantibus æquor:*
> *Quippe brevis totam fido se cardine vertit,*
> *Sidoniamque ratem nunquam spectata fefellit.*

Et hæc naves ad *sidera* dirigendi ratio duravit, donec ante annos 300. ingeniosissimo commento, quod pyxidem appellant, est immutata. V. supr. in *Pyxis.* II. ut tempestates providerent. Procellas enim augurabantur ex sole oriente, vel occidente, si non æqualibus radiis luxisset, si igneus, vel pallidus, vel maculosus apparuisset, ut nos docent Veget. IV. 41. & Lucan. V. 541. Igitur non temere ante ortum ejus proficiscebantur. Liv. XXXVII. 12. *Inde quum in proxima Samiæ vellent trajicere, non exspectato solis ortu, ex quo statum cœli notare gubernatores possent, in incertam tempestatem miserunt.* Idem fiebat ex luna, ejusque partim colore, si ruberet, vel palleret: partim magnitudine, si cornua ejus crassa, si in sinubus essent obscurata. Plin. XVIII. 35. Lucan. l. l. Tum ex Arcturo, Hyadibus, Hædis, Orione, Canicula, Geminis, Ara, quorum omnium ortus pluvias, procellas, & infestas tempestates prænotare putabant. Testes sunt Ovidius, Plinius, Horatius, Polybius, Servius, Numerianus, & potissimum Aratus. Hæc ipsa tamen si fulgerent luce clara, secunda habebantur. Propert. II. 20. 55.

> *Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris,*
> *Purus & Orion, purus & Hædus erit.*

Scheffer. de Milit. nav. IV. 6.

SIG.

SIGALION deus. V. illum supr. in *Harpocrates.*

SIGILLA sunt parva signa in suis ædiculis posita, nos *nichias* dicimus quasi parietum honestamenta. l. fundi §. si ruta ff. de act. empt. Quæ & *sigillaria*, & *sigilliola* apud Arnob. VI. p. 197. quos etiam deos censebant, si essent consecrata. *Abstinetis,* inquit ille, *a risu, cum pro diis immortalibus, sigilliolis hominum, & formis supplicatis humanis. Quinimo deos esse sigillaria ipsa censetis.* Guther. de vet. jur. pontif. III. 8. Siccam. in Fastos Kalend. Roman. c. 18. Turneb. Adv. XXIII. 17. Bayf. de Vascul. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 686. D. Laurent. var. sacr. gentil. c. 6. Voces *sigillaria*, & *sigilliola* pro imagunculis, & parvis statuis non usurpavit Arnobius, sed pro statuis justæ magnitudinis. Nam si parvas tantum statuas designari putamus, jam majores excluderentur, iisque talem vim non attribuissent gentiles; quod a ratione alienum est plane: deinde p. 199. tradit *Phidiam super Olympii Jovis digito inscripsisse Pantarces pulcer: quo nomine fuerat amatus a se puer, & obscœna cupiditate dilectus:* additque; *usque adeo ludus est, & puerilis affectio, sigillaria ista formare, adorare pro diis ea, sanctitatibus accumulare divinis; cum ipsos videamus artifices in effingendis his ludere, & libidinum propriarum monumenta sancire.* Neque aliter voce hac utitur Tertull. de Orat. c. 12. *Porro cum perinde faciant nationes, adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur.* Cuper. Harpocr.

pocr. p. 86. Imo *sigillum* statua grandiuscula appellatur. Gruter. Inscr. p. 57. n. 4.

MARTI. AUG.
CONSERVATORI
CORPORIS. SUI
MERCURIALIS. AUG.
N. V. EX. JUSSU
NUMINIS. IPSIUS
SIGILLUM. MARMOREUM. POSUIT.

Long. de Annul. c. 1.

SIGILLARIA erant pars, sive species Saturnaliorum, a genere muneris, quod tunc donabatur, sic appellata: videlicet *sigillis*, id est, parvis signis, sive simulacris, quæ partim ex ære, argento, & auro, partim etiam ex fictili materia conflabantur. Illorum itaque dies Saturnalibus adjiciebantur. Macrob. Sat. I. 10. *Saturnalia uno tantum die, id est, quarto decimo Kalendarum solita celebrari: sed post in triduum propagata, primum ex adjectis a Cæsare huic mensi diebus; deinde ex edicto Augusti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. Sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum, & lætitiam religionis extendit.* Suet. Claud. c. 5. n. 1. *Tiberius patruus petenti honores consularia ornamenta dedit. Sed instantius legitimos flagitanti id solum codicillis rescripsit, quadraginta aureos in Saturnalia, & Sigillaria misisse ei.* Illis sibi invicem munera veteres mittebant. Spartian. Adrian. c. 17. *Saturnalia & Sigillaria frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit, & alia invicem dedit.* Et in primis pueris. Spartian. Carac. c. 1. *Quæ a parentibus gratia Sigillariorum acceperat, ea vel clientibus, vel magistris sponte donavit. Sed hæc puer.* Alex. Gen. dier. III. 4. & ad illum Tiraquellus. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. p. 230. a. Lipen. de Stren. c. 2. ætat. 5. §. 48. Savot. de Numm. Antiq. part. I. c. 8. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 18. Brod. Misc. III. 10. Struv. Antiq. Roman. c. 9. p. 417. Merul. de Sacrif. c. 20. §. 5 Mod. de Spectac. II. 28. Stuck. Antiq. Conviv. I. 33. Gatak. in Antonin. c. 7. §. 3. Cujac. Observ. XI. 30. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2815. C. Gevart. in Stat. Sylv. I. 6. 17.

Sigillaria fuerunt etiam vicus Romæ celebris, ubi venum res venales exponebantur, ibique vasa præcipua, signaque exquisitæ artis ex ære, argentoque fabrefieri solebant, unde nomen factum loco. Suet. Claud. c. 16. n. 9. *Essedum argenteum sumptuose fabricatum, ac venale ad Sigillaria redimi, concidique coram imperavit.* Ner. c. 28. n. 5. *Sporum Romæ circa Sigillaria comitatus est.* Alex. Gen. dier. III. 4. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. p. 230. b. Savot. de Numm. Antiq. part. I. c. 8. Cuper. Harpocr. p. 86. Merul. Cosmogr. part. II. lib. 4. c. 22. p. 769. Thys. in Gell. V. 4. Long. de Annul. c. 1. Cujac. Observ. XI. 30. Brod. Miscell. III. 12. Lipen. de Stren. c. 3. ætat. 5. §. 49. Turneb. Adv. XXIII. 28. Stuck. Antiq. Conviv. I. 33. Struv. Antiq. Roman. c. 9. p. 417. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 9. §. 4. Et libri divendebantur. Gell. V. 4. *Apud Sigillaria forte in libraria ego, & Julius Paullus poeta, vir memoria nostra doctissimus, consederamus.* II. 3. *Librum Æneidos secundum mirandæ vetustatis emptum in Sigillariis XX. aureis.* Rufus in septima Urbis regione collocat *vicum sigillarium priorem.* Rectius opinor *Sigillarium.* Borrich. l. l. *Sigillaria* etiam videntur in hac regione fuisse, in vico fortean *Sigillario.* Merul. l. l.

SIGILLUM est diminutivum ex signo. Ut ligillum ex ligno, tigillum ex tigno. *Sigillo*, vel signo solebant claudi, quæcunque non claudebantur clavi. V. supr. in *Obsignare.* Ut enim *signare* est annulo claudere, ita & *sigillare* quoque pro eodem. Hinc *sigillare* absolute pro claudere apud Varronem citante Nonio II 785. *Contra lex Mævia est in pietate, ut filii patribus luci claro sigillent oculos.* Ubi perperam scribitur *sugillent*. Sermo est de ea occlusione oculorum, quæ fit mortuis. Id Varroni *sigillare* est ab illis rebus, quæ *sigillo*, vel *signo* clauduntur. Et mirum, cum utrumque verbum idem significet, *sigillumque* a voce *signum* ὑποκοριστικῶς formetur, tam diverse nos in nostro hodie idiotismo; qui Romanus est, *sigillare* quidem pro his, quæ occluduntur *signo*, ponere, *signare* vero pro subscribere. *Sigilla* etiam de *signis*, quibus conditur, & occluditur testamentum, posuit Ulpianus aliquot locis ff. testamenti: ut 1. 4. *Cum ab initio aperiendæ sunt tabulæ, prætoris id officium est, ut cogat signatores convenire, & sigilla sua recognoscere.* Et alibi passim toto titulo. Inde annulus *sigillaricius*. V. illum supr. in *Annulus.* Cicer. Acad. Quæst. IV. 26. *Quid si ejusmodi cera centum sigilla hoc annulo impressero, ecquæ poterit in agnoscendo esse distinctio?* Salmas. de mod. usur. c. 11.

Sigillum vocatur ipse annulus signatorius. Dio LI. p. 444. E. *Sigillum enim quo tum maxime utebatur; duplex paraverat, sphinge in utroque simili expressa; nam serius sua imagine insculpta obsignandis omnibus eam adhibuit. Qua quidem & Imperatores insecuti, Galba excepto, insecuti sunt. Is enim canem ex prora navis prospectantem, sigillum a majoribus suis acceptum usurpavit.* Long. de Annul. c. 1. Hoc veteres quo facilius ceræ imprimeretur, saliva prius humectabant: & hoc nobis etiam usitatissimum, pleræque enim ab antiquis, qui non ita crasso fuerunt judicio, consuetudinum nostrarum promanarunt. Unde Ovid. Amor. II. 15. 15. Juven. Sat. I. 67. V. supr. in *Cera.* Long. de Annul. c. 9. Et præterquam quod epistolis; sive tabellis imprimeretur, nonnunquam transmittere ad invicem consueverunt, cum aut aliquem arcesserent, aut vera esse, quæ per nuntios mandassent, indicare vellent. Hoc perspicuum est ex Athen. XIII. p. 585. D. ubi Laidem Corinthiam ab amatore quodam per *sigilli* transmissionem advocatam ostendit. *Sigillo*, inquit, *misso Laidem Corinthiam amator quidam ad se venire jussit, non possum, inquit illa, lutum est.* Quam etiam consuetudinem tangere visus est Plutarch. de curios. p. 519. D. *Eadem de causa etiam omnis fides curioso derogatur, nam servis, & peregrinis facilius credimus epistolas, atque literas, & sigilla, quam amicis, & familiaribus curiosis.* Long. ibid. c. 8.

Sigillum erat etiam fictile hominis simulacrum, & imago. Mart. XIV. 185.

Gloria tam parvi non est obscura sigilli.

XIV. 178.

Sum fragilis, sed tu, moneo ne sperne sigillum.

Suet. Tib. c. 43. n. 2. *Cubicula plurifariam disposita tabellis, ac sigillis lascivissimarum picturarum, & figurarum adornavit.* Long. de Annul. c. 1. Hæc aræ Saturni in sacello Ditis suspendebantur. Macrob. Sat. I. 11. *Epicadus refert Herculem, occiso Geryone, cum victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui nunc sublicius dicitur, ad tempus instructo, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluvium demisisse; ut aqua secunda in mare devecta, pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur; & inde usum talia simulacra fingendi inter sacra mansisse. Sed mihi hujus rei illa origo verior existimatur. Pelasgos, postquam felicior interpretatio capita non viventium, sed sigillia, & φωτὸς æstimationem non solum hominem, sed etiam lumen significare docuisset; cœpisse Saturno cereos potius accendere, & in sacellum Ditis aræ Saturni cohærens oscilla quædam pro suis capitibus ferre. Ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus missitarentur, & sigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur; quæ homines pro se, atque suis piaculum pro Dite Saturno facerent.* Tomas. de Donar. c. 24. Long. l. l.

Sigillum quoque vocabatur figura, vel hominum, vel bestiarum in vestibus, auro, vel purpura expressi. Græce ζώδιον. Hinc ζωδιωτὰ, *sigillata*: ζωδιωτὸς χιτὼν Hesychio, *sigillata tunica*. Glossæ: *Sigillum*, ἀνδριαντάριον, ζώδιον: unde ζωδιωτὸς, *sigillatus*. *Vela sigillata* Anastas. Leon. III. *Et vela holoserica majora sigillata habentia periclysin. Vestis sigillata* apud eund. in Paschal. *In jam dicto altari obtulit vestem albam sigillatam cum rosulis habentem in medio crucem.* Treb. Poll. trig. tyr. 16. *Herodi erant sigillata tentoria.* Salmas. in Trebellium Pollionem.

SIGLÆ erant literæ singulariæ sine coagmentis sylla-

 barum.

barum. Differebant a notis, quæ erant literæ coarctatæ. Κατὰ συγκοπὴν illas dixerunt pro *sigillis*. Nam ut a *signum sigillum*: ita a *singulus sigillus*: unde *sigillatim*, ut a *singulus singulatim*. *Sigillæ* autem muliebri genere, quia intelligitur *literæ*. Sic *singulas literas* dixit Cicero pro Muræna, *singularias* Gell. XVII. 9. Ita literarum initio scribebatur *S.* hoc est, *salutem*; vel S. P. D. pro *salutem plurimam dicit*. Item S. V. B. E. L. Q. V. hoc est, *si vales, bene est, ego quidem valeo*. Vel S. V. B. E. E. G. hoc est, *si vales, bene est, ego gaudeo*. In talibus ob consuetudinem res minime obscura. Occultior in aliis, quæ tradunt Valerius Probus, qui Hadriani Cæsaris ætate floruit, & Petrus Diaconus, qui sua dicavit Conrado I. ejus nominis Imperatori: ut vixerit circa an. 915. Similiaque in Papiæ glossario leguntur. In legibus exscribendis ICti solebant uti *siglis*. Verum cum hinc sæpe error obveniret, quia una litera plurium crebro vocum erat *signum*; jussit Justinianus Imperator, ut vocabulis integris, non *siglis* scriberetur. Verba ejus ponam e lib. I. C. tit. 17. de vet. jur. enucleand. l. I. *Ne per scripturam aliqua fiat in posterum dubitatio, non per siglorum captiones, & compendiosa ænigmata, quæ multas per se, & per suum vitium, antinomias induxerunt, ejusdem Codicis textum conscribi, etiamsi numerus librorum significetur: sed per literarum consequentiam explanari concedimus.* l. 2. *Eandem pœnam falsitatis constituimus adversus eos, qui in posterum leges nostras per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere. Omnia enim, id est, & nomina prudentium, & titulos, & librorum numeros per literarum consequentiam volumus, non per sigla manifestari: ita ut qui talem librum comparaverit, in quo sigla posita sunt, in quocunque loco libri, vel voluminis, sciat inutilis se esse codicis dominum. Neque enim licentiam aperimus ex tali codice in judicium aliquid recitari, qui in quacunque sui parte siglorum habet malitiam.* Atque ut e Latinis juris codicibus *siglas* sustulit Justinianus: ita in Græcis libris idem fecit Imperator Basilius, ut testatur Cedren. p. 467. *Voss. de Arte Gramm.* I. 40. *Cujac. Observ.* XII. 40. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 14. *Chimentel. de Hon. bisell. c.* 41. *Steuech. in Veget.* II. 8. *Nicol. de Sigl. veter. c.* 2. & 12. *Hugo de Prim. scrib. orig. c.* 18. *Savar. in Sidon. Epist.* IX. 9. *Rader. in Mart.* XIV. 102.

SIGMA dici posset ab ejus elementi titulo, qui foribus superpositus foret, qua nota discubituris silentium indici videbatur, ut a convivio surgentes, si quid forte licentius oblocutus foret quispiam, volentes obliviscerentur. *S* vero literam habere silentii notam diximus supr. in *S.* Rhodig. Antiq. Lect. XII. 18. Crinit. de Honest. Discipl. XIX. 10. Egnat. in Lamprid. Heliogab c. 25. Ridicule. Potius dicetur nomine literæ Græcæ, in formam hemicycli, aut lunatæ testudinis exstructum, quia, ut ex marmoribus liquet, illa ætas *sigma* literam, ut mediam lunam scribebat. *C.* Quod etiam docet Mart. XIV. 87.

Accipe lunata scriptum testudine sigma:
Octo capit, veniat quisquis amicus erit.

Brod. Misc. III. 14. Ciaccon. de Triclin. p. 12. Lips. Ant. Lect. III. p. 144. Junius Nomencl. c. 72. Nigron. de Calig. c. 2. n. 35. Bacc. de Conviv. Antiq. I. 8. Stuck. Antiq. Conviv. II. 17. Philand. in Vitruv. VII. 3. Voss. de Arte Gramm. I. 30. Lex. Etymol. in Triclinium. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 254. Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 2. Erat lectus sive torus, ad mensas rotundas accommodatus, quem *semirotundum suggestum* vocat Apul. Met. V. p. 133. ubi ait: *Visoque statim proximo semirotundo suggestu propter instrumentum cœnatorium, rata refectui suo commodum, libens accumbit.* *Sigma* literam apud Græcos similem fuisse arcui Scythico docet Athen. X. adducto versu Agathonis: apud quum vellet quidam tertiam literam nominis ΘΗΣΕΥΣ cuidam imperito literarum indicare, ostendit illam similem esse arcui Scythico. *Ursin. l. l.* Qui fallitur. Figura enim hæc ἡμικύκλιος *C* arcui vulgari, vulgaris figura Σ arcui Scythico similis est. *Lips. de Pronunt. Ling. Lat. c.* 18. *Voss. l. l.* Fuit biclinium apud Plaut. Bacch. IV. 4. 69. & 120. quod, aut aliquid simile posterior ætas hoc nomine vocavit. *Lips. l. l.* Qui *sigma* cum biclinio male confundit, quia in *sigmate* fuit tantum lectus unus perpetuus, in quo sex septem accumberent. *Buleng. de Conviv.* I. 32. Fuit diæta, sive cœnatio hemicyclia. *Casaub. ad Lamprid. Heliogab. c.* 25. *Rhodig. l. l.* Hoc falsum est. Nunquam enim *sigma* pro cœnatione usurpatum est, sed pro stibadio, quod in cœnatione sternebatur. Sidonius *stibadii circulum* appellat, & circulare stibadium intelligit: nec enim ibi stibadium pro cœnaculo, ut quidam accepere. Sane tantum inter cœnationem, & *sigma* est, quantum inter οἶκον & ἡμικύκλιον. Pollux VI. I. *Sed in quibus accumbimus, vocibus clinas, lectulos, scabella. Dicuntur & scamna, & tori, semicirculi. . . .* ἡμικύκλια, & hæc sunt *sigmata*. Nec debet quemquam movere, quod ut οἶκος diceretur τρίκλινος, πεντάκλινος, δεκάκλινος, sic dici videatur σίγμα ἑξάκλινον, ἑπτάκλινον, & ἐννεάκλινον. Mart. IX. 60. 9.

Et testudineum mensus quater hexaclinum,
Ingemuit citro non satis esse suo.

Aliter enim *sigma*, vel stibadium ἑξάκλινον, aliter οἶκος ἑξάκλινος dicitur: nam οἶκος, vel cœnatio τρίκλινος, & δεκάκλινος a numero lectorum, vel *sigmatum* dicitur: *sigma* vero hexaclinum, & octaclinum a numero accubantium, quos capere poterat. *Salmas. ad Lamprid. Heliogab. c.* 29. Fuit mensa, & quidem semicircularis. Ditmarus Episcopus, etsi scriptor tenebroso ævo, de Othone Imperatore Chron. IV. *Solus ad mensam quasi semicirculum factam loco cæteris eminentiore sedebat*, id est, ad *sigma*, quod erat semicirculari forma. *Savar. ad Sidon. Epist.* II. 2. *Brod. l. l.* Male. Non diffiteor mensas fuisse semicirculares. Et hoc, nihil vero aliud probat ex Ditmaro locus modo allatus. *Sigma* vero erat accubitum, seu stibadion, & lectus semicircularis. P. Ravenn. Serm. XXIX. *Discumbebat Deus plus in Matthæi mente, quam in sigmate.* Vides accumbi in *sigmate*. LXXXIII. *Soli discipuli, alto sigmate, toro uno, toto otio deliciis secure epulantur.* *Sigma* est torus unus. Omnia semirotunda dici potuere *sigmata*. Sidon. Epist. II. 2. *Solii sigma* vocat solium cellæ caldariæ, quod idem *solii hemicyclion* appellat. Apud Zosim. III. 11. porticus Constantinopolitana Juliani dicitur *sigma*, quia semicircularis. Proprie tamen *sigma* esse accubitum ostendit Paullin. de vit. Martin. III.

Hos inter medius, qua sigma flectitur orbe
Presbyter accubuit.

Buleng. ibid. c. 33. Et ita Rhod. de Acia c. 11. Quæ in antiquis scripsi, sunt vacillantia aut falsa. Non enim antiquis biclinium proprie, ut sensi ego: non dieta aut cœnatio tota, ut Cælius: non mensa ipsa, ut Brodæus: sed nisi fallor, certa in cœnatione pars scorsum erecta, & exstructa ad recipiendum lectum: idque hemicycli aut lunata forma, qua litera illa Græca passim hodie in lapidibus & priscis libris. Suggestum, inquam, quoddam ligneum (sive qua meliore materia, non impedio) semirotundum: in quo perpetuus unus lectus, ad sex septem convivas recipiendos. Quod velut dimidiatum triclinium repertum inferiore ævo, ad facilem & magis aptum usum. Lux mihi hic prima ab Apulejo modo laudato. Qui non nominat *sigma*, fateor: sed auribus oculisque ingerit quasi nominasset, ita clare. *Semirotundum suggestum* ponit, & *instrumentum cœnatorium* appellat. Quid capere aliud est, quam hoc *sigma*? Triclinium enim certe non illa forma. Ditmarum etiam jam laudatum retulerim ad *sigma*: sicut illud ad Principalem morem, quod *solus*, quod *loco eminentiore*. Sed mensam ipsam ad *sigma*, lunata item forma fuisse hinc discis: parte dico ea, qua convivas tangebat: nam illa, qua alios, fuerit linea sane recta, ad ministerium, & adstitionem puerorum scilicet aptiore. Et quanquam de mensa Ditmarus: non tamen eam solam venisse in id nomen pervincit Sidonius, qui clare discriminat c. XVII. n. 5.

Non tibi gemmatis ponentur prandia mensis,
Assyrius murex nec tibi sigma dabit.

Duplex ostendit fuisse, æstivum & hibernum c. XXII. n. 213.

Comi-

Cominus adspicitur vel prima, vel extima turris:
Mos erit hic domini hibernum sigma locare.

Ubi *locandi* verbum refutat item Cælium, diætam capientem ipsam. At ea non transfertur, non locatur in turre. *Lips. Epist. Centur.* I. 65. De *sigmate* Lamprid. in Heliog. c. 25. *Primus invenit sigma in terra sternere, non in lectulis, ut a pedibus utres per pueros ad respirationem spiritum solverentur.* c. 28. *Illud sane mirum videtur quod dicitur ab eo factum, ut de croco sigma straverit, quum summos viros rogasset ad prandium, pro eorum dignitate dicens se fœnum exhibere.* Septem convivas capiebat, licet octo dixerit Martialis modo laudatus. Verius enim locutus est, cum dixit x. 48. 6.

Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.

Itaque de Heliogabalo hæc refert Lamprid. c. 29. *Habuit hanc consuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cœnam, item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, cum capi non possent omnes uno sigmate, ut de his omnibus risus citaret.* Ursin. l. l.

SIGNACULUM est illud uniuscujusque proprium, quo ad epistolas, pleraque alia obsignanda frequentissime utimur, sive annulus illud sit, sive non. Duo hæc, *signaculum*, & *signum* probatis auctoribus plerumque non idem fuit nomen. Horum discrimen colligimus ex Origine in Epist. ad Roman. l. iv. Ubi *fortassis*, inquit, *idem videtur aliquibus signum quod signaculum; sed mihi uterque sermo multam videtur inter se habere differentiam: signum namque dicitur, cum per hoc, quod videtur, aliud aliquid indicatur; signaculum dicitur, cum alicui rei servandæ pro tempore custodia imponitur, quod nemo alius, nisi ille qui impressit, resignare debeat.* Long. de Annul. c. 1.

SIGNARE *significat modo scribere, modo annulo signa imprimere, modo pecora signis notare.* Festus: Etiam claudere, ut contrarium *resignare* accipitur pro aperire. Ulpian. l. 6. ff. Testamenta: *Sed si major pars signatorum fuerit inventa, poterit ipsis intervenientibus resignari, & recitari*, id est aperiri. Et pœna legis Corneliæ de falsis tenebatur, qui testamentum falsum scripserat, recitaverat, subjecerat, *signaverat*, amoverat, resignaverat, deleverat. Ubi *resignaverat* idem quod deleverat. Hoc Græcis ἀποσφραγίζειν, hoc est, signis sublatis aperire. Nam σφραγίζειν, & σφραγίζεσθαι *signare* illis est. *Salmas. de modo usur.* c. 11. Plurifariam *signabant* antiqui. Nam primum nudæ duntaxat literarum notæ habebantur, ut observavit Meurs. Exercit. crit. II. 9. Mox scalptura multiplex in usu fuit, de qua Plin. xxxiii. 1. Erat vero in ipsa materia, non in gemmis, quas postea demum addere cœperunt, ut ex Macrob. Sat. vii. 13. patet. Succrescente autem luxu, adscitis gemmis, desitæ literæ, sculpturæ locus fuit, sed & hoc varie, nam Romanis quidem annulo tantum *signatorio*, inclusa scilicet gemma, sculpturam, vel imaginem aliquam habente *signare* concessum legitur ff. de liber. & postul. Cujus moris superiorem Africanum principem fuisse tradit Alex. Gen. dier. II. 19. qui primus saxi fragmentum, Sardonichen nimirum auro inclusum, gemmæ loco gestarit, quod sola gemmarum ceram non auferret. Hodie tamen præter eam inciduntur & aliæ, Achates scilicet, Onyx, & Sarda, sed & Adamas, cujus novitii princeps fuit Jacobus Treccia, qui primus gentilitia stemmata Philippi Hispaniarum Regis ea gemma sculpsit. Augustus sphingem in annulo insculptam gestavit, qua literas, & diplomata *signare* solitus fuit, eo fortasse intuitu, quo Ægyptii, qui in foribus templorum diis dicatorum sphinges pingebant, ut indicarent, divina dogmata, sacraque mysteria per ænigmatum nodos esse inviolabiliter custodienda. Mox tamen, mutato consilio, ad fugiendam detractionem eorum, qui ejus literas, & edicta sphinge signata accipientes, illa ænigmata afferre dicebant, Alexandri M. imagine per multum temporis est usus. Et novissime postea sua ipsius imagine etiam usus est insculpta a Dioscoride artifice, quam in *signando* in usum traxere sequentes Principes, Galba excepto, qui *signatorium* habuit annulum majoribus suis familiarem, *canem* scilicet *sese e prora proclinantem.* Plin. xxxvii. 1. Suet. Aug. c. 40. Dio LI. p. 444. L. In Pyrrhi gemma apud Plinium Apollo, & novem Musæ cum suis insignibus non effictæ, sed nativa specie videbantur. In Syllæ annulo, ut refert Val. Max. viii. 14. 4. traditus Jugurtha incisus erat. Celebratur quoque Mæcenatis rana, & ensifer leo, ac tropæa Pompeji, nec non Seleuci fatalis annulus, in quo anchora esse videbatur. Plinius quoque junior quadrigas se in signum adhibuisse sæpius memorat. *Long. de Annul.* c. 6. *Kirchman. de Annul.* c. 13. Usurpabant etiam veteres hoc verbum de his, quæ simpliciter affigebantur, & notabantur, ad rei cujuscunque testimonium. Sic *vota signabant*, dum tabellam, qua votum conceperant, pedibus, aut genibus simulacri ejus dei, cui voverant, cera affigerent. V. supr. in *Incerare*. Et *signare* veteribus dicebantur studiosi, qui inter legendum locis, de quibus quæri adhuc deberet, ceram affigebant, memoriæ causa. Hesychius in Παρεῤῥυπωμένα. Nec dissimile fuit, quod Democritus faciebat in commentario de rerum natura, qui omnia, quæ experimentis comprobaverat, cera rubra, & annulo *signata* notaverat. Hoc *signare* vocavit Vitruv. ix. 3. *Admiror etiam Democriti de rerum natura volumina, & ejus commentarium, quod inscribitur* χειρόκμητον, *in quo etiam utebatur annulo, signans cera ex milto, quæ ipse expertus esset.* Eodem pertinet & *miniata illa cerula* in Cic. Epist. ad Attic. xvi. 11. qua ille notabat, quæ in scriptis Ciceronis non probabat. Hic erat Græcorum προσπλασσόμενος κηρὸς τοῖς βιβλίοις, quæ & παραπλάσματα dicebantur, ut est apud Hesychium in ea voce. Cera illa varios ad usus pro lectoris proposito adfigi libris solebat, aut ad laudandum, aut ad carpendum, aut ut amplius quærendi nota esset. *Salmas. l. l.*

SIGNATORES dicebantur testes, qui ad tabulas testamenti *signandas* advocabantur. V. illos supr. in *Obsignatores*. Itidemque qui tabulas nuptiales *signabant*. V. illos infr. in *Tabulæ*.

SIGNIA fuit oppidum Volscorum, vulgo nunc *Segni* dictum, ultra Norbam versus orientem. *Signiam* coloniam duxit Tarquinius Superbus. Dionys. iv. p. 260. *Signiam coloniam deduxit, non certo proposito, sed casu fortuito, quod in eo campo milites hibernassent, castraque ita munivissent, ut nihil ab Urbe differrent.* Liv. I. 56. *Signiam, Circejosque colonos misit: præsidia Urbi futura terra marique.* Appio Claudio, P. Servilio coss. an. 259. colonia eo iterum est deducta. Liv. II. 21. *Eodem anno Signia colonia, quam Rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum iterum deducta est.* De hac Frontin. de Coloniis. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 634. *B. Cluver. Ital. Ant.* III. 8. 4.

SIGNIFER portabat legionis *signa*, & imagines Principis. Ab aquilifero erat distinctus. V. illum supr. in *Aquilifer*. Torque ornatus solebat incedere. Ammian. xx. 4. *Maurus nomine quidam, postea Comes, Petulantium tunc Hastatus, abstractum sibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit.* A muneribus militiæ erat immunis. Tribuni auctoritatem dimittendi ad tempus milites habebat l. nemo C. de re milit. præterquam expeditionis tempore imminente l. 1. de commeatu. tunc enim capitis periculum subibat, si militem abire permisisset. Sed nec nisi triginta militibus commeatum dare poterat, quibus interim stipendium debebatur l. jubemus 2. C. de erog. milit. annon. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient.* c. 37. Sinistra gestabat aquilam, parvæ areolæ insidentem in modum aliorum, attamen ligatam velo serico, quod differentiam aquilæ demonstrabat hominum armatorum, & illam equitum leviorum. Pro galea habebat exuvias capitis belluæ ferocis, quibus furiosior, terribiliorque appareret, ad veram similitudinem *signiferorum* copiarum pedestrium. Leviores equites omnes, quamvis differenter armati, & exornati essent, ducebat. *Choul. de Castramet. Roman.* p. 47. Priscis agminibus equestribus, & pedestribus præcedebat, quod hodiernis moribus aliter tamen observatur. Hinc *prævium* Proditorem *signiferum* vocat Sedul. iv. 62.

Prævius horribiles comitaris signifer enses.

Barth. Adv. LIII. 3. Literatus, & fidelis deligebatur. Rationem prodit Veget. II. 20. *Hæc ratio apud signiferos, ut nunc dicunt, in cophino servabatur. Et ideo signiferi non solum fideles, sed etiam literati homines deligebantur, qui & servare deposita, & scirent singulis reddere rationem.* Bud. in l. ult. ff. de jur. immun. Salmuth. in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 596. Stewech. in Vegetium. *Duos ex omni numero in suis quisque manipulis eligebant centuriones, vigore corporis, & generosa mente præstantissimos. Quod autem duos cuique manipulo ductores attribuebant, ratione id faciebant: quum enim esset incertum, quid dux vel facturus esset, vel passurus, neque excusationem ullam bellica res admitteret, committere nolebant, ut duce, ac præfecto ordo unquam careret. Igitur præsentibus quidem ambobus, uter fuerat prior electus, is dextræ manipuli præerat parti, alter sinistræ: si non aderant ambo, qui solus restabat, is omnium ducatum obtinebat.* Polyb. VI. 22. *Sigon. de Antiq. jur. provinc.* II. 2. *Patric. Rei milit. Rom. part.* VI. *sect.* 5.

SIGNINUM vocabatur opus, quod in pavimentis olim magnopere commendabatur, & fiebat e tusis testis addita calce. Plin. XXXV. 13. *Quid non excogitavit ars? fractis enim testis utendo, sic ut firmius durent, tusis, calce addita, quæ vocant signina, quo genere etiam pavimenta excogitavit.* Ejus meminit Colum. VIII. 17. *Id autem stagnum vel exciditur in petra, vel in littore construitur opere signino.* Hodie *signino* utimur in cisternis, & aquæductibus tectorio inducendis. Nomen ex eo est, quod melioris notæ essent testæ apud *Signinos*. Erant autem *Signini* Italiæ populus, quorum meminit Plin. III. 5. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p.* 854. *D. Bald. Lex. Vitruv. Brod. Misc.* X. 14.

SIGNUM epistolis, vel tabellis imprimendum plerumque erat imago propria, aut alicujus e majoribus, impressa ceræ, sive cretæ, sive alia alicui, ut Augustus sphinge signare solebat, postea imagine Alexandri. *Lips. Institut. Epistol. c.* 4. non semper idem usurpabant, sed mutabant pro libitu, aut si casu amisissent: quod planum ex Plaut. Trin. III. 3. 60.

> *Nonne arbitraris eum adolescentem annuli*
> *Paterni signum novisse?* ME. *Etiam tu taces?*
> *Sexcentæ ad eam causæ possunt colligi.*
> *Eum, quem habuit, perdidit, fecit novum.*

Kirchman. de Annul. c. 12. *Adulterinum dicebatur alieno annulo factum.* Festus. l. 30. ff. ad leg. Cornel. de fals. *Lege Cornelia testamentaria obligatur, qui signum adulterinum fecerit, sculpserit.* Ad hujusmodi fraudem cavendam Solon legem tulit, *ne liceret annulario retinere sigillum annuli venditi* teste Laert. I. 57. Ratio legis erat, ne posset annularius alio facto simili annulo fraudem ei facere, cui priorem vendidisset. *Kirchman. ibid. c.* 14. Soluto, vel inciso lino, quo constringebatur, & obligabatur id, quod erat obsignandum, plerumque cum eo frangebatur: ideo ante aperturam jubebant cognosci, fidei causa. Plaut. Amph. II. 2. 141.

> —— SO. *An etiam id credis, quæ in hac cistellula*
> *Tuo signo obsignata fertur?* AMP. *Salvum signum est.*
> SO. *Inspice.*
> AMP. *Recte, ita est ut obsignavi.*

n. 155.

> AMP. *Certum est aperire, atque inspicere.* SO. *Vide sis signi quid siet.*

Cicer. Catil. III. 5. *Tabellas proferri jussimus, quæ a quoque dicebantur datæ. Primum ostendimus Cethego: signum cognovit; nos linum incidimus, legimus.... Introductus est Statilius, cognovit & signum, & manum suam. Recitatæ sunt tabellæ in eandem fere sententiam. Confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsivi, cognosceretne signum? Annuit.* Paull. Sent. IV. tit. 6. V. illum infr. in *Tabulæ testamenti*. Eratque officium prætoris, cum initio aperiendæ erant tabulæ, ut cogeret signatores convenire, & *signa* sua recognoscere l. 4. quemadm. aper. ff. Testam. Ideo literarum *signa* recognoscebantur, quia inde, ut e scribentis manu, auctor illarum potest cognosci. Sic L. Junius Brutus primus Romanorum consul filiorum conjuratorum literas primum ex utriusque *sigillo*; & post avulsa signacula etiam e manu cognovit, teste Dionys. V. p. 283. Utrumque indicat Ovid. de Pont. II. 10. 1.

> *Ecquid ab impressæ cognoscis imagine ceræ*
> *Hæc tibi Nasonem scribere verba Macer?*
> *Auctorisque sui si non est annulus index,*
> *Cognitane est nostra litera facta manu?*

Kirchman. ibid. c. 7. Long. de Annul. c. 8. Lips. Institut. Epistol. c. 4.

Signum & tabulinum Gromaticorum vocabula sunt, quibus duæ areæ partes, latitudo & longitudo designantur. Nam Hyginus cum cohorti nonaginta per ducentos quadraginta dederat, eandem rem aliis verbis dicit: *Tabulino nonaginta, signis ducentos quadraginta pedes.* Item de cohorte prima: *Quoniam duplum numerum habet, duplam pedaturam accipiet, ut puta, signis pedes centum viginti, tabulino pedes trecentos sexaginta; vel signis centum octoginta, tabulino pedes ducentos quadraginta.* Ubi manifestum est, duo latera pedaturæ, quæ cohorti primæ datur, describi. Cum enim antea cohorti dederat sexaginta per trecentos sexaginta, & nonaginta per ducentos quadraginta, nunc cohorti primæ, quia duplum numerum habet, duplicato minori numero pedum, quem *signorum* nomine appellat, alterum tantum adsignat. Sed quamvis appareat duas pedaturæ partes hisce vocabulis indigitari, non tamen causæ latitudinis, aut longitudinis, vel minoris, aut majoris pedaturæ, altera pars *signorum*, altera tabulini nomen accepit: in cohortium enim lateribus castrorum tendentium pedatura nonaginta per ducentos quadraginta, minor pedatura tabulinum, major *signa* dicitur: at in pedatura cohortis primæ. Item alæ milliariæ contra major pedatura tabulinum, minor *signa*. Non ratione hemistrigiorum: nam in pedatura cohortium *signorum* latus est, longitudo hemistrigiorum, tabulinum latitudo. In pedatura alæ milliariæ contra. Nec etiam ratione totorum castrorum: *signa* enim cohortis primæ ad principia tendentis latus sunt pedum certum viginti juxta viam principalem per latitudinem castrorum sese extendens. In cohorte vero legionaria, & ala milliaria latus quod ad vallum, & viam prætoriam exporrigitur. Nihil itaque probabilius succurrit, quam *signorum* latus esse, quo *signa* constituuntur; constitui autem eo latere, quo quæque cohors aut ala viam, aut intervallum grandius habet, in quod se, cum ad arma conclamatur, effundit: ut puta, *signa* cohortis primæ latere prætorii tendentis ad principia: cohortium cæterarum ad vallum: alæ milliariæ ad viam prætoriam, & sic deinceps. Non quidem ignoro in dictatione metarum mensores ad omnes angulos *signa* posuisse. Frontinus: *Cujuscunque loci mensura agenda fuerit, eum circumire ante omnia oportet, & ad omnes angulos signa ponere.* Auctor incertus: *Ad omnes angulos signa ponenda, quæ normaliter ex rigore aguntur.* Testatur etiam Polybius in metatione castrorum ad angulos cujusque areæ hastas, vel vexilla figi: unde *adsignare* locum, pedaturam in metatione occurrit. Sed cum ad omnes angulos *signa* hæc ponuntur, unum, vel duo latera opposita nomen inde non videntur traxisse. Probabilius itaque, ut diximus, *signa* dici illam partem, qua *signa* militaria constituuntur, aut certe ad quam spectant. Hoc enim verbo utitur Hyginus in copiis in prætentura tendentibus: *Quoniam ad viam prætoriam signa spectare debebunt.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1042. A.

Signum hostium adventantium dabatur ab excubitoribus per ignes, & faces. Græci φρυκτὸς appellarunt. Suidas: φρυκτοὶ, *faces quædam e ligno factæ, quas super muros ferentes, significant vicinis, aut sociis, cum vident hostes adventantes. Atque etiam cum sociis vel auxilium vident, sed cum istos, gestant faces quietas; cum hostes, quatiunt & movent.* Cæs. de bel. Gall. II. 36. *Celeriter, ut ante imperaverat,*

verat, ignibus significatione facta, ex proximis castellis eo concursum est. Lucan. vi. 278.

> — *vix prælia Cæsar*
> *Senserat, elatus specula quæ prodidit ignis.*

Lyd. Synt. Sacr. de Re milit. v. 3.

Signum militare mutum primis Reipublicæ temporibus fuit manipulus fœni, aut alterius herbæ perticæ alligatus. V. supr. in *Manipulus.* Sed hæc rustica non diu mansere. Posterior forma fuit hasta, in cujus summo transversum ligneolum, tantum non ad formam crucis. Nummi, & monumenta passim ingerunt. Et sæpe cum manu supra eminente, nonne allusione ad manipuli vocem? Sed & orbiculos quosdam, vel clypeolos, qui infra crucem hastæ adnexi, iidem nummi, & lapides ostendunt. Et hi deorum primo, & deinde Imperatorum, virorumque principum imagines referebant. Tertull. Apolog. c. 16. *Omnes illi imaginum suggestus in signis, monilia crucium sunt: supara illa vexillorum, & labarorum stolæ crucium sunt.* Deorum primo fuisse non ambigo, nam Martis, Romuli, & aliorum innexa olim: qui scilicet militares dii, & conspiciuntur in nummis ante Principum ævum: & ab hoc exemplo ipsorum Imperatorum. Sic Drusi imago inter *signa* apud Tacit. Annal. i. 43. 3. *Tua dive Auguste cœlo recepta mens, tua pater Druse imago.* Sejani per adulationem. Suet. Tib. c. 48. n. 4. *Munera Syriacis legionibus dedit, quod solæ nullam Sejani imaginem inter signa coluissent.* De Cæsarum scriptores vulgo. Suet. Cal. c. 14. n. 5. *Transgressus Euphratem aquilas, & signa Romana, Cæsarumque imagines adoravit* Artabanus. Etsi distinguere ibi a *signis* videri possit, & seorsim quoque effigies illorum adoratas. Certius Arrianus in Epictetum: *Signa selecti exercitus,* id est, legionum, *aquila, imagines Principum, vexilla, omnia aurea, extensa in hastis argentatis.* In materiam argentum dat Plin. xxxiii. 3. *Color argento clarior est, magisque diei similis, & ideo militaribus signis familiarior, quoniam is longius fulget.* Aurum vero Herodian. iv. 7. §. 12. *Militaria signa, quæ oblonga sunt, & multis aureis ornamentis gravia, quæ vix a robustissimis militum ferrentur, humeris subiens portabat* Antoninus Imperator. Euseb. de Vit. Constant. i. 25. *Hastile oblongum, auro tectum, & vestitum.* Et Arrianus modo laudatus. Plinii verba hoc saltem evincunt, quod sæpius militaria signa ex argento. Et hæc manipulorum *signa.* Equitum vexilla fuerunt. V. illa infr. in *Vexilla.* Lips. in Tacit. Annal. xv. p. 177. de Milit. Rom. iv. 5. Buleng. de Imperat. ii. 12. Stewech. in Veget. ii. 6. Hoeping. de Insignium prisco, & novo jure c. 17. §. 7. La Chausse de Sign. milit. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. x. p. 1528. D. Pier. Hierogl. iii. 38. Thys. Rom. Illustr. iv. p. 92. Schill Nomencl. Philol. p. 1040. Etiam pila, vel globus in summa hasta. V. supr. in *Pila.* Duo videntur in unoquoque manipulo fuisse. Hoc videtur clarum ex Polybio laudato supr. in *Signifer.* Nec aliter e Livio, qui in ordine, id est, dimidio manipulo locat viii. 8. *centurionem, & vexillarium unum.* Videtur & facere Veget. ii. 23. *Antiqui cohortes in centurias diviserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt.* Dat enim singula singulis centuriis: atqui in manipulo centuriæ duæ. *Vexilla* dicunt, quia confundant, & cum *signi* voce miscent; non enim revera vela, aut panni fuerunt. Et vexilla proprie olim non nisi equitum. *Patric. Rei milit. Rom. part.* vi. *sect.* 5. Sed nimia videtur illa *signorum* pluralitas. Et tot *signa* confusioni fuissent. Et de uno, non duobus Varr. de Ling. iv. 16. *Manipulus, minima exercitus manus, quæ unum sequitur signum.* Ipse Polybius manipulum passim σημαίαν, id est, *signum* vertit, & appellat: sed *signum*, non *signa.* Quid quod una modo legionis aquila, & ea primopilo commissa? cur non hoc exemplo in cæteris? Ad Polybium & Livium dico, duos quidem vexillarios dari: sed non consequi necessario de duobus vexillis. Possunt enim ita dari, ut alter alterius vicem obeat in defatigatione; gravia enim hæc *signa:* aut etiam in morbo. Ad Vegetium, parum is movet. Nam ejus ævo manipuli veri, & veteres desierant, eorumque vicem centuriæ jam erant. Sistit tamen iterum Livius, qui diserte tria vexilla in tribus ordinibus ponit, ubi de triariis, rorariis, & accensis. Itaque hærere me fateor, nec jurgium hoc discingere. Quidquid sit, illud arbitror, in postremo genere, id est, triariis non nisi singula *signa* stetisse. Argumento ab una aquila; tum etiam, quia exiguus ille manipulus, & numero non nisi unus ordo: atque ita Livius olim, cum rorarii, & accensi adjuncti, non nisi unum vexillum donat. Credo igitur mansisse. *Lips. de Milit. Rom.* ii. *dial.* 8. Romæ in ærario asservabantur, & a quæstoribus inde deprompta in campum Martium, ubi delectus legionum habebatur, deferebantur. Livius. V. illam supr. in *Quæstorium.* Et quidem non nisi armata jam legione distribuebantur, & iis distributis exercitus loco moveri incipiebat. Liv. vii. 23. *Cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire armatos juniores jussisset, signaque quæstores eodem ex ærario deferre.* In templis asservata fuisse, & illa Appium ex templis efferri jussisse narrat Dionys. x. p. 645. *Patric. l. l. Lips. de Milit. Rom.* iv. 5. *Thys. ibid. p.* 94. Apud Romanos in pari veneratione tenebantur ac deorum simulacra. Tertull. Apolog. c. 16. *Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, signa omnibus diis præponit.* Erantque castrorum dii. Tacit. Annal. i. 39. 5. *Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat, neque aliud periclitanti subsidium quam castra primæ legionis. Illic signa, & aquilam amplexus, religione sese tutabatur.* Et illa adorabant. Suet. Vitell. c. 2. *Artabanum ad veneranda legionum signa pellexit.* Veget. ii. 6. *Imagines Imperatorum, & præsentia signa veneratur.* V. etiam Suetonium supra laudatum. Per illa non secus ac per deos jurabant. Liv. xxvi. 48. *Stare hinc legionarios milites, hinc classicos, per omnes deos jurare magis quæ velint, quam quæ sciant vera esse: & obstringere perjurio non se solum, suumque caput, sed signa militaria, & aquilas, sacramentique religionem.* Lips. in Tacit. Annal. p. 37. de Milit. Rom. iv. 5. Kipping. Antiq. Roman. iii. i. §. 6. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. x. 29. Buleng. de Imper. ii. 12. Cuper. Observ. iv. 19. Valtrin. de Re milit. Rom. iii. 9. Figrel. de Stat. c. 31. Kemp. de Oscul. Diss. ix. §. 22. Roa Singul. i. i. i. Stewech. in Veget. ii. 6. Ferrar. Elect. i. 4. La Chausse l. l. Illa in rebus lætis, ac festis diebus inungebant, ut deos solebant ungere more humano. Plin. xiii. 3. *Aquilæ certe, ac signa illa pulverulenta, & custodiis horrida, inunguntur etiam festis diebus, utinamque dicere possemus, quis primus instituisset.* In marmore antiquo: CORONÆ. INLATÆ. SIGNAQUE. UNCTA. Uncta non severo, & Polybiano illo ævo; ipse Plinius ostendit rem novitiam esse. *Lips. de Milit. Rom.* iv. 5. *in Tacit. Ann.* i. *Excurs* I. *Turneb. Adv.* xxx. 15. *Stewech. La Chausse & Kipping. l. l.* Floribus rebus lætis & succedentibus decorabant, & ornabant. Claud. Nupt. Honor. & Mar. n. 187.

> — *Mavortia signa rubescunt*
> *Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ.*

Suet. Claud. c. 13. n. 5. *Ac divinitus neque aquila ornari, neque signa convelli, moverique potuerunt.* Lips. & La Chausse l. l. Valtrin. de Re milit. Roman. iii. 9. Mercer. in Alexandr. iv. 2. Stewech. l. l. de Roa ibid. ii. ii. Morem hunc militarem ex Claudiano, quasi de manu adscitis ornamentis *signorum* loqueretur, qui probant, errant. Ait enim poeta, prodigio quodam contestante Veneris adventum, *signa* militaria omen lætitiæ dedisse, & sponte sua, floribus ex se natis, vestita, nuptialem Principum festivitatem, deæ genialis applausu, contestata esse. Namque hic aliud negotium non vertitur, quam ubi Lucretius ait adventu, sive initu Veneris terram sponte sua convestiri. Eodem prodigio Bacchici numinis præsentiam repræsentare voluit Ovid. Met. iv. 191.

> *Tympana cum subito non apparentia raucis*
> *Obstrepuere sonis: & adunco tibia cornu,*
> *Tinnulaque æra sonant: redolent myrrhæque crocique:*
> *Resque fide major, cœpere virescere telæ*

Inque hedera faciem pendens frondescere vestit.
Pars abit in vites: & quæ modo fila fuerunt,
Palmite mutantur: de stamine pampinus exit.

Talia autem florentium sponte rerum omina pro felicissimis habebantur. Sidon. carm. II. n. 132.

— sub imagine frondis
Dextra per arentem florebant omina virgam.

Et noster subita roseta his iisdem nuptiis Honorii Alpibus producenda autumat, in Epithalamio, sive Fescenninis, ut subitas hic frondes in hastis, carm. XII. n. 6.

Ligures favete campi,
Veneti favete campi,
Subitisque se rosetis
Vestiat Alpinus apex.

Barth. in Claudianum. Illorum sedes erat in castris ad cohortem primam, ubi & aquilæ. Hyginus: *Scholæ cohortibus primis in scamno legatorum contra aquilam dari debent.* Præter illas eodem loco cætera *signa* fuisse non immerito aliquis suspicetur velle Hyginum, ubi inquit: *Cohors prima causa signorum, & aquilæ intra viam sagularem pedaturam accipiet.* Quare *causa signorum*, nisi omnia, aut plura utique, quam apud cæteras cohortes, *signa* apud cohortem primam constituantur? Et in *castris primæ legionis*, id est, ea parte castrorum, qua prima legio tendebat, Plancum, quem occidere paraverant seditiosæ legiones, *signa & aquilam complexum esse* docuit Tacitus supr. laudatus. Et *ad*, vel *apud signa* geri dicebantur, quæ ea viæ principalis parte, ad quam aquilæ constitutæ, gerebantur. Lucan. I. 296.

Convocat armatos extemplo ad signa maniplos.

Tacit. Annal. XV. 16. 2. *Jurejurando Pæti cautum apud signa, neminem Romanorum Armeniam ingressurum.* Vulcat. Gallic. de Avid. Cass. c. 6. *Nam statim ad signa edici jussit, ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnen, discinctus rediret.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1044. A. De illorum loco Polybius, qui uno verbo nos, qui nunc pendente vestigio titubamus, & quærimus per conjecturas, docere, & firmare potuerat, hæc silet. Dixeris in principio fuisse. *Lips. de Milit. Rom.* IV. 5. Videntur potius ad quamque centuriam, & cohortem disposita fuisse. Centuriæ enim non alio, quam quo mansuræ essent loco, *signa* leguntur constituisse: unde illud jam olim illius in foro Romano: *Signifer statue signum, hic manebimus optime.* Eundem morem, ne quis antiquioris tantum ævi putet, Vegetius in positione castrorum suorum tradit, & addit primum omnium fuisse quod agerent castra collocaturi. *Prima*, inquit, *signa suis locis intra castra ponuntur, quia nihil est venerabilius majestate eorum militibus.* Loca vero, quibus figerentur, palam etiam designat pedatura, quam quæque centuriæ acciperent. Veget. III. 8. *Singulæ centuriæ dividentibus campi doctoribus, & principiis, accipiunt pedaturas, & scutis ac sarcinis suis in orbem circa propria signa dispositis cincti gladio fossam aperiunt.* Idem I. 23. *Intra portam prætoriam primas centurias, hoc est, cohortes papiliones tendere, & dracones, & signa constituere.* Si intra portam prætoriam, non utique intra viam principalem. Videtur & Flaccus per tota castra *signa* spargere, cum castra in universum *signis fulgentia*, ut alibi *agmina pilis horrentia* appellat. Accedit & hoc, quod Hyginus latus alterum pedaturæ, quam cohors accipit, *signorum* nomine donat: non alia probabiliter de causa, quam quod ad illud latus *signa* spectent. Quod Hyginus *signa* cohorti primæ in castris apponit, de potioribus, & totius legionis, & ejusdem cohortis *signis*, & fortasse etiam de imaginibus deorum, & Imperatorum intelligi potest. Ut & inde locus ad principia, *ad signa* est appellatus. Quanquam cum milites *ad signa* convocari, aut aliquid *ad signa* geri dicitur, dubito, an intelligantur sedes aquilarum, quæ apud cujusque legionis cohortem, ut Hyginus ostendit, primam: non eodem omnes loco, quædam earum a prætorio aliquando remotæ. Principia potius ipsa, & eam principiorum inprimis partem, qua tribunal positum intelligo: eo enim advocata concione, miles sub suis quisque signis conveniebat, & aquilas, & *signa* sua circa tribunal constituebat, ut numismata vetera ostendunt. Hinc *ad signa* convocari miles, *ad signa* aliquid edici, aut geri dicitur. *Schel. ibid. D.* Pecuniam, quæ super quotidianum usum, & necessarium victum superfluebat, ad illa deponebant milites. V. supr. in *Pecunia.* In castris in terram defigebantur contis, sive hastilibus, quibus sustinebantur, in imo ferratis, & acuminatam habentibus cuspidem. Ubi vero castra movebantur, aut e castris in aciem educebantur *signa*, convulsa refigebantur. Si inter convellendum sponte sequerentur, & facile extraherentur, bonum omen habebatur. Si tenacius hærerent, & *prodire nollent*, ut loquitur Flor. II. 6. 14. pro tristi omine accipiebatur. Ita de *signis* Furii Camilli Scriboniani bellum civile moventis Suetonius supra laudatus. De M. Crassi contra Parthos pugnaturi *signis* Appian. de bell. Parth. p. 142. *Signa quoque aliquot fixa vix evulsa magno opere signiferorum.* De C. Flaminii consulis bello Punico II. contra Annibalem missi *signis* Cicer. de Divin. I. 35. Liv. XXII. 3. Val. Max. I. 6. 6. *Itaque signa convelli, & se sequi jussit Flaminius. Quo tempore cum signifer primi hastati signum non posset movere loco, nec quicquam proficeretur, plures cum accederent; Flaminius, re nuntiata, suo more neglexit: itaque tribus his horis concisus exercitus, atque ipse interfectus est.* Docet hæc Serv. Æneid. XI. 19. *Vellere proprie dixit, quia Romana signa figebantur in castris: & cum ad bellum eundum fuisset, captatis auguriis avellebantur e terra; nam alibi ea figi non licebat. Sed inter auguria etiam hoc habebatur, si avellentem facile sequerentur. . . .* Brisson. de Form. IV. p. 345. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. X. 29. Pitisc. in Suetonium. Non leve crimen erat ejus, qui *signa* deseruisset. Antiqui certe Romani *fustuarium mereri dicebant eos, qui signa reliquissent* apud Liv. V. 6. Ergo firmius asservabant, fortius amissa recuperabant. Quoties legis integras acies jam fluctuantes, jam recedentes, restitutas, & impulsas *signis* in hostem jactis? Suadebat enim repetere non pœna tantum, quæ manebat iis amissis, sed etiam pudor, & religio, de qua jam dictum, & quasi deos, ac sacra sua prodidissent. Dionys. IX. p. 589. *Quidam e ducibus signa suis erepta in hostes jecerunt, ut languidioribus, aut timidioribus ex necessitate robur imprimerent, scientibus, quod iis, qui signa non retulissent, cum ignominia esset moriendum.* Livius. V. illum supr. in *Duplarii.* Lips. l. l. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 598. Stewech. in Veget. II. 23.

Signum militare *semivocale est, quod per tubam, aut cornu, aut buccinam datur.* Veget. III. 5. & hodierno more per tympana. *Casaub. in Ænea Tactic. c: 4. Schill Nomencl. Philol. p.* 1040.

Signum militare *vocale est, quod voce humana pronuntiatur, sicut in vigiliis, vel in præliis pro signo dicitur: ut puta, victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris, & alia quæcunque voluerit dare is, qui in exercitu habet maximam potestatem. Sciendum tamen est ista vocabula quotidie debere variari, ne ex usu hostes signum agnoscant, & exploratores inter nostros versentur impune.* Veget. III. 5. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Grev. Tom. X. p.* 1106. *D. Casaub. in Ænea Tactic. c. 4. Lips. de Milit. Rom.* IV. *dial.* 12. *Excurs. in Tacit. Annal.* XIII. *A. Pier. Hierogl.* III. 38. *Stewech. in Veget.* II. 7. *Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. 2. c. 14. Laurent. Polym.* IV. *Synops.* I. §. 8. *Thys. Rom. Illustr.* IV. *p.* 104. *Schill Nomencl. Philol. p.* 1040. More militiæ dabatur tribunis excubantibus. Suet. Calig. c. 58. n. 5. *Alii Sabinum submota per conscios centurionum turba, signum more militiæ petiisse, &, Cajo Jovem dante, Chæream exclamasse, accipe ratum.* Ner. c. 9. n. 4. *Primo imperii die signum excubanti tribuno dedit: optimam matrem.* Senec. de Const. c. 18. Suet. Calig. c. 56. n. 4. *Huic,* Chæreæ, *Cajus signum petenti, modo Veneris, modo Priapi dabat, aliter atque aliter exprobrans armato mollitiam.* Brisson. de Form. IV. p. 347. Thys. & Lips. l. l. *Tessera* vocatur Sil. Ital. VII. 348.

— discurrit tessera castris.

Hæc

Hæc dicitur discurrere, quia a duce ad τὸν οὐραγὸν perveniebat. Onosand. Strateg. c. 25. *Mandata omnia, signa, tesseras per ordinum ductores det* Imperator. *Dari igitur mandata debent primis ducibus, qui mox proximis sibi nuntiabunt, isti quoque iis qui post se, cæterisque pariter deinceps sequentibus, donec ultimi, quæ primi sciverunt, hoc modo resciverint.* Dabit illud Imperator. Et libertate restituta consules. Joseph. Ant. Jud. XIX. 2. *Et jam nox processerat, cum Chærea signum a consulibus petiit: atque illi libertatem dederunt, adeo mutatas res mirabantur, ut ipsis sibi vix crederent: tunc enim primum, ex quo Reipublicæ administratio populo est adempta, signi dandi mos ad consules rediit.* Lips. de Milit. Rom. V. dial. 9. Pitisc. in Suet. Calig. c. 56. n. 4.

Signum profectionis dabatur, vel tessera, vel tuba, vel utraque. Tessera quidem sola, cum occulte castris egrediendo hostem fallere placeret: utraque, cum aliquid extra ordinem edicere, quod tuba significari non posset; aut quod ante horam moneri militem vellent; aut cum diversis e locis, castellisque contrahendum agmen. Hinc illa tam frequens mentio tesseræ expeditionalis, tesseræque, qua iter edictum, in Ammiano, aliisque. Sed ex consuetudine militari solis semivocalibus, quæ vocant, signis, non raro iter edicebatur, nec quicquam ante tubam enuntiabatur. Frontinus I. 1. *Licinius Crassus percontanti, quo tempore castra moturus esset, respondit, vererisne, tubam ne audias?* Tria autem dabantur *signa*, diversis haud dubie modis, sonisque, quo a milite distingui possent; sed & *signis* diversis, quamvis hæc confundant scriptores, ut fere similia, & modo tubæ, modo classici meminerunt. Liv. II. 59. *Classico signum profectionis dedit.* XXIX. 27. *Secundum eas preces cruda exta, cæsa victima, uti mare porricit, tubaque dedit signum profectionis.* Val. Flacc. I. 351.

Solverat amplexus tristi tuba tertia signo.

Lips. de Milit. Roman. V. 12. Polybium explicans, primum *signum* classico opinatur datum. At paullo post Joseph. de Bell. Jud. III. 3. laudans, qui in primo *signo* σάλπιγγα singulariter ait sonuisse, in altero, tertioque σάλπιγγας, primo tubam, secundo, tertioque classicum credit cecinisse. Veget. II. 22. more suo ipse turbat, &, quæ profecto non intellexit; scripsit, &, ni fallor, ex veterum aliquo corrupit, non descripsit. Leo ad buccinæ sonum militem vult procedere; & rursus ad alium modum consistere. *Signa* igitur ad buccinam, hoc auctore, ferebantur, aut constituebantur. Signiferum enim sequebatur miles: eo consistente consistebat, procedente procedebat. Dio in pugna Philippensi inter Brutum, & Augustum primo unum utrinque tubicinem cecinisse, mox alios quosdam pariter respondisse; eoque, ut se prælio pararent, monitos milites: deinde omnes reliquos. Ad pugnam istic vocantur, hic ad iter, proinde alii haud dubie modi. Apparet tamen hæc similitudo, quod ter cecinerunt, & quod primo non omnes. Idem haud dubie etiam in itinere fuit: primo enim *signum* non potuerunt dare singularum cohortium tubicines, neque enim parati fuerunt, & Josephus unius tantum meminit: quare ad prætorium tum *signum* datum. Secundum per totum exercitum, quo & parati esse jubebantur, & paratos esse significabant. Tertium plenum fuit classicum. Ad primum *signum* conclamabat vasa miles. Cæs. de Bell. civ. I. 66. *Quo cognito, signum dari jubet, & vasa militari more conclamari.* Hoc quid sit V. supr. in *Conclamatio.* & in fasciculum colligebat, ut apte humeris inter arma geri possent, σκευάζειν etiam dicunt Græci. Ad hoc & interdum munitionem omnem diruerunt: tum enim vallos ex aggere repetebant, iisque exscindendis munitionem dejecerunt: non tamen semper hoc fecerunt. Post prælium Dyrrachinum, & Cæsar, & Pompejus, in suis veteribus ad Asparagum castris, quorum munitiones adhuc erant integræ, consedisse memorantur apud Cæs. de Bell. civil. III. 76. Tertio *signo* dato castra moverunt, primique castris profecti sunt. Valerius Flaccus modo laudatus. Morem hunc Romanorum describit Joseph. de Bell. Jud. III. 3. *Cum castris egrediendum est, tuba indicium facit: nemoque otiosus est, sed vel solo nutu moniti tabernacula tollunt, omniaque ad profectionem instruunt: deinde iterum tuba, ut sint parati, significat. Illi autem cum mulos, & jumenta sarcinis oneraverint, velut in curuli certamine signum exspectant. Castra vero incendunt, eo quod sibi iterum munire facile sit, & ne quando hostibus eadem usui sint. Et tandem tertio quoque tubæ signo indicant, ut exeatur, urgendo aliqua ex causa morantes, ne quis ordinem deserat.* Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1245. F. Scheffer. de Milit. nav. III. 3. Laurent. Polym. IV. Synops. 3. In militia navali fax erat e prætoria nav. sublata. V. supr. in *Flamma.*

Signum pugnæ futuræ diversum erat a classico, quia istud mutum. Illud auribus, hoc oculis servit, & tempore classicum præivit. Nam Romani, cum jam decretum erat pugnare, tunicam russam in prætorii fastigio extendebant in hasta, ut eo *signo* miles moneretur parare se, & arma; tum etiam, ut si qui dispersi, convenirent. Utile fuit in re subita, & ut momento omnes monerentur. Plutarch. in Fab. p. 182. E. *Pugnæ signum proposuit. Est autem tunica coccinea super tabernaculum Imperatoris extensa.* in Brut. p. 1002. D. *Una cum luce propositum fuit Bruti, & Cassii castris pugnæ signum, punicea tunica.* Isidor. XIX. 22. *Russata, quam Græci phœniceam vocant, nos coccineam. Hac sub consulibus Romani usi sunt milites, unde etiam russati vocabantur. Solebat enim pridie quam dimicandum esset, ante principia poni, admonitio, & indicium futuræ pugnæ.* Alii vexillum appellant. Cæs. de Bell. Gall. II. 20. *Cæsari omnia uno tempore erant agenda. Vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret.* Hirt. de Bell. Hispan. c. 28. *Cum iter Cæsar facere vellet, renuntiatum est a speculatoribus, Pompejum de tertia vigilia in acie stetisse. Hoc nuntio allato vexillum proposuit.* Velum igitur fuit, sed tunicæ forma. Mansit is mos ad tempora imperii labentis. Ammian. XXVII. 10. *Signis itaque sinis e more, cum undique ad arma conclamaretur, stetit regibilis miles, vexillum operiens extollendum, quod erat opportunæ subeundæ indicium pugnæ.* Lips. de Milit. Rom. IV. 12. in Tacit. Annal. I. §. 165. Laurent. Polym. IV. Synops. 1. §. 8. Thys. Rom. Illustr. IV. p. 104. Kipping. Antiq. Roman. III. 4. §. 4. Lindenbr. in Ammianum.

Signum etiam vocatur statua. Sallust de Bell. Catil. p. 10. *Signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 47. Quæritur, sitne idem *signum* cum statua, an aliquid intersit. Ego existimo, aut a materia, aut a forma, aut a conditione eorum, quorum similitudo refertur, judicium fieri debere; qua unumquodque appellatione sit nuncupandum. *Figrel. de Stat. Roman. c. 1.* Nihil minus. Non differunt materia. *Signorum* materia multiplex: aurum, argentum, æs, marmor, ebur, quorum tria prima funduntur, marmor sculpitur, ebur tornatur. Et quamquam aurea *signa*, & argentea non nominentur: nihil tamen obstat, quin, ut ex ære fiunt, itidem ex auro, & argento fieri possint, cum præsertim de aureis, argenteisque statuis mentio fiat apud Plinium, & alios: ærea vero, marmoreaque *signa* appellat Varr. de Re rust. III. & Liv. Epit. III. Plinius vero sæpissime nominat eburnea XXXIV. 8: XXXVI. 15. & Cicer. Verr. IV. 1. *Nego*, ait, *ullam gemmam, aut margaritam fuisse, aut quicquam ex auro, aut ebore factum, signum ullum, æneum, marmoreum: nego ullam picturam, neque in tabulis, neque in textili fuisse, quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit.* Eadem, quæ *signorum*, statuarum materia. Nota est aurea Gorgiæ; notæ argenteæ Augusti, æneæ Alexandri Magni, & Sp. Cassii, marmoreæ multorum, eburnea Apollinis, ex Plinio, & aliis. Non differunt forma. Fuit quidem aliquando, cum dimidiata *signa* esse, statuas integras existimarem. Nunc opinioni meæ obstare multa animadverto. Primum *signa* duo, quæ Cicero ibidem appellat, unum Cupidinis e marmore, alterum Herculis ex ære. Nec vero illa *signa* non integra fuisse existimandum est: de quibus statim hæc subjungit c. 3.

Erant anea preterea duo signa, non maxima, eximia venustate, virginali habitu, atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam, more Atheniensium virginum, reposita in capitibus sustinebant. Canephoræ ipsæ vocabantur. c. 34. *Erat admodum amplum, & excelsum signum cum stola.* Nominat etiam c. 58. *Jovis Imperatoris signum*, quod integra totius corporis forma fuisse, nemo, ut opinor, dubitat. Non differunt conditione eorum, quorum imagines referuntur: ut statuæ hominum, *signa* deorum esse dicantur. Nam Cicero ipse canephoras illas, quas inter *signa* nominavit, postea deas non fuisse demonstrat c. 3. *Tibi habe canephoras: deorum simulacra restitue.* Accedit testimonium Plin. XXXIV. 7. quo loco ait, *in M. Scauri ædilitate tria millia signorum in scena fuisse.* Quæ si quis putet deorum fuisse omnia allucinetur. Idem, cum inquit l. l. *fuisse Rhodi tria millia signorum, nec pauciora Athenis, Olympiæ, Delphis*, de omni *signorum* genere loquitur, non de iis, quæ deorum tantum essent. *Præterea canis ex ære vulnus suum lambens in cella Junonis dicatus: & rana, & lacerta in columnarum spiris insculptæ*, quæ omnia nominat idem Plinius, *signa*, an statuæ dicentur? *signa* certe. *Sphingem* quoque ex ære Corinthio, *quam circumtulit Hortensius orator Verri reo ablatam*: Et *Amazonis simulacrum, quod Nero circumtulit: & buculam Myronis* inter *signa* memorat Plin. c. 8. Differunt tamen latitudine significationis, quia latius patet *signi* nomen, quam statuæ. *Signum* enim est e solida materia similitudo, vel dei, vel hominis, vel bruti. Statua est item e solida materia similitudo dei tantum, & hominis. Differunt etiam, ut puto, ratione loci. Nam quæ in foro statuæ sunt, aut in alio publico, & profano loco, statuæ, non *signa* dicuntur: eadem in domibus, ac templis *signa* vocantur potius quam statuæ. Itaque *simulacrum Herculis tunicati, quod prope Rostra fuit, statuam* appellat Plin. l. l. At simulacra *Cupidinis, & Herculis ablata a Verre ex Heji Mamertini sacrario*, *signa*, non statuas nominat Cicer. Verr. IV. 3. Et omnino, quæ sustulit Verres ex ædibus deorum, *signa* semper vocat Cicero, non statuas. Quæ igitur statuæ sunt, eædem, si e publico loco in privatum transferantur, *signa* erunt: rursusque si ex privato *signa* in publicum, modo & integra sint, & hominum, aut deorum, statuæ appellari poterunt. Locus igitur nomen mutat: & altera causa, quod *signum* de brutis etiam dicitur, statua non dicitur. Tertium discrimen illud est, quod *signa* hærent interdum in eadem, e qua educta, vel in qua intus incisa sunt, materia, ut rana, & lacerta, supra nominatæ, quæ insculptæ sunt in columnarum spiris, & illa, quæ in gemmis, vel in alia, pro annulorum usu, materia inciduntur. Statuæ vero & expressæ sunt, non in cavo latentes, & ab ea, unde factæ sunt, materia disjunctæ. Nec eo moveor, quod ait Plin. XXXIV. 4. *in domibus etiam privatis statuas fuisse, atque in atriis.* Nam idem ait id factum esse ad exemplum fori, in quo statuæ poni solebant, ad prorogandam hominum memoriam, cum in earum basibus honores inscriberentur. Quare statuæ proprie, quæ in foro: *signa*, quæ vel in ædibus privatis, ut Fam. VIII. 3. & Attic. I. 3. 6. & 7. declarant: vel etiam in templis, ut ex Verr. IV. intelligitur. Nam illud Plin. XXXIII. 3. *Harpocratem, statuasque Ægyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt*: non ut proprie dictum accipio, sed quod reprehendere luxum sui temporis Plinius voluerit, damnata eorum insolentia, qui figuras Ægyptiorum numinum, & solidas, & immoderatæ magnitudinis in annulis gestarent. Quam sententiam statuarum vocabulo, ut significationem augeret similitudo, apte, & decenter expressit. Hæc si cui non probantur, aliam ineat rationem dubitationis amovendæ. Forte enim hoc dici potest, ita statuam a *signo* differre, ut speciem a genere, & statuas omnes *signa* esse, non contra. *Manut. Quæst. Epist.* III. 5. *Struv. Ant. Rom. c.* 11. *p.* 536.

Signum Fortunæ muliebris extra Urbem fuit in via Latina ad quartum lapidem. Festus: *Via Latina ad milliarium quartum signum Fortunæ muliebris nefas est attingi, nisi ab ea, quæ semel nupsit.* Nardin. Rom. Vet. III. 3.

Signum Junonis Reginæ ex cupresso fuit factum. Liv. XXVII. 37. *Post eas duo signa cupressea Junonis Reginæ portabantur. . . . . simulacra cupressea in ædem illata.* Nardin. Rom. Vet. VII. 8.

Signum Pollentiæ, cujus meminit Livius laudatus infr. in *Statua*, fuerit statua civitatis Pollentiæ in Picenis. Forte enim *signa* provinciarum, vel urbium principum populo Romano subditarum fuerint posita. Vel statuamus, Livium intelligendum de *signo* deæ Pollentiæ. Et hujus rei haud dubiam fidem subsequentia verba faciunt: *Ea religione moti patres, diem unum adjiciendum ludorum celebritati censuerunt; & signa duo pro uno reponenda, & novum auratum faciendum.* Donat. in Livium.

Signum pueri *impuberis æneum olim ad Salinas. . . . positum fuit, quod signum allatum est. . . . fuisse ferunt, quod sunt conati quidam auferre. Sed avellere nemo unquam potuit. Alii dicunt avulsam basin præter ipsum signum a quibusdam fuisse, quique abstulerint sub signo, abierunt basi sola potiti. Alii tamen tradunt, simul ut signum abstulerint, in agro Tiburti erexere ad quintum ab Urbe milliarium.* Festus. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 3.

Signum Vertumni fuit in Velabro. Cicer. Verr. I. 59. *Qui a signo Vertumni in circum maximum venit, quin is unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur?* Asconius. V. illum supr. in *Basilica Sempronia*. Velabrum vero vico Turario conjunctum fuit. Colligitur hoc ex Victore. *Vicus Jugarius idem & Turarius*, inqnit ille, *ubi aræ Opis, & Cereris cum signo Vertumni.* Nardin. Rom. Vet. V. 5. & 10. Donat. de Urb. Rom. II. 27. Broukh. in Prop. IV. 2. 50.

SIL.

SILANUS vocatur aquarum tubus, sive fistula. Cels. III. 18. *Confert aliquid etiam ad somnum silanus juxta cadens*, id est, rivulus susurrans decidentium leniter aquarum. Lucret. VI. 1263.

Corpora silanos ad aquarum strata jacebant.

Keuchen. in Frontin. de Aquæd. I. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1639. D. Voss. Lex. Etymol. Gyrald. Dialog. XVIII. Pignor. de Serv. p. 502. Gisan. Collect. Lucret. Cujac. Observ. XI. 2: XIV. 12.

Silanus fuit cognomen Juniorum. Ex Manliis Torquatis originem duxerunt. Indicant hoc Cicer. de Fin. I. 7. Val. Max. V. 8. 3. Liv. Epit. LIV. Nam T. Manlius A. F. T. N. Torquatus, qui cum Cn. Octavio consul fuit an. 588. cum Decimo *Silano* filium in adoptionem dedisset, isque prætor Macedoniam obtinuisset, de provincialium querelis domi audivit: erat autem juris civilis, & pontificii peritissimus; cumque contra filium pronuntiasset, in conspectum suum venire vetuit, & filius eadem nocte laqueo sibi necem intulit: at pater adolescentis funeri non interfuit, & se consulentibus aditum patere jussit. Hac de causa titulum extare scio cujusdam sepulcri virginis Vestalis maximæ, cujus apud Tacit. III. mentio fit, ut C. *Silani* proconsulis Asiæ sub Tiberii Cæsaris principatu sororis, quæ cum C. *Silani* filia esset, Junia Torquata dicta sit. Ex veteribus *Silanis* M. Junium prætorem fuisse cognovimus an. 541. Hunc arbitror a Bojis occisum fuisse post annos sedecim. Primus M. *Silanus* consul fuit an. 644. cum Q. Metello Numidico. Hic male cum Cimbris pugnavit, & accusatum a Cn. Domitio tribuno plebis quinquennio post, apud populum, duæ tantum tribus, Sergia, & Quirina damnarunt. Hujus filius, ut arbitror, D. *Silanus* M. F. consul fuit cum L. Licinio Murena an. 591. Hic primus in senatu a Cicerone consule rogatus, cum designatus esset, sententiam in P. Cornelium Suram, & Cethegum Catilinæ socios dixit. Sub Augusto tres *Silanos* consules invenio. M. *Silanum* collegam Augusti nono consulatu an. 728. quo anno Janus clusus est. Hunc D. F. M. N. quidam appellant, ut cæteris consularibus conjungant. C. *Silanum* C. F. qui post

post octo annos consul cum C. Furnio fuit. C. *Silanum* C. F. M. N. flaminem Martialem, qui fuit consul cum P. Cornelio Dolabella an. 762. Sub Tiberio duo consules *Silani* fuerunt, M. Junius M. F. qui cum L. Norbano Balbo consul fuit an. 771. & Ap. *Silanus*, qui nono postea anno consul fuit cum P. Silio Nerva. Temporibus Claudii D. *Silanus* Appii filius consul fuit cum Q. Haterio Antonino an. 805. Hunc proconsulem Asiæ, & fratrem Lucium, generum Claudii Imperatoris Agrippina Neronis mater occidi jussit, ne filio præferretur in imperio. Sub Hadriano Junius *Silanus* Silena consul fuisse dicitur an. 885. In titulo tamen quodam Prænestini monumenti exstat memoria horum consulum Q. Junii *Silani*, & L. Septimii Valeriani, in quo titulo mentio fit Ælii Augusti liberti. Sub Commodo duo *Silani* eodem anno consules fuerunt Cassiodoro an 941. alterum Junium, alterum Servilium quidam appellant. Maximini vero tempore consules suffecti ex Kalend. Maji Junius *Silanus*, & Messius Gallicanus an. 989. *August. de Famil. Rom. in Junia. Glandorp. Onom. Roman. p.* 505.

SILATUM dicitur substantive, respiciendo vocem vinum. Describit hoc Festus: *Silatum antiqui pro eo, quod nunc jentaculum dicimus, quia jejuni vinum sili conditum ante meridiem absorbebant.* Salmas. Exerc. Plin. p. 814. b. C. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Conviv. I. 3. & 4. Laurent. de Conviv. c. 1. Miror, quid sibi Romani voluerint, cum sili vinum condirent: jucunditatemne aliquam in eo, an salubritatem spectaverint? *Muret. Var. Lect.* IV. 12.

SILENTIARII non erant a secretis Principis, ut credidit Accurs. in l. omnimod. ad fin. ver. silentiariis C. de inoffic. test. & in rubr. C. de silentia. sed qui curam habebant, ne quis in Principis palatio strepitus excitaretur, & ut *silentium* servaretur. *Quietis ministros* dixisset Procop. de Bell. Pers. II. ubi ille: *Romani ad ea, quæ quietis sunt in palatio, ministrum silentiarium vocant.* Et *virga murmur omne compescuisse* dicit Senec. Epist. 47. Horum mentio extat apud Silvian. de Gubern. Dei IV. p. 58. *Pavent actores, pavent silentiarios, pavent procuratores.* Et de his Justin. C. tit. de Silentiariis: *Viros clarissimos sacri nostri palatii silentiarios circa latus nostrum militantes, de tutelis, & curationibus excusari sancimus.* Et lapis vetus apud Gruter. p. 1053. n. 10.

JULIUS. FELIX. VALENTINIANUS.
V. C. ET. EX. SILENTIARIO. SACRI. PALATII. COM. CONSISTORII.
COM. DOM.

Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 62. Pignor. de Serv. p 368. *Popm. de Oper. serv. p.* 31. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 29. *Wetz. in Salvianum.* Non humile illorum munus erat, ut rugatur *Zonar.* Anastas. Erat enim honorificum, & multis privilegiis fulciebatur. Nam illorum fuit prærogativa, ut a tutelis excusarentur. Justinianus modo laudatus: a præstatione tyronum, & equorum essent immunes l. 2. C. T. de decur. & silentiar. ut eorum liberi honestate comitativa primi ordinis, vel dignitate tribunorum notariorum non agnoscerent onera præturæ tanquam senatorum filii l. 5. C. T. eod. tit. domus eorum ab omni hominum inquietudine essent liberæ l. 4. C. T. eod. tit. ab omnibus sordidis muneribus immunes, ad comitatum Principis ire possent sine evocatoria l. 3. C. T. eod. tit. Anastasius, qui nondum in senatorium ordinem ascenderat, sed solum in scholam *silentiariorum* adscriptus erat, ad imperium evectus est. Euagr. Hist. Eccl. III. 31. Niceph. Hist. Eccl. XVI. 24. *Guther. & Pancirol. l. l.*

SILENTIUM erat verbum auspiciorum, eoque nomine appellabant, quod omni vitio carebat. Ita interpretatur Cicer. de Div. II. 34. *Id silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret.* Modus is erat: *is qui auspicabatur, ita imperabat, dicito, si silentium esse videbitur, nec suspicit, nec circumspicit: statim respondet, silentium esse videri. Tum ille, dicito, si pascuntur, pascuntur;* ut narrat Cicer. l. l. Et *silentium* dicebatur tempus augurii post mediam noctem cœlo tranquillo. Liv. XXXIV. 14. *Media nocte quum auspicio operam dedisset, profectus.* Gell. III. 2. *Magistratus, quando eis auspicandum est, post mediam noctem auspicantur*, ab eo quod *sileretur*, uti explicat Varr. de Ling. Lat. V. 2. Rationem habet Plutarch. Quæst. Rom. 71. quod *cum venti spirent, aves non constanter maneant, neque firma exhibeant auguria; itaque tranquillo cœlo captanda auguria, ita ut apertis uti liceat lucernis.* Quare *silentio surgere* Festus ait dici, *cum quis post mediam noctem auspicandi causa ex lectulo suo silentio surrexit, & liberatus a lecto, in solido se posuit, sedetque, ne quid eo tempore dejiciat, rursusque se in lectum reposuit: hoc enim est proprie silentium, omnis vitii in auspiciis vacuitas.* Struv. Antiq. Roman. c. 6. p. 266. & 273. Brisson. de Form. I. p. 123. Buleng. de Aug. c. 12. Panvin. de Civit. Rom. c. 44. Turneb. Adv. V. 19.

Silentium in causis judiciisque intelligitur, quum nulla prorsus se promit conjectura veritatis dispiciendæ, unde ferri possit sententia. Id quod indicat illud Plaut. Amph Suppos. 3. 65.

Jacent rationes, silet judicium, quid dicam, nescio.

Allusum autem videri potest ad ampliationis morem, quum in tempus aliud differtur judicium. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIII. 19.

Silentium in gentilium sacris commendabatur. Quintil. Declam. 365. *In templo, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo etiam tacitam mentem nostram custodimus, pulsare velut in solitudine, velut in secreto quodam, non est ferendum.* Inde in rebus divinis, ut *faverent linguis*, & *pascerent linguam* imperabatur. *Brisson. de Form.* I. *p.* 8. Et in mysteriis, initiisque. Liv. II. XXVI. laudante Nonio: *At enim deus, clande homo tibi quod mussum foret, ne mutires quicquam, nec mysteria ecferres foras.* Lactant. V. 19. *Hinc sita silentia sacris instituta, uti ab hominibus callidis, ut populus nesciat quid colat.* Quæ cum scripsit, respexit credo ad Virg. Æneid. III. 112.

Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus: hinc fida silentia sacris.

Brisson. ibid. p. 3. Kipping. Antiq. Roman. I. 11, §. 16. Et audientiam oratores, & alii qui populum alloquebantur, manu porrecta faciebant. Pers. Sat. V. 7.

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus.

Lucan. I. 298.

—— tumultum
Composuit vultu, dextraque silentia jussit.

Quod Græci dicunt ἡσυχάζειν, & κατασιγάζειν τὸν λεὼν τῇ χειρὶ, vel κατασείειν. Sic Paullus verba facturus dicitur Actor. c. 26. n. 1. ἀνατεῖναι τὴν χεῖρα & Actor. c. 13. n. 16. κατασείειν τῇ χειρὶ. Philosophus in theatrum prodiens apud Herodian. I. 9. §. 8. τῷ τε τῆς χειρὸς νεύματι τὸν δῆμον κατασιγάζειν. Erat autem consuetudo oratorum, cum dextram porrigebant, ut, duobus infimis conclusis digitis, cæteros eminentes porrigerent. Apul. Met. II. p. 54. *Porrigit dextram, & ad instar oratorum conformat articulum: duobusque infimis conclusis digitis, cæteros eminentes porrigit.* Casaub. in Persium. Voss. Instit. Orato. VI. II. 4. Beroald. in Apulejum. Voet. in Herod. Commod. p. 120. Etiam digitorum concrepatione indicebant. Hieron. ad Rustic. monach. *Cum mensa posita librorum exposuisset struem, adducto supercilio, contractisque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans.* Casaub. & Voet. l. l.

SILEX est lapis, ex quo per ferrum rapide percusso ignis exsilit. Isidor. VI. 3. *Silex est lapis durus, eo quod exsiliat ignis ab ipso, dictus.* Alius in lapidicinis exciditur, alius non exciditur, sed sparsim, & divisim reperitur. Plin. XXXVI. 22. meminit *silices* ex nonnullis lapidicinis durioribus excidi, qui in varias formas scalpi solerent. *Græci*, subjicit, *e lapide duro, ac silice æquato construunt veluti lateritios parietes. Cum ita fecerint, isodomon vocant genus*

structuræ. At cum inæquali crassitudine structa sunt, pseudisodomum, tertium est emplecton, tantummodo frontibus politis. Hanc enim polituram *silices* non obstante duritia sua admittunt. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 4. §. 9. Veteres viæ *silice* stratæ sunt an. 580. Livius. V. illum supr. in *Margines.* Donat. de Urb. Rom. I. 23.

SILICARII vocabantur, qui aut *silices* vendebant ad sternendas vias, aut qui solebant munire vias. Horum meminit Inscript. apud Gruter. p. 645. n. 3.

VALERIÆ. CHRYSIDI
M. NUMIUS. PROCULUS
SITICARIUS
CONJUGI. SUÆ
OPTIMÆ. BENEM.
FECIT

Ubi scribendum mihi videtur *silicarius.* Nam *siticarii* qui sint, nemo dixerit. *Græv. Proleg. in Thes. Antiq. Roman. Tom.* III. *p.* 7. Videntur potius esse illi, qui in utraque familia, publica, & Cæsaris erant ad tutelam aquæductuum, de quibus Frontin. de aquæd. II. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1663. *Utraque familia in aliquot ministeriorum species diducitur: villicos, castellarios, curatores, silicarios....* Scilicet hi operam dabant, ne quid detrimenti caperet, aut vitium faceret opus *silicinum* in aquæductibus: nam & hi non solum lateritii, sed ex *silice*, teste Fabret. de Aquæd. Diss. III. n. 279. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1758. Fuerunt itaque tales, quales Germani vocant **steinmetzen /** Belgæ **oppezmannen** Hennin. in Bergier. de viis milit. II. Sect. 4. §. 10. Pignor. de Serv. p. 66.

SILICERNIUM *dicitur cœna funebris, quam alio nomine exequium scriptores vocant.* Festus. Hinc Donat. in Ter. Adelph. IV. 2. 48. *Silicernium, cœna quæ infertur diis manibus.* Tertull. Apolog. c. 13. *Quo differt ab epulo Jovis silicernium?* Meurs. de Fun. c. 35. Kirchman. de Fun. IV. 4. Salmas. Exerc. Plin. p. 848. b. D. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 535. B. Turneb. Adv. XXIX. 17. Stuck. Ant. Conviv. I. 26. Casal. de Prof. Roman. rit. c. 26. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 418. Salmuth in Panciroi. de Reb. deperd. & inv. p. 733. Cujac. Observ. XI. 21. Quenstedt de Sepult. c. 13. Clasen. Theol. gentil. I. 10. §. 30. Voss. Lex. Etymol. Aliud erat mortuorum, quod diis manibus offerebatur, & quod cernere *silentes* tantum, non etiam degustare fas erat parentantes: ab hac causa, ne funestarentur, quod fieri existimabant, si quis quid eorum, quæ divis manibus libabantur, furtim involare, seu turburcinari quidpiam in animum induxisset suum. Erant enim veteres in illa opinione, ut putarent animas defunctorum ab inferis excitatas iis vesci, & delectari, ut videre est apud Homer. Odyss. Λ. 26.... Diserte Lucian. Contemplant. p. 358. *Equidem ignoro, o Porthmeu, quid hæc ad eos, qui ad inferos agunt, pertineant. Verum illis persuasum est, umbras ab inferis reduces cœnare quidem; utcunque liceat, circum nidorem volitando: bibere autem e foveis mulsum.* Tangit, & reprehendit August. Serm. XV. de Sanctis: *Miror, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. Epula enim, & refectiones caro tantum requirit: spiritus autem, & anima iis non indigent. Parare aliquis suis caris dicit, quod ipse devorat, quod præstat ventri, imputat pietati.* Atque hæc causa, cur piaculi loco habitum gustare ea, quæ diis manibus essent oblata. Ex quo ritu lucem fœneror obscuro Pythagoræ symbolo: *quæ deciderint, ne tollas.* Vel potius, ut alii efferunt: *ne gustes, quæcunque de mensa deciderint.* Nam quicquid inter edendum sub mensam cadebat, id amicis defunctis sacrum putabatur, ut discimus ex Athen. X. p. 427. E. *Amicis mortuis cibos dant, qui de mensa deciderant.* Et inde opinor ortum, ut *silicernia* hæc antiquitus super tumulum relinquerentur, sive etiam comburerentur, vel in culina. Festus. V. illum supr. in *Culina.* vel in ipso rogo. Unde Virg. Æneid. VI. 224.

— congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Quo pertinet illud Tertull. de resurrect. carn. c. I. *At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus, & promerens, & offendens.* Ex hoc fonte videtur manasse genus loquendi, *cœnam e rogo rapere.* V. illud supr. in *Bustirapus.* Aliud vero vivorum. Epulas enim amici, & sanguine proximi ad sepulcra carorum suorum solebant inire, absumentes, ne dicam abligurientes, quicquid in his epulis esset appositum. Cicer. pro Flacc. c. 38. *Sepulcrum L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audacissimorum, & domesticorum hostium conventu, epulisque celebratum est.* Tertull. de Testim. anim. c. 4. *Vocas porro securos mortuos, si quando extra portam cum obsoniis, & mattiis tibi potius parentans ad busta recedis, aut a bustis dilutior redis.* Kirchman. ibid. c. 5. Meurs. l. l. Gyrald. de var. sepel. ritu c. 6. & Faes ad illum. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 12. Plures scriptores laudantur supr. in *Cœna funebris.*

SILIGINARII dicebantur, qui in pane *siligineo* conficiendo erant occupati. V. illos supr. in *Pistor.*

SILIQUA, κεράτιον, est tertia pars oboli, seu, quod idem est, sexta pars scrupuli. Decem & octo *siliquæ* faciunt drachmam, sive denarium. *Buleng. de Vectig. c.* 56. *Savot. de Num. ant.* III. 2. *Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1493. C. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 50. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 23. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 2. 32. V. etiam supr. in *Ceratium.*

SILIQUATICUM fuit vectigal, quod mercibus omnibus impositum erat. Cassiod. Var. IV. 19. *Siliquatici præstationem, quam rebus omnibus nundinandis provida definivit antiquitas, in frumentis, vino, & oleo dari præsenti tempore non jubemus.* Dicitur a Græcis κερατισμός. Est & illud *siliquatici* genus, quod debetur in singulas jugationes, non ex capitibus, vel rebus l. I. C. de agent. in reb. ubi non curialis, qui curiali hæres extiterit, in singulas jugationes quotannis curiæ inferre *siliquas* quatuor tenetur, id est, sextam partem solidi, dimidiam tremissis l. unic. C. de imponend. lucrat. descript. & l. 16. C. de agent. in reb. Cassiod. II. 4. V. illum supr. in *Monopolium.* Buleng. de Vectig. c. 56. Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1494. D. Theodosius, & Valentinianus augendo ærario, quod exhaustum erat, *siliquaticum* instituerant, ut nundinis quibusque decreto loco, & tempore constituto ex qualibet mercium negotiatione fisco in singulos solidos venditor dimidiam *siliquam,* ac similiter emptor dimidiam inferret, ut videre est in Constit. Imperat. Theodosii & Valentiniani. *Cujac. Obs.* XVI. 23. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 23. *Buleng. l. l.*

SILIQUARIUS vocabatur *siliquæ* exactor. Cassiod. Var. II. 26. *Siliquarius hunc titulum negotiatoribus indicat abrogandum, nullam ab eis exigat pensionem.* Buleng. de Vectig. c. 56.

SILIQUASTRUM V. supr. in *Seliquastrum.*

SILLI sunt species poematis, convicii, & maledicentiæ pleni, quibus supra licentiam poetæ cavillantur: quippe τὰς σιλλὰς dicacitates, & sales mordaces Græci vocant: qualia Timon poemata scripsit, & Xenophanes, qui ea de causa *Sillographi* dicti sunt. Sunt qui hoc poematis genus originem traxisse velint ex Homerica poesi, ea parte, qua Thersites in Græci exercitus principes convicia jactabat. *Gyrald. de Poet. dial.* I. *p.* 46. *C. Rhodig. Ant. Lect.* XV. 25. *Gronov. Mus. Alexandr. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2747. *C. Thys. in Gell.* III. 17. *Lindenb. in Ammian.* XXII. 16. Eustath. Iliad. B. p. 204. edit. Rom. *Veteres inde annotarunt, non Xenophanem solum fecisse Sillos, quibus aliorum censuram exercet; sed primum hoc poeseos genus cœpisse Homerum.* Voss. de Instit. Poet. II. 20. §. 5. Proxime ad satyram Romanam accedebant. Eustath. Odyss. Σ. *Considerandum est, quomodo ex scribendi ratione, qua in Odyssea utitur poeta, & quæ ad sillorum naturam propius*

pius accedit, ſummaque eam arte exprimit, ſi quidem urbanitatem rebus gravibus admiſcet ſubinde, veriſimile eſt excogitatam a poſterioribus ſatyricam poeſin, cujus methodum Cyclops Euripidis, qui hodieque exſtat, oſtendit. Sæpe ſcribebantur verſu Homerico. Heſych. περὶ σοφῶν in Arceſilao: *Timon Sillographus ludit in eum, ut popularis auræ captatorem his verſibus:*

Sic fatus medium turbæ ſeſe intulit, illi
Ceu fringillæ ululam circumgarrire loquaces,
Et monſtrare levem; ſed quæ cauſa impulit auram
Captares populi non magni ponderis auctor?
Quid magnos ſumendo animos veſane feroci?

Verſus illi ſunt mere ſatyrici. Unde *ſilli* apud Græcos pro ſatyra Romana fuere. *Buleng. de Theat.* I. 9.

SILVANUS fuit cognomen Plautiorum. Sub Cæſaribus quinque *Silvanos* Plautios conſulares fuiſſe video, quorum unus bis conſul, duo triumphalia ornamenta conſecuti ſunt. I. M. Plautius M. F. A. N. ſeptemvir epulonum in conſulatu collega fuit Imperatoris Auguſti in decimo tertio conſulatu an. 751. quo anno ſalus generis humani nato Chriſto domino exorta eſt. Huic ſenatus triumphalia ornamenta decrevit ob res in Illyrico bene geſtas: id obtinuiſſe creditur an. 761. Ejus filium eundem illum A. Plautium fuiſſe arbitror, cui ovationem Tiberius Claudius Imperator decrevit ex Britannia redeunti anno plus minus 798. Apud Tacitum iiſdem temporibus invenio Plautium *Silvanum* prætorem an. 776. accuſatum apud Tiberium Cæſarem a L. Apronio ſocero, quod uxorem Aproniam præcipitem egiſſet, atque ita interemiſſet, eique Urgulaniam aviam pugionem miſiſſe, Plautium fruſtra ferro tentato venas excidendas præbuiſſe. II. conſularis Ti. Plautius M. F. M. N. *Silvanus* Ælianus bis conſul fuit. Priori conſulatu ſuffectus ex Kal. Mart. an. 799. ſub Tiberio Claudio Imperatore. Poſteriori ex Kal. Jul. ſuffectus cum Domitiano Cæſare ſub Veſpaſiano poſt annum vigeſimum nonum: quamvis non ſatis certa ſint utriuſque temporis conſulatus teſtimonia. Hunc ſuperioris M. *Silvani* filium fuiſſe credimus. In agro Tiburtino titulus extat monumenti, ex quo apparet hunc in præfectura Urbis iterum conſulem a Veſpaſiano Imperatore factum eſſe. Sed & pontificem fuiſſe, & ſodalem Auguſtalem, & triumvirum monetalem, quæſtoremque Ti. Cæſaris, legatum legionis quintæ in Germania, legatum & comitem Claudii Cæſaris in Britannia, proconſulem Aſiæ, legatum proprætore Mœſiæ, & poſt alia ab eo geſta ita ſcriptum eſt: *Hunc legatum in Hiſpaniam ad præfecturam Urbis remiſſum ſenatus in præfectura triumphalibus ornamentis honoravit auctore Imperatore Cæſare Auguſto Veſpaſiano verbis ex oratione ejus* Q. I. S. S. hoc eſt, quæ infra ſcripta ſunt. *Mœſiæ ita præfuit, ut non debuerit a me differri honor triumphalium ejus ornamentorum.* III. M. *Silvanus*, qui cum M. Salvio Othone, qui poſtea imperium tenuit, ex Kal. Jul. ſuffectus eſt an. 820. ſub Ser. Galba Imperatore. IV. M. *Silvanus* cum M. Annio Vero Pollione an. 833. ſub Tito Veſpaſiani filio conſul fuit. V. cujus prænomen ignoramus, conſul fuit cum Sentio Augurino an. 908. ſub Pio Auguſto. *Auguſt. de Famil. Roman. in Plautia. Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 682.

Silvanus inter deos ruſticos præcipuus fuit, ſummopere cultus ab agrorum cultoribus: illi præcipue pro pecorum valetudine, & agrorum fertilitate porcum immolabant. Morem tangit Juven. Sat. VI. 447. V. illum ſupr. in *Quadrans.* & ad vivum exprimit Horat. Epiſt. II. I. 143. V. illum ſupr. in *Feſcennina.* Tabulam Romæ quondam habuit Horatius della Valle Ictus. Diſcimus hoc ex Gruteri inſcriptionibus, ubi hæc ejus deſcriptio:

Stat hic Silvanus inter quercum, & palmam altera manu falcem putatoriam habens, altera ramum, cujus extrema neſcio an nux pinea emineat. A dextris, ad altare tibicen canit adſtantibus duobus aliis. A ſiniſtris, duo item aſtant, quorum Hic neſcio quid vaſculi utraque manu capiti impoſitum oſtentat: ille porcam ducit tergum vittatam.

Subſcribitur:

SACRUM. SANCTO. SILVANO. AUG. VOTO SUSC. EX. VIS.

Tabula eſt marmorea, duos fere palmos alta, ſeſquipalmum lata, cujus dorſo quatuor inſculptæ ſunt cavernulæ, quibus dubio procul parieti appendebatur. Icones ſymmetria, & habitu argumento rudiori decore conveniunt. Aræ adſtant voventes tunicati, & incompti, quam ſacra facturus ſollenni ſacrificii ritu ad dexteram converſus dextera manu tangens erecto vultu preces fundit, Janum & Veſtam, qui in omnibus ſacris præcipua numina erant, atque in votis concipiendis primum compellabantur, obſecrans, ut per eos aditus ad cætera pateat, Jovis Opt. Max. invocatione, de more adjecta. Interim agreſtis puer pone quadratam aram diſtentis buccis geminam tibiam inflat, ne quid infauſtum exaudiretur, vel, ut Plin. XXVIII. 2. ait, *ne quid aliud exaudiretur.* Aræ adſtat alius puer loro canem trahens venaticum, quod animalis genus in ſacris mactatum primitus conſtat. Ex adverſo vittatum, ut apparet, porcum, veluti *Silvano* ſacrum, miniſter litandum tenet, pone quem villicus pilam cervice gerens tundendis frugibus, quæ immolandæ erant. In medio *Silvanus* eſt, forma reliquis conſpectior inter deos ruſticos, & domeſticos habitus, quem ipſæ inſcriptiones unum e laribus manifeſtant. Recte nudus eſt, relicta apud Herculem veſte, cum ejus vindictam effugeret. Capitis velamen obſcurum eſt. Pinu coronatum e tabulis quibuſdam Romanis ſuſpicatus fuit Gruterus: ſed pineum forte conum cupreſſi loco tranſmiſit, qui eas cum viro optimo communicavit. Arbores utrimque ſitæ admodum mihi dubiæ. Palmam & quercum Gruterus cenſet. Nec male. Utraque enim æternitatem notat, cui fortaſſe vovens tabellam ſacravit. Retuſam falcem dextra tenet *ſilvis* cædendis: ſiniſtra ramum foliis viduatum, e quo cupreſſi nuces ſurgunt, cujus ille primus ſationem inſtituit: quicquid de pinea aliquando fructus ſimilitudine deceptus cenſuerit Smetius. Sic enim Poeta Georg. I. 20.

Sic teneram ab radice ferens Silvane cupreſſum.

Silvano ſunt honores divini collati. Agricolæ, ut arvorum, & finium dominum colebant. Cives, ut matronalis pudicitiæ inſidiatorem. Omnes vero, ut conjugii conſervatorem. Nec eſt diverſus a Marte *Silvano* Picumno, cui veluti deo conjugali in puerorum natalitiis lectus in ædibus ſternebatur. Et priſcis idem qui Pan habitus. V. ſupr. in *Mars.* Hinc vetus gloſſa: *Silvanus*, Πάν, Θεὸς ὑλαῖος. Quæ confirmat Capel. de Nupt. Phil. & Merc. I. *Ipſam terram, quæ hominibus invia eſt, referciunt longævorum chori, qui habitant ſilvas, nemora, lucos, lacus, fontes, ac fluvios, appellanturque Panes, Fauni, Foni, Satyri, Silvani.* Inde varia encomiorum ſerie apud priſcos, dominus, geminus cuſtos, ſalutaris, domeſticus, dendrophorus, littoralis, cœleſtis, auguſtus, ſacer, ſanctus, & ſanctiſſimus. Templa, ſigna, collegia, æditnos, cultores, ſodales, ſacerdotes, antiſtites meruit, & ſollennia ſibi vota Kal. Mart. Romæ inſtituta. *Tomaſ. de Donar. c. 26. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 444. E. Voſſ. de Idolol.* IX. 34. Inter alia hic inſigne ejus habes elogium. Fuit hoc votum liberti cujuſdam pro ſalute Auguſti ſuſceptum, ita explicandum. *Sacrum ſancto Silvano Auguſti voto ſucceſſit ex viſione.* Galvanus adducta verba ſic interpretatur: *Sacrum ſancto Silvano Auguſto voto ſuſcepto ex viſu*, vel *viſo. Silvano* enim Auguſti epitheton quandoque additum, non minus quam Apollini, aliiſque numinibus, jam in confeſſo cenſet. Mihi tamen placet *Silvano Auguſti* i. e. genio, tutelæ, defenſori. Niſi enim ita legamus, minus conſtabit, cui votum id dicatum, vel a quo profectum. Scio equidem cæteris diis cognomen Auguſti additum fortaſſe jure originis, quam Imperator Auguſtus Æneæ munere ſibi ab illis arrogaverat; hoc tamen epitheton diſcretionis, aut proprietatis omnino non aſſeveraverim, quin potius eſſe ornatus cum multis commune. Tuſculi ad Benacum, quod vulgo Salodium, in ſaxo quondam

erat: AUGUSTIS LARIBUS. Nunquid his *Silvanus* abjectior non pari dignus titulo? Nec eſt, quod ſculptorem erroris inſimulemus. Quamquam enim monumentum a vetuſtate varie affectum obſcure monſtret c. quod vulgo caudatum dicimus: utrumque tamen ee. bono jure ſervari poteſt, ac debet, ut eſt omnino in marmore. Nam Pierius in vetuſtioribus quibuſdam libris Virgilii ita ſcriptum vidit Æneid. I. 179.

Succepit ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit.

Quam lectionem etiam tuetur a Meyen in ſuis annotationibus, & Scalig. Poet. IV. 16. Sic igitur optimo ſenſu legenda vetus inſcriptio: *Sacrum Sancto Silvano Auguſti voto ſuſcepto ex viſu.* Tomaſ. l. l. Ferrar. de Re Veſt. I. 3. 6.

SILVIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

Silvia Veſtalis. V. illam ſupr. in *Rhea.*

SILUS fuit cognomen Sergiorum, & Liciniorum Feſtus: *Silus appellatur naſo ſuſum verſus repando: unde galeæ quoque a ſimilitudine ſilæ dicebantur.* Auguſt de Famil. Roman. in Junia. Falconer. Diſſ. de Pyram. C. Ceſt. epul. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1476. F.

SIM.

SIMBRIVIUM fuit flumen in Æquicolis, finibus Tiburtum. Sil. Ital. VIII. 369.

Quique Anienis habent ripas; gelidoque rigantur
Simbrivio.

Tacit. Annal. XIV. 22. 4. *Apud Simbrivina ſtagna, cui Sublaqueum nomen eſt.* Fabric. Deſcr. Rom. c. 17. Cluver Ital. Ant. II. 10. 14. Cellar. in Silium.

SIMON magus, cum Nero Imperator de aliqua forte feneſtra magnæ ſuæ domus proſpectaret, a diabolo per aera vectus, ad preces S. Petri & Paulli in Sacra via in terram delapſus eſt. Ita in paſſione S. Petri legitur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 5. Quod autem illic legatur, magum illum volatu in theatrum ſeſe contuliſſe, nil obſtat; quum ſimplicitati illud ſcriptoris tribuendum ſit, qui per theatrum veſtibulum intellexit domus Neronianæ, in quod, velut in theatrum, ingens ſpectatorum confluxerat multitudo, ut tam mirabili frueretur ſpectaculo. *Nardin. l. l.*

SIMPLIUM quidam ratiocinatores vocant dimidium ſcriptulum: quod erit totius aſſis pars quingenteſima ſeptuageſima ſexta. *Voluſ. Mæcian. Diſtrib. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1707. *C. Cenal. de Pond. ac menſ. rat. Theſ. Græv. ibid p.* 1602. *E.*

SIMPULATRICES dicebantur mulieres rebus divinis deditæ. Feſtus. V. illum infr. in *Simpulum.* Turneb. Adv. III. 10: XXIII. 18. & in Cicer. de Leg. III. p. 216. Voſſ. Lex. Etymol. Saubert. de Sacrif. c. 17. Stuck. de Sacrif. p. 78. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 14. Roſin. Antiq. Roman. V. 39.

SIMPULO, & *ſimpulator* vocabatur, qui ſponſum per convivium diſcurrentem comitabatur. Succius Piſcatoria:

Summates viri facti ſunt ſimpulones ganei.

Iſidorus in Gloſſis: *Simpulator, conviva, amicus ſponſi aſſiduus cum eo in convivio.* Voſſ. Lex. Etymol. Stuck. Ant. Conviv. I. 24. Buleng. de Conviv. III. 31.

SIMPULUM, ſive *ſimpuvium* fuit vas ſacrificale, quo in libationibus ſacrificiorum minutatim, & parum vini ex eo ſacrificantes ſumebant. Varr. de Ling. Lat. IV. 26. *Quo ſumebant minutatim a ſumendo ſimpulum nominavere.* Feſtus: *Simpulum, vas parvum, non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur: unde & mulieres rebus divinis deditæ ſimpulatrices dicuntur.* Plin. XXXV. 12. *In ſacris non myrrinis, cryſtallinisve, ſed fictilibus prolibatur ſimpulis.* Caſal. de Prof. Rom. rit. c. 15. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 3. c. 1. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Voſſ. Lex. Etymol. Jun. Anim. II. 10. in Tertull. Apolog. c. 13. Blond. Triumph. Rom. I. p. 15. D. Bayſ. de Vaſcul. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 683. E. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 30. Nonn. in Golz. Numiſm. Jul. Cæſar. p. 32. Ruben. Elect. II. 8. Schacch. Myroth. II. 43. Turneb. Adv. XXII. 30. & in Cicer. de Leg. III. p. 216. Pigh. Annal. Rom. III. p. 127. Stewech. in Arnob. p. 107. Saubert. de Sacrif. c. 17. Eggeling. Myſter. Cerer. & Bacch. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 63. E. La Chauſſe de Inſignib. Pont. Max. Tab. II. n. 2. Buleng. de Conviv. III. 31: IV. 11. Stuck. de Sacrif. p. 81. Ejus materia fuit fictilis. Apul. Apol. p. 434. *Paupertas populo Romano imperium a primordio fundavit: proque eo in hodiernum diis immortalibus ſimpulo, & catino fictili ſacrificat.* Plinius modo laudatus. *Voſſ. Bayſ. & Caſal. l. l.* Ex luto namque Samio, quod eſt in inſula Samo, in rubrum colorem vertente, plurima ego obſervo vaſa etiam ad veterum ſacrificia. Quod in talem uſum inſerviiſſet lutum Samium docent Cicer. de Republ. apud Non. IV. §. 434. *Munera Pontificum diis immortalibus grata ſine Samio.* Plaut. Capt. II. 2. 41.

Ad rem divinam quibus opus eſt, Samiis vaſis utitur.

Forma ex omnium conſenſu interpretum, tam Latinorum, quam Rabinorum per medias quaſdam fiſtulas ſignificari dicitur, quod nimirum uſus gratia medias fiſtulas illa vaſa haberent a tergo, ubi manubrio ſatis longo fulciuntur uno altero majus, quod veluti quodam canale excavatum habent; ſed etiam in anteriori parte, unde liquor deguſtabatur. Medio canale vas excavabatur ad vinum fundendum, deguſtandum, atque libandum, ſicque extra protendebatur, ut ori cum adjungitur, vini tantillum exſorbere liceret. Conſtat hoc ex antiquis lapidibus, & nummis. Hujus vaſis inventum tradidit Numa, deorum cultu ſumme laudatus. Ejus religionem irridens dicebat Juven. Sat. VI. 343.

Simpuvium videre Numæ, nigrumque catinum.

Caſal. l. l.

SIMULACRUM proprie appellatur ſtatua, cui cultus aliquis, & religio impenditur. Latini enim præcipue utuntur *ſimulacri* voce, ubi εἴδωλα, quæ diis fiunt, vocant Græci. Nec alio reſpectu ſtatuas a *ſimulacris* ſecrevit Suet. Jul. 76. n. 2. ubi nimios ejus honores recenſens, de eo dicit, quod decerni ſibi paſſus fuerit, *ſtatuam inter Reges, ſimulacra juxta Deos.* Aliis dicuntur *ſimulacra,* & hominum, & brutorum, & aliarum rerum inanimatarum, quarum referunt ſimilitudinem. *Simulacrum* enim a ſimilitudine deducitur. *Simulacra,* inquit Iſidor. VIII. 11. *nuncupantur, vel pro eo, quod ſunt ſimilia, vel pro eo, quod ſunt ſimulata, atque conficta, unde & falſa.* Figrell. de Stat. Roman. c. 1. Guther. de vet. jur. pont. III. 8. *Simulacra,* quia hominibus ſuperſtitioſis parum fuit deos habere certis locis definitos, niſi etiam conſpicerent oculis objectos, ſibi effinxerunt, ac in ſacris locis veneranda collocarunt. Initio tamen religionis quæ ab Ægyptiis tranſiit ad Græcos, illis templa vacua erant. Lucian. de dea Syria p. 657. *Antiquitus etiam apud Ægyptios templa ſine ſimulacris erant.* Idem apud priſcos Romanos obtinuiſſe teſtis Varro, qui referente Auguſt. de Civit. Dei IV. 36. prodidit *eos plus quam annos centum, & ſeptuaginta ſine ſimulacro deos coluiſſe.* Plutarch. Num. p. 65. B. *Vetuit Romanis hominis, vel beſtiæ formam tribuere deo, neque fuit ulla apud eos ante picta, vel ficta imago dei, ſed primos centum ſexaginta annos templa exſtruxerunt, & cellas diis, ſimulacrum per id temporis nullum habuerunt, nefas putantes auguſtiora exprimere humilioribus, neque aſpirari aliter ad deum quam mente poſſe.* Tertull. de Idolol. c. 3. *Idolum aliquandiu retro non erat. Priusquam hujus monſtri artifices ebulliſſent, ſola templa, & vacuæ ædes erant; ſicut in hodiernum quibuſdam locis vetuſtatis veſtigia permanent.* Hujus ſuperſtitionis uſus fuit tamen antiquiſſimus; quippe jam inde a Moſis temporibus repetit Euſeb. Chron. II. Huic enim æqualem ſtatuit Cecropem Athenienſium Regem, qui primus *ſimulacrum* apud Græcos fabricarit. Antea lapides Græci plerique rudes pro *ſimulacris* colebant.

bant. Pausan. Achaic. p. 228. *Antiquitus etiam apud omnes Græcos cultum divinum pro simulacris lapides habebant nudi.* Pharenses triginta lapides quadrangulares totidem deorum nominibus venerabantur. Clem. Alex. Admonit. ad gent. p. 30. A. *Prinsquam accurate fabricarent simulacrorum habitus, statuentes columnas antiqui coluerunt eas tanquam dei simulacra.* Accesserunt postea formæ, & quidem potissimum humanæ; illis enim præditos Græci censebant deos. Herod. I. p. 62. C. ubi narrat Persas *simulacrorum*, templorum, & altarium usum improbasse: *quod non censebant deos humana forma præditos, tanquam Græci.* Feith. Ant. Hom. I. 4. Buleng. de Pictur. I. 18. Accedit ratio, quod nullum corpus, præter quam hominis, existat pulcrius, ac dignius, cui dii assimilentur. In illo enim solo scientia, & ratio, & sermo tanquam in domicilio suo habitant, quæ hominum etiam sunt communes cum diis virtutes, & notæ. Cicer. de Nat. deor. I. 27. *Non deest hoc loco copia rationum, quibus docere velitis, humanas esse formas deorum. Primum quod ita sit informatum, anticipatumque mentibus nostris, ut homini, cum de deo cogitet, forma occurrat humana. Deinde, ut, quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque esse pulcerrima debeat, nec esse humana ullam pulcriorem. Tertiam rationem affertis, quod nulla alia figura domicilium mentis esse possit.* Accessit licentiosa poetarum auctoritas, & confidentia artificum. Cotta Academicus apud Cicer. l. l. *Quis, ait, tam cæcus in contemplandis rebus unquam fuit, ut non videret species illas hominum collatas in deos, aut consilio quodam sapientum, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a vitæ pravitate converterent; aut superstitione, ut essent simulacra, quæ venerantes, deos ipsos se adire crederent. Auxerunt autem hæc eadem poetæ, pictores, opifices. Erat autem non facile, agentes aliquid, & molientes deos, in aliarum formarum imitatione servare.* Hinc variæ in illis expressæ hominum ætates, aliæque affectiones. Lucian. de Sacrif. p. 367. *Formas deorum exprimunt, adhibito ad id vel Praxitele, vel Polycleto, vel Phidia. At hi quidem artifices, haud scio, ubinam visam eorum imaginem repræsentant. Ac Jovem quidem barbatum fingunt, Apollinem vero semper puerum, Mercurium jam pubescentem, primamque ducentem lanuginem, Neptunum nigro capillitio, cæsiis oculis Minervam.* Et habitus, ac vestitus varii. Cicero: *Jovem, Junonem, Minervam, Vulcanum, Apollinem, reliquos deos ea facie novimus, qua pictores, fictoresque voluerunt; neque solum facie, sed etiam ornatu, ætate, atque vestitu.* Figrel. ibid. c. 2. Vetustissima erant *indistincta pedibus. Primus Dædalus explicavit, & pedes distinxit*, ut tradit Harpocration. Situs erat varius: nam stantis specie alia erant collocata, alia sedentis. Sic & Porphyrius scripsit gentes solitas deos *delineare cultibus discrepantibus, & ætatibus, & statu, & vestibus:* prout ex eo refert Eusebius. Arnob. VI. p. 204. *Ergo si hoc ita est, & in sedentibus signis deum sedere dicendum est, & in stantibus stare, in procurrentibus currere, jacularier in jacientibus tela.* Sedentis Minervæ *simulacrum* fuisse in arce Trojana, ad quod supplicarunt Trojanæ mulieres Iliad. VI. 92. verosimile est; quando *in genibus ejus* dicuntur *posuisse peplum.* Strab. XIII. p. 413. *Antiquorum Minervæ simulacrorum multa sedentia videntur, ut Phocæa, Massiliæ, Romæ, in Chio, aliisque in locis pluribus.* Qui tamen addit suo tempore in altera Troja *stantis specie* exstitisse. Feith l. l. Materia vilior ut plurimum *simulacris* deorum fuit adhibita. Fiebant I. ex ligno. Plin. XII. 1. *Ex arbore simulacra numinum fuere, nondum pretio excogitato belluarum cadaveri, antequam ut a diis nato jure luxuriæ, eodem ebore numinum ora spectarentur, & mensarum pedes.* Pausan. Corinth. I. p. 61. *Crediderim illis temporibus omnia signa ex ligno fuisse, in primis tamen ea, quæ fecere Ægyptii.* Arcad. p. 254. *Ac prisci quidem homines, non aliis materiæ generibus ad simulacra deorum usi sunt, quam hebeno, cypariso, cedro, quercu, smilace, seu hedera, loto.* Etiam Romani lignea habuere *simulacra* usque ad devictam Asiam. Plin. XXXV. 7. *Mirum mihi videtur, cum statuarum origo tam vetus in Italia sit, lignea potius, aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata, usque ad devictam Asiam.* Romulus post pacem cum Sabinis pactam Janum fecit ligneum. Tibull. II. 10. 20.

— paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.

Causa non fuit sordida parsimonia, sed opinio illa hominum, qua aut deos quo simplicius, & moderatius, eo melius coli credebant. Hinc lex Platonis XII. apud Cicer. de Leg. II. 18. *Aurum, & argentum in urbibus, & privatim, & in fanis invidiosa res est. Tum ebur ex inani corpore extractum, haud satis castum donum deo. Jam æs & ferrum duelli instrumenta, non fani. Ligneum autem, quodque voluerit, uno e ligno dedicato.* II. ex argilla. Plin. XXXV. 11. *Crevit res in tantum, ut nulla signa, statuæve sine argilla fierent. Quo apparet, antiquiorem hanc fuisse scientiam, quam fundendi æris. . . . Hæ effigies deûm erant laudatissimæ. Nec pœnitet nos illorum, qui tales coluere. Aurum enim & argentum ne diis quidem conficiebant.* Causa fuit paupertas. Nam inter antiqua Romani imperii tempora non tantum divitiarum erat, ut prisci illi patres statuas aliter quam luto facerent. Ovid. Fast. I. 198.

Dum populus pauper, dum nova Roma fuit,
Jupiter angusta vix totus stabat in æde,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Factum & illud est, ne auri, argentique pretioso sumptu numen violaretur, quod fœdum in vita luxum detestari credebatur. Juven. Sat. XI. 115.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.

Senec. Epist. 31. *Cogita, illos, deos, cum propitii essent, fictiles fuisse.* Quædam etiam religio isti simplicitati inesse putabatur. Senec. ad Helv. c. 20. *Tunc per fictiles deos religiose jurabatur.* III. ex marmore. Plin. XXXVI. 4. *Marmore scalpendo primi omnium inclaruerunt Dipœnus & Scyllis, geniti in Creta insula, etiamnum Medis imperantibus, priusquam Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est, olympiade circiter L.* IV. ex ebore. Celebratus est *Phidiæ Jupiter Olympius ex ebore & auro* apud Plin. XXXIV. 8. nec non ejusdem laudatur *Minerva Athenis facta, quæ erat cubitorum sex & viginti, ex ebore & auro* apud eundem XXXVI. 5. *Figrell. ibid. c. 16. Buleng. de Pictur. II. 7. Bergier de Viis milit. V. sect. 13. §. 2 -- 7.* Nec deorum solorum fictilia antiquitus *simulacra* fuerunt: heroum etiam, Regumque statuæ ita fiebant. Athenis statuas Thesei, & Amphictyonis fictiles multas fuisse docet Pausanias in Arcadicis. *Figrell. l. l. Buleng. de Pict. I. 18. Laurent. Var. sacr. c. 6. Feith l. l.* Coronabantur. Vix ullum enim fuit numinis aliquam celebritatem adepti incoronatum. Et divinum cultum vix ullum, sive publicus sit, sive privatus, curate descriptum invenias absque mentione coronæ. Porro corona texebatur ex ea materia, quæ cuique numini complacita, & in tutela ejus esset, cui dicabatur. Dio Chrysost. Orat. de Regn. *Ut fluvios jacentes, nudos, cana barba, multumque promissa, myrica, aut arundine coronatos.* Paschal. de Coron. IV. 1. Festis diebus minio illinebantur. V. supr. in *Minium.* Vestibus purpureis, & auratis ornabantur. Hinc *vestitores simulacrorum* apud Firmicum. Egregie Tertull. de Idolol. c. 18. *Ceterum purpura, vel cætera insignia dignitatum, & potestatum, insertæ dignitati & potestatibus idololatriæ ab initio dicata habent profanationis suæ maculam: cum præterea ipsis etiam idolis in quantum prætextæ, & trabeæ, & laticlavi, fasces quoque & virgæ præferantur, & merito. Nam dæmonia magistratus sunt seculi hujus, unius collegii insignia, fasces, & purpuras gestant.* Falces, & virgæ præferebantur. Tertullianus modo laudatus. Hinc apud Senecam *lictor deorum* in fragmento, quod habet August. de Civit. Dei VI. 10. *In Capitolium perveni, pudebat publicatæ dementiæ, quod sibi vanus furor attribuit, officia alius nomina deo subjicit, alius horas Jovi nuntiat, alius lictor est, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem.* Ruben. de Re vest. I. 21. Guther. de Jur. pontif. III. 8. Varia fontibus apponebantur. V. supr. in *Fons.* Collocabantur non in templis solum, & lucis, sed & in ipsis urbium portis. V. supr.

V. ſupr. in *Porta*. Cerei illis accendebantur. Hieron. in Eſaj. c. 16. n. 57. *Tutelæ ſimulacrum cereis venerans, & lucernis.* Ammian. XXII. 13. *Fanum Apollinis Daphnæi amplissimum ſubita vi flammarum exuſtum eſt. Ferebatur, licet rumore leviſſimo, hac ex cauſa conflagraſſe delubrum: quod Aſclepiades philoſophus, cum viſendi gratia Juliani peregre ad id ſu urbanum veniſſet, deæ cœleſtis argenteum breve ſigmentum, quocunque ibat, ſecum ſolitus efferre, ante pedes ſtatuit ſimulacri ſublimes, accenſiſque cereis ex uſu ceſſit: unde mediatate noctis emenſa, volitantes ſcintillæ adhæſere materiis vetuſtiſſimis, ignesque aridis nutrimentis erecti, omne quicquid contingi potuit, concremarunt.* Ferrar. de Lucern. ſepulcr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 998. A. Lindenbr. in Ammianum. Quacunque irent, opis aliquid ab iis expectantes, multi ſecum circumtulerunt. De Julio Venerem armatam circumgeſtante Dio XLIII. p. 235. A. *Omnino Venerem colebat, a qua ſe etiam formæ quandam venuſtatem habere, perſuadere omnibus nitebatur. Ideo ſculptam Veneris armatæ imaginem geſtabat, eaque teſſera in rebus ſummis plerumque utebatur.* De ſeipſo Apul. Apol. p. 506. *Nam morem mihi habeo, quoquo eam, ſimulacrum alicujus dei inter libellos conditum geſtare.* Erant vero illa exigua, & brevia, quo circumferri facilius poſſent, cujuſmodi erat illud Aſclepiadis philoſophi, de quo Ammianus modo laudatus. Hunc morem fluxiſſe credendum ex impia illa ſuperſtitione, qua deorum *ſimulacra* nonnunquam ad magicas artes, & vanitates uſurpatas legimus. *Figrel. ibid. c. 3.* Non ſine prodigio ad ortum, & auſtrum ſeſe converterunt. Dio XLI. p. 182. D. *Capita, quæ in lectis erant, ſe averterunt.* XLVI. p. 313. A. *Matris deum ſimulacrum de cœlo delapſum, quod prius ad ortum ſpectabat, ad occaſum ſponte converſum eſt.* Vocem ediderunt. Val. Max. I. 8. *Vejis ſimulacrum Junonis Monetæ per jocum interrogatum, an Romam migrare vellet, velle ſe reſpondit. Fortunæ item muliebris ſimulacrum, quod eſt via Latina ad quartum milliarium non ſemel, ſed bis locutum conſtitit, his pæne verbis: bene me matronæ vidiſtis, riteque dedicaſtis.* Imo & riſerunt. Suet. Calig. c. 57. n. 1. *Futuræ cædis multa prodigia extiterunt, Olympiæ ſimulacrum Jovis tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint.* Buleng. de Prodig. c. 4. Illa & magno diſcrimine, & metu, & deſperatione ſalutis ſolebant amplecti. Virg. Æneid. II. 517.

Et divum amplexæ ſimulacra tenebant.

Ovid. Met. XIII. 411.

Dardanidas matres patriorum ſigna deorum,
Dum licet, amplexas, ſuccenſaque templa tenentes
Invidioſa trahunt victores præmia Graji.

Turneb. Adv. XIV. 15. Cerda in Virgilium.

Simulacrum Boni eventus ita conformarunt veteres, *ut dextera pateram, ſiniſtra ſpicam, ac papaver teneret.* Plin. XXXIV. 8. Et hac figura exſtat in veteri numiſmate Imperatoris Titi, & in nummo Severi hæc eadem effigies. *Minos in Alciat. Emblem. 44. Donat. de Urb. Rom.* III. 16. *Tomaſ. de Donar. c. 1. Valeſ. in Ammian.* XXIX. 6. *Ortel. Deor. cap.* II. 40.

Simulacrum Favoris fingebatur cæcum. *Stuck. de Sacrif. p.* 110.

Simulacrum Fidii in antiquitatibus Romanis ita effictum aliquando conſpeximus. Marmor erat in feneſtræ modum formatum, in quo tres imagines effictæ fuerunt. Dextra quidem virilis, habitu pacifico: ſiniſtra vero muliebris erat, eodem habitu, coronam ex lauro geſtans, quæ dextram dextræ jungebat cum priore imagine: in medio harum duarum ingenui pueruli effigies cernebatur, cujus ſupra caput hæc duo verba legebantur, FIDII SIMULACRUM: apud imaginem dextram virilem, HONOR: in ſiniſtra imagine muliebri, VERITAS legebatur. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 86. *A.*

Simulacrum Fortunæ aureæ cuſtodiebatur ſancte intra intimum cubiculum Imperatoris, donec morti proximi ad ſucceſſoris cubiculum, ſi eum ſibi deſignaverant, transmitteretur. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 563. *F.*

Simulacrum Fortunæ conſervatricis Galbæ horreis adſtabat, & ea tueri credebatur. V. illud ſupr. in *Horrea Galbæ.*

Simulacrum Fortunæ muliebris. V. illud infr. in *Templum Fortunæ muliebris.*

Simulacrum Fortunæ virilis fuit *duabus undulatis togis opertum, perinde ut olim Reges Romani undulatas, & prætextas togas ſoliti ſunt geſtare:* ita Varro de vit. pop. Rom. I. apud Non. II. 926. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 9. Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 459. *E. Nardin. Rom. Vet.* V. 10.

Simulacrum Hipponæ locabatur in ſtabulis. Juvenalis. V. illum ſupr. in *Hippona.* Coronis roſeis ornatum fingit Apul. Met. III. p. 96. *Reſpicio pilæ mediæ, quæ ſtabuli trabes ſuſtinebat, in ipſo fere meditullio Hipponæ deæ ſimulacrum præſidens ædiculæ, quod accurate corollis roſeis recentibus fuerat ornatum.* Tomaſ. de Donar. c. 32.

Simulacrum Jani, aut cum ſceptro, & clave, unde & clavigeri nomen, aut in manu dextera *T* notam numeri tricenarii, in ſiniſtra ξέ, id eſt, ſexagenarii & quinti habuit, ad denotandam totius anni dimenſionem per triginta ſexaginta quinque dies: ex fide Macrob. Sat. I. 9. Plin. XXXIV. 7. & Suidæ in Januarius. *Lipen. de Stren. c. 4. §. 25.*

Simulacrum Iſidis ex nigello lapide erat factum, ut contra Symmachum habet Prudentius. Eſſedo mannis vehebatur. Ego cum Venetiis in ædibus Franciſci Mauraceni D. Marci procuratoris eſſem hoſpes, Iſidis *ſimulacrum* inſpexi, quod ipſe inter ſtatuas, quas varias habebat, erexerat. Novi ſtatim deæ effigiem: ex tuberoſis ſiquidem labiis, nigelloque lapide, ut eam Prudentius deſcribit Ægyptiam, unaque ſimul ex arca, quam præ manibus gemebunda ſuſtinet, occiſi Oſiridis, ipſam eſſe recognovi. *Argol. in Panvin. de Lud. circenſ.* II. 2. Erat & in circi altero latere diademate turrito, leoni inſidens, altera manu ſiſtrum, altera orbem tenens. *Buleng. de Circo c.* 20.

Simulacrum Junonis Monetæ, captis a Furio Camillo Vejis, quod ibi præcipua religione cultum erat; milites juſſu Imperatoris in Urbem tralaturi, ſede ſua movere conabantur. Quorum ab uno interrogata dea, an Romam migrare vellet, velle ſe reſpondit. Hac voce audita, luſus in admirationem verſus eſt. Jamque non ſimulacrum, ſed ipſam cœlo Junonem petitam, portare ſe credentes, læti in ea parte montis Aventini, in qua nunc templum ejus cernimus, collocaverunt. Val. Max. I. 8. §. 3. *Crinit. de Honeſt. diſcipl.* XXI. 4.

Simulacrum lupæ æneum, ex cujus uberibus pendent Romulus & Remus Urbis conditores, eſt in porticu interiori, quæ in area Capitolina prope aulam. De hoc Cicer. Cat. III. 8. *Tactus eſt etiam ille, qui hanc condidit urbem, Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum, & lactentem uberibus inhiantem fuiſſe meminiſtis.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 9. Rycq. de Capitol. c. 24.

Simulacrum luporum fuit in via Appia. Obſeq. de Prodig. c. 31. *Signum Martis in Appia via ad ſimulacra luporum ſudavit.* Loci alicujus denominationem in illa via fuiſſe nimis quam perſpicuum eſt, a veteri aliqua luporum ſculptura, picturave derivatam. Qui locus quis, aut ubi fuerit, nullo alio prælucente lumine conjectu difficile eſt. *Nardin. Rom. Vet.* III. 2.

Simulacra Mercurii duo parva ex utraque carcerum in circo parte, funem, ſeu catenulam manibus ante carceres tenentia, quibus equi, & quadrigæ, apertis jam cancellis, ne ante a magiſtratu ſignum datum currerent, coercebantur. Signo vero dato, ita funes compoſiti erant, ut ex Hermularum manibus magiſtrorum opera ſtatim elaberentur, & equi currere inciperent. De quibus Caſſiodorus: *Biſſena oſtia ad* XII. *ſigna poſuerunt: hæc Hermulis funibus demiſſis ſubita æqualitate panduntur.* Panvin. de Lud. Circenſ. I. 6.

Simulacrum Neptuni in pompa per circenſes ludos circumferebatur. Ita de ſpectaculis circenſium Ovid. Amor. III. 2. 47.

Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis.

Salmaſ. Exerc. Plin. p. 634. b. D. *Circenſium die ſollenni*

pompa

pompæ Augustus *detraxit* apud Suet. c. 16. n. 4. id est, in pompam non transtulit. Non transtulit autem, quia naufragium fecerat. *Buleng. de Circo c.* 38. *Pitisc. in Suetonium.*

Simulacrum Palladis in templo Vestæ servabatur, quod erat civilis sapientiæ documentum. Imperia enim constituit, & conservat. Sed & æternitas imperii non obscure indicabatur, quam ut votis omnes petimus, ita tantum sapientiæ beneficio obtinemus. *Boxhorn. Quæst. Rom. c.* 22.

Simulacrum Panis effingebatur caprina facie, rubro colore, hirtis cornibus, pectore sideribus radiante, infima sui parte hispida, & caprino pede: altera manu fistulam tenebat, altera pedum incurvum. Serv. Ecl. II. 31. *Pan, deus rusticus, in naturæ similitudinem formatus: unde &* Πᾶν *dictus est, id est, omne: habet enim cornua in radiorum solis, & lunæ cornuum similitudinem. Rubet ejus facies, ad ætheris imitationem in pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem. Pars ejus inferior hispida est, propter arbores, virgulta, feras. Caprinos pedes habet, ut ostendat terræ soliditatem. Fistulam septem calamorum habet, propter harmoniam cæli, in qua septem soni sunt, septem & discrimina vocum. Rhabdon habet, seu virgam, id est, pedum recurvum, hoc est, baculum, propter annum, qui in se recurrit, quia hic totius naturæ deus est.* Sil. Ital. XIII. 327.

> —— *pendenti similis Pan semper, & imo*
> *Vix ulla inscribens terræ vestigia cornu.*
> *Dextera lascivit cæsa Tegeatide capra,*
> *Verbera lenta movens festa per compita cauda,*
> *Cingit acuta comas, & opacat tempora pinus,*
> *Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte.*
> *Stant aures, summoque cadit barba hispida mento.*
> *Pastorale deo baculum, pellisque sinistrum*
> *Velat grata latus, teneræ de corpore damæ.*

Gyrald. Synt. deor. XV. p. 451. C. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 146. Wouwer. Elmenhorst. & Ouzel. in Min. Fel. p. 185.

Simulacrum Pollentiæ Romæ fuit in circo. Liv. XXXIX. 7. *Malus in circo instabilis in signum Pollentiæ procidit, atque id dejecit.* Buleng. de Circo c. 21.

Simulacrum Saturni semper catenis alligatum stabat ne concideret, Saturnalibus solvebatur, & vinculis exsolvebatur. Stat. Sylv. I. 6. 4.

> *Saturnus mihi compede exsoluta,*
> *Et multo gravidus mero December.*

Kipping. Antiq. Rom. I. 10. §. 9. *Cur Saturnus in compedibus visatur, Verrius Flaccus causam se ignorare dicit. Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & solvi ad diem sibi festum, id est, mense hoc Decembri: atque inde proverbium ductum; deos laneos pedes habere. Significari vero decimo mense semen in utero animatum in vitam grandescere: quod donec erumpat in lucem mollibus naturæ vinculis detinetur.* Macrob. Saturn. I. 8. *Domit. in Statium. Gyrald. Synt. deor.* IV. *p.* 135. *C.*

Simulacrum Segestæ } etiam in circo fuerunt. Plinius.
Simulacrum Sejæ } V. illum supr. in *Columna Messia.*

Simulacrum Servii Tullii. V. infr. in *Templum Fortunæ Bonæ.*

Simulacrum Sibyllæ Tiburtinæ, quæ Tiburti ut dea colebatur, in Anienis gurgite inventum est, tenens in manu librum: cujus sacra senatus in Capitolium transtulit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 24.

Simulacrum Silvani fuit in templo Saturni. Plin. XV. 18. *Ficus arbor fuit & ante ædem Saturni, Urbis anno* 260. *sublata sacro Vestalibus facto, cum Silvani simulacrum subverteret.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 3.

Simulacrum Solis fuit in via salaria. Convincitur hoc ex Martyrologio. Johannes enim presbyter sub Juliano apostata juxta Solis templum martyrii palmam capitis obtruncatione promeruit. Hæc enim ibi recitantur ad IX. Jul. *Romæ S. Johannis presbyteri, qui sub Juliano apostata via salaria veteri ante simulacrum Solis decollatus est.* Et in actis S. Bibianæ: *Ob hanc itaque causam iniquissimus Julianus fecit eum teneri, & duci foris portam via salaria in via veteri, ligatis retro manibus in clivo Cucumeris ante templum Solis. Et cum noluisset sacrificare deo Soli, ibi nulla mora, sed eum sine interrogatione decollari fecit.* Aring. Rom. subterr. IV. 28. 10.

Simulacrum Vejovis *in arce e cupresso adhuc durat a condita Urbe quingentesimo quinquagesimo primo anno dicatum.* Plin. XVI. 40. *Nardin. Rom. Vet.* V. 13.

Simulacrum Veneris Verticordiæ fuit situm in via salaria. De hoc Ovid. Fast. IV. 157.

> *Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est:*
> *Cumæam, veteres, consuluistis anum.*
> *Templa jubet fieri Veneri: quibus ordine factis,*
> *Inde Venus verso nomine corda tenet.*

De ejus consecratione Val. Max. VIII. 15. 12. *Sulpicia, Ser. Paterculi filia, Q. Fulvii Flacci uxor, cum senatus libris Sibyllinis per decemviros inspectis censuisset, ut Veneris Verticordiæ simulacrum consecraretur, quo facilius virginum, mulierumque mentes a libidine ad pudicitiam converterentur; & ex omnibus matronis centum, ex centum autem decem sorte ductæ, de sanctissima femina judicium facerent, cunctis castitate prælata est.* Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 9. Tomas. de Donar. c. 16. Aring. Rom. subterr. IV. 28. 9. Schott. Urb. Rom. descr. p. 445.

Simulacrum belli appellari consuevit exercitatio militum, qua in campo concurrebant in speciem prælii. Virg. Æneid. V. 585.

> —— *pugnæque cient simulacra sub armis.*

Claud. de IV. Consul. Honor. n. 538.

> *Cum vectaris equo, simulacraque Martia ludis,*
> *Quis molles sinuare fugas, quis tendere contum*
> *Acrior? aut subitos melior flexisse recursus?*

Manil. IV. 227.

> *Sunt quibus & simulacra placent, & ludus in armis.*

Ludus vocatur Claudiano & Manilio, quia pugna erat ludicra & incruenta. Unde & *fugas* simulatas in ea *molles* dixit Claudianus. Nam *fugam* poetæ vocant cursum, motumque quemvis impetuosum & præcipitem, etsi non ex timore ortum. Hunc enim a viro principe simulari inconveniens fuit. *Lyd. de Re milit.* V. 2. Liv. XL. 6. vocat *certamen ludicrum, & imaginem pugnæ. Mos erat, lustrationis sacro peracto exercitum decurrere, & divisas bifariam duas acies concurrere ad simulacrum pugnæ. Regii juvenes duces ei ludicro certamini dati. Ceterum non imago fuit pugnæ.* Et *imaginem bellicam* Suet. Claud. c. 21. n. 12. *Edidit & in campo Martio expugnationem, direptionemque oppidi ad imaginem bellicam.* Cerda in Virgilium, Pitisc. in Suetonium.

SIN.

SINDON fuit vestis linea, vel e bysso: nam σινδόνα βυσσίνην apud Herodotum, & alios leges. Inter merces Sidone in Græciam a mercatoribus Phœnicibus solitas afferri, fuere olim *sindones.* Harum vestium, & confectio varia, & usus etiam. Sane apud Græcos, & Latinos vestis linea exterior est insigne sacerdotii, præsertim Ægyptiaci. Aliquando honestiorum est indumentum, non temere vilioribus assumendum. Auctor est Laert. VI. §. 90. ædiles Atheniensium Crateti succensuisse, quod *Sindone esset amictus,* vel quia pluris fiebat ille cultus, quam ut philosopho conveniret: vel quia omnino indecorum censebatur, *sindone* amictum foras prodire. Ex ipsius vero Cratetis responsione cognoscimus, eos qui tonsoribus operam dabant, *sindonibus* fuisse involutos. Ait enim Laertius: *Quibus ille, Theophrastum, inquit, ostendam vobis opertum sindone. Non credentibus, induxit illos in tonstrinam, ubi ille tondebatur, ostenditque lino coopertum.* Casaub. Exercit. ad Annal. Baron. B. XVI. §. 65. Bayf. de Re vest. c. 13. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 412. Aring. Rom. subterr. I. 24. 8. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 10.

SINGULARES, vel *singularii,* utroque enim modo

in Notitia legitur, nominabantur cohortales in prætoriano officio. Hi ſunt, qui a ſcriniariis diſtinguuntur a Juſtin. l 1. in fin. C. de offic. præf. præt. Afric. his verbis: *Hæc ſtatuimus pro officiis, id eſt, tam ſcriniariis amphſſimæ præfecturæ, quam cohortalibus.* Caſſiod. Var. xi. illos militares excubias peregiſſe ſcribit: unde milites, & ſtipatores P. P. aliorumque magiſtratuum fuiſſe videntur, & fortaſſe præfectos ambulantes præcedebant, erantque velut milites, & illos fuiſſe puto, qui tribuni prætoriani partis militaris a Theodoſio appellantur l. penult. C. de appar. mag ſtr. milit. & alio nomine frumentarii vocabantur; exemplo enim frumentariorum Principis mandata præfecti per provincias nuntiabant, & delinquentes inquirebant, inventosque in carcerem ducebant. Nam Euſeb. vi. 33. epiſtolam Dionyſii Alexandriæ Epiſcopi recitat, qua ille narrat ſub Decio Imperatore a Sabino præfecto Auguſtali frumentarium ad ſe perquirendum miſſum. Etiam Cyprian. Epiſt. 83. ſcribit a proconſule Africæ frumentarios miſſos qui eam Uticam perducerent. Nomen habuerunt a frumentariis militibus frumenta procurantibus, quorum crebra in antiquis monumentis eſt mentio: nam quemadmodum illi frumenta perquirebant, ita iſti ſontes quærebant, eoſque ad carcerem comitabantur. *Proſecutores* hos vocat Macer l. ſolent de cuſtod. reor. *Solent*, inquit, *præſides provinciarum, in quibus delictum eſt, ſcribere ad collegas ſuos, ubi factores agere dicuntur, ut cum proſecutoribus ad ſe remittantur.* Nullus in oriente, præter præfectos, *ſingularios* habebat. In occidente omnes provinciarum magiſtratus ſpectabiles, ſive civiles, ſive militares, ſed non clariſſimi. Ordo *ſingulariorum* præfecti prætorio Africæ ſchola vocabatur l. 1. §. in ſcholi ſingulariorum C. de offic. P. P. Africæ, qui erant homines quinquaginta a Principe annonas percipientes. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 20. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 698. *E. Guther. de Offic. dom. Aug.* ii. 14.

SINGULATOR dicebatur eques, qui ſolo, ac ſingulari equo vehebatur. Optimæ gloſſæ: *Singulator, ἱππαςὴς, κέλης.* Heſychius *μονάτωρα* appellat, hoc eſt, *monatorem.* Ita enim Latinos ex Græco dixiſſe cenſeo. Nec video quomodo Græce *μονάτωρ* poſſit deduci. Κέλης, ἵππ☉ καὶ ἱππαςὴς, καὶ εἶδ☉ νέως, καὶ μονάτωρ. *Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c.* 19. *Guther. de Offic. dom. Aug.* ii. 14. V. etiam ſupr. in *Equi ſingulares.*

SINISTRA Romanis erant læta V. ſupr. in *Aves ſiniſtra.* ut Græcis dextra. Iiſdem tamen *ſiniſtrum* fulmen triſte omen fuit ad comitia, cum ad cæteras res eſſet optimum: &, ſi bubo volaret a *ſiniſtra.* Præclare hoc de genere, cum neglectam veterum comitiorum rationem ſignificaret, illa pronuntiat Lucan. v. 392.

> — *fingit ſollennia campus*
> *Nec cœlum ſervare licet: tonat augure ſurdo,*
> *Et lætæ jurantur aves, bubone ſiniſtro.*

Manut. de Legib. c. 36.

SINISTRATIO in circenſibus. V. illam ſupr. in *Dextratio.*

SINUESSA fuit oppidum celebre ſub imperio Romanorum ultra Lirim atque Minturnas, antea *Sinope* dictum, a Græcis nimirum. Colonia eo deducta eſt an. 457. Appio Claudio ii. L. Volumnio ii. conſulibus. Liv. x. 21. *Tum de præſidio regionis, depopulatæ a Samnitibus, agitari cœptum. Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Veſcinum, & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fluvii, quæ Minturnæ appellata: altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum: ubi Sinope dicitur Græca urbs fuiſſe; Sinueſſa deinde ab colonis Romanis appellata. Tribunis plebis negotium datum eſt, ut plebiſcito juberetur P. Sempronius prætor triumviros in ea loca colonis deducendis creare: nec, qui nomina darent, facile inveniebantur, quia ſe in ſtationem prope perpetuam infeſtæ regionis, non in agros mitti rebantur.* Sed Paterc. i. 14. 6. *Quintum Fabio* Maximo Rulliano, *Decio Mure quartum coſſ. quo anno Pyrrhus regnare cœpit*, id eſt an. 458. *Sinueſſam, Minturnaſque miſſi coloni.* Sigon. de Ant. jur. Ital. ii. 5. Cluver. Ital. Ant. iii. 10. 11.

SINUM erat vas vinarium grandius. Non. xv. 34. *Sinum, vas ſinuoſum. Virg. Ecl.* vii. 33.

> *Sinum lactis, & hæc te liba Priape quotannis*
> *Expectare ſat eſt.*

Varr. de vit. pop. Rom. 1. *Ubi erat vinum in menſa poſitum, aut galeola, aut ſinum.* Servius ad Virgilium: *Sinum genus eſt vaſis: quod cum ſignificamus, ſi producitur: cum vero gremium ſignificamus, ſi corripitur. Varr. de vit. pop. Rom. Aut lepiſtam, aut galeolam, aut ſinum ducebant. Tria enim, pro quibus nunc acratoforon dicitur. Atta in Megalenſ. nempe ad menſam, ubi ſermo de ſinu ſolet ſuboriri.* Stuck. de Sacrif. p. 81. Buleng. de Conviv. iii. 10. Lambec. in Kalendar. vet. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. viii. p. 106. B. Popm. de Inſtrum. fund. c. 13. Etiam vas rotundum capace alveo, in quo lac retinetur, vel deportatur, atque olim etiam offerebatur diis minoribus ruſticis, ut Priapo, Rumiæ. Ex qua conſuetudine Virgilius modo laudatus. *Popm. l. l. Turneb. Adv.* i. 16.

Sinus in toga non aliud erat, quam lacinia togæ, quæ ſub humero dextro miſſa ad humerum lævum recurrebat, & oblique tanquam balteus ducebatur: toga enim ſub dextro veniens, hoc eſt, dextram excludens, & in ſiniſtrum humerum congeſta *ſinum* efficiebat. Tertull. de Pall. c. 5. *Ambitum ejus, ex quo ſinus naſcitur, jam deficientibus tabulis retrahat a ſcapulis, & excluſa dextera in lævam adhuc congerat. Sinus* igitur, hoc eſt lacinia togæ, quæ *ſinum* efficit, a ſcapulis retractus, & dextram excludens in lævum humerum conjiciebatur. Schol. Perſ. Sat. v. 14. V. illum infr. in *Toga.* Hunc nec fluere, nec ſtrangulare debere tradit Quintil. xi. 3. *Sinus decentiſſimus, ſi aliquanto ſupra imam togam fuerit, nunquam certe ſit inferior. Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur velut balteus, nec ſtrangulet, nec fluat.* Quibus verbis etiam duplicem in toga *ſinum* collocat: iſtum, quem dixi, *ab humero dextro ad ſiniſtrum in baltei modum duci* ſolitum: alterum vero, quem *decentiſſimum* fore dixit, *ſi aliquanto ſupra imam togam fuerit, nunquam certe inferiorem eſſe* vult. Hic aliquando humero injiciebatur cum extrema ipſius ora rejecta. *Sinus* in veterum togis non fuiſſe ſcribit Quintilianus. Nam veteres manum intra togam continuiſſe idem memorat. Excluſam igitur dexteram, & apertam veteres illi non habebant, quam utique intra veſtem continebant. Propterea nulli *ſinus* in eorum togis fuere. Nam lacinia illa, quæ in recentiorum togis dexteram excludebat, & a dextro retracta in lævum humerum conjiciebatur, & ad inſtar baltei oblique ducebatur, ita ut nec flueret, nec ſtrangularet, *ſinum*, ut dixi, faciebat. Cur. Fortunat. iii. p. 78. tamen & umbonem nominat, ac de umbone ita loquitur: *quid in umbone? nec fluxe, nec adſtricte.* His verbis videri poſſet umbonem eundem cum eo *ſinu* facere, quem nec fluere, nec ſtrangulare debere præcipit Quintilianus. Verum non ita eſt. *Sinus* paullo poſt idem meminit, & ab umbone manifeſte diſtinguit. Sed *ſinus* ille, quem dixi, prout fluxior, & adſtrictior eſſet, ita latiore, aut minore ambitu umbonem comprehendebat: imo, ſi fluxior erat, umbonem ipſum complectebatur; ſi ſtrictior, umbonem ſub ſe habebat: at umbo ipſe, nec fluxior eſſe poterat, nec ſtrangulatior: ideo in umbone dixit, non umbo Fortunatianus. *Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 379. *Turneb. Adv.* iii. 26. Veteres tamen *ſinum* togæ dixerunt rugas eas, & plicas, tum quæ ſuperne a cervice cadentes exerto brachio dextro colligebantur ad pectus, quam quæ in ima ora ſiniſtro brachio ſubductæ contrahebantur. Quintilianus, ut ipſe non ignorat Salmaſius, qui non aliud quam laciniam togæ fuiſſe contendit, duplicem togæ *ſinum* facit. neque tamen quis alter *ſinus* ille fuerit, explicat. Quintilianum modo laudavimus. *Sinus* igitur alter inferior, qui nempe ex lacinia togæ ſiniſtro brachio contracta formabatur, ita tamen ut ima ora infra ipſum caderet, qui *decentiſſimus* Quintiliano dicitur. De hoc capiendus Suet. Jul. c. 82. n. 3.

n. 3. *Ut animadvertit undique ſe ſtrictis pugionibus peti; toga caput obvolvit, ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiori corporis parte velata.* Alter ſuperior, qui ex lacinia ſuperiore togæ, quæ porrecto brachio dextro dejecta ad pectus, & in rugas complicata, oblique ſub dextro brachio ad lævum humerum ad inſtar baltei currebat. Factum Cæſaris narrat Val. Max. IV. 5. 6. *Ne tribus quidem, &c. [illegible] vulneribus, quin verecundiæ obſequeretur, abſterreri potuit: ſiquidem utraque togam manu demiſit, ut inferiori parte corporis tecta collaberetur.* Utraque manu, ſiniſtra ſcilicet ſubductum *ſinum* cadere ſinens, dextra eundem ad crura deducens. Quod Appian. de Bell. civil. II. p. 502. expreſſit τὸ ἱμάτιον περικαλύψασθαι, καὶ πεσεῖν εὐσχημόνως. Hic proprie *ſinus*, & qua parte ſiniſtram pectoris partem cum humero velabat, inter ipſum, & tunicam recondebatur. Plutarch. Rom. p. 34. D. tradit, cum ille inter homines apparere deſiiſſet, creditum a patribus diſcerptum fuiſſe in æde Vulcani, artuſque laniatos intra togæ *ſinum* conditos inde elatos. Arma etiam eodem occultata. Suet. Aug. c. 35. n. 2. *Cordus Cremutius ſcribit, ne admiſſum quidem tunc quenquam ſenatorum, niſi ſolum, & prætentato ſinu.* Senec. de Clem. I. 9. *Jam pugiones in ſinu amicorum abſconderat*, id eſt, interprete Lipſio, ſubornaverat amicos cum occultis in ſinu gladiis. Liv. XXIII. 8. *Toga rejecta ab humero latus ſuccinctum gladio nudat*, id eſt, latentem intra ſinum gladium oſtendit. *Inferiorem decentiſſimum* fore tradit Quintilianus, *ſi aliquanto ſupra imam togam fuerit*, id eſt, ſi extrema pars togæ cum *ſinu* non involvitur, ſed ſoluta paullo infra rugas cadat. At *ſinus*, qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur velut balteus, *nec ſtrangulet*, inquit, id eſt, non ita cervicibus adſtringatur, ut præfocet: *nec fluat*, ne nimis laxus ſit. Hoc autem ex ſtrictiore, aut laxiore togæ ora, quæ collum ambiebat, petebatur. Addit Quintilianus: *Pars togæ, quæ poſtea imponitur, ſit inferior; nam ita & ſedet melius, & continetur.* *Sinus* ſcilicet inferior non injiciatur priori, ſed in ipſo brachio reſideat, alioqui defluet, nec ſatis contineri poterit. *Ferrar. de Re Veſt.* I. I. 6. De duplici *ſinu* nihil mihi lectum apud Veteres. Quintiliani verba male ſunt accepta. Nonniſi unus ab illo *ſinus* agnoſcitur: alterum illud non dicitur quid ſit, ſed quod quaſi ſit, & ſic evolvenda oratio: *Ille velut balteus, qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur.* Quæ enim ſimilitudo inter balteum, & *ſinum*, ut hæc vocabula pro eodem reponantur? aut quomodo *ſinus* poteſt inſtar baltei duci? Nec vero *ille velut balteus* Fabio aliud eſt quam *umbo* Perſio, Curio Fortunatiano, & Tertulliano. Sed hunc umbonem eſſe *ſinum* æque judico abſurdum, quam rugas & plicas eſſe *ſinum*. An ἄκρον, ſeu lingua in mare procurrens poteſt dici etiam κόλπος, ſive *ſinus* mare in terram recipiens? An Trinacriam inſulam a tribus *ſinibus* fas eſt appellatam dicere? Nihilo probius umbonem dicas eſſe *ſinum*: nam umbo prominens aliquid eſt, & extans, *ſinus* retractum & concavum. Quid quod *ex umbonis ambitu ſinum* [illegible] dixit Tertullianus ſupra laudatus. Ergo *ſinus* aliquid eſt extra umbonem: ergo aliud eſt, niſi idem eſt extra ſe, & idem ex ſe naſcitur. Cenſemus igitur *ſinum* proprie eſſe medium illud inter balteum, ſive umbonem, & laciniam maximam earum ſub dextro ventre geſtantis. A dextro humero deſcendebat ad ventrem uſque flexo quodam canali: ejus, ut ſic dicam, canalis labrum exterius protenditur uſque ad illas rugas, quæ laciniam ſeparant a *ſinu*, & a quibus colligitur in dextro verſus ſiniſtrum ad genua, aut paullo ſuperius ipſe *ſinus*: interius labrum ſuo umbone, ſive balteo in ambitu ejus interit: nam & *ſinus* ſub pectore naſcitur ex ambitu baltei, quem ſupra ſe habet, infra vero circumſcribitur, & finitur rugis, quæ diſtinguunt ab eo infimam laciniam, ſive oram togæ. *Gronov. Epiſt. ad Rhodium apud Ferrar. l. l. Græv. Theſ. Antiq. Roman. Proleg. Tom.* VI. * * 4. *verſ.* Duplicem ego tamen *ſinum* cum Quintiliano agnoſco, nec alius unquam aliter accipiet ejus verba jam ſupra adducta. Quomodocunque oratio evolvatur, aliquid reperiendum erit, quod balteo ſimile ſit, quodque *velut balteus* [illegible]. Quid autem niſi *ſinus*? Nam quemadmodum balteus militum cingebat pectus, ſic *ſinus* ille [illegible] ſuſpectus ad inſtar cinguli hominem circumdabat, non quidem recte, ut balteus, ſed obliquo ductu, quia ad ſiniſtram altior, demiſſior in dextra erat. Imo Quintilianus duplicem *ſinum* ſuperiorem videtur ſtatuere: alterum, qui cadebat in pectus, pars ſcilicet togæ, quæ ſubjecta humero dextro e balteo evolvebatur, & reflectebatur, ac deſcendebat ad inferiora, qui decentiſſimus tamen, ſi ſuperior ima togæ ora fuiſſet: alterum, balteum [illegible], rugis ſcilicet conſtrictas, & coactas, quæ de ſuo ſiniſtro brachio ad ſiniſtrum humerum recurrebant. Non tamen, ut duplex *ſinus* fuerit, ſed duas partes habuerit. *Sinum* inferiorem veteres licet non nominaverint, eum tamen tam clare, ut ne dubitationi quidem locus relinquatur, agnoſcit Suetonius ſupra laudatus. Cæſar enim partem ſiniſtro brachio ſubductam ad pedes dejecit. Nam quomodo ſuperior *ſinus* deduci, & vela e crura potuit? ergo *ſinus* alius præter ſuperiorem. De inferiori togæ *ſinu*, [illegible] de Romanorum legatis Carthaginenſibus bellum indicentibus, capiendum exiſtimo Liv. XXI. 18. *Tum Romanus ſinu ex toga facto: hic*, inquit, *vobis bellum, & pacem portamus; utrum placet ſumite.* *Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret utrum vellet, ſuccl[illegible] [illegible] & quum is iterum ſinu [illegible] bellum [illegible] [illegible] omnes reſpondent.* Non enim *ſinum* [illegible] legatus facere potuit, quam [illegible] ductum [illegible] brachio [illegible] parte, dextra manu dextram togæ partem ad pedes fluentem elevare. *Ferrar. l. l.* Plura tamen in ſuis de *ſinu* concertationibus laudatis *Gronovius* & *Ferrarius*. De eodem etiam ſcribunt [illegible] III. 1. [illegible] *de* [illegible] III. 12. *Rubenius de Re Veſt.* II. 12. & ad illum *Ferrar. Anal. de Re Veſt.* [illegible] *Sinus* Tyrii, de quibus Stat. Sylv. V. 2. 29. quid fuerint V. ſupr. in *Clavus latus.*

SIP.

SIPARIUM, *quo in ſcenis mimi utuntur, dictum eſt Verrius a velamento, quod vocatur una aulæum.* Feſtus. Donat. Proleg. in Terent. *Siparium eſt mimicum velum, quod populo obſiſtit, dum fabularum actus imitantur.* Dacer. in Feſtum. Buleng. de Theat. I. 28. Donatus ibidem, ſed verbis laudatis ſupr. in *Aulæum*, dicit: *Aulæa, pro quibus ſiparia ætas poſterior acceperit, in ſcena in terra ſterni ſolita* fuiſſe. Sed multa a ſciolis, atque ineptis hominibus in ea prolegomena ſunt intruſa. Nec aulæa, nec *ſiparia* humi ſtrata certum eſt, ſed ſcenæ obtendi ſolita. *Ferrar. de Re Veſt.* II. 4. 1. Voce hac utuntur Apul. Met. I. p. 15. *Oro te, aulæum tragicum dimoveto, & ſiparium ſcenicum complicato.* Cicero ſupr. in *Exoſtra.* Juven. Sat. VIII. 185.

Conſumptis opibus vocem Damaſippe locaſti
Sipario, clamoſum ageres ut Phaſma Catulli.

Gyrald. de Comœd. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 1490. F. Buleng. l. l. Vetus interpres Juvenalis: *Siparium velum eſt, ſub quo latent par[illegible], [illegible] in ſcenam prodeunt.* Qui hiſtriones [illegible] [illegible] vulgari, ut videtur, appellatione vocat, quam quod ſpectatoribus, ut plurimum, improviſos, atque inexpectatos ſe prodere ſoliti ſunt. *[illegible] ad [illegible] Theſ. Gronov.* [illegible] *p.* 512. *A.*

SIPHO, ſeu [illegible], Græce σίφων, eſt inſtrumentum coercendis incendiis neceſſarium. Heſychius: *Sipho eſt inſtrumentum aliquod [illegible] aquæ adte [illegible].* Plinius ſupr. laudatus in *Hama*. T[illegible] A. v. XIX. 25. Alex. Gen. dier. V. 24. & ad illum Tiraquellus. Cellar. in Plinium. Iſidor. XX. 6. *Siphon [illegible] appellatur, quod aquas ſufflando fundat. Utuntur hoc orientales. Nam ubi ſenſerint domum ardere, currunt cum ſiphonibus plenis aquis, & extinguunt incendia: ſed & cameras [illegible] aquis emundant.* Meminit Senec. Nat. Quæſt. II. 16.

Solemus duabus manibus inter se junctis aquam concipere, & compressa utrimque palma in modum siphonis exprimere. Brisson. Select. Antiq. II. 8.

SIR.

SIRI fuerunt scrobes subterraneæ, vel speluncæ, vel cryptæ, vel putei, in quibus triticum etiam ad quinquaginta annos poterit incorruptum servari. In illis barbari condebant frumentum, ne ab exteris, vel vicinis etiam reperiretur, & auferretur. Hesychius: *Siri, fossæ, in quibus semina deponebant.* Varr. de Re Rust. I. 57. & ex illo Plin. XVIII. 30. *Quidam granaria habent sub terris, uti speluncas, quas vocant siros, ut in Cappadocia ac Thracia.* Curt. VII. 4. 23. *Siros vocabant barbari: quos ita sollerter abscondunt, ut, nisi qui defoderint, invenire non possint. In his conditæ fruges erant.* Et *in illis in Syrgo vico Phrygiæ Cimmerios reconditam ingentem copiam tritici* narrat Stephanus. *Casaub. in Athen.* IV. 3. *Bochart. Hierozoic.* II. 4. 21. *Philand. in Vitruv.* VI. 8. *Popma de Instrum. fund.* p. 36. *Ursin. Arbor. Biblic. c.* 39. §. 4. *Huet. in Manil.* V. 276. *Stewech. in Veget.* III. 3. *Vlit. in Grat. Cyneg.* II. 244. *Rader. & Pitisc. in Curtium. Schill. Nomencl. Philol.* p. 1044.

SIRMIUM est civitas Probi Imperatoris natalibus nobilis, vulgo *Simadi* dicitur, est prope Tarsiam inter Rimum & Cornacum apud Danubium. Pæonum civitatem esse Stephanus scribit. *Pancirol. Notit. imp. occid. c.* 30. & 79.

SIRPEÆ sunt vehicula e viminibus contexta, quibus stercus evehitur. Varr. de Ling. Lat. IV. 31. *Sirpea, quæ virgis sirpatur, id est colligando implicatur, in qua stercus, aliudque quid evehitur.* Popm. de Instrum. fund. §. 8. Lucill. XV. apud Non. VIII. 57.

Tintinnabulum abest hinc, sirpiculæque olerorum.

Est vehes ex crate. Sunt enim hic duo genera vehiculorum, *sirpeæ*, aut *sirpiculæ*, & tintinnabulum. *Scalig. Conject. Varr. p.* 60. Male, si vehiculum intelligant pro eo, quod incedit rotis. Non enim vehiculum fuit, verum pars illius. Quod ostendit ipse Scaliger, quando vocat *vehem ex crate.* Vehem enim intelligit, quæ est, dicique debet veha. Porro veha est plaustrum, quod profecto nunquam est ex crate. Id quod ex crate fuit, plaustro imponebatur. *Sirpea* igitur non fuit vehiculum, nec veha, multoque minus vehes ex crate; verum ipsa crates. Neque alia est causa, cur sit dicta *sirpea*. *Sirpeus* nimirum adjectivum est, a *sirpo*, proprieque id significat, quod est ex *sirpis*, id est, scirpis. Ergo *sirpea* per se nihil notat, verum in respectu substantivi. Id vero non aliud potest dari quam crates. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 20. Nihil igitur aliud *sirpea*, quam capsa oblonge quadrata, e virgis contexta, corbis instar, quæ imponitur vel trahæ, vel plaustro, rebus vilioribus in agro vehendis. Ovid. Fast. VI. 679. V. illum supr. in *Plostellum*. Scheffer. ibid. I. 7. Salmas. in Capitol. Anton. Pium c. 12. Exerc. Plin. p. 414. a. D.

SIRPICULÆ, ut habent codices apud Nonium laudatum supr. in *Sirpeæ*. Scaliger citat *sirpiculi* Conject. in Varr. p. 217. Prius vero convenit, quod & *sirpeæ*, non *sirpei* dicantur. Erant canistra *sirpea*. Ad vehenda etiam olera usurpabantur, quod ostendit Lucillii prædictus versus. Credo, qualia eruta ex hortis evehi, rejicique solebant, aut alias non magni erant pretii. *Scheffer. de Re Vehic.* I. 7. *Popm. de Instrum. fund.* §. 14. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 414 *B.*

SIRPICULI piscarii sunt nassulæ, sive sportulæ *sirpeæ* piscatorum. Plaut. Cap. IV. 2. 36.

Eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis.

Popm. de Instrum. fund. §. 14. Scalig. Conject. Varr. p. 60.

SIRPUS vocatur ænigma. Gell. XII. 6. *Quæ Græci dicunt ænigmata, hoc genus quidam e nostris veteribus scirpos appellaverunt.* Cur sic Latini vocent, video nescire multos. Sunt vero in illis Crinit. de Hon. discipl. IX. 14. Alciat. Par. jur. IV. 19. Rhodig. Ant. Lect. XXIII. 11. Et ea de causa vocabulum subrogant, *scruposque* putant ænigmata dici debere. Ego, quod multa e *sirpo* utilia necterentur, ut tegetes, nodos ænigmatum *sirpos* dici suspicor. *Turneb. Adv.* XVII. 7. Est enim *sirpus* omne πλέγμα, quod nodis est implicatum. *Voss. Lex. Etymol. Oisel. in Gellium. Salmas. Exerc. Plin. p.* 414. *D.* Vel etiam potest esse translatio a nassis, quæ *scirpi*, sive *sirpi* vocatæ, quia e *sirpis*, hoc est, juncis fiebant. Ut enim pisces *sirpeis* nassis, sic homines capiuntur ænigmatis. *Caelcagn. Quæst. Epist.* III. 11. *Scalig. Conject. Varr. p.* 60. *Voss. Instit. Orat.* IV. II. 5. & *Lex. Etymol. Oisel. l. l.*

SIS.

SISCIA, sive *Siscium*, fuit olim urbs Pannoniæ superioris, nunc est pagus, Joanne Sambuco teste, vulgo *Sisseg*. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 883. E. Est prope Albanum montem, citra Savum. Moneta ibi cudebatur. *Pancirol. Notit. Dignit. imp. occid. c.* 35. & 36.

SISTERE *fana cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere, quod Antistius Labeo ait in comment.* XV. *Jur. pontif. fana sistere esse lectisternia certis locis, & diis habere.* Festus. Fortasse quod ad certos terminos perducta designatio *sisteretur*. Turneb. Adv. III. 9. Bellai de Part. templ. Augur. I. §. 3. Struv. Ant. Rom. c. II. p. 509. Guther. de Vet. jur. Pontif. II. 3.

Sistere judicio reum dicebantur fidejussores, qui promittebant reum certo die in jus venturum. Cicer. pro Quint. c. 7. *Ita disceditur, ut Idibus Septembris P. Quintium sisti Alfenus promitteret. Venit Romam Quintius, vadimonium sistit.* Acro ad Horat. Sat. I. 11. *Vadibus, ait, sponsoribus: a vadimonio, quod promittit is, qui ad judicium vocatur, certo die adfuturum. Vades ideo dicti, quod qui eos dederit, vadendi, id est, discedendi habet potestatem.* Brisson. de Form. V. p. 367. Elmenhorst. in Arnob. V. p. 157.

SISTRUM Ægyptiacum erat instrumentum, quo sacerdotes in sacris Isidis utebantur. Erat formæ ovalis, & manubriatum cum tribus, vel quatuor virgulis transversalibus. Describitur ab Apul. Met. II. p. 361. V. illum supr. in *Crepitaculum*. In sacrificiis concutiebatur ad indicandum omnia naturalia nunquam motu vacare: rotunditas, quæ illud cingit, convenit cœlo lunæ, per quod omnia moventur, & mutantur ratione quatuor elementorum, quæ per quatuor *sistri* virgas denotantur: quaternarius enim numerus pertinere videtur ad corpus constans ex quatuor elementis, & quatuor qualitatibus, sicca, humida, calida, & frigida. In vertice visitur animal quoddam aliquando facie humana præditum, quod felem esse docet Plutarch. de Isid. & Osir. p. 376. D. *Curvamini sistri in vertice insigunt felem humana facie.* Illa in hac tabula humana facie minime prædita est, at solitum, sibique convenientem vultum præfert. In lateribus sculptus est flos loti, & nux pinea, quæ symbola Isidi, sive deûm matri sacra sunt. Apud Ægyptios vicem tubæ in bello exhibebat, & apud Amazonas feminarum exercitus hoc instrumento ad bellum vocabatur. *La Chausse de Insign. pont. max. tab.* XV. *Casal. de veter. Ægypt. rit. c.* 24. *Lambec. in Kalend. vet. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 311. *B. Buleng. de Theat.* II. 48. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 17. *Turneb. Adv.* XXVI. 33. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* I. *art.* 7. *tab.* 49. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 28. *Saubert. de Sacrif. c.* 17. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq.* II. 22. *Lampe de Cymbal. vet. c.* 21. *Bernart. in Stat. Theb.* I. 265. Integras etiam de *Sistro* dissertationes prodiderunt *Bacchinus* & *Tollius*. Has exhibet *Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VI. *p.* 411....

SISYMBRIUM fuit conspicuum in iis foliis, e quibus nuptiales coronæ texebantur. Certe videtur fuisse planta Veneri grata, quæ scilicet socitabatur myrto, quæ tota est Veneris. Et quidem alloquens vulgares puellas,

eas

eis ex *sisymbriis*, myrto, rosis coronas textas Veneri offerre vult Ovid. Fast. iv. 869. V. illam supr. in *Meretrices*. Hic enim texta vincla, eademque juncea prisco more interpretor coronas. *Paschal. de Coron.* ii. 17: iii. 16. *Wilhelm. de Ant. Magir.* c. 20.

SISYRA. σισύρα, non fuit commune sagum Gallicum apud Polyæn. viii. 2. sed potius chlæna, vestisque villosa, & fere ex pellibus caprarum confecta. Aperta erat, & reliquis vestimentis superinduebatur, & opus fibula erat, quæ illam necteret in humeris, & colligaret. Veteribus grammaticis dicitur χλαίνης εἶδος εὐτελές; οἷον ἐξωμίς, ἢ ἁπλοΐς τὸ τοιοῦτον: τινὲς δὲ ἱμάτιον τραχὺ, περιβόλαιον ἀγροικικὸν, δουλικὸν παλαιὸν, ἢ χιτὼν δερμάτινος. Sed ferme pro crasso, vilique stragulo, quod torale crassum, & vile item interpretatur Budæus. Ammian. xvi. 5. Julianus *nocte dimidiata semper exsurgens non e plumis, vel stragulis sericis, ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete, & sisyra, quam vulgaris simplicitas susurnam appellat.* Ferrar. de Re Vest. ii. 3. 9. Lindenbr. & Vales. in Ammianum.

SIT.

SITELLA erat cistula, qua suffragia populi, creandis magistratibus, legibusque ferendis colligebantur. Cicer. Nat. deor. i. 38. *Ut igitur Ti. Gracchum cum videor in Capitolio videre concionantem, de M. Octavio deferentem sitellam, tum eum motum animi dico esse inanem.* Liv. xxv. 3. *Sitella allata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragia ferrent.* *Cistellam* appellat Cicer. ad Herenn. i. 12. *Saturninus legem ferre cœpit, collegæ intercedere, ille nihilominus cistellam detulit.* Beroald. Annot. c. 52. Turneb. Adv. xiii. 13. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Manut. de Legib. c. 36. August. de Legib. c. 12. Pollet. For. Rom. v. 7. Ego iis non assentior, qui *cistæ*, & *sitellæ* eundem usum in comitiis esse putant, cum utramque pro vase interpretantur, quo tabellæ suffragiorum continerentur. Nam *sitella* nomina tribuum, aut centuriarum continebat: quibus sorte eductis, suum quæque tribus locum, aut centuria in ferendo suffragio noverat, quæ scilicet prima esset, quæ secunda, quæ tertia, usque ad extremum ordine servato, qui sorte contigisset. Quod ut ita esse credam, facit Cicero, qui primam centuriam sorte eductam, quæ prærogativa dicebatur, testatur Phil. ii. 23. V. illum supr. in *Centuria*. Quod & comprobat Livius ibidem laudatus. Ipsas autem sortes in *sitella* fuisse iidem significant. Cicer. pro C. Cornel. his verbis: *Est itaque jus vetandi, dum privati dicunt, dum sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit.* Quo loco de tribubus sorte eductis cognoscitur ex Ascon. p. 134. Livius modo laudatus. Itaque sic statuo, atque concludo, *sitellam* fuisse, unde tribuum, sive centuriarum nomina sorte educerentur, ut suum quæque locum in suffragio ferendo servaret; non, unde sumptæ tabellæ, suffragiorum notis inscriptæ distribuerentur. Cista vero continebat eas tabellas, quæ sine sorte viritim tribubus, aut centuriis, suffragiorum causa ministrabantur. In loco Ciceronis ad Herennium jam allato *sitellam* potius, quam *cistellam* legendum crediderim. Nam & Cicer. pro C. Cornel. deque Nat. deor. i. non de *cistella*, sed de *sitella* delata mentionem facit. Et eodem fere modo loquitur Liv. l. l. Ut illam quoque rationem omittam, quod ad continendas eas tabellas, quæ viritim populo distribuerentur, non una *cistella*, sed pluribus *cistis* opus esset; sortibus autem, sive tribuum, sive centuriarum, una *sitella* sufficeret. *Manut. de Comit. Roman.* c. 15.

SITICINES *appellabantur, qui apud sitos canere soliti erant, hoc est, vita functos, & sepultos: & illi habuerunt proprium genus tubæ, a ceterorum differens.* Gell. xx. 2. *Kirchman. de Fun.* ii. 4. *Nann. Misc.* v. 3. *Pius Annot. post.* c. 183. *Brod. Misc.* iv. 30. *Ursin. ad Leg. & Sen. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* ii. p. 1364. *F. Stuck. de Sacrif.* p. 167. *Buleng. de Theat.* ii. 26. *Guther. de Jur. Man.* i. 19. *Merest. Pomp. Feral.* ii. 16. *Nicol. de Luct. Græc.* c. 2. §. 5. *Laurent. de Fun. ant.* c. 1. *Kittershus. in* xii. *tab. Class.* i. c. 4. *Sched. de German. diis.* c. 48. *Clasen. Theol. gent.* i. 10. §. 26. *Hotman. Antiq. Roman.* iii. i. p. 389. *B. Kippin. Antiq. Roman.* iv. 6. 5. *Mag. Misc.* i. 13. Qua in re *proprium illud genus tubæ a ceteris differat*, & quid diversum *siticines* a tubicinibus canerent, nemo explicet. Quæ res ne amplius in obscuro decumbat, aliqua afferenda sunt in medium. Est igitur sciendum, tubas illas fuisse ceteris latiores, ac longiores, quales in antiquorum sepulcris aliquando exsculptas vidimus, ipsisque grave canere consuevisse. Longitudinem quidem majorem, quam in ceteris tubis esset, demonstrat Ovid. Amor. ii. 6. 5. ubi loquens de morte psittaci, aliasque aves, ut defuncti funus faciant, alloquens, sic canit:

Horrida pro mœstis lanietur pluma capillis,
Pro longa resonent carmina vestra tuba.

Vides tubæ longitudinem signari. Latiores ceteris fuisse ostendit Galen. de Symptom. caus. iii. eo loci, ubi de flatibus loquitur, qui in ventre inferiore fieri solent: *Porro sunt alii bombosi, bombis latissimarum tibiarum non absimiles: quales solent habere ii, qui thymbaulæ, id est, siticines nominantur: quæ ob materiam, ex qua constant, purum sonum reddere non possunt: &, viæ, qua spiritus transit, latitudo sonum efficit graviorem.* Licet vero de tibia loquatur, quia tamen & tubis *siticines* utebantur, nullo pacto ambigendum est, eos sicut tibias, ita etiam tubas latiores habere consuevisse: quo gravior, nempe lugubris, sonus emitteretur. *Siticines* autem graviorem incinere sonum consuevisse, demonstrat etiam Aristot. de Gener. anim. v. 7. dum in hanc loquitur sententiam: *Spiritus enim crassus crassitudine sua gravitatem efficit vocis. Frigidus præ sua tenuitate contrarium facit, quod vel in tibiis patet. qui enim calido utuntur spiritu, & talem emittunt, quidem siticines, & lamentantes graviorem sonum tibia pirant tiar.* Discordiam inter tibicines, & siticines, quos *monumentarios ceraulas* vocat, indicat Apul. Florid. c. 4. cum apud eum Antigenides insignis tibicen indignissime tulerit hos in tibicinum numero censeri: *Is tunc eum esse in tibicinio apprime nobilis, nihil se æque laborare, & animo angi, & mente dicebat, quam quod monumentarii ceraulæ tibicines dicebantur.* Sed Dio Chrysostomus, qui in nomine non convenit, hujus sententiæ verba habet Orat. 31. *Dixit autem paullo ante hæc tempora philosophorum quidam non malus, Ismenum ob hoc maxime indignari, quod siticines, τυμβαῦλαι, appellarentur tibicines. At nequicquam res est indignatione digna, ut mihi quidem videtur: nihil enim mortuis detrimenti afferunt siticines, neque illis sunt molesti.* Mag. Misc. i. 13. Barthol. de Tib. ii. 15. Oisel. in Gellium.

SITULA est vas aquæ hauriendæ proprium. Plaut. Amph. ii. 2. 39.

Si situlam cepero.

Et *situlus* est vas aquarium. Vitruv. x. 9. *Catena habens situlos pendentes æreos congiales.* *Situlus aquarius* Cat. de Re Rust. c. 11. *Situlum aquarium unum.* Et *situlus barbatus*, vas aquarium humile, & concavum, quod Græca voce nanus dicebatur. V. supr. in *Nanus*. Voss. Lex. Etymol. Popm. de Instrum. fund. c. 19.

SIV.

SIVE. DEO.
SIVE. DEÆ
C. TER. DEXTER
EX VOTO
POSUIT

Romæ in S. Urso leguntur inscripta. Forsin Jupiter innuitur, qui ex veterum superstitione, & mas, & femina credebatur. Quare Orpheus, ubi Jovem describit,

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

Quæ sic vertit Apul. de Mund. p. 754.

Jupiter & mas est, estque idem nympha perennis.

Mihi autem Orpheus nihil aliud velle videtur, quam deum sexu non distingui, omnia ipsum esse, & in ipso omnia, contra quam postea visum est paganis, quibus in theologia sua nihil prius, aut antiquius fuit, quam humana omnia diis assignare. Sic ad conjugia deorum comminiscenda delapsi sunt, postquam πολυθεΐαν amplecti voluere. Cum enim omnes putarent eos non extitisse, nasci debuere, & ut nascerentur, deorum, deorumque sexus in cœlum transferendus fuit. Unde Θεογονίαν Hesiodus nominavit. Ad quod etiam adulatio accessit, qua fato functi, & bene meriti de genere humano inter deos sunt habiti, sive viri illi, sive feminæ fuerint. Imo non masculi tantum, aut sequioris sexus numina, sed inter ea etiam hermaproditos habuere. Dum idem alii, atque alii nunc tanquam virum, nunc tanquam feminam coluere. Lunum etiam & Lunam dictam, & pro viro habitam satis compertum est. Attis, & vir, & femina. Catull. LXIII. 75.

Quod enim genus figuræ est, quod ego non habuerim?
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer.

Mascula, & barbata Venus fuit. Serv. Æneid. II. 632. *Loquuntur, inquit, secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. Nam Calvus, Pollentemque deum Venerem. Item Virgilius, nec dextræ erranti deus abfuit; quum aut Juno fuerit, aut Allecto. Est etiam in Cypro simulacrum barbatæ Veneris.* Bacchus etiam, & vir, & femina dicebatur. Quod notat Arist. Orat. in Bacchum. Diversitas illa sexus ejusdem numinis non tantum ex diversarum gentium aliis, atque aliis institutis, sed vero maxime ex interpretatione nata est. Interpretari numina proprium pontificum erat, qui illa aliter, atque aliter explicabant. Interpretatio illa fere ad naturam rerum spectabat. Nam ex ea omnis veterum theologia conflata est. Sic in eodem numine aliquando quod viri, aliquando quod feminæ proprium esset invenere. Luna, quatenus lucem a sole mutuatur, conjux ejus, quatenus vero vim suam in inferiora hæc exserit, atque expandit, mas esse videtur. Eodem modo sese Attis, id est, sol habet. Venus, & mas, & femina, quia & virorum est, & feminarum. Quanquam vero omnia numina utriusque sexus nomine compellata fuisse non inveniamus, creditum tamen fabulationibus, utriusque sexus cœlites omnes esse, quemadmodum probant Servii verba, quæ adduximus. Quod non sic accipiendum, quasi revera simul, & mares, & feminas fuisse existimaverint. Nihil minus. Numen, & mas est, & femina, hoc est, omnia est, & complectitur. Inscriptio Capuæ in templo S. Benedicti:

TE. TIBI
UNA. QUÆ
ES. OMNIA
DEA. ISIS
ARRIUS. BA
BINUS. V. C.

Quare & *myrionuma* vocata, id est, infinitorum nominum in antiquo lapide apud Isaram fluvium in Bojaria:

ISIDI
MYRIONUMÆ
SACRUM

Omnium nominum, quia omnia est, & moderatur. Quemadmodum de vero Deo sacræ literæ loquuntur esse eum *omnia in omnibus*, *Alpha & Omega*. Boxhorn. Quæst. Rom. 13. Borremans. Var. Lect. c. 5. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 1.

SME.

SMEGMA erat massa ex variis odoramentis confecta, qua ad manus abstergendas utebantur. Quod indicat Athen. x. p. 409. D. adducto Antiphanis testimonio ex Coryco, in quo postulat conviva dari sibi aquam lavandis manibus, & *smegma*. Sic enim ait:

Ἀπονίψασθαι δότω τὶς δεῦρ᾽ ὕδωρ, καὶ σμῆγμα.

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 372. Voss. Lex. Etymol. Stuck. Antiq. Conviv. II. 33. Dan. c. 13. n. 17. dicit Susanna ad puellas: *afferte mihi oleum, & smegmata.* Interpretes scribunt: *smegma* esse aquam hordeaceam ad faciem abluendam. Ego, quemadmodum nescio, an *smegma* fit ex hordeo, & aqua, ita hoc scio: *smegma* appellari omne quod purgat, emaculat, & absterget. Inde Plin. XXVII. 12. *Smegmata mulieribus faciunt ex his:* XXII. 25. *Si cœlesti aqua discoquantur, succus ille, lupini smegma fit, quo fovere gangrænas utilissimum.* Et frequens est hæc dictio apud eundem, accipiturque pro vocabulo generali, quo medicamentum omne significatur, quod valet ad emaculandam faciem, & abstergenda corporum dehonestamenta. *Beroal. Annot.* c. 85.

SOB.

SOBRINI sunt proprie, inquit Cajus, qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis undique propagantur. Itaque in themate cognationis, patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ nepotes *sobrini* dicantur ei, de quo quæritur. Constanterque veterem sententiam meam retineo, ut apud Cajum l. 3. ff. de gradibus sic emendetur: *Item patrui magni.... nepos, neptis, qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis undique propagantur; & proprie sobrini vocantur.* alioqui bis idem eodem loco numeraretur. Conferuntur ergo inter se *sobrini:* nam qui me illo nomine appellat, eundem ego vicissim eodem nomine appello: qui & sexto a me numeratur gradu. *Proavi nepotes*, ait Paull. d. l. ult. §. sexto gradu, versic. ex quibus, *ei, de cujus cognatione quæritur, sobrini sunt, & invicem huic illi sobrini.* Quod ad eorum sententiam refellendam valet, qui hos inter se *consobrinos* dici putant, propter eos Paulli locos, ubi sic nominantur: ut Sent. IV. tit. 11. §. sexto gradu: *Patrui magni nepos, neptis, id est, propioris sobrini filius, filia; qui consobrini vocantur.* Et §. seq. ubi *consobrini* filium, filiam, septimum in gradum refert. Itemque l. ult. §. quarto gradu ff. de gradibus: ubi sic legitur: *Sororum, fratrumque meorum nepotes, neptes, item mei, inter se consobrini sunt.* Nam pro *consobrini* legendum, ac restituendum esse *sobrini*, cum utriusque nominis differentia diligenter ubique servata convincit, tum etiam aliorum locorum sexcentorum auctoritas, in quibus constanter istæ appellationes distinguuntur. Cicer. Offic. I. 17. *Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque.* Ælius Gallus ICtus apud Festum. *Sobrinus est patris mei, matrisve meæ, consobrini filius. Sobrino natus* dicitur *sobrini* filius, septimoque censetur gradu: confertur autem cum propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ nepote. Quem enim ergo *sobrino* natum appello, is me vocat propatrui sui nepotem. Causa autem appellationis est, quia in *sobrinorum* gradus cognationis nomina desinunt. Qua de causa cum *sobrini* filius proprium in Latina lingua nomen non habeat, demonstrativo nomine appellabitur l. ult. §. ult. ff. de gradib. §. ult. Inst. de succ. cogn. l. 1. §. 2. ff. unde cogn. & apud Paull. Sent. IV. tit. 11. §. ult. & pen. ubi tamen mendose legi *consobrini filii, filiæ*, restituendumque *sobrini* demonstravimus. Propior *sobrino* quis dicatur. V. supr. in *Propior*. Hotoman. de Rit. nupt. c. 9.

SOC.

SOCCULI dicebantur fasciæ, quæ crus tegebant usque ad *soccum*. Isidor. XIX. 34. *Socci, cujus diminutivum socculi, appellati inde quod soccum habeant, in quo pars plantæ injicitur.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 19.

SOCCUS erat calceamentum humile, in modum crepidæ, a qua non differebat, ut puto, nisi quod *soccus* planus, & humilis, neque altus, & præterea exuebatur sine vinculorum solutione. Brod. *Misc.* II. 18. *Argol. in Panvin.*

Panvin. de Lud. Circens. II. 19. *Casal. de Tragœd. c.* 2. Erat adeo tenue, & humile, ut non multum pedes impediret, etiam si superne esset contectus. Quo fiebat, ut facile posset aliis calceorum speciebus omnibus indui, ad eum credo modum, quo jam calceoli, qui Gallice vocantur *escarpins*, sive molleis, sive crepidis inseruntur. Et Plinius id totum innuit, si bene nutus ejus observentur, dum de mulierum sui temporis luxu sic loquitur IX. 35. *Gemmas non tantum crepidarum obstragulis, sed & totis socculis addunt.* Ac si diceret, sic in sui cultu nostræ mulieres insaniunt, ut etiam *socculos* suos gemmis ornent; qui tamen crepidis inserti pæne latent: cum ferendum utcunque esset, si eas tantum crepidarum suarum obstragulis adderent, quæ nimirum magis apparent. Deinde cum *totos socculos* dicit, eos in totum pedes opertos insinuat, ad discrimen crepidarum, quarum quidem obstragulis sic pedes operiuntur, ut tamen tali nudi supersint. Si *soccorum* expressior forma quæritur, non absimiles admodum fuere iis pedum involucris, quibus ad plantarum munditiem jam passim utimur, quæ populari dicimus lingua *chaussons*. Et sane Gallica hæc appellatio a *socci* voce non multum recedit. Unde non male quis *soccos* udonibus, udonesve *soccis* similes dixerit, quicquid contra Vivem censuerit Junius Nomencl. c. 76. Udones enim sunt, quos Apulejus. . . . . appellat *linteos calceos*, qui etiam *socci* dici possunt. Et de his intelligendus Mart. XIV. 138. qui laudatur infr. in *Udo*. Hic enim cilicinos udones describit, qui calceoli erant ex pilis hircinis, caprinisve confecti: cum alias e lana, alias e lino, ad pedum vel calorem, vel munditiem confici solerent. Ex quibus hoc tandem intelligendum relinquitur, quod non fuerint *socci*, calceorum ad instar, medio crure tenus extensi; sed tantum ad eam partem, qua tibiæ pes conjungitur. Alias non facile potuissent aliquando per otium dormientium manibus induci, quemadmodum id sæpe factum in Claudium Imperatorem refert in ejus vita Suet. c. 8. n. 3. *Balduin. de Calc. c.* 16. Nec nimiæ magnitudinis esse poterant, cum sciamus patrem Vitellii Cæsaris teste Suet. c. 2. n. 11. *soccum* in sinu gestitasse. *Argol. l. l.* Illorum color erat luteus, albicanti, seu dilutiori croceo similis: licet eos interdum alicujus alterius fuisse coloris non negem. Seneca, & Catullus, quos mox laudabimus. *Balduin. l. l. Passerat. in Catull. p.* 6. Margaritis distinguebantur. Plin. XXXVII. 2. *Tolerabiliorem tamen fecit* Pompejus Magnus *causam Caji Principis, qui super omnia muliebria, socculos induebat e margaritis.* Et IX. 35. sed supra laudatus. *Lips. in Senec. de Benef.* II. 12. *Tiraquel. in Alex. Gen. dier.* V. 8. *Pitisc. in Suet. Cal. c.* 52. *n.* 2. Imo deaurabantur, & aureæ bracteæ iis inducebantur. Tertull. de Idolol. c. 8. V. illum supr. in *Baxea*. Senec. de Benef. II. 12. V. illum supr. in *Calceus*. Illis utebantur comœdi in fabulis, in quibus ut plurimum viles, & humiles personæ inducebantur, utpote alorum adolescentes, delirii senes, parasiti, lenones, meretrices, & aliæ ejusmodi quisquiliæ. Unde cum plebejo sermone comœdi illi loquerentur, hinc factum, ut *soccus* interdum pro humili stylo, vel pro leviore carminis forma sumatur: quemadmodum cothurni voce sublime dicendi genus aliquando intelligitur. Utramque significationem notavit Mart. VIII. 3. 13.

An juvat ad tragicos soccum transferre cothurnos?

id est, visne relicto epigrammatum studio, aliud genus carminis tractare, tragicum nempe, vel heroicum? Ita Horat. Art. Poet. n. 89.

Versibus ornari tragicis res comica non vult,
Indignatur item privatis, ac prope socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.

Ubi *digna socco carmina* non alia sunt, quam comica, & humili stylo scripta. *Balduin. l. l. Demster. Parall. ad Rosin. Antiq.* V. 8. Philosophi Cynici. Plaut. Pers. I. 3. 43.

Cynica esse e gente oportet parasitum probum,
Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium.

Salmas. in Tertull. de Pall. p. 414. Mulieres. Hoc innuit Suet. Vitel. c. 2. n. 11. *A Messallina petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos, detractumque soccum dextrum inter togam, & tunicam gestavit assidue.* Messallina *soccis* erat calceata. Ita prostibulum paucis, sed graphice describens ait Prop. II. 19. 72.

Cui sæpe immundo sacra conteritur via socco.

En feminæ *soccum* tribuit, quem dicit *immundum*, id est, lutulentum, assidua nempe per sacram viam itione: scortorum enim est discurrere passim, & vagari. Suet. Cal. c. 52. n. 2. *Processit in publicum nonnunquam socco muliebri.* Balduin. l. l. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 346. & Passerat. in Propertium. Mulieribus erant valde familiares, & integris, & corruptis moribus Romanis. Diverso tamen modo. Integris in usu fuerunt, quia potissima laus matronarum erat domum servare, ibique lanam facere, & liberos educare. Hi enim calcei tam accommodati erant usui domestico feminarum, quam solee virorum, a quibus fortasse forma non differebant. Ob id certe Caja Cæcilia crepidas, seu *soccos* suos dicitur dedicasse Sango, ut essent testimonium suæ assiduitatis in servanda domo. Denique ob eam rem arbitror *soccum* factum esse sollennem nuptiis, ut admoneret novas nuptas sui officii, hoc est, quia eam servare domum deberent. Corruptis illis ad luxuriam mulieres usæ sunt, eo modo quo viri soleis. Propterea, ut dictum, *soccos* varie solebant ornare gemmis, unionibus, margaritis, quo ad ostentationem essent compositiores. Itaque tam molle fuit in *soccis*, quam delicatas prodire. *Mercer. in Alex. Gen. dier.* V. 18. Cum igitur muliercularum essent propria, probro viris datum est iis uti. Seneca l. l. *Parum enim jam fuit, furiosæque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat.* Ubi indignum facinus videri vult Seneca, Imperatorem in judicio sed sic *soccis* calceatum, utpote parum virilibus, magisque mulierum propriis. Inde etiam est, quod Herculi apud Omphalem agenti tribuuntur, inter alia nequitiæ instrumenta, fasciæ crurales, & *socci* muliebres apud Senec. Hyppol. I. 321.

Crura distincto religat auro
Luteo plantas cohibente socco.

Parum viriles vero *socci*, ut qui choreis, quæ vere viros dedecent, agitandis apti essent. Unde Hymenæum, nuptiarum deum, ita calceatum sic invocat Catull. LXI. 9.

Huc veni niveo gerens
Luteum pede soccum.
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus.

Balduin. & Salmuth l. l.

SOCER est viri, aut uxoris pater l. 4. §. 6. de grad. & ad generum utrumque refertur. *Hotman. de Rit. nupt. c.* 10.

Socer magnus, qui & *prosocer* dicitur, & uxoris, aut mariti avus, & ad progenerum, & ad pronuram refertur l. 4. §. 6. de grad. l. 3. §. ult. ff. de postul. *Hotoman. de Rit. nupt. c.* 10.

SOCIETAS erat contractus bonæ fidei de alicujus vel rei, vel negotiationis communione sic institutus, ut ejus & quæstus, & damnum ad unumquemque communiter pertineret. *Sigon. de Judic.* I. 5. Etiam consensu contrahebatur, in eaque nec verborum, nec scripturæ ulla proprietas desiderabatur; sed sufficiebat eos, qui id negotii gererent, vel coram, vel per epistolam, vel nuntium consentire l. consensu ff. de oblig. & act. *Societatem* autem inire solebant sive universorum bonorum, sive negotiationis alicujus, sive vectigalis, sive etiam unius rei l. societates & l. verum ff. pro sociis. Institut. de societate. *Societatis* plane omnium bonorum fit mentio l. 1. & 5. §. 1. cum duobus. §. socium & §. ult. ff. pro soc. Ulpian. l. si societatem ff. eod. *Si societatem universarum fortunarum coierint, id est, earum quoque rerum, quæ postea a-*

a qui-

adquireretur. Et mox: *Si ſocietatem univerſarum fortunarum ita coierint, ut quicquid erogetur, vel quæreretur lucri, atque impendii eſſet.* *Societatis* negotiationis alicujus exemplum habemus l. cum duobus §. quidam ff. eod. *Quidam*, ait Ulpianus, *ſagariam negotiationem coierunt.* Juſtin. Inſtit. de ſociet. *Societatem coiri* ait, *aut unius alicujus negotiationis, veluti mancipiorum vendendorum, emendorumque, aut olei, aut vini, aut frumenti emendi, vendendique.* Cicer. pro Quint. c. 3. *Inductus conſuetudine, ac familiaritate Quintius, fecit, ut dixi, ſocietatem earum rerum, quæ in Gallia comparabantur.* Pecunia etiam interdum ad mercem emendam conferebatur l. ſi id quod §. 1. ff. eod. Sed & *argentariæ ſocietas* initur l. cum duobus §. cum duo ff. eod. Paull. l. ſi unus ff. de pact. *Si unus ex argentariis ſocius cum debitore pactus ſit.* *Societas* etiam vectigalium cauſa coitur l. actione § nonnunquam ff. eod. In ejuſmodi autem *ſocietate* hoc ſingulariter receptum erat, quod cum cæteræ *ſocietates*, quas privatas, vel voluntarias Icti nominant, morte *ſocii* ſolverentur, hæc nihilominus manebat, & poſt mortem alicujus, quemadmodum ſcribit Pompon. l. adeo ff. pro ſoc. Ulpian. l. verum §. in hæredem ff. eod. *Et circa ſocietates vectigalium, cæterorumque idem obſervamus, ut hæres ſocius non ſit, niſi fuerit adſcitus; verumtamen omne emolumentum ſocietatis ad eum pertineat. Similiter modo & damnum agnoſcat, quod contingit, ſive adhuc vivo ſocio vectigalis, ſive poſtea. Quod non ſimiliter in voluntaria ſocietate obſervatur.* Briſſon. de Form. VI. p. 526. Has plerumque equites inibant de emendis vectigalibus, quia totius alicujus provinciæ vectigalia ſimul locabantur, & non erat unius, etſi ditiſſimi ea redimere, ut collatis opibus ſufficerent magnæ, & immenſæ adminiſtrationi. Hinc ſæpiſſime *ſociorum*, & *ſocietatis* appellatio apud Ciceronem, & Ictos occurrit. Inita *ſocietate*, cuique pars ſua adminiſtranda aſſignabatur, & quæ portio, quam quis contulerat, luculentior, vel minor erat, attribuebatur. Hinc de Rabirio Poſtumo dicit Cicer. c. 2. eum *magnas partes habuiſſe publicorum*, quia ſcilicet ditiſſimus majorem, quam reliqui *ſocii*, pecuniæ copiam contulerat. Deinde ditiores equites amicos pauperes, & qui redimendis vectigalibus non erant pares, hoc beneficio beabant ut iis minutas aliquas partes concederent, unde rem facere poſſent. Ita de eodem Rabirio teſtatur Cicer. l. l. *eum locupletaſſe amicos, miſiſſe in negotium, dediſſe partes.* Hæ *ſocietates* poſtea, etſi non ab equitibus initæ, ſed ab alio genere negotiatorum ſub Imperatoribus manſere: unde in Pandectis frequens earum mentio fit, & jura de *ſocietatibus* illis exponuntur l. 1. ff. quod cujusque univ. nom. Singulare vero aliquod, & contra naturam reliquarum *ſocietatum*, jus conſtitutum invenimus de vectigalium *ſocietate* l. 59. & 63. §. 8. ff. pro ſocio. quod breviter exponemus. Privatæ, & ordinariæ *ſocietates* voluntate, ut dictum, contrahentium initæ, ſemper morte unius ex *ſociis* diſſolvebantur, neque pacto poterat ab aliquo ſociorum caveri, ut mortuo ſibi hæres in *ſocietatem* ſuccedat: nam abſurdum, & incommodum duplex hinc oriebatur: aut enim certa perſona hæredis erat pacto comprehenſa, & eo caſu *ſocius*, qui de hærede pactus fuerat, amittebat liberam teſtandi facultatem, cum neceſſario illum, quem in *ſocietatem* ſuccedere voluerat, hæredem ſcribere cogeretur: vel incerta perſona erat deſignata, ut quisquis mihi hæres futurus erit, in *ſocietatem* ſuccedat, & tunc pactum erat contra naturam *ſocietatis*, in qua, cum opera, & induſtria alicujus ſpectetur, certa debet eſſe *ſocii* perſona, ne, ſi minus idoneus ſit, damnum reliquis afferat §. 5. de ſociet. Hæc ita in privatis *ſocietatibus* obtinebant, in vectigalium vero *ſocietate* aliter ſe res habebat, nec poſt mortem *ſocii* unius reliquorum *ſocietas* diſſolvebatur, ſive de hærede pactum fuiſſet, vel non; ſive perſona hæredis idonea eſſet, vel minus capax: & ratio eſt, quia hæ *ſocietates* erant neceſſariæ, quod non ita intelligendum eſt, quaſi quis cogeretur *ſocietatem* inire invitus, ſed quod, cum privatæ *ſocietati* ſemper, dummodo ſine fraude, renuntiari poſſit, ab hac ante tempus, ad quod vectigalia conducta ſunt, diſcedere non liceat. *Burman. Diſſ.* IX. *de Vectig.* p. 157. *Briſſon. l. l.* In his *ſocietatibus* alii conducebant, alii cum his *ſocietatem* coibant, alii pro his bona, fortunasque ſuas Reipublicæ obligabant, ut narrat Polyb. VI. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom.* II. 4. *Burman. ibid.* p. 162.

SOCII, atque amici a ſenatu Romano appellabantur Reges, quibuſcum *ſocietatem*, atque amicitiam ſenatus, & populus junxerat: eaque appellatio maximo honori ducebatur. Cicer. pro Sext. c. 26. *Rex Ptolemæus, qui ſi nondum erat ipſe a ſenatu ſocius appellatus, erat tamen frater ejus Regis, qui, cum eſſet in eadem cauſa, jam erat a ſenatu honorem iſtum conſecutus.* Suet. Jul. c. 11. n. 1. *Quod Alexandrini Regem ſuum, ſocium, atque amicum a ſenatu appellatum expulerant.* Tacit. Annal. IV. 26. 4. *Cognitis dehinc Ptolemæi per id bellum ſtudiis, repetitus ex vetuſto mos, miſſusque e ſenatoribus, qui ſcipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera daret. regemque, & ſocium, atque amicum appellaret.* Hunc honorem paucis contigiſſe ſcribit Cæſ. de Bell. Gall. I. 43. 4. Sed V. illum ſupr. in *Rex.* Briſſon de Form. II. p. 233.

Socii Italici omnibus exteris excellebant. Horum duo genera, qui Romanis magiſtratibus, ac legibus, & qui ſuis, utebantur; Romanis, ut præfecturæ quæ dicebantur; ſuis, ut reliqui. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Rom.* I. *p.* 20. *D.* 21. *A.*

Socii Latini dicebantur, qui jus habebant Latii. Inter *ſocios* erant nobiliſſimi. Etenim reliquis omnibus, non modo exteris, verum & Italicis præſtabant. Latium incolumi Republica non ultra Circejos extendebatur: Imperatorum ætate ad Lirim flumen prolatum videtur. V. ſupr. in *Latium.* Et jus Latii non ad Latinos tantum pertinet, ſed in tria genera deducitur. Convenit enim I. in ipſos populos, qui Latium incolebant; qui quatuor modis in hiſtoria nominantur, *Socii Latini*, *Socii ac Latini*, *Socii Latini nominis*, *Socii ac Latini nominis.* II. In colonias eas, quæ propterea Latinæ dicebantur, quia jus haberent Latii. III. qui neque Latinæ coloniæ, neque gens erant Latina, ſed aliquo merito, aut populi Romani benignitate, eadem illa jura, quibus & Latium univerſum, & Latinæ coloniæ fruebantur, erant conſecuti: quo ex genere multos nominat Plin. III. 8. *Manut. de Legib. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 20. *D.* Legem a C. Claudio de *ſociis* Latinis latam V. ſupr. in *Lex.*

Socii & auxilia in militia differebant. V. ſupr. in *Auxilia.* Cum multæ Italorum gentes eſſent, non credo omni anno per omnes itum: maxime cum paucæ legiones eſſent ſcribendæ; ſed in orbem iviſſe, & viciſſitudine quadam ex his, illisque cepiſſe. Numerum illis præſcribebant, tamen in ea ipſa re non erant graves, aut injurii. Vires enim propemodum ſciebant, & pro iis indicebant. Liv. XXXIV. 56. *Ex coloniis quindecim millia peditum: & quingentos equites, pro numero cujusque juniorum, conſul ſcripſit.* Numerum ſciebant e tabulis cenſoriis, quas probabile eſt Romæ quoque fuiſſe. Imo vero tandem ipſi Romani cenſores cenſum illic egerunt. Liv. XXIX. 37. *Duodecim coloniarum, quod nunquam antea factum erat, deferentibus cenſoribus* Livio & Claudio Nerone, *ipſarum coloniarum cenſum receperunt: ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent.* Itaque pro imperio rem hic gerebant, & tot, aut tot milites imperabant. Imperabant, inquam, & ſic Liv. XXXVI. 1. *Præter eum numerum militum, quos L. Quintius in eam provinciam ſcripſiſſet, imperaſſetve.* *Scripſiſſet* ad cives refertur: *imperaſſet* ad ſocios. Idem c. 3. *Quos L. Quintius milites conſcripſiſſet, & quos ſociis, nominique Latino imperaſſet.* Lipſ. de Milit. Rom. I. dial. 7. Illorum in ſingulis legionibus numerus, teſte Polyb. VI. 14. *peditum quidem par, ut plurimum, legionibus Romanorum, equitum vero dupla.* Liv. VIII. 8. *Scribebantur quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas legiones tricenis: alterum tantum ex Latino delectu adjiciebatur.* XXII. 36. *Socii duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent.* Lipſ. ibid. II. Dial. 7. Valtrin. de Re milit. Rom. III. 5. Patric. Rei milit. Rom. part. VIII. ſect. 4. part. IX. ſect. 10.

part.

part. III. ſect. 5. Conſules ex *ſociorum* numero duodecim eligebant viros, qui illis imperarent, præfectos dictos. Hi, ut numero, ita jure, & poteſtate in ſuos cives, pares erant tribunis legionum Romanarum. Præter hos præfectos, a conſulibus creatos, poſtquam exercitus totus in unum locum congregatus eſſet, *ſocii* quoque habebant ducem, & quæſtorem, quem ipſi jam antea elegerant, cum delectum haberent in ſuis civitatibus, quibus Romani certum militum numerum imperaverant, ut Polybius docet. Quomodo vero dux ille, ſive præfectus appellatus fuerit, auctor noſter non addit, nec in ullo alio ſcriptore invenitur, niſi quod Liv. IX. 16. ducem Præneſtinorum prætorem vocat. Cæterum de quæſtore *ſociorum* an quisquam alius auctor mentionem fecerit, non memini. Dubium tamen non eſt, quin inter ſuos honore, & munere quæſtori Romano pares fuerint. *Patric. ibid. part.* VIII. *ſect.* 2. Poſtquam a tergo equitum Romanorum locaverant triarios, & haſtatos a tergo principum, deinde adverſos equites *ſociorum*, abſolverantque vias quinque, quarum una erat in medio inter equites legionarios, duæ inter triarios & principes ambarum, & duæ ultimæ inter haſtatos, & equites *ſociorum*; pedaturisque in modum vici diſpoſitis, a tergo horum equitum locabant *ſociorum* pedites, quorum latitudo pro rato augebatur, uti & equitum. Nam cum in ſingulis pedaturis eſſent in univerſum 336. quorum unicuique tantundem aſſignandum erat ſpatii, quantum ſingulis Romanis, id eſt, duo paſſus quadrati, relicto inſuper ſpatio vacuo ad alios uſus: primo quidem univerſis paſſus 672. neceſſario dandi fuerunt; & deinde, ut vacuum aliquod ſpatium relinqueretur, ſingulis inſuper dimidius ſaltem paſſus dandus fuit, ex quorum collectione ſumma 168. paſſuum conficitur. Latitudini deinde illi pedum 100. quam principes, & haſtati Romanorum obtinebant, alii 110. pedes adjiciendi, ita ut tota illorum ſumma eſſet 210. qui ducti in pedes 100. quos longitudo occupabat, efficiunt aream pedum 21000. qui conficiunt paſſus 840. His in 336. milites ita diviſis, ut eorum ſingulis bini aſſignarentur, occupabantur paſſus 672. reſtantibus 168, quæ ſumma conflatur dimidiis illis paſſibus, qui ideo ſingulis militibus ſuperaddebantur, ut haberent, ubi impedimenta ſua poſſent ponere. *Patric. ibid. part.* IX. *ſect.* 22. Illorum pedites capiebant ſtipendium par Romanis, frumenti modum nimirum Attici medimni duas partes: equites medimnum unum & trientem, hordei quinque in menſem. Polyb. VI. 37. Quoniam vero ille nullam hic facit mentionem pecuniæ, *ſociis* in ſtipendium datæ, ſuperius vero memoravit, quæſtorem cum ipſis domo venire ſolitum, colligere facile licet, eos a civitatibus quidem ſuis pecuniam, a Romanis vero frumentum accepiſſe. *Patric. ibid. part.* XII. *ſect.* 1.

Socii navales appellabantur remiges. Ita quos remiges vocaverat, *ſocios navales* appellat Liv. XXVI. 35. *Senatum poſtero die habuerunt de remigum ſupplemento, ubi cum multa diſſeruiſſent, cur æqua plebis recuſatio eſſet, verterunt orationem eo, ut dicerent, privatis id ſeu æquum, ſeu iniquum onus injungendum eſſe; nam unde, quum pecunia in ærario non eſſet, paraturos navales ſocios.* Sic XXI. 50. *Eludere Pœnus, & arte, non vi rem gerere, naviumque, quam virorum, aut armorum malle certamen facere. Nam ut ſociis navalibus affatim inſtructam claſſem, ita inopem milite habebat.* Hic ſane *ſocii navales* nihil aliud quam remiges. Ideo enim navibus potius certare voluerunt, quia remigio prævalucre. Idem XXII. 11. a militibus diſtinguit: *Conſul,* ait, *Oſtiam proficiſci juſſus, navibus, quæ ad urbem Romam, aut Oſtiæ eſſent, completis milite, ac navalibus ſociis, perſequi hoſtium claſſem.* Serv. Æneid. I. *Quidam ſocios pro remiges accipiunt, ſed illi ſocii navales appellantur.* Et retinent hoc nomen etiam hodie apud Batavos, quibus **bootsgeſellen** nuncupantur. Aliquando ſicut a militibus, ſic & remigibus diſtinguuntur. Liv. XXXVII. 16. *Non milites ſolum, ſed etiam navales ſocios, remigum turbam, quibus quisque poterat, telis armatos in prælium eduxit.* c. 10. *Non remigem, non ſocios navales ad claſſem frequenter habiturum.* Licet hoc in loco *ſocii* milites navales ſignificare videantur. Quemadmodum & XXVI. 48. ubi quos antea *ſocios* vocavit, poſtea claſſicos interpretatur. Verba hæc ſunt: *Duo coronam muralem profeſſi ſunt, Q. Trebellius centurio legionis quartæ, & Sex. Digitius ſocius navalis. Nec ipſi tam inter ſe acriter contendebant, quam ſtudia excitaverant uterque ſui corporis hominum. Sociis C. Lælius præfectus claſſis, legionariis M. Sempronius Tuditanus aderat.* Contendunt igitur hic *ſocii* navales inter ſe, & milites legionarii. Sed mox Lælius, *ſtare*, inquit, *hinc legionarios milites, hinc claſſicos, per omnes deos paratos jurare.* . . . Sunt ergo *ſocii* hoc loco iidem, qui claſſici: milites nimirum, & non remiges. Niſi hic per claſſicos non quidem remiges, ſed nautas intellectos velit, quod a vero alienum non videtur. De iis, autem, qui naves in navalibus parabant, cogitare, cum hæc vox occurrit, nihil attinet: nunquam enim iſtos homines, ut perperam in magno opere Vir eruditus tradidit, ſignificat. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 2. *Ciaccon. Columm. Roſtr. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1825. *D.*

Socii provinciales inter exteros excellebant. *Socii*, quia Romanis parebant, blanditiæ cauſa vocabantur. Illorum propria fuere, ut Romanis regerentur magiſtratibus, Romanis legibus parerent, annuum vectigal penderent. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 20. *D.* 22. *C.*

Socii reliqui conſtabant e tribus generibus: ex iis, qui nunquam hoſtes; ut Judæi, qui populorum orientalium primi Romanorum amicitiam appetierunt; & Ptolemæus, Ægypti Rex: qui *ſocii* immunes, omniumque expertes onerum fuere: tum ex eis, qui hoſtes aliquando, poſtea, depoſitis armis, amicitiam cum populo Romano coiere: poſtremo loco, qui non ſua ſponte ſeſe dediderunt; ſed armis victi, cum everti, ac deleri, belli jure, poſſent; clementia tamen, & benignitate populi Romani, fœdere percuſſo, inter *ſocios* relati ſunt. Atque his omnibus commune *ſociorum*, aut fœderatorum nomen, varia tamen conditio, fuit: cum alii ſtipendiarii, alii immunes eſſent. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 22. *D.*

SOD.

SODALES quinam dicantur V. ſupr. in *Collegium.* Scio *ſodales* ſic dici, ſed improprie. Nam ἑταιρία *ſodalitium* eſt. Et male interpres Dion. XLVIII. ἑνὶ τῶ ἑταιρικῶ vertit *uni ex collegio*, cum debuerit, *uni ex ſodalibus. Sodales* enim ſunt conſortes ejuſdem officii, vel ſocietatis, dicti *quod una ſederent.* Feſtus. *Guther. de vet. jur. pontif.* I. 3.

Sodales Alexandrini fuerunt dicti, qui Alexandro Severo fuerunt conſecrati. Lamprid. c. 63. *Dati ſunt & ſodales, qui Alexandrini appellati ſunt.* Stuck. Ant. Conviv. I. 31. Beger. Spicil. Antiq. III. 38. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 14. L. *Alexandriani.* Ab Alexandria enim urbe Alexandrinus civis, ſed ab Alexandro Alexandrianus *ſodalis.* Sic Marciani *ſodales*, Antoniniani, Aurelianiani, & ſimilia. *Salmaſ. in Lampridium. Beger. l. l.*

Sodales Antoniniani fuerunt dicti, qui Antonino Pio fuerunt conſecrati. Capitolin. c. 13. *Meruit & flaminem, & circenſes, & templum, & ſodales Antoninianos.* Stuck. Ant. Conviv. I. 31. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 614.

Sodales Antoniniani etiam fuerunt dicti, quos Vero ſacravit M. Antoninus philoſophus. Capitolin. c. 15. *Tantæ ſanctitatis fuit Marcus, ut Verum mortuum divum appellaverit, ſacrisque eum plurimis honoraverit. Flaminem & Antoninianos ſodales, & omnes honores, qui divis habentur, eidem dedicavit.* Laz. Comm. Reip. Rom. III. 14. Lapis antiquus: SODALI. ANTONINIANO. VERIANO. FETIALI. *Caſaub. in Capitolinum. Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1086. *G. Panvin. in Faſt.* II. *p.* 249. *Blond. Rom. triumph.* II. *p.* 32. *G. Kirchman. de Funer.* IV. 14.

Sodales arvales dicti ſunt judices, qui de agrorum fini-

bus cognoscebant mutuatitio nomine de fratrum arvalium vocabulo. Hoc ita in antiquo Lexico scribitur: *Arbales sodales οἱ περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασταί.* Turneb. Adv. xxi. 1. *Ferret. Mus. Lapid.* iv. *Memor.* 3.

Sodales Augustales in honorem Augusti instituti erant. Tacit. Annal. i. 54. 1. *Annus 766. novas accepit ceremonias Augustalium sodalium sacerdotio. Sorte ducti e primoribus civitatis unus & viginti. Tiberius, Drususque, & Claudius, & Germanicus adjiciuntur.* Suet. Claud. c. 6. n. 4. *Senatus quoque ut ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adjiceretur, censuit.* Galb. c. 8. n. 1. *Ob res, & tunc in Africa, & olim in Germania gestas inter sodales Augustales cooptatus.* Laz. Comm. Reip. Rom. iii. 14. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 908. B. Lipsius in Tacitum. Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 614. Stuck. Ant. Conviv. i. 31. Reines. Epist. ad Rupert. 31. Blond. Rom. triumph. ii. p. 32. G. Kirchman. de Funer. iv. 14. Ferret. Mus. Lapid. iv. Memor. 3. Gronov. Marm. bas. coloss. Tiber. erecti c. ii. Volaterr. Rer. Urban. xxix. p. 1086. G. Kipping. Antiq. Roman. i. 12. §. 16. Beroal. & Pitisc. in Suetonii Claudium. Hos etiam habebant coloniæ, atque provinciæ. Legebantur a decurionibus, ut est in lapide apud Gruter. p. 409. n 5.

FAUSTUS
VIVIR. ET. AUGUST
QUI. INTER. PRIMOS
AUGUSTALES
A. DECURIONIB.
AUGUSTALIS. FACTUS. EST.

Struv. l. l.

Sodales Aureliani in honorem Adriani erant instituti. Capitolin. M. Anton. philos. c. 7. *Adriani sepulcro corpus patris intulerunt. . . . Et laudavere uterque pro rostris patrem, flaminemque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis Aurelianianos creavere.* Stuck. Ant. Conviv. i. 31. Laz. Comm. Reip. Rom. iii. 14. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 614.

Sodales Flavii in honorem Vespasiani erant instituti. Inscriptio vetus:

IMP. CÆSARI
DIVI. F. T. VESPAS
IANO. AUGUSTO
PONTIF. MAX. TRIB
POT. IMP. X. P. P
CENSORI. ÆDIUM
PUBLICARUM. ET
RESTITUTORI. ÆDIUM
SACRARUM
SODALES. FLAVII
P. MARTIUS. VERUS

Panvin. de Civit. Rom. c. 27. Kirchman. de Funer. iv. 14.

Sodales Helviani Helvio Pertinaci sunt consecrati. Capitol. Pertin. c. 15. *Marciani sodales, qui divi Marci sacra curabant, Helviani sunt dicti propter Helvium Pertinacem.* Spartian. Sever. c. 7. *Pertinacem inter divos sacravit, addito flamine, & sodalibus Helvianis, qui Marciani fuerant.* Stuck. Ant. Conviv. i. 31. Casaub. in Capitolinum. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 614. Panvin. in Fast. ii. p. 249. Sic loquuntur, & Capitolinus, & Spartianus, quasi Marcianorum tum fuisset nomen sublatum: meminit tamen amborum lapis vetus Romæ, ubi hæc inter cætera: SODALI. MARCIANO. AURELIANO. COMMODIANO. HELVIANO. SEVERIANO. *Casaub. l. l.*

Sodales Marciani. V. illos supr. in *Sodales Helviani.*

Sodales Titii *retinendis Sabinorum sacris quondam instituti sunt a T. Tatio.* Tacit. Annal. i. 54. 1. Romulus post Tatii mortem sollennitate quadam eosdem confirmavit, & sacravit, ut Sabinorum populum eo magis deliniret. Unde Tacit. Hist. ii. 95. 3. *Quod sacerdotium ut Romulus Tatio Regi, ita Cæsar Tiberius Juliæ genti sacravit.* Extra Urbem habitabant, & in tuguriis certa auguria servabant: quoniam ad id deputati a pontificibus erant. Varr. de Ling. Lat. iv. 15. *Sodales Titii dicti ab Titiis avibus, quas in auguriis certis observare solent.* Pichen. & Lips. in Tacitum. Merul. de Sacerd. ii. 8. Laz. Comm. Reip. Rom. iii. 14. Panvin. de Civit. Rom. c. 21. Stuck. Ant. Conviv. i. 31. Ferret. Mus. Lapid. iv. Mem. 3. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 614. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 177. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 481. E. de Poet. c. 10. p. 499. A. Laurent. Var. sacr. c. 1. Clasen. Theol. Gent. iii. 1. §. 13. Casal. de Urb. ac Rom. imp. splend. iii. 2. Læt. de Sacerdot. c. 15. Volaterr. Rer. Urban. xxix. p. 1086. G. Kipping. Antiq. Roman. i. 12. §. 16.

SODALITATES quæ, & quare fuerint interdictæ V. supr. in *Collegia.*

SOL.

SOL, quia illo nihil pulcrius, utiliusque in conspectum sese daret, a gentilibus deus est habitus, utpote quem etsi non omnia corporis sui magnitudine occupare, terras tamen, ac maria vi radiorum pervadere viderent, atque animantibus, & plantis salutem, & vitam afferre, reliquis insuper astris lumen impertiri, cœlumque ipsum conspicuum reddere. Eleganter Minut. Fel. Octavio. *In sole adeo rursus intende, cœlo affixus, sed terris omnibus sparsus est; pariter præsens ubique interest, & miscetur omnibus.* Ac sane vel ipse Plinius, qui fabulosam de diis persuasionem irridet, num quis præter *solem* deus sit, ambigere videtur. ii. 6. Perspicuum omnibus ex Pausania, Xenophonte, aliisque unum deum *solem* Persis creditum. Tradit etiam Philo Biblius, Eusebio referente, ex sententia Sanconiathonis, qui de Phœnicum theologia conscripsit, *solem* apud Phœnices deum existimatum, quem Beelsamonem vocabant, hoc est, cœli dominum. Ex qua persuasione effectum est, ut quandoque apud scriptores dei vocabulum absolute pro *sole* positum inveniatur. Fortasse etiam vox ἥλιος apud Græcos ex Hebræa אל quæ deum significat, originem sumpsit. Ac præ cæteris Macrob. Sat. i. 17. pluribus argumentis evincere conatur, *deos omnes ad solem referri.* Quo etiam spectasse dicat aliquis antiquæ tabulæ auctorem: in qua cum radiato *solis* capite præcipua Apollinis insignia, arcum nempe, & pharetram inspicimus; poculum item Bacchi hedera circumdatum; clavum, ac leoninam pellem Herculis, Mercurii caduceum. *Aleand. Expos. tabulæ Heliacæ Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. v. p. 706. A. Clasen. Theol. gentil. i. 4. 5.* Tabula hæc extat Romæ in ædibus Hasdrubalis Matthiæ Marchionis Jovii ex albo marmore magnitudinis pedum sesquitrium ex unoquoque latere. Illam multis explicat *Aleander.* Neque alium deum coluere Illyrii, & Pannones quam *solem*, quem Belenum, Apollinemque vocabant, sicut eundem Persæ vocabant Mithram, Emisseni Alagabalum, Palmyreni Malachbelum, quasi Regem Belum. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 9. §. 2.* Duodecim radii cingunt ejus caput. Ita de Rege Latino a *sole* originem ducente Virg. Æneid. xii. 161.

—— ingenti mole Latinus
Quadrijugo invehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia circum
Solis avi specimen.

Eo numero duodecim menses designabantur, quibus annuus ejus cursus perficitur, quod patet ex Artemid. iv. 35. referente, quendam, qui somniarat, *solem* se factum esse, ac undecim insignitum radiis per forum progredi, consecutum quidem dignitatem, ac undecimo mense obiisse, propterea quod perfectum radiorum numerum non haberet. Et apertius Mart. Capell. de Nupt. philol. ii.

Solem te Latium vocitat, quod solus honore
Post patrem sis lucis apex; radiisque sacratum
Bissenis perhibent caput aurea lumina ferre,
Quod totidem menses, totidem quot conficis horas.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. i. 27. Aleand. ibid. p. 710.

p. 710. A. Sine tecto colebatur. V. supr. in *Delubrum.* Majorem in mari æstum, quam in terra gignit, quod aqua magis, quam terra illi adversatur. Nazianzenus:

> —— *ferum æstum maris.*

Butius de Portu antiq. c. 16. Ad ejus cursum instituebant nautæ diurnum iter. Ex illo enim distinguebant ortum ab occasu, meridiem a septentrione. Igitur cum *sol* non luceret, errabant in pelago incerti. Virg. Æneid. III. 200.

> *Excutimur cursu, & cæcis erramus in undis:*
> *Ipse diem, noctemque negat discernere cælo,*
> *Nec meminisse viæ media Palinurus in unda.*
> *Tres adeo incertos cæca caligine soles*
> ***Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.***

Hoc est, quod ait Lucas Actor. c. 27. n. 20. *Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ.* Scheff. de Milit. Nav. Addend. IV. p. 341. Insculpebatur annulis. Annuli Amphitruonis sphragisma est *sol* exoriens quadrigis vectus apud Plaut. Amph. I. I. 264.

> —— SO. *Ubi patera nunc est?* ME. *in cistula,*
> *Amphitruonis obsignata signo.* SO. *signi dic quid est?*
> ME. ***Cum quadrigis sol exoriens.***

Kirchman. de Annul. c. 13. *Solem* occasum dixerunt veteres pro solis *occasu.* V. supr. in *Occasus.*

SOLARIUM significat id ipsum, quo horæ declarantur, ὡρολόγιον vocatum a Græcis: quod Græcum vocabulum in nostrum quoque sermonem radices egit, in oreque multitudinis, aliquantulum tamen corruptum, nunc est. *Victor. Var. Lect.* XXI. 13. *Bud. in Pandect. p.* 115. *C. Tab. Semestr.* II. 25. V. supr. in *Horologium* & *Sciather.*

Solarium significat locum in summis ædibus ad excipiendum ***solem*** ædificatum: in quo, ad meridiem vergente, hyeme apricari consuevimus, vulgoque appellamus *terrazzo.* Hoc liquido percipitur ex Plaut. Mil. glor. II. 3. 69. ubi Sceledrum, servum militis, custodem concubinæ herilis, inducit dicentem, nulla ratione e propinqua domo Philocomasium penetrare in domum militis potuisse, insciente illo: quia illic nihil coram sit, quæ domos vicinas pervias faciunt, atque in illis ***solarium*** numerat: unde non magno negotio in propinquas ædes pertransitur. Ait igitur:

> ***Neque solarium, neque hortum, nisi per impluvium?***

II. 4. 24.

> ***Nisi mirum est facinus, quomodo hæc hinc potuerit transire!***
> *Nam certo neque solarium est apud nos, neque hortus ullus,*
> *Neque fenestra, nisi clatrata.*

Eodem sensu cepit Cæsar Augustus, cum de purpuræ colore nimis obscuro quereretur. Docente eum mercatore, quomodo spectanda foret: iisque verbis utente, ut memoriæ prodidit Macrob. Sat. II. 4. *Erige altius, & suspice,* respondit ille acute: *Quid? ego, ut me populus Romanus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum?* editissima enim ei pars erat *totius domus.* Victor. Var. Lect. XXI. 13. Turneb. Adv. XVIII. 2. & 22. Taubman. in Plautum. Laurent. de Ann. & mens. c. 2.

Ad solarium videtur certus locus Romæ vocatus, valde celeber, ac frequentatus: ut suspicor, quia illic in pariete aliquo ratio horarum descripta foret. *Ad solarium* autem, ut in campo, id est in loco propinquo ipsi. Cicer. pro Quint. c. 18. *Vixit semper inculte, atque horride: natura tristi, ac recondita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est.* ad Herenn. IV. 10. *Ita petulans es, atque acer, ut ne ad solarium quidem idoneus, ut mihi videtur, sed penes cenam, & in ejusmodi locis exercitus sis.* Victor. Var. Lect. XXI. 13. Turneb. Adv. XVIII. 22. *Ad solaria* versari eleganter, & scite de eo dicitur, qui spectacula frequenter invisit: nam mæniana in foro loca fecerunt, unde spectabantur ludi; & hæc *solaria* vocabantur. Hieron. ad Sunium & Fretellam: *Δώμα in orientalibus provinciis ipsum dicitur, quod apud Latinos tectum: in Palæstina enim & Ægypto, ubi divini scripti sunt divini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ, vel solaria, vel mæniana vocant, id est, plana tecta, quæ transversis trabibus sustentantur.* Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 10. Salmas. in Spartian. Pescenn. c. 12. Ego tamen priorem veriorem, & illam posteriorem interpretationem crediderim, cum hic *ad* propinquitatem significet, & ***ad solarium*** conventus hominum elegantium, & otiosorum, ut & in alias fori partes, fieret. *Turneb. l. l.*

Solarium etiam vocabatur vectigal, quod pro *solo* pendebatur l. 2. § 17. ff. ne quid in loco publico, atque hoc plerumque exigebatur ex ædificiis, quæ privati in publico excitarunt, quod vetitum erat. t. t. ff. ne quid in loco publico. l. 22. C. T. de oper. publ. Sed si quis ædificaverit, *præses provinciæ æstimare poterit, utrum vindicandum publicum sit, an ut satius sit vectigal imponi.* l. 5. §. 1. ff. de oper. publ. Curatores locorum publicorum iudicandorum ordinarie vel ædificia publicabant, vel iis vectigal, & pensionem annuam imponebant, quæ *solarium* a legibus sæpe dicitur, ut l. 39. §. 5. ff. de leg. I. l. 15. ff. qui pot. in pignor. Hinc Imperator Julianus l. 1. C. de diverf. præd. urban. & rust. jubet *pro ædibus, quas nonnulli in solo Reipublicæ exstruxerant, placitam pensionem præstare,* non voluit dirui ædificia, quæ sub Constantino maxime in publicis locis erant excitata, sed *solario* contentus fuit. Postea Imperatores sæpe domos, & ædificia publica donare solebant, & inde pensionem, seu collationem quandam sibi capere, de qua est titulus in C. T. de conlat. donat. vel relev. possess. Præcipue exigebatur ex ædibus, quæ in porticibus balneorum, & aliorum publicorum exstructæ erant, quibus fruentes *solario* obligati erant, ut patet ex l. 52. C. T. de oper. publ. *Victor. Var. Lect.* XXI. 13. *Alciat. de Verb. signif.* IV. p. 94. & *de verb. signif. comment. p.* 219. *Laurent. de Ann. & mens.* c. 2. *Menag. Amœn. jur. civil. c.* 39. *Gyrald. de Ann. & mens.* p. 819. *F. Bud. in Pandect. p.* 115. *D. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 17. *Burmann. De vect. de Vectig.* c. 12.

SOLATUS nummus ad coronatum est ita, ut septimus ut quadraginta ad triginta quinque. Nam coronatum triginta quinque solidorum constituimus, ut olim suo legitimo valore constabat. Est itaque solati ad coronatum ea ratio, quæ est octo ad septem: ita ut octo coronata valeant septem *solatos* nummos, & *solati* septem octo coronatos aureos. Rursus septuaginta *solati* æquant valore octuaginta coronata. Idem de septingentis ad septuaginta millibus dicendum occurrit, servata proportione. Si quis igitur scire cupit, quot coronatis æquipolleant viginti ***solati***, adjungat octavam partem vicenarii, utpote duo cum semisse, viginti coronatis, & assequetur optatum. Siquidem duo *solati* cum dimidio, octava scilicet vicenarii, adjecti viginti coronatis, quadraginta libras conficiunt, æquantes *solatorum* valorem. Aliqui per libras turonicas facile adæquantur *solati* cum coronatis, simili inter se numero concurrentibus, duplo scilicet numero, *solatis* in libras conversis, & inde octava parte adempta. Nam viginti *solati* valent libras quadraginta. Aufer quinque libras, supersunt triginta quinque, qui est valor coronatorum viginti. E diverso, viginti coronata valent viginti quinque libras turonicas. Cui numero adjunge septimam partem, quæ est quinque librarum: & resultat numerus quadraginta librarum, viginti solatos valore æquantium. *Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1502. *D.*

SOLEA & calceus differebant. Calceus enim texit totum pedem, *solea* plantam tantum: pars enim superior habenis devincta fuit. *Sigon. de Judic.* III. 20. *Ferrar. de Re Vest.* II. 2. 3. ***Voss. Lex. Etymol. Laurent. de Re Vest.*** *c.* 5. Et quæ Latinis est differentia inter calceum, & ***soleam***, eadem apud Græcos ponitur inter ὑποδήματα, &

σανδάλιον. Cum calceum Romanum Græci auctores volunt reddere, non aliter vertunt quam ὑπόδημα. Artemid. IV. 74. Ἔχοντα Ῥωμαΐκην ἐσθῆτα καὶ ὑποδήματα, id est, *togam & calceos.* Et quamvis apud Latinos omne calceamentum, & quicquid pedibus inducitur, calcei nomine veniat; proprie tamen, & stricte calceum appellabant id calceamenti genus, quod totum pedem, & infime, & superne, tegeret: eaque ratione distinguebatur a *soleis*, quæ plantam pedis tantum vestiebant, superiore parte nuda. Serv. Æneid. IV. 518. *Sane flaminicæ non licebat, neque calceos, neque soleas morticinas habere*, οὔτε ὑποδήματα, οὔτε σανδάλια. Nam & Græci quoque, licet omne genus calceatus ὑπόδημα appellent, propria tamen, & stricta notione nomen hoc tribuunt calceamentis cavis, in quæ pes intromittitur, quæque ἀπὸ τῶν σανδαλίων discernuntur, nam ὑπόδημα κοῖλον vocant calceamentum, quo pes totus tegitur, & amicitur, ad differentiam sandaliorum, sive *solearum*, quæ planæ sunt, non cavæ, ideoque plantas pedum tantummodo tegunt. *Salmas. in Tertull. pall. p.* 386. *Byn. de Calc. Hebræor.* I. 6. §. 3. Ad fuendos, sive concinnandos calceos, sive κοῖλα ὑποδήματα forma lignea opus erat, quam Græci καλόποδα, vel καλοπόδιον vocant. Pollux VI. 22. *Circum quæ consuuntur, & fiunt calcei cavi, calopodes non modo hodie, sed & juxta veterum sermonem dicuntur.* Sandalia, sive *soleæ* circum formam non suebantur: nam concava erant, sive plana, & solum πέλμα, sive κάττυμα habebant, quod ad pedem habenis quibusdam religabatur circa digitos primores. Turpilius:

Sandalio innexa digitis primoribus.

Salmas. ibid. p. 413. Interdum piscem planum vulgo satis a suavitate notum: alias lignum robustius, quod parieti cratitio substernitur, significat. Nobis hoc loco est illud calceamenti genus, quod, definiente Festo, *pedis solo subjicitur.* Vel clarius ex Gell. XIII. 20. quod *plantarum calces*, aut, si mavis, pedum plantas *tantum infime tegit, cæteris prope nudis, & teretibus habenis vinctum est.* Unde, ut dictum, *soleam* Græci vocant ὑπόδημα, & ὑπόδησιν a verbo ὑποδέω, sive ὑποδέομαι, quod est subligo; ut, quod in eo calceamenti genere præcipuum est, ipsa voce denotetur. Et sane magis necessarius in *soleis*, quam in calceis vinculorum usus. Quo factum, ut apud Poetas sæpe vincula pro *soleis* usurpentur. Ovid. Fast. II. 324.

Stringebant magni vincula parva pedes.

Tib. I. 6. 30.

Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Nonnunquam *soleas* Græci κρηπῖδας appellant: unde Latinis crepidæ, & crepidulæ dicuntur. Quæ passim eruditi docent, & *soleas*, & crepidas easdem fuisse. Quibus ego facile assentior, si modo mecum leve hoc admittant discrimen, quod *soleæ* simpliciores essent, crepidæ vero crassiores, in quibus nimirum duæ saltem simplices *soleæ* simul essent compactæ. V. & supr. in *Crepida.* Usus illarum pro civili more mulieribus potissimum fuit familiaris. De Lesbia Catull. LXVIII. 27.

— arguta constitit in solea.

Ita signanter & Corneliæ, & Junonis statuæ, pro feminini calceatus more *soleis* indutæ referuntur. Corneliæ a Plin. XXXIV. 6. *Sedens hæc posita fuit, soleisque sine amento insignis, in Metelli publica porticu.* Junonis a Prud. Apoth. n. 454.

Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus urbi,
Augustum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis, & soleas Junonis lambere.

Hinc *muliebres soleas*, cum ab earum calceatu Clodium perstringit, dicit Cicer. de Harusp. resp. c. 21. *P. Clodius a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, factus est repente popularis.* De his, dum feminarum habitum describit, Manil. V. 152.

Femineæ vestes, nexæ sine tegmine plantæ,
Et species, fictique placent ad mollia gressus.

Solearum enim proprium nullum tegmen habere, & pedibus habenarum, corrigiarumve beneficio adstringi: unde & obstrigillorum nomen iis attributum. Sic enim Isidorus obstrigillos definit, ut illos cum *soleis* pares faciat. V. illum supr. in *Obstrigillus.* Balduin. de Calc. c. 11. Mag. Misc. III. 3. Gonsal. in Petron. p. 368. Delicatulæ, & meretrices calceabantur modo aureis, sive χρυσοπάστοις, modo rubris, ac purpureis. Pers. Sat. V. 169.

Nugaris: solea, puer, objurgabere rubra.

Casaub. in Persium. Almelov. Antiq. p. 44. Atque ita quidem feminarum fuit proprius illarum usus, ut si quando virum aliquem contingeret in publico illis uti, id ei probro verteretur. Unde nota Ciceronis in Verrem increpatio, quod in littore *soleatus* fuisset Verr. V. 33. *Stetit*, inquit, *soleatus prætor populi Romani, cum pallio purpureo, tunicaque talari.* Sic & Scipionem inde notatum refert Liv. XXIX. 19. his verbis: *Ipsius Imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jactabatur, cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio.* Adde Suetonium, qui Caligulam neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem calceatu semper referens c. 52. n. 1. *Modo*, inquit, *in crepidis, vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnunquam in socco muliebri conspectus est.* Unde satis superque constat, præter civilem, patriumque morem, imo molle, & effeminatum habitum fuisse, si quis virorum passim, & absque causa *soleatus*, crepidatusve cerneretur. Passim, & absque causa infero, ut non ita prorsus a *solearum* calceatu viros excludam, quin interdum illis earum usus esset, absque ulla probrosæ mollitiei suspicione. Certum enim est, Romanos in omni animorum remissione, utpote per convivia, publicaque spectacula, pro more fuisse *soleatos.* De *solearum* calceatu viris usurpato, per ludos, & spectacula, quæ publice vel in amphitheatris, vel in circis edebantur, testis est Dio, qui de Caligulæ ludis LIX. p. 645. B. *Licebat iis, qui vellent, discalceatis spectare, qui mos jam olim tenuerat, & judicia exercere per æstatem: quod ab Augusto in celebritatibus æstivis servatum erat, sed a Tiberio plane omissum.* Ubi ἀνυποδήτοις cave intelligas nudis plane pedibus; sed more Græco *soleatis*, aut crepidatis. Quo sensu Tacit. Annal. II. 59. 4. *Multa* Germanicus *in vulgus grata usurpavit, sine milite incedere, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu.* Nam & apud illum *pedes intecti* non alii sunt quam *soleis*, vel crepidis induti. Ad convivia cum *soleis* itare solitos innuit Mart. XII. 89. 1.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Excogitavit homo sagax, & astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum,
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

Per *excalceatum* enim hic non tam calceis exutus significatur, quam *soleis*; quas quidem abjecisse Cottam vult poeta, ne videlicet earum per servi negligentiam sæpius jacturam faceret. *Balduin. l. l.* In ipso convivii actu nullus earum erat usus: cœnaturi enim, priusquam accumberent, in triclinio illas deponebant, ne lectorum mensas ambientium stragula pulvere, aut luto conspurcarent. Martialis, ubi de cœna loquitur, III. 50. 3.

Deposui soleas. . . . .

Plaut. Truc. II. 4. 16.

Jam rediit animus, deme soleas.

Ciaccon. de Triclin. p. 41. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 241. Casal de Prof. Rom. rit. c. 25. de Therm. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 642. D. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 18. Byn. de Calc. Hebræor. II. 1. 3. Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 3. Buleng. de Conviv. I. 31. Stuck. Antiq. Conviv. II. 27. Laurent. Balduin. & Torrent. l. l. Et has interea servis suis custodiendas tradebant. Intelligitur hoc ex Mart. VIII. 59. 11.

Nec

Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat ipſa licet.
Si nihil invaſit, puerum tunc arte doloſa
Circuit, & ſoleas ſurripit ipſe ſuas.

XII. 89. I. Sed illum modo laudavimus. Unde ab hoc munere ſervi illi ſandaligeri, & ſandaligeruli dicuntur. Peracto convivio, cum erat e triclinio diſcedendum, *ſoleas* reſumebant. Hinc ille apud Plaut. Truc. II. 4. 11.

Cedo ſoleas mihi, properate, auferte menſam.

Pari ratione Naſidienus apud Horat. Sat. II. 8. 77.

Et ſoleas poſcit.

Ita intelligendus Mart. XIV. 63.

Defuerit ſi forte puer, ſoleasque libebit
Sumere, pro puero proderis ipſe tibi.

Ex quibus rurſus id accipimus, quod ſervi dominis cœnaturis *ſoleas* demerent, easdemque illis e triclinio diſceſſuris inducerent. Unde & clarius intelligimus verba illa, quibus Johannes Baptiſta Matth. c. 3. n. 11. Marc. c. 1. n. 7. Joh. c. 1. n. 27. uſus eſt, cum ſe dixit indignum, qui *vel portaret calceamenta Chriſti, vel eorundem corrigias ſolveret.* His enim ſignificare voluit, ſe tantum Chriſto dignitate eſſe inferiorem, ut ne quidem dignus eſſet, qui in ejus famulitio viliſſimum etiam excalceandi munus obiret. *Balduin. Torrent. Kipping. & Stuck. l. l.* Servis, quoties egregium quoddam facinus ab iis patrari volunt domini, *ſoleæ* promittuntur, & annulus. Plaut. Caſ. III. 5. 63. V. illum ſupr. in *Annulus.* Ubi per *ſoleas*, & annulum aureum libertatem intelligit, ſoli enim ingenui, ac liberi *ſoleas* geſtabant, ſervi ſculponeas. De annulis quoque notum eſt. *Meurſ. in Plautum. Leon. de Manum.* III. 5. 6. *Solea* etiam meretrices, abutentes ſtultorum juvenum patientia, propter leves offenſas illos pulſabant. Exemplum eſt ab Omphala. Terent. Eun. V. 7. 3.

TH. *Qui minus, quam Hercules ſervivit Omphalæ?*
GN. *Exemplum placet:*
Utinam tibi commitigari videam ſandalio caput.

Omphalam aliæ deinde ſunt imitatæ. Ut apud Perſium modo laudatum. Vetus epigramma:

Cur tua femineo cæduntur pectora ſocco,
Infamique manu barbula vulſa cadit.

Apud Græcos etiam puerilis caſtigationis genus fuit aureo ſandalio ἐς τὰς πυγὰς παίεσθαι. Lucian. Philopſeud. *Siquidem digni ſunt, quibus ut puerulis aureo ſandalio pulſentur nates.* Id vero quam grave eſſet ei, qui ſe liberum, & virum meminiſſet, oſtendit hiſtoria ejus mulieris, quam refert Plutarch. Quæſt. Græc. XII. propter ſimilem injuriam a Rege ſibi factam laqueo ſibi gulam fregiſſe. *Creſoll. Theatr. Rhetor. v. 6. Caſaub. l. l.* Ligneæ *ſoleæ* ex veteri legum Romanarum præſcripto damnatis ad culeum inducebantur. V. ſupr. in *Parricida.* Ligneis tamen viliores quoque, & tenuioris fortunæ homines etiam utuntur. V. ſupr. in *Calceus.*

Solea etiam vocatur ὑπόδημα mulorum. Græci ὑπόδημα illam vocant. Gloſſæ: χαλινάρια ἢ ὀναρίυ, σαγμάτια, ὑποδήματα. *Frena aſelli, ſellæ, ſoleæ.* Unde *calceare mulas* Latini. Suet. Veſp. c. 23. n. 6. *Mulionem in itinere quodam ſuſpicatus ad calceandas mulas deſiliſſe...., interrogavit, quanti calceaſſet.* Ὑποδέειν Græci. De camelis Ariſtol. Hiſt. anim. II. 1. *Qua de cauſa per exercitum longo itinere fatiſcentes calceant carbatinis*, ὑποδέουσι καρβατίναις. Σπαρτία ὑποδεῖσθαι ſimili in ſententia dicit Xiphil. LXII. p. 714. D. Σπαρτία proprie ſunt funiculi, quibus calcei conſuuntur, aut colligantur: *Sabina hæc adeo delicate vixit, ut mulas quibus agebatur, aureis ſoleis calceatas haberet*, ὡς ἐπίχρυσα σπαρτία ὑποδεῖσθαι. Calceare mulas eſt *ſoleis* earum pedes munire. Induebant vero illis *ſoleas*, ne ungulas corrumperent. Fiebant ex ferro. Catull. XVII. 25.

—— in gravi derelinquere cœno,
Ferream ut ſoleam tenaci in voragine mula.

Interdum integra ex ſparto. Colum. VI. 12. *Ac ſolea ſpartea pes induitur.* 14. *Deinde ſpartea calceata per triduum ſuffuſo aceto curatur.* Nero ex argento fieri juſſit. Suet. c. 30. n. 10. *Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis.* Et ejus uxor Poppæa ex auro. Plin. XXXIII. 11. *Noſtra ætate Poppæa conjux Neronis Principis delicatioribus jumentis ſuis ſoleas ex auro inducere ſolebat.* Xiphilinus modo laudatus. *Meurſ. de Luxu Roman. c. 11. Scheffer. de Re Vehic. 1. 16. Buleng. de Equis c. 17. Hugo de Milit. Equeſt. 1. 3. Puiſc. in Suetonii Neronem.* Errat igitur Tortellius, qui miſer has *ſoleas* nuſquam legit. *Galeot. Mart. de Doctr. promiſc. c. 28.*

Solea vocatur aquæductuum canalis, & fiſtula. Vetus inſcriptio: FORNICESQUE. FECIT. FISTULASQUE. SOLEAS. Auctor gloſſ. Σωλήν, *fiſtula, tubus, imbrix.* Colum. XII. 50. *Conficiendo oleo molæ utiliores ſunt quam trapetum; trapetum, quam canalis, & ſolea.* Keuchen. in Frontin. de Aquæd. II. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1664. E.

Solea etiam piſcis eſt, paſſeri affinis, ſed nobilitate longe prior. Unde utrumque conjungit Ovid. Halieut. n. 124.

Fulgentes ſolea candore, & concolor illis
Paſſer.

Varro & Feſtus lingulacam vocant. Lingulacam a *ſolea* Plautus videtur diſtinguere Caſin. II. 8. 59.

ST. *Emito ſoleas. . . .*
OL. *Vin' lingulacas.*

Utrumque nomen a Græcis mutuatum; nam & σανδάλιον & βούγλωσσαν vocant. Heſychius. *Nonn. de Eſu piſc. c. 25. & de Re cibar. III. 25.*

SOLEARII dicuntur *ſolearum* confectores. Plaut. Aul. III. 5. 40.

Adſtant ſolearii.

Stuck. Ant. Conviv. II. 27. Pignor. de Serv. p. 360. Chimentell. de Honor. biſell. c. 18.

SOLIAR dicitur, quo *ſolium* tegitur. Varro: *Phrygio, qui pulvinar poterat pingere, ſoliar defingebat.* Turneb. Adv. XVII. 21. Chimentell. de Honor. biſell. c. 31.

SOLIDUS quidam æreus, ut as apud Romanos, duodenarius vero nummus apud nos: quidam argenteus, ut ſiclus apud veteres Hebræos, drachma tam apud veteres, quam recentiores, ut eſt in Eſdra frequens mentio, & apud nos nummus capitatus, quem teſtonem appellant. Hi omnes *ſolidi* dici poſſunt. Eſt & aureus *ſolidus* non unius ponderis, & valoris. In ſumma, *ſolidum* dici voluerunt auctores nummum integrum, atque conſummatum, qui aſſis inſtar in partes aliquot certo numiſmate expreſſas dividitur, ut apud nos duodenarius nummus *ſolidus* dicitur. Habet enim nummum ſemiſſem, habet etiam quadrantem, quem nos vulgo liardum appellamus: habet & pro ſextante duplum denariolum. Sic & inter argenteos nummos capitatus nummus *ſolidus* dici poteſt: habet enim quinque *ſolidorum* percuſſum numiſma pro quadrante alium valoris ſex albulorum: habet & beſſalem nummum, quem quindenarium, ſeu *ſolidum* Pariſinum appellare ſolemus. Hinc orta eſt ſolidorum aureorum appellatio, de quibus ad præſens ſe offert diſſerendi occaſio. Qui enim *ſolidi* aurei appellati ſunt, ſuos habuere ſemiſſes, & tremiſſes, quandoque & quadrantes, certo numiſmate expreſſos: alias *ſolidorum* nomen non mererentur. Aureus ſolidus quidam eſt drachmalis, cujus frequens uſus erat apud Hebræos, maxime Eſdræ temporibus, vocaturque Hebraice drachma *adarcon*, pro qua dictione paſſim modo *ſolidus*, modo *drachma* reponitur. Octo *ſolidi* hujus indicaturæ unciam complent. Sunt & alii didrachmales, quorum quatuor unciam æquare neceſſe eſt. Hi erant in uſu tempore Alexandri Mammeæ. Quare leges, quotquot ſcriptis redactæ ſunt a Ictis, qui eo tempore floruerunt, de *ſolidis* aureis didrachmalibus, quorum quatuor unciam implent, intelligendæ ſunt. Fuerunt & alii *ſolidi* ſextulares vocati, aurei numiſmatis extenuatione facta. Nam qui prius erat didrachmus, ad drachmam ſeſquitertius factus eſt, & horum *ſolidorum*

sex unciam constituunt. Et quemadmodum ex uncia sex *solidi*, ita ex drachmis tres aurei prodeunt. Quum autem libra duodenaria duodecim uncias habeat, & uncia quæque octo drachmas, libram nonaginta sex drachmas continere necesse est. Quo fit, ut *solidi* drachmales nonaginta sex libræ duodenariæ pondus æquent: didrachmales vero, qui florente Romano imperio in usu erant, quadraginta octo libræ duodenariæ pondus absolvunt. Sextulares autem, qui frequentes erant in usu Justiniani Principis temporibus, septuaginta duo numero libram ingrediuntur. Hoc enim constat edicto Justiniani l. quotiescunque de suscept. præpos. & ærar. C. x. Ita lex habet: *Quotiescunque certa summa solidorum debetur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta.* *Solidus* itaque drachmalis æreus nostra æstimatione valet libras duas, *solidos* totidem. Aureus didrachmalis æquabat pondere Philippeum nummum, qui olim apud nos in usu erat: cui successit apud Anglos nummus Odoardeus, seu Nobilis a Rosâ. Nec obstat quod hodie pluris æstimetur: hoc enim effecit auri penuria, vel hominum, seu temporum iniquitas, ut pluris hodie quam olim æstimetur aurum. *Cenal. de Pond. & mens. rat.* VII. *Thes. Ant. Roman. Græv. Tom* XI. *p.* 1547. *E.* De *solido* etiam scripserunt *Savot. de Numm. antiq.* III. 17. *Freher. de Re monet. Germ. imp.* II. 2. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 59. ... 64. *Bud. de Asse* II. *p.* 166: IV. *p.* 372. & 450: V. *p.* 655. *Scalig. de Re numm. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1524. *E Lips. Admir.* II. 20. *Barth. Adv.* XI. 20. *Salmas. in Lamprid. Alexand. Sever. c.* 39. *Sperling. de numm. non cus. c.* 6. *Pancir. l. Notit. dign. imp. orient. c.* 75. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 3. 2. Omnium vero fusissime *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 6: IV. 13. & 14. Sed hos indicasse pro ratione hujus chartæ sufficit.

SOLISTIMUM tripudium. V. illud in *Tripudium.*

SOLITAURILIA erant *sacrificia, quæ censores completo quinquennio Urbem lustrantes de sue, ove, tauro faciebant.* Ascon. in Cicer. p. 20. Sed *non tam ex tribus, quam ex particulis trium coeunt.* Quintil. I. 5. Nonnulli, ut propius ad nomenclaturam hostiarum accedant, *Suovetaurilia* appellant. De illis Liv. I. 44. *In campo Martio exstructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit.* VIII. 10. *Telo, super quod stans consul precatus est, hostem potiri fas non est: si potiatur, Marti suovetaurilibus piaculum fieri.* Illis suem, ovem, & taurum victimas fuisse ipsa vox notat, & designat. Ita Quintil. l. l. *Solitaurilia jam persuasum est ex sue, ove, tauro. Et sane ita se habet sacrum, quale apud Homerum quoque est.* Est apud Homer. Odyss. Λ. 129.

> *Neptuno faciens sacra Regi sulchra potenti*
> *Masculum ovem, & taurum, suibus verremque maritum.*

Asconius jam laudatus. Suem, ovem, & hircum dicit Suidas: *Trittys, perfectum sacrificium, ex sue, ove, & hirco.* Taurum, ovem, & hircum Dionys. IV. p. 225. *Peracto censu jussit cives omnes adesse cum armis in campo: ibi lustravit eos tauro, ove, & hirco.* Apud quem κάπρῳ pro τράγῳ, *verre* pro *hirco* substituendum. Nam ita Varr. de Re Rust. II. 4. *Populus Romanus cum lustratur suovetaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus.* Et Festus: *Solitaurilia hostiarum trium diversi generis immolationem significant, tauri, arietis, verris, quod omnes eæ solidi, integrique sunt corporis: contrarii verveces, majalesque, quia sollum Osce totum, & solidum significat: atque harum hostiarum inviolati sunt tauri, quæ pars scilicet caditur in castratione. Sunt quidam qui putent, ex tribus hostiis præcipue nomen inclusum cum solido tauri, quod amplissima sit earum. Quidam dixerunt omnium trium vocabula confusa suis, ovis, tauri adeffecisse id, quod uno modo appellarentur universæ: quod sit a sollo, & tauris earum hostiarum ductum nomen, antiquæ consuetudinis per unum L enuntiari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur litera in scribendo.* Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 33. A. Panvin. de Civit. Rom. c. 52. Lipf. in Tacit. Hist. IV. n. 89. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. II. §. 6. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 488. E. Saubert. de Sacrif. c. 4. Voss. Instit. Orat. IV. I. §. 3. & Lexic. Etymol. Beroal. Annot. c. 50. Brod. Miscell. VI. 32. Turneb. Adv. XIV. 4. Rhodig. Ant. Lect. XII. I. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 17. Zinzerling. Critic. juven. c. 17. Ruben. Elect. I. II. Canal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. I. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 5. Pareus in Quintil. p. 633.

SOLISTERNIUM quid fuerit V. supr. in *Sellisternium.*

SOLLIQUASTRUM quid fuerit V. supr. in *Soliquastrum.*

SOLIUM balneare fuit nihil aliud nisi cisterna, aut piscina, aut vas, aut cupa, in qua homines considentes abluebantur. Unde & labrum, & lavacrum, vulgo etiam tina vocatur. Galenus ab insessu, & descensu ἔμβασιν, κολυμβήθραν, καὶ δεξαμένην nuncupare solet. *Fuchs. Instit.* II. *cap.* 29 *sect.* 5. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 25. *Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 2. Festus: *Alvei quoque lavandi gratia instituti, quo singuli descendunt, solia dicuntur.* Videtur Romæ primus instituisse Mæcenas. Dio LV. p. 553. B. *Primus solium, sive natatorium aquæ calidæ in Urbe struxit.* Certe Augustus *insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo duretam vocabat, manus, & pedes alternis jactabat* apud Suet. c. 82. n. 6. Quod tamen adscribendum Augusti frugalitati. Nam & illis temporibus argentea balnearum *solia* fiebant. Plin. XXXIII. 12. *Cum feminæ lavantur, & nisi argentea solia fastidiant.* Clem. Alex. Pædag. III. 5. *Cujusmodi autem eis sunt lavacra? cathedræ aureæ, argenteæ.* Pitisc. in Suetonium.

Solium funebre est arca, sive loculus, ubi defunctorum corpora condebantur. Flor. IV. II. II. *In differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium.* Suet. Ner. c. 50. n. 3. *In eo monumento solium Porphyretici marmoris superstante Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio.* Curt. X. I. 32. *Ceterum coronâ aurea imposita amiculo, cui assueverat ipse, solium, in quo corpus jacebat, velavit.* Mag. Misc. II. 18. Guther. de jur. man. II. 21. Chimentel. de Honor. bisell. c. 18. Faes ad Gyrald. de Sepult. c. 2. Salmas. Exerc. Plin. p. 848. a. A. Brisson. de Regn. Pers. I. p. 152. Philand. in Vitruv. IX. 3. Blancard. in Arrian. p. 435. Kirchman. de Funer. III. 5. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. c. 3. §. 3. Pitisc. in Curtium. *Solis* etiam fictilibus corpora sua condi voluere veteres. Fictilia vero *solia* sunt ὀστρακίναι πύελοι. Plin. XXXV. 12. *Quin & defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluere, sicut M. Varro, Pythagorico modo in myrti, & oleæ, atque populi nigræ foliis: quia forte fictilibus odoris integritas tenacius hæret.* Vitruv. VIII. II. *Saporem meliorem & tabulis esse, quotidianus potest indicare victus, quod omnes extructas cum habeant vasorum argenteorum mensas, tamen propter saporis integritatem fictilibus utantur.* Guther. ibid. c. 20. Salmas. ibid. B.

Solium regium nihil aliud est quam sedes, & quidem imperii, ac majestatis, non privati hominis, Regibus locata, ac composita; exteris potius in usu, quam Romanis Principibus. Video namque ab auctoribus retineri hanc Regum mentionem, quasi eorum peculiare. Serv. Æneid. VII. 169. *Solium est velut armarium de uno ligno ad Regum tutelam factum.* Isidor. XX. II. *Sedes singulari numero proprie regni est, quod Græcis θρόνος dicitur, nos solium, in quo Rex sedet propter tutelam corporis sui.* Cassiod. in Psalm. I. *Solium proprium Regum esse memoramus.* Val. Max. V. I. I. ext. *Solium Regum occupare.* Spartianus laudatus supr. in *Sedile.* Et ita Poetæ, Virgilius, Ovidius, Ennius, Corippus. *Chimentel. de Honor. bisell. c.* 18. *Barth. Adv.* VII. 24. Statuebatur in sublimi, ut per gradus, & scansilia ad culmen illud perveniretur. Coripp. II.

> *Auratum scandens solium. . . .*

Ovid. Met. XIV. 261.

> —— *pulcro sedet illa recessu*
> *Sublimis solio.*

Quantum opinor, non sella tantum, ubi Reges incumberent, sed totus ille apparatus, ac sedem vestibus ornata, *solii* nomine non vacabit. Hinc *solaria* Fasti, seu Babylonica

lonica ad insternendum. Alioquin unicæ sellæ amiciendæ, & unius dumtaxat capaci, quid lata aulæa, pictaque Babyloniorum stromata advocamus? Coripp. II.

Constructam plumis, pulcrisque tapetibus aptum.

Hujus sedis formam, tanquam Regum peculiaris, & exteris potius usurpatæ, diversam a curuli censerem. Veterum *solia* non tanti pretii, atque artis fuisse est credibile; quippe ad tutelam facta Regum, veluti armaria, non ad luxus ostentationem, aut majestatis fulgorem. Acerna faciunt Virg. Æneid. VIII. 177.

Præcipitemque toro, & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioque invitat acerno.

Et ejus imitatione Ovid. Fast. III. 359.

— in solio medius consedit acerno.

Structura, ac facies est, *veluti armarium de uno ligno*, ut modo Servius, quasi incompactile, ac continuum, nulla commissura, aut clavatura. Rudi olim seculo, aut quadrata, aut teres ligni massa aptæ ad sedendum altitudinis, atque unius tantum capacis, quam loco eminenti statuerent, forte sedes erat, ac *solium* regnantium: quemadmodum de subitario, ac cespititio Imperatorum suggestu in castris admonemus. Quod si a soliditate *solium* vocamus, en, quomodo Festus in *Solitaurilia* lucem nobis affert: *Quæ media parte*, inquit, *inanita, cavaque sunt, solida nominantur.* Atque hoc pacto omnis artificii expers, aut paraturæ, commodumque, atque expeditum *solium* asportari, ac locari, quacunque liberet, facile poterat ad usum, atque opportunitatem. Quod vero insuper describit Servius, *veluti armarium*, undequaque fuisse clausum constat, præterquam in adita, aut parte anteriori: quinquam si talis figuræ, & fabricationis fuisset *solium*, vix fieri potuit, quin absque tabularum commissura, ferrumen, ligamentum annulorum, cardinum, clavorumque interveniret, quibus compingeretur, ac cohæreret. Quomodo igitur, ut idem ait, *de uno ligno?* Nisi *unum* expendamus *solidum*, ac solitarium, sine alterius materiæ societate, sine hebetis, ac loris, sine pulvillis, aut instragula veste. Etiam hodie quandam armarii speciem referunt hæc *solia* Principum, ac Regum, si utrinque ad latera claudantur, quod quandoque fit adductis velariis. *Ad Regum tutelam* subdit Servius, nempe dum eo veluti armario, tabernaculo, & ἀμίσκῳ undique circumsepti sedebant Reges, perfidorum manus facilius propellebant, spesque improbas eludebant perduellium: quoniam nonnisi ab una parte, ac prævidentes peti poterant. Atque hæc Servii spectans dicta, ut opinor, Junius Nomencl. c. 72. *solium* exposuit hanc sedem ad Regum tutelam, cujus usus fuit, inquit, antequam stipatoribus sepire latus cœperint. Sed vera dicam, prisco illo ævo nunquam magis tuti Reges, quam ubi, aut quando minus tuti fuere; cum ignoti satellites, necdum inventæ militum manus, atque hastæ, quæ latus cingerent, ac protegerent. *Didicimus experimento*, inquit Panegyrici Dædalus, ***fidissimam esse custodiam Principis ejus innocentiam; hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit.*** Quid igitur opus stipatoribus, cum nullæ adhuc insidiæ timerentur? Eodem tempore natus timor, & sepulta innocentia. Ergo aut inanis tutela in *solio*, aut una cum protectoribus simul inventum. Quinquam quæ salus, aut securitas arca lignea, tanquam arce includi ad effugiendas audacium hominum manus, qui forti ictu flagitiosos Principes laniarent, & animoso gladio publici boni libertatem extorquerent tyrannis. Sed de hac *solii* structura esto cuique placitum statuere, quod magis lubet. Cætera Servii non improbarem. Illud præcipue, quod *solium* unum capit. Colligimus hinc sedis magnitudinem, modumque capacitatis. *Chimentel. l. l.*

Solium dicebatur quoque sedes viri honoratioris. Ita de seipso jus responsuro Cicer. de Leg. I. 3. *Non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem.* Chimentel. de Honor. bisell. c. 18.

Solium tandem diceretur suggestus ille, qui in orchestra, aut podio locabatur Principi ad spectacula, thalamus, nimirum, mansio, οἰκίσκος, domunculi cancellata, fenestrata, velis, & cortinis obductis. *Chimentel. de Honor. bisell. c. 18. Lips. de Amphith. c. 11.*

SOLOX dicitur omne quod crassum, & pingue est. Festus: *Solox lana, crassa; vel pecus lana contectum.* Titinnius: *Lana solo i ad purpuram data & Lucilius. Pascali pecore, & montano hirto, atque soloce.* Σόλοικοι Græci vocant quicquid rude, & impolitum, & crassa, pinguique Minerva factum est. Symmach. Epist. I. I. *Quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam* prout ex antiquissimis Palatinis schedis olim emendavimus, cum vulgo legeretur: *Quare elaboratam solatii suo accipe cantilenam.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 312. Hoc quis obsecro intellexit, vel intelligere potuit. Cantilena, vel carmen *soloci filo* ad eam faciem dicitur, ad quam *crassa* quod *Minerva* factum dicimus, & orationem suam pro Dejotaro *crasso filo* scriptam dicit Cicer. Fam. IX. 12. *Solox* adhuc multi eruditi substantivum esse, & lanam crassam notare existimarunt, perperam Festi loco inducti. Nam & exempla, quæ ibi sequuntur, vincunt, id verbi adjectivum esse, siquidem *lanam solocem*, & *pecus solox* conjungit. Quare ut cuncti postmodum ejus voculæ notiorem condiscant, sic distinguo: *Solox lana, crassa: vel, pecus, lana contectum.* Sciopp. Veris. I. I. Ferrar. de Re vest. II. I. 12. Qui licet id pateat, substantive tamen fuit positum in loco Tertull. de Pall. c. 4. *Endromidis solocem* ... *multa finxit extruxit.* Quod ita accipio, si ipsius verbi naturam inspicias; non vero etiam usum: cum non infrequens sit, ut quæ sui natura adjectiva sunt, ipso usu postea fuerint substantiva: quemadmodum *natali, conclavi, pandectæ. cæsæ, sporsæ, speratæ*, & sexcentis aliis usu venit. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & n.v. p. 168.* Cave arbitreris *solocem* a Tertulliano substantive poni. Adjectivum est. *Sed solocem endromidis* dixit Græca figura, cum debuisset ***solocem endromidem*** dicere, ut supra ***novum vitii***, pro novum vitium. In numero pluralitatis frequentior, & usitatior hæc locutio. Sic *pullæ lanarum* apud Plinium sunt pullæ lanæ, & ***canæ memoriarum*** huic nostro in Apologetico, pro cana memoria. *Salmas. l.d. p. 311.*

SOLUM caligarium est, quod calceo suppingitur. Gloss. vetus: *Caligarium solum*, κάττυμα. Nos Itali diceremus: *suola di scarpa.* Vocatur alias *fulmenta*, & *suppactum.* V. suis locis. *Nigron. de Calig. c. 4. n. 10.*

SOLUTIO est, qua obligationes dissolvebantur, cum vel ea res, quæ debebatur, vel, si modo creditor consentiret, altera præstaretur, nam invito creditori aliud pro alio solvi non poterat. *Sigon. de Judic. I. 5.*

SOLUTORES in edicto Justiniani, quo juris auctoritas confirmatur, dicebantur, qui tantos progressus habent in jure, ut de eo respondere prope possent, & quæstiones solvere: atque ii erant, qui responsis prudentum, & quæstionibus operam dabant. Los prope expressisse videtur Juven. Sat. VIII. 50.

Qui juris nodos, legumque ænigmata solvat.

Turneb. Adv. VIII. 19.

SOM.

SOMNIUM captabant in deorum templis pellibus incubantes. V. supr. in *Incubare.* Expiare dicebantur, qui mala, quæ *somnio* portenduntur, sacris religiose deprecabantur, & arcebant, ut eventu carerent: si bona essent, ut res *somnio* significata eveniret: si ambigua, ut in bonum verteretur. Petron. c. 64. *Lycas ut Tryphænæ somnium expiavit.* Suet. Galb. c. 18. n. 6. *Cumque exterritus luce prima ad expiandum somnium, præmissis, qui rem divinam facerent, Tusculum excucurrisset.* Varia enim superstitio expiandi somnia. Faciebant rem divinam. Tibull. I. 5. 13.

Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola.

III. 4. 9.

At natum in curas hominum genus, omina noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

Mart. VII. 53. 1.

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quæ moveant animum, sollicitentque meum.
Consumpsi salsasque molas, & thuris acervos:
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.

Et hoc erat *prodigiali Jovi mola, aut thure comprecari.* Plaut. Amph. II. 2. 106. Aqua lavabant. Pers. II. 16.

—— & noctem flumine purgant.

Prop. IV. 4. 24.

Sæpe illa immeritæ causata est omina lunæ
Et sibi tingendas dixit in amne comas.

Aristoph. Ran. V. 2. 86.

Situla aquam e liquido date flumine,
Calfacite undas,
Hæc ut somnia fontibus abluam.

Si terrerent, dicebantur *somniorum minæ.* Senec. Octav. n. 754.

Delubra, & aras petere constitui sacras,
Cæsis litare victimis numen deûm,
Ut expientur noctis, & somni minæ.

Wouwer. Gonsal. & Erhard. in Petronium. Douz. Centurion. III. 9. Herald. Adv. II. 8. Taubman. in Plaut. Mil. Glor. II. 4. 41. Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 310. Saubert. de Sacrif. c. 3. Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 18. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 2. Rittersh. in Phædr. III. 3. 8. Lomej. de Lustrat. c. 9. Casaub. in Theophr. Charact. p. 300. Pitisc. in Suetonium. Mod. Epist. 28. Ad depulsionem malorum narrabant oneirocritæ, seu conjectori, atque huic officio plerumque vetulæ addictæ, quæ in superstitionem proclives. Prop. II. 3. 8.

Quæ mea non decies somnia versat anus.

Demster. l. l. diis, ac sæpenumero domesticis, ut Vestæ, Prop. II. 22. 27.

Ibat & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent.

& Græci Apollini προςατηρίῳ, ut apud Sophoclem Clytemnestra in Electra. Sed & Soli idem facere solebant apud Sophoclem. Soli autem ideo narrabant, quod quemadmodum sua luce tenebras fugat, mundumque illuminat: ita noctis species, *somniaque* discutere, & irrita reddere putabatur: nox enim *somniorum* parens habebatur, cui radiatus, & lucidus sol contrarius est. *Turneb. Adv.* VII. 26. *Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 106. Herald. & Demster. l. l.*

SON.

SONIVIUM tripudium. V. illud infr. in *Tripudium.*

SOP.

SOPHOS fuit acclamatio frequentissima in Latinos, sive dicentes, sive recitantes. Meminit illius Mart. I. 4. 7.

Audieris cum grande sophos, dum basia captas.

VI. 48. 1.

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata,
Non tu Pomponi, cœna diserta tua est.

I. 30. 37.

Mercetur alius grande, & insanum sophos.

I. 77. 9.

Præter aquas Helicon, & serta, lyrasque dearum
Nil habet, & magnum, sed perinane sophos.

III. 46. 8.

At tibi tergeminum mugiet ille sophos.

Appellat *grande, insanum, magnum, & tergeminum,* quod nonnisi magna, & contenta voce pronuntiari soleret. *Ferrar. de Acclamat.* I. 16: III. 12. *Voss. de Imitat.* c. 8. § 2. *Cresoll. Theatr. Rhetor.* III. 20. 5. *Lips. Epist. ad Belg. Centur.* II. 48.

SOR.

SORA oppidum antiquissimum Volscorum supra Arpinum, & Ciceronis villam, Fibernique confluentem apud dextram Liris ripam situm est, cui nomen etiam nunc manet *Sora.* Apud Stephani epitomatorem est Σαῦρα, *Saura*; unde gentilitium Σαυρανὸς, *Sauranus.* Hoc oppidi vocabulum variatum est per ω. & diphthongum au, ut, virorum etiam nomina, Πλαύτιος, Πλώτιος: & Κλαύδιος, Κλώδιος: Latinis *Plautius, Plotius*: & *Claudius, Clodius.* Cluver. Ital. Ant. III. 8. 31. Leand. Descript Ital. p. 412. *Soram* colonia Romanorum est deducto an. 450. L. Genucio Aventinensi, Serv. Cornelio Lentulo coss. Liv. X. 1. *L. Genucio, Ser. Cornelio Coss. ab externis ferme bellis otium fuit. Soram colonia deducta. Sora agri Volsci fuerat; sed possederant Samnites: & quatuor millia hominum missa.* Sigon. de Antiq. Jur. Ital. II. 5. Cluver. & Leand. l. l.

SORACUM *dicitur, quo ornamenta portantur scenicorum.* Plaut. Pers. III. 1. 64.

Librorum icillum plenum soracum habeo.

Et ita Pollux X. 38. *Soracum apud comœdos ita dicitur vas, in quo portantur histrionum ornamenta.* Non est igitur vehiculum. *Salmas. in Capitol. Anton. Philos. c. 13. Voss. Lex. Etymol. Taubman. in Plautum; Becman. de Origin. p. 1028.* Et non est, ut quibusdam eruditis hominibus hodie persuasum est, idem cum *sarraco.* Tantum sane interest, quantum inter cophinum, & plaustrum. *Sarracum* vox est mere Græca, nam σώρακος illis dicitur. Neque illos sequendos puto, qui apud Juvenalem omnibus locis, ubi *serracum* legitur, *soracum* non dubitant reponere. Cum vero in σώρακος, vel *soracum* prima producta legatur, secunda correpta: vice versa prima brevi, secunda longa posuit Horatius:

—— plenis lubet intorquere soracis.

Salmas. l. l. Qui non est audiendus, dum diversum facit *soracum* a *sarraco.* Idem enim est. Et exponitur in glossis vehiculum. Quare dicendum est, primo *soracum* dictum vehiculum, in quo corbis erat, vel aliud vas ad omnes res recipiendas. Postea vehiculum, quo onera portantur. Varie scriptum invenitur illud nomen, *soracum, saracum, sarracum,* & *serracum.* Et ubicunque vel *sarracum* legitur, vel *serracum*, rescribendum puto *saracum*, vel *soracum.* Nam o sæpe mutatur in a. *Dacer. & August. in Festum. Voss. l. l.*

SORDES significant reorum statum, & conditionem, interim dum inter reos relati sunt, antequam absolvantur, aut damnentur. Facies enim reorum causam dicentium omnium maxime miserabilis erat, habitusque corporis totius, squallor vultus, promissio barbæ, & capillorum, vestitus sordidatus, & proximorum cognatorum, qui advocati simul pro reo supplices erant. Suet. Aug. c. 32. n. 5. *Diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit.* Habitus hujusmodi reorum reatus dicebatur. V. supr. in *Reatus.* Pollet. For. Rom. II. 13. Bud. in Pandect. p. 212. A. Coras. Misc. jur. II. 25. 5. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 378.

SORDIDATUS differt a *sordido*, quod *sordidatus* sit, qui *sordida*, & reorum veste obsoleta amictus est: *sordidus*, qui *sordibus*, & illuvie squallidus est. Cicer. in Pison. c. 41. *Non minus lætabor, si te semper sordidum, quam si paullisper sordidatum viderem.* Turneb. Adv. XX. 15.

SORENTUM est locus in Campania, ubi quoniam facta via est inter aggeres, ita appellabatur: σορὸς est agger. Aut si vis, cum pleonasmo ρ. lege *Sorrentum.* Et inde *Sorrentinum*, non *Surrentum*, nec *Surrentinum* apud Stat. Sylv. II. 2. *Argol. in Pancirol. de Lud. Circens.* II. 1.

SOREX ſuo occentu inauſpicatus erat. Plin. viii. 57. *Soricum occentu dirimi auſpicia, annales refertos habemus.* Buleng. de Prodig. c. 36. Beſſon. de Prom. i. p. 125.

SORORES duæ ſi exſtabant in familia, inter ſe diſtinguebantur, majoris & minoris cognomine ſuperaddito; ſi vero plures duabus, cognominibus Primæ, Secundæ, Tertiæ, Quartæ, Quintæ, Sextæ, & ſimilibus, erant diſtinctæ. Sic in Antonia gente, quia duæ tantummodo Antoniæ, prima major, ſecunda minor fuere cognominatæ. Sic in gente Livia noſtra Patavina, quia T. Livius plures duabus ſuſcepit filias, in ſaxo Liviæ Titi filiæ Quartæ cognomen redditum; ut ſatis mirari non poſſim, cur ad hanc notam, in qua Scaliger *Præcomen Maxima Sororum*, cum & major, & minor, & Prima, Secunda, Tertia cognomina mulierum certo certius ſuerint. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom Græv. Tom.* xi. *p.* 756. *D.* Duas *ſorores*, diſſoluto etiam quoquo modo conjugio ducere non licebat. V. ſupr. in *Matrimonium.* Nec etiam germanam in matrimonio habere fas erat. V. ſupr. in *Nuptiæ.* Fratris, vel *ſororis* morientis ſpiritum excipiebant. V. infr. in *Spiritus.* *Sorores* erant olim inter laſcivas, & ἐρωτικά. V. ſupr. in *Frater.*

SORORIUS, *ſororis* maritus: novum, & commentitium. Nam, ut teſtatur Iſidor. x. 7. nullum in Latina lingua nomen habet. Cicer. pro C. Rabir. c. 3. *Cariorem huic ſororis maritum, quam ſororis filium fuiſſe.* Phil. ii. 6. *Dixit in ſororis, tuæ virum, avunculum tuum.* Hotom. de Rit. nupt. c. 10.

SORS apud Romanos erat generaliter quodvis vaticinium, vel oraculum. Cicero *ſortem* Crœſo editam dicit, quod de oraculo ex facto intelligit de Divin. ii. 56. *Nam cum ſors illa edita eſt opulentiſſimo Regi Aſiæ.*

Crœſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

hoſtium vim ſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam. Utrum igitur eorum accidiſſet, verum oraculum fuiſſet. Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 298. Buleng. de Sort. c. 1.

Sors proprie dicta dicebatur tale vaticinium, quod nullo conſilio humano, ſed fortuito caſu fiebat, ſive manu moverentur, ſive teſſeræ ex urna ducerentur, ſive tali in alveolum mitterentur, ſive in fontem jacerentur. Cicer. de Divin. ii. 41. *Quid ſors eſt? idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras, quibus in rebus temeritas, & caſus, non ratio, nec conſilium valet.* Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 298. Buleng. de Sort. c. 1. Illarum originem V. infr. in *Sortes Prœneſtinæ.* Fiebant interdum ex ligno. Plaut. Caſ. ii. 6. 32.

Sed mane dum! num iſta, aut populna ſors, aut abiegna eſt tua?

Cicer. de Divin. ii. 41. V. illum infr. in *Sortes Præneſtinæ.* Herodianus grammaticus: Κλῆρος ὁ κλάδος, id eſt, *lignum, quod lignorum uſus fuerit potiſſimus ad ſortes faciendas, in quibus ſymbolum ſuum, teſſeramve incidebant.* Lipſ. Elect. ii. 12. Jun. Anim. ii. 5. Victor. Var. Lect. xxv. 15. Hugo de Prim. ſcrib. orig. c. 26. Struv. ibid. p. 303. Taubman. in Plautum. Maurit. de Sortit. c. 9. §. 4. Interdum ex coctili laterculo, & argilla ſole exſiccata. Pauſan. Meſſen. p. 113. *Cupiebat Creſphontes Meſſeniam ſibi aſſignari: quare Temenum rogat, rem ut ſorti committat. Ille in urnulam, cum eam jam aqua complevet, ſortes mittit, re ita conſtituta, ut ſors utra prior exiſſet, illi Meſſenia adjudicaretur: ac ſubdole quidem Ariſtodemi liberorum ſortem e ſiccata ſole argilla, Creſphontis e coctili laterculo fecit: quo factum eſt, ut, illa ſoluta, hac conſtiterit, & per eam Creſphonti Meſſenia obtigerit.* Tangit hanc hiſtoriam, dum rivales ſe vocat, concertantes inter ſe, mutuoque ſibi maledicentes inducit Plaut. Caſ. ii. 6. 46.

Utinam tua quidem, ſicut Herculeis prædicant
Quondam prognatis, iſta in ſortiendo ſors delicuerit.

Victor. & Struv. l. l. Guther. de vet. jur. pontif. iv. 11. Taubman. in Plautum. Etiam per talos quandoque *ſortes* quærebant. Suet. Tib. c. 14. n. 4. *Mox cum Illyricum petens, juxta Patavium adiſſet Geryonis oraculum, ſorte tracta, qua monebatur, ut de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret; evenit, ut ſummum numerum jacti ab eo oſtenderent; hodieque ſub aqua viſuntur hi tali.* Morem hunc Romani traxerunt a Græcis, de quibus Pauſan. Achaic. p. 233. *Oracula ſortes capiuntur per talos. Qui enim ſortes conſulit, precatur ante ſimulacrum, ſumptosque quatuor talos mittit in menſam. Inſcripti ſunt certis notis tali ſinguli, & in tabula notarum interpretationem habent.* Ex ipſis enim talorum notis, quæ in ludis privatis, vel lucrum, vel damnum afferebant, capiebatur judicium. Prop. iv. 9. 17.

Me quoque per talos Venerem quærente ſecundos
Damnoſi ſemper ſubſiluere canes.

Struv. ibid. p. 304. Van Dale de Divinat. idolol. c. 4. Maurit. de Sortit. c. 10. §. 3. Buleng. l. l. Recondebantur in arca. Suet. Tib. c. 63. n. 3. *Vicina Urbi oracula disjicere conatus eſt: ſed majeſtate Præneſtinarum ſortium territus deſtitit: cum obſignatas, devectasque Romam non reperiſſet in arca.* Et illa ex olea erat facta. Cicer. Divin. ii. 41. V. illum infr. in *Sortes Præneſtinæ.* Struv. ibid. p. 300. Lipſ. Elect. ii. 12. Maurit. ibid. c. 2. §. 15. In urnam conjectas movebant, & inde unam poſt alteram ducebat puer, eodemque ordine, prout eductæ erant, componebat, ut certus inde ſenſus elici poſſet. Tibul. i. 3. 11.

Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit, illi
Rettulit e triviis omina certa puer.

Buleng. Van Dale, & Struv. l. l. Hartung. Memor. iii. 8. 26. Ferret. Muſ. Lapid. iv. Memor. 52. Docet hoc lapis vetus apud Gruter. p. 76. n. 7.

FORTUNÆ
JOVIS. PUERI
PRIMIGENIÆ.

Guther. ibid. c. 12. Inſcribebantur nomine ſortientium, vel ejus primis literis, aut quo alio ſigno. Certe apud Homer. Iliad. H. 187. dicitur Ajax *ſortem ſuam inſcripſiſſe:* & hoc n. 175. verbo σημήνασθαι exprimitur. *Perizon. Orig. Babylon. c.* 11. Conſulentes *ſortium* oracula æque conſulere deos, atque *ſortes* dicebantur; & ii inde retulerint reſponſa, *ſortes* tollere dicebant, de quo agit Tibull. i. 3. 10.

Dicitur ante omnes conſuluiſſe deos,
Illa ſacras pueri. . . .

V. illum jam laudatum. Et inſcriptio apud Gruter. p. 132. n. 6.

SACRO
SUSCEPTO
SORTIBUS. SUBLATIS
C. GALLIO
MEDIOLANENS.

Struv. ibid. p. 302. Lana, & tæniis ſolebant involvi, & extæniari dicebantur, quando vittis ſolvebantur, & liberabantur. Rem ita habuiſſe puto. *Sortes* privatim habitæ, habitæ publice. Quæ in publico, inprimis religioſe, & ſancte in templis habebantur, & cana quadam veritate ſacræ, in arca condebantur. V. Suetonium, & Ciceronem jam laudatos. De vittis quidni ſuſpicer, cum hunc cultum, & velamen adpoſitum fuiſſe omnibus ſacris? Quibus tamen puris manibus evolvi ſolent, cum promerentur ad conſulentium uſum. Hoc Livius narrat ut prodigium: *ſortes* eas ſponte evolutas, &, uno, proprioque verbo *extæniatas* eſſe, tanquam ſi Fortunæ ipſius manu ſparſæ, & jactæ, ad grande aliquid prædicendum. Et ſic legendum, non *extenuatas* apud Liv. xxi. 62. ubi narrat *Cære ſortes extæniatas. . . . Lectiſternium Cære, ubi ſortes extæniatæ erant, imperatum.* xxii. 1. *Faleriis ſortes ſua ſponte attenuatas, unamque excidiſſe, ita ſcriptum: Mavors telum ſuum concutit.* Quæ enim vis, aut quæ mens hic verbo *extenuandi*? præſertim in *ſortium* iſta re, quas majores, aut minores in prodigiis factas nunquam legi: nec, ſi legam, capiam ſatis. Cui enim ſignificationi id, aut notæ? Vide omnino, ne remotius, ut ſolet in his talibus, vetuſtiusque hoc, quod dixi, verbum fuerit, quod per imperitiam exſcribentium mutarit. Plutarchus non

modice me juvat, qui in Fabio p. 174. F. hoc prodigium ita e Livio ipso vertit: *quum cœlum filum supra Falerios videretur, decidisse, passimque disjectas fuisse frequentes sortes, in una scriptum ad verbum apparuisse: Mavors arma sua concutit.* Non excidisse, ait, *sortes*, & varie dispersas, non e cœlo ipso, quod quispiam censuerit, putas; pugnat enim id palam cum Livii mente, sed ex involucro, & arca. *Extenuatas* igitur clare ille vertit ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι. *Lips. l. l. Van Dale de Divinat. idolol. c. 4.* Quomodo tamen nec moris, nec verbi antiquitate nititur. Nam *extenuare* vix apud ullum auctorem invenire est. Prosperum in communi vatum scientia erat, si omnia majora, atque auctiora apparerent. Plin. XXVIII. 2. *Cum in fastigium ejusdem delubri præparare quadrigæ fictiles in fornace crevissent.* Qui hoc felix, fortunatumque Romanis rebus omen portendisse auctor est. E contrario triste portentum erat, si quæ res solito minor, tenuior, atque defectior apparuerit. Quo facit singulare illud, quod de Serviliorum familia narrat Messala apud Plin. XXXIV. 13. *Habet trientem sacrum, cui summa cum cura, magnificentiaque sacra quotannis faciunt: quem ferunt alias crevisse, alias decrevisse videri, & ex eo aut honorem, aut diminutionem familiæ significari.* Imo tristissimum erat, si plane quidquam vaticinio destinatum evanesceret. *Sortes* ergo *attenuatas* dictas puto, quæ plane evanescerent. Exemplum talis evanitionis extat apud Suetonium jam laudatum: & hoc inter tristia recenset Tacitus. Sic deinde Livius *attenuatas sortes* ait, [illegible] ita putem, evanuisse ex arca tabellas [illegible], utramque iterum cum inscriptione sua de cœlo decidisse. Ita pro maximo habebatur portento Spartiatis, *quod simia, quam Rex Molossorum in deliciis habebat, & sortes ipsas, & cætera, quæ erant ad sortem parata, disturbavit, & aliud alio dissipavit*, narrante Cicer. de Divin. I. 34. *Struv. ibid. p. 30. Guther. l. l.* Quinam olim *sortes* [illegible] fuerint, docent *Jun. Animadv. II. 5. & Maurit. de Sortit. c. 27. Sortientes* deos precabantur. Plaut. Cas. II. 5. 27.

> OL. *Quid si sors aliter, quam voles, evenerit?*
> ST. *Benedice: dis sum fretus, deos speravimus.*
> *Tace parumper.* OL. *quid vis?* ST. *eccum exit foras*
> *Chalinus intus cum sitella & sortibus.*
> *Nunc nos collatis signis depugnabimus.*

II. 6. 37.

> OL. *Taceo! deos quæso.* CH. *ut quidem hodie tu canem & furcam feras.*
> OL. *Mihi ut sortitio eveniat. . . .*

Maurit. ibid. c. 4. §. 10.

Sortes Antiatinæ in Caligulæ historia memorantur a Suet. c. 57. n. 6. V. illas supr. in *Fortuna Antiatina.* A Romanis quoque consultæ hæ *sortes*, quod testatur nummus Q. Rustii, qui sortes hasce Antiates sub figuris duabus muliebribus galeatis exhibet. *Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 299. [illegible] in Cæsar. August. numism. p. 73. Maurit. de Sortit. c. 2. §. 1.*

Sortes Apenninæ Jovi consuli a Firmo Imperatore sunt additæ. Vopisc. in Firm. c. 3. *In qua Jupiter aureus, & [illegible] sederet cum prætexta, ponendus in templo Solis, Apenninis sortibus additus.* Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 300. De illis etiam Treb. Poll. in Claud. c. 10. *Quum in Apennino de se consuleret, responsum hujusmodi accepit.* Ego apud Pollionem lego *Aponino*, & apud Vopiscum *Aponinis*. V. Suetonium laudatum supr. in *Sors.* Casaub. in Pollionem & Vopiscum. Salmas. in Pollionem. Buleng. de Sortib. c. 1. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 52.

Sortes Cæritium laudantur a Livio. V. illum supr. in *Sors.* Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 299.

Sortes consultoriæ dicebantur, quibus inquiritur divinum consilium. Usui sunt subinde sine peccato etiam inter Christianos, quando, verbi gratia, quæritur in militia, cujus nationis miles primus facturus sit impressionem: item tempore pestis, qui sacerdos mansurus sit inter pestiferos, ut faciendum esse scribit Augustin. Epist. 180. *Hugo de Prim. scrib. orig. c. 26. Maurit. de Sortit. c. 20. §. 1.*

Sortes convivales dicebantur, quas in cochlearibus habebant scriptas, ita ut quisque exhiberet in convivio id, quod per *sortem* cochleari inscriptam cuilibet obvenisset. Illas primus introduxit Heliogabalus. Lamprid. c. 22. *Sortes sane convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exhiberet decem camelos, alius decem muscas. . . .* Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 306. *Sortes* Heliogabali non erant ad illarum *sortium* modum, & exemplum, quas vulgo divites in conviviis suis convivis exhibebant, & distribuebant. Æquales enim erant illæ, & æqualiter distribuebantur, ita ut non alius alio ditior exiret *sortis* suæ gratia: nec divites tantum, sed & pauperes ejusmodi *sortibus* convivalibus ludebant, ut ita dicam. Extat integer Martialis liber de ejusmodi *sortibus.* XIII. 1. 5.

> *Divitis alternas, & pauperis accipe sortes,*
> *Præmia convivæ det sua quisque suo.*

Ibi licet videre exempla earum *sortium*, & quas pauperes, & quas divites suis convivis dividebant. At Heliogabali ejusmodi erant, ut veræ *sortes* dici mererentur, atque iis fata tentarentur, exempli gratia: ex ejus convivis alius sortito ducebat decem camelos, alius decem muscas. Ille, cui decem cameli exibant, merito id fatis sibi faventibus poterat imputare: ut ille contraria fata experiebatur, qui decem muscas in sua *sorte* scriptas reperiebat. Sic de decem libris auri, & decem plumbi: decem struthionibus, & decem ovis pullinis; nam qui decem libras auri in *sorte* sua habebat, dives discedebat: qui decem plumbi, parum aut nihil lucrabatur. Et sic vere fata tentabantur, cum ex eorum arbitrio, ut ita dicam, res penderet, utrum quis felix optimæ, & opimæ *sortis* beneficio abiret: an tenuis, & contemnendo munere non magnopere beatus. Secundum vulgatam lectionem non Heliogabalus exhibuerit illas *sortes* convivis suis, sed ipsi potius sui convivæ. Quod imposuit viris doctis, eosque in errorem induxit. Nam Heliogabalum ipsum exhibuisse *sortes* illas, non convivas, omnino ostendit id quod sequitur: *quod quidem & ludis suis exhibuit, quum & ursos decem, & decem glires, & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit.* Hoc etiam expedivit nobis optimus codex, qui habet, ut *alius exiret. Exire* dicebantur, quorum nomina *sortibus* inscripta, & in urnam demissa, inde extrahebantur. Hygin. de Limit. agror. p. 191. *Qui primi exierint, primam sortem centuriarum tollere debebunt: eodem exemplo & cæteri.* Et: *Ex his unum sorti nomen inscribemus, & quoto loco exierit, notabimus.* Vopisc. Prob. c. 8. *Tunc omnis exercitus equum illum Probo duci dicavit, ipsis etiam militibus, quorum nomina exierant, id volentibus.* Qui pro eodem ibidem dixit *emergere*, & *effundi. Sed & iterum Probi nomen emersit: quumque tertio, & quarto fecisset, quarto Probi nomen effusum est.* Ipse igitur exire dicebatur, cujus nomen *sorti* inscriptum exibat, & educebatur ex urna. Sic igitur *sortitio* ista convivalis agitabatur. *Sortes in cochlearibus* erant inscriptæ tales. *Primus decem camelos*, subaudi *tollat*, *secundus decem muscas*, *tertius decem libras auri*, & sic deinceps. Nomina deinde convivarum in urnam mittebantur. Qui primus exisset, primam *sortem*: qui secundus, secundam: & ita de cæteris. Quam rem mira brevitate, & novo loquendi genere expressit Lampridius, cum dicit: *ut alius exiret decem camelos, alius decem muscas*, pro ut alius qui exiret, tolleret decem camelos, alius decem muscas. Alio etiam modo potuit hæc *sortitio* celebrari, conjectis scilicet in urnam cochlearibus ipsis, quæ *sortes* habebant inscriptas, quæ inde extractæ convivis distribuerentur pro accubitationis, aut sessionis ordine, ut quæ prima *sors* exiret, primo loco accubanti daretur; quæ secunda, secundo: & ita deinceps. Nec dubito, quin ex vulgari, & corrupta jam sermonis consuetudine hoc loco ita locutus sit Lampridius: qua diceretur *exire decem camelos*, cujus *sors* exisset, quæ decem camelos inscriptum haberet. Sic enim videntur inscriptæ fuisse convivales istæ *sortes*,

non nominandi casu, *decem cameli, decem muscæ*: sed accusandi: *decem camelos, decem muscas*; subaudiebatur enim, vel *tollat*, vel *ducat*. Salmas. in Lampridium. *Sortibus* convivalibus variæ res conviviorum fuerunt subjectæ: ut quis esset symposiarchus, convivii magister, seu arbiter convivii, qui legem, & ordinem edendi, bibendi, ciborum ponendorum, stationum, & loci in mensis imperaret, unde & modimperatorem, quasi modum imperantem cognominabant. Mos vetustissimus, primo a Græcis observatus, ad Romanos quoque transiit. Lacedæmonii ex more principes conviviorum *sorte* faciebant. Plutarch. Apophth. Lacon. c. 2. *Agesilaus magnus ille, sorte quodam in convivio magisterium nactus, pincernæ interroganti, quantum cuique convivarum vini juberet apponi: si multum, inquit, vini in promptu est, cuivis, quantum poscet, fundito: si parum, æqualiter inter omnes distribue.* Convivii gubernatoris meminit Athen. II. 18. œnoptarum x. 7. In ludis, & festis maxime observatum est, ut Reges, vel Cæsares per lusum *sorte* conviviorum fierent præsides. Tacit. Annal. XIII. 15. 2. *Festis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra, regnum lusu sortientium, evenerat ea sors Neroni.* Interpretes adferunt, quæ scribit Pollux IX. 7. *Regius ludus est, cum sorte dispositus, Rex quidem, quod faciendum est, præcipit: qui vero famulus sorte factus est, omnia peragit.* Magis facit locus Arrian. Dissert. Epictet. I. *Saturnalium diebus Rex eligitur: lubet enim ludere hunc lusum. Is imperat, tu bibe, tu misce, tu expelle, tu abi, tu veni. Pareo, ne mea causa solvatur ludus.* Maxime Lucian. Saturn. p. 609. *Vides quantum bonum sit Regem inter omnes eligi, si viceris talo. Cum neque quisquam tibi ridiculum aliquid imperet, & tu imperare aliis possis: huic, ut turpe aliquid de seipso vociferetur, illi, ut saltet nudus, utque sublata in humeros tibicina ter domum circumeat.* Itaque penes eos erat cura epulandi modum constituere, cyathos ebibendos præscribere. *Lips. in Tacitum. Demster. Paral.p. in Antiq. Roman. Rosin.* V. 29. *Maurit. de Sortit. c.* 35. §. 2.

Sortes divinatoriæ dicebantur, quibus inquisitio fit de rebus futuris. Huic artificio affinis est ἀλεκτρυομάντεια, qua certum aliquem locum in quatuor partes æquales dividunt, & partibus singulis singulas inscribunt literas: literis singulis imponunt grana, tum observant, quo literarum ordine gallinaceus often introductus grana depascatur. Ita Valens Imperator, cum de suo successore quæreret, quia gallinaceus depastus erat grana notata literis Θ. E. O. Δ. occidi jussit omnes Theodoros, Theodulos, Theodatos: successit tamen illi Theodosius magnus, auctore Zonar. Tom. III. Sed hæc pullaria divinatio non est ἀλεκτρυομάντεια, ut putavit Zonaras. *Hugo de Prim. scrib. orig. c.* 26. *Maurit. de Sortit. c.* 21. §. 1.

Sortes divisoriæ dicebantur, quibus quæritur quid cuique tribuendum, sive illud sit res possessa, sive honor, sive pœna. *Sorte* divisoria Romani olim in judicibus legendis, provinciisque sortiendis utebantur, nec non in familia herciscunda, in militaribus, alijsque negotiis. V. singula supra suis locis. *Hugo de Prim. scrib. orig. c.* 26. *Maurit. de Sortit. c.* 19. §. 2. 3.

Sortes Falerinæ laudantur a Plutarcho. V. illum supr. in *Sors*. Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 300. Buleng. de Sortib. c. 1. Ferrer. Mus. Lapid. IV. Memor. 52.

Sortes Herculis Buraici laudantur a Pausania V. illum supr. in *Sors*. Buleng. de Sortib. c. 1.

Sortes Prænestinæ ob vetustatem maximi fiebant. Dicebantur *sortes Prænestinæ fortunæ*, ut monet Val. Max. I. 3. 1. ob fortunæ cultum, qui ibi præcipuus. Originem harum late describit Cicer. de Divin. II. 41. *Numerium Suffucium Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem, & nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minacibus, cum juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus suis civibus, id agere cœpisse: itaque perfracto saxo sortes erupisse, in robore insculptas priscarum literarum notis. Is est hodie locus septus religiose propter Jovis pueri, qui lactens cum Junone Fortunæ in gremio sedens, mammam appetens, castissime colitur a matribus. Eodem tempore, illo loco ubi nunc Fortunæ sita ædes est, mel ex olea fluxisse dicunt: haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras, eorumque jussu ex illa olea arcam esse factam, eoque conditas sortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in his potest esse certi, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miscentur, atque ducuntur? quomodo autem istæ positæ in illo loco? quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit?* Plurimum auctoritatis eas habuisse indicat Suetonius agens de Tiberio. V. illum supr. in *Sors*. Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 299. Buleng. de Sortib. c. 1. Pollet. For. Rom. V. 7. Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 459. C. Lomej. de Biblioth. c. 6. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 52. Crinit. de Honest. discipl. XXII. 3. Van Dale de Divinat. idolol. c. 4. Maurit. de Sortit. c. 2. §. 1: c. 9. §. 4.

Sortes Virgilianæ atque Homericæ. Harum mentio fit apud Historiæ Augustæ scriptores. Spartian. Adrian. c. 2. *Quo quidem tempore quum sollicitus de Imperatoris erga se judicio Virgilianas sortes consuleret:*

> *Quis procul ille autem ramis insignis olivæ*
> *Sacra ferens. . . .*

sors excidit. Lamprid. Alex. Sev. c. 14. *Ipse, quum parentis hortatu animum a philosophia, & musica ad alias artes traduceret, Virgilii sortibus hujusmodi illustratus est.*

> *Excudent alii spirantia mollius æra:*
> *Tu regere imperio populos Romane memento. . . .*

Hujus *sortitionis* varii erant modi. Interdum nobilis alicujus poetæ selectos versus in pittaciis describebant: quibus in situlam conjectis idem ordo servabatur, qui in aliis *sortitionibus*, queis urna interveniebat. De hoc genere proprie dicitur *sors excidit*, vel *exiit*, & κλῆρος ἐξέπεσε. Interdum versus fatidicos in tabella describebant, & talorum arbitrante alea divinationem peragebant. Hic est πίναξ ἀγυρτικὸς, sive ἀγυρτικὴ σανὶς, cujus sæpe in libris Græcorum fit mentio. Fuit & modus alius ῥαψωδομαντείας: cum temere arrepto, & aperto poetæ cujusdam libro, ut quidque primum oculis se objecerat, pro *sorte* id, & oraculi loco habebant. August. Confess. IV. 3. *A quo cum ego quæsissem, qua ex causa hoc fieret, ut multa vera a planetariis pronuntiarentur: respondit ille ut potuit, vim sortis hoc facere in rerum natura usquequaque diffusam. Si enim de paganis poetæ cujuspiam longe aliud canentis, atque intendentis, cum sorte* (vel *sortem*) quis *consulit, mirabiliter consonus negotio versus sæpe exiret, mirandum non esse....* Casaub. in Spartianum. Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 303. Buleng. de Sortib. c. 1. Van Dale de Divinat. idolol. c. 4. Maurit. de Sortit. c. 15. §. 1.

SORTILEGUS dicebatur a *sortibus*, qui iisdem erat occupatus. Cicer. de Divin. I. 58. *Nunc illa testabor, non me sortilegos.... agnoscere.* 27. 5. 1. in decret. *Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum, seu Apostolorum, vocant, sortes, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt.* Horat. de Art. poet. n. 219.

> *Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.*

Buleng. de Sortib. c. 1. Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 312. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 13. Maurit. de Sortit. c. 17. § 5. In circo maximo morari solebant. Hoc Ennii versus indicant:

> *Non habeo denique nauci Marsum augurem,*
> *Non vicanos haruspices, non de circo astrologos,*
> *Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium.*
> *Non enim sunt ii, aut scientia, aut arte divini,*
> *Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,*
> *Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:*
> *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.*
> *Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt:*
> *De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cætera.*

Hinc Juven. Sat. VI. 588. V. illum supr. in *Agger*. Parrhas. in Cicer. pro Milon. Thes. Crit. Gruter. Tom. 1. p. 832. Columna in Ennium p. 225.

Sortilegus etiam dicebatur templorum minister, *sortibus* legendis destinatus, ut iis qui eventum aliquem sciscitabantur, responderet. Tibull. I. 3. 11.

Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit.

Inſcriptio Romæ in tabula marmorea:

C. STIMINIUS
HERACLA
SORTILEGUS
AB. VENERE
ERUCINA ET
JULIA. MELANTHIS
PARENTES
MERCURIALI
F. PIENTISS.
FECERUNT

Spon. Miſcel. Erud. Antiq. II. 7. 30. Broukh. in Tibullum.

SORTIRI dicas idem eſt quod *ſortiri* cauſas. *Sortes* enim a judicibus ducebantur, & quæ prima dica ex urna exierat, prima agebatur. Unde illud Virg. Æneid. VI. 431.

Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes,
Quæſitor Minos urnam movet.

Et illud Satyr. XIII. 3.

—— improbus quamvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

Cicer. Verr. II. 18. *Deinde cæteris dicas omnes illo foro M. Poſtumius quæſtor ſortitus eſt: hanc ſolam tu illo conventu reperiere ſortitus.* Bud. Comment. Ling. Græc. p. 10. Qui ſcopum mihi attingere non videtur, aut ſaltem non eam lucem addere, quæ tantis tenebris debebatur. Quid autem ſit *ſortiri judices*, ſatis liquet ex Aſcon. in Ciceronem: nimirum, quando prætor non ex arbitrio conſtituit, ſed *ſorte* ducit. Ego autem in ea opinione ſum, *ſortiri dicas*, & *ſortiri judices* idem eſſe, nec vel pilo differre. Id ut planum faciam, en verba Cicer. Verr. II. 15. *Scribitur Heraclio dica, interea dies advenit, quo ſeſe ex instituto, ac lege Rupilia dicas ſortiturum Syracuſis iſte dixerat, paratus ad hanc dicam ſortiendam venerat, tum eum docet Heraclius, non poſſe eo die ſortiri, quod lex Rupilia vetaret diebus triginta ſortiri dicam, quibus ſcripta eſſet, dies triginta nondum fuerant.* Denuntiata fuit his Heraclio, addita quoque dies, ad quam ſe judicio ſiſteret, ac reſponderet. *Interea*, inquit Cicero, *dies advenit, quo die ſeſe ex instituto, ac lege Rupilia dicas ſortiturum dixerat.* Si dies agendæ cauſæ viſa eſt prætori adveniſſe, cur quæſo *ſortem* de cauſa ſuo ordine introducenda in urnam conjiceret, quæ tum demum agi poſſet, quum vices temporum, & tenor feriei illum in judicium venire paterentur? Atqui Verres hic ſtatim ad judices dandos paratus erat, non ad cauſam pro interpretatione Budæi *ſortiendam*, properabat intra tempus præturæ ſuæ hoc judicium includere, quod vix poſſibile erat in tam brevi ſpatio: nam jam ad finem decurrebat prætura; niſi in primis *ſors* iſtius cauſæ exiiſſet. Sed pergamus ad cætera, ubi certiori fundamento nitemur. *Hic omnibus judiciis diem diſtulit, ut hanc Heraclii dicam ſortiri poſt dies triginta ex lege poſſet.* Hic jam plane vides, ordinem admittendarum cauſarum in poteſtate prætoris fuiſſe, nec de *ſorte* pependiſſe, quum prætor omnibus judiciis diem diſtulerit, & vadimonia procraſtinaverit, ut nihil huic cauſæ Heraclii antecederet. Pergimus: *Poſteaquam ea dies venit, incipit iſte ſimulare ſe velle ſortiri, Heraclius cum advocatis adit.* Jam hinc quoque apparet, tanquam jam ad cauſam dicendam patronos ſibi circumpoſuiſſe, quod non opus eſſet, ſi de ordine cauſæ dicendum fuiſſet. Sed ne hic quidem pedem figamus: *Et poſtulat, ut ſibi cum palæſtritis, hoc eſt, populo Syracuſano æquo jure diſceptare liceat. Adverſarii poſtulant, ut in eam rem judices dentur, ex his civitatibus, quæ in id forum convenirent, electi, qui Verri viderentur. Heraclius contra, ut judices e lege Rupilia dentur. . . .* Vides inter partes convenire, non de ordine litis, quæ jam judicanda erat, ſed de judicibus conſtituendis. Ulterius promovemus pedem, ut omnem dubitationem abſcindamus. *Negavit ſe judices e lege Rupilia ſortiturum.* Quod toties dixit, *dicas ſortiturum*, id nunc *judices ſortiturum* appellavit. Quod ſi *ſors* fuiſſet de ordine cauſarum, id reus, qui mora elabi ex prætoris manibus cupiebat, omnibus modis poſtulaſſet, neque tantam injuriam omiſſæ *ſortis* tacitus pertuliſſet. Sed, obſecro lector, intentos oculos habeas: nam quod nunc dicit, *judices ſortiri*, ſtatim *dicas ſortiri* dicet c. 17. *Iſte poſtero die mane, cum multo maturius, quam unquam ante ſurrexiſſet, judices citari jubet: jubetque id, quod initio e lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium, & eos, qui dicam ſcripſerant: atque ſe judices e lege velle ſortiri. Quod ab eo pridie, multis lacrymis cum eum oraret, atque obſecraret Heraclius, impetrare non potuerat: id ei poſtridie venit in mentem, e lege Rupilia ſortiri dicas oportere.* Plane jam conſpicuum eſt, *dicas ſortiri*, & *judices ſortiri* idem eſſe. Nam cum dixerat prætor proximis verbis *ſe dicas ſortiri velle*, non cauſas educit, ſed judices. Ita enim ſubjungit Cicero: *Educit ex urna tres, iis, ut Heraclium condemnent, imperat, itaque condemnant.* Illud pro auctario adjiciemus. Ciceronem *ſortiri judicium*, *ſortiri judices*, *ſortiri dicas* pro eodem iſthic poſuiſſe. Hæc verba addit c. 18. *Profecto negare non potes, te ex lege Rupilia ſortiri judicium debuiſſe.* Ubi in antiquis codicibus non *judicium*, ſed *judices* legis, ut ſentias alterum alterius eſſe interpretamentum. *Nann. Miſcell.* IX. 7.

SORTITIONES in comitiis quæ fiebant a magiſtratu, erant diverſi generis. Una erat, ac prima omnium ad *ſortiendum*, in qua Latini ſuffragium ferrent. Altera erat in magiſtratibus quidem creandis, & legibus ferendis, ad *ſortiendum*, quo ordine tribus quæque ſuffragium ferret. Ad quam *ſortem* peragendam omnium tribuum nomina in ciſtellam quandam conjiciebantur: tum, ut quæque prior exierat, ita prior ſuffragium ferebat, ut ex hiſtoria Tib. Gracchi apud Appianum intelligi poteſt. In ſacerdotum vero creatione, quia ſeptendecim tantum tribus ſuffragium ferre ex lege poterant, idciro *ſortiendæ* tantum erant hæ tribus ſeptendecim, quæ erant ſuffragium laturæ. Id quod Cicero indicat, cum ita ſcribit Rull. II. 7. *Jubet tribunus plebis, qui eam legem tulerat, creare decemviros per tribus ſeptendecim, ut, quem novem tribus fecerint, is decemvir ſit.* Et: *Hoc tribuno plebis potiſſimum venit in mentem, populum Romanum univerſum privare ſuffragiis, paucas tribus, non certa conditione juris, ſed ſortis beneficio, fortuito, ad uſurpandam libertatem vocare.* c. 8. *Univerſo populo neque ipſe committit, neque illi horum conſiliorum auctores committi recte putant poſſe. Sortietur tribus idem Rullus homo felix, educet quas volet tribus: quos novem tribus decemviros fecerint, ab eodem Rullo eductæ, hos omnium rerum dominos habemus.* Ex his Ciceronis verbis omnis ratio intelligi poteſt, qua decemviros creari volebat Rullus. Erat autem hæc eadem cum ea, quæ ex lege Domitia in ſacerdotum creatione obſervabatur. Conſequens igitur eſt, ut in ſacerdotum creatione dicamus ſeptendecim tribus ita deligi, ut quinque & triginta tribubus in ciſtam conjectis ſeptendecim ex eo numero educerentur, quarum ſuffragio ſtaretur. Verum illud hoc loco ambigi poteſt, an ſuffragium dicerent illæ tribus, ut quæque educebatur, an vero non ante ferrent ſuffragium, quam iis ſelectis, quarum ſuffragio ſtandum erat, rurſus in ciſtam hæ conjectæ eſſent, ut ſuffragium deinde eo ordine dicerent, quo quæque educeretur. Ego exiſtimo gemina *ſortitione*, & gemina ex ciſta eductione nil opus fuiſſe: ſiquidem *ſortitione* unica non minus ex lege ſuffragium a minore parte populi ferri poſſet. Si enim ultra ſeptimam & decimam tribum non ſis progreſſurus, ut quæque ſuffragia dicat, ſimul atque educta ex omnium tribuum cumulo erit, tam hoc modo minor pars populi ſuffragium tuliſſe dicetur, quam ſi gemina illa eductione uſus eſſes. Quod ſi brevior, nec minus juſta eſſet illa ratio quam hæc, prudentiæ Romanarum conſentaneum eſt, illa potius unica *ſortitione* contentos fuiſſe, quam hac gemina. Ex his apparet, in tributis comitiis pro prærogativa fuiſſe eam tribum, cui *ſorte* obtigiſſet, ut prima exiret e ciſtella. Verum id diverſum erat a centuriatis, quod *ſortitione* prærogativæ centuriæ facta reliqua comitia abſque

absque *sorte* pro censu, ordine, atque ætate peragebantur. At comitiis tributis *sorte* utendum erat ad finem usque comitiorum ad vocandas ordine tribus. *Gruch. de Comit. Roman.* II. 4. *Manut. de Sortit. c.* 27. §. 5.

SPA.

SPADO est, cui cremasteres, id est, nervi, quibus coles sunt suspensi, avulsi sunt, vel etiam distorti, collisi, contusi. Ulpian. l. 128. ff. de Verb. signif. *Spadonum generalis appellatio est, quo nomine tum hi, qui natura spadones sunt, item thlibiæ, thlasiæ, sed & si quid aliud est genus spadonum, continentur.* Voss. Lex. Etymol. Becman. de Origin. p. 1028. Pitisc. in Curt. III. 10. 23. Sunt vel a Persis. Stephanus: *Spada n. g. vicus Persicus. Ubi primus eunuchismus factus est. Unde spadi dicuntur.* Petronius, & Claudianus mox laudandi. Vel ab Assyriis, & Medis. Nam & Babyloniorum Regem Nabuchodonosorem ex Judaica juventute quosdam, nec non ex aliis gentibus, bello captos, in ipso ætatis flore, castrari jussisse scribit Joseph. Ant. Jud. x. 16. Hieron. in Dan. I. scribit Hebræos arbitrari Danielem, Ananiam, Misaelem, & Asariam fuisse eunuchos. Et quidem a Semiramide. Ammian. XIV. 6. *Postremo multitudo spadonum a senibus in pueros desinens, coloris oblividi, distortaque lineamentorum compage deformis: ut quaqua incesserit quisquam, cernens mutilorum hominum agmina, detestetur memoriam Semiramidis reginæ illius veteris, quæ teneros mares castravit omnium prima, velut vim injectans naturæ.* Clearchus Solensis Vitar. IV. apud Athen. XII. p. 514. D. *Medos multos ex vicinis voluptatis causa,* διὰ τρυφῆς, *castrasse* narrat. *Brisson. de Regn. Pers.* II. *p.* 234. *Salden. Ot. Theol* III. 6. 3. *Potter. Archæol. Græc.* IV. 13. *Lindenbr. & Vales. in Ammianum. Lips. in Tacit. Annal.* VI. *n.* 83. *Voss. & Pitisc. l. l.* Causam castrandi Medis fuisse τρυφὴν Clearchus dixit: ut in longius tempus forma, & levitas vultus proferretur, formosioresque diutius permanerent. Claud. in Eutrop. I. 339.

—— seu prima Semiramis astu
Assyrius mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities, levesve genæ se prodere possent,
Hos sibi conjunxit similes: seu Persica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram,
Servatoque diu puerili flore coegit
Arte retardatam Veneri servire juventam.

Aliam indicat Petron. de Mutat. Reip. n. 20.

Persarum ritu male pubescentibus annis
Subripuere viros: exsectaque viscera ferro
In Venerem fregere: atque ut fuga mobilis ævi
Circumscripta mora properantes differat annos.

Senec. Controv. x. 4. *Civitatis istius principes divitias suas exercent contra naturam: excisorum greges habent: exoletos suos, ut ad longiorem patientiam impudicitiæ idonei sint, amputant.* Hieron. adv. Jovin. I. *Et in longam, securamque libidinem exsectus spado est.* Hæc juventus despectui apud Persas æque atque in orbe Romano, aut Græco, non habebatur. Tacit. Annal. VI. 31. 4. *Proximus huic Abdus Parthus, ademptæ virilitatis: non despectum id apud Barbaros, ultroque potentiam habet.* Brisson. ibid. p. 235. V. & supr. in *Eunuchus.*

SPARSIO vocabatur ros croci, qui fistulis, & interdum e statuis in summam altitudinem theatri effundebatur. Glossæ: *Sparsio,* κρόκος ὁ ῥαινόμενος. *Spargendi* verbo in eo usus Mart. V. 26. 7.

Hoc rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?

Lips. de Amphith. c. 16. Thys. de Amphith. p. 207. V. & supr. in *Crocus.*

SPARTEOLI vocabantur per contemptum vigiles ab aliis militibus. Sic eos nominat Juven. Schol. in Sat. XIV. 305.

Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, signisque suis.

notans, *per translationem disciplinæ militaris sparteolorum Romæ, quorum cohortes ad tutelam Urbis cum hamis, & cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis.* Vocabantur, ut opinor, hoc nomine a funibus, quorum multus usus in restinguendis incendiis: vel a *sparteis* tunicis, quibus erant amicti: vel etiam a genere calceamentorum; nam hujusmodi hominum soleæ e *sparteis* funibus contexebantur interdum. Sic accipio apud Tertull. Apolog. c. 39. *Ad fumum cœnæ Serapicæ sparteoli excitabuntur.* Innuit enim elegantissime scriptor Afer, tantum apparatum cœnæ Serapicæ esse solitum, ut milites cohortium præfecti vigilum, illum locum ubi parabatur, observandum haberent: non enim magnum convivium sine magno igne paratur: inde incendii metus, ad quod restinguendum *sparteolos* dicit excitari. *Casaub. in Suet. Aug. c.* 30. *n.* 2. *Lips. in Tacit. Hist.* III. *p.* 75. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 622. *B.*

SPARTORES quasi *sparsores* dicebantur: ut enim *tenta* & *tensa*, ita *sparta*, & *sparsa* dicebant veteres, penesque nostros etiamnum Tuscos pe durat, ut tam *il crine sparto,* quam *il crine sparso* proferant. Puto vero *spartores* esse, de quibus ICtus loquitur ex Saturni, & Cassii responsis l. athletas. ff. de iis qui not. infam. *Neque agitatores, neque iis qui aquam equis spargunt.* Ubi frigide Accursius: *frigidam,* inquit, *ut citius currant, fiebat enim olim Romæ ludus, in quo hoc fiebat, & adhuc fit Constantinopoli.* Sed ludum suo tempore durare, non *sparsionem* fieri intelligo, mirorque hanc *sparsionem* frigidam placuisse in adagiis Erasmo etiam, ad Alciati mentem, vel merito perstringendo, qui Parerg. VI. 4. id veterinarios, ac mulomedicos non probaturos affirmat. Placet aliis paullo rectius, qui ludis circensibus *spargi* solitos aqua tepida equos post cursum velint, ut e membris sudor ablueretur. Festus: *Nasiterna genus vasis ansati, & patentis, quo equi perfundi solent.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 15. Ego Ulpianum de *sparsione* sollenni quadam, & cum religione, imo superstitione conjuncta accipiendum arbitror. Nam mos fuisse videtur, ut quoniam circenses sacri ludi erant, honorique deorum dicati, equi certaturi prius lustrarentur, & aqua e certo loco petita spargerentur. Fidem huic rei peto e Charis. Instit. Gramm. I. p. 74. *Ad equas, an ad aquas vocari, dici debeat, quæsitum est. Qui ad aquas dicunt, enarrant quod ex luco Camœnarum aqua religiosa afferri solebat, purificandi causa. Sed melius ad equas, quod olim greges equorum in circum inducebantur, ibique per populum cursu æquabantur.* Qui etsi in alteram abit opinionem, tamen morem clare satis ingerit, quem nos spectamus. Fallor valde, aut hunc ritum in mente habuit, & prophanam hanc aquam alia aqua damnavit Hilario, de quo Hieron. in vita Hilarionis narrat, cum Italici cujusdam, qui Christianus erat, equi circenses dæmoniacis imprecationibus tarda entur in cursu, eum accessisse Hilarionem. Qui cum aliquamdiu recusasset rei tam ineptæ operam dare, tandem, inquit, *rogatus a fratribus qui aderant, scyphum fictilem, quo bibere consueverat, jussit aqua impleri, eique tradi. Quem cum accepisset Italicus, & stabulum, & equos, & aurigam suum, rhedam, carcerumque repagula aspersit.* Eoque facto plene victoriam de adversario est consecutus. In lap. de veteri inter officia circensibus deputata etiam invenio *spartorem,* anne pro *sparsore*? Ruben. Elect. II. 18.

SPARUS *est telum rusticum in modum pedis recurvum. Sallustius: Sparos, aut lanceas, alii præacutas sudes portare.* Serv. Dan. ad Virg. Æneid. XI. 682.

Agrestesque manus armat sparus,

& bellicum. Festus, sed mutato genere: *Spara, parvissimi generis jacula.* Missile fuisse docet Nep. XV. 9. 1. *Epaminondam fortissime pugnantem, sparo eminus percussum concidere viderunt.* Voss. Lex. Etymol. Donat. in Liv. XXXIV.

Cerda in Virgilium. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. x. 10.

SPATHA erat gladii latioris genus. Veget. II. 15. *Habent gladios majores, quos ſpathas vocant.* Apul. Met. IX. p. 309. *Quo ſermone ejus commonefactus hortulanus, eripuit ei ſpatham.* Spartian. Adrian. c. 10. *Ut capulo eburneo ſpatham clauderet.* Voſſ. Lex. Etymol. Barth Adv. XXXIII. 12. Chiflet. Anaſt. Childer Reg. c. 14. Grapald. de part. dom. c. 10. §. 11. Cerda Adv. c. 120. §. 141.

Spatha vocatur inſtrumentum, quo ea, quæ coquimus, agitamus, & permiſcemus, ſpumamque detrahimus. Plin. XXIII. 7. *Aliqui myrrha ad cli, & cupreſſo prædiratum vas ſole torrebant, permiſcentes ſpatha ter die.* Voſſ. Lex. Etymol. Barth. Adv. v. 5.

Spatha vocatur etiam inſtrumentum pharmacopolarum & chirurgorum. Celſ. VIII. 15. *Si vaſtius corpus, nervive robuſtiores ſint, neceſſaria eſt ſpatha lignea, quæ & craſſitudinem duorum digitorum habet, & longitudine ab ala uſque ad digitos pervenit: in qua ſumma capitulum eſt rotundum, & leniter cavum, ut recipere particulam aliquam ex capite humeri poſſit: inque ea bina foramina tribus locis ſunt, inter ſe ſpatio diſtantibus, in quæ lora mollia conjiciuntur.* Voſſ. Lex. Etymol.

SPATHALIUM eſt ornamentum muliebre circa manus: cujuſmodi eſt, quod ex corallio hodieque geſtant. Plin. XIII. 25. *Juba tradit, circa Troglodytarum inſulas fruticem in alto vocari Iſidos plocamon, coralio ſimilem, ſine foliis: præciſum, mutato colore, in nigrum dureſcere: cum cadat, frangi: item alium, qui vocetur charitoblepharon, efficacem in amatoriis: ſpathalia eo facere, & monilia feminas.* Tertull. de Cult. femin. c. 13. *Neſcio, an manus ſpathalio circumdari ſoluta in duritia catenæ ſtupeſcere ſuſtineat.* Voſſ Lex. Etymol. Flav. Conject. c. 41. Barthol. de Armill. §. 5. Cerda Adv. c. 107. n. 16.

SPATIA in acie quænam fuerint dicta V. ſupr. in *Intervalla ordinum.* In circo quænam V. ſupr. in *Meta.*

SPE.

SPECIARIA ars quid fuerit, mihi non liquet: an quæ varias ſtirpium, & medicamentorum *ſpecies* vendebat, quales nunc vocamus ex voce inde forte derivata *Eſpiciers*? An vero aliud quid? Lapis Romæ:

THALASSIÆ. MIMÆ
C. PISONIS. NOTHI
SPECIARIÆ
CONTUBERN. BENEMERENT

Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 232. *Reineſ. Inſcript. Claſſe* V. §. 39.

SPECIES vocabantur triticum, & fruges reliquæ, quæ Imperatori a provincialibus pendebantur, & ex ejus prædiis colligebantur. *Species* enim ipſas exigebant, ut JCtis notum. Has *Imperatorias* vocat, & *ſuperfluas vendidiſſe* Antoninum Pium ſcribit Capitol. c. 7. *Turneb. Adv.* XXV. 18. Annonariæ vocabantur frumentum, vinum, veſtis, laridum, acetum, & ſimilia, quæ pro alendis militibus tranſvehebantur in caſtra l. 1. C. de navicul. ſeu naucl. publ. ſpec. tranſport. Continebantur in his ſericum, purpura, gemmæ, & alia Principum ornamenta. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 82. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 21. Interdum adærabantur. V. ſupr. in *Adærare.*

SPECIOSI dicti ſunt ſenatores. Ulpian. l. 100. ff. de verb. ſignif. *Speciosæ perſonæ accipiuntur clariſſimæ, vel quæ ornamentis ſenatoriis utuntur.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 2. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 4.

SPECTABILIS fuit gradus dignitatis ſub Principibus Romanis inventus. Tempore Reipublicæ in uſu non fuit, ſed poſtea ad diſtinguendas ſublimiores perſonas inſtitutus. Iſidor. IX. 4. *Primi ſenatorum dicuntur Illuſtres, ſecundi Spectabiles, tertii Clariſſimi.* Sicut Illuſtrium, ita & *Spectabilium* decem aliæ factæ ſunt dignitates, ut primicerius ſacri cubiculi, & notariorum, comes caſtrenſis, magiſtri ſcriniorum, proconſules, comes orientis, præfectus Auguſtalis, vicarii, comites, ducesque rei militaris, qui eodem, quo a Notitia, ordine recenſentur a Zenon. l. 1. C. ut omnes. tam. civ. Notarii quoque tribuni, qui laterculum majus tractabant, *Spectabiles* vocantur a Zenon. l. 2. C. de primic. Hiſque notis *Spectabilis* ſignificabatur V. S. quod nomen etiam nunc in quibuſdam Germaniæ regionibus eſt in uſu; in Italia ſordeſcit, quo vix viliſſimi hodie dignantur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 2. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 9. *Buleng. de Imp. Rom.* II. 20. Inter illos primi proconſules habebantur: hos comites orientis ſequebantur. Ex hoc numero latiſſimam habebat juriſdictionem præfectus Auguſtalis, qui proconſulum habebat poteſtatem, non tamen proconſulare imperium. Vicarii ultimi fuerunt, qui pro præfecto prætorio judicabant. Sed vicarius urbis Romæ cæteris præſtantior erat, qui propriam juriſdictionem habebat, ſibi datam a Principe. Caſſiod. Var. VI. 15. *Guther. l. l.* Græcis περίβλεπτοι vocabantur. Juſtin. Nov. 23. & σπεκταβίλιοι. Juſtin. Nov. 23. *Pancirol. & Buleng. l. l.* Hic titulus ſub Conſtantino Magno in uſu eſſe cœpit, cum antea Clariſſimi dicerentur, qui poſtea *Spectabiles.* Buleng. l. l. Quandoque Clariſſimi vocantur. Hoc inde evenire arbitror, quia in ſenatum recepti duplici titulo gaudebant. Sic duces clariſſimi dicuntur l. 2. §. ita clariſſimo duci & ſeq. C. de Offic. P. P. Africæ, qui ſunt *ſpectabiles* l. pen. C. de appellat. Et ſilentiarii ab Anaſtaſio clariſſimi appellantur l. ult. C. de ſilentiar. qui etiam *ſpectabiles* erant l. omnimodo. 30. §. fin. C. de inoffic. teſtam. Præfectum vigilum *ſpectabilem* ſemel vocat Paull. l. 2. C. de primic. l. neque 16. C. de decurion. Sed ibi gradus, qui eſt ſupra clariſſimum, non ſignificatur, quicquid ſenſerit Accurſius: neque enim præfectus vigilum erat magiſtratus l. 2. §. deinde Cornelius ff. de orig. jur. nec pluris quam præſes ut *ſpectabilis* poſſet nominari: præterea proconſul poſtea *ſpectabilis* l. raptores. 54. C. de epiſc. & cler. tum clariſſimus l. 3. C. de his, qui not. infam. fuit. Itaque conſtat nondum *ſpectabilis* dignitatem tum inventam fuiſſe, & illud verbum vel a compilatoribus additum, vel ad honeſtandum præfectum vigilum, non denotandum honoris gradum poſitum. Fruebantur hoc privilegio, ut per ſe ipſos lites civiles, aut criminalem injuriarum actionem exercere non poſſent, ſed per procuratores id agere compellebantur. Indignum enim videbatur ſpecioſas perſonas cum inferioribus cauſam dicendo ante judices ſtare l. pen. C. de procurat. Poſtea illis conceſſum eſt, ut ipſi per ſe litigare poſſent. Authent. ut ab illuſtr. & qui ſupra eos ſunt. *Pancirol. l. l.* V. etiam ſupr. in *Illuſtres.*

SPECTACULA ſcriptoribus Romanis vocantur ludi, & munera, quæ in theatro, amphitheatro, circo, in ſcenicis, gladiatoriis, venationibus & equeſtribus certaminibus populo quædam mane, quædam a meridie edebantur. Hinc *indicere ſpectacula, celebrare ſpectacula,* legimus. Virgilius in Catalectis:

Nocte pluit tota: redeunt ſpectacula mane:
Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.

Spectaculum pantomimorum dixit Plin. Paneg. c. 46. n. 1. *Obtinuit aliquis, ut ſpectaculum pantomimorum populus Romanus tolli pateretur: ſed non obtinuit, ut vellet.* Scenæ Ovid. Art. Am. III. 351.

Artifices lateris, ſcenæ ſpectacula amantur.

Nec aliter accipienda hæc vox in titulis librorum Martialis & Tertulliani, quos de *ſpectaculis* inſcripſerunt. *Buchner. in Fabri Theſaurum.* Illorum res nec antiquis ſine cura fuit. Scripſerunt de iis ex profeſſo, quod ſciamus, Suetonius Tranquillus, & Tertullianus. Alterius liber nunc eſt: alterius fuit. Sed cauſa ſcribendi iis, finiſque non una. Ille ut explicaret, hic ut damnaret, deſcenderunt in hanc arenam. Et ſane plerique Theologi e priſcis, cum viderent pietatis damno addictum, devinctumque populum his ludis, paſſim invecti in eos, ut libidinis, ſævitiæque fontes. *Spectaculorum* apud Romanos

qua-

quadrigas conſtituo, gladiatores, venationem, circenſes, ſcenam. V. ſingula ſuis locis. *Lipſ. de Amphith.* I. 7. Illorum ſinis partim in religione, partim in voluptate populi poſitus erat. Opinabantur enim antiqui rem gratam ſe illis, tanquam promiſſam, diis facere. Arnob. VII. p. 242. *Vos æris tinnitibus, & tibiarum ſonis, vos equorum curriculis, & theatralibus ludis perſuaſum habetis deos delectari & affici, iraſque aliquando conceptas eorum ſatisfactione molliri.* Ludos inter alia cœleſtis iræ placamina inſtitutos teſtantur Cenſor. de Die nat. c. 12. *Profecto ludi ſcenici placandorum deorum cauſa inſtituti non eſſent.* Val. Max. II. 4. 4. *Itaque placandi cœleſtis numinis gratia, compoſitis carminibus vacuas aures præbuit, uſque ad id tempus circenſi ſpectaculo contenta. . . .* Faciebant quoque ludi permultum ad populi favorem obtinendum: cui Reges, & ipſi Reipublica, nec non Principes ipſi valde ſtudebant: quocirca hac voluptate demulſos in officio continerent: quove facilius, quod ab ipſis extorquendum erat, impetrarent. Teſtes ſunt Vitruv. de Archit. V. 3. *Per ludos cum conjugibus, & liberis perſedentes, delectationibus detinentur.* Val. Max. l. l. *Cujus decora pernicitas vetuſto ex more Curetum, Lydorumque novitate grata Romanorum oculos permulſit.* Stewech. in Veget. II. 24. In foro ſunt edita, priuſquam in eam rem amphitheatra eſſent condita. Suet. Jul. c. 39. n. 2. V. illum ſupr. in *Ludus.* Tib. c. 7. n. 2. *Munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in avi Druſi dedit: primum in foro, ſecundum in amphitheatro.* Aſcon. in Cicer. p. 86. *Olim, cum in foro ludi populo darentur, ſignis, ac tabulis pictis partim ab amicis, partim e Græcia commodatis utebantur ad ſcenæ ſpeciem, quia adhuc theatra non fuerant.* Nardin. Rom. Vet. V. 2.

Spectacula vocantur etiam pulpita ipſa, & fori, ſedes, & tabulata, in quibus ſederent ſpectatores. Cicer. pro Cornel. c. 1. *Paſſum eſſe Scipionem ſecerni a cætero conſeſſu ſpectacula ſenatorum:* id eſt, loca, unde ſpectarent ſenatores ludos, aut munera gladiatoria. Calpurn. Bucol. VII. 23.

Vidimus in cœlum trabibus ſpectacula textis
Surgere, Tarpejum prope deſpectantia culmen,
Immenſoſque gradus, & clivos lene jacentes,
Venimus ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte
Inter femineas ſpectabat turba cathedras.

Turneb. Adv. XXVII. 22. Buleng. de Theatr. I. 29.

SPECTATORES tres interdum dies in *ſpectaculis* ſomni ædiumque obliti, ſunalibus accenſis potuerunt. Imo & ſolidum diem ſine cibo frequenter aſſedere. Poſtea M. Piſone, & M. Marcello coſſ. ſive, ut docent Faſti Capitolini, & ex illis Pigh. Annal. III. p. 337. an. 692. prandendi cauſa meridie *ſpectaculis* egrediebantur ad epulum ab editore datum. Dio XXXVII. p. 50. D. *M. Piſone, & M. Meſſala coſſ. populus, qui ante hæc tempora ludos gladiatorios, nulla intercedente requie, totos ſpectaverat, tum primum inter actionem ſurrexit, pranſuſque eſt. Iſque mos tum cœptus, hodieque, quoties Imperator ludos exhibet, obſervatur.* Quintil. VI. 3. *Hinc eques Romanus, ad quem in ſpectaculis bibentem cum miſiſſet Auguſtus, qui ei diceret: ego, ſi prandere volo, domum eo: tu enim, inquit, non times, ne locum perdas.* Suet. Claud. c. 34. n. 6. V. illum ſupr. in *Meridiani.* De Caligula meridie *ſpectaculo*, & de more revertente Suet. c. 56. n. 4. & Joſeph. Antiq. Judaic. XIX. 1. *Buleng. de Circo c. 45. Pitiſc. in Suetonii Caligulam.* Ita igitur perdurabant *ſpectaculis*, ut qui ante alios exiret, aut ſurgeret, colaphis cæderetur, quod ætate Philippi accidiſſe legimus. Eam populi inſaniam carpſit Juven. Sat. III. 223.

Si potes avelli Circenſibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Fruſinone paratur.

Nam ne rebus quidem putidiuſculis, ac pudendis, quarum neceſſitas incumbit, ut diſcederent adducebantur. Aquam enim per canaliculos in oculis omnium non modo in amphitheatro, ſed & in circo petebant. Tertull. de Spectac. c. 21. *Sic evenit, ut qui in publico vix neceſſitate veſicæ tunicam levet, idem in circo aliter non exultet, niſi totum pudorem in faciem omnium intentet.* Hac turpitudine offenſi aliquot Imperatores raro *ſpectaculis* interfuerunt, aut aliud inter *ſpectandum* egerunt. Julius Cæſar ſolitus de epiſtolas lectitabat, ait Suetonius. Julianus infrequens in circo fuit, neque totum ibi diem perſeverans ſedit. Teſtatur de ſe Miſopog. p. 340. Edit. Lip. *Semper odi Circenſes, perinde ut forum, qui oblectati ſunt argento. Itaque raro ad eos venio, nempe in deorum feriis: quod meus patruelis, avunculus, & germanus ex patre ſolebant; ſed ſpectato ſexto fere curſu, neque id mihi cum voluptate, imo hercle cum moleſtia, & faſtidio, libens diſcedo.* Si qua re opus erat, illud ſumma libertate ab Imperatoribus flagitabant. Joſeph. l. l. *Romani conveniunt prompte in circum, & ſi quid volunt; rogant Imperatores multi ſimul collecti. Illi autem ita de iis, quæ rogantur, judicant, ut contradicere nefas ſit, nunquam tamen populo non gratificantur.* Spectatores omnes, maxime Conſtantinopoli, eo colore, cui faverent, induebantur, & hirundines, ac columbas in circum inferebant, quibus domum victoriam aliquo filo, vel panno indicii cauſa denuntiarent. Plin. X. 24. *Cæcina Volaterranus equeſtris ordinis quadrigarum dominus, comprehenſas hirundines in circum ſecum auferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore.* Buleng. l. l. Sub Caligula mos inductus, ut in circo, ſicut in theatris, pileos ferrent, ad aeris, vel ſolis inclementiam arcendam. Romæ quippe, & Conſtantinopoli, & ubique gentium circi erant ſine tecto. Chryſoſtomus: *Et quidem in circo, ubi non eſt tectum, maxima pars imbres deciduos ferunt, & ventum, a quo imber in vultum ventilatur.* Omnibus certe celebritatibus pileati Romani fuerunt: unde *pileatam Romam* Saturnalibus vocat Mart. XI. 6. 4.

Permiſit, puto, pileata Roma.

De cauſiis in theatris Dio. V. illum ſupr. in *Cauſia.* Et lacernas adverſus injurias frigoris, aut pluviæ Martialis, & Tertullianus. V. illos ſupr. in *Lacerna.* Nec pileati modo, & lacernati, verum & diſcalceati, cum ad aucupandum frigus, tum ad delicias in circum ibant. Dio. V. illum ſupr. in *Diſcalceati.* Buleng. ibid. c. 46. In munere funebri illorum propria quædam veſtis fuit. Spectabant enim in pænula pulla. Dio LV. p. 553. E. *Interea & funebre munus gladiatorium editum, cum ſingulis certantibus, tum pluribus contra pares, quod cum alii omnes ſpectarunt in pulla veſte, tum & filii Auguſti, ſolo ipſo excepto.* Lamprid. in Commod. c. 16. *Contra conſuetudinem pænulatos juſſit ſpectatores, non togatos ad munus convenire, quod funeribus ſolebat: ipſe in toga pulla præſidens.* Quibus e verbis utrumque diſcimus, in funebri munere pænulatos, in alio togatos *ſpectatores* fuiſſe. *Lipſ. Sat.* I. 13. Qui athletas *ſpectabant* certantes, ſtabant. V. infr. in *Stantes.* Si populi odioſi, & inviſi eſſent, ab infeſte faventibus exſibilabantur. Hortenſius certe, qui in foro ſibilos nunquam abſtulerat, theatrum ſemel ingreſſus, ab infeſto populo ſtatim eſt exſibilatus, & exploſus. Rem perſequitur Cœlius ad Ciceronem ſcribens Fam. VIII. 2. *Acceſſit huc, quod poſtridie ejus abſolutionis in theatrum Curionis Hortenſius introivit, puto, ut ſuum gaudium gauderemus. Hic tibi ſtrepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum ſibilus. Hoc magis animadverſum eſt, quod intactus a ſibilo pervenerat Hortenſius ad ſenectutem.* Cicero idem, dum narrat, quibus diebus committebantur ludi, gladiatorumque *ſpectacula* exhibebantur, iis ſe fauſtas ſemper abſtuliſſe acclamationes, & nunquam paſtoritiam fiſtulam; indicat utique, fieri ſolitum aliquando, ut viri illuſtres, quemadmodum fauſtis ſæpe excipiebantur acclamationibus, & plauſibus ab amicis *ſpectatoribus*, ſic ab infeſtis exploderentur quandoque fiſtulis. Sunt hæc illius verba Attic. I. 13. *Itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας ſine ulla paſtoritia fiſtula auferebamus. Paſtoritiam fiſtulam* pro ſibilo poſuit. V. ſupr. in *Sibilum.* Ferrar. de Acclam. & Plauſ. II. 17.

SPECTIO quid, & quorum fuerit V. ſupr. in *Nuntiatio.*

SPECULA eſt locus editus, & eminentior, ſive tur-

rus, sive mons, sive aliud quid, unde longe videre aliquid, ac speculari solcat. Cicer. Verr. v. 35. *Non enim, sicut antea consuetudo erat, prædonum adventum significabat ignis e specula sublatus, aut tumulo.* Virg. Æneid. iv. 586.

Regina e speculis ut primum albescere lucem
Vidit, & æquatis classem procedere velis.

In locis mediterraneis maxime sunt usui. Stewech. in Veget. iii. 8.

SPECULARIA dicebantur, quibus lumen, & sol in ædes admittebatur, ut hodie per vitreamina, & chartacea. Plin. Epist. ii. 17. 4. *Cavædiones sunt egregium adversus tempestates receptaculum: nam specularibus, ac multo magis imminentibus tectis muniuntur.* Mart. viii. 14. 3.

Hibernis objecta notis specularia puros
Admittunt soles, & sine fæce diem.

Symposs. ænigm. 68.

Perspicio penitus, nec luminis arceo visus,
Transmittens oculos ultra mea membra meantes,
Nec me transit hiems, sed sol tamen emicat in me.

De Fortunæ æde a Nerone constructa e lapide phengite Plin. xxxvi. 22. *Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio, quam specularium, modo, tanquam inclusa luce, non transmissa.* An specularia lucem tantum includunt, non transmittunt? Contrarium ex his, quæ ponemus, claret. Scribitur in antiquis: *claritas diurna, haud alio quam specularium modo.* Scribendum igitur: *Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, alio, quam specularium, modo, tanquam inclusa luce, non transmissa.* Tota domus e marmore illo phengite structa erat. Clausis foribus, & fenestris, nihilominus diurna claritate illustrabatur, tanquam inclusa, non transmissa luce, alio, quam specularium, modo, quæ lucem transmittunt, non includunt, & transmissa luce domum illuminant. Apud veteres fiebant e lapide, qui specularis inde dictus est, sed e vitro etiam. Unde vitreum specular in tit. ænigm. Symposs. Et illum fusilis deletur Plin. l. l. Salmas. Exerc. Plin. p. 183. G. 771. a. A. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 32. & ad illum Salmuth p. 33. Schott. Observ. v. 36. Bud. in Pandect. p. 112. I. Brod. Misc. x. 30. Voss. Lex. Etymol. Cujac. Observ. xiii. 13. Ferrar. Elect. i. 9. Lips. Epist. ad Belg. iii. 75. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. i. 14. Illorum etiam ICti meminerunt. Ulpian. l. 12. §. 16. ff. de Instruct. vel Instrum. leg. *Specularia, & vela, quæ frigoris causa, vel umbrarum in domo sunt, instrumento domus non contineri Cassius existimat.* Ex quibus apparet, ante usum specularium tunc adhibita vela, & id simile adversus frigus, & imbres, ut eadem vela etiam ostiis obtendi solita, falsumque esse, quod quidam putarunt, ante inducta specularia, apertis fenestris veteres vixisse. Etiam in balneis adhibebantur. Senec. Epist. 87. *Quantæ rusticitatis damnant nunc aliqui Scipionem, quod non in sudatorium caldarium, latis specularibus, diem admitteret.* Iisdem lecticæ claudebantur. Juven. Sat. iv. 21. V. illum supr. in *Lectica*. Ferrar. l. l.

SPECULARII dicebantur, qui specula faciebant, non qui specularibus fenestras muniebant, quia specularıarii dicerentur. *Specularios* etiam appellat Patern. l. ult. §. de jur. immun. *Pancirol. de Corpor. artific.* §. 26.

Specularii etiam dicebantur, *qui in corporibus levigatis, & tersis, ut sunt lucidi enses, pelves, cyathi, speculorumque diversa genera, divinantes curiosis consultationibus satisfaciunt.* Salisber. de Vestig. Philos. i. 12. Spartian. in Did. Julian. c. 7. *Et ea, quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice dicuntur respicere, Julianus fecit.* Casaub. in Spartianum.

SPECULATOR Græcis dicitur *διοπτὴρ*, & *διάγγελος*. Plutarch. Galb. p. 1063. F. *In his erant Veturius & Barbius, ille optio, hic tesserarius speculatorum: ita enim appellantur, qui per nuntios, & speculatores ministerio funguntur.* Peregebant carnificis officium, in reis capite damnatis decollandis. Gloss. Cyrill. *Speculator, ἐπόπτης, κατάσκοπος, δήμιος.* Ulpian. Dig. xlviii. 20. 6. *Ita neque speculatores ultro sibi vindicent, neque optiones ea desiderent, quibus spoliatur, quo momento quis punitus est.* Senec. de Ira i. 16. *Extra vallum deductus & jam cervicem porrigebat, cum subito apparuit ille commilito, qui occisus videbatur. Tunc centurio supplicio præpositus, condere gladium speculatorem jubet.* Illorum mentio fit Marc. c. 6. n. 27. Ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα. Chrysost. in illum: *Speculator carnifex, miles ad decollandum ordinatus.* Suet. Aug. c. 27. n. 4. *Pinarium equitem Romanum, curiosum, ac speculatorem ratus, coram confodi imperavit.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 12. Ursin. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 964. B. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 11. Rævard. Conject. iii. 14. Nonn. in Goltz. Jul. Cæsar. Nomisin. p. 55. Donat. Dilucid. in Tacit. p. 187. Pit. Lex. Critic. Kipping. Antiq. Roman. ii. 4. §. 7. Pitisc. in Suetonium. Militum quoque officium fuit. Suet. Calig. c. 32. n. 2. *Miles decollandi artifex quibuscunque e custodia capita amputabat.* Lips. ad Tacit. Annal. xv. n. 146. Stewech. in Veget. i. 23. Sed hunc ego speculatorem fuisse, non sine ratione me affirmare posse puto. Sic cæso Cajo, Chæreas cum ad locum supplicii pervenisset, militem, a quo uno ictu occisus est, rogavit an exercitatus esset ad σφαγὰς, & an acutum haberet gladium. *Schwarzman. de Pœn. militar.* c. 6.

Speculator dicebatur quoque custos corporis imperatorii. Tacit. Hist. ii. 11. 6. *Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora.* Suet. Aug. c. 74. n. 3. *Ipse scribit invitasse se quendam, in cujus villa maneret, qui speculator suus olim fuisset.* Lips. in Tacit. Hist. i. §. 67. Pitisc. in Suet. Aug. c. 27. n. 4.

Speculator in militia navali dicebatur, qui de flectenda navi in periculosis locis admonebat gubernatorem. Hieronym. Epist. ad Rusticum: *Navigantes mare rubrum multis difficultatibus ad Urbem maximam perveniunt, latentibus saxis undique durissimis, ita ut spectulator doctus in summa mali arbore sedeat, & inde regendæ, & circumflectendæ navis dictata prædicat.* Liv. xxx. 25. *Annibale jam terræ appropinquante jussus e nautis unus adscendere in malum, ut specularetur, quam tenerent regionem.* Scheff. de Milit. Nav. ii. 3.

SPECULUM apud veteres imago est cognitionis sui: quæ princeps sapientiæ pars habetur. Inde prudentiæ cum serpente speculum appingitur. *Heins. in Phæd.* iii. 8. 14. Senec. Nat. Quæst. i. 17. *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta: primo sui notitia, deinde & ad quædam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam: deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset: juvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.* Phædr. iii. 8. 14.

Quotidie, inquit, speculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis;
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

Plaut. Epid. iii. 3. 1.

Non oris causa modo homines æquum fuit
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum,
Sed qui perspicere possent cor sapientiæ.

Et hoc Socratis *fuit præceptum, adolescentes, si in speculum intueantur, turpes formæ vitium debere morum virtute corrigere: formosos adhibere diligentiam, ne pulcritudinem pravitate morum contaminent.* Sic matrona etiam in manibus speculum ubi erit, sic secum loquatur, *deformis si est: quid essem, si deforet pudicitia? sin elegante forma, quanti fiam, si accedat pudicitia?* Plutarch. Præcept. conjug. p. 141. C. Apul. Apol. p. 424. *Casaub. in Apulejum. Rigalt. & Rittersh. in Phædrum. Kobierzyck. de Lux. Rom.* i. 6. *Beroal. Annot.* c. 38. De *speculorum* monstrosa magnitudine, & pretio Senec. l. l. *Postea verum jam potiente luxuria, specula totis paria corporibus auro, argentoque cælata sunt, denique gemmis adornata: & pluris unum ex his feminæ constitit, quam antiquarum dos fuit illa, quæ publice dabatur Imperatorum*

torum pauperum filiabus. . . . Jam libertinorum virgunculis in unum ſpeculum non ſufficit illa dos, quam dedit ſenatus pro Scipione. Non ad eum, in quem Socrates, finem Imperator ille Romanus Otho inter arma, bellique machinas *ſpeculum* ſecum circumtulit, qui turpi, ac probroſa φιλαυτίᾳ ſtimulatus, inter clangorem buccinarum, tubarum ſtrepitum, formam ſuam *ſpeculo* explorare non dubitavit. Quanta, quamque effera laſcivia? tunc, cum militum, pro libertate pugnantium, ora, vultusque egregia cruoris purpura colorantur, Imperatorem unum *ſpeculo* intentum, formæ conſilium petere. Probroſum hanc ejus curam ſumma cum indignatione carpit Juven. Sat. II. 99.

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis,
Actoris Aurunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum civilis ſarcina belli.

Kobierzyck. l. l Servile miniſterium, & officium erat dominæ *ſpeculum* prægerere. Apul. Met. IV. p. 36. *Triton ſub oculis dominæ ſpeculum prægerit.* Tenere. Juvenalis modo laudatus. Et porrigere. Prop. IV. 7. 75.

Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab uſu eſt,
Ne ſpeculum dominæ porrigat illa novæ.

Pignor. de Serv. p. 402. Abacorum formis, *ſpeculorumque* orbibus, ex vitro, aut alio pellucido lapide parietes diſtinguere, ſed & vitreis quadraturis inſertis inducere ſolebant veteres. De quadraturis Vopiſc. Firm. c. 3. Firmus *vitreis quadraturis bitumine, aliisque medicamentis inſertis domum induxiſſe perhibetur.* De *ſpeculis*, quæ in parietes ad ornamentum inſerebantur, Plin. XXXVI. 26. *In genere vitri & obſidiaria numerantur, ad ſimilitudinem lapidis, quem in Æthiopia invenit Obſidius, nigerrimi coloris, aliquando & tranſlucidi; craſſiore viſu, atque in ſpeculis parietum pro imagine umbras reddente.* Vitruv. VII. 3. *Ipſaque tectoria abacorum, ac ſpeculorum diviſionibus inter ſe prominentes habent extremitates.* Orbes vocat Senec. Epiſt. 87. *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis, & pretioſis orbibus refulſerunt: niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint.* *Speculorum* autem formæ rotundæ. Inde *orbes* Senecæ; Ita abacorum, eorum certe, qui miniſterium ſuſtinebant, quæ & Delphicæ dicebantur. Inde *orbis Lacedæmonius* pro abaco ex marmore Laconico. Juv. Sat. XI. 173.

Et Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.

quem vulgo de pavimento accipiunt. Erant & quadrati abaci, ut logiſtici, & columnarum. Et verius eſt ea fuiſſe forma parietum abacos. Sic enim alternatim diſtinguebantur abacorum, *ſpeculorumque* diviſionibus, hoc eſt, figuris quadratis, & orbiculatis prominentibus. Hinc *ſpecula*, & abaci junctim poſiti apud laudatum Vitruvium parietibus decorandis. Et apud Plin. XXXV. 1. *Non placent jam abaci, nec ſpecula in cubiculo nitentia.* Sic pars erant domus, ut emblemata ſcyphorum argenteorum. Ita enim plane *ſpecula* in parietes inſerebantur, & immittebantur, ut emblemata in pocula. Nec male faceret, qui *ſpecula* parietum emblemata vocaret. Vitreæ quoque iſtæ quadraturæ, quibus domum ſuam induxerat Firmus, parietum plane emblemata fuere. Nam ſic iſtæ in parietes domus Firmianæ erant immiſſæ, & inſertæ, ut in vas ſolent emblemata. Ideo *inſertas*, id eſt, in parietem immiſſas, & illigatas dixit Vopiſcus. *Salmaſ. in Vopiſcum.* Illis decipiuntur, & capiuntur tigres. V. infr. in *Tigris.* Illa deabus inter ſacrificandum tenebant. Senec. Epiſt. 95. *Vetemus ſpeculum tenere Junoni.* Auguſt. de Civit. Dei VI. 10. *Sunt, quæ Junoni, ac Minervæ ſpeculum teneant.* Et talia prius donariorum loco conſecrabantur. Auſon. Epigr. LIV. 1.

Lais anus Veneri ſpeculum dico, dignum habent ſe
Æterna æternum forma miniſterium.
At mihi nullus in hoc uſus; quia cernere talem,
Qualis ſum nolo; qualis eram nequeo.

Marmor inventum Auguſtæ: JOVI. JUNONI. MINER. ANTONIA. M. LIB. APHRODISIA. SCYPHOS. H. VENEREUM. SPECULUM. DONUM. DEDIT. *Saubert. de Sacrif. c. 24.*

SPECUS Egeriæ, quo Numa ad nocturnos cum dea congreſſus, & ſacerdotes ad ſacrificandum deæ fidei ventitabant, ſpectatur adhuc in valle Egeria, non procul a circo Caracallæ. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 3. §. 4.*

SPELLUM Soli in provinciis adſignatum reperio, ut eſt in Inſcriptione apud Gruter. p. 34. n. 9.

Deo Soli Sancto Mithræ.

D. S. I. M.
P. ACIL. PISONIANUS
PATER. PATRATUS
QUI. HOC. SPELEUM. VIOL
IGNIS. ABSUMPTUM
COMPARATA. AREA. A. REPUBL.
MEDIOL. PECUNIA. SUA
RESTITUIT.

Milites in eo Mithræ initiabantur. Tertull. de Coron. Mil. c. 15. *Erubeſcite Romani commilitones ejus, jam non ab ipſo judicandi, ſed ab aliquo Mithræ milite. Qui quum initiatur in ſpelæo in caſtris vere tenebrarum. . . .* Struv. Antiq. Rom. c. 11. p. 514. Et ſacerdotes conſecrabantur. Docet hoc Juſtinus Martyr, dum ait Dial. cum Tryph. Jud. p. 296. *Spelæum nominant eum locum, ubi initiari credentes perhibent.* In iſto varia ſacra, & portentoſa ſimulacra erant. Lapis enim priſcus Romanus apud Gruter. p. 303. n. 12. memorat ſacra Patrica, Hierocoracica, & Criphios. Alius apud eundem p. 1087. n. 4. 5. addit Perſica, Eliaca, & Leontica. De iis Hieron. Epiſt. ad Lætum de inſtit. fil. *Ante paucos annos propinquus veſter Gracchus cum præfecturam gereret urbanam, ſpecum Mithræ, & omnia portentoſa ſimulacra, quibus Corax, Cryphios, Miles, Leo, Perſes, Helios, Bromios pater initiantur, ſubvertit, fregit, exuſſit.* Diverſa itaque ſacra erant, Soli tamen propria, ſub diverſis æque figuris propoſita, quæ pro more ſacrorum Iſidis erant hieroglyphicæ. *Struv. ibid. p. 639.*

SPELUNCA Caci in monte fuit Aventino. Blond. Inſtaur. Rom. I. §. 75. illam ponit in ea parte montis, quæ Palatinum reſpicit, & circum, ſupra S. Mariæ ædem in Coſmedino, cui *Scholæ Græcæ* nomen. Sed Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 8: IV. 4. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Aring. Rom. Subterr. III. I. §. 4. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. I. p. 15. eam Tiberi vicinam eſſe volunt; quoniam illi vicinam deſcribit Virg. Æneid. VIII. 235.

Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat in amnem.

240.

Diſſultant ripæ, reſluitque exterritus amnis.

Sed & Solinus laudatus ſupr. in Salinæ illic portam trigeminam collocat. Quod ſi tamen Virgiliani verſus recte inſpiciantur, alia eorum eſſe ſententia videbitur. Euander enim ex Ara maxima, in qua ſacrificium obtulit, eam Æneæ indicans ait n. 190.

Jam primum ſaxis ſuſpenſam hanc aſpice rupem,
Disjectæ procul ut moles, deſertaque montis
Stat domus, & ſcopuli ingentem traxere ruinam:
Hic ſpelunca fuit, vaſto ſubmota receſſu.

Ergo non in parte Tiberi obverſa eſſe potuit, ſed oppoſita. Quin & ſi ara maxima ad Scholam Græcam poſita fuiſſet, ut alii credidere, tamen inde conſpici *ſpelunca* non poterat, obſtante montis ſitu recta ſe in longitudinem porrigentis. Videamus igitur, an e Virgilio verus ejus *ſpeluncæ* ſitus expromi poſſit. Habebat introitum, ſeu aditum verſus Palatinum: cum vero Hercules mugientes in ea audiret boves, Cacus adventu ejus perterritus, ingenti eam ſaxo clauſit n. 225.

Ut ſeſe incluſit, ruptisque immane catenis,
Dejecit ſaxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit objice poſtes.

Hercules, ut frustra saxum removere conatus nil efficere se vidit, alium aditum aliquoties tentavit n. 228.

Ecce furens animis aderat Tyrinthius, omnemque
Accessum lustrans, huc ora ferebat & illuc,
Dentibus infrendens, ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem: ter saxea tentat
Limina nequicquam, ter fessus valle resedit.

Tandem ea parte, quæ flumini objecta, acutam silicem advertit, quam dorso antri inhærere existimabat n. 233.

Stabat acuta silex, præcisis undique saxis
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu.

Hanc Hercules arripiens avulsam in Tiberim projecit, atque ita *speluncam* aperuit n. 236.

Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, & imis
Avulsam solvit radicibus: inde repente
Impulit: impulsu quo maximus insonat æther,
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.

Hac intrans Cacum corripit, & strangulat; ac tum obversum Palatino ostium suapte apertum boves emisit n. 259.

Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulsis:
Abstractæque boves, abjurataque rapinæ
Cœlo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur.

De secundo igitur *speluncæ* aditu, seu ostio Solinus agit, vicinum portæ trigeminæ dicens: *In crepidine montis, supra Aventina, ubi & ædes Herculis Victoris:* Primum enim in opposito latere versus circum fuit, at non versus Scholam Græcam, ut Blondus putabat (nam tam longe a fluvio abesse non potuit) haud procul a S. Priscæ. Ovidius fabulam aliter aliquantum enarrans, Herculem vi ostium *speluncæ* aperuisse dicit: non tamen ideo illud flumen respexisse tradit, verum potius diversum indicat, nulla facta Tiberis mentione; nec saxum illud in flumen decidisse, sed in terra hæsisse subsidente ait Fast. I. 563.

Ille aditum fracti præstruxerat objice montis;
Vix juga movissent quinque bis illud onus.
Nititur hic humeris: cœlum quoque sederat illis:
Et vastum motu collabefactat onus.
Quod simul eversum est, fragor æthera terruit ipsum:
Ictaque subsedit pondere mollis humus.

Nardin. Rom. Vet. VII. 8.

SPH.

SPHÆRISTERIUM fuit locus in balneis rotundus, variis accommodatus exercitationibus. Plin. Epist. V. 6. §. 27. *Apodyterio superpositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit.* Maxime lusioni pilari. Stat. Sylv. Præfat. IV. *Sed & sphæromachias spectamus, & pilaris lusio admittitur.* De illo Suet. Vesp. c. 20. n. 3. *Fauces, cæteraque membra sibimet ad numerum desticabat in sphæristerio.* Σφαῖρα pila est. Homer. Odyss. VI. 115.

Pilam, σφαῖραν, deinde jecit ad ancillam regina.

Σφαιρίζειν, & σφαιροπαικτεῖν pila ludere. Suidas: Σφαιρίζω, τὸ τῇ σφαίρᾳ παίζω. Σφαιροπαικτεῖν, τὸ διὰ σφαίρας παίζειν. Et σφαιριστὴς, qui novit pila ludere. Ita Lycon ἀγαθὸς σφαιριστὴς dicitur Athen. XII. p. 548. B. *Bud. in Pandect. p. 143. B. Mercur. Gymnast. I. 8. Souter. Palam. III. 4. Baccius de Therm. c. 10. Salmuth ad Panciról. de Reb. deperd. & inv. p. 130. Choull de Baln. p. 97. Beroal. Marcil. & Pitisc. in Suetonium.*

SPHÆRITA erat placenta habens globos, qui in solo placentæ componuntur. *Buleng. de Conv.* IV. 18.

SPHÆRULÆ erant tesseræ ligneæ, per quas munera viris & feminis in theatro, & circo Imperatores spargebant. V. infr. in *Tessera.*

SPI.

SPICA, *spicus*, & *spicum* dixerunt veteres. Serv. Georg. I. 111. *Dicimus & hic spicus, & hoc spicum. Cicer. Arat.*

Spicum illustre ferens insigni corpore Virgo.

Sed scire debemus in usu esse a masculino utrumque numerum: a neutro vero raro, & tantum singularem inveniri, nam plurali nusquam lectum est. Quid sit, docet idem ibid. n. 314. *Spicos de maturis frugibus abusive dicimus. Nam proprie est spicus, cum per culmi folliculum, id est, extremum tumorem, aristæ adhuc tenues in modum spiculi eminent.* Voss. Lex. Etymol. *Spicas* in æstate Isidi, quam cum Cerere quidam eandem fuisse censent, Ægyptii offerebant. Diodor. I. p. 9. B. *Messis tempore oblatis spicarum primitiis, incolæ juxta manipulos plangere, Isidemque invocare solent. Id quod idcirco faciunt, ut honorem pro inventis deæ sub primæ inventionis tempus retribuant.* Et Cererem, magistram sationis frumentariæ *spicis* veteres coronaverunt. *Tomas. de Donar. c. 26.* V. supr. in *Ceres*, & in *Corona spicea.*

SPICARE est proprie frugum, cum extra culmos protrudunt *spicas*, qui maturus, & plenus, non unum, sed plura acumina ostentat, quæ Latini aristas vocant: & inde ortum habet vox nostra arestes, qua Gallicus Plinii interpres utitur, agens de materia pavimenti hujus notæ. Hinc *inspicare* deduxit Virg. Georg. I. 292.

—— ferroque faces inspicat acuto.

quod Servius ibi exponit: *incidere ad spici, & aristarum imaginem:* nos vernacule diceremus, *fendre, & barbeler le bout d'un flambeau a mode d'espy de bled.* Significat & in unam, eandemque cuspidem acuere, prout acuminati sunt singuli laterculi *spicatorum* testaceorum. Et sane aristæ *spicarum*, compositæ ex tot tenuibus filis ex palea surgentibus, nonnihil e longinquo mentiuntur intuenti, & adumbrant, cum unum mucronem, qui ex pluribus minoribus acuminibus in summum terminatur, & coit. Grat. Cyneg. I. 117.

Quid, Macetûm immensos libeat si dicere contos,
Quam longa exigui spicant hastilia dentes.

Longas enim, & supervacaneas Macedonum hastas, sive sarissas, exiguo præfixas, & acutas esse ferro, quod *dentes* vocat, miratur. Tales sunt hastæ, quibus hodie milites nostri utuntur, unde illæ *piques*, hi *diquiers* vocantur. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 20. §. 11. 12. *Voss. Lex. Etymol.*

SPICATA testacea dicebantur lateres minores, ex quibus pavimenta testacea fiebant. Horum nomen pervenit ad omnes laterculorum species, quæ forma oblongula, & angulis suis in opere collocata *spicæ* frumentariæ seriem situ suo effingunt. Laterculi hi longi tantum erant trientem, lati sextantem, crassi unciam. Neque plane ad opus humi applicabantur, uti hodie fieri solet in lateritio pavimento, sed in latus proclinabantur, pæne sicuti collocantur lithostilbæ Ardoliæ, sive illæ cærulei lapidis laminæ, & lateres, cum hisce foci insternuntur sub caminis. Versus extremitates oblongas acuminatæ erant utrinque, supra & infra, unciam fere dimidiam, atque ita *spicarum* figuram quodammodo æmulabantur: sic ut in pavimenti opere acumina seriatim inserta se invicem exciperent simul, & exciperentur. Hoc est proprie, quod primis initiis architecti vocabant, *spicatim pavimenta insternere*, quoniam ad *spicarum* compositarum, & juxta se collocatarum seriatim imitationem, & figuram hæc pavimenti species accedebat. Postea tandem has voces fere ad omnia lateritia pavimenta adaptarunt, cujuscunque demum figuræ essent laterculi. Cum ergo laterculi, de quibus agimus, non nisi unum supra & infra habuerint acumen, nec plura; mirandum non est, quod ratione convenientiæ, cum figura *spicæ* frumentariæ dicti fuerint *spicata*, quæ appellatio formam, ut testacea materiam denotat. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 20. *n.* 9. *&* 12.

SPICIRE est verbum augurum. *Spicire* est videre. Unde

de auſpices primum dicti, quia e volatu tantum per initia, non item e garritu avium auſpicabantur. Plutarch. Quæſt. Rom. 71. *Augures, quos antea haruſpices vocabant.* Buleng. de Augur. c. 9. Briſſon. de Form. I. p. 122.

SPICULUM dicebatur acus crinalis, vel diſcriminalis. Martianus Capella:

> *Crinale ſpiclum pharetris deprome Cupido*
> *Libens capillum ſolvere.*

Sagittam ex pharetra Cupidinis depromptam pro crinali *ſpiculo* vult eſſe nubenti Philologiæ. Tertull. de Pall. c. 4. *Vetus jam Hydræ, Centaurorumque ſanguis in ſagittis pumice ſpiculi* (non *ſpeculi*: quid enim ſimilitudinis eſt inter *ſpeculum*, & ſagittas, ut bene comparari poſſint) *excludebatur, inſultante luxuria, ut poſt monſtra transfixa coronam forſitan ſuerent.* Dicit auctor, ſagittas illas Herculis, figendis monſtris olim adſuetas, apud Omphalem ſuendis corollis adhibitas fuiſſe. Per *ſpiculum* intelligit crinalem acum, cujus uſus etiam fortaſſe ad ſuendas coronis: nam majores acus, ut erant crinales, ad eam rem adhibebantur. Et acus cum obtuſiores erant, acuebantur pumice, vel cote, non ſecus ac graphia. Herculis ſagittæ apud Omphalem pumice *ſpiculi* crinalis tergebantur, & acuebantur, ut eidem ſervirent officio, quo fungi aliquando ſolita erat acus diſcriminalis Omphales, ſuendis nempe coronis. *Salmaſ. in Tertull. p. 292.*

Spiculum dixere poſteriores, quod ſeculo priore pilum erat. Veget. II. 15. *Miſſile majus, ferro triangulo, unciarum novem, haſtili pedum quinque ſemis, quod pilum vocabant, nunc ſpiculum dicitur.* I. 20. *Sciendum, cum miſſilibus agitur, ſiniſtros pedes in ante milites habere: ita enim vibrandis ſpiculis vehementior ictus eſt. Sed cum ad pila, ut appellant, venitur, & manu ad manum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes in ante milites habere debent, ut & latera eorum ſubducantur ab hoſtibus, ne poſſint vulnus accipere, & proximior dextra ſit, quæ plagam poſſit inferre.* Salmaſ. de Re milit. c. 6. Stewech. in Vegetium.

SPINÆ dextræ pars ſi palpitaverit, contumeliam: ſi vero ſiniſtra, diviti convivium, pauperi laborem enuntiat. *Niphus de Augur.* I. 9.

Spina, & quidem alba, nuptiis erat dicata. V. ſupr. in *Fax.*

Spina circi non fuit, ut quidam voluerunt, obeliſcus, vel columella aculeata, quæ ſtatuam equeſtrem teneret hoſte conculcato, qualem Domitiani equum fuiſſe Statius docet, & alteram Trajani veteres nummi oſtendunt. Sed ſtructura quædam, & moles lateritia: quæ quia nomine caret, metaphorice *ſpina* recte dicitur, a piſcium, & hominis oſſe in dorſo producto quod *ſpina* dicitur, appellatione accepta. Caſſiod. Var. III. 51. *Spina infelicium captivorum ſortem indicat, ubi duces Romanorum ſuper dorſa ambulantes, laborum ſuorum gaudia perceperunt.* Panvin. de Lud. circenſ. I. 14. Buleng. de Circo c. 25. Donat. de Urb. Rom. III. 14. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 3. *Spinæ* hujus in ſolo Caſſiodoro mentio reperitur. Credo dictam, quod velut in medio hominis ipſa ſita eſt, ita hæc circi. Homer. Odyſſ. K. 161.

> *Hunc ego venientem juxta ſpinam medio ipſo dorſo*
> *Percuſſi.*

Sil. Ital. x. 148.

> —— *ceu miſſile telum*
> *Converſis in terga jacit Teleſinus ad oſſa*
> *Illiſo ſaxo, qua ſpina interſtruit artus.*

Ordinat enim membra, ut in medio poſita, ſicut carina navem. Ovid. Met. XIV. 552.

> *Quodque ſinus fuerat, latus eſt: mediiſque carina*
> *Subdita navigiis ſpinæ mutatur in uſum.*

A Cedreno τέλμα dicitur. Gloſſæ: τέλμα, τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων. Quod medium eſt inter utramque metam. *Umbonem* vocat Stat. Theb. VI. 352.

> —— *hunc ſaxeus umbo*
> *Arbiter Argolicis, finem jacit inter utrumque,*
> *Quale quater jaculo ſpatium, ter arundine vincas.*

Ubi vides finem utrumque metas dicere, ac differentiam inter jaculum, & arundinem ponere. Umboque ipſi dicta eſt *ſpina* illa, quod veluti umbilicus in medio campi erat, ut umbo in clypeo: nec aliter vetus poeta: ἐπ' ὄρεος ἐμβώνεσιν, *ad montis umbonem. Montis objectum* vocat Virg. Æneid. I. 165.

> *Efficit objectu laterum.*

Spina agger eſt Virgilio. Sed ipſe more Græco facit in aggere ſpectatores conſidere. V. in circo Olympico Pauſaniam. Virg. Æneid. v. 113. V. illum infr. in *Tuba.* Et Virgilium magis quam rem imitatus Juven. Sat. VI. 588. V. illum ſupr. in *Agger.* At cum de hac *ſpina* loquimur, de illa veteris circi intelligamus oportet, qui tempore majorum Cæſarum fuit; nam Romanum circum fuiſſe myſteriis immutatum ex veteribus liquet iconibus. *Argol. in Panvinium.* A Caſſiodoro hoc dictum interpretor, quod expreſſæ eſſent in *ſpina* circi tabulis, & picturis populi Romani victoriæ: aut certe quia Conſtantinopoli, & Romæ deſidente Republica hoſtes victi in circo triumphabantur, ut e Zonara in Juſtiniano diſces, ubi Beliſarii triumphum in circo deſcribit. Et Diacon. XXI. *Per dippium eos in circo pompavit.* Buleng. l. l.

SPINTHER eſt *genus armillæ, quod mulieres antiquæ gerere ſolebant brachio ſummo ſiniſtro. Plautus Jubeaſque ſpinther novum reconcinnarier.* Feſtus. *Voſſ. Lex. Etymol. Barthol. de Armill.* §. 1. 2. & 5. Quale id fuerit, ignoramus, quia ab armillis diſtinguit Plaut. Men. III. 3. 11.

> *Redde ſpinther, ſi non meminiſti.* ME. *Mane.*
> AN. *Iſtuc.* ME. *Ubi illæ armillæ ſunt, quas una dedi?*

Niſi utriusque brachii, utriusque ſexus ſint armillæ, & *ſpinther* ſiniſtri tantum feminarum. Nihil, quod dici poſſit, invenio. *Barthol. ibid.* §. 2. *Ruben. Elect.* I. 38.

Spinther eſt appellatus Scipio Lentulus, quod *Spintheri* hiſtrioni eſſet ſimillimus. Plin. VII. 12. *Ejusdem familiæ Scipioni cognomen Salutio mimus dedit ſicut Spinther ſecundarum tertiarumque Pamphilus collegio Lentuli, & Metelli conſulum.* Nam cum *Spintheri* ſecundarum partium in comœdia ſimillimus eſſet Scipio Lentulus, *Spinther* inde dictus eſt: quemadmodum Metellus, quod ſimilis eſſet Pamphilo tertiarum partium, Pamphilus dictus eſt. *Ferrar. de Re Veſt.* II. I. 17. *Urſin. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 305. *F. Sigon. de Nom. Rom. c.* 5.

SPIRÆ primo loco ſunt baſes ipſæ ſtylobatarum, imo partes baſium. Feſtus: *Spira dicitur baſis columnæ unius tori, aut duorum.* Vitruv. III. 3. *Sin autem circa ædem ex tribus lateribus podium faciundum erit, ad id conſtituatur, uti quadræ, ſpiræ.* . . . Qui diſtinguit quadram a *ſpira.* Secundo loco de baſibus columnarum. Σπεῖρα Græcum eſt vocabulum, & eodem prorſus ſenſu ab utraque lingua uſurpatur. Communis notio ea eſt, ut denotet quamlibet lineam circumactam in orbem, in ſe tamen non redeuntem, ut in anguibus, & convolutis funibus. Unde *ſpiras* dicunt aſtrologi imaginarias illas lineas, quas ſol dietim, per ſigniferum motu primi mobilis raptus, retrocedens deſcribit. A ſimilitudine igitur *ſpiræ* dictæ ſunt baſes columnarum. Si enim ſupra plinthum convolutum in orbem rudentem collocaveris, & illi rotundam trabem erectam impoſueris, ſpeciem quandam habebis columnæ cum ſua baſi haud abſimilem. *Bald. Lex. Vitruv. Voſſ. Lex. Etymol.*

Spiræ dicuntur convolutiones, & concumulationes crinium muliebrium. V. illas ſupr. in *Coma.*

Spira dicitur *funis nauticus in orbem convolutus. Pacuvius:*

> *Quid ceſſatis ſocii ejicere ſpiras ſparteas.*

Feſtus. Iſidor. XIX. 4. *Spiræ funes ſunt, quibus in tempeſtatibus utuntur, quas nautici ſuo more curcubas vocant.* Papias: *Spiræ proprie funium. A ſparto dictæ. nam ſpira involucrum eſt funium.* De etymo fallitur, cum funes convolvuntur. Nam *ſpira*, ſeu σπεῖρα, ut ipſe Papias agnoſcit, *eſt circulus non ad idem punctum reductus*, ſive, ut Græcis

dicitur, figura ἐπίκυκλος, κύκλος ἐπὶ κύκλῳ. *Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de Milit. nav.* II. 5. *Gyrald. de Navig. c.* 13. *Salmas. de Re milit. c.* 2.

Spiræ dicitur *genus operis pistorii*. Festus. *Spiræ* fingendæ modum habemus apud Caton: de Re rust. c. 78. *Spiram sic facito. Quantum voles pro ratione, ita uti placenta fit, eadem omnia facito, nisi alio modo fingito in sola tracta, cum melle oblinito bene. Inde tanquam restim tractes, facito, ita imponito in solo, simplicibus completo bene arcte. Cætera omnia, quasi placentam facias, facito, coquitoque.* Casaub. in Athen. I. 2: XIV. 4. Buleng. de Conviv. II. 54. Scheffer. de Torquib. c. I.

Spira dicitur globus militaris. Sic usus Ennius apud Festum:

Spiras legionibus nexunt.

Ubi *spiras* multitudinem hominum exponit Festus. Hesychius: Σπεῖρα, πλῆθος, τάγμα. *Voss. Lex. Etymol. Patric. Res milit. part.* VI. *sect.* 4. *Salmas. de Re milit. c.* 2.

SPIRITUM morientis proximior, ut mater, pater, frater, soror, excipiebat. De matre Cicer. Verr. V. 45. *Matres miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberorum exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret.* Albinov. de morte Drusi n. 95.

At miseranda parens suprema neque oscula fixit,
Frigida nec fovit membra tremente sinu,
Non animam apposito fugientem excepit hiatu.

De sorore Didonis Anna Virg. Æneid. IV. 684.

—— Extremus si quis super halitus errat,
Ore legam.

Ubi ementito Servii nomine sciolus quidam annotavit, *muliebriter* id ab Anna dictum, *quasi posset animam sororis excipere*. Quod inepte scriptum est, & summa antiqui ritus ignoratione, quæ vulgaris Servium non fugit. Nec enim mulierum hoc solum fuit officium, sed virorum etiam: licet Cicero patres in limine carceris constituat, & matri hoc pietatis opus delegare videatur, quæ *spiritum* liberorum exciperet, quem illis dedisse putabatur. Quod viri etiam præstiterunt, ut testatur Albinovan. Consol. ad Liviam n. 157.

Sospite te saltem moriar, Nero! tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

Quintil. Declam. VII. *Non morienti pater assedi, non ægri caput molliori sede composui, non fatigatum latus mutavi, non excepi spiritum.* Meurs. de Fun. c. 3. Delrio in Senec. Hercul. Oet. n. 1339. Guther. de Jur. man. I. 12. Kirchman. de Funer. I. 5. Cerda in Virgilium. Casal. de Proph. Roman. rit. c. 26. de Urbe ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. Kipping. Antiq. Rom. IV. 6. I. Morestell. Pomp. feral. I. 3. Gorall. in Albinovanum.

SPITHAMA est mensura tripalmaris digitorum duodecim. Latino vocabulo *dodrans* dicitur. Plin. VII. 2. *Supra hos extrema in parte montium Trispithamæi Pygmæi narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes.* Eo clauditur intervallo, quod est inter pollicem extensum, & minimum digitum. *Bud. in Pandect. p.* 126. *K. Cenal. de Mensur. & pond. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1480. *D. Rhodig. Antiq. Lect.* XVI. II. *Hennin. ad Bergier. de viis milit.* III. 10. 3.

SPO.

SPODIUM antiquorum non parum differebat ab eo, quod hodie in pharmacopeis venditur. *Spodium* enim hodiernum nihil aliud est, quam ebur, quod eo usque uritur, & calcinatur, donec, nigredine amissa, candidum colorem nanciscatur. Cum fumus ex fornace surgere desiisset, ostiolum iterum aperiebatur, ut nova materia fornaci injiceretur, quod toties, & tam diu iterabatur, donec sat magna pompholigis, & *spodii* copia haberetur. Cæterum pompholix, & *spodium* non solum ex vena æris, sed etiam ex aliis materiis fiebant. Interdum enim æs purum fundebatur, cui addebatur vel lapis calaminaris, una cum cadmia fornacum, vel tuthia Alexandrina, vel lapis calaminaris solus, qui non minus quam vena æris hunc fumum exhalabat. Æs luteum, vel orichalcum itidem producit pompholigem, & *spodium*; quoniam compositum est ex ære puro, & lapide calaminari, vel tuthia Alexandrina. Cum enim metallum hoc funditur, cadmia, vel tuthia Alexandrina exhalatur, & abit in fumum, ita ut, si diu in eo statu maneat, omnis tandem cadmia vi ignis inde expellatur, & nihil præter purum æs relinquatur. *Savot. de Numm. Antiq.* I. 15.

SPOLIA appellantur arma, & exuviæ detractæ cæso hosti. Nam id jam olim, apud Græcos etiam solent, & ostendere monumentum virtutis. Honori ea res apud Romanos: & de militibus ignominia notatis legas apud Val. Max. II. 7. 15. *Recursum autem iis ad pristinum militiæ ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset.* M. Fabius dictator, cum senatum legeret, & suppleret apud Liv. XXIII. 23. *legit, qui ædiles, tribuni, quæstoresve fuerant, tum ex iis, qui spolia ex hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent.* Adverte, pæne pro magistratu hæc decora fuisse, & lectos e privatis, quique honorem nullum cepissent, eos eximie quibus *spolia*, aut corona. Postibus ipsis & foribus solebant suspendi in transeuntium aspectum, id est, quod dicit Polyb. VI. 37. *In ædibus conspectissima earum parte ponunt spolia.* In atriis quidem locat Sil. Ital. X. 600.

—— vos atria raptim
Nudate, & clypeos in bella refigite captos.

Sed in postibus magis, & exempla evincunt. Liv. XXXVIII. 43. *Spolia ejus urbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis.* Virg. Æneid. II. 504.

Barbarico postes auro, spoliisque superbi.

Et in primis a triumphalibus. Sil. Ital. VI. 433.

Affixi clypei, currusque, & spicula nota
Ædibus in parvis, magni monumenta triumphi.

Tibull. I. I. 53.

Te bellare decet terra Messala marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias.

Propert. III. 7. 25.

Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

His postes ornabantur, ut majorum virtute parta *spolia* incitamento essent, ne majorum gloriam desererent posteri. *Lips. de Milit. Rom.* V. *Dial.* 17. *Valtrin. de Re milit. Rom.* VI. 4. *Lyd. de Re milit.* VI. 4. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 29. §. 7. *Alard. in Val. Flacc.* I. 835. *Aring. Rom. Subterr.* VI. 50. §. 3. *Tomas. de Donar. c.* 6. *Abram. in Cicer. Phil.* II. 28. *Minos Synt. de Symbol. p.* 36. *Schott. Observ.* I. 12. *Cerda in Virgilium. Buleng. de Triumph. c.* I. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 149. *Broukh. in Tibullum.* Et templorum tholis perpetuo illic mansura addicebantur. Virg. Æneid. VII. 183.

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Liv. X. 46. *Ædem Quirini exornavit hostium spoliis, quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum, forumque his ornaretur, sed sociis etiam, colonisque finitimis ad templorum, locorumque publicorum ornatum dividerentur.* Perizon. Anim. Hist. c. 7. Aring. Lyd. & Buleng. l. l. Stewech. in Veget. II. 7. Nicol. de Triumph. c. 6. §. I. Et in illis suspensa pendere dicebantur. Sil. Ital. I. 621.

In foribus sacris, primoque in limine templi
Captivi currus, belli decus, armaque rapta
Pugnantum ducibus, sævæque in Marte secures,
Perfossi clypei, & servantia tela cruorem
Claustraque portarum pendent.

Virgilius modo laudatus. *Broukh. in Tibull.* II. 5. 29. Hic mos e sacris paginis palam convincitur. In celebri quippe Davidis, dum adhuc adolescens pastorem in campis

pis ageret, triumpho Goliathi gladius, veluti *ſpolium* hoſti detractum, in tabernaculo aſſervatus penes Abimelechum ſacerdotem legitur 1. Sam. c. 21. n. 8. 9. *Aring. Buleng. & Lyd. l. l.* Habebant in poſtibus fixa ſuas inſcriptiones. Virg. Æneid. III. 286.

Ære cavo clypeum, magni geſtamen Abantis,
Poſtibus adverſis figo, & rem carmine ſigno:
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Ovid. Art. Am. III. 743.

Sed quicunque meo ſuperavit Amazona ferro,
Inſcribat ſpoliis, Naſo magiſter erat.

Sil. Ital. XV. 491.

Pyrenes tumulo clypeum cum carmine figunt,
Aſdrubalis ſpolium Gradivo Scipio victor.

Briſſon. de Form. IV. p. 353. Nicol. de Triumph. ibid. §. 4. Sagittar. ibid. §. 9. Cerda in Virgilium. Illis imponi ſtatuas quoque moris fuit antiqui. Ita in nummo Tiberii ſtatua ejus triumphalis ſuper *ſpoliis* Germanorum infideas conſpicitur, cum effigie Druſi ab altera parte, qui res in Germania imperante patre proſpere geſſit. *Figrel. de Stat. Roman. c. 26. Nicol. ibid.* §. 4. Face ſubdita ex more, & conſuetudine cremabant Romani. V. ſupr. in *Arma.* Vendita etiam domo manebant, neque novo poſſeſſori fas erat illa refigere. Plin. XXXIV. 2. *Aliæ foris, & circa limina animorum ingentium imagines affixis hoſtium ſpoliis, quæ nec emptori refringere* (alii *refigere*) *liceret: triumphabantque etiam dominis mutatis ipſæ domus: & erat hæc ſtimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Lipſ. Alard. & Valtrin. l. l. Sagittar. ibid. §. 8. Schott. Obſerv. I. 12. Perizon. Anim. Hiſtor. c. 7. Turneb. Adv. XXVI. 17. Tempore labi debebant, & nefas erat, ſic collapſa reficere, aut inſtaurare. Docet hoc Plutarch. Quæſt. Rom. 36. *Cur ſpolia ſinuntur tempore corrumpi, atque aboleri, & non licet illa reparare, aut inſtaurare? An ut exiſtimantes gloriam priorem ſimul cum ſpoliis intercidere, ſemper novum aliquod virtutis monumentum parare operam dent? Aut potius, quod cum tempus ſigna contentionum cum hoſtibus habitarum obſcuret, odioſum eſt & nimii diſcordiarum ſtudii ea reficere, atque innovare? Nam apud Græcos etiam parum laudis adepti ſunt, qui primi lapidea, aut ærea ſtatuerunt tropæa.* Lipſ. & Thyſ. l. l. Præ illis Plutarchi, ratio, quam ego exponam, eſt potior. *Spolia* diis dedicata inſtauranda, aut renovanda non putavere, quia id demum eſt *ſpolium*, quod a devictis hoſtibus eſt reportatum. Illud autem progreſſu temporis conſumptum, & iterum, iterumque, aut refectum, aut innovatum, *ſpolii* nomine diutius non venit, quia tale non manſit, quale hoſtibus ablatum. Quis enim illud hoſtium fuiſſe dixerit, cui adſutum quod hoſtes non habuere? *Boxhorn. in Plutarchum.*

Spolia opima proprie ſunt locupletia, opulenta, pretioſa, ampla, magnifica. Verum quia in *ſpoliis* præcipue ſpectabatur apud Romanos gloria, laus, & honor, hisque in rebus nulla alia cenſebantur paria iis, quæ duci hoſtium detracta, Jovi Feretrio ex inſtituto Romuli conſecrabantur, hinc factum ut iſthæc ἐπωνυμία de iſtis *ſpoliis* proprie uſurpari cœperit. Plutarch. Marcel. p. 302. B. *Has exuvias communiter ſpolia, peculiariter opima vocant.* Et hinc abſolute opima. Plin. Paneg. c. 17. n. 3. *Nec tibi opima defuerint, ſi quis Regum in manus venire audeat.* Senec. Herc. Fur. n. 47.

Effregit ecce limen inferni Jovis,
Et opima victi Regis ad ſuperos refert.

Perizon. Anim. Hiſtor. c. 7. Panvin. de Triumph. c. 7. Cellar. in Plinium. Pigh. Annal. Rom. II. p. 128. Buleng. de Triumph. c. 37. Dicebantur itaque illa, quæ dux populi Romani hoſtium duci detraxerat, quorum auſpiciis utrinque bellum gerebatur. Feſtus: *Spolia, quæ dux populi Romani duci hoſtium detraxit, opima dicuntur. Eſt etiam Pompilii Regis lex opimorum ſpoliorum talis: cujus auſpicio claſſe procincta opima ſpolia capiuntur.* Liv. IV. 20. *Ea rite opima ſpolia habentur, quæ dux duci detraxit; nec ducem novimus, niſi cujus auſpicio bellum geritur.* Plutarch. ibid. C. *Fama in honore illa eſſe, quæ in acie, & prima, & duci ab ſe interfecto detrahit.* Quin & id ſtrictiſſime ſervatum fuiſſe exempla docent. Val. Max. III. 2. 6. *Eodem virtutis, & pugnæ genere uſi ſunt T. Manlius Torquatus, & Valerius Corvus, & Æmilianus Scipio. Hi enim ultro provocantes hoſtium duces interemerunt, ſed quia ſub alienis auſpiciis rem geſſerant, ſpolia Jovi Feretrio non poſuerunt conſecranda.* Dio LI. p. 461. D. *Regem ipſorum,* Baſtarnarum, *Delionem ipſe* M. Licinius *Craſſus interfecit, itaque ſi Imperator, ac propriis auſpiciis rem geſſiſſet, opima Jovi Feretrio ſpolia conſecraturus.* Ex amici cujuſdam ſententia *Rutgerſ. Var. Lect.* IV. 7. *Urſin. ad Leg. & Scta Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1347. *B. Valtrin. de Re milit.* VII. 21. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 5. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 23. *Perizon. Buleng. & Panvin. l. l.* Trina tantum huic deo ejuſmodi *ſpolia* feruntur allata. I. a Romulo de Acrone Cæninenſium Rege. II. ab A. Cornelio Coſſo de Larte Tolumnio Vejentium. III. a M. Claudio Marcello de Viridomaro Gallorum. Feſtus: *Illorum tanta raritas, ut intra annos paullo. . . . trina contigerint nomini Romano: una, quæ Romulus de Acrone: altera, quæ Coſſus Cornelius de Tolumnio: tertia, quæ M. Marcellus Jovi Feretrio de Viridomaro fixerunt.* Plutarch. ibid. A. *Primus opima ſpolia occiſo Cæninenſium Rege Acrone retulit Romulus, de Volumnio Etruſco ſecundus Cornelius Coſſus, ab his Marcellus de Gallorum Rege Viridomaro, poſt Marcellum nemo.* Et eadem laudat Val. Max. ibid. §. 3. 4. 5. *Perizon. Panvin. Valtrin. Pigh. Buleng. l. l. Stewech. in Veget.* II. 7. Et plerique omnes ex noſtri temporis hominibus. Ab iis receſſit Rutgerſius modo laudatus, & diſerte affirmavit, ut ex Feſto ſcimus, *opima ſpolia etiam eſſe, ſi manipularis miles detraxerit, dummodo duci hoſtium.* Sed illum pluribus pagellis refutavit in Animadverſionibus ſuis Jacobus Perizonius. Ad illas, nobis enim non licet eſſe tam prolixis, lectorem ablegamus.

SPOLIARIUM dicebatur balnei pars tertia, in qua loturi exuebantur, ſeque veſte exſpoliabant. Nam *exteriores cellulæ in balneis ſpoliaria* dictæ, ut notant Gloſſæ Latinæ veteres: vel, ut Græcæ, Ἀποδυτήριον, *ſpoliarium.* Lipſ. Sat. I. 18. Turneb. Adv. XXVIII. 6. Faber Semeſtr. II. II. V. & ſupr. in *Coriceum*, & *Apodyterium.*

Spoliarium in ludis non ipſe ludus, ſed ludi, ut apparet, pars. Ex lapide priſco, quem Tibure vidimus:

CURATORI. MUNERIS. PUBLICI.
GLADIATORI. III. QUOT. IS. TEMPORE. HONORUM. CURARUMQUE. SUARUM. PLENISSIMO. MUNIFICENTIÆ. STUDIO. VOLUPTATIB. ET. UTILITATIBUS. POPULI. PLURIMA. CONTULERIT. LUDUM. ETIAM. GLADIATORIUM. ET. SPOLIARIUM. SOLO. EMPTO. SUA. PECUNIA. EXSTRUCTUM. PUBLICE. OBTULERIT.

Ab ipſis amphitheatris ſeparat etiam Tertull. de Coron. milit. c. 13. *Cæterum a ſeculo coronantur & lupanaria, & latrinæ, & piſtrina, & carcer, & ludus, & ipſa amphitheatra, & ipſa ſpoliaria.* Ductum nomen a re balnearia. Nam ibi, credo, gladiatorum veſtes, ornamenta. Plin. Paneg. c. 36. n. 1. *Nunc templum illud, nunc vere deus, non ſpoliarium civium, cruentarumque prædarum ſævum receptaculum.* Imo amplius, locus ille receptor vulneratorum, cæſorumque. Caſſius Severus in controverſia, Debilitans expoſitos: *Produc agedum familiam ſemivivam, tremulam, debilem, cæcam, mancam, famelicam: oſtende nobis captivos tuos. Volo mehercules noſſe illum ſpecum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium ſpoliarium.* Senec. de Provid. c. 3. *Videant largum in foro ſanguinem, & ſupra Servilianum lacum (id enim proſcriptionis Syllanæ ſpoliarium eſt) ſenatorum capita.* Itaque crebræ illæ acclamationes ſenatus, mortuo Commodo, ſunt ab hoc ritu apud Lamprid. Commod. c. 18. *Gladiatorem in ſpoliario. . . . gladiatoris cadaver unco trahatur: gladiatoris ca-*

daver in ſpoliario ponatur. Quin & ii, qui ſine ſpe curationis læſi, illic interficiebantur. Senec. Epiſt. 94. *Nunquid aliquem eſſe tam cupidum vitæ putas, ut jugulari in ſpoliario, quam in arena malit?* Lipſ. Sat. I. 18. Faber Semeſtr. II. 11. Rhodig. Ant. Lect. v. 10: xvII. 8. Laurent. in Phædr. II. 2. I. Cellar. in Plinium. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 5. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 5. & 11. Erat e regione ad illam portam: quæ, niſi fallor, Libitinenſis dicta. Nam illud, quia receptaculum mortuorum, ut dictum, aut graviter in arena laſorum, jure conſtituam juxta mortualem illam portam. Enimvero ſolent gladiatores occiſi turpiter unco per arenam trahi in *ſpoliarium.* Docent acclamationes ludiariæ. *Lipſ. de Amphith. c. 21. Thyſ. de Amphith. p.* 209.

Spoliarium Samarium. Hæc a librario diverſa ponantur, ſed a Rufo, & Victore in ſecunda Urbis regione pro uno, apud quos legitur *Spolium* Samarium: ſed puto legendum *Spoliarium,* quod erat locus Romæ, ubi homines necabantur, & ſepeliebantur. Lampridius, Seneca, Plinius. V. illos ſup. in *Spoliarium ludorum.* Samarium vero videtur eſſe locus, in quo ulmi ſemina ſeruntur. *Samara* enim *eſt ulmi ſemen,* inquit Plin. xvI. 17. unde *Samarium* poteſt vocari locus, ubi hæc ſemina ſunt ſata; *Samariumque* a *ſpoliario* arbitror dividendum, ut ſint duo loca ſeparata, quin nec Lampridius, nec Seneca hæc conjungunt. *Pancirol. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 330. *C.* Verum quis adeo corrupto ſit judicio, ut Saturni templum, ubi ærarium fuit, aliquando carnificinam eſſe cenſeat, ut Plinius ait? atqui licet non illud templum, alia tamen carnificinis inſervisse *ſpoliaria* colligi poteſt ex Caſſio Severo ſupr. laudato. Agit autem ille de homine, qui tenellos infantes debilitabat, ut in ipſius commodum lucroſi is mendicarent. Cæterum quid ſibi vox *Samarium* velit, excogitare nequeo. Neque enim de civitate *Samaria* accipi poteſt, quæ non a Romanis, ſed ab Hircano Judæorum Rege, teſte Joſeph. Ant. Judaic. xIII. 18. diruta eſt. Pancirolus a *ſamara* ducit, voceſque, & res diſtinctas ſuiſſe credit *Spoliarium,* & *Samarium,* itaque legendum. Qua de re, ut obſcura, mihique incomperta, nihil liquere pronuntio. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7.

SPONDÆ cubicularis lecti erant latera. V. illas ſupr. in *Pluteus.*

Spondæ erant in navium lateribus. Sidon. Epiſt. IX. 16.

Verberant puppem, quatiunt carinam,
Ventilant ſpondas laterum rotundas.

Obſerva, *ſpondas* hic non dici latera, ſed laterum. Partes igitur eorum fuere, credo eas, quæ Græcis ὑποζώματα, id eſt, ξύλα, ἁπᾶσαν συνέχον τὴν περιφορὰν, ut Plato de Repub. x. explicat. Meminit & Athen. v. in deſcriptione navis a Philopatore exſtructæ. Ὑποζώματα, inquit, ἐλάμβανε δώδεκα, ἑξακοσίων δ᾽ ἦν ἕκαστον πηχῶν Interpres ibi *coſtas* reddit, ſed perperam. Fuerunt ligna rotunda, a prora ad puppim ambitu ſuo navem continentia. Heliod. Æthiop. I. appellantur Ζωστῆρες. *Onus ad tertiam uſque zonam navis aquam premebat.* Obſerva tanto altiorem fuiſſe navem, quanto plures zonas iſtiuſmodi habebat: quod & ex Athenæo diſcimus. Ζωμεύματα vocavit Ariſtoph. Equit. p. 303. B. Scholiaſt. Ζωμεύματα, τὰ λεγόμενα ὑποζώματα, εἰσὶ δὲ ξύλα τῶν νεῶν. *Scheffer. de Milit. Nav.* I. 4.

Sponda Orciniana vocatur ſandapila, ſive pheretrum. Mart. x. 5. 9.

Orciniana qui feruntur in ſponda.

quia illa mortui efferuntur, quod mortui ad orcum eant. Sunt qui velint capulum, ſive thecam ex impolitioribus lignis, aut etiam viminibus contextam, compactamque ſignare. *Rhodig. Ant. Lect.* x. 18. *Rader. in Martialem. Kirchmann de Funer.* II. 9. Sed hi non intellexerunt mentem Martialis. Si enim *ſponda Orciniana* ſimpliciter eſſet ſandapila, ſive pheretrum, ſolummodo optaret ille, ut mortuos, qui efferuntur, beatos judicaret. At mihi, ſalvo meliorum judicio, ſandapilam, ſeu pheretrum, quo interfecti in arena gladiatores, ſeu beſtiarii interempti efferebantur, intellexiſſe videtur, non ad ſepulturam, ſed ut in ſpoliarium abjicerentur. Ita enim locum vocabant, in quem noxiorum cadavera nuda, & exſpoliata, ceu in publicam quandam cloacam, & ſentinam abjiciebant. Hoc enim mortis, exſequiarumque genus longe maxime infame, & calamitoſum cenſebant: ſic ut interfectos tyrannos Romani vix alia pœna majore affici putarent, quam ſi hoc publico dehoneſtamento, non ſepultura afficerentur. Quod ut conjectaremus, fecit Tertullianus, qui in Apolog. c. 15. ſic ſcribit: *Riſimus inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. Vidimus & Jovis fratrem,* Orcum videlicet, & Plutonem *gladiatorum cadavera cum malleo deducentem.* Ex quibus verbis colligitur, aliquem petulantem pantomimum perſonam Orci indutum, ſolitum ſandapilam illam cum malleo præcedere, cadaveraque interfectorum gladiatorum, aut beſtiariorum deducere, quæ ob id per jocum *Orciniana ſponda* dicta ſit. Ad quod videtur alluſiſſe hiſtrio ille apud Suet. Ner. c. 39. n. 8. qui in cantico quodam cecinit, *Orcus vobis ducit pedes,* præſente Nerone ſenatum geſtu notans: volens per hoc innuere, Neronem, ut hominem ſceleratiſſimum, devoviſſe morti omnes ſenatores: & ut cadavera mortuorum gladiatorum, & beſtiariorum deducuntur ab Orco in ſpoliarium, ita cunctos ab eo, tanquam Orco, in perniciem deductum iri. *Loenſ. Miſcell.* III. 3.

Sponda videtur dici ſedes diſcumbentis. Virg. Æneid. I. 701. V. illum ſupr. in *Lectus.* Rhodig. Ant. Lect. xxvII. 25. Potius reclinatorium, ſive pulvinus, qui illi erat pro fulcro, quo ſuſtineret mediam partem ſuperiorem corporis in accubitu; & ſine ulla moleſtia epulis operam daret. *Cerda in Virgilium. Baccius de Conviv. c.* 9.

SPONDAULÆ, σπονδαῦλαι, dicuntur, ut choraulæ, & pithaulæ. Dicuntur, qui σπονδεῖα canebant, & ſpondiacis utebantur tibiis. Mar. Victorin. de ſpondæo: *Dictus a tractu cantus ejus, quo per longas tibias in templis a ſupplicantibus editur: unde ſpondaulæ appellantur, qui hujuſmodi tibias inflare aſſuerunt.* Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 19. Exerc. Plinian. p. 88. A. Barthol. de Tib. I. 6. V. & infr. in *Tibiæ ſpondiacæ.*

SPONGIÆ apud antiquos in uſu erant tergendarum menſarum. Hujus actionis mentio frequens eſt, antequam dapes apponuntur. Homer. Odyſſ. A. III.

Alii autem ſpongiis foraminoſis menſas
Abſtergebant, & proponebant, & dividebant carnes multas.

Mart. xIV. 144.

Hæc tibi ſorte datur tergendis ſpongia menſis.

Plin. xxxI. 11. *Uſus earum ad abſtergenda, fovenda, operienda.* Lucill. Epigramm. II. 31. 3.

Scobem, & ſpongiam, & ſcopas ſtatim habens.

Rader. ad Martialem. Cujac. Obſerv. xIII. 13. Potter. Archæol. Græc. IV. 20. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 75. n. 2. Adhibebantur ad obſcœna emundanda. In amphitheatro ſecedentibus gladiatoribus ad naturæ requiſita ponebatur lignum adhærente *ſpongia,* qua purgabant obſcœna. Mart. xII. 39. 7.

Quod ſciat infelix damnatæ ſpongia virgæ.

Virgam appellat lignum, cui *ſpongia* adhærebat. *Spongia infelix* dicitur, ut *virga damnata,* quod ad uſum vilem, & fœda miniſteria adhiberetur. *Infelix* quidem ἀκύρως, quod felicitas, vel infelicitas non cadat niſi in hominem; ſimilitudine tamen ab humanis ducta. *Lapis,* ut Protarchus ait apud Ariſtot. Phyſ. II. 6. *in altari felicior eſt illo, qui in gradibus ponitur, quod hic calcetur, honoretur ille.* Senec. Epiſt. 70. *Nuper in ludo beſtiariorum unus e Germanis, cum ad matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandum corpus: nullum aliud illi dabatur ſine cuſtode ſecretum: ibi lignum id, quod ad emundanda obſcœna adhærente ſpongia poſitum eſt, totum in gulam farſit, & vi præcluſis faucibus ſpiri-*

spiritum elisit. Rader. ad Martialem. Witell. contr. Merul. c. 9. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 190. H. Pitisc. l. l. Ad vulnerum sanguinem siccandum, & reprimendum. Sæpe numero enim usu veniebat, ut retiarii, qui cum mirmillonibus depugnabant, vulnerarentur, & *spongias* egerent: ideirco Tertull. de Spectac. c. 25. *spongias retiariorum* dixit: neque enim satis adversus paricm suum muniti erant, cum toti in reti jaciendo intenti essent. Verba Tertulliani sunt: *Poterit de misericordia defixus in morsus ursorum, & spongias retiariorum.* Turneb. Adv. XVIII. 33. Cujac. l. l. Ad illa, quæ perperam scripsissent, delenda. Auson. Eidyl. XI. *Poeticæ scabiei quoniam facile contagium est, utinam ad te quoque prurigo commigret: & fuco tuæ emendationis adjecto, impingas spongiam* Varr. apud Non. II. 212.

Si displicebit tibi tam latum mare,
Tantum parato spongiam deletilem.

Unde Faustino libellum novum emendandum tradituro puero *spongiam* addit Mart. IV. 10. 5.

Curre, sed instructus, comitetur Punica librum
Spongia: muneribus convenit illa meis.
Non possunt nostros multæ, Faustine lituræ
Emendare jocos: una litura potest.

Et Augustus *quærentibus amicis quidnam Ajax ageret, respondit, Ajacem in spongiam incubuisse*, cum tragœdiam, non succedente stylo, se abolevisse, & delevisse vellet dicere. Suet. c. 85. n. 6. *Cujac. Obs.* XIII. 13. *Hugo de prim. scrib. orig. c. 1. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.* Ad corporis sordes in balneis abstergendas. Ita mi nimum solebant delicatiores, & qui mala erant valetudine. Plin. XXXI. II. *Spongiæ præstant & strigilium vicem, linteorumque a lectis corporibus.* Casal. de Prof. Rom. III. c. 24. Choul. de Baln. p. 101. Medentur etiam variis morbis, quos demerrat Plin. l. l. cum siccæ aqua perfunduntur, & mox intumescentes inter duas tabulas exprimuntur, & sic impositæ illis medentur, inprimis stomacho, & in febri contra nimios ardores. Et hinc eleganti translatione procuratores suos sicco perfundebat divitiis Vespasianus, sicut aqua *spongiæ* perfunduntur, deinde exhauriebat, sicut *spongiæ* exprimi solent. Suet. c. 16. n. 4. *Creditur procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo pro spongiis dicebatur uti, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes.* Beroal. Marcil. & Pitisc. in Suetonium.

SPONSA quando dicta puella fuerit V. supr. in *Puella.* Honestius culta deducebatur ad novum maritum. V. supr. in *Nupta.* Deducebatur facibus quinque a pueris patrimis, & matrimis ad mariti ædes. V. supr. in *Fax & Patrimes.* Quarum limen non tangebat, sed transiliebat. V. supr. in *Limen.* Matri tradebatur, aut alicui ex proxima necessitudine, a qua, Festus ait, vi maritum debere avellere, in memoriam Sabinarum, quia hic raptus summi omni causa fuerat. Plutarch. Quæst. Rom. 29. Unde Virg. Æneid. X. 79.

Quid soceros legere, & gremiis abducere pactas.

Hotom. de vet. rit. nupt. c. 19. In ædes mariti introducta januam laneis villis ornabat & adipe ungebat. V. supr. in *Nupta.* Sic sponsi domum ingressa, uxor dicebatur, & vir maritus l. cum te C. de donat. ant. nupt. l. genera. ff. de rit. nupt. & ex eo dicitur uxor duci l. cum fuerit. ff. de condition. & demonstrat. & is dicitur uxorem habere, qui eam duxerit in domum l. aufertur. ff. de his quæ ut indign. l. hæc conditio. ff. de condition. & demonst. Plaut. Aul. II. I. 40.

Post mediam ætatem qui uxorem duxit domum.

Hoc explicatius declarat Sidon. Epist. I. 5. *Jam quidem*, inquit, *virgo tradita est, & nondum tamen cuncta thalamorum pompa defremuit, quia nondum ad mariti domum nova nupta migravit.* Hotoman. l. l. Mos etiam fuit, ut sponsæ ipsis, qui sponsum attinebant, proximisque suis, vestes donarent tempore nuptiarum: ut docet Eustath. ad versum Homer. Odyss. Z. 27.

Tibi vero nuptiæ instant, ubi oportet pulcras teipsam
Induere, alias vero illis præbere qui te ducent.

Hartung. Memor. I. 8. 7. Reliqua V. supr. in *Nupta.*

SPONSALIA definiuntur a Florent. l. 1. ff. de sponsalibus *mentio, & repromissio futurarum nuptiarum.* Qui *mentionem* dixit pro eo quod Græci dicunt μνηστὴν, vel μνηστείαν. *Mentio* enim, sive commemoratio nuptiarum, sine matrimonio subsecuto nullius momenti habetur. Justin. l. sancimus 24. C. de nupt. non magis scilicet, quam *mentio* & collocutio de vendendo, vel locando, vel societate contrahenda. Ideoque, cum istarum collocutionum, & si sic loqui volumus *mentionum* jus nullum sit; absurdum esset, quidquam illis obligationis tribuere. Definiri etiam possunt mutua repromissio: item pactio, seu conventio futurarum nuptiarum. *Spem matrimonii* appellat Ulpian. l. si uxor. 13. §. 3. ad leg. Jul. de adult. & *nuptiarum* l. si puellæ 6. de sponsal. Vetustissimo jure definiri poterunt contractus. Ser. Sulpic. apud Gell. IV. 4. *Is contractus stipulationum, sponsaliumque dicebatur sponsalia.* Propterea quod civilis obligatio ex *sponsione* mutua contrahebatur: ex eaque actio ex *sponsu* antiqua lege, opinor XII. tabularum, comparata erat. Conventam conditionem appellat Festus: *Cum primus sermo*, inquit, *de nuptiis, & earum conditione habetur.* Quod de mentione, cujus nullum jus fuit, intelligi non potest; sed potius de pacto *spem aliorum.* Nam in *sponsalibus* nuptiarum pactiones fiebant, & de dote, donationibus, promissionibus, & conditionibus quibusdam conveniebat. Vocantur conditiones l. capite 19. ff. de rit. nupt. l. 18. ff. de sponsal. l. 3. ff. de proxenet. l. 2. ff. de repud. & ab Arnob. IV. p. 140. *Uxores dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis.* Francisc. Hotoman. de Sponsal. c. 1. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. 1. Interpositis stipulationibus plerumque fiebant, & moris erat veteribus stipulari, & *spondere* sibi uxores futuras. Serv. Sulpic. apud Gell. l. l. *Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat daturum.* Plaut. Pœn. V. 3. 35.

A. *Audin' tu patrue? dico, ne dictum neges,*
Tuam mihi majorem filiam despondeas.
P. *Pactam rem habeo.* A. *Spondesne igitur?* P. *Spondeo.*

Trin. V. 2. 33.

Lys. *Spondesn' tuam gnatam uxorem mihi?*
Ch. *Spondeo, & mille auri Philippum dotis.*
Lys. *Istac lege filiam tuam sponden' mihi uxorem dari?*
Ch. *Spondeo.* Lys. *Et ego spondeo idem hoc.*

Hotoman. Fransisc. l. l. Anton. de vet. rit. nupt. c. 9. Casal. de Sponsal. c. 1. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. August. de Legib. in Julia. Brisson. de Form. VI. p. 543. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1012. B. Laurent. de Sponsal. c. 1. Dixi plerumque interponi stipulationes. Nam interdum, etiam antiquissimis temporibus sola pactione, & consensu nudo, ea conventio fiebat. Unde pactæ puellæ dicebantur. *Hotoman. & Casal. l. l.* Differemus I. de personis, inter quas jure contrahuntur. De illis traditur regula: ut, cum qua nuptiæ contrahi non possunt, plerumque nec eam *desponderi* liceat l. si quis tutor 60. §. 5. ff. de rit. nupt. Cui hæc subjicienda est: cum *sponsalia* consensu constent, removeri ab illis personas, quarum consensus, voluntas, intellectus nullus est. Quo in numero referuntur 1. infantes, hoc est, septem annis minores, qui, quod agitur, non intelligunt l. in sponsalibus 14. ff. hoc tit. Post eam ætatem recte, parentibus auctoribus, contrahuntur: ita tamen ut puberum factorum voluntas in contrahendis accedat. l. 2. ff. de rit. nupt. II. furiosi, & mente capti, qui propter eandem consensus, & voluntatis penuriam infantibus comparantur l. 1. §. ult. ff. de obl. & act. l. furor 8. ff. hoc tit. ubi, cum Paullus ait furorem post *sponsalia* supervenientem non infirmare *sponsalia*, signi-

ſignificare videtur, jus *ſponſaliorum* durare: quaſi pœna repudiis ſine cauſa factis impoſita, *ſponſalia* propter furoris cauſam repudianti infligatur: dum tamen dilucida intervalla furor habeat, quo tempore contrahi etiam *ſponſalia*, atque alia negotia licere ſatis conſtat l. 2. C. de contr. empt. III. filii, filiæque familias in poteſtate dum ſunt patris, *ſponſalibus* obligari poſſunt conſenſu non ſine ſuo; quoniam, etſi antiquo jure vendi, emanciparique patris arbitrio poterant, jus matrimoniorum non mere civile, ſed magna ex parte pontificium erat, & ſanctum habebatur, propter ſanctitatem etiam illorum conſenſus requiſitus eſt: neque parentum, de quibus civilis, non naturalis hæc cauſa eſt: ne cui invito ſuus hæres adgnaſcatur l. ſi ut proponis 5. C. de nupt. pontificalis illa: ne ſacrorum ſocia patriſfamilias invito adſciſceretur. Nam propria, & privata cujuſque familiæ ſacra fuerunt: uxor autem in ſacrorum viri communionem admittebatur. IV. Pupillorum conſenſus omnino requiritur, neque a tutoribus, niſi conſentientes, obligari promiſſione nuptiarum futurarum poſſunt l. 6. in fin. ff. hoc tit. nec minus tutorum auctoritas; pupillus enim ſine tutore auctore non modo civiliter obligari non poteſt, ſed ne naturaliter quidem l. pupillus 59. ff. de obligat. & act. l. quod pupillus 41. ff. de condict. inde b. *Hotoman. ibid c.* 2. II. de *ſponſaliorum* forma, & ritibus. Ad illos enim requiri videtur I. ut ea conventio non clam, non furtim, & remotis arbitris, ſed teſtatione adhibita fieret l. 7. ff. hoc tit. l. 3. ff. de concub. Probabile eſt, non minus decem adhiberi ſolitos, cum etiam in divortiis ſeptem adhiberentur l. nullam 9. ff. de divort. Non obſcure Ambroſ. ad virg. lapſ. c. 5. *Si inter decem teſtes confectis ſponſalitiis, & nuptiis conſummatis. . . .* Quin etiam more Romano convivio amicorum hæc conventio celebrabatur, quod idcirco *ſponſalia* dicebatur. Cicer. Fratr. II. 6. *A. d.* VIII. *Idus April. ſponſalia Craſſipedi præbui. Huic convivio puer optimus Quintus tuus, meuſque, quod perleviter commotus erat, defuit.* Scriptura etiam plerumque adhiberi ſolebat. Tertull. de veland. virginib. c. 12. *Hæ ſunt tabellæ priores naturalium ſponſaliorum, & nuptiarum:* eæque a teſtibus obſignari ſolebant. Juven. Sat. x. 336.

— veniet cum ſignatoribus auſpex.

Interdum tamen nullum ea de re inſtrumentum conficiebatur, & nuda teſtatio ſufficiebat l. 7. ff. hoc tit. quippe cum ne in nuptiis quidem ſcriptura deſideretur l. 4. ff. de fid. inſtrum. II. Stipulationis, & ſponſionis formula. Moris fuit apud Romanos, ut pactis, conventiſque ſtipulationem plerumque adhiberent l. 7. quod fere 12. ff. de pact. eaque verborum formula, quaſi ritu, aut certo aliquo carmine ſuas conventiones ſtiparent, id eſt, munirent, & confirmarent l. 1. ff. de præt. ſtip. Inter eos igitur, de quorum nuptiis agebatur de nuptiarum conditionibus, & legibus conveniebat, hoc eſt, de dote, de donatione propter nuptias, & de arrhis ſponſalitiis. Hinc pacta, deſtinata, ſponſa dicebatur. V. ſupr. in *Puella.* III. Verba, quibus concipiebantur. In filiabus familias uſitata hæc fuit formula: *Sponden' Cajam filiam tuam uxorem mihi dari?* Cum autem mulieres innuptæ in perpetua tutela eſſent, probabile eſt, hanc in illis deſpondendis formulam adhibitam: *Sponden' Cajam, quæ in tua poteſtate eſt, uxorem mihi dari?* quod ex oratione pro Flacco exiſtimare licet. Quin etiam, cum plerumque certis legibus, ac conditionibus contraherentur, probabile eſt, conditiones pronuntiari ſolitas: ut in illa Plaut. Trin. v. 2. 38. modo laudati. IV. ut annulus pronubus plerumque adhiberetur. V. illum ſupr. in *Annulus.* V. ut oſculum daretur. Quod tamen arbitrarium fuiſſe patet ex l. cum veterum 15. C. de don. ant. nupt. VI. ut munera ſponſalitia traderentur. De illis mentio fit variis in locis juris. Interdum ea lege fiebant, ut, nuptiis non ſecutis, revocarentur l. 2. ſi cum ante 7. C. de don. ant. nupt. l. 2. C. Gr. ſi adverſ. dom. ſponſ. Quod ſi nil nominatim convenerat, ratæ donationes manebant. l. ſi tibi 11. & d. cum veterum 15. C. eod. Poſtea Conſtantinus voluit, ut ſi per donatorem ſtetiſſet, quo minus nuptiæ ſequerentur, donum penes donatarium maneret: ſi per eum, qui acceperat, reſtitueretur. Quod ſi mors nuptias impediſſet, tum, ſiquidem oſculum interveniſſet, quod ſponſus donaſſet, dimidia tantum ex parte repeteretur: quod autem ſponſa donaſſet, ſive cum oſculo, ſive ſine oſculo, totum reſtitueretur d. l. cum veterum, & l. ſeq. C. eod. VII. ut arrhæ ſponſalitiæ darentur. V. ſupr. in *Arrha.* Triplex tamen inter arrhas, & donationes ſponſalitias differentia. 1. quod illæ tantum a ſponſi parte conferuntur: hæ vero utrinque. 2. illæ, ſi per ſponſum fiat, quo minus nuptiæ ſequantur, amittuntur: ſi per ſponſam, tunc, ſi minor 25. annis ceperit, ſimplum reddit; ſin major, duplum l. 5. C. de ſponſal. at in donationibus nulla dupli ratio habetur. 3. arrhæ morte alterius repetuntur l. 3. C. de ſponſal. donationes ſponſalitiæ non repetuntur. *Hotoman. ibid. c.* 3. III. de *ſponſaliorum* jure. Nam I. ſi ſtipulatione, & ſponſione contrahuntur, juris civilis ſunt, ſicuti cæteræ omnes obligationes, quæ certis verborum formulis & contrahuntur, & diſſolvuntur l. quoties 14. ff. de novat. l. 2. ff. de divort. ſin nudo conſenſu, & conventione, ſint juris gentium arg. l. 1. in fin. ff. de contrah. empt. II. Antiquiſſimo jure ex *ſponſalibus* civilis naſcebatur obligatio, ex eaque dabatur actio, quæ *ex ſponſu* dicebatur, adverſus eum, eamve, per quem, quamve factum eſſet, quo minus nuptiæ ſequerentur: fiebatque condemnatio in id, quod alterius intererat. Ser. Sulpic. apud Gell. l. l. *Si poſt ſtipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur; qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat, judices cognoſcebant: judex, quamobrem data, acceptave non eſſet uxor, quærebat: ſi nihil juſtæ cauſæ videbatur; litem pecunia æſtimabat: quantique interfuerat eam uxorem accipi, aut dari, eum, qui ſpoponderat, aut qui ſtipulatus erat, condemnabat.* Corruptis, ac perditis civitatis Romanæ moribus, cum flagitioſa, & deteſtanda repudiorum libertas increbuiſſet, inſtitutum fuit, ne ulla ex *ſponſalibus* civilis obligatio naſceretur, ſed libera renuntiatio eſſet; neque ulla eo nomine actio, petitio daretur l. 2. C. de repud. Quæ quum ita ſint, perſpicuum eſt, primum *ſponſalia* iſto D geſtorum jure non fuiſſe in contractuum numero, quoniam nulla ex iis efficax naſcebatur obligatio: deinde iſtius ſtipulationis (quod jus ſingulare, ac novum eſt) non majorem hoc caſu quam pacti nudi vim eſſe, quo, uti ait Paull. Sent. II. tit 14. cives Romani non obligantur. Sed quæri poteſt, an non ex illo *ſponſaliorum* pacto naturalis tamen contraheretur obligatio; quæ, quoties naturalis ſubeſt æquitas, contrahi dicitur l. Stichum. 59. §. naturalis ff. de ſolut. Quod certe probabilius videtur I. quia in ſtipulationis formula vitium nullum fuit, ſicut accidit in ſpecie l. 1. §. ſi ita quis ff. de verb. oblig. l. 1. §. eum qui ff. de conſt. pec. II. quia ne liquido quidem affirmari poteſt, nullam naſci civilem ex *ſponſalibus* obligationem, cum in iis diſſolvendis præſcripta repudii formula utendum eſſet d. l. 2. §. 2. ff. de divort. III. per *ſponſalia* æque fere, ut per nuptias, affinitas contrahitur. Nam, & generi, & nurus appellatione ſponſus, & ſponſa; item ſoceri, & ſocrus appellatione ſponſorum parentes continentur l. 6. §. 1. & l. 8. ff. de gradib. Qua de cauſa, quæ lex vetat genero, vel ſocero invito teſtimonium denuntiari, ea & ad ſponſum, & ſponſæ patrem producitur l. 4. & 5. ff. de teſtam. Sic lex, quæ novercæ & nurus nuptias prohibet, etiam ad patris, & filii ſponſam perducitur l. ſi qua mihi 12. §. 1. ff. de rit. nupt. IV. Ex eo *ſponſalia* multis caſibus nuptiarum fere vim obtinent. Qua de cauſa Imperator teſtatur, multas ea de re controverſias exſtitiſſe l. 5. C. de bon. quæ liber. Itaque, quemadmodum qui binas uxores, ſic etiam qui binas eodem tempore *ſponſas* habet, ignominia notatur l. 1. ff. de his qui not. infam. Quod lege Julia cautum eſt, ne marito uxoris fundum alienare, vel obligare liceat, idem etiam in *ſponſæ* fundo valere reſponſum eſt l. 4. ff. de fundo. Sicut pro illata uxori injuria marito conceditur injuriarum actio l. 1. in fin. ff. de injur. ita ſponſo pro injuria ſponſæ illata l. item apud Labeonem 15. ſponſam 24. ff. eod.

ff. eod. Quod conſtitutum eſt, ne quiſdam uxores ſenatoribus ducere liceat, id ad *ſponſalia* productum eſt l. oratio 16. ff. hoc tit. l. cum hic ſtatus 32. §. ult. ff. de donat. int. vir. & uxor. Sicuti a marito quæſita uxor non adquirit, niſi quoad uſum fructum: ita nec a ſponſo quæſita patri ſponſæ aliter adquiruntur l. 5. C. de bon. quæ lib. Eo accedit, quod privilegium, uxori competens, etiam ſponſæ conceditur: veluti, ſi dotem dederit, & *ſponſalibus* renuntiatum fuerit, in exigenda dote cæteris creditoribus præfertur l. quæſitum 17. § ſi ſponſa ff de reb. auct. jud. poſſ. l. ſi ſponſæ 74. ff. de jur. dot. Item, quod dicitur, parricidii teneri eum, qui uxorem occiderit, etiam adverſus eum valet, qui ſponſam interfecerit l. ſed ſciendum 3. ad leg. Pomp. de parric. Quod conſtitutum eſt, ne tutor pupillam ſuam ſibi, filiove ſuo uxorem adſciſcat, id etiam ad *ſponſalia* productum eſt l. tutor 15. ff. hoc tit. ſi quis tutor 60. §. 5. ff. de rit. nupt. Poſtremo, jus accuſandæ uxoris adulterii, quod lex Julia marito, jure quodam præcipuo, & ante extraneos, conceſſerat, Imperatorum Severi, & Antonini reſcripto, etiam ad ſponſum productum eſt, ut ſponſas intra dies 60. extraneis præferatur l. ſi uxor 13. §. divi 3. & §. ſi minor. 8. l. miles 11. §. quærebatur 7. ff. ad l. Jul. de adult. l. propter 9. C. eod. In aliis autem quibusdam hæ notari differentiæ poſſunt. Nam inter impuberes contrahi *ſponſalia* poſſunt: nuptiæ non poſſunt l. 7. l. 9. ff. hoc tit. *Sponſalia* promiſſione conſtant, ac proinde nec præſenti traditione, & acceptione, nec niſi verbis futuri temporis contrahuntur l. 1. l. quæſitum 9. ff. eod. nuptiæ vero verbis præſentis temporis, & præſenti, purique traditione, & acceptione conſtituuntur l. pen. ff. de donat. int. vir. Itaque in *ſponſalibus* deductio in domum nullius momenti eſt, in nuptiis neceſſaria eſt d. l. pen. Præterea, uxor in mariti familia eſſe dicitur l. quicunque 10. C. de re milit. lib. 12. l. pen. §. Julianus ff. quod falſ. tut. auct. & in ejus domo domicilium habere l. exigere 65. ff. de jud. ſponſa, ante nuptias contractas, non habet l. ea quæ 32. ff. ad munic. Donatio inter virum, & uxorem non valet; inter ſponſum & ſponſam valet l. cum hic ſtatus 32. §. pen. ff. de donat. int. vir. Uxor virum lugere jubetur; ſponſa ſponſum non jubetur l. uxores 9. ff. de his qui not. infam. Quæ luget, nubere ſine infamia non poteſt; *ſponſalia* vero, quia futuri temporis ſunt, contrahere poteſt l. ſeq. eod. Quod lex vetat, ne liberta, patrono nupta, ei invito nuntium mittat, ad ſponſam non porrigitur l. in eo jure 54. §. 4. ff. de rit. nupt. v. Certis caſibus impune, ac ſine fraude repudium mittere licebat. Quod etiam argumento illo confirmatur, quod ſuperius dicebamus, jus, ne pœnæ metu *ſponſalia* adſtringere liceret, perditis Reipublicæ temporibus inductum fuiſſe. Nam contrarii juris veſtigia hæc remanſere: quorum tamen quædam ad pœnam arrharum *ſponſalitiarum* pertinere conſtat. Si ſponſus, qui in eadem eſſet provincia, nuptiis moram biennio longiorem faceret l. 2. C. hoc tit. Si ſponſus extra provinciam triennio amplius cunctetur, atque illa ſua cunctatione ſponſam ſua ſpe fruſtetur l. 2. C. de repud. Si qua turpitudo ſponſi, ſponſæve detecta eſſet: ſi nova ipſius religio, vel ſuperſtitio potius, detecta vel ſuſcepta fuiſſet: ſi quod in ſponſo vitium appareat virilis impotentiæ, quod liberorum ſpem adimat l. 5. §. his illud C. hoc tit. *Hotoman. ibid. c. 4.*

SPONSIO, pactio, & fœdus fuerunt amicitiæ, ac ſocietatis, qua ſe populus Romanus cum Italis, cæterisque populis obſtrinxit, tria jura. Cicer. pro Balb. c. 12. *Ut quæque civitas nobiſcum maxime ſocietate, amicitia, ſponſione, pactione, fœdere conjuncta eſt, ita maxime communionem beneficiorum, & præmiorum continet.* Non ſunt idem; nam fœdus pactione, pactio *ſponſione* firmior, ac ſtabilior fuit. *Sponſio* neque populi juſſu, neque ſenatus auctoritate, quod in fœdere accidebat: ſed arbitrio magiſtratuum, & imperatorum fiebat, atque deditione eorum, per quos facta eſſet, infirmabatur. Liv. IX. 5. *Itaque non, ut vulgo credunt, fœdere pax Caudina, ſed per ſponſionem facta eſt: quid enim aut ſponſionibus in fœdere opus eſſet, aut obſidibus, ubi precatione res tranſigitur. Per quem populum fiat, quo minus dictis legibus ſtetur, ut eum ita Jupiter feriat, quemadmodum a fecialibus porcus feriatur? ſpoponderunt conſules, legati, quæſtores, tribuni militum, nomina que omnium, qui ſpoponderunt, extant; ubi ſi ex fœdere res acta eſſet, præterquam duorum fecialium non extarent.* Deinceps pacem eam a populo Romano, conſulibus, & cæteris, qui *ſpoponderant*, deditis irritam eſſe juſſam addit. Sæpe tamen evenit, ut quod imperator injuſſu populi, & ſine auctoritate ſenatus pepigerit, id fœdus vocatum ſit, ſed tamen non ſervatum. Princeps quidam Carthaginenſium hoc oſtendit apud Liv. XXI. 18. *Vos, quod C. Lutatius conſul primo nobiſcum fœdus icit, quia neque auctoritate patrum, nec populi juſſu ictum erat, negaſtis vos eo teneri: itaque aliud de integro fœdus publico conſilio ictum eſt.* Tale fuiſſe Numantinum, facile inde apparet, quod id C. Mancini conſulis deditione eſt diſſolutum. Cicer. de Offic. III. 30. *C. Mancinus, ut Numantinis, quibuſcum ſine ſenatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſit eam, quam L. Furius, & Sext. Atilius ex S̄c̄to ferebant: qua accepta, eſt hoſtibus deditus.* Numantinum autem fœdus, ut Caudinum, *ſponſionem* appellari poſſe, niſi Antias Annal. XII. prodidiſſet, calamitatis certe ſimilitudo id nos doceret: ut enim ad Caudium quæſtores, qui *ſpoponderunt*, dediti ſunt: ſic ad Numantiam Ti. Gracchum Mancini quæſtorem, fœderis ejus auctorem, dedere voluerunt. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 1. *Valtrin. de Re milit.* VI. 10.

Sponſionis in judiciis faciendæ ratio fuit hujuſmodi. Petitor, ubi eum unde petebatur, aut intentionem, aut rationem intentionis ſuæ inficiantem audivit, eum *ſponſione* ſacramenti provocavit: *Ni ita eſſet.* qua facta reus petitorem viciſſim provocavit, hoc modo. In intentione: *Quando negas, hunc ſervum meum eſſe, ſacramento te quingenario provoco. Spondeſne quingentos, ſi meus ſit?* id eſt, ſi meum eſſe probavero. Cui reus: *ſpondeo, ſi tuus ſit.* Et ſi *ſponſionem* recuſaſſet, litem amiſiſſet. Inde reſtipulans rogabat: *Et tu ſpondeſne quingentos, ni tuus ſit?* id eſt, ſi probavero, tuum non eſſe. Cui petitor: *Spondeo, ni meus ſit.* Atque hoc niſi feciſſet, litem amiſiſſet. In ratione intentionis hoc pacto: *Ajo, hunc ſervum meum eſſe, quia ex ancilla mea natus eſt.* Cui reus: *Nego, tuum eſſe, quia ex ancilla tua natus non eſt.* Tum petitor: *Spondeſne quingentos, ſi ex ancilla mea natus ſit.* Reus: *ſpondeo, ſi ex ancilla tua natus ſit. Et tu ſpondeſne quingentos, niſi ex ancilla tua natus ſit?* Petitor: *ſpondeo, niſi ex ancilla mea natus ſit.* In hoc genere pecunia, quæ interponebatur, ſacramentum; ſtipulatio, & reſtipulatio *ſponſio* dicebatur. Varr. de Ling. Lat. V. 7. *Quæ pecunia inter ſe contra ſponſum rogata erat, dicta ſponſio.* Paull. ff. de petit. hæred. *Si petitor ſatisdare noluerit*, id eſt, ſi a poſſeſſore *ſponſione* provocatus *ſponſionem* facere noluerit. Cicer. Verrin. I. 45. *Si quis teſtamento ſe hæredem eſſe arbitraretur, quod tum non extaret, lege ageret in hæreditatem, aut pro præde litis vindiciarum cum ſatis accepiſſet, ſponſionem faceret: ita de hæreditate certaret.* Ubi Aſconius: *Experiretur jure, quemadmodum probaret, ſe hæredem ſcriptum eſſe, & poſſeſſionem a prætore peteret. Itaque aut peteret, ut poſſeſſor eſſet, aut acciperet ab adverſario ſatis pro præda litis vindiciarum, & ipſe ſponſionem faceret. Lis autem vindiciarum eſt, cum litigatur de ea re apud prætorem, cujus incertum eſt quis debeat eſſe poſſeſſor. Et ideo, qui eam tenet, ſatisdat pro præda litis vindiciarum adverſario ſuo, quo illi ſatisfiat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturum, de qua jurgium eſſet. Rurſus ſponſione ipſe provocatur ab adverſario certæ pecuniæ, aut æſtimationis, quam amittat, ni ſua hæreditas ſit.* Hic *ſponſionem* facit petitor, *ſponſione* provocat poſſeſſor, hoc modo: Petitor: *Ajo hanc hæreditatem meam eſſe* Poſſeſſor: *Nego.* Petitor: *Spondeſne certam pecuniam, ſi mea ſit?* Poſſeſſor: *Spondeo, ſi tua ſit. Et tu ſpondeſne idem: Ni tua ſit.* Petitor: *Spondeo, ni tua ſit.* De ſacramento Feſtus, Varro, Aſconius, Arnobius. V. illos ſupr. in *Sacramentum.* Qui petebat, dicebatur *ſponſione*, & ſacramento provocare, quia interrogabat, *ſpondeſne quingentos?* item ſacramento rogare, quæ-

rere, & ſtipulari ob eandem cauſam. Ille, unde petebatur, dicebatur contendere ex provocatione, contendere ſacramento, & reſtipulari. Contendere ex provocatione, quia provocatus non recuſabat *ſponſionem*; ſacramento, quia pecuniam, quæ ſacramentum dicebatur, &, ut inquit Iſidor. v. *ſponſionis pignus erat*, ſe ſoluturum *ſpondebat*; reſtipulari, quia & ipſe ab actore viciſſim ſtipulabatur, poſtquam ipſe *ſpoponderat. Et tu ſpondeſne idem?* Uterque autem *ſpondere*, & *ſponſionem facere*, & ſe inter ſe *ſponſione* provocare dicebatur. Cæterum utraque *ſponſio* his verbis concipiebatur: *Si*, & *Niſi*. V. ſupr. in *Si*. Sigon. de Judic. I. 21.

SPONSUS, ut ornaretur, tondebatur. Juven. Sat. VI. 26.

— ſponſalia noſtra
Tempeſtate paras, jamque a tonſore magiſtro
Pecteris.

Capilli non omnino amovebantur, ſed potius comebantur, ac qui ſuperflui erant, tondebantur. Quod etiam a cæteris adſtantibus, obſervatum fuiſſe ſuſpicor, præſertim ab iis, qui ad celebrationem nuptiarum adhibebantur. Auſon. Eid. XIII. 64.

Et juvenes quatuor, totidem innuptaque puellæ:
Omnibus in morem tonſa eſt coma: pectine ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 17. Grang. in Juvenalem. Coronabatur. V. ſupr. in *Corona nuptialis*. Candidam veſtem gerebat, & candidatus vocabatur. Chalinus, qui ad Caſinæ nuptias animum appulerat, ſic de ſeipſo loquitur apud Plaut. II. 8. 10.

At candidatus cedit hic maſtigia.

Et de Olympione, qui, cum falſo futurum ſe Caſinæ *ſponſum* putaret, ludibrio habebatur, ſic ancilla IV. I. 9. V. illum ſupr. in *Corona nuptialis*. Lambin. in Plautum. Boſſ. de Toga c. 13.

SPORTULA erat corbis. Fiebat ex vimine. *Pitiſc. in Suet. Ner. c. 16. 3. Claude de Salut. Vet. c. 7.*

Sportula per metonymiam vocabatur cibus *ſportula* contentus: Cibi enim, qui a magnatibus, iis, qui vel officii gratia comitabantur, vel prima luce in atrium ſalutandi gratia conveniebant, dabantur, *ſportulis* ferri ſolebant. Græce, *δεῖπνον ἐν σπυρίδι*. Juven. Sat. III. 249.

Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo?

Statuebatur in limine domus. Juven. Sat. I. 59.

— nunc ſportula primo
Limine parva ſedet, turba rapienda togatæ.

Non erat vera cœna, ſed cœnam ementiebatur. Unde rectæ cœnæ opponebatur. Martialis ſupr. in *Cœna recta*. Divites liberaliores, & civiliores clientibus legitimum convivium exhibebant, quæ recta cœna dicebatur; ſordidiores vero, & maligniores rectæ cœnæ loco *ſportulam* tantum præbebant. *Alciat. Diſpunct.* III. 17. *Turneb. Adv.* X. 27. XXVIII. 24. *Bud. in Pandect. p.* 204. *C. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 174. *Lipen. de Stren.* III. §. 77. *Voſſ. Lex. Etymol. Kobierzyck. de Luxu.* II. 2. *Argol. ad Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 14. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 649. *F. Stuck. Ant. Conviv.* I. 35. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 24. *Pollet. For. Rom.* V. 11. *Meurſ. in Lycophr. n.* 480. *Baccius de Conviv. Antiq.* I. 2. *Laurent. de Conviv. Vet. c.* 7. *Alexand. Gen. dier.* V. 24. *& ad illum Tiraquellus. Claude de Salut. Vet. c.* 7. *Pitiſc. in Suet. Ner. c.* 16. *n.* 3. Interdum nummi *ſportulæ* loco cedebant. Juven. Sat. I. 117. mox laudandus. Erant centum quadrantes. Mart. I. 60. I.

Dat Bajana mihi quadrantes ſportula centum.

III. 7. I. V. illum ſupr. in *Clientes*. Bud. Alciat. Urſin. Kobierzyck. Urſat. Stuck. Claud. l. l. Pollet. For. Rom. I. 10. & l. l. Olim pauperibus tantum dabatur, poſtea divites, & potentes etiam captare, & expoſcere cœperunt, magnumque inter clientes certamen oriebatur, quisnam primus eam ſibi vendicaret. Hoc feſtiviſſime deſcribit Juven. Sat. I. 99.

— jubet a præcone vocari
Ipſos Trojugenas: nam vexant limen & ipſi
Nobiſcum, da prætori, da deinde tribuno.

Bud. ibid. F.

Sed libertinus prior eſt: prior, inquit, ego, adſum:
Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphratem.

Senatores ipſi, & alii potentes, ſed ab Imperatoribus, vel Principibus. Juven. ibid. n. 117.

Sed cum ſummus honor finito computet anno
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc eſt:
Et panis, fumusque domi.

Scholiaſtes: *Quid facient paraſiti, cum ſenatores ſic avidi ſint ad ſportulam.* Kobierzyck. Claud. l. l. Tribuebantur comitibus ſtabuli pro equis canonicis militaribus diœceſeos Africanæ: quod ſecundum Notitiam ſingularum provinciarum, locorumque conſuetudinem ſervari præcipitur l. 3. C. T. de collat. equor. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 17. Conſularis meminit Symm. Epiſt. X. 124. *Sportulam conſulatus mei, & amicitiæ noſtræ, & honori tuo debeo. Hanc in ſolido uno ad te miſi, orans, ut benigno animo ſollennia officii mei libamenta ſuſcipias.* Urſat. ibid. p. 650. A. Guther. l. l. Decurionalis, quæ a buleutis, id eſt, decurionibus dabatur, Plin. Epiſt. X. 117. *Qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios, vel ſingulos dare.* 118. *Invitatio & in numero modum excedit, & quaſi per corpora, non viritim ſingulos ex notitia ad ſollennes ſportulas contrahit.* Papin. l. ſpurii ff. de decurion. *Minores 25. annis decuriones facti ſportulas decurionum accipiunt.* Bud. ibid. G. Juret. in Symm. Epiſt. IV. 55. Guther. l. l. Judicialis tit. C. Juſtin. *de ſportulis, & ſumptibus in diverſis judiciis faciendis.* Harmenop. l. I. tit. 4. §. 53. *Jubemus pedaneos judices, qui θεματικοὶ κριταὶ, ex unaquaque auri libra non ultra tres aureos accipere, ab iis ſcilicet, qui locupletiores ſunt. Neve ſportularum exactio excedat aureos centum.* Alciat. & Guther. l. l. Caſaub. in Athen. VI. 8. Militaris l. 9. & 27. C. T. de cohort. princip. ubi hoc Juliani Imperatoris ſtatutum: *Sportula duci, in quinquaginta libras argenti, non ab uno primipilari, ſed ab univerſis pariter inferatur, nihilque amplius ſportulæ ſollennis prætextu exſculpere poſſunt.* Guther. l. l. Nuptialis Symm. Epiſt. IV. 55. *Non eadem facilitate purgabo: quod filii noſtri Minervii nuptias aliorum potius relatu, quam literis tuis comperi. An veritus es, ne a te nomiſma auro cuſum deſiderarem? Potui jacturam ſportulæ tacere.* IX. 97. *Pro filiis noſtris in duobus ſolidis ad te miſimus ſportulam nuptialem.* Apul. Apol. p. 539. *Quippe ita placuerat, in ſuburbana villa potius ut conjungeremur, ne cives denuo ad ſportulas convolarent: cum haud pridem Pudentilla de ſuo quinquaginta millia nummûm in populum expunxiſſet ea die, qua Pontianus uxorem duxit.* Juret. Guther. & Urſat. l. l. Demſter. Paralip. in Roſin. Antiq. Roman. V. 37. Fuerunt hæ numiſmata cum imaginibus novorum conjugum. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 2. §. 4. *Demſter. l. l.* Sacerdotalis. Suet. Claud. c. 9. n. 5. *Poſtremo ſeſtertium octogies pro introitu novi ſacerdotii coactus impendere.* Guther. l. l. Pitiſc. in Suetonium.

SPU.

SPUERE in ſinum eſt geſtus irati, & abominantis. Tib. I. 5. 53. de ſene amatore loquens:

Hunc puer, hunc juvenis turba circumſtetit arcta:
Deſpuit in molles & ſibi quiſque ſinus.

Juven. Sat. VII. 112.

Conſpuiturque ſinus.

Et puella ruſticum quendam, a quo amabatur, ridens, dum illi deformitatem, graveolentiam, & alia corporis vitia

vitia exprobrat; *ter in sinum suum inspuit* apud Theocrit. Eidyll. vi. 39.

> *Ne autem fascinari possem, ter in sinum despui:*
> *Hoc autem me anus Cotyttaris docuit.*

Alsar. de Invid. & Fascin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xii. p. 897. C. Minos in Alciat. Emblem. 110. in malis, aut morbis deprecandis ter solebant. V. supr. in *Nummus ternarius.*

SPURILIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

SPURIUS est, qui sine justo patre natus est, hoc est, qui patrem demonstrare non potest: vel qui potest quidem, sed non eum, qui jure quiritium probatus est. Plutarch. Quæst. Rom. 101. *Spurius prænomen Romanum duabus literis indicatur S. P. Iisdem literis etiam nothos significant S. P. nimirum sine patre: quæ res errori ansam præbuit, cum spurius & incerto patre iisdem elementis notarentur, ut hi quoque spurii usurparentur.* Hotoman. de Spur. c. 1. Turneb. Adv. xxix. 13. Sigon. de Nomin. Roman. c. 3. Emend. ii. 7. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. xi. p. 950. E. Robort. Annot. i. 20. Crinit. de Honest. Discipl. xx. 5. Hinc illud Valerii Maximi: *Spurii dicuntur, patre incerto nati: quasi ἀπάτορες.* Ulpian. tit. reg. 4. *Qui matre certa, patre autem incerto nati sunt, spurii adpellantur.* Itaque quoniam, ubi legitimæ nuptiæ sunt, patrem liberi sequuntur l. cum legitimæ 19. ff. de stat. hom. proinde jus postliminii, patri competens, etiam ei, qui apud hostes ex eo, & uxore ipsius natus est, competit: ac rescriptum est, eum, qui cum sola matre in civitatem revertisset, *spurium* habendum esse: quippe qui tum demum; cum in civitatem adfertur, nasci videatur l. divi. 25. ff. de captiv. Nam, ut patrem definimus eum, quem nuptiæ demonstrant l. 19. ff. de stat. hom. eodem modo filium nominamus eum, qui ex viro, & uxore ipsius nascitur l. filium. 6. ff. de his qui sunt sui, vel alien. In libris nostris passim opponuntur justis liberis l. 4. in fin. ff. de in jus voc. l. ult. C. quand. mul. tut. quemadmodum apud Græcos νόθοι γνησίοις. Et in iisdem *vulgo quæsiti* appellantur l. vulgo quæsiti 23. ff. de stat. hom. proque iisdem hoc nomen usurpatur. Patet ex collatione l. 2. & 4. ff. unde cognati cum Ulpiani tit. reg. 5. Unde, quemadmodum *spurii* justis liberis, sic etiam vulgo quæsiti jure quæsitis opponuntur l. patronus. 18. ff. de bonis libert. l. si quis liberis 5. §. 3. ff. de agnosc. lib. & justus pater opponitur matri, quæ vulgo concepit l. Julia 44. §. 3. ff. de Rit. nupt. Et filii naturales rubr. C. de nat. lib. & l. ult. ff. de his qui sui vel alien. l. omnes 17. §. 1. ff. quæ in fraud. cred. Qua de causa pater naturalis confertur cum filia vulgo quæsita l. adoptivus 14. §. 2. ff. de Rit. nupt. l. 3. ff. de lib. caus. Divisio est multiplex. Nam alii ex concubinatu nascuntur, alii ex scortatione, alii ex stupro, alii ex adulterio, alii ex incestu. Vel planius: ex concubina, ex meretrice, ex virgine, vel vidua honestæ existimationis, ex adultera, ex cognita, ex serva non concubina, aut ex peregrina l. 25. ff. de captiv. ex uxore injusta, ut ea quæ sine patris jussu ducta est. Apul. Met. vi. p. 182. *Impares nuptiæ, & præterea in villa, & patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri: ac per hoc spurius iste nascetur.* Hotoman. l. l. Palæot. de Noth. & Spur. c. 16. n. 4. c. 18. n. 3. Heuter. de Lib. hom. nativ. c. 7. n. 3. Cujac. Observ. v. 6. *Spuriorum* veteris juris ratio hæc fuit, ut omnes gentilitatum, & agnationum expertes essent: quippe cum agnatio a patre sit, patrem autem *spurii* non habeant l. 2. & 4. ff. unde cognat. Sed cum vulgo concepti matrem sequantur, ut ait l. cum legitimæ 19. ff. de stat. hom. ac proinde cognationem per matrem adepti sint: quod caput prætor in edicto de cognatis posuit, id caput etiam ad *spurios* productum est d. l. 4. & §. vulgo quæsitos 4. Inst. de succ. cogn. Quod cum ita sit, facile intellectu est, quam inepte a nonnullis dubitetur, utrum *spurii* cives Romani, an vero peregrini essent. Quamquam ejus rei dubitationem videtur attulisse Justin. Novell. 89. Nam si pro exteris, & plane a civitate alienis numerabantur, quomodo Romani cives haberi potuissent? Hoc etiam affirmat Alciat. Parerg. iv. 6. Sed cum l. 1. §. 2. ff. ad Tertyll. & §. ult. ad Orphic. legitima matris hæreditas iis ex Orphiciano deferatur: item l. 2. & 4. & l. Modestinus ff. unde cogn. & §. 4. Inst. de succ. cogn. bon. possessio unde cognati: iis & inter se, & inter matrem, & ipsos concedatur: quid stultius est, quam dubitare, an cives Romani fuerint? Præterea cum l. 4. ff. de in jus voc. in jus vocatio iis adversus matrem denegetur, perspicuum est eam adversus alios omnes iis dari l. ex eo. 18. ff. de testib. Item videmus, eos hæredes institui, & cum iis testamenti factionem esse l. cum tabulis. 16. §. quoniam. ff. de his quæ ut indign. l. Lucius. 45. ff. de vulg. subst. l. Lucius 88. §. Dama de leg. 2. neque id tantum, verum etiam de inofficioso matris testamento queri posse l. si suspecta. 29. §. 1. ff. de inoffic. test. Item l. 3. §. 1. & l. 6. ff. de decur. *spurios* in decurionum numerum adlegi, atque adeo etiam eos, qui ex incestu nati sunt. Novi, quod a Justiniano introductum est, hæc est ratio. Ejus Novellis constitutionibus omnes *spuriorum* species, præter unam nothorum, sublatæ sunt. Nothos autem definit, qui ex concubinatu nati sunt, hoc est, ex muliere innupta, quam vir cælebs domi concubinatus causa solam habuit. Hujus juris origo prima ad Constantinum Imperatorem referenda est, quemadmodum testatur Justin. Novell. 89. & Zeno l. divi 5. C. de natural. liber. Sed ea ratio, semel ab illo inchoata, postea a consequentibus Imperatoribus mirifice amplificata est, usque ad tempora Justiniani, hoc est, per spatium annorum ducentorum. Justiniani jus duplex est: I. de *spuriorum* conditione. II. de legitimatione. *Spuriorum* conditio hæc a Justiniano definita est: ut ex intestati causa, si quidem justi liberi exstent, boni viri arbitratu alantur: si non exstent, sextans eis debeatur. Ex causa vero testamenti, si justi exstent, sola eis uncia relinqui possit: si testatoris parentes exstent, bes: si soli, quantumvis. Novell. 89. at in matris bonis, ut pro justis liberis habeantur l. si qua illustris C. ad SCtum Orphicianum. Pragmaticorum quæstiones hoc loco tractandæ sunt I. An nothis aliqua legitima debeatur. V. illam supr. in *Nothus.* II. An filiæ nothæ dos a patre debeatur. Nam testimonium exstat Ulpian. l. uxorem. 41. § pater naturalis. 11. ff. de leg. 3. ubi aperte scribitur, patrem non teneri dotem *spuriæ* filiæ constituere. Indeque vulgaris nata opinio est, patrem nothis puellis dotem non debere. Sed videamus, an lex illa nihil ad jus novum, hoc est, a Justiniano inductum pertineat: nam jure antiquo pater naturalis filiam alere non cogebatur l. 5. §. 4. ff. de agnoscend. lib. tantum abest, ut dotare cogeretur. Sed cum jure novo boni viri arbitratu alimenta debeantur, statuendum putarem, ex boni quoque viri arbitratu, pro facultatum paternarum modo, ei dotem, quæ quodammodo alimentorum locum obtinet, constituendam esse. III. Ad quem dos, si qua nothæ constituta est, soluto matrimonio, revertatur. De quo quia nihil toto jure constitutum est, non dubitarem, ad eum modum nobis respondendum esse, quem de cæteris dotibus in libro de Dotibus explicavimus. *Hotoman. ibid. c. 3.* De illorum legitimatione V. supr. in *Legitimatio.* V. plura apud *Palæotum*, & *Heuterum.*

Spurius prænomen fuit frequentissime ab antiquis duabus literis SP explicatum. Prænomen hoc, licet vulgatissimum, & gentilitium, pro cognomine tamen in lapidibus noto. Cognomen est in saxo apud Gruter. Inscript. p. 994. n. 11.

CN. SERVILIUS
CN. L
SPURIUS
V. F.

Gentilitium in monumento apud Gruter. ibid. p. 470. n. 7.

. . . .
MANIBUS

SEX. SPURII
SEX. E. VOL
SILVANI

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. *p.* 951. *E.*

SPUTUM in maleficus fronti illinebatur luſtrale infami digito, & exſpuebatur. Petron. c. 91. *Mox turbatum ſputo pulverem medio ſuſtulit digito, frontemque repugnantis ſignavit: hoc peracto carmine, ter me juſſit exſpuere.* Perſ. Sat. II. 33.

> *Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis*
> *Expiat.*

Turneb. Adv. XXVI. 6.

SQU.

SQUILLA fuit edulium pretioſum. Afferebatur non vilioribus convivis, ſed tantum dominis. Aſparagis ornabatur, & conviviis inferebatur. Juven. Sat. V. 80.

> *Adſpice, quam longo diſtendat pectore lancem,*
> *Quæ fertur domino ſquilla, & quibus undique ſepta*
> *Aſparagis, qua deſpiciat convivia cauda.*

Lucillius ſuo ævo jam in pretio fuiſſe oſtendit, cum de Gallonio nobili lurcone loquitur:

> *Cœnaſti in vita nunquam bene, cum omnia in illa*
> *Conſumis ſquilla.*

Nonn. de Re cibar. III. 36.

STA.

ST an nota fuerit ſilentii. V. ſupr. in *S.*

STABULARIUS vocabatur caupo, magiſter diverſorii, cui pretium *ſtabuli*, ſeu diverſorii perſolvitur. Tertull. Apolog. c. 39. *Herculanarum decimarum, pollinctorum ſumptus ſtabularii ſupputabunt.* Ulpianus Ictus: *Caupones, & ſtabularios eos accipimus, qui cauponam, vel ſtabulum exercent.* Stuck. Ant. Conviv. I. 28. Barth. Adv. XXXIII. 12.

STABULUM ſonat diverſorium. Petron. c. 6. *Nec quo loco ſtabulum eſſet, ſciebam.* Apul. Met. I. p. 28. *Ego vero, quod primum ingreſſus ſtabulum conſpicatus ſum, acceſſi, de quadam anu caupona illico percontor.* *Stare* enim pro morari ponitur. Hygin. Fab. 8. *Caſu in eodem loco, quo illa pervenerat, Epaphus Sicyonius ſtabat.* Barth. Adv. V. 2: XXXIII. 12. Stuck. Ant. Conviv. I. 28. Coler. Parerg. c. 8. Bebel. de Abuſion. Ling. Lat. c. 24. Pamel. in Cyprian. Epiſt. ad Stephanum. Wouwer. in Petronium.

Stabula ſua habuerunt aurigæ. Tacit. Hiſt. II. 94. 5. *Ipſe*, Vitellius, *ſola perdendi cura, ſtabula aurigis exſtruere.* Suet. Cal. c. 55. n. 6. *Praſinæ factioni ita addictus, & deditus, ut cœnaret in ſtabulo aſſidue, & maneret.* *Stabula* quatuor factionum in regione Urbis nona, quæ circus Flaminius, collocant P. Victor, & S. Rufus. *Pitiſc. in Suetonium.* Quod ea nuſquam niſi hoc loco memorentur, tametſi in aliis aliquot regionibus circi fuere, & inprimis circus maximus in undecima, ſatis evidenti indicio ſunt, extra ſolam ea portam Carmentalem fuiſſe, ubi forſan primo propter circum maximum facta, qui primus omnium fuit, cuique extra mœniorum ambitum propinquior locus, & pomparum principio commodior nullus fuit. Deinde vero & Flaminio, qui propior, & aliis item circis ea inſerviiſſe tantum non certo affirmari poteſt. In his ſingulis circis peculiaria ſua fuiſſe equilia, ut & curruum receptacula, forte & cellas, & diverſoria aurigarum, perquam veriſimile eſt. Ubi autem hæc *ſtabula* fuerint, exacte indicari vix poteſt; non tamen multum a porta disjuncta fuiſſe videntur, quia Rufus, & Victor unanimiter ea in principio regionis collocavere juxta templum Apollinis. Aurigarum factiones circenſes quatuor V. ſupr. in *Factio.* Nardin. Rom. Vet. VI. 2. Pancirol. Deſcript. Urbis Romæ Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 357. D.

STADIODROMI vocabantur curſores, qui *ſtadium* percurrebant. *Bud. in Pandect. p. 96. B.* Cum metas attigiſſent, ibi paulliſper conſtitiſſe videntur, ut bravium acciperent. Iſiod. Peluſ. Epiſt. I. 144. *Ut in ſtadiis ſtatio, & quies contrariam parit motionem; niſi enim ſtaret, non in contrarium iret.* Buleng. de Circo c. 31. Fazold. de Feſt. Græcor. Feſt. I. §. 20. 21. Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c. 12. Lyd. Agon. ſacr. Proleg. p. 11.

STADIUM fuit menſura Græcorum, cujus tamen uſus & nomen ad Romanos tranſivit, conſtans paſſibus centum viginti quinque. Colum. V. 1. *Stadium habet paſſus centum viginti quinque, id eſt, pedes ſexcentos viginti quinque.* Plin. II. 23. *Stadium centum viginti quinque noſtros efficit paſſus, hoc eſt, pedes ſexcentos viginti quinque.* Ex cujus ſententia illud animadverterunt juniores, longitudinis diverſæ fuiſſe pedem Græcum a Latino: nam ex Herodoti, & Suidæ ſententia, *ſtadium* Græcum, quod conſtat ex Græcis pedibus ſexcentis, pedes efficit Romanos, ut Plinius declarat, ſexcentos viginti quinque: qua ratione pes Græcus Romano pede longior eſt ſemuncia ejuſdem Romani pedis; ſexcentæ enim ſemunciæ conſtituunt viginti illos pedes, qui ſexcentenorum numerum excedunt. *Patus de Roman. & Græcor. menſ. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1814. *C. Cenal. de Pond. & menſ. rat. Theſ. Græv. ibid. p.* 1484. *C. Lindenbr. in Cenſorin. p.* 86. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 200. *B. Bergier. de viis milit.* III. *ſect.* XI. §. 7. *Crinit. de Honeſt. Diſcipl.* XXI. 10 *Delrio in Senec. Thyeſt. n.* 130.

Stadium in gymnaſiis fuit undecima, ac omnium poſtrema pars, ubi populus cum voluptate athletas certantes ſpectabat: & nihil aliud erat, quam hemiſphærium quoddam multis gradibus conſtructum, unde poterant commode ſpectatores, qui ſemper eo plurimi confluebant, certatores intueri. An autem inter ipſum, & xyſtum, ſeu peridromidas murus intercederet; atque inde per oſtium ex platanonibus gymnaſiorum athletæ arenam *ſtadii* prodirent, etſi a Vitruvio nil explicatum habeatur, rationi tamen conſentaneum videtur, univerſum ædificium, ne cuivis pateret, muro concluſum, & propterea a gymnaſio *ſtadium* muri ſepto diviſum fuiſſe. *Mercur. Gymnaſt.* I. 10. Pedes ſexcentos, & viginti quinque erat longum; juxta Suidam ſexcentos. Suidæ adſtipulatur Schol. Pindar. p. 150. *Stadium dicebatur locus ille, in quo* curſores *currebant. Erat vero, ut ajunt, trecentorum cubitorum ſpatium.* Faſold. de Feſt. Græcor. Feſt. I. §. 18. Poſt xyſtum collocat Vitruv. V. 11. nempe ſub dio: *Poſt xyſtum*, inquit, *ſtadium ita figuratum eſt, ut poſſint hominum copia cum laxamento athletas certantes ſpectare.* In illo curſores, aut athletæ exercebantur currendo, aut luctando. Cicer. Tuſc. Quæſt. II. 23. *Ut in ſtadio curſores exclamant quam maxime poſſunt.* Primum Romæ a Domitiano eſt conſtitutum. Suet. Domit. c. 5. n. 3. *Excitavit & ſtadium.* Non enim Italicæ fuiſſe conſuetudinis uſque ad ſua tempora, ad ætatem nempe Auguſti, palæſtrarum ædificationem fatetur Vitruvius: neque ab aliis Principibus uſque ad Domitianum ædificium tale erectum reperio. *Panvin. de Lud. circenſ.* II. 1. *& ad illum Argolus. Philander in Vitruvium. Baldus Lex. Vitruv. Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c.* 12. *Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 158. *& ad illum Salmuth. Nardin. Rom. vet.* VI. 10. *Lyd. Agon. ſacr. c.* 22. Qui fortaſſe hoc prope naumachiam ſuam exſtruxerit, in quo præter curſum certamine gymnico exercerentur pugiles. Huic ſpectaculo præſediſſe illum teſtis & Suet. c. 4. n. 10. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 12. Nos quadratos lateres ampliſſimos ex ruinis, quæ eccleſiam S. Sylveſtri monialium, nunc celebre monaſterium ſepiunt, extractos vidimus, quorum pars literas habet a figulo, priuſquam cæmentum exſiccaretur, impreſſas in hæc verba: DOMITIANA MAJOR PARS. DOMITIANA MINOR. *Blond. Inſtaur. Rom.* II. §. 13. Sed ex his mihi potius colligi videtur, Domitianum partes ejus quaſdam am-

ampliasse, quarum hæc fuerit in lateribus distinctio. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 10.

STAGNUM Agrippæ in hortis Agrippæ fuisse probabile est, potius quam trans Tiberim, ut quidam ponunt. De eo Tacit. Annal. XV. 37. 2. *In stagno Agrippæ* Nero *fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium aliarum tractu moveretur.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Lips. in Tacit. Annal. XV. n. 56.

Stagnum Neronis fuit, ubi amphitheatrum Flavium est. Mart. de Spectac. II. 5. V. illum supr. in *Amphitheatrum.* Describitur a Suet. Ner. c. 31. n. 5. *Stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad urbium speciem.* Unde conjicere licet, *stagnum* illud una cum ædificiis, quibus cingebatur, non modo spatium omne amphitheatri occupasse, sed & quidquid planitici fuit inter illud, & Esquilias, ac partem Cœlii septentrionalem. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9. *Donat. de Urb. Rom.* III. 5. *Baccius de Therm. Vet.* c. 8. Quod non plane constat, an ad navigationis usum, an pro naumachia fuerit a Nerone constitutum. Usum tamen utrumque præstare poterat: sicut & de altero ejus nominis meminit Tacit. Annal. XIV. 14. 3. *Clausisse Neronem in valle Vaticana spatium, in quo equos regeret, apud nemus, quod navali stagno circumposuit*, quod addit ibid. c. 15. n. 2. *Stagni* hujus in Vaticano naumachiæ nomine meminit Egesippus Græcus auctor in D. Petri, & Paulli Martyrologus. *Baccius l. l.*

STAJOLUS est mensura, qua agri mensurantur, constans ex palmis quinque, & dodrante ipsius palmi, hoc est, tribus quartis partibus palmi. Hujus originem, & nomen ab opilionum palis provenisse conjicio; nam ipsi palos, quibus retia ad continendas oves suspendunt, *stajolos*, eo quod stantes retia sustineant, hodie quoque appellant: suntque ejus longitudinis, ut, cum terra semipalmari spatio defixi fuerint, extrema superiore parte, hominis imum pectus pertingant; quæ cum ea, quam dixi, mensura palmorum quinque, & dodrantis concurrit. Cum quibus forsan palis opiliones ipsi, his superioribus calamitatum temporibus, agros, quorum herbas vilissimo pretio emebant, forsan metiri solebant, & exinde in usum, certamque mensuram translati, nomen conservant. Hic autem *stajolus* nihil cum antiquis mensuris commune habet, nec simile. *Patus de Roman. & Græcor. mens.* II. *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1623. *C.*

STALAGMIUM, *genus inaurium. Cæcilius:*

Ex aure ejus stalagmium domi habeo.

Festus. Plaut. Men. III. 3. 17.

Amabo, mi Menæchme, inaures da mihi
Faciundas pondo duûm nummûm stalagmia.

Ubi per appositionem cohærent, *inaures stalagmia.* Erat inaurium genus oblongum. Σταλαγμὸς, sive guttæ figuram habebat baca, quæ in genere hoc inaurium pendula erat. *Bartholin. de Inaurib. c.* 1. *Taubmann. in Plautum. Pignor. de Serv. p.* 410. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* I. 20.

STANTES gladiatores dicebantur pugnare, qui alium non insequuntur, qui immobiles stant, nec mutant locum; adversariique ictus, vel corpore eludunt, vel clypeo avertunt, vel illi in eodem loco manentes alios inferunt; quam pugnandi rationem non ineleganter nobis ob oculos ponit auctor carminis ad Pison. n. 166.

Arma tuis etiam si forte rotare lacertis,
Inque gradu clausis libuit consistere membris,
Et vitare simul, simul & captare petentem.

Ita de vera militia loquebantur; unde *miles statarius.* V. illum supr. in *Milites.* Secutores vero Artemidorus scribit *semper insequi*: & Isidorus secutorem ab *insequendo* retiarium censet dictum esse. Ideo gladiator *stans novies vicisse* dicitur in inscriptione apud Gruter. p. 334. n. 4.

FLAMMA. SIC. VIX. AN. XXX
PUGNAT. XXXIIII. VICIT. XXI
STANS. VIIII. MIS. IIII. NAT. SRUS
HUI. DELICATUS. COARMIO. MERENTI. FECIT.

Cuper. Inscript. §. 12. certantes, vel sese exercentes spectabant, sed non ob aliud, nisi ut amphitheatra illa lignea majorem hominum multitudinem capere valerent, quandoquidem antiquitus subsellia quisque sibi ferebat, quibus ad commode, & citra molestiam spectandum: nec non aliquando pro telis, dum pugnabant de loco, utebantur: isque usus primum M. Messalla, & Cassio consulibus crevit, mox P. Scipione Nasica censore Scto cautum est, ne cui in Urbe, propiusve mille passuum subsellia posuisse, sedentive ludos spectare licitum esset. Quod porro est traditum, antiquis Romanis lege cautum fuisse, ut adorantes *starent* erecti, *stantesque* Jovi sacrificarent, quemadmodum de quodam scribit Mart. XII. 78. 1.

Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues
Æthon.

Minime ad athletas in sacris certaminibus, vel in celebrandis sacrificiis ludere solitos pertinuisse arbitror, quin potius altiori, & æquiore causa illud factitatum pro certo teneo, ne scilicet sedentes, sive jacentes in adorando, somno, quod intente speculantibus sæpenumero contingere consuevit, caperentur, sed attente simul, & vigilanter diutius in adorationibus perseverarent. Nisi dicamus, illud pariter veteres effecisse ad præstandam iis ipsis reverentiam majorem. *Mercur. Gymnast.* III. 3. *Laurent. var. sacr. c.* 10. Vota etiam concipiebant. V. infr. in *Votum.*

STAPEDA, *stapes*, sive *stapia*, vocatur instrumentum ferreum, ab equi lateribus utrimque dependens, cui innituntur, atque insistunt equitantium pedes. *Voss. de vit. serm.* I. 7. Res hæc quotidiana, quia ei Latinum nomen non est, ne vocabulo careret, Franc. Philelphus patrum ætate *stapedam* appellavit, quod pes in eo *staret.* Budæus melius, puriusque putavit circumscribi, & *subjicem pedaneum* dici. *Lips. de Milit. Rom.* III. *dial.* 7. *Voss. l. l. Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 84. Johannes Tortellius Aretinus, Laurentii Vallæ coætaneus in Lexico suo *stapias* apud antiquos non fuisse in usu literis prodidit. Ejus sententia eruditorum omnium calculis, si Galeotum Martium excipias, comprobata fuit, atque hodie comprobatur. Hic enim de Promisc. doctr. c. 28. cum male hoc nomine accipit: *Negat* Tortellius, *clostrum, quo equum ascendimus, Latinos habuisse.* Lucret. V. 1296.

Et prius est armatum in equo conscendere clostris.

Klosta scala est, & id quod ab ephippio ad ventrem usque equorum *pendet, ascensuro in equum, ut scala, facilitatem præbet.* Sed dicat Martius, quonam Lucretii codice *clostris* legerit, & apud quem auctorem *klostam* scalam significare invenerit. Tam manuscripta enim, quæ viderim, exemplaria, quam typis repræsentata *in equi costas* habent; & Græcis non *klosta*, sed *κρόσσα*, ut omnes norunt, scalam significat. Nam quotusquisque vel semidoctus literator fuerit, qui non videat Lucretium equestris artis incrementa afferentem, & a simplici equorum usu exorsum, non potuisse statim *stapiarum* meminisse? *Stapiarum* usum apud antiquos nullum fuisse, præter equestres antiquorum statuas, præterque vetusta numismata, & in antiquis marmoribus a sculptoribus equites equis vehentes expressos, hæc etiam manifeste demonstrant. Xenophon lib. de Re equestri, dum quo pacto equus conscendi debeat, edocere nititur, *stapiarum* usum non agnoscit. Hippocrates de aere, aquis, & locis, loquens de Scythis, innuere videtur, sua ætate nec Scythis, nec aliis nationibus cognitas fuisse *stapias.* In hanc enim loquitur sententiam: *Ab equitatione ipsa diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirum propendentibus semper ex equis eorum cruribus.* Accedit huc Suet. Cal. c. 13. n. 3. ut quæ de aliis nationibus fateri cogimur, de Latinis quoque vera esse, nemini negare sit integrum: qui equitum crura, nullibi conquiescentibus pedibus, propendere consuevisse demonstrat, dum Germanicum, Caligulæ patrem, *ad crurum gracilitatem*, quæ formæ minus congruebat, *replendam ab assidua equi vectatione post cibum*, adjumenta pe-

tuiſſe dicit. Novimus enim ſtatim pranſorum crura, ſi aſſidue equis *ſtapiis* carentibus illi vehant, quod propendeant, atque huc, & illuc agantur, ſanguine plurimo, atque humoribus in ea decumbentibus, inſignem adipiſci craſſitiem. Præterea Pollux x. 10. & 12. in quibus agit de vehiculis, eorumque partibus, ac de equeſtribus inſtrumentis, & reliqua omnia exſecutus, *ſtapiæ*, aut inſtrumenti ſimilis nullam habet mentionem. Licet autem verum ſit, antiquos *ſtapias* nullas habuiſſe, non eſt tamen negandum, adeo non vetuſtis, nec etiam nobis vicinis temporibus harum uſum agnoſci. *Biſtapia* pro binis *ſtapiis* legitur apud Hieron. in Epiſtolis: *Si memoria non labat, ſe, cum quandam accepit literas jumenta conſcenſurum, jam pedem habuiſſe in biſtapia.* Romæ quoque in vetuſto lapide *ſtapiæ* haud dubie mentio ſit. Inſcriptionis hic eſt finis:

. . . . CASU. DESILIENS
PES. HÆSIT. STAPIÆ. TRACTUS.
INTERII. IN. REM. TUAM. MATU-
RE. PROPERA. VALE.

Inſcriptionem hanc, monumentumque hominis non fuiſſe Chriſtiani, ex interpunctis literis D. M. præmiſſis cognoſcimus, quæ *diis manibus* defuncti ſepulcrum eſſe dicatum ſignificant: ut liquet ex Gell. x. 18. *Id monumentum Artemiſia cum diis manibus ſacris Mauſoli dicaret.* Mag. Miſc. ii. 14. Voſſ. l. l. Donat. & Torrent. in Suetonium. Scher. in Polluc. p. 136. Licet. de Lucern. vi. 30. Buleng. de Circo c. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 17. §. 5. Lipſ. de Milit. Rom. iii. dial. 7. Brod. Miſc. iv. 16. Salmaſ. in Spartian. Caracall. c. 7. Hugo de Milit. equeſt. i. 4. Hennin. in Bergier. de viis milit. iv. 39. 1. Patinus tamen hæc inſtrumenta valde recentia facit p. 333. Scaliger quoque novitiam rem eſſe tradit, & eam ob cauſam maxime in Conſtantini Imperatoris nummum argenteum recentem eſſe judicat. De ætate monumenti Romani nihil conſtat. Varia ſunt, quæ illud vel ultimi ævi, ſuppoſititium eſſe ſuadent: unde etiam Gruterus ſpuriis inſcriptionibus inſeruit. Negari tamen non poteſt, quin inſtrumenti hujus mentio ſit apud Euſtathium, qui floruit Manuelis Comneni temporibus circa annum Chriſti 1150. item ſub Alexio Comneno, & Andronico ad Odyſſ. A. Ἀναβάλλειν *ſignificat in equum levare, & equo ut inſideat eques facere; inde* ἀναβολεὺς *non modo ferrum notat, cui pedes inſerentes equos nonnulli aſcendunt, ſed etiam hominem, qui eidem rei inſervit.* Ante Euſtathium Suidas, qui vixit temporibus Alexii Comneni prioris circa annum Chriſti 1080. idem inſtrumentum nominat: Ἀναβολεὺς *apud Romanos dicta eſt ſcala.* Cuper. in Lactant. de mort. perſec. c. 7. Lipſ. l. l. Potter. Archæol. Græc. iii. 3. Ego, ut meam ſententiam libere proferam, cenſeo, *ſtapedem*, qua nunc utimur, duos uſus habere, tum conſcendendi dorſum equi, tum ſtabiliendi pedes equitis equum ſeſſitantis: quorum uſuum prior antiquior fuit, recentior alter: ac proinde *ſtapedes* aſſiduæ pendentes e ſella non ita veteris inſtituti fuiſſe. Vetuſtiores autem uſos olim machinula ferrea ad conſcendendum equos aperte monet Lucretius jam laudatus, dum ferri proponit uſum, quo miles *armatus equi conſuevit conſcendere coſtas*; quas gravi preſſus armatura, ſine fulcro nequierit in equum ſe ſaltu tollere. Quam quidem ferream machinulam non ab re fuerit putare fuiſſe vel in modum ſcalæ, vel in modum annulorum catenatim ad ſe invicem junctorum, per quos veluti per gradus in equum homo conſcenderet, præſertim ſenex, ac debilis; at miles agilis, & armatus, unico vel annulo ſellæ utcunque affixo facile conſcenderet equi dorſum, quo poſtea non uteretur ad pedes firmandos; id quod ævo poſteriori fuerit uſitatum: qui quidem annulus, etſi plures gradus non habuerit, attamen ſcalæ nomen ſortitus fuerit ab officio præſtito ſcandentibus equum. *Licet. l. l.* V. tamen etiam ſupr. in *Equus.*

STARE hoſtia dicebatur. V. ſupr. in *Hoſtia.* In judicio dicebatur, qui ſe exhibebat, & ſiſtebat, metaphora a prælio ducta, ubi congreſſuri *ſtant* in gradu, quem ceperunt ad reſiſtendum hoſti. Unde & appellatus *ſtatus* depulſio rei oppoſita intentioni, quod illis *ſtet*, pedemque figat reſtiturus, ut docet Cicer. Partit. c. 29. *Stare* ergo in judicio eleganter dicitur, qui reſponſurus, cauſamque dicturus adeſt. Horat. Sat. i. 9. 39.

—— inteream, ſi
Aut video ſtare, aut novi civilia jura.

Cicer. pro Quint. c. 6. *Veniunt frequentes, teſtificantur iſti, P. Quintium non ſtetiſſe, & ſe ſtetiſſe.* Pollet. For. Rom. v. 1. tunica dicebatur. V. infr. in *Tunica.*

STATA mater antiquis culta. Feſtus: *Statæ matris ſimulacrum in foro colebatur, poſtquam id colluſtravit* (Scaliger optime, *Cœlius ſtravit*) *ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore. Magna pars populi in ſuos quiſque vicos retulerunt ejus deæ cultum.* Gyrald. Synt. deor. i. p. 60. E. Siccam. in Faſt. Kalend. Roman. c. 4. Lipen. de Stren. c. 1. §. 6.

STATIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

STATICULA, ſive *ſtaticulum* vocatur etiam ſtatua. Hieronymus: *Uxor Loth fit ſtaticula ſalis.* Tertull. Adv. Gnoſt. c. 2. *Effodietis aras earum, evertetis, & comminuetis ſtaticula earum.* Plin. xxxvii. 10. *Reddunt ſpecies fluminum, nemorum, & jumentorum: jam & hederas, ſtaticula, equorum ornamenta.* Salmaſ. Plin. Exercit. p. 94. a. D. Scheffer. de Re vehic. i. 16. Spanhem. de Veſta p. 694. b. C.

Staticula vocantur imagines, & emblemata, qualibus ornari, atque incruſtari ſcyphi apud veteres ſolebant & ab illis accipiebant maximam admirationem, & æſtimationem. Plin. xxxiv. 17. *Cœpere & eſſeda, & vehicula, & petorrita exornare, ſimilique modo ad aurea quoque, non modo argentea ſtaticula inanis luxuria pervenit, quæque in ſcyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri, cultus vocatur.* Hoc loco viri docti, & inter illos Bud. in Pandect. p. 166. F. *ſtaticulum* exponunt genus vehiculi penſilis. Quod ſi fuiſſet, quomodo potuiſſet *atteri in vehiculis*, quod Plinius teſtatur. Currus certe non eſt *in vehiculo*, ſed ipſe ſibi eſt vehiculum: nec *in vehiculo atteritur*, ſed atteritur, ſi atteritur, per ſe ipſe. Sed nec, ſi genus fuit currus, *cerni* potuit *in ſcyphis.* Nec enim ulla genera vehiculorum, quæ imponi ſcyphis, poculiſve conſueverunt. Ac ne illos quidem recte puto facere, qui *ſtaticulum* ſignare volunt eſſedi anteriorem partem, in qua firmus, & ſtatus manet, qui habenas equis regit. Non enim magis pars hæc, quam vehiculum integrum, *cerni, terive in ſcyphis* ſolebat, quod tamen de *ſtaticulis* confirmat Plinius. *Staticula* vero ſunt, quas dixi, imagines. Ciceroni ſunt ſigilla, & ſcyphi eis ornati ſcyphi ſigillati. Verba ejus Verr. iv. 14. *Quum ſederem domi triſtis, accurrit Venerius, jubet me ſcyphos ſigillatos ad prætorem afferre.* In illis cernebantur *ſtaticula*, ſicut Plinius loquitur. Nempe *ſtaticula* ſunt *ſtatuæ.* V. ſupr. in *Staticula.* Et quia *ſtatuis* parvis, ſigillis, imaginibus, ſive ex toto, ſive ex dimidio ſpeciem ſuam exhibentibus adornabant ſcyphos, idcirco *ſtaticula in ſcyphis cerni* memoravit Plinius. Qualia deinde *ſtaticula* transferebantur etiam ad eſſeda, & petorrita, & id genus alia vehicula, artificioſiſſime cælata, & cruſtarum inſtar hic illic impoſita, unde poſtea ipſa vehicula celata dicebantur. *Scheffer. de Re vehic. i. 16. Salmaſ. in Exercit. p. 94. a. E.*

STATICULI dicebantur ſaltatores, e genere pantomimorum, quieti geſtu, & ſaltu. Vetus poeta:

Cinædus contra ſtaticulos ſtare nobis
Non magis potis eſt, quam fungus imbri.

Buleng. de Theatr. i. 51. & motus ipſi ſaltatorii. Cato apud Macrob. Sat. ii. 10. *Deſcendit de cantherio, inde ſtaticulos dare, ridicularia fundere.* Plaut. Perſ. v. 2. 40.

Nequeo, leno, quin tibi ſaltem ſtaticulum dem, olim quem Hegea
Faciebat.

Staticulos dare, ut *motus dare* Virgil. Georg. i. 350.

Dat motus incompoſitos, & carmina dicit.

Salmaſ.

Salmaſ. Exerc. Plin. p. 94. C. Turneb. Adv. IV. 22: XVII. 10: XVIII. 4. Palmer. Spicil. XV. p. 877.

STATICULUM, quod vocatur a Tertull. Adv. nat. I. 11. erat ſedile, id eſt lignum ſeſſile, quod a medio pali arrectarii prominebat, eique inſidebat cruciarius, ac ſubſidentis corpus hinc inde ſuſtentabatur, cruribus pendulis. De illo meminerunt Juſtin. contr. Tryphon. p. 318. D. laudatus ſupr. in *Crux compacta*. & Iren. Adv. hæret. II. 42. *Ipſe habitus crucis fines, & ſummitates habet quinque: duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, ubi requieſcit, qui clavis affigitur.* Firmic. de Error. prof. relig. p. 28. *Cornua nihil aliud niſi venerandum ſignum crucis monſtrant. Hujus ſigni uno extenſo, ac directo cornu mundus ſuſtentatur, terra conſtringitur.* Dixit *extenſum cornu*, quod Juſtinus ἐξέχον, & *ſuſtentari*, quod ille ἐποχεῖσθαι. In cruce Japponica non ſolum ſuppedaneum eſt, ſed etiam τὸ ἐν μέσῳ ἐξέχον πῆγμα, cui inſidet crucifigendus. Et ſane duo præcipua in hiſtoria crucis ſunt, τὸ ὑποπόδιον, καὶ τὸ ἐξέχον πῆγμα. *Scalig. Animadv. in Euſeb. p. 110. Kipping. Antiq. Roman.* II. 8. §. 8. Hoc remoto non potuit ſufficere ſuppedaneum, quamvis hoc maxime ponatur ad ſuſtinendam corporis molem fuiſſe commodum. Corpus & pedes quo arctius recto ſtipiti applicantur, eo illud prorſum ruit pronius. Ergo vere dicendo patibulati corpus requieſcebat in *ſtaticulo*, & in eodem conſiſtens carnifex diſpeſſis in patibulo manus clavis figebat. Itaque neque ſcalis opus fuit, quas præter hiſtoriam, & fidem veterum appingunt Lipſ. not. ad de cruce II. 8. Bartholin. Epiſt. medic. centur. I. p. 393. Ammon. Icon. Biblic. III. p. 107. *Kipping. l. l.* Et hoc profecto eſt imaginarium inventum, nullo uſpiam Juſtini verbulo teſtatum. Niſi quis immanes, & barbaros Japonenſes, toto penitus orbe diviſos, ſatis locupletes in hanc rem teſtes fore exiſtimat. Ὑποπόδιον καὶ τὸ ἐξέχον πῆγμα, quæ Scaliger diverſa putat, a Juſtino prorſus unum idemque habentur. Etenim quam apertiſſime patet, quatuor, non amplius, *crucis* cornua a Juſtino recenſeri, τὸ ὑπηρμένον, τὸ ἑκατέρωθεν, καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ ἐξέχον. Quorum in numerum inexorabilis neceſſitas flagitat ut referatur τὸ ὑποπόδιον. Intercidit igitur equitandum *crucis* ſedile, quippe vanum, & ſuper numerum. Neque cornua quinque ullo pacto agnoſcit Juſtinus. Accommodare enim vult ad crucis figuram Deut. c. 33. n. 17. *Cornua monocerotis ſunt cornua illius: eis gentes feriet ſimul uſque ab extremitate terræ.* Quemadmodum igitur quadruplex eſt orbis terrarum, perinde ut cœlorum, extremitas; quæ τέσσαρα ἄκρα ab interpretibus Græcis, *quatuor plagæ* a vulgato Latino redduntur Jer. c. 49. n. 36. orientalis nempe, & occidentalis: item ſeptentrionalis, & auſtralis: pari ratione crucis etiam extremitates, ſive cornua quatuor totidem terræ plagis reſpondentia Juſtinus contemplanda proponit, q. d. Crux, hoc eſt, Euangelium Chriſti crucifixi divina virtute ſua totum orbem penetrabit, cunctas terræ regiones pervadet, populos univerſos ubique locorum degentes mirandum in modum permovebit & percellet. Plane idem quod prædixerat Dominus Matth. c. 24. n. 14. Ita p. 334. E. ubi verba Pſalm. 22. n. 22. de Chriſto exponit, continuo docet, hinc peculiare mortis genus prænuntiari, τυτέςι ςαυρῦσθαι, fore nimirum ut cruci suffigendus eſſet: hoc eſt, crucis, ſive patibuli infeſtis, & præacutis cornibus graviſſime ſauciatus, atque confoſſus trucidaretur. Ex certiſſimis autem teſtibus, Euangeliſtis, manifeſto comperire, & manu tenere licet, quaternis tantummodo crucis cornibus vulneratum fuiſſe Chriſtum; v. g. binis tignis arrectarii: ſummo ſcilicet, propter fodicantes ibi ſacroſanctum ejus caput ſpineæ coronæ aculeos, & eidem adhuc erecto, necdum ingruente morte inclinato, altius adactos: & medio propter ambos pedes clavis illic transverberatos, & ſuppedaneo affixos: item binis transverſarii: quippe ad unam extremitatem dextra ejus, ad alteram ſiniſtra, ſuo utraque perforata, & alliſa clavo adhæſit. Irenæi verborum ſententia germana hinc declarari, & repugnantia omnis tolli nullo negotio poterit. Palam eſt Irenæum illa a Juſtino mutuatum. Et dextere accepta non diſcrepant a verbis Juſtini. Nam quinque fines, ſeu cornua illius nihil aliud reipſa ſunt quam quatuor hujus. Juſtinus enim certo quodam modo extremitates crucis contemplatur, nempe quatenus cornua apparent; hoc eſt, cum ut exſtantes, ſive eminentes, tum etiam ut feriendi, & acutiſſimo dolore cruciandi vim habentes. Itaque arrectarii extremitatem infimam ſilentio prætermittit, utpote nec vere exſtantem; quum obruta, ac defoſſa lateat: nec ulla cruciati ibidem, ac ab eadem corporis Dominici nota inſignem: quod longe primarium exiſtit. Huic accedit, quod ſuppedanei nomine commode intelligatur extremitas illa, tanquam pars ſubjacens, eique ſuſtentando inſerviens. Irenæus autem crucis fines, aut ſummitates, vel potius extremitates generaliter accipiens, præter quatuor illas ſuperiores, illam quoque, quæ in terram defigitur, quamvis adſpectum omnem fugiat, ſeorſum a ſuppedaneo, & nominatim ſibi commemorandam putavit: tum quia terminat arrectarii longitudinem, tum quia propoſito conducebat, nempe ad explendum numerum quinarium, cujus notationem eo loci de induſtria pluribus exemplis explicat. Porro ex Irenæi verbis efficitur, plane commentitium eſſe inequitabile illud cornu. Nam ſi quatuor ſunt, ad ſummum quinque univerſa crucis cornua: non utique ſex: totidem autem neceſſario ſunt numeranda, ſi Scaligerum audiemus. In latitudinem quidem bina extrema; in longitudinem vero non tantum bina ſimiliter extrema, ſed etiam bina inſuper intermedia: quum unius ſolum Irenæus, & ante eum Juſtinus, expreſſe meminerit. Neque nomine *unius in medio* inequitabile illud cornu ab Irenæo comprehenditur. Nam cum tria omnino ſint ſtipitis arrectarii cornua, quorum alterum ſummum eſt, cui titulus affigitur: alterum vero imum ex ſententia Irenæi quod humi depangitur, neceſſe eſt tertium, inter utrumque interjectum, duntaxat ſuppedaneum ſtatuamus: quoniam ejuſmodi eſt, ut crux eo carere nequeat, & ſedilis inequitandi, utpote ſupervacanei, jactura non ſit nauci facienda. Eodem ſpectant Irenæi verba: *ubi requieſcit, qui clavis affigitur*, hoc eſt, cui, tanquam fulcimento ſuppedaneo inſiſtit is, qui clavis eidem affigitur. Nam & ἀναπαύεσθαι, ſive requieſcere dicitur, qui a motu ceſſat, nec loco uſquam ſe movet; ſed iiſdem veſtigiis inhæret. Ambo hæc, ſtatus dico, & clavorum confixio, in ſuppedaneum ad amuſſim quadrant, in commentitium illud ſeſſile nequaquam. Nam, ut cogitetur crucifixus, ei inſidens, vectari & requieſcere, attamen clavis eidem non affigitur, quod præcipue recordari oportet. Hinc enim vel maxime nominis cornu origo. Neque enim ſecundum Juſtinum cornu id tantum eſt quod exſtat, & prominet, ſed in primis quod ad impetendum, & confodiendum valet. Τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον, *in medio ſtipitis impactum*, nihil ſane efficit, quo minus ſuppedaneum idem ipſum planiſſime exiſtimetur. Nam vel reſpectu latitudinis tigni arrectarii recte dictum accipiatur: ſiquidem in media ejus latitudine pertuſo cavo, aut exſculpto, immiſſum fuiſſe ſuppedanei cardinem, quo cruci coagmentaretur, conſentaneum eſt. Vel peræque etiam reſpectu longitudinis. Etenim ſi tota, ut placet Irenæo, infra ſuppedaneum ſtipitis longitudo ſumatur, tam ſubterranea ſcilicet, quam quæ e terra exſtat, ad imam uſque ligni extremitatem, haud dubie ſuppedaneum aut in medio poſitum cenſebimus, aut ſaltem a medio proxime disjunctum. Denique medium paſſim perhibetur, quod inter duo extrema interjacet, etſi a neutro æqualiter diſtat. Ἐφ' ᾧ ἐπόχυνται non eſt vertendum, *cui inſidunt & vectantur*, minus *cui inequitant & vectantur*. Malim *cui inſiſtunt, & vectantur*. Non enim ſtantes, aut inſiſtentes equo uſpiam equitare ſolent; ſed ſedentes, aut inſidentes: ſtantes autem ſatis commode vectari, præſertim curru, ſubinde uſitatum arbitror. Atque id demum vere proprieque eſt ὀχεῖσθαι, ſeu ἐποχεῖσθαι, ἀπὸ τῦ ὄχυ, quod ἅρμα, ſive currum denotat. Tales currus bellici priſcis temporibus fuerunt in uſu. His vecti milites, quos παραβάτας Græci vocant, non ſedentes, ſed erecti, ſtantes, ſive conſiſten-

tes

tes pugnare solebant. Hesych. *Parabatæ stantes e curribus pugnabant.* Quare crux Christo Domino currus instar erat: cujus in suppedaneo consistens, sive insistens, corpore animoque celso erectoque, cum omnibus hostibus suis, nostrisque validissime conflixit. Sed metaphorice, & admodum venuste, is etiam dicitur ἐποχεῖσθαι, qui sublime collocatus, fulcimento alicui innititur, ac eo sustinetur. Itaque lepidissime a Luciano apud Stephanum dicitur quis, qui suffultus incederet, ἐμβάταις ὑψηλοῖς, hoc est, calceis prealtis, sive cothurnis, eisdem ἐποχούμενος, id est, innixus, insistens, aut potius sublevatus, vel etiam sustentatus. Igitur in hanc quoque sententiam rite congruat dictio illa suppedaneo crucis fulcimento. Eo namque pedibus subdito, sive subjecto, qui crucem adscendit, sustinetur, hoc est, sursum tenetur, ex liquida compositionis ipsius ratione. Firmici verba fere idem sonant ac priora Irenæi. Ille nempe non aliter ac iste, *extensum, ac directum cornu* unum tantummodo agnoscit. Id saper, quod Irenæus *in medio positum* vocat, Firmicus *extensum, ac directum* nuncupat, hoc est, suppedaneum crucis pegma. *Extensum* videlicet, quasi extra superficiem planam tigni erecti extentum, ac prominens. *Directum*, quia ad angulos rectos, sive ad normam eidem arrectario impactum; idque e regione, non ex obliquo, vel a latere: hoc enim *transversum* dicitur Latinis, illud proprie *directum*. Quod ait Firmicus, unum hoc cornu *& sustentare, & constringere* soli suppedaneo convenit. Nam illud tum sustentandi vim virtutemque significare intelligatur: quia crucifixo est pro basi, qua totius corporis superstantis, in speciem cœli sursum undique tendentis, moles nitatur, tum constringendi, propter confixionem binorum clavorum, quibus tanquam ferreis vinculis, pedes, membra scilicet corporis humani infima (quem situm & globus terrestris obtinet in universi medio) arctissime, firmissime que suppedaneo conjunguntur, & copulantur. *Fuller. Miscell. sacror.* IV. 12. *Lanssel. Calumn. Casaub. in Baron. dispunct. c. 2. Curt. de Clav. dominic. c.* 11. *Nihus. de Cruce* §. 6. Fullerus ultima Irenæi verba: *ubi requiescit qui clavis figitur*, male conjungit, & explicat. Nam recte quiescit, qui pedibus insistit. Et quanquam quiescere diceretur pedibus innixus; tamen in vehiculo, vel sedili immoto securior quies, certiorque; nam in mobili vehiculo esse exercitium non ignoro. Statum deinde, & clavorum confixionem suppedaneo ad amussim quadrare Fullerus existimat, non sedili. Sed nullo jure utrumque copulat. Non requiescere dixit ea parte qua clavis affigitur, sed requiescere in medio trunco eum, qui crudelitati militum subjacet. Opponit quietem martyrio, docetque adeo misere clavis dilacerari Salvatorem, ut non pedis solius quiete, sed trunci totius per vehiculum medium indiguerit. Ita Justinus: *in quo vehuntur, qui crucis supplicium subeunt.* Si τὸ *quiescere* ad pedes solos restringat Fullerus, quia clavi junguntur, cur non ad manus pari clavorum vulnere perforatas æque spectet. Non effugiet vim verborum Irenæi & Justini, *medium & cornu*, quanquam tergiversetur. Utrumque rectius, pressiusque de vehiculo. Medium crucis locum non occupavere suppedanea in crucibus humilioribus, sed vix uno a terra pede distabant. Cujus testes sint imagines quotquot hactenus licuit contemplari, si unicam crucem coronatam excipias, quam Romæ in ecclesia S. Clementis vetustissimo, & eleganti opere musivo pictam simili typo Bosius de Triumph. cruc. VI. 11. nobis exhibuit. Hic infra mediam crucem impactum hypopodion terram, ut alia solent, non lambit. Cornu autem, quid ad suppedaneum? Nusquam cornutam faciem induxit hypopodion, nec, ut ille loquitur, ad impetendum & confodiendum valuit. Tabellæ largioris, vel trunci obtusi, crassique speciem ubique refert in picturis veteribus ecclesiæ, & sculpturis, nunquam in acutum desinit, ut nec pars ejus auctior ἐξέχον πῆγμα esse possit a medio deorsum vergens, quod contra Scaligerum finxit Lanssel. l. l. τοῦ κέρατος appellationem, usumve mereatur. Nam cornu ita comparatum est, ut sustineat angustiores partes si prematur, vel, si cum Firmico propius ad rem loquamur, constringatur velut eques in sella, latior vero tabella excipiat latiores pedum plantas. Quanto rectius τὸ *constringere* apud Firmicum de crurum accipiemus concursu, quam de clavorum in pedibus confixione cum Fullero. Non constringunt hi, sed affigunt. Cornu medium & sustentat cruciarium, & constringitur ipsum. *Barthol. de Cruce hypomn.* 1. §. 7. *de Unicorn. c.* 23.

STATILIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

STATIO capillorum dicebatur illorum in gradus compositio. V. illam supr. in *Gradus.*

STATIONARII milites. V. illos supr. in *Miles.*

STATIONES erant loca publica, in quibus otiosi stare, & confabulari solebant. Plin. Epist. I. 13. 2. *Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendi fabulis conterunt.* II. 9. 5. *Itaque prenso amicos, supplico, ambio domos; stationesque circumeo.* Erant pleræque circa Forum. In illis celebres erant municipiorum, dictæ, quod legati municipiorum illic versarentur. De illis Juven. Sat. XI. 4.

Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum
De Rutilo.

n. loquuntur, quod supplendum monet Scholiastes. Suet. Ner. c. 37. n. 2. *Quod tabernas tres de domo sua circa forum civitatibus ad stationem locasset.* Illis etiam in Foro Romano collocat P. Victor. Et per illas *in Forum usque Cæsaris penetrant radices loti* apud Plin. XVI. 44. Hisce forte *legatis municipiorum succurritur* apud Paull. Dig. IV. 6. 8. *Turneb. Adv.* I. 17. *Cujac. Observ.* II. 40. *Ravard. Var.* IV. 7. *Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Cellar. in Plinium. Oisel. in Gell.* XIII. 13.

Stationes vocabantur loca, in quibus a Principe missi sumptu publico alebantur. Arcad. l. pen. C. T. de curs. publ. *Per stationes singulas idoneos mancipes volumus collocari.* Græci σταθμοὺς appellant. Suidas. *Diversoria sunt currentium de civitate ad civitatem.* Vocabantur interdum mansiones, & mutationes. V. illas suis locis. *Pancirol. Notit. Dignit. imp. orient. c.* 6. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 25. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 9. §. 1.

Stationes in militia sunt solius diurni temporis custodia, ut volunt Lips. de Milit. Roman. V. 8. &, qui eum secutus est, Herm. Hugo de Milit. equest. IV. 2. Sed errat uterque. Opponuntur, non nego, interdum vigiliis, quasi diurna munia: ut apud Liv. IX. 24. *Fore ut minus intentæ in custodiam urbis diurnæ stationes, ac nocturnæ vigiliæ essent.* Et apud Tacit. Annal. XI. 18. 5. *Stationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia.* Sed non ideo opponuntur, quod *stationes* nullæ nocturnæ, sed quod vigiliæ nullæ diurnæ. *Stationum* vero quarundam ratio sit alia de nocte atque interdiu. *Stationes* nocturnas Romanorum apud bonos auctores passim reperire est. De Niso, & Euryalo portam castrorum Æneæ de nocte custodientibus Virg. Æneid. IX. 183.

Tunc quoque communi portam statione tenebant.

Stat. Theb. I. 147.

Non impacatis Regum advigilantia somnis
Pila, nec alterna ferri statione gementes
Excubiæ.

Ubi *excubantes* de nocte dicuntur *gemere*, id est, grave illis esse, ut apud Ovid. Met. I. 124.

—— *pressique jugo gemuere juvenci.*

Alterna ferri statione, hoc est, cum iis vigilandum, & alternis vicibus sub armis standum est. Proprie autem sumpsit vocabulum utrumque: ut enim excubantes excubiæ, sic in custodia, & sub armis stantes proprie *stationes* sunt, sive de die, sive de nocte fuerit. Poetica hæc est, inquis, licentia, & confusior paullo facundia: diurna munia ad noctem, nocturna ad diem propter similitudinem transfert. At possumus tibi historiæ principem dare testem Liv. III. 5. *Vigiliæ in urbe, stationes ante portas, præsidia in muris disposita.* XXV. 38. *Tertia vigilia noctis silenti agmine ducam vos: exploratum habeo, non vigiliarum ordinem, non stationes justas esse.* c. 39. *Ibi vero quo longius ab hoste aberant, & quia sub lucem pabulatum, lignatum,*

&

& prædatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia, ac soluta invenere: arma tantum in stationibus posita. Vixdum attulimus loci, ut ostenderemus, quam temere ex Tacit. l. l. vir doctissimus in hanc sententiam sit deductus, tum ut moneremus *stationes* nocturnas, quamvis confundantur interdum, sæpe tamen a vigiliis distingui. Vigilia enim tunc excubias quatuor virorum significant: at *stationes* grandiuscula corpora, ut quæ ad prætorium, & in portis. Hæc de castris nocturno tempore tollere, id vero non nimis bene sit consulere exercitus securitati. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1181. *D.* Qui *stationes* deserebant, capitali supplicio afficiebantur. Polyb. I. 17. *Pœna mortis apud Romanos illi, qui locum deseruisset, aut omnino fugisset ex statione.* Suet. Aug. c. 24. n. 5. *Centuriones stationes deserta, itidem ut manipulares, capitali animadversione punivit.* Suidas: *Statio est ordo per vices ante castra stantium. Et severa in eo lex est Romanorum, ut moriatur qui causa quacunque excesserit.* In quo tamen est, *quacunque causa* deserentes puniri, arctius in Polyb. vi. 35. qui *ob metum.* Arctius, &, nisi fallor, verius. Quid enim si impetus hostilis pepulit, & vis violenta? omnis ratio est ignosci. *Lips. de Milit. Rom.* v. 8. *&* 18. Ex ejus sententia *per metum* a Polybio recte additum: quasi si absque metu, ob aliam causam *stationem* deseruissent, delictum non fuisset capitale: quod omnino falsum esse, ex auctoribus allegatis patet. Rationem Lipsii, ob quam ignosci desertori deberet putat, levissimam esse credo; præsertim cum ex Romanorum constitutionibus constet: *suis militibus legem olim latam fuisse, ut aut vincerent pugnando, aut morerentur: quippe viam nullam salutis aliam victis superesse.* Polyb. vi. 56. Quid, si rationem velimus sequi, injustius? Quid, si Romana instituta consideremus, æquius? In militia nostra, sine ulla quoque injustitia, capitali supplicio, non qui *ob metum* tantum, sed *quamcunque causam* sine majoris jussu *stationem* deserit, afici omnes sciunt, qui militarium constitutionum non plane sunt ignari. V. artic. 21. 22. 24. 26. 27. 28. constit. milit. & quæ annotavit Pappus. Supervacanea verba ab auctore, & scriptore gravissimo non frustra sunt addita; sed hac restrictione ad *metum* non voluit significare, in eo casu desertionem solummodo fuisse capitalem, cum respexerit ad ea, quæ supra tradiderat: *hæc delicta*, scilicet, *ignaviæ, & militari probro adscribi:* ignavia enim summa, & militare probrum *per metum stationem deserere.* Quod non idem, si ob aliam causam, puta *ob barbaram imperium*, aut *vim violentam:* quod nihilominus capitale sit, non adeo tamen ignominiosum ex stricta disciplina; quæ temporum licentia corrupta, adeoque mitigata. Modestin. l. 3. §. 5. ff. de Re milit. *Qui stationis munus relinquit, plusquam emansor est. Itaque pro ratione delicti castigatur, aut gradu militiæ dejicitur.* Sichterman de Pœn. milit. c. 4.

Stationes agrariæ, quæ dicuntur Ammian. xxv. 4. *Salubriter, & caute castra metata, prætenturæ, stationesque agrariæ tutis rationibus ordinatæ:* & supr. in *Prætentura* ex emendatione Turneb. Adv. iv. 7. & Stewechii simpliciter agrariæ appellantur Veget. iii. 8. *Intra quæ in agrariis aliquanti pedites, equitesque degentes. . . .* erant præsidia militum, quæ in castellis, aut aggeribus publicis explorandi gratia constituebantur. Moris enim fuit Romanis, cum hostis non procul abesset, ex omni exercitu certos milites deligere, quos in castellis tumultuariis, aut aggeribus publicis collocabant, partim, ut commeatuum subvectioni securitas præstaretur, partim, ne inopinato hostium incursu turbaretur exercitus: idque etiam pacis tempore observabatur circa limitem, unde hostium incursus timebantur. Sic dictas existimo, ad differentiam castrensium, quæ fiunt in castris. A prætenturis differebant, quia prætenturæ fere de peditibus tantum dicuntur. Itaque Ammian. xiv. 2. de Isauris, quos pedites fuisse constat, scribit, eos *densis intersepsisse prætenturis.* Potest etiam id discrimen fuisse, ut prætenturæ quidem sub dio: agrariæ etiam in oppidis, & castellis muro cinctis agerentur: quod etiam docet Veget. l. l. *Vales. in Ammian.* xiv. 3.

Stationes navium erant, cum aquandi tantum gratia, vel ob aliam necessitatem parvo tempore naves quiescebant in tali, hoc est, quocunque loco, ubi tuto *stare* possint. Ita ex, licat Ulpian. l. 1. ff. 13. de flumin. *Stationem dicimus a statuendo, velut quidam alii, a stando. Is igitur locus demonstratur, ubicunque naves tuto stare possunt.* At tunc quidem nec fiebat descensus, nec tendebantur tabernacula, nec fossa, valloque quidquam muniebatur. Unde Rex Eumenes apud Liv. xxxvii. 15. *Illos tutissimo portu, opulentissima urbe fruentes, omnia Asia præbente, quieta æstiva acturos: Romanos aperto in mari fluctibus, tempestatibusque objectos omnium inopes in assidua statione futuros.* Talis Appii statio, de qua Liv. xxiv. 27. *Naves ad ostium portus, quo aliæ partis hominibus animus accederet, in statione habere cœpit.* Patet ex his verbis, diversas a portubus esse, & qualiacunque commoda navibus ad quiescendum loca, etiam inculta significare. Unde Cæs. de Bell. Gall. iii. 6. *Sacca inter & alia loca periculosa quietam nactus stationem, & portus omnes timens, quos teneri ab adversariis arbitrabatur, ad eum locum, qui appellatur Pharsalus, inuites exposuit.* Sed & longius a terra distare quam portus ostendit Liv. xxii. 19. *Scipio ab Tarracone altero die ad stationem decem millium passuum distantem ab ostio Iberi amnis pervenit. Adrubal, cujus naves erant in ipso ostio, militibus nuntiari jubet, arma caperent, classem Romanam haud procul a portu esse.* Græcis hujusmodi *statio* vocatur ὅρμος, & ἔφορμος. Inde *classem in statione tenere.* Liv. xxxi. 23. *Ne superato promontorio conspiceretur, classem in statione usque ad noctem tenuit.* Utuntur illis etiam ad struendas hostibus insidias. Hirt. de Bell. Alex. c. 25. *Expeditis navigiis locis idoneis ad Canopum in statione dispositis navibus insidiantur nostris commeatibus.* Scheffer. de Milit. nav. iii. 4.

STATIVA scilicet castra juxta, & secundum Rhenum habuerunt Romani, ad Germanos prohibendos transitu in Gallias, imo alibi per imperii limites. Erant duum genera, hiberna scilicet, & æstiva. Hiberna maxime erant secundum Rhenum, aliosque fluvios, qui limitabant imperium, ad quorum ripas legiones tendebant, & præsidio erant, ut resisterent vicinis barbaris, si qui Romanas terras infestare vellent: præcipue Germanis, qui per hyemem Rheno gelu constricto, & conglaciato, tanquam ponte, usi, in Gallias armati irruere, & prædas agere solebant. Ex his *stativis* paullatim factæ sunt urbes, oppida, castella, & alia loca munita, quæ legionum nomina ibidem tendentium obtinuerant. *Bergier. de viis milit.* iii. *sect.* 37. §. 8. V. & supr. in *Castra.*

STATIUS, prænomen, quod etiam *Statius* apud auctorem Epit. de Nom. rat. De eo sic Gell. iv, 20. *Statius servile nomen fuit: plerique apud veteres servi eo nomine fuerunt. Cæcilius quoque ille comœdiarum poeta inclytus, servus fuit: & propterea nomen habuit Statius.* Hinc est, quod equitum censum agentes P. Scipio Nasica, & M. Popilius censores, ut apud eundem est auctorem l. l. Sabinus Masurius refert: *equum nimis strigosum, & male habitum, sed equitem ejus uberrimum, & habitissimum cum viderent: & cur, inquiunt, ita est, ut tu sis quam equus curatior? quoniam, inquit ille, ego me curo, equum Statius meus servus.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 969. C. Panvin. de Nomin. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. ii. p. 2006. D. 2033. A. Sigon. de Nomin. Roman. c. 3.

STATORES fuerunt milites ad Cæsarum custodiam. Meminerunt eorum saxa prisca, ut apud Gruterum: M. AURELIO CÆSARI. . . . PETRONIUS. MAMERTINUS ET CAVIUS MAXIMUS PR. PR. TRIBUNI COHORTIUM PRÆTORIARUM. DECEM ET URBANARUM TRIUM CENTURIONES COHORTIUM PRÆTORIARUM ET URBANARUM ET STATORUM EVOCATI. COHORTES PRÆTORIÆ DECEM ET URBANÆ X. XII. XIII. CENTURIÆ STATORUM OPTIMO AC PIISSIMO. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1084. *E.* In castris prætorii posticium tuebantur. Hygin. Gromat. *Lateribus ejusdem,* quæ-

quæstoris, *tendere debent ad viam quintanam centuriæ statorum, ut posticium prætorii tueantur, & proximi sint imperatori, quibus duplam pedaturam assignavimus, quod eisdem censitis tuantur, quibus cohortes prætoriæ.* Hinc *statores prætorii* dicuntur in veteribus inscriptionibus: L. MARIO. VERNO. STATORI. PR. id est, *statori prætorii.* Item in alia: HERCULANUS. MIL. N. STAT. PR. id est, *miles numeri statorum prætorii.* Duæ *statorum* centuriæ in singulis castris, quibus præerant evocati. Inde *evocati statorum* in saxo laudato. Magistratuum etiam stante Republica. Cicer. Fam. II. 17. *Literas tuas a te mihi stator tuus reddidit.* X. 21. *Præsto mihi fuit stator ejus cum literis, quibus ne venirem denuntiabat.* Per hos Verus Cappadociæ legatus nuntiavit Marco defectum Cassii apud Volcat. Avid. Cass. c. 9. apud quem pro *cursatores* legendum *Veri statores.* Salmas. in Volcatium. Ab illis etiam rei adservabintur. Pontius in vita Cypriani: *Ductus, & susceptus est Cyprianus custodiendus ab statore officii proconsulis.* Constant. l. 1. C. T. de custod. reor. *Illud etiam observabitur, ut neque his, qui statorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat crudelitatem suam, & accusatoribus vendere, & innocentes intra carcerum septa letho dare.* Brisson. de Form. V. p. 473. Pollet. For. Rom. V. 13.

STATUA apud veteres dicebatur promiscue simulacrum, imago, signum. Triplicem istam appellationem uni rei accommodat Cicer. pro dom. c. 43. ubi de Tanagrææ meretricis *statua*, quam Libertatis nomine P. Clodius, postquam Ciceronis exsulis domum evertisset, & religione obligasset, in eadem collocavit. *Simulacrum* appellat, cum dicit: *Tanagræa quædam meretrix fuisse dicitur: ejus non longe a Tanagris simulacrum e marmore in sepulcro positum fuit.* Tum *signum* his verbis: *Signum de busto meretricis ablatum isti dedit.* Et deinceps *imaginem* hisce: *Hanc deam quisquam violare audeat, imaginem meretricis, ornamentum sepulcri. . . . .* Subest nihilominus discrimen haud exiguum. V. illud supr. suis locis. *Figrell. de Stat. Roman. c. 1. Buleng. de Pictur.* I. 2. *Statuarum* originem Sarucho Abrahami proavo tribuit Cedren. in Synops. Histor. *Primus Saruch*, inquit, *eos, qui aliquid ex virtute gessissent memoria dignum, statuis honoravit.* A quo didicit fortassis Thare pater Abrahami, de quo idem: *Erat statuarius, e ligno, & lapide deos fingens.* Quod videtur mutuatus ab Eusebio, qui in Chronico tradit primum Saruch εἰδωλομανίαν induxisse: & Epiphanio, qui in Panario I. 1. 6. dicit Thare primum fuisse πηλουργὸν καὶ πλάστην, primum fictorem ex luto, quæ antiquissima erat statuarum materia. *Figrell. ibid. c. 4. Buleng. ibid. c.* 18. *Sched. de Diis Germ.* I. 3. & II. *Menoch. de Republ. Hebræor.* VII. 3. *Elmenhorst. in Minuc. Fel. p.* 157. *Voss. de Idolol.* III. 45. *de Art. popul. c.* 5. §. 4. *Buleng. de Pictur.* I. 18: II. 12. Occasionem præbuere defunctorum imagines, quæ civilis honoris causa primum erectæ, postmodum religiosæ haberi cœpere, tantum indies augescente cultu, ut tandem plane in superstitionem degeneraret. Tantum quippe valuit privatus affectus in propinquos, & necessitudines fato functas. Auct. libr. Sapient. c. 14. *Acerbo luctu vexatus pater, cum filii cito sublati imaginem fecisset, hominem quidem ut mortuum, nunc vero ut deum affecit honoribus, & subditis mysteria, sacrificiaque tradidit.* Confidentius nomen, & auctorem Nimrodum laudat Marius Victor. III. ubi ait:

—— Nam cum patris unica proles
Spem generis letho secum traxisset acerbo,
Infelix Nimrod lacrymas noctesque diesque
Continuans, hebetique trahens plangore querelas
Dum furit, & raptum quærit per singula natum
Efficta mœstum solatur imagine luctum.

Et deinceps:

—— Tum protinus omnes
Amplexæ gentes scelus hoc, crimenque secutæ
Pro diis quæque suis caros habuere parentes.

Minuc. Fel. p. 157. *Erga deos majores nostri improvidi, creduli, rudi simplicitate crediderunt: dum Reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt quæ fuerant assumpta solatia.* Figrell. l. l. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 158. Romani a Græcis hoc didicerunt. Dionys. II. p. 90. Romulus *templa, & fana, arasque, & simulacrorum delubra, eorumque effigies, & insignia, & potestates, & cætera instituit, secutus optimos quosque Græcorum ritus.* Cujus assertionem non labefactant Varro & Plutarchus laudati supr. in *Simulacrum.* Usum enim simulacrorum, quem introduxit Romulus, Numa abolevit. Plutarchus enim verbo διακωλύειν, quod *vetare, interdicere, prohibere, & impedire* significat, utitur: quo facile intelligitur, usitatum ante Romanis morem hunc Numæ lege deinceps fuisse abrogatum. Refrigerato hoc veteri instituto, invaluit illorum usus, adeo ut turmatim deinceps templa Romana insiderent. Etenim præter ea, quæ ipsi fieri curabant, innumera etiam a devictis gentibus accepere. *Figrell. l. l.* Deorum olim fiebant ex ligno, & argilla, marmore, ebore. V. supr. in *Simulacrum.* Stabant in publico, super erecta columna, & lunatas umbellas argenteas, æreas, ligneas impositas habebant. V. supr. in Μηνίσκος. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 7. §. 7. Et minio infectæ. V. supr. in *Minium.* Vestitæ. Petron. c. 62. *Patiemur statuarum ritu pannos.* id est, amicula, quæ illis injiciebant. Unde sunt *vestitores divinorum simulacrorum* apud Firmic. III. 12. Epistola Baruco annexa n. 12. *Ornant deos ipsos aureos, argenteos, & ligneos, tanquam homines, vestimentis.* Kipping. ibid. §. 9. Coronatæ. Plin. XXI. 3. *Et jam tunc coronæ deorum honos erant.* Cicer. Attic. XV. 27. *Quod me de Bacchi, de statuarum coronis certiorem fecisti, valde gratum.* Apulejus. V. illum supr. in *Hippona.* Ad hunc veterum ritum respicit Ovid. Fast. II. 205. loquens de Arione, qui citharœdus a piratis captus, jamque de vita desperans,

—— capit ille coronam
Quæ posset crines, Phœbe, decere tuas.

Minos in Alciat. Emblem. 8. Paschal. de Coron. IV. 9. Per plateas, & vicos circumferebantur. V. supr. in *Nudipedalia.* Catenis vinctæ, ne urbe excederent & ad hostes commigrarent. V. supr. in *Deus.* Hominum illustrium ex solidiori, & duratura materie. Quæ nulla vel frequentior, aut forte honoratior apud Græcos, & Romanos iis faciendis adhibita fuit, quam ipsum æs. Aristid. κατὰ τῶν ἐξορχουμένων: ubi de athletis: *Omnes, quorum aneæ imagines sunt*, q. d. quotquot inter athletas celeberrimi fuerunt. Arrian. in Epictet. I. 15. *Fabri materia ligna sunt, statuarii æs.* Senec. Epist. 65. *Statua & materiam habuit, quæ pateretur artificem, & artificem, qui materiæ daret faciem. Ergo in statua materia æs fuit, causa artifex.* Causa, quod inter metalla æs, & vilius auro, argentove, & tractabilius ferro, & durabilius plumbo, stannoque esset. Hoc non fuit solidum, sed concavum plerumque. Senec. Nat. Quæst. IV. 29. *Cur ergo aliquis ad hoc stupet, quod æs unius statuæ, nec solidum quidem, sed concavum, ac tenue diruptum est?* Hinc Domitiani equus ictus ingentem sonitum edere dicitur Stat. Sylv. I. 1. 63.

—— strepit ardua pulsu
Machina, continuus semper per culmina montis
It fragor, & magnæ fingit vaga murmura Romæ.

Post æris usum maximam celebritatem habet marmor. Præter innumeras *statuas* marmoreas Plin. XXXVI. 5. enumeratas, & frequentissime aliis auctoribus memoratas, mentio quoque fit marmoris in inscriptionibus, ut in hac veteri:

Q. EGNATIO. Q. F. EQUO. PUBL.
DON. AB. ÆLIO. HADRIANO. CÆS.
NERVÆ. TRAJANI. F. RHODENES.
EQUESTR. E. MARMORE. STATUAM. PRO ÆDE. MINERVÆ. CONSTITUERE.

Ebur rarius, sed tamen usum præbuit. Eburneæ *statuæ* meminit Suet. Tit. c. 2. n. 5. *Statuam ei, Britannico,*

alteram

alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa hodieque præfertur, dedicavit. In foro Trajani eburneam Nicomedis Bithyniæ Regis *statuam* fuisse testatur Pausan. in Eliac. I. p. 159. Marmoris, quam eboris cur frequentior usus fuerit, est causa I. quod marmoris nitor diutius maneret. II. quod viliori pretio comparari posset. Val. Max. I. I. Ext. 7. *Athenienses Phidiam tulerunt, quamdiu is marmore potius quam ebore Minervam fieri debere dicebat, quod diutius nitor esset mansurus. Sed ut adjecit, & vilius, tacere jusserunt.* Marmoris bene politi non diuturnus solum nitor est, sed & vehemens radiatio, adeo ut spectantium oculos, si intentius eos infigant, lædat. Plin. XXXVI. 5. *In ejus, Hecates, contemplatione admonent æditui, parcere oculis, tanta marmoris radiatio est.* III. quod marmor ebore durabilius esset. Cariem enim sentit ebur, & in sicco juxta, & aquoso solo facile corrumpitur, nisi ab aquosi soli injuria, oleo, & in siccioribus locis aquæ adspersu vindicari ab interitu quodammodo posset. Pausan. ibid. p. 158. Auctis longa bellorum fortuna opibus Romanis, cœpere etiam fieri ex argento. Plin. XXXIII. 12. *Argenti usum in statuas primum ad honorem D. Augusti in adulationem temporum transisse, falso existimatur. Jam enim triumpho M. Pompeji reperimus translatam Pharnacis argenteam statuam.* Suet. Aug. c. 52. n. 2. *Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes.* Plinius Panegyristes mox laudandus. Et ex auro. Suet. Domit. c. 13. n. 5. *Statuas sibi in Capitolio nonnisi aureas, & argenteas poni permisit.* Eæque vel solidæ ex hoc metallo. Ad quas referendæ illæ Domitiani, de quibus Plin. Paneg. c. 52. n. 3. *Tuam statuam in vestibulo Jovis Opt. Max. unam alteramve, & hanc æream cernimus, ut paullo ante aditus omnes, omnes gradus, totaque area, hinc auro, hinc argento relucebat.* Talem in templo suo posuit Caligula. Suet. c. 22. n. 7. *In templo stabat simulacrum aureum iconicum.* Et Britannico Titus posuit. Suet. c. 2. n. 5. *Statuam ei auream in palatio posuit.* Quæsitum est ad illarum fabricam aurum purum, & obryzum. Plaut. Curc. III. 69.

— ubi nunc statuam vult dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippeo.

Vel auro tantum tectæ, & inauratæ. Talis erat Glabrionis, de qua Liv. XL. 34. V. illam infr. in *Templum Pietatis.* Hæ dicebantur imbracteatæ, ob tenues illas auri bracteas, quæ iis inducebantur æri. Ammian. XIV. 6. *Ex his quidam æternitati per statuas se commendari posse æstimantes, eas ardenter affectant, atque auro curant imbracteari, quod Acilio Glabrioni delatum est primo.* Figrell. ibid. c. 16. Buleng. ibid. c. 23. Jun. de Pictur. III. II. Rycq. de Capit. c. 26. Gauric. de Sculpt. c. I. Demontios. de Sculpt. I. I. Forma vel repræsentat partem hominis, ut Hermæi, quæ caput tantummodo ostendit, cætera informis. V. illam supr. in *Herma.* Vel totum hominem exhibet, eumque vel sua basi stantem, ut pedestris, vel equo, aut curru subnixum, ut equestris, & curulis. V. singulas infr. suis locis. *Figrell. ibid. c.* 17. Magnitudo diversa fuit: & illarum quatuor statuimus ordines. Pariles, cum ejus, qui exprimitur, statura undique repræsentatur. Dabantur bene meritis, ac sapientibus viris. Magnæ, cum infra sesquialteram statura continebatur, quæ & Augustæ dicebantur, quod Regibus, & Imperatoribus dicarentur. Majores, quando ad alteram excreverint. Ponebantur solis heroibus. Maximæ, cum ter humani corporis statura geminabatur, itemque rursus, ac rursus. Dicebantur colossi, & dicabantur diis. V. illas supr. in *Colossus.* Gauric. de Sculpt. c. 2. Hæc partitio excludit minores, placet in universum tres magnitudinis gradus ponere. Fuere enim aut infra, aut intra, aut supra humanam staturam. Infra illam tripedaneæ, tres tantum pedes longæ, quæ mensura olim honorata apud Romanos erat. Plin. XXXIV. 6. *Non omittendum, quod annotavere Annales, tripedaneas his, injuria cæsis, statuas in foro statutas.* Ad hujusmodi genera referendæ sunt imagines, quæ inter signa legionum portabantur, quas milites adorare cogebantur. Et signa Tuscanica, in Hetruria facta. De his Plin. ibid. c. 7. *Signa quoque Tuscanica per terras dispersa, quæ in Hetruria factitata non est dubium.* Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 19. Figrell. l. l. Gauric. ibid. c. 2. Demontios. l. l. Adhuc his minora fuerunt. De *imaguncula puerili* Augusti Suet. c. 7. n. 2. Et *icuncula puellari* Ner. c. 56. n. 3. *Statunculas* nominavit Cyprianus de aleatoribus, & P. Damianus, ut notat Barth. Adv. XVIII. 8. *Figrell. l. l. Gronov. Obs. in Eccles. c. 8. Cuper. Harpocr. p.* 85. Pariles dictæ fuere, quæ humanam mensuram æquabant. Eædem sine dubio cum illis Græcorum, quas ἰσομετρήτας ἀνδριάντας appellabant. Eunap. in vit. Proæres. *Statuam illi ex ære pari magnitudine consecrarunt.* Huc referendæ Iconicæ, tam ob similitudinem ex membris eorum, quibus ponebantur, expressam, quam ob parem magnitudinem ita dictæ; magnitudinem enim, formam, omniaque ad unguem alicujus lineamenta reddebant. Ἀγάλματα εἰκονικὰ vocat eas Athen. V. p. 205. F. Meminit Plin. XXXIV. 4. *Olympiæ omnium qui vicissent, statuas dicari mos erat. Eorum vero, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressa, quas Iconicas vocant.* Quippe non oportuit erigi majores corpore ejus, qui victor extitisset. De qua re Lucian. pro imag. p. 20. *Audio neque victoribus Olympicis majores corpore statuas erigi concessum esse. Sed curæ esse Hellanodicis, ut ne unus quidem veritatem excedat temere, atque exactissime statua expendatur ad athletæ certamen, & corporis quantitatem.* Figrell. l. l. Turneb. Adv. XXVII. 20. & 26. Bergier. ibid. Sect. 15. §. 1--7. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Inter *statuas* humanam figuram excedentes agmen facile ducunt, quas Colossos nominant. V. illas supr. in *Colossus.* Habitus dicit illarum gestum, & vestitum. Agrætius: *Habitum de vestitu, gestuque corporis dicimus.* Gestum, sive situm membrorum in *statuis* Ascon. de Præt. urban. alias *figuram* dici ait: *Figura,* inquit, *est circa gestum, situmque membrorum.* Quinam gestus exprimi solebant. V. supr. in *Gestus. Figrell. ibid. c.* 19. Vestitus in *statuis* alio nomine appellatur *status* Ciceroni Verr. I. ut vult ejus interpres Asconius, cum ait: *Status est circa ornatum, & habitum vestis, insignium & armorum. Græcis, qui nihil velant, placuerunt nudæ.* Plin. XXXIV. 5. *Placuere & nudæ, tenentes hastam, ab ephebòrum e gymnasiis exemplaribus, quas Achilleas vocant. Græca res est nihil velare.* Sed tales vix locabantur apud Romanos. Unde in Verrem invehitur Cicero II. 63. *Hujus fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat; ipse autem ex equo nudatam ab se provinciam prospicit.* Præsertim iis, qui in dignitate aliqua constituti fuere. Unde in Antonium, quod ipse consul, nudus Lupercalibus Urbem percurrisset, & consulatus majestatem, quæ populi publica erat, ista turpitudine affecisset, invehitur Cicero apud Dion. XLV. p. 285. E. *Dignus profecto Antonius, cui ipsi quoque statua ponatur, ut cum Horatius armatus in Tiberi conspiciatur, hic nudus in foro cernatur.* Sed crebrius velatæ aliquo amictu, puta ex eadem cum *statuis* materie. Artemid. IV. 38. *Quidam in Magnesia sibi visus æreis vestibus amictus esse; recte mortuus est. Erant enim vestes ipsum complectentes immobiles, quales statuis circumdari solent, hæ autem non vivunt.* Addebatur plerumque ille, qui aut officii ejus, munerisque proprius erat; in quo constitutus quisque fuisset eo tempore, quando ipsi decernerentur *statuæ,* aut quem quisque sibi ad usum quotidianum induere soleret. *Figrell. ibid. c.* 20. Imo, quia quædam ex iis tegunt corpus, armis militaribus. In illis, quia rebus bellicis impense delectabantur, inque iis præcipuam gloriam statuebant, spectari in *statuis* gestiebant Romani. Cicer. Offic. I. 18. *Declaratur studium bellicæ gloriæ, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari.* Talis erat Horatii Coclitis, de qua Dionys. V. p. 296. *Postquam ex mortis periculo evasit, populus æneam ejus statuam armatam in maximo conspicuo fori loco erexit.* Meminit Ammian. XIX. 6. *Horum campiductoribus, ut fortium factorum antesignanis, post civitatis excidium armatas statuas apud Edessam in regione celebri locari jusserat Imperator.* Figrell. ibid. c. 21. Nicol. de Triumph. c. 7. §. 1. Ponebantur in universo orbe Romano. Xiphil. LXVI. *Tot ei, & tanta decreta sunt, ut in omni fere orbe ter-*

terrarum, qui sub ditione ejus erat, statuæ aureæ, atque argenteæ positæ sunt. Honorabilius fuit tamen poni Romæ, quam in provinciis. Plin. XXXIV. 6. *Extant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni: nec tamen potuit inhibere, quo minus Romæ quoque ponerentur.* Qui verbis his significat, minus honoris fuisse in provinciis, quam Romæ poni, cum ea locorum facta collatione tanquam insolentius aliquid notet, hunc honorem haberi mulieribus, in clarissima orbis terrarum, & virorum illa urbe Roma, cum nimium videri posset, ut revera Catoni visum est, eas ita honorari in provinciis. Romæ ponebantur in Capitolio. Capitolium antiquissima hujus gloriæ fuit sedes. In illo septem Regum *statuas* locat Plin. XXXIV. 5. *Primas putarem has*, Sibyllarum *statuas*, *& Actii Navii, positas ætate Tarquinii Prisci, nisi Regum antecedentium essent in Capitolio.* Et primi consulis L. Junii Bruti, quem Plin. XXXIV. 1. & Plutarch. in Bruto p. 984. A. tradunt a priscis Romanis æream inter Reges in Capitolio positam. Item L. Cæcilii Metelli pontificis, & Q. Fabii Maximi, & Trebii ædilis in Capitolio positæ. P. Victor in regione VIII. aliorumque sine numero. Imo iis adeo fuit repletum Capitolium, ut illas *ex Capitolina area propter angustias in Martium campum contulerit* Augustus apud Suet. Cal. c. 34. n. 2. In foro Romano, sive Latio. In illo enim spectari gloriosum fuit. Senec. Contr. X. 1. *Cestius hoc colore usus est, putasse se patri honestius hoc esse, certe domui, laudes utriusque*, statuas intelligit, *in foro inspici.* Stat. Sylv. I. I. I. V. illum supr. in *Colossus Domitiani.* In foro Augusti. Suet. Aug. c. 31. n. 8. *Statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.* In foro Nervæ. Lamprid. Alex. Sev. c. 28. *Statuas colossas vel pedestres nudas, vel equestres divis Imperatoribus in foro divi Nervæ, quod Transitorium dicitur, locavit.* In foro Trajani, sive Ulpio. Capitol. M. Anton. c. 22. *Nobilibus viris bello Germanico defunctis statuas in foro Ulpio collocavit.* De Claudiani *statua* ibi erecta testatur inscriptio:

STATUAM. IN. FORO. DIVI. TRAJANI.
ERIGI. COLLOCARIQUE. JUSSERUNT.

scilicet Arcadius, & Honorius Principes. In Rostris. V. supr. in *Rostra.* In Comitio. Gell. IV. 5. *Statua Romæ in Comitio posita Horatii Coclitis fortissimi viri de cœlo tacta est.* In curia. Val. Max. IV. I. 6. *Voluerunt illi*, P. Africano *majori, statuas in Comitio, in Rostris, in Curia, in ipsa denique Jovis Opt. Max. cella ponere.* In Palatio, sed raro. Suet. Oth. c. I. n. 7. *Senatus honore rarissimo, statua in Palatio posita, prosecutus est eum.* In templis. Sic in templo Fortunæ Tullii Regis statua fuit. Dionys. IV. p. 243. Africani majoris in cella Jovis Opt. Max. Valerius modo laudatus. Illud vero præcipue dabatur magnis viris, ut Imperatoribus. Themist. Orat. XIII. *Effigies Imperatoris in templo perfectæ, absolutæque collocantur.* Interdum & aliis, quos peculiari favore prosequi constitutum fuit. Tacit. Annal. XIV. 61. 1. *Octaviæ imagines gestant humeris, spargunt floribus, foroque, ac templis statuunt.* Figrell. ibid. c. 23. Buleng. ibid. c. 21. V. etiam infr. in *Templum.* In circis. Liv. XL. 2. *Signa multa in circo maximo cum columnis, quibus superstabant, posita tempestatis fœda vi dejecta.* XXXIX. 7. *Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Postumius Albinus faciebant, malus in circo instabilis in signum Pollentiæ procidit, atque id dejecit.* Donat. in Livium. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. V. 4. In bibliothecis, præcipue doctorum. Plin. VII. 30. V. illum supr. in *Bibliotheca Asinii.* Sidon. Epist. IX. 16. V. illum supr. in *Bibliotheca Ulpia.* Figrell. ibid. c. 24. Lomej. de Biblioth. c. 14. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. IX 31. In fastigiis structurarum. Vitruv. III. 3. *Ipsarum ædium species sunt barycæ, barycephalæ, humiles, latæ, ornantque signis fictilibus, aut æreis inaurata fastigia earum, Tuscanico more, uti est ad circum maximum Cereris & Herculis, Pompejani item Capitolii.* Gell. XIII. 23. *In fastigiis fori Trajani simulacra sunt sita circum undique, inaurata equorum, ac signorum militarium.* In porticibus alterne inter columnas. De porticu Apollinis Palatini Ovid. Trist. III. I. 62. V. supr. in *Porticus.* De porticu Gallieni Trebell. Poll. Gallien. c. 18. V. illum supr. in *Porticus Gallieni.* Augusti Sueton. Aug. c. 31. n. 7. V. illum supr. in *Statuæ curules.* Figrell. ibid. c. 5. In sepulcris, præcipue quæ mortis causa fiebant. Liv. XXXVIII. 56. *Alii Romæ, alii Literni, & mortuum, & sepultum: utrobique monumenta ostenduntur, & statuæ. Nam & Literni monumentum, monumentoque statua superimposita fuit: quam tempestate disjectam nuper vidimus ipsi. Et Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt: quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur esse: tertia poetæ Q. Ennii.* Nec propriæ tantum, sed & amicorum singularis affectus causa. Ita Ennii *statua* in Scipionum monumento posita, ut modo Livius, & Cicer. pro Arch. c. 9. Hoc Scipio jusserat. Plin. VIII. 30. Val. Max. VIII. 14. 1. V. illos infr. in *Statua Ennii.* Inter sepulcralia ornamenta *statuas* numerat Pollux III. 19: VIII. 42. Festus in *Statua* Ludii: *Super ossa ejus columna cum ipsius effigie posita est.* Loquuntur etiam inscriptiones:

LOCUM. SEPULTURÆ. ET. STATUAM.
DECREVIT. ÆMILIA. LUCIA. MATER.

Quæ *statuas* ejusmodi non haberent, pagas appellabant. Isidor. in Gloss. *Paga memoriæ sine idolis.* Kirchman. de Funer. III. 16. Du Fresne Glossar. in Pagani. Figrell. l. l. Mos hic videtur manasse a Græcis. Lycophr. n. 559.

Cippum vibrans Amyclæi sepulcri.

Pindar. Nem. X. 126. vocat *statuam Plutonis*: hæ enim erant diis manibus sacræ, quorum summus Pluto. *Meurs. in Lycophronem & Græv. in Isidorum.* In hortis. V. supr. in *Horti.* Cum positæ erant, non licebat magis revellere, quam ipsum sepulcrum, quia videlicet res erat religiosa. Ulpian. l. 2. ff. de Sepulcr. viol. *Si sepulcrum quis diruit, cessat Aquilia, quod vi tamen aut clam agendum erit, & ita de statua de monumento evulsa Celsus scribit.* Paull. lib. 1. Sentent. de sepult. & lugend. *Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam everterit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem, columnamve sustulerit, sepulcrum violasse dicitur.* Figrell. l. l. Nicol. de Sepulcr. II. 15. 2. Habebant suas inscriptiones, hoc est, literas inscriptas, indicantes quod maxime sciri intererat. Plutarch. de Homero: *Elegans est etiam genus orationis epigramma, sive inscriptio: quod inventum est imaginum, & monumentorum gratia, compendio indicans, qualis sit, cui honoris causa aliquid tale obtigit.* Figrell. ibid. c. 27. V. illas infr. in *Titulus.* Et illæ siglis incidebantur, uti conspicimus ex hac inscriptione: CIV. INTERAMNANÆ. CIV. UTRISQ. SEXUS. ÆR. COLL. POST. OB. H. P. D. id est: *Cives Interamnanæ civitatis utriusque sexus ære collato post obitum hujus patronæ dedicarunt.* Vel alia cujusdam Fabii: QUÆ EX. D. D. TARR. QUOD. FACTUM POST M. E. P. E. id est: *Quæ ex decreto decurionum Tarraconensium quod factum, post mortem ejus posita est.* Similiter ex siglis cognoscere possumus, an propria, vel aliena pecunia erecta fuerit. Si propria, hæ siglæ exstabant: S. P. P. P. S. C. id est: *sua pecunia propria poni sibi curavit.* Sin aliena; ita inscribebantur *statuæ*: P. M. A. M. IMP. P. P. STA. ÆR. COLL. P. P. E. id est: *post mortem ad memoriam Imperatoris postulante populo statua ære collato publice posita est.* Nicol. de sigl. vet. c. 36. §. 2. Illas sibi petere mos erat. Quintil. Declam. 367. *Quid vis optem? opto statuas? vultum contrahit: dies festos? irascitur.* Apud Senec. Contr. X. 2. quam sibi filius victor vi legis potuisset, patri *statuam* petit: *Vicit patrem, petit pro præmio statuam patri.* Honestius tamen habebatur non petere, ut alieno judicio collatus honor illustrior, digniorque esset: utque integra foret beneficii gloria apud eos, quibus honore *statuarum* meritos ornare potestas fuit, quod futurum erat, si non admoniti, & sponte virtutes remunerari meminisse viderentur. Plin. XXXV. 2. *Etiam mentiri clarorum imagines erat aliquis virtutum amor; multoque honestius quam mereri, ne quis suas expeteret.* Apul. Flor. p. 802. *Annon properandum*

mihi

mihi erat, ut pro eo honore vobis multas gratias dicerem, pro quo nullas preces dixeram. Non quia magnitudo Carthaginis mereatur etiam precem a philoſopho pro honore; ſed ut integrum, & intemeratum veſtrum eſſet beneficium, ſi nihil ex gratia ejus petitio mea decerpſiſſet, id eſt, ut uſquequaque eſſet gratuitum. Neque enim aut levi mercede emit qui precatur, aut parvum pretium accipit qui rogatur: adeo ut omnia utenſilia emere potius velis quam rogare. Qui ſine moleſtia ambitus adeptus eſt, amplam gratiam præbentibus debet, & quod non petierit, & quod acceperit. Non raro impetrabantur interceſſione aliorum. Poſtulabat illam vel populus. Inſcriptio ſub Præneſte in via publica:

POPULO. POSTULANTI. BIGAM. PLACUIT. EQUESTRI. STATUA. DECRETO. ORDINIS. EUM. ORNARI.

Vel ſenatus a Principe. Symm. Epiſt. x. 15. ad N. N. Auguſtos. *Senatus veſtrum numen precatur, ut virum noſtra ætate mirabilem ſtatuarum diuturnitas tradat oculis poſterorum.* Vel Princeps a ſenatu. Capitol. M. Anton. c. 2. *Multum ex ſuis oratoribus Frontoni detulit, cui & ſtatuam in ſenatu petiit.* Figrell. ibid. c. 15. Dabantur I. Regibus, & Imperatoribus, penes quos majeſtas, & abſoluta poteſtas reſidebat. Plinius ſupr. laudatus. Nazianz. Orat. ad Julian. 1. *Eſt hoc in imperatorio more poſitum, haud quidem ſcio, an apud omnes alios homines, qui imperio ſubſunt, cæterum apud Romanos quam ſtudioſiſſime obſervatum, ut publicis ſtatuis Imperatores ornentur.* Dabantur, & coronabantur ab illis, qui ſingulari devotione erga illos affecti eſſe volebant videri. Ambroſ. Serm. x. in Pſalm. 118. *Qui coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit.* Morem apud Græcos fuiſſe antiquum, ut heroum *ſtatuas* poſt mortem coronarent, ex eo conſtat, quod de Alexandro M. Plutarch. c. 24. tradit: *quod nimirum ipſe adeo unctus cum ſociis circa Achillis ſtatuam decucurrerit, eam coronans,* cum videlicet Ilium tranſgreſſus Minervæ & heroibus ſacrificaret. Imo *coronæ* in illas conjiciebantur. Idem c. 28. *Cum Alexander Theodectæ mortui imaginem in foro poſitam vidiſſet, poſt cœnam ei, bacchatus multa ſerta ingeſſit.* Ortum hoc ex eo, quod numinum in *ſtatuis* fieri ſolebat. De quo Capitol. M. Anton. Philoſ. c. 4. *In Saliatu omen accepit imperii, coronas omnibus ex more jacientibus, aliæ aliis locis hæſerunt. Hujus velut manu caput Martis aptata eſt.* De ſtatuis *coronatis* etiam Juſtin. XVIII. 2. 9. *Miſſi a Senatu in Ægyptum legati, cum ingentia ſibi a Ptolemæo Rege miſſa munera ſprevissent, interjectis diebus ad cœnam invitatis aureæ coronæ miſſæ ſunt, quas illi honoris cauſa receptas, poſtera die ſtatuis Regis impoſuerunt.* Fuerunt hæ *coronæ* partim ex auro, ut jam dictum eſt, & probat Inſcriptio Hiſpanienſis:

HUIC. DONO. LUCRETIA. CAMPANA. AMPLIUS. NOMINE. SUO. CORONAM. AUREAM. ADJUNXIT.

Scilicet ad *ſtatuam* Imperatoris, ad quam hæc Inſcriptio pertinebat. Partim ex arborum, puta quercus, oleæ, & lauri frondibus. De prioribus duabus diſco ex Mart. IX. 24. Ubi Charus coronam ſibi a Cæſare Domitiano donatam Cæſaris *ſtatuæ* reddidiſſe ſe dicit:

O cui virgineo flaveſcere contigit auro,
Dic ubi Palladium ſit tibi, Chare, decus?
Aſpicis & domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro noſtra corona comas.
Albanæ livere poteſt pia quercus olivæ,
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

De lauru Cicer. pro Mur. c. 41. *Quo ſe vertet? domumne? ut eam imaginem clariſſimi viri, parentis ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam, lugentemque videat.* Figrel. de Stat. Roman. c. 35. Paſchal. de Coron. IV. 12. II. Privatis, non tantum iis, qui a publicis functionibus Reipublicæ vacarent, & nullum magiſtratum gererent; ſed omnibus, quotquot infra Principem eſſent, quem ſolum ab hac appellatione excipio. Atque ita conſules, ſenatores, duces, prætores, & cæteri magiſtratus quicunque dicuntur privati. Ita in hac re Cæſari ſuo Brutos, & Camillos opponit, & privatos appellat Plin. Paneg. c. 55. n. 6. *Stant effigies tuæ, quales olim ob egregia in Rempublicam merita privatis dicabantur. Viſuntur eadem e materia Cæſaris ſtatuæ, qua Brutorum, qua Camillorum.* Teſtimonia in his paginis paſſim occurrunt. III. Feminis, ne ſexus alteruter excluderetur. Plin. XXXIV. 6. *Invenitur ſtatua decreta & Taraciæ Cajæ, ſive Sufetiæ virgini Veſtali, ut poneretur ubi vellet. Quod adjectum non minus honoris habet, quam feminæ eſſe decretam.* Alias graviter latum a Catone cenſore, quod hic honor feminis communicaretur, notavit Plinius ſupr. laudatus. Sub Imperatoribus hoc factum frequentius. Octaviæ & Liviæ *ſtatuas* dedit Auguſtus apud Dion. XLIX. p. 414. C. Druſillæ poſuit, & dedicavit Caligula apud eund. LIX. p. 659. C. præter infinitas alias. IV. Exteris. Plutarch. Num. p. 65. D. *Duas æneas ſtatuas in foro collocatas, unam Alcibiadis, alteram Pythagoræ.* Plin. XXXIV. 5. *Fuit & Hermodori Epheſii ſtatua in comitio publice dicata.* Figrell. ibid. c. 8. Decernendi poteſtas ab initio quidem Urbis fuit penes Reges, qui ſibi ipſis, ut & aliis poſuerunt. Plin. XXXIV. 6. *Hanc primum*, Clæliæ, *ſtatuam* intelligit, *& Horatii Coclitis publice dicatam crediderim; ante enim ſibi, ac Sibyllæ Tarquinium, & Reges ſibi ipſos poſuiſſe veroſimile eſt.* Regibus ejectis penes ſenatum, & populum. Plin. l. l. *L. Piſo prodidit, M. Æmilio, C. Popilio II. coſſ. a cenſoribus P. Cornelio Scipione, M. Popilio, ſtatuas circa forum eorum, qui magiſtratum geſſerunt, ſublatas omnes, præter eas, quæ populi, aut ſenatus ſententia ſtatutæ eſſent. Eam vero, quam apud ædem Telluris ſtatuiſſet ſibi Sp. Caſſius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam a cenſoribus.* Sub Imperatoribus ſenatus jura ad ſeſe transferentibus nullam *ſtatuam* erigere ſine illorum reſcripto licebat. Suet. Cal. c. 34. n. 3. *Vetuit poſthac viventium cuiquam uſquam ſtatuam, aut imaginem, niſi conſulto ſe, & auctore poni.* Arcad. & Honor. l. 1. C. de ſtat. & imag. *Si quis judicum accepiſſe æneas, vel argenteas, vel marmoreas ſtatuas, extra imperiale beneficium in adminiſtratione poſitus detegetur, emolumenta, quæ accepit in ea poſitus dignitate, quam polluit, cum extortis titulis, vel præſumptis, in quadruplum fiſco noſtro inferat, ſimulque noverit exiſtimationis ſuæ pœnam ſe ſubiturum.* Ita ut ſub bonis, & moderatis etiam ſenatus aſſenſus debuerit impetrari. Dio LX. p. 681. D. *Sanxit* Claudius, *ne quis privatus ſine permiſſu ſenatus ſtatuas ſibi poneret.* Plin. Epiſt. II. 7. *Heri a ſenatu Veſtritio Spurinnæ, principe auctore, triumphalis ſtatua decreta eſt.* Hinc in inſcriptionibus locutiones illæ: *approbante ſenatu, decreto ſenatus, auctoritate ſenatus.* Procedente tempore, maxime circa ævum Tiberii, promiſcue omnes ſibi, aliisque, quasvis ob cauſas ponere potuerunt, privata non minus licentia, quam auctoritate publica. Dio LVIII. p. 622. A. *Numerum quidem ſtatuarum, quas ei,* Sejano, *patricii, equites, tribus, ac primarii viri poſuerunt, inire nemo poteſt.* Quare intempeſtiva illa luxuries edicto debuit comprimi, ut factum ſub Caligula apud Suetonium, & Claudio apud Dionem jam laudatos. *Figrell. ibid. c. 9. Nicol. ibid. §. 3. Demſter. l. l.* Cauſæ, ob quas fuerint poſitæ, ſpectantur I. a parte eorum, quibus fuerunt poſitæ. Et eſt honor ob virtutem aliquam inſignem, aut quodvis factum, meritumque dignum, quod tali præmio remunerarentur. Aurel. Vict. de vir. illuſtr. c. 12. n. 7. *Statua ei,* Mucio Scævolæ, *honoris gratia conſtituta eſt.* Ob merita nimirum. Tertull. de Anim. c. 33. *Ob merita vitæ imagines, ſtatuæ, & tituli rependuntur.* Non quævis, ſed magna præcipue, & illuſtria. Plin. XXXIV. 4. *Effigies hominum non ſolebant exprimi, niſi aliqua illuſtri cauſa perpetuitatem merentium.* Cicer. Phil. V. 15. de *ſtatua* equeſtri Lepido decernenda? *Qui honos mihi maximus videtur, primum quia juſtus eſt; non enim ſolum datur propter ſpem temporum reliquorum, ſed pro ampliſſimis meritis redditur.* ✠. II. iis, qui bello res bene geſſerant. Plin. XXXIV. 5. *Alia cauſa, & alia auctoritas in Horatii Coclitis ſtatua, quæ durat hodieque, cum hoſtes a*

ponte sublicio solus arcuisset. Et ut magnum, dignumque satis illud meritum notat Liv. II. 10. *Grata erga tantam virtutem civitas fuit, statua in comitio posita.* Fortioribus itaque viris hoc decus tributum. Villicus hoc comicum acumen in militem Therapontigonum suo more stringens apud Plaut. Curc. III. 1. 72.

> LYC. *Quamobrem istuc.* CURC. *Dicam, quia enim Persas, Paphlagonas,*
> *Sinopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,*
> *Rhodiam, atque Lyciam, Perediam, & Perbibesiam,*
> *Centauromachiam, Elatiam, Unomammiam,*
> *Lybiamque, & oram omnem conterobromiam*
> *Dimidiam partem nationum usque omnium,*
> *Subegit solus intra viginti dies.*

Unde obtinuit olim, ut triumphantibus darentur. V. infr. in *Statuæ triumphales.* Figrell. ibid. c. 12. Demster. l. l. ב iis, qui Rempublicam, & magistratus bene gesserant. Plutarch. Cat. Maj. p. 347. B. *Populus mirifice approbasse ejus censuram videtur. Nam in æde Salutis statuam Catoni ponens, non præturam, neque consulatum ejus inscripsit, sed quod Romanorum Rempublicam inclinatam, & in pejus vergentem, censor ille disciplina honesta, exercitationibus temperantiæ in integrum restituisset.* Qui hoc dicit, non quod *statuæ* non ponerentur consulibus, aut prætoribus, sed quod plus commodi ex censura, quam ex reliquis gestis magistratibus Respublica sensisset: & ideo ejus honoris titulum tanquam memorabiliorem cæteris præfert. Hinc ponebantur illis, quibus contigit injuria, & ob Rempublicam interfici. Cicer. pro P. Sext. c. 38. *Si tunc P. Sextius in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset, non dubito, quin si modo esset in Republica senatus, si majestas populi Romani revixisset, aliquando statua huic ob Rempublicam interfecto in foro statueretur.* Figrell. ibid. c. 13. quibus contigit in legatione morbo interire, vel interfici. Cum hunc honorem nemini, nisi qui ferro esset in legatione interfectus, tribuendum censuisset P. Servilius, ita contra illum Cicer. Phil. IX. 1. *Ego sic interpretor sensisse majores nostros, ut causam mortis censuerint, non genus esse quærendum. Etenim, cui legatio ipsa morti fuisset, ejus monumentum extare voluerunt, ut in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. Non igitur exempla majorum quærenda, sed consilium est eorum, a quo exempla nata sunt, explicandum.* Servio itaque Sulpicio, qui in legatione ad Antonium mortuus est, ex SCto *statua* posita est, addita ibi causa: *quod ob Rempublicam in legatione mortem obierit.* Nam ita consuevisse majores dicit; *iis enim,* inquit, *majores nostri, qui ob Rempublicam mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt.* Figrell. l. l. Paschal. Legat. c. 87. II. respiciunt alios, puta, posteros, amicos, & quoscunque, quibus talis honos, sive ad exemplum, & æmulationem virtutis, sive memoriam formæ, sive solatium doloris ex defunctis prodesse poterat. Plin. Epist. II. 7. 5. *Quo quidem honore, quantum ego interpretor, non modo defuncti memoriæ, & dolori patris, verum etiam exemplo prospectum est.* Figrell. ibid. c. 12. & 14. Publice, & sollenniter decretæ plerumque publicis sumptibus statuebantur. Quod cum fieret, aut ab illis ipsis, qui decreverant, locabantur cuiquam faciundæ, qui honesto, & æquo pretio illas faciundas suscipere vellet, aut per curatores negotiorum gerebatur, aut *statuas* adepturis numerabatur pecunia, ut vel illi ipsi, vel quibus imperassent, erigendas curarent. Cicer. Verr. II. 59. *Quæro abs te, utrum ipsæ civitates solitæ sint statuas tibi faciundas locare, ei cui possunt optima conditione locare, an aliquem curatorem præficere, qui statuis faciundis præesset, an tibi, an cui tu imperasses, adnumerare pecuniam.* Cum absolutæ essent, qui publicæ pecuniæ curam gerebant, pactum pretium persolvebant ei, cui locatæ essent. Cicer. Phil. IX. 7. *Senatui placuit, ut consulum alter, ambove quæstoribus urbanis imperarent, statuam locare, quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori attribuendam, solvendamque curarent.* Nonnulli honore contenti publicis impensis parcebant. Testantur hoc in inscriptionibus illæ singulares literæ H. C. I. R. hoc est, *honore contentus impensam,* vel *impendium remisit.* Vel H. A. I. R. hoc est, *honore accepto impensam,* vel *impendium remissum.* Remisso Reipublicæ sumptu, qui decretus erat, de propria pecunia aut ipsi sibi vivi ponebant. Hinc in inscriptionibus hæ leguntur formulæ: HONORE. CONTENTUS. SUA. PECUNIA. POSUIT. Vel QUORUM. HONORE. CONTENTUS. IMPENSA. SUA. POSUIT. Aut propinqui, vel hæredes post mortem. Inscriptio Tarraconensis P. cujusdam Fabii:

> REMISSA. IMPENSA. QUAM. MATER.
> EJUS. JULIA. SEX. FILIA. REBUR-
> RINA. DE. SUO. FECIT.

Fuit & hæc ratio habendi sumptus, ut populus scilicet stipem conferret, V. supr. in *Ære collato.* Erat & aliud genus colligendi sumptus, cum nimirum Imperatores ab amicis, & clientibus, imo ab urbibus *statuas* sibi fieri curarent, magis sub ratione muneris, quam liberi cujusdam decreti beneficio. Quo prætextu J. Cæsarem magnam pecuniæ vim coegisse tradit Dio XLII. p. 208. A. *Magna coacta pecunia, quam partim sub ratione muneris, quod genus erant coronæ, imagines, reliquaque ejusmodi, quæ afferebantur, idque non a privatis tantum, sed ab ipsis etiam Urbibus accipiebat.* Et hoc accipiebant sub titulo auri coronarii. V. illud supr. in *Aurum.* Figrell. ibid. c. 22. Buleng. ibid. c. 23. Nicol. ibid. §. 7. Postea dedicabantur. V. supr. in *Dedicare.* Dedicatæ in tanta erant veneratione, ut illas propinqui oscularentur. Suet. Cal. c. 7. n. 1. *Cujus,* Agrippinæ filioli, *effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunque introiret, exosculabatur.* Dio LXXIV. p. 842. A. *Post Severus, & propinqui Pertinacis ejus simulacrum osculati sunt.* Quippe illud in deorum simulacris fieri probat Cicer. Verr. IV. 43. *Rictum ejus,* Herculis, *ac mentum paullo sit attritius, quod in precibus, & gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent.* Figrell. ibid. c. 32. Van Dale de Consecrat. ethn. p. 635. Pitisc. in Suetonium. Venerationem consequebantur religiosam, & civilem. Religiosa cultum habet, aut divinum, aut prope divinum. Divinum accepere *statuæ,* cum vivorum, tum mortuorum. Inter mortuos præcipue consecratorum, quos post mortem inter deos fœdissima mortalium adulatio, aut turpis ambitio constituit, necessarioque ut deos coli jussit. Prope divinum sibi vindicavere illæ, quæ heroibus, & heroinis dabantur. Civilis magnos quidem honores, sed leviores tantum tribuit. De singulis hisce, quem, si lubet, potes evolvere, curatius agit *Figrell. ibid. c.* 31 -- 36. Celebritate artis, aut sui pretio sæpe nequam homines invitabant, ut amoverent, vel etiam abraderent, aut mutilarent. Juven. Sat. XIII. 147.

> *Confer & hos veteris qui tollunt grandia templi*
> *Pocula adorandæ robiginis, & populorum*
> *Dona, vel antiquo positas a Rege coronas.*
> *Hæc ibi si non sunt, minor extat sacrilegus, qui*
> *Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam*
> *Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat,*
> *An dubitet, solitus totum conflare Tonantem.*

Lucill. Anthol. II. 15. 1.

> *Emergentem e matre jam mari*
> *Cyprin totam auream heri furatus est Dion:*
> *Et manu simul traxit totum aureum Adonin,*
> *Et astantem parvum puerulum.*
> *Ipsi nunc dicunt, quicunque quondam fures optimi*
> *Non amplius tibi furandi dexteritatis in contentionem venіemus.*

Quare custodes illis apponebantur, vigiles urbani, & milites, qui obviam isti malo irent. Tertull. Apolog. c. 29. *Jam utique suas primo statuas dii, & imagines, & ædes tuerentur, quæ, ut opinor, Cæsarum milites excubiis salva præstant.* Arnob. VI. p. 205. *Cur eos,* deos, *sub validissimis clavibus, ingentibusque sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliisque hujusmodi rebus custoditis, conservatis, atque habetis inclusos,*

inclusos, ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, æditui mille protegitis, atque excubitoribus mille. Præficiebatur certus magistratus, qui istarum rerum curam gereret. Ejus munus *Comitiva Romana* appellabatur. De illa exstat formula prolixior apud Cassiod. Var. VII. 13. V. illum supr. in *Curator statuarum.* Figrell. ibid. c. 5. Bergier. de viis milit. v. Sect. 15. §. 18. Interdum canes. Imo & anseres. Arnobius. V. illum supr. in *Canis.* Tyrannorum, iis interfectis, vel abrogatis dejiciebantur. Hieron. in Abacuc. c. 3. *Cum tyrannus detruncatur, imagines quoque ejus deponuntur, & statuæ.* Capitol. Gord. c. 13. *Dejectæ sunt statuæ, imaginesque Maximini, qui hostis fuerat judicatus.* Conflabantur. Plin. XXXIV. 6. *L. Piso prodidit, statuam, quam apud ædem Telluris statuisset sibi Sp. Cassius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam a censoribus.* Frangebantur, & ad viles usus ignibus excoquebantur. Juven. Sat. X. 57.

> *—— mergit longa, atque insignis honorum*
> *Pagina, descendunt statuæ, restemque sequuntur,*
> *Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis*
> *Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.*
> *Jam strident ignes, jam follibus, atque caminis*
> *Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens*
> *Sejanus: deinde ex facie toto orbe secunda*
> *Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.*

Plin. Paneg. c. 52. n. 3. *Juvabat illidere solo superbissimos vultus Domitiani, instare ferro, sævire securibus, ut si singulos ictus sanguis, dolorque sequeretur. Nemo tam temperans gaudii, seræque lætitiæ, quin instar ultionis videretur, cernere laceros artus, truncata membra; postremo truces, horrendasque imagines abjectas, excoctasque flammis, ut ex illo terrore, & minis, in usum hominum, & voluptates ignibus mutarentur.* Omni ludibrii genere afficiebantur. Euseb. Hist. Eccles. IX. 11. *Statuæ,* Maximini, *quotquot in honorem illius fuerant erectæ, similiter dejectæ, & protritæ sunt, ac ludibrio, & irrisui expositæ omnium, qui injuria, & ignominia eas afficere vellent:* Per Urbem trahebantur, & raptabantur. Xiphil. LXXIII. p. 830. D. *Cupiebant senatus populusque corpus Commodi, sicut statuas trahere, & lacerare.* In Gemonias. Tacit. Annal. III. 14. 5. *Effigies Pisonis traxerant in Gemonias, ac divellebant, ni jussu Principis protectæ, repositæque forent.* Tituli, & inscriptiones eradebantur, & omnis tyranni memoria obliterabatur. Suet. Domit. c. 23. n. 2. *Occisum eum senatus adeo lætatus est, ut scalas inferri, clypeosque, & imagines ejus coram detrahi, & ibidem solo affligi juberet: novissime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret.* Nigro, & obscuro colore oblinebantur. Euseb. l. l. *Inscriptiones, & tituli, quicunque honori ejus, aut liberorum per singulas urbes positi erant, partim e sublimi in terram detracti, confractique sunt, partim ut videntibus inutiles fierent, obscuro quodam colore obducti, & nigrefacti.* Luto inquinabantur. Lamprid. Heliog. c. 13. *Misit qui in castris statuarum ejus,* Alexandri Severi, *titulos luto tegerent, ut fieri solet de tyrannis.* Qui mos antiquissimus est, & ab Atheniensium institutis habet originem. Soliti enim fuerunt Athenienses damnatos alicujus criminis lutulare, & ita traducere, quod προπηλακίζειν dixerunt. *Figrell. ibid. c. 37. Buleng. de Imperat. Rom. II. 13. Casaub. in Lampridium. Ravard. Conject. III. 16. Lips. in Tacit. Annal. VI. Excurs. A. Putsc. in Suetonium.* Damnatorum in pompis funebribus non præferebantur. V. supr. in *Imagines.* Post *statuas* latitabant, qui vellent latere. V. supr. in *Debitores. Statuas* & effigies certis diis consecrabant. Strab. XIV. p. 452. *Erat ibidem & Venus emergens, quæ nunc sacrata est D. Cæsari Romæ, Augusto eam patri ut auctorem generis dedicante.* Dionys. II. p. 116. *Romulus ex manubiis Vulcano dedicasse quadrigas aureas, simulque suam effigiem.* Tacit. Annal. III. 64. 2. *Haud procul theatro Marcelli effigiem D. Augusto Julia dicaret.* Et hic mos fuit in Græcia. Laert. Platon. c. 25. *Mithridates Rodobati filius Persa Musis statuam Platonis dedicavit, quam Silanio fecit.* Lips. in Tacit. n. 150.

Statuæ coronatæ dicebantur a coronis, quæ variæ, & vel quernæ, sive ilignex, servatæ Reipublicæ decus: vel laureæ victoriarum de hostibus partarum indices: vel oleaginæ, collatæ iis, qui triumphum victoribus procurassent, & iis, qui prælio vicissent: quemadmodum suos milites victo S. Pompejo Augustus oleagineis honestabat, teste Dione: vel etiam gramineæ, quas obsidione pressi, & soluti liberatori suo dare consueverant. Fiebant illæ in *statuis* ad similitudinem foliorum arborum earum, sive graminum, a quibus denominabantur. Tales Julio Cæsari collocatas fuisse testatur Zonar. Tom. II. *Pro tribunali Cæsaris duas statuas collocarunt: alteram ob cives servatos, alteram ob urbem obsidione liberatam, corona civica, & obsidionali ornatas.* Figrell. de Stat. Roman. c. 21.

Statuæ curules in curru conspiciebantur, quibus dicatæ fuerunt. Inde Juven. Sat. VIII. 3. appellat

> *—— stantes in curribus Æmilianos.*

Et Prudent. contr. Symm. II. 555.

> *Frustra igitur currus summo miramur in arcu*
> *Quadrijuges, stantesque duces in curribus altis*
> *Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos.*

Illarum originem e Græcia arcessit Plin. XXXIV. 5. *Sed illi,* Græci, *celetas tantum dicabant in sacris victores. Postea vero & qui bigis, vel quadrigis vicissent. Unde & nostris currus in his, qui triumphavissent.* Qui locus simul monet, viris triumphalibus hunc honorem habitum, & triumphales *statuas* fuisse plerumque curules. Illustres *statuas* appellat Tacit. Agric. c. 40. n. 1. *Igitur triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata decernit.* Non solum triumphantibus, sed quibuscunque etiam imperii fines insigniter amplificantibus hoc a Romanis tributum notat Suet. Aug. c. 31. n. 7. *Proximum a diis immortalibus honorem memoriæ ducum præstitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.* Erant autem curules vel bijuges. Plin. l. l. *Non vetus & bigarum celebratio in his, qui prætura functi curru vecti essent per circum.* Et inscriptio Prænestina supr. laudata. Vel quadrijuges. Treb. Poll. in Tyrann. c. 21. *Neque enim melior vir quisquam fuit, neque constantior, postquam ceteri consulti statuam inter triumphales, & currus quadrijugos Pisoni decreverunt.* Vel sejuges. Apul. Flor. p. 805. *Vir, cui omnes provinciæ quadrijuges, & sejuges ubique gentium ponere gratulantur.* Ævum notat, & Augusto tribuit Plin. XXXIV. 5. *Nonnisi a D. Augusto sejuges.* Figrell. de Stat. Roman. c. 18. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 19. Bergier. de viis milit. v. Sect. 14. §. 12. Buleng. de Triumph. c. 36. Nicol. de Triumph. c. 18. §. 3.

Statuæ equestres equo insidentes fingebantur. Liv. II. 13. *Romani novam in femina virtutem novo genere honoris statua equestri donavere. In summa sacra via fuit posita virgo* Clœlia, *insidens equo.* Fiebat illud insigni honoris testimonio. Equus enim gloriosum animal, & equitare magnificum semper fuit. Origo e Græcia. Plin. XXXIV. 5. *Equestres statuæ Romanam celebrationem habent, orto sine dubio a Græcis exemplo.* Sed vetustæ Romæ. Plin. ibid. c. 6. *Equestrium origo perquam vetus est, cum feminis etiam honore communicato; Clœliæ enim statua est equestris.* Raro admodum, & nonnisi gravissima de causa decretæ. De L. Furio Camillo, & C. Mœnio coss. qui totum Latium subegere, Liv. VIII. 13. *Illorum triumpho additus honos, ut statuæ equestres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur.* Paterc. II. 61. 3. *Eum,* Augustum, *senatus honoratum equestri statua, quæ hodieque in rostris posita, ætatem ejus scriptura indicat (qui honor non alii per 300. annos, quam L. Syllæ, & Cn. Pompejo, & Cæsari contigerat) bellum proprætore cum Antonio gerere jussit.* Græci liberalius aliquanto hoc decus impendebant. Alexander quippe Magnus centum viginti equitum ad Granicum cæsorum singulis equestris *statuæ* honorem habuit. Justin. XI. 6. 12. *De exercitu Alexandri nongenti pedites, centum viginti equites cecidere, quos Rex impense ad ceterorum solatia humatos statuis equestribus donavit.* Illas e Macedonia Romam transtulit

Metel.

Metellus Macedonicus, & in ſuis porticibus Romæ locavit. Paterc. I. II. 3. *Hic eſt Metellus Macedonicus, qui hanc turmam ſtatuarum equeſtrium, quæ frontem ædium ſpectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci, ex Macedonia detulit.* Stante Republica, aut inter initia Cæſarum, non temere niſi illuſtribus viris, & inſignibus illud tributum. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 18. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IX. 19. *Buleng. de Imperat. Rom.* II. 12. *de Triumph. c.* 36. *Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Roman.* IX. 31. *Nicol. de Triumph. c.* 18. §. 2. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 14. §. 10. 11. *Hugo de Milit. equeſt.* V. 1.

Statuæ galeatæ apud Græcos frequentes fuerunt. Plutarch. Pericl. p. 153. D. *Statuæ ejus fere omnes galeatæ conſpiciuntur.* Imo feminis etiam communicatæ. Pauſan. Corinth. I. p. 63. *Teleſilla galeam jam impoſitura manu tenet.* Erat hoc in femina illuſtre virtutis præmium. Apud Romanos etiam in uſu. Quod ex eo certe conſtat, quia Romam ſuam, quam etiam *ſtatuis*, tanquam numen, aut deam decorabant, ſemper galeatam ſtatuere, ut in nummis compluribus cernere licet. Quod vel ea cauſa factum videtur, ut Martiam illam, & bellicoſam eſſe monſtrarent. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 21. *Nicol. de Triumph. c.* 7. §. 2.

Statuæ gladiatæ gladiis inſtructæ erant. Plutarch. Brut. p. 984. A. *Marcus Brutus genus ſuum ab Junio Bruto deduxit, quem priſci Romani æreum inter Reges in Capitolio poſuerunt, cum enſe ſtricto.* Gladio accinctam Domitiani *ſtatuam* docet Stat. Sylv. I. I. 41.

— *latus enſe quieto*

Securum, magnus quantum mucrone minatur,
Noctibus hibernis, & ſidera terret Orion.

Qui locus etiam oſtendit modum geſtandi gladios in *ſtatuis*, ad latus nimirum inſertos cingulis. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 21. *Nicol. de Triumph. c.* 7. §. 2.

Statuæ haſtatæ manibus haſtas tenebant. Ita *ſtatuam* Conſtantini Magni Romæ in celebri loco cum haſta in manu erectam tradit Euſeb. de vita Conſtant. I. 33. Hoc apparatu inſignes ſunt M. Æmilii Lepidi duæ *ſtatuæ* equeſtres, quæ ita conſpiciuntur in nummis Goltzii p. 32. n. 1. & 3. Haſta enim erat ſymbolum fortitudinis. Et ipſe Mars Romanorum deus Quirinus appellatus ab haſta, quæ nominata quiris, exemplar ſuæ ſtirpi præbere potuit. Martiis enim rebus Romani præſtare cæteris gentibus ſemper anniſi ſunt. Idcirco & armorum apparatu, ſuæ virtutis, gloriæque auctori ſimiles eſſe voluerunt. Sed & ſub ſola haſtæ ſpecie ipſe deus colebatur. Juſtin. XLIII. 1. *Ab origine rerum pro diis immortalibus veteres haſtas coluere: ob cujus religionis memoriam adhuc deorum ſimulacris haſtæ adduntur.* Figrell. de Stat. Roman. c. 21. Nicol. de Triumph. c. 7. §. 2.

Statuæ laureatæ lauru redimiebantur. Tacit. Annal. IV. 23. 2. *Jamque tres laureatæ in Urbe ſtatuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* Hiſt. II. 35. 2. *Populus cum lauru, ac floribus Galbæ imagines circum templa tulit, congeſtis in modum tumuli coronis.* Huc alludit Cicer. pro Mur. c. 41. *Qui imaginem patruis ſui laureatam in ſua gratulatione conſpexit.* Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 19. Figrel. de Stat. Roman. c. 21.

Statuæ loricatæ loricis ſculptæ. Plin. XXXIV. 5. *Cæſar quidem dictator loricatam ſibi dicari in foro paſſus eſt.* Liv. XXIII. 19. *Cæteri incolumes Præneſte cum prætore ſuo Manicio redierunt: ſtatua ejus indicio fuit, Præneſte in foro ſtatua loricata, amicta toga.* Talis ſpectatur in Auguſti nummo apud Goltz. p. 36. n. 23. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IX. 19. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 21. *Nicol. de Triumph. c.* 7. §. 2. Hanc loricam quamquam non dubitaverim interdum ex hamatis fuiſſe. V. illas ſupr. in *Lorica.* tamen pro ſolo pectorali accipit, & antiquis *ſtatuis* tribuit Serv. Æneid. VIII. 435. V. illum ſupr. in *Ægis.* Illud diſcrimen, ubi de *lorica* Domitiani, adulatorio more, oſtendit etiam Mart. VII. 1. 3.

Dum vacat hæc, Cæſar, poterit lorica vocari:
Pectore cum ſacro ſederit, ægis erit.

Figrel. & Nicol. l. l.

Statuæ palmatæ ab hujus nominis tunica nominabantur. Treb. Poll. in Claud. c. 2. *Illa totius orbis indicio in roſtris poſita columna palmata, ſtatua ſuperfixa, librarum argenti mille quingentarum.* Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 19.

Statuæ paludatæ dicebantur paludamento opertæ. Talem Auguſti ſtatuam videmus in nummo apud Goltz. p. 36. n. 23. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 20.

Statuæ pedeſtres pedibus incedentium, aut ſtantium effigie formabantur, non equi ulla, ſive currus ope ſuſtentatæ, ſed baſibus ſuis innixæ. Earum uſus diu fuit apud Romanos. Plin. XXXIV. 6. *Pedeſtres ſine dubio Romæ fuere in auctoritate longo tempore.* Nam priſci illi Romani ſpreto ſumptuoſo *ſtatuarum* equeſtrium, & curulium decore, ut continentes, & moderatos ſeſe probarent, ſolo honore pedeſtrium contenti erant. Cicer. Phil. IX. 6. *Mihi recordanti multos in noſtra familiaritate ſermones gratior illi videtur, ſi quis eſt ſenſus in morte, ænea ſtatua futura, & ea pedeſtris, quam inaurata pedeſtris, qualis eſt L. Syllæ prima ſtatua. Magnifice enim Servius Sulpicius potius majorum continentiam diligebat, hujus ſeculi inſolentiam vituperabat.* Nec diſſimilem ſenſum habere videtur illud Callimachi in Ectionem, de ſtatu herois, Anthol. IV. 8. 46.

— *viro equiti*

Iratus, me peditem hic habitare fecit.

Figrell. de Stat. Roman. c. 17. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 19. Illarum tres præcipue collocationes reperio: quarum locus I. ſunt foruli, ſcaphi, conchæ, loculi, ſive loculamenta, quæ architecti in intercolumniis ædificiorum reſervant, aut & in ipſis columnarum capitellis. Sic in theatro illo temporario Scauri *ſigna ærea inter columnas fuerunt tria millia numero*, tradente Plin. XXXVI. 15: XXXIV. 7. Sic illæ ſtatuæ marmoreæ, quas Auguſtus *in utraque fori ſui porticu dedicavit* apud Suet. c. 31. n. 7. in cujus altero latere ordine erant diſpoſiti omnes Latini Reges a capite, & principe Ænea, Anchiſem patrem humeris ſuſtollente, ad Numitorem & Amulium uſque: in altero erant Reges Romani, aut duces clari, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddiderant, ab ipſo Romulo ad ſua Auguſti tempora, triumphali omnes effigie. Duplicem hanc *ſtatuarum* ſeriem in utraque fori Auguſti porticu ita depingit Ovid. Faſt. V. 563.

Hinc videt Ænean oneratum pondere caro,
Et tot Juleæ nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem,
Claraque diſpoſitis acta ſubeſſe viris.

II. erat in ſtelis, quæ & *paraſtades minores*, nobis ideo *aſſiettes d'images* ſpeciatim appellantur, quaſi dicas ſedes ſtatuarum. Hæ fiebant elatæ in medio, & utroque latere frontis ædificiorum plenæ, & perfectæ architecturæ. Loca hæc vera, honoris ſedes, & culmina erant, quod præ cæteris altiora eminerent. Tali ſede in foro Auguſti Minerva Alea, ex ebore facta, fuit collocata. Colligimus hoc ex Pauſan. Arcad. p. 275. Ubi narrat: *Aleæ Minervæ ſignum totum ex ebore, Endii opus, poſitum fuit in aditu fori Auguſti.* III. patebat in columnis ſolitariis, ſive quæ non inſerviunt ædificiis. Satis antiquus harum uſus. Plin. XXXIV. 5. *Antiquior columnarum*, quam curruum in ſtatuis collocandis, *uſus: ſicut C. Menio, qui devicerat priſcos Latinos, quibus ex fœdere tertias prædæ populus Romanus præſtabat, eodemque in conſulatu in ſuggeſtu roſtra devictis Antiatibus fixerat anno Urbis* 416. *Statuæ* hæ in columnis ſolitariis non niſi viris, ultra communem vulgi ſortem, eruditione, aut virtute militari, arte, aut Marte, ſingulari denique beneficio, aut & plurimis in Rempublicam meritis excellentibus, & nobilibus dedicabantur. *Columnarum* enim ratio, ut Plin. ibid. c. 6. *erat, attolli ſupra cæteros mortales.* Talis eſt columna Trajani poſita in medio illo foro, quod Trajanus magnificentiſſimum Romæ fieri curavit. V. illam ſupr. in *Columna.* Talis item eſt columna Antonini Pii in campo Martio, alta pedes 161. & excavata ab imo ad ſummum gradibus 207. diem admittens per feneſtellas 56. ſupra quam pari modo fuit poſita *ſtatua* Antonini. Hodie ſuperſunt, earumque

prior

prior S. Petri, posterior S. Paulli sustinet *statuam*: quibus Apostolis eas dedicavit Sixtus V. Pontifex maximus an. 1589. *Bergier. de viis milit. v. Sect. 14.* §. 4. 7. 8. Illarum varius ut fuit status, ita præcipuus, dignissimusque habebatur, cum sedentes fingerentur. Quod peculiariter in deorum *statuis* observatum est. Plin. Paneg. c. 52. n. 1. Ubi laudat moderatiorem Trajani, quod mortalis divinos honores sibi non arrogaret: *Horum*, inquit, *unum si præstitisset alius, jam dudum radiatum caput, & medio inter deos sedes, auro staret, aut ebore.* Ubi notat Lipsius: Jovem, & majorum gentium deos sedentes plerumque solitos fingi. In hominum ergo *statuis* rarus hic status, nisi postquam in numerum deorum recepti essent. Eoque positu Augusti consecrati *statuæ* conspiciuntur in ejusdem nummis apud Goltz. p. 23. n. 22: p. 47. n. 20. Sic cum Macrinus Imperator Bassianum inter divos referri curaret, *duas* etiam *statuas sedentes* ipsi decrevit. Capitol. c. 6. Forte sedendi honorem diis præcipue convenire, quasi æternitatis quadam significatione arbitratus. Sessiles tamen *statuæ* etiam hominibus sunt factæ, quoties id inventa artificum, aut historiæ ratio, vel alia quæcunque causa flagitaret. Alias sedendi habitus securitatem, & constantiam veteribus significavit. Artemid. II. 42. *Fortuna super cylindro stans omnibus mala significat, propter basis ipsius periculositatem. Semper bona est sedens, & reclinata; securitatem enim & constantiam per ipsam figuram demonstrat.* Hæreticis fiebant sessiles in probrum, humi, sine sede. Theodosius enim Constantinopoli marmoreas Arii, Macedonii, Sabellii, Eunomii sculpi curavit, ut a prætereuntibus stercore, ac luto contaminarentur, ut notat Gyllius Topogr. Constantinop. II. 23. Frequentissimus etiam fuit *statuarum* positus, quo erectæ in pedes statuebantur, unde & illa pedestrium appellatio. Fuit & cubantium, inclinatorum in latera, prorsum, vel retrorsum. Sed de illis non est operæ pretium hoc loco agere. *Figrell. l. l.*

Statuæ thoracatæ dicebantur, quia *Romana, ac militaris res est thoracas addere*, ut Plin. XXXIV. 5. *Figrell. de Stat. Roman. c. 21. Laz. Comm. Reip. Rom.* IX. 19. *Nicol. de Triumph. c. 7. c. 2.*

Statuæ togatæ toga operiebantur. Isidor. XIX. 24. *Cujus*, togæ, *similitudinem in operimenta simulacrorum, vel picturarum aspicimus, easque statuas togatas appellamus.* Plin. XXXIV. 5. *Togatæ effigies antiquitus ita dicabantur.* Ascon. in Cicer. p. 178. *Id repererat* Cato *ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli ætatis statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt, togatæ sine tunicis.* Figrell. de Stat. Roman. c. 20. Laz. Comm. Reip. IX. 19. Rycq. de Capit. c. 26.

Statuæ triumphales triumphantis habitu sculpebantur, coronatæ videlicet, toga picta, & trabea amictæ, sedentes in sella eburnea, altera manu scipionem eburneum, altera pateram auream tenentes. Obtinuit olim, ut ob quas causas triumphos decrevissent, ob easdem etiam statuæ ponerentur. Liv. IX. 43. *Marcius* Tremulus *de Hernicis triumphans in Urbem rediit, statuaque equestris in foro decreta est.* Et quibus triumphare non licuit, *statuæ* pro triumpho dabantur. Tacitus. V. illum supr. in *Statuæ curules.* Figrell. de Stat. Roman. c. 12. Valtrin. de Re milit. Roman. VII. 13. Nicol. de Triumph. c. 18. §. 1. Bulenger. de Triumph. c. 36. Imponebantur devictarum gentium spoliis V. supr. in *Spolia.*

Statua Æmilii Lepidi pueri fuit in Capitolio. Val. Max. III. 1. 1. *Æmilius Lepidus puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit, cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta Sclo posita.* Rycq. de Capit. c. 26. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 7.

Statua Apollinis Capitolini *triginta cubitorum, centum quinquaginta talentis, facta a Lysippo. Est translata a M. Lucullo ex Apollonia Ponti urbe.* Plin. XXXIV. 7. Unde idem IV. 13. *Ex qua M. Lucullus Capitolinum Apollinem advexit.* Hodie in ædibus nunc Conservatorum confracta jacet. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 7.

Statua Apollinis Palatini fuit in Palatio. Hujus auctorem Scopam facit Plin. XXXVI. 5. *Is*, Scopas, *fecit Apollinem Palatinum.* Suet. Aug. c. 31. n. 1. *Libros Sibyllinos condidit duobus forulis sub Palatini Apollinis basi.* Donat. de Urb. Rom. III. 2. De illa Plin. XXXIV. 7. *Vidimus Apollinem in bibliotheca templi Augusti Thuscanicum, quinquaginta pedum a pollice.* Lips. de Biblioth. c. 6.

Statua Apollinis Temenitis. De hac Suet. Tib. c. 74. n. 1. *Supremo natali suo Apollinem Temenitem, & amplitudinis, & artis eximiæ, advectum Syracusis, ut in bibliotheca novi templi poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, non posse se ab ipso dedicari.* Panciroll. Descript. Urbis Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 337. A.

Statua apoxyomenos Lysippi celebrior inter *statuas* ornamento thermarum ab Agrippa erectas. Hanc oppido sibi dilectam cum in cubiculum suum transtulisset Tiberius, victus clamore populi apoxyomenon reposcentis, publico restituit, ut memorat Plin. XXXIV. 8. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 11. §. 5.*

Statuæ aquis etiam erectæ leguntur. Plin. Epist. VIII. 8. 5. *Stat Clitumnus ipse, amictus, ornatusque prætexta. Præsens numen, atque etiam fatidicum, indicant sortes. Sparsa sunt circa sacella complura, totidemque dei simulacra.* De Proclo philosopho, & fonte *statuæ* Socratis apud Athenienses Marinus ejusdem Procli discipulus in ejus vita: *Cum ex itinere lassitudinem sentiret, ad sacellum Socratis, cum nondum sciret, nec audivisset, quod aliquo eo in loco Socrates coleretur, rogavit Nicolaum, maneret ibi paullisper, atque consideret, &, si posset aliunde, aquam sibi ministraret; laborabat enim, ut dicebat, magna siti. Statim ille, idque non aliunde, quam ex ipso consecrato loco curabat adferri, neque enim procul aberat fons statuæ Socratis.* Et in vetere annulari gemma Aquæ virgini *statuam* erectam cernimus. *Chiflet. in illam Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1789. *C.*

Statua Attii, sive Actii Navii auguris fuit ante curiam Hostiliam. Liv. I. 36. *Statua Attii posita fuit capite velato, quo in loco res acta est, in comitio, in gradibus ipsis, ad lævam curiæ.* Gronov. Ant. Græc. Tom. IV. p. 39. Marlian. Topog. Urb. Rom. II. 7: III. 6. V. supr. in *Comitium.*

Statua Attii poetæ fuit in æde Camœnarum extra portam Capenam. Plin. XXXIV. 5. *Notatum ab auctoribus, L. Attium poetam in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, quum brevis admodum fuisset.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 254. B. Nardin. Rom. Vet. III. 3. Hanc autem non in illa æde Numæ, sed in altera illa, quam Fulvius Nobilior ad ipsam portam Musis dedicasse dicitur, positam fuisse nonnulli putant. Ego, quum nulla hic occurrat alia auctoritas affirmantium scriptorum, aliud a Fulvio Musis delubrum, nemusve Musis dedicatum novum, quum vetus restituisse videri possit, uniuscujusque arbitrio liberam hujusce rei existimationem relinquo. *Nardin. l. l.*

Statua Augusto posita fuit a senatu in foro. Commemorat hoc Cicero in epistola ad ipsum Augustum scripta. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 5. Et alia a Livia ad theatrum Marcelli. Tacit. Annal. III. 64. 2. *Neque enim multo ante cum haud procul theatro Marcelli effigiem D. Augusto Livia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat.* Donat. de Urb. Rom. III. 8.

Statua M. Aurelii Antonini Pii philosophi ænea collocata fuit in area Capitolina: quam ex Cœlio monte paucis abhinc annis transferri vidimus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 9.

Statua Boni eventus & Bonæ fortunæ opus fuit Praxitelis, in Capitolio, ut observat Plin. XXXVI. 5. nec absurda quidem conjunctione: cum *evenisse aliquid non nisi in bonis diceretur.* Quo respexisse comicum Afrum putat Donatus ad ista verba Hec. IV. 4. 29.

— hunc videre semper optavimus diem
Quum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit; habeo gratiam diis.

Sed num in ipso Jovis hæ statuæ positæ, an Fortunarum potius

potius Capitolinarum aliquo templo? ſane ambigo, neque etiam ſine ratione, cum legamus in Tacit. Annal. xv. 23. 3. ob natam Neroni e Poppæa Auguſta filiolam inter alios honores decretum, *ut fortunarum effigies aureæ in ſolio Capitolini Jovis collocarentur.* Rycq. de Capitol. c. 24. Boni eventus formabatur habitu plebejo, læta facie, dextra tenebat craterem, ſiniſtra ſertum ex ſpicis. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom. 1. p. 39.*

Statua Britannici aurea fuit in Palatio, a Tito Imperatore poſita. Suet. Tit. c. 2. n. 4. *Quorum omnium mox memor, ſtatuam ei auream in Palatio poſuit.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 21.

Statua Cæcilii Metelli fuit in Capitolio, quod e mediis ignibus arreptum Palladium periculo ſuo ingenti conſervaviſſet. Dionyſ. II. p. 126. *Pontificum unus L. Cæcilius Metellus, vir conſularis, is qui devictis in Sicilia Carthaginenſibus in celebri illo triumpho 138 elephantos traduxerat, poſthabito pro ſua ſalute privato periculo, irrupit in ardens penetrale, ſacraque a Virginibus deſerta e flammis eripuit: quamobrem maximos a civitate honores eſt promeritus, ſicut ex elogio patet, quod adſcriptum eſt ejus ſtatuæ in Capitolio.* Rycq. de Capit. c. 26. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 7.

Statua Cæſaris equeſtris ex ære aurata fuit in medio foro ante templum Veneris Genitricis. In ejus capite crinita fuit ſtella, quemadmodum in nonnullis numiſmatis ejus videre licet. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 15. *Donat. de Urb. Rom.* II. 31. *Nardin. Rom. Vet.* v. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 10. §. 5. Altera quæ neque terræ motu, neque vento impulſa, ſubito viſa eſt converti ad ſolis ortum, cum antea ſpectaret alio, fuit in inſula Tiberina. Tacit. Hiſt. I. 86. 2. *Statuam D. Julii, in inſula Tiberini amnis, ſereno, & immoto die, ab occidente in orientem converſam.* Borrich. ibid. c. 16. §. 2. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 16. Et tertia loricata in foro. Plin. xxxiv. 5. V. illum ſupr. in *Statuæ loricatæ.* Donat. ibid. II. 21.

Statua Cajæ Tarraciæ fuit in campo Tiberino. Plin. xxxiv. 6. *Invenitur ſtatua decreta & Tarraciæ Cajæ, ſive Suffetiæ virgini Veſtali, quod campum Tiberinum gratificata eſſet ea populo.* Donat. de Urb. Rom. I. 8.

Statua Caligulæ ex auro in ejus fuit templo. Suet. c. 22. n. 7. *In templo ſimulacrum ſtabat aureum iconicum: amiciebaturque quotidie veſte, quali ipſe uteretur.* Nardin. Rom. Vet. VI. 13.

Statua Camilli *fuit in Roſtris.* Plin. xxxiv. 6. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 6.

Statua Sp. Caſſii, qui regnum affectaverat, fuit apud ædem Telluris. Plin. xxxiv. 6. V. illum ſupr. in *Statua.* Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 337. D.

Statua Caſtoris & Pollucis fuit ante ædem Jovis Tonantis, opus Hegiæ. Plin. xxxiv. 8. *Hegiæ Caſtor & Pollux ante ædem Jovis Tonantis.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 3.

Statua Cereris ferebat ſpiceam coronam in capite, & manipulum ſpicarum in dextera, alias etiam facem ardentem, quam olim in nocturnis umbrarum evocationibus ſub Platone magiſtro accenderat. Claud. de rapt. Proſerp. III. 331.

Noctivago tædas inflammatura labori.

Kipping. Antiq. Roman. I. 7. §. 2.

Statua fortaſſe Ciceronis togata viſitur in atrio Palatii Veneti ad partem dextram horologii: certe oratoris, quod libelli in dextra indicant, & libellorum theca ad *ſtatuæ* pedes. *Ferrar. de Re Veſt.* I. I. I. *Byn. de Calc. Hebræor.* I. 7. 2.

Statua Claudiani fuit in foro Trajani. Ejus titulus in humili quadam domo in Conſtantini thermis reperitur in hæc verba:

CL. CLAUDIANI. V. C. CLAUDIO. CLAUDIANO. V. C. TRIBUNO. ET. NOTARIO. INTER. CETERAS VIGENTES. ARTES PRÆGLORIOSISSIMO POETARUM. LICET. AD MEMORIAM. SEMPITERNAM. CARMINA. AB. EODEM SCRIPTA. SUFFICIANT. ADTAMEN TESTIMONII. GRATIA. OB. JUDICII. SUI. FIDEM. D. D. N. N. ARCADIUS. ET. HONORIUS FELICISSIMI. ET. DOCTISSIMI IMPERATORES. SENATU. PETENTE STATUAM. IN. FORO. DIVI. TRAJANI ERIGI. COLLOCARIQUE. JUSSERUNT.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 1. *Nardin. Rom. Vet.* v. 9. Hujus *ſtatuæ*, & inſcriptionis mentionem facit ipſe Bell. Get. præf. n. 7.

Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam,
Oraque patricius noſtra dicavit honos:
Annuit his Princeps titulum poſcente ſenatu,
Reſpice; judicium quam grave, Muſa, ſubis.

Urſin. ad Marlianum. In atrio templi ejus collocatam fuiſſe credibile eſt, ut præſentes ibi Muſas, quas ita tenere adamarat, a morte velut triumphans intueretur. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 10. §. 6.

Statua Clœliæ virginis, quæ ex Porſenæ caſtris auſugiens arrepto equo Tiberim tranſnaverat, equeſtris ex ære fuit in Sacra via. Liv. II. 13. V. illum ſupr. in *Statuæ equeſtres.* Dionyſ. v. p. 303. *Clœliæ virgini jus æneæ ſtatuæ dederunt: quam in Sacra via, quæ in forum ducit, virginum patres ſtatuerunt. Eam nos non invenimus: ſed jam olim incendio propinquarum ædium abolita dicebatur.* Servius multo Dionyſio poſterior contrarium affirmat Æneid. VIII. 651. *Quam in via ſacra hodieque conſpicimus.* Ut & Senec. ad Marc. c. 16. *Equeſtri inſidens ſtatuæ, in Sacra via, celeberrimo loco, Clœlia exprobrat juvenibus noſtris pulvinum aſcendentibus in ea illos Urbe ſic ingredi, in qua etiam feminas equo donavimus.* Forte ætate Dionyſii conſumpta incendio, collapſave, ab alio poſtea reſtituta fuit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 6. §. 6.

Statua Corneliæ Gracchorum matris in Capitolio collocata fuit. Plin. xxxiv. 6. *Sicut Corneliæ Gracchorum matri, quæ fuit Africani prioris filia. Sedens huic poſita, ſoleiſque ſine amento inſignis, in Metelli publica porticu: quæ ſtatua nunc eſt in Octaviæ operibus.* Marlian. Topog. Urb. Rom. II. 7.

Statua Corvini fuit in foro Auguſti. Gell. IX. 11. *Statuam Corvino iſti D. Auguſtus in foro ſuo ſtatuendam curavit: in ejus ſtatuæ capite corvi ſimulacrum eſt rei, pugnæque monumentum.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 9.

Statua Dianæ pingebatur cum religata in coronam coma, venatrix ſedula tenebat arcum, & ſagittas, quibus cervos ei dedicatos fatigare credebatur: aliter ut quieta, & pacifica: aliter ut luna. *Ortel. Deor. & dear. cap.* I. 26. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 7. §. 2.

Statua Domitiani equeſtris ænea deaurata. V. illam ſupr. in *Equus.*

Statua Ennii poetæ fuit in ſepulcro Scipionum. Val. Max. VIII. 14. 1. & Plin. VII. 30. *Superior Africanus Ennii poetæ effigiem in monumento Corneliæ gentis collocari voluit.* Cicer. pro Arch. c. 9. *Carus fuit Africano ſuperiori noſter Ennius: itaque etiam in ſepulcro Scipionum putatur is eſſe conſtitutus e marmore.* Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 255. B. Guther. de Jur. man. II. 25.

Statua Herculis Olivarii collocanda eſt ad Velabrum majus, ubi olearii negotiabantur. Regioni nonæ illam aſſignat Rufus. An *ſtatua* fuerit in ornamentum loci ab Auguſto collocata, non eſt promptum definire. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 13. §. 4.

Statua Herculis Tarentini capta urbe Tarento a Fabio Maximo Verrucoſo collocata eſt in Capitolio. Plutarch. Fab. p. 187. C. *Herculis ſignum ingentis magnitudinis Tarento avectum poſuit in Capitolio, juxta ſtatuam ſuam equeſtrem ex ære.* Plin. xxxiv. 7. *Talis & Hercules Tarenti factus* 40.

cubi-

cubitorum. *Mirum in eo, quod manu, ut ferunt, mobilis (ea ratio libramenti est) nullis convellatur procellis. Itaque propter magnitudinem, difficultatemque moliendi, non attigit eum Fabius Verrucosus, cum Herculem, qui est in Capitolio, inde transferret.* Aur. Vict. de vir. illustr. c. 43. n. 6. *Herculis signum inde tralatum in Capitolio dedicavit.* Rycq. de Capit. c. 25.

Statua Herculis triumphalis ab Euandro est posita in foro Boario. Plin. XXXIV. 7. *Hercules ab Euandro sacratus in foro Boario, qui triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitur habitu triumphali.* Unde perspicuum est, non in templo illam aliquo collocatam fuisse, sed in foro, in publico omnium conspectu, ideoque ornamentis triumphalibus exultam triumphorum die. *Nardin. Rom. Vet.* V. 10. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 15.

Statua Herculis tunicati fuit juxta Rostra. Plin XXXIV. 8. *Juxta Rostra statua Herculis tunicati, Eleo habitu Romæ, torva facie, & sentiente* (L. potius *sæviente*) *suprema in tunica. In hac tres sunt tituli: L. Luculli Imperatoris, de manubiis: alter, pupillum Luculli filium ex SCto dedicasse: tertius, T. Septimium Sabinum ædilem curulem ex privato in publicum restituisse.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 6. Faunus Antiq. Urb. Rom. 12.

Statua Hermodori Ephesii legum, quas decemviri scribebant, interpretis fuit in comitio. Plin. XXXIV. 5. V. illum supr. in *Statua*. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 6.

Statua Horatii Coclitis fuit in comitio. Plin. XXXIV. 5. *Alia causa, & alia auctoritas major in Horatii Coclitis statua, quæ durat hodieque, cum hostes a ponte sublicio solus arcuisset.* Gell. IV. 5. V. illum supr. in *Statua*. Marlian. Topogr. Urb. III. 6.

Statua Jani Bifrontis fuit in ejus templo. Procop. de Bell. Goth. I. *Est ænea non minor cubitis quinque, hoc est, septem palmis cum dimidio. Cætera quidem homini similis, sed bifrons est capite, & facierum altera ad orientem, altera ad occidentem solem vertitur, & utrique æneæ portæ respondent, quas pacis tempore, rebusque prosperis occludere veteres Romani consueverunt, cum vero bello premerentur, aperire.* Castal. de Templ. Pacis Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1854. C. Nardin. Rom. Vet. V. 7. Illi primo anni die nova laurea imponebatur, veteri sublata. Ovid. Fast. III. 137.

Laurea flaminibus, quæ toto perstitit anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore novæ.

Sidon. carm. VII. n. 10.

— Jam nocte bifrontis
Anceps Jane comas, duplicique accingere lauro.

Auson. de Cæsar. II. 11.

Ter dominante Tito cingit nova laurea Janum.

Scilicet Imperatores Romani in bellum ituri, aut ex bello reversi primum omnium ædem Jovis, deinde Vestalium, tum Janum adibant. Erat enim lex Romæ, *ut in discessu Imperator ædem Jovis ultimo, in reditu vero Jani templum primum adiret.* Nam in expeditionem proficiscentium in æde Vestalium injiciebatur paludamentum, eorundem in æde Jovis pedem senatores, & in templo Jovis manum aversam consules osculabantur. *Lipen. de Strea. c. 4. §. 47.*

Statua Jovis in templo Capitolino habitu sedentis fuit, dextra gerebat sceptrum oblongum in similitudinem hastæ, ut vetera numismata ostendunt. Suet. Aug. c. 94. n. 9. *Sequenti nocte statim videre visus est* Octavius *filium mortali specie ampliorem, cum fulmine, & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona.* Sinistra fulmen tenebat. Ita enim in nummo exhibetur. Sed in dextra, quippe velut usurus, ut Ovid. Fast. I. 202.

Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Sed postea *decemvirorum monitu decretum est, fulmen Jovi aureum quinquaginta pondo fieret.* Inde *fulminans* dictus Jupiter. Suet. ibid. n. 13. illi *signum Reipublicæ, quod manu gestaret,* attribuit, & dubitationem non levem injicit. Non enim video, qua manu hoc simulacrum teneret, si altera fulmen, altera sceptrum gerebat. Sed fortasse illi modo sceptrum, modo fulmen gestandum dabant. Vel Sylla post incensum, restitutumque Capitolium pro fulmine minarum indice signum illud dextræ imposuerit, symbolum eximiæ pro Republica, & Urbe curæ & tutelæ. Fictilis fuit primitus. V. supr. in *Jupiter fictilis.* Donat. de Urb. Rom. II. 7. Nardin. Rom. Vet. V. 15. Eburnea tamen ad tempora usque Trajani. Hoc ut credam duplici permoveor suspicione. V. etiam supr. in *Jupiter fictilis.* Trajanus e solido primum auro Jovem, Junonem & Minervam in Capitolio videtur posuisse. Mart. XI. 5. 3.

Scriptus es æterno nunc primum Jupiter auro,
Et soror, & summi filia tota patris.

Rycq. de Capitol. c. 18. Qui hoc exigua conjectura putat. Mihi probabile est post Syllæ restitutionem semper aureum fuisse. Nam Catulus, qui templi tegulas inauravit, cur Jovem auro illustrare noluit? cum præsertim *statuarum* inauratarum usus multo ante in Urbe cœpisset. Et postea Domitianus, cum *statuas* non nisi aureas, & argenteas dicari pateretur, magnificentissimus Capitolii restitutor aurum Jovi adimebat? Ante Syllam antiquum illud fictile servatum dixerim; a Sylla, vel Catulo nonnisi aureum factum fuisse affirmarim. Martialis carmen referendum est ad æternitatem, non autem ad operis novitatem. Significat enim Jovem tunc ex auro conflatum diu duraturum, cum incendium alios cito consumpserit, qui vel Sylla dictatore, vel Vespasiano, aut etiam Domitiano principe conflati fuerint. *Donat. l. l.* Qui hæc optime, & erudite. Verum illis addere liceat, Martialem de nova *statua* agere ex auro solido. Hoc enim vox *sculptus* indicat. Cæteræ enim ante hanc tantum inauratæ fuere, adeoque nec æternæ, quemadmodum aurum solidum est, quod nec flammis, nec tempore vincitur. Ex auro deinceps usque ad Maximini principatum fuisse acta S. Marciani docent: *In Capitolio intra templum, in quo simulacrum aureum erat.* Utrum vero ante Syllæ, & Catuli ætatem semper ex argilla fictilis fuerit, de omni illud temporis spatio affirmare minime ausim; quum mihi potius contrarium verum videatur: & si aliquando post illam veteris ævi simplicitatem redintegratam, aut nova facta fuerit, e marmore, vel ex ære fuisse crediderim, præsertim, post devictam Asiam. Videor enim id posse colligere e Plin. XXXVII. 7. *Mirum mihi videtur, cum statuarum origo tam vetus in Italia sit, lignea potius, aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata usque ad devictam Asiam, unde luxuria.* Nardin. l. l. Ejus barba fuit aurea. V. illam supr. in *Jupiter Capitolinus.* Corona, si non aurea, certe radiata. V. illam supr. in *Corona Jovis.* Toga fuit palmata, & triumphalis, quam qui ferret, ferre exuvias, & ornatum Jovis dicebatur, aut etiam, ut Suetonius, *Jovis tunicam, & exuvias deorum.* Nam prætores, consules, triumphantes de templo Jovis Capitolini prætextam, pictamque togam accipiebant, quæ & Capitolina dicta est. Lamprid. Alex. Sev. c. 40. *Prætextam, & pictam togam nunquam nisi consul accepit, & eam quidem, quam de Jovis templo sumptam alii quoque accipiebant, aut prætores, aut consules.* Donat. l. l. Rycq. ibid. c. 19. Qui omnes eam vestem si de *statua* Jovis acceperunt, quot quidem bonus ille Jupiter togis indutus fuit? Quare eam ex armario aliquo depromptam crederem, quod in hunc usum in templo fuerit, nisi de *statua* sumi solitam diceret Vopisc. in Prob. c. 10. *Appellatusque Imperator ornandus etiam pallio purpureo, quod de statua templi ablatum est.* Nardin. l. l. Erat præterea *statua* sessilis, ut veteres nummi demonstrant. Quanquam & hi stantem cum Pallade, ac Junone designant. Sed nihilominus sedere dicenda est in sella curuli, sive throno, ut loquuntur auctores; sicque in ejus gremio percommode laurea corona deponebatur a triumphantibus. Senec. ad Helv. c. 10. *Scilicet minus beate vivebat dictator noster, qui Samnitum legatos audiit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, qua jam sæpe hostem percusserat, laureamque in Capitolini Jovis*

gremio repoſuerat. Plin. XI. 30. *Ex his in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit.* Donat. l. l. Burman. Jupit. Fulgur. c. 14.

Statua Junii Bruti fuit dedicata in Capitolio gladium nudum manu tenentis. Plutarchus. V. illum ſupr. in *Statuæ gladiatæ.* Ei, cum de Cæſaris nece conſilia agitarentur a conjuratis, *ſubſcriptum fuit: utinam viveres.* Suet. c. 80. n. 6. Ejusdem meminit Cicer. Phil. II. 11. *Etenim ſi auctores ad liberandam patriam deſiderarentur illis auctoribus, Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret. . . . .* Et fortean ejus *ſtatuæ* caput, fuit æneum illud, quod hodie in Capitolio viſitur, multis abhinc annis, a Rodolpho Pio Cardinale Carpenſi illic dedicatum. *Gronov. Antiq. Græc. Tom.* II. *p.* 52.

Statua Junonis Reginæ erat ſpecie feminæ in ſolio ſedentis, coronam in capite nubibus obvoluto, ſceptrum oſtentantis dextra, cincta iride, quæ miniſtra ejus erat, pavones ad latera ſtabant ocellatas caudas ſuas diſpandentes. Nam hæ aves propriæ Junonis erant. Ovid. de Art. Amand. I. 627.

Laudatas oſtentat aves Junonia pennas.

Kipping. Antiq. Roman. I. 7. §. 2.

Statua Laocoontis cum duobus filiis a ſerpentibus circumdati Leonis X. ætate ad S. Luciæ in ſilice, & ſeptem atria inventa, & inde in Belvedere tranſlata fuit. In hac a quibusdam movetur difficultas. Hæc enim procul omni dubio eadem eſt, de qua Plin. XXXVI. 5. *Sicut in Laocoonte, qui eſt in Titi domo, opus omnibus & picturæ, & ſtatuariæ artis anteferendum, ex uno lapide eum, & liberos, draconum mirabiles nexus, de conſilii ſententia fecere ſummi artifices Ageſander, & Polydorus, & Athenodorus Rhodii.* Quæ ſi in domo Titi ad ſeptem atria, & S. Petri in vincula fuit, ubi inventa eſt (& aliunde iſthuc tranſlatam fuiſſe ipſa incredibile facit difficultas) domus hic, non thermæ Titi fuerunt. Sed hic nodus ſolutu facilis eſt. Potuerunt enim thermæ iſtius Cæſaris perveniſſe ad S. Petri in vincula; Trajanus autem illas extendiſſe uſque ad S. Martini in montibus, & ad ſiniſtram, ubi S. Luciæ in ſilice ædes eſt, & ſeptem atria, intactum reliquiſſe peramplum Palatium, non autem Titi domum, quæ anguſta fuit, uti deſcribitur a Suet. c. 1. n. 2. *Natus eſt Kalendis Januariis inſigni anno Cajana nece prope Septizonium, ſordidis ædibus, cubiculo vero perparvo, & obſcuro: nam manet adhuc, & oſtenditur.* Hanc vero domum a Tito thermis conjunctam fuiſſe perquam veroſimile eſt. *Nardin. Rom. Vet.* III. 10. *Marlian. Topogr. Urb. Rom* IV. 14. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 15. §. 20. *Boiſſard. Antiq. Rom.* II 49. *Demontioſ. de Sculpt. p* 137. *Schott. Rom. Urb. Deſcript. p.* 428. Illam invenit Felix civis Romanus an. 1506. in vinea ſua. Errant illi, qui ſcribunt repertam fuiſſe ſub Paullo III. in thermis Antoninianis. *Turrig. Not. ad Urſi togat. inſcript.* §. 9.

Statua Lepidi poſita in Roſtris. Cicer. Epiſt. ad Brut. 15. *In Lepido reprehendimur: cui cum ſtatuam in Roſtris ſtatuiſſemus, iidem illam evertimus. Nos illum honore ſtuduimus a furore revocare: vicit amentia leviſſimi hominis noſtram prudentiam. Nec tamen tantum in ſtatuenda Lepidi ſtatua factum eſt mali, quantum in evertenda boni.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 6.

Statua Mamurrii, inſignis anciliorum magiſtri plumbea fuit ad S. Suſannam, in ſexta Urbis regione, in vico, cui nomen dederat. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 8. §. 4.

Statua Marſorii vetus coloſſea non longo intervallo a Secretario ſenatus in foro disjuncta fuit, quæ ſine dubio fluminis alicujus ſimulacrum fuit. Poſita fuerat adverſus S. Petri ædem in carcere, in ipſo viæ capite, quæ etiam nunc Clivus Marforii appellatur. *Nardin. Rom. vet.* V. 8. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 3. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 10. §. 4. Peritiores Romani perhibent Jovi Panario fuiſſe dicatam: argumentaque afferunt, quod marmoreum *ſtatuæ* ſtratum tanquam panibus marmoreis videatur obtectum: dicuntque ideo poſitam fuiſſe, ut memoriam referret panis, quem majores a Senonibus Gallis in Capitolio obſeſſi, quum fame perirent, in hoſtem, ut mentitam copiam rerum prætenderent, projecerunt, cujus rei veritatem aliorum, qui melius quam nos ſciant, judicio relinquimus. *Blond. Inſtaur. Rom.* II. 56. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 6. Verum præterquam quod hi tumores panis non ſint, Jovi huic ara, non autem *ſtatua* in Capitolio poſita legitur. Fulvius multo accuratius, & *ſtatuam*, & corruptum nomen conſiderans, Naris fluminis effigiem eſſe cenſebat, quaſi voces *Nar fluvius* in vocem *Marforius* detortæ eſſent. Verum Marlianus a vero remotum putat, tam exiguo flumini tam grandem *ſtatuam* aut in foro magno, aut in Auguſtæo poſitam fuiſſe: ideoque illam Rheno potius attribuit, cujus ſimulacrum ad pedes equi Domitiani collocat Stat. Sylv. I. 1. 51.

Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Verum quomodo caput Marſorii ſervata vel tantillum proportione geometrica pedibus illius equi ſubjectum eſſe potuerit, non video: præſertim quum ita projectus ad transverſam baſin pectus potius, quam caput equi pedibus advolutum habiturus fuiſſet. Quare veroſimilius mihi videtur, alicujus eam fluminis, aut fontis *ſtatuam* fuiſſe, cujus uſum in foro proximo Auguſti, aut in angulo fori magni contra carcerem exhibuerit, ubi ſcilicet poſita fuerit, in proſpectu lacus Servilii, qui in alio fuit latere; quum inuſitatum poſterioribus ſeculis fuerit tam grandes, moleſtasque *ſtatuas* in alia loca transferre. Adde, quod hic & ingens illud labrum marmoreum fuerit (quod hodieque in medio campo Vaccino viſitur) ut a plurimis ocularis teſtibus confirmatur: ſic ut huic Marforii inſerviiſſe *ſtatua* videatur. Marlianus porro nomen ejus corruptum ſuſpicatur ex Martis fori: quod mihi minus aptum aliquamdiu viſum eſt, quum non Martis, ſed Auguſti forum ſemper appellatum fuerit: verum quum poſt in Actis S. Felicitatis legiſſem, *Sedit in foro Martis, & juſſit eam adduci cum filiis ſuis*, magis mihi inventum illud placere cœpit, magisque videri veriſimile. *Nardin. l. l.*

Statua Marſyæ fuit prope Puteal, & in loco judiciorum, atque ubi pecunia fœnori dabatur. Horat. Sat. I. 6. 119.

Deinde eo dormitum, non ſollicitus, mihi quod cras
Surgendum ſit mane; obeundus Marſya, qui ſe
Vultum ferre negat Noviorum poſſe minoris.

Ad quæ Porphyrius: *Duo Novii fratres illo tempore fuerunt, quorum minor tumultuoſe fœnerator fuiſſe dicitur. Satyrice autem, & eleganter hoc dictum, quaſi ideo manum levet Marſyas, quod in foro ſuſtinere non poſſit hunc Novium. Obeundus autem Marſyas, quia in foro vadimonium ſiſtendum apud ſignum Marſyæ ſit.* Sic & Mart. II. 64. 7.

Si ſchola damnatur, ſi litibus omnia fervent:
Ipſe poteſt fieri Marſya cauſidicus.

Senec. de Benef. VI. 32. ubi de Julia Auguſti filia agit: *Forum ipſum, ac roſtra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in ſtupra placuiſſe, quotidianum ad Marſyam concurſum: cum ex adultera in quæſtuariam verſa jus omnis licentiæ ſub ignoto adultero peteret.* Quæ verba, *ex adultera in quæſtuariam verſa*, mihi ſignificare videntur, Juliam, ut adulteros inveniret egenos, locum illum frequentaſſe, ac ſi & ipſa argentum fœnori daret. De eadem Plin. XXI. 3. *Apud nos exemplum licentiæ hujus non eſt aliud, quam filia D. Auguſti, cujus luxuria noctibus coronatum Marſyam literæ illius dei gemunt.* De corona dixerat: *P. Munatium, cum demptam Marſyæ coronam e floribus capiti ſuo impoſuiſſet, atque ob id duci eum in vincula juſſiſſent triumviri.* Forſan coronæ Marſyæ ab his imponi ſolitæ, quibus res ſuæ illic e ſententia proceſſiſſent: atque ita quoque Julia invento adultero, quem cupiebat, noctu cum coronavit. Marſyæ *ſtatuam* elata manu in liberis civitatibus poni ſolitam refert Serv. Æneid. IV. 58. *In liberis civitatibus ſimulacrum Marſyæ erat, qui in tutela Liberi patris erat. Idem Lyæus apte urbibus libertatis eſt deus,*

unde

unde etiam Marsyas minister ejus per civitates in foro est, qui erecta manu testatur nihil urbi deesse. Nardin. Rom. Vet. v. 7. Rhodig. Ant. Lect. xxviii. 12. Donat. de Urb. Rom. ii. 20. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. i. 13.

Statua Martis olim Romæ nihil aliud fuit quam Hasta. Auctor est Varro. *Borrich. Ant. Urb. fac. c. 6. n. 1.* V. supr. in *Statuæ hastatæ.*

Statuæ Martis, & Veneris erant in aditu templi Martis Ultoris ante fores ab utroque latere. Ovid. Trist. ii. 296.

Stat Venus Ultori juncta viro ante fores.

Jungi has *statuas* solitas indicat jocus Claud. Magnet. n. 22.

Mavors, sanguinea qui cuspide verberat urbes,
Et Venus, humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenet communia templi.
Effigies non una deis, sed ferrea Martis
Forma nitet, Venerem magnetica forma figurat.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Hennin. in Bergier. de viis milit. v. 13. 10.

Statuæ Mercurii in compitis civitatum erigebantur, & vocabantur Hermæ. V. illas supr. in *Hermæ.*

Statua Minervæ e basi dejecta, & capite, pedibusque diminuta in abside ædiculæ, quæ alte sub terra defossa, & nuper detecta est intra ambitum Romani collegii. Ea dextero cubito nitebatur in truncum angue ingentibus spiris circumvoluto. Vestem tenuissimam anguiculi pro ligulis humero alligabant. Sub collum ante pectus inserta bulla, Medusæ vultu, & crinalibus notata serpentibus. Quæ nunc refecta, & restituta in hortis Ludovisianis aspicitur. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 16.

Statua Minervæ Catulianæ fuit in Capitolio. V. illam supr. in *Minerva.*

Statua Minervæ custodis Urbis, quæ etiam πολιοῦχος vocabatur. Hanc in domestica religione apud se diu cultam, tribunitio demum æstu in exilium compulsus, sub ipsum discessionis tempus in Capitolium tulit Cicero. Dio xxxviii. p. 70. B.... Eam ipse veneratur pro Dom. c. 57. *Te custos Urbis Minerva, quæ semper adjutrix consiliorum meorum, testis laborum extitisti, precor.* Et scribit Epist. ad Fam. xii. 25. *senatum decrevisse, ut Minerva sua, custos Urbis, quam turbo dejecerat, restitueretur.* Rycq. de Capit. c. 24.

Statua P. Minutio Augurino præfecto annonæ prope Horrea posita videtur fuisse. De illa Plin. xviii. 3. *Minutius Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit undecimus plebei tribunus: qua de causa statua ei extra portam trigeminam, a populo stipe collata, statuta est.* xxxiv. 5. *P. Minutio præfecto annonæ extra portam trigeminam unciaria stipe collata, nescio an primo honore tali a populo, antea enim a senatu erat.* At hoc loco non de *statua*, sed columna loquitur: sunt enim ejus verba præcedentia; *antiquior columnarum.* Quare dicendum, priore loco de Minutio Augurino tribuno plebis agi, posteriore de P. Minutio præfecto annonæ: aut si idemque uterque Minutius, *statuam* columnæ impositam existimandum: cujusmodi visuntur in numismatibus, ab Ant. Augustino Dial. iv. exhibitis. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 9. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 257. *B. Godelev. in Liv.* ii. ii.

Statua Nili fuit in templo Pacis, a Vespasiano dicata. Plin. xxxvi. 7. *Invenit eadem Ægyptus in Æthiopia, quem vocant basalten, ferrei coloris, atque duritiæ. Nunquam hic major repertus est, quam in templo Pacis ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatus: argumento Nili, sexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis intelliguntur.* Donat. de Urb. Rom. iii. 4.

Statuæ Nixiorum deorum. V. illas supr. in *Dii.*

Statua Numeriani est a senatu posita in bibliotheca Ulpia. Vopisc. Numer. c. 11. *Hujus oratio fertur ad senatum missa tantum habuisse eloquentiæ, ut illi statua non quasi Cæsari, sed quasi rhetori decerneretur ponenda in bibliotheca Ulpia, cui subscriptum est: Numeriano Cæsari oratori temporibus suis potentissimo.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. ii. 19.

Statua C. Octavii fuit juxta Rostra. Plin. xxxiv. 6. *C. Octavius Regem Antiochum, daturum se responsum dicentem, virga, quam tenebat forte, circumscripsit, & priusquam egrederetur circulo illo, responsum dare coegit. In qua legatione interfecto senatus statuam poni jussit quam oculatissimo loco in Rostris.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 6. Plinius hoc in loco memoria lapsus est, cum Octavio huic factum C. Popilii tribuit. Hic enim *virga, quam in manu gerebat, circumscripsit Regem.* Liv. xlv. 12. Sed imposuit Plinio nomen Antiochi, pluribus Regibus commune. Alius enim fuit Antiochus, qui antea cum Romanis bellum gesserat, ad quem Octavius videtur missus. Alius hic, nimirum Antiochi superioris nepos. Deinde Popilius *ad Leusinem, qui locus quatuor millia ab Alexandria abest,* suum Antiochum convenerat. Liv. l. l. nec interfectus legitur. Octavius vero *Laodiceæ in gymnasio est interfectus.* Cicer. Phil. ix. 2. *Octavius cum esset missus a senatu ad animos Regum perspiciendos, liberorumque populorum, maximeque, ut nepotem Antiochi Regis, qui cum majoribus nostris bellum gesserat, classes habere, elephantos alere prohiberet: Laodiceæ in gymnasio a quodam Leptine est interfectus. Reddita est ei tum a majoribus statua pro vita: quæ multos per annos progeniem honestaret, nunc ad tantæ familiæ memoriam sola restaret.* Figrell. de Stat. Roman. c. 13. Paschal. de Legat. c. 77.

Statua Romuli, & Remi cum ænea lupi inaurata. V. illam supr. in *Simulacrum lupæ.*

Statua Satyri pulcerrima in area est Capitolina. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* ii. 9.

Statua Scipionis, qui Antiochum devicit, fuit in Capitolio. Cicer. pro Rab. Post. c. 10. *L. Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque devicit, non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. ii. 7.

Statua Sejani fuit in theatro Pompeji. Senec. ad Marc. c. 23. *Decernebatur illi,* Sejano, *statua in Pompeji theatro ponenda, quod exustum Cæsar reficiebat.* Donat. de Urb. Rom. iii. 8.

Statua Servii Tullii Regis lignea fuit in æde Fortunæ virilis ad Tiberim. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 307. *A.* Error manifestus. Extitit in templo Fortunæ in Foro Boario. Dionys. iv. p. 243. *In templo Fortunæ ab ipso condito dedicata ejus effigies e ligno inaurato, sola incendio superfuit integra, omnibus ceteris igni absumptis.* Nardin. Rom. Vet. vii. 4.

Statua Summani fuit in Capitolio. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 9. *In fastigio summi Jovis, fictilis. E cœlo cum ictus esset, nec usquam ejus simulacri caput inveniretur, haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt, idque inventum est eo loco, qui est ab haruspicibus demonstratus.* Cicer. de Divin. i. 10. *Rycq. de Capit. c.* 15.

Statua Syllæ equestris, ex auro conflata, ante Rostra locata fuit, & subscripta, *Cornelio Syllæ Imperatori fortunato.* Appianus. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* ii. 12. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iii. 6.

Statua Theodosii fuit Constantinopoli in urbis regione septima. V. illam supr. in *Columna Theodosii.*

Statuæ Trebio in Capitolio, & Palatio dicatæ fuerunt. Plin. xviii. 3. *Trebius in ædilitate assibus populo frumentum præstitit. Quam ob causam & ei statuæ in Capitolio, & Palatio dicatæ sunt.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. ii. 7.

Statua M. Varronis fuit in porticu templi Apollinis. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 305. *A.*

Statua Vejovis cupressina fuit, & sagittis obarmata, in æde sua posita circa annum U. C. 551. si probi sunt numeri Plin. xvi. 40. *Nonne simulacrum Vejovis in arce e cupresso durat, a condita Urbe quingentesimo quinquagesimo primo anno dicatum?* Rycq. de Capit. c. 39.

Statua Veneris in Pantheo fuit, eminens auribus, ge-

ſtabat margaritam Cleopatræ alteram, in duo ſegmenta diviſam. Plin. IX. 35. *Comitetur fama unionis ejus parem, capta illa tantæ quæſtionis victrice Regina diſſectum, ut eſſet in utriuſque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cœna.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 9. §. 4. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 11.

Statua Veſtæ pingebatur forma mulieris ſedentis, geſtantis tympanum, quod terra ventos intra ſe contineat. *Ortel. Deor. & dear. cap.* I. 21. ſedentis ad aram, in qua luculentus ignis ardebat. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 7. §. 2.

Statua Victoriæ in Capitolio fuit, donum Hieronis Regis Siciliæ. Liv. XXII. 37. Legati Syracuſani ab Hierone miſſi, *præter multa alia munera, quibus bella juvari ſolent, ominis cauſa Victoriam auream pondo trecentum viginti afferre ſeſe* nuntiarunt. Qui & addit legationis formulam: *acciperent eam, tenerentque, & haberent propriam, ac perpetuam:* & ſubjungit ſenatum Romanum *Victoriam, omenque accepiſſe, ſedemque ei divæ dediſſe, dicaſſe Capitolium, templum Jovis Opt. Max.* magna cum ſpe: *in ea arce Urbis Romæ ſacratam volentem, propitiamque, firmam, ac ſtabilem fore populo Romano.* Rycq. de Capit. c. 23. Nardin. Rom. Vet. v. 15.

Statua Victoriæ in curia Julia ab Auguſto fuit poſita. Dio LI. p. 459. D. *In curia Julia imaginem Victoriæ poſuit, quæ hodie quoque extat, Tarento olim Romam advecta, ac a Cæſare tum in curia poſita, & ſpoliis Ægyptiis decorata: quo Cæſar nimirum oſtendebat, imperium ſe ex victoria eſſe adeptum.* De eadem Herod. v. 5. 13. *Quare imaginem propriam* Elagabalus *maximis lineamentis, qua ipſe obire ſacerdotis munia videbatur, ſimulque figuram numinis, cujus ſacerdotium gerebat, depictam in tabula præmiſit Romam, juſſis qui eam ferrent, in media curia loco edito ſupra Victoriæ caput collocare.* Unde conficitur, Victoriæ *ſtatuam* in medio curiæ fuiſſe, ad alterum illius latus, ad parietem, ut ita ſupra illam affigi ea imago potuerit. *Nardin. Rom. Vet.* v. 2.

Statua Victoriæ in foro fuit Romano. Victor in iſta regione: *Victoria aurea in templo Jovis Opt. Max.* Antiquior priori, ut puto, fuit. Nam ad ſua tempora incolumem permanſiſſe inter tot incendia, ac rapinas difficulter adducor, ut credam. Forſitan & Prud. contr. Symm. II. 27.

Quæ ſi defuerint, bellantibus aurea quamvis
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, & multis ſurgat formata metallis.

Alatam Capitolinam victoriam fuiſſe, præter nummos, & monumenta omnia vetera, quæ alas ei tribuunt, ratione etiam perſuadeor, ut credam, quam Drepanius Pacatus in Panegyrico proponit: *Recte*, inquiens, *germana illa pictorum, poetarumque commenta Victoriam finxiſſe pennatam, quod hominum cum fortuna euntium non curſus eſt, ſed volatus.* Rycq. de Capit. c. 23.

STATUARIA fuit *ars familiaris Italiæ quoque, & vetuſta. Indicat Hercules ab Evandro ſacratus.* Plin. XXXIV. 7. V. illum ſupr. in *Statua Herculis. Tranſiit ab diis ad hominum ſtatuas, atque imagines.* Plin. ibid. c. 4. *Bergier. de viis milit.* v. *Sect.* 13. §. 8. Artis hujus ſummum miraculum habebitur, opus, non ex auro, argentove, ſed ex ære: non effigies dei, deæve, aut hominis, ſed canis, de quo mira memoriæ prodidit Plin. XXXIV. 7. *Ætas noſtra vidit in Capitolio, priuſquam id noviſſime conflagravit a Vitellianis incenſum, in cella Junonis, canem ex ære, vulnus ſuum lambentem, cujus eximium miraculum, & indiſcreta veri ſimilitudo non ex eo ſolum intelligitur, quod ibi dicata fuerat, verum & nova ſatiſdatione: nam ſumma nulla par videbatur; capite tutelarios cavere pro eo, inſtituti publici fuit.* Bergier. ibid. Sect. 15. §. 19. In quinque ſpecies omnis eſt diſtincta. Quum ligno, eboreve tractabitur, ab abſcindendo τομικὴ dicetur. Quum argilla, quoniam figulorum eſt, πλαςικὴ nominabitur. Quum gypſo, quod eo typos imitamur, παραδειγματικὴν, nos exemplarem appellare poterimus. Quum lapidibus, ubi ſcalpello utimur, a percuſſione κολαπτικὴν, ſive ſcalpturam. Quum vero metallis, γλυφικὴν, hoc eſt, ſculpturam: cujus quidem ratio duplex: nam aut cera fabricantur, & a deducendo ἀγωγικὴν, aut informantur, & a fundendo χημικὴν nuncupabimus. Hæ autem ita inter ſe omnes junctæ, connexæque ſunt, ut cunctas noviſſe videri poterit, qui unam earum aliquam noverit. Sola enim, circa quam verſantur, materia differunt, arte vero ipſa, atque intentione conveniunt. *Gauric. de Sculpt.* I. 1. *Buleng. de Pictur.* I. 19. & 21.

STATUARII, ἀγαλματοποιοὶ, generaliter omnes dicuntur, qui quovis pacto *ſtatuas* effingunt. *Gauric. de Sculpt.* I. 1. *Pancirol. de Corpor. artif.* §. 4. Qui vero ligno, eboreve ſtatuas conficient, deſectores vocabuntur. Qui argilla, a Græco vocabulo πλάσαι, a nobis fictores nominabuntur. Qui gypſo, ſi placeat, γυψοχόοι. Qui lapidibus, quos video a quibuſdam λιθοξόυς appellari, quoniam præcipuum ac peculiare magis marmor, marmorarii: itemque a ſcalpendo ſcalptores. Qui metallis, γλύπται, a nobis ſculptores. Excuſſores enim ærarios, quos Græci χαλκέας vocant, eos dicimus quicunque vaſa, aut quid tale fabricantur. *Gauric. l. l. Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 737. *b. E.*

STATUMEN ſignificat plura, ut pedamentum vitis, ſive ridicam, palam, quatuor illos palos, intra quos equi ſoleis ferreis calceandi cogi ſolent. In architectura ſignificat omne id, quod ad ſuſtinendum aliud corpus, aut materiam ſubſternitur, aut pro ſtrato ſubjicitur. Preſſius pavimentorum imum ſtratum, ſive corium primum. V. ſupr. in *Corium*. Vocabatur etiam fundamentum. Inſcript. apud Gruter. p. 150. n. 9. in Pedemonte ditionis Neapolitanæ loco:

FABIUS. MAXIMUS. V. C. RECT.
PROV. F. S. PR. VIAS. HERCULIS
OB TERRÆ. MOTUS. EVERSAS.
RESTITUIT. A FUNDAMENTIS

Quæ enim in hiſce viis Herculis fundamenta, niſi *ſtatumen*, quod cætera coria fundat? Lapides vero, ex quibus hoc *ſtatumen* fieri debet, Plin. XXXVI. 25. vult *globoſos*, ſive ad rotundam accedentes figuram. Modum hujus corii faciendi vocat *ſtatuminare* Vitruv. VII. 1. Ait enim: *Tunc inſuper ſtatuminetur non minore ſaxo, quam quod poſſit manum implere. Inſuper* ſcilicet ſtratum ex ſilice, aut palea. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 13. §. 5. *Bald. Lex. Vitruv. Guiland. Papyr. membr.* XVIII. §. 4. *H. Barbar. in Plin.* XIII. 12. In viis publicis licet primum corium fiat ex lapidibus planis potius, quam globoſis, jure tamen huic corio *ſtatuminis* nomen convenit, cum in opere viarum primum locum occupet, ut *ſtatumen* in pavimentis ædium: nec figura lapidum hic faciet differentiam; cum, ut ſupra dictum, *ſtatumen* dicatur omne id, quod ad ſuſtinendum aliud corpus, aut materiam ſubſternitur, aut pro ſtrato ſubjicitur. Hinc verbo *ſtatuminare* pro ſubjicere ſuſtinendæ alii rei lapides, aut palos, aut pedamenta utitur Plin. XVIII. 6. *Humidiorem agrum foſſis concidi, atque ſiccari utiliſſimum eſt: foſſas autem cretoſis locis apertas relinqui: in ſolutiore terra ſepibus firmari, ne procidant, aut ſupinis lateribus procumbere: quaſdam occæcari, & in alias dirigi majores, patentioresque: ſi ſit occaſio, ſilice, vel glarea ſterni. Ora autem earum binis utrinque lapidibus ſtatuminari, & alio ſuperintegi.* Bergier. ibid. II. Sect. 18. §. 3. Guiland. ibid. §. 6.

Statumen eſt nautis lignum quoddam ex carina ſurſum aſcendens, in quo tabulæ ſuffiguntur. Cæſarem *ſtatumina* vocaſſe arbitrantur de Bell. civ. I. 54. his verbis: *Carinæ primum ac ſtatumina ex levi materia fiebant, reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur.* Nobis *ſtatumina*, & carinæ eadem, aut certe minimum inter ſe diverſa fuiſſe videntur, ita ut *ſtatumina* ſignificarent ligna ſingularia, quæ per medium navium, velut per corpus animalium ſpina, tranſeunt. Et certe diſtinguuntur ab ἐγκοιλίοις, ſive coſtis. Moſchion apud Athen. v. p. 206. F. *Co-*

F. *Coſtas, & ſtatumina, & aliam materiam.* Scheffer. de Milit. nav. I. 6.

Statumen vocatur vinitoribus pedamentum. Colum. IV. 16. *Cum menſem triceſimum exceſſit poſita vinea, id eſt, tertio autumno, vehementioribus ſtatuminibus ſtatim impedanda eſt.* Bud. in Pandect. p. 112. H.

STATURA hominis, nec juſto longioris, nec brevioris æſtimatione Romana ſenum circiter pedum fuit. Vocabatur juſta. Suet. Galb. c. 21. n. 1. *Statura fuit juſta.* Tib. c. 68. n. 1. *Fuit ſtatura, quæ juſtam excederet.* Commoda. Plaut. Aſin. II. 3. 21.

Truculentis oculis, commoda ſtatura.

Militaris. Liv. VII. 10. *Corpus alteri magnitudine eximium: media in altero militaris ſtatura.* Hæc olim in tyronum delectu eſt ſervata. Veget. I. 5. *Proceritatem tyronum ſcio ſemper exactam, ita ut ſenos pedes, vel certe quinos, & denas uncias habentes inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur.* Suet. Ner. c. 19. n. 4. *Conſcripta ex Italicis ſenum pedum tyronibus nova legione.* Meibom. de Fabric. trirem. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 580. E. Junius de Pictur. III. 9. 3. Salmaſ. in Lamprid. Alex. Sev. c. 4. Stewech. in Vegetium. Caſaub. & Pitiſc. in Suetonii Tiberium. Videntur milites qui ad militiam deligerentur, ad palum quendam menſuralem, in caſtris ad hanc rem defixum, an juſta *ſtaturæ* eſſent, examinati fuiſſe. V. ſupr. in *Incoma.* Salmaſ. l. l.

STATUS eſt verbum gladiatorum, & pugnatorum, poſitura nempe, & ſitus corporis in pugna ad inferendos, aut declinandos ictus accommodatus. Hinc *ſtatu dejicere, ſtatum componere,* & ſimilia. Et *ſtatum cogitare* dicitur, qui de reſiſtendo, & repugnando agitat. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 231. *a. A.* Hi magna cura ſe componebant, & colligebant in arma. Nec mirum. *Gladiator. enim compoſito ad pugnandum,* ait Gell. VII. 3. *hæc propoſita ſors eſt, aut occidere, ſi occupaverit; aut occumbere, ſi ceſſaverit.* Petron. c. 55. *Statum prælantis componit.* Alluſit Plaut. Mil. IV. 9. 12.

— in ſtatu ſtat ſenex,
Ut adoriatur mœchum, qui forma eſt ferox.

Quadrigarius apud Gell. IX. 13. in ſingulari certamine Galli cum T. Manlio: *Ita, ut ante dixi, conſtiterunt. Gallus ſua diſciplina, ſcuto projecto, cantabundus,* malim *cantabunans,* quaſi vitabundus; *Manlius animo magis, quam arte confiſus, ſcutum ſcuto percuſſit, atque ſtatum Galli conturbavit. Dum ſe Gallus iterum eodem pacto conſtituere ſtudet: Manlius iterum ſcutum ſcuto percutit, atque de loco hominem iterum dejecit.* Idem erat in gradu ſtare. Unde hæc conjungit Senec. ad Polyb. c. 25. *Omnes ſcient, quomodo te in iſto ge eris vulnere, utrumne ſtatim percuſſus arma ſubmiſeris, an in ſtatu, & in gradu ſteteris.* Lipſ. Sat. II. 20. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. part. 2. c. 4.

Status vocabatur etiam ſcenica veſtis. Iſidor. in different: *Inter ſtatum, & ſtaturam: ſtatum quæſtionem, vel ſcenicam veſtem: ſtaturam quantitatem cujuſque rei.* Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 106.

Statu liber eſt, *qui ſub conditione teſtamento liber eſſe juſſus eſt.* Ulpian. Fragm. tit. 2. §. 1. Vel, ut docet Feſtus: *Statu liber eſt, qui teſtamento, certa conditione propoſita, liber eſſe jubetur, & ſi per heredem eſt, quo minus ſtatu liber præſtare poſſit, quod præſtare debet: nihilominus liber eſſe jubetur.* Is pendente conditione ſervus hæredis eſt. Ulpianus: *Statu liber, quamdiu pendet conditio, ſervus heredis eſt.* Quod idem docet lex 9. ff. de ſtatu liberis. *Statu liberi* vi ipſa erant manumiſſi, quamdiu erat incertum, an creditores, ſi fraudati eſſent, vellent jure ſuo uti, & judicio decernere. Paull. l. 1. ff. de ſtatu lib. *Statu liberi ſunt vi ipſa, cum creditoris fraudandi cauſa manu mittuntur. Nam dum incertum eſt, an creditor jure ſuo utatur, interim ſtatu liberi ſunt.* Loon. de Manum. ſerv. I. 4. 3. Faber Semeſtr. II. 24. Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 5. Rævard. ad Leg. XII. tab. c. 28. Var. II. II. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 2. c. 25. Menag. Amœn. jur. civil. c. 39.

STE.

STEGA *eſt proſcenium navis, id eſt, tabulatum, ſuper quod nautæ ambulant.* Fulgent. Expoſ. ſerm. ant. §. 29. Alii locum navis contectum, & perinde etiam tugurium. Utitur hac voce inter Latinos Plaut. Bacch. II. 3. 44.

— forte ut aſſedi in ſtega.

Stich. III. 1. 12.

Sine advocatis ibidem in cercuro in ſtega.

Gyrald. de Navig. c. 11.

STELLATINA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

STELLÆ cadentes ſunt ignis ætherii ἀποῤῥοίαι, ac ſcintillæ, quos tranſilientes, & tranſcurrentes ignes vocant. Theocr. Eidyll. XIII. 50.

Ut quando rutilum e cœlo aſtrum cecidit.

Tranſverſæ quæ dicuntur, tranſvolant, & ſecant aera, ut Ariſtot. Meteor. I. & Senec. Nat. Quæſt. I. 1. Lucret. II. 209.

Non cadere in terram ſtellas, non ſidera cernis.

Cadentes inter prodigia fuiſſe docet Lucan. V. 561.

— lapſa per altum,
Aera diſperſos traxere cadentia ſulcos
Sidera: ſed ſummis etiam quæ fixa tenentur
Aſtra polis ſunt viſa quati.

Buleng. de Prodig. c. 60.

STELLA eſt vocabulum menſorum. Hygin. de Caſtramet. *Ut portæ caſtrorum in conſpectum rigoris ſtellam efficiant.* Cajus & Theodoſius: *Et ſignatum ut inveniantur pali ipſi, ſtellam conſecravimus, & ipſa ſtella junior nomine vocatur.* Forma ſtellæ hæc eſt ✠. unde Africanus & Leo vias haſce ex eodem puncto ad quatuor caſtrorum portas dirigere jubentes, non plures, ſed unam viam tranſverſam in modum crucis jubent fieri. *Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1068. *D.*

STELLIONATUS vocatur omnis fallacia, impoſtura, diſſimulatio, & quicquid turpiter fit in fraudem alterius. *Stellionatum* incurret, qui res alii jam obligatas alii vendiderit, aut permutarit: qui merces adulteraverit, aut ſuppoſuerit, puta pro auro orichalcum, pro gemmis veris vitreas l. 3. §. ſed & ſi quis ff. de crim. ſtellion. Nam & ſubjicere aliud pro alio eſt impoſturam facere. Liquet ex faceta illa illuſione, de qua Treb. Poll. Gallien. c. 12. *Idem quum quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet ejus uxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet, ſurripi quaſi ad leonem venditorem juſſit. deinde e cavea caponem emitti, mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici juſſit, impoſturam fecit, & paſſus eſt: deinde negotiatorem dimiſit.* Salmuth ad Panciról. de Reb. deperd. & inv. p. 63. Minos in Alciat. Emblem. 49. *Stellio* eſt animal lacerta minus, maculis, tanquam ſtellis variatum. Ovid. Met. V. 460.

— aptumque colori
Nomen habet, variis ſtellatus corpora guttis.

Ab hoc nomen tranſlatum eſt ad hominem vafrum, & decipiendi peritum. Plin. XXX. 10. *Nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt. Inde ſtellionum nomen ajunt in maledictum tranſlatum.* Quocirca & Venus irata Cupidinem filium prodroſo, & maledico nomine ſtellionem vocat apud Apul. Met. V. p. 170. *Salmaſ. ad Spartian. Peſcenn. Nig. c.* 3. *Salmuth l. l. Alciat. Parerg.* I. 46. *Menag. Amœn. jur. civil. c.* 39. Exponitur in veteribus gloſſis ἐπίθεσις, & πανουργία: ἐπίθεσις ἡ χλεύη. *impoſtura, ſtellionatus:* ἐπιθέτης, *ſtellionator, impoſtor* Impoſturæ igitur *ſtellionaturæ* ſunt; ſed & *ſtellaturæ* & *ſtellator,* & *ſtellionator* idem. Improbos, & impoſtores, verſutosque homines, & verſatiles, ποικίλους & ποικιλοτρόπους Græci vocant. Latini *ſtelliones,* & *ſtellionatores;* nam *ſtellio* eſt πανοῦργος, & ἐπιθέτης. Homer. Odyſſ. O. 415. τρώκτας vocavit: & nota eſt in piſce, qui τρώκτης dicitur, varietas maculoſa,

qua tergum ejus *stellatum* est. Ἀπατεῶνες igitur, & veteratores eo nomine censebantur propter morum τὸ ποικίλον. Unde & *stellæ* quoque pro machinis, versutiis, & fraudibus apud Latinos. Aldelmus egregius auceps antiquarum vocum *stellas* pro imposturis posuit:

Machina detegitur cæcis frustrata stellis.

Stellæ pro *stellationibus*, vel *stellaturis*, a *stellando*. Et hoc est *stellis* variare, & variegare. Atque inde *stellaturæ*, & *per stellaturas accipere*, hoc est, per fraudes, & imposturas, & κακουργίαν: unde & stellare est κοσμίσασθαι. Et ita fortassean melius legetur apud Spartian. Pescenn. Nig. c. 3. *Imperator tribunos duos, quos constitit per stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus jussit.* ut apud Lamprid. Alex. Sev. c. 15. *stellaturas ferre.* Solebant autem tribuni militibus commeatum dare, aut muneris vacationem, accepta ab iisdem pecunia de eorum stipendiis. *Stellaturam* hoc dicebant, & *per stellaturas accipere*, ut *per fraudem* in eadem re Justin. C. de off. præf. præt. Afric. l. II. ubi istas tribunorum *stellaturas* vetat. *Salmas. in Spartianum. Stewech. in Veget.* II. 21. Pœna ejus non fuit legitima, hoc est, lege constituta, quia nec legitimum crimen erat. Non enim ordinarium fuit, quia nulla de eo formula actionis interdicto perpetuo prodita est: nec publicum, quia nulla lex publica pœnam ejus determinavit. Ideo actio ejus neque publicis judiciis, neque privatis actionibus continebatur. Cum nec privatum esset, nec publicum crimen, planum est utique fuisse extraordinarium, cujus nimirum cognitio ad præsidem pertinebat. *Salmas. de Mod. usur. c.* 3. An sit crimen famosum, pluribus explicant *Cujac. Obs.* X. 26. *Schmuth ibid. p.* 64. *Salmas. ibid. c.* 14.

STEMMATA sunt coronæ illæ, in quarum medio cera expressi erant majorum vultus, lineis discurrentibus ad imagines pictas, & signantibus cognationum gradus. Plin. XXXV. 2. *Stemmata lineis discurrebant ad imagines pictas.* Paull. Dig. XXXVIII. 10. 9. *Stemmata cognationum directo limite in duas lineas separantur, quarum altera superior, altera inferior. Ex superiore autem, & secundo gradu transversæ lineæ pendent.* Suet. Ner. c. 37. n. 2. *Quod in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris Cæsaris imagines retinuisset.* Tiraquell. de Nobil. VI. 14. Voss. Lex. Etymol. Sagittar. de Jan. vet. VI. 27. §. 14. Bud. in Pandect. p. 38. I. Guther. de jur. man. I. 21. Paschal. de Coron. I. 2. Dalechamp. in Plinium. Grang. & Britann. in Juven. Sat. VIII. 1. Patisc. in Suetonium.

STERNERE vias dicuntur, qui eas lapidum, silicum, sive lique stratura muniunt, & consolidant, &, ut ita loquar, in ipsi terræ, solique superficie fabrefaciunt. Pœni primi ita illas *straverunt*, & ab his Romani exemplum sumpserunt. Isidor. XV. 16. *Primum Pœni dicuntur vias lapidibus stravisse: postea Romani per omnem pene orbem disposuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs esset otiosa.* Bergier. de viis milit. I. Sect. I. §. 3.

STERNUTAMENTUM est *signum augurale, sanctum, & sacrum.* Aristot. de Hist. anim. I. II. Et illud observabant antiqui. Cicer. de Divin. II. 40. V. illum supr. in *Corruptio.* Significationes, quæ in *sternutamento* sint, singulas verbosius denarrant *Niphus de Augur.* I. 8. *Casal. de Insign. & fibul. c.* 2. *Sternutantes* salutare consueverant antiqui. Originem ritus peto ab anno 591. quo rempublicam Christianam moderabatur Gregorius Magnus. Illo indies magis pestilentia sæviebat: & ad cæteros casus, quibus homines fœde passim absumebantur, hoc etiam mali accesserat, quod multi, cum *sternutarent*; alii, cum oscitarent, repente spiritum emittebant. Quod cum sæpius eveniret, consuetudo inducta est, quæ nunc etiam observatur, ut *sternutantibus* salutem precando, oscitantibus signum crucis ori admovendo præsidium quæreretur. Quibus rebus permotus Gregorius ad cætera cœlestis iræ piacula postero anno religiosam in die resurrectionis supplicationem instituit: atque sollenni in pompa sanctam virginis Dei genetricis imaginem extulit. *Sigon. de Regn. Ital.* I. *p.* 20. Qui in hoc hallucinatur, cum multis ante Gregorium seculis comperta sit consuetudo *sternutamenta* venerandi. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 13. Apulejus, qui trecentis circiter annis ante Gregorium scripsit, Met. IX. p. 292. *Interdum acerrimo, gravique odore sulphuris juvenis inescatus, atque obnubilatus, intercluso spiritu diffluebat: utque est ingenium vivacis metalli, crebras ei sternutationes commovebat. Atque ut primum e regione mulieris, pone tergum ejus maritus acceperat sonum sternutationis, quod enim putaret ab ea profectum; solito sermone salutem ei fuerat imprecatus, & iterato rursum, & frequentato sæpius.* Petronius, quem Tiberio Principe vixisse fama est c. 58. *Giton collectione spiritus plenus, ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret. Ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gitona jubet.* Plin. XXVIII. 2. *Cur sternutamentis salutamur? quod etiam Tiberium Cæsarem, tristissimum, ut constat, hominum in vehiculo exegisse tradunt.* Brisson. de Form. I. p. 97. Douz. Præcid. Petron. II. 4. Strada Prolus. Academ. III. 4. Ouzel. in Minut. Fel. p. 243. Demster. Paral. ad Antiq. Rosin. III. 8. Pithœus, Erhard. & Gonsal. in Petronium. Casal. l. l. Claude de Salutat. vet. c. 9. De *sternutamentis* scripsit etiam tractatum peculiarem, quem nondum vidi, *Martinus Schoockius.* *Sternutantibus* Ζεῦ σῶσον dicebant Græci. Ammian. Anthol. II. 13. 11.

Non potest manu nasum Proclus emungere,
Naso enim habet manum breviorem.
Neque dicit, Jupiter serva, Ζεῦ σῶσον, *quando sternutat: non enim audit*
Nasi strepitum; multum enim ab aure abest.

Scalig. Auson. Lect. I. 16. Colvius in Apulejum. Casaub. in Athen. II. 25. Barthol. de Unicorn. c. 13. Gonsal. & Claude l. l. Cautæ, ad quas hujusmodi consuetudo est referenda sunt tres, religiosa, medicinalis, & auguralis. Sed illas curatius produnt *Rhodig. Ant. Lect.* XXIV. 27. & *Casal. l. l.* Quæ bona fuerint. V. supr. in *Omen.*

STI.

STIBADIUM erat lectus humilis, sive humo propior. Hesych. χαμεύνη ϛιβὰς, *torus, & humilis lectus,* & χαμεύνης, qui *humi jacet.* Ex frondibus factus. Hesych. Στιβὰς *stratum e frondibus, viridique gramine, ac foliis constructum, & lectus humi positus.* Ferrar. de Re vest. I. 3. 5. Rhodig. Antiq. Lect. XXVII. 25. Stuck. Antiq. Conviv. II. 34. *Stibadia* successerunt tricliniis, & erant circulari figura. Secundum mensarum magnitudinem quærenda erant parva, aut magna, quæ a numero convivarum, quos capiebant, dicebantur vel octaclina, cum octo caperent: vel enneaclina, cum novem: vel hexaclina, cum sex: & ita de cæteris. Mart. IX. 60. 9. V. illum supr. in *Sigma.* *Stibadium*, & accubitum, & sigma idem fuerunt. Vetus interpres Juvenalis: *Apud veteres accubitorum usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant.* Per *accubita* manifesto intelligit sigmata: per *lectulos* triclinia. Servius idem dicit, sed *stibadia* vocat, quæ alter *accubita* Æneid. I. 702. *Antiqui stibadia non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur, unde & triclinium sterni dicitur.* Mart. XIV. 87. cujus lemma *stibadium*: V. & illum supr. in *Sigma.* Salmas. in Lamprid. Heliogab. c. 19. Buleng. de Conviv. I. 33. Bacc. de Conviv. Antiq. I. 10.

STIGMATICI dicebantur servi ob crimina in facie notati. V. illos supr. in *Inscriptio.*

STILLICIDIUM avertendi in tectum, vel aream vicini, vel non avertendi erat servitus prædiorum urbanorum l. 2. ff. de servit. præd. *Seu, ut stillicidium, vel flumen reciperet quis in ædes suas, vel in aream, vel in cloacam.* Paull. l. 1. 8. ff. quemadmodum servit. amitt. *Si stillicidii immittendi jus habeam in aream tuam.* Julian. l. 16. ff. si servit. vindic. *Si a te emero, ut mihi liceat ex ædibus meis in ædes tuas stillicidium immittere.* Brisson. de Form. VI. p. 553. Ita recipiebatur: *Stillicidia, uti nunc sunt, ita sint.* Ulpian. l. 17. §. 3. ff. de servitut. urban. præd. *Hæc lex traditionis, stillicidia, uti nunc sunt, ut ita sint, hoc significat, impositam*

vicinis

vicinis necessitatem recipiendorum stillicidiorum, non illud, ut etiam emptor stillicidia suscipiat ædificiorum vicinorum. Hoc igitur pollicetur venditor, sibi quidem stillicidiorum servitutem deberi, se autem nulli debere. Brisson. ibid. p. 500.

STIMULA fuit *dea, quæ ad agendum ultra modum stimularet.* August. de Civit. Dei IV. 16. *Panvin. de Lud. Circens.* I. 5. *Struv. Antiq. Rom.* I. *p.* 159. *Lipen. de Stren.* I. §. 4. *Tomas. de Donar. c.* 11. *Stuck. de Sacrif. p.* 46. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 12. *F.*

STIMULUS vocatur machinula ferrea, quæ in quamcunque partem inciderit, aculeos protendit. V. illum supr. in *Murex.*

Stimulus etiam vocatur instrumentum, quo damnati agitabantur, & vexabantur. Plaut. Most. I. I. 53.

O carnificinum cribrum! quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si noster huc reveneris senex.

Vict. Utic. I. *Quos stimulis ferreis ad ambulandum urgebant.* Oblongi enim erant, facti sive a sudibus præacutis, sive ferro præfixis. Sumptum id a bobus, quos antiqui *stimulis* incitabant. Tibull. I. I. 12.

Aut stimulo tardos increpuisse boves.

Barth. Adv. XXXIII. 12. Laurent. de Rebusp. c. 7.

STIPA dicebatur, quæ vasis in navi componendis interponebatur, ut firmius hærerent. Serv. Virg. Æneid. I. 437. *Stipant, densant. Translatio est a navibus, in quibus stuppa interponitur vasis quam stipam dicunt.* Stuppa plerumque ad hanc rem utebantur, sed & aliis plerumque rebus, ut fœno, & palea. Nec stuppa *stipa* est, nisi quatenus stuppam ut plurimum *stipandis*, & componendis vasis adhibebant. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 192.

STIPATORES *appellabantur corporis custodes, quos antiqui latrones dicebant, id est, mercenarios, qui cum ferro velut circumdabant Regum corpora.* Festus. Sunt iidem qui Græcis σωματοφύλακες. *Voss. Lex. Etymol. in Stipo.*

Stipatores etiam dicebantur, qui in navibus componebant, hoc est, qui vasa in naves illata composite ordinabant, ac densabant, inte jectis ut firmiter omnia cohærerent, stuppis, fœno, aut palea Serv. Æneid. III. 456. *Stipat, densat: unde & stipatores dicuntur, qui in navibus componunt, a stipa.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 193.

STIPENDIARII dicebantur, qui *stipendia* merebant. Liv. VIII. 8. *Clypeis antea Romani usi sunt: deinde postquam facti sunt stipendiarii, scuta pro clypeis fecere.* Dicit Romanos scutis usos esse, ex quo *stipendium* militibus constitutum fuit: antea enim sine *stipendio* militabant. *Turneb. Adv.* XI. 27.

Stipendiarii etiam dicebantur, qui *stipendia* pendebant. Liv. XXVIII. 25. *Missis circa stipendiarias civitates exactoribus stipendii spem propinquam fecere.* Varro de Ling. Lat. IV. 36. *Milites stipendiarii ideo, quod eam stipem pendebant. Ab eo Ennius scribit: Pœni stipendia pendunt.* Ubi suspicatus fui *limites* scribendum. *Stewech. in Veget.* I. 18. *Bud. in Pandect. p.* 255. *B. Putean. de Stipend. milit. c.* 2.

STIPENDIOSI milites vocabantur veterani, quasi qui multa *stipendia* fecerint, meruerint. Ita consensu veterum codicum M. S. N. H. R. B. emendo Veget. I. 18. *Non tantum a tyronibus, sed etiam a stipendiariis (L. stipendiosis) militibus salitio equorum districte est semper exacta. Veteres & eruditos milites* vocat hic scriptor II. 23. ibique in re simili junioribus opponit. Tum etiam ex grammaticorum sententia obtinuit in osus finita copiam, & abundantiam significare. *Stewech. in Vegetium.*

STIPENDIUM distinguitur a salario. Capitol. Clod. Albin. c. 10. *Huic salarium duplex decrevi, vestem militarem, sed loci sui stipendium quadruplum.* Vopisc. Prob. c. 4. Qui postquam *stipendium*, quod in auro, & argento dabatur, memoravit, & vestem, sequitur de salario: in *salario* inquit, *diurno, bubulæ pondo octo, porcinæ pondo sex....* Salario enim continebantur, ut ibi videre est, caro bubula & porcina, vinum, oleum, olera, ligna, sal, quod salario nomen dedit. Glossæ: *Salarium*, ἁλατικὸν, ὀψώνιον. *Cellarium salarii* ex nostra restitutione dixit Lamprid. Heliog. c. 26. *Mittebat parasitis pro cellario salarii annua vasa cum ranis, & scorpiis.... Cellarium salarii* vocat cellarienses illas species, quæ in salarium dabantur militibus. *Salmas. in Capitolinum. Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 12. Quid sit, e glossis dicam: Ὀψώνιον στρατιωτικὸν, μισθὸς στρατιωτικός. Æs militare, merces militaris. *Stipendio* & honor apud Romanos habitus. Si quis enim *stipendia* non faceret, licet in castris, & exercitu versaretur, impune occidere hostem, aut vulnerare non poterat. Pugnare crimen erat, quamvis discrimen pro Republica adiret: & tanquam homini, non hosti vis illata, pœnam meruit. Cato igitur major, ut est apud Plutarch. Quæst. Roman. 37. *epistola quadam filium jubet, si stipendia complesset, domum redire: aut si manere vellet, ab Imperatore potestatem feriendi, necandique hostis impetraret.* Non poterat pugnare Catonis filius, nisi *stipendia* faceret: sed nec in castris eum esse volebat pater, nisi pugnaret: quasi omnino satius esset, domi, & inter cives inermem, quam foris inter milites non versari. Sic quidem nullus sine *stipendio* miles est. *Putean. de Stipend. milit. c.* 3. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* x. *p.* 712. *b.* Apud Romanos aliquamdiu nullum fuit. De suo quisque militabat. Festus: *Privato sumptu se alebant milites Romani, antequam stipendia mererentur.* Et quando mereri cœperint, addit Festus: *Paullo ante, quam Romana civitas capta est a Gallis.* Prius tamen pedites quam equites; quasi illorum conditionem tenuitas potiorem faceret. Anno, inquam, U. C. 347. Anxure Volscorum oppido jam capto, direptoque. Liv. IV. 59. *Additum deinde, omnium maxime tempestivo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis, tribunorumve decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.* V. 4. *Moleste antea ferebat miles, se suo sumptu operam Reipublicæ præbere: gaudebat idem partem anni se agrum suum colere, quærere unde domi militiæque se ac suos tueri posset. Gaudet nunc fructui sibi Rempublicam esse, & lætus stipendium accipit.* Equites triennio post, cum Vejos Romani obsiderent. Flor. I. 12. 8. quem huc traho, de Vejis obsessis. *Tunc primum hiematum sub pellibus. taxata stipendiis hiberna.* Clarius Liv. V. 7. ubi eandem obsidionem describit: *Equiti certus numerus æris est assignatus. Tum primum equis merere equites cœperunt.* Putean ibid. c. 4. & 5. Lips. de Milit. Rom. V. dial. 16. Vastrin. de Re milit. Roman. III. 15. Stewech. in Veget. II. 18. August. ad Leg. XII. tab. §. 4. Pigh. Annal. Rom. I. p. 206. Sichterman. de Pœn. milit. c. 15. Sigon. de Antiq. jur. civ. I. 15. Hugo de Milit. Equest. II. 6. *Stipendium* peditis quærendum, ut equitis habeatur. Exiguum fuit ætate Polybii, id est, sub bellum Punicum II. in peditem oboli duo, centurionem duplex, equitem triplex. Ita ipse VI. 37. Duo oboli tertia drachmæ pars. Ad nummum Romanum si exigimus, dico fuisse tres asses: eamque summam non dubie per duos obolos expressit historicus. Doceo ex Plaut. Most. II. I. 10.

Qui trium nummorum causa subeunt sub falas,
Ubi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent.

Nam tres nummi hic tres asses, & ad *stipendium* militare diserta allusio comici servi, irridentis quod tam exiguo pretio auctorati castella, & turres ligneas hostium subirent, hastis aliquot configendi. *Lips. Elect.* I. 2. *Milit. Rom. l. l.* & ex Lipsio *Stewech. in Veget. Valtrin. l. l.* Ego duos obolos quinis minimum assibus respondere autumo. *Contaren. de Stipend. milit. Antiq. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1516. *B.* Quid dicam? Sentio cum Lipsio contra Contarenum; nam primum illud *stipendium* trium videtur assium fuisse, quemadmodum asses nummi possunt appellari. Cum Contareno contra Lipsium; quia duo oboli Polybiani nonnisi quinis assibus respondent. Denique contra Lipsium & Contarenum; quia de alio *stipendio* Plautus, de alio Polybius loquitur: summa enim diurna a Plauto tribus, a Polybio quinque assibus constituta est. Quinque dico, quibus duo ex tempore oboli æquales. Res a denario exigenda est. Hic prima institutione denis, anno tandem U. C. 536. *senis denis* cœpit *permutari.* Plinius.

mus. V. illum ſupr. in *Denarius*. Dubium autem nunc, an tres illi nummi, ſive aſſes Plautini, e denis, an e ſenis ſint. E denis Lipſius, & tres aſſes ad duos obolos refert. Male. Nam poſt annum 536. comœdias ſuas Plautus ſcripſit: ergo ea tempeſtate, qua ſedecim aſſium eſſe jam denarius cœperat: ut ſic quidem ſufficere is *ſtipendium* quinque dierum potuerit, & aſſe uno excedere. Quinque enim tres aſſes quindecim faciunt. Sed quia in ſex obolos drachma, ſive denarius diviſus eſt; bini quique oboli quinque aſſes, ſive trientem denarii continent, abundante e tribus trientibus aſſe. *Putean. ibid. c. 6. Schel. in Polyb. I. ſ. Ant. Rom. Græv. p.* 1194. . . . *Hugo l. l.* Et hoc pretio aliquandiu fuerit: tandem, ut obnoxius magis redderetur miles, a Julio Cæſare duplicatum. Suet. c. 26. n. 9. *Legionibus ſtipendium in perpetuum duplicavit.* Credibile eſt factos a Cæſare ſex, aut, ſi forte, ſeptem aſſes. Auguſtus Republica conſtituta, & imperii jam certus, *quicquid ubique militum eſſet, ad certam ſtipendiorum, præmiorumque formulam adſtrinxit.* Suet. c. 49. n. 5. Formula Auguſti laxior Juliana, videlicet in diem deni aſſes. Et hi *ſtipendium* unum. Adjecit alterum ſeu Caligula, ſeu Claudius: tertium fortaſſe additum per bella civilia Vitellii & Othonis. *Lipſ. Elect. & de Milit. Rom. l. l. Valtrin. & Stewech. l. l.* Imo a Julio deni facti, ac manſere ad tempora Domitiani. Nec Auguſti formula Juliana laxior fuit. Nam per *ſtipendia* militiæ tempora: per *præmia* commoda miſſionum apud Suetonium intelliguntur. Sic vero intelligi proximis, & ſignatis verbis ipſe indicat: *Definitis pro gradu cujusque & temporibus militiæ, & commodis miſſionum, ne aut ætate, aut inopia poſt miſſionem ſollicitari ad res novas poſſent.* Formula *ſtipendiorum*, ut pro gradu cujusque tempora militiæ definiebantur: præmiorum, ut pro gradu cujusque commoda miſſionum. Modi nulla mentio, quia nulla innovatio: obtinuit *ſtipendium*, quod a Julio erat duplicatum. Denum hoc aſſium fuiſſe, e Percennii oratione manifeſtum conquerentis, & legiones Pannonicas concitantis apud Tacit. Annal. I. 17. 4. *Militiam ipſam gravem, infructuoſam: denis in diem aſſibus animam, & corpus æſtimari.* Denis, id eſt, Julianis. Actum igitur hic a militibus, *ut ſingulos denarios mererent*, ut Tacit. n. 6. vel, *ut denarius diurnum ſtipendium foret*, ut Tacit. c. 26. n. 1. quo augmento ſedecim in dies aſſes caperent: in annum aureos Romanos quatuordecim, denarios decem. *Putean. ibid. c. 9. Schel. ibid. p. 1199. D.* Et nullam habent auctoritatem, quæ de Auguſto, Nerone, Claudio, Othone, Vitellio conjicit Lipſius. Auguſtus quidem veteranos quanta potuit maxima largitione contraxit; ſed largitione, non *ſtipendio* largiori. Claudius quina dena H. S. promiſit, *fidem militum etiam præmio pigneratus.* Suet. Claud. c. 10. n. 7. Nero hoc unum circa *ſtipendium* prætorianorum notatur mutaſſe, quod *frumentum menſtruum gratuitum conſtituit.* Suet. Ner. c. 10. n. 4. Ne ab Othone quidem, aut Vitellio quamvis effuſiſſimis, & ad perdendum, profligandumque natis principibus, quorum alter dicebat, *hoc ſe habiturum, quod ſibi milites reliquiſſent*: alter nemini roganti quicquam negabat, aliud acceperunt quam donativa, & licentiam peccandi. *Schel. ibid. p. 1200. E.* Quartum addidit Domitianus. Suet. c. 7. n. 9. *Addidit & quartum ſtipendium militi aureos ternos*, id eſt, ad tres aureos, ſive ſeptuagenos quinos denarios, quos accipiebant quarto quoque menſe milites, adjecit aureum unum, ſive quinque ac viginti denarios. Zonar. II. p. 196. *Cum eis ſeptuagenæ quinæ drachmæ ſolverentur, centenas dari juſſit.* Hoc quadrimeſtre fuiſſe ſatis probabiliter poteſt. Bini in diem aſſes faciunt in menſem triginta dierum aſſes trecenos, denarios (quos non intelligimus niſi ſedecim aſſium) octodecim, & denarii dodrantem, ſeu duodecim aſſes. Binis menſibus fiebant triginta ſeptem denarii, octo aſſes: ternis quinquaginta ſex denarii, quatuor aſſes: quaternis igitur ſeptuaginta quinque denarii ipſi, qui ſunt etiam ipſi tres aurei. Quum dicit ergo Zonaras, militem ante Domitianum *ſtipendii* accepiſſe ſeptuaginta quinque denarios, id non poteſt accipi de *ſtipendio* menſtruo: nunquam enim menſtruum tantum fuit, quod, quia diurni erant aſſes deni, non excedebat octodecim denarios dodrantem, ſeu trecentos aſſes ex inſtituto Julii, quod manſit ad Domitianum uſque: neque poteſt eſſe annuum, quia iidem aſſes decem diurni faciunt tria millia ſexcentos aſſes annuos, qui ſunt ducenti viginti quinque denarii aurei novem. Reſtat, ut quia ſeptuaginta illi quinque denarii ſunt tertia pars hujus, quam modo expreſſi, ſummæ aureorum novem, ea ſumma tribus penſionibus ſit ſoluta. Quod non poteſt intelligi aliter factum, quam ut quarto quoque menſe unam acceperint penſionem, tres aureos: neque enim annus in tres partes niſi quatuor ſingulas menſium tribui poteſt. Atque ita apparet ſeptuaginta illos quinque denarios fuiſſe *ſtipendium* quadrimeſtre. Illud autem, quod addidit Domitianus, Zonaræ viginti quinque drachmas, vel denarios aureum complentes unum, ſi ſingulis penſionibus ſua pars addita putetur, Suetonius vocat *ſtipendium quartum*. Intelligit ergo militem antea accepiſſe tria *ſtipendia*, quæ nihil aliud ſunt quam tres penſiones quadrimeſtres unius anni. Significat etiam hoc ipſo loquendi genere aliam rem, quam, absque illo eſſet, ex nemine alio ſciremus: nimirum, non modo penſionibus illis tribus addidiſſe aureos ſingulos Domitianum; ſed etiam pro tribus articulis, & penſionibus numerandi militibus annui *ſtipendii* inſtituiſſe penſiones quatuor: quas oportet neceſſario fuiſſe trimeſtres: neque enim annus in quatuor æquas partes niſi trium menſium dividitur. Sic igitur miles ſub Domitiano *quartum* accepit *ſtipendium*, ſingulis vicibus trium aureorum: qui ſunt omnes aurei duodecim, ſeu denarii trecenti, quatuor autem millia octingenti aſſes: in menſem aureus, ſive denarii duceni quini, vel aſſes quadringeni, in diem tredecim aſſes cum triente. *Gronov. de Pecun. vet.* III. 2. De hoc Domitiani *ſtipendio* etiam multa *Putean. ibid. c. 10. n. 12. Lipſ. Elect. & de milit. l. l. Salmaſ. in Vopiſc. Prob. c. 4. Schel. ibid. p. 1201. F. Valtrin. & Hugo l. l.* Accipiebant nominatim. Liv. XXVIII. 29. *Citati milites nominatim apud tribunos in verba Scipionis jurarunt, ſtipendiumque ad nomen ſingulis perſolutum.* Hæc nomina breviculis inſcripta erant: nominibus adjunctæ notæ, quibus qui ſupereſſent, qui bello cecidiſſent, qui *ſtipendia* accepiſſent, diſtincti. Iſidor. I. 23. *In breviculis quoque, quibus militum nomina continebantur, propria nota erat apud veteres, quæ inſpiceretur, quanti ex militibus ſupereſſent, quantique in bello cecidiſſent. In ſtipendiorum quoque largitione propriæ erant notæ.* Accipiebant a quæſtore, quæſtor a tribunis ærariis. Aſcon. Verr. IV. p. 79. *Pecunia attributa, quæ eſt ſtipendium militum, de ærario a tribunis ærariis annumerari quæſtori ſolet.* Quæſtori libripendes inſerviebant; ſic dicti, licet numerarent pecuniam, appendi antea ſolitam; more, non nomine commutato. Plin. XXXIII. 3. *Quia & militum*, fortaſſe *militarium ſtipendiorum, hoc eſt, ſtipis ponderandæ penſatores libripendes dicuntur.* Tribuni ſingulis legionibus ſinguli aderant, qui a numero, ut ipſi milites, primani, ſecundani, ſimiliterque dicti. Primanum Feſti abbreviator ſic deſcribit: *Primanus tribunus erat, qui primæ legioni tributum ſcribebat.* Ergo tributum, attributum erat; attributum, pecunia a tribunis quæſtori aſſignata. Varro. V. illum ſupr. in *Attributum*. Sed poſt triumphum L. Paulli Macedonici populus tributo liberatus: tantum enim e præda in ærarium pecuniæ illatum, ut *ſtipendio* ſufficeret. Cicer. de Offic. II. 22. *Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt Paullus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum.* Sed & hoc defecit ſubſidium per bella civilia, & ad tributum neceſſitas rediit. Auguſtus tandem ærarium inſtituit militare. Suet. c. 49. n. 6. *Ut perpetuo, ac ſine difficultate ſumptus ad tuendos milites, proſequendosque ſuppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis inſtituit.* Putean. ibid. c. 15. Schel. ad Polyb. ibid. p. 1216. D. Certus *ſtipendio* apud Romanos fuit dies. Liv. XXIII. 21. *Militi & navalibus ſociis neque ſtipendium, neque frumentum ad diem dari.* XXVIII. 25. *Vulgo ſtipendium non datum ad diem jactabatur.* c. 29. *Stipendiumne diebus paucis imperatore ægro ſerius*

ferius numeratum, *satis digna causa fuit*; *cur patriæ indiceretis bellum*? *Stipendium* modeste flagitare, & desideria sua ad Imperatorem ferre non omnino fuit vetitum. Efficias hoc ex Liv. XXVIII. 24. *Stipendium quoque procacius, quam ex modestia disciplinæ militaris flagitatum.* Res tamen mota plerumque modum nescivit, &, ut sunt vehementia armatorum ingenia, cum sæpe alias apud Romanos dedit turbas, tum jam statim post constituta æra militaria obsidione Vejorum, prolato die parum absuisse legimus, quin ad seditionem veniretur. Liv. V. 12. *Quum tributum conferri per tribunos non posset, non stipendium imperatoribus mitteretur, æraque militaria flagitaret miles, haud procul erat, quin castra quoque urbanæ seditionis contagione turbarentur.* Cæs. de Bell. civ. I. 87. *Petrejus atque Afranius cum stipendium ab legionibus pæne seditione facta flagitaretur, cujus illi diem nondum venisse dicerent.* . . . Qui locus innuere videtur, non fuisse ea tempestate certum mensem, aut mensis diem, quo omnibus legionibus *stipendium* solveretur, sed aliis alium, fortassis quod alio anni tempore aliæ legiones civili bello conscriptæ: neque enim de die *stipendii* certo controversia moveri potuisset, nisi forte partem *stipendii*, cujus integri dies nondum venerat, solvi voluerunt, jam jam dimissionem consecuturi. Ac olim quidem semel in anno tantum exsolutum in semestribus bellis ex eo liquet, quod tributum interdum in *stipendium* militum expeditione jam finita demum imperatum. Idem fortassis Varro vult quum ait: *Stipendium, æs quod militi annuum, aut semestre dabatur*, quasi olim illud, non eo tempore usitatum. In bello Carthag. II. Liv. XXIII. 31. *Senatus quo die primum est in Capitolio consultus decrevit, ut eo anno duplex tributum imperaretur, simplex confestim exigeretur, ex quo stipendium præsens militibus daretur.* Ubi annuum *stipendium* solidum numeratum. Sed præter ultimam illam antiquitatem ad hanc necessitatem Reipublicæ pluribus pensionibus datum. Hæc tamen pecunia non continuo numerata, sed servata fuit a quæstoribus, donec dies *stipendii* venisset. *Schel. ibid. p.* 1214. *A.*

Stipendium significat etiam annum militiæ, quo miles meret, & per *stipendia* annos militiæ numerabant veteres. Hinc in Inscriptionibus antiquis: militavit annos VI. vel X. vel XV. tot *stipendia* habere legimus, decem aut duodecim, quod est tot annis militasse. Nep. Caton. c. I. n. 2. *Primum stipendium meruit annorum decem septemque.* Tacit. Annal. I. 36. 4. *Missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui sena dena fecissent.* Inscriptio Transylvanica, Albæ Juliæ:

P. ÆLIUS. VETUSTINUS. MIL. LEG.
XIII. G. STIP. XV. VIX. AN. L.

Robortell. de Comm. milit. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. *p.* 1475. *D. Patric. Rei milit. Roman. part.* I. *sect.* I. *Schel. Thes. Græv. ibid. p.* 1192. *B. Gronov. de Pecun. vet.* III. 2. *Turneb. Adv.* XXX. 27. *Stewech. in Veget.* I. 2. *Contaren. de Stipend. milit. Thes. Græv. ibid. p.* 1519. *C. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* X. *p.* 712. *a.*

Stipendium quoque tributum vocatur. Cæs. de Bell. Gall. I. 44. 6. *Stipendium capere jure belli, quod victores victis imponere consueverint.* Suet. Jul. c. 25. n. I. *Galliæ quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit.* Et hoc Eutrop. VI. 15. *Galliæ tributi nomine annuum imperavit sestertium quadringenties.* Ennius. V. illum supr. in *Stipendiarii.* Ratio. *Stipendia* ex tributis procedebant. Tacit. Hist. IV. 74. 4. *Stipendia sine tributis haberi non possunt.* Pitisc. in Suetonium.

STIPEM in lacum jaciebant Romani. Suet. Aug. c. 57. n. 4. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto, pro salute ejus, stipem jaciebant* Et hic veteris superstitionis ritus est. Sic enim loca hominum superstitione sacra, ut lacus, puteos. . . . venerari solebant. Pausan. Attic. p. 33. *Qui morbo oraculi monitu levati fuerint, argentum, & aurum signatum in fontem abjiciunt.* Sozom. Hist. Eccles. II. 3. *Circa tempus vero festi nemo illic, ex puteo ad quercum Mamre effosso, aquam haurit. Si quidem gentili quodam ritu alii lucernas accensas in eum imponere, alii vinum effundere, alii placentulas, alii nummos injicere solent.* Plin. Epist. VIII. 8. 2. *Imber eluctatus facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus, & vitreus, ut numerare jactas stipes possis.* Senec. Nat. Quæst. IV. 2. *In hac ora stipem sacerdotes, & aurea dona præfecti, quum sollenne venit sacrum, jaciunt.* Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Tomas. de Donar. c. 19. Lips. in Tacit. Annal. XIV. n. 39. Cellar. in Plinium. Struv. Antiq. Rom. c. 11. p. 552. Sacerdotes, sacris Phrygiæ deæ initiati ad tibiam colligebant. Ovid. Pont. I. I. 39.

Ante deûm matrem cornu tibicen adunco
Cum canit, exiguæ quis stipis æra neget?

Talis fuit Dionysius apud Ælian. Var. Hist. IX. 8. qui *Corinthi multas, variasque vicissitudines vitæ expertus, ob extremam paupertatem tandem sacerdotem matris deûm agens stipem cogendo, tympanaque pulsando, & tibiis modulando, vitam transegit.* Apud Cicer. de Leg. II. 9. prohibitum fuisse legimus, *ne præter Idææ matris famulos, eosque, justis diebus, quis stipem cogeret.* Illis hæc licentia concessa est lege a Metello lata, cujus causam aperit Ovid. Fast. IV. 350.

Dic, inquam, parva cur stipe quærat opes?
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait, dandæ mos stipis inde manet.

Barthol. de Tib. vet. II. 8. Struv. l. l. Kalendis Januariis ob benevolentiam dabant Imperatori. Fragmentum lapidis non procul a foro Romano juxta templum Hadriani ad arcum Septimii Severi an. 1554. repertum:

COS. X
EX. STIPE. QUAM. PO
CALENDIS. JANUAR
C. MARCIO. CENSORINO. C. ASINIO
GALLO. COS

Ista strena Augusto data est anno imperii 36. quemadmodum eidem anno antecedente 35. collati est, quam ex simili *stipe* Volcano dicavit. Marmor Romæ ad Tiberim:

IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS
PONTIFEX. MAXIMUS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV
EX. STIPE. QUAM. POPULUS. ROMANUS
ANNO. NOVO. ABSENTI. CONTULIT
NERONE. CLAUDIO. DRUSO
T. QUINCTIO. CRISPINO. DRUSO
VOLCANO.

Lipen. de Stren. c. 2. *sec. at.* §. 1. & 13. *Tomas. l. l.* Istius ritus causam a suo Jano quærit Ovid. Fast. I. 189.

Dulcia cur dentur video: stipis adjice causam,
Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.

Et hanc accepit, quod antiqui libentius, & avidius æs signatum arripuerint, quam dulcia, perinde ut posterioribus seculis aurum tam avide est expetitum n. 191.

Risit, & o quam te fallunt tua secula, dixit,
Qui stipe mel sumpta dulcius esse putas!
Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,
Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi,
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.

Lipen. ibid. c. 3. §. 27. Dabantur ludis. Ita Apollinaribus factum reperio. Liv. XX. 12. V. illum supr. in *Ludi.* Plin. XXXIII. 10. *Populus Romanus stipem spargere cœpit, Sp. Postumio, C. Marco consulibus. Tanta abundantia erat, ut eam conferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit.* Pliniana fuit voluntaria, Liviana ex edicto. Et hæc prior fuit ex notatione Pliniana. *Lips. l. l.*

STIPULATIO erat interrogatio, certis, sollennibusque verbis concepta, & apta, consentaneaque responsio: veluti, *spondes? spondeo: dabis? dabo.* Plaut. Pœn. I. I. 112.

— PS. Roga me viginti minas
Ut me effecturum tibi, quod promisi, scias,

Roga obsecro hercle : gestio promittere.
CA. *Dabisne argenti mihi hodie viginti minas?*
PS. *Dabo. . . .*

De *stipulationibus* quatuor quærebantur : quæ personæ *stipulatione* vel obligare, vel obligari possent, quæ res in *stipulationem* deduci possent, quæ forma *stipulandi* esset, quod jus *stipulationum* existeret. *Sigon. de Judic.* I. 5. *Fab. Semest.* II. 23. *Voss. Lex. Etymol. Cujac. Observ.* II. 30: IX. 39. *Turneb. in Cicer. de Leg.* I. *p.* 24. De *stipulationibus* permulta passim *Brissonius de Formulis.*

STL.

STLATA *erat genus navigii latum magis, quam altum, sic appellatum a latitudine, sed consuetudine, qua stlocum pro locum, & stlitem antiqui pro litem dicebant.* Festus. Antiqui enim dictionibus ab *l.* litera incipientibus aliquando *st* præponebant. Navis erat piratica. Vel Long. de Orthogr. p. 2246. Edit. Putsch. *Stlataris sine c litera scribendum est, a stlata nave piratica.* In antiquo Lexico scriptum extat: *Stlata*, πειρατικῆς σκάφης εἶδος. Ejus meminit Gell. X. 25. *Navium appellationes sunt, stlatæ. . . . Stlatam* navem Sardi dicuntur invenisse. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Turneb. Adv.* XIX. 32 *Ferrar. de Re vest.* I. 3. 12. *Voss. Lex. Etymol. Thys. in Gelium. August. de Leg. in Æbutia.*

STLOPPUS est vox eleganter ficta, ad exprimendum illum sonum, quem buccæ inflatæ, & ictu collisæ edunt. Glossæ veteres: *stloppus*, ποιφυγμός. Pers. Sat. V. 13.

Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.

Casaub. in Persium, Voss. Lex. Etymol.

STO.

STOLA, ut quidam putant, sic differt a veste, ut cum vestis appellatione omne vestimentum comprehendatur, muliebre juxta, ac virile : *stolæ* mulierum tantum vestimenta intelligantur. Quos videtur secutus Ulpianus, qui *stolam* inter muliebria vestimenta annumerat l. vestis. §. 2. ff. de aur. arg. *Vestimenta muliebria sunt, quæ matrisfamilia causa sunt comparata, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione : veluti stola. . . .* Et auctorem videtur habere locupletissimum Ciceron. Phil. II. 18. *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* Ego haud magno in discrimine ponam, dicatne quis vestem, aut *stolam*, cum ex auctorum observatione, quin hæc duo vocabula συνώνυμα sint, parum abesse existimem. Veteres enim *stolam* dixerunt *omnem vestem, quæ corpus tegeret.* Auctor Non. XIV. 6. Cicero quoque cum *muliebrem* adjicit, sentire videtur *stolam* quoque virorum fuisse. Græci vero, vel potius quidam Græcarum elegantiarum scriptor, ait, vestis, quam ἐσθῆτα vocat, appellatione omne vestimentum contineri : *stolam* vero indumenti rationem quandam, ac modum demonstrare, ut alia *stola* Græcorum, alia Barbarorum. Quo in significatu utitur Plutarch. Alexandro : *Vicit is, qui vocabatur Alexander, gratiaque illi facta, ut stola Persica uteretur. Stola* Persica pro cultu Persico. *Bayf. de Re Vest. c.* I. Apud Græcos omne vestimenti genus laxe significat, ἀπὸ τοῦ στέλλειν, *mittere*, quia scilicet vestes cum induimus in corpus mittimus, qui mos loquendi adhuc durat : presse tamen, ac stricte vestem Medicam; sive Barbaricam significat, sed apud Latinos nunquam nisi pro tunica matronali accipitur, quæ fluxa, & talaris, qualis etiam Medica, ac Persica fuit. Nam Cyrus a Medis ad Persas transtulit. Xenoph. de Institut. Cyri VIII. p. 206. B. *Itaque elegit στολὴν Μηδικὴν, & ipse ferre, & ut familiares ea uterentur persuasit. Hæc enim visa ei occultare, si quis defectum aliquem haberet in corpore,* quod fluxa, & ad pedes cadens : *præterea illa indutos pulcerrimos, & maximos conspici : hoc est, decorem, & amplitudinem staturæ augere.* Initio apud Assyrios muliebris tantum fuit, longa scilicet, & manuleata, postea Semiramis virilem fecit. Nam, ut virum mentiretur, ne fraus deprehendi posset, etiam a viris gestari jussit, quia non solum pectus, & humeri, sed brachia ad manus usque, & crura velarentur. Justin. I. 2. 3. *Igitur brachia, & crura velamentis, caput tiara tegit : & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu,* id est, tunica longa, & manuleata, *& populum vestiri jubet, quem morem vestis exinde gens universa tenet.* Inde ab Assyriis ad Medos cum imperio transiit, ab his ad Persas Cyrus transtulit. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 24. *Byn. de Calc. Hebr.* II. 10. §. 4. Amiculum fuit tenue feminarum ex bysso, vel serico. Ut pallium Græcorum utrumque humerum includebat, ita & ἀμπεχόνιον, sive ἀναβόλαιον feminarum. Ut autem toga dexterum humerum excludebat, ita *stola*, excluso quoque eodem humero, in sinistrum brachium rejiciebatur. *Ruben. de Re vest.* I. 17. Qui *stolam*, id est, tunicam muliebrem cum palla, sive muliebri confundit, vestimentum clausum, & interius, cum exteriore, & aperto. *Stolam* enim vult esse pallium muliebre. Ratio ejus si valeret, etiam tunica pallium esset, nam utrumque humerum includit. Et, quæ ejus est inconstantia, eadem *stola* & utrumque humerum includebat, & dextrum excludebat. Et *stola*, quæ tunica erat clausa, & corpori adstricta, quomodo in sinistrum brachium rejici poterat? Non *stola*, sed palla, sive peplum, & amiculum muliebre, ut & pallium virile Græcanicum hoc modo gestabatur, & in humerum rejiciebatur. Diverso modo toga excludebat brachium, ac pallium, & palla. Ex toga clausa, qua ad cervicem patebat, dextrum brachium exerebatur, sinistrum eidem togæ allevandæ subjiciebatur: at mulieres pallam, id est, pallium apertum ita gerebant, ut partem ejus dextram exerto humero subjectam, vel in sinistrum rejicerent, vel lævo brachio imponerent. *Ferrar. l. l.* Nec *stola* fuit amiculum, verum tunica muliebris, præcipue Romanarum matronarum, adeo ut simpliciter pro veste matronali accipiatur, & illa quidem ex lana, postea etiam ex serico, nunquam ex bysso. Etiam *stola* Medica, apud scriptores Græcos, sive barbarica, semper de tunica, sed virili accipitur, & quidem fluxa, ac talari. Nam amiculum non nisi de pallio, & genere vestis, quod super induebatur, dicitur. Amictus enim est circumjectus (am est ἀμφὶ) unde amiculum, muliebre pallium, vestis superior, quæ Latinis proprie palla, id est, pallium muliebre. *Ferrar. ibid. c.* 23. Fuit itaque tunica manicata, sive manuleata, ad plantas fluens, purpura, segmentis, sive limbis aureis ornata, eademque multis rugis, ac plicis constricta. Mart. III. 93. 4.

Rugosiorem cum geras stola frontem.

Ferrar. de Re Vest. I. 3. 17. Anal. c. 24. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 16. Caput quoque mulierum operuit. Isidor. XIX. 25. *Stola matronale operimentum, quod cooperto capite, & scapula, a dextro latere in lævum humerum mittitur. Eadem & ricinium Latino nomine appellatum, eo quod dimidia ejus pars retro rejicitur.* Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. sect. VI. Quod falsum. Nam *a dextro latere in lævum humerum mitti* fuit pallæ, sive pallii muliebris. Et recinium de pallio dictum, sive pallium fuisse notum est. *Ferrar. de Re Vest. l. l.* Alæ non erant consutæ, erantque Romanæ φαινομηρίδες, quemadmodum & Spartanæ. Quod potest probari versibus Ovid. de Art. Amand. I. 153.

Pallia si nimium terræ demissa jacebunt,
Collige, & immunda sedulus effer humo.
Protinus, officii pretium patiente puella,
Contingent oculis crura videnda tuis.

Neque enim efferendo pallio aperirentur crura, si alæ utrinque consutæ essent. Etiamsi dicat Plutarch. Num. p. 76. E. *Itemque custodia, quæ ad virgines pertinet, a Numa cohibita magis est ad muliebrem cultum, & ornatum. Custodia vero Lycurgi aperta nimis. Siquidem muliebris cum sit, poetis joci ansam præbuit : Φαινομηρίδας enim ipsas appellant,* id est, quarum aperta sunt femora, *ut Ibycus.* p. 77. A. *Nimirum pinnæ virginalis tunicæ non erant consutæ, sed* ex-

explicabantur, aperiebantque totum incedendo femur. Quibus verbis apparet Spartanis mulieres solitas incedere sola tunica amictas, cujus alæ non erant consutæ. Quod & Romanis observatum arbitror, ex Ovidio: ita tamen, ut tunicis pallia, vel *stolæ* superimponerentur. Neque enim, ut mihi quidem videtur, aliter potest capi sensus Ovidianus: nisi si quis dixerit, quod efferendo pallio, simul & efferebantur tunicæ, quod magis amentis fuisset quam amantis. *Bayf. ibid. c.* 13. Quem mirum est hoc scripsisse, cum Plutarchus, quem ipse adducit, hoc aperte neget. Nequitiæ magister hoc innuit, amantem, dum lapsam pallii oram tollit, posse etiam permittente puella nonnihil *stolæ* subducere, atque crurum aspectu beari. Similis est locus Amor. III. 2. 25.

Sed nimium demissa jacent tua pallia terra:
Collige, vel digitis en ego tollo meis.
Invida vestis eras, quæ tam bona crura tegebas,
Quoque magis spectes, invida vestis eras.

Loquitur enim de puellis sedentibus in spectaculis, cumque in sedendo tunica contraheretur, ut aliquid crurum appareret, si nimis pallium, sive palla demitteretur: qui igitur pallium tollebat, eadem opera crurum aspectu fruebatur. *Ferrar. l. l. Kipping. ibid.* §. 17. Cæterum, ut virilis tunica, ita & *stola* cingebatur. Id veteres statuæ ostendunt, & scriptores testantur. Ovid. Amor. I. 5. 9.

Ecce Corinna venit tunica velata recincta.

Recincta est discincta, soluta. III. 1. 49.

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis obstricti sollicitare forem.
Delabique toro tunica velata soluta.

Erat autem tunc Corinna in interiore tunica, quæ ut primo, cum de lecto surgerent, induebatur, nec cingebatur. Idem de Art. Amand. I. 529.

Utque erat e somno tunica velata recincta.

At superior tunica, sive *stola* zona cingebatur. Idem Amor. I. 7. 45.

Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ,
Nec nimium rigidas insonuisse minas?
Aut tunicam summa deducere turpiter ora
Ad mediam, mediæ zona tulisset opem.

Ita corruptum locum viri doctissimi corrigunt. Satis dicit fuisse discindere tunicam ab summa ora, sive ab extremitate superiori usque ad mediam, ubi zona cingebatur, quæ zona impedisset, quominus tunica usque ad imam oram laceraretur. Etiam Mart. XIV. 151.

Longa satis nunc sum: dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tum tibi zona brevis.

Manicas interdum luxus muliebris non consutas, sed fibulis nexas cogitavit. Ælian. Var. hist. I. 17. *Tunicarum inquit eam partem, quæ est ab humeris usque ad manus non consuebant, sed continuis fibulis aureis, atque argenteis constrinxere.* Ad talos demissa instita ad oram ornabatur. V. supr. in *Instita.* Et segmentis. V. supr. in *Segmentum.* Ferrar. l. l. *Stola* mulieres honestæ induebantur. Significavit hoc Ulpianus supra laudatus. Unde *matronalem stolam* dixit Val. Max. VI. I. Et *stolas, atque ornatus matronales* conjunxit Vitruv. I. I. Sed & Festus tradit *matronas appellatas eas fere, quibus stolas habendi jus esset.* Nam meretricibus, turpibusque, & inhonestis mulieribus *stolarum* usus legibus fuit interdictus. Conjici hoc potest ex Tertull. de cult. femin. c. 12. *Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quas si quæ leges a matronis, & matronalibus decoramentis coercebant: jam certe seculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque feminis usque ad errorem dignoscendi coæquavit.* Quamobrem Mart. I. 36. 8.

Quis Floralia vestiit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Et Tertull. de Pall. c. 4. *Converte, ait, ad feminas. Habes spectare, quod Cæcina Severus graviter senatui impressit: Matrona sine stola in publico. Denique Lentuli auguris consultis, quæ ita se exauctorasset, pro stupro erat pœna: quandoquidem indices, custodesque dignitatis habitus velut lenocinii factitandi impedimenta sedulo quædam defecerant.* Brisson. & Raynaud. l. l. Et idcirco *stola* interdum pro matrona usurpatur. Mores corruptos sub Domitiano describens Stat. Sylv. I. 2. 235.

Hic eques, hic juvenum cœtu stola mixta laborat.

Mart. X. 5. 1.

Quisquis stolæ, purpuræve contemptor.

Ferrar. Brisson. & Raynaud. l. l. *Stolam* tandem aliquando libertæ portabant. Quintil. Declam. 342. *Hanc, de qua quæritur, dico voluntate tua esse in libertate: hoc quo modo probo? quo uno probari potest. Fecit aliqua tanquam libera. Nondum dico; ad piratas pervenit. Dissimulo & illud, qua causa volueris eam in libertate esse. interim & vidente te, & spectante, habitu matronæ fuit. Hoc satis erat, etiamsi postea nulla essent consecuta. An vero majus in hoc putamus esse momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris, quam si habitum dederis, stolam dederis? quod ne manumissis quidem omnibus contingit.* At differentia aliqua in *stola*, ut plebejarum feminarum fuerit *stola* alba cum aureo limbo: illustrium purpurea cum aureis segmentis, ut apud Prop. II. 19. 81.

Illaque plebejo vel sit sandycis amictu.

Priap. XI. 11.

—— cum tunica, stolaque rufa.

Ruben. l. l. Romæ viri muliebribus utebantur, sed in conviviis. l. 33. ff. de aur. arg. leg. *Nam & Q. Mutius ait, scire se quendam senatorem muliebribus cœnatoriis uti solitum, qui si legaret muliebrem vestem, non videretur de ea sensisse, qua ipse quasi virili utebatur.* Quod Mutius de uno senatore narrat, id postea sub Imperatoribus promiscuum fuit. Hinc cœnatoriæ vestes *stolæ* appellantur. Dio LXIX. p. 796. A. *Cornelius Fronto, qui causis agendis inter ejus ætatis Romanos primas ferebat, quum aliquando vespere profundo a cœna domum rediret, ac intellexisset a quodam cui patrocinium promiserat, Hadrianum jus dicere, in amictu cœnatorio, quo tunc erat indutus, ad tribunal ejus accessit.* Et sic explico M. Antonin. I. §. 7. Καὶ τὸ μὴ ἐν στολῇ κατ᾽ οἶκον περιπατεῖν. Ubi *stolam* pro toga non recte accipit Casaub. ad Suet. Aug. c. 73. Mihi nullum dubium est Marcum per *stolam* vestem cubicularem intelligere, qua Imperatores quidam, ut Nero, & alii, etiam in publico uterentur. Marcus nec per domum quidem ea indutus ambulabat, quod tamen usu licitum erat. Sic & Augustus, de quo Suet. c. 73. n. 4. V. illum supr. in *Forensia.* Ruben. l. l. *Stolæ* nulla mentio apud Ictum. Nec eadem vestis fuerit *stola*, & synthesis, sive cœnatoria. Qualis ista fuerit. V. infr. in *Synthesis.* Dio eodem modo synthesin appellat *stolam* generice, ut Græce omnem vestem significat: eodem, inquam, modo, quo στολὴ ἀρχικὴ dicitur prætexta: βουλευτικὴ vestis senatoria: Ἑλληνικὴ, pallium, sive vestis Græcanica: ita & στολὴ δειπνῖτις, vestis cœnatoria, sive synthesis. Nec vestis cubicularis est apud M. Antoninum. Et recte ad illum Græcorum, quem diximus, morem Casaubonus *stolam* pro toga capit. Nec aliter ibi accipi potest. Nam domi deposita toga, & calceis, in tunica, & soleis erant, frigoris autem causa lacernas, aut lænas vulgo sumebant. Aliqui tamen interdum toga domi utebantur. Suet. Aug. c. 78. n. 1. *Post cibum meridianum, ita ut vestitus, calceatusque erat, paullisper conquiescebat.* Nam ibi *vestitus* pro *togatus* intelligendum declarat vox sequens *calceatus*: nam calcei cum toga sumebantur, & cum eadem deponebantur. Cibus meridianus est vel prandium, vel apud aliquos jentaculum: quod a stantibus, vel sedentibus sumebatur: nam in cœna discumbentes cœnatoria accipiebant: hoc est, non modo sine toga, sed etiam sine tunica erant, hoc est, sola synthesi, sive sindone semitecti. Præter consuetudinem igitur Augustus, domi meridians togatus, cum cæteri sine toga, ut & ipse alias de more. Augustus igitur, cum de more sine toga, & calceis domi versaretur,

togam tamen, *& calceos intra cubiculum habebat, ad subitos, repentinosque casus*, ut scilicet, si aliquis improviso adveniret, ipsum invisurus, aut allocuturus, eum in habitu forensi, id est, toga, & calceis pro dignitate acciperet. Imperatores cum veste cubiculari in publico visos, a nemine, quod sciam, traditum est. Solum Xiphilinus refert, Neronem in cœnatoria, sive tunicula aliquando in publicum processisse. Aliquos etiam in balneum e balneis domum rediisse scimus, sed nec balnearis, nec cœnatoria fuit *stola* muliebris, cum illæ, aut pallium, aut lacerna fuerint. Marcus ἐν τῇ στολῇ, sive togatus ambulare noluit, quod aliqui per ostentationem faciebant, & erat a philosophi istius simplicitate alienum. Sed qualis demum ista vestis cubicularis fuit, & quare Marcus cum ea domi ambulare noluit? Nam domi deposita toga, aut in sola tunica erant, aut per frigus in lacerna, aut læna, quarum cum etiam usus foris esset, vel super togam, vel super tunicam tantam, etiamsi cum ea Imperatores prodiissent, nullum inde probrum, cum vulgo gestarentur. Nullam aliam vestem cubicularem apud scriptores invenimus. Vestis Augusti, ad cujus exemplum Marco licitum fuisset domi ambulare cum veste cubiculari, non fuit cubicularis: sed, ut diximus, Augustus habuit *forensia*, id est, togam, *& calceos, ad subitos, & repentinos casus*, ut scilicet ea indueret, quoties honoratiores erant excipiendi, & si egrediendum esset, non nisi cum toga conspiceretur. Putavit Rubenius, Augustum *forensia* indutum, quia ea habuit intra cubiculum, & ideo *forensia* esse vestem cubicularem, magno errore. Nam contra, quod *habuerit ad subitos, & repentinos casus*, satis arguit, non ea induisse, nisi cum occasio postularet, ne improviso adventu alicujus, in veste cubiculari deprehenderetur, & *forensia* dicta sint e domo toga, & calcei, quibus foris, sive in foro utebantur, domi deponebant. Fuisse autem vestem forensem a domestica diversam declarat Lamprid. Alex. Sev. c. 42. *Ita ut præsides provinciarum acceperint vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas.* Ferrar. Anal. de Re vest. c. 23.

STOLO fuit dictus C. Licinius Calvus, quod nullus *stolo* in ejus agris reperiretur: eosque identidem tolli juberet. Sunt autem *stolones* arborum stirpes, ac radices, quæ arboribus obsunt. V. illum supr. in *Calvus*. August. de Famil. Roman. in Licinia. Sigon. de Nomin. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 1976. A.

STORIA vocabatur instrumentum rusticum, florilegio, & fructibus hortensibus colligendis paratum. Fiebat e funibus, aut junco. *Popm. de Instrum. fund. c.* 14.

Storea suspensa genus fuit defensionis, impediendis, prohibendisque telis apud veteres usitatum. Cæs. de Bell. civ. II. 9. harum conficiendarum rationem, usum, atque effectum docet: *Storeas*, inquit, *ex funibus ancorariis tres in longitudinem parietum turris latas quatuor pedes fecerunt, easque ex tribus partibus, quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum turrem prapendentes religaverunt. Quod unum genus tegumenti aliis locis erant experti nullo telo, neque tormento trajici posse.* Stewech. in Veget. IV. 6.

STR.

STRABO dicitur, qui perversis, & detortis est oculis. Plin. XI. 37. *Uni animalium homini oculi depravantur: unde cognomen Strabonum.* Talis fuit Cn. Pompejus, Magni pater, cognomine *Strabo*. Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Strein. de Gent. & Fam. Roman. in Pompeja. Bello Marsico prætor a Picentibus victus, mox consul eosdem, aliosque vicit: a. d. 6. Kal. Jan. an. 664. de Asculanis Picentibus triumphum egit. Multæ Transpadanæ coloniæ ab eodem deductæ sunt, quibus jus Latii dedit, ut qui in eis magistratus gererent, jus civitatis Romanæ adipiscerentur. Biennio post consulatum bello civili Pompejano, dum utramque partem fovet, utrisque invisus fulmine ictus interiit. *August. de Famil. Roman. in Pompeja. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 690.

STRAGULA vestis erat, qua & lecti cubiculares, & pulvini in lectica insternebantur. Auro & purpura depingi solebat. Athen. V. p. 212. C. *Mirantes, quod Athenion in purpureis stragulis, sella pedibus argenteis subnixa, Athenas portaretur.* Apul. Met. X. p. 336. *Sed & stragula veste, auro, ac murice Tyrio depicta probe substernunt.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 175. Ferrar. Anal. de Re vest. c. 14. Casal. de Prof. Roman. ritib. c. 14. Vall. Eleg. VI. 46. Scriver. in Mart. II. 16.

Stragula etiam vocatur vestimentum hominis. Festus: *Vestis generaliter dicitur, ut stragula, forensis, muliebris.* Suet. Ner. c. 50. n. 1. *Funeratus est stragulis albis auro intextis, quibus usus Kalendis Januariis fuerat.* Liv. XXXIV. 7. *Cum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti.* Paull. l. cum & tunicam. ff. de aur. & arg. leg. *Cum & tunicam, & stragulam pelliceam nonnulli habeant*, id est, vestes ex pellibus factas. *Alexand. Gen. dier.* III. 19. *& in illum Tiraquellus. Rader. & Scriver. in Mart.* II. 14. 6. *Pitisc. in Suetonium.*

Stragula quoque dicuntur sellæ. Mart. XIV. 86. 1.

Stragula succincti venator sume veredi:
Nam solet a nudo surgere ficus equo.

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 15. Poeta dicit equum jam succinctum, hoc est, ephippio onustum, illumque *stragulis* insternendum, seu *stragula* ephippio insternenda, quorum loco hodie adhibent pulvinos equestres. *Rader. in Martialem.*

STRAGULARII vocabantur, qui *stragula* conficiebant. Hinc in Romanorum notis: COLL. STRAGUL. *Collegium stragulariorum.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 633. D.

STRANGULATIO laqueo fiebat in carcere, & quidem in ejus parte Tulliano, per carnificem jussu triumviri capitalis. Sallust. Bell. Catil. p. 50. *In Tullianum postquam demissus est Lentulus, judices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregerunt.* Val. Max. V. 4. 7. *Mulierem damnatam prætor triumviro in carcere necandam tradidit. Quo receptam is qui custodiæ præerat, misericordia motus non protinus strangulavit.* Sigon. de Judic. III. 16.

STRATA montana in Palatinatu ad vias Romanas referri debet, trita quippe Probo, Gratiano, & Valentiniano Imperatoribus, ac servans in oppidis ad eam adsitis vestigia Romanorum nominum, teste Freher. Orig. Pilat. II. 5. *Hennin. ad Bergier. de viis milit.* III. 44. §. 4.

Strata Romana nominatur ab Italis, quod a maximo Imperatore Romano facta, velut Romanorum propria sit, aut quod facillima ex Gallia Romam euntibus. Aperta fuit a Pompejo Magno. Appian. de Bell. civil. I. p. 419. *Qui*, Pompejus, *per Alpes iter aggressus magno animo, ad æmulationem Annibalis, alias fauces aperuit, medio inter Padi, Rhodanique fauces spatio, qua uterque amnis modicis jugis* Cinesii montis *origines dispescentibus in diversa cursus concitat, hic per Transalpinam Galliam in mare inferum properans, ille per citeriorem in intimum fere superi sinum, Græcis dictus Eridanus.* Hanc ipsam viam ipse Pompejus jactat in epistola ad senatum in fragm. Sallust. Hist. III. apud Priscian. X. *Hostes in cervicibus jam Italiæ agentes ab Alpibus in Hispaniam submovi: per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius patefeci.* Bergier. de viis milit. III. Sect. 39. §. 9.

Strata vetus dicta est via, quæ per Thraciam, & Scythiam pergebat, & fuit ex viis publicis Romanis militari opere munitis. Eutrop. IX. 15. *Aurelianus est interfectus in itineris medio, quod inter Constantinopolin & Heracleam est Stratæ veteris, locus Cœnophrurium appellatur.* Bergier. de viis milit. III. Sect. 42. §. 7. Grandibus saxis olim munita fuit, hodieque integra remanet. Pertingebat ab illa ora ad Dyrrhachium. Adeundus est Bellonius testis oculatus I. 62. *Anna Fabri in Eutropium.*

STRATEGUS vocabatur dominus convivii. V. illum supr. in *Arbiter*.

STRATOR a publicis rationibus dicebatur, qui equos militares, quos provinciales conferebant, curabat,

de

de quo lex unica C. de ſtrator. & Ammian. XXIX. 3. *Conſtantianus ſtrator paucos militares equos ex his auſus mutare, ad quos probandos miſſus eſt in Sardiniam. . .* Princeps hunc mittebat ad civitates, equis mutandis, non tantum pro curſu publico, ut ſcripſit Laz. Comm. Reip. Rom. II. 12. ſed pro militari exercitio. Monumentum apud Gruter. p. 569. n. 8.

D. M. M. ULP. SILVIO
STR. A. P. R. PROC. V. V.
EX. LEG. II. P. P. F. F. VA
LERIANUS. JULIANUS
HER. B. M. F.

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. *p.* 970. *E. Laz. Comm. Reip. Rom.* VI. 3: IV. 6. *Stewech. in Veget.* I. 7. *Valeſ. in Ammianum. Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 14.

Strator in caſtris dicebatur, qui loca diſpiciebat, ac præparabat, & cum metatore loca accommodatiora ad trajiciendum exercitum inquirebat: aggeres, tumulosque æquabat, pontes ſtruebat, ſylvas exſcindi curabat, reliquaque impedimenta ducendo exercitui auferebat. *Stratores* inter exercitus enumerat Veget. II. Meminit Symm. Epiſt. ad Theodoſ. & Valent. Augg. I. *Sed cum Venantii ſtratoris illicitiam, uſurpatamque militiam Marcellus argueret, quod decurionum adſcriptus albo, ut geſta docuerunt, adverſum leges ad Palatina caſtra tranſiſſet, non debuit objecta reticere.* Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 6. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 971. A. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 711. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14. Brod. Miſcell. X. 6.

Strator dicebatur, qui non ſolum frenum equi principis, & magiſtratus tenebat, ſed eis etiam conſcendentibus opem ferebat, eosque in equum levabat. Spartian. Carac. c. 4. *Denique cum eum ſtrator in equum levaret, pugione latus ejus confodit.* Græcis vocatur ἀναβολεύς. Suidas: Ἀναβολεύς, *qui in equum imponit. Rex ſtratorem vocans, celeriter conſcenſo equo, potum petiit.* Milites exhibebant hoc miniſterium Imperatoribus. Ammian. XXX. 6. *Cum eum elatus non ſuſciperet equus, anteriores pedes præter morem erigens in ſublime, dextram ſtratoris militis juſſit abſcindi.* Cuper. in Lactant. de Mort. perſec. p. 132. Salmaſ. in Spartianum. Capitol. in M. Antonin. c. 8. Treb. Poll. in Valerian. c. 3. Vopiſc. in Aurelian. c. 45. Stewech. ad Veget. III. 10. Valeſ. in Ammianum. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14. Hugo de Milit. equeſt. I. 4. Thyſ. Rom. Illuſtr. III. p. 84. Bud. in Comment. Ling. Græc. p. 229. Laz. Comm. Reip. Rom. VI. 3. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 970. F. Hennin. ad Bergier. de Viis milit. IV. 39. I. Briſſon. de Regn. Perſar. p. 146. Laurent. Polym. IV. Synopſ. II. §. II.

Strator officii vocabatur, qui ad magiſtratus apparitionem referebatur. Vetus inſcriptio apud Gruter. p. 389. n. 2.

T. CL. CANDIDO
SILIUS. HOSPES. HASTATUS. LEG. X.
GEMINÆ. STRATOR. EJUS
OPTIMO. PRÆSIDI

p. 600. n. 9.

M. ANTONIUS. HEUTUCAS
ANTONIO. FORTUNATO
STRATORI. AUGUSTORUM.

Hujus etiam fuit delinquentes, qui militari cuſtodiæ tradebantur, diligenter ſervare. Hinc Imperatoris Conſtantini lege I. C. Th. de cuſtod. reor. cavetur, *ut neque his, qui ſtratorum funguntur officio, neque miniſtris eorum, liceat crudelitatem ſuam accuſatoribus vendere. . . . .* In actis martyris Cypriani legitur, eum a *ſtratore* officii ex cuſtodia currui impoſitum, & ad proconſulem Africæ Galerium Maximum perductum. Horum munus antiquiſſimum eſt. Ita ad Cœlium quæſtorem ſuum Cicer. Famil. II. 19. *Exiſtimavi eſſe faciendum, ut ad te ſtratores meos, & lictores cum literis mitterem.* Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 13. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 971. A.

Strator viarum dicebatur, qui vias *ſternebat*, pavimentumque, ubi deficeret, reſtituebat. Inſcriptio Romæ via Appia:

DIOMEDES. AP.
STRATOR
FAUSTÆ. HEDIÆ.

Et forte Diomedes uxoris ſuæ memoriam conſervavit. Ita *ſtrata viarum* dicit Virg. Æneid. I. 426. & *ſtraturam viarum* Suet. Claud. c. 24. n. 4. *Spon. Miſc. Erud. Antiq. Sect.* VI. *p.* 233. *Cuper. in Lactant. de Mort. perſecut. p.* 132.

STREBULA appellabantur coxendices hoſtiarum. Feſtus: *Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hoſtiarum, quas Græci μηρία dicunt, quæ in altaria imponi ſolebant, ut Plautus in Frivolaria: Strebula agnina tene.* Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Caro ſtrebula Opilius ſcribit circum coxendices ſunt nobis. Id Græcum eſt ab hujus loci verſura.* Arnob. VII. p. 230. *Non enim placet carnem ſtrebulam nominare, quæ taurorum e coxendicibus demitur.* Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XXVIII. 18. Saubert. de Sacriſ. c. 20.

STRENA *vocatur, quæ datur die religioſo, ominis boni gratia.* Feſtus. *Lipen. de Stren. c.* I. §. I. *Struv. Antiq. Roman. c.* 9. *p.* 412. *Briſſon de Form.* I. *p.* 92. Ejus origo a Tito Tatio. Symm. Epiſt. X. 28. *Ab exortu pæne urbis Martiæ ſtrenarum uſus adolevit, auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ, anni novi auſpices, primus accepit.* Turneb. Adv. X. 26. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 746. Lipen. ibid. §. 7. Stuck. Antiq. Conviv. I. 33. Laurent. de Conviv. c. 5. & 10. de Acclamat. c. 2. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Rom. I. 13. Spon. Diſſert. de orig. ſtren. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 208. B. Pitiſc. in Suet. Aug. c. 57. n. 4. Kalendis Januariis accipere ſolebant veteres. Symm. Epiſt. X. 20. *Kalendas anni auſpices, quibus menſium recurſus aperitur, ſtrenis dicavit antiquitas.* Suet. Aug. c. 57. n. 4. V. illum ſupr. in *Kalendæ.* Et Tiberius *ſtrenarum commercium prohibuit edicto, ne ultra Kalendas Januarias exerceretur. Conſueverat quadruplam ſtrenam & de manu reddere: ſed offenſus interpellari toto menſe ab iis, qui poteſtatem ſui die feſto non habuiſſent, ultra non reddidit.* Suet. c. 34. n. 4. Et hoc volunt verba Dion. LVII. p. 607. D. *Propterea Kalendis extra Urbem fuit, ne hominibus ob magiſtratus novos, & ferias occupatis negotium præberet, neve ſtrenas ab iis acciperet, quia ea res multæ moleſtiæ, multique in rependendo ſumptus eſſet.* Et hoc præ ſe ferunt verba Dion. p. 613. D. *Tiberius, poſtquam etiam poſt neomeniam aliqui ipſi argentum obtulerunt, non recepit, eaque de re edictum propoſuit.* Lipen. ibid. c. 2. ſec. æt. §. 2. 3. Illam acceperunt etiam Imperatores, Auguſtus, Tiberius, Caligula, Trajanus, Theodoſius, Arcadius, alii. & reddiderunt. Auguſtus *tantundem, aut plus eo non modo ſenatoribus, ſed etiam reliquis omnibus reddidit.* Dio LIV. Tiberius *quadruplas reddidit.* Suet. c. 34. n. 5. Secuti Imperatores non minus in dandis, quam in accipiendis prompti fuerunt, & liberales. De ſui temporis more ad Theodoſium, & Arcadium Imperatores Symm. Epiſt. X. 20. *Hujus inſtituti,* largiendarum ſtrenarum, *uſum munificentiæ feſtinatione prævertitis, ſeram putantes liberalitatem, quæ ſtatis temporibus ammonetur. Felix mehercule ſeculum, quo Principes cohibere diu neſciunt tribuenda devotis: cum ſibi debita cunctentur exigere.* Lipen. ibid. §. 14. Plura qui voluerit, evolvat ipſam *Lipenii ſtrenarum hiſtoriam, & Sponii de Origine ſtrenarum diſſertationem.*

STRENIA, ſive *Strenua* fuit dea, quæ pubem Romanam faciebat *ſtrenuam.* Auguſt. de Civit. Dei IV. 16. *Miror plurimum, quod, cum deos ſingulos ſingulis rebus, & pæne ſingulis motibus attribuerint, vocaverunt deam ſtrenuam,*

quæ

quæ faceret strenuum. Lipen. de Stren. c. I. §. 4. Stuck. de Sacrif. p. 46. Laurent. de Acclamat. c. 2. Struv. Antiq. Roman. c. I. p. 159. Gyrald. Synt. deor. I. p. 51. E. Blond Triumph. Rom. I. p. 12. F. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 13.

STRICTORES differunt a legulis olearum, quia digitabulis pressas decerpunt ab arbore. Unde illos distinguit Cato de re rust. laudatus supr. in *Legulus.* Mercede conducebantur, ut indicant leges oleæ legendæ, faciundæ, pendentis apud Caton. p. 145. 146. 147. *Turneb. Adv.* x. 18. *Popma de Instrum. fundi c.* 3. *Pignor. de Serv. p.* 549.

STRIDOR portæ, cum reseraretur, omen faciebat. Claud. de Rapt. Proserp. II. 6.

— tunc cardine verso
Præsagæ cecinere fores.

Sil. Ital. VII. 48.

Sed dirum egressis omen scelerata minaci
Stridentis sonitu tenuerunt limina portæ.

Cicer. de Divin. I. 34. *Ante Leuctricum prælium Thebis in templo Herculis valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt.* Buleng. de Prodig. c. 48.

STRIGA *est vocabulum castrense intervallum turmarum significans, in quo equi strigantur.* Sosip. Charis. I. p. 84. Edit. Putsch. Caper de verb. dub. ibid. p. 2250. *Striga in turma, ubi equi distringuntur.* Stewech. in Veget. III. 10. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 41. a. C. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p. 1031. F. Turneb. Adv. XXIV. I. Rutgers. Var. Lect. I. II. Dodwell. Dissert. de Ripa Striga §. 2.

Striga in castris etiam spatium longum pedes 120. latum pedes 60. quod in duo semistrigia dividebatur latitudine singula pedum 24. Ex quibus decem dabantur papilionis tensuræ: quinque armis, jumentis novem. Inter duo semistrigia pedes patebant 12. qui conversantium spatio sufficerent. Sic *striga* integra lata erat pedes 60. Per longitudinem vero semistrigiorum ab utroque latere tendebantur decem papiliones, qui singuli decem pedes occupabant, & pro incremento tensuræ, ut intervallo aliquo separentur, pedes binos, fiunt pedes 120. quæ longitudo erat unius semistrigii, atque *strigæ.* Sic dimidio longior fuit *striga* quam latior. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 40. *a. E. Dodwell. Dissert. de Ripa Striga* §. 2. *&* 3.

Striga in re rustica dicebatur sulcus, qui uno ductu peragebatur in longitudinem. Hinc *strigare* dicuntur in agricultura boves, cum in medio actu cessant, nec sulcum uno actu continuant. Cui opponitur protelo ducere. Nam ut dicuntur *strigare*, cum intermittunt: ita protelo ducere dicuntur, cum uno ductu absolvunt. *Voss. Lex. Etymol. Dacer. in Festum.*

Striga, nam a rusticis hanc vocem acceperunt, significat agrimensoribus omnem mensuram, quæ in longitudinem fuerit. Hygin. Gromat. p. 199. *Omnem mensuræ hujus quadraturam, dimidio latiorem, sive longiorem facere debebimus: & quod in latitudinem longius fuerit, scamnum appellare, quod in longitudinem, strigam.* Atque hinc ager *strigatus*, & *scamnatus.* Aggen. Comm. in Frontin. de limit. agror. p. 46. *Strigatus ager est, qui a septentrione in longitudinem in meridianum decurrit. Scamnatus autem, qui eo modo ab occidente in orientem crescit: & altitudinem hanc secundum idioma artis velut Frontinus in orientem intelligi.* Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exercit. Plin. p. 478. b. F. 40. a. G.

Striga appellabatur etiam *ordo rerum inter se continuate conlocatarum.* Festus. Atque hinc est, quod, ut auctor est Hyginus de castrorum metatione, ordo, & series equorum in castris redeuntium. Neque enim diversa est significatio ab ea, quam ponit Festus, sed tantummodo generalis vocabuli ad rem specialem accommodatio. *Voss. Lex. Etymol. Dacer. in Festum.*

Striga in veteribus glossis exponitur *κιμωλία*, id est, creta. Hac utebantur ad desquamandas, & poliendas vestes apud fullonem. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 40. *b. F. Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Catal. p.* 241.

STRIGARE dicuntur equi, dum in *strigam* collocantur. *Turneb. Adv.* XXIV. I. Hoc falsum esse evincit Virg. Catal. IV. 17.

Et inde tot per orbitosa millia
Jugum tulisse: læva, sive dextera
Strigare mula, sive utrumque cœperat.

Nam hoc loco non aliter quam absolute accipi potest. Sed est interquiescere. Ita Cynthia, primo temone sedens, dicit aurigæ, *Striga*, hoc est, interquiesce: nam ea re huc veni, ut volsi nepotis carpenta rapiam, & armillatos canes apud Prop. IV. 8. 23.

Striga: nam rapto volsi carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes.

Sicut in vulgari sermone Thusco, & Germanico *stallare* equos dicunt perorigæ, quum ad urinam emittendam quiescunt. Quia, quum recenter veniunt in stabulum, quod nunc *stallam* vocant, tunc fere urinam solent emittere. Phædr. III. 6. 9.

Namque ubi strigandum est, & ubi currendum, scio.

Scalig. in Catalecta, & Propertium. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exercit. Plin. 40. b. G. Rigalt. Fab. & Gud. in Phædrum. Scheffer. de Re Vehic. I. 17.

STRIGIL, sive *strigilis* erat instrumentum balneatorium. Apul. Florid. p. 778. *Strigilem & ampullam, ceteraque balnei utensilia nundinis mercari.* Illo utebantur veteres tum ad fricandum corpus, sudoremque eliciendum, tum ad abstergendas sordes. Pers. V. 126.

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Senec. Epist. 95. *Vetemus lintea, & strigiles Jovi ferre.* Ejus formam deformat Apul. Flor. p. 777. *Qui in magno cœtu prædicavit semet sibi fabricatum honestam strigileculam, recta fastigatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur.* Sæpe ungebantur, ut minus læderent. Scribit enim Suet. Aug. c. 80. n. I. Augustum *per pectus atque alvum callos quosdam* habuisse *ex assiduo, & vehementi strigilis usu plurifariam contractos ad impetiginis formam.* De *strigilibus* inunctis Juven. Sat. III. 261.

— domus interea secura patellas
Jam lavat, & bucca foculum excitat, & sonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.

La Chausse de Tesser. & strigil. tab. IX. Mercur. Gymn. I. 7. Ursin. Append. ad Triclin. Ciaccon. p. 147. Rhod. in Scribon. Larg. p. 81. Pignor. de Serv. p. 83. Casal. de Prof. Roman. rit. c. 24. de Therm. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 641. A. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 18. Voss. Lex. Etymol. in Stringo. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 18. Salmas. Exerc. Plin. p. 762. a. F. Victor. Var. Lect. XXXVII. I. Turneb. Adv. IV. I. Stuck. Antiq. Conviv. II. 25. Choul. de Baln. p. 95. & 100. Barth. Adv. XXXVI. 3. Grang. in Juvenalem. Gonsal. in Petron. p. 204.

STRIGMENTA gymnasii appellabantur sordes, quæ destringebantur, & deradebantur de athletarum corpore: quæ, quod medicatam vim haberent, diligenter colligebantur, magnoque venum ibant. Val. Max. IX. 14. §. I. ext. *Hybream Mylasenum gymnicorum servo strigmenta gymnasii colligenti tam similem.* . . . . Turneb. Adv. I. 10. Voss. Lex. Etymol. in Stringo. Faber Agonist. I. 18.

STRINGITUR olea, quæ manu legitur, ut cum digitabulis pressa decerpitur. Cato de Re rust. c. 144. *Oleam ne stringito.* Turneb. Adv. x. 18.

STROBULUS dicebatur velamentum fastigiatum verticoso modo apud barbaros: cujus loco Romani apicem gestabant, aut tutulum, fastigio recto, non verticoso, aut canaliculato assurgentem. Tertull. de Veland. virgin. c. 10. *Debebant etiam & ipsi aliqua sibi insignia defendere, aut strobulos Barbarorum.* [illegible] leg. pro *crobylos.* Junius in Tertullianum. Potius fuerit inauris rotunda formæ.

forma. *Strobulus* Græcis nux pineam significat. Et Pollux v, 16. στρόβιλια inaures in mundo muliebri inter ἐνώτια, ἐλλόβια reponit. *Barthol. de Inaur. c.* 3. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* I. 20.

STROPHIARII sunt dicti, qui *strophia* parabant. Plaut. Aul. III. 5. 42.

Strophiarii adstant.

Voss. Lex. Etymol. in Strophium. Ferrar. de Re vest. I. 3. 21.

STROPHIUM *erat brevis fascia, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet. Turpill. Philopat. Me miseram, quid agam? inter vias epistola excidit mihi, infelix inter tuniculam & strophium quam collocaveram.* Non. XIV. 8. Et ita Catull. LXIV. 65.

Non tereti strophio lactantes vincta papillas.

Cicer. de Arusp. resp. c. 20. V. illum supr. in *Crocota.* Ferrar. de Re Vest. I. 3. 21. Voss. Lex. Etymol. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. V. 35. Paschal. de Coron. I. 11. Brod. Misc. IV. 11. Jun. de Coma c. 8. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 331. Cuper. Obs. I. 6. Victor. Var. Lect. XVIII. 17. Tiraquell. Leg. Connub. III. Gloss. I. p. 3. n. 27. Dorleans in Tacit. p. 809. Alex. Gen. dier. V. 18. Donat. in Lamprid. p. 980. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 17.

Strophium erat etiam fascia capitis. Dicebatur enim de duabus, aut tribus tæniis, sive corollis invicem tortis, sic ut e pluribus una fieret. Hoc est discere ex Plin. XXI. I. & 2. *Quædam coronæ per coronas currunt. Tenuioribus utebantur antiqui, stropos appellantes, unde nata strophiola.* Usus est Virgil. Cop. n. 34.

Et gravidum roseo necte caput strophio.

Ubi feminæ tribuitur. Sed usi quoque sacerdotes. Hesychius: Στρόφιον, ὃ οἱ ἱερεῖς φέρουσι. Indeque Latinum *stroppus*, seu potius *stroppus*, sive *struppus*. Festus: *Stroppus est, ut Atejus philologus existimat, quod Græce στρόφιον vocatur, & quod sacerdotes pro insigni habent in capite. Quidam coronam esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur, quale sit strophium. Itaque apud Faliscos diem festum esse, qui vocatur Strupearia, quia coronati ambulant, & a Tusculanis, quod in pulvinari imponatur, Castoris struppum vocari.* Voss. Lex. Etymol. Paschal. de Coron. II. I. Saubert. de Sacrif. c. 10. Cuper. Apoth. Homer. p. 138. Turneb. Adv. XXIX. I.

STROPPUS, sive *Struppus* vocatur fascia capitis. V. supr. in *Strophium.*

Stroppus quoque dicitur lorum, quo in navi remi alligantur scalmo. Isidor. XIX. 4. *Struppi, vincula, loro, vel lino facta, quibus remi ad scalmos alligantur. De quibus Livius: Tuncque remos jussit religare struppis. Strophos* vocat Vitruv. X. 8. *Etiam remi circa scalmos strophis religati.* Græcis τροπωτὴρ vocatur. Glossæ veteres. *Strepus*, Scaliger *stropus*, τροπητῆρες. *Scheffer. de Re nav.* II. 5. *Voss. Lex. Etymol. in Strophium.*

STRUCTORES vocantur fabri cæmentarii. Cicer. Frat. II. 5. *Veni in aream tuam, res agebatur multis structoribus.* L. quibusdam ff. de jur. immun. seorsim numerantur *fabri, structores, carpentarii* inter eos, quibus vacatio graviorum munerum concessa erat. Et apud Veget. II. 11. libri M. S. N. H. & tres Susii: *Habet præterea legio fabros, tignarios, structores.* Stewech. ad Vegetium. Bud. in Pandect. p. 272. A. Pignor. de Serv. p. 566. Unde *canales structiles* a Vitruv. VIII. 7. & *structilis forma* a Pallad. IX. 11. appellantur, qui calce ligatis lateribus fabricantur. A Paterno l. ult. de jur. immun. *bucularum structores* vocantur. *Pancirol. de Corpor. artif.* §. 9.

Structores dicuntur servi, qui instruendæ mensæ, ciborumque perite apponendorum curam habent. Senec. de vit. beat. c. 17. *Quare ars est apud te ministrare? nec temere, &, ut libet, collocatur argentum, sed perite struitur, & est aliquis scindendi obsonii magister.* Petron. c. 35. *Proprium, convenientemque materiæ structor imposuerat cibum.* Athen. IV. p. 170. E. *Juba Rex eundem censet esse mensæ curatorem, quem Romani structorem appellant.* Inde *strufices patinariæ* apud Plaut. Men. I. I. 25.

Cereales cænas dat, ita mensas exstruit,
Tantas strufices concinnat patinarias.

Popm. de Oper. serv. p. 116. Pignor. de Serv. p. 119. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 342. Buleng. de Conviv. IV. 4. Ad hanc vocem Latinam respicit Hesychius, qui οἰκοδόμους δείπνων appellat, nam *structores* proprie sunt οἰκοδόμοι δείπνων. Græce propria voce τραπεζοκόμοι dicebantur. *Salmas. in Capitol. Ver. c.* 5.

Structores etiam dicebantur servi, qui decoro manuum gestu cibos discerpebant. Mart. X. 48. 15.

Et quæ non egeant ferro structoris Ofellæ.

Juven. Sat. V. 120.

Structorem interea (ne qua indignatio desit)
Saltantem spectas, & chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia, nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Hi præceptores habebant, & magistros hujus artis, qui artem incidendorum rite obsoniorum illos docebant per varia animalia formata ex ligno. Juven. Sat. XI. 133.

— quin ipsa manubria cultellorum
Ossea: non tamen his ulla unquam obsonia fiunt
Rancidula, haud ideo pejor gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Tryphert doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens,
Et Getulus oryx, hebeti lautissima ferro
Cæditur, & toto sonat ulmea cæna Subura.

Stuck. Ant. Conviv. III. 3. Buleng. de Conviv. III. 3. Popm. de Serv. p. 117. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 342. Laurent. de Prand. c. 20. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. V. 29.

STRUES *sunt genera liborum, digitorum conjunctorum non dissimilia, qui superjecta panicula in transversum continentur.* Festus. *Guther. de Jur. pontif.* IV. 3. *Turneb. Adv.* XIV. 18. *Stuck. de Sacrif. p.* 75. *Saubert. de Sacrif. c.* 24. *Buleng. de Conviv* IV. 18. *Struem commovere* verbum sacrorum est, quod significare arbitror libamina diis offerre, & ad preces sacrificantis exaudiendas excitare. *Struem movere, commovere, & obmovere* eandem habent significationem. Quæ omnia nihil aliud sunt quam libare, quod est ambabus manibus *struem* diis offerendo, vel ferctum Jovi, primis quasi labris degustare. Ita Cato de Re Rust. c. 135. *Jane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor. Ita ut prius datum ob struem obmovendam, & ferctum libandum.* Guther. & Saubert. l. l.

STRUFERTARII *appellabantur homines conducti mercede, qui ad arbores fulguritas, aut piacularium commissarum causa sacrificia quædam strue, & ferto sollennibus verbis faciunt, precor te Jupiter, uti mihi volens propitius sies.* Festus. Stuck. de Sacrif. p. 75. Saubert. de Sacrif. c. 24. Buleng. de Terr. mot. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. V. p. 534. D. Struv. Ant. Roman. c. 6. p. 295. Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Festum. Guther. de vet. jur. pontif. IV. 3. Lomej. de Lustrat. c. 13.

STRUPPI *vocantur in pulvinaribus fasciculi de verbenis facti, qui pro capitibus deorum capitibus ponuntur.* Festus, Berthald. de Ara c. 3. §. 4. Lipen. de Stren. c. 3. §. 5. 5. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 656. Struv. Antiq. Roman. c. 11. p. 516. Gutland. Papyr. membr. XVI. §. 19. Blond. Triumph. Rom. I. p. 15. D.

STRUTHIO olim gulosis fuit in deliciis. Lamprid. Heliog. c. 30. *Sexcentorum struthionum capita una cœna multis exhibuit ad edenda cerebella.* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. II.

STRUTHIOCAMELI in circum Romæ ad pugnam & spectaculum mittebantur. Plaut. Pers. II. 2. 17.

Vola curriculo. P. Istuc marinus passer per circum solet.

Passer marinus *struthiocamelus*, quia trans mare advectus.

Herod. I. 15. §. II. Commodus *aliquando ſagittas lupatæ cuſpidis in Mauruſias ſtruthos intorquebat, quæ & pedum celeritate, & alarum quaſi velis ocyſſime ferebantur, ſic ut ſummum contingeret collum, atque ita capita amputaret, ut exſectis cervicibus aliquamdiu tamen viventibus ſimilem curſum continuarent.* Lipſ. Epiſt. Quæſt. IV. 9. Buleng. de Venat. circ. c. 19.

STU.

STUPRUM *inter, & adulterium hoc intereſſe quidam putant, quod adulterium in nuptam, ſtuprum in viduam committitur: ſed lex Julia de adulteriis hoc verbo indiſcreenter utitur.* Modeſtin. l. 101. ff. de Verb. ſignif. Qui horum verborum ſententiam exponens l. 34. de adulter. *ſtuprum eum committere* ait, *qui liberam mulierem conſuetudinis cauſa, non matrimonii retinet: excepta concubina.* In ea, quæ ſe non patroni concubinam eſſe patitur, *ſtuprum* non contrahi ait Papin. l. 16. §. 1. ff. de his quæ ut indign. Etenim quæ in concubinatu patroni eſt, matronæ nomen non amittit l. ſi uxor §. 1. ff. de adult. l. liberta ff. de oper. libert. matriſque familias honeſtatem nihilominus retinet, cum obſequium patrono debeat. Unde Senec. Contr. IV. *Memini illum, cum libertum reum defenderet, cui objiciebatur, quod patroni concubinus fuiſſet, dixiſſe, impudicitia in ingenuo crimen eſt, in ſervo neceſſitas, in liberto officium.* Aliter atque de ea dicendum eſt, quæ dignitatis matronalis oblita in concubinatum ſe alterius quam patroni tradit l. ſtuprum ff. de rit. nupt. Itaque ſine *ſtupri* crimine in concubinatu eſſe alieni liberta poteſt. Eo reſpexit, qui cum docuiſſet ſine periculo in matronis venerem non exerceri, ſuppliciaque de adulteris ſumpta recenſuiſſet, ſubjicit Horat. Sat. I. 2. 47.

Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda:
Libertinarum dico, Salluſtius in quas
Non minus inſanit, quam qui mœchatur.

Itaque quod ait Modeſtin. l. liberæ. ff. de rit. nupt. in liberæ mulieris conſuetudine non concubinatum, ſed nuptias intelligendas: ſi non corpore quæſtum fecerit, de ingenua muliere, non de quavis libera accipiendum eſt. In liberta enim non procedit. Nec in ingenuas mulieres, quæ palam quæſtum corpore facerent, committebitur. Et ideo in concubinatu haberi poterant l. 3. ff. de concubin. quod utique ſi honeſte vixiſſent, non licuiſſet. Unde Imperatores Diocletianus & Maximianus ajunt l. ſi ea ff. de adulter. Si ea, quæ tibi *ſtupro* cognita eſt, & paſſim venalem formam exhibuit, ac proſtitutam meretricio more vulgo ſe præbuit, adulterii crimen in ea ceſſat. Ubi bene Accurſius earum, quæ in matrimonio habentur, ſeparatam a virginibus, vel viduis cauſam conſtituendam eſſe notat. Nam & in ea uxore, quæ vulgo ſui copiam faciat, adulterium vindicabatur. Sic eveniebat, ut in ea nupta adulterium committeretur, in qua innupta *ſtuprum* non committebatur. Poterit hic vulgatos codices verſantibus ſcrupulum Marcelli locus injicere, quo *ſtuprum* & in his mulieribus intelligi ait l. 41. ff. de rit. nupt. quæ turpiter viverent, vulgoque quæſtum facerent. Sed illic *probrum*, non *ſtuprum* in Florentino codice recte legitur: hoc ſenſu, ut probroſæ ſint feminæ, quæ turpiter vivunt, vulgoque ſui copiam faciunt, etiamſi non palam, quamquam ingenuorum nuptiis lege Julia de maritandis ordinibus ex ea cauſa non repellantur, quia non quæcunque ſe ſtupratoribus vulgo committunt, ſed quæ paſſim, & ſine ullo delectu, meretricio more, & in vicem proſtitutæ id faciunt, apprehenduntur l. palam ff. de rit. nupt. Cato certe apud Gell. IX. 12. ſcribit majores hoc cenſuiſſe, *niſi quis palam corpore pecuniam quæreret, aut ſe lenoni locaviſſet, & ſi famoſus, & ſuſpicioſus fuiſſet, vim in corpus liberum non æquum eſſe adferri.* Præterea in ignominioſis feminas, quæ pudore, matronalique verecundia depoſita artem ludicram, lenociniumve fecerint, operaſque ſuas in ſcenam ſaltandi, vel cantandi cauſa locaverint, quas & lex Julia de maritandis ordinibus notat, Ulpian. in Inſtit. tit. 19. *ſtuprum* commiſſum hac lege non apprehenditur. Eaque ratione pleræque mulieres, ut pœnas adulterii effugerent, tutiuſque de cætero libidini inſervirent, ſcenicis operis, lenociniove faciendo ſe dedebant. Qua fraude ne delicti impunitatem ſibi pararent, Scto conſtitutum fuit l. mater in fin. ff. de adult. eas, quæ ſe in fraudem legis, & evitandæ pœnæ cauſa in ſcenam locaſſent, vel lenocinium profeſſæ eſſent, accuſari nihilominus adulterii, & damnari poſſe. Suet. Tib. c. 35. n. 3. *Feminæ famoſæ, ut ad evitandas legum pœnas, jure, ac dignitate matronali exſolverentur, lenocinium profiteri cœperant: & ex juventute utriuſque ordinis profligatiſſimus quiſque, quo minus in opera ſcenæ, arenæque edenda Scto tenerentur, famoſi judicii notam ſponte ſubibant: eos, eaſque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exſilio affecit.* In miniſtras quoque cauponæ, quæ vinum potantibus præbent, non eſſe vindicandum Conſtant. ſtatuit: quod eas vitæ vilitas judiciaria ſeveritate immunes, indignaſque legum obſervatione reddit. Atque eodem modo nec Solonis legibus in iis vindicabatur, quæ in taberna ſederent, vel in foro res venales propoſitas haberent. De illo dubitari poteſt, an in alienas ancillas committatur. Et hoc crimen extra legis Juliæ pœnam eſt l. 6. ff. de adult. non tamen impunitum manet. Nam & extra ordinem de devirginata ancilla præſides cognoſcere ſolitos ait Ulpian. l. ult. ff. de Offic. præſid. & pro modo delicti animadvertere. Datur & eo nomine domino injuriarum, & legis Aquiliæ actio: illa quidem, cum maturæ vitium oblatum eſt l. 25. ff. de injur. hæc cum immatura, id eſt, nondum viripotens corrupta eſt l. ſi ſervus. §. ſi obviam ff. ad l. Aquil. Qui duas uxores eodem tempore ducit, is in ſecundam ſpeciem *ſtuprum* committere intelligitur, *ſtuprique* accuſari poteſt l. eum qui C. de adult. Nec enim jure Romano binas uxores eodem tempore in matrimonio habere licuit l. 2. C. de inceſt. nupt. quod Athenienſium legibus licuiſſe accepimus. Sed Romanis moribus hoc improbatum eſt: quibus non ei duntaxat, qui duas uxores eodem tempore duxerit, ſed & ei, qui vel bina duntaxat ſponſalia eodem tempore conſtituta habuerit, infamia irrogatur l. 1. de not. infam. niſi patris imperio coactus quis fuerit. Mulier vero ipſa, quæ alii devincto jam nuptiis, ſiquidem falſa exiſtimatione decepta nupſerit, nullam pœnam incurrit. Poſteriores certe nuptiæ primis manentibus vitiantur, *ſtuprique* accuſatio datur. Qui pupillam ſuam ab ejus patre, ſibi neque deponſatam, neque deſtinatam, nondum redditis rationibus, contra Sctum duxerit, *ſtupri* tenetur l. 7. ff. de adult. quoniam nec matrimonium eſt l. non eſt ff. de rit. nupt. Eademque ratione ſi quis in ea provincia, in qua adminiſtrat, vel aliquod officium gerit, uxorem duxerit, ejuſmodi conſuetudine *ſtuprum* committere intelligitur, cum nuptiæ non conſiſtant l. præfectus ff. de rit. nupt. l. 3. §. 1. de donat. int. vir. Itidemque liberos, qui concubinas parentum duxerint, tam irreligioſo matrimonio *ſtuprum* committere Imperator Alexander reſcripſit l. 4. C. de nupt. Poteſt & illud ex poſteriorum Imperatorum conſtitutionibus addi: ſi quis Judæus Chriſtianam mulierem in matrimonio habeat, adulterii loco hoc crimen vindicari. l. 5. C. de Jud. l. 2. C. T. de nupt. l. 5. C. T. de adult. Nec in virgine tantum, ſed & in puero admittitur. l. 34. ff. ad l. Jul. de adult. Eſt enim generale verbum, tantundemque apud nos valet, quantum apud Græcos φθορὰ l. 6. ff. eod. Sequitur igitur non in feminis tantum, ſed & in maribus vindicari lege Julia. Quod & ſcribit Juſtin. §. item lex Julia Inſtit. de publ. jud. Qua de re lex Scatinia ante lata erat. V. illam ſupr. in *Lex.* Hujus pœnam pecuniariam fuiſſe quidam exiſtimant ex eo quod Quintil. IV. 2: VII. 4. *ſtupratori* pœnam decem millium conſtitutam tradat. Sed exempla quædam capitali ſupplicio ob ingenuos adoleſcentes *ſtupratos* affectorum Suidas in Γάϊος Λαυτώριος, & Val. Max. VI. 1. memorant. Et Quintilianus potuit, ut in ſchola fit, exercitationis gratia hoc confingere, aut ex Græcorum legibus ſumere. Illam lege Julia abrogatam

fuiſſe

fuisse non existimo. Nam postea quoque ejus pœnam in utriusque ordinis viris exercuit Domitianus. Suet. c. 8. n. 11. Et Constantinus capite animadverti in pædicatores gravioribus exsecrationibus præcipit l. cum vir C. de adult. Igneis deinde pœnis hoc crimen vindicandum Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius constituere l. omnes C. T. de adult. Addidit & Justinianus, Zonara auctore, virilium amputationem. Inter liberas personas *stuprum*, adulteriumve passas lex Julia locum habet l. 6. ff. de adult. violata servorum connubia non vindicat l. 25. C. eod. quia nec nuptiæ inter serviles personas contrahuntur. *Sciens*, addit lex, *dolo malo*. Quæ ostendunt eum demum ex hac lege plecti, qui *dolo malo stuprum, adulteriumve commiserit*. Si igitur *dolus* absit, cessabit ejusdem pœna: *dolus* suspicionem quilibet facti error excludit. Proinde qui non animo adulterii, *stuprive* committendi honestæ matronæ, virginive vitium obtulerit, cum justa aliqua ratione ductus sine ullo *dolo* existimaret, in ea *stuprum* non committi, excusatur arg. l. igitur ff. de liber. caus. l. 3. §. is qui nescit ff. de lib. hom. exhib. ut ecce, si non ex lege, nec uti oportet, repudiatam mulierem insciens quis duxerit, quamvis ea adhuc in priori matrimonio esse videatur, tamen adulter non erit, quia sine affectu delinquendi, & dolo malo adulterium non committitur l. pen. de adult. Eademque ratione, qui meretricia veste indutas matronas *stupraverit*, vix est, ut lege Julia teneatur arg. l. item apud Labeonem §. si quis virgines ff. de injur. quoniam hac mente, & cogitatione non fuit, ut *stuprum*, vel adulterium faceret. Qui in lupanari cum aliena uxore fuerit deprehensus, hæc quæstio proponitur a Quintil. VII. 3. adulterii non tenetur. Hic enim meretrici se jungi justa ratione credidit, cum in eo loco, in quo prostitutæ sedere solent, matrona prostaret. Et longe hic error a *dolo*, & *sciente* abest, quorum utrumque lex Julia in hisce delictis exigit. *Brisson. ad Leg. Jul. de adult. p. 143....*

STY.

STYLUS fuit instrumentum, quo antiquitus in ceratis tabellis scribebant veteres. Plin. XXXIV. 14. *Stylo scribere institutum est, ut vetustissimi auctores prodiderunt.* Alterum ejus erat ad scribendum acuta, alteri ad delendum obtusi, qua, veluti transverso calamo inducebant, emendabantque obliterantes, si quæ minus ex sententia videbantur, ipsamque ceram denuo complanabant, sartam, uti prius, æquabilemque concinnantes ad novam scripturam supponendam, qua succedaneam, veteri, ac fugitiva illa expuncta. Inde *stylum* vertere est inducere, delere, expungere. Cicer. Verr. II. 41. *Vertit stylum in tabulis suis.* Horat. Sat. I. 10. 72.

Sæpe stylum vertas.

Ejus formam egregie expressit Prud. Peristeph. IX. 51.

Inde alii stimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur:
Et qua cæsi apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens invenitur area.

Hieron. ad Domnionem: *Stultus ego, qui me putaverim hæc absque philosophicis scire non posse, qui meliorem styli partem eam legerim, quæ deleret, quam quæ scriberet.* Fiebat ex ferro. Isidor. VI. 9. *Græci, & Thusci primum ferro in ceris scripserunt.* Prudentius modo laudatus. *Long. de Annul. c. 9. Hugo de prim. scrib. orig. c. 9. Pignor. de Serv. p.* 224. *Turneb. Adv.* XXIV. 24. *Salmas. Exerc. Plin p.* 735. *b. E. Guiland. Papyr. membr.* IV. 7. & 16. *Crinit. de Honest. Discipl.* XVII. 4. *Voss. Grammat.* I. 35. *Zimmerman. Floril. Philol. p.* 752. Legas & apud veterem interpretem Jobi c. 19. n. 24. *Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo?* Postea, quia σιδηροφορεῖν non liceret, quo gladii & pugiones vetabantur, graphiis ad vulnerandos alios abuti cœperunt. Propterea interdictus & graphii ferrei usus fuit. Quo pertinet illud ab Isidoro adductum: *Ceram ferro ne cædito.* Jussi autem pro graphio ferreo uti osseo. Unde T. Quinctius Atta in Satyra:

Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus osseo.

Charisius etiam Instit. Grammat. I. p. 40. Edit. Putsch. citat ex Varrone: *Osse scribebant.* Et illud ex Titinnio:

— *velim ego osse arare campum cereum.*

At postea iterum rediit usus ferrei *styli*. Hinc Mart. XIV. 21. laudatus supr. in *Graphiarium*. Voss. l. l.

SUA.

SUARII cum boariis, & pecuariis unum constituebant corpus, & cum bonis, hæredibus, posterisque suis, & universa agnatione muneri procurandæ carnis bubulæ, suillæ, & obsoniorum, quæ Imperatores, & fiscus plebi urbanæ, militibusque prætorianis ad quatuor millia pondo diurna elargiri solebant, certis per totum annum diebus præbitionis, quod *suaria functio*, & *suarium obsequium* dicitur l. 1. C. T. de suar. pec. & susc. vini. Obnoxii erant, eoque animalia apud Apulos, Lucanos, Bruttios, & Samnites, qui sues, & boves, ceu canonem prædiis, & patrimoniis impositum pendebant, conquisita ad Urbem transmittere vel acceptis a possessoribus, qui *suariam* recognoscebant, pro singulis porcinæ libris, pretiis, quæ usus publicæ conversationis per Campaniam attulisset, hoc est, secundum annonam fori, quam deprehenderint, ut loquitur Donatus in Terentii Phorm. suo periculo populo speciem porcinæ affatim præbere tenebantur: dicti etiam *porcinarii Urbis æternæ* l. 6. C. T. eodem, pervigilem laborem populi Romani commodis exhibentes, & ministerio Urbis semper invigilantes. *Reines. Inscript. Class. I. n. 105. Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 4.

SUAVIUM differatne a basio, & osculo V. supr. in *Osculum.*

Suavia valga sunt obtortiones oris ad derisionem. Plaut. Mil. II. I. 15.

Itaque hic meretrices labiis dum ductant eum
Majorem partem videas valgis suaviis.

Nam *suavium* est interdum conformatio oris, & labrorum ad *suaviandum*. Meretrices autem dum gloriosum militem ad osculandum labiis ductabant, & invitabant, per illusionem os obtorquebant, valgumque reddebant, eum ex animo non basiantes, atque ludificantes. Petron. c. 26. *Commovebat valgiter labra, & me tanquam furtivis subinde osculis verberabat.* Turneb. Adv. VII. 6. Ferrar. de Acclam. & Plaus. II. 19. Gonsal. & Erhard. in Petronium. Lambin. in Plautum. *Suavia* non pro suaviationibus, proinde ut vulgo solet, verum potius pro labiis ipsis accipi oportere ipsa sententia clamitat. Non igitur de valgiis inter basiandum militem a meretricum turba, per irrisum, & contumeliam conformatis; sed vero de posticis sannis intelligendum, sine basiatione: quibus fastidiosæ illæ, ac contemnificæ militem absentem, seu præsentem, sed aversum tamen, atque, ut fieri solet, a tergo ludos faciebant assidue. Quas quidem, sannas dico, oris obtortione lascivum morem adumbrare mos erat. Indidemque prior versus interpretandus. Proverbialiter aliud significare videtur mihi, quam quod ipse explicat comicus, *valgis suaviis*, hoc est, prave distorto ore militem subsannant scilicet, habentque miserum, ac gloriosum illum omnibus modis ludibrio, ac despicatui. *Dous. Præcid.* I. 12.

SUB.

SUBADJUVA erat adjutoris vicarius, sive adjutoris officii adjutor, appellatus quasi adjutorem adjuvans. Synes. Epist. 145. *Harpocration quidem est ex Heracliani satellitibus, ordinem habens, ut adjutori opituletur: nam dictio subadjuva hoc interpretari creditur.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 16. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 13.

II. 13. In officiis magistrorum militum a Notitia primiscrinius vocatur. *Pancirol. l. l.* Qui hoc quidem putat, sed primiscrinius ab adjutore, & *subadjuva* separatur l. 3. C. de divers. offic. Dabatur levandi laboris gratia, qui vel valetudine impedito, vel multitudine negotiorum obruto operam ferret. *Guther. l. l.* Græcis *subadjuvæ* dicunt οἱ ἀντίγραφοι, nunc contrarotularii, qui ex opposito ad majorem fidem acta transcribunt. *Hugo de prim. scrib. orig. c. 32. Laz. Comm. Rep. Rom.* II. 4.

SUBARMALE fuit sagulum crassum, quod *sub armis* induebatur, ut eorum duritiem minus corpus offenderet: sed profundo excepto tegumento mollius corpori insideret, & tolerabilius. Spartian. Sever. c. 6. *Quum Romam Severus venisset, prætorianos cum subarmalibus inermes sibi jussit occurrere.* Treb. Poll. Claud. c. 14. *Subarmale unum cum purpura Maura.* Vopisc. Aurel. c. 13. *Togam pictam, subarmale profundum.* Turneb. Adv. XVIII. 19. Summi viri sententiæ obstat, quod pacis, & pomparum hæc vestis erat. De Severo Herod. II. 13. §. 4. *Ipse edixit tum proponit, ut prætoriani relictis inter castra armis exeant pacatorum habitu, eoque cultu, quo procedere in pompam consuevissent sacris ante, aut diem festum celebrante Imperatore.* Qui & n. 5. πομπικὰς ἐσθῆτας appellat. *Subarmalia* itaque sunt saga, sive militares togæ, quæ *sub armis* fibulis annectebantur, vel *sub armos* rejiciebantur. Nam etsi ἐπινίκαι erant, ex parte tamen militarem habitum referebant. Favet huic sententiæ, quod istos inermes milites compellans Severus ait n. 17. *Militibus meis ita præcepi, ut recingant vos, ac vestimentis exutos militaribus, nudos que dimittant.* Etiam purpura fuisse ornata ducum *subarmalia* legimus. Quid etiam purpura opus, si eo tantum sumerentur, ut *sub armis* laterent. *Subarmale profundum* apud Vopisc. interpretor ποδῆρες, & infra genua demissum. *Casaub. in Spartianum. Salmas. in Trebellium.* Mihi tamen Turnebi sententia non displicet. Nec obstat eandem vestem etiam fuisse pomparum propriam. Nam cum prætoriani in comitatu Imperatoris armati incederent, in pompa per dies festos, ac ludos inermes procedebant; ut tamen a reliquis civibus discernerentur, *subarmale* tanquam vestem militarem retinebant. Fuisse enim id militare indumentum ex Herodiano fatetur Casaubonus. Nec aliud *subarmale* fuisse crediderim quam sagum, quod tamen more tunicæ induceretur, ut scilicet commode subjici armis posset: nam chlamys, quæ fibula nectebatur, cum brachia velaret, armis subjici non poterat. *Subarmali* interdum quidem purpura addebatur. Hoc tamen non in omnibus prætorianis, sed in ducibus usurpatum, quos etiam *subarmalibus* usos, & ad manipularium distinctionem purpura distincta credi par est: quæ minime obstant, cur armis non subjicerentur, & iis depositis gestarentur in pompa. Ita & commodior interpretatio erit, *subarmale profundum* fuisse crassum sagulum, ac densiori lana confectum, quo scilicet melius arma corpori insiderent, quam ποδῆρες, & infra genua demissum. *Ferrar. de Re Vest.* II. 3. 17. *Anal. de Re Vest. c.* 19.

SUBBASILICANI vocantur negotiatores, versantes, & deambulantes in *basilicis.* Plaut. Capt. IV. 2. 35.

Quorum odos subbasilicanos omnes abigit in forum.

Donat. de Urb. Rom. II. 27. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 4. Casaub. in Theoph. Character. p. 201.

SUBCONDITORES qui se sub jugum & currum conderent, si forte male juncti essent equi, accipit *Turneb. Adv.* XI. 11. Male. *Subconditor* est qui conditori paret, ut submulio, qui est sub mulione farraneo. *Buleng. de Circo c.* 44. Hi *conditorum* quasi vice fungebantur, & curam gerebant tam equorum, quam aurigarum. Lapis apud Gruter. p. 340. n. 3.

M. VIPSANIO. FULLONI. TENTORI
M. VIPSANIO. EROTI. AURIGATO-
RI M. VIPSANIO. MUGIONI. VIA-
RORI M. VIPSANIO. QUARTIN.
SUCCONDITORI M. VIPSANIUS.
RUFINUS. MEDICUS. FACT VENE-
TA. OLL. IIII. D. D

Gloss. vet. *Succonditor,* ἀλείπτης ἵππων. Is est, qui equorum morbis medebatur. Vipsanius hic medicus fuisse videtur ipsorum aurigarum Venetorum. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* * * 3. *vers.*

SUBHASTARI dicebatur, quod *sub hasta* vendebatur. Firmic. de Error. prof. relig. *Vendebatur Deus, ut prodesset emptori, & emptor suppliciter adorabat, quicquid paulo ante viderat subhastatum.* Salmas. Exerc. Plin. p. 112. a. E. *Subhastationes* in foro, uti & in Capitolio fieri sunt solitæ. Tertull. Apolog. c. 13. *Sic Capitolium, sic olitorium forum petitur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur.* Nardin. Rom. Vet. VII. 4.

SUBDUCERE navem dicebantur, qui illam machinis, & multitudinis manibus e mari in navale pertrahebant, ut sub tecto in sicco stantes non ita facile putrescerent, etiam ab injuriis tutæ. Hoc Græci ἐνεωλκεῖν appellant. Liv. XXII. 28. *Himilco, castris communitis, navibusque subductis, & vallo circumdatis per aubios, infestosque populos ad Asdrubalem pervenit.* Cæs. de Bell. civ. III. 23. *Naves reliquas, si vellet, subduci, & refici juberet.* Fiebat hoc præcipue hiberno tempore. Liv. XXVI. 45. *Cum jam hyems appeteret, fossa, valloque circumdatis naves subductæ.* Hirt. de Bell. Afric. c. 62. *Interim Varus classem, quam antea Uticæ hyemis gratia subduxerat, deducit.* Scheffer. de Milit. nav. III. 4. Turneb. Adv. XIV. 16. Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XII. p. 623. D.

SUBJECTA est pars illa basis ipsius catapultæ, quæ hæret solo, & machinam totam sustinet, quam in crucis formam compactam vides in catapulta Bruxellensi, cujus imaginem expressam habes apud Lips. Poliorc. I. dial. 2. *Turneb. Adv.* II. 4. *Bald. Lex. Vitruv.*

SUBIRE, & vocare sunt verba usitata in ludo tesserarum. Ovid. Art. Am. III. 355.

Et modo tres jactet numeros: modo cogitet, apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.

Eam enim lusus rationem apparet significari, qua quis jactis numeris in tesserarum ludo, unum ex eis sibi eligit, quo redeunte lucretur: unum *subit*, quo revertente perdat: *vocamus* enim quod evenire optamus: *subimus* quod ferre cogimur: ut alterum voti sit, alterum necessitatis. Sed ea conditio est, ut legamus eum numerum, quem potius rediturum putemus: eum *subeamus*, quem minus rediturum speremus: ut auguremur nobis potius lucrum, quam jacturam ominemur. Nam & in hac conjectura inest calliditas, suisque rationibus adversaria sit, quæ cum numerum, qui sæpius redit, *subire*, quam *vocare* mavult. *Turneb. Adv.* IV. 23: VI. 10. Hæc mea hac de re est sententia. In calculorum collatione hoc potissimum nobis constat, quod cum jam ad casum tesserarum calculi essent dati, vel collocati (dare enim calculos in hac palæstra proprium quasi artis vocabulum. V. supr. in *Dare.*) poterant iidem ad sequentem, vel alium alterum jactum iterum tolli, ac revocari, si nimirum jaciens male illum calculum collocasset, & propterea pœniteret, ita tamen, si hoc illi collusor concederet, hoc enim in arbitrio ludentium stabat. Ovidius pro *dare*, *subire* posuit. Apud illum enim *subire partem*, scilicet tabulæ, nihil est aliud quam dare, vel collocare calculum, sive repetere. *Senftleb. de Alea Vet. c.* 10. §. 13.

SUBLEGERE dicebantur, qui in locum demortui *legendo* aliquem substituebant. Varro de Ling. Lat. V. 7. *Collegæ, qui una lecti sunt: & qui in eorum locum suppositi, sublecti,* ὑποκαθεστηκότες. Id & Festus confirmat his verbis: *Reges legebant, sublegebantque quos in consilio publico haberent.* Intelligit de aucto senatu, cum ait *legebant*: cum vero *sublegebant*, de suffectis in demortuorum locum. *Bud. in Pandect. p.* 261. *A. Manut. de Senat. Roman. c.* 1.

SUBLICIUS pons. V. illum supr. in *Pons.*

SUBLIGACULUM erat fascia, qua subtus veteres ligabantur. *Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 316. in exercitationibus scenicis. Cicer. Offic. I. 35. *Scenicorum mos tantam*

tantam habet veteris disciplinæ verecundiam, ut in scena sine subligaculo prodeat nemo. Et in balneis. Hinc Chironem, qui minicoria in balneis contecta lavabat, verecundiæ notat Mart. III. 87. 3.

Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris:
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

Baccius de Therm. c. 12. Bayf. de Re Vest. c. 20.

SUBLUCARE *arbores, est ramos earum supputare, & velut subtus lucem mittere.* Gloss.: *Sublucо, ὑποκαθαίρω. August. ad Leg.* XII. *tab.* §. 42. *Dacer. in Festum.*

SUBOPTIO, qui dicitur in inscriptione, quæ Cerviæ ad templi portas apud Gruter. p. 529. n. 8.

M. AUREL
MACEDO
VET. NAT
DELM
EX. SUBOPT....

erat adjutoris adjutor, qui & *suboptio* dicebatur ea appellationis forma, qua *subpræfectum*, *subdominem*, *subcensorem*, *subcenturionem*, *subpromum*, *subcustodem*, aliosque dictos observamus. *Reines. Inscript. Class.* I. *n.* 3.

SUBMONITORES sunt postici quidam adjutores, qui omissa reddunt memoriæ agentium. His similes sunt, qui hodie sollicitatores vocantur, qui actum rerum diligentia procurant. Fortassis iidem qui ministratores. V. illos supr. in *Ministrator.* Suet. Aug. c. 54. n. 6. *Die senatus nunquam patres nisi in curia salutavit, & quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente.* Pollet. For. Rom. II. 2.

SUBPRÆFECTUS classis vocabatur, qui prætoris vices agebat, in labore perficiendo subveniebat. Vetus lapis in agro Piceno:

T. APPÆO. T. F. VEL
ALFINIO. SECUNDO
PROC. AUGUST. XX. HERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR.
PRÆF. VEHICUL. SUBPRÆF.
CLASSIS. PRÆT. SAVENN.

Alius in palatio Capranicensi apud Gruter. p. 493. n. 6.

PRÆF. CLASS. BRIT. ET. MOESIC.
ET. PANNONIC. PROC. ET. PRÆSIDI.
ALPIUM. SUBPRÆF. CLASS.
PRÆT. TRIB. LEG. XVI.

Elegans inscriptio, e qua apparet *subpræfectum* classis prætoriæ aliarum classium *præfectum* esse potuisse. Tanta erat classis illius auctoritas. *Scheffer. de Milit. nav.* IV. 5.

SUBPROCURATOR dictus est adjutor procuratoris. Inscriptio apud Gruter. p. 4. n. 4.

AVIANUS. AUG. LIB. SUBPROC.
AURARIARUM.

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 18. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 11.

SUBROSTRANI dicebantur, qui *sub rostris* in foro otiose versabantur, rumorum aucupes. Apparet hoc ex loco Varronis e satyra Mania: *Manius mane suscitat rostrum, subrostranis adfert, populum in forum condecet.* Cicer. Fam. VIII. 1. *Te a. d. Kalend. Jun. subrostrani dissiparant periisse.* Et hinc Horat. Sat. II. 6. 50.

Frigidus a rostris manat per compita rumor.

Turneb. Adv. XXIX. 20. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. n. 4. Casaub. ad Theophr. Char. I. p. 201.

SUBSCRIBENDARIUS vocabatur, qui erat a libellis, quia rescriptis ad libellos *subscribebat.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 18. & 143. Pignor. de Serv. p. 316. Buleng. de Imp. Rom. IV. 19.

SUBSCRIBERE Principes solebant suis edictis his verbis: proponitur amantissimo nostri populo Romano. Docet hoc Novell. Theod. & Valentin. de redd. jur. armor. in cujus extremo est: *Et manu divina; proponatur amantissimo nostri populo Romano. Et ad latus: Dat.* VIII. *Kal. Jul. Romæ Valentiniano, & Anatolio V. C. coss.* Et eorundem Novella de pret. solid. cujus novissima verba sunt hæc: *Et manu divina; proponatur amantissimo nostri populo Romano. Et ad latus: Dat.* XV. *Kalend. Februar. Romæ Valentiniano V. A. cos.* Brisson. de Formul. III. p. 324. Epistolis, quibus ad materias quæsitas respondebant, ut & omnibus diplomatibus, quæ illorum nomine vulgabantur. Hæc e Procop. Ἀνεκδότ. p. 28. *Ligneæ tabellæ perpolitæ formam quatuor literarum, quæ legi Latine possent, incidendam curant, eaque libello imposita, calamum colore imbutum, quo scribere mos est Imperatoribus, huic Principi tradebant in manum.* Loquitur de Justino, quem Imperium Romanum ἀναλφάβητον Principem primum habuit, cujus manum, cum subscribendum esset libellis, alius dirigebat, circumagebatque per quatuor literarum notas. *Borremans. Var. Lect. c.* 4. Lamprid. Alex. Sev. c. 31. *Alexander sua manu addebat, si quid addendum esset, sed ex ejus sententia, qui disertior habebatur.* Commodus hoc sæpe omisit. Lamprid. c. 13. *In subscribendo tardus, ac negligens, ita ut libellis una forma multis subscriberet; in epistolis autem plurimis, vale tantum scriberet.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 96. Brisson. de Form. III. p. 325. Et suam sententiam in catalogo eorum, quos judices damnaverant. Senec. de Clem. II. 1. *Animadversurus in latrones duos Burrhus præfectus tuus, exigebat a te, ut scriberes, in quos, & ex qua causa animadverti velles.* Ælian. Var. Hist. XIV. 43. & Suet. Ner. c. 10. n. 5. V. illos supr. in *Adnotare.* Guther. de Offic. dom. Aug. I. 35. Pitisc. in Suetonium.

SUBSCRIPTORES dicebantur patroni, qui secundo, tertio, & quarto loco causam agebant. Ascon. in Cicer. p. 33. *Subscriptores dicuntur, qui adjuvare accusatorem causidici solent.* Horum meminit Nep. Attic. c. 6. n. 3. *Neminem neque suo nomine, neque subscribens accusavit.* Ascon. in Cicer. p. 123. *Reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de majestate fecerunt, detulit nomen Publius, subscripsit Cajus.* Cicer. Divin. c. 15. *Quartum subscriptorem quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege oratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuicunque vos delationem dedissetis.* Sigon. de Judic. II. 9. Gentil. in Apul. Apol. p. 17. Pollet. For. Rom. II. 4. Rosin. Ant. Rom. IX. 19.

SUBSCRIPTUM libello crimen, quod objiciebatur, ad *scriptum* enim, ubi voce res peracta erat, veniebatur, relinquebatur. *Subscriptionem* libelli ita conceptam docet Ulpian. ff. de accusatoribus: *Si cui crimen objiciatur, precedere debet in crimen subscriptio: quæ res ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad accusationem, cum sciat inultam sibi accusationem non futuram: caveant itaque singuli, quod crimen objiciant.* Paullus: *Consul, & dies apud illum prætorem, L. Titius professus est, se Mæviam de lege Julia de adulteriis deferre, quod dicat eam cum C. Sejo, in civitate illa, domo illius, mense illo, consulibus illis adulterium commisisse.* Hinc Ascon. Cicer. p. 205. *Apud Considium quæstorem lege Plautia de vi, subscriptione eadem accusatus est, quod loca occupasset, & cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis.* Cicer. pro Clu. *In compluribus reis, quos contra leges pecunias accepisse subscriptum est.* Ex quibus intelligitur, accusatorem, & voce, & libello, omnia, & singula, quibus reus legem illam, quam nominasset, transgressus esset, esse complexum: ut in pecuniis repetundis, abstulisse, inique judicasse, supplicia de civibus Romanis sumpsisse, aut alia, quæ se probare adversus illum posse confideret. *Sigon. de Judic.* II. 10. V. & supr. in *Judicium centumvirale.*

SUBSCUDES sunt cuneatæ quædam tabellæ ligneæ, quibus immissis asseres, aut tigna compinguntur. Festus: *Subscudes tabellæ appellantur, quibus tabulæ inter se configuntur. Pacuvius: Nec ulla subscus cohibet compagem alvei.* Cato de Re rust. c. 18. *Coagmentis facito crassum digitis sex, subscudes iligneas adindito: eas ubi confixeris, clavis corneis occludito. Et ita sint compactæ subscudibus, & securiculis, ut compactura duorum digitorum habeat laxationem.* Turneb.

neo. Adv. xiv. 1. Bud. in Pandect. p. 165. G. Bald. Lex. Vitr. iv. Popm. de Instrum. fundi c. 11.

SUBSELLIUM est minus sella. Varr. de Ling. Lat. iv. 28. *Quod non plane erat sella, subsellium dictum*, μειώσει, & extenuatione τῦ *sub*. Qui, quod ait, *non plane erat sella*, spectare videtur formam, aut magnitudinem, vel structuram, cujus ratione infra *sellam* erat, ab eaque vincebatur. Sed ego locum quoque ipsum respiceretem, ubi sedes, præsertim curules, atque honestiores, in tribunali, vel suggestu, aut gradibus; cum *subsellia* inferius ponerentur. Quod igitur *sub sellis*, vel infra *sellas* locarentur, id sibi nomen fecisse *subsellia* haud inficete quis dixerit. Hinc *sedem inferiorem* appellare voluisse videtur Tacit. Annal. iv. 8. 3. *Consules sede vulgari per speciem mæstitiæ sedentes, honoris, locique admonuit.* Sic Græcis ὑφεδρία inferior sedes, aut consessus, quasi infra digniorem sedem, aut cathedram. *Subsellia* puto fuisse oblonga, & angusta, ac plurium promiscue capacia cum recl inatoriis ferme ad innixum dorsi. E ligno proprie fuisse autumem, ac mobilia; etsi quandoque fixa non negarim, ut hodie fit. Formam publicat Cels. vii. *Resupinus eo modo, quo in curatione ani figuratur: super subsellium, aut lectum collocandus esset.* Vides hic usum jacendi tam in *subsellio*, quam in lecto. Forte allusit Cicer. Fam. iii. 9. cum rem vocavit *longi subsellii*, multorum scilicet judicum, aut verius longa consultatione dignam. Neque aliter exponerem *longam cathedram* apud Juven. Sat. ix. 52. Plurium capax fuit. Hermas Pastor i. 3. *Cum vellem sedere ad dextram partem, non est passa, sed annuebat mihi manu, ut ad sinistram partem sederem.* Loquitur de *subsellio*. Sidon. Epist. i. 7. *In uno subsellii capite consedit.* Colligo etiam minori forma quædam fuisse, proinde ut ea, quæ nos hodie vocamus *sgabelli*, unius tantum capacia ex laudatis Cicerone & Juvenale, atque ex eo quod addidit Suet. Claud. c. 23. n. 6. *In curia medius inter consulum sellas tribunitio subsellio sedebat.* Quod si longum fuisset, fusæque sessionis, incommode potuisset statui inter consulum sellas, præsertim in tribunali. Quatuor illi pedes tribuit Hermas l. l. *Et quia super subsellium vidisti sedentem, fortis positio est: quoniam quatuor pedes habet subsellium, & fortiter stat.* A quatuor juvenibus tanquam magnæ molis fercim deinde in ea narratione amovetur. *Chimentel. de Honor. bisell. c. 21. Witell. contr. Merul. c. 22.*

Subsellia dicuntur loca equitum, aut gradus quatuordecim in theatro. Mart. v. 28. 2.

> *Bis septena tibi non sunt subsellia tanti.*

ii. 29. 1.

> *Rufe vides illum subsellia prima terentem.*

v. 8. 2.

> *Quo subsellia certiora fiunt,*
> *Et veros eques ordines recepit.*

Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. v. 10. Rader. in Martialem. Chimentel. de Honor. bisell. c. 22. Dicebantur etiam fori. V. supr. in *Fori*. Hoc nomine appellata putem; non quia lignea fuerint, ut olim sub Romanis vetustis, sed quoniam illic ponerentur *subsellia*. Vitruv. v. 9. *Gradus, ubi subsellia componantur*, suo scilicet ordine, ac metatione, prout baltei, præcinctiones, viæ, sedentiumque dignitas postulet. *Subsellia*, inquam, non cathedræ, aut sedes, quod multo operosius extitisset, & vix accommodatum spatio, & areæ gradus, si quis eas inferre in theatrum, & componere voluisset. At *subsellium* humilius, & angustius, ac minus impeditum, quod & perpetuo, vel ad longum tempus poterat lapideis gradibus aligi, plumbatione, ferrumine, ferreisque subscudibus. Aut, si forte reportabile illic esset, levioris operæ id erat, quam sellas toties inferre, ac referre. A spectatoribus sedes illatas omnino tur Buleng. de Circo c. 34. Fortasse nonnulli delicatiores fecerint; in universum, aliter sentio. Neque Juven. Sat. ix. 143. laudatus supr. in *Lecticarii*. de his spectaculorum gradibus agens, de gradu meæ sententiæ me dejicit. Concutit enim Nemesim adversus hominem cuti curandæ deditum, votaque concupientem tam desidis vitæ, suis ut pedibus nec itare in circum velit, nec sede ipsa moveri dum spectat. Si ignavissimum ergo tenebrionem, qualem describit Satyricus, peculiaris hæc cogitatio, ac cura tenebat sollicitum; recte consequitur, non populi morem, aut vulgarem consuetudinem fuisse. Ac per poeticam αὔξησιν licebat id quoque Juvenali aggerare. *Chimentel. de Honor. bisell. c. 22.* Ante ætatem Tarquinii Prisci nullas sedes, ubi populus sederet, in spectaculis fuisse autumat Dionysius; sed in tabulatis stantes spectasse, cum hastæ oblongæ scenis, ac tabulis ligneis impositæ essent, ad æstum, & pluviam, ut interpretor, arcendam umbraculis extructis. Ita ille iii. p. 200. *Tarquinius in circo tectas in ambitum extruxit cathedras. ante id enim tempus stantes spectabant in tabulatis, cum hastæ umbraculis, & scenis ligneis insiderent, & loca dividens in triginta tribus, singulis tribubus partem unam attribuit, ita ut quisque suo loco sedens spectaret.* Paullo aliter Liv. i. 35. V. illum supr. in *Circus maximus*. Hoc differunt Livius & Dionysius, quod ille ætate Scipionum populo in spectaculis data *subsellia*, hic cathedris populo a Tarquinio extructas ait; ille patribus, equitibusque divisa loca, hic triginta curiis attributas sedes. *Buleng. de Circo c. 32. Panvin. de Lud. Circ. i. 5.*

Subsellia judicibus, quoties prætori adessent, dabantur. Inde tum sæpe vox *subselliorum* pro ipsis judicibus, seu munere judicandi; sollenni hypallage qua locus, aut insignia honoris pro ipso honore, aut officio sumuntur. Cicer. Fam. xiii. 10. *Versatus in utrisque subselliis optima & fide, & fama*, hoc est, in judiciis tam privatis, quam publicis. Insignis & palmaris, atque observatione dignus locus est apud Suet. Ner. c. 17. n. 3. *Item ut litigatores pro patrociniis certam, justamque mercedem solverent; pro subselliis nullam omnino darent.* Indubitanter *subsellia* nihil aliud hic sunt quam judices. Patronis justam mercedem accipere fas fuit, neutiquam judicibus vendere sanctitatem officii, sive ne quid pro sententia lata eisdem judicibus solvatur, quando ex ærario publice constituta iis sit merces, *præbente ærario gratuita*. Subdit ibi Suetonius. *Chiment. de Honor. bisell. c. 22. P. Manut. in Ciceronem. A. Manut. Quæs. Epist. iii. 4. Donat. in Suetonium. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Pollet. For. Rom. i. 7.* Sed illos in *subselliis* rectorum refutat *Chimentellus*.

Subsellia in recitantium, aut docentium theatris fuerunt pensilia, ac portatilia, ad temporarios plerumque consessus. Nunc *scamna*, nunc *subsellia* vocat Sidon. Epist. ix. 14. *Quoque recitante crepitantis Athenæi subsellia cuneata quaterentur. . . . Officii magis nostri est auditoribus scamna componere.* Et *rhetorica sedilia* Epist. v. 10. *Rhetorica sedilia plausibili oratione frangentem socer adscivit.* Hunc cœtum audientium, ac totam auditorii caveam, *subsellia* dixerunt, præsertim poetæ. Juven. vii. 86.

> — *cum fregit subsellia versu.*

& n. 45. mox laudandus. Nobis *panche*, quæ & scamna, Græcis βάθρα, & σανίδες. In his auditoriis, aut theatris *subsellia* proprie fuere, quæ in medio, ac planitie locabantur, communi, & vulgari usui, sicut anabathra, quæ parieti infigebantur per gradus scansiles subeunda, nobis *palchi*. Orchestra in fronte ante suggestum dicentis; clarissimo scilicet loco, ubi cathedræ, aut sedes honestiorum dispositæ. Juven. Sat. vii. 45.

> *Nemo dabit Regum, quanti subsellia constent,*
> *Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,*
> *Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.*

Lips. Epist. ad Belg. ii. 48. Cresoll. Theatr. Rhetor. iii. 13. Voss. de Imitat. c. 7. Chimentel. de Honor. bisell. c. 23.

Subsellia etiam erant, ubi rei, accusatores, testes, & illi qui judicium spectabant, sedebant. Cicer. pro Q. Rosc. c. 13. *Et ne forte me frustra hoc pollicitum esse prædices, te te, inquam, Fanni, a tuis subselliis te testem suscitabo.* pro S. Rosc. c. 36. *Neque enim accusatore muto, neque teste quisquam utitur, qui de accusatoris subsellio surgit.* pro Clu. c. 21. *Itaque cum callidissime se dicere putaret, & cum illa*

illa verba graviſſima ex intimo artificio deprompſiſſet : Reſpicite, judices, hominum fortunas, reſpicite dubios, varioſque caſus, reſpicite C. Fabricii ſenectutem. Cum hoc reſpicite, ornandæ orationis cauſa, ſæpe dixiſſet, reſpexit ipſe. At C. Fabricius a ſubſelliis demiſſo capite diſceſſerat. Witell. contr. Merulam c. 22. Hæc a litigantibus ſolebant conduci, ad hoc, ut actores, ſeu accuſatores, & teſtes ipſi in pertractando judicio in illis ſederent. Horum fuerunt mancipes, qui ad mandatum jus dicturi pecunia ſua illa extruebant, eamque poſtea a litigatoribus repetebant. Ab hoc onere levari voluit litigantes Nero, & ſuppleri per ærarium publicum apud Suet. c. 17. n. 3. Ita etiam a recitatoribus conducebantur. *Pollet. For. Rom.* I. 7. *Donat. & Caſaub. in Suet. Ner. c.* 17. *n.* 3. In horum ſententiam ego tardus, & ceſpitans gradior. Quicquid in rhetorum exercitamentis, aut recitationibus ad captandos auditores factum fuerit, vix eſt, ut idem ſit ſtatuendum in judiciis magiſtratuum. Quid? in Urbe tot civium millibus habitata; tot convenarum ex Italia, ſubjectiſque provinciis quotidie affluentium concurſu florentiſſima, in tam multis rerum gerendarum occaſionibus, hoc eſt, meris cauſidicinæ nutriculis, fœcundiſque litium ſeminariis, quoties judicium exercendum, toties *ſubſellia*, aut ſcamna conducenda erant, atque in forum aſportanda? Vix illud factum crediderim ſuo Romanis pultiphagis, rudi, atque horrido ævo: nedum ubi cum amplitudine fortunæ, atque imperii nitore, populique immenſo numero cuncta in auguſtiorem faciem verterant. Potuit ſummum fieri, ut ſemel poſitis *ſubſelliis* ab ærario penſio quædam exigeretur a litigantibus pro eorundem ſtabilimento, aut conſervatione, & cuſtodia, quam penſionem juſſit remitti Nero. *Chimentel. de Honor. biſell. c.* 22.

Subſellia etiam fuerunt tribunorum. Suetonius mox laudandus. Aſcon. in Cicer. p. 34. laudatus ſupr. in *Quæſtores urbani.* Quod ad tribunos, triumviros, quæſtores attinet, recte ſenſit: ii enim non in ſellis curulibus, ſed in *ſubſelliis* conſidebant. Quod vero *ſubſellia* ſeparat a majoribus cauſis, & a ſellis curulibus, & tribunalibus, falſum exiſtimo; nam etſi magiſtratus ipſi non in *ſubſelliis*, verum in ſellis curulibus conſidebant: judices tamen, qui erant illis in conſilio, ſedebant in *ſubſelliis*. V. ſupr. in *Subſellia judicum.* Quod vero ait: *qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus conſidebant*, non ita accipio, quaſi qui in tribunalibus, ii non conſiderent in ſellis curulibus: nam prætor & tribunal habebat, & ſedebat in ſella curuli; ſed voluit oſtendere, non omnes, qui ſederent in ſella curuli, tribunal habere, ut ædiles curules: cum tamen qui tribunali, iidem curuli ſella uterentur, ut prætores. *Manut. Quæſt. Epiſt.* III. 4. *Tribunos* intellige non militares, aut conſulari poteſtate, ſed plebis, aut ærarios. In hiſce non exiguum honoris inſtar reſidebat, imo fulgor majeſtatis, & gloriæ ornamentum, quando illic Romanus Princeps publice incubare non dedignabatur. Suet. Claud. c. 23. n. 6. *De majori negotio acturus, in curia medius inter conſulum ſellas tribunitio ſubſellio ſedebat.* Dio LX. p. 675. C. *Medius conſulum in ſella curuli, vel in ſubſellio ſedens referebat.* De Claudio ſubdit Dio: *Poſt hæc ad conſuetam ſedem redibat, & illis*, conſulibus, *curules ponebantur.* Interdum ſcilicet in ſuo tribunali medius inter conſulum ſellas: interdum humiliori loco in *ſubſellio*, quoties referre debuiſſet ad ſenatum; atque idem factitabat, inquit Dio, *in aliis maximis rebus*, & ut Suetonius, *de majore negotio acturus.* Quod forte ob commoditatem factum, ut facilius ſe inferens Princeps in utriuſque aures conſulis inſuſurraret, & arcana conferret. Sed ſi Princeps poſt habitum colloquium *ad conſuetam ſedem redibat*, jam ea deceſſerat, ſive tribunal, ſive alius locus fuerit. Conjicio Principem tranſiſſe ad conſulum ſtationem, aut in tertio aliquo conſediſſe. Quod enim a colloquio, vel conſultatione conſulibus *ſellæ ponebantur*; argumentum eſt ſediſſe tunc conſuetis in ſedibus, ſed inferiori loco, vel potius ſtetiſſe: fruſtra iis alioqui redderentur mox ſedes. Sed & tribunitia poteſtas hic in mentem mihi venit, quippe ſacra, & inviolabilis, quam ideo tam avide affectarunt, jactaruntque inter titulos Romani Principes. Eadem puto de cauſa & Cæſari datum, *ut in tribunitiis ſubſelliis ſederet.* Dio XLII. p. 194. D. Ac ſimili forſitan *ſubſellio* tribunitio uſus Tiberius, de quo Suet. c. 17. n. 6. *Medius inter duos conſules cum Auguſto ſedit.* Chimentel. de Honor. biſell. c. 22.

SUBSESSÆ dicuntur doli hoſtium in inſidiis *ſubſidentium.* Serv. Æneid. XI. 268. *Hoſtium dolos ſubſeſſas vocamus.* Veget. II. 23. *Nihil periculoſius exiſtimant, quam ſi inconſulte inſequentes ab his, qui in ſubſeſſa fuerint, obſerventur.* Turneb. Adv. V. 8. Stewech. in Veget. III. 6. Salmaſ. de Re milit. Rom. c. 12. Mod. Epiſt. Novant. 39.

SUBSESSORES *vocantur, qui occiſuri aliquem deliteſcunt.* Serv. Æneid. V. 498. *qui inſidiis tauros interimunt.* XI. 268. Senec. Hippol. n. 51.

Tu præcipiti clamore feras
Subſeſſor ages.

Tralate dicuntur, qui clam domi *ſubſident*, & inſidiantur ad adulterium obeundum. Val. Max. VII. I. 5. *Nulli enim tunc ſubſeſſores aliorum matrimoniorum oculi metuebantur.* Virg. Æneid. XI. 268.

— devicta Aſia ſubſedit adulter.

quo ſignificat, *ſubſeſſorem* non defuiſſe Agamemnoni adulteriorum vindici, & Aſiæ victori. *Turneb. Adv.* V. 8. *Stewech. in Veget.* III. 6. *Mod. Epiſt. Novant.* 39.

SUBSIDIUM & *præſidium* ita differunt, ut hoc ſit quod ante ponitur, illud vero quod poſtponitur. Nam caſtella, & prætenturæ, ſtationeſque, quæ ante caſtra a ducibus ponebantur, *præſidia* appellabantur. Quæ copiæ ad auxilium reſervabantur poſt acies primas ſepoſitæ, *ſubſidii* nomine veniebant. Recte Feſtus: *Præſidium eſt, quod pro utilitate, & ſalute alicujus auxilii gratia præponitur. Subſidium, quod poſtpoſitum eſt ad ſubveniendum laborantibus.* In antiqua militiæ ordinatione *ſubſidia* ita ordinaria, ac legitima fuere, ut nulla unquam ſine his inſtrueretur acies, & certo quidem numero, qui ſemper idem obſervabatur. Iſque ordinandi modus permanſit, quamdiu per haſtatos, & principes, triarioſque inſtruendæ aciei ratio duravit. Ex acie triplici, quæ per hæc tria corpora inſtituebatur, præter primam, quæ ex haſtatis conſtitit, duæ ſequentes fuere *ſubſidiariæ.* Nam principum acies *ſubſidiaria* fuit haſtatorum, quæ poſt eos ordinabatur. Triariorum acies ſimiliter ad *ſubſidium* principum poſtremo loco ordinabatur. Atque hi proprie *ſubſidiarii* reliquorum duorum haſtatorum & principum fuere, & *κατ' ἐξοχὴν ſubſidiorum* appellatione cenſentur apud Livium. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Triarii dicti, quod in acie tertio ordine extremis ſubſidio deponebantur. Quod hi ſubſidebant, ab eo ſubſidium dictum, a quo Plautus:*

Agite nunc, ſubſidite omnes, quaſi ſolent triarii.

Conſediſſe dicit Liv. VIII. 8. *Triarii ſub vexillis conſidebant ſiniſtro crure porrecto. Conſidere* proprie dicuntur, qui cum pluribus *ſedent.* Non *ſediſſe* vel ipſo Livio auctore probabo, qui *genu* tantum *dextro innixos* fuiſſe dicit, cum exſpectarent ſignum ducis ad conſurgendum, & prælium capeſſendum. Sic enim ille paullo poſt: *Et triarii genu dextro innixi nutum conſulis ad conſurgendum exſpectabant.* Et hoc erat *ſubſidere*; non *conſidere*, nec *ſedere.* Nam quiſquis quocunque modo, & poſitura corporis, minorem ſe, & humiliorem facit ſtante, *ſubſidere* dicitur. *Salmaſ. de Re milit. Roman. c.* 12. *Subſidiorum* antiquæ, & novæ militiæ differentia hæc ſumma fuit. Quod in antiqua legitimæ, & ſollennes fuere *ſubſidiariæ* acies, nec aliter inſtructi exercitus ordinatio procedebat, niſi per *ſubſidiarias* acies. In nova acies inſtruebantur interdum cum *ſubſidiis*, interdum ſine his. Hæc eodem modo inſtruebantur, ut juſtæ, ac legitimæ acies; quinimo acies etiam nominabantur, & numerum etiam acierum augebant, ſi ex civibus, & legionariis Romanis inſtitutæ eſſent. Præterea hoc etiam differebant apud priſcam, & recentem ordinationem *ſubſidiariæ* acies, quod olim cedentibus prioris aciei militibus locum dabat recipiendi ſe:

ſequens *ſubſidiaria* acies per intervalla, quibus tum ordines inter ſe diſtabant. Poſteriorum temporum *ſubſidia* feſſis, & laborantibus ſubmittebantur, ut aut a tergo, aut a lateribus hoſtes vincendo occupatos adorirentur inopinantes. Procedente etiam tempore aliter comparata eſt ratio *ſubſidiorum. Lectiſſimos de equitibus, & peditibus, cum vicariis comitibus, ac tribunis habebat dux poſt aciem præparatos, alios circa cornua, alios circa medium, ac ſicubi hoſtis vehementius inſiſteret, ne rumperetur acies, provolarent ſubito, ac ſupplerent loca, additaque virtute inimicorum audaciam frangerent.* Veget. III. 17. qui adjicit: *optimam hanc eſſe rationem, & plurimum ad victoriam conferre.* Paria Onoſand. Strateg. c. 22. *Habeat & lectos milites dux, ſeorſim ab acie ſua conſtitutos, tanquam ad ſubſidium locatos, ut ad manum ſint, quos inducere poſſit ſubventuros parti exercitus laboranti, & fatigatæ.* Salmaſ. ibid. c. 13. Valtrin. de Re milit. Roman. V. 2.

Subſidium vocatur etiam locus, in quo navigia *ſubſidere* poſſunt, & ſtare, & ſuffugia habere. Tacit. Annal. IV. 67. 2. *Quoniam importuoſum mare, & vix modicis navigiis pauca ſubſidia.* Ita *ſubſidium* ſimile quiddam eſt portui, ac ſtationi, etſi minus. Hæc *ſubſidia* Græci videntur ὑφόρμους appellare. *Turneb. Adv.* III. 9.

SUBSIGNANI vocabantur milites, qui non ſub aquila, ſed *ſub ſignis* habebantur, a legionariis diſtinguebantur. Tacit. Hiſt. I. 70. 5. *Pœnino itinere ſubſignanum militem, & grave legionum agmen hibernis adhuc nivibus traduxit.* Turneb. Adv. III. 3. Stewech. in Veget. II. 3. *Subſignanus* miles, omnis qui ſub armis incedit, &. ordinatus ad agmen ſua *ſigna* ſequitur. Omnis enim exercitus, qui ordinatim incedebat, *ſub ſignis* ire, & eſſe dicebatur. *Salmaſ. de Re milit. Roman. c. 4.*

SUBSILES vocabantur lamellæ ſacris neceſſariæ. V. illas ſupr. in *Saliſubſulus.*

SUBSTILLUM eſt tempus, quod eſt inter ſerenum, & pluvium, cum minutim nempe rorat, priusquam pluvia incipiat, aut poſtquam deſiit. Feſtus. *Subſtillum antiqui appellabant tempus ante pluviam jam pæne uvidum, & poſt pluviam non perſiccum, quod jam ſtillaret, aut nondum desiſſet.* *Subſtillum* eſt proprie κατὰ σράγγα ῥέον, ut Græci vocant. Tertull. de Pall. c. 2. *Aut imbres ruunt, aut ſi qua miſſilia cum imbribus, dehinc ſubſtillum, & denuo ſudum.* Salmaſ. & Jun. in Tertullianum. Dacer. in Feſtum.

Subſtillum eſt morbus, cum urina *ſtillatim* cadit. Στραγγουρίαν & δυσουρίαν gloſſæ interpretantur. Gloſſ. Cyril. στραγγουρία, *ſubſtillatio.* Aliæ: *ſubſtillat*, στραγγουριᾷ. Cato de Re ruſt. c. 156. *Nunc de illis, quibus ægre lotium it, quibusque ſubſtillum eſt.* Salmaſ. in Tertull. de Pall. c. 2. Dacer. in Feſtum.

SUBSTITUTIO. V. illam ſupr. in *Hæres ſubſtitutus.*

SUBSTRUCTIO vocatur omne id quod in imo *ſtruitur*, & quod baſis ædificium totum ſuſtinet. Vitruv. V. 3. *Gradationes ab ſubſtructione fieri debent.* Liv. VI. 4. *Capitolium quoque ſaxo quadrato ſubſtructum eſt, opus vel in hac magnificentia Urbis ſuſpiciendum.* Ut plurimum de magnis ædificiis dicebatur: unde optimi auctores *inſanas ſubſtructiones* dixere, vaſtas nimium & enormes. Cicer. pro Mil. c. 20. *Quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones facile mille hominum verſabatur valentium.* Plin. XXXVI. 15. *Sed tunc ſenes aggeris vaſtum ſpatium, & ſubſtructiones inſanas Capitolii mirabantur.* Bald. Lex. Vitruv.

SUBUCULA quando interior viri tunica cœperit dici. V. ſupr. in *Intuſium.* De illa Horat. Epiſt. I. 1. 95.

— ſi forte ſubucula pexæ
Trita ſubeſt tunicæ.

Suet. Aug. c. 82. n. 1. *Hyeme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubucula muniebatur.* Gloſſ. Cyril. *Subucula*, ὑποδύτης, ὑποχίτων. Interpres vetus Bibliorum Lev. c. 8. n. 7. *Veſtivit pontificem ſubucula linea.* Manut. Quæſt. Epiſt. III. 2. Ferrar. de Re veſt. I. 3. 1. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 316. & in illum Salmuth p. 330. Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 410. in Lamprid. Anton. Diadum. c. 2. Pitiſc. in Suetonium. *Subuculam* primum, deinde tunicam, poſtremo togam viri induebantur. *Manut. l. c. Hotman. Antiq. Roman.* II. 17.

Subucula etiam fuit genus libi. Feſtus: *Subuculam Ælius Stilo, & Cloatius iisdem fere verbis demonſtrant vocari, quod ars detur, ex halica, & oleo, & melle.* Buleng. de Conviv. IV. 18.

in SUBVELIA dicebantur ædificia illa varia, quæ erant *ſub Velia*, quod erat altius Palatini faſtigium. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 12. n. 3.*

SUBVILLICUS dicebatur *villico* inferior ſervus. Inſcriptio antiqua:

HERMEROTI. VILLICO. SUO
LUPERCUS. SUBVILLICUS
HORTORUM. ANTONIANOR
BENEMERENTI. FECIT

Pignor. de Serv. p. 498.

SUBULA eſt inſtrumentum, quo corium calcei perforatur, & diſſectæ calceorum partes inter ſe apte componuntur, concinneque conſuuntur. *Voſſ. Lex. Etymol. Balduin. de Calc. c. 10.*

Subula eſt inſtrumentum ferreum, quo lapides excavantur, & poliuntur. Græce ὄρυγα vocant, ut ex Heſychio conſtat. *Voſſ. Lex. Etymol. Barthol. de Unicorn. c. 10.*

SUBULCUS erat ſervus, qui curabat ſues. Varr. de Re ruſt. I. 2. *Quotieſcunque haras ſubulcus purgat.* . . . . Mart. X. 98. 8.

Præſta de grege, ſordidaque villa
Tonſos, horridulos, rudes, puſillos
Hircoſi mihi filios ſubulci.

Pignor. de Serv. p. 538.

SUBULO vocatur compreſſor puerorum, diviſor, pædico, qui *ſubulæ* inſtar mares perforat, ut loquitur obſcœnus deus Priap. c. 77. n. 3. Lucill. apud Auſon. Epigr. LXIX. 8.

Lucillii vatis ſubulo, pullipremo.

Subula eſt per tranſlationem pars illa, quæ honeſte nominari non poteſt. *Turneb. Adv.* III. 19. *Scalig. Conject. in Varr. p. 60. Pius Annot poſter. c. 53. Voſſ. Lex. Etymol. Balduin. de Calc. c. 10.*

Subulo vocatur quoque tibicen. Feſtus: *Subulo Tuſce tibicen dicitur. Itaque Ennius:*

Subulo quondam marinas adſtabat plagas.

Sed Varro, qui eadem hæc de *ſubulone*, paullo aliter legit hunc verſum de Ling. Lat. VI. 3. *Apud Ennium*

Subulo finitimas propter adſtabat aquas.

Subulo dictus, quod ita dicunt tibicines Tuſci, quocirca radices ejus in Etruria, non Latio quærendum eſt. Voſſ. Lex. Etymol. Barthol. de Tib. vet. III. 1. Turneb. Adv. XIV. 1. XXIII. 16. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. XVIII. 13. Dacer. in Feſtum. Scalig. Conject. Varron. p. 121. Columna in Ennium. p. 186.

SUBURBANUM Martialis Donatus exiſtimat fuiſſe extra portam Salariam, non longe a ſacello Quirini. Fundus ei hujus opinionis Martialis laudatus ſupr. in *Prædium.* Verum omiſſa illa controverſia, utrum ſacellum Quirini extra Urbem fuerit, an intra portam, quod a Feſto non exprimitur, qui illud tantummodo *proxime eam* fuiſſe dicit, Martialis primo tantum verſu de *ſuburbano* loquitur; altero vero de ſuis ædibus, quas voce lares nimis quam aperte denotat. Hæ autem Quirino vicinæ fuere. Non negaverim tamen in verſibus proxime præcedentibus eum indicare, ſuburbanum non minus, quam ipſas ædes editiore loco fuiſſe:

— nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi, quando dies meus eſt, jactamur in alto
Urbis, & in ſterili vita labore perit.
Dura ſuburbani. . . .

Verum quo celſiore Romani agri ſitu id fuerit, non explicat. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7.

Suburbanum Phaontis liberti Neronis, in quo Nero, qui ibi latens diverterat, se occidit, vitamque finiit inter viam Nomentanam, & Salariam, ad quartum milliare, paullum ultra S. Agnetis ædem, ac pontem Nomentanum, hodie della Mentana appellatum. Suetonium V. sup. in *Castra Prætoria.* Ibi nunc Serpentini Marchionis Spadæ villa est. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 4. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. p. 246. C. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 25. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 19. §. 3. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. p. 45. *Schott. Urb. Rom. Descript.* p. 431. & 436.

Suburbanum Phyllidis, nutricis Domitiani fuit in via Latina. Suet. Dom. c. 17. n. 6. *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funeravit.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 151. D. Aring. Rom. Subterr. IV. 2. 3.

SUBURBIA Romæ fuerunt multa, magna, & in tam porrecta longitudinem, ut Urbs immensa quodammodo, & infinita videretur esse; & quod proprium est infinitæ rei, nec medium habere, nec finem. Dionys. l. IV. p. 219. *Sed omnia sunt circa Urbem habitata loca multa & magna, aperta, neque muris cincta. Et siquidem hæc unus aliquis videns, voluerit magnitudinem Romæ inquirere, cogetur falli, neque certum habebit signum, quo dignoscat, quousque processerit, & unde Urbs incipiat, ac desinat. Ita attexta sunt Urbi suburbana domorum spatia, & in infinitum productæ Urbis opinionem spectantibus præbent.* Aristides Rhetor, qui sub Hadriano vixit, cum Urbs in summo flore, comparat eam in Urbis encomio non inepte cum Homerica nive: *quæ excelsorum montium juga operit, & agros tegit, ac pinguia virorum culta. Descendit etiam ac porrigitur ad mare ipsum. In quacunque autem ejus parte quis steterit, nullum est impedimentum, quo minus pariter in medio sit.* Lipf. Admir. I. 1. Donat. de Urb. Rom. I. 16. Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 51. Quousque hisce Urbs producta fuerit, cum cura examinant *Lipsius, Donatus, Nardin. Rom. Vet.* I. 8. & *Vol. ac Magni. Urb. Rom.* c. 5.

SUBURRA fuit in tertia nobilissimo regionis secundæ, quæ Cœlimontana appellatur, vicos. *Suburra* antiquorum incipiebat ab eo loco, ubi hodie templum cernitur D. Petri, & Marcellini; totamque illam planitiem inter Cœlium, & Esquilias dispositam ad amphitheatrum Titi finiebatur. *Barach. Antiq. Urb. Fac.* c. 4. §. 1. *Nardin. Rom. Vet.* II. 3: III. 6. *Bulor. Fragm. vest. vet. Rom. tab.* VI. Hanc veterem inter Cœlium, & Palatium collocat *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. p. 275. F. sed a Nardino confutatur. Hodiernam, quæ secundam inter Quirinalis, & Viminalis longo tractu procurrit, antiquorum *Suburram* fuisse arbitratur *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. Sed illum labi satis fuse nos docet, quem dixi, *Nardinus.* Fuit una celeberrimis, & celeberrimis Urbis partibus. Unde Umbricium ita loquentem inducit Juven. Sat. III. 5.

—— *Ego vel Prochytam præpono Suburræ.*

Quare, ut in locis amœnis, & frequentibus, meretricum ibi magna fuit copia. Victor: *Lupariæ in Suburra.* Mart. XI. 62. 2.

Summœnianis inquinatior buccis,
Quam cum fenestra vidit e Suburrana
Obscena nudum lena fornicem clausit.

VI. 66. 1:

Famæ non nimium bonæ puellam,
Quales in media sedent Suburra,
Vendebat modo præco Gellianus.

Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. I. 13. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 20. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III p. 340. F. Nardin. ibid. III. 6. Donat. l. l. Laurent. de Adult. c. 3. Turneb. Adv. XIV. 9. Kipping. Antiq. Roman. II. 4. §. 8. Brisson. de Jur. Connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1067. B. Barth. Adv. XLI. 15. Merces rure venales exponebantur, puta, olivæ, poma, aliaque edulia. Mart. VII. 30. 9.

Quicquid villicus Umber, aut colonus,
Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt,
Aut rus marmore tertio notatum:
Id tota mihi nascitur Suburra.

X. 94. 5.

Hæc igitur, media quæ sunt mihi nata Suburra,
Mittimus autumni cerea poma tibi.

Et tonsores suas tabernas habebant, ut & tortores, & ipse carnifex habitabat. Mart. II. 17. 1.

Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum.

Donat. Kipping. Nardin. & Demster. l. l.

SUBURRANA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

SUBURRANENSES vocabantur, qui ad *Suburram* habitabant. Festus: V. illum supr. in *Equus October.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 270. C. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5.

SUC.

SUCCESSIT & *vicit*, id est, secundo loco missus est in circo, & tamen vicit. V. supr. in *Eripuit & vicit.*

SUCCULA vocatur machina tractoria inter chelonia versatilis, circum quam ductarius funis obvolvitur: cujus ope, trajectis per foramina vectibus, prelum tenditur, vel subducitur, & trabes attolluntur. Cato de Re rust. c. 18. *Succula præter canales P.* IX. Turneb. Adv. VII. 25: VIII. 6. Popm. de Instrum. fund. c. 11.

SUD.

SUDARIUM est linteolum, quo manantem sudorem, aliosque superfluos humores naribus, oculis, ore effluentes tergebant. Quintil. V. 3. *Quum reus agente in eum Calvo candido frontem sudario detergeret.* Suet. Ner. c. 25. n. 7. *Qui moveret, sudarium ad os applicaret.* c. 48. n. 1. *Ante faciem obtecto sudario, equum inscendit.* Ferrar. Anal. de Re vest. c. 16. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. §. 17. Casaub. & Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 48.

Sudarium appellatur etiam operimentum linteum capitis hominis demortui. Hujus est mentio Joh. c. 11. n. 44. Cum enim narratur resurrectio Lazari e sepulcro prodeuntis, dicitur *fuisse ligatus manus, & pedes instit(is), & faciem ejus sudario fuisse ligatam.* Et c. 20. n. 7. cum narratur Apostolorum adventus ad monumentum Christi, nominatim annotatur, *sudarium, quod fuerat super tumulati caput, repertum esse, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.* Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. §. 17. Aring. Rom. Subterr. I. 24. 9. & 20. Salmas. Exerc. Plin. p. 652. b. D.

SUDATORIUM fuit locus in balneis. V. supr. in *Caldarium.*

SUDES junioribus, qui ad palum exercebantur, pro gladiis ligneis, sive clavis erant. Veget. II. 23. *Ad palum quoque vel sudibus* (ita distinctum scriptum est in libro M. & H. quibus & alter Susii accessit, pro *sudes*) *juniores exerceri percommodum est.* V. supr. in *Palaria.* Stewech. in Vegetium. In prælio contra bestias, vallisque castrorum defendendis *sudibus*, & quidem præustis Romani milites sunt usi. Liv. XXVI. 51. *Sudibus inter se in modum justæ pugnæ concurrerunt.* Prop. IV. 1. 27.

Nec rudis infestis miles radiabat in armis,
Miscebant usta prælia nuda sude.

Virg. Æneid. VII. 523.

Direxere acies: non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis.

Lipf. Poliorc. IV. dial. 4. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. X. 10. Cerda in Virgilium, Stewech. in Vegetium. Præacutas in flumine defigebant contra ingressum hostium. Cæs. de Bell. Gall. V. 18. *Ripa erat acutis sudibus præfixis munita:*

munita: ejusdemque generis sub aqua defixæ sudes flumine tegebantur. Beda, qui anno Christi 1000. vixit, plumbum circumfundit, gravitati, ut videtur, & ponderi, & illarum vestigia sua ætate superfuisse scribit I. 2. *Ripam fluminis, ac totum sub aqua vadum acutissimis sudibus præstruxerat: quarum vestigia sudium ibidem usque hodie visuntur, & videtur inspectantibus, quod singulæ earum ad modum humani femoris grossæ, & circumfusæ plumbo, immobiliter hæreant in profundum fluminis infixæ.* Levis mihi suspicio, an non in Cæsare sit legendum, *plumbo tegebantur. Flumine* enim *tectas* quis nescit, si *sub aqua*, quod præivit? Deinde, unde hoc hauserit Beda, si non a Cæsare? *Lipf. Poliorcet.* v. *dial.* 3.

SUDIFIXIO dici posset tormenti genus, quo nudum hominem erecto, & acuto stipiti infigebant. V. supr. in *Crux simplex.*

SUF.

SUFFIBULUM dicebatur pontificum prætexta, ut & Vestalium palla. Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Opeconsiva dies ab dea Opeconsiva, cujus in regia sacrarium: quod ideo actum, ut eo præter virgines Vestales, & sacerdotem publicum introeat nemo: is cum eat, suffibulum haud habebat truum.* Ruben. Re Vest. II: 14. Choul Relig. Roman. p. 196. Nihil de palla, nihil de prætexta Varro. Imo sacerdos haud habebat *suffibulum*, si vera Rubenii lectio. Sed ille corruptum locum adducit; nam in vulgatis legitur: *haud habeat suffibulum, scriptum,* hoc est, hoc in lege scriptum erat, ne haberet *suffibulum*, ut recte censet Scaliger, quem Popma etiam sequitur. Vox enim *truum* nihili est, & a correctorum audacia. Neque *suffibulum* fuit subligaculum oblongum, ut credit Popma: hæc enim vox tantum de campestri accipitur, sive panno, quo ad velandas partes inferiores athletæ, cætera nudi, utebantur. Non fuit toga prætexta, aut palla; sed capitis velamen, quod fibula infrenabatur, ne caderet. Festus: *Suffibulum est vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite virgines Vestales, cum sacrificant, semper habere solent: idque fibula comprehenditur.* Ferrar. Anal. de Re vest. c. 46. Guther. de vet. jur. pont. I. 29. Stuck. Antiq. Conviv. II. 26. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 564. Blond. Triumph. I. p. 15. D.

SUFFIMENTA *dicebant, quæ ex faba faciebant, milioque molito, mulso sparso: ea diis dabantur eo tempore, quo uvæ calcatæ prelo premebantur.* Festus. *Stuck. de Sacrif. p.* 210. *Guther. de vet. jur. pont.* III. 19. *Turneb. in Cicer. de Leg.* I. *p.* 49.

SUFFITIO dicebatur genus purgationis, quo a funere domum reversi ignem supergrediebantur, atque ita se purgabant. Festus: *Funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua adspersi: quod purgationis genus vocabant suffitionem.* Meurs. de Funer. c. 28.

SUFFLAMEN est instrumentum, quo impetus rotæ decurrentis reprimitur. Juven. Sat. VIII. 148.

Ipse rotam adstringit multo sufflamine consul.

Et qui ejusmodi impedimentum rotæ injiciebat, *sufflaminare* illam dicebatur. Senec. extrem. Apocoloc. *Aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam. Sufflamen, & sufflaminare* ad rotas, easque adstringendas, & impediendas a circumactione spectasse docet uterque. Ut mirari satis nequeam Salmasium, qui Epist. de Cruce p. 414. accepit de furca temonis potius, cum hæc tamen nihil pertinuerit ad rotas. Rotas *sufflaminare* plerumque solebant, cum ex editiore loco descendendum esset ad depressiorem. Tum enim metus erat, ne rota nimio cursu circumacta, vel in jumenta faceret impetum, vel vehiculum ipsum subverteret. Hinc jocus Augusti in Haterium, cujus meminit Senec. Controv. procem. IV. meminit etiam Hieron. Epist. ad Pammachum. *Tanta erat Haterio velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque D. Augustus optime dixit: Haterius noster sufflaminandus est, adeo non currere, sed decurrere videbatur.* Bene *non currere*, quia fit in plano, & cum justo temperamento; sed *decurrere*, quia fit ex superiore loco ad inferiorem, & propterea cum immodica præcipitatione, ob quam *sufflamen* adhibendum. Græcis est ἀγκύριον ἁμάξης, vel τροχῶν. Philoxenus: *Sufflamen,* τροχῶν ἀγκύριον. Solebat fieri ex ferro. Scholiastes ad Juven. l. l. *Sufflamen, vinculum ferreum, quod inter radios mittitur, dum clivum descendere cœperit rheda, ne celeres rotæ sequantur, & animalia vexent.* Lubin. l. l. putavit catenam fuisse. Ita namque ait: *Rotam sufflamine stringere, est catenam rotæ injicere.* Et huc facere videtur, quod appellat *vinculum* Scholiastes. Mea sententia fuerit catena non simplex, sed uncata, sive talis, quæ in capite haberet uncum ferreum, qui injectus radio rotam non sinebat circuire. Ἀγκύριον enim significat quid curvum, & uncatum. Lignum fuisse existimat Voss. Lex. Etymol. Sic enim ille: *Dicitur sufflamen de ligno.* . . . . Nempe aliquando lignum quoque, sive fustem inter radios rotarum immittebant, ut earum sisterent circumactionem. Eustath. Odyss. Ψ. p. 810. *Vocant epochlon lignum, quod per rotas trajicitur, cum ad decliva loca ventum est, vetans eas decurrere per præcipitia cum detrimento jugalium.* Scheffer. de Re vehic. I. 15. Rhodig. Antiq. Lect. IX. 10.

SUFFRAGATORES dicuntur viri primates in Comitatu, qui cum gratia apud Principem multum valeant, clientibus suis, & humilioris fortunæ hominibus ad aliquid a Principe impetrandum *suffragationem* suam commodant. Hi a Græcis προσήγοροι, & συνήγοροι dicuntur, ut docet Suidas. Pæne iidem sunt qui patroni. Senec. de Brev. vit. c. 17. *Candidati laborare desivimus; suffragatores incipimus.* Ammian. XXIX. 3. *Cujus suffragatori id petenti responderat.* Ambros. ad Roman. c. 1. *Ad Deum, quem utique nihil latet, promerendum suffragatore non opus est.* Vales. in Ammianum. Etiam illi, qui *suffragio* suo in petitione honoris aliquem juvabant, Græcis ψηφοφόροι. Cicer. pro Mur. c. 7. *Tua nobilitas.... populo, & suffragatoribus est obscurior.* Suet. Cæs. 73. 2. *Caji Memmii etiam suffragator in petitione consulatus fuit.* Beger. Spicil. Antiq. III. 12.

SUFFRAGIA quomodo ferrentur, in tanta rerum antiquarum obscuritate, *suffragandi* usu non solum intermisso, verum etiam penitus amisso, post tot secula manifestum non est. *Manut. de Legib. c.* 37. Et de *suffragiis* multa essent dicenda, quæ nos plane ignoramus. Nam neque id veteres scripserunt, quod suis temporibus res nemini esset incognita: neque nos colligere omnia potuimus, quas literis singuli mandarunt. *Augustin. de Legib. c.* 14. Caruerunt *suffragio* I. Pueri, quia consentaneum non videtur, qui ante XVII. annum in legione non meruerint, eos in tribu *suffragium* pertulisse. II. Sexagenarii. Festus, Nonius. V. illos supr. in *Depontani senes.* III. Ærarii, sive qui a censoribus notæ causa in ærariorum numerum erant relati. V. supr. in *Ærarius.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 17. *Suffragii* vero ferendi jus habebant omnes cives, qui in tribus Romanas descripti erant. Liv. XXXVIII. 36. *De Formianis, Fundanisque municipibus, & Arpinatibus C. Valerius Tappo tribunus plebis promulgavit, ut iis suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerunt civitatem) esset. Huic rogationi quatuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, quum intercederent, edocti, populi esse, non senatus jus, suffragium, quibus velit impartiri, destiterunt incepto. Rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani & Fundani; in Cornelia Arpinates ferrent: atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiscito censi sunt.* Illi enim cives tantum censeri solebant, qui suas quasdam haberent tribus. Nam qui jus *suffragii* non habebant, honoris potius causa cives erant, quemadmodum de Cæritibus scribit Gell. XVI. 13. V. illum supr. in *Caerites*, quam ut onus aliquod civitatis ferrent. Etiamsi tribu moti essent, factique ærarii a censoribus, aut publico judicio; modo ne simul notæ causa in Cæritum tabulas relati essent. *Tribu* enim *movere nihil aliud est, quam mutare jubere tribum*, ut docet Liv. XLV. 15. At qui in tabulas Cæritum referebantur, jure *suffragii* privabantur,

ut

ut docent Gell. l. l. & Ascon. in Cicer. p. 20. V. illos supr. in *Cerites tabulæ*. Gruch. de Comit. II. 3. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 29. E. Panvin. Imper. Rom. c. 5. Præcones centurias, & classes ad *suffragium* ferendum vocabant. Magistratus populum in suas centurias discedere jubebat: Et omnes, qui aderant, quibus *suffragii* jus erat, discedebant in suas quisque centurias, ut, quo ordine rogarentur, *suffragium* dicerent. Locus, in quo centuriæ ad *suffragium* vocabantur, erat prope tribunal ejus, qui comitia habebat. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 53. Hæ, ut quæque vocabantur a consule, ex locis suis migrare sunt solitæ, ut propius ad tribunal consulis accederent in locum cancellis undique clausum: in quo cum essent, *suffragium* dicebant, ita ut interim non liceret aliis in eo loco esse. Hoc fiebat, cum voce *suffragium* ferebatur: id postea fuisse immutatum, nec verisimile est, nec usquam scriptum reperitur. Quin etiam contra reperimus, post leges tabellarias locum in campo Martio cancellis clausum, in quo essent, qui *suffragium* dicebant, quo aliis interim ingredi non liceret. Plutarch. in Mario p. 408. B. scribit, Marium in petitione præturæ ambitus suspicionem dedisse, quod sui cujusdam amici servus intra cancellos visus fuisset, dum populus suffragium dicebat. Locus ille appellabatur *ovile*, & de hoc *ovili* intelligo *septa*, quibus, cum *suffragium* diceret, populus includebatur. V. illa supr. suis locis. *Gruch. ibid.* I. 4. Suum ergo quæque tribus locum in campo primum occupabant: ex quo loco cum *suffragium* dicendum erat, centuriæ ut quæque citabantur, migrabant: cumque in ingressu ovilis erant, illic reperiebant pontes. V. illos supr. in *Pons*, in quibus erant diribitores. V. illos supr. in *Diribitores*, qui ministrabant tabellas. V. illas infr. in *Tabella*, quibus acceptis statim ingredientibus in ovile rogatores V. illos supr. in *Rogatores*, proponebant cistam V. illam supr. in *Sitella*, in quam conjicerent eam, quam vellent, tabellam. Nam ita potius fieri, quam exspectari, dum tota centuria in septa esset ingressa, ut postea colligerentur *suffragia*, hac ratione adducor, quod longum admodum fuisset exspectare, dum tota centuria per angustos illos pontes in ovile ingressa esset, antequam colligere *suffragia* rogator inciperet. At Cicer. Phil. II. dicit quam citissime ista fieri. De comitiis enim centuriatis, quibus Dolabella consul factus est, scribit omnia citius facta esse quam dixit. Quæ sane ut vera sint, necesse est, ea ratione centurias *suffragium* dixisse, quæ quam brevissima esset. Atque id multo brevius est, singulos, simul dum per pontes introeant in septa, tabellam in cistam conjicere, quam exspectare, dum omnes ejusdem centuriæ ingressi sint, ut rursus omnem centuriam percurras ad *suffragia* singulorum colligenda. *Gruch. ibid.* I. 4. A custodibus, V. illos supr. in *Custos*, solebant describi in tabellis sibi ad ipsum datis. *Suffragia* autem describere, erat tot puncta V. illa supr. in *Puncta*. in tabella notare, quot tabellæ similes reperirentur, ut inito tandem numero ea centuriæ sententia renuntiaretur, quæ plures habere similes tabellas ex numero punctorum perspiceretur. In legibus quidem ferendis si plures reperirentur tabellæ, in quibus scriptum est *uti rogas*, pauciores, in quibus scriptum esset *antiquo*, tum ab ea centuria legem juberi renuntiabatur. Contra vero legem a centuria non accipi pronuntiabatur, si plures scriptum haberent *antiquo*. At si forte pares numero tabellæ in utramque partem reperirentur, ejus centuriæ nulla renuntiabatur sententia, nisi lex esset, quæ de perduellione ferretur. In favorem enim reorum, absolvisse censebatur centuria, quæ non condemnarat. Itaque si pares essent reliquæ centuriæ, accipientium legem, & vetantium, hæc accessione ad vetantes centurias legem antiquabat, adeo ut reus absolveretur. Scribit enim Dionys. VII. p. 469. lege cautum fuisse, ut æqualitate *suffragiorum* reus absolutus judicaretur. In magistratuum creatione numerus inibatur tabellarum, quæ idem nomen continerent. Cujus enim candidati nomen plures tabellæ comperiebantur continere, is ab ea centuria consul, prætor, censorve factus renuntiabatur. Sin paria suffragia tulisse omnes candidati reperirentur, nullus renuntiabatur: exspectandaque erant reliquarum centuriarum *suffragia*. Gruch. & Panvin. l. l. Manut. ibid. c. 37. Blond. Triumph. Rom. III. p. 79. B. Hoc autem *dirimere suffragia*, & *diremptio suffragiorum* dicebatur: itaque habent vetera exemplaria. Varro. V. illum infr. in *Villa publica*. Quod aperte declarat Lucan. v. 393.

Et non admissa dirimit suffragia plebis.

Cicer. Fratr. III. 4. *Is diremptis tabellis de circulo se subduxit.* Ita lego, non, ut vulgo legitur, & ut habent libri quoque veteres, *diruptis*. Manut. l. l. *Suffragii* formula, cum rogatio accipiebatur, quænam fuerit, V. sup. in *Formula*. *Suffragiorum* jus imminuit aliquantum Cæsar dictaturam perpetuam consecutus. Ille enim, ut inquit Suet. c. 41. n. 2. *Comitia cum populo partitus est: ut exceptis consulatus petitoribus, de cætero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur: pro parte altera, quos ipse edidisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi: Cæsar dictator illi tribui. Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio dignitatem suam obtineant.* Sigon. l. l.

SUFFRINGERE ossa carnifices solebant pendentibus in cruce, si supplicii finis longius protraheretur. V. supr. in *Ossa*.

SUG.

SUGGESTIO est species consultationis, quæ fit vel a judice, vel ab advocatis, vel a parte. Prima proprie fiebat, cum diversis legibus ex utraque parte prolatis, quæ pugnare viderentur, Imperator consulebatur l. 5. C. de bon. quæ liber. Aut cum de novo jure, quod inveterato usu non adhuc stabilitum est, dubitatio emergeret. Tunc enim est necessaria *suggestio* judicantis, & Principis auctoritas l. 10. C. de legib. *Suggestio* est & minorum, & majorum judicum, ad Principem, vel præfectum prætorio l. 34. C. de Appellat. Sic Lupus consularis Campaniæ amplissimæ prætorianæ sedi statuta a se, & definita *suggessit*. Symm. Epist. x. 53. Advocationis Illyricianæ *suggestio* a Justiniano memoratur, qui familiæ significationem dubiam illis explicavit l. 5. C. de verb. signif. Pars Principi *suggerit*, cum ab eo rescriptum impetrat l. 1. C. ut lit. pendent. Qui & ipse humanitate *suggerente* multa decernit, & consultationes, & *suggestiones* in commune florentissimorum sacri palatii procerum auditorium introducto negotio Princeps examinat. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 28.

Suggestio pontificum fuit oratio illa, quæ ex loco superiore habebatur: ut cum in curia Calabra Junonem novellam pontifex calabat. Pro illorum monitu posterioris ævi scriptores usurparunt. Vopisc. Aurel. c. 19. *Referimus ad vos P. C. pontificum suggestionem.* Guther. de Vet. jur. pontif. I. 24.

SUGGESTUS fuit locus editior in campo Martio, vel alibi, in quo concionari omnibus magistratibus pro ea, quam habebant, potestate licebat: privatis, nisi concionem, id est, concionandi potestatem a magistratu aliquo accepissent, non licebat. *Manut. de Legib. c.* 35.

Suggestus comæ vocabantur gradus, & spiræ, quibus comam cumulatam, & convolutam in altitudinem mulieres exstruebant. V. supr. in *Coma*.

Suggestus imaginum vocantur aureæ, & argenteæ imagines Cæsarum gradatim ad hastam aliæ super aliis affixæ. Tertull. Apolog. c. 16. *Omnes illi imaginum suggestus in signis.* Ita L. pro *insignes*. Intelligit enim signa cohortium, in quibus illæ, quas diximus, Cæsarum imagines. *Lips. Epist. Quæst.* v. 9. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 363.

Suggestus sumitur pro quavis textura, & significat textum pallii lanei. Tertull. de Pall. c. 4. *Super omnes apices, & titulos sacer suggestus deducit oculos.* Et ita passim loquitur Tertullianus, qui *suggestum* de quavis texta veste usurpat. Ita Parisiensis magister ad hunc locum. Imo

potius pro ornatu, apparatu, & inſigni ponitur, & hic, & alibi. De veland. virgin. c. 12. *Quid ſingula perſequar? ſolæ autem manifeſtæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem, uno habitu negantes, quod toto ſuggeſtu profitentur.* Hunc *ſuggeſtum* virginum, quo mulieritatem profitebantur, deſcripſit, cum dixit, eas capillum vertere, acu laſciviore comam ſibi inferere, faciem moroſiore lavacro macerare, & medicamine interpolare.... Ita *honorum ſuggeſtus* vocat faſcias, coronas, purpuras Tertull. de Spectac. c. 12. *De apparatibus interpretabimur in ipſorum honorum ſuggeſtu deputamus, quod purpuræ, quod faſciæ, quod vittæ, quod coronæ, quod denique conciones, & edicta.* Et τῶν ἀρχῶν προσχήματα, inſignia, faſtigia dignitatum Arnob. IV. p. 132. *Quis ad extremum deum pecuniam eſſe credat, quam velut maximum numen veſtræ indicant literæ, donare annulos aureos, loca in ludis, atque in ſpectaculis priora, honorum ſuggeſtus ſummos, amplitudinem magiſtratus.* Vet. gloſſ. *Suggeſtus*, βῆμα, ὕφος, quo uno teſtimonio *ſuggeſtum* texturam eſſe vincere volunt. Sed in illis legendum eſt ὕψος, & quicquid in altitudinem exſtructum erat, *ſuggeſtum* vocarunt. Hinc & *ſuggeſtus* pro tribunali. *Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 362.*

SUGGILLARE dicitur de facie, cum contuſa lividis maculis dehoneſtata eſt, dum ita percutitur, ut ſub oculis contingant vibices, ac maculæ luridæ. Plin. XXXI. 9. *Utilis ex illis ſuffuſis cruore oculis, ſuggillatisque cum myrrhæ pari pondere.* Verbum eſt pugilum, qui auribus, oculisque, ac genis, ſive maxillis, ictus, vibicesque viciſſim inrutiant, & excipiunt. Senec. Epiſt. 13. *Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen afferre, qui nunquam ſuggillatus eſt.* Græce dicitur ὑπωπιάζειν Luc. c. 18. n. 5. *Vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens ſuggillet me*, ὑπωπιάζῃ με *Faber. Agonſt.* III. 14. *Bud. in Pandect. p. 91. D. Voſſ. Lex. Etymol. Lipſ. in Senecam. Brod. Miſc.* IX. 20. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. §. 6.

Suggillare dicebantur etiam, qui ſub cillis, vel palpebris alicujus oculos claudebant. Romanis interdictum lege Mævia fuit, ne filii patribus interdiu hoc facerent. Varro. V. illum ſupr. in *Sigillum*. Meurſ. de Funer. c. 3. Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 12. & Faes in illum. Crinit. de Honeſt. diſcipl. XVIII. 12. Hoc eſt, ne oculos claudant: quod per tranſlationem forte dictum eſt, ne videlicet mortem eorum maturarent. Neque enim vetus mos ignoratur, quo parentibus liberi, cum morerentur, oculos claudebant, iterum liberis parentes. *Auguſtin. de Legib. in Mævia. Guther. de jur. man.* I. 12.

Suggillare metaphorice eſt infamiæ notam inurere. Plin. VII. 45. *Juxta hæc Variana clades, & majeſtatis ejus fœda ſuggillatio.* Liv. IV. 35. *Primis annis ſuggillatos, repulſos, rejectos a patribus fuiſſe.* Tertull. Apolog. c. 4. *Atque ideo præfatus hæc ad ſuggillandam odii erga nos iniquitatem...* id eſt, id notandam, & carpendam gentilium iniquitatem in nomen Chriſtianum. *Bud. in Pandect. p. 91 D.*

SUGGRUNDÆ, & *ſuggrundia* dicebantur partes tecti prominentes, quibus ſtillicidia a parietibus arcentur: qualia ſunt Lugdunenſia tecta. A Græcis γεῖσοι, & γεῖσα dicuntur. In gloſſ. Philox. *Suggrunda*, ἐκθέτης. *Bud. in Pandect. p. 120. C. Voſſ. Lex. Etymol., Rhodig. Ant. Lect.* III. 27.

SUGGRUNDARIUM vocabatur locus, ubi infantes ſepeliebantur. Fulgent. Expoſ. ſerm. ant. §. 7. *Suggrundaria antiqui dicebant ſepulcra infantium, qui necdum quadraginta dies impleſſent, quia nec buſta dici poterant; quia oſſa, quæ comburerentur, non erant: nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumeſceret: Unde Rutilius Geminus Aſtyanacte ait: Melius ſuggrundarium miſero quæreres, quam ſepulcrum.* Barth. Adv. XI. 21: XXIV. 3. Barthol. de Puerp. p. 166. Kirchman. de Funer. Roman. I. 3. Meurſ. de Funer. c. 38. & 42. Ferrar. de Lucern. ſepulcral. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 1003. D. Beroal. Annot. c. 29. Claten. Theol. gentil. I. 10. §. 4. Voſſ. Lex. Etymol. Nicol. de Luct. Græcor. c. 13. §. 2. Guther. de Jur. man. I. 28. Quenſteed de Sepult. c. 9. Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 9. & Faes in illum. Lipſ. in Senec. de Brev. vit. c. 12. Moreſtel. Pomp. Feral. X. 2. Delrio in Senec. Troad. n. 511.

SUL.

SULPHUR in luſtrationibus, & expiationibus ſolebat adhiberi. Homer. Odyſſ. XXII. 481.

> *Porta ſulphur anus, malorum medelam, porta autem*
> *mihi ignem,*
> *Ut fumigem domum.*

Plin. XXXV. 15. *Habet & in religionibus locum, ad expiandas ſuffitu domos.* Etiam pro hominum expiatione *ſulphure* utebantur. Prop. IV. 9. 57.

> *Imperat, & totas iterum mutare lacernas,*
> *Terque meum tetigit ſulphuris igne caput.*

Tib. IV. 5. 11.

> *Ipſeque ter circum luſtravi ſulphure puro.*

Quomodo luſtratio fieret, dum de ovium luſtratione loquitur, eamque fumo perfectam innuit, explicat Ovidius. V. illum ſupr. in *Luſtratio ovium*. *Sulphuri* ova ſubinde addebantur. Ovid. de Art. II. 329.

> *Et veniat, quæ luſtret anus lectumque, locumque;*
> *Præferat & tremula ſulphur, & ova manu.*

& tædæ. Teſtatur hoc Juven. Sat. II. 157.

> *—— cuperent luſtrari, ſi qua darentur*
> *Sulphura cum tædis.*

Taffin. de Lud. ſecul. c. 6. §. 3. Stuck. de Sacrif. p. 117. & 216. Alexand. Gen. dier. V. 27. & ad illum Tiraquellus. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 18. Kipping. Antiq. Roman. I. II. §. 19. Guther. de Jur. man. II. 7. Barth. Adv. VII. 3. Rhodig. Ant. Lect. VI. 12. Brod. Miſc. I. 25. Lomej. de Luſtrat. c. 19. Broukh. in Tibullum. Obſeſſi in obſeſſores murum conſcendentes jaciebant. V. ſupr. in *Pix*.

SULPICIA gens. V. illam ſupr. in *Gens*.

SUM.

SUMEN ſuis inter delicias annumeratur, quod nihil aliud erat præter mammam ſuis fœtæ lacte plenam: unde *mammas ſuminis* vocat Mart. II. 37. 2. & XIII. 44.

> *Eſſe putes nondum ſumen: ſic ubere largo*
> *Effluit, & vivo lacte papilla tumet.*

Optimum erat ſtatim occiſæ a partu, ut dicit Plin. XI. 37. *ſi modo fœtus non hauſerit.* Romani luxus cauſa nunc fœtam, nunc lactantem ſuem cædebant, ut papillis lacte turgentibus veſcerentur. Videtur primo abdomen vocatum, mox a Publio mimographo *ſuminis* nomen illi inditum. Plin. VIII. 51. *Ut tamen Publii mimorum poetæ cœna, poſtquam ſervitutem exuerat, nulla memoretur ſine abdomine, etiam vocabulo ſuminis ab eo impoſito.* Itaque Plinius diſtinguit voce tantum *ſumen* ab abdomine, hoc antiquis, illud recentibus magis uſurpatum. Sed fallitur Plinius. Nam eo longe vetuſtior *ſuminis* mentionem facit Plaut. Capt. IV. 3. 4.

> *Quanta ſumini abſumedo!*

Curc. II. 3. 44.

> *Abdomen, ſumen, ſuis glandium.*

Pſeud. I. 2. 33.

> *Pernam, callum, glandium, ſumen.*

Obviam gulæ iverunt *cenſoriarum legum paginæ: interdictaque cœnis abdomina, glandia, teſticuli, vulvæ.* Plin. l. l. Vetuit, cum luxuriæ exemplum iviſſet in poſteros, Alexander Severus, qui cum populus Romanus quereretur caram eſſe porcinam carnem, *ne quis ſuminatam ſuem occideret*, hoc eſt, lactantem, quam non occidi, intererat ad ſpem ſobolis propagandæ apud Lamprid. c. 22. Et poſt illum Julianus adſtricti moris Imperator vetuit *inferri vulvam & ſumen, ipſe vili & fortuito cibo contentus* apud Ammian. XVI. 5. *Caſtellan. de Eſu carn.* II. 2. *Nonn. de Re cibar.* II. 4. *Willich. de Art. magir. c.* 8. *Hummelberg. in Apic.*

Apic. de Art. Coquin. VIII. 2. *Voss. Lex. Etymol. Taubman. in Plauti Captivos.*

SUMOENIANI loci nomine est locus *sub mœnibus*, ut subarbiorum nomine domus, & viæ sub Urbe significantur. Quare mulieres *Sumœnianæ* erant illæ, quæ in lupanaribus constitutis *sub mœnibus* turpem exercebant quæstum, tanquam in remotiori, & secretiori Urbis parte, quemadmodum hodie etiam sub ipsis oppidorum mœnibus hæ mulieres habitant. Mart. III. 82. 1.

Conviva quisquis Zoili potest esse,
Sumœnianas cœnet inter uxores.

Sumeni igitur nomine publicum turpitudinis locum designat Mart. I. 35. 5.

At meretrix abigit testem veloque, seraque,
Raraque Sumeni fornice rima patet.

Tomas. de Donar. c. 16. Brod. Misc. X. 25.

SUMMA Reipublicæ vocatur status, & firmamentum Reipublicæ. Hoc sensu Ulpian. l. I. §. si is qui navem ff. de exercit. act. *ad summam Reipublicæ navium exercitum pertinere, quod est, eo sublato, statum Reipublicæ lædi.* Et Paull. Sentent. V. 21. *qui de salute Principis, vel summa Reipublicæ consulit, capite punitur.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 18.

SUMMANUS vocatur Pluto. V. illum supr. in *Pluto.*

SUN.

SUNTONATOR vocabatur organorum musicorum magister, a Græcis vocibus *σὺν*, *cum*, & *τόνος*, *tonus*, *concentus.* Inscriptio Genuæ:

C. . . . STACTUS
SUNTONATOR
REGIS THOLOMEI
L. V. ANN. L. *Libertus vixit annis 50.*

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. p. 234.

SUO.

SUOVETAURILIA. V. illa supr. in *Solitaurilia.*

SUP.

SUPELLECTICARIUS dicebatur servus, qui *supellectilem* curabat, & etiam qui faciebat. Ulpian. l. Idem ff. de Instr. Idem Celsus *eodem libro ait, etiam supellecticarios, & ceteros hoc genus servos contineri.* Voss. Lex. Etymol. Stuck. Ant. Conviv. II. 15. Turneb. Adv. VIII. 9. Dous. Præcid. Petron. I. 16. In veteribus inscriptionibus dicitur *a supellectili.* V. illas supr. in *A.* Pignor. de Serv. p. 208.

SUPELLEX *est domesticum patrisfamilias instrumentum, quod neque argento, aurove facto, vel vesti annumeraretur.* Pompon. l. I. ff. de supell. leg. *Voss. Lex. Etymol. Stuck. Ant. Conviv.* II. 15. *Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p.* 848. Natum est nomen ex eo, *quod olim his qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quæ sub pellibus usui forent.* Labeo l. 7. ff. ibid. *Turneb. Adv.* XVIII. 23. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 100. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 182. *H.* Ego potius a lectis originem habuisse crediderim: ut initio eo nomine censerentur ea, quæ *super lectos*, vel cubiculares, vel discubitorios poni solerent: postea longius, latiusque significatione propagata. *Turneb. l. l.* Et ego ab ipsis militibus. Hi enim quæ secum in exercitum deportabant, pellibus involvebant, in quibus ipsis dormiebant, uti & inde tentoria faciebant. *Voss. l. l.* Quali veteres usi fuerint, docet Labeo 7. ff. de Supell. leg. I. *Nec mirum est*, ait ille, *moribus civitatis, & usu rerum, appellationem supellectilis mutatam esse. Nam fictili, aut lignea, aut vitrea, aut area denique supellectili veteres utebantur: nunc ex ebore, atque testudine, & argento, jam ex auro etiam, atque gemmis supellectili utuntur.* Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 284. Ab attentis patribusfamilias, ne quid negligentia, aut furto periret, annulo obsignabatur. V. supr. in *Obsignare.* Etiam legabatur. Idque vel principaliter Rubr. de supell. leg. & l. si quis in fundi ff. de leg. I. Paull. Sent. III. tit. 6. vel accessionis loco, puta, cum fundo l. quæsitum. §. si quis fundum. ff. de instrum. aut cum modo d. l. quæsitum. §. idem respondit. & l. cum quidam. ff. de supell. leg. *Brisson. de Form.* VII. *p.* 629.

SUPERBUS fuit dictus Tarquinius Rex, qui re & nomine erat *superbus*, & cujus vita non dissentiebat a nomine. Prop. III. 11. 47.

Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat.

Dionys. IV. p. 244. *Controversias litium non ex jure dirimebat, sed ex suis moribus: unde Superbus vulgo cognominatus est: quod nostra lingua sonat ὑπερήφανος.* Flor. I. 7. I. *Postremus omnium fuit Regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum.* Sed Liv. I. 49. *Inde L. Tarquinius regnare occœpit, cui Superbo cognomen facta indiderunt, quia socerum gener sepultura prohibuit: primoresque patrum, quos Servii rebus favisse credebat, interfecit.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Gebhard. in Propertium. Bongars. in Florum. Guther. de Jur. man. II. 17.

SUPERCILIUM est ductus pilorum supra palpebras. *Jun. Nomencl. c.* 56. Si dextrum salierit, ægritudinem brevem, & non multo post illam opulentiam significat: pauperi vero divitias, servo bonum, virgini vituperationem, viduæ injuriam: si sinistrum, multa inopina bona significat, ac felicitatem, ex qua fidem habebit. Si medium, quod est inter *supercilia*, ut Melampus, & Phœmon asseruerunt, omnibus malum præsagit, servo tamen bonum, virgini consilium, viduæ utilitatem. *Niph. de Augur.* I. 9. Artificio *supercilia* tingere, ut essent quam nigerrima, erat veterum formarum maximum studium. Cyprian. de Hab. virg. c. 11. *Quæ omnia peccatores, & apostatæ angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia devoluti a cœlesti vigore recesserant; illi & oculos circumducto nigrore fuscare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris, & capitis veritatem corruptelæ suæ impugnatione docuerunt.* de Laps. c. 4. *Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati.* Pacian. Parænet. ad pœnitent. *Si quid ferruginei pulveris in supercilio fulgeret, aut ficti nitoris in genis rutilaret, aut coacti ruboris in labia desudet, ista forsitan non habetis.* Imo *supercilia* naturali nigredine culta, non fuco quæsita, aut ascititia in amica sua laudit Aristænet. Epist. I. I. dum dicit ὀφρύς τε μέλαινα, τὸ μέλαν ἄκρατον. Ἄκρατον inadulteratum nigrorem cape. Arte denigrasse docet Juven. Sat. II. 93.

Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu.

Barth. Adv. XLV. 6. Tiraquell. leg. connub. II. gloss. I. p. 2. n. 38. Parthen. & Muret. in Catull. XLIII. 2. In luctu radebant veteres. Artemid. Oneirocr. I. 27. *Vetus mos est in luctu supercilia nudari.* Kirchman. de Funer. Roman. II. 14. Wouwer. & Gonsal. ad Petronium mox laudandum. Et alias servorum nequam, seditiosorum, fugitivorum. Petron. c. 63. *Mercenarius meus continuo radat utriusque non solum capita, sed etiam supercilia.* Cicer. pro Q. Rosc. c. 7. *Nonne & ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? qui idcirco capite, & superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur.* Gonsal. in Petronium. Rhodig. Ant. Lect. III. 27. Aliquando & *supercilia* rasa mollitiei fuerunt specimen. Sic P. Scipio Africanus inter pleraque alia, quæ P. Sulpicio Gallo objectare solebat, id quoque probro illi dedit referente Gell. VII. 12. Ecce verba ipsa Scipionis: *Nam qui quotidie unguentatus adversum speculum ornetur, cujus supercilia radantur....* Gonsal. l. l. In Ju-

nonis putabantur esse tutela. Festus: *Supercilia in Junonis tutela esse putabant, quod iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuit Juno. Unde quoque ipsa dea Lucina quoque dicta videtur.* Jun. Anim. IV. 12. Feith Antiq. Homeric. I. 2. Rhodig. l. l.

Supercilium metaphoricῶs dicitur elatior pars collis. Liv. XXVII. 18. *Ipse expeditos, qui prid.e stationes hostium pepulerant, ad levem armaturam infimo stantem supercilio ducit.* Virg. Geórg. I. 118.

Ecce supercilio clivosi tramitis undam.

Victor. Var. Lect. XXII. 14. Voss. Lex. Etymol. Godelev. in Livium.

SUPERESSE reô dicebatur advocatus, qui reum defendebat. Suet. Aug. c. 46. n. 10. *Cum Asprenas Nonius arctius ei junctus, causam veneficii, accusante Cassio Severo, diceret: consuluit senatum quid officii sui putaret. cunctari enim se, ne si superesset, eriperet legibus reum: sin deesset, destituere, ac prædamnare amicum existimaretur.* Plaut. Mil. II. 4. 3.

Mihi pol ego supe sum.

hoc est, ego mihi strenuam operam dabo, & meas agam probe partes. Errat Gell. I. 22. dum scribit: *Invaluit, inveteravitque falso, atque alia verbi significatio ejus, quod dicitur, hic illi superest: quum dicendum est, advocatum esse quem cupiam, causamque ejus defendere. Atque id dicitur non in compitis tantum, neque in plebe vulgaria; sed in foro, in comitio, apud tribunalia.* Rutgers. Lect. Venus. c. 19. Barth. Adv. XXIV. 12. Ponet. For. Rom. II. 1. Guiliel. Verisim. II. 4. Palmer. Spicil. IV. Pitisc. in Suetonium.

SUPERINDICTUM dicitur onus ultra solitam, & canonicam collationem *indictum*: cujusmodi est in jure orientali, quod jussit Leo Iconomachus: *Procuratores provinciarum ultra statutum in singula numismata accipiant milliarisium unum, & in ærarium regium conferant.* l. 1. C. de Indict. lib. X. *Vectigal superindictum tollitur, cujus nomen grave, & odiosum erat, & canon pro eo introducitur.* Illa indicere solius erat Principis l. 1. C. Th. de superindicto: ubi Anianus: *Ista lex præcipit, ut nullum per rectores provinciæ superindictum provincialibus imponatur, nisi forte ex hac re processisse auditio dominica comprobatur.* Buleng. de Vectig. c. 18.

SUPERJUMENTARIUS vocatur præfectus *jumentariorum*, sive eorum, qui *jumentis* præsunt, eaque curant. Ut Græci ἐπὶ usurpant in officiis denotandis, ita Latini *super*, aut *supra*. Suet. Claud. c. 2. n. 4. *Quem barbarum, & olim superjumentarium ex industria sibi appositum.* Sic *super*, vel *supravelarius* est præpositus velariorum in veteri inscriptione: SUPRA. VELARIOS. DE. DOMU. AUG. Sic *superstationarius* est præpositus stationariorum apud Optat. Milevit. I. *Salmas. in Spartian. Adrian. c. 2. Reines. Inscript. Class. X. n. 17. Pignor. de Serv. p. 537. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.*

SUPERNUMERARII *nunc vocantur milites, qui vocabantur accensi, hoc est, postea additi, quam fuisset legio completa.* Veget. II. 19. Erant & inter pedites, erant & inter equites. Veget. III. 18. *Hic de equitibus supernumerariis, mixtis peditibus expeditis.* De *supernumerariis* probanda sententia est, quam auctor incertus proposuit de Reb. bell. c. de relev. sumpt. milit. *Quia nonnunquam*, inquit, *bellorum ruina, aut fastidio castrensium munerum, deserta militia de summa integritatis intercipit; tali remedio hujusmodi damna supplenda sunt scilicet, ut centeni, aut quinquageni juniores extra hos, qui matriculis continentur, habeantur in promptu, armis exerciti, & minori, utpote tyrones, stipendio sublevati; in locum amissorum, si res ita tulerit, surrogandi.* Stewech. in Veget. II. 19.

Supernumerarii dicebantur etiam milites imaginarii, non veri: qui absentes, & titulo tenus militia fungebantur. Suet. Claud. c. 25. n. 1. *Instituit & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur super numerum, quo absentes, & titulo tenus fungerentur.* Stewech. in Veget. II. 19. Salmas. in Lamprid. Sev. Alex. c. 15.

SUPERSTITES dicebantur a veteribus testes præsentes, qui quasi *superstarent* rei, sive assisterent illi negotio, quod tractabatur. Lex XII. tabularum: *Si qui in jure manum conserunt, utrique superstitibus præsentibus vindicias sumunto.* Festus: *Superstites testes præsentes significat: cujus rei testimonium est, quod superstitibus præsentibus, ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur. Plaut. Artemon.*

Nunc mihi licet quidvis loqui, nemo hic adest superstes.

Illi enim qui manum conserebant, assumebant sibi testes, quorum in præsentia perageretur illud pugnæ simulacrum: ne scilicet alter aliquid eorum, quæ acta essent, negare posset, aut aliter actum dicere. *Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 9. c. 8. Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 482. *B.*

SUPPACTUM dicitur, quod calceo *suppingatur*, ut Plaut. Trin. III. 2. 94. De *suppactis* glossarium vetus emendatum in hoc verbo, per unius literulæ mutationem: *Suppacta, κεκαττυμένα.* Legebatur autem: *Suppalta.* Fere idem significat quod fulmenta, & caligarium solum. V. illa suis locis. *Nigron. de Calig. c.* 4. §. 10.

SUPPARUM *dicitur velum omne, quod ex lino est.* Festus. Hæc generalis notio est. Aptatur id nomen vestimentis. Nam, ut Festus: *Supparus dicebatur puellare vestimentum lineum, quod & subucula appellabatur.* Atque addit, ita usum Pomponium in Fullonia. Paullo post subjungit: *Mulier videtur puella suppąro inducta, ut Afranius ait? Puella non sum, supparo si induta sum.* Vel, ut est apud Non. XIV. 20. *Tace, puella non sum. . . .* Qui Afranii locus videtur potius repugnare ei, quod dixerat *supparum esse vestem puellarem.* Nisi fortasse κατ' ἐρώτησιν hæc efferenda. Ut sit sententia: cum me *supparo* indutam conspicias, dubitas, utrum puella sim, an mulier? Videntur enim verba esse mulieris se puellam simulantis. Quo pertinent Festi, seu Verrii verba: *Mulier videtur puella supparo induta.* Sed & aliis vestibus aptatum. Nam, ut idem Festus ait. *Puniceum vestimentum ita vocat Nævius de bello Punico.* Ubi pro *Puniceum* malim *Punicum.* Ut signet schema Karthaginensium, quorum cum Romanis bellum describebat Nævius. Addit deinde: *Et in Nautis vocat Neptuno vestem consecratam supparum.* Ubi *Nautis* non puto esse fabulæ nomen, sed commune, seu appellativum: ut sententia sit, Nævium, quo loco describit nautas vestem Neptuno consecrantes, appellare eam *supparum.* Ad vestimenta mascula refer & hæc verba Non. l. l. *Supparum est linteum femorale usque ad talos pendens.* Voss. Lex. Etymol. Ferrar. de Re vest. I. 3. 20. Manut. Quæst. Epist. III. 2. Gyll. Constantinop. Topogr. III. 4. Illorum meminit Lucan. II. 362.

Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,
Colla monile decens; humerisque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.

Qui hisce Marciæ Catonis conjugium repetentis habitum describit. Sæpius me cruciarunt *suppara primis humeris hærentia*; & postquam diu, multumque fluctuavi, arbitratus tandem sum *suppara* parvas admodum manicas habuisse, quæ nonnisi *humeros* tegebant, vel in primis *humeris* hærebant, atque fibula constringebantur, quam illi tribuit Sidon. carm. II. 323.

Sed nudata caput, pro crine racemifer exit
Plurima per frontem constringens oppida palmes,
Perque humeros teretes, rutilantes perque lacertos
Pendula gemmiferæ mordebant suppara bullæ.

Bullas enim interpretor fibulas in modum bullarum factas, quia cæteroquin non possent diu *mordere*, quod fibulæ proprium est. V. supr. in *Fibula vestiaria.* Sed Lucanus ipse hanc conjecturam refellere videtur. Nam canit *lacertos*, id est, os inter acutam, gibbamque brachii partem, seu cubitum, & manus, ut omnes grammatici interpretantur, *suppara* cinxisse; quod fieri nullo pacto potuit

potuit abſquè longis manicis, & plurima parte brachii velata. Hærerem ſane, niſi viderem pro brachii parte ſuperiori, humeriſque propinqua *lacertos* uſurpari. V. ſupr. in *Lacertus*. Optime igitur ſtatuimus dici *ſuppara hærere humeris primis, cingere nudatos lacertos, & pendula eſſe per rutilantes lacertos*. Nam manicæ hujus veſtis videntur non aliæ fuiſſe, quo fibula Sidonii ducit, quam ſunt in tunicis χίσοις; & vix me contineo, quin Cererem, vel aliam deam, apud Rubenium in Electis, dicam ejuſmodi manicas geſtare: per cujus ſcilicet dextrum lacertum:

Pendula gemmiferæ mordebant ſuppara bullæ.

Ut iterum Sidonii verbis utar. Miror autem, *ſupparum* a nonnullis explicari ornamentum feminarum in humeris: quo nihil abſurdius eſt. Nam fuiſſe veſtem, & quidem tunicam exteriorem dubitare non ſinit Afranius modo laudatus. *Cuper. Obſerv.* IV. 7. De maſcula etiam veſte uſus Varr. Eumenid. apud Nonium: *Hic indutus ſupparum coronam ex auro, & gemmis fulgentem gerit.* Voſſ. l. l. Varronis verba etiam me diu anxium, & dubium tenuerunt, parumque abfuit, quin *ſupparum* & muliebrem, & virilem veſtem eſſe cenſerem. Sed nebula ab ipſo Nonio diſcuſſa eſt, qui ita loqui Varronem de viro auroram referente dicit XII. 6: XIV. 20: XVI. 8. Nam, quæ tribus his locis disjunguntur fragmenta, jungenda ſunt:

Aurora oſtrinum hic indutus ſupparum
Coronam ex auro, & gemmis fulgentem gerit
Luce locum afficiens.

Unde patet male tradi *ſupparum* virilem veſtem fuiſſe, quia homo ille inſtar auroræ ornatus inceſſit, & ut illa, ut mulier denique veſtitus fuit, Noniumque optime interpretari *veſtem muliebrem*, & Feſtum *veſtimentum puellarem*. Cuper. l. l.

Supparum dicitur etiam illud velum, quod in ſummo mali collocatur, minuſculum nimirum, & quod in venti ſaventia nautæ ſolent extendere. Lucan. V. 429.

—— *ſummaque tendens*
Suppara velorum, perituras colligit auras.

Senec. Epiſt. 77. *Solis enim licet ſupparum intendere, quod in alto omnes habent naves.* Lipſ. ad Senecam. Scheffer. de Milit. nav. II. 5. Voſſ. Lex. Etymol. Gyl. Conſtantinop. Topogr. III. 4. Eſt Senecæ ſermo de Alexandrinis, quorum prærogativa fuit, ut ſola portum intraret cum *ſupparo*: cæteræ naves, cum intraverant Capreas, & Minervæ promontorium, velo jubebantur eſſe contentæ. *Supparum* Alexandrinarum inſigne erat. Seneca modo laudatus. Erat veli linei genus, quod non ad uſum, ſed ad indicium gaudii rebus ſecundis attollebant nautæ. *Caſaub. in Suet. Aug. c.* 98. Id mihi vellem aliquo ſcriptoris teſtimonio probaſſet Caſaubonus. Videtur enim aliud docere Seneca, cum id cunctis tribuat *in alto*. Cui conſentiunt alter Senec. Med. n. 327.

—— *& alto rubicunda tremunt*
Suppara velo.

& Lucanus jam laudatus. Non ergo gaudium tantum indicabant, ſed vel maxime ad velificationem adhibebantur. An idem fuerit cum artemone, alii diſpiciant. Nobis certe non multum diverſa videntur. *Scheffer. l. l.* Magis eſt, ut in prora credamus extenſum cum dolone, a quo quia ſeparari potuit, *ſuparum*, vel, ut alii, *ſiparum* eſt dictum. Sane cum unum tantum habuerit pedem, uſus ejus in malo eſſe non potuit. Iſidor. XIX. 3. *Siparum genus veli, unum pedem habens, quo juvari navigia ſolent in navigatione, quoties vis venti langueſcit.* Fuit ergo potius ſimile ei, quod hodie Fofe appellant. Id ſi verum, ſchedæ Feſti aliter explendæ erunt, hoc modo: *Siparum junctum ei, quod appellant dolonem, quod eſt velum minus in navi, ut acation majus.* Scheffer. Addend. p. 329. Gyrald. de Navig. c. 13. Non tam velum fuiſſe videtur, quam veli quoddam ſupplementum, & ſumma pars, quæ ſupra ipſa vela, & antennam expandebatur: quod, ut opinor, ſurſum pararetur. Lucanus modo laudatus. *Turneb. Adv.* XXI. 4.

SUPPEDANEA vocantur fulcra, & aſſamenta, aut ſcamna ſedentium pedibus ſuppoſita, Græcis ὑποπόδια. Cyprian. de ablut. ped. ubi de Magdalena pœnitente, *Caputque pro ſuppeditaneo ſtravit, crinibuſque circumfuſis pedes ſacros involvit.* Malim, *ſuppedaneo*, quod & nonnulli veteres codices præferunt. Iſidor. XX. 11. *Scabellum & ſuppedaneum dicitur. Nam quod Græci dicunt ὑποπόδιον, dixerunt Latini ſcabellum, & alii dixerunt ſuppedaneum, quod ſub pedibus ſit.* Chimentel. de Honor. biſell. c. 29. Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 19. Crinit. de Honeſt. Diſcipl. II. 3.

Suppedaneum in cruce diceretur aſſerculus, ſive tabella, in qua innitcrentur, & figerentur pedes cruciariorum. In cruce Chriſti agnoſcit Gregor. Turon. de Glor. mart. c. 6. *In ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt: pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc vero tabulam, tanquam ſtantis hominis, ſacræ affixæ ſunt plantæ.* Lipſ. de Cruc. II. 10. Et in picturis, ſculpturiſque priſcis veſtigia tabellæ hujus exſtare audio. Imo & video. Vidi in nummo Græcanico vetere, qui aureus aſſervatus in monaſterio Lætienſi in Hannonia. Miſſus eſt is nummus cum aliis ſacris donariis ab Henrico Imperatore tunc Conſtantinopoli anno Chriſti 1208. *Lipſ. not. ad l. l. Barthol. de Cruce hypomnem.* I. §. 5. Et illud agnoſcunt Gretſer. de Cruce I. 42. Dilher. Diſput. Philol. I. p. 505. Callixt. de Concord. Euang. VI. 13. Bellarm. de Imag. crucis II. 26. Gothofr. ad Tertull. de Nation. I. p. 119. Fuller. Miſcell. ſacror. IV. 12. Barrad. Concord. Euang. Tom. IV. 7. 13. *Suppedanei* neceſſitas erat ad fulciendos pedes crucifigendi, ne pondere corporis ſolis brachiis innixus dilaberetur. Forma hujus tabellæ erat largioribus pedum plantis accommodata, quæ ſtipite medio fere eminens ſuſtinebat reum. *Barthol. de Unicorn. c.* 23. Hanc tabellam oſtendunt picturæ, & nummi, ſcribunt auctores, & ratio non adverſatur. Ex veteribus illam inſinuarunt non tantum Gregorius Turonenſis jam laudatus; ſed etiam Innocentius Papa, qui de cruce ſerm. I. de uno mart. *Fuerunt in cruce dominica ligna quatuor; ſtipes erectus, lignum tranſverſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus.* Irenæus & Juſtinus laudati ſupr. in *Staticulum*. Apud hos enim medium iſtud lignum, & illud cornu non eſt aliud quam *ſuppedaneum* noſtrum. *Curt. de Clav. Dominic. c.* 11. Formam trunci rudioris quadratam monſtrat in *ſuppedaneo* imago crucifixi argentea in ſacrario baſilicæ S. Petri dono Caroli Magni circa annum Chriſti 715. olim aſſervata. Mirum profecto ſpectaculum. *Suppedaneum* ambitu ſuo majorem ſtipitem crucis ſuperat. Anguſtiorem vero figuram inferiora repentem exhibet crux antiqua annis abhinc 300. in Danicis eccleſiis uſitata: in qua deprehendi adeo anguſtum hypopodion, ut tantum abeſt inſtar cornu emineat, ut potius velut raſum ad ſubjectum truncum breviſſimo intervallo porrigatur, & calcanea cruciarii tantum ſuſtentet, neutiquam plantas. *Bartholin. de Cruce hypomnem.* I. §. 7. Illo tamen non opus eſt, quando cruciarii corpus citra illud tolli, & levari poterat. Et nummus ille Conſtantinopolitanus apud Lipſium, in quo crux eſt Servatoris cum *ſuppedaneo* a recentiore editione eſt, & nullam meretur fidem. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 8. §. 8.

SUPPLANTARE in lucta erat ſuppoſito pede disjicere, humique affligere: noſtri *donner la jambe* dixerunt lingua vernacula. Utitur hoc verbo Senec. Epiſt. 13. *Ille, qui ſupplantatus adverſarium toto tulit corpore. . . . cum magna ſpe deſcendit ad pugnam.* Fab. Agoniſt. I. 10: III. 14. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 5. Inde tranſlatio apud Perſ. I. 35.

—— *& tenero ſupplantat verba palato,*

de illo, qui verba non fortia, & recta, & virili, plenaque voce animata foras effert, ſed effeminata pronuntiatione, & fracta velut *ſupplantata*, & ſuppreſſa, ac ſubverſa, nec recto curſu, & tenore euntia: ſed dejecto, & devoluto labentia, & languido, enervatoque non ſatis

expreſſa

expressa sono. *Turneb. Adv.* xxviii. 26. *Casaub. in Persium.*

SUPPLEMENTA Hygino sunt, non quæ vulgo Tyrones, sed auxilia; imo quicquid præter legiones militum in exercitu. Ita ille: *Quando autem supplementa plura sunt.* Universum enim exercitum in legiones, & supplementa tribuit: *Quod si legiones plures fuerint, & supplementa pauciora. Quando tres legiones cum supplementis acceperimus.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1039. B. Boecler. Dissert. de Leg. Rom. c. 7.

SUPPLICATIO fuit honos, qui una cum Imperatoris nomine decernebatur præsidi victori, nempe, cum senatus populusque cum templa aperiri, ac gratias diis Imperatoris nomine agi jubebat. Erat enim moris, ut præsides, postquam a militibus appellati Imperatores fuerint, lictores laureatos præferrent, literasque ad senatum laureatas de re gesta mitterent, quibus Imperatoris nomen, ac supplicationem a senatu postularent. Cicer. Phil. xiv. 4. *Augebo omnino numerum dierum, præsertim cum communiter his tribus ducibus sint decernendæ supplicationes: sed hoc primum faciam, ut imperatores appellem eos, quorum virtute maximis periculis liberati sumus: etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? quam ob rem aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit, aut usitatus honos, pervulgatusque tribuendus iis, quibus etiam novi, & singulares debentur, an si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum duo millia occidisset, eum hac consuetudine, quæ increbruit, imperatorem appellaret senatus?* Liv. xlv. 2. *Cum consul edixisset, ut omnes ædes sacræ aperirentur, pro se quisque ex concione ad gratias agendas ire diis: ingentique turba, non virorum modo, sed etiam feminarum, conferta tota Urbe deorum immortalium templa adierunt.* iii. 7. *Inops senatus auxilii humani ad deos populum, ac vota vertit. Jussi cum conjugibus, ac liberis supplicatum ire, pacemque exposcere deum. Ad id, quod sua quemque mala cogebant, auctoritate publica evocati, omnia delubra implent: stratæ passim matres crinibus templa verrentes, veniam irarum cœlestium, finemque pesti exposcunt.* Sigon. de Jure provinc. ii. 7. Taffin. de Lud. secul. c. 15. n. 2. Malder. in Panvin. de Triumph. c. 1. Valtrin. de Re milit. vii. 2. Brisson. de Form. ii. p. 207. Alexand. Gen. dier. v. 27. Guther. de vet. jur. pontif. i. 35. Nicol. de Triumph. c. 4. §. 2. & 3. Caroli Antiq. Roman. i. 6. Blond. Triumph. Rom. ii. p. 52. F. Decernebatur a senatu I. pro felici successu, & eventu rerum peragendarum. Sic decretam memorat Liv. xxx. 1. *quod Scipio in Africam provinciam trajecisset, ut ea res salutaris populo, ipsique duci, atque exercitui esset.* Similiter xxxvii. 47. *quod exercitus Romanus tum primum in Asia posuisset castra, ut ea res prospera & læta eveniret.* Maxime cum bellum jam declaratum, quo bene, atque feliciter eveniret bellum, quod populus Romanus jussisset. Liv. xxxi. 8. *Ab hac oratione in suffragium missi, uti rogarat, bellum jusserunt. Supplicatio inde a consulibus in triduum ex Senatusconsulto indicta est, obsecratique circa omnia pulvinaria dii, quod bellum cum Philippo populus jussisset, id bene, atque feliciter eveniret.* xxi. 17. *Ejus belli causa supplicatio per Urbem habita, atque adorati dii, ut bene, ac feliciter eveniret, quod bellum populus Romanus jussisset.* II. ob res prospere gestas. Liv. xxx. 17. *Prætor extemplo edixit, uti æditui ædes sacras omnes tota Urbe aperirent, circumeundi, salutandique deos, agendique grates per totum diem populo potestas fieret.* xlv. 2. *Senatus revocatus in curiam supplicationes ob rem* de Perseo *egregie gestam ab L. Æmilio consule in quinque dies circa omnia pulvinaria decrevit, hostiisque majoribus sacrificari jussit.* Decernebatur Imperatori ad existimationem magis, quam ad gratiarum diis actionem: quare & triumphi prærogativam, licet non raro supplicatio quidem decreta, non autem triumphus, dicit Cicer. Famil. xv. 5. *Quod si triumphi prærogativam putas supplicationem, & idcirco casum potius, quam te laudari mavis: neque supplicationem sequitur semper triumphus.* Magna fiebat sollennitate. *Omnia in Urbe templa patebant.* Liv. xxx. 40. *Illas petebat turba non modo virorum, sed etiam feminarum.* Liv. xlv. 2. Publica celebrabantur sacrificia, & epulæ, atque per totam Urbem festivitates. Et illarum dies fuerunt habiti inter nefastos, quibus nec de jure agi, nec conciones haberi poterant. Docet id nos Cœlius, dum ad Ciceronem ita scribit Fam. viii. 11. *Quod inter nos tuæ supplicationes torserunt, incideramus enim in difficilem nodum: nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat se ullo modo pati posse, decerni supplicationes.* Ita Curio metuebat, ne sibi per cumulum dierum in supplicationibus isto tempore solitum, potestas cum populo agendi eriperetur. III. in rebus adversis, vel ad placandos deos, vel averruncanda prodigia, vel morborum avertendorum causa. Liv. x. 23. *Eo anno prodigia multa fuerunt: quorum averruncandorum causa supplicationem senatus in biduum decrevit.* xxxviii. 36. *Supplicatio in triduum pro collegio decemvirorum imperata fuit in omnibus compitis, quod luce inter horam tertiam ferme, & quartam tenebræ obortæ fuerant.* xiv. 45. *Ob fulminibus complura loca deformata ad ædem [illegible] supplicatio diem unum esset.* Etiam pro populi salute. Liv. xxxviii. 44. *Supplicatio ex decemvirorum decreto pro valetudine populi fuit per triduum: quia gravis pestilentia Urbem atque agros vastabat.* Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 382. Guther. & Taffin. l. l. Decernebatur non in unicum tantum diem, sed etiam in plures, ut in triduum. Livius modo laudatus. *Decem dierum primum decreta Cn. Pompejo Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello.* Cicer. de Prov. consul. c. 11. *Quindecim dierum* Cæsari, confecto bello Gallico, *quod ante id tempus acciderat nulli.* Cæs. de Bell. Gall. ii. 35. Dio xxxix. p. 94. D. Cicer. ibid. c. 10. Post hæc immane quantum excrevit dierum numerus. Item viginti dierum sibi decretam fuisse dicit ipse de Bell. Gall. iv. 38. 5. *quadraginta* dierum xliii. p. 220. A. *quinquaginta* dierum xi. p. 144. B. obtinuisse Cæsarem dicit Dio. Decimo Bruto apud Appian. de Bell. civ. iii. p. 574. Octavio Cæsari ob res in Antonium gestas apud Cicer. Phil. xiv. 11. *quinquaginta* dierum decrevit senatus. *Sigon. Taffin. Struv. Valtrin. & Blond. l. l. Pitisc. in Suet. Jul. c. 24. n. 4.* Bello civili non decernebatur. Etenim civiles dissensiones, quamvis sæpe lædant Rempublicam, non tamen in illius exitium contendunt, & qui in alterutras partes discedunt, vice hostium non sunt eorum, inter quos jura captivitatis exercentur. Quare nec devictis illis res feliciter gesta dici potest. Cicer. Phil. xiv. 8. *Nunquam in civili bello supplicatio decreta est. decretam dico? ne victoris quidem literis postulata est. Civile bellum consul Sylla gessit: legionibus in Urbem adductis, quos voluit, expulit: quos potuit, occidit: supplicationis mentio nulla. Grave bellum Octavianum insecutum est: supplicatio Cinnæ nulla victoris. Cinnæ victoriam imperator ultus est Sylla: nulla supplicatio decreta a senatu. . . . Mihi consuli supplicatio, nullis armis sumptis, non ob cædem hostium, sed ob conservationem civium, novo, & inaudito genere, decreta est.* Guther. l. l.

SUPPLICES ponebant annulos, more lugentium, & ærumnosorum. V. supr. in *Annulus.* Ramos oleaginos præferebant. Plaut. Amph. i. i. 100.

> *Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes,*
> *Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.*

Virg. Æneid. xi. 110.

> *Jamque oratores aderant ex urbe Latina,*
> *Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.*

Hinc *supplicem olivam*, quia per illam *pax supplicando petitur*, ut inquit Lutatius ad Statium mox laudandum, vocant Valer. Flacc. iii. 424.

> *Tempora tum vittis, & supplice castus oliva.*

& Stat. Theb. xii. 492.

> *Vittatæ laurus, & supplicis arbor olivæ.*

Et *ramos oleæ velamenta supplicum* vocat Liv. xxiv. 30. *Jun. Anim.* ii. 11. *Cerda in Virgilium. Alard. in Flaccum.* Genua eorum, quorum animi essent flectendi, tangebant.

bant. V. supr. in *Genua*. Ad aras deorum, tanquam ad asyla confugiebant, & considentes nullum verbum faciebant, animique demissionem silentio contestabantur. Apollon. Rhod. IV. 693.

> *Illi autem sine sonitu, & voce super aram*
> *Prosilientes sedebant, quod a miseris supplicibus fieri*
> *jus est.*

Qui hoc mutuatus est ab Homer. Odyss. H. 153. apud quem Ulysses in Alcinoi ædibus *humi in lare sedit*. Themistocles rebus accisis, & jam conclamatis, ad Molossorum Regem Admetum fugiens, novo quodam modo, cum regio juvene, *ad larem consedisse* legitur, quod sanctissimum & irrefragabile *supplicis* genus apud eam gentem habebatur. Huc faciunt verba Cicer. pro dom. c. 141. *Nihil sanctius, nihil omni religione munitius, quam domus uniuscujusque civium: hic aræ sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacra religiones ceremoniæ continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde arripi neminem fas sit.* Spanhem. de Vest. & Vestal. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. v. p. 675. D. Junius l. l.

SUPPLICIUM nullum de reis sumptum noctu, sed interdiu in omnium oculis, ut nostra fert consuetudo, ad exemplum, terroremque aliorum. Senec. de Ira III. 19. *Quid tam inusitatum quam nocturnum supplicium? cum latrocinia tenebris abscondi soleant, animadversiones, quo notiores sunt, plus ad exemplum, emendationemque proficiunt.* Quamobrem notatur ab eodem ibid. c. 18. Caji Caligulæ Imperatoris Romani sævitia, quod *quosdam ex illis cum matronis, atque aliis senatoribus ad lucernam decollaret.* Hac historia narrata subjicit Seneca: *Quid instabat? quod periculum, aut privatum, aut publicum una nox minabatur? quantulum fuit, lucem exspectare? denique ne senatores populi Romani soleatus occideret.* Faber Semestr. II. 9. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Non sacris, sive festis diebus, sed statis, & negotiosis. Senec. Declam. v. 4. *Sic diebus festis intercedentibus pœna ex lege dilata est.* Modestin. l. custodias ff. de publ. judic. *Feriatis diebus custodias audiri posse rescriptum est: ita ut innoxias dimittat, & nocentes, qui duriorem animadversionem indigent, differat.* Apud Athenienses eadem lex viguit. Docet hoc exemplum Socratis, qui magna animi fortitudine, & constantia, post damnationem per dies triginta in carcere de pœna sua certus permansit, quia Delia festa intervenerant. Xenoph. Memorab. IV. p. 816. B. *Necesse illi fuit triginta dies post sententiam vivere, quia Delia festo illo mense erant. Lex autem non sinebat publice quemquam tollere, nisi pompa e Delo redisset.* Senec. Epist. 70. *Socrates potuit abstinentia finire vitam, & inedia potius quam veneno mori: triginta tamen dies in carcere, & in exspectatione mortis exegit.* Faber & Laurent. l. l. Lips. in Senecam. Sumebatur apud Romanos extra portam Metiam, sive Exquilinam, ne frequenti cæde, ac sanguine contaminari oculi civium, aut delibari videretur libertas. V. supr. in *Porta Exquilina*. Sumebatur a speculatoribus. V. supr. in *Speculator*. An etiam a tribunis V. inf. in *Tribunus*.

SUR.

SURA fuit dictus P. Cornelius Lentulus. V. illum supr. in *Lentulus*.

SURDINUS fuit cognomen Næviorum. Val. Max. VII. 7. 6. *Appellatus Mamercus a Surdino, cujus libertus Genucium hæredem fecerat.* Surdinum fuisse e gente Nævii inde colligo, quod paullo ante dixerat auctor de illo Genucio, *ut restitui se in bona Næviani juberet*, hoc est, liberti Nævii *Surdini*, juxta notas libertorum id genus appellationes e patronorum nominibus deductas. Et Ræsianorum, cujus familiæ hoc tribuit vetus lapis ineditus:

RÆSIANORUM. FAM. D. D. Q. RÆSIUS. Q. F. PAC. SURDINUS. MIL. VETER. COH. VII. VIGIL. V. F....

Spanhem. de Præst. numism. Dissert. VI. *p.* 521.

SUS.

SUS est animal valde necessarium ad cibos condiendos, quod & ipsum carnis copiam exhibet, unde magna ejus educandi cura veteribus fuit. Plin. VIII. 51. *Neque ex alio animali numerosior materia ganeæ: quinquaginta prope sapores, cum ceteris singuli. Hinc censoriarum legum paginæ, interdictaque cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulvæ, sincipita verrina, ut tamen Publii mimorum poetæ cœna, postquam servitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito.* Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 18. Castellan. de Esu carn. II. 2. Nonn. de Re cibar. II. 3. In illis vendendis venditor solebat cavere, *sanos esse*. Varr. de Re Rust. II. 4. *Emi solent sic, illasce sues sanas esse, habereque recte licere, noxisque præstari, neque de pecore morboso esse spondesne? quidam adjiciunt: perfunctas esse a febri, & a foria.* Brisson. de Form. VI. p. 496. Hadrianus Æliam, id est, Hierosolymam instaurans in fronte portæ, quæ ad Bethleem erat, *suem* in marmore sculptum proposuit, significans Romanæ potestati subjacere Judæos. Euseb. in Chron. p. 168. Forte illos Hierosolymæ aditu hoc modo prohibere voluit. *Pith. Subsec.* II. 3. Antiquissima fuit victima. V. supr. in *Porca*.

SUSCEPTOR vocabatur civis, qui a decurionibus, quorum præcipua cura in exigendis tributis versabatur, eligebatur, ut debita publica *susciperet*. Is creabatur in curia civitatis, eo fere modo, quo & decuriones: unus enim, aut plures suo periculo eum nominabant, in quem si curiales consensissent, acta a tabulario curiæ scribebantur, eaque cum nomine *susceptoris*, & nominantis, qui pro illo tenebatur, ad præsidem provinciæ mittebantur. Gratian. A. l. exactores C. de suscept. præp. & arcar. *Exactores, vel susceptores in celeberrimo cœtu curiæ, consensu, & judicio omnium subactorum testificatione firmentur, provinciarumque rectoribus eorum nomina, qui ad munus publicum officii editi, atque obligati fuerint, innotescant, & animadvertant quicunque nominaverint, ad discrimen suum universa, quæ illi gesserint, redundare.* Eligebatur aut ex decurionibus, aut ex plebe. Papin. l. libertus. 17. §. exigendi ff. ad munic. *Exigendi tributi munus inter sordida munera non habetur, & ideo decurionibus quoque mandatur.* Ejus officium erat I. ut præsente defensore civitatis cujusque jugera, & debitum deferebat l. susceptores 10. C. de suscept. præp. & arc. II. a quocunque frumenti quinquagesimam, hordei quadragesimam, vini & laridi vicesimam exigat l. modios. 9. C. d. t. quæ in fisci horreis condebantur l. frumenta C. eod. ac præpositis horreorum servanda committebantur. Accepto tributo chirographum solventi faciebat, in quo summa datæ pecuniæ, causa solutionis, nomen solventis, consul, mensis, & dies præstiti tributi continebatur. Honor. A. l. 1. C. de apoch. publ. *Sed & aurum, quod ex hujusmodi contributione redigitur, ita debet susceptoris aurario consignari, ut securitatibus nomen inferentis, dies, consul, mensis, causa, & summa comprehendantur.* Creabatur in annum, nisi consuetudo, aut hominum penuria in biennium hoc officium continuare fecisset l. neminem 4. C. d. t. Nec ád hoc munus reverti poterat, nisi prius rationem ante gestorum reddidisset l. neminem 8. d. t. Novus, non solum anni, quo creabatur, sed & reliqua præcedentis debita tributa exigere tenebatur l. susceptores 3. C. eod. Habebat aliquam quæstoris Romani imaginem. *Pancirol. de Magistrat. municip. c.* 10. *Notit. dignit. imp. occid. c.* 10. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 13. *Stewech. ad Veget.* III. 3. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 9.

SUSPENDIOSUS vocatur cruciarius, in patibulo *suspensus*, cruci affixus. Ulpian. l. 11. §. 1. ff. de his qui not. infam. *Non solent autem lugeri suspendiosi....* Faber Semest. II. 9. Kirchman. Append. ad lib. de Funer. Roman. c. 9. Rævard. de Div. reg. jur. c. CIX. Hos non deponebant, sed tabo illic passi sunt defluere, & a sole, ac pluvia corrumpi. V. supr. in *Cruciarius*. Hinc videre

est, ex indulgentia potius, & clementia quadam præsidis Pilati, quam ex veteri more Romanorum corpus Servatoris nostri in cruce *suspensi* Josepho Arimathæo, & Nicodemo ad sepulturam esse concessum, ut est apud Euangelistas. *Faber & Kirchmann. l. l.*

SUSPENSIO inter arbores fuit, qua rei inter arbores appendebantur, &, redactis iis, scindebantur. De Corona martyre Martyrol. XIV. Maji: *Ipsa inter arbores scissa.* Quod ipsum schema ad cruces referendum facile accredam, qui sic appellat, Prop. III. 20. 37.

Arboreasque cruces Sinis, & non hospita Grajis
Saxa, & curvatas in sua fata trabes.

Senec. Epist. XIV. inter genera crucium recenset *distracta in diversum actis cruribus membra.* Lips. de Cruc. III. 9.

Suspensio decussata fuit, qua rei inter duos palos dispessis manibus, pedibusque alligabantur, ut de Anastasia Martyrologium: *Manibus, & pedibus ligata est ad palos.* Lips. de Cruc. III. 9.

Suspensio inversa dicta fuit, qua reus in capite suspendebatur, pedibus sublatis. Senec. ad Marciam c. 20. & Euseb. VIII. 8. V. illos supr. in *Cruciarius.* Quod & ipsum in D. Petro, sed eo rogante, ne assimularetur magistro. Abdias: *Et accedens ad crucem, rogavit, ut inversis vestigiis figeretur.* Chrysost. Orat. in Petrum & Paulum: *Gaudeas o Petre, crucis lignum degustans, & ad instar Magistri crucifixi recusans in recto schemate, sed magis in caput obversus, tanquam in cœlum viam a terra faciens.* Lips. de Cruc. III. 8.

Suspensio obliqua dicta fuit, qua rei obliqui super crucem, crucesve ponebantur. Plutarch. Artoxerx. p. 1019. E. V. illum supr. in *Crux.* Lips. de Cruc. III. 9.

SUSPICERE aves erant voces auguribus propriæ. Ammian. XXII. 1. *Julianus exta rimabatur assidue, avesque suspiciens præscire festinabat accidentium finem, sed responsis ambiguis, & obscuris hærebat futurorum incertus.* Buleng. de Augur. c. 9.

SUSTINERE cognitiones dicebantur, qui illas differebant. l. interdum ff. de judic. *Interdum ex justis causis, & ex certis personis sustinendæ sunt cognitiones: veluti si instrumenta litis apud eos esse dicantur, qui Reipublicæ causa aberunt. Idque divi fratres in hæc verba rescripserunt: humanum est, propter fortuitos casus dilationem accipi: veluti quod pater litigator filium, vel filiam, vel uxor virum, vel filius parentem amisit, & in similibus causis cognitionem ad aliquem modum sustineri.* Guther. de Offic. dom. Aug. I. 28.

SUT.

SUTOR vocatur, qui calceos *suit.* Mart. IX. 75. 10.

Si dare sutori calceus ista potest.

Exinde *sutorium atramentum* legimus. Ministros etiam includebat, qui habenas, cingula, antilenas, cæteraque ad equos spectantia *consuebant.* Erat Romæ via Cassia domi Antonii Britini hic lapis:

SECUNDA C. CORNELI
ELENCHI LIBERTA
CONJUX EPIGONIS
AUG. SUTORIS DECESSIT.

Ubi ad judicandum *sutoris* exercitium subula additur. *Argol. in Panvin. de Lud. circ.* I. 15. Illum describit Mart. IX. 75. 1.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre, vetusque solum;
Prænestina tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit.

Scævol. l. 78. §. hæredum ad SC. Trebell. *Hoc amplius eidem alumno hominem collactaneum, & vernam sutorem, qui eum artificio suo, mercede delata, alere possit.* Pignor. de Serv. p. 359. Habitabat in ipsa Urbe. Plin. X. 43. ubi lepidam simul, & tristem corvi voces humanas imitantis refert historiam, sic inter cætera: *Sub imperio Tiberii corvus e summa Castorum æde in sutoris officinam e regione positam se dedit.... Calcearius alter, qui propinquam incolebat officinam, corvum illum occidit.* Et quidem in ea quartæ regionis parte, quæ octavam vicinam habebat. *Balduin. de Calc. c. 7.*

SYL.

SYLLA fuit dictus P. Cornelius Rufus, quod decemvir ex libris Sibyllinis ludos Apollinares instituerit: siquidem *Sylla*, quasi *Sibylla* appellatus est. Macrob. Sat. I. 17. *Bello Punico hi ludi*, Apollinares, *ex libris Sibyllinis primum sunt instituti suadente Cornelio Rufo decemviro, qui propterea Sibylla cognominatus est; & postea corrupto nomine primus Sylla cœpit vocitari.* Hoc cognomen postea in familia mansit. *Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Glandorp. Onomast. Roman. p. 263. Augustin. de Fam. Roman. in Cornelia. Pigh. Annal. Rom. II. p. 177.* Duos solos consulares invenio, quorum alter consul designatus ambitus damnatus est, alter *Sylla* Felix, dictator, bis consul, ac triumphalis fuit. Vir fortis, sed tyrannus, & sanguinarius. L. F. P. N. a Verrio appellatur. Quæstor C. Mario consuli Jugurthino in bello fuit: cumque Jugurtha deditionem fecisset, a *Sylla* Mario datus est; quam speciem in annulis, & nummis exprimendam curavit: unde initium partium, & multorum malorum seminarium exortum est. Consul cum Q. Pompejo Rufo fuit an. 665. Cum bellum Mithridaticum suscepisset, contentione orta inter C. Cæsarem L. F. Strabonem, & P. Sulpicium adolescentes disertos, provincia consularis C. Mario ex lege Sulpicii tribuitur. Hinc maximum ortum inter Marianos, & Syllanos bellum civile. Victor *Sylla* in Asiam profectus est. Ubi fortem se, atque felicem multis, magnisque rebus gestis ostendit. Inde reversus Samnites ad internecionem delevit, Marianos occidendos, proscribendosque curavit. Dictator ab Interrege L. Valerio Flacco Reipublicæ constituendæ longo intervallo dictaturæ nomine inaudito, dictus est an. 671. anno proximo triumphum per biduum egit ex Græcia, Asia, Ponto, & Rege Mithridate IV. & III. Kal. Febr. In sequentem annum consul designatus est cum Q. Cæcilio Metello Pio. Altero post consulatum anno se dictatura abdicavit: quod C. Cæsar reprehendere solebat, ac dicere eum *magistrum populi*, sic enim veteres dictatorem appellabant, *literas nescisse*: non quod *Sylla* indoctus esset, sed quod tyrannorum jura, sive artem tyrannidis retinendæ, quas literas reconditas appellabat, ignoraret. Uxores *Syllæ* fuerunt: I. Ilia, ex qua filiam suscepit. II. Ælia. III. Cœlia, quam, ut sterilem, repudiavit. IV. Cæcilia L. Metelli Delmatici filia, quæ parum pudica credita est, geminorum Fausti, & Faustæ mater. V. Valeria Messallæ filia Q. Hortensii soror, ex qua Postuma nata est. *August. & Glandorp. l. l. Panvin. Fast.* I. *p.* 158. Post multa crudelia facta phthiriasi decessit. Qua de re ita cecinit Q. Seren. VI. 4.

Sed quis non paveat Pherecydis fata tragœdi?
Qui nimio sudore fluens animalia terra
Eduxit, turpi miserum qui morte tulerunt.
Sylla quoque infelix tali languore peresus
Corruit, & fœdo se vidit ab agmine vinci.

Glandorp. l. l. Primus ex patriciis traditur, qui discedens cremari voluit. V. supr. in *Cadaver.* Alter *Sylla* consul designatus P. Cornelius Ser. F. L. N. appellatus, filius fratris dictatoris cum L. Antonio Pæto damnatus est ambitus. In eorum locum accusatores successerunt L. Aurelius Cotta, L. Manlius Torquatus an. 688. Hunc defendit Cicero in oratione, quæ pro *P. Sylla* inscribitur. Accusabat L. Torquatus, Lucii, de quo dictum est, filius *Syllam* cum Autronio, & Catilina conjurasse: Cicero negat ullam unquam de eo suspicionem habuisse, sed vixisse Neapoli otiosum. *Augustin. & Glandorp. l. l.*

SYLVA Nævia fuit extra portam Næviam. Festus: *Neviam sylvam vocitarunt extra Urbem ad milliarium quartum,*

tum, quod Nævii cujusdam ibi domus fuisset, a quo nemora Nævia appellata etiam fuisse Verrius ait, quam opprobrii loco ab antiquis objici solere, quod in ea morari adsuessent perditi, & nequam homines, testis est Cato. Nardin. Rom. Vet. III. 3. Donat. de Urb. Rom. I. 19.

Sylva Scantia maxime celebratur inter pascua publica. De illa multis agit Cicero in Orat. agrar. contra Rullum. *Burmann. Dissert. IV. de Vectig. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 16: II. 4.

Sylva vocabatur genus venationis ludicræ, vel spectandi, in quo omnia, quæ producta erant animalia, diripiebantur a populo, ab eo, quod totus circus ad *sylvæ* speciem arboribus esset consitus: arbores enim per milites radicitus evellebantur, quæ, in circo connexis longe lateque trabibus, terra superjecta affixæ plantarentur, ita ut *sylva* plane esset, quæ dein ferta omni genere herbaticorum animalium, immittebatur populus, qui omnia diriperet. Vopisc. Prob. c. 19. *Venationem in circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus spectaculi fuit tale.* *Arbores validæ per milites radicitus vulsæ connexis late longeque trabibus affixæ sunt, terra deinde superjecta, totusque circus ad sylvæ consitus speciem, gratia novi viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inveniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit.* Nullæ feræ, aut noxia, vel dentibus, vel unguibus animalia exhibebantur in illo venationis ludicro, sed herbatica tantum, & quæ rapi facile possent ab inermibus popularibus; viva enim diripiebantur. Gordiani *sylva fuit memorabilis,* ut narrat Capitol. c. 3. *Picta in domo rostrata Cn. Pompeji, quæ ipsius, & patris ejus & proavi fuit, quam Philippi temporibus vester fiscus invasit. In qua pictura etiam nunc continentur cervi palmati ducenti mixtis Britannis, equi feri 30, oves feræ 100, alces 10. tauri Cypriaci centum, struthiones Mauri miniati 300, onagri 30, apri 150, ibices 200, damæ 200. Hæc autem omnia populo rapienda concessit de muneris, quod sextum edebat. Sylvam,* & pancarpum idem esse jampridem sibi persuaserunt homines eruditissimi. Sed hoc falsum. Adeo enim diversa res est pancarpus & *sylva*, ut nihil possit fieri diversum magis, nihil, inquam, simile, omnia omnino dispari. Qui eadem hæc duo esse existimarunt, videntur prorsus ignorasse, quid pancarpus esset, quid *sylva*. In pancarpo nulla *sylva*, vel *sylvæ* species, nulla herbatica animalia, nulla animalium direptio, nulli, qui diriperent, populares. In *sylva* nullæ feræ, nulla cum bestiis hominum depugnatio, nulla bestiarum occisio. *Salmas. in Capitolinum, Cerda Advers. c. 52. n. 3.* Errant etiam illi, qui putant a Gordiano I. exhibitum hoc genus ludicræ venationis. Jam ante Gordianum Heliogabalus in consulatu hoc genus dederat. Lamprid. c. 8. *Quum consulatum iniisset, in populum non nummos, vel argenteos, vel aureos, vel bellaria, vel minuta animalia; sed boves opimos, & camelos, & asinos, & cervos populo diripiendos objecit, imperatorium id esse dictitans.* Idem de Nerone tradit Suet. c. 11. n. 7. *Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies singula quotidie millia: avium cujusque generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ, novissime naves, insulæ, agri.* Differentia tamen inter missilia Neronis & Heliogabali, quod Heliogabalus res ipsas diripiendas populo objiciebat; & inde videtur venatio direptionis, quam & sequentes, qua privati consules, qua Imperatores, in editione ludorum suorum usurparunt, initium, & originem sumpsisse. At in Neronis missilibus tesseræ tantum spargebantur, res ipsæ, hoc est, animalia ipsa diripienda non dabantur. *Salmas. in Probum. Casaubon. in Capitolinum. Buleng. de Venat. circi c. 24. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 5.*

Sylvæ vocantur poemata, & opuscula, in quibus variæ, & diversæ materiæ, *subito calore excussæ*, ut loquitur Quintil. x. 3. congestæ sunt: uti solemus infinitam arborum indiscriminatim nascentium multitudinem *sylvam* dicere. Cicer. de Orat. III. 26. *Primum sylva rerum, & sententiarum comparanda est.* Gell. Præf. *Quia variam, & miscellam, & quasi confusaneam doctrinam conquisierant; eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt: namque alii sylvarum inscripserunt.* Suet. de Illustr. grammat. c. 24. n. 4. *Reliquit non mediocrem sylvam observationum sermonis antiqui.* Scalig. Poet. III. 99. Gevart. Præf. in Stat. Sylv. Voss. de Instit. Poet. III. 22. §. 2. Pitisc. in Suetonium.

SYM.

SYMBOLA vocatur Cicer. de Orat. II. 57. *collecta. Quoniam collectam a conviva, Crasse, exigis*, collatio nimirum, quæ a convivis in cœnam, aut prandium confertur, sive pecuniaria, sive penuaria sit. *Turneb. Adv.* III. 6. Apposite ad etymon vocis Gell. VI. 13. *Cum domum suam nos vocaret, ne omnino, ut dicitur, immunes, & asymboli veniremus, conjectabamus ad cœnulam, non cupedias ciborum, sed argutias quæstionum.* Inde *symbolarum collatores* sunt collectarum, portionumque, quas quisque pro se fert, apud Plaut. Curc. IV. 1. 13.

Symbolarum collatores apud forum piscarium.

Voss. Lex. Etymol. Donat. de Urb. Rom. II. 27. Buleng. de Conviv. Vet. I. 2. Casaub. in Athen. III. 31. Laurent. de Conviv. c. 7.

SYMBOLUM vocabatur annulus, vel quicquid arræ loco solitum dari ei sodalium, qui jubebatur parare cœnam. Terent. Eun. III. 4. 1.

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo,
In hunc diem ut de symbolis essemus: Chæream
Ei rei præfecimus: dati annuli.

Unde apud Lucianum in Dialogis meretriciis mater objurgans filium Mutarium, quod Chæream amasium suum nimis amaret, nimisque ei fideret: *Et ob hoc paullo ante cum non haberet, unde daret symbolum, annulum dedisti illi, me ignorante: ille vero eum vendens, potando absorbuit.* Etsi autem alia quoque arræ loco dabantur, tamen, quia frequentissimus usus obtinebat, ut annulum pro *symbolo* darent, veteres grammatici ἁπλῶς σύμβολον exposuerunt annulum: quibus accedit Plin. XXXIII. 1. *De nomine*, ait, *annuli ambigi video. Græci a digitis appellavere: apud nos prisci ungulum vocabant: postea & Græci & nostri symbolum.* Kirchman. de Annul. c. 18. Casaub. in Athen. III. 31. Long. de Annul. c. 1. Voss. Lex. Etymol. Laurent. de Conviv. c. 7. Tomas. de Tesser. hospital. c. 16.

Symbolum dicebatur tessera, cujus in contractibus olim usus loco præsentis pecuniæ. Sic apud Theophrastum in Characteribus ab eo, qui lucar pendere debuit, pro pecunia exhibetur σύμβολον. De his *symbolis* accipiendum, quod scribit Isidor. v. 24. *Veteres quando aliquid sibi promittebant, stipulam tenentes frangebant: quam iterum jungentes sponsiones suas agnoscebant.* Describit Isidorus tesseram ligneam, qualis olim fuit interdum, qui jus hospitalitatis inter se colebant, ut ex Euripidis scholiaste, aliisque discimus. *Casaub. in Athen.* III. 31. *Long. de Annul. c. 1. Tomas. de Tesser. hospital. c. 16.*

Symbola appellabantur administrationis in codicillis magistratus delineati insignia. Justin. Novel. 24. §. ult. loquens de prætore Pisidiæ: *Ut autem cognoscant, quomodo provincias gubernare conveniat, visum est nobis non tantum symbola prebere administrationis in codicillis, sed modum præscribere, quo provincias administrent, scilicet in libro mandatorum.* Novell. 25. instituens Lycaoniæ prætorem: *Nobis studium fuit, non tantum administrationis symbola ex codicillis, sed & mandata Principum exhiberi.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 22.

SYMBOLUS dicebatur imago ceræ impressa. Plaut. Pseud. I. 1. 53.

Ea causa miles hic reliquit symbolum
Expressam in cera ex annulo suam imaginem,
Ut qui huc afferret ejus similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret.

[illegible] II. 3. 29.

[illegible] exemplo [illegible] symbolum,
[illegible] ad [illegible], ut fieret [illegible].

T[illegible] d. T[illegible]. hospital. c. 16.

SYMP[illegible]NIA *[illegible] temperamenta [illegible] vi, & acuto concordantibus sonis, sive in voce, sive in flatu, [illegible]* Isidor. II. [illegible] *Lex. [illegible]*

[illegible] appel[illegible] instrumentum quoddam [illegible] Isid. III. 22. [illegible] *genus esse organi musici.* Salmas. in Vopisci Carin. c. 19. [illegible] p. 126. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 606.

SYMPHONIACI dicebantur servi, qui musicam tenebant, & *symphoniam* canebant. In tricliniis [illegible] venter delectaretur, erant familiares. Ulpian. l. 15. §. 1. ff. de [illegible]. *Si librarios [illegible], & [illegible] vel de symphoniaco atriensem, vel de palæstra stercorandis latrinis præ[illegible] proprietate.* Cicer. pro Mil. c. 21. *Milo tum [illegible] pueros symphoniacos [illegible].* Verr. III. 44. *Cum in eis conviviis symphonia caneret, maximisque po[illegible].* Pignor. de S[illegible]. p. 145. Popm. de [illegible]. p. 64. Bartol. de Tib. II. 1[illegible] Buleng. de Theat. II. 10. Erant enim in navi, qui [illegible] remigibus canerent. Cicer. Divin. c. 17. *Ab hoc prædictus [illegible] quidam symphoniacos [illegible] adducebat per [illegible], [illegible] velle dicebat.* Nam, ut Asconius tradit, *cum remigibus [illegible] em, id est, ore prolatam, & per cithuram; sed quia hic, in classe dixit, possumus intelligere, ad hoc symphoniacos capi solere, [illegible]* Bartol. ibid. c. 16. Pignor. ibid. p. 147. Popm. ibid. p. 65. Diversi tamen *symphonia* a celeusmate, cum quo hactenus ab omnibus confundebatur. Nam cum celeusma vox esset simplex, *symphonia* cum modulatione quadam fiebat: cumque [illegible] ore, hæc [illegible] quibusdam instrumentis edebatur. Et [illegible] *Scheffer. de Milit. nav.* III. 1.

SYM[illegible]ARCHUS [illegible] V. ill[illegible] *[illegible] bilandi.*

SYN.

SYNDICUS Græce, [illegible] Latine dicebatur, qui in municipiis, cum pluribus ex causis civitates convenire, & [illegible] contra alios agere oportebat, eligebatur, ut vel re[illegible] Cajus l. 1. quod cujusq. [illegible] univ. nom. *[illegible] permissum est ad exemplum [illegible] habere res communes, arcam communem, & actorem, sive syndicum, per quem tanquam in re publica, quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, fiat.* Quæ verba licet alia quoque negotia [illegible], excipiendi [illegible] actionum *syndico* committere videantur, ob id tamen præ[illegible], cum Reipublicæ curator alia quotidiana negotia [illegible] autem ad movendas, defendendasque Reipublicæ causas constituebatur. Arcad. l. ult. §. defensores de muner. & honor. *Defensores, quos Græci syndicos appellant, & qui ad certam causam agendam, vel defendendam eliguntur, laborem personalis muneris aggrediuntur.* [illegible] munere fungebatur; quo in privatorum causis procurator l. 1. fin. & l. item eorum 6. §. ult. quod cujusque univers. nom. Dicitur, quod plurium simul [illegible]. Eligebatur ab universo ordine decurionum. Ulpian. l. nulli 3. d. t. *Nulli permittetur nomine civitatis, vel [illegible], nisi ei, cui lex permittit, aut lege cessante [illegible], cum duæ partes adessent, aut amplius quam duæ.* Quandoque decuriones [illegible] duumviris committere, ut ipsi [illegible] eligerent: & is ab universo ordine [illegible]. Paull. l. item eorum §. 1. ff. d. t. *Si decuriones decreverunt, actionem per eum movendam, quem duumviri elegerint, is videtur ab ordine [illegible], & ideo experiri potest: parvi enim refert, ipse [illegible] elegerit, an is cui ordo negotium dedit.* Panciro. de Magistrat. munic. c. 17. Bud. in Pandect. p. 263. B. Schill [illegible] p. 1065.

S[illegible]NEDRIA appellabantur collegia in municipiis, in quibus causæ decidebantur, nec extra illa determinari poterant. Scævol. l. fin. ff. de decret. ab ord. fac. *Munici[illegible] si quis extra synedrium judicaverit, [illegible] seu synedrio [illegible], & [illegible] ad hæc drachmas mille.* Pancirol. de Magistrat. munic. c. 6.

SYNTHESIS fuit vestis cœnatoria. Mart. V. 81. 1.

Undecies una surrexti, Zoile, cœna,
Et mutata tibi est synthesis undecies.

Hoc quoque observat Suet. Ner. c. 51. n. 3. *Circa cultum [illegible] pudendus, ut plerumque synthesinam [illegible] in publicum.* Unde *cubitoria* dicitur Petron. c. 30. *Vestimenta mea cubitoria perdidit.* Voss. Lex. Etymol. Lips. Sat. I. 2. Stuck. Ant. Conviv. II. 36. Buleng. de Conviv. I. 35. Pitisc. in Suetonium. Tunicam fuisse videtur ostendere Xiphilinus. Nam narrans, quod de Nerone jam narravit Suetonius, *tunicul*am appellat LXIII. p. 721. B. *Senatores in [illegible] tunicula, Χιτώνιον, sindoneque collo circumposito, salutabat.* Sed fortasse innuit, Neronem aliquando cum *synthesi*, hic sola tunicula indutum processisse in publicum. *Synthesin* enim a tunica distinctam fuisse certum est, alioqui Romani in conviviis, & Saturnalibus tantum tunicati fuissent. Ipse Xiphil. LXIX. p. 796. A. de Corn. Frontone, causarum patrono, qui cum aliquando alta nocte a cœna domum rediret, ac intellexisset a quodam, cui patrocinium promiserat, Hadrianum jus reddere, ut erat in cœnatorio amictu ad tribunal accessit. *Ferrar. de Re Vest.* I. I. 31. Credo fuisse ad formam pallii. Plaut. Bacch. I. I. 37.

Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hasta talus, pro lorica malacum capiam pallium.

Nam describit omnia, quæ solita convivio. Sic etiam, ubi de [illegible] cum uxore accumbente, Mart. XI. 24. 11.

Ad mensam venies, sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.

Et de Trimalcione cœnante Petron. c. 32. *Pallio coccineo adrasum incluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam.* Recte *malacum* Plautus. Revera enim mollior, pretiosiorque ea vestis, & e purpura sæpe. Apud Horat. Epod XII. 21. vetula amatrix:

Muricibus Tyrus iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur? tibi nempe.
Ne foret æquales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier sua, quam te.

Nam ad convivia manifeste accommodat. *Lips. l. l.* Non aliud igitur dicere possumus, quam fuisse ad instar pallii, ut vult Lipsius, vel linteam sindonem, qua in convivio involvebantur, reliquis, ut plurimum, depositis vestimentis. Sane in antiquis tricliniorum figuris homines seminudi cubant, solo linteo, quod fortasse *synthesis*, semiamicti. *Ferrar. l. l.* Vestem viliorem, sed satis oscitanter, volunt fuisse Bayf. de Re Vest. c. 10. & Alciat. Parerg. II. 21. *Brod. Misc.* VI. 7. *Voss. Lex. Etymol.* Illis oppono Tertull. de Pallio. V. illum supr. in *Endromis.* Existimo fuisse vestem elegantiorem, & lautiorem: qua populo Romano certis diebus publice, ut Saturnalibus, uti licebat: cum Romæ, quo quis vellet, vestitu uti non liceret, togasque ferre cogerentur. Sic audio Venetos senatores certo quodam togæ genere perpetuo uti in publico, domi eosdem sericatos esse: qua veste domestica si foris uterentur, capitis diminutionem subituros esse, & nobilitatem amissuros. *Turneb. Adv.* XXIV. 19: XXVII. 18. Ego affirmo tantum fuisse ditiorum, & lautiorum, non plebejorum. Satis clare Martialis. Et adjuvat valide Suetonius. V. illos modo laudatos. *Lips. l. l.* & qui illum sequitur, *Rader. Mart.* XIV. I. I. Sed ex

neutro

[illegible] tantum lautiorum intelligis. Zolam quidem [illegible], & [illegible], quod [illegible] *[illegible]* [illegible] in [illegible] Mart. ibid. [illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible] Nam & [illegible] Saturnalia. [illegible] Idem [illegible] Nam [illegible] Saturnalium licentiam ait, non solum vulgus, sed utrumque ordinem posita toga cum *synthesibus*, sive cœnatoriis incessisse. Idem ibid. 141.

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Non hic senatum, aut equites alloquitur, sed Romanos omnes, qui Saturnalibus *synthesinati*, sive in cœnatoriis, quasi eo tempore esset perpetuum convivium. Quare [illegible] rito, quod Saturnalibus togatus incederet, Carisianum reprehendit Mart. VI. 24. 1.

Nil lascivius est Carisiano,
Saturnalibus ambulat togatus.

Senec. Epist. 18. *December est mensis, cum maxime civitas desudat* Saturnalibus. *Si te hic haberem, libenter tecum conferrem, quid existimares esse faciendum, utrum nihil ex quotidiana consuetudine movendum: an, ne dissidere videremur cum publicis moribus, & hilarius cœnandum, & [illegible] togam. Nam quod fieri nisi in tumultu, & tristi tempore civitatis non solebat*, cum scilicet ad saga transiretur, *voluptatis causa, ac festorum dierum vestem mutavimus.* [illegible] convivantium vestis, etiam [illegible] ejus [illegible] etiam in municipiis. Mart. IV. 66. 4.

Dixit & æstates synthesis una decem.

Quod tamen poetice dictum. [illegible] fuerunt quidem esse pretiosiores divitum & lautiorum: cæterum commune [illegible] vestimentum fuisse apparet. *Ferrar. [illegible]* c. 30. [illegible] in eo etiam Lipsius, quod pallium illud, quo Trimalcio *adrasum incluserat caput*, *synthesin* fuisse existimat: nam illud [illegible] fuit, quo mulieres, viri etiam languentes, & delicati caput obnubebant. Fuerunt & muliebres. V. illas inf. in *Vestes cœnatoriæ.* Ferrar. ibid. c. 31.

Synthesis, sed non nisi metaphorice, ut quorundam est [illegible], dicitur vasorum congeries. Stat. Sylv. IV. 9. 44.

Aut unam dare synthesin quid horres
Alborum calicum, atque cacaborum?

Mart. IV. 46. 14.

Et crasso figuli polita cœlo
Septenaria synthesis Sagunti.

Ubi *synthesin septenariam* vocat, quæ constaret septem [illegible] vasis Saguntinis. *Voss. Lex. Etymol.*

SYR.

SYRACUSÆ fuere metropolis Siciliæ, maxima, & pulcerrima omnium Græcarum urbium. Cicer. Verr. IV. 53. *Syracusæ Græcarum urbium pulcerrima tanta fuit, ut ex quatuor urbibus maximis constare dicatur. Quarum una est Insula, in qua domus est, quæ regia Hieronis fuit: altera Acradina, in qua forum maximum: tertia, quæ, quod in ea parte [illegible] antiquum fuit, Tycha nominata [illegible], quæ [illegible] ædificata est, Neapolis nominatur.* [illegible] Notit. dignit. imp. occid. c. 52. Cluver. Sicil. Ant. I. 12. [illegible] Melit. I. 2. Vinding. [illegible] Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 55. [illegible] Græc. vet. Tom. I. lib. VII. Thes. Gronov. Tom. IV. p. 56. [illegible] Græc. Ant. II. 3. Ejus [illegible] descripsit Emm. Græc. vet. Tom. III. Thes. Gronov. [illegible] qui *Syracusas* describunt [illegible] Cluver. Sicil. I. 12.

[illegible] locus ille, in quem [illegible] quid agere [illegible] Suet. c. 72. 4. *[illegible], aut [illegible] proponeret, erat [illegible] in edito [illegible], quem Syracusas vocabat: huc transibat.* Quod esset separatus, & a reliqua domo sejunctus, quia & *Syracusæ* [illegible] certe [illegible] *Pœcilen*, *Tempe vocavit* Adrianus Cæsar apud Spartian. c. 27. [illegible] XXIX. 2. *Salmas. in [illegible]* c. 11. [illegible] *in Suetonium.*

SYRIA *aliquando largius accipitur, ut [illegible] totius [illegible], ut partes tantum contineat. Syria [illegible] multas provincias intra [illegible] continet [illegible], a [illegible] Ægyptum [illegible], & a Cilicia usque in mare rubrum, cujus ab inferiori parte, [illegible] Tigridem, & Euphratem, prima ejus partium Mesopotamia est. . . . post hanc vero ejusdem Syriæ Cœlesyria maxima portio est, in qua [illegible] Antiochia [illegible] est: [illegible] ut ejusdem [illegible] sunt partes. [illegible] partes ejus præcipuas sunt etiam Syriæ partes, [illegible]: prima, cujus metropolis est Bostrum: secunda, cujus metropolis est Petra deserti, sed & Syria Sobal ejus majoris pars est.* [illegible] de Bell. [illegible] II, 9: XIII. 2. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 105. Septentrione [illegible] Cilicia, & Amano monte terminatur: ab occidente Euphrate: ab occasu Syrio, & Ægyptio pelago: a meridie Arabia Felici, & Ægypto. *Terrarum maximam* vocat Plin. V. 12. sub ea Palæstinam, Phœnicium, & Mesopotamiam complexus. [illegible] XIV. 8. sub *Syria* Comagenam, [illegible], & Palæstinam comprehendit. [illegible] inter Ciliciam, & Arabiam est [illegible] XX. [illegible], longitudo DXXV. Antea *Assyria* dicta ab Assur, cujus metropolis est Damascus. *Pancirol. ibid. c.* 109. *Sigon. de Ant. jur. provinc.* I. 12. Pompeji Magni virtute ultimo bello Mithridatico victa leges accepit, & [illegible] populi Romani numerum [illegible] Pompejus [illegible] & in bello Mithridatico [illegible], ne quid [illegible] relinqueret, quod esset [illegible] Antiochus *Syriam* retinuerat, *Syriam* Antiocho ademit, cum diceret, Seleucidis *Syriæ* possessione a Tigrane dejectis, jure eam ditionis Romanorum, qui Tigranem superassent, factam esse: atque ita totam *Syriam*, excepta Comagene, & Judæa, quas Reges reliquit, in provinciæ formam redegit. *Sigon. l. l. Pancirol. ibid. c.* 99. *Panzin. Imp. Roman. c.* 14.

Syria Comagena, postea Euphratensis, ad Euphratem porrigitur. Ammian. XIV. 8. *Prima post Osdrœnam Comagena, nunc Euphratensis, clementer assurgit.* Procop. de Bell. Pers. V. *Regio Samosatis juxta Euphratem est jam dudum Comagena, nunc autem ex fluvii nomine Euphratisia vocata.* Illam in provinciæ formam redegit Vespasianus. Suet. c. 8. n. 9. V. illam supr. in *Comagena*. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 114. & 148.

Syria Salutaris ultima est, a salubribus aquis in ea scaturientibus appellata. Ammian. XIV. 8. *In his tractibus navigerum nusquam visitur flumen: at in locis plurimis aquæ suapte natura calentes emergunt, ad usus apta multiplicium me-*

delarum. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 114.

SYRIARCHUS erat ſuæ provinciæ ſacerdos, & pro ejus, ut opinabantur, ſalute ſacra procurabat. Nomen eſſe ſacerdotii patet ex l. ult. C. Th. de expenſ. l.d. Nemo cogebatur fieri *Syriarcha* l. 103. C. de decurion. V. illos etiam ſupr. in *Alytarcha.* Buleng. de Vectig. c. 69.

SYRMA erat veſtis oblonga. Unde *profundum*, id eſt, ad terram demiſſum appellat Sidon. Epiſt. VIII. 11.

Et rugas tibi ſyrmatis profundi
Succingant hederæ expeditiores.

Idem oſtendit Prudent. Pſychom. n. 362.

Ut tener inceſſus veſtigia ſyrmate verrat.

Eo in tragœdiis utebantur, quo perſonæ heroum, vel heroinarum viderentur proceriores. Pollux VII. 14. *Syrma veſtis tragica contracta eſt.* Mart. XII. 96. 4.

Aptaſti tragicum tu quoque ſyrma tibi.

Vopiſc. in Carin. c. 20. *Si aviæ pallio aurato, atque purpurato pro ſyrmate tragœdus uteretur.* Voſſ. Lex. Etymol. Buleng. de Theat. I. 55. Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 329. Ferrar. de Re veſt. II. 4. 1. Savaro in Sidonium. Turneb. Adv. XVIII. 35. Pertinuit ad utrumque ſexum. Juven. Sat. VIII. 228.

—— longum tu pone Thyeſtæ
Syrma, vel Antigones.

Quia autem matronæ utebantur *ſyrmate*, inde eſt, quod & matrona apud Terentium in Hecyra *Syra*, ἀπὸ τοῦ σύρειν dicitur. *Voſſ. Lex. Etymol.*

T.



& C ſæpe in veteribus libris permutantur. V. ſupr. in *C.*

T & L aliquando commutantur. V. ſupr. in *L.*

T militis nomini appoſitum, ipſum in bello ſuperſtitem eſſe ſignificabat. Iſidor. I. 23. *In breviculis, quibus militum nomina continebantur, propria nota erat apud veteres, qua inſpiceretur, quanti ex militibus ſupereſſent. T. nota in capite verſiculi poſita ſuperſtitem deſignabat. Θ vero ad uniuſcujuſque defuncti nomen apponebant. Unde habet per medium telum, id eſt, mortis ſignum.* V. infr. in *Theta.* *Cum autem pueritiam ſignificare vellent, A litera ſunt uſi.* Valtrin. de Re milit. Roman. II. 7. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Roman. Tom. XI. p 975. B. Alex. Gen. dier. III. 5. Caſaub. in Perſium, Zimmerman. Floril. Philolog. p. 566. Iſidorus eſt falſus. Neque enim cauſam video, cur ea litera vivum denotaret. Quare eo inclino, ut ejus loco *V.* reponenda ſit, quæ & prima in voce *vivus*, & pro ea in antiquis monumentis reperitur. Ita enim in antiquo lapide:

Θ. CN. OGULINUS
Θ. GULNIA
V. L. SAFINIUS.

Hic enim duo mortui ſignantur: poſtremus vivus. *Lipſ. de Rect. pronunt. Ling. Lat. c.* 14. Ego Iſidorum id neque ſolum, neque ſine cauſa ſcripſiſſe dico. Scripſerat idem Rufinus Invectiv. II. in Hieronymum: *Quod tale eſſet, quale ſi quis accepto breviculo, in quo militum nomina continentur, nitatur inſpicere, quanti ex militibus ſuperſint, quanti in bello occiderint: & requirens qui inſpicere miſſus eſt propriam notam, verbi cauſa, ut dici ſolet, Θ. ad uniuſcujuſque defuncti nomen adſcribat, T. propria rurſus nota ſuperſtitem ſignet.* Ita enim ſcribendum eſt, pro eo quod vulgo legitur, *& propria rurſus nota.* P. Diaconus in lib. de Not. liter. *T. nomini militis appoſitum ipſum in bello ſuperſtitem eſſe ſignabat.* Rationem vero, quare id olim fieret, prope eſt, ut hanc fuiſſe putem. Τηρέω inter alia Græcis ſignificat conſervo. Ut igitur eum, qui in prælio occubuerat, notabant litera Θ. quod ea prima eſſet in voce θάνατος, hoc eſt, mors; ita & hoc obtinuit, ut is, qui ſervatus eſſet, prima ejus vocis, quæ id apud Græcos deſignaret, litera notaretur. *Rutgerſ. Var. Lect.* V. 17. Nec Lipſius, nec Rutgerſius ſcopum tetigerunt acu. Non enim eſt veriſimile, Romanos e diverſis linguis deſumptas literas novaſque in eodem textu, ſive lapide adhibuiſſe; ita ut quæ mortuum ſignificaret, e Græca: quæ vivum, Latina peterent: cum tamen, ſiquidem Latinis uti vellent ipſis ſua lingua ſuppeditaret *M.* & *V.* quibus mortuum & vivum conſignarent. Cum vero literam Θ. qua mortuum ſignificarent, a Græcis mutuati ſint etiam eam, qua vivum ab iiſdem petiiſſe eſſet conſentaneum. Eam eſſe Υ. quæ ſimili cum Latino *Vau* exarata eſt in antiquis lapidibus, initium Græcæ vocis Ὑγιής, id eſt, ſalvus. Hanc Υ literæ Θ Iſidorus oppoſuit, ſed imperitia deſcriptorum, demiſſis cornibus in *T* eſt formata. *Reineſ. Var. Lect.* I. 7. *Græv. Theſ. Antiq. Roman. Tom.* XI. *Præfat.* * * 2. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 26. §. 16. *Veteribus SCtis ſubſcribi ſolebat: eaque nota ſignificabatur, ita tribunos quoque cenſuiſſe* Val. Max. II. 2. 7. V. infr. in *Tribuni plebis.*

TAB.

TABELLA erat parva *tabula*, in qua aliquid ſcriptum, vel pictum erat. Et quidem ſcriptæ apud veteres *tabellæ* erant, quæ epiſtolæ dicebantur, ex forma, vel materia, atque argumento diverſæ, ſigillares nempe, pugillares, citreæ, atque eburneæ. De poſtremis auctor Priap. III. 1.

Obſcœnas rigido deo tabellas
Ducens ex elephantidos libellis
Dat donum Lalage.

Duplices item, triplices, & quintuplices, a foliorum numero: ſignatæ pariter, teſtamentariæ, matrimoniales, cenſuales, ærarii, contractus, proſcriptionis, & hujus generis pluſculæ. *Tomaſ. de Donar. c.* 7. *Ruben. de Re veſt.* II. 10. Inter pictas aliæ ad ornatum ædium, & villarum erant comparatæ. Unde Cicer. Fam. VII. 23. *Exedria mihi quædam nova ſunt inſtituta in porticula Tuſculani, ea volebam tabellis ornare.* Aliæ in deorum venerationem, vel beneficii ab illis accepti memoriam. Illarum quædam exhibebant exantlatos caſus, ac labores. Unde Tibull. I. 3. 28. Laudatus ſupr. in *Iſis.* Talis forſitan fuit Androdi apud Gell. V. 14. in qua leonis a ſe curati miraculum extabat. Aliæ ſuperati periculi titulum ſolummodo referebant; quarum ex genere ſunt qui velint fuiſſe Horatianam, non autem ex illis, in quibus pictum naufragium erat. De quibus proprie Juven. Sat. XIV. 301. V. illum ſupr. in *Naufragi.* Tertium genus ex prioribus conflatum erat. Hiſtoriæ nempe inſcriptiones addebantur, quæ voventium nomina, locum, tempus, & voti occaſionem, imo mercedem ipſam diis ſolvendam carmine, vel ſoluta oratione exhibebant: nec inepte χαριστήρια vocantur. Eſt & in monumentis Arundelianis:

Ο ΙΕΡΕΥΣ ΑΡΧΙΔΑΜΟΣ
ΦΙΛΑΙΝΕΤΟΝ ΙΣΙΔΙ
ΟΣΙΡΙΔΙ ΑΝΙΟΥΒΙΔΙ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ.

Unde Prop. II. 21. 43.

Pro quibus optatis ſacro me carmine damno,
Scribam ego, per magnum eſt ſalva puella Jovem.

Apul. Met. VI. p. 176. *Vides dona pretioſa, ut lacinias auro literatas ramis arborum, poſtibus ſuffixas, quæ cum gratia facti nomen deæ, cui fuerant dicata, teſtabantur.* His accedit quartum genus, quod præter hiſtoriam, ac titulos, veſtimenta, vincula, & id genus cætera dona exhibebat. Qualis eſt illa Horatiana, cujus antea memini. Præterea in rei bene geſtæ memoriam antiquitus, ut & noſtra ætate, prælia terra marique feliciter exacta templorum parietibus penicillo, vel ſcalpro effingebantur. Cujuſmodi *tabella* victoriæ Aſiaticæ a L. Scipione in Capitolio poſita; itemque Ajax, & Medea: quibus publi-

ce

ce Cæſar dictator auctoritatem fecit, teſte Plin. XXXV. 4. qui addit. *Super omnes D. Auguſtus in foro ſuo celeberrima in parte poſuit tabulas duas, quæ belli pictam faciem habent, & triumphum. Idem Caſtores, ac Victoriam poſuit, & quas dicemus ſub artificum mentione in templo Cæſaris patris.* Tandem etiam in templis *tabellæ* erant curationes morborum exhibentes. Receptum enim erat morbis liberatis in templo ejus dei, qui opitulatus fuerat, mali auxilium notare. Qui mos uſque ad Antonini Imperatoris ætatem non modo in Græcia, verum in Italia perduravit, uti patet ex *tabella* marmorea, alta pedes II. S. longa pedes II. Romæ quæ prolixior apud Bernardinum Maphæum Cardinalem olim aſſervabatur. V. illam ſupr. in *Ægri.* Deorum ſigna illis aliquando addebantur. Inſcriptio Romæ in ædibus Marii Mellini:

PRO. SALUTE
JULIÆ. VENERIÆ
FILIÆ. DULCISSIMÆ
DELICIÆ. SUÆ
TABELLAM. HANC. MARM
CUM. SIGNO. ÆSCULAPI
IN. SOMNO. ADMONITUS
L. VALERIUS. CAPITO
ÆD. ANN.

Templorum parietibus potius inſerebantur, quam appendebant. Imo veriſimile eſt in ipſis etiam parietibus veteres ſignaſſe ſua donaria. Unde auctores operis jocoſi hactenus Virgilio adſcripti:

— quicquid id eſt, quod otioſus
Templi parietibus tuis notavi
In partem accipias bonam.

Paſſim nautis in uſu fuerunt, poſtquam aliquod diſcrimen evaſiſſent. Cicer. Attic. IV. 16. *Nec enim me una ex hoc naufragio tabula delectat.* Quo loco ad pictas omni procul dubio *tabulas* reſpexit orator; ad illas, inquam, in quibus expreſſos videntes caſus, quos ope divina ſalvi, & incolumes evaſiſſent, voluptate non minima caperentur jucunde acti laboris. de Nat. deor. III. 37. *Tu qui deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalvi pervenerint?* Horat. Sat. II. 1. 33.

Votiva pateat veluti deſcripta tabella
Vita ſenis.

Vetus interpres: *Votiva tabella eſt, quæ ex voto poſita eſt in templo, aut aliquo loco publico, in qua deſcripta, hoc eſt, depicta fortuna alicujus. Ita ſolent naufragi ſuum naufragium tabella depictum circumferre, & in templis alicui deo conſecratum ſuſpendere.* Nec aliud eſt veteribus votum reddere, quam votum *tabellis* hiſce pictis diſſolvere. *Tomaſ. de Donar. c. 7. Briſſon. de Form. 1. p. 107. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* II. 2. V. & ſupr. in *Dona.* Inſcriptionem oſtendentes ſtatuarum baſibus interdum affigebantur, ſive infra appendebantur, præcipue cum altius poſitæ ipſæ ſtatuæ eſſent. Chryſoſt. Homil. in Pſalm 13. *Statuæ ſuperiore loco ſtantes infra miniatas quaſdam tabellas habent, quibus indicatur quiſnam Rex ſit, quoque patre natus, & quod bellum confecerit.* Et hæc fortaſſe eſt illa *longa, atque inſignis honorum pagina* apud Juven. Sat. X. 57. quam vetus Scholiaſtes *ante ſtatuas* affirmat *ſtetiſſe, continentem gradus honorum.* Figrel. de Stat. Roman. c. 27.

Tabella in comitiis, cum antea voce ſuffragium ſolerent ferre, poſt legem tabellariam populo in mandandis ſuffragiis, reliquiſque actionibus data eſt, & illa munere vocis fungebatur. Quare *tabellis* oportuit nomina candidatorum inſcribi, ut daretur illis *tabellis* magiſtratus, ſicut prius nominatim iis appellandis creabantur. Quot ergo erant candidati, quorum rationem haberi oportere judicatum eſſet, tot *tabellæ* unicuique de populo dabantur. Ac brevitatis quidem cauſa *tabella* non integra candidatorum nomina ſcribebantur, ſed primæ tantum literæ nominis cujuſque. Quod colligitur ex Cicer. pro dom. c. 43. *Is poſteaquam intellexit poſſe ſe interverſa ædilitate a L. Piſone conſule prætorem renuntiari, ſi modo eadem prima litera competitorem habuiſſet aliquem.* Neque enim potuit iſta fraus, quam ſignificat Cicero, fieri, ſi primis literis convenientibus integra nomina fuiſſent *tabellis* inſcripta. Sicut ergo judicibus quæ dabantur *tabellæ*, non integra verba continebant, ſed prima tantum elementa verborum *Abſolvo, Condemno, Non liquet*, A. C. N. L. ita magiſtratibus creandis *tabellæ*, quæ dabantur populo, prima tantum elementa nominum candidatorum habebant inſcripta. Quod idem in ſacerdotum creatione intelligendum eſt. In comitiis legum *tabellæ* dabantur duæ: una, in qua ſcriptum erat, *uti rogas*, duobus, ut opinor, elementis, U. R. altera, in qua ſcriptum erat *Antiquo*, una etiam litera A. Illæ non afferebantur a populo, ſed erant, qui eas miniſtrarent populo ſuffragium ituro, quos appellabant diribitores. V. illos ſupr. in *Diribitores.* Diribitis *tabellis* ſuccedebant rogatores, qui ciſtam deferebant, in quam populus *tabellas* ſuffragii conjiciebat. V. illos ſupr. in *Rogatores.* Poſtquam totius centuriæ *tabellæ* collectæ erant, tum educendis ſuffragiis adhibebantur cuſtodes: quorum munus erat deſcribere ſuffragia, ut ex centuriæ ſententia renuntiaretur, in quam plures inclinaſſe conſpiceretur. V. illos ſupr. in *Cuſtodes.* Gruch. de Comit. 1. 4. Panvin. de Civit. Rom. c. 53. Manut. de Legib. c. 37. Renuntiata alicujus centuriæ ſententia non eædem *tabellæ* rurſus dabantur diribitoribus, ut ſequenti centuriæ eaſdem diſtribuerent, ſed ſemper novæ, ut quæque centuria introvocabatur, populo diribebantur. Ut hoc credam, eo adducor, quod cum omnes centuriæ non eſſent æquales numero, ſed aliæ aliis frequentiores, eædem *tabellæ*, quæ priori centuriæ datæ erant, ſatis magno numero non erant futuræ, ut frequentiori poſt centuriæ miniſtrarentur. Cumque certum ſit, in legum quidem comitiis unicuique de populo binas dari ſolitas, quarum unam modo in ciſtam conjiceret: in magiſtratuum vero comitiis tot *tabellas*, quot eſſent candidati; quarum tamen in ciſtam non plures conjiceret quiſque, quam pro numero magiſtruum creandorum: veluti in conſulibus, cenſoribuſque creandis duas, in prætoribus ſex, octo, decemve, pro numero ſcilicet prætorum, quem creari oporteret: ſane, ſi tantum eductas de ciſta *tabellas* reddi diribitoribus oporteret, non totidem *tabellæ* ſequentibus centuriis datæ fuiſſent, quot primæ: ideoque libertate ſuffragiorum ſublata non aliam potuiſſent ſententiam dicere, quam quæ a priori centuria dicta eſſet. At quomodo reliquas *tabellas* rogatores reddere poſſent, quas ſinguli ſibi retinuiſſent? An rurſus poſt renuntiationem perferenda erat tota centuria ad recipiendas reliquas *tabellas*? Quæ ſi aperte redderentur, quomodo ſuffragium cujuſque occultum eſſe potuit? Ex iis enim, quas quiſque redderet, facile apparuiſſet, quas in ciſtam conjeciſſet: ut ſi redderet tabellam *Antiquo*, facile erat videre ſententiam dixiſſe, *Uti rogas.* Sin occulte, hic rurſus perferenda erat ciſtella per omnem centuriam. Quæ omnia abſurdiſſima ſunt. Et quoniam miniſtrabantur populo, ut quiſque ad pontes accedebat, propterea exiſtimo, jam ante diribitores ad pontes ſtetiſſe cum *tabellis* ad eum rem publice paratis, ea multitudine quam quæque comitia requirere viderentur. In comitiis enim legum binas tantum cuique *tabellas* dari oportebat: in comitiis magiſtratuum interdum plures, interdum pauciores pro numero candidatorum. Quare multo pauciores *tabellas* parari oportebat in comitiis legum, quam in comitiis magiſtratuum. Et quoniam prætorum comitiis ſex, octo, decemve creandi erant prætores, neceſſe erat, ut minimum tot eſſe competitores. Quapropter prætoriis comitiis minimum oportebat ſingulis tot dari *tabellas.* Unde efficitur magnam admodum multitudinem *tabellarum* iis comitiis parari debuiſſe. Haſce ſcribere in ſcribarum publicis fuit muneribus. Ac legum quidem comitiis futuris ſcribere eas *tabellas* jubebantur, quæ illis comitiis uſui futuræ erant. Sin magiſtratuum futura erant comitia, jubebantur ſcribere *tabellas* eorum nominibus inſcriptas, quorum habendam eſſe rationem publice judicatum eſſet: *Gruchius ibid.* Poſt lata ſuffragia punctis notabantur. V. ſupr. in *Puncta.*

Tabellæ convivis singulis, postquam discubuissent, tradebantur apud antiquos, ut sciretur, quid unoquoque missu inferretur; ac integram ordinem servarent in adventum optati ferculi, quod etiam observatum video ab Athen. II. p. 49. D. *Nonn. de Re pisc. c. 36. Re cibar. III. 37.*

de *Tabella* prætores Romæ, & in provinciis præsides, aut proconsules pronuntiare sententias solebant. Apul. Florid. p. 775. *Præco cum proconsule & ipse tribunal adscendit, & ipse togatus illic videtur, & quidem perdiu stat, aut ambulat, aut plerumque contentissime clamat. Enimvero ipse proconsul moderata voce, rarenter, & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit. Quippe præconis vox garrula, ministerium est; proconsulis autem tabella sententia est, quæ semel lecta, neque augeri litera una, neque autem minui potest, sed utcunque recitata, ita provinciæ instrumento refertur.* Pontian. Diacon. in vita Cypriani: *His dictis decretum ex tabella recitavit: Thascium Cyprianum gladio animadverti placuit.* Ræward. Protribun. c. 21. Ferrar. in Apuleium. In illa cruci affigendi sententiam interdum scribebat præses, interdum eam dictabat, nec scribebat. *Præsidus*, inquit Ado, cum de S. Saturnino, *dictabat sententiam.* Hæc, in qua scribebatur sententia mortis, diversissima erat a titulo damnationis, qui affigebatur cruci, vel reo præferebatur, cum ad locum supplicii ducebatur: nam in illa scribebatur genus mortis, cui reus addicebatur, causaque damnationis. Ex actis S. Pionii apud Surium 1. Februarii habemus, quod ex *tabella* hæc verbis Romanis sententia scripta legebatur: *Pionium se Christianum esse confitentem, vivum igni comburendum judicavimus.* At in titulo semper quidem causa damnationis scribebatur, atque adeo interdum nomen, sed genus mortis, aut pœnæ nunquam. Quid enim necesse hominem in cruce suffixo, v. g. aut crucem suam ferenti, cum ad crucem damnatum esse, aut inscribere, aut præconis voce denuntiare? Et vero solius causæ mortis una cum nomine factam fuisse mentionem videmus in Attalo martyre, de quo Euseb. Hist. Eccles. v. 1. *Et circumactus per amphitheatrum, tabella ipsum præeunte, in qua Latine scriptum, hic est Attalus Christianus*, & clarum est in D. Jesu: de sola vero causa pœnæ testimonium habemus Suet. Calig. c. 33. n. 6. *Romæ*, inquit, *publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, ut manibus abscissis, atque ante collum pendentibus, præcedente titulo, qui causam indicaret, per cœtum epulantium circumduceretur.* Et Dio LIV. p. 532. A. narrat de servo, quem dominus in crucem agi jussit cum titulo, quem hic auctor vocat *literas causam mortis manifestantes.* Nicquet. Histor. Cruc. I. 4. 5.

Tabellæ judicibus quæ dabantur, quorum unam in urnam mitterent, erant tres, una absolutionis, altera condemnationis, tertia ampliationis, eæque ceratæ erant. *Sigon. de Judic. II. 22. August. de Legib. c. 14.* Ex *tabella* quoque sententiam dicebat prætor. *Pollet. For. Rom.* v. 8. Dari solebant ab eo, qui quæstioni præerat. Suet. Aug. c. 33. n. 3. *Et cum de testamento ageretur, omnesque signatores lege Cornelia tenerentur, non tantum duas tabellas, damnatoriam, & absolutoriam, simul cognoscentibus dedit; sed tertiam quoque, qua ignosceretur iis, quos fraude ad signandum, vel errore inductos constitisset.* Idem fecit Pompejus extra ordinem consul in causa Milonis, qui ante judicium judicibus *tabellas* dedit. Auctor Asconius. Cum tamen alias darentur post actiones ab utroque oratore peroratas, pronuntiatoque illo mystico, *Dixi*, quod vice erat conclusionis, & renuntiationis allegationum, cum jam jam mittendi essent in consilium judices. Cicer. pro Flacc. c. 39. *Cum tabella vobis dabitur, non de Flacco dabitur tantum.* Liberum erat judicibus, quam vellent ex illis tribus in urnam conjicere sine ullo invidiæ metu: erat enim ita occultum suffragium, ut nesciretur, favissetne, an nocuisset reo: ita tutum, ut abesset suspicio ambitus, aut corruptelæ. Cicer. pro Rab. Post. c. 5. *Tabella est, quæ dat potestatem, occultat libidinem, cujus conscientia nihil est, quod quisquam timeat, si non pertimescat suam.* Sed nonnunquam dolus adhibebatur, ut sciri posset, a quibus damnatus, absolutusve reus esset, nam sequestres appositi corrumpendis judicibus discoloribus ceris insignitas *tabellas* dabant, ex quibus cognoscebant, a quoque conjectam *tabellam*: quod fecit Hortensius in causa Verris repetundarum rei. Ascon. in Cicer. p. 56. & 58. *Terentius Varro. . . . absolutus est a Q. Hortensio, qui corruptis judicibus hunc metum adhibuit ad gratiam, ut discoloribus ceris insignitas judices tabellas acciperent, ut timeret unusquisque eorum, ne fidem pactionis non servasse videretur, si non in tabula, quam unicuique datam meminerat Hortensius, ex nota ceræ scilicet discoloris, absolutum Varronem reperiret.* Erant enim *tabellæ* illæ ceratæ. Cicer. Divin. c. 7. *Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima.* Verr. II. 32. *Hæc judicialis tabula committetur, quam ipse non modo cera, verum etiam sanguine, si liceat, notabit?* Porro quot erant decuriæ in numeris judicantium, tot *tabellarum* genera, adeo, ut cum extraherentur, facile cognosceretur, quæ decuria gravius reum oppressisset, aut quæ *tabellis* salutaribus sublevasset. Ascon. in Cicer. p. 178. *Sententias tulerunt senatores duo & viginti, equites tres & viginti, tribuni ærarii viginti quinque. Ex quibus damnaverunt senatores quatuor, equites duo, tribuni duo.* Fuerunt ergo in ea causa tantum septuaginta *tabellæ* judicum, ut satis appareat, non ratum, statumque judicantium numerum, sed tantum, quantus præteriocetur libidine quæstoris. *Pollet. l. l.* Illorum nomina *tabellis* descripta in urnam conjiciebantur, agitata urna, *tabellisque* turbatis sorte trahebantur tot, quot necessarii quæstori viderentur. *Pollet. ibid. c. 7.*

TABELLARIA lex. V. illam supr. in *Lex.*

TABELLARII vocabantur portitores literarum. Hieron. ad Nician: *Ante chartæ, & membranarum usum, aut in dedolatis codicillis, aut in corticibus arborum mutua epistolarum alloquia mittebant. Unde & portitores earum tabellarios, & scriptores a libris arborum librarios vocavere.* Horum meminit Labeo l. 65 ff. de acquir. rer. dom. *Si miseris ad me tabellarium tuum, & ego rescribendi causa literas tibi misero, simul atque tabellario tuo tradidero, tuæ fient.* Cicer. Fam. XIV. 22. *Nos quotidie tabellarios nostros exspectamus.* Popm. de Oper. serv. p. 73. Pignor. de Serv. p. 298. Long. de Annul. c. 8. Excalceati cursitabant. V. illos supr. in *Excalceati.*

Tabellarii etiam vocabantur, qui rationes conficiebant, & data, acceptaque in *tabulas* referebant. Sidon. Epist. XI. 13. *Sed & ille suscipiebat hunc granditer, habens eum consiliarium in judiciis, vicarium in ecclesiis, procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabellarium in tributis.* Popm. de Oper. serv. p. 74. Savaro in Sidonium.

TABELLIONES vocabantur scribæ, qui magistratibus, aut civitatibus in publicis, aut privatis negotiis cautiones, & acta, hoc est gesta negotia referebant in *tabulas*, & conficiebant instrumenta fide publica. *Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 1. p. (14.) F. Pignor. de Serv. p. 299.* Nunc notarii vocantur. In stationibus versari solitos sæpius legitur in Authentica de tabellionibus. Hos municipiis in litibus operam forensem dedisse suspicor. *Nardin. Rom. Vet. v. 7.*

TABERNA, officina, apotheca plurimum differunt. In officina res fit ab opificibus. Hinc custodienda defertur in apothecam, e qua qui divendunt, dicuntur mercatores, & interdum cum adjectione mercatores magnarii. Ex apothecis res mittitur in *tabernas*, ut ibi prostet venalis, sed tantum habent *tabernæ*, quæ minutatim vendant, quique iis præsunt, institores appellantur. Hinc liquet, cur Cicer. pro Flacc. c. 8. conjungat opifices, & institores: *Opifices*, inquit, *& tabernarios quid est negotii concitare?* Voss. Lex. Etymol. Etsi enim *tabernæ* appellatione Ulpian. l. tabernæ 183. ff. de verb. signif. *omne utile ad habitandum ædificium* complectatur. Proprie tamen *tabernæ* dicebantur ædiculæ parvæ, & plebejæ. Isidor. XV. 2. *Tabernæ olim vocabantur ædiculæ parvæ, & simplices in vicis, axibus, & tabulis clausæ.* Et usus postea obtinuit, ut *tabernæ* appellatio simpliciter competeret domibus, in quibus merces venales exstabant. Horat. Sat. I. 4. 71.

Nulla

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.

Catull. XXXVII. 1.

Salax taberna, vosque contubernales
A pileatis nona fratribus pila.

Ouzel. in Min. Felic. p. 3. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 99. Laurent. in Phædr. IV. 6. 2. In *tabernis* videtur fuisse canis custodiæ gratia. Paull. l. 2. §. 1. ff. si quadr. paup. fec. *Si quis aliquem evitans, magistratum forte, in tabernam proximam se immisisset, ibique a cane feroce læsus esset, non posse agi canis nomine quidam putant: at si solutus fuisset, contra.* Illud notandum est, in tabernis quandoque fuisse adfixos titulos, qui cum aliquo servo prohiberent negotium geri l. 47. ff. de pecul. *Pignor. de Serv. p.* 349. In signum publici luctus claudere Romani *tabernas* jam inde a primis seculis conditæ Urbis consueverunt. Cum Sabini consulem, ac legiones intra castra obsiderent, L. Quintius dictator *claudi tabernas tota Urbe jussit.* Liv. III. 27. Cum primum intellexere legiones ad furcas Caudinas sub jugum a Samnitibus missas, *extemplo sine ulla publica auctoritate consensum in omnem formam luctus est. Tabernæ circa forum clausæ.* Liv. IX. 7. Et Pisani publicæ mœstitiæ speciem ostensuri in acerba Caji morte, *tabernas* omnes occluserunt. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* III. *p.* 367. Nomen est loci, non negotiationis: eo fit ut *taberna* vendita, aut legata merces in dubio non contineantur l. tabernæ 13. ff. de instr. vel instrum. quanquam obligata *taberna* merces quoque obsignatas teneri responsum sit l. cum tabernam 34. ff. de pign. quod ob modicum scilicet præjudicium in pignore quidem; non vero etiam in venditione, aut legato receptum esse Bartolus ibi tradidit. *Salmuth ibid. p.* 103.

Tabernæ argentariæ dicebantur, in quibus argentum permutabatur, vel de manu in manum, vel ut aliud tantundem redderetur. Ac verisimile est, in iisdem pecuniam fœnori dare solere. Illarum meminit Vitruv. V. 1. *Igitur circum spectacula spatiosiora intercolumnia distribuantur circaque in porticibus argentariæ tabernæ collocentur.* Voss. Lex. Etymol. Ouzel. in Minut. Felic. p. 3. Salmuth 1. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 99. In illis etiam aurea & argentea vasa; item collaria, armillæ, annuli, globuli sive clavi, & id genus alia ex auro conflata vendebantur. *Pancirol. ibid. p.* 93. Illas circa forum disposuit Tarquinius Priscus. Liv. I. 35. *Ab eodem Rege circa forum porticus, tabernæque factæ.* XXVI. 11. *Ut tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc essent, jussert venire* Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 351. A. Donat. de Urb. Rom. II. 20. Brisson. Ant. Lect. II. 12. Septem ad quinarium numerum redactæ sunt. Liv. XXVI. 27. *Eodem tempore septem tabernæ, quæ postea quinque & argentariæ, quæ nunc novæ appellantur, arsere.* De his Juven. Sat. I. 105.

— sed quinque tabernæ
Quadraginta parant.

Ubi exacte sitæ fuerint, vix dici vere queat. *Nardin. Rom. Vet.* V. 8.

Tabernæ Argiletanæ bibliopolarum fuerunt in Argileto. De illis Mart. I. 4. 1.

Argiletanas mavis habitare tabernas,
Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent.

Marlian. Topogr. Urb. Rom III. 13. Donat. de Urb. Rom. II. 27. Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq Rom. Græv. Tom. III. p. 307. F. In . . . postibus inscripta erant nomina librorum, qui in illis venum exponebantur. V. supr. in *Nomina.*

Tabernæ Cæditiæ fuerunt in via Appia. Festus: *Cæditiæ tabernæ in via Appia a domini nomine sunt vocatæ.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 27. Panvin. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 254. B. An prope Urbem, ad quam eas collocat Panvinius, fuerint, haud liquido dixerim. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3.

Tabernæ casearíæ, in quibus casei vendebantur. Ulpian. l. 8. §. 5. ff. si serv. vind. *Aristo Cerellio Vitali respondit, non putare se, ex taberna casearia fumum in superiora ædificia jure immitti posse.* Laurent. in Phædr. IV. 6. 2. Pignor. de Serv. 349. Ouzel. in Minut. Felic. p. 4.

Tabernæ diversoriæ meminit Plaut. Truc. III. 2. 29.

Tene, in tabernam ducor diversoriam,
Ubi male accipiar mea mihi pecunia.

Men. II. 3. 81.

Abduc istos in tabernam actutum diversoriam.

Ubi intelligendi caupona, quæ & ἁπλῶς sæpe *taberna* appellatur. Cic. pro Clu. c. 59. *Hominem multorum hospitum, A. Binnium quendam, cauponem de via Latina, subornatis qui sibi a Cluentio, servisque ejus in taberna sua manu allatas esse dicat.* Ubi manifest *tabernam* pro caupona accipit, & hospites pro peregrinis usurpit. *Voss. Lex. Etymol. Tomas. de Tesser. hospit. c.* 29. Suet. Claud. c. 40. *Describit abundantiam veterum tabernarum, unde solitus esset vinum olim & ipse petere.* Spartian. Adrian. c. 16.

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas.

Medii ævi scriptores *tabernas* tantum dixerunt de vinariis. Id nos in nostra lingua retinemus: nam dicimus *tavernes.* Non. XII. 55. *Tabernarias non vinarias solum, ut nunc dicimus; sed omnes, quæ sunt populares usus patefecit auctoritas Romana.* Eugraph. in Terent. Heaut. V. 4. 10. *Ganeo, tabernis operam dans, & conviviis turpioribus.* Veteres Latini *ganea appellabant, quas recentiores tabernas dixere.* Donat. in Adelph III. 3. 5. *Salmas. in Spartianum. Gud. in Phædr.* IV. 6. 2. *Tomas. de Tesser. hospit. c.* 29. E *tabernis*, non e cella sua vinum petere vilissimorum tantum fuit hominum. Cicero. Vellum suppinum Propola. De Dionysio juniore in summa tenuitate post amissam tyrannidem degente Plutarch. Timol. p. 242. D. *Nullum enim tantum vel naturæ ea tempestas, vel artis, quantum ullius fortunæ opus extitit, quæ illum ostendit paulo ante Siciliæ tyrannum agentem cum muliere, quæ exercebat popinam, vel in myropolio sedentem, biventem ex cauponis dilutum.* Et sic Claudius se solitum ex *tabernis* vinum petere dum dicit, existimationi suæ plurimum imprudens detrahit apud Sueton. ibi in laudatum. *Casaub. ad illum.* Solebant locari, ut docet Papin. l. si fratres §. si quis ff. pro socio; ut & Ulpian. l. urbana 198. ff. de verb. sign. specialius Julian. l. si usufructus 16. §. item si domus ff. de usufr. *tabernas* meritorias esse, quæ vulgo diversoria, vel fullonica appellantur. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11.

Taberna meritoria antiqua creditur ibi fuisse, ubi postea Callixtus I. pontifex Romanus templum Christianum fertur ædificasse principatu Alexandri Severi: amplificatum deinde, quod idem hodie S. Mariæ Transtiberinæ appellatur. Utque videatur alienum a conditione Christianorum per id tempus Romæ templa construere, facit tamen Lamprid. Alex. Sev. c. 29. ut fidei id non sit absonum; diserte enim narrat, tum *in larario Alexandri inter alias sanctiores animas Christum* spectatum, tum eo Principe permissum Christianis, ut Romæ viverent, tum Alexandrum cognovisse Christianorum sacerdotum mores, tum denique voluisse eum *Christo templum facere, eumque inter deos recipere* c. 43. quid prohibet ergo eam, quod ipse facere voluit, passum fieri per alios? sed de loco templi illius omnia adhuc ambigua, nisi aliquid possit exsculpi ex Lamprid. c. 49. *Quum Christiani*, inquit ille, *quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit* Alexander, *melius esse, ut quomodocunque illic deus colatur, quam popinariis dedatur.* Credibile est *tabernam* meritoriam antiquam, hoc est, ut Icti interpretantur, diversorium publicum hic loci fuisse, ideoque popinariis invitis extortum, quod obsonia sua justo carius ibi divendere possent diversoribus. Christianis autem desideratus videri potest locus, quod fons olei istic cœperit scaturire circa natalem Salvatoris Christi, si verus est, qui hoc commemorat, Euseb. Hist. I. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 1. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21.

Tabernæ novæ fuerunt dictæ argentariæ, quæ prope Cloacinæ. Liv. III. 48. Virginius *seducit filiam, ac nutricem prope Cloacinæ ad tabernas, quibus nunc novis est nomen.* Sub decemviris inservierunt laniis. Varr. apud Non. XII. 55. *Hoc intervallo primum forensis dignitas crevit, atque ex tabernis lanienis*, sine dubio legendum *lanienis argentariæ factæ.* Nomen novarum forsan tum accepere, quum expulsis inde laniis, cæterisque id genus spurcis hominibus, in argentarias multo nitidiores verterunt, renovatæ sine dubio, & in majorem splendorem auctæ, amplitæque: id autem novarum nomen vetustæ retinuerunt. Non tamen ideo lanienæ in foro esse cessaverunt: nam extremis adhuc Reipublicæ temporibus eas illic fuisse docet Varr. II. 281. *Purgatum scito, quem videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere.* Et potest colligi ex Plaut. Epid. II. 2. 14.

Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio, atque in foro
Per myropolia, & lanienas, circumque argentarias
Rogitando sum raucus factus.

Unde fateri cogimur, aut non omnes lanienas in *tabernas* transiisse argentarias, aut non omnes in initio argentarias fuisse lanienas. Ad his fœneratores consistere soliti, qui ætate Plauti prius sub veteribus versari consueverant. Ita enim ille Curc. IV. 1. 19.

Sub veteribus ibi sunt, qui dant, quique accipiunt fœnore.

Erant ibidem frequentes quoque lenones, ut docet Plaut. Truc. I. 1. 47.

Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorti lenones quasi sedent quotidie.

Verum cum postea tres Jani facti essent, prope Puteal, & Marsyam, fœneratores istuc, quod loca commodiora essent, concessere: & hinc tractus ille celebrior redditus, ad imaginem alterius sub veteribus, nomen a vulgo acquisivit sub novis. Varr. de Ling. Lat. v. 7. *Et sub novis dicta pars in foro ædificiorum, quod vocabulum ejus pervetustum est.* Cicer. de Orat. II. 66. *Demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico, sub novis, distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus.* Quintil. VI. 5. *Tabernæ erant circa forum, ac scutum illud signi gratia positum.* Nardin. Rom. Vet. v. 8. Brisson. Ant. II. 12. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 5. & 6.

Tabernæ nivariæ Romæ prostiterunt, ut scribit Athen. III. p. 124. C. quibus nix per integrum asservabatur annum. Sub terram ea mittebatur in paleam, & cuilibet vendebatur: eaque vinum reddebatur frigidissimum, quo refrigerandi modo & Græci utebantur. *Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 502.

Tabernæ, in quibus servi venundabantur, fuerunt prope templum Castorum in foro. Senec. de Const. sapient. c. 13. *Num moleste feram, si mihi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui ad Castoris negotiantur, nequam mancipia ementes, vendentesque, quorum tabernæ pessimorum servorum turba refertæ sunt?* Nisi forte Seneca servos ipsos innuere velle videatur, quod non puto, mercatores. Forte de numero veterum fuere; sed nihil affirmo. *Nardin. Rom. Vet.* v. 4.

TABERNACULUM comitiorum die consul extra pomœrium habere dicebatur, velut dux exercitus. Centuriatis comitiis habendis imperari exercitum oportebat, quem intra Urbem imperari fas non erat. Ac primis quidem temporibus omnes cives armatos sub signis in suis quemque centuriis convenire oportebat, ut multis in locis scribit Dionysius. Post vero non omnes cives armati in campum veniebant, ut vel inde apparet, quod probabile non est, undique ex Italia armis onustos tempore pacis cives Romana ad comitia venisse: sed tantum præsidii causa paucorum hominum exercitus imperabatur. Gell. XV. 27. *Centuriata comitia intra pomœrium fieri nefas esse; quia exercitum extra Urbem imperari oporteat: intra Urbem imperari jus non sit: propterea centuriata in campo Martio haberi, exercitumque imperari præsidii causa solitum: quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* Totam rem exponit Plutarch. Marcell. p. 300. B. *Cum auspicaretur consul, in domo extra Urbem, vel tabernaculo ad id conducto sedebat; quod si qua de causa redire in Urbem nullis dum visis certis signis cogeretur, relinquendum erat prius conductum tabernaculum, & quærendum alterum, ex quo de integro spectionem faceret.* Ex quo loco videmus, fuisse extra Urbem loca quædam circumsepta, quæ pretio magistratus, qui auspicarentur, conducere solebant: sub dio fuere, ut adspectus undiquaque liber esset: uti in hortis Scipionis auspicatum fuisse Tiberium Gracchum testatur Cicer. de Nat. deor. II. 4. Necesse autem erat, ut rite caperetur *tabernaculum.* Cicer. ibid. c. 35. *Quid scire Etrusci haruspices de tabernaculo rite capto potuerunt?* Hoc habebat talem vim, ut & si non rite captum, omnia haberentur vitiosa. Liv. IV. 7. *Non tamen pro firmato jam stetit magistratus ejus jus: quia tertio jam mense quam inierunt, augurum decreto, perinde ac vitio creati honore abiere: quod C. Curtius, qui comitiis eorum præfuerat, parum recte tabernaculum cepisset.* XLV. 12. *Jam primum cum legionibus ad convenientius diem dixit, non auspicato templum intravit: vitio diem dictam esse augures, quum ad eos relatum est, decreverunt.* Quid autem per *tabernaculum non rite, vel vitio captum* intelligatur, discimus ex Cicer. l. l. ubi de Tiberio Graccho: *Post ex provincia literas ad collegium misit, se, cum legeret libros, recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse in hortis Scipionis, quod cum pomœrium postea intrasset, habendi senatus causa, in redeundo cum idem pomœrium transiret, auspicari esset oblitus: ideoque vitio creatos esse consules.* Obscurus quidem videtur locus, enodandus tamen est. De eadem causa loquuntur Cicero & Plutarchus, scilicet de *tabernaculo*, quod vitio captum a Ti. Sempronio Graccho, alter ergo ex altero explicandus. Cum enim extra Urbem auspicaretur consul, signo certo non statim apparente, negotii cujusdam, ut Gracchi senatus habendi, causa in Urbem reverteretur; confecto vero negotio rediret, & pomœrium transiret, tum repetendum ab integro erat auspicium. Gracchus ergo cum pomœrium transiens auspicium, quod prima vice deseruerat, in alio loco redintegrare esset oblitus, *tabernaculum* vitio cepisse dicitur Ciceroni, quia ceperat quidem *tabernaculum*, illud tamen, misso priori auspicio, non mutaverat, exinde non rite captum dicebatur: cum vitium in auspiciis esset illud, quicquid contra morem consuetum, vel religionem gestum, ut apparet ex Liv. XLI. 18. *Valerium auspicato ortum constabat, quod in templo fuisset: in Petillio id vitio factum, postea augures responderunt, quod extra templum sortem in sitellam in templum latam foris ipse posuerit.* Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 277. Gruch. de Comit. Rom. I. 4. Buleng. de Augur. c. 9. & 12.

Tabernaculum in militia fiebat ex pellibus, bubulis credo, idque ab illo tempore, quo Camillus Vejos obsedit. V. supr. in *Pellis.* infr. in *Tentorium.*

TABERNARII appellabantur, qui in *tabernis* negotiabantur. Cicer. pro Flacc. c. 8. V. illum supr. in *Taberna.* Ouzel. in Minut. Felic. p. 4.

TABERNOLA fuit in Exquiliis. Hanc scriptores aliqui amplam fuisse regionem credidere, quæ a S. Eusebii ecclesia ad S. Johannis Lateranensis procucurrerit: quum revera nihil aliud quam vicus fuerit cæteris magnitudine non dispar. Nec alius opinionis illius fundus, quam Varronis verba: quæ si recte expendantur, locique divisim sparsi inter se connectantur, conferanturque, facile quid *Tabernola* fuerit, indicabunt. Varro namque inter Suburranæ regionis sacraria etiam hoc refert c. 4. §. 8. *Ceroliensis quarticepsos circa Minervium, qua in Cœlium montem itur, in Tabernola est.* Deinde inter ea, quæ in Exquiliis fuere, refert: *Oppius mons*, pars Exquiliarum, *terticepsos lucum Exquilinum, dexterior via in Tabernola est.* Unde colligitur, si via, qua in Ceroliensi in Cœlium ascendebatur, in *Tabernola* fuit; altera vero, qua ex eodem Ceroliensi in Exquilias ad lucum Exquilinum ibatur, itidem in *Tabernola* fuit, necessario consequi, illam unam viam, fuisse, vel vicum, vel compitum, vel angiportum inter

Cœlimontanam, & primas Suburræ fauces, cujus unum caput in Cœlium duxerit, alterum in Esquilias. Ascensus ille in Cœlium facile in hodierno clivo agnoscitur, qui ab amphitheatro Titi in ecclesiam Naviculæ patet, & ad Stephani in Rotundo, & loca alia. Alteram clivum alterum facile credibile est, qui in Esquilias ducebat: concludendumque Tabernolam in planitie illa inter amphitheatrum Titi, & ecclesiam S. Clementis, Suburræ caput, medio fuisse, ubi Martialis illo vendendos servos venalia fuisse ait. Et quis negat, quando, *Tabernolam* ab hac *tabernam* olim suum nomen esse mutuatam. Sed nec ego argumentum verum esse, in primis ipso illam Suburræ partem regionis potius tertiæ quam secundæ fuisse: verum ubi clivum montis Cœlii attingebat, necessario secundæ esse debuit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 6. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 3. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 30.

TABLINUM, *tabulinum*, sive *tabularium* est in instrumento fori grammatophylacium, & chartophylacium, ubi actorum forensium commentarii velut in armario asservabantur. Festus: *Tablinum proxime atrium locus, quo antiqui magistratus in suo imperio tabulas rationum habebant.* Virg. Georg. II. 502.

Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.

Ubi Servius: *Populi tabularia: ubi actus publici continentur. Signi*[illegible] *templum Saturni, in quo & ærarium fuerat, & ubi reponebantur* [illegible] *faciebant parentes.* Plin. XXXV. 2. *Tabularia codicibus replebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum.* Capitol. M. Anton. Philos. c. 9. [illegible] *apud quos* [illegible] *apud præfectos ærarii: ut si forte aliquis in provincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret: atque hanc* [illegible] *legem de assertionibus firmavit.* Polet. For. Rom. I. 6. Bud. in Pandect. p. 245. B. Baleng. de Pictur. c. 15. de Imper. Rom. IV. 9. Pignor. de Serv. p. 463. Baldus Lex. Vitruv. Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Turneb. Adv. XVI. 21. Revard Conject. I. 3.

TABRICA *navis*, *quod sit trabibus contexta. Pacuvius: Labitur trabica in alveos.* Festus. *Trabarias naves* vocat Isidorus. V. illum supr. in *Naves*. Gyrald. de Navig. c. 18.

TABULÆ vocantur omne genus scripturarum, quo quis causam suam confirmare poterat. *Sigon. de Judic.* II. 16.

Tabulæ accepti & expensi dicuntur libri rationum. Cicer. pro Q. Rosc. c. 1. *Si tabulas C. Fannius accepti & expensi profert suas, in suam rem, suo arbitratu scriptas: quo minus secundum illas judicetis, non recuso. Codex accepti & expensi* ab eodem ibidem nominatur. *Quomodo H. S. CCCIƆƆƆ in codice accepti & expensi non sunt?* His rationum libris opponuntur adversaria. Cicer. ibid. c. 2. V. illum supr. in *Adversaria*. Rhodig. Ant. Lect. XII. 21. Salmuth in Pancir. de Reb. deperd. & inv. p. 5. Turneb. Adv. XIV. 8. V. & supr. in *Expensilatio*. Has accusator tradi postulabat in certis causis, ut repetundarum, & peculatus. Ascon. in Cicer. p. 86. V. illum supr. in *Rationes*. Cicer. pro Balb. c. 5. *Cum Q. Metellus causam de pecuniis repetundis diceret, & ipsius tabulæ circumferrentur inspiciendi nominis causa, fuisse judicem ex illis equitibus Romanis, gravissimis viris neminem, quin removeret oculos, & se totum averteret, ne forte, quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam, verum ne, an falsum esset, videretur.* Verr. I. 23. *Cum ab eo tabulas postularemus: usque ad M. Terentium, & C. Cassium consules respondit confecisse, postea destitisse.* Sigon. de Judic. II. 16. Bud. in Pandect. p. 203. C.

Tabulæ auctionariæ fuerunt, in quibus argentarii, quarum rerum auctio futura esset, perscribebant. Cicer. Catil. II. 8. *Meo beneficio tabulæ novæ proferentur, sed auctionariæ.* Quintil. XI. 2. *Hortensius auctione dimissa, quod cuique vendidisset, testibus argentariorum tabulis reddidit.* Sigon. de Judic. II. 16. Salmas. de Mod. usur. c. 15.

Tabulæ Cæritum. V. illas supr. in *Cærites*.

Tabulæ censoriæ vocabantur, in quas censores referebant nomina censorum. Ubi illæ V. supr. in *Censendi modum*. Et quas censores locaturi vectigalia publica Romæ proponebant, quibus leges, & conditiones, quibus vectigalia habebant, inscriptæ erant. Plin. XVIII. 3. *Etiam nunc in tabulis censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditum habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat.* His etiam mulctæ contra delinquentes, & fraudantes continebantur: unde Varr. de Re Rust. II. dixit *lege censoria committere*. Burmann. Differt. de Vectig. c. 8. Romæ in atrio Libertatis solebant servari Livius. V. illum supr. in *Atrium*. In Nympharum æde Ciceronis tempore. Cicer. pro Mil. c. 27. V. illum supr. in *Censores*. Etiam in sua familia censorem quemque retinuisse scribit Dionys. I. p. 60. *Apparet hoc e censoriis commentariis, quos a patribus filii per manus accipiunt, & ipsi posteris pari cura tradunt, haud secus quam sacra paterna & gentilitia. Hi per viros illustres servantur in familiis censoriis.* Pigh. Annal. I. p. 46

Tabulæ ceratæ. V. illas supr. in *Cera*.

Tabulæ domesticæ dicebantur, quas Romanorum unusquisque sibi per dies singulos domi scribebat. Quæ, & quales fuerint, docet Ascon. in Cicer. p. 86. V. illum supr. in *Rationes*. De illis Cicer. Verr. I. 23. *Habeo & istius, & patris ejus accepti tabulas omnes: quas diligentissime legi, atque digessi: patris, quoad vixit, tuas, quoad ais te confecisse. Accepti tabulas* vocat rationes, in quas acceptæ pecuniæ referebantur. In hujusmodi *tabulis* capita multa erant, quæ nomina a Cicerone idem dicuntur, utputa artificii, negotiationis, fœnoris, adventitiorum, ut legatorum, hæreditatum, & hujusmodi. Simul atque igitur aliquam pecuniam acceperant, in caput hoc, aut illud, id est, huic, aut illi nomini acceptam referebant. V. supr. in *Acceptum referre*. Bud. in Pandect. p. 203. A. Vocabantur etiam diarium, ephemeris, Kalendarium. V. singula suis locis.

Tabulæ duodecim legum Romanarum appellationem acceperant: non quod duodecim leges essent, sed quod duodecim *tabulis* continerentur. Æs enim, in quod leges incidebantur, in tot tabulas, quot commodum erat, secabatur. *August. de Legib. c.* 16. De tempore, quo factæ sunt, sciendum est; annis fere viginti post expulsos Roma Reges Romanos animum ad novam legislationem adjecisse. Sic enim res cogebant, & necessitas exigebat. Nam regiis legibus per tribunitiam legem abrogatis, populus Romanus magis incerto jure, & moribus, quam certis legibus regebatur, idque non sine magno incommodo Reipublicæ. Accedebant gravissimæ contentiones, quibus plebs cum patriciis colliditabatur per multos annos, dum hi suo arbitrio jus reddentes tyrannice multa agerent: plebs nimis asperæ dominationis impatiens ipsis se opponeret: & per tribunos suos postularet, ut communis aliqua legum ferendarum ratio iniretur. Itaque SCtum est factum auctore Tito Romilio viro consulari, quod & plebiscito confirmatum est; ut legati Athenas, & Lacedæmonem, quæ duæ respublicæ totidem quasi oculi Græciæ fuerunt, inque alias Græciæ civitates mitterentur, qui cognitis, & examinatis illarum patriis institutis, ac legibus sapientissimis, exemplum inde ad imitandum caperent, Romamque deportarent. Tres legati fuerunt missi, quorum nomina Sp. Postumius Albus, A. Manlius, & Servius Sulpicius vir consularis: & hi tres in sua legatione triennium totum consumpserunt. Quo consumpto cum illi tres legati ex Græcia rediissent, ac secum velut sylvam quandam optimarum legum, & variorum institutorum reportassent domum, ad compositionem novi juris propius accesserunt Romani. Placuit senatui post longam disputationem, & sententiarum varietatem, ut ex senatoribus decemviri legibus ferendis crearentur: qui cum summæ essent potestate, soli, abdicatis interim omnibus aliis magistratibus, sine provocatione, hoc est, ita ut ab illis ad populum non liceret provocare. Sic comitiis centuriatis creati sunt decem, quorum nomina

mina denarrat Livius laudatus supr. in *Decemviri.* Hi decem anno vertente compositionem legum absolverunt: inter quas & leges sacratas omnes, & regiarum aliquas retulerunt: alia, quæ deesse videbantur, ex Græcorum institutis suppleverunt. Postquam vero harum legum compositioni summa consensione, & concordia, magnaque cura, & religione toto anno incubuissent, & interea decimo quoque die jus populo reddidissent, tandem leges illas decem tabulis æneis, quamvis eboreas fuisse velit Pomponius, comprehensas, tot enim ab initio fuerunt, pro numero videlicet auctorum, maxima adhibita sollennitate promulgarunt, & comitiis centuriatis consultu populi Romani confirmari curarunt: ut videre est apud Dionys. x. p. 681. Liv. III. 32. 33. 34. Deinde cum fuisset animadversum, quasdam leges adhuc deesse, quæ tamen ad Rempublicam bene instituendam necessariæ viderentur: altero post primam promulgationem legum anno creati sunt virorum xvIII, partim novi, atque alii, partim iidem. Ab his duæ novæ *tabulæ* sunt additæ, ut ita ex x. fierent XII. quæ quidem pro rostris propositæ, postea in Capitolio Romæ asservatæ sunt. *Rittersh. Proleg. in* XII. *tabb. leg. c.* 1. *Manut. de Legib. Rom. c.* 2. *August. de Legib. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1281. *B. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* VIII 6. In has qui aliquid scripserunt, ex veteribus fuerunt Sextus Ælius, M. Porcius Cato, Servius Sulpicius, Antistius Labeo, Titus Gajus, Sextus Pompejus Festus, M. Tullius Cicero: quorum duo posteriores multa ex tabulis XII. libris suis inseruerunt, suaque interpretatione elucidarunt. Ex recentioribus, qui vel nostra, vel patrum, avorumque memoria in XII. tabulas aliquid scripserunt, quive earum collectam fecerunt, fuerunt Aymarus Rivallius, Johannes Oldendorpius, Valentinianus Forsterus, Franciscus Balduinus, Antonius Contius, Franciscus Hotomannus, Jacobus Ravardus, Johannes Crispinus, Johannes Rosinus, Stephanus Vinandus Pighius, Theodorus Marcilius, Franciscus Pithœus, Adrianus Turnebus, Justus Lipsius, Cunradus Rittershusius. Ex cujus proleg. laudat. c. 6. hæc transscripsimus. A Justo Lipsio, Ludovico Charonda, & Theodoro Marcilio collectas exhibet *Demster. l. l.*

Tabulæ naufragii. V. illas supr. in *Naufragi.*

Tabulæ novæ appellabantur, quod debita ex adversariis menstruis in certos codices, cum a debitore, tum a creditore, aut eorum loco a mensario referri mos esset, in quibus singulis debitoribus, aut creditoribus duæ, sive *tabulæ*, sive paginæ assignatæ erant, quarum altera ad hunc, altera ad illum pertinebat; illa accepti, hæc expensi vocabatur. De primo Cicer. pro Q. Rosc. c. 1. *Quod si ille,* Chærea, *suas proferet tabulas, proferet suas quoque Roscius.* De secundo Cicero laudatus supr. in *Tabula accepti.* De tertio Plin. II. 7. *Huic,* Fortunæ, *omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit.* Ac credita quidem scribi, debita referri dicebantur. Cicero l. l. *Quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur, sic improbum est non referre, quod debeas.* Scripto ita, ac relato debito *tabulas* dicebant *confecisse.* Cicer. ibid. c. 2. V. illum supr. in *Adversaria.* Itaque qui ære alieno liberari voluerunt, nec solvendo tamen essent, abolitionem *tabularum* exigebant, atque ita exspectabant novas. Sunt autem *novæ tabulæ* nihil aliud, quam lex, seu decretum communi consensu factum, quo civitate per alterius partis ultimam pauperiem, & ex ea seditionem, in extremo periculo constituta, nexis, atque obæratis, ad concordiam faciendam, debita in universum remittuntur, ita ut hoc nomine nec corpora eorum, neque bona vincta teneri queant. Græcis dicitur χρεοκοπία apud Dionys. v. p. 331: VI. p. 370. χρεῶν ἀποκοπὴ apud eund. v. p. 330: VI. p. 370. & 388. χρεῶν ἄφεσις apud eund. v. p. 328. Solon primus σεισάχθειαν appellavit apud Plutarch. Solon. p. 86. D. V. illam supr. in Σεισάχθεια. *Scheffer. Agripp. Liber. c.* 1. Harum in Republica Romana mentionem apud neminem scriptorem invenimus ante M. Valerium fratrem Poplicolæ. Hic paullo post exactos Reges Sp. Cassio, Cominio Posthumo coss. dictator ad comprimendam populi seditionem creatus est Dionys. VI. p. 359. dicit censuisse quosdam patres, *oportere ad conciliandos vulgi animos pauperibus debita remitti:* & addit: *Erat hujus sententiæ auctor M. Valerius:* Valerium secutus est Servilius apud Dionys. l. l. Eadem sententia a T. Largio in senatu repetita est apud Liv. II. 29. & Dionys. VI. p. 370. Cæterum hi omnes frustra tunc fuere, neque unquam opulentiores patrum eo induci poterant, ut proponi novas *tabulas* permitterent. Donec eas facta secessione plebs paupercula obtinuit, minisque ac contentionibus expressit. Missi tunc enim sunt a senatu legati, quorum princeps fuit Menenius, iique eas plebi concesserunt. Menenium sic loquentem facit Dionys. VI. p. 405. *Animadvertentes quamlibet seditionem in quavis civitate recte curari, si tollantur ejus causæ, necessarium duximus præcipuas hujus dissidii causas cognoscere, atque abolere: compertoque, quod inclementes æris alieni exactores præsentium malorum causa fuerit, sic eas corrigimus: qui solvendo non sunt, eis omnibus æs alienum remitti æquum censemus.* Ac ne cui sit dubium, ea tempestate novas plebi *tabulas* concessas esse, repetitur decretum illud a Minutio apud Dionys. VII. p. 440. *Vos, plebeji, cum in gratiam cum senatu rediretis, satis putabatis æs alienum remitti vobis, & in auxilium pauperum, ne vi opprimerentur, magistratus petiistis creari ex vestro corpore, & impetrato utroque magnas nobis egistis gratias.* Scheffer. ibid. c. 2. Donat. Dilucid. in Suet. Jul. c. 42.

Tabulæ nuptiales, non faciebant matrimonium l. donationes in concubinam ff. de donationibus. solebant tamen confici, & appellabantur modo nuptiales l. si vicinis C. de nuptiis. Apulejus mox laudandus: modo dotales l. cum maritus ff. de pactis dotalibus. Hujusmodi *tabulis* dos dicebatur, promittebatur, dabatur. Hæ signabantur, & quidem plerumque post contractum matrimonium. Suet. Claud c. 29. n. 6. *Illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellis dotis & ipse consignaverit.* Apul. Apol. p. 512. *Habes Æmiliane causam totam, cur tabellæ nuptiales inter me, ac Pudentillam non in oppido sint, sed in villa suburbana consignatæ.* Juven. Sat. II. 119.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter! ingens
Cœna sedet, gremio jacuit nova nupta mariti.

Brisson. de Form. VI. p. 543. Kirchmann. de Annul. c. 5. Long. de Annul. c. 10. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 37. Ut *tabulis* scriptis firmabantur, ita fractis dissolvebantur nuptiæ. Unumquodque enim eodem modo frangitur, seu dissolvitur, quo factum fuerat, aut contractum. Scholiast. Juven. Sat. IX. 75. *Dotales tabulas frangentem, & repudium volentem tibi dare, & signantem* alias *tabulas, sive ut alteri nubat, sive ut alium faciat heredem.* Juven. IX. 74.

—— fugientem sæpe puellam
Amplexu rapui, tabulas quoque ruperat....

Tacit. Annal. XI. 30. 2. *Redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales.* Demster. ibid. c. 38. Illarum formula sollennis quænam fuerit, V. supr. in *Formula.*

Tabulæ pactionales dicebantur, quæ pacta, & conventa continebant. Illas certis verbis, & certis quibusdam formulis transcribebant pararii, adjectis loco, die, & consule l. 9. §. 1. de pœn. Huc spectat Plauti illud in Aul. v. Supplem. II. 62.

Nostra ætas non multum fidei gerit,
Tabulæ notantur, adsunt testes duodecim,
Tempus, locumque scribit actuarius:
Tamen invenitur rhetor, qui factum negat.

Huic consentaneum est illud Scævol. l. 93. de regul. jur. *Si librarius in transcribendis stipulationis verbis errasset. . . .* Rævard. Var. III. 1. Hæ solebant signari. Cicer. de Orat. I. 38. *Tu mihi cum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, & cum obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis illud sit scriptum, quo ille capiatur, ego tibi ullam causam*

sam majorem committendam putem? Sigon. de Judic. II. 16. Cum enim maxima pars mortalium fluxam fidem gerat, hæc a priscis inventa ratio est, ut impressis signis pacta, conventaque servarentur. Senec. de Benef. III. 15. V. illum supr. in *Pacta*. Kirchmann. de Annul. c. 5. Ejus obsignationis formulam perspicue declarat Paull. Sent. v. 25. ad legem Corneliam de testamentis. V. illum supr. in *Linum*. Hujus formæ auctor fuit senatus Romanus suo Nerone Imperatore. Suet. Ner. c. 17. n. 1. *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ, nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur.* Long. de Annul. c. 10. Rævard. l. l. Pitisc. in Suetonium.

Tabulæ pictæ vocantur picturæ, & sunt pictorum opera, ut signa sunt statuæ. Unde Cicer. de Orat. I. 35. *signa, & tabulas palam collocare* dixit, id est, cœlata, & picta opera; siquidem antiqui in *tabulis* pingebant. Salluft. de Bell. Catil. p. 10. *Signa, & tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim, & publice rapere.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 47. De illis Plin. XXXV. 4. *Dignatio picturæ præcipua Romæ increvit a M. Valerio Maximo Messala, qui tabulam picturæ prælii, quo Carthaginenses, & Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere curiæ Hostiliæ anno ab U. C. 490. Fecit hoc quidem & L. Scipio, tabulamque victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio posuit. Idque ægre tulisse fratrem Africanum tradunt, iratum haud immerito, quoniam filius ejus in illo prælio captus fuerat. Non dissimilem offensionem & Æmiliani subiit L. Hostilius Mancinus, qui primus Carthaginem irruperat, situm ejus, expugnationesque depictas proponendo in foro. Tabulis autem externis auctoritatem Romæ publice fecit primus omnium L. Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit. Namque cum in præda vendenda Rex Attalus VI. millibus sestertium emisset Aristidis tabulam, Liberum patrem continentem, pretium miratus, suspicatusque aliquid in ea virtutis, quod ipse nesciret, revocavit tabulam Attalo multum querente, & in Cereris delubro posuit: quam primam arbitror picturam externam Romæ publicatam; deinde video & in foro positas vulgo. Præcipuam auctoritatem fecit publice tabulis Cæsar dictator, Ajace, & Medea ante Veneris Genetricis ædem dicatis. Post eum M. Agrippa vir rusticitati propior quam deliciis. Extat certe ejus oratio magnifica, & maximo civium digna de tabulis omnibus, signisque publicandis: quod fieri satius fuisset, quam in villarum exilia pelli. Verum eadem illa torvitas tabulas duas Ajacis & Veneris mercata est a Cyzicenis HS. XII. M.* c. 11. *Diu fuit illa, Sicyon, patria picturæ. Tabulas inde e publico omnes propter æs alienum civitatis addictas, Scauri ædilitas Romam transtulit:* unde tantum *tabularum* habuit, ut non tantum ingens illud temporarium suum theatrum illis exornarit, sed & iisdem insuper abundarit. Erant *tabulæ* istæ fere rarissimæ excellentissimorum antiquæ Græciæ pictorum, quibus passim exornata splendebat Roma: Pausiæ, Polygnoti, Parrhasii, Protogenis, aliorum. Ex hoc studio, ex hac curiositate *tabularum* externarum incensa sunt earum pretia: immensis enim pecuniis nonnulli *tabulas* maioris emere unt artificii. Hortensius orator *mercatus est Cydiæ tabulam Argonautas HS. CXLIV. eidemque ædem fecit in Tusculano suo.* Pausias *amavit in juventa Glyceram municipem suam, inventricem coronarum: pinxit illam sedentem in corona, quæ a nobilissimis ejus tabula appellata est stephanoplocos, ab aliis stephanopolis, quoniam Glycera venditando coronas sustentaverat paupertatem. Hujus tabulæ exemplar, quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit a Dionysio Athenis.* M. Agrippa suas. *Ajacis & Veneris mercatus est HS.* XII. *millibus* Plinius modo laudatus. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 12. §. 3. 4. 5. *Tomas. de Donar. c.* 7.

Tabulæ in porticu Panthei fuerunt æreæ crassitudine quadrantis, ita commissæ, ut in fastigium ab epistyliis elatæ, unam superne expansam duæ in extrema ora utrinque suppositæ, alteriique transversim conjunctæ, fixæque trabalibus clavis, tigillorum, tectique oneri recipiendo firmarent. Hæ jam novo muneri subierunt. Urbanus enim VIII. cum singularis operis æneam molem conderet, Petri & Paulli ecclesiæ principum sepulcro impositam in Vaticana Basilica, vetusto metallo nobilitari voluit. Bombardæ præterea, & bellica tormenta complura ex eo fusa sunt, ac delata in Æliam molem. Eorum unum factum e clavis, qui *tabulas* æreas nectebant, id duobus in tubo machinæ expressis, ac titulo præfert: EX CLAVIS TRABALIBUS PORTICUS AGRIPPÆ. *Donat. de Urb. Rom.* III 16.

Tabulæ proscriptionis rerum venalium. V. illas supr. in *Proscribere*.

Tabulæ proscriptionis Syllanæ. V. illas supr. in *Proscriptio*.

Tabulæ pupillares in Ictorum libris appellantur secundæ. Secundas appellatas liquere volo ad differentiam paternarum, quæ & principales, & primæ dicuntur l. 2. §. si primis ff. de statu lib. l. post legatum §. qui principale ff. de his quæ ut indign. Eam differentiam ex eo fluxisse suspicor, quod pupillaris substitutio in inferiore parte testamenti, & in ima cera fieri soleret. Quæ pars etiam separatim plerumque propria cera, proprioque lino consignabatur, cum eo, ut & priore parte testamenti a parentibus caveretur, ne inferiores tabulæ vivo filio adhuc impubere aperirentur, quemadmodum sentit Justin. §. sin autem Instit. de pupill. substit. Cujus verba, quæ hoc diserte continent, Instit. II. 4. sic habent: *Pupillaris substitutio ita secreta esse debet, ut ad notitiam substituti pervenire non possit, ne vitæ pupilli aliquas substitutus insidias moliatur. Nam in extrema parte testamenti fieri debet, ut pars illa, in qua substitutio pupillaris scripta est, quamdiu pupillus annos pubertatis egreditur, obsignata permaneat, & prior pars testamenti, in qua heres scriptus est, resecetur.* Secundum hæc in specie l. ult. ff. ad Trebell. Julius Fœbus, *testamento facto, Polycrati filio, si intra pubertatem decessisset, secundas tabulas fecisse refertur, matrique ejus commendavisse aperiendas, si impubes obiisset.* Quod etiam ab eo, qui attente leget, observari potest in l. si mater in prin. ff. de except. rei judic. *Brisson. Ant. select.* III. 12. *de Form.* VII. *p.* 610.

Tabulæ rationum relatarum. Festus: V. illum supr. in *RR*.

Tabulæ dicebantur syngraphæ, ubi agebatur de pecunia credita. Cum *tabularum obsignationem* dicit Gell. XIV. 2. quibus probabatur pecunia data, ac numerata, syngraphas palam est intelligi. Sic *tabulas* a cautionibus, id est syngraphis a chirographis distinxit Paull. II. tit. de furtis: *Qui tabulas, cautionesve surripuit in adscriptam summam, furti actione tenebitur.* Salmas. de Mod. usur. c. 10. Hæ ab accusatore inquisitæ, &, ne corrumperentur, obsignatæ, ad prætorem deferebantur. Cicer. Tusc. Quæst. v. 11. *Tu quidem obsignatis tabellis agis mecum, & testificaris, quod dixerim aliquando, aut scripserim.* Sigon. de Judic. II. 16.

Tabulæ in testamentis ab eo tempore dictæ sunt, quo in ceratis tantum *tabulis*, ut mos fuit antiquiorum, perscribi solita. Mendum est in illis Icti: *Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiæ figuram.* Inde enim sequeretur, omni figura ex quacunque materia posse fieri testamentum, tam voluminibus nimirum, quam codicibus. Quod secus fuit. Ex omni quidem materia fieri *tabulæ* testamenti potuerunt, sed ut *tabulæ* dicerentur, figuram eandem retinere debuerunt, quæ est in quadratis *tabulis*. Quæcunque igitur ex materia componantur codices, in quibus scribitur testamentum, dummodo forma quadrata, & ex pluribus contextis *tabulis* constent, ut olim soliti fieri codices lignei ex pluribus ex ligno *tabellis*, recte *tabulæ* testamenti dicentur. Falsus igitur Ulpianus. Nam si in figura voluminum sunt, non erunt *tabulæ*. Leg. itaque *omnem materiam ex figura*, id est, figura *tabularum*. Vel minori mutatione: *omnis materiæ figuram.* Ut de figura *tabularum* intelligamus, quæ ex omni materia potest dari, dum *tabularum* formam præ se ferant. *Salmas. de mod. usur. c.* 10. Pluribus *tabulis* constabat testamentum. Colligitur hoc ex Justin. II. 16. Ubi de superiore, & inferiore testamenti *tabularum* parte meminit, cum testatori suadet, si veretur, ut substitutus instituto insi-

dicetur, ſubſtitutionem in inferiori *tabularum* parte ſcribat, eamque complicatam, ne legi poſſit, ſuo lino, ceraque conſignet. Et ex Cicer. Epiſt. ad Frat. III. 9. dum ait *Felicem lapſum per errorem ſuum, & Securæ ſervi, tabulas, quas putavit ſe obſignare, non obſignaſſe: quas noluit, eas obſignaſſe.* Qui locus mihi præbet conjecturam ſolitum teſtatorem ipſam *tabulas* ſignare: quæ etiamſi per errorem obſignatæ forent, rata tamen eſſent, ut ibi Cicero videtur indicare, & Manutius recte obſervat. *Long. de Annul. c.* 10. Plures etiam eodem exemplo ſcribi conſueverunt *tabulæ*, quarum tamen unius teſtamenti voluntatem [illegible] tempore [illegible] teſtator compleat. Procul. l. [illegible] n. 47. ff. de legat. & fiduc. II. *Binæ tabulæ teſtamenti eodem tempore exemplari cauſa ſcriptæ, ut vulgo fieri ſolet, ejuſdem patrisfamilias proferuntur.* Florent. l. unum 24. ff. qui teſtam. fac. poſſ. *Unum teſtamentum pluribus exemplis conſignare quis poteſt: idque interdum neceſſarium eſt, forte, ſi navigaturus, & ſecum ferre, & relinquere ſuum [illegible] teſtamentum velit.* Suet. Aug. c. 102. n. 1. *[illegible] tum ante [illegible] quam [illegible] [illegible] ab eo, a [illegible] codicibus, partim ipſius, partim [illegible] & [illegible] ſcriptum, de[illegible]* Tib. c. 76 n. 1. *[illegible] alterum [illegible] exemplo.* Briſſon. de Form. VII p. 5[illegible]. C[illegible] in Suet. in Auguſtum. Annulo, cui χαρακτῆρα [illegible], ſignabatur l. ad teſtium 22. §. [illegible] *[illegible] eſt, ut tantum annulo quis ſignare, [illegible] χαρακτῆρα [illegible] formam, inſculptamque ſigni imaginem.* Senec. Epiſt. 8. *Non [illegible] tantum [illegible] teſtamentum [illegible]* [illegible] ſignum [illegible] erat, ſed in teo, quo *tabulæ* involvebantur, imprimi ſatis erat d. l. ad te[illegible] §. 7. *[illegible] linteo, quo tabulæ involutæ ſunt, ſigna impreſſa fuerint.* Briſſon. ibid. p. 585 Long. de ann. l. c. 11. Kirchman. de annul. c. 5 [illegible], quod adhiſ [illegible] ad [illegible]tur, & [illegible], & [illegible] V. illos ſupr. in [illegible]. Hinc vivo teſtatore claudere erat [illegible] ſi patronum §. 1. ff. de bon. libert. 1. 3. §. Aperire. ff. ad SC. Silan. Qui etiam qui illo vivo aperuerat, legis Corneliæ de falſis pœnam tenebatur l. 1. §. is qui ff. eod. l. Corn. de falſ. Ipſe teſtator poterat reſignare l. ſi teſtamentum ff. qui teſt. fac. poſſ. Ac plane ſi teſtator voluntatem mutare, vel recognoſcere vellet, quæ ſcripſerat, *tabulas* recidebat. l. ult. ff. de injuſt. rupt. vel linum, quo ligatæ erant *tabulæ*, incidebat l. 1. §. ſi linum. ff. de bon. poſſ. ſec. tab. Quintil. XII. 7. *Denique linum ruptum, aut turbata cera, ſine agnitore ſigna invenies.* Briſſon. ibid. p. 589. Vel privatim, vel publice, id eſt, in æde ſacra apud æditu[u]m, vel apud tabularium, vel apud amicum aliquem a teſtatore deponebantur. l. 2. & 3. ff. de tab. exhib. *Si tabulæ teſtamenti apud aliquem depoſitæ ſint a Titio.... ſi cuſtodiam tabularum ædituus, vel tabularius ſuſcepit....* l. cum pater. §. donationis. ff. de legat. II. *Donationis prædiorum [illegible] in æde ſacra verbis fideicommiſſi non ſuo [illegible], & ad ædituum literas [illegible].* Etiam virginibus Veſtalibus demandabantur. Plutarch. Anton. p. 942. E. *Titius, & Plancus Antonii ex conſularibus amici perfugerunt ad Cæſarem, & teſtamentum Antonii detexere continentium conſcii: tabulæ depoſitæ apud virgines Veſtales erant.* [illegible] commendaverat ſuum Julius Cæſar. Suet. c. 83. n. 1. Et apud virgines Veſtales [illegible] depoſuerat Auguſtus apud Suetonium modo laudatum. *Lipſ. in Tacit. Annal.* 1. *n.* 53. *de Veſta c.* 7. *Long. de Annul. c.* 10. *Laurent. Polym.* 1. 1. *Briſſon. l. l. Caſaub. Torrent. & Pitiſc. in Suetonii Julium.* Mortuo teſtatore aperiebantur. Quintil. Declam. 332. *Apertæ ſunt tabulæ [illegible]: omnium bonorum inſtituerat heredem.* Plutarch. Cato. p. 740 C. *Poſtquam apertis teſtamenti Cæſaris tabulis compertum eſt legatum populo Romano viritim luculentum relictum eſſe.* Et quidem ex praeſcripto legis viceſimæ hæreditatum ſtatim poſt mortem, a præſentibus in triduum, vel quinque dies, ab abſentibus intra eos dies poſtquam veniſſent, teſte Paull. Sentent. IV. tit. 6. Quomodo aperirentur, docent Ulpian. l. 3. §. 9. de exhib. teſtam. *Exhibere apud prætorem oportet: ut ex auctoritate ejus ſignatores admoniti, venirent ad recognoſcenda ſigna.* Paull. l. l. *Tabulæ teſtamenti aperiuntur hoc modo, ut teſtes, vel maxima pars eorum adhibeantur, qui ſignaverint teſtamentum: ita ut agnitis ſignis, rupto lino, aperiatur, & recitetur: atque ita deſcribendi exempli fiat poteſtas: ac deinde ſigno publico obſignatum in archivum redigatur: ut ſi quando exemplum ejus interciderit, ſit unde peti poſſit.* Et ita Tiberius apud Suet. c. 23. n. 2. *Ibatum Auguſti teſtamentum, non admiſſis ſignatoribus niſi ſenatorii ordinis, ceteris extra curiam ſigna agnoſcentibus, recitavit per libertum.* Briſſon. ibid. p. 590.

Tabulæ triumphales erant, quas qui triumphabant, cum indice rerum a ſe geſtarum figere ſolebant, & quæ Saturniis plerumque verſibus conſcribebantur. Fortunat. in Arte: *Apud noſtros in tabulis antiquis, quas triumphaturi duces in Capitolio figebant, victoriæque ſuæ titulum Saturniis verſibus proſequebantur, talia reperi exempla. Ex Regilli tabula:* DUELLO MAGNO REGIBUS SUBIGENDIS. *Et mox: In Acilii Glabrionis tabula:* FONDIT, FUGAT, PROSTERNIT MAXIMAS LEGIONES. Donatian. de Metris: *Saturnio metro primum in Italia uſi. Dictum autem a Saturnia vetuſtiſſima urbe Italiæ. Hic verſus quibuſdam videtur obſcurus, quia paſſim, & ſine cura eo homines utebantur, maxime tamen triumphaturi in Capitolio tabulas hujuſmodi verſibus incidebant. Id eſt ſic: ſummas opes qui Regum refregit.* Briſſon. de Form. IV. p. 352. Nicol. de Triumph. c. 16. §. 3.

Tabulæ in veſtibus infimæ Latinitatis auctoribus rotundi clavi dicebantur, Græcis ταβλία. Anaſtaſ. in Leone III. *Et præclarus pontifex fecit in circuitu altaris beati Petri Apoſtoli nutritoris ſui tetravela rubea holoſerica alethina habentia tabulas, ſeu orbiculos de chryſoclavo depictos diverſis hiſtoriis.* Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 20. Meurſ. Lex. Græco-barb. v. ταβλίον. Hos in errorem induxit phraſis Anaſtaſii, qua ſæpe particula *ſeu* pro particula *&* utitur. Ita in Paſchali I. *Qualiter Angelus B. Ceciliam, ſeu Valerianum, & Tiburtinum coronavit.* Et Gregorio II. *Quem viri Romani, ſeu omnes populi in pontificatus ordinem relegerunt.* Zacharias Papa in Epiſtolis: *Domino excellentiſſimo, atque Chriſtianiſſimo Pipino majori domus, ſeu dilectiſſimis nobis univerſis Epiſcopis.* Non ergo dicuntur a forma teſſerarum, aut calculorum, ſed quia *tabulis* longis ſimiles erant. *Ruben. de Re Veſt.* 1. 24. Demus Rubenio, particulam *ſeu* poſitam apud Anaſtaſium pro *&*, non tamen inde ſequitur, clavos fuiſſe *tabulas* longas; ſed tantum aut quadratas, aut orbiculares: quo modo enim *tabula* longa orbiculus dicatur? Clavi illi, ſive chryſoclavi, aliquando quadrati, aliquando rotundi fuerunt, qualia ſunt clavorum capita, ſive umbellæ, pro lubitu Phrygionum ſcilicet, variis figuris acu pingentium. Et ideo Anaſtaſius, quem adfert Rubenius, aperte diſtinguit in Leone III. *Et alia tetravela alba holoſerica roſata, habentia tabulas, atque orbiculos de chryſoclavo.* Et in Leone IV. *In dextra, lævaque tabulas gemmatas habentem cum aureis per circuitum orbiculis.* Quæ ſatis indicant, partim rotundis, partim quadratis *tabulis* fuiſſe pictas veſtes illas, neque clavos fuiſſe *tabulas* longas, quod eſt ineptum. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 30.

Tabulæ votivæ. V. illas ſupr. in *Tabella.*

TABULA luſoria, ſive illo ſubjecta, videtur habuiſſe ſigna certa, aut numeros, in quos, quæve cum incidiſſent teſſeræ, victoriam, aut perditionem luſoribus dabant. Sidon. Epiſt. VIII. 12. *Hic tabula calculis ſtrata bicoloribus, hic teſſera frequens eboratis reſultatura pyrgorum gradibus exſpectat.* Barth. Adv. XXXV. 10. Sed ignoſcat mihi genius viri ſummi, teſſeræ non incidebant in ſigna *tabulæ* adſcripta, ſed in puncta, numeroſve ſibi ipſis appictos, qui ſi ex voto proſiliebant, ſpem victoriæ faciebant: ſecus autem, ſi minus. *Tabula* potius inſtrumentum erat luſorium, ut plurimum e ligno factum, forma qua-

quadrata, longior quam latior, aſſerulis comprehenſa, in cujus prima facie adſcriptæ erant certæ lineæ, quibus pro ratia teſſerarum certos applicabant calculos, teſſerulis vero infixus erat fritillus deſuper in *tabulam* quaſi dependens, per quem tali jacti decidebant in ipſam *tabulam*. In inverſa vero altera *tabulæ* facie iterum certæ depictæ erant lineæ, quæ ita inciſæ erant invicem, ut cellulas repræſentarent quadratas, in quibus ludebatur latrunculis, qui & ipſi calculi dicebantur. *Tabulam* dicimus inſtrumentum luſorium, idque auctoritate Pollucis, qui illud σκευὴν κυβευτῶ appellat x. 31. Ligneum non otioſe diximus, quanquam illud interdum ex ebore factum fuiſſe approbatur auctoritate Mart. XIII. 1. quem laudavimus ſupr. in *Senio*. Terebinthinam *tabulam* introducit Petron. c. 33. cum ait: *Sequebatur puer cum terebinthina tabula, & cryſtallinis teſſeris*. Gemmeæ meminit Plin. XXXVII. 2. *Tranſtulit* Pompejus *alveum cum teſſeris luſorium e gemmis duabus*. Forma erat quadrata, plane ad formam noſtræ, in longitudinem magis quam latitudinem excreſcens. Hoc didici ex Plin. l. l. ubi ait: *Pompejanam iſtam tabulam gemmeam latam fuiſſe pedes tres, longam pedes quatuor*. In medio vero ad formam noſtrarum infracta non erat, ut complicari quaſi poſſet: ſed plane erat integra, propter lineas junctim poſitas. Aſſerulis erat comprehenſa, ne ſcilicet tali extra *tabulam* proſilirent, ſed ad earundem etiam incurſum eo fortius ſubſilirent, more noſtrarum. Duas *tabulæ* facies adſcripſimus ex Martialis lemmate XIV. 17.

TABULA.

Hic, in prima facie, *mihi bis ſeno numeratur teſſera puncto*,

Calculus hic, in altera facie, *gemino diſcolor hoſte perit*.

Inde & diverſo hoc reſpectu *tabula* dicitur vel teſſeraria, aleatoria potius, vel latruncularia: quod ultimum hoc vocabulum reperitur apud Senec. Epiſt. 117. *Nemo tabulam latruncularium perſpicit, ut ſciat quomodo alligatus exeat calculus*. Illud apud Feſtum in alveolo, ubi ait: *Alveolum tabula eſt aleatoria*. Alea enim proprie teſſerarum ludum denotat. Reliqua, quorum in definitione mentionem fecimus. V. ſuis locis. *Senftleb. de Alea c.* 11. *Souter. Palamed.* 1. 2. & 19. *Turneb. Adv.* XXVII. 3. *Salmaſ. in Vopiſc. Procul. c.* 13. *Calcagn. de Teſſer. p.* 296. *Tabulæ* latruncularïæ inventorem quidam faciunt Pyrrhum, alii Chilonem unum ex Sapientibus: ſunt & qui Attalum Aſiaticum auctorem prodant. Communior vero conſenſus Palamedem Nauplii filium excogitaſſe. V. ſupr. in *Calculus*.

Tabula in ratione chartæ conficiendæ eſt aſſer ligneus tantæ longitudine, quanta ſcheda ipſa papyri: tanta latitudine, quantam vult, qui crates ſchedarum in illa ſternit. Plin. XIII. 12. *Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua. Turbidus liquor vim glutini præbet, cum primo ſupina tabula ſcheda adlinitur longitudine papyri, quæ potuit eſſe reſegminibus utrinque amputatis. Tranſverſa poſtea crates peragitur. Premitur deinde prelis, & ſiccantur ſole plagulæ, atque inter ſe junguntur*. Emendo: *Texuntur omnes tabula madente Nili aqua*. Quis huic emendationi auctor? non ſolum libri veteres, ſed etiam Romana editio. Nam in *tabula* chartæ ponebantur, in qua turbida Nili aqua glutinabantur: hodieque quæ e concerpto, comminutoque linteo chartæ conficiuntur, earum plagulæ ope glutini cohæreſcunt. *Turneb. Adv.* VII 2. Qui erravit, & geminam Plinii emendationem corrupit una cum Ruell. de Nat. ſtirp. I. 109. ſiquidem *tabulæ madentes* non erant aſſeres madidi, quorum nuſquam auctor meminit: verum philuræ, ſive pagellæ a caule papyri diſtractæ, ex quibus alteris recto ſitu ſubſtratis, & alteris tranſverſa poſitione ſuperinjectis chartæ conficiebantur: vel, ut Plinius ait, *texebantur*, præbente glutinis vicem Nili aqua, non illa clara, & limpida, ſed turbido liquore, ac pingui terrarum ſucco coinquinata. Cæterum ſchedæ, quæ primo ſupina *tabula*, id eſt, recto philuræ ſitu ſubſternebantur ea longitudine quam thyrſus papyri, præſectis hinc inde extremitatibus, præferebat: cito mox alteris pagellis in tranſverſum ſuperinductis, perfectionem ſuam conſequebantur, a qua demum accipiebant, ut chartæ vocarentur, eſſentque. Deinde lego, *tranſverſa poſtea cute peragitur*. Nec novum, philuram papyri appellari a Plinio *cutem*, quando eandem quoque *corium* legitur nuncupaſſe l. l. *Igitur e ſecundo corio ſtatumina facta ſunt, e primo ſubtegmina*. Adhæc *cutem* uſurpat pro cortice membranaceo, & tenuiſſimo XIII. 4. *In totum arentes Thebaides, atque Arabicæ, macroque corpore exiles, & aſſiduo vapore torrentes, cruſtam verius, quam cutem obducunt*. XII. 19. *Caſia tenui cute verius, quam cortice veſtitur*. *Supinam tabulam* interpretor rectam: ut *manus ſupinas ad cœlum tendere*, pro manibus in ſublime erectis orare Livius. V. illum ſupr. in *Matrona*. Pro *vim glutini* repono *vicem glutinis*. Aqua enim non eſt gluten, neque dici poteſt. Sed quod ſubire valeat vicem glutinis, reddita præſertim turbidior ex pinguioris admixtione glebæ, ecquis ibit inficias? Accedit formulam loquendi a Pliniana dicendi gravitate non eſſe alienam. Dicit enim *haſtarum vicem* XVI. 36. *ſpodii vicem* XXIII. 4. & 7. Porro ſutæ, hoc eſt textæ, ſive compoſitæ ad eum, quem dixi, modum pagellæ ſtatim ſupponebantur prelis, & valide comprimebantur, ut redundans aquæ humiditas emanaret, atque deflueret, quod auctor *ſiccare* appellat, demumque in umbra areſiebant. Nam, ut credam chartam ſub *ſole ſiccari* conſueſſe, adduci non poſſum, quando omnia, quæ aqua conglutinavit, ſi ſolaribus radiis exponantur, non tam coire arctius, & cohærere inter ſe tenacius ſolent, quam contra religari, diſſilire, ac plane diſſolvi, *ſole* humidum aqueum, quod pro glutine additum erat, exhauriente, atque in vaporem convertente: unde quæ paullo ante firmiter inter ſe cohærebant, mox in partes divelli, & replumbari contingit. Verbum *ſiccantur* eadem re accipio pro exſaniantur, quo utitur Columell. XII. 47. *Patimur nonnunquam tota nocte, & poſtero die pondere preſſam baccam velut exſaniari*. Quando ſcilicet res exſudato humore aridiores redduntur: & pro *ſole* ſubjicio *ſutæ*, perſuaſus Plinium dictionem *texuntur* de induſtria convertiſſe in *ſuuntur*, quibus vocibus duabus nihil aliud ſignificatur quam conficiuntur; & conſeruntur. Quid ſi legamus, *ſiccantur udæ plagulæ?* Udum enim ſignificare idem quod humidum, nemo niſi Matthæolus ignorare poteſt, qui udum interpretatur velum. *Guiland. Papyr. memb.* XVI. §. 4--12. Qui falſo putat *tabulam* eſſe philuram papyri. Nam ſi ita erat, quid eſſet, *tabula ſcheda adlinitur*? An non idem eſſet, ac ſi diceretur, *tabula adlinitur tabula*. Siquidem §. 2. ipſe *ſchedam* & *tabulam* eandem facit. *Cute* ſupponit pro *crate*, quia non intellexit uſum *cratis*, in cujus modum ad rectos angulos tranſverſæ ſchedæ ſuperſtruuntur. Puta ſex ſchedis *tabula* primum ſternitur, totidem tranſverſæ ſuperſtruuntur. Cum ad eum modum ſtratus ſchedarum tranſverſi poſiti fuerint, poſtea ea *crates* prelo premitur, ut exſugatur humor aquæ Niloticæ, qua lita fuit *tabula*. Poſtremo ſuſpenſo prelo *crates* illa eximitur, ac deſtruitur, ita ut ſolæ, ac ſeparatæ plagulæ per ſe ſiccentur. Profecto quid ſit *tranſverſa cute* non intelligo. Cum autem legit *ſutæ plagulæ*, quid aliud quam traducit ſe? Primum quod ſchedæ illæ non *ſuebantur* filo trajectæ, hoc enim eſt ſuere, ſed tantum inter ſe glutinabantur orarum marginibus, turbida aqua Nili vicem glutinis præbente, quod Plinius vocat *texere*, ut & Lucan. III. 222.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat.

Deinde tametſi concedamus *ſuere* eſſe glutinare, tamen nondum glutinatæ prelo ſubjiciuntur, ſed prelo exemptæ, & per ſe ſiccatæ poſtea inter ſe glutinantur, ut diſertim Plinius monet. Sane *ſuere* nunquam pro conglutinare accipitur, ſed ſimpliciter pro trajectione acus, aut lineæ in labra, aut oras commiſſurarum. Plinius ait *aqua conglutinari ſchedas*. Si *ſuere* recipimus, quid erit *aqua ſuere*, aut *ſchedæ aqua ſutæ*? Eſt profecto temeritas non ferenda. Sed legendum *ſolæ*, non *ſole*. Nam ait exemptas ſchedas deſtructo ordine cratis *ſolas* per ſe ſeparatim ſiccari. Nam prius ſternebantur parallelæ pagellæ, ut diximus, totidem

dem item ſuperſternebantur transverſæ ad rectos angulos. Tum prelo ita ſtructæ exſugebantur. Deinde in umbra ſolæ per ſe exſiccabantur, ut & hodie fit in charta noſtra. Nam ſolæ plagulæ in linea, aut tranſenna ſuſpenſæ ſic ſiccantur. Aliter ſi aliæ aliis ſuperſtratæ ſiccarentur, humor ſuperſtratarum in ſubjectas caderet, & ita putiſceret. *Scalig. in Guiland. p.* 38. *&* 39. Nec hic mentem Plinii eſt aſſecutus, nec chartæ contexendæ modum. Nam ſi cratis ordinem deſtruxeris, quem ex ſupina, transverſaque ſcheda peragi dixit Plinius, chartam omnino perdes, ac retexes. Hæc in morem cratis texebatur: primo enim ſic ſternuntur ſupinæ in tabula philuræ parallelæ, quæ ſtaminis, vel ſtaminis vicem erant, & *ſchedam* illam, quam vocat ſupinam Plinius, conſtituebant: deinde totidem transverſæ philuræ ſupinis illis ſuperſternebantur, quæ cratem peragebant. Et hæc *ſcheda* eſt, qua transverſa cratem peragi ſcripſit Plinius. Nam *ſchedam* hoc loco voco illam non ſingulas philuras, ſed ex pluribus philuris ſimul junctis ſi tamen compoſitum: ſicut ſtamen in tela ex pluribus liciis parallelis concinnatum ſtatuitur. Quemadmodum autem tela non ex ſolo ſtamine fit, ſed ex ſtamine ſimul, & ſubtemine contexitur; ſic plane charta non ex una *ſcheda* componitur, ſed ex duabus, altera ſupina, transverſa altera in modum cratis texi conſuevit. Quare non *ſolæ* poterant exemptæ ſchedæ deſtructo cratis ordine per ſe ſiccari: nam ſic factum infectum eſſet, & charta iterum texenda fuiſſet irrito ſemper labore. Ex duabus igitur ſchedis, cum una ſupina in *tabula* ſterneretur, altera ſuperſterneretur transverſa, ſic ſimul ambæ connexæ, contextæque prelis ſubjiciebantur: mox prelo exemptæ plagulæ, hoc eſt chartæ ex duabus illis ſchedis conſtantes *ſole ſiccabantur. Plagulas* appellat Plinius chartas ipſas, & textilia chartacea ex ſtamine, & ſubtemine philurarum, hoc eſt, ex utraque illa ſcheda contexta. Nam *plagula* quodvis linteum textile eſt, ex ſtamine conſtans, & ſubtemine. Verba Plinii, *inter ſe junguntur*, virum magnum induxerunt, ut putaret exemptas ſchedas, deſtructo cratis contextu, ſeorſim ſiccari, & poſtea inter ſe jungi ſolitas. Nihil eſt, quod tam alienum ab auctoris mente. *Plagulæ* ſunt chartæ ipſæ integræ in *tabula* formatæ, & compoſitæ, quæ poſtquam contextæ, & conglutinatæ, prelisque preſſæ fuere, & ſole ſiccatæ, jungi ſoleant inter ſe, & in ſcapum digeri. Plagulæ ſunt, quæ folia hodie vocamus. Quid ſcapus ſit V. ſupr. in *Scapus.* Salmaſ. in Vopiſci Firm. c. 3. *Supinam ſchedam* exponit Guilandinus erectam, ego interpretandam cenſeo, cujus pars, quæ in ſcapo vergebat introrſum, cum ſuper *tabula* diſtenditur, extrorſum vertitur, nec *tabulæ* lignum tangit. Sic enim poſita, quia mollior, humidior, ac tenerior eſt, facilius ſuperinjectam alteram amplexatur, & retinet. Porro an apricis locis chartæ ſiccarentur, an umbroſis, & perflatis, non eſt indignum ſcitu, quod id pertineat ad Plinii literam vel emendandam, vel confirmandam. Verum id quidem eſt, quæ ſolo aquæ humore glutinantur, diſſilire, cum vapore ſolis marceſcunt: at quæ luto pingui, aut pollinis flore aqua diluto cohærent, ſolis tempore, & æſtu, atque adeo ignis calore tenacius committuntur. Itaque qui chartas denſas libris compingendis, aut tegendis mercibus conficiunt, ubi prelo quadratam plagulam ſatis preſſerunt, inſolatu ſiccant: & librarii voluminum, quæ conſuuntur, poſteriora glutine oblita, vel igni admovent, vel ſoli exponunt, ut citius reſiccentur. Quamobrem & olim chartas inſolatu durari, ſiccarique ſolitas vero abſimile non eſt. *Dalechamp. in Plinium.*

TABULARII ſive annotatores adjuncti erant ſuſceptoribus, qui apochas, quas collatores a ſuſceptoribus accipiebant, ſervabant, ut inde illatio tributorum, & vectigalium cognoſceretur l. 2. C. Th. de annon. & trib. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 9. *Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. c.* 78. Conficiebant etiam rationem jugerum, & eorum, quæ inferebantur publico l. 1. & 7. C. de exact. tribut. Sidon. Epiſt. IV. 10. *Habens in eo tabularium in tributis.* Erantque in ſingulis provinciis duo, alter fiſcalis arcæ, alter largitionalium titulorum l. 12. de numerar. C. Th. & l. 30. de ſuſcept. C. Th. *Buleng. de Vectig. c.* 12. *Valeſ. in Ammian.* XXVIII. 1. Et Ulpianus videtur *tabularium* pro ſupputatore accepiſſe, ubi ait: *Ego etiam adverſus tabularium puto actiones dandas, qui in computatione feſellit.* Rhodig. Ant. Lect. VII 6. Pignor. de Serv. p. 300. Alii ab his publicis fuerunt illi, qui palatini miniſterii erant portio non contemnenda in veteribus marmoribus, *tabularii* videlicet Auguſtorum, vel Auguſtarum, rationis patrimonii, ſeu a patrimonio, rationis hæreditatum, XX. hæreditatum, fiſci Alexandrini, a muneribus, rationis fiſci, marmorum Lunenſium, rationis veſtiariæ, a vehiculis: provinciarum Luſitaniæ, Vettoniæ, Piceni, Cypri, villæ Tiburtis. *Pignor. de Serv. p.* 301. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 535. *B. Valeſ. l. l.*

TABULARIUM eſt, quod nobis archivum, vulgo cancellaria. V. illud ſupr. in *Tablinum.*

Tabularium erat etiam genus tormenti. Senec. de Ira III. 19. *Torſerat per omnia, quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, tabularibus....* Laurent. de Rebuſp. c. 7. Illud ſic explicari poteſt, *tabulas* admotas inter tormenta fuiſſe: quibus adſtrictis, arctatisque homo comprimeretur, & pæne elideretur. Quidni tale in extenuando, præter naturam, ſicut equuleus in extendendo? Enimvero in Feſto lego *clitellas, tormenti genus* ſic appellatum, quod quid aliud ſuſpicer quam ejuſcemodi *tabulas*, velut clitellas aſino impoſitas & compreſſas? *Lipſ. in Senecam.*

TÆD.

TÆDÆ nuptiales. V. illas ſupr. in *Fax.*

TÆN.

TÆNIÆ erant lemniſci, & faſciæ, quibus capita ſua ornabant, & coronabant veteres. Feſtus: *Tænias Græcam vocem ſic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum eſſe laneum capitis honorati. Ennius in Alexandro.*

Volans de cælo cum corona, & tæniis.

Cæcilius:

Dum tæniam, qui vulnus inciret, perit.

Voſſ. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XVIII. 3: XXVI. 30. Guther. de vet. jur. pontif. III. 5. Cuper. Obſ. I. 6. Cerda Adv. c. 185. §. 66. Guiland. Papyr. memb. XIV. §. 6. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 14. Arbores etiam conſecratas. Inde *coronatos ramos* dicit Apul. Apolog. p. 497. Et Arnob. V. p. 167. *Quid lanarum vellera; quæ ſunt tæniæ, quibus arbores colligatis, & circumvolvitis ſtipem? quid compti violaceis coronis, & redimiti arboris ramuli? quid coronæ, quid violæ? quid volucra mollium velamenta lanarum?* Struv. Antiq. Rom. c. 11. p. 538. Guther. l. l. Sollennes etiam erant deorum imaginibus ornandis. Pauſan. Attic. p. 7. *Apollo tænia redimitus ad templum adſtat.* De ſtatua Pelechi Lucian. Philopſeud. p. 339. *Vidi quandam ad Saturni dextram, tænias & coronas aridas habentem.* Et *Minerva tænia ducente venalitium intrabat Trimalcio* in pictura Petronii c. 29. *Barth. Adv.* XIII. 5. Et illis virgines papillarum tumorem coercebant. Anacreon. c. 20. Καὶ ταινίη δὲ μαστῶν. Pollux. VII. 14. *Mammillarum muliebrium cingulum, vocarunt faſciam, vel faſciolam,* ταινίαν, καὶ ταινίδιον. Latini *faſciolas*, & *ſtrophia* vocant. V. ſupr. in *Strophium.* Cuper. l. l. Porro iis ſepulcra velare ſolebant. Cæcilius Androgyno apud Feſtum:

Sepulcrum plenum tæniarum, ita ut ſolet.

Coronas enim ſepulcrales Cæcilius intelligit, ſi Romano more interpreteris, & ita locum habebit ſententia Verrii. Ad ſepulcra enim lanæ cum frondibus, atque floribus afferebantur. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Inſulas dictas apparet in hoſtiis, quod e lana, quæ adduntur inſulæ intra hoſtiarum cornua, velamenta erant. Itaque cum ad ſepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanam.* Sed cum Cæcilius palliatam comœdiam, non togatam ſcripſerit,

præſtat

præſtat Græco potius, quam Romano more interpretari. Sunt igitur *tæniæ*, quibus faſciis involvebantur mortui, quas κειρίας vocabant. Quibus Romani non utebantur, quod cadavera comburerent. *Scalig. in Feſtum.* Qui quidem ingenioſe, & εὐστόχως. Sed tamen Græcos etiam cadavera combuſſiſſe, & *tæniis*, ac infulis ſepulcra ſua, & urnas velaſſe ſcimus. Plutarch. in Philopœm. p. 368. C. *Ejus urnam tæniis, ac coronis adeo fuiſſe coopertam, ut vix conſpici potuerit.* Frontin. I. 2. *Epaminondas Thebanus contriſtatis militibus, quod ex haſta ejus ornamentum infulæ more dependens ventus in ſepulcrum Lacedæmonii cujuſdam depulerat, nolite, inquit, milites trepidare. Lacedæmoniis ſignificatur interitus. Sepulcra enim infulis ornantur.* Hunc morem intellexit Afranius Epiſtola: *Pulcre hoc incendi rogum: ardet, tænias fer, hoc ſepulcro ſepeli ilicet.* Kirchman. de Funer. IV. 3.

TAG.

TAGES fuit auctor diſciplinæ auguralis in Etruria. V. ſupr. in *Aruſpicina.*

TAL.

TALASSIO apud Romanos, non ſecus atque apud Græcos Hymenæus, in nuptiis inclamabatur. Mart. I. 36. 6.

> *Quid ſi me jubeas Talaſſionem*
> *Verbis dicere non Talaſſionis.*

XII. 42. 5.

> *Nec tua defuerunt verba, Talaſſe, tibi.*

Quam acclamationem ex eo inoleviſſe ſcribit Liv. I. 9. quod in Sabinarum raptu *virgo una, longe ante alias ſpecie, ac pulcritudine inſignis a globo Talaſſi cujuſdam rapta fuerit: multiſque ſciſcitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis eam violaret, Talaſſio ferri clamitatum.* Qua de cauſa *vox hæc nuptialis facta*, & ad poſteros inde manavit. Euſeb. Chronic. p. 27. *Sabinæ raptæ anno ab Urbe condita tertio: & una virginum pulcerrima, cunctorum acclamatione rapientium, Talaſſio duci Romuli decernitur. Unde in nuptiarum ſollennitatibus Talaſſio vulgo acclamitant, quo ſcilicet talis nupta ſit, quæ Talaſſium habere mereatur.* Eadem Plutarch. Romul. p. 26. A. Quæſt. Rom. 31. Serv. Æneid. I. 655. *Briſſon. de Form.* VIII. *p.* 719. *de Rit. nupt. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1045. *B. Gyrald Synt. deor.* IV. *p.* 132. *D. Caſal. de Proph. Rom. rit. c.* 22. *de Rit. nupt. c.* 1. *de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 16. *Caroli Antiq. Roman.* IV. 3. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 2. §. 3. *Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 160. *H. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 685. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 9. *Ferrar. de Acclamat.* VI. 16. & 18. *Cæsign. Equitat. p.* 564. *Faber Semeſtr.* II. 23. *Ferret. Muſ. Lapid.* V. *memor.* 16. *Turneb. Adv.* XI. 17 *Stuck. de Sacrif. p.* 46. *Scalig. Poet.* III. 100. *Laurent. de Sponſal c.* 1. Ad lanificium referunt Varro apud Feſtum: *Talaſſio in nuptiis ſignum eſt lanificii. Ταλάριον enim, id eſt, quaſillus ſolet appellari Talaſſio.* Plutarch. Quæſt. Rom. 31. *Cur in nuptiis acclamatur iſte omnium ſermone notus Talaſſius? an a lanificio, quæ Græcis eſt ταλασία, talaſum pro talaro dicentibus? nam ſponſa introductæ vellus ſubſternunt, ipſaque ſecum colum, & fuſum importat.* Juba, aliique apud Plutarch. Romul. p. 26. B. *Plurimi, inter quos & Juba, hanc exhortationem, & provocationem ad opus, & lanificium, quod Græci ταλασίαν dicunt, eſſe opinantur, cum nondum Latina vocabula Græcis eſſent confuſa. Quod ſi ita ſit, probabilior hujus rei cauſa, & ratio poſſet afferri: nam cum Sabini hoſtes poſito bello pacem cum Romanis inierunt, percuſſo fœdere convenerunt de mulieribus, ut nulla alia in re viris, quam in his, quæ ad lanificium pertinerent, operam ſuam navarent. Manſit igitur deinceps ea conſuetudo, ut qui darent, aut acciperent, aut intereſſent omnino nuptiis, per ludum, ac jocum Talaſſium vocarent, atteſtantes ad nullum aliud opus uxorem, quam ad lanificium duci.* Ferrar. ibid. c. 17. Briſſon. & Gyrald. l. l.

Priorem tamen ſententiam poſteriori præſtare prolixa diſſertatione docet *Ferrar. ibid. c.* 19. Acclamabatur, cum nova nupta in viri domum deducebatur. Indicio ſunt verba Mart. XII. 42. 4.

> *Præluxere faces, velarunt flammea vultus,*
> *Nec tua defuerunt verba, Talaſſe, tibi.*

Quoniam vero tres hoſce ritus junctim commemorat, forte non is a vero longe abibit, qui junctim ob id eos ſcribendo poſitos opinabitur, quod junctim etiam omnes, eodemque tempore adhiberi conſueviſſent: quæ conjectura, ſi probabilis eſt, ut certe eſt, jam illud, ſi minus ut neceſſarium, at ut maxime veriſimile, licebit inferre: nova nupta flammeo obnubebatur, eique præferebantur faces tum, cum ad virum ducebatur; igitur & *talaſſius* in novæ nuptæ ad maritum deductione acclamabatur. Ejuſdemque III. 93. 23.

> *Quod ſi cadaver exigis tuum ſcalpi,*
> *Sternatur a Coricle clinico lectus,*
> *Talaſſionem qui tuum dicet ſolus,*
> *Uſtorque tædas proferat novæ nuptæ.*

Quo loco vides jungi cum *facibus Talaſſium*; quod eodem tempore, & *talaſſius* acclamaretur, & præferrentur faces: tum ſcilicet, cum ad maritum nova nupta ducebatur. Turbam, ac multitudinem eorum, qui frequentes ſolebant ad nuptiarum celebritatem convenire, acclamaſſe teſtificatur Plutarch. Pompej. p. 620. F. dum nuptias Pompeji, ac filiæ prætoris Antiſtii deſcribens: *Turba*, ait, *veluti præmonita, nuptiale illud verbum Talaſſium ex vetuſto ritu acclamavit.* Sidon. Epiſt. I. 5. affirmat in Ricimeris, & Auguſti filiæ nuptiis per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, ac gymnaſia acclamatum; quæ quidem in loca cum turba maxime ſoleat congregari, non erit fortaſſe abſurdum dicere, iis in nuptiis fuiſſe *talaſſium* a turba acclamatum. *Ferrar. ibid. c.* 20.

TALEA dicitur, quod ab arbore reciditur, ut in ſolo depangatur, ac plantetur. *Sciſſiones lignorum, vel præſegmina* exponit Non. IV. 473. *Taleas ſciſſiones lignorum, vel præſegmina Varr. de Re ruſt.* I. *Nam etiam ruſtica voce intertaliare dicitur dividere, vel excidere ramum ex utraque parte æqualiter præciſum, quas alii clabulas, alii tabulas appellant.* Etiam in gloſſis Philoxeni explicatur κορμὸς, σχίζα, σκυτάλη. *Voſſ. Lex. Etymol.*

Talea dicitur trabs gracilior, qua murorum compages in architectura connectitur. Ita dicitur, quia *talearum* inſtar eſt recta, & teres. Vitruv. I. 5. *Tum in craſſitudine ejus, muri, perpetuæ taleæ oleagineæ uſtulatæ quam creberrime inſtruantur.* Voſſ. Lex. Etymol. Philand. in Vitruvium. Bald. Lexic. Vitruv.

Talea dicitur etiam tributum Regis Galliæ a *talea*, quæ lignum quadratum, ac teſſeram ſignificat, quod ex cenſu a poſſeſſoribus per partes æquo jure exigatur. *Buleng. de Vectig. c.* 66.

TALENTUM Atticum fuit duplex: quoddam ſexagenarium minus, aliud vero octogenarium majus. Minus ſexaginta minas Atticas drachmarum centum comprehendit: decem minæ mille drachmas, ſeu decies centum capiunt, quare *talentum* illud ſex drachmarum millia capere neceſſe eſt. Majus octogenarium octoginta minas Atticas, drachmas vero octies mille. Superat minus in ſeſquitertio. *Cenal. de Pond. ac menſ. rat Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1566. *B. Gronov. de Pecun. vet.* III. 3. *Priſcian. de Ponder. Grammat. Vet. Edit. Putſch. p.* 1348. *Sardus de Numm. Theſ. Græv. ibid. p.* 1723. *B. Voſſ. Lex. Etymol. Porcius de Re pecun. Antiq. c.* 3. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 1. Digreſſiones de *talento*, ejuſque generibus prolixiores invenies apud *Budæum*, *Scaligerum*, *Snellium*, *Camerarium*, *Agricolam*, & modo laudatos, *Sardum*, *Cenalem*, *Porcium*, *Gronovium*.

TALIO *eſt ſimilitudo vindictæ, ut taliter quis puniatur, ut fecit: hoc enim & natura, & lege eſt inſtitutum, ut lædentem ſimilis vindicta ſequatur.* Iſidor. V. 27. Feſtus: *Talionis mentionem fieri in duodecim ait Verrius hoc modo: ſi membrum rapſerit; ni cum eo pacit, talio eſto.* Permittit lex

parem vindictam. Sigon. de Judic. II. 3. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. IX. 31. In lege XII. tab. scriptum erat: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.* Qua de re Justin. Instit. IV. de injur. §. pœna: *Pœna injuriarum ex lege* XII. *tab. propter membrum quidem ruptum, talio erat.* Sed apud Gell. XX. 10. Sext. Cæcilius dicebat non omnes injurias XXV. libris æris æstimatas, etsi ea pecunia magna illis temporibus esset: sed *atrociores injurias ut de osse fracto, non liberis modo, verum etiam servis factas, impensiore damno vindicatas: item alias talione.* Ad *talionem* non ante veniebatur, quam is, qui injuriam fecerit, pacisci nollet. Verum & id ad æstimationem judicis redigi solitum ait. *Nam si reus*, inquit, *qui depacisci noluerat, judici talionem imperanti non parebat, æstimata lite judex hominem pecuniæ damnabat.* August. ad Leg. XII. tab. §. 33. Auctor misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 269.

TALLUS *fuit prænomen Sabinorum.* Festus. Dionys. II. p. 111. cum Tatio Rege Sabinorum Romam commigrasse ait *Tallum cognomine Tyrannum.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 3. Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2034. B.

TALUS vocatur os, quod in calcaneo est: unde & vestis *talaris*, quæ ad calcanea usque descendit, appellatur. Quadrupedia bisulca illud habent. Plin. XI. 45. *Solidas quæ ungulas habent, talos non habent: at quæ bisulca sunt.* Qui hoc accepit ab Aristot. Hist. anim. II. 1. *Permulta ex bisulcis habent talum.* Illum hisce describit: *Omnia vero, quæ habent talum, cruribus eum posterioribus continent: habent vero erectum in suffragine parte sui prona foras, supina introrsum, & choos, partes intus sibi adversas, canes dictos foris, & cornua supra.* Ferrar. Elect. I. 16. Senftleb. de Alea c. 4. 1. & 3. Calcagn. de Talor. lud. p. 288. Buleng. de Lud. vet. c. 58. Rader. in Mart. XIV. 11. Pitisc. in Sueton. Aug. c. 71. n. 5. *Talorum* ludus fuit antiquissimus. Indicat hoc Homer. Iliad. ψ. n. 88. Apud illum enim Patroclus ait, interfectum a se Amphidamantis filium, imprudente, ac nolente, *ex ludo talorum ira concepta.* Etiam Herod. I. p. 27. Nam cum Pisistratus adductis ad urbem copiis tyrannidem affectaret, tradit eo tempore Athenienses *partim ad prandium conversos, & secundum prandium, partim ad talos, partim ad somnum.* Item p. 45. narrans quo pacto Lydi, extrema annonæ difficultate, famen toleraverint, hoc remedium excogitasse ait, nempe *inventum ab iis tesserarum, & talorum ludum, tum pilæ, & cæterorum ludorum, præterquam calculorum: ita ut altera quidem die in totum lusibus occuparentur, ne ciborum quærendorum sollicitudine torquerentur, altera cibum caperent.* Ferrar. l. l. Buleng. de Lud. vet. c. 1. Souter. Palam. I. 18. Ad materiam quod attinet, communiter constabant officulis animalium bisulcorum: quamvis etiam interdum desumpta erant e *talis* dorcadum, quod genus damarum, vel caprarum fuisse constat ex Ælian. XIV. 14. quibus plerumque ludebant ditiores. Inde a Græcis δορκάδειοι ἀστράγαλοι dicuntur. Theophr. Charact. Ethic. c. 6. *Præterea solet idem satyrum emere, columbas Siculas, nec non dorcadios talos.* Vulgus vero Siphnius, vilibus, & minimi pretii, sic dictis διὰ τὴν εὐτέλειαν a Siphno insula, ut ait Strab. X. p. 334. Interdum ex ebore constabant. Inde lemma Mart. XIV. 14. *Tali eborei.* Prop. II. 18. 61.

Et cupit iratum talos me poscere eburnos.

Juven. Sat. XI. 131.

— adeo nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessellæ, nec calculus ex hac
Materia.

Casaub. in Theophrastum. Senftleb. ibid. §. 5. Ferrar. & Buleng. l. l. Jun. Anim. II. 4. Demster. ad Rosin. Antiq. Paral. V. 1. Maurit. de Sortit. c. 10. §. 1. Ad formam vero auctores inter se non sunt unius sententiæ. Freig. ad Colloq. Ludov. Viv. VI. *Inter talos, & tesseras hoc apud veteres discrimen fuit, quod tessera lateribus constabat sex, talus autem quatuor. Cum tesseræ senum sint laterum, plures numeros quam tali, qui quaternum sunt laterum, habebunt.* Rhodig. Ant. Lect. XX. 27. *Cubus, sive tessera lateribus constabat sex, talus autem quatuor.* Idem etiam statuit Polyd. Virg. II. 13. Contra alii *talo* sex latera, tesseræ autem quatuor attribuunt. Britannicus vetus commentator Pers. Sat. III. ait: *tesseram quatuor laterum, talum autem sex.* Mancinel. in Horat. Od. II. 7. *talus sex laterum erat.* Rader. Mart. I. 3. *Sex habebat latera, sive angulos talus.* Hoc enim nonnulli faciunt, ut *talo* non sex latera, sed sex angulos attribuant: ut Alex. Gen. dier. III. 21. cum inquit: *Tali fuerunt eburnei sex angulorum.* Demster. l. l. quoque *talos sex angulos habuisse, tesseras tantum quatuor* ait, & laudat hac in parte Junium l. l. & Beroal. Annot. c. 22. & 27. atque *Græcos propterea κύβους, Latinos vero quaterniones vocasse tesseras, talos seniones.* Sed hanc controversiam omnium optime componit Rader. Mart. XIV. 11. *Formam, sive figuram talorum tute conjectare potes, cum ad similitudinem talorum, qui in pedibus animalium sunt, effecti dicantur, & maxime leonis, nec rotundi plane, nec quadrati. Sex habent latera, sed quatuor tantum in usu ludentium, duo quippe sunt incurva, ut illis talus vix possit insistere, consistit tamen aliquando rectus: duo illa incurva Græci κεραίας, id est, antennas appellitant.* Et confirmat, quod de *talo* recto dixerat, III. 1. quando inquit: *Sex habet latera, seu angulos talus, sed nonnunquam nullum latus incumbebat, sed rectus stabat, qui quidem casus erat felicissimus.* Cum Radero super *talo* recto etiam convenit, sed ab ultimis ipsius verbis, quibus casum hunc rectorum *talorum* felicissimum asserit, maxime dissentit Turneb. Adv. XVIII. 12. ita enim inquit: *In talis lusoriis cum ita evenit, ut talus in latera quatuor non cadat, sed in extrema, & tanquam capita, quod perquam rarum est, rectus esse dicitur. Cicer. de Fin.* III. 16. *Ita jacere talum, ut rectus assistat. Qui talus ita erit jactus, ut cadat rectus.* Latera ergo *talus* habebat tantum quatuor, quibus ludebatur, quorum duo erant latiora, duo vero angustiora: capita vero, id est, superior, & inferior extremitas semirotunda erat, adeo ut in ipso jactu *talus* in ejusmodi duas extremitates resilire non posset, in reliqua vero quatuor optime poterat. Freig. l. l. *Duorum laterum latiorum eminentius Venus dicebatur, depressius canis; duorum angustiorum unum chius, alterum senio, seu cous.* Cum hoc consentiunt Polydor. & Rader. ibid. XIV. 11. In his *talorum* lateribus pro diversa variorum opinione vel figuræ erant, vel puncta, non vero numeri, quamvis Turneb. Adv. V. 6. vel ex solo senionis vocabulo numeros nobis obtrudat, fallitur tamen, & adhuc secum ipse dubitat, inquit enim: *in talis erant aliquibus fortasse numeri, ut senio: figuras,* puta *canem, vulturem, venerem, Herculem* . . . In *talis* adstruit Freigius, cum inquit: *In tesseris numeri certi descripti erant, ut* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *In talis autem figuræ numeri vicem habebant.* Idem Turneb. l. l. *Aliqui interdum fiebant, ut pro numeris effigies animalium haberent, ut vulturum, aut regulorum.* Idem refert Polyd. l. l. Britann. l. l. meminit punctorum, cum inquit: *In talis puncta fuisse denominata alia ab heroibus, alia a claris hominibus, aut a meretricibus: nonnulla vero a quibusdam, nunc in laudem, nunc in vituperationem accidentibus nomen accepisse.* Ut plurimum autem, neque numeri, neque figuræ, neque puncta conspiciebantur in *talis*, sed ipsa laterum figura, seu ipse *talorum* casus numerum, effigiemque repræsentabat. Pollux IX. 7. *Ipsa casus figura; & facies in talo pro numero erat.* Junius l. l. *Positus ipse, sive ratio lapsus vicem obtinebat numeri.* A quo edocti hodie ita statuunt Turneb. Rhodig. l. l. Cruq. ad Horat. Od. I. 4. Merul. in Galeotium de Homine c. 1. *Senftleb. ibid.* §. 8--11. *Ferrar. l. l.* Lusus fuit simplex, & minime operosus, natura ipsa instrumenta suppeditante, & proinde ferme puerorum apud Græcos oblectamentum. Vetus verbum est: *homines perjuriis, pueros talis decipi*, idque Dionysii tyranni præceptum fuisse tradit Plutarchus. Lucian. dial. Jov. & Ganym. p. 191. inducit Jovem Ganymedi pollicentem, etiam *in cœlo talis lusurum, collusore Cupidine, pluresque ibi astragulos inventurum.* Imo Jovem ipsum cum eodem talis ludentem a Junone increpitum,

quod

quod deorum Rex puerili ludo lasciviret, dicit dial. Junon & Jov. p. 193. & præter Ganymedem inducit Cupidinem puerili more *talis* ludentem Apollon. Rhod. III. 115.

> *Ut pueri æquales ex auro ludere talis*
> *Sunt deprensi ambo.*

Quintil. VI. 1. *Nam cum quidam in judicio, ad commovendam miserationem pueros adduxisset, adversarius talos projecit in medium, ut a miseratione averteret, quos illi diripere cœperunt.* Ferrar. & Junius l. l. Volaterr. Comm. Urbin XXIX. p. 1096. E. Robortel. in Catull. LXI. 131. Rader. in Mart. IV. 53. Maxime tamen senum apud Latinos. Cicer. de Senect. c. 16. *Habeant igitur alii sibi arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam & pilam, sibi natationes & cursus: nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant & tesseras.* Val. Max. VIII. 8. 2. *Aleæ quoque & calculis Scævola vacasse interdum dicitur, cum bene, ac diu jura civium, & ceremonias deorum ordinasset: ut enim in rebus seriis Scævolam, ita in senilibus*, ut legendum est pro *scurrilibus*, *lusibus hominem agebat.* Juven. Sat. XIV. 4.

> *Si damnosa senem juvat alea.*

Inde Augustus apud Suet. c. 71. n. 5. *Inter cœnam lusimus γεροντικῶς.* Et Ravennæ *indesinenter rerum omnium legem esse perversam*, ut doceret, ibi *studere pilæ senes, aleæ juvenes*, dicit Sidon. Epist. I. 8. *Rutgers. Var. Lect.* II. 12. *Senftleb. ibid. c.* 6. §. 3. *Savar. in Sidonium, Mauric. de Sortit. c.* 10. §. 3. *Beroald. & Pitisc. in Suetonium.* Pueri non luserunt iisdem legibus, quibus se usum senior Augustus apud Suet. l. l. Nec probabile est, hoc ludendi genus, quod commemorat, fuisse publicum. Id si fuisset, satis erat dixisse: *Inter cœnam lusimus talis.* Sed mihi subindicare videtur, novam ludendi conditionem inter illos repertam, velut aptam senibus, minimeque torquentem animos solicita cogitatione, quemadmodum faciunt hodie complures lusus, ut levius sit intendere studiis. Placetne *talis* prolatis, ut experiamur? Et quamquam nobis deest turricula volvendis *talis*, & ipsa tabula, suffecerit pro tabula mensa ad quæcumque specimen exhibendum; pro turricula cyathus, aut pileum; imo complexus cavarum manuum. Jactus sæpius ostendit supinam partem quam pronam; & pronam sæpius, quam senionem, aut canem. Hæc ludi lex esto, si inter quatuor *talos* exstiterit unus canis, expones nummum; si duo, duos; si tres, tres; si quatuor, quatuor; & posthac agnosces damnosum latus. Item quoties jeceris senionem, toties recipies unum e nummis. Quod si senionem cum cane, uterque nummum addet, (si vis) neuter tollet: cui primum obtigerit Venus, is auferet acervum. Quod si *talus* ostenderit partem supinam, aut pronam, is jactus erit irritus, & aut tu jactum repetes, aut jaciendi jus ad me devolvetur. De sorte, age; addemus pusillum pusillo, sic quoque fiet ingens acervus. Quanquam mea sententia secus lusitarit Octavius: nam qui canem jecerat, apponebat denarium: qui senionem, nihil quidem auferebat, sed alter ponebat: quod si plures seniones exiissent, totidem nummos alter addebat. Bene cumulatum acervum tollebat Venus. Sed ad leges nostras illud addas licebit. Cui nec senio obtigerit, nec canis, nihil aliud quam mittendi vicem perdet. Mihi videtur & hoc elegantius, si tertio quisque jactu defungatur, qui *talos* tenet, & mox alteri tradat vices. Venus item tertia (si videtur) finiet ludum. Deinceps liberum erit de integro pacisci. Siquidem tum raro, tum paucis favet Venus. *Souter. ibid. c.* 25. *Ferrar. l. l.* In conviviis frequens fuit, hoc est, in cœna, & post cœnam. Suetonius modo laudatus. Plautus mox laudandus: & lusionibus insititiis *talorum* diffindebant potiones suas liberaliores. Prop. II. 24. 25.

> *Lenta bibis, mediæ nequeunt te frangere noctes;*
> *At nondum est talos mittere lassa manus.*

Plaut. Capt. I. I. 4.

> —— *nam in convivio sibi*
> *Amator talos cum jacit, scortum invocat.*

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 375. Ferrar. l. l. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Et illorum in convivio jactu deos, atque amicas invocare solebant, & ex eo augurium capere, num illis grati essent, & accepti, quod genus sortitionis *talorum* ludus esset. Plaut. Asin. V. 2. 54.

> AR. *Jace, puer, talos, ut porro nos jaciamus.* DEM. *Maxime.*
> *Te Philenium mihi, atque uxori mortem: hoc Venerium est.*

Quo jactu sperabat sibi propitios amores, & conjugem morituram. IV. 1. 34.

> *Talos ne cuiquam homini admoveat, nisi tibi,*
> *Cum jaciat, Te, ne dicat: nomen nominet,*
> *Deam invocet sibi quamlibet propitiam,*
> *Deum nullum, si magis religiosa fuerit,*
> *Tibi dicat, tu pro illa ores, ut sit propitius.*

Curcul. II. 3. 75.

> *Postquam cœnati, atque appoti, talos sibi poscit in manum,*
> *Provocat me in aleam, ut ego ludam: pono pallium;*
> *Ille suum annulum apposivit, invocat Planesium.*
> PH. *Meos amores?* CUR. *Tace parumper! jacit volturios quatuor.*
> *Talos arripio, invoco almeam meam nutricem Herculem.*

Turneb. Adv. XXIII. 24. Ferrar. l. l. Et partes sortiebantur convivis. Plutarch. Conviv. II. 10. *Cum unicuique pars sortito data esset.* Unde proverbium vetus: *Pars non strangulat.* Buleng. de Conviv. II. 3. Imo & convivii magister creabatur. V. supr. in *Arbiter bibendi.* Ad hunc diem ita intercidit, ut difficile admodum sit, ejus rationem e profundo vetustatis expiscari, satisque esse videatur aliqua ejus vestigia odorari: adeo ut multoties mirari soleam Pancirollum in libro rerum deperditarum hac de re nihil scribere. *Senftleb. ibid. c.* 5. *Ferrar. l. l.* Haud penitus obsolevit: vidi ego in Flandria mulieres *talis* ludentes, quæ multos habebant vario colore pictos, vel ex ebore factos, quemadmodum veteres, præter naturales *talos*, ex aliis materia factis usos esse memoriæ proditum est. *Polyd. Virg. l. l.*

TAM.

TAMASIUS fuit crater aureus, quem Helena in mare Coum conjecit, ne causa jurgiorum esset, apud Lycophronem. Apul. Apol. p. 458. *Nec Helena craterem.* Eustath. Homer. Odyss. A. p. 3. *Temese Cypri olim dicta Tamasius, unde Tamasius crater.* Buleng. de Conviv. IV. 11.

TAN.

TANTO *melior* acclamare consueverunt veteres ei, cum quis plane faceret, aut daret majus quiddam, quam ut ab eo exspectandum esset, aut postulandum. Plaut. Truc. V. 59.

> *Age prior, tyro, da aliquid.*
> *Hem tibi talentum argenti! Philippicum est.*
> PHRON. *Tanto melior! noster esto!*

Livius apud Quintil. VIII. 2. *In hoc malum*, obscuritatis, *a quibusdam laboratur, neque id novum vitium est, cum jam apud T. Livium inveniam, fuisse præceptorem aliquem, qui discipulos obscurare quæ dicerent, juberet, Græco verbo utens, σκότισον. Unde illa scilicet egregia laudatio, tanto melior, ne ego quidem intellexi.* Etiam hominibus laudabiliter operosis, & fortius quotidie agentibus aliquid, ac proinde expectationem omnium ea in re superantibus. Senec. Epist. 31. *Itaque operosos in vanum culpaverim; rursus ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci, ac strigare permiserint, admirabor, & clamabo, tanto melior: surge, & respira.* 71. *Beatus, & virtutis exa-*

ctæ, tunc se maxime amat, cum fortissime expertus est: & metuenda cateris, si alicujus honesti officii pretia sunt, non tantum fert, sed amplexatur, multoque audire mavult: tanto melior, quam felicior. Cui formulæ non absimilis est illa, *tanto fortior, tanto felicior.* Senec. de Tranq. c. 15. *Laudemus toties dignum laudibus, & dicamus; tanto fortior, tanto felicior.* Et ea, *tanto major, tanto augustior.* Plin. Paneg. c. 71. n. 4. *Quod factum tuum,* candidatis osculo occurrere, *a cuncto senatu quam vera acclamatione celebratum est? tanto major, tanto augustior.* Nimirum Trajanus erga candidatos gesserat se comiter, ac benigne supra quam cuique credibile esset. *Ferrar. de veter. acclamat.* VII. 16. *Lips. in Senec. Epist.* 71. *Taubmann. in Plautum.*

TAP.

TAPETES & amphitapetes differunt juxta Ammonium: *Tapetes sunt, qui ex altera parte mollem habent villum, sive pilorum mollitiem: amphitapetes vero utrinque.* Ferrar. de R. Vest. II. I. 14. Inter vestes non sunt, verum ea nomenclatura certi generis stragula intelliguntur, vel nominis argumento proculcationem indicantis, id est, *ἀπὸ τοῦ πατεῖν. Rhodig. Ant. Lect.* XVI. 11. Habuerunt magnum usum in lectis. Aristoph. Plut. II. 5. 44.

In tapetibus non es dormiturus, nec in lecto.

Virg. Æneid. IX. 325.

Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus, toto proflabat pectore somnum.

Qui forte alludit ad Homer. Iliad. X. 154.

— sed heros
Dormiebat, substraveratque pellem bovis agrestis,
Et sub capite tapes extensus erat splendidus.

Ubi tamen cervical intelligi videtur: unde & *προσκεφάλαιον* vertit Hesychius. *Feith Antiq. Homer.* III. 8. *Cerda in Virgilium. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* V. 10.

TAR.

TARENTINI se Samnitibus, bello Samnitico vigente, contra Romanos conjunxerunt. Unde bellum *Tarentinum* dictum. Quod unum quidem titulo, & nomine, sed victoria multiplex fuit. Hoc enim Lucanos, Apulos, Bruttios, Picentes, Sallentinos, & caput belli *Tarentinos*, idem totam Italiam, & cum istis omnibus Pyrrhum una veluti ruina pariter involvit, ut uno tempore & Italiam consummaret, & transmarinos triumphos auspicaretur. Hoc bellum paucis refert Liv. Epit. XII. *Quum a Tarentinis classis Romana direpta esset, duumviro, qui praerat classi, occiso, legati ad eos a senatu, ut de iis injuriis quererentur, missi pulsati sunt: ob id bellum iis indictum est. Samnites defecerunt. Adversus eos, & Lucanos, & Bruttios, & Etruscos aliquot prœliis a compluribus ducibus bene pugnatum est. Pyrrhus, Epirotarum Rex, ut auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit.* Curius Dentatus cos. Pyrrham vicit, & Italia expulit. Postremo *Tarentinis*, Lucanis, Samnitibus, Bruttiisque a L. Papirio Cursore II. & Sp. Carvilio Maximo II. coss. victis pax data est. Quo anno bellum Samniticum, & *Tarentinum* confectum est. Scribit enim Liv. XXIV. Papirium & Carvilium coss. adversus Samnites, Bruttiosque, & Lucanum cum *Tarentino* populum declaratos esse. De *Tarento* a Papirio Cursore capto mentionem facit Frontin. III. 3. Papirium & Carviliam de iis populis triumphasse fragmenta triumphalia Capitolini docent. *Panvin. Imper. Roman.* c. 3. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 12.

TARQUINIUS Collatinus filius fuit Egerii, nepos Aruntis, Damarati pronepos, ut ex Fabio Pictore & Cn. Gellio Liv. I. 57. vel nepos Egerii, pronepos Aruntis, abnepos Damarati, ut ex L. Pisone Dionys. IV. p. 261. Ego sequor sententiam Livii, quæ temporum rationi quadrare mihi maxime visa est. *Panvin. Fast.* I. *p.* 64. *Glandorp. Onomast. p.* 828. Ego libenter assentior Dionysio, auctori rerum Romanarum, judicio doctissimorum hominum, cum primis bono, & religioso. *August. de Famil. in Tarquinia gens.* Unde Collatinus fuerit dictus, V. supr. in *Collatinus.* Fuit consul cum L. Junio Bruto an. 245. Liv. I. 60. *Duo consules inde comitiis centuriatis a præfecto Urbis ex commentariis Servii Tullii creati sunt; L. Junius Brutus & L. Tarquinius Collatinus.* Dionys. IV. p. 269. *Decreverunt a Sp. Lucretio decerni magistratus cum potestate regia L. Junium Brutum, L. Tarquinium Collatinum. Eos magistratus ipsorum lingua placuit nominari consules.* A Collega abdicare est coactus. Dicit hoc Verrius Flaccus, qui in tabulis Capitolinis causas omnes notare solet depositi magistratus. Hujus Collatini abdicationis meminerunt Dionys. V. p. 286. *Hæc viri ad utrumque consulem monita cum cives approbassent, Collatinus multis vicem suam deplorans, quod cognatorum commiseratione, nulla sua culpa, deserere patriam cogeretur, magistratu se abdicavit.* Cicer. Offic. III. 10. *Cum Collatino collega Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuste....* Panvin. l. l.

Tarquinius Priscus Demarati Corinthii exulis filius, quum regnum Romanum post Ancum suscepisset an. 128. de Latinis, Etruscis, Sabinis triumphum egit aurea corona, curuli sella eburnea, tunica purpurea, toga picta, sive trabea Regum Romanorum usus est. Pomœrium non mutavit; cum ditionem tamen Romanam multis Latinorum, aut aliorum populorum captis oppidis auxisset; Urbem lapideo muro cinxit, cloacas, quibus veherentur aquæ, superioribus ex locis in Tiberim duxit, Capitolini Jovis templum instituit, loco fundamentis inusitatæ magnitudinis designato: circum etiam, cui posteritas, ut a reliquis circis distingueret, maximi nomen dedit, inter Aventinum, & Palatium jecit: &, ubi singulæ curiæ ludicrum equorum, pugilumve spectarent, loca distribuit. Octogenario major, insidiis duorum Anci Marcii Regis filiorum exstinctus est anno regni duodequadragesimó, ut Livius & Dionysius tradunt: vel septimo & trigesimo, ut Solinus, Messalla, Rufus, Eutropius, Cassiodorus, Eusebius & Bedas. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 8. *A. Strein. de Gent. & Famil. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* VII. *p.* 1079. *Panvin. Fastor.* I. *p.* 51. *Descr. Urb. Rom. c.* 47. *Buleng. de Circo c.* 4. *&* 5.

Tarquinius Superbus quare fuerit dictus V. supr. in *Superbus.* Capitolini Jovis templum a Prisco institutum, de Pontinis manubiis, quadraginta talentorum impensa, perfecit. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 8. *B.* Occiso Servio regnum Romanum vi invasit an. 220. Eum L. Tarquinii Prisci Regis filium fuisse tradunt Q. Pictor, Cn. Gellius, Licinius Macer, Verrius Flaccus & Livius. Sed Dionys. IV. p. 212. ex L. Pisone Censorio in Annalibus firmissimis, certissimisque rationibus errorem illorum coarguit, idque haud fieri potuisse ex certa annorum ratione ostendit. Nepotem autem Prisci fuisse ex filio, qui Prisco ipso vivente obiit: at vero adoptione filium probat, quæ res cæteris erroris causam tribuerit. Utrocunque autem modo sentiamus, vera Verrii Flacci descriptio in tabulis Capitolinis erit, quum eum L. F. Demarati nepotem esse refert. Primores patrum, quos Servii rebus favisse arbitrabatur, occidit. Volscis bellum intulit. Ferias Latinas primus instituit, cloacam maximam fecit, multaque præterea bello, paceque præclara gessit. Quæ tamen omnia inaudita sævitia, tyrannideque, qua annis multis Urbem oppressit, deformavit. Postremo vero cum impotenter se gerendo omnes in odium sui adduxisset, novissime propter expugnatam nocturna vi a Sexto ejus filio Lucretiæ pudicitiam, Bruti opera præcipue, regno cum uxore & filiis exactus est, quum annos quinque, & viginti regnasset, perpetuoque exilio cum omni prole sua multatus est. Qui quum Tuscorum, & Latinorum ope sæpe in regnum restitui frustra tentasset, demum Cumas concessit, ubi summa cum ignomi-

ignominia reliquum vitæ tempus apud Ariſtodemum tyrannum tranſegit. *Panvin. de Civit. Rom. c. 54. Imp. Rom. c. 2. Faſt. 1. p. 54. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 51.*

TARRACO, urbs Hiſpaniæ citerioris maritima ad oſtia Tulcis celeberrima, de qua Eutrop. IX. 8. *Civitatem nobilem Tarraconem expugnaverunt.* Hæc a Scipione Africano majore condita, deinde ædificiis plurimis ab Africano minore aucta eſt: ideo eam Scipiones condidiſſe refert Solin. c. 23. *Tarraconem Scipiones condiderunt: ideo eſt caput provinciæ Tarraconenſis.* Quod jam tradiderat Plin. III. 3. *Colonia Tarraco Scipionum opus.* Auguſtin. Hiſpan. Ant. dial. 7. & Gruter. ex antiquis inſcriptionibus *Juliæ* nomen ei tribuentibus a Julio Cæſare deductam arbitrantur. GENIO COL. I. V. T. TARRACO. Cognomen *Victricis*, urbibus de Julio Cæſare bene meritis vulgare, id confirmare videtur. *Vaillant. Numiſm.* 1. 45. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 611. *A.* Auguſtinus inſcriptionem hanc ita olim explicuit: *Colonia Julia Victrix Togata Tarraco.* Nam cum Scipio *Tarraconem* contra Carthaginenſium impetum in Hiſpania condidiſſet, quod Romani togi de more induti eandem incolebant, Togatæ cognomen ea urbs vulgo obtinuit. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* II. *p.* 93.

TAT.

TATIENSES fuerunt dicti a Tito Tatio Sabinorum Rege. Varro, Livius, Aſconius. V. illos ſupr. in *Luceres.*

TATIUS Rex auctor fuit ſtrenarum. V. ſupr. in *Strena.* Strenæ loco militibus herbaſne, an frondes, an utraque ſimul ex luco Streniæ protulit? Notanter Symmachus ſupr. in *Strena* laudatus: *Verbenas felicis arboris.* Ex quo inducor, ut credam, *Tatium* & verbenam herbam, & ſacras frondes ex ſacro luco decerpſiſſe, utpote qui virentibus myrtis, oleis, lauris, quercubus, & hederis obſitus erat, & ſua amœnitate *Tatium* ſæpius invitaverit. Invitaverat & eo *Tatius* ſuos milites, ut ſecuti præmia fortitudinis a Strenia caperent ſua manu diribenda. Quorum lucorum, & frondium cum admodum ſtudioſus eſſet in vita, ei poſt mortem ſepulcrum in Laureto Aventino ſcilicet fecerunt, teſte Lanuvio apud Pomp. de Verb. ſignif. 1. 18. Et Victor, atque Varro in XIII. Urbis regione ejus monumentum oſtendunt. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 13. Ejus inferiæ publicæ primæ fuerunt, cujus manibus illæ quotannis publice inſtaurabantur. Dionyſ. II. p. 115. *Guther. de Jur. man.* II. II.

TAU.

TAUREA eſt flagellum e bubulo corio confectum. Joſeph. II. *Præfecti militum curabant comprimere tumultum, & pugnaces quoſque comprehendentes taureis ulciſcebantur, & vinculis.* Juven. Sat. VI. 492.

— taurea punit
Continuo flexi crimen, facinuſque capilli.

Tertull. ad Mart. c. 5. *Alii inter venatorum taureas ſcapulis patientiſſimis inambulaverunt.* Eutropius ſcribit de geſtis Romanorum Tarquinium Priſcum excogitaſſe *vincula, taureas, fuſtes, latomias, carceres, compedes, catenas, exſilia, metalla.* Cerda Adv. c. 140. n. 12. c. 169. n. 13. Pius Annot. poſt. 124. Parrhaſ. Epiſt. 18. Brod. Miſc. II. 10. Rhodig. Ant. Lect. X. 5. Durant. Var. Lect. I. 8. Grang. in Juvenalem. Laurent. de Rebuſp. bl. c. 7. Weitz. Braſſican. & Tobias Adamus in Salvian. de Gubernat. Dei p. 167.

TAURILIA fuerunt ludi in inferorum honorem facti. V. illos ſupr. in *Ludi Taurii.*

TAUROBOLIARE erat *taurobolium* facere, quod dicebantur facere, qui ſacra matris deum accipiebant. Et *tauroboliari* erat *taurobolium* accipere. Ita ſæpe in vetuſtis inſcriptionibus, *taurobolio accepto, taurobolio percepto.* Hinc *tauroboliati* dicti, qui *taurobolium* fecerant, & ſacra matris deum acceperant. Lamprid. Heliog. c. 7. *Matris etiam deum ſacra accepit, & tauroboliatus eſt, ut typum eriperet.* Vetus inſcriptio Romæ apud Gruter. p. 1111. n. 2.

VETTIO. AGORIO. PRÆTEXTATO. V. C.
PONTIFICI. VESTÆ
PONTIFICI. SOLIS
QUINDECIMVIRO
AUGURI
TAUROBOLIATO
CURIALI
NEOCORO
HIEROPHANTÆ

Salmaſ. in Lampridium. Struv. Ant. Rom. c. 10. *p.* 484. *Van Dale de Taurobol. Diſſert.* 1. *c.* 5.

TAUROBOLIUM dicebatur ſacrificium *taurorum*, qui in ſacris matris deum immolabantur. Qui *taurobolium* accipiebat, & conſecrandus erat, in ſcrobem profundam, terra egeſta, ad hoc ipſum factam demittebatur: deinde ſcrobs illa, plancis, vel tabulis, quæ multis locis erant foraminatæ, conſternebatur: ſuper quem pontem ſtratum multis pertuſum locis *taurus* mactabatur auratis cornibus, ut ſanguis per foramina in ſcrobem deflueret, quem capite, naribus, oculis, auribus, & toto denique corpore excipiebat ſacerdos in ea caverna defoſſus, & *tauri* ſanguine ſe abluebat. Hunc ſacri morem luculentis verſibus deſcribit Prudentius in Romano: cujus hæc ſunt poſt multa n. 1046.

Hunc inquinatum talibus contagiis
Tabo recentis ſordidum piaculi
Omnes ſalutant, atque adorant eminus,
Vilis quod illum ſanguis, & bos mortuus
Fœdis latentem ſub cavernis laverint.

Non dicit tamen cui deo, cuive deæ ſacrum illud fieret, ſed minime dubium, quin de *taurobolio* matris deum intelligi debeat. Et antiquum poema nondum vulgatum:

Quis tibi taurobolus veſtem mutare ſuaſit
Inflatus dives ſubito mendicus ut eſſes:
Obſitus & pannis modicis tepefactus. . . .
Sub terra miſſus pollutus ſanguine tauri,
Sordidus, infectus, veſtes ſervare cruentas
Vivere cum ſperas viginti mundus in annos.

Quod genus conſecrationis, & luſtrationis tanti meriti putabatur eſſe, ac tantæ efficaciæ, ut per eam ſe renaſci crederent. Hinc illa in veteri ſaxo apud Gruter p. 28. n. 2. TAUROBOLIO. IN. ÆTERNUM. RENATUS. Ideoque non iterabatur niſi poſt viginti annos: nam iſto ſacro piati in annum viceſimum puri, mundique permanere exiſtimabantur: poſt quod temporis ſpatium ſacra *taurobolii* repetebant. Inſcriptio Romana apud Gruter. n. 5. ITERATO. VIGINTI. ANNIS. EX. PERCEPTIS. TAUROBOLIIS. ARAM. CONSTITUIT. Hoc eſt, quod dicit auctor antiqui poematis laudati:

Vivere quod ſperas viginti mundus in annos.

Alia inſcriptio:

Vota Faventinus bis deni ſuſcipit orbis,
Ut mactet repetens aurata fronte bicornes.

Vota bis deni orbis vocat illa ſacra, quod poſt vigeſimum quemque annum repeterentur. *Taurobolio* facto cornua *tauri*, quo fecerant, conſecrabant, & dedicabant. Inſcriptio apud Gruter. p. 30. n. 5. SEVERUS. JUL. FIL. VIRES. TAURI. QUO. PROPR. PER. TAUROPOL. PUB. FAC. FECERAT. CONSECRAVIT. id eſt, *vires tauri, quo proprie per taurobolium publice factum fecerat, conſecravit. Vires tauri* cornua *tauri* appellat: nam *tauri* vires in cornibus. Φύσις κέρατα ταυροῖς. Anacreon. Sed *tauropolium* perperam ſculptum pro *taurobolium.* Salmaſ. in Lamprid. Heliog. c. 7. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 483. Turneb. Adv. XXVII. 21. Ferret. Muſ. Lapid. I. memor. 4. Cerda Adv. c. 60. n. 4. Boſius de Pontificat. max. Imper. Roman. c. 1. Spon.

Ignot. deor. ara 20. Pignor. Magn. matr. deum, & Attid. init. Thes. Ant. Græc. Gronov. VII. p. 518. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p 976. E. Van Dale de Taurobol. Differt. I. c. 2. Pagi Critic. Historico-Chronol. in Annal, Baron. ad an. D. Jesu 361. n. 7. & 8. Matri deorum dedicatorum sunt exempla:

MATRI DEUM
POMP. PHILUMENE
Q. PRIMA. LACTOR
TAUROBOLIUM
FECIT.
MATRI DEUM
TAUROBOLIUM. IMI. . . .
ACCEPIT. LIGURIA. TYMELE
A. M. SACRIS. POST

Nec illi soli hæc sacra fiebant; verum & Attidi, sive Atti, vel Attini simul. Inscriptio:

M. D. M. I
ET. ATTIDI. SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIUS. FLAVIANUS
V. CL. PONT. MAJOR
XV. VIR. S. F. SEPTEM
VIR. EPULONUM
TAUROBOLIO. CRIOBO
LIOQUE PERCEPTO

Van Dale l. l. Dianæ præcipue fiebant. Inscriptio Narbone apud Gruter. p. 29. n 12.

IMPERIO. D. M.
TAURÓPOLIUM. PROVINCIÆ. NAR-
BONENSIS. FACTUM

Alia apud Lactoratenses in Novempopulonia ibid. n. 13.

S. M. D.
JUNIA. DOMITIA. TAUROP
ACCEPIT.

Hæc sacra ex inscriptionum notis Matri magnæ Dianæ facta sunt, quæ tribus nominibus celebrata, triplexque *taurobolium* illi uno eodemque sacro fieri consuetum apud Æginam, ut demonstrat inscriptio Romæ ibid. p. 309. n. 2.

APUD. ÆGINAM. DEABUS. TAURO-
BOLITÆ. ISIACÆ. HIEROPHAN-
TRIÆ. DEÆ. HECATE GRÆCO. SA-
CRANEÆ. DEÆ. CERERIS

Quare post inscriptionem Juniæ Domitiæ duæ aliæ sequentes leguntur iisdem verbis conceptæ, mutato solum nomine ejus, quæ *tauropolium* accepit. Prima Domitia Isidi, secunda Flora Dianæ, tertia Modesta Cereri hoc sacrum fecere (nam tribus aris exstructis sacrum istud peragebatur) & hostiis suis accepere, quod amplius est quam *facere*. Nam *accipere* est pascere. Virg. Æneid. III, 353. V. illum supr. in *Accipere*. In omnibus adjectum, quo sacerdote facta sint, plerumque quibus consulibus, quo mense, & die. Sacerdos pater sacrorum *Taurobolinus invicti Mithræ* vocatus Inscript. p. 28. n. 2. Carmen est Aurelii Symmachi de Baulis:

Persidicique Mithræ antistes Babylonie templi
Taurobolique simul magni dux mystice sacri.

Guther. de vet. jur. pontif. IV. 19. Voss. de Idolol. II, 53. Hæc omnia falsa sunt. Illud enim IMPERIO. M. D. & S. M D. est *imperio matris deum*, & *sacro matri deum*, ut certum est ex aliis inscriptionibus, in quibus siglæ sunt expressæ, qualis est p. 29. n. 11. *Matri deum Pomp. Philumene Q. Prima lector taurobolium fecit.* Inscriptio tertia decima jam laudata, quam Gutherius impositam fuisse tribus aris putavit, primam Isidis, secundam Dianæ, tertiam Cereris aræ, plane contrarium docet. Nam istæ notæ S. M. D. ter iterantur, eandem deam notant *matrem deum*. Non diversis deabus illæ sunt dedicatæ, sed fuerunt diversæ tres feminæ, quarum singulæ fuerunt *taurobolitæ*, sive sacro deum matris acceperunt *taurobolium*, hoc est, unius ejusdem deæ sacris fuerunt consecratæ. Nec *taurobolium accipere* est pascere, sed mysteriis *tauroboli* initiari, quod *tauroboliari* dicitur in inscriptione, quam laudavimus supr. in *Tauroboliare*. Nec aliter intelligenda, quæ posita est Vettii Agorii uxori supr. adducta ex p. 309. Quid indicis inscriptionum Gruteri auctori in mente fuit, cum ex hoc titulo *Taurobolitam*, & *Isiacam Taurobolitam* deas esse statuit: sic enim in illo habetur *Taurobolita dea*, & *Isiaca Taurobolita* p. 309. n. 2. cum revera *Taurobolita*, & *Isiaca* dicatur Fabia Aconita Paulina. Isiaca, quia erat Isidis consecranea, quæ singulari ritu præ cæteris Isidem colebat, & in corpore erat Isiacarum. Nescio, quid viderit Gutherius, cum in ista inscriptione ait, matri magnæ Dianæ sacra hæc facta esse, quæ tribus nominibus celebrata, triplexque *taurobolium* illi uno eodemque sacro fieri consuetum apud Æginam. Hæc nemo intelligit, quid sibi velint. Unum erat *Taurobolium*, quod ubi acceperit, nec hæc, nec præcedens tertia significat, sed hæc docet Aconiam sacratam fuisse deo Iaccho, Cereri, & Coræ, hoc est, Proserpinæ apud Eleusinen, dein eandem sacratam apud Æginam *deabus*, quæ nullæ aliæ sunt, quam mater cum filia, Ceres & Proserpina: præterea Aconiam fuisse *taurobolitam*, fuisse Isiacam, fuisse hierophantriam deæ Hecatæ, sic enim legendum ut in præcedente, non Hecate, ut perperam editur, fuisse sacraneam deæ Cereris. Illud *Græco*, quod interponitur, quid sit, non intelligo, hinc in tertia GRÆCO punctis subscriptis notatum est, tanquam supposititium verbum, nisi forte dicas subaudiri, aut excidisse, nam in tertia videtur esse lacuna, *Græco ritu consecraneæ Cereris*, non Asiatico. Non miraberis eisdem deabus sacratam esse Aconiam apud Æginam, quibus sacrata fuit apud Eleusinem, cum in hac tertia tertius locus commemoretur, ubi iisdem deabus fuit sacrata, ut & Baccho. Hæc enim ibi leguntur:

SACRATÆ. APUD. LAERNAM. DEO
LIBERO. ET. CERERI. ET. CORÆ

Ut diversis in locis diversis ritibus initiatæ se devoverint cultui eorundem numinum. Quod & ostendunt ultima verba utriusque inscriptionis, ubi reperitur *consecraneæ deæ Cereris*, aut, ut legitur in tertia, *sacratæ deæ Cereris:* cum tamen jam antea bis in illa dictum sit, eam Cereri fuisse sacratam, & in Eleusine, & apud Laernam. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* V. *Prolegom.* * * 3. *Van Dale l. l.* Locus, in quo factum hoc sacrificium, dicebatur *petra tauroboliata* V. illam supr. in *Petra*.

TAURUS est animal ad obedientiam factum. Ælian. de Anim. VII. 4. *Propria est tauri docilitas, & obedientia, si mansuetus, & cicur fuerit. Manent autem ad ferendum* (lego enim ἐπὶ τὸ φέρειν pro ἐπὶ τὸ φέρετρον) *sive eos supinos velis quiescere, sive in anteriores pedes procumbere, & in cervice ferentes aut puerum, aut puellam: videas alium mulierem humero ferentem, ut Europen Jovi, & erectum stantem imis cruribus, & toto corpore leviter, ubi vis, innixum. Vidi qui supra tauros immobiles saltarent.* Buleng. de Venat. c. I. Erant qui cum *tauris* depugnarent. Aristid. Hierat. IV. *In urbibus Asiæ & Græciæ taurorum venatio.* Thessali illam pugnam invenerunt. Plin. VIII. 45. *Tauris in aspectu generositas, torva fronte, auribus setosis, cornibus in procinctu dimicationem poscentibus: sed tota comminatio prioribus in pedibus stat, ira gliscente alternos replicans, spargensque in altum arenam, & solus animalium eo stimulo ardescens. Vidimus de imperio dimicantes, & ideo demonstratos rotari, cornibus cadentes excipi, iterumque resurgere, modo jacentes ex humo tolli, bigarumque etiam cursu citato velut aurigas insistere. Thessalorum gentis inventum est, equo juxta quadrupedante cornu intorta cervice tauros necare. Primus id spectaculum dedit Romæ Cæsar dictator.* Et post illum Claudius. Suet. Claud. c. 21. n. 8. *Exhibuit Thessalos equites, qui feros tauros per spatia circi agunt, insiliuntque defessos, & ad terram cornibus detrahunt.* Panvin. de Lud. Circens. II. 3.

Buleng,

Buleng. ibid. c. 29. *Taurum* immolare ſolebant qui agebant triumphum, venientes in Capitolium. Plutarch. Marcell. p. 311. A. *Panvin. de Triumph. c.* 4. Immolabatur Apollini. Homer. Iliad. A. 40.

> *Vel ſi quando tibi pingues coxas cremavi*
> *Taurorum.*

Neptuno. Virg. Æneid. III. 119.

> *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.*

Non Jovi, cui juvencus mactabatur. Serv. Æneid. III. 21. *Contra rationem Jovi taurum ſacrificat: adeo ut hinc putetur ſubſecutum eſſe prodigium. Ubique enim Jovi juvencum legimus immolatum, ut* IX. 627.

> *Statuam ante aras aurata fronte juvencum,*
> *Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.*

Item Juven. Sat. XII. 8.

> —— *qui vexat naſcenti robora cornu.*

Nam de victimis etiam ætas eſt conſideranda. Macrob. Sat. III. 10. *Tauro immolari huic deo*, Jovi, *vetitum.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 2. Guther. de vet. jur. pontif. III. 13. Imo etiam Jovi, licet Servius, & Macrobius contradicant. Præter Xenophontem, Julianum, alioſque teſtis eſt Ovid. Met. IV 755.

> —— *mactatur vacca Minervæ,*
> *Alipedi vitulus, taurus tibi ſumme deorum.*

Faſt. I. 579.

> *Immolat ex illis taurum tibi Jupiter unum.*

Senec. Med. I. 59.

> *Primus ſceptriferis colla Tonantibus*
> *Taurus celſa ferat tergore candido.*

id eſt, Jovi & Junoni. Atque ita feriis Latinis *taurum* Jovi immolatum narrat Dionyſ. IV. p. 250. *Communis eſt omnium victima taurus unus.* Cuper. Apoth. Homer. p. 74. Farnab. in Senecam. Altaribus admotus ſi reluctaretur, aut fugeret, dirum omen. V. ſupr. in *Hoſtia.*

Taurus fuit cognomen familiæ Statiliæ. At cum Statilius conſul ab U. C. 798. Corvini cognomen tulit, antiquum familiæ cognomen *Tauri* loco prænominis uſurpavit. Id genus prænominum paſſim occurrit in Romana hiſtoria, ac plura exempla proponit Panvinius in fine opuſculi de Nominibus Romanorum. Si qui vero eundem appellare vellet *Titum Statilium Taurum Corvinum*, haberet tum prænominis, tum cognominum auctorem Phlegont. Trall. de Mirabil. c. 6. qui narrat quandam virginem tredecim annos natam in virum mutatam fuiſſe Romæ Marco Vinicio, & Tito Statilio Tauro, cui Corvini cognomentum fuit, conſulibus. Ibi tamen legito *Corvini.* Noriſ. Epiſt. Conſul. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 415. A. Sigon. de Nom. Rom. c. 5.

TAX.

TAX *pax* quaſi tardigrade ex ſonitu inceſſus. Nævius in Agitatoria:

> *Age, ne te mihi adverſari dicas, hunc unum diem de meo ſequar;*
> *Sinam ego illos,* equos, *ire pax tax, poſtea ego currentes illos vendam, ſi tu viceris.*

Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 10.

TAXATORES *in ſcena* olim *dicebantur, quod alter alterum maledictis tangerent.* Feſtus. *Taxare* enim eſt quod tangere, hoc eſt, jocis, & maledictis fatigare. *Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c.* 16. *Voſſ. Lex. Etymol.* Qui fruſtra ſunt cum Feſto. *Taxatores*, verbo poſterioris ſeculi, ac parum Latino iidem fuere, qui deſignatores a comœdo, ac tragœdo deſtinati, & adhibiti ad tribuendas perſonas actorum cuilibet, pro magiſtri arbitrio: & eo quidem delectu, ut interdum nobiliores partes agendas committerent, non eximiis actoribus, quod dignitate aut corporis, aut de re quapiam excellerent, præ principibus actoribus: quibus lubentiſſimis fierent hæc omnia. Quam enim concorditer agerent inter ſe, indicat Cicer. Divin. c. 15. *Ut in actoribus Græcis fieri videmus, ſæpe illum qui eſt ſecundarum, aut tertiarum partium, cum poſſit aliquanto clarius dicere, quam ipſe primarum, multum ſe ſummittere, ut ille princeps quam maxime excellat.* Non igitur male dicunt ſcenicis, cum eos *taxant*: ſed eos ad ſcenæ munera dignius obeunda, opportune, ac ſcienter deſignant, & ordinant. Paullus, qui hæc non intelligebat, lectionem mutavit. *Dacer. in Feſtum.*

TEA.

TEANUM *cognomine Apulum, commune cum Sidicino gerens nomen.* Strab. VI. p. 197. in mediterraneis Apuliæ a Frentone amne primum ſe offert. Ab latere Gargani lacus ſunt duo, vulgaribus appellationibus Lago di Varano; alter, qui intimo ſinus receſſui proximus Lago di Leſina. In intimum ſinus receſſum effunditur Frento amnis. Decem millia paſſuum ab oſtio, & dicto lacu rudera extant antiqui oppidi prope ripam amnis. Hæc fuiſſe *Teanum* arbitrantur *Cluver. Ital.* IV. 12. I. *Leand. Deſcr. Ital. p.* 383. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 948. *A.*

Teanum Sidicinum a populis Sidicinis, qui quondam tenuere, cognominatum, ad diſcrimen *Teani* Apuli in Apulia, eſt oppidum Campaniæ ultra Cales in via Latina. Vulgo nunc vocatur *Tiano.* Strab. V. p. 164. *Teanum Sidicinum ipſo cognomento oſtendit, ſe ad Sidicinos pertinere, qui ſunt Oſci, gens Campanorum ſuperſtes, ita ut poſſit Campaniæ dici, ipſa quoque urbium in via Latina ſitarum maxima.* Cluver. Ital. Ant. IV. 5. 12. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 948. A. Poſſumus ſuſpicari ante legem Juliam civitate fuiſſe donatum, ac municipium factum: ſiquidem C. Gracchus in oratione, quam *de legibus habuit promulgatis*, inter municipia Italiæ illud retulit apud Gell. X. 3. atque *quosdam ex municipiis Italicis honeſtos viros per injuriam virgis cæſos a magiſtratibus populi Romani*, tanquam cives Romanos eſt conqueſtus. *Colonia* quoque illuc *deducta eſt a Cæſare Auguſto*, ut refert Frontin. de Colon. p. 140. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 9. *Thyſ. in Gellium.*

TEC.

TECTORES dicuntur, qui incruſtant, & dealbant parietes. Ulpian. l. ſi ſervus 27. §. 35. *Si tectori locaveris laccum vini plenum curandum.* In codice Theodoſiano *albarii* dicuntur. Ita enim vocatur Tertull. de Idolol. c. 8. V. illum ſupr. in *Albarius.* Græci κονιάτας appellant. Suidas: Κονιάται οἱ τοὺς τοίχους παρακονιῶντες, id eſt, *muros dealbantes.* Pancirol. de Corpor. artif. §. 13. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 868. b. B. Brod. Miſc. X. 4. Pignor. de Serv. p. 66. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 140. Almelov. in Cæl. Aurel. p. 611. Guther. de Jur. man. II. 28.

TECTORIUM eſt incruſtatio, ſive expolitio parietum, pluribus inductis arenato coriis, totidemque ex marmorato, quam rem copioſe explicat Vitruv. VII. 3. Dureſcebat ea ſpecies in cruſtis adeo, ut ſpeculorum modo imagines redderet. *Kobierzycz. de Luxu Roman.* II. 7. *Bud. in Pandect. p.* 138. *B. Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 19. §. 1. *Voſſ. Lex. Etymol. in Tego. Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 46. *Caſtal. Var. Lect. c* 51. Differt ita ab albario. Qui parietes dealbant, opuſque albarium faciunt, utique etiam tectores ſunt. Nam & *tectorium* eſt omne opus albarium. Non tamen omne *tectorium* album eſt, ſed illud duntaxat, quod nuda calce conſtat. *Calce arenata lito, politoque.* Hæc notanda in veteri inſcriptione verba Linebant primo calce, & arena parietes, deinde inductum *tectorium* fricabant, ac ſubigebant liaculis, quæ inſtrumenta fuere levigando jam inducto *tectorio.* Quod Græci λειαίνειν dicunt. Inde *liaculum* λειαντὴρ exponitur in glosſis. Reſtituo hoc vocabulum Vitruv. II. 4. *Fluviatica propter macritatem uti ſigninum liaculorum ſubactionibus in*

tectorio

tectorio recipit soliditatem. Hoc dicebant & liare, quod est proprie λειαίνειν, polire, levigare. Hinc *liare cisternam tectorio* polire apud Tertullianum. V. illum supr. in *Tectores.* Et *livum parietis* apud Festum pro *tectorio.* τὸ λεῖον, ut olim documus rescribendum pro *rivum.* Glossæ: λίον ποιῶ, *polio.* Uno verbo *lio*, hoc est, λειῶ. *Salmas. Plin. Exerc. p. 568. a. F. Auctor misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom: p.* 570. Præcipuum fuit ornamentum sepulcrorum: quare cum Solon illorum amplitudines tolleret, lege sanxit: *Ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerent triduo: neque id opere tectorio exornare, nec hermas, quos vocant, licebat imponi.* Cicer. de Leg. II. 26. Opere *tectorio* sepulcra exornare idem est, quod in veteribus inscriptionibus passim legitur *sub ascia dedicare.* V. illud supr. in *Ascia.*

Tectorium vocatur καταπλάσμα, panis, quo madido faciem linebant, ac veluti *tectorio* quodam inducebant, & smegmate, cum ad mœchos irent, ex lacte asinino abstergebant. Juven. Sat. VI. 467.

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur.
Propter quod secum comites educit asellos.

V. supr. in *Facies*, & *Panis.* Salmas. in Spartian. Adrian. c. 4. Pitisc. in Suet. Oth. c. 12. n. 4.

TECTUM ædificiorum apud veteres aut erat planum, aut fastigiatum. In Græcia, & in Asia, & in toto pæne oriente ædium privatarum *tecta* plana fiebant: ædes vero sacræ culmen, & fastigium habebant: quod αἰετὸν, & αἴετωμα Græci dicunt: Glossæ: *fastigium*, αἴετωμα: atque inde πτερύγια, & πτερὰ etiam appellant. Nam fastigia ita erant pectinata, quemadmodum cum avis alas demittit, & extendit: hinc fastigiis nomen. Veteres Romani pectinata *tecta* appellabant, quæ in duas partes essent devexa: Hinc nos hodie pectiniones vocamus, qui ex utraque parte fastigium sustinent, & plane sunt triangulari forma, ut & ipsum fastigium, quod illis incumbit, & τρίχωρον, vel τρίγωνον propterea dictum est. *Salmas. in Spartian. Pescenn. c.* 12. V. supr. in *Fastigium*, & infr. in *Trichorum.* Planum laqueabatur tabulis in varias figuras cælatis, ut in mæandros, & lacus, & πλίνθια, & orbes, vel triangulos, & alia. Lacunaria, vel laquearia proprie dicebantur, quæ locubus distincta erant. V. supr. in *Lacunar.* Salmas. Exerc. Plin. p. 855. a. D.

TEG.

TEGES vocatur stragulum e palustri junco, scirpoque. Plin. XVI. 37. *Scirpi fragiles, palustresque, ad tegulum, tegetesque.* Glossæ: *Teges*, ψίαθος, σκίπαστρον. Voss. Lex. Etymol. in Tego. Harduin. in Plinium.

Teges etiam vocatur mansiuncula, & sella meretricum, & libidinis. Cubili Palatino opponit Juven. Sat. VI. 117.

Ausa Palatino tegetem præferre cubili.

Tenebricosa, olentia, ac subterranea plerumque fuerunt ea gurgustia obscœnitatum, & latitando facta. Adeo vel auctores flagitium ipsi suum occultare cupiunt. Senec. Contr. I. *Fornicis fuliginem* appellat. de vit. beat. c. 7. voluptatem describit *latitantem sæpius, ac tenebras captantem circa balnea, ac sudatoria, & loca ædilem metuentia:* inter quæ omnino fornices, & luparum stabula. *Chimentell. de Honor. Bisell. c.* 24.

TEGILLUM est genus vestis. Non. II. 846. *Tegillum aminutivum a tecto. Varr. Sesquiulyss. Vigere volitans mulsum aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat.* Ea voce usus est Plaut. Rud. II. 7. 18.

Tegillum eccillud mihi unum arescit: id si vis, dabo.

Apul. Met. IX. p. 279. *Nonnulli exiguo tegillo tantum pubem iniecti.* Festus interpretatur *cucullunculum, ex scirpo factum.* Salmas. in Ver. c. 4. Voss. Lex. Etymol. in Tego. Taubman. in Plautum. Et inde potius a tegetibus, quod e scirpo, palustri herba fieret, ut tegetes. Genus vestis a tergo pendentis, qua caput pluviæ, ac tempestatis causa tegebatur. *Dacer. in Festum.*

TEGULÆ nobis *tuile* dicuntur. Liceat illas sic generatim vocare. Sunt aut planæ, aut curvæ. Plana simpliciter *tegula*, curva imbrex dicitur. Ad curvas referendi etiam *laterculi frontati* Plin. XXXV. 12. quos nostra vernacula vocamus *Festieres. Frontati* dicuntur, quia utrinque hinc & inde ad superficiem sua fronte visuntur. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 22. §. 3. Ovid. Fast. VI. 316.

Strataque erat liquido tegula quassa foco.

Hinc *tegularius* figulus, κεραμεὺς, κεραμοποιὸς, ut est in Gloss. Cyril. *Voss. Lex. Etymol. in Tego.*

TEL.

TELA non tantum dicitur opus quod texitur. V. infr. in *Textura.* sed etiam instrumentum ipsum, in quo texebatur. Vulgo dicimus *le mestier.* Virg. Georg. I. 285.

— *& licia telæ*
Addere.

Ubi *tela* est jugum ipsum, in quo extendebantur stamina. Ovid. Met. VI. 576.

Mollia barbarica suspendit licia tela.

Qui *licia tela suspendere* sic dixit ut Virgilius *licia telæ addere.* n. 52.

Et gracili geminas intendunt stamine telas.

Hinc *tela jugalis* apud Caton. de Re rust. c. 14. *Salmas. in Capitol. Pertin. c. 8. Popm. de Instrum. fund. c.* 19. Ego *telam jugalem* jugo impositam, in quo texatur, esse puto, ad aliarum *telarum* discrimen, quæ pinguntur acu, texuntur radio, pectine, aut alio genere, sine jugo tamen. *Turneb. Adv.* VII. 22. Sed quomodo isto significatu *tela* inter opera fabri, aut villici instrumenta referri possint, non intelligo. Cato illo capite jubet in villa ædificanda *telas jugales duas* fieri, cum scamnis, cum fenestris, cum fullonicis, & aliis. Et ita *telam* pro instrumento textorio usurpavit Senec. Epist. 91. *Quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat.* Popm. in Catonem. Salmas. l. l.

TELAMONES *nostri appellant, si qua virili figura signa, mutulos, aut coronas sustinent: cujus rationes, quid ita, aut quare, ex historiis non inveniuntur. Græci vero ἀτλάντας vocitant.* Vitruv. VI. 10. Mirum est virum hunc, pleraque alia non vulgaria non indoctum, neque imprudentem latuisse, quod Ennius dixerit apud Serv. Æneid. I. 747. *Telamonem Latine, Græce Atlanta dici.* Philand. ad Vitruvium. Ratio est in mundo: quandoquidem idem ex τελάω ac ταλάω, vel τλάω: ac ut a τάλας, vel ταλάω est ἄτλας. sic a τελάω est τελαμὼν. *Voss. Lex. Etymol.* Idem notat ἄτλας, & τλάμων, pro quo *telamonem* dixere Latini: accipiunturque hæc vocabula pro quibusvis ἀχθοφόροις, & qualibet re onus aliquid sustinente, sive sit homo, sive animal, seu quodcunque aliud. *Telamonis*, seu atlantis figuram exhibet Polletus in Antiquitatibus Nemausensibus, quamvis ipse perperam de mimo acceperit, quorum tamen non est munus onera gestare. *Voss. de Trirem. & Liburn. construction. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 722. *E.* Credo ego, qui Græcum hoc nomen in Latium primus invexit, eo respexisse, ut nobis virilium horum signorum laborem apparentem exprimeret, non quidem *Telamonas*, sed τλήμονας primum scripsisse, quæ vox *tlemones* miseros denotat, & laborum patientes, quod ejuscemodi signis mirum in modum aptatur. Id fere expressit noster poeta Dantes in secunda comœdiæ suæ parte: ait enim:

Come per sostener solaio o tetto
Per mensola tal volta, una figura
Si vede giunger le ginnochia al petto.
La qual fa del non ver, vera rancura
Nascer a chi la vede.

Hæc igitur si vera sunt, frustra quærebat Vitruvius ex historiis

historiis invenire, quare signi, quæ a Græcis Atlantes, a Romanis *Telamones* dicerentur. Cæterum hæc telamonum [illegible] origine ab historia [illegible] [illegible] docent, quæ supra de Caryatidibus ipse retulit. *Bald. Lex. Vitruv.*

TELETÆ sunt sacri Isidis. Apul. Met. xi. p. 392. August. de Trinit. iii. 10. *Diabolus animas [illegible], [illegible] præcipitavit, quum pollicetur purgationem [illegible] per eas quas τελετὰς appellant, transfigurando se in Angelum lucis per multiformem machinationem in [illegible] [illegible].* Τελεῖν est sumptum [illegible], quin [illegible] fieri non poterant: unde *me [illegible] beatus* in proverbium abiit apud Plaut. Capt. iv. 1. 8. id est, [illegible] omnimoda appendice, ut [illegible] Festus. Athen. ii. 3. *Teletas etiamnum appellamus festorum sollennitates celebriores, cum arcanis, ac mysticis quibusdam ritibus [illegible], [illegible].* [illegible] τὸ τελεῖν, [illegible] πολυτελεῖς, *qui pecuniam [illegible], [illegible] εὐτελεῖς [illegible].* Lomej. de Lustrat. c. 1. [illegible] de vet. [illegible] [illegible] 1. 26. Stuck. de Sacrif. p. 14. Rhodig. Ant. Lect. xii 2. Cerda Adv. c. 185 n. 73.

TELLUS, alio nomine Vesta prisca, Rhea, Opis, Cybele, Bona dea, [illegible] deorum mater, dicta fuit, ut plurimis [illegible] testatur apud Grute. p. 27--31. Varro apud August. de Civit. Dei vii. 24. *Tellurem, [illegible] Opem, quod [illegible] melior: matrem, quod plurima parit: [illegible], [illegible] [illegible], [illegible] proserpunt fruges: [illegible].* Gyrald. Synt. deor. iv. p. 148. F. Kipping. Antiq. Roman. 1. 2. §. 7. *Telluri* non [illegible] festum factum. Primum erat 24. Januarii, quod ferias sementinas vocabant, & pro frugum incremento [illegible]. [illegible] erat Hilaria, cum rogabant, ut terra vellet benignam vim solis admittere frugum bono. Tertium appellabatur D[illegible], quod Kalendis Maji a feminis peragebatur in ædibus pontificis [illegible] nocte silente. Quintum Opalia 19. Dec. [illegible]. [illegible] venerabantur deam, ut quicquid frugum horreis reconditum habebant, læti, & vegeti [illegible]. V. singulis suis locis. *Kipping* [illegible] 1. 10. § 12.

TELONARIUS vocatur publicanus, qui *telonium* exercet. l. 3. C. T. de [illegible], sive terra, sive mari, aut flumine. [illegible] *qui mari, aut flumine* [illegible]. Nonius. V. illum supr. in *Portitor.* Cujusmodi officio functus est Sabinus Vespasiani pater, qui, ut ait Suet. c. 1. n. 4. *publicum [illegible] in Asia egit. [illegible] [illegible] a civitatibus et posita sub hoc titulo* ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. id est, bono quondam telonario, aut qui bene telonium exercuit. *Marcil. in Suetonium.* *Buleng. de Vectig. c. 3.*

TELONEUM, sive *telonium* vocatur publicanorum mensa, locus scilicet, [illegible] τὸ τέλος, hoc est, vectigal exigitur. Plutarch. [illegible] publica vectigalia, τὰ τέλη τὰ *δημόσια* vocat. Hieron. Epist. ad Heliod. Matthæum Apostolum exegisse tributa intelligit: unde e *telonio* a Christo vocatus est. Erat hoc officii genus olim apud Judæos, non secus atque apud Athenienses, infame: unde scriptum est Luc. c. 15. n. 2. *Quare cum peccatoribus, & publicanis manducat magister vester.* A Demosthene vectigalis ipsius exactio τελωνεία dicitur. Solent autem esse *telonia* circa maria, ubi a præternavigantibus, aut applicantibus vectigalia exiguntur. [illegible] circa mare contigisse Matthæi vocationem Marcus [illegible] innuit: nam quorsum alioqui præmisisset c. 3. n. 7. *Dominum ad mare [illegible].* Et terræ sanctæ scrutatores dicunt extra Capharnaum, circa mare demonstrari locum, unde vocatus sit Matthæus. *Cerda Adv. c. 135. n. 13.*

Telonium vocatur ipsum vectigal. Harpocration. *Telonium [illegible] vocatum. Decumanus, qui [illegible] exigunt.* Cassiod. Var. v. 39. *Telonii [illegible] nulla [illegible] usurpatione confundi.* Buleng. de Vectig. c. 3. Cerda Adv. c. 135. n. 13.

TELUM *vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Ita sequitur, ut & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur: [illegible] quod [illegible], [illegible] longinquum mittitur, Græca voce [illegible] ἀπὸ τοῦ τηλε. Et hanc [illegible] polumus [illegible] nomine. Nam quod nos telum appellamus, [illegible] βέλος [illegible], eoque nomine [illegible] [illegible], quod [illegible] mittitur, [illegible] non minus omne [illegible], [illegible] mittitur [illegible], ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι. Adeo [illegible] [illegible]: [illegible], καὶ τὰ βέλη, [illegible] tur, hastæ, sagittæ, fundæ: plurimi item lapides. Et id quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine* τόξευμα, *id est, [illegible], [illegible] communi [illegible] [illegible].* Cajus l. [illegible] de verb. signif. Eadem Serv. ad Æneid. vii. 249. ix. 509. Hinc [illegible], quod [illegible] tabb. [illegible], *[illegible] [illegible] communi [illegible]*. Voss. Lex Etymol. A. Gell. ad Lex. xii. [illegible] §. 29. Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p. 1178. L. Schegk. Præmeff. 4. [illegible] tribuitur iis, quibus cominus pugnatur. Virg. Æneid. ix. 747.

> *At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,*
> *Effugies: neque enim is teli: nec vulneris auctor.*
> *[illegible], & [illegible] consurgit in ensem,*
> *Et mediam ferro gemina inter tempora frontem*
> *Dividit.*

Quem ad locum Servius: *Telum [illegible] a longitudine. [illegible] quod infert [illegible], [illegible].* Nec sic teli poeta, [illegible]. Cicer. ad Herenn. 1. 11. *[illegible], [illegible] per [illegible], gladio [illegible]. [illegible], occisum conspicatur, e corpore cruentum telum educit.* Voss. Lex. Etymol. Schegk. Præmeff. 4.

TEM.

TEMO est prima, & præcipua pars vehiculi. Quod enim in navi gubernaculum, id ipse in vehiculo. Unde sæpe *temo* poetis, quod gubernaculum est aliis. Quin imo ex hac causa [illegible] pro integro vehiculo [illegible]. Juven. Sat. iv. 126.

> *Regem aliquem capies, aut de temone Britanno*
> *Excidet Arviragus.*

Medius erat inter boves, equosve, quasi diceres Latine lignum medium, aut interius lignum. Pollux x. 34. *Eodem quoque nomine curius temonem [illegible], [illegible] scilicet [illegible] lignum, cum jugatus [illegible]* l. 10. [illegible]. *Lignum ab [illegible] currus [illegible] extensum, temo.* Hesychius: *[illegible] extensum est lignum per equos ad jugum medium ab axe.* Scheffer. de Milit. nav. 1. 4. *Temones* prioribus temporibus tot fuere singulis in vehiculis, quot habebant paria equorum, boumve. Isidor. xviii. 35. *[illegible] currus [illegible] temone erat.* Xenoph. Cyri pæd. vi. p. 156. B. *Currus Abradatis temones habens quatuor, equos vero octo.* Paullo post eodem loco *currus Cyri cum temonibus octo*, qui trahebatur *octo jugis, [illegible].* Quamquam non spectarint omnes pariter ad vehiculum. Id enim [illegible] habebat tantummodo, [illegible] ad axem: reliqui adjuncti erant, quilibet ad alterius caput. Nec est, quod existimemus, quod putat Salmas. Exerc. Plin. p. 630. b. C. fuisse *juxta se collocatos, duo dextros, duo sinistros.* Ita enim similes fuissent currui, id τεθρίπποις. At Xenophon non dicit habuisse ὀκτίππον, vel ἑκκαιδέκιππον, quomodo hujus generis alia vehicula ἑξίππα, τέθριππα, & similiter Græcis nominantur, verum ὀκτάρυμον, vel τετράρυμον. Deinde quis omnino Cyri ætate legit ὀκτίππων, seu octojuges? ut de aliis non dicam. Sed nec ad postremum, quomodo vel boves, vel equi sedecim uno in vehiculo æqua fronte statui, jungive potuerint, apparet, quod tamen in Cyri curru fuit necesse, si eum ex sententia priori explicemus. Quare superest, ut credamus, *temones* illos quatuor, vel octo alios post alios, id est, *perpetuos*, sicut Isidor. l. l. appellat. Maxime cum ex *temonibus* Xenophon vehicula ista, unum ὀκτάρυμον, alterum τετράρυμον potius, quam ex equorum numero maluerit

appellare. *Scheſſer. ibid. c.* 12. *& l. l.* Pro ligneis hiſce *temonibus* quandoque longum uſurparunt funem. Heſychius: *Ampruma, funis extentus, quo utuntur loco temonis.* Euſtath. Iliad. Z. p. 476. *Amprum, funis, quo utuntur pro temone, collocato in medio inter trahentes jugales.* Scilicet, cum onera eſſent graviora, quam ut a duobus animalibus ad jugum, *temoneque* unum junctis poſſent moveri, a capite *temonis* addebatur funis longus, & ad eum tot jugales, quot videbantur ſufficere, quod & hodie quandoque ſolet fieri. Suidas: *Amprum, funis per juga protenſus, quo onera in plauſtro ducunt ita, ut æqualiter a jugalibus trahantur, cum ad pud communium, jugumque tenens religatum.* Scheffer. ibid. c. 4.

TEMONARII fuerunt dicti, qui tyrocinii aurum exigebant l. 14. C. Th. de extraord. muner. & l. 2. C. Th. de deſertor. Capitularia, & *temonarii* functio conjuncta l. 3. & 14. C. Th. de tyronibus: *Si temonarius prodiderit deſertorem, protoſtaſiæ onere biennio relevetur. Eos omnium* [illegible] *ſive (ut rem, quam* [illegible] *communi de gratione ſignemus) temonarii* [illegible] *exſortes.* Buleng. de Vectig. c. 63. Stewech. in Veget. 1. 7.

TEMPLUM a gurum erat regio, aut ager certo carmine ab augure limitatus & notatus, conſecratusque, unde in omnes cœli partes ad augurium captandum liber erat aſpectus: ideoque liberum quoquo verſus aſpectum eſſe oportebat, ut interdum augures ea, quorum altitudo auſpiciis officeret, demoliri juberent. Unde in hiſtoriis reperitur, C. Marium ædem Honoris ſummiſſiorem aliis feciſſe, ne ſi forte obeſſet auſpiciis publicis, augures eam demoliri juberent. Serv. Æneid 1. 96. *Ex templo, illico, ſtatim, eſt augurum ſermo. Templum enim dicitur Locus manu deſignatus in aere, poſt quem factum illico captantur auguria.* Gruch. de Comit. 1. 4. Panvin. de Civit. Rom. c. 17. Buleng. de Augur. c. 12. Claſen. Theol. gentil. III. 2. §. 1. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 5. Læt de Sacerdot. c. 5. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. II. 2. Augur conſtituebat verſus orientem, velato capite ſedebat, lituum manu dextra tenens, quo in cœlo regiones deſcribebat. *Romulus negabat ſe aſſumpturum regium nomen, niſi deus auſpicio facto addiceret. Surgens diluculo exiit e tentorio, ſtansque ſub dio in loco puro, immolatis rite victimis, precatus eſt Jovem, ut cæleſtia ſigna fauſta apparerent: poſt precationem fulgur a ſiniſtris ad dextram emicuit.* Non capiebat niſi liquidus eſſet aer, & a ventis liberrimus, ut accenſa lucerna vento non extingueretur. V. Plutarchum & Feſtum ſupr. in *Silentium.* Buleng. l. l. *Templi* [illegible] *partes* juſta diatriba deſcripſit *Johannes Baptiſta Bellos.*

Templum inter & ædem quæ olim fuerit differentia V. ſupr. in *Ædes ſacræ.* Verum quamvis hæc nominum differentia vetuſtiſſimis fuerit obſervata temporibus, illud tamen conſtat, ab antiquis ea confuſa poſtea fuiſſe vocabula, & promiſcue *templa*, & ædes, ædificia ſacra, deorum dedicata cultui appellata. *Nardin. Rom. Vet.* III. 2. Differebat etiam a delubro. Aſcon. in Cicer. p. 17. *Sunt qui templa eſſe dicant ſingulorum diis attributorum locorum, delubra multarum ædium ſub uno tecto a diluvio pluviæ munitarum. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus ſunt labra corporum abluendorum mortuorum, ut Dodonæi Jovis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes, tripodesque viſuntur.* Ouzel. in Minuc. Felic. p. 54. Antiqua fiebant etiam integra ex ære. Homer. Iliad. Σ. 369.

Vulcani pervenit ad domum Thetis argentipes
Æream, quam quidem ipſe fecit claudus.

De Pauſania Nep. IV. 5. 2. & Ælian. V. H. IX. 40. *In ædem Minervæ, quæ Chalciœcus vocatur, confugit.* Liv. XXXV. 36. *Ædem circa Chalciœcon (Minervæ eſt templum æneum) congregati cæduntur.* Etiam Romæ in nona regione, ſi veri Victor prodit. Hujus meminerit Dio II. p. 459. D. V. illum ſupr. in *Minerva.* Lampe de Cymbal. III. 11. Meurſ Miſc. Lacon. 1. 3. Lambin. in Nepotem. Ut plurimum quadrata erant: quod nummi veteres teſtantur, & aperte demonſtrat Vitruv. 1. 5. *Ædes deorum immortalium ad regiones, quas ſpectare debent, ſic erunt conſtituendæ, uti ſignum, quod erit in cella collocatum, ſpectet ad veſpertinam cœli regionem, ut qui adierint ad aram immolantes, aut ſacrificia facientes, ſpectent ad partem cœli orientis, & ſimulacrum quod erit in æde, quia aras deorum neceſſe eſt ad orientem ſpectare.* Quadratura *templorum* πλινθία dicitur. Omne circumſeptum eſſe debebat, ne plusquam unum introitum haberet. Unde etiam obſervatum, ut amplius uno exitu in hoc eſſe non oporteret, cum ibi auſpicans eſſet cubiturus. Serv. Æneid. IV. Atque ut *templa* ſacra erant, non tamen omnia erant ſancta. Nam curia Hoſtilia templum fuit, & ſancta non fuit. Quod ita interpretor, curiam quidem Hoſtiliam, ut Pompejam, Juliam, & Roſtra *templa* fuiſſe per augures conſtituta. Nam cum illæ curiæ loca profana eſſent, *templa* facta ſunt, ut in his SCta more majorum facta juſta fieri poſſent. Nec tamen ea loca ſancta fuerunt: quoniam *templa* poſtquam per augures effata erant, & a pontificibus conſecrata, ut ſancta fierent, in his ſacra edicebantur. Quare ſi nulla ſacra edicerentur, ſed effata eſſent loca: *templa* quidem ſacra dicebantur, ſed non ſancta, ut in iis auſpicato, & publice res adminiſtrarentur, & ſenatus haberi poſſet. Ædes tamen paucæ rotundæ erant. V. illas ſupr. in *Ædes.* Guther. de Jur. vet. pontif. III. 2. Rycq. de Capit. c. 12. Ædificandorum ratio non una, eademque fuit, ſed ex triplici natura deorum petebatur, qui aut fortes ſunt, aut delicati, aut medii. Fortibus, ut Marti, Herculi, Minervæ ædes Doricæ ſeverioris ſtructuræ conſtitutæ ſunt. Delicatis, ut Veneri, Proſerpinæ, Floræ Corinthio genere propter teneritatem operis factæ ſunt. Mediis, ut Junoni, Dianæ, Baccho conſtructæ Ionicæ, nec florida ſtructura, nec ſevera. V. Vitruv. 1. 2. *Guther. ibid. c. 6. Philand. in Vitruvium. Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 5. Adtributa fuerunt areæ, piſcinæ, aræ, tripodes, menſæ. V. ſingula ſuis locis. Interiora etiam picturis, & ſimulacris commendantur. Cicer. Verr. IV. 55. *Pugna erat equeſtris Agathoclis Regis in tabulis picta præclare. His autem tabulis interiores templi partes veſtiebantur, nihil illa pictura nobilius.* Sic *victoriæ ſuæ Aſiaticæ tabulam in Capitolio poſuit L. Scipio.* Plin. XXXV. 4. Et T. Sempronius Gracchus, cum proſpere adverſus Pœnos ad Beneventum pugnaſſet ſervorum maxime opera, quos liberos eſſe juſſit: *digna res viſa, ut ſimulacrum celebrati ejus diei pingi juberet in æde Libertatis, quam pater ejus in Aventino ex multatitia pecunia faciendam curavit, dedicavitque.* Liv. XXIV. 16. *Guther. l. l.* Latini fere omnes in Italia Janum patrem primum *templa* ſtruxiſſe tradiderunt, ideoque veteri inſtituto in ſacrificiis Janum perpetuo præfari ſolebant. Alii Faunum, & ab eo ſana appellata voluerunt. Quidam Jovem apud Cretenſes primum dicaſſe ferunt, atque ob id inter deos primum ipſum locum fuiſſe ſortitum. Lactantius Cretenſium antiquiſſimum Regem Meliſſeum tradit: quin etiam Servius ex Salluſtio Cretenſibus religionem attribuit. Phœnices Uſonem quempiam primum ſimulacra igni, & vento ſtatuiſſe, & *templa* poſuiſſe prædicant. Phoroneum alii, aut Meropem, vel Æacum Jovis filium tradunt, ut Varro in Admirandis ait, quod & in ſexto Arnobius. Sunt qui Dionyſium, cum Indos debellaſſet, *templa* ſtruxiſſe, religionumque cultus incepiſſe prodant. Alii Cecropem primum in Attica Opi deæ ſtatuiſſe putant. Nonnulli Arcades Jovi primum conſtruxiſſe affirmant. Ægyptii Iſin ferunt, quæ ſit legifera vocata, Jovi & Junoni parentibus *templa*, & ſacerdotes inſtituiſſe ajunt. Sunt, qui Phryges dicant, qui deæ Phrygiæ Cybeli ſacra, & *templa* dicarint. Pauſanias in Corinthiacis indicat in Græcia antiquiſſima haberi Pythii Apollinis apud Samios, Minervæ apud Phocenſes in Ionia, antiquiſſimum omnium Theatii Apollinis apud Trœzenios quod Pittheus maternus avus Theſei ædificarit & exornarit. In Aulide quoque templum aliquot ante Trojanum bellum ſeculis exædificatum fuiſſe memorat Plin. XVI. 40. Apollon. III. refert Deucalionem primum deorum immortalium *templa* ædificaſſe. *Gyrald. Synt. Deor.* XVII.

xvii. p. 471. C. *Hospinian. de Orig. templ. p. 19. B. Saubert. de Sacrif. c. 14. Laurent. l. l. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* ii. 2. Originem sumpserunt ex sepulcris. Fuit enim usque adeo antiquis sepulcrorum cura, ut non aliunde *templorum*, & sacrarum ædium originem deductam tradant Euseb. Præpar. Euangel. ii. 7. *Quare deorum etiam templa, sepulcra eorum fuisse testantur.* Et Clem. Alex. Protrept. p. 29. A. *Quæ quidem nec ipsa silentio prætermittam, atque adeo ipsa convincam speciosa quidem nomine nominari templa, fuisse autem sepulcra, hoc est, sepulcra vocata fuisse templa. Vos autem vel nunc saltem dæmonum cultus, & superstitionis obliviscamini, sepulcra colere erubescentes. In templo Minervæ Larissæ in arce est sepulcrum Acrisii, Athenis in arce Cecropis, ut ait Antiochus Hist. ix. Quid vero Erichthonius, non fuit sepultus in templo Polyadis? Immarus autem, filius Eumolpi, & Dairæ, non fuit sepultus in ambitu Eleusinii, quod est sub arce? Filiæ autem Celei non sunt sepultæ Eleusine?* Gyrald. ibid. p. 472. B. de var. sepel. rit. c. 1. & Faes ad illum. Hospinian ibid. p. 20. A. Kirchman. de Funer. ii. 27. Laurent. l. l. Dedicatio peragebatur a collegio pontificum, vel ab aliquo ex illorum collegio, qui postem *templi* tenebat. Cicer. pro Dom. c. 46. *Postem teneri in dedicatione oportere videor audisse templi. Ibi enim postis est, ubi templi aditus est, & valvæ. Ambulationis postes nemo unquam tenuit in dedicando. Simulacrum autem, aut aram si dedicasti, sine religione loco moveri potest. Sed jam hoc dicere tibi non licebit, quoniam pontificem postem tenuisse dixisti.* c. 45. *Verbo ergo, pontifices, putatis, si is postem tenuerit, & aliquid dixerit, domum uniuscujusque consecrari posse.* Liv. ii. 8. V. illum supr. in *Capitolium.* Sagittar. de Jan. vet. c. 35. n. 2. Noris. Epist. Consul. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 484. D. Struv. Ant. Rom. c. 11. p. 504. Brisson. de Form. i. p. 114. Guther. de vet. jur. pont. iii. ii. Turneb. Adv. xii. 5. in Cicer. de Legib. ii. p. 115. Prætexta vero, quæ non a solis consulibus, sed etiam a pontificibus gestabatur, capite obvelato, eam ceremoniam exequebantur. Si Imperatores *templa* per semet consecrabant, id jure pontificatus maximi præstare poterant: ac tunc togam prætextam induebant, tanquam pontifices, non uti consules, etiam re ipsa consulatu fungerentur eo anno, quo dedicatio peragebatur. Lamprid. Alex. Sev. c. 40. *Prætextam, & pictam togam nunquam nisi consul accepit.... Accepit prætextam etiam cum sacra faceret sed loco pontificis maximi, non Imperatoris.* Noris. ibid. E. Ingrediebantur per loca dextera, egrediebantur per sinistra. *Putean. de Bissext. c. 2.* Et quidem adscendendo per gradus. Vitruvius: *Matresfamiliarum ad supplicationem gradibus ascendunt.* Nec parum ad majestatem, & dignitatem templi facit, si a cætero urbis solo, ut gradibus ascendas. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* i. 3. *Philand. in Vitruvium.* Salutare consueverant. Ovid. Met. xv. 685.

Tum gradibus nitidis delabitur; oraque retro
Flectit: & antiquas abiturus respicit aras,
Assuetasque domos, habitataque templa salutat.

Brisson. de Form. i. p. 34. Extra ordinem rebus dubiis, aliave occasione diis vovebantur. Virg. Æneid. vi. 69.

Tum Phœbo, & Triviæ solido de marmore templa
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.

Ovid. Met. xiv. 128.

Templa tibi statuam, tribuam tibi thuris honores.

Bello contra Volscos L. Furius dictator *deorum opes adhibendas ratus, inter ipsam dimicationem, ædem Junoni Monetæ vovit: cujus damnatus voti quum victor Romam revertisset, dictatura se abdicavit. Senatus duumviros ad eandem ædem pro amplitudine populi Romani faciendam creari jussit. Locus in arce destinatus, qua area ædium M. Capitolini fuerat.* Liv. vii. 28. *Lomej. de Lustrat. c. 6.* Fuerunt prima supplicum asyla. V. supr. in *Asylum.* Diebus festis ornabantur ramis e lauru, oliva, hedera. Virg. Æneid. ii. 248.

Nos delubra deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

iv. 457.

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis, & festa fronde revinctum.

Stat. Sylv. iv. 8. 1.

Pande fores superûm, vittataque templa Sabæis
Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple.

Turneb. Adv. xxii. 12. Kipping. Antiq. Roman. i. 10. §. 4. Paschal. de Coron. iv. 18. Reverentiam illis eam præstabant, ut in illis prohiberent spuere, & mungere. Arrian. in Epictet. iv. 11. *Sed & una nobiscum templa ingredieris tali habitu, ubi exspuere, aut nares emungere religio est, cum totus nihil sis nisi sputum aut mucus.* Kipping. l. l. *Templa*, ut eo major esset precum effectus, genibus perreptabant. Dio xliii. p. 224. B. *Per gradus ab area Capitolina templum genibus conscendit.* Arnob. i. p. 29. *Cum per omnia supplices irent templa, cum deorum ante ora prostrati, limina ipsa converrerent osculis.* Tib. i. 5. 21.

Non ego tellurem genibus perrepere supplex.

Hoc Artemid. ii. 34. est *locos ante statuas verrere, aut etiam ante templa, σαρῦν.* Quod quidem mulieribus quasi proprie assignatum. Hæ enim prostratæ ante simulacra crinibus passis solum verrebant. Liv. iii. 7. *Stratæ passim matres, crinibus templa verrentes veniam irarum cœlestium, finemque pesti exposcunt.* Claud. xxix. 224.

Numinibus votisque vacas, & supplice crine
Verris humum.

Turneb. Adv. xxix. 30. Brisson. de Form. i. p. 41. Kipping. Antiq. Roman. i. 9. §. 11. Gebhard. in Tibullum. Herald. in Arnobium. Lapidare, id est, illorum deos præ nimia impatientia, vindictæ loco, lapidibus impetere solebant. Suet. Cal. c. 5. n. 2. *Quo defunctus est die, lapidata sunt templa.* Putabant enim pro diis non esse amplius habendos, qui Germanicum mori permisissent. Tacit. Hist. i. 55. 2. *Primani, quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbæ imagines jecerint.* Kirchman. de Funer. ii. 12. Guther. de jur. man. ii. 15. Morestel. Pomp. Feral. ii. 36. 2. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Fulmine tangi ominosum veteres vulgo crediderunt. Sed ejus observationis vanitas deprehensa est, tacta Romæ Junonis æde, Scauro consule, qui mox princeps fuit. Atqui alias sæpius, vel mali nihil attulere, vel boni alicujus, præsertim publici, dedere suffragium. *Pier. Valer. de Fulmin. signific. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. ix. p. 601. C.* Si fores insolito tempore reperirentur clausæ, aut nulla vi humana possent aperiri, miraculi aliquid subesse videbatur. V. supr. in *Fores.* Januis leo, signum custodiæ, & excubiarum appingebatur. Nomen dii, deæve, cui consecratum, & fundatoris inscribebatur. V. supr. in *Janua.* Sepulcris imponebantur. Sic juxta Ophelti sepulcrum ædicula quædam, & ara conspicua fuere. Pausan. Corinth. p. 57. Et testatum facit Statius: sic enim canit Theb. vi. 242.

Mirum opus accelerasse manus, stat saxea moles,
Templum ingens, cineri. . . .

Valerii sepulcrum similiter erat juxta *templum* Æsculapii. Inscriptio Hispaniensis:

OSSA NOSTRA POSSE MELIUS AD-
QUIESCERE QUAM PROPE TEM-
PLUM ÆSCULAPII.

Nicol. de Sepulcr. ii. 15. 6. *Gyrald. de var. sepel. rit. c. 1. & Faes ad illum.* Quæ vetustate, aut alio casu collapsa restituebantur, denuo dedicari debuerunt, & consecrari. Furius Camillus dictator *Vejis captis se ædem matris matutæ refectam dedicaturum.* Restitutio hæc iisdem verbis, & sollennibus perficiebatur, iisdem legibus, & ritibus, queis *templi* primitus constructi dedicatio fiebat. Ad constructionis, & restitutionis ritum, & sollennitatem facit locus Tacit. Hist. iv. 53. 1. Vespasianus *curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum. Ab eo contracti aruspices monuere, ut reliquiæ prioris delubri in*

pilis locis aedificaretur, templumque iisdem vestigiis sisteretur. Undecimo Kal. Julias serena luce, spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis, coronisque. Ingressi milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis. Dein virgines Vestales cum pueris, puellisque patrimis, matrimisque aqua vivis, e fontibus, amnibusque hausta perluere. Tum Helvidius Priscus prætor, praeunte Plauto Æliano pontifice, lustrata bove, taurisque area, & super cespitem redditis extis, Jovem, Junonem, Minervam, præsidesque imperii deos precatus, uti cœpta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent: vittas, quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. Simul cæteri magistratus, sacerdotes, & senatus, & eques, & magna pars populi, studio, lætitiaque conixi saxum ingens traxere: passimque injectæ fundamentis, argenti, aurique stipes, & metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur. Guther. ibid. c. 13.

Templum Æsculapii fuit in insula Tiberina, quæ olim extra pomœrium. Ejus tres causas reddit Plutarch. Quæst. Rom. 93. *Vel quod purior, & salubrior sit aer extra, quam* [illegible]; *vel quod Epidauro esse laborantes Æsculapi*[illegible] *; vel quod draconem magnum ab Epidauro, qui se in eorum navem contulerat, in quo ipsum* [illegible] *coque in insulam Tiberis* [illegible]. Claud. de [illegible] Consul. Stil. [illegible] 171.

Hinc [illegible] *Epidaurius hospes*
Reptavit [illegible] *per undas*
Insula Pæonium texit Tiberina draconem.

Plin. XXIX. 1. aliam addit causam, quod prisci illi artem medicam damnarint, & ut medicos, in Æsculapium illum [illegible] Urbe [illegible]. *Ideo*, inquit, *templum Æsculapii, etiam cum reciperetur is deus, extra Urbem fecisse, Tiberisque* (ita lego pro *iterumque*, *in insula traduntur.* Propterea Dionys. V. p. 288. *insulam Æsculapio sacram* appellat: quæ nimirum etiam in ejus effigiem navis, qua est advectus anguis, conformata fuerat. *Donat. de Urb. Rom.* I. 6. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 16. *Blond. Instaur. Rom.* II. § 78. In limine ejus incisis versibus legebatur compositio Antiochi magni adversus venena, de qua consulendus Plinius. Ipsum templum a prætore Lætorio e præda tabulis pictis exornatum, auctore Liv. XLIII. 4. Parietes quoque votivis tabulis corum distincti, qui ex incubatione ibidem nocturna sanitatem receperant. Fastiditus Apollini leno Plautinus nullum ibi invenit remedium Curc. II. 1. 1.

Migrare certum est jam nunc e fano foras,
Quando Æsculapii ita sentio sententiam.

Deportabantur & in hanc insulam ægri, ut pavimento *templi* subinde incubantes sanitati restituerentur. Claudius Imperator apud Suet. c. 25. n. 5. cum quidam ægra mancipia in insulam Æsculapii tædio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos esse jussit. V. supr. in *Servus.* Nunc S. Johannis Colevitæ vocatur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. *n.* 2. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 9. *Tomas. de Donar. c.* 34. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 8. §. 8.

Templum Aji Locutii fuit in Nova via. Liv. V. 50. V. illum supr. in *Ajus.*

Templum Annonæ fuit in Capitolino. Conjicimus ex inscriptione, quæ nunc ibidem legitur:

ANNONÆ. SANCTÆ. HÆLIUS. VITALIO. MENSOR. PERPETUUS. CORPORIS. PISTORUM. SILIGINARIORUM. D. D

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10.

Templum Antoniæ, majoris, an minoris, quove Urbis situ conditum fuerit, incompertum. Ornatum fuit pictura Herculis. Plin. XXXV. 10. *Ejusdem arbitrantur manu esse & in Antoniæ templo Herculem aversum: ut, quod est difficillimum, faciem ejus ostendat verius pictura, quam promittat.* Donat. de Urb. Rom. III. 22. Harduin. in Plinium.

Templum Antonini Pii a Victore in regione Urbis nona collocatur. Victor hoc statuit prope columnam, ideoque erat in fine olim ejus fori, ubi grandes adhuc marmoreæ columnæ visuntur cum epistylio, in platea Petræ, ut dicitur. Quod alii basilicam, alii porticum malunt dicere. Rectius dixeris *templum*, ut ostendunt solidi parietes, passimque fornices, quæ in ædes Romani seminarii conversa est. Apud Cencium Camerarium sic leguntur: *Templum D. Antonini juxta S. Salvatorem ante S.* [illegible] *in Aquiro.* Donat. de Urb. Rom. III. 16. Nardin. Rom. Vet. VI. 9. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 360. E.

Templum Antonini Pii cum uxore Faustina commune adhuc cernitur in foro Boario. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16.

Templum Antonino Philosopho successori Pii decretum, & constitutum fuit. Aurel. Vict. Epit. c. 16. n. 14. *Et quod de Romulo ægre creditum est, omnes pari sensu præsumpserunt, Marcum cœlo receptum esse. Ob cujus honorem templa, columnæ, multaque alia decreta sunt.* Capitol. c. 18. *Templum ei constitutum, dati sacerdotes Antoniniani, & sodales, & flamines, & omnia quæ de sacratis decrevit antiquitas.* Donat. de Urb. Rom. III. 16.

Templum Apollinis antiquissimum omnium in Urbe ejus dei *templorum* fuit extra portam Carmentalem. Ascon. in Cicer. p. 150. *Ne tamen erretis, quod his temporibus ædes Apollinis in Palatio fuerit nobilissima: admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, ut puto, quam post mortem etiam Ciceronis multis annis Imperator Cæsar, quem nunc D. Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit; sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem inter forum olitorium, & circum Flaminium. Ea enim sola tum Romæ Apollinis ædes.* Cum vero circus Flaminius fuerit, ubi nunc est ædes S. Catharinæ Funariorum, & forum olitorium ad pontem quatuor capitum, sequitur hoc *templum* inter palatium Sabellorum fuisse, & aream Campitelli. Unde recte pompa illa, quæ bello Punico II. porta Carmentali in forum ducta fuit, initium ab æde Apollinis fecisse memoratur a Liv. XXVII. 37. *Ab æde Apollinis boves feminæ albæ duæ porta Carmentali in Urbem ductæ, post eas duo signa cupressea Junonis Reginæ portabantur.* Dicitur populus Romanus hanc vovisse, cum Urbs gravi pestilentia affligeretur an. 320. tribunis M. Fabio Vibulano, M. Folio, & L. Sergio Fidenate: dedicata vero fuit 73. annis post Coss. Sulpicio Potito, & Valerio Poplicola, ut est apud Liv. IV. 25. & 29. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 22.

Templum Apollinis Medici *ad Tiberim extra portam Trigeminam* collocat Liv. XL. 51. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 3. Multis postea seculis ibidem permansit, sæpius ob vetustatem reparatum. Vidi ipse antiquum ejus titulum, basi marmoreæ insculptum: quæ non procul inde ex ruinis extracta, parieti vicinæ domus privatæ cujusdam inserta est, ad ipsam fere ripam Tiberis, retro cerdonum plateam. Et hic talis est:

APOLLINI. SANCTO.
MEMMIUS. VITRASIUS.
ORFITUS. V. C.
BIS. PRÆF. URBIS.
ÆDEM. PROVIDIT.
CURANTE. FL. CLAUDIO.
EUANGELO. V. C. COMITE.

Reparatio hæc facta est tempore Imperatorum Constantii, & Juliani apostatæ, sub quibus hic Vitrasius Orfitus Urbis præfectus fuit, ut nobis ex antiquissimo MSC. præfectorum Urbis catalogo compertum est Valeriano II. & Galieno consulibus exordium sumente. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 338.

Templum Apollinis Palatini in recessu domus Augusti fuit positum. Suet. Aug. c. 29. n. 8. *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari*

desiderari a deo aruspices pronuntiarant. Nonn. in August. Cæsar. Nomism. p. 91. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 363. D. In ejus basi reconditi libri Sibyllini. Additæ porticus, in quibus bibliotheca Græca & Latina. In *templo* dactyliotheca, Marcelli Octaviæ filii donum; lychnuchus pensilis ab Alexandro Magno olim, expugnatis Thebis, direptus; cortinæ aureæ ab Augusto donatæ. Patebat recitationibus poetis. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 2. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 304. C. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 22. Rosin. Antiq. Roman. II. 7. & ad illum Demsterus.* Livia illud marito suo dedicavit. Plin. XII. 19. *Radicem ejus, cinnamomi, magni ponderis vidimus in palatio, templo, quod fecerat D. Augusto conjux Augusta, aureæ pateræ impositam.* De libris Sibyllinis Suet. Aug. c. 31. n. 1. *Solos retinuit Sibyllinos: hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis sub Apollinis Palatini basi.* De dactyliotheca Plin. XXXVII. 1. *Marcellus Octavia genitus in Palatina Apollinis æde dactyliothecam consecravit.* De cortinis Suet. Aug. c. 52. n. 2. *Argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes: exque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit.* De lychnuchis Plin. XXXIV. 3. *Placuere & lychnuchi pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes, quale est in templo Apollinis Palatini, quod Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem deo.* In illo poetas sua scripta recitasse docet Horat. Sat. I. 10. 38.

Quæ nec in æde sonent certantia judice Tarpa.

Tarpa enim judex delectus fuerat ad dijudicanda poetarum opera de illorum præstantia coram illo contendentium. *Nardin. Rom. Vet. VI. 14. Donat. de Urb. Rom. III. 2. Lomej. de bibliothec. c. 14.* Templum hoc cum Athenæo confundit Marcil. in Pers. Sat. I. proœm. v. 8. & 29. cum ait: *Ædes Apollinis Capitolini, Palatini voluit, fieri debuit, dicere; jam Athenæum, recitabulum poetis Latinis, & commentarium quasi arena.* Et, qui Marcilium, nomine tamen addito, sequitur Rader. ad Mart. X. 70. 10. *Masson. vit. Horat. p. 162.* Horatianas quidem ædes merito Athenæo interpretatur. Hæc eo tantum, & quæro, an Athenæum sit Romæ antiquum. Postea tamen fuit, & huic usui frequens. Lampridius & Capitolinus. V. illos supr. in *Athenæum.* Lips. Cent. Epist. ad Belg. II. 48. Omnem dubitationem tollit Aurelius Victor, qui Adrianum Athenæum constituisse prodidit, laudatus supr. in *Athenæum.* Etiamsi porro Lipsius neget, se quid scholia de æde Apollinis Palatini produnt, velle refellere, nos tamen haud cunctanter pronuntiamus, id omnino rejiciendum esse; atque nec Horatium, nec ullum alium scriptorem antiquum dicere, poetas, alios ve in ea æde suos recitasse libros. Loca Capitolini & Lampridii, quæ Marcilius profert, nihil ad Apollinis ædem spectant, nihilque ad Horatium, Augustive seculum faciunt, ut quæ ad tempora Adriano posteriora pertinent. Ædes, quam Horatius ceu recitabulum indigitat, est privata, pro horum, & sequentium temporum consuetudine: ex qua magnates, & literarum fautores domum suam recitantibus præbere solebant. V. supr. in *Recitare.* Horatiani itaque loci sensus hic est. Sua scripta Flaccus noster illis opponit Alpini poetæ theatralibus, asseritque se nolle id genus opera componere, quæ primum in æde privata recitentur, ac Tarpæ, hoc est, cujusvis ludorum curatoris judicio committantur, deinde vero palam in theatris spectanda iterum atque iterum populo præbeantur. Confer ipsos versiculos 35 -- 39. Metius vero Tarpa producitur pro quovis alio ædili, quod ille fuerit doctissimus, atque ex ejus judicio actæ sint tragœdiæ in celeberrimis Pompeji ludis. Nec etiam necesse est asseramus Metium ex munere judicem poetarum fuisse; cum potuerit Horatius hoc nomine illum ornare, quod soleret ob eruditionem, ac ingenii solertiam a poetis consuli. Hoc fortasse probabilius videbitur; siquidem hoc sensu Tibullum vocat *suorum sermonum judicem* Epist. I. 4. 1. *Masson vit. Horat. p. 161. Voss. de Imitat. c. II. §. 5.* Et in illo Augustus *sæpe senatum consuluit, & decurias judicum recognovit.* Suet. c. 29. n. 9. In hanc ædem Nero velut triumphans ob victoriam curru repetitam adscendit. Suet. c. 25. n. 4. *Dehinc diruto circi maximi arcu, per Velabrum forumque, Palatium, & Apollinem petiit:* quum triumphantes de hostibus in Capitolium solerent. Ibidemque Galba sacris operabatur, quum mollis Otho Imperator a militibus salutaretur. Tacit. Hist. I. 27. 1. *Nardin. l. l.* Ad illud Icti de litibus ambiguis disceptaturi solebant convenire. Scholiast. Juven. ad Sat. I. 128. *Aut quia juxta Apollinis templum jurisperiti sedebant, & tractabant. . . .* Demster. l. l. Vocatur etiam *templum* Apollinis Actiaci, & Navalis, & Parætonii, & S. Luciæ in palatio. Antonio, & Cleopatra devictis, ex marmore Lunensi, ut Servius testatur, fecit Augustus. Nullum opere, splendoreque magnificentius. Valvæ erant eburneæ, auro, picturisque ornatæ, de quibus detracta hostibus spolia suspendebantur. Prop II. 23. 9.

Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.
Auro solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnasi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9.

Templum Apollinis, & Clatræ, cancellorum, ac clatrorum deæ in ea fuisse Quirinalis parte opinatur Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 22. quæ fonti Treviorum superimpendet, id est, ubi hodie collis in cubiti speciem curvatur: parsque palatii, seu hortorum papalium est: quem sua adhuc ætate montem Clatræ appellatum asserit. *Nardin. Rom. Vet. IV. 6. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 8. §. 4. Donat. de Urb. Rom. III. 15. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 48. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 9. Schott. Urb. Rom. Descript. p. 436.*

Templum Apollinis Tortoris in quadam Urbis parte locat, sed eam non exprimit Suet. Aug. c. 70. n. 2. *Cæsarem plane esse Apollinem, sed Tortorem, quo cognomine is deus quadam in parte Urbis colebatur.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10.

Templum Augustus, *quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere: in nulla tamen provincia, nisi communi suo, Romæque nomine recepit.* Suet. Aug. c. 52. n. 1. Hinc in marmoribus antiquis sæpe legimus:

ROMÆ. ET. AUGUSTO
CÆSARI. DIVI. F.

Et:

SACERDOS. PERP. ROM. ET. AUG.

In aliis

FLAM. ROM. ET. AUG.

Athenis quoque, antequam a Mahomete Turcarum Principe everterentur, vestibulo templi in arce inscriptum fuisse ajunt:

Ο ΔΗΜΟΣ. ΘΕΑΙ. ΡΩΜΗΙ. ΚΑΙ
ΣΕΒΑΣΤΩΙ. ΚΑΙΣΑΡΙ.

Tacit. Annal. IV. 37. 4. *Cum D. Augustus sibi, atque Urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibuisset.* Et Herodes magnus, ut tradit Joseph. Antiq. Jud. XV. 13. postquam urbem Stratonis turrim ante nuncupatam reparavit, & Cæsaream appellavit, *templum ibi Augusto sacrum exstruxit a longe conspicuum navigantibus, & in eo statuas, Romæ altera, altera Cæsaris.* Ruben. de Gemm. August. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1341. A. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 338. E. Casaub. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

Templum Augusto a senatu decretum, & a Livia uxore, privignoque Tiberio in palatio exstructum est. Dio LVI. p. 600. A. *Ipsi, Augusto, templum Romæ decretum quidem a senatu, sed a Livia, & Tiberio structum est: idque alibi, & pluribus locis.* Liviæ soli, sed præter Dionis men-

mentem, hoc opus tribuit Plin. xii. 19. *Radicem ejus, circa m[illegible], magni ponderis vidimus in palatii templo, quod fecerat D. Aug[illegible] conjux Augusta, aureæ pateræ impositam.* Et Tiberio Suet. c. 47. n. 1. *Opera, quæ [illegible] operat, Augusti templum. . . . . imperfecta post tot annos reliquit.* Lipſ. in Tacit. Annal. i. n. 81. Nardin. Rom. Vet. vi. 14. Demſter. Antiq. Rom. i. 13. Quæ omnia de uno eodemque *templo* dicuntur: nam de pluribus non conſtat. Quare [illegible] Marliani ſententia eſt, Augusti *templum* in [illegible] fuiſſe exiſtimantis, poſteaque Caligulæ per medium [illegible] videntem illud [illegible]. Fuit enim in colle, ſeu potius clivo collis ante palatium: quod poſtea Caligula dedicavit. Suet. c. 21. n. 1. *Auguſti templum abſolvit.* Dio lix. p. 64?. D. *Deinde Cajus habitu triumphali templum Aug[illegible] nobilissimis pueris atque [illegible] cum [illegible] canentibus.* Quare quomodo ille [illegible] abſolvere potuerit, ſub impoſito ponte, qui [illegible] per omnia ædificium integra [illegible] Capitolium pertinuit, videre me non poſſe, [illegible]. In eo [illegible] fuit tabula, qua Auguſtus quondam delectatus [illegible]. Plin. xxxv. 11. *H[illegible] quem Cæſar Augustus [illegible] deportavit [illegible] Tiberius Cæſar in templo ejus dedicavit hanc tabulam.* Nardin. ibid. v. 16. & l. l.

Templum Bacch. [illegible], trans Apollinis ædem. [illegible] V. illum inſr. in *templum Cybeles.* Nardin. Rom Vet. vi. 14.

Templum Bacchi, nunc S. Conſtantiæ, fuit extra portam Viminalem, via Numentana. Viſitur in ea ad ſecundum lapidem, circulare, & vermiculato opere, columniſque duodecim in gyrum diſpoſitis ſuſtentatum, tribus [illegible] ſe conjunctis, inter quas aliquo ſpatio relicto, aliæ eodem modo [illegible] junguntur. Ornamenta varia in illo cernuntur, & porphyreticum ſepulcrum vitibus, ac uvis exſculptis exornatum: quod vulgus Bacchi ſepulcrum appellat. In ſepulcri fracto prope marmore vidi bacchantium turbam, qui angues [illegible] geſtarent, & caprum ducerent. *Marlian. Topogr. Urb.* v. 25. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom.* c. 19. *Panvin. [illegible] Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman Græv. Tom.* iii. *p.* 246. *B. Schott. Itiner. Ital. p.* 191.

Templum Bacchi, Cereris, & Proſerpinæ fuit circo maximo vicinum. Tacit. Annal. ii. 49. 2. *Deum ædes vetuſtate, aut igni abolitas, cœptasque ab Auguſto Tiberius dedicavit Libero, Liberaque, & Cereri juxta circum maximum, quas Poſtumius dictator voverat.* Ubi, quod plurali numero utitur, plures una fuiſſe videatur. Unicam tamen ædem a Poſtumio dictatore votam, ædificatamque auctor eſt Dionys. vi. p. 414. *Alter conſul Caſſius in Urbe relictus, interea ædem Cereris, & Liberi, Liberaque dedicavit, in fine circi maximi ſuper ipſos carceres ſitam: quam A. Poſtumius dictator prœlium cum Latinis initurus diis pro Republica voverat.* Fuerit ſine dubio in eo loci ſpatio, quod hodie inter ædem S. Anaſtaſiæ, & montem Aventinum interjacet. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 13. §. 3. *Pigh. Annal. Rom.* i. *p.* 87. 90.

Templum Bellonæ. V. illud ſupr. in *Ædes Bellonæ.*

Templum bonæ deæ. V. illud ſupr. in *Ædes Bonæ deæ.*

Templum Boni Eventus, de quo P. Victor in regione nona, a tergo Panthei ſtatuunt, ubi veteres e rubro laterculo parietes cernuntur. Non clare conſtat, an ſit in campo Flaminio, an Martio, an in finibus utriuſque. *Donat. de Urb. Rom.* ii. 16. Inter thermas, & Pantheon adversus eccleſiam Minervæ grande illud fragmentum veteris [illegible] ædificii, quod plerique hoc *templum* fuiſſe credunt, ſed nullo alio argumento, quam quod ſtatim poſt Agrippæ thermas mentio ejus apud Victorem fit. Donatus in medio relinquit, cui potius nonæ regionis ſit adſcribendum. At mihi diligentius illud intuenti e grandibus fornicibus, qui poſtea muro obſtructi ſunt, porticus fuiſſe videtur: favetque conjecturæ, quod Ammian. xxix. 6. eam agnoſcere videatur. *Inſtauravit vetera plurima: inter quæ porticum excitavit ingentem, lavacro Agrippæ conjunctam, Eventus boni cognominatam, ea re quod hujus nominis prope viſitur templum.* Unde colligere licet, cum porticus ea ab uno latere thermas, ab altero Pantheon habuerit contiguum, *templum* illud, unde ipſi nomen, ante eam fuiſſe, id eſt, vel in area Minervæ, vel in ea domorum inſula, quæ inter idem vetuſtatis monumentum, & aream intermedia eſt, non longe ab æde S. Euſtachii. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 4. *Ortel. Deor. & dear. capit.* ii. 40.

Templum Bruti Callaici a Victore, & Rufo collocatur in regione Urbis nona, quæ Circus Flaminius vocatur. Plin. xxxvi. 5. prope circum fuiſſe oſtendit: *Mars eſt nunc ſedens coloſſeus ejuſdem in templo Bruti Callaici, apud circum eundem ad portam Lavicanam euntí.* In Plinii verbis mendum ſubeſſe ſuſpicor. Quid enim hic cum porta Lavicana tanto intervallo disjuncta? Quare legendam *Flumentanam*, vel potius *Carmentalem.* Auctor operis D. Junius Brutus fuit, qui Callæcos devicit; crediturque id Herculi Callaico dedicaſſe: unde *templum* Bruti ab conditore, & Callaici a numine, quod in eo colebatur, dictum videtur. Situm ejus exacte indicare velle divini potius eſt, quam noſtrum: at ſi porta illa, de qua Plinius, revera Carmentalis, vel Flumentana fuit, haud procul ab æde S. Mariæ in Campitello abfuiſſe veriſimile eſt. *Nardin. Rom Vet.* vi. 2. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 14. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 9. *Panvin. de Lud. Circenſ.* i. 18.

Templum Cæſaris dictatoris a Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 4. ponitur poſt ædem Fauſtinæ. Sed perperam. Nam ædi Caſtorum vicinum facit Ovid. de Pont. ii. 2. 85.

> *Fratribus aſſimilis, quos proxima templa tenentes*
> *Divus ab excelſa Julius æde videt.*

Et in proſpectu Capitolii fuiſſe dicit Met. xv. 841.

> *— ut ſemper Capitolia noſtra, forumque*
> *Divus ab excelſa proſpectet Julius æde.*

Sub Palatino collocat Stat. Sylv. i. 1. 22.

> *— hinc obvia limina pandit,*
> *Qui feſſus bellis, aſſertæ munere prolis,*
> *Primus iter noſtris oſtendit in æthera divis.*

Nam cum ſtatua equeſtris Domitiani palatium ſpectaret, Cæſar Auguſti munere relatus inter divos, & obvias ſui templi fores quodammodo venienti equo aperiens, neceſſario ſub Palatino collocatur. Sic ut equus ille fuerit inter templum Cæſaris, & baſilicam Porciam. Appian. Bell. civil. ii. p. 521. *Quo loco primum ara fuit, nunc templum eſt ipſius Cæſaris, ubi divinis honoribus colitur.* Dio xlvii. p. 338. B. a triumviris conſtructum addit, declaratumque aſylum, ac tutum eo confugientibus refugium. *Nardin. Rom. Vet.* v. 4. *Donat. de Vet. Rom.* ii. 17. *Borrich. Antiq. Urb. Fac.* c. 10. §. 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* ii. 14. *Maſſon. Ovid. vit. p.* 137. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Ant. Roman.* i. 13.

Templum Cæſarum in Palatino forte fuit ſitum, utpote propinquum ædibus Auguſtorum. Hoc fieri juſſit Tacitus Imperator. Vopiſc. c. 9. *Divorum templum fieri juſſit, in quo ſtatuæ eſſent principum bonorum, ita ut iiſdem natalibus ſuis, & Parilibus, & Kalendis Januariis, & votis libamina ponerentur.* Donat. de Urb. Rom. iii. 3. Qui addubitat, an in Palatino prope Auguſtale palatium fuerit. Ego vero etiam magis dubitem, utrum deſtinata fuerit executus. Nam ſex tantum menſes imperavit, eoque tempore ab Urbe abfuit. Non ante Tacitum modo, ſed & ante Galbam Cæſaribus dedicatum indicat Suet. Galb. c. 1. n. 3. *Tacta de cœlo Cæſarum æde capita omnibus ſtatuis ſimul deciderunt.* Hoc ergo ab aliquo Cæſarum in Palatino ſtructum facile crediderim, fortean a Nerone in prodigioſa domus aureæ ſuæ laxitate. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 14. *Borrich. Antiq. Urb. Fac.* c. 12. §. 3.

Templum Caligulæ fuit pars Palatii. Ipſe ſibi hoc fecit. Dio lix. p. 661. E. *Cajus ulterius progreſſus in ipſa Roma templum ſibi inſtruxit.* p. 662. A. *In palatio ſibi præparato templum poſuit, in quo cum ſtatuiſſet Jovis Olympii ſimulacrum ſuam in effigiem commutatum collocare, id perficere non potuit.* At ſtatua illic ejus ex auro poſita. Suet. c. 22. n. 5.

n. 5. *Templum nomini suo proprium, & sacerdotes, & exco-gitatis hostiis instituit. In templo simulacrum stabat au-reum iconicum, amiciebaturque quotidie veste, quali ipse ute-retur.* Nardin. Rom. Vet. vi. 13. Donat. de Urb. Rom. iii. 2.

Templum Camœnarum. V. illud supr. in *Ædes Camœ-narum.*

Templum Carmentæ. V. illud supr. in *Ædes Carmentæ.*

Templum Carnæ. V. illud supr. in *Ædes Carnæ.*

Templum Castoris & Pollucis fuit in foro. Liv. ix. 43. *Martius de Hernicis triumphans in Urbem redit: statuaque equestris in foro decreta est, quæ ante templum Castorum posi-ta est.* Cicer. de Nat. deor. iii. 5. *Nonne ab A. Postumio ædem Castori & Polluci in foro dicatam vides?* Ad ima Pa-latini. Suet. Cal. c. 22. n. 5. V. illum supr. in *Domus Principum.* Apertius Dion. lix. p. 662. A. *Apertoque templo Castoris & Pollucis, quod erat in foro Romano, inter utraque signa introitum fecit per idem templum in palatium, ut, velut ipse ajebat, Castorem & Pollucem janitores haberet.* Quare *supra forum* dicitur a Dionys. vi. p. 351. *Ædes Pollucis & Castoris, quam supra forum exstruxit civitas, ubi etiam sunt eorum simulacra.* Fuit enim ad ima Palatini, cu-jus clivus foro imminere debuit. Tandem in extremo hoc latere fuisse facile probari potest; quia palatio Au-gustali Caligulæ pro vestibulo fuit. Nam ulterius Tibe-riana domus a Caligula proferri non potuit. Omnem por-ro dubitandi ansam vicinitas fontis, seu lacus Juturnæ præcidit, qui in eo angulo fuit ante templum Vestæ. Ita Ovid. Fast. i. 707.

— fratres de gente deorum
Juxta Juturnæ constituere lacum.

Sic & P. Victor: *Templum Castorum ad lacum Juturnæ.* Non magni facimus dissentientes Volaterranum, Blon-dum, Marlianum, & alios; quorum primus ad SS. Cosmæ & Damiani, alter & tertius ad S. Laurentii ædem in Mi-randa id collocant. *Nardin. Rom. Vet.* v. 4. *Donat. de Urb. Rom.* ii. 17. *Panvin. de Lud. Circens.* ii. 2. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* ii. 4. *Masson. Ovid. vit. p.* 135. Condendi cau-sam ipse explicat Dionys. l. l. eodem tempore vespera, qua cum Tarquiniis ad lacum Regillum pugnatum, visos Ro-mæ duos juvenes equos sudore diffluentes abluere in lacu Juturnæ juxta templum Vestæ, nuntiumque attulisse victo-riæ; ideoque ipsis eodem tempore *templum* positum. *Mar-lian. Topogr. Urb. Rom.* iii. 1. *La Chausse de Antiq. Lucern. tab.* 14. *Donat. & Nardin. l. l.* Restitutum est a L. Metello. Ascon. in Cicer. p. 107. *Ex æde Castoris, quam de manu-biis L. Metellus exstruxerat: qui Metellus, subactis Dalma-tis, Dalmaticus appellatus est.* Tandem rursus a Tiberio re-dintegratum, & consecratum fuit, qui & suum ei no-men inscripsit, itemque Drusi. Suet. Tib. c. 20. n. 4. *Tiberius dedicavit ædem Pollucis, & Castoris, suo, fratrisque nomine, de manubiis.* Dio lv. p. 567. A. *Tiberius in dedi-catione ædis Castoris, & Pollucis non solum suum, sed illius,* Drusi, *quoque nomen ei inscripsit.* Donat. & Nardin. l. l. Masson. ibid. p. 136. Inscripsit vero & suum, & Drusi nomen, ut se mutuo amore alteros fuisse *Castores* populo persuaderet. *Perizon. Anim. Hist. c.* 3.

Templum Castoris aliud fuit in circo Flaminio. Vitruv. iv. 7. *Item generibus aliis constituuntur ædes, ut est Castoris in circo Flaminio.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 9. Do-nat. de Urb. Rom. iii. 14.

Templum Cereris struxit Euander. Dionys. i. p. 26. *Cereri quoque templum exstruxit, & per feminas sacerdotes sacra ei fecit abstemia, more Græcorum, quorum nihil muta-tum est nostro tempore.* Nardin. Rom. vet. vi. 12. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 12.

Templum Cereris in circo maximo posuit dictator Po-stumius, qui Volscos prælio magno vicerat. Dionys. vi. p. 354. *Postumius ædem Cereri, Libero, & Liberæ facien-dam locavit ex voto.* p. 414. *Alter consul Cassius in Urbe re-lictus, interea templum Cereris, & Liberi, Liberæque dedi-cavit, in fine circi maximi super ipsos carceres situm: quam A. Postumius dictator prælium cum Latinis initurus, diis pro Republica voverat, & senatus post victoriam e manubiis fa-ciendam decreverat, operæque tum demum absolverant.* Kip-ping. Antiq. Roman. i. 8. §. 5.

Templum Clatræ. V. illud supr. in *Templum Apollinis.*

Templum Claudii fuit in Cœlio monte. Suet. Vesp. c. 9. n. 1. *Fecit templum D. Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone funditus destructum.* Fuisse eo loci docet Frontinus scribens: *arcus Neronianos,* qui adhuc visuntur, *desiisse ad templum D. Claudii.* Porro B. p... templum ipsum Claudii fuisse potius est quam Fauni capripedis, ut multi, quod scripsit Ugonius, affirmant, nemo probat. Id vero Simplicius I. pontifex consecravit. De eo Anastasius: *Dedicavit ba-silicam S. Stephani in Cœlio monte.* Donat. de Urb. Rom. iii. 12. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Frontini verba contrarium innuere videntur: ii directi, loquitur autem de arcubus aquæductus Neroniani, per Cœlium montem juxta *templum* D. Claudii terminantur: quorum reliquiæ quæ supersunt, ultra ecclesiam S. Stephani pergunt usque ad ædem SS. Johannis & Paulli, in cujus cœnobii vinea Flavius sua ætate veteris ædificii rudera superfuisse testa-tur, & in his castellum aquarum: quare & *templum* illic Claudii in proximo fuisse videtur, quippe cum in illius vicinia multa adhuc visantur veterum structurarum rude-ra. Quid igitur? dicemusne S. Stephani ecclesiam olim *templum* Fauni fuisse? verum tam magnificam ædem, ope-risque Corinthiaci, rustico deo fuisse dicatam vix credi-bile est. At cur non Baccho potius? aut cur non thermæ fuerunt publicæ, aut armamentarium, aut macellum? Thermæ vero istæ primæ absque auctoris nomine publi-catæ, multoque saltem vetustiores nobilibus illis Agrip-pæ, Neronis, & Titi, aliorumque thermis, sine dubio non tam spatiosæ, amplæque fuerunt, quam ceteræ istæ; tum vero & forma *templi* S. Stephani non discrepat, si il-lud, ut volunt aliqui, coartatum fuit. Nam & in am-bitu pro sacellis caldaria, & tepidaria habere potuit com-plura, thermarum magnitudini, usuque convenientia. Sed & armamentarium esse potuit, cujusmodi Isidor. de Differ. i. recondendis armamentis navium exstructa fuisse docet: cui forma illa ædificii sphærica, seu rotunda, at-que ita disposita, maximopere videtur convenisse. At-que hæc, non tam quid illud ædificium rotundum olim fuerit, quam quid non fuerit, ostendendi gratia, a me dicta æqui bonique velim consuli. *Nardin. Rom. Vet.* iii. 7.

Templum Claudii etiam fuit Cameloduni in majore Bri-tannia. Tacit. Annal. xiv. 31. 5. *Adhæc templum D. Claudio constitutum, quasi ara æternæ dominationis, aspiciebatur: de-lectique sacerdotes specie religionis omnes fortunas effundebant.* Habuit Claudius in Britannia aras. Poetæ ejus ævi ad ipsum:

Oceanusque tuas ultra se recipit aras,
Qui finis mundo est, non erit imperio.

Malim tamen in Tacito legere: *arra*, quasi id *templum* pignus fuerit, & arrabo æternæ servitutis. *Lips. in Taci-tum. Berthald. de Ara c.* 30. §. 4.

Templum Concordiæ. V. illud supr. in *Ædes Con-cordiæ.*

Templum Corniscarum, dearum a cornicibus dictarum, fuit trans Tiberim. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10.

Templum Cybeles trans ædem Apollinis. Mart. i. 71.

Flecte vias hac, qua madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles picto stat Corybante tholus.

Cybele primum in *templum* Victoriæ in Palatino inducta fuit: deinde conferente populo stipem ædes ipsi excitata propria. Liv. xxix. 37. *Censores M. Livius, & C. Clau-dius ædem matris magnæ in palatio locaverunt faciendam.* Me-tellum auctorem, Augustum restitutorem facit Ovid. Fast. iv. 347.

— templi tum perstitit auctor;
Augustus nunc est, ante Metellus erat.
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait; dandæ mos stipis inde manet.

Potuit

Potuit tamen a censoribus illis Metello *templi* illius [illegible] commissa fuisse, quod [illegible] post anno [illegible] demovit. [illegible] V. illum supr. in *Luco* [illegible] Nardin. Rom. Vet. vi. 14. Donat. de Urb. Rom. iii. 3. Marlian. Topogr. Urb. Rom. ii. 18. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. i. p. 30. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 21.

Templum Dianæ [illegible] posuit Hippolytus. Pausan. Corinth. p. 69. *Aricini dicunt, Hippolytum discerptum ob* [illegible] *num ætate, iis, qui ad templum singulari certamine vicerint, præmium deæ sacerdotium propositum est: sed in certamen istud* [illegible] *qui fuga se dominis* [illegible] Vid. Ovid. [illegible] It. Serv. *Æneid.* vi. [illegible] & [illegible] Gyrald. Synt. [illegible] xii p. 36[illegible] ecul. c. 8. [illegible] Suet. Calig. c. 35. [illegible] 7.

Templum Dianæ Aventinæ, nunc S. Sabinæ. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iv. 4. *Fabric Descr. Urb. Rom. c.* 9. *Boissard. Topogr. Urb. Rom.* i. p. 15. Impellente Servio Tullio Rege populi Latini cum populo Romano fœdus fecere. Liv. i. 45. *Jam tum erat inclitum Dianæ Ephesiæ fanum* [illegible] *consensum, deosque consociatos laudaret mire Servius inter proceres Latinorum, cum quibus publice, privatimque hospitia, amicitiasque de industria junxerat, sæpe iterando eadem, perpulit tandem, ut Romæ fanum Dianæ populi Latini cum populo Romano facerent.* Dionys. iv. p. 230. *Collatis deinde* [illegible] *in Aventino eminentissimo Urbis tumulo, & fœderis leges conscripsit civitatibus, ritusque celebrandi festi, & fori constituit. Et ne ulla* [illegible] *in Dianæ templo dedicata.* [illegible] Plutarch. Quæst. Roman. 4. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 13. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 8. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. *n.* 1. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Tom.* iii [illegible] *C. Gyrald. Synt. deor.* xii. *p.* 375. *B. Faunus Antiq. Urb. Rom.* iii. 1. [illegible] p. 50. *Kipping. Antiq. Rom.* i. 10. §. 5. Hujus sedes, ubi nunc S. Sabinæ colitur, [illegible] non est, ut quibusdam placet: sic enim legimus apud Mart. vi. 64. 12.

Quæ videt propius magna certamina Circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

Palphurius enim Sura nobilis orator e domo propinqua Dianæ *templo* [illegible] cum maximum [illegible] spectat, & palatium, [illegible] ædes S. Sabinæ martyris imminens Tiberi [illegible] septemtrionem prospicit. Itaque [illegible] summo clivo sinistrorsum, [illegible] Hæc enim est aprica, [illegible] prospectam habet in Palatium, Capitolinum, Cœlium, aliaque veteris Urbis loca celeberrima. *Donat. l. l.*

Templum Dianæ in Cœliolo Piso struxit. Cicer. de Arusp. resp. c. 15. *Pisonem quis nescit his ipsis temporibus* [illegible] *Dianæ sacellum in Cœliculo sustulisse?* Arbitramur D. Johanni, cognomento ante portam Latinam, [illegible] in proximis vineis effossa sunt [illegible] multa fragmenta, in quibus imago lunæ erat impressa: & marmor, in quo erat venator sculptus, equo insidens, copulaque tenens canem, præeunte rustico baculum gerente. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iv. 8. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 9. Qui non placent. Hanc enim in via Latina positam videmus, cum sacellum Dianæ maximum ipso tumulo, quo viæ imminet, Cicero posuerit. *Donat. de Rom. Vet.* iii. 12. *Nardin. Rom. Vet.* iii. 7.

Templum Dianæ etiam in vico fuit patricio, viris nequaquam intrandum. Plutarch. Rom. Quæst. 3. *Cur Romæ, cum Dianæ multæ sint ædes,* [illegible] *quæ in angiportu, qui patricius dicitur, viros ingredi nefas.* Mox subjungit: [illegible] *quod* [illegible] *ob violenter constupratam in ea* [illegible] Institutum hodieque Romæ, Massiliæ, & aliis frequentatum, quo *templorum* cella quædam statis diebus solis feminis pateat, statis solis viris. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 7. §. 4. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 10.

Templum Dijovis in colle Palatino collocat Victor. Dijovis idem qui Jupiter, ut est, ubi de flaminibus agit, apud Varr. de Ling. Lat. iv. 15. *Cum dialis a Jove sit, qui Dijovis est.* [illegible] hoc antiquissimum Jovis in Urbe *templum* fuit, & hinc priscum nomen Dijovis, cui Numa flaminem dedit, quem in palatio domum habuisse tradit Dio liv. p. 538. A. *Igneque ab ea ad Vestæ usque* [illegible] *in palatio* [illegible] Nardin. Rom. vet. vi. 14.

Templum [illegible] fuit in insula Tiberina, in ejus initio. Ejus meminit Ovid. Fast. ii. 193. V. illum supr. in *Idibus* [illegible] Idem tradit Vitruv. iii. 1. *Hujus exemplar* [illegible] *in æde Junonis & Fauni.* Illud condiderunt ædiles C. Scribonius, & Cn. Domitius. Liv. xxxiv. 53. *Ædes eo anno*, n. 659. P. Cornelio Scipione Africano, & Tib. Sempronio Longo coss. *aliquot dedicatæ sunt. . . . altera Fauni: ædiles eam biennio ante ex multatitio argento faciendam locarant C. Scribonius & Cn. Domitius; qui prætor urbanus eam dedicavit.* Marlian Topogr. Urb. Rom. v. 16. Gyrald. Synt. deor. xv. p. 444. C. Philand. in Vitruvium. Rosin. Antiq. Rom. ii. 17.

Templum Fauni etiam fuit in monte Cœlio. Estque nunc S. Stephani in Cœlio, sphæricum, & columnis in orbem æqualiter dispositis ornatum. Columnarum ordo triplex fuit: in interiore columnæ viginti cum pilis duabus: in medio duæ & quadraginta: qui ordo nunc pro muro est: extremi ordinis tantum rudera in adjuncto horto apparent. Fuit igitur externo ambitu, quasi porticibus amplissimum. Structura unum ex pulcerrimis, tempore ex antiquissimis, spatio ex amplissimis. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 9. *Rosin. Antiq. Roman.* ii. 17. V. & supr. in *Templum Claudii.*

Templum Faustinæ est hodie ædes S. Laurentii in *Miranda.* Fuit in Sacra via. Vopisc. Gallien. c. 1. *Fuit hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est, ante Sacram viam, intra templum Faustinæ adjecta ad arcum Fabianum.* Nardin. Rom. Vet. iii. 12. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 15. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 6. n. 1. Panvin Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 270. E. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p. 340. A.

Templum Febris. V. supr. in *Fanum.*

Templum Felicitatis fuit in Esquiliis. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iv. 19. *Nardin Rom. Vet.* iv. 8. Lucius Lucullus consul cum M. Cotta curavit construi an. 666. August. de Civit. Dei iv. *Cur tam sero huic tantæ deæ post tot Romanos Principes Lucullus ædem constituit.* Lepidus etiam magister equitum fecit Felicitatis *templum.* Dio xliv. p. 242. D. *Erat curia Hostilia, quum refecta fuisset, denuo destructa: eo verbo, quod ibi templum Felicitatis ponere instituissent: quod Lepidus, quum magister equitum esset, absolvit.* Gyrald. Synt. deor. i. p. 37. E. Ortel. Deor. & dear. cap. ii. tab. 48. Landus Explic. in vet. num. Roman. Miscel. Erud. Ital. Tom. i. p. 502.

Templum Fidei fuit positum in Capitolio. Cicer. de Offic. iii. 29. *Qui igitur jusjurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. ut in Catonis oratione est, majores nostri esse voluerunt.* Plin. xxxv. 10. *Spectata & in æde Fidei in Capitolio imago senis cum lyra puerum*

puerum docentis. A Numa Pompilio. Dionyſ. II. p. 134. *Primus omnium hominum Fidei publicæ templum ſacravit, aliquasque ex ærario ſacrificiis, quemadmodum diis cæteris.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 4. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 23. Gyrald. Synt. deor. I. p. 29. D. Donat. de Urb. Rom. II. 8: III. 3. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 10. §. 9. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 4. Ortel. Capit. Deor. & dear. II. 49.

Templum Fidei etiam poſitum in Palatio. In illo collocatur a P. Victore. Auctor non facile proditur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 3. Feſtus in Roma refert, collocatam eſſe a Rhoma filia Aſcanii, nepte Æneæ, quam proinde nupſiſſe uni ſucceſſorum Euandri credibile fecerit, atque adeo pietatis ſuæ monumentum in Palatino reliquiſſe. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 12. §. 1. *Faunus Antiq. Urb Rom.* II. 22. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 23. Quod ego non auſim aſſerere. Neque item an illud dedicatum ſit. Quare inter incerta referendum eſt. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 14.

Templum Fidii Dii in hortis Aldrobandinis, ſi modo illic collis Mutialis fuit, extitit. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Collis Mutialis quinticepſos apud ædem Dii Fidii in delubro, ubi ædituus habere ſolet.* Nardin. Rom. Vet. IV. 6. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 8. §. 1. Donat. de Urb. Rom. III. 15.

Templum Flaviæ gentis qui in VII Flaminia conſtituunt, errant. Fuit ad malum Punicum in Quirinali, ubi natus Domitianus. P. Victor. *Malum Punicum, ad quod Domitianus dedicavit templum Minervæ Flavianæ, alias templum gentis Flaviæ, & erat domus ejus.* Suetonius. V. illum ſupr. in *Malum Punicum.* Cenſebatur inter pulcerrima Urbis opera. Mart. IX. 35. 1.

Jupiter Idæi riſit mendacia buſti,
Dum videt Auguſti Flavia templa poli.
Gnoſſii vos, inquit, nobis monumenta dediſtis:
Cernite, quam plus ſit Cæſaris eſſe patrem.

IX. 2. 8.

Manebit altum Flaviæ decus gentis
Cum ſole, & aſtris, cumque luce Romana:
Invicta quicquid condidit manus, cœlum eſt.

Donat. de Urb. Rom. III. 15. & 16. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 24. Princeps ille ambitioſiſſimus non contentus juſſiſſe, ut Dominus & deus noſter a cunctis vocaretur, univerſam quoque familiam ſuam numinibus adſcribere voluit, cineres defunctorum contra morem conſuetum huic *templo* inferendo. Suet. c. 18. *Reliquias ejus Phyllis nutrix templo gentis Flaviæ clam intulit.* Ubi fuerit, haud liquido dici poſſit: verum inter S. Suſannæ, & IV. fontes fuiſſe, e marmore antiquo conjicitur, quod illic inventum Marlianus ait hac inſcriptione:

INTER QUOS PARIETES AMBITUS PRIVAT. FLAVI SABINI.

Nardin. Rom. Vet. IV. 7. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 12. Flavius hic Sabinus Veſpaſiani Imperatoris frater fuit: eosque paternam domum inter ſe diviſiſſe, aut ſaltem ædes contiguas habuiſſe admodum mihi probabile videtur. *Nardin. l. l.*

Templum Floræ a Victore collocatur in ſexta Urbis regione, quæ Alta ſemita vocatur. Incumbebat ejus circo. V. illum ſupr. in *Circus.* Lucius, & Marcus Publicii ædiles conſtituerunt, quod vetuſtate conſumptum Auguſtus inſtauravit, & Tiberius dedicavit. Tacit. Annal. II. 49. 1. *Iisdem temporibus deum ædes vetuſtate, aut igne abolitas, cœptasque ab Auguſto dedicavit Libero, Liberæque & Cereri juxta circum maximum, quas Aulus Poſtumius dictator voverat: eodemque in loco ædem Floræ ab Lucio, & Marco Publiciis ædilibus conſtitutam.* Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 343. E. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 24. Nardin. Rom. Vet. IV. 7: VII. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 9. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 59.

Templum Fortunæ Barbatæ fuit in Tulli regia. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 10.

Templum Fortunæ Bonæ *ob perpetuum ejus favorem inſtituit Rex Servius Tullius in foro boario.* Dionyſ. IV. p. 232. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 348. *E. Donat. de Urb. Rom.* II. 17. *Nardin. Rom. Vet.* V. 10. In illo erat ſimulacrum Servii. Dionyſius: *In templo Fortunæ ab ipſo, Servio, conditi dedicata ejus effigies inaurata lignea ſola incendio ſuperfuit integra, aliorum omnium reliquiis omnibus: & hodieque templum, & quicquid inſtauratum poſt incendium apparet eſſe novo artificio. Statua, qualis prius, antiqui eſt operis: atque etiam nunc, & a Romanis colitur.* Illud velatum erat. Ovid. Faſt. VI. 569.

Lux eadem, Fortuna, tua eſt, auctorque, locusque,
Sed ſuperinjectis quis latet æde togis?
Servius eſt: hoc conſtat enim. ſed cauſa latendi
Diſcrepat, & dubium me quoque mentis habet....

Donat. & Nardin. l. l. Illud nunc S. Mariæ Ægyptiacæ ad pontem ſublicium appellant. *Donat. l. l.* Hoc quidem exiſtimat Donatus; ſed pons ille nimium longe remotus eſt. Reſtitutum eſt a triumviris eo de cauſa creatis, bello Punico II. Liv. XXV. 7. *Creati ſunt triumviri reficiendæ ædi Fortunæ.* Nardin. l. l.

Templum Fortunæ dubiæ. V. illud infr. in *Vicus.*

Templum Fortunæ equeſtris *fuit ad theatrum lapideum.* Vitruv. III. 2. Verum de quo intelligat, dubitari ſolet: mihi probabile videtur, de theatro Pompeji intelligere, qui omnium primum theatrum marmoreum excitavit. Eoque quod non prius lapideum theatrum Romæ viſum fuiſſet, lapidei cognomen inditum eſt. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 10. Ego potius dicerem theatrum Balbi, aut amphitheatrum Tauri, impolitiore opere facta. Id enim ſignificare videtur lapideum. Theatrum vero pro amphitheatro ponitur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. Q. Fulvius proprætor illud *vovit in pugna Celtiberorum.* Liv. XL. 40. Idem Cenſor annos ſex poſtquam voverat, dedicavit. Liv. XLII. 3. *Q. Fulvius Flaccus cenſor ædem Fortunæ equeſtris, quam in Hiſpania prætor bello Celtiberico voverat, faciebat enixo ſtudio, ne ullum Romæ amplius, aut magnificentius templum eſſet. Magnum ornamentum ſe templo ratus adjecturum, ſi tegulæ marmoreæ eſſent; profectus in Bruttios, ædem Junonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit: id ſatis fore ratus ad tegendum quod ædificaretur.* Marlian. & Donat. l. l. Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 460. B. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 349. C. Ego unum de ædificiis, domisque Pompeji fuiſſe ſuſpicor, quem absque omni exemplo, cum equeſtris adhuc tantum ordinis eſſet, triumphaſſe conſtat, nedum ſenatorem: ſive illud integrum, ac novum ejus opus fuit, ſive vetus Q. Fulvii reſtitutum. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 3. Mirum eſt, quod ait Tacit. Annal. III. 71. 1. *Inceſſit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Auguſtæ equites Romani voverant Equeſtri Fortunæ. Nam etſi delubra multa ejus deæ in Urbe, nullum tamen tali cognomento erat: repertum eſt ædem eſſe apud Antium, quæ ſic nuncuparetur.* Gyrald. l. l. Agebantur hæc paullo poſt mortem Auguſti, quo vivente Vitruvius illa ſcripſerat. Neutrum tamen aberraſſe dicerem. Potuit enim interea temporis fortuito aliquo incendio, qualia frequentiſſima in Urbe fuerunt, corripi, & abſumi, ut vel conſumptum jaceret, vel ante uſum inſtaurari oporteret. *Donat. l. l. Lipſ. in Tacitum.* Quibus ego lubens aſſentior, addoque facile fieri potuiſſe, ut cum extremo Auguſti principatu, vel primo Tiberii, theatrum arſerit Pompeji, eodem & hoc vicinum *templum* incendio correptum fuerit: quamque Tiberius theatrum ipſum, quod reſtituendum ſuſceperat, non abſolverit, multo minus eum hoc *templum* refeciſſe, quem nulla opera publica niſi *templum* Auguſti, & theatrum Pompeji refeciſſe diſcimus ex Suet. c. 47. n. 1. *Nardin. l. l.* Ego unius apicis additione repoſuerim *Sequeſtri Fortunæ:* ut intelligamus Romanum equitem ſupplicaſſe Fortunæ, quæ ſeſe mediam collocaret inter ſatum, & Auguſtam. *Gruter. Suſpic.* II. 13.

Templum Fortunæ fortis in ripa Tiberis a Servio Tullio eſt exſtructum. Ovid. Faſt. VI. 775.

Ite, deam læti Fortem celebrate, quirites:
In Tiberis ripa munera Regis habet.

Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Dies fortis Fortunæ appellatus a Servio Tullio Rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense.* In Transtiberina vero regione non Victor modo illud ponit, sed & Donat. in Terent. Phorm. v. 6. 1. *Fors Fortuna est, cujus diem festum colunt, qui sine arte aliqua vivunt: hujus ædem trans Tiberim est.* Quare vel extra portam Septimianam vel extra portuensem fuisse certum est. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. *Donat. de Urb. Rom.* III. 22. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 375. *Borrich Antiq. Urb. Fac. c.* 16. *n.* 1. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 462 *G. Brisson. de Form.* I. *p.* 53. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II *p.* 117. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 398. Hoc collapsum forte instauravit Carvilius consul, qui ex bello Etrusco *æris gravis cum tulisset in ærarium trecenta nonaginta millia, de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ ab Rege Servio Tullio dedicatam.* Liv. x 46. Aliud enim vix esse potest, cum uterque eodem in loco illud statuat extra Urbem secundum Tiberim. *Pancirol. l. l.* Mihi aliud videtur. Et hoc alii factum existimant prope ædem Fortunæ Prosperæ a Servio in foro boario conditam, minus probabiliter, cum non Prosperæ, sed Fortuitæ, id est, ut ait Livius, eidem deæ Carvilius illud dedicaverit: non enim id ad solam Fortunæ, sed ad Fortis Fortunæ nomen referendum est. *Nardin. & Borri h. l. l.*

Templum Fortunæ Fortis etiam in hortis Julii Cæsaris principatu Tiberii ædificatum fuit. Tacit. Annal. II. 41. 1. *Ædes Fortis Fortunæ, auspiciis Tiberii, Tiberim juxta in hortis, quos Cæsar dictator populo Romano legaverat, dicatur.* Donat. de Urb. Rom. III. 22. Fabric. Descr. Urb Rom. c. 9. Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 463. A. Brisson. de Form. I. p. 53. Hoc vel Servii Tullii, vel Carvilii, temporis injuria, vel quo alio casu collapsum, refectumque, vel novum forsan, nec in vestigiis veteris alicujus, repositum videri possit, in hortis Cæsaris. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. §. 2. *Volaterr. Comment. Urban.* XXX. *p.* 1136. *B.*

Templum Fortunæ hujus diei ponitur a Victore in regione Urbis decima, quæ Palatium. Catulum illud destinasse refert Plutarchus in Mario p. 420. *Catulus tradentem sublatis in cœlum manibus sacrum Fortunæ illius diei vovet.* Hoc enim in Palatino, ubi ædes suas habuit, dedicasse perquam verisimile est. De illo Cicer de Leg. II. 11. *Fortuna est hujusce diei; nam valet in omnes dies.* Plin. XXXIV. 8. *Fuit & alius Pythagoras Samius, initio pictor, cujus signa ad ædem Fortunæ hujusce diei seminuda.* Nardin. Rom. Vet VI. 14. Brisson. de Form. I. p. 52. Turneb. Adv. XVI. 12. Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 463. F.

Templum Fortunæ Liberæ. V. illud infr. in *Vicus Fortunarum.*

Templum Fortunæ Malæ fuit in Esquiliis. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 6. §. 5. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 462. *G.*

Templum Fortunæ Mammosæ non longe a capite novæ viæ collocatur a P. Victore. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 467. *D. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10.

Templum Fortunæ muliebris fuit in via Latina ad quartum ab Urbe lapidem. Val. Max. v. 3. *Fortunæ etiam muliebris simulacrum, quod est via Latina ad quartum milliarium, eo tempore cum æde sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio Urbis maternæ preces repulerunt, non semel, sed bis locutum constitit his pæne verbis: rite me matronæ vidistis, rite dedicastis.* Liv. II. 40. *Monumento quoque quod esset, templum Fortunæ muliebri ædificatum, dedicatumque est.* De hoc simili loco etiam Festus: *Item via Latina ad milliarium quartum signum Fortunæ muliebris nefas est attingi, nisi ab ea, quæ semel nupsit.* Nardin. Rom. Vet. III. 3. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 349. B. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 27. Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 466. G. Blond. Triumph. Rom. I. p. 19. D. Volaterr. Comment. Urban. XXX. p. 1136. B.

Templum Fortunæ novum a Victore, & Rufo, qui in hoc consentiunt, collocatur in regione Urbis sexta, quæ via lata vocatur. Panvinius addit, a Lucullo conditum, forsan ab hortis Lucullianis huic regioni conterminis petito argumento. Verum *templum* Fortunæ a Lucullo dedicatum in alia situm fuit regione. V. infr. in *Templum in Velabro.* Nardin. Rom. Vet. IV. 10. Donat. de Urb. Rom. III. 22.

Templum Fortunæ Obsequentis fuit in Capitolio. Posuit illud Servius Tullius. Plutarch. de Fort. Roman. p. 322. E. *Servius Tullius Fortunæ templa posuit, Obsequentis in Capitolio.* Nardin. Rom. Vet. v. 16. Gyrald. Synt. deor. XVI. p 467. B. Rycq. de Capitol. c. 43. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 6.

Templum Fortunæ parvæ *Servius Tullius dedicavit, quod initio humilis, & obscurus, matre natus captiva, Fortunæ beneficio ad regnum Romæ erectus esset.* Plutarch. Quæst. Rom. 73. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 460. *D.*

Templum Fortunæ primigeniæ fuit positum in Capitolio. Posuit illud Servius Tullius. Plutarch. de Fort. Roman. p. 322. E. *Servius Tullius Fortunæ templa posuit, Primigeniæ in Capitolio.* Donat. de Urb. Rom. II. 8. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 349. A. Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 462. E. Nardin. Rom. Vet. v. 16. Rycq. de Capitol. c. 43. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 6. Volaterr. Comment. Urban. XXX. p. 1136. B.

Templum Fortunæ primigeniæ etiam fuit positum in colle Quirinali. Illud vovit P. Sempronius Sophus. Liv. XXIX. 36. *Consul principio pugnæ ædem Fortunæ primigeniæ vovit, si eo die hostes fudisset: composque ejus voti fuit.* Et dedicavit Q. Marcius Ralla. Liv. XXXIV. 53. *Ædem Fortunæ primigeniæ dedicavit Q. Marcius Ralla duumvir ad id ipsum creatus. voverat eam decem annis ante Punico bello P. Sempronius Sophus, locaverat idem censor.* Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 462. Nardin. Rom. Vet. IV. 7. Donat. de Urb. Rom. III. 15. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 24. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 8. § 5. Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 117. Blond. Instaur. Rom. II. §. 29. Sempronius in censura, & consulatu *Tuditanus*, non *Sophus* dicitur a Livio. Quare cognomen *Sophus* ex Livio delendum videtur. Puto tamen non esse reponendum *Tuditanus*, ut censet Glareanus, sed consul. Sic enim, ubi de Sempronio vovente, Livius loco priore modo laudato. *Sigonius in Livium.*

Templum Fortunæ *privatæ etiam fuit in Capitolio.* Plutarch. de Fort. Roman. p. 322. E. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 460. *E. Nardin. Rom. Vet.* v. 16. *Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom.* 73.

Templum Fortunæ Publicæ situm fuit in colle Quirinali. Ovid. Fast. IV. 375.

Qui dicet, quondam sacrata est colle Quirini
Hac Fortuna die Publica, verus erit.

v. 729.

Nec te prætereo populi Fortuna potentis,
Publica, cui templum luce sequente datum est.

Secundum hoc ubinam esset mihi non liquet. Ovidii interpres eandem facit Publicam, & Primigeniam. Non placet. Magnæ enim religioni Romanis erat, quo sub nomine diis templa nuncuparentur, neque licebat alterum pro altero supponere. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 462. *A. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 22. *Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom.* 73. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 7.

Templum Fortunæ Reducis a Sex. Rufo statuitur in regione sexta Altæ semitæ. Dio LIV. p. 527. D. *Ob reditum Fortunæ Reduci aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri, & Augustalia dici passus est.* Nondum fortasse *templum* erat. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. & 16.

Templum Fortunæ Reducis etiam a Domitiano factum, ob felicem reditum e bello Germanico. Mart. VIII. 65. 1.

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat.

Hic

Hic ſtetit arctoi formoſus pulvere belli
Purpureum fundens Cæſar ab ore jubar.
Hic lauro redimita comas, & candida cultu
Roma ſalutavit voce, manuque ducem.

Claud. de Honor. conſul. vi. n. 1.

Aurea Fortunæ Reduci ſi templa priores
Ob reditum vovere ducum: non dignius unquam
Hæc dea pro meritis amplas ſibi poſceret ædes.

Donat. de Urb. Rom. iii. 16. Nardin. Rom. Vet. iv. 7. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 10. Gyrald. Synt. deor. xvi. p. 463. D. Tomaſ. de Donar. c. 21. Nonn. in Cæſar. Auguſt. nomiſm. p. 73. Etſi ubi fuerit, affirmari certo non queat, aliqua tamen ejus veſtigia præbet Martialis. Fuit enim exſtructum, ubi erat area, id eſt, ſolum vacans, & antea carens ſtructura; quod præſertim in campum Martium quadrat. Deinde ibi a ſenatu, & populo laureato ſalutatus eſt triumphum initurus Domitianus, quod videlicet Principi non longe a porta triumphali ſollenniter præſtari ſolebat. *Templum* igitur vel in finibus campi Martii, aut in altero campo Urbi propinquiore, neque enim incluſus adhuc intra mœnia fuerat, ſtatuendum videtur. *Donat. l. l.* V. etiam infr. in *Vicus Fortunarum.*

Templum Fortunæ Reſpicientis Romæ fuit juxta *templum* Jovis Victoris. *Turneb. in Cicer. de Leg. ii. p. 117.*

Templum Fortunæ Sejæ in radicibus Palatini reſplenduit. Conſtructum fuit a Nerone. Plin. xxxvi. 22. *Nerone Principe in Cappadocia repertus eſt lapis duritia marmoris, candidus atque tranſlucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Sejam appellant, a Servio Rege ſacratam; aurea domo complexus. Quare etiam foribus apertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam ſpecularium modo, tanquam incluſa luce, non tranſmiſſa.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 6. §. 7. Gyrald. Synt. deor. xvi. p. 461. E. Faunus Antiq. Urb. Rom. iii. 12.

Templum Fortunæ Statæ. V. illud infr. in *Vicus Fortunarum.*

Templum Fortunæ in Velabro a Lucullo me judice dedicatum fuit. Nam Suet. Cæſ. c. 37. n. 3. ait: *Gallici triumphi die Velabrum prætervehens pæne curru excuſſus eſt, axe diffracto.* Quem caſum deſcribit Dio xliii. p. 224. B. *Primo ſuorum triumphorum die ſignum haud faustum ei obtigit; axis enim ipſe currus fractus eſt prope templum Fortunæ a Lucullo ædificatum, ita ut ipſe ſuper alio curru reſiduum triumphi impleverit.* Unde ne hic in duobus ſcriptoribus contradictionem nobis aliquam fingamus, qui alias in caſu hoc exponendo ſatis pulcre conveniunt, aut in Velabro id accidiſſe prope *templum* Fortunæ dicamus neceſſe eſt, aut ſaltem *templum* Fortunæ a Lucullo factum in via extitiſſe triumphali. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 10. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 10. §. 6.

Templum Fortunæ Virginis poſuit Servius Tullius. Plutarch. Quæſt. Rom. 73. *Servius Tullius condidit templum Fortunæ Virginis.* Nardin. Rom. Vet. v. 10. Gyrald. Synt. deor. xvi. p. 460. E.

Templum Fortunæ virilis poſuit Ancus Martius. Plutarch. de Fort. Roman. p. 318. E. *Primus Fortunæ templum condidit Ancus Martius, videturque fortitudini Fortunam feciſſe cognominem, cui ad obtinendam victoriam fortuna plurimum confert.* Sed Servius Tullius, ut vult Dionyſ. iv. p. 232. *Tullius inſtituit templum Fortunæ virilis, ſicut hodieque cognominatur, in ripa Tiberis.* Gyrald. Synt. deor. xvi. p. 462. C. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 348. F. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 9. Volaterr. Comm. Urban. xxx. p. 1136. B. Pæne integrum adhuc extat, hodie D. Mariæ ſacratum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iii. 16. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 13. §. 4. *Fabric. l. l. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* i. *p.* 13.

Templum Fortunæ virilis erat etiam ad vallem Egeriæ, quam fuiſſe tenemus ad ſextum decimum ab Urbe lapidem, ubi Cinthianum eſt Proſperi Cardinalis Columnæ oppidum. Ejus ſacerdotem virgines, quam primum viri potentes eſſe inciperent, a parentibus adductæ adibant. Isque eas omnino nudatas undique inſpiciens, vitia corporis apparentia indicabat. Et admonitæ virgines cum Fortunæ thura immolaſſent, vitium illud maritum, qui contingebat, perpetuo celari impetraſſe tenebant. Hæc *Blond. Triumph. Rom.* i. *p.* 30. *E. Volaterran. Comm. Urban.* xxx. *p.* 1136. C. Et Blondum laudat *Mag. Miſcell.* i. 2. Adhuc fere integrum eſt, & illæſum, longo utrinque columnarum ordine, nunc S. Mariæ Ægyptiacæ ſacrum. *Schott. Itiner. Ital. p.* 381.

Templum Fortunæ Viſcatæ etiam Romæ fuit. Illud excitavit Servius Tullius. Plutarch. Quæſt. Rom. 73. *Servius Tullius Fortunæ templum condidit. Quid reliqua perſequar cognomina? cum viſcatæ etiam Fortunæ templum ſit.* Et quidem in Capitolio. Plutarch. de Fortun. Roman. p. 322. E. *Eſt viſcatæ Fortunæ templum in Capitolio, ad fontem, qui Mugioſius dicitur.* Gyrald. Synt. deor. xvi. p. 462. B. Quod illecebris, ac quaſi viſco mortales capiat, ac devinciat. *Volaterr. Comment. Urb. n.* xxx. *p.* 1136. *B.*

Templum Fortunæ Urbis ædificavit Hadrianus Cæſar. Athen. viii. p. 361. F. *Celebrabantur enim Parilia dictæ quondam feriæ, templo ab optimo, & humaniſſimo Imperatore Hadriano.* Donat. de Urb. Rom. iii. 22. Lipſ. in Tacit. Annal. iv. n. 150.

Templum Genii publici fuit Romæ, diſtinctum ab ipſo Urbis. Hoc verecundius paullo, & minus inſolenter excogitatum. Nam Genium locis, regionibus, civitatibus tribui ſatis eſt frequens, & notum. Itaque in Dione *templum* Genii populi aliquoties nominatur: ſed diu ante Urbis, & quidem ab anno 741. ante principatum Auguſti. *Lipſ. de Magnit. Roman.* iii. 6. *Thyſ. de Magnit. Roman.* iii. *p.* 292.

Templum Hadriani poſuit Antoninus Pius. Capitol. c. 8. *Opera ejus hæc extant Romæ, templum Hadriani honori patris dicatum.* In foro magno conſtructum, & Auguſti templo vicinum Antoninus forſan reſtituit, quod ut affirmari nequit, cum nullum ejus facti extet veſtigium, aut argumentum, ita nec omnino negari poteſt, cum nihil quoque ſit, quod obſtet. Exigua tantum, & tenuis quædam ſuſpicio reliqua eſt, ut ſicut ad forum *templum* Martis in eccleſiam S. Martinæ converſum eſt: & duorum fratrum vetus *templum* ſolo ſub Remi nomine notius duobus fratribus SS. Coſmo & Damiano conſecratum eſt, ita & hanc ædem a Pontifice, qui eam ritu Chriſtiano conſecravit, ſancto illi, Cæſaris Hadriani cognomini, fuiſſe attributam. *Nardin. Rom. Vet.* v. 8. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 22.

Templum Heliogabali, id eſt ſolis, cujus nomen aſſumpſerat, Heliogabalus Imperator conſecravit. Lamprid. c. 3. *Heliogabalum in Palatino monte juxta ædes Imperatorias conſecravit, eique templum fecit, ſtudens & matris typum, & Veſtæ ignem, & Palladium, & ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens, ne quis Romæ deus niſi Heliogabalus coleretur.* c. 1. *Hoc templum Romæ conſtituit eo loco, in quo prius ædes Orci fuit.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 12. §. 3. Donat. de Urb. Rom. iii. 3. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. i. S. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 21.

Templum Herculis in ara maxima, nunc S. Mariæ in Coſmedim, poſt muros ſcholæ Græcæ. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 9.

Templum Herculis cuſtodis in circo fuit Flaminio. Victor habet ædem Herculi magno cuſtodi circi Flaminii. Syllam hoc ex carmine Sibyllino ferunt poſuiſſe, ut circum præfatum cuſtodiret, quod etiam ſignificat Ovid. Faſt. vi. 209.

Altera pars circi cuſtode ſub Hercule tuta eſt,
Quod deus Euboico carmine munus habet.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 9. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 357. E. Nardin. Rom. Vet. v. 2. Buleng. de Circo c. 5. Gyrald. Synt. deor. x. p. 331. A. Faunus Antiq. Urb. Rom. iv.

23. Quare illum in circo posuerint. V. supr. in *Hercules Olivarius.*

Templum Herculis defensoris, loci incerti, in quo, ut in Jovis propugnatoris, milites honesta missione missi, & gladiatores emeriti arma clypeosque suspendebant. De L. Domitio Valeriano milite loquitur Romana inscriptio. De Vejanio gladiatore Horat. Epist. I. 1. 4.

> —— *armis*
> *Herculis ad postem fixis latet abditus agro.*

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10.

Templum Herculis Musarum in circo fuit Flaminio. Fulvius Nobilior illud posuit. Commune fuit Herculi & Musis, *quia Euandrum literas docuit Hercules.* Plutarch. Quæst. Rom. 58. Potior est causa Eumen. Rhet. in Orat. de schol. instit. ubi inquit: *Ædem Herculis Musarum in circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non id modo secutus, quod ipse literis, & summa poetæ amicitia duceretur; sed quod cum in Græcia esset Imperator, acceperat Herculem Musagetem esse, id est, comitem, ducemque Musarum. Idemque primus signa novem, hoc est, omnium Camœnarum ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi numinis consecravit; quia mutuis operis, & præmiis juvari, ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, virtus Herculis voce Musarum.* Olim factum restituit Martius Philippus. Suet. Aug. c. 29. n. 13. *Multaque a multis exstructa sunt; sicut a Martio Philippo ædes Herculis Musarum.* Ovid. Fast. VI. 799.

> *Dicite Pierides, qui vos adjunxerit isti,*
> *Cui dedit invictas victa noverca manus?*
> *Sic ego: sic Clio, clari monumenta Philippi*
> *Adspicis.*

Donat. de Urb. Rom. III. 15. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 9. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 323. C. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Gyrald. Synt. deor. X. p. 330. C. Boxhorn. in Plutarchum, Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 18. Faunus Antiq. Urb. Rom IV. 23. Pigh. Annal. Rom. II. p. 302. & 338. Pitisc. in Suetonium.

Templum Herculis extra portam Capenam, modicum, sed frequens. Mart. III. 47. 4.

> *Et qua pusilli fervet Herculis fanum.*

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 13.

Templum Herculis extra portam Collinam. Liv. XXVI. 10. *Hannibal cum duobus milibus equitum ad portam Collinam usque ad Herculis templum est progressus: atque unde proxime poterat, mœnia, situmque Urbis obequitans contemplabatur.* Donat. de Urb. Rom. III. 15. Nardin. Rom. Vet. IV. 4.

Templum Herculis extra portam Latinam, quod statuit Domitianus longiuscule ab Urbe. Ejûs mentionem facit Mart. IX. 104. 1.

> *Appia, quam simili venerandus in Hercule Cæsar*
> *Consecrat Ausoniæ maxima fama viæ.*

65. 1.

> *Herculis in magni vultus descendere Cæsar*
> *Dignatus Latiæ dat nova templa viæ:*
> *Qua Triviæ nemorosa petit dum regna viator,*
> *Octavum domina marmor ab Urbe legit.*

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10.

Templum Herculis in monte Quirinali fuit e regione ædes Quirini, ut nonnulli arbitrantur. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 24.

Templum Herculis Victoris fuit in foro Boario. Victor. *Ædes Herculis Victoris in foro Boario, cognomine rotunda, & parva.* Macrob. Saturn. III. 6. *Romæ Herculis Victoris ædes altera est in foro boario.* Gyrald. Synt. deor. X. p. 328. G. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 13. n. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 7.

Templum Herculis Victoris fuit in Aventino ad occasum, Tiberim, & portam trigeminam versus. Victor: *Ædes Herculis Victoris duæ, altera ad portam trigeminam.* Macrob. Saturn. III. 6. *Romæ Victoris Herculis ædes duæ sunt; una ad portam trigeminam.* Virg. Æneid. VIII. 362.

> —— *hæc limina victor*
> *Alcides subiit.*

Gyrald. Synt. deor. X. p. 328. E. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 13. n. 3. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 14.

Templum Honoris fuit extra portam Collinam. Cicer. de Leg. II. 23. *Nostis extra portam Collinam ædem Honoris: & aram in eo loco fuisse memoriæ proditum est. Ad eam quum lamina fuisset inventa, in qua scriptum, Domina Honoris, ea causa fuit ædis ejus ædificandæ. Sed quum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt; statuit enim collegium locum publicum non potuisse privata religione obligari.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 244. B. Donat. de Urb. Rom. III. 15. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 24. Aringh. Rom. Subterr. IV. 28. §. 10.

Templum Honoris & Virtutis ædificatum fuit ad portam Capenam. Illud voverat M. Marcellus consul. Liv. XXVII. 25. *Marcellum aliæ, atque aliæ objectæ animo religiones tenebant: in quibus quod quum bello Gallico ad Clastidium ædem Honori, & Virtuti vovisset, dedicatio ejus a pontificibus impediebatur: quod negabant unam cellam amplius quam uni deo rite dedicari; quia si de cœlo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio fieret: quod utri deo divina res fieret, sciri non posset; neque enim duobus, nisi certis diis, rite una hostia fieri: Ita addita Virtutis ædes properato opere. neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt.* Postea a Marcello filio dedicata fuit. Liv. XXIX. 11. *Ædem Virtutis eo anno ad portam Capenam M. Marcellus dedicavit, septimo decimo anno postquam a patre ejus primo consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat.* Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 323. A. Gyrald. Synt. deor. I. p. 34. C. Nardin. Rom. Vet. III. 2. Donat. de Rom. Vet. III. 13. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 11. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 13. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 41. Non igitur solius illic ædes Virtutis extructa fuit, ut nonnemo male opinatur, verum priori duabus deabus illis destinatæ, & mox soli Honori dedicatæ, altera Virtutis addita est; quod etiam testatur Symm. Epist. I. 14. *Bene,* inquit, *ac sapienter majores nostri, ut sunt alia ætatis illius, ædes Honori, atque Virtuti gemellas junctim locarunt, commenti, quod ante vidimus, ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita Virtutis.* Unde liquet, utramque ædem conjunctim positam fuisse. Marlianus in ea est opinione, utramque in Urbe intra mœnia fuisse: neque enim conveniens esse, ut tam præclarorum numinum templa extra Urbem forent. Verum cum Dionys. VI. p. 351. in descriptione pompæ transvectionis equitum in honorem Castorum Idibus Juliis duci solitæ, incipisse eam refert *ab æde Martis extra Urbem.* Aurel. Vict. de Vir. illustr. c. 32. n. 3. autem eandem *ab æde Honoris* inchoari solitam tradat: jure inde colligi posse videtur, extra Urbem fuisse, quandoquidem pompa illa equitum speciem quandam intrantis Urbem præ se ferebat triumphi. Exornatum est utrumque a Marcello nepote statuis, & inscriptione. Ascon. in Cicer. p. 163. *Idem, cum statuas sibi, ac patri, itemque avo poneret in monumentis avi sui ad Honoris, & Virtutis ædem, subscripsit: III. Marcelli novies coss. fuerat autem avus quinquies, pater semel, ipse ter.* Vespasianus instauravit pictoribus in iis exornandis usus Cornelio Pino, & Actio Prisco. Plin. XXXV. 10. *In auctoritate fuere Cornelius Pinus, & Actius Priscus, qui Honoris, & Virtutis ædes Imperatori Vespasiano Augusto restituenti pinxerunt.* Nardin. l. l. *Templum* Honoris & Virtutis ad Mariana monumenta collocat Vitruv. III. 1. *Quemadmodum est ad Mariana Honoris & Virtutis, sine postico a Mutio facta.* Præfat. VII. *C. Mutius magna scientia confisus ædes Honoris & Virtutis Marianæ cellæ, columnarumque & epistyliorum symmetrias, legitimis artis institutis perfecit. Id vero si marmoreum fuisset, ut haberet quemadmodum ab arte subtilitatem, sic a magnificentia, & impensis auctoritatem, in primis, & summis operibus nominaretur.* Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 323. C. Borrich. Antiq.

Urb.

Urb. Fac. c. 7. §. 3. Pigh. Annal. Rom. III. p. 172. Marmorea tabula inventa in via Flaminia indicat de manubiis Cimbricis & Teutonicis exstructum. Fuit in ea montis Exquilini parte, quæ vulgo Merulina pro Mariana vocatur. Nemo Honoris *templum* ingredi potuit, qui non prius esset Virtutis ingressus. August. de Civit. Dei v. 12. *Philand. in Vitruvium.*

Templum Jano initio struebatur nullum, sed Romuli, & Tatii ævo porta erat duntaxat, Janualis dicta, a signo Jani affixo. V. supr. in *Porta Janualis. templa* illi, postea structa *templis* aliis urbanis non admodum fuerunt dissimilia, valvis suis & januis æratis munita, ex columnis structis opere Corinthio surgentia, in quorum fastigio caput Jani jam duarum, ut Numæ tempore, jam quatuor, ut post Numam, frontium late eminebat. Hæc porta prolatis Urbis mœnibus, illius dei *templum* mansit, cujus & nomen, & simulacrum habebat. Post, crescente opibus Republica, æneum ei templum factum est, quod describitur prolixe a Procop. de bell. Goth. I. *Foro in medio, ex adverso Capitolii sacellum extat, paullo supra hunc locum, quem Romani Tres Parcas appellant. Id vero Jani sacellum totum ex ære constructum fuisse satis constat.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 8. Nardin. Rom. Vet. v. 7. Landus Explic. in vet. numism. Misc. Ital. I. p. 329.

Templum Jani in Argileto Numa statuit, quod amplum, & habendi in eo senatus capax fuisse Festus indicat, senatusconsultum illic factum referens, ut trecenti sex Fabii contra Vejentes irent. Idem dicit Serv. Æneid. VII. *Sacrarium Jani Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum juxta theatrum Marcelli, quod fuit in duobus brevissimis templis, duobus autem propter Janum bifrontem.* Verum quomodo *in duobus templis* unum fieri sacrarium potuit? & quomodo *in brevissimis*, cum Festus senatum illic habitum asserat? Perturbatissima sane sunt ultima Servii verba. Quare ut ea in sensum commodiorem reformemus, & Livium, qui I. 19. tempore pacis ait *templum* hoc in Argileto claudi solitum, cum Varrone & Procopio conciliemus, qui illud, quod in foro erat, clausum fuisse dicunt, exactius ea de re nobis agendum videtur. Jani *templum* a Numa in Argileto constructum fuit, & fortasse tum brevissimum, seu exiguum: inque duo sacella sibi invicem opposita divisum, ut iis duobus dei vultibus responderent. Hoc deinde ab aliis auctum, ampliatumque esse potuit. Ceterum in foro porta Janualis erat, quæ post in *templum* ejusdem dei conversa est. Numa vero non modo, ut portæ Jani in Argileto pacis tempore clauderentur, instituit, verum etiam porta Janualis in foro, quemadmodum Varro testatur. Post primum autem bellum Punicum, quum jam illic porta non amplius esset, sed sacellum, Manlius *templum* Jani in Argileto clusit, & forsitan illud in foro; neque enim adeo hoc suspicari absurdum mihi videtur, in ea populi superstitione, præsertim quum tunc, quando porta erat, claudi soleret. Hoc modo non tantum Servius explanatus est, verum etiam Varro, Livius, Procopius, & cæteri inter se conciliati. Janus vero Geminus, cujus meminerunt Suet. Ner. c. 13. n. 4. *Janum Geminum clausit tam nullo, quam residuo bello.* Plin. XXXIV. 7. *Præterea Janus Geminus a Numa Rege dicatus, qui pacis, bellique argumento colitur.* Capitol. Gord. c. 26. *Aperto Jano Gemino profectus est contra Persas.* tam de hoc, quam de illo accipi potest, & uterque Janus clausus videri: nisi quis de illo, qui alterius velut gemellus fuit, quam reliqui Jani omnes post Numam non bifrontes, sed quadrifrontes fuerint, ut e nummo Augusti liquet, quem Gulielmus Choulius vulgavit. *Nardin. Rom. Vet.* v. 7. *Donat. de Urb. Rom.* II. 26. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 8. Panvin. Fast.* I. p. 49. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 8. §. 7. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 46. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 6. Jani *templum* ut pacis tempore clauderetur, & belli tempore aperiretur, instituit Numa Pompilius. Flor. I. 2. §. 3. *Janum geminum, fidem pacis & belli.* Hujus temporibus per annos XLIII. ejus portæ clausæ fuerunt. Anno deinde ab Urbe 519. consulibus T. Manlio Torquato, M. Attilio Balbo II. est clausum, eodemque anno rursus apertum. Plutarch. Num. p. 73. A. *Clausum fuit Marco Attilio, & T. Manlio coss. non diu, sed arctis mox fuit reseratum. Numa regnante nunquam visum est patuisse, sed tres & quadraginta continuos annos occlusum mansit.* Casaub. Beroald. & Pitisc. in Suetonium mox laudandum. Quoties Augustus varium duellis clauserit, aliquamdiu inter viros eruditos disputatum. Ceterorum maxime excussit Suet. Aug. c. 22. n. 1. *Janum Quirinum semel, atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, ter clusit:* quia pugnare iis visum in historia cum Livio, & Plutarcho: ex quibus quasi rem confessam sumunt, non ter ab Augusto, sed semel clausum, idque post Actiacum bellum. Igitur hic manifesto Suetonius hujus rei mendax: visum pridem Glareano ad Suetonium scribere, *tertio clausit* hac sententia: ut qui bis ante Augusti ævum clausus, Janus, cum tertio clauserit ipse. Placitum idem Langio; & hoc amplius, tolli e Suetonio illud totum: *in multo breviore temporis spatio*, quasi glossema. Videbat enim subverti lectionem Glareani stantibus iis verbis. Sed hi largiter errant. A vulgata enim lectione stant plerique libri. *Lips. Elect.* I. 20. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* II. c. 10. *Masson. Jan. reserat. Sect.* II. c. 1. §. 1. & 2. *Pagi Appar. Chronol. ad Annal. Baron.* p. 129. & 130. Ego consului vetustos codices Suetonii, qui in Laurentiana bibliotheca Etruriæ Ducis servantur, in quorum uno scribitur *pariter clausit:* in altero *iter clausit;* in aliis autem quatuor *ter clausit.* Extat ibidem idem liber impressus Romæ a. 1474. in quo adverbium illud numerale omittitur, sed in margine Angeli Politiani manu reponitur *ter.* Ipse quoque Glareanus fatetur, *ter* habere omnes, quotquot vidit, codices, atque illum vetustum, quem præceptor Erasmus illi reliquerat. Et hæc germana lectio ex Suetonii verbis colligi videtur: gloriæ enim Augusti tribuit, quod cum ab U. C. usque ad annum 519. T. Manlio consule Jani portæ iterum clausæ sint, licet eodem anno rursus reclusæ fuerint ex Varr. de Ling. Lat. IV. Augustus intra annos imperii sui ter easdem occluserit. *Noris. l. l. Masson. ibid.* §. 3. Clausit illas Augustus I. post pugnam Actiacam an. ab U. C. 725. se V. & Sexto Apulejo coss. Liv. I. 19. *Clausus fuit Janus, quod nostræ ætate dii dederunt, ut videremus, post bellum Actiacum, ab Imperatore Cæsare Augusto, pace terra marique parta.* Dio LI. p. 457. D. *Sed ex omnibus his decretis nullum ei majori voluptati fuit, quam quod portæ Jani ab ipsis clausæ sunt, quasi omnibus bellis confectis.* Oros. VI. 20. *Anno ab U. C. 725. ipso Imperatore Cæsare Augusto quinquies, & L. Apulejo coss. Cæsar victor ab oriente rediens, octavo Idus Januarias Urbem triplici triumpho ingressus est: ac tum primum ipse Jani portas, sopitis omnibus, finitisque bellis civilibus, clausit.* II. bello Cantabrico confecto an. ab U. C. 729. se IX. & M. Junio Silano coss. Dio LIII. p. 515. A. *Augustus bellis ad hunc modum confectis, Jani templum, propter hæc reseratum, clausit.* Oros. VI. 21. *Cantabricæ victoriæ hunc honorem Cæsar detulit, ut tunc quoque belli portas claustro cohiberi juberet. Ita tunc secundo per Cæsarem, quarto post Urbem conditam clausus est Janus.* III. consulatu undecimo, ex lapide, qui Emeritæ in Hispania:

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUGUSTUS.
PONT. MAX. COS. XI. TRIBUNIC.
POT. X. IMP. VIIII. ORBE. MARI. ET.
TERRA. PACATO. TEMPLO. JANI.
CLUSO....

Lips. l. l. Nonn. in Cæsar. August. Numism. p. 82. *Voss. de Histor. Latin.* I. 19. Sed istius lapidis inscriptio ad a. U. C. 731. nequaquam pertinet: nec tum, undecimove Augusti consulatu, sed demum a. U. C. 741. dicata fuit. Imo id eruere inde non liceret, etiamsi monumentum illud eo anno erectum supponeretur. Non enim illo indicatur quo anno clausus Janus ab Augusto fuerit: sed inter argumenta prosperi status florentis tam imperii clausum Janum esse positum. *Casaub. l. l. Masson ibid. sect.* 6. 4.

c. 4. §. 6. & 8. Sed potius an. ab U. C. 744. Ita enim Dio LIV. p. 546. C. *Decretum quidem est, ut Janus Geminus, qui apertus fuerat, bellis jam compositis, clauderetur.* Hoc vero quando decretum? Nullum certe annum præter U. C. 743. præmonstrat contextus, nec alius vel minimum indicium hucusque datum. Deinde cum scriptor dicit, id *bellis compositis* decretum, nonne ea bella clare designat, quæ superius a Druso, Tiberio, & Pisone an. U. C. 743. confecta narraverat? Nulla sane alia adhuc dum retulit: adeoque ob ea tantum tunc composita decretum fuisse, ut geminus Janus occluderetur, significare potest. Id ipsum confirmant Dionis verba: *Minime vero clausus: Nam Daci obstitere, qui Istrum frigore concretum transgressi, ex Pannonia prædas abstulerant.* Hinc enim liquet, prædictum de Jano claudendo SCtum sub tempus hyemale esse factum. Atqui aliud hibernum tempus per narrationis seriem non licet intelligere, præter illud, quod in an. U. C. 743. exitum, ac an. 744. initium incidebat. Nam ex dictis de Drusi expeditione an. U. C. 743. citra dubium fit manifestum, eandem ad autumni usque finem fuisse protractam, cum scribat Dio, *hyemis propinquitatem* impedivisse, quo minus Visurgim eo anno transiret Drusus, ideoque eum in Sociorum terram regressum esse. Ante vero illius anni exitum Drusi expeditionem peractam esse docet præterea Dio, addens, senatum ejus causa Druso triumphales honores decrevisse, atque *ut peracta prætura cum proconsulari imperio esset.* Præturam enim eodem anno 743. gesserat Drusus. Igitur, cum ob eam Drusi expeditionem feliciter gestam, non secus ac propter illas eodem tempore a Tiberio ac Pisone prospere factas Janus claudendus fuerit, atque ejus clausionem impediverint Daci Istrum gelu concretum transgressi: hinc necessario sequitur, hostes Dacos sub eundem an. 743. exitum, vel summum sub an. 744. initium arma sumpsisse, Danubium transgressos. . . . Quod præterea probatur ex Tiberii expeditione in eos, & Dalmatas eodem tempore rebellantes suscepta, atque ante finem an. 744. peracta, ut patet ex Dione mox exscribendo. Inde enim certe evincitur, istam Dacorum excursionem ad an. 744. ultimam, hibernamque partem non pertinere; quandoquidem impossibile est, ut Tiberius eodem anno e Gallia contra eos, Dalmatasque missus sit, utriusque gentis motus pacaverit; deinde una cum Augusto Romam redierit, ac ea, quæ ante propter victorias decreta, perfecta fuerint. Quæ tamen omnia, antequam iste annus omnino elapsus esset, confecta sunt, teste Dione. Itaque cum Daci hyeme an. 743. exeuntis moverint; eodem etiam tempore decretum est, ut Janus clauderetur; quippe ob eorum motus ejus clausura dilata fuerit. Revera vero an. 744. clausum esse liquet ex verbis Dionis, quæ ad hunc annum omnino pertinent. *Dalmatæ*, inquit ille, *propter exactum tributum rebellionem fecere. Hos motus* scilicet horum & Dacorum, quorum proxime meminit, *Tiberius ex Gallia, in quam cum Augusto profectus fuerat, adversus eos missus pacavit. Germanos, cum alios, tum Chattos Drusus partim mactatis iis, partim subegit. Atque postea cum Augusto Romam redierunt: ac ea omnia, quæ decreta propter victorias fuerant, aut alias fieri debebant, adimpleverant: Hæc acta sunt Julo, ac Fabio Maximo consulibus.* id est, an. U. C. 744. Ubi maxime id nobis observandum venit, quod Dio ab iisdem Principibus post reditum Romæ peractum asserit: eos nimirum *omnia, quæcunque propter victorias decreta fuerant, adimplevisse.* Decretum autem ante fuerat, non modo ut Tiberius, Drusus, Pisoque, rebus feliciter gestis, honoribus triumphalibus donarentur: verum etiam ut *Janus geminus clauderetur*, uti diserte Dio supr. laudatus. Itaque & hoc, non secus ac cætera, ab Augusto reduce eo anno adimpletum est, Janusque obseratus. Quare enim alia decreta tum fuissent exsecutioni mandata, illud vero de Jani clausione prætermissum? Quid amplius obstabat, ne templi fores tunc claustro cohiberentur, cum jam motus, antea clausuram remorantes, sedati, compositique essent: adeo ut ipsi bellorum duces Romam victores redierint? Profecto nihil excipit Dio, atque expresse testatur, *omnia*; vel *quæcunque fuerant decreta*, tandem prædicto anno completa esse. Proinde nobilis scriptor clarius, apertiusque significare nequibat, Janum Quirini an. U. 744. vacuum duellis occlusum ab Augusto *tertium* fuisse. Et mirum sane videtur, Norisium multis cum aliis autumare, tertio Jani clausi nusquam meminisse Dionem. *Masson ibid. Sect.* 3. *c.* 8. §. 6. . . . 10. Cum hac historia non pugnant Livius & Plutarchus. Verba Livii sup. laudavimus. Ex illis non sequitur, Augustum semel duntaxat Janum clausisse. Tempus inspiciendum vobis fuit, quo scripsit ista Livius. Vivi nempe Augusti amicitia floruit, historiam suam illo vivente exorsus, imo res adhuc gerente. Quo tempore ergo ista narrabat, semel Janum clauserat Augustus. Cantabri nondum victi erant, cum ad gratiam amici magni operi æterno inseruit ista Livius. Quomodo ergo de triplici clausione scribere tunc potuit, nisi si superstitiosus, aut divinus? *Lips.* & *Voss. l. l.* Plutarchi verba hæc sunt l. l. *Hoc aperitur bello, & clauditur pace composita sollenne est: quod quidem difficilis est exempli & rari: quia perpetuo ob latitudinem implicatum bello est imperium, dum cum circumfusis undique barbaris nationibus colluctatur. Tantum Cæsaris Augusti ævo, oppresso Antonio, fuit clausum: & ante non diu M. Attilio, & T. Manlio consulibus, sed mox armis motis fuit reseratum.* Sed Plutarcho non id propositum, ut enumeraret quoties Janus clausus. Si fuit, non libero eam potius culpæ: quia per ætatem suam, & historiam scire potuit sæpius ab Augusto, quam victo Antonio, clausum. Sed scriptor Græcus haud dubie oculos adjecit ad Livii locum; & illum, ut solet, satis habuit exprimere. *Lips. l. l.* V. etiam *Castal. de Templ. Pac. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1852. B.

Templum Jani ad forum fuit olitorium, hoc est, inter theatrum Marcelli, & Tiberim. C. Duilius hoc struxit, Augustus restituravit, Tiberius dedicavit. Tacit. Annal. II. 49. 3. *Iisdem temporibus deûm ædes vetustate, aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto dedicavit: Jano templum, quod apud forum olitorium C. Duillius; qui primus rem Romanam prospere mari gessit.* Donat. de Urb. Rom. II. 26. Nardin. Rom. Vet. V. 7. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 12. Borrich Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 8. Pigh. Annal. Rom. II. p. 24.

Templum Jani quadrifontis fuit in foro transitorio. Serv. Æneid. VII. 607. V. illum supr. in *Janus.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 3. Nardin. Rom. Vet. III. 14. Quoniam vero, cum Faleriæ caperentur, forum transitorium nec per insomnium exstabat, quippe a Domitiano exstructum, illud boarium appellatum fuisse nonnulli ajunt, in quo Jano *templum* dedicatum fuit, & inde postea nomine Domitiani in forum novum translatum. Sed unde quæso forum transitorium boarium unquam fuisse nominatum acceperunt? Janumque quadrifrontem in aliud transductum forum? Ex unico epigrammate Martialis, quod est. X. 28.

Pervius exiguos habitabas ante penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras Jane, quot ora geris.
At tu sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

At hic ego translationem nullam animadverto; locumve diversum. Nam antiqua ejus primum tenuitas exponitur; quodque pervius fuerit, id est, apertus Janus, sive arcus quadrifrons, ut multi alii erant in compitis, per quos transibatur: quodque celeberrima Urbis parte fuerit, sicut ea indubie fuit, etiam antequam forum ibi esset transitorium. Novum vero quod fecit lucrum, non translatio innuitur, sed ornamentum melioris ædificii, portis clausi; unde e Jano simplici factum *templum*: quartæque ejus faciei novum additum forum, sicut tribus reliquis tria alia ante objecta fuere, Romanum nempe a fronte, Cæsaris, & Augusti. Unde a clausura hac *templi* poeta voti sumit argumentum, non autem a translatione. Et hæc sententia convenit illis Stat. Sylv. IV. 3. 9.

Sed

Sed qui limina bellicosa Jani
Justis legibus, & foro coronat.

Hic sane nihil aliud indicatur, quam portas Jano additas, & forum. Liquidius id cognoscitur ex his IV. I. 13.

Janus agit, quem tu vicina pace ligatum
Omnia jussisti componere bella, novique
In leges jurare fori.

Sed & Servii verba id ipsum afferunt, nimirum eodem ipsius ætate loco Janum fuisse, ubi olim fuerat: *propter quod in foro.* . . . Quare si eo tempore forum Nervæ, transitorium appellatum, necdum exstitit, aut Servius, uti solet, ambigua voce usus est, aut dixisse potius accipiendus est, *templum* Jani Quadrifrontis eo ædificatum fuisse loco, ubi postea a Domitiano, ac Nerva factum fuerit forum transitorium. In qua fori parte fuerit e Martiale conjicere licet. Nam si quatuor vultibus totidem fora prospexerit, in eo fuisse latere transitorii necesse est, quod foro Romano oppositum fuit. Sic ut altera facie Romano foro obversus fuerit, altera illi, in quo situs erat: duabus vero faciebus lateralibus in duo reliqua fora conversus sit. Unde & ornamenta fori transitorii animadverti possunt quomodo disposita fuerint, saltem per conjecturam. Nam in occidentali ejus latere Janus hic fuit quadrifrons: in adverso orientali basilica, cujus hodieque aliqua supersunt vestigia: in meridionali versus *templum* Pacis nobile illud *templum* Palladis: in septentrionali quid fuerit, ignoratur: forte *templum* Nervæ, quod Trajanum patri fecisse indicat Plin. Paneg. c. 11. *Quem*, Nervam, *tu lacrymis primum, ita ut filium decet, mox templis honestasti; non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente, fecerunt.* Nardin. l. l.

Templum Jovis Arbitratoris in decima Urbis regione ponitur a Victore: & appellatur pentapylon, quasi quinque portarum. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 88. *F.*

Templum Jovis Capitolini inchoavit Tarquinius Priscus, ex præda, seu manubiis de Apiola captis. Plin. III. 5. *Auctor est Antias, oppidum Latinorum Apiolas captum a L. Tarquinio Rege, ex cujus præda Capitolium is inchoaverit.* Qui hoc voverat bello Sabino. Tacit. Hist. III. 73. 3. *Voverat Tarquinius Rex bello Sabino, jeceratque fundamenta.* Dionys. III. p. 201. *Aggressus est etiam ædificare templum Jovis, & Junonis, & Minervæ, ut votum persolveret, quod in postremo contra Sabinos prælio diis fecerat.* Mox, ut addit Tacitus, *Servius Tullius sociorum studio, deinde Tarquinius Superbus, capta Suessa Pometia hostium spoliis exstruxere.* Et Dionys. l. l. *Post multos deinde annos tertius ab hoc Rex Tarquinius, is qui regno pulsus est, fundamenta jecit, & bonam partem confecit ejus ædificii.* Sed gloria operis, pergit enim Tacitus, *libertati reservata: pulsis Regibus Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit, ea magnificentia, quam immensæ postea populi Romani opes ornarent potius quam augerent.* Omnem historiam complexus est Plutarch. Poplic. p. 104. B. *Templum Jovis Capitolini Tarquinius Demarati filius in bello, quod gessit cum Sabinis, voverat. Id Tarquinius ejus qui voverat, filius, vel nepos extruxit, non dedicavit tamen: sed erat pæne absolutum, quum Roma pelleretur. Ut jam undequaque perfectum, & decenti specie fuit exstructum, affectavit id Poplicola dedicare.* Tertio ab exactis Regibus anno. Dionysius: *At ne is quidem absolvit hoc opus, sed sub annuis magistratibus iis, qui tertio post anno consulatum gesserunt, templum id absolutum est.* Si Livio credimus, ab iisdem exactis primo. Ita enim ille VII. 3. *M. Horatius consul ex lege templum Jovis Opt. Max. dedicavit, anno post Reges exactos. Annis, prius quam Xerxes in Græciam trajiceret, duodetriginta.* Hoc annotat Polyb. III. 2. *Rycq. de Capitol. c.* 9. 10. 11. *Donat. de Urb. Rom.* III. 4. *Nardin. Rom. Vet.* V. 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 4. *Pigh. Annal. Rom. T. p.* 52. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 19. *D.* Figuram describit Dionys. IV. p. 259. *Templum situm est, & fundatum in crepidine alta, octo jugerum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera singula, pari propemodum longitudine, atque latitudine vix quindecim pedum differentia.* Octo jugerum circuitus exacte e Plin. XVIII. 3. & Varr. de Re Rust. I. 10. computatus (qui jugerum duos esse actus quadratos conjunctos dicunt, pedes ducentos in longitudinem, & centum viginti in latitudinem) efficit pedes MCMXX. quod spatium multo majus est, quam quod mox apud eundem sequitur, CC. pedum in longitudinem & CLXXXV. in latitudinem: qui ambitus tantum DCCLXX. pedes continuerit. Sed litandum veritati est. Dionysius Græce loquens vocem πλέθρον usurpat, quam Latini interpretes male voce jugerum explicant, quum plethrum tantum centum pedum sit. Spatium igitur *templi* ὀκτάπλεθρον, sive octo plethrorum octingentos tantum pedes efficit circuitus, qui per vocem *quasi* a Dionysio addita perquam bene cum septingentis septuaginta consentiunt. His si graduum addideris spatium, exactissime numerus conveniet. Laterum longitudo facile invenietur. CC. pedes viginti sex faciunt nostrates perticas, seu cannas, palmos sex, & uncias octo. Latitudo quindecim pedibus, id est, duabus perticis, minor viginti quatuor cannis explet, atque item palmos sex, & uncias octo. Pergit Dionysius: *Frons ejus meridiem spectat. Porticum habet cum triplici ordine columnarum. In lateribus ordo duplex est. Tres ædes pares communis in lateribus: media Jovis, hinc & inde Junonis, & Minervæ, sub eodem tecto, & pinnaculo.* Nardin. ibid. c. 15. Donat. l. l. Lips. de Magnit. Rom. III. 5. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 7. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 355. B. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9 Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 4. Rycq. ibid. c. 12. & 13. In quo montis Capitolini vertice situm fuerit, inter se accurate disputant *Donat. ibid.* II. 3. & *Nardin. l. l.* Illorum velitationes fusiores nobis in chartas tam angustas verbo verbum transferre non licet. Gradus, quibus in ejus vestibulum ascendebatur. V. supr. in *Gradus.* Ornamenta templi quod attinet, in illo Tarquinii ærea limina erant, argentea vasa in cella Jovis, in fastigio templi simulacrum Jovis quadrigis auratis impositum, cum vicinis clypeis inauratis. Eversa Carthagine laquearia templi primum inaurata: tegulæ æreæ prius, sed a Catulo auro illitæ: in templo dona splendida, coronæ aureæ, aureæ victoriæ, candelabra aurea, fores laminis aureis obductæ, dona signati argenti ingentia. Inter rariora artis opera laudantur canis vulnus suum lambens in cella Junonis, indiscreta veri similitudine, Hercules Capitolinus, Apollo colossi specie, Jupiter Caryllii, capita duo a Lentulo consule dicata, statua Jovis trisulcum fulmen dextra vibrans, Tarquinii ævo cretacea, adeoque festis diebus miniari solita, tandem Martialis ævo aurea, pallium purpureum ab Indis missum, cujus intuitu omnium, etiam Imperatoris ipsius vestes purpureæ decolorarentur; in cella Jovis Africani Scipionis statua. *Donat. ibid. c.* 6. & 7. *Rycq. ibid. c.* 16. 17. 18. *Borrich. l. l.* Arsit Syllanis temporibus, negligentia custodum, sed restituit Sylla, & Catulus a morte Syllæ dedicavit. Arsit iterum civili bello Vitelliano, restituit Vespasianus. Arsit tertium paucis post annis, restituit Domitianus, arcessitis, ut docet Plutarch. Poplic. c. 104. E. e Græcia pentelici lapidis columnis, quas adhuc in ara cœli nitentes conspicamur. Tacit. Hist. III. 71. 72. 73. Suet. Jul. c. 15. n. 1. Vit. c. 15. n. 5. Vesp. c. 8. n. 12. Domit. c. 15. n. 1. Plutarch. l. l. *Donat. & Borrich. l. l.*

Templum Jovis Conservatoris in vetusto epigrammate Romano legimus, non expresso loco. In eo signum cum basi posuit P. Ælius cohortis sextæ prætoriæ miles, missus honesta missione, Bellicio Torquato, & Attilio Glabrione coss. anno Hadriani imperii septimo. Tacit. Histor. III. 74. 2. *Domitianus potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, Jovi Conservatori modicum sacellum, aramque posuit, casusque suos in marmore expressit.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Licet. de Lucern. VI 3.

Templum Jovis Custodis ædi Capitolinæ adjectum est. Ibi enim templi fundator servatus est Domitianus Vitelliano

liano bello. Suet. Domit. c. 5. n. 2. *Novam excitavit aedem Jov. Custodi.* Tacit. Hist. III. 74. 2. *Mox imperium adeptus, Jovi Custodi templum ingens posuit, seque in sinu dei sacravit.* Frustra ergo quidam hoc templum, ubi sint ædes Romani senatoris, locarunt. Nam cum Domitianus in ipso æditui contubernio, ubi pernoctaverat, ædificarit; id profecto, *templo* Capitolini Jovis adjectam, aut in adjunctis ædibus esse debuit, non longe a rupe Tarpeja. De ambitu, & figura nihil, quod referam, legi. Sed a Domitiano nihil nisi magnificum, ac splendidum parari potuit. *Donat. de Urb. Rom.* II. 8. *Licet. de Lucern.* VI. 3. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 5. Juxta Jovis Capitolini ædem situm fuisse, nec e Taciti, nec e Suetonii verbis colligi potest. Loquuntur enim de novo ædificio, & a Vitellio diverso. Ejus ergo omnino incertus situs est. *Nardin. Rom. Vet.* V. 16.

Templum Jovis Feretri nunc est S. Mariæ in ara cœli. Olim fuit exiguum, & magis fama, quam magnificentia notum. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 9. *Donat. de Urb. Rom.* II. 10. *Faunus Ant. Urb. Rom.* II. 5. Eo loci fuisse contendunt. Sed nec indicium ullum, nec alicujus adtestatur veteris scriptoris auctoritas. Dionysius statim dicet fuisse in summo Capitolio: at in quo vertice fuerit, non exprimit. Fortean porro his in locum maxime firmum, adeoque in maxime præruptam montis partem, id est in arcem Romulus tropæum detulisse videbitur, ibidemque hanc ædem posuisse, ut ibi ejus successores, & posteri triumphantes spolia opima defigerent. Unde forsitan factum, ut in eodem fastigio templum Jovi Opt. Max. sacraretur, ad quod omnes triumphantes conscenderent. Sed horum cuivis liberum judicium esto: nam mihi quidem inter incerta referre optimum factu visum. *Nardin. Rom. Vet.* V. 16. Exiguum fuisse dicit Dionys. II. p. 102. *Traducta pompa, & re divina perfecta Romulus in Capitolino vertice Jovi Feretrio templum designavit non magnum: adhuc enim superest vetus ejus vestigium vix quindecim pedum longitudine, quo inferret opima de Caninensium Rege spolia, quem sua manu interemerat.* Et Liv. I. 33. *ab Anco Marcio amplificatum* dicit: quantulum igitur illud ab initio fuisse existimandum est sub Romulo? Postea ab Augusto restitutum refert Liv. IV. 20. *Hoc ego quum Augustum Cæsarem, templorum omnium conditorem, ac restitutorem, ingressum ædem Feretrii Jovis, quam vetustate dilapsam refecit....* Cujus restituendi Augusto auctor fuit Atticus. Nep. Attic. c. 20. n. 3. *Ex quo accidit, cum ædes Jovis Feretrii, in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate, atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu, Cæsar eam reficiendam curaret.* Donat. & Nardin. l. l. Pigh. Annal. Rom. I. p. 184.

Templum Jovis in insula Tiberina, nunc S. Bartholomæi, describitur ab Ovid. Fast. I. 291.

> *Accepit Phœbo, nymphaque Coronide natum*
> *Insula, dividua quam premit amnis aqua.*
> *Jupiter in parte est: cepit locus unus utrumque:*
> *Junctaque sunt magno templa nepotis avo.*

In eo quatuor columnæ ex ophite, & porphyreticum labrum, cum tabula ex marmore Pario, qua vix pulcriorem vidi. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 9. *Blond. Instaur. Rom.* II. § 78.

Templum Jovis invicti, cujus meminit Ovid. Fast. VI. 650.

> *Idibus invicto sunt data templa Jovi.*

Locus nescitur. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 79. *E.*

Templum Jovis intra Palatium Tiberii. Hujus meminerunt Acta S. Laurentii: sicut & in Actis S. Silvestri legitur, in basilica Jovis Christianos coram Augustis congregatos fuisse. Basilica hæc forte pro cœnaculo, quæ Jovis cœnatio dicta est, accepta fuerit. Nam in Actis S. Laurentii intra Palatium locus ei assignatur: *Cæsar jussit B. Laurentium vinctum catenis in Palatium Tiberii duci, & illic ejus gesta audiri: ibi vero in Basilica Jovis tribunal parari.* Nardin. Rom. Vet. VI. 14.

Templum Jovis prædatoris, in quo prædam hostibus ereptam ponebant. Locus ignoratur: sed fuisse, & ad illud allusisse Virg. Æneid. III. 223. scribit Servius. V. illum supr. in *Jupiter prædator.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Tomas. de Donar. c. 22.

Templum Jovis propugnatoris fuit in Palatio. Ejus mentionem invenimus in antiquo epigrammate:

IN. ÆDE. JOVIS. PROPUGNATO-
RIS. IN. LOCUM. CLAUDI. PATER-
NI. VITA. FUNCTI. ATERIUS. CO-
LONIUS. COOPTATUS.

Hæc inscriptio posita sexto consulatu Commodi Imperatoris, in quo Petronius Septimianus ei collega fuit. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c* 10. Etiam in hoc:

P. MARCIUS. VERUS.
IMP. COMMODO. VI. ET. PETRO-
NIO. SEPTIMIANO. COS.
AN. P. R. C. DCCCCXLI. K. DEC.
IN. PALATIO. IN. ÆDE. JOVIS.
PRO UGNATORIS.
IN. LOCUM. P. VERI.
L. ATILIUS. CORNELIANUS.
COOPTATUS.

Nardin. Rom. Vet. VI. 14. *Rosin. Antiq. Rom.* II. 5.

Templum Jovis Sponsoris fuit in colle Martiali. Tarquinius Superbus condidit, Sp. Postumius consul an. 288. dedicavit. Dionys. IX. p. 617. *In Urbe eadem Jovis Sponsoris dedicavit nonis Junii in colle Martiali exstructam ab ultimo Rege Tarquinio, non tamen solenni dedicationis ritu ab eo consecratam: sed tum demum ex senatusconsulto data est ejus inscriptio Postumio.* Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 6. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 10. §. 9. Rycq de Capit. c. 29. Rosin. Antiq. Romin. II. 5.

Templum Jovis Statoris. De eo sic Dionys. II. p. 114. *Romulus Jovi Statori templum posuit apud portam Mugoniam ducentem e via sacra in Palatium.* Liv. I. 12. *Tenuere arcem Sabini: atque inde postera die, quum Romanus exercitus instructus, quod inter Palatinum, Capitolinumque collem campi est, complesset; non prius descenderunt in æquum, quam ira, & cupiditate recuperandæ arcis stimulante animos, in adversum Romani subiere. Principes utrimque pugnam ciebant, ab Sabinis Mettius Curtius, ab Romanis Hostus Hostilius. Hic rem Romanam iniquo loco ad prima signa animo atque audacia sustinebat. Ut Hostus cecidit, confestim Romana inclinatur acies: fusaque est ad veterem portam Palatii. Romulus & ipse turba fugientium actus, ut fugam suorum sisteret: hic ego, inquit, tibi templum Jovi Statori voveo.* Ubi & postea locatum est, cum Romani, seu forte, sive a hortatione ducis, sive alia de causa constitissent. Quo loco Livius campum, quem inter Palatinum, & Capitolinum collem dixerat, completum Romano exercitu, postea Romanum forum appellavit l. l. *Mettius Curtius*, inquit, *ab Sabinis princeps ab arce decucurrerat, & effusos egerat Romanos, toto quantum foro spatium est. Nec procul jam a porta Palatii erat.* Ex quibus hæc certa deducuntur, Romanos a clivo Capitolino cepisse fugam, toto fori spatio fugisse, stetisse Romulum, & alios fugientes tenuisse in finibus fori ad Palatii portam. Confirmat Ovid. Fast. VI. 793.

> *Tempus idem Stator ædis habet, quam Romulus olim*
> *Ante Palatini condidit ora jugi.*

In oratione, antequam Cicero iret in exsilium c. 10. *Teque Jupiter Stator, cujus templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum victoria est collocatum.* Porro cum alia Romæ *templa* essent Jovis Statoris, hoc antiquissimum, & princeps fuit. Quamquam, ut ait Liv. X. 37. multo post Romulum conditum fuerit, contra quem scripsit Ovidius. *Fabius*, inquit, *ambos consules in Samnio, & ad Luceriam res gessisse scribit: inque ea pugna Jovis Statoris ædem votam, ut Romulus ante voverat; sed fanum tantum, id est, locus templo effatus, jam sacratus fuerat. Ceterum*

hoc

hoc demum anno, ut ædem etiam fieri ſenatus juberet, bis ejusdem voti damnata Reſpublica in religionem venit. Inter cætera, quæ arſerunt Neroniano incendio *ædes Jovis Statoris vota Romulo exuſta eſt.* Tacit. Annal. xv. 41. 1. Et tunc vel Nero ipſe, vel ſenatus, populusque Romanus reſtituendam curavit. Fama eſt, doctis viris etiam referentibus, ſtriatas tres columnas in campo nunc Boario, ad hortos Farneſianos, & Palatium, adhuc ſtantes cum admirabilis artificii epiſtylio, & corona, ejus *templi* fuiſſe: quas in fronte duplici porticu, in latere ſimplici habcret. Cujus ichnographiam, & orthographiam Antonius Labaccus nobilis architectus egregie lineavit. Nec tamen id ita exploratum eſt, ut omnem dubitationem exhauſerit. Videtur enim illud artificium aliquanto plus a Palatino diſtare, quam hiſtorici referant. *Donat. de Urb. Rom.* 11. 13. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 9. *Gyrald. Synt. deor.* 11. *p.* 83. *G. Roſin. Antiq. Rom.* 11. 5. *Tomaſ. de Donar. c.* 3. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* 11. 12. *Kipping. Antiq. Roman.* 1. 10. §. 6. *Blond. Inſtaur. Rom.* 11. §. 45.

Templum Jovis Tonantis fuit ad lævam clivi Capitolini, in dextera ejusdem parte, ab Auguſto ædificatum. Suet. c. 29. n. 10. *Ædem Tonantis Jovis in Capitolio exſtruxit, liberatus periculo, cum ex expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perſtrinxiſſet, ſervumque prælucentem exanimaſſet.* c. 91. n. 4. *Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonantis Jovis aſſidue frequentaret, ſomniavit Capitolinum Jovem queri, cultores ſibi abduci, ſeque reſpondiſſe, Tonantem pro Janitore ei appoſitum. Ideoque mox tintinnabulis faſtigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant.* Idem teſtatur Dio LIV. p. 523. C. Verum P. Victor in regione octava: *Ædes Jovis Tonantis ab Auguſto dedicata in clivo Capitolino.* Quare ne cum eo Suetonius pugnet, dicendus eſt clivum facere partem Capitolii. Neque antiquarii alibi præterquam in clivo collocant. Hujus templi, præter effigiem expreſſam in numiſmatis, reliquiæ dicuntur extare in ipſo clivo tres columnæ marmoreæ cum epiſtylio egregii operis pæne ſub terram capitulo tenus defoſſæ. Is veſtibuli, ſeu pronai veteris angulus eſt, cujus zophorus ab ædis latere quædam veterum ſacrificiorum vaſa & inſtrumenta: a fronte vero in latioris marmoris tabulas diductus pro longiore inſcriptione, quæ inerat, unum verbum videndum præbet absque *R. eſtituer.* Inſtauratio templi ex eo cognoſcitur. Cæterum cum Jupiter Tonans janitor Capitolini Jovis, & in Capitolio pertinaciter locetur a Suetonio, ſuſpicioni dat locum, an prope *templum* ejusdem Capitolini Jovis in arce ponendus ſit. *Donat. de Urb. Rom.* 11. 11. *Gyrald. Synt. deor.* 11. *p.* 81. *F. Roſin. Antiq. Rom.* 11. 5. *Tomaſ. de Donar. c.* 3. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* 11. 3. *Kipping. Antiq. Roman.* 1. 8. §. 6.

Templum Jovis Victoris fuit in Palatio. Hoc vovit Fabius bello Samnitico, in quo P. Decius filius ejus collegæ ſe pro legionibus Romanis devoverat. Liv. x. 29. *Ipſe, Fabius, ædem Jovi Victori, ſpoliaque hoſtium quum voviſſet, ad caſtra Samnitium perrexit.* Poſtea dicatum Idibus Aprilis canit Ovid. Faſt. IV. 621.

Occupat Apriles Idus cognomine Victor,
Jupiter: hac illi ſunt data templa die.

Hoc templum ſponte patefactum prodigio fuit ante mortem Claudii Cæſaris, ut refert Dio LX. p. 688. D. *Donat. de Urb. Rom.* 111. 3. *Gyrald. Synt. deor.* 11. *p.* 79. *D. Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 392.

Templum Jovis Viminei in colle Viminali a Rufo collocatur. Fieri potuit, ut poſt Varronis, qui numero plurali ararum meminit de Ling. Lat. IV. 8. tempora aliqua ex his aris in *templum* converſa ſit. V. Varron. ſupr. in *Jupiter.* Nardin. Rom. Vet. IV. 4. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. §. 6.

Templum Jovis Ultoris, nunc S. Mariæ rotundæ, & omnium ſanctorum. Aliquando Cybeli fuit ſacrum, cujus deæ caput antiqui operis, & ſaxi cum duobus piſcibus muro templi incluſum adhuc cernitur: a M. Agrippa Pantheum, quaſi τῶν πάντων Θεῶν dictum. V. ſupr. in *Pantheon.* Marti tandem, ac Veneri, qui auctores populi Romani habiti ſunt, conſecratum. Hoc Bonifacius pontifex a Phoca Imperatore, qui rem pontificiam auxit, atque extulit, acceptum, beatæ Virgini, & Sanctis omnibus dicavit: fuitque primum dictum, Virgo ad martyres, ſicuti nunc a circulari forma S. Mariæ rotunda. Altum eſt pedes 144. totidem latum. Contignationes æneis trabibus cardinum modo compactæ pedum 40. ut teſtatur Bapt. Leo. Valvæ ingentes, item trabes ex ære Corinthio, & inauratæ, lithoſtrotum varii marmoris, aræ duæ marmoreæ, ſex marmoratæ. Interſtitia, ſex columnarum ſpatio diſtantia. Teſtudo templi laqueata, vacuis circumquaque ſpatiis relictis, ne nimio pondere ædificium prematur. Nulla feneſtra penitus ineſt, niſi in medio foramen ſphæricum æneis inauratisque trabibus fultum, quod lumen præbet, eique in pavimento ſubjectum ad imbres excipiendos impluvium. Ad foramen illud in tecto quadraginta trabibus plumbeis adſcenditur: ad quod tectum antequam perveniatur, bini ambitus ſunt, ad quorum primum ex imo templi per centum & quinquaginta gradus eſt eundum. In tecto plumbeæ nunc ſunt laminæ, quæ olim argenteæ fuerunt, quas Conſtans Imperator Conſtantini junioris filius detraxit. Gradus ænei ante *templum* ſublati, & ſaxeis permutati ſunt. Adſcenſum ad *templum* fuit per gradus duodecim; nunc per totidem deſcenditur. Parietes nunc lateritii ſunt, olim marmoribus incruſtati fuerunt. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 9. *Lipſ. de Magnit. Roman.* 111. 5. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 11. *Gyrald. Synt. deor.* 11. *p.* 89. *E. Roſin. Antiq. Roman.* 11. 5. *Kipping. Antiq. Roman.* 1. 8. §. 6.

Templum Iſidis a Caracalla conſtitutum. V. illud ſupr. in *Iſis Athenodoria.*

Templum Iſidis in circo Flaminio, nunc S. Mariæ in Equirio, quod eo in loco fierent Equiria. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 9.

Templum Iſidis propinquum omnino Septis fuit. Juven. Sat. VI. 528.

A Meroe portabit aquas, ut ſpargat in æde
Iſiacis, antiquo quæ proxima ſurgit ovili.

Nardin. Rom. vet. VII. 9. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 9. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 17. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. 11. 22. Nec aliter Dio, ubi incendium Veſuvii exponit: *Serapidis & Iſidis templum & Septa, Neptuni ædem, thermas Agrippæ, Pantheon. . . .* quæ omnia unus incendii ignis hauſit. Situm aliqui fuiſſe putant ad *templum* S. Marcelli in via Flaminia, ſeu Curſu; non alio indicio, quam quod ibi marmor erutum, cum inſcriptione: *templum Iſidis Exoratæ.* Verum, præterquam quod ædes ea nimis longe a Septis diſſita ſit, in media hæc eſt regione ſeptima Viæ latæ, quum Iſium, Serapium, & Septa regioni nonæ attribuantur: unde marmori illi hic nulla fides eſt. Tum & *Exoratæ* additum cognomen, ut iſthic aliud Iſidis fuiſſe *templum* ſuſpicemur, facit. Nam hæc quidem Iſis Septis proxima *Campenſis* appellata fuit. Ita Apul. Met. XI. p. 391. *Summo numini Reginæ Iſidis, quæ de templi ſitu ſumpto nomine Campenſis ſumma cum veneratione propitiatur.* Fulvius ex ſua, & aliorum opinione locum S. Mariæ in Aquiro in area Capranica occupaſſe refert, & addit: Extant adhuc in propinquo templi hortulo columnæ quædam erectæ. Donatus contra ea exiſtimat, quod Serapidis ſtatua e marmore Ægyptiaco ante annos aliquammultos in fundamentis partis recens monaſterio Dominicanorum adjunctæ adverſus Seminarium Romanum inventa fuerit, Iſidis inde *templum* non longe abfuiſſe, Serapidique in eo divinos honores habitos. Ego vero, cum Iſium illic a Victore memoratum fuerit, Serapium aliud fuiſſe, atque item in proximo *templum*, arbitror. Favent huic conjecturæ meæ obeliſcus parvulus ædis S. Mauti, nec non alterius ejusdem eccleſiæ muro inſerti fragmentum, quod annis abhinc aliquot ad poſticum collegii Romani fuit, ut & alius integer, quem retro eccleſiam Minervæ ad januam minorem, quæ altari majori proxima eſt, in terra abje-

ctum, illi S. Mauti non dissimilem Maurus memorat; præter alia nonnulla fragmenta, quæ Fulvius in eadem vicinia reperta fuisse auctor est. Hanc obeliscorum exiguæ magnitudinis copiam ad exornanda ista duo templa ex Ægypto advectam verisimile est: fortean & duo leones e marmore itidem Ægyptiaco earundem ædium fuerunt ornamenta, quos antea ante Pantheon positos idem Fulvius refert. Qui quidem nunc aquam in fontem thermarum ejiciunt. Sic & duo ita more Nili, & Tiberis simulacra, quæ ad aream Camillianum, eodem Fulvio referente, reperta, nunc in Vaticani parte, cui a pulcro prospectu Belvedere nomen, asservantur, forsan & ipsa ornamenta illorum *templorum* fuerunt: indicioque tantum non certo sunt, Serapium olim exstitisse, ubi nunc ecclesia est S. Stephani de Cacco est, id est, monstri, statuæ nempe cynoscephali, quam ibidem quoque visam tradunt. Sed & editius ecclesiæ solam ruinarum veteris alicujus ædificii argumentum est: & perinsignis ille antiquitatum Ægyptiacarum numerus, quæ inter dictam S. Stephani ædem, & Seminarium visuntur, satis manifesto indicium est, illa hæc ornamenta esse, quibus Alexandrum Severum Isium, & Serapium exornasse refert Lamprid. c. 26. *Isium*, inquit, *& Serapium decenter ornavit, additis signis, & deliacis, & omnibus mysticis.* Ædem Isidis juvenum amoribus opportunam prodit Ovid. de Art. I. 77.

Nec fuge Niliacæ Memphitica sacra Juvencæ:
Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

Quibuscum egregie consentiunt, quæ Joseph. Antiq. XVIII. 4. de Paulina, nobili matrona, in eo templo a Mundo quodam tum Isidis constuprata, memoriæ prodit: [illegible] capti Anubidis: ob quod [illegible] sacerdotes a Tiberio in crucem acti fuere, & *templum* dirutum; ab aliis postea restitutum. *Nardin. l. l.*

Templum Isidis in via Appia, nunc S. Nerei, inter S. Sixtum, & thermas Antoninianas, ad caput viæ novæ. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9.*

Templum Junonis Caprotinæ fuit extra Urbem, cui sub caprifico fiebant sacrificia, ex eadem arbore virgis, ramisque circumsectis. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10. V. supr. in *Juno Caprotina.*

Templum Junonis Laciniæ. De illo Strab. VI. p. 380. *Scylletio regio Crotoniatarum succedit, & tria Japygum promontoria, inde Lacinium, Junonis templum dives quondam, multisque referctum donariis.* Liv. XXIV. 3. *Sex millia aberat ab urbe nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniæ Junonis, sanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti sylva, & proceris abietis arboribus septus: læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum deæ pascebatur pecus sine ullo pastore: separatimque egressi cujusque generis greges, nocte remeabant ad stabula; nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore capti, columnaque inde aurea solida facta, & sacrata est: inclytumque templum, divitiis etiam, non tantum sanctitate fuit. Ac miracula aliqua affinguntur plerumque tam insignibus locis. Fama est, aram esse in vestibulo templi, cujus cinerem nullo unquam moveri vento.* Aliud miraculum addit Serv. Æneid. III. 552. *Si quis ferro in tegula templi ipsius nomen incideret, tamdiu illa scriptura manebat, quamdiu is homo viveret, qui illud scripsisset.* Lomej. de Lustrat. c. 7. Gyrald. Synt. deor. III. p. 125. F.

Templum Junonis Lucinæ in quinta regione Urbis collocatur a P. Victore. Ovid. Fast. III. 246.

Qua nunc Esquiliis nomina collis habet.
Hic a matribus Junoni templa Latinis,
Hac sunt, si memini, publica facta die.

Putatur fuisse, ubi B. Virginis basilica colitur, in tantam religionem conversa superstitione. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. §. 6. Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 2. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 23. *A.* Sed esse *templum* S. Laurentii in Lucina dicit *Schott. Urb. Rom. Descript. p.* 440. In hoc nummum debebant conferre, quoties quis nasceretur. V. supr. in *Nummus.*

Templum Junonis Matutæ fuit in foro olitorio. De illo Ovid. Fast. VI. 479.

Hac ibi luce ferunt Matutæ sacra parenti
Sceptriferas Servi templa dedisse manus.

Nunc S. Nicolai in Mentuza. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 9. Fuit, ubi nunc D. Andreæ cognomento in Mentuza, sive in Vineis. Votum, & locatum est bello Gallico a Cornelio cos. & ab eodem censore dedicata. Liv. XXXIV. 53. *Ædes eo anno aliquot dedicatæ sunt. Una Junonis Matutæ in foro olitorio, vota locataque quadriennio ante a C. Cornelio cos. Gallico bello: censor eandem dedicavit.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 12. Sigonius censet apud Livium legendum *Sospitæ*, quod Liv. XXXII. 30. votum ejusdem Cornelii referens dicat: *Consul principio pugnæ vovit ædem Sospitæ Junonis, si eo die hostes fusi fugatique essent.* Verum præterquam quod nimis magna variantia sit lectionis inter *Matutæ*, & *Sospitæ*, ut librarius adeo facile tantopere labi non potuerit, Victor quoque hac in regione *templum* Junonis Matutæ recenset, & Rufus ædem Matutæ: unde utrumque & Matutæ, & Sospitæ Junonis *templum* in foro illo fuisse verisimile est: utrum autem a Cornelio in bello Gallico votum sit, explicatu difficile est. Marlianus etiam hanc ædem esse putat eam, quæ ipsius ætate S. Salvatoris in Mentuza dicebatur in area Montanara, ad infima Capitolii: nullo alio argumento, nisi quod aliqua in cognomine similitudo soni sit: sed hujus opinionis ineptia ipso situ a foro olitorio remotissimo facile confutatur. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 4. V. & infr. in *Templum Junonis Sospitæ.*

Templum Junonis Monetæ locatum fuit in Capitolio. Testimonium expressum est in illo Cicer. de Divin. I. 45. *Scriptum est*, inquit ille, *a multis, cum terræ motus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis, ex arce, exstitisse, quocirca Junonem illam appellatam Monetam.* Ædificatum fuit, meo judicio, in fundamentis ædium T. Tatii Regis, de quibus Solin. c. 1. & Plutarch. in Romulo. De hac forsitan Macrob. Sat. I. 12. *Ædes Junoni Monetæ Kalendis Juniis dedicata est.* Rycq. de Capitol. c. 41. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 26.

Templum Junonis Monetæ alterum multis abhinc annis in area domus M. Manlii ædificatum est ad centum gradus. L. Furius dictator Aurunco bello vovisse, & anno post dedicasse legitur. Liv. VII. 29. *Dictator inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ vovit: cujus damnatus voti cum victor Romam revertisset, dictatura se abdicavit. Senatus duumviros ad eandem ædem pro amplitudine populi Romani faciendam creari jussit. Locus in arce destinatus, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat.* Dedicatio hujus est celebrata postridie Kalendas Junii, ut satis apparet ex Kalendariis antiquis, & Ovid. Fast. VI. 183.

Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove.

Rycq. de Capitol. c. 41. Pigh. Annal. Rom. I. p. 300. & 452. Crinit. de Honest. Discipl. XXI. 4. Nardin. Rom. Vet. V. 16. Idem tamen hoc fuisse quod superius volunt *Donat. de Urb. Rom.* II. 8. *Gyrald. Synt. deor.* III. *p.* 123 *C. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 10. §. 9. *Ortel. Deor. & dear. cap.* I. 19. *Blond. Triumph Rom.* I. *p.* 19. *D. Faun. Antiq. Urb. Rom.* II. 2.

Templum Junonis Monetæ fuit etiam in Aventino. Valerius Maximus. V. illum supr. in *Simulacrum. Crinit. de Honest. Discipl.* XXI. 4.

Templum Junonis Reginæ in Aventino fuit situm. Illud vovit, ædificavit, & dedicavit Vejis expugnatis ex parte manubiarum Camillus. Liv. V. 21. 22. & 31. V. illum supr. in *Juno.* De illo Liv. XXVII. 37. *Per Boarium forum in clivum Publicium, atque ædem Junonis Reginæ perrectum.* Unde situs ejus vicinus ædi S. Sabinæ fuisse videtur: cujus quamplurimæ, & pulcerrimæ columnæ marmoreæ

moreæ facile veteris alicujus *templi* se spolia esse arguunt, vel eo ipso loco, vel saltem in proximo conditi. Non enim illæ a primo ejus auctore, nec ab illo Cardinale Petro Sclavo, imo nec ab Eugenio II. qui ejus instauratores fuere, illuc advectæ, exstructæque videntur: sed vel e *templo* Lunæ, vel potius e *templo* Junonis Reginæ, operibus ea parte Urbis celebri fama, petitæ, usurpatæque fuisse. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8. *Donat. de Urb. Rom.* III. 13. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *mem.* 3. *Gyrald. Synt. deor.* III. *p.* 122. *B. Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 1. *Ortel. Deor. & dear. cap.* I. 17. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 8. §. 5. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 75.

Templum Junonis Samiæ ab Argonautis Sami fuit conditum. Pausan. Achaic. p. 209. *Templum Junonis quod Sami est sunt qui dicant Argonautas ipsos dedicasse, illuc in navem Argo devecto.* De illo Varro apud Lactant. I. 17. *Nobilissimum, & antiquissimum templum ejus, Junonis, est Sami, & simulacrum in habitu nubentis figuratum, & sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrantur.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 127. D.

Templum Junonis Sospitæ fuit juxta ædem Cybeles in Palatio. P. Victor. *Ædes matris deum, huic fuit conterminum delubrum Sospitæ Junonis.* Ovid. Fast. II. 55.

Principio mensis Phrygiæ contermina matri
Sospita delubris dicitur aucta novis.
Nunc ubi sunt illis, quæris, sacrata Kalendis
Templa deæ? longo procubuere die.

Gyrald. Synt. deor. III. p. 124. A. Nardin. Rom. Vet. VI. 14. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 21. Pigh. Annal. Rom. II. p. 309. Ab Ovidio non illud in Palatino, sed quod postea factum in foro Olitorio, vetustate collapsum disparuit, ut docet Ovidius. Ideoque mirandum non est, nec in Victore, nec in Rufo memorari. *Nardin. ibid.* VII. 4. *& l. l.* Non video qua ratione Nardinus Ovidium explicet de *templo*. . . . quod conditum fuerit in foro olitorio, cum loquatur de illo, quod olim situm fuerit prope templum Cybeles, hoc est, in monte Palatino. Ovidius non dicit, Augustum aliud deæ *templum* excitasse, sed tantum providisse, ne tale aliquid aliis quoque deorum templis accideret. Nec hoc docet Liv. XXXII. 30: XXXIV. 53. In primo narratur, consulem Cornelium in prælio contra Gallos vovisse *templum* Junoni Sospitæ; in altero vero *templum* conditum esse Junoni Matutæ in foro olitorio, quod quadriennio ante vovisset Cornelius consul. Et sic patet, alterutrum horum locorum esse corrigendum. In ultimo nihil vitii hæret. Sed & in primo legendum *Matutæ Junoni*. Non enim constat, ut jam dictum, præter hoc, quod in monte Palatino, aliud ei deæ esse *templum*. Rufus enim & Victor, cum recensent ædificia undecimæ regionis, ubi fuerit forum olitorium, commemorant solum *templum* Matutæ, nullam vero Junonis Sospitæ faciunt mentionem. *Boherel. It. Ital. apud Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* IV. *Præfat.* * * * 4. *Masson. Ovid. vit. p.* 233.

Templum Juturnæ in campo fuit Martio prope aquam virgineam. Ovid. Fast. I. 463.

Te quoque lux eadem, Turni soror, æde recepit;
Hic ubi virginea campus obitur aqua.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15. Gyrald. Synt. deor. V. p. 182. G. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 11. §. 6. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 53. Fortassis ubi nunc ædes S. Mariæ in Aquiro. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 9.

Templum Larium. V. illud supr. in *Ædes*.

Templum Livernæ fuit extra portam Collinam, via Salaria, ut inquit Helenius in Horat. Epist. I. 16. 60. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10.

Templum Liberi, Liberæ, & Cereris. V. illud supr. in *Templum Bacchi*. . . .

Templum Libertatis posuit P. Clodius cremata Ciceronis domo. Dio XXXVIII. p. 70. C. *Igitur facultates ejus publicatæ, ædesque ejus tanquam hostis solo æquatæ, & earum area templo Libertatis consecrata est.* Licentiæ *templum*, ubi contumeliose in Clodium, vocat Cicer. de Leg. II. 17. *Omnia tum perditorum civium scelere, discessu meo, religionum jura polluta sunt: vexati nostri Lares familiares: in eorum sedibus exædificatum templum Licentiæ.* Nardin. Rom. Vet. VI. 15. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 20. Landus Explic. in vet. numism. Tom. Misc. Ital. I. p. 393. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 12. §. 3. Gyrald. Synt. deor. I. p. 38. C.

Templum Libertatis T. Gracchi pater in Aventino posuit. Liv. XXIV. 16. *Digna res visa, ut simulacrum celebrati ejus diei Gracchus, postquam Romam rediit, pingi juberet in æde Libertatis, quam pater ejus in Aventino ex multaticia pecunia faciendam curavit, dedicavitque.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 5. Landus Explic. in vet. numism. Miscell. Ital. I. p. 393. Gyrald. Synt. deor. I. p. 38. C. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 2. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 52.

Templum Libitinæ fuit in vicinia portæ Libitinensis. Plutarch. Quæst. Rom. 23. *Cur quæ ad funera pertinent, in templo Libitinæ vendunt?* Nardin. Rom. Vet. I. 9. Laurent. Polym. III. 11. In hoc conferre debebant nummum, quoties quisquam e vita decederet. V. supr. in *Nummus*.

Templum Lunæ in Aventini fuit jugo versus clivum Publicium. Ovid. Fast. III. 883.

Luna regit menses: hujus quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

Situs ejus in summo monte versus forum Boarium fuit, & principium circi. Ita Liv. XL. 2. *Forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, raptam tulit, & in posticis parietibus Cereris templi affixit.* Nardin. Rom. Vet. VII. 8. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Blond. Instaur. Rom. I. §. 75. Lips. in Tacit. Annal. XV. n. 71.

Templum Lunæ Noctilucæ fuit in Palatino. De illo Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Luna, quod sola lucet noctu. Itaque ea dicta Noctiluca in Palatio. Nam ibi noctu lucet templum.* Nardin. Rom. Vet. VI. 14.

Templum Martis fuit extra Capenam portam via Appia magnum, elegans, & magnificum, quod Martis extramurani dicebatur. Erat non admodum procul a porta, & in ipso quasi ejus conspectu. Ovid. Fast. VI. 191.

Lux eadem Marti festa est: quem prospicit extra
Appositum tectæ porta Capena viæ.

Serv. Æneid. I. 296. *Duo ejus templa in Urbe; unum Quirini intra Urbem, quasi custodis, & tranquilli; alterum in via Appia extra Urbem prope portam.* De illo Liv. VII. 23. *Cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire juniores armatos jussisset.* Marlian. Topogr. Rom. V. 27. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 253. F. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Nardin. Rom. vet. III. 2. Ferret. Mus. Lapid. I. Mem. 5. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 3. §. 1. Fabrett. de Aquæd. Diss. I. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1696. F. Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 17. Dedicatum est a T. Quintio. Liv. VI. 5. *Eo anno ædes Martis Gallico bello vota, dedicata est a T. Quintio duumviro sacris faciundis.* Donat. l. l. Debuit exsurgere in altero duorum arctorum colliculorum, inter quos via Appia instar angustæ vallis coarctatur, & ipsi sunt a lateribus, sive ad sinistram is fuerit, sive ad dexteram. Hoc, quia viæ Appiæ superimminebat, eidem ad latus fuisse dici potuit, & vicinum; quum viciniores ipsi essent radices collis, in quibus eminebat. Quod si autem porta Capena ante Aurelianum interius magis fuit quam nunc est, quis scit, an non in summo Cœliolo, uti creditur, *templum* illud fuerit, in quo tam ingentia veteris alicujus structuræ nunc cernuntur fundamenta: Aurelianus vero illuc usque mœnia protulerit, ut hunc collem muris Urbis includeret, ne tam nobile, ac magnificum *templum* hostium injuriæ relinqueret obnoxium? Fuit in vertice collis. Constat hoc ex Actis S. Sixti, ut recte Martinellus observavit, qui cum sociis *ante templum in clivo Martis* capite plexus est. Clivi hujus duæ meminerunt inscriptiones. V. illas supr. in *Clivus Martis*. Unde colligi potest, extra illam portam, neque procul ab illa

vinea, in qua alterutra inscriptio est inventa, *templum* Martis in ipso fuisse clivi vertice. Existimat Fulvius, habetque sibi assentientem Panvinium, duo Martis extra portam Capenam fuisse *templa*, quorum alterum ab illa quatuor M. passuum remotum fuerit, alterum portæ contiguum, cui Panvinius Quirini appellationem tribuit. Sed e quo veterum scriptorum hoc acceperint *templum*, needum invenire potui. Certe Victor, & Rufus unius tantum in hac regione *templi* Martis meminere: & de duobus a Servio supra memoratis alterum Quirini extra Urbem esse dicatur: nec utrum ad hanc portam hoc fuerit, aut in hac regione, exprimitur. Tum vero de quo illud *templum* Martis accipiendum erit? utrum de aliquo *templo* *suo* Quirini, vel sacrario Saliorum, quod in Palatino fuit, cujusque nomen Marti dedicatum; an vero de quo alio *templo*, incertum omnino mihi est, nec operæ pretium videtur alienæ hariolationis agere interpretem. Fortean Panvinio scrupulum movit, quod in Rufo, & Victore *ædes Martis*, & non *templum* legatur; & ideo præter illam duobus hisce scriptoribus recensitam ædem Martis, *templum* Martis extramurani huic assignavit regioni, quia olim inter *ædem*, & *templum* fuerit differentia. V. illam supr. in *Templum.* Nardin. l. l.

Templum Martis fuit antiquissimum in campo Martio: unde etiam campus ille nomen habet. Dio LVI. p. 586. A. *Templum Martis in campo Martio similiter dictum erat.* Donat. de Urb. Rom. III. 13. & 16. Rosin. Antiq. Rom. II. 10. Kipping. Antiq. Rom. I. 10. § 6.

Templum Martis in circo etiam Flaminio fuit. Nepos apud Priscian. VIII. p. 792. *Ædis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Buleng. de Circo c. 5. Panvin. de Lud. Circens. I. 18. Ferret. Mus. Lapid. I. memor. 5. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 11. Rosin. Antiq. Rom. II. 10.

Templum Martis in Vaticano, nunc S. Mariæ de febribus, ad sinistram ingredienti basilicam S. Petri. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Faunus Antiq. Urb. Rom.* v. 10. Ita quidam tradidere, sed auctorem idoneum non adducunt. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 21.

Templum Martis Ultoris, sive Bis-Ultoris Augustum habet auctorem. In illo, ad exemplum Jovis Feretrii, signa populi Romani de Parthis recepta, & spolia militaria Parthorum adfixa, currus etiam triumphalis Augusti repositus. Cujus victoriæ, & *templi* mentio in Ovid. Fast. v. 577.

Templa feres, & me victore vocaberis Ultor.
Voverat; & fuso lætus ab hoste redit.
Nec satis est meruisse semel cognomina Marti:
Persequitur Parthi signa retenta manu.

n. 593.

Parthe refers aquilas, victos quoque porrigis arcus:
Pignora jam nostri nulla pudoris habes.
Rite Deo templumque datum, nomenque Bis-Ultor:
Emeritus voti debita solvit honor.

Rotundæ figuræ fuisse vetera numismata ejus Principis ostendunt, in queis & legionum Crassianarum insignia reposita, & currus ille, quem diximus, ad memoriam expressus. Unde Capitolinum id *templum* esse conjicimus; non alterum illud *Martis* Ultoris sumptuosissimo opere, summoque artificio ad forum Cæsaris ab Augusto ædificatum. Suet. Aug. c. 29. n. 6. *Ædem Marti, bello Philippensi pro ultione paterna suscepto, voverat.* Forte, ut voluntatem in eo patris sui D. Julii impleret, qui *templum* ejus numinis statuerat facere, *quantum nusquam esset.* Suet. Jul. c. 44. n. 1. *Rycq. de Capitol. c. 39. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. & 10. Kipping. Antiq. Roman.* I. 8. §. 6. Sed & perspicue hoc tradit Dio LIV. p. 526. A. *Templum* enim Martis Ultoris, quem Bis-Ultorem appellat Ovidius, fuit in Capitolio, cum recepta ab Augusto de Parthis signa dixisset: *Itaque*, inquit, *& supplicatio ejus rei causa, & templum Martis Ultoris in Capitolio ad imitationem Jovis Feretrii, quo signa ea militaria suspenderentur, decerni jussit, ac deinde perfecit.* Duo ergo *templa* Ultoris, & Bis-Ultoris, alterum in foro Augusti, alterum in Capitolio statuenda sunt. Quod erat in Capitolio, quia ad similitudinem *templi* Jovis Feretrii factum est, prope illud etiam probabiliter est collocatum. *Donat. de Urb. Rom.* II. 22. *Nonn. in Cæsar. August. numism. p.* 64. Quæ causa est, quod non eadem in nummis omnibus ejus *templi* forma cernitur. *Torrent. in Suetonii Augustum.* Si tamen recte Suetonii verba expenderis, non aliud aliquod, quam quod in foro ejus fuit, *templum* ab Augusto Marti Ultori dedicatum invenias. *Nardin. Rom. Vet.* v. 16. *Gyrald. Synt. deor.* x. *p.* 318. *B.* Suetonius & Dio, nescio qua ratione, alterutrum sub silentio transmittunt. Solus diligentissimus Ovidius utriusque distinctim meminit. Adeo non semper laus historicæ diligentiæ poetas quoque fugit. *Rycq. l. l.* Ovidius unum modo *templum*, quod Marti Ultori fuerit sacrum eo in foro, quoque suspensa fuerint signa Romana a Parthis recepta, indigitat. Dionis locus mendo non caret, mihique constat, verba, scribarum culpa male deturbata, sic esse restituenda: *templum Martis Ultoris, ad instar illius Jovis Feretrii in Capitolio, quo....* Ratio est, quod Ovidius & Suetonius ad solum Martis *templum* in foro Augusto constructum referant, quæ Dionis textus ad aliud in Capitolio constitutum trahit. Addimus, si Nasonis versus postremo prolatus cum Heinsio ex codd. mss. legatur; in illis est *bis ulto*, nullum Martis cognomen *Bis-ultoris* esse datum; sed poetam ibidem tantum docere, *Ultoris* cognomen huic deo tributum fuisse, quod semel bisque sit res Romanas ultus. Nec proinde aliud quærendum est *templum*, quod Martis Bis-Ultoris vocatum fuerit. Nec etiam ex duplici *templo* petenda causa, cur non eadem in nummis omnibus Martis *templi* forma cernitur. In omnibus enim MARTIS ULTORIS titulus legitur, atque cum in nonnullis sex columnæ cum signis militaribus cernantur, in aliis vero quatuor solum cum ipso Marte signa gerente; hæc varietas ad varias ejusdem *templi* facies referri potest. V. Ovid. Fast. v. 561 -- 566. Trist. II. 295. *Masson Ovid. vit. p.* 108. Est dedicatum an. U. C. 752. Augusto XIII. & Gallo Caninio coss. Augusto sese abdicante Caninius per novissimum trimestre collegam Q. Fabricium habuit. Paterc. II. 100. 2. *At in Urbe, eo ipso anno, quo magnificentissimi gladiatorii muneris, naumachiæque spectaculis D. Augustus abhinc annos* XXX. *se & Gallo Caninio coss. dedicato Martis templo, animos oculosque P. R. repleverat.* Post Kalendas Julias videtur Paterculus innuere, quia Caninium jam tum Augusto collegam in consulatu datum fuisse dicit. Quod non invalide confirmat Dio LX. p. 667. E. mensem, diemque disertius signans his de Claudio Imperatore verbis: *Hos honores parentibus suis tribuens, ipse nihil præter nomina imperii accepit. Quæ enim equestria certamina Kalendis Augusti (qui est natalis Claudii) exhibentur, instituta sunt propterea, quod ea die Martis ædes consecrata fuit.* Ovidius tamen Fast. v. 550. ad IV. Idus Majas *templum* hoc ab Augusto in suo foro Marti constructum scribit:

Mars venit; & veniens bellica signa dedit.
Ultor ad ipse suos cælo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda foro.
Et deus est ingens, & opus. Debebat in urbe
Non aliter nati Mars habitare sui.

Quod valide confirmatur in veteri Kalendario apud Gruter. Inscript. p. 133. quo ad eundem diem hæc signantur: LUDI. MART. IN. CIRCO. In hujus dedicatione naumachia, & alia spectacula ab Augusto sunt edita. Paterculus modo laudatus. Ex more nimirum recepto, ut plura id genus consecrationis exempla comprobant. Sic ipse Augustus in theatri Marcelli dedicatione ludos dedit, quemadmodum & paullo ante Balbus suum dedicans theatrum spectacula exhibuerat. V. infr. in *Theatrum.* Masson Jan. reser. IV. 6. 3. Ovid. vit. p. 104.

Templum Matidiæ non longe a Pantheo in regione nona fuisse necesse est. Illo enim mittebat aquæductus aquæ virginis. Secundum eos arcus cum inventas cloacas fossores repurgarent, partem ingentem fistulæ plumbeæ non longe

ee a Pantheo Agrippæ repererunt, eatque fusilibus literis in ea inscriptam: TEMPLO MATIDIÆ. P. Victor in regione nona habet, *Basilica Matidiæ*. Et Onuphrius idem repetens, addit, alias Matidii alias Mutiæ. Sed Matidiæ legendum est. Vel enim basilica idem est cum *templo* rem per inauguratio condita, vel quod verius reor, & basilica Matidiæ in nunc condita, & *templum* illi dicatum fuit, postquam ab Adriano adscripta est inter divas. Erat enim Matidia Marcianæ Trajani sororis filia, Juliæ Sabinæ, quæ nupsit Adriano, soror, cujus meminit. Spartian. Adrian. c. 5. *Trajani*, inquit ille, *reliquias Attianus, Plotina, & Matidia referebant.* Exstant & numismata cum Matidiæ nomine. In argenteo legimus: *Matidia Augusta D. Marcianæ F.* Donat. de Urb. Rom. III. 18. Nardin. Rom. Vet. VI. 9. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 9. §. 1.

Templum Mentis. V. illud supr. in *Ædes.*

Templum Mercurii in conspectu circi fuit. Ovid. Fast. v. 669

Templa tibi posuere patres spectantia circum,
Idibus ex illo est hæc tibi sacra dies.

Hoc populus Romanus in ignominiam consulum a M. Lætorio centurione dedicari voluit. Liv. II. 27. *Certamen consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem. Populus dedicationem ædis dat M. Lætorio primipili centurioni: quod facile appareret, non tam ad honorem ejus, cui curatio altior fastigio suo data esset, factum, quam ad consulum ignominiam.* Idem ante dixerat: *Ædes Mercurii dedicata est Idibus Maji.* Quam idem dies ab Ovidio designatur: sicut & idem Mercurii *templum* est, de quo Victor agit. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 3. *Donat. de Urb. Rom.* III. 14. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 27. Situm id ille inter circum, & Aventinum asserit Angelonius in M. Aurelio; cujus hæc sunt verba: *Hic mihi exponendum videtur, quod ex Francisco Passerio audivi. Ajebat ille ante annos aliquot vidisse se detectum a fossoribus templum, de quo supra, in vinea quadam inter circum maximum, & Aventinum montem sita, cum ara parvulo, quam nunc in nostræ sunt, minore, cujus lateribus insculpti caduceus, & petasus: erantque gradus iidem, qui ad templum ducebant ea specie, quæ in nummis ante cernuntur: quatuor vero termini supra memorati fuis in locis depositi conspiciebantur: tum & duæ minusculæ pyramides e lapide Tiburtino ab imis graduum lateribus visebantur, quarum altera sequentem ostendebant inscriptionem. Ex vero suscepto, quod diu erat neglectum, incendiorum arcendorum causa, quando Urbs per novem dies arsit Neronianis temporibus; & hac lege dicata est. Ne cui liceat intra hos terminos ædificare, manere, negotiari, arborem ponere, aliudve quid serere & ut prætor, cui hæc regio sorte obvenerit, litaturum se sciat, aliusve quis magistratus Volcanalibus x. K. Sept. omnibus annis vitulo, robio, & verre.* A M. Aurelio restitutum numisma ejus vetus docet, ab eodem Angelono delineatum, in quo quatuor illi termini expressi conspiciuntur. *Nardin. l. l.* Causa in circo condendi fuit, quia Castori a trigæ, & Polluci hic circus erat dicatus, quibus Mercurius equos dederat. Tertull. de Spectac. c. 6. loquens de circo maximo: *Castori & Polluci deputatur hæc species, quibus equos a Mercurio distributos Stesichorus docet.* Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 367.

Templum Minervæ Aventinæ fuit in summo Aventini jugo, non longe ab Armilustrio. Inscriptio apud Gruter. p. 39. n. 5.

LAPIS. AUSP. S. Q. CÆCILIO. METELLO. PONT. MAX. SOLLEMNI. CUM PRECATIONE. PAL. POP. ROM. CONJECTUS IN. FUNDAMENTA. PORTICUS. MINERV....
AVENTINENS. AB. LATER. COLL....
VIC. ARMILUSTRO. D....
IN. HUNC. D. AUGUR. AUSPI....
TEMPL. CONSECRA....
M. CASCELL. ÆD. CUR....

De eo hæc habet Festus in Scribas: *Cum Livius Andronicus bello Punico II. scripsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius res P. R. geri cœpta est, publice attributa est ei in Aventino ædis Minervæ, in qua liceret scribis, histrionibusque consistere, ac dona ponere in honorem Livii, quia is & scribebat fabulas, & agebat.* Hinc colligere licet, ædem hanc poetis, & histrionibus tanquam dicatam, quemadmodum hodieque multæ in Academiis certis alicui consecratæ ædes sunt. Ovid. Fast. VI. 727.

Sol abit e Geminis, & Cancri signa rubescunt;
Cœpit Aventina Pallas in arce coli.

Nardin. Rom. Vet. VII. 8. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 5. Tomas. de Donar. c. 23. Kipping. Antiq. Roman. I. 8. §. 5.

Templum Minervæ Capitæ fuit in valle Cœlii. Ejus situm describit Ovid. Fast. III. 835.

Cœlius ex alto qua mons descendit in æquum,
Hic ubi non plana est, sed prope plana via est.
Parva licet videas Capitæ delubra Minervæ,
Quæ dea natali cœpit habere suo.

Quare hoc nomine sit dicta, quinque conjecturas affert idem poeta. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 351. *D. Tomas. de Donar. c.* 23.

Templum Minervæ Chalcidicæ fuit in circo Flaminio. Opus fuit Augusti. Dio LI. p. 459. D. *Deinde Minervæ templum, quod Chalcidicum appellatur, dedicavit.* Minervium igitur illud forsan fuit, quod Ruso *Minerva vetus cum luco:* cui veteris nomen ad differentiam Chalcidicæ, post ab Augusto factæ. Fecit hoc Augustus ad exemplum Laconici. De quo Suidas: *Chalciœcos, æneam domum habens. Hoc epitheto celebatur Minerva Spartæ, vel quod æneam domum haberet, vel quod Chalcidenses exsules id templum condidissent.* Liv. XXXV. 36. *Ætoli circa Chalciœcum, Minervæ id templum æreum, congregati cæduntur.* Romanum ab Augusto factum, non quod æreum esset, sed quod vel deæ statua ex ære esset, vel quod apud Laconas ita vocaretur, vel qua alia nobis incomperta de causa Chalciœci nomen tenuit. Situm ejus exactum in hac regione incertum esse, ut multorum aliorum, non negamus. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 9. *Rhodig. Ant. Lect.* XIX. 8. *Donat. de Urb. Rom.* III. 17. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 344. *E. Tomas. de Donar. c.* 23. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* I. 13.

Templum Minervæ a Pompejo exstructum in circo fuit Flaminio. In eo Pompejus rerum a se gestarum insigne monumentum posuit. Plin. VII. 26. *Hos honores Urbi tribuit in delubro Minervæ, quod ex manubiis dicabat Cn. Pompejus Magnus Imperator bello 30. annorum confecto.... terris a Mæotis lacu ad Rubrum mare subactis, votum merito Minervæ.* Fuit juxta ædem Virginis cognomento supra Minervam in ipso patrum Dominicanorum cœnobio, ubi a pontifice Clemente VII. cubicula illis exstructa sunt. Hanc vero potissimum *templi* sedem Pompejo placuisse credibile est, quod non longe abesset ab ejus curia, & portico, & theatro, quæ quasi Minerva præses custodiret. *Donat. de Urb. Rom.* III. 17. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 2. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 9. *Tomas. de Donar. c.* 23. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 40. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 17. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 10. §. 5.

Templum Minervæ Medicæ in quinta fuit Urbis regione. P. Victor. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 2. *Tomas. de Donar. c.* 23.

Templum Minervæ in Nervæ foro fuit positum. Aurel. Victor. de Cæsar. c. 12. n. 2. *Nerva imperio se abdicavit, dedicato prius foro, quod appellatur pervium: quo ædes Minervæ eminentior consurgit, & magnificentior.* Donat. de Urb. Rom. II. 23. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 5. An in medio fuerit foro locatum, examinant *Lips. de Magnit. Rom.* III. 7. & *Donat. l. l.*

Templum Minervæ etiam in circo fuit, nec ab Augusto, nec a Pompejo structum. V. illud supr. in *Ædicula.*

Templum Minervæ etiam videtur fuisse in Palatino.

Tale namque quid indicat Mart. v. 5. 1.

Sexte Palatinæ cultor facunde Minervæ,
Ingenio frueris qui propiore dei.
Nam tibi naſcentes domini cognoſcere curas,
Et ſecreta ducis pectora noſſe licet.

Niſi forte ea voce ſtudia elegantiarum, commodorumque Domitiani intellexerit, de quibus tertius quartusque verſus agunt: aut niſi ad Minervam a Domitiano ſingulari veneratione cultam alludit, ut ſecundus verſus ſignificare videtur: aut ad Minervæ ſtatuam, quam ei Domitianus forſan in Palatino Martiali poſuit. Sed ut inanes haſce conjecturas abjiciamus, ſæpe in martyrum actis tribunal in Palatino ante Palladis ædem conſtitutum legitur: quam, ut de Interlude diximus, in anteriore Palatii parte fuiſſe probabile eſt. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 14.

Templum Murtiæ vel in circo fuit, vel in ejus vicinia. Tertull. de Spectac. c. 8. *Murtia quoque idolum fuit: Murtiam enim deam amoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.* Verum utrum *in illa parte* interiora circi, an propinqua intelligat, id eſt, urbis illam partem, dubium eſt. Apud Varr. de Ling. Lat. IV. 32. legas: *Alii dicunt a murteto eſſe declinatum, quod ibi id fuerit: cujus veſtigium manet, quod ibi ſacellum etiam nunc Murtiæ Veneris.* Ubi & vocula *ibi* ambigua eſt. Feſtus in Sellæ plus adfert lucis: *Sellæ curulis locus in circo datus Valerio dictatori, poſteriſque ejus honoris cauſa, ut proxime ſacellum Murtiæ ſpectarent, unde adſpiciebant ſpectacula Magiſtratus.* Ubi vocula *proxime* ſat clare intra circum fuiſſe arguit, quia illic locus fuit ſpectantium magiſtratuum. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 2.

Templum Mutini Titini *fuit in Veliis adverſum murum Muſtellinum in angiportu: de quo aris ſublatis balnearia ſunt facta Domitii Calvini: cum manſiſſet ab Urbe condita ad principatum Auguſti. Religioſe, & ſancte cultum fuiſſe, manifeſtum eſt. Nam nunc ad ſextum, & viceſimum extra Urbem ædiculam habet, ubi & colitur, & mulieres togis prætextis velatæ ei ſacrificant.* Feſtus, ut illum emendat Scaliger. *Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c.* 10.

Templum Nemeſis prope forum fuit Trajani. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 10.

Templum Neptuni fuit in campo. Jungebatur cum porticu Argonautarum. Et merito. Hi enim primo maria, quibus ille præſidet, tranſmiſerunt. *Donat. de Urb. Rom* III. 17.

Templum Neptuni in circo Flaminio videtur fuiſſe. Et illud forte poſuerunt Flavius Abaſcantus, & Pallas Cæſaris ſervus adjutor a rationibus. Inſcriptio vetus in pratis Quinctius in vinea quadam adhuc Romæ exſtat.

D. M.
ABASCANTO. AUG. LIB
ÆDITUO. ÆDIS. NEPTUNI
QUÆ. EST. IN. CIRCO. FLAMINIO
FLAVIUS. ABASCANTUS
ET. PALLAS. CÆS. N. SER
ADJUTOR. A. RATIONIB.
PATRI. PIISSIMO. FEC.

Panvin. de Lud. Circenſ. I. 18. *Buleng. de Circo c* 5. *Donat. de Urb. Rom.* III. 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 73.

Templum Neptuni fuit in radicibus Palatini, ante circum maximum. Nunc S. Anaſtaſiæ. Annis ſuperioribus poſt hujus divæ ædem ſacellum ſubterraneum inventum, quod parietes conchis ornatos habuit, & in medio teſtudinis aquilam albam cum criſta rubra. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 9. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 31. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 9.

Templum Neptuni fuit in ripa Tiberis, in vico, qui modo Julius appellatur, eo in loco, ubi nunc eſt D. Blaſii ædes, ut nonnulli teſtantur: quod ibi marmor inventum hujus dei nomen, & Hadriani, qui *templum* ipſum reſtituerat, inſculptum haberet. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 12. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 9. *Tomaſ. de Donar. c.* 25. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 49. Hanc rem, cum marmor illud mihi ignotum ſit, & fallax omnis e marmoribus, quæ facile, nunc huc, nunc illuc tranſportantur, de ſitu loci aſſertio deprehendatur, præſertim cum aliud nullum veri argumentum ſuppetat, in medio relinquo. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 8.

Templum Opis. }
Templum Orci. } V. illa ſupr. in *Ædes.*

Templum Pacis *fecit Veſpaſianus.* Suet. c. 9. n. 1. Anno poſt Chriſtum natum ſeptimo fere & ſeptuageſimo. Baron. Annal. Tom. I. conjectura ductus putavit Veſpaſianum ejus *templi* conſtructionem aggreſſum eſſe, quod quæ a Prophetis de Chriſto Principe Pacis dicta eſſent, in ſe tranſlata Judæorum adulatione, inprimiſque Joſephi hiſtorici Imperator crederet. Ego aliud ſpectaſſe arbitror Veſpaſianum, cum *templum* illud exſtrueret; eſto enim, divinationi, prodigiiſque plurimum tribuerit ante adeptum imperium Veſpaſianus, Vitellio certe ſuperato, bellis civilibus confectis, regia poteſtate ſuſcepta, Republica conſtituta, pace terra, marique parta, tale quid ut auſcultarit, haud facile mihi perſuaſerim. Poſuit, opinor, monumentum virtutis, & felicitatis ſuæ, ſtabilitique in domo ſua imperii, quod antea crebra temporum mutatione nutaverat. Nam paucis menſibus Galba, Otho, Vitellius regnarunt, alius alium inſidiis, belloque perſecutus. Sententiam meam confirmat baſis inſcriptio, quæ in ædibus Farneſianis viſitur:

PACI. ÆTERNÆ
DOMUS
IMP. VESPASIANI
CÆSARIS. AUG.
LIBERORUMQ. EJUS
SACRUM.

Firmat, quod dixi, Suet. Veſp. c. 1. n. 1. *Rebellione,* inquit, *trium Principum, & cæde, incertum diu, & quaſi vagum imperium ſuſcepit, firmavitque gens Flavia.* c. 8. n. 2. *Per totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam, nutantemque Rempublicam ſtabilire primo, deinde & ornare.* Mucianus quoque Veſpaſiano ſuadens, ut imperium a legionibus oblatum acciperet, exemplo *Caji, Claudii, & Neronis, qui longo imperio domum fundarunt,* eſt uſus apud Tacit. Hiſt. II. 76. 4. Falſi autem ſunt Roſinus, Dempſterus Ant. Rom. II. 18. Ortel. Deor. & dear. cap. II. 50. & Schott. Itiner. Ital. p. 40. qui inchoatum a D. Claudio aſſerunt. Refellit eos diſerte Suet. Veſp. c. 9. n. 1. *Fecit & nova opera, templum Pacis, foro proximum.* Unde igitur acceperunt illi inchoatum a D. Claudio? verum hominibus tenebras offudit, quod ſequitur: *Divique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, ſed a Nerone prope funditus deſtructum.* Loquitur enim Suetonius de *templo* D. Claudii, non ab ipſo Claudio cœpto, ſed ab Agrippina. *Caſtal. de Templ. Pac. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1849. *D. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 335. *F. Caroli Antiq. Roman.* I. 8. Ubi fuerit, jam lippis & tonſoribus notum eſt. Communis enim, & antiquitus recepta traditio ſitum ejus abſque ulla unquam controverſia indicavit. Exſtant hujus hodieque tria ingentia fornicum fragmenta ad S. Mariæ Novæ cum hortis Piis conjuncta, ubi inſignitæ magnitudinis columnam ſtriatam ipſe adhuc vidi, quam poſtea Paullus V. inde ſuſtulit, & ante baſilicam S. Mariæ Majoris an. 1614. erexit: quam ego una cum ſeptem aliis, quæ ibidem erant, atrii iſtius magni Neronis fuiſſe vel juratus affirmarim, a Veſpaſiano deinde ad ornatum hujus templi adhibitas. Recenſetur ab Ammian. XVI. 10. inter maxime mirabilia Romanæ Urbis ædificia, ad quæ Hormiſdas Perſa præ cæteris obſtupuit. Illa vero erant *templum* Capitolini Jovis, Amphitheatrum, Thermæ, Pantheon, *templum* Veneris & Romæ, *templum* hoc Pacis, Theatrum Pompeji, Odeum, Stadium, & Forum Trajani. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12. & *Schott. l. l.* Illudque vocat Plin. XXXVI. 15. *pulcerrimum operum quæ unquam.* Herodian. I. 14. 4. *opus cunctorum tota Urbe maximum, atque pulcerrimum, templorum omnium opulentiſſimum, egregieque munitum, multoque ornatum*

tum auro, atque argento: quippe universi ferme suas illic divitias, quasi in thesaurum, congerebant. Nec pauciora ingesserat Vespasianus. Joseph. VII. 24. *Omnia in illud fanum collecta, ac disposita sunt, quorum visendorum studio per totum orbem, qui ante nos fuerunt, vagabantur.* Plin. XII. 19. *Coronas ex cinnamomo interrasili auro inclusas primus omnium in templis Capitolii, atque Pacis dicavit Imperator Vespasianus Augustus.* In illo candelabrum, cæteraque templi Hierosolymitani vasa, & ornamenta, teste eodem Josepho, reposita fuerunt. *Donat. de Urb. Rom.* III. 4. *Panvin.* l. l. *Lips. de Magnit. Roman.* III. 6. *Thes. de Magnit. Roman.* III. p. 292. *Gyrald. Synt. deor.* I. p. 31. *F. Fauv. Ant. Rom.* c. 11. p. 527. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 6. §. 2. *Carol.* l. l. Centum circiter post annos, quam fuerat ædificatum, seu fortuito, seu oblato incendio arsit, Principe Commodo. Herodian. l. I. *Cum neque imbres ulli, neque nubes, tantumque exiguus terræ motus antecessisset, seu nocturni casu fulminis, sive igni aliquo in ipso terrarum motu velut extrito, totum de improviso Pacis templum consumptum incendio est.* Dio LXXIII. p. 829. B. *In eadem noctis excitatum quibusdam ædibus ad templum Pacis pervenit, consumptisque tabernis, in quibus merces Ægyptiorum & Arabum erant, conscendit palatium. . . . Non potuit restingui hominum manibus, licet eo magna vis aquæ, & a plerisque privatis hominibus, & ab ipsis militibus comportaretur, venissetque Commodus ex suburbio, atque ut incendium restingueretur, instaret: quod tamen, nisi consumptis rebus omnibus, quibus adhæserat, [illegible].* P[illegible]. Donat. Gyrald. Ortel. Nardin. l. l. Ichnographiam ejus a Serlio Architect. III. delineatam exhibet *Marlianus.*

Templum Pallorisi
Templum Pavoris. } V. illud infr. in *Vicus.*

Templum Penatium a Rufo, & Victore recensitum argumentis primum firmis colligitur ab omnibus in ea Palatini parte, quæ arcui Titi adjacet. Fuit in Velia, quæ pars Palatini. Liv. XLV. 16. *Ædes deorum penatium in Velia de cœlo tacta erat.* Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Velienses* [illegible] *apud [illegible] penatium.* Solin. c. 1. dicit Tullum Hostilium habitasse *in Velia, ubi postea ædes deorum penatium facta est.* Varr. apud Non. XII. 51. *Tullum Hostilium in Velia, ubi nunc est ædes deum penatium.* Sed ubi Velia? ubi *templum?* Nam si prima domus Publicolæ *in summa Velia* fuit, ut est apud Dionys. V. p. 292. eaque foro imminebat, ut docet Plutarch. in Publ. p. 102. B. [illegible], *habitat [illegible], supra Velium,* [illegible] *despectantem:* non potuit esse, ubi arcus Titi exstat, verum in illo colle [illegible], qui Capitolium respicit: vel *templum penatium* in regione fori esse potuit. Conveniunt [illegible], qui e Germalo, Veliae conjuncto colle dixerunt in *Germalum.* Non procul a templo Vestæ adfuisse, confirmat Tacit. Annal. XV. 41. 1. *Delubrum Vestæ cum Penatibus Populi Romani exustum.* Ubi particula *cum* nunc [illegible] opportuna foret, si de locis inter se distantibus auctor loqueretur. Dionys. I. p. 54. *Templum Romæ ostenditur, non procul a foro in loco obscuro propter circumjecta ædificia, quod Romani [illegible] Sub [illegible] dicitur. In eo positæ sunt Trojanorum deorum imagines, cum inscriptione Denates, quæ Penates significat. Videntur enim mihi illi prisci ante inventum P. usurpasse pro eo D. literam.* Ut ei certus locus constituatur, dicendum non procul a *templo* Romuli abfuisse, inter S. Mariæ Liberatricis, & rotundam S. Theodori ædem. Quod si vero prius illic Tulli Hostilii domus fuit, ut e Solino videmus, non longe a curia remota fuerit necesse est; quemadmodum & postea Hostilius domum sibi prope curiam novam cum Albanis in Cœlio construxit. *Nardin. Rom. Vet.* V. 4. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grev. Tom.* III. *p.* 272. *D. Ortel. Deor. & dear. cap.* 11. *fig.* 56. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 30. *G. Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 21.

Templum Pietatis in foro fuit Olitorio. Illud dedicavit Acilius Glabrio. Liv. XL. 34. *Eo anno dedicata est ædes Pietatis. Eam dedicavit Manius Acilius Glabrio duumvir: statuamque auratam, quæ prima omnium in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit. Is erat, qui ipse eam ædem voverat, quo die cum Rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset, locaveratque idem ex senatusconsulto.* Val. Max. II. 5. 1. *Statuam auratam nec in Urbe, nec in ulla parte Italiæ quisquam prius aspexit, quam a M. Acilio Glabrione equestris patri poneretur in æde Pietatis. Eam autem ædem P. Cornelio Lentulo, & M. Bæbio [illegible] consecravit, quia prius compos voti factus Rege Antiocho apud Thermopylas superato.* Non autem affirmare, utrum idem hoc an illud quod in carceribus exstructum fuit, & [illegible] postea conditum Marcelli theatrum, ut est apud Plin. VII. 36. *Humilis in plebe, & ideo ignobilis, puerpera, supplicii causa carceri inclusa matre, cum impetrasset aditum, a janitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo salus matris donata est filiæ pietati, ambæque perpetuis alimentis: & locus ille eidem consecratus est deæ C. Quinctio, M. Attilio coss. templo Pietatis exstructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est.* Alterum enim occasione pietatis a filia matri, patrive exhibitæ, alterum ex voto Imperatoris in pugna ædificatum. Illud C. Quintio, & M. Attilio coss. hoc a M' Acilio duumviro, Cornelio, & Bæbio coss. Tum & Plinius illud prius jam collapsum fuisse, quam theatrum Marcelli in ejus vestigiis ædificaretur, indicare videtur: hoc vero tot seculis superstes a Victore, & Rufo recensetur. Quod si vero unum idemque fuit, major habenda Livio, & Valerio fides, quam cæteris: & si factum illud non confictum est filiæ matrem lactantis, certe ipsa templi constructio minus vera est, quoniam Val. Max. V. 4. absque ulla *templi* mentione eundem casum refert. Quicquid autem hujus fuerit, [illegible] situm ejus *templi* indicasse, si unum fuit in foro Olitorio, ea parte, ubi theatrum Marcelli, quæque Tiberi obversa fuit. Sit diversum hoc ab illo, & [illegible], non certe fines descripti sunt, in quo [illegible] fuit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 2: VII. 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 12. *Donat. Rom. Vet.* I. 9: III. 8. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 31. *A. Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 13. §. 4. *Rosin. Ant. Rom.* II. 18. *Fabric. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 12. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 5. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 208. 390. & 442.

Templum populi. V. illud supr. in *Porta Flaminia.*

Templum pudicitiæ. V. illud supr. in *Sacellum.*

Templum Quietis in via fuit Lavicana, ubi nunc D. Petri, & Marcellini est ædes. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 13. *Fabric. Descr. Urb. Rom.* c. 9. Sed in eo mirifice hallucinantur. Hoc *in via Latina* fuisse quidem refert Liv. X. 41. sed longe extra Urbem. Verum [illegible] est, extra portam Majorem in via, cui nomen Valmontone, altero ab Urbe lapide, celebrem duorum istorum martyrum fuisse ecclesiam in nobili illo cœmeterio, in Actis martyrum inter duas lauros appellato, a Constantino ædificatam, ubi eorum cadavera fuerunt; hic autem in vicinia illud fuisse non negaverim. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7. Extra portam Labicanam collocat Livius, extra Collinam August. de Civit. Dei IV. 16. [illegible] fuit se per χιασμὸν alicubi via utraque, in cujus bivio [illegible] Quieti ædes sacrata. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 7. § 2.

Templum Quirini antiquum in Quirinali. V. illud supr. in *Sacellum.*

Templum Quirini aliud nobile in Quirinali fuit, imminens valli, in qua nunc templum S. Vitalis, quæ ideo vallis Quirinalis, & Quirini olim dicta. Causa ædificandi fuit, quod Julius Proculus senator ex iis, qui cum Romulo ex Alba venerant, post mortem Romuli juravit in concione, visum ab se humana specie augustiorem. Et ibi fortasse locus ædificando *templo* delectus est, ubi visum a se Proculus narravit, sive illud spectrum dæmonis illudentis, sive deliramentum mentientis fuit. Plutarch. Rom. p. 36. B. *Ædes ei in colle consecrata, quem ab illo nominant Quirinalem.* Dubium an de hac, an de priore loquatur. L. Papirius cos. L. Papirii Cursoris filius dedicavit. Liv. X. 46. *Ædem Quirini ab dictatore patre votam filius consul dedicavit, exornavitque hostium spoliis, quorum*

tanta

tanta multitudo fuit, ut non templum tantum, forumque his ornaretur, sed sociis etiam, colonisque finitimis ad templorum, locorumque publicorum ornatum dividerentur. Donat. de Urb. Rom. III. 15. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 23. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 8. §. 2. Nardin. Rom. Vet. IV. 6.

Templum Quirini, novum scilicet, & ab Augusto factum, fuit vicinum pilæ Tiburtinæ. Dicit enim Mart. X. 58. 10.

Vicinosque tibi, sancte Quirine, Lares.

Dio LIV. p. 534. A. *Ante suum obitum Augustus templum Quirini de novo ædificatum dedicavit, ideo commemorandum duxi, quod id templum cum sex ac septuaginta columnis decorasset, totidemque omnino annos ipse vixisset, occasionem nonnullis dedit ea res, ut dicerent, non forte fortuna, sed consulto ipsum hoc columnarum numero usum fuisse.* Victor, & Rufus in hac regione *templum* Quirini novum collocant, quod illud Augusti fuisse probabile est, quia nullibi usquam alterius a quoquam post Augustum vel dedicati, vel restituti *templi* Quirini mentio exstat. Tum & Vitruv. VII. 9. ubi inter *templum* Quirini, & circum Floræ officinas fuisse minii tradit, id ipsum *templum* pilæ Tiburtinæ, & Martialis ædibus vicinum ostendit, adeoque in inferiori limite areæ Germanæ. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 9. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 9. §. 1.

Templum Ravennatium in Transtiberina fuit regione, ubi nunc est ædes D. Mariæ. Ex illo tempore Augusti fons olei manavit ex terra, ac per totum diem largissimo rivo fluxit, significans ex gentibus gratiam Christi, ut scribit Eutropius. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 19. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 6.

Templum Rediculi fuit extra portam Capenam lapide II. ibi excitatum, quod eo loco Hannibal castrametatus, retrocesserit illusus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 27. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thesaur. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 254. *C. Bœclard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 34. *Dempster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* I. 13.

Templum Rhamnusiæ fuit in Palatio. P. Victor. In Notitia Imperii legas: *Apollinis Rhamnusii.* Uter hic erraverit, auctor, an librarius, incertum. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 11. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 363. *F.*

Templum Romæ Urbis etiam fuit, tanquam dea enim impie colebatur a Romanis. Alabandæ pridem in civitate Cariæ, quæ regio est minoris Asiæ, factum fuerat. Liv. XLIII. 6. V. illum supr. in *Roma*. Ante hos fecerant & Smyrnæi, quos in senatu loquentes inducit Tacit. Annal. IV. 56. 2. *se primos templum Urbis Romæ statuisse M. Porcio consule.* Sed Romæ fecit Adrianus, eidemque templum Veneris adjunxit. Dio LXIX. p. 789. D. *Ipse quidem*, Adrianus, *descriptionem templi Veneris & Romæ ad eum*, Apollodorum architectum, *mittens, quippe significans, sine illius opera, & ministerio etiam ingentia ædificia exstrui posse, quærebat an illud ædificium recte se haberet. Rescripsit de templo, sublime illud, & concavum fieri oportere, ut ex loco superiori in Sacram usque viam insignior prospectus esset, & magis conspicuus. Concavum ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo latenter compingi, & item ex occulto in theatrum duci possent.* Cassiod. in Chronic. *His consulibus*, Pompejano, & Attiliano, *templum Romæ, & Veneris factum est, quod nunc Urbis appellatur.* Prudent. contra Symmach. II. 217.

Lanigerosque deûm templis astare ministros,
Ac sacram resonare viam mugitibus ante
Delubrum Romæ; colitur nam sanguine & ipsa
More deæ, nomenque loci, ceu numen, habetur:
Atque Urbis, Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura deabus.

Claud. consul. I. Stilich. II. 224.

— *dominæ pergunt ad limina Romæ,*

II. 227.

Conveniunt ad tecta deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino.

Ex quibus sedes, & pulcritudo deprehenditur. Erat enim in colle Palatino, qua devexus est in Sacram viam prope arcum Titi. Anastas. Felic. IV. collocat in Sacra via: *Hic fecit basilicam SS. Cosmi, & Damiani in Urbe Roma, in loco, qui appellatur Via sacra, juxta templum Urbis Romæ.* Sed illi non assentior. Nam si ibi fuit Urbis *templum*, unde transferri eximiæ magnitudinis, & polituræ Tiburtinos lapides nuper vidimus; in depresso, & humili loco situm, non in editò monte Palatino fuit. Idem ergo sit Anastasio *juxta templum Urbis* ac non longe a *templo* Urbis. Frons, ut indicant Dio & Prudentius, Sacram viam e superiori loco spectabat; ut area ante *templum* ex eadem via cœpisse videatur, & inde sublata gradibus eminentiorem fecisse prospectum *templi*. Magnificentiam ostendit Claudianus. Quod enim ædes *candida luceret*, vim Parii, aliorumque marmorum ostendit, quibus convestita commendaretur inter Cæsarum moles. Et Ammian. XVI. 10. post Capitolium & Pantheon memoratu dignum ducit. Tectum tegulis æreis instructum fuit, quas ad *templum* S. Petri translatas a pontifice Honorio I. testis est in ejus vita Anastasius. *Cooperuit*, inquit; *ecclesiam omnem B. Petri ex tegulis æreis, quas levavit de templo, quod appellatur Romæ.* Prudentius videtur constituere *templa* duo diversa, sed conjuncta. Dicit enim *pari, non uno se limine tollunt.* Donat. de Urb. Rom. III. 5. Nardin. Rom. Vet. III. 12. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 4: c. 10. §. 2. Caroli Antiq. Roman. I. 8. Lips. de Magnit. Roman. III. 6. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 291. Hujus ædificii causa motum suo loco colossum Neronis extrema Sacra via non procul ab amphitheatro abfuisse suspicor: eoque magis, quod ludorum machinæ juxta Apollodori descriptionem inde peti, eodemque referri deberent: unde mihi firmiter persuadeo, duo illa septa conjuncta, quæ in hortis S. Mariæ Novæ adhuc supersunt, nullius alterius ædificii reliquias esse, quam *templi* Veneris, & Romæ. Fulvius eas templorum Isidis, & Serapidis putat esse residua; verum errore manifesto, quum illa extra regionem illius nominis extiterint. Marlianus existimat *templa* illa Solis, & Lunæ fuisse: sed nullo plane idoneo istius situs indice: sed nec illa duo *templa* tantæ celebritatis ædificia fuisse constat, quantæ illa fuisse, eminentiæ istæ ingentes, post tot secula superstites, hodieque testantur. *Nardin. & Borrich. l. l.*

Templum Romæ Urbis ætate Constantini fuisse docet Aur. Vict. de Cæsar. c. 40. n. 26. Sed quia etiam basilicæ Constantini, quæ a Victore & Rufo in regione laudata collocatur, mentionem facit, nonnullum facit indicium, *templum* illud forsitan ab Adriano constructum, ac postea restitutum, aut etiam ampliatum fuisse: nec longe a basilica remotum. Verba ejus sunt: *Adhæc cuncta opera, quæ magnifice construxerat, Urbis fanum, atque basilicam Flavii meritis patres sacravere.* Nardin. Rom. Vet. III. 12.

Templum Romuli a Rufo, & Victore in foro collocatur Romano, quæ regio Urbis octava. Dionys. I. p. 65. *Ostenditur*, inquit de Lupercali agens, *secundum viam, qua itur ad circum, templumque ei proximum, in quo est lupa præbens pueris duobus ubera.* Unde colligitur fuisse in ea via, quæ ad Viam sacram per Vulcanale, & reliquum Palatini declive ad circum directa regionem quartam & decimam ab octava dirimebat: sic ut *templum* Romuli ad Lupercal in octava regione necessario fuerit, non procul a ficu ruminali, post curiam scilicet, aut ad basilicam Porciam, ubi nunc ædes S. Mariæ Liberatricis, aut saltem in proximo. Erravit in eo Panvinius, qui illud in ipso foro collocat. *Nardin. Rom. Vet.* V. 4.

Templum Salutis fuit, ut tradunt Rufus & Victor, in summo Quirinali. Et quis scit, annon pulcerrimum illud frontispicium, quod in hortis Columnensibus fuit, istius fuerit *templi* Salutis? Certe Salutis potius, quam Solis. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 8. Illud vovit, locavit & dedicavit Junius Bubulcus. Liv. IX. 43.

IX. 43. *Eodem anno ædes Salutis a C. Junio Bubulco censore locata est: quam consul bello Samnitico voverat.* X. 1. *C. Junius Bubulcus dictator triumphans in Urbem cum rediisset, ædem Salutis, quam consul voverat, censor locaverat, dictator dedicavit.* Illud pinxit Fabius Pictor. Plin. XXXV. 4. *Fabius Pictor ædem Salutis pinxit anno Urbis 450. quæ pictura duravit ad nostram memoriam, æde Claudii principatu exusta.* Donat. de Urb. Rom. III. 15. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 24. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Gyrald. Synt. deor. I. p. 35. F. Rosin. Ant. Rom. II. 18. Dempster. Paralip. ad regionem sextam. Panciroi. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 343. D. Pigh. Annal. Rom. I. p. 372.

Templum Saturni fuit vicinum templo Concordiæ ante clivum Capitolinum. Servius. V. illum supr. in *Clivus Capitolinus.* Dionys. VI. p. 341. dicit fuisse *in via, per quam e foro ad Capitolium adscendebatur.* Varro, qui utroque antiquior, de Ling. Lat. IV. 7. *Vestigia ejus,* civitatis Saturni, *nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus.* Nardin. Rom. Vet. V. 6. Donat. de Urb. Rom. II. 14. De quo hæc tradit Macrob. Saturn. I. 8. *Tullum Hostilium, cum bis de Albanis, de Sabinis tertio triumphasset, inveni fanum Saturno ex voto consecravisse: quamvis Varro libro sexto, qui est de sacris ædibus, scribat ædem Saturni ad forum faciendum locasse L. Tarquinium Regem; Titum vero Largium dictatorem Saturnalibus eam dedicasse. Nec me fugit Gellium scribere, senatum decrevisse ut ædes Saturni fieret: eique rei L. Furium tribunum militum præfuisse.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 3. Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 354. E. Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 9. Rosin. Ant. Rom. II. 4. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 27. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 3. Kipping. Antiq. Roman. I. 8. §. 7.

Templum Saturni etiam in foro fuit. Liv. XLI. 21. *Arcus interdiu sereno cœlo super ædem Saturni in foro Romano intentus.* Nardin. Rom. Vet. V. 6. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 3. Ante forum est Romanum, post Nervæ, a latere Cæsaris. Unde in tribus foris vulgo dicitur. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 9.*

Templum Segetiæ in circo fuit maximo. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 10.*

Templum Sejæ in quinta fuit regione, & in vico sandaliario. Inscriptio:

GERMANICO. CÆSARE
COSS
C. FONTEJO. CAPITONE
SEJÆ. FORTUNÆ. AUG
SACRUM
SEX. FONTEJUS. Ɔ. L. TROPHIMUS
CN. POMPEJUS. CN. L. NICEPHORUS
MAG. VICI
SANDALIARII. REG. IIII.
ANNI XVIII. D. D.

Construxit id Servius Tullius, & domui suæ aureæ inclusit Nero, hoc uno aliquo modo pius, quod non & destruxerit, quo laxius habitaret, marmoreque candido, & quodammodo pellucido incrustavit, sic ut januis clausis tanta in eo lux esset, quantam specula suppeditare solent. Repertum illud marmor tum temporis fuerat in Cappadocia, nomenque ei datum a splendore phengitæ: e quo forsan illa columna superest, quæ in altari majori S. Mariæ in porticu nunc visitur. Plin. XXXVI. 22. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13.

Templum Serapidis fuit vicinum horto Dn. Columnensium. Struxerat Caracalla, ut cui deditum oppido fuisse memorat Spartianus. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 8. §. 4. Nardin. Rom. Vet.* IV. 6. Illis temporibus non licuit Serapea intra Urbem habere, sed extra pomerium. Dio XL. p. 142. D. *Ac mihi quoque id quidem decretum, quod prioris anni exitu de Serapi Isideque factum erat, inter prodigia non extremum locum obtinuisse. Eorum divorum fana, quæ privatim nonnulli exstruxerant, senatus demoliri jussit, quod eos non magnopere inter numina numerabat. Ubi ea sententia obtinuit, ut publice jam coli inciperent, extra pomerium eos collocaverunt.* Et lectica deferebantur nobiles ad ejus *templum.* Catull. X. 26.

> —— *commodo nam volo ad Serapim*
> *Deferri.*

Scalig. in Catullum. Kipping. Antiq. Rom. I. 5. §. 7.

Templum Sylvani ad latus Viminalis prope ædem S. Laurentii in Panisperna situm fuit, contra ædem S. Vitalis dicti de Quirino. Probatur hoc e marmoribus nonnullis antiquis ibidem effossis, in quibus hujus *templi* fit mentio, & ex testamento militaris Flavii Jucundi in Lusitania reperto, in quo legis: *Quod ii fieri fecerint, mi legitime obtemperantes, relinquo omnia, quæ ipsius meis reliquo pro reparando templo dei Sylvani, quod in Viminali monte est, attribui.* Nardin. Rom. Vet. IV. 4. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 20. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 6. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 7.

Templum Solis a Rufo in regione collocatur septima, quæ Via lata vocatur, nisi forte hoc ab alio admissum est, quod tamen mihi minime probabile videtur, quum multo verisimilius regioni sextæ, altæ semitæ, auctoritate Vopisci in Aureliano adscriptum fuisset, qui illud in Quirinali collocat. Ab Aureliano structum constat. Vopisc. c. 25. *Aurelianus Romæ Soli templum posuit, majore honorificentia consecratum.* Qui non tantum polivit, sed & splendide locupletavit. Vopisc. c. 28. *Tum illæ vestes, quas in templo Solis videmus, consertæ gemmis, tum Persici dracones, & tiaræ, tum genus purpuræ, quod postea nec ulla gens detulit, nec Romanus orbis vidit.* Videtur ab illo dedicatum, non tantum in monte, sed in declivi, ejus frontispicio in planitiem obverso, postquam ille veteres Urbis muros solo æquaverat. Accedit huic opinioni pondus ex ipso Rufo, qui non modo *templum* hoc, sed etiam vicum Solis in hac regione recenset: unde etiam alio manifesto elucescit plerorumque omnium, qui partem ædificii veteris, quod in hortis Columnensibus exstat, hujus fuisse *templi* residuum existimarunt. Id certum situm hactenus conjectura assequi non potui: hoc tantum asserere licet, in aliqua illud Quirinalis declivitate fuisse, quæ hortis, palatiove papali, vel hortis Columnensibus subjecta fuit. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 9. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. A Vopisco in ipso Quirinali collocari nusquam esse putamus: in Aureliano Vopisci certum est non inveniri, ut proinde accedamus Rufo & Victori. Ejus sedem non procul a palatio Columnensium ad radices Quirinalis fuisse loci ratio persuadet. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 9. §. 2.*

Templum Solis etiam fuit in clivo cucumeris. Ante illud S. Johannes presbyter deductus fuit. Hoc ex ejus Actis cognoscitur. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 4.

Templum Solis fuit in vicinia Viæ Sacræ. Rufus illud in regione quarta juxta amphitheatrum fuisse indicat. Multa etiam martyrum acta illius meminere, quippe qui ante illud martyrio affecti sunt. Unde non adeo futilis conjectura sit suspicantium in area illud fuisse, quæ ante amphitheatrum fuit; nihilominus in latere viæ Sacræ contiguo, & in quo via Sacra desinebat. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12.

Templum Soli & Lunæ consecravit Tatius. Dionys. II. p. 114. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 8. §. 7.

Templum Summani fuit situm ad circum maximum. Legimus hoc in fragmentis antiqui Kalendarii. De illo Ovid. Fast. VI. 731.

> *Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,*
> *Tunc, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.*

Plin. XXIX. 4. *Supplicia annua canes pendunt inter ædem Juventutis, & Summani.* Buleng. de Circo c. 2. Panvin. de Lud. Circens. I. 8. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Gyrald. Synt. deor. VI. p. 196. F. Rosin. Ant. Rom. IV. 10.

Templum Telluris inter Esquilias, & Palatium, incerta tamen sede, collocant. Prope Sacram viam contra Con-

Constantini arcum, præterque Colossæum, qua modico clivo versus templum D. Petri ad vincula ascenditur, fuisse credidere, et in ipsa forte nunc strata via. P. Victor recenset in regione quarta Palatii. Perobscure loquitur Serv. Æneid. viii. 361. *Carinæ*, inquit, *sunt ædificia facta in carinarum modum, quæ erant intra templum Telluris.* Virgilius quidem loquitur de Carinis, qui postea locus in Urbe ab iis ædificiis dictus, & Cœlio junctus ultra Colossæum, versus templum S. Clementis producebatur. Ibi domus Pompeji. Hanc cum possideret Antonius consul, odio Cæsaris senatum vocavit in ædem Telluris, suis ædibus propinquam. Servium non plane intelligo. Hujusmodi enim ædificia Urbi conditæ a Romulo nullum sub Urbe fuerunt in valle inter Palatium, Cœlium, & Esquilias: & quod eo se pauperes reciperent, rudis, & simplicis structuræ. Hæc ergo, Roma jam mundi domina, magnisque molibus nobilitata, multo temporum intervallo intra Telluris *templum* compulsa, & contenta sunt? An ut priscæ paupertatis exemplum extaret, aliquid ejusmodi ædium vestigium in æde Telluris reconditum servabatur? an potius pictum expressum coloribus spectantibus ostendebant? Quod fane frequens in *templis* fuit. Hoc probabilius videtur. Nam ibi & alii picti cernebantur, ut constat ex Varr. de Re Rust. 1. 2. *In ædem Telluris*, inquit ille, *veneram: offendi ibi* (*pictam*) *in pariete pictam Italiam.* De solo, in quo *templum* est conditum, dissentiunt auctores. *Eversam*, inquit Liv. ii. 41. *domum Sp. Cassii populus jussit, diruitque publice ædes. Ea est area ante Telluris ædem.* At Cicer. pro Dom. c. 38. *Sp. Cassii*, inquit, *domus ob eandem causam eversa, atque in eodem loco ædes posita Telluris.* Idemque tradit Val. Max. vi. 3. Dionys. viii. p. 546. *Ædes*, inquit, *dirutæ sunt, ubi nunc quoque ante Telluris patet area, in cujus parte postea deam hanc consecravit populus in via, quæ ad Carinas fert.* Fortasse locus eversæ domus area ante *templum*, & templi capax fuit. Causam exstruendi afferunt, quod P. Sempronius Sophus bellum gerens cum Picentibus, teste Flor. 1. 19. *tremente inter prælium campo Tellurem deam promissa æde placavit.* Donat. de Urb. Rom. iii. 6. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 10. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Rosin. Ant. Rom. ii. 4. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 25. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 456.

Templum Tempestatis fuit extra portam Capenam. M. Marcellus illud struxit, cum liberatus esset a periculo, & tempestate, quam passus erat, cum in Corsicam, & Sardiniam navigaret. Ovid. Fast. vi. 191.

Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur;
Cum pæne est Corsis obruta classis aquis.

In ea vero in hac regione collocanda Rufus, & Victor consentiunt, adnotantes hic, *Ædes Tempestatis.* Nardin. Rom. Vet. iii. 2. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 325. E. Donat. de Urb. Rom. iii. 13. Tomas. de Donar. c. 25. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 59. E. Rosin. Ant. Rom. ii. 21.

Templum Termini juxta ædem Jovis Opt. Max. in Capitolio primum a Numa exstructum, cui sacrum festis Terminalibus in agris, sexto ab Urbe milliario sub patenti cœlo fieri solebat. *Minut. de Laud. Vit. rust. Miscel. Ital.* iii. p. 456. Ideoque tectum aliqua parte apertum fuit, ut libero cœlo frueretur. Ita Lactant. 1. 20. *Facto Capitolio, supra ipsum Terminum foramen est in tecto relictum: ut, quia non cesserat, libero cœlo frueretur.* Et Ovid. Fast. ii. 671.

Nunc quoque, se supra ne quid nisi sidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.

Serv. Æneid. ix. 446. *Cum omnes dii libenter inde migrassent, Terminus solus, hoc est, limitum deus, descendere noluit, sed illic remansit, tum de hoc ipso sacrificatum est, & deprehensum, quod Terminus cum Jove remanens, æternum Urbi imperium cum religione significaret, unde in Capitolio prona pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Terminum*, ita malim quam *Termini spectat; nam Termino nonnisi sub clivo, i. e. sub divo sacrificabatur.* Nardin. Rom. Vet. v. 15. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. iv. 6. Marlian. Topogr. Urb. Rom. ii. 6. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 45. C. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 4. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 19. D. Berthald. de Ara c. 18. n. 8.

Templum Titi, & Vespasiani fuit sub Capitolio contra Palatinum, quod Domitianum dedicasse credibile est. P. Victor: *Templum Titi, & Vespasiani.* Donat. de Urb. Rom. ii. 20.

Templum Trajani in ejus fuit foro. Hoc, defuncto Trajano, a senatu, petente Hadriano est decretum, quod ostendit illa dictio D. quæ denotat illo jam mortuo, & divo facto, *templum* erectum. Spartian. Hadrian. c. 6. *Trajano divinos honores, datis ad senatum, & quidem accuratissimis literis postulavit, & cunctis volentibus meruit, ita ut senatus multa, quæ Adrianus non postulaverat, in honorem Trajani sponte decerneret.* Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 353. D.

Templum Vacunæ. Ejus locus ignoratur. De illo Ovid. Fast. vi. 307.

Nunc quoque, cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque, sedentque focos.

Et Horat. Epist. 1. 10. 49.

Hæc ego dictabam post fanum putre Vacunæ.

Mihi videtur extra Urbem fuisse. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Gyrald. Synt. deor. x. p. 323. G. Rosin. Ant. Rom.* ii. 19.

Templum Veneris Calvæ fuit in Capitolio. Ita Lactant. 1. 20. *Urbe a Gallis occupata obsessi in Capitolio Romani, cum ex capillis mulierum tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt.* Qui quum in Capitolio ædem illam fuisse consecratam non dicat, tametsi valde probabile, tamen, tanquam de re certa, nihil affirmandum existimo. *Nardin. Rom. Vet.* v. 16. *Lipen. de Stren. c. 1. §. 8. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* ii. 6. *Gyrald. Synt. deor.* xiii. p. 402. *D. Rosin. Ant. Rom.* ii. 10. *Rycq. de Capit. c.* 41. *Tomas. de Donar. c.* 16. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* ii. 6.

Templum Veneris Capitolinæ. Ejus mentio exstat apud Suet. Cal. c. 7. n. 1. *Unus jam puerascens insignis festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit.* Huic & Galba pretiosissimum monile consecravit. Ita Suet. c. 18. n. 5. *Monile margaritis, gemmisque consertum ad ornandam fortunam suam Tusculanam ex omni gaza secreverat: id repente quasi augustiore dignius loco Capitolinæ Veneri dedicavit.* Nardin. Rom. Vet. v. 16. Rycq. de Capit. c. 41. Tomas. de Donar. c. 16. Quod idem atque Erycinæ Veneris fuisse putat *Ryquius.* Sed non liquido explicari posse scribit *Nardinus.*

Templum Veneris in circo posuit Q. Fabius Gurges. Liv. x. 31. *Eo anno Q. Fabius Gurges consulis filius aliquot matronis ad populum stupri damnatas pecunia multavit, ex quo multatitio ære Veneris ædem, quæ prope circum est, faciendam curavit.* Blond. Instaur. Rom. iii. §. 27.

Templum Veneris Cluacinæ in ea fuit fori parte, qua Romani, & Sabini armis depositis pacem inierunt, & facto sacrificio se purgaverunt. Hoc *templum* a Tatio Rege constructum. Ejus locum, cum juxta forum fuerit, varie designant auctores. Ovidius ait prope Viam sacram fuisse. Prope comitium Plaut. Curc. iv. 1. 9.

Qui perjurum hominem vult convenire, mitto in comitium:
Qui mendacem, & gloriosum, apud Cluacinæ sacrum.

Ad Tabernas fuisse indicat Liv. iii. 46. *Data venia, seducit filiam, ac nutricem prope Cluacinæ ad Tabernas, quibus nunc novis est nomen.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Rosin. Ant. Rom. ii. 10. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 330. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 4. Tomas. de Donar. c. 16.

Templum Veneris Erycinæ fuit extra portam Collinam. Liv. xxx. 38. *Ludi Apollinares circo inundato extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sunt.* Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 7. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. 1. p. 56. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 24. Hoc

contra

contra Strabonis sententiam. Qui hæc de illo vi. p. 188. *Hujus deæ ædes etiam Romæ est ante portam Collinam, templum habens porticu insigni circumdatum: Veneris Erycinæ appellant.* Fuit intra illam. Ovid. de Rem. Amor. n. 549.

Est prope Collinam templum venerabile portam,
Imposuit templo nomina celsus Eryx.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Donat. de Urb. Rom. iii. 15. Q. Fabius Maximus, inspectis libris Sibyllinis in dictatura sua illud vovit circa an. 536. si recte ex Fastis supputavi. Liv. xxii. 10. *Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius Maximus dictator vovit, quia ita ex fatalibus libris editum erat, ut is voveret, cujus maximum imperium in civitate esset.* Ejus dedicandi causa duumvir a populo Romano creatus. Liv. xxiii. 31. *Interea duumviri creati sunt Q. Fabius Maximus, & T. Otacilius Crassus ædibus dedicandis: Menti Otacilius, Fabius Veneri Erycinæ. Utraque in Capitolio est; canali uno discretæ.* Rycq. de Capitol. c. 41. Gyrald. Synt. deor. xiii. p. 398. C. Rosin. Ant. Rom. ii. 10. Tomas. de Donar. c. 16. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 6.

Templum Veneris Erycinæ alterum positum fuit ad portam Collinam. De hoc Liv. xl. 34. *Ædes eo anno duæ dedicatæ sunt: una Veneris Erycinæ ad portam Collinam, dedicavit L. Porcius L. F. Licinius duumvir, vota erat ab cos. L. Porcio, Ligustino bello.* Ovid. Fast. vi. 871.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet: a Siculo nomina colle tenent.

Gyrald. Synt. deor. xiii. p. 398. D. Rosin. Ant. Rom. ii. 10. Tomas. de Donar. c. 16. Blond. Instaur. Rom. i. §. 9. Triumph. Rom. i. p. 22. H.

Templum Veneris Genetricis fuit in medio Julii Cæsaris foro. Voverat hoc Julius ante pugnam Pharsalicam. Appian. de Bell. civ. ii. p. 470. *De media nocte operatus sacris Martis, & Veneris Genetricis: nam a Julio Ænea filio Julia gens, ut nomen, ita genus ducere creditur: simulque ædem deæ vovit in Urbe sacrandam, si propitia juvaret victoriam.* De illo etiam Dio xliii. p. 225. A. *Forum, & templum Veneris, quam sui generis auctorem ferebat, a se condita Cæsar statim tunc consecravit, multaque ibidem, & varia spectacula edidit.* Donat. de Urb. Rom. ii. 21. Nardin. Rom. Vet. v. 9. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 338. F. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 4. Rosin. Ant. Rom. ii. 10. Tomas. de Donar. c. 16. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iii. 9. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Faunus Antiq. Urb. Rom. ii. 23. Kipping. Antiq. Roman. i. 10. §. 5.

Templum Veneris theatri Pompejani. Nunc S. Barbaræ. In hoc Catia cum duobus adulteris libidinem sub velo publice exercuit, ut auctor est interpres Horat. Sat. i. 2. 95. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9.*

Templum Veneris Verticordiæ fuit extra portam Collinam, via Salaria. *Factum est, cum tres uno tempore virgines Vestales, cum aliquot equitibus Romanis, incesti pœnas subierunt.* Obseq. de Prodig. c. 97. Monitu librorum Sibyllinorum. Simulacrum consecratum est per Sulpitiam Q. Fulvii Flacci uxorem. Val. Max. viii. 15. 12. *Quæ, Sulpitia, cum senatus libris Sibyllinis per decemviros inspectis censuisset, ut Veneris Verticordiæ simulacrum consecraretur, quo facilius virginum, mulierumque mentes a libidine ad pudicitiam converterentur.* Ovid. Fast. iv. 157.

Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est:
Cumæam veteres consuluistis anum.
Templa jubet Veneri fieri: quibus ordine factis.
Inde Venus verso nomina corde tenet.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Scheffer. in Obsequentem. Gyrald. Synt. deor. xiii. p. 390. G. Pigh. Annal. Rom. iii. p. 104. Rosin. Ant. Rom. ii. 10.

Templum Veneris Victricis, nunc S. Mariæ in crypta picta, vicinum fuit Pompeji theatro. Ovid. Trist. iii. i. 69.

Altera templa peto vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Nos anno 1625. post ædem D. Mariæ cognomento in crypta vidimus effodi marmor cum inscriptione VENERIS VICTRICIS. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 10. Posuit hoc Pompejus in secundo consulatu. Plin. viii. 7. *Pompeji altero consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, pugnavere in circo viginti, aut, ut quidam tradunt, duodeviginti elephanti.* De illo Plutarch. Pomp. p. 655. C. *Visum est Pompejo in somnis theatrum ingresso sibi populum plaudere, templumque se Veneris Victricis multis spoliis ornare.* Ut impensas theatri honestiore titulo faceret, ædem hanc addidit. Tertull. de Spectac. c. 10. *Veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit; cui subjecimus, inquit, gradus spectaculorum.* Ædem Victoriæ ex Tyrone liberto Ciceronis, non Veneris *templo* attribuit Gell. x. 1. *Quum Pompejus, inquit, ædem Victoriæ dedicaturus foret, cujus gradus vicem theatri essent.* Sed inter *victoriam*, & *victricem* non adeo magnum discrimen est: atque error forte Tyronis dormitantis. Græca Plutarchi ἱερὰ Ἀφροδίτης νικηφόρυ non unum singulare, sed plura videntur significare. Num itaque unum quasi bipertitum, an duo conjuncta? Videtur hæc saltem indicare Suet. Claud. c. 21. n. 2. *Ludos dedicationis Pompejani theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali posito in orchestra commisit, cum prius ad superiores ædes supplicasset.* Ita ut alterum eorum Victoriæ, alterum Veneris Victricis nomen habuerit; illud secundum Gellium, hoc e Suetonii, & aliorum sententia. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 8. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 3. Erant enim positæ supra scenam, ut populus conveniens in theatrum videretur in deæ honorem convenire. Unius tamen ædis meminit Plinius modo laudatus. Loqui illam de æde Veneris in theatro ostendunt ludi in ejus dedicatione facti. *Donat. l. l.* Ex Tertulliani verbis jam laudatis facile ostendi potest, non supra scenam fuisse, ut Donatus existimavit; verum supra caveam, ad quod scilicet per gradus illos sphæricos ascendebatur, qui *templi* graduum speciem, & theatralium verum præbebant usum. Idem liquet ex Suetonio laudato, qui jam dictis addit: *cum per mediam caveam sedentibus, & silentibus cunctis descendisset.* Nardin. l. l. Tomas. de Donar. c. 16.

Templum Veneris fuit etiam in Sallustiorum hortis. V. illud infr. in *Venus Hortensia.*

Templum Veneris, & Cupidinis, nunc S. crucis in Hierusalem, in monte Cœlio. Pavimentum ejus tessellatum e vario marmore, & aurata laquearia. Ab Helena Constantini matre in pios usus est conversum. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Eckard. Topogr. Urb. Rom. Tom. i. p. 36. Faunus Antiq. Urb. Rom.* iii. 25. In eo servatur pars crucis Dominicæ, & titulus inscriptus tribus linguis, denarius unus ex triginta, quos Judas proditor recepit pro pretio venditionis Domini, & alia plurima. *Schott. Urb. Rom. Descript. p.* 420.

Templum Veneris, & Romæ. V. illud supr. in *Templum Romæ.*

Templum Vertumni fuit in Aventino in vico loreti majoris. Prop. iv. 2. 1.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Thuscus ego, Thuscis orior: nec pœnitet inter
Prælia Volscinos deseruisse focos.
Nec me turba juvat, nec templo lætor eburno,
Romanum satis est posse videre forum.

De Vertumno vici Thusci ad forum Romanum celebri verba hic facit Propertius, nequaquam de Vertumno Aventini, qui forum Romanum aspicere non poterat. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 15. §. 2. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 8. *Kipping. Antiq. Roman.* i. 8. §. 8.

Templum Vestæ fuit medio inter Capitolinum, & Palatinum spatio, id est, in foro, vicinum lacui Juturnæ. Dionys. vi. p. 351. ubi Castorem & Pollucem equos suos sudore madidos *ad fontem* duxisse scribit, qui *apud ædem*

Vestæ scaturiens parvum, sed profundum lacum facit. Ædem Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 4. & Blond. Instaur. Rom. II. §. 56. rotundam esse S. Stephani ædiculam existimant, quæ ad Tiberim est, non longe a Schola Græca remota, decepti forsan ædiculæ istius circulari forma, qua & Vestæ ædem fuisse testatur Ovid. Fast. VI. 281. tum & nummo antiquissimo, qui in aversa parte illius nobis exhibent *templi* imaginem. Verum si Vestæ ædes in foro fuit, forum autem ad Tiberim usque protensum non fuit, ut ne ad Velabrum. Marlianus duo fuisse Vestæ *templa* existimat: alterum, quod a Dionys. II. p. 125 extra Romam quadratam Romuli fuisse dicitur, quodque eundem, cujus Blondus, sententiæ ædiculam illam rotundam esse credit; alterum in foro ad radices Capitolii, ubi nunc ædicula est S. Mariæ Gratiarum, juxta xenodochium. Verum ad prius quod attinet, erravit Marlianus in Roma Romuli quadrata, dum illam in Palatino non intelligit, extra quam revera *templum* Vestæ fuit; sed eam Romam quadratam, quæ ipsum complectebatur Capitolium, omnemque subjectam planitiem. Quæ tamen quadrata non fuit. Quare Dionysius de uno tantum Vestæ *templo* agere, loquique existimandus est: quod quidem extra Romam quadratam fuit: verum in medio, ut diximus, inter Palatinum, & Capitolinum spatio, id est, in foro. Quod ad secundum attinet, si Castoris ædes sub Palatino fuit, & juxta Juturnæ lacum, *templum* quoque Vestæ ei vicinum fuisse dici potuit, quod in vicinia non ita stricte sumpta Palatini montis fuit, non ita longe a radicibus ejus remotum. Qua de causa rationi minus conveniens fuerit in adversa illa parte sub Capitolio collocare. Fulvius illud prope ædem S. Mariæ Liberatricis constituit, cui prius S. Silvestri in lacu nomen, ab hoc, uti opinatur, Juturnæ lacu. Argumentum ejus validissimum a duodecim petitur inscriptionibus virginum Vestalium ibidem repertis. At quis nobis præs erit, virgines illas in templo sepultas fuisse? Locum quidem earum sepulturæ non procul a foro absuisse lubens concesserim; non ideo tamen *templum* illud in limitibus Palatini ponendum est. In medio enim illud spatio, quod inter Palatinum, & Tarpejum intercedat, dicit Dionys. p. 126. ergo illud necessario in medio occidentali fori latere fuit: *Numa autem imperium accipiens*, inquit, *privatos quidem non movit curiarum focos; communem vero constituit omnium unum, in media inter Capitolium, & Palatium ora, jam collibus uno circuitu in Urbem comprehensis, & in medio inter utrumque existente foro, in quo posuit templum, & custodiam sacrorum.* Quo sensu optime procedit, Sabinos a radicibus, & porta veteri Palatini usque ad medium spatium, quod inter utrumque collem interjacet, rejectos esse. De quo Plutarch. Rom. p. 29. B. *Resistere Romani quo nunc loco Jovis Statoris situm est templum: ita confertissimo agmine Sabinos adorti fundunt, fugantque, & usque ad locum, regiam nunc dictam, ac templum Vestæ palantes agunt.* Nardin. Rom. Vet. V. 5. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 10. §. 3. Donat. de Urb. Rom. II. 17. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 14. Blond. Rom. Instaur. II. §. 56. Læt. de Sacerdot. c. 6. Rosin. Antiq. Roman. II. 12. Schott. Itiner. Ital. p. 382. Illud non Romulus, etsi hoc illi nonnulli adscribant, verum Numa Pompilius Vestæ dedicavit: de quo latius disserit Dionys. l. l. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 355. *F. Lips. de Vest. & Vestal. c.* 3. *Panvin. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 227. *D. & F. Hyde de Relig. vet. Persar. c.* 7. *Rosin. Antiq. Rom.* III. 19. *Donat. & Borrich. l. l.* Hoc de die patuit omnibus, & masculis interdiu ingredi licebat; noctu autem non item, nam ibi pernoctare nefas fuit omni masculo. Penetralia nulli unquam viro adire licuit, sed solis virginibus Vestalibus, quæ secreta domus celare tenebantur. *Hyde l. l.*

Templum Victoriæ in summo Palatino monte struxerunt Arcades. Dionys. I. p. 26. *In vertice tumuli Victoriæ fano exstructo, rem divinam ei alternis annis fieri instituerunt: quod & nostra ætate Romani faciunt.* Sub Velia, ubi antea domus Valerii Publicolæ fuerat. Ita L. Higinius, & ex illo Ascon. in Cicer. p. 164. *P. Valerio, Volesi filio, Publicolæ ædes publicas sub Velia, ubi nunc ædes Victoriæ est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse.* Plutarch. Public. p. 102. D. *Domumque multo illa priore celsiorem ædificavit, ubi nunc fanum, quod vicum publicum dicunt.* Quod fanum quin idem sit, atque ædes Victoriæ ab Higino memorata, nullus dubitem. V. supr. in *Domus Publicolæ.* Hoc antiquissimum vel a Romanis restitutum est, ubi eum ab Luandro primum excitatum dixi, vel potius a Postumio factum *ex multatia pecunia.* Liv. X. 33. *Ipse ædem Victoriæ, quam ædilis curulis ex multaria pecunia faciendam curaverat, dedicavit.* Sub Velia fuisse ad clivum, cui inde Victoriæ nomen verisimile existimo, ne duo *templa* nobis fingamus ejusdem deæ vicini. Quod si autem in Velia fuit, fuit in vico Publicio, ad sinistrum ejus latus, ad regionem octavam spectans; in qua Victor illud recenset. *Nardin. Rom. Vet.* V. 5: VI. 12. *&* 14. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 18. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 10. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 21. *Rosin. Antiq. Rom.* II. 10. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 12. §. 1.

Templum Victoriæ etiam in Aventino stabat, ab Arcadibus exstructum. V. Dionysium supr. in *Templum Victoriæ Palatinæ.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 9. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Gyrald. Synt. deor. X. p. 322. D. Rosin. Antiq. Rom. II. 10. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 22: III. 2.

Templum Virtutis. V. illud supr. in *Templum Honoris.*

Templum Urbis. V. illud supr. in *Templum Romæ.*

Templum Vulcani fuit in circo Flaminio. P. Victor. In quo pro æditiuis canes fuisse fabulantur, sacrilegos tantum allatrantes. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 9. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 13. Sed in campo Martio consecrati mentionem facit Liv. XXIV. 10. *Tacta de cœlo ædes in Campo Vulcani.* Nec obstat, quod in circo Flaminio fuerit; quoniam Livius hic de illo non posse loqui videtur, cum tam diversa sint a campo Martio prata Flaminia. Tum æque facile, & multo distinctius *in circo Flaminio*, pro *in campo* dicere potuisset. Sed de his suum cuique liberum arbitrium esto. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 7.

TEMPORA per horas veteres non distinguebant, & Romæ trecentis annis ignoratæ horæ fuerunt. Censorinus & Plinius. V. illos supr. in *Hora.*

TEN.

TENTORES dicebantur, qui in circo vestes certantium aurigarum *tenebant.* Panvin. de Lud. Circens. I. 15. Non placet. Omnino ii fuerunt, qui frena, & cingula aptabant equis, ac loro, & jugo jungebant. Attius a Nonio adductus: *Frena tensarii equorum accommodant. Tensarii*, qui & *tentores* sunt. A *tendere* enim *tensus*, & *tentus* grammatice deducuntur. *Argol. in Panvinium.* Erant potius, qui vel equos, currusque, vel repagula *tenebant*, antequam ad cursum emitterentur. Hi, ut in antiquo Lexico legi, Græcis ἀφέται appellabantur. *Turneb. Adv.* XI. 11: XVIII. 33. De illis Sidon. XXIII. 325.

Vestra insignia continent ministri,
Ora, & lora, manus, jubasque tortas
Cogunt flexilibus latere nodis,
Hortanturque obiter, juvantque blandis
Ultro plausibus, & voluptuosum
Dictant quadrupedantibus furorem.

Turnebus Græcis vult esse ἀφέτας. Male. Nam ἀφέται sunt editores, quos & Chrysost. in Orat. de Circo θυρανοίκτας vocat. *Buleng. de Circo c.* 44. *Lyd. Agon. sacr. c.* 26.

TENTORIA primus fecit Jobel filius Lamech. Euseb. in Exord. Chron. *Lamech ex Adda genuit Jobel, qui primum intra tentoriorum habitaculis morem gessit.* Joseph. Ant. Jud. I. 3. *Jobel tentoria fixit, ac rei pecuariæ studio se oblectabat.* Hæc nempe antiquissima fuit, ac tumultuaria pascentium, militantiumque architectura, ex arborum ramis primum, ac mox etiam ex pellibus, ac velis rudi modo

modo concinnata. Hinc Græcis σκηνὴ est umbraculum, tabernaculum: & Latinis dicuntur sub pellibus esse, qui versantur in exercitu. Postea vero pictis etiam imaginibus, ac gemmis exornabantur *tentoria*. Claud. de Laud. Stilich. I. 157.

— hic picta Seres, fucataque Medus,
Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus.

Unde & inter quæstuarias artes procedente tempore non postrema fuit ars conficiendi *tentoria*; siquidem Apostolus Paullus non sibimet ipsi modo, sed aliis quoque victum ea arte quæsivit. Confer Act. c. 18. n. 3. cum eorundem Act. c. 20. n. 34. *Junius Catal. Archit. mechan. p.* 101. Ex ramis facta fuisse testatur Ovid. Fast. III. 527.

Sub Jove pars durat, pauci tentoria ponunt,
Sunt quibus e ramis frondea facta casa est.

Ex tabulis Festus: *Tabernacula dicuntur a similitudine tabernarum, quæ ipsæ, quod ex tabulis olim fiebant, dictæ sunt, non, ut quidam putant, quod tabulis cludantur.* Isidor. XV. 10. *Tabernacula sunt tentoria militum, quibus in itinere solis ardores, tempestatesque imbrium, frigorisque injurias vitant.* V. supr. in *Papiliones*. Ex pellibus. Inde apud historiographos *sub pellibus esse, sub pellibus hibernare*, & similia. V. supr. in *Pelles*. Stewech. in Veget. I. 3. Ex stramentis, centunculis, aut vestibus, ubi inopia. Hirt. de Bell. Afric. c. 47. *Quibus rebus attenuati, oppido perquam pauci sub pellibus acquiescebant. Reliqui ex vestimentis tentoriolis factis, atque arundinibus, corissque contextis permanebant.* Sed quomodo *coriis*, quia negat pelles habuisse? In vetustiore libro *arundinum copus* lego: ex quo haud male, *arundinum copulis*. Ex lino nostrate ritu. Indicat hoc Isidorus modo laudatus. Et clare Suidas: *Tenda apud nos domus ex lino.* Res, & vox hodierna. Habebant sua fulcra, & tigilla lignea, quibus erigebantur, & sustinebantur. Polyæn. II. I. 21. *Agesilaus jussit milites castra bis ter in die mutare. Atque ita necessario ligna multa incidit, cum tentoria erigerent.* Lips. de Milit. Roman. V. dial. 5. Thys. Rom. Illustr. V. p. 116. Quot *tentoria* in manipulo fuerint V. supr. in *Contubernium*. Cubiculis, aut lectis non erat militibus in *tentoriis* opus. Humi enim jacebant, aut super gramen aliquod, aut stramen. Liv. XXI. 4. *Multi Annibalem sæpe militari sagulo opertum humi jacentem inter custodias, stationesque militum conspexerunt.* Scipio Æmilianus, cum solutam disciplinam corrigeret ad Numantiam, *lectos vetuit habere, & ipse primus in stramento dormivit.* Appian. de Bell. Hispan. p. 303. Nec etiam culina. In stricta enim & dura militia Romana panis illis erat cibus, & obsonia nulla aut rara. *Lips. l. l. Thys. ibid. p.* 117. *Tentoria* sua milites non *detendebant*, priusquam Imperatoris, tribunorumque essent *detensa*: quemadmodum nec constituebant in positione castrorum, nisi prius iisdem constitutis. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1247. *D. Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3. Mutare inter pœnas fuit militares. V. supr. in *Milites*.

Tentorium dicebatur locus in vulgari triremi, ubi ejus præfectus degebat. Quinetiam credibile est, apud Romanos prætoriæ duntaxat navis, utpote in tota classe maximæ, locum illum ad puppim vocatum fuisse prætorium; reliquarum autem, utpote minorum navium, simpliciter *tentorium*, quemadmodum apud Græcos σκηνή. Pollux I. 9. 3. Σκηνὴ *vocatur Imperatori, aut nauclero exstructa habitatio.* Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 654. F. Scheffer. de Milit. Nav. I. 6.

TEP.

TEPIDARIUM adnexum fuit frigidario in balneis. Inserviebat duobus hominum generibus, tum illis, qui tepore aeris, aut aquæ, vel utriusque ob voluptatem, sive valetudinem frui volebant: tum illis, qui aut frigida, aut calida lavari quærebant; hi etenim ne ab apodyterio, sive frigidario ad calidarium, & rursum a balneo calido ad frigidarium, sive frigidam lavationem, tanquam ab extremo ad extremum prodeuntes horrerent, aliterve offenderentur, *tepidario* pro medio quodam utebantur, in quo exeuntes de frigido, seu calido loco tamdiu morabantur, quousque ad alterum eorum citra noxam recipiendum sese disposuissent. Quamquam etiam fieri potest, ut in privatis balneariis *tepidarium*, & apodyterium idem locus fuerint, ob spatii penuriam, vel quod ita major commoditas haberetur. Cicero enim, cum Arpinatem villam, quæ judicio Quinti fratris sui ædificabatur, invisisset, *se asa in alterum apodyterii angulum in balneariis promovisse* scribit ad Quint. Fratr. III. I. I. in quo satis aperte demonstrat, apodyterium, & laconicum, sive calidam assamve sudationem conjuncta fuisse eo prope modo, quo nos *tepidarium*, & laconicum conjuncta interdum fuisse saltem post Vitruvii tempora opinamur. An vero idem fuerint. V. supr. in *Laconicum*. Mercur. Gymn. I. 10. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 24. Baccius de Therm. c. 6.

TER.

TER superlativis adhiberi, & conjungi cœpit post tempora Constantini Imperatoris. Et hinc fluxit illa dicendi formula, *ter beatissimus, ter felicissimus, ter maximus, ter optimus*. . . . . Quare legimus in VI. Concil. Constantinop. *locum gerens Agathonis, ter beatissimi universalis Papæ urbis Romæ.* Et in acclamationibus, seu laudibus antiquis, quæ fiebant Pontifici, dici consuevit ad ipsum Pontificem a priore Cardinalium: *Summo, & egregio, ac ter beatissimo Papa Urbano vita:* & sic omnes Cardinales respondebant, *Deus conservet eum*, quod dicebatur *ter*. Sic quoque Carolus Magnus dictus fuit *ter maximus*: quia fuit insignis tribus rebus, bellica virtute, scientia, & pietate. Lege de illo Baron. ad an. 778. Gregorius II. scribens ad Leonem Isaurum dixit, *ter sanctum hymnum canentes*, id est, Gloria in excelsis Deo. *Turrig. in Ursi Tog. inscript.* §. 26.

Ter bibebant veteres in honorem Gratiarum. V. supr. in *Bibere*.

Ter in sinum despuebant veteres, fascinum hoc modo aversuri. V. supra in *Spuere*.

TEREBRA erat gladii, aut mucronis quædam similitudo, quo muros perfodiebant. Vitruvius illam nominat, & ex Athenæo sumpsit, qui descripsit. Romanos usitasse haud legi: an posteri, & inter eos Leodicenses? Nam in annalibus ita scriptum: *Episcopum parasse arietem, & duos gladios, ad muros diruendos.* Lips. Poliorc. III. I. Certe ridiculum est hoc poliorcetici machinamenti genus, nec mirum usu non esse approbatum. Ab hoc longe distabat, puto, Diadis, *terebra*, de qua Athenæus scripsit mechanicus apud Turneb. Adv. XXIII. 31. Erat autem species quædam arietis, cujus descriptionem late prosequitur Græcus auctor, & verbis Latinis Vitruv. X. 19. *De terebra has explicuit rationes. Ipsam machinam, ubi testudinem, in medio habentem collocatum in orthostratis canalem, faciebat, quemadmodum in catapultis, & balistis fieri solet, longitudine cubitorum quinquaginta, altitudine cubiti: in quo constituebatur transversa sucula,* ὄνισκον *appellat Athenæus. In capite autem dextra & sinistra trochleæ duæ, per quas movebatur, quod inerat in canali capite ferrato tignum, sub autem ipso canali tuti, fortasse trochi, crebriter celeriores, & vehementiores efficiebant ejus motus. Supra autem id tignum, quod inibi erat, arcus agebantur, ad tegendum canalem, uti sustinerent corium crudum, quo ea machina erat involuta.* Videtur autem, Diadem improprie vocabulo trypani usum: *terebra* siquidem versando, seu, ut inquit Arnobius, vertigine res excavantur; arietaria vero illa sua *terebra* typanove non item, sed impulsu demoliuntur. *Bald. Lex. Vitruv. Stewech. in Veget.* IV. 15.

TERENTIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

Terentia lex. V. illam supr. in *Lex*.

TERENTINA tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

TERENTUS fuit locus ad Tiberim in campo Martio, quod ibi curvatus Tiberis sinisteriorem ripam attereret,

tereret, ſive quod ara Ditis patris ibi occultaretur, ad quam fiebant ſacrificia anno, ludisque ſecularibus. Ovid. Faſt. I. 501.

Fluminis illa latus, cui ſunt vada juncta Terenti,
Aſpicit, & ſparſas per loca ſola caſas.

Mart. IV. I. 7.

Hic colit ingenti redeuntia ſecula luſtro,
Et quæ Romuleus ſacra Terentus habet.

Donat. de Urb. Rom. III. 16. Taſſin. de Lud. Secul. c. 8. n. 1. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Licet. de Lucern. I. 24. Nardin. Rom. Vet. VI. 7. Rutgerſ. Var. Lect. IV. 10. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 11. §. 6. Panvin. de Lud. Secul. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom IX. p. 1068. B. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 534. A. Faunus Ant. Urb. Rom. IV. 21.

TERGEMINUS fuit cognomen Horatiorum, & Curiatiorum. Liv. I. 24. *Forte in duobus tum exercitibus erant tergemini fratres, nec ætate, nec viribus diſpares. Horatios, Curiatiosque fuiſſe ſatis conſtat. Cum tergeminis agunt Reges, ut pro ſua quisque patria dimicent ferro.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5.

TERGIVERSATIO eſt temeritas in accuſando. Eſt autem *tergiverſari*, ut Marcellus, qui alias Martianus inſcribitur l. 1. ff. ad SC. Turpil. docet, in univerſum ab accuſatione deſiſtere: quanquam aliud etiam ſignificet, *terga* nimirum *vertendo*, more Parthorum refractarie pugnare, atque in ipſa fuga victoribus reſiſtere, ut cum victos pudet omnino abjectis armis manus tendere more Protei: qui apud Virg. Georg. IV. 441.

Omnia transformant ſeſe in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victi
In ſeſe redeunt.

Cicer. pro Flacc. c. 20. de quodam, qui, quia invite ſolvebat debitam, omnes latebras, diverticula omnia quærebat, ut ſeſe judicio eriperet. Hunc, ait Cicero, *eluantem, & tergiverſantem judicio, ille perſequitur, a recuperatoribus cauſa cognoſcitur.* Sed in argumento Turpiliani, de quo jam mentio, iis qui judicium inchoatum deſerunt, pœna deſtinatur: quorum impotens impudentia voluptasque ex vexatione, ſordibusque civium commovit ampliſſimos patres, ut decreto in poſterum caverent, ne quis tam improbo exemplo negotium impune faceret bonis viris. Latum ergo ad ærarium eſt Turpilianum S. C. ad inhibendam iſtorum temeritatem, cum ante id fieret impune, nulli iſtis ludificationibus pœna impoſita, ut poſt delationem reus non peragcretur. *Poliet. For. Rom.* IV. 4.

TERMINALIA dicebantur, quod is, quo peragerentur, dies, anni eſſet extremus. Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Terminalia, quod is dies anni extremus conſtitutus. Duodecimus enim menſis fuit Februarius.* Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 977. F. Lalamant. de Ann. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 275. C. Rycq. de Capit. c. 14. Putean. de Biſſext. c. 2. Roſin. Antiq. Rom. IV. 6. Struv. Antiq. Rom. c. 8. p. 346. Potius a *Termino* deo nomen ſumpſerunt, quia ſcilicet in honorem *Termini* dei celebrabantur menſe Februario. *Berthald. de Ara c.* 18. §. 8. Feſtus: *Termino ſacrificabant, quod in ejus tutela fines agrorum eſſe putabant.* Ovid. Faſt. II. 639.

Nox ubi tranſierit, ſolito celebretur honore
Separat indicio qui deus arva ſuo.

Celebrabrantur IX. Kal. Mart. qui vigeſimus Februarii. Quidam ad VIII. Kal. Mart. referunt. Nam inter *Terminalia*, & Regifugium teſte Cenſor. c. 20. dies intercalaris interſerebatur. Varr. l. l. tertio & vigeſimo diei hujus menſis tribuere videtur. Dixit enim appellata fuiſſe, *quod is dies anni extremus* conſtitutus. Apud veteres autem Romanos tertius, & vigeſimus Februarii dies ultimus totius anni habitus. Varroni adſtipulatur Beda, qui ad VII. Kal. Mart. *Terminalia* ponit. *Hoſpin. de Feſt. p.* 108. *B. Urſat. l. l. Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 23. *Perion. de Græcor. & Roman. Magiſtrat. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2809. *E.* Originem habuerunt a Numa. Dionyſ. II. p. 133. *Numa, ut contenti propriis aliena non concupiſcerent, cavit lege de terminandis prædiis. Cum enim juſſiſſet unumquemque agrum ſuum circumſcribere, ac in finibus ſtatuere lapides, hos ſacros eſſe Jovi Terminali voluit: juſſitque, ut quotannis ſtata die res divina eo loco in paganorum cœtu fieret, ſacrato cum primis nobili feſto in honorem deorum, qui terminis tutelares præſident. Id Romani vocant Terminalia, ſicut lapides ipſos terminos, quos noſtri, variante una litera τερμόνας: quos ſi quis transferre auſus fuiſſet, aut tollere, lege terminali caput ejus his diis devovit, interfectori ipſius tanquam ſacrilegi impunitate promiſſa, & puritate a ſcelere. Eſtque jus hoc non in privatis modo poſſeſſionibus, ſed in publicis quoque conſtitutum.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 44. C. Rycq. Laurent. Hoſpin. l. l. Celebrabantur magna ruſticorum ſollennitate: ſed variato pro ſeculorum ratione cultu. Numa nihil animatum illis immolari volebat. Dionyſ. p. 134. *Deos putant terminos, eisque ſacra faciunt, non hoſtias cædentes, quod nefas ſit cruentari hos lapides, ſed liba Cerealia, frugumque offerentes primitias.* Plutarch. Num. p. 70. F. Quæſt. Rom. 15. *Termino publice, & privatim in finibus agrorum immolant hoc tempore animalia: olim hoſtia erat inanima: docente Numa, debere deum terminalem, quum pacis ſit præſes, & arbiter juſtitiæ, cæde purum eſſe.* Ritum omnem pluribus deſcribit Ovid. Faſt. II. 641-654. Poſtea mutata eſt ea ſacrificandi ratio, & *Termino* animata, ut cæteris diis, cæſa hoſtia, vel porca. Ovid. n. 656. vel agnus. Ovid. n. 655. V. illum ſupr. in *Sacrificium.* Horat. Epod. II. 59.

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus.

Dempſter. Paralip. ad Antiq. Roman. Roſin. IV. 7. Zimmerman. Floril. Philol. p. 635. Hoſpin. & Laurent. l. l.

TERMINUS fuit deus antiquiſſimus, cujus cultum inſtituit Numa. Dionyſius. V. illum ſupr. in *Terminalia.* Fingebant eum barbata facie, manibus, pedibusque truncum. Nonnunquam & ut ſolum ſtipitem, vel lapidem quadratum efformabant. Ovid. Faſt. II. 641.

Termine, ſive lapis, ſive es defertus in agro
Stipes; ab antiquis tu quoque numen habes.

Et de *Termino* Apul. Flor. p. 758. *Vel colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Finibus regendis maxime præerat; ab eodemque dicti *termini*, & lapides, arboresque *terminales.* Ideo deus pacis, & juſtitiæ cuſtos dicebatur. *Struv. Antiq. Rom. c.* 1. *p.* 148. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Theſ. Antiq. Rom. Grev. p.* 724. *A. Nardin. Rom. Vet.* V. 15. *Cuper. in Lactant. de Mort. perſec. c.* 11. *Tomaſ. de Donar. c.* 26. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 6. *Demſter. Paralip. ad Antiq. Roſin.* II. 20. *Berthald. de Ara c.* 18. *n.* 8. Cum Tarquinius Superbus vellet Jovis Capitolini templum ædificare, cœpit captare auguriis, qui mons eſſet aptiſſimus: cumque Tarpejus ex omnibus eſſet inventus, in quo erant diverſorum numinum ſacella, actum eſt, ut exinde ad alia templa numina evocarentur ſacrificiis, quo poſſet libere, & ſine periculo templum Jovis ædificare: cumque omnes dii libenter migraſſent, *Terminus*, limitum deus, abſcedere noluit: tunc de hoc ipſo ſacrificatum eſt, & deprehenſum, quod *Terminus* cum Jove remanens æternum Urbi imperium cum religione ſignificaret. Fabulam narrant Auguſt. de Civit. Dei IV. 23. Dionyſ. III. p. 202. Liv. V. 54. Flor. I. 7. 8. Lactant. I. 20. Ovid. Faſt. II. 665. Servius laudatus ſupr. in *Templum.* Caſal. de Prof. Roman. rit. c. 10. Marlian. l. l. Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 23.

TERRA levis ut eſſet, humato amici cadaveri, vel reliquiis conditis precabantur veteres. Callim. Epigram. 28. 3.

Si pravum laudavi aliquid, neque tu mihi terra
Eſto levis.

Eurip. Helen. n. 858.

Virum

Virum fortem interfectum ab inimicis
Circumtegunt levi terra in sepulcro.

Tibull. II. 4. 49.

Et bene, discedens dicet, placideque quiescas,
Terraque securæ sit super ossa levis.

Ped. Albinov. in obitum Mæcenatis n. 141.

Nunc ego quod possum? tellus levis ossa teneto.

Mart. IX. 30. 11.

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

Et nota est sollennis illa inscriptionum formula, SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. quæ plerumque literis hisce initialibus S. T. T. L. solebat denotari. Orta hæc formula a vulgari veterum superstitione, qua credebant sepultos adhuc incantationibus obnoxios, ideoque ne eæ nocerent, tumulo bene precabantur. Quemadmodum igitur amicis, & caris suis *terram levem* optabant, ita contra, gravis ut esset, quibus male vellent iis *terram gravem* imprecabantur, id est, ut sepulcrum illorum incantaretur, quo scilicet umbra pressa e tumulo evocari non posset. Plin. II. 63. de terra: *Cujus numen ultimum jam multis imprecamur irati grave, tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam irascatur homini.* Hoc namque sentit Plinius, ridicule nos vita functis, & situs *terram gravem* imprecari: frustraque id esse, propterea quod ea nunquam irascatur homini. Prop. II. 16. 15.

Ossa tibi juro per matris, & ossa parentis:
Si fallo, cinis, heu! sit mihi uterque gravis.

Alludit huc in colonum pessime agrum colentem Mart. X. 15. 1.

Heredes nolite brevem sepelire colonum:
Nam terra est illi quantulacunque gravis.

De utroque ritu Tertull. de Testim. anim. c. 4. *Quid? quod ut sentienti maledicis, si cujus memoriam alicujus offensæ more retractas, terram gravem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum: æque ex bona parte, cui gratiam debes, ossibus & cineri ejus refrigerium comprecaris, & ut bene requiescat apud inferos cupis.* Kirchman. de Funer. III. 9. Brisson. de Form. I. p. 86. Meurs. de Funer. c. 43. Caroli Antiq. Roman. IV. 12. Delrio in Senec. Hippol. n. 1227. Guther. de jur. man. II. 13. Bud. Comment. Ling. Græc. p. 93. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 651. A. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 9. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 16. Gosall. in Pedonem. *Terram* ter plena manu injiciebant fortuito oblatis cadaveribus, si quando ea legitime sepelire non liceret. V. supr. in *Gleba*.

TERUNTIUS. V. illum supr. in *Quadrans*.

TES.

TESSELLÆ sunt minusculi emblemata lapidea, aut marmorea, quorum usus est in opere musivo, aut vermiculato. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 20. §. 8. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 853. *b. A.*

TESSELLARII dicebantur, qui *tessellas*, id est, parva quadra pavimentis inligunt. *Pancirol. de Corpor. artif.* §. 37. *Buleng. de Pictur.* I. 8.

TESSELLATA a sectilibus distinguunt Suetonius & Vitruvius. V. illos supr. in *Sectilia*. Dicebantur *tessellata*, quæ ex parvis *tesseris*, hoc est, calculis quadratis in varios colores tinctis strata erant. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 854. *b. E. in Spartian. Pescenn. c.* 6. *Buleng. de Pictur.* I. 8. *Schott. Nod. Cicer.* II. 6. *Crinit. de Honest. Discipl.* XXII. I. *Petav. in Themist. p.* 575. *Spon. Misc. Erud. Antiq.* II. 8. *Goree Antiq. Biblic.* V. 6. *Grapald. de Part. æd.* II. I. 3. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 21. §. 6. *Casaub. in Suetonium, Philand. in Vitruvium.*

TESSERÆ a Tarentinis transierunt ad Romanos. Illi τεσσάρην, vel τεσσάραν vocabant figuram quamvis quadratam, quæ quatuor angulos haberet. Hinc Latinis *tessera* & *tessella* lapillus quadratus, & κύβος, quem sciunt omnes esse quadratum. Isidorus: *tesseris, quadris.* Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XIX. 26. Bergier. de viis milit. II. Sect. 20. §. 7. Alex. Gen. III. 21. & ad illum Tiraquellus. Rhodig. Antiq. Lect. XX. 27.

Tesseræ comitiales a suffragatoribus celebrabantur, dum honores distribuerentur. Varr. de Re rust. III. 5. V. illum supr. in *Comitia calata*. Sortitionis hanc fuisse speciem non obscurum est Varr. ibid. c. 17. V. etiam supr. in *Comitia ædilitia*. Tomas. de Jur. hospital. c. 16. Casal. de Conviv. vet. c. 3. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 14. Nicol. de Sigl. vet. c. 27. §. 6.

Tesseræ conviviales dabantur convivis, ut ad convivium admitterentur. Harum meminit Lampridius. Heliog. c. 22. V. illum supr. in *Sortes*. De quadam etiam convivali *tessera* mentionem facit Liv. IX. 16. qua ostensa milites ad prandium admittebantur. *Consul extemplo tesseram dari jubet, ut prandeant milites.* La Chausse de tesser. tab. 8. Casal. de Conv. vet. c. 3. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 14. Tomas. de Tesser. hospital. c. 16. Stewech. in Veget. II. 7. Nicol. de Sigl. vet. c. 27. §. 9.

Tesseræ etiam dicebantur globuli inscripti quarundam rerum notis, & nominibus, quas qui excepissent, res illas ferebant. Dio LXI. p. 698. A. *Omnia edulia, quæ homines comedunt: omnia pretiosissima, equos, mancipia, esseda, aurum, argentum, variam vestem, hæc dabat Nero per symbola quædam, & tesseras. Globulos enim parvos inscriptos, ut quæque eorum erant, hos jaciebat in populum, & reipsa mox dabatur, quod quisque eorum in tesseris habebat.* LXVI. p. 757. D. *Globulos ligneos quosdam e loco superiore in theatrum jaciebat Titus, qui symbolum haberent, hic alicujus esculenti, ille vestis, alius argentei vasis, alius auri, equorum, jumentorum, mancipiorum, quæ quosdam eos, qui rapuissent, ferre ad curatores ludorum, & ab iis accipere quamque rem inscriptam.* Turneb. Adv. XXVII. 18: XXIX. 9. Tomas. de Tess. hospit. c. 16. Pitisc. in Suet. Ner. c. 11. n. 7.

Tesseræ frumentariæ erant signa, sive symbola quædam, in quibus nomina accipientium, & grani accipiendi quantitas continebantur. Isidor. XX. 14. *Tesseræ sunt, quibus frumentorum numerus adsignatur.* Pancirol. Notit. Dignit. imper. occid. c. 4. Casal. de Conviv. vet. c. 3. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 14. Laurent. de Conv. vet. c. 9. Tomas. de Tesser. hospital. c. 16. Stuck. Antiq. Conviv. I. 27. Nicol. de Sigl. vet. c. 27. Schott. Nod. Cicer. II. 6. Barth. in Stat. Theb. X. 17. Hugo de prim. scrib. rat. c. 25. Minutæ erant. Ideo *tesserulas* appellat Pers. Sat. V. 74.

Publius emeruit scabiosum tesserula far.

Pignor. de Serv. p. 323. Fiebant ex ligno, aut plumbo. Illis acceptis iis licebat ad horrea publica petitum frumentum. Et de ligno quidem in tesseris ludorum palam est in Dione bis terque: de plumbo, aut alio metallo cur non liceat suspicari? Certe lex quinta Cod. Theod. de annonis civicis ostendit & ex ære fuisse. *Lips. Elect.* I 8. *Stewech. in Veget.* II. 7. *Pancirol. l. l.* Erant rotundæ. Xiphilinus ex Dione Cassio: Συμβόλων σφαιρία μικρὰ γεγραμμένα. Sic usitata fere hodieque, etsi dissimili effectu, quadrangula, aut rotunda ligni forma, utrimque complanata, cui numeri inciduntur rei credito coemptæ: quibus numeris æris alieni persolutis confringi ea solent, aut flammis tradi. Meminit *tesseræ* Plautus:

Suam uterque tesseram habet: ratio constat.

Schott. Nod. Cicer. II. 6. Has, si frumenti non egerent, aut alia de causa, vendebant. Juven. Sat. VII. 174. V. illum supr. in *Panis civilis*. Ulpian. l. sed etsi 52. §. ff. de jud. *Si libertis suis tesseras frumentarias emi voluerit: quamvis major pars hereditatis in provincia sit: tamen Romæ debere fideicommissum solvi dicendum est; cum appareat id testatorem sensisse ex genere comparationis: quia hæ tesseræ tantum Romæ emi poterant.* Paull. l. mortuo 49. §. 1. de legat. 2. *Si Titio frumentaria tessera legata sit, & is decesserit, quidam*

putant

putant exstingui legatum, sed hoc non est verum; nam, cum tessera tenetur, æstimatio videtur legata. Gutther. de Offic. dom. August. II. 11. Tomas. de Tesser. hospit. c. 16. Turneb. Adv. XIX. 26. Lips. & Pancirol. l. l. Nescio, an illas soliti accipere ad Minutiam frumentariam. Verisimile quidem est certum ei rei designatum locum: & de Minutia suspicandi auctor nobis Apul. de Mund. p. 750. *Alius ad Minutiam frumentariam venit, & alius in judiciis ducitur dies. Reas ita pergendi necessitate, ut sectantes studio accersiter venit.* Ita enim do hunc locum. Sane cognomen ipsum indicat, eo loci aliquid fuisse rei frumentariæ. *Lips. l. l.*

Tesseræ gentilitiæ. V. illas supr. in *Arma.*

Tesseræ gladiatoriæ dabantur gladiatori rude jam donato. In tabula nostra est quadrilatera ex osse. Concedebatur, ut spectaculis, ludisve interesse posset spectandi gratia, non autem pugnandi. Servile illi nomen inscriptum est, tempusque ludi M. Sileno, & L. Norbano consulibus celebrati, quem Fructus Sexti Kal. Februarii spectavit. *La Chausse de Tesser. tab. 8. Tomas. de Tesser. hospital. c. 16. Malvas. Marm. Felsin. Sect. 5. c. 25. Schott. Nod. Cicer. II. 6.*

Tesseræ hospitales, sive hospitii dicebantur, quæ dabantur hospitibus. In illis communi consensu symbolum quoddam insculpebant, quod testimonium erat contractæ amicitiæ. Illas hospites, eorumque liberi secum ferebant, ut facilius a veteribus, & paternis hospitibus agnosci possent. Lactant. Stat. Theb. VII. 237. *Veteres, quoniam non poterant omnes suos hospites noscere, tesseram illis dabant, quam illi ad hospitia reversi ostendebant præposito hospitii, unde & ei agnoscuntur hospites.* Harum formam Scholiastes Euripidis in Medea n. 613. optime describit. Qui hospites invicem fieri volebant, ἀστράγαλον, hoc est, talum quendam dividebant in duas partes æquas; unam illi, qui hospitium præbebant, sibi retinentes; alteram dantes ei, qui hospes fieri solebat: etsi contigisset de cætero, uti alter alterius hospitium subiret, producentes dimidium tali renovabant jura hospitalia. Plaut. Pœn. V. 2. 86.

> *Ego sum ipsus, quem tu quæris.* POE. *Hem! quid ego audio?*
> AG. *Antidamæ gnatum me esse.* POE. *Si ita est, tesseram*
> *Conferre si vis hospitalem, eccam, attuli.*
> AG. *Agedum huc ostende, est par probe: nam habeo domi*
> POE. *O mi hospes, salve multum! nam mihi tuus pater,*
> *Pater tuus ergo, hospes Antidamas fuit.*
> *Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.*
> AG. *Ergo hic apud me hospitium tibi præbebitur.*

Tesseram confregisse vetere verbo dicebantur, qui hospitii jus violassent. Plaut. Cistell. II. 26.

> *Abi, quære ubi tuo jurando satis sit subsidii:*
> *Hic apud nos Alcesimarche confregisti tesseram.*

Tomas. de Tesser. Hospital. c. 16. Casal. de Conv. vet. c. 3. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 14. de Prof. Rom. rit. c. 21. Stuck. Antiq. Conv. I. 28. Schott. Nodor. Ciceron. II. 6. Bud. in Pandect. p. 84. D. 253. H. Hartung. Memorab. I. 8. 39. Senftleb. de Alea vet. c. 7. §. 3. Gyral. Synt. deor. II. p. 97. E. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 11. Potter. Archæol. Græc. IV. 21. Nicol. de sigl. vet. c. 27. §. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 1073. Bourdelot. in Heliodor. V. p. 96. Bernart. in Stat. Theb. VII. 237: X. 17. Hugo de prim. scrib. rat. c. 25.

Tesseræ lusoriæ sunt instrumenta, quibus utimur in tabula, a forma ita appellata: τέσσαρες, seu Ionice τέσσερες Græcis quatuor significat, inde & *tesseræ* nostræ, non a numero laterum, horum enim sex sunt, sed quod omnia latera quadratarum, vel quatuor angulos nobis exhibeant, dictæ sunt. Græcis dicuntur κύβοι. Inde κυβευτὴς aleator. Gell. I. 20. *Qualia sunt quadrata undique, quæ κύβους illi, nos quadrantalia dicimus: κύβος enim est figura, ex omni latere quadrata, quales sunt, inquit M. Varro, tesseræ, quibus in alveolo luditur.* Dicuntur etiam lepusculi, & jacula, si fides habenda est Isidoro. Ita enim ille XVIII. 59. *Tesseræ vocatæ, quia quadratæ sunt ex partibus omnibus. Has alii lepusculos vocant, quia exsiliendo discurrunt: olim autem tesseræ jacula appellabantur, a jaciendo.* Senftleb. de Alea vet. c. 7. §. 5. La Chausse de Tesser. tab. 8. Tomas. de Donar. c. 16. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 14. Nicol. de Sigl. vet. c. 27. §. 9. Bernart. in Stat. Theb. X. 17. Hugò de prim. scrib. rat. c. 25. Quis illas invenerit V. supr. in **Calculus.** Earundem materia, ut hodie, ita & olim, fuit varia. Eburnea apud Ovid. de Art. II. 203.

> *Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos.*

Mart. XIII. 1. 6. V. illum supr. in *Senio.* Crystallina apud Petron. c. 33. V. illum supr. in *Calculi.* Senftleb. ibid. §. 7. Calcagn. de Talor. lud. c. 2. Ad formam quod attinet, erant cubi, quia ex omni parte æquales erant, & quatuor angulos perfectos habebant, æque longi, lati, crassi, paribus angulis, semper jacebant. *Rader. in Martialem. Senftleb. ibid. c. 8. Calcagn. l. l.* Et hac ipsa forma distinguebantur a talis, dum sex quidem constabant lateribus, perinde ut ipsi tali, iis autem undiquaque locorum quadratis, quod in talis non erat, sed duobus in lateribus curvabantur illi paullatim. Ideoque in his, *tesseris* nimirum binio erant, & quinio, quæ in talis omittebantur, propterea quod talus in duo curvata illa latera exsilire non poterat, sed plane nullius erant usus. *Senftleb. l. l.* In illarum numero, quibus in tabula cum calculis ludebatur, non semel esse variatum comperi apud veteres: antiquissimi tribus utebantur, media ætas duabus tantum usa est, posterius ævum ad tres rediit, nunc vero duæ tantum ad hunc lusum usurpantur. Grammatici in expositione illius proverbii ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι notant antiquos tribus usos esse *tesseris.* Temporibus Senecæ duæ tantum in usu fuere. Sic ille in Ἀποκολ. p. 860.

> *Nam quoties missurus erat resonante fritillo,*
> *Utraque subducto fugiebat tessera fundo.*

Nec ætate Euripidis plures jactabantur. Nam Achillem duabus *tesseris* ludentem inducebat in tragœdia Telepho, e qua versum hunc citant Grammatici veteres:

> Βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα.

Hunc imperitissime viri doctissimi hoc modo reddiderunt:

> *Duas Achilles, quatuorque tesseras jecit.*

Non enim ille duas, & quatuor *tesseras* jecit, sed duabus jactis *tesseris*, duo & quatuor attulit puncta: mos enim erat aleatoribus, quum duas *tesseras* jacerent, earum puncta sic designare: duo & quatuor: tria & quinque: quatuor & sex: quod etiam hodieque in more habent. *Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Buleng. de Lud. Vet. c. 53. Beroald. Annot. c. 27.* In antiquorum *tesseris* numeri erant adscripti, vel picti, ut in nostris: unde *jactare numeros* pro jactare tesseras dixit Ovidius modo laudatus; at cum senum sint laterum, plures numeros, quam tali, habebant. Simile exemplum exstat apud Catull. L. 4.

> *— utQue nostrum*
> *Ludebat numero modo hoc modo illoc,*
> *Reddens mutua per jocum, atque vinum.*

Turneb. Adv. V. 6. Senftleb. ibid. § 9. Numerorum vicem obtinebant. V. illa supr. in *Puncta.*

Tesseræ mercatorum erant peculiares contractibus. Quem modum nunc mensarii observant, qui vulgo *banchieri*, ut possint, *tesseris* ostensis, mercaturam in alienis regionibus exercere. Huc facit Pollux IX. 6. *Symbolum tenue quoddam numisma, semisecta scilicet nummi pars, parvi admodum pretii: quo vendens, & emptor comprehenduntur, & confirmantur.* Pollucem quidem notat Casaubonus, quod symbolum non sit certæ pecuniæ nomen, sed annulus, aut quidvis aliud arrhæ loco. At vero Pollux non ait pecuniæ nomen, verum symboli loco nummum fuisse divisum.

sum. Annulus autem tesseræ convivali magis accedit, quoties ea communi sumptu paratur: veluti ex Terentio notum est: quod etiam ex Athen. III. 31. animadvertit Casaubonus ipse. *Tomas. de Tesser. c. 16. Nicol. de Sigl. Vet. c. 27. n. 9.*

Tesseræ militares inventæ sunt, ut confusio, quam ignorantia, & error militum in nocturnis, & subitis hostium invasionibus parere solet, evitetur. Hæc nostro tempore a ducibus superioribus in aures inferiorum insusurrari solent, Romani vero hunc in usum tabellas ligneas, quibus uniuscujusque noctis signum inscriptum erat, adhibebant. Has tabellas ita aptatas fuisse necesse est, ut præcedentium noctium *tesseræ* deleri, & aliæ in noctem sequentem iis inscribi possent; vel quotidie novas adhibitas fuisse oportet. Tabellas istas tribuni dabant unicuipiam viro, qui in ultimo, sive decimo ordine versus frontem castrorum metabatur: isque ob hanc causam a munere excubandi immunis erat. Dicit autem Polyb. VI. 32. ubi agit de *tesseris*, virum unum fuisse electum ex singulis decimis ordinibus, & omnibus generibus equitum, & peditum, id est, tam equitum Romanorum, quam socialium, nec non tam peditum Romanorum, quam socialium. Erant autem sex ordines decimi in una legione, juncta sociorum ala, duo nempe equitum, & quatuor peditum: totidemque in altera legione, juncta itidem ala sociorum. Hinc pro numero decimorum ordinum in unoquoque exercitu consulari, duodecim electi fuerunt viri, quibus quotidie circa occasum solis totidem tabellæ a tribunis datæ sunt. Hi quotidie, sole jam inclinante, adeuntes suæ quisque legionis tribunum, cui una cum alterius legionis tribuno, universorum castrorum cura ad duos menses demandata erat, accipiebant ab eo singuli tabellam ligneam, quibus omnibus una eademque inscripta erat *tessera*, quæ totum exercitum pervadebat. Cæterum, præter *tesseram* ipsam, singulis tabellis inscriptum quoque erat nomen illius, cui tabella a tribuno dabatur, vel ordinis, ut tribunus illico cognosceret, cujus partis tabella non fuisset sibi reddita. Si enim nomine *tesserariis*, vel ordinis, tabellæ non fuissent signatæ, tribuni scire nequivissent, cujus partis tabella ad se non rediisset, & proinde multa in hoc negotio peccari potuissent, ignorantibus semper tribunis, quis ob culpam, vel moram suam debita pœna afficiendus esset. Acceptis ergo a tribuno tabellis duodecim hi milites ad suos quisque ordines revertebantur, & adhibitis testibus, eas centurioni ordinis vicini tradebant. Hic pariter coram testibus acceptam tabellam centurioni ordinis proximi, sive octavi; iste similiter centurioni ordinis septimi tradebat, atque idem deinceps reliqui faciebant, donec tabella hac ratione per manus tradita ad centurionem primi ordinis pervenisset, qui eam tribuno reddebat. Hæc Polyb. VI. 32. *Patric. Rei milit. Rom.* X. *Sect.* 14. *Casal. de Conv. Vet. c. 3. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1106. *B. Lips. in Tacit. Annal.* XIII. *n.* 7. *& Excurs. A. de Milit. Rom.* V. 8. *Turneb. Adv.* XIX. 26 *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 11. *Bernart. in Stat. Theb.* X. 17. *Hugo de prim. scrib. rat. c.* 25. *Potter. Archæol. Græc.* III. 9. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3. *de Conviv. Vet. c.* 9. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 27. §. 4. *Tomas. de Tesser. hospit. c.* 16. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 126. V. & supr. in *Signum. Tesseræ* etiam mutæ duæ commemorantur, belli, & pacis, scilicet lignea frusta lata, vel tabellæ ligneæ, quibus nomen belli, & pacis inscriptum erat. Pompon. de Orig. jur. II. *Q. Fabius ad Carthaginenses missus legatus, cum essent duæ tesseræ positæ, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato, utram vellet Romam referre, utramque sustulit, & ait: Carthaginenses petere debere, utram velint accipere.* Gell. X. 27. *Q. Fabius Imperator Romanus dedit ad Carthaginenses epistolam, ubi scriptum fuit, populum Romanum misisse ad eos hastam, & caduceum, signa duo, belli, & pacis.* Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 14. Turneb. Adv. XXX. 35. Tomas. l. l.

Tessera nummaria erat, qua summa nummorum præscripta repræsentari solebat, & allata pro congiario nummi præstabatur. Has nonnunquam Augustus duplicavit apud Suet. c. 41. n. 6. Atque ita intelligo locum Juven. Sat. VII. 174. laudatum supr. in *Tessera frumentaria*. *Tessera* enim nummis redimebatur ab eo qui congiarium dabat. *Torrent. in Suetonium. S[illegible]. Antiq. [illegible]* I. 27. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 27. §. 3. *Schott. Nod. Cicer.* II. 6. *Tomas. de Tesser. hospit. c.* 16. *Hugo de prim. scrib. rat. c.* 25.

Tessera Paganica est tabula ænea, tres uncias alta, quæque [illegible]: cui superstat [illegible] vultus. [illegible] exhibeo, ut antiquitatum cultores perspiciant, quam religiose *tesseræ* fuerint institutæ.

TESSERAM PAGANICAM
L. VERATIUS FELICISSI
MUS PATRONUS PAGANI
S. PAGI TOLENTINES
HOSTIAS LUSTR. ET TESSER
ÆR. EX VOTO L. DD
V. ID. MAS FELICIT

Libertum fuisse L. Veratium suspicari licet ex alio monumento, quod Romæ vidit Smetius *L. Veratii Felicis* memoria conspicuum: cui forsan cum Toletano municipio commercium fuit, quod hostiis, ac voto *tesseræ* adhibitis ad majorem fidem stabilivit. *Tomas. de Tesser. Hospit. c.* 16. Romæ, olim apud Cardinalem de Maximis, Tolentinum urbs, & colonia Piceni, nunc Marchiæ Anconitanæ, quæ urbs adhuc Tolentino vocatur, ubi lustratæ fuerunt hostiæ forte ob aliquem grassantem morbum, aliudve imminens periculum, affixaque ænea tabula in aliquo templo ex Paganorum voto, ad numinum iram placandam. *Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* 9. *p.* 301.

Tesseræ in pavimentis dicuntur quadra lateritia, sive lapidea majora, quæ in frontem porrecta [illegible] digitis ad pedes quatuor, quinqueve. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 12. §. 5: 20 7. Eadem ratione ex Græco derivantur, qua nostrum Gallicum quarreau ex [illegible]. Utrumque a numero quaterno, ob quaterna latera, totidemque angulos in hisce lateribus. V. supr. in *Tessera*. Bergier. ibid. 20. §. 7. Aliæ erant triangulæ, aliæ quadrangulæ, quæ iterum vel in quadratum æquilateræ, vel parallelogrammæ oblongæ, vel rhombi, vel rhomboides, vel alius figuræ, ad lubitum artificis. Omnes generali vocabulo *tesserarum* his verbis comprehendit Vitruv. VII. 1. *Si tesseris stratum erit, ut ea omnes angulos habeant æquales, nullique a fricatura extantes. Cum enim anguli non fuerint omnes æqualiter plani, non erit exacta, ut oportet, fricatura.* Tales apud nos vulgo in templis visuntur, ubi fere solent esse coloris simplicis, quandoque duplicis, in certos ordines digestæ, & dispositæ. *Bergier. ibid. Sect.* 21. §. 2.

Tesseræ salvi conductus literæ etiam nonnullis dicuntur, ut Prateius statuit in Lexico jur. civ. in hac voce. Quanquam alii exponunt *tesseras* pro literis [illegible], quæ dictæ alias *tesseræ* collybisticæ. *Senfileb. de Alea c.* 7. §. 4.

Tesseræ theatrales dici possent symbola, in quibus erat adnotatum aliquid concedendum ei, qui *tesseram* acquisivisset. In theatris erant [illegible]. Globulus quippe ligneus erat pertusus, in cujus foramine notula erat rei, quæ tribueretur *tesseram* arripienti: dejiciebatur siquidem ab alto. Dio LXVI. 757. D. *Titus [illegible] globos ligneos de superiore loco jecit in theatrum, qui tesseram continebant alicujus esculenti, vestisve, aut vasis argentei, aut aurei, equorumque, & jumentorum, & pecudum, & mancipiorum. Quos globos qui rapuisset, attulissetque ad dispensatores Titi; quod inscriptum erat, consequebatur.* XLIX. p. 417. C. *Tesseras in theatrum de sublimi loco projecit, quibus argentum, vestis, vel aliæ quædam res offerebantur.* Suet. Ner. c. 11. n. 7. *Sparsa & populo missilia: avium cujusque generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque mansuetæ feræ: novissime naves, insulæ, agri.* Ad *tesseram* feras esse divisas, & donatas ab editoribus Principibus testatur etiam Mart. VIII. 78. 9.

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis,
Nunc dat spectatas tessera larga feras.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 3. Buleng. de Venat. Circi c. 24. Brod. Miscell. III. 12. Turneb. Adv. XXIX. 9. Nicol. de Sigl. Vet. c. 27. §. 7. Pignor. de Serv. p. 321. Tomas. de Tesser. Hospital. c. 16. Casal. de Conv. Vet. c. 3. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 14. Integram *tesseram* Romæ videre contigit, quatuor lateribus sic inscriptam:

PHILODAM. DOSSE

A. D. X. K. NOV
SPECT

M. TEREN. C. CAS

Quæ sic legebamus: *Philodamus Dosseni ante diem decimum Kalendas Novembris spectatus M. Terentio, C. Cassio coss.* Interrogatus Fulvius Ursinus eo sermonem deduxit, ut diceret, significari videri, quo anno, seu consulatu, mense, atque die gladiator Philodamus, spectatus, diu, multumque in arte versatus, rude sit, ac *tessera* eburnea donatus, quibus solutum se palæstræ, atque arenæ legibus athleta ostenderet: ut *spectati* vocabulum gladiatorum esset proprium. Quo referebat illud Horat. Epist. I. I. 2.

Spectatum satis, & donatum jam rude quæris,
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.

Erat autem rudis *tessera* quædam eburnea, cui nomen gladiatoris ætate emeriti inscribebatur, quam qui accipiebat, is ab omni pugnandi necessitate eximebatur. *Schott. Nodor. Ciceron.* II. 6. *Reines. Inscript. Class.* V. *n.* 24. *Pignor. ibid. p.* 320. *Nicol. ibid.* §. 8. *Tomas. l. l. Brod. Misc.* III. 12.

TESSERARIUS obibat munus affine ministerio dispensatoris. Ad illum, qui accepissent, afferebant *tesseras*, ut ab illis invicem reciperent frumentum, nummos, vestem. . . . Inscriptio:

SYMPHORO
TESSERARIO
SERV. CÆSARIS
DE. DOMO. GELO
TIANA. FECIT
PHILODESPOTUS
EX HERMÆO
FRATRI. B. M

Pignor. de Serv. p. 39.

Tesserarii in militaribus quinam fierent milites, docet Veget. II. 7. *Tesserarii, qui tesseram per contubernia militum nuntiant. Tessera autem dicebatur præceptum ducis, quo vel ad aliquod opus, vel ad bellum moveretur exercitus.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 978. B. Lips. de Milit. Rom. V. dial. 9. Stuck. Ant. Conv. I. 27. Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1106. B. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 15: IV. 11. Stewech. in Vegetium. Turneb. Adv. IV. 8. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 11. Cerda Adv. c. 71. n. 4. Laurent. Polym. IV. Synops. 3. Senftleb. de Alea c. 2. §. 7. Thys. Rom. Illustr. V. p. 127.

Tesserarius lignariorum, hoc est, militum illorum, qui ligna exercitui procurabant. In Not. Roman. TESSER. LIGNAR. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 978. *B.*

TESTÆ, sive testacea vasa parietibus infarciebantur, in theatris præcipue, ut exceptum hominum spectantium plausum cum harmonia quadam redderent. Id quod innuit Tranquill. Ner. c. 20. n. 6. *Qui plausuum genera condiscerent, bombos, & imbrices, & testas vocabant.* Ea vasa ex ære fabricanda esse docet Vitruvius, cum tamen Romæ in hippodromi parietinis *testacea* conspexerim. *Brod. Misc.* IX. 17. Qui meo judicio longe fallitur. *Testæ* vasa erant ex argilla, lutoque facta, & ad ignem tosta. Hæ olim apte percutiebantur, & pulsabantur. Aristoph. Ran. v. 2. 49 *Ubi est testulis crepitans?* Ad quem locum Græcus enarrator: *Lyræ inopia testas nonnulli accipientes crepitum faciebant.* De re eadem Juven. Sat. XI. 169.

Non capit has nugas humilis domus: audiat ille
Testarum crepitus cum verbis.

Testas, ait interpres, *antea percutiebant saltantibus pantomimis: quia tunc non erat, ut mesochori percuterent manibus.* Athen. XIV. p. 636. D. *Didymus scribit, consuevisse quosdam lyræ vice conchas, & testas complodere, ac numerosum efficere saltantibus sonum, ut testatur in Ranis Aristophanes.* Suidas in v. ξυλυφίων. *Diocles Atheniensis primus invenit harmoniam in testaceis vasis, quæ pulsabant ligno.* in v. ὀξύβαφον. Ajunt, *Dioclem Atheniensem invenisse harmoniam in fictilibus, quæ pulsaverit bacillo.* Ex quibus omnibus elucescit I. *testas* olim vere pulsatas, seu percussas. II. factitatum id ligno, seu bacillo. III. saltantibus potissimum pantomimis. IV. lyræ vice illas solitas circumferri. V. hujus harmoniæ inventorem, ac principem fuisse Dioclem Atheniensem VI. nonnisi procedente tempore factum, ut manuum collisione *testarum* ille crepitus exprimeretur. *Ferrar. de Acclam.* I. 11. *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 19. *Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Lampe de Cymbal.* I. 17. *Buleng. de Theat.* I. 59.

TESTAMENTUM est extremæ voluntatis nostræ testimonium. Modestin. l. 1. ff. qui testam. fac. poss. *Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* Ferrett. Mus. Lapid. II. memor. 3. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 12. Facere legibus Romanis, neque illo aliquid a cive accipere nisi civis Romanus potuit. Itaque Cicero cum Archiam in jure civium versatum esse contenderet, ea maxime ratione nisus est, quod eum *testamentum* legibus Romanis, iis præsertim temporibus, quæ accusator criminabatur, fecisse affirmaret. Et in orat. pro domo, cum sui etiam in exsilio, ut civis, habitam esse rationem, rogatione Clodia neglecta, ostendere vellet, dixit: *Quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod & si adessem?* Hujus autem totius *testamentarii* juris rationem e XII. tabularum fonte manasse, satis constat: fuit enim lex in iis ejusmodi, quod in Rhetoricis ad Herennium, & de Inventione, itemque apud Pomponium, Ulpianum, & Justinianum invenitur, quamquam apud alios plenius, alios vero exilius, sed omnes ferme in hunc modum: *Paterfamilias uti legassit super familia, tutelave suæ rei, ita jus esto.* Hisce non cuilibet legandi potestas lege permittitur, sed patrifamilias tantum: id est civi Romano, qui ex patris potestate exierit: hunc enim illi patremfamilias appellarunt. Et ita filiifamilias sunt exclusi usque adeo, ut Cicero etiam in Topic. c. 4. *mulierem, quæ se capite non diminuisset*, id est, quæ emancipata non esset, *si testamentum fecisset, secundum eas tabulas possessionem ex edicto prætoris dari non posse*, concluserit. *Sigon. l. l.* Ejus ratio triplex ab antiquis usurpata fertur. Gell. XV. 27. *Tria genera testamentorum accepimus: unum, quod calatis comitiis in populi concione fieret: alterum in procinctu, quum viri ad prœlium faciendum in aciem vocabantur: tertium, per familiæ emancipationem, cui æs, & libra adhiberentur.* De duobus prioribus Theoph. de Testam. II. 10. *Duo erant apud veteres testamentorum genera: unum, quod calatis comitiis fiebat, & dicebatur; alterum, quod in procinctu. Testamentum calatis comitiis tempore pacis fiebat, bis in anno hoc modo: præco universam circumibat civitatem, populum convocans: tumque qui testamentum condere volebat, in concione populi, ipso teste populo, testamentum scribebat: ex quo etiam dictum est calatis comitiis; nam calare est vocare: comitia vero populi congregatio. Quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum calatis comitiis. Procinctum vero testamentum est, quod fiebat, cum in prœlium essent exituri: nomenque ab habitu, in quo testamenta faciebat,*

bat, sortitum est. Procinctus enim dicitur qui accinctus est, & paratus ad confligendum cum hoste. Nam cum in incerto esset, an redituri essent, testamento prius facto in prœlium exibant. Secundi meminerunt Plutarch. in Coriol. p. 217. C. *Fuit autem illis temporibus mos apud Romanos, ut in aciem prodeuntes, antequam scuta caperent, & togis se præcingerent, tribus, aut quatuor audientibus, simul sine scriptis testamenta facerent, atque heredes nominarent.* Paterc. II. 5. 4. *Facientibus omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret.* Cicer. de Orat. I. 53. *Ac se, tanquam in procinctu testamentum faceret, sine libra, atque tabulis populum Romanum tutorem instituere dixisset illorum orbitati.* Ejusmodi *testamenta* suo tempore periisse significavit Cicer. de Nat. deor. II. 3. *Ex quo in procinctu testamenta perierunt. Ob hæc igitur,* pergit Theophilus, *tertia species inventa est, quæ dicebatur per æs, & libram. Fiebat enim per emancipationem. Porro emancipatio est imaginaria venditio. In hunc vero modum vendebatur. Quinque aderant testes, & libripens, cives Romani, hique puberes. Atque his præsentibus, is qui successor defuncti erat futurus, patrimonium mortui emebat, & imaginarii pretii nomine nummum rerum domino dabat; appellabaturque is qui emebat, familiæ emptor.* V. illum supr. in *Emptor.* Sigon. l. l. Brisson. de Form. VII. p. 586. August. ad Leg. XII. tab. §. 26. Ouzel. in Gellium. Valtrin. de Re mil. V. 3. Long. de Annul. c. 10. Ræyard. de Auctor. prudent. c. 11. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Class. III. p. 2. §. 17. Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 149. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 440. F. Quomodo autem fiebat per æs, & libram, sic etiam solvebatur. Hoc his verbis ostendit Cicer. de Leg. II. 20. *Hoc vero est e medio jure civili, ut per æs, & libram heredem testamenti solvant, & eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset.* Sigon. l. l. Interdum manu sua scribebat testator. Plin. Epist. II. 16. 2. *Constat codicillos istos Aciliani manu scriptos.* Manu auctoris totum conscriptum, atque subscriptum, *holographum* appellatum auctor est Isidor. V. 24. Interdum filiifamilias, vel servi, sive proprii, sive alieni, vel liberti, aut etiam extranei cujuslibet manu scribebatur l. 1. §. inter. l. senatus, & l. divus ff. de leg. Cornel. de falso. Nam si testator impeditus esset, vel scribere ei commodum non esset, id dictabat. Plin. VI. 22. 3. *Protulit Bruttianus testamentum suum, quod Attici manu scriptum esse dicebat.* Sic filium emancipatum patris *testamentum* scripsisse legimus l. filius ff. de leg. Cornel. de falso. Augusti partim ipsius, partim libertorum Polybii, & Hilarionis manu scriptum fuisse refert Suet. c. 102. n. 1. Et Tiberium duplex eodem exemplo, alterum sua, alterum liberti manu scripsisse narrat c. 76. n. 1. Ad scribenda adhibitos Ictos indicio est l. Lucius Titius. §. ult. ff. de legat. II. Crassus etiam Scævolam ludens apud Cicer. de Orat. II. 6. *Nam si,* ait, *nullum erit testamentum rite factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus.* Suet. Ner. c. 32. n. 2. *Deinde ut ingratorum in Principem testamenta ad fiscum pertinerent: ac ne impune esset studiosis juris, qui scripsissent, vel dictassent ea.* Brisson. de Form. VII. p. 587. Long. de Annul. c. 10. Illis diem, & consules adscribi consuevisse docet l. 2. §. diem autem. ff. testam. quemadm. aper. & l. 3. C. eod. tit. Suet. Aug. c. 102. n. 1. *Testamentum L. Planco, C. Silio coss. III. nonas Apriles ante annum, & quatuor menses quam decederet, factum ab eo....* Quamquam si non adjecti essent, non nocebat quo minus valerent, ut a Modestino Regul. III. scriptum fragmenta Pithœana testantur. *Brisson. ibid. p.* 588. Plures tabulæ eodem exemplo scribebant, quibus tamen unius *testamenti* voluntatem eodem tempore sollenniter testator complebat. Annulo obsignabatur. Vivo testatore clausum erat. Vel privatim, vel publice, id est, in æde sacra apud æditum, vel apud tabularium, vel apud amicum aliquem deponebatur. Mortuo testatore aperiebatur. V. supr. in *Tabulæ.* Formula nuncupandi quænam fuerit, V. supr. in *Formula.* Sepulcro quandoque inscribebatur. Videmus hoc in veteribus lapidibus. Et ridiculus fuit Staberius, homo avarissimus, qui *testamento* jussit hæredes scribere in suo monumento, quantum quisque a se relictum accepisset. Horat. Sat. II 3. 84.

Hæredes Staberi summam incidêre sepulcro,
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arri.

Guther. de Jur. man. II. 26. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 13. Ita in veteri quodam saxo Assisii servato. P. DECIMIUS. P: L. EROS. MERULA MEDICUS CLINICUS CHIRURGUS OCULARIUS VIVIR. HIC PRO LIBERTATE DEDIT HS. L. M. HIC PRO SEVIRATU IN REMPUB. DEDIT HS. XXM. HIC IN STATUAS PONENDAS IN ÆDEM HERCULIS DEDIT HS. XXXM. HIC IN VIAS STERNENDAS IN PUBLICUM DEDIT HS. XXXVIIM. HIC PRIDIE QUAM MORTUUS EST RELIQUIT PATRIMONII HS. XVIM. *Torrent. in Horatium.* Damnatam adulterii mulierem lex Julia de adulteriis testem produci, vel dicere testimonium vetabat l. qui testamentum §. mulier ff. de testam. Unde Paull. l. ex eo ff. de Testibus: *Ex eo quod prohibet lex Julia de adulteriis testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres in judicio dicendi testimonii jus habere.* Non tantum autem mulierem, sed & adulterii damnatum quemlibet a testimonio dicendo lex Julia repellebat. Itaque ad *testamentum* faciendum adhiberi adulterii damnatus non poterat, nec si adhibitus fuisset, valebat *testamentum:* adeo ut neque hæreditas adiri ex eo, neque bonorum possessio peti posset. Quemadmodum a Papiniano libro singulari de adulteriis scriptum erat l. 14. ff. de Testibus. *Brisson. de leg. Jul. de Adulter. p.* 194. Summi officii, & honoris loco apud Romanos erat ex aliorum *testamentis* aliquid accipere. Ulpian. l. 3. §. 1. ff. de legat. præst. *Hoc autem solum deleri, quod ipsis parentibus relictum est, & liberis. Cæterum si servo eorum fuerit adscriptum, vel subjectæ eorum juri personæ, non debetur. Nec enim quæritur, cui adquiratur, sed cui honor habitus sit.* Cicer. pro Quint. c. 4. *Moritur in Gallia, & moritur repentino, heredem testamento reliquit hunc Quintium, ut ad quem summus mœror veniebat, ad eundem summus honor quoque perveniret.* Cicer. pro Cæcin. c. 4. *Usumfructum omnium bonorum suorum Coponiæ legavit, ut frueretur una cum filio. Magnus honor viri mulieri jucundus fuisset, si diuturnum esse licuisset.* Siccam. de Judic. Centumvir. II. 6. Brisson. Ant. Select. IV. 19. Idque non solum propter bona, quæ relinquebantur, verum etiam quod in nomen familiæ adsciscebantur. Cicer. Offic. III. 18. *Sed cum Basilus M. Satrium sororis filium nomen suum ferre voluisset, eumque heredem fecisset.* ad Attic. VII. 8. *Dolabellam video Liviæ testamento cum duobus coheredibus esse in triente; sed juberi mutare nomen. Est πολιτικὸν σκέμμα, rectumne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento.* Siccam. l. l. Per contrarium autem injuriosum, atque turpe putabatur amicorum, parentumve *testamento* præteriri. *Exheredationem* certe *filii injuriam* appellat Papinian. l. Papinianus ff. de inoffic. testam. Et probri loco Antonio Cicero objicit, *quod ex amicorum testamentis nullas accepisset hereditates.* Brisson. l. l. *Testamentorum* licentiam primus Tiberius coarctavit, qui *deportatis, ut iis, quibus aqua & igni interdictum est, abstulit testamenti factionem.* Dio LVII. p. 618. B. quæ, cum juris gentium esset, civili lege tolli non poterat, quod tamen postea invaluit l. ejus qui. §. si cui. ff. de testam. *Guther. de Jur. man.* I. 9. Julian. l. Cornel. ff. qui test. fac. poss. sic scribit: *Lege Cornelia testamenta eorum, qui in hostium potestate decesserint, perinde confirmantur, ac si qui ea fecissent, in hostium potestatem non pervenissent; & hereditas ex his ad unumquemque pertinet.* Quæ ita intelligenda sunt, non ut *testamentum,* quod is apud hostes fecit, valeat, nam id ne illo quidem domum redeunte valet; sed quod antea, dum in civitate esset, fecit; si illic decesserit, valeat ex lege Cornelia: sin autem redierit, jure postliminii. Paullus quoque libro singulari ad legem Falcidiam scribit, ad eos

 quo-

quoque pertinere, qui apud hoſtes moriuntur, propter legem Corneliam, quæ perinde eorum *teſtamenta* confirmat, atque ſi in civitate deceſſiſſent. Addit Julianus, bona eorum qui in hoſtium poteſtate deceſſerint, ſive *teſtamenti* factionem habuerint, ſive non habuerint, ad eos pertinere, ad quos pertinerent, ſi in hoſtium poteſtatem non perveniſſent. *Auguſt. de Leg. ad Cornel. de Captiv.*

Teſtamentum inofficioſum eſt contra merita factum, ut improbum contra leges, inhumanum contra pietatem. Cicer. Verr. I. 42. *P. Annius fecerat non inofficioſum, non improbum, non inhumanum: quod ſi ita feciſſet, tamen poſt illius mortem, nihil de teſtamento illius novi juris conſtitui oporteret.* Dictum vero inofficioſum, quaſi contra merita, & officium pietatis, id eſt, quod teſtator contra officium ſuum, quod alteri debebat, fecit. Et cum eo modo omnia fere inofficioſa dici poſſent, κατ' ἐξοχὴν ea inofficioſa dicta ſunt, quæ debitum liberis, parentibus, fratribus, ſororibusque officium non præſtant: nam qui erga illos inofficioſus, & inhumanus eſt, erga ſeipſum talis eſſe exiſtimatur. Teſtator habetur tempore facti *teſtamenti* non fuiſſe ſanæ mentis, ſed furioſus. Marcianus: *Hoc colore de inofficioſo teſtamento agitur, quaſi non ſanæ mentis fuerint, ut teſtamentum ordinarent. & hoc dicitur, non quaſi vere furioſus, vel demens teſtatus ſit, ſed recte quidem fecerit teſtamentum, ſed non ex officio pietatis: nam ſi vere fuiſſet furioſus, vel demens, nullum eſſet teſtamentum.* Scævol. l. nec fideicommiſſa ff. de Legat. III. *Nihil ex ejus teſtamento, quod inofficioſum judicatum eſſet, idcirco valere, quia crederetur quaſi furioſus teſtamentum facere non potuiſſe.* Quid ita? Quia cum lege naturæ filiis paterna hæreditas debeatur l. ult. §. de bon. damnat. qui naturam, humanitatemque violat, qui ſuis liberis, & quodammodo ſibi ipſi injurius eſt, non ſatis integræ mentis videtur fuiſſe. *Sicam. de Centumvir. judic. II. 6. Auguſt. de Leg. in Glitia. Ravard. de Auctor. prudent. c. 12.*

Teſtamentum internecinum eſt falſum, propter quod, ut ſcilicet ex eo acquiri hæreditas poſſit, dominus occiditur. Hinc eſt accuſatio internecini, de qua l. qui vel internecini C. Th. de accuſat. cujus præmium eſt bonorum poſſeſſio, ut aperte Iſidor. v. 26. *Internecini judicium in eum dabatur, qui falſum teſtamentum fecerat, & ob id hominem occiderat, & accuſatorem ejus bonorum poſſeſſio ſequebatur.* Feſtus: *Internecinum teſtamentum eſt, propter quod dominus ejus necatus eſt.* Cujac. Obſerv. I. 2.

Teſtamentum nuncupativum eſt non ſcriptum, ſed viva voce prolatum. §. 15. Inſtitut. de teſtam. ordinand. *Sed hæc quidem de teſtamentis, quæ ſcriptis conficiuntur, ſufficiunt. Si quis autem ſine ſcriptis voluerit ordinare jure civili teſtamentum: ſeptem teſtibus adhibitis, & ſua voluntate coram eis nuncupata, ſciat hoc perfectiſſimum teſtamentum jure civili, firmumque conſtitutum.* Etiam ſcripto olim nuncupatio quædam accedebat, & *teſtatio* dicebatur. Docet Ulpian. in fragment. regular. t. 20. §. 8. in teſtamento: *Nuncupatur*, inquit, *teſtamentum* per æs & libram factum *in hunc modum: tabulas teſtamenti teſtator tenens, ita dicit: hæc ut his tabulis, ceriſve ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor: itaque vos quirites*, teſtes enim oportebat eſſe cives Romanos, *teſtimonium præbitote.* Sed hæc nuncupatio longe eſt diverſa ab ea, quæ conſtituit *teſtamentum* non ſcriptum, ſeu nuncupativum: quale feciſſe ſcribitur & Horatius, qui, ut eſt in ejus vita n. 16. *cum urgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas, deceſſit hærede Auguſto palam nuncupato.* Quod exemplum vel ob hanc cauſam notandum eſt: ut ſciamus, poſſe aliquem, cum ab initio propoſuiſſet in ſcriptis *teſtari*; mutata voluntate omittere *teſtamentum* ſcriptum, & tranſire ad *teſtamentum* nuncupativum: utpote quod ſit longe facilius, atque expeditius, quam ſcriptum, quanto videlicet facilius viva vox profertur, & a teſtibus percipitur, quam ſcriptum conficitur, & a teſtatore propria manu ſubſcribitur, atque a tot teſtibus obſignatur, ac lino trajicitur. Inter quas moras facile fieri poteſt, ut mors teſtatorem prius occupet, quam omnia rite fuerint abſoluta, & perfecta.

Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 2. c. 18. V. & ſupr. in *Nuncupare.*

TESTARENTUR cum deos, utebantur verbo *teſtor.* Virg. Æneid. II. 154.

> *Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum*
> *Teſtor numen, ait.*

XI. 560.

> —— *accipe, teſtor,*
> *Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.*

Hanſen. de Jurejur. vet. c. 18.

TESTES fuerunt homines liberi, qui teſtimonium extra tormentum dixerunt. Non omnibus teſtimonium dicere licuit, propterea de *teſtium* conditione Calliſtr. ff. de Teſtibus. *Teſtium fides diligenter examinanda eſt: ideoque in perſona eorum exploranda erunt inprimis conditio cujusque, utrum quis decurio, an plebejus ſit: & an honeſtæ, & inculpatæ vitæ, an vero notatus, & reprehenſibilis: an locuples, vel egens ſit, ut lucri cauſa quid facile admittat: vel an inimicus ei ſit, adverſus quem teſtimonium fert, vel amicus ei ſit, pro quo teſtimonium dat. Nam ſi careat ſuſpicione teſtimonium, vel propter perſonam, a qua fertur, quod honeſta ſit: vel propter cauſam, quod neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ cauſa, admittendus eſt.* Sigon. de Judic. II. 15. *Teſtium* illa diviſio fuit, ut alii ſponte teſtimonium dicerent, alii inviti; his lex jubebat, ut teſtimonium denuntiaretur ab accuſatore, qui uti eorum teſtimonio cupiebat. Hanc intellexit Val. Max. VIII. I. 10. *Scaurus adeo perditam defenſionem in judicium attulit, ut accuſator diceret, lege ſibi centum atque viginti hominibus denuntiare teſtimonium licere.* Paull. ff. de Teſtibus: *Lege Julia judiciorum publicorum cavetur, ne invito denuntietur, ut teſtimonium dicat adverſus ſocerum, generum, vitricum, privignum, ſobrinum, ſobrino natum, eosque qui propiore gradu ſunt: item ne liberto ipſius, liberorum ejus, parentum, viri, uxoris, item patroni, patronæ, & ne patroni, patronæ adverſus libertos, neque liberti adverſus patronum coguntur teſtimonium dicere.* De his, ſi teſtimonium dicere reſpuiſſent, ſic ſcriptum erat in XII. *Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito:* id eſt, ſi quis, cui teſtimonium denuntiatum ſit, ipſum teſtimonium deſeruerit, tum ad ædes ejus ad dicendum convicium ito. *Portus* enim ibi eſt domus, *obvagulare* convicium dicere, teſte Feſto. Quoniam vero *teſtes* protulit, & accuſator, & defenſor, invitos quidem accuſator, voluntarios uterque, diligenter, quemadmodum eos interrogarent, animadvertere debuerunt. Fuit enim in interrogando *teſte* ſumma induſtriæ oratoriæ laus poſita. Quintil. V. 7. *Quoniam duo genera ſunt teſtium: aut voluntariorum, aut eorum, quibus judex in publicis judiciis lege denuntiare ſolet: quorum altero utraque pars utitur, alterum accuſatoribus tantum conceſſum eſt, ſeparemus officium dantis teſtes, & refellentis. Qui voluntarium producit, ſcire, quid is dicturus ſit, poteſt: ideoque faciliorem videtur interrogando habere rogationem. Sed hæc quoque pars acumen, & vigilantiam poſcit, providendumque, ne timidus, ac inconſtans, ne imprudens teſtis ſit. Turbantur enim, & a patronis diverſæ partis inducuntur in laqueum. . . . . At in eo, qui verum invitus dicturus eſt, prima felicitas interrogantis eſt, extorquere quod is noluerit. Hoc non alio modo fieri poteſt, quam longius interrogatione repetita: Reſpondebit enim, quæ nocere cauſæ non arbitrabitur. . . .* Formula interrogandi *teſtis* fuit: *quæro de te, arbitrerisne?* V. ſupr. in *Formula.* Interrogatio *teſtium* accuſationem præceſſit: id quod cum aliis legibus cautum eſt, tum Pompeja de vi. Aſcon. in Cicer. p. 191. *Apud Domitium quæſitorem major Appius poſtulavit a Milone ſervos exhiberi numero quatuor & quinquaginta: & cum ille negaret, eos, qui nominabantur, in ſua poteſtate eſſe, Domitius ex ſententia judicum pronuntiavit, ut ex ſervorum eorum numero accuſator, quot vellet, ederet. Citati deinde teſtes, ſecundum legem, quæ jubebat, ut prius, quam cauſa ageretur, teſtes per triduum audirentur, dicta eorum judices conſignarent, quarta die adeſſe omnes in diem poſterum juberentur. Primo die datus erat in Milonem teſtis Caſſinius Schola,*

quem

quem cum interrogare M. Marcellus cœpisset, tumultu Clodianæ multitudinis circumstantis exterritus est: testimonium aliis diebus dixere alii: dimissum judicium est. Aliæ leges post causam actam *testes* dari voluerunt, ut lege Cornelia de repetundis in Verrem Cicero. *Sigon. & Brisson. l. l.* Aut præsentes, aut per tabulas absentes testimonium dabant. Cujusmodi testimonia in judiciis recitari solebant. Callistr. l. 3. §. Gabinio ff. de testib. Hadriani rescriptum laudat, cujus verba sic habent: *Alia est auctoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quæ recitari solent.* Brisson. ibid. p. 478. Pollet. For. Rom. IV. 13. Tabulis, scriptove mandatum surdum etiam in adagione vocatur, vel mutum, ut fit in obsignandis testamentis, contractibus, inquisitionibus, & cæteris absentium depositionibus. Præsentes suum assignatum in foro subsellium habebant, ex quo testificaturi surgerent. Cicer. pro Q. Rosc. c. 13. *Te, te, inquam, Fanni abs tuis subselliis contra te testem suscitabo.* Quintil. v. 7. *Illæ vero pessimæ artes, testem subornatum in subsellia adversarii mittere, ut inde excitatus plus noceat dicendo contra reum, cum quo sederit.* Pollet. & Sigon. l. l. Plerumque decem a prætore dabantur. Edictum prætoris de recuperatorio judicio dando, cujus meminit Probus in Notis, hoc indicat: *Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ judicium recuperatorium dabo, testibus publicis duntaxat decem denuntiandi potestatem faciam.* Et lex Manilia de limitibus per tempora belli Jugurthini lata, quæ est apud Frontin. de Limit. c. 5. *Cum curator hac lege non erit, tunc quicunque magistratus in nova colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo juredicundo præerit, ejus magistratus de ea re jurisdictio, judicumque datio, addictioque esto: inque eam rem is, qui hac lege judicium dederit, testibus publice duntaxat in res singulas decem denuntiandi potestatem facito.* Cum autem denuntiandi potestatem dicebant, præcisa oratione denuntiandi testimonii facultatem intelligebant. *Sigon. ibid.* I. 25. De eo, qui passus fuerit semel se pro *teste*, vel libripende adhiberi, & postea testimonium perhibere nolit, etiam quippiam in XII. tab. cautum fuisse docet nos Gell. XV. 13. cujus legis verba Cujacius ita restituenda putat ope veteris M C. *Qui se sierit testarier, libripensve fuerit, si in testimonium feriatur, improbus, intestabilisque esto.* Ut hæc sit sententia: si quis siverit se in testamento citari in testem: hoc enim est passive usurpatum verbum *testarier*, vel rogari, atque adhiberi in *testem*, vel libripendem, sive a testatore, qui per æs & libram testamentum facit, sive etiam ab alio, qui nexum, mancipiumve faciat, in traditione ex contractu: deinde vero nolit approbare fidem testamenti, vel traditionis, cui adhibitus est pro teste, aut libripende, sed conetur auctoritatem defugere: hunc debere teneri, id est, cogi ad testimonium veritati perhibendum: tum deinde pœna hac ipsum afficiendam, ut deinceps pro improbo, atque intestabili habeatur. *Balduin. in Leg.* XII. *tab. c.* 6. *Hotoman. Antiquit.* III. *p.* 432. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* III. *p.* 2. *c.* 19. Decemviri in ea lege imitantur legem Atticam Solonis: qua dabatur actio in eum, qui antestatus, id est, in testimonium adhibitus, postea testimonium alicui dicere abnuisset, quæ vocabatur a Græcis *δίκη λειπομαρτυρίας*, q. d. actionem declinati testimonii. Videatur Pollux VIII. 6. *Marcil. in Leg.* XII. *tab. c.* 5. *Rittersh. l. l.*

Testes alligati quare dicti fuerint, docet Isidor. IV. 23. *Testes sunt, a quibus quæritur veritas in judicio, quos quisque ante judicium sibi placitis alligat, ne cui sit postea liberum, aut dissimulare, aut subtrahere se, & alligati appellantur.* Et ita scripsit Cicero ad Fratr. II. 3. *Nerius judex edidit ad alligatos Cn. Lentulum, & C. Cornelium.* Sigon. de Judic. II. 15. Long. de Annul. c. 10. Ræward. Conject. II. 20.

Testes classici *dicebantur, qui signandis testamentis adhibebantur.* Festus. Qui respicit ad quinque classes, in quarum aliqua omnino censebantur, qui cives erant Romani. Non enim cives Romani erant, qui classem non habebant. Et simul indicat, proletarios, ac capite censos, quia classici non erant, signandis testamentis adhiberi non potuisse ob nimiam paupertatem, quæ cum falsi ingentem materiam præbeat, semper Romanis suspecta fuit, quemadmodum de C. Mario scribit Val. Max. II. Proletarii igitur, & capite censi classici non erant, id quod traditur ab Arnob. II. p. 63. *Desinite*, inquit, *hominem, proletarius cum sit, classicis, & capite cum censeatur, adscribere ordinibus primis.* Sensus enim est: desinite hominem adscribere primis ordinibus, qui classium respectu, sub quibus nimia paupertate nequit censeri, nomen habet, & titulum proletarii. *Long. de Annul. c.* 10. *Kirchman. de Annul. c.* 5. *Bud. in Pandect. p.* 133. *G. Scalig. in Festum. Ræward. Conject.* II. 20. *Pigh. Annal. Roman.* I. *p.* 47. *Schill Nomencl. Philol. p.* 1079.

TESTIMONIUM appellatur omnis probatio extrinsecus sumpta. In tres partes *testimonia* tributa, quæstiones, testes, & tabulas. In his maxime studium accusatoris fuit collocatum: atque earum, & ejusmodi rerum parandarum gratia dies aliquot post nominis delationem ad inquirendum sumpserunt: quod maxime in lege repetundarum est observatum. Quanquam non omnia crimina iisdem *testimoniis* confirmata sunt. Nam cædes quæstionibus, & testibus probata est, tabularum fidem non desideravit. Repetundæ, & peculatus testes, & tabulas poposcerunt, quæstiones repudiarunt. Majestas, & ambitus solis etiam testibus fuit contenta. *Sigon. de Judic.* II. 13. Cassius Longinus, cujus libri non exstant, sed eorum testimonio utitur Martian. Digest. I. utitur, putabat, ei, qui ob turpitudinem senatu motus, nec restitutus esset, non licere *testimonium* dicere: quia lex Julia id fieri vetaret. Calumniæ damnatis publico judicio quid licuerit, satis aperte Papiniani præclara sane verba demonstrant. *Quæsitum, inquit, scio, an in publicis judiciis calumniæ damnati testimonium judicio publico perhibere possint. Sed neque lege Rhemmia prohibentur: & leges Juliæ de vi, repetundarum, peculatus, eos homines testimonium dicere non vetuerunt: verum tamen, quod legibus omissum est, non omittetur religione judicantium: ad quorum officium pertinet, ejus quoque testimonii fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere.* Mulieribus quoque videtur licuisse *testimonium* dicere: siquidem non licuisse de adulterio damnatis, indicat Paullus. V. illum supr. in *Testamentum.* Augustin. de Legib. c. 15. Non vero servis. V. supr. in *Servus.* De iis, qui *testimonium* dicere non potuerunt, etiam lex XII. tab. loquuta est. Verba quædam sunt apud Gell. XV. 13. *Qui si testator erit, libripensve fuerit, ne testimonium feratur, improbus, intestabilisque esto.* Quorum verborum prima adeo lacera sunt, ut sanari non possint. Sunt qui ita emendent. *Qui se sierit testarier, libripensque fuerit, ni testimonium feratur, improbus, intestabilisque esto.* Quo loco *testari* volunt esse testem adhiberi. Posteriora declarantur ab eodem VI. 7. *Tarratiam*, inquit, *virginem Vestæ fuisse lex Horatia testis est, quæ super ea ad populum lata, qua lege ei plurimi honores fiunt, inter quos jus quoque testimonii dicendi tribuitur; testabilisque una omnium feminarum ut sit datur. Id verbum est ipsius legis Horatiæ. Contrarium est in* XII. *tabulis scriptum: improbus, intestabilisque esto.* Sigon. de Judic. II. 15. Falsum *testimonium* qui dixisset, e saxo Tarpejo ut dejiceretur, sanxerunt decemviri, teste Gell. XX. 1. V. illum supr. in *Rupes.* Pœna hæc satis atrox, & gravis fuit; sed non caruit ratione: videlicet hoc spectarunt decemviri, ut *acerbitas ulciscendi maleficii, bene atque caute vivendi disciplina esset*, ut Cæcilius præclare ad Phavorinum apud Gellium. Imitati sunt Athenienses, apud quos etiam erat judicium ψευδομαρτυρίας, id est, falsi *testimonii*, cujus crebra mentio est apud Demosthenem: nec ipsemet falsus testis, sed etiam, qui eum subornavisset, tenebatur. Græcorum in *testimoniis* mira fuit levitas. Eadem ne & Romani mores inficerentur, præcavere decemviri voluerunt tam gravi pœna præcipitationis falso testi proposita. Ea tamen obsolevit, ut quæ nimis atrox videretur, & incivilis. Successit in ejus locum arbitraria. Paull. l. 16. qui falso ff. de testib. & Sent. V. 25. §. 2. *Qui falso, vel varie testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, a judicibus competenter puniuntur.*

tur. Ubi *competenter puniri* nihil aliud eſt quam convenienter varietati rerum, cauſarum, & perſonarum; ſive pro qualitate circumſtantiarum, & gravitate, ac modo admiſſi. Militiæ gravius in falſos *teſtes* animadverterunt. Nam ſi quis in caſtris falſum *teſtimonium* dixiſſe convictus eſſet, eum fuſtibus ſubjiciebant, teſte Polyb. VI. 35. V. illum ſupr. in *Fuſtuarium*. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. II. §. 6. Hotman. Antiq. Roman. II. 2. p. 402. E.

TESTUDO eſt anguis quædam putamine, ſive cortice operta, candidiſſima, & parva, quæ in Lydo Arabico reperiebatur, & corticem habebat candidiſſimam ſimul, & ſplendidiſſimam, inſtar nitidæ alicujus margaritæ. Hanc in laminas ſecabant, iiſdemque menſas, & lectos, non ſecus atque olea, & ebore veſtiebant. Hodie videre hanc non contingit, niſi quod in Indias orientales navigantes reperiſſe ſe eam dicunt. *Teſtudineorum* tamen hujuſmodi operum fit mentio in multis legibus, præſertim vero in l. Labeo. 7. ff. de ſupell. legat. & in l. hæres 100. ff. de Legat. III. *Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 481. Mart. IX. 60. 9. V. illum ſupr. in *Stibadium*. Lucian. in Aſino p. 114. *Lectus erat magnus ex Indica teſtudine factus.* Clem. Alex. Pædag. II. 3. *Lectos factos e teſtudinibus.* Plin. XVI. 43. *Excogitatæ ſunt & ligni bracteæ: cœpit lignum ebore diſtingui, mox operiri. Placuit deinde materiam & in mari quæri. Teſtudo in hoc ſecta.* Buleng. de Conviv. I. 39. Bochart. Hieroz. IV. 8. Dempſter. Paralipom. ad Roſin. Antiq. V. 26. Voſſ. de Idolol. IV. 48. Broukh. in Tibull. III. 4. 37. Qui luxus in oriente primus uſurpatus tandem ad Romanos devenit. Tempus notatum a Plin. IX. 11. *Teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectosque, & repoſitoria his veſtire, Carbilius Pollio inſtituit, prodigi & ſagacis ad luxuriæ inſtrumenta ingenii.* Bochart. Voſſ. Broukh. & Buleng. l. l. Salmuth in Pancirol. ibid. p. 482. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 184. H.

Teſtudo in architectura vocatur opus concameratum. Non. I. 286. *Teſtudines ſunt loca in ædificiis camerata ad ſimilitudinem aquatilium teſtudinum, quæ duris tergoribus ſunt, & incurvis. Virgilius:*

Tum foribus divæ media teſtudine templi.

Hinc opus *teſtudinatum* apud Vitruv. VI. 3. pro quo *teſtudineatum* legitur apud Colum. XII. 15. *Voſſ. Lex. Etymol. Bald. Lex. Vitruv.*

Teſtudo inſtrumentum vocatur muſicum, quod Græcis ſimiliter χέλυς. V. ſupr. in *Chelys*. Voſſ. Lex. Etymol. Septem in illa fuerunt chordæ. Docet hoc Homer. Hymn. Mercur. n. 51.

Septem autem concinnas ovium extendit chordas.

& Horat. Od. III. II. 3.

Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis.

Feith. Ant. Homer. IV. 4.

Teſtudo militaris ſequebatur coronam, qua ſtatim ſub muris uſi, ut tecti, & conferti ſuccederent, adſcenderentque. Cæſ. de Bell. Gall. II. 6. *Gallorum, atque Belgarum eadem eſt oppugnatio. Hi, ubi circumjecta multitudine hominum totis mœnibus, undique in murum lapides jaci cœpti ſunt, murusque defenſoribus nudatus eſt, teſtudine facta portis ſuccedunt.* Et quanquam Gallis hoc tribuit, Romani etiam uſi ſunt, & vulgo quidem uſi: ſed facit ideo, quia illi haud alia machinatione, operum fere expertes: Romani autem & iſta adhibebant, cum opus. Erat vero *teſtudo*, ſive φάλαγξ Græcis, aut συνασπισμὸς, *conſcutatio*, junctio corporum, armorumque, & ſcuta partim lateribus applicata, partim capitibus ſuperlata. Exemplum volunt eſſe ab Homero, apud quem Iliad. N. 131. *Scutum ſcuto hæret, galeæ galea, atque viro vir.* Sed tamen Homerus nil niſi denſationem, & confertam aciem notat: ſcuta elata ſuper caput, quod proprium eſt *teſtudinis*, non notat. Sed unde unde, Romanis fuit uſitata I. in *oppugnando*, cum ſcutis ſuper capita elatis muro ſuccedebant, primis altioribus, & ordine paullatim, tecti ſimplicis in morem, decreſcente. Cauſa, ut tela injecta per proclive laberentur, & minus inſidere poſſent, aut infigi. Liv. XLIV. 9. *Juvenes quidam Romani, ludicro circenſi ad uſum belli verſo, partem humillimam muri ceperunt. . . . Cum alios decurſu ediidiſſent motus, quadrato agmine facto, ſcutis ſuper capita denſatis, ſtantibus primis, ſecundis ſubmiſſioribus, tertiis magis & quartis, poſtremis etiam genu nixis, faſtigiatam, ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebant. Hinc quinquaginta ferme pedum ſpatio diſtantes armati duo procurrebant, comminatique inter ſe, ab ima in ſummam teſtudinem per denſata ſcuta cum evaſiſſent, nunc velut propugnantes per oras extremæ teſtudinis, nunc in media inter ſe concurrentes, haud ſecus quam ſtabili ſolo perſultabant. Huic teſtudini ſimillima parte muri admota, cum armati ſuperſtantes ſubiſſent, propugnatoribus muri faſtigio altitudinis æquabantur. Id tantum diſſimile fuit, quod & in fronte extrema, & ex lateribus, ſoli non habebant elata ſuper capita ſcuta, ne nudarent corpora, ſed prætecta pugnantium more. Ita nec ipſos tela ex muro miſſa ſubeuntes læſerunt, & teſtudini injecta, imbris,* vel *imbricis in modum lubrico faſtigio innoxia ad imum labebantur.* Quis auctor, neſcio. Sexaginta juvenes manipulatim in *teſtudines* ſe conglobabant, ne quis confuſionem putet, aut ordinem vel hic neglectum. Ammian. XVI. 12. *Alacris miles, & legionibus in teſtudines varias conglobatis, paullatim tuto progrediens, ſubruere mœnia conabatur.* Fines. I. ſuccedere, & ſubruere. Cæſ. Bell. Gall. II. 6. *Teſtudine facta portis ſuccedunt, murumque ſubruunt.* Ammian. l. l. II. ſuccedere, & aſcendere. Liv. l. l. *Huic teſtudini parte muri admota. . . .* Itaque ex æquo pugnabant, aut tranſcendebant, ſi amoviſſent. *Iteratam teſtudinem*, & quaſi duplicatam appellat Tacit. Hiſt. III. 28. 3. *Quin ſubruerent vallum, quaterentque portas, innixi humeris, & ſuper iteratam teſtudinem ſcandentes.* II. in *pugnando*, eratque cum globo facto, & tecti ſcutis, ſic invadebant, ac perrumpebant. Hac tamen non nimis ſæpe Romani, quia ordines non divellebant. Nihilominus uſi. Ammianus: *Alemanni nexam ſcutorum compagem, quæ noſtros in modum teſtudinis tuebantur, ſcindebant gladiorum ictibus crebris.* In illa non latera ſemper tecta, nec item ſubſeſſio illa, & inclinatio per gradus. III. in *repugnando*, cum ab equitatu, aut levi armatura cincti, huc decurrunt, aut in orbem ſe muniant, mediis altioribus extremis undique deſidentibus: & fit vere ea tunc *teſtudo*. Parthi cum M. Antonium premerent in receſſu, & jam inſtarent Romanis legionibus, aliquoties victores, Romani ſunt commenti, ut univerſi *teſtudinem* facerent, contra impetum ſcilicet ſagittarum, equitumque ipſorum. At Parthi, quibus hoc inſolitum, & aſpectu novum, arbitrati eos defatigatione, & vulneribus concidiſſe, omiſſis arcubus, & ab equis deſilientes, gladiis nudatis invaſerunt, quaſi ad certam victoriam & cædem. Tum Romani, ſigno dato, omnes inſurrexerunt, & hoſtem nihil tale exſpectantem alacriter adorti, fuderunt, & fugarunt non ultra moleſtum. Dio XLIX. p. 409. E. Qui addit: *Porro teſtudo talis eſt, & fit hoc modo: Impedimentis, & levi-armatura, & equite omni, in medium acceptis: gravis armaturæ pedites, illi qui oblongis, & in tubi dimidiati modum factis ſcutis utuntur, in extremis partibus, tanquam in lateritio opere, pro muro ponuntur, & reliquos omnes ipſi extra ſpectantes ambiunt. Cæteri, qui latiera ſcuta gerunt, in medio denſi locantur, & ſcuta cum ſuper ſe, tum ſuper alios attollunt; ut in tota phalange non aliud ſit quam ſcuta cernere, & a telorum jactu omnes tutos eſſe, ob denſitatem inſtructionis. Adeo enim valide firmant, ut & ſuper eam homines aliquot ingredi poſſint, imo etiam equi, & currus agi, quoties in cavo & anguſto aliquo loco conſtipantur. Hæc eſt forma ejus inſtructionis, & nomen a teſtudine cepit, ob firmitatem, & quia optime tegit.* Lipſ. Poliorc. I. Dial. 5. Valeſ. in Ammianum. Stewech. in Veget. II. 16. Laz. Comment. Reip. Rom. IV. 2. Patric. Rei milit. Rom. p. 5. ſ. 3. Blond. Triumph. Rom. VI. p. 132. A. Roſin. Ant. Rom. X. 16. Argol. in Pancirol. de Lud. Circenſ. II. 10. Voſſ. Lex. Etymol. Potter. Archæol. Græc. III. 10. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 2. Thyſ. de Oppugn. Urb. I. p. 157. *Teſtudinum* nomine inferiores ſcriptores etiam vineas & hæc talia comprehendunt, & faciunt generale

nerale *testudinum* nomen in machinas omnes has tegentes. Fortasse & Plin. VII. 56. ubi scribit: *Artemonem Clazomenium primum testudines reperisse.* Simile in Græcis. Harum præcipuæ tres. I. quæ Græcis χελώνη χωστρὶς dicitur. Vitruv. X. 20. *testudo ad congestionem fossarum.* De hac Polyb. X. 28. *Erat certamen fere omne, & conatus in testudinibus a gestuitus. Fossæ enim erant triplices, latitudine quidem haud minore triginta cubitorum, profunditate vero quindecim. In labris autem earum singulis vallum, sive sudetum erat, & in ultimo validus murus.* Hæc ipsa est, quæ, ut Vitruvius ait, *accessus etiam ad murum potest habere:* & sub ea igitur murum subruebant. II. quam ὄρυγα Græci agnominant: & Vitruv. X. 21. *testudinem ad fodiendum comparatum.* Leviter a priore abit, & *frontem ejus struit, quemadmodum angulos trigonorum, ut a muro tela cum in eas mittantur, non planis frontibus excipiant plagas, sed ab lateribus labentes, sine periculoque fodientes, qui intus sunt, tueantur.* III. arietaria agnominata, in qua aries suspenditur. V. illam supr. in *Aries.* Lips. ibid. c. 8. Thys. ibid. p. 161. Adventantem, si pars aliqua leviter cessisset, aut se abjunxisset, saxis, & ponderibus obsessi obruebant, aut certe dissipabant. Tacit. Hist. III. 27. 4. *Tum, elatis super capita scutis, densa testudine succedunt. Romanæ utrimque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt, disjectam, fluitantemque testudinem lanceis, contisque scrutantur: donec, soluta compage scutorum, exsangues, aut laceros prosternerent.* Tum contos, & lanceas inserebant, & jam intutos lapidibus, pilis, aliisque missilibus prosternebant. Lucan. III. 480.

—— sed pondere solo
Contenti, nudis evolvunt saxa lacertis.
Dum fuit armorum series, ut grandine tecta
Innocua percussa sonant: sic omnia tela
Respuit: at postquam virtus incensa virorum
Perpetuam rupit, defesso milite, cratem,
Singula continuis cesserunt ictibus arma.

Quod si qui per ipsam *testudinem* tamen *scanderent*, ii *gladiis, & armorum incussu præcipitati, sudibus & pilis obruebantur*, ut Tacit. Hist. IV. 23. 4. *Lips. ibid. V. dial. I. Thys. ibid. V. p.* 188. *Laurent. ibid.* §. 10.

Testudo ornatus vocatur rotundus, & gibbosus in cervicibus mulierum, quod lyræ Mercurialis *testudinem*, sive tympanum referat. Ovid. de Art. III. 147.

Hanc decet ornari testudine Cyllenæa,
Sustineat similes fluctibus illa sinus.

Salmas. in Tertull. pall. p. 355.

TET.

TETARTEMORION quidem est quarta pars, sive quadrans, ut as in duodecim partes dividitur, & quadrans est quarta pars assis, & partes tres tantum perdit. Ita quarta pars zodiaci *tetartemorion* dicitur, & pars una quævis, sive unum aliquod signum dodecatemorion. Servius: *Ægyptii duodecim esse asserunt signa, Chaldæi vero undecim, nam scorpium, & libram unum signum accipiunt, chelæ enim scorpii libram faciunt.* Ea ratione nostrum *tetartemorion* esset trium signorum portio, τριζωδία, ut ait Rigaltius ex Plin. VII. 49. *Durat & ea ratio, quam Petosiris, & Necepso tradiderunt, & tetartemorion appellant a trium signorum portione.* Tria hæc nostri *tetartemorii* signa fixo zodiaco sunt fere Taurus, Gemini, Cancer, a puncto sectionis ad Arietem, hoc est, æquinoctii verni incipit nostrum *tetartemorion* ad æstivum, propriumque solstitium. Hygin. de Limit. constit. p. 173. *Dubium fortasse esset de parallelo nostri tetartemorii, si secundum zodiaci circuli cursum oceanus meridianus intervenniret.* Verum enim vero Macrobii locum si quis cum Hygini verbis contulerit, facile intelliget, aliud Hygini *tetartemorion* esse a tribus signis cœlestibus. Quare accipitur hic pro quarta parte non signorum, sed orbis terræ habitabilis, unde subdit Hyginus: *Totius terræ quatuor partes mari dividuntur, nec hominibus ultra quartam partem ire permittitur:* ultra nimirum *tetartemorion* nostrum. Plin. II. 68. *Media vero terrarum qua solis orbita est exusta flammis, & cremata, cominus vapore torretur. Circa, duæ tantum inter exustam, & rigentes temperantur, eæque ipsæ inter se non perviæ propter medium sideris. Ita terræ tres partes abstulit cœlum, oceani rapina in incerto est.* Rapinam hanc delineat Macrobius in Somnium Scipionis: *Ceterum verior, ut ita dicam, Oceanus alveus tenet zonam perustam, & tam ipse qui æquinoctialem, quam ramus qui ex eo nati, qui horizontem circulum ambitu suæ flexionis imitantur omnem terram, quadrifariam dividunt: & singulas habitationes faciunt insulas. Nam inter nos, & australes homines means ille per calidam zonam, totamque cingens, & rursus utriusque regionis extrema finibus suis ambiens, binas in superiore, atque inferiore terræ superficie insulas facit.* Bellus de Part. templ. augur. c. 4.

TETRARCHES, τετράρχης, quod κατὰ συγκοπὴν dicitur quasi τετταράρχης. H. Stephanus in Græcæ Linguæ thesauro suspicatur τετράρχην dici, qui quatuor provincias administrat. Sed omnino fallitur. Nam vocatur, qui τετράδα, sive quadrantem regionis pleno jure regit: Exempli gratia Thessalia divisa erat in quatuor τετράδας, Θεσσαλιῶτιν, Πελασγιῶτιν, Φθιῶτιν, Ἡστιαιῶτιν. His singulis constituerat Philippus Macedo dynastam, a quo pleno regerentur jure. Erant igitur *tetrarchiæ*. V. quæ de his scribit Harpocration. Agnoscit hoc Jac. Cruquius in Cicer. Milon. p. 99. sed vult hanc esse primam significationem, postea autem generatim hanc vocem accipi cœpisse pro quovis, qui regioni præesset. Id eo probare conatur, quod Herodes Antipas Matth. c. 14. n. 1. & Luc. c. 3. n. 1. dicatur *Galilææ tetrarcha:* tum autem, quod Dejotarus vocetur *Galatiæ tetrarcha* a Cicer. pro Dejot. c. 9. qui ei pæne solus præesset. Sed profecto non est necesse, ut si unus sit *tetrarcha*, sint & tres alii. Nam τετράρχης est, qui quartam regionis partem obtineat, seu unus, duo, tresve, seu nullus reliquas teneat regni partes. Ita cum regnum Herodis in tres filios divisum esset ab Augusto, ac Archelao datum esset dimidium, reliquus autem semissis inter Herodem Antipam, & Philippum divisus esset: Archelaus quidem ethnarcha, aut toparcha appellatus est: ac duo reliqui nihilominus *tetrarchæ* merito dicti sunt, quia τετράδα regni obtinerent. De Dejotaro agnoscimus *tetrarcham* dici Galatiæ, cujus pæne totius a Pompejo solus *tetrarcha* constitutus erat. Nam id manifeste docet Hirt. de Bell. Alex. c. 67. *Dejotarus tetrarches Gallo-Græciæ tunc quidem pæne totius, quod ei, neque legibus, neque moribus concessum esse cæteri tetrachæ contendebant.* Verum non alia de causa sic is appellatus, quam quod Gallo-Græcia a quatuor *tetrarchis* regi soleret. *Scalig. in Euseb. p. 163. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 406. F. Robortell. de Provinc. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. (4.) E.*

TEX.

TEXENDI ratio prima, & antiquissima fuit, qua stantes mulieres *texebant.* Grammatici notant ad Homer. Iliad. A. 31. ὑφαίνουσαι: ὀρθαὶ γὰρ ὕφαινον. Sic vulgo linteones stantes *texebant.* Serv. Æneid. VII. 14. *Aut ictu pectinis, aut manu percurrens, aut quia apud majores stantes texebant: ut hodie linteones videmus.* Et quidem *in altitudinem*, ut Festus: *sursum versum*, ut Isidorus. V. illos supr. in *Regilla.* id est, ut Græci dicunt, ἄνω ὑφαίνειν. Hunc *texendi* modum omnibus gentibus fuisse usitatum, præterquam Ægyptiis, narrat Herod. II. p. 115. C. *Alii villum subtegminis desuper tramant. Ægyptii vero subter.* Nam ἄνω τὴν κρόκην ὠθεῖν nihil aliud est quam ἄνω ὑφαίνειν, hoc est, sursum versum *texere.* Ægyptii deorsum versum *texebant*, qui tramam in inferiorem partem trudebant. Apud cæteras enim gentes cum trama, vel fila infra essent, in superioribus *texebatur* vestimentum: & sic trama semper pectine ad superiorem partem ducebatur, & trudebatur: atque id sursum versum *texere*, vel in altitudinem vocabant. Contrario modo Ægyptii ex superioribus,

bus, ubi erant fila, vel licia, ad inferiora procedebant, ubi vestimentum, vel tela, quæ *texebatur*, inerat. Hi sedentes *texebant*, & tramam deorsum versus impellebant: quam *texendi* rationem omnes postea Græci videntur imitati; vetus autem illa consuetudo, & in altum *texendi*, & quæ a stantibus peragebatur, apud solos linteones remansit. Antiquo autem illo more, quo stantes *texebant*, non pectine, sed spatha tela percutiebatur. Hesychius, leviter corruptus, sic est legendus: Σπαθατον τὸ ὀρθὸν ὕφος, σπάθη κεκρουμένον, οὐ κτενί. Ὀρθὸν ὕφος, quod sursum textum est, & a stantibus, ut recta tunica eo modo *texta*. Inter veterem igitur, & novam *texendæ* telæ rationem hoc intererat, quod veteres stantes, & sursum subtemen impellentes, & spatha percutientes telam *texerent*: at apud recentiores a sedentibus tela *texebatur*, & pectine feriebatur, ac subtemen deorsum trudebatur. Quod inventum Ægyptiorum fuit, atque inde ad Græcos, Romanosque manavit. Utrumque Senec. Epist. 90. *Posidonius, dum vult describere primum, quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli, solutoque ducantur: deinde quemadmodum telæ suspensis ponderibus rectum stamen extendat, quemadmodum subtemen insertum, quod duritiam utrimque comprimentis tramæ remolliat, spatha coire cogatur, & jungi: textrini quoque artem a sapientibus dixit inventam, oblitus postea repertum hoc subtilius genus, in quo*

Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo.
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod lato feriunt insecti pectine dentes.

Ovidii versus sunt ex Met. VI. 55. *Salmas. in Vopisc. Aurel. c. 46. Ferrar. Anal. de Re Vest. c. 13. Casaub. in Baron.* XVI. 84.

TEXTORES sunt servi, qui vestes, aut telam *texunt*. Alfen. l. 61. ff. Leg. III. *Textoribus omnibus, qui sui essent, cum moreretur, legatis: quæsitum est, an & is, quem postea ex his ostiarium fecisset, legato contineretur: respondit contineri; non enim ad aliud artificium, sed ad alium usum translatum esse.* Juven. Sat. IX. 28.

— *pingues aliquando lacernas*
Munimenta togæ, duri, crassique coloris
Et male percussas textoris pectine Galli.

Popm. de Oper. serv. p. 89. Pignor. de Serv. p. 358. 518. Radium, cæteraque ad lanificium necessaria Minervæ sacrabant. *Tomas. de Donar. c.* 34.

TEXTRINUM est locus, ubi *texitur*. Papias. *Textrinum locus, ubi feminæ texunt telas, & similia.* Et hæc est propria verbi significatio. Unaquæque splendidi viri domus *textrinum* in atrio locatum habuit. Cicer. Verr. IV. 26. *Nulla domus in Sicilia locuples fuit: ubi iste non textrinum instituerit.* Voss. Lex. Etymol.

Textrinum est locus, ubi naves fiunt. Serv. Æneid. II. 16. *Intexunt, quia naves dicuntur texi, nam ubi naves fiunt, textrinum vocatur:* ut ipse:

Bis denas Italo texamus robore naves.

XI. 326. *Quidam texamus proprie dictum tradunt, quia loca in quibus naves fiunt, Græce ναυπήγια, Latine textrina dicuntur. Ennius dicit:*

Idem campus habet textrinum navibus longis.

Papias: *Textrinum locus, ubi naves fabricantur, id est, navalia. Penultima producitur.* Scheffer. de Milit. Naval. III. 4. Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Catull. LXIV. 10. *Texere* proprium est verbum de structura navium. Ovid. Heroid. XVI. 110.

Texitur & costis panda carina suis.

Prop. III. 5. 41.

Ite, rates curvas, & leti texite causam.

Ubi per ἓν διὰ δυοῖν *texite rates curvas, & causam leti*, rates, quæ sunt causa leti. *Gronov. Observ.* II. 9. *Pontan. in Ovid. Trist.* III. 1. 112. *Scalig. & Scheffer. l. l. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 75. *Græv. Lect. Hesiod. c.* 19. Illorum procuratores pecuniam Principis ad emendam, & texendam materiam tractabant, & ideo, antequam eis hoc officium committeretur, ut alii, satisdare tenebantur l. privat. C. de murileg. C. de vest. holob. exstinct. sacr. muric. *Pancirol. l. l.*

TEXTRICES erant ancillæ, quæ vestes, aut telam *texebant*. Cajus l. 27. ff. de pecul. *Et ancillarum, & filiarumfamilias nomine de peculio actio datur, maxime, si qua sarcinatrix, aut textrix erit.* Tibull II. 1. 65. V. illum supr. in *Plaudere*. Pignor. de Serv. p. 418. Popm. de Oper. serv. p. 89. Feminas enim *texuisse* moris fuit, ut totam vestem perficerent. Solis filiæ hoc tribuit Virg. Æneid. VII. 14.

Arguto conjunx percurrens pectine telam.

De *textura* verba faciens, eam mulieribus attribuit proprie, nulla mentione facta de viris. Artemid. III. 36. *Eo modo telam mulieres sedendo texunt.* Venus filio suo Priapo dicitur *texuisse* vestem. Cassiod. Var. VI. 21. *Textura* Penelopes inprimis celebris est apud Homerum. Alexander Magnus fuit indutus veste, quæ erat *sororum non tantum donum, sed & opus*, ut habet Curt. V. 2. 20. Et Suet. Aug. c. 73. n. 3. testatur, Augustum *veste domestica non alia usum fuisse, quam ab uxore, & sorore, & filia, neptibusque confecta.* Braun. de Vestit. Sacerd. Hebr. I. 17. 33. Rævard. Conject. III. 15. Casaub. Exercit. in Baron. Annal. XVI. 84. Feith Antiq. Homer. IV. 3. Pitisc. in Suet. Aug. c. 64. n. 4.

TEXTURA omnis constitit partim ex lana, partim ex tela. Lanæ deditæ mulieres erant, quæ lanam ad *texturam* præparabant: telæ, quæ in atrio ex vetere more texebant. Id voluisse mihi visus est Terent. Andr. I. 1. 48. dum dicit:

Lana, ac tela victum quæritans.

Per lanam enim intelligit lanæ præparationem, quæ ad *texturam* lavando, nendo, tingendo, aut qua alia ratione necessaria est, & per telam ipsam detextionem l. 70. ff. de legat. III. Goveanus per telam instrumentum textorium intelligit. Cui ut non adsentiar, facit Hygin. fab. 126. scribens: *Proci Penelopen in conjugium petentes venerunt, quos illa conditione ita differt, cum telam detexuero, nubam.* Et Ascon. pro Milone: *Itemque telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt.* Ex quibus evidenter constat, non textorium instrumentum, illud enim nec texitur, nec detexitur, sed stamen potius, & subtemen, omnemque, ex qua vestimentum fit, substantiam simul confœderatam tamdiu telam appellari, quamdiu ea instrumento textorio contexitur. *Rævard. Conject.* III. 15.

THA.

THALAMEGUS, θαλαμηγὸς, dicitur navis, in qua *thalamus*. Strab. XVII. p. 550. *In illa navale thalamegorum navium, quibus Principes in regionem superiorem navigatis.* Suet. Jul. c. 52. n. 1. *Eadem nave thalamego pene Æthiopia tenus Ægyptum penetravit.* Cubiculata dicitur Senec. de Benef. VII. 20. *Cui triremes, & æratas non mitterem, lusorias, & cubiculatas, & alia ludibria Regum in mari lascivientium mittam.* Lembus lecti capax Sidon. Epist. II. 20. *Jussisti tu lectum mobilem, solidum, lecti capacem.* Parada Auson. Epist. V. 29. V. illum supr. in *Parada*. Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Gyrald. de Navig. c. 18. Bud. de Asse V. p. 651. Calcagn. de Re nav. p. 307. Pitisc. in Suetonium.

THALAMII, sive *thalamitæ* dicebantur remiges, qui in ima navis parte remigabant. Schol. Aristoph. Batrach. IV. 2. 69. *Remigantium quidam in summo, & thranitæ vocantur: quidam in medio, & dicuntur zygitæ: quidam in imo, & appellantur thalamii.* Suidas: *Tres erant remigum ordines: infimus quidem thalamitæ, medius zygitæ, summus vero thranitæ.* Pollux I. 9. 3. *Dicitur & thalamus, ubi thalamii remigant: mediæ vero partis zyga, ubi zygitæ consident: quod autem prope catastroma, thranus dicitur, & ibi thranitæ sunt.* Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 579. E. Opel. de Fabric. trirem. Meibom. Thes. Ant. Græv. ibid.

ibid. p. 690. C. Calcagn. de Re nautic. p. 309. Auctor Miscell. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 680. Tertii fuerunt, quippe qui postremo accessere. Postquam enim ædificatis majoribus navigiis, summi, atque medii, qui dein thranitæ, ac zygitæ dicti, non sufficerent, tertius adjectus ordo est *thalamiorum*. Et hoc est, quod Basilius, auctor necdum editus ait: *Et qui quidem super thranum locati, thranitæ vocantur, qui vero in jugis, zygii. Sunt vero & thalamii, si navis habeat tres ordines.* Non sunt, secundum Basilium, nisi in triremibus, aut plurium ordinum navigiis. Biremes habent non zygitas, & *thalamios*, sed thranitas, & zygitas. *Thalamii* ergo tertii, & ultimi. Zygitæ primi, illique soli in moneribus, longisque navibus, licet sic non vocarentur. Zygitarum enim nomen adhibitum, nisi ubi navis plurium esset ordinum, & inter remiges facienda fuit differentia. Post zygitas thranitæ, qui zygitis juncti faciebant biremem. Post eos utrosque tertii *thalamii*, qui cum duobus prioribus constituebant triremem. Ubi navis minor quam triremis, ibi nulli fuere *thalamii*, ut Basilius nos docet. *Opel. ibid. p. 693. E.* Brevioribus utebantur remis, & minus accipiebant mercedis. *Rhodig. Ant. Lect.* XVI. 9. *Calcagn. l. l.* Non ideo minus merebant stipendium, quod brevioribus uterentur remis: nec ideo major thranitarum erat merces, quod graviores tractarent remos, hunc enim laborem plures inter se partiebantur: sed quod in reducendo supra caput remo surgere cogerentur, & non sedentes tantum, sed & stantes remigarent, quod non faciebant *thalamitæ*, qui sedilibus suis semper erant affixi. Quamvis itaque plures eundem ducerent remum, quia tamen laboriosius erat eorum remigium, ideo ὀρθιοκῶποι dicti. Hesychius: Ὀρθιοκώπους, ἐξορθουμένους ἐν τῷ ἐρέσσειν ἐπιπόνως. Pari ratione & νόμος ὄρθιος ἐπίπονος dicitur, quod a stantibus sublatissima caneretur voce *Opel. ibid. p. 725. A.*

THALAMIUM vocabatur foramen, per quod remus exit. Schol. Aristoph. in Pac. p. 715. *Proprie foramina inferiora, thalamia dicuntur.* Suidas: *Thalamium foramen etiam vocatur, per quod remus exit.* Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 587. D. Scheffer. de milit. nav. I. 4. Per illud in militia navali corpus delinquentis, si gravius peccasset, trajiciebatur, & ita ligabatur, ut caput deorsum penderet, pedes essent in navi. Herod. V. p. 341. D. *Megabetes in circumeundis navium excubiis offendit navem Myndiæ a nemine custodiri, quam rem indigne ferens jussit satellites inventum navis magistrum nomine Scylacem vinciri trajectum per thalamium, ita ut caput extaret, corpus intus esset.* Plaut. Rud. III. 6. V. illum supr. in *Columbar.* Ubi hoc exponitur vinculum, quod collo inditur. Puto tamen ad hoc genus pœnæ poetam allusisse, quia columbar etiam foramen indicat, per quod remus eminet. Præterea tota fabula plurima admixta habet e re navali. *Scheffer. ibid.* IV. 4.

THALASSIO. V. illum supr. in *Talassio.*

THALIARCHUS scribitur aspirate, prima syllaba ab Horat. Od. I. 9. 7.

Deprome quadrimum Sabina
O Thaliarche merum diota.

ut nomen proprium sit, in quo insit significatio magistri, & domini convivii, qui & symposiarchus vocabatur. *Turneb. Adv.* XI. 28.

THARSUS est metropolis Ciliciæ maritima a Sardanapalo condita, prout ejus monumento literis Assyriis inscriptum epitaphium sequens indicat: *Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialem, & Tharsum una die condidit: & tu hospes vale, ede, bibe, lude.* Hæc Strab. XIV. p. 462. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* III. *&* 142.

THE.

THEATRIDIUM *theatri* specie interiori in conspectu thermarum erat distinctum sedibus, ubi populus sub umbra meridiei sedebat ad ludorum spectacula, quæ varii fiebant exercitii gratia. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *memor.* 41. *Baccius de Therm. vet. c. 6.*

THEATRUM proprie dicitur locus, tabulatis, aut lapidibus structus, unde ludi spectari possunt. Isidor. XVIII. 42. *Theatrum. In eo populus stans desuper, atque spectans ludos contemplabatur. Visorium* interpretatur ubi *theatri* originem hanc describit Cassiod. Var. IV. 51. *Cum agricultores feriatis diebus sacra diversis numinibus per lucos, vicosque celebrarent, Athenienses primum agreste principium in urbanum spectaculum collegerunt. Theatrum Græco vocabulo visorium nominantes, quod eminus adstantibus turba conveniens sine aliquo impedimento videatur.* Buleng. de Theat. I. 11. Blond. Instaur. Rom. II. §. 103. Triumph. Rom. II. p. 50. H. Lyd. Agon. sacr. proleg. p. 5. Suidas in voce Πέτασος. *Draco legislator ab Atheniensibus plures petasos & tunicas injicientibus est suffocatus.* Erant Athenis tumultuaria, & lignea, quæ solvi possent, ubi spectaculorum dies exisset. Hesychius: *Tabulata lignea, in quibus spectabant Athenis, priusquam Dionysii theatrum extructum esset.* Buleng. ibid. c. 12. Isidorus jam laudatus illud descripsit: *Theatrum est, quo scena includitur, semicirculi figuram habens: in quo stantes omnes inspiciunt. Cujus forma primum rotunda erat, sicut & amphitheatri: postea ex medio amphitheatro theatrum factum est.* Cassiod. ibid. V. 32. *Cum theatrum, quod est hemisphærium, Græce dicatur amphitheatrum, quasi in unum juncta duo visoria, recte constat esse nominatum.* Virgilius videtur velle mediam partem *theatri* circum efficere, quasi *theatrum*, ut supra Isidorus annotavit, olim rotundum fuerit, & circus semicirculi, aut lunæ dividuæ formam expleverit. Sic enim ille V. 287.

Gramineum in campum, quem vallibus undique curvis
Cingebant sylvæ, mediaque in parte theatri
Circus erat.

Nisi quis putet enallagen esse casuum, quæ frequens est apud poetam, quasi dixerit, mediaque in parte circi *theatrum* erat, quia circus rotundus fuit, *theatrum* semicirculum explevit, amphitheatrum circulum. *Buleng. ibid. c.* 14. *de Circo c.* 3. *Scalig. Poet.* I. 21. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 24. Differebat a circo. V. supr. in *Circus.* Et ab amphitheatro, quia, ut dictum in hemicycli formam constructum fuit, addita scena ad ludos dramaticos: amphitheatrum vero in formam circuli, ad ludos præcipue gladiatorios. In omnibus sedilia ad latera sensim crescentia, ut spectandi licentia pluribus indulgeretur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 3. *Bergier. de viis milit.* V. *Sect.* 8. §. 4. Romæ subitaria, & lignea, nulla perpetua fuerunt. Hujusmodi in patris munere funebri fecit C. Curio. Plin. XXXVI. 15. *Theatra duo juxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento.* Et censorum jussu plerumque disjecta. Tertull. de Spectac. c. 10. *Censores sæpe renascentia maxime theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant.* Donec præcipitantibus moribus exstruxerunt ipsi censores. Inchoata sunt ann. 599. a M. Valerio Messala, & C. Cassio censoribus, qui *theatrum* in Urbe posuerunt. Sed hoc a Scipione Nasica eversum est. Paterc. I. 15. 3. *Cassius censor, a Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit: cui in demoliendo eximia civitatis severitas & consul Scipio restitere.* Val. Max. II. 4. 2. *Romæ theatra inchoata sunt a Messala, & Cassio censoribus, sed auctore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis illorum subjectum hastæ venire placuit. Atque adeo S. C. cautum est, ne quis in Urbe, propiusve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum juncta standi virilitas propria Romanæ gentis nota esset.* Hujusmodi fabricæ putabantur nocere bonis moribus. Augustin. de Civit. Dei I. 6. *Nasica Pontifex Maximus caveam theatri senatum construere molientem compescuit, persuasitque, ne Græcam luxuriam virilibus patriæ moribus paterentur obrepere, & id egit, ut senatus subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo jam olim uti civitas cœperat, deinceps prohiberet apponi.* Appian. Bell. Civ. I. p. 367. *Per idem tempus Scipio consul theatrum demolitus est, inchoatum*

tum a Lucio Caſſio, & tum pæne abſolutum; quod hoc quoque videretur novarum ſeditionum materia: vel quod exiſtimaret non eſſe e Republica populum Græcanicis voluptatibus aſſueſcere. Liv. Epit. XLVIII. *Cum locatum a cenſoribus theatrum extrueretur, P. Cornelio Naſica auctore, tanquam inutile, & nociturum publicis moribus, ex S. C. deſtructum eſt, populusque aliquamdiu ſtans ludos ſpectavit.* L. Mummius in triumpho dedit. Vitr. v. 5. *Etiam auctorem habemus L. Mummium, qui diruto theatro Corinthiorum, ejus ænea Romam deportavit, & de manubiis ad ædem Lunæ dedicavit.* Tacit. Ann. XIV. 21. 3. *Nec quemquam honeſto loco ortum ad theatrales artes degeneraviſſe, ducentis jam annis a L. Mummii triumpho, qui primus id genus ſpectaculi in Urbe præbuerat.* Fiebant e ligno, & poſtea ex lapide. Auſon. Lud. Sapient. Prol. n. 14.

Ædilis olim ſcenam tabulatam dabat
Subito excitatam, nulla mole ſaxea.
Murena ſic, & Gallius; nota eloquar,
Poſtquam potentes, nec verentes ſumptuum
Nomen perenne crediderunt, ſi ſemel
Conſtructa moles ſaxeo fundamine
In omne tempus conderet ludis locum,
Cuneata crevit hæc theatri immanitas.

Scaliger in verſu quarto de Muræna, & Gallio hæc accipit, quaſi ipſi primi lapideum extruxerint. Non perſuadet, nisi veterem adſtipulatorem afferat. Primum manſurum Romæ exſtruxit Cn. Pompejus Magnus. V. illud i. fr. in *Theatrum Pompeji.* Donat. de Urb. Rom. III. 7. Lipſ. in Tacit. Annal. XIV. n. 52. Panvin. de Lud. Circenſ. II. 3. Junius in Tertullianum. Buleng. de Circo c. 33. de Theat. I. 12. Roſin. Ant. Rom. V. 4. Ut plurimum fuerunt nuda, & ſine tecto. Chryſoſt. Homil. in Eſaj. IV. *Sedent in theatro, nudo capite ſolis ardorem excipiunt, ut fiant captivi mortis, & ſcorti mancipia.* Unde & Maxim. Tyr. ſerm. 38. *Atlantem montem apertum eſſe* ſcribit *mare verſus, ſicut theatra in aerem aperta ſunt.* Quare velis. V. infra in *Velum*, tegi neceſſe fuit, ut æſtus defenderetur. Etiam lacernas & pænulas V. illas ſuis locis in *theatra* inferebant, ne imbri maderent, & aeris injuriam arcerent. Fuere tamen alicubi cum fornice, & tecto. Philoſtr. in Herod. *Herodes Athenis dedicavit theatrum in Regillo, & e cedro faſtigium, tectumque fecit. Ædificavit quoque Corinthiis theatri m tectum.* Romæ *Valerius Oſtienſis architectus ludis Libonis primus theatrum texit.* Plin. XXXVI. 15. Stat. Sylv. III. 5. 91.

Et geminam molem nudi, tectique theatri.

Buleng. ibid. c. 15. Athenienſibus erant loco curiæ. Auſon. ibid. n. 6.

— *& Atticis quoque,*
Quibus theatrum curiæ præbet vicem,

n. 11.

Ubi et Athenis, atque in omni Græcia
Ad conſulendum publici ſedes loci.

Cicer. pro Flacc. c. 7. *Cum in theatro imperiti homines, Græci, conſederant, tum bella inutilia ſuſcipiebant.* Tacit. Hiſt. II 80. 4. *Tum Antiochenſium theatrum ingreſſus, ubi illis conſultare mos eſt....* In illis conciones habebantur. Varro apud Nonium: *Vos qui ex theatro voluptatem auribus huc occupatum concurriſtis domo, adeſte, & a me quæ feram cognoſcite, domum ut feratis e theatro literas.* Senec. Epiſt. 108. *Quidam veniunt ut audiant, non ut diſcant: ſicut in theatrum voluptatis cauſa ad delectandas aures, vel oratione, vel voce, vel fabulis ducimur.* Supplicia exigebantur. Philo in Flacc. p. 977. B. *Ante flagellabantur in medio theatro, & igne, ferroque torquebantur, ſpectaculis diſtributis in hunc modum. Mane uſque horam tertiam, quartamve Judæi flagellabantur, ſuſpendebantur, rotis alligabantur, damnabantur, per orcheſtram ducebantur ad ſupplicium....* Suet. Aug. c. 45. n. 11. *Stephanionem togatarium per trina theatra cæſum relegavit.* Buleng. ibid. c. 31. Ferrar. de Acclamat. & Plauſ. III. 1. Turneb. Adv. I. 27. Caſaub. & Piſc. in Suetonium.

Theatrum Balbus Cornelius, Balbi illius Gaditani nepos, qui primus exterorum Romæ triumphavit, exſtruxit, idque in gratiam Auguſti, qui iſtiuſmodi ædificiis publicis Urbem exornari cupiebat. Situm ejus nonnulli palatio Cæſarinorum vindicant, neſcio quod illic veſtigium agnitum prodentes: qua de re in tanta veterum ædificiorum caligine certi aliquid pronuntiare non audeo. Hoc tamen dicendum videtur, abſurde viciniam illam trium *theatrorum* Pompeji, Marcelli, & Balbi defendi, quum veriſimilitudini repugnet. Dedicavit illud Tiberio primum & Quintilio Varo coſſ. an. 740. quo tempore Tiberis inundavit. Dio LIV. p. 539. A. *Auguſtus... Romam reverſus eſt Tiberio, & Quintilio Varo coſſ. Nuntius adventus Auguſti forte iiſdem diebus Romam allatus eſt, quibus theatrum Cornelius Balbus, quod nunc quoque ab ipſo nomen habet, dedicans ſpectacula exhibebat: itaque Balbus id ibi gloriæ duxit, quod Auguſtum etiam ipſe eſſet reducturus, quanquam tantum aquæ Tiberis exundans per Urbem diffuderat, ut non niſi navi in theatrum poſſet venire.* Quare loco humiliore, nec procul a ripa fluminis remoto, ſitum fuiſſe conjicere eſt. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 7. *Donat. de Urb. Rom.* III. 8. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. *n.* 6. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 24. Tito Principe conflagravit. Dio LXVI. p. 756. D. *Theatrum Balbi, ſcena Pompeji igni conſumpta ſunt.* Titus inſtauravit. Externa *theatri* curvatura, & hemicyclus columnis, nobili ſtructura fulciebatur; atque elegans, & perampla fuit univerſa moles, cujus pulpitum, & ſcena per lineas rectas indicantur in hoc fragmento. *Bellor. Fragm. vet. veſt. vet. Rom. tab.* XII.

Theatrum Marcelli Auguſtus condidit, ubi ante Julius Cæſar deſtinaverat. Suet. Jul. c. 44. n. 2. *Deſtinabat exſtruere theatrum ſummæ magnitudinis, Capitolino monti accubans.* Dio XLIII. p. 238. C. *Theatrum exemplo Pompeji ædificare inſtituit* Julius Cæſar: *ac fundamenta quidem ejus jecit, ſed non abſolvit. Auguſtus vero poſtea perfecit, ac M. Marcelli ſororis ſuæ filii nomine inſcripſit.* Dictum eſt Marcelli, quoniam Auguſtus *quædam opera fecit ſub nomine alieno, & inter ea theatrum Marcelli.* Suet. Aug. c. 29. n. 11. Plutarch. Marcel. p. 316. D. *In cujus honorem, & memoriam Cæſar dedicavit theatrum, quod nomine Marcelli inſcripſit.* Dio LIV. p. 539. D. *Poſthac, theatrum Marcelli Auguſtus dedicavit, ludiſque ejus rei gratia factis Trojam inter alios patricios pueros nepos Auguſti Cajus luſit.* Ipſum porro egregium ſtructura capit, teſte Victore loca XXX. millia, & aliud Jani templum. Ejus architectum plerique Vitruvium faciunt. Negat Philander ejus interpres I. 2. quod peccaſſe videtur in Doricæ coronæ partibus concinnandis. Doricam tamen ſymmetriam inde præſertim eliciunt architecti. *Donat. de Urb. Rom.* III. 8. *Bellor. Fragm. vet. veſt. vet. Rom. tab.* XII. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 14. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. *n.* 6. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 11. *Aring. Rom. Subterr.* II. I. 19. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 12. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 5. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 523. Dedicavit an. ab U. C. 743. Marcello jam duodecennio ante denato, ſi quidem credimus Plin. VIII. 17. Is enim narrat, Auguſtum *Q. Tuberone Fabio Maximo coſſ.* IV. *Nonas Majas theatri Marcelli dedicatione tigrim primum omnium Romæ oſtendiſſe in cavea manſuefactam.* Hanc tamen dedicationem Dio modo laudatus refert ad an. ab U. C. 741. quo & Balbi *theatrum* ex ejus calculis dedicatum fuerat. Verum Plinio potius fides habenda videtur, ut qui rei propior fuit, ac non modo conſules, ſed & menſem diemque notavit, quæ majorem demonſtrant diligentiam; ut vix liceat haſce temporis notas falſi arguere, vel etiam ſuſpicari. *Maſſon Ovid. vit. p.* 100. Ejus pars vetuſtate igneque corrupta inter Tarpejam rupem, & Tiberim adhuc cernitur. *Marlian. & Aring. l. l. Nardin. Rom. Vet.* VI. 2.

Theatrum Pompeji primum in Urbe ſtabile, & perpetuum fuit, quum cætera ſemper poſt edita ſpectacula, & ludos ſcenicos diſſolverentur, &, ubi res poſcebat, de integro e ligno conſtruerentur. Id Pompejus reverſus bello Mithridatico *expreſſum e Mitylenæo*, ut Plutarch. p. 631.

641. D. *grandius* tamen, *& pulcrius* faciendum curavit. Quod *etiam nunc magne habetur*, scribit Dio XXXIX. p. 107. E. trecentis fere post annis Alexandro Severo Imperante. Dedicatum est, ut est apud Dionem an. 699. Pompejo & Crasso II. coss. Idem p. 105. C. auctor est, *non a Pompejo exstructum esse, sed Demetrium libertum ejus id ex pecuniis, quas dum miles sub eo esset, paraverat, condidisse. Isque rectissime nomen ejus fecit ad Pompejum referri, ne male audiret, quod libertus tantum pecuniae eo quaesiverat, unde tantos sumptus facere posset.* Sed Plutarch. p. 640. C. aliique scriptores Pompejo, ejusque sumptibus *theatrum* adscribunt. *Donat. de Urb. Rom.* III. 8. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 3. *Bellor. Fragm. vet. vest. vet. Rom. tab.* XV. *Aring. Rom. Subterr.* II. I. 19. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 359. *A. Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 24. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 103. *Rosin. Ant. Rom.* V. 4. & ad illum *Demsterus.* Consentiunt in eo omnes antiquarii fuisse, ubi nunc Ursinorum palatium est in campo Florae, in quo palatio proximi seculi scriptores reliquias ejus, ac rudera se vidisse testati sunt. Quin & hodie partes aliquae veteris muri in equili ejusdem palatii conspiciuntur, sed unde nil dignosci queat. Non tamen existimandum, aut fingendum inani cogitatione est, non fuisse multo grandius isto, quod diximus, palatio; quippe quod octoginta millia ceperit sedentium spectatorum: nec e sphaerica ejusdem palatii figura, qua versus campum Florae notabilis est, conjectura facienda est, caveam illam *theatri* fuisse. Fulvius enim, qui ante annos plus centum oculis, quae tum supererant, usurpavit, verum nobis evidentius proponit: *Exstant*, inquit, *adhuc vestigia juxta campum, quem Floreum appellant, ubi nunc palatium dominorum Ursinorum, a cujus tergo erat theatri cavea versus auroram.* Cui profecto, ut oculato testi, a nobis habenda fides videtur, qui nunc omnino in tenebris versamur. Quod si cavea versus Clavarios fuit, & scena versus campum Florae, eadem cavea cum aede Veneris sibi conjuncta in circum Flaminium spectavit, qui ipsi inter ulmum, & arcam Matthaeorum objectus fuit. Ut autem *theatro* ambitus, spatiumque conveniens assignetur, omne illud loci occupasse videtur, quod inter viam Clavariam, & campum Florae interjectum est, forsan etiam ipsius campi partem. *Nardin. & Bellor. l. l. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* II. *n.* 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 10. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 12. Ejus ornamenta egregia fuerunt. Plin. VII. 3. *Pompejus Magnus in ornamentis theatri mirabiles fama posuit effigies, ob id diligentius magnorum artificum ingeniis elaboratas: inter quas legitur Eutyche a XX. liberis rogo illata Trallibus, enixa XXX. partus.* Tacit. Annal. III. 23. I. *Lepida theatrum cum claris feminis ingressa, lamentatione flebili majores suos ciens, ipsumque Pompejum, cujus ea monumenta, & adstantes imagines visebantur.* Inter caeteras fuere gentium effigies. Suet. Ner. c. 46. n. 2. *Moto a simulacris gentium ad Pompeji theatrum dedicatarum circuiri.* Plin. XXXVI. 5. *Idem*, Varro, *& a Coponio quatuordecim nationes, quae sunt circa Pompejum, factas auctor est.* Ibidem arcus Tiberii. V. illum supr. in *Arcus.* Et Colossus Jovis. V. illum supr. in *Colossus.* In eodem inaurato ludos dedit Nero. Plin. XXXIII. 3. *Nero Pompeji theatrum operuit auro in unum diem, quod Tyridati Regi Armeniae ostenderet.* Xiphil. LXIII. p. 718. B. *Totum theatrum intus cum scena inauravit* Nero, *auro etiam ornatis, quae intromittebantur, extensis supra velis, quae stellis aureis distinguebantur. Quare ille ludorum dies aureus nominatus est.* Donat. & Nardin. l. l. Harduin. in Plinium. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Ego non omnia marmora, aut lapides auro obductos existimem: nam sic splendor potius, & magnificentia istius aedificii corrupta magis, quam illustrata fuisset: verum partes theatri, fornices & ornamenta tantum caetera auro excultа, atque exornata crediderim. *Nardin. l. l.* Errant, qui a Pompejo relictum imperfectum, & a Caligula absolutum fuisse tradiderunt. Arsit sub Tiberio, cum referente Tacit. Annal. III. 72. 2. *igne fortuito haustum Caesar*, Tiberius, *exstructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeji.* Senec. ad Marc. c. 23. *Decernebatur illi*, Sejano, *statua in Pompeji theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat.* Sed non absolvit. Suet. Tib. c. 47. n. I. *Augusti templum, restitutionemque Pompejani theatri imperfecta post tot annos reliquit.* Et huic operi nam a Tiberio relicto ultimam manum imposuit Caligula. Suet. c. 21. n. I. *Opera sub Tiberio imperfecta, templum Augusti, theatrumque Pompeji absolvit.* Donat. Nardin. Pancirol. Fabric. Aring. l. l. Iterum ambustum Claudius restituit. Suet. Claud. c. 21. n. 2. *Ludos dedicationis Pompejani theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali posito in orchestra commisit.* Dio LX. p. 669. C. *Restituit memoriam theatri Pompeji, scenae addita inscriptione nominis Tiberii, qui eam incendio haustam refecerat, ac suum non instaurationis, sed dedicationis causa nomen adjecit.* Donat. & Fabric. l. l. Hi decepti sunt. Nam Dio refert Claudium tantummodo Pompejo *theatri* sui titulum reddidisse, scenae Tiberii, & *theatro* universo suum simpliciter tanquam dedicantis nomen inscribendo, nulla Pompeji, primi conditoris, facta mentione. *Nardin. l. l.* Scena rursus arsit sub Tito. Dio. V. illum supr. in *Theatrum Balbi.* Titus instauravit. Suet. c. 8. n. 12. *Urbis incendio nihil, nisi sibi, publice periisse testatus, cuncta praetoriorum suorum ornamenta operibus, ac templis destinavit.* Post haec sub Philippo ludis secularibus millesimo Urbis anno. Euseb. Chron. an. salut. 249. *Theatrum Pompeji incensum.* Quis instauraverit incertum. Sed, nisi ipse Philippus, vel Gallienum, vel Aurelianum instaurasse, qui & alia moliti sunt, probabile est. Refecit postremo Theodoricus Rex, cum jam vel novis incendiis, vel vetustate collaberetur. Scribens enim ad Symmachum ait apud Cassiod. Var. IV. 51. *Et ideo theatri fabricam, magna se mole solventem, consilio vestro credimus esse roborandam. Quid non solvas o senectus, quae tam robusta quassasti? Montes facilius cedere putarentur, quam soliditas illa quateretur, quando & moles ipsa sic tota de cautibus fuit, ut praeter artem additam, & ipsa quoque naturalis esse crederetur. Unde non immerito creditur Pompejus hinc potius Magnus fuisse vocitatus. Et ideo, sive masculis pilis contineri, sive talis fabrica refectionis studio potuerit innovari, expensas vobis de nostro cubiculo curavimus destinare: ut & vobis acquiratur tam boni operis fama, & nostris temporibus videatur antiquitas decentius innovata.* Nardin. Fabric. & Donat. l. l.

Theatrum Scaurus Syllae gener etiam exstruxit. Plin. XXXVI. 15. *Hic fecit in aedilitate sua opus maximum omnium, quae unquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam aeternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex in altitudinem CCCLX. columnarum. Ima pars scenae e marmore fuit, media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriae. Summa tabulis inauratis columnae, imae duodequadragenum pedum. Signa aerea inter columnas fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum LXXX. millia, cum Pompeji amphitheatri toties multiplicata Urbe, tantoque majore populo, sufficiat large quadringentis millibus. Sed & reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, caeteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quae superfuerant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur ad H. S. millies.* Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 81. Blond. Instaur. Rom. II. §. 106. Faunus Ant. Urb. Rom. IV. 24. Scalig. Poet. I. 21. Rosin. Ant. Rom. V. 4. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 6. part. 2. c. 2. *Aeternitatis destinatione factum* dum dicit Plinius, dictum voluit, istud temporarium eminuisse etiam inter firma illa, & quae aeternitatis spe facta. Non aliud sane dixit: & ecce ejus verba XXXIV. 7. *In M. Scauri aedilitate tria millia signorum in scena tantum fuere, temporario theatro.* XXXV. 2. *Trecentas sexaginta columnas M. Scauri aedilitate ad scenam theatri temporarii, & vix uno mense futuri in usu, viderunt portari silentio legum.* Lips. de Magnit. Roman. III. I. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 277.

Theatrum Statilii Tauri fuit in palatio. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom.* III. *p.* 305. *C.* Qui quare hic *theatro* locum faciat, non video. Non

enim *theatrum* ille, sed *amphitheatrum* construxit. V. illud supr. in *Amphitheatrum.* & hoc in campo Martio fuit: neque usquam legitur *theatrum* stabile, ac perpetuum in Palatino conditum. Credo Panvinium verbis Dion. LXII. p. 709. C. incendium a Nerone excitatum describentis in errorem hunc inductum. Illis enim palatium, *theatrum* Tauri, & alias civitatis partes incendio absumptas fuisse legitur: unde ipse *theatrum* Tauri in Palatino fuisse existimavit. At si Taurus præter *amphitheatrum* aliud insuper *theatrum* excitasset, non puto Suetonium illud silentio præteriturum fuisse, cum & hujus, & aliorum opera enarraret. In Dione vero vel pro Tauri legendum Marcelli, seu Balbi, vel potius *theatri* voce pro *amphitheatri* usam cum existimandum est. Quemadmodum ipse jam dixerat LI. p. 460. D. *Cæsare quartum cos. Taurus Statilius suis expensis exstruxit theatrum quoddam lapideum pro venationibus in campo Martio, consecravitque cum pugna gladiatorum.* Quæ pugna non in *theatris*, sed in *amphitheatris* exhiberi solita. Apertius de Cæsare XLIII. p. 225. A. *Suffulto quodam theatro, ubi venationes exercebantur, quod amphitheatrum vocatum fuit.* Quare nullum in eo colle *theatrum* fuit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Theatrum quod prope Suburram? Fulvius *Circi*, inquit, *forma, ac sedilium vestigia adhuc apparent inter Viminalem & Esquilias juxta Suburram, ubi nunc ædes S. Laurentii in Fontana, & S. Euphemiæ.* Mart. X. 19. 5.

Illic Orphea protinus videbis
Altum vincere tramitem Suburræ,
Udi vertice lubricum theatri.

Negat Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 13. quod circensis ædes vicum patricium, aut magnam Suburræ partem clausisset. Verum ibi si aliqua fuit pro ludis fabrica, non alia profecto fuit, quam *theatralis*, ut habetur ex Martiale, nisi per catachresin *theatrum* pro circo posuit. Sed fortasse non *theatrum* ad ludos ibi describitur, sed fons aliquis in summo clivo Suburrano structus ad formam *theatri*, nempe testudinatus, & fornice, cameraque suspensus juxta Plinii domum, quo librum poeta mittit, aut etiam in ipsa domo. In quo sane recurvo, & humidæ rotunditatis fonte, assiduo aquarum lapsu, stillicidioque lubrici Orphei statua feras, avesque cantu perducere videbatur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10.

Theatrum Tiberii. Ejus aliqua restant vestigia in privatis ædificiis inter aquam Virginem, & columnam cochlidem Antonini: nam juxta Septa fuit. *Fabric. Descr. Urb. c.* 12.

THECA graphiaria vocabatur, in qua graphia servabantur ad scribendum in tabellis ceratis, ut innocens haberetur. V. illum supr. in *Graphiarium.*

Thecæ erant sepulcra plebis, & pauperiorum. *Thecarum*, quæ & loculi dici possunt, elegans forma est in sinistro latere sepulcri T. Statilionis. *Guther. de Jur. man.* II. 25.

THENSÆ erant non tantum apud ludos in curribus, sed etiam domi explicita parva vela tribunali, qualibus nunc etiam Romæ Cardinales utuntur, sub quibus sella principum ponitur. Suet. Jul. c. 76. n. 2. *Sed ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus, sedem auream in curru, & pro tribunali thensam, & ferculum in circensi pompa.* Sed hoc Persarum more, Plutarcho in Themistocle teste. *Thensam* videtur describere Coripp. III.

Nobilitat medios sedes augusta penates,
Quatuor eximiis circum vallata columnis
Quas super ex liquido præfulgens circulus auro
Immodicus, simulans convexi climata cœli,
Immortale caput solumque sedentis obumbrat.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2. Qui putat, ut apparet, fuisse vela explicata instar tentoriolorum. Ea existimat nunc imposita curribus, nunc collocata locis aliis, ut pro tribunali, solis, æstusque arcendi gratia. Sed ejus sententia qui probari possit, non video. Liquet enim esse prava codicis sui Suetoniani distinctione deceptum, atque depravatione alia. Nam sic habent libri meliores omnes: *Sedem auream in curia, & pro tribunali, thensam & ferculum in circensi pompa.* Nulla ipsi decreta *thensa* fuit pro tribunali, verum sedes aurea. *Thensa* pertinebat ad circensem pompam. Quare frustra ex hoc loco tentoriolum exponitur, nec magis ex Plutarcho, mores Persarum memorante, vel Corippo, quando neuter de his *thensis* agit. *Scheffer. de Re vehic.* II. 24. *Pinell. Additam. ad Argol. p.* 547. *D.* Fuerunt sacri currus, super quos deorum statuæ collocatæ, quæ linteis circum circa ad cubiculi, sive delubri speciem tensis operiebantur. Festus: *Thensam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviæ deorum ludicris circensibus in circum ad pulvinare vehuntur. Fuit & ex ebore, ut apud Titinnium in Barbato, & ex argento.* Ascon. in Cicer. p. 108. V. illum supr. in *Pompa.* Panvin. de Lud. Circens. II. 2. Voss. Lex. Etymol. de Idolol. II. 10. Nonn. in Cæsar. Aug. Numism. 95. Nec hoc probari potest, quia lintea ejusmodi in *thensis* non fuerunt: nec Festus, nec Asconius de linteis ullam faciunt mentionem. *Scheffer. l. l.* Fuit itaque vehiculum. Diomed. I. p. 372. *Thensa deorum vehiculum.* Ita Philoxenus: *Thensa, ἅρμα θεῶν.* Festus, & Asconius modo laudati. Hinc *vehicula thensarum* apud Cicer. Verr. I. 59. *Omnes dii, qui vehiculis thensarum sollennes cœtus ludorum initis. Plaustra* nominavit Tertull. de Spectac. c. 3. per contemptum, ut opinor. *Si unam thensam trahat, Jovis tamen plaustrum est.* Scheffer. l. l. Schott. Nod. Cicer. IV. 6. Taffin. de Lud. secul. c. 15. n. 14. Struv. Antiq. Rom. c. 11. p. 544. Buleng. de Circo c. 38. Figrel. de Stat. Rom. c. 33. Saubert. de Sacrif. c. 19. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 5. Nann. Misc. VII. 9. Bud. in Pandect. p. 166. H. Cerda Adv. c. 185. §. 67. Herald. in Arnob. p. 179. Pinell. l. l. Blond. Triumph. Rom. II. p. 52. H. Casaub. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Eas tamen a curribus distinguit Tertull. de Spectac. c. 7. *Sed circensium paullo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen pompa præcedit: quorum sint semetipsa probans, de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de armamaxis.* In nummo Faustinæ Cybele insidet currui, cui leones juncti sunt, sub ædicula, non secus ac Pertinax in alio, quem elephanti trahunt: per quos currus si *thensæ* intelligendæ sunt, jam certe instar sacellorum fuerunt; & qui quatuor latera habuerunt aperta, facile etiam statuæ decidere potuerunt, ut Martis apud Dion. LXXVIII. p. 883. B. Hinc in glossis exponitur θρόνος, quia scilicet impositum thronum habebant deorum imagines. Et certe si inter se conferuntur verba Valerii Maximi, & Lactantii, sique illa mendo carent, *thensa* vocata fuit *templum.* Loquuntur de eadem re Valerius & Lactantius, & ille I. I. 16. *templum*, II. 16. *thensam* memorat. *Cuper. Harpocr. p.* 133. Ex qualibet materia factas ait Festus, nihil tamen vetat, quin credamus ligneas factas ex ea arbore, quæ cuilibet deo sacra esset. Forma expressa est in numismate apud Fulvium Ursinum in gente Rubria. Foramen in medio habebant, ad vinciendum impositas imagines, quod colligo ex Varr. de Ling. Lat. VI. 2. *Schott. l. l.* Festus certe adeo non ex qualibet materia factas ait, ut nominatim ebur memoret, ac argentum, alia exclusa. Quamquam ebur illud, ac argentum sine dubio spectarint magis ad ornatum, inductumque, ac incrustatum sibi habuerint vehicula *thensarum.* Formam hausit Schottus haud dubie ab Ursino ipso. At Ursini sola conjectura est, neque habet, unde confirmetur. Contra multa sunt, quæ illam refellant. Nam primo nulla hic imago divina, quam tamen *thensa* portari consuevisse certum. Deinde in ipsius parte suprema, sive tecto est Victoria devolans, coronamque lauream imponens equis. At hoc nihil ad *thensas.* Quinimo in nummo Comitis Magni de la Gardie regni Sueciæ Cancellarii non Victoria solum cernitur, sed & bigæ, quibus insistit. Jam vero bigæ plane non ad *thensas* pertinent. Sed nec lora hic cernuntur, quæ Asconius in *thensis* memorat. Ut quodvis aliud sit vehiculum in nummo propositum quam *thensa.* Maxime, cum & Panvin. l. l. exhibeat alia figura. Ex qua si nihil aliud, hoc saltem colligas, esse dubia, incertaque, quæ de forma *thensarum* afferuntur. In Varronis verbis nulla *thensæ* mentio,

mentio, aut foraminis in ejus medio. Scaliger quidem Conject. p. 110. Varronem emendandum putavit: *Foramen allatum est quoddam thensarii specie.* Et addit: est, inquit Varro, foramen simile *thensario* foramini, quod Græcis vocant ὀμφαλόν. At Scaliger nihil ibi de simulacris deorum, verum equos funales dicit ad *thensarias* religatos. Nullo igitur fundamento nituntur, quæ de illo foramine, revinctisque ad id simulacris Schottus tradit. Cum præsertim constet ex Dione jam laudato, simulacra potuisse a *thensis* delabi. Si enim delapsum est simulacrum Martis, qui stare potuit in eo foramine, qui ad id potuit esse revinctum? *Scheffer. l. l.* Trahebantur ab equis. Plutarch. Coriol. p. 225. F. *Si equus unus eorum, qui thensas trahunt, elanguisset, aut si læva manu prehendisset auriga habenas, pompam de novo decernebant instituendam.* Sed aliud videtur docere Asconius supra prolatus. Ex illo colligis loro tractas ab hominibus. Lori etiam mentionem facit Cicer. de Harusp. respons. c. 11. *Puer ille patrimus, aut matrimus si terram non tenuit, aut thensam, aut lorum omisit.* Et sine dubio ex illo Arnob. IV. p. 148. Si patrimus ille, qui vocitatur puer, omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit. Quomodo vero illud dicuntur tenuisse, nisi cum tracto eo *thensam* ducerent? Nam quod nescio ex quo foramine in *thensæ* medio pependisse lora scribit Schottus, quæ gestiebant tangere, id nec certo aliquo dicitur auctore, cum foraminis illius Cicero mentionem nullam faciat, nec sensum hic ocat aliquem idoneum. Contra de *thensis* loro tractis videtur posse colligi ex Athen. V. p. 198. qui ad *thensas* pompæ Ptolemæjanæ nunc centum & octoginta, nunc plures etiam commemorat viros trahentes. Cum ergo lora fuerint in *thensis*, nec a latere ipsarum, sive medio pendula, sed ante ipsas *thensas*, ut testis est Asconius, neque hoc intelligi idonee, nisi cum trahendo *thensas* ab iis, qui tenere manu gaudent, tenduntur, utique vix constat, quomodo ut equi traxerint. Nisi dicamus processisse *thensas* ope duplici, vel saltem lora, funesque, quibus ad *thensas* juncti fuerint equi, manu tenere, ac tangere illos consuevisse, qui ducebant. Cum præsertim metus esset, ne languescente aliquo ex equis sacrum totum redderetur irritum. *Scheffer. & Cuper. l. l.* In illis deorum imagines suis ornatæ vestibus, & sua habentes insignia, Jupiter fulmen, Saturnus falcem, Neptunus tridentem, atque sic deinceps, ducebantur in pompa circensi. Ita nominatim Sinnius apud Festum supr. laudatum memorat *deorum exuvias*, quo constaret iis ornatas fuisse. Nam de simulacris cognoscimus ex Serv. Æneid. I. 21. *Thensa significat, qua deorum simulacra portabantur.* Et firmat Dio jam productus, qui in circensi pompa verbis expressis simulacrum Martis nominat. Et ipse Cicer. Verr. I. 59. supr. laudatus. *Scheffer. & Taffin. l. l.* Vehebantur autem simulacra deorum, qui majorum gentium sunt dicti, Jovis, Junonis, Neptuni, Minervæ. . . . *Thensam* Jovis memorat nominatim Suet. Vesp. c. 5. n. 11. *Thensa* Minervæ legitur apud Dion. XLVII. p. 351. B. *Thensam* Martis habemus apud Dionem supr. laudatum. Sequentibus temporibus etiam Cæsarum imagines post illorum obitum. Primus, cui hic honor est tributus, Julius fuit, qui obtinuit etiam vivus per adulationem. Suetonius supr. laudatus. *Scheffer. l. l.* Ad postremum erant, qui *thensas* deducerent, viri in dignitate magna constituti, senatores, ac id genus. De illis capta a Gallis Urbe Liv. V. 41. *Quæ augustissima vestis est thensas ducentibus, triumphantibusque, ea vestiti sedere.* Ubi *ducere* significat *deducère*, ita enim alii sollenniter de hoc negotio loquebantur, & a *ducere* distinguebant. *Ducere* dicebant eos, qui tracto fune promovebant, *deducere*, qui honoris, ac officii causâ prosequebantur, id quod senatoribus, & triumphalibus viris erat usitatum. Erantque hi pulcerrime vestiti, ut ostendit Livius, hoc est, togas habebant palmatas, & in capite coronas. Tertull. de Coron. mil. c. 13. *Praferuntur illis Etruscæ. Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis, & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt.* Ipsi hoc faciebant interdum Principes. Suet. Aug. c. 43. n. 12. *Accidit votivis circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, thensas deduceret.* Dixit *cubans*; non enim vehiculis ipsis admovit manus; sed ea comitatus est, cultus, honorisque gratia. Certe alias non potuisset cubans deducere. *Scheffer. Cuper. & Taffin. l. l. Pitisc. in Suetonium.* Deducebantur e sacrario, id est, loco peculiari ad cujusque dei templum, ubi cum cetera supellectile sacra *thensa* quoque cujuslibet solebat servari. Suet. Vesp. c. 5. n. 11. *Nero dubiis [illegible] monitus per quietem, ut thensam Jovis Opt. Max. e sacrario in domum Vespasiani, & inde in circum deduceret.* Et in circum ad pulvinar. Sinnius apud Festum supr. laudatum. E pulvinari ludis finitis reducebantur iterum ad sacrarium quælibet suum. Dio XLVII. p. 351. B. *Thensa Minervæ ex circo in Capitolium, cum esset reducenda, confracta est.* Scheffer. Buleng. & Pitisc. l. l.

THEOLOGEUM erat pars theatri supra scenam. Ex eo in alto apparebant dii, ut Jupiter, & assessores ejus in disceptatione. *Buleng. de Theatr. I. 22. Gyrald. de Poet. Histor. VI. p. 334. G.*

THERMÆ dicuntur loca calida, in quibus non solum aqua, sed etiam vapore, halituque corpora incalescunt. Θερμὴ enim calor est. Livius, cum situm Thermopylarum in Græcia inter duo altissima juga describeret XXXVI. 15. *Ideo, inquit, pylæ, & ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatus. Thermæ* igitur Romanis fuerunt balnea calidarum aquarum, unde ædificiis adhæsit nomen, quanquam in iis etiam frigida perfunderentur. *Admiranda est earum amplitudo & numerus.* Ammian. XVI. 6. *Lavacra enim dixit in modum provinciarum exstructa:* &, quæ supersunt ex Antoninianis; & Diocletianis, reliquiæ abunde confirmant, quæque ab his vestigia Romani architecti hauserunt. At numerus fere sine numero. Supra octingentas P. Victor agnovit. Plin. Epist. IV. 8. *Quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum.* Romani præter lavacra Principum, quæ gratuita populo præbebant, & alia quæ conducebantur, suas quisque balneas domi fere habebat, præsertim nobiles cives ad privatos usus. Hic de *thermis* Principum sermo est. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. *Casal. de Therm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 635. C. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 18. Blond. Instaur. Rom.* II. §. 1. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 19.* Illarum imaginem sequi instituunt balneatores nostri, neutiquam assequuntur. In iis varia, ex arbitrio Principis struentis, forma, varia partium dispositio, area ampla quadrata triplici distincta ambitu, in primo gymnasii exercitiorum diversi generis; in secundo platanones, & xysta ad exercitia, quæ sub dio fiebant; in intimo denique ipsa *thermarum* fabrica, ubi atrium, xysti, porticus spatiosæ hibernis destinatæ athletarum velitationibus, antequam balneas inirent. Taceo reliquum apparatum exquisitissimum, theatridia, apodyteria, hypocausta, caldaria, tepidaria, frigidaria, basilicas, natationes, diætas, exedras, bibliothecas, musæa, ephebæa, coryceæ, sphæristeria, conisteria, elæothesia, alia. De singulis suis locis. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 14. n. 1. Baccius de Therm. c. 6. Ferret. Mus. Lapid.* II. *memor.* 13. Illarum usus fuit Homeri tempore notus. Sæpius nominat λοετρὰ θερμά. Præcipue, ubi omnium ferme rituum memoria dignorum observantissimus, sub persona Ulyssis, inter vitæ, animique delicias, & citharas, & choreas, & ornatus vestium, etiam *thermas* adnumerat, Odyss. Θ. 248.

> *Semper autem nobis conviviumque gratum, citharaque, chorique,*
> *Vestesque mutatoriæ, lavacraque calida, & cubilia.*

Baccius de Therm. c. 1. Laurent. de Medic. & Baln. c. 2. Duos, imo tres habebant fines: primum ad disciplinam juventutis, quæ sic viribus corporis, honestisque vitæ comitibus prævalere assuesceret: deinde ad sanitatem tuendam, qui duo erant fines præcipui: & demum ad delicias. In quibus omnibus mutua balnearum, atque exercitationum erant beneficia. Nam quantum conferebant

balnea laſſatis exercitatione, ac labore corporibus ad robur varium reparandum, & ad munditiem; tantundem rependebant utilitatis exercitia, ſine quibus balnea non poſſunt eſſe utilia, maxime ſanis. Succincte hæc colligit Mart. VII. 31. 7.

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi ſtipitis ictus habes.
Vara nec injecto ceromate brachia tendis,
Non harpaſta manu pulverulenta rapis.

Vidiſſes igitur tum frequentem civitatem, non ſecus atque hodie nos ſolemus ſacras eccleſias feſtis ſollennibus frequentare *thermas*. Baccius ibid. c. 7. V. & ſupr. in *Balneum*.

Thermæ Adriani collocantur a P. Victore, & S. Rufo in regione nona. Alius veterum, quem ego viderim, non meminit. Spartian. c. 19. *Romæ inſtauravit lavacrum Agrippæ.* His verbis adduci quiſpiam poteſt, ut putet *thermas* Agrippæ Adriani fuiſſe nuncupatas, & utrumque nomen ſortitas, quare alias Adriani *thermas* in campo non eſſe veſtigandas. Sed tamen auctoribus S. Rufo, & P. Victore, propriæ Adriani *thermæ* in campo ſtatuendæ ſunt. Eas autem prope forum Antonini, nunc Columnæ, fuiſſe haud abſimile veri eſt. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. *&* 19. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 12. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 38. Quo loco fuerint neſcitur: quamquam quod a Victore prope templum, & columnam Antonini collocentur, in vicinia ſitæ videntur. Donatus eas in delineatione campi Martii eo ſitu ponit, ubi nunc collegium Romanum eſt, ne verbum quidem ea de re in deſcriptione faciens. Credo tubulum illi plumbeum ibi repertum, cui nomen Adriani inſcriptum, hoc perſuaſiſſe. Fuit tamen in illa nomen Antonini ab Adriano adoptati: tum & collegium Romanum in ſeptima potius quam hac regione ſitum obtinet. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 10.

Thermæ Agrippæ fuerunt non longe a Pantheo, ubi arcus fuit Ciambelle dictus. Ibi magna pars adhuc caldarii ſphærica ſupereſt, quod plerique omnes, & recte *thermis* Agrippæ adjudicant. In Rufo legimus. . . . . *M. Agrippæ:* ubi forte vox *Pantheon* excidit. Sequitur deinde: *horti, & thermæ Agrippæ*, argumentum non leve vicinitatis. Dio LIII. p. 515. B. *Agrippa vaporarium Laconicum fecit. Laconicum autem dicitur id genus balnei, quoniam hic tum nudari corpora, tum inungi oleo præcipue videbantur.* Plin. XXXVI. 25. *Agrippa certe in thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus encauſto pinxit: in reliquis albaria adornavit, non dubie vitreas facturus cameras, ſi prius inventum id fuiſſet.* Ad earum ornatum pertinent ſtatuæ ab Agrippa ibi *poſitæ*. Plin. XXXIV. 8. *Plurima ex omnibus ſigna fecit* Lyſippus, *inter quæ diſtringentem ſe, quem M. Agrippa ante thermas ſuas dicavit, mire gratum Tiberio Principi: qui non quivit temperare ſibi in eo, quanquam imperioſus ſui inter initia principatus, tranſtulitque in cubiculum, alio ibi ſigno ſubſtituto: cum quidem tanta populi Romani contumacia fuit, ut magnis theatri clamoribus reponi Apoxyomenon flagitaverit, Princepsque, quanquam adamatum, repoſuerit.* XXXV. 4. *In thermarum quoque calidiſſima parte marmoribus incluſerat parvas tabellas.* Ex privatis publicæ ſunt factæ ipſius Agrippæ teſtamento, populo eas una cum hortis legantis. Dio LIV. p. 542. B. *Moriens Agrippa populo hortos, & balneum a ſe denominatum legavit, ut gratis lavarentur.* Nardin. Rom. Vet. VI. 4. Donat. de Urb. Rom. III. 19. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 11. §. 6. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 19. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 361. B. Turrig. ad Urſi togat. inſcript. §. 8. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 18. de Therm. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 635. E. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 19. Blond. Inſtaur. Rom. II. §. 8. Illas ædes Sanneſiæ, Victoriæ, Robertæ hodie deſignant. *Donat. ibid.* IV. 12.

Thermæ Agrippinæ. V. illas ſupr. in *Lavacrum*.

Thermæ Alexandrinæ fuerunt juxta *thermis* Neronis. Lamprid. Alex. Sev. c. 25. *Opera principum veterum inſtauravit: ipſe nova multa conſtituit: in his thermas nominis juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur. Nemus thermis ſuis de privatis ædibus ſuis, quas emerat, dirutis ædificiis, fecit. Pulcerrimum artium vectigal inſtituit, ex eoque juſſit thermas, & quas ipſe fundaverat, & ſuperiores populi uſibus exhiberi: ſylvas etiam thermis publicis deputavit.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 12. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 19. Blond. Inſtaur. Rom. II. §. 7. In domibus adjacentibus *thermis* Neronis, verſus ſeptemtrionem, vidi antiqua pavimenta, & fiſtulas plumbeas, puteumque, qui nulla ratione exſiccari poterat, ut ductum eſſe exiſtimem illius aquæ, quam *Alexandrinam* appellat Lampridius. *Marlian. l. l.*

Thermæ Antoninianæ ab Antonino Caracalla ſunt factæ, ſunt omnium, quæ Romæ eſſent, nobiliſſimæ in regione decima Piſcinæ publicæ, inter Aventinum & Cœlium. Spartian. c. 9. *Opera Romæ reliquit, thermas nominis ſui eximias: quarum cellam ſolearem architecti negant poſſe ulla imitatione, qua facta eſt, fieri. Nam ex ære, vel cupro cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur, quibus cameratio tota eſt concredita, & tantum eſt ſpatium, ut id ipſum fieri negent potuiſſe docti mechanici. Idem viam novam munivit, quæ eſt ſub ejus thermis, Antoninianis ſcilicet, qua pulcrius inter Romanas plateas non facile quicquam invenias.* Quam aſſerit inter Romanas pulcerrimam, eam, ut cætera fora, columnationibus, & porticibus cinctam fuiſſe neceſſe eſt. Sever. c. 21. *Vixit diu in odio populi Antoninus, quamvis & veſtimenta populo dederit, unde Caracallus eſt dictus, & thermas magnificentiſſimus fecerit.* De hiſce Olympiodorus: *Habebant in uſum lavantium ſellas mille ſexcentas e polito marmore factas.* Hiſce Elagabalus addere porticus inceperat, quas Alexander Severus perfecit. Lamprid. Elagab. c. 17. *Et lavacrum, quod Antoninus Caracallus dedicaverat, & lavando, & populum admittendo. Sed porticus defuerant, quæ poſtea ſub Decio Antonino exſtructæ ſunt, & ab Alexandro perfectæ.* Serl. Architect. III. ichnographiam ejus exhibet, quam e reſiduis deſcripſit, aſſirmatque longe illam artis præſtantia *thermas* ſuperare Diocletiani, & quaſcunque in Urbe alias. Superſunt earum hodieque non exiguæ reliquiæ ſub Aventinum, & S. Balbinæ, retro S. Nerei, & Achilei; ubi nihil magis incorruptum, quam vetus Antoninianarum nomen animadvertitur, quippe quæ levi corruptela Antonianæ, & ruſticius a quibuſdam Antignanæ appellentur. Hodie vix aliquid operis lateritii ſupereſt, quod ſtudioſis adoleſcentibus Seminarii Romani diebus feriarum pro receptaculo ad luſus & exercitia jocoſa juvenilia inſervit, aptis ad id genus luſuum variis, quæ ſuperſunt, muriſque diſtincta, conclavibus. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 7. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 19. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 17. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 369. *E. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 32. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* I. *c.* 6. *part.* 2. *c.* 18. *de Therm. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 636. *F. Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 2. *Blond. Inſtaur. Rom.* II. §. 9. *Schott. Itiner. Ital. p.* 186.

Thermæ Aurelianæ dicuntur ab Aureliano factæ trans Tiberim. Harum inter Janiculum, & S. Franciſci Ripenſis ædem hodieque ſuperſunt veſtigia. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 19. *Faunus Antiq. Rom.* V. 8. *Blond. Inſtaur. Rom.* I. §. 30: II. §. 18. Illarum meminit Vopiſc. c. 45. *Thermas in Tranſtiberina regione Aurelianus facere paravit hyemales, quod aquæ frigidioris copia illic deeſſet.* Sed ex his verbis non conſtat feciſſe, niſi aliunde deducatur. Vopiſcus enim illi conſilium ſtruendi tribuit, non autem cogitati perfectionem. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11.

Thermæ Commodianæ numerantur in proxima regione portæ Capenæ. Lamprid. c. 17. *Opera ejus præter lavacrum, quod Cleander nomine ipſius fecerat, nulla extant.* Herod. I. 12. 10. *Idem*, Cleander, *gymnaſium quoque maximum exædificaverat, publicatis etiam balneis, ut eo modo populum ineſcaret.* Donat. de Urb. Rom. III. 19. Nardin. Rom.

Rom. Vet. III. 2. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 324. B. Herodianus sic narrat, ut videatur Lampridius scribere debuisse *nomine suo*. Sed nihil muto. *Casaub. in Lampridium.*

Thermæ Constantinianæ ferveoant olim, ubi hodie aula Cardinalis Mazarini cernitur in Quirinalis descensu. Id declarant non modo rudera, sed & marmoris ibidem inventi luculenta hæc inscriptio:

PETRONIUS PERPENNA MAGNUS QUADRATIANUS. V. C. ET IL. PRÆF. URB. CONSTANTINIANAS THERMAS LONGA INCURIA ET ABOLENDÆ CIVILIS VEL POTIUS FATALIS CLADIS VASTATIONE VEHEMENTER ADFLICTAS ITA UT AGNITIONEM SUI EX OMNI PARTE PERDITA DESPERATIONEM CUNCTIS REPARATIONEM ADFERRENT DEPUTATO AB AMPLISSIMO ORDINE PARVO SUMPTU QUANTUM PUBLICÆ PATIEBANTUR ANGUSTIÆ AB EXTREMO VINDICAVIT OCCASU ET PROVISIONE LARGISSIMA IN PRISTINAM FACIEM SPLENDOREMQUE RESTITUIT.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 22. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 8. §. 4. *Baccius de Therm. c.* 3. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 293. *C. Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 8. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 19. Rudera magna, ædificia quædam quadrata, quædam rotunda, altissimis fornicibus extant: quorum unum per centum fere gradus adscendimus. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 19. Illarum magnam partem nos ipsi vidimus in dicta area, quam postea Cardinalis Borgesius pontificatu Paulli V. diruit, quum id exstrueret palatium. Fides etiam illis accessit e tribus, quæ illic fuere, statuis, Constantini, & duorum ejus filiorum Constantini & Constantii. Translatæ illæ sunt in Capitolium; quarum una est in compluvio Conservatorum, duæ vero in ipsa area. Meminit earundem Aurel. Vict. de Cæsar. c. 40. n. 27. *A quo,* Constantino, *etiam post circus maximus excultus mirifice, atque ad lavandum institutum opus cæteris haud multo dispar.* Nardin. l. l.

Thermæ Decianæ a Decio ædificatæ sunt. Cassiodorus: *Decius lavacra publica ædificavit, quæ suo nomine appellari jussit.* Eutrop. IX. 4. *Decius Romæ lavacrum ædificavit.* Pomponius Lætus: *Senatus Decii nomine Decianas thermas in Aventino ædificavit.* Qua collis parte incertum. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. Orientem versus, quarum ruinis nunc S. Priscæ templum dicitur exstructum. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 19. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 4. *Boissard. Topogr. Urb. Rom.* I. *p.* 15. Eas in eo Aventini loco collocare non ita securum. Fuerint potius a sinistris clivi Publici. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 15. §. 1. Antiquarios quidam architectus melior, quam literatus, deridet, nunquam a Decio *thermas* exstructas asserens. Mihi tamen Cassiodori, & Eutropii auctoritas non videtur contemnenda, quibus & Notitia dignitatum imperii suffragatur, quæ *thermas Decianas* commemorat. Cæterum in Aventino eas fuisse nec affirmarim ipse, nec unde id Pomponius Lætus acceperit, explicuerim. Fulvius, & Marlianus, aliique, qui abhinc seculo vixere, aperte de ruderibus earum a se visis loquuntur: de quibus, quamquam ea jam nulla exstant, adeoque de illis nihil certi statuere nunc licet: tamen eosdem consentientes, & oculatos testes, viros præsertim eruditos, falsi insimulare vix possumus: qui si non Decii eas fuisse liquido agnoscere potuere, saltem *thermas* fuisse e vestigiis facile colligere valuerunt. Nam forte ad Varianas illa rudera pertinuerunt. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

Thermæ Diocletiani extant in Alta semita regione, Viminali colle. Has quidem inceperat Diocletianus cum ordine exactissimo, atque amplissimo palæstrarum omnium generum: ob magnitudinem tamen, ut in marmorea tabula legitur, CONSTANTINUS ET MAXIMIANUS OMNI CULTU PERFECTAS ROMANIS SUIS DEDICAR. *Baccius de Therm. c.* 3. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 6. In illarum opus quadraginta millia Christianorum, quos cum ignominia exauctoraverat, mancipiorum instar, Christiani nominis hostis infensissimus addixit, & trucidari jussit. *Baccius l. l. Baron. Annal. Tom.* II. *an.* 298. *n.* 18. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 14. 1. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 346. *B. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 21. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 45. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 6. *part.* 2. *c.* 18. *de Therm. Thes. Antiq. Grac. Gronov. Tom.* IX. *p.* 637. *B.* Toti vico, veterem earum situm complexo, hodieque Termini nomen est, quod e voce *thermarum* depravatum esse liquet. Ecclesia S. Bernardi rotunda unum de caldariis fuit, cui oppositum aliud semirutum ad januam villæ Perettæ conspicitur: quæ duo extremos hujus operis angulos occuparunt: tertium versus aggerem Tullii cognoscitur: quartum in medio, per quod in ecclesiam itur B. V. Angelorum; ubi olim magnificentissima fuit pinacotheca. Præterea porticus, scholæ, ludi, xysti, ambulacra, natatoria, & sexcentæ aliæ id genus deliciæ, fidem ferme omnem excedentes, ibidem fuere. Quin & bibliotheca Ulpia illuc translata fuit, ut tradit Vopiscus supr. in *Bibliotheca* laudatus. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 8. §. 5. Fuerunt ibi in usum lavantium solia, sellæque plusquam tria millia, altissimi fornices, camerationes, hemisphæria, testudines, porticus, latissimæ areæ subdiales, aliaque admirabilia, quæ in earum ichnographia proponuntur, & nunc hortos, horrea publica, duo cœnobia, vineta, plateas amplissimas capiunt. *Donat. l. l. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 19. Et, ut earum amplitudinem amplius demonstremus, intra ambitum hodie ecclesia est, & monasterium, hortique perampli Monachorum S. Bernardi; ecclesia, monasterium, & spatiosissimi horti Carthusianorum; duæ ingentes areæ, & granaria cameræ Papalis, opus admirandæ magnitudinis, fons *thermarum*, complures vineæ, ac ædes privatorum. In vinea Carthusianorum ad ædificium granariorum novum ab Urbano exstructum, pars adhuc ecclesiæ veteris, & domus S. Cyriaci superest, ut & baptisterii, ubi ille clanculum baptizare solitus erat. *Nardin. l. l.* Superfuit ergo post tot secula illa moles integro ferme ædificio, & hodie suo titulo S. Mariæ de Angelis a Pio IV. pontifice maximo magnifice restauratur cum disticho ad perpetuam rei memoriam posito in ipsa basilica, quod sic a nobis est restitutum:

Quæ fuerant thermæ, nunc templum est Virginis, auctor
Est Pius ipse pater, cedite deliciæ.

Baccius, Pancirol. & Donat. l. l. Aring. ibid. n. 5.

Thermæ Domitiani ponuntur prope ejus naumachiam in campo ad cœnobium Monialium S. Sylvestri. De his perobscure Euseb. Chron. p. 164. *Sub Domitiano multa præclara opera Romæ facta, in quibus thermæ Trajanæ, & Titianæ.* Cassiod. Chron. ad an. 845. *His consulibus,* Domitiano IX. & Clemente, *insignissima Romæ facta sunt opera, forum Trajani, Thermæ Trajanæ & Titianæ.* Plutarch. in Poplic. p. 105. B. *balneum* factum a Domitiano tradit, sed in palatio. Verum Historiæ Ecclesiasticæ Tom. Conc. I. & Anast. in vita de S. Sylvestro tradunt, *eum ecclesiam fecisse, & constituisse titulum juxta thermas Domitianas, quæ cognominantur Trajanæ.* Rursus: *Concilium celebrasse intra thermas Domitianas.* Titulus autem ille Equitii dictus est, quo ædes S. Martini in montibus hodieque insignitur: certisque vestigiis S. Pontificis memoriam designat: & id templum conditum juxta *thermas* Trajanas. In hac dubitatione ponendum est, Domitianum, etsi balneum fecerit in palatio, eo tamen loco Esquiliarum *thermas* non fecisse: nihil enim de his legimus apud Ethnicos scriptores. Quod si dicas: *thermas* Domitia-

mitianus fecit, nec perfecit, perfectas postea a Trajano: ideoque nomen utriusque adeptæ. Non memorantur a Suetonio; contra est, quia etiam opera imperfecta Domitiano Suetonius adscripsit, ut forum Nervæ, quod Trajani dixit Cassiodorus. Cur igitur non idem scripsit de *thermis*, si illum noverat earum conditorem? Deinde si inchoatas perfecisset Trajanus, Domitiani nomen, ut forum Nervæ, perditurus amisisset. Sed cum Domitianus *thermas* non fecerit, *thermæ* tamen Titi ejus fratris in eo tractu, vel auctæ a Domitiano, & ornatæ, vel propter incendium, quod sub Tito Romæ ingens fuit, non improbabiliter refectæ sunt. Quamobrem dictæ etiam Domitianæ. Suet. c. 5. n. 1. *Plurima, & amplissima opera incendio absumpta restituit: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria.* Jam *thermis* a Trajano factis Titi Cæsaris *thermæ* proximæ erant, & prope contiguæ. Quæ cum Domitianæ dicerentur, multo post annos ætate scriptorum vitæ S. Sylvestri, credibile est, propter ædificiorum propinquitatem, promiscue a vulgo fuisse usurpata nomina: & quia unum quodammodo esse videbantur, Trajanas Domitianas, Domitianas Trajanas esse dictas. *Donat. de Urb. Rom* III. 19. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 10. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 14. I--4. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c.* 18. *de Therm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 636. *E. Blond. Instaur. Rom.* II. §. 12.

Thermæ Gordiani sitæ fuerunt a posteriore parte tropæorum Marii. Illarum magnæ adhuc supersunt ruinæ. *Boissard. Topogr. Urb. Rom.* I. *p.* 44. Leguntur duplices. Priores in monte Esquilino, quarum ruinæ jacent prope S. Eusebium via Prænestina. Hæ fuerunt sumptuosissimæ, adeo ut scribat Capitol. c. 32. *tales præter Urbem nusquam orbem terrarum habuisse.* Posteriores in campo Martio, quas cum Misitheus exstruere voluit, sed morte præventus non fecit. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 19. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 3. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 17. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 15.

Thermæ Neronis non procul a Pantheo fuerunt. Ejus vestigia aliqua in palatio Magni Etruriæ Ducis, quod est inter ædem S. Eustachii, & aream Madamam, olim Longobardorum dictam, agnoscuntur. Suet. Ner. c. 12. n. 9. *Dedicatis thermis.* . . . . Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 12. Nardin. Rom. Vet. VI. 5. Turrig. ad U.si togat. inscript. §. 10. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 38. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 19. Hinc & ecclesiæ antiquæ, quæ nunc S. Salvatoris appellatur, & palatio Magni Etruriæ Ducis conjuncta est, olim S. Jacobi in Thermis nomen fuit. Verum dubitet forsan aliquis, annon hæ *thermæ* Agrippæ fuerint; illæ vero ad Cimbellam Neronis. Sed hasce Agrippæ fuisse porticus Boni Eventus evincit, nec non porticus Palatinæ, sive Palacenæ vicinia, quam prope S. Marci fuisse vidimus. Illas autem alteras Neroni asserendas, & post illum Alexandro, vicinia circi Agonalis persuadet, qui quondam Alexandri dictus fuit. *Nardin. l. l.* Eximii fuerunt operis. Mart. VII. 33. 4.

—— quid Nerone pejus?
Quid thermis melius Neronianis?

Stat. Sylv. I. 5. 61.

—— fas sit componere magnis
Parva, Neronei nec qui modo lætus in unda
Hic iterum sudare neget.

De illis Euseb. Chron. p. 161. *Thermæ nono imperii anno a Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellavit.* Postea Alexandrinæ sunt dictæ. P. Victor: *Thermæ Neronianæ postea Alexandrinæ dictæ.* Mutationem nominis ab odio Neronis provenisse scribit Cassiod. Chron. p. 816. *Thermæ a Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellavit; cujus odio, mutato vocabulo, nunc Alexandrinæ nominantur.* Dicendus ergo Alexander, veterum operum instaurator, restituisse, atque ornasse Neronis *thermas*, & novas ipse ædificasse. Lampridius laudatus supr. in *Thermæ Alexandrinæ* videtur facere diversas Alexandrinas a Neronianis. Dicendum itaque, cum luxus de die in diem caperet incrementa, Alexandrum Neronianis, ad augendam earum magnificentiam, & amplitudinem nova adjecisse ædificia, cum veteribus structuræ ratione conjuncta; ita ut unum ex utrisque opus consurgeret priore multo splendidius, commodiusque, cui novum deinceps nomen impositum, a Victore, & Cassiodoro memoratum. Lampridium vero ædificium utrumque respectu ejus, cujus vitam scribebat, Imperatoris distinxisse. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. *Nardin. & Turrig. l. l. Falconer. ad Inscript. athlet. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII *p.* 2352. *C. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 18. *de Therm. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 635. *F.*

Thermæ Novatianæ fuerunt in Viminali, ubi nunc templum S. Pudentianæ, in quo & canales fuliginosi, & solum *thermarum* more tessellatum. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 13. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 21. Imo potius inter templa B. Laurentii & Pudentianæ virginis structæ sunt a Novato & Timotheo Pudentianæ germanis fratribus: unde a scriptoribus Ecclesiasticis non modo Novatianæ, sed etiam Timothinæ nuncupantur. Anastas. in vita Papæ Pii I. *Rogatu B. Praxedis dedicavit ecclesiam thermas Novati in vico Patricio in honorem sororis suæ S. Pudentianæ.* Donat. de Urb. Rom. III. 11. Verum ecclesia S. Pudentianæ non potuit occupare locum *thermarum*, si verum est, quod Acta S. Pudentianæ, & Praxedis, ut & concilium Romanum II. sub Symmacho celebratum asserunt, domum eam fuisse Pudentis senatoris, qui pater earum fuit. Vetus traditio est, probata Baron. ad Martyrol. XIX. Maji Pudentem illic S. Petrum excepisse, quum Romam venisset: qui tamen cum ab illo Pudente diversus sit, duarum istarum virginum patre, ut optime Martinellus animadvertit, utrum illam ipsam domum possederit, merito dubitari potest. Nec collocari, quod prudentius Donatus inter ædes S. Pudentianæ, & Laurentii in Panisperna. Nam tum nimium vicinæ fuissent *thermis* Olympiadis. Acta S. Praxedis a S. Pastore conscripta sunt, & me inducunt, ut aliter sentiam. *Rogavit*, inquit de S. Praxede, *Pium Episcopum, ut thermas Novati, quæ jam in usum non erant, ecclesiam dedicaret.... & dedicavit ecclesiam thermas Novati in nomine B. virginis Praxedis in urbe Roma in vico, qui appellatur lateritio; ubi constituit titulum Romano.* Hic *thermæ* non in nomine Pudentianæ, verum Praxedis dedicatæ leguntur: nec in titulum Pastoris, cujus fuit ecclesia Pudentianæ, verum Romani: vicus autem non patritius, sed lateritius appellatur: quæ nominum similitudo Anastasium in errorem inducere potuit. Ex his probare mihi posse videor, *thermas* Novati ecclesiam S. Praxedis fuisse, quam pervetustam esse constat, vicumque lateritium ibidem fuisse in vicinia. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3.

Thermæ Olympiadis fuerunt in Viminali. In Actis S. Laurentii legitur, impositum eum, ustulatumque in craticula ferrea in *thermis* Olympiadis. Quum vero certa traditio sit, id factum eo loco, ubi ecclesia S. Laurentii in Panisperna consecrata fuit; atque insuper Hugonius ex ipsis Laurentii Actis colligat, ecclesiam illam non diu post martyrium ædificatam fuisse, consequi videtur fuisse, ubi nunc dicta S. Laurentii ecclesia est in Panisperna. Quæ autem illa fuerit Olympias, ne conjectura quidem quisquam hactenus assequi potuit, nedum certum aliquid de ea expiscari. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 21. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 7. §. 6. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 6. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 22.

Thermæ Philippi Titianis a Victore in tertia regione, & parte Esquilini collis subscribuntur, iisque proximæ in editiore solo fuisse dicuntur. Nec quidquam præterea de his accepimus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. & 19. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 19. *Baccius de Therm. c.* 3. Creduntur fuisse ea rudera, quæ ex adverso templi D. Matthæi in Merulana adhuc videntur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 5. §. 4. Sed nihil ea de re certi: solæ conjecturæ ex forma, & situ loci, reliquiarumque petitæ proponuntur;

tur; quas vetus inscriptio ibidem reperta videtur confirmare:

L. RUBRIUS. GETA. CUR. P. CCCXXII
D. N. PHILIPPI. AUG. THERM.

Unde & verisimile putatur, cum Philippus ædes suas in regione habuerit secunda, eas in Suburra fuisse *thermis* suis vicina. Ad eas per eum forte Tabernolæ vicum ascendebatur, qui in Esquilias ducebat: de quo Varro laudatus supr. in *Lucus*. Nardin. Rom. Vet. III. 10

Thermæ Severianæ Severi nomine fuerunt in Transtiberina regione prope S. Chrysogonum, & S. Cæciliam. Spartian. c. 19. *Opera publica præcipua ejus extant Septizonium & thermæ Severianæ. Ejus denique etiam janua in Transtiberina regione ad portam nominis sui, quarum forma intercidens statim usum publicum invit it.* Blond. Rom. Instaur. I. §. 30: II. §. 16. Baccius de Therm. c. 3. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 19. Donat. de Urb. Rom. I. 21. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 312. D. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 19. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 19: V. 8. Hic vero in Transtiberina illas fuisse, verbum nullum est quod arguat. Fuerunt extra portam Capenam. Patet enim satis libenter illum in via Appia ædificasse ambitione quadam impulsum, ut ex Africa advenientibus opera a se facta spectaculo essent. Spartianus. V. illum supr. in *Septizonium*. Nardin. Rom. Vet. III. 2. Borrich. Ant. Urb Fac. c. 2. §. 2.

Thermæ Taciti ubi fuerint incertum, fuerunt tamen. Vopisc. c. 10. *Domum suam destrui præcepit, atque in eo loco thermas publicas fieri privato sumptu jussit.* Donat. de Urb. Rom III. 19.

Thermæ Titi fuerunt ad S. Petri in vincula, circum ipsam ædem, & cœnobium, hortumque. Insignia antiquitatis, quæ illic visuntur, vestigia fabricis rotundis *thermarum* speciem repræsentantia, indicio sunt manifestissimo. Accedit & testimonium dicentis Suet. Tit. c. 7. n. 11. *Amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter exstructis.* Vocula enim *juxta* vicinitatem satis abunde arguit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 5. §. 3. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. & 5. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 19. Argumentum quoque *thermarum* præbebat patrum nostrorum memoria ante ecclesiam illam conspicuum labrum marmoreum, quod Ferdinandus Cardinalis Mediceus in collem Pincium in hortos suos transtulit, absque omni dubio *thermarum* olim usibus inserviens. Fuere tamen, qui crediderint Trajani hasce *thermas* fuisse, cum Symmachum Papam ecclesiam S. Martini in montibus, quæ S. Petri in vincula vicinissima est, in ruderibus *thermarum* Trajani posuisse legatur: quibus & hæc ibidem inventa suffragatur inscriptio:

JULIUS. FELIX. CAMPANIANUS
V. C. PRÆFECTUS. URB. AD. AU-
GENDAM. THERMARUM. TRAJA-
NARUM. GRATIAM. CONLOCA-
VIT.

Alii rursus *thermas* illas aliquanto inferius fuisse malunt, contra quam de æde S. Petri in vincula legitur. Alii, Trajanum *thermas* Titi restituisse, non autem novas fecisse, contra Victoris, & Rufi auctoritatem asserunt, qui tamen utrasque sejungunt. Ego Trajanum *thermas* Titi ampliasse putem, additis novis ad majorem illarum splendorem, & commoditatem ædificiis, atque hinc *thermas* illas Trajanas appellatas, quandoquidem a veri abest similitudine novas a Trajano in tanta vicinia exstructas. Sic & in Vaticano palatium Sixti ea pars dicitur, quam Sixtus V. veteri palatio addidit. Quum vero ad S. Martini in montibus, ætate Leonis X. duæ fuerint Antinoi, pueri ab Adriano tantopere adamati, inventæ statuæ in loco, cui Adrianello nomen, quæ nunc in Belvedere positæ visuntur; indicium illud non invalidum mihi videtur, additam & aliquam, licet haud magnam, *thermis* illis ab Adriano partem, quæ illius nomen retinuerit. *Nardin. l. l.* *Falconer. ad Inscript. athlet. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2352 *B.* Hæc pars Urbis septis Neronianæ domus inclusa erat. Mart. Spectac. II. 7.

Hic ubi miramur velocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

Hic enim erant rura hortensia, & sylvæ septis domus inclusæ. Et *velocia munera* vocat *thermas*, utpote a Tito celeriter exstructas. Vulgari vocabulo vocantur *septem aulæ*. Donat. ibid. c. 5. Fabric. l. l. Nam castellum earum vulgo *cisternis capaces*, & *septem solias* nominant. Sunt autem novem sub terra cameræ fornicatæ, quarum una quævis portas aliquas habet, & per unam introiens, simul per multas et oblique oppositas uno ordine oculos intentare potes. *Fabric. l. l. & Schott. Rom. Urb. Descript. p.* 428.

Thermæ Trajani a Titianis separantur a Rufo, & Victore. Multa ædificia publica Trajanum exstruxisse Dio refert, inter quæ *thermæ* fuerunt. *Pancirol. Descript. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 334. *E.* Dicuntur fuisse ab armilustro ad eum usque locum, ubi nunc D. Priscæ est templum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 4. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 19. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 15. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. I. V. & supr. in *Thermæ Titi.*

Thermæ Varianæ, id est Heliogabali, qui & Varius est dictus, a Victore in Aventino collocantur, & ad has forte pertinuerunt rudera, quorum meminimus supr. in *Thermæ Decianæ*. Præterea eas in Aventino fuisse, tubulus quoque plumbeus arguit, ad portam S. Paulli hoc in monte repertus, cui inscriptum: AQUA. TRAJAN. Q. ANICIUS. Q. F. ANTONIAN. CUR. THERMARUM. VARIANARUM. Qui locus licet aliquantum a dictis *thermis* remotus sit, tamen tubulus iste vel aliunde ad eas aquas deferre potuit, vel inde acceptam aliorsum devehere. Harum conditor Varius Heliogabalus dicitur a Lamprid c. 17. *Opera publica ipsius præter ædem Heliogabali dei, & amphitheatri instaurationem post exustionem, & lavacrum in vico Sulpitio, quod Antoninus Severi filius cœperat.* Nardin. Rom. Vet. VII. 8. Donat. de Urb. Rom. III. 19. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 15.

THERMOPOLIUM vocabatur taberna, ubi confectæ, dulcesque potiones venibant, quas calidas bibebant. *Turneb. Adv.* XX. 10. *& in joc. Cicer. p.* 73. Hoc sine auctore veteri ponit Turnebus. Erat non hercle aliud quam caupona, in qua calida pura puta venibat. Plaut. Curc. II. 3. 13.

Quos semper videas libenter esse in thermopolio:
Ubi quid surripuere, operto capitulo calidum bibunt.

Et Stasimus dolet, quod calida potione guttur plus justo calefaciens, annuli in caupona oblitus fuerit apud eundem Trin. IV. 3. 6.

Ecce hominem, Stasime, nihili? satin' in thermopolio
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem.

Et Neptunum incusat, quod neque balneatorem, neque cauponem bonum agat, frigidam, & salsam potionem exhibendo in Rud. II. 6. 43.

Ædepol, Neptune, es balneator frigidus,
Cum vestimentis postquam abs te abii, algeo:
Nec thermopolium quidem ullum ille instruit,
Ita salsam præbet potionem, & frigidam.

Lips. Elect. I. 4. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 548. Verum non aquam tantum calidam puram putam, sed alias quoque potiones dulces, atque calidas in *thermopoliis* vendi solitas fuisse, manifeste videtur indicare Plaut. Pseud. II. 4. 50.

PS. *Quid si opus siet, ut dulce promat indidem, ecquid habet?* CH. *Rogas?*
Murrhinam, passum, defrutum, melinam, mel quojusmodi.
Quin in corde instruere quondam cœpit thermopolium.

Dulcium legato apud Ictos hæc continentur mulsum, pas-

tum, defrutum, & similes potiones: item uvæ, fici, pruræ, caricæ. l. ult. ff. de trit. vin. Item Paull. Sent. III. *Dulcibus legatis, sapa, defrutum, mulsum, dulce etiam ... pomæ, caricæ, uvæ passæ debebuntur.* Stuck. Ant. Conv. III. 6. V. & supr. in *Aqua calida.*

THERMUS fuit cognomen Minuciæ gentis. In ejus nummis argenteis familiare fuit. *Ursin. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 938. D.* *Thermum* consularem unum inveni Q. Minucium Q. F. L. N. qui prætore an. 558. ex Hispania citeriore triumpham egit, consul fuit triennio post cum L. Cornelio Merula. Hic ædilis curulis cum Ti. Sempronio Longo an. 555. Præturam biennio post gessit in Hispania citeriore, ex qua, ut diximus, triumphum egit. Occisus est an. 565. a Thracibus. Prætor M. *Thermus* fuit, sub quo C. Julius Cæsar, postea dictator, prima stipendia fecit anno plus minus 673. *August. de Famil. Roman. in Minucia.*

THESAURUS vocabatur locus, in quem munitum pecunia ex oppidorum vectigalibus exacta deferebatur, inde ad comitatum mittenda. L. I. C. de can. larg. tit. Ejus custodes *thesaurenses*, & qui præcipuam eorum curam habebant, *thesaurorum præpositi*, qui duodecim hic recitantur, quot erant *thesauri*, seu loca, in quibus summa pecuniæ ex provincia collecta conservabatur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 35. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 24. §. 2. Burman. De vect. c. 8.*

Thesaurus orcinus vocatur sepulcrum. Nævius apud Gell. I. 24.

> *Itaque postquam orcino est traditus thesauro.*

Kirchman. de Funer. III. 10. Scalig. in Festum in Favissæ.

THESSALIA est campus maximus, ac undique montibus cinctus, ab oriente Ossa, & Pelio: ab occasu Pindo, unde Peneus defluens orientem versus eam a Macedonia dividit: ab aquilone Olympum: a meridie Oetam montes habet, omnes conjuncti, & theatri instar inflexi, in cavea, XXXV. urbes cludunt. Plin. IV. 8. qui etiam auctor est XXIV. nobilissimos amnes hanc regionem interfluere. Pelasgia olim est dicta. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 138. Sigon. de Ant. jur. prov. I. 8.* Macedoniæ formulæ fuit adscripta. V. supr. in *Macedonia.* Cæsar *Thessalos*, quod pro se contra Pompejum in acie Pharsalica stetissent, in dictatura libertate donavit, ut Appianus scriptum reliquit. *Sigon. l. l.*

THESSALONICA est urbs Macedoniæ in Amphaxitide, ut ait Ptolemæus. Hæc *Halis* prius dicta. Stephanus a Cassandro Rege conditam scribit, quam Philippus Amyntæ filius appellavit *Thessalonicam.* Nunc *Salonich* dicitur. Nobilis est Paulli epistolis. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 71.*

THETA. Θ. nigra litera in sepulcralibus aliquando ab antiquis vocabatur, quod pro signo mortis defuncti militis nomini apponebatur, ut & illis etiam, qui mortis erant damnati. Unde Schol. in Pers. Sat. IV. 13. *Judices literam theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito. Θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου, eo quod quasi habeat telum suum: ideoque triste intelligitur, vel mortis signum, unde quidam ait:*

> *O multum ante alias infelix litera theta.*

Isidorus. V. illam supr. in *T.* Ursin. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 549. B. Persius sub Socratis persona ad Neronem, quem Alcibiadem recte nominat. Sat. IV. 13.

> *Et potis es nigrum vitio præfigere theta.*

id est, potestas tibi vitiosos condemnandi cives. Mart. VII. 36. I.

> *Nosti mortiferum prætoris, Castrice, signum,*
> *Est operæ pretium discere theta novum.*

Sensus Martialis est: Pro veteri illa condemnationis, & mortis θανάτου litera, quæstor noster novam habet notam, emuncto scilicet naso dat carnifici signum occidendi hominis. Novum enim mortis signum invenit, ut quempiam interfecturus addat Θ. Litera hæc non tantum forma cor dissectum exhibet, sed & significatione mortem infert; notat enim θάνατον, ut jam monuit Persii Scholiastes. *Nicol. de Sigl. vet. c. 11. §. 5. Rutgers. Var. Lect. v. 17. Scalig. Lect. Auson. II. 20. Maurit. ac Sortit. c. 28. § 3. Erasm. Adag. p. 159. b. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. IX. 31. Hugo de prim. scrib. orig. c. 22.*

THI.

THIELDONES equi. V. illos supr. in *Equus tolutarius.*

THO.

THOLUS *est veluti scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt: ad quod dona suspendi consuerant: quæ tam diu dona dici poterant, quamdiu non profana fierent, sicuti in libris sacrorum refertur. Alii tholum ædium sacrarum dicunt genus fabricæ Vestæ, & Panthere.* L. *Panthei. Alii tectum sine parietibus columnis subnixum. Ædes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere.* Serv. ad Virg. Æneid. IX. 407.

> *Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris*
> *Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,*
> *Suspendique tholo, aut sacra ad fastigia fixi.*

Stat. Sylv. I. 4. 32.

> —— *tamen excipit omni*
> *Exuvias Diana tholo, captivaque tela*
> *Bellipotens.*

Tradunt tamen alii *tholum* esse locum in media templi camera, in quo voventium primitiæ, aut exuviæ figebantur. Alii erectiores cameras templorum hemisphæriis, id est, cuppolis addi solitas, quas tribunas, & laternas Itali vocant. Quidam templi cameram, quæ altius crescens rotunda forma in fastigiatum cacumen desinebat. Servii verior mihi esse opinio videtur. Liberum est unicuique quam velit ex aliis amplecti. *Guther. de Vet. jur. pontif. III. 9. Tomas. de Donar. c. 6. Voss. Lex. Etymol. Philand. & Barbar. in Vitruv. IV. 7. Baldus Lex. Vitruv. Vales. in Ammian. XXVIII. 4.*

Tholus est tugoriolum, ubi monachi, aut anachoretæ inclusi agebant vitam. Pallad. Hist. Lausiac. c. 43. *Cum quinque annos versatus esset in monasterio, secessit solus in montem Lyco, & in cacumine montis factis sibi tribus tholis, ingressus seipsum inclusit. Atque erat quidem unus tholus ad corporis necessitates, unus autem ubi operabatur, & edebat, alius ubi orabat.* Cerda Adv. c. 171. §. 7. Tomas. de Donar. c. 6.

THORAX est vestis, quæ pectus munit. Virg. Æneid. X. 337.

> —— *& thoraca simul cum pectore rumpit.*

Illa utebantur ad ictus repellendos. Fiebat ex ære, ferro, & corio. Suet. Cal. c. 52. n. 3. *Interdum & magni Alexandri thoracem, repetitum e conditorio ejus.* Proprie *thorax* pectus est. Gloss. Philox. Θώραξ, τὸ στῆθος, *pectus*: θώραξ, *lorica.* Augustus præter *subuculam & tunicas thorace laneo* utebatur. Suet. c. 82. n. 1. Sed tanquam novum hoc in Augusto notatur. *Ferrar. de Re Vest. I. 3. 3. Pitisc. in Suetonii Augustum.* V. & supr. in *Lorica.*

THORIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

THR.

THRACES a Rege invitati pro facultate varia dona offerebant; aurea pocula scilicet, tapetes, equos, pueros, vestimenta ad conjugis usum, aliaque ex arbitrio. Narrat hoc, de Seuthis *Thracum* Regis epulo splendidissimo ubi agit, Xenoph. de Expedit. Cyri VII. p. 405. D. *Tomas. de Donar. c. 17.* Convivæ inter vina per jocum

cum nectebant nodum e trabe, quem supposito scamno collo aptabant, manu falciculam, aut cultellum tenebant, subtrahebatur scamnum: si is, qui e trabe pendebat, scienter, & propere nodum cultello abscinderet, consulebat vitæ suæ, si esset tardior, & hebetior, sæpe strangulabatur, cæteri mortuum risui habebant. *Buleng. de Conv.* III. 29. Cum cantu, & luxu, lascivaque gesticulatione patrium carmen canentes efferebant. Val. Max. II. 6. 12. *Thraciæ vero illa natio merito sibi sapientiæ laudem vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter, exsequias cum hilaritate celebrans, sine ullis doctorum præceptis, verum nostræ conditionis habitum pervidit.* Alexand. Gen. dier. III. 7. & ad illam Tiraquellus. Schott. Observ. II. 19. Morestell. Pomp. Feral. II. 37. Kirchman. de Funer. Roman. IV. 10. Viro defuncto præcipue dilecta uxor, maximo cultu ornata, ad tumulum ducebatur, & a propinquiore mactabatur, & eodem, quo maritus, tumulo humabatur. Mel. II. 2. *Ne feminis quidem segnior est animus. Super mortuorum virorum corpora interfici, simulque sepeliri, votum eximium habent.* Morestell. ibid. VII. 6. Kirchman ibid III. 4.

THRACIA est regio Europæ, quæ a septentrione Hemo monte clauditur, ab oriente Propontide, a meridie mari Ægeo, ab occidente Nesto flumine. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 133. M. Acilio Balbo, C. Catone coss. an. 640 bellum cum *Thracibus* Macedoniæ finitimis exortum est, quod non in proximam modo provinciam Macedoniam incurrerent, sed Thessaliam atque Dalmatiam, usque ad Hadriaticum mare prædando pervenissent. Contra quos primus consul missus est C. Cato cum prætore T. Didio. Consul male adversus *Thracas*, prætor bene pugnavit, & de iis triumphavit. Hoc bellum multis annis continuatum est: de quo sic scribit Rufus: *In Thracias Macedonici belli occasione transcursum est: sævissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In Thracum regionibus Scordisci habitaverunt pariter crudele, & callidum genus. Sæpe per eos cæsus est Romanus exercitus. T. Didius vagantes Thracas repressit, M. Livius Drusus intra fines proprios continuit, M. Minucius Rufus in Hebri fluminis glacie vastavit, L. Sylla dictator Dardanos, atque alios Thracum populos Macedoniam incursantes prælio profligavit. Cn. Dolabella post Syllam contra Thraces res prospere gessit. Per Ap. Claudium proconsulem hi, qui Rhodopen & Caucasum incolunt, victi sunt. Europæ maritimas urbes ante Romana classis obtinuit. Dardanos, & Mæsos Curio proconsul subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium usque pervenit. M. Lucullus per Thracias cum Bessis primus pugnavit, ipsamque caput gentium Thraciam vicit. Hemimontanos vicinos subegit, Olympiadam, quæ nunc Philippopolis, & Musicadoniam, quæ modo Hadrianopolis dicitur, in ditionem nostram redegit, Cabylem cepit, supra Pontum positas civitates occupavit, Apolloniam, Galatiam, Parthenopolim, Tomos, Istrum, ad Danubium usque perveniens Romana Scythis arma monstravit. Triumphavit vero proconsul de Thracibus, Dardanis, & Bessis ex Macedonia.* Panvin. Imp. Roman. c. 14.

THRANITÆ dicebantur remiges, qui in summa navis parte remigabant. Scholiastes Aristophanis & Pollux. V. illos supr. in *Thalamitæ*. Græce is vocabatur θρανίτης, quasi dicas, *sellarius*, qui in sella sedet. θράνος enim *sella* est, seu *sedile*. Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 579. F. Recte quidem vocem θράνος generatim dicit significare *sedile*, sive *sellam*, nam & Pollux, & Hesychius sic explicant. At vero hoc in navi etiam significare quomodo probavit? Nemo certe veterum hoc dixit ullo loco. Θράνος eis pars navigii, eaque unica, & singularis, in qua *thranitæ* sederunt omnes. Evidentissima sunt verba Polluc. I. 9. 5. τὸ περὶ κατάστρωμα, θράνος. οὗ οἱ θρανῖται. Aut igitur dicendum, *thranitas* unicum habuisse sedile, quod Meibomius negabit ipse, aut θράνος non habendum pro sedili in navibus. Θράνος mihi dictum videtur, quod in summo claudebat parietes navis, illo modo, quo dixit Pollux, θράνος significare τὰ ξύλα τὰ κατακλείοντα τοὺς πλινθοὺς τείχους. θράνος itaque in navibus non fuit nisi unicus, quod veteres fatentur omnes. Sedile *thranitarum* non fuit unicum, ipso teste Meibomio, sed *thranita* quisque habuit suum. Qui ergo a θράνος, quatenus sedile denotat, venire, vel dictus esse possit *thranitus*? Opel. Thes. Græv. ibid. p. 698. F.

THREX, ita enim semper libri fideliores, non *Thrax*. Et ad hoc exemplum *Threciscus* apud Capitol. Maximin. c. 3. De istis Festus: *Threces gladiatores a similitudine parmularum Thraciarum.* Imo non ab armis solum, sed, credo, quia ipsi ex ea gente. Odorari videor e vestigiis Livianæ scripturæ, parum firmis tamen, pleraque. Cum enim narrasset XLI. 20. Persea Regem crebras gladiatorum pugnas dedisse, imitatione Romana, addit: *Familiare oculis, gratumque id spectaculum fecit, & armorum studium plerisque juvenum accendit. Itaque cui primo ab Roma magnis præmiis paratos gladiatores arcessere solitus erat, jam suo* * *. Nam quæ sequuntur, sunt in lacuna. Tamen videtur mihi subjecisse, *jam suo e regno Romam mittebat*, aut quid tale. Et, nisi fallor, hæc origo *Threcum*. Certe suo ingenio prona ea gens ad pugnas, & cædes. Ammian. XXVII. 4. *E Thracibus inter alios immaniter efferati memorantur Odrysæ, ita humanum sanguinem fundere assueti, ut cum hostium copia non daretur, ipsi inter epulas suis, velut alienis corporibus imprimerent ferrum.* Imo jam antiquitus ad rogum singulari certamine decertabant: quod omnino observandum suggessit Herod. V. p. 331. D. *Tumulum cum fecerint, certamen varium instituunt, in quo maxima præmia ponuntur pro ratione singularis cujusque pugnæ.* Sane monomachia hæc ad gladiatores *Threcas* spectat, quorum sparsa in libris mentio. Plin. XI. 43. *Studioso Threci in C. Cæsaris ludo notum est dextram fuisse pro errorem.* Senec. Nat. Quæst. IV. 1. *Te longiorem jurabo fido Annæo, & Apollonio Pyctæ, quamvis staturam habeas Threcis cum Threce compositi.* Sic lego pro *Thetisi Threcæ in compositi*, quia in membranis *Threcisum trece compositi*. Habitum enim adspicit pugnantium inter se *Threcum*, & dum in arma se colligunt, subsidentium. Illorum arma fuerunt parma, a *Thracum* populo, quibus veluti propria, sumpta. Mart. XIV. 213.

Hæc quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro
Parma, tibi scutum pumilionis erit.

Plin. XXXIII. 9. *Plurimumque refert, concava sint & poculi modo, an parmæ Threcidicæ.* V. & supr. in *Parma*. Et harpe Thracibus, Latinis sica dicta. V. illam supr. in *Sica*. Hæc in usu *Threci* gladiatori. Suet. Cal. c. 32. n. 7. *Mirmyllonem rudibus secum batuentem, & sponte prostratum confodit ferrea sica.* Probabile enim est, contra mirmyllonem pugnasse cum *Threcidicis*. Juven. Sat. VIII. 201.

— pugnantem falce supina.

Quam *falcem* docent interpretes harpen esse, sive sicam, & *Threcem* circumscribi. Arma *Threcum* dicuntur *Threcidica*. Cicer. Phil. VII. 6. *Antonius ornavit familiarem Threcidicis.* Lips. Saturn. II. 9. Voss. Lex. Etymol. Mod. de Spectac. II. 21. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2 c. 4. Thys. de Gladiat. p. 225. Laurent. Polymath. IV. 9.

THU.

THURIBULUM erat vas, in quo *thus* reponebatur, & incendebatur. Cicer. Verr. IV. 21. *Num etiam de L. Papirio thuribulum emisti?* In sacrificiis adhibitum fuisse docet Auson. Eidyll. XII. 105.

Thuribula, & pateræ, quæ tertia vasa deûm? lanx.

Merul. de Sacrif. c. 7. §. 1. La Chausse de Insign. Pontif. max. tab. IX. Stuck. de Sacrif. p. 81. Struv. Antiq. Rom. c. 10. p. 496. Morestell. Pomp. Feral. I. 14.

THURINUS cognomen hæsit Augusto, dum puer esset. Suet. c. 7. n. 1. *Infanti cognomen Thurino inditum est in memoriam majorum originis: vel quod in regione Thurina, recens eo nato, pater Octavius adversus fugitivos prospere rem gesserat.* Quamvis *M. Antonius libertinum ei proavum exprobraret restionem e pago Thurino, & per contumeliam sæpe*

Thurinum appellaret. Auguſt. de Famil. in Octavia. Robortell. de Cognom. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. VII. p. 1124. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.

THUS *Arabia præter odores, quos creat plurimos, ſola mittit.* Solin. c. 33. *Thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem univerſæ.* Plin. XII. 14. ſed ei ſolum regioni, quam Sabæi incolunt, ut eſt apud Virg. Georg. II. 117.

—— ſolis eſt thurea virga Sabæis.

Contrarium profitentur, & quidem Dioſcor. I. 30. *Thus Indicum ſilveſcit, & colore livet.* Strab. XVI. p. 538. *Sunt qui dicant thus optimum apud Perſiam naſci.* Stat. Sylv. IV. 9. 12.

Aut thus Niliacum, piperve ſervant.

Niliacum Ægyptium intelligit. Sed *Arabia ſola thus* abunde *mittit*, quod ſuppetat univerſo pæne orbi; apud Sabæos enim *thuriferam* ſylvam eſſe ferunt, quæ in longitudinem 100. milliaria, in latitudinem 50. pateat: cæteræ regiones, quæ *thuriferæ* dicuntur a Strabone, Statio, aliis exiguum aliquod gignunt, quod vel non exportetur in externas regiones, vel ne ipſis quidem abunde ſufficiat. *Servius de Odor. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 657. B.* ſerius in uſum venit: tempore belli Trojani nullum uſurpabatur, illius vero loco offerebatur lignum cedrinum, ac citreum. Plin. XIII. 1. *Iliacis temporibus thure non ſupplicabatur: cedri tantum, & citri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem noverant.* Diſcimus quoque ex Græcorum fabulis, *thus* prima vice adhibitum, cum adoleſcens quidam religioſus, nomine Libanus, in illam arborem mutatus fuiſſet, a quo nomen mutuata. Sed dimiſſis fabulis certum eſt uſum *thuris* in poſterioribus ſeculis ubique invaluiſſe. *Potter. Archæol. Græc.* II. 4. Extis ardentibus ſuperfundebatur, ut odoratus ſuaviores victima haberet. Arnob. VII. p. 233. *An immo quid aliquis dicet, idcirco ſuperis thus dari, quod odoratus habeat ſuaves.* Merul. de ſacrif. c. 4. n. 13. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 479. Saubert. de Sacrif. c. 24. Stuck. de Sacrif. p. 80. Ideo extis ſuperfuſum interrogando negat Arnobius. Superfundebatur vero, quia præ cæteris fumificum: nam etiam exiguum incenſum in copioſum exhalat fumum, ſurſumque una cum precibus ad cœlum liberrime efferri videtur: ut propterea ſcriptum ſit Pſalm. 141. n. 2. *Statuatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Tibull. III. 3. 1.

Quid prodeſt cœlum votis impleſſe Neæra?
Blandaque cum multa thura dediſſe prece.

Ovid. Met. VI. 164.

Thuraque dant ſanctis, & verba precantia flammis.

Servius ibid. p. 654. D. & 671. D. Dicebatur hoc dari. Arnob. VII. p. 232. *Ut vos debetis oſtendere, cur thura diis detis.* Virg. Æneid. VIII. 106.

Una omnes juvenum primi, pauperque ſenatus
Thura dabant.

Mart. VIII. 15. 4.

Dat populus, dat gratus eques, dat thura ſenatus.

Ferri. Prop. II. 15. 13.

Atque ibi rara feres inculto thura ſacello,
Hœdus ubi agreſtes corruet ante focos.

Ovid. de Pont. II. 9. 28.

Irrita Neptuno cur ego thura feram?

Briſſon. de Form. I. p. 24. Merul. l. l. Delrio in Senec. Hercul. Fur. n. 917. Dabatur, ſive ferebatur maſculum. Plin. XII. 14. *Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, maſculum vocamus, quum alias non fere mas vocetur, ubi non ſit femina. Religioni tributum, ne ſexus alter uſurparetur.* Virg. Ecl. VIII. 65. V. illum infr. in *Verbena*. Turneb. Adv. X. 2. Briſſon. ibid. p. 26. Merul. l. l. Qui dabant, ſinguli dabant pro ſuis facultatibus. Nam ditiores focis ingerebant *acervos thuris*. Tib. IV. 6. 1. V. illum ſupr. in *Juno*. Mart. VII. 54. 5.

Conſumpſi ſalſaſque molas, & thuris acervos.

Unde dicebantur dare plena acerra. Virg. Æneid. V. 845.

—— & plena ſupplex veneratur acerra.

Horat. Od. III. 8. 2. V. illum infr. in *Votum*. Pauperiores *thuris* tantum grana quædam. Plaut. Pœn. II. 1. 3.

Quive ullum thuris granum ſacrificaverit.

Ovid. Faſt. IV. 110.

Dcus & in veteres thurea grana focos.

Et *thuris* micas. Plin. XII. 18. *Æſtimentur poſtea toto orbe ſingulis annis tot funera, acervatimque congeſta honori cadaverum, quæ diis per ſingulas micas dantur.* Ovid. Triſt. III. 13. 16.

Micaque ſollenni thuris in igne ſonet.

Dabantur autem ſummis digitis duobus, aut tribus. Lactant. V. 19. *Nam cruciari, atque interfici malle, quam thura tribus digitis comprehenſa in focum jactare.* Hieron. Epiſt. ad Heliodorum: *Non eſt in eo tantum ſervitus idoli, ſi quis duobus digitulis thura compreſſa in buſtum aræ jaciat.* Ovid. Faſt. II. 573.

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit.

Merul. & Briſſon. l. l. Cuper. Apoth. p. 75. Ferrar. de Lucern. ſepulcral. Theſ. Ant. Græv. Tom. XII. p. 1014. F. Faes in Gyrald. de var. ſepel. rit. c. 1. Caroli Antiq. Rom. I. 11. Interdum cucullo, ſeu involucro ſoluto focis injiciebant. Juven. Sat. XIII. 115.

—— aut cur
In carbone tuo charta pia thura ſoluta
Ponimus.

Caroli l. l. Etiam in rogum conjiciebatur. De Pompeji funere Lucan. VIII. 729.

Non pretioſa petit cumulato thure ſepulcra
Pompejus, fortuna, tuus: non pinguis ad aſtra
Ut ferat e membris Eoos fumus odores.

Virg. Æneid. VI. 223.

—— & ſubjectam more parentum
Averſi tenuere facem: congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivo.

Kirchman. de Funer. Rom. III. 5. Guther. de Jur. man. II. 7. Cerda in Virgilium.

THY.

THYMELICI vocabantur muſici, qui ad θυμέλας, id eſt, pulpita muſica canebant, aut geſtibus artem repræſentabant. Lex 10. de pollicit. *Cedent hæ uſuræ in præmia thymelicorum, prout in unoquoque certamine curia determinaverit.* Artemid. II. 42. *Venus popularis circulatoribus, cauponibus, & libripendibus, & thymelicis, & ſcenicis omnibus bona.* Famoſa eſt Thymele uxor Latini mimi apud Juven. Sat. I. 36.

—— & a trepido Thymele ſummiſſa Latino.

VI. 66.

Attendit Thymele, Thymele tunc ruſtica diſcat.

Mart. I. 5. 5.

Qua Thymelen ſpectas, deriſoremque Latinum,
Illa fronte precor carmina noſtra legas.

Demſter. Paral. ad Antiq. Rom. Roſin. V. 29. Lipen. de Stren. c. 3. §. 74. Buleng. de Theat. I. 26. Baldus Lexic. Vitruv. Rhodig. Antiq. Lect. VIII. 8. Coraſ. Miſcell. jur. civ. IV. 24. 15. Bud. in Pandect. IV. p. 94. F. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 86. Beroald. Annot. c. 89. Bartolin. Auctar. c. 2. Cerda Adv. c. 34. §. 9.

TIB.

TIBERINUS dictus eſt is, qui ad flumen *Tiberim* eſt natus. M. Sempronius *Tiberinus* recenſetur in nummo Auguſti, in quo M. AUGUSTA BILBILIS. M. SEMP.

SEMP. TIBERI. L. LICINI. VARO. *Municipium Auguſta Bilbilis. M. Sempronio Tiberino, Lucio Licinio Varo*, circa ambitum II. Vir *duumviris* in area. *Vaillant de Numiſm.* I. *p.* 13.

TIBERIS *ante Tybris appellatus, & prius Albula, e media fere longitudine Apennini, finibus Aretinorum profluit, tenuis primo, nec niſi piſcinis corrivatus, emiſſusque navigabilis, ſicuti Tinia, & Glanis influentes in eum novenorum ita conceptu dierum, ſi non adjuvent imbres. Sed Tiberis propter aſpera, & confragoſa, ne ſic quidem, præterquam trabibus verius, quam ratibus, longe meatibus fertur, per centum quinquaginta millia paſſuum non procul Tiferno, Peruſiaque, & Ocriculo, Etruriam ab Umbris & Sabinis; mox circa tredecim millia paſſuum urbis Vejentem agrum a Cruſtumino; dein Fidenatem Latinumque a Vaticano dirimens: ſed infra Aretinum Glanim duobus & quadraginta fluvius auctus, præcipue autem Nare, & Aniene, qui & ipſe navigabilis Latium includit a tergo, nec minus tamen aquis, ac tot fontibus in Urbem perductis: & ideo quamlibet magnarum navium ex Italo mari capax, rerum in toto orbe naſcentium mercator placidiſſimus. Pluribus prope ſolus, quam cæteri in omnibus terris amnes, accolitur, aſpiciturque villis. Nullique fluviorum minus licet incluſis utrinque lateribus: nec tamen ipſe pugnat, quanquam creber, ac ſubitis incrementis, & nusquam magis aquis, quam in ipſa Urbe, ſtagnantibus. Quinimo vates intelligitur potius, ac monitor, auctu ſemper religioſus verius, quam ſævus.* Plin. III. 5. Sed de *Tiberis* latitudine Dionyſ. IX. p. 624. *Tiberis fluvii latitudo eſt quatuor ferme jugerum, profunditas navibus etiam magnis meabilis, fluxus concitatus, & vorticoſus, ſiquis alius.* Cætera iis, quæ hodieque durant, apprime reſpondent. Nam & prealtis coercitus ripis, magnarumque navium patiens profundo fertur alveo: idemque arenoſus, atque in ſeipſo, ſive ad prolapſorum ædificiorum jacentia in imo rudera frequenter alliſus, crebros contorquet ſilentesque vortices. Tantum latitudo videtur anguſtior, quam tradat Dionyſius. Sed advertendum eſt, Dionyſium ſcripſiſſe τεττάρων πλέθρων. Plethrum autem non eſt ejusdem menſuræ cum jugero: hoc enim in longitudine pedes continet 240. plethrum autem 100. Quatuor autem plethrorum quadringenti pedes efficiunt palmos noſtrates quingentos triginta tres & trientem. Quam latitudinem hodie in Tiberi habemus. Ejus *alveum* referente Suet. c. 30. n. 2. *laxavit, ac repurgavit* Auguſtus. Aurelianus deinde a Vopiſco c. 47. ſpondas ripis addidiſſe dicitur, quarum nullum ſupereſt veſtigium. Jam riparum, totiusque alvei altitudo octoginta palmorum eſt; nullique, ut dixit Plinius, *fluviorum minus licet, incluſis utrinque lateribus.* Aquæ labentis profunditas etiam æſtatis ſiccis fervoribus, qua ſumma eſt, palmos 25. qua minima, palmos 15. deſcendit. Illud vero, ſeu veteris magnificentiæ, potentiæque, ſive aeris in deteriora vertentis, ſeu rerum viciſſitudinis non leve indicium, quod de *villis quibus accolebatur* retulit Plinius, cum hodie nullam prætoriis, & amœnitatibus inſtructam habeat. Cauſa rejicienda eſt in aeris intemperiem inſalubrem, & gravem. Nam omnium conſenſu, & experientia comprobatur, inſalubres eſſe civibus circum Urbem æſtivas in vineis ſtationes, nec procul a periculo valetudinis abeſſe. Itaque non modo ſecundum *Tiberim*, ſed etiam in agro ſuburbano, in tanta principum, & divitiarum copia pauciſſimæ numerantur villæ, quæ paullo remotiora Tiburis, Tuſculi, & Albæ juga inſederunt. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 13. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 15. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. *n.* 1. *Cluver. Ital. Ant.* II. 10. *Leand. Deſcript. Ital. p.* 125. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* V. 1. Inundabat olim vicinam ſibi planitiem, excurrens ad uſque loca, ubi poſtea viſum forum Romanum, radices montis Palatini, circus maximus, & Velabrum, donec cura Tarquinii Priſci cloacis tandem averteretur. Auguſtus, ut modo retulit Suetonius, *ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit, ac repurgavit, completum olim ruderibus, & ædificiorum prolapſionibus coarctatum.* Trajanus, ut inundationum pericula amoliretur, ſtagnantem foſſa in campos abduxit apud Plin. Epiſt. VIII. 17. 2. exiguo tamen in ſubita inundatione emolumento. Adjecit & ſymbolum Aurelianus, de quo Vopiſcus jam laudatus, quo non obſtante adhuc quandoque ripis ſuis non contentus evolvitur magno impetu, & partem non exiguam campi Martii minoris operit. Unde hinc inde in muris plateæ Juliæ, & alibi legas verſus ejuſmodi leoninos:

Hac Tiber acceſſit, ſed turbidus hinc cito ceſſit.

Beliſarius in ipſo *Tiberi* molas extruxit, aquæductibus per hoſtes interruptis, ut Procopius teſtis eſt. *Borrich. l. l.*

TIBERIUS, prænomen hoc duabus literis TI. apud antiquos ſcribebatur, ut a Tito internoſci poſſet, quod T. tantum notabatur. Tradit hoc Probus, & antiqua epigrammata teſtantur, in quibus quoties TI. invenitur, ſemper *Tiberius* in Græcis literis, & plerumque in Latinis eſt ſcriptus, ut in Claudiis patriciis, Semproniis, Æmiliis, Coruncaniis, Corneliis, Minuciis, & Veturiis, quarum gentium fuit maxime proprius. Id autem temporis injuria prænomen fere eſſe deſierat. Quod certe neglectum non fuiſſet, ſi verba Plutarch. Quæſt. Roman. 101. attendiſſent, a quo inter ea prænomina, quæ duabus literis notantur, refertur: qui ita ait: *Cur autem T. Titum, Ti. vero Tiberium ſignificat? An quia ut hoc nomen plures literas habet, ita & nota?* Item *quædam ex prænominibus binis literis notata ſunt, ut Tiberius.* Sigon. de Nom. Rom. c. 3. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2033. A. Urſatus de Not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 979. C. Poſtea Imperator *natus eſt Romæ in palatio decimo ſexto Kal. Decemb. M. Æmilio Lepido iterum, L. Munatio Planco conſulibus*, ſive an. 711. Suet. c. 5. n. 2. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 480. Liviæ fuit filius, ab Auguſto adoptatus, tertius populi Romani princeps. Eum XIV. Kal. Septemb. die obitus Auguſti imperium aſſumpſiſſe ex Tacito, Tranquillo, & Dione manifeſtum eſt. *Panvin. Faſt.* II. *p.* 188. *Obiit in villa Lucullana, octavo, & ſeptuageſimo ætatis anno, tertio, & vigeſimo imperii*, XVII. *Kal. April. Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigro conſulibus.* Suet. c. 73. n. 2. ſive an. 789. *Pigh. ibid. p.* 564.

TIBIA proprie in animali eſt os cruris ſuræ oppoſitum. *Voſſ. Lex. Etymol. Meurſ. de Tib. c.* 1. Si dextra ſalierit, rem celeberrimam, aut longum iter denuntiat: ſin autem ſiniſtra, viris triſtitiam, mulieribus ignominiam, cæteris autem infirmitatem portendit. *Niphus de Augur.* I. 9.

Tibia eſt quoque inſtrumentum muſicum, diſtinctum a tuba. Hoc clare Lamprid. Alex. Sev. c. 27. *Lyra, tibia, organo cecinit: tuba etiam, quod quidem Imperator nunquam oſtendit.* Erat enim inſtrumentum oblongum, teres, & foraminoſum, quod inflatum, & digitis modo adductis, modo reductis temperatum non injucundam reddit ſymphoniam: quales adhuc noſtræ. Horat. de Art. Poet. n. 202.

Tibia, non ut nunc, orichalco vincta, tubæque
Æmula: ſed tenuis, ſimplexque foramine pauco.

Cicer. de Clar. Orat. c. 51. *Si tibiæ inflatæ non referant ſonum, abjiciendas ſibi tibicen putet.* Hiſce & in ſacris utebantur. Sed tuba erat inſtrumentum incurvum, ex ære, argentove factum, cujus ſonitu non tantum ſacrificantes excitabantur, ſed milites quoque, equique ad prælium inflammabantur. Cicer. Catil. II. 6. *Cum tubas, & ſigna militaria ſcirem eſſe præmiſſa.* Stuck. de Sacrif. p. 108. Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 639. Meurſ. de Tib. c. 1. Laurent. de Fiſtul. c. 3. Eſt antiquiſſima, ac ſtatim poſt fiſtulam inter paſtores. Quippe Apollinis eſt inventum. Alii malunt Palladis, a qua ille ſit edoctus. V. ſupr. in *Minerva.* Quin alii putant Hyagnidem ante Apollinem *tibia* ceciniſſe: deinde ejus filium Marſyam. V. ſupr. in *Marſyas.* tertium Olympum. Olympi & famulus, & diſcipulus Hierax, qui etiam ab ſeſe leges & dederit, & nominarit. Poſt hos Terpander, a quo Clonas, hunc Tegeatem Arcades, Thebani ſuum prædicabant. Poſt illum

Archilochus, alii præponunt Ardalum Trœzenium Clonæ. Qui has temperent discordias, dixerint Olympum in *tibiis* primum leges instituisse, idque in Apollinis honorem: quam legem a numerorum frequentia nominavit πολυκέφαλον: alii Crateti ejus discipulo adscribunt hoc. Olympi autem eam extitisse legem, quam dixit ἁρμάτιον: unde & alii καταδάκτυλος nominata, frequens Stesichoro Himeræo. Alii ajunt Pronomum Thebanum *tibia* ad harmoniam occinisse. Omnino vero in Phrygia primas *tibias* agnoscunt. Adducunt pro se Mysorum gentem, quæ *tibiæ* fuerit peritissima: & Alcmanem poetam, qui *tibicines* barbaro, nec alio nomine designarit. *Scalig. Poet.* I. 20. *Barthol. de Tib.* I. 3. *Stuck. de Sacrif. p.* 168. *Meurs. ib. l. c.* 2. *Spanhem. in Callim. in Hymn. Dian. n.* 245. *Lor. rent. de Præcon.* . . . *c.* 3. *Buleng. de Theat.* II. 22. Fiebat ex calamo. Lud. th. ind. VII. *Olim tibia multiformis, & ut plurimum arundinea. Apud Alexandrinos erat calamus monaulos, Osiridis inventum.* Unde passim apud Græcos calamus pro *tibia* usurpatur. Pindar. Nem. V. 71.

Tibiarum cantu deum excipiunt.

Theocr. Idyll. V. 6.

—— an unquam tibiam possedisti?
Non satis est tibi culmo, quæ tua tibia est, sibilare.

Olim ex auro, orichalco, cervorum, asinorumque cruribus parabatur. Hoc legitur apud Philostr. de Vit. Apollon. V. quærente Apollonio a *tibicine*, an a materia, ex qua *tibia* compacta est, sonum habeat: *An igitur præstantius efficit hæc tibia, quod ex auro, orichalco, aut cervorum, aut asinorum cruribus compacta sit?* Plures materias addit Pollux IV. 9. 6. *Tibiarum materia arundo, ferrum, lotos, buxus, cornu, aut os elephanti, aut lauri humilioris ramus excavatus.* Apud Latinos nihil vulgatius, quam sola calami denominatione *tibiam* significare. Nemesian. Ecl. I. 3.

Incipe si quid habes gracili sub arundine carmen
Compositum. Nam te calamos inflare labello
Pan docuit.

Virg. Ecl. VI. 69.

—— hos tibi dant calamos, en accipe, Musæ
Ascræo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.

Materiam quoque illarum fuit aurum, & orichalcum. Philostr. de Vit. Apollon. I. *Tibia eum, qui libenter sacris operatur, facit diviniorem, non quod ex auro, aut orichalco fiat.* Argentum. Plin. XVI. 36. *Ludicræ e loto, ossibusque asininis, & argento fiunt.* Ebur. Propert. IV. 6. 8.

Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.

Virg. Georg. II. 193.

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Buxus. Plin. l. l. *Nunc sacrificæ Thuscorum e buxo fiunt.* Stat. Theb. VIII. 221. V. illam supr. in *Cymbalum.* Virg. Æneid. IX. 619.

Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia matris
Idææ.

Lotus. Festus: *Lotos, arboris genus, ex cujus materia frequenter tibias faciebant.* De loto ubi agit, Plin. XIII. 17. *Lotos, non rolos niger. Ad tibiarum cantus expetitur.* Sambucus. Isidor. II. 20. *Sambuca in musicis species est symphoniarum. Est enim genus ligni fragilis, unde & tibiæ componuntur.* Cornu. Ex eo factis *tibiis* constiterunt ceraulæ, qui dicebantur *tibicines.* Apuleius. V. illum supr. in *Siticines.* Ossa varia. Lotinis genuum Plin. XVI. 37. Ex cervinis ossibus, ut refert Barth. Adv. XXVIII. 21. Et sic etiam Aristophanes citatus a Suida. Ex ossibus hinnulorum. V. supr. in *Hinnulus.* Ex ossibus asininis. Plinius modo laudatus. Has magis quam cervinas probatas innuit Plutarch. Sympos. . . . *Abjectis hinnulorum tibiis, usi sunt asininis.* Causam ipse addit, quia scilicet *asinus tenuissimum, & maxime sonorum os præbet.* Et hoc est quod ipse ibidem miratur, asinum animal stolidissimum, & a musica alienissimum, ossa tenuissima, & maxime sonora suppeditare. *Barthol. ibid. c.* 4. *Schacch. Myroth.* III. 57. *Buleng. de Theat.* II. 23. & 26. *Meurs. ibid. c.* 4. *Voss. de Instit. Poet.* III. 12. §. 6. *Scalig. l. l.* In initio, cum adhuc in cunis vagiret artis musicæ infantia, pauca admodum *tibiis* foramina. Ovid. Fast. VI. 697.

Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret, effeci, tibia longa sonos.

Horatius supr. laudatus. Inter commentatores sunt, qui, quod Horatius *tibiam orichalco vinctam* dixerit, significare hoc putant *tibiæ* magnitudinem tantam, ut ex duobus lignis fieri necesse fuerit, ac in medio *orichalco vinciri.* Alii, ceu bracteam auream, *tibiis* ornamenti, non necessitatis causa adjectum volunt. Et nec ultra tria, vel quatuor, ut Acron in Horatium. Plura postea sunt addita, si credimus Polluc. IV. 10. 3. *Et hactenus quidem quatuor habuit tibia foramina, multis vero perforavit Diodorus Thebanus, obliquos spiritui meatus aperiens.* A foraminibus, & flatu Papias *tibiam* definit: *Tibia est instrumentum musicæ cum diversis foraminibus, quæ ore inflatur.* *Septiforis* dicitur Sidon. Epist. II. 2. *Multifora* Senec. Agam. II. 348.

Tibi multifora tibia buxo
Solenne canit.

Multiforatilis Sidon. Epist. IX. 8. *Quasi tibiis multiforatilibus excudit.* Apul. Met. X. p. 349. *Jam tibiæ multiforatiles cantus Lydios dulciter consonant.* De illa loquitur Ovid. Met. XII. 158.

Non illos citharæ, non illos carmina vocum,
Longaque multifori delectat tibia buxi.

Horum multitudine efficiebatur, ut quoties mutanda esset modulationis forma, aliis obturatis, aliis apertis, id facile procederet, quod in antiquis *tibiis* fieri non licuit, quæ plura non habuere; quam quibus apertis opus esset ad unum aliquem ex tribus modis efficiendum. Pars etiam *tibiæ* erat γλῶττα, lingula, sive ligula in ore ejus, quæ flatu canentis agitabatur. V. illam supr. in *Ligula.* Barthol. ibid. c. 5. Buleng. de Theat. II. 25.

Tibiæ apertæ vocabantur, quæ apertis omnibus foraminibus sonant clarius. Nam clausis sonus redditur fuscior, & obscurior, ut apertis candidior, & clarior: quod per adagionem usurpat Quintil. II. 3. *Illa vero jam pæne apertis, ut ajunt, tibiis,* id est suspicor, jam clarissima voce. Rursus ibidem: *Tibiæ eodem spiritu accepto alium clausis, alium apertis foraminibus, alium satis purgatæ, aliæ quassæ sonum reddunt.* Apertis *tibiis* invehi in aliquem, id est, non clanculum obtrectare, sed palam insectari, lacerareque conviciis: at apertis *tibiis* laudes cujuspiam celebrare, id est, palam, & magnifice. *Turneb. Adv.* IV. 11. *Barthol. de tib.* I. 8. *Meurs. de tib. c.* 21. *Buleng. de Theat.* II. 26.

Tibia assa est sola, mera, sine voce. Festus: *Assa dicebatur cantus tibiarum.* Serv. Georg. II. *Assæ tibiæ dicuntur, quibus canitur sine chori voce.* Assus significat merus. Idque propterea, quod si quid assetur, aut torreatur, humidum abeat, solumque id remaneat, quod siccum, aridumque est: sive quod cibi, qui assantur, soli coquantur, non cum humore: eoque cibi, assati tostique, proprium solum saporem habeant: contra quam fit in elixis, quæ varios a jusculo sapores accipiunt. Non. II. 70. *Assum existimandum est, ut in obsoniis sine pigmento saporis alieni, quemadmodum merum dicitur solum.* Hinc assare dicuntur tibicines. Ennius apud Varronem laudatus supr. in *Subula*: apud quem perperam astare legitur. *Scalig. Conject. in Varron. p.* 121. *Voss. Lex Etymol. in Assum. Barthol. de Tib. Vet.* II. *p.* 19. *Salmas. in Capitol. Maximin. c.* 13. *Dacer. in Festum. Schill. Nomencl. Philol. p.* 170.

Tibiæ conviviales erant pares, & æquales, eæque pusillæ, ad significandam æqualitatem conviviorum. Idcirco rotunda olim mensa, ne quem sibi prælatum quispiam conquereretur. *Scalig. Poet.* I. 20. Mos hic frequens fuit. Ælian. Var. hist. VII. 2. *Huic*, Stratoni Sidonio, *non unus erat cantor præsto, qui ad cœnam ipsius cantaret, &*

ipſum oblectaret, ſed multæ aderant mulieres cantrices, tum tibicinæ. . . . Plaut. Moſt. IV. 2. 24.

> *Hic quidem neque convivarum ſonitus, itidem ut antehac fuit,*
> *Neque tibicinam cantantem, neque alium quempiam audio.*

Conviviis *tibiarum* cantum interponebant, ut animos exhilararent, & ad voluptatem, atque lætitiam vino deditam accenderent. Xenoph. in Sympoſ. p. 874. E. *Poſtquam tibicina, & puer cecinissent, illa tibia, hic cithara, viderenturque ſatis homines exhilaraſſe.* Olim & in principio, & in medio, & in fine convivii adhibebantur. Convivii ſignum *tibia* dari ſolitum videtur indicare Virg. Æneid. VII. 737.

> *Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,*
> *Expectare dapes, & plenæ pocula menſæ,*
> *Hic amor, hoc ſtudium.*

Et Ariſtoph. in Veſp. p. 517. Edit. Biſet.

> *Tibicina inflat, ecce convivæ tibi*
> *Adſunt.*

Tuba etiam militibus ſignum datum eſt quando accumberent, & ſurgerent. De conviviis, quæ Alexander militibus poſt victum Darium exhibuit. Ælian. Var. hiſt. VIII. 7. *In conviviis hiſce ſignum dabatur tubis: cantabant modulos convocandæ concionis, quando ad menſam eos venire oportebat: id vero, quo receptui canitur, quando diſcedendum eſſe ſignificabant.* Bartholin. de Tib. II. 13. Urſin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 372. Meurſ. de Tib. c. 19.

Tibiæ dextræ erant aliæ, ſiniſtræ aliæ. Ambarum diverſis temporibus uſus erat in theatro, cum fabulæ agerentur: interdum illis ſimul ſunt uſi, interdum dextris tantum. Vocabantur dextræ, quæ dextra parte oris, manuque itidem dextra tenebantur: eodemque pacto ſiniſtræ, quæ contraria parte oris, & manus. Dextris, ſiniſtriſque dicebatur is uti *tibicen*, qui ſimul ambas inflaret. Hoc fieri ſolitum aliquando intelligitur ex antiquis monumentis, ut veterum Romanorum nummis & lapidibus: ut fabula etiam, niſi fallor, acta dextris & ſiniſtris, in qua partim *tibiarum* dextris, partim autem ſiniſtris uſi forent: quarum contrariarum *tibiarum* ſonus ſibi in cantu reſponderet. *Victor. Var. Lect.* XXXVIII. 22. Dextræ erant, quæ dextra hiſtriones ſpectabant, ſiniſtra ſcilicet ſpectatores. Siniſtræ contra, quæ ſiniſtra hiſtriones, dextra ſpectatores. Opinor autem ſiniſtras gravem ſonum reddidiſſe, dextras acutum: ſiniſtræ enim ex ea arundinis parte fiebant, quæ proxima terræ naſcitur: quæ cum craſſior ſit, & foramen latius habeat, quam quæ longinquior a radice eſt, graviorem ſonum reddat, neceſſe eſt: dextræ autem ex ſuperiore arundinis parte fiebant. Plin. XVI. 36. *Sed tum ex ſua quamque tantum arundine congruere perſuaſum erat: & eam, quæ radicem anteceſſerat, lævæ tibiæ convenire, quæ cacumen, dextræ.* Hinc legis: *Acta eſt tibiis dextris, & ſiniſtris*, id eſt, acuto & gravi: *tibiis* utrinque conſtitutis. *Manut. Quæſ. Epiſt.* I. 4. *Nann. Miſcell.* I. 6. Incentivam, & ſuccentivam vocat Varr. de Re ruſt. I. I. *Certe, inquit Fundanius, aliud paſtio, & aliud agricultura, ſed affinis. Et ut dextera tibia alia quam ſiniſtra, ita ut tamen ſit quodammodo conjuncta, quod eſt altera ejuſdem carminis modorum incentiva, altera ſuccentiva.* Gyrald. de Poet. VI. p. 331. F. Barthol. de Tib. I. 6. Buleng. de Theat. II. 22. & 26. Nann. l. l.

Tibiæ funerales erant aduncæ. Indicat Statius mox laudandus quin *tibiæ*, ut flebiles modos funderent, ad funera, & luctum apud veteres ſunt advocatæ. Ovid. Faſt. VI. 660. V. illum infr. in *Tibicines*. Ideo αὐλὸς πένθιμος Polluci, & *ad tibicines mitti* dicuntur apud Petron. c. 89. ex lectione Tornæſii & Erhardi, ii qui deſperata valetudine morti ſunt proximi. Erat omnium famoſiſſimum Claudii funus apud Senecam in Apocolokyntoſi, ubi *tibicinum*, cornicinum, omniſque generis ſenatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire poſſet. Inde tracta ſimilitudine, corvum quendam, præcedente *tibicine*, æthiopum humeris elatum tradit Plin. X. 43. *Alex. Gen. dier.* III. 7. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 20. *Aringh. Rom. Subterr.* I. 15. *Barthol. de Tib.* II. 15. *La Chauſſe Deſcr. Sepulcr. Naſon. tab.* IX. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 21. *de Prof. Roman. ritib. c.* 26. *Meurſ. de Tib. c.* 15. *Bouwmeeren ad Petron. p.* 473. *Edit. Francof. Rhodig. Antiq. Lect.* IX. 7. *Loenſ. Miſc.* VI. 8. *Mag. Miſc.* I. 3. Adhibebantur in funeribus & luctu, ut hominum, mortuos lugentium, animi languentes ejuſmodi ſono excitati minus dolorem ſentirent, qui his oblectamentis facile diſtrahi ſoleant, quemadmodum ſuſpicatur Polyd. Vergil. de Rer. invent. IV. 11. Et Sext. Empir. adv. Mathem. VI. *Unde etiam*, inquit, *lugentibus modos canunt tibiæ, quæ iis luctum levant.* Contra vero apud Eurip. in Alceſt. Act. II. n. 438. in luctu, tanquam lætitiæ inſtrumentum omnino prohibetur:

> *Tibiarum vero ne per urbem, neque lyræ ſtrepitus*
> *Sit duodecim integris menſibus,*
> *Non enim ullum aliud carius cadaver ſepeliam.*

Familiarior tamen mos viguit, cum *tibiis* lugubre carmen ad vigilias, & cantilenas perſonare mortuorum, ut corda torpentium excitarentur ad lamenta ex mente Paſchaſ. Ratbert. in Matth. c. 9. n. 23. Unde funereos modos dabant *tibicines*. Sedul. III.

> *Funereoſque modos cantu lacrymante ferebant*
> *Tibicines, plangorque frequens confuderat ædes.*

Et funebres illæ *tibiæ* carmen ferale decantabant, de quo Claud. de Rapt. Proſerp. III. 130.

> *Si buxos inflare velim, ferale gemiſcunt.*

Barthol. l. l. Aring. Rom. Subterr. I. 18. 14. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. I. c. 4. *Tibias* ad puerorum ſolum exſequias reſtringunt: & tubas majorum natu funeribus proprias eſſe volunt. Serv. Æneid. V. 138. *Sciendum majoris ætatis funera ad tubam ſolere proferri, minoris vero ad tibias.* Lactant. in Stat. VI. 121. *Jubet religio, ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.* Id in funere Archemori videtur indicare ipſe Stat. Theb. VI. 120.

> *Tum ſignum luctus cornu grave mugit adunco*
> *Tibia, cui teneros ſuetum producere manes.*

Nebrienſ. in Perſ. III. 103. *Brod. Miſcell.* IV. 30. *Victor. Var. Lect.* IX. 14. *Hotman. Antiq. Roman.* III. *p.* 389. *A. Gyrald. de var. ſepel. rit. c.* 12. *Mag. l. l. Pius Annot. poſt. c.* 188. Sed id ubique verum eſſe non arbitror. Video enim in C. Julii Cæſaris funere *tibiam* agnoſcere Suet. c. 84. n. 6. Et in Claudii Senecam ſupr. laudatum. Ita *tibiam*, non tubam fortunam ſuam extenuans ſibi convenire dixit Ovid. Triſt. V. 1. 47.

> *Interea noſtri quid agant niſi triſte libelli?*
> *Tibia funeribus convenit iſta meis.*

Quapropter exiſtimandum, tubis funeribus indictivis dumtaxat fuiſſe adhibitas: *tibias* funeribus quibuſcunque, puta puerorum, ſenum, divitum, pauperculorum, plebejorum, nobilium. Sententiæ noſtræ fundus eſt, quod næniæ ad *tibiam* canebantur. Communes autem omnibus funeribus næniæ fuere. Hujuſmodi *tibias* flamini diali audire non licuit. Feſtus. V. illum ſupr. in *Flamen*. Kirchman. de Funer. II. 5. Meurſ. de Funer. c. 18. Feith. Antiq. Homer. I. 13. Faes in Gyraldum.

Tibiæ gingrinæ. V. illas ſupr. in *Gingrina*.

Tibiæ impares. V. illas infr. in *Tibiæ pares*.

Tibiæ longæ. V. illas infr. in *Tibiæ ſacrificæ*.

Tibiæ ludicræ. In theatro enim, & ludis ſcenicis illarum uſus permanſit, conceſſis fere in omni ludorum genere apud Cicer. de Leg. II. 15. *Jam ludi publici cum ſint cavea, circoque diviſi; ſint corporum certationes, curſu & pugillatione, luctatione, curriculiſque equorum uſque ad certam victoriam circo conſtitutis: cavea, cantu, voce, ac fidibus, & tibiis.* *Tibiarum* in ſpectaculis uſum ab antiquis jam inde temporibus repetit Horat. de Art. Poet. n. 204.

Api-

Aspirare, & adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.

Illustrem de tibicinis in ludis officio locum suggerit Phædr. v. 7. 4.

Princeps tibicen notior paullo fuit,
O[illegible] Bathyllo [illegible] in [illegible].

Inter alias [illegible], atque [illegible] in ludis olim servatos, & sine quibus vix rite peragebantur, *tibiam* adjungit Cicer. de Harusp. resp. c. 11. *An si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit. . . . ludi sunt non rite facti.* Barthol. de Tib. II. 10. [illegible] I. 4.

Tibiæ Lydiæ dicebantur thurariæ. Solin. c. 5. *Aut Lydias, quas & [illegible] dicunt.* Dicebantur Lydiæ, quia Lydi Tyrrheni. Thurariæ, quia his caneretur, cum thus in aram [illegible], nec hostiis immolabant. *Sacrificæ Thuscorum* dicuntur Plinio. V. illum supr. in *Tibia.* Fiebat e buxo, ut modo laudatus Plinius. Ex ebore etiam, ut testis est Virgilius laudatus supr. in *Tibia.* Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19. & in Solinum. Turneb. Adv. XVII. 20. Bartholin. de Tib. I. 6. Buleng. de Theat. II. 26. Nonn. Misc. I. 6. Voss. de Instit. Poet. II. 28. §. 5. III. 12. §. 7.

Tibiæ militares, [illegible] ad milites congregandos, [illegible] certandum apud veteres [illegible]. Nonn. [illegible] XXVIII. 27.

— congregans vero milites
[illegible] Bellonæ.

Idem [illegible] apud Dionysium. Præcipue [illegible] sub signis erant. Stob. Serm. [illegible] *cum Reges [illegible], & tibicines. T[illegible] semper utuntur.* De Lacedæmoniis [illegible] expeditionem in externam regionem [illegible], quippe [illegible] pro tubis, quarum usus apud alios in bello viguit; *tibias* elegerunt, non sine ratione, si credimus Polyb. IV. 20. *Neque existimandum, veteres C[illegible], & [illegible] tibiam & rhythmum ad bellum [illegible].* In castris quoque Romanis illarum [illegible] fuit, vel cum ad concionem vocarent, vel cum silentium dicerent. Quæ in Romanorum exercitu fuerint, [illegible], quod *tibicines* & cornicines in tres centurias distribuerit Servius Tullius. Liv. I. 43. *Quinta classis [illegible], fundas, lapidesque missiles hi secum gerebant. In his accensi, cornicines, tibicinesque in tres centurias distributi. Undecim millibus hæc classis [illegible].* Mart. Capel. I. IX. *In Italia Sibaritas tibicines ad [illegible] quis nescit?* Bartholin. de Tib. II. 5. Scalig. Poet. I. 20. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 11.

Tibiæ [illegible] dicuntur voce. Festus: *Milvinas, [illegible] soni.* Solin. c. 5. *Milvinas, quæ in [illegible].* Salmas. in Solinum. Barthol. de Tib. I. 6. Scalig. in Manil. p. 387.

Tibiæ nuptiales, quæ epulis genialibus interveniebant. Terent. Adelph. v. 7. 6. & 8. V. illum supr. in *Hymen.* Claud. in Nupt. Honor. & Mar. fescen. IV. 30.

Dicant pervigiles carmina tibiæ.

Nonn. Dionys. VII. 48.

S[illegible] quod amabiles sint nuptiæ, ubi stridet
[illegible] consonans tibia Minervæ.

Casal. de Rit. nupt. c. 1. Laurent. de Sponsal. c. 1. Bartholin. de Tib. II. 12. Meurs. de Tib. c. 17. Caroli Antiq. Roman. IV. 3. Facta hæc *tibiarum* incentio in nuptiis ad summam festi diei lætitiam repræsentandam, & gaudium illud ingens manifestandum, quo sensu Ovid. Met. IV. 757.

— tædas Hymenæus Amorque
Præcutiunt: largis satiantur odoribus ignes:
Sertaque dependent tectis, lotique, lyræque,
Tibiaque, & cantus, animi felicia læti
Argumenta sonant.

Sine musica nuptiarum sollennia vix celebrabantur. Capell. de Nupt. Mercur. & Philol. II. *Ecce, inquit, ante fores quidam dulcis sonus multifidis suavitatibus suscitatur, quem Musarum convenientium sonus impendens nuptialibus sacramentis modulationis doctæ tinnitibus concinebat: nam nec tibiarum mela, nec ex fidibus sonus, nec hydraularum harmonica deerat plenitudo.* Cantus nuptialis duabus *tibiis* canebatur, quarum altera major erat, si credimus Polluc. IV. 10. 3. *Barthol. l. l.* Alii monaulos fuisse scribunt, ad quas canerent hymenæos: alii binas ajunt, junctas & impares: ac placet omen conjugii specie. *Scalig. Poet.* I. 20. *Barthol. l. l.*

Tibiæ pares dicebantur, quæ æqualia obtinebant foramina. Impares numero foraminum discernit Festus. Quæ autem pares, aut impares fuerint, inter eruditos non convenit. Alii existimant ab æquidistantibus, aut inæqualibus foraminibus, vel intervallis dictas esse. Alii, inter quos Scaliger in Festum, pares dictas volunt, cum duæ ejusdem magnitudinis, & toni inflarentur: impares, cum unica tantum caneret. *Barthol. de Tib.* I. 6. *Brod. Misc.* V. 32. *Buleng. de Theat.* II. 26. *Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 19.

Tibiæ perfectæ *vocabantur Pythicæ, quia idoneæ erant ad Pæanes; canebant enim illud ineptum carmen Pythicum.* Pollux IV. 10. 3. Hesychius: *Tibiæ mediæ breviores perfectis & longis.* Bartholin. de Tib. I. 6.

Tibia Phrygia fuit diversa a plagiaulo, quæ tamen ipsa curva & obliqua. Græce ἔλυμος dicebatur, ut apud Polluc. IV. 10. 1. Ἐλύμους Φρυγίους αὐλοὺς interpretatur Athen. IV. p. 176. F. *At ἐλύμους, quorum meminit Sophocles in Niobe, & Tympanistis, non alias esse remur tibias, quam Phrygias, quarum usum Alexandrini quoque non ignorant, velut & δυόπων, & τῶν μυσοκόπων, & earum, quas ὑποτρήτους nominant. Elymorum meminit Callias in Vinctis. Juba tradit a Phrygibus repertas esse, vocarique etiam scytalias ob earum crassitiem parem scytalis Laconicis.* De illis Cass. Hemin. III. apud Non. II. 169. *Mulier cantabat tibiis Phrygiis, & altera cymbalissabat.* Pollux refert tam plagiaulo quam elymo additum κέρας ἀνανεῦον, *cornu adnutans.* Inde est quod cornu appellant poetæ, cum de *tibia* Phrygia loquuntur. Ovid. Met. III. 532.

— Pentheus ait: ærane tantum
Ære repulsa valent, & adunco tibia cornu.

de Pont. I. 1. 39.

Ante deum matrem cornu tibicen adunco
Cum canit.

Tibiæ hoc cornu inflexum dicitur Ovid. Fast. IV. 181.

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.

Ad Phrygiam harmoniam erat adaptata *tibia* Mygdonia, de qua Nonn. XV. 91.

Et quispiam immensis in labiis lotum firmiter tenens
Duplicem harmoniam cantabat Mygdoniis tibiæ.

Illius videtur meminisse Propertius supr. laudatus in *Tibia.* Barthol. de Tib. I, 5. & 6. Salmas. Exerc. Plin. p. 86. F. in Vopisc. Carin. c. 19. Schach. Myroth. III. 57. Buleng. de Theat. II. 26. Meurs. de Tib. c. 4. Broukh. in Tibull. II. 1. 86.

Tibiæ præcentoriæ dicebantur, quibus ad pulvinaria præcinebatur. Solin. c. 5. *Seu præcentorias facias, quarum locus est ad pulvinaria præcinendi.* Turneb. Adv. XVII. 20. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19. & Solinum. Voss. de Instit. Poet. III. 11. §. 7. Stuck. de Sacrif. p. 167. Barthol. de Tib. I. 6. Buleng. de Theat. II. 26. Meurs. de Tib. c. 4.

Tibiæ puellatoriæ soni erant clarissimi. Solin. c. 5. *Seu puellatorias, quibus a sono clariore vocamen datur.* Aristot. de Hist. Anim. VII. 1. *Sed vox feminæ acutior est quam maris, & tibia puellarum acutior est quam puerorum.* Salmas. in Solinum. Bartholin. de Tib. I. 6. Voss. de Instit. Poet. III. 12. §. 7.

Tibiæ pueriles. Pollux IV. 10. 3. *Puerilibus pueri accinebant.* Bartholin. de Tib. I. 6. Buleng. de Theat. II. 26.

Tibiæ Pythicæ. V. illas supr. in *Tibiæ perfectæ.*

Tibia

[illegible] sacrificæ dicuntur Plinio. V. illum supr. in Tibia [illegible] Ratio: quia in sacris, quæ diis suis solvebant gentiles, est [illegible]. Ovid. Fast. vi. 759.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis.

[illegible] mente [illegible] assignat carmen ad *tibiam* [illegible] Propertius. V. illum supr. in *Tibia*. A [illegible] ad sacrificia transierunt. Isidor. ii. 20. *Tibias excogitatas in Phrygia ferunt: has quidem diu funeribus adhibitas, [illegible] sacris gentilium.* Primus ad sacrificia transtulit [illegible] Midas, cum matrem suam inter deos [illegible], [illegible] Eustath. Iliad. xvii. Hunc morem [illegible], tum [illegible] que memorat Macrob. in Somn. Scip. ii. 3. *Ideo canere cœlum etiam Theologi comprobantes sonos musicos [illegible] adhibuerunt, qui apud alios lyra, vel cithara, apud nonnullos tibiis, aliisve musicis instrumentis fieri solebant.* De tibicinibus Romanis, qui sacris publicis præsto erant, [illegible] suggerit Gruter. p. 269.

TIBICINES. ROMANI
QUI. SACRIS
PUBLIC. PRÆST. SUNT.

Ideo dicuntur *templorum tibicines* apud Jul. Firm. iv. [illegible] &, [illegible] apud Gell. i. 12. *Tibicinum* [illegible] necessarius [illegible] credebant [illegible], qui [illegible] voluptatem diis [illegible]. Cens[orin]. de Die nat. c. 12. [illegible] *tibicen omnibus [illegible] furis [illegible] : nec [illegible], non [illegible] tibiæ, [illegible].* Bartholin. de Tib. ii. 7. L[illegible] in Censorin. Gutther. de Jur. man. ii. 14: iv. 2. Buleng. de Circo c. 38. de Theat. ii. 22. La Chausse de M[illegible] æn. vot. refer. [illegible] xiv. Laz. Comm. Reip. Rom. xi 3. Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 639. Stuck. de Sacrif. p. 167. Nicol. de Triumph. c. 12. §. 8. *Tibiis* longis utebantur sacrificantes. M[ar]. Victorin. de spondeo: *Dictus a tractu [illegible] ejus, qui per longas tibias [illegible] tempus a sacrificantibus [illegible].* Inde et hoc etiam proverbium, quod [illegible] est [illegible] apud Suet. c. 7. n. 6 [illegible] *tibiis?* Quod hanc videtur habere sententiam: quid me facis [illegible], & [illegible] deum [illegible] tet. [illegible] divini *tibiis* [illegible] longis. D[illegible] etiam Xiphil. lxiv. p. 731. A. *Itaque cœpit eum [illegible], atque, cur me oportebat longis tibiis canere? [illegible] prozerium [illegible], qui ea fac[illegible], [illegible].* Quod dictum vel ex eo, qui [illegible] illi, qui *tibiis* longis, ut præcentoriis, & thurariis, ad rem [illegible], [illegible] dum sacrificium [illegible] profuisse censuerint: vel ex eo, quod qui *tibias* tractare commode parvas cum posset, ut puellatorias, aut gingrinas, quæ breves erant, magnas, longasque [illegible], quas commode non posset inflare. *Turneb. Adv.* v. i. xvii. 2[illegible]. *[illegible] Adag.* p. 323. b. *Pius Annot. post.* c. 24. *Bartholin. l. l. Buleng. de Theat.* ii. 26. *Meurs. de Tib.* c. 2[illegible].

Tibia Scythalæ. V. illas supr. in *Tibia P[illegible]*.

Tibiæ Serranæ erant acutæ, & dictæ, ut [illegible], ab acuto serræ stridore, aut serrante sono. Hæ etiam sinistræ erant, aut sinistris similes, quæ etiam [illegible] tinnebant. *Turneb. Adv.* xxvii. 34 Serv. Æneid ix. 618. *Tibiæ Serranæ dicuntur, quæ sunt pares, & æquales habent cavernas: aut Phrygiæ, quæ impares sunt, & inæquales habent cavernas. Ergo cum dicit Virgilius:*

Biforem dat tibia cantum.

Biforem dixit dissonum, & dissimilem: non enim sunt pari modulatione composita: nam, ut ait Varro, tibia Phrygia dextra unum habet foramen, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem. Gyrald. de Poet. dial. vi. p. 331. F. Pignor. Magn. deûm matr. init. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. vii. p. 512. D. Alii tamen malunt Sarranas a gente ita dictas, ut a Phrygibus Phrygias, nimirum a Sarra, eo enim nomine Tyrus olim vocabatur. Unde Pœnos Sarra oriundos Ennius dixit, si Probo cre-
dimus. *Bartholin. de Tib.* i. 6. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 8[illegible] a. *D. Voss. Instit. Poet.* ii. 28. §. 5.

Tibiæ [illegible], σπονδειακοί Græcis, dicebantur sacrificæ. [illegible] σπόνδαυλος, ut [illegible], [illegible]. Inde σπονδαύλης, & σπονδαύλων [illegible] Cic. [illegible] ii. 46. [illegible] [illegible]. Donat. l. l. [illegible] παρὰ τὴν σπονδὴν, [illegible] [illegible] debant. Salmas. Exerc. Plin. p. 88. a. A. & in Vopisc. C[illegible]. Bartholin. de Tib. i. 6. Buleng. de [illegible] ii. 26. Nicol. de Triumph. c. 12. §. 8.

Tibiæ [illegible]. V. illas in *Tibia* [illegible].

Tibiæ [illegible], cum *tibicine* enim [illegible] temporibus triumphos [illegible]. Cens[orinus] laudatus supr. in *Tibiæ sacræ*. Exemplum habet Appian. de Bell. Punic. p. 35. apud quem in Scipionis triumpho Imperatorem [illegible], & *tibicines* [illegible] in pompa: [illegible], [illegible] auratis [illegible] quæ [illegible] cantantes, [illegible] prodibant. V. supr. in *Duilius*.

Tibiæ vafræ *[illegible] numeris præcento[illegible] adhibebantur.* Solin. c. 5. [illegible] in Glossis: [illegible], μελετητικὸς αὐλός. Serv. Æneid. xi. 738. *Tibiam, quam Græci πλαγίαυλον vocant, Latinis esse vascam tibiam* observat. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 86. b. C. *in Vopisc. C[illegible]* c. 19 *Voss. de Instit. Poet.* iii. 12. §. 7. *Bartholin. de Tib.* i. 6. *T[illegible] Adv.* xvii. 20. *Meurs. de Tib.* c. 4. Ego [illegible] [illegible]: quibus [illegible] modos vocis, & [illegible] regerent: qualis erat fistula Gracchi, quam *tonorium* vocat Quintil. i. 10. Alii [illegible] appellant, ut in [illegible] Hero. *T[illegible]*, *Bartholin. l. l.* Ego non dissimulo [illegible]. [illegible] probi, [illegible], quæ [illegible] voce, sive, ut Servius dicebat, *qui[illegible] cantur [illegible] voce.* *Afla* autem, & *afla* eadem, ut *afflare*, & *aflare*. Ennius apud Varronem laudatum supr. in *S[illegible]*. Schegk. Præmess. Epist. ii. Bartholin. l. l.

TIBIALIA erant fasciæ, quibus antiqui *tibias* involvebant. Hyeme [illegible] munitur Augustus apud Suet. c. 82. n. 1. non æstate, & aliis [illegible] tempestatibus. Cruribus enim nudis incedebant Romani. V. supr. in *Fasciæ*.

TIBICINÆ non defuerunt, licet Minerva, quod vultum inflantis deformaret, *tibias* rejecerit. Plaut. Stich. ii. 2. 56.

Post, ut occœpi narrare, [illegible], tibicinas,
Sambucinas advexit secum [illegible].

Pignor. de Serv. p. 158. Venales olim in conviviis, tanquam ad hastam publicam, proponebantur: & qui majus pretium offerret, solus eis ex libidine fruebatur: quod constat ex Athen. xiii. p 607. D. Et Lysimachus apud eund. xiv. p. 614. F. inquit: *[illegible] ego nunquam apud me egressam vidi e tragica scena meretricem, in [illegible] tibicinam.* Nonnulli ambubajas *tibicinas* Syriaca lingua putant dici. Papias Onomast. *Ambubajæ mulieres tibicinæ Syriacæ.* Bartholin. de Tib. iii. 1.

TIBICINES inter, & *tubicines* nihil differre asserant Aldus minor, cui assentiri non possum. Quippe cum *tibia*, & *tuba* diversa instrumenta fuerint, ita etiam unum cuique artifici nomen dedere. *Fides & tibias eorum causa,*

quæ illis uti possunt, facilius monet Cicer. de Nat. deor. II. 63. Ipse qui tibiis utebatur, Græcis dicebatur αὐλητής, & χοραύλης, αὐλητρίς. Pollux. IV. 9. 6. Senec. Epist. 87. *Adde etiam quod instrumenta, tibiæ, & organa, & chordæ ad cantum aptata non faciunt. Est enim artifex sine istis.* Nihilominus tamen apud Latinos hujusmodi artifices non ex disciplina, sed ex ipsis potius instrumentis, cepere vocabula. Nam citharœdus ex cithara, tibicen ex tibia, ceteraque suorum instrumentorum vocabulis nuncupantur, quemadmodum loquitur Boeth. de Music. I. 34. Hi itaque artifices dicti *tibicines*. Cicer. de Nat. deor. III. 9. *Concedam non modo animantem, & sapientem esse mundum, sed fidicinem etiam & tibicinem, quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur.* Unde etiam publicè collegium habuerant *tibicines* Romani. V. illud supr. in *Collegium*. Et hoc per *tibicinium* annotat de Antigenide Apul. Flor. p. 765. *Is cum esset in tibicinio apprime nobilis.* Dies illorum festos anniversarios V. supr. in *Idibus Januariis & Juniis*. In publico epulandi, decantandique jus habuerant: quod jus illis ab Appio Claudio Cæco ademptum, ut Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. 34. n. 1. occasionem dedit, ut & ista licentia redderetur, & anniversarium festum, atque feriæ publicæ, privatæque ipsis concederentur. Rem illam omnem, ut gesta est, enarrant Liv. IX. 30. Val. Max. II. 5. Ovid. Fast. VI. 657--692. *Bartholin. de Tib.* III. 1. *Buleng. de Theat.* II. 26. Ad convivia in foro, ubi obsonia emebantur, conducebantur. Elicio hoc ex Theophrasto, qui in Notat. mor. *Cumque sibi obsonia emerit, & tibicinas conduxerit, ut cuique fuerit obvius factus, obsonia illi ostendere, & ad ea invitare.* Plaut. Aul. II. 4. 1.

Postquam obsonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinasque hasce ad forum.

Barthol. ibid. II. 13. Cum funera nimio illorum numero gravarentur, non plures in illo esse quam decem voluerunt decemviri, ut est apud Cicer. de Leg. II. Quod etiam tangit Ovid. Fast. VI. 657.

Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mæstis tibia funeribus.
Adde quod ædilis pompa qui funeris irent
Artifices solos jusserit esse decem.

Kirchman. de Funer. II. 5. Guther. de Jur. man. I. 22. Morestell. Pomp. Feral. II. 17. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 728. Rævard. ad Leg. XII. tab. c. 15. Hotman. Antiq. Rom. III. p. 388. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 360.

Tibicines in ædificiis dicuntur trabes, quæ illa sustinent. Festus: *Tibicines in ædificiis dici existimantur a similitudine tibiis canentium, qui ut canentes sustineant, ita illi ædificia.* Hinc Juven. Sat. III. 193.

Nos urbem colimus tenui tibicine fultam.

Et eodem nomine, quia cœlum attingere ferebatur, & fulcire, Atlantem nuncupat Arnob. II. p. 92. *Aut post Atlantem, ut quidam ferunt, gestatorem, bajulum, tibicinem illum, ac destinam cœli.* Bartholin. de Tib. I. 2: III. 1. Stuck. de Sacrif. p. 167.

Tibicines etiam appellantur sacerdotes viri speciosi, qui publice sacra faciant turbarum lustrandarum causa. Festus. Ex quo loco forsan explicari posset antiqua illa, sed mutila, inscriptio, quæ *sacerdotis Tiberini Albii Verini* meminit, a Grutero e Scaligeri schedis allata p. 30. n. 2.

DOMUSQ. DIVI
NÆ. COLON. COPIÆ. CLAUD. AUG.
LUGD. TAUROBOLIUM. FECIT. Q.
AQUIUS ANTONIANUS. PONTIFEX.
PERPETUUS. . . . .
EX. VATICINATIONE. PUSONI. JULIANI. ARCHIGALLI. INCHOATUM.
XII. KAL. MAJ. CONSUMMATUM.

VIIII. KAL. MAJ. L. EGGIO. MARULLO. CN. PARINIO. ÆLIANO.
COS. PRÆEUNTE. ÆLIO. CII. P....
CNS. SACERDOTE. TIBICINE. ALBIO. VERINO.

Barthol. de Tib. vet. III. 1.

TIBURTINA porta. V. illam supr. in *Porta*.

TIC.

TICHOBATES, τοιχοβάτης, diceretur, qui per murorum crepidines, & fornices ambularet. Vopisc. Carin. c. 19. *Exhibuit & tichobaten, qui per parietem urso eluso cucurrit.* Dio LXI. p. 697. D. *Quo tempore elephas, introductus in theatrum, in summum ejus fornicem conscendit, atque inde vehens hominem in fune decurrit.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 3.

TIG.

TIGILLUM sororium fuit in vetere illa via, quæ a Carinis ad vicum Cyprium ducebat, quod Horatius transire debuit, cum a cæde sororis expiaretur. Lignum hoc fuit transversum super illam viam duobus innixum parietibus, ut Dionys. III. p. 160. *Est in angiportu, qui a Carinis ducit ad vicum, ubi & aræ manent tunc positæ, & lignum super eas transversum, infixum duobus inter se adversis parietibus, quod capiti exeuntium imminet.* Festus autem duobus aliis suffultum *tigillis* fuisse refert in Sororium: *duo tigilla tertio superjecto.* Verum Festus de ætate Horatii loquitur; Dionysius de sua, qua *tigilla* illa vetustate corrupta, substitutis in illorum locum muris mutata fuere. Sic Liv. I. 26. *Is piacularibus quibusdam sacrificiis factis, quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt, transmisso per viam tigillo capite adoperto velut sub jugum misit juvenem: id hodie publice quoque semper refectum manet. Sororium tigillum vocant.* Nardin. Rom. Vet. III. 15. Donat. de Urb. Rom. III. 9. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 10. Ferret. Mus. Lapid. IV. memor. 44. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 25.

TIGNARII sunt, qui *tigna* dolant, & tectis imponunt. Paull. l. 235. ff. de Verb. signif. *Fabros tignarios dicimus, non eos duntaxat, qui tigna dolant; sed omnes, qui ædificant.* Pancirol. de Corp. artif. §. 34. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 980. B.

TIGNUM est trabs grandior. Sic Cæs. de Bell. Gall. IV. 17. in structura pontis super Rhenum vult *tigna* bina in amnem adversus ejus cursum dimitti, super quibus tota deinde pontis moles incumbat. Sic *tigna* dicuntur in ædibus, quibus contignationes continentur. Nec tamen semper trabs major, sed etiam omne genus materiæ significat, quod vel ad sustinendam domum, vel ad fulciendam vitem idoneum est. Cajus l. 62. ff. de verb. signif. *Tigni appellatione in lege XII. tabularum omne genus materiæ, ex qua ædificia constant, significatur.* Justinian. Instit. II. 1. §. cum in suo refert lege XII. tabularum cautum esse, *ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet per actionem, quæ vocatur de tigno juncto. Appellatione autem tigni omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt. Quod ideo provisum est, ne ædificia rescindi necesse sit.* Ulpian. l. 1. ff. de tigno juncto: *Tigni appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium constat, vineæque necessaria. Unde quidam ajunt, tegulam quoque & lapidem, & testam, cæteraque, si qua ædificiis sunt utilia. hoc amplius, & calcem, & arenam tignorum appellatione contineri. Sed & in vineis tigni appellatione omnia vineis necessaria continentur, ut puta, perticæ, pedamenta.* August. ad Leg. XII. tab. §. 13. Ursin. ad Leges & Scta Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1353. E. Voss. Lex. Etymol. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 124. Alciat. Calcagn. Gentil. Rittersh. in l. 62. de verb. signif. Rævard. in Leg. XII. tab. c. 22. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 2. c. 35. Marcil. in Leg. XII. tab.

tab. c. 59. Baldain. in Leg. xii. tab. c. 27. Hotman. Antiq. Roman. iii. 3. p. 365. *Tigni* in parietem vicini immittendi servitus fuit. Ulpian. in l. sicut §. competit. ff. de servit. vind. *Adversus eum, qui cessit mihi talem servitutem, ut in parietem ejus tigna immittere mihi liceat, supraque ea tigna, verbi gratia, porticum ambulatoriam facere, superque eum parietem columnas structiles imponere, quæ tectum porticus ambulatoriæ sustineant.* Brisson. de Form. vi. p. 553.

TIGRIS quale sit animal, & quo modo capiatur, narrat Plin. viii. 18. *Tigrin Hircani & Indi ferunt, animal velocitatis tremendæ, & maxime cognitæ, dum capitur. Totus ejus fœtus, qui semper numerosus est, ab insidiante rapitur equo quam maxime pernici, atque in recentem subinde transfertur. At ubi vacuum cubile reperit fœta, maribus enim cura non est sobolis, fertur præceps, odore vestigans. Raptor, appropinquante fremitu, abjicit unum e catulis. Tollit illa morsu, & pondere etiam ocyor acta remeat, iterumque consequitur, ac subinde donec in navem regresso irrita feritas sævit in litore.* La Chausse Descr. Sepulcr. Nason. tab. xv. & xxviii. Buleng. de Venat. Circ. c 21. Voss. de Idolol. iii. 72. Feritatem exuere, & tractabilis esse discit. Mart. de Spect. 18. 1.

> *Lambere securi dextram consueta magistri*
> *Tigris, ab Hircano gloria rara jugo.*

Buleng. l. l. Voss. ibid. c. 73. Rader. in Martialem. *Tigrin* omnium primus Romæ publicavit Augustus. Plin. viii. 17. *D. Augustus Q. Tuberone, Fabio Maximo coss. iv. Non. Maj. theatri Marcelli dedicatione, tigrin primus omnium Romæ ostendit in cavea mansuefactum.* Primum Romanis & Græcis visos fuisse illos *tigres*, quos Indi Augusto miserunt ab illo pacem petentes, dicit Dio liv. p. 527. A. Claudium postea *simul quatuor* ostendisse addit Plinius. De Augusto etiam Suet. c. 43. n. 11. *Solebat extra spectaculorum dies, si quando quid invisitatum, dignumque cognitu advectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare, ut tigrim in scena.* Panvin. de Lud. Circens. ii. 3. Donat. de Urb. Rom. iii. 8. Voss. & Buleng. l. l. Pitisc. in Suetonium. *Tigres* ad currum junxerunt. Mart. i. 105. 1.

> *Picto quod jugo delicata collo*
> *Pardus sustinet, improbæque tigres*
> *Indulgent patientiam flagello.*

Quales nescio, an ad currum junxerit & Cæsar Julius, seu potius Augustus. De Daphnide profecto Virg. Ecl. v. 30.

> *Daphnis & Armenias curru subjungere tigres*
> *Instituit.*

At hoc Servius intelligit de Augusto. *Hoc*, inquit, *aperte ad Cæsarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam.* Vult, quantum intelligo, hoc dicere, Augustum sacra Liberi instituisse, atque ideo dici *subjugasse tigres*. Nempe *tigres* in vehiculo sunt Liberi, sive Bacchi. Verum aliud est *subjungere tigres*, & aliud Bacchum, seu Liberum junctis ad vehiculum *tigridibus* Romam adducere. Neque si dicamus Bacchum feris, & in eis *tigres* domuisse, aliquid efficiemus, cum nec Daphnis isto loco facere fingatur quidquam, quod ad Bacchum pertineat, nec in Cæsare Bacchum intelligere queamus. Ut sit cogitandum, annon, sicut alii, sic ejusmodi spectaculum dederit Augustus. Alias & Heliogabalus in curru *tigres* habuit. Lamprid. c. 28. *Junxit & tigres, Liberum sese vocans.* Scheffer. de Re vehic. i. 9.

TIN.

TINA est vas vinarium. Varr. de vit. pop. Rom. i. apud Non. xv. 7. *Antiquissimi in conviviis, utres vini primo, postea tinas ponebant.* Salmas. Exerc. Plin. p. 165. a. E. Voss. Lex. Etymol. Cenal. de Pond. ac mens. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 1474. A.

TINCTORES. V. illos supr. in *Baphiarii.*

TINGITANA est ultima Africæ pars, ultra Numidiam, Oceanum versus. V. illam supr. in *Mauritania.* Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 70.

TINNIRE dicuntur æs, ferrum, instrumenta ex his metallis confecta. Gloss. Græco-Lat. Ἦχος ἐπὶ χαλκῦ, καὶ σιδήρυ, tinnitus, tinnitus. Lexic. Lat-Græc. *Tinnitus*, ἦχος χαλκώματος, βόμβος. Auson. Epist. xxv. 25.

> *Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,*
> *In numerum quoties radiis ferientibus ictæ*
> *Respondent dociles moderato verbere pelves.*

Et hinc cymbala. Senec. Nat. Quæst. ii. 29. *Ita tympana, & cymbala sonant: quia illa repugnantem ex ulteriore parte spiritum pulsant, hæc ad ipsum aerem acta, nisi concavo, non tinniunt.* Sistra. Apul. Met. xi. p. 371. *Hi magnæ religionis terrena sidera æreis, & argenteis, imo vero aureis etiam sistris argutum tinnitum constrepentes.* Lebetes Dodonæi. Ausonius modo laudatus. Litui. Sil. Ital. xiii. 146.

> *Is trepido lituûm tinnitu stare neganti*
> *Impositans violenter equo.*

Galeæ gladio verberatæ, sive alio quocunque modo inter se concussæ. Prudent. Psychom. n. 140.

> *Aurea sed collo cassis formata metallo*
> *Tinnitum percussa refert.*

Gladii. Ovid. Met. v. 203.

> *Quem ratus Astyages etiamnum vivere, longo*
> *Ense ferit: sonuit tinnitibus ensis acutis.*

Tintinnabula. Venant. Honor. 11.

> *Te veniente sacer causas patefecit opertas,*
> *Tinnitum incipiens jam quasi furta loqui.*

Lampe de Cymbal. ii 7.

Tinnire dicuntur homines, qui acuto vocis sono garruli sunt. Plaut. Pœn. Prol. n. 33.

> *Canora hic voce sua tinnire temperent.*

Mulierculæ apud Plaut. Cas. ii. 3. 32.

> *Ohe jam satis uxor es: jam nimium tinnis.*

De muliebri loquacitate Juven. Sat. vi. 440.

> *Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas*
> *Pulsari.*

Tintinnabula enim semel mota longum sonant. Hinc *tinnula vox* apud Catull. lxi. 13. Macrob. Sat. vi. 4. & *tinnula dicacitas* apud Apul. Met. i. p. 13. Et ipse Nero *se sufferti aliquid tinniturum* dixit apud Suet. c. 20. n. 4. Barth. Adv. xxxiii. 5. *Pitisc. in Suetonium. Lampe de Cymbal.* ii. 7.

TINNITUM aurium observabant veteres. V. supr. in *Auris.* Buleng. de Omin. c. 2. Harduin. in Plin. xxviii. 2. Scalig. Auson. Lect. i. 16. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. iii. 8. Lampe de Cymbal. ii. 7.

TINTINNABULUM fuit crepitaculum, campanula, sive codon. Tortell. cap. de Horolgio, quod *tintinnabuli* frequentem in auctoribus mentionem non observasset, apud antiquos in usu fuisse negavit: in cujus sententiam & alii discesserunt. Verum Galeotus Martius in libro, quem scripsit de Doct. promisc. c. 28. Tortellium eo nomine reprehendit. *Mag. de Tintinn. c.* 1. Cujus inventum antiquissimum, vel Mosis tempore, teste Joseph. Antiq. Judaic. iii. 8. Princeps enim sacerdotum superinducebatur tunica hyacinthina, ex cujus fimbriis *tintinnabula* pendebant, quæ sonitum ederent, cum ille sancta sanctorum esset ingressurus. *Laurent. de Fistul. c.* 4. Ejus inventorem ignorari seculorum culpa certo scimus. Plin. vii. 55. *tintinnabulorum*, quæ sepulcro Porsennæ Regis Tuscorum imminerent, mentionem facit, & caput satis prolixum rerum inventoribus dicavit, nihil omnino de *tintinnabuli* inventore protulit. *Mag. ibid. c.* 2. *Laurent. l. l.* Ex ære primum, mox ex ære, stanno, plumbo, argentoque nonnunquam admixtis fieri consuevisse nemini dubium est. *Mag. ibid. c.* 1. Illa Laruta habebant appensa collo. Phædr. ii. 8. 4.

> — *celsa cervice eminens*
> *Clarumque collo jactans tintinnabulum.*

Apul. Met. x. p. 336. *Me. . . . & tintinnabulis perargutis exornat.* Justinian. de leg. rust. tit. 2. §. 2. *Si quis crepitaculum, sive tintinnabulum bovis, aut ovis, aut alterius cujusvis animalis sustulerit, consultus flagellator ut fur. Et si animal deperditum fuerit, & id damnum sarcito, quod ejus crepitaculum sustulit.* Inde *greges tintinnibulatos* vocat Sidon. Epist. II. II. *Inter greges tintinnibulatos per depasta buceta reboantes.* Scheffer. de Re vehic. II. 2. Cerda Adv. c. 124 §. 31. Savar. in Sidonium. Sweert. in Mag. de Tintinn. c. 8. Habebant etiam in phaleris, & frenis. Hoc apud veteres Romanos sic fuisse observat Phavorinus: *Tintinnabula in phaleris, & frenis equorum milites apud veteres habuere, sicut nunc quoque. Equos cum phaleris tintinnabula habentibus memorat Aristophanes de iis, qui usurpant. Simile quid & Romanis usitatum, sicut ego Varinus sæpissime conspexi.* Scheffer. ibid. c. 13. Olim oblectamenti atque ornatus gratia muliones, atque agasones equis, mulisque illa alligabant, quod & hodie passim fieri videmus. Delectabantur certe illorum sonitu, & ea propter muliones multijuga *tintinnabula* ad illorum colla solent suspendere, quo facilius sarcinarum labores perferant, ut Ovidius alibi canit. *Mag. ibid. c.* 8. & ad illum *Sweertius, Scheffer. ibid.* II. 2. *Laurent. l. l.* II. in ditiorum domibus suspendebantur, ut illorum sono familia excitaretur. Lucianus tractatu de mercede conductis: *Deinde mane ad tintinnabulum expergefactus, discussa ab oculis dulcissima somni parte, una sursum, ac deorsum circumcursas.* Ædes enim cum amplissimas haberent, & greges servorum alerent, *tintinnabulis* familiam mane excitandam curare alia re ulla, quam *tintinnabuli* concrepatione, & tinnitu, non potuisse commode est omnino manifestum. Hodie etiam Romæ videmus ampliores, quam par sit purpuratorum flaminum, sive Cardinalium, & principum familias pransum, cœnatumque *tintinnabulis* in superioribus ædium partibus suspensis convocari; adeo ut non solum qui domi sunt, sed etiam qui domo absunt, sonum audiant, & sui quisque domestici *tintinnabuli* tinnitum, multis personantibus agnoscat. *Mag. ibid. c.* 5. & ad illum *Sweertius.* III. Excubitores nocturnis vigiliis pulsabant, ad cujus pulsum respondendum erat illico. Aristophanes Avib. p. 580. jubet codonophorum, hoc est, *tintinnabuli* gestatorem circumcurrere: inquit enim κωδωνοφορῶν περίτρεχε. Ad hæc verba Scholiastes, & ex illo Suidas, & Hesychius: *Excubiarum circuitores, qui custodias circumibant, ad custodes accedentes, habebant tintinnabula, ut dormientis facerent periculum, & ut custodes statim responderent.* Thucyd. IV. p. 341. D. *Tintinnabulo prolato, priusquam rediret is qui tradiderat, ita in vacuum locum scalarum admotio facta.* Deprehendendi vero modus *tintinnabulo* quis esset, non produnt. Quamquam conjecturæ locus est, codonophorum circumcurrentem (eos hodie, qui id muneris obeant, *rondam* vocari vulgo, satis est notum) *tintinnabulo* personare solitum; cui si non statim vigiles occurrissent, vel assurrexissent, eos minime vigilasse, sed tinnitu e somno excitatos fuisse apertum erat. *Mag. ibid. c.* 10. & ad illum *Sweertius. Lips. de Milit. Roman.* v. 9. *Thys. Rom. Illustr.* v. *p.* 131. IV. Ichthyophagos in forum ad piscium venditionem vocabant. V. supr. in *Pisces.* V. Imperatorum triumphantium curribus cum flagris alligabantur, si Zonar. II. p. 32. credimus, ut in magnæ felicitatis cumulo admonerentur, ne plus quam par esset, efferri, ac superbire vellent, sed humanæ miseriæ recordarentur, quia horum instrumentorum usus esset in plectendis hominibus. Hanc rem a nullo alio proditam scriptore Græco, aut Latino mirari subit. Suspicor, quod est a Zonara literis mandatum, non antiquitus, sed sub recentioribus Imperatoribus fieri consuevisse, nimirum temporibus, seculisve Zonaræ proximis. Etsi Gifanius ea de causa hac in re fidem haberi posse mihi Venetiis aliquando affirmaverit, quod Tacitus fidem Zonaræ adjuvet in eo, quod de verbis Imperatori triumphanti a nescio quo inclamari solitis scribit, scilicet ne gaudio nimio efferretur: viderique Zonaram, recentem præ Tacito historicum, ex antiquo aliquo scriptore quæ supra retulimus, desumpsisse. *Mag. ibid. c.* 11. *Valtrin. de Re milit. Rom.* VII. 9. *Faber Semest.* II. 8. *Pancirol. de Trimph. c.* 1. *& ad illum Maderus. Nicol. de Triumph. c.* 20. §. 8. VI. Sontium ad supplicium deducendorum collo suspendebantur, ut eorum tinnitu, ac sono admoniti populares, a fortuito, sed tamen ominoso, vel carnificis ipsius, vel etiam damnati hominis, & jam inferis manibus devoti, sacrique, ac propemodum funesti corporis contactu abstinerent, ne vel incauti alioqui polluerentur. Plautus laudatus supr. in *Tintinnabulum.* Faber, Laurent. & Mag. l. l. Pollet. For. Rom. v. 14. Turneb. Adv. XXIII. 11. Kipping. Antiq. Roman. II. II. 7. §. 3. VII. In thermis summo quopiam fastigio ponebantur, & illorum sonitu populus, sicut hodie ad sacra, hora lavandi convocabatur. Mart. XIV. 163. V. illum supr. in *Hora.* Qui indicat, elapsa communi hora lavandi frigescere thermas, ac sola frigida fore lavandum, & virgine frigida. *Bacc. de Therm. c.* 12. *Mercur. de Art. Gymnast.* I. 10. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 130. *Chiflet. Aq. Virg. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1792. *D. Casal. de Prof. Roman. rit. c.* 24. *Laurent. l. l. Mag. ibid. c.* 3. qui etiam multa ad Martialem. Conjicitur ex æreo item *tintinnabulo*, quod extat apud me, cum inscriptione FIRMI BALNEATORIS, repertum in Exquiliis an. 1548. in ruinis thermarum Diocletiani Imperatoris. *Ursin. l. l.* VIII. In foribus ædium, in quorum locum successit orbis ille æneus pulsandis foribus idoneus. Senec. de Ira III. 35. *Quid miser expavescis ad clamorem servi, ad tinnitum æris, ad januæ impulsum?* Suet. Aug. c. 91. n. 4. *Se respondisse: Tinantem pro janitore ei appositum: ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependeant.* Mag. ibid. c. 5. & 19. Faber Semestr. II. 8. Laurent. l. l. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. IX. In turribus seculis antiquioribus posita non convocaverunt Christianos homines; sub Christianæ enim fidei initia, & succedentibus etiam temporibus Christianum nomen fuit invidiosum, ut *Judaica superstitio*, fides nostra in Pandectis a ICto Ethnico appelletur; ac oporteret clam in ecclesias convenire, non pulsatis *tintinnabulis*; quod ea res amplioris securitatis, & auctoritatis non parum præ se ferret. Sane Plin. Epist. x. 97. ubi omnia, quæ facerent Christiani, exsequitur diligentissime, hujusmodi *tintinnabulorum* nullam facit mentionem; alioqui, si fuissent in usu, cum res esset momenti non parvi, silentio non transmissurus. Quamobrem existimaverim tunc Christianos editis locis, turribusque *tintinnabula* imposuisse, atque suspendisse, cum ethnicorum principum odia jam satis refrixissent, ac piorum ecclesia caput martyrum sanctorum cruore non tam fœdatum, quam exornatum extollere cœpisset. *Mag. ibid. c.* 2. Hodie e templorum turribus musici concentus quibusdam in urbibus magna cum voluptate audiuntur. Vidimus Bononiæ in æde Episcopali antiqua tria *tintinnabula* argentea, ea arte facta, ut cum a sacerdotibus musices non ignaris ad sonum edendum moverentur, musicos concentus ederent. Apud Menapios, Sicambros, & alias Christianas nationes *tintinnabula* majora in templorum turribus visuntur, a musices non ignaris efformata, delecta, & suspensa, & a musicis pulsata, e quibus tanquam e nauliis, quæ organa vulgo dicimus, concentus musici, & harmonici eduntur. *Mag. ibid. c.* 7.

Tintinnabulum fuit vehiculum. Plaut. Pseud. I. 3. 98.

— *Lanios inde arcessam duo cum tintinnabulis:*
Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero.

Lucillius. V. illum supr. in *Sirpea.* Scalig. Conject. in Varr. p. 60. Lambin. in Plautum. Douz. in Lucillium. Quibus quid fuit in mentem cum hæc scriberent? Imo *sirpea* vehiculum non est, sed imponitur vehiculo. V. supr. in *Sirpea.* Nec *tintinnabulum*, sed si quando appenditur. Nihil est in loco Plauti, quamobrem credam esse vehiculum. Palam est carnifices, & tortores describi, qui solebant cædere κωδωνοφοροῦντας. Et tamen etiam nolas ad usum sacrificiorum comminiscuntur. Lusus est servuli, qui

de

de ſupplicio, quo vult mactari lenonem, loquitur quaſi de ſacrificio, quo is, quem Jovem ſibi fecerat herus, mactetur. Itaque pro carnificibus dicit lanios, quaſi victimarios, ſed cum *tintinnabulis*, quibus carnifices ornabant noxios, pro hoſtiis *greges virgarum ulmearum*, vel virgas in faſcem colligatas. *Gronov. in Plautum.* Quid tamen eſt, quod Lucillius, ubi de ſirpiculis agit, *tintinnabuli* faciat mentionem? Quo iſta pacto cohærent? Puto uſum figura, quam appellant ἓν διὰ δυοῖν, & *tintinnabulum, ſirpiculaſque* poſuiſſe pro *ſirpiculis cum tintinnabulo.* Erat ea conſuetudo veterum, ut res venales indicarent pulſo, commotove *tintinnabulo.* Ita ſolebant Græci, cum vendendi piſces eſſent. Plutarchus & Strabo. V. illos ſupr. in *Tintinnabulum fuit crepitaculum.* Hoc modo Romæ etiam exiſtimo vendidiſſe olera. Habebat vehiculum, ſeu plauſtrum appenſam campanulam, cujus ſono admonerentur, ſi qui vellent emere, adeſſe venalia. Et hoc credo intelligere Lucillium. *Scheffer. de Re vehic.* II. 33. *Popm. de Inſtrum. fundi c.* 14. *Valeſ. in Not. Mauſſac. in Harpocrat. Lexic. p.* 109.

TIT.

TITII ſodales. V. illos ſupr. in *Sodales.*

TITINNIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

TITULUS eſt inſcriptio alicui rei affixa, publice, vel private. Dicebatur etiam epigramma, monimentum, recordatio, elogium, ſcriptura, nota, ſubſcriptio. *Ferret. Muſ. Lapid.* I. *memor.* 32. Ædibus vendundis affigebatur. Erat nihil aliud quam tabula in fronte domus ſuſpenſa, qua & inſcribi, & venalis dicebatur. l. 1. C. de Aquæd. *Sciat eundem fundum fiſcalis tituli præſcriptione ſignatum, privatis rebus noſtris aggregandum.* Salmaſ. de Mod. uſur. c. 15. Stewech. in Veget. II. 13. Amphoris, in quibus vinum conditum, quæ illo a bono patrefamilias notabantur. Juven. Sat. v. 34.

> —— *cujus patriam, titulumque ſenectus*
> *Delevit multa veteris fuligine teſtæ.*

Stewech. & Ferret. l. l. Aris inſcribebatur. Continebat cauſam, ob quam eſſent poſitæ. Suet. Cal. c. 8. n. 3. *Addit pro argumento aras ibi oſtendi inſcriptas, ob Agrippinæ puerperium.* Hinc *ara adoptionis*, quæ adoptionis ergo poſita fuerat. Tacit. Annal. I. 14. 2. V. illum ſupr. in *Ara.* Liv. XXVIII. 46. *Propter Junonis Laciniæ templum æſtatem Annibal egit: ibique aram condidit, dedicavitque cum ingenti rerum ab ſe geſtarum titulo, Punicis, Græciſque literis inſculpto.* Et quibus divis eſſent poſitæ. Val. Max. II. 5. 6. *Quum ad viginti pedum altitudinem humo egeſta perveniſſent, animadverterunt aram Diti patri, Proſerpinæ inſcriptam.* In nummo Tiberii ara ſculpta eſt cum hac inſcriptione: *Providentiæ Auguſti.* In Hiſpania lapis exſtat cum inſcriptione: *Deo fulguratori aram.* Sic Athenis ara inſcripta erat: ἈΓΝΏΣΤΩ ΘΕΩ͂. Actor. c. 17. n. 23. *Merul. de Sacrif. c.* 7. §. 3. *Briſſon. de Form.* I. *p.* 116. *Piti.ſc. in Suetonium.* Damnatorum continebat cauſam, & ipſum crimen. Gloſſæ Græcan. Vet. Ἀιτία, *cauſa, materia, titulus.* Eædem Latin. Titulus: ἐλέγχιον. Latini paſſim etiam pro cauſa. Ut poeta:

> *Et poteris titulum mortis habere meæ.*

Val. Max. IX. 12. 8. *Fine vitæ noſtræ variis, & occultis cauſis expoſito, interdum quædam immerentia ſupremi fati titulum occupant.* Hic ſolebat præferri. Suetonius & Euſebius. V. illos ſupr. in *Tabella prætorum.* Vel appendi, aut apponi. Suet. Domit. c. 10. n. 3. *Patremfamilias detractum e ſpectaculis in arenam canibus objecit cum hoc titulo: impie locutus parmularius.* Lipſ. de Cruc. II. II. Briſſon. de Form. v. p. 489. Guther. de Jur. man. II. 26. Rævard. Var. v. 7. Claſen. Theol. gentil. I. 13. §. 7. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom. v. 19. Faber Semeſtr. II. 8. Godwyn Moſ. & Aar. v. 9. Hugo de prim. ſcrib. orig. c. 33. Nicquet. tit. Cruc. I. 46. Kipping. Antiq. Lect. II. 7. §. 14. Stewech. l. l. Pitiſc. in Suetonii Domitianum. Galeæ centurionis potuit fuiſſe appoſitus, & inibi ſcriptum: CENTURIO I. II. . . . hujus, aut illius cohortis. *Stewech. l. l.* Dicebatur in operibus, qui nomen auctoris, vel artificis indicabat, vel qualitatem operis, aut tempus. Suet. Domit. c. 5. n. 1. *Plurima, & ampliſſima opera incendio conſumpta reſtituit, ſed omnia ſub titulo tantum ſuo, ac ſine ulla priſtini auctoris memoria.* Stewech. & Nicquet. l. l. Meretricum cellis inſcribebatur. V. ſupr. in *Meretrices.* Sepulcris imponebatur, & ſepulcris adeo proprius erat, ut vix ſine iis monimenti, vel memoriæ nomen tueri poſſint. Græcis ἐπιγραφὴ dicitur, Latinis *titulus.* Ovid. Heroid. XIV. 128.

> *Sculptaque ſunt titulo noſtra ſepulcra brevi.*

Mart. x. 71. 1.

> *Quiſquis læta tuis, & ſera parentibus optas*
> *Fata, brevem titulum marmoris hujus habe.*

Pollio in Valerian. Jun. c. 1. *Mittendum in literas cenſui, hunc Valerianum circa Mediolanum ſepultum, addito titulo, Claudii juſſu, Valerianus Imperator.* Hi concipiebantur interdum proſa oratione, quod probatione non indiget: nam pleni talium omnes lapides: interdum autem verſibus. Suet. Claud. c. 1. n. 12. *Nec contentus elogium tumulo ejus verſibus a ſe compoſitis inſculpſiſſe.* Virg. Culic. n. 409.

> *Hic tumulus ſuper inſeritur: tum fronte locatur*
> *Eulogium: tacita quod firmat litera voce:*
> *Parve culex, cuſtos pecudum, nil tale merenti*
> *Funeris officium vitæ pro munere reddit.*

Ecl. v. 43.

> *Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen:*
> *Daphnis ego in ſylvis.* . . .

Briſſon. de Form. VII. p. 691. Kirchman. de Funer. III. 19. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 14. Guther. de Jur. man. II. 26. & 27. Moreſtell. Pomp. Feral. VIII. 13. Salmaſ. & Claſen. l. l. Laurent. de Rebuſp. c. 6. Nicol. de Sepulcr. II. 15. 7. Gyrald. de vario ſepel. rit. c. 2. & Faes in illum. Alias epitaphium dicitur. *Gyrald. l. l.* Ita deſcribit Suidas in Ἐπιτάφιον: *Hoc vulnus encomium quaſi ſepulcrale virtutis ejus fuit.* Recte. Nam epitaphium & *titulus*, ſi κατ' ἀκρίβειαν loqui velim, inter ſe differunt, ut totum & pars: Epitaphium totum eſt, *titulus* vero totius pars. Ut in aliis, ita in hoc hujuſmodi differentia verborum eſt quidem obſervanda; ſed, ſi uſum ſpectes, non eſt perpetua. *Faes l. l.* Græcorum Nicol. de Luct. Græc. c. 15. §. 3. Romanorum Faes l. l. & in vaſtiſſimo Inſcriptionum libro Gruterus collegerunt. Minio ſignabatur. V. ſupr. in *Inſcriptio.* E collo ſervorum venalium pendebat, & illo illorum ætas, patria, pretium indicabatur, ſed & vitium, morbuſque. Prop. IV. 5. 51.

> *Et quorum titulus per barbara colla pependit.*

Qui mancipia vendebant, tenebantur ex edicto ædilium in *titulo* eorum ſcribere, quid morbi in eo, vitiique eſſet. Verba edicti referuntur apud Gell. IV. 2. *Titulus ſervorum ſingulorum uti ſcriptus ſit, curato, ita ut intelligi recte poſſit, quid morbi, vitiique ſit quoique: quis fugitivus, errove ſit, noxave ſolutus non ſit.* Eoque referendum videtur quod legitur apud Senec. Epiſt. 47. *Stare ante limen Calliſti dominum ſuum vidi, & eum qui illi impegerat titulum, qui inter rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Briſſon. ibid. p. 493. Thyſ. in Gellium. Lipſ. in Senecam. Salmaſ. l. l. Spoliis hoſtium adſcribebatur. Ovid. de Art. Am. II 743. Virg. Æneid. III. 286. Sil. Ital. XV. 491. V. illos ſupr. in *Spolia.* Statuis adſcribebatur. Suet. Cal. c. 34. n. 2. *Statuas virorum illuſtrium ab Auguſto ex Capitolina area, propter anguſtias, in Martium campum collatas ita ſubvertit, atque disjecit, ut reſtitui ſalvis titulis non valuerint.* Domit. c. 15. n. 3. *Atque etiam e baſi ſtatuæ triumphalis titulus excuſſus vi procellæ in monumentum proximum decidit.* Compendio indicabat, quis & qualis eſſet, cui honoris cauſa talis obtigit. Tibul. IV. 1. 33.

> *At tua non titulus capiet ſub nomine facta.*

Scriptura dicitur de ſtatua Auguſti Paterc. II. 61. 3.

Eum ſenatus honoratum equeſtri ſtatua, quæ hodieque in Roſtris poſita ætatem ejus ſcriptura indicat, pro prætore bellum gerere juſſit. Nota publica Horat. Od. IV. 8. 13.

Non inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus, & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus.

Inſtituti cauſa fuit propagatio laudis, & memoriæ in poſteritatem. Dio Caſſ. de Imag. III. *Ducibus, qui victores extiterunt, ſtatuas ornatis ergo Reges decreverunt; epigrammate tanquam titulo quodam in vetere adjuncto præconium adhibentes.* Nam non perinde, ut ipſum æs, aut marmor, ita honores, & merita ſubito in oculos hominum incurrere, aut noſtro curſu tranſire ad ſeram ætatem potuerunt, niſi *titulis* iſtiuſmodi proviſum eſſet. Unde *immortales titulos* appellat Arnob. I. p. 40. *Quadrigis & ſtatuis muneramini, & quantum eſt in vobis, velut quadam æternitate donatis immortalium te hiſce titulorum.* Tertull. Apolog. c. 45. *His omnibus & ſtatuas dedicatis, & imagines inſcribitis, & titulos incidatis, æternitatem, quantum de monumentis poteſtis, ſcilicet præſtatis, & ipſis quodammodo mortuis reſurrectionem.* Tigrell. de Stat. Rom. c. 27. Faes ad Gyrald. de Sepult. c. 2. Briſſon. ibid. VIII. p. 725. Subſtantiæ univerſæ alicujus fiſco applicatæ figebatur. Caſſiod. Var. v. 6. *Ideoque cauſam tali credimus remedio muniendam, ut univerſam ſubſtantiam ſupradicti Thomatis ſub hac conditione fiſco titulis jure publico debeas applicare, quatenus intra Kal. Septembrium diem, quod rationabiliter exponitur, a Thomate minime fuerit exſolutum, prædicta ſubſtantia Johanni contradatur.* Stewech. l. l. In triumphis rerum geſtarum ſumma capita indicans, pompæ ferculo præferebatur. Suet. Jul. c. 37. n. 4. V. illum ſupr. in *Ferculum triumphale.* Prop. III. 3. 16.

--- *& titulis oppida capta legam.*

Briſſon. ibid. IV. p. 353. Stewech. l. l. Kipping. Diſſert. de Expedit. marit. §. 4. Pitiſc. in Suetonium. Victimis præferebatur, & docebat, cui deo eſſent mactandæ. Suet. Aug. c. 59. n. 2. *Ut ab heredibus ſuis, prælato victimæ titulo, in Capitolium ducerentur.* Faber Semeſt. II. 8. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4. Stewech. l. l. Votivis donis, & muneribus diis figendis, ponendiſque adſcribebatur. Ovid. Amor. II. 13. 24.

Ipſe feram ante tuos munera vota pedes.
Adjiciam titulum, ſervata Naſo Corinna.
Tu modo fac titulo, muneribuſque locum.

Met. IX. 791.

--- *dant munera templis,*
Addunt & titulum: titulus breve carmen habebat:
Vota puer ſolvit, quæ femina voverat ipſis.

Briſſon. ibid. I. p. 106.

TITURIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

TOG.

TOGA erat veſtimentum Romanorum. Auguſtus igitur *viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus, & clamitans, en ait:*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Suet. c. 40. n. 10. Et ſane fuit tempus, quum fex vulgi non temere unquam Romæ *toga* uteretur, ſed ſola tunica. Quamobrem plebem Romanam *tunicatum populum* appellat Tacit. de Orat. c. 7. n. 5. *Quod ſæpius vulgus imperitum, & tunicatus hic populus tranſeuntes nomine vocat, & digito demonſtrat.* Bayſ. de Re Veſt. c. 9. Boſſ. de Toga c. 1. Romani *togam* quam vocarunt, Græci τήβεννον dixerunt. Dionyſ. III. p. 195. *Hoc veſtimenti genus Romani togam, Græci τήβεννον appellant.* Manut. Quæſt. Epiſt. III. 1. Ipſis Quiritibus longe vetuſtior perhibetur ſcriptoribus. Nam *circummeaſſe a Pelaſgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos* auctor eſt Tertull. de Pall. c. 1. Et cum Suida Artemidorus ejus originem ab Temeno Arcade deducunt, qui ad Ionii maris accolas navigans primus eo modo chlamydem induit, a quo indigenæ edocti eadem ratione habitum ſuum compoſuere: veſtemque tebennam corrupta voce a Temeno appellarunt. Verba Artemidori ſunt hæc II. 3. *Eadem ſignificat & veſtis Romana, quam nunc τήβεννον vocant a Temeno Arcade, qui primus ſuam chlamydem hoc modo circumdedit, cum per ſinum Ionium navigaſſet, & ab his, qui iſtic habitant, ſuſceptus eſſet, a quo indigenæ edocti eodem modo aptarunt, & veſtitum Temenium vocaverunt a Temeno inventore, verum ſecutis temporibus corrupta voce tebennus appellatus eſt.* Ferrar. de Re Veſt. I. 1. 1. Salmaſ. ad Tertull. p. 121. Bayſ. & Boſſ. l. l. Demſter. Paralip. ad Antiq. Roſin. V. 32. Laz. Comment. Reip. Roman. VIII. 3. Turneb. Adv. VII. 20. Etymologo dicitur regium geſtamen. Sed ſi Romani Reges excipiantur, nullus exterorum tyrannorum uſus *toga* reperietur, niſi ex dono populi Romani, aut ejus imitatione. Male itaque ex Polybio apud Athen. X. p. 439. Ad id firmare docti conantur, qui Antiochum Epiphanem memorat *depoſito regio cultu amictum toga forum circumire* ſolitum. Id enim & præter morem facile notat Polybius, & ad imitationem Romanorum feciſſe ſubjicit. *Ferrar. l. l.* Commune omnium ordinum, omnis ſexus, ætatiſque geſtamen. Aſcon. in Cicer. p. 99. *Toga communis habitus fuit & marium, & feminarum: ſed prætexta honeſtorum, toga viliorum: quod etiam circa mulieres ſervabatur.* Non. XIV. 25. *Toga non ſolum viri, ſed etiam feminæ utebantur. Varr. de Vit. pop. Rom. I. Præterea, quod in lecto togas ante habebant. Ante enim fuit commune veſtimentum toga, & diurnum, & nocturnum, & muliebre, & virile.* Quod autem & diurnum, & nocturnum vocet, petitum videtur ex Mart. XI. 57. 5.

Et teges, & cimex, & nudi ſponda grabati,
Et brevis, atque eadem nocte dieque toga.

Fab. Semeſtr. I. 15. Demſter. l. l. Fiebat ex lana. Hoc oſtendit multis in locis Martialis. Itemque Varr. de Ling. Lat. IV. 30. ubi inquit: *Lana quod de lana multa, lanarum enim togarum textura.* Sigon. de Judic. III. 18. Catal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 8. Laurent. de Re veſt. c. 1. lit. T. Et inde etiam apparet, quod nuſquam veſtes niſi a pretio lanæ, aut a coloribus commendantur ſcriptoribus. Plin. VIII. 47. *Magna, & pecori gratia, vel in placamentis deorum, vel in uſu vellerum. Ut boves victum hominum excolunt, ita corporum tutela pecori debetur.* Deinde c. 48. lanarum genera exequitur, omnemque Romanorum cultum inde confectum oſtendit. Addit ex Varrone, *lanam cum colo, & fuſo Tanaquilis in templo Sangi duraſſe, factamque ab ea togam regiam undulatam, qua Ser. Tullius fuerat uſus. Atque inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus compta, & fuſus cum ſtamine.* Ferrar. ibid. I. 1. 17: II. 3. 12. Forma fuit quadrata. Innuit hoc Athen. V. p. 213. cum inquit: *Romani in Aſia ut vim Mithridatis effugerent, ad templa confugerunt, & quadratis veſtimentis abjectis pallia ſumpſerunt.* Togas autem eas fuiſſe indicat Cicer. pro Rabir. Poſt. c. 10. *P. Rutilium,* inquit, *facilius certe neceſſitatis excuſatio defendet, qui cum a Mithridate Mitylenis oppreſſus eſſet, crudelitatem Regis in togatos veſtitus mutatione vitavit. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus noſtris virtutis, antiquitatis, prudentiæ, conſularis homo ſoccos habuit, & pallium.* Victor. Var. Lect. XIX. 7. Sigon. l. l. Semicirculari. Dionyſ. III. p. 195. *Toga picta fuit amictus, non, ut Lydorum, quadratus, ſed ſemicircularis.* Et aperta. Cognoſcitur hoc ex Val. Max. III. 2. 17. Scipio Naſica *lævam manum aperta toga circumdedit.* Et ex eo, quod *toga* dicebantur amiciri, & ipſa amictus, & amiculum vocabatur. Val. Max. II. 7. 9. *Juſſit, eum toga laciniis abſciſſis amictum, diſcinctaque tunica indutum nudis pedibus adeſſe.* Gel. XI. 18. *Obtentu togæ tanquam ſe amicient.* Sigon. l. l. Sed ſummi hi viri aliquid humani paſſi ſunt. Verba enim Græci ſcriptoris ſic fuerant vertenda: *Alii togam veſtimentis quadratis mutantes:* ſive, depoſita toga pallia ſumentes. Nam μεταμφιέννυμαι, & μεταμφιάζομαι eſt veſtibus exutum alias induere, ita μεταμφιάσθαι τετράγωνα ἱμάτια eſt depoſita priori veſte, id eſt, *toga,* quadratum

dictum pallium induere. Lucianus: Τὴν πορφυρίδα μεταμφιέσομαι, relicto pallio philosophico purpuram induar. Socrat. Hist. Eccles. III. 24. Οἵ τε τριβωνοφόροι τοὺς τρίβωνας ἀπετίθεντο, καὶ εἰς τὸ κοινὸν σχῆμα μετημφιέννυντο. Loquitur de Philosophis, qui extincto Juliano deposito tribone communem habitum resumpsere. Ergo μεταμφιεσάμενοι τετράγωνα ἱμάτια est mutantes togis quadratis pallia, sive quadrata vestimenta resumentes, &, ut ita dicam, mutantes rotunda quadratis, sive, ut simplicius, quadrata vestimenta induentes. Ferrar. ibid. I. I 2. Semicircularis dicta est, non quod aperta esset, sed quod orbem absolutum non faceret, ut muliebres cyclades. Tota quidem in ambitu commissa erat, & clausa, sed circulum integrum, & perfectum non efficiebat, quia laciniosa circa imas oras, non æqualiter, nec perfecte rotunda, ut in statuis togatis videre est. Dici etiam posset, quod, licet plane rotunda esset, nihilominus brachio subducta semicircularis efficeretur, ea scilicet parte, qua subducebatur. Neque ex facto Scipionis apertam fuisse dicendum est. Nam cum læva ejus pars, sive lacinia subjecto lævo brachio elevaretur, & contraheretur in sinum, ea parte aperta videbatur, quod nempe lacinia hinc inde brachio dependeret, ac veluti divideretur, & aperiretur. De eodem Paterc. II. 3. I. Scipio Nasica circumdata lævo brachio togæ lacinia in Gracchum irruit. Has ergo laciniæ partes hinc inde pendentes involvit brachio Nasica, ut eo veluti scuto uteretur, quod in repentina pugna usitatum; sive etiam, ne fusa in, ac fluens vestimentum pugnantem impediret. Ferrar. ibid. I. I. 5. Laurent. l. l. A summo ad imum integram fuisse, nulla scissura, nullis manicis credo. Si aperta fuisset, pectus nudum patuisset. Sed hoc indecorum videtur. Tunicæ enim priscis temporibus non fuerunt. Manut. Quæst. Epist. III. I. Hoc etiam omnino falsum est. Nam licet rotunda fuerit, & per imum ambitum conclusa, in superiori tamen ora ad cervices laxe patuisse necesse est, tum ut dextrum brachium exereretur, tum ut clavi in tunica equitum, & senatorum apparerent, ut in statuis togatis videre est. Plutarch. in Coriol. p. 219. F. etiam tradit, consuevisse magistratum petentes sine interiore tunica in forum opertos toga descendere, ut qui cicatrices haberent, signa fortitudinis aperirent; quod fieri minime potuisset, si per totum clausa fuisset, & cervicibus adstricta. Illud ergo potius, quod idem Manutius vidit, cum antiquissimi Romanorum nullis tunicis uterentur, solisque togis amicti incederent, nisi togæ a pectore ad ima clausæ fuissent, nihil velando pudori reliquum fuisset: idem dicendum de petitoribus, quos solis togis amictos in campum descendisse tradit Plutarchus. Et quamvis cum solas togas Romani induerent, etiam campestribus velando pudori succincti essent, id factum est, non quod toga aperta esset, sed cum sinistro brachio læva ejus pars subduceretur, ne aliquid Romano pudori deperiret. Hinc est, quod Cæsar infestis conjuratorum pugionibus petitus togæ sinum ad ima crura deduxit, quo, ut ait Suet. c. 82. n. 3. honestius caderet: quod frustra fecisset, si toga fuisset aperta. Obtendit ergo sinum, id est, lævam togæ partem brachio subductum demisit ad pedes, ne dum moribundus prolabitur, tunica, quæ tunc fere ad medium crus pertinebat, nullis etiam tunc feminalibus, aut braccis, eas partes denudaret, quæ nunquam satis obvelantur. Fuit itaque vestimentum clausum & rotundum, & quod uno injectu corpus involverit. Hoc præter rationes jam dictas evincunt antiquæ statuæ, & veteres nummi talem togæ formam oculis subjicientes. Ferrar. ibid. I. I. I. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 5. V. etiam Salmas. in Tertull. de Pall. p. 125. Ruben. de Re Vest. II. 6. De manicis cur ambigam? Nam, si tanquam lasciviæ reprehendebantur in tunica, quanto magis in toga? Præterea si manicas togæ habuissent, non manum subter togam Decius ille, qui se Latino bello pro patria devovit, ad mentum exemisset, ut ait Liv. VIII. 9. Pontifex, inquit, eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite, manu subter togam ad mentum exserta, super telum subjectum pedibus stantem sic dicere. Laz. & Manut. l. l. Crinit. de Honest. Discipl. III. 7. Antiquissimo tempore ita utrumque humerum, & brachium operiebat, ut sola manus exiret, posteriori ævo dexter cum brachio humerus exerebatur. Ferrar. ibid. II. 4. 5. Pro opibus cujusque laxior, aut angustior. Notarunt hoc interpretes Horatii ad Epist. I. 18. 29.

— tibi parvula res est,
Arcta decet sanum comitem toga.

Quare optimus contemptor Cato cum arcta toga inducitur ab eodem Epist. I. 19. 12. V. illam supr. in Barba. Has togulas vocabant. V. infr. in Togula. Justam mensuram sex ulnarum fuisse Horatii interpretes observant ad Epod. IV. 7. ubi Menam libertum carpit, quod toga sex ulnarum sacram viam metiretur. Quod si verum, non id tanquam novum, aut insolens Horatius notavisset. Nisi id in liberto non ferendum, quod ingenuos deceret. Ut ut ea res se habeat, antiquitus ad calceos usque demittebatur, ut Græci pallium, teste Quintil. XI. 3. Itaque ut scrit, qui de gestu scripserunt circa tempora illa, Plotius, Nigidiusque præceperant. Quo magis miror, pergit enim Quintilianus, Plinii secundi persuasionem, qui solitum id facere Ciceronem vel in tarum varicum gratia tradit: cum hoc amictus genus in statuis eorum quoque, qui post Ciceronem fuerunt, appareat. Quod etiam Ciceroni objicit impudentis maledicentiæ, & exhausti pudoris vir Fufius Calenus apud Dion. XLVI. p. 303. C. Quintiliani ævo non ultra medium crus fuerunt porrectæ. Ait enim ipsam togam rotundam esse debere, & apte cæsam, aliter enim multis modis fieri enormem. Pars ejus, pergit idem, prior medius cruribus apte terminatur, posterior eadem portione altius quam cinctura. Ferrar. ibid. I. I. 24. Casaub. ad Theophr. Charact. p. 239. Manut. Sigon. Laurent. l. l. Bos. ibid. c. 3. Lambin. & Crucq. ad Horatium. Masson. Horat. vit. p. III. Color qui fuerit, nemo diserte narravit: sed album fuisse videntur indicare verba Isidor. XIX. 24. Fit toga addita creta candidior. Pertinet ad hanc opinionem locus Mart. IV. 2. I.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis.
Cum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente cœlo:
Albis spectavit Horatius lacernis.

Ex eo liquet, populum universum alba veste indutum spectaculis interfuisse. Et illud ejusdem ad togam a Parthenio vate sibi donatam VIII. 28. II.

Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.

Et II. 29. 4.

Et toga non tactas vincere jussa nives.

Tertull. de Resurr. carn. c. 57. Si famulum tuum libertate mutaveris, & vestis albæ nitore, & aurei annuli honore .... honoratur. Lips. Elect. I. 13. Ruben. ibid. I. 8. Manut. & Laurent. l. l. Kipping. ibid. §. 8. Nicol. de Triumph. c. 14. §. 4. Ferrar. ibid. I. I. 21. Sed objiciunt I. Si togæ vulgo albæ, cur qui prensabant, induebantur toga candida, ut hac quasi nota intelligi, & excerni possent a reliqua plebe? Quid respondendum V. infr. in Toga candida. II. Romanos saltem per dies festos, ac sollennes albatos incessisse, præcipueque die natali. V. supr. in Natalis. Hoc vero non fuisset scriptoribus notatum, si reliquo tempore in alba veste fuissent. Expedio me ab hoc nodo, & dico non aliud fuisse in eo more, quam ut per dies privatim aut publice lætos, togas recentes sumerent, & usu nondum sordidas, aut obsoletas. Pollux: ὑπὸ νεουργῷ στολῇ νευπλυνεῖ ἐσθῆτι. Prudent. contr. Symm. I. 545.

Exsultare patres videas pulcerrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum,
Candidiore toga niveum pietatis amictum
Sumere.

Ovid. Fast. I. 79.

Vestibus intactis Tarpejas itur in arces:
Et populus festo concolor ipse suo est.

Pers,

Perf. Sat. I. 15. V. illum fupr. in *Natales*. Color ille a principio in omni *toga* niveus, luendo fordes trahebat, & fqualloiem: quod in vulgata *toga* ferebant, non terebant per dies feftos. *Ipf. ibid.* *Togas* illis diebus non novas, aut recentes induebant, qui enim hoc ab omnibus fieri potuiffet? fed lotas, & a fullone recentes. Id facile fuit etiam tenuioribus *togulæ* fordes demere, opeque fullonis eamdem interpolare priftinoque candori reddere. Nec ... tenuium modo fuit *toga* fic fæpe lotis diebus feftis ad ..., ut etiam inter munera clientibus mitterentur. Mart. x. 11. 5.

Donet . . . , rapus, amico millia quinque,
Et tantum, ut ..., terque quaterque togam.

Ferrar. ibid. 1. 1. 22. Cingulo, aut zona fubftringebatur. Macrob. Sat. II. 3. *Cæfar ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam velut mollis incederet. . . .* Sigon. l. l. Macrobii locus non vacat mendo. Quod enim ille *toga*, id *tunicæ* tribuit fcriptor gravis Suet. Jul. c. 45. n. 5. *Cultu*, inquit, *notabilem ferunt. Ufum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam fuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura.* Repône pro *toga* tunica apud Macrobium. *Manut. l. l.* *Toga*, cum utrumque brachium, aut faltem finiftrum obtegeret, totumque corpus involveret, cingi nulla alia ratione potuit, quin eadem cinctura, aut utrumque, aut faltem lævum brachium colligaretur, quod cum ad imam togæ oram contrahendam fub ipfa toga protenderetur, non nifi folutum, & vinculo expeditum id facere potuit. Deinde quo modo finus contraheretur in humerum, rejiceretur, revocaretur, fi cinctura impedimento fuiffet. Sufpicari etiam poffumus, tempore Macrobii *togæ* formam ita mutatam effe, ut ... lateribus aperta, vel fortaffe etiam additis manicis praecingeretur, ut talem veterum *togam* fuiffe Macrobius crediderit. Cæterum idem de Hortenfio loquens ait fuiffe virum mollem, *quique in præcinctu omnem decorem poneret*, mox ... ejus *togæ* ftructuram defcribit, quam de *togæ* cinctura intelligat. Aut demum exiftimes ..., veteres ... in rugarum contabulatione habuiffe, quam ... *togæ* cinctum intellexit. *Ferrar. ibid.* 1. 1. 12. *Rubeñ. l. l.* Nec Macrobius ait, Cæfarem *togam* cingulo, aliquo fubftrictam fuiffe, fed illum ita *toga* præcingi folitum, ut trahendo laciniam velut mollis incederet; fluxiore enim præcinctura utebatur: quod innuit etiam Dio XLIII. p. 235. A. *Laxam cincturam ejus ipfe Sylla notavit, qui quum neci Cæfarem deftinaffet, deprecantibus pro eo refpondit, fe quidem eum ipfis concedere, verum ipfi ab isto male præcincto puero fibi caverent.* Præcingebantur Romani in habitu ordinario *toga* ipfa, nempe balteo illo, qui fub dextro brachio ad finiftrum humerum oblique ducebatur, qui cingebat umbonem. *Ruben. l. l.* Communis geftandæ modus fuit, ut togatæ ftatuæ demonftrant, ut dextrum brachium, qua parte ad ce vices patuiffe diximus, exereretur: & ita quidem, ut antiquiffimis temporibus manus tantum ufque ad cubitum porrigeretur, poftea totum brachium, humerusque extaret. Siniftrum autem brachium non poterat per eumdem hiatum exeri, alioqui *toga* ex humeris prolapfa ad pedes decidiffet, fed fub ipfa *toga* extenfum, extremam ejus oram, quæ & lacinia dicebatur, in rugas, plicasque contractam fubducebat ad pectus læva manu extante. Quintil. XI. 3. *Siniftrum brachium eo ufque allevandum eft, ut quafi normalem illum angulum efficiat; fuper quod ora ex toga duplex æqualiter fedeat.* Ora *togæ* fubjecto brachio fubducta fpeciem normæ referebat, five regulæ, fabrilis nempe inftrumenti, ad quod omnia exigunt; *fuper quod* brachium, ait idem, *ora ex toga duplex æqualiter fedeat*, hoc eft, lacinia *togæ* velut brachio divifa, æquis partibus contineatur, nec altera longior, aut brevior deformiter cadat. *Ferrar. ibid.* 1. 1. 6. Caput quo modo *toga* involverint, & aperuerint V. fupr. in *Caput*. Quonam componere foliti fuerint V. fupr. in *Componere*. In collum conjiciebant, cum expeditiores effe vellent. De iis qui in domum Aquiliorum venerant, ut literas conjurationis deprehenderent. Plutarch. Poplic. p. 99. D. *Reverfi domum Aquilii nitebantur literas auferre. Hi vero repugnabant, & conjecta in collum toga impulfi, atque impellentes in forum pertraxerunt.* Ferrar. ibid. 1. 1. 5. Tunicæ fuperinjiciebatur. Plutarch. in Gracch. p. 833. B. *Tiberii fuga confulentis prehendit quifpiam togam. Ille toga relicta fugiens in tunica, prolapfus eft.* Bayf. & Sigon. l. l. Ferrar. ibid. II. 3. 1. Illa non nifi in publico Romanos ufos fuiffe critici veteres obfervarunt. Non. 1. 3. *Toga ficut in confuetudine habetur, veftimentum eft, quo in foro amicimur.* Et antiquiffimo quidem tempore non modo domefticum, ac forenfe veftimentum fuit, fed & diurnum, & nocturnum. Varr. apud Non. XIV. 25. fupra laudatus. Mox veftis alia domeftica, alia forenfis. V. fupr. in *Forenfia*. Erat infigne pacis. Cicer. in Pifon. c. 30. *Non dixi hanc togam, qua fum amictus, nec arma, fcutum, & gladium unius imperatoris; fed quod pacis eft infigne, & otii toga.* Bayf. & Sigon. l. l. Ferrar. ibid. 1. 1. 32. Expectatione longioris belli videntur ab Urbe ad exercitum miffæ, non quibus in acie, fed quibus in otio caftrorum uterentur. Quis enim putet, milites, cum pugnarent, impediri longa vefte voluiffe? Liv. XXII. 54. *Venufiam ad confulem ad quatuor millia peditum, equitumque, qui fparfi fuga per agros fuerant, pervenere. Eos omnes Venufini per familias benigne accipientes, curandosque cum divififfent, in fingulos equites togas, & tunicas dederunt.* XLIV. 16. *Veftimenta militibus ab Roma mittenda effe, equis CC. ferme opus effe, maxime Numidis. Sicuti, ut ea omnia ex literis confulis fierent, factum eft. C. Sulpicius prætor fex millia togarum, triginta millia tunicarum, & equos deportanda in Macedoniam, præbendaque arbitratu confulis, locavit.* *Togarum* tamen ufum in caftris infolitum fuiffe demonftrat Livius, cum ait III. 50. *Togæ multifariam in caftris vifæ, majoris aliquantum, quam erat, fpeciem urbanæ multitudinis fecerant.* Et paullo poft: *Immixti turbæ militum togati. . . .* Cicer. in Pifon. c. 23. *Togulæ lictoribus ad portam præfto fuere, quibus illi acceptis fagula rejecerunt, catervam imperatori fuo novam præbuere.* His teftimoniis fuperiora infirmantur, fic ut *togæ* videantur in caftris non fuiffe. Conciliantur vero, fi arbitremur non omnibus militibus, fed honeftioribus effe datas, ut centurionibus, & equitibus. Et hoc eft verofimile, quia Livius priore loco laudato, cum quatuor millia peditum, equitumque nominaffet, folis tamen equitibus diftributas effe oftendit. *Manut. l. l.* Antiquitus tamen in *toga* pugnarunt Romani. Plutarch. in Coriol. p. 217. C. *Fuit temporibus illis mos Romanis, ut in acie conftituti, priufquam clypeos reciperent, togasque præcingerent, teftamenta in procinctu facerent.* Bayf. & Manut. l. l. Bof. ibid. c. 8. Ferrar. ibid 1. 1. 32. V. & infr. in *Toga militaris*. Primis Urbis temporibus tam viros, quam mulieres in *toga* inceffiffe, totamque Romanam gentem vere *togatam* fuiffe veteres critici annotarunt. Varr. apud Non. XIV. 25. modo laudatus. Ex eo autem, quod *togas* in lectis haberent antiquitus, ut ait Varro, perfeveraffe in nuptiis eum morem crediderim, ut lectus *toga* fterneretur. Quod indicat Arnob. II. p. 91. *Cum in matrimonia convenitis, toga fternitis lectulos.* Serv. Æneid. I. 286. V. illum fupr. in *Ricinium*. Ferrar. ibid. 1. 1. 25. Demfter. l. l. Mox penes viros remanfit, folasque feminas, quæ fe viris vulgarent. Hæ enim ftolam deponere, ac *togam* veftire cogebantur, ut fcilicet a pudicis difcernerentur. Tibull. IV. 10. 3. V. illum fupr. in *Quafillum*. Horat. Sat. I. 2. 62.

—— quid inter-
Eft, in matrona, ancilla, peccesve togata.

Qui matronæ *togatam* opponit n. 78.

Define matronas fectarier, unde laboris
Plus haurire mali eft, quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niveos, viridesque lapillos
Sit licet hoc Cherinte tuum, tenerum eft femur, aut crus
Rectius: atque etiam melius perfæpe togatæ.

Ubi Porphyrio: *Togatæ in publicum procedere cogebantur feminæ, adulterii commiffi convictæ.* Manut. Bayf. & Demfter. l. l. Bofl. ibid. c. 4. Ferrar. ibid. 1. 1. 25: 3. 17. Voff. Inft.

Inst. Orat. i. 10. 4: iv. 7. 11. Grang. in Juven. ii. 70. Senatorum gestamen tantum esse vult Scholiast. Juven. ii. 143. Sed ex iis, quæ dicta sunt, constat & singulorum esse vestitum, & quorumlibet magistratuum. Marcian. l. 32. ff. de jure fisci. *Si accepto usu togæ Romanæ, ut cives Romani peregerint.* Prudent. Περὶ στεφαν. x. 143.

> *Fasces, secures, sella, prætexta, togæ,*
> *Lictor, tribunal, & trecenta insignia,*
> *Quibus tumetis, moxque detumescitis.*

Nec id Romæ modo antiquæ, sed & novæ Romæ, sive Byzantii factitatum. Corripp. de Laud. Justin. iv. 3.

> *Incessit lætus præclara in veste senatus,*
> *Pars trabeis, pars compta togis, ut cuique probatus*
> *Ordo locum, cultumque dabat.*

Claud. de Bell. Gildon. n. 60.

> *Cum subiit par Roma mihi, divisaque cepit*
> *Æquales aurora togas.*

Demster. l. l. Et quamvis omnium ordinum sit gestamen, tamen illa præcipue utebantur Advocati, & causarum patroni cum agerent. Quintilianus dat illam suo oratori, eamque morose usque ad rugas disponit. *Togati* etiam Augustorum, & præfectorum in antiquis inscriptionibus, quos advocatos, qui apud Augustum, vel apud præfectos causas agebant, recte docti intellexerunt. Tacit. Annal. xi. 7. 4. *Se modicos senatores, quieta Republica nulla nisi pacis emolumenta petere: cogitaret plebem, quæ toga enitesceret*, id est, quæ non nisi *toga*, mercede orandi in nomen, ac famam venire poterat. Hoc est enitescere, non autem candidiore *toga* uti. Senec. de Const. c. 9. *Ut accusatore submisso, aut criminatione falsi, aut irritatis in nos potentiorum motibus: quæque alia inter togatos latrocinia sunt.* Symmach. Epist. v. 39. *Epictetus clarissimus causidicorum togæ forensis honore privatus est.* Ferrar. ibid. i. i. 33. Juret. in Symmachum. Nerius Analect. i. 18. Demster. l. l. Imperatores sublata libertate. Nam præter Cæsarem, qui in *toga* confossus est, tradit Suet. c. 35. n. 8. Caligulam *cum die muneris, essedario Poro ob prosperam pugnam servum suum manumittenti studiosius plausum esset, ita se proripuisse e spectaculis, ut, calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret.* Domitianum *Martem togatum* appellat Mart. vi. 76. 1. Et Adrianus apud Spartianum, Antoninus Philosophus apud Capitolinum, Alexander apud Lampridium *togati* processerunt. Non tamen pura, & communi semper usos, sed aliquando purpurea, & triumphali inde apparet, quod inter reliquos honores hanc Cæsari a senatu tributum testatur Dio xliv. p. 242. B. *Primum ei datum est, ut in ipsa etiam Urbe toga triumphali indutus semper incederet.* Ferrar. ibid. i. i. 26. Salutatores, qui ave matutinum patronis, ac magnis amicis portabant, eosque in forum deducebant, ac reducebant. Suet. Aug. c. 60. n. 2. *Reges, amici, atque socii, relictis regnis non Romæ modo, sed provincias peragranti quotidiana officia, more clientum, togati præstiterunt.* Mart. x. 71. 2.

> *Mane, vel a media nocte, togatus ero.*

Et xiv. 125.

> *Si matutinos facile est tibi rumpere somnos:*
> *Attrita veniet sportula sæpe toga.*

Schol. Juven. Sat. x. 45. *In candidis togis officium facientes.* Senec. Epist. iv. *Ut famem, sitimque pellas, non est necesse superbis assidere liminibus, nec supercilium grave, & contumeliosam etiam humanitatem pati. Non est necesse maria tentare, nec sequi castra. Illa sunt, quæ togam conterunt.* Hoc officium diutissime Romæ duravit, etiam postquam imperium Byzantium translatum. Nam circa Urbis præfectos *togati* officium præstabant. Ammian. xv. 7. *Illuc de industria pergens præfectus ab omni toga, apparitioneque rogabatur enixius, ne in multitudinem se arrogantem immitteret, & minacem.* Ferrar. ibid. i. i. 33. Boss. ibid. c. 7. Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 2. Pollet. For. Rom. i. 10. Casaub. & Salmas. ad Spartian. Adrian. c. 3. Claude de Salutat. c. 7. Licet vestimentum forense fuerit, conviviis tamen adhibebatur maxime publicis, ac sollemnioribus. Vatinium reprehendit Cicer. c. 12. & 13. *quod in epulo Q. Arrii cum toga pulla accubuerit, cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset.* Sallustius etiam apud Macrob. Sat. ii. 9. Metelli luxum in Hispania carpens inter cætera ait: *togam pictam plerumque amiculo fuisse accumbenti.* Spartian. Adrian. c. 22. *Adrianus ad convivium venientes senatores stans excepit: semperque aut pallio tectus discubuit, aut toga subinde.* Ferrar. ibid. i. i. 29. Et in *toga* esse ebantur Romani. V. supr. in *Candor.* *Togam* deponebant in deprecatione. Cicer. Attic. iv. 2. *abjecta toga se ad soceri pedes abjecit.* Si non ponebant, saltem humeris dejiciebant. Suet. Aug. c. 52. n. 3. *Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est.* In luctu: *togis* enim positis sumebant saga militaria. Cicer. Phil. xiv. 1. *Brutum ego jam Mutinæ cognoscam, propter cujus periculum ad saga issemus.* viii. 11. *Patres togati esse solent, cum in sagis est civitas.* Ferrar. ibid. i. i. 27. In Saturnalibus per quinque dies, & utebantur synthesibus Mart. xiv. 141.

> *Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,*
> *Hos poteris cultus sumere jure tuo.*

Quanto autem vitio daretur uti *toga* Saturnaliorum tempore, argumento sit illud ejusdem Mart. vi. 24. 1.

> *Nil lascivius est Charisiano,*
> *Saturnalibus ambulat togatus.*

Bayf. ibid. c. 10. Boss. ibid. c. 6. Deponere cogebantur, quibus aqua & igni interdicebatur. Plin. Epist. iv. 11. 3. *Idem cum Græco pallio amictus intrasset; carent enim togæ jure, quibus aqua & igni interdictum est.* Boss. ibid. c. 5. Cum libertate exuta est a Romanis. Hoc indicat Suet. Augst. c. 40. n. 10. *Etiam habitum, vestitumque pristinum reducere studuit: ac visa quondam pro concione pullatorum turba indignabundus clamitans: En, ait,*

> *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.*

Negotium ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circove, nisi positis lacernis togatum consistere. Quæ satis declarant, sub Augusto pæne desuetam *togam*, & in earum loca lacernas successisse, si excipias quædam clientum salutatorum, & oratorum, sive advocatorum; de quibus supra. *Ferrar. ibid.* i. i. 33. Et tamen satis illis suo Imperatoribus non omnino depositam docet Senec. Epist. xviii. *Si te hic haberem, libenter conferrem, quid existimares esse faciendum: utrum nihil ex quotidiana consuetudine movendum: anne dissidere videremur cum publicis moribus, & hilarius cœnandum, & exuendam togam.* Igitur extra Saturnalia in aliquo usu erat, quum Seneca quærit, an exui oporteat Saturnalibus. cxv. *Minus quidem non debes corrupta excipi non tantum a corona sordidiore, sed ab hac turba quoque cultiore. Togis enim inter se isti, non judiciis distabant.* In ludis etiam perseveravit. Lamprid. in Commod. c. 16. *Et contra consuetudinem pænulatos jussit spectatores, non togatos, ad munus convenire.* Mart. xiii. 98.

> *Delicium parvo donabis Dorcada nato:*
> *Jactatis solet hanc mittere turba togis.*

Ovid. Amor. iii. 2. 73.

> *Favimus ignavo, sed eum revocate Quirites,*
> *Et date jactatis undique signa togis.*
> *Et revocant: at ne turbet toga mota capillos,*
> *In nostros abdas te licet usque sinus.*

In circo enim jactatis *togis* ignavi agitatores revocabantur. *Ferrar. ibid.* i. i. 34. *Anal. de Re Vest. c. 16.*

Toga arcta erat restricta, strictius adsuta, sine ruga. Suet. Aug. c. 73. n. 3. *Usus est togis, neque restrictis, neque fusis.* Hieron. ad Demetriadem. *Fuge lascivias puellarum, quæ adstrictas habent manicas, sine ruga.* Sidon. Epist. iv. 13. *Enimvero vestis adstricta. . . .* Savar. in Sidonium. Erat tenuiorum. Horat. Epist. i. 18. 29.

> *Stultitiam patiuntur opes, tibi parvula res est,*
> *Arcta decet sanum comitem toga.*

Unde Cato contemptor opum exigua toga inducitur ab eodem Epist. I. 19. 13.

Exiguæque togæ simulet textore Catonem.

Et ea non est usus Augustus. *Pitisc. in Suetonium.*

Toga candida dicebatur, qua induebantur petitores magistratuum. Plin. VII. 17. *In toga candida bis repulsi notatus a populo* Macrob. Sat. I. 16. *Mos fuit petitoribus, ut sumpta candida toga in nundinis in comitium venirent, & in colle considerent, unde coram possent ab omnibus videri.* Sigon. de Judic. II. 30. Torrig. in Inscript. Urs. Togat. c. 2. Prevot. de Magistrat. Romn. c. 2. Laz. Commeat. Reip. Romn VIII. 5. Rosin. Antiq. Rom. V. 32. *Togæ* vulgo candidæ dicebantur, non candidi. Albus color nativus lanæ est: candidus proprie splendens ille, & qui est ab arte. Ideo Polybius λαμπρὰν dicere maluit petitorum *togam*, quam λευκὴν: & Latine commode eam dixerimus splendentem. Seneca: *Non splendeat toga, nec sordeat quidem.* Spernit enim a sapiente hunc colorem eximie candentem. In candido splendor est, qui non est in albo: itaque candidam nivem proprie dicimus, pallorem album, non candidum. Petitores non contenti nativo lanæ colore, sed addebant cretam, V. supr. in *Creta*, in vestem ut candesceret, imo splenderet. Et hac nota discreti a vulgo, & κατ' ἐξοχὴν dicti candidati. Isidorus laudatus in *Toga*. Liv. IV. 25. *Placet tollendæ ambitionis causa tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum addere petitionis causa liceret.* Lips. Elect. I. 13. Manut. Quæs. Epist. III. 1. Ferrar. de Re Vest. I. 1. 21. Sigon. de Judic. III. 18. Boss. de Toga c. 13.

Toga Capitolina. V. illam infr. in *Toga palmata.*

Toga communis. V. illam in *Toga pura.*

Toga consularis. V. illam infr. in *Toga palmata.*

Toga domestica, qua scilicet domi utebantur. Suet. Aug. c. 73. n. 3. *Veste non temere alia, quam domestica usus est, ab uxore, & sorore, filiaque, & neptibus confecta.* Vitell. c. 8. n. 2. *Ita ut erat in veste domestica, Imperator est consalutatus.* Erat vilior, & minus splendens. Senec. de Tranq. c. 1. *Placet vestis domestica, & vilis, nec servanda, nec sumenda sollicite.* Herodian. VIII. 8. 13. *Senem utrumque corripiunt, laceratisque vestibus quas gerebant, vilioribus sane, utpote domi se continentium, nudos ipsos ex aula abstrahunt.* In hac numerabantur & cœnatoriæ, sive accubitoriæ, quas syntheses nuncupabant. *Bayf. de Re vest. c. 12. Ferrar. de Re vest.* I. 1. 28. *Demster. Paral. in Antiq. Rosin.* V. 32. *Pitisc. in Suetonii Vitellium.*

Toga forensis. V. illam supr. in *Forensia.*

Toga fusa erat rugosa, laxa, multis sinibus implicata. Tib. I. 7. 46.

Effluit effuso cui toga laxa sinu.

I. 9. 70.

Me miserum, laxam quid juvat esse togam.

Suetonius laudatus supr. in *Togæ arcta.* Hæc erat mollium. Et ea non est usus Augustus. *Turneb. Adv.* XVI. 4. *Ferrar. de Re vest.* I. 1. 6. *Pitisc. in Suetonium.*

Toga imperatoria. V. illam supr. in *Paludamentum.*

Toga libera vocabatur, quia *toga* pura initium quoddam libertatis erat, cum antea custodirentur a pædagogis, e quorum magisterio exibant, & purpuræ custodiam exibant. Pers. Sat. V. 30.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit.

Manut. Quæs. Epist. III. 1. Ferrar. de Re vest. I. 2. 1. Masson Ovid. vit. p. 28. Rosin. Antiq. Roman. V. 32. & in Paralipomenis ad illum Demsterus. Turneb. Adv. XX. 1: XXIII. 6. Hoc est, quando primum posui purpuram, sive togam prætextam, quæ puero mihi, & in tenera illa ætate versanti pro custode fuit. Antiquissimum Romanorum institutum fuit, ut pueri ad pubertatem usque *toga* munirentur purpura prætexta. V. supr. in *Prætexta.* Hanc pueris attributam dicit Persius *custodem pavidis*: est enim illa ætas obnoxia vi alienæ, maxime τῶν παιδομανέντων, quorum flagitia præcipue timebantur, ut Græci, Latinique passim testantur. Ideo apponi solitus lateri puerorum pædagogus. Eandem ob causam dabatur & custos alter, purpura nempe. Ea vestis sacra habebatur, & dicebatur. Et qui purpura utebantur, eo ipso nomine venerabiles, & sancti habebantur: ut si quis contumeliæ, vel injuriæ causa purpura insignitos attrectasset, non hominum tantum, sed & deorum jura violasse intelligeretur. Quintil. Declam. 340. *Ego vobis allego etiam illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus: quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem.* Casaub. in Persium.

Toga militaris, ut arbitror, appellabatur illa, qua in castris induebantur milites, quod antiquissima Republica factitatum censeo. Nam florente Urbe sagatos notissimum est, id est, milites *togatis*, id est, urbicis civibus oppositos, quare & *togam* pro pace passim usurpant scriptores, quod nunquam fecissent promiscuo *togæ* usu in castris recepto: prioribus id nihilominus invaluisse temporibus conjicere licet ex Festo: *Endo procinctu, in procinctu: significat autem, cum ex castris in prælium exitum est, procinctos, quasi præcinctos, atque expeditos, nam apud antiquos togis incincti pugnasse dicuntur.* Vestigia quædam hujus revocata ab Antonino Philosopho apud Capitolin. c. 27. *Per Brundisium veniens in Italiam, togam & ipse sumpsit, & milites togatos esse jussit.* Sequitur deinde dignissimum observatione: *nec unquam sagati milites sub eo fuerunt.* Claud. Honor. Consul. IV. 9.

Lictori cedunt aquilæ, ridetque togatus
Miles.

Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 32. Laz. Comment. Reip. Roman. VIII. 3.

Toga nivea est obsoleta, detrita, tenuis, in qua vellere attrito, & deflocato, filorum textura apparebat. Mart. IV. 34. 1.

Sordida cum tibi sit, verum tamen, Attale, dicit,
Quisquis te niveam dicit habere togam.

IX. 50. 7.

Nunc anus, & tremulo vix accipienda tribuli,
Quam possis niveam dicere jure tuo.

Festo dicuntur *decotes*, sive *decutes*, *detritæ*, quod essent sine flocco, & quasi sine cute. *Lips. Elect.* I. 13. *Ferrar. de Re vest.* I. 1. 17.

Togæ palmata dicta Mart. VII. 2. 7.

I comes, & magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

dicitur *vestis palmata* Suet. Claud. c. 17. n. 5. *Crassus Frugi in veste palmata.* Val. Max. IX. 1. 5. *Quid sibi voluit Metellus Pius, cum palmata veste convivia celebrabat. tunica palmata* frequentius. Serv. Æneid. XI. 334. & Isidor. XIX. 24. dicitur, *quod illam meruerint, qui reportassent de hostibus palmam.* Unde Sidon. Carm. V. n. 5.

Post palmam palmata venit.

Potius a genere picturæ, hoc est, a palmis. Festus in Picta: *Tunica palmata* dicebatur *a latitudine clavorum, quæ nunc a genere picturæ appellatur.* Licet & talis postea diceretur, quanquam aliis figuris distincta esset. Dicebatur & picta, quod acu distincta erat, & Capitolina, quod talis Jovis erat in Capitolio, in Capitolio servabatur, & inde, cum opus foret, depromebatur. Vopisc. in Prob. c. 7. *Te manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata.* Capitolinus mox laudandus. Erat triumphantium, & consulum, & prætorum. Consulum quidem, quoties magistratum inirent ipsis Kalendis Januariis, idque sub Imperatoribus. Nam libera civitate in sola prætexta fuerunt. Quando id cœperit non ita certum. Virgilius per prolepsin fortasse ætatem suam respexit, Æneid. VII. 612. V. illum supr. in *Cinctus Gabinus.* Ex quo discimus, non tantum Kalendis Januariis consules in *toga* picta fuisse, sed etiam cum Jani templum reserarent saltem in trabea. Præterea Gabino ritu succinctos fuisse. Herodianus indicat in usu fuisse sub Commodo. Nam ubi celebritatem Kalendarum Januarii percenset, inter reliqua ait I. 16. 7. Ἀρχάς τε ἐπωνύμους, *consules primum honoratam, ac sollennem,*

vem, five, ut Symmach. Epift. IX. 116. loquitur, *anna lem purpuram induunt.* Confules ἐπώνυμοι, quod nempe anno nomen darent. Clarius veftigium fub Alexandro Severo, de quo Lamprid. c. 40. *Prætextam, & pictam togam nunquam nifi conful accepit: & eam quidem, quam de Jovis templo fumptam alii quoque accipiebant, aut prætores, aut confules.* Capitol. Gordian. c. 4. *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus fuam propriam habuit, cum ante Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.* Aufon. Eidyll. IV. 91.

Ut præfecturam duplicem, fellamque curulem,
Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia; conful
Induerer, faftisque meis prælatus haberer.

Et Grat. act. p. 245. *In procinctu, & maxime dimicaturus palmatæ veftis meæ ornamenta difponis, feliciter, & bono omine. Namque ifte habitus in pace confulis eft, fic in victoria triumphantis.* Paullo poft *pictam* appellat, id eft, phrygionis opere elaboratam: *Hæc plane, hæc eft picta, ut dicitur, veftis, non magis auro fuo quam tuis verbis.* In extrema oratione *trabeam* vocat: *Ut trabeam non magis auro fuo, quam munere tuo fplendidam.* Prætorum fuit, quoties ludos ederent. *Aulæum* eleganter appellat Juven. Sat. X. 38.

In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

Vetus interpres: *In tunica Jovis mappam mittentem in circo confulem defcribit poeta. Nam tunicam Jovis togam palmatam dicit, Tyria purpura confectam, hoc eft, Sarrana. Tunicam palmatam dicit Jovis,* quod nempe eadem Jovis fimulacrum in Capitolio indutum fuerit. Ita apud Tacit. Annal. I. 15. 3. tribunis celebraturis ludos Auguftales *triumphali vefte uti* permiffum. Et quoties facra facerent. Appian. Bell. civ. I. p. 382. *Afellio prætor facrificans facram, atque auro intextam veftem ut in facris indutus.* Ferrar. de Re veft. I. 2. 8. Anal. c. 19. & 28. Demfter. Paral. ad Rofin. Antiq. V. 32: X. 29. Petav. in Themift. Orat. XI. p. 622. Manut. Quæf. Epift. III. 1. Boff. de Toga c. 16. Sigon. de Judic. III. 18. Turrig. ad Infcript. Urf. Togat. § 2. Faber. ad tit. II. de Orig. jur. p. 182. & Semeftr. I. 3. Laurent. de Re veft. c. 1. lit. T. Lycklama de Magiftrat. c. 7. Nicol. de Triumph. c. 19. § 2. Quæfitum eft, utrum hæ figuræ in palmata texerentur, an acu tantum pingerentur. Utrumque factum effe apparet. Quod acu variarentur a phrygione, docet Plin. VIII. 48. *Pictas veftes jam apud Homerum fuiffe, unde triumphales natæ. Acu facere id Phryges invenerunt.* Quod texerentur, Feftus tunicam palmatam, quæ ut & *toga*, picta erat, a genere picturæ dictam notat, *quod palmas intextas haberet.* Et Aufon. l. l. *Palmatam, inquis, tibi mifi, in qua D. Conftantius parens nofter intextus eft.* Ferrar. & Manut. l. l.

Toga pexa contraria rafæ ad arcendum frigus hyemali tempore erat villofa, in qua ob villorum denfitatem, nec ftamen, nec trama appareret. Propterea *pexis vobis*, inquit Probus, *juvenes pexæ barbæ vocitatos, & denfæ.* Haud diffimilis fuit veftibus iftis, quas nunc vulgus *cotonnatas*, & *frifatas* vocat. De illa non fine fale, ac cavillo Mart. II. 44. 1.

Emi feu puerum, togamve pexam

58. 1.

Pexatus pulcre rides mea, Zoile, trita,
Sunt hæc trita quidem, Zoile, fed mea funt.

VII. 45. 5.

Divitibus poteris mufas, elegosque fonantes
Mittere: pauperibus munera pexa dato.

Unde in tela aranearum villofam quandam, & lanuginofam filorum naturam, quæ in rara earum natura non perinde apparet, *pexitatem telæ* vocat Plin. XI. 24. *Turneb. Adv.* V. 14. *Ferrar. de Re veft.* I. I. 17. *Boff. de Toga* c. 17.

Toga Phrygiana fuit veftimenti genus diftinctum filis aureis, & variis mæandris retortum, quale defcribitur a Virg. Æneid. IX. 614.

Pictus acu chlamydem, & fulgenti murice veftis.

Plin. VIII. 48. *Togas rafas, Phryxianasque Divi Augufti temporibus cœpiffe fcribit Feneftella.* Popm. in Varr. de Ling. Lat. IV. 23. [illegible] apud Plinium *Phrygianas.* [illegible] fcripturæ auctorem laudare poffum Guilielmum Pellicerium Montis Peffulani Epifcopum, & [illegible] libros veteres [illegible], fed & Senecam teftem producere, qui ita fcribit de Benef. I. 3. *[illegible]* [illegible] Phrygianæ veftes, quas [illegible] XXIV. 19. Cujus opinio mihi magis placet, quam Popmæ. Nam Phrygianas fuiffe togas communes indicat [illegible], cum eas rafis veiati opponat, & in ufu effe cœpiffe [illegible] poiteris Augufti, cum tot fæculis ante togæ pictæ, & phrygionis opere elaboratæ in ufu effent. *Ferrar. de Re veft.* I. 2. 11. *Becman. de Orig. p.* 1028. [illegible] de pictis hic [illegible] Cotæ, & Belgæ. *Lipf. in Senecam*, [illegible] *Harduin. in Plinium.*

Toga picta fuit veftis Etrufca, purpurei coloris, auro diftincta, [illegible]. [illegible] Tufcæ populis [illegible] Romam tranftulit. Flor. I. 5. 6. *Inde togæ pictæ, tunicæque palmatæ, [illegible], quibus imperii dignitas eminet, fumpta funt.* At Macrob. Sat. I. 6. non hoc Prifco tribuit, fed Tullo Hoftilio. Dionyf. III. p. 196. in Prifco confentit. Plin. IX. 39. de Tullo potius videtur [illegible]. [illegible] Etrufcis, prætexta, & [illegible] clavo primum e Regibus ufum effe demonftrat. Quod fi verum eft, veniffe in Urbem eodem tempore cum prætexta, & lato clavo togam pictam [illegible] exiftimare. Romulo, fed ut poeta, hiftoriæ rationem non habens, tribuit Prop. IV. 4. 53. Apud eum Tarpeja virgo Tatium Sabinorum Regem fic alloquitur.

Te toga picta decet: [illegible] honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Manut. Quæf. Epift. III. 1. Cafal. de Urb. ac Imper. Roman. fplend. part. 2. c. 8. Prevot. de Magiftrat. Roman. c. 2. Laurent. de Re veft. c. 1. lit. T. [illegible] Antiq. Rom. V. 32. Purpurea fuit [illegible], de [illegible] acu picta. Feftus: *Picta toga quæ [illegible] purpurea ante vocitata eft, eaque erat fine pictura: ejus rei argumento eft pictura in æde Vertumni, & Confi, [illegible] Fulvius Flaccus, in altera L. Papirius Curfor [illegible] ita picti funt.* Antiquitas igitur tantum [illegible], purpurea fuit, poft picta in ufum venit: de qua Plin. VIII. 48. V. illum fupr. in *Toga palmata.* Nec aliud fuiffe pictam docti obfervant, quam acu elaboratam, figurisque Phrygio opere diftinctam, [illegible]. Et picta vocata fuit, quod in ea variæ figuræ [illegible] ingererentur, ut ea fpecies ad picturæ fimilitudinem accederet. Figuræ autem illæ auro, non ferico fiebant. Quid enim nifi pictam togam [illegible] IX. 36. *Purpuram triumphalem [illegible]* [illegible] L. *Paullus Æmilius purpurea [illegible]*. Quod planiffime Liv. XLV. 40. *Victor Paullus auro, purpuraque fulgens.* Ratio accedit. Quid enim [illegible] mifceri, præter aurum, decuit? in ea [illegible] vefte, quam ferret is, qui triumphans, Jovis habitu, aureo curru quadrijugo, per Urbem, pompa præeunte veheretur: quo nihil auguftius excogitari potuit. *Ferrar. & Manut. l. l. Sigon. de Judic.* III. 18. *Turrig. in Infcript. Urf. Tog. c.* 2. *Boff. de Toga c.* 16. *Demfter. Paral. ad Rofin. Antiq.* V. 32. *Norif. Epift. Conful. Thef. Antiq. Rom. Grav. Tom.* XI. p. 485. *A. Faber ad tit.* II. *de Orig. jur. p.* 181. *Petav. in Themift. Orat.* XI. *p.* 622. Triumphantibus eam folitam fi quis in dubio poneret, ratus ea, quæ diximus, non fatis ad probandum valere, adhibebo teftem Liv. XXX. 15. *Scipio*, inquit, *Mafiniffam primum Regem appellatum aurea corona, aurea patera, fella curuli, & fcipione eburneo, toga picta,*

picta, & tunica palmata donat. *Addit verbis honorem: neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem ornatum eſſe.* Ovid. Faſt. VI. 363.

> *Vidimus ornatos ærata per atria picta*
> *Veſte triumphales occubuiſſe ſenes.*

Manut. l. l. Nicol. de Triumph. c. 19. §. 1. Eadem quæ palmata, de qua ſupra.

Toga pinguis vocabatur craſſiori filo compacta, & adverſus frigoris injuriam apta. Suet. Aug. c. 82. n. 1. *Hyeme quaternis cum pingui toga tunicis muniebatur.* Horat. Sat. I. 3. 14.

> —— *& toga, quæ defendere frigus,*
> *Quamvis craſſa, queat.*

Ferrar. de Re veſt. I. 1. 17. Turrig. in Inſcript. Urſ. Togat. c. 2. Faber Semeſt. I. 1. 16. Donat. & Pitiſc. in Suetonium.

Toga præſidiaria dicebatur, quam Imperator geſtaret, cum muneribus præſideret. Spartian. Sever. c. 1. *Quum rogatus ad cœnam imperatoriam palliatus veniſſet, qui togatus venire debuerat, togam præſidiariam ipſius Imperatoris accepit.* Rhodig. Ant. Lect. XVI. 10. Boſſ. de Toga c. 18. Caſaub. in Spartianum. Sed quid peculiare illa habuit? ſane nihil. Cur autem mutaret eam Imperator diſcubiturus, vel cur potius præſidiaria diceretur, quam forenſis, aut ſenatoria. Præſidiaria eſt imperatoria, quod Imperatores præſides dicerentur, jam inde ab Auguſto. Plin. VII. 16. *Auguſtum præſidem vocat.* Quare verba illa, *ipſius Imperatoris* ex gloſſa irrepſiſſe crediderim. *Ferrar. de Re veſt. I. 1. 30. Epiſt. ad Gronov. ibid. c. 39. Gronov. Epiſt. ad Rhodium apud Ferrar. ibid. c. 39. Laz. Comment. Reip. Roman.* VIII. 3.

Toga prætexta. V. illam ſupr. in *Prætexta.*

Toga pulla fuit atri coloris, & omnino nigra. Hanc adhibebant in luctu, &, modo epulum exceperis, in omni funebri pompa. Juven. Sat. III. 212.

> *Si magna Aſturici cecidit domus: horrida mater,*
> *Pullati proceres, differt vadimonia prætor.*

Ubi *pullati* ſunt atrati, & veſtes lugubres induti. Si quis plura videre deſiderat, legat Ciceronis orationes in Verrem; in illis etenim non ſemel, aut iterum, ſed ſæpe, ac ſæpius de re iſta fit mentio. Auguſtus apud Suet. c. 44. n. 5. *ſanxit, ne quis pullatorum media cavea ſederet*, cum lautiores in ſpectaculis *toga* alba, & tenuiores, quibus mutandæ veſtis copia non erat, pullam geſtarent, hos ab illis ſecernere voluit. Ad quod edictum forte reſpexit Calpurn. Ecl. VII. 26. V. illum ſupr. in *Feminæ.* Quare vulgus a Quintil. VI. 5. *pullata turba.* XI. 3. *pullatus circulus* dicitur. Et *paupertas pulla* vocatur a Calpurn. n. 79.

> *O utinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet!*
> *Vidiſſem propius mea numina: ſed mihi ſordes,*
> *Pullaque paupertas, & adunco fibula morſu*
> *Obſuerunt.*

Itaque *toga* pulla promiſcue omnium fuit in luctu, & in ſpectaculis eorum ſolum, qui rei familiaris adeo angebantur difficultate, ut non haberent, unde poſſent *togam* pro re nata commutare. *Boſſ. de Toga c. 5. Sigon. de Judic.* III. 18. *Turrig. in Inſcript. Urſ. Togat. §. 2. Rævard. Conject.* I. 10. *Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 8. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 2. Laurent. de Re veſt. c. 1. lit. T. Demſter. Paralip. ad Antiq. Roſin.* IV. 9: V. 39. *Laz. Comment. Reip. Roman.* VIII. 3.

Toga pura vocabatur virilis, quod ei nulla purpura eſſet prætexta. Cicer. Attic. IX. 19. *Ego meo Ciceroni Arpini potiſſimum togam puram dedi.* Plutarch. Anton. p. 949. C. ἀπόρφυρος & τέλειος vocatur. *Juſtam, & ſine purpura veſtem Antyllo ſuo ex Fulvia filio imponens.* Bayf. de Re veſt. c. 10. Manut. Quæſ. Epiſt. III. 1. Ferrar. de Re veſt. I. 2. 1. Calcagn. Quæſ. Epiſt. III. 1. Boſſ. de Toga c. 12. Ræfard. de Div. reg. jur. 11. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 8. Prevot. de Magiſtrat. Rom. c. 2. Laurent. de Re veſt. c. 1. lit. T. Junius in Tertull. de Idolol. c. 16. Demſter. Paralip. ad Antiq. Roſin. V. 32. Laz. Comment. Reip. Roman. VIII. 3. Gudius in Phædr. III. 10. 10. Sigon. de Judic. III. 18. Quo anno ætatis fuerit data V. ſupr. in *Prætexta.*

Toga rara dicebatur, quæ raro geſtabatur. Mart. X. 47. 5.

> *Lis nunquam, toga rara, mens quieta.*

Turrig. ad Inſcript. Urſ. togat. §. 2. Qui optat *togam* raram, ne cogatur bene mane togatus circumvolitare limina potentiorum, ſalutationis defuncturus officio. Nec tanti putat ſportulam illam, quæ cuique in dies ſingulos dabatur, centum ſcilicet quadrantes. *Bayf. de Re veſt. c. 9. Rader. in Martialem.* Domi enim Romani commorantes *togam* deponebant, & viliori veſte utebantur. *Bayf. ibid. c.* 12.

Toga raſa vocatur recens, ſine villis, qualis ut plurimum ſerica, quæ ſine villis, & minime pexa. Juven. Sat. II. 97.

> *Cærulea indutus ſcutulata, aut galbina raſa.*

Raſæ meminit, eamque ætati aptiorem fuiſſe indicat. Mart. II. 85. 1.

> *Vimine clauſa levi niveæ cuſtodia coctæ,*
> *Hoc tibi Saturni tempore munus erit.*
> *Dona quod æſtatis miſi tibi menſe Decembri,*
> *Si quereris; raſam tu mihi mitte togam.*

qui *levem* videtur appellare VII. 85. 5.

> *Sed cauſam ſcio; nulla venit a me*
> *Argenti tibi libra puſtulati,*
> *Nec levis toga, nec rudes lacernæ.*

Niſi tenui filo intelligat, & ideo pretioſam. Nam & ab ipſa lana, & a textura *togæ* aliæ aliis pretioſiores fuerunt. Ovid. Art. III. 445.

> *Nec toga decipiat filo tenuiſſima.*

Plinius. V. illum ſupr. in *Toga Phrygiana.* Ferrar. de Re veſt. I. 1. 17. Boſſ. de Toga c. 17. Becman. de Origin. p. 1028.

Toga recta vocabatur virilis. Hoc cognoſcimus ex Feſto in Rectæ, & Regillæ. *Manut. Quæſ. Epiſt.* III. 1. V. illum ſupr. in *Regula.*

Toga regia erat ex lana, auro & purpura intexta. Vere itaque Plin. VIII. 48. *Lanam cum colo, & fuſo Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata eſt, in templo M. Anci duraſſe, prodente ſe, auctor eſt M. Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Ser. Tullius fuerat uſus.* Quæ ſic ob eam cauſam, ut arbitror, dicebatur, quod ea Reges præcipue uterentur. Quanquam a Livio, quod videre licet decade III. & IV. inter inſignia triumphantis numeratur. *Boſſ. de Toga c. 18. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 2.* V. & infr. in *Veſtis regia.*

Toga ſordida differebat a pulla colore, & uſu: non enim erat atri coloris, ſed albi; verumtamen erat ſordidior, & obſoleta, & longo uſu detrita, qua nec utebantur in luctu, ſed tantum vulgares viri, ſeu tenuiores, rei, & affines reorum: tunc dicebantur *mutare veſtem.* Laurent. de Re veſt. c. 1. lit. T. Roſin. Antiq. Rom. V. 32.

Toga ſubmiſſa dicebatur, quæ nullos facit ſinus. Spartian. Adrian. c. 22. *Semper aut pallio tectus diſcubuit, aut toga ſubmiſſa.* Caſaub. in Spartianum. Non eſt, nam demiſſa id eſſet; ſed ſub brachium miſſa. Qui enim ad cœnandum accumbunt, neceſſario brachio dextro exerto eſſe debent, quod faciebant ſcilicet, *toga* ſub dextrum brachium miſſa, & in lævum humerum congeſta. *Salmaſ. in Spartianum.* Hoc recte ſe haberet, ſi verum eſſet, in publico utrumque humerum *toga* obvolutum fuiſſe. Quod ut de antiquiſſimis temporibus non negarim, ita poſteriori ævo fuiſſe in uſu negant ſtatuæ fere omnes togatæ, quas videre potui, negant veteres nummi, qui dextrum cum humero brachium exertum oſtendunt. Negat Quintil. XI. 3. *Sinus qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur velut balteus, nec ſtrangulet, nec fluat.* Non magis ergo in conviviis, quam in publico, ſubmiſſa *toga* fuiſſet, utrobique enim ſub dextrum brachium miſſa, & in lævum humerum recurrens. Quare ſubmiſſam *togam* nihil aliud,

aliud, quam demiſſam fuiſſe crediderim. Nam cum ante ita *toga* geſtaretur, ut exerto brachio dextro, ſiniſtro vero *togæ* ſubjecto lacinia ejusdem ſubduceretur, & contraheretur in rugas: ſiniſtrum brachium hoc modo *togæ* congeſtu oneratum nulli uſui in convivio eſſe poterat. Quare qui *togati* accumbebant, ſubmittebant *togam*, hoc eſt, partem ſiniſtro brachio contractam defluere ad pedes patiebantur, tum ipſum brachium, quod ſinui, ac regis ſuſtentandis occupabatur per ſuperiorem *togæ* oram, ut & dextrum exerebant, ita ut *toga* utrique brachio ſubjecta, & demiſſa, & ſubmiſſa dici poſſet. *Ferrar. de Re veſt.* I. I. 29. *Gronov. Epiſt. ad Rhodium apud Ferrar. ibid.* I. I. 39. §. 13. Certe, ut *ſubmiſſam* ſub brachium miſſam intelligamus proprietas vocis vetat, nemo enim *ſubmittere* ſimpliciter, pro ſub brachium mittere dixit, ſed *ſubmittere* eſt demittere, ut *ſubmittere* vultum, *ſubmittere* crinem. *Gronov. l. l.*

Toga triumphalis. V. illam ſupr. in *Toga palmata*, & infr. in *Veſtis regia*.

Toga virilis initium virilis ætatis indicabat, propterea virilis etiam dicebatur. Suet. Aug. c. 8. n. I. *Duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit: quadriennio poſt virili toga ſumpta militaribus donis triumpho C. Cæſaris Africano donatus eſt.* Senec. Epiſt. 2. *Tenes utique memoria, quantum ſenſeris gaudium, cum prætexta poſita ſumpſiſti virilem togam.* Ea fuit colore, vel ſimplici, vel candido, aut in candoris animi teſtimonium, aut quod gerendis magiſtratibus jam idonea ætas videretur. *Calcagn. Quæſ. Epiſt.* III. I. Prætexta depoſita ſumebant eam anno ætatis decimo quarto. Nicolaus Damaſcenus: *Inde annos circiter quatuordecim natus in forum deſcendit, poſita prætexta, togam puram indutus, quod virilis tyrocinii argumentum eſt.* Suetonius modo laudatus: *Decimum annum agens.* . . . Ita ſcribendum pro *duodecimum.* Maxime enim probabile eſt, Nicolaum Auguſti coætaneum & amicum ſummum in his tradendis fuiſſe exactiſſimum. *Valeſ. in Damaſcenum. Græv. in Suetonium.* Imo expleto, & quinto decimo incepto. Tertull. de Anima. *Jura civilia abhinc*, i. e. ab anno XIV. *agendis rebus attemperant.* Velan. virgin. c. II. *Ethnici feminas quidem a* XII. *annis, maſculos vero a duobus amplius ad negotia mittunt.* Hoc autem aliud eſt nihil quam virilem togam dare: nam prætexta indutis ne prodire quidem licebat in forum, magiſtro ſemper adhærentibus. Virili accepta, privata ſimul ac publica ſuſcipere. Vetus Horatii interpres indicatum id voluit, dum ſcribit: *Nobiles pueros prætexta veſte ſub diſciplina uſque ad annum decimum quintum uſos.* Scilicet quia tunc *toga* eam mutabant virili. Et *togam virilem maturatam Neroni* dicit Tacit. Annal. XII. 41. I. quia illam cepit ineunte anno XIV. *Lipſ. in Tacitum. Kipping. Antiq. Roman.* IV. 5. 10. Oſtendit etiam interpres Juvenalis nondum editus Bibliothecæ Ambroſianæ, cujus verba ſunt: *Prætexta genus erat togæ, qua utebantur pueri uſque ad quintum decimum annum: deinde togam virilem accipiebant, unde in vita S. Germani legitur, ceſſit prætexta togæ.* Ferrar. de Re veſt. I. 2. I. Rævard. de Div. reg. jur. II. Pagi Critic. Hiſtor-Chronol. in Baron. Annal. ad an. D. Jeſu 175. §. 4. Mihi ſtat ſententia pæne certa, adoleſcentes florente Republica, ac ſub prioribus Cæſaribus, expleto decimo quinto ætatis anno, ac decimo ſexto inito, virilem *togam* induiſſe. Cicer. ad Attic. I. 2. ſcribit ſibi filium natum fuiſſe a. U. C. 690. *L. Julio Cæſare, C. Marcio Figulo coſſ. Togam* eidem dedit initio belli civilis L. Corn. Lentulo, & C. Claud. Marcellin. Coſſ. a. U. C. 705. quo juvenis Cicero annum XV. explevit. Ipſe pater natus eſt Q. Servilio Cæpione & C. Lælio coſſ. a. U. C. 648. Cicer. in Brut. c. 43. III. Non. Januar. ad Attic. VII. 5. Idem deſignans tempus, quo, ſumpta virili *toga*, in forum primum venit, ait in Brut. c. 88. *Hoc floreſcente Craſſus eſt mortuus, Cotta pulſus, judicia intermiſſa bello, nos in forum venimus.* Addens ſe tunc audiviſſe orantes Curionem tribunum plebis, & C. Julium ædilem curulem. L. Craſſus, cum Idib. Septemb. declamaſſet contra Philippum coſ. ſeptima poſtea die morbo interiit. Cicer. de Orat. III. I. nempe a. U. C. 663. & c. 3. *C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus poſt mortem Craſſi depulſus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore menſibus ejectus eſt e civitate.* Ex his patet Ciceronem a. 663. *togam* virilem ſumpſiſſe. Suet. Aug. c. 8. n. I. *Duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit. Quadriennio poſt virili toga ſumpta militaribus donis pro concione triumpho Cæſaris Africano donatus eſt.* Noriſ. Diſſert. in Cenot. Piſan. II. c. 4. Bayf. de Re veſt. c. 10. Calcagn. Quæſt. Epiſt. III. I. Crinit. de Honeſt. diſcipt. III. 7. Sigon. de Judic. III. 18. Perion. de Græcor. & Roman. Magiſtrat. I. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2777. A. Carol. Antiq. Roman. IV. 10. Roſin. Antiq. Roman. V. 32. Non Suetonius, ut ſupr. contendebat Valeſius, erravit. Sed ipſe Damaſcenus. Quod evidenti ratiocinio demonſtro, ipſius tantum teſtimonio uſus. Scribit Auguſtum eidem die *togam* puram, depoſita puerili prætexta, induiſſe, ac Pontificem creatum *in locum L. Domitii, qui e vivis abierat.* At Auguſtus natus eſt a. U. C. 691. d. 23. Septembris. L. Domitius a. U. C. 706. præcipiti jam æſtate in pugna Pharſalica occiſus eſt, in cujus locum cum Auguſtus pontifex creatus fuerit eo ipſo die, quo *togam* virilem obtinuit, optime infertur, illum eandem primum induiſſe ſub initium a. XVI. ac integram Suetonio fidem conſtare. *Noriſ. l. l.* Damaſceni tamen, & Suetonii fides integra nobis videtur, dum obſervamus I. ex modo dictis illud Nicolai *circiter annos quatuordecim* optime poſſe de XV. labente anno intelligi. 2. *quadriennium* illud, poſt Juliæ mortem Suetonio numeratum, omnino videtur ad tempus ſpectare, quo *donis militaribus* Auguſtus fuit donatus. Noluit nempe indicare, quo ætatis anno hanc ſumpſit *togam*, ſed quo Julius eum donis ornavit; ſicque interpungendus eſt ejus textus: *Quadriennio poſt, virili toga ſumpta, militaribus*. . . Paſſim hiſtoricus ille eadem phraſi plura ſimul jungit, quæ varii ſunt temporis. *Maſſon. in Ovid. vit.* p. 31. Primis tamen, & mediis Reipublicæ temporibus ante annum ſeptimum decimum completum, & octavum decimum incipientem non ſumebatur. I. quia ſumebatur principio ejus ætatis, qua militare leges cogebant. Cicer. pro Cœl. c. 5. V. illum ſupr. in *Brachium.* Militare vero ſolebant ſeptimo decimo anno completo juxta Servii Tullii inſtitutum. Gell. X. 28. V. illum ſupr. in *Annus militaris.* II. quia non licuit prius ſumere, quam accuſare leges permitterent. Val. Max. V. 4. 4. ext. *M. Cotta eo ipſo die, quo togam ſumpſit virilem, protinus ut e Capitolio deſcendit, Cn. Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, poſtulavit.* Poſtulare vero decem & ſeptem annis minorem non permittebat prætor. ff. III. I. 3. *Pueritiam excuſavit prætor, dum minorem annis decem & ſeptem, qui eos non in totum complevit, prohibet poſtulare: quia moderatam hanc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum.* Serv. Juven. Ferrar. c. I. Ryck. in Tacitum. Gruch. de Comit. I. 3. Scalig. in Euſeb. ad an. 1964. Pamel. in Tertull. de Idolol. c. 16. Manut. Quæſ. Epiſt. III. I. Pollet. For. Rom. II. 7. Bud. in Pandect. p. 251. Boſſ. de Toga c. II. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. V. 32. Torrent. in Suet. Auguſt. c. 8. n. I. Laurent. de Natalit. c. 5. Tantam de re apud Romanos vulgari opinandi diverſitatem miramur cum Noriſio. Tu B. L.

Elige, cui dicas, tu mihi ſola places.

Dies dandæ fuit tertius poſt Idus Martii, ſeu XVII. ejus menſis dies, dictus Liberalia, ſi credimus Ovid. Faſt. III. 713.

Tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho.

n. 770.

Reſtat, ut inveniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo. . .

Sed idem omnibus non fuit obſervatus. Liquet ex exemplo Ciceronis, qui filio illam dedit inter V. Kalend. & III. Non. April. Id certo colligimus ex variis Epiſtolis libb. IX. & X. ad Atticum inter ſe collatis. *Maſſon. Horat.*

III. p. 25. & 27. Ovid. vit. p. 28. Norif. Differt. in Cenot. Pisan. c. 2. In ei [illegible] nummum in ædem Juventutis deferebant. Dionysius. V. illum supr. in *Nummum.* Sumebant illam [illegible] præsentibus, hoc est, ante altaria. Prop. IV. I. 132.

Matris & ante deos libera sumpta toga.

Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Rom. V. 32. Passerat. in Propertium. [illegible] mox in proprias ædes a patre [illegible] adolescentes [illegible]: non enim aliter dignitatem suam [illegible] posse arbitrabantur. Suet. Tib. c. 15. n. 1. *Romam reversus, deducto in forum filio Druso, statim e Carinis, ac Pompejana domo, Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigravit.* Propterea Domitianus a patre correptus, *quo magis ætatis, & conditionis admoneretur, habitabat cum patre una* apud Suet. c. 2. n. 2. *Casaub. in Suet. Tiber. [illegible] Meibom. Mæcen. c. 28. §. 19.*

Toga vitrea dicebatur, quod ritu vitri transluceret. Claud. in Consul. Prob. & Olybr. n. 225.

Illa percurrens vitreas sub gurgite telas.

Varr. apud Non. VI. 4. *Istorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clavos.* Ante vitreum in colore poni diceb[illegible] cœruleo, & glauco: hic pellu[illegible], non coloris significatio attenditur. *Turneb. Adv.* XIV. 19. *Boss. de Toga c.* 17. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 8. *Demster. Paralip. [illegible] Antiq. Roman.* V. 31. Ostentabat clavos, quia ad pectus patebat, & brachium dextrum exerebatur, & [illegible] pellucidis pectus denudantibus omnes tunicæ clavi apparuere, & in oculos incurrerunt. *Ferrar. de [illegible]* I. 29.

Toga [illegible], de qua Plinius laudatus supr. in *Toga regia.* Ubi idem subjicit: *Undulata vestis prima e lautissimis fuit.* In Plinii verbis explicandis facilius fuerit aliorum [illegible] reddere, quam novam interpretationem afferre. Non. II. 926. *Undulatum [illegible], [illegible] [illegible] Rom [illegible] quidam [illegible] Fortunæ simulacrum, ab eo quod duabus undulatis togis est opertum, [illegible] Reges nostri undulatas, & prætextas togas [illegible].* Ubi videtur Nonius *undulatam togam* opponere *prætextæ.* Sed [illegible] gentium [illegible] interpretem Nonium [illegible], ipsique existimant, undulatas vestes [illegible], quarum [illegible] undis imitaretur, quæ Plut. Ep[illegible] 2. 49 [illegible] dicta: quod in [illegible] texenda an [illegible] ipsi videntur: certe nostræ vestes undulatæ qua [illegible] fiunt, etiam [illegible] intelligunt. Cum præterea *togæ* essent albæ, ne quis undarum speciem colorum, ac [illegible] varietate expressam comminiscatur. Et licet [illegible] Rex dicatur, & ideo picta fuisse undulatam [illegible], tamen communes hujusmodi vestes fuisse [illegible], cum ait *vestem undulatam primam [illegible]*, id est, qui & alii præter Reges [illegible], quibus nullum jus pictarum fuit, [illegible] in triumpho. In veteribus libris legitur *[illegible]ulata,* voce [illegible], atque illa insolenti. Ita duo manu exarati in bibliotheca Ambrosiana constanter habent. *Ferrar. de Re Vest.* I. 2. 11. Ubi, undarum textura in vestimento [illegible] quomodo exprimi posset, dubitavimus. Nam [illegible] vestes aqua respersæ, ac prælo subjectæ undarum speciem exprimunt, nescio an veteribus notum artificium fuerit. Certe undulatas vestes describit Ovid. de Arte III. 177.

Hæc undas imitatur, habet quoque nomen ab undis:
Crediderim nymphas hac ego veste tegi.

Ferrar. ibid. I. 3. 20. Ab undarum textura explicant *Voss. Lex. Etymol. in Unda, Mercerus in Nonium, Gruterus in Plautum, [illegible] in Plautum. Becman. de Orig. p.* 1028.

TOGATI dicuntur etiam in præfecturis, coloniis, municipiis, qui Romanorum utebantur legibus, & victum, cultumque Romanorum asciverant. Capua fuit præfectura bello P[illegible]ico II. & Campanum adolescentem, qui Annibalis de nece cogitavit, *togatum* fuisse ostendit Liv. XXVII. Tacit. Hist. II. 20. 2. *Ornatum ipsius municipia & coloniæ in superbiam trahebant: quod versicolore sagulo, braccas tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur.* Strab. III. p. 104. *Atque adeo Iberorum qui hujus sunt formæ, stolati vocantur, & togati.* Bayf. de Re vest. c. 10. Manut. Quæs. Epist. III. 1. Sigon. de Judic. III. 18.

TOGULA vocabatur *toga* arcta, & adstricta, quæ tenuiorum. Cicer. in Pison. c. 23. V. illum supr. in *Toga.* Mart. IV. 26. 4.

Ignosces, togulam, Postume, pluris emo.

IX. 103. 5.

Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque:
Denariis tamen hanc non emo, Basse, tribus.

Bayf. de Re Vest. c. 9. Ferrar. de Re Vest. I. I. 6. & 24.

TOL.

TOLLE interdum voce unica, interdum geminata, *tolle, tolle,* fuit infausta acclamandi formula a Judæis in Christum Dominum usurpata. Ita legitur Luc. c. 23. n. 19. *Exclamavit simul universa turba dicens, tolle hunc.* Sed Joh. c. 19. n. 15. *Illi autem clamabant, tolle, tolle.* Quid maxime vellent ea significari acclamantes, haud ita certum adhuc. Licet enim in hoc consentiant omnes, *tolli* adductis locis idem valere, ac *vita violenter privari,* diffident tamen inter se de ipso violentæ mortis genere. Etenim sunt, qui censeant, *tolle* perinde esse atque *in signa immitte;* hoc est, vel in eam exercitus partem conjice, ubi signa sunt, & vexilla; vel, in prima acie colloca, sicut de Uria factitatum est: quibus scilicet in locis militum salus consuevit semper in extremo discrimine versari. Putatur a quibusdam, *tolli* aliquem pro eo esse, ac si permitteretur militibus, ut *in illum, ceu in signum tela dirigerent;* quemadmodum confossi sunt sagittis martyres nonnulli. Scribunt alii, inter militares pœnis fuisse etiam verberationem, & fustis castigationem, quæ sine carnificis opera fiebat, tribuno primum leviter tangente, ac delibante reum; mox, velut eo signo dato, omnibus, qui in castris erant, & fustibus, & lapidibus tamdiu ferientibus, quoad occumberet infelix ille: atque ita existimant, *tolli* esse extremo hoc militari supplicio affici. Ego, si de me quæratur, quid esset, respondebo, aliud nihil fuisse, nisi *tolle in crucem,* seu *in crucem age.* Docent hoc Euangelistæ, qui etsi verbis interdum videntur discrepare, mirifice re tamen omnes congruunt. Marcus porro, & Matthæus mortis genus exprimentes, ad quod Christus dominus deposcebatur, turbas inducunt, *crucifige,* acclamantes. Ille c. 15. n. 13. & 14. hic c. 27. n. 22. 23. Quin Lucas, qui *tolle hunc,* ut diximus, a turbis acclamatum prodidit, n. 21. subjicit, etiam *crucifige* ab iisdem ingeminatum. Qui item apud Joh. c. 19. n. 15. *tolle, tolle,* acclamant, iidem illico, *crucifige,* quasi subobscuræ voci dilucidam copulantes subdunt. *Ferrar. de Acclam. & Plauf.* VII. 19.

TOLLENON *dicitur, quoties una trabes in terram præalte defigitur, cui in summo vertice alia transversa trabes longior dimensa medietate connectitur, eo libramento, ut si unum caput depresseris, aliud erigatur. In uno ergo capite cratibus, sive tabulatis contexitur machina, in qua pauci collocantur armati. Tunc per funes uno attracto, depressoque, alio capite elevati imponuntur in murum.* Veget. IV. 21. Liv. XXXVIII. 5. *Oppidanos primo, & ad speciem, & ad ictus mœnium cum terribili sonitu editos, pavor, ac trepidatio cepit: deinde ut præter spem stare muros viderunt; collectis rursus animis, in arietes tollenonibus libramenta plumbi, aut saxorum, stipitesve robustos incutiebant. . . . Stewech. in Vegetium, Brod. Misc.* III. 7. *Valtrin. de Re milit. Roman.* V. 6. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 7. *Bud. de Asse* III. *p.* 250. *Crinit. de Honest. Discipl.* XIX. 2. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* II. *Thys. de Oppugn. Urb.* I. *p.* 159. Res facilis: & traxit originem ab instrumentis, quibus aquam haurimus, pondera navibus educimus: quæ grues, aut ciconias dicunt. Agnoscit & has voces Heron in ista re c. 25. & paullo aliter deformat. Nam & canalem facit, sive tubum clausum, antrorsum ostiolis aperiendum, qui in defixo stipi-

te innixus, attollatur, vertatur; & vir, aut viri in eo delitentes, transeant in muros. Facit & torculari similem machinam, quæ ergatis voluta deprimi, aut exprimi, & attolli possit, cum simili tubo, aut instrumento. *Lips. Poliorc.* I. 6.

Tollenon, Græce κηλώνιον, vocatur haustorium, sive instrumentum, quo rustici, & olitores ad exhauriendam e puteis aquam utuntur. Festus: *Tolleno est genus machinæ, quo trahitur aqua, alteram partem prægravante pondere.* Plin. XIX. 4. *Hortos villæ jungendos non est dubium, riguosque maxime habendos, si contingat profluo amne: si minus, e puteo pertica, organisque pneumaticis, vel tollenonum haustu rigandos.* Bud. de Asse III. p. 250. Salmas. Exerc. Plin. p. 415. b. D. Brod. Misc. III. 7. Pith. Adv. II. 16. Voss. Lex. Etymol.

TOLLERE liberos est suos agnoscere. Infans recens natus non habebatur legitimus, nisi pater præsens, vel, eo absente, procurator pro eo, infantem terra levasset, & sinu im[p]osuisset. Itaque *tollere* infantem est suum agnoscere, alere in spem familiæ, & hæredem habere; *non tollere*, familia ejicere, abdicare, aut exponere. Senec. apud Lactant. I. 16. *Quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere?* Terent. Heaut. IV. I. 14.

Si puellam parerem, nolle tolli.

Curt. IX. I. 25. *Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt, aluntque.* Dempster. Paral. ad Antiq. Rosin. II. 19. Bartholl. de Puerp. p. 73. Turneb. Adv. IV. 15: XXII. 11. Salmas. Exerc. Plin. p. 200. b. D. Tomas. de Donar. c. 10. Caraz. de Part. c. 4. §. 32. Cerda in Virg. Æneid. IX. 203. Pontan. in Ovid. Trist. IV. 3. 46. Calvin. in Senec. de Clem. I. 13. Boecler. Terent. Chrestom. in Exponere. Laurent. de Natalit. c. 2. Pitisc. in Curtium. Schill Nomencl. Philol. p. 1088.

TOM.

TOMACULA dicebantur edulia, quod Græci τομὴν, *sectionem* dicunt. Hoc esse puto quod Macrob. Sat. VII. 8. appellat *insicium*, ab eo quod insecta caro reticulo circumdatur. Mart. I. 42. 9.

Quod fumantia qui tomacla raucis
Circumfers tepidis coquus popinis.

Fiebant enim ut plurimum ex jecore, & pulmone porcino: eratque genus cibi servilis. Juven. Sat. X. 354.

Ut tamen & poscas aliquid, voveasque sacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci.

Britann. & Grang. in Juvenalem, Castellan. de Esu Carn. II. 2. Rader. in Martialem. Horum opinioni ego non possum subscribere. Certum enim est *tomacula*, sive, ut placet Varr. de Re Rust. II. 4. *tomacinas*, partes esse aliquas porci certo modo sectas. Juven. l. l. Et nemo isicia offert, aut vovet diis. Scholiastes vetus: *Tomacula, porci pinguia quædam viscera.* Moris fuit calida venumdari. Innuit hoc Mart. l. l. Et Petron. c. 31. *Fuerunt & tomacula supra craticulam ferventia argenteam posita.* Nonn. de Re cibar. II. 14. Gonsal. in Petronium.

TOMENTUM est id, quo culcitæ infarciuntur. Fiebat quoque ex gnaphalio herba. V. supr. in *Gnaphalium*. Illo, cum in ima parte Palatii attento alimenta subducerentur, vitam sustentavit Drusus. Suet. Tib. c. 54. §. 4. *Druso adeo alimenta subducta, ut tomentum e culcita tentaverit mandere.* Tacit. Annal. VI. 23. 4. *Drusus deinde exstinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuisset.* Hoc, quo edendo vitam sustentavit Drusus, ex arundine concisa, vel gnaphalii foliis videtur fuisse. *Voss. Lex. Etymol.*

Tomentum circense vocabatur, quod fortasse initio circensibus spectaculis sibi substernere solebant. Mart. XIV. 160.

Tomentum concisa palus circense vocatur:
Hæc pro Lingonico stramina pauper emit.

Turneb. Adv. IX. 24. Non ideo dictum, sed quia in circo veniret. *Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Guiland. Papyr.* p. 27. Fiebat ex junceis palustribus concisis. Martialis modo laudatus. Ubi pro Lingonico est pro *tomento* lana facto, & ex pexis vestimentis deraso. *Salmas. Exerc Plin. p. 262. b. F. Faber Semest.* I. 9.

TON.

TONITRUA, ut in scenicis fabulis Jovis tonantis nomine pro re nata ederentur, olim moris fuit. Hoc etiamnum ex veterum comœdiis colligimus. Nam & ludis in ipsa scena absolutis, ut inquit Festus, similitudinem quandam *tonitrui* imitari consueverunt. Principio eos sonitus ad hunc modum faciebant, ut clavos, ac lapides in labrum æneum conjicerent, ex quo repercussu sonitus ille dissultaret. Sed a Claudio mox Pulcro inventum est, ut ex conjectu dissono lapidum multo quidem majores *tonitrus*, ac verisimiliores viderentur: quod a Festo in Claudiana tonitrua applicatur. Unde Plaut. Amph. V. I. 78.

Sed quid hoc? quam valide tonuit? di obsecro vestram fidem!

Crinit. de Honest. Discipl. II. 10. Erasm. Adag. p. 116. A. Rhodig. Antiq. Lect. VIII. 8. Buleng. de Theatr. I. 23. Voss. de Institut. Poet. II. 10. §. 10. Phædr. V. 7. 23.

Adeo misso, devolutis tonitrubus.

Perperam Erasmus & Crinitus Festi verba explicaverunt: *ludis post scenam factis.* Nec enim factis, aut peractis ludis proprius in scena *tonitrui* locus: ut ex hac Phædri narratione & Plauto planum est. *Rigalt. in Phædrum.*

TONSÆ sunt imæ remorum partes, quibus aqua tunditur. Virg. Æneid. VII. 28.

— & in lento luctantur marmore tonsæ.

Senec. Agam. III. 439.

Ut aura plenos fortior tendit sinus,
Posuere tonsas.

Nisum ipsum remigantium expressit Ennius apud Festum:

Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas.

Græci κώπας dixere, fortasse ab auctoribus. Copas enim eas invenisse ferunt. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 5. *Delr. in Senecam. Cerda in Virgilium. Voss. Lex. Etymol.*

TONSILLA est uncinus ferreus, vel ligneus, ad quem in littore defixum funes navium illigantur. De quo Ennius:

Tonsillas rapiunt, configunt litus ad uncas.

Et ex illo Isidor. XIX. 2. sive, ut Paullus Merula emendat:

Tonsillis rapide configunt litus aduncis.

Sed Festum potius, quam Isidorum audiamus: *Tonsillam ait esse Verrius palum dolatum in acumen, & cuspide præferratum, ut existimant quidam, cum figitur in litore navis religandæ causa.* Ita Festum emendat Scaliger: *Pacuv. in Medo:*

Accessi ad eam, & tonsillam pegi lævo in littore.

Accius in Phinidis:

Tacete, & tonsillas litore in lævo edite.

Voss. Lex. Etymol. in Tonsæ. Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. Columna in Ennium p. 133.

TONSORES erant servi in familia Romanorum resecandis crinibus. Ulpian. l. 12. §. 6. ff. de instr. vel instr. leg. *Tonsores, & fullones, & focariæ, non agri sunt instrumenta, sed instrumenti.* Ovid. Met. XI. 182.

Sed solitus longos ferro resecare capillos
Viderat hoc famulus.

Hoc domestico ministerio functus est Pantagathus apud Mart. VI. 52. 3.

Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, & hirsutas excoluisse genas.

Et unguibus. Plaut. Aul. II. 4. 33.

Quin ipſe pridem tonſor ungues demſerat.

Tibull. I. 9. 11.

—— quid ungues
Artificis docta ſubſecuiſſe manu.

Val. Max. III. 2. 15. *Egreſſo cubiculum Bruto cultellum tonſorium, quaſi unguium reſecandorum cauſa popoſcit; eoque velut forte elapſo ſe vulneravit: clamore deinde ancillarum revocatus Brutus, objurgare eam cœpit, quod tonſoris prærip uiſſet officium.* Pignor. de Serv. p. 89. Popm. de Oper. ſerv. p. 57. Mod. Epiſt. 109. Gonſal. in Petron. p. 249. Divitum tantum erant illæ deliciæ. Pauperes namque ſubſecabant proprios *ungues*: ut ille apud Horat. Epiſt. I. 7. 49.

—— conſpexit, ut aiunt,
Abraſum quendam vacua tonſoris in umbra
Cultello proprios purgantem leniter ungues.

Gonſal. l. l. Zinh. & Dacer. in Horatium. V. tamen & Broukh. in Tibullum. & Gruter. Suſpic. v. 7. Antiquioribus temporibus *intonſi* fuerunt Romani. Ex Sicilia venerunt in Italiam an. 454. V. ſupr. in *Barba*.

TONSTRICES etiam ancillæ *tondebant* barbam, & capillum dominorum. Mart. II. 17. 1.

Tonſtrix Suburæ faucibus ſedet primis.

Plaut. Truc. IV. 3. 59.

Alteram tonſtricem hujus, alteram ancillam ſuam.

In hoc miniſterio apud Cleopatram Ægypti Reginam gratia, & regio favore inſignis fuit mulier ancilla, cui nomen Lias, ut aſſerit Plutarch. in Anton. p. 954. E. Nec aliud ſibi voluit Cicer. Tuſcul. v. 20. Dionyſii ſenioris miſeram cuſtodiam perſtringens: *qui ne tonſori collum committeret, tondere filias ſuas docuit.* Subdit enim: *Ita ſordido, ancillarique artificio regiæ virgines, ut tonſtriculæ, tondebant barbam, & capillum patris.* Pignor. de Serv. p. 91. Popma de Oper. ſerv. p. 58.

TONSTRINA *erat officina, in qua qui volebant*, ut loquitur Schol. Ariſtoph. in Pluto II. 3. 4 *capillos capitis, ac barbæ detonſos, id in ipſo diſceſſus puncto, ubi diutius, quam deceret, commorati eſſent, & otioſi diem conſumpſiſſent, faciundum curabant.* Tonſores non obſcure inſimulantur garrulitatis a Plutarcho, dum illorum genus bene loquax eſſe pronuntiat de Garrulit. p. 509. A. Solebant enim in *tonſtrinas* ſpermologi nullius rei, niſi rumorem mutuo colligendi, ac poſtea differendi ſtudio ducti confluere. Terent. Phorm. I. 2. 39.

Tonſtrina erat quædam: hic ſolebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.

Ubi Donatus: *Tonſtrina eſt apta ſedes otioſis.* Et hoc eſt, quod dixit Scholiaſtes Ariſtophanis ad laudatos verſus:

Tametſi in tonſtrinis ſermo hac de re frequens,
Mehercule erat hominum illuc deſidentium:
Quod ille repente factus ſit ditiſſimus.

Item de tonſtrina Juven. Sat. XII. 81.

—— gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Et Horat. Sat. I. 7. 2.

—— opinor
Omnibus, & lippis notum, & tonſoribus eſſe.

Eraſm. Adag. p. 581. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 391. Perizon. in Ælian. III. 7. Taubman. in Plaut. Epid. II. 2. 14. *Tonſtrina* negotium nobis deſcribit Senec. de Brevit. vit. c. 12. *Quid? illos otioſos vocas, quibus apud tonſorem multæ horæ tranſmittuntur, dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ſuccrevit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut disjecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur. Quomodo iraſcuntur, ſi tonſor paullo negligentior fuit? tanquam virum tonderet. Quomodo excandeſcunt, ſi quid ex juba ſua deciſum eſt, ſi quid extra ordinem jacuit, niſi omnia in annulos ſuos reciderunt.* Pignor. de Serv. p. 90.

TONSURA lugubris eſt intelligenda de raſura, qua quis ſibi ipſe crines amputabat. Nam quibus apud *tonſorem* multæ horæ tranſmittebantur, modo, quem deſcribit Seneca ſupr. in *Tonſtrina*, illi tantum abeſt, ut in luctu fuerint conſtituti, ut etiam omnibus voluptatibus, lætitiaque abundarint. Artemid. I. 23. *Tonderi a tonſore bonum ex æquo omnibus prædicit. Eſt enim tondendi verbum Græcis κείρεσθαι, a verbo χαρῆναι, ut ita dicam, quod permutatione elementi unius χαρῆναι eſt, ac gaudii, ac exceptionis ſignificationem habet.* Qui mox ſubjungit: *Si quis ſeipſum tondeat, luctum ſubitaneum, aut calamitatem magni mali referiam ſignificat. Qui enim in talibus verſantur, neceſſario ſeipſos circumtondent.* Senec. de Benef. I. 6. *Si Regem, in media luce errantem, ad rerum naturam admisisset, uſque eo ejus ignarum, ut quo die ſolis defectio fuit, regiam clauderet, & filium, quod in luctu, ac rebus adverſis moris eſt, tonderet.* Vocabatur Græcis ἐν χρῷ κουρά. *Alex. Gen. dier.* III. 7. *Jun. de Coma c.* 5. *Kirchman. de Funer.* II. 14. *Nicol. de Luct. Græc.* 10. §. 3. *Meurſ. de Funer. c.* 46. *Hotoman. de Vet. rit. nupt. c.* 17. *Saubert. de Sacrif. c.* 10. Naufragorum V. ſupr. in *Naufragi*. Servorum V. ſupr. in *Servus*.

TOP.

TOPIARII inter prædiorum ruſticorum operarios cenſebantur, qui arbuſculas, virgultaque ductilia facili flexu in varias formas, figurasque, modo humi, modo per ruris ſpatia, vario, & ſolerti ingenio effingerent, & concinnarent. Unde Ulpian. l. 60. §. ult. ff. de Legat. III. ait: *Topiarium ornandi fundi magis, quam colendi paratum eſſe.* Hos Firmic. VII. 10. eleganter ſic deſignat: *Vel qui*, ait, *buxeas arbores tondens in belluas fingat, aut virides porticus in circulum flexis vitibus faciat.* Moris autem fuit ex buxo, myrto, roſis, hedera, & lauro, deorum ſimulacra, ſeu fabularum explicationes, & varias hominum effigies, naviumque formas, aut turrium, ædium, vel cubiculorum ſpecies in hortis per ejuſmodi operarios fieri. Cicer. ad Q. Fratr. III. 1. *Topiarium laudavi, ita omnia conveſtivit hedera, qua baſim villæ, qua intercolumnia ambulationis, ut denique illi palliati* (marmorea ibi hominum ſimulacra intelligit) *topiariam facere videantur, & hederam vendere.* Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 7. Alex. Gen. dier. III. 25. Popm. de Oper. ſerv. p. 93. qui ἀπὸ τῶν τόπων, id eſt, a locis, quæ in his varia conſtituuntur, quæ & *topia* nuncupantur. Vitruv. VII. 5. *Habentem deorum ſimulacra, ſeu fabularum diſpoſitas explicationes, non minus Trojanas pugnas, ſeu Ulyſſis errationes per topia, cæteraque quæ ſunt eorum ſimilibus rationibus ab rerum natura procreata.* Alex. & Popm. l. l. Potius nomen obtinuerunt a topiis, id eſt, a funiculis. Græci funiculos τόπια appellant, ut ex Heſychio diſcimus, cui τοπεῖον, ſive τόπιον, ſive τοπίον exponitur κάλως σχοίνιον. Ratio appellationis erit, quod in opere *topiario* frutices, & arbuſculæ tortiles, quæ varie torquentur, & flectuntur, uſque dum animalium, vel aliarum rerum ſimilitudinem repræſentent, *topiis*, ſive funiculis ſoleant religari. Id magis placet, quam ut dicantur ita, quia arbuſculæ illæ flexibiles, & ſequaces ſint inſtar funiculorum, quod quibuſdam placet. *Turneb. Adv.* XVIII. 23. *Bald. Lexic. Vitruv. Voſſ. Lexic. Etymol. Popm. de Inſtrum. Fund. c.* 3. *& de Oper. ſerv. p.* 95. *Poſtell. de Republ. Athen. c.* 8.

TOR.

TORAL fuit involucrum *tori*, id eſt, congeſtæ plumæ, vel herbæ, vel arundinis operimentum, quod & elegantiore rurſus ſtragulo obducebatur, convivii cauſa, aut feriarum. Sic enim Ovid. Metam. VIII. 655.

—— in medio torus eſt de mollibus ulvis,
Impoſitus lecto, ſponda, pedibusque ſalignis:
Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto
Sternere conſuerant.

Turneb. Adv. I. 24. Chimentell. de Honor. biſell. c. 31. Bacc. de Conviv. Antiq. I. 10. Torrent. in Horat. Sat. II. 4. 84.

II. 4. 84. Sed Horat. l. l. dixit *illota toralia depi circum Tyrias vestes*, stragulas: unde περίβλημα significari manifestum, & περιπέτασμα. *Buleng. de Conviv.* II. 34. Est τῶν περιβλημάτων, recteque in glossario vertitur περίκλινον. Nam male accipiunt etiam doctissimi viri Horatii versum. Stragula autem, quibus tori sternebantur, & *toralia* quæ circumjiciebantur, pretiosissima in usu veterorum fuerunt, at non aurea tamen, saltem privatis, ut apparet ex Lamprid. Heliog. c. 19. *Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit.* Casaub. in Lampridium.

TORCULAR, & *torcularium*, & *torculum* est machina uvis premendis, & torquendis apta. *Popm. de Instrum. fund. c.* 11. *Bud. in Pandect. p.* 173. *G.* Glossæ: *Torcula*, ἐλαιοτριβεῖα. Differt a prelo, quod hoc pars sit *torcularis*. *Torcular* enim dicitur tota machina uvis, ac olivis exprimendis parata. Prelum vero solam trabem notat, qua uva, vel oliva premitur. Hinc Colum. XII. 50. *Olivam diligenter mundatam oportebit protinus in torcular deferri, & integram in fiscinis novis includi, prelisque subjici.* Describit illud Vitruv. VI. 9. V. illum supr. in *Prelum.* Voss. Lex. Etymol. *Torculari* compressi olim per summam sævitiam miseri nocentes necabantur. *Laurent. de Rebuspub. c.* 7.

TOREUMA est vas torno elaboratum. Tornus est instrumentum, quo vasa detorrantur, id est, scalpuntur, & striatim interdum cavantur. Τορευτικὴ Græcis, cælatura Latinis, dicitur ars, quæ exstantes figuras ostendit, & extra corpus materiei prominentes, interdum totas, interdum dimidiatas. Mart. IV. 30. 4.

Solus Phidiaci toreuma cæli.

Phidias enim *toreuticen* aperuit, quam Polycletus consummavit. Plin. XXXIV. 8. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 736. *a. F. Gauric. de Sculpt. c.* 10. *Bud. in Pandect. p.* 118. *I. p.* 177. *H. Ciaccon. de Triclin. p.* 37. *Voss. Lexic. Etymol. Oizel. in Gell.* XIX. 9. *Beger. Spicil. Antiq.* IV. *p.* 117.

TORMENTUM est, quo aliquid *torquetur*. Sic dixere equuleum, fidiculis, similia que. *Voss. Lex. Etymol.* Libera civitate ante Cæsares nemo quæstionum *tormentis* subjiciebatur, nisi servus, tanta erat civium Romanorum prærogativa, quæ per Cæsares in miserabile servitium conversa est. *Pollet. For. Rom.* IV. 14. Fallacissimum esse quæstionis judicium vel ex eo convincitur, quod mentitur qui pati potest, mentitur & qui pati non potest: ille patientia, aut obstinatione superat, hic infirmitate superatur, semper anceps conjectura, quoniam vera confessis, & falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur: quod exemplo Epigoni, & Eulebii apud Ammian. XIV. 9. comprobari potest. Varia utriusque exempla sunt apud Val. Max. VIII. 4. & alios historiographos. Idem III. 5. ext. miram constantiam depingit in Theodoro. V. illum sup. in *Fidicula.* Contra Cicero in Topic. c. 20. *Quæ tormentis, verberibus, igne rei defatigati dicunt, veritas ipsa dicere videtur.* Sed quorsum verbo *defatigati* utitur? an quia mitius est quam coacti? Locus itaque hic controverti potest. *Broid. ad Polletum.*

Tormentum dicitur catena ferrea, quali solent magnæ moles e catapultis *torqueri.* Plaut. Curc. II. I. 12.

Tormento non retineri potuit ferreo.

Tacit. Hist. III. 71. 2. *Neque illis manus nisi gladius armatæ, & arcessere tormenta, aut missilia tela longum videbatur.* IV. 23. 6. *Sed excussa ballistis saxa, stravere informe opus, & crates, vineasque parantibus, adacta tormentis ardentes hastæ.* Voss. Lex. Etymol.

Tormentum etiam vocatur funis tensus, ut in ergatarum suculis, & similibus. Cujus ratio est, quod & dicamur *funem torquere*, σχοῖνον πλέκειν. Prop. IV. 3. 20.

Dignior obliquo funem qui torqueat ocno.

Tormenti voce sic usus auctor obscœni carminis v. 5.

Tormento, citharaque tensiorem.

De capillo loquens Apul. Apol. p. 407. *Horrore implevus, atque impeditus, stuppeo tormento adsimilis.* Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de Torquib. c. 1. & Mil. Nav. II. 5.

TORQUATUS fuit cognomen Manliorum. Gell. IX. 13. *T. Manlius summo loco natus, adprimeque nobilis fuit. Ei Manlio cognomentum factum est Torquato. Causam cognomenti fuisse accepimus torquis ex auro induti, quem ex hoste, quem occiderat, detractam induit.* Flor. I. 13. 20. *Semel apud Anienem truncati, quum singulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia detraxit: inde Torquati.* Fastus Liv. VII. 10. Plin. XXXIII. 1. *Alex. ab Al.* I. 9. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *Ursin. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 561. *C. p.* 838. *E.* Illorum I. fuit hic T. Manlius L. filius. Cicer. de Offic. III. 31. *L. Manlio, cum dictator fuisset, M. Pomponius tribunus plebis diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare jussisset: quod cum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi patri: accurrisse Romam, & cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur: cui cum esset nuntiatum, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur: surrexit e lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium distrinxit, juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum.* II. frater *Torquati* is est, ut arbitror, quem M. Verrius Cn. Manlium L. F. A. N. Capitolinum Imperiosum appellat. Consul is fuit cum M. Popilio Lænate anno quarto post patris dictaturam. Iterumque anno interjecto cum C. Marcio Rutilo, ut quidam arbitrantur: neque enim a veteribus proditum est eundem iterum creatum. Interrex biennio post fuit. Censor cum eodem Rutilo primo e plebe fuit an. 402. III. alter Cn. Manlius superioris, ut creditur, filius, nisi forte idem ipse est. Magister equitum fuit a dictatore L. Furio Camillo dictus an. 408. *August. de Famil. Rom. in Manlia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 570.

Torquati dicebantur milites, qui *torquem* essent consecuti. Veget. II. 7. *Torquati duplares; torquati simplares, quibus torques aureus solidus virtutis præmium fuit: quem qui meruisset, præter laudem interdum duplas consequebatur annonas: duplares duas, simplares unam.* Scheffer. de Torquib. c. 9. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 4. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 12. Stewech. in Vegetium. Salmas. de Re milit. Rom. c. 19.

TORQUES, sive *torquis* absque differentia promiscue reperitur apud veteres. *Scheffer. de Torquib. c.* 1. Differt a circulo. V. supr. in *Circulus.* Auctorem *torquium* nemo facile indicaverit. Quisquis fuit, non recentibus cum seculis, sed vetustissimis vixisse necesse est. Neque enim apud nuperos, sed plane antiquissimos historicos, ipsumque etiam Mosem, mentionem eorum reperimus. Ita nimque is Gen. c. 41. n. 42. de Pharaone Ægypti Rege: *Collo ejus torquem auream circumposuit.* De Josepho loquitur, Ægyptiorum Hermete, ut non pauci volunt, qui proinde vixerit iis temporibus, quibus apud Græcos vetustissimi deorum. Huic Pharaonem *torquem* dedisse ait. Judic. c. 8. n. 26. de Madianitarum camelis: *Præter torques, qui erant ad colla camelorum.* Scheffer. ibid. c. 2. Vulgo fuerunt ex auro. Varr. apud Non. III. 245. *Insignibus Martis aureæ torques.* Et: *Torques aureæ multæ relatæ Romam.* Quintil. VI. 3. *Cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent.* Florus laudatus supr. in *Torquatus.* Hinc aurum pro *torque.* Virg. Æneid. VIII. 660.

—— tum lactea colla
Auro innectuntur.

X. 134.

Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti.

Habuerunt tamen etiam ex argento. Plin. XXXIII. 2. *Auxiliares quippe & externos torquibus aureis donavere, at cives non nisi argenteis.* Capitol. Maximin. c. 2. *Severus militares dabat ludos, propositis præmiis argenteis, id est, armillis, torqui-*

torquibus, & balteolis. Huc fortasse respexit Suet. Aug. c. 25. n. 3. V. supr. in *Dona militaria.* Ex ferro. Hoc auctore Artemidoro de mulieribus Hispanis refert Strab. III. p. 113. *Ajunt eas torques ferreas gestare in collo.* De Britannis Herodian. III. 14. *Ventrem, atque cervicem ferro exornant.* Ex gemmis. Nævius gemmeas memorat apud Charis. I. p. 118. qui tamen versum ejus adducit ex Capro:

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

Ex ebore. Strab. IV. p. 138. *Sunt* Britannis *eburnea frena, & torques.* Scheffer. ibid. c. 3. Non erant eburnei, sed eburneis similes. Solin. c. 22. *Student cultui: dentibus marinarum beluarum insigniunt ensium capulos: candicant enim ad eburneam claritatem.* Casaub. in Strabon. p. 80. Qui hoc ex Solino male asserit. Res in plenum diversa. Mens est Strabonis, Britannos tum admodum levia vectigalia pendisse tam ἐξαγωγίμων, quam εἰσαγωγίμων. Non dicit, qualia fuerint Britanniæ ἐξαγώγιμα, quia paullo superius id dixerat. Quæ importarentur, fuisse scribit ἐλεφάντινα ψάλια. . . . Eburna igitur, quibus utebantur Britanni inter invectitias merces. At dentes belluarum marinarum ad eburneam claritatem candicantes, quibus insigniebant ensium capulos, non aliunde importabantur, & eburnis similia, non erant eburnea. Præterea de Hiberniæ populis loquitur Solinus, de Britannis Strabo. Postremo de capulis ensium Solinus, quæ dentibus ornabantur beluarum, Strabo de viriolis eburneis. Nam ψάλια sunt viriolæ, & cum *torquibus* eas jungit. *Salmas. Exerc. Plin. p. 173. b. F.* Mihi utrumque verum esse posse videtur. Certe, si eburneas amarunt, & emerunt a peregrinis; si ex piscium ossibus ad eburneam claritatem capulos, & alia, ut Solinus loquitur, formare potuerunt, quid prohibet credere, *torques* etiam ex illis ossibus eburneis similes factitasse? Superioribus profecto temporibus Indiæ quasdam gentes habuisse certum est. *Scheffer. l. l.* Antiquissima figura torta fuit. Hinc apud Virg. Æneid. V. 559.

Flexilis obtorti per collum circulus auri.

VII. 351.

— fit tortile collo
Aurum ingens coluber.

Sed qua specie? Aurum prius ducebatur in fila quædam, ea deinde instar funium torquebantur in unum. Curopalates: *Est autem torques aurum ductum, implexum ex tribus quasi funiculis, quod gestabant de collo.* Fuerunt ergo vere tortæ ex uno, pluribusve filis, habueruntque suos, non quidem discretos, verum serie continua junctos annulos, in quo a catenis vulgo dictis differebant, atque ideo a catenulis, seu catellis. V. supr. in *Catella.* Licet autem crassiores essent *torques* proprie sic dictæ, duræ tamen, & immobiles fuisse non videntur, sed libere pendulæ, inque eo diversum quid habuisse a *circulis*, qui ipsi sæpe *torques* appellantur. V. supr. in *Circulus.* Differebant etiam a monilibus, & phaleris. V. singula suis locis. *Scheffer. ibid. c. 4.* Apud Romanos Cæsares dabant illos. Hirt. de Bell. Hispan. c. 26. *Cesar* Julius *ob virtutem turmæ Cassianæ præfecto donavit torques aureos duos.* Augustus apud Suetonium supr. laudatum. Liberis Reipublicæ temporibus jus *torquis* dandæ fuit apud summos belli duces. Quo respectu Senec. de Benef. I. 5. *Imperator aliquem torquibus, murali, & civica donat.* Sed & sub Tiberio quandoque concessum per imaginem quandam libertatis. Tacit. Annal. III. 21. *Rufus Helvius gregarius miles donatus est ab Apronio torquibus & hasta. Cesar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius jure proconsulis tribuisset, questus magis, quam offensus. Torque* qui sic donatus esset ab Imperatore, is gerendæ *torquis* jus habebat. *Scheffer. ibid. c. 7. Nicol. de Triumph. c. 10. §. 4.* Illorum nullus in Imperatoribus Romanis usus, vel inter insignia eorum locus. De Justino primum omnium memorat Coripp. II.

Armati manibus sacrati circulus auri
Impositus collo, imperium sublime dicavit,
Quod faciens ter, ter dextram cum murmure tendens
Augusti, Justine, locum tibi confero dixit.

Ante hunc Justinum nihil istiusmodi de *torque* lectum est, vel circulo, ut Corippus vocat. Cum quo consentio, & circulos potius quam *torques* proprie sic dictos ad hanc rem usurpasse puto. Nam cum lati sint, & solidi, utriusque rei vicem obire potuerunt, & *torquis* in collo, & diadematis in capite, cum præsertim & diademata quoque apud veteres solida, & lata fuerint. Etiam duces militares *torque*, velut nota dignitatis, ac officii, apud Romanos utebantur. Curopalates: *Gestabant quondam duces torques, quæ honorem ipsorum demonstrabant.* Sic de tribuno quodam Ammian. XXIX. 5. *Tigavias venire jusserat cum tribunis: e quibus unus torquem pro diademate capiti imposuit Firmi.* Imponit *torquem* suum tribunus, ex quo gestasse apparet. Nisi quis dono accepisse putet eum, cujus meminit Ammianus. Ut ut sit, draconarii, seu vexilliferi sollenniter habuerunt. Iterum Ammian. XX. 4. *Maurus nomine quidam, postea Comes, tunc hastatus, abstractum sibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit.* Observa, quod addit, *quo, ut draconarius, utebatur.* Inde enim patet, sollennem eum fuisse draconariorum ornatum. Hinc Hemetrio, & Chelidonio, qui ambo draconarii fuerunt, cum ducerentur ad supplicium, *torques* exuuntur apud Prudent. Peri steph. I. 64.

Ite signorum magistri,
Et vos tribuni assistite,
Aureos auferte torques.

Scheffer. ibid. c. 8. Viri quoque bello strenui donabantur *torquibus.* Ambros. in Institut. virgin. c. 14. *Victores solent secularium præliorum, strenuorum virorum donatis torquibus honorare cervices.* Ad Romanos respicit, quibus hoc in usu fuit. Unde inter sollennia præmia, quibus apud eos virtus honoratur, Flavius *torquem* memorat apud Tacit. Annal. II. 9. 4. *Aucta stipendia, torquem, & coronam, aliaque militaria dona.* Suet. Aug. c. 25. n. 3. quem locum supra laudavimus. Pertinebant autem ad omnes, qui se fortiter gessissent in prælio extra ordinem, & peculiari se ostentassent virtute. Ita legimus de pedite apud Tacit. Annal. III. 21. 3. *Rufus Helvius gregarius miles donatus est ab Apronio torquibus, & hasta.* Inscriptio apud Gruter. p. 1096. n. 4.

L. LEPIDO. L. F. AN.
PROCULO.
MIL. LEG. V. MACEDON.
DONIS. DONATO. AB. IMP.
VESPASIANO. AUG.
BELLO. JUDAICO. TORQUIB.

Peditem fuisse necesse est, quia erat legionarius: non enim legio nisi peditum. De equite inscriptio apud Smetium p. 52.

C. ARRIO. C. F. COR. CLEMENTI.
MIL. IX. COH. PR.
EQUITI. COH. EJUSDEM. DONIS.
DONAT. AB. IMP. HAD.
TORQUIBUS. ARMILLIS. PHALE-
RIS. OB. BELL. DACICUM.

Nec milites solum, sed & præfecti eorum ita honorati. De tribuno Probo Vopisc. c. 5. *Bello Sarmatico jam tribunus cum multa fortiter fecisset, publice in concione donatus est armillis aureis duabus, torque aureo uno.* De Claudiano tribuno legionis V. ex literis Valeriani ad procuratorem Syriæ Poll. D. Claud. c. 13. *Huic salarium dabis, torquem libralem unum. . . .* De præfecto turmæ equestris Hirt. de bell. Hispan. c. 26. *Cæsar ob virtutem turmæ Cassianæ præfecto donavit torques aureos duos.* Meminit generatim, ubi a *torquibus* illis cognomentum meruisse *Torquatos* dictos esse ostendit Vegetius laudatus supr. in *Torquatus.* Scheffer. ibid. c. 9. Panciroi. Notit. dignit. imp. orient. c. 100. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 15. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 15. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 4.

IV. 4. Stewech. in Veget. II. 7. Lipſ. de Milit. Roman v. Dial. 17. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 147. Nicol. de Triumph. c. 10. §. 4. Etiam ad illos, qui id feciſſent in ludis militaribus. In ejuſmodi fuiſſe datos obſervamus ex Sidon. XXIII. 424. qui de quodam optime ſe gerente in curriculo quadrigarum, ſed ferocia equorum, curruſque dehiſcentis ruina in ſummum vitæ periculum adducto, poſtquam multa de ipſius caſu, ita poſtremo claudit:

Hic mox præcipit æquus Imperator
Palmis ſerica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari.

Illos vero argenteos donari ſolitos docet Capitol. in Maximin. c. 2. ſupr. laudatus. Maximinus aureo donatus eſt ibid. c. 3. *Tum ille more ſolito, ſeptem fortiſſimos uno ſudore vicit, ſoluſque omnium a Severo poſt argentea præmia torque aurea donatus eſt.* Sed hoc velut ſingulare in illo notatur, ob raram ejus virtutem. Nec forte alio referendum Aſprenatis exemplum, de quo Suet. Aug. c. 43. n. 6. *In hoc ludicro C. Nonium Aſprenatem, lapſu debilitatum, aureo torque donavit.* Imperator, quem innuit Sidonius, Valentinianus eſt, cujus ſaltem temporibus ea conſuetudo fuit. Ideo enim conjungi *torquibus* coronas jubet, quia *torques*, ut ſolitum præmium, inſolitam virtutem non ſatis æquabant. *Scheffer. l. l.* Gerebantur in ſolo collo, a quo dependebant in pectus. Iſidor. XIX. 31. *Torques ſunt circuli aurei a collo ad pectus uſque dependentes.* Non longe demittebantur, ſed circa papillas, & thoracis ſinum finiebantur Virg. Æneid. v. 558. modo laudatus. Apud quem videmus, per *pectus* non ſimpliciter, ſed *ſummum* definiri ſpatium, ad quod pertinebant. *Scheffer. ibid. c. II.*

TORTA fuit genus placentæ. V. illam ſupr. in *Cruſta.*

TORULUS appellatur ſtroppus ſacerdotalis. Ammian. XXIX. 1. *Hic linteis quidem indumentis amictus, calceatuſque itidem linteis ſoccis, torulo capite circumflexo, verbenas felicis arboris geſtans, libato conceptis carminibus numine præſcitionum auctore, ceremonialiſ ſcientia ſuperſtite.* XVI. 12. *Chonodomarius quidem nefarius belli totius incentor, cujus vertici flammeus torulus aptabatur.* Quanquam non ignorem Salmaſium in brevibus, quas ſervo, ad auctorem eum notis ultimo loco intelligere vexillum flammeum, ſive flammei coloris. *Cuper. Apoth. Homer. p. 139. Scheffer. de Torquib. c. 1. Minos in Alciat. Emblem. Præfat. p. 63.*

TORUS videtur capillus, criniſve *tortus* fuiſſe ab veteribus dictus. Apud Virg. Æneid. XII. 6. leones gaudeat *comantes toros cervice excutere.* Quod ut de circulis eminentibus in cervice, ſic & de jubis in ea *tortis* intelligi poſſe, nec repugnat quicquam, & vocabulum *excutere* oſtendit. Deinde & in notis a Grutero ſub Cyrilli nomine, ac Tullii Tyronis editis reperio continue excipientes ſeſe iſtas voces: *Seta, ſetoſum, hiſpidum, ſetigerum, torum.* Unde veteres *torum* pro comato, crinibuſque *tortis* aſperato uſurpaſſe haud fortaſſis abſque ratione conjecto. *Scheffer. de Torquib. c. 1.*

Torus vocatur funis tortus e loris. Cato de Re Ruſt. c. 135. *Habeat funis lora in toros ſingulos novem.* Scheffer. de Torquib. c. 1. Cuper. Apoth. Homer. p. 139. Scalig. Conject. in Varr. p. 68.

Torus erat lectus apud veteres, quia ex herbis *tortis* fiebat. Serv. Æneid. II. 2. *Torus ab herbis tortis dictus eſt.* Per herbas juncos intelligit, vel folia arundinum, e quibus hodieque *toros* ſuos paſſim nautæ faciunt, funium inſtar primum *tortis*, mox in latitudinem idoneam confertis. Aliquando & ſtramentum adhibebant. Plin. VIII. 48. *Antiquis torus e ſtramentis erat, qualiter etiam nunc in caſtris.* Stramentum illud non reponebatur in ſponda cumulatim, ut fit hodie, nec inſerebatur ſacco e centonibus, ſed eo, quo prædixi, modo *tortum* aptabatur in uſum lectorum, referebatque prorſus ejus rei effigiem, quam & veteres olim, & nos hodie *mattam* appellamus. Ut ſint imperiti plane, qui ſtuppa, fœno, aut lana rudiore inſertum quid exponunt. Ex *tortis* enim juncis, aut ſcirpo, aut arundinum foliis fiebat, ſicque deponebatur in terram, quod conveniens erat duræ antiquorum vitæ, atque ideo & poſtea longo tempore in caſtris, ut Plinius innuit, ſervatum eſt. *Scheffer. de Torquib. c. 1. Ciaccon. de Triclin. p. 15. Urſin. Append. p. 225. Cuper. Apoth. Homer. p. 140. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 282. b. D. Stuck. Ant. Conviv. II. 34. Toris*, id eſt, funibus lecti tendebantur. *Scalig. Conject. in Varr. p. 63.* Qui erravit, cum hæc ſcriberet. Id enim adeo inſolens, & inuſitatum fuit apud veteres, ut ingenti probro Alcibiadi verteretur, quemadmodum Plutarchus teſtis eſt. *Scheffer. l. l.* Quem nollem hoc ſcripſiſſe. Nam ne vel Martialem, vel Horatium, vel Petronium, quippe quos hac in materia veterum numero non habere videtur, ad partes vocem, Grammatici τρητὰς λεχέας apud Homer. Odyſſ. A. 440. exponunt ἱμαντοδέτους. Lucillus apud Nonium *tres a Deucalione grabatos reſtibus tentos* celebrat; & denique Alcibiadis factum longe aliter interpretandum eſt. Neque enim talem ob lectum abſolute carpitur; ſed vitio ipſi vertitur, quod in triremibus, in quibus lectos injicere ſolebant aſſeribus, faſciis, vel inſtitis ad mollius cubandum uteretur. Ita enim Plutarch. p. 198. E. *Inciſuras conſtrati navis in triremibus, quo mollius cubaret, ſtragulis injectis faſciis, vel veſtibus, non aſſeribus.* Cuper. l. l.

TRA.

TRABEA fuit ſpecies togæ. Dionyſ. II. p. 129. *Togis purpura prætextis, & fibula adſtrictis induti, quas vocant trabeas: quæ veſtis apud Romanos honoratioribus eſt propria.* Serv. Virg. Æneid. VII. 188. *Trabea eſt toga augurum de cocco, & purpura.* Sed id non ſimpliciter eſt accipiendum. *Trabeam* enim, quæ & ipſa purpura prætexta fuit, a toga prætexta aperte diſtinguit Plin. IX. 39. V. illam ſupr. in *Clavus latus.* VIII. 48. *Prætexta apud Hetruſcos originem invenere, trabeis uſos accipio Reges.* Sed quod rotunda erat, non quadrata, ut pallium, & chlæna Græcorum. Erat autem brevior quam toga. Unde Virg. Æneid. VII. 187.

— parvaque ſedebat
Succinctus trabea.

Inde conſtat non multum diſſimili forma fuiſſe a paludamento, aut chlamyde Romana. Hinc Salios, quos *trabeatos* facit Dionyſ. l. l. *paludatos* appellat Feſtus laudatus in *Saliæ*. Paludamentum etiam veſtis fuit militaris, & purpurea. Talem fuiſſe *trabeam* docet Dionyſ. l. l. Et *trabeam* pro paludamento uſurpat Virg. Æneid. VII. 612. laudatus ſupr. in *Toga palmata.* Quia *trabea* non fuit toga picta, & ideo paludamentum. Nec multum ad rem facit, quod *trabea* a Dionyſio, & Servio *toga* appelletur, cum paludamentum chlamys fuerit; nam etiam Artemidorus togam appellat chlamydem, ut vidimus ſupr. in *Toga.* Exiſtimo itaque *trabeam* non forma, ſed ſolo colore a vulgari paludamento, & chlamyde differre: is autem erat ex purpura, & cocco: & fuiſſe chlamydem albam purpura prætextam, & inſuper clavis, aut trabibus e cocco diſtinctam, a quibus *trabea* dicebatur. *Ruben. de Re Veſt.* I. 5. *Trabea* quidem a prætexta fuit diverſa, non tamen ſequitur non fuiſſe togam, etſi non fuerit prætexta; utraque enim toga fuit: hæc purpureo limbo in ima ora inſignis, reliqua parte alba, ut communis: illa purpureis faſciis, ſive inſtitis, inſtar trabium per totum intexta. Neque breviorem fuiſſe quam toga; quamvis etiamſi brevior, nihilominus toga fuit, ex Virgilio colligitur. Indicat enim ſimplicem, ac minime operoſum antiquorum habitum, cultumque, cum togæ initio breves eſſent, ſtrictæ, atque anguſtæ: contra quam quod ſequentis ævi luxus laxas togas, & inundante ſinu fuſiores invexit. Quomodo ergo brevior quam toga, ſi toga erat? Quæ omnino fuit, & ideo veſtimentum fuit clauſum, ac rotundum, ſolo ornatu purpureo a toga communi, & ornatus ſpecie a prætexta diverſum; paludamentum vero, & chlamys indumentum fuit apertum, & vel hoc uno a *trabea* diſtinctam. Salii præterquam quod trabeati fuerint, cum ancilia portarent,

quanquam Livius laudatus supr. in *Salii*, cujus major fides in rebus Romanis, illis tantum tunicas tribuit, potuerunt cum sacrificarent esse paludati. Nec Festi verba id arguunt; sed tantum Salias virgines paludatas sacrificasse cum apicibus in modum Saliorum: quæ verba sic intelligenda, non quod paludatæ essent, ut Salii; sed quod apices gestiverint in modum eorum. *Trabeam* a Dionysio aperte togam appellari quis non videt, & patriam Romanorum vestem, hoc est, civilem? Nec ideo militaris, quia equites ea usi: non enim in bello, sed in transvectione. Nam quod subjicit idem VI. p. 351. *tanquam a pugna redeuntes*, ad veterem morem alludit, quo antiquitus in togis pugnabant succincti in Gabino ritu. Non fuisse pictam falsum est. V. supr. in *Toga palmata*. Sed esto, non fuerit picta, fuit tamen purpura intexta. Et licet *trabea* tunc in usu non esset, quæ a Romulo inventa, Virgilius poetica prolepsi usus est. Fuit toga, & quidem magistratuum propria, id est, consulis in officio reserandi templi Jani. Nec officit, quod *trabea* cingeretur, toga picta flueret, nam & toga communis modo cingebatur cinctu Gabino, modo non. Artemidorus non affirmat togam fuisse chlamydem: sed Temenum, cum chlamys Græco more aperta esset, & fibula in summa ora necteretur, ne caderet, primum vertisse morem hunc, & ipsam chlamydem consuisse, atque ex aperta clausam fecisse, atque ita circumposuisse, scilicet injectam, ut postea Romani togam gestarunt, sinistro brachio imam oram ejus sustulisse, dextro exerto. Color illarum qualis fuerit, demonstrat Dionysius. Apud hunc legendum est non πορφύρους, sed περιφορφύρους, id est, prætextas. Nam si togæ illæ fuissent totæ purpureæ, quomodo purpura intextæ dici potuissent, & *trabes* illæ ex purpura, unde dicebantur in vestimento oloporphyro conspici? *Infibulati* itaque *togas prætextas, puniceo colore intertextas, quas trabeas vocant*. Non solum ergo prætextæ erant purpura illæ *trabeæ* in ima ora, sed fasciis instar trabium per totum discurrentibus distinctæ, non clavis, & quidem partim ex cocco, partim ex purpura marina, si Suetonio fides, cum Dionysius tantum puniceas memoret. Quanquam & illud φοινικοπαρύφους, palmis, sive palmarum figura intextas vertere possimus. Ut tamen *trabeæ* diversæ fuerint a palmatis triumphalibus, in quibus palmæ ex auro intextæ, vel acu pictæ erant: licet illæ quoque sequenti ævo *trabeæ* fuerint appellatæ. Non itaque solo colore, sed forma, ut jam ostendimus, diversa a chlamyde, & paludamento fuit *trabea*. Ferrar. de Re Vest. I. 2. 5. Anal. de Re Vest. c. 5. Manut. Quæs. Epist. III. 1. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 5. Sigon. de Judic. III. 18. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 29. Initio fuerunt Regum. Plin. VIII. 48: IX. 39. supr. laudatus. Mox peculiares equitum Romanorum, cum scilicet Idibus Julii transveherentur ex Q. Fabii instituto. V. supr. in *Equites*. Etiam consulum. Sidon. Epist. VIII. 6. *Dixit disposite, graviter, ardenter, magna acrimonia, majore facundia, maxima disciplina, & illam Sarranis ebriam succis inter crepitantia segmenta, palmatam plus picta oratione, plus aurea convenustavit*. Eo respexit Claud. de Consul. Mall. Theod. n. 256.

Nec dilata tuis, Augusto judice, merces
Officiis, illumque habitum, quo jungitur aulæ
Curia, qui socio proceres cum principe nectit.

n. 338.

Decurrat trabeata domus, tradatque secures
Mutua posteritas, servatoque ordine fati
Mallia continuo numeretur consule proles.

Auson. in Grat. act. *Eo quoque descendisti, ut quæreres, qualis ad me trabea mitteretur. . . . In procinctu, & maxime dimicaturus palmatæ vestis meæ ornamenta disponis feliciter, & bono omine. Namque iste habitus, ut in pace consulis est, ita in victoria triumphantis*. Fab. ad tit. II. de orig. jur. p. 180. Lips. de Magistrat. Roman. c. 8. An Saliorum etiam fuerit V. supr. in *Salii*.

TRACTATOR vocabatur rationarius, qui præsidum rationes scribebat, & hic singulo quadrimestri ratiocinia ad comitem largitionum cum pecunia transmittere conabatur. l. 1. C. de Offic. comit. largit. l. 3. C. de can. sacr. largit. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 74. Du Fresne Glossar.*

Tractator erat servus medicorum, qui corpus fricabat, & manu artifice membra, & plurimum manus, digitosque ducebat, & leniter trahebat. Senec. Epist. 66. *An potius optem, ut malacissandos articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro versus, digitulos meos ducat? Quidni ego feliciorem putem Mucium, qui sic tractavit ignem, quasi illam manum tractatori præstitisset?* Pignor. de Serv. p. 78.

TRACTATRIX erat ministra medicarum, quæ corpora fricabat. Mart. III. 82. 13.

Percurrit agili corpus arte tractatrix.

Pignor. de Serv. p. 78.

TRACTORIÆ dicebantur diplomata, quæ dabantur missis, vel evocatis a Principe cursu publico utentibus, adscriptis etiam stativis, id est, diversoriis, & mansionibus, quibus alantur sumptu publico. In Marculphi monachi libro *tractoriæ* formula hæc est: *Ego Imperator Gratianus omnibus agentibus in illo loco. Nos Gajum Cecinnam partibus illis legationis causa direximus. Ideo jubemus, ut locis convenientibus eidem evectio a vobis simul, & humanitas ministretur, hoc est, veredi, sive paraveredi tot, porcelli tot, verveces tot, agni, anseres, phasiani, pulli, ova, olei libræ, gari libræ, mellis, aceti, cumini, piperis, costi, cariophylli, spicæ, cinnamomi, grani, mastycis, dactylæ, pistaciæ, amygdalæ, ceræ libræ tot, salis, olerum, leguminum carra tot, faculæ tot, pabuli equorum carra tot. Hæc omnia tam eundo, quam redeundo eidem ministrari in locis solitis, & impleri sine mora procurate*. Buleng. de Imp. Rom. VI. 29. Circo c. 51. Du Fresne Glossar. Cerda Adv. c. 92. n. 17. Stewech. in Veget. I. 3. Hennin. ad Bergier. de viis milit. IV. sect. 15. §. 9. Zimmerman. Floril. Philol. p. 744.

TRAGOEDI sunt actores fabularum, qui fabulas, quales a poetis acceperant, agebant, nihilque de suo iis addebant. *Salmas. Exerc. Plin. p. 609. a. B. & G.* Easque canendo exprimebant. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 7.* Ideo maxime affectabant vocis claritatem: & in eum finem gestabant lapidem chalcophthongon. Solin. c. 37. *Chalcophthongos pudice habitus. L. habitis servat vocis claritatem.* Fibulamque peni imponebant. V. supr. in *Fibula*. Salmas. Exerc. Plin. p. 541. Hoc modo scenam introibant. *Gibbero capite, cum antiqua lege ad frontis superficias.* Varro Eumenidibus. *Gibberum caput* personatum vocat. Epictet. c. 39. *Tragici personas gerunt, cothurnos, & vestem talarem, ut & ridiculus scurra. Utrique enim reliqua omnia communia habent.* V. & supr. in *Cothurnus*. Habuerunt & in scena vestem talarem, quæ syrma dicta est. V. illam supr. in *Syrma*. Buleng. de Theat. I. 55. Scalig. Poet. I. 16. Personas emeriti Baccho suspendebant. *Laurent. de Adulter. & meretr. c. 3.*

TRAGOEDIA *est imitatio actionis seriæ, & perfectæ magnitudinem habentis sermone constans ad voluptatem facto, ita ut singula genera seorsim in singulis partibus habeant locum, atque non enarrando, sed per misericordiam, & metum inducat similium perturbationem.* Aristot. de Poet. c. 6. *Buleng. de Theat. I. 7. Gyrald. Dial. de Poet. VI. p. 318. C. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 6.* *Tragœdia*, sicut & comœdia in exemplis humanæ vitæ confirmata, tribus ab illa differt, personarum conditione, fortunarum, & negotiorum qualitate, exitu, quare stylo quoque differat necesse est. In illa e pagis sumpti Chremetes, Davi, Thaides loco humili: initia turbatiuscula: fines læti. Sermo de medio sumptus. In tragœdia Reges, Principes, ex urbibus, arcibus, castris: principia sedatiora: exitus horribilis. Oratio gravis, culta, a vulgi dictione aversa, tota facies anxia, metus, minæ, exilia, mortes. Nomen traxit ab hirco nullam aliam ob causam, nisi quia in ejus numinis honorem ageretur ejusmodi fabula, cujus victima esset hircus. *Scalig. Poet. I, 6. Casal. de Trag. & Com. c. 1. Voss. de Instit. poet. II. 22. §. 3... 6.*

3... 6. Primus omnium Theſpis e ſitu, & pulvere in lucem hominum eduxit, & ſcenicos fecibus oblitos in plauſtra invexit, unde dicta jacerent in obvios, & cantilenis ſuas decantarent. Alii volunt Theomim quendam, qui ætate Oreſtis floruerit, *tragœdiam* reperiſſe, quem Minos, & Auleas ſecuti ſunt. Suidas tamen primum auctorem facit Epigenem Sicyonium, a quo Theſpis decimus ſextus tragicus poeta fuerit. De Theſpi Horat. Art. Poet. n. 275.

Ignotum tragicæ genus inveniſſe camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,
Quæ canerent, agerent peruncti fecibus ora.

Buleng. ibid. c. 2. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 735. b. B. Caſal. l. l. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. v. 7. Qui eam primus dederit, haud ita pro comperto habetur. Satis conſtat illud, a poeta Theſpi nitidiorem factam, qui primus penſiles ſcenas in plauſtris circumegit, addiditque nudis oribus fecem pro perſona, e quibus fecibus vinaceis alii *tragœdiæ* nomen deductum maluere: id enim ſignificat τρὺξ, quemadmodum τρύγημα vindemiam. *Scalig. l. l. Laurent. var. ſacr. gentil. c.* 18. *Caſaub. de Satyr. poeſ.* 1. 5. *Voſſ. de Inſtit. Poet.* II. 12. 3. Prior fuit comœdia, quia paulatim ab incultis, & feris moribus ad manſuetudinem, qua urbes conditæ ſunt, perventum eſt. *Buleng. ibid. c.* 7. *Gyrald. ibid. p.* 322. *F. Scalig. l. l.* Eſſe rem antiquam conſtat ex hiſtoria. Ad Theſei namque ſepulcrum certaſſe tragicos legimus. Non tamen comœdia eſt vetuſtior. Nam & res lætæ in cantionibus quæſitæ prius: & prius nuptiæ, quam interitus: & potationes, quam ſobrietates: & communis ſermo, quam ampullatus: & paſtoralis vita, quam regia. Probatio quoque falſa. Ajunt enim Iliadem priorem Odyſſea. Iliadem *tragœdiæ* modulum, comœdiæ Odyſſeam. Nam, ut taceam, quod poſſit diſceptari, utra ſit ſcripta prior: legendam prius Odyſſeam ſentio. Eſt enim remiſſiore ſtylo. Adhæc, non omnia referenda ad Homerum, tanquam ad normam, cenſeo: ſed & ipſum ad normam. Præterea quis neſcit Odyſſeam eſſe veriſſimam *tragœdiam*? In Iliade autem nullum *tragœdiæ* filum: ſi totam ſimul conſideres: uno enim tenore perpetuæ mortes: Iam incipit a peſte: quæ plus hominum abſumpſit, quam univerſum bellum. Ea deſinit in unius tantum morte: a cujus nomine nulla inſcriptio. Et quum ſit inſcriptum opus Ilias, non interit in ea Ilium, ſed in Odyſſea. Contra in Odyſſeæ tractu unus tantum moritur Elpenor, iſque ebrius. Nam ſociorum cæterorum interitus unico pæne verbo involvitur ſine affectu ullo propemodum. Jam eſt imago nuptiarum, convivia, ſaltus, cantationes. In fine autem & proci interficiuntur, & intervenit θεὸς ἐπὶ μηχανῆς: quod *tragœdiæ* proprium eſt. *Scalig. ibid. c.* 5. Differt a comœdia: quia in comœdia mediocres fortunæ hominum, parvi impetus, periculaque, lætique ſunt exitus actionum: at in *tragœdia* omnia contraria, ingentes perſonæ, magni timores, exitus funeſti habentur: & illic turbulenta prima, tranquilla ultima: in *tragœdia* ordine contrario res aguntur: tum in tragœdia fugienda vita, in comœdia capeſſenda exprimitur: poſtremo omnis comœdia de fictis argumentis, *tragœdia* ſæpe de hiſtorica fide petitur. *Gyrald. ibid. E. Caſal. l. l.*

TRAGULA fuit telum validum, ſed quale, haud aliter ſcio, niſi quod hamatum fuiſſe ſuſpicor. Feſtus: *Tragula, genus ſcuti, dicta, quod ſcuto infixa trahatur.* Atrociter ſauciabat. Suidas: *Cotta utebatur telo, quod tragula dicebatur, quo tam validam plagam inferebat, ut percuſſum per loricam per latera transfigeret, & velut clavo terræ affigeret.* Lipſ. Poliorc. IV. 4. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 16. Turneb. Adv. VII. 12. Voſſ. Lex. Etymol. Laurent. Polym. IV. Synopſ. II. §. 9. Thyſ. de Oppugn. urb. IV. p. 186. Kipping. Antiq. Roman. III. 2. §. 5.

TRAHA, & *trahea*, fuit vehiculum ſine rotis. Virg. Georg. I. 164.

Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere raſtri.

Ubi Servius: *Traha vehicula ſine rotis, quas vulgo tragas dicunt.* Scheffer. de Re Vehic. II. 7. Voſſ. Lex. Etymol. Popma de I[illegible]rum. fundi c. 9.

TRAHARIUS eſt, qui *trahis* ſarcinas, & impedimenta vehit. Sidon. Epiſt. VI. 1. *Ad extimos trahariorum, qui per inſipientiam ſuam adhuc ad carnis ſarcinas ſedent, crucis diu portatæ vexilla circumfers.* Voſſ. Lex. Etymol. Savar. in Sidonium.

TRAJANUS Marcus Ulpius a Nerva adoptatus, princeps factus, & in ſenatu Cæſar deſignatus. Xiphil. LXVIII. p. 770. E. *Quum Nerva omnibus ſe contemptui eſſe propter ſenium ſentiret, in Capitolium conſcendit: ibique magna voce: quod felix, fauſtumque ſit, inquit, S. P. Q. R. mihique ipſi, M. Ulpium Trajanum principem facio: eundemque poſtea in ſenatu Cæſarem deſignavit: atque ad eum, qui tum Germaniæ præſidebat, ita ſcripſit:*

Telis ipſe tuis Danaos ulciſcere noſtras
Ob lacrymas.

Itaque Trajanus, quamquam Nervæ propinqui non deerant, adoptatus, tunc Cæſar, ac poſtea Imperator eſt factus. Nec enim ille conjunctionem ſanguinis antepoſuit publicæ utilitati, neque eum deterruit, quod Trajanus, homo Hiſpanus, nec Italus, nec Italicus erat, quodque ante eum nemo alterius nationis imperium Romanum obtinuerat. Dies autem adoptionis, nominis Cæſaris adepti, & tribuniciæ poteſtatis ſuſceptæ procul dubio fuit XIV. Kal. Octobr. qui erat dies natalis imperii Nervæ, ut ſemper obſervatum eſt; atque ex Plinii epiſtolis ad *Trajanum* intelligitur. *Panvin. Faſt.* II. *p.* 213. Anno 870. apud Selinuntem Ciliciæ, quæ poſtea *Trajanopolis* appellata eſt, diem obiit imperii an. 19. menſ. 6. & die 15. ut tradit Xiphil. ibid. p. 786. C. *Panvin. ibid. p.* 219.

TRANSENNA eſt funis extentus. Serv. Æneid. V. 488. *Trajecto, extento: unde tranſenna dicitur extentus funis. Salluſtius: Machinato ſtrepitu tranſenna corona in caput immittebatur.* Et ita, ubi de eadem re loquitur, Val. Max. IX. 1. 5. *Demiſſas lacunaribus aureas coronas.* Quod profecto factum eſſe funibus exiſtimandum eſt. Id adeo magis intelliget, qui totum Salluſtii locum a Macrob. Sat. II. 9. perſcriptum perleget. Et ita Salluſtii interpres Plutarch. in Sertor. p. 579. E. *Victoriæ fictæ epidromis deſcendebant, quæ aurea tropæa, & coronas transferebant.* Epidromus vero funis eſt, & in venatione eum appellant, qui eſt ſummus, & imus in retibus, quoque intenduntur. Plin. XIX. 1. *Ut annulum hominis cum epidromis tranſirent.* Servio favet Iſidor. XIX. 1. *Trajectus, id eſt, extentus. Eſt enim funis latus: unde tranſenna dicitur extentus funis.* Ipſe Cicero de Orat. I. 35. *Nunc pete a Craſſo, ut illam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam uno in loco, quaſi per tranſennam prætereuntes, ſtrictim aſpeximus.* Ubi *per tranſennam præterire* putet quis eos, qui machina quadam, ut aſſolet in ludis fieri, celerrime tranſeunt per funem tenſum in theatro, id eſt, per funem feruntur, & prætereunt theatri ſpatium. Itaque cum ſcribit Horat. Epiſt. II. 1. 210.

Ille per extentum funem mihi poſſe videtur
Ire poeta.

eſſe poteſt *tranſenna*, id eſt, extenſus funis, quem veluti perambulet poeta rerum miraculo perſimilis. Videtur tamen in Cicerone eſſe *tranſitus*, quaſi *tranſienna*: *tranſitum* intelligo pervium ſpatium inter conclavia, cubicula, aut cœnationes: ſi enim per *tranſennam* præteriens in veſtiario per fores ejus videres veſtem pulcerrimam conſtructam, & compoſitam, non acquieſceres in tam brevi aſpectu. Sic *tranſennam* uſurpat Paullin. Epiſt. XII. *Hæc baſilica aperitur tribus arcubus paribus prælucente tranſenna, per quam viciſſim ſibi tecta, ac ſpatia baſilicæ utriuſque junguntur. Intra ipſam tranſennam, quæ breve illud, quod propinquas ſibi baſilicas diſcludebat, intervallum continuatur.* Eſt enim *tranſenna* funis, ut in Salluſtii exemplo. Itaque cum ad illaqueandum aves intendantur funes,

Nunc a tranſenna hic turdus lumbricum petit.

dixit Plaut. Bacchid. IV. 6. 22. & Perſ. IV. 3. 11.

Nunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis.

Turneb. Adv. v. 9: xxiv. 11. Beroak Annot. c. 93. Gyrald. de Navig. c. 15. Grapald. de Part. æd. 11. 3. 2. Becman. in Orig. Ling. Lat. p. 1115. Vlit. in Grat. Cyneg. n. 26. Lambin. & Taubman. in Plautum. Rectius, sed nimis adhuc late fenestram interpretatur Non. 11. 859. *Transenna, non, ut quidam putant, transitus, sed est fenestra.* Est enim opus cancellatum, sive reticulatum, atque, ut Græci vocant, δικτυωτὸν: vel, quia aspectus transeat, contra quam sit in corpore solido: vel, quia perticæ, unde *transenna* fit, se transeant mutuo, ut quæ lignis constet transversis: unde, ubi de turdis loquitur, requirit Varr. de Re Rust. 111. 5. *perticas inclinatas ex humo ad parietem, & in iis transversis gradatim modicis intervallis perticis annexis ad speciem cancellorum scenicorum, & theatri.* Fenestræ enim spatium implent cancelli, hoc est, fenestra erat, vel janua reticulata. Unde δικτυωτὸν vocatur LXX. 2 Reg. c. 1. n. 2. aliis εἶδος διάτρητον, Polybio θυρὰ διαφανὴς, quomodo & *perlucentem fenestram* dixit laudatus Paullinus. In glossis legas: *Transenna* κιγκλίς. At κιγκλὶς idem quod κάγκελλοι, ut ex Polluc. VIII. 5. & Schol. Aristoph. Equit. 11. 1. 31. constat. Indicat enim Ciceronis locus modo laudatus fatente Becmano notare opus, quod dixi, cancellatum, sive reticulatum, si sanus sit: quem cur corruptum esse arbitretur, causa non est satis gravis. Etiam Nonius illum adduxit. Turnebo assentire non possum, qui existimat esse spatium. . . . ut nomen ex eo sit, quia ex una ædium parte transitur in aliam. Sane ne Paullino quidem id *transenna* est, verum cancelli, quibus dividebantur sanctuarium, & popularia. Nihil nos cogit, ut apud Plautum per *transennam* intelligamus funem. Quin potius capere oportet per *transennam* cratem, vel reticulatum opus, quod suspendi solet, hordeo, aliave esca sub eo aspersa, ut simul ac subiere cratem, sive rete, illud dimittatur, atque ita aves capiantur. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 643. a. F. 647. a. D. Erod. Misc. IV. 19.*

Transenna dicebatur ostium circi, unde quadrigæ emittebantur. Et hoc erat cancellatum. Hæc demittebatur fune. Testatur hoc Tzetzes. Testatur Cassiodorus his verbis: *Ostia ab Hermulis, funibus demissis, subita æqualitate panduntur.* Hinc *transenna* accipi cœpit pro fune. Hinc Glossæ: *Transenna:* βρόχος ἐν ἀφετηρίαις τεταμένος. Etiam: *Transenna:* ὕσπληξ, ἀπαλλαγὴ, μαππαρίῳ σημεῖον. Sed hæc significatio est καταχρηστική. *Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 643. a. F.*

TRANSFUGA ab Imperatore si reciperetur, Imperator dicebat: *quisquis es.* Virg. Æneid. 11. 248.

Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos:
Noster eris.

Ubi Servius: *Quisquis es, licet hostis es. Et sunt, ut habemus in Livio, Imperatoris verba transfugam recipientis in fidem.* Brisson. de Form. IV. p. 355. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 12. Buleng. de Circo c. 6. V. quoque *Cujac. Observ.* IV. 9: XV. 34. Crura absciderunt, pedes amputarunt, manus absciderunt illis, ut testatior esset improborum pœna. Vulcat. Gallic. Avid. Cass. c. 4. *Multis desertoribus manus excidit, ac poplites, dicens majus esse exemplum viventis miserabiliter criminosi, quam occisi.* Liv. XXVI. 12. *Hi supra septuaginta comprehensi, & cum transfugis novis multati virgis, manibusque præcisis Capuam rediguntur.* Valer. Max. 11. 7. 11. *Omnium, qui ex præsidiis Romanorum ad hostes transfugerant, captique erant, manus abscidit, ut trunca præ se brachia gestantes metum defectionis reliquis injicerent.* Sichterman. de Pœn. milit. c. 11. Faber Semest. 1. 18. Quare hoc fecerint V. supr. in *Pars.* In crucem egerunt. V. supr. in *Crux.* Vivos combusserunt. V. supr. in *Crematio.* De rupe Tarpeja dejecerunt. V. supr. in *Rupes Tarpeja.* *Transfugas* bestiis objecerunt in spectaculis. Val. Max. 11. 7. §. 13. *Posterior Africanus everso Punico imperio exterarum gentium transfugas in edendis populo spectaculis feris bestiis objecit.* Liv. Epit. 51. *Scipio, exemplo patris sui naturalis Æmilii Paulli, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit; transfugasque, ac fugitivos bestiis objecit.* Sichterman. ibid. c. 8.

TRANSILVANIA. V. illam supr. in *Dacia.*

TRANSTRA sunt tabulæ, aut tigna, per transversum a latere in latus posita, in quibus remiges sedebant. Virg. Æneid. v. 137.

Considunt transtris.

Græcis, & inter eos maxime poetis sunt ζυγὰ, καὶ σέλματα, καὶ ἑδώλια. Alias & juga a Latinis nuncupantur. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 574. E. Gyrald. de Navig. c. 11. Scheffer. de Milit. Nav. 11. 5. Voss. Lex. Etymol. Kipping. Dissert. de Exped. marit. §. 1. Delrio in Senec. Agamemn. n. 440.* Erant remigibus lectorum vice. Nam in iis somnum capiebant. Senec. Agam. n. 437.

—— credita est vento ratis,
Fususque transtris miles.

Virg. Æneid. v. 836.

—— placida laxarunt membra quiete
Sub remis, fusi per dura sedilia nautæ.

Recte ait, *per dura sedilia.* Neque enim lectum, vel quid aliud somni causa debebant substernere, quippe quod mollius haberetur, quam ut militibus, remigibusque conveniret. *Scheffer. l. l.*

TRANSVECTIO equitum. V. illam supr. in *Equites.*

TRAPETUM est mola olearia. Serv. Georg. 11. 518.

Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.

Gloss. Philox. *Trapetum,* ἐλαιῶν μύλος, ἐλαιουργεῖον. Gloss. Cyrill. Ἐλαιοτρίβιον, *trapetum.* Mart. XIII. 36.

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

Colum. XII. 50. a mola separat, & pro trabe accipit, qua oleum exprimitur. Cato de Re Rust. c. 22. totam constructionem, & fabricam intelligit, in qua orbis est ipsa olearia mola, quæ in *trapeto* vertitur, & oleam terit. *Voss. Lex. Etymol. Popma de Instrum. fund. c. 32. Turneb. Adv. XX. 7. Bud. in Pandect. p. 172. E. Hering. de Molend. q. 6. §. 1. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. I. 14.*

TRE.

TRECHEDIPNA vocat Juven. Sat. III. 67.

Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine.

quæ Itali, & Galli livréas vocant. Solent enim magnates eos, qui in sua familia nutriuntur, tali coloris genere vestire, e quo cognosci possit, in quorum clientela vivant. Puto igitur eos, qui divitum mensas sectabantur, hoc est, parasitos inter alia, quæ eos contumeliose perpeti necesse erat, etiam regum suorum (ignoscant mihi Ciceronis manes) livréas gestasse. Certe tale quid videtur innui a Juvenale Sat. v. 143. quo loco de parasitorum contumeliis agit.

—— viridem thoraca jubebit
Afferri, minimasque nuces, assemque rogatum,
Ad mensam quoties parasitus venerit infans.

Ut is color parasitis Virronis livrea fuerit. Jam, quia eo velut signo atriensis cognoscebat, quos ad cœnam admitti fas esset, facete Juvenalis id genus vestis *trechedipna* vocat, quod ejus beneficio liceret illis ad cœnas regum suorum & currere, & admitti. Confirmat hanc sententiam vetus interpres, qui habet: *Trechedipna vestimenta parasitica, ut Galliculas Grajas, currentium ad cœnam.* Ita enim in eo legendum est, non, ut vulgo *caligulas.* Hoc igitur dolet poeta, Romanos eo luxuriæ devenisse, ut & parasitari, & palæstris uti peritius ipsis Græculis didicerint. *Rutgers. Var. Lect.* VI. 13. Qui, dum vestes peculiaribus familiarum coloribus distinctas intelligit, nimis argutatur. Sane τρεχεδείπνους legimus in Plutarch. Sympos.

Sympos. VIII. 6. eos appellatos, qui appetentes licet, & ambientes alienas cœnas, in mora tamen erant cæteris convivis tardius accedentes, ut per contrarium *trechedipni* videntur dicti. *Calcagn. Epist. Quæst.* III. 1. Sed licet Græci *trechedipnos* appellarint parasitos, vestes tamen ita appellatas non meminit: neque apud Juvenalem ulla mentio convivii, sed palæstræ, ac ceromatis: & ideo Vetus interpres ait; *Ecce in quantum Romani rustici didicerunt luxuriam, & palæstris uti, & fracteris, ut athletæ ad vincendum.* Ferrar. de Re vest. II. 1. 11. Ego gymnasticas intelligo, quæ a cursu nomen habent, & cœna, ut perstringat rusticos Romanos acriter, qui tam dediti fuerint gymnasticis, & Græcanicis exercitationibus, ut iis prope vitam, & spiritum ducere viderentur, ad easque tanquam ad cœnam currerent: qua veste etiam esuritores fortasse Græculi ad cœnam cursitantes uti solebant. Quare *trechedipna* hic jocoso vocabulo *endromidem* appellari reor, de qua Sat. VI. 246. laudatus supr. in *Endromis.* Ecce hic *endromiden, & ceroma* conjunxit, ut modo *trechedipna, & ceromaticum collum* copulabat: ut utrobique eandem sententiam non iisdem tamen verbis expresserit. *Turneb. Adv.* III. 17. *Stuck. Ant. Conv.* II. 27. *Grang. ad Juvenalem.* Interpres *caligulas Grajas* supr. vocavit, & voluit esse apud Juvenalem quæ Græcis τροχάδες appellantur. Τροχάδας exponit Hesychius σανδάλια ἀπὸ ξ αἰγείου δέρματος. Auctori veteris glossarii τροχάδες sunt gallicula. *Salmas. in Pollion. Gallien. c.* 16. Turnebi notatio ut placere non potest, nec tamen melior succurrit: ita *trechedipna* malim vestes gymnasticas, quam calceos parasiticos interpretari. *Ferrar. l. l.* Collo potius gestabantur ab hieronicis, ut hoc symbolo agniti admitterentur ad publicum convivium, quod illis in omni agone sacro commune esse solet. Nec obstat, quod dicerentur τρεχέδειπνα ex τρέχω & δεῖπνον, ac τρέχειν sit pedum, non colli. Nec enim sic vocata, quia iis, sed quia cum iis currerent. Festinabant enim ad convivium sacrum ob commodiorem locum, &, ut dixi, ex isto colli symbolo agnoscebantur. Proprie vero ipsi hieronicæ τρεχέδειπνοι: sed monileteria hieronicarum, hoc est, victoriæ præmia, quæ ceromatico, sive oleo, & cera inuncto gestabant collo, ea τρεχέδειπνα sunt vocata, quia iis uterentur τρεχέδειπνοι. *Voss. de Vit. Serm.* I. 29. *& Lex. Etymol. Scalig. de Emend. temp.* V. *p.* 457.

TREMISSIS vocabulum pro triente ad exemplum semissis finxerunt mediæ Latinitatis auctores. Lamprid. Alex. Sev. c. 39. *Tunc etiam, quum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses formati sunt.* Isidor. XVI. 25. *Solidi tertiam partem dixerunt tremissem, eo quod solidum faciat ter missus.* Fuit nummus aureus pondere & pretio tertia ex parte minor, quam solidus: pari, ut credi convenit, forma insignitus. Credo tamen interdum Latine trientem appellari, veluti apud Trebell. Claud. c. 14 *Philippeos nostri vultus annuos centum quinquaginta, & in strenis quadraginta septem, & trientes centum sexaginta.* c. 17. *Aureos Valerianos centum quinquaginta, trientes Saloninianos trecentos.* Hotman. Antiq. Roman. IV. 3. 8. Salmas. de Mod usur. c. 1. & 8. Exerc. Plin. p. 881. b. A. Casaub. ad Lampridium. Lipen. de Stren. c. 3. §. 61. Bud. in Pandect. p. 188. F. Agric. de Pond. & Imperat monet. II. p. 276.

TRES *tabernæ* a Rufo in regione quinta, sive Esquilina citantur. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 5. In via Appia. Urbis hujus meminerunt Cicer. Attic. I. 13. *Accepi tuas tres jam epistolas: unam a M. Cornelio, quam Tribus tabernis, ut opinor, ei dedisti.* & Lucas Actor. c. 28. n. 15. *Fratres prodierunt nobis in occursum usque ad Appii forum, & Tres tabernas.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 254. D. Cluver. Ital. Ant. III. 8. 17. Lindenbr. in Ammian. XVI. 11. Schott. Itiner. Ital. p. 195.

TRESSIS, sive tripondium fuit nummus æneus, pretii, & ponderis trium assium, communi, ut credi par est, nota insignitus. Varr. de Ling. Lat. VIII. 49. *Tressis ex tribus æris: quod sic pro assibus nonnunquam æs dicebant antiqui.* Itaque pro levi pecunia usurpabant: velut apud Pers. Sat. V. 76.

—— hic Dama est, non tressis agaso.

Hotman. Antiq. Roman. IV. 1. 13. Agric. de Pond. & temperat. monet. II. p. 294. Gronov. de Pecun. vet. I. 8: III. 12.

TRI.

TRIARII genus militum fuit apud Romanos. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. V. illum supr. in *Subsidium.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 35. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 974. F. Stewech. in Veget. I. 19: III. 14. Lips. de Milit. Rom. II. 1. Analect. p. 287. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 2. & 18. Panvin. Imp. Rom. c. 16. Laurent. Polym. IV. Synops. I. §. 5. Thys. Rom. Illustr. II. p. 54. De illis Liv. VIII. 8. sed laudatus supr. in *Acies.* Et Veget. III. 14. *Triarii, ut requieti, & integri acrius invaderent hostes, post ultimas acies sedere consueverant. Si quid enim primis ordinibus accidisset, de horum viribus reparationis spes tota pendebat.* In genua se submittere solitos fuisse scribit Liv. VIII. 9. *Triarii genu dextero innixi, nutum consulis ad consurgendum exspectabant.* Atqui ista genu flexio magis defatigasse milites videtur, quam si erecti stetissent. Ad hoc respondemus, milites Romanos diuturna assuetudine, & exercitio id consecutos fuisse, ut nullas non molestias facile perferre possent, neque gravius ipsis esset, in genua subsidere, quam pedibus erectos stare. Quid, quod nullam aliam ob causam Romani id fecisse existimandi sunt, quam ut lassitudini membrorum occurrerent, quoniam, si semper erecto corporis habitu fuissent, omni pondere non solum armorum, sed etiam scuti, & hastæ gravati, eo temporis tractu, quo principes, & hastati in hostem pugnabant, haud mediocriter defatigari, & viribus exhauriri potuissent. Verum genibus nixi, scuti parte inferiore, nec non hastæ, in terram reclinata, in superiore ejusdem scuti parte requiescere poterant, humerum sinistrum ea fulcientes. Quare ista genu flexio, non erat lassitudinis causa, sed efficiebat potius, ut integris postea viribus in hostem consurgerent. Sic Gallos in acie considere solitos dicit Hirt. de Bell. Afric. c. 3. Et Vegetius affirmat, milites in genua se submittentes, melius corpus suum scutis adversus telorum ictus protegere posse. *Patric. Rei milit. Rom.* IV. *sect.* 9. *Lips. ibid.* IV. 1. *Laurent. & Thys. l. l.* Illorum ordines, & manipulos, quia principales totius legionis ductores, ac milites haberent, principia vocat Liv. VIII. 10. *Ubi triarii consurrexerunt integri, refulgentibus armis, nova ex improviso exorta acies, receptis in intervalla ordinum antepilanis, clamore sublato principia Latinorum perturbant: hastisque ora fodientes, primo robore virorum cæso, per alios manipulos velut inermes prope intacti evasere.* A *triariis* Romanorum *triarios* Latinorum perturbatos fuisse scribit, quos *principiorum* nomine appellavit. Inde *postprincipia* locus in novissimo agmine post ipsos *triarios*, ubi consistebant, antequam acies congrederentur, rorarii, accensi, & velites. Et sic interpretanda verba Comici in Eunucho de milite glorioso, qui postquam instruxisset more militari domesticorum agmen, ipse *ex postprincipiis se signum daturum esse* pronuntiat. Ita enim loquitur ad parasitum suum IV. 7. 11.

Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.

Ad quæ verba notavit Donatus, ambigere multos, utrum hic locus *postprincipiorum in extremo sit agmine, an in medio.* Utraque opinio vera est, si ex ratione temporum res explicetur. Nam secundum antiquæ militiæ ordines *postprincipia* in novissimo agmine. Juxta novum ordinandi morem in medio consistebant. *Salmas. de Re milit. Roman. c.* 5. *Pilani* etiam vocabantur, quia pilis pugnabant. V. supr. in *Pilani.* Non semper in prælium educebantur, sed primis Reipublicæ temporibus ad castra servanda, ac tutanda destinabantur. Dionys. V. p. 290. *Erant custodes castrorum*

ſtrorum triarii, veteres milites, & multorum bellorum uſu docti, quos ultimos adhibere ſolent rebus deſperatis, & cum nulla ſpes reliqua. VIII. p. 552. *Triarii ſunt vetuſtiſſimi militum, quibus caſtra ſolent commendare cuſtodienda, cum in aciem exeunt, & ad quos poſtremos confugiunt urgente neceſſitate.* Cujus moris aliquot exempla occurrunt apud Livium. Quid ergo? non de more pugnabant? vix apparet, olim quidem. Nam quod aliquis ſuſpicetur, partem ad caſtra, partem in acie relictam, ægre potuit. Exigua enim manus, & in duabus legionibus non niſi [illegible] ducenti. Niſi tamen dimidia illa pars relicta, expleta, & adaucta fuit ſociorum extraordinariorum [illegible], itemque evocatorum aliquot: quod haud [illegible]. Sed tamen ex Dionyſio ſenſeris, ſervatos in caſtris [illegible] tes ultimos, nec niſi in magna neceſſitate ad aciem [illegible]. *Lipſ. l. l.* Honore, & loco in caſtris ab equitibus [illegible], & conveniebant in unam aream: tum ut [illegible], tum ut equos obſervarent, [illegible] vigi[illegible] turbis. Dimidiati erant ad equites quoad metaturam. *Lipſ. ibid.* V. *dial.* 4. *Thyſ. ibid.* V. *p.* 115. V. etiam ſi plura deſideras. *Salmaſ. ibid. c.* 12. *& Patric. ibid. ſect.* 7.

TRIBONIUM, Græce τρίβων, & τριβώνιον fuit pallium detritum, ac ferme lacerum, præcipue Cynicorum. Egregie illud deſcribit Lucian. in Dial. mort. de Menippo: Τριβώνιον, *palliaſtrum geſtans lacerum, & vento pervium, ac diverſorum pannorum aſſumentis variegatum.* In quo veteres illi philoſophi ſeveriores delicias faciebant, præſertim Cynici. Laert. II. 36. *Cum Antiſthenes laceram tribonii partem oſtentaret: video, inquit, per tribonium tuam vanitatem.* Quod narrat Ælian. Var. Hiſt. IX. 35. *Socrates cum videret Antiſthenem laceram tribonii partem in conſpectum dare, [illegible], apud nos te oſtentare?* Ferrar. de Re Veſt. II. [illegible] 14. [illegible] communis habitus paupertatis. Apud Ariſtoph. Plut. III. 2. 74. Carioni ab hero interroganti, quomodo ei, qui in templo Æſculapii [illegible], viſſet, cum capite involuto fuiſſet, reſpondet *per tribonium, quod plures rimas haberet.* Ubi Scholiaſtes [illegible] *pallium tenue, ac [illegible] ab Atticis [illegible], [illegible] e [illegible] ex cre[illegible] e facta.* Nuper [illegible] eſſe veſtem, quam Latini lacernam dixere. Imo & detritorum. Juſtus IV. 2. 20. … 24. [illegible] *tribonium* ad Æſculapium, ut ei illud [illegible], rogatque [illegible], num illi veſtis ſit, in qua [illegible] quod illi tamdiu geſtarentur, donec [illegible] laceræ eſſent, ait, *eam eſſe veſtem, in qua totos [illegible] annos riguerit.* Et eundem Juſtum divitem factum ſycophanta interrogat IV. 3. 32.

> *Unde tibi hoc pallium tam ſplendidum? nam heri*
> *Modo te tribonio amictum vidi?*

Ferrar. ibid. c. 15. Valde falluntur, qui ſolius Cynicæ ſectæ geſtamen fuiſſe tradiderunt. Nam Socrates, & Pythagoræi, Stoici item, & reliqui ſevere philoſophantes hanc veſtem peplis omnibus, Regumque indumentis prætulerunt. Socrates ab Amipſia hac etiam parte in *tribonio* traducitur, & irridetur apud Laert. II. 28. *Amipſias ipſum in tribonio producens ait: Socrates paucorum optime virorum, multorum vero vaniſſime, & ipſe ad nos tandem venis, [illegible] es: unde tibi chlæna?* craſſa, & villoſa, ad [illegible] frigus; cum *tribonium* veſtis detrita, ac tenuis. [illegible] igitur Socratem tenui palliolo amictum interrogat, unde chlænam habeat, & ob id eum vanitatis inſimulat: nam quod id hominum genus ob tolerantiam faciebat, vulgo ad vanitatem atque oſtentationem trahebant. *Ferrar. ibid. c.* 16. *Perizon. in Ælian.* V. 5.

TRIBULES dicebantur, qui in eadem erant *tribu.* Laz. Comm. Reip. Rom. III. 10. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 117. a. A. Urbani erant, regnante Servio, quicunque intra pomœrium habitabant, quacunque fortuna eſſent, & qui in ſolis quatuor urbanis *tribubus* ſuffragium ferebant. Ruſtici vero, qui agros colebant, & in agris habitabant. Procedente tempore mutata res eſt: nec eadem perpetuo nominis cauſa fuit: *tribules* enim urbani appellati, non quicunque Urbem incolerent, ſed qui duntaxat in quatuor urbanis *tribubus* ſuffragium ferrent; ruſtici vero, non qui ruri habitarent, ſed qui rura poſſiderent. Itaque nobilitate, ac dignitate cives excellentes, Cornelii, Æmilii, Julii, Marcelli, Catones, cum in Urbe viverent, ruſtici tamen erant *tribules*, & in ruſticis *tribubus* ſuffragium ferebant. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 13. *A.*

TRIBULUM, ſive, ut Non. III. 249. *tribula* fuit terendis frumentis vehiculum deſtinatum. Colum. II. 21. *At ſi competit, ut in area teratur frumentum, nihil dubium eſt, quin equis melius, quam bubus ea res conficiatur, & ſi pauca juga ſunt, adjicere tribulum, & traham poſſis.* Servius ad Virgilium laudatus ſupr. in *Traha: Tribula, genus vehiculi omni parte dentatum, unde teruntur frumenta, quo maxime in Africa utuntur.* Servius antiquior: *Tribula, genus vehiculi, quo teruntur in area fruges maturæ.* Differebat a traha, ut opinor, eo quod eſſet ex una tantum tabula. Varr. de Re Ruſt. I. 52. *Tribulum fit e tabula lapidibus, aut ferro aſperata.* Non ſic traha fuit ſtructa, ſed ex aſſeribus. Sed quomodo lapides aſperare illam potuerunt? An ictibus? At ea aſperitas exigua tali quidem ure, ut opinor, neque requirebat plures lapides, ſed unum. Ideo & Erythr. Ind. Virgil. *Tribulum, tabula ſaxo, vel ferro aſperata, qua frumenta tererentur in frequenti etiamnum Italiæ uſu.* Dicit *ſaxo*, non *lapidibus*. Sed ne ſic quidem res mihi aperta videtur. Puto Varronem intellexiſſe tabulam, vel lapideam inæqualem, rudem, aſperam; vel ligneam ferramentis extantioribus undiquaque confixam, & ſic pariter aſperiorem. Atque hinc interpretor, quod ajebat Servius, fuiſſe *omni parte dentatum*, non quod haberet dentes longiſſime prominentes, ſicut occæ, crateſve noſtræ, ſed quod aſperum, ac inæquale. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 7. *Popm. de Inſtrum. fund. c.* 9. *Voſſ. Lex. Etymol.*

TRIBULUS. V. illum ſupr. in *Murex.*

TRIBUNAL eſt proprie ſedes *tribuni*, ut Papias exponit, hoc eſt, ſolium, ſive locus ſublimior, ubi is jus dicit. *Voſſ. Lex. Etymol.* Qui Papiæ fidem habere non debuit. Non enim *tribunal* ipſa fuit ſedes, verum ex tabulis erectum quadrata forma ſuggeſtum, longum, latumque, in ſummo planum, in quo ſella curulis magiſtratuum una cum aliis non paucis ad miniſterium paratis ſtare poterant. Ita nobis exhibent nummi veteres, ut Auguſti apud Goltzium p. 57. Vitellii apud Arſchotanum p. 23. atque alii, ut de ſcriptoribus nunc ſileam. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 16. *Manut. Quaeſ. Epiſt.* III. 4. *Pollet. For. Rom.* I. 6. Erat altum. Hac de cauſa ſublime eſt Claud. in Rufin. II. 382.

> *Increpat Auguſtum: ſcandat ſublime tribunal.*

Et *ſuperiorem locum* appellat, eique *æquum* opponit Cicer. Fam. III. 8. *Illud quidem ſcio, meos multos, & illuſtres, & ex ſuperiore, & ex æquo loco ſermones habitos cum tua ſumma laude.* Martialis mox laudandus. Ideoque per gradus illud conſcendiſſe videntur: quomodo in deſcriptione Urbis Conſtantinopolitanæ regione ſecunda legimus *tribunal purpureis gradibus exſtructum.* Scheffer. l. l. Chimentell. de Honor. biſell. c. 15. Noodt de Juriſd. & imper. I 10. Deſcriptionem, ac menſuram habes apud Latinæ architecturæ magiſtrum V. 1. ubi loquitur de *tribunali* in æde Auguſti. *Tribunal eſt in ea æde hemicyclii ſchematis minore curvatura formatum. Ejus autem hemicyclii in fronte eſt intervallum pedum quadraginta ſex, introrſus curvatura pedum quindecim, uti eos, qui apud magiſtratus ſtarent, negotiantes in baſilica ne impedirent.* Chimentell. l. l. Bud. in Pandect. p. 106. I. Roſin. Ant. Rom. IX. 8. Sellam curulem illi impoſitam fuiſſe indicat Cicer. Verr. II. 38. *Palam de ſella, atque tribunali pronuntiavit.* Tacit. Annal. I. 75. I. *Aſſidebat mixtim, aut in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret.* Mart. XI. 99. 17.

> *Sedeas in alto tu licet tribunali,*
> *Et e curuli jura gentibus reddas.*

More a Romulo introducto, de quo ita Dionyſ. II. 4.

Et

Et quum videret ipsum metum homines ab omni facinore deterrere maxime posse, multa ad eam rem paravit, & tribunal, ubi sedens judicabat, in fori loco maxime conspicuo. Noodt. l. l. Pro *tribunali* jura reddebantur. Suet. Vitel. c. 9. n. 4. *Mox Viennæ pro tribunali jura reddenti....* Aug. c. 33. n. 1. *Ipse jus dixit assidue, & in noctem nonnunquam: si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata.* Tacit. Annal. I. 75. 1. *Judiciis assidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret.* Suet. Tib. c. 33. n. 2. V. illum supr. in *Consiliarii.* Chimentel. l. l. Perizon. de Prætor. Differt. II. 21. Baleng. de Imper. Rom. III. 4. *Pro tribunali* sedere sollenne ac judiciarium: quod Græci πρὸ, vel ἐπὶ τοῦ βήματος. Bema pro jure, sive judicio Græcis Ictis; ἐν βήματι, in jure Basil. 70. tit. 5. de noxal. act. Epitomator Festi: *Pro significat in, ut pro rostris, pro æde, pro tribunali.* Idem Festus: *Pro censu accipi debet in censu, ut ait M. Varro Rer. human.* VI. *Sicuti pro æde Castoris, pro testimonio.* Alii exponunt pro, hoc est, ante, sic pro rostris, pro curia opponitur τῷ *pro tribunali*, quod Ictis est *de plano.* V. supr. in *E plano.* Chimentel. & Noodt l. l. *Tribunalibus*, quo summotior foret aditus, & majestas sanctior, fenestrata septa circumdabantur, & cancellatæ fores, præductis decussatim sudibus ne vulgus temere accederet. Hinc cancellarii, vel scribæ nomen, qui staret ante eos. V. supr. in *Cancellarius.* Imo prætenta quoque vela. Hinc Icti velo levato causas cognoscere, hoc est, sine magna disquisitione, & palam audiente populo. v. l. 13. de instr. leg. l. 18. de act. empt. l. 5. C. de naufrag. Quo respexit Constantinus M. nobilissimo edicto, quod nobis refert l. 1. C. Th. de offic. rect. provinc. *venale judicis velum* appellans. Atque hæc loca cum eo apparatu, velisque & admissionis lege *Secretaria judicum* dixere. *Chimentel. ibid. c.* 17.

Tribunal Aurelium fuit in foro Romano. Cicer. pro Flacc. c. 28. *Sequitur auri Hierosolymitani invidia: hoc nimirum illud est, quod non longe a gradibus Aureliis hæc causa dicitur.* Possit aliquis prima specie existimare, gradus illos appellatos, quod Aurelius Cotta prætor post Syllam, qui judicia equitibus ademerat, & senatui reddiderat, tres judicum gradus fecerit, nempe e senatorio, & equestri ordine, & e tribunis ærarii. Verum Cicer. pro Cluent. c. 34. reapse gradus fuisse docet, in quibus populus consederit ad judicia publica accurrens. *Accusabat*, inquit, *tribunus plebis idem in concionibus, idem ad subsellia, ad judicium, non modo de concione, sed etiam cum concione ipsa veniebat. Gradus illi Aurelii tum novi quasi pro theatro illi judicio ædificati videbantur: quos ubi accusator concitatis hominibus impleverat, non modo dicendi ab reo, sed ne surgendi quidem potestas erat.* Ubi autem hoc *tribunal* in foro fuerit, incertum est: puto illic fuisse, ubi postea basilica Julia facta, quæ iisdem judicibus inservivit, quos Aurelius restituerat, nimirum centumviris: idque eo facio lubentius, quia ante basilicam illam, conditam prope ædem Vestæ, quæ in illo late erat, *tribunal* aliquod fuisse Horatius indicat Sat. I. 9. 35.

Ventum erat ad Vestæ, quarta jam parte diei
Præterita: & casu tunc respondere vadato
Debebat, quod ni fecisset, perdere litem. . . .

Nardin. Rom. Vet. V. 7. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 20. Pollet. For. Rom. I. 6.

Tribunal castrense a sella castrensi, & curuli diversum fuit. Fuit suggestus editior, ex cespite constructus, in quo sella curuli posita Imperator, aut jus dicebat, aut exercitum alloquebatur. Itaque ubicunque Imperator erat, ibidem etiam *tribunal* excitabatur, & quidem ex cespite. Tacit. Annal. I. 18. 2. *Simul congerunt cespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret.* Plin. Paneg. c. 56. n. 5. *Decora facies consulis: multa post secula tribunal viridi cespite exstructum.* Stat. Sylv. V. 2. 144.

Hic suetus dare jura parens: hoc cespite turmas
Affari.

Suetonius Galba, laudatus supr. in *Sella Imperatoria.* Hinc *agger cespitis* Lucan. V. 316.

— stetit aggere fulti
Cespitis, intrepido vultu.

Et *agger glebalis* Ammian. XXIII. 5. *Ipse aggere glebali assistens, talia ore sereno disseruit.* Valtrin. de Re milit. Rom. III. 10. Pollet. For. Rom. I. 6. Stewech. in Veget. III. 9. Chimentel. de Honor. bisell. c. 17. Turneb. Adv. XXI. 3. Bud. in Pandect. p. 107. A. Lindenbr. in Ammian. XV. 8. Lips. in Tacitum & Plinium. Cellar. in Plinium. Bernart. in Stat. Theb. VII. 374. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 5. Solet etiamsi absit Imperator, tamen Imperatoris nomine appellari, quia quicquid a minoribus ducibus pro *tribunali* geritur, non geritur, nisi auctoritate, & nomine illius. Liv. XXVIII. 27. *In prætorio tenuere sunt Albius & Atrius: classicum apud eos cecinit, signum ab iis petitum est: sederunt in tribunali P. Scipionis: lictor apparuit: submoto incesserunt: fasces cum securibus prælati sunt.* Paull. Act. c. 25. n. 10. cum adstaret ad *tribunal* Festi, dicebat: *ad tribunal Cæsaris ego sto.* Schel. ad Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1666. A. Fuit amplum, quippe cum multos capere deberet; neque enim Imperator solus, sed legati etiam, aliique conscendebant. Liv. VIII. 32. *Præco Q. Fabium Maximum magistrum equitum citavit, qui ex inferiore loco ad tribunal accessit. . . . Ne tribunal quidem satis quietum erat, legati circumstantes sellam orabant.* Ejus altitudinis illud est argumento, quod scribit Tacit. Annal. I. 19. 1. *Aggerebatur nihilominus cespes, jamque pectori usque accreverat.* Valtrin. l. l.

Tribunal editoris erat ad podium. Cum enim aliis honoribus, ut lictoribus, & veste prætexta, insignes voluerint eos esse, qui ludos exhiberent, tum etiam altiori hac sede, in qua præsiderent. Suspicor ex Suet. Aug. c. 44. n. 7. qui *virginibus Vestalibus*, inquit, *locum in theatro separatim, & contra prætoris tribunal dedit.* Nam quod prætorem nominat, eo est, quod plerunque ludos ii exhibebant. Ad hoc *tribunal* refero, quod Vitruv. V. 7. *in omni pusillo, & magno theatro* fieri vult *itinera, ascensus, pulpita, tribunalia.* Quod vero ad podium ea sedes, cum ratio evincit, tum Suetonius, qui ex adverso eum collocat Vestales. Hæ autem ad podium. Prudent. in Symm. II. 1108.

An quoniam podii meliore in parte sedentes
Spectant, aratam faciem quam crebra tridente
Impacto quatiant hastilia.

Lips. de Amphith. c. 11.

Tribunal Libonis. V. illud supr. in *Puteal.*

Tribunal vocabatur quoque sepulcrum ingens Principum. Tacit. Annal. II. 83. 4. inter funebres Germanici honores *recenset sepulcrum Antiochiæ, ubi crematus est: tribunal Epidaphnæ, quo in loco vitam finivit.* De vulgari *tribunali* lapis Beneventi apud Gruter. p. 751. n. 11.

P. ÆLIUS. VENERIANUS
HOC. VAS. DISOMUM. SIBI. ET
FELICITATI SUÆ. POSUIT. ET
TRIBUNAL. EX. PERMISSU
PONTIF.
PERFECIT.

Guther. de Jur. man. II. 23.

Tribunal vocabatur quoque suggestus, & agger cespitum, in quo tormenta collocabant, quia in similitudinem *tribunalis* erigebatur, &, ut *tribunal*, ex cespite exstruebatur: an, quod & inde tormenta jus, ut ita loquar, dicebant hosti? Ejusmodi aggeres supra cæteram munitionem, aut circumsitas partes eminentes videntur vulgo in castris *tribunalia* dicta, ut quæ tormentis, aut signis extruebantur. Ita accipio Tacit. Annal. I. 18. 2. *Una tres aquilas, & signa cohortium locant, simul congerunt cespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blæsus advenit, increpabatque, ac retinebat singulos.* Ubi putat vir doctissimus ob *tribunal* cespititium Blæsum adeo inclamare, quia capitale prorsus facinus, & *tribunalis* exstructio, ascensioque, signum proprium Imperatoris. Sed Tacitus non dicit *tribunal* hoc a sedi-

tiosis exstructum, ut pro *tribunali* esset duci seditionis, necdum enim ducem elegerant, sed quo signorum una constituto um magis conspicua sedes esset. Signa autem de more in *tribunali* utique Imperatoris non fuisse posita, vel hic locus evincit; nam si ibi una jam ante fuissent, pro insolito non referretur, quod in unum locum congesta. Quare aggerem, in quo signa ponere non destinaverant, *tribunal* appellat Tacitus ex more castrensi. Blæsus autem non propter unum *tribunal* evectum, sed propter omnia hæc, quæ invitis ducibus seditiose faciebant, inclamat, & obsistit furentibus. *Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1133. *A.*

TRIBUNATUS semestris a temporis modo dictus est, quia sex mensium honor fuit. Tam brevis fuit spatii propter multitudinem ambientium, ut pluribus posset impertiri. *Lips. de Milit. Roman.* II. 9. *Cellar. in Plin. Epist.* IV. 4. 2. Ejus mentio apud Plin. Epist. IV. 4. 2. *Hunc*, Calvisium Nepotem, *rogo, semestri tribunatu splendidiorem, & sibi, & avunculo suo facias.* Et Suet. vit. Juvenal. 1. *Ejus semestribus militiolis tumentem.* Et Juven. Sat. VII. 88.

> *Ille & militiæ multis largitus honorem*
> *Semestris, vatum digitos circumligat auro.*

ut apud Juvenalem auctor vitæ ejus videtur legisse. Per *militiam semestrem* intelligit *tribunatum* semestrem. Per *digitorum aurum* annulos aureos, & dignitatem equestrem. Sed quod Juvenalis separavit, in unum jungit auctor ille, ut fortasse legerit:

> *Ille & militiæ multis largitus honorem*
> *Semestri vatum digitos circumligat auro.*

Nam vatem *semestri militia tumidum* dicit, non equestri dignitate. Fuere *tribuni* laticlavii, qui in spem senatorii ordinis *tribunatum* gerebant. Nam senatorii ordinis insigne fuit latus clavus. Fuere & angusticlavii, quasi secundi ordinis *tribuni*. Angustus clavus equitum erat nota, ut & annuli aurei. Ex eo genere, & nota fuisse constat *tribunatus semestres*, qui equitibus tantum, aut equestri dignitate donatis conferebantur. Ita poetis suis Princeps pentonarius *semestres tribunatus*, & jus annulorum simul donabat. Ideo in ejus generis *tribunorum semestre aurum* vocat, quia ut dignitas eorum semestris, ita & insigne. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 319. *b. D.* Non ut illorum dignitas semestris, *tribunatus* insigne semestre erat, annulus videlicet aureus, sed qui semel semestrem *tribunatum* militum gesserant, semper postea inter equites censebantur, atque annulos aureos gestabant. Ita per *tribunatum* ad equestrem ordinem Martialis poeta pervenit. Ipse III. 95. 9.

> *Est & in hoc aliquid, vidit me Roma tribunum:*
> *Et sedeo, qua te suscitat oceanus.*

In Juvenalis tamen loco malim legere:

> *Ille & militiæ multis largitus honorem*
> *Semestrem, vatum digitos circumligat auro.*

Rubén. de Re Vest. I. 15.

Tribunatus vinarius. V. illum supr. in *Rationalis vinorum.*

TRIBUNI *ærarii dicti, quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant.* Varr. de Ling. Lat. IV. 36. Ascon. in Cicer. p. 79. *Attributa pecunia, quæ in stipendium militum de ærario a tribunis ærariis quæstori adnumerari solet.* Ille militi, hic quæstori ait numerari; sed hunc distinctius, veriusque loqui arbitror, nisi forte cum in Urbe præsens stipendium militi datum, *tribunorum ærariorum* hæc fuit provincia: quæstoris, cum in castris. Festus cuique legioni *tribunum* videtur dare: *Primanus tribunus, qui primæ legioni tributum scribebat.* Plebeji ordinis homines fuisse ictis constat: verum, ne quis putet apparitores quæstorum, honestos. An ἀντιγραφεῖς, quales olim Athenis, aut curatores ærarii cum quæstoribus, quo etiam essent a parte plebis, qui viderent, an pecunia publica, quæ ex senatusconsulto promebatur, bene, & in usus publicos impenderetur; an vero militare tantum æs acceperint, non observavi. Scribit Dionys. IV. p. 219. jam olim institutos Romæ φυλάρχους, vel κωμάρχας, qui *tribuni* appellabantur, cisque *notum fuisse, quo quisque civium habitaret loco.* Quos, cum neque plebeji, neque militares sint, suspicetur fortassis quispiam hos ipsos esse. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1225. *C. Panvin. in Fast.* I. *p.* 74. Magistratus non erant, sed erat nomen ordinis, ut apparet ex lege Aurelia. V. illam supr. in *Lex*, qua judicia ad tres ordines, senatorum, equitum, & *tribunorum* ærarii translata sunt, quæ ante penes duos ordines, senatorum atque equitum. Nec sane judicum tertius ordo totus ex magistratibus esse potuit: nec tot in eodem magistratu collegas fuisse verisimile est, quot erant *tribuni* ærarii. *Gruch. de Comit. Roman.* II. 2. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* II. 8. *Hotoman. de Magistrat. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1886. *F. Robortell. de Judic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* (12) *C.* Fuit hic ordo sane antiquus, quippe cujus meminerit etiam Cato Epist. Quæst. I. apud Gell. VII. 10. *Pignoriscapio ob æs militare: quod æs a tribuno ærario miles accipere debebat.* Sigon. l. l. Differentiam inter *tribunos* ærarii, & quæstores ærarii hanc fuisse arbitror, quod *tribuni* pecuniam in Urbe signatam custodirent; quæstores ex vectigalibus quæsitam. Illi tribuebant, atque annumerabant quæstoribus in provincias abeuntibus, hi pecunias ærarii tum acceptas, tum expensas in tabulis publicas referebant. *Hotom. l. l.* Ut in senatorum ordinem, atque equitum non suffragiis populi perveniebatur, sed vel legibus, censorumque adscriptione, vel generis successione: ita in ordinem *tribunorum* ærarii non suffragiis populi, sed altero ex iis modo perveniebatur. *Gruch. l. l.* In basilica Porcia non e tribunali, aut curuli sella, sed e subselliis, jus dicebant. *Turneb. in Cicer. de Leg.* III. *p.* 179. Hos e judicum ordine sustulit Julius Cæsar. Suet. c. 41. n. 5. *Judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis, ac senatorii: tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit.* Lycklama de Magistrat. c. 4. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 32.

Tribunus Celerum. De illo Dionys. II. p. 86. *Celeres insignem habebant præfectum: cui tres centuriones suberant, & illis rursus alii, inferiores præfecturas obtinentes: qui per Urbem hastati ipsum assectabantur, & jussa exequebantur ministeria: in militia vero antesignani erant, & protectores: & egregia plerumque horum opera existebat in prœliis, quod & primi pugnam inirent, & postremi e pugna se reciperent: equites quidem, ubi campus esset ad equestre certamen accommodus: pedites vero in solo aspero, & equis invio.* Paullo aliter Pompon. §. 15. ff. de Orig. jur. *Regum temporibus tribunum celerum fuisse constat. Is autem erat, qui equitibus præerat, & veluti secundum locum a Regibus obtinebat: quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor fuit Regis ejiciendi.* Et paullo post: *Magistros equitum ita auctoribus esse junctos, ut Regibus tribunos celerum.* Ovid. Fast. IV. 837.

> *Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat,*
> *Sintque Celer curæ, dixerat, ista tuæ.*
> *Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam*
> *Transeat, audentem talia dede neci.*

Hotoman. de Magistrat. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1887. B. Laz. Comm. Reip. Roman. II. 10. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 20. Panvin. de Civit. Roman. c. 9. in Fast. I. p. 74. Lips. de Magistrat. Roman. c. 14. Voss. Lex. Etymol. in Tribus. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 2. Lycklama de Magistrat. c. 4. Flocc. de Potest. Roman. II. 2.

Tribuni fori suarii. V. illos supr. in *Forum.*

Tribuni militum primo a Romulo sunt creati. Veget. II. 7. *Tribunus vocatur a tribu: quia præest militibus, quos ex tribu primus Romulus legit.* Ejus exemplo Reges, & Consules, ut opinor, donec & populus in hunc honorem jus, ac suffragium sibi sumpsit. Id factum circa annum Urbis 393. colligimus ex Liv. VII. 5. *Cum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam & antea sicut nunc, quos Rufulos vocant, Imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis Manlius tenuit.*

IX. 30. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum; utraque ad rem militarem pertinentia: unum ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia.* Quod multos annos ita mansit, donec minus idonei paullatim creati a populo, per ambitum, & gratiam, ut solet. Igitur, ut Liv. XLII. 31. *In tribunis militum novandum eo anno propter Macedonicum bellum, quod consules ex SCto ad populum tulerunt, ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed consulum, prætorumque in iis faciendis judicium, arbitriumque esset.* Sed non id diuturnum; populus jus repetiit, & in ipso bello, ut Liv. XLIII. 12. *Tribunos militum, non permissum, ut consules facerent, populus creavit.* Itaque variabant, & alternabant, donec senatus decrevit, sunt verba Liv. XLIV. 21. *ut in octo legiones parem numerum tribunorum consules, & populus crearent.* Utrumque genus agnoscit Polyb. VI. 17. *Ibi juniores a tribunis militum, omnes prout quisque eorum, vel a populo, vel ab Imperatoribus fuerit constitutus, in quatuor partes solent se dividere.* Lips. de Milit. Rom. II. 9. Valtrin. de Re Milit. Roman. III. 10. Stewech. in Vegetium. Thys. Rom. Illust. II. p. 62. Præmittit *a populo*, & hi quoque habiti digniores. De utrisque etiam Festus: *Rufuli appellabantur tribuni militum a consule facti, non a populo: de quorum jure quod Rutilius Rufus legem tulerat, Rufuli, ac postea Rutuli sunt appellati.* Ascon. in Cicer. p. 56. V. illum supr. in *Legio col. 2.* Lips. Valtrin. Stewech. Thys. l. l. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 38. E. Gruch. de Comit. Rom. II. 2. Ruben. de Re Vest. I. 15. Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1074. C. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 179. P. evot. de Magistr. Roman. c. 12. Panvin. in Fast. I. p. 74. & 86. Lydiam. de Magistrat. c. 4. Laurent. Polym. IV. Synop. 1. §. 7. Læt. de Magistrat. Rom. c. 19. Flocc. de Potest. Rom. II. 21. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1099. F. Blond. Triumph. Rom. VI. p. 130. H. Creabantur equites, & plebeji. Plures ex equitibus. Atque ideo Cæsar, cum præfectos, tribunosque militum maximæ civitates in custodia habuissent, de Bell. Gall. III. 7. iterum Bell. Gall. recenset c. 10. *equites centuriones equitum Romanorum.* Equites clare appellat. Idem de his, qui ab Afranio ad se transissent, de Bell. Civil. I. 77. *Centuriones in amplioris ordines, equites Romanos in tribunatum restituit honorem.* Vide quoque pro conditione, & genere promotos: centuriones ad altiores ordines, equites ad tribunatum. Ita autem ex equitibus, ut etiam senatores non raro fuit electi: præsertim graviore bello. Liv. XLIII. 49. *Duo equites ad hunc tribunum militum cum eo missi.* Apud eundem Scipio de erat, *creari neminem tribunum eo anno, nisi qui in ... usu esset.* Scilicet, ut experientiores ... & ævi, judiciique maturi. Sed id ... contra, gradus hic ad ordinem senatorium erat. Senec. Epist. 47. *Mariana clade quam multos splendidissime natos senatorium per militiam auspicantes gradum fortuna depressit.* Dio LXVII p. 764. *Julius Calvaster, qui tribunus fuerat in pim senatoriæ dignitatis.* Hoc fine Augustus *liberis senatorum protinus a virili toga latum clavum induere permisit, militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed & præfecturas alarum dedit.* Suet. c. 38. n. 2. *Lips. Thys. & Valtrin. l. l.* Buleng. de Imper. Rom. V. 4. Atque hinc illo ævo discrimen *tribunorum* subortum, ut quidam laticlavii, quidam angusticlavii essent: illi, qui ex senatu, isti, qui ex equite nati. Ubique in libris, & lapidibus occurrit laticlavii. Hos intellexit Stat. Sylv. V. 1. 97.

Quem deceat clari præstantior ordo tribuni.

Præstantior ordo est iste. De angusticlavio Suet. Oth. c. 10. n. 1. *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis tertiæ decimæ legionis tribunus angusticlavius.* Lipf. & Thyf. l. l. Valtrin. ibid. c. 13. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 37. Ferrar. de Re vest. I. 3. 13. Analect. c. 21. Maittar. Horat. vit. p. 46. Majores dicebantur legionum præfecti. Vopisc. Prob. c. 4. *Hospitia præterea etiam, ut tribunis legionum præberi jubebis.* Et hi quidem magis honesti. Minores contra, minus scilicet honesti. Cæs. de Bell. C. V. II. 20. *Consensu ... Gaditanos cum tribunis cohortium.* Plin. Epist. III. 9. *Tribunus cohortis sub C. Ilico fuerat.* Et in Principum inferiorum historia vulgo leges *tribunos* Maurorum, Assyriorum, Vocontiorum, quæque aliæ gentes inter auxilia erant. Quibus in locis ea vox non aliud quam præfectum sonat: sicut & *tribunus* ... stabuli. . . . *Lipf. l. l.* Illi a scrinio epistolarum codicillos accipiebant: hi proveniebant ex labore, & per gradus promovebantur. Veget. l. l. *Tribunus major per epistolam sacram Imperatoris judicio destinatur. Minor tribunus pervenit ex labore.* Itaque *tribuni* majoris nomen in Principis commentario, seu scrinio epistolarum scribebatur, & conservabatur. Ulpian. l. abesse ff. ex quib. caus. maj. *Absentes Reipublicæ causa intelligimus, & tribunos militum, & præfectos, qui ad ærarium, aut in commentarium Principis delati sunt.* Minores gradum non a Principe, sed ex labore & ordine proximis succedendo acquirebant. Nam, ut Veget. II. 21. *In orbem quendam per diversas cohortes promoventur milites, ita ut ex prima cohorte ad ... quam promotus redeat ad decimam cohortem: & rursus ab ea, crescentibus stipendiis, cum majore gradu per alias recurrit ad primam.* Pancirol. l. l. Salmas. in Vopiscum. Illi præficiuntur toti legioni, non certæ ejus parti; ut male Panvin de Imper. Roman. c. 16. In legione decem cohortes, sed sex tantum *tribuni*. V. etiam H... mox laudandum. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. I. Præfat.* * * * * 3. Ne moveat, quod Græci χιλιάρχας, id est, *millenarios duces* passim vocant: a similitudine ... est, non a veritate. Nam quia in Macedonum, ... exercitu supra centuriones mille ... isti erant: ideo traduxerunt ad Romanum militiam, etsi causa nominis non responderet. Imo ipsi chiliarchæ apud Macedones ... quando cœperint, exponit Curt. V. 2. 3. Sub Alexandro id fuit: *Singulis millibus peditum, ait, præfuturi erant, chiliarchas vocabant: tunc primum in hunc numerum copiis distributis. Namque antea quingenariæ cohortes fuerant.* Deinde autem talis in legione Romana nulla ..., hæc genera videas, sive cohortes. Illæ quatuor tantum, istæ decem: at tribuni sex fuerunt, quomodo aptes? Sed ... legio postea sex millia habuit. Scimus: sed hos tamen, per millenarios numquam distributim. Tamen ecce & Latini Græcos imitantur, & Varro Atacinus in pulcerrimo carmine præfatur:

At nos contentos obaudit turbida rerum,
Ferratæque premunt mi leno milite curæ.

Potuit aspectus tamen esse ad sex illa millia, neque, cum & tribuni sex essent. Sed imperita tamen communis. Et bene Horat. Sat. I. 6. 48.

Quod mihi pareret legio Romana tribuno.

Bene totam legionem sibi vindicat, qui bini, & bini imperabant per vices. *Lips. & Thys. l. l.* Hinc ... Cæsar primus post Octavium militaris disciplinæ rest tutor non alios, quam provectæ ætatis viros, prudentiæ ... mæ, doctos ætate, & usu, ad tribunatum evexit. Spartian. c. 10. *Nec tribunum nisi plena barba faceret, aut ejus ætatis, quæ prudentia, & annis tribunatus robur impleret, & quem non favor militum, sed justitia commendaret.* Stewech. l. l. Salmas. in Spartianum. Fuit prisci moris, ut cum Princeps ad *tribunatum* quempiam eveheret, gladium ei in manum daret, V. supr. in *Parazonium*. Illorum insignia fuerunt I. Annulus aureus, V. supr. in *Annulus*. II. Vestis fortasse paullo splendidior. De Decio tribuno militum Liv. VII. 34. *Hic ornatu sagulo neglecto amictus, centurionibus ... manipularium militum habitu ..., ne duces ... hostes notarent, perlustravit.* In Appian. de Bell. civ. V, p. 744. est Octavianum Cæsarem ... *vestes prætextas, & senatoriam dignitatem obtulisse tribunis, & centurionibus præmiorum loco.* Sed hoc per bella civilia, cum omnia ... miscerentur, & pleraque injusta. De more, sub Augusto, & deinceps tunica lati clavi fuit *tribunis* iis qui senatorii erant, aut illi pis essent. III. Apparitores, quos etiam

postea reperio. Sed Alexander Princeps illos sustulit. Lamprid. c. 52. *Apparitores nullos esse passus est tribunis, aut ducibus nisi milites: jussitque, ut ante tribunum quatuor milites ambularent.* Lips. l. l. Thys. Rom. Illustr. II. p. 63. Positis castris, primum quod curant *tribuni* est partitio manipulorum ad ministeria, & munia diurna. *Ordinant* itaque sorte non omnes, sed *principum & hastatorum ex utraque legione.* Polyb. VI. 31. Triarios, & velites omittunt, quorum nullus hic usus. Et ex utraque legione ita, ut tamen sex & sex *tribuni*, quique non nisi ex sua legione manipulos capiant: nec miles extra suam legionem ministerium *tribuno* præstet. Duobus his manipulis curæ erat, ut principia versa, & tersa essent. V. supr. in *Principia.* Reliqui octodecim manipuli senis *tribunis* per vices ministrant, tres in singulos. Cum castra metantur, eorum tentoria statuunt, & locum circa complanant, cespitem viridem & tessellatim disponentes: nec abnuam etiam de glarea, aut lapide, si locus vicinus præberet, aut diuturna mora posceret, ut in stativis, aut in hibernis. Et si quid sepiendum, aut claudendum sit ad vasorum, utensiliumque custodiam, id præstant. Aquatum, lignatum, pabulatum isse crediderim in usum *tribunorum.* Hæc ministeria tangit Veget. III. 8. *Duci pretorium preparatur, ac tribunis tabernacula collocantur, quibus per contubernales deputatos aqua, lignum, & pabulum ministrantur.* Præter dicta dant etiam excubias *tribunis.* Et erant hi excubitores custodes quidam *tribunorum*, aut apparitores. Imo fallor, aut cum ipsis *tribunis*, si exibant, pars eorum exibat: ut honeste scilicet per castra, & alibi incederent, militibus sic comitati. Hunc morem collapsum restituit Alexander Severus, de quo Lampridius supra laudatus. *Lips. ibid.* V. 8. *Thys. ibid.* V. *p.* 124. Officia in castris ita commemorat Macer l. 12. ff. de Re milit. *Officium tribunorum est milites in castris continere, ad exercitationem producere, claves portarum suscipere, vigilias interdum circuire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, emansorum fraudem coercere, delicta secundum suæ auctoritatis modum castigare, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere.* Polyb. VI. 35. *Et habet tribunus potestatem multæ dicendæ, pignoris capiendi, virgis, aut fustibus cædendi.* Liv. XXVIII. 24. *Forma Romanorum castrorum constabat una ea spe, quod tribunos & jura reddere in principiis sinebant, & signum ab eis petebant, & in stationes, ac vigilias ordine ibant.* Valtrin. & Thys. l. l. Stewech. ibid. III. 8. Buleng. de Imper. Rom. V. 4. Patric. Rei milit. Rom. p. XI. sect. 2. Fortasse hodie dici possent, quos Mareschalcos vocamus, quasi majores judices in caballo sedentes uno tantum magistro equitum inferiores. *Bud. in Pandect. p.* 40. *A.* 270. *H.* Sub ipsum prætorium ordine fuerunt siti: divisi in duas partes via media, quæ a legionibus ad prætorium ducit: & ita collocati seni & seni, ut quisque ordo suam legionem habeat in conspectu. Exempli causa, sex *tribuni* primæ legionis, huic sunt oppositi: sex secundæ, illi. Ordo etiam inter ipsos, ut primus *tribunus* ad prætorium primus esset, oppositis equitibus; secundus deinceps, & sic ad sextum. Tabernacula illorum secreta, & disparata: sive quia dignitas in eo aliqua est seorsim tendere: sive quia ratio voluit, vias quasdam medias esse, per quas ad forum utrumque sine ambitu iretur. Eæ viæ utiles quatuor sunt in utraque parte: quinta enim perit prætorii objectu. Semper hi ad unum latus, idemque hujus quadrati collocati: & infra eos legiones: ad id nempe latus, quod aquando aptissimum sit, & pabulando. Igitur ita aptabant castra, ut prætoria porta fere hostem spectaret. Decumana aversissima ab illo. Et per hanc plurimum aquabantur: ergo & facies castrorum tota versa in illam. Quoad pedaturam, *tribuni* dimidiati ad legatum: & habent æqualiter in quadro 50. pedes: sunt in area pedes 2500. Et eo fine hoc spatium, ut tabernacula illic *tribunorum*, quæ æqualiter inter se distabant, possent statui: atque ea ipsa laxiora, calonibus, equis, mulis. Quis enim nescit, honestius paullo comitatos instructosque fuisse hos militum duces, & sæpe senatores? *Lips. de Milit. Roman.* V. *dial.* 4. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 111. Interdum ipsi supplicium sua manu sumebant. Tacit. Annal. XV. 60. n. 2. *Lateranus manu Statii tribuni trucidatur.* c. 68. n. 4. *Pœna Flavii Verano Nigro tribuno mandatur.* XI. 38. 1. *Messallina ictu tribuni transigitur.* Senec. Epist. 4. *Cajus Cæsar jussit Lepidum Decio tribuno prebere cervicem.* Lips. ad Tacit. Annal. XV. n. 145. Stewech. in Veget. I. 23. Suspicor id ipsum tunc ita observatum, cum, qui puniendus erat, aliqua dignitate reliquis antestaret. Certe Lateranum illum consulem fuisse designatum observamus. Ipsum Flavium militum tribunum. *Stewech. l. l.* Sed ex exemplis his nondum mihi liquet, lata sententia capitis, reum ullum *tribuni* manu fuisse occisum, nisi ob dignitatem, & auctoritatem hominis difficile nimis, & arduum fuerit aperte eum aggredi. Sed in rebus trepidis, & extraordinariis *tribunis* quorundam mortem mandaverunt. Non nego *tribunos* quandoque, vel centuriones præfuisse suppliciis, quorum milites exactores erant. Sed dico; plane extra ordinem fuisse, *tribunos*, aliosve honoratos viros, propria manu damnatis perniciem intulisse. Hinc conqueritur Chæreas apud Joseph. Antiq. Judaic. XIX. I. se, Clementem, & Papinium, quibus cædes, & quæstiones sæpius Cajus injungebat, per tam fœda ministeria ex militibus satellites, & carnifices factos esse; quod nunquam ut indignum ad concitandos fortissimorum virorum in Cajum animos commemorasset Chæreas, si sua manu de damnatis supplicium *tribuni* ex officio sumpsissent. Potuissent enim Clemens, & Papinianus illi respondere: quid quereris nostra opera, nostra manu homines tolli, cum, quos judicum sententia damnavit, nostri muneris sit morti dare? Et talia sunt Lipsii exempla, ut nostram confirment expositionem. Scilicet, ubi nullæ leges observabantur, ubi celeritate, fide, audacia opus erat, non speculatoribus tollendi tradi poterant, sed facinus *tribunis*, quorum fides, & audacia perspectæ erant, committebatur. Et illa quam debilia sint, imo falsa cuique abunde patere mihi persuadeo. Non enim illi *tribuni* illustres viros alia ratione occidebant, quam qua in tumultu Cajo a Chærea occiso, Cæsonia tyranni uxor cum filia a Julio Lupo *tribuno*, quem Chærea miserat, interfecta est. Erant hi, ut eos communi nomine complectamur, percussores immissi. *Sichterman de Pœn. militar. c.* 6. Terni consulari potestate creati sunt an. 310. cum orta inter patres, & plebem dissensio esset, propter C. Canuleji *tribuni* plebis legem qua de consule altero de plebe creando agebatur. Placuit igitur, ut pro consulibus *tribuni* militum ex patribus terni, totidemque ex plebe crearentur, qui consulari, ac summo imperio Reipublicæ summam administrarent. Verum terni tantum, iique patricii creati sunt: plebs eo contenta fuit, quod sui ratio in comitiis habita fuisset. Liv. IV. 6. Dionys. XI. p. 735. Deinde cum post aliquot annos plebs cum patribus contenderet, & vellet ex suo quoque corpore consules creare, & patres recusarent, factum est, ut *tribuni* militum crearentur partim ex plebe, partim ex patribus, consulari potestate, hique constituti sunt vario numero: interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores. *Hotoman. de Magistrat. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 1887. *D. Panvin. de Civit. Rom. c.* 70. *Fast.* I. *p.* 86. *Læt. de Magistr. Rom. c.* 19. *Manut. de Legib. Rom. c.* 5. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 161.

Tribuni notariorum sunt cæteris in officio præpositi, & ad imperialia secreta pertinent. l. 12. C. de excusat. muner. Zosim. V. 34. II. Stelicho, cum ad amplissimam potestatem provectus esset, *filio qui ei unicus erat, hanc dignitatis metam statuit, ut ad officium tribuni notariorum, quem vocant, provecto nullam aliam potestatem adquireret.* Hic *tribunatus* erat aditus honorum nobili adolescentiæ. Cassiod. Var. V. 6. *Ætate media patres nostri sub uno contubernio vix dum a pueritia in totam adolescentiam evecti, Principi Honorio tribuni notariique militavere.* Illorum dignitas fuit magna, quæ ex eo dignoscitur, quod *tribunum* notariorum Romam præmisit Honorius Imperator, ut præsente eo, quæ ipse statueret, celerius implerentur.

Symm.

Symm. Epist. xɪ. 4. & 31. Idem in Africam judicem misit, qui de Donatistarum hæresi cognosceret. Possidon. in vita Augustini. Iidem comites, & *tribuni* notariorum dicuntur l. 7. C. de privil. eor. qui in sacr. palat. & passim notarii, & *tribuni* conjunguntur in sacris memoriæ scriniis, qui cæteris notariis præessent. Zosimus. Fungebantur officio suo intra consistorii secreta veneranda d. l. 7. C. eod. quos *secretorum Imperatoris notarios* vocat Vopisc. Aurelian. c. 36. *Guther. de Offic. dom. Aug.* ɪɪɪ. 9. *Buleng. de Imper. Roman.* v. 44.

Tribuni plebis primum creati sunt an. 260. cum plebs ex Urbe ad Æquorum bellum educta propter nobilium fœneratorum impotentiam, consulibus relictis, trans Anienem amnem collem occupavit: neque eo anno revocari in Urbem potuit, usque dum senatus ei per decem legatos promisit, jus ipsi fore magistratum e suo corpore contra patriciorum potentiam creare. Pompon. de Orig. jur. l. 2. § 20. *Iisdem temporibus, cum plebs a patribus secessisset, anno fere septimo decimo post Reges exactos, tribunos sibi in monte sacro creavit, qui essent plebeji magistratus.* Hotoman. de Magistr. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ɪɪ. p. 1888. D. August de Legib. in Duillia de trib. pleb. Panvin. de Civit. Rom. c. 68. in Fast. ɪ. p. 74. Pigh. Annal. Rom. ɪ. p. 91. Lips. de Magistrat. Roman. c. 14. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 9. Lycklama de Magistrat. c. 4. Læt. de Magistrat. Roman. c. 18. Flocc. de Potest. Roman. ɪɪ. 10. Volaterr. Comment. Urban. xxɪx. p. 1099. D. Kipping. Antiq. Roman. ɪɪɪ. 3. §. 10. Detraxerunt multum de imperio consulum: siquidem ad plebem a consularibus injuriis prohibendam, & ad intercessiones faciendas, & consulum dissolvendum imperium instituti sunt. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom.* ɪ. 20. Primis temporibus tantum abfuit, ut ex senatu crearentur, ut ob eam ipsam caussam instituti sint, ne senatus adversus plebem crudelius, aut arrogantius ageret, ideoque ex ipsa plebe per multos annos creati sunt: postea cœpere equites quoque Romani, ac senatores *tribunatum* plebis petere. *Manut. de Legib.* c. 5. Primi duo sunt creati. Cicer. pro Corn. c. 1. *Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno post Reges exactos, propter nimiam dominationem potentium, leges sacratas sibi constituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer nominatur, in quo armati consederant, æternæ memoriæ causa consecrarent.* Panvin. l. l. *Duorum nomina, qui primi creati sunt, hæc traduntur, L. Sicinius, L. F. Velutus, L. Junius C. F. Paterculus.* Ascon. in Cicer. p. 138. Sed Liv. ɪɪ. 33. *Ita tribuni plebei creati duo, C. Licinius, & L. Albinus.* vel quinque, ut Dionys. vɪ. p. 410. *Plebs in eas, quæ tunc erant, distributa curias, annuos magistratus creavit L. Junium Brutum, C. Sicinium Bellutum, quos & antea duces habuerat: & præter hos C & P Licinios, & Sp. Icilium Rugam. Hi quinque primi tribunitiam potestatem acceperunt, quarto die ante Idus Decembres: quemadmodum & fit nostro tempore.* Asconius modo laudatus. *Quidam non duos tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. Sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant: inter quos Tuditanus, & Pomponius Atticus, Liviusque noster. Idem hic, & Tuditanus adjiciunt, tres præterea ab illis duobus collegas creatos esse.* August. de Legib. in Junia. Panvin. l. l. & in Fastor. ɪ. p. 75. Lips. Lycklama, Flocc. Læt. l. l. Blond. Triumph. Rom. ɪɪɪ. p. 58. A. Postremo decem facti sunt. Liv. ɪɪɪ. 30. *Tricesimo sexto anno a primis tribunis plebis decem creati sunt, bini ex singulis classibus: itaque cautum est, ut postea crearentur.* Panvin. de Civit. Roman. & in Fast. l. l. Robortel. de Magistr. Imp. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ɪɪɪ. p. (39.) A. August. ibid. in Trebonia. Lycklama l. l. Undecimum Minucium Augurinum fuisse scribit Plin. xvɪɪɪ. 3. V. illum supr. in *Statua.* Sed illum refellit Liv. ɪv. 16. *L. Minutius bove aurato extra portam trigeminam est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Mælianum assibus in modios æstimatum plebi divisit. Hunc Minutium apud quosdam auctores transisse a patribus ad plebem, undecimumque tribunum plebis cooptatum, seditionem motam ex Mæliana cæde sedasse invenio. Ceterum vix credibile est, numerum tribunorum patres augeri passos: idque potissimum exemplum a patricio homine introductum: nec deinde id plebem concessum semel obtinuisse, aut certe tentasse. Sed ante omnia refellit falsum imaginis titulum paucis ante annis lege cautum, ne tribunis collegam cooptare liceret.* August. ibid. in Minutia. Creabantur comitiis tribunitiis. V. supr. in *Comitia tribunitia.* In illorum renuntiatione primis quidem temporibus id proprium erat, ut si evenisset ex numero candidatorum decem non confecisse legitima suffragia, tum ab iis, qui legitima suffragia confecerant, cooptabantur absque suffragio populi, quot erant necessarii ad perficiendum numerum decem *tribunorum.* Liv. ɪɪɪ. 64. *M. Duillius comitia habuit. Et quinque tribunis plebis creatis, cum præ studiis aperte petentium novem tribunorum alii candidati tribus non explerent, concilium dimisit, nec deinde comitiorum causa habuit. Satisfactum legi ajebat, quæ numero nusquam præfinito tribunis, modo ut relinquerentur, sanciret: & ab iis, qui creati essent, cooptari leges juberet: Recitabatque rogationis carmen: in quo, si tribunos plebis decem rogabo, si qui vos minus hodie decem tribunos plebis feceritis, hi tum uti quos sibi collegas cooptassint, ut illi legitimi eadem lege tribuni plebis sint, ut illi quos hodie tribunos plebis feceritis.* Verum ea ratio lege a L. Trebonio *tribuno* plebis lata, anno proximo postquam hæc, quæ de M. Duillio diximus, gesta erant, mutata est. Liv. ɪɪɪ. 65. *L. Trebonius tribunus plebis rogationem tulit, ut qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem tribunos plebis faceret.* Hac lege cooptationem sublatam esse apertum est. Unde apparet post eam legem, si accidisset, *tribunos* plebis ad numerum legitimum factos non esse, revocandas fuisse tribus ad suffragium, eousque dum decem *tribuni* plebis creati essent. *Gruch. de Comit.* ɪɪ. 4. Postquam primi creati sunt, semper mense Decembri magistratum inierunt. Liv. xxxɪx. 52. *Nævius in magistratuum libris est tribunus plebis P. Claudio, L. Porcio consulibus: sed iniit tribunatum Appio Claudio, M. Sempronio consulibus, ante diem quartum idus Decembres: inde tres menses ad idus Martias sunt; quibus P. Claudius, L. Porcius consulatum inierunt.* Ascon. verb. Cicer. Proœm. Verr. c. 10. *P. Sulpicius judex tristis, & integer magistratum ineat necesse est nonis Decembris,* addit: *Eo die tribunus plebis futurus.* Dionysius supra laudatus. Tres illi auctores in hoc conveniunt, quod mense Decembri *tribuni* plebis magistratum inirent, verum in die dissentiunt. Quam ego controversiam sic dirimi existimo: si dicamus ætate Ciceronis diem *tribunatus* fuisse nonas Decembris: at superiori ætate fuisse ad quartum idus Decembris. Quod vero Dionysius scribit, ad suam usque ætatem idem fieri solitum, ita accipiendum est, quasi propter quatuor dierum spatium, quo postremis temporibus dies *tribunatus* sollennis mutata est, noluerit subtilem computationem facere. *Gruch. ibid.* c. 6. *Panvin. in Fastor.* ɪ. p. 75. *Prevot. Lycklama, Latus & Lips. l. l.* Erant sacrosancti. Dionys. vɪ. p. 410. *Tribunum invitum nemo, ut unum e vulgo, quidquam facere cogito, nec verberato, nec aliquem verberare jubeto. Si quis contra fecerit, sacer esto: & bona ejus Cereri dicata sunto, & qui eum occiderit, purus a cæde esto.* Et ne in posterum plebi potestas esset abrogare hanc legem, sed perpetuo maneret immobilis, *adacti sunt omnes cives jurare per sacra omnia, usque hac lege in sempiternum usuros se, & posteros: additaque imprecatio, ut ejus observatoribus superi & inferi essent propitii: transgressoribus vero a diis, & semonibus accideret contrarium, tanquam gravissimo obstrictis piaculo.* Indeque mos apud Romanos obtinuit, *ut tribunorum corpora sacrosancta sint, qui manet usque ad nostrum seculum.* Liv. ɪɪɪ. 55. *Et quum plebem hinc provocatione, hinc tribunitio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur (cujus rei prope jam memoria aboleverat) relatis quibusdam ex magno intervallo ceremoniis, renovarunt; & quum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt; sanciendo: ut qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset: familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberaque venum iret.* Hotoman. ibid. F. Manut. Prevot.

Lycklama, Pigh. Panvin. l. l. Hansen. de Jure,ar. vet. c. 7. August. Fad. in Horatii, Brisson. de Form. II. p. 140. Prætextam an habuerint. V. supr. in *Prætexta*. Magistratus fuisse negant Liv. II. 35. *Plebis, non patrum tribunos esse.* c. 56. *Consul Appius negare, jus esse tribuno in quemquam, nisi in plebejum. Non enim populi, sed plebis eum magistratum esse . . . Consul* [illegible] *privatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu.* Plebs ibi consideratur pro parte populi, plebs enim differt a populo, ut species a genere, vel potius ut pars a toto. Et non creati sunt *tribuni*, ut populum adversus potentiam optimatum, sed ut plebem tuerentur. Etiam Plutarch. Quæst. Romm. 80. absolute negat *tribunatum plebis magistratum esse; quod neque purpuram habeat, neque lictoribus utatur.* Habebat tamen viatorem, & prensionem. Liv. II. 56. *Ardens ira tribunus viatorem mittit ad consulem. . . . Adolescentes nobiles stabant, nihil cedentes viatori,* [illegible] Gell. XIII. 12. quoque dicet [illegible] *tribunos plebis, & alios, qui viatorem habent.* Neque, [illegible] Plutarchus, *sella curuli insidens jus dicit, neque potestatem, creato dictatore, deponit* [illegible] Magistratum tamen fuisse simpliciter asserit Cicer. pro Quint. c. 20. dum ait: *per eum magistratum,* [illegible] *qui aut alia causa constitutus est.* Hunc scrupulum ut e medio tollamus, tempora distinguimus. Quando creati sunt *tribuni* e medio plebejorum hominum, tanquam defensores plebis, & defensores adversus oppressionem patrum, tunc nondum fuerunt appellati magistratus. Cum nullus nisi ex plebe crearetur ad hanc provinciam [illegible] præterquam quod [illegible] apud Liv. III. 65. [illegible] Imo hinc factum, ut [illegible] patricii, ex nobili gente, ac familia, passi sint in vilem, & plebejam adoptari, *tribunatum* [illegible] quemadmodum illud fecit P. [illegible] Clodius [illegible] Ciceronis adversarius, in quem acriter invehitur pro dom. ad pontif. c. 13. & 14. Cæterum [illegible] fuit, quæ jubebat neminem fore *tribunum* plebis, nisi qui esset senator quod politica ratione a patribus est excogitatum, qui vir senatorius non [illegible] affectuus credebatur senatum, qua [illegible] plebejatum vero etiam magistratus appellari tribunos invaluit. At vero de tempore, quo lex illa lata fuerit, nihil certi statui potest. Ambigens ita loquitur Appian. Bell. Civil. I. p. 413. [illegible] *a plebe a senatum transtulerit Sylla.* Videtur tamen posse adstrui [illegible] Gellius V. [illegible] Tempus, quo illud ab Atinio fuerit confectum, incertum. Hoc tamen affirmare possumus, [illegible] Republica conservatum, & in usu fuisse. Licet hoc colligere ex Suet. Aug. c. 10. n. 4. *Et quia constantius* [illegible] *in locum tribuni plebis forte demortui candidatum petitorem se ostendit, quanquam* NB. *patricius, necdum senator* c. 40. n. 1. *Comitiis tribunitiis si deessent candidati senatores, ex equitibus Romanis creavit.* Plin. Epist. II. 9. *Ego Sexto latum clavum a Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi: meo suffragio pervenit ad jus tribunatus petendi, quem nisi obtinet in senatu, vereor, ne decepisse Cæsarem videar.* Lycklama & Lipf. l. l. Potestatem declarat Cicer. de Leg. III. 3. *Plebes quos pro se contra vim auxilii ergo decem creasit, tribuni ejus sunto: quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto, sanctique sunto: neve plebem orbam tribunis relinquunto.* Viatorem quidem, & prensionem habebant, vocationem vero nequaquam. Gell. XIII. 12. *In magistratu habent alii vocationem, alii prensionem, alii neutrum. Vocationem, ut consules, & cæteri, qui habent imperium: prensionem, ut tribuni plebis, & alii qui habent viatorem: neque vocationem, neque prensionem, ut quæstores, & cæteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem: Qui vocationem habent, idem prendere, tenere, abducere possunt: & hæc omnia, sive adsunt quos vocant, sive acciri jusserunt. Tribuni plebis vocationem habent nullam. Sed quærentibus nobis, quam ob causam tribuni, qui haberent summam coercendi potestatem, jus vocandi non habuerint: quod tribuni plebis antiquitus creati videntur non juri dicundo, nec causis, querelisque de absentibus noscendis; sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent: ut injuria, quæ coram fierent, arceretur.* Hinc Labeo Antistius legum, atque morum populi Romani apprime doctus per viatorem a tribunus plebis vocatus respondet apud Gell. l. l. *Quum a muliere quadam tribuni plebis adversum eum aditi Gellianum ad eum misissent, ut veniret, & mulieri responderet: jussit eum, qui missus erat, redire, & tribunis dicere, jus eos non habere, neque se, neque alium quenquam vocandi: quoniam moribus majorum tribuni plebis prensionem haberent, vocationem non haberent. Posse igitur eos venire, & prendi se jubere: sed vocandi absentem jus non habere.* Hotoman. ibid. p. 189. A. Bud. ibid. p. 58. I. Pollet. For. Rom. III. 5. August. de Legib. in Cornel. de trib. pleb. Manut. de Legib. c. 32. Pigh. Annal. Rom. I. p. 92. Ferebant leges; Liv. III. 10. *Debebatur omnium consensu consuli triumphus: sed dilata res est, tribuno de lege agente: id antiquius consuli fuit.* VI. 35. *In præsentia tribunos plebis creari placuit, quo in magistratu sibimetipsi viam ad cæteros honores aperirent: creatique tribuni C. Licinius & L. Sextius promulgavere leges omnes adversus opes patriciorum, & pro commodis plebis.* Lycklama & Ebec. l. l. quæ plebiscita dicebantur. Quamobrem Ulpian. l. 1. ad leg. Aquil. *Lex Aquilia plebiscitum est, cum eam Aquilius tribunus plebis a plebe rogaverit.* Quod non recte Theophilus interpretatur, ut cum seditio illa orta est, id plebiscitum ab Aquilio tribuno rogatum sit. Nam cæteræ omnes leges a *tribunis* latæ plebiscita appellantur, ut Iciliam, Semproniæ, Apulejæ, Clodiæ, quas *tribunitias* quoque leges vocabant. Tamen leges sunt dictæ post legem Hortensiam. V. illam supr. in *Lex.* August. de Legib. in Hortensia. Manut. l. l. Cum comitia tributa haberent, facillime ad leges rogandas adducebantur, quippe qui leges non ferrent ex senatus auctoritate: quod necesse erat de *legibus curiatis.* Manut. ibid. c. 35. Eas interdum contra senatus voluntatem sine SCto tulerunt. Itaque C. Flaminius *tribunus* plebis legem agrariam aliquot annis ante secundum Punicum bellum tulit invito senatu. *Manut. de Senat. Rom.* c. 10. Jus dixerunt in basilica Porcia. Plutarch. in Caton. Utic. p. 760. D. *Tribuni plebis, quoniam in ea, basilica Porcia, jus dicere consueverant, columnam, quæ sellas eorum impedire videbatur, decreverant tollere, vel in alium locum transferre.* Nardin. Rom. Vet. V. 4. Pollet. For. Rom. III. 5. Sedentes in subselliis. V. supr. in *Subsellia tribunorum.* Intercedendi jus illis datum est ab illo tempore, quo hic magistratus est institutus. V. supr. in *Intercedere.* Intercedebant autem, dum sitella deferebatur, & sortes æquabantur. Nunquam enim ante suasionem, dissuasionemque legis intercessio fuit. Hoc declarat Liv. XLV. 21. *Quum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi, dissuadendique legem potestas facta esset, eoque persæpe venisset, ut qui non professi essent se intercessuros, animadversis vitiis legis ex ratione dissuadentium intercederent: & qui ad intercedendum venissent, desisterent, victi auctoritatibus suadentium legem.* Cicer. pro Corn. apud Ascon. p. 133. *Est jus vetandi, dum privati dicunt, dum tabellæ diribentur, dum æquantur sortes.* Manut. de Legib. c. 36. Intercedentium formula fuit Veto. V. illam supr. in *Veto.* Hinc non licebat illis ullam noctem ab Urbe abesse. Eadem de causa Dio. lib. XII. p. 554. *Potestas tribuni extra Urbem nihil habent; sed potestas eorum mœnibus est circumscripta; imo ne pernoctare quidem extra Urbem iis fas est, nisi Latinis feriis.* Dio XXXVII. p. 49. C. *Nepos perterrefactus, statim e medio se subduxit: propositaque rogatione contra senatum, ad Pompejum se contulit: quanquam nullam noctem ab Urbe abesse legitime poterat.* Manut. ibid. c. 7. Lycklama c. 3. Blond. & Pigh. l. l. Multo minus integrum diem. Gell. III. 2. Macrob. Sat. I. 3. *Tribuni plebis,*

bis, quos nullum diem integrum abesse Roma licet, quum post mediam noctem proficiscuntur, & post primam facem ante mediam sequentem revertuntur, non dicuntur abfuisse unum diem, quando ante horam noctis sextam regressi parte aliqua illius in urbe Roma sunt. Imo, ut magis arcte Appian. Bell. Civil. II. p. 447. *mœnia egredi illis non licebat.* Lipſ. ibid. c. 15. Et illorum fores interdiu, noctuque patebant, ut ſcilicet paratos ſe oſtenderent ad deſideria, & querelas miſerorum excipiendas. Plutarch. Quæſt. Rom. 80. *Receptum fuit, ut tribunorum januæ nunquam clauderentur, sed noctes, diesque apertæ essent, tanquam portus, & perfugium ope indigentibus.* Sagittar. de Jan. vet. c. 16. n. 2. Bud. in Pandect. p. 59. G. Hotoman. ibid. p. 1189. D. Pigh. Annal. I. p. 93. Lipſ. & Lycklama l. l. Manut. ibid. c. 7. Putean. Conviv. priſc. reliq. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 251. D. August. ibid. in Duilia de trib. pleb. Panvin. in Faſtor. I. p. 76. Roſin. Ant. Rom. VII. 23. Concionantes nemo interpellare audebat. V. ſupr. in *Lex Icilia.* Qua lege promulgata, & a plebe ſcita, magna, incredibiliſque, quanquam non ſtatim cognita, illorum poteſtas facta eſt. Nam quum tantum principio illis auxilii latio eſſet conceſſa, ne patricii adverſus plebem inſolentius, aut arrogantius agerent, tum jure ſacroſancti magiſtratus, quum inviolabiles eſſent, longe majora moliti, magnas in Republica turbas, & ſeditiones ſæpe concitarunt: neque enim gravioris pœnæ metu iis, qui eos lædebant, irrogatæ, quisquam eis repugnare, aut vi adverſari audebat. Cæteros omnes magiſtratus ſacroſancta poteſtate ſuperabant. Quemvis, a quo imploratum illorum auxilium eſſet, aſſerebant, ſupplicem tuebantur, non contra privatos duntaxat, ſed etiam adverſus ipſos magiſtratus, dictatoribus tantum exceptis. Quod ſi quis ad eos, vel etiam abſentes provocaſſet, is ſtatim liberatus ab eo, a quo comprehenſus fuerat, vel in concionem adducebatur, vel abſolvebatur. Proceſſu temporis illa etiam ſibi vindicarunt, ut & ſenatum congregarent, dicto non audientes punirent, aruſpicesque, & augures [illegible]. His invictis interceſſionibus, quæ non licebant, conſequebantur, rogationes ferebant, quibus [illegible] omnes [illegible] conſtringebantur. Lorum audacia, & poteſtas poſtremo ita crevit, ut aliquando conſules in carcerem conjecerint, & quosdam indicta cauſa necarint. Hac poteſtate comitia tributa in primis invexerunt, quibus minores magiſtratus creari voluerunt, qui ad eam diem curiatis facti fuerant, *tribunorum* [illegible] numerum auxerunt, connubiorum communionem, quæſtores, tribunos militum conſulari poteſtate, & decemviros ſacris faciundis ex plebe creari obtinuerunt, qui hactenus ex patriciis tantum fieri ſolebant. Poſt hæc quum plebs ad ſummos honores aſpirare cœpiſſet, *tribunorum* plebis auctoritate conſulatum etiam, quæ ſummiſſima ſemper prope arx potentiæ patriciorum fuerat, præterea dictaturam, cenſuram, imperium, ſacra, ſacerdotia, quæ unius ante nobilitatis fuerant, non ſine magnis Reipublicæ motibus, ſeditionibusque ſibi vindicavit. *Panvin. l. l.* Adeoque pæne habuerunt jus in ſenatum, & ſenatorios magiſtratus, quod ephori in Reges Lacedæmonios. Val. Max. IV. 1. 9. ext. *Atque ut Theopompo Spartanorum Regi moderationis teſtimonium reddamus: cum primus instituiſſet, ut ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri regiæ poteſtati oppoſiti, quemadmodum Romæ conſulari imperio tribuni plebis ſunt objecti.* Cicer. de Legib. III. 7. *Nec Ephori Lacedæmone ſine cauſa a Theopompo oppoſiti Regibus, nec apud nos conſulibus tribuni. Nam illud quidem ipſum, quod in jure poſitum eſt, habet conſul, ut ei reliqui omnes magiſtratus pareant, excepto tribuno, qui poſt exſtitit, ne id, quod fuerat, eſſet: hoc primum minuit conſulare jus, quod exſtitit ipſe, qui in eo non teneretur: deinde quod attulit auxilium reliquis, non modo magiſtratibus, ſed etiam privatis, conſuli non parentibus.* Lycklama l. l. Nemo privatorum, neque magiſtratuum *tribunis* plebis reſiſtere, ac nocere pe. leges potuit. Quapropter etiam illi, qui ſibi vim inferrent, imo etiam aliquando, qui ſuæ voluntati non obtemperarent, tanquam violatores ſacroſanctæ poteſtatis in carcerem mittebant. Liv. Epit. LV. *Tribuni plebis, quia non impetrarent, ut ſibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, conſules in carcerem duci juſſerunt.* IV. 24 [illegible] tribuni alloquuntur hoc modo conſules: *Placere, conſules ſenatui dicto audientes eſſe: ſi adverſus conſenſum ampliſſimi ordinis ultra tendant, in vincula ſe duci eos juſſuros.* [illegible] cuſabant diem dicere ad populum eos, qui [illegible], tum alios quoſcunque variis de cauſis. Dionyſ. X. p. 667. *Placuit omiſſis cæteris, ſolos Clælios, Poſtumios, ac Sempronios accerſere, ut [illegible] coram populo [illegible] nes. Crimini fore, quod contra ſacratas leges, quas de tribunis ſenatus, populuſque Romanus ſanxerit, quibus diſerte cavebatur, ne quis tribunos invitos cogeret, ipſi eos cohibuiſſent, ne cognitionem de lege perferrent ad populum: multa vero [illegible], non mors, non exilium, aut aliud [illegible], ne hac occaſione abſolverentur, ſed ut bona eorum ſacra eſſent Cereri: quæ omnium mitiſſima pœna præſcribebatur.* Liv. V. 32. *M. Furius dicta die a L. Apuleio tribuno plebis, filio adoleſcente orbatus, & ipſe in exſilium fuit miſſus.* Panvin. & Lycklama l. l. Senatum convocandi jus [illegible] docet Dionyſ. X. p. 657. *Antea concionum duntaxat jus penes tribunos erat: ſenatum convocare, aut ſententiam dicere iis non licebat, ſed conſulum is honos fuit. Hujus anni ab U. C. 298. tribuni primi ſenatum convocare aggreſſi ſunt auctore Icilio, qui eius collegii princeps erat, [illegible] Romana facundia.* Et Gellius. V. illum ſupr. in *Senatus col. 2.* Etiam dimittendi. Appianus, qui de C. [illegible] Bell. Civil. II. p. 445. *Sed quum nihil proficeret, [illegible] infecta dimiſit: poteſt enim hoc tribunus plebis facere.* Imo conſulibus in Urbe præſentibus. Cicer. de Orat. III. 1. *Mane idibus Septembris, [illegible] Philippus conſul, [illegible] frequens vocatu Druſi in curiam venit.* Ouzel. in Gellium. Lycklama l. l. Illorum auctoritas tanta fuit, ut nihil ratum haberetur quod ſenatus decreviſſet, niſi *tribuni* [illegible] approbaſſent. Itaque *[illegible]* *ante valvas poſitis ſubſelliis decreta patrum attentiſſima cura examinabant: ut ſi qua ex eis improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Propterea [illegible] caque nota [illegible], ita tribunos quoque [illegible].* Valer. Max. II. 2. 7. *Pecco... de Magiſtrat. Roman. c. 9. Panvin. ibid. 76. Blond. & Lycklama l. l. Flocc. de Poteſtat. Roman. II. 10. Briſſon. de Form. II. p. 192. Alex. Gen. dier. I. 3. Manut. de Senat. Roman. c. 10 Roſin. Ant. Rom. VII. 7. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1099. D. Hotoman. de Senat. c. 8. Zamoſc. de Senat. II. 12. Zimmerman. Floril. Philol. p. 566. Hugo de Prim. ſcrib. orig. c. 22.* Denique [illegible] poteſtatem ſibi tandem [illegible]: id [illegible] apud Liv. IV. 26. [illegible], *[illegible] tribunitiæ poteſtatis conſulatum fuiſſe.* [illegible], maxima dominandi libidine adducti, multarum ſeditionum, turbarum, contentionum, [illegible] dederunt materiam, & [illegible] tribus immenſe [illegible] ſua potentia. Hinc Cicer. de Legib. III. 8. *Tribunorum poteſtas [illegible], quippe quæ in ſeditione, & ad ſeditionem nata ſit: cujus primum ortum, ſi recordari volumus, inter arma civium, & occupatis, & obſeſſis Urbis locis procreatum videmus.* Pro Sext. c. 7. . . . *Hoccine ut ego appellem nomine everſores hujus imperii? proditores veſtræ dignitatis? hoſtes bonorum omnium? qui ad delendum ſenatum, affligendum equeſtrem ordinem, exſtinguenda omnia jura, atque inſtituta majorum, ſe illis faſcibus, cæteriſque inſignibus ſummi honoris, atque imperii ornatos eſſe [illegible]?* [illegible] ſæcula ita ſtrenue regnaſſent, L. Cornelius Sylla illorum poteſtatem minuit. Dictator [illegible] illorum poteſtatem tulit legem [illegible] magiſtratus capere liceret: deinde, [illegible] eſſet: tum, ne leges ferre poſſent: poſtremo, ne illis concionari liceret. Hinc Sylla [illegible], qui pro Marianis partibus contra ipſum ſteterat. Liv. Epit. [illegible]. *Tribunorum plebis poteſtatem minuit, & omne jus legum ferendarum ademit.* Dionyſ. V. p. 340. *Tribunitiam poteſtatem quam [illegible] contraxit.* Sylla [illegible] Q. Cicero apud Marcum de Legib. III. 9. *[illegible] clementer*

ter Syllam probo, qui tribunis plebis sua lege injuriæ faciendæ potestatem ademerit: auxilii ferendi reliquerit. Eo mortuo, C. Aurelius Cotta consul primum legis caput abrogavit: tulit enim, *ut alios magistratus tribunis plebis capere liceret.* Ascon. in Cicer. p. 140. Alterum caput abrogavit Pompejus Magnus in primo consulatu, lege lata, ut ad *tribunos* plebis esset provocatio: omniaque omnino, quæ *tribunis* plebis ademerat Sylla, illis sunt restituta. Liv. Epit. 97. *M. Crassus, & Cn. Pompejus consules facti tribunitiam potestatem restituerunt.* Sall. fr. Bell. Catil. c. 31. *Postquam Cn. Pompejo, & M. Crasso coss. tribunitia potestas restituta est.* Itaque *tribunis* jus vetus fuit restitutum, quod Imperatores ipsi receperunt. Jus intercedendi lege nunquam amiserunt, quod illis initio belli civilis inique ereptum queritur Cæs. de Bell. civ. I. 5. *Aguntur omnia raptim, atque turbate: neque docendi Cæsaris propinquis ejus spatium datur: nec tribunis plebis sui periculi deprecandi, neque etiam extremi juris intercessionem retinendi, quod L. Sylla reliquerat, facultas tribuitur: sed de sua salute septimo die cogitare coguntur, quod illi turbulentissimi superioris temporibus plebis ... suarum actionum respicere, ac timere consueverant.* Manut. ibid. c. 7. Pigh. Annal. xv. Tom. III. p. 261. Panvin. in Fastor. ibid. p. 76. Lycklama c. 4. Magistratus hic usque ad Constantini tantum Imperatoris secula in Urbe mansit: neque enim facile post Constantinum Augustum ejus mentio in eorum temporum ... invenitur, sub eo autem potissimum cum defecisse arbitratus sum, quod is novam Reipublicæ formam ... additis novis aut veteribus sublatis magistratibus, constituit. *Lips. de Magistrat. c. 15. Panvin. & Lycklama l. l.*

Tribunus, id est, præfectus rerum nitentium, sicut *tribunus* militum, & ærarii, aliique, dicitur. Erat ultimus sub præfecto Urbi. Ejus erat sollicitudo, ut ædes sacræ, basilicæ, fora, balnea, circi, theatra, amphitheatra, viæ, bibliothecæ, campi, & omnia denique loca publica ... sordibus vitarentur, sed nitescerent. Tantum erat veteribus munditiei, nitorisque studium. Hoc ... olim ædilium curulium fuit in veteribus inscriptionibus. *Pancirol. Notit. dignit. Imp. occid. c. 18. Buleng. de Imp. Rom. v. 59.*

Tribunus voluptatum eligebatur ad moderandas, & ludicras populi voluptates. De illo hoc solum monumentum ... vidi, & quidem mutilum valde in Romæ Subterr. ... II. 10. 19.

FL. MAXIMO. VE. CON. . . .
CONCESSUM. LOCUM
PE. . . . ROME. ET TRB.
VOLUP. . . . ET. CONJUGI. . . .

Ludis Romæ, ac voluptatibus populi præfuisse notum est ex lib. xv. C. Th. l. 13. tit. de scenic. Sic quippe scribentes Honorius, & Theodosius Augusti ad Diogenianum, virum clarissimum, *tribunum* voluptatum: *Mimas diversis adnotationibus liberatas, ad proprium officium summa instantia revocari decernimus, ut voluptatibus populi, ac festis diebus solitus ornatus deesse non possit.* Magni æstimatum ... ex Cassiodoro, qui formulam *tribunatus* voluptatum exhibens, ita concludit Var. VII. 10. *Quapropter tribunum te voluptatum per illam inductionem nostra facit electio, ut omnia sic agas, quemadmodum tibi voto civitatis adjungitur. Ne quod ad lætitiam constat inventum, tuis temporibus ad culpas videatur fuisse transmissum. Cum fama diminutis, salva tua opinione, versare. Castitatem dilige, cui subjacent prostitutæ; ut magna laude dicatur, virtutibus studuit, qui voluptatibus miscebatur. Optamus enim, ut per ludicram administrationem ad seriam pervenias dignitatem* Urlat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 982. E. Lips. de Amphith. c. 15. de Magistrat. Roman. c. 14. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 13. Buleng de Venat. circi c. 11. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 9. Voss. Lex. Etymol. in Tribus. Lycklama de Magistrat. c. 4. Thys. de Amphit. p. 207. Diversus fuit ab illo, qui dicebatur A voluptatibus. V. illum supr. in *A.*

TRIBUS fuit pars Urbis, agrique Romani; deinde non Urbis, sed civitatis. Urbs enim primum a Romulo in tres partes distributa est, unde *tribus* dictæ, quanquam alii a tributo, quod populus Romanus in *tribus* divisus conferre solitus fuerit, dictas esse existimant. Diversarum opinionum Dionysium, & Livium auctores habemus: inter quos ne de tempore quidem, quo *tribus* nomen inventum fuerit, video convenire. Nam Dionys. II. p. 82. quem plerique sequuntur, Romulum: Livius unus Ser. Tullium *tribuum* auctorem profitetur I. 43. Dionysio placet, Romulum, ubi primum ab agresti illa Albanorum, convenarumque multitudine Rex declaratus est, omnem populum in tres *tribus*: *tribus* autem singulas in decem curias divisisse, agrum porro, excepta ea parte, quam publicis, & quam sacris muneribus obeundis addixit, æqualiter ipsis triginta curiis partitum esse: post autem Antemnati, Cæninensi, Camerino, Fidenati, Sabino, & Vejenti bello confecto, cum multos ex eis populis civitate donatos in *tribus*, atque in curias conjecisset, iisdem agri etiam capti partem distribuisse. Livius non nisi Sabino bello confecto, atque consociato cum T. Tatio imperio tres equitum centurias, ac triginta curias a Romulo factas, easque a mulieribus Sabinis appellatas prodit I. 13. Romulus *cum populum in curias triginta divideret, nomina earum curiis imposuit. Id non traditur, quum haud dubie aliquanto numerus major hoc mulierum fuerit, ætate, an dignitatibus suis, virorumve, an sorte lectæ sint, quæ nomina curiis darent. Eodem tempore & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt; Ramnenses ab Romulo, ab T. Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis, & originis causa incerta est.* Unde apparet, quas Dionysius *tribus* nominavit, eas a Livio *centurias equitum* appellari. Plutarch. in Romul. p. 13. A. qui utriusque historias videtur legisse, Dionysium secutus scripsit, *tribus* tres, curias triginta a Romulo, verum nonnisi post civitatem Sabinis datam, descriptas: atque illas quidem Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum; has vero non a Sabinis, ut multi putarant, mulieribus, sed a locis plerasque sumpsisse nomen. Quæ si vera sunt, profecto Dionysii subvertitur sententia, qui populum a Romulo, antequam rei bellicæ quicquam attingeret, in tres *tribus* descriptum esse dixit: nisi forte *tribus* ipsas, & curias ante Sabinum bellum institutas illas quidem, verum nonnisi post Sabinam pacem his nominibus insignitas fuisse velit. Fuerunt ergo ab initio tres Romæ *tribus*, Ramnenses, Tatienses, Luceres. V. singulas supr. suis locis. Has deinde sive *tribus*, sive centurias sub iisdem nominibus auxit L. Tarquinius Priscus, ac sex fecit, primos, & secundos (ut ait cum Livio, & Dionysio Festus) Ramnenses, primos, & secundos, Tatienses, itemque Luceres. Neque enim per Attium Navium augurem, id quod optabat, suo insignes relinquere nomine potuit. Numerus hic usque ad Ser. Tullium Regem permansit incolumis, a quo eodem tum, cum *tribuum*, & centuriarum numerus auctus est, ipsæ inter se aperte distinctæ sunt. Liv. I. 43. *Servius pedestri exercitu ornato, distributoque, equitum ex primoribus civitatis* XII. *conscripsit centurias: sex item alias centurias, tribus a Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratæ erant, nominibus fecit. Quadrifariam autem urbe divisa regionibus, collibusque, qua habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror, ab tributo: nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est.* Quamobrem, si Livium attendamus, Servium Regem, Urbe in quatuor partes divisa, primum *tribus*, ac *tribus* quatuor a collium, regionumque nominibus appellatas instituisse dicemus, Palatinam, Suburanam, Collinam, & Esquilinam; si Dionysium, Urbem, quam trium Romulus *tribuum* fecerat, Servium in quatuor divisisse, non gentium, ut ille, quæ habitarent, sed locorum, in quibus habitarent, habita ratione. Ita enim ille IV. p. 219. *Servius, cum pomœrium protulisset, Urbem in quatuor regiones divisam quatuor tribuum fecit, easque a regionibus nomi-*

nominavit, Palatinam, Suburanam, Esquilinam, Collinam, cum eo usque trium tantum fuisset. Qui autem singulas earum partium incolebant, eos alio commigrare, atque alibi censeri, aut tributum conferre vetuit, neque in posterum per tribus generales, ut ante, sed per quatuor locales a se institutas rem militarem administravit, ac singulis partibus præfectos, qui, ubi quisque habitaret, cognoscerent, præfecit. Quorum sententia est: Romulum tres *tribus* γενικὰς fecisse, cum universam populi multitudinem in tres quasi gentium partes divisisset: Servium quatuor τοπικὰς, cum totam Urbem in quatuor regiones distribuisset, atque ideirco neminem e sua regione in alteram transire, ne *tribus* ipsæ forte perturbarentur, voluisse. Hunc, ut a Romuli instituto discederet, hæc causa adduxit. Vidit Ramnenses, qui Palatium; & Tatienses, qui Capitolium tenebant, a Lucenbus novo, atque adventitio populo longe numero superari: etenim quicunque in Urbem quotidie confluebant, sese Luceribus adjungebant. Igitur ut omnes inter se *tribus* æquaret, ac parem in omnibus multitudinem dederet, qui Palatium, & Capitolium, & quicquid inter eos colles spatii erat, habitarent, in unam omnes *tribum* conjecit, quam a Palatii in Urbe nomine, quod in eo primum Urbs sita fuerit, appellavit; qui sub Urbem veterem, quæ regio Subura dicebatur, in Suburanam; qui Esquilias, in Esquilinam; qui Quirinalem, Viminalemque collem, in Collinam, quam, ne alteri horum collium, qui dignitate pari erant, injuria fieret, non Quirinalem, aut Viminalem, sed Collinam nuncupavit. Has quatuor urbanas, reliquas quas instituit, instituit enim adhuc plures, rusticas appellatas auctor est Dionys. IV. p. 220. Scribit enim eundem in multas item partes agrum Romanum esse partitum, quas *tribus* nominavit, easque urbanis ipsis quatuor adjunxisse. Verum quid ipse existimet non adseruit, recitat modo parum inter se constantes aliorum sententias, qui de numero rusticarum *tribuum* scripserunt. Verba ejus hæc sunt: *Dividit agrum etiam universum, ut Fabius tradit, in viginti sex, partes, quas & ipse tribus appellat. cumque ipsis urbanas quatuor ..., ex utrisque facit: (Cato quidem ... Tullio ... omnes narrat) ut autem Vennonius prodit, in unam & triginta ... qui cum auctor sit melior, numerum tamen partium certum non adscribit.* Huic opinioni consentaneus est Varr. de Vit. pop. Rom. I. qui teste Nonio I. n. 205. ita scriptum reliquit: *Extra Urbem in regiones viginti ... ... liberis attribuit.* Quod, ut conjectura ... ... de Servio dictum est. Non Livius, qui ... a Servio plures quatuor, pauciores triginta ... existimavit. Hoc potest doceri I. quod *tribum* Claudiam, quæ rustica fuit, sexto post Reges exactos anno, qui fuit ab U. C. 249. cum vetus esset *tribus*, Claudiam appellatam scribit II. 16. II. quod apud eundem c. 21. scriptum est anno demum 258. Claudio, Servilioque coss. Romæ *tribus unam, & viginti factas* esse. Non Dionysius, quia in judicio Coriolani exponendo, quod quadriennio post, Sempronio, Minucioque coss. a plebe factum est, scribit VII. ... 469. *tribus unam & viginti suffragium tulisse, ita ut novem eum absolverint, reliquæ condemnarint.* Dicamus itaque decem & novem *tribus* a Servio esse factas. Hoc si constituerimus, a Dionysii non multum; a Livii certe nihil sententia recedemus, qui nonnisi anno 258. Claudio, & Servilio coss. unam & viginti tribus factas scriptum reliquit loco modo laudato. Illis an. 369. *tribus quatuor ex novis civibus additæ; Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narniensis: eaque viginti quinque tribuum numerum explevere.* Liv. VI. 5. Anno 395. *duæ tribus, Pomptina & Publilia additæ.* Liv. VII. 15. An. 421. *Tribus propter novos cives censo additæ, Mæcia, & Scaptia.* Liv. VIII. 17. An. 435. *Et duæ Romæ additæ tribus, Ufentina, ac Falerina.* Liv. IX. 20. An. 454. *Tribusque additæ duæ, Aniensis, ac Terentina.* Liv. X. 9. An. 512. *Duæ tribus adjectæ sunt, Velina, & Quirina.* Liv. Epit. XIX. Et hisce numerus XXXV. *tribuum est expletus.* Liv. XXIII. 13. *Ecquis homo ex quinque & triginta tribubus ad Annibalem transfugerit?* XXXIII. 25. *Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata est, omnes quinque & triginta tribus, uti rogaret, jusserunt.* qui integer usque ad extrema Reipublicæ tempora penetravit. Inter urbanas, & rusticas *tribus* hoc interfuit, quod urbanæ fuerunt illorum, qui urbem; rusticæ illorum, qui rura, & quidem colendi causa haberent: ita ut *tribus* nihil aliud, quam pars aliqua Urbis, vel agri Romani esset, eaque habitationem sequeretur, & mutata habitatione mutaretur, quique in agris, iidem in aliqua *tribu* essent; sed tot fere rusticæ *tribus*, quot agri partes numerarentur. Unde Festus: *Viatores appellatos, qui magistratibus ... erant, eo quia initio omnium tribuum cum agri in propinquo erant Urbis, atque assidue homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in via, quam in Urbe; quod ex agris plerumque homines vocabantur a magistratibus.* ... autem mutata hæc tota *tribuum* ratio est. Primum enim qui Urbem habitabant, urbanas: qui agros, rusticas tenebant. Deinde ... urbanis optimis, ac præstantissimis ... in rusticis censeri voluit; ita ut tum *tribus* non Urbis, ... partes haberi cœptæ sint. Mutationis hujus ... fuit I. Vitæ rusticæ commendatio. Illa ... ... apud priscos illos Romanos. Hoc ... ... instituto, qui auctore Dionys. II. p. ... ... omnes servis, ac peregrinis ... ... liberis, & civibus tantummodo ... ... rei bellicæ, ac rusticæ operam dare; ... ... ac tranquillo civitatis statu in agris ... ... si quando ... in Urbem veniendum esset, ... mercatui ... diem, qui nundinæ dictus est, attribuit. V. supr. in *Nundinæ.* Ingruenti autem bello ad militiam ... ... Multo ex iis, qui Urbem habitarent, quam multi, qui ... cum laude, partim etiam viri ... ... coluerint, atque ab agro ad honores vocati, ab honoribus ad agriculturam reverterent. Hinc factum, ut vita agrestium urbanorum vitæ anteposita sit, quod illa laboris, hæc desidiæ plena esset. Varr. de Re rust. Præfat. II. *Viri magni majores nostri non sine causa præponebant rusticos Romanos urbanis: ut ruri enim qui in villa ... ... ignaviores, quam qui in agris versantur in aliquo opere faciendo: sic qui in oppido sederent, quam qui rura colerent, desidiores putabant.* Ut ergo rustica vita honestior urbana haberi cœpta est: sic rusticæ *tribus* urbanis honoratiores. Itaque urbanis libertinorum ordini relictis, ab ingenuis in rusticas commigratum est. Quod quidem aperte demonstrat, ... laudes agriculturæ narrat Plin. XVIII. 3. *Non ... ... honosque civitatis ipsius non ... ... erat. Rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent: urbanæ vero, in quas transferri ignominiæ esset, de ... ... Itaque quatuor solæ ... a partibus Urbis, in quas ... ... , Suburana, Palatina, Collina, Esquilina.* II. Censorum potestas. Illarum enim honorem ex eo maxime tempore increbuisse crediderim, ex quo *tribus* censorum arbitrio sunt permissæ; ita ut ii & novas addere, & novos cives in *tribus* conjicere, & veteres *tribu* movere possent. Quam eorum potissimum fuisse potestatem accepimus: inde enim cum quisque *tribum* tenuit, quam sibi non Urbis, ... habitatio, sed censorum ... ... detulisset. Ostendit aperte id Festus, qui in Ufentinam *tribum* ex aliis post ... civitatibus homines a censoribus, ... qui ex Ufentina regione venerant, ... esse translatos. Docet Diodor. XX. p. 751. A. qui Appium Cæcum censorem potestatem dedisse civibus, ut in, quam vellent, *tribum* distribuerentur; in qua vellent, censerentur, scripsit. Urbanas cum multis ante annis ignominiosas esse cœptas putaverim, tum maxime post annum 449. quo Q. Fabius censor humillimos homines ex omnibus *tribubus*, in quibus dispersi erant, excretos in quatuor urbanas conjecit. Liv. IX. 46. *Appius Claudius censor ... ... per omnes tribus divisis forum, & campum corrupit. Ex eo tempore in duas partes discessit civitas: aliud integer populus, fautor, & cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat: donec Q. Fabius, & P. Decius censores facti. Fabius simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas appellavit.* Sigon. de Antiq. jur. civ.

Rom. I. 3. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. I. F. . . . de Comit. Rom. c. 2. Panvin. de Civit. Rom. c. 47. & 48. in Fast. I. p. 51. Rosin. Antiq. Rom. II. 2. Pigh. Annal. Rom. I. p. 48. Blond. Triumph. Rom. III. p. 60. E. Perion. de Græcor. & Roman. Magistr. II. p. 2779. E. Gruch. de Comit. Rom. II. I. August. de Leg. c. 8. & ad Leg. XII. tab. §. 2. Alexand. Gen. dier. I. 17. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15. Ex his quinque & triginta *tribubus* aliquam, quicunque civis Romanus esset, cujuscunque esset ordinis, obtinebat: in eaque quinto quoque anno a censore censebatur: nisi quis ita turpiter vixisset, ut nota dignus videretur: huic enim si senator erat, e senatu censor ejiciebat, si eques, equo publico privabat; si plebejus, vel *tribu* movebat, hoc est, e rustica nobili in aliam rusticam minus nobilem, aut e rustica in urbanam referebat; quod erat ignominiæ: vel ærarium faciebat. Mutandæ tribus fuit causa [illegible] cum ignominia, ut in iis, quos, ut dixi, censor vitæ flagitia [illegible] notabat. II. cum honore, ut si quis alium in certis quibusdam criminibus accusasset & condemnasset. *Tribum* enim damnati, si ea nobilior esset quam sua, consequebatur accusator. Neque [illegible] homo [illegible] erat, ex urbana *tribu* in rusticam [illegible], quia rusticæ urbanis honore præstarent; sed illud etiam, rusticam cum rustica permutare; quod [illegible] ipsas in nobilitate differre quandam esse videntur; credo, propter eorum, qui suffragia ferrent, vel frequentiam, vel dignitatem. Cujus rei conjectura [illegible] verbis Cicer. pro Balb. c. 25. Ait enim Balbo, *quod in Crustuminam tribum pervenerit, objectum esse, idque illum asse- [illegible] præmio,* defendit. [illegible] crimen [illegible], [illegible] Balbo, [illegible] erat; [illegible] igitur [illegible], si Crustuminam [illegible] *tribum* [illegible] pervenit Balbus, [illegible] *tribu*, vel urbana, vel rustica [illegible]. [illegible] esse non potuit: quia nemo, nisi qui aut libertinus erat, aut rus non habebat, in urbana *tribu* censebatur. Quo in genere certe non est, ut Balbum numeremus: qui neque libertinus fuit; quem, antequam civitate Romana donaretur, civem Gaditanum fuisse constat: & ab egestate tantum abfuit, ut etiam divitiis usque ad invidiam abundaverit. Fuit igitur in *tribu* rustica, e qua cum in aliam rusticam transierit (erat enim rustica Crustumina) sequitur, ut ea, quam omisit, Crustuminæ, quam appetiit, de dignitate concesserit. Qui in *tribu* [illegible] urbanam suffragium tulerunt, hos, cum a censore [illegible] ærarios, puto omnes esse factos; cum enim ad ignobiliores *tribus* descendere non possent; restabat, ut eam [illegible], quam habebant, amitterent, nullamque in ullis [illegible] ferendi suffragii facultatem haberent: qua conditione qui erant, ærarii dicebantur. Quod si quis putat, ærarium [illegible], & *tribu* moveri, idem esse: hic, non dubito, quin [illegible] fallitur. I. habeo meæ sententiæ quasi subscribentem [illegible] Cicer. pro Clu. c. 43. *Ipsi inter se censores [illegible] judicium [illegible] arbitrantur, ut alter alterius judicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat; ut alter de senatu movere velit, alter retineat, & ordine amplissimo dignissimum judicet; ut alter in ærarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet.* Manifeste ab ærariis *tribu* motos distinxit. II. [illegible] *tribu* idem est quod mutare *tribum*. Liv. XLV. 15. [illegible] *Claudius suffragii lationem injussu populi censorem cuipiam homini, nedum universo ordini adimere posse. Neque enim si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quam mutare jubere tribum, ideo omnibus quinque & triginta tribubus emovere posse, id est, civitatem, libertatemque eripere, non ubi censeatur finire, sed censu excludere.* Poterant igitur ii, qui neque senatores essent, neque equites essent, *tribu* moveri, nec tamen in ærarios referri; poterant rursus in ærarios referri tum scilicet, cum vel in urbana *tribu* suffragium ferre soliti essent, unde ad ignobiliorem *tribum* transitus non dabatur; vel a superiore vita invidiosi, ac turpes usque adeo essent, ut non a *tribu* in *tribum* transferendi, sed omni plane *tribu* excludendi viderentur. *Manut. de Comit. c. 2. August. de Legib. in Sulpicia.* In *tribu* rustica censebantur ingenui, si rura possidebant. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 2. p. 18. E.* [illegible] nullo idonei Romani aut Græci scriptoris testimonio [illegible] comprobabit. Primis temporibus Reipublicæ, cum census a Servio Tullio esset institutus, vero simile est obtinuisse, ut qui fundos possiderent, in *tribus* referrentur rusticas, ut secernerentur a χειρώναξι, sed postea cum Respublica crevisset, num, si quis eorum, qui sedentariis artibus se tuebantur, tantum pecuniæ acquisivisset, ut agrum parasset, propterea ex *tribu* urbana referebatur in rusticam a censoribus? Nemo veterum hoc tradit. Hoc vero est credibile, omnes, qui in rusticis *tribubus* censebantur, habuisse rura, ut ait Plin. XVIII. 3. sed nemo dixerit, omnes qui rura habebant, fuisse in *tribum* rusticam translatos. *Grav. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. Præfat.* * * * *vers.* Quæ prærogativa fuerit dicta V. supr. in *Centuria*.

Tribus Ælia unde sit dicta, parum compertum habeo, an a gente nobili, quanquam plebeja, an ab Hadriano Imperatore, qui ex gente Ælia fuit; quemadmodum Julia, Flavia, & Ulpia, quæ ab Augusto, Vespasiano, & Trajano nomen adeptæ sunt. Hujus lapidem nullum adhuc vidi, sed se vidisse vir quidam doctus, & cui facile credo, mihi retulit. *Panvin. de Civit. Rom. c. 51.*

Tribus Æmilia rustica antiquo nomine, quod a loco acceperat, dimisso, accepit nomen a gente, quæ se in illam transtulerat. Romæ fuit nobilissima. Liv. XXXVIII. 36. *Rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani, & Fundani; in Cornelia Arpinates ferrent.* Cicer. Attic. II. 14. *[illegible] parem basilica tribum Æmiliam?* Panvin. de Civit. Rom. c. 15. Ferret. Mus. Lapid. IV. memor. 45. Alex. Gen. dier. I. 17. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 10. E. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Rosin. Antiq. Rom. VI. 50.

Tribus Aniensis prima fuit in Sabina regione, & quod a Liv. IX. 20. prima nominatur, & quia nullum in Sabinis oppidum propius Urbem erat quam Tibur. Anio autem, unde *tribus* nomen tulit, per Tiburtinum fluebat agrum. Meminit ejus Cicer. pro Planc. c. 22. *Et ais, prioribus comitiis Aniensem a Plotio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam.* Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 24. D. Pigh. Annal. Rom. I. p. 385. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 3. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15. Ferret. Mus. Lapid. IV. 45. Scopp. Collect. c. 18. Alex. Gen. dier. I. 17.

Tribus Arniensis & Arnensis rustica in vetustis monumentis appellatur, quæ postea in Narniensem se transformavit. Dicta est ab Arno Tusciæ amne, propter novos cives an. 369. a censoribus addita. De hac Cicer. Agrar. II. 29. *A Suburana usque ad Arniensem*, id est, a prima *tribu* ad ultimam. Habuerunt Arniensem pro ultima, non quod ultimo loco, vel novissime, fuerit addita, & triginta quinque *tribuum* numerum expleverit, sed quod fuerit ab Urbe Roma remotissima. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 3. Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Manut. de Civ. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 26. D. Ferret. Mus. Lapid. IV. memor. 45. Scoppa Collect. c. 18. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15.*

Tribus Camillia, alias Camilla bello sociali addita. Hujus mentionem fieri in quinque antiquis inscriptionibus animadverti sic: CAM. CAMIL. Quarum aliquot sunt in libro epigrammatum antiquæ Urbis exaratæ ita:

L. VICIDIUS. L. F
CAM. PRÆSENS.

Q. MANLIUS. Q. F. CAM
SEVERUS
ALBA. POMPEJA

M. VADIUS. M. F
CAM. ASPRENAS

L. LUCCEJO. C. F
CAMIL. APRILI
AUG. BAP

TI. CLAUDIO. TI. F
CAMIL.
SOTERICO

Cæterum verbum CAMIL. pro Camilla, Camilia, & Camilium interpretari potest. Causa autem, cur hujus nemo meminit, est, quod paulo postquam instituta est, sublata fuit; post Claudii vero Imperatoris tempora haud multos integros historicos habemus. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 51.

Tribus Cestia bello sociali addita. *Tribum* CES. quam in aliquot lapidibus se vidisse vir fide dignus mihi retulit, pro Cestia ego interpretor gente post legem Juliam Romæ nobili, & consulari. C. Cestii enim consulis sub Tiberio Cæsare cum Cn. Servilio mentio est apud Tacit. Annal. VI. 31. 1. & in fastis consularibus, ejus demque, ut puto, VIIviri epulonum in vetusta pyramide prope portam Ostiensem sic:

C. CESTIUS. L. F. POB. EPULO
PR. TR. PL. VII. VIR. EPULONUM

Panvin. de Civit. Rom. c. 51.

Tribus Claudia rustica, a pago ante forte aliquo appellata, adjectis postea novis tribulibus, a gente Claudia in eam relata nomen assumpsit. Liv. II. 16. *Attius Clausus, cui postea Appio Claudio fuit Romæ nomen, ab Regillo magna clientium comitatus manu Romam transfugit, his civitas data, agerque trans Anienem. Vetus Claudia tribus additis postea novis tribulibus, qui ex eo venerant agro, appellata.* Dionys. V. p. 308. *Claudius opibus, & amicis assumptis ex Sabinis Romam migravit. Quem S. P. Q. R. in patricios conscripsit, locumque in Urbe pro domo construenda concessit. Agrum quoque ei publicum tradidit, qui inter Fidenas, & Piculum erat, quem possit suis assignare, a quibus tribus facta est Claudia vocata, quæ usque ad mea tempora manet, idemque nomen servat.* Virg. Æneid. VII. 706.

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus, & gens.

Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 10. E. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 45. Perizon. de Græcor. & Roman. Magistrat. II. Thes. Ant. Græc. Gronov: Tom. VI. p. 2782. D. Blond. Triumph. Rom. III. p. 60. E. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15.

Tribus Collina a collibus Quirinali & Viminali, in quibus sita est, appellata est. De qua Joseph. Antiq. Jud. XIV. 7. sic meminit: *L. Coponius, L. F. Collina.* Panvin. de Civit. Rom. c. 49. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 45. Rosin. Ant. Rom. VI. 15.

Tribus Cluentia bello sociali addita, nomen forte obtinuerit a Cluentiis. L. Cluentii bello Italico contra Romanos ducis meminit Appian. de Bell. Civ. I. p. 380. Gentem etiam Cluentium Romæ nobilem Augusti tempore fuisse, eamque a Trojanis, & Cloantho comite Æneæ descendisse tradit Virg. Æneid V. 123.

— *genus unde tibi Romane Cluenti.*

De hac mentio est in hac vetusta Sublacensi inscriptione:

DIS. MANIBUS
SEX. JUNIUS. SEX. F. CLUENT
FRONTINUS
VET. LEG. I. ITAL. VOLUNT
VIX. ANN. LXIIX. M. IIX
H. S. E.

Panvin. de Civit. Rom. c. 51.

Tribus Cluvia bello sociali addita, potuit nomen obtinere a Cluvia Samnitium Urbe, de qua memin. Liv. IX. 31. in quam Samnites in civitatem recepti conjecti fuerint. De ea mentionem fieri animadverti in vetusto hoc Prænestino epigrammate:

DIS. MANIBUS
D. ANTISTIUS. D. F. CLUVIA
ETERIUS
MIL. COH. V. PRÆT. 7. ÆLI
ASPRI. VIX. ANN. XXXXII
M. IIX. D. XXII
T. F. I.

Panvin. de Civit. Rom. c. 51.

Tribus Cornelia rustica, a nobilissima gente Cornelia nomen obtinuit. Livius laudatus supr. in *Tribus Ann.* 2. Ejus mentionem facit inscriptio Tiburtina.

DIS. MANIBUS
L. AUTIO. L. F. CORNEL
CAPITOLINO
MIL. COH. VI. PRÆTOR
VIXIT. ANN. LXIIX
L. AUTIUS. L. F. CORNEL
LATINUS
FRATRI. KAR
H. S. E

Panvin. de Civit. Rom. c. 50. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3. *Rosin. Ant. Rom.* VI. 15. *Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 15.

Tribus Crustumina, alias Clustumina, utrobique enim modo in vetustis inscriptionibus extare animadverti, rustica fuit, & a Tuscorum urbe Crustumio, vel Clustumina dicta est. Ita Festus: *Crustumina tribus a Crustumio, quam in Tuscis fuisse crediderim, haud procul ab Urbe Anienem versus.* De illa Liv. XLII. 34. *Perrmium omnium S. Ligustinus tribu Crustumina ex Sabinis, sum oriundus Quirites.* Cicer. pro Balbo laudatus supr. in *Tribus.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 11. A. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 15. Scopp. Collect. c. 18. Alex. Gen. dier. I. 17. Blond. Triumph. Rom. III. p. 60. F. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15.

Tribus Dumia bello sociali addita, in vetustis lapidibus DUM. notatur. Inscriptio Via Cassia:

CLAUDIÆ. VENERIÆ
A. GELLIUS. A. F. DUM
SECUNDUS
BONONIA. FECIT
ET. SIBI. IN. F. P. VI. IN. AGR. P. IX

Fani.

Q. PERCERNIUS
Q. F. DUM
MASCULINUS

Panvin. de Civit. Rom. c. 51. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 698. *A. Adm. R. P. M. a Monte Leone apud Malv. Marm. Felsin. Sect.* VIII. *c.* 8.

Tribus Exquilina urbana, quod in Exquilino monte esset, appellata est. Romæ in ædibus Gentilis Delphini Romanarum antiquitatum asyli de hac *tribu* extat hoc epigramma:

DIS. MANIB.
M. FABI. M. F. ESQ. REGILLI. ET. FABIÆ. . .
FABIA. M. ET. Ɔ. LIB. ARETE. ARCHIM. . .
TEMPORIS. SUI. PRIMA. DIURNA. FEC. . .
SIBI. ET. SUIS. QUIBUS. LEGAVIT. TESTA. . .

Panvin. de Civit. Rom. c. 49. *Sigon. de Ant. jur. Rom.* I. 3. *Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Ursat. de Not. Romanis Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 699. *A. Rosin. Antiq. Rom.* VI 15.

Tribus Fabia rustica a gente, quæ in eam relata fuit, nomen obtinuit. De illa Suet. Aug. c. 40. n. 4. *Fabia-*

nis, & Scaptiensibus, tribulibus suis die comitiorum singula millia nummûm a se dividebat. Horat. Epist. I. 6. 52.

Hic multum in Fabia valet, ille Velina.

Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Ferret. Muf. Lapid. iv. Memor. 45. Rosin. Ant. Rom. vi. 15. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 852. D.

Tribus Falerina dicta est ab agro Falerno in Campania, ut existimo. Addita est eo anno, quo Ufentina. Livius laudatus supr. in *Tribus.* De hac Joseph. Ant. xiii. 16. ita meminit: *C. Sempronius. C. F. Falerina.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3 Perion. de Magistrat. Græcor. & Roman. II. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. vi. p. 2784. A. Landus in veter. numism Roman. Explic. Misc. Ital. Tom. I. p. 520. Ferret. Mus. Lapid. iv. Memor. 45. August. de Famil. in Papiria. Pigh. Annal. Rom. I. p. 354. Rosin. Antiq. Rom vi. 15.

Tribus Flavia aut a Vespasiano, aut ab altero filiorum Tito, vel Domitiano nominata fuit: quandoquidem & hi ex gente Flavia fuerunt. De hac vidi inscriptionem hanc Romæ:

C. VALERIUS. C. F
FLAVIA. SPECTATUS
SISICIA. MIL. COH
VIII. PR. 7. VOCONI
MIL. ANN. VI. VIX
ANN. XXIIII. H. F. C.

Panvin. de Civit. Rom. c. 51.

Tribus Galeria rustica, nomen suum a loco nobis modo incognito sortita est. N si eam a Galeso flumine dictam velimus Galesiam, post Galeriam, cujus fluminis meminit Virgilius, qui in Tuscia erat. De illa Liv. xxvii. 6. *Galeria juniorum, quæ forte prærogativa erat, Q. Fulvium, & Q. Fabium consules dixerat.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Jur. ant. Rom. I. 3. Chimentel. de Honor. bisell. c. 3. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. xi. p. 731. B. Alex. Gen. dier. I. 17. Ferret. Mus. Lapid. iv. Memor. 45. Rosin. Ant. Rom vi. 15.

Tribus Horatia rustica apud veteres auctores non invenitur, sed marmoreæ inscriptiones frequenter ejus meminerunt. Nomen a nobilissima gente obtinuit. Quæ nisi priscis temporibus denominata sit, non video, quanam ratione posterioribus seculis *tribus* nomen obtinere potuerit, quum ea gens circa an. 400. memorari desinat. Inscriptio C. Castellanæ:

MAMMIÆ. C. F
JUSTÆ
Q. TULLIUS. Q. F
HORAT
CINCIUS. PRISCUS

Spoleti:

M. SEPTIMIO. M. F. HOR
SEPTIMIANO
EQUO. PUBL. IIII. VIR. I. D
PRÆF. FABR. ROMÆ
DEC. IIII. SCAMILLAR
OPERÆ. VETERES
A. SCÆNA. PATRONO. OB
MERITA. EJUS. L. D. D. D.

Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Rosin. Ant. Rom. vi. 15. *Ferret. Mus. Lapid.* iv. *Memor.* 45.

Tribus Julia in Augusti honorem a senatu appellata est, ut scribit Dio xliv. p. 242. E. una ex veteribus, non de novo addita. Quæ ea fuerit, incertum. De hac inscriptio Fani:

Q. TITIENUS. Q. F
JULIA. QUADRATUS

Inter Ariciam, & Bovillas:

DIS. MANIBUS
Q. JUNIUS. Q. F. JULIA
VALENS
MIL. LEG. V. ALAUD
VIX. ANN. XLIIX
D. XX. H. IIX. VIVUS
FECIT. SIBI. ET. SUIS
IN. FR. P. IIII. IN. A. P. IIII

Panvin. de Civit. Rom. c. 51.

Tribus Lemonia rustica *a pago Lemonio appellata est, qui est a porta Capena via Latina.* Ejus meminit Cicer. Phil. ix. 7. *Cum Ser. Sulpitius. Q. F. Lemonia Rufus ita de Republica meritus sit.* pro Planc. c. 16. *Quid Plancio cum Lemonia?* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Blond. Triumph. Rom. iii. p. 60. F. Sigon. Ant. Rom. I. 3. Alex. Gen. dier. I. 17. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 11. A. Ferret. Mus. Lapid. iv. Memor. 45. Rosin. Antiq. Rom. vi. 15. Scoppa Collect. c. 18.

Tribus Mæcia rustica, auctore Festo, a quodam castro sic appellata est. Hoc autem Mæcium fuit, quod Latinorum erat. Liv. viii. 8. *Eodem anno census actus, novique cives censi: tribus propter eos additæ, Mæcia & Scaptia: censores addiderunt Q. Publilius Philo, Sp. Postumius.* xxix. 37 *M. Livius in ærarium venit, & præter Mæciam tribum, quæ se nec condemnasset, neque condemnatum, aut consulem, aut censorem fecisset; populum Romanum omnem, quatuor, & triginta tribus, ærarios reliquit. . . .* Cicer. pro Planc. c. 16. *Mæciam, quæ non judicaret, sed quæ rejiceretur, esse voluisti.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Ferret. Mus. Lapid. iv. Memor. 45. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 847. D. Scoppa Collect. c. 18. Alex. Gen. dier. I. 17. Pigh. Annal. Rom. I. p. 332. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. II. Thes. Ant. Græc. Gronov. vi. p 2783. F. Blond. Triumph. Rom. iii. p. 60. F. Meibom. Mæcen. c. 4. §. 21. Rosin. Antiq. Rom. vi. 15.

Tribus Menenia rustica, quæ ex loco Joseph Antiq. xiii. 17. *L. Manlius L. F. Mentina*, in Mentinam se transformaverat, nunc demum vetustæ inscriptionis auxilio, quæ Feltriæ extat prope ecclesiam cathedralem, pristino splendori restituta est. Quanquam enim frequens de ea in antiquis epigrammatibus mentio esset, tamen, quia nunquam non nisi hac nota MEN. exarata fuerat, res dubia, & anceps diu fuit, quum tam Mentinam, quam Menenia interpretari posset, Mentinamque Josephi testimonium confirmaret. Quod erratum est. I. quia vox Mentina nullam habet significationem. II. facilis lapsus fuit a MEN. vel etiam MENENIA in Mentinam, & præsertim in Græco scriptore. si tamen id vitium, quod vix credo admiserit, librariique erratum non fuerit. III *tribum* MEN, quæ frequens est, pro Menenia interpretari posse ex Feltria inscriptione didicimus. Quod si Menenia *tribus* fuit, procul dubio ob easdem rationes, quas de Horatia attuli, ex antiquis xxi. fuit, quo tempore gens Menenia, a qua *tribus* nomen accepit, maxime florebat, cujus postea memoria quam cito defecit. IV. Sic scriptus est locus Cicer. Fam. xiii. 9. *P. Rupilius P. F. Men.* qui in vetustis codicibus modo Menenius, modo Menius legitur. nunquam Mentinus. Lapis apud Feltriam læva, cum cathedralem ædem ingrederis:

C. FIRMIO. C. F.
MENENIO. RUFINO
EQ. PUB. LAUREN
LAV. DEC. FLAMIN.
PATRONO. COLLE-
GIORUM. FAB. CENT
DENDR. FELTRIÆ
ITEMQUE. BER. VENS
COLLEG. FABR. ALTI
NATIUM. PATRONO.

Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Jur. civ. Roman. I. 3. *Fer-*

3. *Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Roſin. Ant. Rom.* VI. 15.

Tribus Minucia dicta eſt a gente Minucia olim Romæ nobiliſſima, & vetuſtiſſima. Hæc quum priſcis temporibus a patribus ad plebem tranſiſſet, paullo ante bellum Marſicum adhuc florebat, & duos conſulares, & alterum ex iis triumphalem habebat. De hac in antiquo lapide mentio eſt Præneſtæ:

A. MUNIO. A. F
MIN. EUARISTO
SPL. EQ. R. PAT. COL
OMNIBUS. HONOR
NITIDE. FUNCTO. OB
INSIGNEM. EJUS. EDITIONEM
MUNERIS. BIDUI. POPULO
POSTULANTE. BIGAM
PLACUIT. EQUEST. STATUA
DECRETO. ORDINIS. EUM
ORNARI
L. D. D. D.

Panvin. de Civit. Rom. c. 51.

Tribus Ocriculana una procul dubio ex XXXV. tribubus fuerit, ſed quænam ex illis incertum. Quandoquidem una plura nomina habere potuerit. Una enim ex antiquis Ser. Tullii *tribubus*, ſive a gente, ſive a loco, appellata fuerit, eſſe potuit, in quam Ocriculani in civitatem recepti a cenſoribus relati fuerint. A quibus vel antiquo nomine mutato novum Ocriculanæ aſſumpſerit, vel utraque ſimul retinuerit. Nam eam *tribum* fuiſſe in dubium venire non poteſt, quum ſaxa vetuſta ejus faciant mentionem: OCR. OCRIC. Morlupi:

V. VITELLIUS. A. F. OCR
CRESCENTIUS. II. VIR. CAP
Q. VALERIUS. Q. F. OCR
PACATUS. II. VIR. CAP
CUM. CONS. RESTITUE
RUNT

Via Flaminia:

GENIO
JOVI. STYGIO. SANCTO
SACRUM
SEX. POMPEJUS. SEX. FIL
OCRIC. CIVICA
MIL. COH. VIII. PRÆT

Panvin. de Civit. Rom. c. 51. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 884. *A.*

Tribus Oufentina. V. illam infr. in *Tribus Ufentina.*

Tribus Palatina urbana fuit a Palatino monte denominata, quem cum foro, & Capitolio obtinebat. De qua Cicer. Verr. II. 43. *C. Claudius. C. F. Palatina.* Et eo loco Aſconius: *Alibi ait L. Claudium Palatina.* Infinita ſunt propemodum vetuſta monumenta, quæ hujus *tribus* mentionem faciunt, in quibus PAL. PALAT. PALATINA, & PALATEINA appellatur. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 49. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 10. *D. Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 893. *A. Roſin. Antiq. Rom.* VI. 15.

Tribus Papia reliquis bello ſociali addita eſt. Hujus frequentiſſima eſt mentio in vetuſtis marmoreis monumentis. Forte dicta eſt a gente Papia Italicarum nobiliſſima. Nam inter primos belli ſocialis duces a Paterculo, & Appiano Papias Mutilus refertur, cujus gens poſtea in civitatem accepta conſularis fuit. Papiorum enim Mutili, & Secundini conſulum ſub Auguſto in Faſtis mentio eſt. T. quoque Annius Milo oratione Ciceronis celebratus e gente Papia fuit. Lapis vetus Sutrii:

M. ANTEIO
M. F. PAP. RESTI
TUTO. PR. IVV
ÆDILI. AUGURI
CUR. R. P. DECUR
AUGUST. ET. POP
ÆRE. CONLATO

Panvin. de Civit. Rom. c. 51. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 192. *A.*

Tribus Papiria ruſtica a gente Papiria nomen accepit. De qua Feſtus: *Papiria tribus a Papirio vocata.* Liv. VIII. 37. *Memoriamque ejus iræ Tuſculanis manſiſſe ad patrum ætatem conſtat: nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre ſolitum.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Ferret. Muſ. Lapid. IV. Memor. 45. Auguſt. de Famil. Roman. in Papiria. Scoppa Collect. c. 18. Alex. Gen. dier. I. 17. Roſin. Antiq. Rom. VI. 15.

Tribus Pollia ruſtica. De hac meminit Liv. VIII. 37. *Tribus omnes, præter Polliam, antiquarum legem* in Tuſculanos latam. XXIX. 37. *Cum ad tribum Polliam ventum eſt, in qua M. Livii nomen erat.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Ferret. Muſ. Lapid. IV. Memor. 45. Perion. de Græc. & Rom. Magiſtr. II. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2784. A. Alex. Gen. dier. I. 17. Roſin. Antiq. Rom. VI. 15.

Tribus Pomptina ruſtica *a Pontia urbe eſt dicta, a qua & ager Pomptinus appellatus eſt. Hæc in Volſcis erat prope Terracinas.* Feſtus. Livius ſupr. in *Tribus* laudatus. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 50. *Perion. de Græc. & Rom. Magiſtr.* II. *Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2784. *A. Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Roſin. Ant. Rom.* VI. 15. *Scoppa Collect. c.* 8. *Alex. Gen.* I. 17.

Tribus Popillia ruſtica varie ſcribitur, & præterea dicitur Poplilia, Poblilia, & Publilia. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3. *Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 11. *B. Blond. Triumph. Rom.* III. *p.* 60. *F.* Apud Feſtum, ubi de ea loquitur, lego: *Popillia tribus una triginta quinque tribuum, tot enim fuerunt, dicta a Popilliæ felici nomine.* Nam quid manifeſtius, quam a Popilla femina dictam *tribum*, cujus nomen auſpicatiſſimum habebatur, ac bonæ ſcævæ, ut tunc loquebantur. *Scalig. ad Feſtum. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 907. *A. Scopp. Collect. c.* 18. Feſti verba lacera ſunt. Ego in eam deveni ſententiam, ut non a gente Popillia nomen acceperit, ſed a loco, qui forte in Volſcis prope Pontinam erat. Neque enim ulla XIV. harum *tribuum*, quæ a Livio primis XXI. additæ referuntur, a familia nomen obtinuit, neque veriſimile eſt gentem Popilliam, quæ & plebeja fuit, & tantum hoc tempore cognita, *tribui* nomen dediſſe. De hac Val. Max. IX. 10. *Quam ob cauſam Popillia tribus, in qua plurimum poſtea Tuſculani in civitatem recipi potuerunt, neminem unquam candidatum Polliæ tribus fecit magiſtratum.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Roſin. Ant. Rom. VI. 15.

Tribus Pupinia, & Popinia in vetuſtis epigrammatibus PUP. & POP. exarata invenitur. Fuit ruſtica. De hac Feſtus: *Pupinia tribus ab agro Pupino.* Hic ager in Latio cis Tiberim ad mare vergens haud longe ab Urbe erat. Liv. XXVI. 9. *Hannibal infeſtius perpopulato agro Fregellano propter intercifos pontes, per Fruſinatem, Ferentinatemque, & Anagninum agrum in Labicanum venit: inde Algido Tuſculum petiit: nec receptus mœnibus, infra Tuſculum dextrorſus Gabios deſcendit: inde in Pupiniam exercitu demiſſo, octo millia paſſuum ab Roma poſuit caſtra.* Val. Max. IV. 4. 4. *Illi etiam prædivites, qui ab aratro arceſſebantur, ut conſules fierent, voluptatis cauſa ſterile, atque æſtuoſiſſimum Pupiniæ ſolum verſabant. Cn. Lucretii C. F. Pup.* Fam. VIII. 8. & *Cn. Nerii Pupinia* ad Fratr. II. 3. meminit Cicero. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 50. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3. *Manut. de Civit. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 11. *A. Ferret. Muſ. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Blond. Triumph. Rom.* III. *p.* 60. *F. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 925. *F. Perion. de Græc. & Rom. Magiſtr.* II. *Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2783. *F. Roſin. Ant.*

Rom. VI. 15. *Nardin. Rom. Vet.* II. 3. *Scoppa Collect. c.* 18. *Alex. Gen. dier.* I. 17.

Tribus Quirina rustica, eo anno, quo Velina, est addita, *a Curensibus Sabinis videtur appellationem traxisse.* Festus. Hujus meminerunt Cicer. Fam. VIII. 8. *C. Sempronius T. F. Quirina.* Ascon. in Cicer. p. 142. *Duæ solæ tribus, Sergia, & Quirina damnaverunt.* Joseph. Ant. XIV. 17. *Papirii Quirinæ* meminit. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 50. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 946. *B. Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Rosin. Ant. Rom.* VI. 15. *Scoppa Collect. c.* 18.

Tribus Romilia rustica *fuit sub Roma.* Varr. de Ling. Lat. IV. 9. Hanc eam agri partem obtinuisse crediderim, quæ in Tuscia prope Urbis mœnia inchoans, secundum flumen, usque ad mare trans Tiberim extendebatur. Quod intelligitur ex Festo, qui meminit: *Romilia tribus dicta, quod ex eo agro censebatur, quem Romulus ceperat ex Vejentibus.* Eum porro agrum, quem Romulus de Vejentibus cepit, trans Tiberim in Tuscia fuisse, atque ea parte a Janiculo, vel Vaticano usque ad mare se extendisse referunt Diodorus, & Strabo. Cicer. in Verr. Procem. c. 8. *Fortem amicum ex eadem familia, Q. Verrem Romilia.* Ubi Asconius: *Romilia nomen est tribus ablativo casu, ut sit ex Romilia.* Cicer. Agrar. II. 29. *A Romilia tribu se initium facturum, populi pars amputetur, ordo tamen negligatur, ante rusticis detur ager, qui habent, quam urbanis.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 10. E. p. 25. A. Turneb. Adv. XXX. 17. Alex. Gen. dier. I. 17. Nardin. Rom. Vet. II. 3. Scopp. Collect. c. 18. Blond. Triumph. Rom. III. p. 60. F. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15.

Tribus Sabatina rustica *a lacu Sabate dicta.* Festus. Sabatis autem lacus in Tuscia fuit, atque nostra ætate appellatur Anguillaria. Et hæc propter novos cives est addita. Inscriptio Romæ via Latina:

L. JUNIO. L. F SABATI
NA. POLIONI. AU
ROMATARIO. A. VIC
PUBL. VIX. ANN
XLVII

Panvin. de Civit. Rom. c. 50. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 952. *A. Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Scopp. Collect. c.* 18. *Alex. Gen. dier.* I. 17. *Blond. Triumph. Rom.* III. *p.* 60. *F. Rosin. Antiq. Rom.* VI. 15.

Tribus Sappinia fuit extra numerum. Hujus nullam unquam epigramma vidi, neque, qui vidisset, agnovi: quamobrem dubium esse potest, an Romana fuerit, quanquam de ea diserte Liv. XXXI. 2. *Eodem tempore P. Ælius consul C. Oppium præfectum socium hac tumultuaria manu per Umbriam, quam tribum Sappiniam vocant, agrum Bojorum invadere jussit.* XXXIII. 23. *Sub hæc tum varia fortuna gesta L. Furius Purpureo alter consul per tribum Sappiniam in Bojos venit.* Panvin. de Civit. Rom. c. 51. Rhodig. Ant. Lect. V. 6. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 953. B.

Tribus Scaptia rustica, *a nomine Urbis Scaptiæ appellata.* Festus: Ob eam causam, qua Mœcia, addita. Livius laudatus supr. in *Tribus.* De illa Suetonius supr. in *Tribus Fabia.* Ubi observandum, duas *tribus* eodem tempore ab eodem cive fuisse retentas. Præter Suetonium docet hoc vetus lapis Brixianus:

C. JULIO. C. F.
FAB. SCAPT.
CÆSARI
AUGUSTO

Fabia scilicet, & Scaptia *tribus* memorantur: hæc tanquam gentilis, & nativa familiæ Octaviæ: illa propria Juliorum, in quorum nomen, & gentem per jura adoptionis pertransiit. Id tamen ego puto rarissimum: quippe in una certa *tribu* unusquisque civis erat censendus propter comitia, & suffragia, cæterasque perfunctiones publicas: nec vero licebat desultorie, aut promiscue munia occupare. In hac autem inscriptione honori posita Cæsaris Augusti, non miror, si utraque *tribus* nominatam se voluit gloriæ causa, ut neutra mortalium tunc maximi, ac felicissimi altricem, & parentem sese reticeret. *Chimentel. de Honor. bisell. c.* 3. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 50. *Scopp. Collect. c.* 18. *Alex. Gen. dier.* I. 17. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 332. *Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat.* II. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2783. *F. Blond. Triumph.* III. *p.* 60. *F. Rosin. Antiq. Roman.* VI. 15.

Tribus Sergia rustica a gente ejusdem nominis appellationem obtinuit. De illa meminit Asconius laudatus supr. in *Tribus Quirina.* Et Frontin. de Aquæd. II. Verba legis: *T. Quinctius Crispinus cos. populum jure rogavit, populusque jure scivit in foro pro rostris ædis divi Julii populi Romani, & Julus, tribus Sergia principium fuit.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Tom. I. p. 10. E. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 45. Rosin. Ant. Rom. VI. 15. Alex. Gen. dier. I. 17.

Tribus Stellatina rustica non in Campania, ubi erat campus, qui Stellas appellabatur, sed in Etruria fuit. Hoc enim tempore Romanorum imperium Capuam usque non extendebatur, nec ullum inter Campanos & Romanos fœdus adhuc intercesserat. In Etruria fuisse liquet ex fragmento Festi: *Stellat. . . . eo, qui in Campania est, sed eo qui. . . . pena. Ex quo Tusci profecti. . . . in campum appellaverunt.* Quæ verba sic ego restituerem: *Stellatina tribus dicta est non a campo eo qui in Campania est, sed eo qui in Etruria regione Capena, ex quo Tusci profecti eum Stellatem campum appellaverunt.* Hæc sic restitui, quod in Tuscia Capenates erant populi ad lucum Feroniæ, & inter Tuscos populos Stellates quoque enumerentur. Ii enim qui ex aliis regionibus Romam veniebant, atque civitate, & agris donabantur, illis agri Romani partibus, quas sortiti essent, nomina ea tribuerunt, ab iis regionibus scilicet, unde ipsi commigraverant. Ejus meminit Livius laudatus supr. in *Tribus.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 970. A. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 45. Scopp. Collect. c. 18. Alex. Gen. dier. I. 17. & in illam Gothofredus. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15.

Tribus Suburana inter urbanas, in quas Ser. Tullius Rex Urbem divisit, prima enumeratur a Varr. de Ling. Lat. IV. 8. a Subura appellata. *Reliqua Urbis loca olim discreta, ut Argeorum sacraria, in septem & viginti partes sunt disposita: e queis prima est scripta regio Suburana, secunda Exquilina, tertia Collina, quarta Palatina. . . . Eidem regioni attributa Subura, quod sub muro terreo Carinarum est, vel, ut Junius scripsit, ab eo, quod fuerit sub antiqua Urbe, cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus vocatur: sed ego a pago potius Sucusano dictam puto Sucusam. Nunc scribitur litera B. non C. Pagus Sucusanus, quod succurrit Carinis.* Festus: *Suburam Verrius alio libro a pago Sucusano dictam ait. Hoc vero maxime probat eorum auctoritatem, qui ajunt ita appellatam, & regionem Urbis, & tribum a stativo præsidio, quod solitum sit succurrere Exquiliis infestantibus eam partem Urbis Gabinis, indicioque esse, quod adhuc ea tribus per C. literam, non B. scribatur.* Quintil. I. 7. *Subura, cum tribus notatur, C. tertiam ostendit.* Inscriptio antiqua Romæ ante arcum Septimii Severi Aug.

PACI. ÆTERNÆ
DOMUS
IMP. VESPASIANI
CÆSARIS. AUG
LIBERORUMQUE. EJUS. SACRUM
TRIB. SUC. JUNIOR

Panvin. de Civit. Rom. c. 49. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3.

I. 3. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 10. *D. Ferret. Muf. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Scopp. Collect. c.* 18. *Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat.* II. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2783. *A. Rosin. Antiq. Rom.* VI. 15.

Tribus Terentina rustica cum Aniensi addita est. De illa Cicer. pro Planc. c. 16. *Quas tribus edidisti? Terentinam, credo.* Fam. VIII. 8. *M. Oppius M. F. Terentina.* Et supr. in *Tribus Aniensis.* Hanc a Terento, is locus in campo Martio erat, dictam puto. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 50. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3. *Ferret. Muf. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 977. *E. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 385. *Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat.* II. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2783. *B. Rosin. Antiq. Rom.* VI. 15.

Tribus Tromentina rustica *a campo Tromento dicta.* Festus. Is campus in Tuscia fuit, ex quo quum aliquot Romam profugissent, & civitate donati, in quatuor que *tribus* conjecti, agri populi Romani partem obtinuissent, uni earum Tromentinæ nomen posuerunt. Tromentum autem campum in Tuscia esse incerti auctoris libro satis liquet. De illa Livius laudatus supr. in *Tribus.* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Manut. de Ant. jur. civ. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 22. F. Ferret. Muf. Lapid. IV. Memor. 45. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. XI. p. 984. D. Scopp. Collect. c. 18. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. II. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2783. F. Blond. Triumph. Rom. III. p. 60. F. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15.

Tribus Vejentina rustica ab agri Vejentis parte appellata fuit. Qui trans Tiberim in Tuscia supra urbem Vejos versus erat, de Vejentibus a Romulo captus. De hac *tribu* Cicer. pro Planc. c. 16. *Quid Plancio cum Vejentina?* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 11. A. 24. E. Ferret. Muf. Lapid. IV. Memor. 45. Scopp. Collect. c. 18. Alex. Gen. dier. I. 17. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. II. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2783. D. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15.

Tribus Velina rustica a lacu Velino est dicta. Addita cum Quirina. Livius laudatus supr. in *Tribus.* De illa Cicer. Attic. IV. 15. *Tribus habet Pomptinam, Velinam, & Maciam.* De Clar. Orat. c. 48. *T. Annius Velina.* Horatius laudatus supr. in *Tribus Fabia.* Hæc, ut dixi, a lacu Velino potius dicta est, quam a Velia. Est enim is lacus in Sabinis. Velia vero urbs Lucaniæ longe ab Urbe distans. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 50. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 3. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* I. *p.* 11. *A. p.* 25. *E. Ferret. Muf. Lapid.* IV. *Memor.* 45. *Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat.* II. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2784. *B. Rosin. Antiq. Rom.* VI. 15.

Tribus Veturia rustica nomen, vetere relicto, a gente Veturia mutuata est. De illa Liv. XXVI. 22. *Fulvius Romam comitiorum causa arcessitus, quum comitia consulibus rogandis haberet, prærogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium Torquatum, & T. Otacilium. . . . Redire in suffragium Veturiam juniorum juberet. . . . Tum centuria & auctoritate mota viri, & admirantium circa se fremitu, petit a Consule, & Veturiam seniorum citaret. Velle se cum majoribus natu colloqui, ut ex eorum auctoritate consules dicere. Citatis Veturiæ senioribus. . . .* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Ferret. Muf. Lapid. IV. Memor. 45. Alex. Gen. dier. I. 17. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15.

Tribus Ufentina, sive Oufentina rustica ob novos cives, qui in dies addebantur, addita est. Livius laudatus supr. in *Tribus.* Dicta est ab Oufente fluvio. Festus: *Oufentinæ tribus initio causa fuit flumen Oufens, quod est in agro Privernate inter mare, & Terracinam. Lucretius.* Perperam pro *Lucilius:*

Priverno Oufentina venit, fluvioque Oufente.

[illegible] *tribus, ut a[illegible].* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 3. Ferret. Muf. Lapid. IV. Memor. 45. Rosin. Ant. Rom. VI. 15. Scoppa Collect. c. 18. Alex. Gen. dier. I. 17. & in illum Tiraquellus. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. II. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2783. F. Blond. Triumph. Rom. III. p. 60. F.

Tribus Voltinia rustica. De illa Cicer. pro Planc. c. 16. *At Voltiniam: libet enim tibi [illegible] tribu criminari.* c. 17. *Voltinia tribus ab hoc corrupta Terentinam habuit venalem. Quid [illegible]* 22. Sed V. laud. tum [illegible] in *Pub[illegible].* Panvin. de Civit. Rom. c. 50. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 3. Ferret. Muf. Lapid. IV. Memor. 45. Pigh. Annal. Rom. I. p. 354. Alex. Gen. dier. I. 17. & in illum Tiraquellus. Rosin. Antiq. Rom. VI. 15.

TRIBUTARII erant ordines æquo jure contributi, & fœderati, hoc est, corpora, seu collegia. [illegible] cæteris [illegible] habebantur: non *tributarii* [illegible], qui solvendo *tributo* [illegible] habebantur. [illegible], qui *tributa* d[illegible] pendebant, & *tributarii* [illegible] *tributa* solvebant, ut notat glossa Instit. Tit. de Rer. divis. §. per tradit. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 9[illegible]3. *D.*

TRIBUTUM & vectigal distinguuntur [illegible] bus, & præcipue [illegible]. *Tributa* quidem erant, quæ conferebantur a provincialibus, id est, [illegible] possessoribus, pro modo agrorum, quos possidebant, & [illegible]: ac sane duplicia, capitis, & soli. Vectigal vero [illegible] & id quod pro [illegible], quæ exportantur, & importantur, solvitur. Sic Græci φόρον, & τέλος distinguunt. Spartian. Marc. Anton. Phil. c. 23. *Vectigalia, vel tributa, ubi necessitas erat, [illegible].* [illegible] pro [illegible]. In Anton. Pio. c. 7. [illegible] *rum apprime [illegible], & vectigalium.* Nam per [illegible] *provinciarum tributa* intelligi eo loc. certum est. *Salm.* [illegible] *Lamprid. Alex. Sev. c.* 39. *Lips. de Magn. Rom.* II. 2. [illegible] *Var. Lect.* II. 1. *Cujac. Observ.* VII. 4. *Tit. de Magn. Rom.* I. *p.* 252. Illud definit Varr. de Ling. Lat. IV. 36. *Tributum erat pecunia populo imperata, quæ tributim a singulis pro portione census exigebatur. Tributa,* cum initio ex æquo omnes conferrent, secundum censum, seu facultates unius cujusque, primum a Servio Tullio instituta sunt. *Justum namque existimabat, & Reipublicæ utile, ut qui multum possiderent, conferrent multum, parum vero qui essent in re tenui.* Dionys. IV. p. 215. Hunc morem Tarquinius Superbus sustulit. Dionys. IV. p. 245. *Antiquata tributorum pro cujusque censu conferendorum lege pristinum eorum morem restituit: & quoties ei opus esset pecuniis, tantumdem conferebant dives & pauperrimus.* Revocarunt P. Valerius II. & T. Lucretius consules. Dionys. V. p. 293. *Horum consulatu nihil memorabile [illegible], & bellicorum tributorum ordinationem ex instituto Regis Tullii, quæ toto Tarquinii regno intermissa, nunc primum ab his consulibus in usum revocata sunt.* Sed [illegible] *tributa,* cum stipendia militi demum an. ab U. C. 347. de publico data sint. Livius. V. illum supr. in *Stipendium.* Item sæpius quidem pro libidine imperantium indicta, usurpata tamen etiam ad commeatum, cæteraque quæ ad bellum opus sunt paranda. Quapropter restituta etiam eadem ex præda copiosa bello parta videre licet. Dionys. V. p. 31[illegible]. *Tantum recuperarunt singuli, quantum ad armandos milites contribuerant.* Et Excerpt. Legat. p. 747. *Tum privatis civibus stipem, quam ad belli sumptus pro se quisque contribuerant, reddidi.* Usque dum de publico stipendia miles acciperet. Tum enim *tributa* [illegible] necessaria, imo augenda fuerunt: ideoque cum *tribuni plebis auxilio se futuros edixissent, si quis in militare stipendium tributum non contulisset, Patres bene cœptam rem tueri, conferre ipsi primi: & quia nondum argentum signatum erat, æs grave plaustris quidam ad ærarium convexerunt.* Liv. IV. 60. *Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c.* 3. Duæ *tributorum* species erant, altera ordinariorum, tam in capita, quam in solum, sive

agros, & possessiones, quæ singulis annis exigebantur: altera extra ordinem eorum, quæ imperabantur a populo, aut per SCtum pro necessitate temporum, pro bono publico, & defensione imperii, ejusque provinciarum; uti alias etiam imperabatur stipendiariis populis certus equitum, peditumve numerus, idoneis instructorum stipendiis. *Tributa* primum per Reges instituta sunt, & a coss. postea continuata ad annum usque 586. cum Æmilius Paullus ex præda Persei Macedonum ultimi Regis tantam pecuniæ summam ærario publico intulit, ut postea populus Romanus satis longo tempore vacatione *tributorum* sit gavisus. Cicer. de Offic. II. 22. *Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus Paullus tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum.* Bergier. de vias milit. 1. Sect. 12. §. 1. & 2. Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p. 1234. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. [illegible] 16. Buleng. de Vectig. c. 12. Stewech. in Veget. III. 3. Etsi varie pro diversitate provinciarum pendebantur, omnes tamen in tribus [illegible] præstabant: nempe Kal. Januarji, Maji, & sub principium mensis Septembris, [illegible] ut cavetur Constitutione Græca codici inserta. l. fin. C. de annon. & trib. [illegible] *Armeniaca* [illegible] *& Kalendis Majis,* [illegible] *tres æquas partes* [illegible]*sa.* Pancirol. de Magistrat. municip. c. 10. Stewech. l. l. Extra ordinem quod dicitur, temerarium vocat Festus: *Est autem quoddam tributum temerarium, ut post Urbem a Gallis captam collatum est; quia proximis annis quindecim* [illegible] *& populus in* [illegible]. Quibus verbis temerarium [illegible] atque extra ordinem [illegible] quæcunque habent, [illegible]. Ergo vero [illegible] post captam Urbem [illegible] inveni: de eo vero, quod Lævino, & Marcello coss. an. 543. collatum est, in hunc modum [illegible] video Liv. xxvi 36. *Tum Lævinus cos.* [illegible], inquit, [illegible] *populus Romanus,* [illegible] *aurum,* [illegible] *omnes* [illegible] *conferamus:* [illegible] *ris, & filio bullam: & quibus uxor, filiæve sunt,* [illegible] *pondo* [illegible] *argenti* [illegible] *equi ornamenta, & libras pondo, ut salinum, patellamque* [illegible] *ceteri* [illegible] *libram* [illegible] *ris* [illegible] *patres'am-* [illegible] *aurum, argentum, æs* [illegible] *ante* [illegible] *collatio, & certamen adjuvandæ Reipublicæ* [illegible] *In hoc* [illegible] *est, ut gratiæ ultro coss. agerentur. Senatu inde misso, pro se quisque aurum, argentum, æs in publicum conferunt, tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse.* Sigon. l. l. *Tributum* enim temerarium, & [illegible] in tabulis ærarii referri solitum. [illegible] Flor. II. 6. 25. *Egebant ærario, opes suas libens senatus in medium protulit; nec præter quod in bullis, cingulis, atque annulis erat, quicquam sibi auri reliquere. Eques secutus exemplum,* [illegible] *equitem tribus, denique* [illegible] *manus Lævino, Marcelloque coss.* [illegible] *opes in publicum* [illegible]. Hæc in tabulas referebantur, ut, locupletato denuo ærario, sua cuique pecuniæ restitueretur. Id quod post bellum Punicum [illegible] æquis portionibus factum accepimus. *Scheff.* [illegible] *l. l. Stad. in Florum.* Duravit hæc *tributi* persolutio ad bellum usque Macedonicum secundum, quo L. Paullus [illegible] triumpho, quique *omnium ante actorum* [illegible]. Pater. I. 9. 6. tantum pecuniæ in ærarium intulit, *ut populus Romanus ex eo tempore tributum pendere desierit.* Plin. XXXIII. 3. *Franckenstein l. l.*

TRICHORUM ab eruditis ignoratum, quid sit apud Spartian. in Pescenn. Nigr. c. 12. *Domus ejus hodie Romæ visitur in campo Jovis, quæ appellatur Pescenniana: in qua simulacrum ejus in trichoro constitit.* etiamsi est apud Stat. Sylv. I. 3. 58.

Aut quid partitis distantia tecta trichoris?

Quo in loco ingeniosus interpres, Domitius, *Trichora,* inquit, *ædificia tribus pennis surgentia.* Sed cur sic, id vero tacuit. Apud Dioscor. IV. 167. videor id verbum comperisse. Scribit enim: *In summis surculis fructum gerit triplici loculamento distinctum,* τρίχωρον περιφερῆ. *Trichorum* hic a trium capacitate dici conjectari potest. Ipse & ab distinctione triplici *trichorum* posse deduci arbitror. Χωρίζειν namque dispartire indicat. *Rhodig. Antiq. Lect.* XVIII. 11. Alii rectius ἀπὸ τριῶν χωρῶν a tribus cameris terno ordine distinctis. Papias in Glossario: *Trichora, tres cameræ, sive apsides.* Gevart. in Statium. Magnarum ædes & palatia tribus distinctis partibus constare solent: quarum una ingredienti adversa occurrit, duæ sunt ad latera. Has tripertitas domos architecti vocabant *trichora,* τρίχωρα. Architecti nostri vocant hodie papiliones: quia harum partium (ædificii corpora vulgo dicimus) diversa tecta sic consurgunt, ut in metatura castrorum separata totidem papilionum fastigia. *Casaub. in Spartianum. Morell. in Statium.* Errant, qui putant ab architectis nostris papiliones hodie vocari, quæ veteres τρίχωρα dicebant: nam hi nostri papiliones, quos vocamus, testudinatis veterum tectis similes sunt, non *trichoris.* Erat *trichorum* fastigium domus a forma triangulari dictum: nam τρίχωρον, & τρίγωνον idem. Ædes sacræ veterum culmen, & fastigium habebant ita in utramque partem proclinatum ad stillicidia dejicienda, quemadmodum cum avis alas demittit, & extendit: hinc fastigiis nomen. Veteres Romani pectinata tecta appellabant, quæ in duas partes essent devexa. Hinc hos hodie pectiniones vocamus, qui ex utraque parte fastigium sustinent, & plane sunt triangulari forma. Hujuscemodi *trichora,* vel fastigia Galen. περὶ ἄρθρων appellat τριγωνοειδεῖς τῆς ὀροφῆς ἀναστάσεις. Et tale Statio dicitur. Fiebant tecta plerumque pluribus fastigiis, id est, *trichoris,* ut videre est in Cicer. ad Fratr. III. 1. verbis relatis supr. in *Fastigium.* Hinc *tecta distantia partitis trichoris,* id est, fastigiis, dixit Statius. *Salmas. in Spartianum & Exercit. Plin. p.* 853. *b. C.* De illis etiam Cerda Adv. c. 102. & Lindenbr. in Statium. Sed plenius melius que omnibus Rosweidus ad Paullini Nolani Epist. 12. p. 784. ut monet *Barth. in Statium.*

TRICIPITINUS fuit cognomen gentis Lucretiæ. Omnes Lucretii, uno excepto Flavo, cognomine *Tricipitini* sunt appellati. Illorum I. fuit Sp. Lucretius, Lucretiæ L. Tarquinii Collatini uxoris pater. Erat tum præfectus Urbis a Rege constitutus. Imperio Regibus abrogato, ab eodem præfecto comitia centuriata sunt habita, & primi consules creati L. Brutus, & L. Collatinus. II. T. Lucretius cum P. Valerio Poplicola anno proximo consul fuit, & lustrum quintum condiderunt. Iterum consul fuit post quadriennium cum eodem Poplicola. IV. consules de Sabinis, & Vejentibus triumphum egerunt. III. L. *Tricipitinus* T. F. T. N. consul fuit cum Sp. Vetusio Crasso an. 291. Hunc superioris filium fuisse existimant, ex patris, & avi prænominibus a Verrio adjectis. Triumphum consul de Volscis, & Æquis egit. IV. Hostius, sive Hostius Lucretius. Fuit hic consul cum L. Sergio Fidenate iterum an. 324. V. P. Lucretius decimo postea anno tribunus militum fuit cum Agrippa Menenio Lanato, Sp. Nautio Rutilo, & C. Servilio Axilla, & post unius anni otiosi intervallum iterum cum eodem Agrippa, & L. Servilio Structo iterum, atque Sp. Vetusio Crasso. VI. L. Lucretius *Tricipitinus* quater tribunus militum ab an. 362. ad an. 372. inter primum, & secundum tribunatum vacui honoribus anni duo; inter secundum, & tertium anni quatuor, inter duos postremos annus relictus est. *August. de Famil. Roman. in Lucretia. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 554.

TRICLINIARCHA mensæ Augusti Romæ præerat, unus ex libertis. Saxum vetus: THEOPREPON. AUG. LIB. PROC. DOMINI. N. AUR. SEVERI. ALEXANDRI PII. FEL. AUG. PROVINCIÆ ACHAJÆ, ET EPIRI, ET THESSALIÆ, RATIONALEM PURPURARUM, PROC. AB EPHEMERIDE, PROC. A MANDATIS. PROC. A. PRÆD. GALLICANIS. PROCUR. SALTUS DOMITIANI, TRICLINIARCHAM, PRÆPOSITUM A FIBLIS, PRÆPOSITUM A CHRISTALLINIS, HOMINEM INCOMPARABILEM TIXANDER AUG. LIB. OFFICIALIS. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orientis c.* 92. *Buleng. de Conviv.* IV. 4. *Laz. Comm. Reip. Rom.* XII. 15. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 7. & 21. Illorum insigne videtur fuisse *virga, qua murmur omne* famulorum *compescebatur* apud Senec. Epist. 47. in ipso *triclinio*, extra quod actoribus, seu dispensatoribus conveniret; docente Ammian. XIV. qui præpositos urbanæ familiæ, digerentes comitatum mationarum prodeuntium, dextris aptata virga insignes recenset. *Pignor. de Serv. p.* 369.

TRICLINIUM qui dicunt basilicam, vel cœnationem errant. *Serv. Æneid.* I. 702. Qui dum hos errare dixit, ipse erravit. Pro cœnatione enim, sive loco conviviali legitur apud Cicer. Attic. XIII. 50. *Cum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa ita completa militibus est, ut vix triclinium, ubi cœnaturus ipse Cæsar esset, vacaret.* Vitruv. VI. 5. *Tricliniorum quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debet.* Suet. Tib. c. 54. n. 3. *Ac Miseni cinis e favilla, & carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus.* Ciaccon. de Triclin. p. 2. Ursin. Append. ad illum p. 202. Beroal. Annot. in Serv. § 15. Buleng. de Conviv. I. 27. Stuck. de Conviv. II. 14. Philand. in Vitruvium. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. de proph. Rom. rit. c. 25. Salmas. in Spartian. Hadrian. c. 10. Voss. Lex. Etymol. Nigron. de Calig. c. 2. §. 34. Laurent. de Conviv. c. I. Bacc. de Conviv. I. 4. & 7.

Triclinium est etiam lectus discubitorius. Varr. de Re rust. III. 13. *Erat locus excelsus, ubi triclinio posito cœnabamus.* I. 58. *In quo quidam etiam triclinium sternere solent cœnandi causa.* Vitruv. X. 6. *In eis tricliniis quatuor stratis.* Romani pransuri, vel cœnaturi τρεῖς κλίνας, hoc est, tres lectos sternebant, quibus incubantes cibum sumebant. Unde legimus *triclinia* argentea apud Plin. XXXIII. 11. *Cornelius Nepos tradit ante Syllæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuisse argentea.* Et ærata apud eundem XXXIV. 3. *Triclinia ærata Cn. Manlium Asia devicta primum invexisse triumpho suo, quem duxit an. Urb.* 557. *L. Piso auctor est.* Voss. Lex. Etymol. Beroal. Annot. in Serv. § 15. Ursin. Append ad Ciaccon. de Triclin. p. 211. Casal. de Proph. Rom. rit. c. 25. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. de Conviv. c. I. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 184. Nigron. de Calig. c. 2. §. 34. Stuck. Ant. Conviv. II. 14. Buleng. de Conviv. I. 26. & 27. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 497. Bacc. de Conviv. I. 7. Faes ad Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 2.

TRIENS fuit æreus nummulus, ponderis, & pretii *trientalis*, ratis signo percussus. Plin. XXXIII. 3. *Nota æris fuit ex altera parte Janus geminus: ex altera rostrum navis. In triente vero, & quadrante rates.* XXXIV. 13. *Unum etiamnum æris miraculum non omittemus. Servilia familia illustris in Fastis trientem æreum pascit auro, & argento, consumentem utrumque. Origo, atque natura ejus incomperta est mihi. Verba ipsa de ea re Messalæ senis ponam. Serviliorum familia habet trientem sacrum, cui summa cum cura, magnificentia que sacra quotannis faciunt: quem ferunt alias crevisse, alias decrevisse videri, & ex eo aut honorem, aut diminutionem familiæ significari.* Festus supr. in *Quadrans ratitus.* Hotman. Antiq. Roman. IV. 11. Sardus de Numm. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1718. D. Gronov. de Pecun. vet. IV. 2.

Triens fuit calix quotidianus, & a cunctis fere pro potu usitatus. Erat quarta sextarii pars. Poetæ, qui veterum in edendo, & bibendo mores expresserunt, cum de potus mensuris, & vasis loquuntur, fere semper *trientes* nominant. Prop. III. 8. 29.

Cum fuerit multis exacta trientibus hora.

Pers. Sat. III. 100. V. illum supr. in *Cibus.* Mart. I. 107. 8.

Crebros ergo bibas licet trientes.

Mercur. Var. Lect. I. 107. 8. Rosin. Antiq. Roman. V. 30. Agricol. de Mens. Roman. I. p. 21.

TRIERARCHUS est navis præfectus. Hesychius: τριήραρχος, τριήρης ἄρχων. Tacit. Hist. II. 9. I. *Datæ a classe Misenensi duæ triremes, cum quibus Cythnum insulam tenuit: nec defuere, qui trierarchos nomine Neronis accirent.* Non unus pluribus, sed singulis navibus singuli præfuerunt. Habet enim Nero triremes duas, & tamen *trierarchos* jubet acciri. Suet. Ner. c. 34. n. 6. *Dato negotio trierarchis, qui liburnicam, qua advecta erat, veluti concursu fortuito confringerent.* Fuerunt personæ publicæ, quæ suas dare *triremes*, easque sartas tectas habere, difficilioribusque temporibus Reipublicæ etiam instruere cogebantur. Ulpian. in Demosth. Orat. contra Leptin. p. 575. C. *Trierarchus navem præbet bellicam, & armamenta navalia, & ejus generis alia.* Scheffer. de Milit. nav. IV. 6. Laz. Comment. Reip. Rom. VI. 6. Stewech. in Veget. IV. 43. Rhodig. Antiq. Lect. XVI. 23. Postell. de Republ. Athen. c. 9.

TRIETERICA Bacchi. V. illa supr. in *Orgia.*

TRIFAX *telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur. Ennius:*

Aut permaceret paries percussus trifaci.

Festus. Onomasticon vetus: *Trifax*, τρίχηλον, id est, *trifidum, trisulcum.* Voss. Lex. Etymol. Columna in Ennium p. 306. Dacer. in Festum.

TRIGÆ in honorem deorum inferorum institutæ erant. Isidor. XVII. 36. *Trigæ diis inferis, quia hi per tres ætates homines ad se rapiunt, id est, per infantiam, juventutem, atque senectam.* Dionys. VII. p. 479. *In equestribus circensium certaminibus duo quædam Græcorum prisca instituta a Romanis servabantur. Alterum trigarum, quod defecit in Græcia, usitatum heroum temporibus, ut Homerus testatur, eorum prælia describens, quo duobus equis bigarum in morem junctis adjungebatur tertius funalis, loramentis adnexus, quem more Græci παρήορον vocabant.* Panvin. de Lud. Circens. I. 9. Buleng. de Circo c. 26. de Equis c. 3.

TRIGARIUM fuit locus in regione Urbis nona, sive Circo Flaminio, in quo *trigæ* currebant. Plin. XXXVII. 13. *Ne equos quidem in trigariis præferri ullis vernaculis animadverto*, id est, nullibi sunt præstantiores equi Italis ad currendum in *trigariis.* Pancirol. Descr. Urb. Rom. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 359. F. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. II. §. 6. *Trigariorum* cognomen septis Rufus, & Victor addiderant. *Trigariis* loca equorum vel mercatui, vel exercitationi destinata Plinius attribuit. Forte, cum comitia non haberentur, locus ille vacuus exercendis equis destinatus fuit, ut campus proximus Romanæ juventuti. Sed obstat Martialis laudatus supr. in *Septa*, qui rerum illic pretiosarum fuisse forum ait. Ego igitur *trigaria* locum a septis diversum esse arbitror, sed hisce proximum, tabulatis ad exercendos equos distinctum, circumseptumque; & in Victore vel *Septa*, & *Trigaria* legendum; vel *Septa Trigaria* de solo illo spatio accipienda, quod vel tabulatis, vel muro cinctum fuerit: vel tandem Victoris ævo in veteribus septis locum equis exercendis datum esse. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 6.

TRIGEMINA porta. V. illam supr. in *Porta.*

Trigeminum cognomen in argenteis gentis Curiatiæ nummis claruit ob tres Curiatios Albanos fratres, qui cum tribus Horatiis Romanis fratribus de imperio patriæ dimicaverunt. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 600. *E.*

TRIGONALIS pila. V. illam supr. in *Pila.*

TRIGONIA porta. V. illam supr. in *Porta.*

TRIMODIA satoria est sacculus metæ inversæ similis, quem a latiori parte collo suspensum, & funiculis, seu

seu loris alligatum, ima, & acuta parte ad finistram manum revoluta, qui hodie quoque seminant, plenum semine ad semen jaciundum portant. Colum. XII. 50. tradens, quo modo oleum fiat: *Tum trimodiæ fuoriæ, quibus districta bacca suscipitur.* Pætus de Rom. & Græc. mens. III. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1631. A. Popm. de Instrum. fund. c. 11. Turneb. Adv. VI. 22. Calagn. Epist. XV. 1.

Trimodia etiamnum hodie vocatur infundibulum, quod in molendinis fruges molæ immittit. Nomen factum est a mensura *trium modiorum.* Turneb. Adv. VI. 22.

Trimodium vocatur mensura *trium modiorum.* Plin. XXXIII. 1. *Promiscui autem usus alterum secundo bello Punico: neque enim aliter potuissent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Hannibale mitti.* Colum. XII. 19. *Funiculi quoque , & lora trimodiis.* Pætus de Rom. & Græc. mens. III. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1630. F.

TRINUNDINUM fuit spatium promulgationis legum. V. supr. in *Nundinæ.* Cum enim nundinarum causa ex agris cives convenirent, per *trinundinum* leges, ut a rustica plebe ter legi, cognoscique possent, patere voluerunt. Hoc cum M. Antonius non servasset, his verbis in eum invehitur Cicer. Phil. V. 3. *Ubi lex Cæcilia, & Didia? ubi promulgatio, trinundinum?* pro Dom. c. 16. *Hora fortasse sexta diei questus sum in judicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Republica quæ mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere. Hæc homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona, illo ipso die tu es adoptatus: si, quod in ceteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum.* Et non solum in lege ferenda, sed & in magistratu designando video esse servatum, ob eam scilicet causam, ut consuleretur candidatis pariter, & populo: illis ad magis conciliandos sibi plebis animos: huic, ne imprudenter aliquem repente crearet, quem creatum postea nollet. Locum autem & in lege, & in magistratu fuisse *trinundino* minime miror: qui videam a Cicer. Agrar. II. appellari legem ea comitia, quibus majores magistratus crearentur: nam si comitia lex sunt, sequitur, ut quod in lege, idem in comitiis observetur. Et quod rationi consentaneum videtur, id exempla clarius ostendunt. Liv. III. 35. *Decemviris creandis in trinum nundinum comitia indicta sunt.* Cicer Fam. XVI. 12. *Ad consulatus petitionem se venturum: neque jam velle absentis haberi rationem sui: se præsentem trinundinum petiturum.* Quod tamen non nisi tranquilla Republica servatum existimo. Servabatur præterea in judicio populi, cum scilicet a populo reus judicaretur. Cicer. pro Dom. c. 17. *Cum tam moderata judicia populi sint a majoribus constituta. . . . quarto, sit accusatio trinundinum.* Manut. de Legib. c. 34. Gyrald. de Ann. & mens. p. 809. Putean. de Nundin. c. 3. & 4. Pollet. For. Rom. IV. 8. Struv. Antiq. Rom. c. 9. p. 448. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 486. *Trinundinum* non ita interpretor, ut ipso *tertiarum nundinarum* die vel latas esse leges, vel designatum magistratum, vel reum a populo judicatum existimem: cum & Macrob. Sat. I. 16. comitia nundinis haberi non licuisse veterum testimonio probet: & Festus nundinas non solum inter ferias, sed etiam inter nefastos dies apud antiquos fuisse dicat: inter ferias, ne cum populo agi liceat: inter nefastos, ne lege. *Trinundinum* igitur in eam sententiam dictum accipio, ut inter eum diem, quo promulgata lex erat, & eum, quo deinde ferretur, *trinæ nundinæ* intercederent: quo & sæpius, & a pluribus, Urbem mercandi, vendendique causa visitantibus promulgata lex cognosci posset. *Manut. & Hotman. l. l.*

TRIOBOLUS comprehendit semissem, seu denarii, seu drachmæ, si quidem drachmæ, valet duos caroleos nummos, & denariolorum unum: si vero denarii, valet duos solidos turonicos. Tanti esse censetur res, quam veluti abjectam, & nullius ferme pretii *trioboli* esse dicimus. *Cenal. de Pond. & mensur. rat.* III. *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1522. *F.*

TRIPATINUM erat olim maximæ cœnarum deliciæ. Plin. XXXV. 12. *Tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur summa cœnarum lautitia. Una erat murænarum, alter luporum, tertia myxonis piscis, inclinatis jam scilicet moribus.* Nonn. de Esu pisc. c. 7. Re cibar. III. 7. Bayf. de Vascul. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 685. B.

TRIPUDIUM appellabatur auspicium coactum. Cicer. de Divin. I. 15. *Nostri magistratus auspiciis utuntur coactis: necesse est enim offa objecta cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur.* Ejus fuit hæc consuetudo. Singulis quippe magistratibus, qui imperium haberent, pullarii præsto erant, qui jussu eorum, esurientibus pullis, quos e cavea emittebant, cibum objiciebant, atque rei eventum ex eorum pastu conjiciebant; nam si, offa objecta, aliquid e pullorum pascentium ore in terram cecidisset, *tripudium* solistimum dicebatur, ac prosperum habebatur; si minus, infaustum. Cicer. ibid. II. 34. V. illum supr. in *Pullarius.* Liv. X. 40. *Tertia vigilia noctis, jam relatis literis a collega, Papirius silentio surgit, & pullarium in auspicium mittit. Quum pulli non pascerentur, pullarius auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum consuli nuntiavit. Consul lætus, auspicium egregium esse, & deis auctoribus rem gesturos, pronuntiat; signumque pugnæ proponit.* Magistratus, qui in consulatu, & prætura provinciam obtinuissent, non nisi addicentibus pullis, rem ullam aggrediebantur: at proconsules, & proprætores, ut qui sine magistratu essent, ea non observabant. Cicer. ibid. II. 36. V. illum supr. in *Auspicato.* Si, oblata esca, pulli e cavea non exiissent, aut progressi illam non attigissent, tristis eventus omen erat. Suet. Tib. c. 2. n. 7. *Claudius Pulcer apud Siciliam, non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis, quasi ut biberent, quando esse nollent, prælium navale iniit, superatusque. . . .* Cicer. de Divin. I. 35. *C. Flaminius consul cum tripudio auspicaretur, pullarius diem prælii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quæsivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. Cum ille quiescendum respondisset: Flaminius, Præclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. Itaque signa convelli, & se sequi jussit.* Reliqua V. supr. in *Signum militare mutum.* II. 33. *Flaminius non paruit auspiciis: itaque periit cum exercitu. Nec non omni supplicio digni P. Claudius, L. Junius consules, qui contra auspicia navigarunt; parendum enim fuit religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Jure igitur alter populi judicio damnatus est: alter mortem sibi conscivit.* Et ita de utroque Val. Max I. 4. 3. *P. Claudius bello Punico I. cum prælium navale committere vellet, auspiciaque more majorum petisset: & pullarius non exire cavea pullos nuntiasset, abjici eos in mare jussit, dicens: quia esse nolunt, bibant. Et L. Junius P. Claudii collega, neglectis auspiciis, classem tempestate amisit. Quorum ille populi judicio concidit, damnationisque hic ignominiam voluntaria morte prævenit.* Sigon. de Jur. prov. II. 6. Gruch. de Comit. Roman. I. 4. Panvin. de Civit. Rom. c. 44. La Chausse de Insign. Pont. Max. tab. XXV. Bergier. de Viis milit. II. Sect. 11. §. 5. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 12. Turneb. Adv. XIV. 12. Elmenhorst. & Ouzel. in Minuc. Felic. p. 238. Brisson. de Form. I. p. 124. Struv. Antiq. Roman. c. 6. p. 264. Laurent. Var. sacr. c. 1. Nonn. in Goltz. Jul. Cæsar. Nomism. p. 59. Rosin. Antiq. Rom. III. 10. & ad illum Demsterus. Donat. in Livium. Kipping. Antiq. Roman. I. 12. 9. Pitisc. in Suetonium.

Tripudium sonivium dictum a sono, quem edebat cum caderet, vel offa, vel arbor, vel saxum, vel aliud quid. Cicer. Fam. VI. 6. *Neque ex tripudiis solistimis, aut soniviis tibi auguror.* Festus: *Sonivium tripudium Ap. Pulcer in auguralis disciplinæ libro primo ait esse, quod avi excidit ex eo, quod illa fert, saxumve solidum, aut arbor viviradix ruit, quæ nec præ vitio humanave. L. humanave vi cædanturve, jacianturve, pellanturve.* Plin. XV. 22. *Quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito: quod est verosimilius, quam quia cadendo tripudium sonivium faciant.* Sonant cadentes in humum nuces. Serv. Dan. Æneid. III, 90. *Hoc augurium juxta auguralem disciplinam dictum est, quod* appel-

appellatur tripudium sonivium: id est, a sono. Ad quod pertinet, si arbor sponte radicibus cadat, si terra tremat, quod hic Æneæ factum ostendit, antequam voce divina responsa perciperet. Turneb. Adv. xxvii. 18. Brisson. de Form. i p. 125. Gutberl. de Salus c. 25.

TRIPUS vocatur omne illud instrumentum, quod tribus insistit pedibus. *La Chausse de Insign. Pont. max tab.* x. *Vaillant. Numism.* ii. *p.* 60. Et illum inter humiliorum & colonorum supellectilem facile parabilem reponimus. Isidor. xx. 11. *Tripodes, scabelli sunt habentes tres pedes.* Papias: *Tripodes, scamnelli sunt habentes tres pedes.* Sulpit. Sever. Dial. ii. *Sedebat Martinus in sella rusticana, ut est in usibus servulorum, quas nos rustici Galli tripetias; vos scholastici, aut certe tu, qui de Græcia venis, tripodas nuncupatis.* Sidon. Epist. iv. 24. describens Maximum impacto nuper sacerdotio continentem, ac frugi, deque vita lautiori, ac bene curata, ad severam, & moderatam traductum: *Coma brevis, barba prolixa, tripodes sellæ, Cilicum vela foribus appensa, lectus nihil habens plumæ, mensa nil purpuræ.* Chimentel. de Honor. bisell. c. 24. Savaro in Sidonium.

Tripus vocabatur etiam lebes. Duo *tripodum*, sive lebetum antiquibus fuisse genera constat ex Athen. ii. p. 37. F. & Eustath. Iliad. xxiii. p. 1412. alterum ἐμπυριβήτην, qui igni imponitur, dictum quoque λοετροχόον, quod eo ad balnea uterentur: eundem ab Homero αἴθωνα, velut ab igne candentem, sæpius nominatum, in quo aqua calefiebat. De illo Sophocl. Ajac. n. 1427.

Vos tempori arduum lavando funeri
Imponite igni tripoda.

Alterum ἄπυρον ignis expertem, in quo vinum dilui solebat, a diluendi ejus argumento κρατῆρα etiam dictum, quem etiam ἀναθεματικὸν vetus Homeri scholiastes exponit, quod inter templorum donaria, & in ædium supellectile ad ornatum reponeretur, propterea albicans e stanno affuso, ut annotat Eustath. l. l. Quod *tripus*, & lebes idem sint, ostendit Homerus: nam quem xxiii. 267. vocat ἄπυρον λέβητα, in ix. 122. ἄπυρον τρίποδα dixit. *Tripodas* autem, qui ignis injuriam nunquam sentiunt, temperandoque vino addicti, Libero patri sacri erant, ob veritatem in ebrietate sitam, juxta illud: *Vinum & veritas.* Unde & victoriæ præmium in Liberalibus proponi solebat *tripus*, quando & veriloquos ex *tripode* locutos proverbio dicimus. Virg. Æneid. v. 110. ubi certaminum in parentalibus ab Ænea, ut putatur, primum institutis editorum præmia numerat, *sacros tripodas* inter brabæa ponit:

—— *circoque locantur*
In medio sacri tripodes, viridesque coronæ.

Ubi & *tripodas* pro lebetibus, vel cacabis tribus pedibus innixis accipio. Sacros *tripodas* poeta dicit duas ob caussas, tam ἀπύρους, ac proinde Libero sacratos, tum ἀναθεματικοὺς, qui vel ad ædium sacrarum ornatum converti possent. *Jun. Anim.* ii. 3. *La Chausse de Insign. Pont. max. tab.* x. *Casaub. in Athen.* iv. 10. *Rhodig. Ant. Lect* viii. 15. *Taubman. in Virgilium. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 3. *c.* 1. *Muson. Philos. de Luxu Græcor. c.* 3. Quamvis hæc minus placeant *Cerdæ in Virgilium.*

Tripus vocabatur proprie mensa in templo Apollinis Delphici, cui superposita Phœbas vaticinabatur. Hinc Apollini *tripus* cum serpente dicatus. Herod. in Calliope: *Collata autem pecunia decimam selegerunt, ex qua tunc deo, qui Delphis est, tripus aureus ibi repositus est, insistens super tricipiti ex ære colubro proxime aram.* Pausan. Phocic. p. 329. *Commune fuit Græcorum de Platæensi prælio donum, aureus tripus sustinente æneo dracone.* La Chausse de Insign. Pont. max. tab. x. Vaillant. Numism. ii. p. 60. Apollini dicatus fuit, vel propter numeri ternarii perfectionem, vel propter tres cœli circulos, quorum unum secat sol, annuum cursum perficiens. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p.* 219. *C. Landus in vet. numism. Rom. Explicat. Miscell. Ital. Tom.* i. *p.* 444. *Bulenger. de Orac. & vat. c.* 6. E lauro, quæ Apollini dilecta fuit, fiebat. Id quod discimus ex Himerio, ubi Apollinem alloquens invehitur in Xerxem, qui usque eo audaciæ progressus est, ut sacris *tripodibus* ignem injicere tentarit. Nam si Xerxes *tripodibus* ignem admoturus fuit: utique fatendum est, eos constitisse ex ea materia, quæ igni obnoxia esset. Ea erat laurus, quam Phurnut. c. 32. ait esse, *aduri facilem.* Paschal. de Coron. viii. 13. Et lauro coronabatur. Id ipsum discimus e Niceph. Hist. Eccles. xi. 45. ubi memorat, Valenti Imperatori defuncto quisnam in imperio successurus esset, quosdam hac ratione sciscitatos esse. *Tripode* scilicet e lauro facto, verbisque, & evocationibus quibusdam de more peractis, ad destinata pervenerunt. Quippe quibusdam literis collectis, quæ dicuntur fuisse θ, ε, ο, δ. & quibusdam in *tripode* machinis eas ordinantibus, futuri Imperatoris nomen apparuit. Callim. Hymn. in Apoll. n. 1.

Quantum iste Apollinis commotus est laureus ramus?

Paschal. & Landus l. l. Spanhem. in Callimachum. Qua forma fuerit, varie proditur. Quidam mensam, vas alii, plerique perforatum sedile tradiderunt. Quid si aliqua ex parte omnes vera prodidere? *Gyrald. & Landus l. l. Chimentell. de Honor. bisell. c.* 24. *Rhodig. Antiq. Lect.* viii. 15. Ex ære erant præmia fortium virorum. Horat. Od. iv. 8. 1.

Donarem tripodas, præmia fortium
Grajorum.

Ubi vetus commentator: *Viri fortes in agone accipiebant tripodes.* Plin. xxxiv. 3. *Ex ære & factitavere cortinas tripodum nomine Delphicas; quoniam donis maxime Apollini Delphici dicabantur.* Junius de Pictur. ii. 8. Landus & Gyrald. l. l. Buleng. de Circo c. 55.

TRIREMIS vocabatur, quæ remigum duos versus habet ad latus sedentes, unum in transtris. *Meibom. Fabric. trirem. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* xii. *p.* 570. *D. Scheffer. de Milit. nav.* ii. 2. Inventionem Sidoni non minus omni sapientiæ cultura, quam commerciorum laude, florenti olim urbi transcribit Clem. Alex. Strom. i. p. 307. D. *Meibom. ibid p.* 586. *D.* Sed in Clementis Latina versione, a Gentiano Herveto adornata, & Basileæ an. 1566. edita observem adjectum in margine τρήρετον, forte quia ita reperit in suo codice, &, quale genus esset, ignoravit. Unde credo plane scribendum τρικροτον, ut est in editione Commelini, & non trium ordinum, sed trium remorum navim exponendum esse. Aminocli vero Corinthio Herodotus, Thucydides, & Diodorus, si tantis viris fidem adhibemus, annis scilicet circiter trecentis post excidium Trojanum, totidemque ante Cambysen. *Scheffer. ibid.* i. 3. *de Variet. nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* xi. *p.* 782. *C. Calcagn. de Re naut. p.* 301. *Turneb. Adv.* xiv. 4. *Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 243. *Brod. Misc.* iii. 4. *Voss. de Idolol.* iii. 45. *Bayf. de Re naval. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* xi. *p.* 574. *C. Feith Antiq. Homer.* iv. 12. Ad militiam præ cæteris fuit apta. Unde & Hesychius: *Triremis militare navigium.* Suidas: *Triremes, naves militares, quæ Liburnæ dicuntur.* Et Scholiastes Aristophanis, postquam naves longas militares esse ostendit, subjicit, *triremes intelligit.* Scheffer. ibid. ii. 2. Et per illas intelliguntur sæpissime omnis generis bellicæ. Quod inde originem habet, quia antiquis temporibus, apud Græcos, atque barbaros, præter *triremes* majores aliæ, vel inventæ non erant, vel in usum non receptæ. *Meibom. ibid. p.* 626. *E.* Principes ad *triremes*, sive galeras, ut vocant, damnant reos, qui olim damnabantur in metallum. Quam damnationem qui sustinent, eos, vivos, videntesque dicas esse mortuos. Utris certe eos annumeres, non immerito dubites: cum certum sit, eos vel mille expositos mortibus, vix tandem mori tamen: ut non absque ratione vita ipsis supplicium; mors solatium videri possit arg. l. quisquis 5. §. 1. C. ad l. Jul. majest. *Salmuth. in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 710.

TRIUMPHALIS arcus. V. illum supr. in *Arcus.*

Triumphalis pompa. V. illam supr. in *Pompa.*

Triumphalis pons. V. illum supr. in *Pons.*

Triumphalis porta. V. illam supr. in *Porta.*

Triumphalis via. V. illam infr. in *Via.*

TRIUMPHANTES debebant olim rem geſſiſſe imperio non extraordinario, ſed in magiſtratu accepto. Ea ratione negatus eſt *triumphus* P. Scipioni, qui poſtea Africanus appellari cœpit, cum ex Hiſpania Pœnos expuliſſet, & res *triumpho* digniſſimas geſſiſſet, quia in eam provinciam *ſine ullo magiſtratu*, ut ait Val. Max. II. 8. 5. *erat miſſus.* De eodem Liv. XXVIII. 38. *Ob has res geſtas magis tentata eſt triumphi ſpes, quam petita pertinaciter, quia neminem ad eam diem triumphaſſe, qui ſine magiſtratu res geſſiſſet, conſtabat.* Idem tamen, quod contra Valeſianum argumentum roto, multa millia pondo argenti, & ſignati magnum numerum Romam ex provincia attulit, & in ærarium condidit. Succeſſerunt utramque Hiſpaniam obtinenti L. Lentulus, & L. Manlius Acidinus, proconſulari item imperio extra ordinem accepto, quamvis uterque aliquot annis ante prætor fuiſſet. Quapropter cum Lentulus Romam rediiſſet, *triumphumque* poſtulaſſet, ſenatus cenſebat res ab eo geſtas *triumpho dignas eſſe, ſed exemplum a majoribus non accepiſſe, ut qui neque dictator, neque conſul, neque prætor res geſſiſſet, triumpharet. Proconſule illum Hiſpaniam provinciam, non conſulem, aut prætorem obtinuiſſe. Decurrebatur tamen eo, ut ovans Urbem iniret, intercedente tribuno plebis, qui nihilo magis id more majorum, aut ullo exemplo futurum diceret. Poſtremo victus conſenſu patrum tribunus ceſſit, & ex SCto L. Lentulus ovans Urbem eſt ingreſſus.* Liv. XXXI. 20. Manlius anno poſt decedens, quum item nil niſi ovationem ab ſenatu impetraſſet, tamen in ea ipſa a tribuno plebis prohibitus, privatus Urbem eſt ingreſſus, allatumque ex provincia aurum, & argentum ſine *triumpho* in ærarium tulit. Liv. XXXII. 7. Deſciverunt ab hoc inſtituto poſteri. Cn. enim Pompejo, adhuc equiti Romano, necdum ſenatori, nondum ullo magiſtratu geſto, bis, alterum ex Africa, alterum ex Hiſpania *triumphum* agere permiſerunt. Val. Max. VIII. 15. 8. *Nondum ullum honorem auſpicatus, bis triumphavit.* Sed & tertium ex Aſia, & Ponto de Rege Mithridate, imperio extra ordinem lege Manilia accepto, duxit, id quod extremis Reipublicæ temporibus, non novum, ſed ſollenne jam erat, quippe quum aliquot demum annis poſt magiſtratum in provincia eodem jure, & imperio, quo antea conſules, prætoreſve, mitterentur. *Perizon. Anim. Hiſt. c. 6. Valtrin. de Re milit. Rom.* VII. 5. Eumque geſſiſſe in ſua provincia, & ſuis auſpiciis, M. Helvius proprætor, quum ex ulteriore Hiſpania decederet cum præſidio ſex millium, in citeriore obvios habuit Celtiberos, ingenti agmine eos fudit, fugavitque, oppidum Iliturgi recepit, & puberes omnes interfecit. Eam tamen ob rem feliciter rem geſtam *triumphum* impetrare non potuit. *Cauſa negandi*, teſte Liv. XXXIV. 10. *fuit ſenatui, quod alieno auſpicio, & in aliena provincia pugnaſſet. Alieno* dicit *auſpicio*, quia tempus imperii ejus in illa provincia dudum (nam longo, & gravi morbo, uſque dum ſecundus jam ſucceſſor veniſſet, retentus ibi fuerat) erat finitum, exercitumque, quo hoſtes vicerat, a novo prætore tantum in præſidium acceperat. Eadem de cauſa ſi minor poteſtas in una provincia ageret cum eo, qui & imperio, & auſpicio ſuperior erat, *triumphandi* jus non habebat, licet ejus ductu res eſſent geſtæ. Notabile hanc in rem eſt exemplum Q. Valerii Faltonis a Val. Max. II. 8. 2. relatum. Is prætor cum conſule hoſtibus oppoſitus, eorum claſſem primo Punico bello fuderat ſuo ductu, conſule ægrotante. Tamen cum de *triumpho* ageretur, eumque ſibi ſoli, non item illi decernendum cenſeret conſul, reſque ad arbitrium Calatini deferretur, is ſua ſententia conſuli acceſſit, & prætori negavit *triumphum*, quia non ejus, ſed conſulis auſpicio res erant geſtæ. *Perizon. l. l. Nicol. de Triump. c.* 9. §. 6. Non tantum ſufficiebat aliquot millia hoſtium occidiſſe, ſed debellaſſe oportebat, & provinciam confeciſſe, ac pacaſſe, ita ut exercitum ex ea deportarent ad celebrandum *triumphum.* Ergo L. Manlio Acidino ex Hiſpania *triumphum* poſtulante, *rerum geſtarum magnitudo*, ut ait Liv. XXXIX. 29. *impetrabilem faciebat; exemplum obſtabat, quod ita comparatum more majorum erat, ne quis, qui exercitum non deportaſſet, triumpharet, niſi perdomitam, pacatamque provinciam tradidiſſet ſucceſſori.* Eadem cauſa fuit negandi M. Marcello triumphi, captis Syracuſis, quamvis ejus nomine ſupplicatio decreta ob res proſpere ductu ejus geſtas fuiſſet, quia ſcilicet parum convenire cenſebant, *quem tradere exercitum ſucceſſori juſſiſſent (quod niſi manente in provincia bello non decerneretur) eum quaſi debellato triumphare, quum exercitus teſtis meriti, atque immeriti triumphi abeſſet.* Liv. XXVI. 21. *Majores* enim *inſtituerunt*, ait idem XXXI. 49. *ut legati, tribuni militum, centuriones, milites denique triumpho adeſſent, idque ut veritas rerum geſtarum ejus, cui tantus honos haberetur, publice videretur.* Perizon. Anim. Hiſt. c. 6. Et denique fines imperii protuliſſe. Nam *cautum erat, ut pro aucto imperio, non pro recuperatis*, nedum defenſis ſolummodo, *quæ populi Romani fuiſſent, triumphus decerneretur.* ut ait Val. Max. II. 8. 4. Ideoque ut idem l. l. refert, Q. Fulvius recepta Capua, & L. Opimius Fregellanis ad deditionem compulſis, *triumphandi* poteſtatem impetrare non valuerunt, quamvis uterque editis operibus magnifici. Et huc ſpectare reor reſponſa haruſpicum, qui initiis maximorum bellorum fere ſemper pollicebantur prolationem finium ſimul, & *triumphum*, utpote tum demum vere debitum. Ita initio belli contra Philippum, *Haruſpices reſponderunt læta exta fuiſſe, & prolationem finium, victoriamque, & triumphum portendi* apud Liv. XXXI. 5. Contra Antiochum, *Haruſpices reſponderunt, eo bello terminos populi Romani propagari, victoriam, ac triumphum oſtendi.* Liv. XXXVI. 1. *Perizon. & Valtrin. l. l. Sigon. de Antiq. jur. prov.* II. 10. Sed hæc extremis Reipublicæ temporibus non ita obſervabantur. Et illis ferme ſufficiebat, *quinque millia hoſtium una acie occidiſſe*, de quo numero lege etiam cautum tandem fuit. Valerius Maximus. V. illum ſupr. in *Lex triumphalis.* Verum & ea lex, cum cupiditate laureæ obliteraretur, *falſo numero aut hoſtium occiſorum, aut amiſſorum civium*, quorum proinde & tunc ratio habita, *reluto*, altera lege adjuvari debuit, quæ Imperatores jurare apud quæſtores urbanos cogebat, verum ſe utrorumque ſenatui perſcripſiſſe numerum; & falſum referentibus pœnam minabatur, ut docet Val. Max. II. 8. 1. *Perizon. Valtrin. & Sigon. l. l. Auguſt. de Legib. in Leges triumphales. Blond. Triumph. Rom.* X. *p.* 203. *D.* Ante triumphum Urbem non ingrediebantur, ſed aliquandiu ad Urbem manebant, & ſenatu in ædem Bellonæ evocato res a ſe geſtas exponebant & *triumphum* petebant. Et ideo *ad Urbem eſſe* dicebantur. V. ſupr. in *Ad.* De *triumphi* poſtulatione Liv. XXXI. 7. *L. Furius Gallico triumpho imminens Romam cum veniſſet, ſenatum in æde Bellonæ habuit: expoſitiſque rebus geſtis, ut triumphanti ſibi in Urbem invehi liceret, petit.* XXXIX. 4. *M. Fulvius proconſul ex Ætolia rediit: itaque ad ædem Apollinis in ſenatu, quum de rebus in Ætolia; Cephalleniaque ab ſe geſtis diſſeruiſſet, petiit a patribus, ut æquum cenſerent, ob Rempublicam bene, ac feliciter geſtam, & diis immortalibus honorem haberi jubere, & ſibi triumphum decernere.* Decreto a ſenatu *triumpho*, lex ei ferebatur ad plebem, ut quo die Urbem iniſſet, imperium haberet. Liv. XXVI. 21. *Tribuni plebis ex auctoritate ſenatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die Urbem ovans iniret, imperium eſſet.* XLV. 35. *Tribus iis*, L. Paullo, L. Anicio, & Cn. Octavio *decretus eſt ab ſenatu triumphus: mandatumque Q. Caſſio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die Urbem triumphantes veherentur, imperium eſſet.* Mader. in Panvin. de Triumph. c. 1. Manut. de Leg. c. 12. Sigon. l. l. Nicol. ibid. §. 3. Demſter. Paralip. in Roſin. Antiq. Roman. X. 29. Petebant vero illum literis laureatis ad ſenatum miſſis. V. illas ſupr. in *Literæ.* Minio tingebantur, & inter cætera Jovis inſignia miniationem uſurpabant. Plin. XXXIII. 7. V. illum ſupr. in *Jupiter Minianus.* Rycq. de Capitol. c. 18. Potuit hoc fieri ad imitationem Jovis. Sed ego arbitror ob eam rationem, ut Imperatores horribiliores viderentur: quemadmodum Britanni glaſto ſe inficiebant, quo horridiores viderentur in bello. Cæſ. de Bell. Gall. V. 14. *Omnes ſe Britanni glaſto inficiunt, quod cæruleum efficit*

ficit

ficit colorem, atque hoc horribiliore sunt in pugna aspectu. Perott. Cornu cop. col. 252. Borremans. Var. Lect. c. 4. Nicol. ibid. c. 19. §. 8. Salmuth ad Pancirol. de Reb. dep. rd. & inven. p. 652. Toga palmata induebantur. V. illam supr. in *Toga.* Coronam lauream capite gestabant. V. supr. in *Corona.* Ramum lauri manu dextra tenebant. Val. Max. II. 8. 5. *Probentur nunc cujuslibet gloriæ cupidi, qui ex desertis montibus, myoparonumque piraticis rostris, laudis inopes, laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt.* Plutarch. Æmil. p. 273. D. *Inde ipse curru magnifice exornato Urbem invectus est, vir vel sine tanti imperii pompa spectatu dignus, toga picta amictus, & lauri ramum dextra protendens.* Nicol. ibid. §. 4. Sinistra sceptrum. Dionys. v. p. 314. *Dux in ovatione sceptrum non gestat, ut triumphantes.* Quod ex ebore factum. Val. Max. IV. 4. 5. *Nec fuit iis,* triumphantibus, *rubori, eburneo scipione deposito agrestem stivam aratri repetere.* Aquilam habebat in summitate. Juven. Sat. X. 43. V. illum supr. in *Scipio eburneus.* Nicol. ibid. §. 7. Demster. & Panvin. l. l. Digito annulum ferreum. V. illum supr. in *Annulus.* In curru aurato, sive aureo stantes vehebantur. V. illum supr. in *Currus.* Et hunc lictores fasces laureatos gestantes comitabantur. V. illos supr. in *Fasces.* Idemque a quatuor equis trahebatur. V. illos supr. in *Equi.* Et postea ab elephantis. V. supr. in *Elephantus.* Et in illum liberos suos, & alios, quos amabant, secum recipere solebant. Zonar. VII. p. 353. Appian. Punic. p. 36. *Solus in curru non fuit triumphans, sed suos, aut agnatos aliquos si habeat, eorumque puellos, & puellas in curru collocabat: grandiores equis jugalibus, & funalibus imponebat.* Capitol. in Marco c. 12. *In triumpho autem liberos Marci utriusque sexus secum vexerunt, ita tamen, ut & puellas virgines veherent.* Philostr. de vit. sophist. p. 493. *Sane Trajanus Imperator Romæ illum,* Dionem, *in aureum currum assumens, quo invecti Imperatores de confectis bellis triumphabant.* Hoc prætextu usa forte Claudia *fratrem triumphantem, adscenso simul curru* apud Suet. Tib. c. 2. n. 10. *usque in Capitolium prosecuta est* Scheffer. de Re Vehic. II. 13. Buleng. de Triump. c. 20. Nicol. de Triump. c. 20. §. 7. Demster. l. l. Panvin. de Triump. c. 1. & ad illum Maderus. Casaub. in Lamprid. Commod. c. 3. & in Capitolinum. Pitisc. in Suetonium. Pone *triumphantem* aliquando quidam publicus minister vehebatur, coronam auream gemmis distinctam tenens, qui a tergo sæpe illud insusurrabat, quod refert Tertull. Apolog. c. 33. *Respiciens post te, hominem memento te.* Et Zonar. l. l. *Minister publicus in eodem curru coronam auream sustinebat a tergo supra triumphantis verticem, & dicebat subinde: respice futura, & hominem te esse cogita.* Minister autem ille nonnullis creditur fuisse speculator, lictor, seu carnifex, prout inferri solet ex Juven. Sat. X. 41. V. illum supr. in *Corona triumphalis.* Et docet Isidor. XVIII. 2. *Quod vero a carnifice contingebantur triumphantes, id erat indicio, ut ad tantum fastigium evecti, mediocritatis humanæ præmonerentur.* Panvin. Mader. & Demster. l. l. Alex. Gen. dier. VI. 6. Nicol. ibid. §. 8. Popma de Oper. serv. p. 39. Boxhorn. Quæst. Rom. c. 28. Crinit. de Honest. discipl. XXIV. 5. Valtrin. de Re milit. Roman. VII. 9. Heindreich. Massil. sect. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2981. F. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 1. Coronam *triumphantium* Etruscam ex auro fuisse notum est, eamque tantæ magnitudinis, & ponderis, ut cum eam gestare *triumphans* non posset, statueretur post ejus tergum servus publicus, qui eam sustineret. Plin. XXXIII. 1. *Cum corona ex auro Etrusca sustineretur a tergo.* Ne *triumphans* sibi nimium placeret, quod illo sublimissimo curru veheretur, eodem & servus ferebatur. Non quod servus eum mortalitatis admoneret, cujus commenti auctor est Tertullianus, & quem sequitur Zonaras, verbaque illa post tergum suggereret. Nam vel silente servo id ille intelligebat. Servum hunc fuisse carnificem Isidorus credidit ex Plinio male intellecto, quem laudavimus supr. in *Fascinus.* Ad illum interpretes nihil sani attulerunt. Ut ergo clarius intelligatur, altius quædam repetenda sunt. Eo capite Plinius, cum hominum salivam jejunam contra serpentes præsidio esse dixisset, alios ejus usus efficaces affert: *Despui scilicet comitiales morbos, hoc est, contagia regeri.* Addit: *simili modo & fascinationes repercutimus.* Mox: *Eadem ratione terna despuere deprecatione, in omni medicina, mos est, atque effectus adjuvare.* Et fascinationem quidem, despuendo regestam, notum. V. supr. in *Fascinum.* Pro deo apud Romanos cultus, & quidem ab honestissimis illis Vestæ virginibus, non solum infantium, sed Imperatorum custos. Quemadmodum enim, ut ait Varro de L. L. VI. 5. *pueris turpicula res quædam in collo suspendebatur,* nempe pudendum virile, quod inde fascinum dictum, qualia hodie plurima in loculis antiquariorum spectantur: ita & currus *triumphantium* sub his pendens defendebat, *medicus invidiæ,* fascinationis depulsor. Quod sequitur, difficultate non caret: *jubetque eosdem respicere.* Dalechampius titubat. Et modo legendum esse ait: *jubetque invidiam recipere,* appensum enim fascinum deum, ut in auctores fascinum rejiceret, eosdemque fascinum, & invidiam recipere juberet. Modo: *jubetque eos deum se respicere,* nempe subjectum, & e curru pendulum deum. Qui autem fieri poterat, ut sub curru *triumphans* pensilem deum videret? Demum: *ut servum a tergo stantem respiceret.* Quod rectum est, & recta lectio, secunda enim invidiæ medicina, servus a tergo stans, & *triumphantis* gloriam imminuens. Similis medicinæ lingua, nempe tertia, non solum fascinus pendens, & servus eodem curru vectus, sed fœdissima militum convicia, qui a tergo, id est, currum sequentes, illis, iratam felicibus Nemesin, & superborum ultricem, & vindicem placabant, quæ ideo *gloriæ carnifex* appellatur: *ut sit, exorata a tergo fortuna, gloriæ carnifex:* nimium se extollentis felicitatis supplicium. Hæc non intellecta Isidoro fucum fecerunt, ut supine crederet, carnificem sacrato illo curru, ac veluti deorum thensa, circumvectum. *Ferrar. Elect.* I. 11. Et currui tintinnabulum appendebatur. V. supr. in *Tintinnabulum col.* 2. Porta *triumphali,* quæ solum ad usum *triumphorum* patuit, Urbem intrabant. V. supr. in *Porta,* & via *triumphali.* V. illam infr. in *Via,* & supr. in *Pompa.* pergebant in Capitolium. Id C. Cæsar triumpho Gallico *ascendit ad lumina, quadraginta elephantis dextra, atque sinistra lychnuchos gestantibus.* Suet. c. 37. n. 3. Dio XLIII. p. 224. B. Claudius. Dio LX. p. 680. B. *Britanniæ parte aliqua subacta Romam rediit Claudius C. Crispo II. T. Statilio coss. sexto quam discesserat mense, sedecim tantum diebus in Britannia actis, triumphavitque, cum reliqua pro more agens, tum per gradus in Capitolio genibus adscendens, levantibus eum utrinque generis.* Pompejus. Lucan. VIII. 553.

> — *nec ter Capitolia curru*
> *Invectus.*

Ter enim triumphaverat. Unde *finis pompæ* dicebatur. Joseph. de Bell. Jud. VII. 24. *Pompæ autem finis fuit Capitolini Jovis templum, quo postquam ventum est, constitere.* Donat. de Urb. Rom. II. 5. Demster. ibid I. 5. Panvin. & Mader. l. l. Inter eundum musicorum alumni, citharœdi, & tibicines, succincti, & coronis aureis redimiti, suo quisque ordine psallentes, & canentes prodibant. Juven. Sat. X. 44.

> *Illinc cornicines, hinc præcedentia longi*
> *Agminis officia.*

Milites sertis redimiti laureis, laurum pariter atque suas coronas, quibus virtutis ergo ab Imperatore donati fuerant, manibus sollenniter præferebant, atque currum *triumphalem* ordine sequebantur, & concinebant partim Imperatoris laudes, partim carmina salsis facetiis, ridiculisque mycterismis permixta. Liv. V. 49. *Dictator, M. Camillus, recuperata ex hostibus patria, triumphans in Urbem redit: interque jocos militares, quos inconditos jaciunt, Romulus, ac parens patriæ, conditorque alter Urbis haud vanis laudibus appellatur.* XLV. 38. *Milites & ipsi laureati, & quisque donis, quibus donati sunt, insignes triumphum nomine cient, suasque, & Imperatoris laudes canentes per Urbem incedunt.* Alex. l. l. Tituli rerum gestarum summa ca-

pita indicantes præferebantur. V. supr. in *Titulus.* Et urbium, montium, fluminum, regionum simulacra. V. supr. in *Pompa*, & in *Ferculum.* Nicol. ibid. c. 21. §. 1. Formula fausta in omnes pæne *triumphantes* Imperatores a militibus emittebatur his vocibus, *Io triumphe.* V. illam supr. in *Io.* Jocularia carmina, & dicteria in illos missa V. supr. in *Jocos.* Reges, & hostium duces, ante currum actos, in carcerem detrudebant, & occidi jubebant. Cicer. Verr. v. 30. *At etiam qui triumphant, eoque diutius vivos hostium duces servant, ut his per triumphum ductis, pulcerrimum spectaculum, fructumque victoriæ populus Romanus percipere possit: tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent: idemque dies & victoribus imperii, & victis vitæ finem facit.* Liv. xxvi. 13. *Non videbo Ap. Claudium, & Q. Fulvium, victoria insolenti subnixos, neque vinctus per Urbem Romam triumphi spectaculum trahar, ut deinde in carcere, aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, cervicem securi Romanæ subjiciam.* Auctor Paneg. Constant. *Renovavisti, Imperator, veterem illam Romani imperii fiduciam, quæ de captis hostium ducibus vindictam morte sumebat. Tunc enim captivi Reges cum a portis usque ad forum triumphantium currus honestassent: simul atque in Capitolium currum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur.* Faber Semestr. II. 3. Demster. & Panvin. l. l. Kipping. Dissert. de Victor. §. 4. Nicol. ibid. c. 22. §. 3. Non tamen semper. De Pompejo Appian. de Bell. Mithrid. p. 253. *Ubi pervenit in Capitolium, neminem captivum necavit, ut triumphatores alii, sed publicis impensis remisit quemque in suam patriam, exceptis regiis, e quibus solus Aristobulus mox interemptus est, & post eum Tigranes.* Zenobiæ item ab Aureliano triumphatæ *vivere concessum est.Ferturque vixisse cum liberis,* inquit Pollio trig. tyran. c. 30. *matronæ jam more Romanæ, data sibi possessione in Tiburti.* Mader. l. l. Nicol. ibid. c. 22. §. 3. Hos demum excipiebat Imperator, cujus vestis triumphalis erat purpura cum intexto auro picta, clavos aureos habens. Sil. Ital. xvii. 650.

Ipse adstans curru, atque auro decoratus & ostro
Martia præbebat spectanda quiritibus ora.

V. supr. in *Toga palmata, & picta.* Kipping. l. l. In Capitolio exspectare solebant, donec supplicium de captivo, ac triumphato hostium duce aliquo exactum nuntiaretur. Exigebatur hoc de illis laqueo in carcere. Ita Maxentius Herculius pœnas luit apud Aurel. Vict. Epit. c. 40. n. 5. *Maxentius Herculius a Constantino apud Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas mortis genere postremo, fractis laqueo cervicibus luit.* Æmilianus apud Treb. Pollion. Trig. Tyran. c. 22. *Siquidem strangulatus in carcere captivorum veterum more perhibetur.* Et locum, de quo Josephus mox laudandus foro imminentem expono carcerem. *Faber Semestr.* II. 2. & 7. *Casaub. in Pollionem. Kipping. Antiq. Roman.* II. 2. §. 3. Et illo nuntiato sacrificium ab illis fiebat. Joseph. l. l. *Quo postquam ventum est, constitere. Erat autem vetus mos patrius, operiri donec ducis hostium mortem quispiam nuntiaret. Is erat Simon Gioræ, tunc inter captivos in pompa traductus: laqueo vero circumdatus per forum trahebatur, quo eum simul cæderent qui ducebant. Postquam igitur eum finem vitæ habere nuntiatum est, omniumque favor secutus est, tunc hostias inchoavere.* Donat. Fab. Panvin. Mader. & Nicol. l. l. Τινὰς τελετὰς exprimit Zonaras, quæ sunt Hesychio *sacrificia maxima, & præstantiora, ab impensis, quæ in ea fiebant.* Id quod *de tauris sacrificare* est Serv. Æneid. iv. p. 362. Τὰ ἐπινίκια θύειν Polyæn. Strat. v. p. 359. *Mader. l. l.* Fiebat vero bove candido. Ovid. Trist. iv. 2. 5.

Candidaque adducta collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tingat humum.

Additur color victimæ, qui albus esse debebat, nam ad superorum sacrificia albi coloris victimæ destinabantur. *Nicol. & Kipping. l. l.* Et preces has adhibebant: *Gratias tibi Jupiter optime maxime, tibique Juno Regina, & ceteri hujus custodes, habitatoresque arcis dii, libens lætusque ago, re Romana in hanc diem, & horam per manus, quod voluisti meas servata, bene gestaque, eandem & servate, ut facitis, fovete, protegite propitiati, supplex oro.* Blond. ibid. p. 216. Mader. Rosin. & Nicol. l. l. Coronam lauream in gremio Jovis Capitolini, qui in sella curuli sedebat, deponebant. Senec. de Consol. ad Helviam c. 10. *Scilicet minus beate vivebat dictator noster, qui Samnitium legatos audiit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, qua jam sæpe hostem percusserat, laureamque in Capitolini Jovis gremio reposuerat.* Plin. xv. 30. *Ex his in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit.* Plin. Paneg. c. 8. n. 3. Trajani lauream *Nerva in gremio Jovis collocarat.* Stat. Sylv. iv. 1. 41.

—— nondum in gremio Jovis Indica laurus.

Donat. ibid. c. 7. Nicol. ibid. §. 5. Rycq. ibid. c. 19. Valtrin. ibid. c. 10. Kipping. & Alex. l. l. & ad Alexandrum Tiraquellus. Et Jovis simulacrum corona aurea coronabant. V. illam supr. in *Corona Jovis.* Tabulas cum indice rerum a se gestarum in Capitolio figebant. V. supr. in *Tabula.* Donaria dedicabant. Ita *Q. Marcius Scipionum in Hispania ultor clypeum Asdrubalis ex auro supra fores Capitolinæ ædis fixit.* Plin. xxxv. 3. *L. Scipio tabulam victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio posuit.* Idem ibid. c. 4. *M. Claudius Marcellus torquem aureum magni ponderis de præda Bojorum, & Insubrium Jovi in Capitolio dedicavit.* Liv. xxxiii. 22. *Pompejus* tertio triumpho suo *sex pocula murrhina tunc primum in Urbem inducta Jovi Capitolino dicavit.* Plin. xxxvii. 2. *Panvin. & Mader. l. l. Rycq. ibid. c.* 21. Cœna populum Romanum excipiebant. V. illam supr. in *Cœna.* Vesperi tibiis, fistulis & facibus antecedentibus domum redibant, civibus reliquis eos comitantibus. Dio xliii. p. 224. E. *Ceteris triumphi diebus de more transactis, ultima post cœnam soleis indutus, omnifariisque floribus coronatus in forum suum prodiit* Cæsar: *atque inde domum vectus est, comitante ipsum toto fere populo, multisque elephantis faces præferentibus.* Plutarch. Cicer. p. 871. D. *Ciceronem*, cum se disturbata Catilinæ conjuratione domum reciperet, *cives, ut quosque præteribat, acclamationibus, & plausibus exceperunt, servatorem, & patriæ patrem appellantes. Viæ crebris lampadibus, & facibus, quas accenderant præ foribus, collucebant. Prælucebant ex tectis matronæ ornandi, & contemplandi causa Ciceronis.* De Duillio Flor. II. 2. 10. & Cicer. de Senect. c. 13. V. illos supr. in *Duillius.* Panvin. & Mader. l. l. Casaub. in Suet. Jul. c. 37. 3. Valtrin. ibid. c. 11. *Triumphantium* quoque prærogativa erat supplicatio. Sed V. illam supr. in *Supplicatio.* Honos, & gloria eo uno die non terminabatur. Datum enim est decreto senatus iis, qui *triumphassent*, I. ut illis domus publico sumptu darentur. V. supr. in *Domus triumphales.* II. ut cum eorum corpora extra Urbem cremata essent, in Urbem ossa, & cineres referrentur, humique mandarentur: cum cæterorum corpora eo loco, ubi cremata essent, condi leges xii. tab. juberent. Plutarch. Quæst. Rom. 78. *Cur ejus, qui triumphum egisset, ac deinde mortuus, crematusque esset, licebat os sumptum in Urbem inferre, ac deponere? hoc enim Pyrrhon Liparæus tradidit. An hoc fit in mortui honorem? Nam iis, qui res præclare gessissent, atque Imperatoribus hoc dederunt Romani, ut in foro sepelirentur: ut Valerio, & Fabricio.* Valtrin. l. l. III. ut statuæ *triumphales* illis ponerentur. V. illas supr. in *Statua.* Et in pompa *triumphali* exhiberentur. Spartian. Hadrian. c. 6. *Cum triumphum ei senatus, qui Trajano debitus erat, detulisset, recusavit ipse, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator, ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem.* Et aliquanto clarius Aur. Vict. Epit. xiii. 11. *Columnæ ejus imago superposita, sicut triumphantes solent, in Urbem invecta, senatu præeunte, & exercitu.* Solitum id quippe iis, qui *triumphabant*, vivi ut in pompa suas ostentarent imagines. Pompejus M. fecit *triumpho* tertio, quem de piratis, Asia, Ponto, gentibusque & Regibus devictis. Tunc imago ejus e margaritis antelata. Plin. xxxvii. 2. *Imago Cn. Pompeji e margaritis translata fuit. Illa regio honore grata, illius probi oris, venerandique per cunctas gentes.*

Et

Et Marcellus, de quo Plutarch. p. 302. A. *Conſcendit currum, & triumphalis imago illius memoriæ pulcerrima ſpecioſiſſimaque eſt invecta in Urbem.* Figrel. de Stat. Roman. c. 7. 16. & 33. Nicol. ibid. c. 18. §. 4. Reges & milites captivos catenis vinctos ante ſe agebant. V. ſupr. in *Captivi.* Præprimis etiam glorioſum habitum, ſi devictorum Regum, Ducumque ſtatuas, quas in reliqua præda repererant, oſtentare poſſent. Sic Mithridatis ſtatuam auream Lucullus in ſuo *triumpho* ducebat. Plutarch Lucul. c. 78. *Præterea*, inquit, *ductus eſt* Mithridatis *coloſſus aureus ſex pedes longus.* Pharnacis argenteam Pompejus. Plin. XXXIII. 12. *Triumpho Magni Pompeji reperimus tranſlatam Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto argenteam ſtatuam.* Etiam imagines ducum, ſi in acie occubuiſſent, aut fuga elabi eos contigiſſet, in *triumpho* ducendis fieri curabant, ut præferrent. V. ſupr. in *Captivi.* Etiam de novo fiebant ſtatuæ in *triumpho* monſtrandæ, puta regionum ſubactarum, urbiumque, montium item, & fluviorum. Non loquimur jam de eis, quæ ſpecie ſua fingebantur, cujuſmodi erant ſimulacra oppidorum, muros ipſos, portas, & turres referentia, de quibus Ovidius laudatus ſupr. in *Oppidum.* Sed de iis, quæ ad ſimilitudinem humanam effigiabantur, & aut victorum pedibus ſubſtratæ, aut alio quocunque habitu ſupplici factæ tranſvehebantur. Unde intelligendi ſunt auctores, qui regionibus, urbibus, montibus, & fluminibus ea attribuunt, quæ ſunt hominis. Ita Germania paſſis crinibus colla præbet, catenis vincta apud Ovid. Triſt. IV. 2. 43.

Crinibus en etiam fertur Germania paſſis,
Et ducis invicti ſub pede mœſta ſedet.
Colla ſue Romanæ præbens animoſa ſecuri
Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.

Carthago in *triumpho* Scipionis manus ſupplices tradit apud Sil. Ital. XVII. 640.

Mox victas tendens Carthago ad ſidera palmas
Ibat.

Rhenus captivus crinibus tegit ungulam equi Domitiani apud Stat. Sylv. I. 1. 51.

Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Catenatus idem Rhenus apud Claud. de Conſ. Stilich. II. 25.

Inde catenato gemeret Germania Rheno.

Hoc ſimulacrum Rheni ſua ætate ante annos hos centum Romæ ſuperfuiſſe ſcribit Marlian. Topogr. Urb. III. 3. Captivus Oceanus apud Flor. IV. 8. 88. *Primum de Gallia triumphum tranſmiſerat ex auro captivus Oceanus.* Et hæ omnes ſtatuæ peracto *triumpho* referri ſolebant in ærarium. Liv. XLV. 39. *Quo ſigna aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta pecunia regia? An noctu, tanquam furtiva, in ærarium deportabuntur?* Nicol. & Demſter. l. l. Valtrin. ibid. c. 8. Panvin. ibid. c. 3. Barth. in Statium. Dauſq. & Cellar. in Silium Italicum. III. Fortaſſe etiam lege, ut aurea corona in ſpectaculis uti poſſent. In hanc conjecturam nos deducere videntur Val. Max. III. 6. 5. & Plin. V. 29. qui tradunt, *Papirium Maſonem, cum bene geſta Republica triumphum a ſenatu non impetraſſet, in Albano monte triumphandi initium feciſſe, & cæteris poſtea exemplum præbuiſſe, proque laurea corona, cum alicui ſpectaculo intereſſet, myrtea ſemper uſum eſſe.* Valtrin. l. l. Manut. de Legib. c. 12.

TRIUMPHUS in urbe Roma fuit honorum maximus, quem is, qui ſuis auſpiciis, populi Romani hoſtes, ſignis collatis, prælio deviciſſet, provinciamque imperio populi Romani adjunxiſſet, cum exercitu rediens, ſenatus primum judicio, deinde populi juſſu conſequebatur. *Valtrin. de Re milit. Roman.* VII. 4. *Roſin. & Demſter. Antiq. Rom.* X. 29. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom.* II. 10. *Panvin. de Triumph. c.* 1. *Stewech. in Veget.* II. 7. *Nicol. de Triumph. c.* 2. §. 1. Differebat ab ovatione. V. ſupr. in *Ovatio.* Primus poſt homines natos Bacchus India ſubacta *triumphum* duxiſſe dicitur. Sidon. c. XXII. n. 22.

Forte ſagittiferas Euan populatus Erythras,
Vite capiſtratas cogebat ad eſſeda tigres.

n. 41.

Corniger inde novi Ganges it pompa triumphi
Cernuus impexam faciem ſtetit ore madenti;
Arentes vitreis adjuvit fletibus undas,
Conjectas in vincla manus poſt terga revinxit.

Diodor. IV. p. 147. *Bacchus primus omnium ſuper elephante Indico triumphavit.* Plin. VII. 56. *Liber pater triumphum invenit.* VIII. 2. V. illum ſupr. in *Elephantus.* Buleng. de Triump. c. 5. Licet. de Lucern. Ant. VI. 2. Panvin. de Triump. c. 1. & ad illum Maderus. Valtrin. & Demſter. l. l. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 1. Blond. Triumph. Rom. X. p. 203. C. Romæ primum egiſſe *triumphum* Tarquinium Priſcum volunt Eutrop. I. 6. Tarquinius Priſcus *primus triumphans Urbem intravit.* Flor. I. 5. 6. *Inde, quod aureo curru, quatuor equis triumphatur.* Sed Urbis parentem Romulum Dionyſ. II. p. 102. *Ipſe Romulus triumphi de Cæninatibus, & Antennatibus pompam ultimus claudebat, indutus purpura, & coronatus laurea, atque ut regiam majeſtatem tueretur, quadrigis invectus.* Prop. IV. 1. 32.

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Plutarch. Rom. p. 27. B. *Romulus, ut votum Jovi redderet quam gratiſſimum, & oculis civium ſpecioſſimum, quercum, quam in caſtris vidit miræ proceritatis, recidit, & inſtar tropæi ordinavit, Acronis armis apte ſuſpenſis ex ea, adaptatisque, veſte ipſe incinctus, & crine fluente coma, laurea coronatus, feretrum dextro innixum humero directum gerens inceſſit, carmen victoriale exercitui præſens in armis ſequenti, civibus cum gratulatione, & laudibus eum excipientibus. Triumphorum fuit hæc celebritas in poſterum origo, & exemplum.* Buleng. ibid. c. 6. Panvin. Demſter. Valtrin. l. l. Plutarchus Rom. p. 27. D. Dionyſium reprehendit, qui ſcripſerit Romulum *uſum curru. Siquidem Tarquinium Demarati filium proditum memoriæ eſt Regum principem eam in ſpeciem, & faſtum evexiſſe triumphos. Poplicolam ſcribunt alii, primum curru triumphantem invectum. Nam Romuli quidem ſtatuas triumphales videre eſt omnes pedeſtres.* Panvin. l. l. Alex. Gen. dier. VI. 6. Ex Plutarchi ſententia videntur ſcriptores inter ſe diſſidentes conciliari poſſe, ut Romulus quidem *triumphandi* morem Romanis oſtenderit; Priſcus ornaverit, atque auxerit. *Valtrin. l. l.* Romulus arbitratu ſuo regia auctoritate ſibi *triumphum* adornavit, & hoc a Tarquinio militari ac regio jure factum. Deinde decreto ſenatus decernebatur. Tacit. Agric. c. 40. §. 1. *Igitur triumphalia ornamenta, & illuſtris ſtatuæ honorem, & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in ſenatu jubet.* Liv. XLV. 35. V. illum ſupr. in *Triumphantes.* Buleng. ibid. c. 7. Primi L. Valerius Potitus, & M. Horatius Barbatus coſſ. cum a ſenatu *triumphum* non impetraſſent, a populo obtinuerunt an. 304. Dionyſ. XI. p. 729. *Negato per ſenatus decretum triumpho, Valerius cum collega magnatus, quaſi gravi affectus injuria, populum in concionem advocavit, prolixaque in ſenatum accuſatione inſtituta, patrocinantibus tribunis plebis, legemque inferentibus, triumphi deducendi poteſtatem a plebe accepit: primusque Romanorum omnium, eam conſuetudinem in civitatem introduxit.* Liv. III. 63. *Ubi cum ingenti conſenſu patrum* Valerio, & Horatio *triumphus negaretur, L. Icilius tribunus plebis tulit ad populum de triumpho conſulum: multis diſſuaſum prodeuntibus, maxime C. Claudio vociferante: de patribus, non de hoſtibus conſules triumphare velle: nunquam ante de triumpho per populum actum: ſemper æſtimationem, arbitriumque ejus honoris penes ſenatum fuiſſe: ne Reges quidem majeſtatem ſummi ordinis imminuiſſe. . . . In eandem ſententiam multa & a cæteris ſenioribus patrum cum eſſent dicta, omnes tribus eam rogationem acceperunt. Tum primum, ſine auctoritate ſenatus, populi juſſu triumphatum eſt.* Horum exemplum ſecutus eſt C. Marcius Rutilus. Liv. VII. 17. *C. Marcius Rutilus primus dictator de plebe dictus,*

dictus, sine auctoritate patrum, populi jussu triumphavit. Aliique. Invito autem populo nemo unquam *triumphasse* legitur, præter unum Appium Claudium, quem curru *triumphantem*, ne a tribuno plebis de curru detraheretur, Claudia virgo Vestalis, filiane, an soror (utrumque enim traditur) curru conscenso, usque in Capitolium prosecuta est, ut Cicer. pro Cœl. c. 14. Val. Max. v. 4 6. & Suet. Tib. c. 2. n. 10. narrant. *Valtrin. ibid. c. 6. Panvin. ibid. c.* 3. Non concedebatur iis, qui licet ad postremum victores, gravem prius in eodem bello accepissent cladem. Ap. Claudius victus primum a Salassis, dein ipse eos vincens, quum *triumphum* expectasset, *propter damna vero superiora non impetrasset*, ut ait Oros. v. 4. privatis sumptibus impetravit. Sic P. Valerio Faltoni cos. an. 515. quum contra Gallos varia sorte bellasset, ita ut priore prælio 3500. suorum, altero 14000. hostium occumberent, tamen *ob priorem cladem triumphus denegatus est* teste eodem Oros. iv. Q. Minucius Rufus cos. an. 556. *triumphum* quum peteret, ei quoque objectum a tribunis plebis *levia prælia, & vix digna dictu fecisse, magnum numerum militum amisisse.* Liv. xxxiii. 22. Quam ob rem cum Romæ publica auctoritate non posset, privata *in monte Albano triumphavit.* Liv. c. 23. *Perizon. Anim. Histor. c. 6.* Nec illis, *qui bellis civilibus res etiam præclaras, maximeque utiles Reipublicæ gessissent, Imperatores tamen illo nomine non appellabantur, nec ullæ supplicationes decernebantur, neque aut ovantes, aut curru triumphaverunt; quia ut necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ sunt victoriæ, utpote non externo, sed domestico partæ cruore.* Val. Max. ii. 8. 7. Neque Q. Catulus de M. Lepido, aut L. Antonius de Catilina, aut Sylla de Mario, vel Cinna de Carbone, aut Cæsar de Pompejo triumphavit. Sed hoc primis bellis civilibus. Nam postea etiam ille mos ambitioni cessit. Non dicam de Imperatore Augusto, qui ante ætatem Valerii Maximi, & ipse ex civilibus utique bellis, & ovans, & *triumphans* Urbem intravit, ovans de S. Pompejo, *triumphans* de M. Antonio ad Actium victo. Nec extendo hanc dissertationem ad Cæsares, qui statim, & ipso ab initio, non jure, sed vi dominationis, legibus erant superiores, unde mox hoc ipsum *triumphandi* jus adeo neglectum fuit, ut Plin. Paneg. c. 11. n. 4. dicat, *pulsi, fugatique* Romani exercitus *non aliud magis habere indicium, quam si triumpharetur.* Sed ad senatum me refero, qui D. Bruto obsesso Mutinæ ab Antonio, & liberato a coss. Hirtio & Pansa, fugato Antonio, & supplicationem, & *triumphum* decrevisse deprehenditur, & ut appareat tamen etiam tunc non leve inter ea fuisse discrimen, quod ad dignitatem, & decernendi facilitatem, ait Dio xlvi. p. 317. C. *Non solum supplicationes, sed etiam triumphum*, tanquam rem majoris momenti, *ei decreverunt.* Perizon. & Panvin. l. l. Buleng. ibid. c. 8. Agebatur in ipsis castris juxta illud Lucan. ii. 644.

—— omnes redeant in castra triumphi.

Imo ex historia profana satis constat, quomodo olim milites δαφνηφοροῦντες Imperatores suos post victorias adeptas cohonestarint in castris, & stativis. In castris enim ignes *triumphales* succendebantur, quibus arcus, currus, hastæ, lanceæ, sarissæ, & catapultæ, cum reliquis parmis, & armis hostilibus concremabantur. Liv. vii. 36. *Hic Decii castrensis triumphus fuit, incedentis per media castra cum armato præsidio, conjectis in eum omnium oculis, & omni honore tribunum consuli æquantibus.* Victimæ *triumphales* cædebantur, & dona ad pulvinaria, quæ quasi supplicationes erant, deferri curabantur, & visceraticionibus mensæ conviventium onerabantur, & ornabantur. *Triumphum* Persei Macedonum castrensem de Romanis sic recenset Liv. xlii. 60. *Postquam rediere in castra victores, omnes quidem læti, ante alios Thracum insolens lætitia eminebat: cum cantu enim superfixa capita hostium portantes redierunt.* Nicol. ibid. c. 4. §. 1. & 4. In Urbe Roma. Licet enim extra Urbem apparatus, tamen in Urbe victrice *triumphus* actus est. Mali ominis fuit *triumphantem* in alienam urbem ingredi. Obseq. de Prodig. c. 116. *Pompejus Sylo in oppidum Bovianum, quod ceperat, triumphans invectus, omen victoriæ hostibus ostenait: quia triumphus in urbem victricem, non victam, induci solet. Proximo prælio, amisso exercitu, occisus.* Buleng. ibid. c. 10. In monte Albano ab iis, qui a senatu non impetrassent. In illo triumphandi initium fecit, & cæteris postea exemplum præbuit C. Papirius Maso. In Capitolinis *triumphorum* tabulis ita notatum est: *C. Papirius C. F. L. N. Maso. cos. an.* 522. *de Corseis. primus. in. monte. Albano.* iii. *Non. Mart.* Valerius Maximus, & Plinius laudati supr. in *Triumphantes.* Eum secuti deinceps alii. Liv. xlv. 38. *Multi, qui ab senatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triumpharunt.* Inque iis M. Marcellus captis Syracusis. Liv. xxvi. 21. *M. Marcellus ex Sicilia provincia quum ad Urbem venisset, postulavit, ut triumphanti Urbem inire liceret: id non impetravit. Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die Urbem ovans iniret, imperium esset. Pridie quam Urbem iniret, in monte Albano triumphavit.* Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. 45. n. 6. *Et cum per calumniam triumphus ei a senatu negaretur, de sua sententia in Albano monte triumphavit.* Tum Q. Minucius Rufus cos. an. 556. Livius supr. laudatus. Postea an. 581. C. Circerejus proprætor postulato frustra *triumpho* idem fecit, quum, ut ait Liv. xlii. 21. *jam in morem venisset, ut sine publica auctoritate fieret.* Perizon. & Sigon. l. l. Panvin. ibid. c. 3. & Fastor. v. p. 343. Manut. de Legib. c. 10. Valtrin. ibid. vii. 16. *Triumphi* majoris usum usque ad Justiniani tempora permansisse satis liquet. Novissimus enim omnium, quod sciam, Justiniani Imperatoris auctoritate *triumphavit* Fl. Belisarius V. C. Africa recepta, de Vandalis, & eorum Rege Gilimere, more veteri, curru quadrijugo, in Urbem Constantinopolim vectus. Post quem neminem amplius de more prisco triumphasse inveni, quum post ea tempora imperium Romanum non solum ullum incrementum habuerit, sed in præceps pronum, ab Arabibus, & Sarracenis, Hunnis, Bulgaris, & Longobardis postremo laceratum sit, & eversum. Trecentos porro, & circiter quinquaginta *triumphos*, & ovationes a Romuli temporibus, usque ad Justiniani Augusti tempora, actos fuisse, varia, longa, & difficili observatione inveni. A. Romulo usque ad Vespasianum cccxx. actos fuisse refert Orosius vii. 9. *Ubi Vespasianus & Titus Imperatores magnificum agentes de Judæis triumphum Urbem ingressi sunt, pulcrum, & ignotum ante cunctis mortalibus inter cccxx. triumphos, qui a condita Urbe, usque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit.* . . . Ego circiter xxx. alios a Vespasiani imperio, sub sequentibus Imperatoribus, usque ad Belisarium deprehendi, fere omnes a Romanis principibus gestos. Quidam referunt Heraclium Imperatorem post devictos, & ad internecionem fere cæsos Persas, ipsorumque Rege Chosdroe occiso, cum ingrederetur Hierosolymam, triumphasse. Sed hoc mihi magis *triumphi* umbra videtur, quam justus *triumphus.* Nam nec curru vectus, nec cum insignibus *triumphalibus* processit, sed tantum victoria potitus, antiqui *triumphi* umbram quandam ostendit. *Triumphi* vero honor Romæ ad Augusti imperium frequentissimus fuit, sub quo etiam cum multi duces sunt adepti. Nam plus quam triginta ducibus, nisi in verbo error sit, ut inquit Suet. c. 38. n. 1. justos *triumphos* decernendos curavit. Post Augusti tempora, Romanis jam toto fere terrarum orbe victoribus, raro admodum Romæ *triumphatum* est. Siquidem intra dc. annorum intervallum, quod inter Augustum, & Justinianum fuit, vix quinquaginta *triumphi* acti sunt: quum præcedentibus temporibus, intra annos paullo plus dcc. trecentos fere *triumphos* duces populi Romani adeptos fuisse constet. Quod si aliqua bella oriri contigisset, ut Parthica, Germanica, Persica, ea ab Imperatoribus administrabantur, qui aliquando duo, & tres, pari præditi potestate erant, eorumque auspiciis a privatis ducibus, vel eorundem legatis gerebantur: quare soli Imperatores de victis gentibus *triumphabant.* Quod si aliquando usu venisset, Romanos principes, pluribus, difficillimisque bellis insurgentibus, privatos duces ad eo suis auspi-

auspiciis gerenda mittere, eis post adeptam victoriam non amplius *triumphum* debitum concedebant, quorum pompam sibi ipsis retinere cœperunt; sed *triumphi* loco, quem in libera Republica omnino meruissent, *triumphalibus ornamentis*, novo, & tenuiore honoris genere, ab Augusto excogitato, eos honorabant. *Panvin. ibid. c.* 5. Illorum a Romulo ad Belisarium actorum seriem exhibent *Panvin. Fastor.* v. *p.* 346 -- 363. & *Modius de Triump.* I. 3 – 26. Opes, quas in ærario ex plerisque *triumphis* Romani cumularunt, V. supr. in *Manubiæ triumphales.*

Triumphus navalis, dictus, ut a terrestri distingueretur. Liv. XLV. 42. *C. Octavius Kalendis Decembribus de Rege Perseo navalem triumphum egit.* Primus eum Romæ habuit Duillius bello Punico I. ipso, & Cn. Cornelio coss. cum victor ad Liparas, superatis navibus Pœnorum, extitisset. Fasti triumph. *C. Duillius M. F. M. N. cos. primus an.* 493. *navalem de Siculis, & classe Pœnica agit K. intercalar.* Liv. Epit. XVII. V. illum supr. in *Duillius.* Priusquam poterat institui, prætor, sive consul navem laurea coronatam mittebat Romam, nuntiam victoriæ. Appian. de Bell. Pun. p. 83. Scipio *exornatam spoliis navem celerrimam in Urbem misit, victoriæ nuntiam.* Postea suas mittebat naves, decoratas spoliis navalibus, vel ipse etiam una proficiscebatur, subvehebaturque ad navalia, nave maxima totius classis, suæ, aut captivæ, eaque splendidissime ornata. Liv. XLV. 35. *Paullus nave ingentis magnitudinis, ornata Macedonicis spoliis, adverso Tiberi ad Urbem est subvectus.* Præterea spolia palmis decorabantur. Inscriptio de Duillii *triumpho*: CLASSES. NAVALES. PRIMUS. ORNAVIT. PALMA. Addebantur coronæ, & serta. Suet. Vit. c. 10. n. 4. *Itinere inchoato, per medias civitates ritu triumphantium vectus est, perque flumina cum delicatissimis navigiis, & variis coronarum generibus redimitis.* Etiam hostiles, puppibus suarum religatas, plenas & ipsas tabulis ac spoliis. Tum senatum adibat, &, ut sibi *triumphare* liceret, orabat. Nec enim sine ipsius decreto habere *triumphum* fas erat. Liv. XXXVII. 60. *Eamque causam Fabio navalis triumphi impetrandi ab senatu fuisse.* Licentia impetrata, pompa instituebatur. Primum præcedebant lictores, sequebantur alii cum cereis, alii cum tibiis, qui modos classicos, ac nauticos canebant. Flor. II. 2. 10. V. illum supr. in *Triumphantes.* Tibicinem etiam ei præcessisse scribit Val. Max. IV. 6. 4. Tibicines excipiebant tabulæ, imaginesque marium, aut fluminum, in quibus prælia commissa fuerant; deinde arma, spoliaque navalia, inque his præsertim rostra. Prop. II. 1. 31.

Aut canerem Ægyptum, & Nilum, cum tractus in Urbem
Septem captivis debilis ibat aquis.
Aut Regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in sacra currere rostra via.

Rostra plaustris vehebantur, una cum captivis armis. Appian. Mithrid. p. 252. *Plaustris ingentem numerum armorum, & rostrorum navalium adduxit.* Immiscebantur etiam acrostolia, cæteraque navium ornamenta, abscissa post victoriam, & in hanc rem servata. Lucillius:

Proras despoliate, & detundite guberna.

Sequebantur tabulæ, in quibus numerus captarum navium, fortassis & figuræ. Appian. p. 253. *Translata est & tabula, inscripta hoc titulo. naves rostratæ captæ sunt* DCCC. Succedebat & capta pecunia, itemque coronæ dono datæ a sociis. Liv. XXXVII. 58. Æmilius Regilius *triumphavit Kal. Februar. in eo triumpho undequinquaginta coronæ aureæ translatæ sunt: pecunia nequaquam tanta pro specie regii triumphi: tetradrachma Attica triginta quatuor millia septingenta cistophori centum triginta unum millia trecenti.* Pone ibant captivi piratæ, præfecti navium, & duces. Cicer. Verr. v. 26. *Vivum tu archipiratam servabas, quem per triumphum, quem ante currum tuum duceres. Neque enim erat jam reliquum, nisi ut classe populi Romani pulcerrima amissa triumphus navalis tibi decerneretur.* Et ideo de Octavii *triumpho*, qui navalis fuit, Liv. XLV. 42. velut rem inusitatam notat, quod *sine captivis fuerit, sine spoliis.* Hos omnes tandem sequebatur Imperator ipse, curru eminens, togam pictam indutus. Servilius ei ipsi Octavio currum, aureis, & purpureas vestes attribuit apud Liv. c. 39. *Quid si in curru scandentes Capitolium, auratos, purpuratosque ex inferiore loco Lucius Paullus in turba togatorum unus de populo interroget; Luci Anici, Cn. Octavi, utrum vos digniores triumpho, an me censetis?* [illegible] Nam & coronatus incedebat: & sane, an lauream, num aliam habuerit coronam, non est notum. Nisi quis ut triumphe velit conjicere ex verbis Val. Max. II. 8. 5. laudatis supr. in *Triumphantes.* Tribuere his certe lauream videtur, non iis modo, qui deserta montium devicerunt, sed & myoparones piratarum; & quibus alias *triumphus*, quam navalis, esse non potuit. Post currum ibant milites navales, classiarive, tum gubernatores, cæteraque turba nautica laureis ornata. Liv. l. l. *Legiones ex Illyrico laureatæ Urbem inibunt, & navales socii Macedonicæ legiones, suo aliorum triumphos alienos spectabunt.* Deducta ad hunc modum pompa per plateas publicas ad Capitolium: & rite ibi peractis sacrificiis, Imperator aliquid ex spoliis dedicabat diis: in primis rostra, quæ & in templis suspendi olim mos erat. Liv. x. 2. *Rostra navium, spoliaque Laconum in æde Junonis veteri fixa multi supersunt qui viderunt.* Suet. Aug. c. 18. n. 3. *Ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum spoliis navalibus, Neptuno, ac Marti consecravit.* Aliquando naves integras consecrabant. Ita Athenienses victis Lacedæmoniis *Neptuno apud Isthmum consecraverunt navem* apud Diodor. XII. Ideque aliquando decimarum nomine. Strab. VII. p. 224. *Sunt navalia juxta Apollinis Actii templum, in quibus Cæsar trigintaviginti naves decimarum nomine reposuit.* Vel etiam in honorem deorum cremabant. Appian. de Bell. Pun. p. 83. *Arma, machinasque & naves inutiles [illegible], Martique sacratas Scipio [illegible] cremavit more patrio.* Atque ita quidem gratias diis agebat maritimis pro concessa victoria. Cæteræ captivæ naves subducebantur vel in navalibus. Appian. de Bell. Mithrid. p. 252. [illegible] *deduxit naves integras* DCC. Vel in campo Martio. Liv. XLV. 42. *Naves regiæ captæ de Macedonibus [illegible] magnitudinis in campo Martio subductæ sunt.* Ad postremum signa quoque aliqua victoriarum erigebant, spoliis navalibus cæteris, cumprimis vero rostris exornata. Quale erat tribunal in foro, rostris navium ab Antiatibus captarum decoratum, de quo Plin. XVI. 5. *Rostra præfixa tribunali foro decus erant.* & Cicer. pro Manil. c. 18. *Non pudebat magistratus populi Romani in hunc locum ascendere, cum eum vobis majores vestri exuviis nauticis, & classium spoliis ornatum reliquissent.* Imaginem tribunalis hujus exhibet columna Duillii, qui princeps verum egit *triumphum* maritimum. Sil. Ital. VI. 663.

Æquoreum juxta decus, & navale tropæum
Rostra gerens, nivea surgebat mole columna
Exuvias Marti donum, quæ Duillius alto
Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat.

Erexit porro quoque alia tropæa bellorum navalium victor, ex instrumentis navalibus, ac armis, qualia sunt ancoræ, gubernacula, tela, naviumque fragmenta. Docet nummus primus Augusti de victoria Siciliensi apud Goltzium. Quin & arcus *triumphales* quis reperiat hujusmodi spoliis navalibus, ac rostris exornatos. Docet hoc alter apud Goltzium nummus. Ad postremum præter ædes sacras, præter loca publica, etiam privatim domos suas istiusmodi navium captivarum rostris exornabant. Patet ex Pompeji domo, de qua Cicer. Phil. II. 28. *An tu illa vestibula, rostra, spolia cum aspexisti, domum tuam te introire putabas?* Scheffer. de Milit. Nav. IV. 2. Panvin. de Triump. c. 2. & ad illum Maderus. Vide n. de Re milit. Roman. VII. 12. V. etiam supr. in *Pompa triumphi.*

Triumviratus fuit pars vigintiviratus, qui ad senatum erat gradus. Dio. V. illum infr. in *Vigintiviratus.* Masson. Ovid. XII. p. 55.

TRIUMVIRI agrarii dicebantur, qui colonis agros divi-

dividebant. Liv. III. I. *Triumviros agro dando creat T. Quintium, A. Virginium, P. Furium.* VIII. 16. *Triumviros coloniæ deducendæ, agroque dividundo creaverunt Cæsonem Duilium, T. Quintium, M. Fabium.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. Ad *triumviros* coloniæ deducendæ, quos dabat Romanus senatus, pertinebat agros novis colonis dividere, urbem ædificare volentibus, bove, & vacca aratro junctis designare, areas partiri, leges, magistratusque sistere ad speciem optimæ Reipublicæ. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 766. *F. Volaterr. Comm. Urb.* XXIX. *p.* 1104. *B.* Liv. XXXIX. 23. *Extremo anni, quia Sp. Postumius consul renuntiaverat, peragrantem se propter quæstiones utrumque littus Italiæ, desertas colonias, Sipontum supero, Buxentum infero mari invenisse: triumviri ad colonos eo scribendos ex SCto ab Tito Mævio prætore Urbano creati sunt.* XLI. 13. *Et Lunam colonia eodem anno M. M. civium Romanorum sunt deducta. Triumviri deduxerunt P. Ælius, L. Egilius, Cn. Sicinius. Quinquagena, & singula jugera, & semisses agri in singulos dati sunt.* Hoc genus *triumvirorum* in antiquis nummis repræsentatur duobus bobus, quos impellens colonus sequitur cum flagello: quo quidem symbolo allusio fit ad veterem morem condendarum urbium. In Augusti numismatibus duo extant: unius coloniæ Juliæ, in quo boves senex incurvus sequi cernitur in monachi habitu: alter coloniæ Patrensis, in quo mulier sub habitu Vestæ. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 3.

Triumviri capitales fuerunt inter minores magistratus. Liv. XXV. I. *Incusati graviter ab senatu ædiles, & triumviri capitales. . . . Ubi potentius jam esse id malum apparuit, quam ut minores per magistratus sedaretur.* Dicebantur etiam *triumviri* simpliciter, & absque ullo titulo, cum alii non solerent nisi cum muneris sui notis designari. Plaut. Amphit. I. I. 3.

> *Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint.*

Val. Max. VIII. 4. 2. Alexander Fannii servus *a judicibus damnatus, & a L. Calpurnio triumviro in crucem actus est.* Masson. Ovid. VIT. p. 55. Erant autem, qui ad columnam Meniam de eorum scelere cognoscebant, qui cum cives Romani non essent, in Urbe habitabant; *carceris custodiam habebant*, ut scribit Pompon. de orig. jur. l. 2. §. 30. non quod custodes carceris fuerint, sed curam habuerint custodiæ carceris. Ita enim Liv. XXXII. 26. *Et triumviri carceris latomiarum intentiorem curam habere jussi.* Et *triumvirum* a custode carceris expresse distinguit Val. Max. V. 4. 7. *Sanguinis ingenui mulierem prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam triumviro in carcere necandam tradidit: quo receptam is, qui custodiæ præerat, misericordia motus, non protinus strangulavit. . . . Quæ tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad triumvirum, a triumviro ad prætorem, a prætore ad concilium judicum perlata remissionem pœnæ mulieri impetravit.* Ræward. Var. II. 8. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 85. B. Masson. ibid. p. 54. &, ut addit Pomponius, *eorum interventu in eos animadvertebatur, qui extremo supplicio damnati essent.* Populi suffragio creabantur. Cicer pro Clu. c. 13. *Manilium plerique noratis: non ille honorem a pueritia, non studia virtutis, non ullum existimationis bonæ fructum unquam cogitarat: sed ex petulanti, atque improbo scurra, in discordiis civitatis ad eam columnam, ad quam multorum sæpe conviciis perductus erat, cum suffragiis populi pervenerat.* Itaque comitiis tributis creari necessario relinquitur. *Gruch. de Comit. Roman.* II. 2. Pompon. l. 2. §. 30. ff. de Orig. jur. V. illum supr. in *Carcer.* De vilibus, & abjectæ conditionis tantum hominibus jus dicebant, ut furious, servis nequam, & apud columnam Meniam causas cognoscebant. Cicero, & in illum Asconius laudati supr. in *Columna Menia.* Hotoman. de Magistr. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1889. E. Robortel. de Judic. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. (p. 16.) B. Panvin. de Civit. Rom. c. 61. Fast. I. p. 66. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Pollet. de For. Rom. V. 18. Alex. Gen. dier. III. 3. & ad illum Tiraquellus. Volaterr. Comm. Urban. XXIX. p. 1104. B. Rosin. Antiq. Rom. VII. 27. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Val. Max. VIII. 4. 2. *Fannii servus Alexander. . . . a L. Calpurnio triumviro in crucem actus est.* Imo & fugitivi ad eos perducebantur. Ascon. in Cicer. p. 188. *Munatius, & Pompejus tribum plebis in rostra produxerant triumvirum capitalem, eumque interrogaverant, an Galatam Milonis servum cædes facientem deprehendisset: ille dormientem in taberna pro fugitivo deprehensum, & ad se perductum esse responderat.* Sed non tantum horum ut quibusdam placuit, sed & liberorum maleficia conquirebant. Liv. XXXIX. 17. *Fugientes* Bacchanalium conscii *a triumviris comprehensi, & reducti sunt.* Gell. III. 3. *Quum* Nævius *ob assiduam maledicentiam, & probra in principes civitatis, in vincula Romæ a triumviris conjectus esset.* Pignor. de Serv. p. 26. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 179. Contendentium sacramentum ab illis in divinos usus, & tuendis sacris civitatis applicabatur. Iique, si forte deposita non essent, sacramenta exigebant, & judicabant. Lex tribunitia est apud Festum in Sacramentum. *Quicunque prætor posthac factus erit, qui inter cives jus dicet, tresviros capitales populum rogato, iique tresviri capitales, quicunque a populo facti erunt, sacramenta exigunto, judicantoque, eodem jure sunto, uti ex legibus, plebisque SCtis exigere, judicare, esseque oportet.* Pollet. de For. Rom. V. 5. Ræward. I. I.

Triumviri epulonum erant sacerdotes, qui epulis, & sacrificiis epularibus præerant. V. illos supr. in *Epulones.*

Triumviri juvenibus ad militiam conquirendis creati sunt tempore belli Punici II. Liv. XXV. 5. *Consules quum ægre delectum conficerent, quod inopia juniorum non facile in utrumque, ut & novæ urbanæ legiones, & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat; senatus absistere eos incepto vetuit, & triumviros binos creari jussit: alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis, forisque, & conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent: & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari ætate essent, milites facerent.* Panvin. de Civit. Rom. c. 58. Alex. Gen. dier. III. 16. Gruch. de Comit. II. 2. Rosin. Antiq. Roman. VII. 40. Schill Nomencl. Philol. p. 1098.

Triumviri locorum publicorum reficiendorum. Liv. XXV. 7. *Comitia deinde a prætore urbano de senatus sententia, plebisque scitu sunt habita: quibus creati sunt triumviri bini; uni sacris conquirendis, donisque persignandis: alteri reficiendis ædibus Fortunæ, & Matris Matutæ intra portam Carmentalem; sed & Spei extra portam, quæ priore anno consumptæ fuerant.* Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Cuper. Marm. Antiq. §. 9. Pigh. Annal. Rom. II. p. 177. Schill Nomencl. Philol. p. 1098.

Triumviri mensarii temporibus belli Punici II. facti sunt. Liv. XXIII. 21. *Et Romæ quoque propter penuriam argenti triumviri mensarii rogatione Minucii tribuni plebis facti, L. Æmilius Papus, qui consul, censorque fuerat: & M. Atilius Regulus, qui bis consul fuerat: & L. Scribonius Libo, qui tum tribunus plebis erat.* Gruch. de Comit. II. II. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. II. Buleng. de Imp. Rom. V. 56. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Hotman. Antiq. Roman. IV. I. p. 222. D. Pigh. Annal. Rom. II. p. 161. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 85. B. Rosin. Antiq. Rom. VII. 39.

Triumviri monetales erant tres isti viri, qui ære, argento, auroque flando, ac feriendo præerant. Pompon. l. 2. §. 30. ff. de Orig. jur. *Eodem tempore creati sunt triumviri monetales, æris argenti, auri flatores.* Hinc illud Cicer. de Leg. III. 3. *Æs, argentum, aurum publice signanto.* Fam. VII. 13. *Treviros vites censeo, audio capitales esse: mallem auro, ære, argento essent.* Hotoman. de Magistr. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 1890. F. & Antiq. Roman. IV. I. Crinit. de Honest. Discipl. XVII. 7. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Panvin. de Civit. Rom. c. 61. Gruch. de Comit. II. 2. Alex. Gen. dier. III. 16. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 766. B. 985. C. Turneb. in Cicer.

Cicer. de Leg. III. p. 179. Kipping. Antiq. Roman. II. 3. §. 10. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 87. B. Rosin. Antiq. Rom. VII. 28. Land. vet. numism. Rom. explic. Misc. Erud. Ital. Tom. I. p. 383. Ficher. de Re monet. vet. Rom. I. 3. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Panvin. de Civit. Rom. c. 61. Gruch. de Comit. II. 2. Alex. Gen. dier. III. 16. Ante illorum officium institutum ii, qui cudendæ monetæ præficiebantur, denariorum flandorum curatores fuerunt dicti. *Triumviri* vero auro, argento, ære flando, feriundo Ciceronis, ut opinor, tempore, vel paullo ante sunt creati. *Ursin. de Famil. Rom. in Cornelia p.* 85. At ex Pomponio *triumviri* monetales ante captam Sardiniam constituti sunt. Post hos enim capta deinde Sardinia est, quam T. Manlius Torquatus in consulatu subegerat, post Cannensem cladem, bello Punico I. quod ex Fastis consularibus gestum est an. 488. ducentis ferme annis ante tempora Ciceronis, qui consul fuit cum Antonio an. 691. Et fasti consulares cum Pomponio conveniunt, qui eodem tempore *triumviros* monetales, & *triumviros* capitales constitutos prodit. Sed non solum ante captam Sardiniam, sed ante bellum Punicum. I. Sic fasti consulares an. 465.

III. VIRI. CAPI. Q. MARCIUS. Q. F. P.
CORNELIUS. A. E. ARVINA
TALES. PRIMI. TREMULUS.

Quo eodem tempore monetales. Horum officium lex Cornelia nummaria, sive de falso explicat. V. illam supr. in *Lex.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19.

Triumviri nocturni a capitalibus diversi fuerunt, quod *triumviri capitales primum creati* scribuntur a Liv. Epit. XI. ex quo sequitur multo ante tempore fuisse nocturnos quam capitales. Creabantur populi suffragio. Liv. IX. 46. *Quem aliquanto antea desiisse scriptum facere arguit Macer Licinius, tribunatu ante gesto, triumviratibusque; nocturno altero, altero coloniæ deducendæ.* De his ita ICtus l. 1. de Offic. præf. vig. *Apud vetustiores incendiis arcendis triumviri præerant: qui ab eo quod excubias agebant, nocturni dicti sunt.* Ex Livii verbis apparet, fuisse magistratum, cujus non esset continua potestas, sed tantum annua. Unde sequitur populi suffragio opus fuisse ad mandandum eum magistratum. Quia autem in minoribus magistratibus erat, ideo efficitur, tributis comitiis eum magistratum creari. *Gruch. de Comit.* II. 2. *Pancirol. de Magistr. municip. c.* 24. *Brisson. Antiq. Select.* II. 8. *Alex. Gen. Dier.* III. 16. *Zocc. de Potest. Roman.* II. 21. *Blond. Triumph. Rom* IV. *p.* 95. *B. Hotoman. de Magistrat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1890. *C. Nardin. Rom. Vet.* III. 7. *Rosin. Antiq. Rom.* VII. 28. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 3. §. 10.

Triumviri Reipublicæ constituendæ erant magistratus, ut contra leges institutus, sic minime diuturnus. Hujus ineundi culpam Antonio transcribit Plutarch. p. 924. D. *Erat populo Romano illorum triumviratus majorem in modum gravis: culpa tamen in Antonium conferebatur potissimum, qui Cæsare natu major, & Lepido potentior, in vitam eam luxuriosam, & perditam, ut primum emersit ex negotiis, est revolutus.* Hunc inierunt, *ne palam rerum summam ad paucos se omnem reducere velle viderentur, ideoque aliorum invidiæ, ac suorum cœptorum impugnationi locum darent: convenit vero ita inter illos, ut publice quidem ipsi tres constituendis, administrandisque rebus præficerentur.* Dio XLVI. p. 326. A. Et gesserunt consulari potestate. Appian. de Bell. civ. IV. p. 590. *Et ut novus magistratus ad tollendas civiles dissensiones lege daretur Lepido, & Antonio, & Cæsari, qui illum in quinquennium consulari potestate gererent: hoc enim nomen magis quam dictatorum placuit, fortasse propter recentem de abolenda dictatura Antonii legem.* Duravit per decem annos. Suet. Aug. c. 27. n. 1. *Triumviratum Reipublicæ constituendæ per decem annos administravit.* Bis enim hanc potestatem sibi sumpserunt per quinquennium *triumviri.* Priori Augusto, & P. Pedio coss. qui suffecti fuerunt Hirtio, & Pansæ bello Mutinensi cæsis. *Non in perpetuum, sed in quinquennium: ita ut omnia ex animi sui sententia, etsi neque ad senatum, neque ad populum de his retulissent, agere possent.* Dio l. l. Posteriori M. Vipsanio Agrippa, L. Caninio Gallo coss. Dio XLVIII. p. 390. E. *Ac in aliud sibi quinquennium, jam enim exierat prius, principatum prorogaverunt.* Laz. Comm. Reip. Rom III. 3. Blond. Rom. Triumph. VII. p. 148. H. Pigh. Annal. Rom. III. p. 472. Rosin. Antiq. Rom. VII. 21. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 767. A. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1104. C. Pitisc. in Suetonium.

Triumviri locis conquirendis. De his Livius. V. illum supr. in *Triumviri locorum publicorum reficiendorum.*

Triumviri senatus legendi erant iidem viri, qui senatores legebant ex animi sententia, quos existimarent esse magis idoneos. Hoc antea fuerat munus censorum. Dio XXXVII. p. 50. D. *Eodem anno a censoribus omnes ii, qui magistratus gesserant, in ordinem senatorum sunt relati.* Augustus hos instituit morum præfectus. Suet. c. 37. n. 1. *Nova officia excogitavit, triumviratum legendi senatus.* Ex Mæcenatis consilio veluti subcensores. Dio LII. p. 478. B. *Alius quidam ex eodem ordine deligi debet, qui genera, facultates, moresque senatorum, & equitum. . . . examinet, ac inspiciat. Hoc munus senatori alicui, post præfecturam Urbis præstantissimo potius, quam equiti injungendum est (censuramque a tua censura, nam omnino in hac te primas tenere convenit) haud absurde habebit, ut subjicitur dictum.* Pitisc. in Suetonium. Rosin. Antiq. Roman. VII. 41. Alex. Gen. dier. III. 16.

Triumviri valetudinis. Hujus magistratus nulla apud veteres auctores, quod sciam, mentio est: in antiquo vero nummo argenteo sic scriptum est: M. ACILIUS. III. VIR. VALETU. Hi nostra ætate pestis causa creari solent, atque domini sanitatis vocantur, quibus temporibus de morbo suspectis magna potestas conceditur. Nummi vero verba sic ego interpretor: M. Acilius IIIvir valetudinis tuendæ. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 60. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 767. *B. Rosin. Antiq. Rom.* VII. 28.

TRO.

TROCHLEA est machina tractoria continens rotulam æream, ligneamve (cui proprie *trochleæ* nomen competit) axiculum per eam rotulam trajectum, & funem, qui circa rotulam currit. Exemplum ejus in puteis habemus. Lucret. IV. 903.

Multaque per trochleas, & tympana pondere magno
Commovet, atque levi sustollit machina nisu.

Ab aliquibus rechamus dicebatur. Vitruv. X. 2. *Alligatur in summo trochlea, quam etiam nonnulli rechamum dicunt.* Voss. Lex. Etymol. Popma de Instrum. fund. c. II. Rhodig. Antiq. Lect. XVI. 11. Gyrald. de Navig. c. 12. Stewech. in Veget. IV. 19. Laurent. de Rebuspubl. c. 7.

Trochlea est etiam instrumentum tortoris, per quod funis tortorius immissus ligatum brachiis revinctum reum sursum trahit, vel, demissum deorsum relaxat. Hoc instrumento olim ita torquebantur. Defigebantur primum humi tot stipites, quot erant hoc supplicio adhibendi: deinde a constitutis ministris rei manibus quandoque, quandoque pedibus, hinc funibus *trochlearum*, hinc stipitibus alligabantur, quo facto tractis jussu judicum funiculis mise ipsorum corpora extendebantur. Interim fustibus cædebantur, aut denique sulphure, resina, oleoque ferventibus, perfundebantur. Postremo sublimes iidem elevabantur, eo modo, quo nunc rei mortis, revinctis post terga manibus, extorquendæ causa veritatis, fune elevari solent; aliquando in elevati ictu celeri super silices pondere corporis demissi, & lapidibus acutissimis animam efflabant. *Laurent. de Rebuspubl. c.* 7.

TROCHUS, τροχὸς, qui βέμβηξ quoque, τρέβιλος, & στρόμβος, Latinis turbo, lusus puerilis instrumentum notissimum; quod flagello percutientes circumagitabant. Suidas: *Bembex, instrumentum, quod flagello vertunt pueri; aut ludicrum puerorum, velut trochus, qui flagello percussus vertitur.* Quæ totidem verbis Schol. Aristoph. ad Vespas & Aves. Acron in Horat. Art. poet. n. 380. *Trochus dicatur*

citur turben, qui flagello percutitur, & in vertiginem rotatur. Meminit Artemid. II. 57. *Trochum agitare laboribus jactare ſignificat, unde voluptas contingit videnti.* De illo Horat. Od. III. 24. 57.

—— ludere doctior
Seu Græco jubeas trocho.

de Art. poet. n. 380.

Indoctusque pilæ, diſcive, trochive quieſcit.

Erant doctores, qui præcepta luſus darent. Ovid. Triſt. II. 485.

Ecce canit formas alius, jactusque pilarum;
Hic artem nandi præcipit, ille trochi.

Trochi, ſi quid video, duo omnino genera erant, plane ut hodie iſte ſcutica agebatur, ut jam dixi: alter cuſpidem inferius habens, loro circumvoluto ejectus, & in terra ſic defixus, in cuſpide circumagebatur: certamenque erat, cujus *trochus*, ſic ejectus, diutius verteretur. Animadverto apud Platon. de Leg. IV. *At turbines univerſi, & ſtant ſimul, & moventur, quum in eodem figentes centrum circumaguntur.* Ecce, defixi in eodem loco circumagitabantur, quod utique non faciebant, qui ſcutica impellebantur, & huc illuc vagabantur: nam iſtos vagari, cuſpis, qua defixi erant, non ſinebat. *Meurſ. de Lud. Græc. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* VII. *p.* 991. *A. Souter. Palam.* III. 12. *Merul. in Ovidium. Stephan. in Theſauro* v. βέμβηξ. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq.* V. 1. Atqui *trochus* nunquam eſt turbo, licet ad hunc errorem Acron præiverit; ſed circulus magnus, qui radio in transverſum latus impellitur. Ideo *rota* vocatur Mart. XIV. 168. ac canthi dicitur uſum poſſe præſtare. Sic enim ſcribit:

Inducenda rota eſt: das nobis utile munus:
Iſte trochus pueris: at mihi canthus erit.

Canthus dicitur ferreus circulus, qui rotarum præmunit curvaturam. V. ſupr. in *Canthus.* In hoc *trocho* plures, vel ut minimum circulus inſerebatur, tum ut ſono oblectaret aures, tum etiam alia de cauſa, quam indicat Mart. XIV. 169.

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Quærit poeta, cur in laxo illo orbe, quem *rotam* antea dixerat, appenditur annulus, qui currente rota ederet ſonum. Cauſam ſubdit, ut turba obvia, ſono iſtoc monita, ab via decedat, atque ita caveat ſibi ab improviſo *trochi* incurſu. Nec ſemper unicus erat annulus, ſed plures ſubinde, ut dixi; atque ex Antyllo jam aliis monitum. Et Batavorum pueri appendere plures ſolent. Atque hoc eſt *trochus.* Nec aliter ea voce uſus Horatius, Ovidius, Artemidorus, vel alius veterum quiſquam. *Voſſ. de Vit. Serm.* I. 26. *Lex. Etymol. Torrent. in Horatium. Buleng. de Lud. vet. c.* 3. *Kipping. Antiq. Rom.* IV. 4. *p.* 2. *Paſſerat. in Propert. p.* 494. *C. Schill Nomencl. Philol. p.* 1099. *Demſter. Paral. ad Antiq. Roman. Roſin.* V. 1. V. quoque *Turneb. Adv.* XXVII. 33. *Mercur. de Art. Gymnaſt.* III. 8. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* II. 2.

TROJA fuit ludus equeſtris puerorum. Feſtus: *Troja, & regia Priami, & luſus puerorum equeſtris dicitur.* Plutarch. Caton. p. 760. E. *Uſque eo ut cum eſſet Sylla certamen ſacrum equeſtre puerorum, quam Trojam nominant, editurus.* Agebatur in circo. Illum Æneas primus in Sicilia inſtituit ad filii Aſcanii, & cæterorum puerorum exercitationem. Ejus rationem, & modum deſcribit Virg. Æneid. V. 545 -- 602. Illum, tanquam gentilitium, cum pæne exoleviſſet, reſtituit Cæſar. Suet. c. 39. n. 6. *Trojam luſit turma duplex, majorum minorumque puerorum.* Qui & ex illo tempore Romæ frequens fuit. Exhibuerunt illum apud Suetonium Auguſtus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero. *Panvin. de Lud. Circenſ.* II. 9. *Laz. Comm. Reip. Rom.* X. 2. *Hugo de Milit. Equeſt.* III. 1. *Volaterr. Comm. Urban.* XXIX. *p.* 1092. *Scalig. Poet.* I. 18. *Stewech. in Veget.* II. 24. *Alex. Gen. dier.* VI. 19. *& ad illum Tiraquellus. Vignol. Diſſert. de Columm. Anton. Pii c.* 9. *Mod. de Lud.* II. 31. *Roſin. Antiq. Roman.* V. 25. *Meurſ. de Orcheſt. p.* 63. *Pitiſc. in Suetonium.*

TROJANI venerunt in Italiam. V. ſupr. in *Æneas.*

TROMENTINA tribus. V. illam ſupr. in *Tribus.*

TROPÆUM erat columna ænea, lapidea, ſive lignea, quam Deo alicui dicabant, & victoriæ rationem, modumque inſcribebant, quoties hoſtes bello ſuperaſſent. Schol. Ariſtoph. Plut. II. 4. 39. *Tropæum eſt, quod in victoriis veteres faciebant, murum, vel lapidem magnum ponentes, & in illo ſcribentes opera, quæ contra hoſtes fecerant. Vocabatur vero tropæum, quia hoſtium fuga illic facta erat.* Columnæ loco interdum erat arboris truncus, præcipue olivæ, aut quercus. Sidon. Carm. II. p. 398.

—— quercusque tropæis
Curva tremit.

Virg. Æneid. XI. 5.

Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi magne tropæum
Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum,
Perfoſſumque locis, clypeumque ex ære ſiniſtræ
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

Et apud priſci ævi Græcos ſolæ arbores in uſu erant, infameſque habiti ſunt, qui primi columnas exſtruxerunt, tanquam qui ſui odii & inimicitiarum memoriam ad poſteritatem tranſmittere ſtuderent: unde factum apud Romanos exiſtimat Plutarchus, ut nefas eſſet arcus triumphales vetuſtate collapſos reparare Quæſt. Roman. 36. *Cur inter ea, quæ diis conſecrantur, lege permiſſum eſt, ut ſola ſpolia ſinantur tempore corrumpi, aut aboleri, neque ea liceat reparare, aut inſtaurare? An, quod cum tempus ſigna contentionum cum hoſtibus habitarum obſcuret, odioſum eſt, & nimii diſcordiarum ſtudii ea reficere, atque innovare? Nam apud Græcos parum laudis adepti ſunt, qui primi lapidea, aut ærea ſtatuerunt tropæa.* Huic columnæ, aut arbori capta ab hoſtibus ſpolia, loricas, galeas. . . . . imponebant, & hoc dicebant κοσμεῖν τρόπαιον, columnam autem erigere, ἱϛάναι τρόπαιον. Plutarch. Ageſil. p. 606. A. *Potter. in Lycophr. n.* 1328. *Archæol. Græc.* III. 12. Primi illa bello Allobrogico Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus poſuerunt. Strab. IV. p. 128. *Quo autem loco Iſara, & Rhodanus fluvii confluunt prope Cemmenum montem Quintus Fabius Maximus Æmilianus* XXX. *millium non integrorum exercitu inſtructus* CC. *millia Gallorum concidit, ibique tropæum ſtatuit ex albo lapide.* Flor. III. 2. 6. *Quod & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus, ipſis quibus dimicaverant in locis, ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus tropæa fixere: quum hic mos inuſitatus fuerit noſtris. Nunquam enim populus Romanus hoſtibus domitis victoriam ſuam exprobravit.* Armorum congeriei inſcriptiones addebantur. Tacit. Annal. II. 22. 1. *Laudatis pro concione virtutibus Cæſar congeriem armorum ſtruxit ſuperbo hoc titulo: debellatis inter Rhenum Albimque nationibus exercitum Tiberii Cæſaris ea monimenta Marti & Jovi & Auguſto ſacraviſſe.* Hoſtium ſpoliis tituli adſcribebantur. Ovid. Art. Am. II. 744.

Sed quicunque meo ſuperarit Amazona ferro,
Inſcribat ſpoliis, Naſo magiſter erat.

Buleng. de Triump. c. 3. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 1. Valtrin. de Re milit. Roman. VII. 20. Fuller. Miſc. IV. 12. Ouzel. in Min. Fel. p. 229. Merul. de Præm. c. 10. Blond. Inſtaur. Rom. II. §. 23. Triumph. Rom. X. p. 203. B. Perizon. Anim. Hiſt. c. 6. Briſſon. de Form. IV. p. 353. Alex. Gen. dier. I. 22. Mader. in Panvin. de Triump. c. 7. Tomaſin. de Donar. c. 22. Noriſ. Cenotaph. Piſan. Diſſ. III. p. 413. Barth. Adv. XXXIV. 9. Ferret. Lapid. Muſ. II. mem. 36. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 1. Caroli Antiq. Roman. III. 10. Nicol. de Triumph. c. 6. §. 5. Roſin. Antiq. Roman. X. 29. Stewech. in Veget. II. 7. p. 147. Pigh. Annal. Rom. II. p. 55. Kipping. Diſſert. de Victor. §. 6. Pitiſc. in Curt. V. 9. 16. Schill Nomencl. Philol. p. 1100.

Tropæa marmorea, quæ in Capitolio nunc ſpectantur erecta,

erecta, ante aliquot annos erant ſita in fornicibus ſuperioribus caſtelli aquæ Martiæ, quod adhuc cernitur inter D. Bibianum, & D. Euſebium via, qua a D. Maria minore ad templum S. Crucis Jeroſolomytanæ recta itur. Celſius Citadinus in notis ad Ligorium in Paradoxis illa Domitiano ſtatuit, ex hac inſcriptione:

IMP. DOM. AUG
GER. PER
CRE. LIB

Sed hoc nimis quam a veriſimilitudine, ne dicam a vero, remotum eſt. Quis enim probare queat, Domitiani ætate, quum arcus triumphales adeo frequenti in uſu eſſent, *tropæorum* illum adhibitum, admiſſamque illam vilitatem. Tum & duplex in eodem loco Domitiano erectum *tropæum* minus conveniens rationi eſt. Quid? quod non *tropæa*, ſed arcus innumeros Domitianum ſibi feciſſe teſtis eſt Suet. c. 13. n. 6. Adhæc, quod omnem omnino ſpeciem veritatis illius ſententiæ deſtruit, omnes arcus, omniaque monimenta, quæ Domitianus ſibi poſuerat, poſt mortem ejus dejecta, dirutaque ſunt, ut legitur apud eundem c. 23. n. 2. *Senatus imagines ejus coram detrahi, & ibidem ſolo affligi juſſit, noviſſime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decrevit.* Dio LXVIII. p. 769. A. *Fuere quoque arcus triumphales, quos ei plurimos fecerant, diſturbati.* Relicta igitur duo tam pulcra, tamque conſpicua *tropæa* intacta, ac ſalva, veroſimile videbitur? Marii illa vel fuiſſe, vel ſaltem videri poſſe & mihi perſuadent duo, quæ adfero, argumenta. I. petitum a numero; nam quum duo fuerint, duplicis illa victoriæ uno tempore reportatæ monumenta cenſenda ſunt. Atqui id ipſum in neminem alium ita quadrat, ac in Marium, quem duplex erexiſſe *tropæum* de Cimbris Teutoniſque devictis conſtat. Suet. Jul. c. 11. n. 1. *Tropæa C. Marii de Jugurtha, de Cimbris, atque Teutonis olim a Sylla disjecta reſtituit:* ubi duplex eſt animadvertenda præpoſitio *de*, qua Suetonius uſus fuit, ut duo diſtincta *tropæa* indicaret, unum *de Jugurtha*, alterum duplex, *de Cimbris atque Teutonis:* quorum duorum diverſorum mentionem quoque facit Val. Max. VI. 9. 14. quum gloriam Marii amplificans ait: cujus bina *tropæa in Urbe ſpectantur:* nimirum unum ſimplex de Jugurtha, alterum duplex de Cimbris & Teutonis. Idem & geminum hoc ultimum plurali numero *monumentorum Marianorum* extulit. II. 5. 6. *Alterum in area monumentorum Marianorum.* IV. 4. 8. *Eodem loci, quo nunc ſunt monumenta Mariana.* Paria huc facit Vitruv. III. 1. ubi Honori & Virtuti ædem factam a Mutio refert ſine poſtico, ſecundum canones architecturæ, cui nomen peripteros. V. illum ſupr. in *Templum.* II. a nomine Cimbrorum, quod illi vico non unius, alteriusve ſeculi res eſt, aut ab ætate Marliani, Fulvii, aut Blondi Flavii; verum jam ultra trecentos annos tempore Petrarchæ notiſſimum fuit, quo antiqua monumenta necdum ita collapſa, vel corrupta fuere: forſan & inſcriptio tunc adhuc integra extitit. Ita enim ille Epiſt. VI. 2. *Hic Pompeji arcus, hæc porticus, hoc Marii Cimbrium fuit.* Quod nomen ſatis manifeſte oſtendit, *tropæum* hoc de Cimbris & Teutonis fuiſſe, ad diſcrimen alterius de Jugurtha, quod alio loco fuit. Videtur etiam innuiſſe Sidon. carm. IX. n. 252.

Qui poſt Cimbrica turbidus tropæa,
Et vinctum Naſomonium Jugurtham.

Nardin. Rom. Vet. IV. 2. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. n. 2. Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c. 14. Faun. Antiq. Urb. Rom. IV. 3. Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. I. p. 44. Bina illa non ſunt Marii, ſed Trajani Auguſti, extabant in caſtello aquæ Martiæ in Eſquiliis, ab eodem Trajano reſtitutæ, eademque referunt Germanorum, Dacorum, & Sarmatarum arma, de quibus Germanico, & Dacico bello Trajanus triumphavit. Eorum elegantiſſima ſculptura coæva columnæ Trajanæ ſatis ipſius Imperatoris ætatem indicat, ut in noſtris notis ad eandem columnam nuper editam etiam auctoritate veterum numiſmatum probatum eſt. *Bellor. in Fragment. Veſtig. vet. tab. 9.* Equidem ego, ut ibi fuiſſe *tropæa* Marii nullo modo dicerem, ita fuiſſe caſtellum aquæ tuto affirmarem. Nam, ut conſtat ex Frontin. de Aquæd. I. aqua tam Claudia, quam Martia poſt hortos Pallantianos, qui fuerunt in Eſquiliis, effundebatur. Duo quidem illa *tropæa* inſculpta e marmore, quæ viſuntur e Capitolio, ex hoc loco tranſtulit populus Romanus: cur tamen potius Marii, quam alterius fuiſſe dicantur, non video, præſertim in Urbe, olim ejuſmodi ornamentis refertiſſima. Moles vero ipſa indicat aquæ receptaculum, unde in fiſtulas divideretur: ab illo videlicet, qui exſtruxit, aut inſtauravit, *tropæis* ornatum. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10.

TROSSULI *ſunt dicti equites, quod oppidum Tuſcorum Troſſulum ſine opera peditum ceperint.* Feſtus. Victor. Var. Lect. IV. 24. Strein. de Famil. Rom. in Licinia. Voſſ. Lex. Etymol. Prevot. de Magiſtrat. Roman. c. 2. Pigh. Annal. Rom. I. p. 16. Scalig Poet. I. 22. Vetus vox, & ante Ciceronem; ſed poſt-ævo refloruit iterum ſub Principibus, & velut revixit. Nam & Seneca minime ſectator, aut reprenſor verborum fugientium, ea bis uſus in hac equitum, ſive juvenum notatione. Epiſt. 88. V. illum ſupr. in *Gladiator.* Ubi gloſſematium amolior τὸ *divitibus*, ad vocem *troſſulis* parum perite adjectum. 76. *Quid ergo? idem faciam, quod troſſuli, & juvenes? Bene mecum agitur, ſi hoc unum ſenectutem meam dedecet.* Lipſ. Elect. II. 1. *Troſſulorum* nomen pro equitibus non diu poſt Gracchum manſit. Ex verbis Junii Gracchani eſt auctor Plin. XXXIII. 2. *Celeres ſub Romulo, Regibusque appellati ſunt: deinde flexumines, poſtea troſſuli, cum oppidum in Thuſcis citra Volſinios paſſuum IX. M. ſine ullo peditum adjumento cepiſſent ejus vocabuli: idque duravit ultra C. Gracchum. Junius certe, qui ab amicitia ejus Gracchanus appellatus eſt, ſcriptum reliquit his verbis: Quod ad equeſtrem ordinem attinet, antea troſſulos vocabant, nunc equites vocant: ideo quia non intelligunt, troſſulos nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari.* Propter ambiguitatem vocis, quæ olim equitem ſignificabat ab oppido, quod cepe ant: illo vero tempore etiam pro delicato, & molli accipiebatur a Græco vocabulo τρυσὸς, quod delicatum, & mollitia infamem ſignificat. *Troſſuli* apud Senecam pro equitibus non ſumuntur: hallucinatur enim Lipſius, qui etiam perperam tanquam gloſſema expungit τὸ *divitibus:* delicatos enim & luxurioſos divites intelligit Seneca, quos ea vox ſignat. Hieronymus de vitando ſuſpecto contubernio: *Docet ſibi prælatum juvenem non quidem comatum, non veſtium ſericarum, ſed troſſulum, & in ſordibus delicatum.* Juvenes compti, comati, unguentati, nitide veſtiti, molles, ac delicati iſto nomine vocabantur a voce, ut dixi, Græca τρυσὸς, qui μαλακὸς, καὶ ἀσθενὴς ſignificatur: hinc *truſſus*, *truſulus*. Et propterea factum eſt, ut puderet iſtius nominis equites. *Salmaſ. in Lamprid. Commod. c. 2. Dacer. in Feſtum. Cerda Adv. c.* 141. *n.* 144. *Voſſ. l. l. Caſaub. in Perſ. p* 121.

TRU.

TRUA eſt ingens cochlear, quo cibus in ollis inter coquendum agitatur. Græcis dicitur τορύνη apud Ariſtoph. Avib. n. 78. & Suidam. Titin. Setin. apud Non. IV. 47.

Cocus magnum ahenum, quando fervit, paulla confutat trua.

Voſſ. Lex. Etymol.

TRULLA fictilis, ærea, vel lignea, quæ per manubrium civum e culina in lavatrinam aquam fundit, vel vinum, aut oleum in dolia. *Popma de Inſtrum. fund. c.* 19. *Demſter. Paral. ad Antiq. Roman. Roſin.* V. 30.

Trulla eſt inſtrumentum cæmentariorum trigonum, quo dealbati tectorio muri, aut delutati linuntur, & complanantur. Pallad. I. 13. *Impenſa pumicea*, MS *Punica induemus, & trulla æquabimus.* 15. *Prima trullis frequentetur inductio.* Barth. Adv. XXXIX. 8. Popma de Inſtrum,

ftrum. fund. c. 19. Bud. in Pandect. p. 138. F. Baldus Lex. Vitruv. in Trulliffare.

Trulla eft patera vinaria profundior, five vas potorium. Juven. Sat. III. 108.

Si trulla inverfo crepitum dedit aurea fundo.

Cicer. Verr. IV. 27. *Erat vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata, cum manubrio aureo.* Horat. Sat. II. 3. 143.

Qui Veientanum feftis potare diebus
Campana folitus trulla, vappamque profeftis.

Alex. Gen. dier. III. 10. & ad illum Tiraquellus. Alciat. Parerg. VII. 3. Bayf. de Vafcul. Thef. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 687. F. Turneb. Adv. X. 27. Demfter. Paral. ad Ant. Rofin. V. 30. Popma de Inftrum. fund. c. 19. Laz. Comm. Reip. Rom. VI. 7. Buleng. de Conviv. IV. 25. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 494. Bruyer. de Re cibar. III. 9. Baccius de Conviv. III. 1. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 182. E. Cafaub. in Theophr. Charact. c. 9. Grang. in Juvenalem. Infano pretio illas veteres fibi comparabant. Plin. XXXVII. 2. *T. Petronius confularis moriturus, invidia Neronis principis, ut menfam ejus exhæredaret, trullam murrhinam trecentis feftertiis emptam fregit. Alius hic furor, HS. centum quinquaginta millibus trullam* cryftallinam *unam non ante multos annos mercatam* [illegible] *nec divite.* Attende quæfo; tanti emerat mater familias, eaque non dives: quid jam divites feciffe cenfes? *Meurf. de Luxu Roman. c. 8. Bruyer. l. l.*

Trulla etiam vas eft, in quod alvi proluvies, aut lotium dejicitur. Mart. IX. 98. 1.

Clinicus Herodes trullam fubduxerat agro.

Plin. XXXIV. 2. *Sunt ergo vafa tantum Corinthia, quæ ifti el*[illegible] *transferunt, modo in trullas,* [illegible] Demfter. Paral. ad Rofin. Antiq. V. 30. Tiraquell. in Alexand. III. 10. Buleng. de Conviv. IV. 15.

TRULLEUM, & *trulleus* eft *vas, in quo manus perluuntur. Varr. de vit. P. R. I. Itaque ea fibi modo ponere,* [illegible] *trulleum, matellionem,* [illegible] *ejus urceolum aquæ manalem vocamus, quod ea aqua in trulleum ef*[illegible] Non. XV. 32. Fiat latius, & capacius quam *trulla.* Varr. de Ling. Lat. IV. 25. *Ab eodem eft appellatum trulleum, fimile enim figura, nifi quod latius concipit aquam, & quod manubrium cavum non eft, nifi vinaria trulla acceffit.* Voff. Lex. Etymol. Popma de Inftrum. fund. c. 19. Buleng. de Conviv. IV. 15.

TUB.

TUBA differt a tibia. V. fupr. in *Tibia.* & a lituo. V. fupr. in *Lituus.* Eam invenerunt Tyrrheni. Clem. Alexand. Strom. I. *Tyrrheni tubam excogitarunt.* Ita quoque Pollux IV. 2. Hefych. in Ἀντισαλπιγκτὲς, Suidas in Κώδων. Unde *tubæ* fonus dicitur *Tyrrhenus clangor* Stat. Theb. III. 650. *Tyrrhenum murmur* Theb. VI. 404. ubi Lactant. *Tyrrhenum murmur tubam fignificat, quam Meleus Tyrrhenorum Imperator primus invenit, a qua opinione nec difcrepat Virgilius, cum dicit* Æneid. VIII. 526.

Tyrrhenufque tubæ mugire per æthera clangor.

Ubi Servius: *Tyrrhenum clangorem dicit ideo, quia apud Thufcos tubam conftat inventam.* Plin. VII. 56. *Æneam tubam Pifeum Tyrrhenum inveniffe putant.* Fabulam prodit Hyginus n. 474. Ejus fex genera facit Euftath. in Iliad. Σ. 219. Et auctor brevium fcoliorum l. l. negat Trojani belli temporibus *tubam* fuiffe inventam: antiquos enim concha marina ceciniffe; Homerum tamen fui feculi more σάλπιγγα nominaffe. *Junius Catal. architect. p. 219. Barthol. de Tib. Vet.* III. 7. *Hugo de Milit. Equeft.* II. 4. *Feith Antiq. Homer.* IV. 13. *Lipf. de Milit. Roman.* IV. 10. *Thyf. Rom. Illuftr.* IV. *p.* 100. In conviviis illa militibus fignum dabatur, quando accumberent, & furgerent. Ælian. Var. Hift. VIII. 7. *In conviviis hifce fignum dabatur tubis: cantabant modulos convocandæ concionis, quando ad menfam eos venire oportebat: id vero quo receptui canitur, quando difcedendum effe fignificabant.* Barthol. ibid. II. 13. In funeribus indictivis, & publicis locum habebat. Perf. Sat. III. 103.

Hinc tuba, candelæ.

Ubi Cornutus: *Quia fepultura tubis apud antiquos celebrabatur.* Virg. Æneid. XI. 192.

It cœlo clamorque virum, clangorque tubarum.

Ubi Servius: *Ante enim mortui ad tubam deducebantur.* Prop. II. 6. 11.

Ah mea cum quales caneret tibi Cynthia fomnos
Tibia, funefta triftior illa tuba.

II. 10. 19.

Nec mea tunc longa fpatietur imagine pompa,
Nec tuba fit fati vana querela mei.

Victor. Var. Lect. IX. 14. Kirchman. de Funer. II. 4. Guther. de Jur. man. I. 22. & 23. Barthol. de Tib. Vet. II. 15. Clifen. Theol. Gentil. I. 10. §. 26. Gyrald. de var. fepel. rit. c. 12. & Faes in illum. Lipf. & Thyf. l. l. Illa ludi committebantur, & finiebantur. Virg. Æneid. V. 113.

At tuba commiffos medio canit aggere ludos.

Stat. Sylv. III. 1. 139.

Jam placidæ dant figna tubæ.

Juven. Sat. VI. 249.

—— digniffima prorfus
Florali matrona tuba.

id eft, digna, quæ commiffione Floralium producatur. Idque in omnibus ludis factitatum, etiam fcenicis. Plin. Epift. II. 7. 2. *Qui nunquam caftra viderunt, nunquam tubarum fonum, nifi in fpectaculis, audierunt.* Juven. Sat. X. 213.

Quid refert magni fedeat qua parte theatri
Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum
Concentus.

Ideo *tuba terminalis* dicitur, quia primitias, & ludicra certaminis finiret, & terminaret. Apul. Met. X. p. 345. *At ubi difcurfus reciproci multimodas ambages tuba terminalis cantus explicuit; aulæo fubducto, & complicitis fiparis Paridis fcena difponitur.* Lipf. Saturn. II. 19. Buleng. de Circo c. 17. Barthol. ibid. III. 7. Cafal. de Urb. ac Imper. Roman. fplend. part. 2. c. 3. & 4. Faber Agonift. III. 16. Thyf. de Gladiat. p. 232. Militibus fignum exeundi, & in hoftem eundi dabatur. Cæf. de Bell. civ. III. 46. *Quod quum animadvertiffet Cæfar, tuba fignum dari, atque in hoftes impetum fieri juffit.* Veget. II. 22. *Tubicen ad bellum vocat milites, & rurfum receptui canit. Ergo quoties ad aliquod opus exituri funt foli milites, tubicines canunt. Sive ergo ad vigilias, vel angarias faciendas, five ad opus aliquod, vel ad decurfionem campi exeunt milites, tubicine vocante operantur, & rurfus tubicine admonente ceffant.* Cæf. de Bell. Gall. VII. 47. *Cæfar receptui cani juffit; legionifque decimæ figna conftitere: at reliquarum milites legionum, non exaudito tubæ fono, tamen a tribunis militum, legatifque retinebantur.* Valtrin. de Re milit. Roman. III. 14. Hugo de Milit. Equeft. V. 4. Lipf. de Milit. Roman. V. 9. Barthol. & Faber l. l. In facris fonabat. Calpurn. Ecl. I. 67.

—— juffitque filentibus armis
Inter facra tubas, non inter bella, fonare.

Unde Suidæ vocatur *tuba facrum inftrumentum,* quia facerdotes ea ufi funt. Varr. de Ling. Lat. IV. 24. *Tubæ a tubeis, quos etiamnum ita appellant tubicines facrorum.* Stuck. de Sacrif. p. 171. Barthol. Lipf. & Thyf. l. l.

Tuba Floralis, qua committebantur ludi Florales, in quibus meretrices nudatis corporibus per varias artes ludendo difcurrebant, & armis certabant gladiatoriis, atque pugnabant. Scholiaft. in Juven. Sat. VI. 249.

Atque omnes implet numeros, digniffima prorfus
Florali matrona tuba.

Faber

Faber Agonist. III. 16. Grang. in Juvenalem.

Tuba-terminalis. V. illam supr. in *Tuba.*

TUBARII vocabantur *tubarum* artifices. Taruntej. Patern. l. 6. ff. de Jur. immunit. *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit: ut sunt tubarii.* Pancirol. de Corpor. Artif. §. 35. Stewech. in Veget. III. 5.

TUBERA sunt veterum luxu nobilitata, nostrisque temporibus non ignota. Græcis ὕδνα vocantur. Sunt globosa quædam, ac tuberosa sua sponte intra terram nata. Plin. XIX. 2. *Tubera hæc vocantur, undique terra circumdata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, neque utique extuberante loco in quo gignuntur, aut rimas agente: neque ipsa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, ut plane nec terram esse possimus dicere, nec aliud quam terræ callum. Siccis hæc fere & sabulosis locis, fruteclosisque nascuntur. Excedunt sæpe magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere.* Proveniunt verno tempore, præsertim si frequentius cœlum tonuerit. Juven. Sat. V. 116.

> —— *post hunc tradentur tubera, si ver*
> *Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas*
> *Majores.*

Autumno maxime nasci tradit Plin. XIX. 3. *Cum fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tunc nasci & maxime e tonitribus: tenerrima autem verno esse.* Post boletos palmam veteres illis dabant. Mart. XIII. 50.

> *Rumpimus altricem tenero de cortice terram*
> *Tubera, boletis poma secunda sumus.*

Nonn. de Re cibar. I. 27. Willich. de Art. magir. c. 16. Humelberg. in Apic. I. 25. Britannic. in Juvenalem.

TUBILUSTRIUM dicebatur festum, mense Aprili, ultimo quinquatriorum die celebratum. Illo non ipsa Urbs *tubis* lustrabatur, ut aliqui colligunt ex male lectis versibus Ovid. Fast. III. 849.

> *Summa dies de quinque tuba lustrare canorâ*
> *Admonet.*

Urbe enim feralibus circa finem Februarii lustrata, vero simile non est, tales ceremonias Aprili mense repetitas esse. Verum ipsæ *tubæ sacrorum in atrio sutorio lustrabantur.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. Agna hanc lustrationem factam fuisse colligitur ex radentibus Festi: *Tubilustria, quibus diebus adscriptum in fastis est, cum in atrio sutorio tubæ agna lustrantur, ab eis tubos appellant, quod genus lustrationis ex Arcadia Pallanteo translatum esse dicunt.* Qui lustrationes peragebant, *tubicines* dicebantur. Festus: *Tubicines etiam ii appellantur, qui sacerdotes, viri speciosi, publice sacra faciunt tubarum lustrandarum gratia.* Idem fiebat Vulcanalibus, qui dies X. Kal. Junias. Ovid. Fast. V. 725.

> *Proxima Vulcani lux est; Tubilustria dicunt:*
> *Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.*

Apud Ovidium rectius legeris, *tubas canoras.* Quæ religio injecta videtur, quod in funeribus efferendis etiam *tubæ* usus fuerit. *Lomej. de Lustrat. c.* 28. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 496. *G. Laz. Comm. Reip. Rom.* XI. I. & 3. *Stuck. de Sacrif. p.* 171. *Ferret. Mus. Lapid.* V. *memor.* 23. *Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 404. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 986. *B. Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 17. *Augustin. Scalig. & Dacer. in Festum. Guther. de Jur. man.* II. 7.

TUC.

TUCETUM micæ sunt carnium cum arvina, minutimque insecta ilia, idem cum isicio. Pers. Sat. II. 42.

> *Esto, age: sed grandes patinæ, tucetaque crassa...*

Arnob. II. p. 73. *Glaciali conditione tuceta. Tucetorum* fama nobilis est inter Transalpinas gentes, & prima palma Bononiensibus datur. Cornut. in Persium: *Tuceta apud Gallos Cisalpinos,* qui Transalpini nobis sunt, *bubula dicitur caro, condimentis quibusdam crassis oblita, ac macerata, & ideo toto anno durat.* Junius Nomencl. c. 11. Veteres grammatici aliter videntur de hac voce sentire. *Tucetum* enim ζωμὸν παχὺν vertunt, id est, jus crassum, quorum opinioni Persius videtur favere. Et quæ ad illum Scholiastes quid cum isiciis? Lector dispiciat. Longe aliter etiam sentit Fulgent. de prisc. serm. n. 41. *Tuceta,* inquit, *dicuntur escæ regiæ.* Callimorphus Pisæus:

> —— *Ambrosio redolent tuceta sapore.*

Nonn. de Re Cibar. II. 14. Buleng. de Conviv. II. 4. Casaub. in Persium.

TUD.

TUDER, quod & *Tudertum,* vulgo *Todi,* est urbs Umbriæ, & colonia Romanorum, *Tuder fida* nuncupata, & deducta a triumviris. De ea Frontin. de Coloniis hæc: *Colonia fida Tuder, ea lege, qua & ager Florentinus.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 765. D. Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 4. Cluver. Ital. Ant. II. 8. 15.

TUDITES sunt *mallei a tundendo dicti: inde & cuidam cognomen Tuditano fuit, quod malleo simile caput habuerit.* Festus. *Alex. Gen. dier.* I. 9. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 650. *D. Voss. Lex. Etymol.*

TUG.

TUGURIUM Faustuli. V. illud supr. in *Casa Romuli.*

TUL.

TULLIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

Tullia lex. V. illam supr. in *Lex.*

TULLIANUM pars fuit carceris inferior. V. illam supr. in *Robur.* Varro *Latomias* appellat. V. illum supr. in *Latomiæ.* In actis D. Petri *Carcer Mamertini* appellatur. Hinc acris inter Antiquarios orta controversia est, utrum *Tullianum* ille ipse carcer sit, an vero alter ad aream Montenariam, ubi ædes D. Nicolai in carcere est. Blondus, Volaterranus, Fulvius, Marlianus, Faunus, Panvinius, aliique, absque ulla hæsitatione carcerem affirmant *Tullianum,* a Servio Tullio auctore sic appellatum, tametsi eum Victor a Tullo Hostilio ædificatum scribit, eundem esse, qui in actis martyrum *Carcer Mamertini* vocatur sub Capitolio situs: quam sententiam Hugonius de Stationibus urbis Romæ, & eo recentior Donatus defendunt. Illorum opinio validissimo hoc argumento nititur, esse *ædem S. Petri in carcere* in foro vetere, ubi & Tullianum olim fuit, pars carceris ab Anco Martio primum constructi. De Anco Liv. I. 33. *Carcer ad terrorem excrescentis audaciæ, media Urbe, imminens foro, ædificatur.* De eo Varr. IV. 32. & Liv. XXXII. 26. laudati supr. in *Latomiæ.* Quarum hac nostra memoria vestigia se agnovisse scribit Donatus ibidem laudatus. Tum descriptio, quæ apud Sallustium laudatum supr. in *Robur* hujus carceris extat, exacte hunc nostrum ad ima Capitolii carcerem nobis ante oculos ponit. Tandem Victor hac in regione consona Livio & Varroni dicit: *Carcer imminens foro a Tullo Hostilio ædificatus media Urbe.* Quæ verba, si errorem in Tullo pro Anco Martio posito exceperis, in alterum carcerem, qui non modo in foro non fuit, sed ne in regione quidem fori, minime quadrant, nisi omnino quis vim iis adhibere, atque illa distorquere voluerit. Nihilominus quidam non magni nominis, & auctoritatis contrarium statuit. Et illum Baron. ad Martyrol. a. d. XIV. Martii, & in Apologia contra Hugonium multis adductis defendit. Respondet ad hæc Baronius: ac primum, quod *foro imminere* dictus sit, id carceri S. Nicolai convenire ait, quo prope forum vetus Romanum fuerit, ut præsupponit: tum templum vetus Saturni in foro collocat, ubi ædes est S. Salvatoris in ærario, prope clivum Capitolinum, quem incepisse illic asserit, & assurrexisse

rexiſſe aliquantum verſus eccleſiam conſolationis, atque inde ſequi, cum Livius carcerem ab Anco *media Urbe* ædificatum dicat; Varro ab Tullio auctum, mediam civitatem dictam non ratione mœnium Urbis, ab altera parte vicinissimorum, ab altera rurſus tam a foro, quam a Capitolio disjunctiſſimorum; verum ratione milliarii aurei, in quo viæ omnes deſinebant: quare & umbilicum Urbis illud appellarunt, quod in foro poſitum, ad templum Saturni, id eſt, prope ædem S. Salvatoris in ærario, non longe ab æde S. Nicolai in carcere aberat. Salluſtii verba dicit æque cum illo conciliari poſſe, qui prius in æde S. Nicolai fuit, quam cum altero, qui etiamnum exiſtit ſub æde S. Joſephi; quod velut unius uſus ædificii eam quoque, eandemque habere faciem potuerunt. Hæc tamen facillime confutantur. Forum longiſſimo intervallo ab æde S. Nicolai in carcere fuit ſejunctum. Hoc in initio hujus regionis & ego, & Donatus uberrime probavimus. Verum, quod magis urget, Victor, & Rufus carcerem concordi ſententia regioni octavæ adſcribentes, alium intelligunt carcerem, quam illum S. Nicolai, qui teſte Plinio ad theatrum Marcelli pertinens, una cum theatro non octavæ regionis fuit, ſed nonæ extra portam Carmentalem, id eſt, extra Urbem, non autem media Urbe ut Donatus etiam obſervat. Quare Salluſtii deſcriptio optime cum S. Petri in carcere foro veteri imminente congruens, ut ipſis quaſi oculis intuo capi ejus rei poteſt, non poteſt non optime aſſertioni noſtræ convenire. Adde, quod carcer reis deſtinatus, carnifici ad mortis ſupplicium jam addictis, *Tullianum* fuit: ut eſt apud Serv. Æneid. VI. 573. *Nam poſt habitam quæſtionem in Tullianum ad ultimum ſupplicium mittebantur.* Sic ut D. Petrus nec ulli damnatus non alii carceri incluſus fuerit, quam *Tulliano*: unde qui jam intus capite plexi erant, a carnifice unco in Scalas Gemonias extrahi ſolebant, atque inde lacerati per forum in Tiberim abjici. Hinc igitur infertur, forum inter carcerem *Tullianum* fuiſſe, & Tiberim, nec remotius a carcere, quam a Tiberi, quod contra factum foret, ſi carcer hic ad ædem S. Nicolai fuiſſet. Carcer S. Petri Mamertini dictus eſt, ſive ab aliquo e familia Mamertina, qui eum vel reſtituit, vel amplivavit; vel a vico Mamertino, quem nunc clivum Marforii appellari conjicimus; ſive a foro Martis, quod ei adverſum fuit. Pons lapideus fuit in ejus introitu, ſiquidem Paterc. II. 7. 2. filium Fulvii, cum illuc captivus duceretur, expiraſſe refert, *illiſo capite in pontem lapideum januæ carceris.* Ubi eum de *Tulliano* potius, quam de alio aliquo carcere loqui veroſimile eſt. Ad latus fuere ſcalæ, in quas a carnifice corpora defunctorum unco trahi, nudaque projici ſolita fuere. Dio LVIII. p. 624. C. laudatus ſupr. in *Gemoniæ*. Hæ fuere ſcalæ Gemoniæ. Val. Max. VI. 9. *Corpus ejus funeſti carnificis manu laceratum in Scalis Gemoniis jacens magno cum horrore totius fori Romani conſpectum eſt.* Quod ſi namque Scalæ Gemoniæ, ut plerique omnes ſtatuerunt, in Aventino exſtitere, etiamſi a foro in eum montem recta via aliqua duxiſſet, nemo tamen tam lynceis oculis fuiſſet, qui illic cadaver aliquod projectum diſcernere, & ad ejus conſpectum turbari potuiſſet. Sed & Suet. Tib. c. 75. n. 3. foro eas conjungere videtur. *Hos implorantes hominum fidem cuſtodes, ne quid adverſum conſtitutum facerent, ſtrangulaverunt, abjeceruntque in Gemonias.* Frontiſpicium carceris non e directo foro objectum fuit, ſed flexu nonnullo in ſiniſtram vergente, juxta viam, cui nunc clivo Marforii nomen, ſed quæ olim Mamertina appellata fuit. Id ex ejus, quod ſupereſt hodieque, reſiduo patet. Scalæ Gemoniæ, quas illi ad latus fuiſſe neceſſe eſt, indicium faciunt, carceris januam non in plano fuiſſe, & in fronte, verum in latere adſtructam verſus Capitolium, nonnihil altius, ubi nempe collis a ſubſtructionibus reddebatur anguſtior, habuiſſe aliquid prærupti; ita ut ab illa parte per pontem adiri debuerit, ad quem per Scalas forte Gemonias aſcendebatur: atque inde iterum ſurſum per gradus in clivum alium, qui ad ſubſtructiones ducebat, poſt carcerem incipiens, & non longe a janua, ubi nunc clivus eſt Marforii, altius aſſurgens. *Nardin. Rom. Vet.* V. 12. Vide etiam de *Tulliano* diſceptantes *Baron. Martyrol. ad diem prid. Idus Mart. Rycq. de Capitol. c.* 45. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 30. §. 9.

TULLUS. Hoc prænomine uſus eſt Romanus Rex Hoſtilius, & *Tullus* Cœlius legatus Romanus Vejis interfectus. Ab eo *Tullium* nomen fluxiſſe opinor, quod prænomen poſterioribus temporibus Volcatiorum cognomen fuit. L. enim Volcatii *Tulli*, tempore Ciceronis conſulis, mentio in Faſtis eſt. *Panvin. de Nomin. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2033. *C. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 986. *D.*

Tullus Hoſtilius tertius Romanorum Rex *his ortus eſt natalibus. Vir nobilis, ac fortis Hoſtilius, ex urbe Medullia quum Romam regnante Romulo commigraſſet, Herſiliæ filiam ſibi deſpondit: qui quum bello Sabino cecidiſſet, filium reliquit, ex quo Tullus Hoſtilius Rex natus eſt.* Dionyſ. III. p. 136. Sed Liv. I. 22. *Tullum Regem* vocat nepotem Hoſtilii, *cujus in infima arce clara pugna adverſus Sabinos fuerat.* Plin. XVI. 4. *Romulus frondea coronavit Hoſtum Hoſtilium, quod Fidenam primus irrupiſſet. Avus hic Tulli Hoſtilii Regis fuit.* Panvin. Faſtor. I. p. 50. Poſt mortem Numæ, quum ad interregnum ventum eſſet, factum eſt Sctum, in quo approbante plebe, auctoribus patribus, Rex creatus eſt an. 83. Sellam curulem, lictores, togamque pictam inveniſſe dicitur, Albam diruit, Albanoſque omnes in Urbem recepit, plebem quidem civitate donavit, primores Albanorum in patres legit, Cœlium montem Urbi adjecit. Liv. I. 30. *Roma interim creſcit Albæ ruinis: duplicatur civium numerus. Cœlius additur Urbi mons: &, quo frequentius habitaretur, eam ſedem Tullus regiæ capit, ibique deinde habitavit. Principes Albanorum in patres, ut ea quoque pars Reipublicæ creſceret, legit Julios, Servilios, Quintios, Geganios, Curiatios, Clœlios: templumque ordini ab ſe aucto curiam fecit, quæ Hoſtilia uſque ad patrum noſtrorum ætatem appellata eſt.* Panvin. l. l. de Civit. Rom. c. 46. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 7. B. . . . Annos XXXII. regnaſſe omnes ſcriptores tradunt. Demum cum regia, uxore, & filiis, omnique familia ictus fulmine conflagravit, ut prodit Piſo in Annalibus apud Plin. II. 53: XXVIII. 2. quamvis alii eum Anci Marcii, qui poſt ipſum regnavit, inſidiis extinctum ſcribant. *Panvin. l. l. Ferret. Muſ. Lapid.* II. *memor.* 54. *Lomej. de Luſtr.* *c.* 10.

TUM.

TUMULTUS bello tantum Gallico, aut Italico indictus eſt; multoque gravius, quam bellum fuit. Cicer. Phil. VIII. 1. *Poteſt eſſe bellum ſine tumultu: tumultus eſſe ſine bello non poteſt; quid enim eſt aliud tumultus, niſi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? unde etiam nomen ductum eſt tumultus. Itaque majores noſtri tumultum Italicum, quod erat domeſticus: tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant. Gravius autem tumultum eſſe, quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent.* Indicebatur ſenatus auctoritate, a dictatore. Quare bellum civile Cæſaris Dio a ſenatu *tumultum* eſſe decretum narrat, & alibi ſæpe ſenatus decreto *tumultum* legimus indictum. Ejus tempore Reſpublica conſulibus demandata, ut viderent, ne quid detrimenti caperet. Senatores, ac cæteri magiſtratus latum clavum, & prætextam deponebant, atque cum reliquis civibus ſaga ſumebant: vacationes tollebantur, juſtitioque indicto, tota Urbe, publice, privatimque aliud niſi bellum, agi vetabatur. Cicer. Phil. V. 12. *Rem adminiſtrandam arbitror ſine ulla mora, & confeſtim gerendam: tumultum decerni, juſtitium indici, ſaga dico ſumi oportere, delectum haberi, ſublatis vacationibus in Urbe, & in Italia, præterea Gallia tota.* Liv. III. 27. *Dictator cum magiſtro equitum in concionem venit, juſtitium edicit, claudi tabernas tota Urbe jubet, vetat quemquam quicquam privatæ rei agere.* IV. 26. *Simul edicitur & juſtitium: neque aliud tota Urbe agi, quam bellum apparari: cognitio vacantium*

militiæ

militiæ munere poſt bellum differtur. Servius. V. illum ſupr. in *Conjuratio.* Valtrin. de Re milit. Rom. II. 2. Briſſon. de Form. IV. p. 341. II. p. 258. Stewech. in Veget. I. 6. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 582. Carol. Antiq. Roman. III. 3. Blond. Triumph. Rom. VII. p. 145. D.

TUMULUS vocatur agger. *Tumuli*, vel aggeres in Nilo ſunt, quæ Græcis χώματα vocantur, quæ ad emittendas aquas, aut avertendas fiebant. Diodor. I. p. 11 D. *Fluvium utrinque tumulis, χώμασιν, excepit, ne exundationis tempore, plus quam expediat, ſtagnet.* Gloſſæ: χῶμα, *tumulus, agger.* Unde titulus Codicis *de aggeribus Nili non rumpendis.* Salmaſ. Plin. Exerc. p. 306. b. C. Nicol. de Luct. Græc. c. 15.

Tumulus eſt tumor terræ, & ejus aggeſtæ collectio. Terrarum tumores ſunt in agrimenſoriæ auctoribus pro terminis, quos & Butuntinos appellabant, quia apud Butuntos hujuſmodi terræ *tumuli*, ſive tumores pro terminis haberentur. *Salmaſ. Exerc. Plin. p. 62. a. E. Nicol. de Luct. Græc. c. 15.*

Tumulus vocatur etiam ſepulcrum, ſive ſcrobs, in quam cadaver ponitur, & aggeſta deſuper humo tumulatur. Ovid. Faſt. II. 555.

Poſt ea præteriti tumulis redduntur honores.

Cicer. de Nat. deor. III. 27. ex Homero:

Quo magis eſt æquum tumulis mandare peremptos.

De Mauſoleo ab Artemiſia extructo Valer. Max. IV. 6. *Quid de illo inclyto tumulo loquare?* Kirchman. de Funer. III. 10. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 858. a. E. Ferret. Muſ. Lapid. I. mem. 43. Nicol. de Luct. Græc. c. 15. Gyrald. de Var. ſepel. rit. c. 9. & Faes ad illum.

Tumulus honorarius. V. illum ſupr. in *Cenotaphium.*

TUN.

TUNICA Græcis χιτὼν, proprie dicta eſt veſtis interior, quæ, quia togæ plures faciunt ſuppoſitæ, togam proxime attingebat. *Sigon. de Judic. III. 19. Bud. in Pandect. p. 54. D. Ferrar. de Re veſt. I. 3. 1. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 8. Laurent. de Re veſt. c. 1. lit. T.* Quomodo differat ab interula V. ſupr. in *Interula.* Veteres Romani habuerunt togam ſine *tunica.* Gell. VII. 12. *Viri Romani primo quidem ſine tunicis toga ſola amicti fuerunt.* Aſcon. in Cicer. p. 178. *Cato prætor judicium, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus. In forum quoque ſic deſcendebat, juſque dicebat: idque repererat ex vetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli ætatis ſtatuæ in Capitolio, & in roſtris Camilli fuerunt togatæ ſine tunicis.* Subjungit Gellius: *Q. quoque Ennius Carthaginienſium tunicatam juventutem non videtur ſine probro dixiſſe.* Quibus verbis inuſitatas fuiſſe *tunicas* Ennii ætate, id eſt, inter ſecundam & tertium Punicum bellum ſatis conſtat. Cœpere tamen paullo poſt, *ſed breves, & citra humeros deſinentes.* Itaque *Africanus minor P. Sulpicio Gallo, homini delicato probro dedit*, non quod *tunica* uteretur, ſed *quod manus totas operiente.* Hoc etiam colligimus ex Liv. III. 26. ubi ait, Cincinnatum, cum ei ſenatus dictaturam, aranti, aut fodienti detuliſſet, togam e tugurio, ne nudus, & reſperſus pulvere mandata ſenatus audiret, proferri juſſiſſe; eaque ſimul abſterſo pulvere, ac ſudore velatum proceſſiſſe. *Tunicæ* mentionem nullam facit: qua pulverem & ſudorem abſtergi decuit potius, quam toga. *Manut. Quæſ. Epiſt. III. 1. & 2. Hotman. Antiq. Roman. II. 17. Laurent. l. l.* Uſque ad Ennii ætatem, vel ultra ignotum *tunicarum* uſum nullus nobis perſuadebit. Nam Saliis *tunicam* dedit Numa apud Livium laudatum in *Saliis.* Et *lato clavo primo uſum Tullum Regem devictis Etruſcis ſcribit* Plin. IX. 39. Atqui latum clavum fuiſſe *tunicam* fatetur Manutius, & ea reliquos Reges deinceps uſos non it inficias. Imo non ultra Romuli ætatem ignotus videtur. Nam Plin. XXXIV. 6. *Ex his Romuli ſtatua eſt ſine tunica in Capitolio, ſicut Camilli in Roſtris.* Unius ergo Romuli ſtatua ſine *tunica.* In Camillo fuit aliquid peculiare: ſive ipſe ſolus ætate ſua antiqui cultus imitator ſine *tunica* inceſſit, quemadmodum poſt Cato fecit: ſive eodem habitu ſtatuam illi quirites poſuerunt, quo Romulo locaverant, tanquam alteri Urbis parenti, & conditori. Ennius *tunicatam* Carthaginenſium juventutem probri cauſa dixit, non quod tunc inuſitatæ Romanis *tunica*; ſed quod ſolis *tunicis* induti incederent Pœni nullo pallio, aut alia exteriori veſte. Cincinnatum *tunicatum* fuiſſe credibile eſt in opere ruſtico, nec diverſum tradit Livius, & facilius illi fuit toga laxo, & fluido veſtimento ſudorem, ac pulverem abſtergere, quam *tunica* preſſa, corporique adſtricta. Et ut nudus fuerit in agro colendo, non tamen inde colligas, reliquos etiam urbanos ſine *tunica* fuiſſe. *Ferrar. de Re veſt.* III. 1. 1. Unam gerebant, non duas. Cur ergo Plaut. Aul. IV. 4. 20. dixit: *ne inter tunicas habeas*, & non *inter tunicam.* An numerum multitudinis uſurpavit pro ſingulari, Græcorum more, ut τόξα pro τόξον. An referendum ad Euclionis perſonam, qui non putat unam *tunicam* ſervum habere, ſed plures, ut n. 13. non duas minus tantum, ſed plures in eo quærebat? *Lambin. in Plautum.* Fruſtra. Antiquis temporibus tantum unica ſub toga induebantur, poſtea tamen duæ, pluresve in uſu fuerunt. V. ſupr. in *Induſium.* Et de Auguſto Suet. c. 82. n. 1. *Hyeme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubucula, & thorace laneo muniebatur.* Et alter ſervus apud Plaut. Amphitr. I. 1. 212. ait:

Imo equidem tunicis conſutis huc advenio.

Ferrar. l. l. Conficiebatur ex lana. Hoc apparet, quod nusquam veſtes niſi a pretio lanæ, aut a colore ſcriptoribus commendantur. V. ſupr. in *Toga.* Illarum color fuit purpureus. Cicer. pro Sext. c. 8. Piſonem conſulem perſtringit, & ejus habitum denotat: *Veſtitus*, inquit, *aſpere noſtra hac purpura plebeja, ac pœne fuſca.* Hujus, ut omittantur dubiæ fortaſſe fidei teſtimonia, ſatis aperta fit ſignificatio in verſu Ovid. Triſt. IV. 10. 29. quem laudamus ſupr. in *Clavus latus.* Manut. Quæſ. per Epiſt. III. 2. Viro docto credam ego? non ſi credendi auctor mihi Phœbus ipſe. Imo fuit albus. Vopiſc. Aurelian. c. 48. *Sciendum eſt donaſſe illum populo tunicas albas.* Juven. Sat. III. 179.

Sufficiunt tunicæ ſummis ædilibus albæ.

Et argumento ſatis claro ex Cicerone, qui Verri objicit IV. 24. *quod in officina ſedere ſolitus ſit cum pallio, & tunica pulla.* Lipſ. Elect. I. 13. Caſal. & Laurent. l. l. Parum juvat, quod ex Vopiſco adfert Lipſius. Nam contra ſi omnes tunc albæ *tunicæ* fuerunt, ſatis fuiſſet dicere, *donaſſe eum tunicas.* Et hinc videtur poſſe colligi, non fuiſſe tunc vulgares *tunicas* albi coloris. Quod verum eſt, nam tempore Aureliani peregrini veſtitus donabantur populo, ut Caracallæ, Dalmaticæ, birri Atrebatici, atque ita & *tunicæ* manicatæ albæ, cum vulgares ſine manicis eſſent. Et quod ex Juvenale, infirmum eſt. Loquitur de vita ruſtica, quæ in pagis, & oppidis agebatur, ubi ait togas non fuiſſe in uſu, atque ita ædiles ſatis habuiſſe, ſi in *tunicis* albis conſpicerentur, quod indicare videtur reliquis albas *tunicas* non fuiſſe, ſi id tantum ædilium geſtamen fuit. Falſum tamen eſt, nam omnes in *tunicis* albis. Juven. n. 177.

Æquales habitus illic, ſimilemque videbit
Orcheſtram.

Sed ædilium *tunicæ* vel candidæ fuere, ut de toga petitorum diximus, vel, quod verius, recens lotæ. Illud vero ſatis firmum eſt, quod ex Cicerone attulit, argumentum. Manutius eſt inductus verbis Cicer. pro Sext. c. 8. qui Piſonem conſulem perſtringens, ejus habitum denotat: *Veſtitus*, inquit, *aſpere noſtra hac purpura plebeja, ac pæne fuſca.* Dubitat Manutius, utrum de toga loquatur Cicero, an de *tunica*, eoque flectit, ut exiſtimet de *tunica* ſermonem habere. Quoniam ait, *purpura noſtra*, id enim ad prætextam referri non poſſe, quia tunc Cicero in magiſtratu non erat, & propterea minime prætextatus, cum

præterea prætexta non eſſet tota purpurea. Itaque ad *tunicam* laticlaviam referendum, quam hinc totam purpuream eſſe credit, quaque Cicero ut ſenator indutus erat. Hæc ratio quam nullius momenti ſit, inde apparet, quod ſi *tunica* tota purpurea fuit, cur clavi ex purpura inditi, ut ab reliquis ordinibus ſenatum diſtinguerent? Quomodo extra reliquam purpuram ea ſigna eminebant? Non de alia igitur purpura Cicero capiendus eſt, quam quæ prætextæ in extrema ora, *tunicæque* ſenatorum, & equitum, ad pectus per clavos latiores, & anguſtiores indicatur. *Plebejam* Cicero, ac *pæne fuſcam* appellat, quod ea ipſe cum vulgo ſenatorum, & equitum utebatur, cujus libra centum denariis veniebat, cum Tyria non niſi a potentioribus, ac delicatioribus emeretur, & quidem vix mille denariis. Plutarchus tradit, Catonem purpura fuſca uſum, cum videret ſaturo rubore ardentem tunc eſſe in pretio. Etſi igitur Cicero non eſſet prætextatus, purpuram tamen in clavis tunicæ ſenatoriæ geſtabat; ſed communem, & minime pretioſam, quam ideo *plebejam* vocat, ac *pæne fuſcam*. Atque ita *purpuram* ſimpliciter appellavit, quæ in prætexta, & lato clavo Piſonis erat. Similiter purpuram pro prætexta dixit Juven. Sat. XI. 154.

Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris,
Quales eſſe decet, quos ardens purpura veſtit.

id eſt, prætexta. Alter Ciceronis locus eſt pro Clu. c. 40. quo Abrahamus Manutio aſſentiens etiam permotus eſt in Milon. §. 43. n. 5. Sed V. illum ſupr. in *Prætexta*. Ferrar. ibid. c. 16. Qui de Naſonis loco prorſus ſilet. Addamus igitur, hinc non magis probari, tunicam laticlaviam omnino purpuream fuiſſe, quam evinci poſſe, togam puerilem ejusdem quoque coloris fuiſſe, ex eo quod ſæpe hæc poetis purpura dicitur. Manut. ibid. c. 1. ipſe cum aliis ceuſet, togam hanc, prætextam paſſim dictam, nihil purpureum habuiſſe præter limbum. V. illum auctorum loca, ut hoc probet, adferentem, & objectionem ex Statii teſtimonio huic Ovidiano perſimili petitam ſolventem ſupr. in *Prætexta*. Idem de Juvenale Perſioque dicendum, qui purpuram pro prætexta uſurparunt. Ille modo laudatus, hic Sat. v. 30.

Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit.

Igitur cum purpura ſimpliciter vocetur toga prætexta, quæ in extrema tantum ora purpuram prætextam, ſive circumtextam haberet; quidni potuerit purpura quoque dici *tunica*, quæ in clavo, tam lato, quam anguſto purpuram geſtabat? *Maſſon. Ovid. vit. p.* 33. Horum opiniones facile in concordiam redigi poſſunt. Albæ enim erant, ſed purpureis ſignis diſtinctæ; ſenatorum lato clavo, equitum, & plebejorum anguſtis clavis. Plin. IX. 36. de purpura: *Diſtinguit ab equite curiam, diis advocatur placandis, omnemque veſtem illuminat.* Sed non ſemper plane albæ erant; invenio enim & melini coloris aliquas fuiſſe. Photius in Excerptis de vita Iſidori de Juſtitia, quam ſenatoria *tunica* induit: *In lecto jacenti ſubito Juſtitiam ei videre contigit illuſtrem virginem, & formoſam, indutam colobio, tunica melini coloris recinctam, purpureis latis clavis ornatam.* Ruben. de Re veſt. I. 8. De plebejis refutavimus ſupr. in *Clavus anguſtus*. Neque Rubenium adjuvat Plinius. Non enim purpura ſimpliciter diſtinguit ab equite ſenatum, ſed latior: & ſi anguſta communis etiam fuiſſet plebeja, ſatis erat dicere, *diſtinguit ab equite, & plebe curiam, vel a reliquis ordinibus.* Sed ab equite tantum, quia horum purpura anguſtior, ſenatorum lata. *Omnem veſtem illuminat*, ſcilicet, cui addebatur, ut ſenatoriæ, & equeſtri *tunicæ*, prætextæ, palmatis, & pictis: non quod omnes omnino veſtes purpura diſtinguerentur, etiam cerdonum, & mancipiorum. Photius quidem Juſtitiam producit melini coloris *tunica* indutam. Sed nos de Romana *tunica*, & quidem virili, quærebamus. *Ferrar. Anal. de Re veſt. c.* 12. *Laurent. l. l.* Menſura vulgo erat, ut paullo infra genua caderet. Quintil. XI. 3. V. illum ſupr. in *Clavi*. Qui ergo in longis, ac demiſſis *tunicis* ſolebant, ii tanquam molles male audiebant. Horat. Sat. I. 2. 25.

Malthinus tunicis demiſſis ambulat: eſt qui
Inguen ad obſcœnum ſubductis uſque facetus.

Juven. Sat. VI. 446.

Crure tenus medio tunicas ſuccingere diſcat.

Cicer. Catil. II. 10. *Quos videtis manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* Auguſt. de Doctr. Chriſt. III. *Talares, ac manicatas tunicas habere olim apud Romanos flagitium.* Puerorum meritoriorum fuiſſe docet Plaut. Pœn. V. 5. 19.

Cuis hic homo eſt cum tunicis longis, quaſi puer cauponius?

24.

Sane genus hoc mulieroſum eſt tunicis demiſſitiis.

Ferrar. de Re Veſt. III. 6. Manut. & Sigon. l. l. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 9. Elegantiæ tamen, cultusque ſtudioſi tales gerebant. Prop. IV. 2. 38.

Mundus demiſſis inſtitor in tunicis.

Turneb. Adv. XI. 23. Cujus hic eſt ſenſus: Si velim ex piſcatore fieri inſtitor, mutandum mihi ſchema, & altius ſubductæ, ſordentesque *tunicæ*, quales ſunt piſcatorum, more reliquorum demittendæ, & quidem mundæ. Piſcatoribus enim, qui ſæpe ſe in aquam demittebant, ſuccinctæ altius, & ad inguen ſubductæ tunicæ, ne fluctibus madeſcerent; quare Vertumnus ait, ſi ex piſcatore inſtitor fieri velim, patiar *tunicas* more aliorum cadere dempto ſqualore. Nec demiſſæ hic, valet talares, ſed longiores, quam ut a piſcatoribus ferrentur. *Ferrar. l. l.* Aliæ manicatæ, ſive manuleatæ fuere, quas Græci χειριδωτὰς vocant, quod χειρίδας, ſive manicas haberent. Tales erant muliebres, & apud barbaros pleroſque etiam viriles, ut apud Pœnos. Aliæ ſine manicis, quales Romanorum, Græcorumque. Has Græci κολόβια, & κολοβίωνας appellant, quaſi dixeris truncas, & mutilas *tunicas*; non quod manicis prorſus carerent, ſed quod ita breves haberent, ut vix ad ima cubiti pervenirent: hujuſmodi enim manicas habuiſſe monachos teſtis eſt Caſſianus ſupr. in *Colobium* laudatus. Tales videre eſt in antiquis ſtatuis *tunicatis*. At manuleatarum manicæ uſque ad καρπὸν manus pertinebant; unde & καρπωτοὶ dicebantur. Quæ manicas habebant, eæ etiam ut plurimum talares erant. *Salmaſ. ad Pall. Tertull. p.* 99. *Capitol. Pertin. c.* 8. *Ferrar. Anal. de Re veſt. c.* 25. Hæ olim infames erant. Gell. VII. 12. *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia, & uſque in primores manus, ac prope in digitos Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. Hac antiquitate inductus P. Africanus P. Sulpitio Gallo homini delicato inter pleraque alia, quæ objectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus. Verba Ciceronis ſunt: Qui in conviviis cum chiridota tunica accubuerit, eum ne quiſquam dubitet quin fecerit, quod cinædi ſolent. Virgilius quoque tunicas hujuſmodi, quaſi femineas, ac probroſas, criminatur Æneid.* IX. 616. ſupr. in *Mitra*. Ad Virgilium Servius: *Tunicæ veſtræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat, dicens manicatis, ac talaribus tunicis.* V. etiam Ciceronem, & Auguſtinum modo laudatos. *Ferrar. de Re veſt.* I. 3. 8. *Fab. Semeſtr.* I. 15. *Briſſon. de Regn. Perſ.* I. *p.* 39. *Tiraquel. in Leg. Connub.* III. I. 3. §. 27. *Laurent. de Re veſt. c.* 2. *Kipping. Ant. Rom.* IV. 5. 10. *Manut. & Sigon. l. l.* Deinde labente jam imperio, ſub Gallieno credo, aut circiter, etiam chirodotæ, & talares tunicæ a Romanis portari cœperunt; ita ut poſtea indecoræ viſæ ſint ſine manicis. Auguſt. de Doctr. Chriſt. III. *Nunc honeſto loco natis, cum tunicati ſunt, non eas habere flagitium eſt.* Hinc ignominiæ cauſa reis *tunicas* ſine manicis induebant. Paul. Diacon. Hiſt. Miſc. XXII. *Et indutum hunc laneo, brevi, ac ſine manicis veſtimento, ſedere fecerunt ſuper aſinum ſagma ferentem.* Et ſæpius occurrit in ſcriptoribus ævi illius. *Ruben. ibid.* I. 12. Cingebatur ab omnibus, præterquam a ſenatoribus & laticlaviis. Nam ii, quibus jus lati clavi erat, non cingebantur. Quintil. XI. 3. V. illum ſupr. in *Clavi*, & *Cinctura*. Ita centurionum, & militum omnium *tunicæ* breviores, & infra genua ſubductæ. Horat. Sat. I. 5. 5.

Hoc

Hoc iter ignavi diviſimus, altius ac nos
Præcinctis, unum.

id eſt, fortioribus, & expeditioribus. II. 8. 10. V. illum ſupr. in *Gauſape.* Contra diſcincti pro imbellibus, & effeminatis. V. ſupr. in *Diſcincti.* Ferrar. ibid. I. I. 13: 3. 7. & II. 2. 7. Anal. c. 8. Salmaſ. ad Tertull. pall. p. 412. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 9. Ejus ornamenta præcipua fuerunt I. clavi purpurei. V. illos ſupr. in *Clavi.* Et ab illis *tunicæ* dictæ ſunt anguſticlaviæ, & laticlaviæ. V. illas ſupr. in *Clavus anguſtus*, & *latus.* Quæ clavis carebant, *aſemæ* appellatæ. Σημεῖον, clavus veſtis: σημειωταὶ, veſtes clavatæ, aſemæ i. e. clavo, quæ carent purpura, clavumque nullum habent. Pollux IV. 10. χιτὼν ἄσημος. Lamprid. Alex. Sev. c. 33. *Severi tunicas aſemas ad uſum revocavit ſuum.* Caſaub. & Salmaſ. in Lampridium. Vocantur aſemæ, non quod omnino clavis carerent, ſed quod exigua admodum purpuræ ſigna haberent. Spartian. Sever. c. 19. *Hic tam exiguis veſtibus uſus eſt, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet.* Ferrar. ibid. I. 3. 15. II. fimbriæ, quæ nihil aliud quam ornamenta *tunicæ* tranuleatæ. V. illas ſupr. in *Fimbriæ.* Fuit veſtimentum & virile, & muliebre: quanquam virile tantum faciat Heſychius: χιτὼν, ἐσθὴς, θώραξ, ἱμάτιον ἀνδρικόν. Proprie tamen virorum fuit, ſtola feminarum, quo fortaſſe reſpexit Heſychius. *Ferrar. ibid.* I. 3. 1. Et ubique terrarum *tunicas* geſtabant tam viri, quam feminæ: ſed ſequioris ſexus longæ, ac talares erant, ut Romanarum ſtolæ, virorum ad medium fere crus pertinebant. *Ferrar. ibid.* II. 4. 7. Fuit etiam citharœdorum. V. ſupr. in *Citharœdus.* Et militum. V. ſupr. in *Sagum.* Militares albas fuiſſe credendum eſt. Non enim eſt veroſimile quirites ad bellum ituros tota veſtimenta mutaſſe, & pro alba ruſſam, aut alterius coloris induiſſe. Qui autem iſte color? Et quis veterum ſcriptorum ejus mentionem fecit? Val. Max. II. 6. 2. tradit Lacedæmonios *ad diſſimulandum, & occultandum vulnerum ſuorum cruorem pœniceis in præliis tunicis uſos eſſe.* Ælian. Var. hiſt. VI. 6. φοινικίδα appellat. Quod ſi Romanis idem mos fuiſſet, non diſſimulaſſet Valerius, & a proximo exemplum petiiſſet. Iſidor. XIX. 22. ſcribit *Romanos ſub conſulibus tunica ruſſata uſos: unde & ruſſatos vocatos eſſe.* Sed futilis eſt Iſidorus. Et nullus veterum *tunicæ* ruſſatæ meminit ſub conſulibus. Non enim de *tunicis*, ſed de penulis, ut titulus indicat, nec de *tunicis* ruſſis Canuſinis, quæ ſervis, & militibus in uſu fuerint, intelligendus Mart. XIV. 129.

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

Cum præterea diſcrimen fuerit inter colorem rufum, & ruſſum. Quare miror Salmaſ. in Trebell. Claud. c. 14. ſola fabuloſum Iſidori auctoritate hoc Martialis de *tunicis ruſſis Canuſinis* intellexiſſe. *Tunicæ ruſſæ militaris* mentionem facit Trebellius. Verum id extremis Reipublicæ temporibus contigit, cum in reliquis etiam veſtimentis magna mutatio facta eſt. Quanquam neque id ſatis probari poteſt, *tunicas* militum promiſcuas fuiſſe ruſſas, ſed tantum tribunorum, & ducum. *Ferrar. ibid.* II. 3. 14. Communis veſtis ſervorum Romæ. Soſia apud Plaut. Amphitr. I. I. 212. jam ſupr. laudatus. Senec. de Brev. vit. c. 12. *Cum videam quam diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingant.* Et qui hac parte non differebant a ſervis etiam ruſticorum in coloniis, & municipiis. Cicer. Agrar. II. 34. de Capuanis: *Jam vero qui metus erat tunicatorum illorum?* Mart. X. 51. 5.

Quos, Fauſtine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abſtulit? o ſoles, o tunicata quies!

Lipſ. Elect. I. 25. Qui falſus eſt. Nam tam liberi, quam ſervi, Romæ *tunicati.* Nec Soſias id confirmat. Nam & Soſias, & Amphitruo, & Græci omnes, quemadmodum Romani *tunicati.* Sed & ſola *tunica* homines ingenui Romæ inceſſerunt, viliores nempe, & quibus togæ emendæ facultas non erat. Hinc *tunicatus populus*, & *tunicata plebs.* At in municipiis, & in agro omnes etiam ditiores *tunicati* tantum. Præterea ſervi Romæ non tantum *tunicati*, ſed & lacernati, birrosque, & cucullos induti: & apud Græcos non ſolum *tunicati*, ſed & palliati. Hinc apud Plautum ſervi, cum ſe ad curſuram inſtituunt, palliolum in collum jaciunt. *Ferrar. ibid.* I. 3. 24. Etſi *tunica* veſtis plerumque ſervilis, toga vero honeſtiorum, & liberorum civium; nullam tamen legem, morem nullum extare mihi conſtat, quo ſervi a dominis veſtis genere dignoſcerentur. Ita Senec. de Clement. I. 24. *In ſenatu eſt aliquando dicta ſententia, ut ſervos a liberis cultus diſtingueret; deinde apparuit, quantum periculum immineret, ſi ſervi noſtri numerare nos cœpiſſent.* Duo milliones hos fuiſſe & amplius Lipſius de magnitudine Romana teſtatur. Quare periculum magnæ ſeditionis, ſi qua nota diſtinguerentur, eadem & numerum perſpexiſſent. *Laurent. de Re Veſt.* c. 3. Conviviorum miniſtri in illa ſola fuerunt. V. ſupr. in *Miniſtri.* Candidati cum prenſarent ſine illis ſola toga amicti fuerunt. V. ſupr. in *Candidatus.* Duas non geſtaſſe quomodo dicantur Apoſtoli V. ſupr. in *Conſtans.*

Tunica linea interior quando primum apud veteres in uſu eſſe cœperit, haud facile dixerim. Apud Romanos non niſi ſero id factum inde colligas, quod nulla fere mentio linearum apud antiquiſſimos, quique interulam, & *tunicam* diſtinxere, hoc ſolum diſcrimen poſuerunt, quod altera interior induceretur, altera ſuperaria eſſet, additum utique alteram lineam, laneam fuiſſe alteram. Deinde quia balnearum uſum præcipuum fuiſſe ſcriptores tradiderunt, quod, cum laneis veſtibus etiam interioribus uterentur, facile erat ſordes contrahere, quæ balneis frequentibus depellendæ. Præterea Plinius, cum veſtium mentionem faceret, eas, cum de lanis ageret, executus eſt, corporumque tutelam pecori adſcribit: & cum de lino agit, nullum lineæ veſtis uſum agnoviſſe videtur, præcipue in viris, nam ex Varrone ſcribit, in Serranorum familia gentilitium fuiſſe feminas linea veſte non uti. Plautus etiam non ſemel mulieribus linea veſtimenta adſcribit, viris nunquam. Non. II. 873. *Tunicare pro veſtire.* Varr. λογομαχίας: *Hæc lanigeras detondere docuit, tunicareque hominum.* Martialis, qui omne veſtimentorum genus tetigit, nihil de lineis. Horatius ſubuculam tritam *tunicæ* pexæ opponit, quod in linea veſte eſſe non poteſt. Ex Suetonio tamen colligi videtur, ſubuculas fuiſſe lineas. V. illam ſupr. in *Subucula.* Nam ſi laneæ *tunicæ* fuerunt, quid opus erat ſubuculæ thoracem laneum dicere? Sed male veterem lectionem nuperi ſollicitarunt, in qua ſcriptum, *& ſubucula, & thorace laneo*, & poſuerunt *ſubuculæ thorace laneo.* Thorax tunc non niſi inter munimenta pectoris ad ictus repellendos, & ex ære, ferro, & corio, ut lorica. Hoc ergo peculiare in Auguſto notavit Tranquillus, quod *thorace laneo* uteretur præter *ſubuculam, & tunicas.* Non niſi ſero igitur lini uſus in *tunica* interiore, quo tempore lineæ *tunicæ* promiſcue uſurpatæ, nec minima pars luxus addita iis purpura, atque auro. Lamprid. Alex. Sev. c. 40. *Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri*, id eſt, ſine auro, ac purpura, *dicens, ſi lintei idcirco ſunt, ut nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura? in linteam autem aurum mitti etiam dementiam judicabat, cum aſperitati adderetur rigor.* Nolebat Alexander lineis purpuram, vel aurum addi, quod tunc ſollenne erat; nam ut *tunicis* laneis, & ſubſericis, ita proprie lineis interulis aureæ faſciæ, limbique, ac ſegmenta addebantur, quas paragaudas dixere. V. illas ſupr. in *Paragaudæ.* Ferrar. de Re veſt. I. 3. 3. Brod. Miſc. VI. 7.

Tunica moleſta erat veſtis ignis alimentis illita, & intexta, ac mox ſuccenſa obvolutos noxios incendio abſumens. Senec. Epiſt. XIV. *Cogita illam tunicam, alimentis ignium, & illitam, & intextam.* Mart. X. 25. 5.

Nam cum dicatur tunica præſente moleſta,
Ure manum: plus eſt dicere, non facio.

Juven. Sat. VIII. 235.

Auſi, quod liceat tunica punire moleſta.

Tertull. ad Martyr. c. 5. *Jam & ad ignes quidam ſe auctoraverunt, ut certum ſpatium in tunica ardente conficerent.*

Quidni molesta, in qua lento igne sic ardebant? *Lips. in Senecam, in Tacit.* XV. *n.* 87. *Rader. in Martialem, Grang. in Juvenalem, Rhodig. Ant. Lect.* X. 5. *Brod. Misc.* II. 9. *Laurent. de Rebuspub. c.* 7. *Casaub. in Suet. Aug. c.* 33. *Crinit. de Honest. discipl.* I. 13. *Voss. Lexic. Etymol. Kipping. Antiq. Roman.* II. 7. §. 4.

Tunica multitia. V. illam supr. in *Multitium.*

Tunica palliolata fuit mixtum genus vestis, & formam quodammodo referens, & usum præstans duarum, *tunicæ*, & pallii. Vopisc. in Bonos. c. 15. *Brevis munerum fuit: Tunicas palliolatas hyacinthinas subsericas.* Utraque vestis tam muliebris fuit quam virilis. Non male, opinor, *tunicas* palliolatas dixeris pallas mantuatas, quibus hodie utuntur matronæ, & mantella cubicularia vocant. *Casaub. in Vopiscum.* Ejus sententiæ non possum subscribere. Palliolatæ dicendæ essent istæ *tunicæ*, siquidem ex pallio, & *tunica* concinnatæ forent, aut pallii figuram retinerent. Sic [illegible] mantuatæ dictæ sunt apud Treb. Poll. Claud. c. 17. quæ ad formam mantici erant textæ. Sic [illegible] apud eund. c. 14. formam [illegible] referentes. Verum palliolatas *tunicas* videntur vocasse, quibus adnexa, & adjuncta erant palliola. V. supr. in *Palliolum.* Sic vestes cucullatæ dicebantur, quæ cucullos habebant. Isidorus. V. illum supr. in *Casula.* Videntur olim mulieres pro diversis *tunicis* diversa quoque habuisse palliola, ita ut talem *tunicam* cum tali pallio gestarent: quod & hodie solent observare nostræ mulieres. Quibus autem pro variis *tunicis* varia, & sua quædam propria palliola sumebantur, solebant singulas *tunicas* suis palliolis instruere, quæ & palliolatæ vulgo videntur a [illegible] confectæ. *Tunicarum* cum palliolis [illegible] meminit Scævol. I. 38. ff. de aur. arg. mund. *Semproniæ Piæ hoc amplius tunicas tres cum palliolis, quæ [illegible], duas volo.* S[illegible] in Vopiscum.

Tr[illegible] [illegible] dicitur a latitudine clavorum. D[illegible] p. 195 [illegible] χιτῶνα. Livius *tunicam* [illegible] palmatam appellat. V. supr. in *Toga.* Salmas. in Vopisc. Carin. *c.* 20. Regibus sociis, & amicis a Romanis dono mittebatur. Liv. XXX. 15. V. illam supr. in *T*[illegible]. Brisson. de Form. II. p. 234.

Tunica punicea fuit signum pugnæ. V. illam supr. in *Signum.*

Tunica recta *cum toga pura tyroni induebatur, novaque nuptæ. Tanaquil, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est, prima texuit rectam tunicam.* Plin. VIII. 48. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1028. *A. Junius Cat. Antiq. p.* 204. Quæ dicta fuerit recta V. supr. in *Regilla.*

TUNICOPALLIUM. V. illud supr. in *Palla.*

TUR.

TURBO, sive *turben* est, qui plagis loro factis agitur in orbem. Indicio est hoc Tibul. I. 5. 3.

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo.

prout est in codicibus vulgatis. Nam *turben* legit Charis. I. p. 117. Edit. Putsch. Sed *turbo* rectum esse ostendit e Catullo Serv. Æneid. VII. 378. *Hic turbo, unde tur[illegible]*. Atque ita, ubi forte puerilem hunc lusum describit, dicitur Virg. VII. 378.

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille, actus habena,
Curvatus fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum.
Dant animos plagæ.

Turbinem vocat buxum, quia fieret e buxo. Unde & Pers. Sat. III. 51.

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Græcis vocatur βέμβηξ, στρόβιλος, & ῥόμβος. *Voss. de vit. Serm.* I. 26. *Pier. Hierogl.* XLVIII. 22. *Lœns. Misc.* VII. 23. *Cerda in Virgilium. Bulenger. de Lud. vet. c.* 3. *Menag. in Diog. Laert.* I. §. 80.

TURCOMANNIA vocatur Armenia major. V. illam supr. in *Armenia.*

TURDUS veteribus fuit inter maximas delicias. Mart. XIII. 92.

Inter aves turdus, si quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Et illo antiquior Horat. Epist. I. 15. 41.

Nil melius turdo, vulva nil dulcius ampla.

Qua de causa Romani maxima diligentia in ornithone illos alebant, ut graphice describit Varr. de Re Rust. III. 5. ubi docet, quo pacto ornithone inclusi *turdi* sint alendi. Pinguiores enim redditi magno vendebantur, nempe denariis tribus, adeo ut ex uno materteræ suæ ornithone referat venisse quinque millia *turdorum* denariis ternis, ut sexaginta millia nummum ea pars villæ reddiderit; idque cum triumphus alicujus, aut publicum epulum esset. Amicis etiam missitabant *turdos* in coronæ figuram consertos. Mart. XIII. 51.

Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis plexa corona placet.

III. 47. 10.

Illic coronam pinguibus gravem turdis
Videres.

Nonn. de Re Cibar. II. 30. Castellan. de Esu Carn. IV. 15. Buleng. de Conviv. II. 9. Bruyer. de Re Cibar. III. 2: XV. 37: XIX. 12.

Turdus etiam piscis est inter saxatiles nobilissimus. Qua de causa quondam a ganeæ peritis, piscinis una cum lectioribus piscibus includebantur. Colum. VIII. 17. *Turdi complura genera, merulæque, & avidæ mustelas includimus.* Varia memorantur *turdorum* genera, unde Nicander Theateriensis κιχλὴν πολυώνυμον cognominat. Alexander Trallianus tantis laudibus *turdum* extollit, ut cæteris pæne piscibus videatur præponere lib. VI. cap. de pleuritide: *Est turdus piscis, & mollis, & humidus, concoctu facilis, & si forte ipsum marinam ptisanam nomines, non erraveris, adeo excrementi est expers.* Nonn. de Esu pisc. c. 23. Re Cibar. III. 23.

TURMA *terma est: E in V abiit: quod terdeni equites ex tribus tribubus, Titiensium, Rhamnensium, & Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum, decuriones dicti: qui ab eo singulis turmis sunt etiam nunc terni.* Varr. de Ling. Lat. IV. 16. Festus. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 689. *A. Patric. Rei milit. Rom. p.* VIII. *s.* I. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VI. 2. *Schott. Obs.* II. 33. *Buleng. de Imp. Rom.* IV. 35. *Turma* trecentorum equitum est legioni addita. Vocabatur etiam ala, quod equites alarum vice pedites tegerent, namque in equitum ordinibus circum legiones, dextra, sinistraque, tanquam alæ in avium corporibus locabantur. *Panvin. de Imper. Roman. c.* 16. Non *turma* trecentorum equitum, sed triginta *turmæ* legioni addebantur, quæ singulæ erant triginta virorum. Equites alarum vice pedites texerunt temporibus Cæsarum, non antiqua illa tempestate. Alæ enim olim dicebantur tam pedestres, quam equestres copiæ ex sociis Romanis collectæ, quæ in prælio collocabantur ad utrumque aciei, quæ erat legionum, hoc est, civium Romanorum latus. V. supr. in *Ala.* Sed sub Imperatoribus equites, qui loco triginta *turmarum* equo publico legionibus addebantur. V. supr. in *Equites.* Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. I. præfat. * * * * 2. vers.

TURMARII dicebantur, qui *turmas* tyronum cogebant. De illis l. 2. C. de privil. eor. qui in sacr. palat. milit. *Quibus omnibus condonamus, ne exactorum, vel turmariorum, quos capitularios vocant, curam subeant.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 689. A. Buleng. de Vectig. c. 63.

TURRICULA erat parvum vasculum, a forma, cui assimilatum erat, dictum: turritim enim desuper patentius in angustius decrescebat os, quo tandem prosiliebant tesseræ. Ita vocatur a Mart. XIV. 16. V. illum supr. in *Fritil-*

Fritillus, sub lemmate *turricula*. Ubi notandum aleatores, quoties felicem aliquem jactum cuperent mittere, vel deam, deamque, vel patronum, amicumque invocasse, cujus patrocinio faustum sperabant jactus eventum. Inde apud Plaut. Curc. II. 3. 77. amator suam invocat Planesium, parasitus Herculem almam suam nutricem, alius alium. Exin Martialis inquit, qui per fritillum, vel *turriculam* talos mittit, illos nequaquam ad fraudem collusoris, & emolumentum sui potest componere: sed, si felicem desiderat jactum, oportet illum vota facere, id est, deos, deasque, vel alium quem patronum invocare. *Senftleb. de Alea vet. c.* II. §. 21. *Souter. de Aleat.* I. 3. *Calcagn. de Talor. lud. p.* 293. Vocabatur etiam *fritillus* & *pyrgus*. V. supr. suis locis.

TURRIS altissima ab Heliogabalo Romæ est posita. Lamprid. c. 33. *Fecerat & altissimam turrim, substratis aureis, gemmatisque ante tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens, etiam mortem suam pretiosam esse debere.* Sed hæc in Palatio, an alibi ponenda est? Probabilius in Palatio, in quo habitans supervenientibus conjuratis se præcipitando eriperet. *Donat. de Urb. Rom.* III. 2.

Turris Mæcenatiana fuit in Esquiliis. De illa Horat. Od. III. 29. 9. V. illum supr. in *Horti Mæcenatis*. Donat. de Urb. Rom. I. 13. Hanc *turrim* vulgo nunc verbo, ut ferme in omnibus multarum syllabarum nominibus assolet, syncopato, Mesam pro Mæcenatianam appellant. Sicut pontem Milvium pari corruptela mollem dicunt. Nec est in ea regione femella, quæ quid facit tantæ ingentes ruinæ interrogata non dicat, eam fuisse *turrim*, ex qua Nero crudelis Urbem incendio flagrantem videns, gaudensque spectavit. *Blond. Rom. Instaur.* I. §. 100. *Sibell. in Suet. Neron. c.* 38. *n.* 5. Sed hi Esquilias in Quirinalem quodammodo transferunt. Hanc denominationem ad antiquam senatuli mulierum partem, de quo Lamprid. Heliogab. c. 4. refert: & a Mæsa Elagabali avia dictam vult Donatus. V. illum supr. in *Senaculum*, sive, ut aliam ipse conjecturam adjiciam, ab Emesa clarissima Syriæ urbe, & ejusmodi Elagabali patria. Atque hoc idem prorsus dicimus, si cum iis sit nobis potius sentiendum, qui ad solis templum, quod Aurelianus de Zenobia Palmyrenorum regina victor, ac triumphator magnificentissimum Romæ excitaverat, eadem rudera spectasse arbitrantur. Aurelianus enim, ut refert Vopisc. c. 24. Zenobiam, ejusque socium Zabam apud Emesam magno certamine vicit: ibique sol in maximo honore, cultuque habebatur: suo ovali nempe lapidis figura, ut scribitur ab Herod. v. 3. 10. & nummus ejusdem civitatis declarat, qui anno secundo imperii Antonini Caracallæ percussus habetur apud Tristanum Tom. II. p. 220. quemque Vaillant iterum retulit numismatum coloniarum Tom. II. p. 36. adeo ut probabile admodum fuisse videatur, quod eadem orientali victoria, quæ Aureliano occasionem præbuit, hoc templum ut soli dicaret, ibi literis insculpta; temploque deinde pæne diruto, ad sequiora usque tempora inscripto, aut Emesæ saltem urbis, propter quam res prospere, ac feliciter cesserat, nomen pervenerit, illudque ei vulgus indiderit: & quum ad *turris* formam fragmentum illud quam proxime accederet, in eandem vocalium collisione, quæ in ore vulgi fieri assolet, illarum uni deperdita, *Torre Mesa* pro *Emesa* typis Italicis facile fuerit consignatum. *Vignol. dissert. de Column. Anton. Pii c.* I. Neronem ex *turri* Mæcenatiana prospectasse iisdem pæne verbis repetunt P. Diacon. VIII. 5. & Oros. VII. 7. Xiphilinus tamen LXII. p. 709. B. *apicem palatii* nominat, qui prospectarit. Tacitus dubium fecit utrumque. Non Urbem enim is tantum, sed domum etiam ipsam Mæcenatis, & hortos, & palatium, & cuncta circum loca eodem momento a Neronis incendio igne, sed ipso absente, hausta commemorat Annal. XV. 39. I. *Eo in tempore*, inquit, *Nero Antii agens, non ante in Urbem regressus est, quam domui ejus, qua palatium, & Mæcenatis hortos continuaverat: ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin & palatium, & domus, & cuncta circum haurirentur.* Factum id ab U. C. 856. a nato D. Jesu 64. C. Lecanio Basso, & M. Licinio Frugi consulibus. Sunt, inter quos Jac. Laurus in Splendore Antiq. Urb. Rom. qui *domum* Mæcenatis cum *turri* unam eandemque faciunt. Fuisse enim ajunt domum Mæcenatis admirabili structura dispertitam quatuor ordinibus, & planitiebus, una super alteram in altum, ad modum *turris* excrescentibus, cujus fastigium desinebat in theatrum: unde potuerit adspectu, non tantum multorum amœnitatem, sed totius Urbis amplitudinem. Atque etiam in eam formam a Lauro depingitur. Verum unde illi hæc habeant, me quidem latet. Hoc scio, descensuris hodie a colle Quirinali, qua ad forum Nervæ prospectat, *turris* cujusdam ruinas, & rudera etiamnum monstrari, quam *Torre mesa* Romani vocant, & partem domus, sive *turris* Mæcenatianæ fuisse volunt. Eam tamen rursus alii partem templi credere malunt, deo Soli a M. Aurelio dedicati: quod in medio relinquo. Videri poterunt A. Schottus Itiner. Ital. II. 8. & R. Volaterr. Comment. XVII. *Meibom. Mæcen. c.* 25. §. 25... 28.

Turris etiam machina est bellica, mobilis, sive ambulatoria, instar ædificii ex trabibus, & tabulis exstructa. Illam fusius describit Veget. IV. 17. Illas ambulatorias nuncuparunt: nam rotis subditis promoveri, atque reduci solent. Hirt. de Bell. Alex. c. 2. *Præterea ambulatorias totidem tabulatorum confixerant, subjectisque eas rotis, funibus, jumentisque objectis, directis plateis, in quamcunque visum erat partem, movebant.* Has Diadæ temporis sui oppugnator invenit. Quas etiam dissolutas in exercitu circumferre solebat, minorem ait oportere fieri altam cubitorum sexaginta, latam septendecim, tabulatorum decem, singulis partibus in ea fenestratis: majorem vero altam cubitorum centum viginti, latam duorum viginti trium S. In qua tabulata constituebat viginti, & haberent singula tabulata circuitionem cubitorum ternum, ut memoriæ prodidit Vitruv. X. 19. Ac procul dubio, nec ita speciosæ, quas Vegetius nobis describit ea proceritate, ut tam *turres* civitatis lapideas, quam muros ipsos superarent. His ille in inferiori parte tribuit arietem, circa medium vero pontem, exostram vocat c. 21. quem subito milites producebant, & per eum egredientes de machina in civitatem transibant. In superioribus partibus contatos, & sagittarios collocat, qui defensores ab urbis mœnibus proturbent. Pontem Vegetius tradit in *turri* fuisse, factum de duabus trabibus, septum de vimine, quem subito positum inter *turrem*, murumque constituebant ad egrediendum in muros. Eundem de *turri* in murum repente post usum fuisse legimus c. 21. Ex his *turribus* magnus hostibus sæpe metus est injectus. Cæs. de Bell. Gall. II. 30. *Ubi vineis actis, aggere extructo, turrim constitui procul viderunt, primum irridere ex muro, atque increpitare vocibus, quo tanta machinatio ab tanto spatio institueretur? quibusnam manibus, aut quibus viribus, præsertim homines tantulæ staturæ tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent? Ubi vero moveri, & appropinquare mœnibus viderunt, nova, atque inusitata specie commoti, legatos ad Cæsarem de pace miserunt.* Præter magnum armatorum numerum, qui ex *turribus* pugnabant, etiam machinæ bellicæ in iisdem per tabulata disponebantur. Liv. XXI. II. *Ipse Annibal, qua turris mobilis, omnia munimenta urbis superans agebatur, hortator aderat. Quæ cum admota, catapultis, ballistisque per omnia tabulata dispositis muros defensoribus nudasset.* . . . Stewech. in Vegetium. Lipl. Poliorc. II. 4. Hotoman. Append. ad Cæsar. p. 823. Potter. Archæol. Græc. III. 10. Talia de Diade Heron. c. 13. *Diades & Chæreas Polyidis Thessali discipuli qui una cum Alexandro Macedone in militiam profecti sunt, mechanici primi cum terebras, tum scalas nauticas, tum etiam eas, quæ rotis feruntur, turres ligneas invenerunt.* Hæc cautius & circumspectius Athenæus mechanicus apud Turneb. Adv. XXIII. 31. qui non dicit Diadem primum reperisse turres ambulatorias simpliciter: *sed eas, quæ circumferri poterant, solutiles*, τοὺς φορητοὺς πύργους. Atque ita Vitruvium opus est capi. Nam simplices ambulatoriæ, aut subrotatæ jam ante fuerunt inventæ in Sicilia. Idem

enim Athenæus. *Initium, aut incrementum accepit omnis hæc machinalis fabrica circa Dionysii Siculi tyrannidem.* Et in Dionysii senioris rebus ponit, memoratque Diodor. xiv. p. 279. A. *Lips. l. l. Thys. de Oppugn. Urb.* ii. *p.* 170. Illarum frontes ferratæ erant, munimen contra ignes, vel totæ, aut certe a triplici latere. Joseph. de Bell. Jud. iii. 10. *Turres tres, singulas pedum quinquaginta altas, cum struxisset, ferro undique eas texit: tum ut stabiliores essent, ob pondus; tum ut igni incorruptibiles: atque ita in aggeribus constituit.* Circumdabantur quoque centonibus, coriis, storeis. Ammian. xx. 11. *Machinas Romanorum Persæ exurere vi maxima nitebantur: & malleolos, atque incendiaria tela torquentes, laborabant incassum: ea re quod humectis coriis, & centonibus erant opertæ materiæ plures, aliæ unctæ alumine diligenter, ut ignis in eas laberetur innoxius.* Contra ignes novi generis *turrim* ad Massiliam struxit Cæs. de Bell. Civil. ii. 8. *Lips. & Potter. l. l. Laurent. Polymath.* ix. *Synop.* ii. 2. Rotis agebantur. Veget. l. l. *Turribus plures rotæ mechanica arte subduntur, quarum lapsu volubili magnitudo tam ampla movetur. Plures* inquit, & necessario quatuor, ut minimum: sed & sex, aut octo etiam habuisse, prout *turrium* modus esset, in Herone lego. De hac re Liv. xxxii. 17. *Cum turris per aggerem parum densati soli ageretur, rota una in altiorem orbitam depressa, ita turrim inclinavit...* Curt. iv. 6. 9. *Humus* [illegible] *sabulo agilitatem rotarum morabatur.* Actæ igitur rotis, sed latentibus, & internis, aut certe internis movendis. Hoc ideo, ne telis hostium, qui agerent, exponeretur, & *turris* tueretur suos motores. A tergo tamen quosdam applicitos, qui propellerent, non ambigo, & licuit, quia non illinc metus. *Lips. Laurent. l. l.* In illas tela erant I. Ignes. V. supr. in *Ignis.* II. Saxa e catapultis. V. supr. in *Catapulta* & *Lapis.* III. Asseres, & trabes advenientibus incussi, quibus illas evertebant, aut frangebant. Tacit. Hist. iv. 30. 1. *Ediderant Batavi turrim duplici tabulato, quam prætoriæ portæ propinquantem, promoti contra validi asseres, & incussæ trabes perfregere.* Veget. iv. 20. *Interdum longissimas, ferratasque trabes opponunt machinæ venienti, eamque a muri vicinitate propellunt.* IV. Murorum ea parte elevatio. Veget. iv. 19. *Partem muri, ad quam machina,* turris, *conatur accedere, cæmento, atque lapidibus, vel luto, sive lateribus, postremo tabulatis exstruendo faciunt altiorem, ne defensores mœnium desuper urbi ventura possit opprimere. Constat autem inefficacem machinamentum reddi, si inveniatur inferius.* Dicit & de *tabulatis:* cui consonat hoc quod Cæsar de Avaricensibus a se oppugnatis scribit de Bell. Gall. vii. 22. V. illam supr. in *Agger.* Lips. ibid. v. 7. Thys. de Oppugn Urb. v. p. 193. Laurent. Polym. iv. 2. 10. Pius in Sidon. p. 462. His etiam in navibus sunt usi. Veget. iv. 44. *In majoribus Liburnis propugnacula, turresque constituunt, ut tanquam ac muro, ita de excelsioribus tabulatis facilius vulnerent, & perimant inimicos.* Plin. xxxii. 1. *Armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur, velut e muris.* Pollux i. 9. 3. *Extruuntur etiam in navibus angularia quædam tabulata, quibus duæ imponuntur turriculæ, dextra, & sinistra.* Qui ab utroque latere exteriori solitas videtur ostendere, quando dextram, & sinistram appellat. Notat tamen Appian. de Bell. civ. v. p. 732. habuisse *turres in navibus ad proram & puppim.* Quales & in primis monumentis observamus. Non tamen ante, quam in prælium iretur, & jam acie decernendam esset. Serv. ad Æneid. viii. 693. *De tabulis subito eriguntur; simul ac ventum est in prælium, turres hostibus improvisæ.* Primus auctor Agrippa fuisse dicitur, nobilis iste sub Augusto imperator, & maritimarum rerum scientissimus. Serv. l. l. *Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulis subito erigerentur.* Quod & Zonar. ii. innuit, cum ait de Augusto, cujus tunc Agrippa fuit summus classis præfectus. *Cæsar primo vere in Siciliam trajecit, & multitudine, & magnitudine navium fretus, turribus præsertim, quas gerebant, unde tanquam de muro ex superiori loco pugnarent.* Meminit tamen *turrium* in navibus Cæs. de Bell. Civ. iii. 40. *Alteram navem... pluribus aggressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres, ut ex superiori loco pugnans, facile vicit.* Bell. Gall. iii. 14. *Turribus autem excitatis, tamen has altitudo puppium ex barbaris superabat navibus.* At diversi generis fuisse videntur. Nam *turrium* in navibus, cum obsidiones fiunt, facit mentionem etiam Liv. xxiv. 34. *Quum exteriore ordine remorum velut naves agerentur, turres contabulatas, machinamenta alia, quatiendis muris portabant.* Sil. Ital. xiv. 418.

— nam textam robore turrim
Appulerant nexæ ferri compage triremes.

Inter has autem, illasque id interfuisse arbitror, quod hæ quidem firma compage, opereque durabili navibus affixæ: illæ vero ad tempus, & novo plane artificio, essent impositæ, ita ut ex inproviso erigi, ac deturbari possent. Forte & quibusdam machinis intus erigi, ac sublevari poterant, cum in prælium descendebatur, quæ alias inter navigandum manebant occultæ. Innuit is ipse, quem laudavimus, Servii locus. Addit enim dictis: *in navigando essent occultæ.* Scheffer. de Milit. Nav. ii. 5. Stewech. ad Vegetium, Opel. de Fabric. trirem. Meibom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xii. p. 703. D.

Turris est etiam ordo militum in quadro. Eustath. in Homer. M. 43. *Turris nunc a poeta dicta est instructio militaris, quadriformis, juxta laterculum disposita.* Inter acierum apud Romanos interdum usurpatarum formas... recensent Festus supr. in *Serra.* & Gell. Noct. Attic. x. 9. Differt a laterculo, quod in altum & profundum sit quadra instructio: laterculus jacens, & in latum. *Lips. de Milit. Roman.* iv. *dial.* 7. *Thys. Rom. Illustr.* iv. *p.* 97. *& in Gellium.*

Turres erant quoque pars valli quarta. Cæs. de Bell. Gall. vii. 72. *Turres toto opere circumdedit, quæ pedes* lxxx. *inter se distarent.* Atque hæ diversæ erant ab iis, quas jam diximus, mobilibus: fixæ enim istæ, & minus operosæ, minusque etiam altæ. Julianæ crebræ fuerunt; & calculus evincet, fuisse in undecim milliarium ambitu ad sexcentas octoginta septem. Quid in ambitu exteriore quatuordecim milliarium? palam est accessisse ad dictum numerum clxxxvii. Ergo in utroque ambitu insimul ∞. ɔ. lxi. Haud longe ab hoc numero & Octavianus Cæsar ad Perusiam, cujus *ligneas* ibi *turres mille quingentas* numerat Appian. de Bell. Civil. v. p. 690. *Lips. Poliorc.* ii. *dial.* 2. *Thys. de Oppugn. Urb.* ii. *p.* 166.

Turres etiam erant domus, quarum in tectis *turres* eminebant, unde jucundus esset prospectus in pelagus subjectum. Tib. i. 8. 18.

Utque maris vastum prospectet turribus æquor
Prima ratem ventis credere docta Tyros?

Talem in Priami regia describit Virg. Æneid. ii. 460.

Turrim in præcipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri
Et Danaûm solitæ naves, & Achaica castra....

Cicer. Tusc. Quæst. v. 20. de Dionysio seniore. *Quum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat.* Talis erat *turris* Mæcenatiana. *Broukh. in Tibullum. Cerda in Virgilium.*

TURTUR in lautorum mensis olim locum non postremum obtinuit. Illos inter cibos eorum, qui pulcre victitarent, & qui sua bona comederent non aliter ac si propter viam sacrificium facturi essent, enumerat Plaut. Most. i. i. 43.

Non possunt omnes tam facetis, quam tu vivis, victibus,
Tu tibi istos habeas, turtures, pisces, aves.

Et inter munera, quibus hæredipetæ canis capitibus volturium parabant, & orbos captabant, *turturem* nominat Juven. Sat. vi. 39. laudatus supr. in *Mullus.* Laudantur maxime pingues, & salubriores habentur: nam cum natura sua sint siccæ, qualitatis ejus immoderatio pinguedine temperatur. Mart. xiii. 53.

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis;
Et cochleas tibi habe: perdere nolo famem.

Castell.

Castell. de Esu Carn. iv. 8. Nonn. de Re Cibar. ii. 23. Buleng. de Conviv. ii. 10. Et hic quoque luxus fastidium totas non probare; clunes duntaxat expetuntur. In Ponticum, qui lautissimis cibis sibi reservatis vilissima quæque suis convivis reservabat, Mart. iii. 60. 7.

Aureus immodicis turtur te clunibus implet:
Ponitur in cavea mortua pica mihi.

82. 21.

Et concubino turturum nates donat.

Pennæ acumine per cerebrum, qua cervix capiti committitur, adacto necatur. Plaut. Pœn. ii. i. 39.

Ut quisque acciderat, eum necabam illico
Per cerebrum pinna sua sibi, tanquam turturem.

Castell. l. l.

TUS.

TUS. V. illud supr. in *Thus.*

TUSCI cum Cœlio Vibennio Tusco Cœlium montem tenuerunt. *Post Cœlii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum.* Varr. de Ling. Lat. iv. 8. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* i. *p.* 7. *A. Donat. de Urb. Rom.* ii. 27.

TUSCULANI obtinuerunt civitatem an. 373. M. Furio Camillo sextum tribuno militum consulari. Liv. vi. 26. *Tantum fere verborum ab Tusculanis* in senatu *factum. Pacem in præsentia, nec ita multo post civitatem etiam impetraverunt.* c. 33. *Incensos* Latinos *ea rabie impetus Tusculum tulit; ob iram, quod deserto communi concilio Latinorum, non in societatem modo Romanam, sed in civitatem se dedissent.* Habuerunt civitatem cum suffragio. Indicat hoc Livius verbis laudatis supr. in *Tribus Papiria. Tusculani* enim illic a tribu Pollia condemnantur: & ex eo apparet, eos in tribu Papiria tulisse suffragium. Jure itaque *Tusculum* a Cicerone *municipium antiquissimum* dicitur pro Planc. c. 8. *Tu es ex antiquissimo municipio Tusculano, ex quo plurimæ familiæ sunt consulares.* pro Font. c. 14. *Generis antiquitatem* Fonteji *ex Tusculo clarissimo municipio profectam, in monumentis rerum gestarum incisam, ac notatam videmus.* Sigon. de Ant. jur. Ital. ii. 9.

TUSCULUM ubi situm, prodit Strab. v. p. 165. *Intra montana, ad quæ ea,* Tibur scilicet, & Præneste, *sunt condita, aliud porrigitur montanum, & sublime dorsum, convallem relinquens inter Algidum, & Albanum montem; eo in loco Tusculum collocatum est.* Id comprobatur ex Hannibalis itinere descripto per Liv. xxvi. 9. *Hannibal infestius perpopulato agro Fregellano propter intercisos pontes, per Frusinatem, Ferentinatemque, & Anagninum agrum in Labicanum venit: inde Algido Tusculum petiit.* Nam a Labicano agro, (hoc est, juxta Columnam oppidum) si per Algidum *Tusculum* petiit, en Algidum, & *Tusculum*, & Labicum cum toto suo agro ad viæ Latinæ lævum latus fuerint. Quibus enim ad dextrum viæ Latinæ, valle intermedia, in eodem cum monte Albano, continuatoque vertice Algidum esse dicitur, ut Kircher. Lat. part. ii. cap. i. & 4. iis iter hoc Hannibalis non rectum, ut properantis, sed in orbem, uti otio abundantis, concipitur. Verum Kircherus alium errorem in hujus excusationem fortasse adducet, nempe situm Labici ad oppidum Valmontonis, ut paullo postea se ostensurum promittit, a quo transitus sub suo Algido ad *Tusculum* dabatur: quo tamen assumpto uti non potest, quia infra promissi immemor in via Prænestina, atque in loco, ubi nunc *oppidum Zagarolo, urgentibus rationibus Labicum manere* imperit. Quo etiam admisso, & Labico a dextra sua viæ Labicanæ ad dextram Prænestinæ translato, adhuc iter Hannibalis ad sinistrum Latinæ per Algidum fuerit; unde Algidi dorsum cum *Tusculano*, non vero cum Albano monte continuari recte ex Strabone percepimus. *Fabrett. de Aquæduct. Diss.* iii. *Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iv. *p.* 1772. *F.*

TUT.

TUTANUS fuit deus, cujus opem, qui laboribus angebantur, implorabant. Varro Sat. Hercules tuam fidem apud Non. i. 242.

Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum
Tutanus hoc, Tutanu' Romæ nuncupor.
Hoc propter, omnes qui laborant, invocant.

Scalig. Conject. in Varr. p. 65. Tomas. de Donar. c. 24. Gyrald. Synt. deor. i. p. 40. D. Turneb. Adv. xxix. 17. Crinit. de Honest. Discipl. xxv. 5.

TUTELA feminas perpetua teneri contendit Cicero, quas tamen Icti anno duodecimo *tutela* liberari tradiderunt. Utrumque est verissimum. Erat enim *tutela* pupillaris, quæ anno duodecimo finiri solet: erat etiam muliebris, qua per in manus conventionem, & Vestæ sacerdotium duntaxat liberabantur. Proinde quum dixisset Cicer. pro Mur. c. 12. *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii in tutorum potestate esse,* conversus ad Ictos: *Hi,* inquit, *invenerunt genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur.* Itaque moris olim fuit, ut virgines ad annum usque duodecimum sub tutoribus, vel testamento datis, vel legitimis agerent: & finitis annis pupillaribus, quia *infirmitate consilii* rebus propriis superesse non poterant, & more majorum nihil agere sine auctoritate, si tutores onere *tutelæ* defungi vellent, poterant in jure alteri *tutela* cedere: & is, cui *tutela* cedebatur, cessicus tutor, *tutelaque* cessa, cessitia *tutela* vocabatur. Quo spectat, quod in fragm. Ulpian. tit. de tutelis sic legimus: *Permissum erat in jure, cedere tutela, feminarum tantum, non etiam masculorum.* Certe, quia masculi, ætate pupillari finita, omni modo liberabantur *tutela:* feminæ vero non item. Nec quidem ante legem Claudiam ulla *tutelarum* in hujusmodi cessionibus haberi solet ratio: sed ita *tutela* passim cedebatur, ut is qui pupillæ tutor, licet legitimus, tanquam proximus agnatus, fuerat, onere *tutelæ,* finita ætate puellari, statim, si vellet, liberaretur, aliique ex agnatis post eum proximis in jure *tutela* cederet. Quod quum satis iniquum esse D. Claudius animadvertisset, legem edidit, qua *legitimas feminarum tutelas sustineri* voluit: ut de illa Ulpian. d. tit. de tutelis scripsit. Sunt, qui non recte pro *sustinet, sustulit* esse legendum contendunt. Sensus enim loci est, quia *lex Claudia legitimas feminarum tutelas sustinet,* ideo quantum ad agnatos pertinet, hodie cessitia *tutela,* quæ in solis feminarum *tutelis* olim habebat locum, non procedit: sic nimirum, ut legitimus pupillæ tutor, finita ætate puerili, alteri ex agnatis *tutela* cedere amplius possit. Igitur D. Claudius *legitimas feminarum tutelas* non *sustulit,* sed *sustinuit,* hoc est, distulit, ultra pubertatis tempus prorogavit, seu potius continuavit. Non ignoro, quid de lege Claudia per legem Constantini sublata rescripserit Imperator Leo supr. in *Lex Claudia.* Sed quia legis Claudiæ diversa fuisse capita videntur, Constantini, & Leonis constitutiones ad aliam legis Claudiæ clausulam, quam ad hanc, esse referendas conjectura probabili demonstrabo. Nusquam *legitimas feminarum tutelas* omnino sustulisse D. Claudium, vel Leo, vel Constantinus auctores sunt. Sane lege xii. tab. agnati pupillorum, pupillarumque tutores erant legitimi: sed ita quidem, ut eadem lege certus esse agnatorum ordo descriptus videretur. Sic nimirum, ut agnatus proximus, vel proximi, reliquis in administratione *tutelæ* præferrentur l. 3. §. 1. de leg. tut. Ad quem ordinem visus est respexisse Justin. §. unic. Instit. de leg. tut. *quos ad hæreditatem lex vocat, eosdem & tutores esse* contendens: *quia plerumque ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet.* Igitur si agnatus proximus familiam solet habere, consequi recte videtur, ad eundem etiam *tutelæ* onus pertinuisse, non autem ad omnes agnatos. Ideoque ex vera legis interpretatione hic ordo servari solet, ut consanguineus patruo præferretur, non contra patruus consanguineo, id est, fratri.

ſtatri. Cæterum D. Claudius hunc lege conſtitutum ordinem nova lege ſuſtulit, & conſulibus eam dedit auctoritatem, ut pupillis extra ordinem, hoc eſt, non ſervato ordine agnatorum legitimo, ex agnatis eligere tutores poſſent, ad functionem hujuſmodi maxime idoneos. Sic tamen, ut proximiores, ſi quidem ſatis eſſent idonei, ſervato juris antiqui ordine tutores eſſent: ſin vero inter agnatos magis invenirentur proximioribus idonei, illi *tutelam* adminiſtrarent. Et idcirco *ex inquiſitione tutores dare conſules* dicebantur §. ſed ex his Inſtit. de Attil. tut. l. 1. ff. de confirm. tut. Eaque conſulum inquiſitio tam ad eos tutores, qui extra ordinem, quam ad eos, qui teſtamento dabantur, omnino pertinet, non autem ad cautionem, rem pupilli ſalvam fore, ut quidam nugantur. Eſt enim cautio prætoria l. 1. ff. de prætor. ſtipulat. Nimirum a prætore *tutelari* primum excogitata. Hæc quum ita ſint, jam facile intelligimus, quid ſibi velit hæc Claudiæ legis apud Suet. c. 23. n. 4. brevis clauſula, qua Claudius dicitur *ſanxiſſe, ut pupillis extra ordinem tutores a conſulibus darentur*, hoc eſt, ut pupillis non obſervato agnatorum ordine legitimo tutores darentur. Ita Ulpian. l. 26. §. 7. ff. ex quib. cauſ. major. *extra ordinem ferias indicere*, hoc eſt, non obſervato aliquo ſtatarum, ſollenniumque feriarum ordine. Nec nos moveat, quod ſcripſit Ulpian. l. 5. de legit. tut. *legitimos tutores neminem dare, ſed eos leges* XII. *tabularum tutores facere.* Illud enim tunc legem obtinebit, cum extra ordinem nullus eſſet neceſſario eligendus tutor. Tunc autem legitimus tutor non dabatur, ſed ipſo decemvirali jure efficiebatur. Quem ſi propinqui probarent ad *tutelæ* functionem eſſe omnino inidoneum, conſulibus eam tribuebat D. Claudius poteſtatem, ut *extra ordinem* in locum illius alium ex agnatis idoneum ſurrogarent. Quod autem quidam dicunt, *extra ordinem* idem eſſe quod *de plano*, id plus eſt quam nugatorium. Nam quum dico *extra ordinem ferias indicere*, quid ſubintelligo? nonne feriarum? Quid item cum dico, *extra ordinem tutores dare*? nonne idem eſt ac ſi dicerem, extra ordinem tutorum tutores dare? Quis eſt, quæſo, tutorum ordo, qui legitimus non eſt. Agnati ſiquidem ut ad ſucceſſionem, ſic ad *tutelam* lege XII. tab. ordine vocantur: quo ordine non ſervato, ſi tutor detur, dari tutor extra ordinem recte dicitur l. 12. §. 2. de religioſ. Cæterum non tam Conſtantinus pro antiqui juris auctoritate, quam prætor *tutelaris*, diu ante Conſtantinum Claudiam hanc legem viſus eſt primus ſuſtuliſſe. Is ſiquidem agnatorum ordinem legitimum ſemper eſſe in *tutelis* obſervandam ſic ſtatuit, ut proximus agnatus etiam ad *tutelam* inidoneus, legitimus tutor eſſet, penes idoneum adminiſtratione relicta l. 13. ff. de curat. furioſ. dand. Et tunc quidem in uſu primum fuiſſe prætoria, rem pupilli ſalvam fore, cautio videtur. Conſtantinus autem jus antiquum, quo certus agnatorum ordo ſervari ſolet, contra legem Claudiam in feminarum *tutelis* recipi, exſcripto quodam reſcripto voluiſſe viſus eſt l. 2. C. Th. dict. tit. Igitur ante orationem D. Claudii conſanguineus, patruus, & reliqui agnati, quo ad ſucceſſionem, eodem ordine ad *tutelam* vocabantur. D. inde Claudius ordinem in ſucceſſionibus duntaxat, non autem in *tutelis* ſemper obſervari voluit. Prætor denique *tutelaris* contra Claudii legem ſecundum jus antiquum edixit. Quod quidem prætoris edictum Conſtantinus & Leo Imperatores expreſſis reſcriptis confirmaſſe, & ad *tutelas* feminarum legitimas traxiſſe viſi ſunt d. l. 2. & l. 3. C. de legit. tut. Duo itaque fuiſſe videntur legis Claudiæ capita: unum ordinem legitimorum tutorum non ſemper eſſe obſervandam viſus eſt D. Claudius conſtituiſſe: alterum vero, quo legitimas feminarum *tutelas* ſuſtinuit, & ultra pubertatis tempus prorogavit. *Ravard. Var.* 1. 10. Quo jure ſit introducta quæritur. De ea a decemviris legem fuiſſe latam, atque legibus XII. tab. eam, aſcribendam puto argumento locorum Liv. XXXIV. 2. *Majores noſtri nullam ne privatam quidem rem agere feminas ſine auctore voluerunt: ſed in manu eſſe parentum, fratrum, virorum.* Cicer. pro Muren. c. 12. V. illam ſupr. in *Lex Claudia de tutel. femin.* Marcil. ad Leg. XII. tab. c. 29. Sed hoc mihi non ſatis idoneum videtur. Non enim ſi quid majores Catonis, de illis enim Cato apud Livium, vel Ciceronis voluerunt, ſtatim exiſtimandum eſt hoc ad decemvirales leges referendum eſſe. Quin potius mos majorum tali formula ſignificatur: ut intelligamus, quod majoribus placuit, hoc majoribus introductum eſſe, non certa aliqua lege, vel Sc⁰to, vel plebiſcito, vel alia juris ſcripti parte, aut expreſſo populi conſenſu. Apud Ulpianum ſupra laudatum ſit mentio legis Claudiæ, quæ *legitimas feminarum tutelas ſuſtineat*, ubi Cujacius in notis putat pro *ſuſtinet* legendum *ſuſtulit*: quem reprehendens Marcilius defendit vulgatam lectionem, & *ſuſtinet* interpretatur *inhibet*: ut apud Cicer. Attic. XIII. 21. Eandem copioſe, at obſcure reprehendit Rævardus laudatus. Sed defendit Giphan. in comment. Cod. ad l. 3. C. d. legit. tutel. Eam legem a Conſtantino Imperatore ſublatam eſſe dicit Leo ſupr. in *Lex Claudia*, quæ Conſtantiana lex putatur eſſe l. 2. C. Th. de tut. & curat. creand. licet ibi Claudia lex nominetur. Quod tamen mihi non videtur ſic accipiendum, quaſi Conſtantinus voluerit in uſum revocare morem illum majorum, ut mulieres in perpetua eſſent *tutela*. Repugnaret enim huic ſententiæ princ. tit. Inſtit. quib. mod. tut. finit. & l. ult. C. quando tutor. vel curat. eſſe deſin. ubi pupillæ a *tutela* liberari dicuntur, cum puberes eſſe cœperint, ſeu viripotentes, id eſt, poſt XII. annos. Certe ſi ſublata lege Claudia Conſtantinus perpetuam *tutelam* mulierum legitimam reduxiſſet, non recte diceret Imperator Juſtinianus, pupillas liberari *tutela*, cum puberes eſſe cœperint, ſeu XII. ætatis anno. Aut oſtendat mihi quiſpiam, ubi, aut a quo rurſum illa Conſtantini lex fuerit abrogata arg. l. præcipimus C. de appellat. Vide dum igitur, ne alia mens fuerit legis Claudiæ legitimam mulierum *tutelam* ſuſtinentis, vel tollentis: quam vulgo putatur & prima fronte ex dicto Ulpiani loco, & l. 3. C. de legit. tutel. In ſumma illud extra controverſiam eſt, Juſtinianeo jure nullam eſſe mulierum *tutelam* perpetuam, nullam quoque ceſſitiam: ſicut olim *ceſſitia tutela* dicebatur, quæ in jure ceſſa erat a tutore alteri contra feminam quæ in *tutela* erat: ut teſtatur Ulpianus, negans *ceſſitiam tutelam procedere quantum ad agnatos*: id eſt, legitimam agnatorum non licebat tutori cedere in jure alteri, ſicut feminarum, Atque hæc cauſa eſt, cur Tribonianus nullum ejus rei veſtigium in libris noſtris relinquere voluerit: ſed omnem deleverit mentionem tam muliebris *tutelæ* legitimæ, ac perpetuæ, quam ceſſicii *tutoris*, & *tutelæ* ceſſitiæ. Plura de muliebri *tutela* perpetua, ejusque quadruplici differentia a pupillari videre licet apud Giphan. l. l. Et de aliis, quæ circa *tutelas* in univerſum innovarit Imperator Claudius, adiri poteſt Marcilius laudatus. De noſtris moribus, ſi quis quærat, fere in uſum receptum eſt jus vetus. Nam & hodie mulieres fere in perpetua ſunt *tutela*, nuptæ quidem maritorum, qui vocantur Chevogtel & curatores & conjugales: virgines vero, vel viduæ propinquorum, vel a magiſtratu datorum. Giphanius. *Rittershuſ. in* XII. *tab. leg. Claſ.* III. *p.* 1. *c.* 13.

Tutela liberorum *legitima lege* XII. *tab. delata eſt adgnatis, & conſanguineis, item patronis, id eſt, his, qui ad legitimam hæreditatem admitti poſſunt.* Ulpian. l. 1. ff. de legit. tutel. De hac tamen, quæ patronis defertur, ſcribit l. 3. eod. eam nominatim delatam non fuiſſe, ſed per conſequentias hæreditatium, quæ ex ipſa lege patronis datæ ſunt. Idem ſcribit Juſtinian. Inſt. de legit. adgn. tut. Ad hanc legem pertinere arbitror, quod ſcribit Paull. tut. l. ſæpe in pr. de verb. ſign. Inſt. de leg. adgn. tut. §. quod autem. *Cum dicitur apud veteres* ADGNATORUM GENTILIUMQ. *pro ſeparatione accipitur: at cum dicitur*, SUPER PECUNIÆ TUTELÆVE SUÆ, *tutor ſeparatim ſine pecunia dari non poteſt.* Illud ſine dubio hujus legis eſt, quod Juſtinianus refert, ab inteſtato vocatos eſſe ad *tutelam* adgnatos. Quod ita interpretatur, non ut omnino is teſtamentum non fecerit, ſed ſi quantum ad *tutelas* pertinet, inteſtatus deceſſerit. Quamob-

rem

rem recte Diocletianus & Maximianus rescripserunt ad avunculos *tutelas* ex lege XII. tab. non deferri, sed ad patruos, nisi se excusaverint. *August. ad Leg.* XII. *tab.* §. 10. *Ritter hus. Leg. decemvir. Class.* III. *p.* 1. *c.* 12. *Cujac. Observ.* XI. 26. XVII. 28. *Revard. in Leg.* XII. *tab. c.* 12. Testamentaria ordine est prima, & legitimam præcedit: cui non est locus, quamdiu potest quis ex testamento esse tutor. Initio tit. de legit. adgn. tut. & sic. l. 39. quamdiu. l. 69. ff. de acquir. hæred. l. 89. ff. de R. J. l. 8. C. commun. d. success. De ea autem fuit in XII. tab. celeberrima illa lex, quæ latissimam potestatem tribuit testatori, & hæredes instituendi, & legata, & libertates dandi, *tutelas* quoque constituendi. Pompon. l. verbis ff. de verb. signif. Verbis legis XII. tab. his, *uti* paterfamilias *legasset suæ rei, ita jus esto, latissima potestas tributa videtur, & heredis instituendi, & legata, & libertates dandi, tutelas quoque constituendi.* Rittershus. ibid. c. 11. August. l. l.

Tutela in navibus erat signum a parasemo diversum. Ut enim illud bestiæ plerumque, vel alterius rei, ita hoc dei, deæve imaginem referebat. Sil. Ital. XIV. 544.

Tutelæque deum fluitant.

Ovid. Trist. I. 11. 1.

Est mihi, sitque precor, flavæ tutela Minervæ
Navis, & a picta casside nomen habet.

Hic parasemon erat cassis, Minerva autem *tutela*, quemadmodum & in nave, qua vecta est Europa, *tutela* Jupiter, parasemon taurus fuere. Dicta vero *tutela*, quasi *tutelare* numen, cujus curæ commissum est navigium. Consueverunt nempe veteres diis quibusdam naves suas consecrare, eorumque *tutelæ* committere. Primum quidem hæc gens huic, alia alii deo, quem & aliis præcipue colebat. Disco ex Euripide, qui in Iphigenia sexaginta Thesei navibus eandem tribuit *tutelam*. Verba sic se habent: *Sexaginta deinde navibus Thesei filius habebat stationem, deam Palladis in equestribus habens alatis curribus fixam.* De Phœnicum navibus testatur Hesychius, *cunctis habuisse simulacra quædam in puppibus deorum patriorum.* De Libycis Sil. Ital. XIV. 439.

Ammon numen erat Libycæ gentile carinæ,
Cornigeraque sedens spectabat cærula fronte.

Postea vero singulæ naves suas proprias accipiebant *tutelas*, ut Ovidii locus paullo ante adductus comprobare potest. Ac tum quidem observatum, ut ejusmodi eligerentur dii, qui cujusque instituto faverent, hoc est, ut mercatores haberent Mercurium, milites Martem, alii alios negotio suo convenientes. Ovid. Heroid. XVI. 113.

Qua tamen ipse vehor, comitata Cupidine parvo,
Sponsor conjugii stat dea picta sui.

Dii hi religiose habiti a navigantibus, sic ut adorarentur. Sil. Ital. XIV. 441.

Fer pater afflictis, fer, ait, Garamantice vates
Rebus opem, inque Italos da certa effundere tela.

Horat. Od. I. 14. 9.

— non tibi sunt integra lintea:
Non dî, quos iterum pressa voces malo.

Fœdera ad ipsorum simulacra, velut ad aras, sancirentur. Sil. Ital. XIII. 76.

— dextras jungamus inermes,
Fœderis en hæc testis erit, veniamque precatus,
Trojanam ostentat trepidus de puppe Minervam.

Expiarentur quoque, cum quid accidisset in navi, quo violari poterant, & ad iram commoveri. Petron. c. 65. *Itaque, ut tutela navis expiaretur, placuit quadragenas utrisque plagas imponi. Nulla ergo fit mora. Aggrediuntur nos furentes nautæ cum funibus, tentantque vilissimo sanguine tutelam placare.* Et oleæ ramis ad hunc finem decorabantur. Petron. c. 68. *Protendit ramum oleæ a tutela navigii raptum.* Pingebantur. Lucan. III. 510.

— non robore picto
Ornatas decuit fulgens tutela carinas.

Sculpebantur tum ex ligno, tum ex alia materia. Senec. Epist. 76. *Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, aut aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore cælata est.* Coronabantur. Valer. Flacc. I. 300.

Mox ubi victa gravi ceciderunt lumina somno,
[illegible] tutela carinæ
[illegible]

Paschal. de Coron. IV. 18. Locus proprius in puppe. Ovid. Heroid. XVI. 112.

Accipit & pictos puppis adunca deos.

Atque eæ quidem naves, quarum *tutelæ* pictæ erant, in medio fere puppis habebant. Ovid. Trist. I. 4. 8.

— & pictos verberat unda deos.

Quarum vero *tutelæ* erant sculptæ, illas habebant in acrostoliis. Schol. ad Iliad. A. *Statuæ, & imagines erant in acrostoliis.* Et quidem hic proprius *tutelarum* locus. In quo iterum a signis differebant, quippe quæ in prora pingebantur. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 1. *Turneb. Adv.* XIX. 2. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 403. *a. E. Brod. Misc.* I. 10. *Stauri. in Euseb. p.* 39. *b. Bochart. Chan.* II. 3. & 11. *Barth. Adv.* XXXIII. 15. *Kipping. Dissert. de Expedit. marit.* §. 2. *Delrio in Senec. Agamemn. n.* 423. Factum tamen est nonnunquam, ut quod esset *tutela* in navi, id ipsum ei etiam pro signo poneretur, hoc est, ut parasemon quoque dei alicujus, aut herois effigiem referret. Procop. in Esaj. c. 12. *Lucas nec ut Paulum conscendisse navem Alexandrinam, cui parasemon Dioscuri. Mos vero semper fuit tales picturas esse in navibus potissimum Alexandrinis ad proræ dexteram, & sinistram.* Hinc Latini promiscue hac voce usi, & *tutelas* etiam animalia, resque alias, quæ proprie picturæ, & parasema nominavere. Lactant. I. 11. *Navis, in qua Ganymedes est impositus, tutelam habuit in aquila figuratam.* Serv. ad Æneid. V. 116. *A tutela depicta sic vocata est.* Glossæ veteres: *Tutela*, παράσημον τῆς πλοίας. *Salmas. ibid. p.* 402. *b. B. Scheffer. l. l.*

TUTELINA dea Romanis colebatur, ut segetes jam collectas tueretur. August. de Civit. Dei IV. 8. *Frumentis collectis, atque reconditis, ut tuto servarentur, deam Tutelinam præposuerunt.* Varro Herculis etiam fidem apud Non. I. 243. *Tuam fieri non Tutelinam, quam ego ipse invoco, quod meæ aures abs te obsidentur.* Panvin. de Lud. Circens. I. 17. Bulen. de Lud. Circens. c. 19. Tomas. de Donar. c. 26. Gyrald. Synt. deor. I. p. 40. D. Rhodig. Antiq. Lect. XXI. 29: XXV. 30. Stuck. de Sacrif. p. 35. Vives in Augustinum. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 150. Crinit. de Honest. Discipl. XXV. 5. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. H. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 15. §. 3. Delphines in circo sustinebant ejus columnas. Tertull. de Spectac. c. 8. *Delphinos Neptuno vovent: columnas Tutelinas a tutelis fructuum sustinent.* Plin. XVIII. 2. *Sejam a serendo, Segestam a segetibus appellabant: quarum simulacra in circo videmus. Tertiam ex iis nominare sub tecto religio est:* Ea est *Tutelina*. Salmas. Exerc. Plin. p. 640 b. E.

TUTORES sunt, qui liberis impuberibus dantur, ut illorum res administrent, quoad pubertatem inierint. *Tutelam* enim definiunt veteres Icti *vim, ac potestatem in capite liberi ad tuendum, qui propter ætatem sua sponte se defendere nequit, jure civili datam, ac permissam.* Hi vero nihil aliud sunt, quam qui vocantur pupilli, nimirum, qui cum impuberes sunt, desierunt in patris potestate esse, aut morte, aut emancipatione. *Tutoris* dandi jus civis Romani proprium esse illud argumento est, quod a lege XII. tab. est profectum: & quod si *tutores*, aut pupilli cives Romani esse desiissent, *tutela* tolleretur. Neque tamen ita de *tutelis* XII. tab. cautum est, ut non multo etiam ante Romæ hoc jus observatum, vel lege, vel more sit: Siquidem Ancum Martium Regem L. Tarquinium liberis suis *tutorem* reliquisse legimus apud Liv. I. 34. *Tutoris* dandi jus partim ex testamenti jure, partim ex patriæ potestatis jure pendebat, ut quamvis pater privatus sit, tamen *tutorem* per legem ex testamento relin-

quære liberis suis possit. In XII. enim tab. extat ita scriptum de *tutela*, ut retulimus supr. in *Tutela*. Quem locum, credo, interpretans Cajus de testam. tutel. c. 1. *Lege*, inquit, XII. tab. *permissum est parentibus liberis suis, sive feminis, sive maribus, si modo in potestate sint, tutores testamento dare*. Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman. I. 13. Si cui nullus omnino erat, quinam illi dederint V. supr. in *Lex Julia de Tutoribus*. Sed ex his legibus *tutores* pupillis desierant dari, posteaquam primo consules pupillis utriusque sexus *tutores* ex inquisitione dare cœperunt, deinde prætores ex constitutionibus. Cœperunt autem consules *tutores* Claudii temporibus, qui *sanxit, ut pupillis extra ordinem tutores a consulibus darentur*, ut scribit Suet. c. 23. n. 3. Et *datum se a consulibus tutorem Helvidii filiæ petentibus matre ejus, & vitrico* Cornutus dicit apud Plin. Epist. IX. 13. Unde consularis hac in re potestatis meminit etiam Modestin. Dig. XXVI. 3. 1. *Tunc quod deficit, repleri a consulari potestate constitutiones concesserunt, & secundum mentem confirmari tutores*. Prætor autem *tutelaris* a M. Antonino Philosopho introductus est, ut scribit Capitol. c. 10. *Prætorem tutelarem primus fecit, quum ante tutores a consulibus poscerentur*. August. de Legib. in Julia de tutoribus. Castal. Var. Lect. c. 21. Brisson. de Form. V. p. 408. Rævard. Var. I. 16. Caroli Antiq. Roman. II. 6. Catan. in Plinium. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. In *tutoribus* dandis usitata fuerunt verba *tutorem do*. Ulpian. l. muto §. 1. ff. de tutel. *Hanc autem adjectionem, quam præsides provinciarum faciunt, tutorem do si satisdederit, non conditionem in se habere, sed admonitionem*. Brisson. l. l. Feminæ non poterant esse l. 16. ff. de legit. tutor. Et *tutelam officium esse virile* rescripsit Imperator Alexander l. 1. quando mulier. Idque primum ita fuisse definitum Scævolæ temporibus ex eo suspicari licet, quod ad hunc modum scripserit Liv. XXXIX. 9. *Publ. Ebutius, cujus pater publico equo stipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis deinde tutoribus, sub tutela Duronicæ matris, & vitrici T. Sempronii Rutili educatus fuerat*. His Livius indicat eo tempore feminis ademptam omnino non fuisse administrationem *tutelæ*, quæ Ebutii temporibus matri, aliisque feminis denegabatur, etiamsi vitrico relinqueretur l. 32. de adopt. Et quamvis administrare *tutelam* feminæ tunc prohiberentur, penes matrem tamen esse pupilli educatio poterat, si vitricum pupillo non induxerat l. 1. C. ubi pupil. edu. Eoque pertinebat illud Apul. Met. X. p. 342. *Huic infantulæ, quod leges necessariam patris successionem deferrent, sustinebat ægerrime, inhiansque toto filiæ patrimonio, imminebat & capiti*. Rævard. de Div. reg. jur. LXXIII.

Tutor cessicus nuncupabatur, qui in jure, id est, apud magistratum profitebatur, nolle se feminæ *tutorem* esse, & *tutelam* alteri cedebat. Ulpian. in Fragm. Instit. tit. de tutelis. *Fab. Semestr.* II. 23. Cessitium, non cessicum esse appellandum contendit *Turneb. Adv.* VII. 21.

TUTULUS appellabatur crinium suggestus, sive structura, qua feminæ illos aggestos in turrim quodammodo, aut metam primore in capitis parte exstruebant. Festus: *Tutulum vocari ajunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructum in altitudinem*. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. V. illum supr. in *Coma*. Junius de Coma c. 7. Kobierzyck. de Luxu Roman. I. 6. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1117. B. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 353. 287. de Mod. usur. c. 15. Voss. Lex. Etymol. Crinit. de Honest. Discipl. XXV. 5. Scalig. in Cirin. p. 56. Pignor. de Serv. p. 394. Stuck. de Sacrif. p. 103.

Tutulus etiam appellabatur pileus lanatus, metæ figura, qui erat pontificum, & flaminum, & inde pilei fastigium. Festus: *Tutulum quidam vocari ajunt pileum lanatum forma metali figuratum*. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. V. illum supr. in *Coma*. Fulgent. Expos. Serm. Ant. §. 14. *Numa Pompilius & ipse de pontificalibus scribens, tutulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tutabant, cum ad sacrificium accessissent; sicut & ait Virg. Æneid. III. 545.*

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

Raynaud. de pil. c. 2. Guther. de Jur. Pontif. I. 29. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1117. B. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Pignor. de Serv. p. 411. Gutberleth. de Saliis c. 11. Rhodig. Ant. Lect. XXV. 30. Stuck. de Sacrif. p. 103. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 564. Mag. Misc. I. 14. Voss. Lex. Etymol. Laurent. var. sacr. gentil. c. 2. Merul. de Sacerd. Roman. c. 2. §. 9. Turneb. Adv. XXVI. 10. Cerda in Virgilium. Columna in Ennii Annal. I. p. 42.

TYM.

TYMPANISTRIA pulsabat *tympana*. Sidon. Epist. I. 1. *Sane intromittuntur, quanquam raro, inter cœnandum mimici sales, ita ut nullus conviva mordacis linguæ felle feriatur. Sic tamen quod illic nec organa hydraulica sonant, nec sub phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat, nullus ibi lyristes, choraules, mesochorus, tympanistria, psaltria canit*. Pignor. de Serv. p. 174.

TYMPANOTRIBA vocaretur, qui sæpe in *tympano*, in quo apud Græcos homines torquebantur, per tormenta cruciatus sit. V. infr. in *Tympanum*. Turneb. Adv. XVII. 17. Vel potius enervatus, & effeminatus est: quales erant Cybelæ sacerdotes, & execti matris deum, manibus tympana gerentes, & pulsantes. *Turneb. ibid.* XXIV. 17. Virg. Æneid. IX. 619.

Tympana vos, buxusque vocat Berecyntia matris.

Malacus enim hoc loco describitur, cui *tympanum* convenit. Plaut. Pœn. V. 5. 38.

Cur non adhibuisti, dum istic loquereris, tympanum?
Nam te cinædum esse arbitror magis quam virum.

Taubman. in Plautum.

TYMPANUM in architectura pro ea parte fastigii (quod nostri frontispicium dicunt) accipitur, quæ intra fastigii ipsius coronices clauditur. Vitruv. III. 3. *Tympani autem, quod est in fastigio, altitudo sic est facienda*. Barbar. in Vitruvium. Baldus Lexic. Vitruv.

Tympanum est haustoria machina. Minute eam depingit Vitruv. X. 9. V. etiam supr. in *Rota*. Bald. Lex. Vitruv.

Tympanum erat instrumentum infra rotundum, supra planum, atque corio obductum, quod bacillis pulsabant: cujusmodi hodie equestria Germanorum, vel Afrorum *tympana*. Ab ea forma margaritarum quoddam genus *tympanum* vocat Plin. IX. 35. *Quibus una tantum est facies, & ab ea rotunditas, aversis planities, ob id tympana nominantur*. Isidor. III. 21. *Tympanum est pilis, vel corium ligno ex una parte extensum. Est enim pars media symphoniæ in similitudinem cribri. Tympanum autem dictum, quod medium est. Unde & margaritum medium tympanum dicitur, & ipsum, ut symphonia ad virgulam percutitur*. Lips. Milit. Rom. IV. dial. 10. Pignor. de Serv. p. 168. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 605. Phædr. III. 20. 4.

Galli Cybeles circum quæstus ducere
Asinum solebant bajulantem sarcinas,
Is cum labore, & plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.

Percutiebantur aliquando virgula. Plagarum meminit Phædr. ibid. n. 10.

Putabat se post mortem securum fore:
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

aliquando manu. Ovid. Met. IV. 30.

Femineæ voces, impulsaque tympana palmis.

Catull. LXIII. 8.

Niveis citata cœpit manibus leve tympanum.
Tympanum, tubam, Cybele tua mater initia:
Quatiensque terga tauri teneri cava digitis.

Sonitum expressit Catull. LXIII. n. 29. supr. in *Cymbalum*. Forma hæc fuit. Referebat prima facie cribrum, ut non immerito legamus in judicio coci & pistoris:

Tympana habet Cybele: sunt & mihi tympana cribri.

Pignor.

Pignor. de Serv. p. 170. Perizon. in Ælian. Var. Hist. IX. 3. Barth. Adv. LI. 10. Erant in sacris Cybeles. Claud. Eutrop. I. 278.

— habeas pro Marte Cybellen.
Rauca Celenæos ad tympana disce furores.

Catullus modo laudatus. Et ex illis etiam comedebant, ut ex cymbalo bibebant. Clem. Alex. Admon. ad gent. p. 11. B. V. illum supr. in *Cymbalum*. Jul. Firmic. de error. prof. relig. p. 23. hanc formulam sic refert: *De tympano manducavi, de cymbalo bibi, & religionis secreta perdidici: quod Græco sermone dicitur:* ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός. *Voss. de Idolol.* II. 53. *Nicol. de Ritu Bacchan. c.* 17.

Tympanum erat etiam lignum, quo sontes olim cædebantur. Schol. in Aristoph. Plut. II. 4. 62. *Tympana erant ligna, quibus in judiciis cædebantur puniendi.* Unde est τυμπανίζω, fortiter, & valide percutio. *Gerard. in Aristophanem. Rhodig. Antiq. Lect.* X. 5. In illo apud Græcos torquebantur homines. Hinc eum, qui sæpe in eo per tormenta cruciatus sit, crediderim a Plauto apud Priscianum *tympanotribam* vocari. Verba sunt Plaut. Truc. II. 7. 49.

Tympanotribam amas, hominem non nauci.

Turneb. Adv. XVII. 17. Genus tormenti fuisse clare liquet ex Paullo ad Hebr. c. 11. n. 35. qui, ubi vulgatus ait: *alii autem distenti sunt*, Græce ait ἐτυμπανίσθησαν, quod Suidas vertit fustuati, sive contusi, excoriati, & suspensi sunt. Ubi sciendum est, esse genus tormenti, quo valide, & fortiter distendebantur, & pulsabantur, uti pelles distentæ in *tympano*. De Eleazaro enim, & aliis fratribus dicitur 2 Maccab. c. 6. n. 19. præisse illos *ad tympanum*, ubi flagris cædebantur. In *tympano* enim loris, baculis, malleisque tundebantur. Non multum abit a supplicio Anaxarchi, de quo Laert. IX. 59. *Cerda Adv. c.* 81. *n.* 20. *Laurent. de Rebusp. c.* 7.

Tympanum est rota simplicior facta simplicibus ex tabulis, neque radios habet ullos. Virg. Georg. II. 444. V. illum, Serviumque, & Philargyrium ad illum supr. in *Rota*.

TYP.

TYPI erant parva signa in tabula marmorea sculpta, quæ non tota, sed dimidiata tantum extabant. Cicer. Attic. I. 10. *Præterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere.* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 7.

TYRANNI male de Republica meriti, si vel supplicio affecti fuissent, vel malo letho occubuissent, non sepeliebantur, sed insepulti abjiciebantur. Id non obscure indicat Antonius in oratione, quam habuit in senatu pro actis Cæsaris apud Appian. Bell. civ. II. p. 509. *Quod si ut tyrannus damnabitur, cadaver insepultum extra patriam exterminabitur.* Et in alia oratione p. 512. *Putatis neglectum spectaturos lacerum Cæsaris corpus trahi unco (sic enim legibus in tyrannos animadvertitur) in Tiberim? quasi id nihil ad se quondam ejus milites pertineat.* De Heliogabalo Lamprid. c. 17. *Tractus deinde per publicum, additaque injuria cadaveri est, ut id in cloacam milites mitterent. Sed quum non cepisset cloacula fortuito, per pontem Æmilium annexo pondere ne fluitaret, in Tiberim abjectum est, ne unquam sepeliri posset. Solus omnium principum & tractus est, & in cloacam missus, & in Tiberim præcipitatus. Quod odio communi omnium contigit, a quo speciatim cavere debent Imperatores: siquidem nec sepulcra merentur, qui amorem senatus, populi, ac militum non merentur.* Kirchman. Append. ad libr. de Fun. Roman. c. 7. Quensted. de Sepult. vet. c. 3. Morestel. Pomp. Feral. X. 7. Et illorum statuæ dejiciebantur, frangebantur, omni ludibrii genere afficiebantur, per Urbem trahebantur in Gemonias, tituli, & inscriptiones eradebantur, nigro colore oblinebantur, & luto inquinabantur. V. supr. in *Statua*.

TYRANNICIDÆ ob liberatam *tyrannide* patriam statuis ornabantur. Plutarch. in Brut. p. 984. A. *Junio Bruto prisci Romani in Capitolio mediam inter Reges posuere statuam ex ære, quæ strictum tenet ensem, quod fortissime regno pepulisset Tarquinios.* Haud dubie exemplo Atheniensium, qui *Harmodio, & Aristogitoni tyrannicidis publice posuerunt statuas.* Plin. XXXIV. 4. Val. Max. II. 10. ext. 1. *Figrel. de Stat. Roman. c.* 12. *Meurs. Ceram. gemin. c.* 16.

TYROCINIUM est prima militiæ, & eloquentiæ aggressio, primum militiæ, & eloquentiæ rudimentum, sive experimentum. Liv. XLV. 37. *Servius quidem Galba, si in L. Paullo accusando tyrocinium ponere, & documentum eloquentiæ dare voluit.* Et dies ipse, quo adolescentes illud posituri in forum deducebantur. Quintil. XII. 6. *Non est differendum tyrocinium in senectutem.* Unde Suet. Tib. c. 54. n. 1. *Diem utriusque* Neronis, & Drusi *tyrocinii congiario plebi dato celebravit.* Pollet. For. Rom. II. 7. Turneb. Adv. XII. 6. Bud. in Pandect. p. 190. H. p. 191. B. p. 251. C. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 298. Robortel. de Grad. hon. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. (43) C. Pitisc. in Suet. Aug. c. 26. n. 4. §. 18.

TYRONES dicuntur, qui rem quampiam aggrediuntur. In foro illi, qui pueritiam egressi, sumpta toga virili, in forum deducti eloquentiam auspicantur. Senec. Declam. Præf. III. *Ille in foro primum dictionis, tyro dictus est.* Robortel. de Grad. hon. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. (43). C. Laurent. de Natalit. c. 5. Manut. Quæs. Epist. III. 1. Hi dicebantur deduci. Suet. Aug. c. 26. n. 4. *Ut Cajum, & Lucium filios suo quemque tyrocinio deduceret in forum.* Quintil. XII. 6. *Ceterum illum, quem juvenem, tenerisque adhuc viribus nitentem in forum deduximus.* & produci. Plin. Epist. II. 14. *At hercule ante memoriam meam (majores natu ita solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente: tanta veneratione pulcerrimum opus celebrabatur.* Hac pompa fiebat deductio. Deducebantur in forum. Tacit. Annal. III. 29. 3. *Quo die primum forum ingressus es, congiarium plebi.* Suet. Ner. c. 7. n. 5. *Deductus in forum tyro, populo congiarium, militi donativum proposuit.* Et ex foro in Capitolium. Val. Max. V. 4. 4. *M. Cotta eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, Cn. Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, postulavit.* Unde ut insolens in Claudio principe notatur, quod non prius in forum, ut sollennis mos erat, sed in Capitolium statim fuerit deductus. Suet. Claud. c. 2. n. 5. *Togæ virilis die, circa mediam noctem, sine sollenni officio lectica in Capitolium latus est.* Et quidem a primario aliquo viro. Plinius modo laudatus. Sæpius a parente. Cicer. Attic. IX. 22. *Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi.* Suet. Tib. c. 15. n. 1. Tiberius *Romam reversus, deducto in forum filio Druso.* Convocabantur amici, & clientes. Plin. Epist. I. 9. *Si quem interroges, hodie quid egisti? respondeat, officio togæ virilis interfui.* Munera dabantur. Plin. Epist. X. 117. *Qui virilem togam sumunt, solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare.* Tacitus & Suetonius supr. laudati. Causas agere incipiebant. Valerius Maximus modo productus. Viris gravibus commendabantur. Tacit. Orat. c. 34. n. 1. *Juvenis ille, qui foro, & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, & jurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in prælio disceret.* Ideo notantur, qui sunt deducti *sine ullo honore.* Suet. Calig. c. 10. n. 2. *sine sollenni officio.* Suet. Claud. c. 2. n. 5. modo laudatus. *Dempster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin.* V. 32. *Pollet. For. Rom.* II. 7. *Pitisc. in Suetonii Augustum.* In militia *fortes pueri, quod ad militiam deleguntur,* L. *deliguntur, atque armis gerendis habiles existunt, hi enim non ex sola professione nativitatis, sed ex aspectu, & valetudine corporis existimantur,* L. *æstimantur, unde & tyrones dicti, quique antequam sacramento probati sunt, mili-*

tes non fiunt. Isidor. IX. 3. Incipiebant militare sub annum ætatis decimum septimum. V. supr. in *Ætas militaris.* Sigon. de Ant. Jur. civ. Roman. I. 15. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. X. 3. Valtrin. de Re milit. Roman. II. 4. Stewech. ad Veget. II. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 1102.

TZA.

TZANGÆ Græca fuerit hæc dictio, aut ab Arabibus petita, nihil moror. Sunt vestes Parthicæ, quas de vestiario suo Imperator sumi jubebat. Estque, ut reor, Parthicum vocabulum. Laneas alii malunt. Quod si auctoritate veterum facerent librorum, ego non refragarer. Sed cur ego conjecturam potius quam veram scripturam sequar? *Turneb. Adv.* XV. 20. Pretiosum Imperatoribus præbuerunt calceamentum: quibus nimirum aquilæ, quæ Imperatorum sunt insignia, gemmis, vel auro intextæ, vel adsutæ, singularem ornatum conciliabant. Codin. de Offic. aul. Constantinop. c. 5. n. 14. *Alterum calceamentorum genus, quæ dicuntur tzangia, habentia ad latus secundum suras, & ad plantas pedis aquilas ex lapillis, & margaritis, quæ fert Imperator ad ambulationes, & adorationes.* Georg. Phranzez protovestiarius in Chronic. III. 18. diserte *tzangas* illas nobis exhibet, atque in iis eximium Imperatoris insigne positum ostendit, ubi de capta Constantinopoli sic inter cætera loquitur. *Abluebant corpora mortuorum reliqui, si forte Imperatoris noscitarent, nec poterant: nisi quod corpus exanime invenerunt, idque ex Imperatorum calceamentis agnoverunt, in quibus, ut Imperatoribus consuetum est, aquilæ aureæ depictæ visebantur.* Purpureo colore erant insignes. Testis idem Phranzez, testis & Corippus laudati supr. in *Mulleus.* Erant propria, & singularia Imperatorum insignia, quemadmodum cœruleo tincti colore calcei, liliisque aureis opere Phrygio intextis exculti Regibus nostris sunt peculiares. Atque inde factum, ut cum forte aliqui, plus æquo pompatici cultus studiosi, *tzangas* illas aliquando auderent usurpare, Arcadius & Honorius, ut habetur in C. Th. XIV. 10. 2. *tzangarum* usum *exilio, & confiscatione bonorum* inhibuerint. *Balduin. de Calc. c.* 18. *Buleng. de Imperat. Rom.* II. 7. *Du Fresne Glossario. Cujac. Observ.* XXI 28. *Demster. Paralip ad Rosin. Antiq. Roman.* V. 36. Fuerunt ex pellibus Parthicis. Trebell. Claud. c. 17. *Tzanchas de nostris Parthicas paria tria.* Corippus in descriptione calceorum Justini Imperatoris laudatus supr. in *Calceus.* Ubi *Parthica tergora* vocat corium molle ex Parthicis pellibus, quæ mollissimæ erant, & adhibebantur ad calceos Imperatorum. *Salmas. in Trebellium, Byn. de Calc. Hebr.* I. 2. 5. *Petav. in Themist. Orat.* XIV. *p.* 680. Ego non quæro, an imperatorium, & an aquilis, & margaritis distinctum: solum esse genus calceamenti. Et putem rusticum fuisse calceamentum. Eo me ducit præter codicem Theodosii laudatum testimonium Synodi Aurelianensis Can. 22. *Monachos orarium in monasterio, vel tzangas habere non liceat.* Non est dissimile apud Hispanos, quod nunc *zancas* dicitur: est autem e palo apud nostrates. *Cerda Adv. c.* 112. *n.* 18.

V.



& B ferme pro iisdem ponuntur invicem sæpe in veteribus monumentis. V. supr. in *B.*

V cum F plurimum habet notissimæ affinitatis. Festus: *Advosem adversarium significat, & hostem.* Ego sentio vocem hanc, vel obscuritatis habere nimium, vel esse interversam, & corruptam, legendumque *advostem. Advostis* inde arcessetur, quod idem Festus *fostem* pro *hoste* dictum scribit antiquis, ut *fœdum* pro *hœdo.* Fruter. Verisl. II. 12. Valef. in Ammian. XXIII. 1.

V loco I scribere adeo Romæ ab antiqua consuetudine inoleverat, ut *Optimus, Maximus,* mediam I literam, quæ veteribus V fuerat, acceperint. *Ant. Inscr. Scip. Barb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1837. *C. Noris. Cenot. Pisan.* IV. *p.* 472. *Pigh. Antiq. Rom.* II. *p.* 405.

V & E olim sine discrimine ponebantur. Sic Festus: *Enubro inhibenti.* Sed alio loco *inebras aves* dicit, quæ in auguriis prohibent, ac omnia tardantia, & remorantia *inebra* vocari. *Turneb. Adv.* III. 4.

V & O permutabantur. V. supr. in *O.*

V in Y frequenter mutabatur, cum nomina propria scriberentur. Hinc promiscue dixerunt *Sullam, & Syllam: Suriam, & Syriam: Borustenem, & Borystenem: Illuricum, & Illyricum: Thulen, & Thylen:* & similia. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 21. *a. A. Noris. Cenot. Pisan.* IV. *p.* 440.

VAC.

VACARE postulationibus dicitur, qui libellos supplices audit, & requæstas, ut vulgus, expedit. Plin. VII. 33. 4. *Senecio cum explorasset consules postulationibus vacaturos, convenit me: &, qua concordia, inquit, injunctam nobis accusationem exequuti sumus, hac adeamus consules, petamusque, ne bona dissipari sinant, quorum esse in custodia debent.* Bud. in Pandect. p. 88. A. Pollet. For. Roman. IV. 8. Cellar. in Plinium.

VACATIO militiæ dabatur anno ætatis quadragesima quinto finito. V. illam supr. in *Ætas militaris.*

VACCA alba Junoni offerebatur. V. supr. in *Juno.* Sterilis Proserpinæ. V. supr. in *Proserpina.*

VACCI PRATA sunt appellatæ ædes Vitruvii Vacci dirutæ, & solo publicato. *Vaccus* hic dux fuit belli a Romanis contra Privernates gesti. Liv. VIII. 19. *Eodem anno Privernas bellum initum, cujus socii Fundani, dux etiam Fundanus fuit, Vitruvius Vaccus; vir non domi solum, sed etiam Romæ clarus. Ædes fuere in Palatio ejus, quæ Vacci prata, diruto ædificio, publicatoque solo appellata.* Nardin. Rom. Vet. VI. 15. Landus Vet. num. Roman. Explic. Misc. Ital. I. p. 388. Alex. Gen. dier. III. 23. Augus. de Famil. Roman. in Plautia.

VACUNA dea *vacationibus* præesse dicebatur. De illa Ovid. Fast. VI. 307. V. illum supr. in *Festum Vestæ.* Horat. Epist. I. 10. 49.

Hæc ego dictabam post templum putre Vacunæ.

Ubi Porphyrio: *Vacuna apud Sabinos plurimum colitur dea, quæ est sub incerta specie formata: quidam Minervam, alii Dianam putaverunt: nonnulli & Cererem esse dixerunt; sed Varro Victoriam.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 52. C. X. p. 323. F. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 161. Voss. de Idolol. VIII. II. Lipen. de Stren. I. §. 6. Hospin. de Fest. Ethnic. p. 232. Laurent. Var. sacr. gent. c. 18. Non tantum *vacantium* & otiosorum fuit dea: sed etiam eorum, qui vel crimine, vel calumnia, vel contumelia denique, & maledicto *vacui* reddebantur. Eam facio conjecturam ex eo, quod scribit Auson. Epist. IV. 101.

Totam trado tibi simul Vacunam,
Nec jam post metues ubique dictum.

id est, *vacuum* te jubeo esse, liberum, & immunem ab omni dicto, & contumelia. *Turneb. Adv.* II. 23.

VACUNALIA dicebantur sacra *Vacunæ,* quæ agricolæ, quum a laboribus *vacarent,* post perceptos fructus, & agrorum cultus mense Decembri celebrabant. Ovid. laud. supr. in *Vacuna.* Hospin. Fest. Ethnic. p. 232. Gyrald. Synt. deor. X. p. 323. F. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 18.

VACUUM veteres latus tesseræ, in quo unitas tantum erat notata, vel unicum punctum, appellarunt: plenum vero illud, quod sex puncta habebat. *Salmas. in Vopisc. Procul. c.* 13.

VAD.

VADARI ut liceret eum, quem libello descripserat, petebat primum a prætore, qui actionem habebat, ex qua cum alia experiretur, hostem in jus provocaturus. De Euclione sene avarissimo Plaut. Aul. II. 4. 37.

Pulmentum pridem ei eripuit milvus,
Homo ad prætorem plorabundus devenit:
Insit ibi postulare, plorans, ejulans,
Ut sibi liceret milvum vadarier.

Vadari autem, vel *convadari*, est in jus citare die dicta. Horat. Sat. I. 9. 36.

—— & casu tunc respondere vadato
Debebat.

id est, adversario, qui eum in jus vocaverat. Cicer. pro Quint. c. 19. *Vadari vis? promittit. In jus vocas? sequitur. Judicium postulas? non recusat.* Sed hujusmodi *vadatio* in hunc morem expediebatur. Actor, vel petitor per se, non per apparitorem, ut nunc, instructus libello ad hostem veniebat, advocatisque aliquot testibus citabat die dicta, atque, ut testes meminissent facti *vadimonii*, illis auriculam vellebat. De libello Plaut. Curc. I. 3. 5.

Ubi tu es, qui me convadatus es Venereis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citasti? ecce me sisto, ades contra:
Sisto ego tibi me, & mihi contra itidem te ut sistas, suadeo.

De testibus advocatis, rogatisque, quos ICti adhibitos vocant, Liv. III. 44. *Vocat puellam in jus auctoribus, qui aderant, ut sequeretur.* De auricula Horat. Sat. I. 9. 76. V. illum supr. in *Antestari.* Pollet. For. Rom. v. 1. Bud. in Pandect. p. 29. D. Sigon. de Judic. I. 20. Salmas. de Mod. usur. c. 16.

VADATIO, vel in jus vocatio fuit priscis temporibus tertia litis præparatio, si res in conventu convenire non potuerat. Quid *vadatio* fuerit, V. supr. in *Vadari.* Inter *vadari*, & in jus vocari hoc intererat, quod I. *vadatio* non præsens erat, sed in diem, locumque certum fiebat. In jus vocatio erat præsens, & momentanea. Cicer. pro Quint. c. 19. V. illum supr. in *Vadari.* II. *Vadatio* sine vi fiebat, in jus vocatio invito vim adferebat, propter legem XII. tabularum. V. illam supr. in *Jus.* Hotman. de Lite ordin. c. 3.

VADES quomodo differant a prædibus, V. supr. in *Præs.* Erant locupletes sponsores rei in judicio ad diem dictam sistendi, aut mulctam, qua damnatus esset, solvendi. *Vas erat, qui pro altero vadimonium promittebat.* Varr. de Ling. Lat. v. 7. *Sigon. de Judic.* I. 20. Atqui vadimonium non promittit *vas*, sed unde petitur, seu provocatus in jus, ut inferius ipse Sigonius recte dicit. Gocl. in Appendice ad Pilatum judicem censet locum Varronis esse corruptum, & in eo *spondet* librariorum vitio esse omissum. Sic vero putat scripsisse Varronem: *Vas appellatus, qui pro altero spondet, qui vadimonium promittebat.* Qui *pro altero* nimirum in judicium vocato, *qui vadimonium promittebat*, n. petitori, qui cum *vadabatur*, ei promittebat se dicta die præsto futurum unde petitur, & hoc illum præstiturum spondebat *vas.* Nam *vadimonium* non est itio in jus pro altero, sed est promissio dato vade se sistendi in judicio, quod faciebat is, qui vocatus erat in jus. Is promittebat *vadimonium*, quod est, promittebat se die, quem finierat prætor, in judicium venturum, & ne petitor dubitaret de ejus fide, *vadem* dabat, qui pro illo spondebat. Dato *vade* licebat in jus vocato *vadere*, donec dies respondendi in judicio venisset. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Præfat. Tom.* II. * * * * * 2. *Vades* si dati non essent, reos in carcerem conjiciebant, atque ibi eos usque ad diem judicii asservabant. Liv. III. 13. *Virginius* tribunus plebis *arripi jubet hominem*, Cæsonem, cui diem capitis dixerat, *& in vincula duci. Patricii vi contra vim resistunt. T. Quintius clamitat, cui rei capitalis dies dicta sit, & de quo futurum propediem judicium, eum indemnatum indicta causa non debere violari. Tribunus supplicium negat sumpturum se de indemnato; servaturum tamen in vinculis esse ad judicii diem, ut qui hominem necaverit, de eo supplicii sumendi copia populo Romano fiat. Appellati tribuni medio decreto jus auxilii sui expediunt, in vincula conjici vetant: sisti reum, pecuniamque, ni sistatur, populo promitti placere pronuntiant. Vades dare placuit: vadem unum tribus millibus obligarunt: quot darentur, permissum tribunis est, decem finierunt, tot vadibus accusator vadatus est reum. Hic primus vades publicos dedit.* XXV. 4. *Tribuni plebis omissa multæ certatione rei capitalis diem Postumio dixerunt; ac, ni vades daret, prehendi a viatore, atque in carcerem duci jusserunt. Postumius vadibus datis non affuit.* Sigon. de Judic. III. 7. Proprie *vas* est, qui citatus in judicium ire debet, ὁ βὰς. Est enim principalis reus, qui sese ad diem dictam sistere judicio tenetur, & ire, vel *vadere*, quo est vocatus. Quem vero sponsorem pro se dat, ut nisi erit ipse, pœnam qui pro eo fidejussit vicem ejus subeat, is etiam *vas* appellatus, quasi qui pro *vade* promiserit, eum iturum in judicium. Sic ergo cum *vas*, ὁ βὰς, vere ille esset, qui vocatus in jus *vadere* deberet, qui exhibiturum se eum judicio cavebat, quasi *vadendi*, & in jus eundi pro alio sponsor, *vadis* quoque nomen nactus est, quia pro *vade* caveret. *Vadem* id significare quod diximus, nempe ipsum qui *vadere* in jus die dicta debet, verbum *vadari* ostendit: quod non solum spondere est, & *vadem* se pro alio constituere; sed in jus vocare, & denuntiare alicui, ut in jus eat, diemque illi dicere, ut sit *vas*; hoc est, in jus ambulet. Optimæ glossæ: *Vadatur*, κατεγγυᾶται, μετὰ παραγγελίας συντάσσεται. Utramque significationem attigit. Nam μετὰ παραγγελίας συντάσσεσθαι est constituere alicui diem, cum denuntiatione, qua in jus ire debeat. Plautus, & Horatius. V. illos laudatos supr. in *Vadari.* Hinc *vadimonium* promittere hic sponsor dicebatur, hoc est, itionem in jus pro alio. Fallitur enim si quis putat, in ea locutione *vadimonium* esse sponsionem. Quid enim esset, sponsionem promittere? Idem nempe, quod promittere promissionem. *Vadimonium* est τὸ βάδος, ἡ βάδισις. Attici hoc vocabant εἰς τοὐμφανὲς κατάστασιν. Quod Hesychius interpretatur ἐμφανείας ἐγγύην, *exhibitionis sponsionem.* Inde & *vadimonium* duas quoque res significat, ipsam ἐμφάνειαν, & ἐμφανείας ἐγγύην, quia ut dixi, *vadis* nomen duo etiam denotat, eum cui dies dicta est, & in jus ire debet, & illum qui pro illo fidejussit. Ergo & *vadimonium* facere dicitur, qui se sistit judicio, & exhibet, non qui sponsionem facit. Plaut. Epid. v. 2. 19.

Vadimonium ultro hic mihi facis.

id est, ultro te exhibes, ultro te εἰς τοὐμφανὲς καθιστᾷς, ultro te ἐμφανίζεις. Et *vadimonium in posterum diem facere* apud Val. Max. III. 7. 1. est ἐμφάνειαν παρασχεῖν, sisti, adesse. *Vadimonium* in hac locutione non est ἐγγύη ἐμφανείας, ut docti viri hactenus crediderunt, sed ipsa ἐμφάνεια, haud minus quam in istis: *ad vadimonium venire, occurrere, vadimonium obire, deserere, differre*, & similibus. Prætor, qui *differt vadimonium*, non differt sponsionem, sed ipsam ἐμφάνειαν rei, qua se debet sistere coram ipso. *Vadimonium obit* reus, non sponsionem, sed ἐμφάνειαν, qua se sistit. Atque ita de cæteris. Differentia significationis maxime dilucet in istis duabus locutionibus, *vadimonium facere, & vadimonium præstare.* Nam in priore *vadimonium* est ipsa ἐμφάνεια, in posteriore est ἐγγύη. *Vadimonium* quippe *præstare* est, quod Græci dicunt ἐγγύην δοῦναι, ἱκανοδοσίαν δοῦναι, καὶ παρασχεῖν. Glossæ: *vadimonium*, ἱκανοδοσία. Nep. XXV. 9. 4. *Fulviæ nunquam vadimonium præstiit.* At in illis *vadimonium facere* nemo potest *vadimonium* pro sponsione, & ἐγγύη interpretari. Egregie hoc discrimen ostendit Senec. de Brev. vit. c. 6. *Quantum vadimonia sua, atque aliena occupent.* Ubi *sua vadimonia* sunt ἡ ἰδία ἐμφάνεια, quibus suo nomine in jus quis ire citatus debet. At *aliena*, quibus alium promittit aliquis se exhibiturum. *Salmas. de Mod. usur. c. 16. Oizel. in Gell.* XVI. 10. V. etiam *Pollet. For.*

Rom. v. 1. *Pith. Sulcef.* 1. 18. *Bud. in Pandect. p. 29. D. Turneb Adv.* XII. 8. *Sigon. de Judic.* 1. 20. *Ferret. Muf. Lapid.* II. 8.

VAG.

VAGINA erat theca cultrorum facrificialium. De hac ita fcribit Bartholomæus Marlianus : *Vagina* adeo notæ fignificationis eft, ut nulla prorfus alia indigeat declaratione, nifi dixerimus fuiffe thecam gladiorum, quam bullis æneis auratis, aut etiam argenteis ornatam fuiffe exiftima dum eft, in qua cultri omnes, nempe dolabrum, fecefpita, & alii omnes cultri ad varios ufus facrificiorum recondebantur, peractis facrificiis, quam unus e victimariis, feu facrificulis de zona pendentem geftabat. *Stuck. de Sacrif. p. 177. Choul. Relig. Vet. Rom. p. 264.* & *Saubert. de Sacrif. c. 17.*

VAGITANUS *vocabatur deus, qui in vagitu os aperiebat.* Augift. de Civit. Dei IV. 11: *Tomaf. de Donar. c. 10. Gyrald. Synt. deor.* 1. *p. 48. B. Stuck. de Sacrif. p. 45. Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p. 154. Blond. Triumph. Rom.* 1. *p.* 12. *A.*

VAGULATIO quid fuerit V. fupr. in *Obvagulatio.*

VAL.

VALACHIA. V. illam fupr. in *Dacia.*

VALE erat formula difcedentium in digreffu. Virg. Æneid. II. 789.

Jamque vale, & nati ferva communis amorem.

Ubi Servius : *Recedentis fignificatio eft, unde & de mortuis dicitur.* XI. 98.

Æternumque vale, nec plura effatus.

Ubi Servius : *Ergo cum mortuo vale dicitur, non etymologia confideranda eft, fed confuetudo, quod nullis vale dicimus, nifi a quibus recedimus.* Suet. Aug. c. 53. n. 6. *Difcedens eo modo fedentibus fingulis valedicebat.* Stuck. Ant. Conviv. II. 31. Pitifc. in Suetonium. Claude de Salutat. vet. c. 3. & 9.

Vale erat formula contemnentium, & maledicentium. Serv. Æneid. XI. 98. *Hinc*, a valedicendo in receffu, *ortum eft, ut maledicti fignificationem obtineat, ut Terentius, valeant, qui inter nos diffidium volunt, hoc eft, ita a nobis recedant, ut nunquam ad noftrum revertantur adfpectum.* Lucian. Apol. pro lapf. inter falut. p. 496. *Nec folum illis erat benevolentiæ, fed etiam odii fymbolum, cum fignificarent nihil amplius inter fe commercii fore. Nam qui longum valere dixiffet, innuebat fe non amplius curaturum.* Claude de Salutat. vet. c. 3.

Vale erat formula ufitata in fine epiftolarum. Julian. Epift. 3. *Vale, frater fuaviffime, & cariffime.* 44. *Vale, mihi optatiffime, & cariffime frater.* Ovid. Heroid. XXI. 248.

Reftat, ut adfcribat litera noftra, vale.

Claude de Salutat. vet. c. 9.

Vale erat formula, tum morientium. Suet. Aug. c. 100. n. 2. Auguftus *in ofculis Liviæ, & in hac voce defecit : Livia noftri conjugii memor vive, ac vale.* Plaut. Afin. III. 3. 16.

AR. *Vale.* PH. *Quo properas?* AR. *Bene vale, apud orcum te videbo.*

Urfat. de Not. Roman. Thef. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 583. A. Guther. de Jur. man. I. 11. La Chauffe de æn. antiq. lucern. tab. III. Pitifc. in Suetonium. Tum jam compofitis illud inclamantium. Virg. Æneid. II. 644.

Sic, o fic pofitum affati difcedite corpus.

Ubi Servius : *Senfus talis eft : præftate mihi vos funebre folatium : hoc eft, affamini me, ut dici mortuis folet, Vale, Vale, Vale.* Catull. XCIX. 7.

Nunc tamen interea, prifco quæ more parentum
Tradita funt, triftes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu :
Atque in perpetuum frater ave, atque vale.

Kirchman. de Funer. III. 9. Moreftell. Pomp. Feral. VIII. 7. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 533. D. de var. fepel. rit. c. 12. Ferret. Muf. Lapid. IV. memor. 24. & 30. Stuck. Ant. Conviv. II. 31. de Sacrif. p. 220. Nicol. de Luct. Græc. c. 8. §. 3. Vinding. in Dict. Cretenf. IV. 11. Claude de Salut. vet. c. 9. V. & fupr. in *Salve.* Et tandem fepulcra prætereuntium. Afclepiad. Cicer. tumul. v. 7. Catal. p. 158.

Si quis in hoc faxo Tulli legis advena nomen,
Non dedigneris dicere, Marce vale.

Incertus in Timonem Floril. III. 7. 14.

Ne falutem mihi dicas, malum caput, fed præteri.

Claude l. l.

Vale etiam formula fuit falutationis vefpertinæ. Dio. V. illum fupr. in *Salve.* Suetonius. V. illum fupr. in *Salutatio.*

VALENTIA a juventute Latina appellata eft a viribus gentis Urbs, quam Aborigines in monte, cui nunc Palatium nomen eft, quo frequentiffimi convenerant, condiderunt, & ob pugnandi robur Romin appellarunt. Quod nomen adventu Euandri, & Æneæ in Italiam cum magna Græce loquentium copia interpretatum eft, fervataque fignificatione impofiti prius nominis, Roma iterum pro *Valentia* dici cœpta eft. Solin. c. 1. *Sunt, qui videri velint Romæ vocabulum ab Euandro primum datum, cum oppidum ibi offendiffet, quod exftructum antea Valentiam dixerat juventus Latina : fervataque fignificatione impofiti prius nominis Romam Græce Valentiam nominatam.* Panvin. Defcr. Urb. Rom. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 210. D. Donat. de Urb. Rom. I. 1. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 1. §. 2. Ῥώμη Græce proprie eft *Valentia* Latine. Nam ἐῤῥῶσθαι eft *valere.* Gloffæ: Ῥώμη, *Valentia.* Ita vocarunt robur corporis, quod & ipfum ex eadem origine venit. Nam ῥῶμος, & ῥώμη ἀπὸ τοῦ ῥώεσθαι. Æolicum ῥῶμος & ῥῶσος. Inde Latinum *robur.* Salmaf. in Solinum. Hinc Gotefrid. Viterb. in Pantheo :

Quæ modo Roma fonat, fuit ante Valentia dicta.

Barth. Adv. X. 2.

VALERIA gens. V. illam fupr. in *Gens.*

Valeria fuit urbs Latii in via Valeria. Strab. V. p. 164. *Sunt in ea,* via Valeria, *urbes Latinæ, Valeria. . . .* Bonifacii IV. pontificis patria, nunc exftincta. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 54. Defcr. Urb. Rom. Thef. Antiq. Rom.* III. *p.* 387. *C.* Anaftaf. in vita Bonif. IV. *Natione Marforum de civitate Valeria.* Nomen vero Marforum eo ævo fumebatur latius. Tabulæ dicitur Varia. Non eft dubium effe idem oppidum, quod nunc in dextra Anienis ripa vulgo vocatur Vico Varo ; quando & nomen, & intervallum probe conveniunt. Apud Strabonem igitur forte etiam fcriptum fuit Οὐαρία, *Varia :* quod vocabulum poftmodum exfcriptores corrupiffe videntur in Οὐαλερία, fcilicet, quia id oppidum in via *Valeria* pofitum erat. *Cluver. Ant. Ital.* II. 16. 7.

VALETUDINARIUM eft locus male valentium, & fe curantium. Colum. XI. 1. *Si quis fauciatus in opere noxam ceperit, five languidior eft, in valetudinarium confeftim deducatur.* Senec. Epift. 27. *Non fum tam improbus, ut curationes æger obeam : fed tanquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor, remedia communico.* de Ira I. 16. *Si intraffem valetudinarium exercitatus, & fciens, aut domum divitis, non idem imperaffem omnibus, per diverfa ægrotantibus.* Gloffæ prifcæ: *Valetudinarium,* ὑγιαστήριον, διαιτητήριον. Talis locus videtur fuiffe in ædibus divitum, ubi numerofa familia. *Lipf. & Gruter. in Senecam. Mercur. Var. Lect.* I. 13. *Grapald. de Part. dom.* II. 7. 1. In caftris pertinebat ad curam præfecti caftrorum. Veget. II. 10. *Præterea ægri contubernales, & medici, a quibus curabantur, expenfæ etiam ad ejus,* præfecti caftrorum, *induftriam pertinebant.* Macer Ictus inter munia tribuni recenfet *infpicere valetudinarios.* Principum,

pum, tribunorumque, & comitis etiam diligentiæ commendat Veget. III. 2. *Ut ægri contubernales opportunis cibis reficiantur, ac medicorum arte curentur, principum, tribunorumque, & ipſius comitis, qui majorem ſuſtinet poteſtatem, jugis quæritur diligentia.* Magni quin imo Imperatores non habebant ſatis delegare hanc provinciam quantumvis principibus viris, niſi & ipſi ſuſciperent. Inviſere ægros, & ſaucios non primores tantum, ſed manipulares, ſuſtentare cura, alloquio, ope, ſibique, & bello firmare, occurrit paſſim apud veteres inter laudes Imperatorias. Paterc. II. 114. I. *O rem dictu non eminentem, ſed ſolida, veraque virtute, atque utilitate maximam, experientia ſuaviſſimam, humanitate ſingularem! Per omne belli Germanici, Pannonicique tempus, nemo e nobis, gradumve noſtrum, aut præcedentibus, aut ſequentibus imbecillus fuit, cujus ſalus, ac valetudo non ita ſuſtentaretur Cæſaris*, Tiberii, *cura, tanquam diſtractiſſimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. Erat deſiderantibus paratum junctum vehiculum; lectica ejus publicata, cujus beneficium cum alii, tum ego ſenſi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc ſolum importatum inſtrumentum balnei, nullius non ſuccurrit valetudini.* Similem ægrorum curam in ſe ſuſceperunt Germanicus apud Tacit. Annal. I. 71. 3. Trajanus apud Xiphilin. LXVIII. p. 772. E. Suidam, & Plin. Paneg. c. 13. §. 3. Adrian. apud Spartian. c. 9. & 10. Alexander Severus apud Lamprid. c. 47. *Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1048. *E. Lipſ. & Baud. in Plinium.*

VALGIA. V. ſupr. in *Suavia.*

VALLI ſunt ſedes in luſu latrunculorum, in quibus veluti cluſi tenentur latrunculi. V. illos ſupr. in *Mandræ.*

VALLIS Egeriæ. In hanc extra portam Capenam deſcendebatur. Juvenalis, qui amici ſui Umbricii diſceſſum ex Urbe Cumas enarrat, & cui ipſe uſque ad hanc Egeriæ *vallem* deductionis officium præſtitit, hoc docet Sat. III. 17.

In vallem Egeriæ deſcendimus, & ſpeluncas
Diſſimiles veris.

Nardin. Rom. Vet. III. 3. V. etiam ſupr. in *Templum Fortunæ virilis.*

Vallis Martia, cujus meminit Caſſiodorus laudatus ſupr. in *Circus Maximus*, eſt Mauſoleum Auguſti: ab hoc innuit ſex portis dimiſſos junctos equos, qui per Equiria in Flaminium circum currerent: ut conſtare credamus locum, cui nunc Agoni eſt nomen, circum fuiſſe Flaminium. *Blond. Rom. Inſtaur.* III. §. 34. Qui, cum Caſſiodori locum non intelligeret, male illum eſt interpretatus. Et tamen invenit hujus ſomnii ſui laudatores Fulvium & Marlianum, niſi quod de ſitu circi Flaminii ab illo diſſentiunt. Hinc *vallis Martia* a pleriſque omnibus antiquariis communi conſenſu credita eſt illa planities, quæ campo Martio confinis inter Tiberim & collem hortulorum, interque Ripettam, & portam Flaminiam extenditur, donec a noſtræ memoriæ ſcriptoribus veritas accuratius inveſtigata, repertaque fuit. Loquitur enim Caſſiodorus abſque ulla controverſia de circo maximo, ejuſque ludis: quapropter quam ipſe *vallem Martiam* appellat, nos hodie *circorum* nominamus. V: ſupr. in *Circus maximus.* Nardin. Rom. Vet. VII. 2.

VALLUM caſtrorum ex ceſpite aggeſta humo, aut mole, & aggere contra fluminum impetus: nonnunquam ducta ingenti foſſa, vel lapidum congeſtis molibus: plerumque arboribus objectis, prout materia ſuppetebat, a tyronibus, præfecti caſtrorum juſſu, communiebatur: tantæ craſſitudinis, quod nullo telo, nulloque tormento trajici poſſit. *Alex. Gen. dier.* I. 12. Hygin. de Caſtram. p. 1025. *Vallum loco ſuſpectiori exſtrui debet ceſpite, aut lapide ſaxo, ſive cæmento: ſufficient latitudini octo, altitudini pedes ſex.* Vulgaris *valli* materia, ceſpites, & terra, unde & ab aggeſtu terræ dictus agger; ut & Græcis χῶμα, & χῶσις, ἀπὸ τοῦ χωννύειν, quod eſt aggeſtu terræ, vel glebarum obruere. Inde foſſa, & terreus agger, militare ſepimentum dicitur. Varr. de Re Ruſt. I. 14. *Tertium militare ſepimentum eſt foſſa, & terreus agger.* Re ita exigente, & dante loci natura, ſtruebatur etiam lapidibus *vallum*, vel materia, ſive concædibus (ὕλην Græci vocant) ſed frequentiſſime ceſpite. Hic vulgaris later militaris faciendo caſtrorum muro exſcindebatur: nec temere, aut pro lubitu cujuſque, ſed ad certam normam, formamque, ut lateres. Veget. III. 8. *Ceſpes circumciditur ferramentis, qui herbarum radicibus continet terram: fit altus ſemiſſem, latus pedem, longus pedes ſemis.* Plin. XXXV. 14. *Hinc & ceſpitum natura, caſtrorum vallis accommodata.* Liv. XXV. 36. *Circumſpectare atque agitare dux cœpit, ſi quo modo poſſet vallum circumjicere; ſed erat adeo nudus tumulus, & aſperi ſoli, ut nec virgulta vallo cædendo, nec terra ceſpiti faciendo, aut ducendæ foſſæ, aliive uni operi apta inveniri poſſet.* Hi ceſpites inter ſe ordinati ad inſtar muri poſt foſſam collocabantur, & aggerem faciebant, & ſupra illum valli defigebantur denſiſſimi. Lapide & ſaxo quadrato in æſtivis murus exſtruebatur interdum. Virg. Æneid. XI. 473.

Præfodiunt alii foſſas, aut ſaxa, ſudesque
Subvectant.

Tacit. Annal. XII. 33. 3. *Tunc montibus arduis, ut ſigna clementer accedi poterant, in modum valli ſaxa præſtruit.* Aliquando brachium appellatur. V. ſupr. in *Brachium.* Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1117. D. Lipſ. de Milit. Rom. V. dial. 5. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 5. Valtrin. de Re milit. Rom. IV. 5. Tiraquell. in Alexandrum. Choul de Caſtramet. Rom. p. 22. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 3. Ejus itaque partes ſunt duæ: agger & vallus. V. illos ſuis locis.

VALLUS erat palus ligneus, duos, treſve, ad ſummum quatuor ramos habens. Hi ramis ſuis inter ſe ita complicabantur, ut ne manus quidem interponendæ ſpatium eſſet, neque ſine ingenti labore revelli poſſent. Polyb. XVII. 14. & 15. Prop. IV. 3. 19.

Occidat, immerita qui carpſit ab arbore vallum.

Valtrin. de Re milit. Rom. IV. 4. Virg. Georg. II. 25.

Quadrifidasque ſudes, & acuto robore vallos.

Ubi Servius: *Bis idem dixit: nam & valli, & ſudes idem ſunt.* Sudium vox creberrima. Val. Max. VII. 6. 5. *Eamque tragulis, & pilis, quia roboreæ ſudes deerant, magiſtra novæ molitionis neceſſitate uſus, vallavit.* Ex robore ſumunt Virgilius, & Valerius Maximus: ex acere Prop. IV. 4. 7.

Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno.

Sed non eſt dubium, quin e quocunque, & obvio ligno, robuſto tamen, cum daretur. Non fuerunt *ex æquabili, & ſimplici ligno, ſed habuerunt duas eminentias, & velut cornua, aut tres, aut quatuor.* Ita illos deſcribit Polyb. XVII. 14. Significat ramos in majore ſtipite, qui reciſi ut cornua eminebant. Tales præſertim in ſummo erant. Oſtendit Polybius, dum dicit: *ſtudioſe acutas fuiſſe eminentias illas vallorum:* & cauſam addit, ne quis facile poſſet apprehendendo evellere, lubrico ſcilicet ligno. Cauſa etiam altera in promptu, contra tranſgreſſum, aut tranſcenſum. In aggere terreo erant defixi. Veget. III. 8. *Super aggerem valli, hoc eſt, ſudes, vel tribuli lignei, per ordinem digeruntur.* Itaque longiuſculos fuiſſe oportet hos *vallos*, cum pars in terram defigeretur, firmamenti cauſa, & pars emineret. Etſi implexos, & devinctos inter ſe jam dixerit Polybius. Hæc ratio *vallandi* antiquis etiam Græcorum fuit uſurpata. Nam Homerus Agamemnonem ſic facit caſtra ædificare ad Trojam Iliad. IX. 349.

Et murum conſtruxit, & hunc fodit prope foſſam,
Latam, atque ingentem, & vallos poſuit quoque in ipſa.

Lipſ. de Milit. Roman. V. 5. Thyſ. Rom. Illuſtr. V. p. 118. Hos præter arma plures, aut pauciores debebant milites geſtare. Horat. Epod. IX. 13.

Fert vallum, & arma miles.

Cicero laudatus ſupr. in *Cibaria.* Septenos apud Liv. Epit. LVII. *Militem ad ſeptenos vallos ferre cogebat.* Duodenos apud eundem III. 27. *Dictator jubet, quicunque ætate militari eſſent armati cum cibariis in dies quinque coctis, valloſque duodenis ante ſolis occaſum Martio in campo adeſſent.* Valtrin. ibid. c. 4. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 3. Lipſ. ibid. c. 11. Thyſ. Rom. Illuſtr. V. p. 134. Sed hæc rariora: ex uſu, & more ferebant ternos, aut quaternos. Polyb. XVII. 14. *Unus vir fert tres, aut quatuor vallos ſimul eos componens.* Iſti ferebantur, ut ſtatim liceret *vallare* ſe, & munire, ſi caſtra ſubito locanda, aut alia neceſſitas eſſet. Cogita numerum militum, qui fuere in conſulari exercitu ſupra ſedecim millia: ter, aut quater tot *vallos*: profecto denſa, & firma munitio ſtrui potuit, contra equitem peditemque. Ita nec in agmine facile fuit eos opprimere, aut diſſipare. *Lipſ. & Thyſ. l. l.*

VALVÆ ſunt, quando eadem janua complicatur, inque ſeipſam revolvitur; eoque egredientes ab uno latere valvas habent. Græcis θυραὶ δικλίδες: diſtinguuntur in eo a januis & foribus, quæ Græcis δίθυροι dicuntur, quod hæ utrinque ſuos habent cardines, inque medio connivent, ac junguntur. *Sagittar. de Jan. vet. c. 4. §. 1. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 651. a. D.* Illis præcipue muniti erant templorum aditus. Cicer. Verr. I. 23. *Hæc quidem duo ſigna pulcerrima, quæ nunc ad impluvium tuum ſtant; quæ multos annos ad valvas Junonis Samiæ ſteterunt, habes, quomodo emeris.* IV. 43. ubi de militibus Verris, qui impetu in Herculis ædem facto ſignum dei demoliebantur: *Poſtea convulſis repagulis, effractiſque valvis, demoliri ſignum, ac vectibus labefactare conantur.* Sagittar. ibid. c. 4.

VAN.

VANNUS eſt inſtrumentum vimineum, latum, forma plana, cujus motu frumentum excuſſum purgatur, ut quod leviſſimum evolet, & quod ponderoſum purum remaneat. Philarg. Georg. I. 166. *Vannus eſt vas vimineum latum, in quod propter capacitatem ruſtici congerere frugum primitias ſolent, & Libero ſacrum facere. Unde myſtica dixit: eſt autem uſus ejus, ut vannet fabam.* Ruben. de numm. Aña recepta Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1372. D. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 11. Inter ceremoniarum inſtrumenta ſacra adhiberi ſolebat. In deſcriptione pompæ Iſiacæ Apul. XI. p. 372. *Quintus auream vannum aureis congeſtam ramulis ferebat.* Myſtice denotabat, ut *vanno* repurgatur triticum ab aceribus, ac retrimentis: ita Jacchi ſacris mundari animam ab omni crimine anteacto. Ad hunc ritum reſpexit Virg. Georg. I. 166. cum ait:

— & myſtica vannus Iacchi.

Ubi Servius. V. illum ſupr. in *Bacchus.* Voſſ. de Idolol. II. 14. Lomej. de Luſtrat. c. 18. Meurſ. in Minuc. Felic. p. 164. Florid. in Apulejum. Nicol. l. l. Caſtell. de Feſt. Græcor. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 646. E. Mauſſac. Diſſert. Critic. in Harpocrat. Lexic. p. 377. In *vanno* myſtica concluſos habebant ſerpentes. Plutarch. Alexand. p. 665. D. *Olympias præ cæteris motum lymphaticum ſimulans, & fanaticum peragens ritum, horribiliore ſpectaculo ſerpentes manſuefactos trahebat thiaſis ingentes, qui ex hedera ſubinde, & myſticis cunis obiter prorepentes, thyrſos, & coronas circumplexi percellebant viros.* Ruben. l. l. In *vanno* deponebantur infantes loco cunarum. V. ſupr. in *Infantes.*

VAR.

VARGUNTEJA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

VARII nomen pro illegitimo apud Ictos me quidem legiſſe non memini, alii tamen auctores in hoc ſenſu utuntur, eo quod ex *vario* ſemine in lucem emiſſi ſunt: quemadmodum Heliogabalo *Varii nomen idcirco inditum a condiſcipulis, quod vario ſemine, de meretrice utpote, conceptus videretur*, ut tradit Lamprid. c. 2. *Paleot. de Noth. & Spur. c. 16. §. 8. Heuter. de Liber. homin. nativit. c. 7. §. 3.*

VAS.

VASA coquinaria erant in promptu, ne eſſet opus a vicinis uſque ad tædium poſcere. Poſcebant illa, ſi ipſi non haberent, a vicinis. Plaut. Aul. I. 2. 17.

Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium,
Quæ utenda vaſa ſemper vicini rogant.

II. 8. 20.

Aulam majorem, ſi potes, vicinia
Pete.

Fieri enim poteſt, ut vicinia egenti ſubveniat aliquando: poſtremo gravate tamen exhibent, aut penitus recuſant. Heſiod. Oper. II. 405.

Inſtrumenta domi omnia apta para:
Ne tu quidem petas ab alio, illeque recuſet, tu vero careas.

Olim ex argento fiebant, quod & Calvus orator conqueſtus eſt. Plaut. Aul. II. 5. 16.

Hic apud nos magna turba, ac magna familia eſt,
Supellex, aurum, veſtes, vaſa argentea.

Domitianus inops judicabatur, quod nullum *vas* argenteum habuerat. Suet. c. 1. n. 2. *Pubertatis, ac primæ adoleſcentiæ tempora tanta inopia, tantaque infamia geſſiſſe fertur, ut nullum vas argenteum in uſu haberet.* Willich. de Art. Magir. c. 4.

Vaſa Corinthia dicebantur, eo quod mixtura iſti Corinthi primum eſſet adinventa. V. ſupr. in *Æs Corinthium.* Romani delectabantur illis ad inſaniam. Furorem hunc Romanorum ridet Cicer. Parad. V. *Quid cenſes, ſi L. Mummius aliquem iſtorum videret matellionem Corinthium cupidiſſime tractantem, cum ipſe totam Corinthum contempſiſſet: utrum illum civem excellentem, an atrienſem ſervum diligentem putares? Æs paucorum inſania pretioſum* vocat Senec. ad Helv. c. 11. Et *paucorum furore pretioſa Corinthia* de Brev. vit. c. 12. *Illum tu otioſum vocas, qui Corinthia paucorum furore pretioſa anxia ſubtilitate concinnat, & majorem dierum partem in æruginoſis lamellis conſumit?* De Auguſto Suet. c. 70. n. 3. *Notatus eſt ut pretioſæ ſupellectilis, Corinthiorumque præcupidus. Nam & proſcriptionis tempore ad ſtatuam ejus adſcriptum eſt:*

Pater argentarius, ego Corinthiarius.

cum exiſtimaretur propter vaſa Corinthia quosdam inter proſcriptos curaſſe referendos. Contra aurum fuerunt cara. Et horum *pretia in immenſum exarſerunt.* Teſtatur Suet. Tib. c. 34. n. 2. *Corinthiorum vaſorum pretia in immenſum exarſiſſe conqueſtus.* Una libra fuit permutata aliquando quingentis. Modum dignoſcendi taxavit Plin. XXXIV. 2. *At mihi pars major elegantiorum ſimulare eam videtur* dignoſcendi Corinthia, *ad ſegregandos ſe a cæteris magis, quam intelligere aliquid ſubtilius.* Acute quendam ridet Mart. IX. 60. 11.

Conſuluit nares, an olerent æra Corinthon.

Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10. Bayſ. de Vaſcul. p. 288. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 234. & ad illum Salmuth.

Vaſa cryſtallina in magno luxu fuerunt in frequenti uſu principum, & divitum. Juven. Sat. VI. 156.

Grandia tolluntur cryſtallina, maxima rurſus
Myrrhina.

Mart. III. 82. 24.

Opimianum morionibus nectar
Cryſtallinisque myrrhinisque propinat.

Plin. XXXVII. 2. *Nero rerum amiſſarum nuntio accepto, duos calices cryſtallinos in ſuprema ira fregit illiſos.* XXXIII. præfat. *Murrhina, & cryſtallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipſa fragilitas.* Bacc. de Conviv. Antiq. III. 1. Demſter. Paral. ad Antiq. Roſin. V. 30. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10. Bruyer. de Re cibar. III. 9.

Vaſa

Vasa Deliaca fiebant ex ære Deliaco, cujus olim fuit antiquissima gloria, mercatus in Delo concelebrante toto orbe. Cicer. pro S. Rosc. c. 46. *Domus referta vasis Corinthiis, & Deliacis.* Inde *Deliaca supellex*, in qua erant triclinia, & lecti, cum pedibus, & fulcris ex ære Deliaco factis, dicta a Cicer. Verr. II. 72. *Dico, te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, multam Deliacam supellectilem, plurima vasa Corinthia Syracusis exportasse.* Bayf. de Vascul. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 654. A. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10.

Vasa fictilia V. supr. in *Fictilia*.

Vasa murrhina adhibebantur luxuriosis repertum conviviis. Scholiast. Juven. Sat. VI. 145. *Pocula uncta, facta de murrha.* Senec. Epist. 119. *Illa hoc unum jubet, dum exstinguat, utrum sit aureum poculum, an crystallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert.* Dignationem, & immodicam æstimationem licet colligere ex Senec. de Benef. VII. 9. *Video istic crystallina, quorum accendit fragilitas pretium; omnium enim rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugare debet, periculo crescit. Video murrhina pocula, parum scilicet luxuria magno fuerit, nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent.* Ortum, ac principium describit Plin. XXXVII. 2. *Eadem victoria primum in orbem murrhina induxit, primusque Pompejus sex pocula ex eo triumpho Jovi Capitolino dedicavit, quæ protinus ad usum hominum transiere, abacis etiam escariisque vasis inde expetitis: excrescitque indies ejus rei luxus, murrhino octoginta sestertiis empto, capaci plane ad sextarios tres calice.* Demster. Paral. ad Antiq. Rosin. V. 30. Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c. 71. Turneb. Adv. VIII. 1. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10. Plinius pergit illa describere: *Oriens murrhina mittit. Inveniuntur ibi in pluribus locis, nec insignibus, maxime Parthici regni: præcipue tamen in Carmania. Humorem putant sub terra calore densari. Amplitudine nusquam parvos excedunt abacos: crassitudine raro, quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorque verius quam splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram, candoremque, & tertium ex utroque ignescentem velut per transitum coloris, purpura rubescente, aut lacte candescente. Aliqua & in odore commendatio est.* Augustus *Alexandria capta nihil sibi præter unum murrhinum calicem ex instrumento regio retinuit.* Suet. c. 71. n. 2. *Bruyer. de Re cibar.* III. 9. *Bayf. de Vascul. Thes. Antiq. Græc. Gronov.* IX. *p.* 693. *D.* Ex onyche olim sunt fabricata. Murrhina enim appellat pocula, quæ tertio triumpho Jovi Capitolino dedicavit Pompejus, Plinius modo laudatus. Sed illa ex onyche gemma facta fuisse dicit Appian. de Bello Mithrid. p. 251. *Præterea in Talauris, quam urbem Mithridates habuerat apparatus promptuarium M. M. poculorum ex onyche gemma factorum, conglutinatorumque ex auro, inventa sunt.* Agricol. de Natur. Fossil. VI. 22. Guibert. Dissert. de Murrhin. c. 10. De Boot de Natur. lapid. II. 85. Eggeling. Myster. Cerer. & Bacch. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 63. B. Hunc errorem satis refellunt quæ de murrhinis modo allatus scripsit Plinius. Et si murrhina veterum ex onyche gemma fuerunt, cur murrhina vocata sunt, aut quæ hujus appellationis ratio? Cur denique murrhina ab onychinis distinguunt. Lamprid. Heliogab. c. 32. *In murrhinis, & onychinis minxit.* Verum ita huic objectioni obviam eunt: onychina ibi accipiunt, non quæ ex onyche gemma, sed quæ ex onychite marmore sculpta sunt vasa: murrhina autem esse ex onyche gemma. Quod est absurdissimum. Inde enim sequeretur murrham veteribus dictam fuisse onychem gemmam. De quo altum in tota antiquitate silentium. Et profecto oportet tam murrhina, quam onychina ignorata fuisse antiquis, siquidem concedimus murrhina ex onyche facta. Arrian. in Peripl. maris Erythræi p. 15. ὀνυχίνην λιθίαν καὶ μυῤῥίνην plane distinguit: *Ex hac omnia, quæ ad regionis commoditatem, felicitatemque faciunt, Barygazam deportantur, nec non quæ ad nostram mercaturam faciunt, cujusmodi sunt lapides onychini, atque murrhini.* Salmas. Exerc. Plin. p. 144. a. A. Voss. Lexic. Etymol. Non desunt, qui hoc murrhinæ genus porcellanea postea dicta putent vasa: quorum tamen longe aliam constat esse materiam, ac murrhinum, ut Plinius ait, cum luxu illorum temporum periisse, vel reperiri hodie apud Persas credendum. *Bacc. de Conviv. Antiq.* III. 1. *Buleng. de Conviv.* IV. 13. *Pancirol. de veter. amiss.* c. 7. *Rader in Mart.* III. 82. Qui licet hoc negent, esse tamen porcellanea nostra vero est propius, quocunque modo fiant, sive in fornacibus coquantur, ut apud Parthos, teste Prop. IV. 5. 26.

Murrheaque in Parthis pocula cocta focis.

& hodie apud Chinas: sive ex humore sub terra densentur, ut vult Plinius laudatus: sive gemmæ fuerint, ut putat Seneca modo allatus. Licet enim qui modo fierent, ignoraverint veteres, non tamen inde colligitur, diversa esse porcellanea & murrhina. Sericum omnis antiquitas pallium habuit, & gestavit: quis ex veteribus scivit, quo modo sericum proveniret, & qui fieret arte? An non omnes arborum lanugine ex depectere dixerunt? Sub Justiniano cognitum est demum vermes apud Seres nasci, non ex foliis arborum lanuginem depecti. Salmas. [illegible] B. C. Cf. Scalig. Exerc. XIII. [illegible] Vol. I. l. Cardan. de Subtil. V. p. 133. [illegible] Antiq. Roman. IV. 3. 9. Pasc. in Suetonium.

Vasa sacra, quia talibus diu utebantur, dum alia majoris pretii publice non possiderent, fictilia fuerunt: & tametsi tractu temporis utque gentium opes in immensum crescerent, ea tamen vasa, quibus antiquitas necessario sacra faciebat, in sollennibus ceremoniis, ac deorum cultu plerumque remanserunt. V. supr. in *Fictilia*. Coronabantur sacrificia, in quibus condebantur res sacrificio necessaria, id est, sertis redimiebantur. Eurip. Ion Act. V. 1037.

Vides hanc cistam sub brachio manus meæ?

Ion. *Video antiquam arcam sertis implicatam floribus.*

Se & canistra myrto coronat Tibull. I. II. 27. V. illum supr. in *Canistrum*. Ovid. Metam. II. 711.

Illa forte die castæ de more puellæ
Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.

Paschal. de Coron. IV. 19.

Vasa Thericlea fuerunt torno elaborata, a Thericle primo inventore Thericlea vocabantur. Plin. XVI. 40 *Celebratur & Thericles nomine, calices ex terebintho solitus facere torno.* Clem. Alex. Pædag. II. 3. *Valeant ergo Thericlei calices.* Athen. XI. p. 470. E. *Thericleum poculum ad latera depressum est, satis profundum, auribus hinc illinc prominentibus, ut in vulgari calice. Eos calices fama est a Corinthio figulo Thericle factos, unde & impositum nomen.* Ciaccon. de Triclin. p. 37. Buleng. de Conv. IV. 6. Stuck. Ant. Conv. III. 12. Rhodig. Ant. Lect. XXVII 27. Beroal. Annot. Append. c. 21. Meurs. Cecrop. c. 30. Mulen. Philos. de Luxu Græcor. c. 2. Menag. in Diog. Laert. V. §. 72. Casaub. in Athen. XI. 6.

Vasa vinaria & escaria priscis temporibus fuerunt fictilia. V. supr. in *Fictilia*. Deinde ex ære fieri cœpisse apparet ex iis, quæ scribit Tertull. de Hab. mul. c. 5. *Inter alia & annuli ferro fiunt: quædam esui & potui vascula ex ære adhuc servat memoria antiquitatis.* Postremo crescente luxu argentea, & aurea fieri cœperunt. Plin. Sen. XXXIII. 12. *Fabricius, qui bellicosos imperatores plus quam pateram, & salinum ex argento habere vetabat.* Jun. Epist. III. 1. *Apponitur cœna, non minus nitida, quam frugi, in argento puro, & antiquo.* Ursin Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 350. Demster. Paralip ad Antiq. Rosin. V. 30. Hæc moris fuit, ut ab eo, qui cœnam daret, in abacis ad exornandum triclinium exponerentur. Cicer. Verr. IV. 15. *Ludis circensibus mane apud L. Sisennam virum primarium, cum essent triclinia strata, argentumque expositum in abacis.* 16. *Ab hoc abaci vasa omnia, ut fuerant exposita, abstulit.* 27. *Verres Antiochum Regem ad cœnam vocavit: exornat ample, magnificeque triclinium: exponit ea, quibus abunda-*

luit, plurima, ac pulcerrima vasa argentea; namque hæc aurea nondum fecerat. omnibus curat rebus instructum, & paratum ut sit convivium. . . . *Vocat ad cœnam deinde ipse prætorem, exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ, ut mos est regius, & maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis.* V. & illum supr. in *Pocula*. Ursin. ibid. p. 353.

Vasa conclamari dicebantur, quando præco, id est, accensus, aut apparitor dexter Imperatori adstans ter rogabat, *an parati ad bellum? an in procinctu essent?* Milites toties alta, atque alacri voce acclamabant se paratos esse. Liv. xxii. 30. *Signo dato, conclamatur inde, ut colligantur vasa.* L[illegible] Polym. iv. Synopf. 3. V. supr. in *Conclamatio.*

VASARIUM vocabatur supellex omnis, ac instrumenta cuncta, quibus magistratus, cum in provinciam iret, instruebatur. Cicer. in Pison. c. 35. *Nonne H. S. centies, & octogies, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capitis adscripseram, ex ærario tibi attributum Romæ in quæstu reliquisti?* Voss. Lex. Etymol. Muret. Var. Lect. xii. 5. Schott. Nodor. Ciceron. i. 3. Turneb. Adv. xxi. 15. Sigon. de Jur. prov. ii. 1. Auctor M.sc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 455.

VASCULARIUS dicebatur, qui scyphos, aliaque ex auro, vel argento [illegible]. Cicer. Verr. iv. 24. *In regno maximum palam artifices omnes cælatores, ac vascularios convocari jussit.* Voss. Lex. Etymol. Pancirol. de Corpor. artif. §. 14. Not. dignit. Imp. Orient. c. 85. Salmas. Exerc. Plin. p. 736. b. G. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 3.

VAT.

VATES in Saliorum sacerdotio erat ὑμνῳδός. Omnes quidem erant ὑμνηταί, sed inter ὑμνητὰς erat, qui carmen [illegible] Saliare, aut saltem qui præcinebat. Hic vocatur *vates* Capitolino. V. illum supr. in *Præsul.* & ὑμνῳδὸς in glossis veteribus. Sic enim in illis: *Salior, L. Salis, ὁ τὰ διιπετῆ ὅπλα θεραπεύων, ὑμνῳδὸς, πρύτανις. Salmas. in Capitolinum, Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. I.* [illegible] * * * * *Kipping. Antiq. Roman.* i. 12. 7.

VATICANUS *deus nominatus, penes quem essent voces humanæ initia: quoniam pueri, simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est. idcircoque vagire dicitur exprimente verbo sonum vocis recentis.* Varro apud Gell. xvi. 17. August. de Civit. Dei iv. 8. *Neque [illegible] aliquas potestates tribuunt Vaticano, qui infantium vagitibus præsidet.* Vocabatur etiam *Vagitanus.* Tomas. de Donar. vet. c. 10. Cerda Adv. c. 153. §. 10. Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 155. Gyrald. Synt. deor. I. p. 47. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 21. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 373. E. Faunus Antiq. Urb. Rom. v. 9. Meurs. de Puerp. c. 5. Bulenger. de Orac. c. 128. Blond. Instaur. Rom. i. §. 38.

Vaticanus mons constituit partem Transtiberinæ regionis. Licet a mœnibus Urbis longiore disjunctus intervallo, nihilominus campo Martio objectus erat. Fuit pars Janiculi, sed latiore significatu. Hinc villam Tullii Martialis describens, quæ in ea exstitit *Vaticani* parte, quæ ponti Milvio imminebat, Janiculum vocat Martialis. V. illum supr. in *Horti.* Rursus, nec minus lato sensu, totus ager Romanus, qui ultra Tiberim Vejentium agro conterminus erat, *Vaticanus* dictus Plin. iii. 5. *Cura tredecim millia passuum Urbis, Vejentem agrum a Crustumino, dein Fidenatem, Latinumque a Vaticano dirimens.* . . . ideoque & montes, qui illic erant, *Vaticani* appellati, quo nomine & Janiculum supra *Vaticanum* fuit vocatum. Cæterum strictiore significatu *Vaticanus* a Janiculo diversus erat, ac divisus, quemadmodum etiam nunc inter palatium Apostolicum, & ecclesiam S. Onuphrii divisus, distinctusque visitur. Celebris ævo Plinii in *Vaticano* ilex fuit: utrum in monte, an campo, non exprimitur. Additus ei erat titulus literis Etruscis. Ita ille xvii. 44. *Vetustior autem Urbe in Vaticano ilex: in qua titulus æreis literis Hetruscis religione arborem jam tum dignam fuisse significat.* In ejus valle circus fuit Neronis. V. supr. in *Circus.* Nardin. Rom. Vet. vii. 13. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 16. §. 3. Aring. Rom. Subterr. ii. 3. 11. Donat. de Urb. Rom. iii. 13. Faunus Antiq. Urb. Rom. v. 9. Blond. Instaur. Rom. i. §. 38. Ad ortum spectat campos *Vaticanos*, & Hadriani molem, flumenque; ad occasum campos Neronianos, in quibus ex creta, & argilla vasa fiunt, ob usque Juvenalis, & Plinii temporibus nota; ad meridiem Janiculum, ad septentrionem prata Quintia, & montem Marii. Nunc principis Apostolorum basilica, toto terrarum orbe augustissima, palatio, hortisque pontificiis, item simulacris Tiberis, & Nili fluviorum, statuis quoque Laocoontis, Apollinis, Veneris, Cleopatræ, & aliquot præterea vetustis monumentis celeberrimus est. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 279. *E. Fabric. Descr. Urb. Rom.* v. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* i. 7: ii. 8. Contemptus olim Quiritibus ob gravius ibi cœlum, immunditias, aquas otiosas, & stagnantes, halitus impuros: unde apud veteres Romanos, teste Frontino, *infamis aer Vaticani* habitus, atque eadem de causa male audiunt *infamia Vaticani loca* apud Tacit. Hist. ii. 93. 2. Sed & fœtor olim in illo ex cadaveribus. Lamprid. Heliogab. c. 23. *Ferunt elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulcris, quæ obsistebant.* Borrich. l. l. Donat. de Urb. Rom. iii. 21. Aring. Rom. Subterr. ii. 3. 21. Vinum etiam in Vaticano natum, ut pessimum, displicet Mart. xii. 48. 14.

Et Vaticani perfida vappa cadi.

vi. 92. 3.

Vaticana bibis: bibis venenum.

Borrich. l. l.

VEC.

VECTES sunt baculi validi, per mediam machinam trajecti, quibus manu ductis machina dum versatur, funem ductarium advolvit. Vitruv. x. 8. *Quemadmodum etiam ferreus vectis, cum est admotus ad onus.* Illorum usu tum ergata, tum sucula circumagitur, nec non prela in torcularibus premuntur. Vitruv. vi. 9. *Sed vectibus, & prelo premitur.* Bud. in Pandect. p. 172. I. Bald. Lex. Vitruv. Popma de Instrum. fund. c. 11. Laz. Comm. Reip. Rom. viii. 17.

Vectes sunt pali ferrei, ligneive grandiores, quibus tum rustici, tum cæmentarii, & mechanici ad multa, & inprimis ad onera commovenda utuntur. Cæs. de Bell. Civ. ii. 11. *Saxa, quam maxime possunt, vectibus promovent, præcipitataque muro in musculum devolvunt.* Cicer. de Nat. deor. i. 8. *Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes?* Horum usus non ad movendum solum, sed & ad effringendum. Horat. Od. iii. 26. 6.

Hic hic ponite lucida
Funalia, & vectes, & arcus.

Græci μόχλον, seu μόχλιον appellant. *Bald. Lex. Vitruv. Rhodig. Antiq. Lect.* xx. 29. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 653. *b. F. Sagittar. de Jan. vet. c.* 13. §. 6. *Laz. Comm. Reip. Rom.* viii. 17. Si e ligno essent, lingula e ferro in altero capite addi solet, atque hoc tales lingulatos dixere, sive rostratos. Utebantur & ad muros subruendos, ut hic, sed ferreis haud dubie. Atque ita in Festo: *Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes perfodiunt, furandi gratia.* Et in glossis: *μοχλὸς λιθουργοῦ, vectis.* Quia autem usui in militia, utroque hoc fine: ecce inter militaria exercitia erat, in *vecte* robur ostentare. *Pompejus cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.* Sallust. apud Veget. i. 9. *Lips. Poliorc.* i. 9. *Thys. de Oppugn. Urb.* i. *p.* 162.

Vectes sunt etiam repagula ostiorum, obices ex ligno, vel ferro, quibus ostia clausa olim muniebant. Virg. Æneid. vii. 609.

Cen-

Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora.

Prudent. Cathem. IX. 70.

Quin & ipſum, ne ſalutis inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat: fracta cedit janua,
Vectibus cadit revulſis cardo indiſſolubilis.

Sagittar. de Jan. vet. c. 13. §. 4. Bald. Lex. Vitruv.

VECTIARII dicuntur homines, qui *vectem* premendo machinam movent. Vitruv. VI. 9. *Ita erit vectiario ſpatium expeditum.* Bud. in Pandect. p. 172. I. Bald. Lex. Vitruv. Lipſ. Poliorc. I. 9. Thyſ. de Oppugn. urb. I. p. 162.

VECTIGAL differt a tributo. V. ſupr. in *Tributum.* Notat proprie illam impoſitionem, quæ pro vectura mercium exigitur; latius poſtea hujus vocis ſignificatio prolata eſt, ut omnes omnino reditus, & emolumenta comprehendat, quæ ex re aliqua publico obligata ad ærarium perveniant. Antiquis Reipublicæ temporibus tria præcipue *vectigalia* in uſu celebrata ſunt, quæ vel ex agris, vel ex paſcuis, vel ex portubus redigebantur. Tria hæc fuerunt dicta Decimæ, Scriptura, Portorium. V. ſingula ſuis locis. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 1. *Blond. Triumph. Rom.* V. *p.* 106. *H.* Inſtituendi jus, & facultas prima ætate Romæ penes Reges fuit, *omnia enim manu Regis agebantur* l. 2. §. 1. ff. de orig. jur. Illa autem inſtituiſſe Reges apparet ex Liv. I. 42. *Servius cenſum inſtituit, rem ſaluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli, pacisque munia non viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent,* quas vel ex vectigali, vel ex tributo collegit. Mutata Reipublicæ forma, & ejectis Regibus poteſtas *vectigalia* inſtituendi apud quem fuerit, an ea ſenatui inconſulto populo, an magiſtratibus competierit quibusdam, an Scto populi juſſus accedere debuerit, anceps, & difficile eſt definire, cum multa auctorum loca diverſo modo *vectigalium* inſtitutiones referant. *Burman. ibid. c.* 7. Victis bello gentibus non ſine populo ſenatus imponebat: ſcriptum eſt enim, Mamertinos pecuniam ex Scto & lege diſſolviſſe: & omnes Siciliæ civitates frumentum populo Romano ſingulis annis certo pretio vendere ex Scto, itemque ex lege Terentia & Caſſia eſſe juſſas: & L. Octavio, C. Cottæ conſulibus ſenatum legum dicendarum poteſtatem in locandis vini Siculi, oleique *vectigalibus* ita permiſiſſe, ut populus idem juſſerit. Quibus locis adductus ſum Cicer. Verr. III. 81. emendare. Apud quem imprimi juſſi, *cum ex S. C. & ex legibus frumentum ei in cellam ſumere liceret.* Antea legebatur, *cum ex Sicilia.* Manut. de Senat. c. 10. Ejus ſententiæ accedere non poſſum, & ſenatui potius hanc facultatem competiiſſe exiſtimo. Illum refutat, quod de Macedonia ſubacta refert Liv. XLV. 18. ubi de ordinanda Macedonia, & *vectigali* ex ea cogendo, nihil ad populum relatum legitur, ſolus ſenatus decem legatos in Macedoniam mittit, qui ex ſenatus ſententia omnia perficerent: & c. 29. Paullus Macedonibus recitavit, quæ *ſenatui, & ſibi ex conſilii ſententia viſa erant,* nihil de populi juſſu loquens. Populi partes erant tantum bellum, vel fœdus jubere, vel vetare, ſed provincias, & ærarium curare ad ſenatum pertinebat. Polyb VI. 11. *Et primo quidem ſenatus habet curam ærarii: nam & introituum, & expenſarum plenum penes eum eſt arbitrium:* ubi addit, *populi nullas in his eſſe partes.* Et c. 15. iterum agens de vectigalibus addit: *habet vero prædictorum omnium poteſtatem ſenatus.* Verſo etiam Reipublicæ ſtatu, & rei ſumma ad Imperatores delata, hujus poteſtatis ſpecies ſenatui in ludibrium relicta eſt. Sic Tiberium *de vectigalibus ad patres conſcriptos retuliſſe* ſcribit Suet. c. 30. n. 2. Et *de bello, aut pace, de vectigalibus, & legibus ſuadere, & diſſuadere* ſub Nerone licuiſſe Tacit. Annal. XIII. 49. 2. Nihil ejus ſententiam juvat, quod dicit Cicer. Verr. III. 7. *L. Octavio & C. Cotta coſſ. ſenatum permiſiſſe, ut vini, & olei decimas Romæ venderent, legemque his rebus, quæ ipſis videretur, edicerent,* cum ibi tantum agatur de venditione *vectigalium* Siciliæ, quæ ex privilegio debebant in ipſa Sicilia vendi, ſed hic juſſerat ſenatus, ut Romæ venderent conſules, quo, cum jura provinciæ Siciliæ, quæ ipſis fœdere a Romanis eſſent conſtituta, mutarentur, neceſſaria erat & auctoritas ſenatus, & juſſus populi, ut illi, qui fœdere ſanciendo adfuiſſent, iidem in lege hieronica vindicanda perſeverarent. Nec argumentum, quod eſt a frumento, quod prætores in cellam ſuam ſumebant, quod *ex Scto, & legibus eis licitum eſſe* dicitur: & deinde de lege Terentia, & Caſſia quæ adjungit, qua frumentum populo Romano vendere tenebantur civitates. Cum illæ leges non de *vectigalibus*, ſed de poteſtate magiſtratuum, qui in provincias mittebantur, latæ eſſe videantur: nam de lege Terentia, & Caſſia ita Cicero, ſed laudatus ſupr. in *Lex.* Ex illo enim manifeſtum eſt, non lege Terentia, & Caſſia cautum fuiſſe de frumenti *vectigali* exigendo; ſed ut magiſtratus, qui in Siciliam mittendi eſſent, inſtitutum jam dico hoc empti frumenti onus æquabiliter omnibus civitatibus deſcriberent, neque uni gratiam faciendo alium premerent; & ſic Verres Mamertinis hoc munus contra legem Terentiam, & Caſſiam remiſerat. Eodem modo res ſe habet cum frumento, quod in cellam ſuam prætor ſumebat ex Scto & lege. Magiſtratibus enim in provincias euntibus imperium tantum Scto dabatur, ſed omnes ſumptus ex lege ipſis decerni debebant. Sic recte prætor dici poteſt frumentum ſumpſiſſe ex lege, qua ipſi ſumptus decreti erant. Magiſtratus vero non habebat jus *vectigalia* inſtituendi; ſed exercendi, locandi, & adminiſtrandi arbitrium penes cenſores erat: nam quamvis quidam auctorum loci etiam conſtituendi cenſoribus facultatem adſeribere videantur, rectius id illorum auctoritate, & ſuaſionibus alter tu eſſe factum dici poteſt. Sic de origine cenſuræ differens dicit Liv. IV. 8. *ſub ditione ejus magiſtratus publicorum jus, privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani ſub nutu, atque arbitrio eſſe.* Et *cenſores M. Æmilius, & M. Fulvius dicuntur portoria, & multa vectigalia inſtituiſſe.* Et *Livius Salinator novum vectigal ex ſalaria annona ſtatuiſſe.* Quæ omnia tantum illis inventoribus, & ſuaſoribus inſtituta fuiſſe credenda ſunt. Neque etiam magiſtratibus, qui in provincias mittebantur, *vectigalia* nova inſtituere licuit. Sic objectum eſt M. Fontejo eum portoria vini in Gallia inſtituiſſe, quod *crimen, & crimen ipſo genere magnum* dicit Cicero pro Fontejo c. 5. & hoc falſum eſſe, & injuria Fontejo objici oſtendit in ea parte orationis, quæ periit. Piſoni etiam objicit Cicero c. 36. cum *vectigalem provinciam ſingulis rebus, quæ venirent, certo portorio impoſito, feciſſe.* Poſtea, cum res Romana in arbitrium Cæſarum veniſſet, ſenatui, & magiſtratibus omnis facultas adempta fuit *vectigalia* inſtituendi, vel exercendi, neque cuiquam, niſi Imperatori, vel, cui ille mandaverat, uſurpata. Ita Ictus l. 10. ff. de public. & vectig. *Vectigalia ſine Imperatoris præcepto, neque præſidi, neque curatori, neque curiæ conſtituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere, vel deminuere licet.* Idque multis legibus Imperatores vetuerunt, quarum quædam in codice ſub titulo, *vectigalia nova inſtitui non poſſe*, relatæ ſunt, & graviſſimæ pœnæ conſtitutæ ſunt contra eos, qui nova *vectigalia* inſtituunt: ſic eos lege Julia de vi publica, & lege Julia de ambitu teneri a Ictis ſcriptum eſt l. ult. ff. de leg. Jul. de vi publ. & l. unic. §. 3. ff. de amb. *Burman. l. l. Vectigalium* exercitium, quod in locando, vendendo, & pecuniam ex illis redactam in ærarium importando conſiſtebat, ſenatus permiſit magiſtratibus. Cura hæc olim incumbebat cenſoribus, quorum ſub nutu, & arbitrio erant: unde paſſim in locis, quos adduximus, cenſorum hoc jus adſtruitur. Hi locaturi *vectigalia* publice Romæ tabulas proponebant, quibus leges, & conditiones, quibus *vectigalia* locarent, inſcriptæ erant: inde dictæ tabulæ cenſoriæ, & leges cenſoriæ. Deinde ponebatur haſta in foro, ad quam locatio fiebat. Liv. XLIII. 16. *Edicto edixerunt: ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Poſtumio cenſoribus publica vectigalia, aut ultro tributa conduxiſſent, ad haſtam ſuam accederet.* Locatio hæc Romæ fieri debebat. Cicer. cont. Rull. I. 3. *Cenſoribus vectigalia locare, niſi in conſpectu populi Romani, non licet, vis vendere vel in ultimis*

terris licebit. II. 21. *Vectigalia locare nusquam licet, niſi in hac urbe, hoc ex loco, hac veſtra frequentia.* Fiebat menſe Martio, ex ant quo inſtituto, quo ille menſis primus anni habebatur. Macrob. Sat. I. 12. *Hoc*, menſe Martio, *vectigalia locabant.* Hinc & *iduum Martiarum* mentio fit l. 15. ff. de publican. Fiebat in quinquennium, ſive luſtrum: totidem enim annis cenſores magiſtratum gerebant, & ſingulis luſtris finitis pecunia a publicanis repræſentari debebat. Cicer. Attic. VI. 2. *Populi nullo gemitu publicanis, quibus hoc luſtro nihil ſolverant, etiam ſuperioris luſtri reddiderunt.* V. ſupr. in *Luſtrum.* Buleng. de Vectig. c. 9. & 92. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 16: II. 4. Pith. Subſeſ. II. 4. Lycklama de Magiſtrat. c. 12. Burman. ibid. c. 8.

Vectigal ædilitium fuit aliquod pecuniæ genus, quod provinciales ludorum nomine ædilibus Romanis pendebant, quodque eis in ornatum fori, & apparatum munerum conferebant, veluti ſollenni quodam tributo. Cicer. Quint. Frat. I. 1. *Quantum vero eſt illud beneficium tuum, quod iniquo, & gravi vectigali ædilitiorum, magnis noſtris ſimultatibus, Aſiam liberaſti.* Turneb. Adv. XXVII. 1. Buleng. de Vectig. c. 50. Sed errarunt, quod non recte ritum antiquum ædilium conſiderarint, qui honorem auſpicaturi debebant ludos edere, in quos maximæ impenſæ, & ſumptus fieri conſueverant, quos cum vix ſuſtinere poſſent, ab amicis, imo & civitatibus ſociis, & ſubjectis populis, hoſpitibus, & clientibus ædiles ſolebant commodare, quæ ad magnificentiam, & pompam ludorum, & ornatum fori conferrent, ut tabulas, ſigna, & reliqua. Hoc manifeſtum eſt ex Verr. IV. 3. *C. Claudius, cujus ædilitatem magnificentiſſimam ſcimus fuiſſe, uſus eſt hoc Cupidine tamdiu, dum forum diis immortalibus, populoque Romano habuit ornatum, & cum eſſet hoſpes Hejorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis uſus eſt ad commodandum, ſic ipſe diligens fuit ad reportandum.* Ita olim erat moris, ſed invaleſcente avaritia, provinciales cogebantur ædilibus in ludos, & ornatum fori, non commodare, ſed plane donare res, & beſtias venari ad ſpectacula. Hoc patet ex Cicer. Fam. VIII. 9. Attic. V. 21: VI. 1. Quin & deinde extortæ fuerunt provincialibus ſtipes, & pecuniæ, quas conferre deberent ad ludorum exhibitionem, de quibus multa Lipſ. ad Tacit. Annal. XIV. 15. Et ſimile fere fuit hoc tributum auro coronario. V. illud ſupr. in *Aurum.* Hoc autem onus, quod ædiles provincialibus imponebant, eleganter vocat *vectigal ædilitiorum*, eodem modo, ut ad Attic. V. 21. vocat *vectigal prætorium*, pecuniam, quam provinciales ſolebant prætoribus dare, ne milites in hyberna reciperent, unde ipſis damnum eveniebat, & quod malebant pecunia redimere: quod onus poſtea dictum fuit *Epidemeticum* tit. C. Juſt. de metal. & epidemet. *Burman. Diſſer. de Vectig. c.* 12.

Vectigal pro aere, quem aſpirando trahimus, inſtituit Michael Paphlago. Cedrenus: *Cum igitur in omni genere injuſtitiæ maxime ingenioſus eſſet, omnem rationem injuriæ reperit, addens ſupra ſolita tributa, ut quisque pro hauſtu aëris aliquid penderet pro ſuis facultatibus.* Id Palæſtinis olim Peſcennius Niger fuerat minatus apud Spartian. c. 7. *quibus rogantibus, ut eorum cenſitio levaretur, idcirco quod eſſet gravata, reſpondit, vos terras veſtras levari cenſitione vultis, ego vero etiam aerem veſtrum cenſere vellem.* Eo, quantum opinor, pertinet apud Harmenopulum noſtrum erraticus ille titulus, nec cum agnoſcunt exemplaria regia, περὶ ζημιῶν ἀερικῶν. Forſan fuerit id, quod commemorat Procop. in Anecdot. p. 108. edit. Helmſtad. 1654. *Præfectus prætorio præter publicum cenſum amplius ter mille auri pondo Cæſari pendebat, eumque proventum nec lege, nec more majorum receptum; ſed quaſi fortuito aliunde ſibi ex aere advenientium. Aereum ob id, ut credo,* Juſtinianus *vocavit, ſuæ potius improbitatis facinus vocandum; quo nomine præfecti prætorio abuſi ſunt ad liberius lacerandas ſubjectorum fortunas, eoque obtentu Cæſari deferendas; quibus nihilominus opes ipſi ſuas imperatorum ad luxum facile auxerunt.* Cujac. Obſerv. X. 7. Bergier. de viis milit. I. Sect. 12. §. 10. & ad illum Henninius. Buleng. de Vectig. c. 74. Burman. de Vectig. Diſſert. c. 12. Caſaub. & Salmaſ. in Spartianum.

Vectigal ex agrorum fructibus Reipublicæ Romanæ perſolvebatur. Non autem eodem modo obnoxii erant agri publico, ſed *vectigal* pro diverſitate agrorum varium, & diſſimile fuit. Aliud pendebant agri, quorum proprietas penes Rempublicam permanſerat, aliud colonis diviſi, & aſſignati, aliud denique devictis gentibus ad colendum relicti. Ex agris, qui patrimonium Reipublicæ erant, omnis reditus ad ærarium pertinebat, & merces, qua elocabantur, in publicum tota redigebatur: hocque erat luculentiſſimum Reipublicæ ſubſidium, quo, intactis reliquis introitibus, plurima onera ſuſtinebant. Agrorum, qui colonis diviſi, & aſſignati erant, fructus non ad publicum, ſed ad colonos pertinebat, & tamen *vectigal* aliquod, quod, quaſi merces, conſtitutum erat, publico pendebant. Aratores etiam agrorum devictis gentibus ad colendum relictorum magnam populo Romano partem frumenti, & frugum tribuere erant obſtricti, quibus tot hominum millibus referta Urbs, & maxima, quæ ſub ſignis erat, militum multitudo aleretur. Sterilis enim, nec tantæ hominum copiæ ſuſtinendæ apta erat ea Italiæ pars, quam Romani inſederant: itaque, antequam jam imperium late protendiſſent, ex vicinis gentibus, quibus laxior annona erat, frumentum advehebatur, ut ex Volſcis, Campanis, Siculis. Poſtea his ſubactis *vectigal* impoſitum eſt, quod perpetuo annonam Urbi ſuppeditaret. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 2.

Vectigal anſarii quid fuerit, V. ſupr. in *Anſarium.*

Vectigal ex aquæductibus dicitur l. 41. ff. de act. empt. Conſtitutis enim aquæductibus publicis Romæ, vetitum fuit privatis aliquam inde aquæ partem decerpere, ſed teſtante Frontin. II. *apud antiquos omnis aqua in publicos uſus erogabatur;* nec privatis quicquam aquæ, *niſi quæ ex lacu abundarit, ducere licuit, & hæc ipſa non in alium uſum, quam in balnearum, aut fullonicarum dabatur, eratque vectigalis ſtatuta merces, quæ in publicum penderetur.* Deinde ſenſim jus aquam ex publicis canalibus deducendi a cenſoribus, vel quoties ii in Republica non eſſent, ab ædilibus privatis conceſſum, qui inde ductis rivis, & canalibus agros ſuos irrigabant dato certo *vectigali.* Poſtea ſoli Cæſares ſibi jus aquam publicam concedendi ſervarunt, nec voluerunt, ut *quiſquam ſine literis Cæſaris duceret* l. 2. C. Th. de aquæduct. Frontinus: *Commoda publicæ familiæ ex ærario dantur, quod impendium exoneratur vectigalium reditu ad jus aquarum pertinentium.* Deinde appellatum fuit *vectigal formæ.* Sic l. 27. §. 5. de uſufr. l. 39. ff. de legat. I. dicitur *aliquid deberi ob formam aquæductus.* Quid ſit forma aquæ V. ſupr. in *Forma.* Idem etiam eſſe cum illo, quod dicitur *vectigal hortorum*, & a Polyb. VI. inter reliqua populi Romani *vectigalia* recenſetur, puto: nam præcipue ideo aqua ex publicis ductibus a privatis deducebatur, ut eorum horti, & rura, quæ aquis deſtituebantur, irrigarentur. Sic expreſſe Frontin. II. loquens de *vectigalibus* ex aquæductibus, dicit *ea conſtare ex hortis ædificiiſve, quæ ſunt circa ductus, aut caſtella. . . . & ductus publici hominibus privatis ad hortorum uſum ſubſerviunt.* Ita aqua Alſietina, ſive Auguſta, quæ parum ſalubris erat, *ab Auguſto privatis conceſſa hortis ſubjacentibus ad irrigandum.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. 12.

Vectigal ex arboribus. V. illud ſupr. *Ex plantatis*, & infr. in *Vectigal picariarum.*

Vectigal artium omnes artifices, & negotiatores quotannis ſolvere tenebantur, pro libero exercitio artium. Hoc primus inſtituit Alexander Severus. Lamprid. c. 24. *Braccariorum, linteonum, vitreariorum, pellionum, plauſtrariorum, argentariorum, aurificum, & cæterarum artium vectigal pulcerrimum inſtituit: ex eoque juſſit thermas, & quas ipſe fundaverat, & ſuperiores populi uſibus exhiberi.* Hoc ſub ſequentibus Imperatoribus duravit, & dictum fuit *luſtralis collatio*, quia cum antea ſingulis annis ſolvebatur, poſtea a Conſtantino in ſingula luſtra pendi juſſum eſt. Dictum etiam fuit *aurum negotiatorium*, quod *Romæ remiſit* Alexander apud Lamprid. c. 32. *Gothofr. ad l. 1. C. de luſtral. collat. Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 12.

Vecti-

Vectigal pro cadavere. V. illud supr. in *Portorium.*

Vectigal pro cloacis. V. illud supr. in *Cloacarium.*

Vectigal pro *columnis.* V. illud supr. in *Columnarium.*

Vectigal pro eduliis, quæ ante ab Augusto, ne nimis acerbum rerum venalium *vectigal* esset, excepta videntur fuisse, a Caligula introductum est. Suet. c. 40. n. 3. *Pro edulus, quæ tota Urbe venirent, tributum certum, statumque exigebatur.* Burman. Differt. de Vectig. c. 5. Franckensteen de Ærar. pop. Rom. c. 8.

Vectigal ex fimo equino coegit Vespasianus. Tradit hoc, nescio quo auctore, Tzetzes Hist. Chil. I. 2. 15.

Quemadmodum Vespasianus stercus equinum,
Quamvis increparetur a Tito sæpe filio·
Ad quem dicebat ipse, carissime fili Tite
Hujus stercoris aurum odorare, quonam pacto oleat.

Casaub. in Suet. Vesp. c. 23. n. 7. Hennin. ad Bergier. de viis milit. 1. Sect. 12. §. 10. Burman. Differt. de Vectig. c. 12.

Vectigal fœni. V. illud supr. in *Capita.*

Vectigal fumarium, καπνικὸν, instituit Nicephorus. Zonar. III. p. 100. Cedren. p. 411. Nicephorus *indixit tributum e fumo, quod pessimo exemplo inventum, & indictum omnibus accolis, & paræcis ecclesiarum, & earum domuum, ubi senes, & pauperes, & monachi alerentur, licet neque agros haberent, neque vectigal solvere solerent.* Buleng. de Vectig. c. 74. Bergier. de viis milit. 1. Sect. 12. §. 10. & ad illum Henninius. Pancirol. Var. Lect. III. 31. Burman. Differt. de Vectig. c. 12.

Vectigal hortorum. V. illud supr. in *Vectigal aquæductuum.*

Vectigal ex lacubus etiam ad Rempublicam pervenit. Patet ex Festo in voce Lacus Lucrinus, qui *dicitur a censoribus locari.* Fructus lacuum erat piscatio, & hinc in censum lacus piscatorii sunt referendi l. 4. §. 6. ff. de censib. *Buleng. de Vectig. c. 71. Burman. Differt. de Vectig. c. 2.* Habuisse piscinas Romanos, & inde reditum ostendit Ovid. Fast. IV. 888.

Præmia, de lacubus proxima musta tuis.

Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13. Ridicule. Nam lacus apud Ovidium significat receptaculum illud, quod in cella vinaria erat sub calcatorio, in quo mustum ex uvis expressum excipiebatur. V. supr. in *Lacus.* Burman. l. l.

Vectigal ex latrinis publicis, in quibus prætereuntes ventris onus deponere poterant, Romani non sunt aspernati, sed eas vilibus hominibus locabant, qui *vectigal* exigebant ab his, qui subita necessitudine deprehensi se ibi exonerare cogebantur. De his Juven. Sat. III. 38. V. illum supr. in *Forica.* Cujac. Observ. XXII. 34. Casaub. in Suet. Vesp. c. 23. n. 7. Burman. Differt. de Vectig. c. 12.

Vectigal macelli Romæ singulariter fuit pro iis, quæ ad hominum victum pertinebant. Plin. XIX. 4. *Itaque hercule nullum macelli vectigal majus fuit Romæ.* Buleng. de Vectig. c. 33. Qui si verba sequentia recte considerasset, non singulare *vectigal* macelli f. isse, sed portorium, quod omnibus mercibus impositum, etiam ex macello exactum, vidisset. *Burman. Differt. de Vectig. c. 12.*

Vectigal matrimonio imposuit Caligula. Suetonius. V. illum infr. in *Vectigal meretricum.* Buleng. de Vectig. c. 38. Hoc legitimo matrimonio juncti pendebant, quoties liberis dabant operam. *Casaub. in Suetonium.* Potius institutum in feminas legitimis nuptiis junctas, quæ domi meretricium, aut lenocinium facerent. *Buleng. l. l.* Ego qua ratione fuerit institutum juxta cum ignaris scio. His absentire malim, cum opinor in contrahentes matrimonium certam pecuniæ summam statutam, videamque & ab auctor. consil. qua ratione status imperii ære alieno suo exire queat p. 13. viam hanc probari. *Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 8.* Ejusmodi *vectigalia* non soli Caligulæ placuerunt. Apud antiquissimos septemtrionales populos ea receptissima invenio. In eorum legibus vocatur *vectigal marchetæ mulierum.* Nam march iis olim significabat equum, unde marchiones, marcheren, & ejusmodi alia, quæ adhuc in usu sunt, vocabula derivanda videntur. Hinc deducta metaphora ab equitando marcheta mulieris dicitur virginalis pudicitiæ prima violatio, & delibatio. Hæc vetustissimis temporibus principibus omnibus viris, & dynastis, qui domini capitales in legibus dicuntur, in suis ditionibus impie permissa, in omnibus novis nuptis, prima nuptiarum nocte. At invalescente religione Christiana mos ille paullatim sublatus, isque concubitus certo vaccarum numero, & certo pretio redemptus est. Inde in vetustis legibus Scotiæ in: *Quæcunque mulier fuerit, sive nobilis, sive serva, sive mercenaria, marcheta sua erit juvenca una, vel tres, solidi; & rectum servientis tres denarii. Et si filia liberi sit, non domini villæ, marcheta sua erit una vacca, vel sex solidi.* Et ejusmodi in quibusdam Belgii nostri regionibus pagorum dominis adhuc hodie penduntur. *Boxhorn. in Suetonium.*

Vectigal a meretricibus primus exegit Caligula. Suet. c. 40. n. 6. *Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium fecissent: nec non & matrimonia obnoxia essent.* Summam *vectigalis* non aliam fuisse auguror, quam ut meretrix tantum publico penderet, *quantum quæque uno concubitu mereret*, ut ostendit Suet. n. 5. Apparet, capturas meretricum Caligulam credidisse paullo majores quam quæstus diurnos gerulorum, dum octavam partem diurni quæstus ab illis exigit, ab istis quantum uno concubitu mererent. Duravit sub sequentibus Imperatoribus. Lamprid. Alex. Sev. c. 24. *Lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit: sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri, & ærarii deputavit.* Et Constantinus illud exegit, ut testatur Zosim. II. 38. *Buleng. de Vectig. c. 38. & 49. Almelov. Antiq. p. 41. Laurent. de Adult. & meretr. c. 2. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 418. Lips. de Magnit. Rom. II. 7. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 1. c. 3. Thys. de Magnit. Rom. II. p. 258. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 3. Burman. Differt. de Vectig. c. 12.*

Vectigal ex metallis primis Reipublicæ temporibus in Italia etiam ærarium locupletavit, sed cum provinciæ deinde metalla suppeditarent, interdictum est, ne in Italia exerceretur. Plin. XXXIII. 4. *Italiæ parcitum est vetere interdicto patrum, alioquin nulla fœcundior metallorum quoque erat tellus.* Quare præcipue hoc lucro auxerunt rem Romanam subactæ provinciæ, quæ metalla visceribus suis continebant. I. Hispania, in qua hoc *vectigal* primum Cato instituit. Liv. XXXIV. 21. *Pacata provincia vectigalia magna instituit ex ferrariis, argentariisque, quibus tum institutis locupletior indies provincia fuit.* II. Africa, quæ Romam saxis, & lapidibus marmoreis ornavit, quos Romani sibi inde excidi jusserunt. Frequens apud auctores est Libyci, & Numidici marmoris mentio, unde *vectigal*, & emolumentum habuisse fiscum, indicio est l. 1. C. Th. de metall. quæ inscripta est rationali Africæ, qui *vectigalia*, & reditus in ea provincia curabat. III. Macedonia, quæ antequam Romanorum provincia esset facta, Regibus suis *vectigalia* ex metallis solvebat, quæ præcipue opes ejus regni erant. Perseus inde maxime multas congessit divitias, quibus bellum cum Romanis sustinere posset. Liv. XXXIX. 24. *Vectigalia regni non fructibus tantum agrorum, portoriisque maritimis auxit, sed metalla etiam, & vetera intermissa recoluit, & nova multis locis instituit.* Subacta a Romanis Æl. Pæto, & M. Junio coss. an. 586. metalli *vectigal* SCto est sublatum, quo liberi, & suis legibus relicti sunt Macedones. Liv. XLV. 18. *Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque rusticorum prædiorum tolli placuit.* Quod non ita absolute, quasi omne *vectigal* remissum sit, intelligendum est, cum idem c. 29. narret, Paullum Macedonibus ex SCto, & concilii sententia pronuntiasse, *metalla auri, atque argenti ne exercerent Macedones,* ne scilicet divitiis affluentes Romanis obsequium negarent, *ferri & æris permitti: vectigal exercentibus dimidium ejus impositum, quod pependissent Regi.* Cassiod. in Chronico tradit Æm. Lepido, & C. Popil-

lio, qui consules fuerunt an. 595. *metalla in Macedonia instituta fuiſſe.* Sed aut error eſt in tempore, quo ex metallis Macedoniæ Romani *vectigal* habere cœperunt, ſtatuendo: aut ſi vera ejus ſit ſententia, credendum eſt, eo tempore rurſus auri & argenti metalla exerceri Macedonibus permiſſum fuiſſe, vel antiquatum, Regibus pendi ſolitum, *vectigal* iterum exactum. IV. Illyricum. Addit enim Liv. l. l. *Similia his & in Illyricum mandata.* V. Thracia, ex cujus, ut & Macedoniæ, & Illyrici lapidicinis, & cæteris metallis *vectigalis* frequens mentio eſt in tit. C. utriusque de metallar. l. 7. & 8. VI. Britannia, quæ etiam metalla auri, & argenti Romanis pendebat. Tacit. Agric. c. 12. n. 8. *Fert Britannia aurum, & argentum, & alia metalla, pretium victoriæ.* Et c. 31. n. 5. Galgacus Caledonios ad pugnam exhortans dicit: *Neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus ſunt, quibus exercendis reſervemur.* VII. Sardinia, quæ etiam argentum Romæ ſuppeditabat, cujus meminerunt l. 6. & 9. C. Th. & Sidon. c. v. n. 49.

Sardinia argentum, naves Hiſpania defert.

Buleng. de Vectig. c. 22. & 26. Panciroll. de Magiſtr. munic. c. 16. Lipſ. de Magnit. Rom. II. 5. Burman. Diſſert. de Vectig. c. 6.

Vectigal pecorum domui Auguſtæ tribuebant provinciæ. Certus enim numerus Italiæ, & reliquis Romano imperio parentibus regionibus, pecudum, tam ſuum, quam boum, & ovium impoſitus eſt, quem quotannis tribuerent. Lucani, & Bruttii, quorum regio pecore erat fœcundiſſima, ſues, & alias pecudes repræſentabant. Caſſiod. Var. XI. 39. *Hinc enim fuit, ut montuoſa Lucania ſues penderet, hinc ut Bruttii bonum pecus indigena ubertate penderent.* Samnium & Campania etiam hoc *vectigali* atterebantur l. 3. C. Th. de ſuar. pecuar. & novell. 15. Valentinian. Imo nec remotæ provinciæ immunes habebantur; ſic Armenia carnem, ſive pecudes tribuebat. Quædam provinciæ equis præſtandis erant obnoxiæ. Probat dictum Probi apud Vopiſc. c. 15. *Paſcuntur ad noſtram alimoniam gentium pecora diverſarum, equinum pecus noſtro jam fœcundatur equitatui.* Panciroll Var. Lect. XXX. 31. putat decimas ex gregibus exactas fuiſſe, quia in d. novell. Valent. mentio aliquarum decimarum injicitur: quod tamen inde colligi non poſſe arbitramur: cum decimæ ibi non *vectigal* ipſum pecudum, quod ſecundum canonem Imperatori ſolvebatur, ſignificent, ſed illam *vectigalis* acceſſionem, quam pro epimetro, & interpretio ſuſceptores accipiebant. Veriſimilius eſt unicuique provinciæ, prout abundaret, vel minorem copiam pecudum proferret, certam quantitatem fuiſſe imperatam. *Burman. Diſſert. de Vectig. c.* 4.

Vectigal picariarum inter publica *vectigalia* recenſetur. Ulpian. l. 17. ff. de verb. ſignif. *Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiſcus capit: quale eſt vectigal portus, & venalium rerum, item ſalinarum, & metallorum, & picariarum.* Redigebatur hoc ex locatione arborum, ex quibus pix defluebat. Hujus mentionem facit Cicero in Bruto, ubi *redemptores picariarum* referuntur. Verba ejus ſunt c. 22. *Nam cum in ſylva Scantia cædes facta eſſet, notique homines interfecti, inſimulareturque familia, partim etiam liberi ſocietatis, quæ picarias de P. Cornelio, L. Mummio cenſoribus redemiſſet.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. 2.

Vectigal in pontibus pro tranſitu. V. illud ſupr. in *Portorium.*

Vectigal portorii. V. illud ſupr. in *Portorium.*

Vectigal prætorium. V. illud ſupr. in *Vectigal ædilitium.*

Vectigal rerum venalium exigebatur pro rebus, quæ in foro venalia erant, vel quæ ſub haſta, publice poſita, licitantibus addicebantur. Hoc plerumque cum portorio confunditur, & unum, ac idem habetur, cum tamen diverſum plane *vectigal* ſit: non enim in portubus pro invectione, vel evectione, ſed in foro pro venditione exigebatur. De eo agitur l. 1. C. de veter. *Nec ulla collatione, nec a magiſtratibus, nec vectigalibus, in quibuſcunque nundinis interfuerint, ullam ob venditionem proponendam dare debebunt.* Vocatur abſolute *venalitium* l. 4. C. de prox. ſacror. ſcrin. *Venalitium non petatur.* Cujac. Obſerv. VI. 28. Burman. Diſſert. de Vectig. c. 5.

Vectigal ſalis. V. illud ſupr. in *Salina.*

Vectigal ſiliquaticum. V. illud ſupr. in *Siliquaticum.*

Vectigal pro ſolo pendebatur. V. illud ſupr. in *Solarium.*

Vectigal tyrocinii vocari poteſt præſtatio tyronum, qui pro opibus cujusque, & agris indicebantur. Hæc res improbata, & ad perniciem militaris diſciplinæ inventa eſt, cum vulgo ignavos, atque ineptos tyrones darent, aut pro iis aurum inferrent. Hanc cauſam Romani exitii eſſe ait Veget. I. 7. *Hinc tot ubique ab hoſtibus illatæ ſunt clades, dum longa pax militem incurioſius legit, dum poſſeſſoribus indicti tyrones, per gratiam, aut diſſimulationem probantur.* Symmach. Epiſt. IX. 10. *Poſtulant taxationem tyronis ab hominibus meis Capitularii.* VI. 63. *Nam & tyronum conquievit indictio, & argenti nobis facta gratia eſt.* Verba imperatorii reſcripti C. de cond. ob turp. cauſ. *Imperatores Diocletianus, & Maximianus A. A. Dioni militi. Quod evitandi tyrocinii cauſa dediſſe te apud competentem judicem ei de quo quereris, indubiæ probationis luce conſtiterit, inſtantia ejus recipies: qui memor cenſuræ publicæ, poſt reſtitutionem pecuniæ, etiam concuſſionis crimen inultum eſſe non patietur.* Dio miles apud Imperatores conqueſtus eſt, quia exactores tyrocinii ab illo evitandi tyrocinii cauſa aurum exegerant. Imperatores aurum militi reſtitui, quod ob turpem cauſam a coactoribus erat extortum. Immunes enim milites ab hac præſtatione tyronum fuiſſe docetur l. 18. l. 7. C. Th. lib. 7. tit 13. de Tyron. Pro tyronibus ſingulis viginti quinque ſolidos numerari potuiſſe certum eſt ex l. 13. eod. tit. interdum ſex & triginta l. 7. ibid. vel triginta ſolidos l. 20. *Buleng. de Vectig. c. 63. Stewech. in Vegetium.*

Vectigal vini dabant I. beatæ Italiæ provinciæ. Campania & Tuſcia, in quibus generoſiſſima vina ubertim proveniebant. Sidon. c. v. n. 46.

—— deſert Campanus Jacchum.

Symmach. Epiſt. IX. 125. *Exſtat vetus profeſſio Campaniæ conſularis, exſtant acta apud Hetruſcum confecta rectorem, quibus docetur exactio promiſſa reliquorum.* II. Africa, unde *ſuſceptorum vini per provinciam Africam* mentio fit l. ult. §. 20. ff. de muner. & honor. *Suſceptores quoque vini per provinciam Africam patrimonii munus gerunt.* III. Pannonia, quæ hodie adhuc præſtantiſſimum profert vinum. Claud. de Laud. Stilich. II. 199.

Reſtituit terras, & opacum vitibus Iſtrum
Conſerit, & patrium vectigal ſolvere gaudet.

IV. Cyclades, & reliquæ vitiferæ regiones. Colum. Præfat. I. de Re Ruſt. *Vindemias condimus ex inſulis Cycladibus, ac regionibus Bæticis, Gallicisque.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. 3.

Vectigal pro umbra exegerunt veteres. Plin. XII. 1. *Quis non jure miretur, arborem umbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe? Platanus hæc eſt, per mare Ionium in Diomedis inſulam ejuſdem tumuli gratia primum invecta, inde in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas donata Italiæ, & jam ad Morinos uſque pervecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant.* Bergier. de viis milit. I. Sect. 12. §. 10. Buleng. de Vectig. c. 74. Cujac. Obſerv. X. 7. Lanſ. de opt. parand. opum mod. & part. uſu p. 73. Sed revera nihil magis menti Plinii contrarium, quam inde novum, & inauditum *vectigal* eruere. Oratorie enim magis quam hiſtorice ibi in luxuriam invehitur, quæ eo tempore maxime homines afflaverat, ut platanum arborem, quæ nihil frugum ferret, ſed ad ſolas delicias, & umbræ cauſa, in ſummo honore, & pretio habebatur, ex longinquis terris advehrerent. Sic in Italiam per mare Ionium erat tranſlata, ubi Romani, & Itali ita delectabantur platano, ut in prædiis loca, quæ voluptati, & libidini conſecrabant, platanis conſererent.

Quod

Quod etsi non frugi patrisfamilias esset, utpote qui nihil reditus ex terra sua caperet, tamen id magis mirandum esse in iis gentibus, qui solum tributarium arabant, & coacti erant quotannis tributum Romanæ Reipublicæ pendere. Deberent enim ii, ut tributum hoc facile, & sine incommodo solverent, agros suos frugibus, & frumento exercere, ut inde *vectigalis* præstatio ipsis compensaretur, sed eo dementiæ eos pervenisse dicit, ut agros, pro quibus tributum deberent, consererent arboribus, quæ nihil nisi delicias, & patulam umbram domino soli præberent, atque ita *vectigal* pro sola umbra penderent. *Burman. Dissert. de Vectigal. c. 12. Hennin. ad Bergier. l. l.*

Vectigal urinæ excogitavit Vespasianus. Dio LXVI. p. 751. E. *Tito ægre ferenti vectigal urinæ, quod post alia indictum est, dixit acceptis aureis ex eo vectigali, & ostensis, vide fili, si quid olent?* Suet. Vesp. c. 23. n. 7. *Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans num odore offenderetur: & illo negante, atqui, inquit, e lotio est.* Sordidum profecto *vectigal*, & eo sordidius, quia Quinto quodam judice, apud Galen ὑγιειν. III. *tractare de urinis ne medico* quidem, *verum fulloni convenit*: & ex eo minime conveniens Principi. Qui hoc pacto illud excogitaverit. Romæ in angiportis & angulis vicorum amphoræ antiquitus erant collocatæ, in quibus transitores ebrii, & vinolenti urinæ libidine lacessente, mejere solebant. Indicat hoc C. Titius vir Lucilianæ ætatis in oratione, qua legem Fanniam suasit, apud Macrob. Sat. II. 12. aliis III. 16. *Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant: dum eunt, nulla in angiportu est amphora, quam non impleant: quippe qui vesicam plenam vini habeant.* Illas dolia curta vocat Lucret. IV. 1020.

Pusi sæpe lacum propter, se, ac dolia curta
Somno devincti credunt extollere vestem,
Totius humorem saccatum ut corporis fundant,
Cum Babylonica magnifico splendore rigantur.

Et gastra Petron. c. 39: *Cum hora pæne tota per omnes scruras, gastrorumque eminentium fragmenta traxissemus pedes.* Vel exegerit a fullonibus, qui plurimum urina, vestimenta curantes, & eluentes, utebantur. Athen. XI. p. 486. *Quod autem percolatum lotium mejimus, est acre: itaque fullones abstergendis vestium sordibus, eas urina madefaciunt.* Q. Fufius Calenus apud Dion. XLVI. p. 296. C. *Neque enim pater ei genus, opesque reliquit, fullo, operasque in colendis vineis, ac oleis locans: eoque quæstu, & eluendis pannis, abunde contentus vitam sustentare, sordidissimo victu interdiu, noctuque se explens.* Lips. de Magnit. Rom. II. 6. Buleng. de Imper. Rom. IX. 45. de Vectig. c. 45. Kipping. Ant. Roman. II. 5. 2. Bergier. de viis milit. I. 8. & 12. §. 10. ad illum Henninius. Cassl. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 31. Franckenstein. de Ærar. pop. Rom. c. 3. & 8. Kipping. Antiq. Roman. II. 5. §. 2. Thys. de Magnit. Rom. II. p. 257. Caroni Antiq. Roman. II. 3. Beroal. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Imo Burmann. supr. in Amphora.

VEF.

VEFLAMEN in antiquis est inscriptionibus:

C. MUCIUS. BRUTIANUS. FAUSTINUS
ANTONIANUS. VEFLAM. AUG

Alia inscriptio Bexæ in Lusitania:

CURIÆ. PONT
FLAM. PACIS. JULIÆ
VEFLAMEN

Quod quidam interpretatur *vetus flamen*, qui sacerdotio abierat. Forte *veflamen* pro minore flamine dicebatur, ut vegrande dixerunt pro parvo, & minuto. Nam qui flamini honore functi erant, vel ut loquitur lex 21. C. Th. de decur. post flaminii decursa insignia, flaminales viri vocabantur, ut consulares, qui consulatum pridem consecuti. Lapis Tarraconæ:

. . . .
. . . .
OB. CURAM. TABELLARI
CENSUALIS. FIDELITER
ADMINIST. STATUAM
INTER. FLAMINALES
VIROS. POSITAM. EX
ORNANDUM. UNIVER
CENSUER.

Guther. de Vet. jur. pontif. I. 32.

VEH.

VEHA dicebatur, si vas ex viminibus contextum, quod plaustro imponebatur, esset majus, & vehiculum longius. *Scheffer. de Re Vehic. II. 20.*

VEHES est mensura, quantam capit vehes. Non id tantum denotat, quod vehitur, sed quod vehitur certo genere, certum ponderis, aut mensuræ. Sic modo *vehes* stercoris est octoginta modiorum. Colum. XI. 2. *Vehes stercoris habet modios octoginta.* Idem observant & in lignis, vel materia. Sic ... pedes ... viginti, pinus viginti quinque, ulmus & ... *vehem* dicebantur constituere. Colum. l. l. *Materia, si roborea est, ab uno fabro dolari ad unguem per quadrata debet pedum XX. hæc erit vehes una. Pinus autem XXV. pedum æque ab uno expeditur, quæ & ipsa vehes aurea. ... ulmus, & fraxinus pedum XXX. ... XL. tum etiam LX. pedum abies, atque populus singulis operis ad unguem quadrantur, atque omnia hæc mensura ... vehes appellantur.* ... alter ... alter roboris, ac generis alterius, quod ex ... pondus omnibus æquale. *Scheffer. de Re Vehic. II. 20.*

VEHICULUM est species plaustri. Usurpatur plerumque de quocumque genere. Inde habes *vehicula thensarum* apud Cicer. Verr. V. 72. & in orat. pro Mil. c. 20. positum pro rheda. *Vehiculum, quod ... le carpentum* est apud Vopisc. Aurel. c. 1. Pari modo usurpatur *vehiculum* rhedam, unde *rhedarius vehiculi* ... apud Capitol. Maxim. & Balb. c. 5. Tacit. Annal. XI. 32. 5. habet *vehiculum, quo purgamenta hortorum excipiuntur.* Atque sic invenias de aliis. Tamen observamus *vehiculum* etiam speciali notione usurpatum, docetque manifeste Varr. de Ling. Lat. IV. 31. ubi primo ait se locuturum *de his, quæ jumenta ducunt*, deinde ... tragulam, post sirpeam, tum venit ad *vehiculum*, & ait, *vehiculum, in quo faba, aliudve quid vehitur, quod ex viminibus vieretur.* Ostendit ergo *vehiculum* nec tragulam esse, nec sirpeam, ac ne arceram quidem, sive plaustrum, a quibus omnibus ibi distinguit, sed esse sui, ac peculiaris generis. Est autem hoc *vehiculum* a veha. Varr. l. l. *Brevi ... vehiculum est.* Porro vehim Osci appellabant ... erat autem veja plaustrum. Festus: *Veja apud Oscos dicebatur plaustrum.* Jam si veja, vel veha plaustrum, *vehiculum* id erit, quod plostellum veteres dixere, hoc est plaustrum parvum. Ita habes *plostellum Punicum* ... dictum Varron. de Re Rust. I. 52. Quam ob causam dixi *vehiculum* de genere plaustrorum esse. At diversum facit a plaustro ipse ille Varro. Nempe propriissima significatione plaustrum accipit de illo solo genere, quod ex omni parte palam est, & conspiciendi facit, quæ in eo vehuntur. Atque hujus generis *vehiculum* non fuit, sed contextum ex viminibus. Unde dixit ita nuncupatum, *quod ex viminibus vieretur.* Plaustrum fuit nudum, huic si ex viminibus imponebatur vas contextum, tum non plaustrum, sed *vehiculum* appellabatur. *Scheffer. de Re Vehic. II. 20. Pætus de Rom. & Græc. mens. III. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1647. A.* Primitus erant ærea, mox eborata effecit crescens luxus. Plaut. Aul. II. 1. 46.

Clamores, imperia, eburata vehicula.

Deinde argentata habuerunt. Plinius & Lampridius laudati in *Carruca.* Aurata, & gemmata etiam. Lamp. l. Helog.

Heliog. c. 29. *Habuit gemmata vehicula, & aurata, contemptis argentatis, & eboratis, & æratis.* Meurs. de Luxu Roman. c. 11. Mercur. de Art. Gymnast. III. 10: VI. 10. Illis gestabantur, sive vehebantur veteres. Gestationem, quam dicit Suet. Vesp. c. 21. n. 3. *Post decisa, quæcunque obveniebant, negotia gestationi & inde quieti vacabat.* Historiam illam quasi interpretans vocat vectationem Aurel. Vict. Epit. c. 9. n. 15. *Post negotia, quæcunque advenissent, audita, exercebatur vectatione, deinde requiescere.* Suet. Galb. c. 8. n. 1. *Ne ad gestandum quidem unquam aliter egressus* (ita lego pro [illegible]) *quam ut proximo vehiculo decies HS in auro efferret.* Senec. Epist. 122. *Quæro* [illegible] *dicitur* [illegible] *gestari.* Mantile dat rotas: ergo essedum fuit. Sic Mart. IV. 64. 19.

Illinc Flaminiæ Salariæque
Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno.

Suet. Claud. c. 33. n. 6. *Solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne confunderetur lusus.* In essedo igitur, subjunctis equis, aut mulis. *Lips. Epist.* [illegible] II. *Mercur. l. l.*

VEJ.

VEJENTES inter, & Romanos post diuturnum, varium, & multiplex bellum Mam. Æmilius Mamercinus dictator III. an. 328, *Vejentium* opes ita afflixerit, ut postero anno inducias in viginti annos petierint. Liv. IV. 35. *Vejentibus annorum viginti induciæ datæ.* Anno 347. quum, ut inquit Liv. c. 58. *induciarum tempus exiisset, Vejentes a senatu impetrarunt, quia ipsi discordia intestina laborarent, ne res abs se repeterentur.* Insequenti ergo anno, *bellum Vejens motum ob superbum responsum Vejentis senatus, legatis Romanis res repetentibus datum. Id patres ægre passi, decrevere, ut tribuni militum de bello indicendo Vejentibus primo quoque die ad populum ferrent.* Actum primum stipendio de publico militibus decreto latum est. Ita insequenti anno, qui fuit Urbis conditæ 349. circumsessi primum *Veji* sunt; atque inde per novem annos vario eventu a tribunis militum res cum *Vejentibus* gesta est, donec an. 358. M. Furius Camillus dictator dictus, magistrum equitum P. Scipionem [illegible]. Is Faliscis primum, ac Capenatibus fusis, & castris exutis, ad *Vejos* profectus, cuniculo in arcem hostium acto, urbem ipsam decimo ejus belli anno cepit, ac maxima præda potitus, Junonis etiam signum, Romam delatum, in Aventino exstructo templo, locavit; quum clarissimum de *Vejentibus* in Urbem triumphum equis albis vecto curru invexisset. Atque ita urbs *Veji*, quæ 350. annis Romanis negotium fecerat, capta est. Liv. V. 19... 23. Plutarch. Camill. p. 131. Diodor. XIV. p. 445. A. Val. Max. I. 6. 3. & alii plerique auctores. *Panvin. de Imper. Rom. c. 3.*

VEJENTINA tribus. V. illam supr. in *Tribus*

VEJOVIS quis fuerit, aut quale numen, diversæ, eæque diversissimæ veterum sententiæ sunt. Juvenem eum, & imberbem, & quasi parvum *Jovem* depingit Ovid. Fast. III. 445. voculam *ve* diminutionem olim significasse dicens:

Nunc vocor ad nomen: vegrandia farra coloni,
Quæ male creverunt, vescaque parva putant.
Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni suspicer esse Jovis?

Donat. de Urb. Rom. II. 10. Nardin. Rom. Vet. V. 13. Gyrald. Synt. deor. I. p. 88. D. Thys. in Gell. V. 12. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 8. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2810. F. Contra ea apud Gellium legas *Vejovem* nocentem, vel nocere tantum valentem, & post varias expositas particulæ *ve* significationes ita concludentem eum audias: *Simulacrum dei Vejovis, quod est in æde, de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum: quapropter eum deum plerique Apollinem esse dixerunt: immolaturque illi ritu humano capra; ejusque animalis figmentum juxta simulacrum stat.* Nardin. Borrich. & Gyrald. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 2. Struv. Antiq. Rom. I. p. 168. Ortel. Deor. & dear. cap. I. 5.

VEL.

VELABRUM quid fuerit, necdum satis explanatum est. Ante Tarquinium Priscum palus fuit, per quam naviculis ad Aventinum, & aliorsum ibatur. Verum quum palus exsiccata, ac terra exæquata esset, ut habitari posset, vetus quidem aliquamdiu toti valli nomen *Velabri* remansit; verum postea sensim angustiore spatio cœpit circumscribi, & cæteris partibus alio nomine insignitis, ut viæ novæ, fori piscarii, Argileti, vici Thusci, & forte plurium, duabus solum viis, sive vicis, areisve adhæsit. Post contractionem illam sub Capitolio confinem vicum jugarium, sub Palatino vero forum boarium; sic ut area inter ea media fuerit: ita tamen, ut dixi, ut in illud spatium vicum quoque Thuscum, viam novam, & forum piscarium, & alia nonnulla loca admiserit: a quibus sejunctum *Velabrum* duas vias illas suo nomine inter duos colles cohonestavit, ex parallelo sibi oppositis: unde *Velabrum* duplex, majus, & minus apud veteres legitur. *Velabrum* vico jugario conjunctum fuisse colligitur e Victore, & Cicerone. V. illos supr. in *Signum.* Quod si a jugario, qui pars vici Thusci erat, *Velabra* interjecta fuere, pompæque, quæ e foro per vicum Thuscum ad *Velabra* transibant, a signo Vertumni se versus circum flexere, facile fieri potuit, ut *Velabrum* a vico jugario supra Thuscum inceperit, pompæque e foro per vicum Thuscum transeuntes ad Velabra, jugariumque non attingentes, a signo Vertumni se flexerint. Utrum autem de Velabris hoc fuerit, videamus. De majore Rufus in regione XI. *Velabrum majus in foro olitorio.* Ergo, si in illo foro, nihil ei cum vico jugario fuit commercii, qui portam Carmentalem non transibat. *Velabrum* minus fuerit necesse est, quod inter vicum fuit jugarium, & forum boarium. Principium ejus non longe dissitum esse potuit ab æde S. Homoboni, versus S. Eligii, & S. Georgii dicti in *Velabro*, vergens ecclesias. Victor recentior *Velabrum* minus in foro olitorio locat. Sed si S. Georgii ædes in *Velabro* fuit, alteram de duobus *Velabris* inter forum magnum, & boarium fuisse necesse est, adeoque in regione VIII. quæ & fori dicta, in qua boarium quoque fuit, non autem in XI. Liquet e Livio laudato supr. in *Pompa.* Nec minus erroneum est majus *Velabrum* fuisse in foro olitorio: quæ sententia ut refutetur, explicandum tantum est, quid *Velabrum* fuerit: vallis scilicet inter Palatinum, Aventinum, & forum, quæ stagnantibus illic aquis fluminis olim navigabatur. Varr. de Ling. Lat. IV. 7. *Itaque eo, in Aventinum, ex Urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem solvebant: cujus vestigia, quod ea, qua tum itur, Velabrum: & unde ascendebant ad imam novam viam locus est, & sacellum Larum. Velabrum dicitur a vehendo.* Prop. IV. 10. 5.

Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Tib. II. 5. 33.

Et qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.

Licet enim vallem ejusmodi, regionemve, tractu temporis, novis acceptis, admissisve in partem nominibus, coartatam, ut fit, concedamus, non tamen *Velabra* ad eam parvitatem devenisse credibile est, ut eorum majus particulam fori olitorii constituerit. At quam partem? num in arcum, an statuam, an porticum, an basilicam mutatum transisse dicendum est? Quod si illud forum extra muros fuit, itidem & *Velabrum* tum extra muros fuisse dicendum erit. Atqui per hoc pompæ in Urbe e foro in circum ductæ fuerunt. V. supr. in *Pompa.* Quæ quoniam per *Velabrum* in circum ductæ fuerunt, vias illas,

tas, ſeu tractus verſus circum directos, vel etiam areas fuiſſe dicendum eſt, quorum utrumque, vel alterum ſaltem a vico jugario, vel turario inceperit, ut jam dictum. De utroque *Velabro* Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Ab his, Lautulis, palus fuit in minore Velabro, a quo, quod ibi vehebantur lintribus, Velabrum, ut illud majus, de quo ſupra dictum eſt.* Hinc colligere licet, locum illum, ubi aquæ olim ſcaturientes ad Janum Geminum initio U. C. lacum faciebant, poſt fori tranſitum *Velabrum* minus fuiſſe, quod eapropter regioni fori incluſum fuit. Majus autem in laxiore iſtius vallis ſpatio fuit, propius Tiberim, adeoque in forum boarium exiit, inter S. Mariæ in porticu, ut puto, quo & muri pertingebant, & Scholam Græcam. *Nardin. Rom. Vet.* V. 10: VII. 4. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 10. §. 6. *Donat. de Urb. Rom.* II. 15. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 367. *F. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 14. *Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ.* I. 8. *Turneb. Adv.* XX. 30.

VELARIA erant loca, ubi *vela* reponebantur, quæ ad ornandum theatrum tendebantur. Juven. Sat. IV. 121.

— pugnas Cilicis laudabat, & ictus,
Et pegmata, & pueros inde ad velaria raptos.

Britann. in Juvenalem. Ego interpretes non audio, imo aliam lucem Juvenali do, & ita capio: quaſi laudarit, & ſtupuerit adulator ille, quod ludis gladiatoriis, pueri e pegmate ſubito in altum occulta quadam machina rapti ſint, & ad *vela* ipſa, quæ *velaria* dixit Juvenalis. Sane recepti in amphitheatris tales luſus, talesque raptus. Qualis ille de tauro cum Alcide in æthera rapto, populo ſpectante, & adſtupente, expreſſus Mart. de Spectac. c. XVI. n. 1.

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena,
Non fuit hoc artis, ſed pietatis opus.

Lipſ. de Amphith. c. 18. Thyſ. de Amphith. p. 108. Scalig. Epiſt. 211.

VELARII dicebantur, qui præpoſiti *velis* in aula ducendis. Lego in veteri inſcriptione Romæ:

TI. CL. THALLUS
PRÆPOSITUS. VELARIORUM
DOMUS. AUGUSTÆ.

Neapoli:

D. M
L. FLAVI. AUG
LIB. PRIMIGENI
SUPRA. VELARIOS
DE. DOMU. AUG.

Lipſ. de Amphith. c. 18. *Pignor. de Serv. p.* 470. *Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c.* 16. *Lamprid. Alex. Sev. c.* 4. *Caſaub. in Lamprid. Commod. c.* 15. *Buleng. de Imperat. Rom.* II. 23. *Torrent. in Suet. Claud. c.* 10. *n.* 3. *Kirchman. de Annul. c.* 9. *Vignol. Inſcript. Select. p.* 272. *Thyſ. de Amphith. p.* 208. An *velarios* vocem non admodum antiquam eſſe dicemus, quod nulla eorum in Digeſtis mentio occurrat? nulla profecto hodie *velariorum* uſpiam extaret mentio, niſi eorum memoriam inſcriptiones nobis conſervaſſent. *Salmaſ. in Vopiſci Carinum. Kirchman. l. l.*

VELIA occupavit alterum Palatini faſtigium, quod eccleſiæ S. Theodori imminet, & protendebatur uſque ad ædem S. Anaſtaſiæ. Partes ejus fuere *Summa Velia*, & *Subvelia*. Ideo *Velias* dicit Varr. de Ling. Lat. IV. 8. Summa in ſummo colle, in imo ima. In *Summa Velia* domus erat Publicolæ Valerii. Dionyſ. V. p. 292. *Quia domum in invidioſo loco ædificabat, collem eligens foro ſuperſtantem, altum, & præruptum, quem Romani Veliam appellabant.* V. ſupr. in *Domus*. Verum cognita populi ſuſpicione materiam in ſubjectum infimum clivum tranſtulit, quæ *Subvelia* dicta, ibique ſibi domum ſtruxit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 12. *Donat. de Urb. Rom.* I. 6: II. 16. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 17. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 272. *D. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 3. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 30.

Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 21. *Blond. Inſtaur. Rom.* III. §. 73.

VELINA tribus. V. illam ſupr. in *Tribus*.

VELITES *levis armaturæ milites.* Non. XVIII. 2. Auguſtin. in Grammat. cap. de Nomine. Liv. XXX. 33. *Vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus, ea tunc levis armatura erat, complevit.* Cum quatuor fuerint peditum genera in militia Romana, *velites*, haſtati, principes, triarii: viliſſimi eorum *velites*. Nam inter *velites* nulli militabant, niſi & armis tyrones, & opum ratione pauperes, atque imarum claſſium. Polyb. VI. 19. *Ubi ad dictam diem convenerunt, natu minimos, & pauperrimos tribuni ſeligunt in velites.* Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. de Re milit. Roman. c. 16. Laurent. Polym. IV. Synopſ. I. §. 5. Thyſ. Rom. Illuſtr. II. p. 54. Roſin. Ant. Roman. X. 9. Inſtituti ſunt bello Punico II. Valer. Max. II. 3. 3. *Velitum uſus eo bello primum repertus eſt, quo Capuam Fulvius imperator obſedit. Nam cum equitatui Campanorum crebris excurſationibus equites noſtri, quia numero pauciores erant, reſiſtere non poſſent, Q. Nævius centurio e peditibus lectos expediti corporis, brevibus, & incurvis ſeptenis armatos haſtis, parvo tegmine munitos, veloci ſaltu jungere ſe equitibus, & rurſus celeri motu dilabi inſtituit: quo facilius equeſtri prælio ſubjecti pedites, viros pariter, atque equos hoſtium telis inceſſerent.* Liv. XXVI. 4. *Cum in multis certaminibus equeſtria prælia ferme proſpera faciebant* Campani: *pedites ſuperabantur.* ... *Inita tandem ratio eſt, ut quod viribus deerat, arte æquaretur. Ex omnibus legionibus electi ſunt juvenes maxime vigore, & levitate corporum veloces. Eis parmæ breviores, quam equeſtres, & ſeptena jacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale haſtis velitaribus ineſt. Eos ſingulos in equos ſuos accipientes equites aſſueſecerunt, & vehi poſt ſeſe, & deſilire perniciter, ubi ſignum datum eſſet.* .. *Inde equitatu quoque ſuperior Romana acies fuit. Inſtitutum, ut velites in legionibus eſſent.* Lipſ. de Milit. Rom. III. Dial. I. Stewech. in Veget. III. 16. Salmaſ. l. l. Patric. Rei milit. Rom. part. V. ſect. I. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 15. Manſit res diu poſtea, & Jugurthæ bello. Salluſt. p. 103. *In utrumque latus equites auxiliarios tribunis legionum, & præfectis equitum diſpertiverat: ut cum his permixti velites, quocumque accederent, equitatus hoſtium propulſarent.* An & Cæſaris, atque illo ævo, neſcio. Certe in ſcriptis ejus non eſt mentio. Imo ſi fuiſſent, quid opus ex anteſignanis legionum eligere quoſdam in hunc uſum? Nam ita ipſe de Bell. Civ. III. 84. *Superius tamen inſtitutum in equitibus, quod demonſtravimus, ſervabat, ut quoniam numero multis partibus eſſet inferior, adoleſcentes atque expeditos ex anteſignanis electos milites ad pernicitatem armis inter equites præliari juberet, qui quotidiana conſuetudine uſum quoque ejus generis præliorum perciperent.* Atqui Ammianus etiam *velites* nominat XVII. 2. & *velitare auxilium* XX. 1. & *velitares* XIX. 3. ſed non hos veteres, duntaxat eorum exemplo, auxiliares, & levius armatos. At mihi ſuſpicio eſt, ſuſpicio tantum, poſt ſocios receptos in cives, mixtosque legionibus, *velites* deſiiſſe, & eorum loco juniores fuiſſe quoſdam anteſignanos, atque ita reliquas claſſes auctas. Livius indicare videtur, cum agit de pugna Africana Scipionis in Annibalem XXX. 33. V. illum ſupr. laudatum. Ut quid enim ſollicite monet, *tunc eam fuiſſe levem armaturam*, ſi etiamnunc erat? *Lipſ. & Salmaſ. l. l.* Illorum arma fuerunt gladius, haſta, & parma. Polyb. VI. 20. *Minimis quidem natu præcipiunt, ut gladium ferant, haſtas, & parmam.* Liv. XXXVIII. 21. *Gladiis a velitibus trucidabantur. Hic miles tripedalem parmam habet: & in dextra haſtas, quibus eminus utitur: gladio Hiſpanienſi eſt cinctus.* Valtrin. de Re milit. Roman. III. 12. Lipſ. & Patric. l. l. Turneb. Adv. XIV. 11. Laurent. ibid II. §. 11. Caroli Antiq. Roman. III. 6. Thyſ. Rom. Illuſtr. III. p. 68. Illorum triplex locatio fuit in acie. Interdum ante omnia ſigna, & in fronte. Liv. XXXVIII. 21. *Ante ſigna modico intervallo velites erant.* Interdum mixta primis manipulis, aut potius infra viis. Liv. XXX. 33. *Vias patentes inter manipulos anteſignanorum velitibus complet.* Salluſt. Bell. Jugurth. p. 105.

Inter manipulos funditores, & sagittarios dispertit. Denique interdum, non in viis sparsi, sed in cornibus positi junctim. Ut pugna Cannensi Appianus: *Quæque pars habebat pedites, graviores, in medio leves, & equites utrimque in cornibus.* Crebra ea dispositio: & ut sollennem recipit Veget. I. 20. *Funditores & sagittarii præcipue in cornibus locabantur, a quibus pugnandi sumebatur exordium.* Sed ubicunque positi, prodire ante alios soliti, & pugnam committere, cum datum signum. Polyb. II. 30. *Una cum eo, quod jaculatores prodeuntes e Romanis legionibus, juxta morem, ejaculabantur.* Ostendit morem hunc fuisse, etiam priusquam *velites* proprie dicti instituerentur. Itaque sive manipulis insiti, sive cornibus assiti, procurrebant, & una cum equite fere pugnabant. Cedentes autem inter legiones recipi solent, & a tergo poni, aut iterum alia procurrere. *Lips. de Milit. Roman.* IV. 2. *Thys. Rom. Illustr.* V *p.* 89. In castris, ut militum infimi, in extimo ordine locati, ad vallum scilicet, & spatium illud, quod castra interiora ambit, ut illud observent, &, ut in acie quoque, proximi sint hosti. Sane incustoditum hoc vallare spatium esse non conveniebat, aut leviter custoditum. Et quia *velites* sunt duplices, legionum & sociorum: illi ad superam inferamque castrorum partem locantur: isti ad latus utrumque. Itaque mille ducenti *velites* supra prætorium tendent, totidem ad decumanam, mille ad quamque principalem. Tendent autem simplici ordine, nec multum spatii sument in latitudinem: quia grande unumquodque latus est, & pedum bis mille ac supra. Sed nec impedimenta multa velites habent, aut animi, & minore podismo iis opus. *Lips. ibid.* V. *dial.* 4. *Thys. ibid. p.* 115.

VELITIS-JUBEATIS QUIRITES erat omnium actionum cum populo commune principium, quo populus de bello, de pace, de legibus jubendis, vel vetandis, magistratibus mandandis, votis suscipiendis, supplicationibus, triumphis, quæstionibus publicis decernendis rogabatur. Liv. XXXIII. 25. *Ni prius ipsi ad plebem tulissent, vellent juberentne cum Rege Philippo pacem esse.* XXXVIII. 54. V. illum supr. in *Quæsitores parricidii.* XXII. 10. V. illum infr. in *Ver sacrum.* Cuoli Antiq. Roman. II. 9. Rosin. Antiq. Roman. VI. 14. V. & supr. in *Jubere.*

VELUM cubiculare dicitur aulæum, quod in domibus principum ante fores cubiculorum prætendi solet. Ita vocat, & ejus obtectu se abdidisse Heliogabalum dicit Lamprid. c. 14. *Subito militum strepitu exterritus, in angulum se condidit: objectuque veli cubicularis, quod in introitu cubiculi erat, se texit.* *Velis* his & præ metu mortis texit Claudius, sed ex illis evolutus Imperator salutatus est. Suet. c. 10. n. 3. *Neque multo post rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximum: interque prætenta foribus vela se abdidit.* Pollux X. 7. *Præ foribus cubiculi tibi sint vela.* Tacit. Annal. XIII. 5. 2. *Ut adstaret abditis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret.* Sagittar. de Jan. vet. c. 24. 3. Lips. in Tacitum. Pignor. de Serv. p. 468. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 7. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 10. Schill Nomencl. Philol. p. 1104. Beroal. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. In admissionibus levabatur. Senec. Epist. 81. *Non crepitat subinde ostium, non adlevabatur velum.* Lamprid. Alex. Sev. c. 4. *Cum amicis tam familiariter vixit, ut salutaretur quasi unus de senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis, aut solis iis, qui ministri ad fores fuerant.* Lips. & Sagittar. l. l.

Velum judices in causis gravioribus, & præcipue criminalibus, quæque ampliorem deliberationem requirerent, tribunali prætendere solebant, ut ita a conspectu litigantium reorum, reliquique vulgi secernerentur, & separarentur: & hoc rem non liquere, justamque causæ cognitionem adhibendam, quæstionemque per plures dies exercendam esse argumento erat. Basil. Magn. Epist ad Eustath. *Si principes hujus mundi, cum facinorosum aliquem ad mortem condemnare volunt, adducunt vela, & multum temporis insumunt.* ... Clem. Rom. Constit. Apostol. II. 56. *Adspicite mundana judicia, quorum potestati videmus tradi homicidas.... de quibus cum quæsiverunt præfecti judicio ab iis, qui illos in judicium adduxerunt, demum interrogant reos, an illa ita se habeant? Quibus affirmantibus, non continuo eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent cum multo consilio, & velo interjecto.* Hinc *ad velum sisti* est coram judice in judicio sisti. Chrysost. in II. ad Timoth. homil. V. *Latrones quamdiu custodia detinentur, securi vivunt: ubi vero productos ad velum quis steterit, tum jam metu dissolvuntur, quippe jam morti propius admoti.* In causis vero levioribus, & vulgaribus, & quæ indagine, hujusmodique notione minime indigerent, removebant, & pandere solebant: quod *levato velo* cognoscere dicebatur, id est, palam, omnibus admissis, aperta fore. Hoc modo intelligenda est l. 5. C. de naufrag. ubi Honorius, & Theodosius Imperatores ajunt: *De submersis navibus decernimus, ut levato velo causæ istæ cognoscantur.* Kirchman. de Annul. c. 9. Mag. Misc. II. 13. Nardin. Rom. Vet. V. 8. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 100.

Velum nauticum excogitare non fuit difficile, quod multa vi ventorum etiam in terra moveri sæpius, atque impelli observare potuerint. *Velis* onerariæ naves contentæ fuerunt, ut secundo vento, parvis impensis, merces transportarent. *Meibom. Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 569. *C.* Primus mortalium usus dicitur Æolus, & propterea deus ventorum est habitus. Diodor. V. p. 202. C. *Insuper & velorum usum nautis introduxisse, rationemque utendi docuisse.* Bays. de Re naval. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 617. F. Sunt qui ad Icarum Dædali filium, alii ad parentem referunt: unde est & fabulosus illorum volatus. Quidam ad Isin Ægyptiorum deam. Cassiod. Var. V. 17. *Vela Isis ratis prima suspendit, cum per maria Harpocratem filium suum audaci femina pietate perquireret: ita dum materna caritas suum desiderium festinat explere mundi visa est ignota reserare.* Gyrald. de Navig. c. 14. Potter. Archæol. Græc. III. 17. Conficiebantur ex lino, cannabe, scirpo, sparto, corio. Ex corio, pellibusque primum facta videntur. Nomen indicare potest: est enim *velum a vellere*, id est, pelle, uti Varro docet. Hinc & Lucianus βύρσας nominavit. *Diu juxta malum stetimus sursum spectantes, numerantes vela alia aliis imposita.* Vult spectasse *vela*, & ex eorum numero æstimasse mali altitudinem. His *velis* coriaceis adhuc Cæsaris temporibus Veneti utebantur, notante ipso Cæs. de Bell. Gall. III. 13. *Pelles pro velis, alutæque tenuiter confectæ, sive propter lini inopiam, atque ejus usus inscitiam, sive quod est magis verisimile, quod tantas tempestates oceani, tantosque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera navium regi velis, non satis commode arbitrantur.* Apud Homerum omnia navium armamenta sunt ex lino, sic enim spartum eruditiores apud eum sunt interpretati, quoniam *cum sparta dixit, significaverit sata* Plin. XIX. 1. Et talia quoque apud Ovid. Heroid. III. 57.

Quin etiam fama est, cum crastina fulserit eos,
Te dare nubiferis linea vela notis.

Fuit autem singulare genus lini, carbasus vocatum, unde pleraque hæc talia fiebant. V. supr. in *Carbasus.* Nonnunquam vestimentis navigabant, passis *velorum* vice. Tacit. Hist. V. 23. 2. *Captæ lintres sagulis versicoloribus, haud indecore pro velis juvabantur.* Annal. II. 24. 4. *Claudæ naves raro remigio, aut intentis vestibus revertere.* Juven. Sat. XII. 66.

—— modica non multo fortior aura
Ventus adest, inopi miserabilis arte cucurrit
Vestibus extensis.

Hinc intelligitur fabula in Hercule apud Serv. VIII. qua tergo leonis velificasse fertur: pellis enim leonina ipsi pro veste fuit. *Scheffer. de Milit. Nav.* II. 5. *Gyrald. l. l.* Triplici forma consueverunt fieri. Nam alia triangula, qua plurimum figura nunc utimur: alia quadrata, ut in minoribus navigiis, & amnicis fieri videmus: alia rotunda, qualia se conspexisse nautæ Lusitani affirmant apud Indos. *Gyrald. l. l.* Color apud veteres albus. Ovid. Heroid. II. 11.

... *sæpe*

— ſæpe putari
Alba procelloſos vela referre notos.

Idque ominis fortaſſe cauſa. Rebus enim lætioribus hic color proprius: ſicut in adverſis niger. Unde mater Theſei apud Catull. LXIV. 222.

Nec te ferre ſinam fortunæ ſigna ſecundæ....

225.

Inde infecta vago ſuſpendam lintea malo
Noſtros ut luctus, noſtræque incendia mentis
Carbaſus obſcura dicat ferrugine Hibera....

235.

Sed ſimul ac noſtros inviſent numina colles,
Funeſtam antennæ deponant undique veſtem,
Candidaque intorti ſuſtollant vela rudentes.

Poſtea *tentatum eſt tingi linum, & veſtium inſaniam accipere, in Alexandri Magni claſſibus, Indo amne navigantis, cum duces ejus, ac præfecti in certamine quodam variaſſent inſignia navium, ſtupentibus littoribus flatu verſicoloria implente.* Plin. XIX. 1. Itaque & purpurea, & hyacinthina *vela* legimus. *Scheffer. l. l.* Vota ſua *velis* priſci inſcribebant. Apul. Met. XI. p. 379. *Hujus alvei felicis nitens carbaſus literis votum ingentibus progerebat. Eæ literæ votum inſtaurabant de novi commeatus proſpera navigatione.* Tomaſ. de Donar. c. 25. Florid. in Apulejum.

Velum regium vocatur purpureum, auro, pretioſiſque lapillis, & gemmis prætextum, quo Imperatores, aliique Reges, ſummique principes in ſuis palatiis uti conſueverunt. Tertull. de Habit. mulier. c. 8. *Sed & parietes Tyriis, & hyacinthinis, & iſtis regiis velis, quæ vos operoſe reſoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur: vilior apud eos eſt purpura quam rubrica.* Theodoſ. & Valentin. l. 2. C. Ut nemo privatus: *Ne quis vela regia ſuſpendere audeat.* Per *vela* regia haud dubie purpurea intelligunt. Idque intelligitur ex Plin. XIX. 1. *Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit: hoc fuit imperatoriæ navis inſigne.* Ræward. Var. V. 11.

Velum etiam erat in theatro, & amphitheatro, & *velis* luxu invaleſcente theatra, & amphitheatra integebantur, ad arcendas intemperantioris aeris injurias, ut populus ſalubrius conſiſteret, neque a pluvia, neque a ſole infeſtaretur. Primus inventor rei Q. Catulus: aut certe jam inventæ primus Romæ imitator. Val. Max. II. 4. 6. *Religionem ludorum, creſcentibus opibus, mox ſecuta lautitia eſt. Ejus inſtinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus ſpectantium conſeſſum velorum umbraculis texit.* Ammian. XIV. 14. *Ex turba minimæ ſortis, & paupertinæ, in tabernis aliqui pernoctant atris, nonnulli velabris umbraculorum theatralium latent: quæ Campanam imitatus laſciviam Catulus in ædilitate ſua ſuſpendit omnium primus.* Plin. XIX. 1. *Poſtea in theatris tantum umbram fecere* vela: *quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret.* Ejus ritus veſtigia in ipſis amphitheatris, ubi foramina in ſummis lapidibus ad funes *velorum* illigandos: ut in Nemauſenſi clare: & in ſummo Romano quædam grandiora, per quæ conjicimus trajici, & in altum dirigi antennas ſolitas, *velorum* funes ſuſtinentes. At ipſæ deinde antennæ, ſive mali per foramina ea immiſſæ, & demiſſæ, mutulis quibuſdam excipiebantur, firmitatis cauſa. Ad antennas autem ſubrectas funes tranſverſim ligati, & extenſi; ſuper quos ducta *vela.* Milites e claſſe præponebantur huic muneri: ſcilicet, quia maritimi illi jure periti tractandorum *velorum.* Lamprid. Commod. c. 15. *Cum illi ſæpe pugnanti, ut deo, populus faviſſet, irriſum ſe credens, populum Romanum a militibus claſſiariis, qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat.* Colorata varie fuiſſe ad ornatum oſtendit Lucret. IV. 73.

Et vulgo faciunt id lutea, ruſaque vela,
Et ferrugina: cum magnis intenta theatris
Per malos vulgata, trabeſque trementia pendent.
Namque ibi conſeſſum caveai ſubter, & omnem
Scenai ſpeciem patrum, matrumque, deorumque
Inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore.

Carbaſina nominat Plin. l. l. ſupr. in *Carbaſus.* Et illis addit: *Mox Cæſar dictator totum forum Romanum intexit, viamque ſacram ab domo ſua uſque ad clivum Capitolinum: quod munere ipſo gladiatorio mirabilius viſum tradunt.* Miratur, & ſtupet Plinius, vel quia tantum ſpatii inductum, vel quia *velis* tam pretioſis. Nam ſerica ea fuiſſe, etſi parum affirmate, tradit Dio XLIII. p. 226. A. *Nequis ſpectantium a ſole infeſtaretur, vela ſuper eos ſerica, ut quidam tradunt, extendit.* Nero purpurea ſuſpendit, ſtellis aureis varie interſtincta. Xiphil. LXIII. p. 718. B. *Vela etiam, quæ per aerem expanſa ad arcendum ſolem, purpurea erant: inque iis mediis Nero acu pictus, currum agitans: circum vero undique aureæ ſtellæ.* Uſum fuiſſe, quem diximus, locus eſt idoneus Suet. Cal. c. 26. n. 9. *Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantiſſimo ſole velis, emitti quenquam vetabat.* Mart. XII. 25. 15.

Quamvis non modico caleant ſpectacula ſole,
Vela reducuntur, cum venit Hermogenes.

Dio & Xiphilinus modo laudati. Mart. IX. 39. 6.

Et rapiunt madida vela negata noti.

X. 22. 6.

Quam Pompejano vela negata noto.

Lipſ. de Amphith. c. 17. Demſter. Paral. ad Ant. Roſin. V. 4. Broid. Coroll. ad Poller. For. I. 2. L. 2. Comm. Reip. Rom. X. 8. Pignor. de Serv. p. 478. Caſal. de Urb. ac Imper. Rom. ſplend. part. 2. c. 5. Valeſ. in Ammian. XIV. 6. Perizon. in Ælian. XIV. 18. Thyſ. de Amphith. p. 208. Beroald. & Pitiſc. in Suetonium.

Velum tricliniare, quia uſus cameræ ignorabatur, ad excipiendum pulverem, ne ſuper menſam ſpargeretur, atque dapes ſimul conſpurcaret, & convivas, olim ſuſpendebatur. Varro, & Horatius laudati ſupr. in *Aulæum.* Quem morem hodie Principes, & Monarchas ſervare compertum eſt: apud quos menſis ſub quibuſdam veluti tentoriis ſericeis parari ſæpe videmus. *Mercur. Gymnaſt.* I. 11. *Pignor. de Serv. p.* 478.

VEN.

VENABULUM, *venantium telum latiſſimum a cæteris aciei longiſſimæ. Varr. ὄνος λύρας: Nempe ſues ſylvaticos in montibus ſectaris venabulo, aut cervos.* Non. XVIII. 23. Mart. XIV. 41.

Si directa geres lato venabula roſtro,
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

Apul. Met. XI. p. 368. *Hic incinctus balteo militem gerebat, illum ſuccinctum chlamyde copides, & venabula venatorem fecerant.* Cicer. Fam. VII. 1. *Sed quæ poteſt eſſe homini delectatio, cum aut homo imbecillus a valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo transverberatur.* Ad leones, & elephantos uſi ſunt latioribus, & grandioribus. Mart. VIII. 55. 11.

Grandia quam decuit latum venabula pectus.

Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 5. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. II. 7.

VENÆ ſectio fuit pœna militaris. V. ſupr. in *Milites.*

VENALES qui dicantur pendere. V. ſupr. in *Pendet.*

VENALITIARII vocabantur *venalium* venditores: & qui hoc exercebant negotium *venalitiariam exercere* dicti ſunt l. 73. §. ult. ff. de Legat. III. *Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 783. *B.* Dicebantur a genere commercii, & diſtinguebantur a mercatoribus, quibus inferiores habebantur. Cicer. Orat. c. 70. *Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi venalitiarii, mercatoreſque ſuperarunt.* Nec mercaturæ nomine mancipia cenſebantur. Plaut. Trin. II. 2. 51.

Mercaturamne, an venales habuit? ubi rem perdidit.

Neque obſtat vetus inſcriptio, quæ ſic habet: L. VALERIUS. ZABDÆ. MERCATO. VENALITII. L. Nam libertus patronum mercatorem *venalitium* honoris

causa appellat. *Valeſ. in Ammian.* XXII. 7. *Torrent. in Suet. Aug.* c. 42. *Turneb. Adv.* XVI. 5: XXXVI. 16. *Burman. Diſſert. de Vectig.* c. 5.

VENALITII etiam vocabantur venalium venditores, ipſi mangones. Suet. de Clar. rhetor. I. 13. *Venalitii, quum Brundiſii gregem venalium e navi educerent.* Torrent. in Suet. Aug. c. 42. Burman. Diſſert. de Vectig. c. 5.

VENALITIUM vocabatur locus, in quo tituli *venalium* aliquando pingebantur. Petron. c. 29. *Erat venalitium titulis pictum.* Pignor. de Serv. p. 346.

Venalitium vocabatur vectigal rerum *venalium* l. 4. de prox. ſacror. ſcrin. 12. inter cætera ff. de verb. ſignificat. *Buleng. de Vectig.* c. 56.

VENATIO facile tenet primas inter varia ruris oblectamenta, viro dignior quam piſcatus, aut aucupium. Præterquam enim, quod firma valetudini rectæ præſidia miniſtrat, artus laboris tolerantia militiæ aptos reddit:

— belloque animos accendit agreſtes.

ut eleganter Poeta Æneid. VII. 482. Imo principum, ac heroum etiam genium ad magna invitat. Quid enim aliud ſignificat Virg. Æneid. VII. 477.

— quo littore pulcer
Inſidiis, curſuque feras agitabat Iulus.

n. 497.

Ipſe etiam eximiæ laudis ſuccenſus amore
Aſcanius, curvo direxit ſpicula cornu.

Mythici exercitationis hujus originem referunt in nympham, quæ *venationi* dedita cum in retia incidiſſet, ſi vim feram ſe tulere evaderet, Dianæ ſacellum poſuit. Quod voti ea ipſi poſtea exſtruxit, ut videre eſt apud Plutarch. Symp. III. c. poſtr. Hinc Rex Latinus apud Virg. Æneid. IX. 406.

Tu Dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori,
Aſtrorum decus, & nemorum Latonia cuſtos,
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi,
Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi:
Hunc ſine me turbare globum, & rege tela per auras.

Prop. II. 15. 17.

Ipſe ego venabor: jam nunc me ſacra Dianæ
Suſcipere, & Veneri ponere vota juvat.

id eſt, dona figere. Quæ fuerunt pharetra, arcus, ſagittæ, retia, & venabula. Quo alludit Claud. de Conſ. Honor. IV. 159.

— tibi ſæpe Diana
Mænalios arcus, venatriceſque pharetras
Suſpendit, puerile decus.

Hinc cognomen Toxotis ab arcu & ſagittis Dianæ frequens eſt. Inſcriptio vetus: TOXOTI. L. VIBIUS PRISCUS EX VOTO. Verum & prædæ pars oblata. Virg. Ecl. VII. 29.

Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, parvus,
Et ramoſa Micon vivacis cornua cervi.

Atque in primis cornua. Symmach. Epiſt. V. 66. *Honori numinum datur cornua ſacrare cervorum, & aprinos dentes liminibus affigere.* Religioſe Agathocles Syracuſanorum tyrannus Dianæ conſecravit cervum in *venatione* a ſe ſtratum, cujus monili inſcriptum erat Διομήδης Ἀρτέμιδι. *Tom. I. de Dianæ.* c. 31. *Mercur. Gymnaſt.* III. 15. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* II. 7. Fovea, igni, pennis in lineam contextis, quas formidinem appellant, canibus, venabulo, jaculo, ſagitta conficitur. De fovea Lucretius. V. illum ſupr. in *Fovea.* De formidine Lucanus, Nemeſianus, & Virgilius. V. illos ſupr. in *Formido.* Generoſius *venabantur*, qui *venabulo*, aut jaculo feras appeterent, qualis Atalanta fuit, Meleager, & Lacones, qui omnium primi *venabulis* uſi ſunt. De Derceto Lacone Grat. Cyneget. n. 108.

Ille etiam valido primus venabula dente
Induit.

Quare Dorica *venabula* Laconica vocat Mart. de Spectac. XXIII. I.

Dorica quam certo venabula dirigit ictu.

Uſi ſunt & verutis bifidis. Grat. ibid. n. 110.

— tum ſtricta verutis
Dentibus, & gemina ſubiere haſtilia furca.

De ſagittis Virg. Æneid. I. 320.

Namque habilem de more humeris ſuſpenderat arcum
Venatrix.

Conſiſtamus in Cornelio Nepote. Sic autem ille, ſi tamen ejus eſt, Daret. II.

Ocyus exciti qui caſſe, vel ore, vel aure,
Fraude, ſono, ſenſu, ludentes prælia, caſſe
Fallunt, ore cient, veſtigant aure, ſimulque
Invadunt ſaltus.

Buleng. de Venat. circ. c. 2.

Venatio amphitheatralis dicebatur, cum vel inter ſe pugnabant feræ, vel cum beſtiariis, & contificibus, vel in aliud genus voluptatis erudiebantur. Interdum munus vocabatur, licet hoc de gladiatoribus exaudiatur. Apul. Met. IV. p. 116. *Præter ceteram ſpecioſam muneris ſupellectilem, totis utrimque patrimonii viribus immanis urſæ comparabat numerum copioſum.* Auguſt. contr. Academ. I. *Si te edentem munera urſorum.* Buleng. de Venat. circ. c. 5. Blond. Triumph. Rom. II. p. 48. H. Ortæ ſunt a ſuppliciis, aut certe a funeribus, ſicut & gladiatores. Hunc Tertullianus laudatus ſupr. in *Munus.* Sunt quoque datæ, ut animos civium ad cædem aſſueſcerent, exemploque ſervorum ad laudis, & victoriæ cupiditatem accenderent. Cicer. Tuſc. Quæſt. II. 17. *Cum vero ſontes ferro depugnabant, auribus fortaſſe multæ, oculis quidem nulla poterat eſſe fortior contra dolorem, & mortem diſciplina.* Inde factum eſt, ut refert Capitol. in Maxim. & Balbin. c. 8. *Ut proficiſcentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium, & venatus darent.* Fuit etiam cauſa Imperatorum voluptas, aut populi, cum iis, qui Romæ onere militiæ exempti eſſent, ſpectacula magis ad voluptatem, quam ad animos audacia roborandos exhibebantur. Lamprid. Heliogab. c. 25. *Stravit ſibi triclinium in ſummo luſorio. Et dum pranderet, noxios, & venationes ſibi exhibuit.* De populi voluptatibus Capitol. in M. Antonin. Philoſ. c. 23. *Abſens populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditiſſimos editores.* Harum ſpectaculis publicis delectabantur veteres. Cicer. Fam. VII. I. *Reliquæ ſunt venationes binæ per dies quinque, magnificæ, nemo negat. Sed quæ poteſt eſſe homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus a valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo transverberatur.* In hunc modum accipiendum eſt; quod de *venatione* ferarum dicitur l. unic. C. de venat. ferar. *Occidendorum leonum facimus cunctis poteſtatem. Beſtias autem, quæ ad comitatum ab omnibus limitum ducibus tranſmittuntur, non plus quam ſeptem diebus intra ſingulas civitates detineri præcipimus: violatoribus eorum quinas libras auri fiſci juribus illaturis.* De ad beſtias damnatis Cajus l. ad beſtias de pœn. *Ad beſtias damnatos favore populi præſes dimittere non debet. Sed ſi ejus roboris, vel artificii ſint, ut digne populo Romano exhiberi poſſint, principem conſulere debet.* Auguſt. de Legib. in Julia de vi publica. Exhibebatur in circo. Gell. V. 14. *In circo maximo venationis ampliſſimæ pugna populo dabatur.* Spartian. Hadrian. c. 19. *In circo multas feras, & ſæpe centum leones interfecit.* Vopiſc. Prob. c. 19. V. illum ſupr. in *Sylva.* Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Panvin. de Lud. Circenſ. I. 14. Buleng. ibid. c. 9. Lipſ. de Amphith. c. 10. Primam in circo fuiſſe tradit Verrius L. Cæcilio C. F. Metello pontifice maximo, & C. Furio C. F. Pacilo coſſ. an. 502. in qua pugnaverunt elephanti 142. qui victoria L. Metelli coſ. in Sicilia de Pœnis capti ratibus tranſvecti fuerant, quas doliorum conſertis ordinibus impoſuerunt. Eos Verrius Flaccus jaculis interfectos tradidit, penuria conſilii, quoniam neque ali placuiſſet, neque donari Regibus. L. Piſo inductos

ctos duntaxat in circum, atque ut contemptus eorum increſceret, ab operariis haſtas præpilatas habentibus per circum totum actos: nec quid deinde iis factum ſit, auctores explicant, qui non putant interfectos: qua ratione eos in circo, ut tradit Verrius, pugnaſſe crediderim, ibique ſpiculis necatos. *Panvin. ibid.* II. 3. Poſt amphitheatri uſum raro in circo *venationes* editæ, ſed in amphitheatro, quod idcirco a Dione κυνηγέσιον dicitur, quaſi magis *venationi*, quam gladiatorio muneri ſit extructum. Scauri theatrum, omnium maximum opus, pro amphitheatro fuiſſe non dubito, ubi *venationes* editæ ſunt, cum *primus ædilitate ſua varias centum quinquaginta* univerſas miſit, auctore Plin. VIII. 17: IX. 5. Theatrum item Pompeji *venationes* habuit, quale amphitheatrum dicitur a Plinio laudato ſupr. in *Theatrum Scauri*. Sed ut in theatro *venationes* ſubinde editæ ſint, primus tamen omnium Julius Cæſar Aſia, & Ægypto domitis *theatrum venationi exſtruxit, quod amphitheatrum appellatum, quia ſedes abſque ſcena in ambitum haberet.* Dio XLIII. p. 225. A. *Buleng. ibid. c.* 10. Edebant illas dictatores, conſules, prætores, ædiles, quæſtores, imperatores. Dictatores Sylla, & Julius Cæſar. Conſules, Auguſtus, multique alii. Salvian. VI. p. 106. Edit. Brem. *Et cum hæc omnia ipſi agant, qui annis nomina tribuunt, & a quibus anni ipſi exordium ſumunt, credimus nobis bene annos poſſe procedere, qui a rebus talibus ordiuntur.* Conſules accipe, quorum nominibus faſti, & anni ſignabantur. Auguſtus Cæſar, *quod eſt læti animi vel amœni, oblectabatur omni genere ſpectaculorum, præcipue ferarum incognita ſpecie, & infinito numero.* Victor Epit. c. I. n. 25. In lapide Ancyrano de ſe ait, *venationes ſe dediſſe, quibus confecta ſunt beſtiarum circiter tria millia, & quingenta.* Prætores, de quibus Spartian. Hadrian. c. 3. *Prætor factus eſt Surano bis, Serviano iterum Coſſ. quum ſeſtertium iterum vicies ad ludos edendos a Trajano accepit.* Symmach. Epiſt. IX. 116. *Ludos prætorios præparamus, quorum ornatus animalia deſiderat, ut novo cultu Romana ſplendeſcat editio.* Ædiles, quorum propria fuit ludorum editio ſtante Republica. M. Scaurus. Plin. VIII. 26. *Primus eum, hippopotamum, & quinque crocodilos Romæ ædilitatis ſuæ ludis M. Scaurus temporario euripo oſtendit.* Et c. 16. modo laudato. Q. Scævola. Plin. VIII. 16. *Leonum ſimul plurium pugnam Romæ princeps dedit Q. Scævola P. filius in curuli ædilitate.* Quæſtores. Aur. Vict. de Vir. Illuſtr. c. 74. n. 1. *Lucius Lucullus nobilis, diſertus, & dives, munus quæſtorium ampliſſimum dedit.* Lamprid. Alex. Sev. c. 43. *Quæſtores candidatos ex ſua pecunia juſſit munera populo dare, ſed ut poſt quæſturam præturas acciperent, & inde provincias regerent: arcarios vero inſtituit, qui de arca fiſci ederent munera, eademque parciora.* De Imperatoribus paſſim exempla apud Dionem, Herodianum, alios. *Buleng. ibid. c.* 13. Et quidem magnis ſumptibus, non modo quod feræ ex ultimo orbe conquirendæ, convehendæ, alendæ eſſent; verum etiam confectores pretio alliciendi, qui ſanguinem, & vitam non temere niſi ſummo pretio addicerent. Cicer. de Offic. II. 16. *Prodigi, qui epulis, & viſcerationibus, gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu pecunias profundunt.* Plin. XXXVI. 15. *C. Curio, qui bello civili in Cæſarianis partibus obiit, funebri patris munere, cum opibus, apparatuque non poſſet ſuperare Scaurum.* Quare editores ſæpe a Principibus adjuti, ſæpe modus editioni definitus. *Buleng. ibid. c.* 14. Plena dicebatur, quæ omni ſpectaculorum genere erat referta, & quæ plures ludorum dies habuerit. Talis fuit Pompeji Magni, qui extremo ludorum die, qui ſummus habebatur, elephantos produxit. Tales fuere quatuor ſollennes Auguſti, qui aliquando nihil edidit præter *venationem*. Vetus lapis:

L. FADIO. PIERO. IIVIRO MUNIFICENTISSIMO. CIVI QUI. OB. HONOREM. DECUR EODEM. ANNO. QUO. FACTUS. EST GLADIA. PARIA. XXX. ET. VENATION BESTIAR. AFRICANARUM. ET. POST PAUCOS. MENSES. DUUMVIRATU SUO. ACCEPTIS. A. REP: HS XX. M. N. VENAT. PLENAS. ET. GLADIATORUM. PARIA. XX EDIDIT ITEM. POST. ANNUM LUDOS SCENICOS. P. S. F. AUGUSTALES L. D. D. D.

Guther. de Vet. jur. pont. III. 20. *Cimentel. de Hon. Liſt.* c. 38.

Venatio direptionis. V. illam ſupr. in *Sylva*.

VENATORES dicebantur ſervi, qui heros ſæpe ſequebantur. Ulpian. l. 12. §. 12. ff. de inſtrum. leg. *Si in agro venationes, puto venatores quoque, & vestigatores, & canes, & cætera, quæ ad venationem ſunt neceſſaria, inſtrumento contineri.* Horat. Od. I. I. 25.

Manet ſub Jove frigido venator.

Venatores, & aucupes utrum in urbanis, an in ruſticis contineantur, poteſt dubitari: ſed dicendum eſt, ut, ſi paterfamilias moraretur, & hos aleret, ibi eos numerari. l. 99. §. 1. ff. de leg. III. *Pignoria de Oper. ſerv. p.* 150. *Popma de Serv. p.* 96. ſe accingere, five alte ſuccingere ſolent, ut tanto agilius per calles montium devexa, ſilvarum [illegible], ac cava convallium [illegible], ſpinetis [illegible] [illegible]que [illegible] [illegible] poſſent. Hinc de Antinoo primo venatore Nonn. Dionyſ. XV. 237.

Et pedibus calceamenta curſoria venatorem hominem decens,
Retineri impoſſibile incitatum, canem agitantem in curſum ventis ocius.
Vela applicans [illegible] genu uſque ferre.
Ac [illegible] impetus
Statim [illegible] retracta veſte.

Inde & *Diana alte ſuccincta venatrix* dicitur Min. Fel. p. 187. Et de illa Ovid. Amor. III. 2. 31.

Talia pinguntur ſuccinctæ crura Dianæ:
Cum ſequitur fortes, fortior ipſa, canes.

Et ita Venus Adonidis venatoris comes, & ipſa venatrix apud Ovid. Met. X. 535.

Per juga, per ſylvas, dumos, & ſaxa vagatur,
Nuda genu, veſtem ritu ſuccincta Dianæ,
Hortaturque canes.

Oiſel. in Minucium.

VENEFICIUM erat capitale. Hoc indicat exilium Oppianici, de *veneficio* condemnati, cujus fit mentio in ea pro Cluentio: & illud in eadem, cum futurum ait Cicero, ſi Cluentius *veneficii* reus damnaretur, ut patris ſepulcro privetur. Clariſſime autem hoc ſignificatur Inſtitut. jur. civ. IV. De eo quæſivit non prætor modo, qui & judex quæſtionis dicebatur: verum etiam judex quæſtionis, qui prætor interdum non erat. De judice quæſtionis prætore patet ex Cicer. pro Clu. c. 54. *Jubet lex, judicem quæſtionis, hoc eſt, Q. Voconium, eosque, qui illi judices obvenerint, quærere de veneno.* Voconium autem prætorem fuiſſe, conjicio I. quod Cicero dixit n. 53. *Quid lex, & ſcriba? quid lictores? quid cæteri, quos apparere huic quæſtioni video, volunt?* Lictores enim, qui magiſtratum non gereret, non habebat: judicem autem quæſtionis magiſtratus nomen fuiſſe, certe nemo dixerit. II quod de aliis prætoribus, ſuam unoquoque quæſtionem exercente ſubjungit Cicer. l. l. *Hæc quæſtio ſola ita gubernatur? quid M. Platorii, & C. Flaminini inter ſicarios? quid C. Orchinii peculatus? quid mea de pecuniis repetundis? quid C. Aquilii de ambitu? quid reliquæ quæſtiones?* Quibus ex verbis, prætorem fuiſſe Voconium, qui judex quæſtionis appellatur, quis non intelligit? nam, etſi prætores non nominat, ſatis tamen conſtat, de prætoribus intelligi: a quibus enim, & tot quæſtiones, niſi a prætoribus, & tam graves exercerentur, inter ſicarios, de repetundis, de ambitu, peculatu. Præterea, ſe quæſiſſe de repetundis in eo loco dicit Cicero: quod ab eo factum in prætura Valerius & Plutarchus confirmant. Ut omittam, quod

quæſitorem Aquillium nominat: cujus annum fuiſſe legitimum, eundem qui Ciceroni, ad petendum conſulatum, prima docet ad Atticum epiſtola: ex quo, fuiſſe colligas in prætura, licet exiſtimare: quod etiam manifeſtum eſt de Offic. III. 14. *collegam* enim ſuum Cicero appellat. Rurſus judicem quæſtionis Junium, qui prætor non erat, quæſiſſe de *veneno* in Oppianici cauſa, his verbis docet Aſcon. in Cicer. p. 55. *Junius quæſitor fuit in Cluentii cauſa Verre prætore: in qua Oppianicus damnatus eſt.* p. 108. *Damnato Oppianico, cum in invidia res eſſet, quod pecunia reus videretur oppreſſus: & princeps illorum judicum damnatus eſſet Junius, quod diceretur alios ſuppoſuiſſe, qui reum damnarent, non eos, quos prætor Verres fuerat ſubſortitus.* Neque hic eum Aſconius, neque ſupra prætorem nominavit. Cicero autem pro Clu. c. 33. *Condemnatus eſt C. Junius, qui ei quæſtioni præfuerat: adde etiam illud, ſi placet: tum eſt condemnatus, cum eſſet judex quæſtionis.* c. 27. *L. Quintius convicium C. Junio, judici quæſtionis, maximum fecit.* Non fuiſſe autem prætorem, aperte demonſtrat Cicer. ibid. c. 29. V. illum ſupr. in *Judex quæſtionis.* Illic vero non *prætorium*, ſed *prætorem opinionibus hominum conſtitutum* dicit Cicero, quod eum prætorem ſine dubio futurum homines opinarentur: prætor autem ſi fuiſſet, non cum ædilitium, ſed prætorium vocaſſet: laudabant enim veteres, ubi ornare aliquem vellent, ab eo magiſtratu, quem poſtremum geſſiſſet: itaque homo ædilitius, prætorius, conſularis dicebant. Præterea, cum prætores in leges non juraverint, quod docet Aſcon. in Cicer. p. 58. a Junio autem judice quæſtionis ideo *multa petita ſit, quod in legem non juraſſet*, ut Cicer. ibid. c. 33. ſatis conſtat, Junium, cum de Oppianico quæſivit, prætorem non fuiſſe. Leges, quibus *veneficium* vindicaretur, Romæ per annos multos nullæ fuerant: non enim proprie ad *veneficium* pertinet XII. tab. lex illa: *Qui fruges excantaſſit*, & *Qui malum carmen incantaſſit, coercetor:* etſi conjunctionem habere quandam videtur cum *veneficii* crimine: proprie vero, ac nominatim eo primum anno, quo C. Valerius Flaccus, M. Claudius Marcellus conſulatum geſſerunt, qui poſt Urbem conditam, ſi faſtos ſequimur, annus 422. fuit, de *veneficiis eſſe quæſitum*, legemque conſtitutam ſcriptum reliquit Liv. VIII. 18. Corneliâ poſtea fuit L. Syllæ, quam, bello civili confecto, dictator tulit, cum unus omnia teneret. V. illum ſupr. in *Lex Cornelia.* Hujus autem legis pœna capitalis non ad *veneficos* tantum, ſed ad eos etiam pertinuit, qui magicis incantationibus homines occidiſſent, aut qui mala medicamenta publice vendidiſſent: omneſque perſonæ, nemine excepto, viri, mulieres, liberi, ſervi hac lege in judicium vocabantur. *Manut. de Legib. c. 27. Ritterſh. in leg.* XII. *tab. Caſſ.* II. *c.* 12. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 333.

VENETI erant ſupra Cænomanos. *Venetos* alii ex tranſalpina Gallia ab ultimis Oceani partibus, alii, quibus ego potius aſſentior, ex Paphlagonia, poſt Trojæ excidium, cum Antenore Trojano in Italiam veniſſe, atque ad ſinum Adriatici maris, pulſis inde antiquis incolis Euganeis, ſedes poſuiſſe literis prodiderunt. Strab. V. p. 146. Quicquid autem agri ab occidente Atheſi, ab oriente ſinu Adriatico, a ſeptemtrione Natiſone flumine, a meridie Pado eſt comprehenſum, id totum fuit Venetorum, eaque regio univerſa eſt *Venetia* nominata. Oppida in hoc tractu nobiliora fuerunt Adria, Patavium, Ateſte, Opitergium, Vicetia, Acedum, Belunum. Quo tempore a Romanis victi, aut omnino bello ullo petiti ſint, adhuc eruere ex tanta annalium vetuſtate non potui. Societatem eos quidem cum Romanis iniſſe ante Annibalis in Italiam adventum tradit Polyb. II. 23. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 25. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 624. *a. E. Cluver. Ital. Ant.* I. 17. *Leand. Deſcr. Ital. p.* 710.

VENNO, ſive *Venox* fuit cognomen Plautiorum. Alter enim C. Plautius, qui cum T. Manlio Torquato conſul fuit an. ab U. C. 406. nonnullis *Venno*, ſive *Venox* nonnullis appellatur. Iterum conſul fuit ſexto poſtea anno cum L. Aimilio Mamercino. Tertius L. *Venno* L. Papirii Craſſi in ſecundo conſulatu collega fuit an. ab U. C. 425. *Auguſt. de Famil. Roman. in Plautia. Strein. de Gent. & Famil. Roman. in Plautia.*

VENTER ſi ſaltaverit, diviti expenſas facere ominatur, pauperi cibum, aliis bonum novum. *Niphus de Augur.* I. 9.

VENTILARE vocabant parmas, haſtas, gladios in altum jacere, & cum venuſtate recipere. Seneca pater Contr. III. *Deinde res ipſa diverſa tota eſt: aliud eſt ventilare, aliud pugnare.* Filius Epiſt. 117. *Quam ſtultum eſt, cum ſignum pugnæ acceperis, ventilare?* Mart. V. 32. 4.

Currit, & in toto ventilat arma bove.

Lipſ. Sat. II. 19. Turneb. Adv. XXX. 3. Fab. Semeſtr. II. 11. Voſſ. Lex. Etymol. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 3.

Ventilare eſt etiam *ventulo* facto calorem temperare. Suet. Aug. c. 82. n. 2. *Æſtate.... ventilante aliquo cubabat.* Hoc *ventilare frigus* dicitur. Mart. III. 82. 10.

Et æſtuanti tenue ventilat frigus
Supina praſino concubina flabello.

Et *auram ciere* Eurip. Oreſt. n. 1428.

Phrygio, Phrygio more,
Ad comam, auram auram
Helenæ Helenæ, circulo bene facto
Alato ad genam ciebam.

Pitiſc. in Suetonium. Erat hoc proprium eunuchorum. Hoc mandat ancilla ſimulato eunucho apud Terentium laudatum ſupr. in *Flabellum.* Cognoſcitur etiam ex Euripide modo allato. Apud illum eunuchus trepidans domo prodit: quia viderat interfici dominam, ac præſens illis adfuerat, cum irruperunt eo cum gladiis Oreſtes ac Pylades. Narrat enim quid eo tempore faceret, & in quo miniſterio verſaretur, cum illi acerrimi juvenes calidiſſimum id factum aggreſſi ſunt. *Victor. Var. Lect.* XXX. 21. Poſtea vero quam lectos velis obtegere cœperunt, *ventilationis* mos deſiit. Paull. Silentiar. Floril. IV. 32. 7.

Somni vero ſolidam adduco gratiam; ſed & ipſos
Servos a muſcaria libero ſervitute.

Loquitur hæc ipſe κωνωπεὼν, qui erat lecto oppanſus. *Caſaub. in Suet. Aug. c.* 82.

VENTRALE, aut *ventralis* vocatur zona, ſive crumena. Gloſſæ: *Ventrale*, κοιλιόδεσμος, φῦνδα, in qua nummi reconduntur. Ulpian. l. 6. ff. de bon. damnat. *Nec ſi zonam circa ſe habuerit* damnatus, *protinus aliquis ſibi vindicare debebit; ſed veſtem, qua is fuerit indutus, aut nummulos in ventralem, quos victus ſui cauſa in promptu habuerit.* Ubi L. *ventralem.* Intelligit enim de his pecuniis, quas in ſacciperio habent, quod inſitum ineſt in ſemicinctii plagula, quam ante *ventrem* gerunt. *Cujac. Obſerv.* X. 26. *Alciat. Parerg.* I. 40. *Gentil. Parerg.* I. 22. *Voſſ. Lex. Etymol. in Venter. Turneb. Adv.* XVIII. 2. *Dalechamp. in Plinium mox laudandum. Ferrar. Elect.* II. 2. Plin. VIII. 48. *Villoſum* appellat. *Patris mei memoria cœpere amphimalla noſtra, ſicut villoſa etiam ventralia.* Sed quid opus erat ea *villoſa* facere. Quare exiſtimaverim, fuiſſe potius veſtimentum breve, quod ad inſtar thoracis muniendo *ventri* tunicæ ſubjiceretur, quod frigoris cauſa ætate Plinii etiam villoſum fieri cœperit; in eo ſicut in zona pecuniam circumlatam. *Ferrar. de Re veſt.* I. 1. 18.

VENUS dea Jovis filia oceanum matrem habere dicitur. Antip. Sidon. Anthol. IV. 12. 26.

Emergentem ex matre jam mari
Venerem, Apelleæ laborem intuere picturæ,
Quomodo manu corripiens irrigatam aqua comam
Exprimit humidis ſpumam e crinibus.

Græca vertit Auſon. Epigram. 104.

Emerſam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apelleæ cerne laboris opus.
Ut complexa manu madidos ſalis æquore crines
Humidulis ſpumas ſtringit utraque comas.

Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 17. Cicer. de Nat. deor. III. 23. quatuor *Veneres* commemorat: *Venus*, inquit,

prima

prima Cœlo, & Die nata, cujus in Elide delubrum vidimus. Altera spuma procreata, ex qua, & Mercurio Cupidinem secundum navum accepimus. Tertia Jove nata, & Dione, quæ nupsit Vulcano: sed ex ea, & Marte natus Anteros dicitur. Quarta Syria, Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse proditum est. Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 386. D. Ovid. Deor. & dear. cap. I. 25. Post *Venerem*, sive concubitum nocturnum se abluebant. V. supr. in *Abluebant*.

Venus Amathuntia, & Amathusia vocitata est. Catull. XLVIII. 51.

Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam.

Virg. Cir. p. 242.

Nam te jactari, non est Amathusia nostra
Tam rudis.

Dicta ab urbe, in qua colebatur, de qua Virg. Æneid. X. 51.

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera.

Catull. XXXVI. 11.

Nunc o cœruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Uriosque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinosam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos.

Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 392. B. Scalig. & Taubman. in Cirin.

Venus Anadyomene cognominata, quæ ex mari exiret. Plin. XXXV. 10. *Venerem exeuntem e mari D. Augustus dedicavit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur, versibus Græcis tali opere, dum laudatur, victo, sed illustrato* Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 404. D. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 13.

Venus aurea cognominata. Virg. Æneid X. 16.

Jupiter hæc paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert.

Homer. Hymn. IV. 93.

Diana, vel Latona, vel aurea Venus.

Euseb. Præp. Euang. X. 8. *Nec non Venerem ab indigenis auream perevetusto quodam more nuncupari, adeo, ut campum aliquem propter Momemphin esse, qui Veneris aureæ campus appelletur.* Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 402. D.

Venus barbata fuit culta, quod utriusque sexus eam esse existimarent. Serv. Æneid. II. 632. *Loquitur secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. . . . . Est etiam in Cypro simulacrum barbatæ Veneris.* Boxhorn. Quæst. Rom. 13. Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 394. G. An vero hoc in caussa est, quod refert Suidas. *Veneris* statuam ideo effingi sol tam cum pectine & barba, quod Romanas aliquando feminas horrendus quidam pruritus invaluerit, quem Græci κνήφην vocant: quo morbo cum pili deciderint omnes, pectinum non erat usus. Sic factum, ut tam deformi, & inveterato morbo plurimum feminæ angerentur. Sic vota ad *Venerem* contulere, subsidium ejus implorantes. Et mox pili iterum succrevere: & mulieres hac peste liberatæ, deæ *Veneris* imagini, & pectinem, & barbam addiderunt. Forsan etiam barbatam *Venerem* Romani coluere, quod masculæ prolis desiderio inprimis tenerentur: qua maxime opus habebant, partim quia virorum plerique ferro jam ceciderant, partim quia multa adhuc, gravissimaque bella restabant, ad quæ feliciter gerenda mares requirebantur. *Boxhorn. ibid. q. 27. Gyrald. ibid. p. 395. A.*

Venus Calva ab eventu culta a Romanis. Lactant. I. 20. V. illum supr. in *Templum Veneris*. Huic mulieres calvæ pectines tanquam inutiles dedicarunt. Codinus de Orig. Constantinop. p. 14. & Suidas: *Veneris simulacrum fingunt pectinem ferens. Olim enim mulieribus Romanis accidit, ut pestilenti prurigine laborarent: cumque omnes raderentur, pectines ipsis nulli usui fuerunt. Cum autem Veneri votum fecissent, capillosque recepissent, simulacro pectinem gerente eam honorarunt.* Rigalt. & Hoogstrat. in Phædr. V. 6. I.

Venus Capitolina. V. illam supr. in *Templum Veneris*.

Venus Cloacina dicta fuit, quia ejus simulacrum in cloaca repertum, & quia, cujus esset effigies, ignorabatur, ex loco illi nomen impositum est. Lactant. I. 20. *Cloacinæ simulacrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit: & quia, cujus esset effigies, ignorabat, ex loco illi nomen imposuit.* Minut. Fel. p. 232. *Cloacinam Tatius & invenit, & coluit.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 5. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 3. Hinc patem verisimile esse, ductiones cloacas primum cœpisse Romæ Tarquinio Prisco rerum potiente. V. supr. in *Cloaca*, hoc est, diu post Tatium. Itaque Cluacina olim, & Cloacina postea dicta est. De illa Plin. XV. 29. *Ita traditur myrtea verbena Romanos, Sabinosque cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo loco, qui nunc signa Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 10. §. 4. Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 404. C.

Venus Cypria dicta, *quod ei primum in Cypro insula templum sit constitutum: vel quod parientibus præsideat, quod Græce κύειν parere sit.* Festus. Tibull. III. 5. 34.

Et faceat concha Cypria vecta tua.

Lactant. I. 17. ait *Venerem primam in Cypro artem meretriciam instituisse, & auctorem mulieribus fuisse, ut vulgo corpore quæstum facerent, ne sola præter alias mulieres impudica, & virorum appetens videretur.* Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 402. B.

Venus Genetrix a Romanis culta. Ejus meminit Macrob. Sat. I. 12. *Cum hodieque in sacris Martem patrem, Venerem genetricem vocemus.* Et a Julio Cæsare, qui ab illa genus suum ducebat. V. supr. in *Templum Veneris*. Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 395. C. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Pitisc. in Suet. Jul. c. 61. n. 1.

Venus Hortensis fuit cognominata, quod sit hortis præposita, propter generationem. Varr. de Re rust. I. I. *Adveneror Minervam, & Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum: quo nomine rustica Vinalia instituta.* de Ling. Lat. V. 3. V. illum infr. in *Vinalia*. Plin. XIX. 4. *In remedio Satyrica signa, quamquam hortos tutelæ Veneri adsignante Plauto.* Quo loco Plautus id prodat, nobis hactenus incompertum. Quin & Nævius, ut est apud Festum *Venerem* pro oleribus posuit, ut Cererem pro pane, & Neptunum pro piscibus, cum dicit: *Coquos edit Neptunum, Venerem, Cererem.* Et in hortis Sallustianis Romæ fuisse templum *Veneris* accepimus, cui hæc appositi epigraphe fuerit, quam affert Gruter. p. 79. ÆDITUI. VENERIS. HORTORUM. SALLUSTIANORUM. *Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 396. E. Scalig. Conject. Varr. p. 76. Harduin. in Plinium.*

Venus Libitina. V. illam supr. in *Libitina*.

Venus Murtia a Romanis colebatur, quæ Myrtia prius dicta fuerit, a myrto scilicet Veneri dicata: ideirco & pro verbena in conjunctione Sabinorum, & Romanorum electa fuit. Plin. XV. 29. *Quin & ara vetus fuit Veneri Myrtiæ, quam nunc Murtiam vocant.* Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 390. G. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. I. Donat. de Urb. Rom. I. 10. Harduin. in Plinium. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 5. Laurent. de Professor. c. 4.

Venus Paphia. V. illam supr. in *Ara*.

Venus Verticordia culta fuit, quod corda ad pudicitiam verteret. De illa Lactant. Stat. Theb. V. 65. *Habet Venus ignes cupiditatis, nunc odii, secundum fidem sacrorum, vel precationum Veneris Verticordiæ præcipue, quæ rogatur, ut amores injiciat, rursum ut auferat. Si enim potestas est dandi, nihilominus jus est tollendi, & amore sublato, aut naturaliter odium residet, aut immittitur:* ut Virg. Æneid. IV. 479.

Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.

Val. Max. VIII. 15. 12. V. supr. in *Simulacrum Veneris*. Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 390. D.

Venus Victrix culta fuit, quod scilicet non tantum Martem blanditiis non raro lenierit, Junonique de pul-

critu-

critudine contendenti præstiterit; sed eo quod, ut conjicio, suum undis agitatum Æneam inexpiabili ventorum iræ, quamvis reluctante ipsa Junone, subduxerit. *Malvas. Marm. Fels.* I. 2. Nos a. 1625. post ædem D. Mariæ cognomento in crypta vidimus effossum marmoris frustum, in quo inscriptum erat: VENERIS VICTRICIS. Extat & apud privatum Tifernatem Tiberinum: VENERI VICTRICI L. APRONIUS. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 10. *Gyrald. Synt. deor.* XIII. p. 399. A.

Venus etiam vocabatur talorum jactus præcipuus, & felicissimus. Mart. XIV. 14.

Cum sic erit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Itaque, cum tali quatuor diverso erant omnes numero, id est, cum jacti erant omnes talorum numeri. *Turneb. Adv.* XXVII. 3. *Souter. Palam.* I. 14. *Maurit. de Sortit.* c. 10. §. 2. Non erat, sed cum diversa figura, situ, & facie jacti tali constitissent, alius prona, alius supina, alius in dextrum, alius in lævum latus cecidisset. Lucian. dialogo, quem inscripsit Amores, p. 884. Ibi fertur adolescens quidam simulacrum Veneris Gnidiæ amore furori proximo deperisse. *Ceterum*, inquit, *ubi jam paullisper affectus illius molestiam a se removere volebat, affatus deam, jactis in mensam quatuor talis, ludendo spem suam experiebatur. Ac quoties id, quod intendebat, jecerat, maxime si quando deam ipsam jactu feliciore sortitus erat, nullo videlicet talo eadem figura cum alio cadente, adorabat illam, sperans, se id, quod expetebat, consecuturum esse. Sin autem, quemadmodum evenit, simplicius paullo per mensam jecisset, ac tali ita, quod abominabilius erat, surgendo redacti essent, toti Gnido male imprecabatur, veluti ob cladem aliquam immedicabilem, & mærore plenus erat: & paullo post correptis illis, alio jactu, quod male ante ceciderat, emendabat.* Ex quo apparet, jactum *Venereum* fuisse, cum nullus talus eadem figura, ac situ cadebat. Erat fortunatissimus, quia difficillimus: raro enim contingebat, ut quatuor tali diversa facie singuli caderent. Cicer. de Divin. I. 13. *Quatuor tali jacti, casu Venereum efficiunt. Num etiam centum Venereos, si quatuor centum talos jeceris, casu futuros putas?* Ferrar. Elect. I. 16. Buleng. de Lud. Vet. c. 59. V. etiam *Meurs. de Lud. Græcor. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VII. p. 950. *E. Jun. Anim.* II. 4. *Boxhorn. Quæst. Roman.* 28. *Beroal. Annot.* c. 26. *Calcagn. de Talor. lud.* p. 290. *Senftleb. de Alea* c. 5. §. 9. *Souter. Palam.* I. 28. *Buleng. de Lud. Vet.* c. 58. Jaciebatur quatuor talis. Cicer. de Divin. I. 13. V. illum supr. in *Auditum*. II. 21. *Dixisti multa de casu; ut Venereum jaci casu posse quatuor talis jactis: quadringentis centum Venereos non posse casu consistere.* Senftleb. & Meurs. l. l. Souter. ibid. c. 26.

VER.

VER *sacrum quidam dictum putant; ut plerumque vitabile, & exsecrandum. Sed Sisenna religiosum dicit Hist.* IV. *Quondam Sabini feruntur vovisse, si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos.* Non. 12. 18. Erat pecus natum inter Kal. Martias, & pridie Kal. Majas. Liv. XXXIV. 44. *Ver sacrum factum erat priore anno M. Porcio, & L. Valerio coss. Id quum P. Licinius Pontifex, non esse recte factum, collegio primum, deinde ex auctoritate collegii patribus renuntiasset, de integro faciendum arbitratu pontificum censuerunt; ludosque magnos, qui una voti essent, tanta pecunia, quanta assolet, faciendos. Ver sacrum videri pecus, quod natum esset inter Kal. Martias, & pridie Kal. Majas.* Injussu populi non poterat voveri. Liv. XXII. 10. *His Sctis perfectis L. Cornelius Lentulus pontifex maximus consulente collegium prætore, omnium primum populum consulendum de vere sacro censet: injussu populi voveri non posse. Rogatus in hæc verba populus.* V. illa relata supr. in *Formula voti concipiendi*. Pith. Adv. I. 6. Victor. Var. Lect. XXXV. 22. Brisson. de Formul. I. p. 97. Guther. de vet. jur. pontif. I. 21: IV. 13. Tomas. de Donar. c. 3. Lomejer. de Lustrat. c. 5. Struv. Ant. Roman. c. 5. p. 244. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Crinit. de Honest. Discipl. XXIV. 8. Blond. Triumph. Rom. I. p. 18. F. Godelev. in Livium. Zimmerman. Floril. Philol. p. 756. Homines etiam *vere sacro* continebantur. Festus in Mamertini: *Cum de toto Samnio gravis incidisset pestilentia, Sthenius Mettius ejus gentis princeps, convocata civium suorum concione, exposuit se vidisse in quiete præcipientem Apollinem; ut, si vellent eo malo liberari, ver sacrum voverent, id est, quæcunque vere proximo nata essent, immolaturos sibi. Quo facto levatis post annum vicesimum, deinde ejusdem generis incessit pestilentia: rursum itaque consultus Apollo, respondit non esse persolutum ab iis votum, quod homines immolati non essent: quos si expulissent, certe fore, ut ea clade liberarentur. Itaque ii jussi patria decedere.* Barth. in Stat. Theb. X. 787. Struv. & Lomejer. l. l.

VERBA facere ad populum se velle significabant veteres hoc modo: tres digitos, pollicem, indicem, & medium elevatos, reliquos duos, annularem & minimum contractos ostendebant. Apul. Met. II. p. 54. *Ac sic aggeratis in cumulum stragulis, & effultus in cubitum, subrectusque in torum porrigit dexteram, & ad instar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis ceteros eminentes porrigit, & infesto pollice clementer subrigens infit.* La Chausse de Manio. æn. tab. XI.

VERBENA *est proprie herba sacra, ros marinus, ut multi volunt, id est, λιβανωτὶς, sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur feciales, & pater patratus fœdera facturi, vel bella indicturi. Abusive tamen verbenas jam vocamus omnes frondes sacratas, ut laurus, oliva, vel myrtus.* Terent. Andr. IV. 3. 11.

Ex ara sume hinc verbenas.

Nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. Serv. Æneid. XII. 120. Illa feciales coronabantur. V. supr. in *Feciales*. Legati coronabantur. V. supr. in *Legatus*. Aræ redimiebantur. Terentius modo laudatus. Quem Terentii locum sic interpretatur Donatus: *Verbenæ sunt redimicula ararum, sive omnes herbæ, frondesque festæ ad aras coronandas: vel omnes herbæ, frondesque ex aliquo loco puro decerptæ.* Horat. Od. IV. 11. 6.

—— ara castis
Vincta verbenis avet immolato.
Spargier agno.

I. 19. 13. Sed V. illum supr. in *Cespes*. Berthald. de Ara c. 3. §. 3. Lipen. de Stren. c. 3. §. 5. Saubert. de Sacrif. c. 24. Loens. Misc. IX. 7. Tiraquel. in Alex. v. 27. Durant. Var. Lect. I. 19. Victimæ ornabantur. Ita miser Afranius, qui se pro salute Imperatoris devoverat, tanquam victima quædam publica ad præcipitium ductus est. Suet. Calig. c. 27. n. 3. *Alterum, qui se periturum ea de causa voverat, cunctantem pueris tradidit verbenatum, infulatumque.* Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 470. Pitisc. in Suetonium. Sacrificantes cingebantur. Virg. Æneid. XII. 117.

Dimensi Rutilique viri, Teucrique parabant
In medioque focos, & diis communibus aras
Gramineas, alii fontemque ignemque ferebant
Velati lino, & verbenis tempora cincti.

Ammian. XXIX. 1. *Linteis quidam indumentis amictus, verbenas felicis arboris gestans.* Loens. & Saubert. l. l. Suffitiones peragebantur. Arnob. V. p. 156. *Quænam illa, quæso, divina res fuit, quæ ab impetu rerum tanto Jovem compulit avocari, & mortalium sese denuntiationibus sisteret? mola salsa, thus, verbenarum suffitio.* Saubert. l. l. Choul de Relig. Vet. Rom. p. 241. Ipsæ cum rebus sacris adoleri solebant. Virg. Ecl. VIII. 65.

Verbenasque adole pingues, & mascula thura.

Ad quæ forte respiciens Lactant. VI. *Ad quod sacrificium neque verbenis opus est, neque fibris, neque cespitibus, quæ sunt utique vanissimæ, sed iis, quæ de imo corde proferuntur.* Alex. Gen. V. 27. Loens. l. l.

VERBERA servilia dicuntur flagra, flagella, lora, Callistr. l. 12. ff. de jure fisci: *In metallum damnatis libertas*

bertas adimitur, cum etiam verberibus ſervilibus coercentur. Senec. Ἀποκολ. p. 860. hoc argumento evincit, Claudium in ſervitute fuiſſe, quod *verberibus ſervilibus* vapulaſſet: *Apparuit*, ait, *ſubito C. Cæſar, & petere illum in ſervitutem cœpit: produci teſtes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem.* Idemque de Clem. I. 14. *Erixonem equitem Romanum, quia filium ſuum flagellis occiderat, populum in foro graphiis confoſſum* narrat, indignum facinus exiſtimante populo ſerviliter a patre ingenuum filium tractari. Liberi enim fuſtibus caſtigabantur. l. 28. §. non omnes ff. de pœnis. *Non omnes fuſtibus cædi ſolent, ſed hi duntaxat, qui liberi ſunt, & quidem tenuiores homines.* l. 45. ff. de injur. *Servi quidem flagellis cæſi dominis reſtituuntur: liberi autem, humilioris quidem loci, fuſtibus ſubjiciuntur.* Hinc animadvertere poſſumus, *quibus ex cauſis liberi fuſtibus caſtigantur, ex iisdem ſervos flagellis cædi* l. 10. ff. de pœnis. Leviorem autem fuiſſe fuſtium, quam flagellorum caſtigationem ex eo ſatis apparet, quod fuſtium admonitio in levi, & modica caſtigatione ponitur, flagellorum contra verberatio in atroci coercitione, graviſſimaque, & ſervili injuria conſiſtere cenſetur, ut ex conjunctione l. ſed ſicut in fin. ff. de uſufruct. cum l. item apud Labeonem §. ſi communem ff. de injur. & l. prætor edixit §. præterea ff. eod. tit. cum l. ſed ſi hac lege §. penult. ff. de in jus voc. illuceſcit. Denique fuſtium ictus admonitio, vocabulo ipſo pœnæ lenitatem ſignificante, appellatur l. veluti ff. de pœnis. Unde quod a Venulejo traditur, atrociter verberandi jus legatum proconſulis non habere l. ſi quid erit ff. de offic. proconſ. id ad flagellorum coercitionem procul dubio referendum eſt. *Briſſon. Ant. Select.* III. 9. *Sichterman. de Pœn. milit. c.* 2.

VEREDARIUS eſt nuntius publicus, qui equis certo loco poſitis (unde Itali, Celtæ, Belgæ, Hiſpani poſtam appellant) maxima quam celerrime itinera conficit. Hinc jocus Paullini initio Epiſt. 9. ad Sever. *Vector epiſtolarum noſtrarum veredarius pedes, aut bipes veredus.* Caſſiod. Var. IV. 47. *Ideo quinquaginta ſolidorum multa jam non veredarius, ſed catabulenſis incurrat.* Sidon. Epiſt. V. 7. *Hi ſunt, qui invident viatica veredariis.* Graphice illos deſcribit vetus gloſſarium apud Gothofr. ad l. 1. C. Th. de Cur. *Veredarii dicuntur a vehendo, quia feſtinanter in equis currunt, nec deſcendunt de equis, antequam ſua reſponſa liberent. Habent pennas in capite, unde intelligitur feſtinatio itineris: daturque eis ſemper equus paratus: non manducant niſi ſuper equis, quando proficiſcuntur.* Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. in Spartian. Hadrian. c. 11. in Lamprid. Alex. c. 42. Broſſ. in Caſſiodorum, Savaro in Sidonium, Cerda Adv. c. 56. §. 2. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 10. §. 7. & ad illum Henninius.

VEREDUS eſt equus curſus publici. Procop. de Bell. Perſ. XI. *Equis publicis vectus, quos veredos appellant.* Erat curſus velociſſimi, qualibus veteres utebantur in venatione. Mart. XII. 14. 1.

> *Parcius utaris moneo rapiente veredo*
> *Priſce, nec in leporem tam violentus eas.*

XIV. 86. V. illum ſupr. in *Stragula*. Broſſ. in Caſſiod. Var. IV. 47. Turneb. Adv. XVIII. 1. Buleng. de Equis c. 8. Salmaſ. in Lamprid. Alex. c. 42. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. Voſſ. Lex. Etymol. Rader. in Martialem. Scheffer. de Re Vehic. I. 18. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 24. Mercur. Gymnaſt. VI. 10.

VERGILIA gens. V. illam ſupr. in *Gens*.

VERGO eſt verbum ſacrorum, & in illis notat fundo. Virg. Æneid. VI. 244.

> —— *fronti que invergit vina ſacerdos.*

Quem in locum ita ſcribit Servius: *Fundere eſt ſupina manu libare: quod fit in ſacris ſuperis. Vergere autem eſt converſa in ſiniſtram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis ſacris fit.* Voſſ. Lex. Etymol. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 7. Var. ſacr. gentil. c. 19.

VERRICULATÆ ſunt falces majuſculæ longo manubrio, perinde ut falces fœnariæ. His in modum verriculi affixis ligneis quaſi cratibus utraque manu ſegetem præcidunt, ſtratamque longo ordine in faſces alligandam relinquunt. *Popm. de Inſtrum. fundi c.* 9.

VERRUCOSUS fuit cognomen Q. Fabii Maximi. *Hoc illi dedit nota corporis, quod verruca parva ei ex ſummo extuberaviſſet labio.* Plutarch. in Fabio p. 174. B. *Alex. Gen.* I. 9. *& ad illum Tiraquellus. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 933. *C. Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5.

VERTUMNALIA erant feriæ *Vertumni*. Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Vertumnalia a Vertumno, cujus feriæ Octobri menſe.* Gyrald. Synt. deor. IV. p. 158. C. Hoſpin. de Orig. Feſt. p. 221. Perion. de Græcor. & Roman. Magiſtrat. III. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2814. B. Roſin. Antiq. Roman. II. 20. Struv. Antiq. Roman. c. 9. §. 424.

VERU eſt cuſpis, qua torretur ad ignem. Deſcribit Mart. XIV. 221. 4.

> *Spumeus in longa cuſpide fumet aper.*

Colurna ſunt apud Virg. Georg. II. 396. V. illum ſupr. in Ὀβελὸς. Pleraque nunc ferrea ſunt. Græce ὀβελὸς dicitur. Figura ejus olim in corrigendis ſcriptis critici utebantur. *Willich. Art. Magir. c.* 4. *Voſſ. Lex. Etymol. Rader. in Martialem.*

Veru ob ſimilitudinem dictum eſt jaculi genus. Virg. Æneid. VII. 665.

> *Et tereti pugnant mucrone, veruque Sabello.*

Sidon. V. 419.

> —— *equo ruit aclide foſſus*
> *Ille, veruque alius.*

Dicitur etiam *verutum*. Feſtus: *Veruta, pila dicuntur, quod veluti verua habeant præfixa.* Sil. Ital. VII. 363.

> —— *vel tenui pugnax inſtare veruto.*

Virg. Georg. II. 168.

> *Aſſuetumque malo Ligurem, Volſcoſque veruto*
> *Extulit.*

Etiam *verutina* vocatur. Fulgent. Expoſ. ſerm. Ant. §. 33. *Verutina, jaculi genus longum, quod aliquanti verutum nominant. Gavius Baſſus in Satyris:*

> *Verutina confodiende, non te nauci facio.*

Plaut. Bacch. IV. 8. 46.

> *Si tibi machæra eſt, & nobis verutina eſt domi:*
> *Qua quidem te faciam, ſi tu me irritaveris,*
> *Confoſſiorem ſoricina nænia.*

Ubi apte *confoſſiorem*, & *foſſus* Sidonius, quia fodit, ac punctim ferit, non cæſim. *Lipſ. Poliorc.* IV. *dial* 4. *Voſſ. Lex. Etymol. Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 11. §. 9. *Muncker. in Fulgentium. Taubman. in Plautum. Thyſ. de Oppug. Urb.* IV. *p.* 183. *Kipping. Antiq. Roman.* III. 2. §. 2. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* X. 10.

VES.

VESPÆ: V. illos infr. in *Veſpillones*.

VESPASIANUS Titus P. eſt Imperator conſalutatus, Othone prælio victo, & occiſo, Vitellio in omnem laſciviam, ſævitiam, & libidinem diſſoluto, qui tunc legatus conſularis bellum Judaicum adminiſtrabat. Initium ferendi ad *Veſpaſianum* imperii Alexandriæ cœptum, feſtinante Ti. Claudio Alexandro, qui Kal. Julii an. 822. ſacramento ejus legiones adegit. Iſque primus principatus dies in poſterum celebratus, quamvis Judaicus exercitus V. nonas Julii apud ipſum juraſſet. Porro a Kal. Julii hujus anni imperii tempus, & tribunitiæ poteſtatis numerandi ratio obſervata ſunt. Imperavit ab eo die annos novem, menſes undecim, dies quatuordecim: totidem enim numerantur ad diem mortis, quæ fuit decennio poſt VIII. Kal. Jul. Solus poſt Vitellii mortem imperavit annos novem & menſes ſex. *Panvin. Faſt.* II. *p.* 206. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 609.

Veſpaſianus Titus F. *cognomine paterno, amor ac deliciæ generis humani.* Suet. c. I. n. 1. *Veſpaſiano* P. ſucceſſit, &

& biennio, ut omnes tradunt, undecimo loco a dictatore Cæsare Romanis imperavit. Cujus imperii initium dies fuit dies paternæ mortis: Ejus exstat hic nummus: IMP. TITUS. CÆS. VESPASIAN. AUG. P. M. TR. P. VIII. IMP. XIIII. COS. VII. P. P. qui hoc anno rebus prospere in Britannia a Cn. Julio Agricola legato pro prætore gestis, Imp. xv. ut tradit Dio LXVI. p. 754. E. quod hæc inscriptio docet:

> IMP. TITUS. CÆSAR. DIVI. F. VESPASIANUS. AUG. PONTIF. MAX. TRIBUNICIÆ. POTESTATIS. IX. IMP. XV. CENSOR. COS. VII. DESIG. IIX. RIVOM. AQUÆ. MARCIÆ. VETUSTATE. DILAPSUM. REFECIT. ET. AQUAM. QUÆ. IN. USU. ESSE. DESIERAT. REDUXIT.

Hoc anno, n 834. *excessit*, ut inquit Suet. c. 11. n. 1. *in eadem qua pater, villa Idibus Septembris, post biennium, menses duos, diesque viginti, quam successerat patri, altero & quadragesimo ætatis anno.* Panvin. Fast. II. p. 210.

VESPERNA. V. illam supr. in *Cœna*.

VESPILLONES dicebantur, qui exportabant mortuos, qui tenuioris erant fortunæ, vel qui populo erant invisi. Festus: *Vespæ & Vespillones dicuntur, qui corporibus funerandis officium gerunt, non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* Suet. Dom. c. 17. n. 6. V. illum sup. 1. Sandap. 1. 1. Eutrop. VII. 24. *Funus ejus cum ingenti dedecore per vespillones exportatum, & ignobiliter sepultum.* Meurs. de Funer. c. 16. Kirchman. de Funer. 1. 8. Moresell. Pomp. Feral. II. 8. 4. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Dilher. Disput. Acad. II. 6. 3. Pitisc. in Suetonium. Panvin. de Civit. Rom. c. 44. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2. Aring. Rom. Subterr. 1. 18. 1. Ferret. Mus. Lapid. 1. memor. 26. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 26 Guther. de Jur. man. 1. 14. Brisson. de Solution. & Liberat. 1. p. 234. Jun. in Tertull. de Pall. p. 15. a. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 10. & Faces in illum. Voss. Lex. Etymol. in Vespa. Blond. Triumph. Rom. 11. p. 39. B. Maercker. in Fulgent. Expos. serm. Antiq. §. 2.

Vespillo cognomine dictus est Lucretius ædilis, qui Tiberii Gracchi a P. Scipione Nasica occisi corpus in Tiberim projecit. Aurel. Vict. de Vir. Illustr. c. 64. n. 8. *Cujus corpus Lucretii ædilis manu in Tiberim missum, unde ille Vespillo dictus.* Sigon. de Nomin. Rom. c. 5. August. de Famil. Roman. in Lucretia. Strein. de Gent. & Famil. Rom. in Lucretia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 556. Sub Augusto Q. Lucretius. Q. F. *Vespillo* consul fuit cum C. Sentio Saturnino an. 735. Fuerat autem is a triumviris proscriptus. A Cicerone in Brut. c. 48. *Q. Lucretius Vespillo* inter oratores nominatur, qui *in privatis causis* versatur, & laudatur, ut *acutus, & juris peritus.* Strein. Glandorp. & August. l. l.

VESTA, plurium sensu, Saturni, ac Rheæ filia, sorores habuit Cererem & Junonem, ipsa nam prima: fratres Plutonem, Neptunum, Jovem. Ita Apollod. Biblioth. 1. 1. §. 3. Item Auson. Eidyll. XI. 8.

> *Vesta, Ceres, & Juno, secus muliebre sorores.*

Vides primam locari. In ordine aliquid mutat Ovid. Fast. VI. 285.

> *Ex Ope Junonem memorant, Cereremque creatam*
> *Semine Saturni, tertia Vesta fuit.*

Nam Ops eadem quæ Rhea. Alii tamen dissident, & Urani, sive Cœli uxorem faciunt. Mystica hæc sunt, varie tradita, sed in re, & interpretatione concordant. Nam Cœli uxor Terra fuit: ex iis omnia nata; & *Vestam* ipsam passim Terram interpretantur. Itaque & cum Cerere quidam eo. fundant, quæ ipsa est Terra: sed distinguenda, quod hæc terra duntaxat fertilis, & frugifera; illa, *Vestam* dico, ea universa. Inde & nomen petit Ovid. n. 299.

> *Stat vi terra sua; vi stando Vesta vocatur.*

quasi quod vi sua stet, & immota libretur. Alii *Vestam* a Terra distinguunt, & Ignem faciunt. Et hæc quoque crebra, imo passiva opinio. Ovid. n. 291.

> *Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.*

Lips. de Vest. & Vestal. c. 1. Spanhem. de Vest. & Prytan. Græc. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. v. p. 688. D. Panvin. de Civit. Rom. c. 29. Voss. de Idolol. IX. 22. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 150. D. Hospinian. de Fest. Ethnic. p. 180. b. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. 21. La Chausse de Antiq. Lucern. Tab. v. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 3. Exemplum est a Trojanis, atque una cum Ænea in Italiam venit. Nam primitus culta in Ilio, extulitque Æneas. Virg. Æneid. II. 296.

> *Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,*
> *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Elatam Lavinii constituit, condita a se urbe, & sede regni. Inde in Albam Longam transtulit Ascanius: denique ab urbe ea matrice coloni Romam. Hoc est, quod tetigit August. de Civit. Dei III. 18. *Sacra illa fatalia Vestæ, quæ jam tres, in quibus fuerant, presserunt civitates.* Tres jam dictas, mali namque fati, nec diuturnas. Quando Romam traducta sit. V. supr. in *Templum*. Lips. ibid. c. 2. Ortel. & Panvin. l. l. Ejus nullum fuit simulacrum. Ovid. n. 295.

> *Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi:*
> *Mox didici curvo nulla subesse tholo.*

Simile in Græcia. Pausan. Corinth. p. 77. *Progredientibus in Vestæ, simulacrum nullum occurrit, ara tantum, & in ea Vestæ sacrificant.* Causam reddit Ovid. n. 297.

> *Ignis inexstinctus templo celatur in illo:*
> *Effigiem nullam Vesta, nec ignis habent.*

Quæ ut ita sint, tamen *Vestæ* imago passim in nummis, aut statuis expressa, hodieque exstat. Plinius sedentem effingi solitam ostendit, a stabilitate: sed nummi hoc amplius, & sedentem exprimunt, & altera manu facem, altera discum, sive pateram libatoriam præferentem: cum inscriptione, VESTA. P. R. QUIRITIUM. De face ad ignem pertinet: de disco, ad sacrificia sollenniter, & perpetim oblata. Suidas ei tympanum tribuit: nescio an in veteribus observatum: *Terræ effigies, mulierem formant Vestam; tanquam terram, tympanum præferentem: quoniam ventos intra se concludit.* Lips. ibid. c. 3. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 356. At Spanhem. ibid. §. 12. & 13. Hyde de Relig. Vet. Pers. c. 7. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 104. Thys. in Gell. 1. 12. V. tamen *Voss. l. l.* quem pluribus refutat *Spanhem. l. l.* Virgo occurrit in veteri Kalendario Romano, quod cum alibi, tum in codice Ms. Vindebonensi apud Lambecium, nempe *Februarii Idibus virgo Vesta parentat.* Et sponsæ dictæ olim ejus limen non tangebant, notante Servio ad Virgilium Ecl. VIII. 29. *Ne depositura virginitatem calcent rem Vestæ, id est, numini castissimo consecratam.* Unde de eadem Ovid. n. 293.

> *Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,*
> *Nec capit: & comites virginitatis habet.*

IV. 371.

> *I, pete virginea, populus, suffimen ab ara:*
> *Vesta dabit: Vestæ munere purus eris.*

Unde etiam Virgineum simulacrum *Vestæ* a Porphyrio apud Euseb. Præpar. Euang. III. 11. tribui videas. Mater non minus dicitur in nummo, sicut in veteri inscriptione VESTÆ MATRI. apud Virg. Georg. 1. 499. *Vestaque mater*, quod vulgo eadem, quæ Terra, aut deûm mater Rhea censeretur. Hinc non virginis solum, sed mulieris quoque habitu est depicta; eaque subinde infantem gremio ferens, quale *Vestæ* simulacrum Puteolis repertum tradit Capaccius de Reb. Neapolit. 1. p. 242. Imo, sicut Mars pater, sic mater *Romanis* dicta videtur vel ideo *Vesta*, tanquam unum, & præcipuum e tutelaribus

Urbis,

Urbis, ac domus inprimis Augustæ, quorum utrumque innuit Virg. Georg. I: 498.

Dii patrii Indigetes, & Romule, Vestaque mater,
Quæ Tuscum Tiberim, & Romana palatia servas.

eadem nempe quæ Palatina dea, seu quæ Romæ juxta Apollinem Palatinum inde dictum, in Palatio fuerat consecrata, de qua Ovid. n. 949.

Aufert Vesta diem, cognati Vesta recepta est
Limine: sic justi constituere patres.
Phœbus habet partem, Vestæ pars altera cessit:
Quod superest illis, tertius ipse tenet.

quæque inde *inter Cæsareos penates sacrata, & Cæsarea Vesta dicitur.* Ovid. Met. xv. 864.

Vestaque Cæsareos inter sacrata penates,
Et cum Cæsarea tu Phœbe domestica Vesta.

Spanhem. ibid. §. 12., In conviviis veterum prima, & ultima solebat libari. Homer. Hymn. in Vest. & Mercur. n. 4.

Pulcrum habens præmium, & honorem; neque enim sine te
Convivia mortalibus, ut ubi prima, & ultima
Vestæ, incipiens libet suave vinum.

More etiam a Romanis, e prisco Græcorum ritu, observato, de quo Juven. Sat. vi. 386.

Cum farre, & vino Vestam, Janumque rogabat.

Spanhem. ibid. §. 8. Struv., ibid. p. 123. Ex Homero etiam liquet, non initium solum, sed finem quoque sacrorum a *Vestæ* cultu petiisse veteres. Accedit postremi hujus moris testis luculentus Cicero, de *Vesta* agens de Nat. deor. II. 67. *Itaque in ea dea, quæ est rerum intimarum, omnis & precatio, & sacrificatio extrema est.* Spanhem. ibid. §. 1. Rhodig. Ant. Lect. xv. 14. Laurent. var. sacr. gentil. c. 22. Struv. l. l.

VESTALES fuerunt ministræ *Vestæ* antiquitus in urbe Alba. Mater enim Romuli Rhea Sylvia *Vestalis* fuit. Liv. I. 3. *Amulius fratris filiæ Rheæ Sylviæ per speciem honoris, quum Vestalem eam legisset, perpetua virginitate spem partus adimit.* Romæ eas instituit Numa primum quatuor. Dionys. II. p. 127. *Virgines, quæ deæ sacris operabantur, quatuor erant ab initio; & jus eas optandi penes Reges esse Numa voluit.* Harum nomina prodit Plutarch. in Num. p. 66. D. *Primas a Numa sacratas, Geganiam & Vereniam perhibent, inde Canulejam & Tarpejam.* Duas addidit Tarquinius Priscus. Dionys. III. p. 199. *Sacris virginibus, a quibus inexstinctus servatur ignis, cum quatuor essent, duas adlegit alias. Cum enim plura jam a civitate peragerentur sacrificia, quibus opus erat interesse Vestales virgines, non videbantur quatuor sufficere. Hoc institutum Tarquinii secuti sunt Reges ceteri, & usque ad hanc nostram ætatem sex designantur ministræ Vestales.* Plutarch. l. l. vero tradit *Servium prioribus duas adjecisse.* Hunc sexenarium numerum propterea institutum scribit Festus in Sex: *ut populus pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum: quia civitas Romana in sex est distributa partes, in primos, secundosque Titienses, Ramnes, Luceres.* Lips. de Vest. & Vestal. c. 5. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 621. Panvin. de Civit. Rom. c. 29. August. de Legib. in Popilia. Saubert. de Sacrif. c. 8. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 19. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 19. §. 3. Thys. in Gell. I. 12. Casal. de Prof. Rom. rit. c. 16. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 9. Clasen. Theol. gentil. III. I. §. 5. Laurent. var. sacr. gentil. c. I. Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 5. Flocc. de Potest. Roman. I. 6. Læt. de Sacerdot. c. 6. Volaterr. Comment. Urban. xxix. p. 1105. D. Kipping. Antiq. Roman. I. 12. 4. Expulsis Regibus pontifex maximus in locum venit: sed non libera prorsus electione, legibusque suis adstricta. Gell. I. 12. *Papiam legem invenimus, qua cavetur, ut pontificis maximi arbitratu virgines e populo viginti legantur: sortitioque in concione ex eo numero fiat: & cujus virginis ducta erit, ut eam pontifex maximus capiat, eaque Vestæ fiat.* *Pontificis arbitratu* dicit *lectas*, quia jus probandi, rejiciendique habebat, & sitne idonea judicandi. Nam non ætatem solum, sed genus, corpus, quæque adhærent, inspici solent, & ut omnia apta, honestaque ministerio essent. In genere quidem, ne *cujus parentes, alter, ambove servitutem servissent: aut in negotiis sordidis diversantur.* Item excusari, *cujus pater flamen, augur, quindecimvir, aut septemvir, aut salius est:* & talia minuta, quæ in Gellio legas. In corpore, ne *lingua debili, sensuve aurium diminuta, aliave qua corporis labe insignita sit.* Quæ adhærent, *ut patrima sit, & matrima, ut ne emancipata sit.* Sequitur in lege, *virgines viginti.* Magno satis numero ad unam duntaxat capiendam: sed causa est, ut sors levior accidat, sparsa sic per plures. Addit *e populo*, toto inquam, non e patriciis tantum, sed & plebejis. Imo etiam Augusti ævo præter legem, moremque veterum, etiam ex libertinis captæ. Dio LV. p. 563. D. *Quoniam haud prompte ii, qui plane nobiles erant, filias suas ad Vestale sacerdotium darent, lege statutum est etiam e libertinis natas posse capi.* Sequitur, *sortitionem in concione fieri.* In concione, comitiis, puto, curiatis: ut coram testibus res fieret, & dignitas sacerdotio accresceret dignitate actionis. Sortitio autem adhibita, ut quasi divinitus legi, excerpique e pluribus talis videretur. Facit huc illud Suet. Aug. c. 31. n. 3. *Ambirentque multi, ne filias in sortem darent.* Tangit & sortem Dio, dum addit: *cum sortitio facta esset, libertinam nullam tunc ductam.* Nec tamen semper ad sortem ventum: oblatio locum habebat, & talis, si apta, præferebatur. Gellius. *Si quis honesto loco natus adeat pontificem maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, gratia Papiæ legis per senatum fit.* Omittitur scilicet senatu interveniente sortitio. Vox Augusti huc spectabat, *si cujuspiam neptium suarum competeret ætas, oblaturum se fuisse eam.* Et narratio Tacit. Annal. II. 86. I. *Retulit Cæsar*, tanquam pontifex maximus, *capiendam virginem in locum Occiæ: egitque grates Fonteio Agrippæ, & Domitio Pollioni, quod offerendo filias de officio in Rempublicam certarent.* Addit deinde in ipsa oblatione electionem, & arbitrium: & *prælatam Pollionis filiam, non ob aliud, quam quod mater ejus in eodem conjugio maneret:* id est, univira esset, quæ ipsa species aliqua castitatis. Habet deinde lex: *Eam pontifex maximus capiat.* Atque hæc verba sollennia, quibus legi dicebantur Vestales, & hisce peculiaris hac in re locus fuit. Cur. Fortunat. Rhetor. III. *Ut si dictatorem dictum dicat, flaminem proditum, Vestæ virginem captam.* Ex Fabii Pictoris I. Gellius. V. illum supr. in *Formula Vestalis capiendæ.* Suetonius, & Tacitus modo laudati. Addit Gellius: *Amata inter capiendum a pontifice maximo appellatur, quoniam quæ prima capta est, hoc fuisse nomine traditum est.* Sed ubi primum capta? Si Romæ, & a Numa? Plutarchus redarguit, qui quatuor nominat, nec ullam inter eas *Amatam.* Sin Albæ, aut Lavinii; hoc nescio, & in medio relinquo. Cur *capi* dicta sit, causam addit Gellius: *Capi virgo propterea dici videtur, quia pontificis maximi manu prehensa, ab eo parente, in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur.* Lips. ibid. c. 6. Bosius de pontif. max. c. 4. Brisson. de Form. I. p. 118. Laurent. Var. sacr. gentil. c. I. Berthald. de Ara c. 23. §. 7. Manut. de Legib. c. 2. Rævard. Var. II. 17. Panvin. Saubert. Casal. Flocc. Læt. & Struv. l. l. Capiebantur virgines. Duplex causa in Ovid. Fast. VI. Prior n. 287. quod Juno, & Ceres, sorores Vestæ,

Utraque nupserunt: ambæ peperisse feruntur:
Restitit impatiens de tribus una viri.

Nempe hæc *Vesta.* Ergo,

Quid mirum, virgo si virgine læta ministra
Admittit castas in sua sacra manus?

Altera, quod *Vesta* ignis, qui nihil gignit n. 291.

Nataque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit: & comites virginitatis amat.

Et duas alias dedit Cicer. de Leg. II. 12. *Vestæ colendæ*, inquit, *virgines præsunt, ut advigiletur facilius ad custodiam*

 ignis,

gnis, & sentiant mulieres, in natura feminarum omnem castitatem peti. Advigilent facilius, quare? quia liberæ a viro, prole, aliis curis. *Castitatem peti*, quomodo? cum virgines placere diis vident, ipsæ, pro parte sua quæque, sint castæ. Alii libri *pati* habent, non *peti*. Tum mallem, *mulieres, naturam*. Romæ ergo obtinuit, ut parvæ, & tenera ætate caperentur, certæ pudicitiæ, & vitii expertes. Labeo Antistius apud Gellium: *minorem quam annos sex, majorem quam annos decem natam, capi fas non esse*. Prudent. contr. Symm. II. 1065.

Ac primum parvæ teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propriæ quam libera secta
Lt gloria maritandi condemnet vincula sexus.

Et Augustus apud Suetonium modo laudatum. *Lips. ibid. c. 5. Berthald. ibid.* §. 8: *Panvin. Lat. & Laurent. l. l.* Initiatarum capillus detondebatur, & ille ad arborem loton inter felices receptam devectus humo obruebatur. Plin. XVI. 44. *Antiquior illa est*, lotos, *quæ capillata dicitur, quoniam Vestalium virginum capillus ad eam defertur*. Idem factitatum de capillo flaminum dialium. V. supr. in *Flamen*. Et quia in illo observatum hoc est, etiam in *Vestalibus* observatum existimo. Festus autem in hoc videtur dissentire, cum *capillatam arborem* ea ratione dictam *crediderit, quod ad eam capillus tonsus suspenderetur*. Crinit. de Honest. discipl. XX. 6. Hotomann. de Barba §. 6. V. supr. in *Barba*. Captæ deducebantur in atrium *Vestæ*, atque ibi a senioribus ad ritus, & ceremonias omnes instructæ. Nam in tres velut classes, etsi parvus hic numerus, dividebantur: discentium, exercentium, docentium. Senec. de vit. beat. c. 29. *Virginum Vestalium more, quæ, annis inter officia divisis, discunt facere sacra, &, cum didicerint, docent*. Distinctius Dionys. II. p. 127. *Tempus tricennale manere eas oportet castas, & a nuptiis vacuas, sacra ex more facientes, quo tempore decem annos discere debent, decem sacris operari, decem docere*. Itaque non nisi triginta annos obligabantur, & post id tempus licitum nubere, haud pessima adhuc ætate. Nam pone ab anno septimo (id licebat) ingressam: ergo anno septimo & trigesimo fas virum quærere, & æstate etiam frui. Ergo & interdum nubebant, ut illa in Prudent. contr. Symmach. II. 1081.

Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore.

etsi antiquitus observatum, infaustas fere, & parum lætabiles eas nuptias fuisse. Sed, ut dixi, nonnisi triginta annis obligabantur: ante autem nefas excedere. Ideo Symmach. Epist. IX. 103. ut pontifex, Vestalem quandam increpat: *Diceris ante annos legibus definitos Vestali secreto velle decedere; nondum credo rumori, sed assertionem tuæ vocis exspecto*. Lips. ibid. c. 7. Ortel. Deor. & dear. cap. I. §. 21. August. Struv. Saubert. Laurent. Læt. Kipping & Casal. l. l. Dicebantur omnes præsidere. Tacit. Annal. II. 86. 1. *Occia septem & quinquaginta per annos sacris Vestalibus præsedit*: itemque antistites, vel antistitæ. Aperte de omnibus Liv. I. 20. *ut assiduæ templi antistites essent*. Ordo tamen inter eas fuit, sed ministerii, & ætatis. Una enim quæ vetustissima, maxima dicebatur. Ovid. Fast. IV. 639.

Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo est.

Suet. Jul. c. 83. n. 1. *Testamentum demandaverat virgini Vestali maximæ*. Ita Cornelia *Vestalium fuit maxima*, quam *vivam defodi imperavit* Domitianus. Suet. Domit. c. 8. n. 13. Plin. Epist. IV. 11. *Lips. & Kipping. l. l.* Munia, in quibus deditæ, erant, vigilare, adservare, sacrificare. Vigilia spectavit ad ignem, quem sine intermissione ali opus, & reparari. Itaque æternum, sive sempiternum dicebant. Cicer. de Legib. II. 8. *Virginesque Vestales in Urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum*. Sil. Ital. I. 542.

Et vos virginea lucentes semper in ara
Laomedonteæ Trojana altaria flammæ.

Flor. I. 2. 3. *Numa inprimis focum Vestæ virginibus colendum dedit; ut ad simulacrum cœlestium siderum custos imperii flamma vigilaret*. Vult, sicut sidera æternum lucent, sic debere virginum assidua cura, atque opera lucere hunc ignem. Si extingueretur, flagris cædebantur. Et illico certa ratione accendendi accendebatur. V. supr. in *Ignis*. Adservabant arcanum imperii pignus, ut appellabant. Liv. XXVI. 27. *Vestæ ædem petitam, & æternos ignes, & conditum in penetrali fatale imperii pignus*. Lucanus mox laudandus. Ovid. Fast. VI. 365.

Vidimus Iliacæ transferri pignora Vestæ.

Quid autem pignus istud, & cujusmodi fuerit, in arcanis habebant: & ideo variant auctores. Dionys. II. p. 126. *Sunt, qui asserant, præter ignem arcana, & multitudini non efferenda sacra in deæ templo esse deposita, quorum pontifices notitiam habeant, itemque ipsæ virgines. . . Huic rei confessæ addunt conjecturas suas, alii servari sacrorum partem e Samothracia, quæ Dardanus Trojam, Æneas in Italiam advexerit: alii cælo delapsum Palladium, quod verum idem Æneas asportarit, nam falsum, & assimilatum Achivos furto sustulisse*. Prima opinio de *sacris Samothracum*, quæ in Plutarcho expressa est in Camill. p. 139. B. *censere quosdam deos Samothracum hic condi*. Samothracum deos cum penatibus alii confundunt. Videatur Tacitus hac in parte, ubi de Neroniano incendio Annal. XV. 41. 1. V. illum supr. in *Delubrum*. quasi penates ecce illic asservati. Sed potest & aliter capi, ut *Vestæ* delubrum, itemque penatium templum, haud procul æde in Velia, sint exusta. Altera opinio de *palladio* in vulgus maxime recepta est. V. illud supr. in *Palladium*. Hæc opinio Livii, ut apparet V. 52. *Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod imperii pignus custodia ejus templi tenetur, loquar*. Signo, nempe hoc Palladis. Lucani certe IX. 994.

— *nullique aspecta virorum*
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.

Tertiam opinionem licet addere ex Plutarch. Camill. p. 139. C. *Qui plus in his rebus volunt sapere, duo dolia haud magna recondi ajunt, atque unum ex iis plenum esse, obsignatumque alterum vacuum, utrumque tamen solis virginum oculis usurpandum*. Qui dant, & capiunt lucem e Lamprid. Heliog. c. 6. *Et penetrale sacrum est auferre conatus: cumque seriam*, sive dolium, *quasi veram rapuisset, quamvis virgo maxima falsam monstraverat, atque in ea nihil reperisset, applosam fregit*. Sed idem ibidem annon subindicat in ipsa seria palladium hoc fuisse. Nam de eodem principe, ut pecude, ait: *Signum, quod palladium esse credebat, abstulit*. Incerta hæc igitur: & bono, religiosoque animo Dionys. ibid. p. 127. *Ego*, inquit, *asservari a virginibus non ignem solum, sed & sacra quædam vulgo incognita, multis indiciis colligo: sed quæ ista sint, neque me, neque alium, qui religiose deos, & divina colit, inquirere curiose oportere arbitror*. Lips. ibid. c. 9. Etiam sacrificabant. Atque id assiduum pæne erat, diu, noctuque. Senec. de Prov. c. 5. *Quid porro? non est iniquum nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui?* Prudent. contr. Symm. II. 1101.

Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur
Excubias Latii pro majestate palatii.

Et in nummis passim sacrificant ipso habitu, quem describit Festus: *Armata virgo dicebatur sacrificans, cui lacinia togæ in humerum rejecta*. De quo cultu etiam aliquid idem Festus laudatus supr. in *Suffibulum*. Etiamne aquas curabant? Ex Suida hoc adstruitur. *Numa virgines Vestales ignis, & aquæ curam habere demandavit*. Sed quæ hæc aquæ cura? Opinor non aliam, quam quod fonti Camœnarum præessent, exque eo solo aquam ad sacra peterent. Possit aliquis ad physiologiam referre, quasi duo rerum principia coli Numa voluerit, sed ad rem, ritumque firmandum adhibeatur Plutarchus. *Fontem, qui lucum irrigat, aquam sacram virginibus Vestæ* Numa *attribuit, ut ex eo quotidie haurientes purificarent, & aspergerent sacram ædem*. Nisi hæc aqua sit, cujus curam gesserint, non reperio. Honores, & privilegia, quibus ad sua munia excitabantur, erant I. quod vivo patre possent testari. Plutarch. Num. p. 66. E. *Honores magnos Numa iis tribuit,*

tribuit, veluti quod vivo patre testari possent. Statim enim exibant e patria, aliaque omni potestate: & ætatis deliquium leges benigne supplebant. Imo sexennes, id est, primo anno, quo captæ. Sozomen. Hist. Eccles. I. 9. *Prisci Romani libere testari virgines Vestales, etiam sexennes, lege sanxerunt.* II. quod habuerint præmia, quæ trium liberûm matres. Hoc Numa non instituit, licet dicat Plutarchus, sed Augustus. Dio LVI. p. 578. D. *Vestæ virginibus omnia, quæ matres habebant, indulsit.* Lips. ibid. c. 11. August. de Leg. in Papia Poppæa. Laurent. l. l. III. quod lictor præcederet exeuntes. Et hoc non instituit Numa, quamvis hoc addat Plutarchus, sed triumviri. Dio XLVII. p. 338. B. V. illum supr. in *Lictor.* Tutela igitur, ac decus lictor additus. Senec. Contr. VI. 8. *Tibi magistratus suos fasces submittunt, tibi consules, prætoresque via cedunt. Numquid exigua mercede virgo es?* IV. quod morte liberaverint illi addictos. Plutarchus. *Quod si reo, ad supplicium qui ducitur, fortuitu facta sint obviæ, is pœna liberatur. Oportet autem jurare, a casu, non a consilio fuisse hunc occursum.* Credo: sed de juramento fortuiti occursus nodum, aut remoram habet, quomodo enim? cum nec jurare omnino *Vestalis* deberet. De edicto prætoris perpetuo Gell. X. 15. *Sacerdotem Vestalem in omni jurisdictione mea jurare non cogam.* Nec de juramento controverto: tamen in foro auditas, & pro testimonio dixisse palam firmat Tacit. Annal. II. 34. 6. *Missus est prætor, qui domi interrogaret: cum virgines Vestales in foro, & judicio audiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos fuerit.* Venisse igitur in forum, testes adhibitas, liquet: sed ex edicti verbis, non juratas dixisse, nisi si vellent. Nam est in edicto, *non cogam.* V. quod *morte plectendus esset, qui lecticam earum, aut sellam, qua vehuntur, subiret.* Plutarchus. Qui quid sibi vult, cum inquit, *si quis subisset,* an per proterviam, aut ludibrium, & quasi velandis illis revelandis? An significat, in idem vehiculum adscendisse. Et apparet tale aliquid factitatum ab improbulis in matronarum transvectione. VI. quod pilento, sive carpento plurimum fuerint vectæ. V. supr. in *Pilentum* & *Carpentum.* Lips. Casal. Volaterr. l. l. VII. quod habuerint vittas in capite. Prudent. contr. Symm. II. 1093.

—— sedet illa verendis
Vittarum insignis phaleris.

1104.

—— cingunt
Tempora tæniolis, & licia crinibus addunt.

purpuram, id est, limbum purpureum in ora vestium. Ambrosius: *Infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices.* Festus laudatus supr. in *Suffibulum.* Non pugnat cum istis Suidas, qui scripsit: *Non unguento iis, non floribus, non veste uti concesserunt, nisi alba.* Quæ vera sunt, & inducta contra lasciviam. Sed purpuratas eas, non purpureas dicimus fuisse. Veste alba usæ, sed limbo, ut diximus, punicante: non tamen florida, aut variegata, ut aliæ solent. In carbaso etiam, aut tenui lino fuerint. Dionys. II. p. 128. *A carbasina sua veste, quam indutam habebat, laciniam.* Illarum capillus in spiras quasdam plexus, & divisus, vittis illigatus, a tergo, & in cervices annulatim dependerit. Prudent. ibid. n. 1104.

Perfundunt quia colla comis bene, vel quia cingunt
Tempora tæniolis.

Neque enim vult perfundi, vel flagellari sparso capillitio, sed sic aggesto, & suspenso. In ingressu tonsus, & deæ Vestæ suspensus. Plin. XVI. 44. *Antiquior est lotos, quæ capillata dicitur, quoniam virginum Vestalium ad eam crinis defertur.* VIII. Stipendium de publico traxerint. Liv. I. 20. *His stipendium de publico statuit:* ut vacuæ scilicet *ab aliis curis, deæ, & sacris operarentur.* Et credo agros a Numa attributos, quorum vectigalibus alerentur. Hygin. de Limit. *Virginum quoque Vestalium, & sacerdotum quidam agri vectigalibus sunt redditi locatim.* Sed & Augustus adjecit. Suet. c. 31. n. 3. *Sacerdotum & dignitatem, & commoda auxit, præcipue Vestalium virginum.* Præter agros video & pecuniam interdum cepisse. Tacit. Annal. IV. 16. 7. *Corneliæ virgini, quæ in locum Scantiæ capiebatur HS. vicies dedit:* quæ sunt nobis quinquaginta Philippæorum millia. IX. Quod ludis certo, & honestissimo loco spectaverint. Suet. Aug. c. 44. n. 7. V. illum supr. in *Tribunal editoris.* X. Quod earum auctoritas in precibus, aut alia re fuerit maxima, & vix repudianda. Cicero, cum pro Fonteja causam diceret, sororis ejus *Vestalis* intercessione usus: *Superbum sit,* inquit, *ejus obsecrationem repudiare, cujus preces si dii aspernarentur, hæc salva esse non possent.* Inter exempla apud Suet. Tib. c. 2. n. 10. est Claudia Vestalis, *quæ fratrem injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare, aut intercedere cuiquam tribunorum fas esset.* Lips. ibid. c. 12. Laurent. Sacr. Var. gentil. c. 1. Panvin. & Casal. l. l. Pollutarum pœnæ grandes, & graves. Vetus lex fuit Festo prodita. *Probrum virginis Vestalis ut capite puniretur, vir qui eam incestavisset, verberibus necaretur. Lex fixa in atrio libertatis.* Fuerit Numæ Regis, qui simpliciter statuit *incestam lapidibus obrui,* sine alia supplicii pompa: in Cedreno scriptum. Tarquinius Priscus pœnam conspicuam magis, horrendamque fecit. Zonaras: *Vestalium corruptam unam, specu subterraneo oblongo excavato, atque ibi lectulo posito, & lucerna, & mensa cibis referta, deducentibus eam multis, vivamque includens obstruxit. Et sic deinceps pollutas puniri obtinuit. Qui autem polluerint, in lignum biceps, sive in furcam, collum inserunt in ipso foro: atque ita ad necem eos cædunt.* Quod uberius, clariusque narrat Dionys. II. p. 127. *Pœnæ delinquentibus graves constitutæ: quarum arbitri, & exactores sunt ex lege pontifices. Qui virgis quidem cædunt compertas levioris delicti: probrosas vero, & incestas fœdissimo, & maxime miserabili mactant supplicio. Vivæ enim, funebri ritu, ac pompa efferuntur: amicis, ac cognatis, cum luctu, & lacrymis, comitibus. Delatæ autem ad portam Collinam, intra muros, subterranea in cella, cum funeralibus ornamentis deponuntur: nec monumento porro dignatæ, nec parentalibus, aliisve sollennibus defunctorum.* Lips. ibid. c. 13. Ferret. Mus. Lapid. I. memor. 4. Pollet. For. Rom. V. 19. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 11. Grang. in Juven. Sat. IV. 10. Panvin. Læt. Kipping. l. l. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 10. Durant. Var. Lect. II. 2. Canter. Nov. Lect. VII. 6. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. II. 9. 5. Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 5. Ad locum nempe, qui sceleratus campus ideo dictus. V. supr. in *Campus.* Zonaras addit, *lectulum appositum, & lucernam, & mensam cum cibis.* De lectulo, nescio: fuitne velut ad cibum, & ut accumberet? an magis est funebrem capere, usui quem dicam. De aliis etiam addicit Plutarch. Num. p. 67. A. qui *lucernam ardentem, panis modicum, aquæ, & olei* scribit deposita, *ne sacratissimum illud corpus viderentur fame consumpsisse.* Dionysius deinde, *in ea cella deponi.* Hoc est, quod Juven. Sat. IV. 10.

Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Quod priusquam fieret, *pontifex maximus arcanas quasdam preces, manibus in cœlum sublatis, fundebat: tum ipse sua manu eductam e lectica in scalis constituebat, & sic carnifici, ac ministris supplicii tradebat.* Plutarch. ibid. B. Item Plin. Epist. IV. 11. *Cum in illud subterraneum cubiculum demitteretur, hæsissetque* nempe in scalis, *descendenti stola, vertit se, ac recollegit, cumque carnifex manum daret, aversata est, & resiluit, fœdumque contactum quasi plane a casto, puroque corpore rejecit.* Atque his gestis, ait Plutarchus, *scalæ attrahuntur, & aedicula multa humo injecta contegitur, donec reliquo aggeri solum adæquetur.* Sed vinctam illam ibi, aut stantem, sedentemve obrutam nemo declarat: putem in lecto depositam, de quo ex Zonara dixi. *Lips. Casal. Flocc. Volaterr. & Laurent. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Alex. Gen. Dier.* V. 12. Finem invenerunt extremo Theodosii senioris ævo. Nam etsi concussæ & periclitatæ sub Valentiniano, Theodosio, Arcadio, quod ex Symmachi, & Ambrosii epistolis constat: tamen animam traxere ad ultimum Theodosii, id

id est, decimum septimum imperii ejus annum: cum ille templa claudi, & sacrificia tolli lege jussit. Zosim. v. 38. *Theodosius major, eversa Eugenii tyrannide, Romam venit, & contemptum religionum in animis omnium excitavit, publicum sumptum ultra dare ad sacrificia abnuens. Pellebantur utriusque sexus sacerdotes, & fana sacrificiis abolitis deserta relinquebantur.* Lapides, & inscriptiones etiam testificantur, *Vestales* ad hoc ævi circiter perseverasse. *Lips. ibid. c. 14. Panvin. Casal. & Laurent. l. l. Ortel. Decr. & de tr. cap. 1. 21. Brisson. de Adulter. p. 151. Guther. de Jur. vet. pontif. 11. 2.*

VESTIARIUM erat peculiare conclave in Romanorum principum palatiis *vestibus* principalibus dedicatum. Onomasticum vetus: *Vestiarium*, ἱματιοθήκη. Vopisc. Aurelian. c. 45. V. illum supr. in *Holoserica*. Barth. Adv. 11. 12. Baleng. de Imp. Rom. 111. 22. Cerda Adv. c. 120. n. 2.

Vestiarium vocabatur etiam pecuniæ pensio, quæ in vestes emendas erogabatur. Colum. 1. 8. *Ne aut in vestiariis, aut in ceteris præbitis injuriose tractentur.* Ulpian. l. 21. ff. de Alim. vel cibar. leg. *Diariis, vel cibariis relictis, neque habitationem, neque vestiarium, neque calcearium deberi palam est.* Balduin. de Calc. c. 21. Bergier. de Viis milit. iv. Sect. 11. §. 2.

VESTIARIUS vocatur omnis *vestium* confector, vel institor. Et *vestiarius tenuiarius*, qui tenuiores *vestes* conficit. Vetus lapis Romæ apud Gruter. p. 650. n. 8. M. CINCIUS. M. F. THEOPHILUS. VESTIARIUS. TENUIARIUS. p. 1067. n. 8. MATTIUS. PATROBIUS. VESTIARIUS. TENUIARIUS. *Salmas. in Capitol. Maxim. & Balbin. c. 4. Jun. Catalog. architect. p. S. 119. & 140.*

Vestiarius vocatur etiam, qui *vestibus* præest, ut interpretatur Papias. *Barth. Adv. 11. 12. Pignor. de Serv. p. 212.*

VESTIBULUM utrum sit pars domus, nec ne, videtur posse dubitari. Gell. xvi. 5. *Cæcilius Gallus vestibulum esse dicit, non in ipsis ædibus, neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum; per quem a via aditus, accessusque ad ædes est. Qui domos amplas antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus, & viam medius esset: in eo loco, qui dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant.* Esse autem ante fores, evincitur ex Plaut. Most. 111. 2. 130.

Viden' vestibulum ante ædes, & ambulacrum ejusmodi?

In eo custodes morabantur. Unde Virg. Æneid. vi. 574.

—— cernis custodia qualis
Vestibulo sedeat?

Sed & ex Cicerone idem videtur evinci. Ait enim pro Cæcin. c. 12. *Non modo limine, tectoque ædium tuarum, sed primo aditu, vestibuloque prohibere quempiam.* Et Verr. v. 66. appellat *Italiam vestibulum Siciliæ.* Atqui ab ea divisa est. Quidam vero domus partem putarant, videntes a Vitruv. vi. 18. *cum atrio, peristylio, tablino* numerari, quæ partes esse domus nemo negaverit. Quicquid tamen sit, *vestibulum* extra domus, seu ædium septa fuisse certum est. Et Vitruv. l. l. ponit *inter loca communia, quibus etiam invocati suo jure de populo possunt venire.* Bald. Lex. Vitruv. Voss. Lex. Etymol. Alciat. de Verb. signif. 1. 245. Ouzel. in Gellium. Kobierzyck. de Luxu Roman. 11. 7. Nardin. Rom. Vet. 111. 4. & 13. Donat. de Urb. Rom. 111. 5. Stuck. Ant. Conv. 11. 32. Salmuth de Reb. deperd. & inv. p. 120. Salmas. de Mod. usur. c. 15. Tiraquell. in Alex. Gen. v. 24.

VESTIFICINA appellatur Romanis locus, ubi *vestes* conficiebantur. Tertull. de Pall. c. 3. *Tantam igitur paraturam materiarum; ingenia etiam vestificinæ prosecuta. . . . varias indumentorum formas promulgavere.* Barth. Adv. 11. 12.

VESTIGATORES dicuntur venatores, qui ferarum cubilia per *vestigia* indagant. Serv. Æneid. iv. 121. *Indagine, inquit, ferarum inquisitione, & quidem cum vestigatoribus aliorum mentionem inductam accipiunt: nam indaginem vestigatorem ipsum tradunt.* Ulpian. l. 12. §. 12. ff. de instr. vel instrum. leg. *Vestigatores, & canes, & cetera, quæ ad venationem sunt necessaria, instrumento contineri.* Ad apes transtulit Colum. ix. 8. *Nam statim sono territum, vel in frutice, vel in editiore sylvæ fronde considet, vel a vestigatore præparato vase reconditum.* Pignor. de Serv. p. 564. Popm. de Oper. serv. p. 102.

VESTIMENTA dicuntur omnia *vestium* genera. Ulpian. l. 23. ff. de aur. & arg. leg. *Vestimentorum sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombycina, quæ induendi* (tunicæ, capitia) *præcingendi* (semicinctia, seu vestes præcinctoriæ) *amiciendi* (ut pallia, quæ Tertull. de Pall. c. 5. ait *operire solutim, id est, uno circumjectu*) *insternendi* (vestes stratoriæ, aut stragulæ, veluti amphitapa, philotapa, pallia, peristromata) *injiciendi* (ut tapeta, quibus mensæ teguntur supra, aut insternuntur subtus) *incubandive causa* (ut sunt culcitræ, & toralia) *parata sunt, & quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt instita, picturæ, clavique, qui vestibus insuuntur.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 81. Blond. Triumph. Rom. ix. p. 194. F.

Vestimenta amorgina. V. illa supr. in *Amorgina.*

Vestimenta communia *sunt, quibus promiscue utitur mulier cum viro: veluti si ejusmodi penula, palliumve est, & reliqua hujusmodi, quibus sine reprehensione vel vir, vel uxor utatur.* Ulpian. l. 23. ff. de aur. & arg. leg. *Lipen. de Stren. c. 3. §. 81. Pignor. de Serv. p. 212. Fab. Semestr. 1. 15.*

Vestimenta familiarica *sunt, quæ ad familiam vestiendam parata sunt: sicuti saga, tunicæ, penulæ, lintea, vestimenta, stragula, & consimilia.* Ulpian. l. 23. ff. de aur. & arg. leg. *Lipen. de Stren. c. 3. §. 81. Pignor. de Serv. p. 212. Fab. Semest. 1. 15. Blond. Triumph. Rom. ix. p. 194. G.*

Vestimenta muliebria *sunt, quæ matrisfamiliæ causa sunt comparata, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione: veluti stolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ, quæ magis capitis tegendi, quam ornandi causa sunt comparata, plagulæ, penulæ.* Ulpian. l. 23. ff. de aur. & arg. leg. Ad quæ revocantur etiam ornamenta muliebria, & mundus muliebris. V. supr. in *Mundus muliebris.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 81. Laz. Comm. Rom. viii. 1. Pignor. de Serv. p. 212. Fab. Semest. 1. 15. Blond. Triumph. Rom. ix. p. 194. F. *Vestimenta* muliebria si viri assumerent, antiquitus non apud Romanos tantum, sed in Græcia, & apud alias, barbaras licet, nationes turpissimum fuit existimatum. Unde & Charondas Thuriorum legislator eos, qui in præliis signa, ordinesque destituissent, quive arma pro patria capere recusassent, tali pœna multavit, ut *vestimentis* muliebribus induti in medio foro sisterentur ter quotidie ante omnium ora in suggesto, quo hujusmodi hominum animos ab illa mollitie, & feminea timiditate sensim revocaret in audaciam, atque ut illis mortem præstaret oportere, quam tantam ignominiæ calamitatem diutius in patria experiri. Diod. xii. p. 297. C. Imo ab illis delicati cinædi, & parum viri fuerunt habiti, qui *vestimentis* muliebribus induerentur. Quintil. v. 9. *Si est signum adulteræ lavari cum viris, erit & convivere cum adolescentibus, deinde etiam familiariter alicujus amicitia uti, ut fortasse corpus vulsum, fractum incessum, vestem muliebrem dixerit, mollis, & parum viri signa.* xi. 1. *Ut monilibus, & margaritis, ac veste longa, quæ sunt ornamenta feminarum, deformentur.* Plaut. Men. iii. 2. 46.

PE. *Satin' sanus est? occisa est hæc res. non ego te indutum foras*
Exire vidi palla? MÆ. *Væ capiti tuo:*
Omnes cinædos esse censes, tu quia es.
Tun' me indutum fuisse pallam prædicas?

Illis tamen induti processerunt Caligula. Suet. c. 52. n. 1. *Vestitu, calceatuque, & cetero habitu ne virili semper usus est.* Plin. xxxvii. 2. *Cajus Princeps super omnia muliebria socculos induebat e margaritis.* Commodus. Lamprid. c. 13. *Impudentiæ tantæ fuit, ut cum muliebri veste in amphitheatro,*

vel

vel theatro sederit. Kirchman. de Funer. II. 16. Fabric. de Lud. scenic. p 4. Faber. l. l.

Vestimenta puerilia *sunt, quæ ad nullum alium usum pertinent, nisi puerilem: veluti togæ prætextæ, aliculæ, chlamydes, pallia, quæ filiis nostris comparamus.* Ulpian. l 23. ff. de aur. & arg. leg *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 81. *Pignor. de Serv. p.* 212. *Fab. Semest.* I. 15. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 194. *F.*

Vestimenta quadrata quid fuerint, inter eruditos minime convenire video. Salmas. ad Tertull. pall. p. 110. per hoc recte togam a Græcorum pallio distinguit, quod illa clausa, & rotunda, hoc apertum, & quadratum fuerit. *Vestimentum* autem omne apertum quadratum intelligi vult, quod nempe quatuor angulos habuerit. Angulos vocat extremam vestis partem, quæ in acumen desinit: ubi scilicet duo anguli in ima ora vestis, duo in summa fuerint, qualia nunc vulgo pallia gestantur. Tale non modo Græcorum pallium fuisse, sed & matronarum pallas, virorumque chlamydes, ac Romana paludamenta. Hanc opinionem nititur convellere Kerkoetius, neque tamen quid fuerint exponit. Eidem opinioni ne ipse adhæream, illud in causa est, quod adduci non possum, ut credam, omne pallium, seu *vestimentum* apertum fuisse quadratum. Frustra enim quadrati pallii mentio apud scriptores extaret, si omne pallium hac forma fuisset. Nam præter Festum laudatum supr. in *Ricinium.* Petron. c. 95. *Mox incincta quadrato pallio cucumam ingentem foco apposuit.* Si pallium omne tam virorum, quam mulierum quadratum fuit, & apertum, Enothea more reliquarum quadratum pallium habere debuit: satis ergo fuisset dicere pallio incinctam fuisse, si omne pallium quadratum fuit: quemadmodum & frustra quis toga rotunda inductus diceretur, cum omnes togæ tales essent. Sane pallas, id est, vestem superiorem mulierum, quæ & pallium dicebatur, apertas fuisse, si nihil aliud, veteres statuæ ostendunt. Si ergo omne *vestimentum* apertum etiam quadratum fuit, pallium muliebre, quod apertum erat, etiam quadratum fuisse necesse est. Duo ergo notasse videtur Petronius, quod pallio incincta esset, cum tamen pallium non cingeretur: deinde, quod quadrato, & fortasse sacrorum, quæ parabat, peculiari. Sane veteres omne *vestimenti* genus pallium dixere, quam apertum, tam clausum, ut toga pallium rotundum dicatur Isidoro, nihilominus proprie, ac simpliciter, communique loquend. usu, pallium accipitur pro Græco indumento, ut a toga distinguitur. Hinc transire a toga ad pallium, & palliatum incedere: ut quoties quadrati pallii mentio incidit, non prout a pallio rotundo, id est, toga distinguitur, accipiendum sit, sed a pallio, quod minime quadratum fuit. Sagum etiam *vestimentum* apertum fuisse constat, quare horum sententia & quadratum. Atqui Isidor. XIX. 23. lineas Gallorum vestes saga quadra appellat: frustra, si talia omnia saga fuissent. Idem c. 24. *Sagum Gallicum nomen est: dictum sagum quadrum, eo quod apud eos primum quadratum, vel quadruplex esset.* c. 25. *Palla est quadrum pallium muliebris vestis.* Ac ne quis hoc positum ad distinctionem stolæ, sive cycladis putet, quæ rotunda fuit, hæ tunicæ fuerunt, non pallia. Si ergo omnia pallia quadrata, satis fuisset pallam pallium appellare, illico enim quadratum intelligeretur. Pallia, quæ a nobis gestantur, quadrata esse contendunt, sed si formam eorum attendamus, non tam quadrata, quam semirotunda apparebunt, & si qua parte patent, consuantur, rotunda efficientur, ut si quis cycladem muliebrem in anteriori parte discindat, istorum sententia ex rotunda quadratam efficiet, & cum libuerit, resinget rotundam. Præterea si omnia pallia fuerunt quadrata, quod inter vulgare pallium, & philosophicum discrimen fuit? Nam distincta fuisse non est dubitandum: & præcipuum philosophiæ insigne cum pera, ac barba pallium olim fuit. Non enim sola materiæ vilitate, aut colore distinguebatur, quod philosophicum tribonium rude, ac detritum palliastrum esset, & ferme pullum, alioqui pauperes, ac plebeji, & quicunque exoleto pallio incessisset, pro philosopho habituisset. Forma ergo, non materiæ vilitas, aut color *vestimenta* distinguit: atque forma eadem omnino fuisset, si omnia pallia quadrata fingimus. *Vestimenta* igitur quadrata illa tantum fuere, quæ ex duabus plagulis confecta erant, quarum utraque quadrata erat, hoc est, quatuor angulos habebat, fibulis autem in humeris nectebatur, atque ita hinc inde a lateribus aperta, qualis diaconorum sacris operantium vestes visuntur. Tales veterum Carthaginensium tunicas fuisse tradit, & quadrangulas appellat Tertull. de Pall. c. I. non quod in medio apertæ essent, alioqui vel corpus renudassent, vel aliis interioribus tunicis injectæ fuissent, sed quod ex duabus quadratis partibus confectæ, & a lateribus apertæ (non quales ætate Tertulliani gerebantur rotundæ & clausæ) quadrata justitia starent, id est, æquali utriusque plagæ ora, nec cingulo inæqualiter suspensæ. Quare non aliud discrimen inter vulgare pallium, & philosophicum fuisse videtur, quam quod vulgare quadratum fuit, quod ex duabus plagulis confectum fibula in humeris nectebatur: at philosophicum fusius, ac semirotundum ad instar nostri, quod nempe & rejici in humerum poterat, & duplicari, totumque corpus involvere, quod in Cynicis fiebat, licet sola materia diversum reliqui pallii forma gestarent, & ideo *Cynica dogmata Stoicis solo tunica distantia* dixit Juven Sat. XIII. 121. Nam in pallio conveniebant tunicati Stoici, Cynici ἀχίτωνες. In hoc autem pallio Philosophico opus fibula non fuit, alioqui nec rejici in humerum, nec duplicari potuisset: vulgare pallium quadratum, quod infibulatum, nec rejiciebatur in humerum, nec duplicabatur. Tales, aut non omnino dissimiles lacernæ, ac chlamydes Romanorum fuerunt, quadratæ nempe, & a latere apertæ, licet breviores, & ut plurimum non totam partem anteriorem operirent. Et ideo lacernæ, ac penulæ dicuntur pallia a veteri interprete Persii Sat. I. 54. *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Penula pallium cum fimbriis longis.* Conjecturam nostram juvat, quod similia Judæorum, ac Græcorum pallia docti tradiderunt. Atqui pallium Judaicum quatuor in imo angulos habuit. In illis enim ex Dei præcepto *fimbrias, & vittas hyacinthinas gestabant* Num. c. 15. n. 38. Scio posse mihi objici pallium, quod veteres Carthaginenses gestasse auctor est Tertullianus, quod quadrangulum fuisse, & ab utroque laterum regestum idem scribit l. l. Sed non ejusdem formæ fuisse omne quadratum pallium illud argumento est, quod subjicit Tertullianus, id pallium ætate sua penes solos Æsculapii sacerdotes remansisse: *Instar ejus hodie Æsculapio jam vestro sacerdotium est.* Soli ergo sacerdotes Æsculapii vetus pallium gestabant id temporis, & tamen etiam ipse Tertullianus, & quicunque austeriorem sapientiam sectabantur, pallium tunc induebant, & quidem quadrangulum: non igitur ejusdem omnino generis fuere cuncta pallia quadrata. Si enim pallium illud idem cum vetere fuisset, frustra peculiare Asclepiadarum gestamen dixisset Tertullianus. Diversum vetus pallium fuit, quod quomodo fibula in humeris adstrictum ab utroque latere regeri posset, difficile est explicare. *Ferrar. de Re Vest.* I. I. 3. & 4: II. 4. 4. *Analect. c.* 28. qui & hoc loco monet sententiam Rubenii, quam ut novam, clarissimorum virorum altercationibus omissis, venditat de Re Vest. II. 6. esse ipsissimam Salmasii, quam modo retulimus. De *vestimentis* quadratis scribunt etiam *Junius Anim.* I. 13. *Kerkoet. in Tertull. de Pall. c.* I *Gonsal. in Petron. l. l.*

Vestimenta virilia *sunt, quæ ipsius patrisfamiliæ causa parata sunt: veluti togæ, tunicæ, palliola, vestimenta stragula, amphitapa, saga, reliquaque similia.* Ulpian. l. 23. ff. de aur. & arg. leg. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 81. *Pignor. de Serv. p.* 212. *Fab. Semest.* I. 15. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 194. *H.*

VESTINI Sabinis adhæserunt. Sabinos enim usque ad *Vestinorum* regionem perducit Strab. p. 151. V. illum supr. in *Sabini.* Fiscellum etiam montem inter *Vestinos* ponit Silius Italicus mox laudandus: unde Narem terminum Sabinorum labi scribit Plin. III. 5. Valet etiam apud

me

me plurimum, quod Amiternum oppidum modo in Sabinis numerari invenio, modo in *Vestinis*. Quin etiam aliquid ad hanc quæstionem arbitror pertinere, quod Aternus amnis, teste Strab. v. p. 167. *Vestinum* agrum a Marrucino secreverit: manasse enim in Adriaticum cum ait ex Amiternino, ac per *Vestinos* ad dextram Marrucinis relictis ponte trajectum esse. Quibus auctoritatibus mihi persuasum est, *Vestinos* fere ab oriente Aternum flumen habitasse cum Marrucinis, ac fortasse initia Liris, qui in Tyrrhenum influit, cujus ex *Vestino* agro originem duxit Strab. v. p. 164. at vero ab occidente Sabinos, a septemtrione Picentes: usque adeo, ut qui *Vestinos* cum Campanis conjungunt, Vescinorum, qui populi Campaniæ sunt, nominis similitudine ductos putem errare, quod nomen ubique in Livianis annalibus esse invenio depravatum: quorum errorem si nulla alia auctoritas coargueret, ipsa, quæ dicuntur *Vestinorum* fuisse, oppida certe convincerent, Pinna, Avia, Amiternum, & Angulum apud Ptolemæum; Angulani, Pinnenses, & Peltuinates apud Plin. III. 12. Quorum meminit Sil. Ital. VIII. 516.

Haud illo levior bellis Vestina juventus
Agmina densavit venatu dura ferarum:
Quæ, Fiscelle, tuas arces, Pinnamque virentem
Pascuaque haud tarde redeuntia tondet Avellæ.

Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 19. Leon. Casell. de prim. Ital. colon. Miscell. Ital. Tom III. p. 64. Cluver. Ital. Antiq II. 12. 3. & 4. Leand. Descript. Ital. p. 397.

VESTIPLICÆ. Harum munus ex ipsa voce dignoscitur. Quintil. Declam. 363. *Ter de stupro uxoris adjecto pretio appellatus, vestiplicam dominæ habitu misit.* Quid autem si *vestiplicæ* sint *vestispicæ*, quæ, ut ait Varr. de Ling. Lat. VI. 2. & Pappo apud Non. I. 41. *vestem spicerent.* Afran. Vopisc. apud Nonium: *Novi non inscitulam ancillulam vespere, & vestispicam.* Plaut. Trin. II. I. 22.

Vestispicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ. . .

Ubi *vestispici* legit Nonius. *Pignor. p. 416. Popm. de Oper. servor p. 55.*

VESTIS appellatur, quicquid *induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, accubandique causa paratum est.* V. Ulpianum supr. in *Vestimenta.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 75. Braun. de vestit. sacerd. Hebr. I. 5. 4. An differat a stola. V. supr. in *Stola.* A mulieribus texebatur, & consuebatur, qualia Hectoris vestimenta jacebant in ædibus apud Homer. Iliad. XXII. 511.

Tenuiaque, & venusta, facta manibus mulierum.

Virg. Æneid. VII. 248.

Iliadumque labor, vestes.

Herodot. IX. p. 630. C. *Amestris uxor Xerxis amiculum, quod ipsa texuerat, grande atque variegatum, & spectatu dignum viro donavit.* Augustus etiam *filias, & neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret.* Suet. c. 64. n. 4. *Et veste non temere alia quam domestica usus est, ab uxore, & sorore, & filia, & neptibus confecta.* Suet. c. 73. n. 3. *Feith Antiq. Homer. IV. 3. Casaub. Exercit. in Baron. Annal. Eccles. XVI. n. 84. Pitisc. in Suet. Aug. c. 64. n. 4.* Primas sibi fecit & uxori Adamus, cum, lege Dei violata, nuditatem agnovisset, ex ficuum foliis. Gen. c. 3. n. 7. *Tunc aperuerunt se oculi amborum, noveruntque se nudos esse, & consutis foliis ficulneis fecerunt sibi subligacula.* Deinde illis Deus fecit *vestes* ex pellibus ibid. n. 22. *Fecit Dominus Deus Adamo, & uxori ejus tunicas pelliceas, quibus vestivit eos.* Braun. ibid. I. I. 8. Byn. de Calc. Hebr. I. I. 3. Domi eas suo prelis habebant Romani, ut in publico niterent. Senec. de Tranq. c. I. *Non ex arcula prolata vestis; non ponderibus, aut tormentis splendere cogentibus pressa; sed domestica, & vilis.* Mart. II. 46. 3. V. illum supr. in *Lacerna.* Habebantque eas magno numero. Plutarch. in Lucul. p. 518. D. *Prætori cuidam, qui spectaculum edere quam splendidissime cupiens, ad eum venerat petitum chlamydas aliquot, quibus chorum exornaret, inspecturum respondet, an tot habeat: & si habeat, daturum. Postridie ex eo quæsivit, quotnam cuperet, centumque satis esse respondentem, ducentas accipere jussit.* Mart. ibid. n. 4. V. & illum supr. in *Lacerna.* Sæpissime mutabant in uno convivio, ad ostentationem. Mart. V. 81. I. V. illum supr. in *Synthesis.* Et, ad balnea abeuntes, plurimas secum portabant. Ammian. irridet XXVIII. 4. *Quum a Silvani lavacro, vel Mammeæ aquis ventitant sospitalibus, ut quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, solutis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat, quæ una portantur ad juvandos homines undecim.* Pretium iis sane immensum. Itaque lacernas erant qui emere auderent decem millibus nummum, id est, quingentis Carolinis. Mart. IV. 61. 4: VIII. 10. I. V. illum supr. in *Lacerna.* Capitoni objecit Metellus Scipio, quod tricliniaria Babylonica vendidisset octingentis millibus, sive Carolinis quater millibus: ea autem Nero postea emit sestertio quadragies, id est, Carolinorum ducentis millibus. Fidem res exsuperat, sed eam meretur Plinius. Ille VIII. 48. *Metellus Scipio tricliniaria Babylonica sestertiûm octingentis millibus venisse jam tunc posuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni Principi quadragies sestertio nuper stetere.* Et profecto, maxime hic modum excessit sequior sexus. Itaque passim erat eum videre indutum vestibus, quibus impensi toti census. Audi Prop. III. II. II.

Matrona incedit census induta nepotum.

Meurs. de Luxu Roman. c. 4. Kobierzyck. de Luxu Roman. I. 10. Versibus, ac titulis inscribebantur, aut variis imaginibus depingebantur. Ut omittam Homerum, qui variegatam animalium figuris tunicam Ulyssi attribuit; ut taceam de Massagetis, quos Herodotus herbarum succo pinxisse animalia in *vestibus* tradit, & hæc talia casta nimis, & vetusta; sub ipsis Cæsaribus in imperio Romano legimus id ipsum usurpatum. Et quidem apud Spartian. Carin. c. 20. de *pallio tyrianthino, cui Messallæ nomen, & uxoris inscriptum.* Apud Auson. Epigram. XXXV. I. de Sabina simul textrice, & poetria:

Sive probas Tyrio textam subtegmine vestem;
Seu placet inscripti commoditas tituli;
Ipsius hoc dominæ concinnat utrinque vetustas,
Has geminas artes una Sabina colit.

De eadem Epigram. XXXVII. I.

Licia qui texunt & carmina, carmina Musis,
Licia contribuunt casta Minerva tibi.
Ast ego rem sociam non dissociabo, Sabina:
Versibus inscripsi quæ mea texta meis.

De Hermiones zona XCII.

Punica turgentes redimibat zona papillas
Hermiones: zonæ textum elegeion erat.
Qui legis hunc titulum, Paphie tibi mandat, ames me:
Exemploque tuo neminem amare vetes.

Ruben. Elect. II. I. de Re vest. I. 10. Nicol. de Sigl. vet. c. 38. §. I. Harduin. in Plin. XIII. II. de Roa Singul. part. II. lib. 3. p. 398. Bourdelot. in Heliod. Æthiop. p. 65. Etiam Romani *vestibus* figuras hominum & animalium intertexuerunt. Imperator Gratianus ad Ausonium Grat. Act. p. 245. V. illum supr. in *Dalmatica.* Sidon. c. XV. n. 125.

At parte ex alia textrino prima Minerva
Palla Jovis rutilat, cujus bis coctus aheno
Serica Sidonius fucabat stamina myrex.
Ebria non solum spirat conchylia sandix.
Insertum nam fulgur habet, filoque rigenti
Ardebat gravidum de fragmine fulminis ostrum.
Hic viridis patrio Glaucus pendebat amictu:
Undabant hic arte sinus, fictoque timore
Mersabat pandas tempestas tecta carinas.
Amphitryoniadi surgebat tertia vestis.
Parvulus hic gemino cinctus serpente novercæ
Inscius arridet monstris, ludumque putando
Insidias dum nescit, amat: vultuque dolentis
Exstingui deflet, quos ipse interficit angues. . . .

Cerda in Virg. Æneid. V. 252. Ræward. Conj. II. 6. Schill No-

Nomencl. Philol. p. 1111. Inoculandarum ars erat in clavis purpureis *veſti* intexendis, ut clavus a clavo non diſſentiret, nec diſparis eſſent luminis; ſed omnes invicem concolores examuſſim ponerentur. Plures enim purpurarum gradus, & ſpecies: aliæ nigræ ſunt, aliæ rubræ, aliæ violaceæ, aliæ ſaturatiores, aliæ dilutiores: quædam excitati, quædam adſtricti coloris. Summopere itaque hoc curabant, ut clavi, qui veſtibus inſuebantur, nullam coloris differentiam præ ſe ferrent, ſed ut exacte lumina inter ſe conciliarentur. Hoc *concilium luminis*, id eſt, conciliamentum coloris in purpura vocat Tertull. de Pall. c. 1. Interpretationis noſtræ aſſertorem damus Tertullianum ipſum, qui hunc morem inoculandarum *veſtium* ita deſcribit de Pudicit. c. 8. *Sed enim pleroſque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in veſtibus purpura oculandis ſæpiſſime evenire eſt, quum putaveris recte conciliaſſe temperamenta colorum, & credideris comparationes eorum inter ſe amaſſe, eruditoque mox utroque corpore, & luminibus expreſſis, errorem omnem traducta diverſitas evomet.* Salmaſ. in Tertull. p. 96. Naufragi, qui ſalvi evaſerant, ex voto ſuſpendebant. V. ſupr. in *Naufragi.* Aliquando inter ſacra ad aures uſque attollebant, partim quidem ut eo geſtu, & habitu humiliores ſe redderent, partim vero ne inter precandum triſte quid, aut ignominioſum aliunde occurreret, quo animi religioſa attentio turbaretur. *Tomaſ. de Donar. c.* 5. Illis mortuorum corpora induebant. V. ſupr. in *Cadaver.* Cum mortuo condebantur, & comburebantur. Serv. Æneid. III. 67. *Quoniam ſumptuoſum erat, & crudele victimas, vel homines interficere, ſanguinei coloris cœpta eſt veſtis mortuo injici & ipſe teſtatur.* Æneid. VI. 221.

> *Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota,*
> *Injiciunt.*

In perſona Corneliæ de rogo Pompeji Lucan. IX. 175.

> *Collegit veſtes, miſerique inſignia Magni,*
> *Armaque, & impreſſas auro, quas geſſerat olim,*
> *Exuvias, pictaſque togas, velamina ſummo*
> *Ter conſpecta Jovi, funeſtoque intulit igni.*

Huic conſuetudini XII. tabulæ frenum aliquod injicere voluerunt, vetando, ne plures quam tres *veſtes* cum mortuo comburerentur. Cicer. de Leg. II. 23. V. illum ſupr. in *Ricinium.* Lipſ. Epiſt. Quæſt. I. 7. Moreſt. Pomp. Feral. I. 14. Nicol. de Luct. Græc. c. 14. n. 1. Kirchman. de Funer. III. 5. Suas quoque *veſtes* ſibi detractas, atque diſciſſas in rogum projiciebant, qui mortuum amaverant. Herod. V. p. 369. C. *Periander per præconem dixit, ut omnes Corinthiæ mulieres ad Junonis templum prodirent: illas mulieres omnes ſine diſcrimine exuit, ingenuas pariter, ac ancillas, atque eas veſtes ad foveam comportatas Meliſſam precando cremavit.* Tacit. Annal. III. 3. 2. *Atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci veſtem, odores, aliaque funerum ſollennia cremabant.* Suet. Jul. c. 84. n. 6. *Deinde tibicines, & ſcenici artifices veſtem, quam ex inſtrumento triumphorum ad præſentem uſum induerant, detractam ſibi atque diſciſſam injecere flammæ.* Kirchman. l. l. Pitiſc. in Suetonium. Lacerare, & ſcindere ſignum erat doloris, & indignationis. Long. Paſtor. p. 109. *Sequenti die Lamon ad hortum progreſſus, ad derivandas in illos e fonte aquas, conſpicatusque totum illum locum devaſtatum, & factum, quale non infeſtus patraſſet latro, illico, quam induerat, tunicam.* Herodian. I. 13. 6. *Hæc locuta, veſtem ſcidit.* Suet. Jul. c. 33. n. 1. *Atque ita trajecto exercitu, adhibitis tribunis plebis, qui pulſi ſupervenerant, pro concione fidem militum flens, ac veſte a pectore diſciſſa invocavit.* Dionyſ. VII. p. 472. *Marcus Coriolanus ingreſſus ædes, cum videret uxorem, matremque ſciſſis veſtibus plangentes pectora.* Suet. Ner. c. 42. n. 2. *Utque reſipuit, veſte diſciſſa, capite converberato, actum de ſe pronuntiavit.* Tiraquell. in Alexandr. III. 7. Kirchmann. de Funer. II. 17. Moll. in Long. p. 97. Fab. Semeſtr. II. 10. Moreſt. Pomp. Feral. II. 27. Cerda in Virg. Æneid. V. 685. Pitiſc. in Suetonii Neronem. Facinoroſorum ſibi capiebant milites, qui ſupplicium exſequebantur. Hoc videre eſt ex reſcripto D. Adriani §. Divus ff. de bon. damnat. *Nec ſi zonam circa ſe habuerit damnatus, protinus aliquis ſibi vindicare debebit, ſed veſtem qua is fuerit indutus.* Ex hoc Romanorum more D. Jeſu *veſtes* diviſerunt milites apud Matth. c. 27. n. 35. Marc. c. 15. n. 24. Luc. c. 23. n. 34. Joh. c. 19. n. 23. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 8. §. 10.

Veſtis alba. V. illam ſupr. in *Toga.* Hæc in vulgo civium, & tacito funere uſurpabatur. Et de hac capiendus Plutarch. Problem. 27. qui inter alias cauſas, cur feminæ in luctu utantur albis *veſtibus*, etiam hanc ponit, quod ipſe mortuus ſit hujuſmodi *veſte* indutus. Artemid. II. 3. Agnoſco hunc ritum & in Græcis. De Patrocli funere Homer. Σ. n. 352. In illa pauperes, & tenuioris fortunæ non videntur elati. Artemidorus. V. Artemidorum & Homerum ſupr. in *Cadaver.* Kirchman de Funer. I. 10. V. & infr. in *Veſtis atra.*

Veſtis amethyſtina nominata eſt ab amethyſto lapide pretioſo. Purpura enim eo temperamento inficiebatur, ut ejus lapilli colorem redderet, qui amethyſtus appellatur. In ſummo uſu fuiſſe conjicere licet ex Juvenale, qui corruptos ævi ſui mores ſatyrico morſu arrodens, inquit: purpuram, aut aliam aliquam *veſtem*, quam immenſum pretium commendat, ſæpenumero in cauſa fuiſſe, ut cauſidicus ad cauſam reorum perorandam conduceretur Sat. VII. 135.

> *Et tamen eſt illis hoc utile: purpura vendit*
> *Cauſidicum, vendunt amethyſtina.*

Hujus meminit Mart. I. 97. 7.

> *Amethyſtinaque mulierum vocat veſtes.*

Kobierzyck. de Luxu Roman. I. 8. Bayf. de Re veſt. c. 3.

Veſtis ancillaris. V. illam ſupr. in *Ancillæ.*

Veſtis anthina. Illam varie interpretantur: quidam muliebres, unde & Herculem aliquando anthina *veſte* indutum ex Plutarcho ſcripſimus: quidam purpureas, a colore florum: unde & ianthinæ, & hyacinthinæ appellantur: alii barbaricas, & Damaſcenas, quæ ita nunc vocantur, quod floribus herbarum intextæ ſint. *Gyrald. Synt. deor.* VIII. *p.* 287. *F. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq.* V. 31. *Kobierzyck de Luxu Roman.* I. 10.

Veſtis atra erat lugentium. Morem hunc geſtandi atras *veſtes* in luctu funebri ab Ægyptiis ortam ſcribit Serv. Æneid. XI. *Morem lugendi quidam dicunt Ægyptios inveniſſe: eos enim primos Liberum, quem Oſirim appellant, a fratre Tyſone per inſidias interemptum atra veſte luxiſſe, inde ceteris gentibus traditum, ut intra annum finiretur luctus.* Ex hoc ritu Juven. Sat. X. 243.

> *Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata*
> *Semper clade domus multis in luctibus, inque*
> *Perpetuo mœrore, & nigra veſte ſeneſcant.*

Prop. IV. 7. 27.

> *Denique quis noſtro curvum te funere vidit?*
> *Atram quis lacrymis incaluiſſe togam?*

Paull. ICtus Recept. ſent. lib. I. cap. ult. *Qui luget, abſtinere debet a conviviis, ornamentis, & alba veſte.* Nam ſicut color albus eſt lætitiæ indicium, ſic ater triſtitiæ. Et hoc in viris ſemper obſervare licet, in feminis non item. Hæ enim priſcis tantum temporibus atratæ fuerunt. Dionyſ. VIII. p. 530. *Romanorum matronæ, ut mos eſt illis in luctu domeſtico, & neceſſariorum funeribus, depoſito auro, & purpura, ceteroque ornatu atratæ ipſum per annum integrum luxerunt.* Domi & quidem ſeptem illos dies, qui funeris elationem præcedebant erant in luctu riciniatæ. V. ſupr. in *Ricinium.* Octavo die riciniis illis in lectulum feralem impoſitis, ut una cum mortuo comburerentur, togas ſumebant pullas, quibuſcum in funus prodirent. Eæque deinceps *veſtes* in luctu. Varr. de vit. pop. Rom. III. *Ut, dum ſupra terram eſſet, riciniis lugerent: funere ipſo, ut pullis palliis amictæ.* Verum ſub Imperatoribus, poſt ſericam traductam *veſtem*. . . *veſtis* alba nota & indicium luctus fuit ſequiori ſexui. Inde in funere Severi Imperatoris Herod. IV. 2. 6. *Veſtibus albis exilibus*

indutæ, mœrentium ſpeciem prabent. Plutarchi locus hac de re clariſſimus eſt Problem. 27. *Cur in luctu mulieres albas gerunt veſtes, albasque vittas.* Nec quemquam moveat, quod atram *veſtem* feminæ lugubri deſignat Apul. Met. III. p. 77. *Inter hæc quadam mulier, per medium theatrum lacrymoſa, & flebilis, atra veſte contecta, parvulum quendam ſinu tolerans decurrit.* VII. p. 229. *Mater pueri, mortem deplorans acerbam filii, fleta, & lacrymoſa, fuſcaque veſte contecta.* Nam forte aut priſcum ritum in animo habuit: aut aliud in provinciis fuit, ubi id geſtum; more videlicet Græciæ retento, apud quos in luctu conſtitos, viros pariter, & mulieres nigras *veſtes* geſtaſſe minime ambigimus. *Lipſ. in Tacit. Annal.* II. *Excur. M. Mag. Miſcell.* III. 14. *Kirchman. de Funer.* II. 17. *Ravard. Conject.* I. 20. *Cuper. in Lactant. de Mort. perſec.* c. 39. *Broukh. in Tibull.* III. 2. 18.

Veſtis aurata Romanis nuncupabatur ab aureis filis ſummo cum artificio intertextis. Ejuſmodi *veſte* primum fuiſſe uſum Aurelianum Imperatorem ſcribit Aurel. Vict. Epit. c. 35. n. 5. V. illum ſupr. in *Diadema.* Hoc vero mihi ſatis mirum videtur, quod ſcriptor hic tam audacter aſſerere non vereatur, auratam *veſtem* Romanis minime cognitam extitiſſe, cum ea multis ante Aurelianum temporibus, non tantum Principes ipſos, ſed & aulicos ornatos fuiſſe reperiam. Inter cæteras Alexandri Severi virtutes, atque præclara continentiæ inſtituta, etiam illud recenſet Lamprid. c. 34. quod *auratam veſtem miniſtrorum vel in convivio publico nullus habuerit.* Alterum, quod idem de Cæſar. c. 39. n. 1. literis prodidit, Valerium Diocletianum primum ex auro *veſtem* quæſiviſſe: *Valerius Diocletianus domeſticos regens ob ſapientiam deligitur, magnus vir, his moribus tamen, quippe qui primus ex auro veſte quæſita, ſerici ac purpuræ, gemmarumque vim plantis concupiverit.* Obſecro, quis primus ad imperium orbis evectus, Diocletianus, an Heliogabalus? Heliogabalum anteceſſiſſe quis niſi amens ignorat? *atqui hunc uſum fuiſſe aurea omni tunica, uſum & de gemmis Perſica, quum gravari ſe diceret onere voluptatis,* refert Lamprid. c. 23. Quid dicam de Caligula, de quo Suet. c. 19. n. 4. *Primo die inſignis quercina corona, & ſecuri, & cetra, & gladio, aureaque chlamyde.* Inferiorum Imperatorum edictis magnopere eſt vetita. V. ſupr. in *Paragauda.* Kobierzyck. de Luxu Roman. I. 8.

Veſtis auro clavata. V. illam ſupr. in χρυσόκλαβον.

Veſtis balnearis æſtate fuit lacerna, hyeme læna. Lamprid. Alex. Sev. c. 42. *Thermis, & ſuis, & veterum frequenter cum populo uſus eſt, & æſtate maxime, balneari veſte ad Palatium revertens, hoc ſolum imperatorium habens, quod lacernam coccineam habebat.* A balneis redeuntes geſtabant lænam, ne corpus calore ſolutum frigoris inclementia læderet. *Ferrar. de Re veſt.* II. 1. 9. *Baccius de Conviv. Antiq.* p. 141.

Veſtis byſſina. V. illam ſupr. in *Byſſus.*

Veſtis citroſa *appellata eſt a ſimilitudine citri.* Feſtus. Qui vult ita dictam, quod ſit undatim criſpa, ut citri arbores, quibus præcipua dos eſt, ſi venæ criſpæ, ut ait Plinius. Macrob. Sat. II. 15. quod poma citri veſtibus infererentur ad odorem concipiendum. Pro quo facit Plin. XII. 3. *Pomum ipſum non manditur, odore præcellit foliorum quoque, qui tranſit in veſtes una conditus, arcetque animalium noxia.* Quod Latini citrum, Homerus θύον, & quas illi *citroſas veſtes*, ille θυώδεα. Odyſſ. E. 264.

Veſtes induta odoratas (citroſas).

Hinc & Nævius poeta in bello Punico ait *citroſam veſtem.*

Pulcramque ex auro, veſtemque citroſam.

Rhodig. Ant. Lect. XVI. 10. Scalig. in Feſtum.

Veſtis Coa appellatur, quæ a Co inſula, cujus incolæ in texendis ſumma cum ſubtilitate *veſtibus* palmam obtinuerunt. Hoc genus *veſtis* ibidem prima texuit Pamphila Latoi filia. Plin. XI. 22. *Prima eas redordiri, rurſusque texere invenit in Coo mulier Pamphila Latoi filia.* De illa Prop. IV. 7. 29.

Quid juvat ornato procedere vitta capillo?
Aut tenues Coa veſte movere ſinus?

Et Tibull. II. 4. 27.

O pereat, quicunque legit, viridesque ſmaragdos,
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
Hic dat avaritiæ cauſſas, & Coa puellis
Veſtis, & e longo lucida ſigna mari.

Ne vero libidinoſa ſplendore tantum gauderet, tenuitatem illarum ſubtili auri integmine diſcriminarunt. Tibull. II. 6. 35. V. illum infr. in *Vitæ in veſtibus femineis.* Kobierzyck. de Luxu Roman. I. 9. Ferrar. de Re veſt. I. 1. 20. Faber Semeſt. I. 16. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. V. 31.

Veſtis cœnatoria etiam ſynthesis a veteribus nominabatur. Erat mollicina, hoc eſt, delicatior, & pretioſior reliquis, &, ut Apul. Met. VII. p. 213. lautiuſcula, pellucida, ſcilicet ex lino tenui, vel ſerico, atque purpurea. Ad hanc refero Plin. VIII. 48. V. illum laudatum ſupr. in *Veſtis.* Etiam, ubi de purpura, IX. 39. *Hinc ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinter ædilis primus in prætexta uſus improbabatur: qua purpura quis non jam tricliniaria facit?* Tricliniaria namque veſtimenta cœnatorias *veſtes* interpretor apud Plinium. *Fab. Semeſtr.* I. 15. De hac *veſte* Dio LXIX. p. 796. A. *Fuit & Cornelius Fronto magnæ auctoritatis, qui cauſis agendis inter ejus ætatis Romanos primas ferebat, quum aliquando veſpere profundo a cœna domum rediret, ac intellexiſſet a quodam, cui patrocinium promiſerat, Hadrianum jus dicere, veſte cœnatoria, qua tunc utebatur, ad tribunal ejus acceſſit.* Ex quibus intelligitur fuiſſe non vulgares, ſed delicioſas, quibus princeps orator palam, & in foro ambularet. Diverſas tamen a communi *veſtitu* indicat Mart. XIV. 135. cujus lemma eſt Cœnatoria:

Nec fora ſint nobis, nec ſint vadimonia nota:
Hic opus eſt pictis cum *veſte* cœnatoria *accubuiſſe*
toris.

Communiter candidæ videntur fuiſſe, & lineæ: quare albatos legimus ad convivium accedere ſolitos. Cicer. in Vatin. c. 12. *Illud ſcire ex te cupio, quo conſilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arrii familiaris cum toga pulla accumberes? Cedo, quis unquam cœnarit atratus?* Baccius de Conviv. Antiq. p. 141. Fuerunt & cœnatoriæ muliebres. Pompon. l. 33. ff. de aur. & arg. leg. *Nam & Q. Mutius ait, ſcire ſe quendam ſenatorem, muliebribus cœnatoriis uti ſolitum.* Ferrar. de Re Veſt. I. 1. 31. Anal. de Re Veſt. c. 23. Ciaccon. de Triclin. p. 39. Urſin. Append. p. 236. Caſal. Antiq. Profan. c. 25. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 19. Faber & Baccius l. l.

Veſtis comica exomis. V. ſupr. in *Exomis.*

Veſtis communis antiquorum fuit tunica linea interior, altera ſuperior lanea, interdum ſerica, tum toga, vel in ejus locum birrhus, ſive lacerna. *Ferrar. de Re veſt.* I. 3. 5.

Veſtis conchyliata eſt purpurea, non quidem omnis, ſed cui *color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari,* ut ait Plin. IX. 36. Suet. Jul. c. 43. n. 5. V. illum ſupr. in *Purpura.* Conchyliatam τὴν ἐσθῆτα ἁλουργῆ vocat Dio XLIX. p. 401. D. Ἁλουργὶς vero, ut Etymologicum, *quæ ex marino conchylio fit, & paratur.* Unde ἁλουργίδες a purpureis *veſtibus* diſtinguit Artemid. II. 3. *Oportet eum qui purpuram gerit, omnino diadema, aut coronam habere, & multos comites, ac cuſtodes. Verum Dionyſiacis artificibus eadem quæ halurgis ſignificat.* Et Pollux VII. 13. *Regia veſtis, quæ candys dicitur, erat conchyliata, aliorum purpurea.* Bayſ. de Re Veſt. c. 13. Salmaſ. ad Tertull. Pall. p. 185. Braun. de Veſtit. ſacerd. Hebr. I. 13. 4. Ruben. de Re veſt. I. 8. Pitiſc. in Suetonium. V. etiam ſupr. in Ἁλουργίδες. Hujus uſum ademit Julius, quia hic color *veſtium* pretium excandefaciebat. Plin. IX. 35. V. illum ſupr. in *Conchylium.* c. 39. *Nepos Cornelius, qui divi Auguſti principatu obiit, me inquit juvene violacea purpura vigebat, denariis centum,* id eſt, florenis viginti, *venibat:*

nec

nec multo poſt rubra Tarentina, quæ in libras denariis mille, id eſt, florenis ducentis, *non poterat emi.* Meurſ. de Luxu Roman. c. 4.

Veſtis cubicularis. V. illam ſupr. in *Toga.*

Veſtis equeſtris fuit tunica equitum. Ejus mentio habetur apud Dion. LXXIV. p. 839. B. *Severus in Urbem venit, cumque eduſet in equo uſque ad portas Urbis, ingreſſus in veſte equeſtri,* hoc eſt, militari, ſive Imperatorio paludamento, ne quis in anguſto clavo ingreſſum crederet. Sequitur enim, ipſum ab ipſa porta *veſtem* mutatam induiſſe, id eſt, togam, τὴν πολιτικὴν ἀπαξάμενος, hoc eſt, ad verbum, uſque ad portas equo vectus, ac paludatus, inde ſumpta toga pedibus inceſſit. *Ferrar. de Re Veſt.* I. 3. 14. II. 2. 4.

Veſtis florida fuit verſicolor, & varia, mulierum propria. Plutarch. Quæſt. Græc. 57. quærit, cur apud Coos ſacerdos Herculis femineam *veſtem* indutus rem divinam faciat, & allata fabula ſubjicit, quia Hercules *Alciopi filiam uxorem ducens induit floridam veſtem:* hinc factum, ut ejus ſacerdotes, & ſponſi muliebri *veſte* induantur. Artemid. II. 3. *Mulieri florida, & varia veſtis conducit, maxime meretrici, & opulentæ: illa enim ob quæſtum, hæc ob delicias floridis veſtibus utitur.* A viris etiam aliquando uſurpata maxime in pompa, ac triumpho. De Caligula ſine victoria triumphante Dio LIX. p. 653. B. *Comitabantur eum amici ejus & ipſi in veſtibus floridis.* Ferrar. de Re veſt. I. 3. 22. V. & ſupr. in *Veſtis anthina.*

Veſtis forenſis. V. illam ſupr. in *Forenſis.*

Veſtis herbida a colore appellata. Cyprian. de Diſcipl. & habit. virgin. *Neque enim Deus coccineas, aut purpureas oves fecit, aut herbarum ſuccis, id eſt, virides, ſeu carinas, & conchyliis tingere, & colorare lanas docuit.* Stat. Sylv. II. I. 132.

> — *modo puniceo velabat amictu,*
> *Nunc herbas imitante ſinu, nunc dulce rubenti*
> *Murice, nunc vivis digitos accendere gemmis*
> *Gaudebat.*

Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 8. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. v(?) 31.

Veſtis holoſerica. V. illam ſupr. in *Holoſerica.*

Veſtis holovera. V. illam ſupr. in *Holovera.*

Veſtis impluviata. Plaut. Epid. II. 2. 41.

> *Impluviatam! ut iſtæ faciunt veſtimentis nomina.*

Non. XVI. 3. eſt *color fumato ſtillicidio impletus, qui eſt Mutinenſis.* Mira ea interpretatio in dubium venit. Locus enim Plauti videtur ſignificare, a ſimilitudine impluvii *veſtis* nomen eſſe factum. Eſt ea figura, ut quadrata id eſt, quatuor lateribus undique corpus ambiat, quæ eſt forma impluviorum in cavædiis. *Turneb. Adv.* XIV. 19. *Gruter. in Plautum.* Sed num tunica, aut pallium hac forma compacta uſui eſſe poſſet, videant docti. Quid ſit ſtillicidium fumatum, & qui Mutinenſis color, fruſtra quærimus. *Ferrar. de Re Veſt.* I. 3. 20.

Veſtis lugubris alia, alia ſqualida. Squalidam a lugubri diſtinguit Ulpian. l. 15. §. 21. de injur. *Utputa ſi ad invidiam alicujus veſte lugubri utitur, aut ſqualida.* Lugubrem pro ea, qua mortui: & ſqualidam, qua rei lugentur, ponit Ulpianus. Sic ad Polybium ſcribit Senec. c. 36. *Procul iſtud exemplum ab omni Romano viro lectum ſuum, aut intempeſtivis vacare luſibus, aut forarum, aut ſqualoris fœditate irritare.* Lugentes nigra *veſte* fuiſſe uſos V. ſupr. in *Veſtis atra.* Ut vero toga pulla, ſic lugubri ſtola in luctu uti mulieres ſolent. Nonius in Quisquis:

> *Et quis illæc eſt, quæ lugubri ſuccincta eſt ſtola?*

Et quidem pellicea, aut pellibus ſuffulta. Feſtus: *Pellem habere Hercules fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur. lugentes diebus luctus in pellibus ſunt.* Rævard. Conject. I. 20.

Veſtis Medica olim nuncupabatur, quæ nunc ſerica dicitur. Auctor eſt Procop. de Bell. Perſ. I. *Rhodig. Antiq. Lect.* XVI. 10. *Pancirol. Deſcript. Urb. Rom.* — *Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 342. *F. Bayf de Re Veſt. c.* 6.

Veſtis muliebris. V. illam ſupr. in *Veſtimenta muliebria.*

Veſtis palmata. V. illam ſupr. in *Toga palmata.*

Veſtis papaverata dicitur a papavere. Plin. VIII. 48. *Crebræ papaveratæ antiquiorem habent originem jam ſub Lucilio Poeta in Torquato notatæ.* Erat tenuis, ac delicata: ac ſic a Lucilio vocatur, Græcorum exemplo, quibus μήκων non ſolum notat papaver, ſed etiam textum byſſinum, ſive lineum. Nam Heſychius ὕφασμα βύσσινον exponit. Sed de cauſa nominis non conſentitur. Aliquibus videtur appellatio eſſe ex eo, quia quoddam papaveris genus eſſet, ex quo, ut ait Plin. XIX. I. *candorem lintea præcipuum traherent.* Alii cenſent ſic dici, quia mollis papaveris lanugo neretur, *veſtisque* ex ea texeretur. *Voſſ. Lex. Etymol.* V. etiam *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 793. *a. D. & Harduin. in Plinium.*

Veſtis paſtoralis. V. illam ſupr. in *Diphthera.*

Veſtis pellucida erat etiam in maximo pretio perditis jam moribus. Senec. Epiſt. 90. *Quid ſi contigiſſet illi videre has noſtri temporis telas, quibus veſtis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt.* de Benef. VII. 9. *Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi, aut corpus, aut denique pudor poſſit: quibus ſumptis, mulier parum liquido, nudam ſe non eſſe, jurabit.* ad Helv. c. 16. *Nunquam tibi placuit veſtis, quæ nihil amplius nudaret, cum poneretur.* Controv. IV. 7. *Non loricam, clypeumve ſumpſit, ſed tenuem, ac pellucidam veſtem.* Quod effeminati animi argumento ponebant. Lucan. X. 141. de luxurioſo Cleopatræ apparatu:

> *Candida Sidonio perlucent pectora filo,*
> *Quod Niloтis acus compreſſum pectine Serum*
> *Solvit, & extenſo laxavit ſtamina velo.*

Has rallas appellarunt. V. ſupr. in *Ralla.* Et *veſtes* vitreas. V. ſupr. in *Toga vitrea.* Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 2. Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman. v(?) 31.

Veſtis pexa. V. illam ſupr. in *Toga pexa.*

Veſtis Phryxiana. V. illam ſupr. in *Toga Phryxiana.*

Veſtis picta. V. illam ſupr. in *Toga picta.*

Veſtis plumata. V. illam ſupr. in *Plumæ.*

Veſtis plumea e plumis avium verſicoloribus erat confecta. Prud. Hamartig. n. 293. V. illum ſupr. in *Plumæ.* Monach. Sangall. de geſt. bellic. Caroli M. *Ceteri vero utpote feriatis diebus, & qui modo de Papia veniſſent, ad quam nuper Venetici de tranſmarinis partibus omnes orientalium divitias advexiſſent, Phœnicum pellibus avium ſerico circumdatis, & pavonum collis cum tergo, & clunibus mox floreſcere incipientibus Tyria purpura, vel diacedrina litra decoratis, alii de lodicibus, quidam de glirinis circumamicti procedebant.* Ruben. de Re veſt. I. 24.

Veſtis pulla. V. illam ſupr. in *Toga pulla.*

Veſtis pura vocabatur virilis. V. illam ſupr. in *Toga pura.* Puras quoque *veſtes* induebant ſacris interfuturi. Pauperes illas aqua eluebant, ne quid ſordium in illis eſſet. Tib. II. I. 13.

> *Caſta placent ſuperis: pura cum veſte venito.*

Virg. Æneid. XII. 169.

> — *puraque in veſte ſacerdos*
> *Setigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem*
> *Attulit.*

Ubi Servius. V. illum ſupr. in *Sacrificare.* Divites habebant *veſtes* ſingulares, quas induebant tunc cum ſacra obire volebant. Illæ erant albæ. Horatius laudatus ſupr. in *Repotia.* Ovid. Amor. III. 13. 27.

> *More patrum Grajo velatæ veſtibus albis*
> *Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.*

Briſſon. de Form. I. p. 6. Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 20. Lomej. de Luſtrat. c. 34. Broukh. in Tibullum.

Veſtis purpurea. V. ſupr. in *Veſtis conchyliata.*

Veſtis quadrata. V. illam ſupr. in *Veſtimenta quadrata.*

Veſtis ralla. V. illam ſupr. in *Ralla.*

Veſtis regia fuit toga purpurea. Purpureum amiculum enim ab omni ævo regni inſigne fuit. Ad hæc Cicer. Phil II. 34. *Sedebat roſtris collega tuus amictus toga purpurea in ſella aurea coronatus.* Plin. XI. 37. *Cæſari dictatori, quo die primum veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea ſedit, cor ſacrificanti bis in extis defuit.* Hinc patet, errare Plutarch. p. 736 D. dum Julio tribuit *veſtem* triumphalem, cum Antonius ei diadema obtulit: nec minus viros doctos, qui togam hanc purpuream Cæſaris cum triumphali confundunt, ut Ferrar. de Re Veſt. I. 2. 9. *Ruben. de Re Veſt.* I. 21. Inter immodicos honores, quos aut Cæſar recepit, aut decerni ſibi paſſus eſt, præcipuus fuit, ut toga triumphali, non in ſpectaculis modo, ſed ubique uteretur: ſi credimus Dion. XLIV. p. 243. A. *Additum etiam, ut ſella aurea, & veſte regia uteretur.* Et paullo infra: *Et ſella aurea, & columna, ϛήλη, qua olim Reges uſi, decreta.* Qui locus merito Caſaub. ad Suet. Aug. c. 76. olim ſuſpectus: quia Dioni antea de ſtatua dictum erat: præterea ϛήλην ſtatuam, de qua inter Reges exponunt interpretes, interpretari, & χρᾶσθαι ϛήλῃ, pro ſtatuam ponere, ineptum eſt. Ipſe neſcio quid de cippo, ſive ſuggeſtu, conjicit. Rubenius ϛόλῃ corrigit, id eſt, *veſte*, qua Reges utebantur. Sed Dio antea *veſtis* triumphalis meminerat, quæ regia. Negat hoc Rubenius, & regiam *veſtem* tantum purpuream fuiſſe ait, cum triumphalis auro picta eſſet. Quod ſi verum eſt, ſenatus nimiis honoribus Cæſaris invidiam aucturus, potius de ejus dignitate detraxiſſet, pro toga triumphantium auro picta ſolam purpuream decernendo. Sed regiam *veſtem* etiam pictam, ſive auro intextam fuiſſe mirum eſt a Rubenio negari, qui paullo ante duo Dionyſii loca adduxerat, quæ id manifeſto comprobant. III. p. 195. *Cum hoc reſponſo legati dimiſſi, poſt paucos dies redeunt, non nuda verba tantum afferentes, ſed & principatus inſignia, quibus ſuos Reges ornare conſueverant: coronam auream, ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, qualia Lydorum, & Perſarum Reges geſtant, tunicam purpuream auro clavatam, & togam pictam, ſive auro variegatam.* IV. p. 268. *E tam multis regiis inſignibus, ſi qua ſunt invidioſa, & moleſta populo, partim minuenda, partim plane tollenda judico. Sceptra iſta tuo, & coronas aureas, purpureas, auroque diſtinctas veſtes, niſi ſtatis feſtis diebus, & in pompis aſſumantur.* Nam de toga locutum vox ἀμπεχόνας declarat, ſicut ſupra περιβόλαιον, quarum utraque veſtimentum exterius, pallium apud Græcos, togam apud Romanos ſignificat. Ergo regiæ *veſtes*, ſive togæ, non purpureæ modo, ſed pictæ, & auro intextæ, ſive phrygionis opere elaboratæ fuerunt. Qualis veſtis Cæſari a ſenatu decreta, ut ea ſemper, & ubique uteretur: & de Dionis loco adhuc deliberandum eſt. Nec me pœnitet, etiamſi id Plutarchi auctoritate non confirmaretur, olim ſtatuiſſe, togam Cæſaris, cum ei diadema in roſtris ab Antonio offerretur, fuiſſe pictam, & triumphalem, etiamſi purpurea tantum a Cicerone dicatur. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 27.

Veſtis rotunda erat amictui, & ita conficiebatur, ut in ſolo expanſa non eſſet quadrata, ſed circulari forma, ut pallia noſtra, quibus vulgo utuntur. Non tamen exiſtimo, omnes rotundas antiquorum *veſtes* in terra extenſas plenum circulum impleviſſe; ſed quaſdam ſemicirculares fuiſſe, alias *circinato orbe laciniofas, anguloſo procurſu*, ut de chlamyde Macedonica ait Plin. V. 10. Quam tamen inter rotundas veſtes recenſet Etymologicum. *Ruben. de Re Veſt.* II. 7. Oculi laborabunt, ut inſpiciant, quomodo rotundæ *veſtes* in ſolo expanſæ, circulari forma eſſent, ut pallia noſtra, quibus vulgo utimur. Nam ſicut verum eſt, quod eſt rotundum, ſi expandatur in ſolo, futurum circulari figura: ita illud, quod conſequitur, falſum, ut *pallia noſtra*, quæ cum ſint aperta, etiam Rubenii ſententia, erant quadrangula, & ideo rotundis oppoſita; nec, ſi expandantur, circularem figuram præferre poterunt. Figuram chlamydis Macedonicæ V. ſupr. in *Chlamys*. Ferrar. Anal. de Re Veſt. c. 38.

Veſtis ſatyrica fuit pellis hinnuli, vel capræ, quam iſalen vocant, & tragen, & pardalem textam, & venabulum Dionyſiacum, & chlamys florida, & purpureum pallium, & tunica ex fœno denſa, quam Sileni ferunt. *Buleng. de Theatr.* I. 55.

Veſtis ſcutulata dicta eſt, quæ in formam ſcutularum texebatur. Juven. Sat. II. 97.

Cœrulea indutus ſcutulata.

Prudent. Hamartig. n. 289.

—— *ſcutulis perfundere corpus.*

Hanc Galli invenerunt. Plin. VIII. 48. *Scutulis dividere inſtituit Gallia.* Grang in Juvenalem. Kobierzyck. de Luxu Roman. I. 10. Beeman. de Origin. p. 1028. Araneorum ſcutulatum rete apud Plin. XI. 24. Grammatici exponunt rotundum. Ego quo minus eis aſſentiri debeam, adferre poſſum. Nam cum ſcutulæ forma non ſit rotunda, quo tandem pacto ſcutulatum rotundum eſſe poſſit? ego ſcutulatum eſſe ſentio, quod ſcutulas habet, quales in araneorum reti plurimæ ſunt: nam cum in ambitum orbes filis aranei multis plurimos circinent, a centro tranſverſa ſubtemina quoquoverſum diſtendunt, quæ orbes ſecantia multas ſcutulas reddunt. Eſt enim ſcutula forma quadrata oblongior. Cum igitur plurimæ ſint in ea tela quadræ, id eſt, ſcutulæ, proinde ſcutulatum rete dicitur. Eam autem eſſe formam ſcutulæ, confirmare poſſum auctoritate Cenſor. c. 22. ita ſcribentis: *Heteromecos, quadrangulum, nec latera habet paria, nec angulos rectos ſimile ſcutulæ.* Et certe cum ſcutum quadratum, & oblongum ſit, ſcutellum, & ſcutula, quæ diminutionis figura ab eo deducuntur, eandem figuram habebant. *Turneb. Adv.* XXVII. 24. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 31. *Scalig. Conject. in Varron. p.* 67. *Demſter. Paralip. in Roſin. Antiq. Roman.* VII. 31. Σκυτάλη idem eſt quod ῥάβδος. Latini ſcutulam dixerunt. Scutala enim eſt σκυτάλη, & falluntur Grammatici, qui a ſcutis deducunt. Hinc & ſcutulatæ veſtes, quæ virgatæ, Græcis ῥαβδωταί. Optimæ gloſſæ: σκυτάλη, ſcutula. Sic autem ſcutulam a σκυτάλη Latini veteres finxerunt, a in u mutantes, ut vitulos fecerunt, quos ἰταλοὺς veteres Græci vocabant. Sed ne quid ſine idoneo teſte dicam, phalangas illas, & virgas, quæ ſubjiciuntur navibus, ad eas in mare deducendas, & impellendas appellavit Cæſar ſcutulas de Bell. Civ. III. 40. *Quatuor biremes ſubjectis ſcutulis impulſas vectibus in interiorem partem tranſduxit.* Omnia facit Turnebus ut vocem illam apud Cæſarem mutandam eſſe nobis perſuadeat, & ſeſe in omnes partes verſat, ut aliquam ſaltem probabilem conjecturam reperiat. Fruſtra omnia; nam ſcutulis rectum eſt. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 46. Fallitur Turnebus, qui ſcutulam, a quo ſcutulatum rete, deducit a voce ſcutum. Atqui prima in ſcutum longa eſt, brevis in ſcutula. Juvenalis, & Prudentius modo laudati. Quomodo igitur derivari poterit a ſcuto? Scutula enim, & ſcutella genus lancis, aut diſci. Sed quum & primam quoque corripiant illæ voces, a ſcuto non poſſunt diminutionis forma deduci; & cum rotundæ fuerint, non quadratæ, ab his ſcutulatum rete, & ſcutulatas veſtes dici non poſſe palam eſt. Et ſcutulatæ eædem cum virgatis. Nam ſcutulatum & virgatum idem ſignificant. Ut ſcutula & virga, ſic Græcis σκυτάλη & ῥάβδος. *Salmaſ. in Vopiſci Carin. c.* 20. Qui hoc ingenioſe magis, quam vere dixit. Ut enim concedam omnes *veſtes* ſcutulatas fuiſſe virgatas, ita negandum eſt, omnes virgatas ſcutulatas fuiſſe. Scutulas enim appellarunt veteres omne id, quod rhombi figuram habebat. Cenſorin. Fragm. c. 7. *Scutula, id eſt, rhombos, quod latera paria habet, nec angulos rectos ſimiles ſcutulæ.* Ita Plin. XVII. 16. in emplaſtratione jubet eximi ſcutulam ex Catone *quatuor digitorum longitudine, & trium latitudine.* Sic & in pavimentis ſcutulæ dicuntur, quando rhombis diſtinguuntur. Vitruv. VII. 1. *Nulli gradus in ſcutulis, aut trigonis, aut quadratis, ſeu favis extent.* Pallad. I. 9. *Vel teſtaceum accipiant pavimentum, vel marmora, vel teſſeras, aut ſcutulas, quibus æquale reddatur, angulis lateribusque conjunctis.* Hinc & lances ῥομβοειδεῖς ſcutulas, aut ſcutellas vocarunt. Mart. XI. 32, 19.

Et

Et leves ſcutulas, cavasque lances.

Nam quod Salmaſius ait, cum ſcutellæ rotundæ fuerint, non quadratæ, ab his ſcutulatum rete, & ſcutulatas *veſtes* dici non poſſe, fugit eam ratio. Scimus enim pleraſque antiquorum lances quadratas fuiſſe, non rotundas. Iſid. xx. 4. *Paropſis quadrangulum, & quadrilaterum vas.* Caſſian. Coll. 1. c. 5. laterculum, ad quem ſagittarii collineant, ſcutum vocat: *Quemadmodum hi, quibus eſt uſus bellica tela tractandi, cum ante Regem artis ſuæ cupiunt peritiam demonſtrare, in parviſſima quadam ſcutula, quæ depicta in ſe continet præmia, jacula, & ſagittas intorquere contendunt.* Ex his ſatis conſtare poteſt, quæ fuerit forma ſcutulatarum *veſtium*, quas ſæpe vidimus in nummis Imperatorum Conſtantinopolitanorum. *Ruben. de Re veſt.* 1. 25. Si Salmaſius ſcutulam idem eſſe, ac virgam dixiſſet, juſta eſſet Rubenii in eum cenſura. Sed ille virgata, & ſcutulata Gallorum ſagula eſſe dicta ait, quæ pluribus virgis, hoc eſt, viis purpureis, in longum, latumque poſitis, ſive tranſverſim, decuſſatimque ductis erant diſtincta, unde multæ in medio quadratæ notæ relinquebantur, quales in retibus, aut reticulatis operibus apparent. Non enim virgata, quod virgis in longum modo diſtincta, ſed in longum & latum, quæ ita intercurrentes ſcutulam reddebant; quæ quidem non erat perfecte quadrata, ſed, ut optime Turnebus, quadrata oblonga, qualis in retibus. Unde maculas retium virgatam figuram efficere tradit Pollux, ſi extendatur rete, nempe ex virgis diſcurrentibus, & interſecantibus, ſcutulatam Ita eodem Salmaſio teſte Dionyſ. 11. p. 129. ῥαβδοειδῆ θυρεὸν vocat ſcutum quadrangulum, & oblongum, quales erant peltæ Thracicæ. Et ideo hujuſmodi quadras ῥαβδοειδεῖς figuras, in veſtibus Gallorum vocavit Diodor. v. p. 213. A. πλινθία, id eſt, ut ex Scaligero in Varronem notat Salmaſius, lateris, vel laterculi figura. Quod autem Rubenius ait, ſcutulas veteribus dictas omne id quod rhombi figuram habebat, nihil novi affert: id enim Salmaſ. in Vopiſc. ad Carin. ante docuerat. Subjicit enim: Tales erant & rhombi, quos veſtibus ſuis intextos gerebant Epheſii, de quorum luxu ita ſcribit Democritus Epheſius apud Athen. xii. *Veſtimenta, quæ rhombis, & figuris diſtincta erant, & virgata, qualia Gallorum ſagula.* Cæterum, ſi ſcutula eſt a ſcutra, & hæc a χύτρα, id eſt, olla, quod eſt veriſimile, ſcutulæ rotundæ fuerunt, ut ollæ. Tales etiam apud nos rotundæ lances appellantur ſcutellæ, & omnes eſcariæ patinæ ferme rotundæ ſunt; atque ideo recte Salmaſius, non poſſe ab his ſcutulatum rete, & ſcutulatas *veſtes* dici obſervat. Nam quod Iſid. xx. 4. parapſidem *quadrangulum & quadrilaterum vas* appellat, aut paropſis, ſive parapſis ſcutella non fuit; nam ſcutella, ut vox declarat, parvum vas ſignificat, aut, ſi fuit, cum paropſidem quidam catinum, quidam diſcum interpretentur, utrumque vas rotundum fuit, & ab eo ſcutulatæ *veſtes* dici non poſſunt. Si autem a ſcuto, quanquam id Salmaſius contra Turnebi opinionem modo negavit, ſcutulæ fuerunt figuræ quadratæ oblongæ, ut ſcuta; & ab his ſcutulæ *veſtium* dici potuerunt. Mihi tamen Salmaſii opinio magis arridet, ſcutulas potius a σκυτάλη, *virga* dictas, hoc eſt, a virgis ſe interſecantibus, & cancellatis, atque ita figuram quadram oblongam referentibus, quales retium maculæ, atque inde *veſtes* virgatas, & ſcutulatas. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 31.

Veſtis ſenatoria dicebatur latus clavus. Spartian. Caracal. c. 2. *Sub veſte ſenatoria loricam habens cum armatis militibus curiam ingreſſus eſt.* Hoc idem narrans in vita Getæ c. 6. ait: *Ipſe autem tantum timuit, ut loricam ſub lato habens clavo, etiam curiam ſit ingreſſus.* Non aliud ergo ſenatoria *veſtis* fuit quam latus clavus, ſive laticlavium. Ornatum ſenatorium, ſive ſimpliciter ornatum appellat Dio lxxiv. p. 840. A. *Nos* ſenatores ἐν κόσμῳ *aderamus.* Appianus, & reliqui Græci ϛολὴν βȣλευτικήν. *Ferrar. de Re Veſt.* 1. 3. 12.

Veſtis ſerica. V. illam ſupr. in *Sericum.* Olim dicebatur medica. V. ſupr. in *Veſtis medica.*

Veſtis ſorriculata legitur apud Plin. viii. 48. *Inde ſorriculata defluxit.* Quæ quid ſit, diu multumque quæſitum eſt. Plerique ſoriculatas & legunt, & edunt. Ego conſenſum archetyporum librorum plurimi faciendum arbitror, in quibus ſcribitur ſororiculatæ: ſed & in pervetuſto notarum antiquarum libro ſororeclatæ, quod idem eſt, legitur. Soriculatas autem interpretantur lino, ac ſparto condenſatas, & conſertas, a conſerendo orta voce, quaſi ſericulatæ ſint. Cui interpretationi non aſſentior, cum præſertim Plinius non de materia *veſtis*, ſed de texturæ genere loquatur: nam ut undulatæ *veſtes* apud eum ſunt, quarum textura undis imitatur: ſcutulæ ſcutulas: itidem raſæ & phryxianæ, ſed & rectæ de textura dicuntur: ſic & ſororiculatæ, quæ quidem perpetuis quibuſdam ſuris, & latioribus virgis regulatæ erant, & toto texendi genere confectæ: ut ſint tanquam ſuroriculatæ, a ſuro, cujus diminutio eſt ſurculus: niſi quis a ſura deducere malit. Quod ſi a reguli derivari non placet, certe a rica, & ricula deducatur. *Turneb. Adv.* xxiv. 19. *Ferrar. de Re veſt.* 1. 2. 11. *Dalechamp. in Plinium. Becman. de Origin.* p. 1028.

Veſtis ſubſerica; cujus ſtamen eſt ex ſerico, trama de lino. Habebat enim ſubtextum ſericum, & ſtamen dicebatur ſubtexi. *Bayf. de Re veſt. c.* 5. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurel. c.* 45. Scio de ſubſerico Dionem, Tacitum, & reliquos, qui ſerici meminerunt, capiendos doctis viris animadverſum, quod Heliogabalus dicatur apud Lamprid. c. 26. *Primus Romanorum ſericam veſtem induiſſe*, id eſt, *holoſericam, quam jam ſubſerica in uſu eſſent*, in qua ſtamen, ut dictum. Diſtinguit tamen ſericum a ſubſerico Lamprid. Alex. Sev. c. 40. *Veſtes ſericas ipſe raras habuit, holoſericas nunquam induit, ſubſericam nunquam donavit.* Niſi eandem veſtem modo ſericam, modo ſubſericam appellat, ut eam raro adhibuerit Alexander, aliis nunquam donaverit: ſed fuiſſe *veſtem* eam in uſu promiſcuo ſub Heliogabalo notaverat: quicquid ſit, magna ſerici hujus, ſive ſubſerici copia debuit eſſe, quæ theatro contegendo ſatis eſſet. Sed id verum ſericum, ſive holoſericum fuiſſe videtur indicare Dio xliii. p. 226. A. *Sericum, quo theatrum* Cæſar *velavit, fuit textura barbaricæ luxuriæ, ad ſupervacuum luxum Romanarum mulierum advecta.* Ferrar. de Re Veſt. 1. 1. 20.

Veſtis tragica. V. illam ſupr. in *Syrma.*

Veſtis triumphalis. V. illam ſupr. in *Toga palmata*, & *picta*, & in *Veſtis regia.*

Veſtis virgata legitur apud Virg. Æneid. viii. 660.

Virgatis lucent ſagulis.

Gallicum enim ſagum intexta purpura erit diſtinctum. Virgata ſunt Grammaticis tantum ea, quæ diſcoloribus tanquam currentibus regulis colorum & ductibus varia cernuntur. Qui etiam ajunt ad Gallorum reſpectum eſſe linguam, quibus purpura virgam ſignificat, ut virgata ſint purpurea. Ita Servius: *Sagula virgata, quæ habebant in virgarum morem deductas vias. Et bene, alluſit ad Gallicam linguam, per quam virga purpura dicitur. Virgatis ergo, ac ſi diceret purpuratis, quæ ſagula virgata etiam trabeata dicta ſunt.* Ferrar. de Re Veſt. 11. 3. 16. Rhodig. Antiq. Lect. xvi. 8. Ego intellectu ſimplici, ac Latino virgatum ῥαβδωτὸν ſignificare puto, quod virgas quaſdam in longum, aut latum varia ſerie, & colore porrectas habet, ut in concharum genere ſunt virgulatæ, id eſt, ῥαβδωταί. Val. Flacc. 11. 159. mulieribus Thracum virgatas *veſtes* tribuit:

—— *noſtroſque thoros virgata tenebit.*

Sed non intellexit purpureas; ſed barbarorum ritu diſcolores, & velut virgatis ſegmentis contextas. *Turneb. Adv.* 11. 14. *Alardus in Valerium. Cerda & Pontan. in Virgilium.* Servius læve illa explicavit. Verſicoloria appellaverunt Tacit. Hiſt. 11. 20. 2. *Quod verſicolore ſagulo togatos alloqueretur.* & Sidon. Epiſt. iv. 20. *Præter hæc veſtis verſicolor.* Ex Diodor. v. p. 213. A. patet fuiſſe in teſſellatam prope ſpeciem, interſtincta, & coloribus variegata, ut ſi quem retium plagas & maculas pictis tabellis explere, & ſolidare delectet, funiculi decuſſati virgarum

vicem ſiat, ſic futurarum viæ in ſegmentatis veſtimentis iſtis, quas ſi auratæ lineæ ad ornatum clauderent, omne enim Gallicum nomen auro apprime delectabatur, *veſtes* auro virgatæ dictæ, quod de Chrixo ſcripſit Silius IV. 155.

Auro virgatæ veſtes.

Velſer. Rer. Boicar. I. p. 8. Cujus interpretationem laudat & probat *Dauſquej. in Silium.* V. etiam ſupr. in *Veſtis ſcutulata.*

Veſtis virilis. V. illam ſupr. in *Toga virilis.*

Veſtis vitrea. V. illam ſupr. in *Toga vitrea.*

Veſtis undulata. V. illam ſupr. in *Toga undulata.*

VESTISPLEX. V. illum ſupr. in *Veſtiplica.*

VESTITORES ſimulacrorum legimus apud Firmic. III. II. & 14. qui deorum ſimulacra veſtibus exornabant. Simulacra enim deorum in purpureis, & auratis veſtibus ornari ſolebant. Reponebantur multæ in Capitolino, & Palatino. Lactant. II. *His*, deos intelligit, *peplos & indumenta pretioſa, quibus uſus velaminis nullus eſt, his aurum, & argentum conſecrant.* Tertull. de Idolol. c. 18. *Ceterum purpura, vel cetera inſignia dignitatum, & poteſtatum inſitæ dignitati, & poteſtatibus idololatriæ ab initio dicata, habent profanationis ſuæ maculam: cum propterea ipſis etiam idolis induantur prætextæ, & trabeæ, & laticlavi, faſces quoque, & virgæ præferantur, & merito. Nam dæmonia magiſtratus ſunt ſeculi hujus unius collegii inſignia, faſces, & purpuras geſtant.* Ruben. de Re Veſt. I. 19.

VET.

VETERANI in Republica libera dicebantur, poſtquam viginti quinque ſtipendia explevisſent. Serv. Æneid. II. 157. *Militiæ tria* ſunt genera... *Plerumque dicuntur ſacramento rogati, qui poſt electionem in Rempublicam jurant: & hi ſunt qui habent plenam militiam: nam & viginti quinque annis tenentur.* In oppreſſa ſtipendiorum numerum mutavit Auguſtus, & reduxit in gratiam turbæ militaris ad viginti annos, quibus expletis cenſebantur *veterani.* Suidas: *Veteranus apud Romanos vocatur, qui militia liberatus eſt. Hi autem ad annos viginti militabant.* Tacit. Annal. I. 78. 3. *Imparem oneri Rempublicam, niſi viceſimo militiæ anno veterani dimitterentur.* Hæc in pedeſtri militia obtinuerant: equites vero dena duntaxat ſtipendia videntur feciſſe. Liv. XXVII. II. *Illis omnibus adempti equi, qui Cannenſium legionum equites in Sicilia erant, adjiciebatur acerbitati etiam tempus; ne præterita ſtipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, ſed dena ſtipendia equis privatis facerent.* Lipſ. in Taciti Annal. p. 14. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 987. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom. III. 10.

VETERATOR eſt ſervus, qui diuturna, & multiplici ſervitute aſtutus, & vafer evaſit. Feſtus: *Veteratores callidi dicti a multa rerum gerendarum vetuſtate. Caninus:*

Mulieri non aſtutæ facile veterator perſuaſit.

Terent. Andr. II. 6. 26.

— *quid hic vult veterator ſibi?*

Popm. de Oper. ſerv. p. 173. Bud. in Pandect. p. 190. D. Idem eſt, qui & veteranus, & non tam ſpatio ſerviendi, quam genere, cauſa, & conditione ſervitutis æſtimatur. Venul. I. 65. §. 2. ff. de edict. ædil. *Servus tam veterator, quam novitius dici poteſt: ſed veteratorem non tam ſpatio ſerviendi, quam genere, & cauſa æſtimandum Cælius ait: nam quicunque ex venalitio novitiorum emptus, alicui miniſterio præpoſitus ſit, ſtatim eum veteratorum numero eſſe: novitium autem non tyrocinio animi, ſed conditione ſervitutis intelligi.* Popm. ibid. p. 174.

VETERINARIUS eſt, qui quocunque modo bonam notitiam habet veterinorum, eaque ſcit probe curare. Colum. XI. I. *Nam & arator reperitur aliquis bonus, & optimus foſſor, aut fœni ſector, nec minus arborator, & vinitor, tum etiam veterinarius.* Quanquam fere alibi accipiat ſpecialiori notione pro jumentorum medico, nec jumentorum modo, ſed & pecoris cujuſlibet. Unde de boum quodam morbo, unde faſtidium eis oritur, agens VI. 8. *Vitioſa incrementa linguæ, quas ranas veterinarii vocant.* Et, ubi de morbis ovium VII. 5. *Ovem pulmonariam ſimiliter & ſuem curari convenit, inſerta per auriculam, quam veterinarii conſiliginem vocant.* Alias vocatur mulomedicus. V. ſupra. *Scheffer. de Re Vehic. I. 16. Bud. in Pandect. p. 271. K. Barthol. Auctar. c. 7. Pancirol. de Corpor. artif. §. 2. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 15. Schel. in Hyginum Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1050. C. Voſſ. Lex. Etymol.*

VETERINUM vocatur jumentum, quod qualiacunque vehit onera. Nam Cato generaliter exponit apud Feſtum. Feſtus ita dicit: *Veterinam beſtiam jumentum Cato appellavit a vehendo.* Paullo quidem aliter Opilius eodem loco: *Opilius veterinam dici putat, quaſi venterinam, vel uterinam, quod ad ventrem onus religatum gerat.* Loquitur haud dubie Opilius de jumentis, non vehiculariis, ſed clitellariis. Solebat enim onus impoſitum clitellis religari uno fune ad ventrem, altero ad uterum, ſive imam ventris partem, ſicut hodieque receptum eſt in mulis clitellariis. Sic *veterina* beſtia non erit curilis, aut jugata. Verum latius interpretatur Cato, & invenias apud Philoxenum, *veterina beſtia*, ὑποζύγιον, quod proprie ſignificat eam, quæ ſub jugum mittitur, hoc eſt, vehiculo adjungitur. Juvat quoque Plin. XVII. 23. quando de ipſis: *Namque ut veterina a jugo volutatio juvat.* Nam volutatio a jugo eſt, qua ſe volvunt in pulvere, poſtquam liberata ſunt a jugo. Non autem liberata a jugo intelliguntur, niſi quæ prius ſub jugo fuerunt. *Scheffer. de Re Vehic. I. 17. Voſſ. Lex Etymol.*

VETO erat vox tribunitia. Liv. III. 13. *Appellati tribuni medio decreto jus auxilii ſui expediunt: in vincula conjici vetant.* VI. 35. V. illum ſupr. in *Formula interceſſionis.* Suet. Tib. c. 2. n. 10. *Ne vetare, aut intercedere fas cuiquam tribunorum eſſet.* Briſſon. de Form. III. p. 273. Lipſ. de Magiſtrat. Roman. c. 15. Manut. de Legib. Roman. c. 36.

VETTIA gens. } V. illas ſupr. in *Gens.*
VETURIA gens. }

Veturia tribus. V. illam ſupr. in *Tribus.*

VEX.

VEXILLARII vocabatur ſub *vexillo* veterani. Horum mentio apud Tacitum multis locis. Quod genus militum eſſent, dubitatum, imo plane ignorarunt Taciti commentatores. Lipſius exauctoratos milites fuiſſe tradit, & nondum plane miſſos, qui a legionibus diſcreti ſub *vexillo* retinebantur, donec deducerentur. Nuperus corrector, non fuiſſe veteranos *vexillarios*, ſed partem legionariorum, qui a legione ſua aberant. Nugæ. Ut in pauca conferam, *vexillarii* erant, quos triarios vocabant veteres, iique fere ex veteranis, qui ſub *vexillo* retinebantur. Nulla autem legio erat, quæ non haberet hoc veteranorum *vexillum.* Ideo cum *vexillum* legionis, aut *vexilla* legionum audis, de iſtis veteranis intelligere debes. Sexcenti autem in unaquaque legione, nunquam plus aut minus. *Salmaſ. in Vopiſc. Prob. c. 5. Firm. c. 4. de Milit. Roman. c.* 19. Apud antiquos ſimplex, & una honeſta miſſio: ab Auguſti ævo facta duplex: exauctoratio, & miſſio. Sic diſtinguendi auctor Tacit. Annal. I. 36. 4. *Placitum, ut epiſtolæ nomine Principis ſcriberentur, miſſionem dari vicena ſtipendia meritis; exauctorari, qui ſena dena feciſſent, ac retineri ſub vexillo, cæterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Exauctorationis ea vis, ut e. g. legio aliqua ſacramento ſolveretur, ſignis, aquilaque ademptis: non tamen dimitteretur protenus, ſed ſeorſim in exercitu ageret ſub uno aliquo *vexillo*, donec præmia ſolverentur, & agri. Interea immunis a labore, excubiis, vigiliis, & munere omni caſtrenſi eſſet: excepta pugna in hoſtem. At plenæ miſſionis effectus, ut ſtatim ab exercitu, caſtriſque domum, aut in colonias irent, præmiis acceptis. *Lipſ. in Tacit. Annal. I. n.* 106. Qui vere exiſtimat, exaucto-

auctoratos milites nondum plane missos fuisse, sed a legionibus discretos, & sub *vexillo* retentos, donec deducerentur, eosque alio nomine, sive *veteranos*, sive *vexillarios* dictos: utraque enim vox apud Tacitum legitur. Et mirum videri debet, Salmasium hæc tam libere, & confidenter in Commentatores in Tacitum pronunciasse. Ex ejus sententia quæ consequantur, curæ pretium est expendere. Primum citra controversiam est, istos *vexillarios* missos fuisse, sive exauctoratos. Tacit. Annal. I. 17. 3. *Ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed sub vexillo retentos, alio vocabulo eosdem labores tolerare.* Si *vexillarii* dimissi, sive exauctorati erant legionis triarii, sequitur, cujusque legionis triarios exauctoratos fuisse, ac sacramento solutos, & quidem legitimo numero sexcentos. Quod ne cogitandum quidem est. Nec ullus veterum, qui Romanas acies, ordinemque militiæ exsequuti sunt, hoc posuit. Liv. VIII. 8. vocat *veteranum militem spectatæ virtutis*, non autem omnes veterani exauctorati erant. Neque id fieri poterat. Cum enim legiones novæ conscriberentur, & quidem repentino delectu, unde isti triarii exauctorati sumebantur? Nam alia militia perfuncti, & dimissi, rursusque conscripti, non exauctorati, sed evocati dicebantur. Præterea, si hoc *vexillum*, sub quo, & unde *vexillarii* dicti, fuit proprium triariorum, & quidem in ipsa legione, quæreretur, an idem fuerit cum *vexillis*, sive signis cohortium: nam si idem, non unum tantum fuisset, cum unaquæque cohors suum signum, sive *vexillum* haberet, & sic tria *vexilla* triariorum fuerint necesse est, cum tres in una legione eorum cohortes essent; diversum autem fuisse, & qua ratione a cæteris distingueretur, nullus veterum tradidit, aut recentiorum. Sed quid attinet conjecturis agere? Hos *vexillarios* post exauctorationem a legionariis distinctos, divulsos, & separatos fuisse manifeste convincunt verba Tacit. c. 39. n. 1. *Legati ab senatu regressum apud aram Ubiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones, prima, & vigesima, veteranique nuper missi, sub vexillo hiemabant.* Si enim veterani illi pars legionum fuerunt, ut vere erant triarii, quid opus fuerat eorum mentionem facere: satis enim, totum ponere, ut pars intelligeretur. Alioquin etiam potuisset dicere: duæ legiones hiemabant: item hastati, ac principes; non minus enim hi legionis pars ac triarii. Quia ergo divisi, ac separati, & non sub aquila. *Veterani*, inquit Tacitus, *nuper missi, sub vexillo.* Nihil profecto his verbis clarius. Narrat idem c. 44. n. 1. seditiosas legiones, pœnitentia ductas pœnas in se depoposcisse, & sponte seditiosissimum quemque ab iisdem punitum. Et subjicit n. 6 *Secuti exemplum veterani*, id est, *vexillarii ad exemplum legionum seditiosos punierunt*, quod etiam frustra dictum esset, si pars earum fuissent. Additque, eosdem *veteranos haud multo post in Rhætiam missos, specie defendendæ provinciæ ob imminentes Suevos; cæterum ut avellerentur castris, trucibus adhuc, non minus asperitate remedii quam sceleris memoria.* Quod si triarii fuissent, singulæ legiones mutilæ factæ essent, & debiles, validissimis membris abruptis, & robore triariorum abducto: idem dicendum de *vexillariis*, qui apud Chaucos seditionem cœperint. Nam cum in superiori exercitu Germanicus quatuor legiones sacramento adegisset, tradit Tacit. c. 38. n. 1. cœptasse in castris seditionem *præsidium agitantes vexillarios discordium legionum*, qui quoniam separati degebant, omniumque erant immunes, præterquam propulsandi hostis. Ita III. 21. 2. veteranorum *vexillum* seorsim a legionibus Tacfarinatis copias profligat. *Tantumque*, inquit, *severitate profectum, ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias fuderint.* Hæc omnia cogunt, vel nolentes, credere, *vexillarios* fuisse separatos, ac sub diverso, & peculiari *vexillo* egisse, ita tamen ut in acie sequerentur eam legionem, unde dimissi fuerant: & ideo a Tacito, atque aliis dicitur *vexillum primæ legionis*, item *vexillarii nonæ, vexillarii vicesimæ.* Neque multum nos movere debent verba Liv. VIII. 8. quels comprobari posse putant, cum triariis *vexillarios* eosdem fuisse: *Scribebantur autem quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulis legionibus trecenis: alterum tantum ex Latino delectu adjiciebatur, qui ea tempestate hostes erant Romanis, eodemque ordine instruxerant aciem: nec vexilla cum vexillis tantum, universi hastati cum hastatis, principes cum principibus; sed centurio quoque cum centurione, si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebat.* En, ajunt, *vexilla* pro triariis a Livio ponuntur. Quod si concedimus, etiam triarii ante hastatos, & principes pugnarunt, talis enim ibi ordo statuitur. Vel ergo *vexilla* ibi de velitibus, & rorariis, quique in prima fronte pugnabant, si modo sub *vexillo* fuerunt, vel potius de signis cohortium, quod eadem in utraque acie essent, ut sit, quod ait Lucan. I. 6.

— *infestisque obvia signis,*

Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Triarii autem omissi, quod raro pugnarent, tum scilicet, cum hastati, ac principes pulsi cederent, tuncque ipsi hostem propulsarent. Quod si *vexilla* pro triariis accipiamus, nulli sane ea tempestate *vexillarii*, qui exauctorati tenerentur suo *vexillo*: id enim sub Augusto, aut paullo ante excogitatum credideris, & ideo tanquam rem novam retulit Tacitus. Quidquid sit de Livii mente, *vexillarios* non fuisse eosdem cum triariis ex dictis facile apparet. Locus Hygini in Gromatico nostram potius sententiam confirmat. *Vexillarii*, inquit, *legionum eandem pedaturam debent accipere, quam cohortes legionariæ, quo ad quingenti homines computentur.* Aperte *vexillarios* a legionariis discernit: triarii siquidem in legione, & quidem per cohortes. *Vexillarii* ergo, qui eandem pedaturam, quam cohortes legionariæ accipiebant ab ipsis cohortibus separati. Si quis vero quærat, quodnam fuerit hoc *vexillum*, sub quo veterani, haud facile mihi fuerit expedire. Conjectura tamen ducor, ut credam forma non absimile *vexillis* cohortium fuisse, licet magnitudine præstaret. Nam signa cohortium *vexilla* dicta fuisse notum est. Tacit. Annal. I. 20. I. *Manipuli Nauportum missi vexilla convellunt.* c. 34. n. 4. *Discedere in manipulos jubet, vexilla præferri, ut id saltem discerneret cohortes.* Horum instar fuisse *vexillum* illud suspicamur. Hastile nempe oblongum, cujus summitati transversa antennula illigata, velum, sive supparum sustinebat; & quemadmodum in signis cohortium velum suspensum numerum suæ cohortis ferme inscriptum habebat, *cohors* I. II. X. ita & in hoc inscriptum fuisse *vexillum legionis primæ, secundæ, tertiæ.* Sed tantum licet suspicari. Ferrar. Elect. I. 3. Schol. in Hygin. Thes. Ant Rom. Græv. Tom. X. p. 1051. D.

VEXILLUM a cantabro quomodo differat V. supr. in *Cantabrum.* Erat quadratum, auro, & purpura contextum, quod longo conto suspensum circa Principem ferebatur. Cedrenus. *Vexillationes Romani equites appellantur, & vexilla, vela purpurea, & auro quadrata forma facta. Hæc longis hastis suspendentes, circum Principem gestant, & eum protegunt.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient: c. 33. Rer. deperd. & inv. p. 562. Laz. Comm. Reip. Rom VII. 5. La Chausse de Signis Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1530. A. Tota erant purpurea, vel russea, ideo flamulæ dicebantur, quod colore flammeo essent: nam flammeum, & flammulum, ut russeum, & russulum. Veget. II. 1. V. illum supr. in *Flamula.* Capitol. Gordian. c. 8. *Sublata de vexillis purpura Imperatores eos dicemus.* Cum scilicet in promptu non esset alia purpura quam *vexillorum.* Atque hinc patet tota ex purpura fuisse: nam si ad ornatum tantum aliquid purpuræ habuissent intextum, qui sufficere id potuisset velandis humeris Imperatoris? *Salmas. in Vopisc. Prob. c. 5.* Principis nomen, & forte imago depicta in illis spectabatur. V. supr. in *Imperator.* Stante Republica in *vexillis* animalia pingebantur. Quinta legio Cæsaris elephantem depinxit. Appian. de Bell. civ. II. p. 88. *Cæsariani in tantum receperunt animos, ut quintani elephantis se opponi deposcerent, eoque impetrato egregie vincerent: unde hodieque ejus legionis elephantes sunt insignia.* Constantinus signum crucis, quod in cœlo viderat, in militaria *vexilla* transtulit. V. supr. in *Labarum.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 33.

c. 33. Laz. l. l. Lipſ. de Milit. Roman. IV. dial. 5. & in Tacitum. Roa Singul. I. I. Buleng. de Imperat. Roman. II. 12. Tomaſ. de Donar. c. 21. Nonn. in Goltz. Jul. Cæſar. numiſm. p. 72. Nicol. de Sigl. vet. c. 26. §. 6 Thyſ. Rom. Illuſtr. IV. p. 93. Fuerunt tam peditum, quam equitum. Veget. II. 14. *Ut enim centum, & decem pedites ab uno centurione ſub uno vexillo gubernantur, ſimiliter duo & triginta equites ab uno decurione ſub uno vexillo reguntur.* Cum tamen alio non adjecto nomine nominatur *vexillum*, intelligitur equitum. Cedrenus: *Vexillationes Romani equites appellant.*. Veget. II. I. quoque equitum alas *vexillationes* vocari affirmat. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Tom.* III. *p.* 391. *C. Notit. dignit. l. l.* Imo *vexilla* proprie tribuuntur cohortibus, quamvis *vexillum* ſit pedeſtre centuriæ, & cohortis ſignum. Unde *vexillarii* dicti cohortes aut veteranorum, aut emeritorum, quæ a legionibus ſuis erant abductæ, & aliis adjunctæ, aut etiam militum ſuoſignanorum, qui a legione ſua erant avulſi, & alicubi in præſidio collocati, quod ſub uno *vexillo* eſſent. Non nego tamen *vexillum* tribui quoque aliis equitum auxiliariorum, de quibus forte conſcriptis ad tuendam Urbem & Imperatorem apud Victorem *vexilla communia* ſunt intelligenda, qui ſtationem habuerint, ubi eorum *vexilla* ſervabantur. *Græv. ibid. Proleg.* * * 4. Loco caſtris capto *vexillum* album defigebatur eo loco, ubi prætorium ponendum erat, quod quidem intelligendum eſt de ejus centro. Ab hoc *vexillo* deinde dimetiebantur quaquaverſus centum pedes, ita ut impleretur menſura quatuor plethrorum. Secundum ſtatuebatur in fine centum pedum illius lateris, quo frontem prætorii fronti caſtrorum, ſive vallo obverſam ſpectare volebant. E regione hujus loco eo, ubi locanda erant tentoria tribunorum, erigebatur aliud, quinquaginta pedes a priore remotum. Inde, relicto centum pedum intervallo, aliud ſtatuebatur, ad lineam rectam prioribus reſpondens, in principio metaturæ legionum, ſive in medio iſtius ſpatii, a quo initium capiebat via, inter equites utriusque legionis interjecta.. Atque hæc *vexilla*, quorum tria erant puniçea, unum vero album, ad lineam rectam poſita fuiſſe dicendum eſt. Ad latera deinde *vexilli* hujus albi, & a tergo, ubi legati, quæſtor, ablecti, evoçati, & extraordinarii metatori erant, defigebantur vel haſtæ nudæ, vel *vexilla* aliorum colorum quam albi, & rubri. Polyb. VI. 39. *His brevi tempore expeditis, vexillum defigere ſolent, unum, & primum quidem eo loco, ubi prætorium eſt ponendum: alterum in electo latere: tertium in medio ejus lineæ, ad quam tribuni tendunt: quartum in ea, ad quam legiones metantur. Et cætera quidem punicea ſtatuunt: at Imperatorium vexillum eſt album. In lateribus, modo nudas haſtas defigunt, modo vexilla ex aliis coloribus.* Patric. Rei milit. Rom. part. XIV. ſect. 2.

Vexilla communia duo Romæ. *Victor.* Communia forte dicuntur, quia inter ſe non differebant, iisque uterque ordo promiſcue utebatur. *Pancirol. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 391. *C.*

Vexilla equitum olim fuerunt propria. Hinc *vexillarii*. Et erant hæc vela quædam quadra expanſa ad haſtam; ſed vela modica, ut in monumentis comparent. Noſtra ætas retinet in equitum bandis, etſi forma paulum diverſa. Propius accedunt templorum *vexilla*, quæ in luſtratione, & proceſſibus anteferuntur. Hinc *vexillatio* de ipſis equitibus, aut eorum ala, crebrum poſteris verbum. Vegetius. V. illum ſupr. in *Flamulæ*. Lipſ. de Milit. Roman. IV. dial. 5. Thyſ. Rom. Illuſtr. IV. p. 92.

Vexilla pura interpretantur ſine purpura. Sed interpretamentum non placet. Nam tota purpurea fuerunt, vel ruſſea. V. ſupr. in *Vexilla.* Dicuntur vero pura, quæ ſine argento, vel auro, & pura ad differentiam argentatorum dicuntur. In ſignis, & *vexillis* militaribus aurum, & argentum intexi ſolebat. Plin. XXXIII. 3. *Præcipuam gratiam huic materiæ fuiſſe arbitror, non colore, qui in argento clarior eſt, magis dieique ſimilis, & ideo militaribus ſignis familiarior.* Salmaſ. in Vopiſc. Prob. c. 5. Zimmerman Floril. Philol. p. 767. Sic inſignita pro præmio dabantur militibus. Vopiſc. l. l. *Publice in concione donatus eſt vexillis puris quatuor.* Inſcriptio vetus:

. : . . . . CUI
OB. VIRTUTEM. SUAM. SACRA
TISSIMI. IMPER. CORONAM.
MURALEM. HASTAM. PURAM.
ET. VEXILLUM. ARGENTO.
INSIGNE. DEDERUNT.

Robortell. de Commod. milit. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. *p.* 1480. *E.. Salmaſ. l. l. Lipſ. de Milit. Roman.* v. *dial.* 17. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* v. *p.* 147. *Zimmerman l. l.*

VIA.

VIÆ priſcorum Quiritium non ſunt nobis prætereundæ. In illis majeſtas imperii non parum relucebat. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. §. 5. Quomodo differant ab actu, & itinere. V. ſupr. in *Iter.* De illorum differentia epiſtolam ſatis longam ad Carolum Annibalem Fabrorum Anteceſſorem Aqui-Sextienſem ſcripſit Menagius, illamque exhibet *Amœn. jur. civil. c.* 36. Illas rectas ſine prolixioribus anfractibus per orbem Romanum perducere ſolebant. Hoc olim C. Gracchum inſtituiſſe teſtatur Plutarch. p. 837. E. *In viarum refectione præcipuam adhibuit ſolertiam, cum utilitatis, tum pulcritudinis, venuſtatisque rationem habens. Ducebantur eæ rectæ per regiones, & partim lapide ad hoc cæſo, & dolato, partim congeſtis arenarum cumulis inſternebantur: cavitates implebantur: quæ convallibus, aut torrentibus interrumperentur, pontibus jungebantur; & ab utraque parte eandem nactæ altitudinem, ſpectatu admodum pulcræ erant. Porro ſingula milliaria, dimenſa diligenter, lapideis columnis diſtinxit.* Fabrett. de Aquæduct. Diſſ. II. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1781. Co Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 23. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 235. E. Illarum *quædam publicæ ſunt, quædam privatæ, quædam vicinales. Publicas vias dicimus, quas Græci βασιλικὰς, noſtri prætorias, alii conſulares vias appellant. Privatæ ſunt, quas agrarias quidam dicunt. Vicinales ſunt viæ in vicinia, vel quæ in vicos ducunt: has quoque publicas eſſe quidam dicunt, quod ita verum eſt, ſi non ex collatione privatorum hoc iter inſtitutum eſt: aliter atque ſi ex collatione bonorum privatorum reficiatur. Privatæ viæ dupliciter accipi poſſunt: vel hæ, quæ ſunt in agris, quibus impoſita eſt ſervitus, ut ad agrum alterius ducant; vel hæ, quæ ad agros ducunt, per quas omnibus permeare liceat, in quas exitur de via conſulari.* Ulpian. l. 22. & 23. ff. ne quid in loc. publ. Qui ſcribit l. 1. ff. de loc. & itiner. publ. *Inter vicinales vias, quæ ex agris privatorum collatis factæ ſunt, quarum memoria non extat, & cæteras vias militares,* ita enim conſulares appellat, *hoc intereſſe, quod viæ militares exitum ad mare, aut in urbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habeant; vicinales aut in militares vias exitum habent, aut ſine ullo exitu intermoriuntur.* Militaris *via*, & regia Theophilo appellatur quæ publica dicitur ab Juſtinian. l. item ſi putator Inſtit. IV. 3. Vicinalis autem, quæ in vicos ducit, quas κώμας Græce appellat. Juſtiniani verba, quæ ex ſupra ſcriptis optime intelliguntur, ſunt hæc: *Item ſi putator ex arbore dejecto ramo ſervum tuum tranſeuntem occiderit: ſi prope viam publicam, aut vicinalem id factum eſt, neque proclamavit, ut caſus evitari poſſit, culpæ reus eſt. Viæ* regiæ mentio fit apud Innocentium pontificem maximum c. qualiter & quando l. de accuſat. Lex XII. tabularum octo pedes latitudinis *viæ* dedit, quæ in porrectum duceretur, in nullam partem flectens. Quod ſi ita flecteretur, ut vehicula circumflecti oporteret, quod anfractum appellat, latitudinem duplicavit. Cajus l. 8. ff. de ſervit. præd. ruſt. *Viæ latitudo ex lege XII. tabularum in porrectum octo pedes habet: in anfractum, id eſt, ubi flexum eſt, ſedecim.* Paullus tamen l. 23. ff. tit. eod. ſcribit *poſſe viam conſtitui vel latiorem octo pedibus, vel anguſtiorem, ſi tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire poteſt.* Auguſt. ad Leg. XII. tab. §. 14. Ritterſh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 2. §. 3. Silice

ſtratæ

ſtratæ ſunt an. 580. Livius. V. illum ſupr. in *Margines.* Erat autem ſilex, non malleis, dolabrisque particulatim diffractus, & conciſus, uti hodie mos eſt, ſed craſſus, & in fronte latus binos, ternos, quaternosve pedes, multiplici fermè angulo perpolitus, ut aliis inæqualis craſſitudinis facile committeretur, nec ſe commiſſura laxaret. Quod cum antiquarum extra Urbem viarum reliquiæ demonſtrant, tum intra Urbem ad locanda fundamenta egeſto in altitudinem ſolo obſervavimus, refoſſis una grandibus, eoque ordine coagmentatis ſubterjacentium *viarum* ſilicibus. De his Juven. Sat. III. 270.

> — *feneſtris*
> *Vaſa cadunt, quanto percuſſum pondere ſignent,*
> *Et lædant ſilicem.*

Ammian. XIV. 6. *Per ampla ſpatia Urbis, ſubverſaque ſilices ſine periculi metu equos agitant.* Donat. de Urb. Rom. I. 23. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 23. Bergier. de viis milit. I. Sect. 8. §. 1. Sed quamvis eo lapide ſtratæ eſſent, quas M. Antoninum *diligentiſſime curaſſe* teſtatur Capitol. c. 11. nihilominus propter anguſtias, planitiem, multitudinem hominum, jumentorum, vehiculorum, cœnoſas, & lutulentas fuiſſe neceſſe eſt. Juven. Sat. III. 247.

> *Pinguia crura luto.*

Mart. VII. 60. 6.

> *Et prætor medio cogitur ire luto.*

V. 23. 6.

> *Et nunquam ſicco ſordida ſaxa gradu.*

Nec refragatur Horat. Epiſt. II. 2. 71.

> *Puræ ſunt plateæ, nihil ut meditantibus obſtet.*

Quo ſignificatur puras adeo, ac deterſas eſſe Romanorum *vias*, ut etiam poetis de carmine cogitantibus præbeant expeditum iter. Nam ille improprie locutus de *viis* (plateæ enim illis latiores areæ ſunt) negat id licere in ſequentibus. Ut quamvis alicubi id forte liceret, id tamen de reliquis, aut de omnibus dicere abſurdum eſt. Quod ex eo loco, & Juvenalis laudato quisque poteſt conjicere. *Donat. l. l.* Lapidibus diſtinguebantur, ut ex iis cuilibet innoteſceret, quantum itei perfeciſſet. Hi lapides literis pleni, ut viam viatoribus dicerent, item ſententiis inſignibus diſtincti, ut viatores meliores, lætioresque evaderent. Ex Novai. Sched. I. 23. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c. 23.* V. & ſupr. in *Columna milliaris, & Lapis.* Illis ſternendis, & reparandis qui præerat, curator *viarum* vocabatur. V. ſupr. in *Curator.* Qui hoc primi invenerint V. ſupr. in *Sternere.* In illis ſepulcra exſtruebantur. V. ſupr. in *Sepulcrum.*

Via Ælia, ab Ælio Hadriano facta, triumphali contigua. *Fabric. Deſcript. Urb. Rom. c. 5.*

Via Æmilia fuit quarta ordine. *Bergier. de Viis milit. I. Sect.* 8. §. 7. Novem militarium, quæ, ut rami ſuo ſtipiti, cohærent, & inſeruntur Flaminiæ, celebrior, antiquior, & cæteris longior eſt. Longitudine Flaminiam ipſam plurimum excedit, cui par eſt antiquitate, & celebritate. Flaminiæ eſſe æqualem ætate docet Strabo mox laudandus. Quod ad celebritatem attinet, eam inter celeberrimas addit Appiæ, & Flaminiæ in ſuis Antiquitatibus Urbis Romæ Andreas Palladius. Si longitudinem ſpectes, Arimino porrigitur Bononiam, & inde Aquilejam per urbes, vicos, mutationes, & manſiones, quas ordine recenſent Itinerar. p. 28. & Chart. Peutinger. ſegm. 2. & 3. Stravit hanc M. Æmilius M. F. Lepidus, qui pontifex maximus, iterum conſul, cenſor, & princeps ſenatus ſexies lectus fuit, in primo conſulatu, quem cum C. Flaminio ejus, qui ad Traſimenum cecidit, filio anno 567. geſſit. Strab. V. p. 150. *Eodem in conſulatu M. Lepidus, & C. Flaminius collegæ fuere, victores autem Ligurum, ſtravere, hic quidem Flaminiam e Roma per Tuſciam, & Umbriam uſque Ariminum. Alter reliquam porro uſque Bononiam, & ex ea in Aquilejam prope Alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere.* Illam Arimino tantum Placentiam videtur deducere Liv. XXIX. 2. *Pacatis Liguribus in agrum Gallicum exercitum duxit, viamque a Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.* Hujus & *viæ*, & ad eam fori Cornelii librum ſuum alloquens meminit Mart. III. 4. 1.

> *Romam vade, liber: ſi veneris unde, requiret,*
> *Æmiliæ dicas de regione viæ.*
> *Si quibus in terris, qua ſimus in urbe, rogabit,*
> *Corneli referas me licet eſſe foro.*

Hoc in loco non ſine cauſa poeta nominat Æmiliæ *viæ* regionem, cum ex XI. regionibus, in quas Auguſtus Imperator totam diviſit Italiam, binæ dictæ ſunt, altera Flaminia, altera Æmilia, a *viis*, quæ per eas ducebant, ſic cognominatæ. Illæ eadem nomina retinuerunt, cum ſub poſtremis Imperatoribus Italia in XVII. provincias divideretur, ut conſtat ex provinciarum Romanarum libello, adjecto Antonini itineribus per A. Schottum p. 122. *Bergier. ibid.* III. *Sect.* 22. §. 1. 2. 5. 6. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 23. *Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 240. *A. Rancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 58. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 24. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 17. §. 5. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 297.

Via Æmilia, quæ Scauri dicebatur, ſtrata eſt a M. Æmilio Scauro, qui conſul, cenſor, & princeps ſenatus fuit, de manubiis hoſtium. Triumphavit enim de Gantiſcis, & Liguribus, quos bello vicerat, & magnis cladibus afflictos in populi Romani ditionem redegerat. Strab. V. p. 150. *Is eſt Scaurus, qui viam Æmiliam ſtravit, quæ per Piſas, & Lunam uſque ad Sabbatos: indeque Derthonem ducit.* Panvin. Deſcript. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 262. A. Imper. Rom. c. 4. Pigh. Annal. Rom. III. p. 103.

Via Albana incipiebat a porta Cœlimontana. Hanc M. Meſſalla ſub Auguſto Cæſare ſuis impenſis refecit, ut docet Tibullus laudandus infr. in *Via Tuſculana.* Panvin. Deſcr. Urb Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 251. F. Bergier. de viis milit. III. Sect. 24. §. 6.

Via Amerina, cujus Auximas inſcriptio meminit infr. in *Via Caſſia.* ex *via* Flaminia diſcedebat, & Ameriam ducebat. *Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 242. *B. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 5. *Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 22. §. 9.

Via Annia vel Flaminiæ conjuncta fuit, vel ab ea incepit. Teſtatur ordo, quo hæ *viæ* referuntur in inſcriptione Auximate. V. illam infr. in *Via Caſſia. Curator viarum Clodiæ, Anniæ, Caſiæ, Ciminæ, trium Trajanarum, & Amerinæ.* Nam hac parte has omnes *vias* fuiſſe, præter Trajanas, conſtat. Idem quoque ſequenti antiqua marmorea inſcriptione confirmatur, quæ nunc in horto eccleſiæ cathedralis urbis Caſtellanæ in Faliſcis adhuc extat, non longe eo tranſlata:

HONORI
IMP. CÆSARIS. DIVI. F.
AUGUSTI. PONT. MAXIM
PATR. PATRIÆ. ET. MUNICIP.
MAGISTRI. AUGUSTALES
C. EGNATIUS. M. L. GLYCO
C. EGNATIUS. C. L. MUSICUS
C. JULIUS. CÆSAR. LISOCHRYSUS
Q. FLORINIUS. Q. L. PRINCEPS
VIAM. AUGUSTAM. AB. VIA
ANNIA. EXTRA. PORTAM. AD
CERERIS. SILICE. STERNENDAM
CURARUNT. PECUNIA. SUA
PRO. LUDIS

Panvin. Deſcr. Urb Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. *p.* 241. *D. Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 22. §. 9.

Via Appia deſcribitur a Procop. de Bell. Gothic. I. *Beliſarius via Latina exercitum duxit, Appia ad lævam dimiſſa. Hanc Appius Romanorum cenſor ante annos nongentos ſtruxerat, & a ſe dederat nomen. Longitudinem ejus quinque dierum ſpatio vir expeditus poſſit emetiri. Ab Urbe Roma Capuam pertinet, ea latitudine, ut duo currus ex adverſo* ob-

obvii libere queant pervadere, & commeare. Et est sane hæc via, præter cæteras spectabilis: siquidem Appius ex alia, & longinqua tunc, ut reor, regione excisos lapides, & hos quidem siliceos, ac suopte ingenio durissimos in hanc viam vehendos curavit. Quos planos deinde, ac leves redditos, & quadratos incisione factos junxit, & in ordine locavit, metalli nihil, vel alterius rei inserendo. Sunt tamen ita connexi, & valide inter se hærent, ut speciem visentibus præbeant, non conjunctos ita, sed congenitos esse. Et quamvis tot jam seculis atterantur assiduis plaustris, jumentisque: tamen neque serie sua vel minimum exeunt, & dimoventur, neque franguntur, aut levorem suum amittunt. Lips. de Magnit. Roman. III. 10. Bergier. de viis milit. II. Sect. 26. §. 5. Morest. Pomp. Feral. IV. 1. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 31. Catal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 12. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 300. Ejus auctor sine ullo dubio est celebris ille Appius Claudius Cæcus. Docent hoc tum Festus: *Appia via, & aqua ab Appio Claudio est appellata.* Frontinus: *Appia aqua inducta est ab Appio Claudio censore. Qui postea Cæco fuit cognomen, M. Valerio Maximo, & P. Decio Mure coss. anno vigesimo post initium belli Samnitici, qui & viam Appiam a porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit.* Tum inscriptio apud Gruter. p. 389. n. 4.

APPIUS. CLAUDIUS
C. F. CÆCUS
CENSOR. COS. BIS. DICT. INTER-
TEX. II. PR. II. ÆD. CUR. II. Q. TR.
MILIT. III. COMPLURA. OPPIDA.
DE. SAMNITIBUS. CEPIT. SABINO-
RUM. ET. TUSCORUM. EXERCI-
TUM. FUDIT. PACEM. FIERI. CUM.
PYRRHO. REGE. PROHIBUIT. IN.
CENSURA. VIAM. APPIAM. STRA-
VIT. ET. AQUAM. IN. URBEM. AD-
DUXIT. ÆDEM. BELLONÆ. FECIT.

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. *p.* 252. *D. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 386. *B. Bergier. ibid.* §. 4. *Aring. Rom. Subterr.* III. 9. 10. *Boissard. ibid. p.* 32. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 17. *Leand. Descript. Ital. p.* 181. Qui si illam stravit, quid est, quod dicit Livius laudatus supr. in *Margines.* Quomodo enim primi omnium Flaccus & Albinus censores? cum hi fuerint censores an. 580. at Appius aliquot ætatibus præcessit. Quid, quod Flaminia *via* diu ante strata, & sub bellum Punicum II.? An hoc Livius sensit, glarea tunc primum stratas? an potius primos locavisse? an deinde quæ ad censores junctim refert? *Lips. l. l.* Ait Procopius *Appium ante annos nongentos struxisse.* Sed huic numero quinquaginta anni sunt demendi, ut constet supputatio ab an 442. quo *via* primum facta, ad seculum Procopii. Pertinuit ab urbe Roma Capuam. Dicunt hoc & Procopius, & Frontinus jam laudati. Neque ulterius potuit, cum nec ulteriores tunc Romani fines. Quis autem longius, & Brundisium usque in obscuro est: munitam tamen constat. Ecce Strab. V. p. 161. facit *viam Appiam Terracinæ mare primum attingere, & Brundisium usque stratam esse.* Tacit. Annal. II. 30. 2. *Libo consultavit, an habiturus foret opes, quis viam Appiam Brundisium usque pecunia operiret.* Denique & Horat. Epist. I. 18. 20.

Brundisium melius Numici via ducat, an Appi?

Producta igitur: an a Julio Cæsare, quem scribit Plutarch. p. 709. E. *Appiæ curatorem factum, plurimum pecuniæ in eam impendisse?* An ab Augusto, qui plerasque omnes *vias* per Italiam ipse, aut per alios munivit? Nam Aurel. Vict. de Vir. Illustr. c. 34. n. 7. accedere non possum, qui *Appium viam Brundisium usque lapidibus stravisse scribit, unde illa Appia dicta.* Nam hoc sane certum, loca ea id ævi hostilia, aut aliena Romanis fuisse. Tota hæc longitudo est milliarium circiter 350. ne quis de *quinque diebus* Procopio dictam huc trahat. *Lips. l. l. & in Tacit. Annal.* II. *n.* 75. *Bergier. ibid.* §. 6. *Schott. in Victorem. Aring. Rom. Subterr.* III. 10. 5. *Casal. l. l.* Duas itaque habebat dotes, quod temporis ratione antiquissima esset, & straturæ omnium excellentissima; sic ut non sine causa cecinerit Stat. Sylv. II. 2. 11.

—— qua limine noto
Appia longarum teritur regina viarum.

Bergier. ibid. §. 3. Dicta est etiam Trajana. V. infr. in *Via Trajana.* In ea sepulti sunt Pomponius Atticus, Severus Imperator, Thessalus medicus. V. supr. in *Sepulcrum.* Ejus reliquiæ quædam monstrantur in *via* præcipue, qua itur Neapolim, prope Privernum, & Circæum promontorium. *Via* nova dicitur ea pars *viæ* Appiæ, quæ a thermis Antoninianis ducitur usque ad portam Capenam; propterea quod id totum spatium pavimento novo stratum est ab Antonino Caracalla, dum suas exstruxit thermas. *Schott. Urb. Rom. Descript. p.* 408.

Via Ardeatina ab Ardea, quo protendebatur, dicta est. Erat post Asinariam. Intra Urbem sub Aventino juxta thermas Antoninianas principium habebat. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 256. *C. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 387. *F. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Aring. Rom. subterr.* III. 10. 21. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 25. Sui vici rudera, non quidem ita certa, & copiosa, non contemnenda tamen ostendit eo in loco, ubi ab Appia, cum qua eo usque fere juncta processit, jam divertere incipit, in recenti *via*, quæ Appiam cum Ardeatina connectit sub Metellæ sepulcro. *Fabrett. de Aquæduct. Dissert.* III. *Thes. Ant. Rom.* Rom. Græv. Tom. III. p. 242. A.

Via Asinaria fuit inter Latinam, & Ardeatinam. Festus. V. illum supr. in *Retrices.* Quum autem Ardeatina esset inter viam Ostiensem, & Appiam, & post Appiam Latina, oportuit inter has Asinariam positam esse. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 256. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* 168. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 25.

Via Augusta fuit in Faliscis, non procul a Flaminia, & incidit in Anniam. Testatur inscriptio laudanda infr. in *Via Cassia.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Græv. Tom. III. p. 242. A.

Via Aurelia a tribunali Aurelio, vel a porta ejusdem nominis initium habuit, quæ tendebat per maritima Thusciæ Pisas versus, ab Aurelio viro consulari strata, & denominata. Hujus meminit Cicer. Catil. II. 4. *Aurelia via profectus est: si accelerare volent, ad vesperam consequentur.* Phil. XII. 9. *Tres viæ sunt ad Mutinam. . . . Tres ergo, ut dixi, viæ, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 28. Pancirol. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 387. D. Morestell. Pomp. Feral. IV. 5. Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 20. Cluver. Ital. Antiq. III. 2. §. 29. Bergier. de viis milit. III. Sect. 28. §. 2. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 260. D. Fabrett. de Aquis & Aquæd. Dissert. I. §. 93. Duæ fuerunt: vetus & nova. Utramque agnoscimus ex inscriptione apud Gruter. p. 457. VIARUM AURELIÆ VETERIS ET NOVÆ CURATORI. Fabrett. Panvin. & Bergier. l. l. Hæc & consularis dicta fuit, & ab instauratore Trajana. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. Sed hoc nullo adducto veteri testimonio scribi dicit Panvin. l. l. Posterioribus Romanorum seculis triumphalis, a porta Aurelia, sive triumphali nomen mutuata. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 17. §. 5. V. & supr. in *Porta Aurelia.* Vitellia etiam postea est dicta. V. infr. in *Via Vitellia.* In illa sepultus est Galba Imperator. V. supr. in *Sepulcrum.*

Via Ausonia. V. illam infr. in *Via Latina.*

Via Cæsarea, quo nomine in S. Remigii testamento dicitur, & quod nomen etiam primum habuit, ab Agrippa est facta. Pars ejus in Urbem prolato pomœrio transiit, nota hodie nomine Rue du Barbatre. Eo loci S. Remigius Ecclesiæ titulo S. Mauricii in *via* Cæsarea legavit solidos duos. *Bergier. de Viis milit.* II *Sect.* 40. §. 9.

Via Campana incepit a porta Cœlimontana, quod versus ortum in Campaniam duceret Italicam, quæ hodie vulgo dicitur terra di Lavoro, sic cognominata. *Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 24. §. 6. Hujus meminerunt Suet. Aug. c. 94. n. 12. *Ad quartum lapidem Campanæ viæ in nemore prandenti aquila panem ei e manu eripuit.* Et inscriptiones:

HUIC. MONUMENTO. ITUS. ADITUS
AMBITUS. DEBETUR. EX. SENTENTIA
EROTIS. AUG. L. JUDICIS. A. VIA
CAMPANA. PUBLICA.

Neapoli:

M. BASSÆO. M. F. PAL. AXIO
PATR. COL. CUR. R. P. II. VIR. MUNIF
PROC. AUG. OST. ET. CAMP.

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. *p.* 250. *D. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 14. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 34. *Bergier. l. l.* Mox in duas dividitur *vias*, quæ non multo post Latinæ junguntur. Quod per Campaniam transeat, nomen hoc habuit. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 387. *E. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 26. *Boissard. Topogr. Urb. Rom.* I. *p.* 36. *Faunus l. l.*

Via Cassia est alter *viæ* Flaminiæ ramus, adhæret Flaminiæ ad pontem Milvium super Tiberim ad alterum ab Urbe lapidem. *Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 22. §. 7. dicta est a Cassio, qui illam stravit. Festus: *Cassia via a Cassio strata.* Extra portam Flumentanam Sutrium, Vetrallam, Viterbiumque, & Vulsinios mittebat, cujus rudera quædam inter ipsa oppida adhuc extant. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 240. *F. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 388. *A. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 23. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* x. *Præfat.* * * 3. *Bergier. l. l.* C. Cassium hunc esse puto, quem cum M. Messala censorem fuisse Plin. VII. 25. memorat, præcipua enim sternendarum *viarum* cura erat censorum. *Pancirol. l. l.* Hujus, & aliquot aliarum *viarum* mentio est in hac antiqua Auximate inscriptione:

C. OPPIO. C. F. VEL. SABINO. JU-
LIO. NEPOTI. M. VIBIO. SOLLE-
MNI. SEVERO. COS. ADLECTO. A.
SACRATISSIMO. IMP. HADRIANO.
AUGUSTO. INTER. TRIBUNICIOS.
PR. PEREGR. CANDIDATO. AUG.
LEGATO. PROV. BÆTHICÆ. CUR.
VIARUM. CLODIÆ. ANNIÆ. CAS-
SIÆ. CIMINÆ. TRIUM. TRAJANA-
RUM. ET. AMERINÆ. . . . .

Panvin. ibid. p. 241. *A.*

Via Cimina Cassiæ, & Flaminiæ propinqua fuit, colles, lacusque Ciminos, haud procul a Viterbio sitos petens, a quibus & nomen accepit. Virg. Æneid. VII. 697.

Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

De ea quoque mentio est in Auximate inscriptione supr. in *Via Cassia*. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 242. A. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Bergier. de viis milit. III. Sect. 21. §. 9. In inscriptionibus semper legitur sine copula *Cassia Ciminia*, ut videantur concurrisse, & alicubi junctæ fuisse, ut quasi una *via* fuerit habita. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* x. *Præfat.* * * 3.

Via Claudia est tertius Flaminiæ ramus, a porta Flumentana incipiens Flaminiæ jungebatur. Ovid. Pont. I. 8. 43.

Nec quæ piniferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.

Quare constat ab uno ex gente Claudia ante Augustum stratam. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 387. *C. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 23. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 22. §. 8. Pro Claudia recte Clodia Sanvitanus. Per hanc *viam* iter Roma Lucam, Pistoriam, & Florentiam fiebat, ut ex Itinerario Antonini didicimus: hoc est per Apenninum; ut jam constet, quinam piniferi colles sint Ovidio, cum Apenninus pinum etiamnum frequentem ferat. *Heins. in Ovidium.* Non est vero credibile per Apenninum esse dictam, quæ, Antonino teste, per Arretium, Florentiam, ac Pistoriam ferebat Lucam. Vix etiam credidérim Ovidianos hortos tam longe Roma remotos fuisse, cum id genus delicias solerent Romani prope Urbem habere, ut eo facilius secederent, vel inde, quando liberet, Romam repeterent. Hic mos & ipsi erat Ovidio Trist. IV. 8. 25.

Tempus erat, nec me peregrinum ducere cœlum....
Sed modo, quos hos habui, vacuum secedere in hortos:
Nunc hominum visu rursus & Urbe frui.

Masson Ovid. vit. p. 82.

Via Collatina incipiebat a porta Collatina cognomine. In ipsa Urbe habebat verum initium: per illam namque portam vergebat versus forum Romanum, ad quam usque virginis ductum, & prope eam latam conjungebatur quasi Flaminiæ, quæ via lata utramque viam deferebat ad forum Romanum, ut videri potest apud Stephanum du Perac, qui Italica lingua vestigia Romanarum Antiquitatum investigavit. Inde itaque via Collatina porrigitur per portam cognominem in patentes campos, recta versus septentriones: & aliqua ab Urbe distantia occurrit *viæ* Salariæ, quæ a porta Collina oritur. Collatinæ meminit Frontin. de Aquæduct. ubi narrat, *Aquæ Alsietinæ Augustæ ramum proximæ viam Collatinam accipit fontem; item cum dicit, concipitur Virgo via Collatina ad milliarium octavum palustribus locis.* Bergier. de viis milit. III. Sect. 23. §. 2. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Leand. Descript. Ital. p. 182. Cluver. Ital. Ant. II. 9. §. 6. Ad lævam Prænestinæ Collatina erat ex Frontino n. 5. non quidem ut notat Holsteen. ad Cluver. p. 102. a Prænestina ad quintum lapidem incipiens, vel post templum di Torre Schiava, ubi recens divertigium; sed propriam servans ab Urbe Collatiam usque straturam, ut mea fide te pro nunc credere volo. Holstenius enim neque ejus ductum, neque ejus terminum observavit; si namque observasset, Collatiam, ut nos ad radicem illa del Castellaccio (quod vetus castrum Osæ, sive Losæ fuit, pluries in Bullario Casinensi in censum Ven. monasterii S. Paulli de Urbe relatum) non vero Gabios, milliario procul a *via* Prænestina, temere, inconstanterque insuper collocasset, ut fecit p. 199. Fuisse enim Gabios in ipsa *via*, tam Strabo, quam Dionysius relati a Cluver. p. 655. expresse probant. Corrigendus est autem, dum castellum D. Juliani ad Osam fluviolum esse credit, & pro nostro Osiæ castro accipit: nam verius S. Juliani pertinæ, nomenque, sesquimilliario circiter ultra, turris Castrum di Castiglione, Tibur versus, longius pone adhuc a Prænestina remanent. Ideo tamen nullus ad Collatinam vicus apparet, vel quia ad dictam vicum in Prænestina, cui ibi proxima est, pertinebat: vel quia non inter *vias* præcipuas, sed inter *viatria* computanda erat, tanquam solis pedibus octo, & unciis quatuor in latum patens, nec sollennem *viarum* consularium mensuram, ut plurimum pedum quatuordecim, & unciarum quatuor adæquans. Quapropter Plinius, in ostendenda aquæ virginis origine, quæ ad eam nascitur, Prænestinam, uti celebriorem, & vere militarem *viam*, & ab ejus octavo lapide diverticulum II. mill. pass. indicavit; quod tamen idem esse cum VIII. lapide *viæ* Collatinæ, de quo Frontinus 16. ex nostra charta videbis. Parum autem nostra hæc loca intellexerunt Fabricius & Bergierus, qui hanc *viam* extra portam ejusdem nominis Collatinam duxere, & post exiguum spatium in Salariam incidere dixerunt; totis duabus *viis*, Tiburtina, & Nomentana intermediis,

Fabrett. de Aquæduct. Dissert. III. §. 315. *Hennin. ad Bergierum.*

Via Cornelia, cujus situm sola conjectura divinamus, per has inscriptiones, quæ illam inter Aureliam, & triumphalem mediam faciunt. Prior, & altera sunt Romæ in duabus statuarum basibus, illa in hortis Cæsianis posita, hæc in palatio della Crepanica abjecta jacet. Illa est apud Gruter. 465. n. 5.

C. SALLIO. ARISTÆNETO. C. V. SEPTEMVIRO. EPULONUM SODALI. AUGUSTALI. JURIDICO PER. PICENUM. ET. APULIAM CURATORI. VIARUM. AURELIÆ CORNELIÆ. TRIUMPHALIS. . . .

Altera ibid. n. 6. huic per omnia similis, nisi quod decuriones, & plebs coloniæ Anconitanorum propter humanitatem, abstinentiam, efficaciam posuerint. Tertia extat Tibure, in æde D. Paulli, in basi:

C. POPILIO. C. F. QUIR. CARO PEDONI. COS. VII. VIRO. EPULON. SODALI. HADRIANALI. LEGATO IMP. CÆSARIS. ANTONINI. AUG PII. PROPR. GERMANIÆ. SUPER. ET. EXERCITUS. IN. EA. TENDENTIS. CURATOR OPER. PUBLICOR. PRÆP. ÆRAR. SATUR. CURATORI. VIAR. AURELIÆ. VETERIS. ET NOVÆ. CORNELIÆ. ET. TRIUMPHALIS. . . .

Bergier. de viis milit. III. *Sect.* 28. §. 7. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 261. *C.* Ex actis tamen martyrum colligitur *vias* Aureliam, Corneliam, & triumphalem eum in modum inter se esse nexas, ac dispositas, ut Aurelia inter triumphalem, & Corneliam medium teneret locum, Cornelia vero juxta portuensem *viam* consisteret, & S. Rufinæ, ac Silvæ candidæ episcopatum versus protenderetur. *Aring. Rom. Subterr.* II. II. 8.

Via Domitiana non est Appia a Domitiano Imperatore pristino decori restituta, & Domitiana ab eodem pariter nuncupata, ut nonnulli existimarunt, sed omnimode ab Appia sejuncta est, & Sinuessa Puteolos usque per Liternum ducebat, & tota ferme adhuc integra extat. Plurimum quidem urgere videtur, quod de Herculis templo, *via* olim Appia, octavo ab Urbe lapide sito commemorant, ubi statua Imperatori Domitiano erecta fuerat, qui altius delirando, Herculis ejusdem nomine usurpato sibi, insano olim gentilium ritu colebatur, ac si Appiam *viam* Domitianus straverit, quemadmodum olim Hercules, ac pari ratione, sicut jam ista Herculea dicebatur, sic ista Domitiana nuncupanda esset. De Herculis templo Mart. IX. 65. 1.

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus Latiæ dat nova templa viæ:
Qua Triviæ numerosa petit dum regna viator,
Octavum dominæ marmor ab Urbe legit.

IX. 67. 1.

Alcide Latio nunc agnoscende tonanti,
Postquam pulcra dei Cæsaris ora geris....

IX. 104. 1.

Appia, quam simili venerandus in Hercule Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ.

Verumenimvero præterquam quod nullam hic Martialis de Domitiano Imperatore mentionem facit, ac cæteris Augustis *viæ* hujus instauratoribus aptari cuncta valeant, ob statuæ illius dedicationem, quæ in Herculis templo peracta est Domitiano Imperatori, irrepsisse existimaverim immane illud; quo in præceps ferebatur, divinos videlicet honores insano mentis ambitu æmulandi desiderium. *Aring. Rom. Subterr.* III. 10. 6. *Bergier. de Viis milit.* I. *Sect.* 18. §. 5. *Viæ* Domitianæ in Campania Neapolim versus meminit Stat. Sylv. præfat. IV. *Tertio viam Domitianam miratus sum, quæ gravissimam arenarum moram exemit. Cujus beneficio tu quoque maturius epistolam meam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli scribo.* Eam in Appiam incidisse refert Sylv. IV. 3. 1.

Quis duri silicis, gravisque ferri
Immanis onus, æquori propinquum
Saxosæ latus Appiæ replevit?

Describit *viam* Domitianam. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 256. *A.*

Via Figulensis. V. illam infr. in *Via Nomentana.*

Via Flaminia a porta Flumentana habuit initium, a C. Flaminio in censura, quam cum L. Paullo an. 533. gessit, strata fuit. Liv. Epit. 20. *C. Flaminius censor viam Flaminiam munivit, & circum Flaminium exstruxit.* Festus: *Flaminius circus, & via Flaminia a Flaminio consule,* id est non cum cæderetur ab hoste, sed, cum hæc opera exstrueret, censore dicta sunt, *qui ab Annibale interfectus est ad lacum Trasimenum.* Opus hoc inceptum consummavit filius. Strabo. V. illum supr. in *Via Æmilia.* Hanc, *quo facilius undique Urbs adiretur, Arimino tenus muniendam sibi desumpsit* Augustus. Suet. c. 30. n. 3. Dio vero LIII. p. 511. D. *Flaminiam, quoniam ea ducturus erat exercitum, ipse procuravit.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 238. B. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p. 387. A. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 23. Lips. de Magnit. Roman. III. 10. Leand. Descript. Ital. p. 181. Bergier. de Viis milit. I. Sect. 8. §. 6. Morestell. Pomp. Feral. III. 3. Aring. Rom. Subterr. IV. 38. 3. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 17. §. 5. Demum S. Valentini, ab ejusdem martyris ecclesia, quæ hac *via* sita est, nomen quoque obtinuit. Verum hac nostra ætate communi omnium voce populi porta denominatur, quippe quæ frequentiori præ cæteris adeuntium pede atteritur, ac passim confluentium ore celebratur, per quam videlicet catervatim populus, ut ita dicam, in Urbem quotidie influit. *Aring. ibid.* §. 2. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. p.* 51. Ejus initium fuit finis *viæ* latæ, in ipso VII. regionis limite, ad aream Sciarram: desinebat autem ad urbem Ariminum. Facies ejus recto ordine a ponte Milvio usque ad macellum Corvorum tendentis, unamque cum lata *viam* constituentis, pervenusta, ac perbella fuit, ædificiis, & populi frequentia insignis, ac tantum non & ipsa triumphalis. Nam per hanc Vitellius sollenni pompa Urbem intravit, obvio ei senatu P. Q. R. quem introitum verbosius descripsit Tacit. Hist. II. 89. 1-4. Sed nemo melius Martiale eam depinxit, qui victoris Domitiani reditum describens ait X. 6.

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois, sideribusque ducem.
Quando erit illa dies, qua campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda via?
Quando eques, & picti tunica Niloide Mauri
Ibitis, & populi vox erit una, venit?

Ubi mihi arbores nemoris, quod post Mausoleum fuit Augusti, & *viæ* decus Flaminiæ, designari videntur. Campus vero ille fuit Martius, inter Citorium, & Mausoleum ad horologium solare late patens. Reliquum feminæ, & populi ad spectaculum intrantis Imperatoris concurrentis occupavit multitudo. Ad eundem modum triumphalem per eandem *viam* Honorii introitum describit Claudianus in sexto ejus consulatu: nec non Stiliconis in ejusdem laudibus. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 6. Fuisse sine interruptione continuam Roma Ariminum, urbem ad oram maris Hadriatici sitam, ad quam per Hetruscos & Umbros, qui hodie Toscani & Spoletini vocantur, ducebat, docet Strab. V. p. 150. V. illum supr. in *Via Æmilia.* & modo laudatos Suetonium & Dionem. Confirmatur id ipsum ex Antonini Itinerario, qui inter cætera itinera recenset

unum

unum Roma Ariminum, quod alia *via* non potuit esse quam Flaminia. Super hac *via* si distantiam Roma Ariminum velis nosse per Antonini Itinerarium, invenies M. P. ccxxii. sive leucas Francicas cxi. si per tabulam Peutingeri, invenies tantum M. P. cxciv. sive leucas Francicas xcvii. *Bergier. de Viis milit.* iii. *Sect.* 21. §. 7. 8. 9. In ea sepulti sunt Glaucias libertus Melioris, & Paris pantomimus. V. supr. in *Sepulcrum.*

Via Flavia est adhuc incerti situs. Dicta forsan ab auctore, aliquo ex Flaviis Imperatoribus: aut a vicinia templi gentis Flaviæ, aut alius Flaviani operis. *Hennin. ad Bergier. de Viis milit.* iii. *Sect.* 28. §. 8.

Via Fornicata fuit prope Flaminiam, ea parte qua steterunt ovilia. Hujus sæpe mentionem facit Livius. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Graev. Tom.* iii. *p.* 271. *C.* Per hanc ex Urbe in campum Martium descendebatur. Liv. xxii. 36. *Et in via fornicata, quæ ad campum erat, aliquot homines de cœlo tacti, exanimatique fuerunt.* Ad fontem hodie Trivii colitur templum S. Mariæ cognomento in Fornica, deducto fortassis a prisca *via* fornicata: ibi enim erat propior collibus. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 16. Sed fornices, arcusque aquæ virginis templo illi nomen dederunt. Vocula *erat* apud Livium *viam* illam veterem fuisse subindicat, quæ Livii ætate non amplius extiterit. Fornicata dicta fuit, vel a fornice alicujus cloacæ, qui ei in longitudinem subjectus fuit, vel ab aliqua porticu, partem ejus tegente. Idem Liv. xxxv. 10. laudatus supr. in *Porta fontinalis* viam videtur innuere, qua ex Urbe in utrumque campum Martium & minorem exibatur: videturque *qua in campos iter esset* eadem esse ratio loquendi, atque illa, *quæ ad campum erat.* Potuitque hæc porticus fornix esse, quæ *viam* ex parte tegens eidem nomen contulerit. Sic & Plin. xxxvi. 5. *Jovem fecit eburneum in Metelli æde, qua campus petitur.* Verum quoniam plures fuisse *vias* constat, quibus in campum egressus erat, fornicatam illic designari affirmare non ausim: ut nec, utrum de duobus Metelli templis, porticus latera cingentibus hic indicetur. Est itaque situs incerti. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 10.

Via Gabina, vel Gabiusa fuit dicta, quod per eam iretur ad Gabiorum oppidum, quod hodie Gallicani dicitur. *Bergier. de Viis milit.* iii. *Sect.* 23. §. 12. *Faunus Antiq. Urb. Fac.* i. 15. Gabiusa non satis Latine dici videtur. Livii locus in quo recte legatur Gabiusa, mihi nondum occurrit. *Hennin. ad Bergierum.* Exibat a porta Gabina. Victor eandem cum Tiburtina facit, quod ob loci vicinitatem aliquando fieri solet. Quod hac una demum ratione confirmatur, quia Gabios perducit. De illa Liv. v. 49. *Justiore altero deinde prælio ad octavum lapidem Gabina via, vincuntur.* ii. 11. *P. Valerius T. Herminium cum modicis copiis ad secundum lapidem Gabina via occultum considere jubet.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 247. C. Sunt tamen, qui putent esse diversas ab eadem porta oriundas. Gabina enim magis versus orientem vergebat, quam Tiburtina, & recta vergebat versus Prænestinam, secundum quam ager erat Gabiorum. Strab. v. p. 164. *Gabii sane extant in Prænestina via siti.* At Tiburtina ad sinistram pergebat, versus aquilonem, recto itinere ducens ad villas Tiburtinas: ut videri potest ex agri Romani descriptione edita per Petrum de Nobilibus, in qua separatim utraque *via*, & Tibur, & Gabii describuntur. *Bergier. l. l.* Hanc aliquando *P. Scaptius P. F. ornari ac refici sua impensa curavit.* Gruter. Inscript. p. 150. n. 8. *Hennin. l. l.*

Via Gallica, sive Gallicana refertur a P. Victore. Emittebat in Galliam Cisalpinam. Ejus situs ignoratur. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 262. *C. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 388. *B. Hennin. ad Bergier. de Viis milit.* iii. *Sect.* 28. §. 8.

Via Janiculensis a Janiculo in Etruriam tendebat. Victor. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 387. *F.*

Via Julia. Hanc longissime ad lineam juxta Tiberim directam aperuit Julius ii. Palatium in ea Julianum cum æde S. Blasii, geminaque turri extruere cœperat longe maximum: destinaveratque magistratibus, ut in eo jus dicerent, publicisque muneribus fungerentur. Eam porro *viam* fertur pontifex super pontem, quem a fluvio dejectum, eidem rursus cogitabat imponere, ad Vaticanam usque basilicam ducere voluisse. *Donat. de Urb. Rom.* iv. 9. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* i. 21.

Via Junia fuit in Sabinis. Dionys. i. p. 12. A. *Rursus stadiis octoginta via Junia eundi juxta Corium montem Cursula est nuper diruta.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 245. C. Bergier. de Viis milit. iii. Sect. 23. §. 8.

Via Labicana habuit initium a porta Esquilina. Strab. v. p. 163. *Porro in unum cadit Labicana, a porta Esquilina incipiens, a qua & Prænestina. A sinistra vero & hanc, & Esquilinum omittens campum, ultra centum & viginti stadia pergit. Cum autem Labico vetusto sane oppido, caeterum disjecto, & in sublimi sito propinquat, & hoc, & Tusculum relinquit a dextra, ad Pictas vero, & Latinam, rem accipit. Hic locus stadiorum ccx. procul distat Roma.* Nuncupatur, qui Labicum ducit, hodie vulgo Columna. *Schott. Urb. Rom. Descr. p.* 430. *Bergier. de Viis milit.* iii. *Sect.* 24. §. 3. *Henninius ad illum. Aring. Rom. Subterr.* iv. 8. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 26. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv.* v. 29. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. §. 5. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* i. *p* 44. In ea sepulti sunt Albinus puer, & Didius Julianus Imperator. V. supr. in *Sepulcrum.*

Via lata a macello Corvorum ad septa campi Martii extenditur. Vetus nomen retinet, & istis temporibus Romæ est pulcerrima. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 2. Itaque fuit olim arcubus triumphalibus Gordiani, Marci, & Veri, aliisque. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 9. §. 2.

Via Laticulensis est adhuc incerti situs. Eadem quæ Janiculensis teste Victore. A loco quodam ita dicta videtur. *Hennin. ad Bergier. de Viis milit.* iii. *Sect.* 28. §. 8.

Via Latina initium habet a porta ejusdem nominis, in Latinos populos ducens, quæ modo Latia, modo Ausonia dicitur a Martiale. V. illum supr. in *Via Domitiana.* De hac *via* mentio est in antiquo epigrammate:

L. ANNIO. FABIANO
III. VIRO. CAPITALI
TRIB. LEG. II. AUG
QUÆST. URB. TR. PLEB
PRÆTORI. CURATORI
VIÆ. LATINÆ. . . .

Describit illam Strab. v. p. 163. *Nobilissimæ viarum sunt Appia, Latina, & Valeria. Latina est media, quæ in Appiam incidit ad Casilinum urbem, distantem a Capua novendecim stadiis: incipit a via Appia ad sinistram ab ea prope Romam deflectens, ac supra montem Tusculanum transit inter Tusculum urbem, ac montem Albanum, descendit ad Algidum oppidum, & Pictas diversoria.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p. 251. B. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 27. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 17. §. 5. Aring. Rom. Subterran. iv. 1. 2. Bergier. de Viis milit. iii. Sect. 15. §. 2. & 4. In ea sepulti sunt Domitianus Imperator, & Sempronius Tuditanus. V. supr. in *Sepulcrum.*

Via Laurentina prope Aventinum incipiebat, Laurentum usque, a quo nomen accepit, deducta. De hac Ovid. Fast. ii. 679.

Est via, quæ populum Laurentes ducit ad agros.

Gellius inter Ardeatinam, & Ostiensem ponit, Laurentinamque, & Ostiensem tanquam propinquas inter se videtur conjungere. Propinquas Latinam, & Ostiensem innuit Plin. Epist. ii. 17. 2. *Aditur Laurentinum non una via: nam & Laurentina, & Ostiensis eodem ferunt, sed Laurentina a quarto decimo lapide, Ostiensis ab undecimo relinquenda est.* Bergier. de Viis milit. iii. Sect. 26. §. 2. Panvin.

Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 256. C. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 5. Locus Gellii est X. 2. ubi narrat, *in via Laurentina esse monumentum factum, jussu Augusti, ancillæ illi Augusti, quæ in agro Laurente peperit uno partu quinque pueros; numerum puerperii* scriptum esse in eo *monumento*. Vides his mentionem fieri *viæ Laurentinæ*, at nihil de ejus illo situ. *Hennin. ad Bergierum.*

Via Mamertina olim appellata, aut eadem, cui nunc clivo Marforii nomen, aut si alia, certe huic vicina, forte a proximo templo, foroque Martis, memoratur ab Anastasio pontifice: *Hic fecit basilicam, quæ dicitur Crescentiana, in regione secunda, via Mamertina, in urbe Roma.* Nardin. Rom. Vet. V. 8. Hennin. in Bergier. de Viis milit. III. Sect. 28. §. 8.

Via Nomentana incipit a porta Viminali, & porrigitur versus aquilonem usque ad Nomentum urbem Sabinorum in veteri Latio. Albanorum Reges Nomentum iter quondam dirigendo *viam* hanc stravere, ut Serv. Æneid. VI. 773. Ovid. Fast. IV. 903. hujus *viæ* meminit:

Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.

Olim appellabatur Figulensis, quod in ea antiquis temporibus figulorum officinæ subsisterent. Liv. III. 52. *Via Nomentana, cui tum Ficulensi nomen fuit, profecti, castra in monte sacro locavere.* Victor: *Nomentana, vel Figulensis, alias Ficulnensis.* Aring. Rom. Subterr. IV. 19. I. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 386. F. Marlian. Togogr. Urb. Rom. V. 25. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Bergier. de Viis milit. III. Sect. 23. §. 10. Faunus Antiq. Urb. Rom. I. 10. Fabrett. in Frontin. de Aqued. Dissert. III. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1767. C.

Via Numicia fuit Appiæ vicina testimonio Horatii laudati in *via Appia* a victore Numicio dicta, per quam iter quoque Roma Brundisium fieri poterat. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 255. *F. Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 25. §. 7. Minucia legendum etiam apud Horat. Epist. I. 18. 20. modo laudatum in *via Appia*. Facilis ex uniformi literarum ductu ἐκ τοῦ *Minuci* fuit depravatio in τὸ *Numici*. Sic legit diserte in Horatio antiquus Scholiastes Cruquius, quam lectionem in sua editione secutus est J. Cruquius. Disertis verbis hujus *viæ* meminit Cicer. ad Attic. IX. 6. ubi ex Balbi literis Attico narrat, *cohortes sex, quæ Albæ fuissent, ad Curium via Minucia transisse.* Dacerius ad Horatium hujus *viæ* auctorem facit Minucium Augurinum, qui Sp. Mælii consilia regnum agitantis ad senatum retulit, ideo bove aurato a populo donatus apud Liv. IV. 16. Sed nos diu post circa annum 460. sedecim fere annis post *viam* Appiam munitam, hanc *viam* Minuciam putamus factam, & dictam a Tib. Minucio consule, qui eo anno de Samnitibus triumphavit, teste Liv. IX. 44. *Hennin. ad Bergierum.*

Via nova antiquior initium habuit a foro Romano. Ovid. Fast. VI. 395.

Forte revertebar festis Vestalibus illac,
Qua nova Romano nunc via juncta foro est.

Velabrum versus producebatur. Varr. de Ling. Lat. V. 3. V. illum supr. in *Porta Romanula.* Fuisse sub palatio innuere videtur Liv. I. 41. *Ex superiore parte ædium per fenestras in novam viam versas (habitabat enim Rex ad Jovis Statoris) populum Tanaquil alloquitur.* Sed cum ibidem vicus Tuscus fuerit positus, & nemo tradat *viam* novam in eo stetisse, opinamur per mediam vallem fuisse deductam: ex eo quod Liv. V. 50. commemorat *templum Ajo in nova via factum* supra ædem Vestæ. Nisi mavis eundem vicum, & Tuscum, & novam *viam* appellatum fuisse. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 13. *Fabric. Descr. Urb. Rom c.* 5. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 270. *F. Schott. in Aurel. Vict. Cæs. c.* 21. *n.* 4. Cicer. de Divin. I. 41. *Multo ante Urbem captam exaudita vox est a luco Vestæ, qui a palatii radice in novam viam custodiam sacrorum devexus est, ut muri, & portæ reficerentur.* Liv. V. 32. *M. Cæditius de plebe nuntiavit tribunis, se in nova via, ubi sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse.* *Via* hæc autem, quæ licet pervetusta, fuit enim abusque Tarquinii Prisci ætate, novæ tamen appellationem obtinuit, ut Varro ait: *ut nova, quæ via jam diu vetus*, non potuit esse ad radicem Palatii in angulo fori, qui ad Velabrum ducebat, atque inde non ad Velabrum porro, sed recta ad forum Boarium tendebat: quare longius aliquanto a Palatino ad vicum Tuscum, qui & ipse ad Velabrum ducebat, in forum exibat. Quod ut liquidius intelligatur, intra radicem Palatini, & *viam* novam lucus intermedius erat, & templum Vestæ, ut e verbis Ciceronis superius allatis patet. Marlianus eam e regione statuit templi Jovis Statoris: verum si e regione fuit, quomodo a foro tendere ad Velabrum potuit? Nam templum illud in foro non fuit, unde *viæ* novæ initium: &, quamvis illic fuisset, ex adversum Palatino incipiens *via* nova in Capitolium perrexisset, nec lucus Vestæ ad radicem Palatini illi *viæ* obversus fuisset: & si *via* nova illic fuisset, ubi Jovis Statoris templum erat, verba Livii, dicentis Tarquinium Priscum *habitasse ad Jovis Statoris ædem*, & inde e fenestra *Tanaquilem ejus uxorem ad populum locutum in novam viam versus*, superflua fuissent, imo & absurda, quoniam sensus earum exigit, ut *fenestra* illa non in anteriore ædium fuerit, *ad ædem* Jovis Statoris, verum in laterali, despiciens *in viam novam*: quæ idcirco alio loco fuerit, necesse est. Ut quid meæ sententiæ sit, exponam: quamquam ea jam tum ævo Tarquinii Prisci extitit, ac novæ nomen obtinuit, ab ipso illam tamen Tarquinio factam puto, cum cloacam e foro ad Tiberim fecit, cujus altior fornix quum sub terra fieri nequiret, aperiendus supra fuit; eo magis, quod cloacæ ea ætate non subter ædes ducebantur, sed ut Liv. V. 55. ait, *per publicum.* Quare qui in ore grandis illius cloacæ, quæ sub rotunda æde illa S. Stephani ad Tiberim incipit, & prope ædem S. Georgii in Velabrum tendit, ductum ejus versus forum vetus recte observaverit, facile is vestigia, ductumque antiquæ *viæ* novæ ibidem animadvertet. *Nardin. Rom. Vet.* V. 5.

Via nova ab antiquiore diversa sub thermis fuit Antoninianis. Recte novæ nomen sortita est, quippe diu post a Caracalla munita. Spartian. c. 9. *Idem viam novam munivit, quæ est sub ejus thermis, qua pulcrius inter Romanas plateas non facile quicquam invenias.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 8. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 271. A. Donat. de Urb. Rom. III. 23. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 32. Schott. in Aurel. Vict. Cæs. c. 21. n. 4. Ubi Aurelius: *Per eum aucta Urbs magno accessu viæ novæ.* Sed cur ei *Urbs* hic aucta dicitur? an quia, ut hanc Urbi includeret, prolata a Caracalla mœnia? an vero ornamentis per hunc aucta? an exæquatione, artatione clivi Aventini sub thermis spatium planitiei amplificatum, ut in ea *via* nova institueretur? Volaterranus eam Appiæ partem existimabat, quæ Brundisio ad ipsam portam Capenam pertingens, ab eodem Caracalla intra civitatem prolata ducta sit inter portam, & thermas suo novæ nomine: Appiam vero in Urbem intrasse, & perrexisse recta ad circum usque maximum, fuisseque principem, & celeberrimam *viarum*, latissimamque, communis antiquariorum opinio est, tametsi Appiæ initium Frontinus, Statius, aliique extra portam statuunt: quodque etiam nunc negari non posse existimo. Quare si quis improprie Appiam appellare voluerit eam, quæ intra portam ei proximam *via* fuit, nomen hoc illi *viæ* tribuat necesse est, quæ recta, aut quasi recta, ut videtur, a circo maximo ad portam Capenam quondam perrexit. Neque enim verisimile est, quum Appius extra Urbem, Capuam usque, *viam* de suo nomine appellatam munierit, *reginam viarum* dictam, quod pulcerrima, & prælarga esset, intra Urbem versus eandem portam non itidem *viam* fuisse latam, & egregiam, usque ad tempora Caracallæ. Inter *viam* rectam,

id est, inter ædem S. Cæsarii, & Antoninianas longus tractus est: quod si vero *via* nova sub illis thermis fuit, illi certe vicina fuit, junctave, quo ipsa celebrior hoc pacto, & frequentior evaderet. Quod de pulcritudine ejus Spartianus ait, qua omnes Urbis *vias* superabit, Donatus de porticibus accipit, & suffultis columnis ad imaginem fori ædificiis. Imo ego & ædificiorum aliorum excellentem pulcritudinem insignem huic *viæ* ornatum contulisse arbitror, quorum sine dubio sumptuosissimum thermæ facere. Fortean & illorum operum, & porticuum residua postea palatii nomen temporibus inferioris ævi acceperunt, & cum ecclesia deinde S. Cæsarii communicarunt. Cæterum quum in Victore non *via nova*, sed *caput viæ novæ* legatur, situs ejus facilius mihi, & certius expediri posse videtur. Nam si in regione XII. solum caput ejus fuit, reliqua pars, quæ muros secuta est, aut regionis I. ut verisimilius, quam juxta Aurelium Victorem in planitie esse debuerit, facile nonnihil intra portam a recta *via*, nempe Appia sinistrorsum flexisse potuit, ubi Aventinus collis ab Appia discedere incipit, & inde per clivum ejus sub thermas usque perrexisse. Nam quod in Notitia non *caput viæ novæ*, sed *novam viam* legatur, nil obstat, aut me movet, quum plurimi in ea errores deprehendantur; sic ut major Victori, quam Notitiæ, fides habenda videatur. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6.

Via Ostiensis, non admodum longa, a porta trigemina habuit initium, quod Ostiam duceret, est vocitata. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 28. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 257. *C. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 387. *E. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Aring. Rom. Subterr.* III. 1. 3. Hujus *viæ* frequens mentio est apud Procopium in libris de bello Gothico. Ejus quoque meminit inscriptio Neapolitana laudata supr. in *Via Campana*. Panvin. & Fabric. l. l. Perpetua quasi serie, & vix interrupta ædificiorum utrinque cincta erat, ad M. P. XVI. quam longitudinem illi adscribunt Plin. III. 5. & Itinerar. Antonin. p. 68. *Bergier. de Viis milit.* II. *Sect.* 23. §. 4. Procop. de Bell. Goth. I. paullo breviorem facit. *Vitiges*, ait, *locum, quem portum vocant Romani, præoccupare animo destinat: qui ferme ab Urbe centum sexque & viginti stadiis abest. Hac tantula, & sola intercapedine, ne maritima sit urbs Roma, dirimitur.* Stadia hæc reddunt tantum milliaria Italica XV. & passus 750. In figura du Perac ab Urbe ad austrum porrigitur. Et de illa, ceu jam olim strata Procop. de Bell. Goth. I. *A portu via recta ad Urbem ducit, plana quidem, & prorsus nil impedita. Hanc a principio Romani constraxerunt.* Bergier. ibid. III. Sect. 26. §. 4. & 5. V. etiam, si lubet, *Fabrett. de Aquis & Aquæd. Dissert.* III. *n.* 302. In ea sepultus est Paullus Apostolus. V. supr. in *Sepulcrum*.

Via patinaria fuit extra Urbem munita apud P. Victorem. Ejus situm nondum potui invenire. *Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 28. §. 8. Imo videtur intra Urbem fuisse, in qua patinæ vendebantur. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 388. *C. Hennin. ad Bergier. de Viis milit.* III. 28. §. 8.

Via piscinaria inter Cœlium, & Aventinum porrecta ad piscinas publicas: quæ quamvis tollerentur, *viæ* tamen nomen remansit. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5.

Via Pompeja. Hujus meminit Cicer. Verrin. V. 66. *Cum Mamertini more, atque instituto suo crucem fixissent post Urbem, in via Pompeja, te jubere figere in via, quæ Rhegium spectat.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 262. B.

Via portuensis, incipiens in Janiculo a porta, quam navalem esse diximus appellatam, est dicta, quod ad portum Ostiensem mitteret. Ante tempora Claudii, qui hunc portum excitavit, incertum est quo nomine nuncuparetur. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 28. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 387. *F. Fannius Antiq. Urb. Rom.* I. 19. *Cluver. Ital. Antiq.* III. 2. §. 29.

Via Postumia in Gallia fuit togata, non procul a Bebriaco, vico Veronensium. Ejus meminit Tacit. Hist. III. 21. 3. *Sistere tertiam legionem in ipso viæ Postumiæ aggere jubet.* Panvin. Descr. Urb. Tom. Thes. Ant. Rom. Græv. Rom. III. p. 242. C.

Via Prænestina ab Exquilina porta incipiebat, & relinquebat a sinistra campum Exquilinum. Haud dubie verum, cum etiam intra Urbem in ipsa Prænestina privatam Gordiani domum positam esse asserat Capitol. laudatus supr. in *Domus*. Marlian. Topogr. V. 26. Schott. Urb. Rom. Descr. p. 430. De illa Strabo laudatus supr. in *Via Gabina*. Quamvis enim usque ad arcum portæ majoris cum Labicana confundatur; attamen videre est veterem Prænestinæ ductum per portam, quæ in gratiam hujus *viæ* relicta fuit ab Aureliano in productione mœnium, modo clausam, & exinde ejusdem *viæ* vestigia; quæ a porta majori nulla apparent, nisi postquam ad lævam deviando veterem Prænestinam assequamur. *Fabret. de Aquæduct. Dissert.* III. *p.* 248. Vestigia intra Urbem adhuc ex lapide quadrato supersunt, & in fruteris extra Urbem, a Tusculo Præneste exeuntibus. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. In ea sepultus est Quintius Atta, togatarum scriptor. V. supr. in *Sepulcrum*.

Via Quinctia ex *via* Salaria, ceu stipite, porrigebatur. Ejus meminit Dionys. I. p. 11. *Palatium quidem quinque & viginti stadiis a Reate distans, Urbe nunc etiam a Romanis habitata.* Et mentio est apud Grater. Inscript. p. 129. n. 5.

C. CURTIUS. P. F. PAL. NERVA. IIII.
VIR P. SILIUS. P. F. ARNIENS. PÆ-
TINUS. IIII. VIR C. RUSTIUS. C. F.
QUARTUS. VEL IIII VIR T. FLA-
VIUS. T. F. ARN. SABINUS. IIII VIR
ARAM. ET. SIGNA. VIA. QUINCT.
D. D.

Bergier. de Viis milit. III. *Sect.* 23. §. 8. A L. Quinctio dictatore est appellata, cui *aranti quatuor sua jugera in Vaticano, quæ prata Quinctia appellantur, viator obtulit dictaturam.* Plin. XVIII. 3. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 388. *A.*

Via recta propior fuit Tiberi, quæ minorem in campum e Martio mittebat. Senec. Apocolynth. p. 857. *Inter Tiberim, & viam rectam descendit ad inferos.* Donat. de Urb. Rom. III. 13. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 7. Donatus eam etiam inter pontem Sixti, & S. Angeli extendit, qui quidem tum needum factus erat. Ego potius illam inter eundem pontem Sixti, & veterem triumphalem posuerim, ubi nunc *via* Julia est: quum tantum non certum sit, pontes omnes in aliqua de præcipuis Urbis *viis* sinuisse. Hinc forte non admodum difficile Julio II. fuit in veterem eam speciem, splendoremque restituere, sublatis, quæ obstare videbantur ejus pulcritudini, nonnullis ædiculis. Ita recta & Flaminia quasi parallelo sibi respondentes situ in pontes duos spectavere, in Milvium hæc, illa in triumphalem. Unde & utriusque simul mentionem facit Mart. VIII. 75. 1.

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus a recta, Flaminiaque recens.

Forsan & triumphalis ipsissima *via* recta fuit appellata, sive a ponte, in quem desinebat, vel quia simul cum illo facta fuit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 8. In campo minore spectabitur olim *via* hæc celebris, quæ recta dicebatur, ubi hodie la strada Julia, & altera non minus splendida, quæ triumphalis. Nardinus suspicatur, rectam, & triumphalem fuisse unam eandemque; sed triumphalem oportebat ducere a ponte triumphali ad Capitolium: recta autem, hodie Julia dicta, non parum a Capitolio abducit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 6.

Via Remoria a circo maximo per dorsum Aventini recta ducit ad munitionem Paulli III. Farnesii. In ea cæsus est a Celere Remus Romuli jussu, & ibidem sepultus. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 15.

Via sacra quænam fuerit, docet Festus: *Sacram viam*

quidam

quidam appellatam esse existimant, quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum, ac Tatium. quidam, quod eo itinere utantur sacerdotes, idulium sacrorum conficiendorum causa. Itaque ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est a regia ad domum regis sacrificuli, sed etiam a regis domo ad sacellum Streniæ, & rursus a regia usque in arcem. Nec appellari debere ait Verrius sacramviam, *sed disjuncte ut ceteras vias, Flaminiam, Appiam, Latinam, ut ne novamviam quidem, sed novam viam.* Pancirol. Desct. Urb. Rom. l. cit. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 339 C. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 8. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 1. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p. 269. L. Blond. Instaur. Rom. II. §. 31. Inter urbanas fuit celeberrima, incipit ab amphitheatro, & per vicinos hortos juxta templum Pacis, & forum Cæsaris recta tendit in Capitolium. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Marlian. l. l.* In forum exibat, quanquam nonnemo negat. Plin. XIX. 1. Cæsarem & forum, & sacram *viam* ab domo usque sua velis intexisse refert. Tacit. Hist. III. 68. 6. populum omnes fori exitus Vitellio obsepsisse narrans subdit: *iter solum, quod in sacram viam pergeret, patebat.* Herodian. II. 9. 6. ait: Severum per somnum vidisse ingentem equum ornamentis, & phaleris imperialibus instructum, qui Pertinacem per mediam *viam* sacram veheret, verum ad introitum illum fori excuteret in terram. Ac tandem Appian. Bell. civ. I. p. 389. Octavium tradit cum multis suorum sequentibus per *viam* sacram currendo instar torrentis in forum exundasse. Exiit in forum per arcum Fabianum, non procul a S. Laurentii in Miranda, quod olim templum S. Faustinæ. V. supr. in *Arcus Fabianus.* Qui quum fuerit prope Regiam, ut Asconius testatur l. l. dici ei possit supra ædem Faustinæ arcui fuisse Fabiano conjuncta: sic ut sacra *via* una cum arcu Fabiano, & Regia in foro desierit. Nec abit in diversa Festus modo laudatus. Ex illo colligi potest, *viæ* illius vulgo finem existimatum, ubi forum ingrederetur, quod eousque angustiæ durabant, tametsi illa per forum usque ad arcem pertenderet. Nec me movet, quod objici potest, Regiam Numæ ad templum Vestæ fuisse. Magna enim inter utrumque differentia est. V. illam supr. in *Regia.* Nardin. Rom. Vet. III. 17. *Viæ* sacræ ramum fuisse arbitror *viam* illam, quæ in angulo fori, ad radicem Palatini incepit. E Festo enim superius habuimus *sacram etiam viam appellandam esse a Regia usque ad arcem.* Hæc illius pars non erat vulgo nota, quia ab orientali latere ad occidentale per medium forum transibat, id est, ab arcu Fabiano ad templum Vestæ. Ita liber Ovidiani *viæ* dextra a foro Cæsaris in magnum transiens per *viam* sacram ad illud templum ducit Trist. III. 1. 27.

> —— *hæc sunt fora Cæsaris, inquit,*
> *Hæc est a sacris quæ via nomen habet.*
> *Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat, & ignem:*
> *Hæc fuit antiqui regia parva Numæ.*

Hic *via* sacra inflexa in arcem adscendebat. Verum ab altera parte templi Vestæ, quæ ibi *via* ad portam Palatii veterem, & per clivum itidem sacrum appellatam ad veterem Romam quadratam, palatium Augustale, & templum Apollinis ducebat, ipsa etiam sive per adulationem, sive per venerationem, seu qua alia de causa sacra nuncupata est. Manifestum id ex Plutarch. Cicer. p. 868. D. *In templo Jovis Statoris, quod erectum est juxta principium sacræ viæ, quæ palatium respicit.* Quod principium non summa illa sacra *via* esse potuit, quæ ultra ædem S. Mariæ novæ erat, nec illud sacræ *viæ* caput, quod ad ædem S. Laurentii fuit in miranda: ubi ædes Jovis Statoris, & vetus palatii porta esse non potuerunt, sic ut Ovidii liber templum Vestæ prætergredi necesse habuerit, quo ea adiret: imo nec Tarquinius Priscus hoc modo inter illud templum, & viam novam habitare potuisset. Necesse igitur est, ut de alio *viæ* sacræ principio loqui Plutarchus censeatur, nimirum illius, *quæ palatium respicit.* Paullo inferius idem dicit: *E palatio consul Lentulum sumit, eumque per viam sacram, mediumque forum adducit.* Clarius Dionys. II. p. 114. ubi templum ait Jovis Statoris a Romulo ædificatum *ad portam Mugoniam, unde per viam sacram palatium aditur,* ubi errore nominis istius portæ stabilito, non de alia quam de hac sacra *via* accipi potest; quum fieri alias nequeat, ut domus Tarquinii Prisci illic fuerit, ubi nunc arcus Titi est, & fenestras habuerit in *viam* novam despicientes. Hinc liber Ovidianus ultra Vestæ ædem, & lucum iter persequens in dextram flectit, quum alias recta collem ascendere debuisset ad latus ædis Castoris n. 31.

> *Inde petens dextram, porta est, ait, ista palati;*
> *Hic Stator, hoc primum condita Roma loco est.*

Sic & Martialis librum suum primum epigrammatum ad bibliothecam palatinam mittens, idem ipsi iter injungit, clivumque illum sacrum appellat I. 71. 3.

> *Quæris iter? dicam vicinum Castora canæ*
> *Transibis Vestæ, virgineamque domum.*
> *Inde sacro veneranda petes palatia clivo.*

Verum sive illa sacra, sive alio nomine appellanda *via* est, negari sane nequit, in ea fori extremitate, quæ ad Castoris, & Vestæ erat, incipientem juxta Palatini devexa brevi ad templum Jovis Statoris, & ad veterem palatii portam pervenisse: ante quod templum sita Tarquinii Prisci domus facile ab altero latere fenestras habere potuit *viam* novam prospicientes. Hoc pacto constitui, firmarique poterit, Tarquinium inter utramque *viam* post ædem, lucumque Vestæ habitasse, siquidem in foro domum non habuit: hæc autem *via*, quam sacræ fuisse *viæ* ramum diximus, vel recta in forum ducebat boarium, vel potius in eam intrabat *viam*, quæ per Vulcanale, & devexa Palatini ad circum tendebat, regionemque quartam & decimam ab octava dirimebat. *Nardin. ibid.* V. 5.

Via Salaria a porta Collina initium habuit. Tacitus, & Strabo. V. illos supr. in *porta Agonensis.* Nomen a deportando sale adepta est. Festus: *Salaria via Romæ est appellata, quia per eam Sabini sal a mari deferebant.* De illa Mart. IV. 64. 18.

> *Illic Flaminiæ, Salariæque*
> *Gestator patet, essedo tacente.*

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 243. F. Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 8. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p. 387. A. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Aring. Rom. Subterr. IV. 28. §. 1. Fabrett. de Aquis & Aquæd. Dissert. III. §. 252. Bergier. de Viis milit. III. Sect. 23. §. 4. & ad illum Henninius. Schill Nomencl. Philol. p. 1007. In ea sepulcra fuisse testatur Prudentius, & sepultus est Licinius tonsor Augusti. V. supr. in *Sepulcrum.*

Via Sempronia oriebatur a Flaminia Fulginei in Umbria, & usque ad forum Sempronii protendebatur, a quo nomen accepit. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 242. *C.*

Via Setina fuit prope Appiam, incidebat in eam, a Setia urbe Campaniæ nominata. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 255. *F. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 388. *A. Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 25.

Via Sublacensis. V. illam infr. in *Via Valeria.*

Via Suburana, a foro Trajani, ad ædem nunc S. Agathæ. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5.

Via tecta dicitur Ovid. Fast. VI. 191.

> *Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra*
> *Appositum tecta porta Capena viæ.*

quia illi porticus erat imposita. Fuerunt enim crebri fornices extra Romanas portas. Interpres: *ab oppido tecto denominata, qua in Flaminiam quoque ducebat.* Non est audiendus. Utraque enim *via* quid magis dissitum? Cum Appia extra Capenam, quæ etiam ibi tecta ob porticum impositam dicebatur, in Campanos, Flaminia ad Gallos mitteret. *Donat. de Urb. Rom.* III. 13.

Via Tiberina secundum Tiberim tendebat, vel potius

ad

ad Tiberinam insulam ducebat. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 388. *C. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 262. *C. Leand. Descript. Ital. p.* 182. *Hennin. ad Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 28. §. 8.

Via Tiburtina a porta Exquilina initium desumit, ejusmodi, ac merito nomen sortita a vetustissima scilicet Tiburis civitate, ad quam recto itinere ducit. De hac meminit Horat. Sat. I. 6. 108.

Cum Tiburte via prætorem quinque sequuntur.

Aring. Rom. Subterr. I. 16. I. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 386. E. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Torrent. in Horatium. Cluver. Ital. Antiq. II. 16. §. 7. Fabrett. in Frontin. de Aquæd. Dissert. III. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1767. C. Bergier. de Viis milit. III. Sect. 23. §. 12. Ad hanc, vel ejus partem videtur referendum, quod *C. Rustius C. F. Flavius iterum, & L. Octavius L. F. Vitulus iterum* IIIIviri *D. S. S.* (de sumptu suo) *viam integendam curaverint* apud Gruter. Inscript. p. 150. n. 1. 2. 3. Fuit ad Aquas Albuneas hic lapis D. D. id est, *Diis Deabus* sacer, ut credam fuisse partem *viæ*, quæ ad ædem aliquam ducebat. *Hennin. ad Bergierium.*

Via Trajani dicta est Appia a nomine Imperatoris, qui restituit. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. Hujus in numismatis Trajani extat memoria, in quorum aversa parte mulier humi jacens rotam sustinet. Hæc *viam*, quam tenit, insinuat. Inscriptum est, VIA TRAJANA. Aliud simile continet mulierem jacentem, quæ sinistra ramum arboris frondosum tenet, dextra supra genu rotam regit: subtus scriptum est, VIA TRAJANA. Circa marginem, OPTIMO PRINCIPI. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 386. *A. Donat. de Urb. Rom.* III. 6. Lapide quadrato stratam fuisse credendum est, sed quæ, aut ubi fuerit apud me non constat. Fit mentio in inscriptione Auximate laudata supra in *Via Cassia* Pancirol. l. l. Aureliam & Trajanam insuper nonnulli appellatam fuisse affirmant, quia eam quondam instauraverat Trajanus. Et duas quidem *vias* sub hoc nomine recensitas fuisse legimus: quod vero in hac Urbis regione extiterint, nullus profecto est, qui id asserat. Sane in martyrum actis frequens admodum mentio habetur Trajanæ cujusdam formæ, aquæductus videlicet, qui inibi extabat: quinimo & in pervetusto quodam lapide, & apud P. Victorem de aqua Trajana mentio incurrit. Quocirca verosimile nobis fit, Trajanam Imperatorem hujusmodi aquæductus, *viamque* cum eis pariter instaurasse, iisdemque restitutis suum utrique nomen imposuisse. *Aring. Rom. Subterr.* II. II. 5.

Via triumphalis a porta triumphali deducto nomine, per utrumque campum Flaminium & Martium tendebat in Vaticanum, supra pontem strata, qui dictus Vaticanus, & hic triumphalis prope nosocomium S. Spiritus sui vestigia in alveo Tiberino reliquit. Hinc sub ipsum templum D. Petri Etruriam versus producebatur. *Donat. de Urb. Rom.* I. 22. *Aring. Rom. Subterr.* II. 3. 4. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 388. *B. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p.* 261. *F. Marlian. Topogr.* II. 8. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* I. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 22. *Mod. de Triump. Vet.* I. 24. *Blond. Triumph. Rom.* X. *p.* 212. *D.* Floribus conspergebatur. Apul. Met. XI. p. 369. *Mulieres candido splendentes amicimine, vario lætantes gestamine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, qua sacer incedebat comitatus, solum sternebant flosculis.* Ovid. de Triumpho Germanici:

— manibus circumplaudere tuorum
Undique jactato flore tegente vias.

Nicol. de Triumph. c. 15. §. 3. Blond. Triumph. Rom. X. p. 213. A.

Via Tusculana exibat a porta Cœlimontana, vel non longe ab ea ex *via* Campana, quam una cum Albana instauravit M. Messala sub Cæsare Augusto. Unde Tibull. I. 8. 57.

Nec taceam monumenta viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba Lare:
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 259. L. Bergier. de Viis milit. III. Sect. 24. §. 6.

Viæ Valeriæ nomine duæ gaudent, vetus & nova, ut docet P. Victor de Reg. Urb. suo fere in indice viarum. Alterius Itinerarium facit mentionem; alterius Strab. V. p. 163. *Via Valeria est, quæ ad Sabinos pertinet usque ad Marsos.* p. 164. *Valeria a Tiburtinis capit initium, & ducit in Marsos, & Corfinium Pelignorum metropolim.* At incertum est, qua porta Straboniis illa inceperit; nam cum eam *viæ* Latinæ ad sinistram faciat vicinam, a porta incepisse Cœlimontana oportet, æque ac *via* Campana, ac inter hanc *viam* & Latinam fuerit media: nihilominus videtur, cum in Sabinos pergeret, media potius fuisse Campana inter hanc Valeriam & Latinam, quod duorum certe nemo facile expedierit. Valeria, cujus meminit Itinerarium, videtur incepisse a porta Tiburtina, & fuisse dextras illi Tiburtinam & Gabinam; nam Itinerarium illam finit Hadriæ cum Salaria, ut apparet ex p. 70. *Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 25. §. 3. Holstenius in *via* Valeria varius, sibique contrarius existit: nam Annot. ad Cluver. Geograph. fol. 165. bivium Sublacensis, & ab ea divertigium agnoscit ad Hospitium della Ferrata, in quo forte τῇ ἐνεργείᾳ litavit; fol. 35. *viam* Sublacensem revocaverat ad Hospitium Plagiæ, quod undecim fere stadiis divertigium antecedit; mox eodem fol. 165. eodemque contextu verborum Valeriam quatuor fere milliaria post bivium a se statutum intra prædictum Sublacensis *viæ*, imo & Viatrii ab hac in Valeriam, producit; dum ipsius vestigia apparere dicit sub Rubiano, in ponte, quem ipse Stiacontium nominat; & integrum Viatrium, ac diverticulum Valeriæ in Sublacensem pro ipsa Valeria *via* accipit. Veteris *viæ* per jugum, & Castrum di Riofreddo, indubia vestigia in operosa rupium scissura, ac crepidinima *viæ* in inferiori parte marginatione, & alicubi etiam in silicis structura, maxima admiratione & gaudio, ego & Josephus de Julii, cum illud jugum conscendissemus, deprehendimus. Ipse quoque certiorem *viæ* Valeriæ derivationem quærebat, ejus scilicet *viæ*, quæ brevior ex consularibus in Æquicolis, Marsos, Pelignos, & Marrucinos se aperit. Per hanc igitur veram rectamque Valeriam *viam* a Tibure ad S. Georgii fanum (sive quo diverticulum ad Sublacensem descendit) sedecim milliaria cum tribus amplius stadiis intersunt: ita ut, cum Tibur viginti ab Urbe milliariis, tam ab Antonino in Itinerario, quam a Tabula Peutingeriana, ac etiam a Martiale distare dicatur Epigr. IV. 57. 3.

Tu colis Argivi regnum, Faustine, coloni,
Quo te bis decimus ducit ab Urbe lapis.

eapropter diverticulum istud a *via* Valeria in Sublacensem ad sextum & trigesimum lapidem reponendum erit. *Fabrett. de Aquis & Aquæd. Dissert.* II. *n.* 154. De *via* hac, sed paucis, etiam *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. §. 5. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 387. *C. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 25.

Via Vitellia. De illa nemo præter Suetonium. Ita ille Vit. c. I. n. 4. *Stirpis indicia diu mansisse, viam Vitelliam ab Janiculo ad mare usque.* Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 258. A. Merul. Cosmogr. II. 4. 34. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 5. Aurelia aliquando nuncupata est Vitellia, a Vitellia scilicet familia; vel saltem, quod ab ipsamet Aurelia porta alia item *via* dirigeretur, eidem Aureliæ conjuncta, cui Vitelliæ nomen postea inditum est. *Aring. Rom. Subterr.* II. II. 4. Porrecta fuit versus austrozephyrum. *Bergier. de*

Vus milit. III. *Sect.* 27. §. 5. Aureliam veterem aut intrat, aut transit. *Hennin. ad Bergierium.*

Viæ in acie quænam fuerint dictæ V. supr. in *Intervalla ordinum.*

Viæ dicuntur etiam lineæ, per quas calculi currebant. Isidor. XVIII. 64. *Sed ipsas vias senariis locis distinctas propter ætates hominum argumentantur.* Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13.

Viæ in spectaculis dicebantur *cardines balteorum per ambitum, & discrimina popularium per proclivum.* Tertull. de Spectac. c. 3. Qui vult *vias* alias esse, quæ ad cardines, sive limites balteorum, in circuitu: alias, quæ in vomitoriis, in descensu. Itaque ait *per proclivum.* Sed cur popularium tantum meminit? easque discriminari, & in cuneos suos tribui, *viis* illis secantibus, vult? Adhæresco. Excludere enim aperte equestria, & orchestram videtur: aliter quam Sueton. Aug. c. 44. n. 3. qui cuneos in his agnoscit: ergo & *vias.* Sed popularia large fortasse acceperit scriptor Afer pro omni populi consessu. *Vias* has modo *itinera*, modo *scalaria* appellat Vitruv. V. 6. Sed scalaria tamen proprie, *vias* quæ inter cuneos ad ascensum, aut descensum. In his *viis* qui locum non haberent, quique, ut suo verbo dicam, excuneati erant, spectabant stantes. Tertull. l. l. *Nam apud spectacula, & in via statur.* De suo quodam equite facete Mart. V. 14. 1.

> *Sedere primo solitus in gradu semper,*
> *Tunc cum liceret occupare, Nannejus,*
> *Bis excitatus, terque, transtulit castra,*
> *Et inter ipsas pæne tertius sellas*
> *Post Cajumque Luciumque consedit.*
> *Illinc cucullo prospicit caput tectus,*
> *Oculoque ludos spectat indecens uno.*
> *Et hinc miser dejectus in viam transit,*
> *Subsellioque semifultus extremo,*
> *Et male receptus altero genu, jactat*
> *Equiti, sedere se: Lectioque, se stare.*

Tacit. Annal. XVI. 5. 2. de militibus, qui a Nerone dispositi *per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore, aut silentio segni præteriret.* Hos stetisse sentio in his utrisque *viis.* Latitudo itineris ad balteum mihi ignota: credo non minus trium, quatuorve pedum. Si enim vulgarium graduum, Vitruvio definiente, duo pedes, & semis, quidni duplum istis? At scalarium, sive ascensuum altitudo in Veronensi apparet semipedis, & unciæ: latitudo pedum binum. Humiliores ergo aliis sedentariis gradibus, parte dimidia. *Lips. de Amphith. c.* 13. *Buleng. de Circo c.* 33. *Thys. de Amphith. p.* 203.

Viæ in vestibus femineis vocantur aurei clavi. Tibull. II. 6. 35.

> *Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa*
> *Texuit auratas, dispositque vias.*

Et Serv. Virg. Æneid. VIII. 660. de virgatis Gallorum sagulis: *quæ habebant in virgarum morem deductas vias.* Ruben. de Re Vest. I. 2. Tibullus aureas *vias* in stola matronarum vocat aurum intertextum, non ad pectus modo, sed per totam vestem, quos nemo clavos proprie appellaverit: quemadmodum virgata Gallorum sagula, quæ Servio *viæ in virgarum morem deductæ*, non fuere clavi, nemoque veterum hæc saguli clavata, sicut nec stolæ aurum intertextum clavos appellavit. *Ferrar. Anal. de Re Vest. c.* 3. V. *Broukh. in Tibullum.*

VIATICUM, quo heroicis temporibus amicum, quem a se dimittebant, adornabant, erat cibarium. Imo hoc proprie erat *viaticum*, non pecuniæ. Hoc enim definit Eustath. Odyss. II. p. 95. F. *cibaria idonea ad viam conficiendam.* Hoc more plenus Homerus. Odyss. II. 289.

> *Appara viatica, & vasis accommoda singula,*
> *Vinum in amphoris, & farinam medullam hominum.*

Ulysses a Calypsone Odyss. VII. 264. *multa accepit: panem & suave vinum.* Hac re studium suum aperit erga Martialem Plin. Epist. III. 21. 2. *Prosecutus eram viatico secedentem. Dederam hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis, quos de me composuit.* Hunc morem tangit Virg. Æneid. I. 198.

> *Hinc portum petit, & socios partitur in omnes*
> *Vina bonus, quæ deinde cadis onerarat Acestes*
> *Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros.*

Cerda in Virgilium.

VIATORES dicebantur, qui quoties senatus cogendus esset, senatores ex agris vocabant. Cicer. de Senect. c. 16. *A villa in senatum arcessebantur & Curius, & cæteri senes: ex quo, qui eos arcessebant, viatores nominati sunt.* Colum. Præfat. I. *Illis temporibus proceres in agris morabantur, & quum consilium publicum desiderabatur, a villis arcessebantur in senatum, ex quo qui eos arcessebant, viatores nominati sunt.* Festus. V. illum supr. in *Tribus.* Laz. Comm. Reip. Rom. II. 4. Pollet. For. Rom. V. 13. Panvin. de Civit. Rom. c. 66. Ouzel. in Gell. XIII. 12. Buleng. de Imp. Rom. VI. 21. Alex. Gen. I. 28. Voss. Lex. Etymol. in Via. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 15. Kipping. Antiq. Roman. II. 4. §. 6. Schill Nomencl. Philol. p. 1115. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. VII. 48. Postea tribunorum, & ædilium plebis dicti sunt hoc nomine, qui illorum jussu quemlibet comprehendebant. Varro apud Gell. XIII, 12. V. illum supr. in *Tribuni plebis col.* 3. Liv. II. 56. *Ardens ira tribunus viatorem mittit ad consulem, consul lictorem ad tribunum.* Laz. Pollet. Panvin. Buleng. l. l. & Tiraquell. in Alexandrum.

VIB.

VIBILIA erat dea vialis. Arnob. IV. p. 131. *Ab erroribus viarum dea Vibilia liberat.* Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 160. Lipen. de Stren. c. 1. §. 6. Stuck. de Sacrif. p. 46. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 6.

VIBULANUS fuit cognomen Fabiorum. *Vibulani* septem consulatus obtinuerunt XIV. Tribunatus militares consulari potestate V. decemviratum legibus scribendis bis, triumphum, & ovationem simul. I. Q. Fabius K. F. *Vibulanus* fuit consul an. 268. cum Servio Cornelio Maluginensi Cosso. Hujus pater Kæso, sive Cæso quæstor perduellionis fuerat proximo anno. Iterum consul fuit cum C. Julio Julo triennio post priorem consulatum: biennio proximo occisus est. II. K. Fabius *Vibulanus* prioris frater fuit consul cum L. Aimilio Mamercino anno proximo post priorem fratris consulatum. Iterum anno proximo post posterioris consulatus fratris annum cum Sp. Furio Medullino Fuso. Tertio anno 272. cum T. Verginio Tricosto Rutilo. III. M. Fabius *Vibulanus* superiorum frater fuit consul proximo anno post primi consulatus Kæsonis fratris annum cum L. Valerio Voluso Potito. Iterum proximo anno post secundi consulatus ejusdem fratris annum cum Cn. Manlio Vulsone. Ita factum est, quod nunquam amplius evenit, ut tres fratres septem annis semper consulatus obtinuerint. IV. Q. Fabius *Vibulanus* M. F. K. N. fuit consul an. 286. cum T. Aimilio Mamercino II. Iterum cum T. Quinctio Capitolino Barbato biennio post. Tertium cum L. Cornelio Maluginensi Cosso sexto post superiorem anno. Quartum consulatum obtinuit suffectus L. Minucio Augurino, cujus collega fuit C. Nautius Rutulus II. anno proximo post tertium consulatum. Decemvir legibus scribendis an. 303. Iterumque anno proximo, sed cum cæteris legibus XII. tabularum conscriptis abdicavit. V. M. Fabius *Vibulanus* fuit consul an. 311. cum Postumo Æbutio Helvia cornicine. Tribunus militum post annos novem cum M. Fossio Flaccinatore, & L. Sergio Fidenate. VI. Q. Fabius *Vibulanus* superioris frater consul fuit cum C. Sempronio Atratino an. 330. Septennio post tribunus militum. Iterumque post biennium. VII. Numerius Flaccus *Vibulanus* superiorum frater Q. F. M. N. consul fuit cum T. Quintio Capitolino Barbato an.

332.

332. ovans de Æquis reversus est. Tribunus militum post sex annos inter duos Quintii fratris tribunatus. Iterum tribunus an. 346. De hujus Fabii prænomine multi scripserunt, eum Fabium, qui occisis 306. superstes fuit, duxisse filiam Numerii Otacilii Maleventani viri locupletis, ea conditione, ut qui primus nasceretur, prænomen avi ferret: natoque filio *Numerium Fabium* eum esse appellatum: neminemque patricium antea eo nomine vocatum fuisse. Ego hunc aliis fratribus minorem fuisse credo, cum post eos fuerit magistratus assecutus. *August. de Famil. Rom. in Fabia. Glandorp. Onomast. p.* 319.

VIC.

VICARIUS servus. V. illum supr. in *Servus.*

Vicarius in devotionibus dicebatur etiam, qui in vicem aliorum exitio, pestique devovetur, ut in ejus caput expetant ea mala, quæ aliis erant eventura, ut in carmine devotionis apud Macrob. Sat. III. 9: *Eosque ego vicarios pro me, fide, magistratuque meo, & pro populo Romano, exercitibus, legionibusque nostris do, devoveo.* Turneb. Adv. XVIII. 4. Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 229.

Vicarius vocabatur quoque, qui vice sacra judicabat tanquam pro præfecto prætorio; salutabatur cum chlamyde, & carpento, quod summis tantum concedebatur, vehebatur. Hujus munia in formula *vicarii* Urbis describit Cassiod. Var. VI. 15. *Tu vicarius diceris; & tua privilegia non relinquis, quando propria est jurisdictio, quæ datur a Principe. Habes enim cum præfectis aliquam portionem, partes apud te sub prætoriana advocatione confligunt. Vice sacra sententiam dicis, & quod maxima fidei signum est, in inscriptionibus vita tibi committitur hominum, quod inter mortales constat esse pretiosum. Additur, quod nec salutari te sine chlamyde jura voluerunt: scilicet, ut sub veste militari semper visus nunquam credaris esse privatus. Sed hæc omnia ad præfecturæ gloriam judicamus esse concessa, ut qui tantæ sedis vicarium diceret, umbratile nihil videret.* Deinde pauculis interjectis: *Ad similitudinem summorum carpento veheris.* Inter præcipua *vicariorum* decora fuit licentia cursus publici per evectiones decem, vel duodecim, illis a manu ipsius Imperatoris perscriptas, & quotannis datas. Apparet hoc ex verbis Juliani Imperatoris ad Mamertinum PF. P. l. 12. pr. & §. 1. C. Th. de curs. publ. scribentis: *Exceptis igitur vobis, nulli evectionem licebit facere de cætero. Sed, ut necessitates publicæ impleantur, vicariis denas, vel duodenas evectiones manu mea perscriptas ipse permittam.* Adde, quod Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius constituerint l. 38. C. Th. eod. id quod paucissimis alias concessum, ut *proficiscente vicario triginta asini, veredi decem tantummodo moveantur.* Bergier. de Viis milit. IV. Sect. 17. §. 1. Noodt de Jurisd. & imper. II. 6. Scalig. Epist. II. 184. Buleng. de Imp. Rom. IV. 32. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 12. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 10.

VICOMAGISTER. V. illum supr. in *Magister.*

VICTIMA *est sacrificium, quod post victoriam devictis hostibus immolabatur.* Isidor. VI. 19. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 14. Feminea in sacris omnibus potentior erat. Inde factum, ut si per marem non fieret litatio, succidanea esset femina, ut potentior: contra, non litato per feminam nulla jam erat succidanea. *Cerda in Virg. Æneid.* VIII. 641. *Laurent. l. l.* Ab hostia quomodo differat V. supr. in *Hostia.* Dicebatur duci, quando ad sacrificium pergebant, non trahi. Suet. Aug. c. 59. n. 2. *Ut ab hæredibus suis prælato victimæ titulo in Capitolium ducerentur.* Gell. IV. 6. *Si primis hostiis litatum non esset, aliæ post easdem ductæ hostiæ cæderentur.* Victimam enim, quæ stetisset oblata, volenti numini dari existimabant veteres. Macrob. Sat. III. 5. *Et tunc est aptum sacrificium, cum dedicatum animal victimæ patiens invenitur.* Serv. Georg. II. 395. *Contra observatum est a sacrificantibus, ut, si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito deo eam offerri putabant.* Merul. de Sacrif. c. 2. n. 4. Saubert. de Sacrif. c. 19. Brisson. de Form. I. p. 14. Pitisc. in Suetonium. Cum aræ imponi deberet, coronabatur. Lycophron n. 327. στεφηφόρον, sive, ut habet alia lectio, στεφανηφόρον appellat. Ovid. Met. XV. 130.

> *Victima labe carens, & præstantissima forma*
> *(Nam placuisse nocet) vittis præsignis & auro*
> *Sistitur ante aras.*

Plin. XVI. 4. *Postea deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis.* Berthald. de Ara. c. 4. §. 7. Paschal. de Coron. IV. 16. Moll. in Long. Pastor. p. 60. Delrio in Senec. Oedip. I. 137. Plerumque cupressu. Prudent. Apoth. n. 461.

> *Pontificum festis ferienda securibus illic*
> *Agmina vaccarum steterant: vitulasque revincta*
> *Fronte coronatas umbrabat torta cupressus.*

Quandoque ea fronde, quæ illius numinis propria esset, cui immolabatur. Ita hœdi & capræ, quæ Baccho immolabantur, hederatæ erant, ut in sacrificio Daphnidis videre est apud Long. Pastor. II. p. 58. ubi optima caprarum hedera coronatur priusquam mactetur. Et hircus ille gregis ductor apud Long. ibid. p. 59. coronatur pinu, quia immolatur Pani. *Paschal. ibid. c. 17. Stuck. de Sacrif. p. 115. Saubert. de Sacrif. c.* 18. Vetustissimo more non quidem coronabatur, sed ejus pulcerrima, & conspectissima pars deaurata aspiciebatur. Certe Nestor ille Homericus ait se rem divinam Palladi facturum bove *victima*, cui non quidem coronam imponet, sed ei certe inter cornua circumfundet aurum. Alloquitur Palladem Odyss. III. 382.

> *Tibi autem sacrificabo bovem legitimam, lata fronte,*
> *Indomitam, quam nullus sub jugum duxit vir.*
> *Hanc tibi ego sacrificabo aurum cornibus circumfundens.*

De Græco ritu firmat Val. Flacc. Argon. III. 430.

> *Atque Argoa manus variis insignis in armis*
> *Ibat, agens lectas aurata fronte bidentes.*

De Romano Tib. IV. 1. 15.

> *Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.*

Virg. Æneid. IX. 627. V. illum supr. in *Hostiæ majores.* Utrumque morem confirmat Prudent. Περὶ στεφ. X. 1021.

> *Huc taurus ingens, fronte torva & hispida,*
> *Sertis revinctus aut per armos floreis,*
> *Aut impeditus cornibus deducitur:*
> *Nec non & auro frons coruscat hostiæ*
> *Setasque fulgor bracteolis inficit.*

Delrio l. l. Minores tantum coronabantur illius dei fronde, cui sacrum fiebat. Majores vero, nempe boves & tauri cornibus deauratis, vittis ac tæniis insignes erant, cum ad aras statuebantur, ut mactarentur. Plin. XXXIII. 3. *Deorum honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam ut auratis cornibus hostiæ, majores duntaxat, immolarentur.* Chamillard. in Prudentium. Harduin. in Plinium. Tamen & minores quoque *victimas* inaurari docet Liv. XXV. 12. *Alterum SCtum factum est, ut decemviri sacra Græco ritu facerent, hisque hostiis, Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ bove femina aurata.* Non tamen ullo jure carpitur Plinius ex verbis Livianis, quasi patrii moris parum gnarus. Tradit enim Plutarch. p. 273. A. in triumpho Macedonico Paulli Æmilii *ductos fuisse boves auratis cornibus centum viginti, vittis sertisque redimitos*, nulla minoris pecoris facta mentione. Non enim confundendi sunt ludi Apollinares, ritu Græco facti, cum triumphis mere Romanis. *Broukh. in Tibullum.* Ornabatur verbena. V. supr. in *Verbena.* Hinc aurata dicebatur. Tertull. de Idolol. c. 6. *Negas te, quod facis, colere? sed illi non negant, quibus hanc saginatiorem, & auratiorem, & majorem hostiam cædis.* Paschal. & Stuck. l. l. Choul Relig. vet. Rom. p. 245. Cerda in Virgilium. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 49. Hartung. Memorab. III. 8. 18. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 17. Salmas. in Trebell. Gallien. c. 8. Nonn. in Goltz. Jul. Cæs. Nomism.

p. 47. Saubert. l. l. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 649. Priusquam immolabatur, ei pili in vertice evellebantur. Homer. Iliad. III. 273.

Agnorum ex capitibus abscidit pilos.

Virg. Æneid. VI. 245.

Et summas carpens media inter cornua setas.

Fuit hoc indicium victimæ devotæ jam, & a profanis usibus separatæ. *Cerda in Virgil. Hartung. ibid.* II. 7. 17. Non omnes omnibus diis, sed quibusdam quædam sacrorum legibus reperiuntur. Arnob. VII. p. 224. *Ille taurus deus, hædis aliis litatur, aut ovibus: hic lactentibus porculis: ille intonsis agnis: hic virginibus buculis: capris ille cornutis: hic sterilibus vaccculis: at ille fœtantibus scrophis: hic albentibus ille tetris: alter feminei generis: alter vero animantibus masculinis. Nam diis feminis feminas, mares maribus victimas immolare prisca, & interior sacrorum ratio fuit.* Serv. Georg. II. 180. *Victimæ numinibus, aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus Plutoni. Per contrarietatem, ut porca, quæ obest frugibus, Cereri; & caper, qui obest vitibus, Libero; item capra Æsculapio, qui est deus salutis, cum capra nunquam sine febre sit.*. Jovi taurum, verrem, arietem immolare nefas erat. V. supr. in *Taurus*. Guther. de Vet. jur. pont. IV. 18. Saubert. de Sacrif. c. 18. Nigri coloris diis inferis, albi superis immolabantur. Causam reddit Arnob. VII. p. 225. *Quia, inquit, superis diis, atque omnium dexteritate pollentibus color lætus acceptus est, ac felix hilaritate candoris. At vero diis lævis, sedesque habitantibus inferas color furvus est gratior, & tristibus suffectus è fucis.* Virg. Æneid III. 120.

Nigram hyemi pecudem, zephyris felicibus albam.

Saubert. l. l. Nigras diis inferis ab omni antiquitate immolatas esse colligimus ex Homero, qui funus Achillis describens ait Odyss. l. XXIV.

— *multas autem in ipso*
Oves jugulavimus valde pingues, & nigras boves.

Virgilius id passim tradit. Æneid. v. 97.

— *cædit quinas de more bidentes,*
Totque sues, totidem nigrantes terga juvencos.

VI. 243.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit.

Arnob. VII. p. 226. *Quæ causa, quæ ratio est, ut tetræ his hostiæ furvique immolentur coloris? Quia nigra nigris conveniunt, & tristia consimilibus grata sunt.* Norif. Cenot. Pisan. Diss. III. p. 397. Junius Adag. v. 56. Struv. Antiq. Rom. c. 10. p. 19. Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 21. Stewech. & Elmenhorst. in Arnobium. Saubert. l. l. Ad superorum vero, sacrificia, albi coloris victimæ deligebantur. Arnob. II. p. 91. *In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quam nivei tauros immolare candoris.* Ammian. XXII. 12. *Immolabat aves candidas, terra quæsitas, & marı.* Sil. Ital. III. 217.

Tum niveum regi, Martique sub omine fausto
[illegible] es, utroque ante omnia tauro
P[illegible] meritis monitor Cyllenius aris.

Saubert. & Kipping. l. l. V. & supr. in *Hostia.*

VICTIMARII erant ministri sacerdotum, qui victimas adducebant, & ligabant, quique cultrum, item aquam, molam, & reliqua, quæ sacris erant necessaria, parabant. Val. Max. I. I. 12. *Libros Petilius prætor urbanus ex auctoritate senatus, per victimarios facto igne, in conspectu populi cremavit.* Liv. XL. 29. *Libri in comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt.* Pictura hujusmodi victimariorum in Trajani columna extat: ubi verrem unus, alter autem ad sacrificium deducentes pinguntur. *Cultrarii* etiam vocabantur. Suet. Calig. c. 32. n. 8. *Cultrarium mactavit.* Solebant esse succincti. Ovid. Fast. I. 319.

Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cœlitibus quo feriente cadit.

Stuck. de Sacrif. p. 105. Saubert. de Sacrif. c. 6. Choul de Relig. vet. Rom. p. 254. Guther. de vet. jur. pont. II. 14. Struv. Antiq. Rom. c. 10. p. 470: c. 12. p. 640. Panvin. de Civit. Rom. c. 44. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 15. Reinef. Inscript. Class. v. n. 35. Casal. de Prof. Rom. Rit. c. 15. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 1. Laurent. var. sacr. gentil. t. 14. Alex. Gen. IV. 17. Alio corpore nudo, ab umbilico ad pedes involuti erant veste, qui limus dicebatur. V. supr. in *Limus*.

VICTOR Publius eisdem temporibus, quibus S. Rufus sub Valentiniano, & Valente Imperatoribus vixit, qui & ipse, meliori tamen fato quam Rufus, librum brevem de Urbis regionibus digessit: illius enim liber & diu occultus fuit, & nunc imperfectus prodiit. *Victoris* autem longe ante ab Aldo Manutio primum publicatus est, deinde ab aliis sæpe excusus, postremo nunc longe emendatior, centum & amplius locis auctus, mea opera in publicum exit: quod ex utriusque libri collatione facile intelligi poterit. Hic eadem propemodum ratione, qua Rufus, Urbis regiones descripsit. Multa tamen sunt in Rufo, a Victore omissa, multaque e contrario Victor enumerat, quæ Rufus præteriit. Hic unus libellus est, cujus potissimum ope omnes, qui hactenus de Urbis Romæ antiquitate scripserunt, mirum in modum sublevati sunt. Cujus etiam vel male intellecti, vel concisi occasione, multos passim errores in universa Romana antiquitate commiserunt. Quare ejus nunc cum Rufo restituti auxilio, multa vel in melius restituta sunt, vel omnino immutata. Porro autem hic liber ex eadem prodiit, qua Rufus, officina; erat enim & ipse iisdem literis, quas majusculas vocant, descriptus. Quem ut ab antiquitatis studiosis aliquam gratiam inirem, cum ipso Rufo meæ Urbis Romæ descriptionis integræ, accurateque excusum addere institui, ut omnes & P. Victorem integrum tandem in manibus habeant, & per quos ego in hoc opere profecerim intelligant. *Panvin. Præfat. ad P. Victor. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. p. 35. Qui & singularem de eodem commentarium pollicitus, an illum absolverit. V. supr. in *Sextus Rufus.*

VICTORIA pingitur aliquando alis carens. Habuit Athenis sacellum in arce, ad cujus statuæ similitudinem Mantinenses quodam bello confecto unam dedicarunt. Pausan. Lacon. p. 97. Hujus involucris simulacrum visitur in nummo Titi, æternitatem ejus victoriarum denotans. Pacat. Panegyr. *Recte profecto germana illa pictorum, poetarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum Fortuna euntium, non cursus est, sed volatus.* Sic Ausonius eam alloquens ait Epigr. I. 2.

Tu quoque ab aerio præpes Victoria lapsu.

In mea tabula exhibetur orbi insistens cum alis expansis, sive ad designandam *victoriam* terrestrem diversam a navali rostro navis insistenti, ut in nummis Vespasiani, & Titi: sive quia per totum terrarum orbem dominatur. Palmam dextra gerit *victoriæ* symbolum: unde palmaris dea vocatur ab Apul. Met. II. p. 39. *Attollebant statuas palmaris deæ.* Læva coronam tenet *victoris* præmium, qua eundem coronatura est. Ovid. Trist. II. 169.

Sic adsueta tuis semper Victoria castris
Nunc quoque se præstet, notaque signa petat.
Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis;
Ponat & in nitida laurea serta coma.

In senatu asservabatur imago *Victoriæ* alatæ, de qua Lamprid. Alex. Sever. c. 14. *Pater eadem nocte in somniis vidit alis se Romanæ Victoriæ, qua in senatu, ad cœlum vehi.* Tres fratres illi assignantur, Zelus, Potentia, & Vis, sine quibus principes nec *victoriam* obtinere, nec imperium adipisci queunt. Numen hoc irridet Prudent. contr. Symmach. II. 35.

Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est,
Et Deus omnipotens: non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioque revincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

La

La Chauſſe de deor. ſimulacr. tab. xxix. Auguſt. de Legib. in Clodia de Victoriatis. Moreſtell. de Fer. Roman. Dial. xiv. Argol. in Onuphr. de Lud. Circenſ. i. 16. & 17. Buleng. de Circo c. 38. Turneb. Adv. xiii. 12: xxvii. 2.

Victoriæ Germaniciana. Hanc Victor collocat in regione Urbis decima. De hac nihil præciſe legi. Sed apud Tacit. Annal. ii. 83. 1. conſtat plures honores, & divinos, arcusque, & clypeos mortuo Germanico decretos: & ſubjicit, *ſtatuarum, locorumve, in queis coleretur, haud facile quis numerum inierit.* Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 365. D.

VICTORIATUS *qui nunc appellatur, lege Clodia percuſſus eſt. Antea enim hic nummus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur. Eſt autem ſignatus victoria, & inde nomen.* Plin. xxxiii. 3. Quanti æſtimaretur, docet Mœcian. Ictus de Aſſe: *Victoriatus nunc tantundem valet, quantum quinarius olim, ac peregrinus nummus loco mercis, uti nunc tetradrachmum, & drachma habebatur. Denarius primo aſſes decem valebat, unde & nomen traxit. Quinarius dimidium ejus, id eſt, quinque aſſes, unde & ipſe vocatur. Nunc denarius ſexdecim, victoriatus & quinarius octo aſſes valet.* Auguſt. de Legib. in Clodia in Victoriatis. Briſſon. Antiq. Select. i. 8. Urſat. de Not. Antiq. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 752. E. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 75. Lipen. de Stren. c. 3. §. 36. Alex. Gen. iv. 15. Agricol. de Pond. Roman. iv. p. 99. Zimmerman. Floril. Philol. p. 771. Jun. de Pictur. ii. 8. Gronov. de Pecun. vet. iii. 12. Hotman. Antiq. Rom. iv. 2. 9. Pigh. Annal. Rom. i. p. 451.

VICTUA erat dea, quæ *victui* præerat. Arnob. iii. p. 115. *Victua ſanctiſſima victus procurat.* Putean. Reliq. Conviv. prisc. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. xii. p. 261. C.

VICUS nihil aliud quam multæ domus junctæ, ſeu de urbanis, ſeu paganis *vicis* ſermo ſit. Nam minime idem eſſe *vicum* & pagum indicat Tacitus, qui *pagum, vicumque* jungit Germ. c. 12. n. 5. *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos vicoſque reddunt.* Voſſ. Lex. Etymol. *Vicus* vel eſt extra urbem, vel in urbe. Si extra urbem, conſtat e pluribus caſis, & eſt nulla munitione ſeptus. Cicer. Fam. xiv. 1. *Quod ſcribis te vicum vendituram: quid, obſecro te, quid futurum eſt?* xv. 4. *Quintum fratrem negotio præpoſui, ut in vicis, aut captis, aut male pacatis exercitus collocaretur.* Si in urbe, ædium eſt continuata ſeries, non ipſa via, quæ ſuo nomine appellatur. Cicer. Offic. iii. 20. *Omnibus vicis ſtatuæ factæ ſunt.* Quia non in media via, ſed prope ædes ponuntur ſtatuæ. Attic. iv. 3. *Supero Craſſum divitiis, atque omnium vicos, & prata contemno.* Quo loco divitiæ primum urbanæ, deinde ruſticæ demonſtrantur. Horat. Epiſt. ii. 1. 269.

Deferar in vicum vendentem thus, & odores.

Manut. Quæſ. Epiſt. iii. 7. Bergier. de viis milit. v. Sect. 6. §. 4. & 5. *Spatium Urbis in vicos diviſit Auguſtus, & inſtituit, ut hos magiſtri e plebe cujusque viciniæ electi ſortito tuerentur.* Suet. Aug. c. 30. n. 2. *Donat. de Urb. Rom.* i. 27. *Bergier. ibid.* i. *Sect.* 5. §. 7. Et illos quidem 424. Ita legere eſt apud Victorem recentiorem. *Nardin. Rom. Vet.* viii. 1. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 390. *Pitiſc. in Suetonium.* Areæ, id eſt, intervalla, ſive loca vacua, & pura erant inter *vicos*. Non enim *vici*, ab altera via militari ad alteram producti, non fuerunt adeo contigua ſerie continentes, quin interjecta fuerint intervalla vacua, larga, ſpatioſa, pura, quæ iſtos diſtinguerent. Varr. de Ling. Lat. iv. 4. *Ubi frumenta ſecta teruntur, & areſcunt, area: propter horum ſimilitudinem loca in Urbe pura, area.* Bergier. ibid. Sect. 7. §. 2. Singuli porro *vici* ſuas habebant ædiculas, uti parœciæ ſolent noſtri ævi. *Nardin. Rom. Vet.* ii. 5. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 2. §. 3. Ædiculæ hæ non erant in areis, ſed finiebant, & claudebant *vicos*: unde ædicularum numerus erat par numero *vicorum*, cum quemvis *vicum* terminaret ædicula, fronte ad viam publicam obverſa. *Bergier. ibid. Sect.* 7. §. 5.

Vicus Æmilianus fuit locus extra Urbem, ad campum Martium, conjunctus tamen, continensque Urbi. Varr. de Re Ruſt. iii. 2. *Eorum ædificia, qui habitant extra portam frumentariam, aut in Æmilianis.* Suet. Claud. c. 18. n. 2. *Cum Æmiliana pertinacius arderent.* Ideo legendum *in Æmilianis* apud Tacit. Annal. xv. 40. 3. *Plus infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigellini in Æmilianis proruperat.* Eſt tamen in ipſa Urbe & *vicus* Æmilianus regione viii nominatus S. Rufo, *Lipſ. in Tacitum, Beroal. & Torrent. in Suetonium.* At ſi Neronis incendium in Æmilianis ortum eſt, campusque Martius intactus reſtitit, ut ex eodem Tacito videre eſt, qui ait c. 39. n. 2. *Neronem patefeciſſe populo exturbato, & profugo, campum Martis, ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam ſuos:* non potuerunt Æmiliana in campo Martio eſſe, niſi Lipſius campum Martium ita late acceperit, ut etiam regionem viæ latæ, a Tacito minime deſignatæ, illi includat. Additio præpoſitionis *In*, ab eodem inſertæ, ingenioſa eſt, Varroni, cæteriſque conſona. Certum enim eſt, Tacitum illic de prædiis urbanis loqui, ædibus, tabernis, granariis, cæteriſque id genus aliis ædificiis, quæ Tigellinus illic poſſediſſe potuit. Æmiliana tractum fuiſſe credo ædificiorum cohærentium, ab Æmilianis monumentum ita appellatum, ut de Marianis dictum eſt ſupr. in *Monumenta Mariana.* Hic etiam *vicum* Æmilianum lubens poſuerim. Fuiſſe ad Urbis mœnia recte Lipſius ſtatuit, non tamen campo Martio vicina fuere. Quod autem e Varronis id verbis aſſerere nititur, in eo fruſtra eſt, ille enim de incolis extra mœnia in illa planitie habitantibus loquitur, quæ hinc viam latam, inde imminentem ſibi habebat Quirinalem, ubi nunc area eſt SS. Apoſtolorum, & palatium Columnenſium: quo loco ſi inceptum Romæ incendium dicamus, nil dixerimus abſurdi. Ita namque Suet. Claud. c. 18. n. 2. *Cum Æmiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus manſit, ac deficiente militum, ac familiarum turba, auxilio plebem per magiſtratus ex omnibus vicis convocavit, ac poſitis ante ſe cum pecunia fiſcis ad ſubveniendum hortatus eſt, repræſentaturus pro opera dignam cuique mercedem.* Ubi inter Æmiliana, & diribitorium tantum interfuiſſe ſpatii deſcribi videtur, quantum nunc inter collegium Romanum, & eccleſiam SS. Apoſtolorum intermedium eſt, palatiumve Columnenſium. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 10. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 9. §. 3.

Vicus Africus collocatur in Exquiliis a Varr. de Ling. Lat. iv. 32. *Eſquiliis vicus Africus, quod ibi obſides ex Africa bello Punico dicuntur eſſe cuſtoditi.* Hunc ego vel in ea Eſquiliarum fuiſſe parte exiſtimo, quæ in regione tertia fuit, caput autem in ſecunda habuit, & exinde non longe a S. Matthæi abeſſe potuit in Merulana. *Nardin. Rom. Vet.* iii. 6: iv. 4.

Vicus Alexandri a civitate Romana tribus paſſuum millibus in via Oſtienſi fuit remotus. Ammian. xvii. 4. ubi de obeliſco circi maximi agit. *Defertur in vicum Alexandri tertio ab Urbe lapide ſejunctum; unde chamulcis impoſitus, tractusque lenius per Oſtienſem portam. . . .* Nardin. Rom. Vet. i. 8. Fabrett. de Aquæduct. Diſſert. iii. n. 296. Forte dictus ab Alexandro Severo. *Nardin. ibid.* vii. 9.

Vicus Archemorius verſus fontem Trevium in ſeptima Urbis regione occurrit. De illo Victor, & Rufus. Fuit in eo tractu, locove, ubi nunc eſt eccleſia S. Nicolai; cui cognomen a capo le caſe, ſeu ad caput ædes. La namque eccleſia ſequioribus ſeculis de Archimoniis inde appellata fuit. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 9. *Borrich. Antiq. Urbi Fac. c.* 9. §. 1.

Vicus Brutianus. V. illum ſupr. in *Campus.*

Vicus Bubularius novus fuit prope montem Palatinum, ubi & locus, cui Capita bubula nomen, extitit. Ejus fit mentio in veteri inſcriptione apud Gruter. p. 621. n. 4.

MAG. VIC. BUBULARI
NOVI. REGIONIS. VIII.

Nardin. Rom. Vet. v. 16.

Vicus Cajanarum a Victore in regione Urbis decima quarta collocatur. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 373. *F.*

Vicus Callidius ab area Callidii in regione Urbis ſeptima eſt denominatus. Sed ejus nullibi mentionem fieri invenio. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom* III. *p.* 347. *C.*

Vicus Caprarius ab ædicula Capraria in regione Urbis ſeptima eſt denominatus. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 348. *B.*

Vicus Capulatorum in quinta fuit Urbis regione. *Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 334. *E. p.* 343. *A.*

Vicus Colapeti in baſi Capitolina Colaſiti Paſtoris dicitur, quod & recentioris Victoris deſcriptor videtur obſervaſſe, qui hic adnotavit. *Colaſiti, alias Colapeti Paſtoris.* Nardin. Rom. Vet. VII, 6.

Vicus Corneliorum, ut ferunt, fuit ea parte hortorum Columnenſium, quæ cœnobio SS. Apoſtolorum objecta eſt; ubi altam ſemitam incepiſſe ſcriptores proximi ſeculi tradunt, *vicum* illum ſua adhuc ætate *vicum* Corneliorum appellatum affirmantes, ibidemque eccleſiam S. Salvatoris tum fuiſſe appellatam de Corneliis. Nobis, quibus tanto lumine perfundi non licuit, credendi partes relictæ ſunt, ſicut illis fuerunt hoc aſſerendi. In hoc *vico* duas prægrandes ajunt ſtatuas fuiſſe, quæ ante ſeculum ita deſcriptæ ſunt. Senes erant duo, media corporis parte nuda jacente, ſuperiore erecta cum cornu copiæ in manu. Hos Apollodorus ante annos trecentos Saturnum, & Bacchum eſſe dixit, & in proximo ſua habuiſſe templa. Ego vero nullus dubito, quin Nili, & Tiberis ſint, quæ hodie a latere fontis viſuntur in Capitolio. Bacchus enim nunquam fictus, pictusve ſenex viſus eſt: & ſi Nili illic ſtatua fuit, indicium id non leve eſt, fuiſſe ibidem & Serapeum, quod a Rufo, & Victore hic memoratur. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 22.

Vicus curiarum fuit in ea parte palatii, quæ nunc eccleſiam S. Gregorii reſpicit. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 12. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 12. §. *E.*

Vicus cyclopis forte fuit prope antrum cyclopis in ſecunda Urbis regione. Inſcriptio:

CURTILIUS. HERMEROS
FECIT. SIBI
CURTILIÆ. ANTHIDI
CONJUGI. SUÆ. CARISSIMÆ
ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQUE
SUIS. POSTERISQUE. EORUM
MAGISTER. VICI. AB. CYCLOPIS
REGION. PRIM. FABER. ARGEN
TARIUS.

Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. *p.* 285. *A.* Verba illa *Magiſter vici ab cyclopis* non indicant *vicum* dictum eſſe cyclopis: at hoc inde erui poſſit, ab antro cyclopis *vicum* inchoatum, cujus Curtilius magiſter fuit: tum & antrum cyclopis in confinus regionis primæ fuiſſe, cujus ille *vicus* fuit, adeoque in parte illa ſecundæ, quæ portæ Capenæ proxima fuit. Ex eadem inſcriptione nonnihil lucis affulget, qua, deficiente incolarum numero, vel alia aliqua de cauſa, *vicos* ſenſim antiqua perdidiſſe nomina cognoſcimus, & hinc forſitan *vicomagiſtros* non unius ſingularis *vici*, ſed plurium conjunctorum creari ſolitos: nam verba illa, *magiſter vici ab cyclopis* nihil aliud ſignificare videntur, quam *magiſter vici*, & quidquid ei cis antrum cyclopis fuit additum. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7.

Vicus Cyprius occurrit in aſcenſu Eſquiliarum. Varro de Ling. Lat. IV. 32. *Vicus Cyprius a cypro: quod ibi Sabini cives additi conſederint: qui a bono omine id appellarunt. Nam cyprum Sabine bonum.* Liv. I. 48. ſubobſcure eundem Cyprium, & ſceleratum videtur facere: *Cum ſe domum* Tullia *reciperet, perveniſſet ad ſummum Cyprium vicum, ubi Dianium nuper fuit, flectente carpentum dextra in Virbium clivum, ut in collem Eſquilinum eveheretur: reſtitit pavidus is, qui jumenta agebat, jacentemque domina Servium trucidatum oſtendit. Fœdum, inhumanumque inde traditur ſcelus, monumentoque locus eſt. Sceleratum vicum vocant, quo amens cogitantibus furiis ſororis ac viri, Tullia per patris corpus carpentum egiſſe fertur.* Aperte unum clamat Dionyſ. IV. p. 242. *Vicus Cyprius tum dictus, ex eo diro caſu ſceleratus eſt vocatus mutato nomine.* Varro utrumque ſejungit, quem placet ſequi. Nam & Livius, in hanc ſententiam ſi perducimus, fortaſſe non repugnat. *Donat. de Urb. Rom.* III. 9. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 10. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 25. Opinio mea eſt, &, ut exiſtimo, a vero non procul remota, *vicum* Cyprium ad turrim comitum incepiſſe, & ſecundum ima Quirinalis ad B. Virginis in montibus ædem perveniſſe. Nec ignoro tamen, *vicum* Cyprium a pleriſque exiſtimatum ad illum fuiſſe clivum, qui trans templum Pacis, & hortos pios, ad S. Petri in vincula extenditur. Verum ut hanc ſententiam minus veram eſſe credam, adducor argumentis I. quod regia Servii Tullii, ad quam per *vicum* Cyprium primum, dein per ſceleratum adibatur, non fuit ad S. Petri in vincula, verum ſuper *vicum* patricium, non adeo longe ab æde S. Praxedæ, ad quam nec brevior, nec commodior via iri potuit, quam per hodiernam Suburram, tractumque S. Luciæ in ſilice. II. quod Varro modo laudatus *vicum* Cyprium deſcripſerit: quod ſi enim Sabini illic primum habitarint, ſive illi Romanis ſub Tito Tatio adjuncti fuerint, ſeu poſtea cum Numa admiſſi, ut Varro, aliique crediderunt, non potuerunt ſedem collocaſſe ſub Eſquiliis: quippe quæ tempore Tatii, & Numæ longe ab urbe Roma diſſitæ fuerint, eidemque poſt cæteros colles omnes demum additæ. Neque vero uſquam legitur, Sabinos in planitie, ſeu convalle habitaſſe; verum contra ea in Quirinali, una cum Tatio. Ita enim Dionyſ. II. p. 111. qui & Numam in eodem colle habitaſſe ſcribit, qui & ipſe e Sabinis. Hæc autem a Varrone allata de *vico* Cyprio opinio, ſive ea vera fuit, ſive falſa, Varronem, aliosque inducere potuit, ut crederent, eundem, quod ad ima Quirinalis olim habitarint Sabini, ab illis nomen ſuum accepiſſe. III. quod Tullia, ita prodente Livio, ut e *vico* Cyprio ad clivum Urbium iret, dextrorſum iter flexerit, quæ, ſi e foro ad S. Petri in vincula iviſſet, ad clivum hunc ſe convertere debuiſſet in ſiniſtram. Adde, quæ de tigillo ſororio dixit Dionyſius laudatus in *Tigillum.* Si enim ille angiportus e Carinis ad *vicum* Cyprium deorſum duxit, non verſus Eſquilias directus eſſe potuit, ubi editiſſimum fuiſſe Carinarum locum conſtat. Ergo a Carinarum parte Eſquiliis proxima deorſum verſus turrim comitum duxit, ubi *vicus* erat Cyprius, & nunc via eſt contermina Pantanis in veterum Carinarum parte omnium depreſſiſſima. Exibat in *vicum* ſceleratum. Dionyſius enim, ſed fruſtra utrumque pro eodem ponit. Sed potius audiendus eſt Varro l. l. *Vicus Cyprius a cypro. . . . . Prope hunc vicus ſceleratus dictus a Tullia Tarquinii Superbi uxore, quod ibi cum jaceret pater occiſus, ſupra eum mitteret carpentum mulio, juſſit.* Plus adhuc lucis e Livio jam laudato. Quod ſi hic Tullia, quum ad ſummum Cyprium *vicum* perveniſſet, ut ad clivum Virbium, vel Urbium pergeret, dextrorſum carpentum flexit, in fine Cyprii *vici* bivium fuiſſe neceſſe eſt, cujus dextram viam ingreſſa Tullia fuerit, in qua pater ejus jacebat trucidatus, ſuper cujus illa cadaver currum egit: atque hinc via illa dextera, non autem ipſe Cyprius *vicus*, poſtea a ſcelere cognomen hoc accepit. Bivium hoc, quantum e ſitu loci colligere eſt, explicandum videtur. Via illa, cui olim *vico* Cyprio nomen, ſemper ima Quirinalis legens, uſque ad eccleſiam B. Virginis in montibus ducit, quo antequam perveniat, collem illum relinquens in dextram diſcedit, ut eccleſiam illam, ut mihi videtur, prætranſeat. Veruntamen olim una cum colle ſemet extendens retro eandem eccleſiam (hoc autem inde liquet, quia alias Tullia ad clivum Virbium carpentum ſuum dextrorſum non flexiſſet, ſed recta perrexiſſet, uti nunc illuc itur) cum haberet ibidem exacte ſibi oppoſitum promi-

nentem Viminalis angulum, in duos aliarum desinebat viarum introitus, ab utroque scilicet collis istius latere. Sinistra erat, per quam hodie a S. Mariæ in montibus ad S. Vitalis itur, ac montem Quirinalem: dextra, quæ ducit ad hodiernam Suburram, & clivum Virbium in Esquiliis. Non longe igitur ab hac ecclesia vetus sacellum fuit Dianium, quod Dianæ dedicatum fuisse credibile est, & caput *vici* scelerati, ubi Tullius ab immissis a Tarquinio percussoribus occisus concidit, atque a scelerata filia conculcatus fuit, haud procul a fonte, qui hodie ad latus ecclesiæ fuit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 15. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 5. §. 3.

Vicus Fortunæ dubiæ a Victore in regione Urbis tertia & decima constituitur, in decima quarta fuit regione. Is autem sine dubio nomen ab cognomine templo acceperit, quæ quæso eorum vicinitas in tam disjunctis esse potuit regionibus, nisi *vicum vico* in utraque sibi ripa fluminis oppositum, adeoque tum templum, tum *vicum* fortunæ dubiæ in ripa Tiberis ad Testaceum extra Urbem fuisse existimemus? Hoc pacto res facilis factu fuerit, ut eodem die & plebs fortis fortunæ, & servi fortunæ dubiæ festum in utraque sibi adversa ripa egerint. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11.

Vicus Fortunæ mammosæ in duodecima Urbis fuit regione, dictus a fortuna mammosa. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 369. *C.*

Vicus Fortunarum intra Collinam fuit portam. Ex Rufo, & Vitruv. III. 1. hoc exsculpimus, in quo templum unum fortunæ reduci surgebat, unum fortunæ liberæ, unum fortunæ statæ. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 8. §. 5. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7.

Vicus Ganymedis est prope lacum Ganymedis in septima regione Urbis apud Rufum. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 348. *A.*

Vicus Gentianus a castris Gentianis in septima Urbis regione est denominatus. Castra illa erant, in quibus Lollianus Gentianus consularis, exercitibus præfectus, milites continebat. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 348. *D.*

Vicus Jani fuit in Urbis nona regione, de quo Porphyr. in Horat. Epist. I. 20. 1. *Janus quoque vicus est ab Jano Gemino sic appellatus, qui in eo locum sibi habet consecratum, per quos duos.* Janum scilicet, & Vertumnum, de quibus illic agit Horatius, *significat loca, in quibus cum ceteris rebus etiam libri venales erant.* Nardin. Rom. vet. VI. 2. Lipen. de Stren. IV. §. 44.

Vicus Januclensis occurrit in marmore Capitolino, quo recensentur *vici* quinque Urbis regionum. Videtur hoc accipiendum de *vico* XIV. regionis Cistiberinæ, a quo per pontem Januclensem via patebat ad Janiculum. *Voss. de Magnit. Rom. Vet. c.* 5.

Vicus Jugarius per radices Capitolii a porta Carmentali in forum Romanum præbuit aditum. Liv. XXVII. 37. *A porta jugario vico in forum venere.* Jugarii obtinuit nomen, *quod ibi fuerat ara Junonis Jugæ, quam putabant matrimonia jungere.* Festus. Vel a jugis, quæ ibi fiebant. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 13. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 356. *D. Donat. de Urb. Rom.* II. 14. *Nardin. Rom. Vet.* V. 5. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 8. *Blend. Instaur. Rom.* III. §. 67.

Vicus ad Malum Punicum dictus. V. illum supr. in *Malum Punicum.*

Vicus Mamurii est dictus a statua ejus plumbea, quod opus antiqui ferunt anciliorum artificis. Fuit ad ædem S. Susannæ. Constat ex actis ejus sanctæ virginis apud Cardinalem Baronium, in quibus hæc habentur: *Erat conjuncta Cajo domus cum ædibus S. Susannæ, & Gabinii patris ejus. Facta sunt hæc in sexta regione apud vicum Mamurii ante forum Sallustii.* Donat. de Urb. Rom. III. 15. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 344. F. Nardin. Rom. Vet. IV. 7. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 8. §. 4. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 9.

Vicus Melius fuit proximus Tusco, & Jugario. Ejus mentionem facit Liv. XXXIII. 11. *Lupus Tusco vico, atque inde Melio per portam Capenam intactus evaserat.* Donat. de Urb. Rom II. 27.

Vicus Minervæ a Victore in tertia & decima Urbis regione ponitur. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p* 371. *F.*

Vicus palloris, ut Rufo dicitur, in primo veteris campi Esquilini situ fuerit, cui forte a cadaverum pallore denominatio obtigit, quum in altera istius campi parte tenuiorum cadavera usta, viliora vero, & mancipiorum projecta sint insepulta. Forte & per *vicum* palloris transitus ad portam Esquilinam fuit. Nisi quis de isto *vico* eum accipere velit, in quo Tullus Hostilius fana pavoris, & palloris ex voto dedicavit: qua de re Liv. I. 27. *In re trepida vovit fana pallori, ac pavori.* Nardin. Rom. Vet. VI. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 4.

Vicus patricius fuit ea via, quæ ab hodierna Suburra inter Viminalem, & Esquilias ad S. Pudentianæ extenditur, & villam Peretam. Festus: *Vicus patricius in Esquiliis fuit, quod ibi patricii habitarent, jubente Servio Tullio, ut si quid adversus Principem molirentur, e locis opprimerentur superioribus.* Mart. VII. 72. 1.

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua patricius culmina vicus habet.

Donat. de Urb. Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. IV. 3. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. §. 4. Bellori. Fragm. vest. vet. Rom. tab. IX. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 20. Aring. Rom. Subterr. IV. 42. 2. Boissard. Topogr. Urb. Rom. I. p. 43. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 7.

Vicus piscarius in undecima Urbis regione a Rufo recensitus, tantum non certum mihi conjunctionis hujus *vici* cum foro ejusdem nominis argumentum videtur, atque ita forum piscarium non nisi in extremitate regionis VIII. esse potuit, XI. forte attingens, in qua ipse *vicus* fuit. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 4.

Vicus piscinæ publicæ a Victore ponitur in regione Urbis duodecima. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 17.

Vicus portæ Næviæ a Victore enumeratur in regione Urbis duodecima. *Donat. de Urb. Rom.* I. 21.

Vicus portæ Raudusculanæ a Victore enumeratur in regione Urbis duodecima. *Donat. de Urbe Rom.* I. 21.

Vicus publicus qui vocitatur a Plutarcho laudato supr. in *domus P. Valerii*, est illa via, quæ a via sacra ad circum tendebat. Hoc perquam verisimile est. Nam ut a Plutarcho, ita & a Livio *vicus publicus* appellatur II. 7. *Delata*, inquit ille, *confestim materia omnis infra Veliam, & ubi nunc vicus publicus est: domus in infimo clivo ædificata*, qui *infimus clivus Victoriæ* Festo dicitur. Forsan autem *vicus* hic non Publicus, sed Poblicius nominandus est, ita ut hic libri corrupti sint. Cæterum non me fugit, esse nonneminem, qui ex vitioso Livii codice, pro *ubi nunc vicus publicus est*, habente *ubi nunc vice potæ est*, aliam nobis lectionem cudat, restituendumque existimet, *ubi nunc Vicepotæ est*, atque etiam in Plutarcho, pro eo quod nunc legitur, *quod vicum publicum dicunt*, emendet, *quod Vicepotæ dicunt.* Verum cum nulla usquam istius deæ exstet mentio (nisi forte probabilior illa emendatio videtur, *ubi nunc Victoriæ est*, legentis) vulgatam ego lectionem sollicitare vix ausim, præsertim in Livio, quæ, præterquam quod plana, & perspicua sit, *vici, & clivi publici*, seu *Poblicii*, inter Veliam, & Aventinum siti, testes plures idoneos habet. *Nardin. Rom. Vet.* V. 5. Nonnemo ille, de quo Nardinus, est *Nicolaus Faber ad Apocolc. Senec.* §. 18.

Vicus quatuor fontium e monte Pincio deducit in Esquilias. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15.

Vicus Quirini in colle Quirinali, cujus mentionem Rufus fecit, fuit vel ad templum Quirini, vel in colle. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6.

Vicus sandaliarius appellatus ab arcu Titi ad templum hodie D. Mariæ Liberatricis recta porrigebatur in radicibus Palatini, statua Apollinis sandaliarii celebris, & frequens librariorum officinis. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 6. §. 6. Ejus mentio est in vetusta hac inscriptione:

GER.

GERMANICO. CÆSARE
COSS
C. FONTEJO. CAPITONE
KAL. JUN.
SEJÆ. FORTUNÆ. AUG
SACRUM
SEX. FONTEJUS. Ↄ. L. TROPHIMUS
CN. POMPEJUS. CN. L. NICEPHORUS
MAG. VICI
SANDALIARI. REG. IIII
ANNI. XVIII. D. D.

Meminit etiam Gell. XVIII. 4. *In ſandaliario forte apud librarios fuimus.* Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 288. F. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Græv. ibid. p. 337. B. Nardin. Rom. vet. III. 13. Bellor. Fragm. veſtig. vet. Rom. tab. IV. Ozel. in Gellium. Lipen. de Stren. c. 2. ſec. æt. § 11.

Vicus Scauri olim dictus eſt clivus, quo ſecundum ædem SS. Joannis, & Pauli aſcenditur, dextrorſum habuit paternas ædes B. Gregorii, & in cœnobium, ac S. Andreæ templum a ſanctiſſimo pontifice converſas. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12.

Vicus ſceleratus unde fuerit dictus V. ſupr. in *Vicus Cyprius.* Occurrit in aſcenſu Eſquiliarum. Non eſt idem qui Cyprius. Cyprius enim e ſacra via in ipſa planitie Suburram verſus fuit protenſus; ſceleratus ſecundum radices Eſquiliarum. *Donat. de Urb. Rom.* III. 9. V. plura ſupr. in *Vicus Cyprius.*

Vicus ſigillarius prior a Ruſo collocatur in ſeptima Urbis regione. In illo ſigilla, libri, lances, aliæque res curioſa divendebantur. Libros ibi divenditos fuiſſe oſtendit Gell. V. 4. *Apud ſigillaria forte in libraria ego, & Julius Paulus poeta conſederamus: atque ibi expoſiti erant Fabii annales.* II. 3. *Venit nobis in memoriam Fidum Optatum multi nominis grammaticum oſtendiſſe mihi Romæ librum Æneidos ſecundum, mirandæ vetuſtatis, emptum in ſigillariis.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 9. §. 4. Lipen. de Stren. c. 2. quint. æt. §. 49. Merul. de Sacrif. Roman. c. 20. §. 5. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 350. D.

Vicus ſigillarius minor præbuit Merulæ Coſmogr. II. 4. p. 769. occaſionem ſuſpicandi in regione ſeptima ſigillaria fuiſſe, ubi ſigilla, inquit, libri, lances, aliæque id genus res minutulæ venales exponebantur. Forſan id nominis *vico* ſigillario majori fuit. Verum utrumque hac in regione fuiſſe affirmare non auſim. Sigilla illic facta ne dubitaverim quidem: verum res tantum minutas illic vendi ſolitas, id mihi videtur alienum a ſententia Suetonii, qui de eſſedo illic facto loquens ait Claud. c. 16. n. 9. *Eſſedum argenteum ſumptuoſe fabricatum, ac venale ad ſigillaria, redimi, concidique coram imperavit.* Quoniam vero ſigilla gemmis, & auro, ac argento includi ſolent, aurifices illic, & gemmarios habitaſſe veroſimile eſt: illucque cum uxoribus maritos exſpatiatum iſſe. Suet. Ner. c. 28. n. 5. de Sporo: *Auguſtarum ornamentis excultum, lecticaque vectum, & circa conventus, mercatusque Græciæ, ac mox Romæ circa ſigillaria comitatus eſt.* Vaſa etiam argentea illic vendi fuiſſe ſolita indicat Ictus Scævol. l. his verbis. §. paterfam. ff. de legat. III. *Lances duas leves, quas de ſigillaribus emi, dari volo. . . .* Nardin. Rom. Vet. IV. 10.

Vicus Sucuſanus fuit contiguus Suburæ, cui & ab eo nomen. Si in regione quinta Eſquilina fuit, Subura vero in ſecunda Cœlimontana, inter S. Clementis, SS. Petri, & Marcellini, & *vicum* Sucuſanum, fieri nequit, ut alibi quam inter SS. Petri, & Marcellini ædem, portamque majorem Suburæ conjunctus fuerit, qui locus Gabinis maxime erat oppoſitus. Hic autem initio pagus, poſt incluſis intra mœnia Eſquiliis, *vicus* Sucuſanus factus eſt. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2.

Vicus Sulpicius forte fuit prope mœnia, & portam Capenam. Fuit duplex, ulterior, & citerior: quorum priorem opinor extra portam fuiſſe Capenam, alterum intra eandem, in ea primæ regionis parte, quæ intra portam extitiſſe dicitur. Cæterum non adeo mirum cuiquam videri debet, *vici* Sulpicii citerioris caput XIII. regioni attribui; ſiquidem & viæ novæ caput ad XII. pertinuit. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

Vicus tragœdus a Ruſo inter quintæ regionis *vicos* refertur. Qui nec ubi fuerit, queo dicere, nec aliud, quo illuſtretur, adferre quicquam, niſi Jovis tragœdi ſtatuam, quam ibi poſuit Auguſtus, ut tradit Suetonius laudatus ſupr. in *Jupiter.* Nardin. Rom. Vet. III. 4. Bellor. Fragm. Veſtig. Vet. Rom. tab. IV.

Vicus trium ararum a Ruſo, & Victore in prima Urbis regione collocatur. Quæ vero hæ eſſent aræ, non liquet. *Panirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 324. *D.* In Notitia *vicus vitrarius* nominari videtur: quod ibi vel fornax fuerit vitraria: vel taberna, in qua vaſa vitrea venderentur. Sed magis crediderim illis duobus deſcriptoribus, quibus & baſis accedit Capitolina, quam Notitiæ imperii, quæ hac in voce facile corrupta eſſe poteſt. *Nardin. Rom. Vet.* III. 3.

Vicus Tuſcus fuit in Velabro. Nam Etruſci, qui Porſena Rege venerant ad Urbem, cum deinde iſſent oppugnatum Ariciam, fuſi, cæſique ſunt. Pars exigua Romæ excepti, curatique, hoſpitum, Urbiſque charitate retenti ſunt. *His locus ad habitandum datus, quem deinde Tuſcum vicum appellarunt.* Liv. II. 15. Dionyſ. V. p. 304. *His ſenatus locum in Urbe ad ædificandum dedit, vallem Palatinum inter & Capitolinum colles, quatuor ferme ſtadiis, hoc eſt, paſſibus fere quingentis, protenſam, qui ad noſtram uſque ætatem Tuſcus vicus Romana lingua vocatur, qua tranſitur a foro in circum maximum.* Quibus Dionyſii verbis patet amplitudo loci: & ambitus, opinor, non rectus vici proceſſus deſcribitur inter forum Romanum, & circum maximum. At Varr. de Ling. Lat. IV. 8. ſcribit, *Romulo veniſſe auxilio Cœlium Vibennium Tuſcum contra Sabinum Regem, & Cœlium montem habitaſſe; ſed poſt Cœlii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque ſine ſuſpicione eſſent, in planum deductos. Ab eis,* inquit Varro, *dictus vicus Tuſcus.* Idem ſenſit Tacitus: Nam cum de Cœlii, ejuſque copiarum adventu; non Romulo, ſed Tarquinio Priſco regnante, & mora in monte Cœlio dixiſſet, inquit Annal. IV. 65. 3. *Cætera non ambigua ſunt, magnas eas copias per plana etiam, ac foro propinqua habitaſſe, unde Tuſcum vicum e vocabulo advenarum dictum.* Cæterum cum in parte Velabri Tuſcus *vicus* eſſet, liquet, eundem locum varias ob cauſas varias etiam appellationes ſortitum. Nam, quia olim lacunoſus vehebat naviculas, Velabrum: quia derivatis in fluvium aquis Tuſcis habitationi fuit, Tuſcus *vicus* eſt appellatus. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 8. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 13: IV. 9. In media valle prope jugarium *vicum* ſecure collocari poterit, quoniam via nova Palatino propior erat. Nam a foro recta ad principium, vel etiam ad medium Velabri pertendens non in eo deſinebat, quantum ego quidem judico, ſed illud tranſverſim tranſiens (uti viæ notabiliores, grandioreſque in ſpeciem crucis interſecari ſolent, dum alia aliam tranſit) verſus pontem veterem, Senatorium olim dictum; nunc S. Mariæ, & dirutum, flexu quodam perrexit, licet forte non eodem *vici* Tuſci; ſed alio, ac diverſa notatus, diſtinctuſque nomine. Erant in hoc vico mercatores, & opifices frequentes veſtium non ſericarum, ut nonnulli putavere, ſed lanearum, ut liquet e Mart. XI. 28. 11.

Nec niſi prima velit de Tuſco vellera vico.

Et Juven. Sat. VI. 289.

—— & vellere Tuſco
Vexatæ duræque manus.

Confirmant hoc & tabernæ lanariæ, quæ hic in vicinia fuerunt. Unguentarios, & impios, & nequam homines huic *vico* adſcribit Horatius mox laudandus. Ad quæ Porphyrius: *Ubi harum rerum mercatores, id eſt, unguentarii conſiſtunt.* Acro vero: *Turbam autem impiam aut negotiatores accipimus, aut lenones.* Et paullo poſt:

Deinde quod in vico Turario ante meretrices prostabant, nomen vico dederat. Nec hic solum, sed & superius aliquanto nomen Turarii huic vico dederat: *Tusci ideo, quia nunc vicus Turarius dicitur.* Unde forte de Tusco *vico* Victor accipit, quum Turarium jugario adjungit. Ultra Velabri intersectionem nomen *vici* Turarii non duravit. Patet hoc ex Asconio laudato supr. in *Signum Vertumni*, qui dicit *signum Vertumni esse in ultimo vico Turario.* Nardin. Rom. Vet. v. 5. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 3. Imo in illo solebant consistere homines liberi, qui se venales postulabant. Hoc demonstrat Plaut. Curc. IV. 1. 21.

> *Sub vico Tusco ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.*

Idque etiam voluisse visus est Horat. Sat. II 3. 228.

> *Unguentarius, ac Tusci turba impia vici,*
> *Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum*
> *Mane domum veniant.*

Non enim dubito, quin per *turbam impiam Tusci vici* intellexerit eos homines liberos, qui se vendirabant, qua vix ulla major impietas esse potest. Hanc *turbam impiam* interpretes pessime ad fœneratores retulerunt. Hi enim non in *Tusco vico*, sed *sub veteribus* frequentes erant, & assidui. Plaut. *ibid.* n. 19.

> *Sub veteribus ibi sunt, qui dant, quique accipiunt fœnore.*

Ræward. Conject. II. 8.

Vicus unguentarius erat in regione fori Romani. *Turneb. Adv.* XXVI. 25. In illa a Rufo, & Victore collocatur. In illo unguenta vendebantur. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 356. *E.*

Vicus Ursi pileati, quem Rufus in quinta Urbis regione memorat, fuit eo situ, quo nunc ecclesia est S. Bibianæ ad ursum pileatum. Nomen hoc *vicus* ab imagine aliqua, vel sculpta, vel picta, ursi pileum gestantis inditum facile divinatu est. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 2. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 44. 4.

Vicus ustrinus fuerit in primo veteris campi Esquilini situ. Eo enim loco fuisse credi par est, ubi antiqua plebejorum cadaverum puticuli fœtebant, quod in illo urerentur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 4. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2.

VID.

VIDEANT consules, ne quid Respublica detrimenti capiat, erat formula senat. consulti, quo Respublica consulibus permittebatur, sive committebatur. V. supr. in *Consul* & *Formula Scti.*

VIDERI crimen reum admisisse dicebant in sententiis ferendis judices, quasi conjectura utentes, sed non admisisse. Significatur locus a Cicer. Verr. v. 6. quo in loco Verri objicit, quod fugitivos bellum molientes in Italia comprehensos, de consiliique sententia damnatos ipse post pœnæ exemerit: *O præclarum*, inquit, *imperatorem, comprehendi jussit: quis non pertimescat? causam dicere dominos, quid servis tam formidolosum? fecisse videri pronuntiavit: ortam videtur flammam paucorum dolore, ac morte restinxisse. Quid deinde sequitur? verbera, atque ignes: & ad metum cæterorum cruciatus, & crux: hisce omnibus supplicus sunt liberati.* Plin. XIV. 13. *Cn. Domitius judex pronuntiavit mulierem videri plus vini bibisse, quam valetudinis causa, viro insciente, ac dote multavit.* Idque non in judicando modo prisci, sed testificando etiam observabant. Cujus instituti originem ex Academicorum opinione, docere videtur Cicer. Acad. IV. 47. De Academicis enim loquens, qui scientiam ex cataleps orram e rebus humanis tollebant, ita inquit: *Quam rationem majorum etiam comprobat diligentia: qui primum jurare ex sui animi sententia quemque voluerunt: deinde teneri, si sciens falleret, quod inscientia multa versaretur in vita. Tum qui testimonium diceret, ut arbitrari se diceret etiam quod ipse vidisset: quæque jurati judices cognovissent, ea non ut esse facta, sed ut videri pronuntiarent.* Ex eo more est illud Ulpiani l. cum quidam. ff. de jure fisci: *Cum quidam capitis reus emancipasset filium, ut hereditatem adiret: rescriptum est, non videri in fraudem fisci factum, quod acquisitum non est.* Bud. in Pandect. p. 268. D. Brisson. Ant. Sel. II. 2. de Form. v. p. 482. Siccam. de Centumv. Judic. II. 7. Pollet. For. Rom v. 15. Ræward. Protriban. c. 21. Gronov. in Senec. Quæst. Natur. I. 16. Rittersh. Scheffer. & Gudius in Phædr. I. 10. 9. Hotman. Antiq. Roman. II. 12. Cujac. Observ. III. 26.

VIDUUS deus. V. illum supr. in *Deus.*

VIE.

VIENNA erat olim caput Allobrogum, unde *Viennensis* provincia ad Rhodanum usque extendebatur, ac Arelate continebat. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c.* 37. Non longe a Lugduno: a Cretensibus, inquit Stephanus, ædificata, & a virgine *Vienna*, quæ ibi saltans obiit, appellata. *Pancirol. ibid. c.* 88.

VIG.

VIGESIMA hæreditatum, vel, ut in Tuscis libris est, hæreditatium fuit omnium vectigalium, quæ apud Romanos exercita fuere, nobilissima. Fuit commentum callidi Imperatoris Augusti, qui lata lege, quæ Julia dicta est, illud instituit. Legem hanc tulit narrante Dion. LV. p. 565. E. cum ærarium laboraret inopia nummorum, quibus stipendia solverentur; metuens, ne si stipendia deessent, ad novas res sollicitarentur. Quæ ut sine difficultate expedirentur, ærarium militare cum vectigalibus novis constituit. Suet. c. 49. n. 6. Inter illa præcipuum fuit vectigal *vigesimæ* partis, quæ ex hæreditatibus detrahebatur. Jam ante Augustum id cogitaverat instituere Julius Cæsar, sed omissum tunc, ab Augusto relatum est, qui ne videretur novo, & a se reperto vectigali populum gravare, commentus est, se in commentariis, & monumentis D. Cæsaris scriptum illud invenisse. Lex lata est an. 759. M. Æmilio Lepido, & L. Arruntio coss. Ejus verba colligimus ex Dione, qui dicit Augustum illa constituisse supr. in *Donationes inter virum & uxorem.* Paullus etiam Sent. IV. tit. 6. de *vigesima* agens, plurima de aperiendis, recitandis, inspiciendis, & describendis testamenti tabulis adjicit; de quibus eadem lege cautum fuerit. Nerva tamen sanxit, *ut quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis pervenisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, cum civitatem adipiscerentur, ejus vigesimam ne darent. In paternis quoque bonis eandem immunitatem filio tribuit, si modo reductus esset in patris potestatem.* Plin. Paneg. c. 37. §. 6. Trajanus addidit, & voluit, *ut quemadmodum filius in patris, sic in hereditate filii pater esset immunis, nec eodem momento, quo pater esse desisset, hoc quoque amitteret quod fuisset.* Plin. ibid. c. 38. §. 2. Qui & eleganter subjicit §. 3. *non pati Cæsarem lacrymas parentum esse vectigales.* Et exceptionem, quam Nerva reliquerat, removit, nec interesse voluit Trajanus, *num filius in potestate patris fuisset nec ne, intuitus vim, legemque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos jussit.* Plin. ibid. §. 7. Nec hoc contentus beneficio novam liberalitatem adstruxit, *& cavit, ut in sororis bonis frater, & contra in fratris soror, utque avus, avia in nepotis nepotisque, & invicem illi servarentur immunes. His quoque, quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit, omnibusque inter se cognationum jura commisit, simul & pariter, & more naturæ.* Plin. ibid. c. 39. n. 1. Deinde etiam statuit, ut sumptus funeris deducerentur, antequam *vigesimæ* computatio iniretur, cumque liberalitas induxisset sumptus etiam maximos facere funeris causa aliquando totæ hæreditates, præsertim parvæ, & exiles in eos sorbebantur. Plin. ibid. c. 40. §. 1. *Cautum omne vitæ mæ parva, & exilis hereditas: & si ita gratus hæres volet, tota funeri servetur.* Hadrianus, cum videret indulgentia Trajani,

qui ſumptus funeris cauſa deduci paſſus fuerat, multas fraudes inveniri, primum ſtatuit modum ſumptuum. Hoc colligitur ex l. 37. ff. de relig. & ſumpt. funer. Ubi Macer ICtus, ſcribens ad legem *vigeſimam* hæreditatium, explicat, quinam ſumptus funeris cauſa accipiantur, & edicti Hadriani mentionem facit. Sed præcipue celebris ejus conſtitutio, & edictum fuit, quo fiſco maxime providens, cavit de aperiendo teſtamento, & mittendo in poſſeſſionem hærede. Voluerat Auguſtus, *ut teſtamentum ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiretur, a præſentibus intra triduum, vel quinque dies, ab abſentibus quoque intra eoſdem dies, cum ſupervenerint. Nec enim oportet teſtamento, hæredibus, aut legatariis, aut libertatibus quam neceſſario vectigali moram fieri.* Quod præcipue introductum eſt, ut cito *vigeſima* ſolveretur. Huc pertinet etiam l. 54. ff. de VS. quæ eſt Macri ad legem Juliam, ubi occaſione hujus juris definitur, quantum abſenti temporis concedatur, ut in Urbem perveniat ad aperiendas teſtamenti tabulas: dantur vero abſentibus itineri perficiendo viceni millia ſingulis diebus. Hæc Auguſtus ſtatuerat: addidit Hadrianus, ne mora vectigali fieret, non recipiendam eſſe appellationem, ſi res dilationem non recipiat, & illud agatur, ne tabulæ teſtamenti aperiantur l. 7. ff. de appell. recip. ſed præcipue eo edicto voluit, ut hæres ſcriptus ſtatim in poſſeſſionem mitteretur, etſi teſtamentum falſum, vel inofficioſum diceretur: quod introduxit ideo, ut ſtatim ab hærede *vigeſima* ſolveretur. Antoninus Pius totum hoc vectigal abrogavit, ſi fides habenda ſit Zonaræ id tradenti, cujus verba citat Valeſ. ad Excerpt. ex Dion. ſed addit hæc amplius eſſe conſideranda: non enim veroſimile videtur, ſi Antoninus Pius ſuſtuliſſet *vigeſimam*, illam reductam eſſe ab Antonino Philoſopho, qui manſuetiſſimus, & optimus Princeps non facile abrogatum tam grave vectigal reſtitueret, cum de eo teſtetur Capitol. c. 23. *eum tributa, & vectigalia, ubi neceſſitas cogebat, remiſiſſe:* nec recte ab eodem c. 11. poſſet dici, *addidiſſe leges de vigeſima*, ſi abolitum vectigal revocaſſet. Quidnam autem addiderit Philoſophus, non exprimit Capitolinus; puto illum, qua erat animi manſuetudine, immunitates longius extendiſſe, & iniquas exactiones, quæ per calumnias fiſcum locupletabant, reſtrinxiſſe. *Auguſt. de Legib. in Vigeſima. Spanhem. Exercit.* 11. *de Conſtitut. Antonini Imperat.* §. 8: 1. §. 21. *V. ſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 707. *F. Buleng. de Vectig.* c. 43. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 13. *Salmaſ. de Modo uſur. c.* 19. *Cujac. Obſerv.* v. 16. *Lipſ. ad Tacit. Annal.* XIII. *Excurſ. C. de Magnit. Roman.* II. 4. *Thyſ. de Magnit. Roman.* II. *p.* 255. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 6. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 11.

Vigeſima manumiſſionum erat ſpecies vectigalis, qua *vigeſima* pars pretii illius, quo æſtimabantur manumiſſi ſervi, ærario publico per *vigeſimarios* exigebatur; pari ratione atque in noſtra Franco-Gallia *vintieme* eſt vectigal ſolidi Francici, ſive *vigeſimæ* partis libræ Francicæ. *Bergier. de Viis milit.* I. *Sect.* 12. §. 6. *Buleng. de Vectig. c* 39. *Guther. de Vet. jur. pont.* II. 6. *Loenſ. Miſcell.* IX. 8. *Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c.* 6. Ejus origo refertur ad Cn. Manlium conſulem, qui an. 396. teſte Liv. VII. 16. *Legem novo exemplo, ad Sutrium in caſtris tributim de vigeſima eorum, qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt.* Ab hoc tempore exigi perſeveratum ad ultima Reipublicæ tempora, & ſublatis portoriis, & reliquis vectigalibus Italiæ unicum ſuperfuit. Cicer. Attic. II. 16. *Portoriis ſublatis, agro Campano diviſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum, præter viceſimam,* nimirum manumiſſionum. Imo & ſub Imperatoribus duravit, ut ex inſigni loco Dion. LXXVII. qui in Excerptis a Conſtantino περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας habetur, apparet: *Præter vectigalia, cum alia, quæ ab ipſo* Caracalla *primum reperta ſunt, tum vectigalia decimæ, quam pro viceſima conſtituit, cum eorum, qui manumitterentur.* . . . Dominum vectigal hoc ſolvere ſolitum fuiſſe poteſt colligi ex Arrian. Diſſert. in Epict. II. 1. *Cum quis ſervum ſuum verterit apud prætorem, nihilne fecit? fecit: quid? vertit ſervum ſuum, nunquid aliud? certe vigeſimam pro eo dare oportet.* Sed verius puto ſervum ipſum debuiſſe nummis ſuis ſolvere, cum dominus liberalitatem ſatis exeruiſſe videri poſſit, dando libertatem, etſi non teneatur vectigali. Arriani vero mens eſt, dominum, qui manumittit, oportere *vigeſimam* ſolvere, non jure, ſed benevolentia, & proprio inſtinctu, ut ita duplicatum beneficium ſervo det, & libertatem ipſi immunem, & integram largiatur. Non teneri dominum colligitur ex ejuſdem Arrian. III. 26. *Servus inprimis ſe cupit libertate donari, quam ob cauſam? an quia vigeſimariis argentum dare deſiderat? non, ſed quia opinatur.* . . . Arriano adſtipulatur locus Petron. in fragm. Tragur. Trimalchio ibi jactans liberalitatem ſuam *ſervo Carrioni legat inſulam, & vigeſimam, & lectum ſtratum*; fruſtra autem, & inutiliter legaret *vigeſimam*, ſi ſervus ab ea ſolvenda eſſet immunis, & manumiſſor eam teneretur præſtare, quare Carrioni immunem libertatem legat, & hæredi *vigeſimam* ſolvendam injungit. Solebat ſolvi, antiquis ſaltem temporibus, plerumque in auro, quod inde dicebatur *Aurum vigeſimarium.* V. illud ſupr. in *Aurum.* Burman. Diſſert. de Vectig. c. 10. Lipſ. ad Tacit. Annal. XIII. Excurſ. C.

Vigeſima portorii in Siciliæ portu exacta eſt. Apparet hoc ex Cicer. Verr. II. 75. ubi dicit: *ſocios ex Verris exportatione ſexaginta HS perdidiſſe, idque ex vigeſima portus Syracuſani.* Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 5.

Vigeſima quinta mancipiorum venalium. Hanc inſtituit Auguſtus. Dio LV. p. 569. E. *Cum pecunia egeret ad onera militiæ, & vigiles alendos, vectigal inſtituit vigeſimæ quintæ mancipiorum.* Tacit. Annal. XIII. 31. 3. *Vectigal quoque quintæ & vigeſimæ venalium mancipiorum remiſſum ſpecie magis quam vi: quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus accreſceret.* Lipſ. de Magn. Rom. II. 4. ad Tacit. Annal. XIII. Excurſ. C. Thyſ. de Magn. Rom. II. p. 255. Franckenſtein de Ærar. pop. Rom. c. 6. Buleng. de Vectig. c. 41. Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 5.

VIGESIMARIUS dicebatur, qui præfectus huic vectigali colligendo fuit. Petron. Fragm. Tragur. *Sciſſa ſacrum novendiale ſervo ſuo miſello faciebat, quem mortuum manumiſerat, & puto cum vigeſimariis magnam mantiſſam habet, quinquaginta enim millibus exiſtimant mortuum.* Schefferus putat, hinc colligi, Sciſſam habuiſſe ex bonis ſervi ſui *vigeſimarias*, una cum magna aliqua mantiſſa; *vigeſimarias* vero exponit pecunias, quæ a manumiſſis dependebantur patronis: quod qua lege, vel quo more introductum fuerit, vellem addidiſſet. Hic vero commodus ſenſus ex obſcuriſſimo illo loco poteſt elici. Sciſſam, quæ ſervum ſuum mortuum manumiſerat, vexari a *vigeſimariis*, qui vectigal pro manumiſſione ſervi mortui exigebant, & hoc vectigal vocat mantiſſam, id eſt, additamentum ſacri novendialis: putaverat enim Sciſſa ſacro illo defungi, & nihil ultra præſtare ſe debere, ſed quia manumiſerat mortuum, cogebatur ultra ſacrum, etiam *vigeſimam* ſolvere. Grævius corruptum eſſe locum putabat, & fortaſſe *mantiſſam* depravatam vocem eſſe, & ex repetitione vocis *magnam* enatam: quare legi poſſet *magnam litem triſtiſſima cum vigeſimariis habet: quinquaginta enim....* Quo pacto omnia clara fient, nimirum, litem fuiſſe de æſtimatione ſervi, ad cujus rationem *vigeſima* deduci debebat. *Burmann. Diſſert. de Vectig. c.* 10. Inſcriptio Himeræ juxta ædem S. Jacobi:

SECUNDO. XX. HER
RAT. SUMMAR. UR
BANÆ. MATRI
CLIMENE. COI
PRIMIGENIUS. XX

In qua *vigeſimarius* hæreditatum, & rationalis ſummarum, vel etiam ſummæ rei intelligendus eſt. Vocant lapides quoque tabularium XX. hæred. exactorem, procuratorem, item & ſubprocuratorem. *Reineſ. Inſcript. Claſſ.* XIII. *n.* 43. Apud Arrian. III. 26. laudatum ſupr. in *Vigeſima manu-*

manumiſſionum εἰκοςώνης dicitur, ſed melius a viris doctis legitur εἰκοςώτης, qui in gloſſario exponitur τὰς εἰκόςας ἀπαιτῶν, *vigeſimas exigens.* Apud Ariſtoph. Ran. I. 7. 46. dicitur aliquis εἰκοσολόγος, *vigeſimarius*, qui de Græcorum *vigeſimis* eſt intelligendus. *Loenſ. Miſcell.* IX. 8. *Pancirol. Var. Lect.* III. 31. *Lipſ. in Tacit. Annal.* XIII. *Excurſ. C. Bulenger. de Vectigal. c.* 39. *Reineſ. l. l.*

VIGESSIS fuit nummus æreus, & viginti aſſibus valuit. Varr. de Ling. Lat. IV. 36. *Primum ab decem aſſibus decuſſis, ſecundum a duobus decuſſibus vigeſſis.* Martialis. V. illum ſupr. in *Quadruſſis.* Hotman. Antiq. Roman. IV. r. 13.

VIGILUM cohortes fuerunt excubiæ nocturnæ, ab Auguſto inſtitutæ, ut incendiis obſiſterent, quæ quare plus quam hodie Romæ frequentia fuerint, V. ſupr. in *Incendia.* Regionum, in quas diviſæ fuerant, & ſecunda quoque fuit, & in illa Victor quinque cohortes numerat: in regione vero quinta ſeptem, in ſexta tres, in ſeptima rurſus ſeptem, in octava ſex, in duodecima tres, ac tandem in quarta decima iterum ſeptem: ſic, ut univerſus cohortium numerus 38. fuerit, aucto, poſt illas primas ſeptem ab Auguſto inſtitutas, in multitudinem illam ætate Victoris earum numero, neceſſitate ſine dubio id ipſum exigente. Interim obſervandum puto, ſeptem illas regiones, in quibus excubiæ agebantur, mœnia Urbis in propinquo habuiſſe. Alio nomine vocabantur ſparteoli. V. ſupr. in *Sparteoli.* Nardin. Rom. Vet. III. 7.

VIGILES in caſtris quaterni ſe diviſerunt in quatuor partes, ita ut ſinguli *vigiliam* unam noctis obirent, ſorte dividente. Ad ſortem reſpexit Virg. Æneid. IX. 174.

Omnis per muros legio ſortita periclum
Excubat, exercetque vices quod cuique tuendum eſt.

Ad vicem, & mutationem Veget. III. 8. *Quia impoſſibile videbatur in ſpeculis per totam noctem vigilantes ſingulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepſydram ſunt diviſæ vigiliæ, ut non amplius tribus horis nocturnis neceſſe ſit vigilare.* Erant ergo quatuor *vigiles*, atque in una: ſed unus ex iis ſua *vigilia* quiſque perſtabat intentus, & vere *vigil*, alii adjacebant, aut accubabant. Itaque his quies aliqua; & ille ſuus, ſi auxilium poſceret, ad manum habebat. *Qui ad vigilias deſtinati ſunt, ex ſingulis eorum excubiis, uniuscujusque manipuli tergiductor*, ſeu optio, *ducit veſpere ad tribunum qui primas ſunt acturi.* Polyb. VI. 33. Sed quis ſecundos, tertios, quartos? Nemo, nec ullus ultra diſcurſus in caſtris; ſed probabile eſt, ipſos iſtos primos teſſerulas quoque eorum vicem accepiſſe. Caſtra quidem noctu omnino quieta: ideoque ſtatuendum eſt, *vigiles* primos, etſi depenſo ſuo penſo, tamen non abiviſſe ad tentoria: ſed illic reliquum noctis manſiſſe. Idem in ſecundis, & tertiis, non poſt veniſſe ſub ſuam horam, ſed illic eam otio exſpectaſſe. Optio omnibus *vigiliam* acturis dat teſſerulas plane exiguas pro quaque *vigilia.* Sed hæ diverſæ fuerunt a priori. Illa uniuſmodi fuit, & ſignum, aut dictum nocturnum, quo ſeſe ab hoſte internoſcerent: iſtæ diverſiformes, & propriæ cuique *vigiliæ.* Etiam in modulo diſcrimen. Illa tabella latiuſcula: iſtæ plane exiguæ, aut velut taleolæ. Omnino aliud fuiſſe videntur quam ligneola, cum nota duplici impreſſa: altera manipuli, altera *vigiliæ* ipſius. Id hoc fine, ut tribunus, ei reddita, ſtatim conſpiceret, quis in quoque manipulo, & quota *vigilia* munus feciſſet, aut non feciſſet. Puta igitur fuiſſe inſculptum, H. P. T. cum numeris primi, ſecundi, tertii, quarti manipuli: itemque V. I. V. II. aut talia: id eſt haſtati, principis, triarii ille & ille manipulus: & *vigilia* prima, *vigilia* ſecunda, ſic deinceps adjunctum. *Lipſ. de Milit. Roman.* V. *dial.* 9. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* V. *p.* 129. Olim haſtas, & pila, & ſcutum deferebant ad nocturnis excubias, & armati *vigilabant*: ſed cum plerumque accideret, ut ſcuto, haſtæque innixi dormirent, Paullus Æmilius inſtituit, ne quid eorum ſecum deferrent. Liv. XLIV. 33. *Vigiles novo more ſcutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, ut armis utatur; ſed ad vigilandum, ut cum ſenſerit hoſtium adventum, recipiat ſe, excitetque ad arma alios. Scuto præ ſe erecto ſtare galeatos; dein, ubi feſſi ſint, innixos pilos capite ſuper marginem ſcuti poſito ſopitos ſtare: ut fulgentibus armis procul conſpici ab hoſte poſſint, ipſi nihil provideant.* Hoc Paulli inſtitutum etiam ad poſteriora tempora manavit. Hinc Senec. Epiſt. 36. *Stans etiam aliquando ſaucius pro vallo pervigilet, & ne pilo quidem incumbat, quia ſolet obrepere in aliquod adminiculum reclinatis.* Valtrin. de Re milit. Rom. IV. 6. Schel. in Polyb. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1187. E. Lipſ. l. l. Etſi hoc de ſcuto non manſiſſe arbitramur: & in monumentis lapideis *vigiles* cum ſcuto ante ſe depoſito ſtare cerno. Cum pilo, aut lancea ſtetiſſe approbat Tertull. de Coron. milit. c. 11. *Et excubabit pro templis, quibus renuntiavit, incumbens, & requieſcens ſuper luncho, quo perfoſſum eſt latus Chriſti?* Ignes reperio etiam in caſtris. Prop. IV. 4. 31.

Ignes caſtrorum, & tacita prætoria turma.

Tacitus. V. illum ſupr. in *Ignis.* Stat. Theb. IV. 372.

— noctiſque per umbras
Nuntiat excubiis vigiles arſiſſe plateas.

Lipſ. l. l. Laternas etiam dant *vigilibus* ſcriptores rerum bellicarum, ita factas, ut luceant iis ſolum, qui habeant, non autem aliis. Has λαμπτῆρας ita fabricare jubet Africanus, ut ſint quadrilateræ, pellibus undique tectæ, ſed tribus lateribus pellibus nigris, uno alba, per quam transfundatur lumen. Voces, quibus excubiæ, ſi alicujus adventum ſentirent, ſubſiſtere juberent, & interrogarent, habemus apud Virg. Æneid. IX 376.

State viri, quæ cauſa viæ? quive eſtis in armis?
Quove tenetis iter?

Sic & ille apud Terent. Phorm. I. 4. 18.

Sta illico.

Cui alter: *hem! ſatis pro imperio, quiſquis es.*

Hoc quidem & ratio ipſa, & uſus nos docent, & in tacticis obſervari facile poteſt, ſimul ſenſiſſent adventum, ſtare juſſiſſe: deinde quinam eſſent: poſtremo teſſeram interrogaſſe. *Schel. ibid. B.* Dormientes excitabantur voce. Tacit. Annal. I. 65. I. *Interruptæ voces*: de nocte, quam Romani egerunt in angore, obſidentibus Germanis. Et de his Dionyſius, cum Sabini caſtra Romana tentarent noctu, & illi de compoſito negligentiam, & ſomnum præferrent v. p. 309. *Qui primi Sabinorum progreſſi ſunt, neque ſplendores facium videbant, neque voces vigilum audiebant.* Et Polyæn. II. 2. 7. narrat Clearchum, cum timeret incurſuros noctu hoſtes, juſſiſſe ſuis, *in armis permanere, & excitationes crebras facere.* Ad voces has referendum videtur, quibus *vigiles* cum clamore proximos, & ſucceſſuros excitabant. Et eo de gruibus reſpexit Ambroſ. Hexaemer. V. 15. *Poſt ubi vigiliarum munus fuerit completum, perfuncto munere in ſomnum ſe prævio clamore componit, ut excitet dormientem, cui vices muneris traditurа eſt.* Voces ex ipſa re: *Vigila, vigila.* Tale aliquid in Servio in Virg. Æneid. VIII. 3. qui ſacerdotes ad templum Martis iviſſe, inſtante bello, & *motis ancilibus dixiſſe, Mars vigila* ſcriptum reliquit: quaſi illum, more militiæ, ad excubandum provocantes. Buccina. Hanc voci addit Tacit. Hiſt. V. 22. 7. *Vigiles flagitium ſuum ducis dedecore excuſabant, tanquam juſſi ſilere, ne quietem ejus turbarent. Ita intermiſſo ſigno, & vocibus ſe quoque in ſomnum lapſos.* Tintinnabulo. V. ſupr. in *Tintinnabulum.* Ignibus. Propertius, Statius, Tacitus modo laudati. Liv. XXI. 32. *Pluribus ignibus, quam pro numero manentium, in ſpeciem factis.* Poſſis ad ignes referre, quibus cœnæ, & corporum curandorum cauſa utebantur, quo ducit Diodor. XIX. p. 691. D. *Juſſiſſe* Eumenem *ſuos luculentam flammam facere, per intervalla circiter viginti cubitorum, tanquam ad cœnam, curamque corporis; ſecunda vigilia minorem, tertia minimam, ut procul ſpectantibus vera caſtra viderentur.* Quos ita ſtructos in noctem, & vigilias ita producebant, donec paullatim exſtinguerentur. Etſi de facibus proprie ad

vigilias aliquid ex Dionyſio modo laudato ſuſpicere. Itemque Stat. Theb. VIII. 268.

Incertæque faces, & jam male pervigil ignis.

V. & ſupr. in *Ignis.* Lipſ. l. l. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 131. Nocturnas in templis Romæ habere non licebat. V. ſupr. in *Lex Romilia de vigiliis nocturnis.* Pœna, qua hodie afficiuntur *vigiles* obdormiſcentes mors eſt, quæ in arbitrium circuitoris collata eſt. In quo quidem more facilis eſt injuriæ faciendæ occaſio, quoniam circuitor, odio, vel inimicitia adductus, cuſtodem, quamvis *vigilantem*, haſta, quam manibus plerumque geſtat, noctu nihil tale metuentem occidere facile poteſt. *Patric. Rei milit. Rom. part.* XI. *ſect.* 1.

VIGILIARUM uſus fuit antiquiſſimus. Erant quatuor, & ſingulæ diviſæ in horas ternas. Lucan. v. 506.

— jam caſtra ſilebant,
Tertia jam vigiles commoverat hora ſecundos.

Quies, inquit, in caſtris erat, & tertia hora parabant ſe vigiles ſecundi. Griphus in Auſon. Griph. ternar. n. 26.

— noctisque per umbram
Tergemini vigiles.

Vir doctiſſimus explicat: *Cum ſint quatuor vigiliæ, in ſingulis ternos vigiles fuiſſe, quemque pro ſua hora excubaſſe.* Id vero nunquam factum *vigiliis*, quas explicamus. Sed nec aliter Vegetii temporibus, qui III. 8. *vigilias* diſerte *quatuor* divi... facit, & ſingulos ſin... horis excubaſſe. Confuſio fuiſſet illa toties mutandi: & quo ſigno? quis de hora indicaſſet? Nam buccina duntaxat tertia quaque hora ſonabat. Aliud eſt in Auſonii verſu, & niſi quis explicat, muto: *noctisque per umbram tergeminam.* Umbra, inquam, *tergemina,* non ipſi *vigiles:* id eſt, horæ ternæ in *vigiliis:* quod clarum. Poetica quidem illa phraſis, eoque audacior; cur offendat? *Lipſ. de Milit. Rom.* v. *Dial.* 9. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 3. Quatuor itaque erant. Cenſor. de Die nat. c. 23. *Alii diem quadripartito, ſed & noctem ſimiliter, dividebant: idque ſimiliter teſtatur militaris, ubi dicitur vigilia prima, item ſecunda, & tertia, & quarta.* Vegetius laudatus ſupr. in *Clepſydra.* Inde intelligendus eſt Silius laudatus ſupr. in *Buccina.* Barth. Adv. XVIII. 4. Lindenbrog. in Cenſorinum, Stewech. in Vegetium. Valtrin. de Re milit. Roman. IV. 6.

VIGINTIVIRATUS erat velut janua, quæ aditum ad honores pate-aceret: & primus gradus, iſque neceſſarius ante quæſturam, tribunatum, aliosque minores magiſtratus. Tacit. Annal. III. 29. 1. *Per idem tempus Neronem e liberis Germanici jam ingreſſum juventam, commendavit patribus; utque munere capeſſendi vigintiviratus ſolveretur, & quinquennio maturius, quam per leges quæſturam peteret, non ſine irriſu audientium poſtulavit.* Unde colligo *Vigintiviratum*, tanquam inter minores magiſtratus minimum, ante quæſturam fuiſſe gerendum, ideoque in veteribus inſcriptionibus ante quæſturam ponitur. Quæſturæ autem annus legitimus cum eſſet quartus & vigeſimus exactus. V. ſupr. in *Ætas:* & ſolvi Neronem legibus petierit Tiberius, ne *vigintiviratum* caperet, ſed quæſturam quinquennio maturius quam liceret, exiſtimo ſane *vigintiviratus* capiendi annum fuiſſe legitimum vigeſimum. Sed exiſtimo tantum, non affirmo. *Siccam. de Centumv. Judic.* 1. 9. *Sigon. de Judic.* 1. 8. Dubius hic hærere non debuit Siccama, maxime cum eadem *vigintiviratus* ætas ex antiquo lapide ſepulcrali colligatur, qui dicatus eſt Julio Claro & Julio Nepotiano IIII. viris viarum curandarum, quorum prior an. XXI. alter XX. erat, cum obiret. En ipſam inſcriptionem ex Gruter. p. 423. n. 4.

Q. JUL. CLARO. C. V. IIII. VIR.
VIARUM. CURANDARUM
ANN. XXI.
Q. JUL. NEPOTIANO. V. C.
IIII. VIRO. VIARUM. CURAN-
DARUM. ANN. XX.
CALP. SABINA. FILIS.

Maſſon. Ovid. Vit. p. 57. Fuit libera Republica vetus conſuetudo, ut populus quotannis ſex & viginti viros crearet, quorum munia ſic poſtea diſtribuebantur. *Fiebant ex illis triumviri capitales, triumviri monetales, quatuorviri curatores viarum in Urbe, decemviri ſtlitibus judicandis, qui haſtam centumviralem cogebant, duumviri curatores viarum extra Urbem, quatuorviri in præfecturas Campaniæ mittebantur.* Dio LIV. p. 540. C. Sed hic numerus ſub Auguſto fuit imminutus, ſublatis viocuris, qui extra Urbem curabant, & quatuorviris, qui in Campaniæ præfecturas mittebantur. Ita pro *ſex & viginti* fuere *viginti viri* ſolum: quos quidem non inſtituit Auguſtus, ann. ab U. C. 741. ut ſcribunt etiam doctiſſimi viri: inter quos Lipſius in Tacitum, ſed eorum tantum creationem mutavit: jubens ut ex equeſtri ordine eligerentur, qui videntur ante ſoliti e liberis ſenatorum creari. Ita accipienda verba Dion. LIV. p. 540. B. *Caſaub. in Spartian. Did. Julian. c.* 1. *in Suet. Aug. c.* 36. *Maſſon. Ovid. Vit. p.* 58. Cum plebis ſuffragiis, ideoque ex plebe potiſſimum crearentur, demum an. ab U. C. 741. C. Tiberio, Quintilio Varo Coſſ. SCto ex equitibus electi ſunt, atque adeo inter minores magiſtratus fuere, ut nemo ex iis in ſenatum allegeretur, niſi alium quoque magiſtratum geſſiſſet, cujus ratione ſenator poſſet fieri. Utrumque affirmat Dio LIV. p. 540. B. *Itaque abſente,* inquit ille, *adhuc ab Urbe Auguſto SCtum fuerat factum, ut* XXVIRI *(magiſtratus hoc nomen eſt) ex equitibus conſtituerentur, quorum deinde nullus in ſenatum eſt allectus, niſi quem etiam alium magiſtratum, cujus ratione ſenator poſſet fieri, geſſiſſet.* Siccam. l. l. Lipſius non eſt audiendus, qui ex Dionis loco autumat, inſtitutos eſſe XXVIROS ab Auguſto, cum antea viginti ſex eſſent: ſiquidem hoc non ſcribit Dio, neque exinde ſequitur, quod ille ad eum annum fuſius dixerit, qui fuerint XXVIRI. Quin etiam haud obſcure innuit, XXVIROS jam ante conſtitutos fuiſſe, quam illud fieret SCtum, cujus occaſione de illis loquitur, idemque diſerte confirmat mox addens: *jam ante ſubrogatos fuiſſe* ſex alios, qui olim viginti ſex virorum numerum complebant, *duo* nimirum *ii, qui vias extra Urbem curabant, & quatuor, qui in Campaniam mittebantur.* Et errat Siccama. Nam Dio non ſignificat ab eo anno cœpiſſe ex ſolis equitibus creari. Hanc certe interpretationem confutant jam prolata, & ipſemet Dionis locus; ſiquidem exinde clarum eſt, XXVIROS eo anno ex equitibus fuiſſe deſignatos, ob hanc tantum rationem, quod tum *nemo eſſet, qui ſponte ſua ſenator eſſe vellet.* Adeoque SCtum tunc temporis factum non fuit perpetua lex, qua in poſterum XXVIRI ex equitibus eſſent deſumendi; quemadmodum inſuper innumeræ demonſtrant lapidum inſcriptiones, quibus XVIRATUS ſtlitibus judicandis, pars ſcilicet XXVIRATUS, ipſo conſitente, recenſetur inter honores conſularium virorum, quos omnes ex equitibus in ſenatum allectos affirmari nequit, cum & plures ex patriciis fuerint. *Maſſon. p.* 58.

VIL.

VILLA quæ nunc lingua communi plures in agro domus ſignificat, domus olim una fuit, virorum nobilium: unde nominantur Luculli, Metelli, Ciceronis, aliorum præſtantium virorum. *Manut. Quæſ. per Epiſt.* III. 7. Eſt vel urbana, quæ & prætorium dicitur, & eſt ea pars, quam dominus ſibi recepit, quæ quia elegantius, amœniusque ædificari ſolet, & inſtrui, ideo urbana vocatur, quaſi urbani nitoris, & elegantiæ plus habens, quam ruſtica. Propterea hujuſmodi ædificia *pſeudourbana* appellat Vitruv. VI. 8. *Earumque rerum non ſolum erunt in Urbe ædificiorum rationes, ſed etiam ruri, præterquam quod in Urbe proxima januis ſolent eſſe: ruri vero in pſeudourbanis ſtatim periſtylia.* Vel ruſtica, & eſt ea pars, quam villicus, colonus, vel vinitor, vel arborator habitandam ſibi obtinet, & familiæ villaticæ, atque inſtrumento omni ruſtico condendo, aut continendo. Colum. I. 6. tripertito diſtribuit, in *urbanam, ruſticam, & fructuariam.* Bud. in

in Pandect. p. 166. C. Pignor. de Serv. p. 511. Laz. Comm. Reip. Rom. XII. 6. Eratque aut hyberna, aut æstiva. In hyberna paterfamilias per hyemem erat: in æstiva per æstatem. Hujus membra erant cubicula, cœnationes, balnearia, ambulationes, & reliqua, ut in habitatione legitime urbana. *Pignor. l. l.* juxta vias publicas exstrui solebant duas præcipue ob causas, quarum prior est, ut commodum semper haberent, & facilem accessum, per viam planam, æqualem, & munitam: posterior, ut majori spectaculo, & admirationi illæ structuræ paterent, quod multitudo viatorum, & major, & frequentior erat per vias publicas munitas, quam per alias. *Bergier. de Viis milit.* II. *Sect.* 41. *n.* 1. Maxime ad mare sitæ coemebantur, & exstruebantur. Suet. Aug. c. 72. n. 5. *Ex secessibus frequentavit præcipue maritima, insulasque Campaniæ.* Idem *Capreas a Neapolitanis, quorum antiquitus erat, permutatione agri redemit. Insula hæc sita est haud procul a Surrentana continente.* Dio LII p. 495. A. Eam magnopere Tiberius adamavit non aliam ob causam, quam *quod uno, parvoque littore adiretur, septa undique præruptis immensæ altitudinis rupibus, & profundo mari.* Suet. c. 40. n. 1. *Villa* cujusdam Vatiæ satis celebris ad mare fuit sita. Describit illam Senec. Epist. 55. *Kobierzyck. de Luxu Roman.* II. 9. Luxuria, & magnificentia in illis summa. Vide Tiburtinum Manlii Vopisci apud Stat. Sylv. I. 3. Surrentinum Pollii apud eund. ibid. II. 2. Tanta erant pleræque magnificentia, ut regiis Persarum palatiis, quæ tantopere deprædicat antiquitas, compararentur. Strab. V. p. 154. *Tanta* Lunæ in Liguria *candidi, ac varii lapidis lucidissimi, ac talis effossio est, ut unico integræ saxo tabulæ, atque columnæ præbeantur; utque in ignia Romanæ civitatis opera, urbiumque reliquarum, maxima ex parte his ex locis copiam habeant. . . . Nunc vero plus in ædificandis Romæ ædibus, villarumque magnificentius consumitur, quibus regio ritu apparantur.* Ibi in civium privatorum *villis* obstupescens quis admirabitur amplissimum spatium, structuræ magnificentiam, ædificii decorem, operum abundantam, & exactam pulcritudinem, quæ omnia longo post se intervallo relinquant, quicquid hodie Reges, Principesve in prætoriis suis exædificant. Quid commemorem arbores patulis ramis undique diffusas imo & in mediis prætoriis consitas, adeo ut per ipsa tecta erumperent. Stat. Sylv. I. 3. 59.

Quid te, quæ mediis servata penatibus, arbor,
Tecta per & postes liquidas emergis in auras,

Vidisses ibi xystos amœnas, statuas, porticus, marmora, sylvas, fontes, aquarum ductus, euripos, amnes, colles, specus, quæ singula complecti, est Pelion Ossæ velle imponere. *Bergier. ibid. n.* 2. *Kobierzyck. l. l. Lips. de Magnit. Roman.* III. 14. *Thys. de Magnit. Roman.* III. *p.* 309. In illas secedebant pro æstate tantum, qua in illis frigora, & umbras captabant. Exibant vero Roma mense Julio. Præit mihi Stat. Sylv. IV. 4. 12.

Jam terras, volucremque polum fuga veris aquosi
Laxat, & Icarus cœlum latratibus urit.
Ardua jam densæ rarescunt mœnia Romæ:
[illegible] Præneste sacrum, nemus hoc glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit umbra:
Tiburis hi lucos, Anienaque frigora captant.
Te quoque clamosæ quænam plaga mitior urbi
Subtrahit? æstivos quo decipis aere soles?

Kobierzyck. l. l.

Villa Augusti, dicta etiam villa Cæsarum, aut etiam ad gallinas, fluvio Tiberi imposita, juxta nonum lapidem Flaminia via, juxta locum, qui nunc vocatur *Fraxinetum*, vulgo *Frasineto*. Nam, ut Suet. Galb. c. 1. n. 2. Plin. XV. 30. *Liviæ olim post Augusti statim nuptias, Vejentanum suum revisenti, prætervolans aquila gallinam conspicui candoris, & quæ rostro tenebat laureum ramum, suis baccis onustum, ex alto abjecit in gremium sedentis illæsam. Conservari, & nutriri alitem, & subolem, ramumque eum pangi, ac rite custodiri jussere aruspices. Tanta vero pullorum suboles provenit, ut hodie quoque ea villa ad gallinas vocetur.* Procul ullo est dubio hanc *villam* fuisse inter pulcerrimas, & magnificentissime exædificatas. Nam si recte Cassiod. Var. VII. 5. *Talis dominus esse creditur, quale ejus habitaculum comprobatur*, tum sane quoque e regione splendor hujus *villæ*, & magnificentia summa esse debuit, quæ summos orbis terrarum monarchas agnovit dominos. *Bergier. de Viis milit.* II. *Sect.* 41. §. 5. *Cluver. Antiq. Ital.* II. 3. 39. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 23. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 38. 4.

Villa Cæsarum, quæ ad Gallinas nuncupabatur. V. illam supr. in *Villa Augusti*.

Villa Catulli fuit extra portam Valeriam, ad ripam Anienis. Colligitur ex versibus Catull. XLIV. 1.

O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere: quibus cordi est
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.

Ex his versibus patet, fundum Catullianum, Sabinusne an Tiburtinus sit, fuisse controversum: eo quod Anio flumen Latium olim a Sabinis divideret, ita ut quicquid ex dextra Anienis ripa ad Sabinos, & quidquid a sinistra ad Latium pertineret. Cum itaque *villa* Catulli a dextra Anienis sita fuerit, non tam in Tiburtino, quam Sabino fundo sitam fuisse colligitur. Verum non ita præcise sumenda est divisio fluminis, ut in opposita ripa sive *villæ*, sive oppida alterius jurisdictionis esse censeantur, sed maxime observandum esse existimem territorium, quod divisione fluminis non ita terminatur, ut ultra flumina non ulterius se extendat. Hoc pacto Tiberis etiam Etruriam a Latio dividit, nemo tamen Romæ facile dixerit, Transtiberinam, aut Vaticanam regionem ad Urbem non pertinere, cum secundum communem æstimationem totum complexum, tam ultra, quam citra flumen, una & eadem Roma esse, & tam hi, quam illi Romani patria; non Etrusci censeantur. Pari ratione *villæ*, oppidi, fundique ex adversa Anienis parte, in quantum Tiburtino continenter territorio, non Sabinæ, sed Tiburtinæ jurisdictionis esse censeri debent. Exsilabat uti olim, ita hodie fontis amplissima scaturigo muri fornice circumdata. Distat hic fons ad *villam* Catulli in Anienis ripa per difficilem profundioris vallis descensum quasi quingentis passibus; ubi & colliculus occurrit, ob planitiem non exiguam amœnitate plenus; cui *villa* Catulli conjuncta fuisse colligitur ex variis marmorum fragmentis, tessellatique operis reliquiis, quas coloni, vinitoresque ibidem detexerunt. Locus hodie Truglia dicitur, quam Antonius Regius putat ex nomine Catulli, corrupta Truglia, quasi diceres Tulla remansisse. *Kircher. Lat. Vet. & nov. part.* III. 2. 6. *Turneb. in loc. Cicer. p.* 52.

Villa Ciceronis, in qua quæstiones Tusculanis auditoribus explicabat, non fuit, ut multi ex antiquariis Romanis putant, ad finem urbis Tusculi in jugo montis positi, non, inquam, supra, sed infra Tusculani montis jugum constituta. Cicer. pro Dom. c. 24. *Cum domus mihi in palatio, villa in Tusculano, altera ad alterum consulem, transferebatur.* Comment. Vet. in Horat. Epod. I. 29. *Tusculi superni, hoc est, in monte siti, ad cujus latera superiora Cicero suam villam habuit Tusculanam.* Illa non alio loco, quam ubi hodie cœnobium Monachorum S. Basilii est, vulgo Grotto ferrata constitit. Fuerat L. Syllæ dictatoris, & a Sylla illam emit Cicero. Plin. XXII. 6. *Scripsit & Sylla dictator. . . . Idque etiam in villa sua Tusculana, quæ fuit postea Ciceronis, pinxit.* Kircher. Vet. & nov. Lat. II. 2. p. 62. Schott. Itiner. de Agro Neapolit. c. 3. Cluver. Ital. Ant. III. 7. §. 5.

Villa Curii fuit juxta agros Catonis. Hanc Cato sæpe numero invisebat, & agelli modulum, ædicularumque frugalitatem, ac tenuitatem mirabatur. Plutarch. Cat. maj. p. 337. A. *Erat agris ejus casa M. Curii, qui ter triumphavit, vicina. . . .* Cicer. de Senect. c. 16. *Ergo in hac vita M. Curius. . . . cujus quidem villam ego contemplans (abest enim non longe a me.)* De illa Cicer. de Leg. II. c. 1. *Sed hoc ipso in loco cum avus viveret, & antiquo*

more parva esset villa., ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Turneb. in Cicer. de Leg. p. 78.

Villa Gordianorum *in via extat Prænestina, ducentas columnas in tetrastylo habens, quarum quinquaginta Carystea, quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades, quinquaginta Numidicæ pari mensura erant. In qua basilicæ centenariæ tres: cætera huic operi convenientia, & thermæ, quales præter Urbem, ut tunc, nusquam in orbe terrarum.* Capitol. Gordian. c. 32. Ex quibus apparet, Græciæ insulam Eubœam, Ægyptum, & Africam, ut Italiam taceam, conspirasse ad illam *villam* exornandam, & ab extremis imperii terminis per mare mediterraneum columnas fuisse advectas. *Bergier. de Viis milit.* II. *Sect.* 41. *n.* 4. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. *Kircher. Lat. Vet. & nov. part.* IV. *c.* I.

Villa Hadriani prope oppidum Tiburis fuit magnificentissima, quæ super reliquas plane excellebat. Dicta fuit ab ejus nomine, æque ac Hierosolyma Ælia, a loco Tiburtina. De ea hæc Spartian. Hadrian. c. 14. *Tiburtinam villam mire exædificavit, ita ut in ea & provinciarum, & locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen, Tempe vocaret, &, ut nihil prætermitteret, etiam inferos finxit.* Bergier. de Viis milit. II. Sect. 41. §. 6. Cluver. Ital. Ant. III. 4. 36. & fusius Kircher. Vet. Lat. & nov. part. III. 2. 3.

Villa Luculli prope Neapolim Bajis erat. Propter hanc appellatus est *Xerxes togatus.* Plutarch. Lucull. p. 518. C. *Cum Tubero conspexisset illa magnifica ad oram maris ædificia, exhausta subtus terra colles pensiles factos, cursus in mari, & piscosos transitus ædibus circumductos, habitationesque in ipso mari exstructas, appellavit eam Xerxem togatum.* Talia scilicet hic Xerxes faciebat Romanus per otium pacis, & luxum qualia Xerxes Persarum olim fecit necessitate belli coactus, quando montem Athon, ut classi suæ cursum aperiret, perfodiebat. *Bergier. de Viis milit.* II. *Sect.* 41. §. 6.

Villa Mæcenatis in ultimo Tiburtinæ urbis clivo, omni deliciarum genere conserta, ab illo est exstructa. Versus septentrionem spectatur præcelsum dicti clivi præcipitium, cui *villæ* substructiones, quæ in hunc usque diem integræ adhuc spectantur, innitebantur, opus sane admirabile, quod sane vasta sua mole nulli ex Romanorum fabricis cedat, per cujus meditullium via Valeria pandebatur ad Samnites, Pelignosque ituris, stupendis arcubus, & camerarum etiamnum superstitum vastitate conspicuum. Supra hujusmodi insanæ molis substructiones *villa* fundata fuit hoc modo. Habebat, quantum ex superstite adhuc fabrica colligere licet, duos columnarum ordines, quarum una alteri, Dorico & Ionico labore quam scitissime ex coctis lateribus concinnatæ supra firmissimos, ac prægrandes abacos impositæ cernuntur: ex quarum positione columnarum nascuntur duæ porticus in circuitum positæ, quarum exterior circumquaque borealem camporum plagam summa cum amœnitate spectare licebat; hinc totius Latii veteris districtum versus meridiem; illinc Sabinæ regionis territorium ab occasu, ibi circumfusorum montium concatenatam seriem una cum formidabili Anienis valle: hinc ad ortum agros Prænestinos, Labicanos, Gabiorum, Tusculanorum longe lateque profusam planitiem. Altera interior ambitu suo atrium conficiebat. Intra duas hasce porticus varia camerarum, aliarumque habitacula cernuntur. In hoc atrio aliud assurgebat ædificium, cujus inferior contignatio continebat pulcerrimam fontis fabricam, quæ undique & undique in vicina concharum receptacula aquas, tum ad usum domesticum, tum ad amœnitatem & magnificentiam loco conciliandam diffundebat. Supra hanc contignationem primam per scalas singulari artificio dispositas ad alteram contignationem adscendebatur; ubi ego habitationem Mæcenatis ad omnem vitæ humanæ usum commodissimam fuisse puto. Mæcenas moriturus, cum tot jam annis Augustum hospitem in hac *villa* recepisset, eundem *villæ* hæredem constituisse fertur, ut proinde vel ex hoc capite non Mæcenatis duntaxat, sed & Augusti Cæsaris in hunc diem appelletur. *Kircher. Lat. Vet. & Nov.* III. 2. 4. §. 1.

Villa Martialis suburbana in via fuit Nomentana. Ipse I. 106. 1.

In Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris
Accepit quoties tempora longa merum.
Exuit annosa mores, nomenque senecta:
Et quicquid voluit testa vocatur anus.

Aring. Rom. Subterr. IV. 19. 4.

Villa Munatii Planci in Tiburtino agro patria ejus quonam loca sita fuerit, ne sciremus temporum vetustas nobis invidit. Hoc novimus solummodo ex glossa quadam interlineari auctoris anonymi supra Horatium qui in bibliotheca Vaticana pervetusto codice continetur: in *villa* Munatiana fuisse palatium, sylvas, & piscinas. *Kircher. Lat. Vet. & Nov.* III. 2. 5. § 1.

Villa Q. Ovidii etiam in via fuit Nomentana. Et de illa Mart. X. 44. 1.

Quinte Caledonios, Ovidi, visure Britannos,
Et viridem Thetyn, Oceanumque patrem.
Ergo Numæ colles, & Nomentana relinquis
Otia? nec retinent jusque focusque senem.

Aring. Rom. Subterr. IV. 19. 4.

Villa Phyllidis Domitiani nutricis. V. illam supr. in *Suburbanum.*

Villa publica fuit domus ampla extra Urbem in campo Martio. Liv. IV. 22. *Eo anno C. Furius Pacilus, & M. Geganius Macerinus censores villam publicam in campo Martio probaverunt.* In hanc hostium legati, quos in Urbem admittere intutum Romani existimabant, publice accipiebantur. Liv. XXXIII. 9. *Macedones deducti extra Urbem in villam publicam, ibique illis locus, & lautia præbita.* Cicero, cum de septis ædificandis dixisset, Attic. IV. 16. *Simul adjungetur huic operi villa etiam publica.* Sed & aliis usibus inserviebat, ut est apud Varronem, ubi Appius cum *villa* Reatina illam comparando ait de Re rust III. 2. *Hæc, quo succedant e campo cives: illa, quo equæ, & asini. Præterea cum ad Rempublicam administrandam hæc sit utilis, ubi cohortes ad delectum consuli adductæ consîdant, ubi arma ostendant; ubi censores censu admittant populum.* Quin & Victor in initio illic censum fuisse actum dicit. Tam vicina fuit septis, ut hæc sanguine quatuor legionum Marianarum, quas Sylla contra fidem datam post deditionem in illa inermes trucidaverat, maculata fuisse dicat II. 196.

Tunc flos Hesperiæ, Latii jam sola juventus
Concidit, & miseræ maculavit ovilia Romæ.

Sed vel ob viciniam *septa* pro *villa publica* accepit, vel nonnulli ex illis e *villa* in septa effugere conati illic cecidere; vel etiam poetica hyperbole fines *villæ* Lucanus egressus est, factique auxit invidiam. Quo vero loco fuerit, nobis optime indicabit Varro l. l. *Comitiis*, ait, *ædilitiis cum sole caldo ego & Q. Ascius senator tribulis suffragium tulissemus, & candidato, cui studebamus, vellemus esse præsto, cum domum rediret, Ascius mihi, dum diribentur, inquit, suffragia, vis potius villæ publicæ utamur umbra, quam privati candidati tabella, dum ita ædificemus nobis....* Hic *villa* ad campum Martium septis vicinissima describitur, Romæ, quam ipsa septa, propior: quoniam Varro, & Ascius candidatum illic e septis deducendum præstolabantur. Quod magis patet ex sequentibus: *Venimus in villam. Ibi Appium Claudium augurem sedentem invenimus in subselliis, ut consuli, si quid usus poposcisset, esset præsto.* Nec non ex iis, quæ extremo c. 5. leguntur: *Cum hæc loqueremur, clamor fit in campo. Nos athletæ comitiorum una cum id fieri non miraremur propter studia suffragatorum, & tamen scire vellemus quid esset, venit ad nos Pantulejus Parra. Narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum, eum ad consulem tractum a fautoribus competitorum. Pavo surgit, quod ejus candidati custos dicebatur deprehensus.* Fuisse extremo

tremo Martio campo Romam versus apud Varron. c. 2. innuitur. *Hæc in extremo Martio campo utilis.* ... Situs ipsissimus exprimitur a Varr. III. 17. *At strepitus a dextra, & eccum recta candidatus noster designatus ædilis: cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium prosequimur.* Ad dextram *villæ* strepitus acclamantium e campo audiebatur: & e vestigio candidatus recta e *villa* ad Capitolium tendit. Fuit igitur ea campi extremitate, quæ hodie ad Pantheon est inter viam Pastinaram dictam, & alteram Seminarii, aut in proxima vicinia: quam designatus ædilis cum caterva gratulantium præteriens Varronem, & Ascium sibi obvios habuit, & deductores. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 6. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 4. *August. de Legib. c.* 14. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 6. *Vignol. Dissert. de Column. Anton. Pii c.* 2.

Villa Senecæ fuit in via Nomentana. Ipse loci amœnitatem summis laudibus celebrans, dulciter suum Nomentanum appellat Epist. 104. & 110. Ejusdem, & totius regionis fertilitatem apprime commendat Colum. III. 3. *Sed Nomentana*, inquit, *regio nunc celeberrima fama est illustris, & præcipue, quam possidet Seneca, vir excellentis ingenii, atque doctrinæ: cujus in prædiis vinearum jugera singula culleos octonos reddidisse plerumque compertum est.* Aring. Rom. Subterr. IV. 19. 4.

Villa Veri Imperatoris peramœna, & conspicua in via Clodia ab ipso fuit exstructa. Capitol. c. 8. *Villam exstruxit in via Clodia famosissimam, in qua permultos dies & ipse ingenti luxuria debacchatus est cum libertis suis, & amicis paribus.* Hujus vestigia ad hæc usque tempora ad lacum Sabatinum, sive Braccianum extant: cui loco inditum adhuc ab auctore *vici Aurelii* nomen viget. *Aring. Rom. Subterr.* IV. 38. 10.

VILLICA est *villici* contubernalis. l. 40. §. 15. ff. de fideicommiss. libert. *December dispensator meus, Severus villicus, & Victorina villica Severi contubernalis.* Colum. præf. XII. *Nec villici quidem, aut villicæ magna erat opera, cum ipsi domini quotidie negotia sua reviserent, atque administrarent. Nunc vero cum pleraque sic luxu, & inertia diffluant, ut ne lanificii quidem suscipere curam dignentur, nihil mirum est easdem ruris, & instrumentorum agrestium cura gravari, sordidissimumque negotium ducere paucorum dierum tempus in villa morari. Quam ob causam cum in totum non solum exoleverit, sed etiam occiderit vetus ille matrumfamiliarum mos Sabinarum, atque Romanarum, necessaria irrepsit villicæ cura, quæ tueretur officia matronæ, quoniam & villici quoque successerunt in locum dominorum, qui quondam prisca consuetudine non solum coluerant, sed habitaverunt rura.* Curabat, ut docet Colum. XII. 4. *pecora*, & *salgama*, præsertim ubi non aderant horum peculiares ministri. Ideo Juven. Sat. XI. 68. cum *villicam* nominasset:

— & montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.

subdit n. 70.

Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Ova adsunt, ipsis cum matribus, & servatæ
Parte anni, quales fuerunt in vitibus, uvæ:
Signinum, Syriumque pyrum, de corbibus iisdem
Æmula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Autumnum, & crudi posuere pericula succi.

Imo & non semel occupavit coqui partes apud tenuiores. Mart. XII. 18. 19.

Surgentem focus excipit superba
Vicini strue cultus iliceti,
Multa villica quem coronat olla.

I. 56. 11.

Pinguis inæquales onerat cui villica mensas.

Pignor. de Serv. p. 542. Popm. de Oper. serv. p. 35.

VILLICUS est servus, qui præpositus est rationibus rusticis, fructibus percipiendis, universoque operi rustico. Varr. de Re rust. I. 2. *Villicus agri colendi causa constitutus.* Ulpian. l. 8. ff. de instr. vel instrum. leg. *Homines, qui agrum colunt, quorum in numero sunt villici.* Itaque inter lautiores servos *villicum* connumerat Plaut. Cas. II. 8. 26.

Illuc est, illuc, quod hic hunc fecit villicum.

Popm. de Oper. serv. p. 33. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. p. 235. Cujac. Observ. X. 37. Menag. Amœn. jur. civil. c. 17. Kipping. Antiq. Roman. IV. 1. §. 1. Reines. Inscript. Class. I. n. 25. Baleng de Imp. Rom. V. 63. Hinc Varro l. l. *agriculturæ principem* appellat *villicum*, & *villicationem* Colum. XI. 1. *præfecturam:* & Non. II. 897. notavit *villicari* esse *villæ præesse*. Successit enim *villicus* in domini locum, ut notat Columella laudatus supr. in *Villica*. Ideoque *vicedominus* dictus aliquando est, ut actis SS. Nerei, & Achillei: *Victorinus loci vicedominum, triennium ex paralysi decumbentem, precibus sanavit.* At hic quandoque distrahendis mercibus præponebatur. l. 16. ff. de instit. act. Ejusdem munia videre est apud Caton. tit. 5. & 142. Varron. de Re rust. I. 36. Colum. I. 8: XI. 1. *Pignor. de Serv. p.* 540. *Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 172. *H.*

Villicus etiam dicebatur quivis præpositus, procurator, aut dispensator. Ærarii præfectum *villicum* vocat Tibull. IV. 14 1.

Villicus ærarî quondam, nunc cultor agelli.

Urbis præfectum Juven. Sat. IV. 77.

Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi.

In antiquis lapidibus VIL. AB. ALIM. id est, *villicus alimentorum* est, qui alibi dicitur procurator alimentorum. In alio lapide *villicus a plumbo*, pro procurator. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 15. *Cujac. Observ.* X. 37. *Baleng. de Imp. Rom.* V. 63. *Menag. Amœn. jur. civil. c.* 17. *Pignor. de Serv. p.* 541. *Popm. de Oper. serv. p.* 35.

VIM.

VIMINALIS mons, a Servio Tullio, ut nemo dubitat, Urbi additus, nihil hodie animadversione dignum habet, aut celebratum, nisi ecclesiam S. Laurentii in Panisperna, in longitudinem exporrigitur angustiorem: incipiens e regione ecclesiæ B. virginis Montium ab occasu solis juxta Quirinalem usque S. Mariæ Angelorum tendit; ubi eum vallis repletio cum Quirinali conjunxit, & confudit. Restitit tamen inter thermas Diocletiani, & civitatis mœnia divisionis aliquod vestigium. Ab ortu solis parallelo tractu cum Esquilino procedit: inter quos duo colles a S. Laurentio in Fonte ad S. Pudentiam via, olim vicus patricius appellata, divisionem quandam facit, quæ separatio dein intermedia, villa Peretta, usque ad ipsa mœnia, & portam nunc obstructam continuatur. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 2. §. 2. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* I. 7. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 277. *A. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 3. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 6.

Viminalis porta. V. illam supr. in *Porta*.

VIN.

VINALIA erant Jovi sacra. Sed cum alia priora dicerentur, quæ IX. Kal. Maji in Fastis adnotata; alia altera, quæ XIII. Kal. Septemb. Plin. XVIII. 29. *Vinalia priora IX. Kal. Maji degustandis vinis instituta nihil ad fructus attinent? Vinalia altera, quæ aguntur ad* XIII. *Kal. Septemb. & hunc diem festum volunt, tempestatibus leniendis institutum.* Aliaque Jovis fuerint, Veneris alia; dubium fuit coortum, quænam huic, quænam illi sacra. Scriptores veteres inter se discrepant. Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Vinalia a vino. Hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio: nam aliquot locis vindemiæ primum a sacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiam nunc: nam flamen dialis auspicatur vindemiam, & ut jussit vinum legere, agna Jovi*

Jovi facit: inter cujus exta cæſa, & porrecta flamen prorſus vinum legit. In Tuſculanis ſacris eſt, vinum ne vehatur in Urbem, antequam vinalia kalentur. Rationem videmus apud Feſtum: *Jovi*, inquit, *vinum novum, antequam guſtarent, libabant, quod appellabant calpar*, hac ratione, ut reliquum, *quod in doliis, & apothecis illis, unde calpar depromebatur, remaneret, hoc libato, religione ſolveretur, & uſibus humanis poſſit inſervire.* De *Vinalibus* poſterioribus idem Varro l. l. *Vinalia ruſtica dicuntur ante diem duodecimum Kalendas Septembris: quod tum Veneri dedicata ædes, & horti ejus tutelæ aſſignantur, ac tum ſunt feriati olitores.* Feſtus autem poſteriora Jovis diem feſtum dicit, ipſum dedicatione ædis Veneris alias inſignem, dum ait: *Ruſtica vinalia appellantur menſe Auguſto, quarto decimo Kalendas Septembris Jovis dies feſtus, quia Latini bellum gerentes adverſus Mezentium, omnis vini libationem ei deo dedicaverunt. Eodem autem die Veneri ſunt templa conſecrata, alterum ad circum maximum, alterum in luco Libitinenſi, quia in ejus deæ tutela ſunt horti.* Eandem originem adſcribit, & eadem hæc autumni *Vinalia* Jovi tribuit Ovid. Faſt. IV. 897.

> *Venerat autumnus calcatis ſordidus uvis,*
> *Redduntur merito debita vina Jovi.*
> *Dicta dies hinc eſt Vinalia: Jupiter illa*
> *Vindicat, & feſtis gaudet ineſſe ſuis.*

Struv. Antiq. c. 9. p. 396. Guther. de vet. jur. pontif. III. 15. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 497. B. Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 995. C. Laz. Comm. Reip. Rom. XI. 2. Hoſpin. de Feſt. p. 156. a. p. 210. a. Blond. Triumph. Rom. II. p. 38. F. Laurent. var. ſacr. gentil. c. 19. Roſin. Antiq. Rom. IV. 12. Diem a feſto ſeparat Ovid. ibid. n. 875.

> *Cur igitur feſtum Veneris Vinalia dicant,*
> *Quæritis? & quare ſit Jovis iſta dies?*

Et hoc facile auctores conciliare poteſt, qui inter ſe pugnare videntur. Veneris enim fuit feſtum, Jovis vero dies, cui ſacra fierent. *Guther. l. l.* Sed præterquam quod contra morem hoc Romanorum, contra mentem eſt Ovidii; qui uti & verba, & ſermonis contextus docet, bina proponit *vinalia*; hæc Veneris vocat feſtum, illa pro more poetico, ſermone variato, diem Jovis, & clare innuit, priora menſis Aprilis Veneri; altera autumni Jovi competere. *Struv. l. l.*

VINARIARIUS in caſtris vocabatur, qui vina inibi negotiabatur, unde & illi negotiantes vini vocantur, & *vinarii* ſimpliciter. Inſcriptio Romæ:

> JULIÆ. S. F. MARCIANÆ. CONJUGI. OPTIMÆ. ET. DULCISSIMÆ. ET. DESIDERANTISSIMÆ. RARISSIMI. EXEMPLI. FEMINÆ. FECIT. P. RAGONIUS. DAPHNUS. VINARIARIUS. IN. CASTR. PR. *Prætoriis.*

Negotiantes vini vocantur in inſcriptione, quæ eſt Romæ ad campum Carleum:

> Q. HERENNIO. HETRUSCO. MESSIO. DECIO. NOBILISSIMO. CÆS. PRINCIPI. JUVENTUTIS. COS. FILIO. IMP. CÆS. C. MESSIQ. TRAJANI. DECII. PII. FELICIS. INVICTI. AUG. ARGENTARII. ET. EXCEPTORES. ITEMQ. NEGOTIANTES. VINI. SUPERNAT. ET. ARIM. DEVOTI. NUMINI. MAJESTATIQ. EJUS.

Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 234.

VINARIUS erat ſervus *vino* deditus. Ulpian. l. 4. §. 2. ff. de ædilit. edict. *Item aleatores, & vinarios non contineri edicto quosdam reſpondiſſe, Pomponius ait.* l. 25. §. Pedius eod. *Quod deterior factus eſt ſervus, non ſolum ad corpus, ſed etiam ad animi vitia referendum eſt: ut puta ſi imitatione conſervorum apud emptorem talis factus eſt: aleator forte, vel vinarius, vel erro evaſit.* Popm. de Oper. ſerv. p. 162.

VINCULA vocabantur compedes, pedicæ, manicæ, catenæ, nervi, boja, & carcer. Plaut. Aſin. III. 2. 4.

> *Qui adverſum ſtimulos, laminas, cruceſque, compedeſque,*
> *Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas. . . .*

Sigon. de Judic. II. 3.

Vincula apud poetas ſæpe pro ſoleis uſurpantur. V. ſupr. in *Solea.* Opulenti & luxurioſi ſæpe, non tota quidem aurea, ſed auro fulgentia, & ex aureis filis confecta habebant. Ælian. Var. hiſt. IX. 11. *Parrhaſius pictor aureis corrigiis calceamentorum ligulas conſtringebat.* Petron. c. 86. *Pedum candor intra auri gracile vinculum poſitus.* Perizon. in Ælianum.

Vincula purpuræ, ſive purpurea tria, & non plura, ut adhiberet, qui funus curandum habebat, conſtituerant decemviri. Id quo pacto accipiendum ſit, inter omnes non convenit. Hotomannus ea *vincula* interpretatur faſcias purpureas, quibus cadaver riciniis obvolutum obligaretur. Rævard. ad Leg. XII. tab. c. 15. accipere maluit de clavis purpureis, quibus prætextum erat unumquodque ricinium, ſive quævis toga. Atque hoc quidem verum eſt, ſolere Romanos togas purpureis clavi, prætextas habere: ſed tamen non eſt credibile decemviros idem bis dicere voluiſſe, ſi nihil aliud intellexerunt *vinculis* purpuræ, quam illam ipſam purpuræ particulam, quæ togæ prætexebatur. Hæc enim jam ante ſub appellatione riciniorum comprehendebantur ſatis, ut acceſſorium ſub principali ſuo arg. §. 26. Inſtit. de rer. diviſ. *ſi tamen alienam purpuram.* Probabilior mihi itaque videtur Hotomanni expoſitio de faſciis a toga ſeparatis. Illud nullo modo probandum, quod aliqui pro *vinculis* putarunt ſubſtituendas *tunicillas*: quos & Balduinus p. 143. recte reprehendit: quia hoc eſſet ſumptum augere interpretatione; quem tamen lex minuere voluit. *Rittersh. ad Leg.* XII. *tab. Claſſ.* I. *c.* 4.

VINDEMIÆ quæ ſunt neceſſaria, parari docet Cato c. 23. Illarum tempus docet Varr. I. 27. Illam quomodo facere oporteat Varro I. 54. Pallad. in Septembri c. 11. Illa facta quæ fieri debeant Cato c. 62. & 68. *Urſin. ad Kalend. Ruſtic. Farneſ. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 26. *B. Vindemiarum* tempore res proferuntur, id eſt, lites, & negotia differuntur. Minuc. Fel. p. 10. *Sane & ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant.* Cyprian. ad Donat. Epiſt. 11. *Reddendi tempeſtivum prorſus hoc tempus eſt, quo, indulgente vindemia, ſolutus animus in quietem, ſollennes, ac ſtatas anni fatigantis inducias ſortitur.* Paull. laudatus ſupr. in *Feriæ meſſium.* Pith. Subciſ. II. 20. Elmenhorſt. in Minucium. *Vindemiæ* inſtrumenta partim aurea, partim argentea vinitores in Dionyſii templo ſuſpendebant. Memorat Philoſtr. in vita Apollon. II. 4. *Tomaſ. de Donar. c.* 27.

VINDEX ſpeciatim appellatur, qui, cum cuipiam eſſet injecta manus, ut ad prætorem, judicemve duceretur, eum liberabat. Hæc Feſti mens, cum ſcribit: *Vindex ab eo quod vindicat, quo minus is, qui prenſus eſt, ab aliquo teneatur.* Atque ita uſurpatur in legg. XII. tabularum: *Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario, cui volet, vindex eſto.* Sententia eſt, homini aſſiduo, ſive locupleti ſolum locupletem fieri poſſe *vindicem*, ſeu ſponſorem: at proletario, ac nullius claſſis homini, quiſquis velit, hoc eſt, non locupletem tantum, utpote meliorem, ſed etiam proletarium, tanquam parem. *Voſſ. Lex. Etymol. in Vindico. Auguſt. ad Leg.* XII. *tab.* §. 4. *Rævard. ad eaſdem c.* 9. *Rittersh. ad eaſdem Claſſ.* III. *p.* 3. *c.* 59. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 476. *F. Roſin. Antiq. Roman.* VIII. 6.

VINDICANDI ratio, ſi quis ſe auctorem profiteretur, eadem in dominio petendo obſervabatur, quæ adhibita fuerat in petenda poſſeſſione. Nam *vindicatio* non magis erat poſſeſſionis poſtulatio, quam dominii. Itaque ſi ſervus peteretur, petitor ſervum tenens *vindicabat* ita: *Quando ais, neque negas, te auctorem eſſe, hunc hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo.* Tunc prætor poſſeſſorem in-

interrogabat, an contra *vindicaret.* Si ille cederet, ſervum pariter *vindicanti* addicebat, id eſt, dominium decernebat. Sin contra *vindicaret*, ſic reſpondebat: *Et ego eundem hominem meum eſſe ajo ex jure* Quiritium, *ſed non ne tu dicis, qua cauſa vindicaveris.* Tum petitor cauſam exponebat. Sin autem fundus, aut domus peteretur, eadem ratione *vindicabatur*, id eſt, dominium petebatur, qua poſtulatum in ſervo fuerit. Quippe allatis in jus *vindiciis* dicebat petitor: *Hunc fundum ajo meum eſſe ex jure* Quiritium. Et reliqua eodem modo, quo in ſervo. Hæ formulæ apud Ciceronem in oratione pro Murena, & apud Valerium Probum in libro de notis antiquis reperiuntur. *Sigon. de Judic.* I. 10. & 21. *Po.let. For. Rom.* v. 4. *Vindicaturus* ſervum manum injiciebat in illum. V. ſupr. in *Manus.*

VINDICATIO *eſt, per quam vis, & injuria, & omnino quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſatur.* Cicer. de Invent. II. 53. Sed συνεκδοχικῶς hæc vox accipitur de actione, qua vim, & injuriam propulſamus adverſus eos, qui nobis res noſtras, aut jus in rebus ereptum eunt. Utrumque enim *vindicatio* dicitur, & cum rei dominium nobis aſſerimus, & cum pignori nobis obligatam eſſe contendimus, unde hypothecaria actio *vindicatio pignoris* vocatur l. 16. §. in vindicat. ff. de pignor. *Voſſ. Lex. Etymol.* Fuit duplex, una poſſeſſionis, altera dominii. Poſſeſſio uſum rei hoc loco ſignificat, ut ædium, aut fundi, eaque proprie *vindiciæ* nominatur. Qui vero litem de dominio rei intendere volebat, quæ dicebatur *vindicatio*, ſi cujus *vindiciæ*, id eſt, poſſeſſio eſſe deberet, certum fuiſſet, is, qui poſſeſſione carebat, actionem ſtatim poſſeſſori de dominio intendebat. Sin autem incertæ fuere *vindiciæ*, primum de *vindiciis*, deinde de dominio agebat. *Neque enim*, ut inquit Juſtinianus, *aliter inſtitui, aut expediri lis de dominio potuit, quam ſi alter petitor, alter poſſeſſor eſſet: quia etiamſi ejus res non eſſet, qui poſſideret, ſi modo actor non poſſet ſuam eſſe probare, remanebat in ſuo loco poſſeſſio, aut quia ubi non conſtabat, uter poſſeſſor eſſet, actio a petitore de dominio inſtitui non poterat: quia civilis, & naturalis ratio poſceret, ut alius poſſideret, alius a poſſidente peteret.* Sigon. de Judic. I. 21. Incidebat in adoptionem. V. ſupr. in *Adoptio.* Et in emancipationem. V. ſupr. in *Emancipatio.*

VINDICIÆ quid fuerint, docet Feſtus: *Vindiciæ*, inquit, *appellantur res eæ, de quibus controverſia eſt, aut potius dicuntur vindiciæ inter eos qui contendunt.* Priorem Feſti interpretationem ſequuntur veteres critici in gloſſis Philoxeno tributis. Siquidem in iis legas: *Vindiciæ*, omnino *vindiciæ* ſcribendum, τὰ ἐν ἀμφισβητήσει πράγματα. Etiam Servius Sulpitius, nomine ſingulariter formato, *vindiciam* dixit, Feſto teſte, qui & addit, *vindiciam* ab eo definiri *rem, de qua controverſia eſt.* Sed clariſſime Aſcon. in Cicer. p. 100. *Lis vindiciarum eſt, cum litigatur de ea re apud prætorem, cujus incertum eſt, quis debeat eſſe poſſeſſor: & ideo, qui eam tenet, ſatisdat pro præde litis vindiciarum adverſario ſuo, quo illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturum, de qua jurgium eſſet: rurſus ſponſione ipſe provocatur ab adverſario certæ pecuniæ, aut æſtimationis, quam amittat, ni ſua ſit hæreditas, de qua contendit. Prædes ergo dicuntur ſatisdatores locupletes pro re, de qua apud judicem lis eſt: ne interea, qui tenet diffidens cauſæ, poſſeſſionem deteriorem faciat, tecta diſſipet, excidat arbores, & culta deſerat.* Voſſ. Lex. Etymol. Scalig. in Feſtum, Briſſon. de Form. v. p. 393. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 693. B. Salmaſ. de mod. uſur. c. 16. Rævard. in Leg. XII. tab. c. 6. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 3. c. 8. Quidam putant *vindiciam* fuiſſe virgulam, & feſtucam, quam litigantes, vel diſceptantes in illa manuum conſertione, & quaſi lucta defringebant. Fuit enim hæc ludicræ cujuſmodi pugnæ ſpecies, & vis ficta, atque imaginaria, quam *vim civilem, & feſtucariam* vocat Gell. XX. 10. Finis hujus ſimulacri pugnæ, ſive luctæ erat: ut alter litigantium dicere poſſet, ſe ab altero videri dejectum eſſe de ſua poſſeſſione, & dejectus peteret ſe reſtitui interdicto: atque ita judicium de poſſeſſione inſtitueretur, altero negante adverſarium poſſediſſe. *Rittersh. l. l.* Verba poſtulantis *vindicias* ſunt: *Hunc hominem ego liberum eſſe aſſero: poſtulo, ut mihi des vindicias ſecundum libertatem.* Item: *Hunc hominem ſervum meum eſſe aſſero: poſtulo, ut mihi des vindicias ſecundum ſervitutem.* Decretum prætoris: *Qui libertatem defendit, ei vindicias do.* Liv. III. 44. *Appius Marco Claudio, cui negotium dedit, ut virginem in ſervitutem aſſereret, neque cederet ſecundum libertatem poſtulantibus vindicias* c. 46. *Cum inſtaret aſſertor puellæ, ut vindicaret, ſponſoreſque daret, manus tollere undique multitudo, & ſe quiſque paratum ad ſpondendum Icilio oſtendere. Ita vindicatur Virginia ſpondentibus propinquis.* Hinc poſtulare *vindicias*, & *vindicare* eſt poſſeſſionem petere; dare *vindicias* poſtulantibus eſt poſſeſſionem alteri poſtulanti concedere. *Sigon. de Judic.* I. 21. *Auguſt. ad Leg. XII. tab.* §. 3. *Urſin. ad Leg. & Sch. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1363. *E. Roſin. Antiq. Roman.* IX. 10. *Schil Nomencl. Philol. p.* 1120.

VINDICTA nomen accepit a *Vindice*, ſive, ut Pompon. l. 2. ff. de Orig. juris, Vindicio Vitelliorum ſervo, qui cum patefeciſſet nobilium adoleſcentium de reducendo Tarquinio conjurationem, libertate & civitate donatus eſt: Liv. II. 5. *Secundum pœnam nocentium, ut in utramque partem arcendis ſceleribus exemplum nobile eſſet; præmium indici, pecunia ex ærario, libertas, & civitas data. Ille primum dicitur vindicta liberatus: quidam quoque vindictæ nomen ab illo tractum putant; Vindicio ipſi nomen fuiſſe. Poſt illum obſervatum, ut qui ita liberati eſſent, in civitatem accepti viderentur.* Auguſt. ad Leg. XII. tabularum §. 3. Loon. de Manum. ſerv. I. 3. I. Roſin. Antiq. Rom. I. 20 Fab. de Magiſtr. Roman. p. 195. Non a *Vindice*, ſed a *vindicando*. Quippe, teſte Boethio ad Topica Ciceronis erat *virgula quædam, quam lictor manumittendi ſervi capiti imponens, eundem ſervum in libertatem vindicabat, dicens verba quædam ſollemnia.* Verba ea, ut ex Conſtantino Harmenopulo conſtat, hæc erant: *Proclamatur hunc præſentem hominem eſſe liberum, & civem Romanum.* De hac voce Priſcian. XVIII. p. 1208. Edit Putſch. *Vindico in utraque ſignificatione invenitur, tam pro la..., quam contra lædentem accipiendum; unde vindicta non ſolum pœna, ſed etiam liberatio accipitur.* Perſius in ... *Unde & aſſertio tam a ſervitute in libertatem, quam a libertate in ſervitutem trahi ſignificat; quod apud Livium in multis legimus locis.* *Feſtuca* etiam vocatur. V. ſupr. in *Feſtuca.* Voſſ. Lex. Etymol. in Vindico. Rævard. Var IV. 9. Schill. Nomencl. Philol. p. 1121. Hac dimiſſi plane, & plene liberi erant. Hoc patet ex verbis ſervi manumiſſi, qui ita loquitur apud Perſ. v. 88.

> *Vindicta poſtquam meus a prætore receſſi,*
> *Cur mihi non liceat juſſit quodcunque voluptas,*
> *Excepto, ſi quid Maſuri rubrica notavit?*

Et Cicer. pro C. Rabir. c. 5. *Carnifex, & obductio capitis, & nomen ipſius crucis abſit non modo a corpore civium Romanorum, ſed etiam a cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non ſolum eventus, atque perpeſſio, ſed etiam conditio, exſpectatio, mentio ipſa denique indigna cive Romano, atque homine libero eſt. An vero ſervos noſtros horum ſuppliciorum omnium metu dominorum benignitas una vindicta liberabit: nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore, neque res geſtæ, neque acta ætas, neque noſtri honores vindicabunt?* Neque in ſervitutem retrahi poterant. Tacit. Annal. XIII. 27. 4. *Quin & manumittendi duas ſpecies inſtitutas, ut relinqueretur pœnitentiæ, aut novo beneficio locus, quos vindicta patronus non liberaverit; velut vinculo ſervitutis attineri.* Loon. ibid. n. 5. Nerius Analect. II. 16.

VINICIA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

VINEA eſt menſe Junio occanda. Colum. de Arbor. c. 5. *Poſt Idus Aprilis terram ad vitem aggerato, et laue deinde quam potes ſæpiſſime occato. Jugerum vineæ quinque operis ablaqueant, quinque foditur, tribus occatur.* Kalendar. Ruſtic. Farneſ. menſe Junio: *Vineæ occantur.* Urſin. ad Kalendar. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 25. B. menſe Decembri ſtercoranda. Kalendar. menſe Decembri:

Vineæ stercorantur. Stercus tamen vitibus ingestum vini sapori obesse ex sententia patrui sui scribit Colum. II. 16. Patruus meus *negabat stercus vitibus ingerendum, quod saporem vini corrumperet.* Ursin. ibid. p. 27. A.

Vinea, machina militaris, a similitudine veræ illius dicta, quæ jugata, & in tectum allevata. Sub illa quia considere fas, & latera sic clausa: hæc quoque militaris nomen sumpsit. Quid ea, Heron ostendit c. 1. Appellat cum additamento *testudinem vineam*, quod & Apollodorus in Poliorceticis. Hæc Heronis sunto, excerpta pro sensu magis, quam interpretis verbis, quæ sæpe fordent. *Ligna testudinis vineæ, quæ milites ferunt, sunt ejusmodi: erecta in altitudinem, inæqualia, singula duodecim digitos circiter crassa, quinque pedum intervallo disjuncta. Connectuntur inter se, sic ut quinarium illud intervallum semper servetur. Horum quæ altiora sunt, viri staturam, & dimidiatam æquant; quæ humiliora, unam tantum. Habent inferne cuspides, quibus terræ infixa sublevant portantes. Coria appenduntur crassa, vel cilicia; superius autem rugosa, non extensa, ut in hæc tumultum, aut molle tela incidentia frangantur, & lentescant.* Veget. IV. 15. *Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari, barbaricoque usu causias vocant. E lignis levioribus machina colligatur, alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sedecim. Hujus tectum munitione duplici, tabulatis, cratibusque contexitur. Latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum, telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concrematur incendio, crudis, ac recentibus coriis, vel centonibus operitur. Istæ, cum plures factæ fuerint, junguntur in ordinem, sub quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta.* Lips. Poliorc. I. Dial 7. Turneb. Adv. XI. 24. Valtrin. de Re milit. Roman. v. 6. Blond. Triumph. Rom. VI. p. 132. A. Laz. Comment. Reip. Rom. VIII. 15. Stewech. in Vegetium. Volaterr. Comment. Urban. XXX. p. 1125. D. Laurent. Polym. IV. Synops. II. Thys. de Oppugn. Urb. I. p. 160.

VINITOR est vinearum pariter cultor, & custos, sine quo nullus procul dubio esset cellæ vinariæ usus. Colum. III. 3. *Nam ut amplissimas impensas vineæ poscant, non tamen excedunt septem jugera unius operam vinitoris, quem vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium posse comparari putat, sed ego plurimorum opinioni dissentiens, pretiosum vinitorem in primis esse censeo.* Serv. in Virg. Ecl. X. 36. *Vinitor autem*, inquit, *vel custos, vel cultor vinearum.* Pignor. de Serv. p. 550. Tomas. de Donar. c. 27.

VINUM est potus præstantissimus ex uvis qui exprimitur. Ejus inventum Ægyptii Osiri, Græci Baccho, Latini Saturno attribuerunt. Ex sacris vero paginis Gen. c. 9. n. 20. a Noe post diluvium jam secundi mundi ætate incipiente liquet inchoasse. *Butius de Potu antiq. c.* 1. *Nicol de Rit. Bacchan. c.* 4. Ejus innumera commoda quæ latent? ad coquendum, lavandum, purgandum, medendum, ulcera siccandum, sanandum, & potissimum in omnibus ad sitim exstinguendam, & cibum digerendum. Hinc Bacchus dictus *vini* inventor, medicus, semper juvenis, ridens, quia vinum exhilarat, ætatem reddit floridam, antipharmacum tristitiæ, si in tempore, & modice potetur. *Laurent. de Prand. & cœn. Vet. c.* 18. *Buleng. de Conviv.* III. 1. Quod suavissimum poculum, & medicaminum medicamen eximium cum in illis principiis haud decenter adhiberetur; evenit, ut & ipsum medelæ, ac normæ præscriptione egeret, tum ob ebrietatis periculum, tum quod diversis hominum temperamentis non æque congrueret. Arrepta itaque fuga Dionysium in undis latitasse fabulati sunt, Lyæum laticem lympha, quam pretiosissimam vocat Pindarus, attemperare oportere innuentes. *Butius l. l. Vini* diluendi modum primum a Melampode inventum fuisse memorat Staphylus apud Athen. II. p. 45. C. & Plin. VII. 57. Et ejus convenientem cum aqua mixtionem Atheniensibus monstrasse Regem Amphyctionem fama est apud Athen. IV. p. 179. D. *Buleng. ibid. c.* 11. *Nonn. de Re Cibar.* IV. 11. *Nicol. de Rit. Bacchan. c.* 5. *Laurent. de Prand. & cœn. Vet. c.* 16. Athen. X. p. 426. D. *Quæ nostro seculo fit mixtio, priscis inconsueta, memoriam retulit jactati proverbii, bibenda quinque vel tria, sed minime quatuor. Jubet adagium, ut cum quinque partibus aquæ vini duas bibamus, aut cum aquæ tribus unam vini.* Buleng. ibid. c. 14. Laurent. l. l. Melle miscebant veteres. Et hoc *vini* genus in lautioribus conviviis olim expetebatur. Unde illud notum Mart. XIII. 108. supr. in *Mulsum.* Primus omnium mortalium Aristæus mella *vino* miscuit. Plin. XIV. 4. *Menetrej. Symbol. Dian. Ephes. stat. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VII. *p.* 386. *C.* Hoc modo conficiebant: primum calcabant uvas, & mustum in grande aliquod vas, quod laccus vocabatur, V. illud supr. in *Laccus*, mittebant: postea harum scopos cum folliculis subjiciebant sub prelum, & quod reliqui habebant musti, in eundem exprimebant laccum, ut docent Varr. de Re Rust. I. 54. & Ulpianus supr. in *laccus* laudatus. *Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p.* 139. Defæcabatur cœlo sereno totam jam noctem expositum, ne nervis noceret, quia colo lineo transmissum vires amittit, injecto columbino ovo. Hoc enim trahit limum deorsum, & vinum est generosius. Horat. Sat. II. 4. 51.

Massica si cœlo supponas vina sereno,
Nocturna si quid crassi est tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet fæce Falerna
Vina columbino limum bene colliget ovo.

Alii ovorum aliquot gallinarum albumina in dolium mittunt, & dolium movent, & vinum defæcatur. Horat. ibid. n. 52.

Quatenus ima petit, volvens aliena vitellus.

Buleng. de Conviv. III. 2. ut defæcatum meracius biberetur, transmittebant *sacco.* V. illum supr. in *Saccus.* Idque *saccare* dicebant. Mart. II. 40. 5.

Cæcuba saccentur, quæque annus coxit Opimi,
Condantur parco fusa falerna cado.

Hinc per similitudinem non inamœnam, in re tamen parum honesta, factum est, ut cum vesica coli vinarii, vel sacci speciem habeat, urina liquoris transmissi lotium saccatum diceretur. Sammonicus:

Quod facit ex asino saccatus corporis humor.

Apud quem humor ille est lutum ex asini lotio factum. Vesica enim lotium transmittit, non aliter atque saccus vinarius *vinum.* Turneb. Adv. XVII. 18. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p. 539. Veteres non condebant ligneis vasis, & cupis, quales nos habemus; sed in vasis figulinis, iisdemque magnæ capacitatis: quippe quæ carrum, sive plaustrum *vini* capiebant, hoc est amphoras 120. quæ 1600. aut secundum quosdam 1920. libras conficiunt. *Pancirol. ibid. p.* 138. Variis modis condiebant. Faciebant hoc I. ad leniendam asperitatem. II. ad augendam parvitatem, vetustatemque accelerandam. III. ut ab omni corruptionis genere conservarent. Plin. XIV. 19. *Africa gypso mitigat asperitatem, nec non aliquibus sui partibus sale. Græcia argilla, aut marmore, aut sale, aut mari lenitatem excitat:* quo pacto etiam a Cretensibus vinum Malvaticum nuncupatum parari audio. Refert Plutarch. Sympos. v. 3. ex Græcia Euboicos, & ex Italis eos, qui circa Padum incolebant, consuevisse vasa pice oblinere, resinamque ipsam vino commiscere, quod talia vasa non modo gratum quendam odorem impertirent, verum etiam *vinum* generosum redderent, celeriterque ab eo aquositatem, novitatemque caloris ope removerent: de quibus loquebatur Plinius modo laudatus, cum scripsit in Italiæ provinciis nonnullis *vulgare fuisse musta pice rabulana*, sive *radulana*, ut legit Dalechampius ad Plinium, id est, tam sicca, ut radi possit, *atque resina condiri.* An vero, quod hodie *picans*, & *racens* populari vocabulo dicitur, veteribus notum fuerit, qui de hujusmodi sapore nihil meminisse videntur, multi dubitarunt. Ego puto primum a Plauto fuisse significatum, quando dixit in Pœn. III. 3. 87.

Vetu.

Vetuſtate vino edentulo ætatem irriget.

quaſi edentulum vocarit *vinum* ad illius differentiam, quod dentatum, atque mordax erat. Plinius ſimiliter ſcribens XIV. 20. *Picis aſperſu odorem vino contingere, & ſaporis quædam acumina*, duo me commonefacit: unum, quod *vinum* picans cognoverit: alterum, quod facile potuerit picans Italorum a picato veterum eſſe deductum. Quanquam ſcio non deeſſe, qui velint, picans vocem ex media Gallia fuiſſe productam, atque idem quod mordens ſignificare. *Mercurial. de Potion. & edul. antiq. c.* 8. Vetuſtate maxime commendatur, & generoſum cenſetur. Nam & Salvator noſter inquit Luc. c. 5. n. 39. *Nemo vetus vinum bibens ſtatim vult novum. Vetus enim eſt melius.* Hinc Plaut. Caſin. prol. n. 5.

Qui utuntur vino vetere, ſapientes puto,
Et qui libenter veteres ſpectant fabulas.

Certe diuturnitate temporis melius fieri oſtendit Horat. Epiſt. II. I. 34.

Si meliora dies, ut vina, poemata reddit.

Ideo avitum ſibi fundi optat Ovidius:

Qui properant, nova muſta bibant, mihi fundat avitum
Conſulibus priſcis condita teſta merum.

Salmuth ibid. p. 144. Feith Antiq. Homer. III. 2. Nonn. de Re Cibar. IV. 9. Ut veteres ætatem cognoſcerent, ſuſpendebant e vaſis vinariis tabellam, in qua vini ætas ſcripta erat, id eſt, quo tempore, quibusque conſulibus conditum eſſet. Juven. Sat. V. 34.

—— cujus patriam, titulumque ſenectus
Delevit, multa veteris fuligine teſtæ.

Brod. Miſc. I. 3. Schill Nomencl. Philol. p. 1118. Nicol. de ſigl. vet. c. 45. §. 6. V. ſupr. in *Pittacium*. Ad vetuſtatem *vino* induccndım erant, qui vaſa in locis calidis, aut fumo exponerent, ut is continuo quodam, & blando calore penetrans aqueas partes abſumeret. Horat. Od. III. 8. 9.

Hic dies anno redeunte feſtus
Corticem adſtrictum pice dimovebit
Amphoræ, fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.

Colum. I. 6. *Apothecæ recte ſuperponentur his locis, unde plerumque fumus earum exoritur: quoniam vina celerius vetuſteſcunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt.* Maſſilienſes paſſim fumo maturarunt. Mart. X. 36. I.

Improba Maſſiliæ quicquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quiſquis ab igne cadus.

XIV. 118.

Maſſiliæ fumos miſcere navalibus undis
Parce puer, pluris ne tibi conſtet aqua.

Mercurial. l. l. Fruter. Veriſ. I. 5. Brod. Miſcell. I. 13. Kipping. Ant. Rom. IV. 3. 10. Lambin. & Torrent. in Horatium. Buleng. ibid. III. 2. Baccius de vin. & Conviv. IV. p. 174. Ex apothecis ſuperioribus, cum fumum bibiſſet, deſcendebat. Horat. Od. III. 21. 5.

Quocunque lectum nomine Maſſicum
Servas, moveri digna bono die,
Deſcende, Corvino jubente,
Promere languidiora vina.

III. 28. 7.

Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram.

Buleng. l. l. Torrent. in Horatium. Colores in illo præcipue conſpiciuntur albus, niger, fulvus, flavus, & ruber, ut auctor eſt Galen. XII. principio lib. III. de rat. vict. in morb. acut. Plin. XIV. 9. quatuor ſummos colores agnoſcit, album, fulvum, ſanguineum, nigrum. *Nonn. de Re Cibar.* IV. 9. Primitus non niſi deorum cauſa adhibebatur. Hinc θοῖνα apud Athenæum Seleucus ait dicta, quod fas eſſet διὰ τὰς θεὰς οἰνῶσθαι, *ob deorum ſacra vino indulgere.* Et Homerus μέθας vocat convivia, quod μετὰ τὸ θύειν αὐτῷ χρῆσθαι, *peractis ſacris vino indulgerent.* Demum potatum eſt etiam privatis in menſis, ad ebrietatem uſque, & deliciæ a deorum menſis ad hominum diverterunt. *Laurent. de Conviv. Vet. c.* I. Libabant in menſa, nominato Demetrio, ἐπιχεομένας Δημητρία, ait Athenæus. Quod Plutarchus dixit: *epichyſes nomine Demetrii conſecratas capientium*, id eſt, effuſiones vini, & libationes. Homer. Odyſſ. M. n. 362.

Non habebant vinum, quod libarent ſuper ardentia ſacra.

Moris enim fuit, ut vinum in ardentia ſacra effunderent. Homer. Odyſſ. B. n. 432.

Statuerunt crateras vino coronatos,
Et libarunt diis immortalibus.

Buleng. ibid. III. 34. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 3. c. 1. Non bibebant feminæ. V. ſupr. in *Feminæ*. In illo in menſam fuſo milites domum reverſi pugnas deſcribebant Ovid. Heroid. I. 31.

Jamque aliquis poſita monſtrat fera prælia menſa,
Pingit & exiguo Pergama tota mero.

In nequitiis quoque, & luſibus amatoriis ſolebant hoc *vinum* ſuper menſam diffuſum digitis deducere, & neſcio quas notas depingere, quibus tacite inter ſe loquerentur. Liquet hoc ex Epiſt. Helen. ad Parid. *Laurent. Var. ſacr. gentil. c.* 18. Toties in ſacrificiis in altari ſuper ignem effundebatur, quot fuiſſent anni illius, pro quo ſacrum fiebat. Ovid. Triſt. III. 13. 15.

Fumida cingatur florentibus ara coronis,
Micaque ſollemni thuris in igne ſonet.
Libaque dem pro te, genitale notantia tempus,
Concipiamque bonas ore favente preces.

Caſal. l. l.

Vinum Albanum *eſt ad Cumam Campaniæ urbem, potui commodum, & leve ab annis quinque.* Athen. I. p. 26. F. Plin. XXIII. I. *Albana nervis utiliora. Vinum plus Surrentino, auſteritas Albano.* Horat. Sat. II. 8. 14.

—— procedit fuſcus Hydaſpes,
Cæcuba vina ferens: Alcon, Chium, maris expers.
Hic herus, Albanum, Mæcenas, ſive Falernum
Te magis appoſitis delectat.

De Albano Mart. XIII. 109.

Hoc de Cæſareis mitis vindemia cellis
Miſit, Juleo quæ ſibi monte placet.

id eſt, Albano. *Buleng. de Conviv.* III. 9.

Vinum Amineum, ubi nunc Falernum eſt. Auſon. Epiſt. 18. 31.

Solus, qui Chium miſcet, & Amineum.

Serv. Georg. II. 97. *Amineum vinum ſine minio, & rubore.* Plin. XIV. 2. *Principatus datur Amineis propter firmitatem.* Buleng. de Conviv. III. 5. Bruyer. de Re Cibar. XVII. 7.

Vinum Amphorarium. V. hoc ſupr. in *Amphorarium*.

Vinum Anticianum. V. infra in *Vinum conſulare*.

Vinum apyrum *dicebatur, quod non erat coctum, ſed naſcebatur in aſſita arbore.* Suidas. *Buleng. de Conviv.* III. 22.

Vinum Ariuſium fuit generoſiſſimum, natum in monte Ariuſio aſpero & importuoſo, quod pertinet ad nobilitatem inſulæ Chii, in qua mons ille. Hodie adjectione unius literæ *Marviſium* nominatur. Virgilius. V. illum ſupr. in *Calathus*. Ad quæ alludens ſcribit Strab. XIV. p. 438. *Cum cæteræ circum vicinæ vino optimo abundent, & tota ferme continens, quæ propinqua eſt, vina optima ferat, ut Chius, Lesbos, & Coos.* Laz. Græc. Ant. II. 2. Buleng. de Conviv. III. 7.

Vinum Cæcubum fuit optimum. Horat. Od. I. 20. 9.

Cæcubum, & prelo domitam Caleno
Tu bibes uvam.

III. 28. 2.

— prome reconditum
Lyde ſtrenua Cæcubum.

Strab. v. p. 161. *Sinui Cajetano contiguum eſt Cæcubum, cui adjacet urbs Fundi in via Appia. Tota hæc ora præcipua adeo vina generat. Verum Cæcubum, & Fundanum, & Setinum, ſicut Falernum, & Albanum, & Staganum inter nobilia numerantur.* Turrig. in Urſi Togati inſcript. §. 18. Bruyer. de Re Cibar. XVII. 7.

Vinum Calenum erat antiquitus laudatiſſimum Strab. v. p. 167. *Quin & vinum optimum hinc habent Romani, Falernum, Statanum, Calenum.* Quod etiam cum Falerno, Surrentino, & Cæcubo contendere poterat. Plin. v. 6. *Juncta his.... præponi ſolebant Calena.* Unde frequens ejus mentio apud poetas, Juven. Sat. I. 69.

Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro miſcet ſitiente rubetam.

Mart. x. 35. 19.

Non Bacchi, nec Apollinis puella.
Erepto ibi viveret Caleno.

Horat. Od. I. 31. 9.

Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna vitem.

Pigh. Annal. Rom. I. p. 327.

Vinum Chium, abundantia, & generoſitate apprime nobile eſt, & commendabile. *Lauremberg. Græc. Ant. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IV. *p. 72. A. Buleng. de Conviv.* III. 5. Plaut. Curc. I. I. 78.

Quaſi tu lagenam dicas, ubi vinum ſolet
Chium eſſe.

Jocatur ex eo, quod cum vino Græco fere aqua maris admixta eſſet: Chio tamen non addebatur. Horat. Sat. II. 8. 15. V. illum ſupr. in *Vinum Albanum.* Turneb. Adv. XI. 7. Ut omnium præſtantiſſimum *dynaſten* appellavit, ut apparet ex Serv. Georg. II. 98. etſi corrupto. Ut enim Virgilius honeſta, præclaraque tranſlatione ſcripſit:

Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus.

eodem modo Lucilius arte de *vino* Chio magnifice dixerat *Χιόιτε δυναςής. Turneb. ibid.* XXVIII. 8. Miſcebant cum Falerno delicatius potaturi. Horatius. V. illum ſupr. in *Amphora.* Tibull. II. I. 26.

Nunc mihi fumoſos veteris proferte Falernos
Conſulis: & Chio ſolvite vincla cado.

Plinius. V. illum ſupr. in *Cœna triumphalis.* Torrent. in Horatium, Broukh. in Tibullum.

Vinum Cnidium non tantum e Cnido inſula, ſed & ex Ægypto dictum. Olympiod. in Ariſtot. Meteor. I. *In Ægypto tam calida vinum frigidum, Cnidium dictum, per antiperiſtaſin.* Buleng. de Conviv. III. 5.

Vinum conſulare pro vetuſtiſſimo, & optimo eſt uſurpatum. Ut optimam notam vini Cicer. de Clar. orat c. 83. *Opimianam & Anitianam* dixit ex eorum hominum conſulatu: ita *vinum* conſulare erat, ut Opimianum, & Anitianum. Hinc jocus Mart. VII. 78.

Potare modo conſulare vinum,
Quæris quam vetus, atque liberale?
Ipſo conſule conditum, ſed ipſe
Qui ponebat, erat, Severe, conſul.

Turneb. Adv. XXV. 24. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 149. Nicol. de Sigl. vet. c. 45. §. 6. Schill Nomencl. Philol. p. 1123.

Vinum defuſum eſt de dolio in craterem, aut de cratere in pateram fuſum. Defundere enim eſt in pateram, vel truſſam fundere & bibere. Horat. Sat. II. 2. 58.

Ac, niſi mutatum parcit defundere vinum.

Od IV. 5. 33.

Te multa prece, te proſequitur mero
Defuſo pateris.

Cicer. de Fin. II. 8. *Quibus vinum defuſum ſit e pleno œnophoro,* id eſt, deorſum in pateram aut poculum fuſum. *Turneb. Adv.* I. I. *Lambin. & Torrent. in Horatii Satyras.*

Vinum diffuſum eſt, quod in amphoras, & cados apothecarum ad aſſervandum fuſum eſt. Plin. XIV. 14. *Apothecas fuiſſe, & diffundi ſolita vina anno Urbis 633. apparet indubitato Opimiani vini argumento.* Horat. Epiſt. I. I. 5.

Vina bibes iterum Tauro diffuſa.

Juven. Sat. V. 30.

Ipſe capillato diffuſum conſule potat.

Proculus. V. illum infr. in *Vinum doliare.* Turneb. Adv. I. I. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 141. Lambin. & Torrent. in Horatium. Grang. & Britann. in Juvenalem. Nicol. de Sigl. vet. c. 45. §. 3. Brod. Miſc. I. 3. Schill Nomencl. Philol. p. 1118.

Vinum doliare appellat Ulpianus. V. illum ſupr. in *Corbis.* ſic dictum ad differentiam diffuſi: quod non amplius in doliis, ſed in vaſis eſſe Proculus ait l. vinum. ff. de trit. vin. & oleo legat: Is enim: *Ego,* inquit, *etſi dolia in vaſis vinariis non ſunt, tamen non concederem Trebatio, quod in doliis eſſet, id eſt, quod in vaſis non eſſet, legatum: illud verum eſſe puto, cui vinum legatum cum vaſis erit: et amphoras, & cados, in quibus vina diffuſa ſervamus, legatis eſſe.* Eſt *vinum* novum: quod quia vetuſtatem non habet, quæ diffuſo quæritur, & *vino* maturitatem, & ſuavitatem affert: ideo minoris erat pretii. *Vinum de dolio* appellat Cicer. de Clar. orat. c. 83. *Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio hauriendum putet,* & *vinum de cupa.* V. illum ſupr. in *Propola.* Etiam *vinum* novum eſſe oſtendit Plutarchus, cujus verba ſunt: *Iſti veteri, & initi vino rejecto, durum, & immite de dolio bibimus culicum turba perſtrepens.* Turneb. Adv. I. I. Lipſ. in Senec. Epiſt. 36. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 141. Grang. in Juven. Sat. V. 30. Nicol. de Sigl. vet. c. 45. §. 2. & 3. Donat. Dilucid. in Vopiſc. p. 1038. Hoogſtrat. in Phædr. III. I. I.

Vinum durum eſt aſperum, & adhuc inſuave, neque potui tempeſtivum, maturumque. Terent. Heaut. III. I. 49.

Hoc durum eſt pater.

Ei molle opponitur, quod maturum eſt potui, mitemque adeptum eſt ſaporem. Virg. Georg. I. 341.

Tunc agni pingues, tunc ſunt molliſſima vina.

Sic Græci, ut Theophraſtus, & Athenæus, *σκληρὸν,* & *μαλακὸν ὄινον* dicunt. *Turneb. Adv.* XII. 8: XXIX. 24. *Salmaſ. Exercit. Plin. p. 245. b. F.*

Vinum fæcatum dicebatur, quia cum e doliis non multo poſt vindemiam in alia vaſa transferebatur, reſidebat in doliorum fundo fæx, qua in fiſcinas fæcarias conjecta torquendo *vinum* fæcatum exprimebatur, aut ſine prelo ſponte fluebat. *Turneb. Adv.* X. 18.

Vinum Falernum. V. illud ſupr. in *Vinum Chium.*

Vinum fugiens dicitur, quod ætati cedit, & exoleſcit. Cicer. Offic. III. 23. *Qui vinum fugiens vendat ſciens.* Turneb. Adv. XX. 13.

Vinum honorarium dicitur, *quod Regibus, & potentibus honoris gratia offertur. Cato de innocentia ſua: Cum eſſem in provincia legatus, quam plures ad prætores, & conſules vinum honorarium dabant, nunquam accepi, nec privatus quidem.* Iſid. XX 3. *Muret. Var. Lect.* XII. 5. *Cerda in Virg. Æneid.* I. 189. Hoſpitibus quoque advenis alicujus conditionis magiſtratus in Helvetia paſſim mittit. Quod in ſuperiori quoque Germania fieri accepimus. *Tomaſ. de Donar. c.* I.

Vinum inferium dicebatur ſacrum, quod diis inferebatur: e cratere pleno effundebatur, vel alio vaſe ſacro, ſuper victimas, vel ſuper terram, vel ſuper mare, prout erat ſacrificium. Ante libationem manus abluebant, certaſque preces fundebant, marina aliquando aqua, cui vis expiatrix. Formula precum hujuſmodi erat: *mactus hoc vino inferio eſto.* Arnob. VII. p. 236. *Operæ pretium eſt etiam verba ipſa depromere, quibus, cum vinum datur, uti, ac ſupplicare conſuetudo eſt. Mactus hoc vino inferio eſto. Inferio,*

rio,

rio, inquit Trebatius, verbum ea cauſa additum, eaque ratione profertur, ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud, quod effunditur, promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex uſibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc verbo, ſolum erit, quod inferetur, ſacrum, nec religione obligabitur cæterum. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 2. Var. ſacr. gentil. c. 19. Cujac. Obſerv. II. 12. Elmenhorſt. & Herald. in Arnobium.

Vinum Lesbium erat generoſiſſimum. Athen. I. p. 28. D. *Nullum vinum Lesbio jucundius bibitur.* Virg. Georg. II. 89.

Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris,
Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos.

Ovid. de Art. Amand. I. 57.

Gargara quot meſſes, quot habet Methymna racemos.

Methymna eſt urbs Lesbi inſulæ. *Buleng. de Conviv.* III. 5. *Menag. in Diogen. Laert.* I. §. 76. *Laz. Græc. Ant.* II. 2. *Bruyer. de Re Cibar.* XVII. 7.

Vinum Mamertinum *circa Meſſanam in Sicilia gignitur.* Plin. XIV. 6. Mart. XIII. 117.

Amphora Neſtorea tibi Mamertina ſenectus
Si detur, quodvis nomen habere poteſt.

Ex iis Potulana, ab auctore dicta, in loco proximo Italiæ laudantur præcipue, addit Plinius. *Buleng. de Conviv.* III. 5. *Rader. in Martialem.* Apud Plinium L. *Jotalina.* Ita enim de hoc *vino* Athen. I. p. 27. C. *Mamertinum extra Italiam provenit, nempe in Sicilia. Vocatur Jotalinum. Eſt leve, ſuave, validum.* Pintian. in Plinium.

Vinum Mareoticum literarum monumentis non eſt incelebre, clarum etiam verſu Virg. Georg. II. 91.

Sunt Thaſiæ vites, ſunt & Mareotides albæ.

Mareotis autem Libyæ a Plin. V. 6. recenſetur Ægypto contermini. *Turneb. Adv.* VIII. 11. *Buleng. de Conviv.* III. 5. *Vlit. in Grat. Cyneg. n.* 313.

Vinum Maroneum laudat Homer. Odyſſ. IX. 205. ubi vocat *ſuave, incorruptibile, divinum potum,* cujus unum poculum aquæ viginti temperabatur menſuris, ut addit Homer. n. 209. Meminit, & ſua etiam ætate nobile fuiſſe aſſerit Plin. XIV. 4. *Vino antiquiſſima claritas Maroneo, in Thraciæ maxima parte genito, ut auctor eſt Homerus.* Feith Antiq. Homer. III. 2. Nonn. de Re Cibar. IV. 9.

Vinum Maſſicum laudat Horat. Od. I. I. 19.

Eſt qui nec veteris pocula Maſſici.

Inter generoſa recenſet Plin. XIV. 6. *Certant Maſſica æque, ex monte Gaurano Puteolos, Bajasque proſpectantia.* Obliviosum ab effectu vocat Horat. Od. II. 7. 21.

Oblivioſo levia Maſſico
Ciboria exple.

Curas enim adimit, & malorum oblivionem inducit. *Torrent. & Lambin. in Horatium.* Cœlo ſereno totam noctem exponebatur, ne nervis noceret, quia colo lineo tranſmiſſa *vina* vires amittunt. Horat. Sat. II. 4. 51. V. illum ſupr. in *Vinum.* Buleng. de Conviv. III. 2.

Vinum molle. V. illud ſupr. in *Vinum durum.*

Vinum murrinum eſt unguento mixtum, μυρίνης μύρῳ κεκραμένος. Alii volunt eſſe melicratum, ſeu œnomeli. *Buleng. de Conviv.* III. 2. V. ſupr. in *Murines.*

Vinum mutatum eſt vapeſcens, & degenerans, exoleſcensque, & in acetum, aut vappam tranſiens. Horat. Sat. II. 2. 58. V. illum ſupr. in *Vinum defuſum.* Ubi cum *mutatum* dicit, vinum a Græcis ἐκτροπίαν vocatum, & τροπίαν circumlocutus eſt poeta. *Turneb. Adv.* VII. 9. *Faber Semeſtr.* I. 11.

Vinum nardinum eſt, quod vel nardo, vel unguento nardino conditum eſt. Veteres enim, ut Theophraſtus auctor eſt, unguentum miſcebant *vino:* idque nonnulli in compotatione ipſa ſubito faciebant, alii autem jam ante ſic medicatum, & curatum habebant. Plaut. Mil. III. 2. 11.

Demiſit nardini amphoram cellarius.

Turneb. Adv. II. 29. Taubmann. in Plautum.

Vinum Naxium *nectari comparat Archilochus* apud Athen. I. p. 30. E. Hæc confirmant Stat. Theb. VII. 684.

Occidis Aonii puer altera cura Lyæi,
Mæreidæ te ſtrictis planxerunt Iſmara thyrſis,
Te Tmolos, te Nyſa ferax, Theſeaque Naxos.

Ovid. Met. III. 636. de Baccho locutus.

Naxon, ait Liber, curſus advertite veſtros.
Illa mihi domus eſt.

Laz. Græc. Ant. II. 2.

Vinum Opimianum eſt denominatum ab L. Opimio conſule, qui fuit conſul an. 633. Hoc nomine dicitur Petron. c. 34. *Falernum Opimianum annorum centum.* Iſto anno *vini* fuit fœcundiſſimus proventus. Inde denominatum eſſe clare indicant verba Plin. XIV. 14. *Apothecas fuiſſe, & diffundi ſolita vina an. 633. apparet indubitato Opimiani anni argumento, jam intelligente ſuum bonum Italia. Nondum tamen iſta genera in claritate erant. Itaque omnia tunc genita unum habent conſulis nomen.* c. 4. *Anno fuit omnium generum bonitas L. Opimio conſule.* Paterc. II. 7. 5. *Hic eſt Opimius, a quo conſule celeberrimum Opimiani vini nomen: quod jam nullum eſſe ſpatio annorum colligi poteſt, quum ab eo ſint ad te, M. Vinici, conſulem* 151. Quo & procul dubio alluſit Martialis laudatus ſupr. in *Vinum conſulare.* Anniculum vero ſcoptice intelligit. Sed major me Hercules Falerni Trimalcionici ætas, ſi hominum ætates comparamus. Opimius fuit conſul an. 633. Petronius ad mortem actus an. 818. medii ergo ſunt inter utrumque anni 185. Satyrici autem hujus ſi e codicilli ſupremæ tabulæ fuere Arbitri teſtamenti. Parum iterum Petronii fides ex Velleio conſtruet, niſi pro illa plene teſtimonio expreſſo ſtaret oculatus teſtis qui c. 4. de opimo Opimiani conſulatu addit: *Duraverque adhuc vina* Opimiana *ducentis fere annis.* Exertim *adhuc,* hoc eſt, ſuis annis. *Gonſal. in Petronium. Nonn. de Re Cibar.* IV. 9. *Pigh. Annal. Rom. Tom.* III. *p.* 67.

Vinum picans. V. illud ſupr. in *Vinum.*

Vinum pendens ſignificat ipſas uvas, & vindemiam nondum collectam. Nam *vinum* pro uvis dici clariſſime indicat locus Plaut. Trin II. 4. 125.

Tum vinum, priuſquam coactum eſt, pendet putridum.

Turneb. Adv. I. I.

Vinum recentatum Trallianus dicit a Latinis dici ſignificatu, quo nos Gallice frigeras, vel frigeratum appellamus: ut & frigerans Aganippe dicitur a Catull. LXI, 30. Ita pro *rigens recens* reponit apud Mart. I. 50. 17.

Avidam recens Dircenna placabit ſitim.

Ubi *recens* eleganter erit rigens, frigens. *Turneb. Adv.* XXIII. 25. Ego, ſi conjectari mihi liceat, *recentatum* Romanos vocaſſe puto vinum antiquum, muſto, vel lixivio, vel tortivo commixtum, quaſique renovatum, quomodo pleroſque hodie factitare conſpicimus. *Recentare* enim apud veteres in uſu fuiſſe pro *renovare* auctor eſt Non. II. 751. Quod etiam ex Cn. Mattio teſtatus eſt Gell. V. 25. Unde etiam quod a Varrone de Lingua Latina vinum vetuſnovum nuncupatum invenitur, hoc ipſum recentatum fuiſſe arbitror, quod caupones pro vetere interdum vendere ſolitos memorat Galen. de cib. bon. & mal. ſucc. quemadmodum etiam apud caupones uſurpatur. Quo pacto hoc Romani refrigerarent, cum nihil compertum habeam, id tamen divinare audebo, eos hanc potionem, utpote valetudinariis optatam, aliquo diverſo modo, ita ut egelida potius, aut ſaltem modice frigida, quam vere gelida fieret, non autem vel lamina, vel glarea, vel glacie, vel nive, vel alio modo refrigerare conſueviſſe. Niſi potius velimus, recentatum fuiſſe, quod Græci ἀειγλευκὲς, Latini ſemper muſtum, & ſemper dulce vocarunt, ac refrigerandi conſuetudinem non ad bibendi tempus, ſed ad recentati conficiendi modum eſſe referendam. Sic enim de hoc Colum. XII. 29. Plin. XIV. 9. Florentin. Geopon. VI. 16. Plutarch. Quæſt. 27. *Mercurial,*

curial. Var. Lect. de Potion. ac edul. antiq. Mantiss. c. 1. Schill Nomencl. Philol. p. 980.

Vinum respersum *significat apud antiquos: quia in sacris novendialibus vino mortui sepulcrum spargebatur.* Festus. Sed vetuit postea lex Numæ Postumia. Plin. xiv. 12. *Numæ Regis Postumia lex est: vino rogum ne respergito.* Postea murratam potionem adhibuerunt. Sed & hanc vetuerunt xii. tabulæ. Festus. V. illum supr. in *Potio.* Meu s. de Funer. c. 29. Ursin. ad Leg. & Sctа Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. ii. p. 1365. D.

Vinum Rheticum dicit Virg. Georg. ii. 95.

> —, *& quo te nomine dicam*
> *Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.*

Non idem interpretatur, quod Seneca, Plinius. Senecæ enim videtur poeta incertus laudandi, & vituperandi: cujus verba sunt Natur. Quæst. i. 11. *His quod nomen imponimus? An facio quod Virgilius, qui dubitavit de nomine, deinde id de quo dubitaverat, posuit, & quo te nomine. . . .* At Plinius secundum post Falernum tribuisse locum Rhetico existimatur. Et, si hoc judicii, notionisque meæ est, verior mihi explicatio Plinii videtur. Sic autem scribit xiv. 6. *In Veronensi item Rhetica Falernis tantum postlata a Virgilio.* Ita illi hoc a dubitante poeta dictum placet: hanc ab admirante, ut & mihi: etsi Servius non ut pedaneus senator in Senecæ sententiam transit, aut verbo tantum ei assensus, sed satis verbose locutus. *Turneb. Adv.* xxix. 26.

Vinum rubrum in Sarnensi apud Campanos flumine, ad refrigerandum appositum brevissimi temporis spatio saporem omnem, simulque & colorem amittit. Cujus rei similem eventum de generosissimo *vino* Moslatico a mercatoribus ad septentrionales plagas evecto contigisse ait Libavius, ut in aquam rubeam nullius saporis fuerit transmutatum. Et nos experimento vidimus, *vinum* album, & rubeum sub dio super nivem frigidissimo nivali tempore in vase locatum totaliter in gelu fuisse conversum nullius saporis, spiritum vero in imo detrusum reperimus, qui verior aqua vitæ dicitur, quam vulgaris, & venalis per destillationem extracta, quæ pariformiter sub dio, & super nivem eodem tempore posita nullatenus fuit gelata. *Butius de Potu antiq. c. 23.*

Vinum Sabinum nullius fuit notæ. Horat. Od. i. 20. 1.

> *Vile potabis modicis Sabinum*
> *Cantharis.*

Buleng. de Conviv. iii. 2. Torrent. in Horatium.

Vinum Setinum nascitur in collibus Setiæ, a Tarracinis paludibus quinque millia dissitæ. Mart. xiii. 112.

> *Pendula Pontinos quæ spectat Setia campos,*
> *Exigua vetulos misit ab urbe cados.*

vi. 86. 1.

> *Setinum, dominæque nives, densique trientes,*
> *Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?*

Plin. xiv. 6. *Divus Augustus Setinum prætulit cunctis, & fere secuti principes, confessa propter experimenta.* xxiii. 1. *At quæ supersunt Setina, cibos concoqui cogunt.* Buleng. de Conviv. iii. 10. Rader. in Martialem.

Vinum spurcum *est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo Antistius libro decimo commentarii juris pontificii, cui aqua admixta est, defrutumve, aut igne tactum est, mustumve ante quam defervescat.* Festus. Isidor. ii. 3. *Spurcum vinum, quod offerri non licet, aut cui aqua admixta est.* De *vino*, quod diis libare nefastum credebant, Plin. xiv. 19. *Et quoniam religione vita constat, prolibare diis nefastum habetur vina, præter imputatæ vitis, fulmine tacta, quamque juxta hominis mors laqueo pependerit, aut vulneratis pedibus calcata, & quod circumcisis vinaceis profluxerit, aut superne deciduo immundiore lapsu aliquo pollutum. Item Græca, quoniam aquam habeant.* Buleng. de Conviv. iii. 14. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 19. Dacer. in Festum. Caroli Antiq. Roman. i. 11.

Vinum Surrentinum *post annum vigesimum quintum demum est aptum potui.* Athen. i. p. 26. D. Est indomitum, intractabile, & asperum. Quare a Tiberio generosum acetum, a C. Cæsare nobilis vappa vocatur. Plin. xiv. 6. *Surrentina in vineis tantum nascentia, convalescentibus maxime probata propter tenuitatem, salubritatemque. Tiberius dicebat consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino darent, alioqui esse generosum acetum. Cajus Cæsar, qui successit illi, nobilem vappam.* Quomodo defæcaretur, docet Horat. Sat. ii. 4. 55.

> *Surrentina, vafer, qui miscet fæce Falerna*
> *Vina columbino limum bene colligit ovo.*

Aliquid fæcis Falernæ immiscuisti *vino* Surrentino, ut sit generosius, vis id defæcare, injicito columbinum ovum, trahet limum deorsum, & *vinum* erit generosius. *Buleng. de Conviv.* iii. 2. *Nonn. de Re cibar.* iv. 9.

Vinum Thasium vocatur a soli nobilitate, quia in insula Thaso, quæ est juxta Thraciam laudatissimum nascitur. Aristoph. Pluto iv. 4. 63.

> *Crede, si Thasium forte infuderas merum.*

Gerhard. in Aristophanem. Acharnens. ii. 5. 101.

> *Pars ubi mero Thasio apuas rotant.*

Lysistr. p. 846.

> *Thasii immolantes seriam super meri.*

Buleng. de Conviv. iii. 5.

Vinum trifolinum dicebatur, quod tertio foliorum exitu, nempe tertio anno ad bibendum tempestivum foret. Mart. xiii. 114.

> *Non sum de primo, fateor, trifolina Lyæo,*
> *Inter vina tamen septima vitis ero.*

Athen. i. p. 26. E. *Serius provenit ad vigorem trifolinum, Surrentino crassius.* Plin. xiv. 6. *Alioqui semper inter plebeja, & trifolinis glorjata.* Buleng. de Conviv. iii. 10. Dalechamp. in Plinium.

Vinum vetus novum bibo, veteri novo morbo medeor, Latini, quo die quis primo gustabat mustum, dicebant. V. supr. in *Meditrinalia.*

VIO.

VIOCURI dicebantur voce composita viarum curatores. Varr. de Ling. Lat. iv. 1. *Quis enim non videt: unde aurifodinæ, & viocurus,* In antiquo lexico scriptum est *viaculus*, ὁδῶν ἐπιμελητής. Sed vel *viarius*, vel *viocurus* in eo scribendum censeo. *Turneb. Adv.* xxii. 17. *Brisson. Antiq. Select.* iv. 12. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 110. *Gronov. in Marmor. bas. Tiber. dedic. c.* 7.

VIOLARII dicebantur, qui *violæ* colore vestes tingebant. Plaut. Aulul. iii. 5. 36.

> *Flammearii, violarii, carinarii.*

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. vi. p. 296. Ferrar. de Re vest. i. 3. 21.

VIP.

VIPSANIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

VIR.

VIR, qui thermas mulieribus discretas violenter intrare præsumpsisset, capite plectebatur. Hadrianus *lavacra pro sexibus separavit.* Spartian. c. 18. *Baccius de Therm. Vet. c.* 14. V. supr. in *Balneum. Uxorem lugere non compellebatur* l. Uxores ff. de his qui not. infam. Nullum quidem legitimum tempus *viris* est constitutum: aliquot tamen honeste moribus receptum, ob matrimonii honorem, ut uxores *viri* lugeant, secundum pietatis suæ rationem. *Guther. de jur. man.* iii. 28. *Morestell. Pomp. Feral.* ix. 5. Quamdiu ab uxore lugeri consueverit. V. supr. in *Luctus.* Peregre reversus mittebat, qui nuntium reditus uxori afferret. V. supr. in *Maritus.*

VIRBIUS deus idem qui Hippolytus est Thesei, & Hippolytæ Amazonis filius, qui quum a Phædra noverca

ca per calumniam apud patrem delatus eſſet, quod ipſi ſtuprum inferre voluiſſet, patris iram veritus curru conſcenſo fugam arripuit, quumque juxta maris littus perveniſſet, incuſſo a Neptuno pavore, equi conſternati implicatum habenis Hippolytum dilacerarunt. Cujus vices miſerata Diana ad vitam eum revocavit, & in Aricino nemore collocatum pro Hippolyto *Virbium* appellavit, quaſi bis virum. Vide hæc latius apud Ovid. Met. xv. 497. . . . Virg. Æneid. vii. 761. . . . & ad illum Servium. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 25. *Gyrald. Synt. deor.* xii. *p.* 757. *A.*

VIRGA & flagellum differunt. V. ſupr. in *Flagellum.* Illarum jus erat in peregrinum, non in civem. Unde M. Marcellus conſul Novocomenſem quendam *virgis* multandum curavit in Cæſaris contumeliam, a quo erant Novocomenſes civitate donati. V. Appian. de Bell. civil. ii. p. 443. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* i. 6. Illis in comitio in reos animadverſum. Plin. Epiſt. iv. 11. 10. *Celer, eques Romanus, quum in comitio virgis cæderetur, in hac voce perſtiterat, quid feci? nihil feci.* n. 14. Licinianus, *ſi comitium, & virgas pati nollet, ad confeſſionem confugeret.* Suet. Dom. c. 8. n. 14. *Stupratores in comitio virgis ad necem cædi imperavit.* Nardini Rom. vet. v. 2. Qui furca collo impoſita circumducebantur, ad necem plerumque cædebantur. Suet. Ner. c. 49. n. 3. *Et cum comperiſſet nudi hominis cervicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi.* Aurel. Vict. Epit. c. 5. n. 7. *Quæ pœna erat talis, ut nudus per publicum ductus, furca capiti ejus inſerta, virgis ad mortem uſque cæderetur.* Dixi plerumque, cum legam in Plaut. Men. v. 5. 39.

Et ob eam rem in carcerem ted eſſe compactum ſcio,
Et poſtquam es emiſſus, cæſum virgis ſub furca ſcio.

Liv. Epit. lv. *C. Matienus accuſatus eſt apud tribunos plebis, quod exercitum in Hiſpania deſeruiſſet: damnatusque ſub furca diu virgis cæſus eſt, & ſe ſeſtertio nummo venit.* Lipſ. de Cruc. iii. 2. Fab. Semeſtr. ii. 7. Caſaub. Exercit. in Baron. i. 7. Guther. de vet. jur. pontif. ii. 2. Milites in delictis levioribus caſtigabantur. V. ſupr. in *Aulaei.* Populeam *virgam* natis infantibus, quæ in arborem adoleſceret, & illorum nomina referret, in ſolo defigere quondam moris erat. Donat. in vita Virgili: *Virga populea more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta ita brevi coaluit, ut multo ante ſatas populos adæquarit: quæ arbor Virgilii ex eo dicta, atque conſecrata eſt, ſumma gravidarum religione ſuſcipientium ibi, & ſolventium vota.* Atque hunc morem veteres ſignificaſſe judico, cum *fata ſcribenda advocare* dicerent, ut apud Tertull. de Anim. c. 39. Quippe hæc quæ fata vocantur, in tabula ſoliti erant perſcribi. *Bartbol. de Puerp. p.* 134. *Meurſ. de Puerp. c.* 7. *Turneb. Adv.* xxvii. 26. In pileis habebant Flamines. Feſtus: *Pileo flaminum adfigebatur apex virgula oleagina.* Serv. in Virg. Æneid. viii. 664. *Flamines habebant in capite pileum, in quo erat brevis virga deſuper habens lanæ aliquid.* Iſidor. xix. 30. *Apex eſt pileum ſutile, quo ſacerdotes gentiles utebantur, appellatum ab apiendo, id eſt, a ligando; nam virgula, quæ in pileo erat, contexebatur filo.* Affigebatur ſecundum quoſdam ad demonſtrandam muneris eminentiam, & dignitatem: ideo & apud Chriſtianos Epiſcopalis dignitas olim apex dicebatur. Inde fortaſſis titulus Cardinalium eccleſiæ Romanæ, qui eminentiæ, quaſi apices, ad hunc uſque diem vocantur. Alii exiſtimant, affigi ſolere antiquo more, quod apud LauroLavinium aves venerint, ut exta victimarum abriperent: ut opus habuerint ejuſmodi apicibus in pileo ad abigendas aves: ideo in Urbe eos breviores virgas habuiſſe, quia ibi ejuſmodi aves non erant timendæ. V. Servium. *Braun. de Veſtit. Sacerd. Hebræor.* ii. 4. 24. *Ruben. Elect.* ii. 25. *Merul. de Sacerdot.* 2. §. 9. Jumenta pelluntur, & concitantur ad curſum. Curt. vii. 4. 18. *Nobilis equus umbra quoque virgæ regitur.* Juven. Sat. iii. 316.

Sed jumenta vocant, & ſol inclinat, eundum eſt,
Nam mihi commota jam dudum mulio virga
Adnuit.

Ob hanc cauſam facta conſtitutio Conſtantini l. 2. C. Th. de curſ. publ. *Placet, ut omnino nullus in agitando fuſte utatur, ſed aut virga, aut certe flagro.* Et *virgarum* uſus olim fuit tam receptus, ut nonnulli populi his rexerint animalia quoque ſua, non ſolum concitarint, atque ita *virgas* habuerint loco frenorum. De Maſſylis Lucan. iv. 682.

Et gens quæ nudo reſidens Maſſylia dorſo
Ora levi flectit frenorum neſcia virga.

De Mauris, & Mazacibus Nemeſian. Cyneg. n. 264.

—— quod que infrenes, quo libet utrque,
Nam flecti facilis, laſcivaque colla ſecutus
Paret in obſequium lentæ moderamine virgæ:
Verbera ſunt præcepta fugæ, ſunt verbera freni.

Hac equos regebant, ut illis majorem adderent impetum, & celeritatem. Liv. iv. 33. *Magiſter equitum, frenos ut detrahant equis, imperat: & ipſe princeps calcaribus ſubditis evectus effreno equo in medios ignes infertur: & alii concitati equi libero curſu ferunt equitem in hoſtem.* Lipſ. Epiſt. ad Belg. iii. 56. Scheffer. de Re vehic. i. 14. Bulenger. de Equis c. 17. Dauſq. in Sil. Ital. i. 217. Lacerd. in Virg. Æneid. iv. 41. Pitiſc. in Curtium.

Virga ballematia erat ea, qua ſive cymbala, ſive ſiſtra quaterentur. Petron. c. 21. *Quartilla ballematiam tenens virgam.* Erat in campanæ medio virgula ex ferro, quæ ballematia dicebatur, inde nobis corrupte *mazza*, & *ballonchio della Campana*, quia βάλλεται, agitatur; & ob id *ballare* eſt χεῖρας βάλλειν, *manus jactare.* Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. i. 17. V. tamen ſupr. in *Balliſtea.*

*VIRGINENSIS dea adhibebatur in nuptiis a Romanis, quæ virgini zonam ſolveret, ut Græcis Lyſizona Diana. Auguſt. de Civit. Dei vi. 9. *Et certe ſi adeſt Virginenſis dea, ut virgini zona ſolvatur.* Tomaſ. de Donar. c. 13. Gyrald. Synt. deor. i. p. 47. G. Stuck. de Sacrif. p. 46. Struv. Antiq. Rom. c. i. p. 158. Scopp. Collect. i. 33. Blond. Triumph. Rom. i. p. 11. E.

VIRGINES de conviviis abdicabantur, quod majores noſtri *virginis* acerbæ aures Veneris vocabulo imbui noluerunt. In illis multa verba, quibus honeſtis auribus præſidendum ſit, jaciebantur. *Bulenger. de Conviv.* iii. 30. Dicabant pilas cum pupis, & ſtrophiolis Veneri, zonam Dianæ provectioris ætatis. V. ſupr. in *Puella.* Cum in publicum procederent, facie erant tecta antiquitus apud Romanos, quod tamen, ut omnis fere priſca honeſtas, non diu moribus tranſmarinis victoriis mutatis obtinuit. *Barth. Adv.* viii. 5; xlii. 17. Id quoque hodie Turci obſervant. Colum. x. 261.

Virgineas adoperta genas.

Claud. de Conſul. Mallii Theodoſ. n. 118.

Continuo frontem limbo velata pudicam.

Barth. ibid. xxi. 2: xlii. 1. Erant ſub tutela Dianæ. Horat. Od. iv. 7. 31.

Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela deæ.

Unde puellæ gratia dicit Virg. Cir. n. 246.

Per tibi Dictynnæ præſentia numina juro,
Prima deum quæ te mihi dulcem donat alumnam.

Barth. ibid. xxii. 9. Torrent. in Horatium. Ante illarum cubicula ancillæ peculiares collocabantur, quæ roſam illam cuſtodirent, quæ ſemel tantum carpitur. Mart. Capell. ii. *Quam cum prædicta diſponentem rimatim ab oſtio ſpeculabunda cognoſceret, aliam ejus ancillam, cui Agryphia vocabulum eſt, atque intra cubiculum præbebat excubias, adorta eſt increpare.* Barth. ibid. xxi. 15. Non lavabant niſi cum *virginibus*, non vero cum feminis maritatis, voluptatem corpore, & colloquiis præ ſe ferentibus. Ideo Cyprian. de Diſcipl. Virg. c. 16. *Celebrentur lavacra cum feminis, quarum innox lavatio eſt*, id eſt, quæ vobis non noceat. Hieron. ad Lætam de Inſtit. filiæ: *Scio præcepiſſe quoſdam, ne virgo Chriſti cum eunuchis lavet, nec cum maritatis*

ritatis feminis, quia aliæ non deponant animos virorum, aliæ tumentibus uteris præferant fœditatem. Mihi omnino in adulta virgine lavacra displicent, quæ ſeipſam adhuc erubeſcere, & nudam videri non poſſe. Nuptiarum feſta improba dicit Cyprian. Fl. propter Veneris vocabula novis nuptis cantari conſueta, propter jocos, choreas, laſciviam omnis generis, & licentiam minime virginalem. *Barth. ibid.* XLVI. 18. Unguibus utuntur pugnaturæ cum juvenibus audacioribus. Horat. Od. I. 6. 17.

> *— nos prælia virginum*
> *Sectis in juvenes unguibus acrium*
> *Cantamus vacui.*

Claud. Epithal. Pallad. & Celerin. n. 135.

> *Tu quoque ne Scythicas infenſis unguibus iras*
> *Exercere velis: vinci patiare rogamus.*
> *Sic uxor, ſic mater eris.*

Barth. ibid. LIX. 4. Publicis feriis non nubunt. V. ſupr. in *Nubere.* Comitabatur colus compta, & fuſus cum ſtamine. V. ſupr. in *Colus.* Non ſtrangulabantur, niſi prius vitiatæ a carnifice. Suet. Tib. c. 61. n. 14. *Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein ſtrangulatæ.* Tacit. Annal. v. 9. 3. *Tradunt temporis ejus auctores, quia triumvirali ſupplicio*, id eſt, laqueo, *adfici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum juxta compreſſam: exin oblitis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias abjecta.* Sed cur hoc inauditum? Id quidem ita ceperim, quaſi non ſimpliciter virginem dixeriſ, ſed pubem, inveſtemque. Lex enim non tam virginitati ignotum, cautumque voluit, quam ætati. Ita nec pueros interfici fas, niſi toga ſumpta, & relatos in viros. Hinc apud Dion. XLVII. p. 330. D. triumviri in proſcriptione juſſerunt *puerum quendam togam virilem ſumere, ut, quaſi jam vir eſſet, interfici ab ipſis poſſet.* Lipſ. in Tacitum. Pollet. For. Rom. v. 19. Laurent. de Rebuſp. c. 7.

Virgines Saliares. V. illas ſupr. in *Saliæ.*

Virgines Veſtales. V. illas ſupr. in *Veſtales.*

VIRGULÆ ab Alcuino, & Remigio in veſtibus femineis vocantur clavi aurei, qui medias veſtes interſecabant. *Ruben. de Re Veſt.* I. 2. c. 8. Alcuinus, & Remigius Dalmaticarum in ſacris ornamenta *virgulas* appellaverunt, non tamen ſequitur, clavos fuiſſe virgulas, quæ medias veſtes interſecabant. Appellaverunt enim improprie, quod ſcilicet eo loco hæc ornamenta erant, quo olim in tunica ſenatoria, & equeſtri clavi fuerint. *Ferrar. Analect. de Re Veſt. c. 3.*

VIRIÆ, & diminutive *viriolæ proprie virorum ſunt, collatæ victoriæ cauſa militibus ob armorum virtutem.* Iſidor. XIX. 31. Muliebres tamen armillæ *viriæ* appellari cœperunt. *Brachialia* exponunt gloſſæ Iſidori. Gloſſæ Philoxeni: *Viriolæ*, χλανία, ψέλια, περιχείρια. Gloſſæ Cyrilli: ψέλιον, *viriola, armilla.* Tertull. de Pall. c. 4. *Viriæque ſicut veſtigia teſtuum viria occupavit.* Ambroſ. de Abrah. c. 9. *Has virias, quæ manum non materiali auro ornarent, ſed ſpirituali actu levarent.* Ex quo loco manum diſcimus ex maſſe, quemadmodum *viriolæ*, quas ideo cum armillis jungit Ulpian. l. 25. § 10. ff. de aur. leg. *Inaures, armillæ, viriolæ.* Turneb. Adv. XIV. 3. Voſſ. Lex. Etymol. Barthol. de Armill. vet. §. 1. Cerda Adv. c. 160. n. 11. In l. medico, ad finem: *viriolas ex ſmaragdo. Viriolas* deſignare videtur Juvenalis quum ait Sat. VI. 457.

> *Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,*
> *Quum virides gemmas collo circumdedit.*

Viriolæ enim, ut opinor, fiebant e gemmis viridibus, ad colli ornamentum. Iſta mea eſt conjectura: nihil enim quicquam *viriolarum* apud quenquam auctorum, de his qui probantur, ſcriptum invenimus. *Bayſ. de Vaſcul. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 707. *A.* Non poſſum ſatis mirari virum hunc confitentem ſe nihil de viriolis apud probatos auctores inveniſſe, quum id ex Ulpiano jam laudato, quem commentario de Re veſtiaria illuſtravit, potuerit haurire, ut alios hujus commatis taceam jam nominatos. Labitur non minus, quando de colli ornamento *viriolas* ex ſmaragdo in lege de medico interpretatur. Diverſum enim plane fuit ab his monile, de quo Juvenalis laudatus. Non ex ſmaragdi ſimilitudine, quem *viridem lapidem* vocat Horat. Sat. I. 2. 80. monile magis dixerit, quam ſi aureum. Quippe ex ſmaragdo quoque fiebant armillæ: & monilia non raro ex aliis gemmis, aurove. V. ſupr. in *Monile.* Neque virides ſolum gemmæ, ſed & ignitæ, & fulgurantes monilia componunt, quo ſenſu, niſi de auro malis, cepit Prudent. Hamartig. n. 269.

> *Colla vel ignitis ſincera incingere ſertis.*

Viriolæ igitur, ſive ex ſmaragdo, ſive ex auro, brachiorum, non colli erant appendices. *Barthol. l. l.*

VIRIDARIUM eſt locus virentibus arboribus conſitus. Suet. Tib. c. 60. n. 3. *Militem prætorianum ob ſubreptum e viridario pavonem capite puniit.* Talia loca Jaboleno *viridia* dicuntur. Et Phædr. II. 5. 14.

> *Perambulante læta domino viridia.*

Rhodig. Antiq. Lect. XXV. 20. Popm. de Oper. ſerv. p. 95. Pitiſc. in Suetonium. Fuit fortaſſis & Romæ in palatio. *Montem enim nivium in viridario domus æſtate fecit* Heliogabalus *advectis nivibus.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 12. §. 2. Donat. de Urb. Rom. III. 2.

VIRIPLACA dea, ſi viri, vel uxoris ſtultitia deventum eſſet ad iram, ac jurgium, veterem amorem reſtituebat. Val. Max. II. 1. 6. *Quoties inter virum, & uxorem aliquid jurgii interceſſerat, in ſacellum deæ Viriplacæ, quod eſt in palatio, veniebant: & ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum depoſita, concordes revertebantur. Dea nomen hoc a placandis viris fertur aſſecuta: veneranda quidem, & neſcio an præcipuis, ſed ſacrificiis exquiſitis colenda: utpote quotidianæ, ac domeſticæ pacis cuſtos, in pari jugo caritatis ipſa ſui appellatione virorum majeſtati debitum, ac feminis reddens honorem.* Φυσικῶς nihil eſt aliud, quam vis naturæ in placando uxori ſuæ marito. *Voſſ. de Idolol.* VIII. 16. *Struv. Antiq. Rom. c.* 1. *p.* 158. *Stuck. de Sacrif. p.* 46. *Alex. Gen. dier.* IV. 9: VI. 11. *Tiraquell. ad Leg. connub.* 1. 15. *n.* 104. *Putean. Reliq. Conviv. priſc. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 265. *D. Tomaſ. de Donar. c.* 13. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* 1. 9. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 55. *C. Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 22. *Laurent. de Sponſal. c.* 1.

VIS.

VIS civilis & feſtucaria vocatur, quæ verbo, non manu armata facta eſſet, & ſimulate ad poſſeſſorem conſtituendum ſuſcepta eſſet. Gell. XX. 10. *Conferens vim illam civilem, & feſtucariam, quæ verbo diceretur, non quæ manu fieret, cum vi bellica, & cruenta.* Actor enim, qui fundo dejectus erat, vindiciis, id eſt, gleba, ſive feſtuca in jus allatis, eas tenens dicebat: *Hunc fundum, ſive hanc domum meam eſſe ajo, ac jure Quiritium, eoque reſtitui, unde dejectus ſum, poſtulo.* Tum prætor: *Unde tu illum dejeciſti, cum nec vi, nec clam, nec precario poſſideret, eo illum reſtituas, jubeo.* Sigon. de Judic. I. 21. Alludit Gellius ad feſtucam, ſive virgulam, quæ olim in libertatum vindicationibus ſolebat adhiberi. V. illam ſupr. in *Feſtuca.* quæ etiam vindicta vocabatur. V. illam ſupr. in *Vindicta.* Ouzel. in Gellium.

Vis privata definitur, quæ ſine armis infertur. Privatis enim hominibus armorum uſu tum in urbe, tum in agro interdictum lege Julia, niſi ſi haberent ea venationis, itineris, navigationisve cauſa legimus in Martiano ad l. Jul. de vi publ. idque renovatum a Juſtiniano ſcribit ipſe in libro Novell. Conſtit. de armis. Sed hoc ante legem Juliam, & ante Magni Pompeji edictum: de quo legimus apud Plin. XXXIV. 14. *Magni Pompeji in tertio conſulatu extat edictum, in tumultu necis Clodianæ prohibentis ullum telum eſſe in Urbe.* Primis temporibus inſtitutum, obſervatumque fuiſſe non dubito. Video enim, Servio regnante, populum Romanum ad centuriata comitia in campum extra Urbem propterea conveniſſe, quia in Urbe armo-

armorum usus interdiceretur. Scripsit deinde licentia: quam novis legibus, & edictis reprimi necesse fuit. Non fuisse capitalem, etiamsi non probetur exemplis, facile tamen ex ipsa definitione licet existimare. Neque de illa prætor cognoscebat, sed judices dabat. *Manut. de Legib.* c. 23.

Vis publica definitur, quæ armis infertur. Quinam illa teneantur V. supr. in *Lex Julia*. Fiebat vel contra Rempublicam, & magistratus, & semper capitalis erat: vel contra privatos, & tantummodo capitalis, cum erepta vita esset. De illa prætor non semper cognoscebat. Nam existunt controversiæ quædam de *vi*, quæ consistunt in jure civili, ut ea pro Cæcina: in qua non prætor, sed recuperatores, quos a prætore Urbis datos judices esse jam diximus, judicarunt. Ergo modo prætor, cui ea quæstio obtigisset, is autem nec urbanus, nec peregrinus erat, sed unus de reliquis sex: modo judices, a prætore dati, cognoscebant. Dabat autem eos prætor vel urbanus, si causa esset in jure civili, & ageretur inter cives, ut ea pro Cæcina: vel peregrinus, si ageretur inter peregrinos: vel unus de reliquis sex, si cognitio non a jure civili penderet. *Manut. de Legib.* c. 23.

Vis simulata fuit veræ imitatio, quoties dicis causa alter alteri in jure manum conserendo *vim* attulit, & verbis vindicavit, seu vindicias postulavit. In servo manus consertio facta est in hunc modum: qui servi possessionem petebat, tenens servum in jure apud prætorem ita vindicabat, id est, possessionem per simulatam *vim* postulabat. Quippe roganti reo, *quid ais?* respondebat: *hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, ejusque vindicias mihi dari postulo.* Si ille alter taceret, aut cederet, prætor servum addicebat vindicanti, id est, possessionem decernebat postulanti usque ad exitum judicii de dominio instituendi. Sin autem ille contra vindicaret, tum & ipse servum eundem corripiens, & quasi de manu vindicantis abstrahens dicebat: *Et ego hunc hominem meum esse ajo, ejusque vindicias mihi conservari postulo.* Tum prætor interdicebat: *Qui nec vi, nec clam, nec precario possidet, ei vindicias do.* In fundo, aut domo manus consertio facta est in hunc modum. Stantes in jure litigatores petitor eum, unde petebatur, ex jure manu consertum vocabat, ita dicens: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est: eum ego ex jure Quiritium meum esse ajo. Inde ibi ego te ex jure manu consertum voco.* Ille vero, nisi cessisset, respondebat: *Unde tu me ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco.* Tum prætor dicebat utrisque: *Superstitibus præsentibus: Istam viam dico: Inite viam.* Præsto aderat sapiens, qui inire viam doceret: *Redite viam.* Eodem duce redibant. In agro vero manum conserebant. Hæc exposuit Gell. xx. 10. V. illum supr. in *Ex jure manu consertum.* Altera *vis* simulata fuit, quæ non a lege, sed a moribus emanavit. Quippe qui possessionem recuperare volebat, possessori certum diem constituebat, quo in rem præsentem veniretur, ut in fundo, de quo agebatur, moribus *vis*, & deductio fieret. Hoc modo Cæcina apud Ciceronem agere cum Æbutio possessore voluit: verum ab eo ingredi vera *vi*, non moribus prohibitus interdictum unde *vi* postulavit, ut ille, qui veram *vim* passus esset. Verba Ciceronis sunt hæc c. 7. *Placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, ut de fundo moribus deduceretur. Colloquuntur. Dies ex utriusque commodo sumitur. Cæcina cum amicis ad diem venit in castellum Axiam.* c. 10. *Cum Æbutius Cæcinæ malum minaretur, ibi tum Cæcina postulavit, moribus deductio fieret.* c. 11. *Cæcina, cum ad constitutam diem, tempusque venisset, ut vis, & deductio moribus fieret, pulsus, prohibitusque est vi armatis hominibus.* Huic accessit tertia ratio ineundæ possessionis, quæ neque a lege, neque a moribus, sed a jure civili profecta est. Jus civile voco, quod ICti fori disputatione collatis inter se capitibus constituerunt. Hæc non proprie *vis* fuit, sed usurpatio. V. illam infr. in *Usurpatio.* Hos autem tres possessionis ineundæ modos sunt, qui non inter se diversos, sed omnino eosdem esse scribant: quibus ego assentiri non possum. Est enim aliud recuperare possessionem jure, & judicio, aliud usurpare ex jure civili, ut infra significabit Cicero. Nam in recuperanda possessione, quoniam *vis* incidit, interdictum postulandum est, in usurpanda non ita. Ac *vis* quidem una fit ex lege allatis vindiciis ex fundo in jus, altera fit moribus in ipso fundo. *Sigon. de Judic.* I. 21.

Vis vera duplex est: armata, de qua interdictum fuit: *Unde tu illum vi dejecisti, eo illum restituas jubeo*, vel sine armis, cum inermibus hominibus coactis aliquis ex loco dejicitur: *Unde tu illum vi dejecisti, cum abs te nec vi, nec clam, nec precario possideret, eo illum restituas jubeo.* Manut. de Legib. c. 16.

VISCERA omnia illa victimæ esse putarunt, quæ pelle conteguntur, pulmonem, cor, jecur, ilia, præcordia. . . . atque ab extis distinxerunt, quod hæc sint ea, quæ diis sacrificantur, & ab aruspicibus inspiciuntur. Quamvis aliter discernere videatur Serv. Æneid. VI. 252. *Non exta, inquit, sed viscera. Nam viscera sunt, quicquid inter ossa, & cutem est. Unde etiam visceratio dicitur.* Æneid. I. 215. *Viscera non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio est: ut, in Albano monte visceratio dabatur, id est, caro. Est autem nominativus hoc viscus, hujus visceris.* Tam hominum, quam boum, taurorum, ovium, caprarum, canum, & plurimorum animantium *viscera* diis porrecta legimus, & exta, cum scriptores hæc non usquequaque distinguant. Flor. IV. 12. 15. *Concepere votum, ut cæsorum extis ducum litarent.* Virg. Æneid. VI. 253.

— *imponit taurorum viscera flammis.*

Ovid. Fast. III. 803.

Viscera jam tauri flammis adolenda dedisset.

Prudent. Peristeph. XIV. 916.

Reponit aras ad tribunal denuo,
Et thus, & ignem ardidum in carbonibus,
Taurina & exta, vel suilla abdomina.

Saubert. de Sacrif. c. 20. Voss. Lexic. Etymol. Guther. de vet. jur. pontif. III. 6.

VISCERATIO vocatur epulum, quod fiebat ex *visceribus*, sive carnibus immolatis. Quale describit Virg. Æneid. VIII. 179.

Tum lecti juvenes certatim, araque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas, simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.

Et Ovid. Fast. II. 655. V. illum supr. in *Sacrificium.* Sacerdotes enim, & qui interfuerant, reliquias inter cantus, & saltationes convescebantur. *Viscerationis* voce usus est etiam Senec. Epist. XIX. *Sine amico visceratio, leonis, ac lupi vita est.* Nempe olim, quoties victimam mactabant, vel convivium celebrare, vel e victima ad amicos partes mittere moris erat. A priori more est, quod in glossis *visceratio* exponitur εὐφρασία, hoc est, *lætum epulum.* Nam, ut est in glossis Cyrilli, εὐφραίνομαι, *lætor*, εὐφραίνω, *lætifico, epulor*, εὐφρασία, *epulatio*. A posteriori, carnium nempe divisione in iisdem Glossis Græco-Latinis exponitur διανομὴ κρέως. Et in gloss. vet. Argentorati cum Calepino olim excusis similiter legas: *visceratio*, κρεανομία. *Voss. Lexic. Etymol. Struv. Antiq. Rom.* c. 10. p. 481. *Alex. Gen. dier.* V. 7. *Bud. in Pandect.* p. 126. *I.* In sollennibus festivitatibus *viscera*, sive carnem crudam distribuere solebant veteres. Suet. Jul. c. 38. n. 4. *Adjecit epulum, & viscerationem.* Senec. Epist. 73. *Epulum, & visceratio, & si quid aliud capitur manu.* Ipse David 1 Chronic. c. 16. n. 3. *Et impertitus est unicuique viritim tractam panis unam, & frustum carnis, & lagenam vini.* Guther. de jure man. II. 10. Pitisc. in Suetonium. Feriis Latinis, quibus in monte Albano fieri solebat, transiit ad mortuorum honorem. Peracto funere datam fuisse testatur Liv. VIII. 22. *Populo visceratio data a M. Flavio in funere matris.* XXXIX. 46. *P. Licinii funeris causa visceratio data.* Ita vocatur crudæ carnis facta populo largitio.

Noris. de Cenotaph. Pisan. Dissert. III. *p.* 376. *Alex. Gen. dier.* III. 7. *Laz. Comm. Reip. Rom.* XI. 2. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 27. *Stuck. de Sacrif. p.* 189. *Guther. l. l. Quenstead. de Sepult. c.* 13. *Blond. Rom. Triumph. p.* 42. *F.*

VISEGOTHI. V. illos supr. in *Gothi.*

VISPELLIONES dicebantur servi, qui manumitti non poterant. Ulpian. l. 31. ff. de evict. *Si quis ita stipulanti spondeat, sanum esse, furem non esse, vispellionem non esse.* . . . Qui enim hac lege venierant, aut testamento hanc conditionem acceperant, ne unquam manumitterentur, omnino ex constitutionibus manumitti prohibebantur l. 4. §. 4. de manum. l. 3. §. 9. ad Sctum Silan. 1. §. 17. de ædil. edict. Et de hujusmodi quidem venditionis lege, quod huc referas, est apud Suet. Aug. c. 21. n. 6. *Neque aut crebrius, aut perfidiosius rebellantes graviore unquam multavit est pœna, quam ut captivos sub lege venumdaret, ne in vicina regione servirent, neve intra trigesimum annum liberarentur.* Est etiam de iis servis, qui testamento manumitti prohibentur, in antiquissimo L. Cuspidii testamento elegans exemplum. Sic enim in eo scriptum est. *Et famulos Mesum, quoniam erro est: & Getam, quoniam impostor: Davum quoque, & Maurum mancipes esse in perpetuum edico; quoniam maledici, & contumaces semper fuerunt, ut in pistrino pœnas promeritas luant.* Hæc Cuspidius, pistrini mentionem expresse faciens. Ex quo conjectari potest, in pistrinum, tam testamento, quam aliqua venditionis expressa lege hac conditione servos improbos olim dedi consuevisse, ut nunquam manumitti possent. Eoque sensu ausim dicere hunc Terentii versum esse accipiendum Andr. 1. 2. 28.

> *Verberibus cæsum te in pristinum Dave dedam usque ad necem.*

Unde *vispelliones* fuerint dicti, aliis divinandum relinquo, interim non dubitans, quin a *vespillonibus* longe diversi fuerint. *Ravard. Conject.* II. 16.

VIT.

VITA rustica urbana honestior est habita. V. supr. in *Tribus.*

Vitam suam, & annos sibi ad vivendum constitutos, conferre, ac contribuere, si quo modo id fieri posset, cum eo quem diligerent, ita ut quod ipsis superesset *vitæ*, ejus pars aliqua ad illius *vitam* adderetur, se cupere dicebant, & amoris sui in illum vim quandam mirificam exprimebant veteres. Ita anui blanditur Tibull. I. 7. 69.

> *Vive diu, mi dulcis anus, proprios ego tecum,*
> *Sit modo fas, annos contribuisse velim.*

Ita adolescens apud Plautum Asinar. III. 2. amicæ, quæ cum ei dixisset n. 18.

> *Cur tu obsecro immerito meo me morti dedere optas?*

hoc ab eo responsum fert n. 19.

> *Ego te? quam si intelligam deficere vita, jam ipse*
> *Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.*

Senec. de Brev. vit. c. 8. *Dicere solent eis, quos validissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare.* Ex hac consuetudine triumphantibus imperatoribus occinebatur:

> *De nostris annis tibi Jupiter augeat annos.*

Quod relatum est a Tertull. Apolog. c. 35. *Muret. Var. Lect.* IX. 1. *Taubman. in Plautum. Rittersh. in Oppian. de Piscat.* 1. 703. *Laurent. Polymath.* II. 12. *de Acclamat. c.* 2. *Drus. Observ.* III. 17. *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* VII. 11. *Passerat. in Prop.* IV. 12. 46. *Schill Nomencl. p.* 126.

VITELLIA fuit colonia Romanorum in Æquis. Hæc domitis Æquis præsidii causa facta fuit an. 294. vel 295. quo tempore Q. Fabius Vibulanus, & L. Quinctius Cincinnatus consules aliquot de Æquis triumphos egerunt. Narrant hoc Fasti triumphales. Hujus meminerunt Liv. V. 29. *L. Lucretio Flavo, Servio Sulpicio Camerino consulibus Vitelliam coloniam Romanam in suo agro Æqui expugnant.* Suet. Vitel. c. 1. n. 4. *Coloniam ejusdem nominis, quam gentili copia adversus Æquicolas tutandam depoposcissent.* Panvin. Comment. Reip. Rom. III. p. 322. Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 5. Cluver. Ital. Ant. II. 16. 5.

VITELLIUS Aulus, Romæ audita Othonis morte, cum illi longis aliorum principatibus composita a senatu essent decreta, imperium adeptus Germanici & Augusti cognomina assumpsit, Cæsaris vero repudiavit. Quod etiam ex ejus nummis intelligitur: A. VITELLIUS. GERM. IMP. AUG. P. M. TR. P. Hujus pater fuit L. *Vitellius* ter consul, & censor cum Claudio, avus vero P. *Vitellius* eques Romanus, & rerum Augusti procurator, ut tradit Suet. c. 2. n. 1. Imperavit *Vitellius* ab eo die, quo in Germania Imperator appellatus est menses octo, dies quinque. Joseph. de Bell. Judaic. V. 13. Quum enim bellum civile contra Vespasianum, qui in Judæa imperium invaserat, suscepisset, prœlio victus, & a partium ducibus in Urbe captus occisus est, ætatis anno 54. mense 4. imperii, mense octavo & die quinto. *Panvin. Fast.* II. *p.* 206. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 607. Nono Kal. Januar. periisse scribunt *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 609. *& Panvin. Fast.* II. *p.* 206. Tertio & decimo Kal. Januar. sive die vigesima Decembris *Noris. Epoch. Syro-Maced. Dissert.* 1. *p.* 58. sed vigesima prima Decembris *Pagi Dissert. hypat. c.* 11. *n.* 10. *& Critic. Histor. Chronol. in Annal. C. Baronii ad an.* 69. *D. Jesu* §. 5.

VITIS erat Libero patri sacra, quod ipse *vitium* feratur inventor. Tibull. III. 6. 1.

> *Candide Liber ades, sic sit tibi mystica vitis.*

La Chausse de æn. antiq. lucern. tab. XI. *Vitibus* agros conserere non licebat omnibus gentibus, Romano imperio subjectis; vetitum id erat lege Domitiani. Suet. Domit. c. 7. n. 6. *Ad summam quandam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, ne quis in Italia novellaret; utque in provinciis vineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte.* Hinc laudes, & adulationes, quibus Domitiano blanditur Stat. Sylv. IV. 2. 36.

> —— *sic vitifero sub palmite nudos*
> *Umbravit colles, & sobria rura Lyæo.*

IV. 3. 11.

> *Qui castæ Cereri diu negata*
> *Reddit jugera, sobriasque vites.*

Et deinde, si qua provincia, aut populus iterum *vites* conserere vellet, prius hoc ab Imperatoribus debebat impetrari. Ita a Domitiano impetrarunt Iones. Philostr. Apollon. VI. 17. *Per ea tempora Domitianus Imperator legem tulerat, ne quis ulterius plantare vites auderet, & quæ suo tempore plantatæ fuissent, jubebat amputari: veniens itaque ad Ionas Apollonius, hæc, inquit, præcepta ad me non attinent: solus enim fortassis hominum omnium, neque pudendis egeo, neque vino utor: oblitus tamen est admirabilis Imperator, quod hominibus parcens terram ipsam fecit eunucham. Quamobrem ausi sunt Iones ad Imperatorem legatos pro vitibus mittere, & vacationem legis ab ipso petere.* Aliani. Apollon. Sophist. p. 521. A. *Hic*, Scopelianus, *ita ex superabundantia legationis munus exsequutus est, ut rediret non hoc solum impetrato, quo vites plantare liceret, sed ut multa quoque non plantantibus imponeretur.* A Probo Galli, Hispani, Britanni, Pannones, & Mœsi. His enim *permisit, ut vites haberent, vinumque conficerent.* Vopisc. c. 18. Aurel. Vict. de Cæs. c. 37. n. 3. Epit. c. 37. n. 3. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 3. *Pitisc. in Suetonium.* *Incensores vitium in Mysia gravius quam in aliis provinciis plectuntur.* l. 16. §. 9. ff. de pœn. quod hoc crimen *ibi magis frequentaretur, aut propter vini inopiam.* Panciroi. Notit. dignit. imp. orient. c. 135. Erat gestamen, & insigne centurionum, & centurionatus symbolum. Honor dicitur expresse Eusebio mox laudando. *Viteam* manu ferebant virgam centuriones, militaris insigne regiminis, quo modo etiam hodie cannam, aut bacillum teretem *Chimentell. de Hon. bisell. c.* 34. *Pith. Adv.* 1. 15. *Lips. de Milit. Rom.* 1. *Dial.* 8. *v. dial.* 18. *Sigon. de Ant. jur. provinc.* II. 2. *Crinit. de Honest. Discipl.* XXII. 2. *Sichterman de Pœn. militar. c.* 12.

c. 12. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3. Ut diversa ponuntur a Spartiano mox laudando, *vitem dare, & facere centurionem.* Ratio est, quia datio *vitis*, quasi designatio fuit ad centurionatum, qui tunc postea obibatur, cum erat aliquis vacuefactus locus morte unius centurionum, aut missione, vel regradatione. Cum enim plures *vite* donati, promovebatur is qui erat gradu propior, aut qui esset antiquior ejus loci candidatus: nisi qui hunc proxime impellebat, causam diceret, cur ille prior expelleretur. Quod accidit principe Gallieno, cum Marinus Christianus inibi esset, ut fieret centurio. Euseb. Hist. Eccles. VII. 15. *Vitis nomen militaris honoris apud Romanos, quam qui obtinent, centuriones fieri, si vacet locus. Ad ejus promotionem Marinum gradus ordo vocabat. Verum cum honore illo jam jam potiturus esset, quidam ad tribunal accedens illum accusare cœpit.* Casaub. in Spartian. Adrian. c. 10. Ubi hæc duo a Spartiano ut diversa ponuntur. In hoc loco nihil tale: nec centurionis ulla mentio: *Nulli vitem*, inquit, *nisi robusto, & bonæ famæ daret, nec tribunum, nisi plena barba faceret.* Si pro tribuno centurionem posuisset, tunc locus esset illi diversitati. Locus Eusebii, si recte distinguatur, & explicetur, illum nihil juvabit. Quis enim in legitima, & ordinaria militia designatorum centurionum meminit? quo nomine vero dicebantur illi designati centuriones? priusquam enim centuriones essent, quo tempore *vitem* tantum gerebant? quo titulo, vel quo militiæ munere fungebantur? an milites *vite* castigabant? at hoc ipsum centurionum proprium fuit, quibus propterea *vitis* in manu data, verberando scilicet militi, qui deliquisset. Distinguendum igitur apud Eusebium: *Vitis nomen militaris dignitatis apud Romanos, quam qui obtinent, centuriones esse dicuntur: hujusmodi locus cum vacaret, ad ejus promotionem Marinum gradus ordo vocabat.* Idem sensus ex vulgata lectione oritur, quæ nec ipsa male habet. Ordine, ut notum est, in militia Romana promotiones fiebant, & in orbem quendam. Marinus, cum is centurio, quem proximus impellebat, vel decessisset, vel in altiorem militiæ gradum promotus esset, locum cum maxime vacantem jure sibi, ac promotionis ordine debitum obire velle cœpit, intercessit quidam, & Christianum dignitate ista potiri posse negavit, & eum hoc nomine accusavit, quod Christianus esset. Qui centuriones autem fiebant, vel ordine promotionis ad hunc gradum perveniebant, ut ille Marinus apud Eusebium, & Scæva apud Lucan. VI. 145.

> —— *is sanguine multo*
> *Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.*

Vel beneficio Imperatoris, aut ducis ad hunc honorem promovebantur, quibus *vitis* scilicet dabatur ab Imperatore, ut hoc loco, & in veteri inscriptione: T. T. MIHI. VITEM. DEDERIT. ULPIA. LEGIONE. MISSUS. Suet. Tiber. c. 12. n. 4. *per quosdam beneficii sui centuriones*, qui *vitem* scilicet ab illo acceperant. *Salmas. in Spartianum.* Inter alia hoc quoque castrensis erat moris, jurisque militaris, ut milites a centurionibus *vite* cæderentur: id quod adnotatum ad id pertinet; quod dicit Macer l. 13. §. 4. *Miles, si vitem tenuit, militiam mutat: si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur.* Plin. XIV. 1. *Centurionum in manu vitis, optimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas: atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat.* Juven. Sat. VIII. 247.

> *Nodosam posthac frangebat vertice vitem,*
> *Si lentus pigra muniret castra dolabra.*

Bud. in Pandect. p. 258. E. Rhodig. Ant. Lect. XXVI. 33. Choul Castramet. vet. Rom. p. 53. Lips. de Milit. Rom. V. 18. Robort. de Pœn. milit. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1484. B. Crinit. & Sichterman l. l. Patin. Famil. Roman. in Didia. Aringh. Rom. Subterr. VI. 45. 1. Zimmerman. Floril. Philol. p. 775

VITIUM est verbum augurale. Donat. Hec. prol. n. 2. *Bene secundum augures. Vitium enim est, si tonet tantum: vitium & calamitas; si tonet, & grandinet simul; & etiam fulminet.* Buleng. de Augur. & auspic. c. 9. Comitiorum fuit fulmen. Cicer. de Divin. II. 18. V. illum supr. in *Comitia.* c. 35. *Fulmen sinistrum, auspicium optimum habemus ad omnes res, præterquam ad comitia, quod quidem institutum Reipublicæ causa est, ut comitiorum, vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magistratibus principes civitatis essent interpretes.* Quando igitur comitia Romæ habebantur causa magistratuum creandorum, solebant augures de cœlo servare, hoc est, diligenter inspicere, si aut fulmen vidissent, aut tonitrua audivissent. Liv. XL. 42. *Vitium de cœlo, quod comitia turbaret, intervenit.* Qua re per augures nuntiata, illi magistratus *vitio* creati esse dicebantur. Donat. l. l. Inde *vitiosi* magistratus *vitio* creati dicuntur apud historicos. Liv. XXIII. 31. *Marcello consulatum ineunte, cum tonuisset, vocati augures, vitio creatum videri pronuntiaverunt.* Cicer. Phil. II. 33. *vitiosum* consulem appellat, hoc est *vitio* creatum ex augurum disciplina. *Quamdiu tu voles, vitiosus consul Dolabella.* Hoc proprie obnuntiatio dicebatur. V. supr. in *Obnuntiare.* Beroal. Annot. c. 43. Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 269. Pith. Adv. Subc. II. 2.

VITREARIUS est, qui vasa *vitrea* conflat, conficit. Gr. ὑαλουργός. Lamprid. Alex. Sev. c. 24. *Vitreariorum vectigal pulcerrimum instituit.* Salmas. in Lampridium. Pancirol. de Corp. artif. §. 24.

VITTA erat fascia antiquis, qua circum caput crines religabant. Mart. Capella: *Vittæ sunt, quæ crinibus innectuntur, quibus fluentes religantur capilli, & vittæ dictæ quod vinciunt.* Bernart. in Stat. Theb. V. 668. Erat gestamen matronarum. Aristo ICtus apud Ulpian. l. 25. ff. de aur. & arg. leg. *Vittæ margaritarum, & fibulæ, ornamentorum magis sunt, quam vestium.* Tibull. I. 7. 73.

> *Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos*
> *Impediat crines.*

Bayf. de Re vest. c. 20. Demster. Paral. ad Antiq. Rosin. V. 35. Illa matronæ inprimis discernebantur a virginibus. Plaut. Mil. III. 1. 195.

> *Usque eam huc ornatam adducas matronarum modo:*
> *Capite compto crines vittasque habeat, assimiletque se*
> *tuam esse uxorem.*

Virg. Æneid. VII. 403.

> —— *io matres audite, ubi quæque Latinæ*
> *Solvite crinales vittas.*

Sumebant nuptiarum die. Prop. IV. 3. 83.

> *Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa*
> *Traxit ab everso lumina nigra rogo.*
> *Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis*
> *Vitta data est: nupsi non comitante deo.*

Bernart. l. l. Neque modo matronarum fuit, sed & virginum nondum nuptarum. Val. Flacc. VIII. 6.

> *Ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis.*

Virg. Æneid. II. 168.

> *Virgineas ausi divæ contingere vittas.*

Turneb. Adv. XXIX. 3. Demster. l. l. Et hos juvat Statius, qui Ulyssem introducit, inter dona virginibus oblata, etiam *vittas* offerentem: imo signate ornisse se *vittis* virgines scribit Achill. I. 611.

> *Cinxit purpureis flaventia tempora vittis.*

Solo amictu hæc tela vitabimus. Virgines etiam *vittam* habuerunt, sed simplicem, matronæ duplicem. Auctor affirmandi Prop. IV. 12. 33. laudatus supr. in *Prætexta.* Val. Max. V. 11. *In quarum honorem*, loquitur de Camilli matre, & uxore, *senatus matronarum ordinem benignissimis decretis adornavit. Sanxit namque, ut feminis semita viri cederent: confessus plus salutis Reipublicæ in stola, quam in armis fuisse: vetustisque crinium insignibus novum vittæ discrimen adjecit.* Bernart. l. l. Spanhem. in Callim. hymn. in Cerer. n. 5. Turneb. ibid. XXIII. 5. Lampert. Alard. in Valerium Flaccum. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. sect. 6. Passerat. in Prop. p. 582. Schill Nomencl. Philol. p. 1125. Discriminabantur etiam a meretricibus. Disces

hoc vel ex uno Tertull. de cult. femin. c. 12. *Quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quas si quæ leges a matronis, & matronalibus decoramentis coercebant, tam certe seculi improbitas honestissimis quibusque feminis usque ad errorem dignoscendi coæquavit.* Quid enim aliud *matronalia decoramenta*, quam vittæ, stola, instita. Hinc castas a parum casto scripto removet Ovid. de Art. I. 31. V. illum supr. in *Instita*. Mos hic ex Græcia Romam migrasse videtur. Signatæ enim apud Athenienses meretrices, pariter veste a matronis discretæ, ut notant Suidas & Artemid. II. 3. *Bernart. Demster. & Raynaud. l. l.* Nec solæ matronæ *vittatæ*, verum etiam I. sacerdotes. De Lycurgo Jovis sacerdote Stat. Theb. V. 688.

— & sociæ veritus commercia vittæ.

Tacit. Annal. I. 57. 3. *Sacerdos apud aram Ubiorum creatus ruperat vittas.* Virg. Æneid. X. 537.

Nec procul Æmonides Phœbi, Triviæque sacerdos
Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

Bernart. l. l. Saubert. de Sacrif. c. 10. Paschal. de Coron. IV. 13. Stuck. Antiq. Conviv. III. 16. Cerda in Virgilium. De Cereris sacerdotibus Juven. Sat. VI. 50.

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ.

id est, ut ibi vetus Scholiastes, *quæ possint esse Cereris sacerdotes.* Tertull. de Pall. c. 4. *Ob notam vittæ, & privilegium galeri Cereri initiantur.* de Testim. anim. c. 2. *Atque adeo plerumque & vitta Cereris redimita est.* Spanhem. l. l. Salmas. in Tertull. de Pall. c. 4. II. Vates, & tanquam vates poetæ. Stat. Sylv. II. 1. 26.

Et nunc, heu, vittis, & frontis honore soluto
Infaustus vates.

Achill. I. 11.

Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis.

Hoc tamen discrimine, quod qua sacerdotes, qua vates haberent *vittas*, vel olivæ, vel lauri ramo intextas. Stat. Theb. III. 466.

Huc gemini vates sanctam canentis olivæ
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis.

Virg. Æneid. III. 80.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique sacerdos
Vittis, & sacra redimitus tempora lauro.

Bernart. l. l. Paschal. de Coron. V. 12: IV. 13. III. Statuæ deorum. Virg. Georg. II. 168.

Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausæ divæ contingere vittas.

Juven. Sat. VI. 50. modo laudatus. IV. Supplices. Virg. Æneid. VII. 236.

— ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas, ac verba precantum.

Horat. Od. III. 14. 5.

Unico gaudens mulier marito
Prodeat, justis operata divis:
Et soror clari ducis, & decoræ
Supplice vitta.

V. Aræ. Virgilius. V. illum supr. in *Ara*. VI. Fores templorum. Prop. IV. 10. 26.

Impune & nullis sacra retecta viris,
Devia puniceæ velabant limina vittæ.

VII. Victimæ. Stat. Achill. II. 300.

— vittata genitrix placata juvenca est.

Virg. Æneid. II. 156.

— vittæque deûm, quas hostia gessi.

Bernart. l. l. Barth. Stat. Theb. VIII. 127. *Vittas* ponebant in luctu. Stat. Sylv. II. 1. 26.

Et nunc, heu, vittis, & frontis honore soluto,
Infaustus vates vexo mea pectora tecum.

Theb. XI. 760.

Sed vittis exuta comam fraternaque bella,
Ceu soror infelix pugnantum, aut anxia mater,
Deflebat.

VI. 30. V. illum supr. in *Cinis*. Pietatem tamen cum *vitta* ad exsequias vocat Sylv. III. 3. 3.

Huc vittata comam, niveoque insignis amictu
Mitibus exsequiis ades.

Bernart. ad Theb. VI. 30. Spanhem. l. l.

VITULATIO in solennibus ludis, & insperata privatorum lætitia erumpebat. Illam describit Macrob. Sat. III. 2. *Vitulari dicit, id est, voce lætari. Varro enim in libro quinto decimo rerum divinarum ita refert: quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Græci παιανίζειν vocant.* *Vitulationem* ergo dicit sacrificii nomen esse ob lætitiam facti. Qua ratione Plaut. Pers. II. 3. 1.

Jovi opulento, inclyto, Ope gnato, supremo, valido, viro potenti,
Opes, spes bonas, copias commodanti, lubens vituloque merito.

Qui *lubens vitulorque merito* dixit, pro omni gaudio adfectus sacra facio. Et Festus *vitulans* explicat, quod sit *lætans gaudio, ut prato vitulus.* *Vitulam* enim, quam tamen victoriam esse volebant, quidam etiam faciebant *deam, quæ lætitiæ præsit.* Macrob. l. l. *Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 219. Guther. de Vet. jur. pontif. IV. 16. Junius Fastor. Thes. Ant. Rom. Græv. VIII. p. 244. D. Columm. in Ennium p. 305. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.*

VITULUS fuit cognomen Pomponiorum & Mamiliorum. A pecore enim majore, & minore cognomina multa sunt ducta. *Sigon. de Nomin. Român. c. 5.*

VIV.

VIVARIA piscibus, tanta illorum cura erat apud veteres, exstruebant, ne unquam præclara illa gulæ irritamenta deessent. Illa invenit Sergius Orata. Plin. IX. 54. V. illum supr. in *Ostrearium*. & Macrob. II. 11. V. illum supr. in *Orata*.

VIVARIUM Romæ fuit circa castrum prætorium. Procop. de bell. Goth. I. *Vitiges, acie instructa circa portam Prænestinam, ad eam muri partem mox ducit, quam Romani vivarium dicunt, unde & expugnari mœnia perquam facile poterant. Et Bessus interea Paraniusque. Vitige ipso e regione vivarii validissime his insistente, eodem ad se Belisarium vocant. Ille vero, ut qui ei muro minus confideret, his opem laturus mox advolat, & quum milites in vivario, id loco nomen. . . . Huic muro alterum, & brevem forinsecus veteres quondam Romani modico intervallo adjecerant, sed non ad tutelam, ut qui sine propugnaculis fuisset exstructus, sed ad delicias factus haud satis decentes, & ut leones eo in loco coercitos, & bestias alias asservarent, unde & vivarium is locus est dictus.* Quæ verba non recte intellecta occasionem dederunt antiquariis, qui ante nos fuerunt, ut castrum ipsum *vivarium* esse affirmarint, quod turribus, & propugnaculis, contra Procopii dicta, adhuc munitum cernitur. *Vivarium* vero haud procul a castro prætorio extra castri muros erat, ubi nunc parietinæ quædam fenestratæ altissimæ videntur, ea ratione ædificatæ, qua Procopius scribit fuisse *vivarii* muros, quæ ipsis olim castrorum, nunc Urbis mœnibus adhuc propinquæ sunt. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p. 226. E. de Lud. Circens.* II. 6. *Buleng. de Circo. c. 3. de Imp. Rom.* II. 2. Antiquariorum, & in specie Argoli ad Panvinium opinio est, eo fuisse loco, qui inter portam piam & S. Laurentii foras excurrit, in quam opinionem forma ejus quadrata, situsque præceps, & præruptus eos induxit: quanquam ibidem muri turribus referti conspiciuntur. Postquam vero Panvinius evidentissimis argumentis castrum illic prætorium fuisse ostendit, non autem ad S. Sebastiani, uti vulgo fuerit existimatum, hodierni antiquarii in eam deflexerunt sententiam, a latere castri illius, ubi porta quædam obturata cernitur, quæ illa quondam inter aggeres dicta fuisse vulgo existimatur, *vi-*

vivarium fuisse; extra quam portam viæ cujusdam silicibus stratæ pars residua, quæ ex illa exibat, demonstrare videtur, *vivarium* muris castri prætorii non fuisse, uti vulgo creditur, annexum, adjunctumve. Verum quid hujus sit, facile e Procopio ostendi queat, qui *vivarium* extra portam Prænestinam fuisse dixit. Extra quam si fuit, evidentissima illius in ruderibus istis vestigia apparere certum est. Extra portam mœnia dextrorsum ingentem sinum faciunt, relicto inter portam, & ipsos muros spatio quadrato. Ea vero porta duplici patens exitu, altero in spatium illud egressum habuit, quod muris circumdatum, adeoque *vivarium* ipsum fuisse, veteris muri pars arguit residua, quæ hodieque inter ambas illas portas visitur: posterioribus vero temporibus muro continuati est subtiliore, humilioreque; pecudibusque includendis hodie inservit. In usum amphitheatri castrensis, ludorumque ejus ædificatum perquam mihi verosimile videtur. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 1.

VIVAS, ζήσειας, voce hac unica concipiebatur hæc acclamandi formula, quam quidem in conviviis olim usurpatam invenio; & tum maxime, cum quis ἀμυστί, unico scilicet haustu vini plurimum ebibisset. Utrumque nos docet Dio LXXII. p. 825. E. *Bibebat defessus* Commodus *in medio certamine clavato e calice, vino dulci refrigerato, mulieris e manu sumpto, uno haustu. Inde populus, & nos omnes statim, quod in conviviis dici solet, acclamamus, vivas.* Suidas: *Commodus, Romanorum Imperator, in certamine defatigatus, cum dulce vinum ex poculo, clavæ speciem habente, & amplo, refrigeratum ab uxore accepisset, id unico haustu, & sine ulla respiratione hausit. Quamobrem confestim omnes acclamarunt id, quod in conviviis dici solet, vivas.* Ad hunc morem respexit Apul. Met. X. p. 334. *Grandissimum illum calicem uno haustu perhausi. Clamor exsurgit consona voce cunctorum, salute me prosequentium.* Vox *salute* idem quod *vivas* valet. Vox *prosit*, quam nunc & inter propinandum, & finita cœna, aut prandio usurpamus, pro eo nobis est fere, quod olim ζήσειας Græci, *vivas* Latini dicebant. *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* VII. 13. *Laurent. de Prand. c.* I. *Lips. Ant. Lect.* III. *p.* 159. *Saturn.* I. 19. *Vales. in Ammian.* XVI. 8.

VIVAT *Rex* est formula, duobus verbis concepta, acclamandi in Regum creatione usurpata. In eo tertiæ Thesauri politici partis opusculo, quod Coronatio Christianiss. Galliæ Regis inscribitur, ita legimus: *Statim coronato Rege, atque in throno sedente, Rhemensis Archiepiscopus ad illius amplexum, & osculum accedit; moxque ad populum conversus acclamat: vivat Rex. Archiepiscopo autem sic acclamanti cantorum schola illico succinit: vivat Rex in æternum. Et post cantores populus universus consentis vocibus formulam candem: vivat Rex iterum, ac sæpius repetit.* Eadem quæ ab Hebræis in Regum suorum creatione usurpabatur. Ita acclamatum esse Saulo 1 Sam. c. 10. n. 24. Salomoni 1 Reg. c. 1. n. 39. Joæ 2 Reg. c. 11. n. 12. in sacris legimus. *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* VII. 5. & 6.

VOC.

VOCALES dicebantur pueri, qui phonasco dabant operam. Vita Uticens. III. *Quos ille noverat vocales strenuos, & aptos modulis cantilenæ.* Buleng. de Theat. II. 10.

VOCARE est verbum usitatum in ludo tesserarum. V. supr. in *Subire.*

VOCATIO in jus erat ratio ad magistratum *vocandi* severior vadatione, quæ honestior, & usitatior. Quomodo a vadatione differat V. supr. in *Vadatio.* Hotman. de Lite ordin. c. 3.

VOCATORES erant servi in ministerio Augustorum, & illustrium virorum, quorum munus convivas *advocare*, excipere, & discumbentibus loca pro dignitate cujusque statuere. Plin. XXXV. 10. *Invitatus ad Regis cœnam venit, indignantique Ptolemæo, ac vocatores suos ostendenti, ut diceret, a quo eorum invitatus esset.* Senec. de Ira III. 37. *Mensus honorato loco positus, irasci cœpisti convivatori: vocatori ipsi qui tibi præferebatur.* Suet. Cal. c. 39. n. 3. *Comperrerat provinciatem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur.* Popm. de Oper. serv. p. 121. Pignor. de Serv. p. 112. Drus. Miscel. 1096. Buleng. de Conviv. I. 25. Stuck. Ant. Conviv. II. 1. & 3. Aven. in Phædr. I. 26. 7. Ciaccon. de Triclin. p. 92. Ursin. Append. p. 396. Alexand. Gen. dier. V. 24. & ad illum Tiraquellus. Guilielm. Verisi. I. 18. Rittersh. in Oppian. de Piscat. III. 232. Kipping. Antiq. Roman. IV. 1. §. 1. Pitisc. in Suetonium.

VOCONIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

VOCONTII fuerunt inter Celtas, habitarunt a Druentia ad Isaram, illos domuerunt M. Fulvius Flaccus, & Cajus Sextius Calvinus consules. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 6.

VOL.

VOLCÆ fuerunt inter Celtas, habitarunt trans Rhodanum ad occasum usque ad montem Gebennam. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 6.

VOLERO *in prænomen abiit, quia volentibus nasci liberis parentibus indebatur, quo usus est Publius Philo.* Valerius de Roman. nomin. Quare in anno 353. Capitolino ita est. L. PUBLILIUS. L. F. VOLER. N. PHILO. *Sigon. de Nomin. Roman. c.* 3. Hoc prænomen rarius usitatum in Romanis observo, ita ut in desuetudinem abiisse in antiquis monumentis liceat colligere. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 987. *E.*

VOLIANUS deus cujus meminit Inscriptio hæc Nannetensis,

NUMINIB. AUGUSTOR. DEO. VOLIANO. M. GEMELL. SECUNDUS. ET. C. SEDATUS. FLORUS. ACTOR. VICANOR. PORTENS. TRIBUNAL. C. M. LOCIS. EX. STIPE. CONLATA. POSUERUNT

quis ille sit, non satis liquet. Lipsius fassus est se deum *Volianum* ignorare. Sunt, qui Mercurium esse contendant, eumque a *volis* manuum, quasi deum commerciorum, quorum symbolum est manus, dictum affirment. Quoque suam firmius conjecturam stabiliant, etiam nunc Nannetis in acroteriis tectorum, ac templorum pinnis manuum extensarum, imo & invicem complosarum, quæ fidei, quam summam inter mercatores esse decet, notæ sunt, insignia ostendunt passim. Mercurium commerciorum deum passim creditum ab antiquis nemo ignorat. Et, ut vera fatear, primo epigraphes intuitu *Volianum* Mercurium esse existimavi, nam inscriptionis sculus vectigalia portuentia, aliaque id genus mercium tributa Nannetis persoluta, & ex iis tribunal erectum ab Gemello Secundo, & Sedato Floro actoribus clare indigitat. Sed Ausonii, Tertulliani, aliorumque vicit auctoritas, qui Apollinem passim, nusquam Mercurium ab Armoricis populis cultum, eosque Apollini aras, templa, sacrificiaque dedisse testantur, quo autem nomine non ita est facile designare. Sunt, qui Apollinem putant a Gallis Belenum V. supr. in *Belenus.* appellatum, atque eo nomine cultum fuisse. Nec difficile fuit, tum ipsa temporis, tum librariorum vitio, tum etiam frequenti verborum corruptela ex Beleno primum Belianum, mox promiscua *B. & V.* usurpatione *Velianum*, ac inde *Volianum* fieri. Quam ego conjecturam, sive divinationem, ut temere probare, & asseverare non ausim, ita damnare, ac rejicere plane non possum. *Berthald. de Ara c.* 27. §. 1. 2. 3. V. infr. in *Volumnus.*

VOLONES dicti sunt *servi, qui bello Punico, cum deessent, qui scriberentur, pro dominis pugnaturos se polliciti in civitatem recepti sunt, & volones, quia sponte hoc voluerunt, appellati.* Macrob. Sat. I. 11. Festus: *Volones dicti sunt milites, qui post Cannensem cladem usque ad octo millia, cum*

eſſent ſervi, voluntarie ſe ad militiam obtulerunt. Liv. xxiv. 11. *Duodeviginti legionibus bellum geri placuit. . . . duabus volonum Ti. Gracchum circa Luceriam præeſſe.* Laz. Comm. Reip. Rom. v. 3. Rhodig. Ant. Lect. xxv. 23. Alex. Gen. dier. vi. 22. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom. iii. 2. Laurent. Polym. iv. Synopſ. 1. §. 4. Menag. Amœn. jur. civil. c. 40. Schill. Nomencl. Philol. p. 1126.

VOLSCI fere mare verſus, citra, & ultra Ufentem oppida tenuerunt Antium, Circejos, Anxur, ſive Tarracinam, Ecetram, Velitras, Sueſſam Pometiam, Longulam, Poluſcam, Coriolos, Cenonem, Signiam, Artenam, Satricum, Fabrateriam, Privernum, Fregellas, Arpinum, & Soram. Quanquam veteris Latii finibus ſepti, tamen in Latinis illis temporibus non ſunt numerati: cujus rei facilis eſt, & expedita ratio: neque enim aut commune Latinorum concilium inierunt, aut ad Latinas ferias vocari ſe cum cæteris Latinis, paucis quibuſdam exceptis, permiſerunt. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* 1. 3. *Cluver. Ital. Ant.* iii. 1. Illos primus, bello perſecutus eſt Ancus Rex, populationibus eorum, quibus Romanum agrum infeſtum reddebant, commotus. Dionyſ. iii. p. 181. *Nec a Volſcis pacata fuerunt omnia, prædonibus etiam inde Romanum agrum infeſtantibus, quos Rex cum exercitu alacriter adortus, magnam reportavit prædam.* Sed illis a Superbo Rege arma primum illata ſcribit Liv. i. 53. *Is, Tarquinius Superbus, Volſcis bellum in ducentos amplius poſt ſuam ætatem annos moviſſe, Sueſſamque Pometiam ex his vi cepiſſe.* Cum autem quarto decimo poſt Reges exactos anno, bello Latino auxilia comparaſſent, quæ Latinis mitterent, placuit, narrante Liv. ii. 22. . . . ut ſequentes Coſſ. Appius Claudius, & P. Servilius an. 258. adverſus eos exercitum ducerent. *Volſci* ſubita re perculſi primum obſides a Sora, & Pometia tradiderunt; deinde ad arma converſi, & prælio victi Pometiam oppidum amiſerunt. Ecetrani, Pometia capta rebus ſuis timentes, cum ſenatum adiſſent, agri parte adempta pacem impetrarunt. *Poſt varia bella pacificatum legati a Volſcis venerunt, & impetrata pax.* Liv. v. 23. Hos ut antiquis temporibus Latinorum, & concilio, & jure excluſos invenio, ſic poſtea propter affinitatem in eadem jura aſcitos eſſe opinor: neque enim, ut ſingulorum Italicorum, ſic *Volſcorum*, Æquorumque nomen poſtea eſt celebratum; ex quo intelligi poteſt, omnes *Volſcos*. Æquoſque, aut funditus a Romanis eſſe deletos: aut, ſi qui tot bellis, cladibusque ſuperfuerunt, uno Latinorum ut jure, ſic nomine eſſe devinctos. Cicer. pro Balb. c. 13. quidem dixit, *ex Latio Tuſculanos, & Lanuvinos, ex cæteris gentibus univerſas gentes in civitatem eſſe receptas, ut Volſcorum, Sabinorum, & Hernicorum.* Sigon. ibid. c. 5. Manut. de Civit. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. 1. p. 7. F.

VOLSELLA, ſeu *vulſella* erat inſtrumentum, quo pili radicitus evellebantur. Tertull. de Pall. c. 4. *Tum furax a mento volſella.* Ac fortaſſe etiam ſic dicebatur, quo ſpinas evellerent. Sane in gloſſ. Philox. legas: Vulſella, τριχολαβὶς, ἀκανθολαβίς. *Voſſ. Lex. Etymol. in Vello. Jun. de Com. c. 7. Salmaſ. in Tertullianum.*

VOLTEJA gens. V. illam ſupr. in *Gens.*

VOLTINIA tribus. V. illam ſupr. in *Tribus.*

VOLTURNALIA *Volturno deo ſacra erant, cujus ſacerdotem Volturnalem vocabant.* Feſtus. Hujus ſollennitatis dies, qui nefaſtus primo fuit, celebrabatur ſexto Kalendas Septembris. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 999. *A. Gyrald. Synt. deor.* iv. *p.* 158. *C. Struv. Ant. Rom. c.* 9. *p.* 431.

VOLUMINA dicuntur libri, quia antiqui circum ligneum teretem ſurculum, vel oſſeum convolverent, ad ſimilitudinem cylindri, ut hodieque faciunt Turcæ, non vero in tabellas componerent, plicarentque, quæ apud nos conſuetudo obtinet. Sic Plin. Epiſt. iii. 5. 7. Plinii avunculi libros naturalis hiſtoriæ vocat: *Miraris, quod tot volumina, multaque in his tam ſcrupuloſa, homo occupatus abſolverit.* Metamorphoſin ſuam *ter quinque volumina* vocat Ovid. Triſt. i. 1. 117.

Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ.

Epiſtolarum volumen vocat Cicer. Attic. ix. 9. non, quia ſingulæ epiſtolæ involutæ clauderentur, hæ enim plicabantur: ſed quia multæ cum eſſent, librum efficerent, eoque circa lignum *involvebantur.* Ad hanc libri *convoluti* figuram reſpexit Juven. Sat. vi. 338.

—— penem
Tam grandem, quam ſunt duo Cæſaris Anticatones.

Nam duo libri Cæſaris adverſus Catonem in unum *volumen* complicati, haud male figuram ingentis virilis ſcapi referebant, qualem Clodius intulerat in pulvinar Bonæ deæ. *Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 10. *in Vopiſc. Firm. c.* 3. *Spartian. Adrian. c.* 19. *Pignor. de Serv. p.* 231. *A. Manut. Quæſ. Epiſt.* ii. 1. *P. Manut. in Cicer. Fam.* iii. 7. *Pier. Hierogl.* xxxiv. 38. *Guiland. Papyr. membr.* ii. *n.* 13.

VOLUMNA dea, & *Volumnus* deus præſtabant, ut conjuges bona *vellent*, & bene, ac feliciter conjungerentur. *Tomaſ. de Donar. c.* 13. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 52. *A. Lipen. de Stren.* 1. §. 6. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 159. *Stuck. de Sacrif. p.* 41. *&* 47. Conjectura non adeo levi Triſtanus a S. Amando in Comm. Hiſt. ad numm. Neron. *Volumnum* legit in veteri inſcriptione, a Renato Moræo Profeſſore regio Lutetia miſſa ſupr. in *Volianus.* Quis enim *Volianus*, admodum eſt obſcurum apud eruditiores. Nec ullus hic Volcano locus. Quid enim ipſi præ Jove, aut Marte cum Imperatore fuit? Apollinis vero, & Neronis, aut Jani cognomina ex Hebræis, Græcis, vel Armoricis populis ingenioſe nimis hic repetuntur. Credibilius eſt, deo VOLUMNO in conſervationem Auguſtorum fuiſſe poſitum hoc monumentum. *Tomaſ. l. l.*

VOLUNTARII dicebantur, qui non a provincialibus invitis exhibebantur, ſed ſponte militiæ nomen dabant. Liv. iii. 57. *Cum ad ea bella delectum edixiſſent* conſules, *favore plebis non juniores modo, ſed emeritis etiam ſtipendiis, pars magna voluntariorum ad nomina danda præſto fuere.* xxix. 1. *Scipio poſtquam in Siciliam venit, voluntarios milites ordinavit.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. xi. p. 624. E. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 146. Valtrin. de Re milit. Roman. ii. 5. Diverſæ conditionis a *volonibus*, homines nempe liberi, non ſervi: qui cum vel propter ætatem, vel quod legitima ſtipendia feciſſent, cogi non poſſent, ſponte militabant, & evocati poſtea dicti. Antoninus Philoſophus, non qui ſponte nomen dabant, ſed ſervos, militiæ deſtinatos, appellavit *voluntarios.* Capitol. Anton. Philoſ. c. 21. *Servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos voluntarios exemplo volonum appellavit.* Caſaub. in Capitolinum. Urſat. l. l.

VOLUNTAS popularis honores petenti eſt neceſſaria. Cicero. V. illum ſupr. in *Amici.* Deſiderat nomenclationem, blanditiam, aſſiduitatem, benignitatem. V. ſingula ſuis locis. *Sigon. de Judic.* ii. 30.

VOLUPIA dea eſt exiſtimata. Auguſt. de Civit. Dei iv. 11. *De voluptate Volupia.* Lipen. de Stren. c. 1. §. 6. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 49. E. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 159. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 12. F. Vidi, qui *Volupiam* in throno effingeret, ut reginam, ſed pallidiorem aſpectu, & quæ virtutes ſubtus pedes habere videretur. Sed quantum ſcriptori illi, qui hoc literis mandavit, fidei habeam, non eſt ut hoc loco prodam. *Gyrald. l. l.*

VOLUSUS Sabinum prænomen fuit, antiquiſſimo tempore a Valeriis uſurpatum, apud quos poſtea in cognomen tranſiiſſe Faſti docent, in quibus ſæpe legitur C. VALERIUS. L. F. VOLUSI. N. POTITUS. VOLUSUS. C. VALERIUS. POTITUS. VOLUSUS. Hoc etiam VOLESUS dicebatur, ut in antiquo lapide: P. VALERIUS. VOLESI. F. POPLICOLA. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 587. *E. Panvin. de Nomin. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* ii. *p.* 2033. *E. Sigon. de Nomin. Roman. c.* 2.

VOLUTINA dea *involumentis folliculorum fuit præfecta.* Auguſt. de Civit. Dei IV. 8. *Tomaſ. de Donar. c. 26. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 158. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 52. B. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 12. H.*

VOM.

VOMITORIA dicebantur oſtia, per quæ populus in ſpectaculis ab exterioribus porticibus veniebat in ſedes ſuas. Macrob. Sat. VI. 4. *Pulchre Lucilius:*

Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam.

Et antique. Nam Ennius ait:

— & Tiberis flumen vomit in mare ſalſum.

Unde & nunc vomitoria in ſpectaculis dicimus: unde homines glomeratim ingredientes in ſedilia ſe fundunt. Voſſ. Lex. Etymol. in Vomo. Brod. Miſc. II 24. Lipſ. de Amphith. c. 13. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. II. 16. Buleng. de Theat. I. 19. Thyſ. de Amphith. p. 203.

VOMITU refundebant, quæ ante cœnam biberant veteres. Mos invaluerat ante cœnam bibere, & *vomitu* refundere. Senec. Epiſt. 95. *Vinum omne vomitu remetiuntur.* de Provid. c. 3. *Hi quidquid biberint, vomitu remetientur.* De ipſis feminis Juven. VI. 431.

— tanquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens, bibit & vomit.

Mart. VII. 66. 9.

Nec cœnat prius, aut recumbit ante,
Quam ſeptem vomuit meri deunces.

Hi *jejuni vomitores* dicuntur Senec. Epiſt. 88. Mos cœpiſſe, aut invaluiſſe videtur Pompeji magni temporibus, cum Aſclepiades medicus vixit: de quo Plin. XXVI. 3. *Damnavit merito & vomitiones, tunc ſupra modum frequentes.* Damnavit & Celſ. I. 3. qui *iſtud luxuriæ cauſa fieri non oportere confitetur, interdum valetudinis cauſa recte fieri experimentis credit* Lipſ. in Senec. Epiſt. 95. Buleng. de Conv. III. 21. cibum etiam & potum ventriculum onerantem intemperantiores. Ambroſ. de Elia c. 13. *Spectaculum triſte Chriſtianorum oculis, & miſerabilis ſpecies. Cernas juvenes terribiles viſu hoſtibus, de convivio portari foras, & inde in convivium reportari, repleri ut exhauriant, & exhauriri ut bibant.* Mart. VI. 89. 5. V. illum ſupr. in *Lagena.* De Vitellio Suet. c. 13. n. 1. *Epulas diſpertiebat in jentacula, & prandia, & cœnas, comeſſationesque: facile omnibus ſufficiens vomitandi conſuetudine.* Xiphil. LXV. p. 734. D. *Magnam diei partem, noctisque conſumebat in comeſſationibus, crebroque vomebat omnia. . . .* De Cajo idem ſemel atque iterum Philo. *Butius de Potu antiq. c. 13. 14. 15. Buleng. l. l.*

VOP.

VOPISCUS quis ſit, docent Plin. VII. 10. *Vopiſcos appellabant e geminis, qui retenti utero naſcerentur, altero interempto abortu.* Solin. c. 4. *E geminis, ſi remanente altero alter abortivo fluxu exciderit, alter, qui legitime natus eſt, Vopiſcus nominatur.* Val. Max. X. *Vopiſcus, qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu ejecto, incolumis editus erat.* Voſſ. Lex. Etymol. Sigon. de Nom. Rom. c. 3. Panvin. de Nom. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2033. E. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 987. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 124. Menag. Amœn. jur. civil. c. 39. Hoc prænomine præcipue gens Julia eſt, quod poſtea in cognomen tranſiit: apud Tacitum enim ſæpe mentio eſt Pompeji *Vopiſci* viri conſularis, & L. Manlii *Vopiſci* in Faſtis. *Panvin. & Pigh. l. l.*

VOT.

VOTITA dicebatur uxor a *votis.* Elegans locus Plauti, cum paraſitus adoleſcenti ſatur meretricias leges ſcriberet, quæ verecundius aliquid continerent, & ſanctitatem haberent nuptiarum, inquit adoleſcens Aſin. IV. 1. 44.

Nolo illam habere cauſam, & votitam dicere.

Verſus ille laudatur a Non. I. 215. qui *veteres religione aliqua prohibitum, vel interdictum, votitum dixiſſe aſerit.* *Votitam* dicere eſt quaſi uxorem habere, quæ verecunde & non intemperanter amet. Atque hæc nuptiarum ſanctitas fecit, ut legibus Romanis nuptiæ inter civem Romanam, & peregrinum ſint prohibitæ, & nefariæ dictæ, quod contra fas contractæ eſſent, & ſine farre pio. Quod mire de nuptiis Antonii, & Cleopatræ ſervavit Virg. Æneid. VIII. 688.

— ſequiturque nefas Ægyptia conjux.

Guther. de vet. jur. Pontif. IV. 6.

VOTIVÆ dicebantur tabellæ, ſive quod votæ eſſent, aut ex *voto* ſuſpenſæ, ſive quod depicta hominum *vota* continerent. *Votivas* preces appellamus, quibus aliquid cum *voto* poſcimus. Tibull. I. 3. 29.

Ut mea votivas perſolvens Delia voces
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.

Votiva victima, quæ per *votum* eſt ſacrificio deſtinata. Horat. Epiſt. I. 3. 36.

Paſcitur in veſtrum reditum votiva juvenca.

Votiva corona *voto* diis immortalibus conſtituta. Vitruv. IX. 3. *Hiero rebus bene geſtis cum auream coronam votivam diis immortalibus quodam in fano conſtituiſſet.* Cætera item *votiva* dicuntur, quæ ex *voto* ſuſcipiuntur, vel pro eo, quod barbare dicitur *ad bene placitum,* hoc eſt, quæ pro *voto,* & voluntate, vel voluntarie fiunt. Unde *legationem votivam* ad Attic. IV. 2. *ludos votivos* in Verr. procem. c. 10. apud Ciceronem, aliosque legas. Sic Gallus Eleg. n. 18. *votivum vulnus* dixit. Sed & *votivam rem* notare admodum gratam, & jucundam, quæque *votis* fuerit petenda apud Poll. Gallien. c. 3. obſervat Salmaſius. Qualiter Prop. II. 21. 60.

Votivas noctes & mihi redde decem.

Cynthia enim decem noctes puras Iſidi pervigilarat. Unde Poeta tanquam ex penſo ſpurcas totidem repoſcit. *Munera votiva* per metonymiam adjuncti videntur vocaſſe Prop. ibid. n. 59.

Munera Dianæ debita redde choro.

Catull. LXIV. 103.

Non ingrata tamen fruſtra munuſcula divis
Promittens tacito ſuſpendit vota labello.

Votiva vocabula Hieronymus ſcribit ea eſſe nomina, quæ boni ominis cauſa ſervi præſertim ſumebant. *Votivæ* aures appellantur, quæ cupiunt aliquid audire. Plaut. Caſ. prol. n. 29.

Aures votivæ ſi ſunt, animum advortite.

Tomaſ. de Donar. c. 1.

VOTUM ſtrictius aut pro nuptiis, aut pro φιλοστοργίᾳ parentum in liberos, aut pro religioſa *voti* nuncupatione ſolet capi. Certe Moſes de pluribus ejuſmodi *votis* agit in Levitico, & Numeris. Tali ſe *voto* Jephthe obligavit de eo, quod primum ſibi e domo occurriſſet: & Agamemnon de eo, quod ſibi pulcerrimum eo anno eſſet natum, mactando. Talium *votorum* omnis ferme Græcia, omne Latium plena ſunt. Unde etiam Jovis Statoris, reliquorumque deaſtrorum fere omnium myrias niſi ab ejuſmodi *votis*? Horum & certæ materiæ & certæ leges erant. Materiæ pro diverſitate *votorum* variæ. Ut plurimum bos auratis cornibus. Ita enim Tertull. de Coron. milit. c. 12. *Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? Accipe poſt loca, & verba: hunc tibi Jupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus eſſe futurum.* Sæpe & caper, cadus, libatio, aliaque infinita *voto* concipiebantur. *Lipen. de Stren. c. 5. §. 7. & 8. Struv. Antiq. Roman. c. 5.* Leges, & ceremoniæ tales erant. I. concipiebantur. Suet. Aug. c. 97. n. 2. *Vota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium nuncupare juſſit. Nam ſe,*

quan-

quanquam conscriptis, paratisque jam tabulis, negavit suscepturum, quæ non esset soluturus. II. inscribebantur, & signabantur. Juven. Sat. XII. 100.

Legitime fixis operitur tota tabellis
Porticus.

Ubi interpres: id est, *devotis precibus impletur.* III. obsignata deorum statuis affigebantur. V. supr. in *Incerare genua deorum.* IV. religione se solvebant, & promissa præstabant, & illum actum vocabant *vota reddere, solvere, offerre:* veluti cum Horatius a lapsu arboris in horto servatus, quæ Libero *voverat* sacra faciebat, ut est Od. III. 8. 1.

Martiis cælebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo.
Voveram dulces epulas, & album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.

Lipen. & Struv. l. l. Talia dicebantur potissimum diis meritis, & merentibus offerri, perinde ut meritæ aræ, & meriti honores, & meritæ coronæ Virgilio dictæ sunt. Testis est Ovid. Fast. IV. 898.

Reddantur merito debita vota Jovi.

Trist. IV. 2. 11.

Munera det meritis, sæpe datura, diis.

Brisson. de Form. II. p. 103. Lipen. l. l. Interdum quoque in perpetuam *voti* memoriam, velut ἀναθήματα in luco aut sacro suspendebant *vota*, seu res ipsas, quas *voto* nuncupaverant, naufragi vestes, citharœdi barbiton, victores spolia, milites prædam, alii alia. Ita ἀλληγορίζει Horat. Od. I. 5. 13.

—— *me tabula sacer*
Votiva paries indicat humida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

III. 26. 3.

Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Lævum marinæ qui Veneris latus
Custodit. hic, hic ponite lucida
Funalia, & vectes, & arcus
Oppositis foribus minaces.

Quomodocunque autem illa fierent, sive omnibus, sive uni alicui deo seorsim, semper tamen Jani facta est mentio, eaque sola, & una, si illi soli erant nuncupata: prima autem, si & aliis. Nam a Jano, & Vesta præfatio fiebat, quia is primus aras, & sacra docuit. Fab. Pictor de aureo seculo. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 722. *Alex. Gen. dier.* IV. 17. *Lipen. ibid.* §. 11 12. 14. 15. Factis *votis*, ea ut rata essent, precabantur. Ovid. Metam. IX. 701.

Læta toro surgit, purasque ad sidera supplex
Cressa manus tollens, rata sint sua vota precatur.

Amor. III. 2. 80.

Sint mea, sint dominæ fac rata vota meæ.

Mart. X. 34. 1.

Dii tibi dent, quicquid princeps Trajane mereris,
Et rata perpetuo, quæ tribuere, velint.

Ex diverso, quæ abominabantur, ea ne rata essent, optabant. Ovid. Metam. IX. 473.

—— *Quid vult sibi noctis imago?*
Quam nolim rata sit.

Brisson. de Form. I. p. 121. Caroli Antiq. Roman. I. 5. Kipping. Antiq. Rom. I. 9. §. 15. Illi, qui *vota* fecerant, *voti rei*. illorum compotes facti, *voti damnati* appellabantur. Macrob. Sat. III. 2. *Hæc vox, voti reus, propria est sacrorum, ut reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat: damnatus autem, qui promissa non solvit.* Servius in schedis: *Damnare est damno afficere, id est, debito liberare. Ideo & cum vota suscipimus, rei voti dicimur, donec consequamur beneficium, & donec condemnemur, id est, promissum solvamus,* ut Virg. Ecl v. 80.

—— *damnabis tu quoque votis.*

Liv. VII. 28. L. Furius dictator *inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ vovit: cujus damnatus voti quum victor Romam revertisset.* XXXIX. 9. *Damnatam voti, deûm benignitate exsolvere id velle.* Illa dicebantur *solvi.* Virg. Æneid. V. 482.

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo.

Macrob. Sat. III. 5. horum verborum proprietatem observans, adnotat Virgilium, ut *nuncupata vota significaret, dixisse persolvo: quod de voto proprie dicitur.* Val. Max. I. 1. *Item matri deûm sæpenumero Imperatores nostri, compotes victoriarum, suscepta vota Pessinuntem profecti solverunt.* Festus: *Minuitur luctus, cum votum publice susceptum solvitur.* Et *reddi*, quæ nuncupata a *voti* compotibus, tanquam debita, persolvuntur. Horat. Od. II. 7. 17.

Ergo obligatam redde Jovi dapem.

Tib. IV. 4. 23.

Jam celeber, jam lætus eris, quum debita reddet
Certatim sanctis lætus uterque focis.

In veteri inscriptione: RUSTICELLA M. L. CYTHERIS DEBITUM REDDIDIT XII. KAL. MALUGINENSE ET BLÆSO COSS. *Brisson. de Form.* I. *p.* 103. Quia vero patresfamilias puberes, sui juris, obligari, ex eaque causa debitores effici, ac proinde quæ *votorum* compotes facti solvebant *vota*, ea ut debita solvere, & reddere censebantur. Val. Max. I. 1. 8. *Cum Marcellus quintum consulatum gerens templum Honori, & Virtuti, Clastidio prius, dein Syracusis potitus nuncupatis votis debitum consecrare vellet.* Horat. Od. I. 36. 1.

Et thure, & fidibus juvat
Placare, & vituli sanguine debito
Custodes Numidæ deos.

Ubi interpres vetus: *Sanguine*, ait, *debito*, id est, *votis pactis. Debetur enim hostia, dum votis susceptis promittitur.* Brisson. de Form. II. p. 102. Crinit. de Honest. Discipl. III. 5. Qui *vota* solvebant, ea se solvisse testabantur hisce sollennibus verbis: *votum solvit libens merito*, quæ his notis V. S. L. M. significabantur, quemadmodum Valerius Probus edidit. Cujus generis exempla prope innumera in lapidibus Romanis obvia sunt. Ejus testationis in iisdem invenitur formula hujusmodi: *ex voto suscepto.* Huc pertinent verba Suet. Aug. c. 57. n. 4. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant.* Horat. Sat. I. 5. 65.

--- *donasset jamne catenam*
Ex voto laribus, quærebat.

Brisson. ibid. p. 104.

Votum latius pro quacunque sive salutatione, sive apprecatione, sive contestatione, & gratulatione accipitur. Val. Max. I. 1. 1. *Prisco instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, voto: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum vel extis, vel sortibus, impetrito: cum sollenni ritu peragendum, sacrificio.* Hoc in se complectitur amicas salutationes, mutuas acclamationes, & faustas exceptiones. Herod. I. 16. 7. *Romani se invicem excipiunt, & salutant amicis alloquiis se invicem compellantes.* Gratiarum actiones, quas sive novi Coss. sive Imperatores, sive adoptati Augusti dicebant Kalendis Januariis. Spartian. Ælio Ver. c. 4. *Quum de provincia Ælius redisset, atque orationem pulcerrimam parasset, qua Kalendis Januariis Adriano patri gratias ageret, accepta potione, qua se existimaret juvari, Kalendis ipsis Januariis periit.* Gratulationes, quibus sibi invicem de bonis ex *voto* acceptis gratulabantur. Talis est totus Tibulli panegyricus, quem ad Messalam Corvinum scripsit IV. cum sub Domitio Nerone consulatum iniret an. 810. Namque in eo gratulatur de victoria, & trium-

triumphos, itemque de consulatu nuper adepto, simulque adhortatur ad res bellicas fortiter persequendas. *Lipen. de Stren. c. 5 §. 16. 17.*

Votum caducum, ut dicitur Ovid. Fast. I. 181.

--- nec lingua caducas
Concipit ulla preces.

quod cadere dicunt Tib. II. 2. 17.

Vota cadunt.

& Prop. I. 17. 4.

Omniaque ingrato litore vota cadunt.

est irritum, non valens. Insita enim erat vana veterum hominum opinio, vota ex primo anni die plus valoris accipere, quam ex aliis dierum revolutionibus: ex ipso quasi tempore valere, non cadere. Hinc Plinii vox cauta est, quod Romani caverint, ne quod mali ominis verbum Kalendis Januariis effunderetur. Si quid enim sinistro omine auditum esset, in totum annus portendi visus est. Hinc Mævius quidam, ut scribit Porphyrio, post absumptum omnem patrimonium Kalendis Januariis alta voce optavit, *ut quadringenta millia nummorum æris alieni haberet.* Cumque alii adstantium admirati essent, quid hoc sibi vellet, quod tam solenni die incommodum sibi optaret, Mævius respondit: *Non est quod miremini. Nam octo tantum modo debeo.* Scilicet voto Januario æris magnitudinem dissolvere cupiebat. *Lipen. de Stren. c. 5. § 20.*

Votum pro conviviis, maxime nuptialibus, ipsisque adeo nuptiis usurpabatur. Ambros. Serm. 25. *Solent autem homines, si sint morales, vota sua, hoc est, nuptias precipue salutare, vel celebrare.* Augustin. II. ad lit. c. de Genes. XI. 41. *Nisi forte confusa erat a fame tradendi, & exspectanda erat votorum sollennitas, & convivii celebritas?* Petav. in Julian. Misopog. p. 106. Edit. Lips.

Votum deprecatorium fiebat, quo omnium malorum aversionem a sanctissimo numine desiderabant. Sæpe fulgentes cometæ, sæpe infaustus Saturni aspectus, sæpe ominosa solis, & lunæ deliquia, sæpe portentosa tonitrua, & fulgura sub ipsum novi anni auspicium gentes terruerunt, quæ in votis novi anni, & in deprecationibus divini numinis omne suum solatium deposuerunt. Ita de suo tempore Claudianus:

Non in nos mala sit minitatus ab axe cometes
Hostibus edomitis, queis in se patria discors
Certat ab incepto, equum, pro Cæsare milites armis,
Hoc mihi prosperibus Concordia numinet alis.

Lipen. de Stren. c. 5 § 21.

Votum militare dicebatur, quod milites, antequam Martis aleam incertam subirent, concipiebant, aut eorum uxores, propinquæve; in portis urbis illud suspendebant, suspensa videlicet tabella, qua voto se obligabant, reditum voventes, & faustum ominantes. Hunc morem indicat Prop. IV. 3. 17.

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.

Iis reducibus, aut victoribus *voti* damnati persolvebant, quod suspensa tabella conceperant, suspendebantque illi portæ, per quam redibant. Idem ibid. n. 71.

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam, salvo grata puella viro.

Laurent. de Re vest. c. 2. Turneb. Adv. XXIII. 6.

Votum precatorium fiebat, ut novi anni incepti auspicia sint bona, & omina totius anni decurrentis fierent fausta. Ovid. Fast. I. 72.

Nunc dicenda bono sunt bona verba die,

n. 175.

At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis;
Et damus alternas, accipimusque preces.

quibus Janus n. 178.

Omina principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam vocem timidas advertitis aures,
Et visam primum consulit augur avem.
Templa patent, auresque deûm: nec lingua caducas
Concipit ulla preces; dictaque pondus habent.

Lipen. de Stren. c. 5. §. 20.

Votum privatum quisque aut pro se, aut pro domo, aut pro amicis faciebat. Nam & uxor pro marito, & vicissim maritus pro uxore, dominus pro servo, patronus pro cliente, amator pro amica, & vice versa hi pro illis vota fundebant.

Transeat hic sine nube dies, stent aere venti,
Ponat & in sicco molliter unda minas.
Aspiciat nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobe lacrymas supprimat ipse lapis.
Halcyonum positis requiescant ora querelis,
Increpet absumptum nec sua mater Ityn.
Tuque o cara mihi felicibus edita pennis
Surge, & poscentes justa precare deos.

Ita denuo amicus amico felicia conjugii, gazas Arabicas, latos campos, divites agros, bonam sobolem precabatur. V. Tibull. II. 2. 5 -- 22. *Lipen. de Stren c. 5. §. 22.*

Votum publicum fiebat vel pro tota Republica. Quo enim spectabant sacrificia? quo expiationes Capitolinæ? nisi ut bene esset S. P. Q. R. Ovid. Fast. I. 75.

Cernis odoratis ut luceat ignibus æther;
Et sonet accensis spica Cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde jubar.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
Juppiter arce sua cum totum spectet in orbem,
Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve, læta dies, meliorque revertere semper,
A populo rerum digna potente coli.

Lipen. de Stren. c. 5. §. 23. Struv. Antiq. Rom. c. 4. p. 147. Faber de Magist. Roman. p. 199. vel pro Reipublicæ curatoribus, I. consulibus, & reliquis magistratibus. Nam & thure deos conciliabant, & felicia gubernacula annorum *votis* suis aucupabantur, cum in finem lauros cum ischadibus præferentes, hoc quasi symbolo *vota* sanitatis, felicitatis, & μακροβιότητος contestarentur. Mart. VIII. 66.

Augusto pia thura, victimasque,
Pro nostro date Silio Camœnæ:
Bissenos jubet en redire fasces
Nato consule, nobilique virga
Vatis Castaliam domum sonare.
Rerum prima salus, & una Cæsar
Gaudenti, nunc est ara quid optet
Felix purpura, tertiusque consul.
Pompeio dederit licet senatus,
Et Cæsar genero sacros honores:
Quorum pacificus ter ampliavit
Janus nomina; Silius frequentes
Mavult sic numerare consulatus.

Ita ad Gallum novum consulem Theodoricus Rex apud Cassiodor. Var. II. 2. *Sacratam sibi hem ... precantur votis candidatam.* Quæ *vota* Cicero pro felicitate consulum, totiusque senatus fecerit, ejus oratio pro Muræna ipsis Kalendis Januariis habita evidenter ostendit. II pro Imperatoribus, & belli ducibus tam a militibus, quam a civibus, in castris, & in Urbe. Testis est, qui quantum ad loca, duplicem *votorum* nuncupationem facit, Tertull. de Coron. mil. c. 12. *primam in principiis, secundam in Capitoliis.* In principiis dicebantur, quæ in castris nuncupabantur, cum principia diceretur ille locus, qui religioni, & judiciis faceret. In Capitoliis, ea quæ in Urbe Roma sollennis erat. Lætæ enim acclamationes fiebant in exercitu, cum Imperator castra obiret, ut indicat l. 1. Cod. de Veteran. *Unum omnium votum est*, inquit Plin. Paneg. c. 94. n. 2. *salus Principis.* Unde etiam Tiberius ægre tulit, pro Nerone etiam ac Druso *a pontificibus vota concipi, & supplicationes fieri.* quæ pro ipso factæ fuerant, & soli Principi fieri debebant. Tacit. Annal. IV. 17. Suet. c. 54. n. 2. Hinc scribit Paterc. II. 48. 2. quod *universa*

Italia pro salute Pompeji, primo omnium civium, peritissimo belli duce, & imperii columna, *vota susceperit*. Et Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. 66. n. 12. *Vota pro illo*, M. Livio Druso, *per Italiam publice suscepta esse*. Lipen. ibid. c. 25. & 26. Guther. de Vet. jur. pontif. IV. 13. Struv. Antiq. Rom. c. 4. p. 246. Buleng. de Imperat. Rom. I. 35. III. pro Augustis, & Caesaribus, tanquam summis Principibus, ut qui salus una, & primariant Reipublicae. Ita notum est, quod ex *voto* pro salute Augusti thus, vinum, hostias obtulerint. Imo & illud notatu dignum, quod *nonnulli patresfamilias testamento caverint, ut ab heredibus suis, praelato victimae titulo, in Capitolium ducerentur, votumque pro ipsis solveretur, quod superstitem Augustum reliquissent*. Suet. Aug. c. 59. n. 2. Similiter *omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus*, Augusti, *stipem jaciebant*. Suet. ibid. c. 57. n. 4. Ita etiam pro Claudio *quasi pro aegro adhuc vota suscepta sunt*. Suet. Claud. c. 45. n. 2. Nec minus pro Trajano. Plin. Epist. X. 44. *Sollennia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscipimus, domine, & solvimus, precati deos; ut velint ea semper solvi, semperque signari. Votum* ipsum exhibet Paneg. c. 94. 1—5. Et non tantum pro bonis, sed etiam pro malis *votum* est. Pro istis, ut diu superessent, pro his, ne pejores post eos essent. Sic anicula Sicula pro Dionysii salute *vota* fecit. Rogata, cur id faceret, respondit: *Si hic absumptus fuerit, deterior in ejus succedat locum*; bonis enim mali, non meliores succedunt. Val. Max. VI. 2. 3. ext. *Votorum* summa quaenam fuerit, docet Tertull. Apolog. c. 30. dum inquit: *Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quaecunque hominis, & Caesaris vota sunt*. Vel [illegible] ut dicimus: *Salus Principis*, utpote quae & privatorum, seu subditorum salus sit, secundum Joh. de Platea in l. 1. Cod. de Veteran. l. 12. ubi Constantino ita acclamatum legimus: *Auguste Constantine, Deus te servet: vestra salus nostra salus. A salute enim Principis, velut filo, pendet salus terrarum orbis*, ut scriptum reliquit Ammian. XXIV. princ. Hinc vetus illi laudis formula in lapidibus. B. P. N. *Bono publico natus*: vel B. R. P. N. *Bono Reipublicae natus*. Lipen. ibid. §. 26. 27. 28. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Struv. ibid. p. 247. Tomas. de Donar. c. 19. Spanhem. in Julian. Orat. p. 277. A. Lips. in Tacit. Annal. XVI. Excurs. B. Lomej. de Lustrat. c. 6. Schott. Observ. V. 30. Casaub. in Spartian. Adrian. c. 24. Haec ineunte suscipiebantur anno. Tacit. Annal. XVI. 22. 1. *Quin & illa objectabat, principio anni vitare Thraseam sollemne jusjurandum: nuncupationibus votorum non adesse*. Et quidem veteri republica ipsis Kalendis Januariis. Liv. XXI. 63. *C. Flaminium conscientia spretorum, & Capitolium, & sollennem votorum nuncupationem fugisse, ne die initi magistratus Jovis Optimi Maximi templum adiret*. Hinc Tacit. Annal. IV. 70. 1. *Caesar sollennia incipientis anni Kalendas Januarias epistola precatus*. Tibul. IV. 1. 121.

> *Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem*
> *Indueras, oriente die duce fertilis anni,*
> *Splendidior liquidis quum sol caput extulit undis.*

Suet. Ner. c. 46. n. 5. *Kalendis Januarii exornati lares in ipso apparatu sacrificii conciderunt. Votorum nuncupatione magna jam ordinum frequentia vix repertae Capitolii claves*. Deinde III. Nonas Januarias in eam rem est consecratus. Plutarch. Cicer. p. 861. C. *Editum ferunt Ciceronem* III. *Nonas Januarias, quo die magistratus NUNC vota faciunt pro incolumitate Principis*. Eunap. Maxim. p. 90. *Tertius illuxerat dies a Kalendis Januariis, quas ita Romani nuncupant, quando omnes festo gratulantes convivium adducunt*. Cajus l. 23. §. 1. ff. de verb. significat. *Post Kalendas Januarias die tertio pro salute Principis vota suscipiebantur*. Et tamen priscus ille mos non continuo videtur abolitus. Ita enim Imperatores Arcadius, & Honorius Cod. XII. 49. *Quando votis communibus felix annus aperitur*. Horum legem de ipsis Kalendis Januariis intelligendam esse contendit *Spanhem. l. l.* V. tamen, si lubet, etiam *Fab. de Magistr. Roman. p. 198. Voss. Lex. Etymol. Brisson. de Spect. & Fer. Thes. Antiq. Graecar. Gronov. Tom. VIII. p. 2428. B. Lips. Casaub. Schott. Lomejer. Tomas. Struv. & Guther. l. l. Lipen. ibid. §. 29. 30.* Si Imperator viveret, & eodem felici statu conservaretur, quinquennalia, decennalia, vicennalia totidem annis a populo nuncupabantur. Unde in veterum nummis:

VOTA. QUINQUENNALIA
DECENNALIA
XV
VICENNALIA. ET
TRICENNALIA

Evidentissimum hujus consuetudinis monumentum in arcu Constantini elegantissimo hodieque in foro boario Romae conspicitur:

VOTIS. X. ET. VOTIS. XX.

Mos hic ab Augusto derivatus ad illam usque vigebat aetatem. De Augusto Dio LIII. p. 506. E. *Caesar quo longius Romanos a suspicione regiae potestatis sibi propositae abduceret, imperium in suos decennale suscepit. Et cum primum decennium exivisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto rursum aliud quinquennium; post decennium, ac eo finito aliud iterum decretum est, ita ut continuatis decenniis per totam vitam summam imperii obtinuerit. Quam ob causam posteriores Imperatores quoque, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitae spatium iis imperium deferatur, tamen singulis decenniis festum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit*. Donat. de Urb. Rom. III. 6. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Graev. Tom. XI. p. 707. C. Struv. Tomas. & Guther. l. l. Ea tamen differentia, ut imperium, exacto decennio, Scto sibi confirmari non peterent, sed ultro adsererent. Quod de Tiberio, de cujus imperii anno vicesimo agit, firmat Dio LVIII. p. 636. C. *Consules L. Vitellius, & Fabius Priscus decennalia nuncuparunt, quasi & ipsi, uti Augusto, imperium prorogarent*. Struv. ibid. p. 247. *Votis* hisce addebantur sequiori tempore ex omni imperio Romano dona, quae solidis obryziacis, vel auri massa constabant: illudque dicebatur aurum oblatitium. *Struv. ibid. p. 246. Guther. l. l.* IV. Singulis lustris pro Reipublicae incolumitate. V. supr. in *Lustrum*.

VOV.

VOVEO in *votis* sollenne fuit verbum. Liv. I. 12. V. illum supr. in *Templum Jovis Statoris*. X. 19. V. illum supr. in *Bellona*. Sic & Pomponius Attellanarum scriptor in Gallis Transalpinis, testibus Gell. XVI. 6. & Macrob. Sat. VI. 9. scripserat: *Mars tibi voveo facturum, si unquam rediero, bidenti verre*. Annua etiam *vota* eodem verbo suscipi solita docet Tertull. de Coron. milit. c. 12. V. illum supr. in *Votum*. Brisson. de Form. I. p. 95. *Voventium* idem qui & precantium fuit habitus. *Voventes* enim sublatis in coelum manibus suscipiebant, & nuncupabant. Liv. X. 36. *Inter haec consul manus ad coelum attollens, voce clara, ita ut exaudiretur, templum Jovi Statori vovet*. Ovid. Met. XI. 540.

> — *hic votis numen adorat,*
> *Brachiaque ad caelum, quod non videt, irrita tollens,*
> *Poscit opem.*

In numismate quodam Hadriani *votum* publicum exprimitur figura stolata stante, utramque manum in sublime attollente. *Brisson. ibid. p.* 168.

VOX.

VOX. Ut illam mollirent, clystere, & vomitu se purgabant, & plumbeam chartam supino pectore sustinebant. Suet. Ner. c. 20. n. 2. *Nero plumbeam chartam supinus pectore sustinere, & clystere, vomituque purgari, & abstinere pomis, aliisque officientibus*. Buleng. de Theatr. II. 8.

Voss. Gramm. i. 35. Reines. Var. Lect. ii. 8. Hugo de prim. tabul. orig. c. 10. Casaub. in Athen. v. 10. & in Suetonium.

Vox assa est *vox sola*, quæ tibiis, quæ nullis concentibus est immixta. Non. xii. 98. *Assa, voce sola, lingua tantummodo, aut vocis humanæ, non admistis aliis vocibus esse voluerunt.* Varr. *de vit. pop. Rom.* ii. *In conviviis pueri modesti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & assa voce, & cum tibicine.* Cat. vel de vit. e luc. *Melos alterum in cantibus est bipartitum: unum, quod est in assa voce; alterum quod vocant organicon.* Pius Annot. post. 71. Salmas. in Capitol. Maximin. c. 13. Bud. in Pandect. p. 106. A. Voss. Lex. Etymol. in Assum. Menag. in Diog. Laert. iii. §. 88. Scalig. Conject. in Varron. p. 121. Augustin. & Dacer. in Festum in Assa. Cerda in Æneid. x. 208. Schud Nomencl. Philol. p. 170.

Vox fusca est, quæ nec candida est, nec clara. Unde Plin. xxviii. 6. *Vox revocatur, cum e candida declinat in fuscam.* Suet. Ner. c. 20. n. 2. *Quanquam exiguæ vocis, & fuscæ.* Μελαινα dicitur Xiphil. lxi. p. 699. *Et, tam parva, obscuraque voce erat, μέλαν φώνημα ἔχων, ut risum, fletumque simul omnibus excuteret.* Hac voce fuit Nero procul dubio; vel ob primæ partium vocalium, laryngis, tunicæ arteriæ cartilagines succingentis, pulmonum, ista vocis vitia prodentem conformationis rationem: vel ob affectiones, quæ vasis, organisque vocis accidere solent: quas causas varietatis in voce pluribus ostendit Aristot. περὶ ἀκουστῶν p. 1146. De vocum varietate etiam Quintil. ix. 3. *Qualitas vocis magis varia est: nam & candida, & fusca est; & plena, & exilis, & lenis, & aspera, & contracta, & fusa, & dura, & flexibilis, & clara, & obtusa.* Reines. Var. Lect. ii. 8. Torrent. in Suetonium. Turneb. Adv. xxiv. 6: xxvii. 18.

VUL.

VULCANALE erat area altari instructa, quam *Vulcano* olim dedicaverat Tatii superstitio. Eminebat in vico Jandariano versus forum Romanum. De *Vulcanali* Festus: *Statua ludii ejus, qui quondam fulmine ictus in circo, sepultus est in Janiculo, cujus ossa postea ex prodigiis, oraculorumque responsis, senatus decreto, intra Urbem relata, in Vulcanali, quod est supra comitium, obruta sunt, superque ea columna cum ejus effigie posita est.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 6. §. 6.

VULCANALIA *dicta a Vulcano, quod ei tum feriæ, & quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit.* Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Vulcanaliorum* dies, qui nefastus primo, non tantum celebrabatur decimo Kal. Septemb. qui Augusti vigesimus tertius, sed & quarto Kal. ejusdem, qui Augusti vigesimus nonus, ita ut per octiduum celebrarentur. *Urgat. de Nat. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* xi. *p.* 993. *C. Siccam. in Fast. Kalend. c.* 14. *Victor. Var. Lect.* xvii. 2. *Gyrald. Synt. deor.* xiii. *p.* 415. *A.* xvii. *p.* 494. *D. Stuck. de Sacrif.* ii. 15. *Person. de Græcor. & Roman. magistrat.* iii. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* vi. *p.* 2814. *A. Kipping. Antiq. Roman* i. 10. §. 8. *Rosin. Antiq. Roman.* iv. 12. *Nonn. de Re cibar.* iii. 3. Illis ut lucubrare inciperent, erat quidem in consuetudine positum, sed id tantum ἀφοσιώσεως χάριν plerique faciebant: eodem plane modo Kalendis Januarii suas quisque artes modice attingebant, auspicandi causa. V. supr. in *Kalendæ Januariæ.* Ita Plinius junior avunculum suum laudans: *lucubrare*, inquit Epist. iii. 5. 8. *a Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi.* Negat eum ita fecisse, ut cæteri solebant, qui tunc diei tantum causa incipiebant lucubrare, ac deinde id differebant ad finem autumni. At illum vero, ac serio a *Vulcanalibus* incipere solitum. *Muret. Var. Lect.* xviii. 13. *Cellar. in Plinium. Gyrald. ibid. p.* 415. *A.*

VULCANUS ex sola Junone natus fingitur. Hesiod. Theog. n. 927.

Juno Vulcanum nulli commixta in amore
Edidit.

Lucian. de Sacrif. p. 365. *His similia de Junone canunt, nempe hanc citra virilem congressum, subventaneo conceptu gravidam, puerum edidisse Vulcanum, eum non valde fortunatum, sed fornacarium, & fabrum ærarium, ignipotentem, & in fumo perpetuo viventem, & scintillis oppletum, utpote qui circa caminos versatur: tum etiam ne pedibus quidem integrum, cum eum claudicare accidit, ex quo a Jove de cælo deturbatus est. Quod ni Lemnii pro sua bonitate, eum dum adhuc ferretur in aere, suscepissent, perierat Vulcanus.* Gyrald. Synt. deor. xiii. p. 413. C. La Chausse de d... fi... xix. Stuck. de Sacrif. p. 49. Ortel. Capit. deor. & deæ. i. tab. xiii. Sed Homerus ex Jove, & Junone natum fecisse Iliad. A. 577.

Matrem ego admoneo ipsam, quamvis intelligentem,
Ut patri dilecto amabilia adferat Jovi.

Phurnut. de Nat. deor. c. 19. *Non ab re quorundam veterum monumenta habent, eum, Vulcanum, ex Jove, & Junone genitum. quidam autem putaverunt, eum ex sola Junone partum editum fuisse.* Vulcani, ut notat Cicer. de Nat. deor. iii. 22. *fuerunt complures. I. cælo natus, ex quo, & Minerva Apollinem eum, cujus in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt. II. in Nilo natus, Opas, ut Ægyptii appellant, quem custodem esse Ægyptii volunt. III. ex tertio Jove, & Junone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse. IV. Menalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quæ Vulcaniæ nominabantur.* Gyrald. & Ortel. l. l.

Vulcanus Ignipotens. Virg. Æneid. viii. 422.

Hoc tunc Ignipotens cælo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

Vel quia ipse ignis, vel ejus inventor, vel juxta fabulas, quod cum Cyclopibus, Bronte, Sterope, & Pyracmone, seu Arge Jovi fabricet fulmina, & deorum arma: ut Homerus, Hesiodus, Virgilius, cæteri. *Gyrald. Synt. deor.* xiii. *p.* 415. *C.*

Vulcanus Junonigena. Ovid. Met. iv. 173.

— *Junonigenæque marito*
Furta tori, furtique locum monstravit.

quia *de femore Junonis procreatus fingitur, quod fulmina de imo aere nascantur: quod & innuit Lucan.* ii. 169.

Fulminibus terræ propior succenditur aer,
Pacem summa tenent.

Serv. in Æneid. viii. 454. Gyrald. Synt. deor. xiii. p. 414. D.

Vulcanus est dictus Lemnius. Virg. Æneid. viii. 454.

Hæc pater Æolus properat dum Lemnius oris.

Ovid. Met. iv. 184.

Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas.

quia in Lemnum insulam decidit, propter deformitatem dejectus. *Gyrald. Synt. deor.* xiii. *p.* 414. *C.*

Vulcanus Mulciber. Lucan. i. 545.

Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ.

Hinc *ductor ferreus* videtur vocari in Priap. xxxii. 15.

Ductor ferreus insularis, æque
Lateruæ videor fricare cornu.

Gyrald. Synt. deor. xiii. p. 414. G.

Vulcanus Tardipes. Catull. xxxvi. 7.

Scripta tardipedi deo daturum.

Colum. x. 419.

Quin & tardipedi sacris jam rite solutis
Nube nova seritur.

quia claudus fuit: crus enim in Lemnum præcipitatus fregit. *Gyrald. Synt. deor.* xiii. *p.* 415. *F. Parthen. in Catullum.*

VULGO *quæsiti* dicuntur spurii. Modest. l. 23. ff. de Stat. homin. *Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt: vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet, qui & spurii appellantur, παρὰ τὴν σποράν. id est, a satione.* Unde, quemadmodum spurii

justis

justis liberis, sic etiam *vulgo quæsiti* jure quæsitis opponuntur. Paull. l. 18. ff. de bon. libert. *Patrone quidem liberi, etiam vulgo quæsiti accipient materni liberti bonorum possessionem: patroni autem non nisi jure quæsiti.* Hotoman. de Spur. c. 1. Palæot. de Noth. & Spur. c. 16. §. 7. Heuter. de Liber. homin. nativit. c. 7. §. 3. Rævard. Conject. II. 5.

VULSO fuit cognomen gentis Manliæ. Illorum I. L. Manlius A. F. P. N. *Vulso* Longus consul fuit an. 497. cum Q. Cædicio, & eo mortuo cum M. Atilio Regulo iterum. Bello Punico I. in consulatu navalem de Pœnis triumphum egit. Iterum consul fuit sexto anno a priore, ejusque collega C. Attilius Regulus iterum. II. Cn. *Vulso* Cn. F. L. N. a Verrio dictus, superioris, ut credimus, nepos, consul fuit cum M. Fulvio Nobiliore an. 564. Triumphum egit III Nonas Martias biennio post de Gallis Asiaticis. Hujus res gestas Hannibal Græce scripsit. III. A. *Vulso*, superioris frater, ut existimamus, cum a Verrio Flacco Cn. F. L. N. ut ille appelletur, consul fuit cum M. Junio Bruto an. 575. Præter hos P. Manlius *Vulso* prætor Sardiniam obtinuit an. 543. & anno postea 13. L. *Vulso* PR. Siciliam eandem provinciam decimo post C. *Vulso* prætor sortitus est. *Augustin. de Famil. Roman. in Manlia. Glandorp. Onomast. Roman.* p. 172.

VULTUR est avis augurialis; nam, ut Plin. v. 6. *triduo ante, aut biduo volant, ubi cadavera futura sunt. Vulture* ut plurimum utebantur Romani, quia Romulo in condenda Urbe duodecim apparuerant: vel, quia nulli nocet animali, quæ nisi cadavera comedit: vel, quia rarissime conspicitur; non enim facile quisquam *vulturis* nidum ostendit: derepente enim, & inopinato advolat: quo fit ut eorum adspectus semper aliquid significet. Aristoteles & Plinius semper in malum retulerunt. Romulus illis in condenda Urbe in bonum usus est. Simili ratione Hercules in omni re incipienda delectabatur *vulturis* adspectu, quem ex omnibus avibus, quæ carnibus vescuntur, justissimum judicaret. Verum communis hominum opinio est, *vultures* in exercitibus gregatim volantes esse futuri excidii præsagium. *Niphus de Augur.* I. 10. *Rhodig. Antiq. Lect.* VIII. 18: XXVII. 8.

VULTURIUS in ludo talario dicebatur jactus is, qui alio nomine vocabatur canis. Sic usus Plaut. Curcul. II. 3. 78.

Tace parumper! jacit vulturios quatuor.

Causa appellationis est, quod jactus is *vulturis* instar hominem spoliaret. Nam qui canem jecerat, singulos denarios in jactus singulos amittebat. *Voss. Lex. Etymol. Lips. Antiq. Lect.* I. 21. *Beroald. in Suet. Aug. p.* 113. *Senftleb. de Alea c.* 5. §. 5. *Rhodig. Antiq. Lect.* VIII. 18. *Buleng. de Lud. vet. c.* 58. *Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin.* V. 1.

VULTURNALIA. V. illa supr. in *Volturnalia.*

UBE.

UBER si dextrum tremuerit, magnum opus præsagit, aliis bonum novum: sin autem sinistrum, divitias: si medium inter *ubera*, signum est bonarum cogitationum. *Niphus de Augur.* I. 9.

UDO.

UDO fuit pallium, aut vestimentum, adversus imbrium injuriam comparatum. *Jun. Nomencl. c.* 76. *in V. Calceus laneus.* Candidum linteamen fuisse vult Laurentius Valla. Cum enim falsam Constantini donationem D. Sylvestro Pontifici vellet ostendere, sic ait: *Udones in privilegio Constantini beato Sylvestro facto, & sicut noster senatus calceamentis utitur cum udonibus, id est, candido linteamine illustretur.* Sed neque lineus, neque candidus est, quo non calcearentur pedes senatorum, sed senatores illustrarentur. *Gyrald. Dial.* 27. Sed calceus laneus proprie, ex lana coacta factus: *Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 40. *in Capitol. Pertin. c.* 8. non tam laneus quam ex pellibus factus hirquinis. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 336. Id docet clare Mart. XIV. 140. ubi lemma est *Udones Cilicii*; distichon vero tale:

Non hos lana dedit, sed olentis lana mariti.
Cymphio poteris planta latere sinu.

Est & eorundem mentio l. argumento ff. de aur. & arg. leg. Ubi Ulpianus: *Alia causa est udonum, quia usum calceamentorum præstant.* Meminit & Octavius Horatianus de physica scientia IV. ubi chalasticum medicamentum describit, quod Titianus in aluta pedibus dolentibus ait ligandum fasciola, & desuper *udones* induendos. *Gyrald. l. l. Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv.* I. 13. *Ruben. de Re Vest.* II. 5. *Brod. Miscell.* X. 14. & 36. *Rader. in Martialem. Balduin. de Calc. c.* 16. V. & supr. in *Soccus.*

ULN.

ULNA si dextra salierit, damnum significat; servo bonam locutionem, virgini indigentiam, viduæ jucunditatis privationem: sin vero sinistra, injucunditatis privationem, servo abundantiam, virgini, ac viduæ bonam locutionem. *Niphus de Augur.* I. 9.

UMB.

UMBELLA lunata imponebatur statuarum capitibus, ne ab avibus conspurcarentur. V. supr. in Μηνίσκοι.

Umbella, seu *umbraculum* appellabatur tegumentum inferiorum magnatum, & magistratuum. Codin. de Offic. Eccles. & aul. Constantinop. c. 3. *Tegumentum capitis, quo despota utitur, quod umbella, seu umbraculum appellatur, totum ex margaritis constat. Umbo, seu ambitus præfert nomina ejus, qui gestat illud, aureclavatum, fimbriatum, τὰ σεῖα, qualia sunt Imperatoris pilei, exceptis nodo, & palmulis.* Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. sect. IX.

Umbella vocabatur, quam spectatores ludorum in theatrum afferebant, qua defenderent imbres & umbras captarent. Mart. XI. 73.

Umbellam luscæ, Lygde, feras dominæ.

Græci tholium vocant, & sciadium. Pollux VII. 33. 4. *Tholium reticulum quoddam fastigiatum, & fornicatum, quo pro umbella mulieres utuntur.* Eustathius anthelia, & paropia vocat, quæ soli opponuntur, ut umbra captetur. Non aliud erat tegmen, quam quo hodie in Italia passim supra caput suspenso utuntur, per viam, & in æstu. E linteo formant, instar obtusæ, & brevioris metæ, quod orbiculata virga extensum baculo sustinent supra caput erectum. De illa Mart. XIV. 28. cujus lemma est *umbella*, distichon tale.

Accipe quæ nimios vincant umbracula soles,
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Juven. Sat. IX. 50.

En cui tu viridem umbellam, cui grandia mittas
Succina.

Buleng. de Circo c. 45. Grang. in Juvenalem. Lips. de Amphith. c. 18. Thys. de Amphith. p. 209.

UMBELLIFERÆ conspicuæ fuerunt inter ancillas. Ovid. de Art. II. 209.

Ipse tene distenta suis umbracula virgis:
Ipse face in turba, qua venit illa, locum.

Hortatur nimirum amatorem, ut ad captandam puellæ gratiam, servilia etiam obeat ministeria. *Pignor. de Serv. p.* 423.

UMBILICUS fuit librorum ornamentum. In quo explicando multi hallucinantur, dum alii *umbilicos* esse putant defensacula ea ænea, quibus librorum anguli ornantur simul, & muniuntur. Alii signa esse quædam arbitrantur, quibus antiqui librorum fines concludere soliti essent, ideoque citant Porphyr. ad Horat. Epod. XIV. 8. qui *umbilicum* ad finem interpretetur. Alii clavos ad simi-

ſimilitudinem bullæ, qui pro ornamento affigi ſoleant tabulis, quibus libri conglutinantur, intelligunt. Alii, ut ex errore uno in alium trahantur, rati ſe apte rem indicaſſe, citant Cicer. de Orat. II. 6. *Sed tum ita ſolet narrare Scævola, conchas eos, & umbilicos ad Cajetam, & Lucrinum legere conſueviſſe.* Ibi per *umbilicos* lotos intelligunt lapillos, & politos, ita enim ſcriptis prodidere, cum hæ buccinorum quorundam teſtulæ ſint, quæ turbinatim convolvuntur, in faſtigium acuminati *umbilici* forma, qui ex lapide olim fieri conſuevit, ad *umbilici* noſtri ſimilitudinem. Ut itaque ſciamus, quid fuerit *umbilicus*, ſciendum libros olim fieri ſolitos ducta plurimum perpetuo, una quippe pagina, non, ut nos, illis diſſectis, & in quaterniones, quos dicimus, conſertis: & quia complicabantur ad inſtar ſpiræ convoluti, inde volumina dicta ſunt a volvendo. In extrema autem pagina firmitudinis ergo parvus admodum bacillus, ex cedro quippe, aut buxo, cupreſſove, vel ex ebeno, vel ex ebore adglutinabatur, ad latitudinis modum, qua membrana præciſa erat. Hunc eodem ſignificatu poſuerunt Mart. I. 67. 11.

Nec umbilicis cultus, atque membrana.

v. 6. 15.

Nigris pagina crevit umbilicis.

Catull. XXII. 6.

Novi libri, novi umbilici.

Horat. Epod. XIV. 8.

Inceptos olim, promiſſum carmen, jambos
Ad umbilicum adducere.

Hæc Pier. Hierogl. XXXIV. 38. *Rader. in Mart.* I. 67. 11. *Pontan. in Ovid. Triſt.* I. 1. 8. *Salmaſ. in Tertull. Pall. p.* 373. *Solin. p.* 495. *D. A. Manut. Quæſ. Epiſt.* II. 1. *P. in Cicer. ad Fam.* III. 7. *Voſſ. Lex. Etymol. in Umbilicus, & Volumen. Torrent. in Horatium. Demſter. Paral. in Roſin. Antiq.* I. 13. *Almelov. Conject. p.* 156. *Rhodig. Ant. Lect.* XV. 20. *Hugo de Prim. ſcrib. orig. c.* 35. De *umbilico*, & de univerſa ſcribendi ratione contexuit inſignem commentarium Vincentius Contarenus noſter, quem ille non diu patietur a ſtudioſis deſiderari. *Pignor. de Serv. p.* 232.

Umbilicus Urbis fuit ad milliare aureum. Sic dicebatur, quod in media Urbe, hoc eſt, in loco ejus celeberrimo eſſet. *Donat. de Urb. Rom.* II. 14. *Nardin. Rom. Vet.* V. 11. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* I. 13.

UMBINUS fuit genus nummi in Gallia Narbonenſi. Cicer. pro Font. c. 5. *Vulchalone ſevere umbinos, & victoriatos mille portorii nomine exegiſſe.* Crediderim eos fuiſſe, in quibus *umbo* impreſſus erat. Nam apud me eſt nummus argenteus, in cujus altera parte *umbo*, quem ſcuti ſpeciem eſſe norunt omnes, ponderis denarii, cujuſmodi *umbinos* fuiſſe conjicio. Et in Auguſti numiſmate ſcutum obſervamus in adverſa parte. *Donat. Dilucid. in Suet. Aug. c.* 75. *Lipen. de Stren. c.* 3. § 36.

UMBO eſt ſcuti media illa pars, quæ protuberat, & exſeritur cum rotundo tumore. Ideo *umbo*, quod Græcis eſt ἄμβων. Græci ἄμβωνας vocant, quicquid extumidum eſt, & prominet, ut ventrem ampullarum Plutarch. Lycurgo. In montibus quoque ὑψηλὰς τόπους ita vocant. Itaque quidam poeta vetus ſic ſcripſerit, ἐπ' ὄρεος ἀμβώνεσσι. Sic quoque Latini *umbonem* in eam ſignificationem uſurparunt. Stat. Achill. I. 408.

—— *undiſonæ quos circuit umbo Maleæ.*

id eſt quod poetis Græcis πρῶν Sylv. IV. 3. 47.

Tunc umbonibus hinc, & hinc coactis.

Satis apparet, cur poſtea *umbones* in clypeis appellarunt, quos ὀμφαλὰς appellant Græci. *Scalig. Conject. in Varron. p.* 50. *Lipſ. de Milit. Rom.* III. *dial.* 2. *Voſſ. Lex. Etymol. Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 495. *D. in Tertull. de Pall. p.* 373. *Gronov. apud Ferrar. de Re Veſt.* I I. 39. *Ruben. de Re Veſt.* II. II. *Barth. in Stat. Theb.* VI. 257. *Bernart. in Stat. Theb.* I. 377. *Caſaub. in Athen.* XI. 10. *Potter. Archæol. Græc.* III. 4. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* II. §. 11. *Ferrar. Anal. de Re Veſt. c.* 42. *Schill. Nomencl. Philol. p.* 1125. *Pitiſc. in Suet. Jul. c.* 68. *n.* 8. Plurimum, & vulgo fiebat e ferro. Polybius mox laudandus. Poetæ faciunt aureum. Virg. Æneid. X. 271.

—— *Vaſtos umbo vomit aureus ignes.*

Sed & poſteriore ævo reipſa ſic fuiſſe oſtendit Sidon. Epiſt. IV. 20. *Clypeorum lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus, ita cenſum prodebat ut ſtudium.* Hoc ille de Sigemere juvene regio, ejuſque comitatu ſelecto: & ſatis indicat ditiores argentum in ambitu, & aurum in *umbone* geſtaſſe. Non is luxus olim. Illo avertebant hoſtes. Nam in conflictu, & pugna cominus utebantur eo ad impulſum. Suet. Jul. c. 68. n. 8. *Acilius, dextra manu abſciſſa, tranſilit in navem, umbone obvios agens.* Curt. III. 10. 7. *Totam aciem pavore ſuo fluctuantem umbonibus poſſe propelli.* Polyb. VI. 21. *Aptatur illi & ferreus umbo, qui vehementiores ictus avertit lapidum, & ſariſſarum, & univerſe violenti cujuſque teli.* Lipſ. l. l. Turneb. Adv. XIII. 19. Thyſ. Rom. Illuſtr. III. p. 74.

Umbo in toga quid fuerit V. ſupr. in *Balteus & ſinus.*

UMBRÆ an propriam habeant figuram, numenque aliquod, an inanem, & variam ex metu noſtro imaginem accipiant, Caſſius cum Bruto ex Epicuri diſciplina diſputavit. Plutarchus in Bruto juniore. *Umbras* in ſomnis viventibus apparere, eorum maxime, qui juſta ſepultura caruiſſent, veteres crediderunt. Probat hoc Homeri Patroclus, qui in ſomnis Achillem monebat Iliad. XXIII. 71.

Me terra propera mandare, ut limina pandas
Umbrarum, unde animæ extrudunt, prohibentque ſuorum
Miſceri cœtu, Stygiaſve innare paludes
Per loca ſenta ſitu, per & oſtia Ditis oberro.
Da dextram miſero: nec Averni limina rurſum
Tranſiliam, ut placidis ſemel ignibus oſſa quieſcant.

Et Plauti Tranio, quo facilius ſeni domino ſuaderet illius domum *umbris* infeſtari, necatum hoſpitem, & inſepultum in ædibus jacere, & in ſomnis venire lepide ſomniabat, atque hoc pacto mortuum dixiſſe Moſt. II. 2. 68.

Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia præmature vita careo: per fidem
Deceptus ſum, hoſpes hic me necavit, iſque me
Defodit inſepultum clam ibidem in hiſce ædibus.

Suet. Calig. c. 59. n. 2. *Cadaver ejus clam in hortos Lamianos aſportatum, & tumultuario rogo ſemiambuſtum levi ceſpite obrutum eſt: poſtea per ſorores ab exſilio reverſas erutum, crematum, ſepultumque. Satis conſtat, priuſquam id fieret, hortorum cuſtodes umbris inquietatos: in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem ſine terrore aliquo tranſactam, donec ipſa domus conſumpta ſit.* Guther. de jur. man. II. 16. Mag. Miſcell. IV 12. Salmuth in Panciról. de Reb. deperd. & inv. p. 209. Boxhorn. Quæſt. Roman. 9. Pitiſc. in Suetonium.

Umbræ dicti ſunt paraſiti: quemadmodum *umbra* ſequitur corpus, ſic illi ſequuntur ad convivia. Horat. Epiſt. I. 5. 28.

—— *locus eſt & pluribus umbris.*

Sat. II. 8. 32.

—— *quas Mæcenas adduxerat umbras.*

Caſal. de Trag. & com. c. 2. Urſin. Append. ad Ciacon. de Tricl. p. 251. Potter. Archæol. Græc. IV. 18. *Umbrarum* autem erat in lecto quartus locus, in quo interdum accubuiſſe Hadrianum Imperatorem in ejus vita ſcribit Dio LXIX. p. 791. A. *Romæ pariter, & foris habere ſolebat ſemper apud ſe viros optimos, cum quibus verſabatur, quos quum convivas adhiberet, ſæpe quartus diſcumbebat.* Quos Horatius *umbras*, Plutarchus σκιὰς dixit, & docet *umbras* dictos eſſe, qui alium ſequerentur ad convivium. Sic enim ſcribit Sympoſ. VII. 6. *Quæſitum fuerit, quando mos cœperit, ut ad cœnam venirent vocati, non ab eo, qui præbet convivium, ſed ab aliquo eorum, qui*

invitati ſunt: umbras vocant, qui hoc pacto veniunt. Urſin. & Potter. l. l.

UMBRACULA ſunt, quæ ad arcendos ſolis radios nobilibus feminis prætendi ſolebant. Ovid. Art. Amand. II. 209.

Ipſe tene diſtenta ſuis umbracula virgis.

Ovid. Faſt. II. 311.

Aurea pellebant tepidos umbracula ſoles.

Ammian. xxviii. 4. *Si per foramen umbraculi penſilis radiolus irrepſerit ſolis.* Græci σκιάδια appellant. Gloſſæ: σκιάδιον, *umbraculum.* Dionyſ. vii. p. 424. Γυναῖκες σκιάδια κομίζουσαι. Vel σκιάδεια Ariſtoph. Avib. p. 610.

Hunc capiens mihi σκιάδειον tene.

Valeſ. in Ammianum.

UMBRI mediterranea Italiæ tenuerunt, & primi citra Rubiconem fuerunt. Quos cum Sempronius a fontibus Tiberis uſque ad Narem flumen producit, antiquiorum videtur habere rationem temporum, cum Strab. v. p. 151. ab Arimino ad Otriculos, recentiorum, quibus ager Gallicus *Umbriæ* eſt attributus. Horum oppida ferunturfuiſſe Otriculi, Nequinum, ſive Narnia, Mævania, Forum Flaminium, Fulginium, Nuceria, Interamna, Spoletum, Æſium, Camarinum, Ameria, Tuder, Hiſpellum, Urbinum, Arna, Sentinum, Saſſina. *Umbros* primum populi Romani ſocios a Liv. IX. 19. invenio dici an. 434. dum comparans Alexandri Magni vires cum viribus populi Romani, omnem Campaniam cum *Umbris* pro Romanis adverſus Alexandrum pugnaturam fuiſſe ait. Ceterum hi primi annos poſt novem bello Romano ſe implicuerunt, tum cum Q. Fabius Maximus conſul iterum Etruſcorum exercitum inſecutus trans Ciminiam ſylvam penetravit. Cum Camertibus amicitia eſt inita: reliqui fuſi potius, quam cæſi: neque cum cœptam acriter inierant pugnam: poſt autem cum iidem repente deſciviſſent, prælio ab eodem in tertio conſulatu devicti, ſe dediderunt. Otriculani ſponſione in amicitiam accepti. Poſt autem cum Nequinatibus quoque, & cum Saſſinatibus pugnatum eſt. Cum Nequinatibus an. 453. ab Q. Appulejo coſ. qui Nequinum oppidum circumſedit, & ſequenti anno a M. Fulvio Pætino, qui illud cepit, colonia eo a populo Romano deducta, ac Narnia a Nare flumine appellata, cum Saſſinatibus an. 487. Liv. IX. 36.... X. 9. *Sigon. de Ant. jur. Italiæ* I. 17. *Panvin. Imper. Roman. c.* 3. *Cluver. Ital. Ant.* II. 4. *Leand. Deſcript. Ital. p.* 129. & 130.

UNA.

UNAROTA dicebatur vehiculum, quod *unicam* tantum habebat *rotam.* Hanc invenit Ceres, & primum uſurpavit Triptolemus, ſi Hygino fides. Ita ille Poet. Aſtron. II. 14. *Ceres cum ſua beneficia largiretur hominibus, Triptolemum, qui primus hominum unarota dicitur uſus, ne curſu moraretur, juſſit omnium nationum agros circumeuntem ſemina partiri.* Ita locus hic ſcribendus eſt, non ut habet editio Lugduni a Johanne Degabiano an. 1608. publicata, *una rota, nec curſu moraretur.* Vult enim Hyginus demonſtrare cauſam, cur vehiculum id *una* tantùm *rota* inſtructum, feſtinationem ſcilicet, ne mora longiore, ſi & altera fabricanda eſſet *rota*, differretur Cereris beneficium, hominesque diutius adhuc carere frumento cogerentur. Ne ergo Triptolemus imperatum ſibi a Cerere moraretur curſum, uſus eſt non *una rota*, quod habent editi; nec enim *una rota* faciebat iter, ſed vehiculo, ſeu curru, quod oſtendunt verba, quæ præcedunt apud Hyginum, in quibus expreſſe *collocatus fuiſſe in curru* dicitur; ſed *unarota*, hoc eſt, curru ſic vocato, quod tantum *unicam rotam* haberet. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 8.

UNC.

UNCIA, οὐγκία Siculis. Pollux IX. 6. *Apud Ariſtotelem in Himereorum politia etiam alia inveniet Siculorum nomina: utpote unciam, quæ valet unicum nummulum æreum.* Scalig. Conject. in Varron. p. 69. Voſſ. Lex. Etymol. Sunt ſane Latinorum vocabulorum nonnulla originis Græcæ, ſed hæc illorum vis, ac poteſtas tota Latina eſt. Sic as & æs ex Dorico ἆς pro εἷς communi extitiſſe facile concesſerim. V. ſupr. in *As.* ſed ſignificationes ampliarunt, aut contraxerunt pro libidine ſua Latini. Litra Siculis pondus, & nummus genuit libram, quæ pro pondere placuit Romanis; pro pecunia, eodemque quod as eſt, non ultra quam as libram pondo fuit; inde pro tantundem in commercio valente ære aſſem retinuere, qui tandem quarta & viceſima, imo & quadrageſima octava pars libræ factus. Duodecima τῆς λίτρας οὐγκία, ex qua multiplicatæ conſtantes τῆς λίτρας partes, πεντέγκιον, ſive πεντέγκιον, ἑξάντιον, ἡμιλίτρον apud Epicharmum & Pollucem. Hinc *uncia* Romanis. Medias inter ſummam librarum aſſemve & imam ejus duodecimam, *unciam*, partes ad ſimilitudinem quidem Sicularum fabricaverunt Romani, ſed in officina, & materia ſua. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 17: III. 9. V. etiam, ſi lubet, *Savot. de Numm. Antiq.* III. 3. & 27. *Cenal. de Pond. & menſ. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1447... 1516. *D. Pet. de Græcor. & Roman. pond. Theſ. Græv. ibid. p.* 1664. 1667. *Porc. de Re pecun. c.* 2. *Scalig. de Re numm. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1504. *C. Snell. de Re pecun. Theſ. Gronov. ibid. p.* 1559. *B. Hotman. Antiq. Roman.* IV. I. II. *Agrica de Menſ. Roman.* I. 30.

UNCTIO *exercitationem optime modo ſequitur, modo balneum* Celſ. I. 2. quia non ſolum balneo ſudorem compeſcebant, ſed etiam oleo. Senec. Contr. præf. I. *Non ſudorem olei unctione diſcutere, non latus ambulatione reparare.* Ad hoc ſemper in balneis deſtinata erant oleum, & *unguenta.* De balneo Sidon. Epiſt. II. 2. *Hic aquarum cella uſque collidium, quæ unguentariæ ſpatii parilitate conjugarat.* Ac etiam de *unguentis* ad perfectam balnei rationem carmen Leont. Floril. IV. 32.

Ædificavit me communi in veſtibulo lavacri
Civis vir, virtutis cauſa, non contentionis:
Illud curæ ſit multis, ego verò paucisque, & amicis
Exhibeo lavacra, & unguentum, & gratias.

Caſal. de Prof. Roman. ritib. c. 24. Quatuor de hac gymnaſtica *ungendi* ratione dicam. I. qui *ungerentur.* Illi qui vel loturi, vel ſeſe exercitaturi in gymnaſium veniebant, majori ex parte ſpoliabantur in apodyterio: poſtea horum nonnulli, & præſertim, qui vel luctam, vel pancratium inire intendebant, alipterium ingredientes *ungebantur:* atque ita *uncti* ad locum, ubi erat pulvis, tranſeuntes pulvere conſpergebantur, ſicque deinceps in exercitationes diverſas diverſi prodibant: poſtquam vero ſeſe, quantum libuerat exercuiſſent, iterum ad *unctuarium* revertentes ſtrigilibus detergebantur. Deterſi tandem iterum diligentiores aliqui valetudinis, aut deliciarum gratia *ungebantur*, & nonnunquam *inuncti* balnea ingrediebantur, ſed poſt egreſſi denuo *ungebantur* modo ſimplici oleo, modo variis odoribus condito, modo diapaſmate ad coercendos ſudores, ut ſcribit Plin. XXI. 19. II. quæ eſſet *unctionis* materia. Illa pro exercitandis varia fuit. Ariſtotelis tempore & oleo ſimplici, & aqua mixto *ungebantur.* Is enim Problem. V. ſcripſit, idcirco aquam oleo admixtam, quia magis laſſitudinem tollit, quam oleum ſimplex, quoniam ita interius penetrans exſiccata membra humectat. Butyrum quoque apud nonnullas barbaras nationes, quibus deerat fortaſſe oleum, interdum pro ungendis exercitandorum corporibus in uſu fuiſſe teſtatum reliquit Plin. XI. 14. & poſt ipſum Galen. de alimen. fac. c. 15. Fuit & aliud mixturæ genus poſterius inventum ex oleo, pulvere, & cera commixtum, quo *ungebantur*, atque illud ceroma vocabatur. V. illud ſupr. in *Ceroma.* III. cujus finis gratia *ungerentur.* De illo diverſa ab auctoribus tradita invenio. Hippocr. de diæta III. memoriæ mandavit, terrarum pulverem oleo admiſceri ſolitum, ut ſuo frigore, & ſiccitate olei æſtum, & humiditatem temperaret. Alexand. Problem. I. 119. ſcripſit,

psit, athletas ideo oleo ante exercitationes *perungi* consuevisse, ut membra emollita labores sine rupturæ ullius periculo sustinerent. Lucanus videtur sensisse luctatores pulvere sese conspergere solitos fuisse, ut corpora firmiora redderentur. De Hercule namque & Anteo sermonem faciens ait iv. 616.

Auxilium membris calidas infundit arenas.

Plutarch. de prim. frigid. hujus sententiæ fuisse videtur, quod athletæ in *unctionibus* pulvere uterentur tum ad refrigeranda calefacta corpora, tum ad cohibendum sudorem, ne tantopere delassarentur. Ego autem cum Luciano de Gymnas. p. 289. existimo, potissimum usum pulveris exstitisse, ne oleo manus laberentur, sed facilius exercitatores sese comprehendere valerent, neve sudore diffluerent, aut venti corpora aperta ingrederentur: atque hac de causa a Mart. vii. 66. 5. pulvis ille ἀφὴ vocatus fuit: unde si qui adversarios *perunctos*, & sine pulvere certantes vincebant, majori gloria digni habebantur, qualis fuit Dioxippus apud Plin. xxxv. 11. & Damicus apud Pausan. Eliac. ii. p. 184. ἀκονιτὶ nomen promeritus. Cujus rei, ad Mæcenatem scribens, mentionem fecit Horat. Epist. i. 1. 49.

Quis circum pagos; & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit conditio dulcis sine pulvere palma?

Alii sunt, qui credant oleo exercitatores *unctos* ad arcenda frigora, & levandas lassitudines. Galen. de tuend. valet. vi. c. ult. sentit oleum tam ad exsolvendam præteritam lassitudinem & futuram mitigandam quam ad præparandum ad motus conduxisse: quibus veram additam cum Galeno opinor, quo oleum aliquid flexile diutius adhæreret. Quæ vero post balnei ad noeba tur *unctiones*, nemo dubitat ipse fuisse, ne humiditas in balneo acquisita evanesceret, neve reseratis a balnei calore meatibus nativa caliditas exspiraret. Quanquam etiam aliqui delicatiores voluptatis, & lasciviæ gratia odoriferis *unguentis*, aut siccis diapasmatis ad comprimendum immoderatum sudorem, ut scribit Plin. xiii. 2: xxi. 19. *ungebantur*, de quibus Mart. i. 88. 5.

Quid quod olet gravius mixtum diapasmate virus.

IV Quo modo, & a quibus *unctio* administraretur. Sed de illo nil certo definitum invenio. Est vero probabile, nonnullos, cum prius seipsos fricassent, manibus propriis hoc egisse, aut alterum ab altero vicissim *unctum*, quod Lucianus in Gymnasiis scribit: licet & a servis gymnasticis, atque reunctoribus vocatis *ungerentur*; qui & ipsi prius ad majorem *unctionis* penetrationem fricantes tandem universum corpus, modo leniter, modo secus prementes *perungebant*, & prout temporis constitutio postulabat, alias tepidum, alias calidum, alias frigidum linimentum applicabant. Atque hæc omnia ut plurimum in aliptério fiebant: qui nitro, & aphronitro sese fricabant, ut meminit Cyprian. Epist. iv. 7. *Mercur. Gymnast.* i. 8. Post lavationem *ungi* statim solebant etiam veteres, antequam accumberent. V. supr. in *Convivæ*.

UNCTORES vocabantur servi, qui in balneis dominum *ungebant*, atque illi muneri destinati erant. Plaut. Trin. ii. 1. 22.

—— ducitur familia tota,
Vestispica, unctor, auri custos.

Cicer. Fam. vii. 24. *Ille autem qui sciret, se nepotem bellum tibicinem habere, & sat bonum unctorem.* Inscriptio Romæ:

ASINIA. PREPUSA
UXOR. ET. CHRYSEROS
TREPTO. C. ASINI
POLLIONIS. UNCTORI
BENE MERENTI
VIXIT. ANNIS. XX

Victor. Var. Lect. xxxvii. 1. *Popm. de Oper. servi. p.* 141 *Beger. Spicil. Antiq.* iii. 8. *Pignor. de Serv. p.* 81. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* vi. *p.* 236. *Reines. Inscript. Class.* x. *n.* 80: xi. *n.* 32. *Ursin. Append. ad Ciaccon de Triclin. p.* 136. *Schill. Nomencl. Philol p.* 1126.

UNCTORIUM, sive *elæothesium* vocabatur locus in balneis, in quo *ungebantur*. Plin. Epist. ii. 17. 11. *Adjacet unctorium hypocauston.* Catal. de Prot. Roman. iii. c. 24. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 18 de Therm. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. ix. p. 631 D. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. i. 14. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 136. Mercur. Gymnast. i. 8. Græcis ἀλειπτήριον. Pollux. viii 33. inter balneatoria vocabula etiam ἀλειπτήριον nominat. *Casaub. in Plinium. Salmas. in Vopisc. Carin. c.* 17. *Rhodig. Ant. Lect.* xxx. 20.

UNCTURA mortuorum Romanis quoque in usu fuit. V. supr. in *Cadaver*.

Unctura servilis quæ dicatur a decemviris notatum, nempe pollinctorum familia. Hæc legibus xii. tabularum vetita fuit. Cicer. de Leg. ii. 24. *Hæc sunt præterea in legibus de unctura; quibus servilis unctura tollitur, omnisque circumpotatio ... quæ & recte tolluntur, neque tollerentur, nisi fuissent.* Ursin. in Leg. & Scta Thes. Ant. Roman Græv. Tom. ii p. 1365. A. Turneb. in Cicer. loc. p. 163. Marcil & Ritter h. ad Leg. xii. tab. Vero propius videtur decemviros voluisse ne servis ho...or ille tribueretur. Solitas etenim alioqui in *funus mortui erat impensa fieri* testatur Ulp. in l. Julian. § præterea. ff. de action. empti. Quam explicationem confirmat lex Solonis, quæ servos ἀγραλοιφεῖν vetat apud Plutarch. in ejus vita. *Revard. ad Leg.* xii *tab. c.* 15. *Kirchman. de Funer.* i. 9. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv p* 733. *Heineccii. Antiq. Roman* iii. 1. *p.* 392 *E.*

UNCUS erat hastis, ab uno latere incurvus, ac sese retorquens, & instrumentum ad torquendum reos. Arnob. ii. p. 15. *Ut cum carnifices ...t, aliaque innumeri cruciatus impendere credimus.* Cicer. pro C. Rabir. c. 5. *Nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore nostri honores non violabunt.* Prudent. Peristeph. v. 173.

Hæc fatur, & stridentibus
Laniatur uncis denuo.

Aring. Rom. Subterr. vi. 50. §. 15. Chamillard. in Prudentium. Gallon. de Martyr. cruciat. c. 3. Laurent. de Rebusp. c. 7. Elmenhorst. in Arnobium. & ad trahendum ad pœnas. De Commodo Antonino Lamprid. c. 19. *Perrogas perroga, omnes conclamamus, unco trahatur.* Jul. Obseq. de Prodig. c. 116. *Lectum ejus populus ..., corpus unco traxit.* Suet. Tib. c. 54. n. 3. ... *Neronem ad voluntariam mortem coactum, cum ei carnifex laqueos, & uncos ostentaret.* Etiam in Gemonias. Juven. Sat. x. 66.

—— Sejanus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes.

Suet. Tib. c. 61. n. 12. *Nemo punitorum non & in Gemonias abjectus, uncoque tractus.* Faber Semest. ii. 9. Aring. & Gallon. l. l. Voss. Lex. Etymol. Savar. in Sidon. Epist. i. 7. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 15. de Rebusp. c. 7. Cujac. Obser. vii. 13. Pitisc. in Suetonium.

UNG.

UNGARIA quæ nunc dicitur, Pannonia superior fuit dicta. V. illam supr. in *Pannonia*.

UNGUENTARIA a priscis usque temporibus ad collapsam Romanam potentiam perenni, summoque studio exculta, & aucta, ad summum, atque omni genere perfectum pervenit. Nam licet Iliacis temporibus eam non fuisse, circa Darii Regis ætatem innotuisse scribit Plin. xiii. 1. *Primum, quod equidem inveniam, castris Darii Regis expugnatis in reliquo ejus apparatu Alexander cepit scrinium unguentorum:* tamen longe antiquiorem esse, multa sunt, quæ convincunt. Mitto Hippocratem, qui natus fuit Olymp. 80 U. C. an. 292. ætate major Dario, qui bello ab Alexandro victus occubuit Olymp. 112. U. C. anno circiter 430. Mitto Anacreontem, Hippocrate vetustiorem, Mitto Xenophanem, & Hippocrate,

&

& Anacreonte ætate majorem. Mitto Ennium de Tarquinio Rege loquentem. Mitto Archilochum, Romuli ætate qui floruit. Mitto Solonem, qui Atheniensibus *unguenta* lege interdixit. Mitto Alcæum, qui Tullii Regis ætate vixit; Aristippum, qui Artaxerxis Persarum Regis; Aristophanem, Hesychium, Empedoclem, cæterosque hujus, & antiquioris ætatis, Rege Dario longe majores, qui *unguentorum*, & odoramentorum meminerunt. E sacris etiam literis intelligimus, Asam Regem mortuum *in cubili quod impleverat aromatibus specie rebus paratis unguentariorum opere collectum esse.* 2 Chron. c. 16. n. 14 Imo *Aaroni unguentum capiti affundere solitus erat, quod in barbam descenderet.* Psalm. 33. n. 2. Quinimo ipsis Iliacis temporibus *unguenta* odorata in usu fuisse posita, liquet ex Homer. Iliad. Ξ. n. 171.

—— uncta est pingui oleo
Divino, suavi, quod ei odoriferum erat.

Olei nomine intelligit μύρον, quæ vox ab Archilocho Homero juniore inventa fuit, auctore Athen. xv. Imo solo [illegible] Homero fuit cognitum. Hoc Pier. Hierogl. iv. 8. ex [illegible] argumento conjicit, quod rosaceo oleo Venus Hectoris cadaver obtexerat, quod a canum injuria, [illegible] Achilles [illegible] præstitit Iliad. Ψ. n. 186. [illegible] illis temporibus ad postremum. Imperatorum luxur[illegible] ætatem perducti excedunt. & *unguenta* ex suavissimis aromatibus suavissima composuerunt Romani. Id licet conjectare ex vario usu, partibusque variis, quibus ea afficiebantur. Etenim capillos oblinire consuevisse liquet ex Senec. Thyest. v. 947.

Verna capiti fluxe e rosæ;
Pingui [illegible] crinis amomo.

Cicer. pro S. Rosc. c. 46. *Ipse*, Chrysogonus Syllæ libertus, *quemadmodum composito, & delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis judices.* Quid? eo perductus est *unguentorum* luxus, ut non solum capilli, facies, nares, manus, cæteræque nobiles partes, quas, patientiæ lectoris consulens, veterum testimoniis non comprobo, unguentis oblinirentur: sed ipsi etiam pedes, ut auctor est Athen. xv. p. 689. E. Quid? non solum vestes, lecti, domus, parietes, solia, militaria signa *unguentis* inficiebantur; sed ipsæ fere mulæ, ut scriptum a Clement. Pædag. ii. 8. *Servius de Odorib. Misc. ell. Ital. Erud. Tom.* iii. *p.* 674. *Barth. Adv.* lviii. 16. Illorum usus apud Romanos in conviviis fuit profusus, & luxuriosus. Horat. Od. iv. 12. 18. V. illum supr. in *Onyx.* Od. ii. 3. 16.

Huc vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ.

Od. iii. 14. 17.

I, pete unguentum, puer, & rosas.

Pueri mensæ ministri *unguenta* circumferre solebant. *Uncta* quoque aqua, hoc est, *unguentis* perfusa conviviis præberi solita, id quod erat luxuriæ non ferendæ, sive adhiberetur ad manus lavandas, sive ad balneum. *Stuck. Ant. Conviv.* iii. 16. *Cisan. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 19. *Ciaccon de Triclin. p.* 43. *Ursin. Append. ad illum p.* 132. *Kipping. Antiq. Roman.* iv. 3. §. 5. *Schill Nomencl. Ibid l. p.* 1126. In propinationibus etiam adhibebantur, non modo ceu oblectamenta, verumetiam ebrietatis, atque crapulæ antipharmaca. Juven. Sat. xv. 48.

—— inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Unguenta, & flores multaque in fronte corona.

Lucret. iv. 1124.

--- convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur
Nequicquam, quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Stuck. ibid. c. 15. Bibere quoque consueverunt. Plin. xiii. 3. *At hercule jam quidam etiam in potus addunt; tantaque amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis.* Juven. Sat. iv. 303.

Cum perfusa mero spumant unguenta falerno.

Mart. xiv. 110.

Hac licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose bibas, si foliata sitis.

Inde vinum nardinum apud Plaut. Mil. iii. 2. 11. V. supr. in *Vinum.* Mercur. Var. Lect. ii. 19. Brod. Misc. iv. 4. Borremans. Var. Lect. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. xxvii. 24. Stuck. & Serv. l. l. Acervatim in rogum conjiciebantur. *Sumptuosam respersionem* vocat, ac *duodecim tabulis prohibitam* asserit Cicer. de Leg. ii. 24. Plin. xii. 18. *Beatam illam*, Arabiam, *fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero Princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit. Æstimentur postea toto orbe singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadaverum, quæ diis per singulas micas dantur.* Val. Max. v. 1. §. 10. *Caput* Pompeji *plurimis, & pretiosissimis odoribus cremandum curavit* Cæsar. Hunc luxum deprecatur Prop. ii. 10. 23.

Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint
Plebeji parvæ funeris exsequiæ.

Kirchman. de Funer. iii. 5. Sepulcris in parentationibus affundebantur. Prop. iii. 14. 23.

Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos, ad mea busta sedens.

Auson. Epitaph. xxxvi. 1.

Sparge mero cineres, & odoro perlue nardo
Hospes, [illegible] rosis balsama [illegible].

Kirchman. ibid. iv. 2. Alex. Gen. iii. 7. Serv. ibid. p. 677. Exotica ne venderentur, legibus prohibuerunt P. Licinius Crassus L. Julius Cæsar censores. Plin. xiii. 3. *Quando id*, unguentum, *primum ad Romanos penetraverit, non facile dixerim. Certum est, Antiocho Rege, Asiaque devictis, Urbis anno* 565. *P. Licinium Crassum, C. Julium Cæsarem censores edixisse, ne quis venderet exotica: sic enim appellavere.* Alex. ibid. iii. 12. Kobierzyck. de Luxu Roman. ii. 10. Serv. l. l. Quæ enervatorum hominum lasciviæ inservierunt, crudelis fati causæ eædem extiterunt. Val. Max. vi. 8. 5. *Adjunxit se iis cladibus C. Plotius Plancus Munatii Planci consularis, & censorii frater, qui cum a triumviris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore vitæ genere, & odore unguenti, occultam salutis custodiam detexit: istis enim vestigiis eorum qui miseros persequebantur, sagax inducta cura, abditum fugæ illius cubile odorata est.* Factum hoc epigrammate comprehendit Theodorus Beza:

Sæva cohors Plancum ad mortem cum quæreret illa
Triumviralis carnifex:
Servarant dominum servi penetralibus imis,
Et ille mortem effugerat.
Unguentis cum profusis de more madentem
Odor indicatum prodidit.
Quam potuit virtus multos servare fideles:
Mala quos voluptas perdidit.

Camerar. Oper. subcisiv. i. 20. Kobierzyck. ibid. i. 7.

UNGUENTARIUM erat pecunia, quam Marius Priscus a provincialibus, quasi pro *unguentis* exegerat. Plin. Epist. ii. 11. 23. *Ipse accepisse sestertium decem milia, fœdissimo quidem titulo, nomine unguentarii, qui titulus a vita hominis compti semper, & pumicati non abhorrebat.* Muret. Var. Lect. xii. 5. Cellar. in Plinium. Lips. in Tacit. Histor. iii. n. 60.

UNGUENTARIUS vocatur pharmacopæus, myropola, suffitor. *Unguenta*, μύρα Græcis dicta, nihil aliud erant, quam olea composita, sive ad suffitum, sive ad morbos destinata. Inscriptio Romæ:

Q. TERENTIUS. SEX. LIB
AGESIDAMUS. UNGUENT
VALENTINIANI. AUGUST
TERTULLA. A. F. UXOR

Alia

Alia Romæ in villa Pamphilia:

C. POPILIUS. C. L.
PHILEROS. ÆQUITAS
UNGUENTARIUS

Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 236. *Reines. Inscript. Cl.* XI. *n.* 91. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 75.

Unguentarius erat etiam *unguentis* præfectus minister, qui in balneo lotis *unguenta* ministrabat. Serv. ad Æneid. I. 697. narrat, *Amaracum puerum regium unguentarium fuisse, qui casu lapsus, dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creaverit.* Pignor. de Serv. p. 86. Urlat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 998. B.

UNGUES si dextræ manus salierint, inopinum lucrum præsagiunt, servo bonam locutionem, virgini procacitatem. Si parvi digiti dextræ manus salierit, malum patri enuntiat, servo filium, virgini virum, viduæ laborem. Si secundi digiti salierit, potestatem ominatur, servo domini mortem, virgini ignominiam, viduæ bonum. Si tertii, & quarti, tristitiam narrat, servo bonum. Si magni digiti, augmentum vitæ enuntiat. Si parvi digiti sinistræ manus salierit, multa bona omnibus præsagit. Si secundi, tristitiam, & responsionem à magnis personis, servo, qui est in fide, incusationem. Si medii, tristitiam per propriam rem, & augmentum victus, & filiorum, & nummorum. Si magni, antiquam destructionem evenire ominatur. Si *ungues* sinistræ manus, utilitatem cum aliqua difficultate præsagiunt. *Niphus de Augur.* I. 9. rodere gestus est hominis in aliquid meditando se torquentis. Horat. Sat. I. 10. 70.

--- in versu faciendo
Sæpe caput scaberet, vivos & roderet ungues.

Pers. Sat. V. 162.

--- *crudum Chærestratus unguem*
Abrodens ait hæc.

Et I. 106. V. illum supr. in *Pluteus.* Pierius Hierogl. XXXVI. 3. Torrent. & Lambin. in Horatium. Erasm. Adag. p. 200. b. Vel eo gestu facti pœnitentia, ulciscendive minæ intelliguntur. Prop. III. 22. 25.

Ungue meam morsu sæpe quærere fidem.

Unguium curam habebant veteres, ne sordescerent. Ovid. de Art. Amand. I. 519.

Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues.

Tonsores illos resecabant. Val. Max. II. 2. V. illum supr. in *Tonsores.* Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 36. Pier. l. l. *Ungue*, qui marmora poliunt, aut ligna, operis levitatem explorant, quod proprie ἐξονυχίζειν dicunt. Pers. Sat. I. 64.

--- *ut per leve severos*
Effundat junctura ungues.

Sidon. Epist. IX. 7. Persii verba περιέφρασε, & ad tessellarios, & psephothetas retulit: *Tota denique*, loquitur de structura orationis, *liquida prorsus, & ductilis: veluti cum crystallinas crustas, aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe si nihil cum, rimosis obicibus exceptum, tenax fractura remoretur.* Serv. in Virg. Georg. II. 377. *Est translatio a marmorariis, qui juncturas unguibus probant.* Casaub. in Persium. Erasm. ibid. p. 199. A. Nann. in Horat. de Art. poet. n. 294. Savaro in Sidonium. Puellarum in audaciores juvenes sunt arma. Horat. Od. I. 6. 17.

--- *prælia virginum*
Sectis in juvenes unguibus acrium.

Claud. Epithal. Pallad. & Celerin. n. 135.

Tu quoque ne Scythicas infestis unguibus iras
Exercere zelis; vinci patiare, rogamus.

Auson. Epigramm. 127. 11.

Dente nihil violare fero, nihil unguibus ausa:
Fœdera nam tacita pace peregit amor.

Barth. Adv. LIX. 4. Inter navigandum præcidere inauspicatum habebatur. Petron. c. 65. *Audio non licere cuiquam mortalium in nave ungues deponere, nisi quum pelago ventus irascitur.* Tomas. de Donar. c. 11.

UNGULÆ fuerunt curvi, acutique unci, instar ungularum ferinarum bifidæ. l. 1. C. de Emend. servor. *Ferarum unguibus latera persecando.* Sed in C. Th. eod. tit. sic. *Ferarum vestigiis latera persecando.* Bisulcas vocat Prudent. Peristeph. I. 44.

Illa virgas, & secures, & bisulcas ungulas
Ultro fortis expetebat, Christi amore interritus.

X. 72.

--- *sponte nudas offerens*
Costas, bisulcis exsecandas ungulis.

Et illarum duplices sulcos Prudent. ibid. v. 557.

Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis.

Qui bisulcam illam vocat, eo quod ferreis utrinque armata dentibus, duplicique instructa acie, binos pariter uno eodemque tempore in sacris martyrum membris sulcos imprimeret. *Baron. in d.* VI. *Martii. Aringh. Rom. Subterr.* II. 4. 12: VI. 50. 15. *Barth. Adv.* XLI. 15. *Rhodigin. Ant. Lect.* X. 5. *Cerd. Adv.* CXXVI. 1131. *Voss. Lex. Etymol. in Unguis. Hotman. Antiq. Roman.* V. *p.* 763. *B. Gallon. de Martyr. cruciat.* c. 3. *Laurent. de Repub.* c. 7. *Sigon. de Judic.* III. 17. *Ferrar. Elect.* I. 6. *Cuper. in Lactant. de Mort. persec.* c. 11. Equulei erant ferme comites. Cyprian. Epist. ad Donat. *Ungula effodiens latera, & deradens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus supplicia multa.* Et de lapsis: *Nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet.* Ferrar. l. l.

UNGULUS est annulus. Festus: *Ungulus Oscorum lingua est annulus.* Pacuvius in Iliona:

Repugnanti ego porro huic vi detraxi ungulum.

in Atalanta:

Suspensum in lævo brachio ostendo ungulum.

Plin. XXXIII. 1. *Quanquam & de nomine ipso ambigi video ... Græci a digitis appellavere, apud nos prisci ungulum vocabant.* Kirchman. de Annul. c. 1. Voss. in Lex. Etymol. Long. de Annul. c. 1. Bartholin. de Armill. §. 4. Isidor. XIX. 32. *Inter genera annulorum sunt ungulus. ...* Qui & rationem appellationis inquirit verbis sequentibus: *Ungulus est gemmatus, vocatusque hoc nomine, quia sicut ungula carni: ita gemma annuli auro accingitur.* Ar biter ego, nisi fallit conjectura, *ungulum* dictum digiti quod ornamentum, vel quod rotundam cornuum figuram æmuletur, vel quod rudi adhuc seculo *ungulis*, seu cornuum annulorum vice induerint. *Ungulam* enim per cornu expresserunt veteres. Veget. Veter. II. 56. *Donec indurescat in cornu.* c. 57. *Alternis diebus medicamentum renovabis, donec cornu ungulam faciat.* Cato de Re rustic. c. 72. *Boves ne pedes subterant, priusquam in viam quoquam ages, pice liquida cornua infima unguito.* Bartholin. de Unicorn. c. 31.

UNIO quis jactus fuerit talorum V. supr. in *Canis.*

U. R.

U. R. id est, *uti rogas*, inscribebantur tabellis, quibus sciscebatur lex. Cicer. de Legib. III. 10. *Suade igitur, si placet, istam ipsam legem, ut ego*, UTEI ROGAS, *possim edicere.* Loquitur Atticus cum Cicerone, uti cum magistratu legem rogante. Et quemadmodum in eo libro personam sustinet magistratus legem rogantis. Hoc proxime superiora verba declarant: *Si quæ forte leges a me hodie rogabuntur, quæ non sint in nostra Republica, nec fuerint, tamen erant fere in more majorum, quæ tum, ut lex, valebat.* Sic Atticus civem agit de ipsa suffragium ferentem, quod indicat illud: *ut ego, uti rogas, possim edicere.* Manut. de Legib. c. 35. & 37. Rosin. Ant. Rom. VI. 14. Maurit. de Sortit. vet. c. 11. §. 4: c. 28. §. 6. Et quibus reus condemnabatur. Condemnabatur enim ille, si plures tabellæ essent, quæ *U. R.* habebant. *Maurit. ibid.* c. 28. §. 3. *Rosin. l. l.*

URA.

URANISCUS, οὐρανίσκος erat pegma, quod Principes Romani ludos spectantes in orchestra sibi exstruxerunt. V. illum supr. in *Cubiculum.*

URB.

URBANICIANI dicebantur milites, quos præter prætorianos ad *Urbem* custodiendam, ne quis tumultus oriretur, Augustus sex millia constituit, & quos in quatuor cohortes, singulas 1500. milites continentes divisit, ut narrat Dio LV. Habebant castra in Urbe, quæ *urbana* vocabantur. V. illa supr. in *Castra.* Paull. l. qui mittuntur §. 4. ff. ex quib. caus. major. *Sed & in urbanicianis militibus idem D. Pius constituit, ut Reipublicæ causa abesse videantur.* Hi etiam prætorii nominantur, quoniam a prætore tutelari V. illum supr. in *Prætor.* dicto regebantur. Ulpian. l. 9. ff. de excusat. has *cohortes prætorias* appellat. Ulpianus librum singularem de officio prætoris tutelaris scripsit, in quo cuique suum tribunum præfuisse significat. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 390. *F.*

URBS & oppidum quomodo differant, & quomodo eadem sit quæ oppidum V. supr. in *Oppidum.* A civitate quomodo differat V. supr. in *Civitas.* Quo modo veteres posuerint *urbes*, docet Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Oppida condebant in Latio Etrusco ritu multi, id est, junctis bobus, tauro & vacca interiore, aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa, & muro essent munita. Terram, unde exsculpserant, fossam vocabant: & introrsum factum* (fortasse *jactum*) *murum.* Ovid. Fast. IV. 819.

Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro,
Sacra Palis suberant: inde movetur opus.
Fossa fit ad solidum: fruges jaciuntur in ima,
Et de vicino terra petita solo.
Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara,
Et novus accenso funditur igne focus.
Inde premens stivam designat mœnia sulco;
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

Ideo, ut prodidit Isidor. XV. 2. *urbs aratro circumducebatur dispari sexu juvencorum propter commixtionem familiarum, & imaginem serentis, fructumque reddentis.* Boves erant albi, ut illo candore ostenderentur cives sine labe. Ovidius modo laudatus. Glebæ internæ rejiciebantur, quoniam omnis fertilitas in Urbem importanda sit. Erant ita boves juncti, ut vacca interior, taurus exterior esset: quia mulieris est, quæ intra domum sunt curare, & viri exteriora. Quum ad portarum locum perventum erat, aratrum suspendebant: quo portarum limen intactum relinqueretur. Cato apud Isidorum. Plutarch. Romul. p. 23. E. V. illos supr. in *Porta.* Et signum coloniæ, oppidive conditi taurus & vacca; aut alter eorum in nummis passim. Quod ipsum Romæ in veteri *urbe* agnoscit Tacit. Annal. XII. 24. 2. *Foro boario, ubi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus.* Xiphil. LXXII. p. 824. C. *Romam immortalem, fortunatam coloniam, orbem terrarum appellavit: volebat enim omnino urbem suam esse coloniam videri: & ideo statua ei aurea mille librarum cum tauro, & vacca posita est.* Scoppa Collect. I. 28. Ruben. Elect. I. I. Donat. de Urb. Rom. I. 2. Ræward. Conject. II. 7. Goodwin. Anthol. Hist. Roman. I. I. I. Pontan. & Cerda in Æneid. V. 755. Leand. Albert. Ital. p. 168. Etiam aratrum in evertendis *urbibus* adhibuerunt. Horat. Odar. I. 16. 20.

--- imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Prop. III. 7. 41.

Mœnia cum Grajo Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus.

Senec. de Clem. I. 26. *Injicere tectis ignem, aratrum vetustis urbibus inducere.* Rhodig. Antiq. Lect. XXVI. 5. Faber Semestr. I. 8. Gentil. Orig. p. 303. Barth. in Claud. Honor. Consul. VI. 183. Torrent. in Horat. Ruben. Scopp. Pontan. & La Cerda l. l. Hujus in *urbes* dirutas inductione jus civitatis amissum significabatur, atque ex Urbe agrum esse factum. Traditur hoc diserte a Ictis. Modestin. l. si usufructus. ff. quibus modis ususfructus amittitur: *Si ususfructus civitati legetur, & aratrum in eam inducatur, civitas esse desinit, ut Carthago est passa: ideoque, quasi morte, desinit habere usumfructum.* Castal. Var. Lect. c. 10. Lips. in Senecam. Torrent. Ruben. Ræward. Faber, Gentil. Cerda & Pontan. l. l. Et ad tubæ sonitum evertebantur. Serv. Æneid. II. *Plerumque ad tubas evertunt civitates; sicut Albam Tullus Hostilius jussit everti.* Quem morem Romani a Græcis videntur accepisse; nam ut refert Plutarch. p. 441. E. Lysander ad tibiæ sonitum Athenarum muros dejecit. *Columna in Ennii Annal.* II. *p.* 50. Olim *urbes* erant, quæ forum causarum, & duumviros, seu jus dicentes magistratus habebant. Modestin. l. si duas §. decem ff. de excusat. tutor. non solum *metropoles*, *sed & minora oppida appellat, in quibus erat forum causarum.* Pausanias civitates nominat, quæ prætorium, gymnasium, theatrum, forum, & balneum habebant. Loquens enim de Panopeo Phocic. p. 319. *Urbs*, inquit, *ea est Phocensium, si modo urbem eam appellare par erit, in qua cives non prætorium, non gymnasium, non theatrum, non forum ullum habent: non denique ullum perennis aquæ conceptaculum.* Herodian. III. 6. §. 19. scribit Byzantium, quia Nigro faverat, a Severo dirutum, & *theatro, thermisque, omni cultu, atque honore detracto in vici formam redactum.* Pancirol. Notitia dignit. imp. orient. c. 99. *Urbis* nomen extra Romam pro quacunque metropoli, aut civitate primaria possis accipere apud Ulpian. l. 4. §. 9. ff. de damn. infect. *Si tam vicinum urbi municipium sit, ut, magistratu se non interponente, potuerit prætor, vel præses adiri.* Sed tamen grandi, ac solitario *Urbis* nomine Roma exprimitur: ut civitatis olim titulus, sive πόλεως quadam exoche olim tributus Alexandriæ, & ἄστυ Athenis. *Chimentell. de Hon. bisell. c.* 42. *Manut. Quæs. Epist.* III. 7. Et eo eleganter ruri opponitur. Horat. Epist. I. 10. I.

Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus
Ruris amatores.

Et ita legendum apud Mart. III. 47. 15.

Urbem petebat Bassus: imo rus ibat.

Urbanitas epigrammatis est in eo, quod ait Bassum instructissimum omnibus beati ruris copiis sic porta Capena rheda profectum, ut qui apparatum consideraret, credere posset non rus eum ex *Urbe*, sed contra ruri in *Urbem* concedere. *Mod. Epist.* 75. *Urbs* & Roma unum, & idem significare videntur, sed tamen duo inter se diversa per hæc verba indicantur. *Urbs* enim quicquid mœnibus continetur, & aratro, sive urbo definitum est, comprehendit. Roma vero continentia quoque ædificia complectitur, ut in pluribus ff. de verb. signif. legibus statuitur, nempe l. Urbis 2. l. ut Alphenus 87. l. ædificia 139. l. qui in continentibus 147. l. mille passus 154. & l. collegarum 173. *Fabrett. de Aquæduct. Dissert.* III. *Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 1761. *A. Crinit. de Honest. Discipl.* IV. 9. *Urbem* Romam V. supr. in *Roma.*

Urbs Leonina. V. illam supr. in *Leonina.*

URC.

URCEUS, cujus diminutivum *urceolus*, vas aquarium, ut tamen *urceus* esset vas ad frigidam, *urceoli* ad caldam. Inde *urceoli ministratorii* apud Mart. XIV. 105.

Frigida non desit, non deerit calda petenti:
Sed tu morosæ ludere parce siti.

Urcei meminit Ictus l. quum de lanienis: *Urcei quoque, quibus aqua in eadem infunditur, in idem genus rediguntur.* Bayf. de Vascul. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 696.

p. 696. E. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10. Utriusque formam depinxit Baysius. Sed eam prob re non possum cum Porcatulo, qui picturam illam urceolis convenire minime, doctis rationibus evincit in penu jur. civ. c. 25. Ac vereor, ne magis effigies illa sit alicujus antiquæ Romanæ ministernæ: quod ut longius disputem locus non permittit. Kobierzyck. l. l. Ministratura diversi erat ab his qui ornamento delphicæ deputabantur, ad ulum prompti, & quod his aqua ministraretur, inde vocabant eam [illegible] ornando abaco, ut apud Juven. Sat. III. 203.

> --- *urceoli sex,*
> *Ornamentum abaci.*

Per paria enim bini conjungebantur, ut in abaco ornando moris fuit. *Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 496.*

URI.

URINAM in loco sacro facere summæ impietati tribuebant veteres. Pers. Sat. I. 113.

> --- *pueri, sacer est locus; extra*
> *Meite.*

Plutarchus de Chrysippo loquens: *In quinto rursus de natura ita dicit: recte Hesiodum prohibere, ne quis in fluvios, aut fontes mingat: ita tamen esse tolerabilius, quam si quis contra altare mingat, aut locum deo sacratum: nam quod canes, & asini, & innocentes pueri id faciant, quibus nulla per naturam [illegible] rerum consideratio, aut intellectus est, nihil id ad rem pertinere.* Porro eadem reverentia postea etiam simulacris, statuisque Principum est exhibita: unde sub malis Principibus calumniandi occasio del tortos, ut probat exemplum, quod in Caracalla narrat Spartian. c. 5. *Damnati sunt eo tempore, qui urinam eo loco fecerunt, in quo statuæ, & imagines erant Principis.* Casaub. in Persium, & Spartianum. *Urina* solebant inquinare quos ignominia affectum ibant. Juven. Sat. I. 131.

> *Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.*

Suet. Ner. c. 56. §. 2. *Hanc*, deam Syriam, *mox ita sprevit, ut urina contaminaret.* Et ne illa contaminarentur sepulcra, quia religiosa erant, cavebatur. Horat. Sat. I. 8. 36.

> *Ne foret his testis, post magna latere sepulcra,*
> *Mentior, at si quid, merdis caput inquiner albis*
> *Corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum*
> *Julius, & fragilis Pediatia, furque Voranus.*

Hinc Thamyris, qui in patrios cineres minxerit, id pretium impietatis tulisse fertur, ut facultate feliciter carmina pangendi exsutus fuerit. Stat. Theb. IV. 182.

> --- *hic fretus doctas anteire canendo*
> *Aonidas, mutos Thamyris damnatus in annos,*
> *Ore simul, citharaque, (quis obvia numina temnat?)*
> *Conticuit præceps.*

Horat. de Art. Poet. v. 470.

> *Nec satis apparet, cur versus factitet: utrum*
> *Minxerit in patrios cineres.*

Quin interdum hoc ignominiæ genus solebant deprecari, ut ex hoc lapide Romano constat.

> HOSPES. AD. HUNC. TUMULUM.
> NE. MEJAS. OSSA. PRECANTUR.
> TECTA. HOMINIS.

Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 4. & Faes ad illum. Kirchman. de Funer. III. 26. Durant. Var. Lect. II. 16. Grang. in Juvenalem. Pitisc. in Suetonium. *Urinæ* vectigal imposuit Vespasianus. V. supr. in *Vectigal.*

URINATORES sunt periti natatores, qui apposita circa pectus machina, in capita se demittunt, ut urinæ in altum, vel attollendis ancoris, si hærebant, vel extrahendis rebus submersis, & mercibus, vel venandis ostreis, & purpuris. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 904. D. Salmas. Exerc. Plin. p. 806. C. Hering. de Molend. q. 16. §. 12.* A Græcis ἔφυδροι κολυμβηταὶ dicuntur, id est, natatores [illegible]. Homer. Iliad. Π. 750. κυβιστῆρας vocat a κυβιστῶ, quod in caput ferri, devolvique significat. [illegible] habitus *urinantium*, cum [illegible] est in caput mergi, quo verbo [illegible]. *Bud. in Pandect. p. 125. D. Voss. Lex. [illegible]* [illegible] de causa [illegible] sub aqua manent, [illegible] ore, [illegible] [illegible] removent [illegible] [illegible]. Id quo [illegible] pacto [illegible]. Non enim [illegible] tamen. *Scalig. Exerc. Exer. 262.*

URN.

URNA est amphoræ dimidium. [illegible] non solum ex figlino opere, tractando enim sæpe, ut in metiendo fit, frangerentur, sed etiam ex ære, & [illegible] *[illegible] sparteas sex* dicit Cato de Re rust. c. 11. & *urnas æreas* mox dicit Paullus. Pro mensura, & amphoræ dimidio probat Fannius, de amphora sic [illegible]: *Hanc dimidiam fert urna.* Pætus de Græcor. & Roman. mens. III. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 1628. F. Ceral. de Pondei. & mensur. [illegible] C. 1 [illegible] p. 1458. B. Turneb. Adv. [illegible] Porc. de Re [illegible] Antiq. c. 9. Agric. de Mens. Roman. I. p. 6. & 18. C. [illegible] XII. 20. *Ego tamen, si humida [illegible], [illegible] quadrantem [illegible], ut [illegible] amphoras [illegible] jum, ita ut quatuor urnarum e[illegible] [illegible] quatuor, & viginti sextariorum.* Ex [illegible] constat aperte, amphoram duas *urnas*, & [illegible], & quadraginta in se continere. Pro mensura etiam accipit Paull. l. [illegible] ff. de fund. instruct. *Item [illegible], & sextaria.* Nec [illegible] tentatam verba Caton. c. 155. [illegible] vendend[illegible] ita scripsit: *[illegible] duas hoc [illegible] te. [illegible] in culeos singulos, [illegible] dabuntur: quod ne[illegible], [illegible]* [illegible] colligi videtur, culleum, qui ex [illegible], *urnis* una & quadraginta impleri: [illegible] lege ea ratione adscripsit Cato, ut emptori consultum esset propter detrimentum, quod in metiendo vino per singulas *urnas* emptor patiebatur: [illegible] dum putavit. Laborabant enim [illegible] mensurando vini culleo uno [illegible], ut constat ex testimonio Caton. c. 161. dum [illegible] mensura metiri possis. [illegible], & non mensura *urnam* quoque antiqui [illegible], probat Cato c. 12. & 15 ubi in instrumento rustico *urnam quinquagenariam* requirit. Quæ in [illegible] aliter quam pro vase accipi non potest, quibuscunque mensuris, & ponderibus eximinetur. Sic & eam accepit Plaut. Rud. II. 5. 17.

> *Me[illegible] hercle, [illegible] mulier [illegible] licet,*
> *Nec comprehendar [illegible] Veneris.*
> *Nempe optimo jure [illegible]*
> *Magistratus, [illegible] me [illegible]*
> *Nam hæc literata est: ab [illegible]*

Unde & illud notandum, quod sacræ *urnæ* nomina, cujus fani essent, inscripta habebant. Pro vase etiam accepit Procul. l. qui vinum ff. de tritic. legat. *[illegible] vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum, [illegible] legaverat vinum in amphoris, omne illud quoque quod in urn[illegible] [illegible], legatum esse Labeo, & Trebatius responderunt.* Pætus l. l.

Urna in comitiis, etiam sitella vocabatur. V. illam supr. in *Sitella.*

Urna judicialis est κάλπη, & ὑδρία, id est, sitella Latinis. In eam non tantum suffragia judicum, sed & nomina conjiciebantur, cum prætor judices sortiretur. Virg. Æneid. VI. 431. V. illum supr. in *Quæsitor. Bud. in Pandect. p. 264. C. Pætus de Græc. & Rom. mens. III. Thes. Ant. Rom. Grev. Tom. XI. p. 1630. B.* Erat enim Romanis hæc judicandi consuetudo, quod nomina judicum conjiciebantur, ut de pluribus necessarius numerus per sortitio-

nem confieri poſſet. Virgilius. V. illum ſupr. in *Quæſtor.* Tunc ex illo delectorum numero permittebitur accuſator, ac reo, rejicere quos vellent, ſi ſibi aliqua ex parte incommodos fore ſuſpicarentur. Rejectione celebrata, prætor in loca eorum, qui rejecti fuerant, ſortiebatur alios, quibus ille judicum numerus compleretur. *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 9. Tot fuerunt *urnæ*, quot judicum ordines, qui judicarunt: tres quidem, cum omnes adhibiti ſunt, una ſenatorum, altera equitum, tertia tribunorum ærariorum. Cicer. Fratr. II. 6. *Senatorum cum urna copioſe abſolvit, equitum adæquavit, tribuni ærarii condemnaverunt.* Sigon. de Judic. II. 22. Bud. l. l. Maurit. de Sortit. c. 12. §. 4. Schull Nomencl. Philol. p. 1127.

Urna quoque vocabatur vas, in quo cineres, & reliquiæ corporum combuſtorum reponebantur. *Ferret. Muſ. Lapid.* III. *Memor.* 32. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 847. *a. B. Nicol. de ſigl. vet. c.* 33. §. 2. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 13. Κάλπιν Græci vocant, & ὑδρίαν, & κρωσσόν. In epigrammate: ὦ πένθιμε κρωσσέ. Grammatici Græci κρωσσὸν exponunt ὑδρίαν, λήκυθον, σταμνόν, *Salmaſ. l. l.* Cicer. Tuſcul. I. 15.

Aſpicite o cives ſenis Ennii imaginis urnam.

Ovid. Amor. III. 9. 39.

Carminibus confide bonis: jacet ecce Tibullus:
Vix manet e toto parva quod urna capit.

Pætus de Græcor. & Rom. menſ. III. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1630. A. Kirchman. de Funer. III. 8. Pro cujusque facultatibus, & conditione erant, fictiles. Horum meminit Prop. II. 10. 31.

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiet manes parvula teſta meos.

Æneæ. Delis Virg. Æneid. VI. 228.

Oſſaque lecta cado texit Corinæus aheno.

Marmoreæ. Xiphil. LXXVI. p. 868. E. *Oſſa in urnam factam ex lapide Porphyretico conjecta Romam perlata, & in Antoniano repoſita ſunt. Fertur Severus hanc urnam, antequam decederet e vita, juſſiſſe ad ſe perferri; deinde contrectaſſe, atque ita dixiſſe: tu virum capies, quem totus orbis terrarum non cepit.* Argenteæ. Ammian. XIX. 2. *Poſt incenſum corpus, oſſaque in argenteam urnam conjecta.* Aureæ. Eutrop. VIII. 5. *Oſſa ejus, Trajani, collocata in aurea urna, in foro, quod ædificavit ſibi, ſub columna ſita ſunt.* Moreſtell. Pomp. Funebr. VIII. 5. Kirchman. & Kipping. l. l. Nicol. ibid. c. 3. Erat vas oblongum, corpore rotundo, collo procero, anguſto, ac fiſtulatim porrecto, adjectis hinc inde anſis. Fuerunt inverſæ, hoc eſt, ore prono, & in terram inclinato (quæcunque cauſa illa fuerit, nam me hactenus latuit) fundo ſupino, atque ſurſum verſo collocatæ. Hoc nos ſæpe hic, & in patria obſervavimus, & plurimis aliis obſervatum non dubitamus. *Ferrar. de Lucern. ſepulcral. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 1013. *F.* Hæ ſepulcro inferebantur, ibique in arca, ſive in ſolio plerumque e marmore, quod etiam ſarcophagum dicebant, reponebantur. *Moreſtell ibid.* VIII. 11. Faciendorum loculorum, & *urnarum* condendarum non admodum diverſa fuit ratio, cum in Urbe, tum etiam in reliqua Italia, atque etiam in Græcia. Marlianus ſcribit, antra concamerata foſſionibus eſſe aperta, in campo Eſquilino quædam unius teſtudinis, quædam duplicis concamerationis, ita ut ex ſuperiore in inferiorem deſcenderetur. Pavimenta interdum teſſellata, interdum vermiculata; in parietibus circum circa loculos extitiſſe, ſingulos cum binis *urnis*. Alia quoque fuiſſe antra plurium parietum, modico intervallo diſtantium, in quibus totidem *urnas* fuiſſe contiguas, & exiguo poſt ſpatio rurſus alias, hisque alias impoſitas: has pauperum, illas divitum fuiſſe opinatur. Nos in agro viæ Appiæ in profundum ſub terra fornicem deſcendimus, plenum loculorum inter ſe diſpoſitorum: ex ruina autem parietum cognoſci vere non potuit. Inter Puteolos, & Atellam, ad utraque viæ ſilicibus ſtratæ latera, plurima ſepulcrorum luſtravimus monumenta, quorum ædificia partim quadrata ſunt, partim rotunda. Inter cætera pulcerrimum eſt, quod arcum cellæ nominant. Parietes ejus tetragoni cum laqueari vermiculato: in cujus medio centauri imago puerum vehentis. Loculi ultra ſexaginta, medii ampli, fortaſſe patronorum: laterales contracti libertorum, libertarumque. In loculis *urnæ* ſingulæ, pluresve diſpoſitæ fuerunt, clauſæ exterius tabellis marmoreis, in quibus nomina depoſitorum de more fuerunt adſcripta. Teſtatur Cyriacus Anconitanus, cujus ſcriptas quaſdam chartas evolvimus, ſe Patris in Achaja ad ædem S. Andreæ antrum ſubterraneum ex integro, ſolidoque lapide vidiſſe, miro artificio fabricatum, in quod per gradus ſedecim deſcenſus fuerit, quodque ſub una teſtudine ad tetragonos parietes habuerit loculos quatuordecim, in quibus ſingulis binæ, aut ternæ *urnæ* funerales fuerint locatæ. Ex quibus teſtimoniis non multo diverſam Græcorum, & Romanorum, ut diximus, *urnas* conjungendi rationem fuiſſe, eſt perſpicuum. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 20. *Moreſt. l. l.* Cineres extra patriam defunctorum *urnis* conditos in patriam remittebant. Suidas. Πύσει, *putrefaciet. Homer. Iliad.* IV. 174.

— Oſſa tua putrefaciet terra
Jacentia in agro Trojano.

Notandum eſt, oſſa eorum, qui in peregrina terra moriebantur, in patriam reportari ſolita fuiſſe. Lycophronis Scholiaſtes: *Mos erat peregre mortuos cremare, cineremque ipſorum urnis, arculis, aut amphoris incluſum in patriam perferre.* Ovid. Triſt. III. 3. 65.

Oſſa tamen facito parva referantur in urna,
Sic ego non etiam mortuus exſul ero.

Tacit. Annal. III. 1. 6. de Agrippina, quæ Germanici cineres Romam perferebat: *Poſtquam duobus cum liberis feralem urnam tenens egreſſa navi defixit oculos, idem omnium gemitus.* Ammian. XIX. 2. *Poſt incenſum corpus, oſſaque in argenteam urnam conjecta, quæ ad gentem humo mandanda portari ſtatuerat pater.* Atque has, perinde ut mortuos, ſertis coronabant; & id faciebant urbes quoque, per quas ferebantur in itinere, tanquam has inferias ſepulcro ferentes: vel etiam adjungebant, qui publico nomine quaſi exequias irent. Sed hoc factitatum non niſi in magnatum, & honoratiorum funere. Plutarch. in Demetr. p. 915. B. *Urbes vero, quas accedebant, vel ſertis urnam ornabant, vel viros lugubri habitu mittebant una cum aliis funus curaturos proſecuturosque.* Philopoem. p. 368. C. *Erat autem videre hoſtes captivos in vinculis ductos, ipſam vero urnam præ tæniarum, ac ſertorum copia vix conſpicuam.* Regum, aut principum *urnis* addita diademata. Plutarch. in Demetr. ibid. C. *Claſſe navigante Corinthum urna ex puppe inſignis conſpiciebatur, purpura regia, & diademate ornata.* Meurſ. de Funer. c. 39. Claſen. Theol. gentil. I. 10. §. 20. Kirchman. de Fun. Roman. III. 7. Nicol. de Luctu Græcor. c. 13.

Urna vocabatur etiam ipſum ſepulcrum. Lucan. VII. 819.

— Cælo tegitur, qui non habet urnam.

Prop. IV. 12. 49.

Qualibet auſteras de me ferat urna tabellas;
Turpior aſſenſu non erit ulla meo.

Gyrald de Var. ſepel. rit. c. 9. & Faes in ultim.

URNAMENTARIUS legitur Nemauſi in hac inſcriptione.

DIANAI. AUG. ACIL. COCIAVI
q IRONIS. LIB. T. COMMIUS
IIIIIIVIR. AUG. T. COMMIO
URNAMENTAR.

Guyranus in nummo Nemauſenſi explicandum putat *urnamentarium* pro ornamentario. In gloſſis Græco-Latinis κοσμήτης ornamentarius vocatur. Sed putarem potius nihil temere immutandum eſſe, & *urnamentarium* nihil aliud eſſe quam *urnarum* figulum. q. eſt forte p. inverſum ſculptoris errore. *Spon. Miſc. Erud. Antiq. ſect.* VI. *p.* 238.

URNARIUM appellatur locus in culina, & balneis, ubi *urnæ* aquatiles retinebantur. Varr. de Ling. Lat. IV. 27. *Præterea erat tertium genus menſæ, & quadratæ vaſorum, vocaturque urnarium, quod urnas cum aqua poſitas ibi potiſſimum habebant in culina: ab eo etiam nunc ante balneum locus, ubi poni ſolebant urnæ, urnarium vocatur.* Ex quibus intelligi licet, *urnas*, de quibus Varro, ima parte acutas non fuiſſe, ut erant amphoræ, & ſitulæ, cum ſupra menſam quadratam ſervarentur. *Patus de Roman. & Græcor. menſ.* III. *Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1929. *F. Stuck. Ant. Conviv.* II. 16. *Alex. Gen.* I. 19. *& ad illum Tiraquellus. Rhodig. Ant. Lect.* VII. 12.

URS.

URSARII erant ſervi, qui *urſos* domi curabant. Urſi enim placidi domi alebantur. Senec. de Ira I. 31. *Aſpice intra domum urſorum, leonumque ora placida tractantibus, adulanteſque dominum feras.* Pignor. de Serv. p. 564.

Ad URSUM PILEATUM fuit locus in Urbe celebris. Hoc cognomentum ab *Urſi* pileum habentis, ſive marmore, ſive coloribus expreſſa effigie ſuſcepit. Fuit non longe a templo S. Bibianæ. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. *Boiſſard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 44.

UST.

USTORES dicebantur, qui in rogis incendendis, & cadaveribus comburendis operam locabant. Gloſſæ: *Uſtor, νεκροκαύτης.* Lucan. VIII. 738.

Robora non deſint miſero, nec ſordidus uſtor.

Catull. LIX. 4.

Quum devolutum ex igne proſequens panem
Ab ſemiraſo tunderetur uſtore.

Mart. III. 93. 26.

Uſtorque tædas præferat novæ nuptæ.

Meurſ. de Funer. c. 16. Pignor. de Serv. p. 76.

USTRINA ſive *uſtrinum* appellabatur vas, quod in eo cadavera comburerentur. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 19. Potius erat locus, in quo cadavera cremabantur. Feſtus: *Is locus ab urendo uſtrina vocatur.* Gloſſarium vetus: *Uſtrina, πυρκαιά. Uſtrina, καῦστρα νεκρῶν. Meurſ. de Fun. c.* 25. *Kirchman. de Funer.* III. 1. *Caſtil. de Prof. Roman. ritib. c.* 26. *de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 21. *Guther. de jur. man.* I. 25. *Ferret. Muſ. Lapid.* II. *Memor.* 10. *Urſin. ad Marlianum.* Has applicari monumentis ſuis nonnulli vetabant. Lapis vetus:

HUIC
MONUMENTO
USTRINUM
APPLICARI
NON. LICET

Item alius:

AD. HOC
MONUMENTUM
USTRINUM. APPLICARI
NON. LICET

Meurſ. de Funer. c. 41.

USU.

USU partæ, ac quæſitæ uxores fuerunt dictæ, quæ matrimonii cauſa in domum abſque coemptionis ſollennibus deductæ toto vertente anno cum viro adſueverant: quæ poſt id temporis ex XII. tabulis in manu, mancipioque viri fuerunt, quaſi *uſu*, id eſt, poſſeſſione viro mancipatæ. *Uſum* enim pro poſſeſſione veteres dicebant. Et ita in XII. tabulis ſcriptum erat: *annuus uſus eſto. Uſum* vero legitimum fuiſſe dominiorum quærendorum, & adipiſcendorum nemo ambigit. Et, vel juris civilis auctoribus tacentibus, ejus rei unus locupletiſſimus eſſet teſtis, Horatius, cum ait Epiſt. II. 2. 58.

Si proprium eſt, quod quis libra mercatur, & ære,
Quædam, ſi credis conſultis, mancipat uſus.

Proinde quemadmodum res mobiles, vel ſe moventes, anno poſſeſſæ, poſſeſſoris ex jure Quiritium fiebant: ita mulierem, quæ cum viro una matrimonii cauſa anno integro morata eſſet, et uxorem cum re, & effectu partam, conciliatamque fuiſſe ſuſpicari poſſumus. Probabile hoc facit, quod annui hujus *uſus* interrumpendi, interpellandique gratia trinoctio perfecto a viro uxorem abnoctare lex XII. tabularum jubebat. Hoc enim de *uſurpatione* uxorum, id eſt, *uſus* earum interruptione ex Q. Mutio Scævola prodidit Gell. III. 2. Cujus *uſurpationis* quæ fuiſſet utilitas, non video, niſi in manum, & mancipium viri per annuam poſſeſſionem mulier tranſitura fuiſſet. Quorſum enim, quæſo, de *uſurpatione* annui uxorum *uſus* lege cautum fuiſſet, ſi non ejuſmodi *uſu* aliquid viro præter nudum matrimonii nomen acceſſiſſet? Nam ad uxoris inane conſortium, id eſt conventionis in manum viribus deſtitutum, conſequendum, annum exſpectari nihil attinebat, quod mero conſenſu, mutuaque voluntate, protinus conjuges naniſcebantur. Neceſſe eſt igitur amplius aliquid annuo *uſu* maritum nactum, ac conſecutum fuiſſe. Quæ res exiſtimandi copiam præbet, ut quemadmodum ſervus venditus, & traditus, neque tamen emptori mancipatus, nec in jure ceſſus, nec ab ipſo annum poſſeſſus, in bonis tamen ejus erat; non autem, quoad horum quid interveniſſet, ex jure quiritium ejus fiebat: ſic quæ nec farre, nec coemptione in manum conveniſſet, ſed in domum duntaxat pro uxore deducta eſſet mulier, uxor quidem habebatur: cæterum non ante in manum viri convenire cenſebatur, quam apud illum annum nulla trinoctii abſentia interpoſita impleviſſet. Tranſacta vero annua die, tum *uſu* viro quæſita uxor judicabatur, proque eo erat ac ſi in manum ſollennibus verbis conveniſſet, utpote *uſu*, ac poſſeſſione, quod ſollennitati deerat, ſupplente. *Briſſon. de Rit. nupt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1023. *E. Caſal. de Rit. nupt. c.* 1. *Laurent. de Sponſal. & nupt. c.* 1. *Auguſtin. ad Leg.* XII. *tab.* §. 18. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 9. *Ravard. ad Leg.* XII. *tab. c.* 21. *Rittersh. ad Leg.* XII. *tab. Claſſ.* III. *p.* I. *c.* 5. *Caroli Antiq. Roman.* IV. 2. *Thyſ. in Gell.* III. 2.

USUCAPIO eſt acquiſitio per *uſum* legitimi temporis jure civili conſtituta. Unde Ulpianus: *Uſucapio eſt adeptio dominii per continuationem poſſeſſionis anni, vel biennii, rerum mobilium anni, immobilium biennii.* Hanc legem e XII. tabulis ſumptam eſſe multis argumentis demonſtrari poteſt; uno, quod Cicer. pro Cæcin. c. 19. *Lex uſum, auctoritatem fundi jubet eſſe biennium: & utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur.* Legem enim XII. tabularum intelligit: altero, quod idem ait de Offic. I. 12. Sed V. illum ſupr. in *Hoſtis*. Unde intelligitur, jus *uſucapionis* civis tantum Romani eſſe: peregrinum rem alienam poſſidendo *uſu capere*, id eſt, *uſu* jus auctoritatis acquirere non potuiſſe. Tertio, quod in XII. tabulis rerum furtivarum *uſucapio* inhibita eſt. Quod idem etiam lege Atinia cautum eſt. V. ſupr. in *Lex*. Quarto, quod ait Cicer. de Leg. II. 24. *forum, id eſt, veſtibulum ſepulcri uſucapi non poſſe.* Adde quod idem de Leg. I. 21. ſcribit *in controverſia de finibus* XII. *tabulas uſucapionem intra quinque pedes eſſe noluiſſe*, de quibus poſt lex Mamilia lata eſt, quam a tribuno plebis C. Mamilio, qui propterea Limitanus eſt appellatus, bello Jugurthino latam opinor. Duas autem res hæc lex complectitur ad *uſucapionem* neceſſarias, poſſeſſionem, tempus: nam *uſum* vocat poſſeſſionem: ut tamen *uſucapio* ſit, oportet nullam eſſe uſurpationem, id eſt, nullam poſſeſſionis interruptionem, ſed continuam poſſeſſionem, & *uſum* non interruptum fuiſſe. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 11. *Auguſtin. ad Leg.* XII. *tab.* §. 18. *Guther. de jur. man.* III. 11. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Claſſ.* III. *p.* 2. *c.* 13. 14. 15. *Revard. in Leg.* XII. *tab. c.* 17. Qui & integrum de veris *uſucapionum* differentiis adverſus Tribonianum ſcripſit libellum.

USURA appellatur cujusque rei uſus. Plaut. Amphit. prolog. n. 108.

Uſuramque corporis ejus cepit ſibi.

Accius Oenom. apud Non. III. 262.

Atque hanc poſtremam ſolis uſuram cape.

Cicer. Tuſc. Quæſt. I. 39. *Ea quidem dedit uſuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die.* Ab hac ſignificatione abiit loquentium conſuetudo, qua placuit, *uſuram* dici pro fœnore, id eſt, pro incremento ex *uſu* nato, maxime pecuniæ. Inde Iſidor. V. 35. *Uſura eſt incrementum fœnoris, ab uſu æris creditì nuncupata.* Varr. de Ling. Lat. IV. 34. *Compendium, quod cum compenditur, una ſit: a quo uſura, quod in ſortem accedebat, impendium appellatum: quæ cum accederet ad ſortem, ex uſu uſura dicta eſt.* Eſt itaque, ſi verbi *uſum* ſpectes, pecuniæ, vel frugum acceſſio, quam creditor a debitore exigit pro *uſu* ſortis. Dixi, *pecuniæ acceſſionem.* Ita etiam l. 18. C. Th. de luſtr. conlat. dicitur *creſcentis in dies ſingulos pecuniæ acceſſio.* African. l. 24. ff. de præſcr. verb. definit *reditum pecuniæ.* Iſidorus modo laudatus. Nec non & frugum. Philippus Imperator l. 23. C. de uſur. *Oleo quidem vel quibuſcunque fructibus mutuo datis, incerti pretii ratio additamentum uſurarum ejuſdem materiæ ſuaſit admitti.* Hieron. in Ezechiel. VI. 18. *Solent in agris frumenti, & milii, vini, & olei, cæterarumque ſpecierum uſuræ exigi.* Noodt de Fœnor. & uſur. I. 2. Eſt vectigal privatum. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 13. Illas Græci ad νεομηνίας, Romani ad Kalendas allegarunt, ita ut ſingulis Kalendis debita exegerint, & crediderint. Docet Plutarch. de vitand. ær. alien. p. 828. A. *Meque* vaſa figlina *Kalendarum, & novilunii admonebant: quam diem ſacratiſſimam fœneratores atram, & abominandam ſtatuunt:* altera Romanorum, altera Græcorum lucratoria tempora notans. Sic Conſtantinus Calorus civitatem Æduorum jacentem crevisse, & perditam recreaſſe dicitur, quod pecunias ad Kalendaria largitus ſit, id eſt, onera civitatis publica ad menſtruas rationes ſublevaverit, in gratiarum actione Flavienſium nomine dicta ſive ab Eumenio, ſive ab Æduo aliquo f. 85. *Lipen. de Stren.* c. 4. §. 13. V. & ſupr. in *Kalendæ.* Non tamen ignoro, ſingulis Kalendis debitas, non utique ſuis quibuſque Kalendis, ſed ſæpe univerſas unius anni annua die ſolutas fuiſſe. Sic ſane acceperim, quod de *uſuris* Reipublicæ debitis ita juſſit Conſtantinus: *Apud eos, quos ſuperſtites integris facultatibus eſſe pervideris, vel quorum hæredes incolumia retinent patrimonia, ſortes Reipublicæ perſeverare debebunt: ita tamen, ut annuas uſuras ſuis quibuſque temporibus exſolvant* l. 2. C. de debitor. civitat. l. 11. tit. 32. Sed & ſequens marmor apud Gruter. p. 175. n. 4.

HOC. AMPLIUS. ARK. REI. P. COLLEGII. S. S. DONUM. DEDIT. - XV. UT. EX. USURIS CENTESIMIS. EJUS. QUANTITATIS QUÆ. EFFICIT. ANNUOS. - X - DC. DIE. VIIII. KAL. OCTOBR. NATALI. DIVI AUGUSTI. EROGENTUR. EX. ARKA

Dicuntur collegio centonariorum data eſſe a L. Sextilio Seleuco quinque denariorum millia: & hæc ſumma dicitur ex centeſimis *uſuris* quotannis parere ſexcentos denarios, id eſt, de centenis denariis ſingulis annis duodenos, ſive ſingulis menſibus ſingulos. Non igitur *uſuræ*, quæ erant ſingulis menſibus debitæ, utique ſingulis menſibus pendebantur: ſed ſæpe univerſæ unius anni ſub finem ejus una penſione ſolvebantur. Et hinc factum aliquando fuit, ut *uſurarum* ſtipulatio non quidem in ſingulos menſes fieret, ſed in ſingulos annos l. 26. C. de uſuris ſæpe adjecta pœna, ſi quo anno *uſuras* non ſolviſſet debitor: quale exemplum eſt in l. 17. ff. de uſuris. Fuit quoque ſolitum, ut ſi debitor intra vertentem annum ceſſaret in ſolutione menſtruarum *uſurarum*, creditor anatociſmum. V. illum infr. in *Uſuræ uſurarum* ſtipularetur, jure permittente. Quod ſi qui duriores eſſent fœneratores, nec tamen anatociſmum vellent, hi, ut Kalendis ſingulis *uſuræ* ſibi perſolverentur, accurabant. Tum enim & debebantur, & peti poterant: eoque jure utebantur. Senec. de Benef. I. 2. *Nemo beneficia in Kalendario ſcribit: nec avarus exactor ad horam, & diem appellat.* Ambroſ. de Tobia c. 12. *Veniunt Kalendæ, parit ſors centeſimam: veniunt menſes ſinguli, generantur uſuræ.* c. 3. *Et qui in ſumma ſubvenire ſe dicit, uſuras exigit. Kalendis, inquit, uſuras dabis: fœnus interim, ſi non habueris unde reſtituas, non requiro.* Meminerunt etiam Paull. l. 40. ff. de reb. credit. l. 28. §. 1. ff. depoſiti vel contra, & Pompon. l. 90. ff. de verb. obligat. *Noodt. ibid.* II. 1. Quantopere eas improbaverint, & quo modo illarum licentiam legibus repreſſerint Romani V. ſupr. in *Fœnerationes.* Quæ omnia ſapienter ab illis eſſe conſtituta, & ſumma ex ratione profecta eſſe nemo negaverit: ne ſcilicet homines, qui neceſſitate impulſi pecunias ſub quacunque lege a fœneratoribus accipiebant, *uſura* multiplici omnia arrodente obruerentur, tandemque ad ſummam rei inopiam redigerentur. Cum enim *uſura* ſortis ſit acceſſio, propter pecuniæ mutuo datæ *uſum* plerumque exacta: evenire ſæpe veteres videbant, ut cum non niſi egentes ſub fœnore pecunias acciperent: cogerenturque hi etiam eo tempore, quo nullos rerum ſuarum fructus perceperant, gravem aliquando acceſſionem præſtare, miſeri, & infelices ad extremam paupertatem deducerentur. Hinc eſt, quod *uſura*, quam Hebræi appoſite *morſum* appellant, non modo debitorum opes exhaurire; ſed etiam oſſa penitus arrodere, ac medullas ex ipſis oſſibus exſugere; & vel ipſi denique paupertati unicum ejus ſolatium, nempe animi ſecuritatem auferre dicatur: quod qui ſub *uſuris* pecuniam accipiunt, verſuram ex verſura facientes nunquam ſe extricant. Jure tamen civili *uſuræ* quidem permiſſæ illæ ſunt, ſed ad certum ſaltem modum l. eos 26. C. de Uſuris. non quod per ſe bonæ ſint, ſed ut gravius malum, nempe furtum & rapina evitetur. Quia vero civiles conſtitutiones ita de *uſuris* diſponentes, tanquam divinis præceptis contrarias, pontifex irritas pronuntiavit clem. un. §. fin. de uſuris t. t. ext. & in VI. eod. & 14. q. 3. & præterea Imperator nos in ea religione verſari jubet, quam Petrus Romanis tradidit l. cunctos C. de ſumm. Trinit. & fid. cathol. Sub *uſuris* autem dare non lege tantum veteri, ſed & Evangelica, nobis ab Apoſtolis tradita prohibitum ſit Exod. c. 22. n. 25. Levit. c. 25. n. 36. Deut. c. 23. n. 20. Pſalm. 15. n. 5. & ſexcentis aliis juris divini contextibus: idcirco ſciendum, citra culpam hodie *uſuras* exigi non poſſe, niſi nomine ejus quod intereſt: vel ob damnum emergens l. ſocius qui ff. pro ſocio. vel etiam ob lucrum ceſſans, ut in eo, qui ſolitus eſt negotiari l. 3. §. fin. & ibi caſtr. de eo quod cert. loc. Quod autem hæc juris civilis ſancita, a ſuperiore puta divino legiſlatore caſſata non ſint, ex eo apparet, quod negotiationes, & commercia, trapezitarumque, ſeu nummulariorum menſas, ad civilem hominum ſocietatem neceſſarias Dominus non condemnarit Matth. c. 25. n. 27. Plane, ſi immoderatam, & pravam nocendi intentionem tollas; *uſura* beneficium, non onus erit: & vel bonæ fidei debitor in partem lucri te ſponte vocaturus erit. Quanquam ſi divinas preſſius intuearis leges, tam diſerte iis omnia fœnorum genera prohibita invenies, ut nemo eas in dubium vocare debeat, niſi aperte inanibus argutiis oracula divina fallere ſe poſſe putet. Tutius igitur eſſe cenſet Bodin. de Republ. V. 2. *uſurarum* non modo radices, ſed & fibras omnes amputare: neque has Reipublicæ, nec corporibus ullis, aut collegiis ullis utilitatis ſpecie permittere. Quis enim, quod publice utile, ac honeſtum videatur; privatim turpe putet? Qua de re plura videantur apud Bodinum, Molinæum, Borcholten, & Conradum Paullum in tractatibus de uſuris, Coler. de proceſſib. execut. I. 10. 29. a Vacuna declarat. jur. I. 14. Coraſ. Miſcell. III. 21. & Epiſt. Quæſ. c. 10. Covarruv. var. reſolut. [illegible] 1--4. Gothofr. in l. mora 32. de uſuris. Coſtan. Quæſt. jur. c. 1. *Salmuth. de Reb. deperd. & inv. p.* 101.

Uſuræ aſſes. V. illas ſupr. in *Aſſes uſuræ*, & inf. in *Uſuræ centeſimæ*.

Uſuræ centeſimæ dicuntur veteribus, non ut adjectivum & ſubſtantivum; ita enim longe aliud exprimerent, quam volebant; & forent *uſuræ* centeſimæ idem quod centeſimæ penſiones, ſeu quæ fierent, & numerarentur poſt factas, & numeratas xcix. penſiones: ſed ut ſubſtantivum cum ſubſtantivo, per appoſitionem, quam nunc grammatici, veteres epexegeſin vocant: eſt enim, *uſuræ* partes ſortis centeſimæ menſtruæ. Pa i epexegeſi pronuntiandum cenſuerunt, quod centeſima ſortis parte m nas accedit: velut *uſuræ* deunces centeſimarum ſortis partium, *uſuræ* beſſes centeſimæ partis, *uſuræ* dextantes centeſimæ partis: non deunciariæ, beſſales, dextantales, vel dextantariæ: ſic & *uſuræ* unciæ centeſimæ partis, non unciariæ. Nunquam enim ſibi permiſerunt veteres, ut dicerent *uſuras*, quarum quantitas erat duodecima centeſimæ menſtrua, unciarias; quarum quarta & viceſima centeſimæ, ſemunciarias; quarum tertia-centeſimæ, trientarias: quoniam hæ ſunt ipſæ unciæ, ipſæ ſemunciæ, ipſi trientes centeſimæ partis. Placuit, ubi *uſurarum* vocabulum pone ent, ſi earum modus definiendus eſſet, uti ea ratione loquendi, qua inceperant in fonte omnium harum nuncupationum, centeſimis. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 13. *Mantiſſ. pecun. vet. c.* I. *Auguſtin. Emend.* II. 10. *Noodt de Fœnor. & uſur.* II. 2. Centeſima Latine cum dicitur, palam eſt ſubaudiri vocem *uſuræ*, ut integrum ſit centeſima *uſura*, quod & plerumque plene enuntiatur. Sed & centeſimas ſingulas numero multitudinis cum iidem Latini pronuntiant, utique etiam ſubaudiendas *uſuras* liquet, & ſæpe hanc vocem numero plurium efferunt etiam in deſignando ſingulari *uſuræ* genere. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 6. Id eſt erroneum, & ipſe paullo poſt de eodem dubitat. Quum enim diſputaſſet multis de Græcorum ἑκατοςῇ, utrum ea ex Latina centeſima formata ſit, an centeſimæ originem dederit. *Quid ſi*, inquit, *Latini veteres, cum centeſimam dixere, non ad uſuram, ſed ad unciam reſpexerunt, quia centeſima uncia menſtruatim uſuræ nomine ſoluta centeſimam uſuram efficit? Ac ſic potius eſſet dicenda centeſima uſura quam centeſima. Ita ſane & Græcis bene procederet ſua ἑκατοςὴ, ſubaudiendo δραχμὴ, ut Latinis centeſima,* ſubaudiendo uncia. Poſtea per abuſum centeſimam *uſuram* vocarunt pro centeſimali, vel centeſimaria, hoc eſt, ἑκατοςιαίῳ τόκῳ. *Sic Stertinium acumen, Sulpicia horrea, pro Sulpicii horreis, & Stertinii acumine. Centeſima vero uſura, quæ Romanis maxima, reſpectum habuit ad menſtruam penſionem, non ad annuam, quia nimirum uncia centeſima ſingulis penditur menſibus, ut Græcis ἑκατοςὴ, quia quotquot menſibus ἑκατοςὴ δραχμὴ pendi ſolet. Atque inde nomen.* Hoc ferri non poteſt. Centeſima uncia, aſſis puta centum denariorum, non eſt denarius, quem tamen in menſem ſignificat centeſima *uſura*; ſed ipſius denarii uncia: eſt enim partis centeſimæ duodecima pars: quam ſi qua in re quærimus, eam rem dividamus oportet in aſſes minores centum, & cujuſque aſſis minoris pars duodecima eſt totius unciæ centeſima. Sic ex centum denariis faciendi ſunt centum aſſes, & uncia unius denarii demum eſt uncia centeſima aſſis centum denariorum: ea eſt as cum triente: forentque in annum duodecim aſſes duodecim trientes, ſeu denarius unus. Eo pacto, centeſima & unciarium fœnus foret idem: & ſic progreſſi videntur nonnulli, qui magno errore hæc duo tam diſtantia miſcuerunt. Senſit hoc ipſe c. 7. Quanquam enim in principio dixerat, *aſſes uſuras Romanorum centeſimam, hoc eſt ἑκατοςὴν Græcorum reddere, quia, duodecim cum ſint unciæ in aſſe, ubi centeſima uncia ſingulis menſibus penditur, uſura proprie centeſima vocetur, ut Græcis ἑκατοςὴ ſubaudiendo δραχμὴ*: quæ verba repetunt errorem modo nobis notatum, tamen paullo poſt intentior ſanius loquitur; *Aſſes itaque uſuræ dant aſſem in centum annuum, ut τόκος ἐπὶ δραχμῇ Græcis dat drachmam in menſem: & hac in re differunt Græci a Romanis, quod illi in ea loquendi formula de menſtruis uſuris intelligunt, Romani de annuis. At centeſima Romanorum ſi ab ipſis id nominis inventum eſſet, & non a Græcis ſumptum, de uncia centeſima in ſingulos menſes ſolvenda de centum acciperetur. Tunc vero unciarium fœnus eis idem eſſet cum centeſima.* Quamvis hic quoque falſa interponat de differentia Græcarum, & Romanarum nuncupationum, de centeſima non a Romanis inventa, ſed a Græcis ſumpta. Etſi autem viderit, hac interpretatione centeſimæ miſceri centeſimas, & uncias *uſuras*, nihilo tamen magis in luto hærere deſinit. Itaque ſubjicit: *cum vero verius ſit unciarium fœnus, vel uncias uſuras non unciam dare menſtruam in centum, ſed annuam.* Hoc vero verius non longe eſt, cum falſum deprehendetur. *Ex quo colligi datur, centeſimæ nomen Latinis ex Græco ἑκατοςὴ ad verbum fuiſſe redditum, & converſum: cum nullum Latinum fingere poſſimus ſubſtantivum, quo referri queat. Nam centeſima uncia faceret quidem centeſimam uſuram menſtrua die ſolvendam, ſed ab unciario fœnore*, voluit dicere a centeſimis *uſuris*: nam centeſimam unciam explere ipſum unciarium fœnus jam confeſſus eſt, in totum diſtat. *Partem quidem ſubaudiendam quis poſſet hariolari, ut quia pars centeſima de centum menſtruatim præſtatur, duodecim centeſimas annuatim præſtandas diceremus. Verum melius eſt opinari ex Græco ἑκατοςὴ id nominis eſſe factum.* Qui *partem* ſubaudiendam cenſebit, is plane hariolabitur, ſi hariolari eſt profari, quod ſolum verum eſt. Atque is auctorem habebit Voluſium Mæcianum: qui poſtquam aliquot verſibus de partibus aſſis diſſeruit, tandem ait: *Poſt has inferiores partes (excepta ſemuncia, duabus ſextulis, ſicilico, ſextula, dimidia ſextula, ſcriptulo) neque vocabula propria, neque notas habent. Centeſima, quæ commodi.* . . . . Ergo intelligit centeſimam dici, quæ centeſima eſt pars aſſis, hoc eſt, cujuſcunque crediti, vel fœnoris. Quam cur Græci Romanis imputent, cauſæ nihil habent. Sed cum collatæ centeſimis contractiores *uſuræ* ſic ſeſe habeant, ut ſuæ partes ad aſſem, atque inde nomina ſortiantur, ita ut centeſimas quoque dictas fuiſſe aſſes *uſuras*, valde probabile ſit; hujus duplicis appellationis rationem invertit, & ex fonte rivulum, ex rivo fontem facit. Aſſes *uſuras* vult eſſe proprie Romanæ figuræ, & primæ nuncupationis, quæ deinde Græcæ conſuetudinis vocabulo dictæ ſunt centeſimæ. At contra eſt: quum centeſimas dixiſſent *uſuras* menſtruas, quod quoque menſe pars centeſima ſortis commodi nomine daretur, & vidiſſent eas generare duodecim partes ejuſmodi in anno: propter numerum duodenum easdem aſſes, & minores aſſium partibus nominaverunt: & utrumque vocabulum mere Romanum. Vult Græcos ad *uſurarum* genera ſignificanda uſurpaſſe nummi argentei vocabulum, qui illis in uſu frequentiſſimus, τόκους ἐπὶ δραχμῇ, ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς, formando: Romanis, quia prior ſignatus nummus æreus, aſſem in id adſumptum, uſu his celeberrimum. Quam ſpecioſum, tam fucatum, vanumque hoc quoque. Nam as nummus nihil ad centeſimam, nihil ad alias *uſuras*. Quod autem *uſuræ* centeſima minores explicitæ ſunt vocabulis partium aſſis, in eo conſiderarunt aſſem, non tanquam nummum, ſed tanquam commune inſtrumentum omnis integri, quod duodecim conſtat, vel commode ſecatur partibus, dividendi. *Multa enim antiqui duodenario numero finiebant, ut duodecim decuriis actum*, ait Varr. de Ling. Lat. IV. 4. Centeſimæ autem nomen nihil morati Græcos Romani domi invenerunt, & formarunt apud ſeſe, eo more, quo cætera vectigalium vocabula. Centeſimam rerum venalium, & auctionum dixere, quod centeſima pars pretii promercalium rerum, de centum nummis unus, inferretur ærario. V. ſupr. in *Centeſima*. Cicer. Verr. III. 78. *Scribæ nomine de tota pecunia binæ quinquageſimæ detrahebantur.* Sic viceſima eorum, qui manumitterentur patronis dependenda apud Liv. VII. 16. Vigeſima hæreditatum, quas externi cernerent Plin. Paneg. c. 39. n. 6. in lapidibus antiquis paſſim, quadrageſimæ publicum, & quadrageſima litium apud Suetonium, quadrageſimæ, quinquageſimæque exactio apud Tacitum. V. illos ſupr. in *Quadrageſima*. Hoc quidem non alienum a Græco more. Sic πεντηκοςὴ, τέλος: πεντηκοςολόγοι, οἱ τοῦτο ἐκλέγοντες: πεντηκοςεύεσθαι, τὸ πράττεσθαι τὴν πεντηκοςήν: πεντηκοςολόγιον, locus, ubi pende-

pendebatur. Sic & Demoſth. in Neæram appellat τὴν πεντηκοςὴν σίτε, & τὰς δεκάτας τῆς θεῦ, καὶ τῶν ἄλλων θεῶν πεντηκοςάς. Sic ἐπωνία, τέλος τὸ ἐπὶ τῇ ὠνῇ διδόμενον: εἴη δ' ἂν ἴσως ἡ πέμπτη. Etymologicon magnum. Perperam in libris legum advocantur MAcri libri ad legem vigeſimam hæreditatum, ut l. 13. de tranſact. 32. de religioſ. alibique; etſi non aliter appellent Curetius & Auguſtinus. At nulla fuit *lex vigeſima*, ſed *vigeſimæ hæreditatum*. Ut *lex locationis* dicitur, & *leges publici cujusque* Tacit. Annal. XIII. 51. 1. Et *vectigalibus indictis, neque propoſitis. . . . flagitante populo Romano propoſuit legem.* Suet. Calig. c. 41. n. 1. Itaque fecit Macer indicem ſcriptorum iſtorum *ad legem vigeſimæ hæreditatum.* Capitol. Marc. c. 11. *Leges etiam addidit de vigeſima hæreditatum. Uſura* eſt vectigal privatum. Itaque ſic centeſimam *uſurarum*, vel commodi nomine (Scævol. l. 48. ff. de admin. & peric. tut. *uncias uſurarum nomine*) quoque dixere, huc reſpicientes, quod menſe quovis pars centeſima aſſis, ſeu unus in centum, decem in mille, pro uſu pecuniæ alienæ merces præſtaretur. Errat quoque, cum toties ingerit, eo diverſos abiiſſe Romanos a Græcis, quod horum vocabul. menſtruas, illorum annuas *uſuras* ſignificarent. Quaſi Romanis, quemadmodum & honeſtioribus Græcis, ut alibi loquitur, ignotum, aut vitatum fuerit menſtruum fœnus. Etenim ſi & rem habuerunt, cur ex rei natura non poſuerunt nomina? Honeſtum eſſe, credo, patietur Pompejum Magnum. At de hoc Cicer. ad Attic. v. 1. *Poſt Ariobarzanes, Cappadox a Pompeji procuratoribus ſexcentis premi cœptus eſt. Hoc tamen ſic nunc ſolvitur, triceſimo quoque die talenta Attica triginta tria, & hoc ex tributis: nec id ſatis efficitur in uſuram menſtruam. Sed Cn. noſter clementer id fert: ſorte caret; uſura nec ea ſolida contentus eſt.* Quid ille in l. lecta, *in dies triginta, inque denarios centenos, denarios ſingulos dari?* Et ille alter l. 26. ff. depoſiti: *in ſingulos menſes, ſingulaſque libras uſurarum nomine quaternos obolos.* Cur Kalendarium vocabatur? unde *celeres* Ovidio, unde *triſtes Kalendæ* Horatio? V. illos ſupr. in *Kalendæ.* Auſim contra ſtatuere, menſtruum longe fuiſſe frequentius. Ut res, ſic quoque voces. Non enim centeſimæ modo, perinde ut iſtarum ſuarum Græci, ab eo, quod menſtruum pendebatur, vel debebatur, petiere appellationem, non ab eo quod annuum, ſed etiam ab eodem menſtruo omnes alias hac inferiores *uſurarum* formas denominaverunt. Nam cum ad publicorum vectigalium modum concepiſſent nomen fructus pecuniæ privatæ, centeſimam, ſtatuerunt eam velut fontem, & caput: unde omnia, quibus tot commodorum pecuniæ fœneratitiæ minora genera intelligerentur, vocabula veluti rivuli emanarent: & quod viderent eam annuas hujusmodi partes duodecim, qui numerus unciarum aſſis eſt, parere, juſſerant illam ad inferiora ſeſe habere tanquam aſſem, in quem omne ſolidum partiebantur; ut quod *uſuræ* nomine promiſſum diſtaret tantum a centeſima, quantum unciæ, ſextantes, quadrantes. . . . ab aſſe, id his aſſis partibus vocitaretur: ad ſuperiora, tanquam aſſem unum ad plures: ſic pro dupondio binæ centeſimæ, pro treſſis ternæ, ac deinceps: omnia ex eo quod menſtruum redibat. At Salmaſ. c. 7. *Certe & uſurarum apud Romanos denominationes non menſtruam, ſed annuam ſolutionem notant: nam quod unciarium fœnus dictum eſt, non in ſingulos menſes unciam promittit, hoc eſt, duodecimam ſortis partem, ſed in annum.* Ubi nova rurſus offenſio. Nam ne in annum quidem duodecimam ſortis partem unciarium fœnus promittit. Sit, age, ſors centum denarii: fœnore unciario annuum reddunt unum. At hujus ſortis duodecima pars non unus eſt denarius, ſed octo denarii, & triens, vel duo oboli: nam duodecies octo, nonaginta ſex: quibus ſi accedant duodecim trientes, hoc eſt, quatuor denarii integri, complentur centum. Unciarium igitur, ſi diis placet, fœnus, & *uſuræ* beſſes idem. Uncia in fœnore unciario non eſt capitis, ſive ſortis, ſed centeſimæ: & in ſingulos menſes utique fœnus hoc promittit ejuſdem centeſimæ partis unciam: ut toto anno exiſtat una pars integra centeſima. Centeſima eſt denarius menſtruus in denarios centum. Uncia denarii ſedecim aſſium eſt as cum triente: tantum igitur in menſem parit unciarium fœnus: ni annui ſunt duodecim aſſes, duodecim trientes, hoc eſt, denarius unus ſedecim aſſium. Sic denarius unus ad centum annuos accedit *uncus uſuris*, a parte duodecima centeſimæ, quæ & ipſa menſtrua eſt, appellatis. Sic *ſextantes uſuræ*, ubi ſextantes centeſimæ penduntur in menſem. Denarii ſextans, aſſes duo duoque trientes: hi in annum ſunt viginti quatuor aſſes, & totidem trientes, qui triginta, duo aſſes, hoc eſt, duo denarii. Quadrans denarii in menſem quatuor ſunt aſſes, in annum 48. aſſes, ſive tres denarii: hinc igitur *uſuræ quadrantes*, quæ tres annuos denarios centenis addunt. Triens denarii menſtruus, quinque aſſes triens: duodecim quinqueſſes ſunt aſſes 60. duodecim tridentes, quator aſſes: at 64. aſſibus conſtant quatuor denarii: ſic *uſuræ trientes* quatuor in centum annui denarii. Quincunx denarii ſex aſſes duo trientes, duodecies ſexies, aſſes 72. duodecies duo trientes, octo aſſes: at 80. aſſes, quinque denarii: *hæ uſuræ quincunces.* Semis denarii octo aſſes, qui quot menſibus accedentes ſorti generant 96. aſſes, ſex denarios: tot ergo *uſuræ ſemiſſes.* Septunx denarii, novem aſſes triens: duodecies nonuſſis, aſſes 108. duodecim trientes, quatuor aſſes: at 112. aſſes computantur in ſeptem denariis: tot igitur annui *ſeptunces uſuræ* menſtruæ. Bes denarii, centeſimæ partis menſtruæ, decem aſſes duo trientes: duodecies decem ſunt 120. viginti quatuor trientes, octo aſſes: at 128. aſſes habent octo denarii: ſic *beſſes uſuræ* octo reddunt annuos denarios. Dodrans in menſem denarii, duodecim aſſes: hi annui 144. aſſes, quot ſcilicet habent novem denarii; novem igitur in centum annui *uſuræ dodrantes.* Dextans denarii, tredecim aſſes triens: duodecies tredecim ſunt 156. duodecim trientes, quatuor aſſes: hi 160 aſſes decem conficiunt denarios: tot ergo nummi annui *uſuræ dextantes.* Deunx denarii in menſem facit quatuordecim aſſes duo trientes: duodecies quatuordecim ſunt 168 viginti quatuor trientes, octo aſſes: at 176. aſſes, undecim denarii: tot igitur *deuncium uſurarum* annui. Sic denique as menſtruus, hoc eſt, denarius, eademque centeſima, gignit annuos duodecim denarios. Alia diviſio eſt decem aſſium priſci denarii; ſed nihilo pejus res procedit: ne quis putet ante bellum Punicum II. Romæ non fuiſſe centeſimas. Hujus *unciæ* ſunt ſemis & triens: *ſextans* as duo trientes: *quadrans* duo aſſes, ſemis: *triens* tres aſſes triens: *quincunx* quatuor aſſes ſextans: *ſemis* quinque aſſes: *ſeptunx* quinque aſſes ſemis triens: *bes* ſex aſſes duo trientes: *dodrans* ſeptem aſſes ſemis: *dextans* octo aſſes triens: *deunx* novem aſſes dextans: addito ſemiſſe & triente, quam unciam diximus, fiunt decem aſſes, ipſe denarius as. Ergo ſors centum denarii, *uncus uſuris* menſtruos pariebat ſemiſſem & trientem: duodecim trientes quatruſſis: hi decem aſſes, ſive denarius annuus. *Sextantibus* aſſem duos trientes: ex his duodecim aſſibus & 24. trientibus, qui complent octo, exiſtunt annui viginti aſſes, duo denarii. *Quadrantibus* ſeſtertium antiquum: duodecim autem ſeſtertii, tres denarii. *Trientibus* tres aſſes trientem: ter duodecim ſunt 36. trientes duodecim quatruſſis: junctim 40. aſſes, quatuor denarii annui. *Quincuncibus* quatuor aſſes ſextantem: quater duodecim 48. duodecim ſextantes duo aſſes, hi quinquaginta aſſes, vel quinque denarii. *Semiſſibus* quinarium, vel victoriatum: duodecim autem victoriati, ſex denarii. *Septuncibus* ſuper Victoriatum ſemiſſem & trientem, qui duodecies iterati conſtituunt 70. aſſes, vel ſeptem denarios. *Beſſibus* ſex aſſes binos trientes: duodecies ſex ſunt 72. octuſſis quod dant 24. trientes, appoſito 80. aſſes, vel octo denarii annui. *Dodrantibus* ſeptem aſſes ſemiſſem: ſepties duodecim ſunt octoginta quatuor, ſemis duodecies, ſex aſſes: hi ergo annui denarii 99. *Dextantibus* octuſſis trientem: octo duodecies faciunt 96. quatruſſis addito aſſes ſunt 100. decem denarii. *Deuncibus* novem aſſes, ſextantem: duodecies novem ſunt 108. duodecim ſextantes additi faciunt 110. aſſes, id eſt, undecim denarios. Idem longe mollius, & planiſſime invenies in libris æris,

pror-

prorſus ut appareat in ære gravi, nec ſignato demum, ut cenſebat Salmaſius, cœptas centeſimas acquiſiviſſe nomina, quæ dein etiam in argento tenuerunt. Nam centum libræ æris, ſors, *centeſimis uſuris* menſtruam libram, annuas duodecim libras gignebant: *deuncibus* deunces æris menſtruos, ſive undecim uncias annuas, 132. hoc eſt, libras undecim: *dextantibus* dextantes æris menſtruos, uncias 120. annuas, libras decem: *dodrantibus* dodrantes æris quot menſibus, anno uncias 108. libras novem: *beſſibus* beſſes æris menſtruos, uncias 96. annuas, libras octo: *ſeptuncibus* ſeptunces æris menſtruos, quæ annuæ 84. unciæ, ſeptem libræ: *ſemiſſibus* ſelibras æris, uncias 72. ſive ſex libras annuas: *quincuncibus* quincunces æris, annuas 60 uncias, quinque libras: *trientibus* trientes æris, annuas 48. uncias, libras quatuor: *quadrantibus* quadrantes æris menſtruos, uncias 36. annuas, tres libras: *ſextantibus* ſextantes æris quoquo menſe, anno 24. uncias, binas libras: *unciis* uncias æris menſtruas, annuas duodecim, libras unam. Ille tamen, ne quid ſemel dixiſſe videatur: *At contra Romanis as in centum promiſſus, aut in aſſem centum mutuo data, quamvis centeſimam uſuram deſignent, non tamen de aſſe menſtruo accipienda ſunt, ſed de anno, hoc eſt de duodecim unciis in centum annuatim ſolvendis, vel de uncia una ſingulis menſibus præſtanda.* Hoc vero ipſum eſt unciarium fœnus, tantum diſtans a centeſima, quantum uncia ab aſſe. Non produco verba Imperatorum, ubi *trientem* tertiam, *quadrantem* quartam centeſimæ partem interpretantur: fecit id Auguſtin. Emend. II. 10. Et ipſe interdum ſi oblitus ſui ſic loquitur, interdum ut vera falſis adſpergat. Uti cum ſcribit: *Sextantes uſuræ Latinorum ut ſextam partem centeſimæ denotant, ita duas uncias in centum in annum præſtandas declarant.* Vitioſum poſterius membrum: non enim duas uncias in annum, ſed viginti quatuor: duo denarii pro aſſibus ſinguli tot habent uncias: ſed in menſem plane duas: quia duodecim in anno menſes, fiunt 24. annuæ. Sic igitur *uſuræ unciæ, ſextantes, quadrantes. . .* promittunt quidem unam, ſextam, quartam. . . . partes ex duodecim in annum: ut *unciæ* denarium unum, *ſextantes* denarios binos, *quadrantes* denarios ternos: non tamen inde vocitantur: ſed quod *uſurarum* centeſimarum, quaſi aſſis duodecimam, ſextam, quartam. . . . quot menſibus pollicentur. Hinc etiam intelligitur, injuria Hotomannum dari ſocium illis, qui *unciarium* fœnus, & centeſimas confuderunt, duntaxat eo, quod in verborum juris commentario *uſuram unciariam* interpretatur, *cum pars centeſimæ duodecima ſingulis menſibus ſolvitur,* hoc eſt, *unus in centenos.* Vera hæc definitio: nam pars centeſimæ duodecima ſingulis menſibus depenſa facit annuam partem ſortis integram centeſimam: ut as cum triente, pars duodecima centeſimæ denarium centenum (nam centeſima pars hujus ſortis eſt denarius) in ſingulos menſes, facit in duodecim menſibus unum denarium, partem ſortis centeſimam, uti diximus. Is autem unciarii fœnoris proventus. *Atqui,* inquit, *non animadvertit Hotomannus hac interpretatione, unciariam uſuram, ut vocat* (nimirum hoc quoque improbat in eo, quod *unciariam uſuram,* non *fœnus unciarium,* vel *uncias uſuras* cum veteribus dixerit; at hoc, opinor, juſtius) *eandem cum centeſima conſtitui. Quemadmodum vero? nam,* ait, *in centeſima uſura pars duodecima ejus ſingulis menſibus penditur, & duodecim duodecimæ ſingulis annis.* Sed reprehenſor, quod in aliis culpat, imprudens ipſe in ſeſe admittit: hoc eſt, ex unciario fœnore facit centeſimas, & ex centeſimis uncias *uſuras.* Nam ſi in centeſima *uſura* pars duodecima ejus ſingulis menſibus penditur, quid fiet toto anno præter duodecim uncias centeſimæ? atque adeo una tantum integra centeſima pars ſortis? Vel uti unus denarius acceſſio centenum? Hæc ergo quæ ſunt niſi *unciæ uſuræ?* In centeſimis *uſuris,* quod affirmaſti toties, non pars duodecima centeſimæ, ſed pars centeſima ſortis integra ſingulis menſibus penditur, ut fiant centeſimæ partes ſortis duodecim in anno. Sic centum denarii centeſimis *uſuris* merent denarios duodecim, ſingulis menſibus ſingulos. *Sed quomodo,* pergit, *quæſo te, ea uſura, quæ duodecim annuas uncias pendit, poteſt dici unciaria.* At ego, quæſo te, dicam, quod aliud fœnus unciarium, quam quod menſtruam unciam, annuas duodecim uncias centeſimæ partis, & ſic unam centeſimam ſortis partem annuam reficit? ut cum centum denarii menſtruum aſſem cum triente, annuos duodecim aſſes, duodecimque trientes, id eſt, denarium unum annuum progignunt. *Haud, inquit,* magis ſubjicit, *quam appellari mereatur ſemiſſium uſurarum nomine, quæ duodecim ſemiſſes in annum penderet.* Non fallitur, ita eſt enim, gemina ſunt hæc, & germana, ſed & (quod fallitur ille cum ſecus exiſtimat) juxta vera, & ſana. Sunt enim *ſemiſſes uſuræ,* quæ unum ſemiſſem menſtruum, duodecim ſemiſſes annuos centeſimæ pendunt. Ut cum centum denarii quot menſibus ſemiſſem unum centeſimæ partis, quæ denarius, nempe tres obolos, ſive victoriatum, annuos duodecim ſemiſſes centeſimæ parti, hoc eſt, duodecim victoriatos, qui ſex ſunt denarii, acquirunt. *At,* urget, *unciarium intelligunt, quod unciam ſingulis menſibus præſtat.* Cur non pariter intelligendæ ſint & ſunt *uſuræ ſemiſſes,* aut *trientes,* quæ in ſingulos menſes ſemiſſes pendant, aut trientes? Jus poſtulat: ſunt enim illæ pariter intelligendæ *trientes,* ut *unciæ,* & *ſemiſſes uſuræ* quum triens menſtruus, duodecim trientes annui centeſimæ partis proveniunt. Ut e centenis denariis quoque menſe quinque aſſes triens annuos faciunt quatuor denarios triental fœnore. Non deſunt alii, imprudentius in eadem re locuti. Junius Nomencl. c. 44. *Uſura unciaria, centeſima Ciceroni, fœnus unciarium Tacito, quæ centeſimam ſortis partem ſingulis menſibus capit: quanto annuum quo unius duodecim penduntur uſuræ nomine: ibi enim aſſis nomine cenſetur annus; ut unciarum vicem gerunt menſes.* Qui ponit duodecimam partem pro toto ex duodecim partibus conſtante. Secuti ſunt tamen illum Thomaſius, & Matth. Hoſtus II. 1. Ridendum vero aſſis nomine cenſeri annum, menſes uncias. Sane ubi annus as, menſis uncia, bimeſtre ſextans, tres menſes quadrans, & deinceps, ſed quid hoc ad *uſuras?* nihilo magis quam ad cyathos ſextarii, aut ad pedes jugeri, aut hæreditatis conſortia. An *uſuræ* ſunt partes anni? Reditus pecuniæ ſunt currentibus anni articulis multiplicati: dicuntur autem unciæ, ſextantes, quadrantes non *anni,* ſed *centeſimæ* ratione. Manut. ad Cicer. Fam. v. 6. teſtatur *ſe diſſentire cogi a doctis hominibus, qui affirment, unciarium fœnus leviſſimum eſſe, quod, ut ipſe arbitratur, graviſſimum fuerit, idemque cum centeſima.* Quæ vero illa Diomedæ neceſſitas tantum cogens? *Uſurarum enim,* inquit, *quædam nomina menſtruam ſolutionem, quædam annuam ſignificant: menſtruam, ut centeſima, unciaria, ſemunciaria: annuam, ut ſemis, triens, bes.* Hic novus error, nec admodum ſpecioſus; nam centeſimæ appellandæ propriam, & differentem ab aliis rationem fuiſſe facile concedas: uncias vero, & ſemuncias *uſuras* aliter vocatas, quam ſemiſſes, beſſes, trientes, & illas quidem a menſtrua, has ab annua acceſſione, cui veriſimile videbitur? quid ſemiſſes, niſi ſex unciarum? quid beſſes, niſi octo? quid trientes, niſi quatuor? Ergo cujus temporis intervallo naſcentes ſex, & octo, & quatuor unciarum dictæ ſunt, ejusdem prorſus & unius unciæ, & ſemunciæ. *Sed,* inquit, *ſi centeſima, vel unciaria, vel ſemunciaria ſemel in anno ſolverentur, quis tantulo quæſtu pecuniam ſuam collocaſſet?* Hæc interrogatio adhibetur ad probandam rem veram, quam minime probat. Verum eſt, centeſimas, uncias, ſemuncias *uſuras* dictas a menſtruo lucro: nec tamen abſurdum, ſemel quandoque in anno ſolvi, ut hodie fere ubique, etſi ſingulis menſibus novum augmentum per illas debeatur: multo minus dubitandum, homines tanto quæſtu pecuniam collocare voluiſſe. Quid enim facerent, cum legibus aliæ quam unciæ, aut ſemunciæ, vetitæ eſſent. Nam centeſimis parum congruit illud *tantulo quæſtu.* Centeſimas explicat ipſe duodecim annuos pro centenis, quas perperam voluit eſſe easdem quas uncias *uſuras.* Ubi inter bonos agitur, quid refert, duodecies ſinguli, an ſemel duodecim in anno ſolvantur? Semuncias facit easdem quas ſemiſſes. Per-

peram hoc quoque: ſed quid refert, duodecies dimidiati ſinguli nummi, an ſemel duodecim dimidiati, vel ſex integri numerentur? alio igitur argumento hic opus erat. *At ſi bes, ait, vel ſemis, vel etiam triens uſura menſtrua eſſet, quis tanta rei familiaris jactura fœnebrem pecuniam accipere voluiſſet?* Hic & falſum colligit, nempe non fuiſſe menſtruos ſemiſſes, beſſes, trientes, & falſum ponit, nempe eam eſſe nimiam jacturam rei familiaris. Velim ſcire, quos trientes, ſemiſſes, beſſes ſibi finxerit Manutius. Nam ſi intellexiſſet, eos eſſe centeſimæ trientes, ſemiſſes, beſſes, non ſtatuiſſet hos graviores rei familiari quam centeſimam: ſed alterius temporis intuitu illos quam hanc nominari putaſſet. Concludit, ſe opinari, unciarium fœnus, & centeſimam idem eſſe, ut ratio habeatur menſtruæ ſolutionis, non annuæ: ſemunciarium autem idem cum ſemiſſibus, ut in his annua ſolutio ſpectetur: in illo menſtrua. Inſanum male: nam centeſimæ ſunt, cum centeſima pars ſortis, unciæ, cum duodecima pars centeſimæ, ſemunciæ cum viceſima quarta centeſimæ, trientes cum tertia pars ejuſdem centeſimæ, ſemiſſes cum dimidia, beſſes cum duæ tertiæ *uſurarum* nomine ſingulis menſibus debentur: hoc eſt, in centenos annui vel duodecim, vel unus, vel dimidiatus, vel quatuor, vel ſex, vel octo nummi. Gothofr. ad leg. XII. tab. *fœnus unciarium eſt*, inquit, *quod unciam unam menſtruam in aſſem pendit. Quis credit et unciam, niſi aſſis, in quem pendatur.* At eam nequaquam præbet unciarium fœnus, nec eo reſpectu dicitur. Ponamus denuo ſortem, vel aſſem centum denariorum: ejus uncia ſunt octo denarii triens: tantum ſi pendatur menſtruum, *uſura* annua æquabit ſortem: nam uncia illa duodecies conficitur in anno pro menſibus duodecim: duodecies autem octo denarii ſunt 96. & duodecim trientes denarii quatuor fiunt reliquos, qui juncti ſunt centum. Debuit igitur dicere: quod unciam centeſimæ menſtruam in aſſem, vel ſortem pendit. Sic alius ad eadem XII. tab. *unciarium fœnus* negat ex *menſtrua ratione definiri, quum ſcilicet ſingulis menſibus duodecima pars aſſis pendatur: neque enim aſſem in uſuris eſſe menſtruum, ſed annuum duntaxat.* Falſum eſt unciarium fœnus non ex menſtrua ratione dici: nam inde dicitur, quod unciam centeſimæ quovis menſe reddit, conficitque annuam partem centeſimam, qui nummus unus in centum. Fruſtra putat, ſi ex menſtrua ratione ducatur unciarium fœnus, futurum, ut duodecima pars aſſis pendatur: non enim aſſis, ſive ſortis, ſed centeſimæ ea duodecima eſt. Male & re, & verbis, quum aſſem in *uſuris* menſtruum eſſe inficiatur, annuum confirmat. Nemini Latinorum appellatur *as in uſuris*, aut *as uſurarius*, ut mox loquitur. Talia ſunt Salmaſ. de Mod. uſur. c. 6. *as in centum promiſſus*, & *centum in aſſem mutuo data:* quæ genera loquendi veteribus ignota mirificas tenebras auctoribus ſuis offudere. Centeſima reſpectu elementiorum *uſurarum* conſideratur ut as, quia illæ a centeſima tantum diſtant, quantum ab aſſe deunces, dextantes, dodrantes. . . . & proinde illis partibus appellantur. Hæ aſſes *uſuræ* omnino menſtruæ: nam centeſima eſt, ubi centeſima pars ſortis quoquo menſe fit lucri: & ſic etiam *uſuræ* inferiores appellantur ab ea parte centeſimæ, quam lucrificiunt: nam deunces *uſuræ*, cum centeſimæ deunces menſtrui penduntur, qui in anno denarii ſunt undecim; dextantes, cum centeſimæ dextantes, qui in anno decem: & ita deinceps. Calviſ. Chronol. ad annum ante Chriſtum natum 352. per occaſionem legationis tribunitiæ. *Eſt*, inquit, *unciarium fœnus, quando annuo ſpatio ſortis uncia, ſive duodecima pars ſolvitur, in duodecim unus, in centum octo. Differt igitur*, addit, *unciarium fœnus a centeſima.* Sane differt: ſed & differunt ab unciario fœnore *uſuræ* beſſes, per quas illud deſcribit: hoc eſt, utrumque genus confundit, eadem offenſione, quam modo in c. 6. de M. U. notavimus. Sic ad annum 340. ſemunciarium fœnus dicit, quum de 24. aureis unus annuo ſpatio ſolvitur. At hæ ſunt *uſuræ* trientes. Semunciarium fœnus in centenos dimidiatum adſciſcit annuum. Obſervat Salmaſius, Ciceronem, & optimos veterum ſæpius centeſimas, quam centeſimam dixiſſe; nec has tantum, ſed & uncias, ſextantes, quadrantes.... *uſuras* potius quam unciam, ſextantem, quadrantem.... *uſuram:* ſed hujus accurationis cauſam, aut non indagavit, aut non edidit, quod meminerim. Ego duplicem ſuſpicor: alteram, quia ſors plerumque plurium erat centenum, & ſic plures centeſimæ, aut plures centeſimarum unciæ, ſextantes, quadrantes.... quæque convenerant, menſe quolibet maturabantur: alteram, quia etſi ſingulæ quot menſibus debitæ, & accreſcentes, unde nomen habuerunt, plurimum tamen plures ſimul, atque adeo ſæpe annua die duodenæ omnes ſolvebantur. Atque ex his etiam colligas, haud dubie rectius traditum c. 6. de M. U. ἑκατοστὴν, quia neque apud veteres Atticos, ſive hiſtoricos, ſive oratores, neque in ſcriptis grammaticorum, qui eorum vocabula ſunt interpretati, reperitur, ſed tantummodo apud illos, qui ſub Romano imperio ſcripſere, dictam eſſe a centeſima Latina; quam c. 7. in quo ſpretis melioribus cogitationibus ſuis acquieſcit auctor, centeſimam ex Græcorum ἑκατοστῇ ad verbum fuiſſe converſam. Falſum quoque, ad eum fœnoris modum veniſſe Romanos illo demum tempore, quo negotiatores Romani generis, & publicani in Aſia, Græciaque fœnus exercentes appellatione ἑκατοστῶν in illis locis magis pervulgata libentius eam rem exprimere ſoliti ſunt. Ipſi enim Romani nomen centeſimæ, Græciæ, Aſiæque incognitum, primi eo intulerunt. Præterea de unciario fœnore lex eſt perlata an. 396. C. Marcio Rutilo, Cn. Manlio iterum coſſ. centum propemodum annis, antequam bello Punico I. in Siciliam tranſcenderunt. At quomodo unciarium fœnus potuit appellari, ſi ignorabatur centeſima. Neque enim intelligimus *uſuras uncias* niſi centeſimarum. Quod nullum fuit in univerſum, quomodo ejus unciæ dici potuerunt? Falſum, antequam Græcia, & Aſia potirentur Romani, præter unciarium, & ſemunciarium fœnus, vix aliud Romæ cognitum fuiſſe. Scilicet hoc erat, propter quod tam graves ſeditiones toties ortæ ſunt, ut in ultimum diſcrimen venerit res ſumma publica: cum nullæ leges eſſent tam ſanctæ, quas non libido quæſtus perrumperet. Scilicet unciarium fœnus erat, quo *multiplici jam ſorte exſoluta, mergentibus ſemper ſortem uſuris*, quis obrueretur, ut queritur addictus ille apud Liv. VI. 14. Ego vero non dubito, quin & ante Sacrum montem, Meneniumque Agrippam ſanguinolentæ centeſimæ tenuiores agris paternis, & avitis exuerint. Cur enim bonorum virorum ingratiis, prævalente plebis potentia, leges de unciario, & ſemunciario fœnore ſunt rogatæ, ſi hæc genera tantum in uſu fuerunt? *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 13. De *uſuris* centeſimis ſcripſerunt etiam *Scalig. de Re numm. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1541. *E. Auguſtin. de Legib. in Duilia Menenia fenebri unciaria. Buleng. de Imp. Rom.* VII. 18. *Bud. in Pandect. p.* 196. *E. Cenal. de Pond. ac menſ. rat. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1517. *F. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. II. *Noodt de Fœnor. & uſur.* II. 2.

Uſuræ beſſes.
Uſuræ dextantes.
Uſuræ dodrantes.
Uſuræ ſemiſſes.
Uſuræ ſeptunces. — V. illas ſupr. in *Uſuræ centeſimæ.*
Uſuræ ſextantes.
Uſuræ quadrantes.
Uſuræ trientes.
Uſuræ unciæ.

Uſuræ uſurarum veteribus licitæ fuerunt ex edicto tralatitio. Cicero *anatociſmum* appellat eas *uſuras:* eumque ſe, cum Ciliciæ præeſſet, edicto, non novo, ſed tralatitio permiſiſſe refert: at demum centeſimarum, & anniverſariarum; qui erat, ſi debitor intra annum integrum ceſſaſſet in ſolutione menſtruarum *uſurarum.* ad Attic. V. 21. *Interim cum ego in edicto tralatitio centeſimas me obſervaturum haberem cum anatociſmi anniverſario, ille ex ſyngrapho poſtulabat quaternas.* Sed ſenatus eas ſuſtulit. Cicer. l. l. *Habes meam cauſam: quæ ſi Bruto non probatur, neſcio,*

cur

cur illum amemus: sed avunculo ejus certe probabitur, præsertim cum Sctum modo factum sit, puto, postquam tu es profectus, in creditorum causa, ut centesimæ perpetuo fœnore ducerentur. Id enim valet, sine renovatione singulorum annorum: sive, ne deinceps *usuræ usurarum* solverentur: quod alibi ait ad Attic. vi. 2. *Salaminios autem (nosenim poteram coercere) adduxi, ut totum nomen Scaptio vellent solvere; sed centesimis ductis a proximo quidem syngrapha, nec perpetuis, sed renovatis quotannis.* Sustulerunt eas Principes: ut refert Modestin. l. 27. ff. de re judicat. usque adeo, ut etiam rescripserint Diocletian. & Maximianus l. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog. *Improbum fœnus exercentibus, & usuras usurarum exigentibus infamiæ maculam irrogandam esse.* Satis clare: nisi quæsitum esset, quando *usura usurarum usuræ* forent, cum enim cautum esset, ne id fieret (nempe, ne eadem res & causa esset, & accessio, cum facile debitoris pernicie l. 2. §. 5. ff. de administr. rer. ad civit. pertinent.), homines avari, & juris calidi, suo specie servandæ legis ejus vim eludere: prorsus, ut non iteratas, sed veras posita viderentur: interpret ti enim sunt, *usurarum usuras exerceri*; cum creditor stipulatur pecuniam, quam credidit, sibi reddi certa die, & quo tardius solvatur, ejus *usuras* dari, his quoque sua die non solutis, etiam earum *usuras* præstari: atque eas civili jure prohiberi: quia tum ex *usuris* re vera *usuræ* solvuntur: id est, accessionis accessio est. Et is est casus l. 26. §. 1. ff. de condict. indeb. l. 27. ff. de re judicat: at longe aliud esse: si *usuræ*, ante decretæ, interveniente stipulatione, adjiciantur; atque ex summa integra, si non solvatur, aliæ rursus *usuræ* promittantur: *usuras* enim consummatas, inque sortem redactas, non *usurarum* nomine, sed sortem esse: ex qua *usuras* deberi, neque legem impedire; quia de *usuris* loquitur: neque iterum; cum non intersit debitoris, utrum accepta a creditore mutua pecunia ei *usuras* solvat, an quas debet, ejus conferat retineat: quo in casu, etsi palam dicta non sit pecunia mutua, tamen intelligi datam brevi manu: rationis quoque esse, ne creditori steriles sint *usuræ*, cum interim debitor fruatur pecunia credita, aut ebas ex ea emptis. Sed hæc res, quamvis & rationis, & juris speciem habeat, tamen displicet Justinian. l. 28. C. de usuris, quia ei visa est, quamquam non legis verbis, tamen sententiæ adversari. Quæso quid agit lex, cum *usuras usurarum* vetat, quam ne debitor ab inhumano creditore *usurarum* cumulatione opprimatur? & quid interest, si ad eum spectes, utrum creditor ex *usuris usuras* in stipulationem deducat, an ex *usuris*, in sortem redactis, *usuras*. stipuletur? æque enim in hac, atque illa specie ex *usuris usuras* ducit, debitore moræ periculum parum sentiente: etsi in altera plenius fiat, in altera non verbis tegit: atque eo periculosius debitori; quia ita fit, ut is ... per partes solvere, eaque re *usuras usurarum* prævenire non possit: quod altero, & hoc publice impune ..., aperte facere poterat. Tantum de anatocismo, stipulatione facto. Venio ad illum, qui re judicata exercetur: nam & is placet civili jure l. unic. C. Th. de usur. rei judic. quia lite contestata, & secuta condemnatione fit, ut prior obligatio, quasi interveniente novatione, in judicati obligationem transferatur l. 3. §. 11. ff. de peculio l. 16. §. 6. ff. de pignor. atque id non in sorte tantum, sed in *usuris* quoque procedit: nam & hæ condemnatione, quasi novatione, consummantur: maxime, si & sors, & *usura* sit petita. Nam si sors petita sit, *usura* non sit: verius est, cum alia sortis, alia *usurarum* obligatio sit l. 8. ff. de eo quod certo loco, sortis quidem stipulationem novari, sed *usurarum* non novari l. 1. C. de judic. Fit igitur anatocismus jure civili non tantum stipulatione, sed etiam re judicata: modo, si *usuræ* quoque in condemnationem deducantur. Tum enim finiuntur eæ ex priore actione: & post legitimum solvendi judicati tempus quod ab *usurarum* præstatione excusatur, incipiunt currere *usuræ* rei judicatæ; sed integræ: id est, & sortis, & veterum *usurarum* quæ in sortem condemnatione redactæ sunt. Sed Justinianus hoc quoque in casu *usuras usurarum* sustulit l. 3. C. de usur. rei judic. *Novat. ue Fæn. or. & usur.* ii. 11.

USURPATIO, ut scribit Paull. ff. de usurpationibus, *est usucapionis interpellatio*. Hinc Venul. l. 52. §. 2. ff. de acquir. possess. *Si enim maneat in possessione ... eo ... pro ... interpellanti eum fieri: Si ... enim cedere adversarium, & vacuam relinquere possessionem jubet, quod multo plus est, quam restituere.* Hic autem ..., ille qui indu ... erit, *usurpandi* causa ... ingenue consuevit, atque ita possessionem adversarii interrupit. Itaque huc alludens, de philosophis cum oratoribus contendentibus ubi agit, dicit Cicer. de Orat. iii. 28. *Etiam hic ... dirigente ... , sed ... ut ... , aut judicio, ut denique recuperare amissam possessionem, sed ut ex jure civili, surculo defringendo usurpare videantur.* Sigon. de Judic. i. 21. Laurent. de Sponsal. & Nupt. c. 2. Ravard. Protribun. c. 9.

Usurpatio in matrimonio *usu* contracto *usucapionis* interruptionem significat, non vi quidem, & proprietate verbi, sed per consequentiam. Si enim id quod possideo, necdum tamen usucepi, ab aliquo sollenniter *usurpetur*, sive apprehendatur: is, si ejus rei dominus est, possessionem meam sua *usurpatione* interrumpit. Quoniam mulieres in potestate aut mariti, aut parentum, vel tutorum esse perpetua, idcirco *usu* uxor nondum *usucapta*, ante annum a marito discedens, usurpabatur: h. e. aut a parentibus, aut, si illi non essent, a tutoribus sollenni quadam ratione apprehendebatur, & mariti potestate liberabatur, si ab eo trinoctium abfuisset. Atque ita videtur intelligendum esse quod Gell. iii. 2. & Macrob. Sat. ii 3. prodiderunt. *Q. quoque Mucium ... lege, non esse usurpatam mulierem, quæ Kalendis Januariis apud ... matrimonii causa ... , ... ante diem quartum Kalendas Januarias, ... usurpatum iret.* ... Ravard. ad Leg. xii. tab. c. 21. Rosin. Antiq. Roman. v. 38. Schill Nomencl. Philol. p. 437.

UTE.

UTENSILIA dicuntur quæ victui sunt necessaria. Varr. de Re rust. i. 2. *Quod in Italia utensile non modo non nascitur, sed etiam non egregium fit? Quod far conferam Campano? quod triticum Apulo, quod vinum Falerno? quod oleum Venafrano.* Liv. iii. 42. *Castra amissa, exutiuque omnibus utensilibus miles Tusculum se fide, misericordiaque victurus hospitum contulerat.* Quo locum im. ... Tacit. Annal. i. 70. 5. *Pernoctavere sine utensilibus, sine igni*, id est, sine cibo, & ... victus: nam ... superfuit, aqua haud dubie maritima corruptum fuit. ... enim est fast rere impendia, ... in sumptum, sufficere sumptibus. Plaut. Trin. ii. 2. 74.

Deum virtute habemus, & qui nosmet utamur, pater.

id est, unde vivamus, victum, & cultum habeamus. Cicer. Attic. xi. 11. *Quare id quoque velim, cum illa videas, ut sit qui utamur.* Gronov. de Pecun. vet. ... 7. Dicuntur etiam, quæ in usu quotidiano quis habet, supellex. In Græcia moris fuit, ut creditores acciperent *utensilia* pignori a pauperibus creditoribus. Nam ex oratione contra Timotheum constat, quin habere ... pignora idonea, sine pignoribus mutuum contrahere solitos: *Ut autem sciatis, quod sine pignoribus debuit quibusdam civium, quia non haberet idoneas res ad obligandum.* Supellectilem, ut apparet, & quæ in usu quotidiano quis haberet, ut vestem, & alia ad usum necessaria non moris apud Græcos pignori dari. Quod cum hæ apud Latinos quidem, sed ex gene ali bonorum obligatione ea excipientur, ex jure ac moribus Græcorum id videntur hausisse. *Salmas. de mod. usur. c.* 13. Mulieris nubentis, & quæ in usu, ac ministerio ejus erant, per puerum impuberem in vase operto gestari consueverant. Festus. V. illum ... in *Camillus*.

UTER est saccus coriaceus, quo aquam, vinum, oleum portabant. Curt. iv. 7. 12. *Aqua etiam defecerat, quam*

quam utribus cameli devexerant. Ulpian. l. ſi cui ff. de tritic. leg. *Vino legato utres non debebuntur, nec culleos deberi dico.* Inter vaſa vini conditoria eſt apud Polluc. VI. 2. Plin. XII. 7. *Inde in utribus camelorum id,* medicamentum liquidum, & odoratum *mittunt.* Pætus de Roman. & Græcor. menſ. III. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1647. D. Schel. in Polyb. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1147. A. Popma de Inſtrum. fund. c. 17. Pitiſc. in Curtium. *Utribus* etiam flumina tranſibant. His exercitum trajicere Græcos docet Rhodius quidam apud Xenoph. Exped. Cyr. III. p. 215. qui cum hærerent, & quid agendum eſſet, neſcirent duces, cum hinc arduis montibus, illinc profundo cohiberentur flumine, quaterna millia gravis armaturæ peditum ſimul trajecturum ſe promiſit. Fiebant ex ovium, caprarum, boum, aſinorum pellibus. Rhodius apud Xenoph. l. l. *Ovium, caprarum, boum, aſinorum coria detracta, & inflata facilem trajectionem præſtare poſſent.* Interdum inflabantur. Frontin. III. 13. 5. *Juſſit inſidentem duobus inflatis utribus ire ſeptem millium paſſuum trajectum.* Suet. Jul. c. 57. n. 2. *Si flumina morarentur, nando trajiciens, vel innixus inflatis utribus, ut perſæpe nuntios de ſe præveniret.* Xenophon modo laudatus. Interdum ſtramentis referciebantur. Curt. VII. 5. 18. *Utres quam plurimos ſtramentis refertos dividit.* 9. 4. *Quos utres ſtramento repletos tenebant.* Arrian. Exped. Alex. I. p. 9. *Pelles, ſub quibus in caſtris degebant paleis impleri jubet.* Imo & ſarmentis aridis. Arrian. III. p. 233. *Collectis itaque pellibus, ſub quibus milites in tentoriis degebant, ſarmentis quam maxime ſiccis eas impleri, accurateque vinciri, & conſui jubet, ne aquam ex aliqua parte admittere poſſent: quibus ita impletis, & conſutis, exercitum quinque dierum ſpatio traduxit.* Lipſ. Poliorc. II. dial. 5. Schel. l. l. Stewech. ad Veget. III. 7. Blanckard. in Arrianum, Pitiſc. in Suetonium & Curtium. Illis dicebantur *inniti.* Suet. l. l. *incubare.* Curt. VII. 5. 18. *inſidere.* Frontin. l. l. *ſe ſuſpendere, & pedibus iter gubernare.* Flor. III. 5. 16. *ſuper illos nare.* Curt. VII. 8. 6. *Pitiſc. in Suetonium.*

UTI.

UTI *nunc ſunt, ita ſint* erat formula antiqua recipiendarum ſervitutum. l. ſi arborem. §. hæc lex traditionis. ff. de ſervit. urb. de ſtillicidii ſervitute. *Stillicidia uti nunc ſunt, ita ſint.* Et l. cum in lege. ff. de contrah. emption. *Flumina, ſtillicidia, ut nunc ſunt, ut ita ſint.* Briſſon. Antiq. ſelect. I. 19.

Uti rogas qualis fuerit formula V. ſupr. in *Formula ſuffragii.* & in *U. R.*

UTR.

UTRARII dicebantur, qui *utribus*, & aliis id generis pellibus aquam in caſtra deferebant. Liv. XLIV. 33. *Poſtremo ſequi ſe utrarios ad mare juſſit.* Godelev. in Livium. Pitiſc. in Curt. IV. 7. 12.

UTRICULARII erant ſpecies nautarum, ita dicti ab *utriculis*, ſive naviculis in *utris* formam fabrefactis: unde ſæpiſſime in antiquis lapidibus cum naviculariis, & lenunculariis conjunguntur. Inſcriptio Lugduni ad inſulam Barbaram in eccleſiæ pavimento:

D. M. ET. QUIETI. ÆTERNÆ
C. VICTORI. . . . TURICIS
SIVE QUIGIRONIS. CIVIS. LUGD
INCORPORAT. INTER. UTRICULAR
LUG. CONS.
EJUSDEM. CORPORIS. ITEM. PATRON
FABROR. NAVAL. UTRICULAR. ET
CENTONAR. C. PASQUIUS
EPIGONIUS. CUM. LIBERIS. SUIS
PATRONO
OPTIME. MERITO

Reineſ. Inſcript. Claſſ. XI. n. 36. Spon. Miſc. Erud. Ant. Sect. VI. p. 238.

Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. *p. 710. C.*

Utricularii dicuntur fabri *utricularis* tibiæ. Inſcriptio apud Gruter. p. 448. n. 5.

D. M
G. PASQUI. OPTATI. LIB. PAR
DALÆ. IIIIII. AUG. COL
JUL. PAT. AR. PATRONI

Utricularii etiam dicuntur, qui *utriculari* tibia utebantur, & canebant. Suet. Ner. c. 54. n. 1. *Sub exitu vitæ palam voverat, ſi ſibi incolumis ſtatus permanſiſſet, proditurum ſe partæ victoriæ ludis etiam utriculariam.* Græci illos artifices ἀσκαύλας appellaverunt. Gloſſæ optimæ: *utricularius*, ἀσκαύλης. Unde & Latinis aſcaules pro *utriculario.* Mart. X. 3. 8. Ejus eſt inflare *utrem*, & retinere manu calamos, per quorum foramina moduli diſtinguuntur, & preſſum *utrem*, & inſtigatum exanimare, cubito, ita ut calami vibrentur ex vexatione aſſidua. Virg. Cop. n. 1.

Copa Syriſca caput Graja redimita mitella,
Criſpum ſub crotalo docta movere latus:
Ebria famoſa ſaltat laſciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Scalig. in Catal. p. 118. & 255. Barthol. de Tib. III. 7. Buleng. de Theatr. II. 35. De crotaliſtria tamen hoſce verſus eſſe intelligendos contendit *Salmaſ. in Vopiſc. Carin. c. 19.*

UVA.

UVÆ ſunt inter bellaria. Vennucula in ollis ſervatur, Albana fumo duratur. Horat. Sat. II. 4. 71.

—— vennucula convenit ollis,
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.

Uvam Albanam cum malis Catius catinis imponebat. Horat. Sat. II. 2. 121. V. illum ſupr. in *Nux.* Buleng. de Conviv. II. 64. Vindemiæ tempore ollam novam *uvis* refertam, bene picato operculo, in vinaceis recondebant, atque ſervabant aliquando in proximam æſtatem: aliqui ipſas in muſto recondebant. Plin. XIV. 1. *Aliæ in ſua tantum continentur anima ollis fictilibus, & inſuper doliis incluſæ, ſtipatæ vinaceis circumſudantibus.* Tales vocantur ollares. Mart. VII. 19. 9.

Illic & uvæ collocantur ollares.

In veteri Lexico βοτρυώνες, id eſt, racemi conditi, qua voce uſus eſt Mart. XI. 28. 4.

Nec dignum toto ſe botryone putat.

Aliæ ſervabantur in paleis, unde & paleares dictæ, quæ paleis ſicciſſimis cribratis, ut ſine pulvere eſſent obrutæ, in fictili novo condebantur, & in tabulato reponebantur ſicciſſimo; quas proximas penſilibus facit Plinius. Præter has erant penſiles, de quibus Horat. Sat. II. 2. 21. modo laudatus. Duobus modis ſervabantur penſiles: vel enim in granariis illas ſuſpendebant. Plin. XV. 17. *Sunt qui ſuſpendi uvas procul malis, protinusque in granariis jubeant, quoniam optime ſit operimento pulvis penſilibus.* Vel in ferrariis officinis, in quibus quæ adſervatur, fabrilis vocatur, ac *uva* fabricia Theodoro Priſciano medico, libro qui inſcribitur Logicus c. 13. Cæl. Aurelian. Tardar. paſſion. IV. 3. dicit *fabrilem uvam eſſe fumi vapore ſiccatam.* Plin. XIV. 1. *Aliis* uvis *gratiam, qui & vinis, fumus affert fabrilis, iisque gloriam præcipuam in fornacibus Africæ Tiberii Cæſaris auctoritas fecit.* Horatius Albanam huic rei aptiſſimam modo fecit. *Nonn. de Re Cibar.* I. 41.

VUL.

VULVA ſuilla erat Romanis in deliciis. Unde Horat. Epiſt. I. 15. 41.

—— vulva nil dulcius ampla.

Triplex erat priſcis: ejectitia, porcaria, & ſterilis. De dua-

duabus prioribus Plin. xi. 37. *Vulva ejecto partu melior, quam edito. Ejectitia vocatur illa, hæc porcaria; primiparæ suis optima, contra effœtis a partu, præterquam eadem die suis occisæ, livida ac macra.* L. *Vulva enecto partu melior quam edito.* Differentia enim *vulvæ* ejectitiæ & porcariæ in illo erat, quod ejectitia diceretur, quæ abortum passa erat, ideoque ab Athenæo iii. p. 101. A. ἐκβολάς dicta. Porcaria vero quæ fœtum ediderat. Sed cum bruta raro abortum patiantur ab interna causa, vi cogebantur abortire sues. Plutarch. de Esu carn. Orat. ii. p. 996. F. *Alii verubus ignitis porcos jugulant, ut ferri tinctura sanguis exstinctus atque diffusus carnem molliat, delicatamque reddat; alii uberibus suum fœtarum instante partu insiliunt, eaque calcant, ut sanguinem & lac & tabum fœtus simul interfecti, inter matris dolores eximentes, proh piacularis Jupiter! maxime inflammatam animalis partem vorent.* De porcaria Mart. xiii. 56.

Te fortasse magis capiet de virgine porca:
Me materna gravi de sue vulva capit.

Tertia sterilis, de qua Cels. ii. 24. inter cibos, qui stomacho utiles sunt, recenset *ex sue ungulas, rostra, aures, vulvasque steriles.* Apic. de Art. Coquin. vii. 1. *Vulvæ steriles. . . .* Nonn. de Re Cibar. ii. 4. Willich. de Art. magir. c. 8. Hummelberg. in Apicium. Castellan. de Esu Carn. ii. 2. Torrent. & Lambin. in Horatium. De *vulva* contra Merulam disputat *Wuell. Defens. Plinii & Calderini c. 1.* V. & supr. in *Sumen.*

UXE.

UXELLODUNUM erat oppidum Cadurcorum, egregie natura loci, & in partes omnes præruptissimis saxis munitum, quo defendente nullo, tamen armatis adscendere erat difficile. Flumen infimam vallem dividebat, totumque pæne montem cingebat: atque ita infimis montis radicibus ferebatur, ut nullam in partem depressis fossis derivari posset. Quod quomodo C. Caninius oppugnaverit, & expugnaverit, curatius describit Cæs. de Bell. Gall. viii. 33. Sed hunc, quia omnium teritur manibus, non describo. *Ramus de Milit. Cæsar. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1591. *B.*

UXO.

UXOR dicebatur fieri tribus modis, coemptione, confarreatione, usu. V. illos suis locis. Et illico, quum sponsa ingressa domum sponsi sic vocabatur, & vir maritus. l. cum te. C. de donat. ant. nupt. l. genera ff. de rit. nupt. & ex eo dicitur *uxor* duci l. cum fuerit. ff. de condit. & demonst. & is dicitur *uxorem* habere, qui eam duxerit in domum. l. aufertur. ff. de his quæ ut indign. l. hæc conditio ff. de condit. & demonstr. Plaut. Aul. ii. 1. 40.

Post mediam ætatem qui uxorem duxit domum.

Hoc explicatius declarat Sidon. Epist. i. 5. *Jam quidem,* inquit, *virgo tradita est, & nondum tamen cuncta thalamorum pompa defremuit, quia nondum ad mariti domum nova nupta migravit.* Aliud vero erat, si vir deductus fuisset in domum mulieris, quia, ut ait Pomponius, deductione opus erat in mariti, non uxoris domum, quasi domicilium matrimonii. l. mulierem ff. de ritu nupt. Si tamen in villa fierent nuptiæ, nihil intererat. Apul. Apol. p. 539. *Lex Julia de maritandis ordinibus nunquam scilicet ad hunc modum interdixit: uxorem in villa ne ducito.* Quod ita intelligendum est, si ibi dicis causa maritus domicilium figat (domicilium enim etiam in villa esse potest l. 1. §. 2. ff. de liber. agnosc.) non ut clam, & contra jus duceret: quo fit, ut finxerit Apul. Met. vi. p. 182. Venerem conquerentem *impares nuptias, & præterea in villa sine testibus, & patre non consentiente factas,* quæ *legitimæ non possunt videri.* Ant. Hotoman. de Vet. rit. nupt. c. 19. Franc. Hotoman. de Sponsal. c. 7. An in potestate mariti sit quæritur. Et non erit inconveniens adscribere verba Philon. Leg. allegor. ii. p. 71. B. de Adamo, qui, uxorem accusans, dicebat: *mulier, quam mecum esse concessisti;* non quam mihi dedisti. *Bene hoc, quod non dixerit: mulier, quam dedisti mihi, sed mecum esse. Non enim mihi tanquam possessionem dedisti, sed ipsam liberam, & solutam esse sivisti.* Constat tamen *receptæ reverentiæ esse,* quemadmodum ait Ulpianus, *si mulier viro subjecta sit* l. . . ff. solut. matrim. Mart. viii. 12. 3.

Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter fiunt femina virque pares.

Eleganter Plaut. Stich. i. 2. 43.

—— Pudicitiæ est, pater,
Eos magnificare, qui nos socias sumpserunt sibi.

Quam ob causam Medea apud Euripid. ii. 230.

Omnium quæ vivunt, & sentiunt,
Nos mulieres miserrimæ sumus,
Quas primum oportet magna pecunia
Maritum emere, & dominum corporis
Accipere.

Quod sic expressit Ambros. Exhort. ad virg. *Quoniam, quæ nupserit, ad servitutem pecunia sua venditur, meliore conditione mancipia, quam conjugia, comparantur: in illis meritum servitutis emitur, in istis pretium ad servitutem additur.* Apud Romanos tamen aliter. Et quidem de confarreati matrimonii jure hactenus dictum sit. De duobus reliquis hæc erat differentia. Nam si *uxor* esset tantum usu ducta, omnes consentiunt, non fuisse in dominio mariti: si vero coemptione, ajunt, fuisse in dominio viri, quia in ejus manum convenit. Quid ergo? Si mancipatione jus dominii sibi adquirebat maritus, cur non etiam mulieri idem jus erat in virum, quem eadem mancipatione sibi patremfamilias coemebat? V. supr. in *Dominæ.* Salvian. vii. p. 134. ait *matresfamilias Romæ jus suum, & dominarum honorem, potestatemque habuisse.* Verum est: habuerunt quidem multæ integrum jus dominii, sed nulla fertur impollutum jus matrimonii habuisse. Rectius tamen dicemus, mulierem, quæ propter sexus imbecillitatem antiquitus erat in perpetua tutela (ideo quod coemptione recedebat a tutoris potestate in viri potestatem recedere, & ei esse loco filiæ, auctore Boethio: qui ideo asserit, priorem statum mutari, & esse capite deminutam. Cujus juris testimonium etiam exstat apud Ulpian. tit. 21. regul. Sic enim scriptum est: *Minima capitis deminutio est, per quam, libertate, & civitate salva, status duntaxat hominis mutatur: quod fit adoptione, & in manum conventione.* Non tamen ea erat potestas, qualis apud barbaros, inquit Spartianus in Caracalla, apud quos *feminæ, & servi eodem gradu habentur.* Neque in eam maritus jus vitæ, & necis habebat, quamvis ex prisco instituto referat Tacit. Annal. xiii. 32. 2. *Pomponiam Græcinam, superstitionis externæ ream,* Plautii *mariti judicio permissam, ut propinquis coram de capite, famaque conjugis cognosceret.* Instituti hujus meminit Dionys. ii. p. 95. *Delinquens aliqua in re judicem, qui injuria affectus est, accipit, & pœnæ, quæ infligenda est, auctorem. De his enim cognati, & maritus pronuntiabant.* Itaque ut in libro Servii manuscripto Æneid. iv. 214. mulier fuit nec conditionem liberæ servitutis, quod videlicet tantum jure quiritium in dominio mariti esset, jure vero gentium dominium non transferebatur. *Hotoman. de vet. rit. nupt. c.* 23. Eorundem & bonorum, & sacrorum cum viro socia, ac particeps fiebat. Qua communione merito existimavit Romulus inter se arctiori vinculo colligatum conjuges iri. Est enim hujus rei origo in ejus legibus arcessenda, quibus hoc comprehensum fuisse auctor est Dionys. l. l. *Uxorem, quæ secundum leges sacras in manum convenerit viri, participem etiam esse bonorum, & sacrorum.* Unde mirum non est, nuptias a Modest. l. 1. ff. de rit. nupt. *divini, & humani juris conjunctionem* definiri: & a Gordian. l. adversus C. de crim. expil. hæred. *uxorem rei divinæ & humanæ sociam* appellari. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* viii. *p.* 1022. *E. Hotoman. de vet. rit. nupt. c.* 26. In uno tantum quæ fuerant matrimonio laudabantur,

tur. Val. Max. II. I. 3. *Quæ uno contentæ matrimonio fuerunt, corona pudicitiæ honorabantur. Existimabant enim eum præcipue matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.* Prop. IV. II. 35.

Jungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili.
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.

Mart. X. 63. 7.

Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitque
Una [illegible] *mea.*

in epitaphio nobilis matronæ. *Kirchman. de Funer. Roman.* III. 20. *Broukh. in Propertium.* Et secundis se addicere mulieres habebant religioni. Exemplum luculentum in Penelope, quæ a multis solicitata procis strenue restitit, *verita mariti lectum, & populi famam*, ut ipsa ait Odyss. XVI. 75. Et ex voto etiam maritorum, qui a morte crediti vetabant integras sibi capere *uxores*. Justin. §. qui vero auth. [illegible] de nupt. *Animi mariti defuncti secundis nuptiis contristatur.* Hinc illa apud Virg. Æneid. IV. 28.

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulcro.

Maxime hoc obtinuit, cum relinquebantur liberi, quibus censebant non [illegible] favere mulieres iterum conjugatas. Homer. Odyss. XV. 21.

Illius vult domum augere, quicunque duxerit:
Filiorum autem priorum, & mariti dilecti
Non [illegible]

Interim [illegible] opinionem præbebant, quæ [illegible] nuptias convolarent. Quintil. Declam. 6. *Est quædam etiam nubendi impudentia.* Valerius Maximus [illegible] Feith Antiq. Homer. II. 15. V. etiam supr. in [illegible]. Duas eodem tempore Romæ non licuit ducere §. affinitatis Instit. de Nupt. Binarum eodem tempore contractarum nuptiarum crimen, infamiæ pœna vindicatum, notum est. Edicto enim prætoris, qui vel bina sponsalia eodem tempore constituta habebat, infamia notabantur l. quid ergo. §. 1. ff. de his qui not. inf. Unde Imperatores Valerianus & Galienus l. eum qui C. ad l. Jul. de adult. *Eum, qui duas simul habuit uxores, sine* [illegible] *Nec enim* [illegible] *effectus, quo cives nostri plura contrahere matrimonia prohibentur,* [illegible]. Nec non capitali pœnæ [illegible] matrimonia obnoxia fuerant. Patet hoc ex constitutione Constantini l. uxor. C. de Repud. ubi de mulieribus, quæ vivis maritis militibus nullo accepto de eorum sospitate nuntio, post quatuor annorum spatium aliis nupserint. Ælius Cæsar quidem tribunus plebis [illegible], ut [illegible] liberorum quærendorum causa, quas, & quot vellet ducere quiritibus liceret. Suet. Jul. c. 52. n. 6. sed ea lex promulgata non fuit. Valentinianus quoque Imperator alteram [illegible] Justinam uxorem superinduxit, ex qua Valentinianum juniorem sustulit, ac ut facti turpitudinem amoliretur, lege sanxit, ut cuilibet duas simul *uxores* habere liceret, quemadmodum Socrates Hist. Eccles. IV. 30. & P. Diacon. Append. ad Eutrop. II. scribunt. Sed nec ea lex accepta fuit. *Brisson. ibid. p.* 1181. *F. & de Adulter. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 1357. *C. Casal. de Rit. nupt. c.* 2. An ei concubina jure quiritium adjungi posset, dubitari scio. Hoc certe nec jura antiqua, nec sua, concedere scribit Justinian. l. ult. C. de manumission. Nam nec prudentes hoc probasse, indicio est quod ait Ulpian. l. ult. ff. de divort. *Si patronus, qui libertam duxerat, ei concubinam adhibuisset, inde conjecturam capi, nolle eam nuptam habere; quoniam cum uxore concubina haberi non posset.* Idem ipsum Constantini Magni constitutio prohibuit, quæ ita habet l. un. C. de concub. *Nemini licentia concedatur, constante matrimonio, concubinam penes se habere.* Brisson. de jur. connub. ibid. p. 1103. D. Moris etiam fuit, ut refert Strab. XI. p. 354. Romanos *uxores* suas aliis viris elocare, cum duos, tresve filios ex eis suscepissent. Cujus rei vulgatissimum est Catonis minoris exemplum. quod male vulgo intelligi suspicor, relatum a Plutarch. p. 770. E. . . . Non enim, ut adultera esset, sed ut uxor haberetur, Martiam despondit Hortensio Philippus pater, præsente Catone, & sponsalia comprobante. *Hotoman. de ver. rit. nupt. c.* 22. *Laurent. de Sponsal. & nupt. c.* 2. In militiam ducere non licebat. V. supr. in *Milites.* In Conviviis accumbebant. Zonar. de Heliogab. *In sinu ejus, ut amica cœnavit.* Buleng. de Conviv. I. 34. V. supr. in *Feminæ.* In lecto cubiculari cubabant ad pluteum. V. supr. in *Pluteus.* Illis præsentibus aliis neque blandiendum, neque adversandum esse erat Græci sapientissimi scitum. Et *uxoriosum*, qui non temperare ab osculo uxoris possit, etiam loco non satis apto, interpretatur Glossographus in Glossario Latino-græco: *Uxoriosus, ὁ τὴν ἰδίαν γυναῖκα φιλῶν.* Ubi de osculante sermo est. *Swart. Anal.* I. 8. Quamdiu maritos defunctos lugere debuerint V. supr. in *Luctus.* Eodem sepulcro, quo mariti, inferebantur. Hoc ipsiusmet conjugii lex dictare videbatur, ut nimirum quorum animi conjuncti vita fuere, eorundem corpora haud ab unius, ejusdemque sepulcri consortio sejungantur. Res hæc ad antiquiora tempora revocari potest. Tobias c. 14. n. 9. cum filium præceptis imbueret, de matris sepulcro illud injunxit: *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: Cum autem & ipsa impleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam juxta me in uno sepulcro.* Saphyræ quoque & Ananiæ commune fuit sepulcrum Actor. c. 5. n. 10. *Intrantes juvenes invenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.* Aringh. Rom. Subterr. III. 22. p. 340.

Uxor justa est, quæ ex legitimis nuptiis *uxor* est. Ulpian. l. 31. ff. de Ritu nupt. *Si senatori indulgentia Principis fuerit permissum libertinam justam uxorem habere, potest justa uxor esse.* Suet. Calig. c. 24. n. 4. *Sororem Drusillam Lucio Cassio Longino consulari collocatam abduxit, & in modum justæ uxoris propalam habuit.* Bud. in Pandect. p. 223. Ræward. Var. IV. 16. Pitisc. in Suetonium. De justa *uxore* integrum tractatum scripsit *Johannes Filesacus* Theologus Parisiensis: quem videre quod mihi nondum licuerit, animo est dividiæ.

Uxor injusta dicebatur, quæ non rite domum per aliquam in manus conventionem ducebatur. Qui civem Romanam honestæ vitæ ingenuam vitiatam, is qui vitiavit, sola consuetudine, sine aliqua in manus conventione *uxorem* nanciscitur. De eo, qui cum ingenua muliere consuetudinem habet, Marcian. l. 3. ff. de concub. *Sed necesse est ei vel uxorem eam habere, vel hoc recusantem stuprum cum ea committere.* Modest. l. 24. de rit. nupt. *In liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiæ intelligendæ sunt.* Quam si domum ducere noluerit, stupri arguitur, ejusque pœna coercetur l. 34. ad l. Jul. de adult. Donat. in Adelp. IV. 7. 11. *Ducenda est indotata, nisi damnandus sit Æschinus.* Quo sensu matremfamilias visus est accepisse Terent. Adelph. IV. 7. 29. cum ita scribit:

Meretrix, & materfamilias erit una in domo.

Per meretricem psaltriam intelligens, Ctesiphonis amicam: per matremfamilias civem illam virginem, quam Æschinus vitiaverat, & postea patris consensu jure, riteque domum ducturus erat. Erat etiam illa, quæ duci legibus prohibebatur: veluti si famosam quis *uxorem* duxerit, aut libertinam senator; licet lege Julia & Papia hujusmodi prohibitæ sint nuptiæ, tamen contractæ non dissolvuntur: sed hac pœna, qui hujusmodi nuptias contrahunt, plectuntur, ut nec justam *uxorem* habeant, nec procreent liberos justos, sed spurios. Idque satis indicat Ulpian. fragm. tit. 16. *Aliquando nihil inter se capiunt vir & uxor, si contra legem Iuliam, & Papiam Poppaam contraxerint matrimonium. Verbi gratia, si famosam quis uxorem duxerit, aut libertinam senator.* Ræward. Var. IV. 16.

Uxor usuraria est mulier, qua quis utitur, quamque accipit velut mutuatitiam. Plaut. Amph. Arg. I. n. 3.

Alcmenam uxorem cepit usurariam.

Sic

Sic pecunia uſuraria, quæ ad uſum accipitur mutuo: & puer uſurarius eſt catamitus, quo quis utitur. Plaut. Curc. III. 12.

Cupio aliquem emere puerum, qui uſurarius
Nunc mihi quæratur.

De Hebudibus Britanniæ inſulis Solin. c. 22. *Nulla illi, Regi, datur femina propria, ſed per viciſſitudines in quamcunque commotus ſit, uſurariam ſumit.* Turneb. Adv. III. 12. Taubm. n. in Plautum. Nos impudicam ſumus interpretati, uſuram ſumentes pro uſu, qua elocutione ſcatent honorati ſcriptores: ad quam tamen enarrationem nos Plautus illexit, qui dicit Amph. prol. n. 108.

Uſurariamque ejus corpore cepit ſibi.

At vero cum deprehendam uſurarium honeſtum conjugii epitheton eſſe poſſe, ſentio pariter uſurariam vocari nihil obſtare Alcmenam a Plauto, quæ uſura, hoc eſt, uſu ſit marito conjuncta. V. ſupr. in *Uſu.* Pius Annot. poſter. c. 3. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 176. a. E.

UXORIUM vocabatur pecunia, quæ publice exigebatur ab iis, qui *uxores* non haberent. Paullus apud Feſtum: *Uxorium pependiſſe dicitur, qui, quod uxorem non habuerit, æs populo dedit.* Apud Romanos illud æs primi exegerunt M. Furius Camillus, & M. Poſtumius cenſores an. 350. *Muret. Var. Lect.* XII. 5. *Rhod. de Acta c.* 6. *Scalig. & Dacer. in Feſtum. Ravard. de Div. reg. jur.* LXXIX. *Turneb. in Cicer. de Leg.* III. *p.* 181. *Pitiſc. in Suet. Aug. c.* 34. *n.* 2. §. 7.

X.



litera *ante Auguſti tempus non erat, ſed pro ea C & S ſcribebant.* Iſidor. I. 4. P. Diacon. Epiſt. ad Conradum Imperatorem, quæ præmittitur ejuſdem libro de not. liter. Hunc errorem refellunt plurimæ leges agrariæ, ac de finibus regundis, diu ante Auguſti ætatem in æneas tabulas relatæ, in quarum adhuc fragmentis apparet: imo in Duilliana columna inſcripta an. 494. legimus EXIMET, MAXIMOS, & EXFOCIUNT. Mar. Victorin. init. libr. de Orthographia teſtatur Nigidium Figulum nunquam in plurimis libris, quos elucubravit, X uſum fuiſſe, qui *tamen carere potuimus, ſi non quæſiſſemus.* Quintil. I. 4. *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* IV. §. 2. *p.* 447.

XEN.

XENIA vocabantur munera hoſpitalia. Hoc nomine illa dicit Apul. Met. IX. p. 276. *Cantharum deinde mater ſorori ſuæ deæ Syriæ hoſpitale munus obtulit.* Gloſſ. Cyril. Ξένιον, τὸ δῶρον, τὸ πεμπόμενον ξένῳ, *hoſpitale. Xeniorum* nomine Martialis inſcripſit librum diſtichorum, cujus epigr. III. de *Xeniis* ita ait:

Hæc licet hoſpitibus pro munere diſticha mittas:
Si tibi tam rarus, quam mihi nummus erit.

Demoſth. περὶ παραπρεσβ. appellat ξένια, *quæ exterarum gentium legatis dono mitterentur.* Voſſ. Lex. Etymol. Laurent. de Acclamat. c. 2. de Conviv. c. 8. Nardin. Rom. Vet. III. 12. Bacc. de Conviv. IV. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 1129. Goclen. Lex. Phil. Græc. *Xenia* facit ſynonyma ſtrenarum; ſed ſtrenæ proprie non ſunt *xenia:* ob ſimilitudinem tamen, quam invicem habent, *xenia* annua nominari poſſent. *Lipen. de Streń. c.* 1. §. 15.

XENIÆ thermæ etiam dicebantur. Ita apud Græcos cognominari ſolebant, quaſi hoſpitales, & gratuitæ. Hoc cognomine thermarum publicarum utitur Cicer. pro Cœl. c. 25. Inter primas, ac publicas credo fuiſſe Palatinas, atque has *xenias*, quarum meminit item Cicer. pro S. Roſc. c. 7. ubi Sex. Roſcius occiſus, ad emiſſaria aquæ Claudiæ, ad eas poſtea perductæ. *Bacc. de Therm. Vet. c.* 3.

XENODOCHIUM dicitur locus ubi hoſpites accipiuntur. *Pius Annot. poſt. c.* 42. *Bacc. de Conviv.* IV. 5. *Laurent. de Conviv.* IV. 8. Poſt ſedes pontificias nihil admirabilius, laudeque dignius mihi viſum eſt, quam per totam Urbem tot, ut vocantur, *xenodochia*, non ſolum publica omnium, ut ampliſſimum S. Spiritus in campo Vaticano: S. Salvatoris in Cœlio: S. Mariæ de conſolatione in Velabro, S. Jacobi de Auguſta in valle Martia: verum etiam propria nationum, atque civitatum ſingularium, ut Florentinorum ad S. Johannem Baptiſtam, Germanorum apud S. Mariam de anima, Hiſpanorum apud S. Barbaram, Gallorum apud S. Ludovicum, Anglorum apud S. Thomam, Flandrorum prope turrim Argentinam, Ungarorum apud S. Petrum: ut alia omittam, in quibus locis infiniti homines gravibus morbis laborantes domeſtici, atque externi tum curantur, tum etiam aluntur. *Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c.* 21. Sanctiſſimæ Trinitatis apud Tiberim alendis, veſtiendiſque pauperibus condidit, cenſuque abunde dotavit Sixtus V. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 12.

XENOPAROCHUS vocabatur, qui legatis in Urbem venientibus ſal, ligna, cætera quoque ad uſum, & victum neceſſaria ex publico ſubminiſtrabat. Horatius. V. illum ſupr. in *Parochus.* Bud. in Pandect. p. 262. B. Panciroł. de Magiſt. municip. c. 23. Stuck. Antiq. Conviv. I. 27.

XYL.

XYLOSTROTON vocatur opus ligneo vermiculatum emblemate, ſegmentove, atque adeo omnifariam tessellatum aptatum, atque confectum, quod Bononiæ in æde D. Dominici pulcerrimum vidimus, opus Damiani monachi. *Philand. in Vitruv.* IV. 6. *Cruc. de Honeſt. Diſcipl.* XXII. 1. Tale ſine dubio opus eſt, quo apud nos, & maxime apud Gallos adhuc exornantur armaria, pinacothecæ, taulina, tabulæ, menſæ, januæ. *Go. de Antiq. Biblic.* V. 6.

XYS.

XYSTARCHUS, ſive *xyſtarches* vocabatur præfectus totius gymnaſii, ſive qui *xyſto*, & athletarum exercitiis præerat. Tertull. ad Martyr. c. 3. *Xyſtarches Spiritus Sanctus.* Inſcriptio: TOTIUS. XYSTI. PERPETUUM. XYSTARCHAM. Παλαιστροφύλαξ appellatur ab Hippocr. Epidem. VI. ſect. 8. & a Galeno ἐπιστάτης παλαισματ. *Panvin. de Lud. Circ. ſ.* II. 1. *Voſſ. Lex. Etymol. Mercur. Gymnaſt.* I. 12. *Philand. in Vitruv.* V. 11. *Angol. in Panvinium.* A *xyſtarcha*, ſententia mea diverſus fuit præfectus luctæ, & hic a Galeno hoc nomine eſt vocatus, qui perinde ac pædotriba quidam luctantium duntaxat magiſter erat, cum *xyſtarchus* plurium exercitationum moderator, victorumque, & omnium præmiorum decernendorum judex foret. Παλαιστροφύλακα Hippocrates nominavit, nos *cuſtodem palæſtræ* dicere poſſumus, quod non ſolum ipſe luctaretur, verum etiam palæſtræ curam haberet. *Mercur. l. l.* Qui perperam *xyſtarcham* ſecundum locum a gymnaſiarcha inter gymnaſiorum miniſtros vult tenuiſſe. *Xyſtarche* enim cum gymnaſiarcha idem, aut geminum, ac non diſſimile munus: imo idem illius in *xyſto*, quod hujus in gymnaſio fuit: Suidas ξυσταρχεῖν, γυμνασίου ἄρχειν interpretatur. *Faber Agoniſt.* I. 22. Ego, ſi mihi tantis viris concilliandis ſequeſtrum agere fas ſit, fieri potuiſſe non abnuerim, ut *xyſtarchæ* munus in prima ejus apud athletas inſtitutione diverſum fuerit a gymnaſiarchæ munere, quod ex ipſa utriuſque vocis origine, ac ſcriptorum etiam locis colligitur. Verum quod utramque circa eaſdem fere res verſaretur, factum deinde paullatim crediderim, ut unum pro altero promiſcue uſurpare ſcriptores cœperint, quod de aliis quoque rei agoniſticæ officiis accidiſſe mihi per-

persuadeo. Cognata enim adeo sunt munera, agonethetæ, hellanodicæ, alytarchæ, brabeutæ, gymnasiarchæ, *xystarchæ*, prostatæ, epistatæ, ut mirum non sit eorum aliquando notionem confusam, quod apud nonnullos scriptores observare licet: quamvis de uniuscujusque officio curiosius paullo inquirenti nonnihil inter ea discriminis extitisse pateat. Utcunque res fuerit, non vulgaris dignitatis inter athletica *xystarchæ* officium fuit: quem & purpura usum colligitur ex Ammian. XXI. I. qui Julianum *xystarchæ* purpurato comparat, quique jus virgæ habuit, ut hellanodicæ, ac brabeutæ: quibus dignitate haud inferiorem fuisse conjicio ex inscriptione Cretensi apud Gruter. p. 1094. n. 5. & quam Fabius Pacius apud Gruterum ita vertit:

LYTTIORUM. CIVITAS
T. FLAVIUM. LEONTII. FILIUM
TRIBU. CYRENA. ACESTIMUM
PROTOCOSMUM. ITERUM
ÆDILEM. ITERUM. XYSTARCHAM
SACRI. CERTAMINIS. QUIN
QUENNALEM. COMMUNIS
CRETENSIUM. VIRTUTIS
ERGO. ET. PERPETUÆ. IN
CIVITATEM. MAGNANIMITATES. HEROA
ET. COSMOPOLITAM
T. FLAVIUM. CHARMATIORUM
SUUM. PATRONUM.

Hæc ita vertere oportuerat: T. FLAVIUS. CHARMATIO. PATRONO. SUO. His accedit, *xystarchæ* munus perpetuum fuisse, quod ipsum non parum incrementi dignitatibus afferre agnoscit Plinius, qui Arriano ipsi de auguratu gratulanti Ep. st. IV. 8. I. *Gratularis mihi quod acceperim auguratum, jure gratularis, & quod sacerdotium ipsum cum priscum, ac religiosum, tum hoc quoque sacrum plane, ac insigne est, quod non adimatur viventi.* Id vero de *xystarcha* manifesto constat ex athletico marmore, in quo M. Ulpius Domesticus διὰ βίου ξυστάρχης dicitur. Dubitandi alioquin de *xystarchæ* perpetuitate ansam præbent præclarissimum illud marmor Farnesianum, quod est de victoriis ejusdem M. Aurelii Asclepiadis, & duo alia e nostris athleticis, in quibus illud διὰ βίου ad dignitatem potius ἀρχιερέως, quam *xystarchæ*, videtur referendum, aut saltem de eo ambigi potest. Quamobrem me in eam opinionem facile adduci sinam, *xystarchæ* munus non ita perpetuum fuisse, ut pontificatum, & auguratum apud Romanos, qui viventibus adimi non possent; sed nonnullis tantum athletarum ob egregiam in universitatem merita, aut in re athletica præstantiam, ut eo, dum viverent, fruerentur, concedi solitum. *Falconer. ad Inscript. Athlet. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2307. *E.* In hujus verbis quæ notanda censeo, sunt 1. ratione opinionis a Mercuriale defensæ, *xystarcham* non secundum loco, aut ordine fuisse post gymnasiarcham. 2. falsum esse, *xystarchæ* cum gymnasiarchæ idem aut geminum munus fuisse, ita ut *xystarchæ* munus in *xysto* fuerit, quod gymnasiarchæ in gymnasio: quod ambobus hisce tantum unicus præfectus esset: adeoque 3. hic tantis viris conciliandis frustra sequestrum egisse Falconerium: simulque falsum esse, ejusdem muneris fuisse hellanodicas, & athlothetas, cujus erant *xystarchæ*; cum priores horum certaminibus publicis præsiderent, Olympicis, Pythicis, similibusque: hi vero tantum gymnasiis, sive, ut in Italia vocabantur, *xystis*; ac *xystarchæ* nomen Græcis ipsis pæne ignotum fuerit: solaque in Creta insula gymnasiarchæ isto nomine, prout liquet, venirent. In inscriptione hac, ut hoc in transitu dicam, loco ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝ legendum est ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΥ. Quod ad primam notam attinet, nullibi patet duo talia munera, istisque nominibus, hocque illi subordinatum in gymnasiis obtinuisse: quum *xystus* solum gymnasii pars esset, ubi iidem athletæ qui tempore æstivo sub dio exercebantur, per hyberna tempora in tectis stadiis, quæ ξυστοὶ erant, exercerentur; sicut etiam iidem athletæ per hyemem ex *xysto*, sereno cœlo, prodeuntes sub dio exercebantur; uti nobis testatur Vitruvius. Quum igitur & in *xysto*, & in reliquo gymnasio apud Græcos iidem exercerentur athletæ, nulla ratio fuit, cur iisdem alius moderaretur dum sub dio exercebantur, alius iterum cum ob frigora, ac tempestates sub tecta sese exercendi causa conferrent: quum & præterea gymnasiarchæ quidem in Græcia, atque in Italia *xystarchæ* toti gymnasio, seu *xysto* præfecti essent, ipsiusque & quæ ad illud pertinebant, curam gererent: sed alios sibi subjectos habebant, qui in *xysto*, & in reliquo gymnasio athletis moderabantur. Quæ jam dicta etiam ad Fabri opinionem refellendam suffecerint. Neque hic tractu temporis rem immutatam apud Græcos ita fuisse, ut Falconerii conciliatio locum habere queat, ex antiquitate ullo modo liquet: multominus vero, quod gymnasiarchæ, adeoque & *xystarchæ* ejusdem muneris fuerint cum hellanodicis, qui tantum Olympiæ obtinebant, pluresque simul numero erant, aut agonothetis, qui per Græciam quinquennalibus, aliisque agonibus, seu certaminibus publicis præsidebant, panegyriarchis tamen subordinati; cum contra vero gymnasiis tantum gymnasiarchæ, aut *xystarchæ* præessent, in quibus gymnasiis tantum præludia fiebant, quibus athletæ ad vera certamina, in agonibus publicis præstanda, præparabantur. Neque juvat Falconerium inscriptio illa Cretensis, atque in ista illud ΞΥΣΤΑΡΧΗΝ ΙΕΡΟΥ ΑΓΩΝΟΣ ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΥ. . . . Quum procul omni dubio æque Cretenses sua gymnasia habuerint; unde forsan & sua Lacedæmonii, sicut multa alia, in usum introduxerunt; ne de Cretensium ἀνδρείων, sive syssitiorum inter se, ac cum aliis, certaminibus aliquid addam. Sicut igitur ibi ad quinquennale istud certamen publicum totius Græciæ non rudes, atque inexercitati accedebant, atque præcipue contra peregrinos, qui aliis in gymnasiis, quin & in publicis certaminibus se jam diu exercuerant, ac forsan victores, imo & hieronicæ essent; ita suis in gymnasiis quoque exerceri debuerunt: quæ ξυστὸς, sicut in Italia, vocata fuisse illud nomen ξυστάρχης satis clare indicare videtur. Græcos autem & in istis locis, ubi publica ea certamina, ac quinquennalia celebrabantur, sua sibi habuisse gymnasia, ostendunt nobis ipsa Elis atque Olympia: de cujus Olympiæ gymnasio Pausan. Eliac. II. p. 199. Et de veteri Elide p. 201. Lexicographi. Suidas, Hesychius, Pollux, confuse tantum de gymnasiis loquuntur, & partem quandoque pro toto, totumve pro parte, quasi unum idemque allegant; dum potius reddunt, quid quævè ad ista pertinuerint, quam quid revera, ac definitive fuerint: aut quo proprio nomine sint appellanda. Satis itaque liquet, *xystarcham* in Græcia non, sicuti nec in Italia, simul cum gymnasiarcha athletis præfuisse, illumve huic parem, aut supparem fuisse: quum unus numero gymnasiarcha apud Græcos gymnasio moderaretur; unusque *xystarchus* apud Italos, seu Romanos universo gymnasio, seu *xysto*, & balneis præpositus esset, quin & simul ipsorum ἀρχιερεὺς, seu pontifex esset. Ut denique hoc de pontificibus totius *xysti* addam; isti non tantum per totam vitam eo honore, ac munere gaudebant; verum & illorum filii, ipsis jam mortuis, succedebant: modo & ipsi ἱερονῖκαι, seu περιοδονῖκαι essent. Quod patet ex Græca inscriptione reperiunda apud Gruter. p. 313. *Van Dale Dissert.* VIII. *c.* 2.

XYSTICI sunt nominati athletæ, quod in *xystis* pugnantes se per hyemem sub tecto exercerent. Suet. Aug. c. 45. n. 10. *Nec tamen eo minus xysticorum certationes severissime semper exegit.* Galb. c. 15. n. 2. *Liberalitates Neronis revocandas curavit, ut etsi quid scenici, vel xystici donatum olim vendidissent, auferretur emptoribus.* Tertull. de Spectac. c. 30. *Tunc xystici contemplandi non in gymnasiis, sed in igne jaculati.* Extat vetus epigramma:

L. THENODORUS
XYSTICUS
PARIDI. THIMELICO
BENE. MERENTI
FECIT.

Panvin. de Lud. Circens. II. I. *Coras. Misc. jur. civil.* IV. 24. §. 11. *Voss. Lex. Etymol. in xystus. Pius Annot. post c.* 191. *Beroal. Annot. c.* 86. *Lyd. Agon. sacr. Proleg. p.* 6. *Pitisc. in Suet. Augustum.* Depilari, & divelli in medio etiam gymnasio sub omnium oculis solebant *xysto* dediti. Clem. Alexand. Pædag. III. 3. *Picari, ac velli vereor dicere quam sit indecorum, & turpe factu. Adversos, incurvatos, & arcana naturæ aperte denudantes, exsilientes, & coxarum vertebras propemodum luxantes, & cum erubescendæ sint eorum figuræ, ipsos non erubescentes, in ipso juvenum cœtu, & medio gymnasio, ubi virtus virorum exercetur, se indecore gerentes, hoc præter naturam persequi exercitium, quomodo non est extremæ intemperantiæ?* Hoc depilari; & divelli *xysticas* munditias appellat Tertull. de Pall. c. 4. *Quid tibi Libya, & Europa cum xysticis munditiis?* Ita lego pro *rusticis*, ut sint a *xysto*, & palæstra. *Salmas. ad Tertull. de Pall. p.* 271.

XYSTUS, & *xystum* utramque apud Græcos, & Latinos non parum discriminis obtinent, siquidem *xystos* hi vocant porticus tectas, ubi athletæ per hyemem, & æstate tempore luctationibus alieno exercebantur: *xysta* autem subdiales ambulationes, ubi hyeme tempestate leni e portica prodeuntes, & æstate se e semper exercebantur, & ambulabant: atque has περιδρομίδας appellat Vitruvius loco mox laudando: quæ duplices erant, aliæ nudæ, aliæ platanis, aliisve arboribus consitæ ad præstandum amœnitatem, atque illis, qui a sole offendebantur, umbram. De his loquebatur Plin. XII. I. dum *platanos Athenis in Academiæ ambulatione celebratas* fuisse scribit. Et alter Epist. II. 17: v. 6. quando in depingendis Tuscis ac Laurentina villis suis *xystos* toties decantat. *Mercur. Gymnast.* I. 9. Qui errat, dum etiam apud Græcos obtinuisse vult id discriminis. Nam apud Græcos idem significant, apud Latinos differunt. Vitruv. V. II. *Hæc autem porticus ξυστὸς apud Græcos vocatur, quod athletæ per hyberna tempora in tectis stadiis exercerentur. Proxime xystum, & duplicem porticum designentur hypæthræ ambulationes, quas Græci περιδρομίδας, nostri xysta appellant, in quas per hyemem ex xysto sereno cœlo athletæ prodeuntes exercentur.* *Xysta* igitur Latinis sunt ambulationes sub dio. Suet. Aug. c. 72. n. 6. *Sua prætoria, quamvis modica, non tam statuarum, tabularumque pictarum ornatu, quam xystis, & nemoribus excoluit.* In utriusque generis *xystis* exercebantur athletæ, pluvio tempore sub tectis porticibus, quas Græci ξυστοὺς δρόμους vocant ab æquata, & rasa humo: sereno cœlo in ambulationibus hypæthris, quas Latini *xysta* appellant, Græci περιδρομίδας. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 272. *Voss. Lex. Etymol. Philand. in Vitruvium. Panvin. de Lud. Circens.* II. I. *& in illum Argolus. Bud. in Pandect. p.* 96. *Schol. Nomencl. Philol. p.* 1130.

Z.



Z in *D* mutant Latini. Ladi populi, οἱ Λαζοὶ: Cydicos pro Cyzicos: Sabadius pro Sabazius: Trapedia pro Trapezia. Sic promontorium, quod Ptolemæo Muziris dicitur, Latini mercatores more suæ linguæ dixere Mudirim. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 263. *b. F. p.* 834. *b. F.*

Z pro *S.* usitatum olim loquendi, & scribendi morem sequentes posuerunt librarii: ut zmaragdus, zmilax, zmyrna, & similia. Quod damnat Priscianus. *Vitium*, inquit, *faciunt, qui Z. ante M. scribunt, nunquam enim duplex in capite syllabæ posita potest cum alia jungi consonante.* Lucan. X. 120.

Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta smaragdo.

Quod si zmaragdo scriberetur, versus non staret. Apud Harpocrat. Alexandr. tamen in Lexico περὶ δυνάμεων φυσικῶν in litera Z scribitur ζμίλαξ. Et apud Neophytum in eadem litera ζμίλαξ τραχεῖα, & ζμύρνιον. Zmyrna in antiquissimis libris sæpe reperitur pro smyrna. Quæ scriptura veteribus adeo frequens fuit, ac celebrata: ut vulgo in medicorum libris antiquis duplex zeta pro myrrhæ nota ponatur, ζζ. In antiqua inscriptione Zmaragdus nomen equi circensis. Quæ vitiosa tamen scribendi ratio nec antiqua. *Salmas Exerc. Plin. p.* 898. *b. E.* V. tamen *Broukh. in Prop.* II. 13. 43. & ab illo laudatos scriptores.

pro *Z. SS* ponebant *apud Romanos ad Augusti tempus, ut hilarissit.* Isidor. I. 4. Hinc Cassiod. de Orthogr. p. 2286. *Z. in antiquis libris modo scripta est, modo non, sed pro illa duæ SS ponebantur, ut crotalizo, crotalisso: malacizo, malacisso, & his similia.* Sic quoque *pytissare* duobus *SS* apud Terentium Heaut. III. I. 48. reperitur, ubi Faernus notat in Bembino codice modo unum *S* extare, male, cum Græcis scribatur per *Z pytizo*, ut ad Terentium observat Anna Daceria. In carmine tamen Saliari extitisse testatur Velius Longus Orthogr. p. 2217. *Mihi videtur nec aliena sermoni fuisse*, Z nempe, *cum inveniatur in carmine Saliari, & esse aliud Z, aliud sigma, καὶ σδ. nec eandem potestatem, nec eundem sonum esse, si secundum diversas dialectos, id est, linguas enuntietur.* Gutberl. de Saliis c. 26.

Z in sortibus inauspicata fuit, & mali eventus. *Alex. Gen. dier.* III. 5. Hoc inde esse puto, quod ζημία significet damnum, detrimentum, jacturam. *Maurit. de Sortit. c.* 28. §. 4. Martianus Capella in nupt. philol. & Mercur. scribit, hanc literam invisam fuisse Appio Claudio, quod dentes mortui, dum exprimitur, imitetur. *Tiraquell. in Alexandrum. Maurit. l. l.*

ZAN.

ZANCHÆ num calcei, num vestes fuerint V. supr. in *Tzanga.*

ZAT.

ZATRICION, ζατρίκιον, apud recentiores Græcos idem fuit ludus qui apud Romanos latrunculorum & calculorum. I. In ludo latrunculorum calculus unus erat, qui dicebatur rex: *zatricion* etiam suum regem habebat. Scholiastes Theocriti & Achmes Oneiror. c. 241. V. illos supr. in *Calculi.* Et quare ille, ibidem docetur, quia totum *zatricii*, aut latronum ludi negotium bellum erat, vel belli simulacrum. II. In ludo latrunculorum duo concolores unum discolorem capiebant: idem fiebat in ludo *zatricii.* V. & hoc supr. in *Calculi.* Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Meurs. Glossar. Græco-Barbar. p. 220. de Lud. Græcor. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 959. E. 984. C. Souter. Palam. I. 8. Senftleb. de Alea c. 13. §. 2. Vox isthæc antiquis Græcorum libris ferme incognita, & non nisi in recentiorum scriptis approbata. Salmasius plurimum nititur ex Græco deducere. V. illum l. l. Mihi placet Scriverii in ejus manuscriptis observatio. Sentit in illis, *zatricion* vocabulum purum putum Persicum. Persis namque latrunculorum ludus *xatreng*, vel *xatrang* appellatur; quod ipsis est regius jocus, sive lusus. Inde Græci recentiores ζατρίκιον fecerunt, n litera omissa. A Persico *Xatreng* Hispanorum *Axadres* similiter detortum; quod plene olim fuerit *Al-Xatrengs.* Imo apud Persas tabulam latruncularium repertam esse putat Petrus Texeiras. V. illum supr. in *Calculi.* Souter. & Senftleb. l. l.

ZET.

ZETA vocabatur pars domus, quæ cubiculum habebat ac cœnationem. Plin. Epist. II. 17. 21. *Qua mare contra parietem medium, zeta perquam eleganter recedit.* Lamprid. Heliog. c. 30. *Hoc idem de zetis fecisse videtur.* Idem quod diæta. Solebant enim antiqui duas illas literas *D.* & *I* in unam *Z* contrahere. Ita *diabolum* dixerunt *zabulum.* Ambros. de Fide ad Gratian. V. I. *Zabulus verum Dei Filium fatetur, Arrius negat.* Hilar. in Matth.

xxvi. *Furem eſſe oſtendit zibutam ad detrahenda ex nobis ſpolia perv... em.* De Juda proditore ſic Paullin. Epiſt. 4. *Facie ut zabolus, ... gratiæ Dei, in qui ... non eſſet portio.* Ita Græci ζάκορος pro διάκορος; ζαβάλλειν pro διαβάλλειν tecte Phi... Et in Antonini Itinerario Zarrhybum pro D... Fuerit it quæ tale aliquid, quale Germani ... Itali *tinello* appellant. *Vesſer. de zet. & zetar. apud Pignor. de Serv. p. 574. Turneb. Adv. xxiv. 4. Vet. Lexic. Etymol. Cran. Ag... ad Ciaccon. de Triclin. p. 219. Rader. ad Mart. 11. 43. 1. Kobierzyck. de Luxu Roman. 11. 9.* Erat conclave proprium calorum, hybernum, tegori accommodatum, quod igne quandoque caleſceret, ... Ita enim eo ſtructum erat, ut per ... quoddam ſolare & apricum, ad quod ſol ... accedebat, vaporem, & calorem acciperet: ubi lectuli erant ad delicias, & amores. Lamprid. ibid. c. 31. *Odores Indicos ſine carbonibus ad vaporandas zetas ...* Bacc. de Therm. vet. c. 17. Coraſ. Miſcell. jur. 111. 14 Salmuth ad Pancirol. de reb. deperd. & inv. p. 131. Schill Nomencl. Philol. p. 1134. V. etiam ſupr. in *Heliocaminus.*

ZETARIUS eſt idem qui diætarius. Si enim *zeta* eſt idem quod diæta, quid poteſt afferri cum ulla probabilitatis ſpecie, cur non etiam *zetarius* idem ſit qui diætarius. Ejus munus, & officium fuerit *zetæ*, vel diætæ curatio, ſcilicet, ut munda eſſet, ac nitida, tum ipſa, tum ſupellex, & inſtrumentum omne ad eam pertinens. Functio fuit ſervilis. Romæ lapis vetuſtus:

DIS. MANIBUS. DEXTRI
CÆSARIS. SERVO. DI
ÆTARCHO. DOMUS
AUG. TREBONIA. LAU
DICE. FEC. CONJUG. B. M
CUM. DUABUS. FILIS. FOR
TUNATA. ET. FELICE

Vetus Lexicon. Διαιτάρχης, atrienſis. Neque dubium eſſe poteſt, qui διαιτάρχης diætarius ſit, aut ſi forte, nihil enim adfirmo, princeps *zetariorum.* Sicut Marſilius Cagnatus de ἀρχιάτροις diſputat, ita dictos, non quaſi Principis medicos, ſed medicorum quavis de cauſa principes. Et eodem vocare videtur nomen atrienſis, quod honeſtioris ſervitii fuiſſe nemo ignorat. Omnino διαιτάρχην utcunque ſervum eximium aliquid ſupra cæteros diætarios habuiſſe nomen ipſum haud obſcure demonſtrat. Paull. Sent. tit. 7. de legatis: *Domo cum omni jure ſuo, ſicut inſtructa eſt, legata, urbana familia, item artifices, & veſtiarii, & zetarii, & aquarii, & eidem domui ſervientes ... legati videntur*, placuit, nihil diætarium a zetario diſferre, *Vesſer. de zet. & zetar. apud Pignor. de Serv. p. 575. . . . Rader. ad Mart. 11. 43. 1.*

ZON.

ZONA, ζώνη eſt cingulum. Ictus l. veſtis ff. de aur. & arg. leg. inter muliebria adnumerat. Mart. xiv. 151.

Longa ſatis nunc ſum: dulci ſed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona brevis.

Sed erat quoque virorum. *Ferr. de Re veſt. c. 18. Roſin. Ant. Rom. v. 35. Zona*, ſive cingulo, ex lana ovilla facto præcingebatur nova nupta. Hoc maritus ſolvebat. V. ſupr. in *Cingulum.* Hinc dicebantur *zonam ſolvere.* Catull. 11. 13.

Quod zonam ſolvit diu ligatam.

LXVII. 14.

Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.

Auguſt. de Civit. Dei iv. 11. *Ipſe in Jugatino deo conjuges jungat, ut zona virginis ſolvatur.* Varr. γεροντίδαον. apud Non. in Cingulum: *Novus maritus tacitulus taxim uxoris ſolvebat cingulum.* Apud Romanos enim *zonam ſolvere* dicebantur quæ tradebantur viro. Græcis autem quæ primum pariebant. Apollon. Rhod. 1. 287.

—— *quem propter ſolum*
Zonam primo ſolvi, poſtremoque.

Ubi vetus Scholiaſtes: *Zonam enim ſolvunt, quæ primum pariunt, eamque Dianæ conſecrant: unde & Athenis templum erat Dianæ zonam ſolventis.* Fatemur tamen, quandoque etiam Græcis ſolutionem *zonæ* ad nubentes pertinere, & dici de iis, quibus virginitas immutabatur. Ut apud Homer. Odyſſ. Λ. 244.

Solvit virginalem zonam, ſomnumque ſuperfudit.

Ubi συνουσιασμὸν ſignari ut & Etymologus in Ζώνη. De Spartanis ſic item Plutarch. in Lycurg. p. 48. D. *Sponſus non vino gravis, nec deliciis fractus, ſed ſobrius, ut ſemper in Phiditiis cœnatus, clam ingreſſus ſponſæ zonam ſolvebat, & eam tollens in lectum transferebat.* Voſſ. de Idolol. 11. 25. Scalig. in Catullum. Barthol. de Puerp. p. 13. Briſſon. de Rit. nupt. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. viii. p. 1028. B. Wouwer. in Petron. p. 401. Sigon. de Jur. civ. Roman. 1. 9. Licet. de Lucern. vi. 121. Tomaſ. de Donar. c. 14. Stuck. Ant. Conviv. 11. 29. Alex. Gen. 11. 5. & ad illum Tiraquellus, & Mercerus.. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 676. & Salmuth ad illum. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 8. & 16. Pigh. Them. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. xi. p. 1174. C. Feith. Antiq. Homer. 111 6 Kipping. Antiq. Roman. iv. 5. §. 17. Schill Nomencl. Philol. p. 1138. Demſter. Paral. ad Roſin. Antiq. Roman. v. 37. *Zonis* ita cinctæ puellæ videntur fuiſſe, ut ſine earum ſublatione corpori vis fieri non poſſet. Id ſane aperte indicat Nonn. Dionyſ. xvi. 268.

Vinculum nondum prædatæ cuſtodem ſolvit zonæ.

Non enim Nicæa frui poterat Bacchus ſine ejus vinculi ſolutione, alioquin dormientem excitare timens, ſane cum *zona* ſibi ſua ſuperveniſſet. Pariter apud eundem xii. 452.... cum eorios ſatyros veſtibus ſublatis femora puellarum tangere feciſſet, non ipſam virginitatis pudorem, ſed mitram utpote iſtius cuſtodem tangentes facit, quam & σαόφρονα vocat n. 457. ab officio videlicet. Quid autem clarius his ejuſdem 1. 358.

Et oſculatus eſt labii ſummitatem: aperiens vero ſilentio
Intemeratum innuptæ cuſtoditum vinculum virginitatis
Immaturum Venereorum decerpſit fructum amorum.

Barth. Adv. iv. 9. Non dabantur niſi viripotentibus. Ἀμίτρους enim novennes appellat Callim. Dian. n. 14. non quod ſolutis aut amiſſis jam illis mitris, aut *zonis*, virginitatis deminutionem, inſtar puellæ illius ſeptennis apud Petronium eſſent paſſæ; aut vero eo intuitu, ut volunt hic ſcholia, quod *non eſſent devirginatæ*, aut, quod ibidem additur, *quod innuptæ incederent nudæ*, ſed quod per ætatem, neque enim adhuc nubiles, nondum forent *zona virginea* cinctæ, verum adhuc ἄμιτροι, ſeu diſcinctæ agerent. *Spanhem. in Callimachum. Barth. l. l.* Erat quoque virorum. Ex illa enim gladios ſuſpendebant. Quare miles nunquam ſine *zona.* Plaut. Pœn. v. 2. 48.

—— *tu qui zonam non habes*
Quid in hanc veniſti urbem?

Et ζώνη ſæpe apud Homerum ſignificat ὁπλισμὸν. ſive πολεμικὴν ὅπλισιν ſynecdochicῶς, id eſt armaturam bellicam: & ζώννυσθαι, *cingi*, eſt Suidæ καθοπλίζεσθαι, *armari.* Hinc diſcinctos ignavos, & militiæ minus aptos putabant veteres. Perſ. Sat. 111. 31.

Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ.

Et diſcinctum ſtare ignominioſum erat. Suet. Aug. c. 24. n. 5. *Pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit, ut ſtare per totum diem juberet ante prætorium diſcinctos.* Stuck. Ant. Conviv. 11. 29. Cerda Adv. c. 181. n. 9. Pitiſc. in Suetonium. Schill. l. l. Et in illis pecuniam geſtabant, ſive quod ad *zonam* crumenam alligaverint, ſive quod latiore latere dextro *zona* uterentur, cui aſſuta, & clavis affixa erat ſcortea crumena; unde factum, ut *zona* pro crumena fuerit uſurpata. Ita Soſigenem in cingulo militari pro viatico nummos aureos habuiſſe dicit Plutarch.

tarch. Demetr. p. 913. D. *Ut vero comperit, ne in illum quidem diem habere eos viaticum, applicuit ad alia consilia animum. Postquam tamen advenit amicus ejus Sosigenes, quadringentis aureis succinctus.* Suet. Vitell. c. 16. n. 4. *Dilabentibus qui simul erant, zona se aureorum plena circumdedit.* Unde de illo, qui viaticum non habet, Horat. Epist. II. 2. 40.

Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit, inquit.

Demster. Paral. ad Antiq. Rosin. II. 9. Stuck. Ant. Conviv. II. 29. Erasm. Adag. p. 563. b. Ferrar. Elect. II. 2. Salmas. in Spartian. Pescenn. c. 10. Bud. in Pandect. p. 250. C. Bayf. l. l. Pitisc. in Suetonium. Schill ibid. p. 1139. Etiam magistratus, qui in provinciis ierant. C. Gracchi, qui provinciam Sardiniam administravit, verba ponit Gell. xv. 12. *Cum Roma profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Et pecuniam in zonis gestare non minus Græca, quam Romana fuit consuetudo. Discimus hoc ex carmine Simonidæ Anthol. l. VII. 12.

Mercator, & nauta, tua crumena novit,
Et unde hæ zonæ, & unde hæ tabellæ.

Aristoph. Thesmoph. apud Pollac. x. 32.

Sacculum, in quo argentum reponit.

Ælian. referente Suida in Τιμωρητ☉: *Megaris quendam auro zonam refertam circumferentem, apud cauponem divertisse vesperi, ab eoque oculis in aurum conjectis, occisum quem cadavere in currum, quo fimum veheret, conjecto, efferre voluerit.* At secundum, non circa lumbos, ut nunc fit, has zonas gestari solitas, sed e collo pendulas. Plaut. Truc. v. 64.

Pecuniam hanc ego in crumena obligata defero.

III. I. 7.

—— homo crumenam sibi e collo detrahit;
Minas viginti mihi dat: accipio libens.

Demster. l. l.

ZOT.

ZOTHECA videtur dictus locus, in quo adservabantur animalia ad immolandum. Lapis Tiburtinus apud Grute. p. 49. n. 3. HERCULI. SAXANO. SACRUM. SER. SULPICIUS. TROPHIMUS. ÆDEM. ZOTHECAM. CULINAM. PECUNIA. SUA. A SOLO. RESTITUIT. *Struv. Antiq. Roman. c. 11. p. 515.*

ZYG.

ZYGASTICUM fuit æs, quod solvebatur pro rebus ponderandis. *Ζυγὸς, libra, lanx.* Buleng. de Vectig. c. 86.

ZYGITA Latine, Græce ζυγίτης, qualis remex fuerit. V. supr. in *Thalamii.* Si vero plura desideraveris de *thalamiis, thranitis, & zygitis,* evolvere L. B. te jubeo *Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Grac. Gronov. Tom.* XI. *p.* 626. 627. 628. *Scheffer. de variet. nav. Thes. Gronov. il. d. p.* 780. 781. 782. *de Milit. naval.* II. 2. *Calceum. de Re naut. p.* 309. *Meibom. de Fabric. trirem. & Opel. de Fabric. Trirem. Meibom.* Non enim nostrum est integros tractatus angustiori huic chartæ inserere.

ZYGOSTATES erat libripens, qui rationem ponderum tenebat, curabatque per civitates, ut mechanici justo pondere mercimonia venderent. Ζυγὸς enim Græcis statera est. Tales *allectos,* & *archarios* videtur appellare Sidon. Epist. v. 7. *Hi sunt, qui invident archariis pondera, monetarias allectis.* Laz. Comment. Reip. Rom. II. 13. Bud. in Pandect. p. 243. C.

F I N I S.

Supina typothetarum negligentia omissa suis locis restituenda

CAUSIDICI *causas* in foro agunt, ut Cajus loquitur leg. 1. D. de Origine juris; sive *causidicinam* in foro gerunt, ut Imperator leg. 188. C. T. de decurionibus. *Gunther. de Offic. Dom. Aug.* III. 2. Recto stantes tribunio dicebant, ne scilicet astantium corona, septis exclusa, aversis cognoscentibus judicibus ex subselliis incumberet. *Pollet. For. Rom.* I. 5. Magno sunt habiti pretio apud Romanos: & clarissimos exstitisse legitur, qui Foro, & Rostris, vel in Senatu, vel in Comitiis detonassent voce, in reorum accusationem & defensionem: quorum facile nuncupati sunt Principes M. Cicero & Quintilianus. Cicer. de Orat. I. 46. *Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam conquirimus.* Mart. II. 64: VI. 19. irridet ineptiam inscitiamq. eorum *causidicorum,* qui tumore, jactantia, strepituque sententiarum vanissimo crepantes, nihil in verbis concludunt. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *Mem.* 30. *Pollet. ibid.* II. 9. Sanguinem fortunarum bibunt, & patrimonia miserorum emungunt. *Chimentell. de Hon. Bisell. c.* 22.

Tesseræ vestiariæ erant, quibus vestium promissio certis notis erat inscripta. Suet. Ner. c. 11. n. 7. *Sparsæ & populo tesseræ frumentariæ, vestis. . . .* Xiphil. LXI. p. 698. A. . . . *Variam vestem, hæc dabat per symbola quædam & tesseras.* Hugo de prim. scrib. rat. c. 25. Pitisc. in Suetonium.

Tessera vialis, ut eam appellat Lips. de Milit. Rom. v. dial. 8. qua jubebantur adornare itinera. Ammian. XXIII. 2. *Missa per provinciales numeros e pedatoriali tessera, cunctos transire jussit Euphratem.* Sil. Ital. xv. 475.

—— tacitum dat tessera signum,
Dimissa in colles pugna sylvasque ferantur
Dispersi.

Hugo de prim. scrib. rat. c. 25.

In *Ungues* ante Niphus.

Si dextri pedis salierint, aut formiculaverint, mollitiem, servo valetudinem, virgini ac viduæ nuptias prædicit. Si parvi digiti, bonum: si secundi, peregrinationem bonam, si tertii, injucunditatem: si quarti, utilitatem: si quinti bonum enarrat: si sinistri pedis salierint, aut formiculaverint, diviti injucunditatem, pauperi divitias, servo damnum, virgini consilium, viduæ ignominiam pronuntiat.

Et perperam commissa hoc modo emendanda.

Tom. I. p. 159. b. l. 66. pro *orantes* L. *ovantes.* p. 247. a. l. 7. post corrigente L. VIII. 16. 2. l. 9. post agebat insere LXXVII. p. 876. C. D. p. 254. b. l. 19. pro *palldi* L. *pallidi.* p. 309. b. l. 26. pro *verbis* L. *versis.* p. 321. a. l. 61. post Balduin. pro *l. l.* insere *de Calc. Ant. c.* 1. p. 786. b. l. 38. post Orest. L. n. 1438. p. 871. b. l. 50. post Cæsar. insere c. 11. p. 997. b. l. 10. post *aliis* insere *alios.* II. p. 365. a. l. 48. post Arnob. L. IV. p. 128. p. 522. a. l. 22. pro *modo laudatus* L. *mox laudandus.* p. 570. b. l. 55. pro *Lauront.* L. *Laurus.* p. 614. b. l. 5. pro c. 27. l. 26.



